Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
M 8
23 — F
22

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIUS
IN
ECCLESIASTICVM

AUCTORE

R. P. CORNELIO CORNELII
A LAPIDE
SOCIETATIS JESU.

Sac. Scripturæ olim Lovanij, poſteà Romæ Profeſſore.

AD EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPEM
IOSEPH ARCHINTVM
S. R. E. CARDINALEM,
MEDIOLANI ARCHIEPISCOPUM, &c.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

VENETIIS, M.DCCIII.

Apud Hieronymum Albriccium.
SVPERIORVM PERMISSV, AC PRIVILEGIO.
Venditur quoque apud Ioſeph Maria Ruinetti.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS

SOlemne eſt iis, Eminentiſsime, ac Reverendiſsime Princeps, qui ſuorum ingeniorum fœtus ſunt edituri, ſummorum eos munire virorum nominibus, quorum ſplendido patrocinio non abundè ſolùm protectos, verùm etiam apprimè commendatos fore ſibi pollicen-

Digitized by Google

centur. Nec aliter factitare consuevimus & nos, quotquot illis in lucem prodeuntibus hæc, ut ità dicam, typorum crepundia quasi obstetricantes circundamus. Neque mehercule injuriá. Cum enim abundent homines, qui proni sint in censuram, quique sæpè etiam loliginis succo penitùs turgeant, effræni huic licentiæ objiciendi erant ij, qui extra omnem ingenij aleam positi mordacissimis blateronibus os oppilarent. Veruntamen in hoc opere edendo à vulgato isto more mihi posse videbar tutò recedere. Etenim Commentaria in Sacram Scripturam Corn. à Lapide, viri omni laude cumulatissimi, typis nostris non inelegantibus imprimenda & euulganda suscepi. Author ipse quidem ex illustrissima Societate famæ jam præjudicatæ Opus consummatissimum satis tuetur; & Opus ipsum Authorem. Typi vero nostri (absit verbo invidia) etsi jandiù Venetijs desiderati sunt Aldi, fortè nec Aldinis cessuri, & nitidi, & emendati, veste non indecorá, in sui potiùs laudem linguas hominum rapient, quàm eorum, etiam delicatioris palati, in se dentes irritent. Quid ergo alterius, ac propemodùm novæ caussæ est, cur ego Tuum, Eminentissime Princeps, hujus Cornelianorum Operum Voluminis fronti Nomen præfigam? Primùm veniam præfabor, si Te Orbi notissimum,

tan-

Digitized by Google

tantumque Principem, ignotus ego, ac tantillus homo, adire, atque etiam hac epiſtola alloqui audeam: deinde dicam, & ità dicam, ut omnes inaudiant; me pauſibili incenſum ſuperbià id feciſse; quò deligendo mihi Heroem in paucis commendabilem, cui commendarer, & noſtrates, & exteri etiam, ad quos hæc noſtra pervenerint, cummaximè ſapuiſse affirmarent. Quibus enim laudibus, quibus plauſibus à meis excipiar Venetis, ubi Tu tantam apud prudentiſsimos Optimates, cęteroſque Ordines Tibi virtutum omnium admirationem, Nuncium agens Apoſtolicum, excitaſti; ut aliò migrare à Summo Pontifice juſsus, vel animos noſtros Tecum avexeris amabili captivitate irretitos, vel ijs infixam Tui memoriam nullo temporis fluxu obliterandam, nulla locorum intercapedine divellendam reliqueris. Nec minùs hanc mentem mihi gratulabuntur Hiſpani, ubi apud Catholicum Regem Summi itidem Pontificis Nuncius eas animi dotes explicuiſti, ut prudentiſſimæ illi Aulę extemplò diluxerit, quàm verè virum eſſet in ea Dignitate habitura. Gravis illa & perſpicax animorum indagatrix, facilè poterat ſuſpicari, famam, quæ de Te ampliſſima prædicaverat, more ſuo nonnihil eundo creviſse; ſed protinùs reipsà deprehendit, eam (quod rariſsimum eſt) ſobrietate peccaſse. Quid

He-

Digitized by Google

ENCOMIVM SAPIENTIÆ,

EX

PARALLELIS ETHICES

NATURALIS ET DIVINAE.

SVMMVS ille rerum Opifex ab ipsis macrocosmi incunabulis, creatæ cuiq; naturæ suam statim regulam, normam ac legem associavit, qua quælibet suis inclusa terminis, illis constantissimè se contineret, motibus sibi propriis perpetua serie ageretur, ac muniis ceteris sibi congruis stata ac perenni ratione perfungeretur; nimirum, ut universum hoc archetypum, unde ab auctore suo expressum est, quaquaversum, licet sciatica dumtaxat imitatione, tenuique vestigio, referat tamen, pulcherque hic κόσμος speculum nobis sit, quo æterni illius & increati mundi pulchritudinem quadamtenus intueamur, vel certè solerti mentis indagine coniectando æstimemus. Uti enim ex ipsis hujus primordiis, & ex nihilo molimine, omnipotentem illius vim & energiam; ex multiplici adeò creatarum rerum discordi & variegata concordia, beneficam illius abyssum; ex amplo illo ceterorum omnium, tam spirituum, quàm corporum complexu, æternitatem ejusdem immensitatemque metimur, & quodammodo per umbram pervidemus: ita ex pondere eorumdem, numero & mensura sapientissimam magni illius Architecti ἰδέαν, numerosamque & mirè concinnam in eo cujuslibet rei harmoniam, mirari & suspicere licet, quæ & primitus quamlibet universi hujus partem, immotis planè modis, & secum, & compari cuivis parti alteri, amicissimè devinxerit, & amicum hocce vinculum jugi sui influxu indivulsè servet & tueatur. quo fit, ut vel primum, vel præcipuum universi ornatum, & κόσμου decus, ipsa sapientiæ lex & norma jure sibi arroget, definiat & circumscribat. Idem ille Opifex, mundi melioris origo, microcosmo, homini dico, qui mole quidem universo est inferior; natura verò & ratione longè superior; ab ipsa jam olim ejus infantia, similem ei legem congruè adæquando indidit, nobilem illam, divinam, & ab æternis illis viventibusque in ipsomet Deo rationibus expressam; quæ proinde tanto ceteris omnibus præstat, quanto rationale hoc animal, cui propria est, ceteris omnibus corporeis eminet & antecellit: quo fit, ut homini inter omnia naturæ cimelia, monile hoc sapientis ordinis & legis, maximo sit ornamento, pariter & commodo. Homini enim, qui rationale est animal, nihil æquè dignum est, quàm rectam rationem, quasi datam sibi à Deo facem; ubique viæ ac vitæ ducem sequi, hujus lege mores formare, honestas actiones colere, *lædere neminem*, Deo cultum, quem debeat, impendere; denique benè beateque vivere. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, canit Psaltes Psalm. 4. Porrò hæc Ethices documenta cum sint, utique Ethicam humanæ naturæ æquævam, moderatricem & altricem, principes inter scientias allegendam perfacilè censeret is, cui sanum à sana natura foret judicium. Verùm, quia operante illo, qui primum hominem de primo integritatis, vitæ & sapientiæ culmine dejecit, Satanico spiritu, mortales vitiatæ naturæ semina sectantes, à recto vivendi tramite magis magisque sua sponte declinant, ipsique se sauciant in dies graviùs, cùm naturam Protoplasti peccato sauciam, ipsi novis quotidiè plagis additis planè hebetant, convulnerant & obruunt, (tanto luitur vetita cupido;) eò factum est, ut fuscata, & nebulis errrorum præstricta, sopita multis in rebus hæc sapientiæ cognitio jaceat, in diesque perstringatur magis, quando majus semper majusque rationi velum cupidinis appetitus prætexit, justaque læsi Numinis vindicta fit, ut pœnales cæcitates super illicitas cupidines spargantur; quo fit, ut sapientiæ, ejusque legis ac dictaminis notio nunc magis quàm antè sit necessaria;

Digitized by Google

& tamen nobis, ceu noctuis ad patulam Solis lucem caligantibus, minùs hujusmodi appareat. Quocirca Deus opt. max. lapsus & errores hominum miseratus, ex alto misit sapientiam, Ethicam, inquam, tum naturalem, tum sacram & divinam, eiusque doctores & magistros, qui hominibus verum suæ legis ac virtutis iter commonstrarent, illoque ipsos recto tramite ad felicitatem, beatamque in cælis vitam quasi manu ducerent. Quare sapientiæ hujus divina est dignitas, æquè ac necessitati compar vtilitas. Quod ut pleniùs & clariùs commonstrem, subiungam septuplex sapientiæ encomium, ex septuplici sapientiæ, sive Ethicæ profanæ & sacræ parallelo depromptum. Si enim Ethica profana Philosophorum orbi tanto fuit splendori & commodo, quanto erit Ethica sacra & divina hagiographorum Salomonis & Siracidis, qui Philosophos omnes tanto intervallo transcenderunt, quanto Angeli homines, viri pueros, fides rationem, gratia naturam, cæli terram, virtus cælestis terrestrem, res divinæ humanas superant & transcendunt?

Fructus, & septem analogia Ethices sacræ, & profanæ.

I *Origo.* Prima ergo sapientiæ, sive Ethices, laus est ab origine. Ethices naturalis origo est natura, nimirum, Deus, quatenus ipse, ut ille ait, est uti fortuna fortunans, ita & natura naturans, putà auctor & conditor naturæ. Plato in Protagora docet, artes illas, quæ humanis serviunt usibus, ut vitam hanc sanam & incolumem tueamur, ab hominum sagaci industria adinventas fuisse; illas verò, quæ ad benè beatèque vivendum mortales quasi manu ducerent, altiorem humana habere originem, diisque potiùs, quàm hominibus esse prognatas: cujus sententiam secutus Cicero lib. de Oratore, Philosophiam, quam parentem omnium benefactorum, ac medicinam, & culturam animi definit, matrem artium, & inventum deorum nuncupat: quia, nimirum ipsa communis æque ac privatæ vitæ optima est magistra, sine qua nemo rectam rationem intelligat, nemo felicitatem assequatur; ideoque sapienter homini à Deo precatum fuisse admirabili hoc sapientiæ dono. Quare ad hoc excolendum oportere cuilibet, quantum negotia permittunt, philosophari, & hanc præcipuam vitæ functionem ducere. Hæc Plato de sapientia & Ethica naturali.

Sapientiæ verò, sive Ethices supernaturalis & divinæ origo est Deus, quatenus ipse est auctor gratiæ, virtutis, gloriæ, ceterorumque bonorum supernaturalium & divinorum. Id initio operis palàm prædicat noster Siracides. *Omnis sapientia*, inquit, *à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante aevum.* Idem proclamat primus Ethices sacræ doctor & scriptor, S. Iob c. 28. 12. *Sapientia*, inquit, *vbi invenitur & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium eius, nec invenitur in terra suaviter viventiū. Abyssus dicit: Non est in me & mare loquitur: Non est mecum. Non adaequabitur ei aurum, nec topazius,* &c. *Deus intelligit viam eius, & ipse novit locum illius. Et dixit homini; Ecce timor Domini, ipsa est sapientia; & recedere à malo, intelligentia.* Baruch verò eleganter & patheticè c. 3. 14. *Disce*, inquit, *vbi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, vt scias simul, ubi sit longiturnitas vitæ & victus: vbi sit lumen oculorum, & pax. Quis invenit locum eius, & quis intravit in thesauros ejus? Vbi sunt principes Gentium, & qui dominantur super bestias? qui in avibus cæli ludunt, qui argentū thesaurizant & aurum, & non est finis acquisitionis eorum?* Exterminati *sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum surrexerunt. Viam autem disciplinæ ignoraverunt. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman* &c. *Quis ascendit in cælum, & accepit eam; & eduxit eam de nubibus? Quis transfretavit mare, & invenit illam? Non est, qui possit scire vias eius: sed, qui scit universa, novit eam, & adinvenit eam prudentia sua: qui præparavit terram in æterno tempore; qui emittit lumen, & vadit: & vocavit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* quando, scilicet, Deus homo factus humanum os assumpsit, vt hanc sapientiam è cælis allatam homines doceret, & eructaret abscondita à constitutione mundi. Quocirca sapientia, quasi prima & princeps Dei filia, ita seipsam deprædicat Eccli. cap. 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cælis, vt oriretur lumen indeficiens; & sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis.* Et Proverb. 8. 22. *Dominus possedit me in initio* (Hebr. *rescit*, id est, initium principium & principatum) *viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret,* &c.

II *Vsus, & fructus.* Secunda laus sapientiæ, sive Ethices, petitur ab eius vsu, commodis & fructu; naturalis enim format, componit, regit & dirigit actiones omnes naturales, tam proprias cuiusq; per Ethicam propriam, quàm communes, sive domui & familiæ, per œconomicam; sive toti regno, vel reipublicæ ad illam ritè gubernandam, per politicam. Tritum est illud Neoptolemi apud Ennium, *Philosophos principes esse oportere*: quod maturè perspiciens adeò adamavit Marcus Antonius Imperator, vt, cùm politiam, dignissimam Ethices partem, Lucio Volusiano præceptore didicisset, eique etiamnum existens Imperator accuratè vacaret, Philosophi cognomine gloriaretur. Antoninum non ita multò post orbis monarca secutus est Severus, qui eamdem Philosophiam à Serbidio Scævola accepit. Post eum Alexander apprimè hanc perdidicit, vtpote cuius tutor ac præceptor fuerit Vlpianus, Ethices iurisque scientissimus. Denique magnus ille Traianus, quo nemo Augustorum celebratur melior, iuris divini humanique, præ sui ævi Imperatoribus, scientissimus, novique conditor, & antiqui custos, ait Victor, Neratium Iureconsultum, totius moralis disciplinæ peritissimum, successorem sibi legit. Quid? quod Imperator in Codice, vbi legum oracula firmat, Philosophum se indigitat? Porrò Philosophi nomen communi iam vsu multis datum disciplinis scimus; at olim vni Ethico erat proprium: ceteri enim non Philosophi, sed Sophistæ nomine censebantur: qua phrasi Aristoteles subinde vsus, *In Philosophia*, inquit, *hoc diximus*, Ethicam intelligens. Cui verò in mentem veniat, aliam ab hac Platonem, quem in Tusculanis quæst. sequitur Tullius, sua illa descriptione complexum, qua Philosophiam, meditationem mortis, divinorum; humanorumq; cognitionem, similitudinem Dei statuit & definit; aut Senecam, quando Philosophiam, ait, informare vitam, actiones regere, mores instruere? Hanc Persarum reges excoluisse argumento est, quod nullus apud eos eligebatur rex, qui non antè accuratè Magorum præcepta & disciplinam percepisset: quo factum, vt & ipsi reges Magi essent, ac dicerentur, Magosque

goſque domi foriſque ad latus à conſiliis haberent ac circumducerent. Porrò Magi iidem ſunt, qui apud nos Sapientes aut Philoſophi, ab Hebræa voce הגה *haga* appellationem ſortiti, & apud Iſaiam, in Hebræo textu celebres: *haga* enim meditari, diſquirere, contemplari Hebræis notat, maximeque moribus tribuitur. Hinc identidem in Scriptura obuium: *Os iuſti meditabitur ſapientiam: in lege eius meditabitur die ac nocte*, &c. Hebr. *haga* Eapropter apud Xenophontem Socrates generoſum & heroicum aſſerit ingenium, cui cordi ſint diſciplinæ Ethicæ atque politicæ, cui & Cyrus ſubſcribit: imo verò cenſet, nulli convenire imperium, qui non melior ſit iis, quibus imperat: melior verò qui erit, quiſquis quid melius, quid honeſtius ex Ethica non didicerit? Hac demum imbuti apud Græcos νομοθετῶν & legislatorum principes, Draco, Lycurgus, Solon, reſpublicas conſtituerunt, ſervarunt, propagarunt. Huic inſudarunt apud Romanos Numa Pompilius, Caſſij, Scævolæ, Scipiones, Catones, adeoque Pontifices, Flamines, Cenſores, Dictatores, duces, omniſque magiſtratus, quando ſplendorem illum imperij, aquilaſque latè ab Oriente in Occiduum ſolem dominantes, diſciplina morali & meruerunt, auctore S. Auguſtino, & verò hac ipſa potiùs, quàm armis quaquaverſum propagarunt. Quid, quæſo, Romana iura dilatavit magis, quam priſcorum illorum frugalitas, iuſtitia, temperantia; fides in dictis & factis? ecquid verò maiorem iis venerationem, maieſtatem, & apud omnes auctoritatem conciliavit? quæ maior imperio gloria, quàm metuendos orbi faſces æquitate, caſtitate, pietate in patriam, cives, amicos ſplendeſcere? Qui ſecus autumat, decuſque bello magis, quàm virtute partum, audiat Romanæ Hiſtoriæ parentem T. Livium, cauſas exurgentis declinantiſque imperij in ipſo operis limine veſtigantem: *Ad illa*, inquit, *mihi per ſe quiſque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibuſque artibus domi militiæque, & partum, & auctum imperium ſit: labente deinde paulatim diſciplina, velut decidentes primò mores ſequatur animo; deinde vt magis magiſq; lapſi ſint, tum ire cœperint præcipites.* Age iam, eodem dimetire circino moralis diſciplinæ dignitatem, & Romani limites imperij; ac diſpice, quantam illam eſſe oporteat, quà cultâ tanto fulgore radiant imperia; quâ neglecta, ceu vivido fraudata ſucco, marcida evaneſcunt & intereunt. Si igitur ſcientia hæc ſui ſtudioſum privatim publiceque illuſtrem efficit, ſi verè hominem Deo communione quàm maximè devincit; vtique eam & Philoſophiam, & ſapientiam eſſe, atque adeò inter primas eius ſpecies numerari neceſſe eſt.

Ex hoc naturalis Ethices fructu & præſtantia gradu facto, æſtima, quanta ſacræ & divinæ ſit maieſtas, pariter & vtilitas: hæc enim actiones omnes per virtutes non tantùm componit, vti naturalis; ſed & ſacras facit ac divinas: ſimiliter regimen reipublicæ ſacrum facit ac divinum, vt ſubditos à regno terræ modico ad ampliſſimum cæli regnum traducat & tranſcribat. Quocirca Ethica, iuxtà ac virtus, ornamentis non eget, miracula non poſcit; ipſa ſibi ornamentum, ipſa miraculum eſt. Vidit hoc mortalium omnium, Dei iudicio & oraculo, ſapientiſſimus Salomon, qui proinde optione ſibi facta à Deo, vt poſceret quid vellet, non aliud popoſcit, quàm ſapientiam: popoſcit, & impetravit, non modò illam; ſed & cum illa opes, delicias, honores & gloriam, quibus omnes omnium ſeculorum reges longè ſuperavit. *Quia poſtulaſti* inquit Deus, *ſapientiam ad diſcernendum iudicium; ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, vt nullus ante te ſimilis tibi fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed & hæc, quæ non poſtulaſti, dedi tibi; divitias, ſcilicet, & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tibi in regibus, cunctis retrò diebus* 3. Reg. 3. 12. Cauſam à prima ſapientiæ origine & proſapia aſſignat Sap. c. 7. 25. *Vapor*, inquit, *eſt virtutis Dei, & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera: & ideò nihil inquinatum in eam incurrit: candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius. Et, cùm ſit una, omnia poteſt: & in ſe permanens omnia innovat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei, & Prophetas conſtituit: neminem enim diligit Deus, niſi eum qui cum ſapientia inhabitat. Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luci comparata invenitur prior: illi enim ſuccedit nox; ſapientiam autem non vincit malitia.* Mox cap. 8. ſapientiæ fortitudinem, amplitudinem, regimen & imperium fuſiùs deſcribens: *Attingit*, inquit, *à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. Hanc amavi & exquiſivi à iuventute mea, & quæſivi ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Generoſitatem illius glorificat, contubernium habes Dei: ſed & omnium Dominus dilexit illam: doctrix enim eſt diſciplinæ Dei, & electrix operum illius. Et ſi divitiæ appetuntur in vita, quid ſapientia locupletius, quæ operatur omnia? Si autem ſenſus operatur, quis horum quæ ſunt, magis quàm illa, eſt artifex? Et ſi iuſtitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes: ſobrietatem enim, & prudentiam docet, & iuſtitiam & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. Et ſi multitudinem ſcientiæ deſiderat quis, ſcit præterita, & de futuris æſtimat: ſcit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum: ſigna & monſtra ſcit antequam fiant, & eventus temporum & ſeculorum. Propoſui ergo hanc adducere mihi ad convivendum.* Fructus verò, quos ex ſapientia certò conſecuturum ſe ſperat, ſubiicit: *Habebo*, inquit, *propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores iuvenis: & acutus inveniar in iudicio, & in conſpectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me: tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient, & ſermocinante me plura, manus ori ſuo imponent. Præterea habebo per hanc immortalitatem, & memoriam æternam his, qui poſt me futuri ſunt, relinquam. Diſponam populos, & nationes mihi erunt ſubditæ. Timebunt me audientes reges horrendi: in multitudine videbor bonus, & in bello fortis. Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa: non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius; ſed lætitiam & gaudium.* Hæc conſiderans, proca vel primitus indenda, vel cælitus augenda ardenter Deum invocat & ſupplicat, dicens: *Hæc cogitans, quoniam immortalitas eſt in cognatione ſapientiæ, adij Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis: Deus patrum meorum, & Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbo tuo, & ſapientia tua conſtituiſti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta eſt; vt diſponat orbem terrarum in æquitate, & iuſtitia, & in directione cordis iudicium iudicet: da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam ſervus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum. Nam, & ſi quis erit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur. Tu elegiſti me regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum & filiarum; & dixiſti me ædificare templum in monte ſancto*

te ſancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare, ſimilitudinem tabernaculi ſancti tui, quod præparaſti ab initio: & tecum ſapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & affuit tunc cùm orbem terrarum faceres, & ſciebat quid eſſet placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. Mitte illam de cælis ſanctis tuis, & a ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit apud te: ſcit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſua potentia. Et erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum juſtè, & ero dignus ſedium patris mei. Aurea hæc oratio Salomonis à Spiritu ſancto dictata, ejuſque juſſu ab eodem hoc fine nobis ſcripto eſt conſignata, ut eam aſſiduè pronuntiemus, ſimiliq; affectu & ſpiritu à Deo ſapientiam efflagitemus.

Tertia ſapientiæ laus accedit ab auctoritate, putà ab ejus doctoribus & diſcipulis. De naturali res clara III.
eſt, priſcos Philoſophos ita Ethicæ inter ſcientias palmam dediſſe, ita ei mentem animumque applicuiſſe, ut *Auctores*
cetera parvi pendere aut negligere viderentur. Auctor eſt Xenophon, Socratem Philoſophiæ nomen ſoli *& doctores.*
Morali dediſſe. Idem ſolam mereri Ethicam cenſuit Timon Pyrrhonius, & è noſtris Lactantius Firmianus l. 3. c. 7. *Transeamus*, ait, *ad Moralem, in qua totius Philoſophiæ ratio continetur: ubi, ſi quid fuerit erratum, vita omnis evertitur.* Idem ibidem c. 15. *Seneca inquit: Philoſophia nihil aliud eſt, quàm recta vivendi ratio, vel honeſtè vivendi ſcientia, vel ars rectæ vitæ agendæ. Non errabimus, ſi dixerimus, Philoſophiam eſſe legem benè honeſtèque vivendi. Et qui dixit illam regulam vitæ, ſuum illi nomen reddidit.* Porrò Ariſton Chius ita Moralem ſolam amplexus eſt, ut ceteras Philoſophiæ partes tamquam noxias convelleret atque damnaret. Cicero verò in Tuſculanis, ait Lactant. lib. 3. c. 13. de ea exclamat: *O vitæ Philoſophia dux, ò virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modò nos, ſed omninò vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu inventrix legum, tu magiſtra morum ac diſciplinæ fuiſti.* Atque ut hæc prima ab origine pandamus, videamuſque philoſophicum illud ſæculum, quod Anaxagoræ, Platonis & Ariſtotelis ætate decurrit, univerſum practicam hanc Philoſophiam ſedulò percoluiſſe; primi illi Sophi (quos, ceu divinos venerabatur orbis) Ethicam non ita explicatam, & in ſua membra concinno ordine digeſtam, uti nos; ſed in breves acutaſque quaſdam ſententias, quas γνώμας nuncupabant, arctatam tradebant, imitati haud dubiè noſtrum ſacrum Sapientem, qui Ethicam per proverbia docet; eaſque, ceu oracula quædam, deorum etiam templis (quale illud, γνῶθι σεαυτόν in Delphico) inſcribebant. Tales fuere ſeptem illi Græciæ Sapientes, quos ſecuti ſunt innumeri alii, Poetæ præſertim, γνωμολόγοι dicti, quorum bona pars uſque hodie manibus teritur: quo in genere pauca, ſed divina ſcripſerunt Epictetus Ponticus, Heraclides Speuſippi & Ariſtotelis auditor, Zeno Stoicorum princeps, præſertim de perturbatione, & alii plurimi. In hac Gnomologia tantum auctoritatis adepti ſunt Lacones, ut Socrates apud Platonem Spartas reconditæ doctrinæ domicilium aſſerere non dubitarit. Thales ergo Mileſius, vetuſtiſſimus Sapientum Græciæ, ut vult Tatianus apud Euſebium, quo tempore Judæi in Babylone captivi, Ezechiele & Daniele Prophetis utebantur, Cyro Perſas, Romanos Tarquinio Priſco. Solone Athenienſes, Lydos Crœſo regentibus; Thales, inquam, cùm Phyſica, tum Ethica ſapientia conſpicuus, Gnomologorum parens, Jonicæ ſcholæ principium dedit: cui, ſi credimus Laertio, ſucceſſit Anaximander, cujus auditor Anaximenes, quem ſubſecutus Anaxagoras, qui primus fertur primum illud beatæ vitæ principium, Deum, videlicet, quem ipſe mentem, vel intellectum, vocabat, eſſe mundi cunctarumque rerum opificem, Græcos docuiſſe. hic Archelao Socratis præceptori cathedram ceſſit: ejus coævus Democritus, quem à Magis & Chaldæis, quos Xerxes apud patrem ejus hoſpitatus reliquerat, Theologiam, moralem utique ſcientiam, didiciſſe perhibent. Archelaum excepit Socrates, qui Phyſiologiæ, ut curioſæ magis quàm neceſſariæ aut utili valedicens, ad privatam civilemque vitam informandam, & ad beatitudinem cognoſcendam atque comparandam omnes ingenii nervos intendit: è cujus ſchola prodiit Sapientum ille flos Ariſtippus, auctor ſectæ Cyrenaicæ; Antiſthenes Cynicæ; ex qua ortus eſt Diogenes, vitæ hominumque ſui ævi miraculum; Xenophon, Politicæ facultatis princeps; Plato, Academiæ parens, cujus Dialogi plerique omnes ſunt morales; quem ſecuti Speuſippus ſororis filius, Xenocrates, Polemon, Crantor, & Crates ille, qui aurum, ſapientiæ obicem ratus, abjecit. Cratem audivit Zeno Citticus, Stoicæ diſciplinæ caput, quæ multis in rebus, ut inquit S. Hieron. Chriſtianis moribus eſt quàm ſimillima. Et vero id cernère licet in eorum ſcriptis atque ſententiis, ut Cleanthis, Chryſippi, Poſidonij, Epicteti, Catonis, Senecæ, cujus ſeveram de vitiis diſciplinam Nero diſcipulus non ferens, præceptoris ſui carnifex extitit. Zenoni æqualis, at opinione adverſus Epicurus, totum ſe veſtigandæ beatæ felicique vitæ dedit. Atque erravit ille quidem, voluptatem hominis finem definiens, non tamen illam, quam paſſim autumant, ſi Laertio credimus, quæ corporea eſt, atque pecudum more ſenſibus hauritur, ſed quæ animi ſit, & cum virtute conjuncta, intellexit. Thaleti Mileſio σύγχρονος & tempore par fuit Pherecydes Scyrius, qui, ut inquit Ariſt. 14. Metaph. c. 6. non fabuloſè, more antiquorum; ſed graviter & ſeriò philoſophatus, primus immortalitatem animorum noſtrorum, ingens ad virtutem calcar, ſtatuit & propugnavit; cujus diſcipulus Pythagoras Samius, regnante Tarquinio Superbo, in Italiam venit, Italicæ Philoſophiæ auctor, cujus diſcriminatum Υ *Ypſilon*, virtutis & voluptatis fuit ſymbolum. Hujus ſapientiæ tantùm præjudicata valuit opinio, ut diſcipuli doctrinæ ſuæ rationem interrogati, aliam non redderent quàm, Αὐτὸς ἔφα, αὐτός, inquam, Pythagoras. Demum Ariſtoteles Peripateticorum anteſignanus moralem diſciplinam eò perpolivit, ut quæ ſparſim à veteribus, Socrate maximè, acceperat, in ſcientiam methodicam, multa elimans, reſecans, annectens, redegerit. Hic proinde in Alexandri, cognomento Magni, pædagogum eſt allectus, congratulante ſibi, diiſque gratias agente Philippo patre, quòd eo tempore natus eſſet Alexander, quo formandis ejus moribus Ariſtoteles illi daretur præceptor: atque utinam præcepta Ariſtotelis per omnia factis expreſſiſſet. Porrò Ariſtoteles in Logica, Phyſica, Metaphyſica ceteros penè omnes Philoſophos, in Ethica ſeipſum ſuperavit: in Metaphyſica ponit Ariſtoteles providentiam; ſed quæ anguſtiis circumſcripta, Deo aſpergit labem: in Ethicis ad Eudemum de providentia ita explicat omnia, ut nulla cauſa ſit, cur quiſquam poſt Ariſtotelem in hac re, ſi naturale duntaxat rationis lumen ſpectes, Clementes aut Arnobios deſideret magiſtros: in Phyſicis ita ſtatuit de animo immortali, ut videatur hærere: in Ethi-

cis

Digitized by Google

cis ita hæret, vt videatur fluere: ac, vt una comprehensione definiam omnia, Aristoteles in Physicis est homo; in Ethicis verò suis affectis videtur Deus. Quæ causa est, cur quidam exquisiti ingenij Italus, admiratus illas præceptiones de Ethicis, Politicis, Oeconomicis, quas scripsit Aristoteles puras, integras, & nulla externi erroris infectas labecula, semper in *omni* sermone dubitarit, in illis scribendis plusne haberet Iurisconsulti, an sacerdotis; plus sacerdotis, an Prophetæ; plus Prophetæ, an Dei. Ita ille; sed nimis amplè & augustè. Hæc de profana sapientia.

De sacra nemini dubium est, eam præcepta de vita rectè instituenda divinitus accepta tradidisse, multis ante profanam sæculis: nam quo tempore apud Græcos propè infans erat Philosophia & sapientia, eo tempore apud Hebræos penè erat decrepita: novissimi enim quasi sapientum & Prophetarum apud Hebræos Ezechiel & Daniel, coævi fuere antiquissimis, atque adeò primis Græcorum sapientibus, Thaleti, Soloni, Pherecydi; vt non mirere, si tantoperè laudata sit Philosophia Hebræorum à Theophrasto; quin & Aristotelem multa didicisse à quodam Hebræo post Iosephum asserit Eusebius lib. 9. de Præpar. Evang. c. 3. idque affirmat testimonio Clearchi Peripatetici. Denique, vt revelatam sacramque Theologiam: ita & naturalem, adeoque artium planè omnium originem ab Hebræis fluxisse, consentiunt Iosephus, Iustinus Martyr, Clemens, Euseb. Cyril. & Theodor. in libris & Apologiis, quas contra Gentes hoc argumento ediderunt. E quibus omnibus, quàm in hoc moralis Philosophiæ lyceo iam inde ab initio, omni ætate, omni secta, vbivis gentium & locorum, Philosoph. examina decurrerint, nemo non videt. Equidem id præcipuè priscis illis, tum Poetis, tum sapientibus ceteris, studio & curæ fuisse liquet, vt tum pingendo, tum fingendo, tum ratiocinando mortalium rebus consulerent, ac à vitiis quidem & malis quoquomodo averterent; ad bona autem & virtutes iacentia hominum ingenia excitarent, atque nunc huc, nunc illuc fluctuantes voluntates; maximam autem partem, quæ humanarum rerum est infirmitas, in deteriora propendulas ad honesti formam traducerent. Quocirca hæc Ethices sapientia coli cæpit primo mundi ævo, mox ab ipsa eius, scilicet, ab Adam, Noè, Abraham, Lot; ceterisque Patriarchis. Audi Sapientiam cap. 10. 1. *Hæc illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia. Ab hac vt recessit iniustus in ira sua, per iram homicidij fraterni deperiit. Propter quem, cùm aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia per contemptibile lignum iustum gubernans. Hæc & in consensu nequitiæ, cùm se nationes contulissent, scivit iustum, & conservavit sine querela Deo, & in filij misericordia fortem custodivit. Hæc iustum à pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim.* Primus verò Ethices doctor, qui eam scripto ad posteros transmisit, fuit S. Iob. vt patet ex eius libro hagiographo: ipse enim Mosem antecessit, & sub vltima Iacobi Patriarchæ tempora vixit. Hunc secutus Moses decalogum, ceteraque rectè vivendi præcepta, Dei ore in Sina accepta, Israeli tradidit. Mosen post aliquot secula excepit David, regius Psaltes, qui Ethicam eleganti carmine pangit. Davidem patrem æmulatus est filius Salomon, sapientiæ oraculum, qui licet Physices, Metaphysices, Mathematices, Medicinæ, omnisque literaturæ esset scientissimus; nulla tamen (quæ extent) nisi Ethices dogmata scripta posteris tradidit, idque quatuor voluminibus, Proverbiis, Ecclesiaste, Cantico, Sapientia. Atqui hi omnes multis sæculis omnes Gentiliū sapientes & Philosophos antecesserunt. Salomonis affectator fuit noster Siracides, æquè ac Prophetæ, ac post Christum Dominum quatuor Evangelistæ, S. Petrus, S. Paulus, S. Iacobus, S. Iudas, qui Christi sapientiam, Ethicamque Christianam conscripserunt. Hos secuti è Græcis S. Basilius, S. Gregor. Nazianzen. S. Chrysost. S. Athanasius, S. Ephrem: è Latinis S. Gregorius. S. Ambrosius, S. August. S. Hieron. S. Bernardus, ceterique Patres, moribus Christianorum ad omnem virtutem efformandi, toto animo tam docendo, quàm scribendo incubuerunt.

IV. Officia.

Quarta, eaque insignis Ethicæ sapientiæ laus, illique propria, est ab ejus materia, argumentos officiis. Naturalis enim hæ sunt partes & officia, quòd sopita recti æquique semina suscitet, foveat, dirigat; quòd voluptatem sensibilem, vt Circen & Sirenum scopulos, fugiendam doceat, quòd facem toti humanæ vitæ præferat; quòd omnia ad gnomonem & perpendiculum rectæ rationis exigat; quòd florida virtutum agmina mentibus inferat. Iam verò quis non perspicit, quàm praxis sceps, actio speculationi, virtus eruditioni, honesta vita antestet doctæ & celebri? Quis non malit studiosam ex virtute vitam, quàm altissimarum rerum aridam & sterilem vestigationem? Cui non placeat magis indocta simplicitas, quàm docta malitia? Quod si ita est, quid morali disciplinæ præstituis, quid anteponis? Præclarè Aristoteles: Qui mentis, ait, iudicium sequitur, & mentem habet excultam, optimèque constitutam, Deo charissimus est. Nam, si quam curam agit Deus humanarum rerum, (agit autem nostrum omnium sententia,) delectatur eo quod existit optimum, & divinitatis particeps, mente, videlicet; necnon beneficiis ornat eos, qui mentem amant & ornant, vtpote rem Deo gratam magni ducentes, & honesto opere decorantes: ideoque sapiens non potest non esse Deo charissimus, eoque nomine beatissimus. Neque verò id assequare, si philosophare tantùm de cursu siderum, elementorum mistione, vniversi ambitu: neque etiamsi de ipsa virtute eleganter disserentem audias, eius officia negligas: quemadmodum plerique stolidè se bonos fieri autumant; haud absimiles ægris medici præcepta studiosè excipientibus, ceterùm nihil eorum vsurpantibus: vt enim horum corpora minimè convalescunt; ita nec illorum animi per otiosam Philosophiam emendantur: sed quod Ethicus docet, manum operi admovendam, qui virtutum vsus paretur, qui vitiis obluctemur hoc reipsa agendū est, hoc omni studio exercendum. Ad quod strenuè obeundum excitat vel sola inhonesti & turpitudinis facies, si subducta illecebrosa voluptatis larua, eam pressiùs nudam in Ethicis intueare: ipsa enim vel sola à vitio absterret, si ex adverso honesti & virtutis speciem, vultusque decorem cominùs contempleris: hic enim natura sua ad se allicit, & mirabiles excitat sapientiæ amores. Quemadmodum ergo in sole diutiùs inambulantes, colorem inde sibi conciliant: ita fieri non potest, ut qui non parergōs, sed accurato intuitu moralem hanc palæstram ingreditur, nisi distorto planè sit temperamento, in hac civili & communi vita non moderatiùs agat, nec majus adhibeat studium in omni genere officiorum. Potuit tantum apud S. Ludovicum, Franciæ regum decus, Blancæ matris impressa puero de peccati fœditate vox, imò lex, at per omnem vitam lethalis crimi-

nis expers, nullo graviore ſcelere inter tot illecebras diadema regium commacularit. Non id poterunt ſcita Philoſophorum omnium, ſapientiæ lex, certa æternaque ſcientia? Age, quis honeſti ſtudioſus, laudiſque avidus non ſibi tacitos ſubiici ignes ſentiat, ſi legat cogitetve, Darii matrem, Hephæſtionem per errorem quaſi Alexandrum ſalutantem, atque applaudentem audiat Alexandrum, *Et hic Alexander eſt*, ut amicitiam velut ſuaviſſimam vitæ conſenſionem colat? Quis non amicitiæ ſanctionem hanc apud Ethicos exoſculetur: *Amicus alter ipſe*? Quis, ſi ebrietas, voluntaria ipſi ab Ethico commonſtretur eſſe inſania, eam non exhorreat? Quis edoctus pecus eſſe, qui vivit, ut edat, ut bibat; hominem, qui edit & bibit, ut vivat; temperantiæ non ſtudeat? Quis patientiam non ambiat: ſi nullum niſi invito dolorem inuri poſſe, nullam niſi ab impatientia pœnam oriri peruideat, Quis non effrænes animi motus compeſcat, ſi verè magnum eſſe audiat animo dominari, ut

Latiùs regnes avidum domando
Spiritum, quàm ſi Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni,

Hæc in ſuggillationem noſtri dicta ſunt, ſi non præſtet fides, quod exhibuit infidelitas, ait S. Hieron. in Epithaphio Nepotiani. Si enim tanta docet, ſuadet & perſuadet Ethica naturalis, quid non perſuadebit ſupernaturalis & divina, quæ eò majores homini ad omne bonum ſtimulos faceſque admovet, quò altius ſpectat obiectum, altiorem habet finem, altiora docet officia? Fides, ſpes, charitas, pro obiecto habent Deum. Quid non evincet, quid non audebit, quid non aggredietur ſumma Dei per fidem cognitio, exceſſa per ſpem in Deum fiducia, cæleſtis & Seraphicus per charitatem Dei amor & ardor? *Sancti*, inquit S. Paulus Hebr. 11. 33. *per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos: alii autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem: alii verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ.* Contemplare agones ſanctarum Virginum, certamina Martyrum, martyria Apoſtolorum, labores Aſcetarum, vigilias ſanctorum Epiſcoporum, auſteritatem Anachoretarum; & videbis, quid quantumque poſſit Dei fides, ſpes & amor. Similis eſt religio, quam genuinam ſola docet Chriſtianorum Ethica, quæ proinde apud fideles dumtaxat vera extat; apud infideles verò & Philoſophos, fucata & falſa, æquè ac pœnitentia, patientia, fortitudo, prudentia, temperantia, juſtitia, ceteræque virtutes, quæ apud ſolos Chriſtianos veræ ſunt, apud Gentiles apparentes & fictæ. Audi S. Auguſt. lib. 19. de Civ. c. 4. *Si*, inquit, *veræ virtutes ſunt, quæ niſi in eis, quibus vera ineſt pietas, eſſe non poſſunt, non ſe profitentur hoc poſſe, ut nullas patiantur miſerias homines, in quibus ſunt. Neque enim mendaces ſunt veræ virtutes, ut hoc profiteantur: ſed ut vita humana, quæ tot & tantis huius ſæculi malis eſſe cogitur miſera, ſpe futuri ſæculi ſit beata, ſicut & ſalva. Vnde & Apoſtolus: Spe ſalvi facti ſumus.* Rom. 8. Quanta ergo eſt laus patientiæ, beneficentiæ, fortitudinis, fidei, ſpei, charitatis, omniſq; virtutis; tanta eſt & laus Ethices: ejus enim argumentum, ejus ſtudium, ejus palæſtra propria eſt ipſa virtus.

Quid autem, qualis & quanta eſt virtus? Audi eam definientes Philoſophos: audi & Theologos. Philoſophi: *Virtus*, inquiunt, *eſt animi habitus, naturæ, modo & rationi conſentaneus. Virtus*, ait Cicero Tuſcul. 2. *à viro appellata eſt: viri autem propria maximè eſt fortitudo, cujus munera duo maxima ſunt, mortis doloriſque contemptio.* Lactant. de Opificio Dei, in fine c. 12. *Vir dicitur, quod major vis eſt in eo, quàm in femina: & hinc virtus nomen accepit.* Virtus enim eſt perferendorum malorum fortis & invicta patientia, &. quoniam fortitudo ceteris omnibus virtutibus antecellit, hinc factum eſt, ut omnes rectæ animi affectiones, virtutes appellentur, vt quidquid vitio contrarium eſt, virtus appelletur. Hinc virtus Hebr. vocatur תמה *temma*, id eſt, perfectio, integritas. Antiſthenes dicebat, *Virtutem ſibi ſufficere ad felicitatem, nec ulla re opus habere, niſi robore Socratico: virtutem enim eſſe armaturam, quæ detrahi non poſſit. Enſis enim & clypeus excutiuntur: ſapiens autem ac virtute præditus numquam non armatus eſt, eoque vinci non poteſt: Quare negabat ſapientem vivere iuxta leges ab hominibus inſtitutas; ſed iuxta normam virtutis.* Ita refert Laert. lib. 6. Iſocrates ad Demonicum aſſerit, *Virtute nullam poſſeſſionem, nec honeſtiorem eſſe, nec durabiliorem.* Epictetus apud Stobæum ſerm. 1. *Animo*, ait, *dedita virtus, ſimilis eſt perenni fonti, cuius aqua eſt pura, imperturbata, dulcis, accepta, copioſa, ab omni noxa & pernicie aliena.* Seneca apud Lactant. lib. 3. c. 12. *Vna*, ait, *res eſt virtus, quæ nos immortalitate donare poſſit, & pares diis facere.* Valer. Max. lib. 5. *Nihil*, ait, *eſt, excepta virtute, quod mortali manu, & immortali animo quæri poteſt.* Sophocles in Eriphyle: *Virtutis ſola conſtans perpetuaque eſt poſſeſſio*. Silius Ital. lib. 2.

Virtutis elogia ex Philoſophis

Explorant adverſa viros, perque aſpera duro
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

Iuvenalis ſatyra 8.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria: nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

Ariſt. 1. Ethic. c. 9. *Virtutis merces ac finis*, ait, *optimum quiddam eſt, divinum & beatum.* Idem li. 9. c. 4. *Eſt virtus, & vir bonus, menſura rerum omnium.* Socrates: *Virtus*, ait, *eſt ſtatua quædam in ſua baſi.* Lyricus in laudib. virtut. *O virtus ardua laborioſaque generi humano, pulcherrima vitæ inventio! Tuam, ò virgo, ob venuſtatem etiam mori, in Græcia optabilis habetur mors, ac labores vehementes & indefeſſos perpeti. Talem pectori inſeris fructum immortalem, auro potiorem. Tuâ verò gratiâ Hercules Ioue ſatus, Ledæque filii multa perpeſſi ſunt, ſuis factis quid poſſent declarantes.* Sen. in epiſt. *Omnia beneficia in luce ſe collocare volunt: ſed nullum theatrum virtuti conſcientia*

scientia maius est. Quemadmodum minuta lumina claritas solis obscurat: sic dolores, mœstitias, iniurias virtus magnitudine sua elidit atque opprimit: nec magis ullam portionem habent incommoda, cùm in virtutem inciderint quàm in mari. Cicero Tuscul. ult. *Virtus omnia, quæ cadere in hominem possunt, subter se habet, eaq; despiciens casus contemnit humanos; culpaq; omni carens, præter seipsum nihil censet ad se pertinere. At nos virtutem semper liberam volumus, semper invictam: quæ nisi sint, sublata virtus est. Atqui, si in virtute satis est præsidii ad bene vivendum, satis est etiam ad beate: satis enim est certè in virtute, ut fortiter vivamus: si fortiter, etiam ut magno animo, & quidem ut nulla re umquam terreamur, semperque simus invicti, ut nihil pæniteat, nihil desit, nihil obstet: ergo omnia profluenter, absolutè, prosperè: igitur beatè. Satis autem ad fortiter vivendum, virtus potest: satis ergo etiam ad beate.* Denique virtus amicat subditos, amicat & supernos,

Quid est virtus? Audi Christianos, audi Theologos. S. August. l. 2. de Lib. arb. c. 18. & 19. docet, virtutes esse maxima bona. Additque: *Virtutibus nemo malè utitur; ceteris autem bonis, id est, mediis & minimis, non solùm benè, sed etiam malè quisque uti potest. Et ideò virtute nemo malè utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non benè uti possumus. Nemo autem benè utendo, malè utitur.* Idem lib. 1. de Civit. cap. 15. ait, virtute beari tam ciuitates, quàm homines. Et lib. 5. cap. 12. *Virtus,* ait, *via est, qua bonus nititur ad gloriam, honorem, imperium. Hinc Romani coniunctissimas constituerunt ædes virtutis & honoris, pro diis habentes, quæ dantur à Deo.* S. Ambrosius in Officiis: *Bonus circuitus est, si iustitia quærit, prudentia invenit, fortitudo vendicat, temperantia possidet; ut iustitia sit in affectu, prudentia in intellectu, fortitudo in effectu, temperantia in usu.* Lactant l. 7. c. 10. *Vitia,* ait, *commotiones, & perturbationes animi sunt: virtus è contrario, lenitudo & tranquillitas animi est: quia vitia temporalia & brevia sunt; virtus perpetua, & constans, & par sibi semper, virtus numquam, nisi morte, finitur.* Idem l. 6. c. 4. *Vna est* igitur *virtutis ac bonorum via, quæ fert nos, non in Elysios campos, ut Poetæ loquuntur, sed ad ipsam mundi arcem,*

At læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Nihil ergo virtute nobilius, nihil utilius, nihil potentius. Ipsa est adamas indomabilis, qui omnia domat: ipsa est palma, quæ contra omnia pondera eluctatur, & comam attollit.

Elogia Christianorum Theologorum

Arx est ipsa sibi virtus, ipsa eruit arces:
Ipsa ferax hominemque domat: non horret inermis
Ire per hostiles cuneos, inimicaque castra.
Aspice ridentem Siculi mandata tyranni
Zenonem, & regis versos in vulnera cives.
Regulus ad Libycas iterum freta navigat arces;
Impavidumque caput gravia ad tormenta reportat;
Præterea Christi passos immania testes
Funera, Laurentiq; ignes, Paulique catenas.

S. Chrysost. homil. 6. in illud: *Medico vino utere. Non sic,* inquit, *flamma naturâ in materiam delapsa, vicina semper ligna incendit, sicut virtutis zelus in paucas lapsus animas, ulteriùs procedendo omnes implere potest.* Philo lib. de plant. Noè: *Sicut sol,* ait, *oriens totum cælum radiis illustrat: sic virtutes suis in hominem radiis, postquam mentem penetrarint, totam eam reddunt lucidissimam.* S. Basil. in Psalm. *Flamma,* ait, *quæ à proprio fumo supprimitur, aditum liberum non habet; sed circa illum volvitur: sic & virtute animas dirigente, tabescere, deiicique à magnis turbationibus non contingit, cùm nullum ad exteriora respirationis exitum habeant.* Thalasius ad Paulin. *Sicut,* inquit, *anima corpus secundùm naturam vivificat; ita & animam virtus & scientia.* Agapetus ad Iustin. Imp. *Sicut, qui scalas conscendere cœperunt, non priùs desistunt ab ascensu, quàm supremum attigerint gradum: sic virtutis studiosus semper altiùs scandendo excitabitur.* Id pleniùs docebit noster Siracides, qui adeò exactè omnium virtutum officia persequitur, vt inde cognominatus sit [illegible].

Vitiorũ castigatio. Quinta Ethices laus accedit à contrario, putà à vitio, quod ipsa castigat, eiusque erroneum de agendis iudicium corrigit & emendat. Sicut enim moralis hæc disciplina vim animi torpentem ad omne honestum rectumque extimulat: ita & vim animi cognoscentem dirigit & illustrat: vt, quid in moribus verum agendumque, quidque sequi ac deligere debeat, sciat & norit: facilis enim hic, olim præsertim, lapsus, quando mens iter hoc non ita tritum ingressa, cupiditate in malas ruente voluptates obcæcata, aut in devium acta, illius ambitu, quæ mirè animum mentemque perurget gloria, in turpes prolapsa labes exitium sibi conscivit. Quocirca rectè ait Horat. lib. 1. epist.

Virtus, est vitium fugere; & sapientia prima Stultitia caruisse.

Et lib. 3. Carminum.

Virtus repulsæ nescia sordidæ.
Intaminatis fulget honoribus.

Hic ergo Lucretiam damnabit pudicitia, quòd infamiæ, quam minabatur adulter Sextus Tarquinius, fidem coniugij posthabuerit: damnabit & conscientiam, quòd iniuriæ iam passæ impatiens manus sibi intulerit. Laudibus verò Susannam efferet, quòd vitam & famam potiùs, quàm puritatem aleæ subiicere maluit. Hic omnes illi necis propriæ rei peragentur, qui sine summi Imperatoris iussu stationem suam deseruere, & infami facinore honorem morte propria expiare vel parare sategerunt. Hic veritas pœnas exiget ab eis, qui mendacio fortunis, gloriæ, vel etiam vitæ patrocinium quæsivere. Contrà verò heroica virtus sua hic monstrabit officia, & ad omne decus & laudem prælucebit. Hic Galienus Imperator laudabitur, quòd in impostorem gemmarium, sibi iniurium, ad leonem postulatum, in theatro publico caponem immiserit, leni hac censura per præconem & fraudem castigans, & noxam sibi factam clementer indulgens. *Imposturam fecit, imposturam passus est.* Hic conti-

continentiæ palmam dabit virginibus; quæ eximiam speciem complurium sollicitantem oculos vulneribus fœdarunt, deformitatemque sanctitatis suæ fidem, quàm formam irritamentum alienæ libidinis esse maluerunt. Hic Socrates infractum docebit animum, si mors veritatis causa sit oppetenda, minusque, vel calumniis exterorum aut domesticorum movebitur; etiamsi malum amplexus necessarium, furente Xantippe, tonitrua sæpè in pluviam desinant. Nimirum, hæc sapientia, hæc Ethica efficiet, vt homo non iam sensibus voluptatique deditus, sui aliarumque rerum servus, suis cupidinibus, ceu vitio famuletur mancipium; sed vt sui, rerumque omnium dominus, omnia sibi subdita calcet, ac caput imperterritum omnibus efferat, vt, etiamsi fractus illabatur orbis, impavidum feriant ruinæ. Quocirca Philosophi illustria hæc titulorum elogia Ethicæ dederunt. Cicero eam indigitavit *expultricem vitiorum*: alij, *Philosophiam morum* alij, *fatricem virtutum*: Quintilianus *actionum magistram*: Varro, *naturæ ornamentum*: alij, *affectionum dominam*: alij, *gratiæ fundamentum*; alij, *reipub. formam*, *animi animam*, *Theologiæ manum*, *fontem Iurisprudentiæ*: Arnobius denique, *florem divinitatis*. Ethica enim, vti à Deo promanat, ita ad Deum redit, suosque asseclas reducit. Audi Epictetum ad Arrianum: *Oportet*, ait, *ut omnia principia, quasi converso orbe, redeant ad unum principium, omnia pulchra ad unum pulchrum, omnia vera ad unum verum, omnia bona ad unum bonum, omnia divina ad vnum Deum, omnia una ad unum ter unum. Nam unitas, principium, bonum, verum, Deus, eadē sunt, unum sunt.* O stuporem! Verba hæc sonant Evangelium, non Philosoph. moralem. Divinius Trismegistus, qui, dū derivat omnia ex mundo in Deum, ex Deo in mundum; dū colligit ex effectis facultatem, ex ordine divinitatem, ex multitudine unitatem; hunc Architectum appellat mundi patrem, principem, gloriam, naturam, finem, necessitatem, actionem omnis facultatis, facultatem omnis actionis, solum sanctum, solum non natum; solum, in quo sola æternitas; solum, per quem solus mundus, soli totum, toti solum, expertem nominis, meliorem omni nomine. O divinitatem; In tuo tunc, Trismegiste, non tam ore videtur habitasse Plato, quàm in pectore Paulus. Quid Socrates? Non satis illi fuit, verbo fateri vnum Deum: volebat consignare suo sanguine. Etiamne moralis Philosophia edit nobis Martyres? Vtique Socrates pro Ethica, Deiq; unius cultu occubuit. Martyr ergo fuit, non fidei, sed naturæ; non gratiæ, sed Ethicæ & Philosophiæ.

Longè veriùs & sinceriùs, Ethica sacra & Christiana castigat, non tantùm vitia quælibet, quantumvis occulta quantumvis minuta; sed & ipsam Philosophorum Ethicam, ac virtutem: hanc enim damnat vanitatis, vanæque gloriæ, quæ ipsis vnus fuit virtutis stimulus, vnus laborum finis & merces; atque ex adverso docet virtutem in se non spectare nisi bonum honestum; extra se non spectare nisi Deum, Deique laudem & gloriam. Ita Diogenem, quasi gloriæ animal; ita Platonem, Socratem, Aristotelem, quasi popularis auræ mancipia redarguit S. Paulus dum ait: *Mihi pro minimo est, ut à vobis iudicer, aut ab humano die; qui autem me iudicat, Dominus est* &c. *qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo* 1. Cor. 4. 3. Et, *Qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim, qui seipsum commendat, ille probatus est; sed, quem Deus commendat.* 2. Cor. 10. 17. Ita Ethica Christiana castigat & emendat Philosophicam, quòd ignorarit virtutes Theologicas, fidem, spem, charitatem, æquè ac religionem, quòd nescierit, quid sit humilitas, quid pœnitentia, quid paupertas spiritus, quid vera virginitas: quòd senserit virtutem non à Deo menti inseri; sed propriis naturæ viribus parari: quòd non aliud virtuti præmium, quàm temporariam hominum laudem statuerit, cum longè maiora & ampliora Ethices ac virtutis sint merita. Audi Sapientiam cap. 10. 10. ea in Patriarchis Iacob, Ioseph, Mose & Hebræis demonstrantem & celebrantem. *Hæc* (Sapientia,) inquit, *profugum iræ fratris iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum: honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum: custodivit illum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi, ut vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc venditum iustum non dereliquit: sed à peccatoribus liberavit eum; descenditq; cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam adversus eos qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, & dedit illi claritatem æternam.* Deinde totius Hebræi populi libertatem sapientiæ assignans: *Hæc*, inquit, *populum iustum, & semen sine querela liberavit à nationibus, quæ illum deprimebant. Intravit in animam servi Dei, & stetit contra reges horrendos in portentis & signis; & reddidit iustis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem. Transtulit illos per mare rubrum, & transuexit illos per aquam nimiam: inimicos autem illorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideò iusti tulerunt spolia impiorum, & decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter: quoniam sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.*

Ethica Christiana castigat Philosophicam.

Censuit Mercurius Trismegistus, teste S. August. lib. 8. de Civit. cap. 23. homines posse deos facere per artem quamdam arcanam. *Hos ergo*, inquit, *spiritus invisibiles* (dæmones) *per artem quamdam visibilibus rebus corporalis materiæ copulare, ut sint quasi animata corpora illis spiritibus dicata & subdita simulacra: hoc esse dicit deos facere, eamq; magnam & mirabilem deos faciendi accepisse homines potestatem.* Acriter hoc perstringit S. August. *Nescio*, inquit, *quomodo illa obscuratione cordis ad ista delabitur, ut diis, quos confitetur ab hominibus fieri, semper velit: homines subdi, & hæc futuro tempore plangat auferri, quasi quidquam sit infelicius homine, cui sua figmenta dominantur: cùm sit facilius, fieri deos colendo quos fecit, ne ipse sit homo, quam ut per eius cultum dij esse possint, quos fecit homo. Citiùs enim fit, ut homo in honore positus, pecoribus non intelligens comparetur, quàm ut operi Dei ad eius imaginem facto, id est, ipsi opus hominis præferatur. Quapropter meritò homo deficit ab illo qui eum fecit, cùm sibi præficit ipse quod fecit.*

Trismegisti.

Seneca taxat & ridet idola; censet tamen ea esse colenda ob morem receptum, vt ea colens hunc cultum, *in animi religione non habeat, sed in actibus fingat.* Ait enim: *Quæ omnia sapiens servabit tamquam legibus iussa, non tamquam diis grata.* Meritò Senecam culpat S. Aug. l. 7. de Civit. c. 10. *Sed iste*, inquit, *quem Philosophi quasi liberum fecerunt: tamen quia illustris populi Romani senator erat, colebat, quod reprehendebat: agebat, quod arguebat: quod culpabat, adorabat: quia, videlicet, magnum aliquid eum Philosophia docuerat, ne superstitiosus esset*

Seneca.

in mun-

in mundo; ſed propter leges civium, moreſque hominum, non quidem ageret fingentem ſcenicum in theatro; ſed imitaretur in templo; eò damnabiliùs, quòd illa quæ mendaciter agebat, ſic ageret, ut eum populus veraciter peragere exiſtimaret.

Stoicor. Stoici docebant, ſapientis eſſe ſeipſum occidere, cùm ea ingruunt mala, quæ non poſſit, vel quæ non deceat eum ſuſtinere, uti Cato ſe occidit ex animi infirmitate & mollitie, ne in manus Cæſaris veniens, probro eſſet & ludibrio: & tamen iidem pariter docebant, ſapientem eſſe beatum, nec quidquam mali ei accidere poſſe, quod eum miſerum efficiat. Carpit hoc S. Auguſt. 19. de Civit. c. 4. irridens enim exclamat: *O vitam beatam, quæ ut finiatur, mortis quærit auxilium. Si beata eſt, maneatur in ea: ſi verò propter iſta mala fugitur ab ea, quomodo eſt beata? aut quomodo iſta non ſunt mala, quæ vincunt fortitudinis bonum? eamdemque fortitudinem non ſolùm ſibi cedere, verùm etiam delirare compellunt, ut & eamdem vitam dicant beatam, & perſuadeant eſſe fugiendam? Quis uſque adeò cæcus eſt, ut non videat quod ſi beata eſſet, fugienda non eſſet? Sed, ſi propter infirmitatis pondus, quæ premitur, hanc fugiendam fatentur, quid igitur cauſa eſt, cur non etiam miſeram fracta ſuperbia cervice fateantur? Utrùm, obſecro, Cato ille patientia, an potiùs impatientia ſe peremit? Non enim hoc feciſſet, niſi victoriam Cæſaris impatienter tuliſſet. Ubi eſt fortitudo? Nempe ceſſit, nempe ſuccubuit, nempe uſque adeò ſuperata eſt, ut vitam beatam derelinqueret, deſereret, fugeret.*

Ariſt. Ariſtoteles lib. 7. Polit. c. 16. cenſet, filios mancos, cæcos, ſurdos, &c. eſſe abiiciendos; & ſi quis prole, quam alere nequeat; gravetur, procurandum abortum. *Circa expoſitionem*, inquit, *vel educationem filiorum lex ſit, nihil orbatum natura fore educandum. In aliis vero, ſi mores inſtitutioque civitatis prohibeant natos exponere, ac multitudo tanta prolis alicui contigerit, ut duplicatus ſit filiorum numerus, (nam is definitus eſſe debet) ad multitudinem nimiam evitandam antevenire oportet, ut non concipiantur.* Ulteriùs provehitur Seneca lib. 1. de Ira, c. 15. *Portentoſos fœtus extinguimus*, inquit *liberos quoque, ſi debiles monſtroſique editi ſunt, mergimus: non ira, ſed ratio eſt, à ſanis inutilia ſecernere.* Vide Iuſtum Lipſium Centur. 1. ad Belgas, epiſt. 85. vbi Romuli, Quintiliani, & aliorum ſimiles ſententias recitat. Hæc omnia ho-

In inſ. deli nulla eſt vera virtus. micidii & infanticidii, imò parricidii, damnat Tertul. Apolog. c. 9. *Homicidii*, inquit, *feſtinatio eſt, prohibere naſci: nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet: homo eſt, & qui eſt futurus, & fructus hominis iam in ſemine eſt.* Et S. Ambroſ. lib. 5. Hexam c. 18. *Divites*, inquit, *ne per plures ſuum patrimonium dividatur, in utero proprios necant fœtus, & parricidalibus ſuccis in ipſo genitali alvo pignora ſui ventris extinguunt: priùs aufertur vita, quam traditur.* Denique S. Auguſt. lib. 4. contra Iulian. c. 3. multis docet, in infidelibus nullam veram, id eſt, plenam, & omnibus numeris abſolutam, eſſe virtutem. *Ego dixi*, inquit, *pudicum non veraciter dici, qui non propter Deum veram connubii fidem conſervat.* Et mox: *Quomodo vera ratione pudicum corpus aſſeritur, quando à vero Deo ipſe animus fornicatur?* Iuxta illud Pſal. 72. *Perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te.* Et interiùs: *Sed abſit, ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus. Abſit autem, ut ſit juſtus verè, niſi vivat ex fide: iuſtus enim ex fide vivit: Quis porrò eorum qui ſe Chriſtianos haberi volunt, niſi ſoli Pelagiani, iuſtum dixerit infidelem, iuſtum dixerit impium, iuſtum dixerit diabolo mancipatum? ſit licet ille Fabricius, ſit licet Fabius, ſit licet Scipio, ſit licet Regulus.* Citat deinde Pythagoram, & Platonem, *qui multò excellentiore cæteris Philoſophia nobilitati, veras virtutes non eſſe dicebant, niſi quæ menti quodammodo imprimuntur à forma illius æternæ immutabiliſque ſubſtantiæ, quæ eſt Deus.* Et mox: *Quomodo ſunt verè iuſti, quibus vilis eſt humilitas viri juſti: Quomodo eſt in eis vera iuſtitia in quibus non eſt vera ſapientia? Porrò, ſi veram juſtitiam non habent impii, profectò non alias virtutes, comites eius & ſocias: quia, cùm non ad ſuum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipſo mali his utentes efficiuntur iniuſti.* Veram virtutem vocat S. Auguſt. eam, quæ ducit ad ſalutem & beatitudinem cæleſtem, qualis eſt Chriſtiana fidelium, quæ proinde falſam Gentilium caſtigat, format, perficit.

VI. *Principatus ſcientiarum.* Sexta Ethicæ laus obvenit à cæterarum ſcientiarum primatu ac regimine. Sextus Cheronæus Scepticæ familiæ Philoſophus, varia & eleganti ſimilitudine, quantum Ethica cæteris Philoſophiæ partibus præſtet, oſtendit, & quaſi intuendum oculis ſubiecit: *Philoſophia*, inquit, *ſimilis eſt areæ muro cinctæ, & omni fructuum genere luxurianti, in qua parietum firmitas refert Logicam, arborum proceritas Phyſicam, fructuum ſuavitas Ethicam* Rurſum: *Si Philoſophiam ovo componas, teſta, ſive cortex, repræſentat Logicam, albumen Phyſicam; vitellus Ethicam.* Pulchrius verò Poſſidonius, Philoſophiam animali perſimilem dictitabat: ſanguini enim & carnibus reſpondere Phyſicam, oſſibus, & nervis Logicam, animæ Ethicam. Quantum ergo anima antecellit carni & oſſibus; tantò Ethica antecellit Phyſicæ & Logicæ.

Theolog. magna ex parte Ethica. Rurſum Ethica, ſicut omnes hominis actiones, ita & omnia ejuſdem ſtudia ac ſcientias dirigit ad ſuum finem; naturalis ad naturalem; ſupernaturalis ad ſupernaturalem. Quocirca Theologiæ, quæ diſciplinarum omnium eſt princeps & regina, medulla eſt Moralis. Prima S. Thomæ parte agitur de attributis, virtutibus & moribus Dei & Angelorum. Secunda, de virtutibus & vitiis hominum. Priore enim ejus ſectione diſputatur de hominis beatitudine, voluntario, libertate, electione, conſilio, prudentia, vi concupiſcibili & iraſcibili, habitibus, paſſionibus, peccatis, legibus, ac gratia: poſteriore, de fide, ſpe, charitate, juſtitia, cæteriſque virtutibus. Tertia Theologiæ parte agitur de Chriſto, eiuſque dotibus, virtutibus & Sacramentis, quibus ipſe nos à vitiis purgat, virtutes inſerit, & ad beatam felicitatem perducit. Atque, ut reliquas artes & diſciplinas prætercam, Juriſprudentia, quæ in repub. clavum tenet, eamque regit & moderatur, adeò nititur Ethica, adeò eam ſibi corporat, ut qui hanc ſuſtulerit, illam eviſceraverit. Qua ratione, quæſo, Iuriſconſultus ſeſe optimis ornabit moribus, honeſtè vivet, alterum non lædet, ſi hanc ſapientiæ partem, quæ mores fingit, non calleat? Quid verò, ſi reip. gubernaculis admoveatur, in republ. ſe dignum fecerit, ſi Politicam, tertiam Ethicæ partem, ignoret? Quid denique de æquo, bono, honeſto, juſto, iniuſto, ſive à cauſis, ſive à conſiliis ſit, ſive Ethica differet? Quid enim eſt aliud Iuriſprudentia, quàm iuſti & iniuſti ſcientia? Ut non ſine ratione plerique Iuriſprudentiam,

partem

partem Philosophiæ illius, quæ à moribus formandis nomen habet, autument. Vnde enim, quæso, Iurisconsultus æqui, boni, honesti rationes derivabit, nisi ex Platonis legibus, nisi ex Ethicis Aristotelis, vel ipsa undecumque morali disciplina? ex quorum scriptis veteres Iurisperiti multa adeò deprompserunt, ut, si omnia suis reddantur Auctoribus,

moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.

Qui verò suis quemque pinget coloribus, improbos arcesset, probos defendet, nisi virtutum vitiorumque rationes & formas ex Ethica dispexerit? Vt urgente hac veritate adacti, Iurisprudentiam Ethicæ politicæ maximè subalternam esse; indeque sua petere principia, ut à Physica sua petit Medicus, ipsi æquè Iurisperiti consentiant: neque enim Imperatorum nuda auctoritate firmaris leges, nisi & auctoritatem justitia, eiusque principiis subnixam doceas. Id ad oculum videremus, si veteres Juris codices extarent, nec eos magno illius damno concremassent illi, qui ex eis Justinianæas Pandectas conflarunt. Quare adeo Iurisprudentia Ethicæ innixa & connexa est, ut illi planè subalterna, ex eius principiis, veluti fontibus, scita sua, & leges velut rivulos, educat. Hinc est, ut Ethicus, & Jurisconsultus, eodem se referant, dum, quas de virtutibus & vitiis notiones universas in doctrinæ formam includit Ethicus, illas Iurisconsultus locorum, temporum, negotiorum, personarum regionibus & cancellis percommodè ad usum includit & circumscribit. Ethicus præscribit, scelus vindicandum: Iurisconsultus hanc regulam ad certam pœnam revocat. Ethicus ponit legem, ut parentes curent filios; Jurisconsultus mulctat eum, qui filii non vult esse curator. Ethicus iustitiam commutantem ponit mediam inter lucrum, & damnum: Iurisconsultus ex hoc notionis fonte conventiones iustas, mutuum, commodatum, depositum, pignus, emptionem, venditionem, locationem, conductionem, tamquam rivulos, deducit. Ethicus edisserit, summum ius esse summam iniuriam: Jurisconsultus ad huius præcepti normam temperat legem, ne sanguine pietur mors, quam amico infers invitus. Ethicus docet, æquitatem non esse contrariam iuri, sed iure meliorem, dum, quod tacet ius, æquitas loquitur: Jurisconsultus hinc colligit, nihil facere contra legem non occidendi, qui maiestatis violatæ reis pœnam irrogat seeutis. Porrò, ut ex multis pauca delibem, quæ sunt per totum Juris corpus dispersa, & fusa, ea si conteras cum moralis Philosophiæ præceptionibus, videbis clarè, Philosophiam, (quæ morum profitetur conformationem,) esse quamdam quasi naturæ thesim, & hujus theseos Jurisprudentiam esse hypothesim. In quam sententiam videtur ivisse pedibus Vlpianus, dum l. *Ius civile*, ff. de iust. & iure. post pulchram de Jure civili disputationem uberi filo pertextam, tandem statuit, Jus civile nihil aliud esse, quàm Juris naturalis, id est, moralis Philosophiæ, quamdam moderationem.

Septima, & maxima Ethices laus est à fine & scopo, putà à beatitudine, ad quam suos asseclas recto virtutum tramite deducit, & perducit. Nemo est tam demens, quin cupiat beatus esse & felix: nemo est tam barbarus, cuius non gestiat animus, si felicitatis cogitatio & spes mentem subeat, si eius potiundæ via & ratio ostendatur. Ostendit eam Ethica. Cleombrotum (quem S. August. nuncupat Theobrotum) lecto Platonis Phœdone, ubi de immortalitate animæ disputat, se præcipitem de muro, illicitè quidem & perversè, dedisse tamen, atque ita ex hac vita emigrasse ad eam, quam credidit, esse meliorem, auctor est idem S. August. 1. Civit. 22. inde de eo canit Callimachus:

Vita vale, muro praceps delapsus ab alto,
Dixisti moriens, Ambraciota puer:
Nullum in morte malum credens; sed scripta Platonis
Non ita erant animo percipienda tuo.

Eiusdem felicitatis amore violentas sibi manus intulisse Cleanthem, Chrysippum, Zenonem, Empedoclem, Catonem Vticensem memorat Lactant. 3. Instit. c. 18. nimirum à Zenone immortales animas, & inferos, ut sentit S. Hier. in c. 1. Daniel. didicerant. Cicero verò lib. de Senect. *Cùm tanta*, ait, *celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorum providentia, tot artes, tanta scientia; sic mihi persuadeo, non posse eam naturam, qua res eas continet, esse mortalem.* Et anhelus ad beatam vitam: *O praclarum*, inquit, *diem, cum in illud animarum concilium proficiscar, & cùm ex hac turba & colluvione discedam* Nimirum, ex Platone subobscura quædam & ambigua de futuris animarum præmiis & suppliciis hauserat. Cuius commentator & interpres Macrobius ex Platone geminam statuit portam hominum: primam descensus, quo purgentur animæ, & ad Lethæum deducantur flumen, vt inde oblivionem præteritorum malorum bibant, & ad supera conscendant. Hinc eas, ut canit Virg. 6. Æneid.

Lethaum ad fluvium Deus evocat agmine magno;
Scilicet, immemores supera ut convexa revisant.

Alteram deorum in Capricorno, qua pateat aditus ad lacteum in signifero circulum, qui locus Beatorum sit, quò priùs quàm pertingant, per erraticas oberrare stellas. vt in Saturno sapientiam; in Iove agendi vim; in Marte ardorem animi; in Sole sentiendi opinandique facultatem; in Venere voluptatum sensum; in Mercurio interpretandi vigorem; in Luna vim augurandi nanciscantur. Commentum risu & sibilis dignum: cui similis est illa Pythagoræ metempsychosis, qui merito vel demerito animarum, illas post mortem in alia nobilia vel ignobilia transmeare corpora opinatus est, commentus se Euphorbum militem fuisse, & Troiano bello à Menelao cæsum:

Ipse, ait, *ego (nam memini) Troiani tempore belli*
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hasit in adverso gravis hasta minoris Atrida. Ovid. 15. Metamorph.

Insulsa hæc, & quæ Philosophus cœtu suo indigna contemnat: at quantos suspensa futurorum spes, & perennis animæ opinio, multis licet contaminata fabulis, asseclis eorum admonuit stimulos, ut indomitas animi libidines, ceu ferocientis equi impetus, edomare conarentur & mansuefacere, quò rationis frænum admitterent, eiusque ductum non detrectarent.

Quid

Quid ergo Chriſtianis Ethica non perſuadeat, quando iam deſæcata planè, certiſſimiſque fidei ſubnixa principiis, nil, ubi erret, timeat? quando virtutis callem non ſubluſtrem, ſed præfulgidum edocet? quando animum numquam intermoriturum, ſed in omne ævum beatiſſima vel miſerrima ſorte perduraturum, tam clarè, quàm Solem hunc nobis prælucere, demonſtrat? quando veram hominis beatitudinem, non in terra, ſed in cælo; non in creatura quapiam, ſed in ipſo Creatore; eiuſque per viſionem & amorem poſſeſſione conſiſtere, ut ipſomet Deo, eiuſque bonis omnibus fruamur & beemur, certò liquidoque oſtendit? Ignorarunt id Philoſophi; aliquid tamen de eo per rimam vel umbram perſpexerunt. Hinc illud Sybillæ apud Virgil. 6. AEneid.

Facilis deſcenſus Averni:
Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt: pauci, quos æquus amavit
Iupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Diis geniti potuere.

Cenſebant illi, homines Ethices & virtutis ſtudioſos poſt mortem cælum conſcendere, ibique in deorum numerum & conſortium tranſcribi: imò nonnulli non alios putabant eſſe deos, quàm qui heroicis virtutum actibus, divinitatis nomen & famam ſibi paraſſent. Ita Ovidius lib, 1. de Art.

Munus habe cælum, cælo ſpectabere ſidus.

Seneca in Octavia:

Hac ſumma virtus, petitur hac cælum via.
Sic ille patriæ primus Auguſtus parens
Complexus aſtra eſt.

Et rurſum:

Virtus mihi
In aſtra, & ipſos fecit ad ſuperos iter.

Idem in Herc. Oetæo:

Numquam Stygias fertur ad umbras
Inclyta virtus: vivite fortes:
Iter ad ſuperos gloria pandit.

Plinius in atheiſmum vergens lib. 2. c. 7. *Quiſquis*, ait, *eſt Deus (ſi modò eſt alius) & quacumque in parte, totus eſt ſenſus, totus viſus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus ſui*. Et inferiùs: *Deus eſt mortali iuvare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres iere Romani: hac nunc cæleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis ævi rector, Veſpaſianus Auguſtus, feſſis rebus ſubveniens. Hic eſt vetuſtiſſimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus aſcribantur. Quippe & omnium aliorum nomina deorum, & quæ ſupra retuli ſiderum, ex hominum nata ſunt meritis. Iovem quidem, aut Mercurium, aliterve alios inter ſe vocari, & eſſe cæleſtem nomenclaturam, quis non interpretatione naturæ fateatur?* Hæc ille Deum Numenque ignorans.

Longè veriùs, ſublimius & divinius Theologi, ipſum Deum Numenque certiſſimò ſtatuentes, illud ipſum ſapientiæ ac virtuti præmium aſſignant. Audi S. Auguſt. libr. de Quantitate animæ, in fine: *Virtutis præmium eſt Deus*. Audi Regium Pſaltem: *Domine, apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. Pſalm. 35. v. 10. *Vt ſit Deus omnia in omnibus*; ait S. Paulus 1. Corinth. 15. 28. Audi S. Ioannem epiſt. 1. c. 3. 2. *Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. Et Apocal. c. 21. 22. deſcribens cæleſtem beatamque Ieruſalem: *Templum*, inquit, *non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, & Agnus. Et civitas non eget ſole, neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna eius eſt Agnus*. Quocirca meritò exclamat S. Auguſt. ſerm. 1. in feſto omnium Sanctorum: *O verè beata mater Eccleſia, quam ſic honor divinæ dignationis illuminat, quam vincentium glorioſus Martyrum ſanguis exornat, quam inviolatæ confeſſionis candida induit virginitas: floribus eius nec roſæ, nec lilia deſunt. Certent nunc chariſſimi ſinguli ad utroſque honores, ampliſſimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de paſſione purpureas. In cæleſtibus caſtris pax & acies habent flores ſuos, quibus milites Chriſti coronantur.* Et inferius: *Ergo agite nunc fratres, aggrediamur iter vitæ, revertamur ad civitatem cæleſtem, in qua ſcripti ſumus, & cives decreti. Non ſumus hoſpites, ſed cives Sanctorum, & domeſtici Dei, etiam illius heredes; coheredes autem Chriſti. Huius nobis urbis ianuas aperiet fortitudo, & fiducia latum præbebit ingreſſum. Conſideremus ergo inclytam urbis illius felicitatem, in quantum conſiderare poſſibile eſt.* Et mox: *Verùm ſuper hæc omnia eſt conſociari Angelorum & Archangelorum cœtibus, Thronis etiam & Dominationibus, Principatibus & Poteſtatibus, omniumque cæleſtium ſupernarumque virtutum contuberniis perfrui, & intueri agmina Sanctorum ſplendidius ſideribus micantia, Patriarcharum fide fulgentia, Prophetarum ſpe lætantia, Apoſtolorum in duodecim tribubus Iſrael orbem iudicantia, Martyrum purpureis victoriæ coronis lucentia, Virginum quoque choros candentia ſerta geſtantes inſpicere. De Rege autem, qui horum medius reſidet, dicere vox nulla ſufficit: effugit enim omnem ſermonem, atque omnem ſenſum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia, illa majeſtas, ultra enim omnem Sanctorum eſt gloriam, ipſius inæſtimabilem aſpicere conſpectum, & ſplendore majeſtatis ejus irradiari: ſi enim quotidie oporteret nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam parvo tempore tolerare, ut Chriſtum videre digni eſſemus in gloria venientem, & Sanctorum ejus numero ſociari, nonne erat dignum pati omne quod triſte eſt, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur?* Denique concludes; *Ad hanc igitur operum ſalutarium, dilectiſſimi, palmam libenter ac promptè certemus, omne in agone iuſtitiæ Deo & Chriſto ſpe-*

ſtante

Digitized by Google

ctante curramus. Et qui sæculo & mundo maiores esse cœpimus, & cursu nostro nulla sæculi cupiditate retardemur. Si expeditos, si celeres in hoc operis agone, si currentes dies ultimus invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit remunerator. Qui coronam in persecutione purpuream pro passione donavit, ipse in pace viventibus pro justitia meritis dabit candidam. DOMINE JESU CHRISTE, æternæ sapientiæ sol, Verbum Patris, splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, amor noster, da nobis hanc tuam sapientiam, hanc prudentiam justorum, hanc scientiam Sanctorum. Tu enim per generationem æternam es ipsa Sapientia increata, per generationem temporalem nobis factus es ipsa Sapientia incarnata. Ad hoc enim è sinu Patris in uterum Virginis Matris, ex summis cælorum montibus in imum hoc terræ antrum centrumque descendisti, ut nos eamdem, tam exemplo, quàm verbo doceres. Tu eamdem Prophetas, Sanctosque omnes docuisti: tu eamdem nostro Siracidi inspirasti. Da ergo sapientiam eius [illegible] intelligere, omnemque ejus virtutem, tam voluntate, quàm mente complecti, ut eam tam affectibus, quàm operibus & moribus exprimamus, ut valedicamus vanitati, serviamus veritati, vivamus AETERNITATI. Tu enim es lux mentium, Rex spirituum, dux cordium: tu es via, veritas & vita, via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Gradiamur ergo in te, per te, ad te: ut sicut jam per umbram eminùs, ita post hanc vitam facie ad faciem cominùs te intueamur, te fruamur, te beemur in omne ævum. Imple animas nostras tuis splendoribus: imple & ardoribus Sanctorum, ut citò ad te, tuamque gloriam pervenire valeamus, quem huius itineris ducem, salutis auctorem, lucis principem, lætitiæ largitorem habemus: quia tu es nostra sapientia, sapiens veritas, vera charitas, chara felicitas, felix ÆTERNITAS. Amen.

Quàm sapiens, *qui vivit sapientia, qui sapit* AETERNITATI!
Quàm felix, *quem in æternum ipsa beat* FELICITAS!

Digitized by Google

IN ECCLESIASTICVM PROLEGOMENA.

INSCRIBITUR hic liber in Græcis Bibliis, Σοφία Ἰησοῦ, υἱοῦ Σιράχ, *Sapientia Jesu, filius Sirach*, ut distinguatur à Sapientia Salomonis: in Latinis, *Ecclesiasticus*. De eo nonnulla præmittenda sunt. Primum de ejus auctoritate. Secundum, de Auctore. Tertium, de Interpretibus. Quartum, de Argumento. Quintum, de Methodo. Sextum, de Stylo. Quibus succedent septimo ordine Canones, qui facem toti libro præferant.

CAPUT I.

Auctoritas Ecclesiastici.

Non esse canonicum censent heretici.

NONNULLI olim dubitârunt, imò negarunt, Ecclesiasticum esse librum canonicum: Judæi enim non habent eum in suo Canone librorum S. Scripturæ. Unde Concil. Laodicenum can. 59. Melito Sardensi apud Euseb. libr. 4. Hist. cap. 26. S. Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, & Hilarius præfatione in Psalmos, texentes catalogum S. Scripturarum, omittunt Ecclesiasticum. Et S. Hieron. præfat. in libros Salomonis, asserere videtur, Ecclesiasticum non valere ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Idipsum apertè negant hæretici moderni. Lutherus in Colloq. Latinis, to. 2. c. de libris vet. Test. ait *Ecclesticus verus est Legista & Jurista, non Propheta: nihil scit de Christo. Quid est Jesus Sirach (quamvis liber sit optimus) ad Christi & Apostolorum verba? Tantùm est legalis liber. est sicut Thalmud ex variis libris collectus: loquitur de jure & œconomia. Hoc miratur mundus, & verba Christi excellentissima negliguntur*. Guilielmus Vvitakerus in disp. de S. Script. controv. 1. quæst. 1. cap. 13. de Ecclesiastico: *Non esse*, inquit, *canonicum librum, ex eo colligi potest, quod Græcè scriptus fuerit*. Calvinus in Antidoto, Ecclesiasticum odit, quòd ex eo multa fidei dogmata, quæ ipse negat, confirmentur: *Unde*, inquit, *meliùs fæcem haurient?*

Canonici libri duplices.

Suppono, libros canonicos S. Script. esse duplicis generis. Alii enim sunt Protocanonici, alii Deuterocanonici. Protocanonici, sive primi canonis vocantur, de quorum fide nulla umquam inter Catholicos fuit disceptatio; sed ab omnibus habiti sunt quasi libri S. Scripturæ, dictati à Spiritu sancto. Deuterocanonici, sive secundi canonis vocantur, qui, licet verè canonici sint; tamen de eorum auctoritate aliquando ab orthodoxis dubitatum fuit: tales sunt Esther, Baruch, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæorum uterque, Epistola ad Hebræos, Epistola S. Jacobi, S. Judæ, secunda S. Petri, secunda & tertia S. Joannis, & Apocalypsis: ceteri omnes sunt Protocanonici.

Hoc est, quod de Sapientia & Ecclesiastico agens, ait Damascen. lib. 4. Orthod. fidei cap. 18. *Qui omnium virtutum genere ac doctrina referti sunt, hoc est, Sapientia Salomonis, & Sapientia Jesu, quam Sirach pater* (putà Jesus senior, & minoris avus: hic enim fuit pater Sirachi, de
A quo inferiùs) *composuit, & Græcè interpretatus est nepos Jesu, & Sirachi filius, præclari & elegantes libri sunt, non tamen aliis annumerantur, neque in arca siti erant*; quia, scilicet, non numerantur inter Protocanonicos, neque erant in Canone Hebræorum, sive S. Scripturæ ab Hebræis receptæ, quem ipsi posuerunt in arca.

Ecclesiasticum esse canonicum, probatur. Primo.

Nunc dico. De fide est, Ecclesiasticum esse librum canonicum S. Script. Patet hoc primò ex definitione Concilii Tridentini sess. 4. & Concil. III. Carthag. can. 47. & Concil. Florent. in instruct. Armenorum. Concil. quoq; Ephesinum anno Christi 430. Ecclesiasticum citat, ut S. Scripturam; sic enim ait epist. ad Synodum Pamphyliæ: *Cum consilio omnia fac, dicit divinitus inspirata Scriptura*. Hæc autem verba sunt Eccli. c. 32. Conc. Toletan. VIII. c. 9. *Dicit*, ait, *Scriptura: Qui spernit minima, paulatim*
B *decidet*. Eccli. 19. Synodus Francfordiensis anno Domini 794. epist. ad Præsules Hispaniæ: *Item*, ait, *in libro Sapientiæ, ipsa dicente Sapientia, id est, filio Dei: Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam*. Eccli. c. 24. Idem liquet ex S. Athanas. in Synopsi, sive Catalogo libr. S. Script. qui & libr. Virgin. *Ait enim*, inquit, *Script. sacra: Qui attingit picem, inquinabitur: & qui communicat superbo, similis illi efficietur*: quæ sunt verba Eccli. cap. 13. Idem liquet ex Synodo Alexand. quæ extat apud S. Athanasium Apolog. 2. contra Arrian. & Innocent. I. anno Christi 407. epist. ad Exuperium, c. 7. qui recensens libros S. Script. *Salomonis*, inquit, *libri quinque*; quintus autem est Ecclesiasticus. Sic & Cassiodorus lib. 1. Instit. c. 13. & Gelasius tom. 2. Conc. in Concil. Romano, habito anno Christi 494. inter libros S. Scripturæ
C recenset librum Jesu filii Sirach. Sic & Isidorus li. 6. Etymol. c. 1. Rabanus lib. 2. de Institut. Cleri, c. 53. quin & Epiphan. in hæresi Anomæorum, numerant inter sacros & divinos libros Sapientiam Salomonis, & filii Sirach, id est, Ecclesiasticum. Quare, cùm idem Epiphan. lib. de Mensur. & pond. ait, hos libros non esse receptos intellige à Judæis, eorumque sequacibus.

Secundo, ex Patribus Græcis.

Secundò, idipsum docent Patres Græci, qui sententias Ecclesiastici, perinde ac ceteros S. Scripturæ libros citant, ut S. Clemens anno Christi 90. epist. 1. ex Eccli. cap. 28. citat hæc verba: *Impone, homo, tuæ linguæ ostium & seram. Cessa cornu in altitudinem extollens, & loquens adversus Deum iniquitatem & proximum tuum*. Sic & S. Ignatius anno Christi 100. epist. ad Heronem, citat illud Eccli. c. 19. *Qui citò credit, levis est corde*. Sic & Clemens Alexandr. anno Christi 200. 1. Pædag. cap. 8. & lib. 5. Strom. cap. 5. Origenes anno Christi 230. citans Ecclesiasticum, ait, se citare S. Script. ut patet hom. 8. in Num. homil. 1. in Judic. hom. 9. in Ezech. Sic & Euseb. anno Christi 320. l. 8.
D Præp. c. 2. S. Basil. anno Christi 370. in c. 8. Isaiæ: *Ait*, inquit, *Scriptura, Cùm consummaverit homo, tunc incipiet: & cùm quieverit, tunc indigebit*. quæ sunt verba Eccli. cap. 18. Idem in Regulis fusiùs disput. resp. 104. *Dicunt*, ait, *divinæ Literæ: Sine consilio nihil fac*. quæ sunt verba Eccl. 32. S. Ephrem anno Christi 370. adversus improbas mulieres: *Dictum est*, inquit, *à Sapiente: Brevius omnis malitia super malitiam mulieris*. quæ sunt verba Eccli. cap. 25. Idem tract. de Patientia: *Ait*, inquit, *Scriptura: Fili, accedens ad servitutem Dei, dirige cor tuum, & su-*

& sustine. Cyrillus Jerosol. catech. 6. citat illud Eccli. c. 3. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris*. Macarius Ægyptius anno Christi 370. hom. 10. citat illud Eccl. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient*. S. Gregor. Nazianz. anno Christi 380. orat. 2. contra Julianum: *Qui potentes*, ait, *de sedibus deponit, & insuspicabilem diademate ornat. Nam id quoque à Scripturis accipio*: putà Eccli. 11. 5. S. Gregor. Nyssenus anno Christi 380. homil. 3. in Eccl. citat illud Eccli. 40. *Vinum lætificat cor*. S. Epiphan. anno Christi 380. in Ancorato: *Reprehendit nos*, ait, *Scriptura divina dicens: Quæ tibi præcepta sunt, ea considera. Et; Non est opus tibi occultis. Et: Altiora te ne quæras, & profundiora te non expendas*. Eccli. 3. S. Chrysost. anno Christi 400. hom. 33. ad popul. *Audi*, ait, *Scripturam dicentem: Sicut qui occidit filium coram patre; ita qui offert sacrificium ex pecuniis pauperum*. quæ sunt verba Eccli. 34. 24. Sic & Cassianus anno Christi 470. collat. 2. c. 13. & collat. 6. cap. 16. & Palladius illi coævus in Dialogo de Vita S. Chrysostomi S. Cyrillus Alexandr. ejusdem ævi homil. quam Ephesi habuit: *Quibus rationibus*, ait, *patientia comparetur, id divina nos Scriptura educet, Fili*, inquit, *accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem, & dirige cor tuum, & constans esto*. Eccli. 2. Isidorus Pelusiota, discipulus S. Chrysost. anno Christi 440. l. 1. epist. 106. *Loquere*, inquit *Scriptura, in aures audientium*. Eccli. 25. Joannes Maxentius an. Christi 500. præfat. in Dial. contra Nestorianos: *Divina*, ait, *Scriptura admonet: Ne confundaris loqui verum pro anima tua, & pro veritate certa usque ad mortem*. Eccli. 4. Anastasius Antiochenus anno Christi 580. l. 9. Hexam. *Dicit*, inquit, *Scriptura, quòd vinum & mulieres separant à Deo*. Eccli. 25. Damascenus orat. 3. de Dormit. Deiparæ, citat quasi verba Script. *Altiora te ne quæsieris*. Eccli. 3. Denique Josephus Hebreo-Græcus lib. 2. contra Apionem, Ecclesiasticum inter libros legis (id est, sacros) reponit, ait Genebr. libr. 2. Chronol. citat enim quasi dictum à lege divina, illud Eccli. 42. 14. *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*, uti ibidem ostendam.

Tertiò, ex Latinis.

Tertiò, idem probatur ex Patribus Latinis. Tertul. qui floruit anno Christi 200. de Exhort. castitatis, c. 2. ex Eccli. cap. 15. citat illud: *Ecce posui ante te bonum, & malum*. S. Calixtus Pontif. anno Christi 218. epist. 1. *Dicit*, inquit, *S. Scriptura: Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere*. quæ sunt verba Eccli. cap. 18. Fabianus Pontif. anno Christi 237. epist. 2. *Fili, ait Salomon, in mansuetudine serva animam tuam, & da honorem illi, cui honor competit*. Eccli. 10. & 11. S. Cyprianus anno Christi 250. de Opere & eleemos. *Loquitur*, ait, *in Scripturis divinis Spiritus sanctus, & dicit: Eleemosynis & fide peccata purgantur*. Eccli. cap. 3. Eusebius Pontif. anno Christi 315. citat quasi S. Scripturam, illud Eccli. 14. 11. *Fili, si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer*. S. Hilarius anno Christi 350. citat Eccli. 28. 28. S. Ambrosius anno Christi 370. de Bono mortis cap. 8. *Scriptura ait: Ante mortem non laudaveris quemquam*. Eccli. 11. S. Hieronymus anno Christi 390. epist. 33. *Divina*, ait, *Scriptura loquitur: Musica in luctu, intempestiva narratio*. Eccli. 22. Ruffinus anno Christi 390. citat illud Eccl. 21. *Sapiens audiens verbum, collaudabit, & adjiciet ad illud*. Ita ipse in *Benedictione Beniamin*. S. Gaudentius anno Christi 400. tract. 13. *Loquitur*, ait, *Scriptura divina: Conclude eleemosynam in corde pauperis, & ipsa pro te exorabit Deum*. Eccli. 29. S. August. anno Christi 400. lib. 2. de Doctrin. Christiana, c. 8. *Illi libri duo*, ait, *qui Sapientia Salomonis, & alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt*. Et epist. 248. ac lib. 7. de Genes. ad lit. c. 28. & de Cura pro mortuis, c. 28. & ad Orosium contra Priscill. Ecclesiasticum vocat divinam Scripturam. S. Paulinus anno Christi 420. apud S. Hieron. tomo 10. epist. 14. c. 1. *Veteris*, ait, *Script. celebrata sententia est, esse pudorem, qui gloria inveniatur & gratia; & esse rursus pudorem, qui soleat parere peccatum*. Eccli. 4. Maximus Taurinensis anno Domini 430. hom. 1. de eleemos. *Dicit*, ait, *divina Scriptura: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum*. Eccli. 3. S. Leo anno Christi 450. serm. 8. de jejunio 7. mensis: *Dicit*, ait, *Scriptura: Post concupiscentias tuas non eas*. Eccli. 18. S. Prosper libr. 2. de Vita contempl. c. 8. *Ait*, inquit, *in Ecclesiastico Spiritus sanctus*. Sic Ecclesiasticum vocant S. Scripturam Salvianus anno Christi 480. li. 3. ad Ecclesiam Catholicam, Gelasius anno Christi 490. epist. 5. S. Fulgentius anno Christi 500. lib. 1. de Remiss. pecc. c. 12. S. Benedictus anno Domini 500. in Regula, c. 7. S. Gregorius anno Domini 600. in psal. 4. Pœnitent. Alcuinus anno Domini 750. de Virtut. & vitiis, c. de pœnitentia, & c. de castitate, Haymo anno Christi 820. in cap. 1. epist. ad Rom. & in cap. 1. ad Corinth. Angelomus anno Christi 830. in lib. 1. Reg. cap. 1. Paschasius Ratbertus anno Christi 900. libr. de Corp. & sang. Domini, c. 2. S. Bernardus de Gradibus humilitatis anno Domini 1130. Innocentius III. anno Domini 1200. serm. 2. de Adventu: S. Laurentius Justinianus anno Christi 1430. libr. de Ligno vitæ, tract. de patientia, cap. 3.

CAPUT II.

Auctor.

Ecclesiasticum esse Salomonis, censent aliqui.

NOnnulli censuerunt Ecclesiastici auctorem esse Salomonem, eò quòd multi veterum illum citent nomine Salomonis. Ita Anacletus Pontif. epist. 2. illud Eccli. c. 27. *Qui fodit foveam, incidet in eam*; citat nomine Salomonis. Alexander I. epist. 3. illud Eccli. c. 35. *Sacrificium salutare est, attendere mandatis*; attribuit Salomoni. Sixtus I. epist. 1. arguens hæreticos dicit, quòd in Salomone Scriptura loquitur dicens: *Sicut in conspectu eorum magnificatus es in nobis*. Quæ sunt verba Eccli. cap. 36. Sic Quietus Episcopus, in Concilio Carthagin. Felix I. epist. 3. Innocentius I. epist. ad Exuperium, cap. ult. Concil. Carthag. III. canon. 47. Origenes, qui floruit anno Domini 230. hom. 8. in Numer. *In libro*, ait, *qui apud nos quidem inter Salomonis volumina haberi solet, & Ecclesiasticus dici; apud Græcos autem Sapientia Jesu filii, Sirach, appellatur, scriptum est: Omnis sapientia à Deo est*. Ex hom. 1. in Ezech. *Vide*, ait, *Salomonem sapientissimum omnium, quid de Dei correptionibus suspicetur: Fili, noli esse pusillanimis in disciplina Dei, neque deficias correptus ab eo*. quæ verba sunt Eccli. cap. 7. Sic & S. Basil. in Regulis fusiùs disput. resp. 17. verba Eccli. cap. 21. citat quasi Salomonis. S. Chrysost. in psalm. 134. *Salomon*, inquit, *ait: Continens aquam in vestimento*. Eccli. cap. 43. Isychius Hierosol. Presbyter anno Christi 600. li. 6. in Levit. *Dixit*, ait, *Salomon: Ante mortem ne laudes quempiam hominem*. Eccli. c. 11. 30. Fabianus Pontif. epist. 2. *Fili, ait Salomon, in mansuetudine serva animam tuam*: Eccli. 10. S. Cyprianus epist. 65. sive lib. 3. epist. 9. *Sed & Salomon*, ait, *in Spiritu sancto constitutus testatur, & docet, quòd sit sacerdotalis auctoritas & potestas, dicens: Ex tota anima tua time Deum, & sacerdotes ejus sanctifica*. Eccli. cap. 7. Sixtus II. Pontif. anno Christi 257. epist. 1. *Quod pater est*, inquit, *id est etiam filius, Salomone dicente: Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam*. Eccli. c. 24. S. Marcellinus Pontif. anno Christi 296. citat quasi Salomonis illud Eccli. c. 14. *Ego sapientia habitavi in altissimis, & thronus meus in columna nubis*. S. Hilarius in psalm. 144. *In eo libro*, ait, *qui nobiscum Salomonis inscribitur; apud Græcos autem & Hebræos, Sapientia Sirach habetur, ita monemur: Ecce circumvalla possessionem tuam spinis, argentum & aurum tuum constitue, & ori tuo fac ostium & seram, & verbis tuis jugum & mensuram*. Eccli. cap. 28. S. Ambrosius ad Virginem devotam, cap. 2. *Non legisti*, ait, *Salomonem dicentem: Bonis bona creata sunt ab initio: similiter impiis & peccatoribus bona & mala?* Eccli. cap. 33. Optatus Milevit. anno Christi 370. lib. 3. contra Donat. *Illud*, ait, *à Salomone discere noluisti, quod ait. Absconde panem in corde pauperis, & ipse pro te rogabit*. Eccli. cap. 29. S. Hieron. in cap. 10. Eccli. *Salomon*, inquit, *ait: Qui statuet laqueum, capietur in illo*. Eccli. cap. 27. S. Maximus hom. 2. de festo Pasche, Ecclesiastici cap. 24. citat nomine Salomonis. S. Leo ejusdem nomine citat Eccli. cap. 2. serm. 1. de Quadrages. c. 3. Sic & Sedulius in c. 12. ad Rom. & Hormisda Pontif. epist. 6. Cassiodorus in psal. 55. Pelagius 1. epist. ad Vigilium, S. Gregorius hom. 1. in Ezech. Haymo in cap. 1. epist. ad Roman. Paschasius lib. 2. de Corpor. Domini, c. 2. Petrus Damiani serm. 2. de vitio linguæ, S. Bern. epist. 5.

Auctorem Ecclesiastici esse Jesū, filium Sirach, probatur Primò.

Verùm certum est, auctorem Ecclesiastici non esse Salomonem; sed Jesum, filium Sirach. Probatur Primò, quia sic inscribitur, hicque Ecclesiastici est titulus in omnibus codicibus Græcis.

Secundò.

Secundò, id docet Eusebius lib. 8. de Præparat. Euang. c. 2. *Simonis tempestate, ait, fuit Jesus, filius Sirach, fama celebris, qui Sapientiam, titulo omnium virtutum genera profitem-*

sitentem, composuit. S. Athanas. in Synopsi de Ecclesiastico: *Hic itaque*, ait, *Jesus, cum esset Salomonis sectator, haud minus illo in illustranda sapientia, & pietatis disciplina strenuum se gessit, verè multiscius existens & doctus*. Procopius Gazæus præfat. in Genes. *Laudanda est*, ait, *illa Sirach admonitio: In supervacaneis operum tuorum ne sis curiosus; plura enim intellectu hominum ostensa sunt tibi*. Eccli. c. 3. Antiochus hom. 7. *Jesus*, ait, *Sirach filius dicit: Insomnia extollunt imprudentes*. Cassiodorus libr. 1. Instit. c. 13. enumerans S. Scripturæ libros: *Salomonis*, inquit, *libri quatuor: Jesu, filii Sirach, liber unus*. S. Hieron. in c. 9. Daniel. *Jesus*, ait, *filius Sirach, scripsit librum, qui Græcè πανάρετος appellatur, & à plerisque Salomonis falsò dicitur*. Sic & Isidorus Pelus. lib. 4. epist. 228. S. Epiphanius lib. 1. to. 1. hæresi 8.

Tertiò. Tertiò, idipsum evincit præfatio Ecclesiastici, quam aliqui censent habere auctoritatem S. Scripturæ, alij ad eam proximè accedere. In præfatione enim disertè ait Jesus, Siracides junior, Ecclesiasticum esse compositum ab avo suo Jesu, filio Sirach; à se verò esse traductum.

Quartò. Quartò, idipsum demonstratur ex c. 50. 29. vbi sic dicitur: *Doctrinam sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Jesus, filius Sirach, Hierosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo*. Vnde patet, idipsum esse de fide. Hæc enim sunt verba S. Scripturæ, & Spiritus sancti, ideoque fide credenda. Denique cap. 51. titulus est: *Oratio Jesu, filii Sirach*:

Quintò. Quintò, quia in fine Ecclesiastici recensentur elogia Salomonis, Roboam, Ezechiæ, Josiæ, Isajæ, Jeremiæ, & ceterorum Prophetarum, qui diu post Salomonem vixerunt.

Dices; Cur ergo Origenes, Hesychius, & alij paulò ante citati, Ecclesiasticum attribuunt Salomoni? Respondeo: Variæ sunt causæ. Prima, quia Ecclesiasticus imitatur Salomonem, habet enim similes morales sententias. Hanc causam dat S. Athanas. in Synopsi, & Præfatio Ecclesiastici Græcanica: *Sanè*, inquit, *hic Jesus Salomonis fuit sectator, nihil minus illo sapientiæ & eruditionis nomine probatus, ut qui multiscius verè fuerit, & sic appellatus*. Jesus ergo, filius Sirach, sive Siracides, fuit quasi alter Salomon, imò verus ævi sui Salomon.

Tribuitur tamē Salomoni quinque de causis. Primo.

Secundò. Secunda, quia nonnulla deprompsit ex Salomone, partim edita, partim non edita: Salomon enim plurima dixit & dictavit, quæ non sunt edita, ut patet 3. Reg. 4. v. 32. Sparsas ergo Salomonis sententias collegit & digessit Siracides, suisque additis librum hunc conflavit. Simili enim modo ex sparsis Salomonis sententijs in vnum collectis, conflatus est liber Proverbiorum, uti colligitur ex Proverb. cap. 25. 1. Edita à Salomone, quæ citat vel imitatur Siracides, inferiùs colligam. Hanc causam post Driedonem lib. 1. de Scriptoribus Eccles. c. 3. dat Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei, c. 14. & Thomas Vvaldens. lib. 2. Doctr. fidei, art. 2. c. 20. *Ecclesiasticus*, ait, *dicta antiquorum patrum collegit, sicut ipse refert: Qui renovavit*, inquit, *sapientiam de corde suo*.

Tertiò. Tertia, quia Ecclesiasticus, utpote sapientialis & moralis, solet annecti libris Salomonis, putà Proverbiis, Ecclesiastæ, Canticis & Sapientiæ. Vnde hi quinque libri censentur unus tomus S. Script. putà Sapientia, sive sacra Ethica. Quia ergo ceterorum quatuor auctor est Salomon, hinc & quintus ei attributus est, omnesque nuncupati sunt Sapientia, sive libri sapientiales, Salomonis, à præcipuo & potissimo auctore. Hanc causam dat Orig. initio citatus, & Innocent. I. epist. ad Exuperium, c. 7. enumerans S. Script. libros: *Salomonis*, ait, *libri quinque*.

Quartò. Quarta. *Ecclesiasticus*, inquit Rabanus lib. 5. de Vniverso, c. 3. *propter nimiam sensus similitudinem, & eloquii paritatem, Salomonis titulo prænotatur. Constat autem hunc librum sub Jesu, filio Sirach, editum fuisse, & inter reliquos S. Script. libros pari habitum veneratione*. Sic & S. August. lib. 2. de Doct. Christiana c. 8. *Duo*, inquit, *libri, quorum unus Sapientia, & alius Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur*, id est, propter similitudinem argumenti, styli & phrasis, ut idem ait de Cura pro mortuis, c. 15. Sic invectivæ Ciceronis in Antonium, subinde Antoninæ, sæpiùs Philippicæ vocantur: quia similes sunt Philippicis Demosthenis, quas ipse contra Philippum, Alexandri Magni patrem, declamavit.

Quintò. Quintam dat Paulus à Palacio hic in præfat. censet enim Jesum, filium Sirach; vocatum alio nomine Salomonem: aut (quod verosimilius est) quòd Jesus hic titulum Salomonis suo libro præfixerit, vt quem Salomonis nomine faciebat, uti fecit Plato, qui nomine Socratis Dialogos scripsit; & Cicero, qui nomine Catonis & Lælii quosdam libros intitulavit. Tandem, credibile est, librarios hujus libri nomen imposuisse: auctor quippe Hieronymus est, titulum Ecclesiastici apud Hebræos esse, *Misle*, id est, parabolas seu Proverbia: quo titulo etiam insigniuntur Proverbia Salomonis. Cùm igitur Librarij incidissent in hunc titulum, putarunt esse Salomonis, & eum nomine illo venditarunt. Hæc Palacius. Quocirca post Siracidem, Deo duce, dabo Salomonem tomo uno, putà Proverbia, Ecclesiastem, Sapientiam, & fortè Cantica. Supererunt deinde duo tomi, alter librorum historialium, alter Psalmorum & Iob, quibus omne vetus Testamentum complectar. Claudet agmen quartus Evangeliorum tomus, quo universam S. Scripturę periochen, si vitam viresque Deus dederit, absolvam, orbemque sacræ encyclopædiæ concludam: qua de causa brevis, more meo; sed nervosus, exactus & succulentus sim oportet, ne & tomi nimis multiplicentur, & vita me citiùs quàm opus deserat. Sunt, & erunt, qui partitis inter se libris, desiderantibus prolixiora, singulis in singulos Commentaria scribant.

Jesus, filius Sirach, quis? Respōdeo. Primò. Quæres, quis fuit hic Jesus, filius Sirach. Resp. Primò, fuit civis Hierosolymitanus, ut patet c. 50. 29. Atque hæc est ejus prosapia: Sirach genuit Jesum seniorem, qui composuit Ecclesiasticum: Jesus senior genuit Sirach juniorem, cui moriens Ecclesiasticum consignavit: Sirach junior genuit Jesum juniorem, qui Ecclesiasticum ab avo compositum ex Hebræo in Græcum idioma traduxit.

Secundò. Secundò, Jesus senior auctor Ecclesiastici, fuit vir eximiè sapiens, ut patet c. 51. v. 18. & sequent. adeò ut sui ævi Salomon vocaretur, uti paulò antè ostendi: qua de causa per varias regiones peregrinatus est: hoc enim ipse sapienti faciendum præscribit cap. 39. 5. unde videtur fuisse vir magnus & princeps: ait enim c. 51. 13. *Exaltasti super terram habitationem meam*.

Tertiò. Tertiò, idem fuit Propheta: eum enim Prophetam vocat S. Anacletus epist. 2. S. Evaristus epist. 1. S. Chrysost. in c. 6. Genes. Optatus Milevit. libr. 4. contra Donatistas, Gildas in excidio Britanniæ, Cæsarius Arelatensis, qui floruit anno Christi 470. hom. 15. *Per Prophetam*, ait, *clamat Spiritus sanctus: Sicut aqua extinguit ignem: sic eleemosyna extinguit peccatum*. Eccli. 3. Procopius Gazæus in cap. 55. Isajæ: *De se*, ait, *in Prophetis dixit Christus: Ecce ego inclino in eos, tanquam fluvium pacis*. Eccli. 25. Quocirca S. August. libr. 2. de Doctr. Christ. c. 8. Ecclesiasticum numerat inter libros propheticos. Sic & S. Prosper l. de Prędict. & promiss. part. 2. c. 35. Et patet: quia Ecclesiasticus prophetat de Elia & Henoch, venturis in fine mundi, c. 44. 16. & c. 48. 10. Item de Christi descensu ad inferos, c. 24. 45. *Penetrabo*, ait, *omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*. Idipsum confirmat S. Anselmus in 2. Corinth. 14. ex c. 24. Ecclesiastici, v. 46. ubi ipse de se ait: *Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam*.

Quartò. Quartò, peregrinando per varias regiones devenit in Ægyptum, ubi videtur Ecclesiasticum composuisse: ibi enim eum nepos invenit, vt ipse ait in Prologo: Ægyptus enim tunc erat sapientiæ & sapientum domicilium. Vnde sub idem tempus facta est Alexandriæ in Ægypto versio S. Scripturæ ex Hebręo in Gręcum per Septuaginta Interpretes.

Quintò. vixit sub Ptolemęo Philadel-pho, 250. annis ante Christum. Probatur Primò. Quintò, Jesus auctor Ecclesiastici, vixit paulò post Alexandrum Magnum, tempore Ptolemęi Philadelphi, qui evocatis è Jerusalem doctoribus S. Scripturam ex Hebręo curavit verti in idioma Gręcum per LXX. Interpretes, ut ea ornaret suam bibliothecam, quam copiosissimam Alexandrię instruebat. Id liquet Primò, ex eo, quòd nepos ejus, putà Jesus junior, qui Ecclesiasticum ab avo, putà Jesu seniore, compositum, ex Hebręo in Gręcum vertit, in prologo dicat, se id fecisse tempore Ptolemęi Evergetis: hic enim Ptolemęo Philadelpho, quasi fratri frater, in regno Ægypti successit. Vnde colligas, Jesum seniorem vixisse tempore Philadelphi, & Septuag. Interpretum; ideoque Genebrard. in Chronol. libr. 2. & alii probabiliter coniiciunt, eum fuisse unum è Septuag. Interpretibus. Hinc & Aristeas in Histor. 72. Interpretum, recensens eorum nomina, recen-

recenset & Jesum: quin & addit, Ptolemæum instruxisse regale convivium Septuag. Interpretibus, in quo more veterum eisdem totidem quæstiones morales, ethicas & politicas proposuit, cuique, scilicet, unam: additque singulorum responsa & sententias, quæ planè similes, & subinde eædem sunt cum hisce Siracidis. Ac fortè occasione harum propositionum regalium Siracides librum hunc ethicum conscripsit: junior verò Jesus, putà nepos, qui vixit sub Evergete, floruit paulò ante tempora Machabæorum.

Secundò. Secundò, idipsum liquet ex S. Hieron. in cap. 9. Daniel. dum ait: *Post mortem Jaddi sacerdotis, qui sub Alexandro Magno templo præfuit, suscepit pontificatum Onias,* &c. *Post Oniam præfuit Judæis pontifex Eleazarus. Quo tempore Septuag. Interpretes S. Scripturas Alexandriæ dicuntur in Græcum vertisse sermonem: post quem alter Onias, cui successit Simon: quo regente populum, Jesus, filius Sirach, scripsit librum, qui Græcè πανάρετος appellatur, & à plerisque Salomonis falsò dicitur. Cui successit in pontificatum alius Onias, quo tempore Antiochus Judæos diis Gentium immolare cogebat. Quo mortuo, Judas Machabæus purgavit templum.* Vbi Nota ex Josepho lib. 11. Antiq. in fine, & lib. 12. c. 2. 3. 4. 5. hæc fuit series pontificum Judæorum illius ævi:

Series pontificum. Jaddo pontifex, qui occurrit Alexandro Magno, genuit Oniam: Onias genuit Simonem Iustum, & ejus fratrem Eleazarum, qui misit LXX. Interpretes ad Ptolemæum Philadelphum: Simon Justus genuit Oniam secundum, cognomento Avarum: Onias Avarus genuit Simonem secundum: Simon secundus genuit Oniam tertium, cognomento Sanctum, qui vixit tempore Machabæorum: vnde eum defunctum vidit Judas Machabæus orantem pro populo, ac ostendentem Jeremiam, qui Judæ porrigebat gladium sanctum, quo debellaret hostes Israel, de quo 2. Machab. c. 3. & 4. & c. ult. v. 12.

Tertiò. Tertiò, idipsum colligitur ex ipso Ecclesiastico, qui elogia Patriarcharum & pontificum concludit c. 50. elogiis Simonis pontificis, qui fuit frater Eleazari, sub quo facta est versio Septuag. Interpretum: ita enim de eo scribit cap. 50. ac si viderit eum pontificalibus indutum in cœtu populi hostias offerentem. Hic enim Simon non fuit secundus, scilicet, Oniæ Avari filius, uti putavit Euseb. in Chron. & ex eo Beda lib. de Sex ætatibus mundi, in Ptolemæo Evergete, ac Lyran. sed fuit primus cognomento Justus, ut colligitur ex dictis, & ex dicendis cap. 50. Hic enim paulò antè erat defunctus, cùm Jesus senior hæc scripsit sub Eleazaro, qui Simoni fratri in pontificatu successit. Et hic Simon adeò fuit sanctus, vt, teste Josepho libr. 12. cap. 2. cognominationem habuerit Justi: *Eò quòd & Deum*, inquit, *piè coleret, & cives summa prosequeretur benevolentia*. Jesus ergo senior scripsit Ecclesiasticum sub idem tempus, quo Septuag. Interpretes cuderunt suam versionem post Alexandrum Magnum sub Ptolemæo Philadelpho, 250. annis ante natiuitatem Christi, ita Torniellus in Annal. ad annum mundi 3798. & Genebrard. anno mundi 3797. Beda, & alii. Jesus verò junior Ecclesiasticum in Græcum transtulit sub Ptolemæo Evergete, fratre Philadelphi. Quare errat Isidorus libr. 1. de Eccles. officiis, cap. 12. qui Jesum juniorem facit auctorem Ecclesiastici, quasi ille ex avi scriptis eum composuerit, cùm ille dumtaxat libri ab avo compositi fuerit interpres. Sed fefellit Isidorum, quòd corruptè in prologo Ecclesiastici legerit; *Volui & ipse scribere aliquid horum*, cùm legendum sit: *Voluit & ipse*, scilicet, auus meus, *aliquid scribere*. Ex dictis sequitur, Jesum seniorem, auctorem Ecclesiastici, non fuisse nepotem Eleazari pontificis, qui misit Septuag. Interpretes ad Ptolemæum Philadelphum, uti contendit Jansenius, ex eo quòd cap. 50. 29. Græca nonnulla habeant: *Doctrinam sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Jesus, filius Sirach, filij Eleazari*; nam τὸ *filij Eleazari* expungunt codices Græci Romæ correcti, & Latini omnes. Cùm enim Jesus senior scripserit Ecclesiasticum tempore Ptolemæi Philadelphi, quando pontifex erat Eleazarus, fieri nequit, ut Jesus hic Eleazari fuerit nepos: debuisset enim sub Ptolemæo & Eleazaro esse puer, ideoque ineptus ad scribendum Ecclesiasticum: nisi dicas, Eleazarum fuisse admodum senem 70. & amplius annorum, ita ut nepos ejus Jesus triginta circiter annorum existens composuerit Ecclesiasticum. Fuit enim Jesus præcoci ingenio, & à juventute orando & studendo quæsivit sapientiam; uti ipse ait c. 51. v. 18. & 19. Igitur Ecclesiasticus Hebraicè à Jesu Sirach seniore scriptus est initio regni Ptolemæi Philadelphi, vel certè sub finem regni Ptolemæi Lagi: nam scriptus est paulò post mortem Simonis Justi pontificis: illius enim quasi recens defuncti laudes decantat cap. 50. 1. *Simon*, inquit, *Oniæ filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum*. Simon autem hic defunctus est quatuor annis ante finem regni Ptolemæi Lagi: nam anno 37. Lagi successit ei in pontificatu frater Eleazarus, qui post sex annos misit LXX. duos Interpretes ad Ptolemæum Philadelphum, ut S. Script. ex Hebræo verterent in Græcum: Ptolemæus enim Lagi vita functus est anno regni 40. cui mox successit filius Ptolemæus Philadelphus, qui anno tertio regni evocavit Septuag. duos Interpretes. Quæ omnia tradit Eusebius in Chronico. Ex quibus liquet, Eccles. conscriptum esse sub idem tempus, quo LXX. duo Interpretes cuderunt Græcam S. Script. versionem, quod fuit Olympiades 124. anno tertio, post Alexandri Magni mortem anno 43. qui fuit Græcorum sive Seleucidarum annus 31.

Sexta dos Jesu Sirach. Sexto, Jesus hic per multas & horrendas tribulationes probatus a Deo, deductus est ad culmen perfectionis. Vnde ipse c. 51. generatim eas recensens, ab iis quasi per miraculum se liberatum gratulatur, & exultans Deo gratias agit: ac tandem post superatas miserias feliciter in pace requievit. Ibidem enim ait: *Modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem*.

Septimò. Denique, cùm sermo sit mentis imago, atque ex abundantia cordis os loquatur, ex hoc ejus opere de virtutibus quibuslibet absolutissimo, liquet, eum iis omnibus excelluisse, suaque de iis sensa hic expressisse, adeoque se ad vivum hic depinxisse, vivamque suæ mentis ideam efformasse. Quocirca hic Jesus sua patientia, doctrina, prophetia, æquè ac nomine, typum gessit, & repræsentavit Jesum Christum patientem, docentem, prophetantem.

Tres vocati Jesus. Vbi Nota. Tres fuere viri celebres, qui hoc nomen prætulerunt. Primus fuit ante captivitatem Babylonicam, scilicet, Josue, successor Mosi in ducatu populi: hunc enim Septuag. vocant Jesum: Hebraicè enim *Josue*, idem est quod *Jesua*, id est, *Jesus*. Secundus, fuit in captivitate, scilicet, Jesus, filius Josedec pontificis, Zachar. 3. 1. Aggæi 1. 1. Tertius fuit post captivitatem, scilicet, Jesus, auctor Ecclesiastici. Sicut ergo Josue repræsentavit Christi ducatum & regimen, quo suos fideles in terram promissam, putà in regnum cæleste, deducet: Jesus verò, filius Josedec, utpote pontifex, repræsentavit sacerdotium & pontificatum Christi, ut patet Zachar. 3. 1. ita pariter hic Jesus noster repræsentavit Christum, quatenus ipse fuit doctor & Propheta mundi. Hinc patet, errare eos, qui ex Isidoro l. 1. de Eccles. offic. c. 12. Jesum hunc nostrum eumdem esse censent cum Jesu, filio Josedec: nam Jesus Josedec cum Zorobabel, Aggæo, Zacharia & Esdra floruit, sub Dario Hystaspis, ut patet Aggæi 1. 1. Darius autem 200. annis præcessit Alexandrum Magnum: Alexandro autem successit Ptolemæus Lagi, ac post eum Lagi filius Ptolemæus Philadelphus, sub quo Ecclesiasticum conscripsit noster hic Jesus. Probabile tamen est, quod censet Genebr. in Chron. Jesum hunc prognatum de stirpe Jesu, filij Josedec pontificis, ejusque proinde nomen vsurpasse, idque omninò dicendum est, si cum Jansenio asseramus, Jesum hunc fuisse nepotem Eleazari pontificis: hic enim recta serie à Jesu filio Josedec prognatus descendit.

CAPVT III.

Interpretes.

SCriptus est hic liber idiomate Hebræo à Jesu seniore, sed à nepote ejus Jesu juniore in Græcum traductus, ut ait S. Epiphan. libr. de Ponderibus: imò ipse Jesus junior in Prologo: *Deficiunt*, inquit, *verba Hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam*. S. Hieron. Hebræum se vidisse testatur prologo in libros Salomonis. Suspicantur nonnulli, Hebræum originale esse illud ipsum, quod ab Hebræis colitur nomine Ben Sira, adeoque Jesum Sirach esse Ben Sira, cujus apud Hebræos

bræos extant cum scholiis Proverbia: tum, quia Ben Sira penè easdem habet sententias cum Ecclesiastico: tum, quia Ben Sira Hebraicè idem est, quod filius Sira vel Sirach, putà Jesus Siracides. Verùm librum Ben Sira diversum esse à libro hoc Ecclesiastici, liquet utrumque conferenti. Rursum diversum esse Jesum Sirach a Ben Sira, quatuor rationibus probat noster Serarius in notis ad epist. 1. S. Bonifacii, & ex eo Gretserus lib. 1. Defens. Bellarmini, cap. 14. Prima est, quia Ben Sira Hebraice ultimam litteram habet א: Sirach autem habet ח. Secunda, quia communiter Hebræi tradunt, Ben Sira vixisse altera post Jeremiam ætate: Jesus Sirach autem vixit diu post, tempore Ptolemæi Philadelphi. Tertia, quia Ben Sira dicitur filium habuisse Vzielem, & nepotem Iosephum: Iesus Sirach autem filium habuit Sirach, & nepotem Iesum. Porrò Vziel iste & Iosephus, velut eximij sapientes, citantur ab Hebræo Scholiaste Proverbiorum ejusdem Ben Sira. Quarta, quia Ben Sira multa habet, quæ non habet Ecclesiasticus: rursum Ecclesiasticus multa habet, quæ non habet Ben Sira, adeoque liber Ben Sira totus alius & diversus est ab Ecclesiastico. Quis credat, eumdem Auctorem de eisdem penè rebus, & eodem penè modo ac phrasi adeò diversos scripsisse libros, nec ullam hujus rei dare significationem? Adde quintò, quòd Ben Sira habeat nonnulla, quę minus sana & vera videntur, certè malè sonant; quale est illud alphabeto a. litera *Ain: Oculos tuos absconde a muliere vidua, & ne concupiscas pulchritudinem ejus in corde tuo: quia filii ejus filii scortationum sunt*. Videtur enim hic damnare viduitatem, & matrimonium cum vidua; aut certè utitur similitudine longissimè petita, qua viduam ad novas nuptias aspirantem comparat cum meretrice, quæ multos viros admisit: nisi dicas, sensum esse, q. d. Ne in uxorem ducas viduam, quia si id feceris, molestiam & probrum tibi accerses ob ejus filios, qui, cùm patrem non habeant, & matrem non timeant, liberè agunt quod lubet, ac scortationi indulgent: horum enim scortationes & scelera tibi quasi vitrico, vel adscribentur, vel infamiam afflabunt: qui sensus sanè verus est & commodus.

Jesus Sirach alius à Ben Sira.

Dicendum est ergo, Ben Sira alium esse à Iesu Sirach; sed unum ab alio plura esse mutuatum. Si prior fuit Ben Sira, ut volunt Hebræi, oportet dicere, ex eo Iesum Sirach multa deprompsisse. Hęc omnia planè constabunt ex Alphabeto Ben Sira, quod sub finem capitis quinti attexam. Sanè vidi in bibliotheca Vaticana Ben Sira manuscriptum Chaldaicè; sed longè imparem, imò disparem nostro Siracidi: nam statim in ipso limine prologi reperi nęnias Iudaicas, & indigna quędam, quę Ieremię Prophetę affinguntur. Porrò *Sirach* Hebraicè idem est, quod superfluens, abundans; luxurians, scilicet, sapientia, sententiis & proverbiis: סרח *sarach* enim est superfluere, luxuriare: aut *sirach*, id est, explicans implicata & obscura; vel circumflectens sermones suos: שרוך *seroch* enim est corrigia: inde משרכת *mesarechet* Ieremię 2. 23. est implicans, vel circumflectens vias suas, vti corrigia ligatur in circuitu calcei. S. Hieron. vertit, explicans; & hoc fortè vult Syrus, dum pro *Sirach* vertit *asiro*, id est, ligatus, q. d. Colligatas & arcanas sententias enuntians & explicans: nisi malis ligatum dici, eò quòd à Ptolemęo Lagi inter ceteros Iudęorum captivos ligatus fuerit & ipse, vinctusque abductus in Ægyptum. Nam à Chaldęis in captivitate Babylonica ligari non potuit, utpote ea 270. annis posterior. Captivitas enim Babylonica duravit septuaginta annis usque ad Cyrum, qui eam solvit: à Cyro autem usque ad Alexandrum Magnum, cui successit Ptolemęus Lagi, fluxerunt anni ducenti. Favet, quòd *Sirach* per *caph*, in fine, Syriacè idem est quod corruptus, lęsus, damno affectus, noxam passus: סרך *sarach* enim est corrumpere, lędere, nocere: sin per *chet* scribatur *sirach*, Syriacè idem est quod adhęrens: *sarach* enim per *chet* significat adhęrere. Denique *sirach* per ש initio, Syriacè idem est quod superstes, reliquus, residuus. Igitur titulus hujus libri in Syriaco sic habet: *Liber Jesu, filii Simonis Asiro* (id est ligati, vincti) *qui vocatur liber Sapientiæ filii Asiro*. Ex quo liquet, *asiro* Syriacè idem esse, quod Hebraicè *sirach*, illudque non esse nomen proprium, (cùm propriè vocetur Simon: sicuti Ben, vel Bar Iona, putà S. Petrus, proprio nomine vocatus est Simon,) sed cognomen, vel agnomen. Verùm cognomen hoc usu in nomen proprium transiit: nam & nepos auum suum libri auctorem in Prologo; & Ecclesia, ac Ecclesiastici scriptores eum non alio nomine, quàm Iesum filium Sirach nuncupant.

Denique, si *sirach* per *tsade* scribatur, idem est, quod vociferator, pręco, concionator, doctor: צרח *tsarach* enim, vel *sarach* (quia Septuag. S. Hieron. ceterique interpretes *tsade* Hebręum reddunt per Latinum *s*,) idem est quod elata & contenta voce clamare, vociferari. Talis *sirach*, id est, pręco, fuit S. Ioannes Baptista, juxta illud de eo oraculum: *Vox clamantis in deserto*. Isaiæ 40. 3. & v. 9. *Exalta in fortitudine vocem tuam, quæ evangelizas Jerusalem: exalta, noli timere:*

Syriacè scriptus Ecclesiasticus.

Probabile est, Ecclesiasticum non puro sermone Hebręo, sed corrupto, quali utebantur Iudęi post reditum è Babylone (sui enim ęvi Iudęis eum conscripsit Siracides) putà Syriaco esse conscriptum. Ita Bellarm. libr. 2. de Verbo Dei cap. 4. censet, hunc librum primitus Syriacè esse editum, ęquè ac Evangelium S. Matthęi, & Epistolam ad Hebręos. Vnde Vvidmanstadius, & Guido Fabricius, qui nuper tam Evangelium hoc, quàm Epistolam Syriacè ediderunt, censent, illum ipsum Syriacum textum esse autographum. Pari ratione de Syriaca editione Ecclesiastici quis suspicari posset, illam ipsam esse originalem, qua hic liber scriptus sit à Siracide. Verùm, pręfatione in epist. ad Hebr. ex dialecto & idiotismis Syriacę linguę modernę, valdè differentibus ab idiotismis linguę Syriacę tempore Christi, & multò magis tempore Siracidis, ostendi idipsum parum videri probabile: quare Syriacam versionem esse recentiorem; pręsertim quia illa in Ecclesiastico valdè differt à textu Græco, & magis a Latino, eoque concisior est: subinde etiam multa addit paraphrasticè, quę nec in Gręco, nec in Latino habentur, ut patet intuenti caput primum. Sed de ea mox plura.

Iam verò sicut certum est Iesum nepotem aui librum, putà Ecclesiasticum, ex Hebręo in Gręcum convertisse; ita incertum est, quis eum ex Gręco vel Hębręo in Latinum transtulerit, quisque sit Auctor Vulgatę versionis Latinę Ecclesiastici: certum enim est, non esse S. Hieronymum: licet enim ipse sit Auctor versionis Vulgatę; ab ea tamen excipiendi sunt Primò, Psalmi: hos enim habemus ex versione Septuag. à qua versio S. Hieron. planè diversa est, ut patet utramque conferenti. Secundò, novum Testamentum: hoc enim non vertit, sed priùs versum emendavit S. Hieron. Tertiò Ecclesiasticus, Sapientia, & uterque Machabæorum: hos enim nos non habere ex versione S. Hieron. sed ex antiqua translatione, cujus auctor ignoratur, tribus argumentis evincit Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei, cap. 9. Primum est, quia B. Hieronymus nusquam affirmat, se transtulisse hos libros, neque ullæ exstant præfationes ejus in hos libros, cùm tamen in epist. ad Augustinum qu. 11. inter epist. Augustini, dicat se singulis libris præfatiunculas præfixisse. Secundò, quia B. Hieron. hos libros arbitrabatur apocryphos, vt patet ex prologo Galeato, & ex præfatione Proverbiorum: proinde verisimile est, eum neglexisse horum librorum interpretationem. Tertiò, quia multa citantur ex his libris à B. Cypriano, præsertim in lib. de Exhortatione martyrii, & aliis Patribus B. Hieronymo antiquioribus, eo modo prorsus, ut nos in nostra Vulgata editione habemus, ut patet, si conferas verba Tertulliani, Cypriani, Sixti, Calixti, Fabiani, Eusebii, Hilarii, Marcellini & aliorum, quæ citavi cap. 1. & 2. cum verbis Vulgatæ versionis Ecclesiastici. Sanè Lucius Pontifex & Martyr sub annum Domini 257. Epist. sua decretali citat magnam partem cap. 10. & 11. planè ad verbum ex Latina versione Vulgata.

Interpres ejus Latinus, antiquior S. Hieronymo.

Adde Quartò, S. Hieronymum aliter vertere nonnulla, quàm habeat Vulgata versio, ut illud Eccl. 24. 14. *Ab initio, & ante sæcula creata sum;* ipse scribens in psalm. 73. sic vertit, *condidit me in initio viarum suarum, ante sæcula fundavit me.* Sic illud Eccli. c. 11. 29. *Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ;* S. Hier. in cap. 65. Isaiæ vertit, *afflictio horæ oblivionem facit deliciarum*. Sic illud Eccli. c. 7. 6. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates;* S. Hieron. in cap. 3. Isaiæ vertit, *ne quæras fieri judex, ne forte non possis auferre iniquitates*. Sic illud Eccli. 20. 31. *Xenia & dona excæcant oculos judicum, &*

quasi mutus in ore avertit correptiones eorum; S. Hieron. in c. 3. Michææ vertit, *munera excæcant oculos etiam sapientum, & quasi frenum in ore avertunt increpationes*. Et illud Eccli. c. 27. 28. *Qui in altum mittunt lapidem, super caput eius cadet*; S. Hieron. in cap. 3. Sophoniæ vertit, *qui mittit lapidem in excelsum, super caput suum mittit*. Et illud Eccli. c. 27. 29. *Qui laqueum alii ponit, peribit in illo*; S. Hieron. in cap. 10. Eccles. vertit, *qui statuet laqueum, capietur in illo*. Sic illud Eccli. c. 28. 29. *Verbis tuis facito stateram & frænos*; S. Hieron. in cap. 45. Ezech. vertit, *sermonibus tuis facies stateram & appendiculum*.

Quintò, idem liquet ex stilo: phrasis enim Latina Ecclesiastici est durior, & discrepans à versione & phrasi aliorum librorum canonicorum, cujus auctor est S. Hieron. uti patebit ex canonibus, quos subnectam, ubi proferam verba prisca, quæ usurpavit priscus Interpres Ecclesiastici, quasi suo ævo Latina, quæ ævo S. Hieron. & nostro sunt obsoleta.

Antiquitas Syriacæ versionis.

Tradunt Syri nonnulli, versionem Syriacam librorum veteris Testamenti qui tunc conscripti erant, factam esse ex Hebræo, jussu Salomonis, ad instantiam Hiram regis Tyri, sui amici: cæterorum verò posteriorum, ac præsertim novi Testamenti, factam esse à Thaddæo Apostolo, cùm is missus fuit ad Abagarum regem Edessæ in Syria, licèt alii à S. Marco traductam velint. Georgius Michael Amiras, Maronita Edeniensis, libr. de Chaldaicæ linguæ utilitate, præludio 4. Syram translationem novi Testamenti tradit editam ab Apostolis, vel ab Apostolorum discipulis: veteris verò Testamenti, inquit, translatio in linguam Syriacam, tempore S. Thaddæi Apostoli, & Abagari Syrorum regis, facta fuit, ut traditur in Prologo quodam Syriaci Psalterii: additque Syriacam versionem veteris Testamenti summa in veneratione apud Orientales haberi, & publicè in omnibus eorum Ecclesiis antiquissimis, constitutis in Syria, Mesopotamia, Chaldæa, Ægypto, & denique in universis Orientis partibus dispersis ac disseminatis, lectam hactenus, & legi assiduè.

Verùm alii censent modernam Syriacam versionem ævo S. Marci & S. Thaddæi posteriorem esse; idque ex dialecto diversa, & idiotismis propriis, quos habet Syriaca moderna diversos à Syriaca, quæ fuit tempore Christi, extatque in nominibus propriis novi testamenti: quod verum esse ostendi Præfat. in epistola ad Hebr. Accedit quòd Ephræm Syrus, qui Syriacè scripsit, aliter citet sententias, quàm modò habeantur in versione Syriaca, ut tract. de Timore Dei, initio tomi 3. ita legit Eccli. cap. 3. *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & ab homine acceptabili diligeris*. Pro quo moderna Syriaca sic legit: *Fili mi in divitiis tuis cum humilitate ambula, & præ largiente dona diligent te*. Et mox S. Ephræm legit: *Quantò major es, tantò magis te humilia, & coram Deo invenies gratiam: quoniam magna est potentia Domini, & ab humilibus honoratur*. Pro quo moderna Syriaca legit: *In omni, quod magnum est in mundo, humilia te ipsum; & coram Domino invenies misericordiam: quia multa sunt misericordiæ Dei, & humilibus arcana revelantur*. Et paulò post pro eo, quod Eccli. c. 3. v. 30. nostra versio habet: *Synagogæ superborum non erit sanitas: frutex enim peccati eradicabitur in illis, & non intelligetur*; S. Ephræm legit: *Obductioni superbiæ non est sanatio: frutex enim peccati radicavit in illa*. Syrus verò modernus sic habet: *Plaga illusoris non habet medelam: quia à planta prava planta ejus*. Plura talia ibidem & alibi habet S. Ephræm diversa à moderna Syriaca, quæ planè arguunt, alia antiquiore versione Syriaca esse usum. Nam S. Ephræm non scripsisse lingua peregrina, & ut nonnulli volunt, sibi incognita, putà Græca; sed Syriaca, utpote patria, disertè docet S. Hieronym. lib. de Scriptor. Eccles. in Ephram, Cardin. Baronius, & S. Ephræmi interpres Gerardus Vossius initio tomi 2. Hinc & in monte Libano Syriacè extant Commentarii manuscripti S. Ephræm (atque similes magni illius Sancti Jacobi Nisibis Episcopi, qui interfuit Concilio Nicæno) in universam S. Script. uti Romæ à Maronitis accepi: quæ utinam quispiam in Latinum converteret & ederet. Ad hoc tamen quis respondere posset, interpretem, qui S. Ephræm ex Syro in Græcum transtulit, pro Syriaca versione S. Script. S. Ephræm substituisse versionem Græcam, utpote Græcis, quibus scribebat, cognitam: sicut Euangelistæ recensentes Scripturæ sententias citatas à Christo Hebraicè, utpote apud Hebræos, recitant eas juxta versionem Græcam Septuag. utpote Gentibus, quibus scribebant, notiorem. Sed nec per hoc omnia satisfacit. Nam S. Ephræm citans Ecclesiasticum, aliasque Script. nunc consentit cum Græco, nunc cum Latina Vulgata, nunc ab utraque dissentit, ut patet intuenti, & idipsum annotavit interpres S. Ephræm Gerardus Vossius annotat. ad centum capita, sive Apophthegmata S. Ephræm.

Ephræm Syrus aliam citat Syriacam.

Vulgata Latina Græca & Syra verior.

Denique Vulgata Latina versio Græcis omnibus, Syris & Arabicis planè est anteferenda; tum quia eam præ omnibus suo calculo probavit Concilium Trident. sess. 4. tum, quia est antiquissima, uti jam ostendi, tum quia magis pura & incorrupta est, & immediatè ex Hebræo (uti & ceteræ Scripturæ) in Latinum traducta, ut videtur: idque ex eo colligitur, quòd in multis discrepet à Græco: multa enim addit, multa demit, multa variat; ac in primis præfationem continet Jesu iunioris, qui avi librum in Græcum traduxit, quæ sanè ex Græcis Complutens. aliisque pluribus excidit, & in Latinis codicibus reperitur, tum quia Latina in tanta exemplarium copia ubique est eadem, sibique constans: Græca autem exemplaria mirè variant, inter quæ correctissima sunt, editio Complutensis, utpote opera Cardinalis Ximenii, magno multorum eruditorum virorum labore & industria elaborata; ac editio Romana, utpote ingenti cura ac studio à Cardinali Caraffa emendata: quas proinde præ aliis sequar. Nec mireris hanc dissonantiam Latini textus à Græco: similis enim est Esther cap. 10. & sequ. ubi laciniæ illæ attextæ in Latino, nec in Græco, nec in Hebræo reperiuntur. Et Danielis totum caput 13. & 14. in Hebræo non reperitur: sed ex Theodotione se transcripsisse fatetur S. Hieron. Quin & versio Græca Septuag. Interpretum in multis dissidet à Latina Vulgata; uti omnes norunt. Similis dissonantia est in Canonibus Apostolorum: alii enim quinquaginta dumtaxat numerant, alii 84. Et in Canonibus Concilii Niceni, quos alii viginti, alii longè plures recensent. Nam S. Hieron. S. Ambros. Concil. Carthag. & alii nonnullos citant, qui inter viginti vulgatos non continentur, uti ostendit Baronius anno Christi 325. & Bellarm. lib. de Rom. Pontif. cap. 25. quin & unum eumdemque canonem varii, recitant variè, ut patet in canone varii recitant variè, ut patet in canone, quo comparatur Patriarcha Alexandrinus cum Pontifice Romano, de quo Catholicis litem movent hæretici.

Porrò tanta Græcorum exemplarium varietas videtur partim manasse ex varietate & oscitantia scriptorum ea per tot sæcula variè & corruptè describentium; partim, quòd prisci permulti censuerint, Ecclesiasticum esse quidem librum pium, sed non canonicum, ideoque liberiùs nonnulla ejus verba vel omiserint, vel mutarint, vel in compendium redegerint, vel paraphrasticè explicarint, uti subinde explicat S. Ephræm; sicut facere solent ii, qui scripta aliarum transcribunt animi causa; ideoque liberiùs nonnulla ejus verba omittunt, & immutant, imò ad libitum iis utuntur ad sua sensa significanda.

Commentatores Ecclesiastici.

Commentatores in Ecclesiasticum pauci extant. Primus Rabanus Maurus, Episcopus Moguntinus, sub Ludovico Pio Imp. anno Domini 835. Hic more suo moralis est magis, quàm litteralis, scripsitque in totam S. Script. unde ex ejus scriptis Glossam Ordinariam contexuit Strabus Fuldensis monachus, Rabani discipulus, sub annum Domini 840. ita Bellarm. de Script. Eccles. in Rabano & Strabo. Extant quoque, qui in totam reliquam S. Scrip. commentati sunt, Lyran. Hugo, Dionysius. Insuper in Ecclesiasticum scripsere Nicolaus Gorram, Alexander ab Alexandria, Robertus Holcot, Robertus Carmelita, Paulus de Palatio, Robertus Jorius, Robertus Bosæus, ac Cornelius Jansenius. Ederus tabulis suis partitiones & argumenta Ecclesiastici more suo repræsentat tabula 132. 133. 134. Ex hæreticis scripsere Joachimus Camerarius, I. Drusus, David Hoeschelius. Ex his aliisque collegi ea quæ olim Lovanii Ecclesiasticum prælegens breviter annotavi: nunc verò jussus eadem typis vulgare, locupletabo, sequarque Ecclesiasticum de se dicentem cap. 23. 18. *Respicite, quoniam non mihi soli laboravi; sed omnibus exquirentibus disciplinam*. Quin & Sapientem, qui de sua sapientia ait cap. 7. 13. *Quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo. Et ponam in lucem scientiam illius*. Quocirca suis

suis quibusque locis interferam aliorum versiones, præter- A tim Syriacam & Arabicam, vti feci in Prophetis. Romæ Arabicam accepi ab Illustriss. & Reverendiss. Dom. Sergio Risio Maronita, Archiepisc. Damasceno: Syriacam, partim ab eodem, partim à pereruditо viro, R. P. Hilarione Rancato, Ordinis Cisterciensis, sancti officij Theologo, Abbate S. Crucis in Jerusalem. Illis eas acceptas ferat, gratesque referat gratus, qui eis gratis fruitur, lector. Arabicam parciùs citabo: tum quia sæpè cum Syra vel Græca consentit: tum quia minùs accurata & sincera est, ideoque minoris auctoritatis.

Addidi & versionem Tigurinam, à Censoribus Romanis & Hispanis castigatam, eò quòd multis locis multum afferat lucis. In qua tamen duo, uti aliàs monui, advertas velim. Prius, auctores ejus fuisse Tigurinos in fide heterodoxos, nimirum, Leonem Juda ex Judæo Zuinglianum, & Theodorum Bibliandrum. Notationes verò marginales attribui Vatablo: quia, videlicet, è scriptis Vatabli concinnatæ; sed ab hæreticis ad sua sensa detorta & depravatæ fuere: qua de causa Vatablus Robertum Stephanum, qui ea nomine Vatabli typis vulgarat, acriter reprehendit; quin & apud judices reum falsi peragere cogitarat, ni Robertus, id præsentiens, fuga sibi consuluisset, uti refert Genebrardus in epistola ad Origenem præfatoria. Manifestiores quidem depravationes, quibus hæresi favet, à Censoribus castigatæ & abolitæ sunt: obscuriores verò & occultiores planè aboleri nequivere. Quare hæc versio cautè legenda est, nec nisi à lectore contra hæresim præmunito. Posterius, quòd versio hæc liberior sit, nec verbum verbo, sed sensum sententiæ, quem auctor sibi in mente statuit, reddat; ita ut sæpè textus autographi non tam versio, quàm Commentarius & explicatio, qualem edidit Glossa, Lyranus & alij, esse videatur, auctorque non tam interpretem, quàm commentatorem agat, uti in decursu hujus operis ad oculum intuenti patebit. Quocirca Genebrardus epist. jam citata eam graviter incusat, quòd *velut de industria a littera & sensu discedat: Ut mihi videar*, inquit, *non sacras Litteras legere, sed farragines è verbo Dei, & humanis cogitationibus consarcinatas, quæ non tam ad veritatem, quàm vertentis opinionem pertineant*. Vide nostrum Gretserum Admonitione de Bibliis Tigurinis. Porrò Tigurina in Ecclesiastico, etsi de more Græca modernа sequatur; tamen ubi illa præ Latina Vulgata, uti sæpè fit, concisiora sunt, ex Vulgata suis verbis supplet ea, quæ in Græcis nunc desunt. Fidelior & tutior, ac Vulgatæ vicinior est versio Sancti Pagnini, utpote Hebræo-Christiani, imò Religiosi Ordinis S. Dominici; qui fideliter verbum verbo reddit: sed & hæc illud incommodi habet, quòd rabbinizet, ac in significatis vocum Hebræarum assignandis recentiores Judæorum Rabbinos, non tantùm infideles & infidos, sed & amusos ac imperitos sequatur, potiùs quàm veteres peritissimos Septuag. S. Hier. & ceteros, ut ait ibidem Genebrardus. Verùm in Ecclesiastico desideratur versio propria Pagnini: ipse enim in eo Vulgatam pro sua substituit. Vulgò Tigurina versio Vatabli nomine citatur; quia ex Vatabli scriptis excerpta: unde, quod in ea boni est, Vatablo & orthodoxis; quod mali, hæreticis depravatoribus ascribatur: Vatablus enim fuit vir Catholicus & eruditus clarusque.

Apologi Cyrilli. Prodierunt nuper apologi morales S. Cyrilli, in libros quatuor partiti, & in quatuor virtutes cardinales distributi, elegantes sanè, festivi, eruditi, eloquentes, & ad mores sapienter formandos appositi ac perutiles, ideoque diu à me quæsiti. Reperti sunt in bibliotheca Budensi, quam instituit Matthias Corvinus rex Hungariæ famosissimus, in antiquo codice manuscripto, hoc titulo: *Apologi morales S. Cyrilli*. Edidit eos noster P. Balthasar Corderius, Viennæ Austriæ S. Script. Professor, & S. Theolog. Doctor: eosdem sæpius citat Dionys. Carthus. commentans in Proverbia, ac *Proverbia Cyrilli* indigitat. Sanè redolent acumen, leporem gravitate mixtum, variam eruditionem & pietatem S. Cyrilli Alexandrini: stylus tamen magis Latinam, quàm Græcam elegantiam phrasimque redolet, præsertim in acutis argutisque antithetis & homioptotis, quibus crebrò rem probat, & adversarium stringit conficitque. Unde Cyrillus hic Latinus potiùs fuisse videtur quàm Græcus, ac S. Cyrillo Alexandr. ætate posterior, utpote crebrò citans Aristotelé & Hippocratem, cùm S. Cyrillus, ceterique Patres Platonici magis fuerint quàm Aristotelici. Adhæc auctor sæpiùs Siciliam celebrat: unde nonnulli Siculum fuisse suspicantur. In hisce partim apologis, partim proverbiis, partim similitudinibus, Cyrillus plures Ecclesiastici gnomas doctè, piè & eleganter explicat, imò singulas per apologos festivè illustrat, &, ut ita dicam, exhilarat. Quare in lectorum gratiam suo loco singulos intexam, præsertim quia hactenus omnibus penè incognitus, invisus & inauditus hic ejus liber, in antro quasi delituit, ac anno demum Domini 1630. lucem aspexit. Citabo Cyrillum ad verbum, rejectis nonnullis, quæ minùs decora vel minùs apposita videbantur. Illi persimilis nuper Romæ prodiit liber nomine S. Cyrilli Alexandr. de plantarum ac animalium proprietate, editus à nostro P. Hieron. Brunello. Certè quisquis tam hujus quàm illius sit auctor, cum priscis authenticisque scriptoribus conferri potest, sive orationis elegantiam & leporem, sive rerum varietatem & gravitatem, sive sententiarum acumen, sive dogmatum sensatam sapientiam, sive morum institutionem spectes. Singulos enim apologos variis gravibusque B S. Scripturæ sententiis, proverbiis, ethicis similitudinibus, scitisque gnomis, æquè ac rationibus physicis acutis & argutis, instar apis mella constipantis glomeratim densat & confirmat: ideoque longè superat apologos Phædri, Æsopi, Alciati & ceterorum omnium.

Porrò apologis, ob leporem & acumen morale, blandè & jucundè in aures animosque influens, non rarò uti S. Scripturam, ac nominatim nostrum Siracidem, ostendam c. 13. v. 3. ad illa: *Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se collisеrint, confringentur*. Et v. 21. ad illa: *Si communicabit lupus cum agno*, &c. Causam dat Cyrillus in apologorum suorum proœmio, quòd ex rebus naturalibus, & animalibus, quasi ex vivis imaginibus, petere liceat ideam humanæ vitæ virtutibus omnibus adornatæ. Ad hoc enim Deus illas creavit, ut homini essent speculum rectè vivendi. Totus enim mundus hic visibilis, homini quasi quædam schola sapientiæ C est, in qua divinis prudentiæ rationibus plena sunt omnia: ex iis ergo per festivos rerum apologos documenta vitæ S. Scriptura colligit, ut lector ea intelligat, addiscat faciliùs, gustet suavius, reminiscatur tenaciùs. Idem faciunt S. Basil. & S. Ambros. in Hexamer. S. Epiphanius in Physiologo, ac Theodor. de Providentia. Notus est apologus olivæ, ficus, vitis & rhamni, Judic. 9. 8. cardui & cedri, 4. Reg. 14. v. 9. lupi & agni, pardi & hœdi, leonis & ovis, vituli & ursi, Isaiæ 11. 6. leænæ & leunculorum, Ezech. 19. Oollæ & Oolibæ mulierum, Ezech. 23. aquilarum duarum ingentium, Ezech. 17. Luciferi, Isaiæ 14. 12. Cherubinorum, Ezech. 1. amphoræ, in qua sedet impietas, Zachar. 5. & plures alii hisce persimiles. *Apologis utitur Ecclesiasticus & S. Scriptura.*

Jam verò apologationem esse antiquissimam, atque olim Ethicam doceri solitam per fabulas & apologos ad mores appositos, liquet ex Baruch cap. 3. v. 23. ubi priscos *fabulatores*, id est fabularum concinnatores, vocat *exquisitores prudentiæ*. Unde apologis usi sunt Orpheus, Pythagoras, Menander, Apuleius, Homerus, Hesiodus (quem Quintil. lib. 5. cap. 11. ubi apologis gratiam inesse docet, primum facit apologorum auctorem) Plato D l. 2. de Republ. Demosthenes, Macrobius l. 1. de Somn. Scipionis post initium, Horatius, Gellius, Cicero libr. 3. Offic. de Gygis annulo. Hinc Aristot. libr. 2. Rethor. apologos ponit inter Rhetoricas demonstrationes. Aphthonius initio Progymnas. *Apologi*, ait, *delectant vehementius, & persuadent efficacius*. Delectant, quia morum faceta quadam imitatione, simplicium capiunt animos. Fidem faciunt, quia verum quasi ante oculos ponunt. Ideoque magnam vim habent ad permovendum, & persuadendum. Apollonius Tyaneus apud Philostrat. libr. 5. Ego inquit Æsopi fabulas ad sapientiam accommodatiores, quàm ceterorum esse censeo: quas à Mercurio docet acceptas Æsopumque in numero sapientum habitum: unde illud Aristophanis in Avibus vetus adagium, quòd citat Suidas: *Ne Æsopum quidem trivisti*; dici solitum de homine planè rudi & imperito, quòd qui Æsopi apologos nesciret, nil scire videretur. Præclarè Plutarch. in Moral. *Sicut iris*, inquit, *nil est, nisi relucentia solis refracti in nubibus; ita fabula quædam est veri repræsentatio*. Rursum Aristot. libr. 2. Rethor. c. 21.

Olim Ethica docebatur per apologos.

Illis usi Philosophi.

Apo-

Apologi, ait, *ad populum maximè accommodati sunt, habentque hanc præstantiam* (præ exemplis) *quod, cum difficile sit res præteritas similes adinvenire, apologos fingere est facillimum.*

Neque verò prisci dumtaxat Gentium Philosophi, poetæ, oratores, principes, apologis usi sunt; sed & Ecclesiæ Doctores, primique Patres Græci ac Latini, non tam philosophos, quàm ipsam sacram Script. ac præsertim Salomonem, Siracidem ac Hebræos imitantes & affectātes.

Et Patres Græci. E Græcis præter S. Basilium, S. Epiphanium ac Theodoretum, quos paulò antè citavi, S. Gregor. Nazian. crebrò apologos usurpat, ut patet ex epist. 1. ad Celeusium, ubi perelegantem cycnorum & hirundinum apologum suo silentio adaptat: ex apologo concilii gruum & anserum, quem recitat in carm. de diversis vitæ generibus: ex apologo pavonis caudæ syrma pompose explicantis; item Pandoræ & Promethei, quos recenset tract. Adversus mulieres ambitiosiùs se ornantes. Synesius serm. 1. de Providentia asserit, pueros & rudes docendos esse per fabulas & apologos. S. Irenæus in symbolicis Valentini Æonibus recensendis multus est, sed & ipse suis utitur apologis, ut libr. 1. c. 1. apologo gemmarii, imaginem regis gemmeam in similitudinem canis & vulpeculæ deformantis: ibidem cap. 10. ex Homero citat fabulam de *orci* sive inferni *galea*, quæ ea tectos faciebat invisibiles: & cap. 34. fabulam Hydræ Lerneæ, sive feræ multorum capitum, Valentini scholæ attribuit. Idem lib. 2. c. 12. Valentiniani *similes*, inquit, sunt *cani Æsopi, qui panem quidem reliquit, & umbram autem ejus impetum fecit, & perdidit escam.* Et cap. 19. citat apologum Pandoræ, quam Hesiodus fingit & pingit omnibus dotibus à diis adornatam. Clemens Alexandr. ut Gentes suis ipsorum armis & gnomis confutet, symbola & apologos ex Orpheo, Lino, Homero, Platone, Pythagora agglomerat. S. Cyrillus, cujus nomine liber Apologorum jam citatus inscribitur, symbolis & apologis gaudet. Unde libr. 9. contra Julian. Ægyptiorum hieroglyphica & Pythagoræ symbola recenset, & ethicè explicat. Idem commentans in Leviticum (quamquam multi veriùs hunc commentarium tribuant Origeni) omnes Levitici figuras & symbola fusè pertractat. Idipsum quoque facit libr. de Adorat. in spiritu & veritate. Magis hoc ipsum liquet ex Catalogo parabolarum & similitudinum, qui operum ejus indici subjicitur.

Et Latini. E Latinis Tertull. parœmiis & apologis abundat: unde libr. contra Valentinum cap. 12. citat Æsopi graculum, qui alienis plumis se ornans, iis spoliatus erubuit fuitque ludibrium: & cap. 3. citat *lamiæ turres*, & libr. de Anima cap. 6. *Thales*, inquit, *in puteum*, scilicet cadens, dum cælum intuetur, irrisus fuit à femina. Idem libr. 4. contra Marcion. cap. 23. *De Æsopi*, inquit, *puteo asinus*, scilicet modò apparuisti. q. d. Obscurus, & ex angulo prodiens subitò te velut eximium jactas, & lib. de Pudicitia cap. 8. *Nihil ad Andromacham*, quæ tragica erat fabula; & plura alia, quæ collegit Pamelius & Tertulliano præfixit. S. August. libr. contra Mendacium ostendit apologos, qui per res fictas significant veras, non esse mendacia, sed veracitatem: *Sicut in speculo falsus homo* (qui in speculo apparet) *est vera hominis imago*; ut idem ait libr. 2. Soliloquiorum. Apologis pariter utitur S. Ambros. lib. 3. Offic. & S. Isidorus lib. 1. Etymol.

S. Hieron. in cap. 5. Matthæi assignat causam, cur Christus assiduè per parabolas, quibus similes sunt apologi, concionaretur ad turbas: *Familiare*, inquit, *est Syris, & maximè Palæstinis, ad omnem sermonem suum parabolas jungere, ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur.* Idem in cap. 8. Ezech. sub finem, apologum Adonidis fusè recitat & ethicè explicat. Idem ad Algasiam quæst. 6. *Interpretemur*, ait, *parabolam, hoc est similitudinem, quæ ab eo vocatur, quod alteri παραβάλλεται, hoc est assimilatur, & quasi umbra prævium veritatis est.*

Et Indi. Ex Indis quoque S. Barlaam apud Damascen. in Historia Iosaphat, regis Indorum, cui nomen Abenner, filium, mysteria fidei, ac præsertim mundi vitæque hujus vanitatem, & futuræ veritatem, docet per apologos rhinocerotis hominem insequentis, ac duorum murium arborem, cui homo adhæserat, rodentium, ut in barathrum draconibus refertum corruat. Rursum per apologum lusciniæ hominem deludentis, ac amicorum amicum in mortis agone deserentium.

Et Hebræi. Ex Hebræis præter Ezechielem, Isaiam, Zachariam & alios initio citatos, Salomon mortalium sapientissimus per apologum duarum mulierum, unius stultæ, alterius sapientis, ipsam sapientiam & insipientiam repræsentat. Proverb. cap. 9. quem secutus noster Siracides toto cap. 24. apologum sapientiæ perorantis, seséque cedro, olivæ, palmæ, viti & fluminibus paradisi adæquatis, in scenam producit. Similes à Salomone apologi sanguisugæ, aquilæ, colubri, formicæ, lepusculi, locustæ, stellionis, leonis, galli, arietis & regis proponuntur Proverb. 31. v. 15. & sequent. Jam Canticum Canticorum continuus est sponsi & sponsæ apologus. Demum Salomonis antitypus, imò verus Salomon, Christus Dominus non nisi per parabolas & apologos in Euangeliis concionatur ad populum. Testis est S. Matth. c. 13. 34. *Hæc omnia*, inquit, *locutus est Jesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo absconsdita à constitutione mundi.* psalm. 77. v. 2. Christum Dominum secutus S. Joannes in Apocalypsi redundat symbolis & apologis, adeoque cap. 4. per Agnum, Christum, per quatuor animalia voce humana Deum laudantia, putà per leonem, vitulum, aquilam & hominem, quatuor Euangelistas Christi gloriam celebrantes graphicè depingit.

Ratio à priori. Ratio à priori est, quòd exempla & apologi ob historiæ novitatem, raritatem, facilitatem, ac jucunditatem maximè accommodata sint hominum ingeniis, eorumque curiositati & sciendi cupiditati cum lepore satisfaciant: quare illicò in aures mentesque subeunt, ac eas delectando docent, & simul ad sui imitationem movent longè suaviùs & efficaciùs, quàm præcepta. Audi Aristot. 18. problem. num. 3. *Cur*, inquit, *homines in perorando exemplis & fabulis potiùs gaudent, quàm commentis? An gaudent, quia & discunt, & celeriter discunt? atqui per exempla & fabulas faciliùs discitur: sunt enim quæ explorata habeantur, & particularia sint. Ratio autem commentandi, demonstratio ex universalibus est, quæ minus quam partes novimus. Ad hæc iis credere magis solemus, quæ plurimum testimoniis confirmantur. Exempla autem & fabellæ testimoniorum speciem gerunt: fides autem perfacilis est, quam testimonium fecerit. Additur, quod verisimile quisque libentiùs discit. Exemplum autem, & fabellæ rem non nisi similem docent.* Huic consona sapientum omnium vox est: *Melius docere & persuadere exempla quam præcepta.* nimirum,

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Sicut ergo saccharum catapotiis sive pilulis circumlitum, eorum amaritiem obtegit & edulcorat: sic asperum & odiosum legis vel jubentis imperium, exemplum, viam præeundo, & quasi complanando, dulce facit & amabile. quod enim mandans durè & imperiosè præcipit. Ite servi & facite; hoc exemplum blandè alliciendo reipsa dicit: Eamus & socii & faciamus. Denique exemplis & apologis parcè velut sale, ad condiendam orationem utendum: hi enim sunt sales orationis: quare si quis iis sobriè, ac congruo tempore, loco & modo utatur, gratiam suis dictis conciliabit, ac perficiet illud Apostoli: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus*, Colos. 4. 6. Idque hoc fine & fructu, ut *det gratiam audientibus*, Ephes. 4. v. 29.

CAPUT IV.

Argumentum.

IEsus Sirach hoc libro omnem moralem Philosophiam per breves sententias, quasi gnomas & axiomata tradit & complectitur, æquè ac Salomon in Proverbiis: sed iis longè uberior est Ecclesiasticus unde & 51. capita continet. Tradit enim virtutes non tantum ethicas, quæ personam cujusque concernunt & perficiunt; sed & œconomicas, quæ ad familiam; & politicas, quæ ad remp. gubernandam, vel utiles sunt, vel necessariæ: quas sigillatim recensens S. Athanas. in Synopsi, plures implet paginas. Hinc à Græcis vocatur πανάρετος, q. d. Omnivirtuosus, omni virtutis genere refertus: quia de omni virtute præcepta continet, ita Raban. Unde Damas. l. 4. de Fide c. 18. ait, Sapientiam Jesu Sirach omni virtutum genere ac doctrina refertam. Audi S. Hier. præfat. in libros Salomonis: *Fertur & panaretos Jesu, filii Sirach, liber, & alius pseu-*

Ecclesiasticus πανάρετος, id est, omni virtute plenus.

depigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur. Quorum priorem Hebraicum reperi, non Ecclesiasticum, ut apud Latinos; sed Parabolas, prænotatum, cui juncti erant Ecclesiastes, & Canticum Canticorum, ut similitudinem librorum Salomonis, non solùm librorum numero, sed etiam materiarum genere coæquaret. Alioqui sapientia Salomonis πανάρετος, id est, omni virtute referta, propriè sunt ejus Proverbia; sicque appellantur ab Irenæo, Hegesippo, & aliis apud Euseb. lib. 4. hist. cap. 22. Et inferiùs: *Hæc duo volumina legit Ecclesia ad ædificationem plebis.* Quocirca & à Latinis inscribitur Ecclesiasticus; tum ad imitationem simul & distinctionem libri Salomonis, qui Ecclesiastes dicitur, id est, concionator vel convocator & collector; ut enim ab eo distinguatur, Ecclesiasticus vocatur, non Ecclesiastes, esto etymon & significatum sit idem, vel penè idem; tum, quia in Ecclesia legi solebat & solet, ut plebem per omnia, quæ officii & virtutis sunt, erudiat. Audi Raban. lib. 5. de Universo, c. 3. *Dictus est*, ait, *Ecclesiasticus pro eo, quod in medio cœtu populi, id est, coram Ecclesia, fuerit habitus.* Et Hugo Cardin. hîc: Hic liber ait, apud Græcos πανάρετος, apud Hebræos Parabolæ, apud Latinos Ecclesiasticus appellatur, eò quòd Ecclesiæ sit utilis, sicut & Ecclesiastes. Per hos enim duos libros maximè instruitur Ecclesia. Unde Ecclesiasticus dicitur, quasi ad Ecclesiam, id est, totum cœtum fidelium, singulosque fideles pertinens, eorumque mores ad normam divinæ legis & virtutis informans & efformans. Hinc Ecclesiasticus uberiùs virtutes singulas pertractat, & de singulis quasi integras exhibet conciones: qua in re differt à Proverbiis Salomonis, quæ à cap. 10. ad finem libri sententias continent planè concisas & disparatas, ita ut una cum altera non cohæreat; sed singulæ novum contineant argumentum. Utilior ergo est Ecclesiasticus Proverbiis, ac uberiorem meditandi, sanctè vivendi, dicendi & concionandi materiam suppeditat.

Ecclesiasticus, id est, concionatorius.

Quocirca S. Apostoli in Canone ult. Apost. dicunt & edicunt: *Ut adolescentes addiscant etiam sapientiam eruditi Sirach.* Sic & Clemens, Alexander, Calixtus, Fabianus, aliique iam citati S. Pontifices citant & commendant dogmata Ecclesiastici. Pontianus sæpè epist. 1. citat Ecclesiasticum, & epist. 2. totum caput Ecclesiastici 28. & magnam partem c. 5. & 6. in eam epistolam conjecit. Fabianus, cùm sæpiùs citasset Ecclesiasticum in epist 1. & 2. in epistolam suam tertiam multa transtulit ex ejus cap. 27. Lucius mutuatus est ex Ecclesiastico bonam partem cap. 10. & 11. Mutuatus est & Stephanus totum cap. 15. Ecclesiastici in sua epist. 1. ut etiam Eutychianus grandem partem cap. 5. & 6. Adducunt demum testimonia ex Ecclesiastico, Dionysius cap. 7. Eccles. hierarch. & cap. 8. de Divinis nom. Ignatius epist. ad Heronem, Hieron. epist. ad Minerium & Alexand. epist. ad Rusticum, ad Salvinam, ad Celantiam.

Tres libri partes.

Tres libri sunt partes. Prima cap. 1. continet encomium sapientiæ, sive sacræ Ethices. Deinde à cap. 2. usque ad 24. subiungit Siracides ejus præcepta & dogmata de quibuslibet virtutibus. Secunda, cap. 24. Siracides ipsam sapientiam se suaque prædicantem inducit, ac deinde ethica ejus documenta persequitur usque ad cap. 42. vers. 15. Tertia à cap. 42. vers. 15. usque ad finem continet harum virtutum & documentorum exempla. Unde, præmisso encomio Dei, Deique operum, librum concludit elogiis Patriarcharum, Prophetarum, & principum illustrium veteris testamenti. Porrò inchoat sua præcepta juxta seriem Decalogi. Incipit enim à timore & cultu Dei: inde cap. 3. progreditur ad honorem parentibus debitum; ac deinceps officia ceteris vel ex charitate, vel ex justitia præstanda prosequitur.

Accipe brevem singulorum ex ordine capitum synopsin ut sententias de qualibet statim reperias.

Synopsis capitum omnium Ecclesiastici.

Cap. I. agit de sapientiæ origine.
Cap. II. de timore, & amore Dei vers. 11. de tentatione, ejusque remediis, scilicet, animi præparatione, humilitate, patientia, resignatione, spe, & amore Dei.
Cap. III. de honore parentum, v. 1.
de humilitate, & mansuetudine, v. 19.
Cap. IV. de eleemosyna, v. 1. & sequent.
de sapientia sanctorum, v. 12.
de pudore malo, v. 24.
Cap. V. de detestatione peccati, & pœnitentia, v. 1. & sequent.
de constantia, & sinceritate, v. 10.
Cap. VI. de amicitia vera, v. 1.
de sapientia ardua, v. 18.
Cap. VII. de pietate, & officiis debitis Deo, sacerdotibus, parentibus, filiis, amicis, potentibus, infirmis, afflictis, mortuis, quin & pecoribus.
Cap. VIII. de tranquillitate & concordia.
Cap. IX. de castitate, & vitando mulierum consortio, v. 1. & sequent.
de vitandis amicis novis, potentibus, iniustis, loquacibus & temerariis, v. 14.
Cap. X. de prudentia principum & magistratuum, v. 1. & sequent.
de superbia, v. 18.
de regentium virtutibus & vitiis, v. 33.
Cap. XI. de modestia, v. 1.
opes parari cultu Dei, v. 10.
Cap. XII. beneficium præstandum esse justo, non impio, v. 1.
de cavendis inimicis, v. 8.
Cap. XIII. de cavenda familiaritate potentum: amicitiam esse inter pares & similes.
Cap. XIV. de liberalitate & avaritia, ac vanitate stulta avarorum, v. 1. & sequent.
beatum esse sapientem, v. 22.
Cap. XV. sapientiæ fructus, & qui eorum expertes.
Cap. XVI. non esse lætandum in filiis impiis, v. 1.
de Dei vindicta in impios, v. 7.
de Dei sapientia in creatione & dispositione universi, v. 24.
Cap. XVII. de hominis creatione, & perfectione, præsertim sapientiæ, v. 1.
de pœnitentia, & conversione ad Deum, v. 20.
Cap. XVIII. laus magnalium, putà, potentiæ & misericordiæ Dei, v. 1.
de memoria divini judicii, v. 24.
Cap. XIX. de vino, meretricibus, ac moderamine linguæ.
Cap. XX. de linguæ virtutibus, & vitiis; deque fatuis & imprudentibus.
Cap. XXI. de vitando peccato, v. 1.
de stulti moribus, & immodestia, v. 14.
Cap. XXII. stultos esse insupportabiles & incorrigibiles, v. 1.
de vitiis, quæ violant amicitiam; v. 23.
Cap. XXIII. orat pro sapientia practica, v. 1.
de juramento, aliisque linguæ vitiis, v. 7.
de fornicatione, v. 24.
Cap. XXIV. Sapientiæ encomium ab origine, officiis, domo, pulchritudine, fructibus.
Cap. XXV. Tria, quæ placent sapientiæ; tria, quæ displicent, v. 1.
decem beatitudines, v. 9.
de nequitia mulierum, v. 17.
Cap. XXVI. de muliere bona, & mala; putà sensata, & insensata.
Cap. XXVII. de falsitate, fraude, aliisque linguæ vitiis, v. 1.
de revelatione secreti, v. 17.
de dolo, & iis, qui lapsu gaudent alieno, v. 25.
Cap. XXVIII. recenset damna iræ & vindictæ, ac v. 15. linguæ duplicis, sive bilinguis.
Cap. XXIX. de mutuo dando, v. 1.
de eleemosyna, v. 11.
de fidejussione, v. 19.
de miseria peregrinorum & hospitum, v. 28.
Cap. XXX. de filiorum castigatione, v. 1.
de bono sanitatis, v. 14.
de bono lætitiæ, & malo tristitiæ, v. 21.
Cap. XXXI. de sollicitudine opum vitanda, v. 1.
de honestate, & temperantia in mensa servanda, v. 12.
Cap. XXXII. docet, quid in mensa faciet rector, juvenis, senex, v. 1.
de Dei timore, & legis custodia, v. 18.
de consilio & ratione ubique adhibendis, v. 34.

Cap.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cap. XXXIII. docet, Deum discrevisse bonos à malis, magnos ab abiectis, v. 8.
ne quis ante mortem opes alii cedat, v. 20.
de regimine servorum, v. 25.
Cap. XXXIV. de somniorum vanitate, v. 1.
de utilitate tentationis, v. 9.
de utilitate spei in Deum, v. 14.
de fraudatione mercedis pauperum, v. 21.
Cap. XXXV. de virtute religionis, & oblationum, v. 1.
de efficacia orationis pauperum, & afflictorum, v. 17.
Cap. XXXVI. orat pro Judæis jam subditis Ægyptiis, v. 1.
de diligenda bona uxore, v. 23.
Cap. XXXVII. de amicis fictis, v. 1.
quale, & cum quibus ineundum consilium, v. 7.
de sapiente, v. 21.
de frænanda gula & concupiscentia, v. 30.
Cap. XXXVIII. de utilitate & usu medicinæ, v. 1.
infirmum instituit, v. 9.
quid in morte amicorum faciendum, v. 16.
de usu agriculturæ, artis fabrilis, figulinæ & similium, v. 26.
Cap. XXXIX. sapientiam acquiri oratione, lectione & studio, v. 1.
laus Dei, ejusque potentiæ, beneficentiæ & vindictæ v. 16.
Cap. XL. de ærumnis hujus vitæ ex peccato, v. 1.
docet, quæ sint magis eligenda, per varias gradationes, v. 17.
de fugienda inopia, v. 29.
Cap. XLI. Mors, quibus amara, quibus iucunda, v. 1.
de filiis probrosis, ac cura famæ, v. 8.
Cap. XLII. de quibus non erubescendum, v. 1.
de filia custodienda, v. 10.
laus sapientiæ & omniscientiæ Dei, v. 16.
Cap. XLIII. Laudat magnificentiam Dei ex pulchritudine cælorum, stellarum, iridis, nivis, grandinis, gelu, maris & insularum.
Cap. XLIV. laudat Patriarchas, & viros sapientes in genere, v. 1.
laudat Henoch, Abraham, Isaac & Jacob, v. 16. & sequent.
Cap. XLV. Laus Mosis, Aaronis & Phinees.
Cap. XLVI. laus Josue, Caleb, Judicum & Samuelis.
Cap. XLVII. laus Nathan, Davidis, & Salomonis.
Cap. XLVIII. laus Eliæ, Elisei, Ezechiæ, & Isaiæ.
Cap. XLIX. laus Josiæ, Jeremiæ, Ezechielis, duodecim minorum Prophetarum, Zorobabel, Nehemiæ, Joseph, Seth, Sem & Adam.
Cap. L. laus Simonis pontificis.
Cap. LI. Oratio Jesu, filii Sirach, qua primò Deum laudat, eique pro liberatione ex gravibus malis gratias agit. Secundò, v. 18. docet, se oratione & studio adeptum sapientiam. Tertiò, v. 31. ad eam omnes hortatur & invitat.

Hæc summatim, præcipua dumtaxat capitum argumenta assignando, perstrinxi: multa enim alia sparsim hic liber pertractat, quæ suis locis indicabo, adeoque omne cujuslibet virtutis officium particulatim percenset, quæ ipsius propria est dos & laus, qua ceteros omnes S. Script. D libros antecellit, ideoque πανάρετος dicitur, *quasi omnis virtutis receptaculum, cujus tanta est claritas, ut ipse sibi sit commentator*, ait Rabanus. Cunctas enim moralis doctrinæ partes absolutissimè tradit, Ethicam, Oeconomicam, Politicam. Nam major pars ad Ethicam, minor ad Oeconomicam, non minima ad Politicam spectat. Scopus enim, & finis Jesu scribendi hujus libri fuit, ut ait Siracides in Prologo, instruere eos, *qui volunt animum intendere, & discere quemadmodum oporteat instituere mores, qui secundum legem Domini proposuerint vitam agere.* Quare Christiani omnes, virtutis & perfectionis avidi, avidè hunc librum voluant, legant & relegant, uti nonnullos Præsules fecisse, & facere scio, qui proinde hunc librum, quocumque proficiscantur, secum, quasi domesticum viæ & vitæ ducem, circumferunt, de eo suis A dicentes illud; quod S. Cyprian. assiduè lectitans Tertullianum, eum poscens dicebat: *Da magistrum.* Hoc est, quod ait Rabanus lib. 5. de Universo, cap. 3. *Ecclesiasticus morum penè omnium disciplinam, & sanctæ religionis conversationem affatim & copiosè descripsit.*

CAPUT V.

Methodus.

Methodus nostri Siracidis est, sapientiæ practicæ, & singularum virtutum præcepta tradere per breves gnomas, & sententias prudentum, & sapientum: ita tamen, ut singulis sæpè longiùs insistat, multaque earum, æquè ac vitiorum contrariorum, officia & actus percenseat. Qua in re miscet similitudines, adagia, ænigmata, parabolas, quibus sua prudentiæ dogmata, tum ornat, tum explicat, ut hisce quasi salibus condita magis legenti sapiant, magisque in ejus cor, stomachum B & mentem descendant, concoquantur, & per animæ venas & potentias spargantur, ut illam virtutibus alant, augeant, roborent, impinguent, perficiant. Hac de causa Basilius Imp. instituens filium Leonem, cognomento Philosophum, hoc ultimum ei dat præceptum: *Revolve Jesu Sirach documenta, è quibus multum civilis & regiæ prudentiæ haurire poteris.* Extat in fine tomi 5. Biblioth. SS. Patrum.

Qua in re Siracides imitatur Salomonem & priscos Hebræos: simili enim modo Salomon suam Ethicam brevibus sententiis tradit; ideoque librum *misle*, id est, Proverbia vel Parabolas inscripsit; qua ratione & Ecclesiasticus noster à nonnullis inscribitur Proverbia, teste S. Hieron. præfat. in libros Salomonis. In praxi enim consultissimum est illud Poetæ.

Quidquid præcipies, esto brevis, ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Quocirca similes Siracidis gnomas aliorum sapientum, Ben Sira, Hebræorum, Syrorum, Arabum, quin & Philosophorum Gentilium subinde, sed parciùs, nec nisi ubi lucis & nervi aliquid afferunt, citabo, idque varias ob C causas. Prima, quia facit ad veritatis dignitatem, utpote quæ ita certa sit, ut non tantùm fideles, sed & infideles ei testimonium perhibeant. Qua de causa Christus à Mose, & à Joanne Baptista, fidelibus quidem, sed longè se inferioribus, testimonium accipere dignatus est. Secunda, quòd Commentarius hic ab hæreticis & infidelibus fortè, qui Siracidi non credunt, legetur, ut hi saltem per Hebræos & Philosophos convicti, eidem credere condiscant. Tertia, quia ratio fidei, natura gratiæ, Philosophia Theologiæ subservit & ancillatur. Cujus rei symbolo jussit Deus, filias Gentilium à Judæis bello captas, post tonsionem & lustrationem in consortium & thorum Hebræorum fidelium admitti, Deut. 21. v. 11. Qua de causa crebrò S. Hieron. S. Cyrill. S. Nazianz. S. Basil. S. August. Tertull. Clemens Alexand. quin & subinde S. Paulus, sententias Gentilium citant. Vide de hac re egregiè disserentem S. Hieron. epist. 84. ad Magnum, & S. Basil. tract. de Utilitate ex Gentilium libris capienda. Quarta, quia Siracides Ethicam non tantùm supernaturalem, sed & naturalem pertractat, quam pariter pertractavit Socrates, Aristoteles, Seneca, ceterique Ethici. Horum ergo gnomæ gnomis Siracidis sunt parallelæ. Adde, quòd Siracides hæc omnibus, non solùm Judæis; sed & Gentibus conscripserit, ut patet ex Prologo, & ex c. 29. v. 1. & 14. Quinta, quia philosophi suam Ethicam & sapientiam hauserunt à Mose & Hebræis, uti fusè demonstrat Euseb. lib. 9. Præpar. Euang. c. 4. & lib. 10. c. 2. Clemens Alex. lib. 1. Strom. S. August. lib. 18. Civit. 39. Dum ergo philosophos cito, Mosen & Hebræos cito, eorumque gnomas suis assigno fontibus, ac eorum sapientiam primævis suis reddo auctoribus; quo quid æquius & justius fieri potest.

Hac etiam de causa sententiæ Siracidis à variis variè congestæ, & dispositæ sunt. Nam sententiæ, quæ in Vulgata Latina habentur cap. 24. in Græco Romę correcto habentur cap. 31. & quę in Vulgata haben tur cap. 36. in Gręco Roman. habentur c. 33. Sic in sequent. c. 32. 33. 35. &c.

35. &c. ordo in Vulgata planè est alius ab eo qui est in Græ- A co Romano. Idem accidit in Proverbiis Salomonis: nam, quæ in Latina Vulgata habentur cap. 30. in Græca Septu. extant cap. 24. & ita de ceteris.

Salomonem ergo, & Hebræos imitatus est non tantùm noster Siracides Hebræus, sed & Gentiles poetæ, & philosophi Ethici, tam Græci quàm Latini, quorum primi, & principes fuere Phocylides & Pythagoras, qui eodem tempore floruerunt, & docuerunt in Græcia, quo Jeremias in Judæa: sed Phocylides paulò ante Pythagoram claruit: ille enim olympiade 60. hic 63. adeoque ille hujus fuit magister, teste Eusebio in Chron. Suida Plutarcho in vita Numæ, & Cicerone Tuscul. 4. Hos secuti, imò his coævi fuere Theognis, Simonides, Anacreon tempore Cyri; deinde Hesiodus, posteà Socrates paulò ante Alexandrum Magnum; ac demum inter Romanos Cato & Seneca, qui omnes totam Ethicam, sive recte vivendi rationem paucis sententiis & carminibus complexi sunt. Hinc Plato in Protagora scribit, *Antiquorum doctrinam nihil aliud fuisse quàm breviloquium quoddam; idq; esse viri absolutè sapientis; paucis, videlicet, multa comvlecti.* Hac ratione Hippocrates composuit Aphorismos: Pythagoras quoque Sym- B bola: & Proverbia Salomon: quò enim altior intellectus est in Angelis, eò formis paucioribus plura comprehendit & agit. Hierotheus igitur post S. Paulum S. Dionysii Doctor, & Apostolis excellentia proximus, Theologiam summulis mira profunditate conclusit, scripsitque expiatissimis mentibus atque doctissimis. Dionysius autem, & Hierothei jussu, & Timothei rogatu, universales istas summulas Hierothei in notiones singulas derivavit de Divin. nomin. cap. 2. sub fin.

Phocylides sic orditur:

Furtivam vita venerem, tædasque viriles.
Mitte dolos, servaque manus à sanguine puras.
Ne malè ditescas, de justis vive paratis.
Principio venerare Deum: cole deinde parentes.
Fac justè cunctis, ne te favor abstrahat ullus.
Ne spernas inopem, aut personæ deditus esto.
Judicio si quid falles, Deus ipse rependet.
Sis castus rebusque fidem servato gerendis.
Utere mensuris (ornat modus omnia iustis, &c.

Hisce synchroni, tempore Cyri, septem Græciæ sapientes suam Ethicam, suaque prudentiæ & vitæ honestæ præ- C cepta paucis complexi sunt sententiis, quas hisce versibus expressit Ausonius.

Ethica Biantis Prienæi.

Quænam summa boni? mens, quæ sibi conscia recti.
Pernicies homini quæ maxima? solus homo alter.
Quis dives? qui nil cupiat. Quis pauper? avarus.
Quæ dos matronæ pulcherrima; vita pudica.
Quæ casta est? de qua mentiri fama veretur.
Quod prudentis opus? quum possit, nolle nocere.
Quid stulti proprium? non posse, & velle nocere.

Ethica Pittaci Mitylenæi.

Loqui ignorabit, qui tacere nesciet.
Bono probari malo, quàm multis malis.
Demens superbus invidet felicibus.
Demens dolorem ridet infelicium.
Pareto legi, quisque legem sanxeris.
Plures amicos re secunda compara.
Paucos amicos rebus adversis proba.

Ethica Cleobuli Lindii.

Quantò plus liceat, tam libeat minùs.
Fortunæ invidia est immeritus miser.
Felix criminibus nullus erit diu.
Ignoscas aliis multa: nihil tibi.
Parcit quisque bonis, perdere vult malos.
Maiorum meritis gloria non datur.
Turpis sæpè datur fama minoribus.

Ethica Periandri Corinthii.

Numquam discrepat utile à decoro.
Plus est sollicitus magis beatus.
Mortem optare malum, timere pejus.
Faxis, ut libeat, quod est necesse.
Multis terribilis, caveto multos.
Si fortuna juvat, caveto tolli.
Si fortuna tonat, caveto mergi.

Ethica Solonis Atheniensis.

Dico tunc beatam vitam, quum peracta fata sint.
Par pari jungatur conjux; quicquid impar, dissidet.
Non erunt honores unquam fortuiti muneris.
Clàm coarguas propinquum, quem palàm laudaveris.
Pulchrius multò parari, quàm creari nobilem.
Certa si decreta sors est, quid cavere proderit?
Sive sint incerta cuncta, quid timere convenit?

Ethica Chilonis Lacedæmonii.

Nolo minor me timeat, despiciatque major.
Vive memor mortis, ut sis memor & salutis.
Tristia cuncta exuperans, aut animo, aut amico.
Tu benè si quid facias, non meminisse fas est.
Quæ benefacta accipias, perpetuò memento.
Grata senectus homini, quæ parilis juventæ.
Illa juventa est gravior, quæ similis senectæ.

Ethica Thaletis Milesii.

Turpe quid ausurus, te sine teste time.
Vita perit: mortis gloria non moritur.
Quod facturus eris, dicere sustuleris.
Crux est, si metuas vincere, quod nequeas.
Quum verè obiurgas, sic inimice juvas.
Quum falsò laudas, tunc & amice noces.
Nil nimium satis est; ne sit & hoc nimium.

Ethica Pythagoræ.

Jam ut ad Pythagoram, ejusque asseclam Isocratem, exactiores Ethicæ Doctores, redeam, pauloque fusiùs agam, S. Hieron. præfat. in Proverb. *Pythagoras*, inquit, *omnem doctrinam moralem hoc symbolo claudit: Fugare decet omni studio, ferroque & igne abscindere ab anima ignorantiam, à corpore & animo morbum, à victu luxum, à domo discordiam, à civitate seditionem, & ab omni negotio intemperantiam.* Sic Epictetus totam Ethicam his duobus verbis & præceptis complexus est: *Sustine, & abstine.*

Porrò magis speciatim singula de singulis virtutibus dicta & præcepta Pythagoræ colligit Augustinus Dathus lib. 2. epist. 2. ad Alexandrum Bonon. Accipe paucis ea, sanè in Gentili aurea: *Immortales primùm deos, sicut lege sancitum est, venerare. Cole jusiurandum. legitima serva. Parentes reverere, & qui propissimè illos nati sunt. Reliquorum verò quisquis virtute maximè antecedit, tibi amicum para. Comis sis in sermonibus: frugi in rebus gerendis. Noli amicum tractare molestiùs, si parva te ac levi affecerit iniuria. In primis ventris, somni, crapulæ, iræ abstine. Turpe aliquid neque tecum agas: neque cum altero contrahas. Justitiam & opere complectere & verbis. Nihil temerè, nihil inconsultò agas, intelligens mortis fatum cunctis mortalibus impendere. Pecunias alias servare contende, alias profundere. Pecunias alias servare contende, alias profundere. Quæ-* D *cumque tibi vivendi sors obvenerit, eam feras æquo animo: neque graviter patiaris, sed medere adversis pro viribus. Nullius impulsu, aut agas quid, aut dicas, quod tibi ipsi non conducat. Consulta ac delibera prius, quàm opus aggrediare. Ea perfice, quorum te factorum postmodum non pœniteat. Nihil prorsum geras, quod tibi exploratum non sit. Quod si te lateat, cura aliunde, ut discas, quodcumque factum necessarium contigerit. Hoc namque pacto vitam vives jucundissimam. T uere bonam valetudinem, & iis quæ corporis sunt adhibe diligentiam. Itaque & potionis ubique & exercitationum modum quemdam serva. Est autem is modus optimus; qui nihil afferet detrimenti. Ita te para, ut non delicato ac molli, sed simplici victu, cultuque delecteris. Cave quidquam aggrediare, quod invidiosum sit. Nec pecuniam intempestivè profundas. sed neque parcus nimiùm atque illiberalis sis. Optima omnibus in rebus mediocritas. Ea conare, quæ tibi frugifera sunt, Et prinsquam aggrediare etiam atque etiam cogita. Neque somno indulgeas, quin priùs tecum*

com-

commemores trifariam diei gesta: quid egi? quid dixi? quid relictum opportunius est? Turpia agere grave sit, bona ac modesta iucundum. Hæc si sectaberis, aiebat Pythagoras, *divinæ virtutis consequeris vestigia*. Huc spectant symbola Pythagoræ, quæ fusè recensui, & in tres classes, putà in Theologica, Ethica & Politica, distribui proœmio in Prophetas Majores, canone 56. quare ea hìc non repetam.

Ethica Isocratis.

Pythagoræ suppar est Isocrates, qui Demonico aurea honestè vivendi dat præcepta, & prudentia dictamina suis subnixa rationis principiis. Sic ergo præscribit & sancit:

Primò. *Primum res cole divinas, non sacrificans solum, verùm etiam stans juramentis. Nam illud divitiarum signum est: hoc probitatis atque æquitatis indicium. Deum venerare, tum semper aliàs, tum potissimum cum civitate: ita enim videberis simul & rem facere divinam, & legibus obtemperare. Talis esto in parentes, quales in teipsum cupis esse liberos. Exercitationes corporis eas amplectere, quæ ad bonam valetudinem tuendam, non quæ ad robur valeant: quod utiq; consequeris, si adhuc laborare sufficiens desinas. Neque cachinno infreni delecteris; neque sermonis audaciore petulantia: & illud quidem stultum est; hoc autem furiosum atque inane. Quæ facere turpe est, hæc tu quoque dicere indecorum puta. Ita te consuefacias, ut non difficilis, non tristis; sed cogitabundus, sed severus esse videaris: illud te contumacem & fastidiosum indicaret; hoc prudentem esse demonstrat. Decus, verecundiam, justitiam, modestiam, decere te existima: his namque in rebus maximè ineuntis ætatis mores versantur. Si fortè quid turpe facias, ne id confidas diutiùs obscurum fore: quòd si alios lateas, certè tibi ipse eris conscius.*

Secundò. *Parentes cole. Deos metue. Amicos observa. Legibus pare. Voluptates eas tibi ascisce, quæ cum laude sunt: etenim voluptas cum honestate quidem, optimum; pessimum sine illa est. Calumnias etiam falsas devita: multitudo namque & ignorat veritatem, & opinioni maximè adhærescit. Tunc probaberis maximè, si illa caveas, quæ alii si facerent, reprehendas. Si fueris discendi studiosus, multorum quoque pollebis scientia. Quæ scis, usu atque exercitatione conserva. Quæ verò ignoras, effice ac labora ut intelligas. Multum verò disciplinarum, multis existima præstare pecuniis: hæ quidem celeriter decidunt; illa verò perpetuò ac semper durant: sola namque sapientia possessionum omnium immortalis:*

Tertiò. *Morum comitas adsit, sermonis affabilitas. Facilem te omnibus præsta. Utere autem quos optimos noveris: ita enim & bonis amicus, & improbis eris nequaquam infestus. In laboribus teipsum exerce voluntariis; quò & non voluntarios subire queas. A quibus teneri animum turpe ac flagitiosum est, eorum abstine omnium, quæstus, iræ, voluptatis, doloris. Diligentius verborum sermonumque, quàm pecuniarum tuere deposita. Decere puta tam improbis fidem non esse adhibendam, quàm habendam probis. Neminem tibi amicum compares priùs, quàm investiges, quo pacto & ipse priùs fuerit amicis usus: ac spera perinde eum in te fore, qualis & erga illos extiterit. Sero amicus fias: factus autem persevera. Periclitare adversis rebus amicos: nam aurum quidem igne probamus; amicos verò in adversa fortuna cognoscimus. Optimè uteris amicis, si non rogatus, sed sponte tua & deferas beneficium, & gratificeris in tempore. Amicum fac tibi, qui non modò res tuas adversas condoleat; sed etiam non invideat secundis. Absentium te amicorum memorem præsta coram præsentibus, ne & illos, cùm fortè absint, floccipendere videaris.*

Quartò. *Amictus compara, qui ornatum afferant, non qui modum excedant. Præsentium bonorum non affluentia maior tibi cara sit, sed moderatus usus. Despice, qui cumulandis intendunt pecuniis, partis autem uti nesciunt. Nemini calamitatem obiicias, quòd & communis fortuna sit, & futurum incognitum. Assentatores fuge, ut qui fallunt homines ac decipiunt. In primis evita compotationum conventus: sin tempus te ad illos detruserit, ante ebrietatem exurge: nam intellectus quidem vino corruptus, ejus, qui aurigam perdiderit, currus similis est: ille namque temerè fertur rectore orbatus, & animus turpiter labitur corrupta mente.*

Quintò. *Moderatum sermonem tantò existima loquacitate meliorem; quantò quidem solent cætera quæ turpia sunt, pleraque lucium afferre. Loquacitas magnis habentes afficit detrimentis. Quodcumque dicturus sis, prius mente voluta: in plerisque enim menti lingua præcurrit. Duplex eligendum est in loquendo tempus: aut quibus de rebus perspicuè noveris: aut quæ diu necessitas ipsa coegerit: solis enim in his sermo taciturnitati præstat, in reliquis verò satius est silere, quàm loqui. In consultando fac tibi præteritas res exempla futurarum. Consulta quidem tardè: perfice autem celeriter, quæ videntur. Arbitrare optimum esse à diis quidem felicitatem, à nobis verò ipsis sapiens consilium.*

Sextò. *Quem tibi socium deligis capiendi consilii, illum considera priùs, quo pacto sese suis in rebus habuerit: etenim qui malè res suas gesserit, numquam rectè procurabit alienas. Ex publicis muneribus labora, non ut cumulatiores divitias, sed ut maiorem tibi compares gloriam: multis namque pecuniis præstabilior fama popularis. Justam potiùs suscipe inopiam, quàm iniustas divitias: eò enim ampliùs pecuniis iustitia antecedit, quòd hæ quidem viventibus solum conducant, illa etiam mortuis gloriam parit. Sed & pecuniarum quidem vel improbi participes sunt, at justitiæ omnino exortes.*

Septimò. *Existima nihil esse stabile in humanis rebus, nihil ratum: sic enim nec erit successibus lætitia effusior, nec calamitate tristitia maior. Probrum magis quàm discrimen de vita, metuendum namque necesse est esse & formidabilem, improbis quidem vitæ exitum, bonis autem ignominiam. Tunc plurimùm juvet te honesta sectari, cùm his intelliges, magnas ingentesque fluere atque oriri voluptates: siquidem nequitiæ, ac libidinum voluptatumque illecebris, permultum quoque intercedit ægritudinis: at virtutis exercitatio, ac moderatio vitæ, tum veram, tum firmissimam quoque iucunditatem præstat: & illic quidem primum oblectati, magnis porrò angoribus urgemur; hic verò laboribus defuncti, incredibili afficimur voluptate.*

Ethica Catonis.

Tria sunt Catonis de moribus carmina.

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè pura sit mente colendus, &c.

Quis hic fuerit Cato, non disputo, an scilicet, priscus ille Censorius, an potiùs quis alius, qui, prisci illius, adinstar, morum censuram sibi arrogarit, eamque hisce versibus dictarit. idipsum enim stylus humilior & rudior arguere videtur. Adde, quòd inter opera Censorii hi versus non extent.

Hæc Ethnici ex solo naturæ lumine, ac proinde naturales dumtaxat virtutes prosecuti, veram Dei fidem religionem & cultum non attigerunt, cùm ex adverso noster Ecclesiasticus à Spiritu sancto illustratus, imò directus, hosce omnes transgressus, veram erga Deum pietatem, fidem, spem, timorem, charitatem ubique sanciat; nec naturales dumtaxat, sed & supernaturales virtutes, quibus ad Deum quàm proximè accedimus, ab eoque ad æternam felicitatem, regnumque cæleste directo tramite & cursu dirigimur, edoceat, idque succinctè, & per breves gravesque gnomas & sententias, quæ facilè & edisci, & mente retineri, & actionibus singulis adhiberi ac prælucere, quidque facto opus sit, commonere & commonstrare valeant. Unde Plato in Protagora scribit, antiquorum doctrinam nihil aliud fuisse, quàm breviloquium quoddam, idque esse viri absolutè sapientis, paucis, videlicet, multa complecti.

Siracidi nostro, sive Ben Sirach, consonat, & quasi *ἀντιφώνως* respondet homonymus illi Ben Sira, qui sua morum præcepta tradit paucis sententiis Hebraicis, inchoando singulas ab alphabeti literis ex ordine. Illas hìc subjungam, quia Siracidi lucem afferunt, brevesque sunt ac raræ.

Alphabetum I. ethicum Ben Sira.

Aleph. *Ama & honora medicum, dum non indiges eius*. Idem sancit Siracides cap. 38. v. 2. Mysticè Scholiastes Hebræus Ben Sira hoc refert ad Deum: q. d. Cole & precare Deum qui est malorum omnium archiatrus, antequam eius auxilio tibi opus sit.

Beth. *Ben*, i. *filium, non filium* (hoc est, filium, qui non se gerit, ut filium, putà filium procacem, rebellem & perversum) *sine ut aqua summo remiget*. Nam sæpè remus emendat, quem non potuit paterna castigatio.

Gimel. *Os quod cecidit in sorte tua, rode*: q. d. Uxore, & sorte, quæ tibi obtigit, contentus vive.

Daleth. *Aurum tundi debet, & puer verberari*. Hoc est, ut explicat Scholiastes: *Uti aurum, si illud tundas, magis fulget: sic puer, si eum verberes, evadet melior.*

He. *Esto bonus, & manum tuam à bono ne prohibeas. Bonus*, id est, benignus, beneficus.

Va

Vau. *Væ malo, & væ illis, qui adhærent ei.* Aut: *Væ improbo, & væ vicino ejus.* Improbus enim suam culpam & pœnam vicinis afflat.

Zain. *Sparge panem tuum in superficie aquarum, & in arida; & in fine dierum invenies eum:* q. d. Esto liberalis in omnes promiscuè, sive pauperes sint, sive divites; ac tandem justam mercedem à Deo accipies:

Chet. *Vidisti asinum nigrum? Neque nigrum, neque album.* Scholiastes: *Doce linguam tuam, ut dicas semper: Nescio: ne quando in responso capiaris.*

Thet. *Benè malo ne facias, & malum non continget tibi.* Simile est dogma Siracidis cap. 12. v. 4. 5. & 6. quod, quo sensu accipiendum sit, ibi aperiam.

Jod. *Manum tuam à beneficentia ne abstrahas.*

Caph. *Sponsa conscendit thalamum: sed nescit, quid sibi eventurum sit.* q. d. Futura omnia incerta sunt, rerumque eventus ignorantur, etiam cùm in propinquo sunt.

Lamed. *Sapientem nutu, & stultum fuste:* supple, erudi & castiga.

Mem. *Qui honorat contemnentes se, similis est asino, qui inservit ei à quo caditur.*

Nun. *Ignis ardens combussit multos acervos frugum.* q. d. Ex parvo initio maxima oriuntur mala: sicut ex una scintilla, grande incendium: ex uno verbo aspero, multa verbera & cædes, juxta illud Jacobi 3. 5. *Ecce quantus* (quantulus, quàm modicus) *ignis, quàm magnam sylvam incendit. Et lingua ignis est, universitas iniquitatis.*

Samech. *Senex in domo, bonum signum in domo.* Tum, quia senium signum est probæ & temperantis vitæ; huic enim & à natura, & à Deo, præmii loco, datur longævitas: tum, quia senes rerum usu & prudentia pollentes, docent juvenes, quæ familiæ profutura vel obfutura sunt. Senex ergo in domo, signum & causa est, quòd in domo sit bona disciplina & œconomia.

Ain. *Merces si communes habueris cum aliquo, à bono centies frustra repetes, à malo millesies.*

Phe. *Mensam appara, contentio sublata est.* Tum, quia sopita contentione, in concordiæ & amicitiæ redintegratæ symbolum instrui solet mensa: tum, quia vina & convivia animos iratos mulcent, leniunt, exhilarant, & ad concordiam alliciunt. Sic hodie videmus, per symposia multas rixas litesque sopiri.

Tsade. *Si necesse est, ut contrahas accipiendo & dando, esto sors tua cum viro bono.* q. d. Negotiare cum probo, non cum improbo.

Coph. *Propinqua negotiatio comeditur à domino suo: longinqua comedit dominum suum.* q. d. Qui in locis sibi vicinis negotiantur, hi ditantur; qui in remotis, hi depauperantur. sic Hebræi nonnulli explicant illud Proverb. 17. v. 24. *Oculi stultorum in finibus terræ.* q. d. Qui extremas orbis regiones obit negotiandi causa, hic stultus est.

Resch. *Amicum veterem ne abnegato.* Idem monet Siracides cap. 9. v. 11.

Schin. *Sexaginta consiliarii si fuerint tibi; tamen consilium animæ tuæ ne deseras.* Idem consulit Siracides c. 37. v. 18.

Thau. *Tam liberalis sit tibi manus, quasi semper satur fueris, & non quasi modò demum satur factus, anteà verò esurieris.* q. d. In dando esto benignus & liberalis, non tetricus & avarus: nihil enim ita gratiam conciliat, ut benignitas & liberalis hilaritas.

Alphabetum II. Ben Sira.

Aleph. *Animum tuum ne des tristitiæ: multos enim occidit tristitia.* Idem habet Siracides c. 38. v. 21.

Beth. *Bellæ mulieris specie multi pessumdati fuerunt, & robusti omnes interfecti ab ea.* Idem tradit Siracides c. 9. v. 9.

Gimel. *Secretum tuum revela uni è mille, licet multi fuerint, qui pacem* (hoc est, salutem, incolumitatem, bonum) *tuam quærant.*

Daleth. *Abstrahe carnem tuam a muliere gratiosa, tamquam a carne prunarum.* Quia caro ejus ignita est, ac instar prunarum te combureret, Proverb. 6. 29.

He. *Absconde oculos tuos a muliere gratiosa, ne capiaris reti ejus.*

Vau. *Væ ei, qui vadit post oculos suos, quos novit esse filios scortationum:* id est, scortationi addictos.

Zain. *Ne esto ex iis, qui raram aut densam barbam habent: nam nescis, quid sit decretum.* q. d. Noli esse ex eorum numero, qui vel perversè callidi, vel planè stulti sunt. Nam, ut ait R. Aquila (quem ferunt, magistrum fuisse Aquilæ Pontici, qui S. Script. ex Hebræo in Græcum convertit) in Gemara: *Homo rara barba, callidus est: densa barba, stultus.*

Chet. *Chari sunt cuivis homini mares: sed væ patri feminarum.* Filiæ enim sunt continua sollicitudo, ac non rarò dedecus & probrum parentum: unde sequitur:

Thet. *Thesaurus vanus est filia patri suo, cui dum metuit, noctu non dormit.* Idem dicit Siracides c. 42. 12.

Jod. *Dormit,* (dormiens) *non dormit custos puellæ parvulæ: forsan in adolescentia sua decipietur, & adultior facta scortabitur.* Idem habet Siracides c. 42. 14.

Caph. *Cùm nupta erit filia, tu anxius eris de ea valdè, dicens: Fortè liberos habebit, fortè non habebit: & cùm senuerit, ne fortè veneficia exerceat.* Omnia hæc explicant τὸ *væ patri feminarum,* litera *Chet.*

Lamed. *Ne dormias in juventute tua, & in senectute tua ne ducas vetulam: nam uxor vetula debilitabit vires tuas, etiamsi fueris juvenis: uxor autem virgo addet tibi vires & robur.* Exemplum est in Davide sene, quem calefaciebat Abisag Sunamitis, 3. Reg. 1. 3.

Mem. *Aquæ mulieris, quæ virgo invenis est, dulces sunt, & augens vires: sed aquæ mulieris vetulæ, amaræ sunt ut absinthium, & debilitans vires: ut cisterna, quæ aquas habuit, quas ventus hauriendo absorpsit.* Vide Proverb. 5. v. 15.

Nun. *Excute teipsum à muliere mala, quæ lingua sua in te dominatur: mulier enim mala similis est canibus rabidis; cui ideò fores clausæ sunt, licet verba mollia proferat ore suo, cùm respondet.*

Samech. *Scriba docens alios ducat virginem, & ne ducat eam quæ maritum habuit: nam aquæ virginis tibi soli erunt; aquas verò ejus quæ maritum habuit, anteà alius præter te hausit.* Prov. 5. 17.

Ain. *Oculos tuos absconde a muliere vidua, & ne concupiscas pulchritudinem ejus corde tuo: quia filii ejus, filii scortationum sunt:* non quia ex scorto nati; sed quia scortationi addicti: nam patrem non habentes, & matrem non curantes, suæ concupiscentiæ liberè indulgent.

Phe. *Averte faciem tuam a sociis malis: ne habeto cum eis iter. Cohibe pedem tuum ab eis, ne capiaris reti ipsorum.* Sumpsit hoc ex Proverb. 1. 15. & c. 3. 26.

Tsade. *Recondo, fili mi, opes tuas in vita tua, & absconde illas: & heredibus tuis usque ad diem mortis tuæ ne dederis illas.* Ut heredes pendeant à te, non tu ab illis; ne habitis tuis opibus te spernant, & egere sinant, uti multis contigit.

Coph. *Compara tibi opes, & uxorem bonam Dei timentem: multos quoque filios procreato, etiamsi centum fuerint.* Quia si boni fuerint, & probè educati, non erunt multi, licet centum fuerint.

Resch. *Procul recede a vicinis malis, ut ne annumereris societati eorum: nam pedes eorum ad malum currunt, & properant effundere sanguinem. Nihilominùs miserere te vicinorum tuorum, licet mali sunt; & da illis de cibo tuo: quia eo tempore, quo ad judicium stabis, pro te testimonium dicent.*

Schin. *Audi, mi domine, sermones meos, & inclina aurem tuam ad verba mea. Supersede, mi domine, litigare cum vicinis tuis: & si animadverteris in sociis tuis rem malam, ne profer infamiam ipsorum lingua tua.*

Thau. *Compara tibi aureos nummos, & quaslibet opes: & ne indica uxori tuæ ubi sint, licet ipsa bona sit:* bonitate, scilicet, Judaica: nam Christianus conjux conjugi fideli non tantùm opes, sed & liberos ac seipsum credit.

His adde duas alias ejusdem Ben Sira.

Ne te crucies ærumna diei crastini; quia nescis, quid paritura sit dies. Sumpsit id ex Proverb. 27. 1. Idemque docet Christus Matth. 6. 34.

Dies brevis, & opus multum. Cui simile est illud Hippocratis initio Aphorismorum de arte medendi: *Vita brevis, ars longa, occasio præceps, judicium incertum, experientia periculosa.* Et illud R. Simonis in lib. Avoth. *Dies brevis, & opus multum, & operarii pigri, & merces copiosa, & paterfamilias urget.* Et illud Salomonis Eccles. 9. 10. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* q. d. VIVE ÆTERNITATI, non inferæ & miseræ, sed superæ & beatæ: quia modicus labor exigui & irrevocabilis temporis, magnum & æternum tibi pariet præmium. Plures sententias conscripsit Ben Sira, sed vix inveniuntur Hebraicè: eas manuscriptas reperi in vetusto codice bibliothecæ Vaticanæ. Fortè eas Latinè redditas attexam fini Ecclesiastici, si Commentarium videro non nimiùm excrescere.

Ethica Christi, Pauli & Apostolorum.

Siracidem, & Ben Sira, æquè ac Salomonem, secuti sunt

Apostoli, & viri Apostolici, imò Christus Dominus, qui totam Ethicam Christianam paucis sententiis complexus est, quas recenset S. Matthæus tribus Evangelii sui capitibus, puta cap. 5. 6. & 7. Christum Dominum imitatus S. Paulus, officia Christiani hominis recensens, ea uno cap. 12. ad Romanos comprehendit, æquè ac S. Petrus, Jacobus, Joannes eadem una eaque brevi epistola percensent. Paulum & Apostolos æmulatus S. Basilius, paucis gnomis ideam vitæ Christianæ sanctæ & perfectæ describit epistola ad Canonicam, quæ habetur pag. 337.

At S. Gregor. Nazianz. paucis distichis & monostichis, quæ habentur in fine operum ejus, omnia vitæ honestæ præcepta concludit. Monosticha, quia breviora sunt, hic appono. Sic ergo se habet hoc ejus vitæ Christianæ alphabetum.

Alphabetum Ethicæ S. Gregorii Nazianz.

Agendorum initium sit & finis, Deus:
Beata lucra vitæ, quotidie mori:
Cognoscere hominum facta egregiorum stude;
Durum est egere; prius ditem esse improbè:
Eris beneficus, imitaberis Deum:
Fac sis benignus, ut benignum habeas Deum;
Geras cave carni morem, sed eam doma;
Habenis retine iram, ne te occupet furor:
Inhibeto visum: quædam linguæ norma sit:
Clavem auribus obde: risum lascivum fuge;
Lucerna sit ratio vitæ tibi totius:
Missam fac opinionem, remque amplectere:
Noscenda cuncta putato: sed quæ fas, age:
Omnem exhibe hospiti honorem, quam hospes ipse sit:
Procella timeri cursu debet prospero:
Quæcumque dat Deus, animo grato accipe:
Virga justi potior est, quàm honos mali:
Sapientum mihi fores, non locupletum tere:
Tibine pusillum est, unde quid ingens provenit?
Vir magnus esse potes, frænans petulantiam:
Probè tibi cave: alterius lapsum haud riseris:
Gratum invideri; at invidere, ingens probrum:
Præstat animum, quàm cætera offerri Deo.
O quàm beatus, hæc quisquis servaverit!

Ethica S. Basilii.

Studiosè operam dato, ut omnium novissimus sis, ac servus omnium, quando ista una ratione veram tibi ac solidam gloriam paries; non autem illam vanam cassamq; Aures assiduè ad audienda ea, quæ imperentur, attentas habeto: itemque manus ad ea quæ jussa sint exequenda expromptas. Sit tibi taciturnitas in ore, circumspectio in corde. Futiles, qui habeantur, sermones tu magnoperè ne attendito: sed, si quæ ex divinis litteris ad salutem animæ pertinentia memorare audieris, tum verò ad ea audienda doceto, te intellectu esse & scientia præditum. Acerba gustatu tibi ea sunto, quæcumque de mundanis rebus memorentur: contraque favis mellis assimilia, quæ à pietatis colentibus viris narrentur. Enitere porrò, ut eos imitere qui, ut animi sibi sedatas affectiones componerent, priores te in eo vitæ genere elaboraverunt: neque expectes, dum singula doceare. Studeto, ut majorum virtutum compos efficiare; neque minores tamen negligito. Nullum omnino sit erratum, quod parvi pendas, quamvis illud tenuissimæ bestiolæ minutius sit, potiusque eo magis sedulò contende, ut per pœnitentiam illud emendes. Et inferiùs: *Nolito alienorum te erratorum judicem constituere. Ab hominibus tibi majore aliqua propinquitate conjunctis abditor quantum potes, atque in Dei conspectum te frequentissimè dato. Egressus es è cella tua? Ibi continentiam reliquisti, in mundum introspexisti. Difficilibus ac morosis senibus aures libenter præbeto, qui proverbiorum sententiis adolescentes ad recta studia exhortantur. Omni custodia serva cor tuum. Aures tuas cave, ne quibusvis garrientibus aperias, neque temerè nugantibus respondeas. Cave, curiosus sis: aspectionem, auditionem, locutionem, responsionem, omnia ista utilitati metitor. Interrogatus de re aliqua, gravi ac submissa voce responde. Ad orationem quotiescumque vocaris, libenter succinas os tuum; in eaque permaneto, donec canoni satisfeceris; magnamque jacturam te facere arbitreris si ante inde discesseris: siquidem ea cœli quasi imago quædam. In ministeriis pro communi re fratrum, ad [illegible] corporis, verborum quoque lenitatem adhibeas, ut ii, quibus ministras, charitatem te habere erga illos in*A *telligant. Ne patiare, ut quæ propriæ muneris tui sunt, ea alius faciat. Assignato tibi ministerio cum modestia fungitor sedulitateque, perinde ac si Christo ipsi ministrares. Opta, ut sis de numero paucorum: violentorum est enim regnum cœlorum, & violenti rapiunt illud. Noli in eo properare, ut fratribus præsis, ne alienorum peccatorum onere cervices aggraves tuas. Quæ singulis diebus feceris, ea vespere tecum ipse commemora, studioseque operam dato, ut melior in dies evadas. Processum in virtutibus facito, ut hoc modo Angelis efficiare propinquior. Intra cellam tuam te contineto, ibique continenter Deum laudato, & Cherubim imitator.* Hæc S. Basil. Ascetarum princeps, tract. de Abdicatione.

Ethica S. Ambrosii.

S. Ambrosius serm. 58. *Christianus*, inquit, *dicitur, qui*
castitatem diligit, ebrietatem fugit, superbiam detestatur, in- 1.
vidiam velut venenum diaboli respuit. Ille verè bonus Christia-
nus est, qui furtum non facit, falsum testimonium non dicit;
qui non mentitur; qui adulterium non committit; qui ad Ec- 2.
clesiam frequentiùs venit; qui de fructibus suis non gustat, nisi
B *priùs ex ipsis Deo aliquid offerat; qui decimas Deo annis singulis*
erogandas pauperibus reddit; qui sacerdotibus suis honorem im-
pendit; qui omnem hominem, sicut seipsum, diligit; qui nullum
hominem odio habet. Ille verò non solùm bonus Christianus est,
sed & ipse Christus in illo habitat, qui stateras dolosas, & men- 3.
suras duplices, velut gladium diaboli, pertimescit. Ille bonus
Christianus est, qui, quando ad Ecclesiam venit; & oblationem, 4.
quæ altari debetur, exhibet; & pauperibus, secundùm quod vi-
res habet, aut argentum, aut buccellam porrigit; qui peregri-
nos in domum suam recipit; qui hospitum pedes lavat: qui non
solùm lites non excitat, sed etiam discordes ad concordiam revo-
cat; qui majoribus, & parentibus honorem, & veræ charita-
tis amorem impendit; qui & ipse castè vivit; & filios suos, vel
vicinos ut castè & sobriè vivant, & verbis admonet, & exemplis
docet. Ille bonus est Christianus, qui quoties Sanctorum solem- 5.
nitates veniunt, ut securiùs communicet, castitatem cum pro-
pria uxore, etiam plures dies, ante custodit: sicque sincera con-
scientia ad altare Domini casto corpore, & mundo corde præsu-
mit accedere: qui Symbolum, & orationem Dominicam memo-
riter tenet; & filios vel filias, ut & ipsi memoriter teneant,
fideliter docet. Ethicam fusiorem, eamque plenam & exa-
C ctam conscripsit S. Ambros. lib. de Officiis.

Ethica S. Augustini.

Sanctus Augustinus de Vita Christiana, tom. 9. cap. 14. *Christianus*, ait, *ille est, qui omnibus misericordiam facit; qui omnino non movetur injuria: qui opprimi pauperem, se præsente, non patitur; qui miseris subvenit; qui indigentibus succurrit; qui cum mœrentibus mœret; qui dolorem alterius, sicut proprium, sentit; qui ad fletum fletibus alienis provocatur; cujus omnibus communis est domus; cujus janua nemini clauditur; cujus mensam pauper nullus ignorat; cujus donum panis cunctis offertur; cujus bonum omnes norunt; à quo nemo sentit injuriam; qui Deo die noctuque deservit; qui ejus præcepta indesinenter meditatur & cogitat; qui pauper mundo efficitur, ut Deo locuples fiat; qui inter homines habetur inglorius, ut coràm Deo & Angelis ejus gloriosus appareat; qui in corde suo nihil videtur habere simulatum vel fictum; cujus simplex & immaculata est anima; cujus conscientia fidelis & pura est; cujus tota mens in Deo est; cujus omnis spes in Christo est; qui cœlestia potiùs quam terrena desiderat; qui humana spernit, ut possit habere divina.*

Porrò Ethicam particularem, & singulis hominum statibus adæquatam, minutim, solerter, acutè & eleganter conD scripsit S. Hieron. in variis epistolis. Officia virginis aureis gnomis descripsit epist. ad Eustochium, & ad Demetriadem: conjugis, epist. ad Celantiam: viduæ, epist. ad Furiam, & ad Salvinam: Clerici & Sacerdotis, epist. ad Nepotianum: monachi, epist. 1. ad Heliodorum, & 4. ad Rusticum, & 13. ad Paulinum: pueri & adolescentis, epist. 7. ad Lætam, & 12. ad Gaudentium. Denique S. Ephrem tomo 1. tract. de Recta vivendi ratione sententiis 91. & tract. de Vita spirituali, sententiis 96. omnem vitæ Evangelicæ Ethicam complectitur. Idem tract. de Timore, & de Beatitudinibus, angelicis gnomis perpaucis, omnem vitæ perfectæ normam ad vivum repræsentat. Gnomas ethicas S. Athanasii, vide tract. de Virgin. & Exhort. ad monachos.

Ethi-

Ethica S. Gregorii, Romani Pontificis.

Sanctus Gregor. lib. 10. Moral. cap. 16. *Scientia*, inquit, *iustorum est, nil per ostentationem fingere; sensum verbis aperire; vera, ut sunt, diligere; falsa devitare; bona gratis exhibere; mala libentiùs tolerare quam facere; nullam iniuriæ ultionem quærere; pro veritate contumeliam lucrum putare.* Et mox: *Mentem verbis ostendere; nil callida machinatione simulare; nullis iniuriis contumelias reddere; pro maledicentibus orare; paupertatem quærere; possessa relinquere; rapienti non resistere; percutienti maxillam, alteram præbere.* Ex cap. 29. *Electus quisque*, &c. *honorari metuit, despici non refugit, corpus continentia afficit, sola in animo dilectione pinguescit, mentem semper ad patientiam præparat, & erectus pro iustitia de perceptis contumeliis exultat; afflictis ex corde compatitur; de bonorum prosperitatibus, quasi de propriis, lætatur; sacri verbi pabula in mente sollicitus ruminat, & inquisitus quodlibet, eloqui dupliciter ignorat.*

Ethicam S. Bernardi vide in Formula vitæ, & libro de Modo benè vivendi, ad sororem virginem: qui libri utilissima vitæ honestæ continent documenta: sed non videntur esse S. Bernardi; tum, quia stylo ab eo discrepant; tum, quia S. Bernardus unicam habuit sororem, eamque conjugatam, non virginem, uti rectè advertit Bellarm. lib. de Script. Eccles. in S. Bernardo.

Ethica S. Thomæ Aquinatis.

Angelici Doctoris Angelicæ gnomæ Ethicæ sunt hæ: Paupertas juncta impatientiæ est sumptus sine lucro. Religiosus orationis spiritu destitutus, similis est militi gladio carenti & inermi. Religiosus solus incedens est dæmon solitarius. Capere nequeo, qua ratione existens in peccato mortali possit ridere & lætari. Item, qua ratione Religiosus possit aliud, quàm Deum cogitare; unitus enim Deo despicit omnia, quæ Deo minora sunt: Passio Christi est instar radii & caloris solaris, qui licet creatus sit in utilitatem omnium, non tamen prodest omnibus. Rogatus, cur adeò fugeret feminas, cùm ex matre femina natus esset, respondit: Ideò fugio omnes, quia ex una prognatus sum. Rogatus, quibus signis colligi possit, quempiam profecisse in vita spiritali, esseque perfectum, respondit: Duobus, Priore, si abstineat à verbis jocosis & otiosis. Posteriore, si se despici non ægrè, sed patienter ferat; imò gaudeat: si enim doleat se contemni, scito eum non esse perfectum, etiamsi miracula patret; quia caret vero virtutis & sanctitatis fundamento, quod est humilitas. Moriens rogatus, num qua re indigeret, respondit: Nulla: quia brevi habebo omnia, inquit, potiarque summo omnique bono. A sorore interpellatus; Primò, quomodo salvari posset, respondit: Volendo, si, scilicet, salvari velis efficaciter: hæc enim voluntas efficax finis, putà salutis, impellet te, ut media omnia ad eam necessaria ultrò capessas. Secundò, quid maximè in hac vita desideraret, respondit: Benè mori. Tertiò, quid esset paradisus, respondit: Id sciri nequit, donec quis reipsa meritis suis illum consequatur, ejusque bona ineffabilia actu gustet & sapiat. A monachis rogatus, quomodo hæc vita sine errore & lapsu transigi possit, respondit: Si in qualibet actione quis ita agat, ut rationem reddere possit, cur eam faciat: sic enim non sinet se transversum agi à cupiditate, passione, casu, aliàve re, quæ eum in errorem inducat. Rogatus, cur per triennium, navans operam Alberto Magno, tacuisset, respondit: Quia necdum didiceram benè loqui coram Alberto. Otium est hamus diaboli, per quem omnis esca & illecebra sapit. Si vis evadere doctus, unum dumtaxat lege librum. Hæc Apophthegmata Ethica S. Thomæ Aquinati assignant, tum alii, tum Ferdin. Castiglius in Histor. S. Dominici, p. 1. lib. 3. c. 37.

Ethica S. Bonaventuræ:

S. Bonaventura in Opusculis tom. 2. sub initium, epistolam scripsit, continentem 25. memorialia Ethica. Primum est: spem tuam totam fige in Domino, ut de omnibus huius mundi consolationibus penitus desperes. Secundum, emunda cor ab omnibus vitiis & concupiscentiis, quoad potes. Tertium, dissolve omnem colligationem ex-

A trinsecam, ut sana & pura mente possis Deo colligari. Quartum, omnes tribulationes patienter, imò hilariter feras, ut solùm in Christi passionibus delecteris. Quintum, de nulla re vel creatura conquereris, memor te creatorem tuum offendisse. Sextum despice te, & opta ab aliis despici: ceteros verò honora. Septimum, fuge sæculi honores, favores & auras vanæ gloriæ, quasi mortiferas pestes. Octavum, humilia te, ac omnium te servum effice & reputa, ut sequaris Christum, qui, cùm esset Deus, formam servi propter te assumpsit. Nonum, nulli rei te implices, ubi non invenis animæ tuæ lucrum. Decimum, custodi sensus & linguam, ut nihil velis sentire, audire vel dicere, nisi quod utile est animæ tuæ. Undecimum, sectare sanctam solitudinem, ut vaces orationi. Duodecimum, divinum officium tam devotè & reverenter persolve, ac si inter Angelos coram Deo consisteres. Decimumtertium, summè venerare B. Virginem. Decimumquartum fuge consortia virginum & mulierum. Decimumquintum, fuge acediam & tri-
B stitiam, ut serenus semper & tranquillus existas: ideoque nulli resistas, vel contradicas, nisi Dei honor, vel salus animæ tuæ id exposcat. Decimumsextum, in omnibus conforma te voluntati Dei. Omnia te ædificent: nulla te offendant. Decimumseptimum, omni custodia custodi cor tuum. Decimumoctavum, esto beneficus in omnes, ut Deum imiteris. Decimumnonum, continuè mentem habeas ordinatam cum Deo, & omnia opera tua, licet humilia, tanto facias charitatis fervore, ac si ea Christo corporaliter exhiberes. Vigesimum, obedito, non solùm superioribus, sed & æqualibus & inferioribus, ut semper studeas alterius facere voluntatem: nullum offendas: nulli obmurmures; vel detrahas; nullique murmurandi vel detrahendi sias occasio. Vigesimumprimum, virtutes, gratias, consolationes, æquè ac tentationes & tribulationes celato, nec revelato nisi Patri spiritali, vel speciali ac probato amico, ut ejus consilium vel auxilium exquiras. Vigesimumsecundum, Deum semper & ubique in memoria menteque habeto, cogitans, te in ejus præsentia versari, ab eoque aspici, ut eum timeas & ames. Vigesimumtertium, esto vigil, ut diaboli laqueo prævideas & ca-
C veas. Vigesimumquartum, quotidie conscientiam examina, & errata humiliter confitere, ut puritatem animæ conserves vel recuperes, fugiendo omnes peccandi occasiones, memor mortis, iudicii, cæli & inferni. Vigesimumquintum; cùm hæc omnia feceris, te servum inutilem, & peccatorem recognosce.

CAPUT VI.

Stylus.

Stylus Ecclesiastici, tam Auctoris, quàm interpretis, Græci æquè ac Latini, planus est, simplex, candidus, non involutus, non fucatus, non ornatus. Quare in Interprete Latino, veritati & simplicitati studenti, phrasis neglecta subinde est, incultior & inelegantior, adeò ut barbarismos & solœcismos admittat. Idem videre est in Latina versione novi Testamenti, & Psalmorum, quam emendans S Hier. tantum detulit venerandæ antiquitati, ut phrasim hanc mutare, & Latiniorem reddere sibi religioni duxerit: qua-
D re eam intactam reliquit, malens canæ veritati & versioni, quàm proprietati sermonis, & candori orationis curam tempusque impendere: sententiarum enim gravitas verborum lenocinia respuit. Idem fecit subinde in propria versione, qua Scripturam Hebraicam in Latinum convertit. Audi illum in c. 40. Ezech. *Illud sæpiùs monuisse sufficiat, nosse me, cubitum, & cubito, neutrali appellavi genere; sed pro simplicitate & facilitate intelligentia, vulgique consuetudine, ponere & genere masculino. Non enim cura nobis est, vitare sermonum vitia, sed Scripturæ sanctæ obscuritatem quibuscumque verbis disserere.* Idem in c. 47. *Quòd cubitos genere masculino, & non neutrali cubita dicimus, iuxta regulam Grammaticorum, non ignorantia id facimus, sed consuetudine, propter simplices quosque & indoctos, quorum in congregatione Ecclesiæ maior est numerus.* Idem fuit sensus ceterorum Patrum. S. August. lib. 4. de Doctrina Christiana, c. 11. *Bonorum*, ait, *ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba.* Et S. Prosper. lib. 3. de Vita contempl. cap. 34. *Mihi*, ait, *pudori non est dispucatio mea, quæ fortè probatur in rebus, si aliquos verborum inanium sectatores horrore*

incompta orationis offendat, cùm sententiarum vivacitatem sermo ex industria cultus enervet, & totam vim dictionum splendor elaboratus evacuet, &c. *Prudentibus viris non placent phalerata, sed fortia: quando non res pro verbis, sed pro rebus enuntiandis verba sunt instituta.* Idem dicat interpres: interpretem ago, non oratorem: interpretem, inquam, S.Script. quæ gravior est, quàm ut flosculis ornatæ orationis comi velit. Hic enim verum est illud Horatii:

Ornari res ipsa vetat, contenta doceri.

Et illud Satyrici satyra 5.

Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.

Et Cicero *inassertam manuli sapientiam, quàm stultam loquacitatem*, ait Joannes Picus, Comes Mirandulæ, epist. ad Hermolaum. Quocirca S.Gregor. præfatione in Job epist. ad Leandrum, in fine protestatur, se simplici facilique stylo usurum, ut S.Script. quam explicat, quæ illo gaudet, imitetur. *Quæso*, inquit, *ut hujus operis dicta percurrens, in his verborum folia non requiras: quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosæ loquacitatis levitas studiose compescitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. Et cuncti procul dubio scimus, quia quoties in foliis male læta segetis culmi proficiunt, minori plenitudine spicarum grana turgescunt. Unde & ipsam loquendi artem, quam magisteria disciplinæ exterioris insinuant, servare despexi. Nam sicut hujus quoque epistolæ tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio; non barbarismi confusionem devito, situs, motusque, & præpositionum casus servare contemno: quia indignum vehementer existimo, ut verba cælestis oraculi restringam sub regulis Donati. Neque verò hæc ab ullis interpretibus in Scripturæ sacræ auctoritate servata sunt: ex qua, nimirum, quia nostra expositio oritur, dignum profecto est, ut quasi edita soboles speciem suæ matris imitetur.* B. Petrus Chrysologus sermo 8. *Qui maturitatis*, ait, *fructum quærit, despicit amœna camporum: violæ siquidem, lilia, rosæ, narcissus, grati flores, sed gratior panis: & quod est odor naribus, hoc est auribus sermonis ornatus. Quod ergo panis confert hominum vitæ, hoc scientia dat hominum saluti.*

Insuper interpres Ecclesiastici, quia vetustus, vetustas usurpat phrases, nomina & verba suo sæculo usitata, jam verò antiquata & obsoleta: quæ altera est causa, cur versio ejus nobis videatur incultior & illatinior, cùm suo sæculo habita fuerit culta & Latina: quæque enim ætas, & quodque sæculum suam habuit latinitatem, suum stylum, suam elegantiam, dictiones & phrases sibi proprias, quæ à sequenti sæculo novum quid parturiente fastiditæ, visæ sunt minùs Latinæ & inelegantes. Verum enim est illud M.Varronis lib. 4. de Lingua Latina: *Vetustas non pauca depravat, multa tollit. Quem puerum vidisti formosum, hunc vides deformem in senecta. Tertium sæculum non videt eum hominem, quem vidit primum.* Et illud Horatii epist. de Arte Poetica:

Ut sylvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modò nata, vigentque.

Et mox:

Multa renascentur, quæ nunc cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Rursum, unum idemque vocabulum volvente sæculo, volvitur, mutatque significationem, ut aliud priore ævo, aliud posteriore significet. Hinc interpres Ecclesiastici æquè ac Sapientiæ, voces nonnullas in peculiari significatu usurpat. Sic Primò, *traductionem* vocat correptionem aut punitionem; Secundò, *allocutionem* vocat consolationem; Tertiò, *honestas*, id est, opes & divitiæ; *honestare*, id est, ditare; Quartò, *infrunitus*, id est, impudens & inexplebilis; Quinto, *replere*, id est, plenum afferre: *implere*, id est, accumulare; Sextò, *generatio*, id est, fructus, aut proventus in agro aut vinea geniti; Septimò, *scandalizari*, id est, offendere, impingere, ruere; Octavò, *indoctus*, id est, insipiens; Nonò, *certari*, id est, certare, contendere; Decimo, *nequitia* vel *malitia*, id est, afflictio; Undecimò, *fænerari*, id est, mutuare; Duodecimò, *monstra*, id est, prodigia; Decimotertiò, *implanatus*, id est, deceptus: Decimoquartò, *natio*, id est, progenies, & res natæ in mundo, etiam animalia, & herbæ ac plantæ; Decimoquintò, *sensus*; id est, prudentia; Decimosextò, *tabitudo*, id est, tabes, corruptio; Decimoseptimò, *reverentia*, id est, pudor, confusio: *revereri*, id est, confundi, pudore affici; Decimooctavò, *obductio*, id est, tentatio, calamitas, ærumna, qua totus homo quasi obducitur & obnubilatur, ait Hesychius; Decimononò, *mulieres viratas* vocat viriles, putà viragines; Vigesimò, *pessimare*, id est, pessimè tractare, affligere; Vigesimoprimò, *continens*, id est, compos, vel particeps; Vigesimosecundò; *defunctio*, id est, mors, qua vita defungimur; Vigesimotertiò, *incredibilis*, id est, incredulus, diffidens; Vigesimoquartò, *illius*, id est, suus; Vigesimoquintò, *placor*, id est, placabilitas, favor; Græcè, *εὐδοκία*; Vigesimosextò, *homo acharis*, id est, sine gratia, vocatur homo insulsus, insipidus, ineptus. Denique Franciscus Lucas in Notis ad Eccles. censet, interpretem Latinum Ecclesiastici fuisse hominem natione Græcum, ideoque græcizare, & phrasibus minùs Latinis uti. Idem de Interprete Latino novi Testamenti, & Psalmorum autumant nonnulli.

Novæ voces Ecclesiastici.

CANONES QVI FACEM PRÆFERANT
ECCLESIASTICO,
CETERISQVE LIBRIS SAPIENTIALIBVS.

Primus. Hic liber moralia tradit præcepta honestè recteque vivendi; non tamen omnia obligant sub peccato, ut qui contrarium agit, mox peccet in Deum: nonnulla enim ad propriam dumtaxat utilitatem & commodum, ac præsertim ad tranquillam & commodam vitam, referuntur. Tale est illud c. 8. *Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius.* Et v. 2. *Non contendas cum viro locuplete, ne forte contra te constituat litem tibi.* Et v. 4. *Non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem illius ligna.* Et v. 5. *Ne communices homini indocto, ne malè de progenie tua loquatur.*

Secundus. Operæ pretium est studioso, præsertim doctori & concionatori, notare hìc locos communes & succulentos passim occurrentes, & fusè pertractatos de singulis virtutibus, & vitiis contrariis, ut de amicitia, fidelitate, castitate, vindicta, &c. quos proinde in argumento cujusque capitis, per versus sigillatim indicabo & prænotabo.

Tertius. Siracides valdè imitatur Salomonem, præsertim eius Parabolas sive Proverbia, tum quoad rem, tum quoad verba, ut patebit ex parallelis utriusque, quæ post Canones subjiciam.

Quartus. Interpres Latinus hìc admodum græcizat: fortè & ipse fuit Græcus, nec Latinè admodùm peritus. Ergo vis vocis Græcæ, & subinde Hebrææ (quantum eam ex aliis Script. locis rimari & conjectare licet; nam Ecclesiasticus jam Hebraicè non extat) hìc accuratè perpendenda est & examinanda. Hinc disces, quanta sit cognitionis linguæ Græcæ & Hebraicæ utilitas, quantique intersit fontes Hebræos & Græcos in S. Script. scrutari, atque ex illis genuina Sac. Script. sensa mentemque rimari & interpretari: qua de re vide S. August. lib. 2. Doctr. Christ. c. 11.

Quintus. Sapientia hìc, uti & Proverb. 8. & Sapient. 7. generatim sumitur, prout competit creatæ & increatæ; ac maximè significat practicam Ethicam Sanctorum, putà judicia & dictamina prudentiæ practica de obediendo Deo,

Deique

Deique legi, illiusque executione, timore & amore: hæc enim sapientia practica, est cognitio Dei, & ultimi finis ac mediorum, putà legum eò ducentium, eorumdemque pius affectus, amor & desiderium. Hinc sapientia copiæ causa, nunc vocatur intellectus, nunc prudentia, nunc disciplina, nunc doctrina; nunc scientia, nunc astutia, nunc correptio, nunc eruditio: quæ omnia in re idem sunt & significant, licet etymo, connotato, propria & præcisa notatione & significatione differant, ut patet etymon cujusque intuenti.

Sextus. Sæpissimè more Hebræo hìc subticetur verbum *est*, aut *sunt*. Rursum multa alia subticentur, ac sæpè ipse finis & scopus sententiæ. Sic Prov. 20. 12. dicit Salomon: *Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit utrumque.* At quorsum? Subaudi & supple: Domino ergo factori utriusque, gratiæ agendæ sunt, & utrique utendum ad Dei honorem & beneplacitum: quia ipse est oculus lucidissimus, qui omnia videt; & auris acutissima, quæ omnia audit. Et Prov. 22. 2. *Dives & pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus.* Subaudi & infer: ergo, cùm sint pares creatione, licet dispares opibus; nec diviti superbiendum est in iis, nec pauperi mœrendum in earum defectu; sed quisque sua sorte contentus alteri adminiculetur, & Deo serviat: tum, quia Deus has sortes ita dispertire voluit ad hoc, ut mutuis auxiliis & officiis hæc vita contineretur: non enim voluit omnes esse divites: sic enim nemo vellet laborare, agros colere, &c. nec vicissim voluit, omnes esse pauperes; quia hac ratione non possent sese alere. Tum, quia tam paupertas donum Dei est, quàm sunt divitiæ: nam sicut Deus divitibus dat divitias ad charitatis & eleemosynæ; ita pauperibus dat pauperiem ad laboris & patientiæ materiam, exercitium & meritum, cum gratia utrique proportionata.

Septimus. Gnomæ & Proverbia non significant, quid semper fiat; sed quid plerumque: subinde etiam eventum dumtaxat, licet infrequentem & rarum. Sic cap. 27. 28. dicitur: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet: & qui foveam fodit, incidet in eam.* Et v. 32. *Laqueo peribunt, qui casu delectantur alieno.* Et cap. 12. 18. *in oculis suis lacrymatur inimicus, & quasi adiuvans suffodiet plantas tuas.* Et Eccli. 10. 20. *In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia & aves cæli portabunt vocem tuam; & qui habet pennas, annuntiabit sententiam.*

Octavus. Bona temporalia, quæ promittuntur hìc sapientibus, & probè viventibus, propriè spectant ad Judæos, & vetus testamentum: bona verò spiritualia ad Christianos, & novum testamentum.

Nonus. Est hic congeries sententiarum de qualibet re agibili, quibus qualibet occasione, loco & tempore utamur contra occurrentia vitia, eorumque pericula & tentationes, ut iis actiones metiamur, & dirigamus secundùm præscriptum quarumlibet virtutum. Quare non est hic quærendus earum ordo & connexio: promiscuè enim ponuntur, ut gnomæ, uti ostendi cap. 5. Sæpè tamen Siracides de eadem virtute, aut vitio plures sententias congerit, eiusque varias species, modos, fructus recenset, ac subinde subiicit eius contraria, ut eam per illorum antithesin illustret: quo facto non rarò transit ad id, quod ei vicinum est & affine. Sic cap. 1. agit de sapientia; mox v. 11. transit ad timorem Dei, sapientiæ affinem. Sic cap. 6. agit de amicitia vera & falsa; ac vers. 18. transit ad sapientiam, quæ veræ amicitiæ est conciliatrix. Sic cap. 7. agit de pietate debita Deo; ac mox transit ad pietatem debitam Sacerdotibus, parentibus, filiis, amicis, potentibus, afflictis, infirmis & mortuis.

Decimus. Varia hìc traduntur præceptorum & monitorum genera, quædam Ethica & privati hominis, quædam œconomica, alia politica, alia denique Theologica. Rursum quædam didascalica & doctrinalia, nonnulla consolatoria, alia parænetica, & exhortatoria.

Undecimus. Crebræ sunt antitheses inter sapientem & stultum: sapientem enim vocat Ethicum practicum: ex adverso stultum indigitat hujus Ethices ignarum, pravum & perversum. Sapiens ergo est vir probus: stultus est improbus. Per sapientiam enim hìc Ethica & practica, putà bonitas & virtus, intelligitur. Unde Prov. 11. & c. 7. v. ult. sapientiæ opponitur malitia.

Duodecimus. Conjunctio *&* sæpè idem est, quod *sic*, vel *sicut*: similia enim connectit; ideòque quasi comparationis nota ea inter se

A confert & comparat, ut c. 19. 26. *Ex visu cognoscitur vir: &* (id est, *sic*) *qui pungit cor, profert sensum.* cap. 21. 29. *In ore fatuorum cor illorum: &* (id est, *sic ex adverso*) *in corde sapientum os illorum.* Prov. 25. 3. *Cælum sursum, & terra deorsum: &* (id est, *sic*) *cor regum inscrutabile.* Et v. 23. *Ventus Aquilo dissipat pluvias: &* (id est, *sic*) *facies tristis linguam detrahentem.* Et v. 25. *Aqua frigida animæ sitienti: &* (id est, *sic* gratus & iucundus est) *nuntius bonus de terra longinqua.* Talia crebra sunt in Proverbiis, adeoque in singulis subinde sententiis occurrunt.

Decimus tertius. Sapiens volitionem, initium, conatum operis solet nobis vel creaturis tribuere, velut facilem cum concursu Dei ordinario, quem præsupponit & subintelligit: finem verò & exitum felicem ascribit Deo: tum, quia exitus hic difficilior est, ob multa obstacula, quæ in executione occurrunt, & ob causas alias concurrentes, quas Deus vel generali, vel speciali sua providentia ordinat & disponit: tum, quia finis in opere est id, quod maximè optatur & intenditur, ideoque primæ & summæ causæ attribui solet: abstrahit enim ab operibus gratiæ, quam certum est in actibus supernaturalibus primas, medias & ultimas tenere.

B *Decimus quartus.* S Cyrillus lib. 9 contra Julian. *Mos, ait, est S. Script. pedis gressum, & interdum totum pedem ænigmaticè accipere pro eo, quod ostendit viam eius, quod unicuique faciendum est, ut Proverb. 23. Rectos gressus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige.* Et Psalm. 118. *Converti pedes meos in testimonia tua. Itaque pes per figuram via est in unoquoque opere.*

Decimus quintus. Hebræi *mislè*, id est, Proverbia, vocant sententiam quamlibet illustrem, quasi prædominantem & excellentiorem ceteris (radix enim משל *mascal* significat præcellere, dominari) sive ea adagium sit & proverbium, sive parabola & ænigma, sive quid aliud: quo factum est, ut in Script. sæpè confundantur, & pro eodem sumantur hæc nomina parabola, proverbium, parœmia, ænigma, &c.

Decimus sextus. Græcus textus hìc multò concisior est Latino: hinc pleræque sententiæ, quæ in Latino sunt trimembres, in Græco sunt bimembres, ut patet intuenti c. 1. v. 2. & 3. & 8. & 9. &c. Quocirca subinde Græcus non videtur integras Siracidis sententias ponere, sed eas abbreviare & quasi in compendium redigere: unde & nonnullas omittit, eò quod aliis anteà dictis sint similes. Quod enim Iansenius opinatur, sententias, quæ in Græco non habentur, esse alicuius (C) Commentatoris, qui ad marginem, explicationis gratia, eas scripserit; alium verò putantem eas esse Siracidis, ex margine in textum illas transtulisse; planè videtur improbabile. Multæ enim sunt hìc sententiæ in Latinis codicibus, quæ desiderantur in Græcis; ac proinde omnes illæ essent irrepititiæ, nec haberent auctoritatem S. Script. quod repugnat Concil. Trident. sess. 4. ubi sancit, Vulgatam versionem Latinam per omnia habendam esse authenticam, & canonicam Scripturam. Accedit quòd Græci codices merè inter se varient, & nonnulli consentiant cum Latinis. Illis ergo magis credendum, quàm Græcis ita variantibus: præsertim, quia Latinis, non Græcis, consentiunt & adstipulantur S. Aug. in Speculo, S. Cyprian. de Bono patientiæ, & alii veteres. Quare Vulgata versio Latina, non ex Græco textu corrigenda est, illique adaptanda, uti censet Isidorus Clarius: sed potiùs Græca Latinis accommodanda sunt. Sanè ex dictis liquet, à Græcis variis variè hunc librum fuisse coagmentatum, sententiis aliis additis, aliis demptis, aliis mutatis, idque partim vitio scriptorum, partim libertate Commentatorum, qui cùm censerent, (D) librum hunc non esse canonicum, liberiùs eius sententias paraphrasticè exposuerunt, vel suis conceptibus adaptarunt: partim etiam, quòd Siracides nepos, avi sententias sparsas variè transcripserit, nunc aliquas addendo, nunc demendo, nunc ex uno loco in alium transferendo, nunc novum earum sensum afferendo: sic enim solent Auctores, dum libros suos recognoscunt, aut iterum describi vel recudi curant, quædam addere, quædam demere, quædam immutare. Simili modo videmus in Proverbiis apud Septuag. & nostrum extare aliquot sententias, quæ non sunt in Hebræo; uti videre est in fine cap. 4. & initio 7. Ut est, sententiæ Siracidi Græcis textus, quæ non extant in Latino, non habent certam & canonicam auctoritatem (nisi quibus à Patribus eas citantibus illa datur:) quia Concil. Trident. Vulgatam versionem Latinam probavit, non Græcam.

Decimus septimus. Eædem sententiæ subinde iterantur, & inculcantur

IN ECCLESIASTICVM IESV, FILII SIRACH,

PROLOGUS.

EX hoc titulo liquet, prologum hunc Ecclesiastico additum à Jesu juniore, qui Ecclesiastici fuit interpres. Quares, an hic prologus habeat eamdem auctoritatem, quam habet Ecclesiasticus, sitque Scriptura canonica. Aliqui respondent affirmative, probantque ex eo, quod in editione Bibliorum Clementis VIII. hic prologus præfigatur Ecclesiastico, cùm in proœmio eorumdem dicatur, in editione illa nihil non canonicum intexi. Ita censet noster Gretserus to. 1. defensionis Bellarmini, lib. 1. c. 14. pag. 268. Verùm probabiliùs alii respondent negativè. Ratio est: quia Jesus junior tantum fuit libri interpres, non auctor: interpretes autem non condunt S. Scripturam; sed dumtaxat interpretantur. Vnde prologus hic in multis Græcis codicibus, ut Complutensibus, Græcè desideratur: æquè ac in versione Arabica & Syriaca: atque Rabanus, Dionys. Palacius, qui in Ecclesiasticum commentantur, prologum non attingunt. Pluribus idipsum demonstravi Thren. 1. in argumento, ubi simili modo prologum Threnorum non esse Scripturam canonicam ostendi. ita Jansenius & alii. Errat ergo Abulensis in præfat. 1. Paral. c. 7. ubi asserit, eumdem esse auctorem prologi, & libri Ecclesiastici, scilicet, Jesum juniorem: unde sequeretur, tam prologum, quàm librum habere auctoritatem S. Scripturæ. Idem sensisse videtur Isidorus l. 1. de Eccles. Offic. c. 12. Causam erroris indicavi in Prolegomenis, c. 2. Nunc breviter prologum elucidemus, ut deinde ad auctorem ipsum hagiographum transeamus.

MUltorum nobis & magnorum, per legem, & prophetas, aliosque, qui secuti sunt illos, sapientia demonstrata est: in quibus oportet laudare Israel doctrinæ & sapientiæ causa: quia non solùm ipsos loquentes necesse est esse peritos, sed etiam extraneos posse, & dicentes, & scribentes doctissimos fieri. Avus meus Jesus, postquam se ampliùs dedit ad diligentiam lectionis legis, & Prophetarum, & aliorum librorum, qui nobis à parentibus nostris traditi sunt; voluit, & ipse scribere aliquid horum, quæ ad doctrinam & sapientia*m* pertinent: ut desiderantes discere, & illorum periti facti magis magisque attendant animo, & confirmentur ad legitimam vitam. Hortor itaque venire vos cum benevolentia, & attentiori studio lectionem facere, & veniam habere in illis, in quibus videmur sequentes imaginem sapientiæ, deficere in verborum compositione. Nam deficiunt verba Hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam. Non autem solùm hæc, sed & ipsa lex, Prophetæ, ceteraque aliorum librorum non parvam habent differentiam, quando inter se dicuntur. Nam in octavo & tricesimo anno, temporibus Ptolemæi Evergetis regis, postquam perveni in Ægyptum, & cùm multùm temporis ibi fuissem, inveni ibi libros relictos, non parvæ, neque contemnendæ doctrinæ. Itaque bonum & necessarium putavi & ipse aliquam addere diligentiam & laborem interpretandi librum istum: & multa vigilia attuli doctrinam in spatio temporis, ad illa, quæ ad finem ducunt, librum istum dare, & illis qui volunt animum intendere, & discere, quemadmodum oporteat instituere mores, qui secundùm legem Domini proposuerint vitam agere.

A MULTORUM NOBIS ET MAGNORUM] Clarè hæc ex Græco sic vertas, *cùm multa magnaque nobis per legem, & Prophetas, aliosque qui eos secuti sunt, tradita sint ob quæ meritò laudes Israelitas nomine eruditionis ac sapientiæ, & unde non solùm ipsi lectores possint docti evadere; sed, si sint studiosi, etiam exteris, tam dicendo, quàm scribendo utiles esse queant, avus meus, cùm se multùm dedisset lectioni legis, & Prophetarum,* &c *voluit & ipse aliquid horum scribere*. ita Vatabl. Jansen. & alii. Omnia ergo hęc connexa sunt, nec sensum explent, nisi usque, *Voluit & ipse aliquid horum scribere.* Dat enim causam, cur avus librum hunc scripserit, nimirum, exemplum præcedentium, qui similia scripserunt, quę magnam Judæis laudem, æquè ac utilitatem attulere; ita ut non tantùm ipsi, legendo eos, docti evaserint; sed & extraneis, id est, gentibus ea audientibus vel lectitantibus, dicendo & scribendo utiles fuerint. Nota. Pro *loquentes*, Jansenius censet legendum, *legentes*: hoc enim significat Græcum ἀναγινώσκοντες, sed eodem redit sensus: q. d. Non tantùm ex his e Hebræorum libris proficiunt Hebræi, qui intelligentes & loquentes Hebraicè Hebræa legere possunt; sed per eos proficiunt & Græci, ceterique, qui Hebraicè loqui & legere nesciunt: quia Hebræi Hebræos legentes, ipsos Græcis dicendo, vel scribendo, interpretari possunt, ut & Græci ex iis doctissimi evadant. Insuper pro, *necesse est esse doctos*, clariùs vertas, *fieri*, vel, *evadere doctos oportet*. Græcè enim est, γενέσθαι, quod tam *esse*, quàm *fieri*, significat: hic meliùs vertas *fieri*. Rursum pro *discentes*, corrigendum est *dicentes*, uti correxerunt Romani: hoc enim significat Græcum, λέγοντες.

VOLUIT IPSE] Ita legendum cum Romanis, hoc enim significat Græcum προήχθη. Perperam ergo nonnulli codices legunt, *volui & ipse*, quæ lectio nonnullis imposuit, ut censerent, Jesum juniorem, sive nepotem, esse auctorem libri; quasi ipse ex avi scriptis & doctrina sparsim tradita eum collegerit & composuerit, uti dixi cap. 2. Prolegom.

UT DESIDERANTES DISCERE, ET ILLORUM PERITI FIERI] Clarè vertit Vatabl. *unde studiosi, & qui se his dedissent, multò maiorem ad legitimè vivendum profectum facerent*. Pro *periti* Græcè est ἔνοχοι, quod Noster, & alii accipiunt positum pro μέτοχοι, id est, *participes*, scilicet, per doctrinam & disciplinam, hoc est, *docti & periti*. Vatabl verò ἔνοχοι propriè vertit, *obnoxii*, id est, *addicti*,
B *dediti*.

HORTOR ITAQUE VENIRE VOS, &c. ET VENIAM HABERE] Putà, veniam dare, ignoscere: hoc enim significat Græcum, συγγνώμην ἔχειν. Sic vulgò dicimus, gratias alicui habere, id est, agere.

IN QUIBUS VIDEMUR, SEQUENTES IMAGINEM

Citabo subinde gnomas sapientum Hebræorum, Syrorum, Græcorum, Latinorum, gnomis Siracidis persimiles, & fortè ab eo acceptas; citabo & centurias binas Proverbiorum Arabicorum, Arabicè editas, cum translatione Latina. Extant eadem Syriacè in codice manuscripto (uti oculis meis conspexi) collegii Maronitarum Romæ, collecta à Gregorio monacho Syro ante 400. ferè annos, qui nonnulla ex iis A à Pythagora accepta affirmat. Pythagoras enim peregrinatus est per Ægyptum & Syriam; ac Proverbia hæc planè similia sunt Symbolis Pythagoræ. Porrò verisimile est illa, uti & plura alia, Arabes accepisse à Syris: Syrorum enim libri perplures versi sunt in idioma Arabicum, pauci verò in Syriacum Arabici. Quare Proverbia hæc Syriaca aut Pythagorica sunt potiùs, quàm Arabica.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Assignat & describit originem sapientiæ, quæ est Deus. Inde v. 11. ac deinceps ostendit, quomodo paretur sapientia, nimirum, timore, & amore Dei: hæc duo enim sapientiam, omnemque virtutem creant, comitantur, conservant & augent; unde v. 33. docet, sapientiam acquiri per justitiam.

Vers. 1. OMnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante ævum. 2. Arenam maris,
& pluviæ guttas, & dies sæculi quis dinumeravit? Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & pro-
fundum abyssi quis dimensus est? 3. Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit? 4.
Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab ævo. 5. Fons sapientiæ, Ver-
bum Dei in excelsis; & ingressus illius, mandata æterna. 6. Radix sapientiæ cui revelata est; & astutias
illius quis agnovit? 7. Disciplina sapientiæ cui revelata est & manifestata? & multiplicationem ingressus
illius quis intellexit? 8. Unus est altissimus Creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis,
sedens super thronum illius, & dominans Deus. 9. Ipse creavit illam in Spiritu sancto, & vidit, & di-
numeravit, & mensus est. 10. Et effudit illam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundùm
datum suum, & præbuit illam diligentibus se. 11. Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, &
corona exultationis. 12. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudi-
nem dierum. 13. Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur. 14.
Dilectio Dei honorabilis sapientia. 15. Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, & in
agnitione magnalium suorum. 16. Initium sapientiæ, timor Domini, & cum fidelibus in vulva concrea-
tus est, cum electis feminis graditur, & cum justis & fidelibus agnoscitur. 17. Timor Domini, scientiæ
religiositas, 18. Religiositas custodiet, & justificabit cor, jucunditatem atque gaudium dabit. 19. Ti-
menti Dominum benè erit, & in diebus consummationis illius benedicetur. 20. Plenitudo sapientiæ est
timere Deum, & plenitudo à fructibus illius. 21. Omnem domum illius implebit à generationibus, &
receptacula à thesauris illius. 22. Corona sapientiæ, timor Domini, replens pacem, & salutis fructum:
23. Et vidit, & dinumeravit eam: utraque autem sunt dona Dei. 24. Scientiam, & intellectum pru-
dentiæ sapientia compartietur: & gloriam tenentium se, exaltat. 25. Radix sapientiæ est timere Domi-
num: & rami illius longævi. 26. In thesauris sapientiæ intellectus, & scientiæ religiositas: execratio au-
tem peccatoribus sapientia. 27. Timor Domini expellit peccatum; 28. Nam qui sine timore est, non
poterit justificari: iracundia enim animositatis illius, subversio illius est. 29. Usque in tempus sustinebit
patiens, & posteà redditio jucunditatis. 30. Bonus sensus usque in tempus abscondet verba illius, & labia
multorum enarrabunt sensum illius. 31. In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ: 32. Execratio au-
tem peccatori, cultura Dei. 33. Fili concupiscens sapientiam, conserva justitiam, & Deus præbebit il-
lam tibi. 34. Sapientia enim & disciplina timor Domini: & quod beneplacitum est illi, 35. Fides, &
mansuetudo, & adimplebit thesauros illius. 36. Ne sis incredibilis timori Domini: & ne accesseris ad il-
lum duplici corde. 37. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis tuis.
38. Attende in illis, ne fortè cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem, 39. Et revelet Deus abscon-
sa tua, & in medio synagogæ elidat te: 40. Quoniam accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum ple-
num est dolo & fallacia.

Novem elogia sapientiæ. NOTA. Siracides hic novem dat elogia sapientiæ. Primum est v. 1. quòd originem ortumque habeat à Deo. Secundum, v. 3. & seq. quòd sit innumera & immensa. Tertium, v. 4. quòd prior sit omnium rerum creatarum. Quartum, ibidem, quòd sit ab ævo, id est, æterna. Quintum, v. 5. quòd ipsa sit Verbum Patris excelsi. Sextum, ibidem, quòd ingressus, id est, viæ ejus & rationes, sint mandata & decreta æterna Dei. Septimum, v. 7. quòd hominibus sit incomprehensibilis. Octavum, v. 9. quòd Deus eam crearit in Spiritu sancto. Nonum, v. 10. quòd effuderit illam super omnia opera sua; sed maximè eam præbuerit diligentibus se.

Quatuordecim elogia timoris Dei. Deinde pari modo quatuordecim dat elogia timori Dei, qui est comes, imò via & initium sapientiæ. Primum, v. 11. quòd timor Dei pariat lætitiam & gloriam. Secundum, v. 13. quòd timenti Dominum benè erit in extremis. Tertium, v. 15. quòd timor sit dilectio Dei, quæ sola sui specie omnes rapiat in sui amorem. Quartum, v. 16. quòd sit initium sapientiæ. A Quintum, ibidem, quòd fidelibus in vulva concreatus sit. Sextum, ibidem, quòd cum fidelibus feminis graditur. Septimum, v. 16. quòd sit ipsa religiositas. Octavum, v. 19 & 20. quòd timentes Deum impleat suis fructibus & donis spiritalibus. Nonum, v. 22. quòd sit corona sapientiæ, plenam afferens pacem & sanitatem. Decimum v. 23. quòd videat & dinumeret sapientiam, ut actus & gressus hominis sapienter dimetiatur & dirigat. Undecimum, v. 24. quòd suis discipulis & asseclis det scientiam & prudentiam. Duodecimum, v. 25. quòd eos faciat longævos. Decimumtertium, v. 27. quòd expellat peccata, præsertim quæ per iram & impatientiam committuntur. Decimumquartum, v. 29. quòd usque ad tempus patienter adversa sustineat, sed posteà reddatur ei lætitia, celebritas, laus & gloria.

OMNIS SAPIENTIA A DOMINO DEO EST, ET CUM ILLO FUIT SEMPER, ET EST ANTE ÆVUM] *Vers. 1.* Hæc sententia trimembris, in Græco jam est diminuta & bimembris: sic enim habet, πᾶσα σοφία παρὰ κυρίου, καὶ μετ' αὐ-

τοῦ

ἐστιν εἰς τὸν αἰῶνα, id est, *omnis sapientia à Domino est, & cum illo est in æuum*. ita Complut. & Roman. Latina ergo versio hic uberior & plenior est Græca, æquè ac Syriaca & Arabica, quæ cum Græcis ferè consentiunt, & ex iis traductę videntur: sic enim habet Syriaca, *omnis sapientia ab ante Dominum est, & ipsa cum eo est à sæculis. Ante Dominum*, id est, à Domino. Est Syrismus. Similis est Dan. 2. v. 6. Arabicus, *omnis sapientia est a Domino, & est cum illo ex antiquo sæculi*.

Alludit ad id, quod Salomon de sapientia ait, Sapient. 8. 3. *Contubernium habens Dei*, q. d. Sapientia est familiaris, imò contubernalis Dei. Et cap. 7. v. 25. *Vapor est virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera*, q. d. Sapientia est quiddam subtile & odoratum, quod à Deo efflatur, hominemque divino quodam vapore & odore recreat, ut oleat Deum, ejusq; vita & sermo spirent quid divinum. Unde subdit Sapiens de eadem: *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*. q. d. Sapientia est radius divini Numinis, quasi Solis increati.

Sapientia Dei duplex.

Sapientia hic indefinitè & generatim ponitur: unde sub ea quamlibet comprehendas, omnesque ejus species accipias. Primò ergo intelligas Sapientiam increatam, tum essentialem, quę communis est Patri, Filio & Spiritui sancto; hæc enim manat ab essentia deitatis: unde cum Deo trino & uno fuit semper, & est ante ævum ab omni æternitate. Manat dico, anthropopathῶς, & nostro modo concipiendi res divinas, juxta ea, quæ videmus in rebus creatis, in quibus attributa & proprietates, qualis est intellectus, sapientia, bonitas, manant ab ipsa rei essentia; cùm in Deo propriè ab eo non manent aut fluant, sed sint unum idemque cum ea, uti docet D. Thomas 1. p. q. 28. Hac sapientia Deus sapienter cuncta produxit, creavit, conservat, cognoscit, disponit atque gubernat.

Essentialis.

Rursum per sapientiam hic accipias notionalem, sive personalem & genitam, quæ propria est Verbo, sive filio Dei: hic enim per generationem propriè manavit à Deo Patre, & cum illo fuit semper, & est ab ęterno: propria enim filii Dei ratio & notio est, quòd ipse sit Sapientia, Verbum, Conceptus mentalis, Notitia, Intellectio: quia, scilicet, Filius est Verbum per cognitionem Patris productum. ita Rabanus, & Paulus à Palacio. Filio enim propriè competit illud v. 6. *Fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis*. Unde huc allusisse videtur S. Ioannes initio Evangelii dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Trimembris enim illa S. Ioannis sententia respondet huic trimembri Ecclesiastici, idque clariùs significat hic versio Tigurina, quæ sic habet: *à Deo manat omnis sapientia, apud eum semper fuit, & eidem perpetuò coniuncta est*. Sapientia enim Patris est Verbum, putà Filius. Hoc erat in principio: quia ab æterno à Deo Patre emanavit, ab eoque fuit genitum. Hoc quoque semper fuit apud Deum, tamquam persona ab eo distincta, illique coæva, intima, æqualis & compar: hæc enim omnia significat τὸ *apud*. Hoc denique Deo Patri perpetuò est coniunctissimum: quia eamdem numero cum eo habet essentiam & deitatem, quod S. Joannes ait, *Et Deus erat Verbum*. In trimembri ergo hac sententia tria prædicata, juxta tria prædicamenta, S. Ioannes de Verbo, & Ecclesiasticus de sapientia enuntiat, quibus totam ejus naturam & vim complectitur. Primo enim membro, *In principio erat Verbum*: sive, *Omnis sapientia est a Deo*; notat Verbi *Quando* & ęternitatem; ut, si roges: Quando genitum est Verbum à Deo Patre? respondeat: *A principio*, putà, ab æterno, ab ipsa, inquam, origine, vel potiùs ab origine divinitatis, si ita loqui fas est: nam divinitatis propriè nulla est origo; sed origo hic vocatur ejus antiquitas & æternitas per catachresin. Secundo membro notat Verbi *Ubi*, & à Patre distinctionem: ut, si quæras: Ubi erat Verbum, cùm nondum creatus esset mundus? respondeat: *Verbum erat apud Deum*: erat in sinu Patris. Tertio membro significat Verbi essentiam, & essentiæ cum Patre identitatem: ut, si quæras: Quid est Verbum? cujus est essentiæ? respondeat: *Deus erat Verbum*, id est, Verbum erat Deus; putà, habens divinam essentiam, ipsamque Patris deitatem: vox enim *Deus* licèt præcedat; vim tamen habet prædicati, non subjecti. Ita Rabanus: *Principium*, inquit, *istius libri de æterna Dei Sapientia* (quæ est Christus) *narrat, quòd semper cum Patre sit ante sæcula; & concordat Evangelio Joannis, quod ita inchoat: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnis ergo sapientia a Domino Deo est: quia Christus, qui est fons vitæ, & lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, a Deo Patre natus est, & omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quisquis autem huius sapientiæ lumine caret, in tenebris ambulat, & nescit quò vadat: quoniam tenebræ excæcaverunt oculos ejus. Et quidquid huic sapientiæ adversatur, stultitia magis dicenda est, quàm prudentia. Unde Paulus ait: Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Et item: Prudentia enim carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest.*

& personalis.

Verbi quando.

Ubi.

Essentia.

Porrò sapientiam hanc notionalem, putà Dei Verbum, hisce elogiis & aphorismis celebrat S. Hierotheus apud S. Dionys. de Divin. nomin. cap. 2. sub finem: *Jesu*, inquit, *divinitas, quæ omnium causa est, & implet omnia, ac partes consonas universitati conservat, neque pars, neque totum est: rursumque & pars est, & totum: utpote quæ partem omnem, & omne totum in seipsa comprehenderit, & eminenter habeat atque præhabeat; perfecta quidem est in rebus imperfectis, utpote perfectionis princeps: in rebus verò perfectis, imperfecta: quippe cùm perfectionem excellentia origineque præcedat*. Et post nonnulla: *Essentia etiam totis procul a contagione essentiis insidens: atque super essentiam extans, ab omni essentia penitùs absoluta: universa principia ordinesque determinans; & super omne principium ordinemque locata, mensura entium est & ævum; atque super ævum & ante ævum: plena quidem in rebus egenis; in plenis autem exuberans: ineffabilis, non pronuntiabilis: super intellectum: super vitam; super essentiam: supernaturale munus supernaturaliter habet, superessentiale superessentiali etiam ratione. Quamobrem quando usque ad naturam ob summam benignitatem venit, vereque substantiam nostræ carnis accepit, summusque ille Deus vir est appellatus, tunc quoque in his supernaturale & superessentiale munus emicuit.*

Secundò, accipi potest hæc sententia de sapientia creata, quæ multiplex est. Primas in ea tenet Sapientia incarnata, putà. Christus homo, ejusque in carne œconomia. Hæc enim fuit opus Dei sapientissimum, adeoque Christus homo miram in incarnatione, passione, resurrectione, missione Spiritus sancti, legatione Apostolorum, fundatione Ecclesiæ, institutione Sacramentorum, conversione orbis, distributione donorum & gratiarum, adeoque in omnibus suis dictis & factis cælestem ostendit sapientiam, cunctisque fidelibus se in speculum, & exemplar sapientiæ intuendum & imitandum præbuit.

Sapientia creata multiplex.

Secundas tenet sapientia purè creata, qualis est omnium Angelorum & hominum. In his enim sapientia est habitus, vel actus sciendi & sapiendi. Habitus creatur & inditur à Deo; actus elicitur ab habitu & potentia, cooperante Deo per suum concursum: licèt enim hæc sapientia in se formaliter non sit antiquior rebus creatis, putà Angelis & hominibus, quibus inest originaliter; tamen eadem causaliter fuit in Deo ab ęterno: quia Dei Sapientia increata, quæ sapientiæ creatæ est causa efficiens & exemplaris, fuit in Deo ab æterno. Sicut enim ab essentia immensa Dei, tamquam à fonte, origine, & causa efficienti ac exemplari, manant omnes rerum creatarum naturæ & essentię, ac ab æternitate Dei manat omne ævum, omne tempus, omnis duratio; atque ab immensitate Dei manat omnis locus & situs; à Dei omnipotentia manat omnis vis & potestas; ab ejus sacratissima sanctitate manat omnis virtus & sanctitas: ita pariter ab ejus omniscientia & sapientia manat omnis creata scientia & sapientia, uti docet S. Dionys. de Divin. nominib. & passim Theologi.

Per sapientiam hic, tum speculativam, qualem à Deo infusam merito abstinentiæ cum sociis accepit Daniel, cap. 1. tum potiùs practicam accipe, quæ principium est rerum agendarum, quæque mores cujusque, vel personæ, vel familiæ, vel reipubl. sapienter dirigit, & juxta normam divinæ legis, honestatis & virtutis format & componit, uti dixi canone 5. Hac ergo sapientia homo de Deo & creaturis rectè sentit & sapit, ac sapienter suas actiones novit disponere, ut ad beatum finem, ad quem à Deo conditus est, perveniat. Origenes homil. 24. in Numer. sapientiam hanc extendit ad artes quoque mechanicas, ut architectonicam, fabrilem, nauticam, &c. Nam & hæ originem habent à Deo, manantque ab arte increata, quæ est in mente Dei. Artes ergo sunt à Deo: corruptelæ verò artium sunt à dæmonibus & hominibus, ait Orig. Sic Beseleel dicitur à Deo accepisse *sapientiam*, id est, *artem, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære*, ad fabricandum tabernaculum, Exodi 31. 3. Idem Origen. hom. 18. in Numer. *Omnis sapientia, hoc est*, inquit, *omnis scientia, omnis ars, ut Musica, Geometria, Medicina, Physica, &c. à Deo est & manat*. Unde & Ecclesiasticus c. 32. 5. disserit de musica, cap. 38. v. 26. de agricultura, arte fabrili, figulina, & similibus.

Practica hic intelligitur.

Quin & artes.

Deni-

Physica in Deo: & moralis.

Denique sapientia hæc practica in Deo est duplex, scilicet, physica, qua sapienter creavit, conservat, mutat, producit, gubernat res omnes creatas, uti docet Eccles. cap. 34. v. 6. & cap. 39. v. 21. Et moralis, qua honestè, justè & sanctè facit omnia, utque idem faciant Angeli & homines, sancit, decernit & efficit.

Tertiò, valdè appositè sapientiam hic accipias, non tam pro habitu vel actu, quàm pro objecto & dictamine sapientiæ. Dictat enim sapientia, Deum esse timendum; honorandos esse parentes; sobriè, justè, castè esse vivendum; non esse mentiendum; colendam esse amicitiam, patientiam, charitatem, &c. Hæc dictamina sunt æternæ veritatis, ideoque ab æterno fuerunt in mente Dei, in qua vivunt sempiternæ rerum omnium rationes, ait S. August. Manant enim ab æterna & immensa perfectione, æquitate & sapientia Dei; & ab ea profluxerunt ad homines & Angelos. Sicut enim omnis lex hominum & Angelorum manat ab æterna lege, quæ est in mente Dei: ita pariter hæ veritates, & sapientiæ dictamina manant à prima veritate & sapientia Dei; adeò ut si per impossibile non esset illa prima veritas & sapientia Dei, nulla esset veritas, nihil verum, nullum sapientiæ dictamen esset in hominibus & Angelis: sicut, si non esset deitas, nulla esset creaturarum entitas: omnis enim entitas creata essentialiter manat, & pendet in suo esse & conservari ab entitate infinita & increata Dei: sicut radius manat & pendet à sole, lumen à luce, calor ab igne.

Si non esset prima veritas Dei, nihil esset verũ.

In Deo igitur, ut rectè docet noster Lessius lib. 6. de Attrib. divinis, cap. 1. est sapientia, qua omnia novit per supremas causas; nimirum, per notitiam essentiæ suæ, quæ est omnium suprema causa efficiens, finalis, exemplaris & fundamentalis. Comprehendendo enim essentiam suam, hoc ipso ex vi illius comprehensionis cognoscit distinctissimè & clarissimè omnia possibilia, (sub quibus continentur etiam omnium possibilium complexiones,) quæ, nimirum, ipse per se facere potest: & illa comprehendendo, cognoscit ulteriùs omnia in particulari, quæ singula eorum facere vel pati possunt, & in quibus deficere. Neque hoc solùm, sed etiam quid singula in quavis occasione essent factura, si talis vel talis occasio daretur. Neque in his sistit; sed etiam clarè intuetur, quid re ipsa in omnem æternitatem sit eventurum, quibus momentis, quibus locis, quibus occasionibus, & aliis circumstantiis. Ratio est: quia in Deo cognitio abstractiva possibilium, cùm sit infinitæ perfectionis & efficaciæ in attingendo objecto, hoc ipso quòd objecta illa reipsa sunt futura, fit intuitio existentium; nec opus est alia vi, aut conatu. Unde patet, omnem intuitum futurorum esse ex vi comprehensionis essentiæ, nec aliud requiri, quàm positionem objectorum. Tunc enim cognitio, quæ priùs, seu in priori signo rationis, erat abstractiva, transit in intuitivam ex vi suæ perfectionis. Docet hoc apertè S. Dionysius de Divin. nomin. cap. 7. *Non enim*, inquit, *ex rebus ipsis res discens, novit eas divina mens; sed ex seipsa, & in seipsa, secundùm causam, omnium scientiam, & notionem, & essentiam præhabet, & antè comprehendit: non singulis secundùm cujusque speciem intendens, sed secundùm unicam causæ complexionem cuncta sciens & continens; sicut & lux secundùm causam in seipsa tenebrarum notionem anticipat, non aliunde quam ex luce tenebras noscens.* Hic manifestè tradit, Deum ex vi cognitionis essentiæ, tamquam causæ omnium, scire cetera. quod confirmatur verbis sequentibus: *Seipsam igitur divina Sapientia noscens, sciet omnia; materialia sine materia; & individuè divisibilia, & unicè multa, ipso uno omnia & cognoscens & producens. Nam, si secundùm unam causam Deus omnibus esse impertit; secundùm eandem unicam causam sciet omnia, tamquam ex se existentia, & in seipso antè præexistentia.* Unde concludit: *Hæc igitur Deus res cognoscens, non scientia rerum, sed scientia sui ipsius ipsas novit.* Et S. Aug. lib. 11. de Civit. c. 10. *Neque enim multa, sed una sapientia est, in qua sunt immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium: in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium & mutabilium, quæ per ipsam factæ sunt; quoniam Deus non aliquid nesciens fecit.* Ex quibus infert August. *quòd iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset: Deo autem nisi notus esset, esse non posset*: quia Deus per sapientiam suam est auctor mundi, qui sua specie externam nobis sui notitiam ingerit.

Hac ergo sententia initio libri sui sapientialis docet Siracides, originem, antiquitatem, ideam & causam sapientiæ esse Deum per essentiam sapientem & æternum. quæ sane prima & summa est sapientiæ laus & dignitas, ut per eam omnes ad sapientiæ admirationem, amorem & studium invitet & impellat: q. d. Omnis sapientia, id est, omnis habitus, omnis actus, omne objectum, omne dictamen, omnis veritas sapientiæ, quæ est in hominibus & Angelis, manat à Deo, fuitque cum eo ab æterno, vel formaliter, vel causaliter: quare agnoscite divinam ejus originem, antiquitatem & præstantiam, eamque suppliciter à Deo poscite & flagitate. Omnis enim sapientia est à Deo, apud Deum, & cum Deo ab æterno: licet enim à Deo manet ad creaturas; ita tamen manat, ut Deum non deserat, sed in eo velut radice & fonte remaneat, & fixè resideat; perinde ac lux à sole manans & sparsa in mundum, manet in ipso sole; & calor manans sparsusque ab igne, manet & residet in ipso igne. Hoc est quod ait S. Jacobus cap. 1. 5. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei.* Nam, ut subdit v. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* Vide ibi dicta. Eamdem originem sapientiæ, putà, Deum, assignat Sapiens Proverb. 8. 22. *Dominus*, inquit *possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* Et Job cap. 28. 12. sapientiæ locum & originem operosè vestigans, tandem resolvit ac respondet v. 23. *Dominus*, ait *intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius.* Et Baruch c. 3. 14. post longam ejus vestigationem concludit v. 32. *Qui scit universa, novit eam, & adinvenit eam prudentia sua.*

Idipsum per umbram viderunt Gentiles. Unde Poetæ, ait Servius finxerunt, Prometheum, post factos à se homines, auxilio Minervæ in cælum ascendisse, & adhibita facula ad rotam solis, ignem esse furatum, quem hominibus communicavit. Ignis hic sapientiam repræsentat, quam è cælis attulit noster Prometheus prudentissimus, Jesus Christus. Unde & Prometheus dictus est ἀπὸ τῆς προμηθείας, id est, à providentia. De Christo enim ait S. Joannes c. 1. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Mosen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Deum nemo vidit umquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Similli modo finxerunt, Minervam, sive Palladem, deam sapientiæ, esse Jovis filiam, & virginem, adeoque ex cerebro, id est, mente & ingenio, Jovis progenitam sine matre. Unde Lucan. lib. 9.

Prometheus quis.

Minerva est sapientia.

Hanc & Pallas amat, patrio quæ vertice nata est.

Et Ovid. 3. Fast.

An, quia de capitis fertur sine matre paterni
Vertice, cum clypeo prosiluisse suo?

Secuti, nimirum, sunt, sed non assecuti illud Eccli. 24. 5. *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.*

Dices, Etiam dilectio, timor, spes, charitas manant à Deo, ejusque sunt dona; cur ergo de sola sapientia hic dicitur, quòd sit à Deo? Resp. Primò quia de sapientia, ejusque virtutibus Ecclesiasticus agit, agetque toto libro: unde ejus originem & antiquitatem præmittit, ut inde ei laudem & pretium concilient. Secundò, quia primum & maximum, quod à Deo processit, est sapientia: primum enim quod Pater produxit & genuit, fuit Verbum, quod est ipsa Patris conceptio & intellectio notionalis, ideoque Sapientia genita. ita Palacius. Denique ex eo quòd sapientia in Deo, à Deo, & ad Deum sit, Lactantius lib. 3. c. 9 redarguit Anaxagoram sapientem, qui rogatus, *cujus rei causa natus esset?* respondit, *Solis, ac cæli videndi.* Nam *non ideò*, ait Lactant. *nascimur, ut ea quæ sunt facta, videamus; sed ut ipsum factorem rerum omnium contemplemur, id est, mente cernamus. Quare, si quis hominem, qui verè sapit, interroget, cujus rei gratia natus sit? respondebit intrepidus ac paratus, se colendi Dei gratia natum, qui nos ideò generavit, ut ei serviamus.* Et mox. *Nam ipsa humanitas quid est, nisi justitia, nisi pietas? Pietas autem nihil aliud est, quàm Dei parentis agnitio.* Et cap. 12. *Meritò*, ait, *soli animantium ad aspectum cæli erecti sumus, ut summum bonum nostrum in summo esse credamus. Ideò religionem soli capimus, ut ex hoc sciamus, humanum spiritum non esse mortalem, quòd Deum, qui est immortalis, & desiderat, & agnoscit.*

Rursum ex eo, quòd sapientia sit Dei filia, sequitur, sapientes cognationem habere cum Deo, esseque filios Dei. Hinc de S. Basilio fratre suo scribit Gregor. Nyssen. in orat. funebr. *Basilii*, inquit, *genus erat familiaritas & necessitudo cum Deo: patria verò virtus*, &c. *sobrietas illi pro domicilio erat: sapientia loco prædiiz justitia, veritas & puritas pro splendidis ædificiis.* Denique S. Bernard. serm. 13. in Cant. *Ad locum*, ait, *unde exeunt, revertuntur flumina gratiarum, ut iterum fluant;*

Sapientia est Dei filia: hinc sapientes sunt Dei filii.

remittatur ad suum principium cæleste profluvium, quo uberiùs terræ refundatur. Qualiter, inquit? Qualiter decet Apostolus: In omnibus gratias agentes; quidquid sapientiæ, quidquid te habere virtutis confidis, Dei virtuti & Dei sapientiæ deputa, Cor isto.

ET EST ANTE ÆVUM] ante sæculum. q. d. Sapientia est ante omne tempus, &, ut S. Paulus ait ad Titum 1. 2. *ante tempora sæcularia.* A'ιὼν enim, unde Latinum *ævum*, significat quamlibet durationem: esto Theologi æternitatem appropient Deo, ævum angelis, tempus hominibus & corporibus, ut, sicut tempus mensura est corporum, ita ævum mensura sit spirituum. Aliter ergo sumitur ævum v. 4. ubi dicitur fuisse *Sapientia ab ævo*, id est, ab omni æternitate. Unde & Græca hoc v. 1. habent, εἰς τὸν αἰῶνα, q. d. Sapientia cum Deo est, duratque *in sæculum*, id est, in æternum.

Vers. 2. ARENAM MARIS, ET PLUVIÆ GUTTAS, ET DIES SÆCULI QUIS DINUMERAVIT?] Græcè, ἐξαριθμήσει, id est, *enumerabit*.

ALTITUDINEM CÆLI, ET LATITUDINEM TERRÆ, ET PROFUNDUM ABYSSI QUIS DIMENSUS EST?] *τὸ dimensus est*, deest in Græco.

Vers. 3. SAPIENTIAM DEI PRÆCEDENTEM OMNIA QUIS INVESTIGAVIT] ἐξιχνιάσει, id est, *investigabit, pervestigabit*. Alludit ad Isaiæ 40. 12. *Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes & colles in statera? Quis adiuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi?* Et c. 48. v. 13. *Manus mea fundavit terram, & dextera mea mensa est cælos.* Et Jerem. 33. 22. *Sicut enumerari non possunt stellæ cæli, & metiri arena maris; sic multiplicabo semen tuum.* Et Job c. 38. 4. *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Quis posuit mensuras eius? vel, quis tetendit super eam lineam?* Et v. 37. *Quis enarrabit cælorum rationem?*

Laudat sapientiam à præstantia, quæ tanta est, ut sit incomprehensibilis: estque argumentum à comparatione: quare tres hi versus nectendi sunt: duo enim primi sunt comparata tertii, in quo proinde ut nectantur & expleantur, intelligenda est nota comparationis, *sic, similiter, pariter*, unde Arabicus eam exprimēs vertit, *velut mare & arenam, maris*, &c. idq; significat coniunctio, & quæ est in Græco iuxta can. 12. comparat enim sapientiam tribus quæ numerari non possunt, scilicet, arenæ maris, guttis pluviæ, & diebus sæculi; ac tribus quæ mensurari non possunt, scilicet, altitudini cæli, latitudini terræ, & profunditati abyssi, id est, aquarum & maris: quia in his sex maximè elucet Dei sapientia, æquè ac potentia. Nam, ut cetera omittam, in quibus id perspicuum est, quis non admiretur Dei sapientiam in tanta arenularum multitudine (adeò ut nonnulli censuerint, eas verè esse infinitas, uti refert & refellit Archimedes libr. de Arenæ numero) & parvitate, tantam in singulis naturæ integritatem, perfectionem, similitudinem, ordinem, unionem, successionem, vim & potentiam, qua validissimis maris fluctibus resistit, eosque sorbet, ut vasti indomitique maris vilis & exilis arena limes & frænum esse videatur? Verè

Eminet in minimis maximus ipse Deus.

Sensus est ergo, q. d. Sicut hæc sex, scilicet, arenæ, guttæ, dies, cæli, terra & mare ab homine numerari aut mensurari nequeunt, sed dumtaxat a Deo; sic pariter (imò multò minùs) nemo sapientiam Dei, quæ omnia præcedit; Tigur. *quæ rerum omnium est prima*, comprehendere potest, præter solum Deum: tum, quia sapientia Dei in se quaquaversum est immensa & infinita: tum, quia ad infinita facta, facienda, & possibilia se extendit, in iisque infinitos sapientiæ suę modos & rationes ostendit, vel ostendere potest, quos homo vel Angelus ex se non videt, nec concipit, nisi à Deo ei pandantur: Unde Rabanus: *Si*, inquit, *illa, quæ tamen omnia certo numero, mensura, pondere a Creatore suo condita sunt, nemo dinumerare & metiri potest; quomodo sapientiam Dei, quæ sine fine & initio constat, & inenarrabilis atque inæstimabilis semper manet, ullus investigare potest?*

Quocirca psalm. 17. v. 10. & 12. & alibi Deus dicitur habitare in nube & caligine, ad quam cum Mose nos ascendere debere docet S. Dionys. eamque ita describit epist. 5. ad Hierotheum: *Divina caligo*, inquit, *est inaccessibile lumen, in quo habitare Deus dicitur, & invisibilis existens propter excedentem claritatem, & inaccessibilis idem propter excessum supersubstantialis luminis effusionis. In hac fit omnis, qui Deum cognoscere & videre est dignus habitus, per ipsum non videre, neque cognoscere, in eo qui est verè super visionem & cognitionem factus hoc ipsum cognoscens, quod post omnia est sensibilia & intelligibilia, & prophetice dicens: Mirabilis facta est scientia tua ex me, fortis facta est, non potero ad eam.* Confirmat idipsum ex S. Paulo, dum subdit: *Vt etiam divinus Paulus cognovisse Deum dicitur, cognoscens ipsum super omnem existentem intellectum & cognitionem. Propter quod & investigabiles esse vias eius dicit, & inscrutabilia iudicia eius, & inenarrabilia dona eius; & pacem eius excedentem omnem mentem, sicut qui invenit existentem super omnia: & hunc super intellectum cognovit, quoniam ultra omnia est, omnium causa existens.* Idem de Divinis nominibus, cap. 1. de Deo loquens: *Ipsa*, ait, *superessentialis immensitas omnes essentias superat. Ipsa quoque unitas intellectu superior, omnes supereminet intellectus: ipsum denique unum cogitatione præstantius, nullis cogitationibus potest excogitari: atque bonum excelsius omni verbo, verbis est ineffabile. Vnitas unitatis omnis unifica, superessentialis essentia, intellectus nequaquam intelligibilis, ineloquibile verbum.*

Dices Primò: Dies sæculi facile est dinumerare ex annis sæculi, qui præterierunt ab initio mundi: multiplica enim annos mundi per 365. (quot sunt dies in anno,) habebis numerum dierum mundi. Resp. Primò, sicut numerus annorum mundi incertus est; de iis enim omnes penè Chronologi inter se dissentiunt; alij enim censent ab origine mundi elapsos esse annos 4500. alij 5000. alij plures, vel pauciores: ita pariter incertus, ac consequenter certò numerabilis non est dierum sæculi præteritorum numerus. Adde: esto anni certò & præcisè numerari possent; non posse tamen præcisè numerari dies: quia anni alij completi fuere, alij incompleti. Cùm enim, v. g. Adam dicitur vixisse 930. annis, David regnasse 40. annis, &c. verum est, eos tot annos vixisse & regnasse, etiamsi aliquot dies defuerint, aut superfuerint: pauci enim dies in anno non computantur: quare dies tot Patriarcharum, principum & regum, qui ab initio mundi huc usque fuerunt, & sibi ex ordine successerunt, præcisè numerare est impossibile. Resp. *Secundò*, dies sæculi futuri esse innumerabiles: quia nescimus, quot anni usque ad finem sæculi superfuturi & fluxuri sunt. Porrò dies sæculi, quos imaginamur, ut seculum, id est, mundum, permansurum in ęternum commensuremus ęternitati, sunt revera infiniti, ideoque innumerabiles. Unde pro *dies sæculi*, aliqui vertunt, *dies æternitatis quis enumerabit?* Gręcè enim est αἰῶνος. Sed rectiùs vertit Noster, *dies sæculi*.

Dies sæculi innumerabiles. Primò.

Secundò.

Tertiò.

Dices Secundò: Mathematici, & inter eos noster Christoph. Clavius in Sphæra lib. 1. numerat non tantùm arenas maris, sed & totius mundi: mensurat quoque altitudinem cæli, & latitudinem terræ: omnia enim hæc sunt finita, ideoque numerabilia & mensurabilia. Dividunt enim Mathematici orbem sive ambitum terræ, æquè ac cæli, in 360. gradus, ac deprehenderunt uni gradui in orbe terræ respondere 700. stadia, quæ multiplicata per 360. gradus faciunt 252000. stadia, qui est numerus & magnitudo totius ambitus terræ. Hæc stadia efficiunt milliaria Italica mille passuum, triginta & unum millia ac quingenta; stadium enim continet 125. passus, estque octava pars milliaris. Iidem per astrolabium, aliaque instrumenta docent, concavam superficiem cæli octavi, sive firmamenti, distare à terra octoginta millionibus milliarium: convexam verò superficiem distare à terra 160. millionibus, uti dixi Genes. 1. 16.

Rursum Clavius ibidem pag. 120. ex Archimede & aliis ostendit, numerum arenarum, quæ in toto mundo usque ad concavam firmamenti contineri possent, fore 10000000000 00000000000000000000000000000000000000000, hoc est, 1. cum 52. ciphris; idque demonstrat ex proportione: nam granum unum papaveris non continet ultra decem millia arenularum: granum autem papaveris est quadragesima pars digiti: centum autem millia digitorum circiter conficiunt unum milliare: mundus autem tot continet milliaria quot sufficiunt capiendo numero arenularum iam recensito, iuxta proportionem iam dictam.

Resp. Primò, hæc tantùm dici coniecturaliter: unde in his nihil esse certi ac definiti. Cuius certum indicium est, quòd Mathematici inter se varient & discordent. Nam, ut ibidem pag. 115. docet Clavius, Aristoteles censet ambitum terræ continere quinquaginta millia milliarium: Hipparchus, 34625. Ptolemæus. 22500. Alphraganus, 20400. Fernelius, 24514. recentiores, 19080. Rursum alij negant uni gradui ex 360. respondere in terra stadia 700. sed alij plura, alij pauciora assignant.

Porrò de numero arenularum, quas caperet mundus, mera est

ra eſt coniectura; nec hic numerus eſt adæquatus & præciſus: ſed iuſto minor, vt fatetur Clavius; idque ſatis hic & alibi inſinuat S. Script. quæ vbique protetur, arenas maris abſolutè & definitè numerari non poſſe. Adde: eſto arenæ confusè per progreſſionem arithmeticam modo iam dicto poſſent numerari; tamen diſtinctè & ſigillatim numerari non poſſe, vt patet eas intuenti: quis enim hucuſque numeravit arenas maris? Denique numerus arenarum mundi iam poſitus tantus eſt, vt a nulla mente humana (fortè nec ab Angelo) clarè, & diſtinctè concipi, numerari & comprehendi queat, multò minùs à lingua clarè & diſertè exprimi & enumerari. Adde: tam multæ, tamque minutę ſunt arenæ, vt ſingulis ſequeſtrandis, ac ſeorſim inſpiciendis & numerandis ætas hominis (puta, ſeptuaginta anni) non ſufficerent.

Minutiſſima quæque videt Deus.

Ex dictis patet, Deum omnia, quæ in mundo ſunt, vſque ad minutiſſimas partes, figuras, colores, qualitates, conditiones, ſitus, motiunculas, momenta, modoſque omnes & habitudines diſtinctiſſimè & perfectiſſimè intueri, & in numerato habere; nimirum, omnes vermiculos, omnes muſcas, omnia animalia & partes ſingulorum, omnia gramina, omnes herbas, & plantas, omnia ſiluarum folia, omnes pilos animantium, omnes arenas littoris & deſerti, omnes guttas maris, omnes ſtillas pluuiarum, omnes criſpationes vndarum, omnes foliorum motus, omnium menſuras, diſtantias, congruentias, diſcrepantias, ſitus, modos, tempora; omnes hominum & Angelorum cogitationes, omnes affectus, omnes intentiones, præſentes, præteritas, futuras, & momenta ſingulorum. Hæc omnia ſemper diſtinctiſſimè & clariſſimè intuetur, penetrat, comprehendit; idque adeò clarè & perfectè, ac ſi tota vis mentis illius in vnum dumtaxat illorum intenta eſſet. Quod ſanè diligenter eſt perpendendum; ne quis putet, aliquid illum latere poſſe, aut minùs perfectè eſſe cognitum, in tam immenſa rerum multitudine, ſicut impij homines ſolent exiſtimare, in quorum perſona dicitur Iob 22. *Quid enim novit Deus? & quaſi per caliginem iudicat: nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat.* Hos monet Sapiens Eccli. 16. *Non dicas: A Deo abſcondar; & ex ſummo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoſcar: quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creatura? Ecce cælum, & cæli cælorum, abyſſus, & vniuerſa terra, & quæ in eis ſunt, in conſpectu illius commouebuntur, montes ſimul & colles, & fundamenta terræ, cùm conſpexerit illa Deus, tremore concutientur.*

Ratio à priori.

Ratio à priori eſt: quia, ſicut eſſentia ipſius & potentia in ſingulis punctis loci & ſpatij eſt tota, & tam perfectè, quàm ſi tota immenſitas ad punctum eſſet contracta: ita etiam vis intelligendi & ſapientiæ ipſius, tam perfectè & efficaciter verſatur circa res ſingulas, ac ſi vni ſoli intenta eſſet. Lumen enim ſapientiæ ipſius non ſolùm eſt infinitum extenſiuè, nimirum, quia ſe extendit ad infinita obiecta: ſed etiam intenſiuè, vt circa ſingula obiecta habeat actum infinitæ perfectionis & claritatis.

VERS. 4. PRIOR OMNIVM (Vatabl. *prima omnium*) CREATA EST SAPIENTIA, ET INTELLECTVS PRVDENTIÆ AB ÆVO] Laudavit Siracides ſapientiam ab origine & proſapia, quòd ſcilicet eam ducat à Deo, verſu primo: tribus ſequentibus laudauit eam ab amplitudine & immenſitate, quòd ſcilicet, inſtar (imò magis) arenæ, guttarum & dierum ſit innumerabilis; & inſtar cæli, terræ & maris immenſurabilis: hic laudat eamdem ab antiquitate, quam licet inſinuarit v. 1. hic tamen clarè & diſertè eam exprimit dicens, eam fuiſſe priorem omnibus, *& ab æuo*, id eſt, ab æterno. Alludit, imò citat illud Proverb. 8. 22. *Dominus poſſedit me in initio* (Hebr. ראשית *reſcit*, id eſt, initium, principium, principatus) *viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum.* Vbi LXX. vertunt, *Dominus creavit me initium viarum ſuarum in opera ſua.* Septuag. ſequitur hic Siracides, dum ſapientiam dicit, priorem creatam eſſe ab æuo. Iam triplex eſt hic ſenſus, iuxta triplex ſignificatum ſapientiæ, quod aſſignavi v. 1. amplè enim hic ſumitur ſapientia, prout communis eſt creatæ & increatæ; ideoque quædam dicuntur, quæ magis conveniunt increatæ, vt quod fuerit ab æterno; quædam, quæ magis creatæ, vt quod prior ſit creata.

Sapientia eſt ab æterno. Primò.

Primus eſt de increata Sapientia; tum eſſentiali, quæ communis eſt Sanctiſſimæ Trinitati; tum notionali, quæ

A propria eſt Filio: vtraque enim fuit prior rebus omnibus creatis ab æuo, id eſt, ab æterno: prior, inquam, tum origine & tempore, tum conſequenter dignitate & principatu, tum cauſalitate & efficientia: per ſapientiam enim Deus creavit omnia. Vtraque hic creata dicitur. Eſſentialis quidem, quia concepta & elicita à Deo. Sicut enim mens noſtra creat intellectionem, dum actum intelligendi elicit & concipit: ita & Deus dicitur creaſſe ſapientiam, dum actum intelligendi & ſapiendi elicuit, & concepit noſtro modo intelligendi. Omnis enim actus ſapientiæ in nobis & Angelis eſt elicitus, ac ſimilem verè ab æterno Deus habuit actum, quo ſe & omnia intellexit, concepit, & ordinavit ſapientiſſimè: eſto enim hic actus in Deo propriè non ſit elicitus, ſed ſubſtantialis, quia deitati intrinſecus, adeoque cum ea reipſa vnum quid idemque; tamen antropopathōs, & noſtro modo concipiendi, vti iam dixi, vocatur elicitus, quaſi manans ab ipſa ſubſtantia & perfectione deitatis, ſicut lux manat à ſole. Nam creandi verbum ab Hebræis ampliſſimè ſumitur pro facere, elicere, concipere: vt, cùm ait Iſaias c. 45. 6. *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans ma-*
B *lum.* id eſt, faciens, eliciens malum & tenebras: hæ enim, cùm ſint mera priuatio, propriè creari nequeunt. Et pſalm. 50. 12. *Cor mundum crea*, id eſt, effice, elice, *in me Deus.* Nec enim cor iam creatum propriè creari poteſt; nec eius munditiès, cùm ſit accidens.

Porro hæc Sapientia increata, creata, id eſt, concepta, fuit à Deo prior, non tantùm creaturis, ſed & ceteris attributis: quia Deus eſt purus ſpiritus & animus. Sicut ergo ex animo primo manat intellectus, deinde voluntas & potentia; hęc enim nihil velle aut agere poſſunt, niſi quod intellectus priùs volendum aut agendum intellexerit & iudicarit: ita pariter ex deitate, Deique mente, noſtro modo concipiendi, primò prodiit intellectus ac ſapientia, deinde voluntas & amor: ratione cuius prior origine fuit in Deo Patre generatio Verbi, quæ eſt opus & conceptio intellectus, quàm ſpiratio Spiritus ſancti, quæ eſt opus voluntatis & amoris.

Rurſum hæc exponi poſſunt de ſapientia genita, quæ omninò eadem eſt cum Verbo & Filio, ac proinde relatiua & notionalis, vti docet S. Auguſt. libr. 7. de Trinit. c. 2. Ma-
C giſter in 1. diſt. lit. F. & ibi Bonavent. & D. Thom. in 1. diſt. 32. art. 2. Hinc ex hoc loco, & ex cap. 24. 14. inferebant Arriani, Sapientiam genitam verè eſſe creatam, ac proinde Filium Dei non eſſe Deum, ſed creaturam. Verùm reſpondet S. Athanaſ. ſerm. 3. contra Arrian. & S. Cyril. lib. 5. Theſauri c. 6. Sapientiam dici creatam, id eſt, genitam. Creare enim in Scriptura ſæpè idem eſt quod gignere, imò facere quomodolibet; adeoque hæc tria promiſcuè pro eodem ſæpe vſurpat S. Scriptura, vti per exempla oſtendit S. Athanaſ. & Cyril. Addit S. Hilar. libr. de Synodis, anathematiſmo 5. quod Filij Dei productio nunc dicitur generatio, quia eſt productio in eadem ſubſtantia; nunc creatio, vt ſignificetur productio ſine mutatione creantis: vox *creavit*, enim ſignificat generationem Patris factam ſine paſſione, deciſione, diminutione gignentis. *Sapientia*, inquit, *quæ ſe dixit creatam, eadem in conſequenti ſe dixit & genitam, creationem referens ad parentis indemutabilem naturam, quæ extra humani partus ſpeciem & conſuetudinem, ſine imminutione aliqua, ac demutatione ſui creavit ex ſeipſa, quod genuit. Creantis enim opus non habet paſſionem, aut permixtionis, aut partus. Eſſe enim aliquando incipit,*
D *quod creatur ex nihilo. Et qui creat, efficit pro poteſtate, quod condit: & eſt opus virtutis creatio, non naturæ ex natura gignente natiuitas. At verò natiuitas legitimæ originis & genuinæ naturæ profectus eſt: ex natura enim generante naturam ſumpſit genita natura. Sed, quia Dei filius non corporalis partitudinis eſt genitus exemplo; ſed ex perfecto Deo perfectus Deus natus eſt: idcircò ait creatam ſe eſſe Sapientia, omnes in generatione ſua corporales paſſiones excludens.* Denique Palacius ſapientiam ait dici creatam, id eſt, poſſeſſam à Deo, vt exponit Ianſenius, apud Deum in rerum natura extitiſſe: Siracides enim ſequitur Septuag. qui Proverb. 8. 22. Pro *Dominus poſſedit me*, vt habent Hebræa, & Noſter, vertunt, *Dominus* ἔκτισε id eſt, *creavit me*, quaſi τὸ *creavit*, idem ſit, quod *poſſedit*, per metalepſin: quæ enim creata & comparata ſunt, eadem à creante, & comparante poſſidentur. Eſt igitur hæc tertia ſapientiæ laus, quòd ipſa ſit tota poſſeſſio Dei: digna illa quidem tanto

possessore: dignus ille tanta possessione. Igitur ab æterno A Deus tanta possessione fuit diues & felix. Verùm de hoc dicendum prouerb. 8. 22.

Secundò. Secundò, sapientia creata propriè *prior* fuit *creata ab æuo*, id est, ab initio sæculi & temporis, quando Deus eam condidit, indiditque Angelis & Adæ: item cælis, terræ, elementis, omnibusque rebus creatis: omnia enim in numero, pondere & mensura creanda dispôsuit. Ità S. August. lib. 12. Confess. c. 15. per sapientiam accipit Angelos primò a Deo creatos: *Sapientia*, inquit, *quæ creata est, intellectualis est natura, quæ contemplatione luminis lumen est; dicitur enim & ipsa, quamuis creata, sapientia*, &c. *Ergo, quia prior omnium creata est quædam sapientia, quæ creata est mens rationalis & intellectualis castæ ciuitatis tuæ, matris nostræ, quæ sursum est, & libera est, & æterna in cælis: etsi non inuenimus tempus ante illam, quia & creaturam temporis antecedit, quæ prior omnium creatura est; ante illam tamē est ipsius Creatoris æternitas, à quo sanctè sumpsit exordium, quamuis non tēporis, quia nondū erat tempus; ipsius tamē conditionis suæ.* Videtur hic sentire S. August. Angelos creatos esse ante mundum & tempus, quod olim plures Patres Greci, senserunt: sed iam ex Concilio Later. certum est, eos B non ante, sed simul cum mundo creatos esse, vt ostendi Genes. c. 1.

Rursum & potiùs sapientia *ab æuo*, id est, ab æterno, *creata*, id est, creari decreta est: prædestinata enim à Deo fuit eius creatio ab æterno: hanc enim, vt deriuatam a sua prima & increata Sapientia, ac suo tempore creationi applicandam, & creaturis communicandam ab æterno intelexit, suoque intellectui ac voluntati obiecit Deus, volens eam creare iuxta rationes & modos ab intellectu sibi propositos. ita D. Thom. 1. p. q. 41. a. 3. Sic enim Hebræi sæpe vsurpant verba realia pro mentalibus aut verbalibus; vt cùm Apostolus 2. Timoth. 1. v. 9. ait, gratiam Christi ante tempora sæcularia nobis esse datam, id est, dari decretam & prædestinatam. Et Ieremias cap. 1. 10. ait, se constitutum super regna, vt ea euellat, destruat, & disperdat; id est, euellenda, destruenda & disperdenda prænunciet, & quasi vice Dei decernat. De sapientia creata accipere videtur Syrus; dum vertit, *super omnia hæc* (putà, super arenam maris, pluuiæ guttas, dies sæculi, altitudinem cæli, latitudinem terræ, ac abyssum, de quibus sermo præcessit) *multiplicata est sapientia, & roborata est* (vel præualuit) *fides ab ante*, vel ab initio. Vbi sapientiam videtur interpretari fidem, sicut Noster interpretatur intellectum prudentiæ: quia fides docet & suggerit dictamina sapientiæ & prudentiæ. Arabicus Syro consentit, vertitque, *magis quàm hæc omnia multiplicata est sapientia, confirmata est fides.*

Maximè verò creata, id est, creari prædestinata est Sapientia incarnata, putà, Christus homo. Huic enim propriè competit esse creatum in tempore secundùm humanitatem, & ab æterno esse genitum secundùm diuinitatem. ita Rabanus hic, ac S. Athanas. serm. 3. contra Arrian. Nazianz. orat. 4. de Theolog. Cyrill. lib. 5. Thesauri c. 4 & S. August. lib. 5. de Trinit. c. 12. Rursum, Christus prior omnium creatus est, &, vt ait Sapiens Prouerb. 8. 22. fuit *initium*, Hebr. *resit*; Græcè. ἀρχὴ, id vlt, principium & principatus, *viarum Domini*: quia Dominus Christo operū suorum primatum addixit, fecitque ipsum caput omnium suarum prædefinitionum, prædestinationum & prędestinatorum, effectorum creaturarum, donorum, gratiarum & virtutum, quas ab illo & per illum in ceteros Sanctos quasi per influxum capitis in membra deriuat. Vnde S. Ambros. lib. de Interpellatione Iob: *Soli Christo*, inquit, *seruabatur magnarum prærogatiua virtutum: quia ipse est virtutū principium, sicut dixit: Dominus creauit me principium viarum suarum.* Et S. Basil. in Apolog. ad Cæsarianos: *Christus*, inquit, *principium Euangelicarum viarum nominatur, quæ nos deducunt ad regnum*: vt per nos ruinæ Angelorum, æquè ac hominum, instaurentur & reparentur.

Tertiò. Tertiò, sapientia, id est, sapientiæ obiecta & dictamina ab æterno fuere creata, id est, elicita & dictata à mente Dei: ac decreta, vt in tempore crearentur, ac communicarentur Angelis, hominibus, ceterisque creaturis.

Rursum aliqui sic exponunt: Sapientia creata est prior omnium, hoc est, sapientia facta est prior omnium; sapientia præfecta est omnibus; sapientia donata est hac dignitate, vt esset prior & princeps omnium; vt, scilicet, ipsa esset idea, exemplar, & architecta omnium rerum creandarum: verbum enim *creo*, subinde idem est quod *præficio*, vt cùm dicimus: Rex creat principes, duces, magistratus. Vnde Syrus vertit, *super omnia hæc multiplicata est sapientia, & præualuit.* Sic illud Prouerb. 8. 22. *Dominus creauit me initium viarum suarum*, iuxta Septuag. S. Athanas. ad decreta Nicænæ Synodi sic exponit: *Dominus præfecit me operibus suis incipiendis rebusq. inchoandis.* Huncque maximè genuinum esse loci illius sensum, censet noster Salazar. Sed ille huic loco non ita congruit. Nam explicans subdit Siracides: *& intellectus prudētiæ ab æuo.* Agit ergo de prioritate æui & temporis, non præeminentiæ & præfecturæ. Sensus ergo iam datus potiùs est ætiologicus & causalis, quàm proprius & formalis. Causa enim & finis, cur prior creata sit sapientia, fuit, vt ipsa esset ceterorum omnium creandorum & agendorum idæa, exemplar, causa & architecta.

Et intellectus prudentiæ] Vatabl. *& prudens intelligentia.* Iam dixi can. 5. sapientiam nunc vocari intellectum, nunc prudentiam, nunc scientiam, &c. Sapientia enim vocatur, quatenus sapit res veras & cælestes, vereque facit sapientē. Eadem dicitur intellectus, vel intelligētia, quatenus sublimis est, & non nisi intellectu ab Angelis & hominibus intelligētibus percipitur. Eadē dicitur prudentia, quatenus prudenter dirigit actiones hominis & Angeli ad bonum honestum & debitum finem. Vnde Platonici, quos sequitur S. August. dicebant, rationem nostram, cùm contemplatur summa, vocari rationem & sapientiam: dum verò curam habet de infimis, vocari prudētiam. Sensus ergo est, q. d. Dei sapientia non solùm diuina aspicit, vt sapientia; sed etiam ad humanam miseriam & ignorantiam se dimittit, vt eam doceat prudenter agere, eaque ratione prudentiæ rationem & nomen induit. Rursum Palacius: Intellectus, ait, idem est quod acumen. q. d. Sapientia est acumen prudentiæ, quod fuit ab æterno: sapientia enim est sublimitas & immensitas prudentiæ. Sic dicitur v. 24. *Scientiam & intellectum prudentiæ sapientia compartietur*, id est, sapientia dat scientiam & acumen prudentiæ.

Ab Ævo] Id est, ab omni æternitate, vel ab omni tempore imaginario, quod mente fingimus æternitati coextitisse; id est, vt Apostolus loquitur, à tēporibus æternis, Rom. 16. 25. Fuit enim ab æterno sapientia increata in Deo formaliter: creata verò fuit in eo eminenter, obiectiuè, exemplariter & efficienter, siue vt in causa exēplari & efficiente, vti iam dixi. Hæc est quarta sapientiæ laus, scilicet, quòd sit æterna.

Ex dictis liquet, Dei sapientiam non cognoscere futura, quæ necdum in tempore existunt, ex eo quòd illa realiter præsentia sint, æuo, siue eternitati: hec enim realis præsentia aliud esse nequit, quàm realis coexistentia cum æternitate. Atqui res futuræ non coexistunt æternitati, antequam existant in seipsis secundùm Esse suum creatum: coexistere enim alteri supponit existere in se, tamquam quid prius. Vnde non coexistunt, æternitati nisi suis temporibus, dum singula suo ordine promuntur, & suas essendi vices subeunt. Quare hæc coexistentia nihil iuuat ad illa intuenda tamquam præsentia, priusquā fiant, & multò minùs, vt videantur ab æterno: oportet enim illa non solùm coexistere æternitati, sed coexistere ab æterno, vt ab eterno tamquam præsentia videri possint. Nec obstat, quòd æternitas ambiat totum tempus: quia non ambit simul toti tempori coexistendo: coexistit enim illi successiuè, non successione sui, sed temporis. Allabuntur enim noui dies prioribus præterlabentibus; & dum hic dies præsens est, coexistit æternitari secundùm aliquid indiuisibile sui, sed cras non coexistet, sic vt nec heri coexistit: sicut in flumine allabuntur nouæ aquæ, & tangunt rupem flumini insidentem; sed statim transeunt, nec redeunt ampliùs. Totus rerum cursus, ab initio mundi vsque ad finem, est instar fluminis, sub æternitate, tamquam sub rupe quadam immobili, transeuntis. Itaque, sicut rupes illa non simul coexistit, nec simul tangit omnes fluminis partes, sed successiuè: sic nec æternitas simul rebus omnibus coexistit, sed successiue, prout illæ successiue Esse accipiunt. Radix ergo, & origo, cur Deus omnia videat & præuideat, est infinita efficacitas oculi diuini, cuius radius se extendit per totum tempus, tangens & incurrens in omnia, *Futura non sunt realiter præsentia æternitati.*

quæ

quæ in aliqua parte temporis exiſtunt: quò enim vis viſiua eſt maior, eò longiùs ſe extendit. Sicut igitur oculus corporeus maximæ acrimoniæ in altiſſima ſpecula conſtitutus, ſimul videret totam viam, & omnes in principio, medio, vel fine viæ conſtitutos: ita oculus divinus, ſuper omnia temporalia & mutabilia elevatus, fertur in totum temporis decurſum, & in omnia, quæ per totum tempus fiunt, ſingula ab æterno quaſi tangens, ſecundùm loca & tempora, quibus Eſſe accipiunt. Nec aliter illa videt, cùm iam ſunt, quàm antequam eſsent, aut cùm eſse deſierint; ſed ſemper eodem modo illa intuetur, ſecundùm omnem ſtatum, quem toto temporis ſuccelſu habent. Quare, etſi continua in rebus ſit variatio; in viſione tamen illius non eſt vlla ſucceſſio, ſed ſumma immutabilitas. In hac viſione, quam & *præſentiam* vocamus, omnia ſunt facta, quæ futura ſunt. *Ordo temporum*, inquit D. Proſper ſententia 57. *in æterna Dei ſapientia ſine tempore eſt, nec aliqua apud illum ſunt noua, qui fecit quæ futura ſunt*. ita noſter Leſſius de Attrib. diuin. libr. de Æternitate Dei. Deus enim ex altiſſima æternitatis ſpecula, omnes ſæculorum temporumque decurſus proſpicit, & eminus quaſi cominus intuetur.

Vers. 5. Fons ſapientiæ, verbum Dei, quod:

FONS SAPIENTIÆ, VERBVM DEI IN EXCELSIS] q.d. Verbum Dei excelſi in cælis excelſis habitans, eſt fons ſapientiæ. Solet in Script. ſapientia comparari aquæ, flumini, mari, ob multas eius cum his analogias, quia, ſcilicet, ſicut aqua aridam, plantas & homines ſitientes; ſic ſapientia mentes aridas & ſitientes irrigat, ſaturat, inebriat, vivificat, lætificat, impræegnat, fœcundat. Vnde illud c. 24. 40. *Ego ſapientia effudi flumina: ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluvio: ego quaſi fluvij dıorix, & ſicut aquæductus exivi in paradiſo.* Ita hic eidem illam cōparat Siracides: q.d. Sicut aqua in viſceribus terræ collecta erumpit in fonte, ibique primò ſe oſtendit & communicat, vt ſit & vocetur fons aquarum, ex quo hinc inde rivuli derivantur: ita ſapientia primitus collecta in Deo (in eo enim ſua habuit originem & collectionem, vt dixi v. 1.) primo ſe communicavit & quaſi erupit in Verbo, illudque conſtituit fontem ſapientiæ, ex quo omnes eius rivuli in homines, Angelos, ceteraſque creaturas derivarentur. Verbum Dei eſt duplex: eſsentiale, commune toti S. Trinitati; & notionale, propriū Filio. Verbum enim mentis eſt ipſa mentis conceptio & intellectio. Sicut ergo conceptio & intellectio in diuinis eſt duplex; eſsentialis, qua intelligit omnia Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; & notionalis, qua dicitur & producitur Filius: ſic prorſus eſt & Verbū. Magis tamē propriè accipias Verbum notionale, ſive Filium, cum S. Auguſt. libr. 15. de Trinit. cap. 11. quia hic propriè dicitur Verbum, eſtque fons ſapiētiæ manans à Patre. Eius verò meminit, ut ſignificet, ſapientiā homini petendā à Chriſto, qui eſt Verbum Dei cæleſte, ab omni impuritate terreſtri alienum, rectum, ſanctū & perfectum, à quo proinde manant mandata æterna, quæ, ſcilicet, in ſe firma & conſtantia ſunt, durantque ſemper, ac ſui obſervantem deducunt ad beatam æternitatem. Verbum ergo eſsentiale eſt ipſa conceptio, & iuſſio Dei, qua, ſcilicet, omnia in ſapientia dixit, iuſſitque fieri dicens: Fiat lux, ſol, ſidera, homines, animantia, &c. Geneſ. 1. ac illicò facta ſunt. Simile eſt Verbum notionale: vtrumque increatum eſt. Diviné S. Dionyſ. de Divin. nomin. cap. 7. *Verbum*, inquit, *Deus cum laude appellatur à Scriptis divinis, nō ſolùm propterea quòd & verbū, ſeu rationem, & mentē, & ſapientiam ſuppeditet; ſed etiam quòd omniū cauſas in ſe æquabiliter anticipatas habeat, quodq; per omnia vadat, pertingens, ut ſcriptum eſt* (Sapiēt. 8.) *uſque ad finem omnium*. Ac poſt pauca ſubdit: *Hoc verbum eſt ſimplex vereque exiſtens veritas: circa quam ut puram, & nuſquam aberrantē univerſorum cognitionem fides divina conſiſtit, ſtabile credentium firmamentum: quæ quidem hos in veritate collocat, atque in ipſis collocat veritatem identitate quadam numquam diſſuaſibili*. Hæc eſt quinta ſapientię laus, quòd ipſa ſit intellectio & verbum mentis divinæ, quo Pater ſe & omnia cognoſcendo, ſe & omnia dixit. Eructavit enim Pater verbum bonum, pſal. 44. 1.

Reſpondeo Primò.

Secundò.

Poſset Secundò, hic accipi verbum creatum, putà, lex creaturis omnibus decreta, dataque à Deo; lex, inquam, tum naturalis, uti eſt lex cælorum, aquæ, ignis, id eſt, ſtatus eorum, curſus & ordo eis præfixus & inditus à Deo, iuxta illud: *Ordinatione tua perſeverat dies*, pſal. 118. 91. Et: *Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi*, pſalm. 148. 6. Tum moralis, uti eſt lex naturalis & poſitiva data hominibus & Angelis: hæc enim eos deducit ad fontem ſapientiæ, imò eſt eis fons & ſcaturigo ſapientię. Ita Pineda lib. 3. de Rebus Salom. c. 26. num. 6. *Fons* inquit, *ſapientiæ Verbum Dei in excelſis: ingreſſus* (viæ, aditus, itinera) *illius, mandata æterna*, (quæ perpetuo ſervanda præcipit ſupremus legiſlator Deus:) ſicut enim eadem via eſt, iter idem, idemque impetus humanæ mentis per mandatorum cuſtodiam ad promerendam ſapientiam, & videndum primum illum atque celſiſſimum divinæ lucis fontem: ita idem eiuſdem à Deo ſapientiæ hominibus communicatæ effluxus eſt & curſus, per eadem mandatorum itinera ſpatiantis & excurrentis, & numquam à Deo, id eſt, à ſua ſcaturigine aberrantis: ſicut ſcriptum eſt Ioan. 6 *Omnis, qui audivit & didicit à Patre, venit ad me*. Quòd ſi ſapientiæ rivulus totus inſumatur, vel in quærendis terrenis opibus, vel in conſectandis vitæ animalis voluptatibus, vel in ambiendis vaniſſimis honoribus, ac nihil divinum quærat: *non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens* ſed *terrena, animalis, diabolica*, &c. Iacobi 3. 15. *Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, plena fructibus bonis*, &c.

Tertiò.

Denique Palacius explicat, q.d. Verbum Dei eſt fons, puteus, mare & oceanus ſapientiæ. Nam ut ait S. Auguſt. ſerm. de Samaritana, *Omnis puteus fons eſt: ergo Verbum Dei, quod mare eſt ſapientiæ, utique & fons erit ſapientiæ*, S. Gregor. Nazian. verò orat. de Theolog. *Hæc tria*, inquit, *diſtinguuntur, fluvius, fons, oculus fontis. Fluvius manat ex fonte, fons efficitur ex oculo. Ex oculo bullit aqua, quæ facit fontem: è fonte prodit aqua, quæ efficit rivum*. Aptè ergo Verbum nuncupatur fons ex oculo, id eſt, ex mente Patris emanans: mens enim Patris eſt quaſi oculus ſemper apertus ad intuendum ſe, & intelligendum omnia. Ex hoc fonte, putà, Verbo, manant rivi, id eſt, creaturæ omnes.

Scrutati ſunt veteres per multa annorū ſæcula fontē ſeu originem Nili, nec potuere reperire. Vnde Lucanus lib. 10.

Arcanum natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
Amovitq; ſinus, & gentes maluit ortus
Mirari, quàm noſſe tuos.

Origo Nili i Cong.

Noſtro tandem ſæculo cognitum eſt, Nilum oriri apud Æthiopas, putà, in quodam Africæ lacu in regno Congenſi, uti obſervarunt Luſitani, qui illa loca luſtrarunt. Magis ſcrutati ſunt Philoſophi fontem ſapientiæ; ſed irrito conatu. Illum ergo hic Siracides deſignat, indicatque, eſſe Verbum Dei in excelſis; vt ſignificet, fruſtrà quæri in terris, cuius ſcaturigo eſt in cælis: in Æthiopia, inquam, hoc eſt, in ſplendore & ardore divino SS. Trinitatis, iuxta illud pſalm. 109. v. 3. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum: ex utero ante luciferum genui te*. Ait ergo: *Fons ſapientiæ, Verbum Dei in excelſis*. q.d. Verbum Dei Patris æternum, fons eſt omnis ſapientiæ, a quo omnes creaturæ, omnes Angeli & homines ſuos ſapientiæ rivulos hauriunt & mutuantur. Porrò fons hic ſapientiæ divinæ ſuum habet in Deo & Verbo obiectorum ordinem, iuxta noſtrum modum intelligendi. In primo enim ſigno rationis, fertur in divinam eſſentiam & perſonas divinas: in ſecundo, in omnia poſſibilia: in tertio, in omnia opera poſſibilia rerum poſſibilium: in quarto, in omnia futura ex hypotheſi: in quinto, in omnia futura abſolutè. Vnde meritò dictum à Propheta: *Sapientiæ eius non eſt numerus*. Quocirca omnes res creatæ, vel creandæ & poſſibiles, ſunt in divina eſſentia, tamquam in primordiali rerum fundo & fundamento; in potentia, ut in cauſa effectrice ex nihilo; in ſapientia formaliter & obiectivè, & velut in cauſa exemplari. Sapientia primò, in eſſentiam converſa, eam omnino comprehendit, ſe illi exæquans, & prorſus commetiens. Ex vi huius comprehenſionis ſequitur immediatè omnium poſſibilium conceptio, ſeu effictio: ex hac omnium operum & effectuum, quæ à creatura, tam poſſibili, quàm exiſtente, fieri poſſunt, diſtincta notitia: hinc omnium eorum, quæ quavis hypotheſi futura eſsēt, clara intuitio: denique omnium reipſa, vel præſentiū, vel præteritorum, vel futurorū æterna viſio. Hoc modo & ordine ſapientia Dei in quinque velut ſphæras obiectorum & intelligibilium procedit; & quidquid attingit reliquorum, ex vi comprehenſionis eſſentię attingit, quæ omnium poſſibilium ratio prima eſt & fundamentum. Itaque in Deo eſt non ſolùm univerſitas ſapientiæ & intelligentiæ, ſed etiam univerſitas obiectorum & intelligibilium.

Ordo cogitatorum in Deo.

Moraliter, S. Augustinus in psalm. 35. v. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen. Quis est*, ait, *fons vitæ, nisi Christus? Venit ad te in carne, vt irrigaret fauces tuas sitientes. Satiabit sperantem, qui irrigavit sitientem. Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumē. Hic aliud est fons, aliud lumē: ibi non ita. Quod enim est fons, hoc est & lumen. Fons est, quia satiat sitientes: lumen, quia illuminat cæcos: ibi nō fatigaberis, quia fons est: nō tenebraberis, quia lumen.* Idē in Psal. 41. 1. *Quemadmodū desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Eia, fratres*, ait, *aviditatem meam capite, desiderium hoc meum communicate: simul amemus, simul in hac siti exardescamus: simul ad fontē intelligēdi curramus. Desideremus ergo velut ceruus fontē.* Et inferiùs: *Curre ad fontes: desidera aquarū fontes. Apud Deū est fons vitæ, & insiccabilis* A *fons: in illius luce lumen inobscurabile. Lumen hoc desidera; quemdā fontem, quoddā lumen, quale non norunt oculi tui: cui lumini videndo oculus interior præparatur, cui fonti hauriēdo sitis interior inardescit. Curre ad fontē, desidera fontē: sed noli vtcūque; noli, vt qualecūque animal currere: vt ceruus curre. Quid est, vt ceruus?* Non sit tarditas in currendo, *impigrè curre, impigrè desidera fontem. Inuenitemus enim insigne velocitatis in ceruo* Et post nōnulla, suggerit obicē huius cursus ad sapientiā tollendū, scilicet, cōcupiscentias: *Quomodo*, inquit, *cōcupiscis fontē sapiētiæ, cùm adhuc laboras in veneno malitiæ: Interfice in te, quidquid cōtrarium est veritati: & cùm te videris tamquā vacare à cupiditatibus peruersis, noli remanere, quasi non sit quod desideres: est enim aliquid, quò te tollas, si iam egisti in te, vt non sit impeditor contra te.*

In excelsis] Potest hoc accipi quasi epithetum Dei, B q. d. *Verbum Dei qui celsissimus est.* ita Tigurin. aut epithetum sapientiæ, indicans eius situm & locum, q. d. Fons sapientiæ non oritur in imis terræ vallibus, sed in excelsis cælorum montibus, indeque in terram defluit: quia fons hic non est terrenus, sed cælestis & divinus, putà, Verbum Dei.

Ingressus sapientiæ mandata æterna, quo sensu? Respondeo Primò.

Et ingressvs eivs (τὰ πορεύματα, id est, viæ eius, scilicet, sapientiæ, per quas ipsa incedit & egreditur) sunt mandata æterna] Persistit in metaphora aquæ & fontis: q. d. Sicut fons per certas vias, semitas, alveos & canales labitur & defluit in vicinos agros & vineas; ita fons sapientiæ, putà, Verbum Dei, per certas vias & canales sapientiam eructat & derivat in homines, Angelos, omnesque creaturas: viæ hæ, sive canales, sunt mandata Dei æterna, putà, æternæ Dei ordinationes & constitutiones; &, vt S. August. ait libr. 9. Civit. 22. sunt æternæ Dei leges, quæ in eius sapientia & Verbo viuunt, in quibus Angeli cursum & or- C dinem mundi, suumque & hominum legunt, discuntque, quid sibi, quid hominibus facto sit opus, vt sapienter secundùm Dei legem vivant, quo sanctè vitam transigant, & beatam vitam ac æternitatem cælestem assequantur. Sicut enim v. præc. ostendit sapientiæ originem & statum; ita hic ostendit eiusdem ad creaturas progressum & profluxum. Hæc est sexta laus sapientiæ.

Secundò. Secundò, Iansenius sic explicat, q. d. Ingressus, sive viæ, id est, modi & rationes, iuxta quos sapientia in gubernandis creaturis procedit, sunt fixæ & perpetuæ instar mandatorum æternorum; quia ipsæ sunt perpetuæ Dei ordinationes, mandata & decreta, quas Deus homini, Angelo & singulis creaturis quasi legem vivendi & agendi præstituit & præfixit, iuxta quas sapientia ingrediendum & vivendum exigit. Hic sensus ex parte convenit cum primo.

Tertiò. Tertiò, alij, q. d. Ingressus, id est, viæ, quæ ducunt ad sa- D pientiam, sunt mandata Dei in æternum duratura. Vis ergo sapientiam consequi? vis iter ad eam nosse & capessere? serva Dei mandata: hæc te rectà ad illam ducent. Sicut enim via vitæ vocatur via ad vitam: sic via sapientiæ vocatur via ad sapientiam. Vnde Tigurina non tam ad verbum quàm paraphrasticè vertit, *fons sapientiæ, sermo Dei celsissimus est; & aditus, sēpiterna eius præcepta.* Sic & Palacius.

Quartò. Quartò, Lyran. Fons, ait, totius sapientiæ creatæ est Verbum Dei, quod ingrediens in montem Sina dedit Iudæis mandata Decalogi, quæ sunt æterna; quia iuris naturæ, ideoque semper obligant & durant.

Allegor. Allegor. Rabanus, & S. Bernard. serm. in Nativit. B. Mariæ de Aquæductu: Fons sapientiæ Evangelicæ est Verbum incarnatum. Vnde, cùm Verbum per carnem assumptam ingressum est in orbem, dedit ei mandata æterna, putà, præcepta Evangelij. Lex enim Evangelij post legē naturæ & Mosaicā est tertia & vltima: nec ei alia succedet, sed durabit in æternum, suosque cultores transcribet cælo, & beatæ æternitati. Vnde S. Fulgent. libr. Ad obiectiones Arrian. in 3. resp. *Quòd*, inquit, *initium viarū Domini creatus est Filius, quid est aliud, nisi quòd ipse via nobis est factus, vt eo duce & rectore per adoptionis, quam recepimus, gratiā ad virtutum nobis profectū pateret ingressus?* Quocirca S. Iustinus philosophus & Martyr sub annū Christi 130. cùm quærens sapientiam varias philosophorum sectas pererrasset, & nullibi eam invenisset, à sene quodā sibi apparente audivit: *Id quod tam anxiè quæris, non nisi in schola Christi fas est reperiri. At tu votis & precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta: neque enim ab aliquibus perspiciūtur aut intelli*A*guntur, præterquā si Deus & Christus eis concesserit intelligētiam.* Huic credens & obediens Iustinus, & Christianus, & philosophus, & Martyr effectus est. ita ipse refert Dialogo cum Tryphone.

Et Origenes homil. 2. in Iosue: *Incarnatio*, inquit, *Salvatoris non nobis merum ingessit & integrum deitatis aspectum; sed tamquam per fenestram fecit nos per incarnationē suam lumen Deitatis aspicere.* Accedit Hugo, qui minutim multiplices hos Sapientiæ incarnatæ, putà, Christi, ingressus recenset. Primus, inquit, est in vterum Virginis Deiparæ per incarnationē; Secundus est in mundum, per nativitatem; Tertius in Iordanem, per declarationem: baptizatus enim à Ioanne in Iordane, eo indicante, & Patre è cælis detonante, *Hic est Filius meus dilectus*; agnitus fuit esse Dei Filius, & Messias. Quartus in infernum, ad patrum liberationem; Quintus in cælum, per ascensionem.

Tropol. multiplices, varij & incomprehensibiles sunt Dei ingressus in animam, quibus eam ad se trahit, illuminat, immutat, evehit, inflammat. Sic S. Paulum vocavit per se visibiliter, eum fulgure siderans & prosternens, Act. 9. 5. Cornelium vocavit per Angelū, Act. 10. 3. Eunuchum Candacis reginæ vocavit per Philippum, Actor. 8. 29. Alios vocat per flagella, alios per beneficia: hos per præceptores & concionatores; illos per libros & exempla Sanctorum, uti vocavit S. Augustinum. Sancti & contemplativi miros Dei ingressus, instinctus, elevationes, raptus, quibus eos docet praxes omnium virtutum, modos orandi contemplandi &c. sentiunt, nec eos comprehendere possunt. *Tropol.*

Radix (Sirus vertit, *radices*; & Arabicus, *fundamenta*, in plurali) sapientiæ cui revelata est, et astvtias illivs qvis agnovit] q. d. Nemo sapientiæ originem, rationes & modos plenè cognoscit: quia radix sapientiæ est Deus, quem nemo perfectè intelligit, licet ramos quosdam sapientiæ à Deo in se derivatos, aliquo modo quisque cognoscat. Vnde Lactant. libr. 3. de Falsa sapientia c. 6. *Vbi ergo*, inquit, *sapientia est? vt neque te omnia scire putes quod Dei est, neque omnia nescire, quod pecudis: est enim aliquid medium, quod sit hominis, id est, scientia cum ignoratione coniuncta & temperata. Scientia in nobis ab anima est, quæ oritur è cælo: ignoratio à corpore, quod est è terra. Vnde nobis & cum Deo, & cum animalibus est aliqua communitas. Ita, quoniam ex his duobus constamus elementis, quorum alterum luce præditum est, alterum tenebris; pars nobis data est scientiæ, pars ignorantiæ: per hunc quasi pontem transire sine cadendi periculo licet.* Alij per radicem sapientiæ intelligunt timorem Domini: hic enim statuitur initium sapientiæ: pauci enim illo æuo cognoverunt Deum, Deique timorem, id est, religionem & cultum. Vers. 6.

Astutias, vel, vt Vatabl. *calliditatem*; Græcè πανουργεύματα in bonū capit Siracides, æquè ac Septuag. in Proverbiis: hos enim sequitur. Ita D. Thomas 1. 2. q. 19. art. 7. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd timor Dei comparatur ad totam vitam humanam per sapientiam Dei regulatam, sicut radix ad arborē. Vnde dicitur Eccles. 1. Radix sapientiæ est timere Dominū. Rami autem illius longæui. Et ideò, sicut radix virtute dicitur esse tota arbor: ita timor Dei dicitur esse sapientia.*

Astutias ergo vocat rationes sapientes, cautelas circūspectiones, quas Deus vbique in operibus suis faciendis & gubernandis adhibet: has enim nemo plenè pervestigare & comprehendere potest. Vnde Syrus vertit, *arcana intelligentiæ quis cognoscit?* Idipsum repræsentarunt Ægyptij hieroglyphico Isidis, sive Minervæ Saitanæ, in cuius templo hæc erat inscriptio: *Ego sum omne quod fuit, est, & erit; & meum peplum nullus adhuc mortalium euoluit: quem peperi fructum, sol est.* vti ex Plutarcho & Proclo

refert

refert noster Nicolaus Causinus lib. 1. Parabol. histor. c. 56. hæc enim Isis, sive Minerva, erat symbolum sapientiæ cælestis. Hoc est, quod de sapientia canit Baruch. cap. 3. 15. *Quis invenit locum eius, & quis invenit thesauros eius? Vbi sunt principes Gentium, qui in avibus cæli ludunt: qui argentum thesaurizant, & aurum, &c. Viam autem disciplinæ ignoraverunt. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. Filij quoque Agar, qui exquirunt prudentiã, quæ de terra est, &c. viam autem sapientiæ nescierunt.*

Quocirca Lactant. lib. 3. de Falsa sapientia, impugnat Philosophos, qui se sapientiam invenisse iactitabant, ac inter alia c. 16. *Quando* inquit, *Philosophi esse cœperunt? Thales (vt opinor) primus: recens hæc quidẽ ætas. Vbi ergo apud antiquiores latuit amor iste investigãdæ veritatis?* Et mox: *Seneca, Nondũ sunt*, inquit, *mille anni, ex quo initia sapientiæ nota sunt. Multis ergo sæculis humanũ genus sine ratione vixit. Quod irridens Persius: Postquã*, inquit, *sapere urbi cũ pipere & palmis venit: tãquam sapientia cũ saporis mercibus fuerit invecta: quæ secundum hominis naturã est, cũ homine ipso cœperit necesse est: si verò non est, nec capere quidẽ illam posset humana natura. Sed quia recepit; igitur à principio fuisse sapiẽtiã necesse est. Ergo Philosophia, quia nõ à principio fuit, nõ est eadẽ vera sapiẽtia, sed, videlicet, Græci, qui sacras veritatis Litteras nõ attigerant, quemadmodũ depravata esset sapientia, nescierunt. Et ideò cùm vacare sapientia humanã vitam putarent, Philosophiã commenti sunt, id est, latentẽ atque ignotam sibi veritatẽ disserendo eruere voluerunt, quod studium, per ignorantiam veri sapientiam putaverunt.* Septima est hæc sapientiæ laus, scilicet, quod ipsa hominibus & Angelis sit incomprehensibilis.

Allegor. Radix sapientiæ B. Virgo est.

Allegor. Radix sapientiæ est B. Virgo Deipara: hæc enim est mater Sapientiæ incarnatæ, putà, Christi. Vnde à Patribus vocatur, & in Litiniis invocatur *Radix sapientiæ*, quam Deus creavit in Spiritu sancto, ut dicam v. 9. Huius enim admirabilem conceptionem, nativitatem, præsentationem, vitamque angelicam in templo, annunciationem, partum Verbi, &c. virtutes, dotes, prærogativas, excellentias, prudentiam & sapientiam nemo comprehendit; præsertim, quia ipsa sola Verbi incarnationem, nativitatem, infantiam, sapientiam, vitam & gesta per experientiam ocularem, auritam, sensibilem, & multo magis mentalem, putà, per illustrationem intellectus, & ardores voluntatis sibi à Verbo intra se concepto, & iugiter sibi præsente assiduè immissos cognouit, eaque S. Lucæ, ut ea in Evangelio conscriberet, ac Apostolis & fidelibus revelavit. Vnde S. Thom. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4. quærens, an Deus possit creare creaturas perfectiores quàm creavit, & illis rursum alias & alias perfectiores in infinitum, respondet posse; sed excipit tria, scilicet, incarnationem Verbi, maternitatem Virginis Deiparæ, & beatitudinem nostram, quæ sita est in visione & fruitione Dei: hæc tria enim, cùm Deum involuant, imò pro obiecto habeant, hinc nihil iis potest à Deo fieri melius; alioqui enim Deo aliquid esset præstantius. Quare, sicut non potest esse perfectior homo, quàm Christus, vtpote homo Deus; nec perfectior felicitas, quàm visio & possessio Dei: sic nec perfectior potest à Deo fieri mater, quàm mater Verbi, utpote, Dei. *Quare hæc tria*, inquit, *habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Denique ipsa est radix sapientiæ: quia illam supereminentem à Deo sibi infusam, Apostolis, ceterisque fidelibus communicavit, & indies se invocantibus communicat, uti communicavit S. Gregorio Thaumaturgo, iubens S. Ioanni, ut illi traderet Symbolum formulamque fidei, quam Origeni, Arrio & hæreticis opponeret. Item Alberto Magno, Ruperto Abbati Tuitiensi. S. Thomæ Aquinati, aliisque pluribus. De hoc plura c. 24. v. 6. & sequent.

VERS. 7. DISCIPLINA SAPIENTIÆ CVI REVELATA EST, ET MANIFESTATA? ET MVLTIPLICATIONEM INGRESSVS ILLIVS QVIS INTELLEXIT? Idem dicit alijs verbis, quod dixit v. præcedenti: unde hic versus deest in Græcis Complut. Romanis, & ceteris, ac nonnullis Latinis. *Disciplina* ergo *sapientiæ*, est ipsa ordinata sapientiæ methodus, dispositio & ratio, qua cuncta sapienter & ordinatè agit, constituit & disponit. *Multiplicationem ingressus*, sive viarum eius vocat multiplices providentiæ eius vias & rationes, quas tam variis creaturis varias, sed cuique congruas & proprias adhibet & adaptat. Pro his omnibus Syrus & Arabicus habent dumtaxat, *Arcana*, vel *secreta*, *intelligentiæ quis cognovit*, vel *comprehendit?*

VNVS EST ALTISSIMVS CREATOR OMNIPOTENS, ET REX POTENS, ET METVENDVS NIMIS, SEDENS SVPER THRONVM ILLIVS, ET DOMINANS DEVS] *Illius*, non sapientiæ; Græcè enim est masculinum, αὐτοῦ, sed Dei altissimi: *illius* ergo, id est, suũm. Hæbræi enim idem habent pronomen absolutũ & reciprocum. Vnde interpres Latinus unum cum altero sæpè permutat, ut dixi in procemio. Iam subaudi, *agnovit, intellexit*. nam quæstioni propositæ: Quis cognovit radicem, disciplinam, ingressus & vias sapientiæ? respondet, Solus Deus altissimus. Rationem addit à posteriori, & quasi indicium ex effectu, quòd, scilicet, ipse sit Primò, *creator omnium*: per sapiẽtiam enim sapienter creavit omnia. Secũdò, quòd sit *omnipotens*: omnipotentiæ enim directrix est sapientia; A quia quidquid sapientia dictat sapienter posse fieri, hoc omnipotentia Dei efficere potest. Tertiò, quòd sit *rex potens*: regi enim ad regendũ opus est sapientia, eoque maiori, quò maius est eius regimen & potentia. Quarto, quòd sit *metuendus nimis*, putà, tremendus, venerandus & latria colendus, quem adorant Dominationes, & tremunt Potestates tamquam Numen: quòd sapientissimè & iustissimè omnia videat, provideat, præmiet, & puniat etiam gehenna & æternis ignibus: unde quasi iudex & vindex sedet in throno suæ maiestatis & gloriæ, quem describit Daniel c. 7. 9. & S. Ioannes Apoc. 4. 2. & Ezechiel. c. 1. 26. vide quæ illis locis annotaui. Quintò, quòd sit *Dominans Deus*, vbique & semper, putà, in cælo & in terra per omnia sæcula. Ad hunc enim immensum dominatum immensa requiritur sapientia & providentia, ut omnia combinet, adæquet, disponat B iuxta cuiusque & totius Vniuersi bonum.

Græca hic de more concisa sunt, sicque habent: *Vnus est sapiens* (in se, & per essentiam) *metuendus nimis, sedens super thronum suum*. Sic & Syrus, *unus est & terribilis solus Deus, quia ipse dominator est super omnes thesauros eius*, scilicet sapientiæ. Et Arabicus, *unus est metuendus solus ipse, Deus dominans universis thesauris illius*. Septima ergò hæc est sapientiæ laus, quod scilicet, tanta, tam sublimis, ampla & vasta sit, ut à nemine, nisi à solo Deo omnisciente & omnipotente, cõprehendi possit. *Deus* enim, ait S. Anselmus in Monologio c. 15. *est summa essentia, & summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, sũma sapientia, summa veritas, sũma bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas,* C *sũma immutabilitas, summa beatitudo, sũma æternitas, summa potestas, sũma unitas.* Et S. Cyprian. lib. Quòd idola non sunt: *Mundi unus est rector qui universa quæ sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari sensu maior est: & ideò sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilẽ dicimus.* Et S. Bern. lib. 5. de Consider. *Quid est Deus? Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, æterna beatitudo.* Et infrà: *Amat ut charitas, novit ut veritas, iudicat ut æquitas, dominatur ut maiestas, regit ut principium, operatur ut virtus, tuetur ut salus, revelat ut lux, assistit ut pietas, &c.*

IPSE CREAVIT ILLAM IN SPIRITV SANCTO] Græca non habent *in Spiritu sancto*: sed tantùm: *Dominus ipse creavit eam*. Nonnulla Latina legunt: *Ipse creavit illam Spiritus*. VERS. 9.

Sapientia creata in Spiritu sancto, quo sensu.

CREAVIT] Id est, elicuit, genuit, produxit, ut dixi v. 4. D Sed quomodo *in Spiritu sancto*? nam Deus Pater non genuit Sapientiam, putà, Verbum, in Spiritu sancto; sed potiùs per Verbum (ut ait S. Cyrillus lib. 12. in Ioannem, c. 56.) & cum Verbo produxit & spiravit Spiritum sanctum. Resp. Primò, creata sapientia, de qua magis hic loqui videtur Siracides, creata est in Spiritu sancto: quia Deus Pater per Spiritum, & per amorem, quo volebat se suaque bona communicare creaturis, eas creavit in sapientia, & cum sapientia, quam eis indidit. Hanc enim quasi archetectam creationis constituit, *& effudit illam super omnia opera sua*, uti subdit vers. 11. Rursum hanc sapientiam Deus *creavit* ab æterno, id est, creare decreuit & prædestinavit, concipiendo, scilicet, ideam mundi creandi, rerumque creandarum numerum & mensuram, ordinem & legem præsertim quam Angelis & hominibus erat præ-

Resp. Primò.

Moraliter, S. Augustinus in psalm. 35. v. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen. Quis est*, ait, *fons vitæ, nisi Christus: Venit ad te in carne, vt irrigaret fauces tuas sitientes. Satiabit sperantem, qui irrigavit sitientem. Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumẽ. Hic aliud est fons, aliud lumen: sed non ita. Quod enim est fons, hoc est & lumen. Fons est, quia satiat sitientes: lumen, quia illuminat cæcos: ubi nõ fatigaberis, quia fons est: nõ tenebraberis, quia lumen.* Idẽ in Psal. 41. 1. *Quemadmodũ desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Eia, fratres*, ait, *aviditatem meam capite, desiderium hoc meum communicate simul amemus, simul in hac siti exardescamus simul ad fontẽ intelligẽdi curramus. Desideremus ergo velut cervus fontẽ.* Et inferiùs: *Curre ad fontes: desidera aquarũ fontes. Apud Deũ est fons vitæ, & insiccabilis fons: in illius luce lumen inobscurabile. Lumen hoc desidera; quemdã fontem, quoddã lumen quale non norunt oculi tui: cui lumini videndo oculus interior præparatur, cui fonti hauriẽdo sitis interior inardescit. Curre ad fontẽ, desidera fontẽ: sed noli vtcũque; noli, vt qualecũque animal currere: vt cervus curre. Quid est, vt cervus? Non sit tarditas in currendo, impigrè curre, impigrè desidera fontem. Inveniemus enim insigne velocitatis in cervo* Et post nõnulla, suggerit obicẽ huius cursus ad sapientiã tollendũ, scilicet, cõcupiscentias: *Quomodo*, inquit, *cõcupiscis fontẽ sapiẽtiæ, cum adhuc laboras in veneno malitiæ: Interfice in te, quidquid cõtrarium est veritati: & cùm te videris tamquã vacare à cupiditatibus perversis, noli remanere, quasi non sit quod desideres: est enim aliquid, quò te tollas, si iam egisti in te, vt non sit impeditor contra te.*

In excelsis] Potest hoc accipi quasi epithetum Dei, q. d. *Verbum Dei qui celsissimus est.* ita Tigurin. aut epithetum sapientiæ, indicans eius situm & locum, q. d. Fons sapientiæ non oritur in imis terræ vallibus, sed in excelsis cælorum montibus, indeque in terram defluit: quia fons hic non est terrenus, sed cælestis & divinus, putà, Verbum Dei.

Ingressus sapientiæ mandata æterna, quo sensu? Respondeo Primò.

Et ingressus eius ([illegible], id est, viæ eius, scilicet, sapientiæ, per quas ipsa incedit & egreditur) sunt mandata æterna] Persistit in metaphora aquæ & fontis: q. d. Sicut fons per certas vias, semitas, alveos & canales labitur & defluit in vicinos agros & vineas; ita fons sapientiæ, putà, Verbum Dei, per certas vias & canales sapientiam eructat & derivat in homines, Angelos, omnesque creaturas: viæ hæ, sive canales, sunt mandata Dei æterna, putà, æternæ Dei ordinationes & constitutiones; &, vt S. August. ait libr. 9. Civit. 22. sunt æternæ Dei leges, quæ in eius sapientia & Verbo vivunt, in quibus Angeli cursum & ordinem mundi, suumque & hominum legunt, discuntque, quid sibi, quid hominibus facto sit opus, vt sapienter secundùm Dei legem vivant, quo sanctè vitam transigant, & beatam vitam ac æternitatem cælestem assequantur. Sicut enim v. præc. ostendit sapientiæ originem & statum; ita hic ostendit eiusdem ad creaturas progressum & profluxum. Hæc est sexta laus sapientiæ.

Secundò.

Secundò, Iansenius sic explicat, q. d. Ingressus, sive viæ, id est, modi & rationes, iuxta quos sapientia in gubernandis creaturis procedit, sunt fixæ & perpetuæ instar mandatorum æternorum; quia ipsæ sunt perpetuæ Dei ordinationes, mandata & decreta, quas Deus homini, Angelo & singulis creaturis quasi legem vivendi & agendi præstituit & præfixit, iuxta quas sapientia ingrediendum & vivendum exigit. Hic sensus ex parte convenit cum primo.

Tertiò.

Tertiò, alij, q. d. Ingressus, id est, viæ, quæ ducunt ad sapientiam, sunt mandata Dei in æternum duratura. Vis ergo sapientiam consequi? vis iter ad eam nosse & capessere? serva Dei mandata: hæc te rectà ad illam ducent. Sicut enim via vitæ vocatur via ad vitam: sic via sapientiæ vocatur via ad sapientiam. Vnde Tigurina non tam ad verbum quàm paraphrasticè vertit, *fons sapientiæ, sermo Dei celsissimus est; & aditus, sẽpiterna eius præcepta.* Sic & Palacius.

Quartò.

Quartò, Lyran. Fons, ait, totius sapientiæ creatæ est Verbum Dei, quod ingrediens in montem Sina dedit Iudæis mandata Decalogi, quæ sunt æterna; quia iuris naturæ, ideoque semper obligant & durant.

Allegor.

Allegor. Rabanus, & S. Bernard. serm. in Nativit. B. Mariæ de Aquæductu: Fons sapientiæ Evangelicæ est Verbum incarnatum. Vnde, cùm Verbum per carnem assumptam ingressum est in orbem, dedit ei mandata æterna, putà, præcepta Evangelij. Lex enim Evangelij post legẽ naturæ & Mosaicã est tertia & vltima: nec ei alia succedet, sed durabit in æternum, suosque cultores transcribet cælo, & beatæ æternitati. Vnde S. Fulgent. libr. Ad obiectiones Arrian. in 3. resp. *Quòd*, inquit, *initium viarũ Domini creatus est Filius, quid est aliud, nisi quòd ipse via nobis est factus, vt eo duce & rectore per adoptionis, quam recepimus, gratiã ad virtutum nobis profectũ pateret ingressus?* Quocirca S. Iustinus philosophus & Martyr sub annũ Christi 130. cùm quærens sapientiam varias philosophorum sectas pererrasset, & nullibi eam invenisset, à sene quodã sibi apparente audivit: *Id quod tam anxiè quæris, non nisi in schola Christi fas est reperiri. At tu votis & precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta: neque enim ab aliquibus perspiciũtur aut intelliguntur, præterquã si Deus & Christus eis concesserit intelligentiam.* Huic credens & obediens Iustinus, & Christianus, & philosophus, & Martyr effectus est. ita ipse refert Dialogo cum Tryphone.

Et Origenes homil. 2. in Iosue: *Incarnatio*, inquit, *Salvatoris non nobis merum ingessit & integrum deitatis aspectum; sed tamquam per fenestram fecit nos per incarnationẽ suam lumen Deitatis aspicere.* Accedit Hugo, qui minutim multiplices hos Sapientiæ incarnatæ, putà, Christi, ingressus recenset. Primus, inquit, est in vterum Virginis Deiparæ per incarnationẽ; Secundus est in mundum, per nativitatem; Tertius in Iordanem, per declarationem: baptizatus enim à Ioanne in Iordane, eo indicante, & Patre è cælis detonante, *Hic est Filius meus dilectus*; agnitus fuit esse Dei Filius, & Messias. Quartus in infernum, ad patrum liberationem; Quintus in cælum, per ascensionem.

Tropol.

Tropol. multiplices, varij & incomprehensibiles sunt Dei ingressus in animam, quibus eam ad se trahit, illuminat, immutat, evehit, inflammat. Sic S. Paulum vocavit per se visibiliter, eum fulgure siderans & prosternens, Act. 9. 5. Cornelium vocavit per Angelũ, Act. 10. 3. Eunuchum Candacis reginæ vocavit per Philippum, Actor. 8. 29. Alios vocat per flagella, alios per beneficia: hos per præceptores & concionatores; illos per libros & exempla Sanctorum, uti vocavit S. Augustinum. Sancti & contemplativi miros Dei ingressus, instinctus, elevationes, raptus, quibus eos docet praxes omnium virtutum, modos orandi contemplandi &c. sentiunt, nec eos comprehendere possunt.

Vers. 6.

Radix (Sirus vertit, *radices*; & Arabicus, *fundamenta*, in plurali) sapientiæ cui revelata est, et astutias illius quis agnovit] q. d. Nemo sapientiæ originem, rationes & modos plenè cognoscit: quia radix sapientiæ est Deus, quem nemo perfectè intelligit; licet ramos quosdam sapientiæ à Deo in se derivatos, aliquo modo quisque cognoscat. Vnde Lactant. libr. 3. de Falsa sapientia c. 6. *Vbi ergo*, inquit, *sapientia est? vt neque te omnia scire putes, quod Dei est; neque omnia nescire, quod pecudis: est enim aliquid medium, quod sit hominis, id est; scientia cum ignoratione coniuncta & temperata. Scientia in nobis ab anima est, quæ oritur è cælo: ignoratio à corpore, quod est è terra. Vnde nobis & cum Deo, & cum animalibus est aliqua communitas. Ita, quoniam ex his duobus constamus elementis, quorum alterum luce præditum est, alterum tenebris; pars nobis data est scientiæ, pars ignorantiæ: per hunc quasi pontem transire sine cadendi periculo licet.* Alij per radicem sapientiæ intelligunt timorem Domini: hic enim statuitur initium sapientiæ: pauci enim illo ævo cognoverunt Deum, Deique timorem, id est, religionem & cultum.

Astutias, vel, vt Vatabl. *calliditatem*; Græcè [illegible] in bonũ capit Siracides, æquè ac Septuag. in Proverbiis: hos enim sequitur. Ita D. Thomas 1. 2. q. 19. art. 7. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd timor Dei comparatur ad totam vitam humanam per sapientiam Dei regulatam, sicut radix ad arborẽ. Vnde dicitur Eccles. 1. Radix sapientiæ est timere Dominũ. Rami autem illius longævi. Et ideò sicut radix virtute dicitur esse tota arbor: ita timor Dei dicitur esse sapientia.*

Astutias ergo vocat rationes sapientes, cautelas circũspectiones, quas Deus vbique in operibus suis faciendis & gubernandis adhibet: has enim nemo plenè pervestigare & comprehendere potest. Vnde Syrus vertit, *arcana intelligentiæ quis cognoscit?* Idipsum repræsentarunt Ægyptij hieroglyphico Isidis, sive Minervæ Saitanæ, in cuius templo hæc erat inscriptio: *Ego sum omne quod fuit, est, & erit; & meum peplum nullus adhuc mortalium evoluit: quem peperi fructum, sol est*, vti ex Plutarcho & Proclo

refert

refert noster Nicolaus Causinus lib. 1. Parabol. histor. c. 56. hæc enim Isis, sive Minerva, erat symbolum sapientiæ cælestis. Hoc est, quod de sapientia canit Baruch cap. 3. 15. *Quis invenit locum eius, & quis invenit thesauros eius? Vbi sunt principes Gentium, qui in avibus cæli ludunt: qui argentum thesaurizant, & aurum, &c. Viam autem disciplinæ ignoraverunt. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. Filij quoque Agar, qui exquirunt prudentiã, quæ de terra est, &c. viam autem sapientiæ nescierunt.*

Quocirca Lactant. lib. 3. de Falsa sapientia, impugnat Philosophos, qui se sapientiam invenisse iactitabant, ac inter alia c. 16. *Quando* inquit, *Philosophi esse cœperunt? Thales (ut opinor) primus: recens hæc quidẽ ætas. Vbi ergo apud antiquiores latuit amor iste investigãdæ veritatis?* Et mox: *Seneca, Nondũ sunt*, inquit, *mille anni, ex quo initia sapientiæ nota sunt. Multis ergo sæculis humanũ genus sine ratione vixit. Quod irridens Persius: Postquã*, inquit, *sapere urbi cũ pipere & palmis venit: tãquam sapientia cũ saporis mercibus fuerit invecta: quæ secundum hominis naturã est, cũ homine ipso cœperit necesse est: si verò non est, nec capere quidẽ illam posset humana natura. Sed quia recepit; igitur à principio fuisse sapiẽtiã necesse est. Ergo Philosophia, quia nõ à principio fuit, nõ est eadẽ vera sapiẽtia: sed, videlicet, Græci, qui sacras veritatis Literas nõ attigerant, quemadmodũ depravata esset sapientia, nescierunt. Et ideò cùm vacare sapientia humanã vitam putarent, Philosophiã commenti sunt, id est, latentẽ atque ignotam sibi veritatẽ disserendo eruere voluerunt, quod studium, per ignorantiam veri sapientiam putaverunt.* Septima est hæc sapientiæ laus, scilicet, quod ipsa hominibus & Angelis sit incomprehensibilis.

Allegor. Radix sapientiæ B. Virgo est. Allegor. Radix sapientiæ est B. Virgo Deipara: hæc enim est mater Sapientiæ incarnatæ, putà, Christi. Vnde à Patribus vocatur, & in Litiniis invocatur *radix sapientiæ*, quam Deus creavit in Spiritu sancto, ut dicam v. 9. Huius enim admirabilem conceptionem, nativitatem, præsentationem, vitamque angelicam in templo, annunciationem, partum Verbi, &c. virtutes, dotes, prærogativas, excellentias, prudentiam & sapientiam nemo comprehendit; præsertim, quia ipsa sola Verbi incarnationem, nativitatem, infantiam, sapientiam, vitam & gesta per experientiam ocularem, auritam, sensibilem, & multo magis mentalem, putà, per illustrationem intellectus, & ardores voluntatis sibi à Verbo intra se concepto, & iugiter sibi præsente assiduè immissos cognouit, eaque S. Lucæ, ut ea in Evangelio conscriberet, ac Apostolis & fidelibus revelavit. Vnde S. Thom. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4. quærens, an Deus possit creare creaturas perfectiores quàm crearit, & illis rursum alias & alias perfectiores in infinitum, respondet posse; sed excipit tria, scilicet, incarnationem Verbi, maternitatem Virginis Deiparæ, & beatitudinem nostram, quæ sita est in visione & fruitione Dei: hæc tria enim, cùm Deum involuant, imò pro obiecto habeant, hinc nihil iis potest à Deo fieri melius; alioqui enim Deo aliquid esset præstantius. Quare, sicut non potest esse perfectior homo, quàm Christus, utpote homo Deus; nec perfectior felicitas, quàm visio & possessio Dei: sic nec perfectior potest à Deo fieri mater, quàm mater Verbi, utpote, Dei. *Quare hæc tria*, inquit, *habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Denique ipsa est radix sapientiæ: quia illam supereminentem a Deo sibi infusam, Apostolis, ceterisque fidelibus communicavit, & indies se invocantibus communicat, uti communicavit S. Gregorio Thaumaturgo, iubens S. Ioanni, ut illi traderet Symbolum formulamque fidei, quam Origeni, Arrio & hæreticis opponeret. Item Alberto Magno, Ruperto Abbati Tuitiensi. S. Thomæ Aquinati, aliisque pluribus. De hoc plura c. 24. v. 6. & sequent.

Vers. 7. DISCIPLINA SAPIENTIÆ CVI REVELATA EST, ET MANIFESTATA? ET MVLTIPLICATIONEM INGRESSVS ILLIVS QVIS INTELLEXIT? Idem dicit alijs verbis, quod dixit v. præcedenti: unde hic versus deest in Græcis Complut. Romanis, & ceteris, ac nonnullis Latinis. *Disciplina* ergo *sapientiæ*, est ipsa ordinata sapientiæ methodus, dispositio & ratio, qua cuncta sapienter & ordinatè agit, constituit & disponit. *Multiplicationem ingressus*, sive viarum eius vocat multiplices providentiæ eius vias & rationes, quas tam variis creaturis varias, sed cuique congruas & proprias adhibet & adaptat. Pro his omnibus Syrus & Arabicus habent duntaxat, *Arcana*, vel *secreta, intelligentiæ quis cognovit*, vel *comprehendit?*

VNVS EST ALTISSIMVS CREATOR OMNIPOTENS, ET REX POTENS, ET METVENDVS NIMIS, SEDENS SVPER THRONVM ILLIVS, ET DOMINANS DEVS] *Illius*, non sapientiæ; Græcè enim est masculinum, [illegible], sed Dei altissimi: *illius* ergo, id est, suũm. Hæbræi enim idem habent pronomen absolutũ & reciprocum. Vnde interpres Latinus unum cum altero sæpè permutat, ut dixi in prooemio. Iam subaudi, *agnovit, intellexit*. nam quæstioni propositæ: Quis cognovit radicem, disciplinam, ingressus & vias sapientiæ? respondet, Solus Deus altissimus. Rationem addit à posteriori, & quasi indicium ex effectu, quòd, scilicet, ipse sit Primò, *creator omnium*: per sapiẽtiam enim sapienter creavit omnia. Secũdò, quod sit *omnipotens*: omnipotentiæ enim directrix est sapientia; quia quidquid sapientia dictat sapienter posse fieri, hoc omnipotentia Dei efficere potest. Tertiò, quòd sit *rex potens*: regi enim ad regendũ opus est sapientia, eoque maiori, quò maius est eius regimen & potentia. Quarto, quòd sit *metuendus nimis*, putà, tremendus, venerandus & latria colendus, quem adorant Dominationes, & tremunt Potestates tamquam Numen; quòd sapientissimè & iustissimè omnia videat, provideat, præmiet, & puniat etiam gehenna & æternis ignibus: unde quasi iudex & vindex sedet in throno suæ maiestatis & gloriæ, quem describit Daniel c. 7. 9. & S. Ioannes Apoc. 4. 2. & Ezechiel c. 1. 26. vide quę illis locis annotaui. Quintò, quòd sit *Dominans Deus*, vbique & semper, putà, in cælo & in terra per omnia sæcula. Ad hunc enim immensum dominatum immensa requiritur sapientia & providentia, ut omnia combinet, adęquet, disponat iuxta cuiusque & totius Vniuersi bonum.

Græca hic de more concisa sunt, sicque habent: *Vnus est sapiens* (in se, & per essentiam) *metuendus nimis, sedens super thronum suum.* Sic & Syrus, *unus est & terribilis solus Deus, quia ipse dominator est super omnes thesauros eius*, scilicet sapientiæ. Et Arabicus, *unus est metuendus solus ipse, Deus dominans universis thesauris illius*. Septima ergò hæc est sapientiæ laus, quod scilicet, tanta, tam sublimis, ampla & vasta sit, ut à nemine, nisi à solo Deo omnisciente & omnipotente, cõprehendi possit. *Deus* enim, ait S. Anselmus in Monologio c. 15. *est summa essentia, & summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, sũma sapientia, summa veritas, sũma bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, sũma immutabilitas, summa beatitudo, sũma æternitas, summa potestas, sũma unitas.* Et S. Cyprian. lib. Quòd idola non sunt: *Mundi unus est rector qui universa quæ sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari sensu maior est: & ideò sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilẽ dicimus.* Et S. Bern. lib. 5. de Consider. *Quid est Deus: Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, æterna beatitudo.* Et infra: *Amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut maiestas, regit ut principium, operatur ut virtus, tuetur ut salus, revelat ut lux, assistit ut pietas*, &c.

IPSE CREAVIT ILLAM IN SPIRITV SANCTO) Græca non habent *in Spiritu sancto*: sed tantùm: *Dominus ipse creavit eam.* Nonnulla Latina legunt: *Ipse creavit illam Spiritus.* Vers. 9.

Sapientia creata in Spiritu sancto, quo sensu. CREAVIT] Id est, elicuit, genuit, produxit, ut dixi v. 4. Sed quomodo *in Spiritu sancto*? nam Deus Pater non genuit Sapientiam, putà, Verbum, in Spiritu sancto; sed potiùs per Verbum (ut ait S. Cyrillus lib. 12. in Ioannem, c. 56.) & cum Verbo produxit & spiravit Spiritum sanctum. *Resp. Primò.* Resp. Primò, creata sapientia, de qua magis hic loqui videtur Siracides, creata est in Spiritu sancto: quia Deus Pater per Spiritum, & per amorem, quo volebat se suaque bona communicare creaturis, eas creavit in sapientia, & cum sapientia, quam eis indidit. Hanc enim quasi architectam creationis constituit, *& effudit illam super omnia opera sua*, uti subdit vers. 11. Rursum hanc sapientiam Deus *creavit* ab æterno, id est, creare decreuit & prædestinavit, concipiendo, scilicet, ideam mundi creandi, rerumque creandarum numerum & mensuram, ordinem & legem præsertim quam Angelis & hominibus erat

præscripturus, idque *in Spiritu sancto*, id est, ex dilectione & amore creaturarum, Angelorum & hominum, qui amor attribuitur Spiritui sancto; quia Spiritus sanctus per voluntatem, & actum amoris notionalem Patris & Filij spiratur & producitur. Vnde S. Athanas. disput. contra Arrium, ex hoc loco probat, Spiritum sanctum esse Deum. Hic sensus, uti facilis, obvius & congruus; ita valde appositus est & genuinus. Siracides enim, æquè ac Salomon, de sapientia loquitur confusè & generatim. Vnde quædam dicit de ea, quæ magis conveniunt increatæ, quædam quæ magis creatæ; & tale est hoc. Vult enim docere, Deum ab æterno decrevisse creare creaturas in sapientia ex amore, qui appropriatur Spiritui sancto, non autem ob proprium aliquod commodum; ideoque hunc Dei amorem fuisse purum & sanctum; ac proinde opus huius amoris; putà, mundum, Angelos, homines, legesque & præcepta eis à Deo præstituta & præfixa esse pura, sancta & omninò irre- A prehensibilia. Quocirca Syrus & Arabicus pro, *creavit eam*, vertunt, *manifestavit eam*.

Secundò. Secundo, increata sapientia, tam essentialis, quàm notionalis, creata, id est, producta & genita, est à Patre in Spiritu sancto, id est, Primò, ex spiritali sanctaque divinitate, & naturæ divinæ fœcunditate quasi prodiit & emanauit: propriè enim essentialis Sapientia à Deo non est producta, nec genita, cùm sit vnum idemque cum Deo; sed nostro modo concipiendi dicitur producta eo sensu, quem iam assignavi. Nos enim concipimus & metimur divina quæ non videmus, ex humanis & creatis quæ videmus. In his autem videmus sapientiam creatam prodire & produci ex spiritali natura, & præstantia intellectus angelici & humani. Igitur simili modo concipimus Sapientiam increatam quasi prodire ex immensa excellentia divinitatis. ita Iansen. nam Spiritus sanctus dupliciter accipitur: Primò, notionaliter, quasi proprium tertię personę sanctissimę Trinitatis: Secundò, essentialiter, quomodo Deus Pater est Spiritus sanctus: si est enim ipse Spiritus, est & sanctus. Vnde quidam codices τὸ *Spiritum sanctum* scribunt minusculo s. Romani tamen, Plantiniani; & ceteri scribunt maiusculo, quasi sit nomen proprium Spiritus sancti. Quare Secundò, increata Sapientia, (putà, Verbum,) creata, id est, producta, est in Spiritu sancto, *non principatiuè, quia spiritus sanctus non est principiū Filij, sed concomitativè*, ait Lyran. Itaque *in Spiritu sancto*, id est, cum Spiritu sancto, hic enim à Patre Filioque producitur & procedit, vt intelligamus Spiritum sanctum fuisse ab æterno simul cum Patre & Filio. Hebr. enim ב id est, *in*, sumitur pro עם *im*, id est, cum, apud, iuxta, ceterisque præpositionibus. Vel *in Spiritu sancto*, quasi in fine & termino: q.d. Creatio, id est, productio Sapientiæ, id est, Verbi, non ibi stitit, sed vlteriùs processit, ac finita & terminata est in productione Spiritus sancti: Pater enim gignendo Verbum, simul dedit ei fœcundiratem spirativam, vt secum possit spirare & producere Spiritum sanctum: hæcque vis in ratione Verbi includitur, adeò vt ipsum planè & per omnia perfectum non sit, donec spiret Spiritum sanctum: in Spiritu sancto enim terminatur omnis activitas, omnis productio interna deitatis, putà, Patris & Filij. Sic S. August. lib. 6. de Trinit. ait, Patrem & Filium se invicem amare Spiritu sancto, scilicet, amore, non essentiali & formali; sed notionali & producto, qui est finis & terminus amoris essentialis. *Nam Spiritus sanctus*, inquit, *est summa charitas, vtrumque coniungens, nosq; subiungens*. Et lib. 5. *Communio quædam consubstantialis Patris & Filij, est amborum Spiritus sanctus*. Sic idem August. lib. 83. quæst. ait, Patrem esse sapientem sapientia genita, non formaliter: sic enim sapiens est, sapitque & intelligit sapientia essentiali & ingenita; sed effectivè & terminativè: quia, scilicet, eius intellectio notionaliter producit sapientiam genitam, sive Verbum, in eoque terminatur. Vnde idem August. lib. 15. de Trinit. & lib. 1. Retract. cap. 26. docet, propriè dicendum esse, Patrem non esse sapientem sapientia genita, (quia Pater non accepit sapientiam à Verbo, sed potiùs Verbum eam accipit à Patre,) sed propria & ingenita.

Tertiò. Tertiò, Palacius sic exponit: q.d. Pater creavit, id est, possedit Filium, qui est in Spiritu sancto, scilicet, cum quo est illi una natura: sicut enim Pater est in Filio; ita Filius est in Spiritu sancto: vt significetur hic trium divinarum περιχώρησις, sive circuminsessio, de qua ex Damasceno alibi dixi. Cùm enim vna sit essentia trium personarum, hinc fit, vt Pater sit in Filio & Spiritu, & Filius sit in Patre & Spiritu, & Spiritus sanctus sit in Patre & Filio, idque non tantùm quoad essentiam unam & eamdem, quæ tribus personis communis est, uti voluit Durandus in 1. dist. 19. & alij nonnulli; sed etiam quoad ipsam personam. Quia enim eadem prorsus & individua est tribus personis essentia, hinc fit, ut non sola essentia, sed & per eam persona qualibet alteri inexistat, uti docent S. Bonavent. Marsilius, Scotus & alij passim in 1. dist. 19. qua de re alibi plura dixi.

Quartò. Quartò, Theologi multi sic exponunt: Pater creavit, id est, genuit Sapientiam, putà, Verbum, ex cognitione Spiritus sancti: quia genuit illud ex cognitione & comprehensione suæ essentiæ, & omnium quæ in ea sunt: in ea autem est fœcunditas spirandi Spiritum sanctum, & possibilitas creandi omne possibile: quare ex cognitione Spiri- A tus sancti, & creaturarum possibilium, pariter ac essentiæ, divinæ, producitur & procedit Verbū, uti docet probabiliter Franc. Suarez lib. 9. de Deo trino & uno, cap. 4. 5. 6. & alij, licet Gabr. Vasquez cum nonnullis id neget.

Allegor. Allegor. Sapientia incarnata creata est in Spiritu sancto: quia incarnatio fuit opus, non viri, sed Spiritus sancti. Vnde in Symbolo dicimus: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*. Quocirca Angelus cōceptū annūtians, Virgini quærenti: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*: respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideòque & quod nascetur ex te sanctū, vocabitur Filius Dei*, Lucæ 1. 35. ita Rabanus. Rursum Sapientia, imò Sapientiæ æternæ mater, est B. Virgo: hanc creavit Deus in Spiritu sancto: quia simul creata & repleta Spiritu sancto fuit, uti decebat matrem Dei mox futuram, ideòque in gratia omnes homines & Angelos superavit: quare eius gratiam solus Deus dinu- B meravit & mensus est, iuxta illud Proverb. vlt. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*. ita S. Bernardinus tomo 2. serm. 1. art. 3. c. 1. Hæc est sapientiæ laus, scilicet, quòd Deus eam crearit in Spiritu sancto.

Ex dictis liquet, hunc locum non favere Græcis, qui dicunt & docent, Spiritum sanctum non procedere à Filio, sed à solo Patre: ob quem errorem ipso festo Spiritus sancti, putà, Pentecostes, capta à Mahomete Turcarum Imp. Constantinopoli, eversum est imperium Græcorum anno Domini 1453. Maluerunt Græci cum Latinis de Spiritu sancto otiosis falsisque disceptare verbis, quàm feriis contra barbaros decernere armis. Itaque iusto Dei iudicio eiusdē Spiritus sancti festo illa acceperunt vulnera, quæ eorum dominis extrema fuerunt funera: ut, sicuti Constantinus primus ante mille annos, natus S. Helena, religione Catholica, & in Rom. Pontificem observantia eximius, conditor Constantinopolis, novæ Romæ dictæ, maximoperè C clarus extitit; sic Drogates, Constantinus alter, Helena etiam natus, sed religionis Catholicæ desertor, & Pontificis Roman. inimicus, Constantinopoli amissa fuerit extremus, inglorius & infamis in omne ævum.

ET VIDIT, ET DINVMERAVIT, ET MENSVS EST] Hæc tria antistropha sunt, & alternis respondent tribus interrogatis v. 2. ibi enim interrogavit: *Quis sapientiam investigavit, dinumeravit, & dimensus est*: hic respondet: Deus *eam vidit, & dinumeravit, & mensus est*. q.d. Deus planè pleneque ab æterno cognovit sapientiæ naturam & quantitatem; tum discretam, putà, numerum; tum continuam, putà, molem & mensuram; Deus perspexit, quæ & quanta esset sapientia; Deus ab ævo omnes sapientiæ rationes & modos numeratos & mensuratos habuit, secundùm quos in tempore omnia creaturus & facturus erat, iuxta illud Sapient. 16. *Omnia in mensura, & numero & pondere disposuisti*. Loquitur enim de sa- D pientia Dei architectonica, quam quasi ideam Deus architectus ab æterno in mente concepit & efformavit, ut iuxta eam in tempore omnia in mensura, numero & pondere conderet. Licet ergo Dei sapientia in se sit infinita, & homini innumerabilis & immensurabilis; à Deo tamen, Deique mente, quæ pariter infinita est, quæque est fons & origo sapientiæ, numeratur, mensuratur & comprehenditur.

Nota τὸ *vidit*, id est, intimè, penitus & funditus eius naturam, proprietates & dotes introspexit & circumspexit, quasi captus eius specie & pulchritudine. τὸ *mensus est*, non est in Græco.

Vers. 10. ET EFFVDIT ILLAM SVPER OMNIA OPERA SVA, ET SVPER OMNEM CARNEM SECVNDVM DATVM SVVM (prout, scilicet, cuique eam dare & communicare voluit : Vatabl. *pro sua munificentia*) ET PRAEBVIT ILLAM DILIGENTIBVS SE] Nona est hæc sapientiæ laus: q.d. Deus sapientiam ab æterno in mente sua reconditam, in tempore communicavit omnibus creaturis etiam inanimis, sed magis animalibus, præsertim hominibus carne prædictis, maxime verò hominibus & Angelis diligentibus se. τὸ *effudit*, significat largitatem beneficentiæ Dei, quod se, suaque dona & sapientiam instar imbris vel torrentis copiosissimè effuderit in mundum, præsertim in homines se diligentes: quia hos donavit fide, gratia, & sapientia supernaturali, ut Deum cognoscant, ament & colant, itaque ad eius visionem & fruitionem, in qua consistit perfectio & consummatio sapientiæ, perveniant. Hinc disce, magnam Dei sapientiam inditam esse cælis, elementis, arboribus, plantis, avibus, piscibus, &c. hinc illa solertia avium in construendis nidis, educandis fœtibus, cavendis noxiis, parando cibo; piscium in natando, comedendo, generando; animalium in vita sua & suorum tuenda, propaganda & propugnanda. Sicut ergo artifex effundit artē suam in opus, quod ab arte producit: pictor enim, v. g. pingendo imaginem, similem suæ arti & ideæ quam mente concepit, ideam quasi in picturam confert & transfert: sic Deus quasi artifex & pictor universi, sapientiam & ideam suam quasi in illud contulit & transtulit, cùm illud iuxta illam, illique simile condidit. Vnde Syrus vertit, *manifestauit eam, & diuisit eam omnibus operibus suis: cum carne secundùm voluntatem suam dedit eam, & multiplicauit eam omnibus timentibus se*; Arabicus, *patefecit eam, & reuelauit eam, tum comprehendit eam, & præbuit illam: distribuit eam inter vniversam creaturam suam, super omnem virum ex hominibus secundùm voluntatem suam, & multiplicauit eam in omnibus timentibus se*.

Dei notiones sunt quædam sigilla rerum formandarum.

Contemplare hic, mirare & revere sapientiam divinam esse primæuum fontem & primæuum signaculum rerum omnium, quod omnia penetrat sua puritate & subtilitate, intrinsecùs format & disponit omnia in omnibus. Considera ergo divinam sapientiam plenam esse notionibus & conceptibus rerum, veluti sigillis quibusdam, formandis creaturis secundùm speciem cuiusque idoneis. Sunt enim res creatæ veluti impressiones quædam & ἀποσφραγίσματα divinæ sapientiæ: quam ob causam dicitur, *Et effudit illam* (sapientiam suam) *super omnia opera sua*. Et quemadmodum sigillum aquæ, vel alteri rei fluxæ impressum, si amotum fuerit, statim forma perit: ita nisi divinæ sapientiæ signaculum assiduè formet & consignet creaturam, tota species & substantia rei evanescet. Itaque cuilibet rei creatæ suum hoc sapientiæ divinæ sigillum, quo eius essentia ab intrinseco assiduè formetur & conservetur, semper est intimè præsens.

Vbi Nota dignationem Dei Creatoris, qui creaturas omnes, sed maximè homines, præsertim sanctos evexit ad tantam dignitatem, quanta est similitudo Dei: omnes enim creaturæ sunt similes sapientiæ Dei; quia sunt similes suis ideis & exemplaribus, quæ viuunt in mente Dei, suntque ipse Deus. Si omnes creaturæ, ergo multò magis iusti & sancti, de quibus proinde ait, *Et præbuit*, scilicet, se ipsam, & quasi se totam, *diligentibus se*. Nam, ut ait Ecclesiast. cap. 3. 1. *Filij sapientiæ, Ecclesia iustorum*, id est, iusti & sancti sunt filij sapientiæ, ac proinde iusti participativè sunt ipsa quasi sapientia; sicut filius hominis oportet sit homo. Hoc est, quod admiratur S. Ioannes cap. 1. v. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, &c. sed ex Deo nati sunt.* Iam occasione horum Deum timentium & diligentium, quorum quasi propria est sapientia, Siracides transit ad timorem Dei, secutus Salomonem dicentem: *Timor Domini, principium sapientiæ*, vt doceat, viam & modum assequendi sapientiam, ita hactenus laudatam, esse timorem sive amorem Dei: timor enim filialis idem est cum amore, vel certè actus amoris & charitatis.

Vers. 11. TIMOR DOMINI GLORIA ET GLORIATIO, ET LÆTITIA ET CORONA EXVLTATIONIS] Syrus, *timor Domini gloria, & honor, & maiestas & corona gloriæ*; Arabicus *timor Domini in illa* (sapientia,) *& honorificentia & maiestas ipsius, & corona gloriæ & laudationis illius*. Est hic altera pars capitis, qua transit Ecclesiasticus à sapientia ad timorē & cultum Dei tamquam unicum medium comparandæ sapientiæ. Iam *timor Dei* est *gloria*, &c. non formaliter, sed causaliter. Est enim metonymia: q.d. Timor Dei est causa gloriæ, parit & conciliat gloriam æternam, tum in cælo, tum in terra; tum apud Deum & Angelos, tum apud homines. Timor quoque parit gloriationem, ut scilicet, de eo gloriari possit homo, sed in Domino: item affert lætitiam, quia affert bonam conscientiam, æquè ac fiduciam in Domino, quæ duo sunt causa summæ lætitiæ. Insuper conciliat divinas consolationes, & gaudia, quę expertus Psaltes iubilabat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te!* Psal. 30. 20 Denique hic timor ornat hominem instar coronæ, sive diadematis exultationem afferentis: corona enim datur sacerdoti, sive pontifici, regi & triumphanti. Timens ergo Deum, est quasi sacerdos coronatus & consecratus Deo idem destinatur,

A vt sit rex in cælo per gloriam; quod regnum in terra inchoat per gratiam: per hanc enim fit filius Dei, ideoque hæres regni eius cælestis; ac proinde maius & certius per gratiam acquirit ius in regnum cæli, quàm primogenitus regis habeat ad regnum patris terrenum. Hic enim ex hominibus ius habet, ille ex Deo. Vnde ait S. Petrus epist. 1. c. 2. 9. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*. Denique timens Deum est triumphator, ideoque coronatus: triumphat enim de peccato, mundo, carne & dæmone. Vnde R. Simeon aiebat, *tres esse coronas, coronam legis, coronā sacerdotis, & coronam imperij: verùm coronam bonæ famæ* (ex sapientia & vita honesta) *illustriorem longè & pretiosiorē his omnibus esse*. Quocirca S. Chrysost. homil. 69. ad Popul. *Si Dei timorē*, inquit, *habeamus, nihil nobis est opus: si verò hunc nō habeamus, etsi regnū ipsum possideamus, sumus omniū pauperrimi. Nihil æquale Deum timēti: timor enim Domini omnia superat; hunc itaque*

B *possideamus: omnia propter hunc faciamus, ut hunc assequamur timorē*. Plura verò homil. 15. ad Pop. in eamdē sententiā scripsit: *Nisi bonū* (ait) *esset timor, non multos impendisset Christus sermones & longos de pœna & supplicio loquens. Timor nil aliud est quàm murus & munimentū, & turris inexpugnabilis. Etenim multa nobis munitione opus est, quia multæ sunt undique insidiæ*. Denique S. Isidor. libr. 2. Sentent. c. 1. *Omnis*, inquit, *qui secundùm Deū sapiens est, beatus est. Beata vita, cognitio divinitatis est. Cognitio divinitatis, virtus boni operis est. Virtus boni operis, fructus æternitatis est.*

Timens Deum est quasi sacerdos cōsecratus Deo: est ut rex & triumphator.

Timor Dei hic intelligitur, Dei non tantùm metus, sed & reverentia, observantia & cultus, seu θεοσέβεια, & *religio*, ut vertit Vatabl. quæ est initium sapientiæ, ac nascitur ex amore. Est enim filialis, non servilis: quia enim fideles quasi filij summè amant Deum quasi patrem, hinc eum timent & reuerentur; omnes eius leges, imò nutus observant; in omnibus ei placere satagunt, caventque quàm

C maximè, ne quid committant, quo vel in minimo eū offendant. Quocirca hic timor est causa gloriæ, lætitiæ & coronæ. Quapropter Lactant. toto lib. 3. & 4. docet, Philosophos omnes non habuisse veram, sed falsam sapientiam, eò quòd caruerint vera Dei cognitione, cultu & religione, in qua sita est vera sapientia; ac inter alia c. 2. *Naturam hominis*, inquit, *hanc Deus esse voluit, ut duarum rerum cupidus & appetens esset, religionis & sapiētiæ: sed homines ideò falluntur, quòd aut religionem suscipiunt omissa sapiētia, aut sapiētiæ soli student omissa religione, cùm alterū sine altero esse nō possit verū. Cadunt ergo ad multiplices religiones, sed ideò falsas, quia sapientiam reliquerunt, quæ illos docere poterat, deos multos esse nō posse: aut studēt sapientiæ, sed ideò falsæ, quia religionē summi Dei omiserunt, qui eos ad veri scientiā*

D *potuit erudire. Sic homines, qui alterutrū suscipiunt, viā deviā maximisq. erroribus plenam sequuntur: quoniā in his duobus inseparabiliter connexis & officium hominis, & veritas omnis inclusa est*. Vnde librū 3. concludens ait: *Qui vult sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocē, discat iustitiā, sacramētū natiuitatis suæ norit, humana contemnat, diuina suscipiat, ut summū illud bonū, ad quod natus est, possit adipisci. Dissolutis religionibus universis, & omnibus quæcūque in earū defensionē dici, vel solebant, vel poterāt, refutatis; deinde cōuictis Philosophiæ disciplinis, ad verā nobis religionē sapiētiāq; veniendum est; quoniā est (ut docebo) utrumque coniunctum.* Hinc timor Dei à Septuag. Prov. 1. 7. vocatur εὐσέβεια, id est, pietas & religio, vertit Clemens Alexand. 2. Strom. de quo plura v. 16. Sic Abraham ait Genes. 20. 11. *Forsitan non est timor Dei in loco isto*, id est, forsitan in hoc

loco

loco non est Dei cultus & religio. Sic illud Deuter. 6. 18. *Dominum Deum tuum timebis*; Christus explicat Matth. 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis*. Nam, ut Poeta ait:

Primus in orbe Deos fecit timor.

Sic Iob.cap.1.1.vocatur *vir simplex & rectus, ac timens*, id est, colens, *Deum*. Similia sunt psalm. 21. v. 24. 25. 26. & alibi passim.

Dotes 14. timoris Dei. Porro, Siracides hic mirè commendat Dei timorem, eiusque quatuordecim elogia & dotes recenset. Prima est hoc versu, quòd timor Dei sit gloria, lętitia & corona exul-

Prima dos. tationis.

VERS.12. TIMOR DOMINI DELECTABIT COR, ET DABIT LÆTITIAM, ET GAVDIVM, ET LONGITVDINEM DIERVM] tum in hac vita, tum magis in futura. ita Rabanus. Explicat quod dixit v. præced. *Timor Domini, gloria, & lætitia & corona exultationis*. Causas delectationis & gaudij ibidem recensui. Syrus vertit, *timor Domini lætificat cor, & lætitia & exultatio & vita æterna*; Arabicus, *timor Domini lętificat cor, & est lætitia, & exultatio & vita permanēs*. Vide Dam.l.1.Paral.c.4.ubi inter alia citat auream gnomen Didymi: *Fieri nō potest, ut qui timore Dei pręditus est, meticulosus sit, cùm illud monumētis proditū sit: præter cū ne quēquā alium timeas*. Nam, ut ait Nazian. Iamb.15. *Lætitia est mētis diffusio; metus, eiusdē contractio; tristitia, morsus & turbatio*. Lætitia ergo excludit metum.

Nota τὸ *longitudinem dierum*: nam, ut præclarè ait S. August. in psal.93. *Venale est, quod habeo, dicit Dominus: tibi eme illud. Quid habet venale? Requiē, regnum. Quantū valet? Pretium eius labor est. Quātus labor? Aeterna requies æterno labore rectè emitur: certè tantus debuit esse. Itē sēpiternus labor pro requie sempiterna. Decies cētena millia annorum in labore quid valent? habent finē. Quod tibi dabo, ait Dominus, non habet finē. Qualis misericordia Dei! Nec dicit, Decies cētena millia annorū labora: non dicit, Vel mille annos labora: nō dicit, Quingētos labora: sed, Cùm vivis, labora paucis annis. Inde iam requies erit, & finē non habebit. Ecce quantū pretiū damus, quodammodo unam siliquā, ad accipiendos thesauros sempiternos: siliquam laboris, ad requiem sempiternam.*

VERS.13. TIMENTI DOMINVM BENE ERIT IN EXTREMIS] Novè Tigurina, *religionem Domini colenti benè erit in extremis*, Syrus, *qui timet Deum, bonus fiet finis eius*. *Timenti* ergo *Dominum benè erit in extremis*, puta, in morte, iudicio & gloria celesti: hæc enim sunt tria iusti extrema sive novissima. Hæc secunda est dos timoris Dei. O quantum est,

Secunda dos. benè & feliciter nobis aleam salutis cadere in illis extremis! In hoc enim puncto temporis iacimus aleam de tota ęternitate, eaque vel felicissima, vel miserrima. Quàm ergo gaudebit in extremis timens Deum, cùm videbit aleam sibi cadere æternitatis beatę! O quanta felicitas est ea potiri! ò quantum est, regnum cælorum, imò Deum possidere in æternum.

Præclarè S. Greg. 10. Moral.c.12. *Peccatoris*, inquit, *lumē in die, est obscuritas in vespere: quia in præsentis vitæ felicitate attollitur, sed adversitatis tenebris in fine devoratur: iusto autem meridianus fulgor ad vesperam surgit, quia quāta sibi claritas maneat, cùm iam occūbere cœperit, agnoscit: hinc nāque scriptum est: Timenti Deum benè erit in extremis.* Ita in extremis gavisa fuit anima Lazari, dum ab Angelis elata fuit in cælum, cùm dives Epulo demersus sit in tartara, Lucæ 16. De quo pulchrè S.Chrys. hom. de divite & Lazaro: *Factum est*, inquit, *ut portaretur ab Angelis, & adduceretur, ne saltem ābulans laboraret. Portabatur post tot labores, quia defecerat: & portabatur ab Angelis: nō suffecerat ad portandum pauperi unus Angelus; sed propterea veniunt plures ut chorū lętitiæ faciant. Et portaretur ab Angelis: gaudet unusquisque Angelorū tantū onus tāgere: libēter talibus oneribus prægravātur, ut adducant homines ad regna cælorū.*

Iusti in morte iubilant. Exempla. Ita in extremis benè fuit S. Ambrosio, cùm moriturus confidenter dixit: *Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere, sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus*, uti refert Possidon. in Vita S. Augustini, c. 27. Et S. Gerardo, fratri S. Bernardi, qui, ut ipse refert serm. 26. in Cant. in morte iubilabat: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis*. Et Vener. Bedæ, qui canens, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sācto*, animā Deo reddidit, ut habet eius Vita.

S. Franciscus moriens, cùm gravissimis arderet totius corporis doloribus, non nisi divinas laudes canebat, & alios canentes audiebat, cumque F. Elias eum increparet, dictitans, illud tempus dandum esse lacrymis & pœnitentiæ, respondit, *Non licere sibi aliter facere, cùm sciret, se brevi cum Deo fore*. Ita S. Bonavent. in eius Vita.

S. Bernardus, primus S. Francisci socius, moriens: *Nunc* inquit, *sentio, quid sit in Dei timore vixisse. Nunc enim pro toto mundo nollē me aliam vitam instituisse. Nunc gaudeo & exulto, quòd mūdū spreverim, quòd in humilitate & paupertate Deo servierim*. Ita habēt eius Acta in Chron. S. Fräcisci.

S. Eligius, Noviomensis Episc. animam agens, discipulis osculo valedicens: *Iam non ultrà*, inquit, *loquar vobiscum, valete in pace. Redeat terra in terram*. Ac erectis in cælum oculis: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace. Memento mei, Christe redemptor, salvum me fac in regnum tuum cæleste. Tu semper fuisti protector meus. In manus tuas commendo spiritum meum: manus*

A *tua me deducat in mansionem, quam præparasti timētibus te*. ita refert B. Audoenus, Rothomag. Episc. in eius Vita.

S. Antoninus Archiep. Florentin. in extremo vitæ spiritu canebat: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*, uti refert Mainardus in eius Vita.

S. Antonius de Padua iubilando B. Virgini: *O gloriosa Domina, excelsa super sidera* &c. ac intentis in cælum oculis, *video Dominum meum*, ei animam resignavit anno Domini 1231. Ita habet eius Vita, cap. 37.

S. Nicolaus Tolentinas sex mensibus ante mortem, singulis noctibus audiebat concentum Angelorum, ut diceret: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*. Moriturus verò exultabat: rogatus causam dixit: *Dominus meus Iesus Christus, sue matri, & nostro Patri Augustino innitens, dicit mihi: Euge, serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui*. Ita habet eius Vita.

Sic hoc sæculo B. Petrus de Alcantara Ordinis S. Francisci, vir miræ orationis & austeritatis, flexis genibus moriens, exultans ait: *Lętatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus*. Et nostēr Edmundus Campianus damnatus ad mortem, cecinit: *Te Deum laudamus*.

ET IN DIE DEFVNCTIONIS mortis & obitus, quo vita hac defungetur transiturus ad meliorem & beatam: unde Syrus vertit, *in ultimo dierum*; Arabicus *in extremo vitæ suæ* BENEDICETVR tum ab hominibus, tum à Deo, cùm audiet à Christo iudice: *Veni benedicte Patris mei: possìde paratum tibi regnum à constitutione mundi*. Matth. 25. 34.

Benedicetur ergo, tum vocaliter, tum realiter; id est, benefiet ei: quia bonum felicitatis & regni æterni accipiet, quod est maximum. Unde Tigurina vertit, *in die obitus sui beabitur*. Quidam Græci codices legunt, εὑρήσει χάριν id est, *inveniet gratiam*, scilicet, coram Deo, ac per eam inveniet

C gloriam sempiternam. Quocirca in Script. benedictus dicitur, imò *beatus vir, qui timet Dominum*. Psal. 111.1. Audi S. Chrys. in psal. 62. *Si dixeris mihi ex psalmis illud: Beatus, qui timet Dominum; & potueris scire quidnam sit id quod dicis: non divitem, non principem, non formosum, non eum qui valet viribus, non eum qui ædes possidet magnificas, non eum qui gerit magistratus; non eum qui regnum obtinet; nullum denique alium nisi eum qui est pius & religiosus, qui studio sapientiæ tenetur, qui Deum timet, beatum dices, non solùm propter futura, sed etiam propter præsentia: nam etiam in hac vita hic quoque est illo potentior.* Igitur Prosper l. 2. de Voc. Gent. 9. *De timore* (ait) *Dei & sapientia in Ecclesiastico legitur: Corona sapientiæ timor Domini: utraque autem sunt dona Dei*. Et paucis interiectis: *Beatus* (ait) *cui donatum est habere timorem Domini*.

DILECTIO DEI, HONORABILIS SAPIENTIA] Liberius suo more Tigurina, *amor Dei præclara est sapientia*. Sensus est, q. d. Hic timor est Dei dilectio & amor, in quo consistit vera, honoranda & summa sapientia. Qui amat Deum, hic sapit præ omnibus Philosophis & theologis: hic enim sapit & cognoscit Deum practicè & sapidè, nō speculativè & aridè. Unde S. Bernardus ser. 85. in Cant. *Quidquid*, inquit, *virtus elaborat, sapientia fruitur, & quod sapiētia ordinat, deliberat, moderatur, virtus exequitur*, &c. *& si quis sapientiā, virtutis amorem definierit, non à vero devitare videbitur. Ubi autē amor est, labor non est, sed sapor. Et fortè sapiētia à sapore denominatur, quòd virtuti accedēs quoddā veluti cōdimētū sapidā reddat, quæ per se insulsa & aspera sentiebātur: nec duxerim reprehēdēdū, si quis sapiētiā, saporē boni definiat*. Sapiētia enim est sapida scientia, ait S. Greg. iuxta illud: *Gustate, & videte, quoniā suavis est Dominus*. Ps. 33. 9. Hæc est sapiētia nō quæ inflat, sed quæ beat. Vides hic, ut sapientiam constituat nunc in amore, nunc in VERS.14.

timore

timore filiali: quia hic timor oritur ex amore, imò est amor. ita Rabanus. Hic amor, hæc sapientia nos facit filios Dei, vt sicut Sapientia increata est Filius Dei per naturam; ita sapientes & amantes Deum sint filij eius per gratiam, imò sint *diuinæ consortes naturæ*, & quasi dij quidam terrestres, vt ait S. Petrus epist. 2. c. 1. 4. Nota rursum metonymiam, qua sapientia dicitur esse amor & timor Dei, non formaliter, sed causaliter: nam sapientia est in intellectu; amor & timor sunt habitus & actus in voluntate: sed hi inuoluunt & præsupponunt sapientiam, quasi sui originem & causam. Ex hoc enim dictamine sapientiæ: Deus est summa pulchritudo, summus honor, summa opulentia, summa voluptas, summa gloria, summum bonum: ergo Deus est summè amabilis; oritur eius amor & timor. Hinc ille vocatur, & reuera est sapientià practica, de quo plura v. 16. Quocirca verè & eleganter S. August. tract. de Laudibus char. to. 9. *Tene*, ait, *charitatem, & in ea inuenies omnem scientiam* Et inferiùs: *Totam magnitudinem diuinorum eloquiorum & latitudinem secura possidet charitas*. Et mox: *In eo, quod in Scripturis intelligis, charitas patet: in eo, quod non intelligis, charitas latet. Ille itaque tenet & quod patet, & quod latet in diuinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus*. Deinde charitatem describens: *Charitas*, inquit, *est recta volũtas, ab omnibus terrenis prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter & vnita, igne quodam Spiritus sancti, à quo est, & in quem refertur, incensa, inquinamenti extranea corruptionis nescia, nulli commutabilitati obnoxia, super omnia quæ carnaliter diliguntur excelsa, affectionum omnium potentissima, diuinæ contemplationis auida; in omnibus semper inuicta, summa actionum bonarum, salus morum, finis cælestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, arma sanctarum mentium, causa meritorum, præmium perfectorum, sine qua nullus Deo complacuit: fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, victoriosa in Martyribus, operosa in omnibus omninò fidelibus, ex qua quidquid est boni operis, viuit*.

Porrò Syrus & Arabicus pro *dilectio Dei, honorabilis sapientia*, habent *Initium sapientiæ timor Domini*: quam sentẽtiam deinde secundò & tertiò hoc capite repetunt, quasi basin & centrum omnium dictorum & dicendorum.

Denique dilectio hæc sapiens maximè resplẽdet in Martyribus, ac similibus, qui pro Deo & sapiẽtia graues obeunt labores aut atroces subeunt dolores. Vnde SS. Sauinus & Cyprianus, Martyres Brixiani, cùm atrociter cæderentur, in ignitam fornacem proiicerentur, super rotas extenderentur & dilacerarentur, gratias agẽtes Deo, iubilantesque dicebant: *Quàm dulcis est dilectio tua, Domine!* ita Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem 2. Iulij.

S. Vitus puer cum Modesto & Crescẽtia gloriosum obiẽs martyrij agonem, cum Diocletianus ei ingentes promitteret opes & honores, si Deos coleret, animosè respondit: *Ego regnum, honores & diuitias parui pendo, totusq; ex vno Christo solo Deo & immortali dependeo*.

S. Felicula, virgo & Martyr Romana collactanea S. Petronillæ, cùm in eculeo torqueretur, exultabat dicens: *Ego Christum sponsum video, qui tanta pro me passus sustinuit*.

S. Marcus & Marcellianus stipiti clauis affixi, cùm iudex diceret: *Respicite, miseri, & vos ab his cruciatibus liberate*; alacres responderunt: *Nunquam tam iucundè epulati sumus, quàm libenter hæc Christi causa perferimus, in cuius amore nunc fixi esse cœpimus. Vtinam nos tamdiu hæc pati sinat, quamdiu corruptibili hoc corpore vestiti erimus*. Ita habet eorum Vita, & Acta S. Sebastiani. Ita cruces omnes dulcorat Sanctis dilectio & amor Christi, vt amorem amori, ac mortem morti rependant. Quàm dulce ergo eis erit frui Christo, eiusque gloria in cælo! Tunc verè dicent cum Sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi*.

Vers. 15. QVIBVS AVTEM APPARVERIT IN VISV, id est, quibus se videndam & cognoscendam obtulerit hæc Dei dilectio, quæ est sapientia practica; quibus seipsam manifestarit: hi DILIGVNT EAM IN VISIONEM, putà; per solam hanc visionem & ostensionem dilectionis & sapientiæ, ET IN AGNITIONE MAGNALIVM SVORVM id est, per agnitionem magnificorum operũ eius, quæ ab ipsa mirabiliter esse peracta discũt & audiunt. q.d. Adeò speciosa, adeò amabilis est dilectio Dei, quæ est vera sapientia, vt sola sui ostensione, solo sui aspectu, omnes in sui amorem & admirationem rapiat; ac proinde nemo eam odit, nemo despicit, nisi qui eam non cognoscit. Vetustus codex citatus in editione Græca Romana, sic habet: ἀγάπησις κυρίου ἔνδοξος σοφία, οἷς δ' ἂν ὀπτάνηται, μερίζει αὐτὴν εἰς ὅρασιν αὐτοῦ: id est, *Dilectio Dei, honorabilis sapientia: quibus autem apparuerit* (sapientia,) *distribuet eam* (dilectionem) *ad visionem eius*: q.d. Sapientia, cùm alicui se suumque auctorẽ, putà Deum, ostendit, illicò in Dei dilectionẽ eum rapit.

Hæc est tertia timoris laus.

Sic Abrahã, Isaac, Iacob, Moses & Prophetæ viderũt Deũ, Deique Verbum in corpore assumpto, & audiebant eius magnalia, atque illico in eius amorem rapiebantur. In illis enim visionibus apparuit & ostẽdit se Filius Dei, vt ait Concil. Sirmiense; vt præluderet & significaret, se quandoque verum corpus assumpturum, vt in eo sapientiam nobis ore tenus prędicaret & communicaret. In Dauid videns opera sapientiæ Dei, v. g. cælos, exclamat: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa* A *terra!* psal. 8. Ita intuens hanc mundi machinam iubilat: *Delectasti me Domine, in factura tua*, psal. 91. — *Tertia dos.*

Ita sapientia apparuit S. Gregorio Nazianzeno quasi virgo speciosa, cui astabat castitas, simili specie. Cumque ille, vtpote castus, formam feminarum refugeret, ab ea audiuit: *Ne mireris, ô iuuenis, sociæ & sorores sumus, tibiq; familiares, quia nobis iucundum in tuo corde habitaculum præparasti, vna nostrum Sapientia, altera Castitas vocatur*. Quo viso in vtriusque amorẽ accensus est Nazianzenus, vti refert Ruffinus, Baron. & alij in eius Vita.

Ita pariter sapientia apparuit D. Henrico Susoni, qui Doctor Theologus anno Domini 1350. magna sapientiæ & sanctitatis laude floruit, multaque conscripsit, in quibus spirat amorem Sapientiæ æternæ, adeoque Horas composuit de æterna Sapientia: vnde & eius Minister est appellatus. Audi Auctorem Vitæ eius, cap. 4. *Dum*, inquit, *his* B *flagraret desideriis videndi & alloquendi Sapientiam, illa tali schemate se illi visendã præbuit. Longè supra ipsum ferebatur in columna nubis, residens in throno eburneo, micãs instar luciferi, & tamquam sol lucens in virtute sua. Corona eius erat æternitas, amictus felicitas, sermo suauitas, complexus omnis boni satietas. Prope erat & longè aberat, sublimis & humilis, præsens & occulta; familiarem se præbebat, nec tamen apprehendi poterat. Excelsis cæli fastigiis erat altior, & abysso profundior: attingebat à fine vsque ad finem fortiter, & disponebat omnia suauiter. Dum elegantis puellæ specie teneri videbatur, mox pulcherrimi iuuenis præ se ferebat imaginem. Nonnumquã ceu artiũ omniũ peritissimam se præbebat amicã cunctis amabilem. Itaque dulcissimè ad eum se conuertens, & comiter, non tamen sine quadã diuina maiestate illi arridens, benignè his eum verbis affata est: Præbe, fili, cor tuũ mihi. Tum verò vestigiis illius aduolutus, medullitus ac humillimè gratias illi egit. Sapientia deinde nonnum*- C *quam animæ illius se communicabat, quasi totius boni fons & profluuium, & omniũ desiderabilium abyssus, in qua simul reperit, quidquid pulchrũ, amabile, vel cõcupiscibile esset: siquidem id omne in ea modo ineffabili existebat*. Et inferiùs: *Neque sane dici possit, quoties gratissimã illam amicam lacrymantibus oculis, & in immensũ expanso cordis sinu circumplexus sit, & suo pectori suauiter astrinxerit. Erat tum sæpenumerò illi, perinde vt solet infãti, ad matris ipsũ suis vlnis cõplectentis, vbera pẽdenti, atque in eius gremio delitescenti. Vt enim eiusmodi puerulus capite, & totius corporis motu ad parentis suæ pectus sese applicat, & amicabilibus & blandis id genus gestibus cordis sui lætitiã declarat: ita cor illius cum sensibili quadam inundatione, erga iucundissimã æternæ Sapientiæ præsentiam ferebatur cogitabatque: Si mihi dæ sponsa foret, Domine Iesu, Regina potens, esset id mihi gaudio. Nunc* D *igitur, æterna Sapientia, tu mei cordis imperatrix, & totius gratiæ parens es. In te diuitiarũ, honoris, potentiæ affatim mihi suppeditas. Nihil præterea appeto, quidquid hic mundus habet. Sub his meditationibus vultu exhilaratus, oculis micantibus, corde in iubilum sublato, & cunctis internis sensibus exultantibus, in hæc verba prorupit: Super salutem & speciem dilexi sapientiam, & proposui pro lucem habere illam, & venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*. — *Sapientiæ visio, & imago corporea.*

Vers. 16. INITIVM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI] Græcè, *initium sapientiæ timere Dominum*, hoc est, *timor Domini*. Infinitiuus enim de more ponitur pro nomine. Sapientiam hic creatam accipe: arctiùs ergo hic illa accipitur, quàm v. 1. Citat. psal. 110. 10. Prouerb. c. 17. vbi pro *initium*, Hebr. est ראשית *rescit* (Grecè, ἀρχή,) quod deducitur à ראש *ros*, id est, caput, q. d. Capitale. Vnde *rescit* Primò, vertas initium, — *Initiũ sapiẽtiæ timor Dei. quo sẽsu?*

Respondeo Primò. tium, vt sensus sit: q.d. Initium sapiendi est Dei timor, cultus & religio; à religione & Dei cultu incipit vera sapientia & philosophia fidelium, quæ in actione consistit: si vis sapientiæ studere eamque nancisci, incipe à Dei timore & cultu: si vis sapere, Deum time & cole. Sapientia enim hæc practica intelligitur, quæ in actione sita est, eamque imperat & complectitur. q.d. Si vis actiones moresque recte componere, si vis honestam vitam instituere, incipe à timore, id est, vera religione & cultu Dei: hic te reliqua docebit, hic ad ceteras virtutes te manu ducet. Vnde Septuag. Proverb. 8. 7. *timorem* Dei interpretantur pietatem & religionem. *Pietas in Deum*, inquiunt, *principium sensus*: vel, ut vertit Clemens Alexandr. 2. Strom. *Sapientiæ initium est religio*: idque verum esse docet S. August. libr. de Vera religione, & Lactant. lib. 3. & 4. quia, sicut homo per ætates crescit & adolescit: ita idem in virtute adolescit, dum ex timore in fidem, & ex fide in dilectionem accrescit. Hæc est mystica ætas virtutis, & virtute præditi. ita Clemens. Quocirca S. Basil. in cap. 1. Isaiæ: *Attenta*, ait, *cogitatio arcanorum, nobisq. formidabilium timor, pædagogus est ad exercendam pietatem*, &c. *Quasi quidam ianitor, timor necessariò ad pietatem condiscendam admittitur*. Vbi sapientiam interpretatur pietatem.

Secundò. Secundò, *rescit* vertas *principatum*. q.d. In sapientia morali, putà, in virtutibus, vitaque honesta primas tenet religio; caput virtutum est timor & cultus Dei; honestatis, probitatis & sanctitatis arcem & principatum sibi vendicat religio. Vnde *rescit* Vatabl. vertit, *caput*; Palacius, *summa sapientiæ est religio*: quia, ut docet S. Cyrill. lib. 2. de Recta in Deum fide, si ex omnibus virtutibus corpus mysticum componas, capitis locum obtinebit religio: sicut enim caput in cetera membra spiritus vitales & animales, ac per eos sensum & motum influit; ita religio suum pietatis spiritum, vitam & motum influit in ceteras virtutes. Quocirca rectè S. Ambros. super Leviticum: *Præferenda est*, inquit, *religio necessitudini, pietas propinquitati. Ea enim demum vera est religio, quæ præponit divina humanis, perpetua temporalibus*. Sic *initium* pro summo & principatu sumitur cap. 11. 3. *Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius* q. d. Fructus parvæ apis est mel, quod summum habet dulcorem, quod in dulcedine obtinet principatum.

Tertiò. Tertiò, *rescit*, vertas, *primitias*. q.d. Timor Dei sanctus obtinet honestatis & pietatis primitias, quæ Deo offerendæ sunt: sicut enim arborum frugumque, sic & virtutum primitiæ Deo debentur; has Deo offert redditque religio. Hæc enim tota Deum, Deique cultum spectat: ceteræ virtutes in proximum tendunt, vel in ipsum operantem diriguntur & reflectuntur. Virtute ergo præditus ex bonis actionibus quasi fructibus, quos quasi arbor frugifera assiduè profert, primitias dat Deo, cùm eas orditur à religione, offerendo eas Deo quasi victimas & holocausta.

Quartò. Quartò, S. Thom. 2. 2. q. 19. a. 7 *Initium* inquit, *hoc est, primus Sapientiæ effectus, timor Domini. Cùm enim ad sapientiam pertineat; quòd humana vita reguletur secundùm rationes divinas; hinc oportet sumere principium, vt homo Deum revereatur, & se ei subiciat: sic enim consequenter in omnibus secundùm Deum regulabitur*.

Quintò. Quintò, noster Benedict. Fernandius in Genes. cap. 3. sect. 20. nu. 3. per sapientiam accipit pœnitentiam: hæc enim est resipiscentia. Vnde Clemens Alexandr. *Pœnitentia*, ait, est *magna intelligentia*. Pœnitentiæ enim initium & stimulus solet esse timor Dei.

Timor Dei est & finis sapientiæ, quomodo. Dices, Si timor est initium sapientiæ, quomodo alibi idem dicitur sapientiæ finis & consummatio? ut hic v. 18. *Plenitudo sapientiæ est timere Deum* Et v. 21. *Corona sapientiæ, timor Domini*. Et Iob. c. 28. 28. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia*.

Respondet Primò, S. August. mox citandus, & ex eo Beda in Proverb. c. 8. 7. timorem initialem, sive servilem, esse principium sapientiæ, id est, charitatis, de qua dixit v. 14. *Dilectio Dei, honorabilis sapientia*. Timorem verò filialem & amorē perfectum esse consummationem sapientiæ, id est, charitatis: quia hic timor est actus perfectæ charitatis: timor enim servilis est auspicium, initium, clavis, seta charitatis, &, ut ait S. Basil. in c. 1. Isaiæ, *pædagogus*, vel, ut Origen. in cap. 8. ad Roman. v. 15 *tutor & procurator parvulorum, deducens eos ad charitatem*. Audi S. August. tract. 9. in illud 1. Ioan. 4. 18. *Perfecta charitas foras mittit timorē. Quando aliquid suitur, seta priùs intrat; sed nisi exeat non succedit linum: sic timor primò occupat mentem, non tamen ibi remanet; quia ibi intravit, ut induceret charitatem*. Et paulò antè: *Initium sapientiæ, timor Domini*, inquit, *quia timor locum præparat charitati: cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum: quantum enim illa crescit, ille decrescit: & quantū illa fit interior, timor pellitur foras. Maior charitas, minor timor: minor charitas, maior timor. Si autē nullus timor, non est qua intret charitas*.

Idem docet D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 10. vbi asserit, crescente charitate crescere timorem filialem pari mensura; sed decrescere timorem servilem: *Quia*, inquit, *quantò aliquis magis diligit Deum, tantò minus timet pœnā. Primò quidem, quia minùs attendit ad propriū bonum, cui contrariatur pœna. Secundò, quia firmiùs inhærens Deo, magis confidit de præmio, & per consequens minùs timet de pœna*. Hęc D. Thomas. Timor Dei ergo facit, ut homines, quos nondum delectat pulchritudo virtutis, dolorū & pœnarum divinarum metu à peccatis coerceantur. Hęc sentētia vera est: sed huic loco nō satisfacit. Nā timor hic potiùs filialis, quàm servilis intelligitur: vocatur enim à Septuag. εὐσέβεια, id est, pietas, imo v. 14. vocatur *dilectio Dei*, & v. 17. *sciētię religiositas* & v. 21. *corona sapientiæ*: vbique enim agit de eodem timore: Siracides enim maximè nobis inculcare satagit timorem filialem; & hunc passim vocat *timorem Domini*: servilis enim potiùs est timor inferni, quàm Domini.

Pro responsione Nota, solere Ethicos & philosophos inchoare scientiam & disciplinam suam à principiis scientię, iuxta Aristot. 1. Poster. cap. 1. & 2. Vnde, sicut Arist. 1. Ethic. in auditore Ethices suæ requirit, ut sedatis sit animi affectionibus, ideoque vir; ac principium suæ Ethices ponit passionum dominium, & inde consequenter dictamen rectæ rationis non perturbatæ: ita Salomon Proverb. 1. & eum secutus Siracides hic, suarum sententiarum, suæque sapientiæ & sacræ Ethices principium statuunt timorem Domini, eumque in discipulo, ut disciplinæ suæ sit capax, requirunt: quia stulti, qui timorem Dei non habent, despiciunt sapientiam, Proverb. 1. 7. *Respondeo.*

Dico ergo Primò: sapientia hic intelligitur divina & practica, sive Ethica sacra, ut dixi v. 1. cumque ea sit duplex: formalis hoc est, habitus vel actus sapientiæ; & obiectiva, sive obiectum huius habitus, vel actus; vtraque hic accipi potest, sed meliùs obiectiva. *Primò.*

Dico Secundò, per timorem hic generatim accipi omnē metum & reverentiam divinæ maiestatis, inclinantem animum ad hoc, ut illi per omnia obediat, & summè caveat, ne vspiam illam offendat; tum, quia ipsa severissimus est iudex & vindex malorum: tum, quia suavissimus est amicus, pater, finis & summum bonum nostrum. Vnde Septuag. timorem vocant pietatem, Prov. 1. 7. *Secundò.*

Dico Tertiò, hunc timorem esse initium sapientiæ propriè & formaliter: quia, sicut principium se habet ad conclusionē in scientia & demonstratione; ita se habet timor Dei ad sententias hasce practicas in hac sapientia: timor enim Dei ut finis vltimi, & summi boni nostri, est principium omnium practicarum conclusionum, tum discendarum, tum faciendarum, quas in Proverbiis, & in hoc libro, quasi in sua sapientia explicant Salomon & Siracides, quæque media sunt ad Deum vltimum finem assequendum: finis enim in Ethicis & actionibus humanis est principium, quia est primum in intentione, ex quo media velut conclusiones inferuntur. *Tertiò.*

Dico Quartò, hic timor etiam est completa sapientia, non propriè & formaliter, sed metonymicè & causaliter: tum, quia sicut omnis conclusio continetur in suo principio; ita perfecta sapientia in timore Dei latet, quasi in suo semine, causa & principio; vera enim & perfecta, verèque omnem & totum hominem beans est sapientia, non speculatiua, sed practica hæc, quæ ex timore Dei manat, & sic in se & sua essentia perfecta est hæc sapientia: tum, quia timor hic, cùm rei sit quæ tanti est momenti, seipsum acuit & auget; & quò magis crescit hic timor, eò maiorem parit sapientiam; atque adeò perfectus timor, perfectam parit sapientiam, sicut perfecta cognitio principiorum perfectam gignit scientiam conclusionis; & perfecta finis intentio, quæ est principium in moralibus, perfectam & efficacem imperat & producit volitionem mediorum: & sic intentione, modo & accidente perfecta est *Quartò.*

hæc

hæc ſapientia, quam gignit perfectus Dei timor & amor.

Quintò. Denique Siracides non loquitur philoſophicè & præciſè; ſed ethicè & amplè. Vnde per ſapientiam non tantùm intelligit ipſum actum intellectus quo ſapit, ſiue dictamen prudentiæ iam dictum; ſed etiam actum voluntatis ei obſequentem; ſapientia enim hæc magis in actione, quam in ſpeculatione conſiſtit: vnde timor & amor, ſiue dilectio Dei v. 14. vocatur ſapientia. Timor ergo hic includit amorem & charitatem: charitas autem eſt perfectio ſapientiæ, id eſt, omnis honeſtatis & virtutis: q.d. Timor & amor Dei in incipientibus ſunt initium ſapientiæ, id eſt, inchoata virtus & charitas; in proficientibus verò & perfectis ſunt proficiens & perfecta charitas. In charitate enim conſiſtit huius viæ & vitæ perfectio. Timor Dei ergo hic amplè capitur pro omni Dei cognitione, metu, obſeruantia A & cultu: quare includit fidem, ſpem, charitatem & religionem: hiſce enim quatuor virtutibus tēdimus in Deum, eumque timemus, id eſt, credimus, ſperamus, amamus, reueremur, & colimus.

Quarta timoris Dei dos & laus. Hic igitur timor & reuerentia erga Deum, cuius cauſa peccatum horremus, vti eſt fundamentum & initium, ita eſt & finis ac culmen vitę Chriſtianæ: naſcitur enim ex notitia & dilectione Dei: ideò enim reueremur Deum, quia agnoſcimus & diligimus eius maieſtatem, quam offendere pertimeſcimus. Atque hæc eſt quarta timoris laus. Et hoc eſt, quod ait Iob cap. 28. 28. *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia.* Simili phraſi & ſenſu ait noſter Thomas Theodidactos de Imitat. Chriſti lib. 1. cap. 1. *Iſta eſt ſumma ſapientia, per contemptum mundi tendere ad cæleſtia regna.*

Miſticè & ſymbolicè Galatinus ex R. Iſaac Ben Hola in B pſalm. 110. cenſet hic adumbrari myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis: per *initium* enim ſignificari Deum Patrem, qui eſt origo & principium diuinitatis, putà, duarum ceterarum perſonarum: per *ſapientiam* notari Filium; hic enim eſt Sapientia genita: per *timorem* notari Spiritum ſanctum, qui eſt auctor ſancti timoris & amoris.

Tropol. Salomonem & Siracidem ſecutus S. Thomas Aquinas per Dei timorem & pietatem omnem ſuam ſapientiam & ſcientiam acquiſiuit. Vnde ab amico rogatus de modo ſcientiam quamlibet comparandi, ita epiſt. ad

Via ad ſcientiam ex S. Thoma. eumdem reſpondet: *Quia quæſiſti à me, in Chriſto mihi chariſſime, qualiter te ſtudere oporteat in theſauro ſciētię acquirendo; tale a me tibi ſuper hoc traditur conſiliū, vt per riuulos non ſtatim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet deuenire. Hæc eſt ergo monitio mea, & inC ſtructio tua. Tardiloquū te eſſe iubeo, & tardè ad locutorium aſcendentē: conſcientiæ puritatē amplectere: orationi vacare non deſinas: cellā frequenter diligas, ſi vis in cellam vinariā introduci. Omnibus te amabilem exhibe: nihil quære penitus de factis aliorū: nemini temultùm familiarē oſtēdas; quia nimia familiaritas parit contemptum, & ſubtractionis à ſtudio materiā ſubminiſtrat. De verbis & factis ſæcularium nullatenus te intromittas. Diſcurſus ſuper omnia fugias. Sanctorū & bonorum imitari veſtigia non omittas. Nō reſpicias, à quo audias; ſed quidquid boni dicatur, memoriæ recōmenda. Ea quæ agis & audis fac, vt intelligas: de dubiis te certifices, & quidquid poteris in armariolo mentis reponere ſatage, ſicut cupiens vas implere. Altiora te ne quæſieris. Illa ſequens veſtigia, frondes & fructus in vineam Domini Sabaoth vtiles, quamdiu vitam vixeris, proferes ac produces. Hæc ſi ſectatus fueris, ad id attingere poteris quod affectas.*

Quocirca præclare S. Bernard. in tract. de Donis Spiritus D ſancti, cap. 1. *Prima* inquit, *gratia eſt timor Domini. Qui hanc habet gratiam, omnem odit iniquitatē, iuxta illud Pſalmiſtæ: Iniquitatē odio habui, & abominatus ſum. Et alio loco: Omnē viam iniquitatis odio habui; ſcriptum nāque eſt: Timor Domini odit malum. Et iterum: Time Deū, & recede à malo. & de Iob dicitur: Vir timens Deum, & recedens à malo. Sine hac gratia, prima gratiarum, quæ totius religionis exordiū eſt, nullum bonum pullulare vel manere poteſt.* Quantopere autem hic timor ſit neceſſarius, luculenter docuit S. Cyprianus, ſerm. de lapſ. cùm ait: *Deus quantū patris pietate indulgens ſēper & bonus eſt, tantō iudicis maieſtate metuēdus eſt.* Et S. Auguſt. ſerm. 17. de Sanctis: *Quis poteſt* (ait) *niſi Deū timeat, ſeruare iuſtitiā? dicit enim Scriptura alio loco: Nam, qui ſine timore eſt, nō poterit iuſtificari.* Denique S. Bernardus loco ſuprà citato: *Sicut enim ſecuritas, vel deſidia, cauſa eſt & mater omniū delictorum: ſic timor Domini radix eſt & cuſtos omnium bonorum. Vnde ſcriptum eſt: Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua. Omne namque virtutū ædificium illicò vergit in præcipitiū, ſi huius gratiæ amiſerit præſidium.* Quapropter S. Ambroſ. in pſalm. 118. *Initium ſapiētiæ, ait, timorē Domini dicit Propheta. Quid eſt autē initiū ſapientiæ, niſi ſæculo renuntiare? Quia ſapere ſæcularia, ſtultitia eſt. Denique ſapientiā huius mundi ſtultitiam eſſe apud Dominum, Apoſtolus dicit.* Hac de cauſa Tertull. libr. de Cultu femin. in princip. timorē vocat *ſalutis fūdamentū.* Et Cyprian. libr. 3. ad Quirinum, cap. 20. timorem nuncupat *fundamentum & firmamentum ſpei.*

Et cum fidelibus in vulua concreatus eſt] ſcilicet, timor Domini: licet enim Græcè ſit verbum, φοβεῖσθαι id eſt, *timere Dominum*; tamen hic infinitiuus ponitur pro nomine, φόβος id eſt, *timor Domini*, vti initio huius verſus dixi. Alij ex Græco vertunt, *concreata eſt*, ſcilicet, ſapientia; *reconcreatū eſt*, ſcilicet, initiū ſapiētiæ ita Roman. Sed eodem redeunt hæc tria, quia ipſa ſapientia eſt timor Domini. Eſt hic quinta timoris Dei laus, quòd fidei & iuſtitiæ ſit indiuiduus comes, & fidelium ac ſanctorum fidus Achates, per omnem vitā eis adſiſtens, comitans & deducens. Per fideles enim accipe iuſtos & ſanctos, in quibus, ſcilicet, eſt fides, non nuda & informis, ſed charitate formata. *Timor Dei fidelibus concreatus, quæ eſt quinta timoris laus.* Sed quomodo eis concreatur in vulua? Primò, aliqui pro ἐν μήτρᾳ, id eſt, *in vulua*, legunt, ἐν μέτρῳ, id eſt, *in menſura*. ſed vera lectio eſt, ἐν μήτρᾳ. *Primò.* Secundò, Caluinus eiuſque aſſeclæ, ex hoc loco & ſimilibus docent, filios fidelium, putà eos qui naſcuntur à parētibus fidelibus & iuſtis, non contrahere peccatum originale, aut certè id eis non imputari, ac conſequenter ad id tollendum non egere baptiſmo: hanc enim eſſe benedictionem Abrahæ, id eſt fidelium, ſemini, id eſt filiis, promiſſam, Geneſ. 13. 15. Sed hæc eſt hæreſis, quam refutat fuſe Bell. l. 4. de Amiſſ. gratiæ, c. 14. *Secundò.*

Tertiò. Tertiò, Ianſenius ſic explicat: q.d. Plerique fideles etiam in vtero accipiunt à Deo donum quoddam, quo ad pietatem procliues ſint præ aliis, vti Iob, qui de ſe ait cap. 31. *Ab infantia creuit mecum miſeratio, & de vtero matris egreſſa eſt mecum.* Sicut ex aduerſo Chananæorum *malitia* dicitur fuiſſe *naturalis*, id eſt, innata & quaſi à parentibus ingenerata, Sapient. 12. 10. Et de ſimilibus dicitur Pſalm 57. *Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero.* q.d. Adeò dediti ſunt malitiæ, vt malitia eis videatur ingenita eſſe & naturalis, de quibus eſt vulgare proverbium, *Carduus, qui aliquando punget, tener adhuc cum ſpinis naſcitur.* Verùm id huic loco non ſufficit: tum, quia multis hoc donum non datur: tum, quia hoc donum cum peccato originali conſiſtit, ac proinde videtur tantùm quædam bona indoles naturæ, quæ eos facit procliues ad virtutem, de qua Stoicorū fuit axioma, *Virtutis principium eſſe bonam indolem*, teſte Plutarch. lib. de Homero: quare hoc donum non eſt timor Dei ſanctus & ſanctificans. Vnde

Quartò. Quartò, idem reſpondet, timorem Dei concreatum eſſe fidelibus in vulua, non actu & reipſa; ſed per Dei præparationem & prædeſtinationem, qua ab initio in eorum creatione, puta, in vtero materno, Deus illi deſtinat ſuo tempore dare timorem ſui, & ſapientiam: vnde Arabicus pro *concreatus in vulua*, vertit, *firmata ante ſæcula*, ſcilicet, ſapientia; quomodo Paulus Galat. 1. 15. dicit, ſe ſegregatum in Euangelium ab vtero matris ſuæ; & nonnulli ſic explicant illud Ieremiæ 1. v. 5. *Antequam exires de ventre, ſanctificaui te.* Sed alius eſt eſſe concreatum in vulua; aliud prædeſtinatum, vel ſegregatum ab vtero. Rurſum longè verius eſt, Ieremiam vere in vtero fuiſſe ſanctificatum, non tantùm prædeſtinatum ad ſanctitatem.

Quintò. Quintò ergo genuinus ſenſus eſt: q.d. Timor Dei ita adhæret & affixus eſt fidelibus, vt videatur eis ſimul cum fide & ſanctitate concreatus; timor Dei fidei & ſanctitati eſt connatus, & connaturalis; quia, vt paulo ante dixit: *Initium ſapientiæ* (practicæ, id eſt, ſanctitatis) eſt *timor Domini.* Explicat enim, quomodo *initium ſapientię ſit timor Domini*; per hoc quod dicit cum ſapientibus, id eſt, fidelibus & iuſtis quaſi concreatum eſſe ab vtero: q. d. Simul ac fides & fidelis creatur, creatur & timor; in eodem vtero gignuntur, ab eodem pariuntur; gemelli ſunt fratres. Nam, vt docet Concil. Trident. ſeſs. 6. hic iuſtificationis eſt modus & ordo. Deus, cùm peccatorem vult à peccato ad iuſtitiam traducere, in eius animam, velut in vuluam, ſemen verbi diuini, & ſanctarum inſpirationum de peccati fœditate, de ira Dei: de penis inferni proiicit; vnde mox anima concipit

timo-

timorem, qui eum adigit ad contritionem, qua peccatum aboletur, & gratia ac iustitia inducitur; atque tum timorem filialem induit anima, quo Deum quasi patrem summè reueretur, serioque proponit ei per omnia placere, & in nullo eum offendere. Vides ergo, vt cum fide & fideli ac iusto creetur timor. Sic baptismus est quasi *vulua & vterus Ecclesiæ*, quo ipsa nos regenerat, ac gratia & spiritu timoris Dei imbuit & viuificat, vt docet S. Ambros. & alii tract. de Baptismo, ac Rabanus hic. Denique nonnullis eximiis Sanctis timor hic vere in vulua concreatus est, quia ex speciali priuilegio in vulua sanctificati sunt. Tales fuere B. Virgo, S. Io: Baptista, Lucæ. 1. 44. Ieremias, cap. 1. 5.

Sexta timoris Dei laus.

CVM ELECTIS (Vatabl. *eximijs*) FEMINIS GRADITVR) Timor Domini, cùm concreatus sit fidelibus, tam viris quàm feminis, hinc pariter cum vtrisque graditur, id est, vtrosque comitatur & deducit per viam mandatorum in patriam cælestem: sicut ergo pædagogus graditur cum puero, eumque deducit; ita timor Domini graditur cum fidelibus, eosque per omnia aduersa & prospera securos deducit ad portum salutis. Meminit tamen feminarum præ viris: tum, quia propriè feminas vti decet pudor, ita & timor, qui comes est pudoris: cùm enim femina sit viro fragilior, & ad lapsum pronior, necesse est, vt magis timeat; necesse pariter est, vt magis à timore Dei fulciatur; tum, quia feminæ solent esse magis timentes, id est, magis religiosæ & deuotæ quàm viri; vti fuere S. Magdalena, Martha, Marcella, Praxedes, Pudentiana; Paula, Eustochium, Pulcheria; & aliæ perplures. Hæc est sexta timoris Dei dos & laus.

Pro *feminis*, aliqui censent legendum *seminis*. q. d. Timor graditur cum electo semine, id est, cum electis suis filiis; idque, vt Græca, quæ hic dissonant à Latinis, iis accomodent. Sic enim habent Græca in editione Romana, μετὰ ἀνθρώπων θεμέλιον αἰῶνος ἐνόσσευσε καὶ μετὰ τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἐμπιστευθήσεται, id est, *cum hominibus fundamentum sæculi nidificauit, & cum semine eorum fidem habebit*. ita Complut. Romana, *concredetur*; Iansenius, *fidelis erit*, vel *fideliter*, id est, firmiter, *persistet*; Syrus vertit, *cum hominibus veritatis est, & ipse à sæculo ordinatus*, id est, stabiliter firmatus est; *cum semine eorum constituta est misericordia eius*; Arabicus, *ipsa* (sapientia, indiuidua comes timoris Dei) *est cum incedentibus in ben. placito Domini sui, firmata ante sæcula, & cum semine bonorum excellentia illius*. Porrò Vatablus nouè vertit, *nidum fundauit æternum inter homines, eorumque progeniei se concredidit*. q. d. Dei sapientia veluti nidum, id est, sedem & domum æternam sibi delegit inter homines, iam inde ab initio sæculi, cùm, scilicet, fundaretur hic mundus: tunc enim Adamo fuit indita, eiusque posteris, Genes. 2. v. 19. eosque numquam deseret; sed cum eis fideliter, id est, fixè & stabiliter permanebit. Domum hanc vocat *nidum*; quia sapientiam comparat aui, v. g. aquilæ, columbæ, gallinæ: sicut enim hæc in nido pullos excludit, alit & fouet, cum eisque semper permanet, eos protegens, nutriens, volare docens, &c. ita & sapientia in hac sua mundi schola, velut in nido, suos filios, putà, fideles & sanctos, parturit, alit, perficit, cum eisque persistit, prouidens & protegens illos, donec cum eis in cælum euolet. Alludit ad illud Prouerb. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*. pro quo Epiphan. hæresi 69. legit: *Dominus* ἐνόσσευσε, id est, *velut pullum exclusit me*: quia pro קנני *Kanani*, id est, *possedit me*, alio puncto legit קנני *kinnani*, id est, *nidificauit me*, vel, *in nido, vt pullum, exclusit me* (νεοσσὸς enim est pullus) hoc est genuit & generauit me, quod optime competit Sapientiæ increatæ, putà, Verbo & Filio Dei, ac mysticè eius posteris & filijs, putà, fidelibus & Sanctis. Idque aptè respondet ei, quod paulo antè dixit de sapientia & timore Dei: *Et cum fidelibus in vulua concreatus est*. Hoc est quod ait Sapientia de se Prouerb. 8. 31. *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*.

Hinc moraliter disce Primò, quanto & quàm tenero amore Sapientia prosequatur homines, præsertim fideles & sanctos, nimirum, tanto, quanto gallina prosequitur suos pullos, vti Christus de se asseuerat Matth. 23. 37. ac de Deo, Deiq; in Israelem cura Moses, Deuter. 32. 11. *Sicut aquila*, inquit, *prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis*.

Secundò, hic disce Dei sapientiam à puero, instar matris, curare, regere & promouere suos fideles, putà, mox vt baptismo regenerati eius filij esse incipiunt: quocirca plerosque illustres Sanctos à puero Spiritus Dei direxit, erexitque, vt etiam in puerili ætate illustria darent argumenta, & quasi radios ac præludia futuræ sanctitatis. Sic de Samsone legimus, eum ab vtero consecratum esse Nazaræum, ac destinatum liberatorem vindicemque populi Israel, Iudic. 13. 7. Vnde de eo dicitur v. 24. *Creuitq; puer, & benedixit ei Dominus: cœpitq; Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan.* Vnde mox cap. seq. vers. 6. dicitur: *Irruit Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem quasi hædum in frusta discerpens, nihil omninò habens in manu: & hoc patri & matri noluit indicare*. Plura similia Sanctorum, qui à puero cœperunt, exempla recensui Ierem. 1. 9.

Tertiò, disce, quanta sit fidelitas, constantia & fortitudo sapientiæ & timoris Domini: quia inter homines dicitur sibi fecisse, imò fundasse nidum, quasi fundamentū æternum, eorumque progeniei esse fidelis, quin & se iis concredidisse. Quocirca S. Ambros. in psalm. 118. explicans illud v. 38. *Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo*, ac nomine sapientiæ intelligens verbum Dei: *Basis*, ait, *quædam verbi est timor sanctus: sicut enim simulacrum aliquod in basi statuitur, & tunc maiorem habet gratiam, cum in basi fuerit collocatum, & standi accipit firmitatem: ita verbum Dei in timore sancto melius statuitur, & in pectore timentis Deum fortius radicatur*. Subdit autem: *Accipite de verbo Dei lectum in Canticis: Crura eius, columnæ marmoreæ, fundatæ super bases aureas. Significans, scilicet, columnas esse Apostolos, qui fundati sunt in timore sancto*. Nec basim tantum eloquiorum Dei appellauit: sed etiam eorumdem tribunal & thronū. Addit enim: *Christi igitur eloquio & Apostolico sermoni tribunal est timor iusti*. Est autem similitudo appositissima: si enim verbum Dei timorem sanctum in animo nanciscitur, eidem quasi solio & tribunali insidens iudex, inde carnis & spiritus lites dirimit, pro spiritu contra carnem sententiam fert, sceleratam & perditam passionum atque perturbationum turbam compescit, omnibusque virtutibus iura dicit. ita noster Salazar Prouerb. 1. v. 7.

ET CVM IVSTIS ET FIDELIBVS AGNOSCITVR] Vatabl. *Apud iustos & fideles visitur*. Quia in illis, quasi in nido, imò templo, habitat, facitque, vt vbique timorati sint, ac timorate operentur & viuant. Sicut ergo anima inuisibilis agnoscitur & videtur per opera vitalia corporis, quæ operatur in ore, oculo, aure, &c. putà, per locutionem, motum, sensationem, &c. ita timor Dei agnoscitur per opera humilitatis, custodiæ sui, patientiæ, pœnitentiæ, charitatis, &c. quæ exterius operatur: hic enim timor est quasi anima fidelis & sancti. Quod ergo operatur anima in corpore, hoc operatur & timor in iusto. Ita agnitus est timor Domini in Abele, cùm ex timore & reuerentia obtulit meliora gregis Deo. In Noë, cùm timore diluuij fabricauit arcam. In Abraham, cùm obediens reuerensque Deum, obtulit Isaac in holocaustum. In Ioseph, cùm timens Deum repulit adulteram. In Mose, cùm restitit Pharaoni. In Dauide, cùm lacrymis peccatum diluit.

TIMOR DOMINI, SCIENTIÆ RELIGIOSITAS] Vers. 17.
Hinc patet, quod timor Dei sit θεοσέβεια id est, Dei cultus & religio: q. d. Timor Domini est *scientia*, id est, sciens, prudens & vera religio & pietas, siue pius Dei cultus. Vis nosse, quid sit timor Domini? Est quædam scientia religiosa, hoc est, est ipsa religio & reuerentia erga Deum, ex Dei agnitione & æstimatione nata. Philosophi habuerunt scientiam, sed non religiosam. Multi hodie sunt scientes, Iurisperiti, Physici, Theologi; sed carent religione & deuotione, quia carent timore Dei. Ex aduerso Mahumetani, Pagani, idololatriæ, aliique superstitiosi habent religiositatem; sed carentem scientia, id est, imprudentem & falsam; ideoque religiositas eorum non est religio, vtpote quæ veræ Dei cognitioni & scientiæ quasi fundamento innititur; sed est mera vanaque superstitio: at fidelium & iustorum religio est sciens & prudens, ac vicissim eorum scientia est religiosa, adeoque est deuota religio, quia præditi sunt timore Dei. Vnde Vatabl. vertit, *religio Domini, sanctitas est scientiæ*. Hinc vicissim sancta scientia, siue sapientia vocatur mystes, id est, sacerdos Dei: quia docet Deum vera religione & sacrificiis colere. Ita Sapient. 8. v. 4. *Doctrix enim est disciplinæ Dei*.

Sapientia est sacerdos Dei.

Dei pro *doctrix*, Græcè est μύστις, q. d. Sapientia est mystes, id est, sacerdotissa, interpres & doctrix arcanorũ Dei.

Porrò religio, ait D. Thom. 2. 2. quæst. 81. art. 2. est virtus debitam exhibens reverentiam & cultum uni veroque Deo, tamquam primo creationis & gubernationis rerum omnium principio. Vnde religio Primò, à Cicerone lib. 2. de Natura deor. & ab Isidoro 10. Etymol. cap. 17. dicitur à relegendo, ut religiosus dicatur is, qui relegit, revoluit & retractat ea, quæ ad cultum Dei pertinent, juxta illud Proverb. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum*. Secundò, religio dicitur à reeligendo, quòd Deum reeligere debeamus, quem amiseramus negligentes per peccatum, ait S. August. *lib.* 10. de Civit. cap. 4. Tertiò & genuinè, religio dicitur à religando, quòd religet nos uni omnipotenti Deo, cum quo priùs coniuncti fueramus, & à quo defluentes distare cœperamus, ait idem S. August. libr. de Vera religione, sub finem. Hinc religio post tres theologicas virtutes, fidem, spem & charitatem nobilissima est virtus, caputque & princeps moralium omnium. Jam verò, ut docet D. Thom. eadem quæst. art. 8. religionis flos est sanctitas, quam ita definiunt Theologi, ut ejus proprium sit munus, mentem nostram ab omni labe purgatam, integram & sine macula Deo offerre, eamque & vires ejus omnes illi conservare. Cujus quidem muneris amplitudo primùm ex eo apparet, quòd aliæ virtutes morales uni illi omnes, tamquam ministræ ac famulæ inserviunt, aliæ purganda voluntate, aliæ ratione illuminanda, aliæ etiam appetitu coercendo. Apparet item ex effectu: ejus enim, ut docet S. Thomas loco cit. duo quasi sunt partus, oratio, ac devotio; quarum altera in Dei familiaritatem atque amplexus inducit; altera promptitudinem & alacritatem tribuit ad omnia, quæ Dei cultus requirit: qui fervor ac studium voluntatis tanti est, ut, si is absit, ipsa munera nostra multò minùs ei grata sint: si adsit, ea etiam majorem in modum commendet, & gratiora reddat. Hæc autem religio est forma, & quasi anima religiosi status: unde ejusdem cultoribus, sive Religiosis, nomen religionis attributum & appropriatum est. Igitur Siracides commendat timorem Dei, quòd omnium quidem virtutum, sed maximè veræ sanctæque religionis sit parens & nutrix. Qui enim timet Deum, utique eumdem religiosè sanctèque veneratur & colit. Ad hunc enim cultum eum extimulat castus Dei timor. Id experiuntur Religiosi, putà, veri monachi & cœnobitæ; unde S. Bernard. homil. de negotiatore bonam margaritam (per quam ipse Religionem monasticam accipit) inquirente: *In Religione*, inquit, *homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, quiescit securiùs, irroratur frequentiùs, moritur confidentiùs, purgatur citiùs, præmiatur copiosiùs*. Vide sequentia. Denique Salvianus lib. 2. contra Avaritiam: *Religio*, ait, *scientia est Dei, ac per hoc omnis Religiosus, hoc ipso, quòd Religionem sequitur, Dei se voluntatem nosse testatur*.

Septima dos timoris Dei. Hæc est septima dos timoris Domini.

Hic versus 16. & sequens 17. desunt in Græcis Complut. & aliis plerisque: olim tamen in Græcis extitisse liquet, non tantùm ex nostro Interprete, sed etiam ex S. Augustino, qui ea legit in Speculo; & ex versione Tigurina, quæ hunc versum habet, eumque ex Græco, ut & cetera transtulit, licet eum anteponat versui præcedenti. Quare perperam suspicantur nonnulli, hosce versus, qui in Græco desunt, esse alicujus Commentatoris, qui eos explicationis gratia annotarit in margine, indeque in textum irrepsisse: hinc enim sequeretur, permultas Ecclesiastici sententias Vulgatæ versionis Latinæ, esse subreptitias, nec canonicas, sed apocryphas, eò quòd desint in Græco: hoc autem repugnat Concil. Trident. sess. 4. Vide dicta in Prolegom. cap. 3. & can. 16.

Tropolog. & Anagog. Rabanus: *Timor Domini*, inquit, *cum fidelibus in vulva matris Ecclesiæ renatus atque nutritus est, & cum electis feminis graditur; quia sanctis animabus sociatur: & cum justis fidelibus agnoscitur, quando in die novissima cum ceteris Sanctis à dextris Judicis collocatus, ab ipso Domino audiet: Euge, serve bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui*, Matth. 25.

VERS. 18. RELIGIOSITAS CUSTODIET ET JUSTIFICABIT (Dionys. legit, *vivificabit*) COR, JUCUNDITATEM ATQUE GAUDIUM DABIT] Religio enim & reverentia cor, id est, animam, mentem & voluntatem sacro quodam divini Numinis metu percellit, ut nihil cogitet, velit aut faciat, quod oculos tantæ majestatis offendat, ideoque ipsa est anima justitia & sanctitas: facit enim, ut anima cautè & studiosè omnibus suis desideriis & operibus invigilet, necubi labatur; sed ut omnia sanctè peragat, itaque sollicitè ambulet cum Deo suo, uti monet Michæas cap. 6. 8. Vide ibi dicta. Ex hac autem sui custodia & sanctitate sequitur gaudium & exultatio: nihil enim ita gaudet & exultat, uti sancta conscientia & mens sibi conscia recti. Hæc enim est *domesticum & verum tribunal*, ait Nazianz. in plaga grand. *Secura mens, quasi juge convivium*, ait Salomon Proverb. 15. 15. & noster Siracides c. 30. 17. *Non est oblectamentum super cordis gaudium*. Verè S. Cyprianus de Oper. & eleem. *Præclara res*, ait, *& divina, est salutaris operatio, monumentum spei, grande solatium credentium, nostræ servitutis præsidium, tutela fidei, medela peccati*.

Dices: Charitas & gratia sunt, quæ formaliter justificant hominem: quomodo ergo religiositas justificat? Resp. Primò, quia religiositas imperat, & adducit secum charitatem & gratiam, ceterasque virtutes, uti docet D. Thom. 2. 2. qu. 81. art. 8. Resp. Secundò, justitiam formalem consistere, non in sola charitate & gratia, sed etiam in ceteris virtutibus; inter quas tamen eminet charitas: unde in ea præcipuè consistit justitia. Ratio est, quia justitia est reformatio totius interioris hominis: hæc autem fit per omnes virtutes, non per solam charitatem. *Justificamur per omnes virtutes.* Audi Concilium Trident. sess. 6. c. 7. *Justificatio*, inquit, *non est sola peccatorum remissio; sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*. Et paulò pòst: *Vnica formalis causa est justitia Dei; non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua, videlicet, ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ; & non modò reputamur, sed verè justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem*. Ex quibus concludit: *Vnde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur per fidem, spem & charitatem*. Hinc in Scriptura justitia nunc tribuitur fidei, ut cùm Christus dicit: *Fides tua te salvum fecit*, nunc spei: nunc eleemosynæ: nunc pœnitentiæ: nunc aliis virtutibus per synecdochen: quia, scilicet, hæ virtutes sunt partes justitiæ, quæ est complexio omnium virtutum, juxta illud

Justitia in sese virtutem amplectitur omnem,

Maximè verò tribuitur religioni, ob causas dictas vers. præcedenti; præsertim, quia per religionem homo se offert & dedicat Deo, itaque quasi consecratur & sanctificatur: unde religio ipsa est sanctitas, uti docet D. Thom. loco jam citato.

TIMENTI DOMINUM BENE ERIT, præsertim in extremis: unde sequitur, ET IN DIEBUS CONSUMMATIONIS ILLIUS, id est, defunctionis & mortis suæ (pronomen enim absolutum *illius*, ponitur pro reciproco *sua*, ut dixi can. 18. BENEDICETUR] Repetit & inculcat, verbis nonnihil immutatis, id quod dixit v. 13. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur*. Quare minùs rectè Complut. & alii, pro *consummationis*, legunt *consolationis*; sicque explicant, q. d. Hujus vitæ tempus non est consolationis, sed tentationis & passionis, uti fuit vita Christi: at tempus futuræ vitæ timentibus Deum erit consolationis & gaudii, quia erit tempus beatæ æternitatis. ita Palacius. VERS. 19.

PLENITUDO SAPIENTIÆ EST TIMERE DEUM] Dixit v. 16. *Initium sapientiæ, timor Domini*: hic verò addit, *plenitudinem* quoque, id est, perfectionem, *sapientiæ* esse timorem Domini; quia, scilicet, per *sapientiam* intelligit practicam, quæ consistit in actione sancta, cujus parens est timor Domini. Quare quantum crescit timor Domini, tantum crescit & sapientia: inchoatus ergo timor est inchoata sapientia; proficiens timor est proficiens sapientia; plenus & perfectus timor est plena & perfecta sapientia: nihil enim aliud est verè sapere, quàm Deum timere, id est, revereri & piè colere. Timor ergo est initium sapientiæ, est plenitudo sapientiæ, est corona sapientiæ; ut sit sapientiæ principium, medium & finis. Vide dicta v. 16. Vnde Tigurina vertit, *revereri Deum, uberrima sapientia est, quæ homines fructibus suis exsaturat*.

Moraliter, S. Augustinus in psalm. 35. v. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen. Quis est*, ait, *fons vitæ, nisi Christus? Venit ad te in carne, vt irrigaret fauces tuas sitientes. Satiabit sperantem, qui irrigauit sitientem. Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumē. Hic aliud est fons, aliud lumē: ibi non ita. Quod enim est fons, hoc est & lumen. Fons est, quia satiat sitientes: lumen, quia illuminat cæcos: ibi nō fatigaberis, quia fons est: nō tenebraberis, quia lumen.* Idē in Psal. 41. 1. *Quemadmodū desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Eia fratres*, ait, *auidit atem meam capite, desiderium hoc meum communicate, simul amemus, simul in has siti exardescamus, simul ad fontē intelligēdi curramus. Desideremus ergo velut ceruus fontē.* Et interiùs: *Curre ad fontes: desidera aquarū fontes. Apud Deū est fons vitæ, & insiccabilis A fons: in illius luce lumen inobscurabile. Lumen hoc desidera; quemdā fontem, quoddā lumen, quale non norunt oculi tui: cui lumini videndo oculus interior præparatur, cui fonti hauriēdo sitis interior inardescit. Curre ad fontē, desidera fontē: sed noli vtcūque; noli, vt qualecūque animal currere: vt ceruus curre. Quid est, vt ceruus? Non sit tarditas in currendo, impigrè curre, impigrè desidera fontem. Inueniemus enim insigne velocitatis in ceruo* Et post nōnulla, suggerit obicē huius cursus ad sapientiā tollendū, scilicet, cōcupiscentias: *Quomodo*, inquit, *cōcupiscis fontē sapiētiæ, cùm adhuc laboras in veneno malitiæ: Interfice in te, quidquid cōtrarium est veritati: & cùm te videris tanquā vacare à cupiditatibus peruersis, noli remanere, quasi non sit quod desideres: est enim aliquid, quò te tollas, si iam egisti in te, vt non sit impeditor contra te.*

In excelsis] Potest hoc accipi quasi epithetum Dei, B q. d. *Verbum Dei qui celsissimus est.* ita Tigurin. aut epithetum sapientiæ, indicans eius situm & locum, q. d. Fons sapientiæ non oritur in imis terræ vallibus, sed in excelsis cælorum montibus, indeque in terram defluit: quia fons hic non est terrenus, sed cælestis & divinus, putà, Verbum Dei.

Ingressus sapientiæ mandata æterna, quo sensu? Respondeo Primò.

Et ingressvs eivs (πορεῖαι αὐτῆς, id est, viæ eius, scilicet, sapientiæ, per quas ipsa incedit & egreditur) sunt mandata æterna] Persistit in metaphora aquæ & fontis: q. d. Sicut fons per certas vias, semitas, alveos & canales labitur & defluit in vicinos agros & vineas; ita fons sapientiæ, putà, Verbum Dei, per certas vias & canales sapientiam eructat & derivat in homines, Angelos, omnesque creaturas: viæ hæ, sive canales, sunt mandata Dei æterna, putà, æternæ Dei ordinationes & constitutiones; &, vt S. August. ait libr. 9. Civit. 22. sunt æternæ Dei leges, quæ in eius sapientia & Verbo viuunt, in quibus Angeli cursum & or- C dinem mundi, suumque & hominum legunt, discuntque, quid sibi, quid hominibus facto sit opus, vt sapienter secundùm Dei legem vivant, quo sanctè vitam transigant, & beatam vitam ac æternitatem cælestem assequantur. Sicut enim v. præc. ostendit sapientiæ originem & statum; ita hic ostendit eiusdem ad creaturas progressum & profluxum. Hæc est sexta laus sapientiæ.

Secundò. Secundò, Iansenius sic explicat, q. d. Ingressus, sive viæ, id est, modi & rationes, iuxta quos sapientia in gubernandis creaturis procedit, sunt fixæ & perpetuæ instar mandatorum æternorum; quia ipsæ sunt perpetuæ Dei ordinationes, mandata & decreta, quas Deus homini, Angelo & singulis creaturis quasi legem vivendi & agendi præstituit & præfixit, iuxta quas sapientia ingrediendum & vivendum exigit. Hic sensus ex parte convenit cum primo.

Tertiò. Tertiò, alij, q. d. Ingressus, id est, viæ, quæ ducunt ad sa- D pientiam, sunt mandata Dei in æternum duratura. Vis ergo sapientiam consequi? vis iter ad eam nosse & capessere? serva Dei mandata: hæc te rectà ad illam ducent. Sicut enim via vitæ vocatur via ad vitam: sic via sapientiæ vocatur via ad sapientiam. Vnde Tigurina non tam ad verbum quàm paraphrasticè vertit, *fons sapientiæ, sermo Dei celsissimus est; & aditus, sēpiterna eius præcepta.* Sic & Palacius.

Quartò. Quartò, Lyran. Fons, ait, totius sapientiæ creatæ est Verbum Dei, quod ingrediens in montem Sina dedit Iudæis mandata Decalogi, quæ sunt æterna; quia iuris naturæ, ideoque semper obligant & durant.

Allegor. Allegor. Rabanus, & S. Bernard. serm. in Nativit. B. Mariæ de Aquæductu: Fons sapientiæ Evangelicæ est Verbum incarnatum. Vnde, cùm Verbum per carnem assumptam ingressum est in orbem, dedit ei mandata æterna, putà, præcepta Evangelij. Lex enim Evangelij post legē naturæ & Mosaicā est tertia & vltima: nec ei alia succedet, sed durabit in æternum, suosque cultores transcribet cælo, & beatæ æternitati. Vnde S. Fulgent. libr. Ad obiectiones Arrian. in 3. resp. *Quòd*, inquit, *initium viarū Domini creatus est Filius, quid est aliud, nisi quòd ipse via nobis est factus, vt eo duce & rectore per adoptionis, quam recepimus, gratiā ad virtutum nobis profectū pateret ingressus.* Quocirca S. Iustinus philosophus & Martyr sub annū Christi 130. cùm quærens sapientiam varias philosophorum sectas peterrasset, & nullibi eam invenisset, à sene quodā sibi apparente audivit: *Id quod tam anxiè quæris, non nisi in schola Christi fas est reperiri. At tu votis & precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri optæ: neque enim ab aliquibus perspiciuntur aut intelliguntur, præterquā si Deus & Christus eis concesserit intelligētiam.* Huic credens & obediens Iustinus, & Christianus, & philosophus, & Martyr effectus est. ita ipse refert Dialogo cum Tryphone.

Et Origenes homil. 3. in Iosue: *Incarnatio*, inquit, *Salvatoris non nobis merum ingessit & integrum deitatis aspectum; sed tanquam per fenestram fecit nos per incarnationē suam lumen Deitatis aspicere.* Accedit Hugo, qui minutim multiplices hos Sapientiæ incarnatæ, putà, Christi, ingressus recenset. Primus, inquit, est in vterum Virginis Deiparæ per incarnationē; Secundus est in mundum, per nativitatem; Tertius in Iordanem, per declarationem: baptizatus enim à Ioanne in Iordane, eo indicante, & Patre è cælis detonante, *Hic est Filius meus dilectus*; agnitus fuit esse Dei Filius, & Messias. Quartus in infernum, ad patrum liberationem; Quintus in cælum, per ascensionem.

Tropol. multiplices, varij & incomprehensibiles sunt Dei ingressus in animam, quibus eam ad se trahit, illuminat, immutat, evehit, inflammat. Sic S. Paulum vocavit per se visibiliter, eum fulgure siderans & prosternens, Act. 9. 5. Cornelium vocavit per Angelū, Act. 10. 3. Eunuchum Candacis reginæ vocavit per Philippum, Actor. 8. 29. Alios vocat per flagella, alios per beneficia: hos per præceptores & concionatores; illos per libros & exempla Sanctorum, uti vocavit S. Augustinum. Sancti & contemplativi miros Dei ingressus, instinctus, elevationes, raptus, quibus eos docet praxes omnium virtutum, modos orandi contemplandi &c. sentiunt, nec eos comprehendere possunt. *Tropol.*

Radix (Syrus vertit, *radices*; & Arabicus, *fundamenta*, in plurali) sapientiæ cvi revelata est, et astvtias illivs qvis agnovit] q. d. Nemo sapientiæ originem, rationes & modos plenè cognoscit: quia radix sapientiæ est Deus, quem nemo perfectè intelligit; licet ramos quosdam sapientiæ à Deo in se derivatos, aliquo modo quisque cognoscat. Vnde Lactant. libr. 3. de Falsa sapientia c. 6. *Vbi ergo*, inquit, *sapientia est? vt neque te omnia scire putes, quod Dei est; neque omnia nescire, quod pecudis: est enim aliquid medium, quod sit hominis, id est, scientia cum ignoratione coniuncta & temperata. Scientia in nobis ab anima est, quæ oritur è cælo: ignoratio à corpore, quod est è terra. Vnde nobis & cum Deo, & cum animalibus est aliqua communitas. Ita, quoniam ex his duobus constamus elementis, quorum alterum luce præditum est, alterum tenebris; pars nobis data est scientiæ, pars ignorantiæ: per hunc quasi pontem transire sine cadendi periculo licet.* Alij per radicem sapientiæ intelligunt timorem Domini: hic enim statuitur initium sapientiæ: pauci enim illo æuo cognoverunt Deum, Deique timorem, id est, religionem & cultum. *Vers. 6.*

Astutias, vel, vt Vatabl. *calliditatem*; Græcè πανουργεύματα, in bonū capit Siracides, æquè ac Septuag. in Proverbiis: hos enim sequitur. Ita D. Thomas 1. 2. q. 19. art. 7. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd timor Dei comparatur ad totam vitam humanam per sapientiam Dei regulatam, sicut radix ad arborē. Vnde dicitur Eccles. 1. Radix sapientiæ est timere Dominū. Rami autem illius longæui. Et ideò, sicut radix virtute dicitur esse tota arbor: ita timor Dei dicitur esse sapientia.*

Astutias ergo vocat rationes sapientes, cautelas circūspectiones, quas Deus vbique in operibus suis faciendis & gubernandis adhibet: has enim nemo plenè pervestigare & comprehendere potest. Vnde Syrus vertit, *arcana intelligentiæ quis cognoscit?* Idipsum repræsentarunt Ægyptij hieroglyphico Isidis, sive Minervæ Saitanæ, in cuius templo hæc erat inscriptio: *Ego sum omne quod fuit, est, & erit; & meum peplum nullus adhuc mortalium euoluit: quem peperi fructum, sol est.* vti ex Plutarcho & Proclo refert

refert noster Nicolaus Causinus lib. 1. Parabol. histor. c. 56. hæc enim Isis, sive Minerva, erat symbolum sapientiæ cælestis. Hoc est, quod de sapientia canit Baruch cap. 3. 15. *Quis invenit locum eius, & quis invenit thesauros eius? Vbi sunt principes Gentium, qui in avibus cæli ludunt: qui argentum thesaurizant, & aurum, &c. Viam autem disciplinæ ignoraverunt. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. Filij quoque Agar, qui exquirunt prudentiã, quæ de terra est*, &c. *viam autem sapientiæ nescierunt.*

Quocirca Lactant. lib. 3. de Falsa sapientia, impugnat Philosophos, qui se sapientiam invenisse iactitabant, ac inter alia c. 16. *Quando* inquit, *Philosophi esse cœperunt: Thales (ut opinor) primus: recens hæc quidẽ ætas. Vbi ergo apud antiquiores latuit amor iste investigãdæ veritatis?* Et mox: *Seneca, Nondũ sunt*, inquit, *mille anni, ex quo initia sapientiæ nota sunt. Multis ergo sæculis humanũ genus sine ratione vixit. Quod irridens Persius: Postquã, inquit, sapere urbi cũ pipere & palmis venit: tãquam sapientia cũ saporis mercibus fuerit invecta: quæ secundùm hominis naturã est, cũ homine ipso cœperit necesse est: si verò non est, nec capere quidẽ illam posset humana natura. Sed quia recepit; igitur à principio fuisse sapiẽtiã necesse est. Ergo Philosophia, quia nõ à principio fuit, nõ est eadẽ vera sapiẽtia: sed, videlicet, Græci, qui sacras veritatis Litteras nõ attigerant, quemadmodũ depravata esset sapientia, nescierunt. Et ideò cùm vacare sapientia humanã vitam putarent, Philosophiã commenti sunt, id est, latentẽ atque ignotam sibi veritatẽ disserendo eruere voluerunt, quod studium, per ignorantiam veri sapientiam putaverunt.* Septima est hæc sapientiæ laus, scilicet, quòd ipsa hominibus & Angelis sit incomprehensibilis.

Allegor. Radix sapientiæ B. Virgo est.

Allegor. Radix sapientiæ est B. Virgo Deipara: hæc enim est mater Sapientiæ incarnatæ, putà, Christi. Vnde à Patribus vocatur, & in Litiniis invocatur *Radix sapientiæ*, quam Deus creavit in Spiritu sancto, ut dicam v. 9. Huius enim admirabilem conceptionem, nativitatem, præsentationem, vitamque angelicam in templo, annuntiationem, partum Verbi, &c. virtutes, dotes, prærogativas, excellentias, prudentiam & sapientiam nemo comprehendit; præsertim, quia ipsa sola Verbi incarnationem, nativitatem, infantiam, sapientiam, vitam & gesta per experientiam ocularem, auritam, sensibilem, & multo magis mentalem, putà, per illustrationem intellectus, & ardores voluntatis sibi à Verbo intra se concepto, & iugiter sibi præsente assiduè immissos cognovit, eaque S. Lucæ, ut ea in Evangelio conscriberet, ac Apostolis & fidelibus revelavit. Vnde S. Thom. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4. quærens, an Deus possit creare creaturas perfectiores quàm crearit, & illis rursum alias & alias perfectiores in infinitum, respondet posse; sed excipit tria, scilicet, incarnationem Verbi, maternitatem Virginis Deiparæ, & beatitudinem nostram, quæ sita est in visione & fruitione Dei: hæc tria enim, cùm Deum involuant, imò pro obiecto habeant, hinc nihil iis potest à Deo fieri melius; alioqui enim Deo aliquid esset præstantius. Quare, sicut non potest esse perfectior homo, quàm Christus, utpote homo Deus; nec perfectior felicitas, quàm visio & possessio Dei: sic nec perfectior potest à Deo fieri mater, quàm mater Verbi, utpote, Dei. *Quare hæc tria*, inquit, *habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Denique ipsa est radix sapientiæ: quia illam supereminentem à Deo sibi infusam, Apostolis, ceterisque fidelibus communicavit, & indies se in vocantibus communicat, uti communicavit S. Gregorio Thaumaturgo, iubens S. Ioanni, ut illi traderet Symbolum formulamque fidei, quam Origeni, Arrio & hæreticis opponeret. Item Alberto Magno, Ruperto Abbati Tuitiensi, S. Thomæ Aquinati, aliisque pluribus. De hoc plura c. 24. v. 6. & sequent.

Vers. 7. DISCIPLINA SAPIENTIÆ CVI REVELATA EST, ET MANIFESTATA? ET MVLTIPLICATIONEM INGRESSVS ILLIVS QVIS INTELLEXIT? Idem dicit aliis verbis, quod dixit v. præcedenti: unde hic versus deest in Græcis Complut. Romanis, & ceteris, ac nonnullis Latinis. *Disciplina* ergo *sapientiæ*, est ipsa ordinata sapientiæ methodus, dispositio & ratio, qua cuncta sapienter & ordinatè agit, constituit & disponit. *Multiplicationem ingressus*, sive viarum eius vocat multiplices providentiæ eius vias & rationes, quas tam variis creaturis varias, sed cuique congruas & proprias adhibet & adaptat. Pro his omnibus Syrus & Arabicus habent dumtaxat, *Arcana*, vel *secreta*, *intelligentiæ quis cognovit*, vel *comprehendit?*

Vers. 8. VNVS EST ALTISSIMVS CREATOR OMNIPOTENS, ET REX POTENS, ET METVENDVS NIMIS, SEDENS SVPER THRONVM ILLIVS, ET DOMINANS DEVS] *Illius*, non sapientiæ; Græcè enim est masculinum, αὐτοῦ, sed Dei altissimi: *illius* ergo, id est, suum. Hebræi enim idem habent pronomen absolutũ & reciprocum. Vnde interpres Latinus unum cum altero sæpè permutat, ut dixi in proœmio. Iam subaudi, *agnovit, intellexit*. nam quæstioni propositæ: Quis cognovit radicem, disciplinam, ingressus & vias sapientiæ? respondet, Solus Deus altissimus. Rationem addit à posteriori, & quasi indicium ex effectu, quòd, scilicet, ipse sit Primò, *creator omnium*: per sapiẽtiam enim sapienter creavit omnia. Secũdò, quòd sit *omnipotens*: omnipotentiæ enim directrix est sapientia; quia quidquid sapientia dictat sapienter posse fieri, hoc omnipotentia Dei efficere potest. Tertiò, quòd sit *rex potens*: regi enim ad regendũ opus est sapientia, eoque maiori, quò maius est eius regimen & potentia. Quartò, quòd sit *metuendus nimis*, putà, tremendus, venerandus & latria colendus, quem adorant Dominationes, & tremunt Potestates tamquam Numen: quòd sapientissimè & iustissimè omnia videat, provideat, præmiet, & puniat etiam gehenna & æternis ignibus: unde quasi iudex & vindex sedet in throno suæ maiestatis & gloriæ, quem describit Daniel c. 7. 9. & S. Ioannes Apoc. 4. 2. & Ezechiel c. 1. 26. vide quæ illis locis annotavi. Quintò, quòd sit *Dominans Deus*, ubique & semper, putà, in cælo & in terra per omnia sæcula. Ad hunc enim immensum dominatum immensa requiritur sapientia & providentia, ut omnia combinet, adæquet, disponat iuxta cuiusque & totius Vniversi bonum.

Græca hic de more concisa sunt, sicque habent: *Vnus est sapiens* (in se, & per essentiam) *metuendus nimis, sedens super thronum suum*. Sic & Syrus, *unus est & terribilis solus Deus, quia ipse dominator est super omnes thesauros eius*, scilicet sapientiæ. Et Arabicus, *unus est metuendus solus ipse, Deus dominans universis thesauris illius*. Septima ergò hæc est sapientiæ laus, quòd scilicet, tanta, tam sublimis, ampla & vasta sit, ut à nemine, nisi à solo Deo omnisciente & omnipotente, cõprehendi possit. *Deus* enim, ait S. Anselmus in Monologio c. 15. *est summa essentia, & summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, sũma sapientia, summa veritas, sũma bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, sũma immutabilitas, summa beatitudo, sũma æternitas, summa potestas, sũma unitas.* Et S. Cyprian. lib. Quòd idola non sunt: *Mundi unus est rector qui universa quæ sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari sensu maior est: & ideò sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilẽ dicimus.* Et S. Bern. lib. 5. de Consider. *Quid est Deus? Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, æterna beatitudo.* Et infrà: *Amat ut charitas, novit ut veritas, iudicat ut æquitas, dominatur ut maiestas, regit ut principium, operatur ut virtus, tuetur ut salus, revelat ut lux, assistit ut pietas*, &c.

Vers. 9. IPSE CREAVIT ILLAM IN SPIRITV SANCTO] Græca non habent *in Spiritu sancto*: sed tantùm: *Dominus ipse creavit eam*. Nonnulla Latina legunt: *Ipse creavit illam Spiritus*.

Sapientia creata in Spiritu sancto, quo sensu.

CREAVIT] Id est, elicuit, genuit, produxit, ut dixi v. 4. Sed quomodo *in Spiritu sancto*? nam Deus Pater non genuit Sapientiam, putà, Verbum, in Spiritu sancto; sed potiùs per Verbum (ut ait S. Cyrillus lib. 12. in Ioannem, c. 56.) & cum Verbo produxit & spiravit Spiritum sanctum.

Resp. Primò.

Resp. Primò, creata sapientia, de qua magis hic loqui videtur Siracides, creata est in Spiritu sancto: quia Deus Pater per Spiritum, & per amorem, quo volebat se suaque bona communicare creaturis, eas creavit in sapientia, & cum sapientia, quam eis indidit. Hanc enim quasi architectam creationis constituit, *& effudit illam super omnia opera sua*, uti subdit vers. 11. Rursum hanc sapientiam Deus *creavit* ab æterno, id est, creare decreuit & prædestinavit, concipiendo, scilicet, ideam mundi creandi, rerumque creandarum numerum & mensuram, ordinem & legem præsertim quam Angelis & hominibus erat

præscripturus, idque *in Spiritu sancto*, id est, ex dilectione & amore creaturarum, Angelorum & hominum, qui amor attribuitur Spiritui sancto; quia Spiritus sanctus per voluntatem, & actum amoris notionalem Patris & Filij spiratur & producitur. Vnde S. Athanas. disput. contra Arrium, ex hoc loco probat, Spiritum sanctum esse Deum. Hic sensus, uti facilis, obvius & congruus; ita valde appositus est & genuinus: Siracides enim, æquè ac Salomon, de sapientia loquitur confusè & generatim. Vnde quædam dicit de ea, quæ magis conveniunt increatæ, quædam quæ magis creatæ; & tale est hoc. Vult enim docere, Deum ab æterno decrevisse creare creaturas in sapientia ex amore, qui appropriatur Spiritui sancto, non autem ob proprium aliquod commodum; ideoque hunc Dei amorem fuisse purum & sanctum; ac proinde opus huius amoris; putà, mundum, Angelos, homines, legesque & præcepta eis à Deo præstituta & præfixa esse pura, sancta & omninò irreprehensibilia. Quocirca Syrus & Arabicus pro, *creavit eam*, vertunt, *manifestavit eam*.

Secundò. Secundò, increata sapientia, tam essentialis, quàm notionalis, creata, id est, producta & genita, est à Patre in Spiritu sancto, id est, Primò, ex spiritali sanctaque divinitate, & naturæ divinæ fœcunditate quasi prodiit & emanavit: propriè enim essentialis Sapientia à Deo non est producta, nec genita, cùm sit vnum idemque cum Deo; sed nostro modo concipiendi dicitur producta eo sensu, quem iam assignavi. Nos enim concipimus & metimur divina quæ non videmus, ex humanis & creatis quæ videmus. In his autem videmus sapientiam creatam prodire & produci ex spiritali natura, & præstantia intellectus angelici & humani. Igitur simili modo concipimus Sapientiam increatam quasi prodire ex immensa excellentia divinitatis. ita Iansen. nam Spiritus sanctus dupliciter accipitur: Primò, notionaliter, quasi proprium tertiæ personæ sanctissimæ Trinitatis: Secundò, essentialiter, quomodo Deus Pater est Spiritus sanctus: si est enim ipse Spiritus, est & sanctus. Vnde quidam codices τὸ *Spiritum sanctum* scribunt minusculo s. Romani tamen, Plantiniani; & ceteri scribunt maiusculo, quasi sit nomen proprium Spiritus sancti. Quare Secundò, increata Sapientia, (putà, Verbum,) creata, id est, producta, est in Spiritu sancto, *non principatiuè, quia Spiritus sanctus non est principiũ Filij, sed comitatiuè*, ait Lyran. Itaque *in Spiritu sancto*, id est, cum Spiritu sancto, hic enim à Patre Filioque producitur & procedit, vt intelligamus Spiritum sanctum fuisse ab æterno simul cum Patre & Filio: Hebr. enim ב id est, *in*, sumitur pro עם *im*, id est, cum, apud, iuxta, ceterisque præpositionibus. Vel *in Spiritu sancto*, quasi in fine & termino: q.d. Creatio, id est, productio Sapientiæ, id est, Verbi, non ibi stitit, sed vlterius processit, ac finita & terminata est in productione Spiritus sancti: Pater enim gignendo Verbum, simul dedit ei fœcunditatem spirativam, vt secum possit spirare & producere Spiritum sanctum: hæcque vis in ratione Verbi includitur, adeò vt ipsum planè & per omnia perfectum non sit, donec spiret Spiritum sanctum: in Spiritu sancto enim terminatur omnis activitas, omnis productio interna deitatis, putà, Patris & Filij. Sic S. August. lib. 6 de Trinit. ait, Patrem & Filium se invicem amare Spiritu sancto, scilicet, amore, non essentiali & formali; sed notionali & producto, qui est finis & terminus amoris essentialis. *Nam Spiritus sanctus*, inquit, *est summa charitas, vtrumque coniungens, nosq; subiungens*. Et lib. 5. *Communio quædam consubstantialis Patris & Filij, est amborum Spiritus sanctus*. Sic idem August. lib. 83. quæst. ait, Patrem esse sapientem sapientia genita, non formaliter: sic enim sapiens est, sapitque & intelligit sapientia essentiali & ingenita; sed effectivè & terminativè: quia, scilicet, eius intellectio notionaliter producit sapientiam genitam, sive Verbum, in eoque terminatur. Vnde idem August. lib. 15. de Trinit. & lib. 1. Retract. cap. 26. docet, propriè dicendum esse, Patrem non esse sapientem sapientia genita, (quia Pater non accepit sapientiam à Verbo, sed potiùs Verbum eam accipit à Patre,) sed propria & ingenita.

Tertiò. Tertiò, Palacius sic exponit: q. d. Pater creavit, id est, possedit Filium, qui est in Spiritu sancto, scilicet, cum quo est illi una natura: sicut enim Pater est in Filio; ita Filius est in Spiritu sancto: vt significetur hic trium divinarum περιχώρησις, sive circuminsessio, de qua ex Damasceno alibi dixi. Cùm enim vna sit essentia trium personarum, hinc fit, vt Pater sit in Filio & Spiritu, & Filius sit in Patre & Spiritu, & Spiritus sanctus sit in Patre & Filio, idque non tantùm quoad essentiam unam & eamdem, quæ tribus personis communis est, uti voluit Durandus in 1. dist. 19. & alij nonnulli; sed etiam quoad ipsam personam. Quia enim eadem prorsus & individua est tribus personis essentia, hinc fit, ut non sola essentia, sed & per eam persona qualibet alteri inexistat, uti docent S. Bonavent. Marsilius, Scotus & alij passim in 1. dist. 19. qua de re alibi plura dixi.

Quartò. Quartò, Theologi multi sic exponunt: Pater creavit, id est, genuit Sapientiam, putà, Verbum, ex cognitione Spiritus sancti: quia genuit illud ex cognitione & comprehensione suæ essentiæ, & omnium quæ in ea sunt: in ea autem est fœcunditas spirandi Spiritum sanctum, & possibilitas creandi omne possibile: quare ex cognitione Spiritus sancti, & creaturarum possibilium, pariter ac essentiæ divinæ, producitur & procedit Verbũ, uti docet probabiliter Franc. Suarez lib. 9. de Deo trino & uno, cap. 4. 5. 6. & alij, licet Gabr. Vasquez cum nonnullis id neget.

Allegor. Allegor. Sapientia incarnata creata est in Spiritu sancto: quia incarnatio fuit opus, non viri, sed Spiritus sancti. Vnde in Symbolo dicimus: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*. Quocirca Angelus cõceptũ annũtians, Virgini quærenti: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideòque & quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur Filius Dei*, Lucæ 1. 35. ita Rabanus. Rursum Sapientia, imò Sapientiæ æternæ mater, est B. Virgo: hanc creavit Deus in Spiritu sancto: quia simul creata & repleta Spiritu sancto fuit, uti decebat matrem Dei mox futuram, ideòque in gratia omnes homines & Angelos superavit: quare eius gratiam solus Deus *dinumeravit & mensus est*, iuxta illud Proverb. vlt. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*. ita S. Bernardinus tomo 2. serm. 1 art. 3. c. 1. Hæc est sapientiæ laus, scilicet, quòd Deus eam crearit in Spiritu sancto.

Ex dictis liquet, hunc locum non favere Græcis, qui dicunt & docent, Spiritum sanctum non procedere à Filio, sed à solo Patre: ob quem errorem ipso festo Spiritus sancti, putà, Pentecostes, capta à Mahomete Turcarum Imp. Constantinopoli, eversum est imperium Græcorum anno Domini 1453. Maluerunt Græci cum Latinis de Spiritu sancto otiosis falsisque disceptare verbis, quàm feriis contra barbaros decernere armis. Itaque iusto Dei iudicio eiusdẽ Spiritus sancti festo illa acceperunt vulnera, quæ eorum dominis extrema fuerunt funera: ut, sicuti Constantinus primus ante mille annos, natus S. Helena, religione Catholica, & in Rom. Pontificem observantia eximius, conditor Constantinopolis, novæ Romæ dictæ, maximoperè clarus extitit; sic Drogates, Constantinus alter, Helena etiam natus, sed religionis Catholicæ desertor, & Pontificis Roman. inimicus, Constantinopoli amissa fuerit extremus, ingloriús & infamis in omne ævum.

ET VIDIT, ET DINVMERAVIT, ET MENSVS EST] Hæc tria antistropha sunt, & alternis respondent tribus interrogatis v. 2. ibi enim interrogavit: *Quis sapientiam investigavit, dinumeravit, & dimensus est:* hic respondet: Deus *eam vidit, & dinumeravit, & mensus est*. q. d. Deus planè pleneque ab æterno cognovit sapientiæ naturam & quantitatem; tum discretam, putà, numerum; tum continuam, putà, molem & mensuram; Deus perspexit, quæ & quanta esset sapientia; Deus ab ævo omnes sapientiæ rationes & modos numeratos & mensuratos habuit, secundùm quos in tempore omnia creaturus & facturus erat, iuxta illud Sapient. 16. *Omnia in mensura, & numero & pondere disposuisti*. Loquitur enim de sapientia Dei architectonica, quam quasi ideam Deus architectus ab æterno in mente concepit & efformavit, ut iuxta eam in tempore omnia in mensura, numero & pondere conderet. Licet ergo Dei sapientia in se sit infinita, & homini innumerabilis & immensurabilis; à Deo tamen, Deique mente, quæ pariter infinita est, quæque est fons & origo sapientiæ, numeratur, mensuratur & comprehenditur.

Nota τὸ *vidit*, id est, intimè, penitus & funditus eius naturam, proprietates & dotes introspexit & circumspexit, quasi captus eius specie & pulchritudine. τὸ *mensus est*, non est in Græco.

ET

VERS. 10. ET EFFVDIT ILLAM SVPER OMNIA OPERA SVA, ET SVPER OMNEM CARNEM SECVNDVM DATVM SVVM (prout, scilicet, cuique eam dare & communicare voluit: Vatabl. *pro sua munificentia*) ET PRAEBVIT ILLAM DILIGENTIBVS SE.] Nona est hæc sapientiæ laus; q.d. Deus sapientiam ab æterno in mente sua reconditam, in tempore communicavit omnibus creaturis etiam inanimis, sed magis animalibus, præsertim hominibus carne præditis, maxime vero hominibus & Angelis diligentibus se. *Effudit*, significat largitatem beneficentiæ Dei, quòd se, suaque dona & sapientiam instar imbris vel torrentis copiosissime effuderit in mundum, præsertim in homines se diligentes: quia hos donavit fide, gratia, & sapientia supernaturali, ut Deum cognoscant, ament & colant, itaque ad eius visionem & fruitionem, in qua consistit perfectio & consummatio sapientiæ, perveniant. Hinc disce, magnam Dei sapientiam inditam esse cælis, elementis, arboribus, plantis, avibus, piscibus, &c. hinc illa solertia avium in construendis nidis, educandis fœtibus, cavendis noxiis, parando cibo; piscium in natando, comedendo, generando; animalium in vita sua & suorum tuenda, propaganda & propugnanda. Sicut ergo artifex effundit artē suam in opus, quod ab arte producit: pictor enim, v. g. pingendo imaginem, similem suæ arti & ideæ quam mente concepit, ideam quasi in picturam confert & transfert: sic Deus quasi artifex & pictor universi, sapientiam & ideam suam quasi in illud contulit & transtulit, cùm illud iuxta illam, illique simile condidit. Vnde Syrus vertit, *manifestavit eam, & divisit eam omnibus operibus suis: cum carne secundum voluntatem suam dedit eam, & multiplicavit eam omnibus timentibus se*; Arabicus, *patefecit eam, & revelavit eam, tum comprehendit eam, & præbuit illam: distribuit eam inter universam creaturam suam, super omnem virum ex hominibus secundùm voluntatem suam, & multiplicavit eam in omnibus timentibus se.*

Dei notiones sunt quædam sigilla rerum formandarum.

Contemplare hic, mirare & reverere sapientiam divinam esse primævum fontem & primævum signaculum rerum omnium, quod omnia penetrat sua puritate & subtilitate, intrinsecùs format & disponit omnia in omnibus. Considera ergo divinam sapientiam plenam esse notionibus & conceptibus rerum, veluti sigillis quibusdam, formandis creaturis secundùm speciem cuiusque idoneis. Sunt enim res creatæ veluti impressiones quædam & ἀπεικονίσματα divinæ sapientiæ: quam ob causam dicitur, *Et effudit illam* (sapientiam suam) *super omnia opera sua*. Et quemadmodum sigillum aquæ, vel alteri rei fluxæ impressum, si amotum fuerit, ilico forma perit: ita nisi divinæ sapientiæ signaculum assiduè formet & consignet creaturam, tota species & substantia rei evanescet. Itaque cuilibet rei creatæ suum hoc sapientiæ divinæ sigillum, quo eius essentia ab intrinseco assiduè formetur & conservetur, semper est intimè præsens.

Vbi Nota dignationem Dei Creatoris, qui creaturas omnes, sed maximè homines, præsertim sanctos evexit ad tantam dignitatem, quanta est similitudo Dei: omnes enim creaturæ sunt similes sapientiæ Dei; quia sunt similes suis ideis & exemplaribus, quæ vivunt in mente Dei, suntque ipse Deus. Si omnes creaturæ, ergo multò magis iusti & sancti, de quibus proinde ait, *Et præbuit*, scilicet, se ipsam, & quasi se totam, *diligentibus se*. Nam, ut ait Ecclesiast. cap. 3. 1. *Filij sapientiæ, Ecclesia iustorum*, id est, iusti & sancti sunt filij sapientiæ, ac proinde iusti participativè sunt ipsa quasi sapientia; sicut filius hominis oportet sit homo. Hoc est, quod admiratur S. Ioannes cap. 1. v. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, &c. sed ex Deo nati sunt.* Iam occasione horum Deum timentium & diligentium, quorum quasi propria est sapientia, Siracides transit ad timorem Dei, secutus Salomonem dicentem: *Timor Domini, principium sapientiæ*, ut doceat, viam & modum assequendi sapientiam, ita hactenus laudatum, esse timorem sive amorem Dei: timor enim filialis idem est cum amore, vel certè actus amoris & charitatis.

VERS. 11. TIMOR DOMINI GLORIA ET GLORIATIO, ET LÆTITIA ET CORONA EXVLTATIONIS] Syrus, *timor Domini gloria, & honor, & maiestas & corona gloriæ*; Arabicus *timor Domini in illa* (sapientia,) *& honorificentia & maiestas ipsius, & cor magloria & laudationis illius*. Est hic altera pars capitis, qua transit Ecclesiasticus à sapientia ad timorē & cultum Dei tanquam unicum medium comparandæ sapientiæ. Iam *timor Dei est gloria*, &c. non formaliter, sed causaliter. Est enim metonymia: q.d. Timor Dei est causa gloriæ, parit & conciliat gloriam æternam, tum in cælo, tum in terra; tum apud Deum & Angelos, tum apud homines. Timor quoque parit gloriationem, ut scilicet, de eo gloriari possit homo, sed in Domino: item affert lætitiam, quia affert bonam conscientiam, æquè ac fiduciam in Domino, quæ duo sunt causa summæ lætitię. Insuper conciliat divinas consolationes, & gaudia, quę expertus Psaltes iubilabat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te!* Psal. 30. 20 Denique hic timor ornat hominem instar coronæ, sive diadematis exultationem afferentis: corona enim datur sacerdoti, sive pontifici, regi & triumphanti. Timens ergo Deum, est quasi sacerdos coronatus & consecratus Deo idem destinatur, ut sit rex in cælo per gloriam; quod regnum in terra inchoat per gratiam: per hanc enim fit filius Dei, ideoque hæres regni eius cælestis; ac proinde maius & certius per gratiam acquirit ius in regnum cæli, quàm primogenitus regis habeat ad regnum patris terrenum. Hic enim ex hominibus ius habet, ille ex Deo. Vnde ait S. Petrus epist. 1. c. 2. 9. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*. Denique timens Deum est triumphator, ideoque coronatus: triumphat enim de peccato, mundo, carne & dæmone. Vnde R. Simeon aiebat, *tres esse coronas, coronam legis, coronā sacerdotis, & coronam imperij: verùm coronam bonæ famæ* (ex sapientia & vita honesta) *illustriorem longè & pretiosiorē his omnibus esse*. Quocirca S. Chrysost. homil. 69. ad Popul. *Si Dei timorē*, inquit, *habeamus, nihil nobis est opus: si verò hunc nō habeamus, etsi regnū ipsum possideamus, sumus omniū pauperrimi. Nihil æquale Deum timēti: timor enim Domini omnia superat; hunc itaque possideamus, omnia propter hunc faciamus, ut hunc assequamur timorē.* Plura verò homil. 15. ad Pop. in eamdē sententiā scripsit: *Nisi bonū* (ait) *esset timor, non multos impendisset Christus sermones & longos de pœna & supplicio loquens. Timor nil aliud est quàm murus & munimentū, & turris inexpugnabilis. Etenim multa nobis munitione opus est, quia multæ sunt undique insidiæ*. Denique S. Isidor. libr. 2. Sentent. c. 1. *Omnis*, inquit, *qui secundùm Deū sapiens est, beatus est. Beata vita, cognitio divinitatis est. Cognitio divinitatis, virtus boni operis est. Virtus boni operis, fructus æternitatis est.*

Timens Deum est quasi sacerdos cōsecratus Deo: est ut rex & triumphator.

A

B

Timor Dei hic intelligitur, Dei non tantùm metus, sed & reverentia, observantia & cultus, seu θεοσέβεια, & religio, ut vertit Vatabl. quæ est initium sapientiæ, ac nascitur ex amore. Est enim filialis, non servilis: quia enim fideles quasi filij summè amant Deum quasi patrem, hinc eum timent & reverentur; omnes eius leges, imò nutus observant; in omnibus ei placere satagunt, caventque quàm maximè, ne quid committant, quo vel in minimo eū offendant. Quocirca hic timor est causa gloriæ, lætitiæ & coronæ. Quapropter Lactant. toto lib. 3. & 4. docet, Philosophos omnes non habuisse veram, sed falsam sapientiam, eò quòd caruerint vera Dei cognitione, cultu & religione, in qua sita est vera sapientia; ac inter alia c. 2. *Naturam hominis*, inquit, *hanc Deus esse voluit, ut duarum rerum cupidus & appetens esset, religionis & sapientiæ: sed homines ideò falluntur, quòd aut religionem suscipiunt omissa sapientia, aut sapientiæ soli student omissa religione: cùm alterū sine altero esse nō possit verū. Cadunt ergo ad multiplices religiones; sed ideò falsas, quia sapientiam reliquerunt, quæ illos docere poterat, deos multos esse nō posse: aut student sapientiæ, sed ideò falsæ, quia religionem summi Dei omiserunt, qui eos ad veri scientiā potuit erudire. Sic homines, qui alterutrū suscipiunt, viā deviā maximisq. erroribus plenam sequuntur: quoniā in his duobus inseparabiliter connexis & officium hominis, & veritas omnis inclusa est.* Vnde librū 3. concludens ait: *Qui vult sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocē, discat iustitiā, sacramētū nativitatis suæ norit, humana contemnat, divina suscipiat, ut summū illud bonū, ad quod natus est, possit adipisci. Dissolutis religionibus universis, & omnibus quæcūque in earū defensionē dici, vel solebant, vel poterāt, refutatis; deinde cōvictis Philosophiæ disciplinis, ad verā nobis religionē sapiētiāq; veniendum est, quoniā est (ut docebo) utrunque coniunctum.* Hinc timor Dei à Septuag. Prov. 1. 7. vocatur εὐσέβεια, id est, pietas & religio, vertit Clemens Alexand. 2. Strom. de quo plura v. 16. Sic Abraham ait Genes. 20. 11. *Forsitan non est timor Dei in loco isto*, id est, forsitan in hoc loco

C

D

præscripturus, idque *in Spiritu sancto*, id est, ex dilectione & amore creaturarum, Angelorum & hominum, qui amor attribuitur Spiritui sancto; quia Spiritus sanctus per voluntatem, & actum amoris notionalem Patris & Filij spiratur & producitur. Vnde S. Athanas. disput. contra Arrium, ex hoc loco probat, Spiritum sanctum esse Deum. Hic sensus, uti facilis, obvius & congruus; ita valde appositus est & genuinus: Siracides enim, æquè ac Salomon, de sapientia loquitur confusè & generatim. Vnde quædam dicit de ea, quæ magis conveniunt increatæ, quædam quæ magis creatæ; & tale est hoc. Vult enim docere, Deum ab æterno decrevisse creare creaturas in sapientia ex amore, qui appropriatur Spiritui sancto, non autem ob proprium aliquod commodum; ideoque hunc Dei amorem fuisse purum & sanctum; ac proinde opus huius amoris; putà, mundum, Angelos, homines, legesque & præcepta eis à Deo præstituta & præfixa esse pura, sancta & omninò irre- A prehensibilia. Quocirca Syrus & Arabicus pro, *creavit eam*, vertunt, *manifestavit eam*.

Secundò. Secundo, increata sapientia, tam essentialis, quàm notionalis, creata, id est, producta & genita, est à Patre in Spiritu sancto, id est, Primò, ex spiritali sanctaque divinitate, & naturæ divinæ fœcunditate quasi prodiit & emanauit: propriè enim essentialis Sapientia à Deo non est producta, nec genita, cùm sit vnum idemque cum Deo; sed nostro modo concipiendi dicitur producta eo sensu, quem iam assignavi. Nos enim concipimus & metimur divina quæ non videmus, ex humanis & creatis quæ videmus. In his autem videmus sapientiam creatam prodire & produci ex spiritali natura, & præstantia intellectus angelici & humani. Igitur simili modo concipimus Sapientiam increatam quasi prodire ex immensa excellentia divinitatis. ita Iansen. nam Spiritus sanctus dupliciter accipitur: Primò, notionaliter, quasi proprium tertię personę sanctissimę Trinitatis: Secundò, essentialiter, quomodo Deus B Pater est Spiritus sanctus: si est enim ipse Spiritus, est & sanctus. Vnde quidam codices τὸ *Spiritum sanctum* scribunt minusculo f. Romani tamen, Plantiniani; & ceteri scribunt maiusculo, quasi sit nomen proprium Spiritus sancti. Quare Secundò, increata Sapientia, (putà, Verbum,) creata, id est, producta, est in Spiritu sancto, *non principatiuè, quia spiritus sanctus non est principiū Filij, sed concomitivè*, ait Lyran. Itaque *in Spiritu sancto*, id est, cum Spiritu sancto, hic enim à Patre Filioque producitur & procedit, vt intelligamus Spiritum sanctum fuisse ab æterno simul cum Patre & Filio: Hebr. enim ב id est, *in*, sumitur pro עם *im*, id est, cum, apud, iuxta, ceterisque præpositionibus. Vel *in Spiritu sancto*, quasi in fine & termino: q.d. Creatio, id est, productio Sapientiæ, id est, Verbi, non ibi stitit, sed vlteriùs processit, ac finita & terminata est in productione Spiritus sancti: Pater enim gignendo Verbum, simul dedit ei fœcunditatem spirativam, vt secum possit spirare & producere Spiritum sanctum: hæcque vis in ratione Verbi includitur, adeò vt ipsum planè & per omnia perfectum non C sit, donec spiret Spiritum sanctum: in Spiritu sancto enim terminatur omnis activitas, omnis productio interna deitatis, putà, Patris & Filij. Sic S. August. lib. 6. de Trinit. ait, Patrem & Filium se invicem amare Spiritu sancto, scilicet, amore, non essentiali & formali; sed notionali & producto, qui est finis & terminus amoris essentialis. *Nam Spiritus sanctus*, inquit, *est summa charitas, vtrumque coniungens, nosq; subiungens*. Et lib. 5. *Communio quædam consubstantialis Patris & Filij, est amborum Spiritus sanctus*. Sic idem August. lib. 83. quæst. ait, Patrem esse sapientem sapientia genita, non formaliter: sic enim sapiens est, sapitque & intelligit sapientia essentiali & ingenita; sed effectivè & terminativè: quia, scilicet, eius intellectio notionaliter producit sapientiam genitam, sive Verbum, in D eoque terminatur. Vnde idem August. lib. 15. de Trinit. & lib. 1. Retract. cap. 26. docet, propriè dicendum esse, Patrem non esse sapientem sapientia genita, (quia Pater non accepit sapientiam à Verbo, sed potiùs Verbum eam accepit à Patre,) sed propria & ingenita.

Tertiò. Tertiò, Palacius sic exponit: q.d. Pater creavit, id est, possedit Filium, qui est in Spiritu sancto, scilicet, cum quo est illi una natura: sicut enim Pater est in Filio; ita Filius est in Spiritu sancto: vt significetur hic trium divinarum περιχώρησις, sive circuminsessio, de qua ex Damasceno alibi dixi. Cùm enim vna sit essentia trium personarum, hinc fit, vt Pater sit in Filio & Spiritu, & Filius sit in Patre & Spiritu, & Spiritus sanctus sit in Patre & Filio, idque non tantùm quoad essentiam unam & eamdem, quæ tribus personis communis est, uti voluit Durandus in 1. dist. 19. & alij nonnulli; sed etiam quoad ipsam personam. Quia enim eadem prorsus & individua est tribus personis essentia, hinc fit, ut non sola essentia, sed & per eam personæ qualibet alteri inexistat, uti docent S. Bonavent. Marsilius, Scotus & alij passim in 1. dist. 19. qua de re alibi plura dixi.

Quartò. Quartò, Theologi multi sic exponunt: Pater creavit, id est, genuit Sapientiam, putà, Verbum, ex cognitione Spiritus sancti: quia genuit illud ex cognitione & comprehensione suæ essentiæ, & omnium quæ in ea sunt: in ea autem est fœcunditas spirandi Spiritum sanctum, & possibilitas creandi omne possibile: quare ex cognitione Spiritus sancti, & creaturarum possibilium, pariter ac essentiæ divinæ, producitur & procedit Verbū, uti docet probabiliter Franc. Suarez lib. 9. de Deo trino & uno, cap. 4. 5. 6. & alij, licet Gabr. Vasquez cum nonnullis id neget.

Allegor. Allegor. Sapientia incarnata creata est in Spiritu sancto: quia incarnatio fuit opus, non viri, sed Spiritus sancti. Vnde in Symbolo dicimus: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*. Quocirca Angelus cōceptū annūtians, Virgini quærenti: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideòque & quod nascetur ex te sanctū, vocabitur Filius Dei*, Lucæ 1. 35. ita Rabanus. Rursum Sapientia, imò Sapientiæ æternæ mater, est B. Virgo: hanc creavit Deus in Spiritu sancto: quia simul creata & repleta Spiritu sancto fuit, uti decebat matrem Dei mox futuram, ideoque in gratia omnes homines & Angelos superavit: quare eius gratiam solus Deus *dinumeravit & mensus est*, iuxta illud Proverb. vlt. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*. ita S. Bernardinus tomo 2. serm. 1 art. 3. c. 1. Hæc est sapientiæ laus, scilicet, quòd Deus eam crearit in Spiritu sancto.

Ex dictis liquet, hunc locum non favere Græcis, qui dicunt & docent, Spiritum sanctum non procedere à Filio, sed a solo Patre: ob quem errorem ipso festo Spiritus sancti, putà, Pentecostes, capta à Mahomete Turcarum Imp. Constantinopoli, eversum est imperium Græcorum anno Domini 1453. Maluerunt Græci cum Latinis de Spiritu sancto otiosis falsisque disceptare verbis, quàm seriis contra barbaros decernere armis. Itaque iusto Dei iudicio eiusdē Spiritus sancti festo illa acceperunt vulnera, quæ eorum dominis extrema fuerunt funera: ut, sicuti Constantinus primus ante mille annos, natus S. Helena, religione Catholica, & in Rom. Pontificem observantia eximius, conditor Constantinopolis, novæ Romæ dictæ, maximoperè clarus extitit; sic Drogates, Constantinus alter, Helena etiam natus, sed religionis Catholicæ desertor, & Pontificis Roman. inimicus, Constantinopoli amissa fuerit extremus, inglorius & infamis in omne æuum.

ET VIDIT, ET DINVMERAVIT, ET MENSVS EST.] Hæc tria antistropha sunt, & alternis respondent tribus interrogatis v. 2. ibi enim interrogavit: *Quis sapientiam investigavit, dinumeravit, & dimensus est*: hic respondet: Deus *eam vidit, & dinumeravit, & mensus est*. q.d. Deus planè pleneque ab æterno cognovit sapientiæ naturam & quantitatem; tum discretam, putà, numerum; tum continuam, putà, molem & mensuram; Deus perspexit, quæ & quanta esset sapientia; Deus ab æuo omnes sapientiæ rationes & modos numeratos & mensuratos habuit, secundùm quos in tempore omnia creaturus & facturus erat, iuxta illud Sapient. 16. *Omnia in mensura, & numero & pondere disposuisti*. Loquitur enim de sapientia Dei architectonica, quam quasi ideam Deus architectus ab æterno in mente concepit & efformavit, ut iuxta eam in tempore omnia in mensura, numero & pondere conderet. Licet ergo Dei sapientia in se sit infinita, & homini innumerabilis & immensurabilis; à Deo tamen, Deique mente, quæ pariter infinita est, quæque est fons & origo sapientiæ, numeratur, mensuratur & comprehenditur.

Nota τὸ *vidit*, id est, intimè, penitus & funditus eius naturam, proprietates & dotes introspexit & circumspexit, quasi captus eius specie & pulchritudine. τὸ *mensus est*, non est in Græco.

ET

VERS. 10. ET EFFVDIT ILLAM SVPER OMNIA OPERA SVA, ET SVPER OMNEM CARNEM SECVNDVM DATVM SVVM (prout, scilicet, cuique eam dare & communicare voluit: Vatabl. *pro sua munificentia*) ET PRÆBVIT ILLAM DILIGENTIBVS SE] Nona est hæc sapientiæ laus: q.d. Deus sapientiam ab æterno in mente sua reconditam, in tempore communicavit omnibus creaturis etiam inanimis, sed magis animalibus, præsertim hominibus carne præditis; maxime vero hominibus & Angelis diligentibus se. τὸ *effudit*, significat largitatem beneficentiæ Dei, quod se, suaque dona & sapientiam instar imbris vel torrentis copiosissime effuderit in mundum, præsertim in homines se diligentes: quia hos donavit fide, gratia, & sapientia supernaturali, ut Deum cognoscant, ament & colant, itaque ad eius visionem & fruitionem, in qua consistit perfectio & consummatio sapientiæ, perveniant. Hinc disce, magnam Dei sapientiam inditam esse cælis, elementis, arboribus, plantis, avibus, piscibus, &c. hinc illa solertia avium in construendis nidis, educandis fœtibus, cavendis noxiis, parando cibo; piscium in natando, comedendo, generando; animalium in vita sua & suorum tuenda, propaganda & propugnanda. Sicut ergo artifex effundit artē suam in opus, quod ab arte producit: pictor enim, v. g. pingendo imaginem, similem suæ arti & ideæ quam mente concepit, ideam quasi in picturam confert & transfert: sic Deus quasi artifex & pictor universi, sapientiam & ideam suam quasi in illud contulit & transtulit, cùm illud iuxta illam, illique simile condidit. Vnde Syrus vertit, *manifestavit eam, & divisit eam omnibus operibus suis: cum carne secundum voluntatem suam dedit eam, & multiplicavit eam omnibus timentibus se*; Arabicus, *patefecit eam, & revelavit eam, tum comprehendit eam, & præbuit illam: distribuit eam inter universam creaturam suam, super omnem virum ex hominibus secundùm voluntatem suam, & multiplicavit eam in omnibus timentibus se*.

Dei notiones sunt quædam sigilla rerum formandarum.

Contemplare hic, mirare & reverere sapientiam divinam esse primævum fontem & primævum signaculum rerum omnium, quod omnia penetrat sua puritate & subtilitate, intrinsecùs format & disponit omnia in omnibus. Considera ergo divinam sapientiam plenam esse notionibus & conceptibus rerum, veluti sigillis quibusdam, formandis creaturis secundùm speciem cuiusque idoneis. Sunt enim res creatæ veluti impressiones quædam & ἀποσφραγίσματα divinæ sapientiæ: quam ob causam dicitur, *Et effudit illam* (sapientiam suam) *super omnia opera sua*. Et quemadmodum sigillum aquæ, vel alteri rei fluxæ impressum, si amotum fuerit, statim forma perit: ita nisi divinæ sapientiæ signaculum assiduè formet & consignet creaturam, tota species & substantia rei evanescet. Itaque cuilibet rei creatæ suum hoc sapientiæ divinæ sigillum, quo eius essentia ab intrinseco assiduè formetur & conservetur, semper est intimè præsens.

Vbi Nota dignationem Dei Creatoris, qui creaturas omnes, sed maximè homines, præsertim sanctos evexit ad tantam dignitatem, quanta est similitudo Dei: omnes enim creaturæ sunt similes sapientiæ Dei; quia sunt similes suis ideis & exemplaribus, quæ vivunt in mente Dei, suntque ipse Deus. Si omnes creaturæ, ergo multò magis iusti & sancti, de quibus proinde ait, *Et præbuit*, scilicet, se ipsam, & quasi se totam, *diligentibus se*. Nam, ut ait Ecclesiast. cap. 3. 1. *Filij sapientiæ, Ecclesia iustorum*, id est, iusti & sancti sunt filij sapientiæ, ac proinde iusti participativè sunt ipsa quasi sapientia; sicut filius hominis oportet sit homo. Hoc est, quod admiratur S. Ioannes cap. 1. v. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, &c. sed ex Deo nati sunt*. Iam occasione horum Deum timentium & diligentium, quorum quasi propria est sapientia, Siracides transit ad timorem Dei, secutus Salomonem dicentem: *Timor Domini, principium sapientiæ*, vt doceat, viam & modum assequendi sapientiam, ita hactenus laudatum, esse timorem sive amorem Dei: timor enim filialis idem est cum amore, vel certè actus amoris & charitatis.

VERS. 11. TIMOR DOMINI GLORIA ET GLORIATIO, ET LÆTITIA ET CORONA EXVLTATIONIS] Syrus, *timor Domini gloria, & honor, & maiestas & corona gloriæ*; Arabicus *timor Domini milla* (sapientia,) *& honorificentia & maiestas ipsius, & cor magloriæ & laudationis illius*. Est hic altera pars capitis, qua transit Ecclesiasticus à sapientia ad timorē & cultum Dei tamquam unicum medium comparandæ sapientiæ. Iam *timor Dei est gloria*, &c. non formaliter, sed causaliter. Est enim metonymia: q.d. Timor Dei est causa gloriæ, parit & conciliat gloriam æternam, tum in cælo, tum in terra; tum apud Deum & Angelos, tum apud homines. Timor quoque parit gloriationem, ut scilicet, de eo gloriari possit homo, sed in Domino: item affert lætitiam, quia affert bonam conscientiam, æquè ac fiduciam in Domino, quæ duo sunt causa summæ lætitiȩ. Insuper conciliat divinas consolationes, & gaudia, quȩ expertus Psaltes iubilabat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te!* Psal. 30. 20 Denique hic timor ornat hominem instar coronæ, sive diadematis exultationem afferentis: corona enim datur sacerdoti, sive pontifici, regi & triumphanti. Timens ergo Deum, est quasi sacerdos coronatus & consecratus Deo idem destinatur,

Timens Deum est quasi sacerdos cõsecratus Deo: est ut rex

A vt sit rex in cælo per gloriam; quod regnum in terra inchoat per gratiam: per hanc enim fit filius Dei, ideoque hæres regni eius cælestis; ac proinde maius & certius per gratiam acquirit ius in regnum cæli, quàm primogenitus regis habeat ad regnum patris terrenum. Hic enim ex hominibus ius habet, ille ex Deo. Vnde ait S. Petrus epist. 1. c. 2. 9. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*. Denique timens Deum est triumphator, ideoque coronatus: triumphat enim de peccato, mundo, carne & dæmone. Vnde R. Simeon aiebat, *tres esse coronas, coronam legis, coronã sacerdotis, & coronam imperij: veriam coronam bonæ famæ* (ex sapientia & vita honesta) *illustriorem longè & pretiosiorē his omnibus esse*. Quocirca S. Chrysost. homil. 69. ad Popul. *Si Dei timorē*, inquit, *habeamus, nihil nobis est opus: si verò hunc nō habeamus, etsi regnū ipsum possideamus, sumus omniū pauperrimi. Nihil æquale Deum timēti: timor enim Domini omnia superat; hunc itaque

& triumphator.

B possideamus: omnia propter hunc faciamus, ut hunc assequamur timorē*. Plura verò homil. 15. ad Pop. in eamdē sententiā scripsit: *Nisi bonū* (ait) *esset timor, non multos impendisset Christus sermones & longos de pœna & supplicio loquens. Timor nil aliud est quàm murus & munimentū, & turris inexpugnabilis. Etenim multa nobis munitione opus est, quia multæ sunt undique insidiæ*. Denique S. Isidor. libr. 2. Sentent. c. 1. *Omnis*, inquit, *qui secundùm Deū sapiens est, beatus est. Beata vita, cognitio divinitatis est. Cognitio divinitatis, virtus boni operis est. Virtus boni operis, fructus æternitatis est*.

Timor Dei hic intelligitur, Dei non tantùm metus, sed & reverentia, observantia & cultus, seu θεοσέβεια, & *religio*, ut vertit Vatabl. quæ est initium sapientiæ, ac nascitur ex amore. Est enim filialis, non servilis: quia enim fideles quasi filij summè amant Deum quasi patrem, hinc eum timent & reverentur; omnes eius leges, imò nutus observant; in omnibus ei placere satagunt, caventque quàm

C maximè, ne quid committant, quo vel in minimo eū offendant. Quocirca hic timor est causa gloriæ, lætitiæ & coronæ. Quapropter Lactant. toto lib. 3. & 4. docet, Philosophos omnes non habuisse veram, sed falsam sapientiam, eò quòd caruerint vera Dei cognitione, cultu & religione, in qua sita est vera sapientia; ac inter alia c. 2. *Naturam hominis*, inquit, *hanc Deus esse voluit, ut duarum rerum cupidus & appetens esset, religionis & sapiētiæ: sed homines ideò falluntur, quòd aut religionem suscipiunt omissa sapiētia, aut sapiētiæ soli student omissa religione: cùm alterū sine altero esse nō possit verū. Cadunt ergo ad multiplices religiones, sed ideò falsas, quia sapientiam reliquerunt, quæ illos docere poterat, deos multos esse nō posse: aut studēt sapientiæ, sed ideò falsæ, quia religionē summi Dei omiserunt, qui eos ad veri scientiā potuit erudire. Sic homines, qui alterutrū suscipiunt, viā devia

D maximisq. erroribus plenam sequuntur: quoniā in his duobus inseparabiliter connexis & officium hominis, & veritas omnis inclusa est*. Vnde librū 3. concludens ait: *Qui vult sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocē, discat iustitiā, sacramētū nativitatis suæ norit, humana contemnat, divina suscipiat, ut summū illud bonū, ad quod natus est, possit adipisci. Dissolutis religionibus universis, & omnibus quæcūque in earū defensionē dici, vel solebant, vel poterāt, refutatis; deinde cōvictis Philosophiæ disciplinis, ad verā nobis religionē sapiētiāq; veniendum est; quoniā est (ut docebo) utrumque coniunctum*. Hinc timor Dei à Septuag. Prov. 1. 7. vocatur εὐσέβεια, id est, pietas & religio, vertit Clemens Alexand. 2. Strom. de quo plura v. 16. Sic Abraham ait Genes. 20. 11. *Forsitan non est timor Dei in loco isto*, id est, forsitan in hoc

loco

loco non est Dei cultus & religio. Sic illud Deuter. 6. 18. *Dominum Deum tuum timebis*; Christus explicat Matth. 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis*. Nam, ut Poeta ait:

Primus in orbe Deos fecit timor.

Sic Iob. cap. 1. 1. vocatur *vir simplex & rectus, ac timens*, id est, colens, *Deum*. Similia sunt psalm. 21. v. 24. 25. 26. & alibi passim.

Dotes 14. timoris Dei.

Porro, Siracides hic mirè commendat Dei timorem, eiusque quatuordecim elogia & dotes recenset. Prima est hoc versu, quod timor Dei sit gloria, lętitia & corona exultationis.

Prima dos.

VERS. 12. TIMOR DOMINI DELECTABIT COR, ET DABIT LÆTITIAM, ET GAVDIVM, ET LONGITVDINEM DIERVM] tum in hac vita, tum magis in futura. ita Rabanus. Explicat quod dixit v. præced. *Timor Domini, gloria, & lætitia & corona exultationis*. Causas delectationis & gaudij ibidem recensui. Syrus vertit, *timor Domini lætificat cor, & lætitia & exultatio & vita æterna*; Arabicus, *timor Domini lętificat cor, & est lætitia, & exultatio & vita permanēs*. Vide Dam. l. 1. Paral. c. 4. ubi inter alia citat auream gnomen Didymi: *Fieri nō potest, ut qui timore Dei prędıtus est, meticulosus sit, cùm illud monumētis proditū sit: præter eū ne quemquā alium timeas*. Nam, ut ait Nazian. Iamb. 15. *Lætitia est mētis diffusio; metus, eiusdē contractio; tristitia, morsus & turbatio*. Lætitia ergo excludit metum.

Nota τὸ *longitudinem dierum*: nam, ut præclarè ait S. August. in psal. 93. *Venale est, quod habeo, dicit Dominus: tibi eme illud. Quid habet venale? Requiē, regnum. Quantū valet? Prætium eius labor est. Quātus labor? Aeterna requies æterno labore rectè emitur: certè tantus debuit esse. Itē sēpiternus labor pro requie sempiterna. Decies cētena millia annorum in labore quid valent? habent finē. Quod tibi dabo, ait Dominus, non habet finē. Qualis misericordia Dei! Nec dicit, Decies cētena millia annorū labora: non dicit, Vel mille annos labora: nō dicit, Quingētos labora: sed, Cùm vivis, labora paucis annis. Inde iam requies erit, & finē non habebit. Ecce quantū pretiū damus, quodammodo unam siliquā, ad accipiendos thesauros sempiternos: siliquam laboris, ad requiem sempiternam.*

VERS. 13. TIMENTI DOMINVM BENE ERIT IN EXTREMIS] Novè Tigurina, *religionem Domini colenti benè erit in extremis*, Syrus, *qui timet Deum, bonus fiet finis eius. Timenti* ergo *Dominum benè erit in extremis*, puta, in morte, iudicio & gloria celesti: hæc enim sunt tria iusti extrema sive novissima. Hæc secunda est dos timoris Dei. O quantum est, benè & feliciter nobis aleam salutis cadere in illis extremis! In hoc enim puncto temporis iacimus aleam de tota ęternitate, eaque vel felicissima, vel miserrima. Quàm ergo gaudebit in extremis timens Deum, cùm videbit aleam sibi cadere æternitatis beatę! O quanta felicitas est ea potiri! ò quantum est, regnum cælorum, imò Deum possidere in æternum.

Secunda dos.

Præclarè S. Greg. 10. Moral. c. 12. *Peccatoris*, inquit, *lumē ▪ die, est obscuritas in vespere: quia in præsentis vitæ felicitate attollitur, sed adversitatis tenebris in fine devoratur: iusto autem meridianus fulgor ad vesperum surgit, quia, quāta sibi claritas maneat, cùm iam occūbere cœperit, agnoscit: hinc nāque scriptum est: Timenti Deum benè erit in extremis.* Ita in extremis gavisa fuit anima Lazari, dum ab Angelis elata fuit in cælum, cùm dives Epulo demersus sit in tartara, Lucæ 16. De quo pulchrè S. Chrys. hom. de divite & Lazaro: *Factum est*, inquit, *ut portaretur ab Angelis, & adduceretur, ne saltem ābulans laboraret. Portabatur post tot labores, quia defecerat: & portabatur ab Angelis: nō suffecerat ad portandum pauperi unus Angelus; sed propterea veniunt plures ut chorū lętitiæ faciant. Et portaretur ab Angelis: gaudet unusquisque Angelorū tantū onus tāgere: libēter talibus oneribus prægravātur, ut adducant homines ad regna cælorū.*

Iusti in morte iubilant. Exempla.

Ita in extremis benè fuit S. Ambrosio, cùm moriturus confidenter dixit: *Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere, sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus*, uti refert Possidon. in Vita S. Augustini, c. 27. Et S. Gerardo, fratri S. Bernardi, qui, ut ipse refert serm. 26. in Cant. in morte iubilabat: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis*. Et Vener. Bedæ, qui canens, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sācto*, animā Deo reddidit, ut habet eius Vita.

S. Franciscus moriens, cùm gravissimis arderet totius corporis doloribus, non nisi divinas laudes canebat, & alios canentes audiebat, cumque F. Elias eum increparet, dictitans, illud tempus dandum esse lacrymis & pœnitentiæ, respondit, *Non licere sibi aliter facere, cùm sciret, se brevi cum Deo fore*. Ita S. Bonavent. in eius Vita.

S. Bernardus, primus S. Francisci socius, moriens: *Nunc* inquit, *sentio, quid sit in Dei timore vixisse. Nunc enim pro toto mundo nollē me aliam vitam instituisse. Nunc gaudeo & exulto, quod mūdū spreverim, quòd in humilitate & paupertate Deo servierim.* Ita habēt eius Acta in Chron. S. Fràcisci.

S. Eligius, Noviomensis Episc. animam agens, discipulis osculo valedicens: *Iam non ultrà*, inquit, *loquar vobiscum, valete in pace. Redeat terra in terram.* Ac erectis in cælum oculis: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace. Memento mei, Christe redemptor, salvum me fac in regnum tuum cæleste. Tu semper fuisti protector meus. In manus tuas commendo spiritum meum: manus*

A *tua me deducat in mansionem, quam præparasti timētibus te.* ita refert B. Audoenus, Rothomag. Episc. in eius Vita.

S. Antoninus Archiep. Florentin. in extremo vitę spiritu canebat: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*, uti refert Mainardus in eius Vita.

S. Antonius de Padua iubilando B. Virgini: *O gloriosa Domina, excelsa super sidera* &c. ac intentis in cælum oculis, *video Dominum meum*, ei animam resignavit anno Domini 1231. Ita habet eius Vita, cap. 37.

S. Nicolaus Tolentinas sex mensibus ante mortem, singulis noctibus audiebat concentum Angelorum, ut diceret: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*. Moriturus verò exultabat: rogatus causam dixit: *Dominus meus Iesus Christus, suę matri, & nostro Patri Augustino innitens, dicit mihi: Euge, serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

B Ita habet eius Vita.

Sic hoc sæculo B. Petrus de Alcantara Ordinis S. Francisci, vir miræ orationis & austeritatis, flexis genibus moriens, exultans ait: *Lętatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* Et nostēr Edmundus Campianus damnatus ad mortem, cecinit: *Te Deum laudamus.*

ET IN DIE DEFVNCTIONIS mortis & obitus, quo vita hac defungetur transiturus ad meliorem & beatam: unde Syrus vertit, *in ultimo dierum*; Arabicus *in extremo vitæ suæ* BENEDICETVR tum ab hominibus, tum à Deo, cùm audiet à Christo iudice: *Veni benedicte Patris mei: posside paratum tibi regnum à constitutione mundi*. Matth. 25. 34.

Benedicetur ergo, tum vocaliter, tum realiter; id est, benefiet ei: quia bonum felicitatis & regni æterni accipiet, quod est maximum. Vnde Tigurina vertit, *in die obitus sui beabitur*. Quidam Græci codices legunt, [illegible] id est, *inveniet gratiam*, scilicet, coram Deo, ac per eam

C inveniet gloriam sempiternam. Quocirca in Script. benedictus dicitur, imò *beatus vir, qui timet Dominum*. Psal. 111. 1. Audi S. Chrys. in psal. 62. *Si dixeris mihi ex psalmis illud: Beatus, qui timet Dominum; & potueris scire quidnam sit id quod dicis: non divitem, non principem, non formosum, non eum qui valet viribus, non eum qui ædes possidet magnificas, non eum qui gerit magistratus; non eum qui regnum obtinet; nullum denique alium nisi eum qui est pius & religiosus, qui studio sapientiæ tenetur, qui Deum timet, beatum dices, non solùm propter futura, sed etiam propter præsentia, nam etiam in hac vita hic quoque est illo potentior.* Igitur Prosper l. 2. de Voc. Gent. 9. *De timore* (ait) *Dei & sapientia in Ecclesiastico legitur: Corona sapientiæ timor Domini: utraque autem sunt dona Dei.* Et paucis interiectis: *Beatus* (ait) *cui donatum est habere timorem Domini.*

DILECTIO DEI, HONORABILIS SAPIEN-

D TIA] Liberius suo more Tigurina, *amor Dei præclara est sapientia*. Sensus est, q. d. Hic timor est Dei dilectio & amor, in quo consistit vera, honoranda & summa sapientia. Qui amat Deum, hic sapit præ omnibus Philosophis & theologis: hic enim sapit & cognoscit Deum practicè & sapidè, nō speculative & aridè. Vnde S. Bernardus ser. 85. in Cant. *Quidquid*, inquit, *virtus elaborat, sapientia fruitur; & quod sapiētia ordinat, deliberat, moderatur, virtus exequitur*, &c. *& si quis sapientiā, virtutis amorem definierit, non à vero deviare videbitur. Vbi autē amor est, labor non est, sed sapor. Et fortè sapiētia à sapore denominatur, quòd virtuti accedēs quoddā veluti cōdimētū sapida reddat, quæ per se insulsa & aspera sentiebatur: nec duxerim reprehēdēdū, si quis sapiētiā, saporē boni definiat.* Sapiētia enim est sapida scientia, ait S. Greg. iuxta illud: *Gustate, & videte, quoniā suavis est Dominus*. Ps. 33. 9. Hæc est sapiētia, nō quæ inflat, sed quæ beat. Vides hic, ut sapientiam constituat nunc in amore, nunc in

VERS. 14.

timore

timore filiali: quia hic timor oritur ex amore, imò est amor. ita Rabanus. Hic amor, hæc sapientia nos facit filios Dei, vt sicut Sapientia increata est Filius Dei per naturam; ita sapientes & amantes Deum sint filij eius per gratiam, imò sint *diuinæ consortes naturæ*, & quasi dij quidam terrestres, vt ait S. Petrus epist. 2. c. 1. 4. Nota rursum metonymiam, qua sapientia dicitur esse amor & timor Dei, non formaliter, sed causaliter: nam sapientia est in intellectu; amor & timor sunt habitus & actus in voluntate: sed hi inuoluunt & præsupponunt sapientiam, quasi sui originem & caussam. Ex hoc enim dictamine sapientiæ: Deus est summa pulchritudo, summus honor, summa opulentia, summa voluptas, summa gloria, summum bonum: ergo Deus est summè amabilis; oritur eius amor & timor. Hinc ille vocatur, & reuera est sapientià practica, de quo plura v. 16. Quocirca verè & eleganter S. August. tract. de Laudibus char. to. 9. *Tene*, ait, *charitatem, & in ea inuenies omnem scientiam* Et

A interiùs: *Totam magnitudinem diuinorum eloquiorum & latitudinem secura possidet charitas*. Et mox: *In eo, quod in Scripturis intelligis, charitas patet: in eo, quod non intelligis, charitas latet. Ille itaque tenet & quod patet, & quod latet in diuinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus*. Deinde charitatem describens: *Charitas*, inquit, *est recta volũtas, ab omnibus terrenis prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter & vnita, igne quodam Spiritus sancti, à quo est, & in quem refertur, incensa, inquinamenti extranea corruptionis nescia, nulli commutabilitati obnoxia, super omnia quæ carnaliter diliguntur excelsa, affectionum omnium potentissima, diuinæ contemplationis auida; in omnibus semper inuicta, summa actionum bonarum, salus morum, finis cælestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, arma sanctarum mentium, causa meritorum, præmium perfectorum, sine qua nullus Deo complacuit:*

B *fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, victoriosa in Martyribus, operosa in omnibus omninò fidelibus, ex qua quidquid est boni operis, viuit*.

Porrò Syrus & Arabicus pro *dilectio Dei, honorabilis sapientia*, habent *Initium sapientiæ timor Domini*: quam sentẽtiam deinde secundò & tertiò hoc capite repetunt, quasi basin & centrum omnium dictorum & dicendorum.

Denique dilectio hæc sapiens maximè resplẽdet in Martyribus, ac similibus, qui pro Deo & sapiẽtia graues obeunt labores aut atroces subeunt dolores. Vnde SS. Sauinus & Cyprianus, Martyres Brixiani, cùm atrociter cęderentur, in ignitam fornacem proiicerentur, super rotas extenderentur & dilacerarentur, gratias agẽtes Deo, iubilantesque dicebant: *Quàm dulcis est dilectio tua, Domine!* ita Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem 2. Iulij.

S. Vitus puer cum Modesto & Crescẽtia gloriosum obiẽs

C martyrij agonem, cum Diocletianus ei ingentes promitteret opes & honores, si Deos coleret, animosè respondit: *Ego regnum, honores & diuitias parui pendo, totusq; ex vno Christo solo Deo & immortali dependeo*.

S. Felicula, virgo & Martyr Romana collactanea S. Petronillæ, cùm in eculeo torqueretur, exultabat dicens: *Ego Christum sponsum video, qui tanta pro me passus sustinuit*.

S. Marcus & Marcellianus stipiti clauis affixi, cùm iudex diceret: *Respicite, miseri, & vos ab his cruciatibus liberate*; alacres responderunt: *Nunquam tam iucundè epulati sumus, quàm libenter hæc Christi causa perferimus, in cuius amore nunc fixi esse cœpimus. Vtinam nos tamdiu hæc pati sinat, quamdiu corruptibili hoc corpore vestiti erimus*. Ita habet eorum Vita, & Acta S. Sebastiani. Ita cruces omnes dulcorat Sanctis dilectio & amor Christi, vt amorem amori, ac mortem morti rependant. Quàm dulce

D ergo eis erit frui Christo, eiusque gloria in cælo! Tunc verè dicent cum Sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi*.

VERS. 15. QVIBVS AVTEM APPARVERIT IN VISV, id est, quibus se videndam & cognoscendam obtulerit hæc Dei dilectio, quæ est sapientia practica; quibus seipsam manifestarit: hi DILIGVNT EAM IN VISIONEM, putà; per solam hanc visionem & ostensionem dilectionis & sapientiæ, ET IN AGNITIONE MAGNALIVM SVORVM id est, per agnitionem magnificorum operũ eius, quæ ab ipsa mirabiliter esse peracta discũt & audiunt. q.d. Adeò speciosa, adeò amabilis est dilectio Dei, quæ est vera sapientia, vt sola sui ostensione, solo sui aspectu, omnes in sui amorem & admirationem rapiat; ac proinde nemo eam odit, nemo despicit, nisi qui eam non cognoscit. Vetustus codex citatus in editione Græca Romana, sic habet: ἀγάπησις κυρίου, ἔνδοξος σοφία, οἷς δ' ἂν ὀπτάνηται, μερίζει αὐτὴν εἰς ὅρασιν αὐτοῦ: id est, *Dilectio Dei, honorabilis sapientia: quibus autem apparuerit* (sapientia,) *distribuet eam* (dilectionem) *ad visionem eius*: q.d. Sapientia, cùm alicui se suumque auctorẽ, putà Deum, ostendit, illicò in Dei dilectionẽ eum rapit.

Hęc est tertia timoris laus. *Tertia dos.*

Sic Abrahã, Isaac, Iacob, Moses & Prophetæ viderũt Deũ, Deique Verbum in corpore assumpto, & audiebant eius magnalia, atque illico in eius amorem rapiebantur. In illis enim visionibus apparuit & ostẽdit se Filius Dei, vt ait Concil. Sirmiense; vt præluderet & significaret, se quandoque verum corpus assumpturum, vt in eo sapientiam nobis ore tenus prędicaret & communicaret. In Dauid videns opera sapientiæ Dei, v. g. cælos, exclamat: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* psal. 8. Ita intuens hanc mundi machinam iubilat: *Delectasti me Domine in factura tua*, psal. 91.

Ita sapientia apparuit S. Gregorio Nazianzeno quasi virgo speciosa, cui astabat castitas, simili specie. Cumque ille, vtpote castus, formam feminarum refugeret, ab ea audiuit: *Ne mireris, ô iuuenis, sociæ & sorores sumus, tibiq; familiares, quia nobis iucundum in tuo corde habitaculum præparasti, vna nostrum Sapientia, altera Castitas vocatur*. Quo viso in vtriusque amorẽ accensus est Nazianzenus, vti refert Ruffinus, Baron. & alij in eius Vita.

Ita pariter sapientia apparuit D. Henrico Susoni, qui Doctor Theologus anno Domini 1350. magna sapientiæ & sanctitatis laude floruit, multaque conscripsit, in quibus spirat amorem Sapientiæ æternæ, adeoque Horas composuit de æterna Sapientia: vnde & eius Minister est appellatus. Audi Auctorem Vitæ eius, cap. 4. *Dum*, inquit, *his flagraret desideriis videndi & alloquendi Sapientiam, illa tali schemate se illi visendã præbuit. Longè supra ipsum ferebatur in columna nubis, residens in throno eburneo, micans instar luciferi, & tamquam sol lucens in virtute sua. Corona eius erat æternitas, amictus felicitas, sermo suauitas, complexus omnis boni satietas. Prope erat & longè aberat, sublimis & humilis, præsens & occulta; familiarem se præbebat, nec tamen apprehendi poterat. Excelsis cæli fastigiis erat altior, & abysso profundior: attingebat à fine vsque ad finem fortiter, & disponebat omnia suauiter. Dum elegantis puellæ specie teneri videbatur, mox pulcherrimi iuuenis præ se ferebat imaginem. Nonnumquã ceu artiũ omniũ peritissimam, se præbebat amicã cunctis amabilem. Itaque dulcissimè ad eum se conuertens, & comiter, non tamen sine quadã diuina maiestate illi arridens, benignè his eum verbis affata est: Præbe, fili, cor tuũ mihi. Tum verò vestigiis illius aduolutus, medullitus ac humillimè gratias illi egit. Sapientia deinde nonnumquam animæ illius se communicabat, quasi totius boni fons & profluuium, & omniũ desiderabilium abyssus, in qua simul reperit, quidquid pulchrũ, amabile, vel cõcupiscibile esset: siquidem id omne in ea modo ineffabili existebat*. Et inferiùs: *Neque sane dici possit, quoties gratissimã illam amicam lacrymantibus oculis, & in immensũ expanso cordis sinu circumplexus sit, & suo pectori suauiter astrinxerit. Erat tum sæpenumerò illi, perinde vt solet infãti, ad matris ipsũ suis vlnis cõplectentis, vbera pẽdenti, atque in eius gremio delitescenti. Vt enim eiusmodi puerulus capite, & totius corporis motu ad parentis suæ pectus sese applicat, & amicabilibus & blandis id genus gestibus cordis sui lętitiã declarat: ita cor illius cum sensibili quadam inundatione, erga iucundissimã æternæ Sapientiæ præsentiam ferebatur cogitabatque: Si mihi desponsa foret, Domine Iesu, Regina potens, esset id mihi gaudio. Nunc igitur, æterna Sapientia, tu mei cordis Imperatrix, & totius gratiæ parens es. In te diuitiarũ, honoris, potentiæ affatim mihi suppeditat. Nihil prætereà appeto, quidquid hic mundus habet. Sub his meditationibus vultu exhilaratus, oculis micantibus, corde in iubilum sublato, & cunctis internis sensibus exultantibus, in hæc verba prorupit: Super salutem & speciem dilexi sapientiam, & proposui pro luce habere illam, & venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*. *Sapientiæ visio, & imago corporea.*

INITIVM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI] Græcè, *initium sapientiæ, timere Dominum*, hoc est, *timor Domini*. Infinitiuus enim de more ponitur pro nomine. Sapientiam hic creatam accipe: arctiùs ergo hic illa accipitur, quàm v. 1. Citat. psal. 110. 10. Prouerb. c. 17. vbi pro *initium*, Hebr. est ראשית *rescit* (Græcè, ἀρχὴ,) quod deducitur à ראש *ros*, id est, caput, q. d. Capitale. Vnde *rescit* Primò, vertas initium, *VERS. 16. Initiũ sapiẽtiæ timor Dei. quo sẽsu?*

Reſpondeò Primò. tium, vt ſenſus ſit: q.d. Initium ſapiendi eſt Dei timor, cultus & religio; à religione & Dei cultu incipit vera ſapientia & philoſophia fidelium, quæ in actione conſiſtit: ſi vis ſapientiæ ſtudere eamque nanciſci, incipe à Dei timore & cultu: ſi vis ſapere, Deum time & cole. Sapientia enim hæc practica intelligitur, quæ in actione ſita eſt, eamque imperat & complectitur. q.d. Si vis actiones moreſque recte componere, ſi vis honeſtam vitam inſtituere, incipe à timore, id eſt, vera religione & cultu Dei: hic te reliqua docebit, hic ad ceteras virtutes te manu ducet. Vnde Septuag. Proverb. 8. 7. *timorem* Dei interpretantur pietatem & religionem. *Pietas in Deum*, inquiunt, *principium ſenſus*: vel, ut vertit Clemens Alexandr. 2. Strom. *Sapientiæ initium eſt religio*: idque verum eſſe docet S. Auguſt. libr. de Vera religione, & Lactant. lib. 3. & 4. quia, ſicut homo A per ætates creſcit & adoleſcit: ita idem in virtute adoleſcit, dum ex timore in fidem, & ex fide in dilectionem accreſcit. Hæc eſt myſtica ætas virtutis, & virtute præditi. ita Clemens. Quocirca S. Baſil. in cap. 1. Iſaiæ: *Attenta*, ait, *cogitatio arcanorum, nobiſq. formidabilium timor, pædagogus eſt ad exercendam pietatem*, &c. *Quaſi quidam ianitor, timor neceſſariò ad pietatem condiſcendam admittitur*. Vbi ſapientiam interpretatur pietatem.

Secundò. Secundò, *reſcit* vertas *principatum*. q.d. In ſapientia morali, puta, in virtutibus, vitaque honeſta primas tenet religio; caput virtutum eſt timor & cultus Dei; honeſtatis, probitatis & ſanctitatis arcem & principatum ſibi vendicat religio. Vnde *reſcit* Vatabl. vertit, *caput*; Palacius, *ſumma ſapientiæ eſt religio*: quia, ut docet S. Cyrill. lib. 2. de Recta in Deum fide, ſi ex omnibus virtutibus corpus myſticum componas, capitis locum obtinebit religio: ſicut enim caput in cetera membra ſpiritus vitales & animales, ac per eos ſenſum & motum influit; ita religio ſuum pietatis ſpiritum, vitam & motum influit in ceteras virtutes. Quocirca rectè S. Ambroſ. ſuper Leviticum: *Preferenda eſt*, inquit, *religio neceſſitudini, pietas propinquitati. Ea enim demum vera eſt religio, quæ præponit divina humanis, perpetua temporalibus*. Sic *initium* pro ſummo & principatu ſumitur cap. 11. 3. *Brevis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius* q. d. Fructus parvæ apis eſt mel, quod ſummum habet dulcorem, quod in dulcedine obtinet principatum.

Tertiò. Tertiò, *reſcit*, vertas, *primitias*. q.d. Timor Dei ſanctus obtinet honeſtatis & pietatis primitias, quæ Deo offerendæ ſunt: ſicut enim arborum frugumque, ſic & virtutum primitiæ Deo debentur; has Deo offert redditque religio. Hæc enim tota Deum, Deique cultum ſpectat: ceteræ virtutes in proximum tendunt, vel in ipſum operantem diriguntur & reflectuntur. Virtute ergo præditus ex bonis actionibus quaſi fructibus, quos quaſi arbor frugifera aſſiduè profert, primitias dat Deo, cùm eas orditur à religione, offerendo eas Deo quaſi victimas & holocauſta.

Quartò. Quartò, S. Thom. 2. 2. q. 19. a. 7. *Initium* inquit, *hoc eſt, primus Sapientiæ effectus, timor Domini. Cùm enim ad ſapientiam pertineat; quòd humana vita regulètur ſecundùm rationes divinas; hinc oportet ſumere principium, ut homo Deum revereatur, & ſe ei ſubiiciat: ſic enim conſequenter in omnibus ſecundùm Deum regulabitur*.

Quintò. Quintò, noſter Benedict. Fernandius in Geneſ. cap. 3. ſect. 20. nu. 3. per ſapientiam accipit pœnitentiam: hæc enim eſt reſipiſcentia. Vnde Clemens Alexandr. *Pœnitentia*, ait, eſt *magna intelligentia*. Pœnitentiæ enim ini- D tium & ſtimulus ſolet eſſe timor Dei.

Timor Dei eſt & finis ſapientiæ, quomodo. Dices, Si timor eſt initium ſapientiæ, quomodo alibi idem dicitur ſapientiæ finis & conſummatio? ut hic v. 18. *Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum* Et v. 21. *Corona ſapientiæ, timor Domini*. Et Iob. c. 28. 28. *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia*.

Reſpondet Primò, S. Auguſt. mox citandus, & ex eo Beda in Proverb. c. 8. 7. timorem initialem, ſive ſervilem, eſſe principium ſapientiæ, id eſt, charitatis, de qua dixit v. 14. *Dilectio Dei, honorabilis ſapientia*. Timorem verò filialem & amorẽ perfectum eſſe conſummationem ſapientiæ, id eſt, charitatis: quia hic timor eſt actus perfectæ charitatis: timor enim ſervilis eſt auſpicium, initium, clavis, ſeta charitatis, &, ut ait S. Baſil. in c. 1. Iſaiæ, *pædagogus*, vel, ut Origen. in cap. 8. ad Roman. v. 15 *tutor & procurator parvulorum, deducens eos ad charitatem*. Audi S. Auguſt. tract. 9. in illud 1. Ioan. 4. 18. *Perfecta charitas foras mittit timorẽ. Quando aliquid ſuitur, ſeta priùs intrat; ſed niſi exeat non ſuccedit linum: ſic timor primò occupat mentem, non tamen ibi remanet; quia ibi intravit, ut induceret charitatem*. Et paulò antè: *Initium ſapientiæ, timor Domini*, inquit, *quia timor locum præparat charitati: cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum: quantum enim illa creſcit, ille decreſcit: & quantò illa fit interior, timor pellitur foras. Maior charitas, minor timor: minor charitas, maior timor. Si autẽ nullus timor, non eſt qua intret charitas*.

Idem docet D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 10. vbi aſſerit, creſcente charitate creſcere timorem filialem pari menſura; ſed decreſcere timorem ſervilem: *Quia*, inquit, *quantò aliquis magis diligit Deum, tantò minùs timet pœnã. Primò quidem, quia minùs attendit ad propriũ bonum, cui contrariatur pœna. Secundò, quia firmiùs inhærens Deo, magis confidit de præmio, & per conſequens minùs timet de pœna*. Hæc D. Thomas. Timor Dei ergo facit, ut homines, quos nondum delectat pulchritudo virtutis, dolorũ & pœnarum divinarum metu à peccatis coerceantur. Hæc ſentẽtia vera eſt: ſed huic loco nõ ſatisfacit. Nã timor hic potiùs filialis, quàm ſervilis intelligitur: vocatur enim à Septuag. εὐσέβεια, id eſt, pietas, imò v. 14. vocatur *dilectio Dei*, & v. 17. *ſciẽtiæ religioſitas* & v. 21. *corona ſapientiæ*: vbique enim agit de eodem timore: Siracides enim maximè nobis inculcare ſatagit timorem filialem; & hunc paſſim vocat *timorem Domini*: ſervilis enim potiùs eſt timor inferni, quàm Domini.

Reſpondeò. Pro reſponſione Nota, ſolere Ethicos & philoſophos inchoare ſcientiam & diſciplinam ſuam à principiis ſcientiæ, iuxta Ariſtot. 1. Poſter. cap 1. & 2. Vnde, ſicut Ariſt. 1. B Ethic. in auditore Ethices ſuæ requirit, ut ſedatis ſit animi affectionibus, ideoque vir; ac principium ſuæ Ethices ponit paſſionum dominium, & inde conſequenter dictamen rectæ rationis non perturbatæ: ita Salomon Proverb. 1. & eum ſecutus Siracides hic, ſuarum ſententiarum, ſuæque ſapientiæ & ſacræ Ethices principium ſtatuunt timorem Domini, eumque in diſcipulo, ut diſciplinæ ſuæ ſit capax, requirunt: quia ſtulti, qui timorem Dei non habent, deſpiciunt ſapientiam, Proverb. 1. 7.

Primò. Dico ergo Primò: ſapientia hic intelligitur divina & practica, ſive Ethica ſacra, ut dixi v. 1. cumque ea ſit duplex: formalis hoc eſt, habitus vel actus ſapientiæ; & obiectiva, ſive obiectum huius habitus, vel actus; vtraque hic accipi poteſt, ſed meliùs obiectiva.

Secundo. Dico Secundo, per timorem hic generatim accipi omnẽ C metum & reverentiam divinæ maieſtatis, inclinantem animum ad hoc, ut illi per omnia obediat, & ſummè caveat, ne vſpiam illam offendat; tum, quia ipſa ſeveriſſimus eſt iudex & vindex malorum: tum, quia ſuaviſſimus eſt amicus, pater, finis & ſummum bonum noſtrum. Vnde Septuag. timorem vocant pietatem, Prov. 1. 7.

Tertiò. Dico Tertiò, hunc timorem eſſe initium ſapientiæ propriè & formaliter: quia, ſicut principium ſe habet ad concluſionẽ in ſcientia & demonſtratione; ita ſe habet timor Dei ad ſententias haſce practicas in hac ſapientia: timor enim Dei ut finis vltimi, & ſummi boni noſtri, eſt principium omnium practicarum concluſionum, tum diſcendarum, tum faciendarum, quas in Proverbiis, & in hoc libro, quaſi in ſua ſapientia explicant Salomon & Siracides, quæque media ſunt ad Deum vltimum finem aſſequendum: finis enim in Ethicis & actionibus humanis eſt principium, quia eſt primum in intentione, ex quo media velut concluſiones inferuntur.

Quartò. Dico Quartò, hic timor etiam eſt completa ſapientia, non propriè & formaliter, ſed metonymicè & cauſaliter: tum, quia ſicut omnis concluſio continetur in ſuo principio; ita perfecta ſapientia in timore Dei latet, quaſi in ſuo ſemine, cauſa & principio; vera enim & perfecta, verèque omnem & totum hominem beans eſt ſapientia, non ſpeculativa, ſed practica hæc, quæ ex timore Dei manat, & ſic in ſe & ſua eſſentia perfecta eſt hæc ſapientia: tum, quia timor hic, cùm rei ſit quæ tanti eſt momenti, ſeipſum acuit & auget; & quò magis creſcit hic timor, eò maiorem parit ſapientiam; atque adeò perfectus timor, perfectam parit ſapientiam, ſicut perfecta cognitio principiorum perfectam gignit ſcientiam concluſionis; & perfecta finis intentio, quæ eſt principium in moralibus, perfectam & efficacem imperat & producit volitionem mediorum: & ſic intentione, modo & accidente perfecta eſt

hæc

hæc sapientia, quam gignit perfectus Dei timor & amor.

Quintò.

Denique Siracides non loquitur philosophicè & præcisè; sed ethicè & amplè. Vnde per sapientiam non tantùm intelligit ipsum actum intellectus quo sapit, siue dictamen prudentiæ iam dictum; sed etiam actum voluntatis ei obsequentem; sapientia enim hæc magis in actione, quam in speculatione consistit: vnde timor & amor, siue dilectio Dei v. 14. vocatur sapientia. Timor ergo hic includit amorem & charitatem: charitas autem est perfectio sapientiæ, id est, omnis honestatis & virtutis: q.d. Timor & amor Dei in incipientibus sunt initium sapientiæ, id est, inchoata virtus & charitas; in proficientibus verò & perfectis sunt proficiens & perfecta charitas. In charitate enim consistit huius viæ & vitæ perfectio. Timor Dei ergo hic amplè capitur pro omni Dei cognitione, metu, obseruantia & cultu: quare includit fidem, spem, charitatem & religionem: hisce enim quatuor virtutibus tēdimus in Deum, eumque timemus, id est, credimus, speramus, amamus, reueremur, & colimus.

Quarta timoris Dei dos & laus.

Hic igitur timor & reuerentia erga Deum, cuius causa peccatum horremus, vti est fundamentum & initium, ita est & finis ac culmen vitę Christianæ: nascitur enim ex notitia & dilectione Dei: ideò enim reueremur Deum, quia agnoscimus & diligimus eius maiestatem, quam offendere pertimescimus. Atque hæc est quarta timoris laus. Et hoc est, quod ait Iob cap. 28. 28. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia.* Simili phrasi & sensu ait noster Thomas Theodidactos de Imitat. Christi lib. 1. cap. 1. *Ista est summa sapientia, per contemptum mundi tendere ad cælestia regna.*

Mysticè & symbolicè Galatinus ex R. Isaac Ben Hola in psalm. 110. censet hic adumbrari mysterium Sanctissimæ Trinitatis: per *initium* enim significari Deum Patrem, qui est origo & principium diuinitatis, putà, duarum cæterarum personarum: per *sapientiam* notari Filium; hic enim est Sapientia genita: per *timorem* notari Spiritum sanctum, qui est auctor sancti timoris & amoris.

Tropol. Salomonem & Siracidem secutus S. Thomas Aquinas per Dei timorem & pietatem omnem suam sapientiam & scientiam acquisiuit. Vnde ab amico rogatus de modo scientiam quamlibet comparandi, ita epist. ad eumdem respondet: *Quia quæsisti à me, in Christo mihi charissime, qualiter te studere oporteat in thesauro sciētię acquirendo; tale à me tibi super hoc traditur consiliū, vt per riuulos non statim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet deuenire. Hæc est ergo monitio mea, & instructio tua. Tardiloquū te esse iubeo, & tardè ad locutorium ascendentē: conscientiæ puritatē amplectere: orationi vacare non desinas: cellā frequenter diligas, si vis in cellam vinariā introduci. Omnibus te amabilem exhibe: nihil quære penitus de factis aliorū: nemini te multùm familiarē ostēdas, quia nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis à studio materiā subministrat. De verbis & factis sæculariū nullatenus te intromittas. Discursus super omnia fugias. Sanctorū & bonorum imitari vestigia non omittas. Nō respicias, à quo audias; sed quidquid boni dicatur, memoriæ recōmenda. Ea quæ agis & audis fac, vt intelligas: de dubiis te certifices, & quidquid poteris in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere. Altiora te ne quæsieris. Illa sequens vestigia, frondes & fructus in vineam Domini Sabaoth vtiles, quamdiu vitam vixeris, proferes ac produces. Hæc si sectatus fueris, ad id attingere poteris quod affectas.*

Via ad scientiam ex S. Thoma.

Quocirca præclare S. Bernard. in tract. de Donis Spiritus sancti, cap. 1. *Prima* inquit, *gratia est timor Domini. Qui hanc habet gratiam, omnem odit iniquitatē, iuxta illud Psalmistæ: Iniquitatē odio habui, & abominatus sum. Et alio loco: Omnē viam iniquitatis odio habui; scriptum nāque est: Timor Domini odit malum. Et iterum: Time Deū, & recede à malo. & de Iob dicitur: Vir timens Deum, & recedens à malo. Sine hac gratia, prima gratiarum, quæ totius religionis exordiū est, nullum bonum pullulare vel manere potest.* Quantopere autem hic timor sit necessarius, luculenter docuit S. Cyprianus, serm. de lapsis, cùm ait: *Deus quantū patris pietate indulgens sēper & bonus est, tantō iudicis maiestate metuēdus est.* Et S. August. serm. 17. de Sanctis: *Quis potest (ait) nisi Deū timeat, seruare iustitiā? dicit enim Scriptura alio loco: Nam, qui sine timore est, nō poterit iustificari.* Denique S. Bernardus loco suprà citato: *Sicut enim securitas, vel desidia, causa est & mater omniū delictorum: sic timor Domini radix est & custos omnium bonorum. Vnde scriptum est: Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua. Omne namque virtutū ædificium illicò vergit in præcipitiū, si huius gratiæ amiserit præsidium.* Quapropter S. Ambros. in psalm. 118. *Initium sapiētiæ,* ait, *timorē Domini dicit Propheta. Quid est autē initiū sapientiæ, nisi sæculo renuntiare? Quia sapere sæcularia, stultitia est. Denique sapientiā huius mundi stultitiam esse apud Dominum, Apostolus dicit.* Hac de causa Tertull. libr. de Cultu femin. in princip. timorē vocat *salutis fūdamentū.* Et Cyprian. libr. 3. ad Quirinum, cap. 20. timorem nuncupat *fundamentum & firmamentum spei.*

ET CUM FIDELIBUS IN VULVA CONCREATUS EST] scilicet, timor Domini: licet enim Græcè sit verbum, φοβεῖσθαι id est, *timere Dominum*; tamen hic infinitiuus ponitur pro nomine, φόβος id est, *timor Domini*, vti initio huius versus dixi. Alij ex Græco vertunt, *concreata est*, scilicet, sapientia; *reconcreatū est*, scilicet, initiū sapiētiæ ita Roman. Sed eodem redeunt hæc tria, quia ipsa sapientia est timor Domini. Est hic quinta timoris Dei laus, quòd fidei & iustitiæ sit indiuiduus comes, & fidelium ac sanctorum fidus Achates, per omnem vitā eis assistens, comitans & deducens. Per fideles enim accipe iustos & sanctos, in quibus, scilicet, est fides, non nuda & informis, sed charitate formata. Sed quomodo eis concreatur in vulua: Primò, aliqui pro ἐν μήτρᾳ, id est, *in vulua*, legunt, ἐν μέτρῳ, id est, *in mensura*. sed vera lectio est, ἐν μήτρᾳ. Secundò, Caluinus eiusque asseclæ, ex hoc loco & similibus docent, filios fidelium, putà eos qui nascuntur à parētibus fidelibus & iustis, non contrahere peccatum originale, aut certè id eis non imputari, ac consequenter ad id tollendum non egere baptismo: hanc enim esse benedictionem Abrahæ, id est fidelium, semini, id est filiis, promissam, Genes. 13. 15. Sed hæc est hæresis, quam refutat fuse Bell. l. 4. de Amiss. gratiæ, c. 14.

Timor Dei fidelibus concreatus, quæ est quinta timoris laus.

Primò.

Secundò.

Tertiò, Iansenius sic explicat: q.d. Plerique fideles etiam in vtero accipiunt à Deo donum quoddam, quo ad pietatem procliues sint præ aliis, vti Iob, qui de se ait cap. 31. *Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris egressa est mecum.* Sicut ex aduerso Chananæorum *malitia* dicitur fuisse *naturalis*, id est, innata & quasi à parentibus ingenerata, Sapient. 12. 10. Et de similibus dicitur Psalm. 57. *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero.* q.d. Adeò dediti sunt malitiæ, vt malitia eis videatur ingenita esse & naturalis, de quibus est vulgare proverbium, *Carduus, qui aliquando punget, tener adhuc cum spinis nascitur.* Verùm id huic loco non sufficit: tum, quia multis hoc donum non datur: tum, quia hoc donum cum peccato originali consistit, ac proinde videtur tantùm quædam bona indoles naturæ, quæ eos facit procliues ad virtutem, de qua Stoicorū fuit axioma, *Virtutis principium esse bonam indolem*, teste Plutarch. lib. de Homero: quare hoc donum non est timor Dei sanctus & sanctificans. Vnde

Tertiò.

Quartò, idem respondet, timorem Dei concreatum esse fidelibus in vulua, non actu & reipsa; sed per Dei præparationem & prædestinationem, qua ab initio in eorum creatione, putà, in vtero materno, Deus illi destinat suo tempore dare timorem sui, & sapientiam: vnde Arabicus pro *concreatus in vulua*, vertit, *firmata ante sæcula*, scilicet, sapientia; quomodo Paulus Galat. 1. 15. dicit, se segregatum in Euangelium ab vtero matris suæ: & nonnulli sic explicant illud Ieremiæ 1. v. 5. *Antequam exires de ventre, sanctificaui te.* Sed aliud est esse concreatum in vulua; aliud prædestinatum, vel segregatum ab vtero. Rursum longè verius est, Ieremiam verè in vtero fuisse sanctificatum, non tantùm prædestinatum ad sanctitatem.

Quartò.

Quintò ergo genuinus sensus est: q.d. Timor Dei ita adhæret & affixus est fidelibus, vt videatur eis simul cum fide & sanctitate concreatus; timor Dei fidei & sanctitati est connatus, & connaturalis; quia, vt paulò antè dixit: *Initium sapientiæ* (practicæ, id est, sanctitatis) est *timor Domini*. Explicat enim, quomodo *initium sapientiæ sit timor Domini*; per hoc quod dicit cum sapientibus, id est, fidelibus & iustis quasi concreatum esse ab vtero: q. d. Simul ac fides & fidelis creatur, creatur & timor; in eodem vtero gignuntur, ab eodem pariuntur; gemelli sunt fratres. Nam, vt docet Concil. Trident. sess. 6. hic iustificationis est modus & ordo. Deus, cùm peccatorem vult à peccato ad iustitiam traducere, in eius animam, velut in vuluam, semen verbi diuini, & sanctarum inspirationum de peccati fœditate, de ira Dei: de pœnis inferni proiicit; vnde mox anima concipit timo-

Quintò.

timorem, qui eum adigit ad contritionem, qua peccatum aboletur, & gratia ac iustitia inducitur; atque tum timorem filialem induit anima, quo Deum quasi patrem summè revereretur, serioque proponit ei per omnia placere, & in nullo eum offendere. Vides ergo, vt cum fide & fideli ac iusto creetur timor. Sic baptismus est quasi *vulua & vterus Ecclesiæ*, quo ipsa nos regenerat, ac gratia & spiritu timoris Dei imbuit & viuificat, vt docet S. Ambros. & alii tract. de Baptismo, ac Rabanus hic. Denique nonnullis eximiis Sanctis timor hic verè in vulua concreatus est, quia ex speciali priuilegio in vulua sanctificati sunt. Tales fuere B. Virgo, S. Io. Baptista, Lucæ. 1. 44. Ieremias, cap. 1. 5.

Sexta timoris Dei laus.

Cvm electis (Vatabl. *eximius*) feminis graditvr) Timor Domini, cùm concreatus sit fidelibus, tam viris quàm feminis, hinc pariter cum vtrisque graditur, id est, vtrosque comitatur & deducit per viam mandatorum in patriam cælestem: sicut ergo pædagogus graditur cum puero, eumque deducit; ita timor Domini graditur cum fidelibus, eosque per omnia aduersa & prospera securos deducit ad portum salutis. Meminit tamen feminarum præ viris: tum, quia propriè feminas vti decet pudor, ita & timor, qui comes est pudoris: cùm enim femina sit viro fragilior, & ad lapsum pronior, necesse est, vt magis timeat; necesse pariter est, vt magis à timore Dei fulciatur: tum, quia feminæ solent esse magis timentes, id est, magis religiosæ & deuotæ quàm viri; vti fuere S. Magdalena, Martha, Marcella, Praxedes, Pudentiana, Paula, Eustochium, Pulcheria; & aliæ perplures. Hæc est sexta timoris Dei dos & laus.

Pro *feminis*, aliqui censent legendum *seminis*. q. d. Timor graditur cum electo semine, id est, cum electis suis filiis; idque, vt Græca, quæ hic dissonant à Latinis, iis accomodent. Sic enim habent Græca in editione Romana, μετὰ ἀνθρώπων θεμέλιον αἰῶνος ἐνόσσευσε, καὶ μετὰ τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἐμπιστευθήσεται, id est, *cum hominibus fundamentum sæculi nidificauit, & cum semine eorum fidem habebit*. ita Complut. Romana, *concredetur*; Iansenius, *fidelis erit*, vel *fideliter*, id est, firmiter, *persistet*; Syrus vertit, *cum hominibus veritatis est, & ipse à sæculo ordinatus*, id est, stabiliter firmatus est; *cum semine eorum constituta est misericordia eius*, Arabicus, *ipsa* (sapientia, indiuidua comes timoris Dei) *est cum incedentibus in beneplacito Domini sui, firmata ante sæcula, & cum semine bonorum excellentia illius*. Porrò Vatablus nouè vertit, *nidum fundauit æternum inter homines, eorumque progeniei se concredidit*. q. d. Dei sapientia veluti nidum, id est, sedem & domum æternam sibi delegit inter homines, iam inde ab initio sæculi, cum, scilicet, fundaretur hic mundus: tunc enim Adamo fuit indita, eiusque posteris, Genes. 2. v. 19. eosque numquam deseret; sed cum eis fideliter, id est, fixè & stabiliter permanebit. Domum hanc vocat *nidum*; quia sapientiam comparat aui, v. g. aquilæ, columbæ, gallinæ: sicut enim hæc in nido pullos excludit, alit & fouet, cum eisque semper permanet, eos protegens, nutriens, volare docens, &c. ita & sapientia in hac sua mundi schola, velut in nido, suos filios, putà, fideles & sanctos, parturit, alit, perficit, cum eisque persistit, prouidens & protegens illos, donec cum eis in cælum euolet. Alludit ad illud Prouerb. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*. pro quo Epiphan. hæresi 69. legit: *Dominus ἐνόσσευσέ με*, id est, *velut pullum exclusit me*: quia pro קנני *Kanani*, id est, *possedit me*, alio puncto legit קנני *kinnani*, id est, *nidificauit me*, vel, *in nido, vt pullum, exclusit me* (νοσσὸς enim est pullus) hoc est genuit & generauit me, quod optimè competit Sapientiæ increatæ, putà, Verbo & Filio Dei, ac mysticè eius posteris & filiis, putà, fidelibus & Sanctis. Idque aptè respondet ei, quod paulò antè dixit de sapientia & timore Dei: *Et cum fidelibus in vulua concreatus est*. Hoc est quod ait Sapientia de se Prouerb. 8. 31. *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*.

Hinc moraliter disce Primò, quanto & quàm tenero amore Sapientia prosequatur homines, præsertim fideles & sanctos, nimirum, tanto, quanto gallina prosequitur suos pullos, vti Christus de se asseuerat Matth. 23. 37. ac de Deo, Deique in Israelem cura Moses, Deuter. 32. 11. *Sicut aquila*, inquit, *prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis*.

Secundò, hic disce Dei sapientiam à puero, instar matris, curare, regere & promouere suos fideles, putà, mox vt baptismo regenerati eius filij esse incipiunt: quocirca plerosque illustres Sanctos à puero Spiritus Dei direxit, erexitque, vt etiam in puerili ætate illustria darent argumenta, & quasi radios ac præludia futuræ sanctitatis. Sic de Samsone legimus, cum ab vtero consecratum esse Nazaræum, ac destinatum liberatorem vindicemque populi Israel, Iudic. 13. 7. Vnde de eo dicitur v. 24. *Creuitq; puer, & benedixit ei Dominus: cæpitq; Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan*. Vnde mox cap. seq. vers. 6. dicitur: *Irruit Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem quasi hædum in frusta discerpens, nihil omninò habens in manu: & hoc patri & matri noluit indicare*. Plura similia Sanctorum, qui à puero cœperunt, exempla recensui Ierem. 1. 9.

Tertiò, disce, quanta sit fidelitas, constantia & fortitudo sapientiæ & timoris Domini: quia inter homines dicitur sibi fecisse, imo fundasse nidum, quasi fundamentū æternum, eorumque progeniei esse fidelis, quin & se iis concredidisse. Quocirca S. Ambros. in psalm. 118. explicans illud v. 38. *Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo*, ac nomine sapientiæ intelligens verbum Dei: *Basis*, ait, *quædam verbi est timor sanctus: sicut enim simulacrum aliquod in basi statuitur, & tunc maiorem habet gratiam, cum in basi fuerit collocatum, & standi accipit firmitatem: ita verbum Dei in timore sancto melius statuitur, & in pectore timentis Deum fortius radicatur*. Subdit autem: *Accipite de verbo Dei lectum in Canticis: Crura eius, columnæ marmoreæ, fundatæ super bases aureas. Significans, scilicet, columnas esse Apostolos, qui fundati sunt in timore sancto*. Nec basim tantum eloquiorum Dei appellauit: sed etiam eorumdem tribunal & thronū. Addit enim: *Iusti igitur eloquio & Apostolico sermoni tribunal est timor iusti*. Est autem similitudo appositissima: si enim verbum Dei timorem sanctum in animo nanciscitur, eidem quasi solio & tribunali insidens iudex, inde carnis & spiritus lites dirimit, pro spiritu contra carnem sententiam fert, sceleratam & perditam passionum atque perturbationum turbam compescit, omnibusque virtutibus iura dicit. ita noster Salazar Prouerb. 1. v. 7.

Et cvm ivstis et fidelibvs agnoscitvr] Vatabl. *Apud iustos & fideles visitur*. Quia in illis, quasi in nido, imo templo, habitat, facitque, vt vbique timorati sint, ac timoratè operentur & viuant. Sicut ergo anima inuisibilis agnoscitur & videtur per opera vitalia corporis, quæ operatur in ore, oculo, aure, &c. putà, per locutionem, motum, sensationem, &c. ita timor Dei agnoscitur per opera humilitatis, custodiæ sui, patientiæ, pœnitentiæ, charitatis, &c. quæ exterius operatur: hic enim timor est quasi anima fidelis & sancti. Quod ergo operatur anima in corpore, hoc operatur & timor in iusto. Ita agnitus est timor Domini in Abele, cùm ex timore & reuerentia obtulit meliora gregis Deo. In Noë, cùm timore diluuij fabricauit arcam. In Abraham, cùm obediens reuerensque Deum, obtulit Isaac in holocaustum. In Ioseph, cùm timens Deum repulit adulteram. In Mose, cùm restitit Pharaoni. In Dauide, cùm lacrymis peccatum diluit.

Timor Domini, scientiæ religiositas] Vers. 17.

Hinc patet, quod timor Dei sit θεοσέβεια id est, Dei cultus & religio: q. d. Timor Domini est *scientia*, id est, sciens, prudens & vera religio & pietas, siue pius Dei cultus. Vis nosse, quid sit timor Domini? Est quædam scientia religiosa, hoc est, est ipsa religio & reuerentia erga Deum, ex Dei agnitione & æstimatione nata. Philosophi habuerunt scientiam, sed non religiosam. Multi hodie sunt scientes, Iurisperiti, Physici, Theologi; sed carent religione & deuotione, quia carent timore Dei. Ex aduerso Mahumetani, Pagani, idololatriæ, aliique superstitiosi habent religiositatem; sed carentem scientia, id est, imprudentem & falsam; ideoque religiositas eorum non est religio, vtpote quæ veræ Dei cognitioni & scientiæ quasi fundamento innititur; sed est mera vanaque superstitio: at fidelium & iustorum religio est sciens & prudens, ac vicissim eorum scientia est religiosa, adeoque est deuota religio, quia præditi sunt timore Dei. Vnde Vatabl. vertit, *religio Domini, sanctitas est scientiæ*. Hinc vicissim sancta scientia, siue sapientia vocatur mystes, id est, sacerdos Dei: quia docet Deum vera religione & sacrificiis colere. Ita Sapient. 8. v. 4. *Doctrix enim est disciplinæ Dei*.

Sapientia est sacerdos Dei.

Dei. pro doctrix, Græcè est *μύστις*, q. d. Sapientia est mystes, id est, sacerdotissa, interpres & doctrix arcanorũ Dei.

Porrò religio, ait D. Thom. 2.2. quæst. 81. art. 2. est virtus debitam exhibens reverentiam & cultum uni veroque Deo, tamquam primo creationis & gubernationis rerum omnium principio. Vnde religio Primò, à Cicerone lib. 2. de Natura deor. & ab Isidoro 10. Etymol. cap. 17. dicitur à relegendo, ut religiosus dicatur is, qui relegit, revoluit & retractat ea, quæ ad cultum Dei pertinent, juxta illud Proverb. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum*. Secundò, religio dicitur à religendo, quòd Deum religere debeamus, quem amiseramus negligentes per peccatum, ait S. August. lib. 10. de Civit. cap. 4. Tertiò & genuinè, religio dicitur à religando, quòd religet nos uni omnipotenti Deo, cum quo prius coniuncti fueramus, & à quo defluentes distare cœperamus, ait idem S. August. libr. de Vera religione, sub finem. Hinc religio post tres theologicas virtutes, fidem, spem & charitatem nobilissima est virtus, caputque & princeps moralium omnium. Jam verò, ut docet D. Thom. eadem quæst. art. 8. religionis flos est sanctitas, quam ita definiunt Theologi, ut ejus proprium sit munus, mentem nostram ab omni labe purgatam, integram & sine macula Deo offerre, eamque & vires ejus omnes illi conservare. Cujus quidem muneris amplitudo primùm ex eo apparet, quòd aliæ virtutes morales uni illi omnes, tamquam ministræ ac famulæ inserviunt, aliæ purganda voluntate, aliæ ratione illuminanda, aliæ etiam appetitu coercendo. Apparet item ex effectu: ejus enim, ut docet S. Thomas loco cit. duo quasi sunt partus, oratio, ac devotio; quarum altera in Dei familiaritatem atque amplexus inducit; altera promptitudinem & alacritatem tribuit ad omnia, quæ Dei cultus requirit: qui fervor ac studium voluntatis tanti est, ut, si is absit, ipsa munera nostra multò minùs ei grata sint: si adsit, ea etiam majorem in modum commendet, & gratiora reddat. Hac autem religio est forma, & quasi anima religiosi status: unde ejusdem cultoribus, sive Religiosis, nomen religionis attributum & appropriatum est. Igitur Siracides commendat timorem Dei, quòd omnium quidem virtutum, sed maximè veræ sanctæque religionis sit parens & nutrix. Qui enim timet Deum, utique eumdem religiosè sanctèque veneratur & colit. Ad hunc enim cultum eum extimulat castus Dei timor. Id experiuntur Religiosi, putà, veri monachi & cœnobitæ; unde S. Bernard. homil. de negotiatore bonam margaritam (per quam ipse Religionem monasticam accipit) inquirente: *In Religione*, inquit, *homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, quiescit securius, irroratur frequentius, moritur confidentius, purgatur citius, præmiatur copiosius*. Vide sequentia. Denique Salvianus lib. 2. contra Avaritiam: *Religio*, ait, *scientia est Dei, ac per hoc omnis Religiosus, hoc ipso, quòd Religionem sequitur, Dei se voluntatem nosse testatur*.

Septima dos timoris Dei.

Hæc est septima dos timoris Domini.

Hic versus 16. & sequens 17. desunt in Græcis Complut. & aliis plerisque: olim tamen in Græcis extitisse liquet, non tantùm ex nostro Interprete, sed etiam ex S. Augustino, qui ea legit in Speculo; & ex versione Tigurina, quæ hunc versum habet, eumque ex Græco, uti & cetera transtulit, licet eum anteponat versui præcedenti. Quare perperam suspicantur nonnulli, hosce versus, qui in Græco desunt, esse alicujus Commentatoris, qui eos explicationis gratia annotarit in margine, indeque in textum irrepsisse: hinc enim sequeretur, permultas Ecclesiastici sententias Vulgatæ versionis Latinæ, esse subreptitias, nec canonicas, sed apocryphas, eò quòd desint in Græco: hoc autem repugnat Concil. Trident. sess. 4. Vide dicta in Prolegom. cap. 3. & can. 16.

Tropolog. & Anagog. Rabanus: *Timor Domini*, inquit, *cum fidelibus in vulva matris Ecclesiæ renatus atque nutritus est, & cum electis feminis graditur; quia sanctis animabus sociatur: & cum justis fidelibus agnoscitur, quando in die novissima cum ceteris Sanctis à dextris Judicis collocatus, ab ipso Domino audiet: Euge, serve bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui*, Matth. 25.

VERS. 18. RELIGIOSITAS CUSTODIET ET JUSTIFICABIT (Dionys. legit, *vivificabit*) COR, JUCUNDITATEM ATQUE GAUDIUM DABIT] Religio enim & reverentia cor, id est, animam, mentem & voluntatem sacro quodam divini Numinis metu percellit, ut nihil cogitet, velit aut faciat, quod oculos tantæ majestatis offendat, ideoque ipsa est animæ justitia & sanctitas: facit enim, ut anima cautè & studiosè omnibus suis desideriis & operibus invigilet, necubi labatur; sed ut omnia sanctè peragat, itaque sollicitè ambulet cum Deo suo, uti monet Michæas cap. 6. 8. Vide ibi dicta. Ex hac autem sui custodia & sanctitate sequitur gaudium & exultatio: nihil enim ita gaudet & exultat, uti sancta conscientia & mens sibi conscia recti. Hæc enim est *domesticum & verum tribunal*, ait Nazianz. in plaga grand. *Secura mens, quasi juge convivium*, ait Salomon Proverb. 15. 15. & noster Siracides c. 30. 17. *Non est oblectamentum super cordis gaudium*. Verè S. Cyprianus de Oper. & eleem. *Præclara res*, ait, *& divina, est salutaris operatio, monumentum spei, grande solatium credentium, nostræ servitutis præsidium, tutela fidei, medela peccati*.

Dices: Charitas & gratia sunt, quæ formaliter justificant hominem: quomodo ergo religiositas justificat? Resp. Primò, quia religiositas imperat, & adducit secum charitatem & gratiam, ceterasque virtutes, uti docet D.
B Thom. 2.2. qu. 81. art. 8. Resp. Secundò, justitiam formalem consistere, non in sola charitate & gratia, sed etiam in ceteris virtutibus; inter quas tamen eminet charitas: unde in ea præcipuè consistit justitia. Ratio est, quia justitia est reformatio totius interioris hominis: hæc autem fit per omnes virtutes, non per solam charitatem. Audi Concilium Trident. sess. 6. c. 7. *Justificatio*, inquit, *non est sola peccatorum remissio; sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*. Et paulò post: *Vnica formalis causa est justitia Dei; non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua, videlicet, ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ; & non modò reputamur, sed verè justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem*. Ex quibus concludit: *Vnde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur per fidem, spem & charitatem*. Hinc in Scriptura justitia nunc tribuitur fidei, ut cùm Christus dicit: *Fides*
C *tua te salvum fecit*, nunc spei: nunc eleemosynæ: nunc pœnitentiæ: nunc aliis virtutibus per synecdochen: quia, scilicet, hæ virtutes sunt partes justitiæ, quæ est complexio omnium virtutum, juxta illud

Justificamur per omnes virtutes.

Justitia in sese virtutem amplectitur omnem,

Maximè verò tribuitur religioni, ob causas dictas vers. præcedenti; præsertim, quia per religionem homo se offert & dedicat Deo, itaque quasi consecratur & sanctificatur: unde religio ipsa est sanctitas, uti docet D. Thom. loco jam citato.

TIMENTI DOMINUM BENE ERIT, præsertim in extremis: unde sequitur, ET IN DIEBUS CONSUMMATIONIS ILLIUS, id est, defunctionis & mortis suæ (pronomen enim absolutum *illius*, ponitur pro reciproco *sua*, ut dixi can. 18. BENEDICETUR] Repetit & inculcat, verbis nonnihil immutatis, id quod dixit v. 13. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur*. Quare minùs rectè Complut. & alii, pro *consummationis*, legunt *consolationis*; sicque explicant, q. d. Hujus vitæ tempus non est consolationis, sed tentationis & passionis, uti fuit vita Christi: at
D tempus futuræ vitæ timentibus Deum erit consolationis & gaudii, quia erit tempus beatæ æternitatis. ita Palacius. VERS. 19.

PLENITUDO SAPIENTIÆ EST TIMERE DEUM] Dixit v. 16. *Initium sapientiæ, timor Domini*: hic verò addit, *plenitudinem* quoque, id est, perfectionem, *sapientiæ* esse timorem Domini; quia, scilicet, per *sapientiam* intelligit practicam, quæ consistit in actione sancta, cujus parens est timor Domini. Quare quantum crescit timor Domini, tantum crescit & sapientia: inchoatus ergo timor est inchoata sapientia; proficiens timor est proficiens sapientia; plenus & perfectus timor est plena & perfecta sapientia: nihil enim aliud est verè sapere, quam Deum timere, id est, revereri & piè colere. Timor ergo est initium sapientiæ, est plenitudo sapientiæ, est corona sapientiæ; ut sit sapientiæ principium, medium & finis. Vide dicta v. 16. Vnde Tigurina vertit, *revereri Deum, uberrima sapientia est, quæ homines fructibus suis exsaturat*.

Moraliter, S. Augustinus in psalm. 35. v. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen. Quis est,* ait, *fons vitæ, nisi Christus? Venit ad te in carne, vt irrigaret fauces tuas sitientes. Satiabit sperantem, qui irrigavit sitientem. Quoniam apud te est fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumẽ. Hic aliud est fons, aliud lumẽ: ibi non ita. Quod enim est fons, hoc est & lumen. Fons est, quia satiat sitientes: lumen, quia illuminat cæcos: ibi nõ fatigaberis, quia fons est: nõ tenebraberis, quia lumen.* Idẽ in Psal. 41. 1. *Quemadmodũ desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Eia fratres,* ait, *aviditatem meam capite, desiderium hoc meum communicate simul amemus, simul in hac siti exardescamus, simul ad fontẽ intelligẽdi curramus. Desideremus ergo velut ceruus fontẽ.* Et inferiùs: *Curre ad fontes: desidera aquarũ fontes. Apud Deũ est fons vitæ, & insiccabilis fons: in illius luce lumen inobscurabile. Lumen hoc desidera; quemdã fontem, quoddã lumen, quale non norunt oculi tui: cui lumini videndo oculus interior præparatur, cui fonti hauriẽdo sitis interior inardescit. Curre ad fontẽ, desidera fontẽ: sed noli vtcũque; noli, vt qualecũque animal currere: vt ceruus curre. Quid est, vt ceruus? Non sit tarditas in currendo, impigrè curre, impigrè desidera fontem. Inueniemus enim insigne velocitatis in ceruo.* Et post nõnulla, suggerit obicẽ huius cursus ad sapientiã tollendũ, scilicet, cõcupiscentias: *Quomodo,* inquit, *cõcupiscis fontẽ sapiẽtiæ, cùm adhuc laboras in veneno malitiæ? Interfice in te, quidquid cõtrarium est veritati: & cùm te videris tamquã vacare à cupiditatibus peruersis, noli remanere, quasi non sit quod desideres: est enim aliquid, quò te tollas, si iam egisti in te, vt non sit impeditor contra te.*

In excelsis] Potest hoc accipi quasi epithetum Dei, q. d. *Verbum Dei qui celsissimus est.* ita Tigurin. aut epithetum sapientiæ, indicans eius situm & locum, q. d. Fons sapientiæ non oritur in imis terræ vallibus, sed in excelsis cælorum montibus, indeque in terram defluit: quia fons hic non est terrenus, sed cælestis & divinus, putà, Verbum Dei.

Ingressus sapientiæ mandata æterna, quo sensu? Respondeo Primò.

Et ingressus eius ([illegible], id est, viæ eius, scilicet, sapientiæ, per quas ipsa incedit & egreditur) sunt mandata æterna] Persistit in metaphora aquæ & fontis: q. d. Sicut fons per certas vias, semitas, alveos & canales labitur & defluit in vicinos agros & vineas; ita fons sapientiæ, putà, Verbum Dei per certas vias & canales sapientiam eructat & derivat in homines, Angelos, omnesque creaturas: viæ hæ, sive canales, sunt mandata Dei æterna, putà, æternæ Dei ordinationes & constitutiones; &, vt S. August. ait libr. 9. Civit. 22. sunt æternæ Dei leges, quæ in eius sapientia & Verbo viuunt, in quibus Angeli cursum & ordinem mundi, suumque & hominum legunt, discuntque, quid sibi, quid hominibus facto sit opus, vt sapienter secundùm Dei legem vivant, quo sanctè vitam transigant, & beatam vitam ac æternitatem cælestem assequantur. Sicut enim v. præc. ostendit sapientiæ originem & statum; ita hic ostendit eiusdem ad creaturas progressum & profluxum. Hæc est sexta laus sapientiæ.

Secundò: Secundò, Iansenius sic explicat, q. d. Ingressus, sive viæ, id est, modi & rationes, iuxta quos sapientia in gubernandis creaturis procedit, sunt fixæ & perpetuæ instar mandatorum æternorum; quia ipsæ sunt perpetuæ Dei ordinationes, mandata & decreta, quas Deus homini, Angelo & singulis creaturis quasi legem vivendi & agendi præstituit & præfixit, iuxta quas sapientia ingrediendum & vivendum exigit. Hic sensus ex parte convenit cum primo.

Tertiò. Tertiò, alij, q. d. Ingressus, id est, viæ, quæ ducunt ad sapientiam, sunt mandata Dei in æternum duratura. Vis ergo sapientiam consequi? vis iter ad eam nosse & capessere? serva Dei mandata: hæc te recta ad illam ducent. Sicut enim via vitæ vocatur via ad vitam: sic via sapientiæ vocatur via ad sapientiam. Vnde Tigurina non tam ad verbum quàm paraphrasticè vertit, *fons sapientiæ, sermo Dei celsissimus est; & aditus, sẽpiterna eius præcepta.* Sic & Palacius.

Quartò. Quartò, Lyran. Fons, ait, totius sapientiæ creatæ est Verbum Dei, quod ingrediens in montem Sina dedit Iudæis mandata Decalogi, quæ sunt æterna; quia iuris naturæ, ideoque semper obligant & durant.

Allegor. Allegor. Rabanus, & S. Bernard. serm. in Nativit. B. Mariæ de Aquæductu: Fons sapientiæ Evangelicæ est Verbum incarnatum. Vnde, cùm Verbum per carnem assumptam ingressum est in orbem, dedit ei mandata æterna, putà, præcepta Evangelij. Lex enim Evangelij post legẽ naturæ & Mosaicã est tertia & vltima: nec ei alia succedet, sed durabit in æternum, suosque cultores transcribet cælo, & beatæ æternitati. Vnde S. Fulgent. libr. Ad obiectiones Arrian. in 3. resp. *Quòd,* inquit, *initium viarũ Domini creatus est Filius, quid est aliud, nisi quòd ipse via nobis est factus, vt eo duce & rectore per adoptionis, quam recepimus, gratiã ad virtutum nobis profectũ pateret ingressus.* Quocirca S. Iustinus philosophus & Martyr sub annũ Christi 130. cùm quærens sapientiam varias philosophorum sectas pererrasset, & nullibi eam invenisset, à sene quodã sibi apparente audivit: *Id quod tam anxiè quæris, non nisi in schola Christi fas est reperiri. At tu votis & precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta: neque enim ab aliquibus perspiciũtur aut intelliguntur, præterquã si Deus & Christus eis concesserit intelligẽtiam.* Huic credens & obediens Iustinus, & Christianus, & philosophus, & Martyr effectus est. ita ipse refert Dialogo cum Tryphone.

Et Origenes homil. 3. in Iosue: *Incarnatio,* inquit, *Salvatoris non nobis merum ingessit & integrum deitatis aspectum; sed tanquam per fenestram fecit nos per incarnationẽ suam lumen Deitatis aspicere.* Accedit Hugo, qui minutim multiplices hos Sapientiæ incarnatæ, putà, Christi, ingressus recenset. Primus, inquit, est in vterum Virginis Deiparæ per incarnationẽ; Secundus est in mundum, per nativitatem; Tertius in Iordanem, per declarationem: baptizatus enim à Ioanne in Iordane, eo indicante, & Patre è cælis detonante, *Hic est Filius meus dilectus;* agnitus fuit esse Dei Filius, & Messias. Quartus in infernum, ad patrum liberationem; Quintus in cælum, per ascensionem.

Tropol. multiplices, varij & incomprehensibiles sunt Dei ingressus in animam, quibus eam ad se trahit, illuminat, immutat, evehit, inflammat. Sic S. Paulum vocavit per se visibiliter, eum fulgure siderans & prosternens, Act. 9. 5. Cornelium vocavit per Angelũ, Act. 10. 3. Eunuchum Candacis reginæ vocavit per Philippum, Actor. 8. 29. Alios vocat per flagella, alios per beneficia: hos per præceptores & concionatores; illos per libros & exempla Sanctorum, uti vocavit S. Augustinum. Sancti & contemplativi miros Dei ingressus, instinctus, elevationes, raptus, quibus eos docet praxes omnium virtutum, modos orandi contemplandi &c. sentiunt, nec eos comprehendere possunt. *Tropol.*

Radix (Sirus vertit, *radices;* & Arabicus, *fundamenta,* in plurali) sapientiæ cui revelata est, et astutias illius quis agnovit] q. d. Nemo sapientiæ originem, rationes & modos plenè cognoscit: quia radix sapientiæ est Deus, quem nemo perfectè intelligit; licet ramos quosdam sapientiæ à Deo in se derivatos, aliquo modo quisque cognoscat. Vnde Lactant. libr. 3. de Falsa sapientia c. 6. *Vbi ergo,* inquit, *sapientia est? vt neque te omnia scire putes, quod Dei est, neque omnia nescire, quod pecudis: est enim aliquid medium, quod sit hominis, id est; scientia cum ignoratione coniuncta & temperata. Scientia in nobis ab anima est, quæ oritur è cælo: ignoratio à corpore, quod est è terra. Vnde nobis & cum Deo, & cum animalibus est aliqua communitas. Ita, quoniam ex his duobus constamus elementis, quorum alterum luce præditum est, alterum tenebris; pars nobis data est scientiæ, pars ignorantiæ: per hunc quasi pontem transire sine cadendi periculo licet.* Alij per radicem sapientiæ intelligunt timorem Domini: hic enim statuitur initium sapientiæ: pauci enim illo æuo cognoverunt Deum, Deique timorem, id est, religionem & cultum. *Vers. 6.*

Astutias, vel, vt Vatabl. *calliditatem;* Græcè πανουργεύματα in bonũ capit Siracides, æquè ac Septuag. in Proverbiis: hos enim sequitur. Ita D. Thomas 1. 2. q. 19. art. 7. ad 2. *Dicendum,* inquit, *quòd timor Dei comparatur ad totam vitam humanam per sapientiam Dei regulatam, sicut radix ad arborẽ. Vnde dicitur Eccles. 1. Radix sapientiæ est timere Dominũ. Rami autem illius longæui. Et ideò, sicut radix virtute dicitur esse tota arbor: ita timor Dei dicitur esse sapientia.*

Astutias ergo vocat rationes sapientes, cautelas circũspectiones, quas Deus vbique in operibus suis faciendis & gubernandis adhibet: has enim nemo plenè pervestigare & comprehendere potest. Vnde Syrus vertit, *arcana intelligentiæ quis cognoscit?* Idipsum repræsentarunt Ægyptij hieroglyphico Isidis, sive Minervæ Saitanæ, in cuius templo hæc erat inscriptio: *Ego sum omne quod fuit, est, & erit; & meum peplum nullus adhuc mortalium euoluit: quem peperi fructum, sol est.* vti ex Plutarcho & Proclo refert

refert noster Nicolaus Caussinus lib. 1. Parabol. histor. c. 56. hæc enim Isis, sive Minerva, erat symbolum sapientiæ cælestis. Hoc est, quod de sapientia canit Baruch cap. 3. 15. *Quis invenit locum eius, & quis invenit thesauros eius? Vbi sunt principes Gentium, qui in avibus cæli ludunt? qui argentum thesaurizant, & aurum,* &c. *Viam autem disciplinæ ignoraverunt. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. Filij quoque Agar, qui exquirunt prudentiã, quæ de terra est,* &c. *viam autem sapientiæ nescierunt.*

Quocirca Lactant. lib. 3. de Falsa sapientia, impugnat Philosophos, qui se sapientiam invenisse iactitabant, ac inter alia c. 16. *Quando* inquit, *Philosophi esse cœperunt? Thales (ut opinor) primus: recens hæc quidẽ ætas. Vbi ergo apud antiquiores latuit amor iste investigãdę veritatis?* Et mox: *Seneca, Nondũ sunt,* inquit, *mille anni, ex quo initia sapientiæ nota sunt. Multis ergo sæculis humanũ genus sine ratione vixit. Quod irridens Persius: Postquã,* inquit, *sapere urbi cũ pipere & palmis venit: tãquam sapientia cũ saporis mercibus fuerit invecta: quæ secundum hominis naturã est, cũ homine ipso cœperit necesse est: si verò non est, nec capere quidẽ illam posset humana natura. Sed quia recepit; igitur a principio fuisse sapiẽtiã necesse est. Ergo Philosophia, quia nõ à principio fuit, nõ est eadẽ vera sapiẽtia, sed, videlicet, Græci, qui sacras veritatis Litteras nõ attigerant, quemadmodũ depravata esset sapientia, nescierunt. Et ideò cùm vacare sapientia humanã vitam putarent, Philosophiã commenti sunt, id est, latentẽ atque ignotam sibi veritatẽ disserendo eruere voluerunt, quod studium, per ignorantiam veri sapientiam putaverunt.* Septima est hæc sapientiæ laus, scilicet, quod ipsa hominibus & Angelis sit incomprehensibilis.

Allegor. Radix sapientiæ B. Virgo est. Allegor. Radix sapientiæ est B. Virgo Deipara: hæc enim est mater Sapientiæ incarnatæ, putà, Christi. Vnde a Patribus vocatur, & in Litaniis invocatur *radix sapientiæ*, quam Deus creavit in Spiritu sancto, ut dicam v. 9. Huius enim admirabilem conceptionem, nativitatem, præsentationem, vitamque angelicam in templo, annuntiationem, partum Verbi, &c. virtutes, dotes, prærogativas, excellentias, prudentiam & sapientiam nemo comprehendit; præsertim, quia ipsa sola Verbi incarnationem, nativitatem, infantiam, sapientiam, vitam & gesta per experientiam ocularem, auritam, sensibilem, & multo magis mentalem, putà, per illustrationem intellectus, & ardores voluntatis sibi à Verbo intra se concepto, & iugiter sibi præsente assiduè immissos cognovit, eaque S. Lucæ, ut ea in Evangelio conscriberet, ac Apostolis & fidelibus revelavit. Vnde S. Thom. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4. quærens, an Deus possit creare creaturas perfectiores quàm creavit, & illis rursum alias & alias perfectiores in infinitum, respondet posse; sed excipit tria, scilicet, incarnationem Verbi, maternitatem Virginis Deiparæ, & beatitudinem nostram, quæ sita est in visione & fruitione Dei: hæc tria enim, cùm Deum involvant, imò pro obiecto habeant, hinc nihil iis potest à Deo fieri melius; alioqui enim Deo aliquid esset præstantius. Quare, sicut non potest esse perfectior homo, quàm Christus, utpote homo Deus; nec perfectior felicitas, quàm visio & possessio Dei: sic nec perfectior potest à Deo fieri mater, quàm mater Verbi, utpote, Dei. *Quare hæc tria,* inquit, *habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Denique ipsa est radix sapientiæ: quia illam supereminentem a Deo sibi infusam, Apostolis, ceterisque fidelibus communicavit, & indies se invocantibus communicat, uti communicavit S. Gregorio Thaumaturgo, iubens S. Ioanni, ut illi traderet Symbolum formulamque fidei, quam Origeni, Arrio & hæreticis opponeret. Item Alberto Magno, Ruperto Abbati Tuitiensi. S. Thomæ Aquinati, aliisque pluribus. De hoc plura c. 24. v. 6. & sequent.

Vers. 7. DISCIPLINA SAPIENTIÆ CVI REVELATA EST, ET MANIFESTATA? ET MVLTIPLICATIONEM INGRESSVS ILLIVS QVIS INTELLEXIT? Idem dicit alijs verbis, quod dixit v. præcedenti: unde hic versus deest in Græcis Complut. Romanis, & ceteris, ac nonnulis Latinis. *Disciplina* ergo *sapientiæ*, est ipsa ordinata sapientiæ methodus, dispositio & ratio, qua cuncta sapienter & ordinatè agit, constituit & disponit. *Multiplicationem ingressus*, sive viarum eius vocat multiplices providentiæ eius vias & rationes, quas tam variis creaturis varias, sed cuique congruas & proprias adhibet & adaptat. Pro his omnibus Syrus & Arabicus habent dumtaxat, *Arcana*, vel *secreta*, *intelligentia quis cognovit*, vel *comprehendit*?

VNVS EST ALTISSIMVS CREATOR OMNIPOTENS, ET REX POTENS, ET METVENDVS NIMIS, SEDENS SVPER THRONVM ILLIVS, ET DOMINANS DEVS] *Illius*, non sapientiæ; Græcè enim est masculinum, αὐτοῦ, sed Dei altissimi: *illius* ergo, id est, suũm. Hæbræi enim idem habent pronomen absolutũ & reciprocum. Vnde interpres Latinus unum cum altero sæpè permutat, ut dixi in proœmio. Iam subaudi, *agnovit, intellexit*: nam quæstioni propositæ: Quis cognovit radicem, disciplinam, ingressus & vias sapientiæ? respondet, Solus Deus altissimus. Rationem addit à posteriori, & quasi indicium ex effectu, quòd, scilicet, ipse sit Primò, *creator omnium*: per sapiẽtiam enim sapienter creavit omnia. Secũdo, quod sit *omnipotens*: omnipotentiæ enim directrix est sapientia; quia quidquid sapientia dictat sapienter posse fieri, hoc omnipotentia Dei efficere potest. Tertiò, quòd sit *rex potens*: regi enim ad regendũ opus est sapientia, eoque maiori, quò maius est eius regimen & potentia. Quarto, quòd sit *metuendus nimis*, putà, tremendus, venerandus & latria colendus, quem adorant Dominationes, & tremunt Potestates tamquam Numen: quòd sapientissimè & iustissimè omnia videat, provideat, præmiet, & puniat etiam gehenna & æternis ignibus: unde quasi iudex & vindex sedet in throno suæ maiestatis & gloriæ, quem describit Daniel c. 7. 9. & S. Ioannes Apoc. 4. 2. & Ezechiel c. 1. 26. vide quę illis locis annotaui. Quintò, quòd sit *Dominans Deus*, ubique & semper, putà, in cælo & in terra per omnia sæcula. Ad hunc enim immensum dominatum immensa requiritur sapientia & providentia, ut omnia combinet, adęquet, disponat iuxta cuiusque & totius Vniversi bonum. *(Vers. 8.)*

Græca hic de more concisa sunt, sicque habent: *Vnus est sapiens* (in se, & per essentiam) *metuendus nimis, sedens super thronum suum.* Sic & Syrus, *unus est & terribilis solus Deus, quia ipse dominator est super omnes thesauros eius*, scilicet sapientiæ. Et Arabicus, *unus est metuendus solus ipse, Deus dominans universis thesauris illius.* Septima ergò hæc est sapientiæ laus, quod scilicet, tanta, tam sublimis, ampla & vasta sit, ut à nemine, nisi à solo Deo omnisciente & omnipotente, cõprehendi possit. *Deus* enim, ait S. Anselmus in Monologio c. 15. *est summa sapientia, & summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, sũma sapientia, summa veritas, sũma bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, sũma immutabilitas, summa beatitudo, sũma æternitas, summa potestas, sũma unitas.* Et S. Cyprian. lib. Quòd idola non sunt: *Mundi unus est rector, qui universa quæ sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensu maior est: & ideò sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilẽ dicimus.* Et S. Bern. lib. 5. de Consider. *Quid est Deus? Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, æterna beatitudo.* Et infrà: *Amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut maiestas, regit ut principium, operatur ut virtus, tuetur ut salus, revelat ut lux, assistit ut pietas,* &c.

IPSE CREAVIT ILLAM IN SPIRITV SANCTO) Græca non habent *in Spiritu sancto*: sed tantùm: *Dominus ipse creavit eam.* Nonnulla Latina legunt: *Ipse creavit illam Spiritus.* *(Vers. 9.)*

Sapientia creata in Spiritu sancto, quo sensu. CREAVIT] Id est, elicuit, genuit, produxit, ut dixi v. 4. Sed quomodo *in Spiritu sancto*? nam Deus Pater non genuit Sapientiam, putà, Verbum, in Spiritu sancto; sed potiùs per Verbum (ut ait S. Cyrillus lib. 12. in Ioannem, c. 56.) & cum Verbo produxit & spiravit Spiritum sanctum. *Resp. Primò.* Resp. Primò, creata sapientia, de qua magis hic loqui videtur Siracides, creata est in Spiritu sancto: quia Deus Pater per Spiritum, & per amorem, quo volebat se suaque bona communicare creaturis, eas creavit in sapientia, & cum sapientia, quam eis indidit. Hanc enim quasi architectam creationis constituit, *& effudit illam super omnia opera sua*, uti subdit vers. 11. Rursum hanc sapientiam Deus *creavit* ab æterno, id est, creare decrevit & prædestinavit, concipiendo, scilicet, ideam mundi creandi, rerumque creandarum numerum & mensuram, ordinem & legem præsertim quam Angelis & hominibus erat præ-

præscripturus, idque *in Spiritu sancto*, id est, ex dilectione & amore creaturarum, Angelorum & hominum, qui amor attribuitur Spiritui sancto; quia Spiritus sanctus per voluntatem, & actum amoris notionalem Patris & Filij spiratur & producitur. Vnde S. Athanas. disput. contra Arrium, ex hoc loco probat, Spiritum sanctum esse Deum. Hic sensus, uti facilis, obvius & congruus; ita valde appositus est & genuinus: Siracides enim, æquè ac Salomon, de sapientia loquitur confusè & generatim. Vnde quædam dicit de ea, quæ magis conveniunt increatæ, quædam quæ magis creatæ; & tale est hoc. Vult enim docere, Deum ab æterno decrevisse creare creaturas in sapientia ex amore, qui appropriatur Spiritui sancto, non autem ob proprium aliquod commodum; ideoque hunc Dei amorem fuisse purum & sanctum; ac proinde opus huius amoris; putà, mundum, Angelos, homines, legesque & præcepta eis à Deo præstituta & præfixa esse pura, sancta & omninò irreprehensibilia. Quocirca Syrus & Arabicus pro, *creavit eam*, vertunt, *manifestavit eam*.

Secundò, Secundo, increata sapientia, tam essentialis, quàm notionalis, creata, id est, producta & genita, est à Patre in Spiritu sancto, id est, Primò, ex spiritali sanctaque divinitate, & naturæ divinæ fœcunditate quasi prodiit & emanauit: propriè enim essentialis Sapientia à Deo non est producta, nec genita, cùm sit vnum idemque cum Deo; sed nostro modo concipiendi dicitur producta eo sensu, quem iam assignavi. Nos enim concipimus & metimur divina quæ non videmus, ex humanis & creatis quæ videmus. In his autem videmus sapientiam creatam prodire & produci ex spiritali natura, & præstantia intellectus angelici & humani. Igitur simili modo concipimus Sapientiam increatam quasi prodire ex immensa excellentia divinitatis. ita Iansen. nam Spiritus sanctus dupliciter accipitur: Primò, notionaliter, quasi proprium tertiç personç sanctissimç Trinitatis: Secundò, essentialiter, quomodo Deus Pater est Spiritus sanctus: si est enim ipse Spiritus, est & sanctus. Vnde quidam codices τὸ *Spiritum sanctum* scribunt minusculo s. Romani tamen, Plantiniani; & ceteri scribunt maiusculo, quasi sit nomen proprium Spiritus sancti. Quare Secundò, increata Sapientia, (putà, Verbum,) creata, id est, producta, est in Spiritu sancto, *non principatiuè, quia spiritus sanctus non est principiū Filij, sed concomitativè*, ait Lyran. Itaque *in Spiritu sancto*, id est, cum Spiritu sancto, hic enim à Patre Filioque producitur & procedit, vt intelligamus Spiritum sanctum fuisse ab æterno simul cum Patre & Filio: Hebr. enim ב id est, *in*, sumitur pro עם *im*, id est, cum, apud, iuxta, ceterisque præpositionibus. Vel *in Spiritu sancto*, quasi in fine & termino: q. d. Creatio, id est, productio Sapientiæ, id est, Verbi, non ibi stitit, sed vlterius processit, ac finita & terminata est in productione Spiritus sancti: Pater enim gignendo Verbum, simul dedit ei fœcunditatem spirativam, vt secum possit spirare & producere Spiritum sanctum: hæcque vis in ratione Verbi includitur, adeò vt ipsum planè & per omnia perfectum non sit, donec spiret Spiritum sanctum: in Spiritu sancto enim terminatur omnis activitas, omnis productio interna deitatis, putà, Patris & Filij. Sic S. August. lib. 6. de Trinit. ait, Patrem & Filium se invicem amare Spiritu sancto, scilicet, amore, non essentiali & formali; sed notionali & producto, qui est finis & terminus amoris essentialis. *Nam Spiritus sanctus*, inquit, *est summa charitas, vtrumque coniungens, nosq; subiungens*. Et lib. 5. *Communio quædam consubstantialis Patris & Filij, est amborum Spiritus sanctus*. Sic idem August. lib. 83. quæst. ait, Patrem esse sapientem sapientia genita, non formaliter: sic enim sapiens est, sapitque & intelligit sapientia essentiali & ingenita; sed effectivè & terminativè: quia, scilicet, eius intellectio notionaliter producit sapientiam genitam, sive Verbum, in eoque terminatur. Vnde idem August. lib. 15. de Trinit. & lib. 1. Retract. cap. 26. docet, propriè dicendum esse, Patrem non esse sapientem sapientia genita, (quia Pater non accepit sapientiam à Verbo, sed potiùs Verbum eam accipit à Patre,) sed propria & ingenita.

Tertiò. Tertiò, Palacius sic exponit: q. d. Pater creavit, id est, possedit Filium, qui est in Spiritu sancto, scilicet, cum quo est illi vna natura: sicut enim Pater est in Filio; ita Filius est in Spiritu sancto: vt significetur hic trium divinarum περιχώρησις, sive circuminsessio, de qua ex Damasceno alibi dixi. Cùm enim vna sit essentia trium personarum, hinc fit, vt Pater sit in Filio & Spiritu, & Filius sit in Patre & Spiritu, & Spiritus sanctus sit in Patre & Filio, idque non tantùm quoad essentiam unam & eamdem, quæ tribus personis communis est, uti voluit Durandus in 1. dist. 19. & alij nonnulli; sed etiam quoad ipsam personam. Quia enim eadem prorsus & individua est tribus personis essentia, hinc fit, ut non sola essentia, sed & per eam persona quælibet alteri inexistat, uti docent S. Bonavent. Marsilius, Scotus & alij passim in 1. dist. 19. quæ de re alibi plura dixi.

Quartò. Quartò, Theologi multi sic exponunt: Pater creavit, id est, genuit Sapientiam, putà, Verbum, ex cognitione Spiritus sancti: quia genuit illud ex cognitione & comprehensione suæ essentiæ, & omnium quæ in ea sunt: in ea autem est fœcunditas spirandi Spiritum sanctum, & possibilitas creandi omne possibile: quare ex cognitione Spiritus sancti, & creaturarum possibilium, pariter ac essentiæ, divinæ, producitur & procedit Verbū, uti docet probabiliter Franc. Suarez lib. 9. de Deo trino & uno, cap. 4. 5. 6. & alij, licet Gabr. Vasquez cum nonnullis id neget.

Allegor. Allegor. Sapientia incarnata creata est in Spiritu sancto: quia incarnatio fuit opus, non viri, sed Spiritus sancti. Vnde in Symbolo dicimus: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*. Quocirca Angelus cōceptū annūtians, Virgini quærenti: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; ideòque & quod nascetur ex te sanctū, vocabitur Filius Dei*, Lucæ 1. 35. ita Rabanus. Rursum Sapientia, imò Sapientiæ æternæ mater, est B. Virgo: hanc creavit Deus in Spiritu sancto: quia simul creata & repleta Spiritu sancto fuit, uti decebat matrem Dei mox futuram, ideoque in gratia omnes homines & Angelos superavit: quare eius gratiam solus Deus *dinumeravit & mensus est*, iuxta illud Proverb. vlt. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*. ita S. Bernardinus tomo 2. serm. 1. art. 3. c. 1. Hæc est sapientiæ laus, scilicet, quòd Deus eam crearit in Spiritu sancto.

Ex dictis liquet, hunc locum non favere Græcis, qui dicunt & docent, Spiritum sanctum non procedere à Filio, sed à solo Patre: ob quem errorem ipso festo Spiritus sancti, putà, Pentecostes, capta à Mahomete Turcarum Imp. Constantinopoli, eversum est imperium Græcorum anno Domini 1453. Maluerunt Græci cum Latinis de Spiritu sancto otiosis falsisque disceptare verbis, quàm feriis contra barbaros decernere armis. Itaque iusto Dei iudicio eiusdē Spiritus sancti festo illa acceperunt vulnera, quæ eorum dominis extrema fuerunt funera: ut, sicuti Constantinus primus ante mille annos, natus S. Helena, religione Catholica, & in Rom. Pontificem observantia eximius, conditor Constantinopolis, novæ Romæ dictæ, maximoperè clarus extitit; sic Drogases, Constantinus alter, Helena etiam natus, sed religionis Catholicæ desertor, & Pontificis Roman. inimicus, Constantinopoli amissa fuerit extremus, inglorius & infamis in omne ævum.

ET VIDIT, ET DINVMERAVIT, ET MENSVS EST] Hæc tria antistropha sunt, & alternis respondent tribus interrogatis v. 2. ibi enim interrogavit: *Quis sapientiam investigavit, dinumeravit, & dimensus est:* hic respondet: Deus *eam vidit, & dinumeravit, & mensus est*. q. d. Deus planè pleneque ab æterno cognovit sapientiæ naturam & quantitatem; tum discretam, putà, numerum; tum continuam, putà, molem & mensuram; Deus perspexit, quæ & quanta esset sapientia; Deus ab ævo omnes sapientiæ rationes & modos numeratos & mensuratos habuit, secundùm quos in tempore omnia creaturus & facturus erat, iuxta illud Sapient. 16. *Omnia in mensura, & numero & pondere disposuisti*. Loquitur enim de sapientia Dei architectonica, quam quasi ideam Deus architectus ab æterno in mente concepit & efformavit, ut iuxta eam in tempore omnia in mensura, numero & pondere conderet. Licet ergo Dei sapientia in se sit infinita, & homini innumerabilis & immensurabilis; à Deo tamen, Deique mente, quæ pariter infinita est, quæque est fons & origo sapientiæ, numeratur, mensuratur & comprehenditur.

Nota τὸ *vidit*, id est, intimè, penitus & funditus eius naturam, proprietates & dotes introspexit & circumspexit, quasi captus eius specie & pulchritudine. τὸ *mensus est*, non est in Græco.

VERS. 10. ET EFFVDIT ILLAM SVPER OMNIA OPERA SVA, ET SVPER OMNEM CARNEM SECVNDVM DATVM SVVM (prout, scilicet, cuique eam dare & communicare voluit : Vatabl. *pro sua munificentia*) ET PRAEBVIT ILLAM DILIGENTIBVS SE] Nona est hæc sapientiæ laus: q.d. Deus sapientiam ab æterno in mente sua reconditam, in tempore communicavit omnibus creaturis etiam inanimis, sed magis animalibus, præsertim hominibus carne præditis; maxime vero hominibus & Angelis diligentibus se. *effudit*, significat largitatem beneficentiæ Dei, quòd se, itaque dona & sapientiam instar imbris vel torrentis copiosissimè effuderit in mundum, præsertim in homines se diligentes: quia hos donavit fide, gratia, & sapientia supernaturali, ut Deum cognoscant, ament & colant, itaque ad eius visionem & fruitionem, in qua consistit perfectio & consummatio sapientiæ, perveniant. Hinc disce, magnam Dei sapientiam inditam esse cælis, elementis, A arboribus, plantis, avibus, piscibus, &c. hinc illa solertia avium in construendis nidis, educandis fœtibus, cavendis noxiis, parando cibo; piscium in natando, comedendo, generando; animalium in vita sua & suorum tuenda, propaganda & propugnanda. Sicut ergo artifex effundit artē suam in opus, quod ab arte producit: pictor enim, v. g. pingendo imaginem, similem suæ arti & ideæ quam mente concepit, ideam quasi in picturam confert & transfert: sic Deus quasi artifex & pictor universi, sapientiam & ideam suam quasi in illud contulit & transtulit, cùm illud iuxta illam, illique simile condidit. Vnde Syrus vertit, *manifestavit eam, & divisit eam omnibus operibus suis: cum carne secundùm voluntatem suam dedit eam, & multiplicavit eam omnibus timentibus se*; Arabicus, *patefecit eam, & revelavit eam, tum comprehendit eam, & præbuit illam: distribuit eam inter universam creaturam suam, super omnem virum ex hominibus secundùm voluntatem* B *suam, & multiplicavit eam in omnibus timentibus se*.

Dei notiones sunt quædam sigilla rerum formandarum.

Contemplare hic, mirare & reverere sapientiam divinam esse primævum fontem & primævum signaculum rerum omnium, quod omnia penetrat sua puritate & subtilitate, intrinsecùs format & disponit omnia in omnibus. Considera ergo divinam sapientiam plenam esse notionibus & conceptibus rerum, veluti sigillis quibusdam, formandis creaturis secundùm speciem cuiusque idoneis. Sunt enim res creatæ veluti impressiones quædam & ἀποσφραγίσματα divinæ sapientiæ: quam ob causam dicitur, *Et effudit illam* (sapientiam suam) *super omnia opera sua*. Et quemadmodum sigillum aquæ, vel alteri rei fluxæ impressum, si amotum fuerit, statim forma perit: ita nisi divinæ sapientiæ signaculum assiduè formet & consignet creaturam, tota species & substantia rei evanescet. Itaque cuilibet rei creatæ suum hoc sapientiæ divinæ sigillum, quo eius essentia ab intrinseco assiduè formetur & C conservetur, semper est intimè præsens.

Vbi Nota dignationem Dei Creatoris, qui creaturas omnes, sed maximè homines, præsertim sanctos evexit ad tantam dignitatem, quanta est similitudo Dei: omnes enim creaturæ sunt similes sapientiæ Dei; quia sunt similes suis ideis & exemplaribus, quæ vivunt in mente Dei, suntque ipse Deus. Si omnes creaturæ, ergo multò magis iusti & sancti, de quibus proinde ait, *Et præbuit*, scilicet, se ipsam, & quasi se totam, *diligentibus se*. Nam, ut ait Ecclesiast. cap. 3. 1. *Filij sapientiæ, Ecclesia iustorum*, id est, iusti & sancti sunt filij sapientiæ, ac proinde iusti participativè sunt ipsa quasi sapientia; sicut filius hominis oportet sit homo. Hoc est, quod admiratur S. Ioannes cap. 1. v. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, &c. sed ex Deo nati sunt*. D Iam occasione horum Deum timentium & diligentium, quorum quasi propria est sapientia, Siracides transit ad timorem Dei, secutus Salomonem dicentem: *Timor Domini, principium sapientiæ*, vt doceat, viam & modum assequendi sapientiam, ita hactenus laudatum, esse timorem sive amorem Dei: timor enim filialis idem est cum amore, vel certè actus amoris & charitatis.

VERS. 11. TIMOR DOMINI GLORIA ET GLORIATIO, ET LÆTITIA ET CORONA EXVLTATIONIS] Syrus, *timor Domini gloria, & honor, & maiestas & corona gloriæ*; Arabicus *timor Domini in illa* (sapientia,) *& honorificentia & maiestas ipsius, & corona gloriæ & laudationis illius*. Est hic altera pars capitis, qua transit Ecclesiasticus à sapientia ad timorē & cultum Dei tamquam unicum medium comparandæ sapientiæ. Iam *timor Dei est gloria*, &c. non formaliter, sed causaliter. Est enim metonymia: q.d. Timor Dei est causa gloriæ, parit & conciliat gloriam æternam, tum in cælo, tum in terra; tum apud Deum & Angelos, tum apud homines. Timor quoque parit gloriationem, ut scilicet, de eo gloriari possit homo, sed in Domino: item affert lætitiam, quia affert bonam conscientiam, æquè ac fiduciam in Domino, quæ duo sunt causa summæ lætitię. Insuper conciliat divinas consolationes, & gaudia, quę expertus Psaltes iubilabat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te!* Psal. 30. 20 Denique hic timor ornat hominem instar coronæ, sive diadematis exultationem afferentis: corona enim datur sacerdoti, sive pontifici, regi & triumphanti. Timens ergo Deum, est quasi sacerdos coronatus & consecratus Deo idem destinatur, A vt sit rex in cælo per gloriam; quod regnum in terra inchoat per gratiam: per hanc enim fit filius Dei, ideoque hæres regni eius cælestis; ac proinde maius & certius per gratiam acquirit ius in regnum cæli, quàm primogenitus regis habeat ad regnum patris terrenum. Hic enim ex hominibus ius habet, ille ex Deo. Vnde ait S. Petrus epist. 1. c. 2. 9. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*. Denique timens Deum est triumphator, ideoque coronatus: triumphat enim de peccato, mundo, carne & dæmone. Vnde R. Simeon aiebat, *tres esse coronas, coronam legis, coronā sacerdotis, & coronam imperij: veriùm coronam bonæ famæ* (ex sapientia & vita honesta) *illustriorem longè & pretiosiorē his omnibus esse*. Quocirca S. Chrysost. homil. 69. ad Popul. *Si Dei timorē*, inquit, *habeamus, nihil nobis est opus: si verò hunc nō habeamus, etsi regnū ipsum possideamus, sumus omniū pauperrimi. Nihil æquale Deum timēti: timor enim Domini omnia superat; hunc itaque* B *possideamus, omnia propter hunc faciamus, ut hunc assequamur timorē*. Plura verò homil. 15. ad Pop. in eamdē sententiā scripsit: *Nisi bonū* (ait) *esset timor, non multos impendisset Christus sermones & longos de pœna & supplicio loquens. Timor nil aliud est quàm murus & munimentū, & turris inexpugnabilis. Etenim multa nobis munitione opus est, quia multæ sunt undique insidiæ*. Denique S. Isidor. libr. 2. Sentent. c. 1. *Omnis*, inquit, *qui secundùm Deū sapiens est, beatus est. Beata vita, cognitio divinitatis est. Cognitio divinitatis, virtus boni operis est. Virtus boni operis, fructus æternitatis est*.

Timens Deum est quasi sacerdos cōsecratus Deo:

est ut rex

& triumphator.

Timor Dei hic intelligitur, Dei non tantùm metus, sed & reverentia, observantia & cultus, seu θεοσέβεια, & *religio*, ut vertit Vatabl. quæ est initium sapientiæ, ac nascitur ex amore. Est enim filialis, non servilis: quia enim fideles quasi filij summè amant Deum quasi patrem, hinc eum timent & reuerentur; omnes eius leges, imò nutus obseruant; in omnibus ei placere satagunt, caventque quàm C maximè, ne quid committant, quo vel in minimo eū offendant. Quocirca hic timor est causa gloriæ, lætitiæ & coronæ. Quapropter Lactant. toto lib. 3. & 4. docet, Philosophos omnes non habuisse veram, sed falsam sapientiam, eò quòd caruerint vera Dei cognitione, cultu & religione, in qua sita est vera sapientia; ac inter alia c. 2. *Naturam hominis*, inquit, *hanc Deus esse voluit, ut duarum rerum cupidus & appetens esset, religionis & sapiētiæ: sed homines ideò falluntur, quòd aut religionem suscipiunt omissa sapiētia, aut sapiētiæ soli student omissa religione: cùm alterū sine altero esse nō possit verū. Cadunt ergo ad multiplices religiones: sed ideò falsas, quia sapientiam reliquerunt, quæ illos docere poterat, deos multos esse nō posse: aut studēt sapientiæ, sed ideò falsæ, quia religionē summi Dei omiserunt, qui eos ad veri scientiā* D *potuit erudire. Sic homines, qui alterutrū suscipiunt, viā devia maximisq. erroribus plenam sequuntur: quoniā in his duobus inseparabiliter connexis & officium hominis, & veritas omnis inclusa est*. Vnde librū 3. concludens ait: *Qui vult sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocē, discat iustitiā, sacramētū nativitatis suæ norit, humana contemnat, divina suscipiat, ut summū illud bonū, ad quod natus est, possit adipisci. Dissolutis religionibus universis, & omnibus quæcūque in earū defensionē dici, vel solebant, vel poterāt, refutatis; deinde cōvictis Philosophiæ disciplinis, ad verā nobis religionē sapiētiāq; veniendum est; quoniā est (ut docebo) utrumque coniunctum*. Hinc timor Dei à Septuag. Prov. 1. 7. vocatur θεοσέβεια, id est, pietas & religio, vertit Clemens Alexand. 2. Strom. de quo plura v. 16. Sic Abraham ait Genes. 20. 11. *Forsitan non est timor Dei in loco isto*, id est, forsitan in hoc

loco

loco non est Dei cultus & religio. Sic illud Deuter. 6. 18. *Dominum Deum tuum timebis*; Christus explicat Matth. 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis*. Nam, ut Poeta ait:

Primus in orbe Deos fecit timor.

Sic Iob. cap. 1. 1. vocatur *vir simplex & rectus, ac timens*, id est; colens, *Deum*. Similia sunt psalm. 21. v. 24. 25. 26. & alibi passim.

Dotes 14. timoris Dei.

Porro, Siracides hic mirè commendat Dei timorem, eiusque quatuordecim elogia & dotes recenset. Prima est hoc versu, quòd timor Dei sit gloria, lętitia & corona exultationis.

Prima dos.

VERS. 12. TIMOR DOMINI DELECTABIT COR, ET DABIT LÆTITIAM, ET GAVDIVM, ET LONGITVDINEM DIERVM] tum in hac vita, tum magis in futura, ita Rabanus. Explicat quod dixit v. præced. *Timor Domini gloria, & lætitia & corona exultationis*. Causas delectationis & gaudij ibidem recensui. Syrus vertit, *timor Domini lætificat cor, & lætitia & exultatio & vita æterna*; Arabicus, *timor Domini lętificat cor, & est lætitia, & exultatio & vita permanēs*. Vide Dam. l. 1. Paral. c. 4. ubi inter alia citat auream gnomen Didymi: *Fieri nō potest, ut qui timore Dei prędutus est, meticulosus sit, cùm illud monumētis proditū sit: præter cū ne quemquā alium timeas*. Nam, ut ait Nazian. Iamb. 15. *Lætitia est mētis diffusio; metus, eiusdē contractio; tristitia, morsus & turbatio*. Lætitia ergo excludit metum.

Nota τὸ *longitudinem dierum*: nam, ut præclarè ait S. August. in psal. 93. *Venale est, quod habeo, dicit Dominus: tibi eme illud. Quid habet venale? Requiē, regnum. Quantū valet? Pretium eius labor est. Quātus labor? Aeterna requies æterno labore rectè emitur: certè tantus debuit esse. Itē sēpiternus labor pro requie sempiterna. Decies cētena millia annorum in labore quid valent? habent finē. Quod tibi dabo, ait Dominus, non habet finē. Qualis misericordia Dei! Nec dicit, Decies cētena millia annorū labora: non dicit, Vel mille annos labora: nō dicit, Quingētos labora: sed, Cùm vivis, labora paucis annis. Inde iam requies erit, & finē non habebit. Ecce quantū pretiū damus, quodammodo unam siliquā, ad accipiendos thesauros sempiternos: siliquam laboris, ad requiem sempiternam.*

VERS. 13. TIMENTI DOMINVM BENE ERIT IN EXTREMIS] Novè Tigurina, *religionem Domini colenti benè erit in extremis*, Syrus, *qui timet Deum, bonus fiet finis eius*. Timenti ergo *Dominum benè erit in extremis*, puta, in morte, iudicio & gloria celesti: hæc enim sunt tria iusti extrema sive novissima. Hæc secunda est dos timoris Dei. O quantum est, benè & feliciter nobis aleam salutis cadere in illis extremis! In hoc enim puncto temporis iacimus aleam de tota ęternitate, eaque vel felicissima, vel miserrima. Quàm ergo gaudebit in extremis timens Deum, cùm videbit aleam sibi cadere æternitatis beatę! O quanta felicitas est ea potiri! ò quantum est, regnum cælorum, imò Deum possidere in æternum.

Secunda dos.

Præclarè S. Greg. 10. Moral. c. 12. *Peccatoris*, inquit, *lumē in die, est obscuritas in vespere: quia in præsentis vitæ felicitate attollitur, sed adversitatis tenebris in fine devoratur: iusto autem meridianus fulgor ad vesperam surgit, quia, quāta sibi claritas maneat, cùm iam occūbere cœperit, agnoscit: hinc nāque scriptum est: Timenti Deum benè erit in extremis.* Ita in extremis gavisa fuit anima Lazari, dum ab Angelis elata fuit in cælum, cùm dives Epulo demersus sit in tartara, Lucæ 16. De quo pulchrè S. Chrys. hom. de divite & Lazaro: *Factum est*, inquit, *ut portaretur ab Angelis, & adduceretur, ne saltem ābulādo laboraret. Portabatur post tot labores, quia defecerat: & portabatur ab Angelis: nō suffecerat ad portandum pauperi unus Angelus; sed propterea veniunt plures ut chorū lętitiæ faciant. Et portaretur ab Angelis: gaudet unusquisque Angelorū tantū onus tāgere: libēter talibus oneribus prægravātur, ut adducant homines ad regna cælorū.*

Iusti in morte iubilant. Exempla.

Ita in extremis benè fuit S. Ambrosio, cùm moriturus confidenter dixit: *Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere, sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus*, uti refert Possidon. in Vita S. Augustini, c. 27. Et S. Gerardo, fratri S. Bernardi, qui, ut ipse refert serm. 26. in Cant. in morte iubilabat: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis.* Et Vener. Bedæ, qui canens, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sācto*; animā Deo reddidit, ut habet eius Vita.

S. Franciscus moriens, cùm gravissimis arderet totius corporis doloribus, non nisi divinas laudes canebat, & alios canentes audiebat, cumque F. Elias eum increparet, dictitans, illud tempus dandum esse lacrymis & pœnitentiæ, respondit, *Non licere sibi aliter facere, cùm sciret, se brevi cum Deo fore.* Ita S. Bonavent. in eius Vita.

S. Bernardus, primus S. Francisci socius, moriens: *Nunc* inquit, *sentio, quid sit in Dei timore vixisse. Nunc enim pro toto mundo nollē me aliam vitam instituisse. Nunc gaudeo & exulto, quod mūdū spreverim, quòd in humilitate & paupertate Deo servierim.* Ita habēt eius Acta in Chron. S. Fracisci.

S. Eligius, Noviomensis Episc. animam agens, discipulis osculo valedicens: *Iam non ultrà*, inquit, *loquar vobiscum, valete in pace. Redeat terra in terram.* Ac erectis in cælum oculis: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace. Memento mei, Christe redemptor, salvum me fac in regnum tuum cæleste. Tu semper fuisti protector meus. In manus tuas commendo spiritum meum: manus tua me deducat in mansionem, quam præparasti timētibus te.* ita refert B. Audoenus, Rothomag. Episc. in eius Vita.

S. Antoninus Archiep. Florentin. in extremo vitę spiritu canebat: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*, uti refert Mainardus in eius Vita.

S. Antonius de Padua iubilando B. Virgini: *O gloriosa Domina, excelsa super sidera* &c. ac intentis in cælum oculis, *video Dominum meum*, ei animam resignavit anno Domini 1231. Ita habet eius Vita, cap. 37.

S. Nicolaus Tolentinas sex mensibus ante mortem, singulis noctibus audiebat concentum Angelorum, ut diceret: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Moriturus verò exultabat: rogatus causam dixit: *Dominus meus Iesus Christus, suę matri, & nostro Patri Augustino innitens, dicit mihi: Euge, serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Ita habet eius Vita.

Sic hoc sæculo B. Petrus de Alcantara Ordinis S. Francisci, vir miræ orationis & austeritatis, flexis genibus moriens, exultans ait: *Lętatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* Et nostēr Edmundus Campianus damnatus ad mortem, cecinit: *Te Deum laudamus.*

ET IN DIE DEFVNCTIONIS mortis & obitus, quo vita hac defungetur transiturus ad meliorem & beatam: unde Syrus vertit, *in ultimo dierum*; Arabicus *in extremo vitæ suæ* BENEDICETVR tum ab hominibus, tum à Deo, cùm audiet à Christo iudice: *Veni benedicte Patris mei: posside paratum tibi regnum à constitutione mundi.* Matth. 25. 34.

Benedicetur ergo, tum vocaliter, tum realiter; id est, benefiet ei: quia bonum felicitatis & regni æterni accipiet, quod est maximum. Vnde Tigurina vertit *in die obitus sui beabitur*. Quidam Græci codices legunt, εὑρήσει χάριν id est, *inveniet gratiam*, scilicet, coram Deo, ac per eam inveniet gloriam sempiternam. Quocirca in Script. benedictus dicitur, imò *beatus vir, qui timet Dominum.* Psal. 111. 1. Audi S. Chrys. in psal. 62. *Si dixeris mihi ex psalmis illud: Beatus, qui timet Dominum; & potueris scire quidnam sit id quod dicis: non divitem, non principem, non formosum, non eum qui valet viribus, non eum qui ædes possidet magnificas, non eum qui gerit magistratus; non eum qui regnum obtinet; nullum denique alium nisi eum qui est pius & religiosus, qui studio sapientiæ tenetur, qui Deum timet, beatum dices, non solùm propter futura, sed etiam propter præsentia, nam etiam in hac vita hic quoque est illo potentior.* Igitur Prosper l. 2. de Voc. Gent. 9. *De timore* (ait) *Dei & sapientia in Ecclesiastico legitur: Corona sapientiæ timor Domini: utraque autem sunt dona Dei.* Et paucis interiectis: *Beatus* (ait) *cui donatum est habere timorem Domini.*

DILECTIO DEI, HONORABILIS SAPIENTIA] Liberius suo more Tigurina, *amor Dei præclara est sapientia*. Sensus est, q. d. Hic timor est Dei dilectio & amor, in quo consistit vera, honoranda & summa sapientia. Qui amat Deum, hic sapit præ omnibus Philosophis & theologis: hic enim sapit & cognoscit Deum practicè & sapidè, nō speculativè & aridè. Vnde S. Bernardus ser. 85. in Cant. *Quidquid*, inquit, *virtus elaborat, sapientia fruitur; & quod sapiētia ordinat, deliberat, moderatur, virtus exequitur*, &c. *& si quis sapientiā, virtutis amorem definierit, non à vero deviare videbitur. Vbi autē amor est, labor non est, sed sapor. Et fortè sapiētia à sapore denominatur, quòd virtuti accedēs quoddā veluti cōdimētū sapidā reddat, quæ per se insulsa & aspera sentiebatur: nec dixerim reprehēdēdū, si quis sapiētiā, saporē boni definiat.* Sapiētia enim est sapida scientia, ait S. Greg. iuxta illud: *Gustate, & videte, quoniā suavis est Dominus.* Ps. 33. 9. Hæc est sapiētia, nō quæ inflat, sed quæ beat. Vides hic, ut sapientiam constituat nunc in amore, nunc in VERS. 14.

timore

timore filiali: quia hic timor oritur ex amore, imò est amor. ita Rabanus. Hic amor, hæc sapientia nos facit filios Dei, vt sicut Sapientia increata est Filius Dei per naturam; ita sapientes & amantes Deum sint filij eius per gratiam, imò sint *diuinæ consortes naturæ*, & quasi dij quidam terrestres, vt ait S. Petrus epist. 2. c. 1. 4. Nota rursum metonymiam, qua sapientia dicitur esse amor & timor Dei, non formaliter, sed causaliter: nam sapientia est in intellectu; amor & timor sunt habitus & actus in voluntate: sed hi inuoluunt & præsupponunt sapientiam, quasi sui originem & causam. Ex hoc enim dictamine sapientiæ: Deus est summa pulchritudo, summus honor, summa opulentia, summa voluptas, summa gloria, summum bonum: ergo Deus est summè amabilis; oritur eius amor & timor. Hinc iste vocatur, & reuera est sapientia practica, de quo plura v. 16. Quocirca verè & eleganter S. August. tract. de Laudibus char. to. 9. *Tene*, ait, *charitatem, & in ea inuenies omnem scientiam* Et

A inferiùs: *Totam magnitudinem diuinorum eloquiorum & latitudinem secura possidet charitas*. Et mox: *In eo, quod in Scripturis intelligis, charitas patet: in eo, quod non intelligis, charitas latet. Ille itaque tenet & quod patet, & quod latet in diuinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus*. Deinde charitatem describens: *Charitas*, inquit, *est recta voluntas, ab omnibus terrenis prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter & vnita, igne quodam Spiritus sancti, à quo est, & in quem refertur, incensa, inquinamenti extranea corruptionis nescia, nulli commutabilitati obnoxia, super omnia quæ carnaliter diliguntur excelsa, affectionum omnium potentissima, diuinæ contemplationis auida; in omnibus semper inuicta, summa actionum bonarum, salus morum, finis cælestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, arma sanctarum mentium, causa meritorum, præmium perfectorum, sine qua nullus Deo complacuit:*

B *fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, victoriosa in Martyribus, operosa in omnibus omninò fidelibus, ex qua quidquid est boni operis, viuit.*

Porrò Syrus & Arabicus pro *dilectio Dei, honorabilis sapientia*, habent *Initium sapientiæ timor Domini*: quam sententiam deinde secundò & tertiò hoc capite repetunt, quasi basin & centrum omnium dictorum & dicendorum.

Denique dilectio hæc sapiens maximè resplẽdet in Martyribus, ac similibus, qui pro Deo & sapiẽtia graues obeunt labores aut atroces subeunt dolores. Vnde SS. Sauinus & Cyprianus, Martyres Brixiani, cùm atrociter cæderentur, in ignitam fornacem proiicerentur, super rotas extenderentur & dilacerarentur, gratias agẽtes Deo, iubilantesque dicebant: *Quàm dulcis est dilectio tua, Domine!* ita Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem 2. Iulij.

S. Vitus puer cum Modesto & Crescẽtia gloriosum obiẽs

C martyrij agonem, cum Diocletianus ei ingentes promitteret opes & honores, si Deos coleret, animosè respondit: *Ego regnum, honores & diuitias parui pendo, totusq; ex vno Christo solo Deo & immortali dependeo.*

S. Felicula, virgo & Martyr Romana collactanea S. Petronillæ, cùm in eculeo torqueretur, exultabat dicens: *Ego Christum sponsum video, qui tanta pro me passus sustinuit.*

S. Marcus & Marcellianus stipiti clauis affixi, cùm iudex diceret: *Respicite, miseri, & vos ab his cruciatibus liberate*; alacres responderunt: *Nunquam tam iucundè epulati sumus, quàm libenter hæc Christi causa perferimus, in cuius amore nunc fixi esse cœpimus. Vtinam nos tamdiu hæc pati sinat, quamdiu corruptibili hoc corpore vestiti erimus.* Ita habet eorum Vita, & Acta S. Sebastiani. Ita cruces omnes dulcorat Sanctis dilectio & amor Christi, vt amorem amori, ac mortem morti rependant. Quàm dulce

D ergo eis erit frui Christo, eiusque gloria in cælo! Tunc verè dicent cum Sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Vers. 15. QVIBVS AVTEM APPARVERIT IN VISV, id est, quibus se videndam & cognoscendam obtulerit hæc Dei dilectio, quæ est sapientia practica; quibus seipsam manifestarit: hi DILIGVNT EAM IN VISIONEM, putà; per solam hanc visionem & ostensionem dilectionis & sapientiæ, ET IN AGNITIONE MAGNALIVM SVORVM id est, per agnitionem magnificorum operũ eius, quæ ab ipsa mirabiliter esse peracta discũt & audiunt. q.d. Adeò speciosa, adeò amabilis est dilectio Dei, quæ est vera sapientia, vt sola sui ostensione, solo sui aspectu, omnes in sui amorem & admirationem rapiat; ac proinde nemo eam odit, nemo despicit, nisi qui eam non cognoscit. Vetustus codex citatus in editione Græca Romana, sic habet: ἀγάπησις κυρίου, ἔνδοξος σοφία, οἷς δ' ἂν ὀπτάνηται, μερίζει αὐτὴν εἰς ὅρασιν αὐτοῦ: id est, *Dilectio Dei, honorabilis sapientia: quibus autem apparuerit* (sapientia,) *distribuet eam* (dilectionem) *ad visionem eius*: q.d. Sapientia, cùm alicui se suumque auctorẽ, putà Deum, ostendit, illicò in Dei dilectionẽ eum rapit.

Hæc est tertia timoris laus. Tertia dos.

Sic Abrahã, Isaac, Iacob, Moses & Prophetæ viderũt Deũ, Deique Verbum in corpore assumpto, & audiebant eius magnalia, atque illico in eius amorem rapiebantur. In illis enim visionibus apparuit & ostẽdit se Filius Dei, vt ait Concil. Sirmiense; vt præluderet & significaret, se quandoque verum corpus assumpturum, vt in eo sapientiam nobis ore tenus prædicaret & communicaret. In Dauid videns opera sapientiæ Dei, v. g. cælos, exclamat: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa*

A *terra*! psal. 8. Ita intuens hanc mundi machinam iubilat: *Delectasti me Domine in factura tua*, psal. 91.

Ita sapientia apparuit S. Gregorio Nazianzeno quasi virgo speciosa, cui astabat castitas, simili specie. Cumque ille, vtpote castus, formam feminarum refugeret, ab ea audiuit: *Ne mireris, ô iuuenis, sociæ & sorores sumus, tibiq. familiares, quia nobis iucundum in tuo corde habitaculum præparasti, vna nostrum Sapientia, altera Castitas vocatur*. Quo viso in vtriusque amorẽ accensus est Nazianzenus, vti refert Ruffinus, Baron. & alij in eius Vita.

Ita pariter sapientia apparuit D. Henrico Susoni, qui Doctor Theologus anno Domini 1350. magna sapientiæ & sanctitatis laude floruit, multaque conscripsit, in quibus spirat amorem Sapientiæ æternæ, adeoque Horas composuit de æterna Sapientia: vnde & eius Minister est appellatus. Audi Auctorem Vitæ eius, cap. 4. *Dum*, inquit, *his* Sapientiæ visio, & imago corporea.

B *flagraret desideriis videndi & alloquendi Sapientiam, illa tali schemate se illi visendã præbuit. Longè supra ipsum ferebatur in columna nubis, residens in throno eburneo, micas instar luciferi, & tamquam sol lucens in virtute sua. Corona eius erat æternitas, amictus felicitas, sermo suauitas, complexus omnis boni satietas. Prope erat & longè aberat, sublimis & humilis, præsens & occulta; familiarem se præbebat, nec tamen apprehendi poterat. Excelsis cæli fastigiis erat altior, & abysso profundior: attingebat à fine vsque ad finem fortiter, & disponebat omnia suauiter. Dum elegantis puellæ specie teneri videbatur, mox pulcherrimi iuuenis præ se ferebat imaginem. Nonnumquã ceu artiũ omniũ peritissimam, se præbebat amicã cunctis amabilem. Itaque dulcissimè ad eum se conuertens, & comiter, non tamen sine quadã diuina maiestate illi arridens, benignè his eum verbis affata est: Præbe, fili, cor tuũ mihi. Tum verò vestigiis illius aduolutus, medullitus ac humillimè gratias illi egit. Sapientia deinde nonnum-*

C *quam animæ illius se communicabat, quasi totius boni fons & profluuium, & omniũ desiderabilium abyssus, in qua simul reperit, quidquid pulchrũ, amabile, vel cõcupiscibile esset: siquidem id omne in ea modo ineffabili existebat.* Et inferiùs: *Neque sane dici possit, quoties gratissimã illam amicam lacrymantibus oculis, & in immensũ expanso cordis sinu circumplexus sit, & suo pectori suauiter astrinxerit. Erat tum sæpenumerò illi, perinde vt solet infãti, ad matris ipsũ suis vlnis cõplectentis, vbera pẽdenti, atque in eius gremio delitescenti. Vt enim eiusmodi puerulus capite, & totius corporis motu ad parentis suæ pectus sese applicat, & amicabilibus & blandis id genus gestibus cordis sui lætitiã declarat: ita cor illius cum sensibili quadam inundatione, erga iucundissimã æternæ Sapientiæ præsentiam ferebatur cogitabatque: Si mihi desponsa foret, Domine Iesu, Regina potens, esset id mihi gaudio. Nunc*

D *igitur, æterna Sapientia, tu mei cordis Imperatrix, & totius gratiæ parens es. In te diuitiarũ, honoris, potentiæ affatim mihi suppeditas. Nihil prætereà appeto, quidquid hic mundus habet. Sub his meditationibus vultu exhilaratus, oculis micantibus, corde in iubilum sublato, & cunctis internis sensibus exultantibus, in hæc verba prorupit: Super salutem & speciem dilexi sapientiam, & proposui pro luce habere illam, & venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

INITIVM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI] Græcè, Vers. 16. Initiũ sapiẽtiæ timor Dei.
initium sapientiæ, timere Dominum, hoc est, *timor Domini*. Infinitiuus enim de more ponitur pro nomine. Sapientiam hic creatam accipe: arctiùs ergo hic illa accipitur, quàm v. 1. Citat. psal. 110. 10. Prouerb. c. 17. vbi pro *initium*, Hebr. est ראשית *resit* (Græcè, ἀρχή,) quod deducitur à ראש *ros*, id est, caput, q. d. Capitale. Vnde *resit* Primò, vertas initium, quo sẽsu

tium,

Respondeo Primò. tium, vt sensus sit: q.d. Initium sapiendi est Dei timor, cultus & religio; à religione & Dei cultu incipit vera sapientia & philosophia fidelium, quæ in actione consistit: si vis sapientiæ studere eamque nancisci, incipe à Dei timore & cultu: si vis sapere, Deum time & cole. Sapientia enim hæc practica intelligitur, quæ in actione sita est, eamque imperat & complectitur. q.d. Si vis actiones moresque rectè componere, si vis honestam vitam instituere, incipe à timore, id est, vera religione & cultu Dei: hic te reliqua docebit, hic ad ceteras virtutes te manu ducet. Vnde Septuag. Proverb. 8. 7. *timorem* Dei interpretantur pietatem & religionem. *Pietas in Deum*, inquiunt, *principium sensus*: vel, ut vertit Clemens Alexandr. 2. Strom. *Sapientiæ initium est religio*: idque verum esse docet S. August. libr. de Vera religione, & Lactant. lib. 3. & 4. quia, sicut homo A per ætates crescit & adolescit: ita idem in virtute adolescit, dum ex timore in fidem, & ex fide in dilectionem accrescit. Hæc est mystica ætas virtutis, & virtute præditi. ita Clemens. Quocirca S. Basil. in cap. 1. Isaiæ: *Attenta*, ait, *cogitatio arcanorum, nobisq. formidabilium timor, pædagogus est ad exercendam pietatem*, &c. *Quasi quidam ianitor, timor necessariò ad pietatem condiscendam admittitur*. Vbi sapientiam interpretatur pietatem.

Secundò. Secundò, *rescit* vertas *principatum*. q.d. In sapientia morali, puta, in virtutibus, vitaque honesta primas tenet religio; caput virtutum est timor & cultus Dei; honestatis, probitatis & sanctitatis arcem & principatum sibi vendicat religio. Vnde *rescit* Vatabl. vertit, *caput*; Palacius, *summa sapientiæ est religio*: quia, ut docet S. Cyrill. lib. 2. de Recta in Deum fide, si ex omnibus virtutibus corpus mysticum componas, capitis locum obtinebit religio: sicut enim caput in cetera membra spiritus vitales & animales, ac per eos sensum & motum influit; ita religio suum pietatis spiritum, vitam & motum influit in ceteras virtutes. Quocirca rectè S. Ambros. super Leviticum: *Præferenda est*, inquit, *religio necessitudini, pietas propinquitati. Ea enim demum vera est religio, quæ præponit diuina humanis, perpetua temporalibus*. Sic *initium* pro summo & principatu sumitur cap. 11. 3. *Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius* q. d. Fructus paruæ apis est mel, quod summum habet dulcorem, quod in dulcedine obtinet principatum.

Tertiò. Tertiò *rescit*, vertas, *primitias*. q.d. Timor Dei sanctus obtinet honestatis & pietatis primitias, quæ Deo offerendæ sunt: sicut enim arborum frugumque, sic & virtutum C primitiæ Deo debentur; has Deo offert redditque religio. Hæc enim tota Deum, Deique cultum spectat: ceteræ virtutes in proximum tendunt, vel in ipsum operantem diriguntur & reflectuntur. Virtute ergo præditus ex bonis actionibus quasi fructibus, quos quasi arbor frugifera assiduè profert, primitias dat Deo, cùm eas orditur à religione, offerendo eas Deo quasi victimas & holocausta.

Quartò. Quartò, S. Thom. 2. 2. q. 19. a. 7. *Initium* inquit, *hoc est, primus Sapientiæ effectus, timor Domini. Cùm enim ad sapientiam pertineat; quòd humana vita reguletur secundùm rationes divinas; hinc oportet sumere principium, ut homo Deum revereatur, & se ei subiciat: sic enim consequenter in omnibus secundùm Deum regulabitur*.

Quintò. Quintò, noster Benedict. Fernandius in Genes. cap. 3. sect. 20. nu. 3. per sapientiam accipit pœnitentiam: hæc enim est resipiscentia. Vnde Clemens Alexandr. *Pœnitentia*, ait, est *magna intelligentia*. Pœnitentiæ enim ini- D tium & stimulus solet esse timor Dei.

Timor Dei est & finis sapientiæ, quomodo. Dices, Si timor est initium sapientiæ, quomodo alibi idem dicitur sapientiæ finis & consummatio? ut hic v. 18. *Plenitudo sapientiæ est timere Deum* Et v. 21. *Corona sapientiæ, timor Domini*. Et Iob. c. 28. 28. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia*.

Respondet Primò, S. August. mox citandus, & ex eo Beda in Proverb. c. 8. 7. timorem initialem, sive servilem, esse principium sapientiæ, id est, charitatis, de qua dixit v. 14. *Dilectio Dei, honorabilis sapientia*. Timorem verò filialem & amorē perfectum esse consummationem sapientiæ, id est, charitatis: quia hic timor est actus perfectæ charitatis: timor enim servilis est auspicium, initium, clavis, seta charitatis, &, ut ait S. Basil. in c. 1. Isaiæ, *pædagogus*, vel, ut Origen. in cap. 8. ad Roman. v. 15. *tutor & procurator paruulorum, deducens eos ad charitatem*. Audi S. August. tract. 9. in illud 1. Ioan. 4. 18. *Perfecta charitas foras mittit timorē. Quando aliquid suitur, seta priùs intrat; sed nisi exeat non succedit linum: sic timor primò occupat mentem, non tamen ibi remanet; quia ibi intravit, ut induceret charitatem*. Et paulò ante: *Initium sapientiæ, timor Domini*, inquit, *quia timor locum præparat charitati: cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum: quantum enim illa crescit, ille decrescit: & quantū illa fit interior, timor pellitur foras. Maior charitas, minor timor: minor charitas, maior timor. Si autē nullus timor, non est qua intret charitas*.

Idem docet D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 10. vbi asserit, crescente charitate crescere timorem filialem pari mensura; sed decrescere timorem servilem: *Quia*, inquit, *quantò aliquis magis diligit Deum, tantò minùs timet pœnā. Primò quidem, quia minùs attendit ad propriū bonum, cui contrariatur pœna. Secundò, quia firmiùs inhærens Deo, magis confidit de præmio, & per consequens minùs timet de pœna*. Hæc D. Thomas. Timor Dei ergo facit, ut homines, quos nondum delectat pulchritudo virtutis, dolorū & pœnarum divinarum metu à peccatis coerceantur. Hæc sentētia vera est: sed huic loco nō satisfacit. Nā timor hic potiùs filialis, quàm servilis intelligitur: vocatur enim à Septuag. εὐσέβεια, id est, pietas, imo v. 14. vocatur *dilectio Dei*, & v. 17. *sciētiæ religiositas* & v. 21. *corona sapientiæ*: vbique enim agit de eodem timore: Siracides enim maximè nobis inculcare satagit timorem filialem; & hunc passim vocat *timorem Domini*: servilis enim potiùs est timor inferni, quàm Domini.

Pro responsione Nota, solere Ethicos & philosophos inchoare scientiam & disciplinam suam à principiis scientiæ, iuxta Aristot. 1. Poster. cap. 1. & 2. Vnde, sicut Arist. 1. B Ethic. in auditore Ethices suæ requirit, ut sedatis sit animi affectionibus, ideoque vir; ac principium suæ Ethices ponit passionum dominium, & inde consequenter dictamen rectæ rationis non perturbatæ: ita Salomon Proverb. 1. & eum secutus Siracides hic, suarum sententiarum, suæque sapientiæ & sacræ Ethices principium statuunt timorem Domini, eumque in discipulo, ut disciplinæ suæ sit capax, requirunt: quia stulti, qui timorem Dei non habent, despiciunt sapientiam, Proverb. 1. 7. *Respondeo.*

Dico ergo Primò: sapientia hic intelligitur divina & practica, sive Ethica sacra, ut dixi v. 1. cumque ea sit duplex: formalis hoc est, habitus vel actus sapientiæ; & obiectiva, sive obiectum huius habitus, vel actus; vtraque hic accipi potest, sed meliùs obiectiva. *Primò.*

Dico Secundo, per timorem hic generatim accipi omnē metum & reverentiam divinæ maiestatis, inclinantem animum ad hoc, ut illi per omnia obediat, & summè caveat, ne vspiam illam offendat; tum, quia ipsa severissimus est iudex & vindex malorum: tum, quia suavissimus est amicus, pater, finis & summum bonum nostrum. Vnde Septuag. timorem vocant pietatem, Prov. 1. 7. *Secundo*

Dico Tertiò, hunc timorem esse initium sapientiæ propriè & formaliter: quia, sicut principium se habet ad conclusionē in scientia & demonstratione; ita se habet timor Dei ad sententias hasce practicas in hac sapientia: timor enim Dei ut finis vltimi, & summi boni nostri, est principium omnium practicarum conclusionum, tum discendarum, tum faciendarum, quas in Proverbiis, & in hoc libro, quasi in sua sapientia explicant Salomon & Siracides, quæque media sunt ad Deum vltimum finem assequendum: finis enim in Ethicis & actionibus humanis est principium, quia est primum in intentione, ex quo media velut conclusiones inferuntur. *Tertiò.*

Dico Quartò, hic timor etiam est completa sapientia, non propriè & formaliter, sed metonymicè & causaliter: tum, quia sicut omnis conclusio continetur in suo principio; ita perfecta sapientia in timore Dei latet, quasi in suo semine, causa & principio; vera enim & perfecta, verèque omnem & totum hominem beans est sapientia, non speculatiua, sed practica hæc, quæ ex timore Dei manat, & sic in se & sua essentia perfecta est hæc sapientia: tum, quia timor hic, cùm rei sit quæ tanti est momenti, seipsum acuit & auget; & quò magis crescit hic timor, eò maiorem parit sapientiam; atque adeò perfectus timor, perfectam parit sapientiam, sicut perfecta cognitio principiorum perfectam gignit scientiam conclusionis; & perfecta finis intentio, quæ est principium in moralibus, perfectam & efficacem imperat & producit volitionem mediorum: & sic intentione, modo & accidente perfecta est *Quartò.*

hæc

hæc sapientia, quam gignit perfectus Dei timor & amor.

Quintò.

Denique Siracides non loquitur philosophicè & præcisè, sed ethicè & amplè. Vnde per sapientiam non tantùm intelligit ipsum actum intellectus quo sapit, siue dictamen prudentiæ iam dictum; sed etiam actum voluntatis ei obsequentem; sapientia enim hæc magis in actione, quam in speculatione consistit: vnde timor & amor, siue dilectio Dei v. 14. vocatur sapientia. Timor ergo hic includit amorem & charitatem: charitas autem est perfectio sapientiæ, id est, omnis honestatis & virtutis: q. d. Timor & amor Dei in incipientibus sunt initium sapientiæ, id est, inchoata virtus & charitas; in proficientibus verò & perfectis sunt proficiens & perfecta charitas. In charitate enim consistit huius viæ & vitæ perfectio. Timor Dei ergo hic amplè capitur pro omni Dei cognitione, metu, obseruantia A & cultu: quare includit fidem, spem, charitatem & religionem: hisce enim quatuor virtutibus tendimus in Deum, eumque timemus, id est, credimus, speramus, amamus, reueremur, & colimus.

Quarta timoris Dei dos & laus.

Hic igitur timor & reuerentia erga Deum, cuius causa peccatum horremus, vti est fundamentum & initium, ita est & finis ac culmen vitæ Christianæ: nascitur enim ex notitia & dilectione Dei: ideò enim reueremur Deum, quia agnoscimus & diligimus eius maiestatem, quam offendere pertimescimus. Atque hæc est quarta timoris laus. Et hoc est, quod ait Iob cap. 28. 28. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia*. Simili phrasi & sensu ait noster Thomas Theodidactos de Imitat. Christi lib. 1. cap. 1. *Ista est summa sapientia, per contemptum mundi tendere ad cælestia regna*.

Mysticè & symbolicè Galatinus ex R. Isaac Ben Hola in B psalm. 110. censet hic adumbrari mysterium Sanctissimæ Trinitatis: per *initium* enim significari Deum Patrem, qui est origo & principium diuinitatis, putà, duarum ceterarum personarum: per *sapientiam* notari Filium; hic enim est Sapientia genita: per *timorem* notari Spiritum sanctum, qui est auctor sancti timoris & amoris.

Tropol. Salomonem & Siracidem secutus S. Thomas Aquinas per Dei timorem & pietatem omnem suam sapientiam & scientiam acquisiuit. Vnde ab amico rogatus de modo scientiam quamlibet comparandi, ita epist. ad eumdem respondet: *Quia quæsisti à me, in Christo mihi charissime, qualiter te studere oporteat in thesauro scientiæ acquirendo; tale à me tibi super hoc traditur consiliũ, vt per riuulos non statim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet deuenire. Hæc est ergo monitio mea, & instructio tua. Tardiloquũ te esse iubeo, & tardè ad locutorium ascendentẽ: conscientiæ puritatẽ amplectere: orationi vacare non desinas: cellã frequenter diligas, si vis in cellam vinariã introduci. Omnibus te amabilem exhibe: nihil quære penitus de factis aliorũ: nemini te multùm familiarẽ ostẽdas; quia nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis à studio materiã subministrat. De verbis & factis sæcularium nullatenus te intromittas. Discursus super omnia fugias. Sanctorũ & bonorum imitari vestigia non omittas. Nõ respicias, à quo audias; sed quidquid boni dicatur, memoriæ recomenda. Ea quæ agis & audis fac, vt intelligas: de dubijs te certifices, & quidquid poteris in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere. Altiora te ne quæsieris. Illa sequens vestigia, frondes & fructus in vineam Domini Sabaoth vtiles, quamdiu vitam vixeris, proferes ac produces. Hæc si sectatus fueris, ad id attingere poteris quod affectas.*

Via ad scientiam ex S. Thoma.

Quocirca præclare S. Bernard. in tract. de Donis Spiritus sancti, cap. 1. *Prima* inquit, *gratia est timor Domini. Qui hanc habet gratiam, omnem odit iniquitatẽ, iuxta illud Psalmistæ: Iniquitatẽ odio habui, & abominatus sum. Et alio loco: Omnẽ viam iniquitatis odio habui, scriptum nãque est: Timor Domini odit malum. Et iterum: Time Deũ, & recede à malo. Et de Iob dicitur: Vir timens Deum, & recedens à malo. Sine hac gratia, prima gratiarum, quæ totius religionis exordiũ est, nullum bonum pullulare vel manere potest*. Quantopere autem hic timor sit necessarius, luculenter docuit S. Cyprianus, serm. de laps. cùm ait: *Deus quantũ patris pietate indulgens sẽper & bonus est, tantò iudicis maiestate metuẽdus est*. Et S. August. serm. 17. de Sanctis: *Quis potest (ait) nisi Deũ timeat, seruare iustitiã? dicit enim Scriptura alio loco: Nam, qui sine timore est, nõ poterit iustificari*. Denique S. Bernardus loco suprà citato. *Sicut enim securitas, vel desidia, causa est & mater omniũ delictorum: sic timor Domini radix est & custos omnium bonorum. Vnde scriptum est: Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua. Omne namque virtutũ ædificium illicò vergit in præcipitiũ, si huius gratiæ amiserit præsidium*. Quapropter S. Ambros. in psalm. 118. *Initium sapiẽtiæ, ait, timorẽ Domini dicit Propheta. Quid est autẽ initiũ sapientiæ, nisi sæculo renuntiare? Quia sapere sæcularia, stultitia est. Denique sapientiã huius mundi stultitiam esse apud Dominum, Apostolus dicit*. Hac de causa Tertull. libr. de Cultu femin. in princip. timorẽ vocat *salutis fũdamentũ*. Et Cyprian. libr. 3. ad Quirinum, cap. 20. timorem nuncupat *fundamentum & firmamentum spei*.

ET CUM FIDELIBUS IN VULVA CONCREATUS EST] scilicet, timor Domini: licet enim Græcè sit verbum, φοβεῖσθαι id est, *timere Dominum*; tamen hic infinitiuus ponitur pro nomine, φόβος id est, *timor Domini*, vti initio huius versus dixi. Alij ex Græco vertunt, *concreata est*, scilicet, sapientia; *reconcreatũ est*, scilicet, initiũ sapiẽtiæ ita Roman. Sed eodem redeunt hæc tria, quia ipsa sapientia est timor Domini. Est hic quinta timoris Dei laus, quòd fidei & iustitiæ sit indiuiduus comes, & fidelium ac sanctorum fidus Achates, per omnem vitã eis assistens, comitans & deducens. Per fideles enim accipe iustos & sanctos, in quibus, scilicet, est fides, non nuda & informis, sed charitate formata. Sed quomodo eis concreatur in vulua: Primò, aliqui pro ἐν μήτρᾳ, id est, *in vulua*, legunt, ἐν μέτρῳ, id est, *in mensura*. sed vera lectio est, ἐν μήτρᾳ. Secundò, Caluinus eiusque asseclæ, ex hoc loco & similibus docent, filios fidelium, putà eos qui nascuntur à parẽtibus fidelibus & iustis, non contrahere peccatum originale, aut certè id eis non imputari, ac consequenter ad id tollendum non egere baptismo: hanc enim esse benedictionem Abrahæ, id est fidelium, semini, id est filiis, promissam, Genes. 13. 15. Sed hæc est hæresis, quam refutat fuse Bell. l. 4. de Amiss. gratiæ, c. 14.

Timor Dei fidelibus concreatus, quæ est quinta timoris laus.

Primò.

Secundò.

Tertiò.

Tertiò, Iansenius sic explicat: q. d. Plerique fideles etiam in vtero accipiunt à Deo donum quoddam, quo ad pietatem procliues sint præ aliis, vti Iob, qui de se ait cap. 31. *Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris egressa est mecum*. Sicut ex aduerso Chananæorum *malitia* dicitur fuisse *naturalis*, id est, innata & quasi à parentibus ingenerata, Sapient. 12. 10. Et de similibus dicitur Psalm. 57. *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero*. q. d. Adeò dediti sunt malitiæ, vt malitia eis videatur ingenita esse & naturalis, de quibus est vulgare proverbium, *Carduus, qui aliquando punget, tener adhuc cum spinis nascitur*. Verùm id huic loco non sufficit: tum, quia multis hoc donum non C datur: tum, quia hoc donum cum peccato originali consistit, ac proinde videtur tantùm quædam bona indoles naturæ, quæ eos facit procliues ad virtutem, de qua Stoicorũ fuit axioma, *Virtutis principium esse bonam indolem*, teste Plutarch. lib. de Homero: quare hoc donum non est timor Dei sanctus & sanctificans. Vnde

Quartò.

Quartò, idem respondet, timorem Dei concreatum esse fidelibus in vulua, non actu & reipsa; sed per Dei præparationem & prædestinationem, qua ab initio in eorum creatione, putà, in vtero materno, Deus illi destinat suo tempore dare timorem sui, & sapientiam: vnde Arabicus pro *concreatus in vulua*, vertit, *firmata ante sæcula*, scilicet, sapientia; quomodo Paulus Galat. 1. 15. dicit, se segregatum in Euangelium ab vtero matris suæ; & nonnulli sic explicant illud Ieremiæ 1. v. 5. *Antequam exires de ventre, sanctificaui te*. Sed alius est esse concreatum in vulua; aliud prædestinatum, vel segregatum ab vtero. Rursum longè verius D est, Ieremiam vere in vtero fuisse sanctificatum, non tantùm prædestinatum ad sanctitatem.

Quintò.

Quintò ergo genuinus sensus est: q. d. Timor Dei ita adhæret & affixus est fidelibus, vt videatur eis simul cum fide & sanctitate concreatus; timor Dei fidei & sanctitati est connatus, & connaturalis; quia, vt paulò antè dixit: *Initium sapientiæ* (practicæ, id est, sanctitatis) est *timor Domini*. Explicat enim, quomodo *initium sapientiæ sit timor Domini*; per hoc quod dicit cum sapientibus, id est, fidelibus & iustis quasi concreatum esse ab vtero: q. d. Simul ac fides & fidelis creatur, creatur & timor; in eodem vtero gignuntur, ab eodem pariuntur; gemelli sunt fratres. Nam, vt docet Concil. Trident. sess. 6. hic iustificationis est modus & ordo. Deus, cùm peccatorem vult à peccato ad iustitiam traducere, in eius animam, velut in vuluam, semen verbi diuini, & sanctarum inspirationum de peccati fœditate, de ira Dei: de pœnis inferni proijcit; vnde mox anima concipit timo-

timorem, qui eum adigit ad contritionem, qua peccatum aboletur, & gratia ac iustitia inducitur; atque tum timorem filialem induit anima, quo Deum quasi patrem summè reueretur, serioque proponit ei per omnia placere, & in nullo eum offendere. Vides ergo, vt cum fide & fideli ac iusto creetur timor. Sic baptismus est quasi *vulua & vterus Ecclesiæ*, quo ipsa nos regenerat, ac gratia & spiritu timoris Dei imbuit & viuificat, vt docet S. Ambros. & alii tract. de Baptismo, ac Rabanus hic. Denique nonnullis eximiis Sanctis timor hic verè in vulua concreatus est, quia ex speciali priuilegio in vulua sanctificati sunt. Tales fuere B. Virgo, S. Io. Baptista, Lucæ. 1. 44. Ieremias, cap. 1. 5.

Sexta timoris Dei laus.

CVM ELECTIS (Vatabl. *eximijs*) FEMINIS GRADITVR) Timor Domini, cùm concreatus sit fidelibus, tam viris quàm feminis, hinc pariter cum vtrisque graditur, id est, vtrosque comitatur & deducit per viam mandatorum in patriam cælestem: sicut ergo pædagogus graditur cum puero, eumque deducit; ita timor Domini graditur cum fidelibus, eosque per omnia aduersa & prospera securos deducit ad portum salutis. Meminit tamen feminarum præ viris: tum, quia propriè feminas vti decet pudor, ita & timor, qui comes est pudoris: cùm enim femina sit viro fragilior, & ad lapsum pronior, necesse est, vt magis timeat; necesse pariter est, vt magis à timore Dei fulciatur; tum, quia feminæ solent esse magis timentes, id est, magis religiosæ & deuotæ quàm viri; vti fuere S. Magdalena, Martha, Marcella, Praxedes, Pudentiana; Paula, Eustochium, Pulcheria; & aliæ perplures. Hæc est sexta timoris Dei dos & laus.

Pro *feminis*, aliqui censent legendum *seminis*. q. d. Timor graditur cum electo semine, id est, cum electis suis filiis; idque, vt Græca, quæ hic dissonant à Latinis, iis accomodent. Sic enim habent Græca in editione Romana, μετὰ ἀνθρώπων θεμέλιον αἰῶνος ἐνόσσευσε, καὶ μετὰ τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἐμπιστευθήσεται, id est, *cum hominibus fundamentum sæculi nidificauit, & cum semine eorum fidem habebit*. ita Complut. Romana, *concredetur*; Iansenius, *fidelis erit*, vel *fideliter*, id est, firmiter, *persistet*; Syrus vertit, *cum hominibus veritatis est, & ipse à sæculo ordinatus*, id est, stabiliter firmatus est; *cum semine eorum constituta est misericordia eius*; Arabicus, *ipsa* (sapientia, indiuidua comes timoris Dei) *est cum incedentibus in bene placito Domini sui, firmata ante sæcula, & cum semine bonorum excellentia illius*. Porrò Vatablus nouè vertit, *nidum fundauit æternum inter homines, eorumque progeniei se concredidit*. q. d. Dei sapientia veluti nidum, id est, sedem & domum æternam sibi delegit inter homines, iam inde ab initio sæculi, cùm, scilicet, fundaretur hic mundus: tunc enim Adamo fuit indita, eiusque posteris, Genes. 2. v. 19. eosque numquam deseret; sed cum eis fideliter, id est, fixè & stabiliter permanebit. Domum hanc vocat *nidum*; quia sapientiam comparat aui, v. g. aquilæ, columbæ, gallinæ: sicut enim hæc in nido pullos excludit, alit & fouet, cum eisque semper permanet, eos protegens, nutriens, volare docens, &c. ita & sapientia in hac sua mundi schola, velut in nido, suos filios, putà, fideles & sanctos, parturit, alit, perficit, cum eisque persistit, prouidens & protegens illos, donec cum eis in cælum euolet. Alludit ad illud Prouerb. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*. pro quo Epiphan. hæresi 69. legit: *Dominus* ἐνόσσευσε, id est, *velut pullum exclusit me*: quia pro קנני *Kanani*, id est, *possedit me*, alio puncto legit קנני *kinnani*, id est, *nidificauit me*, vel, *in nido, vt pullum, exclusit me* (νεοσσὸς enim est pullus) hoc est genuit & generauit me, quod optimè competit Sapientiæ increatæ, putà, Verbo & Filio Dei, ac mysticè eius posteris & filijs, putà, fidelibus & Sanctis. Idque aptè respondet ei, quod paulò antè dixit de sapientia & timore Dei: *Et cum fidelibus in vulua concreatus est*. Hoc est quod ait Sapientia de se Prouerb. 8. 31. *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*.

Hinc moraliter disce Primò, quanto & quàm tenero amore Sapientia prosequatur homines, præsertim fideles & sanctos, nimirum, tanto, quanto gallina prosequitur suos pullos, vti Christus de se asseuerat Matth. 23. 37. ac de Deo, Deiq; in Israelem cura Moses, Deuter. 32. 11. *Sicut aquila*, inquit, *prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis*.

Secundò, hic disce Dei sapientiam à puero, instar matris, curare, regere & promouere suos fideles, putà, mox vt baptismo regenerati eius filij esse incipiunt: quocirca plerosque illustres Sanctos à puero Spiritus Dei direxit, effecitque, vt etiam in puerili ætate illustria darent argumenta, & quasi radios ac præludia futuræ sanctitatis. Sic de Samsone legimus, eum ab vtero consecratum esse Nazaræum, ac destinatum liberatorem vindicéque populi Israel, Iudic. 13. 7. Vnde de eo dicitur v. 24. *Creuitq; puer, & benedixit ei Dominus: cœpitq; Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan*. Vnde mox cap. seq. vers. 6. dicitur: *Irruit Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem quasi hædum in frusta discerpens, nihil omninò habens in manu: & hoc patri & matri noluit indicare*. Plura similia Sanctorum, qui à puero cœperunt, exempla recensui Ierem. 1. 9.

Tertiò, disce, quanta sit fidelitas, constantia & fortitudo sapientiæ & timoris Domini: quia inter homines dicitur sibi fecisse, imò fundasse nidum, quasi fundamentū æternum, eorumque progeniei esse fidelis, quin & se iis concredidisse. Quocirca S. Ambros. in psalm. 118. explicans illud v. 38. *Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo*, ac nomine sapientiæ intelligens verbum Dei: *Basis*, ait, *quædam verbi est timor sanctus: sicut enim simulacrum aliquod in basi statuitur, & tunc maiorem habet gratiam, cum in basi fuerit collocatum, & standi accipit firmitatem: ita verbum Dei in timore sancto meliùs statuitur, & in pectore timentis Deum fortiùs radicatur*. Subdit autem: *Accipite de verbo Dei lectum in Canticis: Crura eius, columnæ marmoreæ, fundatæ super bases aureas. Significans, scilicet, columnas esse Apostolos, qui fundati sunt in timore sancto*. Nec basim tantum eloquiorum Dei appellauit: sed etiam eorumdem tribunal & thronū. Addit enim: *Christi igitur eloquio & Apostolico sermoni tribunal est timor iusti*. Est autem similitudo appositissima: si enim verbum Dei timorem sanctum in animo nanciscitur; eidem quasi solio & tribunali insidens iudex, inde carnis & spiritus lites dirimit, pro spiritu contra carnem sententiam fert, sceleratam & perditam passionum atque perturbationum turbam compescit, omnibusque virtutibus iura dicit. ita noster Salazar Prouerb. 1. v. 7.

ET CVM IVSTIS ET FIDELIBVS AGNOSCITVR] Vatabl. *Apud iustos & fideles visitur*. Quia in illis, quasi in nido, imò templo, habitat, facitque, vt vbique timorati sint, ac timoratè operentur & viuant. Sicut ergo anima inuisibilis agnoscitur & videtur per opera vitalia corporis, quæ operatur in ore, oculo, aure, &c. putà, per locutionem, motum, sensationem, &c. ita timor Dei agnoscitur per opera humilitatis, custodiæ sui, patientiæ, pœnitentiæ, charitatis, &c. quæ exteriùs operatur: hic enim timor est quasi anima fidelis & sancti. Quod ergo operatur anima in corpore, hoc operatur & timor in iusto. Ita agnitus est timor Domini in Abele, cùm ex timore & reuerentia obtulit meliora gregis Deo. In Noë, cùm timore diluuij fabricauit arcam. In Abraham, cùm obediens reuerensque Deum, obtulit Isaac in holocaustum. In Ioseph, cùm timens Deum repulit adulteram. In Mose, cùm restitit Pharaoni. In Dauide, cùm lacrymis peccatum diluit.

TIMOR DOMINI, SCIENTIÆ RELIGIOSITAS] Vers. 17.
Hinc patet, quod timor Dei sit θεοσέβεια id est, Dei cultus & religio: q. d. Timor Domini est *scientia*, id est, sciens, prudens & vera religio & pietas, siue pius Dei cultus. Vis nosse, quid sit timor Domini? Est quædam scientia religiosa, hoc est, est ipsa religio & reuerentia erga Deum, ex Dei agnitione & æstimatione nata. Philosophi habuerunt scientiam, sed non religiosam. Multi hodie sunt scientes, Iurisperiti, Physici, Theologi; sed carent religione & deuotione, quia carent timore Dei. Ex aduerso Mahumetani, Pagani, idololatriæ, aliique superstitiosi habent religiositatem; sed carentem scientia, id est, imprudentem & falsam; ideoque religiositas eorum non est religio, vtpote quæ veræ Dei cognitioni & scientiæ quasi fundamento innititur; sed est mera vanaque superstitio: at fidelium & iustorum religio est sciens & prudens, ac vicissim eorum scientia est religiosa, adeoque est deuota religio, quia præditi sunt timore Dei. Vnde Vatabl. vertit, *religio Domini, sanctitas est scientiæ*. Hinc vicissim sancta scientia, siue sapientia vocatur mystes, id est, sacerdos Dei: quia docet Deum vera religione & sacrificiis colere. Ita Sapient. 8. v. 4. *Doctrix enim est disciplinæ Dei*.

Sapientia est sacerdos Dei.

Dei. pro *doctrix*, Græcè est μύστις, q. d. Sapientia est mystes, id est, sacerdotissa, interpres & doctrix arcanorū Dei.

Porrò religio, ait D. Thom. 2.2. quæst. 81. art. 2. est virtus debitam exhibens reverentiam & cultum uni veroque Deo, tamquam primo creationis & gubernationis rerum omnium principio. Vnde religio Primò, à Cicerone lib. 2. de Natura deor. & ab Isidoro 10. Etymol. cap. 17. dicitur à relegendo, ut religiosus dicatur is, qui relegit, revoluit & retractat ea, quæ ad cultum Dei pertinent, juxta illud Proverb. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum.* Secundò, religio dicitur à reeligendo, quòd Deum reeligere debeamus, quem amiseramus negligentes per peccatum, ait S. August. lib. 10. de Civit. cap. 4. Tertiò & genuinè, religio dicitur à religando, quòd religet nos uni omnipotenti Deo, cum quo priùs coniuncti fueramus, & à quo defluentes distare cœperamus, ait idem S. August. libr. de Vera religione, sub finem. Hinc religio post tres theologicas virtutes, fidem, spem & charitatem nobilissima est virtus, caputque & princeps moralium omnium. Jam verò, ut docet D. Thom. eadem quæst. art. 8. religionis flos est sanctitas, quam ita definiunt Theologi, ut ejus proprium sit munus, mentem nostram ab omni labe purgatam, integram & sine macula Deo offerre, eamque & vires ejus omnes illi conservare. Cujus quidem muneris amplitudo primùm ex eo apparet, quòd aliæ virtutes morales uni illi omnes, tamquam ministræ ac famulæ inserviunt, aliæ purganda voluntate, aliæ ratione illuminanda, aliæ etiam appetitu coercendo. Apparet item ex effectu: ejus enim, ut docet S. Thomas loco cit. duo quasi sunt partus, oratio, ac devotio; quarum altera in Dei familiaritatem atque amplexus inducit; altera promptitudinem & alacritatem tribuit ad omnia, quæ Dei cultus requirit: qui fervor ac studium voluntatis tanti est, ut, si is absit, ipsa munera nostra multò minùs ei grata sint: si adsit, ea etiam majorem in modum commendet, & gratiora reddat. Hæc autem religio est forma, & quasi anima religiosi status: unde ejusdem cultoribus, sive Religiosis, nomen religionis attributum & appropriatum est. Igitur Siracides commendat timorem Dei, quòd omnium quidem virtutum, sed maximè veræ sanctæque religionis sit parens & nutrix. Qui enim timet Deum, utique eumdem religiosè sanctèque veneratur & colit. Ad hunc enim cultum eum extimulat castus Dei timor. Id experiuntur Religiosi, putà, veri monachi & cœnobitæ; unde S. Bernard. homil. de negotiatore bonam margaritam (per quam ipse Religionem monasticam accipit) inquirente: *In Religione*, inquit, *homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, quiescit securiùs, irroratur frequentiùs, moritur confidentiùs, purgatur citiùs, præmiatur copiosiùs.* Vide sequentia. Denique Salvianus lib. 2. contra Avaritiam: *Religio*, ait, *scientia est Dei, ac per hoc omnis Religiosus, hoc ipso, quòd Religionem sequitur, Dei se voluntatem nosse testatur.*

Septima dos timoris Dei. Hæc est septima dos timoris Domini.

Hic versus 16. & sequens 17. desunt in Græcis Complut. & aliis plerisque: olim tamen in Græcis extitisse liquet, non tantùm ex nostro Interprete, sed etiam ex S. Augustino, qui ea legit in Speculo; & ex versione Tigurina, quæ hunc versum habet, eumque ex Græco, uti & cetera transtulit, licet eum anteponat versui præcedenti. Quare perperam suspicantur nonnulli, hosce versus, qui in Græco desunt, esse alicujus Commentatoris, qui eos explicationis gratia annotarit in margine, indeque in textum irrepsisse: hinc enim sequeretur, permultas Ecclesiastici sententias Vulgatæ versionis Latinæ, esse subreptitias, nec canonicas, sed apocryphas, eò quòd desint in Græco: hoc autem repugnat Concil. Trident. sess. 4. Vide dicta in Prolegom. cap. 3. & can. 16.

Tropolog. & Anagog. Rabanus: *Timor Domini*, inquit, *cum fidelibus in vulva matris Ecclesiæ renatus atque nutritus est, & cum electis feminis graditur; quia sanctis animabus sociatur: & cum justis fidelibus agnoscitur, quando in die novissima cum ceteris Sanctis à dextris Judicis collocatus, ab ipso Domino audiet: Euge, serve bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui*, Matth. 25.

VERS. 18. RELIGIOSITAS CUSTODIET ET JUSTIFICABIT (Dionys. legit, *vivificabit*) COR, JUCUNDITATEM ATQUE GAUDIUM DABIT] Religio enim & reverentia cor, id est, animam, mentem & voluntatem sacro quodam divini Numinis metu percellit, ut nihil cogitet, velit aut faciat, quod oculos tantæ majestatis offendat, ideoque ipsa est animæ justitia & sanctitas: facit enim, ut anima cautè & studiosè omnibus suis desideriis & operibus invigilet, necubi labatur; sed ut omnia sanctè peragat, itaque sollicitè ambulet cum Deo suo, uti monet Michæas cap. 6. 8. Vide ibi dicta. Ex hac autem sui custodia & sanctitate sequitur gaudium & exultatio: nihil enim ita gaudet & exultat, uti sancta conscientia & mens sibi conscia recti. Hæc enim est *domesticum & verum tribunal*, ait Nazianz. in plaga grand. *Secura mens, quasi juge convivium*, ait Salomon Proverb. 15. 15. & noster Siracides c. 30. 17. *Non est oblectamentum super cordis gaudium.* Verè S. Cyprianus de Oper. & eleem. *Præclara res*, ait, *& divina, est salutaris operatio, monumentum spei, grande solatium credentium, nostræ servitutis præsidium, tutela fidei, medela peccati.*

Dices: Charitas & gratia sunt, quæ formaliter justificant hominem: quomodo ergo religiositas justificat? Resp. Primò, quia religiositas imperat, & adducit secum charitatem & gratiam, ceterasque virtutes, uti docet D. B Thom. 2.2. qu. 81. art. 8. Resp. Secundò, justitiam formalem consistere, non in sola charitate & gratia, sed etiam in ceteris virtutibus; inter quas tamen eminet charitas: unde in ea præcipuè consistit justitia. Ratio est, quia justitia est reformatio totius interioris hominis: hæc autem fit per omnes virtutes, non per solam charitatem. Audi Concilium Trident. sess. 6. c. 7. *Justificatio*, inquit, *non est sola peccatorum remissio; sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.* Et paulò pòst: *Vnica formalis causa est justitia Dei; non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua, videlicet, ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ; & non modò reputamur, sed verè justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem.* Ex quibus concludit: *Vnde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur per fidem, spem & charitatem.* Hinc in Scriptura justitia nunc tribuitur fidei, ut cùm Christus dicit: C *Fides tua te salvum fecit*, nunc spei: nunc eleemosynæ: nunc pœnitentiæ: nunc aliis virtutibus per synecdochen: quia, scilicet, hæ virtutes sunt partes justitiæ, quæ est complexio omnium virtutum, juxta illud

Justificamur per omnes virtutes.

Justitia in sese virtutem amplectitur omnem.

Maximè verò tribuitur religioni, ob causas dictas versi præcedenti; præsertim, quia per religionem homo se offert & dedicat Deo, itaque quasi consecratur & sanctificatur: unde religio ipsa est sanctitas, uti docet D. Thom. loco jam citato.

TIMENTI DOMINUM BENE ERIT, præsertim in extremis: vnde sequitur, ET IN DIEBUS CONSUMMATIONIS ILLIUS, id est, defunctionis & mortis suæ (pronomen enim absolutum *illius*, ponitur pro reciproco *suæ*, vt dixi can. 18. BENEDICETUR] Repetit & inculcat, verbis nonnihil immutatis, id quod dixit v. 13. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Quare minùs rectè Complut. & alii, pro *consummationis*, legunt *consolationis*; sicque explicant, q. d. Hujus vitæ tempus non est consolationis, sed tentationis & passionis, uti fuit vita Christi: at D tempus futuræ vitæ timentibus Deum erit consolationis & gaudii, quia erit tempus beatæ æternitatis. ita Palacius. VERS. 19.

PLENITUDO SAPIENTIÆ EST TIMERE DEUM] Dixit v. 16. *Initium sapientiæ, timor Domini*: hic verò addit, *plenitudinem* quoque, id est, perfectionem, *sapientiæ* esse timorem Domini; quia, scilicet, per *sapientiam* intelligit practicam, quæ consistit in actione sancta, cujus parens est timor Domini. Quare quantum crescit timor Domini, tantum crescit & sapientia: inchoatus ergo timor est inchoata sapientia; proficiens timor est proficiens sapientia; plenus & perfectus timor est plena & perfecta sapientia: nihil enim aliud est verè sapere, quam Deum timere, id est, revereri & piè colere. Timor ergo est initium sapientiæ, est plenitudo sapientiæ, est corona sapiētiæ; ut sit sapientiæ principium, medium & finis. Vide dicta v. 16. Vnde Tigurina vertit, *revereri Deum, uberrima sapientia est, quæ hominem fructibus suis exsaturat.*

rat. Verè Rabanus: *Quantò*, inquit, *quis magis Deum timet, tantò sapientior apparet: & quantò sapientior, tantò plenior fructibus bonorum operum. Non enim timor Dei est otiosus, sed donis virtutum replet vitam hominis, & thesauris scientiæ spiritalis cor ejus illustrat*. Vnde sequitur:

ET PLENITUDO A FRUCTIBUS ILLIUS] Græcè, μεθύσκει, id est, *inebriat eos à fructibus suis*. q.d. Plenitudo sapientiæ inebriat timentes. Sicut ergo timor Domini affert sapientiæ plenitudinem; ita vicissim sapientia timentibus Deum affert plenitudinem gratiarum, eosque replet fructibus suis. Porrò fructus sapientiæ sunt fructus Spiritus sancti, (hic enim est Spiritus sapientiæ,) quos recenset Apostolus Galat. 5. 22. dicens: *Fructus Spiritus S. est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*. Vnde Syrus vertit, *felicitas inebrians præ multitudine frugum ejus*; Arabicus. *& abundantia illius* (timoris) *implet sapientia universa repositoria sua, & thesauros suos frugibus suis*. Rursum fructus sapientiæ sunt fructus fidei (hæc enim est fidelium sapientia) per dilectionem operantis, quos Paulus recenset Hebr. 11. toto capite.

B Nota Hebraismum: *inebriat*, id est, saturat & replet, quomodo Plautus dixit Captivis: *Unde saturitate ego sæpe exij ebrius*. Et S. Hieron. Quæstion. in Gen. *Idioma*, ait, *linguæ Hebraicæ est, ut ebrietatem pro satietate ponat*. Sic Joseph dicitur cum fratribus inebriatus, id est, satiatus & exhilaratus. Genes. 43. 34. Sic psalm. 65. 11. *In stillicidiis ejus lætabitur germinans*, Hebr. *inebriabitur*, hoc est, terra pluviis irrigata, & quasi inebriata abundè germinabit, ut metaphoricè lætari & ridere videatur. De hac spiritali sapientiæ ebrietate multa dixi Actor. 2. 13. vide & S. Dion. epist. 9. Origen. hom. 3. in Cant. S. Aug. 16. Civit. 12. S. Ambros. serm. 13. in psal. 118. S. Gregor. in cap. 1. lib. 1. Reg.

Paulò aliter hoc explicat noster Pineda lib. 3. de Rebus Salom. c. 26. num. 6. *Plenitudo sapientiæ est timere Deum, & plenitudo à fructibus illius*. q.d. inquit, Tunc tandem in ipsum pelagus plenissimum revertitur & influit sapientia, cùm Deum quærit repetens suam originem: sapientia enim suo quasi pondere & impetu in Deum tendit, nisi per vim quamdam stultitiæ & stultæ cupiditatis humanæ de itinere rectoque suo cursu ad creatas illecebras avertatur. Explicat verò subtiliùs *plenitudinem* hanc esse *à fructibus sapientiæ*, id est, sapientiæ effecta atque actiones, C absolutionem, plenissimamque perfectionem sapientiæ & cognitioni tribuere, quæ sine pietatis & bonorum operum fructu manca futura sit. ita Pineda.

VERS. 21. OMNEM DOMUM ILLIUS, id est, *suam*, putà, animam timentis Deum (unde Complut. habent αὐτῶν, id est, *ipsorum*, putà, timentium Deum) IMPLEBIT A GENERATIONIBUS, ET RECEPTACULA A THESAURIS ILLIUS] id est, *suis*. q. d. Sapientia omnem suam domum, omniaque ejus receptacula, (putà, cubicula & cellaria,) implet suis fructibus & thesauris. Nota Primò. Generationes vocat fructus, quos sapientia generat & producit. Legit Interpres, γεννημάτων, id est, *generationibus*: jam legunt, ἐπιθυμημάτων, id est, *desideriis*, hoc est, rebus desideratis. Secundò, *thesauros* suos vocat proventus suos, ut habent Græca, putà, fructus suos: idem enim dicit aliis verbis hemistichio posteriori, quod dixit priori, uti fit in Psalmis & rythmis. Porrò domus sapientiæ est anima justi, juxta illud Sap. 7. *Sedes sapientiæ anima justi*. Receptacula, sive cellæ & cameræ hujus domus sunt ejus sensus & potentiæ, præsertim intellectus, memoria & voluntas: has sapientia, sive timor Domini implet suis fructibus, putà, virtutibus, consolationibus, desideriis & operibus sanctis. Vnde Vatabl. vertit, *omnem domum ipsorum deliciis suis implet, & suis item cellas proventibus*: paulò aliter Syrus, *omnes thesauros ejus*, inquit, *implebit sapientia, & gratia ejus de frugibus eius*.

Dos octava timoris Dei. Hæc est octava timoris Dei laus, quòd timentes impleat bonis spiritalibus, & consequenter temporalibus, juxta illud Christi promissum Matth. 6. 33. *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia adiicientur vobis*. Vnde Græca addunt: *Utraque verò res sunt dona Dei, quæ faciunt ad prosperitatem*.

Anagogicè, *receptacula* timentium Dominum, sunt domus cælestes, de quibus ait Christus Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Has timentes Deum implent suis bonis operibus & meritis, quæ in illas transmittunt, ibique recondunt; perinde ac apes conficiunt & recondunt mel in cellis alvearii, ut eo pascantur & deliciientur in hyeme.

O æterna Sapientia! ò tranquilla & serena lux! Deus meus, animam meam tuis illustrationibus irradia. Junge me tibi vicinius, ò sol rutilantissime, ut ad calorem virtutis tuæ flores, & fructus sanctæ dilectionis progerminet terra cordis mei. Eja, honor meus, gaudium meum & sincera voluptas mea, Jesu; tantam, quæso, amoris tui flammam in penetralibus cordis mei excita, ut deinceps nihil sub sole eligam, nihil concupiscam præter te. O Domine mi, cælum, terra & omnia, quæ in his continentur, sine te sint mihi velut hybernum gelicidium. Tu solus me afficias, solus lætifices, tui solius amor in intimis meis vivat & ardeat, ac vivus atque ardens permaneat. Illucesce mihi, ò lux fulgida & gratiosa, ut in meridiem clarissimam vertantur tenebræ cæcitatis meæ. Exorna, ò bone Jesu, animam meam illo charitatis decore, quem diligis: impingua eam illo amoris adipe, quo delectaris: aufer ab ea, quidquid oculis tuis minùs placet, & eam redde per omnia tibi placentem.

CORONA SAPIENTIÆ, TIMOR DOMINI, REPLENS PACEM, ET SALUTIS FRUCTUM] VERS. 22.
Nona dos Est hæc nona timoris Dei laus. *Replens*, id est, plenam afferens; Græcè, ἀναθάλλον, id est, *germinans*. Sic sæpè inferiùs sumitur τὸ *replens*. Græca Complut. sic habent, *corona sapientiæ timere Dominum, germinans pacem & sanitatem incolumitatis*; paraphrasticè Tugurina, *religio Domini est corona sapientiæ tranquillitatem pariens, & salutarem incolumitatem, cujus amatores gloria effusè exhilarat*. Ex quibus liquet, timorem Domini vocari *coronam sapientiæ*; non quod ipse sapientiam coronet; sed quòd suos, putà, timentes Deum, coronet & ornet corona sapientiæ, putà, ipsa sapientia, quæ instar coronæ hominem condecorat, ideoque timentes Deum facit locupletes & nobiles, imò reges, juxta illud 1. Petr. 2. 9. *Vos genus electum, regale sacerdotium*. Et illud Philosophi: *Rex eris, si ratio te rexerit. Reges multos, si sapientia regaris*. Vnde Syrus vertit, *multiplicat pacem, & vitam, & sanitatem. Baculus est roboris, & locus accubitus gloriæ* (posset meliùs in regimine verti) *locus recubationis gloriæ, & honor æternus omni, qui ambulat post eam*; Arabicus, *ex ea* (sapientia) *multiplicatur doctrina, & vita & sanitas: & est virga utilitatis, & sustentaculum laudis, & honor perpetuus cuilibet illam quærenti*.

Rursum sapientia est corona triumphi: hanc enim affert & imponit capiti timentium Deum; quia eos per Dei timorem facit vincere omnes tentationes, ac triumphare de peccatis, mundo, carne & dæmone. Ita Palacius. Si ergo sapiens vult de hostibus triumphare, ac victoriæ coronam reportare, timeat Deum. Si vult ipse in regno animæ regnare, & regni sui coronam nancisci, timeat Deum. Si vult cæli regnum adipisci, & cælestis regni corona redimiri, timeat Deum. Timor enim via est ad regnum, via ad coronam, via ad triumphum.

Secundò, & profundiùs videtur hic Siracides illustrare & exaggerare illud, quod dixit v. 18. *Plenitudo sapientiæ est timere Deum*, per emblema & hieroglyphicum coronæ: q. d. *Corona sapientiæ, timor Domini*, id est, absoluta & perfecta sapientia uno timore Domini continetur: corona enim est summitas, fastigium, culmen, apex, finis, consummatio, absolutio rei. Vnde Isidor. lib. 9. Orig. 30. coronam à choro dici putat, eò quòd initio circum *Corona etymon.*
D aras curreretur, atque ad imaginem circuitus vel chori formata sit corona. Festus verò coronam dictam putat, eò quòd cohonoret eum, cui imponitur. Verùm, sic vocanda fuisset cohonora, non corona. Meliùs ergo Carol. Paschal. lib. 1. de Coronis, cap. 1. coronam dictam putat à Græco κορωνὶς, & κορώνη, id est, summitas arcus, hoc est, sphæricum illud & rotundum in semicirculo, vel curvatum, quod est rei fastigium, apex & perfectio. Sic Eccli. 25. 8. dicitur: *Corona senum est multa peritia*; Græcè, πολυπειρία, id est, multa experientia. q. d. Consummatio senilis ætatis est prudentia collecta ex multa experientia. Et Prov. 12. 4. *Mulier diligens, corona est marito suo*: q. d. Marito hæc summa votorum est, hæc ejus perfectio & felicitas, ut habeat coniugem strenuam & sedulam. Sic ait Herodot. de hom. gen. & vita. *Viri quidem corona sunt liberi: turres verò urbis*. Juxta illud Prov. 17. 6. *Corona senum filii filiorum*. Et psal. 127. 9. *Filij tui, sicut*

no-

novella olivarum, in circuitu mensæ tuæ. Cùm enim coronam dicimus, summa præmia & fastigium felicitatis, & quidquid eò pertinet, dicimus. Sic Prov.16.30. dicitur *corona* (id est consummatio) *dignitatis senectus*. Et c.27.24. *Corona tribuetur tibi*. Et c.4.9. *Corona inclyta proteget te*. Similia crebra sunt in Script. Hunc esse sensum patebit ex eo, quod sequitur: *Vidit & dinumeravit eam*. Denique Arabicus intelligit coronam victoriæ & triumphi de domitis vitiis ceterisque hostibus, ut patebit ex verbis ejus, quæ recitabo v.25.

Porrò coronam hanc sapientiæ explicat ex fructu, dum addit, *replens*, id est, plenam afferens *pacem*, *& salutis* (Græcè, ὑγιείας, id est, sanitatis,) *fructum*. q. d. Sapientia est corona, quia omnibus bonis hominem coronat & circumdat: nam pacem animo, sanitatem corpori conciliat, tum in hac vita, tum magis in futura, ubi erit plenissima pax, æquè ac sanitas & salus. *Pax* Hebræis significat non tantùm tranquillitatem, sed & omne bonum: hoc enim ex pace nascitur, sicut pax ex sapientia, hæc ex Deo. Huc facit illud Pindari in Nemeis, ode 8. *A Deo sata divitiæ hominibus durabiliores*. Jam sapientia parit pacem & sanitatem; tum, quia prudens est, & prudenter declinat ea quæ pacem & sanitatem auferre queunt; tum, quia dominatur concupiscentiis, ac passiones mortificat: harum autem mortificatio pacem & salutem, tum animæ, tum corpori affert.

Sapientia mater sanitatis.

Illustre hujus rei exemplum extat in Vita B. Laurentij Justiniani, primi Venetorum Patriarchæ: huic enim sapientia per visum apparens pacem impertivit. Cùm enim ageret annum undevicesimum, qui ætatis flexus lubricus esse solet ac periculosus, apparuisse ei dicitur Dominus Jesus virginis specie, cujus splendor solis splendorem faciè superaret, vultuque placidissimo hæc ei dixisse: *Cur, adolescens, cor tuum effundis, & pacem sectando, te ipsum per multa spargis? Quod quæris, penes me est. Ego, si me sponsam accipere decreveris, pacem hanc certissimè polliceor.* Ille & tanta pulchritudine, & tanto promisso delectatus, quæsivit, *quod ei nomen, quod genus esset*. Tum illa: *Ego sum Dei Sapientia, quæ ad homines reformandos humanam formam indui*. Quare, cùm Laurentius, se verò eam libentissimè accipere respondisset; illa dato osculo læta & gaudens, ut videbatur, abscessit. Ipse autem non multò post in monasterium ad oblatas nuptias se contulit, in quibus abundè id expertus est, quod diximus, non modò nihil se perdidisse, sed multò plura ac meliora, quàm in sæculo habuerat, acquisisse.

Visio sapientiæ, S. Laurentii Justin.

Iisdem de causis sapientia & timor Dei pariunt sanitatem, tum animæ, tum corporis. Quibus accedit, quòd timentes Deum sua pietate & precibus sanitatem à Deo emereantur & impetrent; aut certè vires & alacritatem, ut morbos vigore animi superent, & nihili ducant.

Refert Theodor. in Philotheo, ca.22. Thalassium Anachoretam oratione & signo crucis curasse suos colicos dolores, & viperæ morsus. *Cum hoc morbo colluctans*, inquit, *& tot tantisque doloribus cruciatus, non medicinæ accepit auxilium, non lectum ingredi sustinuit, non à medicamentis aut cibis est recreatus; sed in tabula humi jacente sedens, oratione & crucis signaculo est curatus & carmine divinæ appellationis sopiit cruciatus*. Subdit deinde eum calcando viperam, decem morsibus ab ea fuisse vulneratum: *Sed neque tunc*, inquit, *passus est uti arte medicinæ; sed vulneribus adhibuit sola fidei medicamenta, crucisque signaculum & orationem, & Dei invocationem*.

Exempla

Et c.18. narrans Eusebii Anachoretæ asperam austeramque vitam, subdit: *Hoc autem subiit certamen, cùm vixisset plusquam nonaginta annos; imbecillitate autem quæ narrari non potest, esset affectus: sed imbecillitatem superabat animi alacritas, & Dei amor omnia facilia reddebat & expedita.*

Et c.21. de Iacobo Anachoreta, qui sub dio degens urebatur æstu solis, ac glacie & nive congelabatur: *Adversus omnia*, inquit, *se fortiter & constanter gerit, tamquam in alieno certans corpore, & contendens vincere naturam corporis alacritate animi. Mortali enim hoc & patibili corpore vitam agit tamquam impatibilis; & vitam incorpoream in corpore meditans, clamat cum S. Paulo: In carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* Similia habet ceteris capitibus, præsertim cap. 24. & 29. ubi narrat Ascetas illos priscos, velut sanctitatis heroes, ægrotos, eosdem subiisse labores & agones, quos sani capessebant, quasi morbum nihili penderent. quod & de S. Antonio scribit S. Athanasius in ejus Vita.

Simili modo S. Ignatius, Fundator Societatis nostræ, ex tot laboribus & pœnitentiis afflicta valetudine sæpiùs ægrotans, cùm negotium aliquod arduum ad Dei gloriam tractandum occurreret, vigore animi morbum & dolorem omnem excutiebat, uti refert Ribaden. l.5. Vitæ ejus ca.9.

ET VIDIT ET DINUMERAVIT EAM] Explicat, quomodo timor Domini sit corona sapientiæ: quia, scilicet, sicut corona totum caput ambit, cingit & metitur, ita ut, si viva esset, oculosque haberet, omnia quæ in capite sunt, videret & numeraret; ita timor Domini ambit & cingit sapientiam. Timor enim adæquatur sapientiæ; quia, quanta illa fuerit in homine, tantus erit & timor. Timor ergo videt & enumerat sapientiam non omnimodam, quæ est in Deo; hoc enim negavit v.3. sed determinatam: quæ scilicet, est in timente Deum. Timor enim evoluit omnes animæ & sapientiæ propriæ sinus, ne quid in ea sit insipientię, ignorantiæ, labis aut vitij. Timor animum, ejusque sapientiam quasi Argus centum oculis circumspicit & circumlustrat; omnes ejus angulos, sinus, motus, vias, actiones & opera inspicit & indagat, ut undequaque sit sana, illibata, integra, perfecta, sancta. Græca hic mirè variant, ut videas eis non esse fidendum, sed Latinis codicibus, qui unanimes & constantes hic, æquè ac alibi sunt. Igitur Græca nonnulla hæc legunt, plura omittunt: quædam priorem partem legunt, posteriorem non legunt. Alia, ut Complutens. pro verbis jam dictis legunt: *Dilatat autem gloriatio diligentibus ipsum*. *Dilatat*, scilicet, cor & mentem. Vnde Tigurin. vertit, *cujus amatores gloria effusa exhilarat*; alia, *dilatat autem gloriationem diligentibus ipsum*. q.d. Timor diligentibus Deum latam & magnam affert gloriandi materiam. Est hæc decima timoris Dei laus, quod actus & gressus hominis sapienter dimetiatur & dirigat. Vers.23.

Dos timoris decima.

VTRAQUE AUTEM (scilicet, sapientia & timor Domini, ęquè ac pax & salutis fructus, quem secum afferunt, SUNT DONA DEI. Vers.24.

SCIENTIAM, ET INTELLECTUM PRUDENTIÆ SAPIENTIA COMPARTIETUR] id est, inter suos discipulos, putà timentes Deum, dividet & distribuet; Gręcè, ἐξώμβρησε, id est, instar imbris effundet & dispertiet; largè, scilicet, & liberaliter: quare minùs aptè aliqui vertunt, *distillabit*: stilla enim est parca, rara & modica. Per *scientiam* Jansenius intelligit cognitionem credendorum; per *intellectum* cognitionem agendorum: utramque enim pręstat sapientia. Rabanus per *scientiam* accipit cognitionem fugiendorum, per *intellectum* cognitionem agendorum, juxta illud: *Declina à malo, & fac bonum*: in his duobus enim omnis lex & sapientia, sanctitasque consistit. Planiùs per *scientiam* accipias cognitionem rerum naturalium, non speculativam, sed affectuosam & ardentem; qua Sancti, esto non sint philosophi, per lumen sapientię & Spiritus sancti sapienter contemplantur, & ratiocinantur de sole, luna, stellis, cęlis, elementis, animalibus, plantis, arboribus, pomis, tritico, floribus, pratis, &c. in omnibus laudando Dei sapientiam & providentiam, atque ex singulis utilia haurientes prudentię & vitę rectè instituendę documenta: per *intellectum prudentiæ* accipe intelligentiam & prudentiam in rebus practicis, putà acumen intelligendi, & prudenter judicandi de agendis. Vnde Tigurina vertit, *scientiam & intelligendi artem*; Vatabl. *peritiam effundit sapientia*. ita Palacius.

Talem scientiam habebat S. Franciscus, qui teste S. Bonavent. de Deo & rebus divinis ita sapienter, sublimiter & ardenter disserebat, ut Theologos omnes superaret, cunctique dicerent, hanc ejus scientiam non esse humanam, sed cęlitus acceptam. Sicut enim apes & formicę miram habent scientiam conficiendi alvearia, favos, mella, &c. per instinctum naturę à Deo eis inditum, & quia diriguntur ab intelligentia non errante: sic multò magis Sancti diriguntur à Spiritu sancto, ejusque unctio illos docet de omnibus.

Est hęc undecima timoris Dei laus, quòd suis det scientiam & prudentiam.

Vndecima dos.

ET GLORIAM TENENTIUM (id est, possidentium) SE EXALTAT] id est, altam & excelsam efficit: Tigurina, *& amplectentes se gloria extollit*, scilicet, facit illos gloriosos & celebres. Ita sapientia sancta gloriosos facit SS. Anto- Vers.25.

Antonium, Hilarionem, Macarium, Arsenium, Pachomium, &c. simplices alioqui, & illiteratos. A

RADIX SAPIENTIÆ, TIMERE DEUM] Tigurin. *revereri Dominum, radix est sapientiæ*. Dixit v.16. timorem Domini esse initium sapientiæ: hic addit, eumdem esse radicem sapientiæ: quia, sicut ex radice pullulat tota arbor, ejusque rami, frondes, flores & fructus, ut qualis & quanta sit radix, talis & tanta sit arbor, rami & fructus: ita pariter ex timore Dei pullulat omnis sapientia practica, putà omnis virtus, omnis honestas, omnis actio præclara, omnis vita & conversatio sancta. Sicut ergo agricolæ, dum arborem excolere volunt, excolunt ejus radicem, stercorando, irrigando, ablaqueando, &c. ex radice enim pendet tota arboris fertilitas & felicitas: ita pariter, si sapientiam, omnemque virtutem vis excolere & augere, excole & auge timorem Domini; hic tibi dabit omnem virtutem, omnemque fertilitatem & felicitatem spiritalem. Aliter habet Syrus, nimirum, *radices ejus* (timoris Domini) *vita æterna, & rami ejus longitudo dierum. Beatus vir, qui in eo meditatur; quia ipse est melior illi, quam omnes thesauri. Beatus vir, qui appropinquat ad illum, & mandatis ejus inservit. Coronam æternam* B *imponet illi, & victoriam æternam inter Sanctos. Lætabitur in eo* (timore,) *& ipse* (timor) *lætabitur in eo* (homine timente) *& non abjiciet eum in sæcula sæculorum. Angeli Dei lætabuntur in eo, & numerabunt omnes laudes Dei: liber iste totus verba vitæ. Beatus vir, qui audit & facit eum. Audite me, timentes Dominum, & attendite & intelligite verba mea. Quis est ille, qui vult hereditare vitam, hereditatem æternam, & lætitiam magnam? omnia verba mea audi, & fac, & scriberis in libro vitæ.* Hæc Syrus paraphrasticè potiùs quàm ad litteram interpretans: nec enim hæc sunt in codicibus Græcis aut Latinis; sicut vice versa, quę in iis sequuntur usque ad v. 36. omittit Syrus. Simili modo Chaldęus interpres, qui lingua penè idem est cum Syro, in veteri Testamento sępè longas interserit paraphrases, ideoque Paraphrastes appellatur. Syrum de more imitatur Arabicus, dum ita vertit paraphrasticè, *radices illius* (sapientię, & consequenter timoris Dei) *vita æterna, & arbor illius prolongat dies. Beatitudo illi qui posuit curam suam in ea: quia illa ipsi est magis utilis, quam universa repositoria* (apothecæ.) *Beatitudo homini, qui locutus est in ea, & deductus est in mandatis illius:* C *quia ipsa est coronans corona perpetua, & adveniet illi victoria inter Sanctos in perpetuum. Lætabitur in ea, & lætabitur in eo, & non dereinquet eum in sæculum sæculorum. Angeli Dei lætantur in ea, & præparant omnes laudationes Domini. Et sic liber totus plenus est vita. Beatitudo viro* (beatus est vir) *qui audivit, & operatus est, quod in eo est. O plebs timentium Deum, audite, & attendite ad eloquium meum, & intelligite.* Hicque Arabicus finit caput primum; quare omittit cętera, quę habentur in Latinis & Græcis Bibliis, imò & in Syriacis.

ET RAMI EJUS LONGÆVI] Græcè significantiùs, μακροημέρευσις, id est, *longitudo dierum, longævitas*; Tigurin. *longævæ ætates*. q.d. Sicut ex radice, vel trunco arboris oriuntur & succrescunt ejus rami: sic ex timore Domini oritur longa vita, tum præsens, tum futura. Timor enim Domini, qui est vera sapientia, suos asseclas facit longævos, ac deinde eos transcribit beatæ æternitati. Rursum rami timoris sunt virtutes, gratia & gloria, quæ sunt longævæ; tum, quia durant in æternum; tum, quia timor per eas semper novos, indiesque plures & maiores bonorum operum fructus producit, sicut arbor per ramos D sua poma progignit. Timor enim Domini, qui est amor & charitas, imperat, & imperando producit actus cæterarum virtutum omnium. Vnde, si ex Dei timore & amore te humilias, obedis, pateris; hæc humiliatio, obeditio, tolerantia, est fructus charitatis productus per ramos humilitatis, obedientiæ & patientiæ. Harum enim virtutum sunt actus eliciti, sed imperati à timore & amore Dei.

Nota. Longævitatem congruè tribuit timori: quia timor est custos & conservatio omnium virtutum. Si vis ergo virtutes diu & constanter possidere, time. Si vis perseverare in bono, time, juxta consilium Apostoli: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*, Philip. 2. 12. Qui enim non timent, citò ex præsidentia, levitate, imprudentia, arrogantia perdunt sanctitatem, quam habent, uti perdidit Adam, David, Salomon.

Nota. Timor Dei facit timentes longævos, etiam in hac vita, ob causas, quas dedi v.22. Ita S. Paulus primus Eremita, ex timore Dei fugiens mundum, vixit in spelunca 98. annos, mortuusque est anno ætatis 113. S. Antonius defunctus est anno ætatis 105. S. Romualdus 120. Pachomius 118. Arsenius 120. Plures vide apud Cassian. collat.11.c.4. quin & ceteri plerique Anachoretę longęvi fuere, uti etiamnum sunt Religiosi & Religiosę, quę in monasteriis sine curis & sollicitudine quietè, piè & sanctè Deo usque ad decrepitam ętatem deserviunt: quia timore Dei mortificant bilem, gulam, ceterasque passiones, quę vitam abbreviant, ac sobrietate & lętitia vitam prolongant. Vnde Hippocratis est aphorismus, τὰ ἄχολα μακρόβια, id est, animalia, quę carent bile, sunt longęva, uti cervus, de quo extat Epigramma Virgilii de ętatibus animaliū, in quo longęva recenset & dimetitur: sic enim canit.

Timor Dei facit longævos. Exempla

Ter binos deciesque novem superexit in annos,
Justa senescentum quos implet vita virorum;
Hos novies superat vivendo garrula cornix:
Et quater egreditur cornicis sæcula cervus.
Alipedem cervum ter vincit corvus: at illum
Multiplicat novies phœnix, reparabilis ales:
Quem vos perpetuo decies prævertitis ævo,
Nymphæ Hamadryades, quarum longissima vita est.

Sed audi Plinium lib.7. c.48. *Hesiodus fabulose, ut reor, multa de hominum ævo referens, cornici novem nostras attribuit ætates, quadruplum ejus cervis, id triplicatum corvis. Et reliqua fabulosius in phœnice, ac Nymphis*. Idem lib.8.c.32. *Vita cervis*, inquit, *in confesso longa post centum annos aliquibus captis, cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis jam cute in magna obesitate. Febrium morbos non sentit hoc animal, quin & medetur huic timori. Quasdam nos principes feminas scimus, omnibus diebus matutinis carnem ejus degustare solitas, & longo ævo caruisse febribus.*

Mansuetudo ergo, ęquè ac sobrietas & lętitia, Religiosos & sanctos facit longęvos: Vnde S. Chrysost. lib. Contra vituperat. vitę monast. docet, monachos vivere sanos, ac ob victus temperantiam, agrestium, ut ait, instar animantium vigere, ac vegeto esse corpore: cùm è contrario divites & delicati, qui vulgo habentur beati, velut in cœno jacentes, molliores sint, podagrę, chiragrę, catarrhis, aliisque morbis obnoxij, ideoque brevis ęvi. Et S. Hieron. lib.2. contra Jovin. docet, abstinentiam corpori tuendo conferre, vitamque prorogare, idque ex Medicorum aphorismis confirmat.

Est hęc duodecima timoris Dei dos & laus, quòd timentes faciat longęvos; quia arcet tres brevis ęvi radices, scilicet, gulam, & utramque bilem, flavam & atram, putà, choleram & melancholiam: hęc enim multos immaturè enecat & occidit.

Duodecima timoris dos.

IN THESAURIS SAPIENTIÆ INTELLECTUS, (id est, intelligentia) ET SCIENTIÆ RELIGIOSITAS] id est, scientia religiosa, sive religio sciens & prudens, non ignorans & errans, qualis est superstitio, ut dixi v.16. Hic versus non est in Gręco, sed ei similis subditur v. 31. Sensus est, q. d. Sapientia est locuples & opulenta, ingentes habet thesauros: thesauri ejus sunt spiritales, putà, intelligentia, qua ornat, locupletat & replet intellectum, ac omnes virtutes (has enim secum quasi comites & pedissequas adducit religio, Deique cultus,) quibus ornat repletque voluntatem, atque ex thesauris hisce suis utraque depromit, eaque suis studiosis affatim elargitur. VERS.26.

Nota. Siracides hęc tria, scilicet, *sapientiam, timorem Dei & religionem*, quasi pro uno & eodem sumit: quia intelligit sapientiam practicam, quę in honesta actione & vitę sanctitate, putà, Dei cultu consistit, uti jam sępiùs dixi: unde illi per antithesin opponens peccata & peccatores, subjicit.

EXECRATIO AUTEM PECCATORIBUS SAPIENTIA] Quocirca hanc antithesin clariùs Tigurina ita vertit, *thesauris sapientiæ inest intelligentia, scientiaque sanctitas; sed scelerosis execrationi est sapientia*. Hinc eamdem antithesin disertè exprimens subdit Noster:

TIMOR DOMINI EXPELLIT PECCATUM] *Sive quod jam admissum est, sive quod tentat intrare. Expellit sane illud quidem pœnitendo, hoc resistendo*, ait S. Bern. de diversis affection. animæ. *Timor enim Domini expellit peccatum*; tum præteritū per cōtritionē, ad quam excitat timor, id est, VERS.27.

id est, metus & reverentia Numinis; tum præsens & futurum: cavet enim, ne Numen tantum offendat, quod acerrimè judicat & vindicat omne peccatum. ita Rabanus. Maximè verò expellit peccatum impatientiæ & murmuris, ne homo, cùm in hoc mundo affligitur, & multa tristia patitur, impatiens fiat, Deoque obmurmuret; sed ei cum submissione, & metu & reverentia se subdat & resignet. Vnde timorem ita definit Clemens Alexand. 2. Strom. *Timor est cautio rationi consentanea, & ejus quod lædit declinatio.* juxta illud Isaiæ 26. 17. *A facie tua, Domine, concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum.* Pro quo S. Cyrillus vertit, *propter timorem tuum, Domine, nos uterum gessimus, & parturivimus, & gravidi fuimus super terram.*

Græca habent, *timor Domini expellit peccata: perseverans autem avertit iram*; Tigurina, *religio Domini peccata depellit; & quamdiu præsens est, arcet iram.* Nam, ut ait S. Basilius in initium Proverb. *Sicut cruci affixus movere nec manus potest, nec pedes: sic qui timore Domini configitur, extra illius nutum nequaquam movetur.* Timor ergo Dei est crux vitiorum. Et Tertull. libr. de Cultu feminarum: *Qui præsumit,* inquit, *minus veretur, minus præcavet, plus periclitatur: timor fundamentum salutis est.* Quidni ergo pariat salutis fructum? *Præsumptio impedimentum timoris: utilius ergo, si speremus* (id est, timeamus, ait Pamelius) *nos posse delinquere; sperando enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo salvi erimus.* Causam subdit.

NAM, QUI SINE TIMORE EST, NON POTERIT JUSTIFICARI] Sic quoque legit Clemens Alexandr. 1. Pædagog. c. 8. pro quo Græca habent, [illegible] (alii, [illegible], id est, *iracundia injusta*,) [illegible], id est, *vir iracundus non poterit justificari*, id est, in justitia conservari. Audacia enim; eique affinis ira, opponitur & contraria est timori, ut docent Ethici. Igitur, *qui sine timore est*, idem est quod audax, animosus, iracundus. Sicut ergo timor frænat & coercet impatientiam, murmura, ceteraque peccata: ita audacia & ira frænos dirumpens in impatientiam, murmura & quælibet peccata, velut equus indomitus prorumpit & ruit. Hoc est, quod subdit.

IRACUNDIA ENIM ANIMOSITATIS ILLIUS, SUBVERSIO EJUS EST] Græca, *nam ruinam ei creat ipsius ad iram proclivitas*: ruit enim audax & iracundus quasi effrænis in sua damna, putà, in maledicta, jurgia, blasphemias, &c. quibus sibi pœnas ingentes conciliat. Vnde S. Ephrem tract. de Panoplia: *Ira,* ait, *est velut anceps gladius: uno momento perimit eum, quem percutit, sicut scriptum est: Momentum enim furoris, ruina illius.* Græcum enim [illegible] multa significat, scilicet, declinationem, devergentiam, proclivitatem; item momentum, putà, lancis ad imum vergentis inclinationem, nutum, declivitatem, propensionem: propriè enim de lancibus stateræ dicitur. Porrò dicitur momentum, ira: quia ira parùm durat, juxta illud: *Ira furor brevis est.* Sed eadem creat ruinam longam, ut patet si quis in ira aliquem vulneret, occidat, &c. Huic opponens patientem, subdit: *Vsque in tempus sustinebit patiens.*

Possunt tamen hæc generaliùs accipi, & cuivis peccato adaptari: q. d. Qui nimis afficitur suis peccatis & concupiscentiis, videns legem Dei sibi obsistentem, illi irascitur: quæ ira facit eum animosum ad peccandum, ut suis cupediis indulgeat: sed hæc animositas subversio ejus est, quia præcipitat eum in ruinam, putà, in mortem animæ præsentem & æternam. ita Palacius & Rabanus.

Decimatertia timoris dos, quòd expellat peccata. Moral. hic Nota, hanc esse decimamtertiam timoris Dei vim & laudem insignem, quòd expellat peccatum, ut licet nos validissimi hostes, putà mundus, caro & dæmon, ad peccata propellant; nos tamen ab iis cohibeat, & hæc omnia vincat timor Dei: quia eum summè reveretur; Primò, ut Deum; Secundò: ut summum omnium dominum; Tertiò, ut amantissimum patrem; Quartò, ut sponsum charissimum; Quintò, ut amicum fidelissimum; Sextò, ut judicem & vindicem severissimum. Quocirca timens Deum, dum ad peccandum sollicitatur, dicit cum Joseph: *Quomodo possum malum hoc facere, & peccare in Deum meum?* Genes. 39. v. 9. Nam, ut sapienter ait Symmachus epist. ad Imperatores (quæ habetur lib. 2. epist. S. Ambrosii) *Plurimum valet ad metum delinquendi, præsentia religionis urgeri.* Et cum Susanna: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Daniel. 13. 23. Et cum Psalte psalm. 118. 101. *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua. A judiciis tuis non declinavi; quia tu legem posuisti mihi.* Et cum Job c. 31. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hereditatem Omnipotens de excelsis? Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Et v. 14. *Quid enim faciam, cùm surrexerit ad judicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebo illi?* Et v. 23. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.* Hinc Theodor. lib. 1. de Curand. Græc. affect. timorem Dei comparat cum potione amara, sed purgativa: illo enim peccatorum morbidi humores, præsertim flatus superbiæ & animositatis, exhauriuntur, & sanitas menti restituitur. *Timor Dei,* inquit, *medicamentum est optimum, quod ex malis* (suppliciis,) *& ex bonis conficitur, sicut in theriacis accidit.* Beda in Proverbiis, *Vbi,* inquit, *non est timor Dei, ibi regnum est peccati: ubi verò est timor Dei, ibi est regnum Dei & sanctitatis.*

B Quocirca S. Joannes Baptista, vox clamantis in deserto, non nisi timorem Dei clamabat, ut eum hominibus imprimeret. Matth. 3. 16. *Progenies viperarum,* inquit, *quis demonstravit vobis fugere à ventura ira?* Quin & Christus Matth. 10. 28. *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Quapropter sapienter dixit Clemens Alexand. lib. 2. Strom. *Fides est prima ad salutem inclinatio, post quam timor est, & spes, & pœnitentia.* Et aliquantò pòst: *Qui timorem damnant, ii legem etiam insectantur; quod si legem, clarum est, quod & Deum, qui legem dedit.* His consentiunt ea, quæ apud B. Athanasium loquitur S. Antonius: *Formido* (inquit) *judicii, & pœnarum timor horridus, lubrica carnis incentiva dissolvit, & ruentem animam quasi ex aliqua rupe sustentat.* Idem sentit S. Basilius hom. 8. in psal. 32. *Necessariò* (inquit) *velut introductorius ad pietatem timor assumitur: dilectio verò deinceps succedens à timore scientificè adoptatos perficit.* Pleniùs hom. 9. in psal. 33. *Timor,* ait, *salutaris & timor sanctificationem faciens, qualis sit, vix exponam? Cùm ad peccatum aliquod progredi voles, cogita mihi horrendum illud & non ferendum Christi judicium,* & cetera quæ deinceps subdit, cùm concludit:

C *Hac time, & hoc timore eruditus animam à concupiscentia ad hæc mala, velut fræno quodam retrahe.* Porrò Chrysost. hom. 15. ad Pop. Antioch. gehennæ metum etiam in anima hominis justi, militem ait esse fortem & armatum, qui fures & latrones, omnesque hostes longissimè à domo arceat. Quocirca Ambrosius in psal. 118. ser. 20. scribit, beatos Martyres inter ipsa carnificum supplicia positos, timore gehennæ ante oculos mentis propositæ, earum pœnarum vicisse timorem, qui à carnificibus incutiebatur. At S. Hieron. epist. 22. ad Eustoch. de Custod. virg. se ait gehennæ metu solitudinem, ac durissimæ vitæ genus elegisse. Nec dubitat S. August. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 18. hunc timorem gehennæ, Dei donum appellare. Certè Cassianus collat. 11. c. 28. *Est* (inquit) *gradus cujusdam profectus, ut dum vel pœnarum metu, vel præmiorum spe incipimus vitia declinare, ad charitatis gradum transire possimus.* Omnes verò Gregorius hom. 26. in Evang. hortatur, ut futurum judicium timeant, antequam veniat. Rursus hom. 34. *Prava mens* (ait) *si non priùs per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emundatur.* Nec frustrà toties timoris dignitas ac præstantia in sacris Literis extollitur. *Beatus vir* (inquit David)

D *qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. Gloria & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in seculum seculi.*

VSQUE IN TEMPUS SUSTINEBIT PATIENS] Vers. 29.
Græcè, [illegible], id est, *sustinebit*, pro quo Romani legunt, [illegible], quod Primò, sumi potest pro [illegible], id est, sustinebit, tolerabit, perferet, perdurabit. Secundo, verti potest, resistet, reluctabitur, scilicet, tentationi. Tertiò, adhærebit, velut unguibus affixus, scilicet, suæ patientiæ, eamque mordicus retinebit. Quartò, complectetur; mutuoque complexu sibi astringet, tum suam crucem, tum suam patientiam, quasi sponsam sibi electam & dilectam. Opponit [illegible], id est, audaci, impatienti, iracundo, [illegible], id est, longanimem & patientem; quòd hic ad tempus sustineat adversa quælibet, spe gloriæ cælestis; ille illicò iis resistat, eaque excutere

satagat, ideoque lites & rixas concitet. Vnde de pa- A tiente ait:

ET POSTEA REDDITIO JUCUNDITATIS.] Legit Interpres, [illegible]: jam legunt, [illegible], id est, *pullulabit*, & quasi de terra exorietur, ac germinabit *ei lætitia*. [illegible] enim, id est reddo, capitur pro [illegible], id est, pullulo, germino. Est metaphora apposita & elegans ab arboribus, quæ in hyeme patiuntur gelu, nives, frigora, iisque spoliatæ foliis & frondibus quasi canescunt & emoriuntur; sed tunc introrsum vires suas recipiunt, ut omnis calor cogatur in radicem, qua è terra humorem sugant: itaque radix fœta & gravida, in vere quasi radiis solis vivificata germinet, & in lætas frondes, flores & fructus erumpat. Pari enim modo patiens in adversis, quasi in hyeme, introrsum per patientiam se recipit in animæ penetralia, ibique vires succumque patientiæ, humilitatis, ceterarumque virtutum colligit, quæ mox parient ei meritos lætitiæ & gloriæ fructus. Hisce enim Deus remunerabitur & præmiabit ejus dolorea, & patientiam. Justus est ergo instar palmæ plantatæ *secus decursus aquarum, qua fructum dabit in tempore suo*, id est, in tempore novissi- B mo, ait S. August. in psal. 1. Vnde Tigur. vertit, *qui patiens est usque ad tempestivitatem, præstabit tolerantiam, & postea exorietur ei lætitia*. q. d. Vir justus tentatus & afflictus patiendo sustinebit, usquequò transeat afflictionis tempus; tunc pro illa succedet tempus hilaritatis: sicut enim nocti succedit dies, hyemi ver, tempestati tranquillitas, pluviæ & caligini serenitas; ita tentationi jucunditas.

Patiens est quasi arbor hyberna.

Congrua ergo & illustris est hæc metaphora ab arbore, cujus truncati rami, exusta folia, vix remanet stipes, ut putetur exuccus, & non nisi ignibus aptus, hyemali tempore: at eadem appetente vere revirescit ac repullulat. Nullus igitur animo cadat, etiam hybernis oppressus, & velut sepultus, tribulationum rigoribus; Deo iterum flante, ac benè prosperante, repullulabit, duplo amplioribus bonis cumulatus, ut contigit S. Iob. Exemplo apum apposité idipsum illustrat Vrbanus IV. Pont. in psal. 50. qui extat tom. 1. Biblioth. SS. Patrum: *David*, inquit, *de persecutoribus suis dicit*, psal. 117. *Circumdederunt me sicut apes. Apes enim, etsi inferant punctionis dolorem, amantur tamen; quia mellis dulcedinem administrant: sic & persecutores meos, Domine, amare volo, & punctiones, quas mihi amaris conatibus inferunt, contribulato spiritu tolerare, ut mellita jucunditas subsequatur. Nam per quemdam Sapientem audio, Domine, te dicentem, quod usque ad tempus sustinebit patiens, & postea redditio jucunditatis.* Alludit Siracides ad Habacuc 2. 3. *Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce, qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivet.* Et ad Isaiæ 61. 3. ubi Christus ait, se missum & unctum Spiritu sancto, *Ut consolarer*, inquit, *omnes lugentes in Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Vide ea quę utrobique dixi. Hoc est, quod canit Psaltes: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Psal. 26. 14. Et Aggæus c. 2. 7. *Adhuc unum modicum est, &c. & veniet desideratus cunctis gentibus.* Et Christus vadens ad mortem Ioan. 16. 17. *Modicum, & jam non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me.* Et v. 22. *Vos igitur nunc tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a* D *vobis.* Quocirca sapienter Tertul. lib. de Patientia: *Idoneus*, inquit, *patientiæ sequester Deus: si injuriam deposueris penes eum, ultor est: si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem!* Hoc significat, & *redditio*.

VERS. 30 BONUS SENSUS, id est, vir sensatus & patiens, USQUE IN TEMPUS ABSCONDET VERBA ILLIUS, id est, sua: q. d. Reprimet suam iram & impatientiam, ne in verba iracunda & maledica prorumpat. & (id est, idcirco,) LABIA MULTORUM ENARRABUNT SENSUM ILLIUS] q. d. Multi laudabunt & celebrabunt eius prudentiam & sapientiam, quam in patientia ostendit. Vnde Græca habent, *idem* (patiens) *verba sua tempestive supprimet, & labia multorum* hoc enim est πολλῶν, pro quo Romana legunt πιστῶν, id est, *fidelium*) *consilium ejus prædicabunt*.

Decimaquarta timoris dos.

Hæc est decimaquarta timoris Dei laus.

Ita S. Monica, ait S. August. 9. Confess. c. 9. *noverat non resistere irato viro, non tantum facto, sed ne verbo quidem. Jam verò refracto & quieto, cum opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si forte ille inconsideratius commotus fuerat.* Hac patientia & silentio jugem cum eo habuit pacem, tandemque eum ad Christum convertit.

IN THESAURIS SAPIENTIÆ SIGNIFICATIO DISCIPLINÆ] scilicet, *est*; Græcè [illegible], id est, *in thesauris sapientiæ sunt parabolæ scientiæ*. Parabolæ ab Hebræis vocantur sententiæ graves, abditæ, doctæ, prudentes, quæ docent & dictant, quomodo vita honestè, prudenter & sanctè juxta Dei legem & disciplinam sit instituenda. Has quasi res pretiosas & gemmas in suis thesauris habet sapientia, indeque eas promit, & suis doctoribus communicat. VERS. 31.

EXECRATIO AUTEM PECCATORI, CULTURA DEI] Græcè θεοσέβεια, id est, religio, pietas, cultus Dei, quem docet sapientia & disciplina, quique consistit in timore & amore Dei, uti dixi v. 26. (& sic patet antithesis hujus hemistichij cum præcedenti: disciplina enim est cultura Dei:) hic enim versus cum illo, licet verbis nonnullis discrepet, re tamen & sensu est unus & idem. Vnde Tigurina vertit, *in thesauris sapientiæ latet scientia* (Vatabl. *allegoria*; alij, *ænigmata*; alij, *parabola*: Græcè enim est παραβολαί,) *scelerosο verò est pietas execrabilis*. Vox *parabola* significat, qualis fuerit, & esse debeat sermo & doctrina sapientum, nimirum, *parabola scientiæ*, id est, scita, prudens, arguta: hac enim in supellectile sapientię, & in illius thesauris reconditissimis nihil est pretiosius vel illustrius. VERS. 32.

Dicitur autem, *significatio disciplinæ*; quia non debet parabola rem apertè ostendere, sed tantum subobscurè significare. Et hujus obscuritatis causam subiicit; quia peccator execrabitur sapientiam, & occludet aures, si clarè illi salutaria de moribus probis consilia ingeras: qua de causa Christus suam sapientiam Pharisæis, eorum taxans vitia, & carnalibus Iudæis ingerebat per parabolas, Matth. 13. Sic Salomon suam sapientiam conscripsit & inscripsit *Parabolas, quæ succinctis, brevibusque sententiis ingentes & perfectos continent sensus*, inquit Origen. prol. in Cantica.

Post hanc sententiam in vetusto codice Græco subiungitur ista: *Timor Domini, donum à Domino; etenim eximiæ dilectionis vias constituit.* Vt appareat; multis modis hunc librum fuisse coagmentatum: prior enim sententiæ jam dictæ pars continetur v. 23. posterior v. 14.

FILI, CONCUPISCENS (legit Interpres, uti & S. August. in Speculo, ac Complut. ἐπιθυμήσας cum accentu in penultima: sed Romana editio Græca, S. Hieron. in cap. 19. Osee, S. Hilar. in psalm. 1. & S. August. 22. contra Faust. c. 53. legunt, ἐπεθύμησας, cum accentu in antepenultima, id est, *concupisti*, cum nota interrogationis: sed eodem redit sensus) SAPIENTIAM, CONSERUA JUSTITIAM; Græcè, ἐντολάς, id est, præcepta, mandata. q. d. Fili, si concupiscis ambisque sapientiam, observa Dei mandata: hæc te recto calle ducent ad sapientiam. ET DEUS PRÆBEBIT ILLAM TIBI] tamquam sibi fideli amico, pio & obsequenti. Nam *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*, Sap. 1. Iustitia ergo hic generalis intelligitur, quæ consistit in observatione omnium mandatorum Dei: hæc enim hominem facit & denominat justum. Sic Psaltes toto psal. 118. docet, veram sapientiam sitam esse in lege Dei, ejusque custodia. VERS. 33.

Id symbolicè significatum fuit in matrimonio Iacob, qui priùs duxit Liam, deinde Rachelem: Lia enim significat laboriosam justitiam; Rachel speciosam intelligentiam. Ita docet S. August. 22. contra Faustum, cap. 53. *Prior est*, inquit, *in recta hominis eruditione labor operantis quæ justa sunt, quam voluptas intelligendi quæ vera sunt. Ad hoc valet, quod scriptum est: Concupisti sapientiam? serva mandata, & Dominus præbebit illam tibi; Mandata utique ad justitiam pertinentia: justitia autem, quæ ex fide est, quæ inter tentationum incerta versatur, ut piè credendo, quod nondum intelligit, etiam intelligentiæ meritum consequatur.* Et mox: *Proinde in his, qui flagrant ingenti amore perspicuæ veritatis, non est improbandum studium, sed ad ordinem revocandum, ut à fide incipiat, ut bonis moribus nitatur pervenire quò tendit. In eo quippe quo versatur, virtus est laboriosa: in eo verò quod appetit, luminosa sapientia. Illi ergo respondeatur: pulchrum est quidem quod desideras, &*

amari

amari dignissimum: sed prius nubit Lia, & postea Rachel. Ardor ergo iste ad id valeat, ut ordo non recusetur: sed potius toleretur, sine quo non potest perveniri ad id, quod tanto ardore diligitur. Cum autem perventum fuerit, simul habebitur in hoc sæculo, non solum speciosa intelligentia, sed & laboriosa iustitia. Sic S. Marcella, ait S. Hieron. epist. ad Principiam, sequebatur illud Psaltis psal. 118. *A mandatis tuis intellexi, ut, postquam mandata complesset, tunc se sciret mereri intelligentiam Scripturarum.*

Est hic tertia capitis pars, quæ post encomium sapientiæ & timoris Dei, modum ea assequendi præscribit, putà, justitiam, quæ sita est in observatione mandatorum Dei: timor enim Dei parit justitiam; justitia parit sapientiam. Causam subdit dicens:

Vers. 34. SAPIENTIA ENIM ET DISCIPLINA (supple, est) TIMOR DOMINI] q. d. Via & modus acquirendi sapientiam est justitia, sive observatio mandatorum Domini; quia sapientia est timor Domini; vel certè connexa cum timore Domini, ex quo oritur justitia & observatio mandatorum. Ubi Nota. Hæc tria, sapientia, timor Domini, observatio mandatorum, ita inter se connexa sunt, ut ubi est unum, ibi sint reliqua duo, & quantum B crescit unum, tantùm crescant reliqua duo: crescente ergo timore crescit observatio mandatorum, crescit & sapientia practica: *Quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ*, Proverb. 6. 23. Et: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, psal. 118. 8. & v. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Vice versa quantum crescit observatio mandatorum, tantum crescit & timor amorque Dei, ac proinde tantumdem crescit & sapientia, juxta illud *Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me; quia mandatis tuis credidi*. Psal. 118. 66. Quocirca Job c. 28. 28. *Ecce*, ait, *timor Dei ipsa est sapientia, & recedere a malo intelligentia*: quia, scilicet sapientia practica, cùm sita sit in actione honesta, sita pariter est in timore Dei, qui excitat ad omne honestum, ut verè sit sapiens, qui timet Deum, ejusque legi obedit.

Sapientia timor Dei & custodia legis, quem inter se habeant ordinem? Resp.

Nota. Hæc tria, scilicet, sapientia, timor Domini, observatio mandatorum, si propriè & per se sumantur, distinguuntur, sicut pater, filius, nepos: aut sicut prudentia, virtus, & ipsa actio virtutis. Nam sapientia est dictamen sapientiæ, quod dictat, timendum esse Deum, ejusque mandata observanda. Timor deinde timet Deum, ac stimulat timentem Deum, ut ejus mandata observet. Unde Tertiò, timens Deum impulsus hoc timore mandata observat. Sic prudentia dictat amandam vel exercendam esse virtutem. Ex quo dictamine homo excitatur ad eam amandam, ut eam habitualiter possideat. virtus deinde habitu possessa movet, & stimulat eum possidentem ad exercendas actiones virtuosas. Igitur sapientia generat timorem Dei, timor generat observationem mandatorum: sicut prudentia generat virtutem, virtus generat actiones virtuosas; & sicut pater generat filium, filius gignit nepoté.

Hinc sequitur Primò, hæc tria inter se esse connexa, ita ut unum quodlibet sine aliis duobus consistere nequeat.

Dices, Potest esse sapientia sine timore, & prudentia sine virtute, ut patet in impiis: hi enim prudenter judicant esse sobriè vivendum, imò in particulari hic & nunc temperandum sibi esse à vino, ne se inebrient; & tamen dulcedine vini illecti intemperanter bibunt, seseque inebriant.

Resp. Hi habent prudentiam quamdam speculativam, & quasi in abstracto, non tamen habent veram sapientiam & prudentiam practicè practicam, quæ actu imperat & elicit opus virtutis. Sicut enim pater dicitur, non qui potest generare filium, sed qui actu generat: & sicut gratia efficax non dicitur, nisi quæ persuadet voluntati consensum: sic pariter sapientia, & prudentia vera, efficax & actualis non est, nisi quæ persuadet voluntati, ex eaque elicit actum virtutis. Causa enim in actu, & effectus in actu semper sunt simul: implicat enim causam causare effectum, & tamen effectum ab ea non produci. Igitur, ubi est vera & practica sapientia, ibi est timor Dei, & observatio mandatorum; atque ubi est vera & practica prudentia, ibi pariter est virtus & exercitium virtutis.

Sequitur Secundò, ex eo quòd hæc tria ita connexa sint ut semper pari passu incedant, quòd quantum crescit unũ, tantum crescant & reliqua duo: quantum ergo crescit sapientia, tantum crescit timor, & amor Dei; & quantum crescit timor & amor, tantum crescit observatio mandatorum.

Sequitur Tertiò, ex hac indissolubili horum trium connexione, quòd sicut sapientia & prudentia crescens producit majorem timorem & virtutem, atque hæc majores virtutum actus; ita vice versa majora virtutum opera faciant crescere, & intendant habitum timoris & virtutis; & hic intendat habitum sapientiæ. Unde commune Philosophorum & Theologorum axioma est, actus intensos intendere habitum virtutis. Ac fides docet, actus præsertim intensiores virtutum supernaturalium mereri, & secum afferre augmentum gratiæ, charitatis & virtutum: sic fumus producit flammam, & flamma vicissim auget fumum. Quare non mirum, Siracidem hic nunc docere, quòd sapientia pariat timorem & justitiam; nunc vice versa, quòd timor, & justitia pariant sapientiam: quia, scilicet, ejus augmentum merentur, & secum afferunt.

Sequitur Quartò, licet hæc tria præcisè sumpta distinguantur modo jam dicto; tamen propter intimam eorum connexionem commisceri, confundi & sæpè pro eodem sumi: sic enim prudentia ab Ethicis sæpè sumitur pro ipsa virtute, quam dictat & imperat: tunc enim prudentia vocatur non tantùm dictamen prudentiæ; sed ipsa actio prudens, quæ non est alia quàm virtus. Est synecdoche, vel metonymia. Simili modo Siracides hic sæpè commiscet, & confundit sapientiam cum timore & justitia: quia sapientiam dilatat, & sumit non tantùm pro dictamine sapientiæ, sed pro sapienti opere timoris, & amoris Dei, quod ipsa imperat & producit. Unde v. 20. ait: *Plenitudo sapientiæ est timere Deum*. Et hoc vers. ait: *Sapientia & disciplina timor Domini*, & multa similia. Hæc valdè Nota, ut videas, hìc non committi circulum à Philosophis damnatum, atque concilies multa loca, quæ alioqui videntur esse contraria & inextricabilia.

Siracides hanc sententiam, uti & alias multas, mutuatus est à Salomone Proverb. 15. ubi, cum dixisset Salomon v. 32. *Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis*; causam sui dicti subiicit v. 33. dicens, *timor Domini, disciplina sapientiæ*; Hebr. *timor Domini, eruditio sapientiæ*; Septuag. quos sequitur Siracides, *timor Domini, di-* C *sciplina & sapientia*. q. d. *Qui acquiescit increpationibus, possessor est cordis*, id est, cordatus est & sapiens, suæque mentis dominus; quia talis habet timorem Dei: hic enim timor hominem disciplinæ & eruditioni subiicit. q. d. Nihil aliud liberam & sui juris humanæ mentis naturam, disciplinæ, id est, directioni, correctioni & correptioni legis aut rectoris, cui cura & custodia legis incumbit, subdere & subiicere potest, nisi Dei timor. Hic enim *super omnia se superposuit*, Eccli. 25. 14. adeoque mentem ipsam sibi, legique Dei subjugat: hanc vero ut occupavit, arbitrio suo regit & impellit, itaque fit id, quod subdit Salomon: *Et gloriam*, quam affert Dei lex & sapientia, *præcedit humilitas*, qua quis humiliter se subiicit Dei legi & disciplinæ.

ET (id) QUOD BENEPLACITUM EST ILLIS, (est) FIDES ET MANSUETUDO] Græcè clariùs & breviùs: [illegible], id est, *grata sunt ei fides & mansuetudo*: quia in his duobus quasi cardinibus vertitur omnis Dei lex, timor, cultus sapientia & prudentia. *Fides*, id est fidelitas, in actione consistit, eamque dirigit; quia facit, ut fideliter præstemus D officia, quæ tam Deo & proximis, quàm quæ nobis ipsis debemus; *mansuetudo* in passione cernitur, ut scilicet, mansuetè omnia adversa quæ patimur, toleremus. [illegible] Græcis est benevolentia, beneplacitum, voluntas, putà, id quod Deus vult, in quo sibi complacet, quod ei gratum est, de quo delectatur, & quasi pascitur. Vers. 35.

Unde ET Deus ADIMPLEBIT THESAUROS ILLIUS] qui hæc duo habet, ut ostendat, quàm illa ipsi sint grata & beneplacita: *implebit*, id est, plenos ei afferet thesauros bonorum, tum spiritualium tum corporalium: sic enim τὸ *implere* pro plenum facere, vel plenum afferre, passim hoc libro sumitur, uti dixi v. 22. Hoc est, quod ait S. Jacobus cap. 3. *Quis sapiens & disciplinatus inter vos? Ostendat bonam conversationem in mansuetudine sapientiæ*. Verè Rabanus: *Omnis bonorum vita*, ait, *tranquilla est. Unde virtus & sapientia Dei Christus suos docuit dicens: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, &*

inve-

invenietis requiem animabus vestris, Matth. 11. *Et aptè dicitur, quòd implet thesauros illius: quia qui verè timet Deum non potest esse sine fide & bonis operibus, quę timentem Deum sacris virtutibus implent, & faciunt eum acceptabilem esse Deo. Unde in Ecclesiaste c. 2. scriptum est; Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem & curam superfluam*.

Vers. 36. Ne sis incredibilis (id est, incredulus, hoc est, Primò, inobediens, rebellis, contumax) timori Domini] ut respuas ea, quæ timor Dei agenda esse dictat. Unde aliqui legunt, *contumax ne sis & incredibilis*. Ubi τὸ *contumax* irrepsit ex interpretatione & commentario alicujus interpretantis τὸ *incredibilis*. Secundò, *ne sis* incredulus, id est, diffidens: q. d. Ne diffidas, cùm in difficultates aliquas incideris, vel egestate premeris, (unde Regia addunt, ἐνδεὴς ὤν, id est, *cum es egens*,) te per timorem Domini inde liberandum, protegendum & salvandum, quasi Deus nolit, aut non possit tibi succurrere, idcoque ad opem dæmonis, putà, ad sagas & magos, vel ad hominum auxilia & solatia Deo diffisus confugias. Tigurina vertit, *religioni Domini parere ne recuses inops, nec ad eam ficto animo accesseris*.

Vers. 37. Et ne accesseris ad illum (timorem Domini, & consequenter ad ipsum Dominum) duplici corde] hoc est, non sincerè, sed fictè & hypocriticè, simulans exterius coram hominibus, te velle Deum colere, illi fidere & obedire; cùm interius in corde illi diffidas, & obstrepas. Patet ex sequentibus. De duplici corde plura dicam cap. 2. 14. Transit à timore & sapientia ad ejus contrarium, scilicet, hypocrisin, ut illam per contrarium illustret: dixerat enim vers. 33. viam ad sapientiam esse justitiam, id est, observationem mandatorum Dei: nunc qualis ea esse debeat, ostendit, scilicet, vera & sincera, non ficta & hypocritica; hypocrisis enim omnem veritatem, veramque justitiam, obedientiam & virtutem enervat & elidit.

Ne fueris hypocrita in conspectu hominum (ut fingas te timere Deum, religiosum esse, devotum & sanctum, ac glorieris te ab iis talem haberi & prædicari. Quidam ex Græco vertit, *ne sis actor tragœdiæ seu comœdiæ: ne sis histrio, nec mimus ad ora hominum*. Hypocrita enim dum aliam & aliam personam induit, est velut mimus & histrio. Tigurin. more suo liberè vertit, *ne te conformes ad sermones hominum*) et non scandalizeris in labiis tuis] Græcè, *attende labiis tuis*, ne, scilicet, per ea loquendo, tuamque sanctitatem ostentando, & prædicando, scandali & ruinæ tibi sis causa, quod Noster vertit, & (id est, ut) *non scandalizeris in labiis tuis*: scandalum enim est offendiculum, casus & ruina.

Hypocrisis symbolum est struthio. Hypocrisis symbolum est struthio, de quo hunc apologum scitis gnomis variegatum texit Cyrill. lib. 2. Apolog. moral. c. 22. cujus titulus: Contra eos qui gaudent tantùm videri, cùm non sint. *Struthio*, inquit, *positus inter aves, gloriæ cupidus, sed existentiæ vacuus, ostentationis vento mox alarum altioribus sparsis velis, majores se pennas habere gloriabatur. Cui aves dixerunt: Vanus quidem apparentiæ cortex, quem substantiæ medulla intus non implet, & propter hoc si alarum sublimium pennosa jactantia sursum corde levaris, earumdem potentia ventilatus, jam corpore nos præcede majori. Quo dicto illis avolantibus, cùm ipse terrestrior mole prægravatus in terra retineretur, subridens pomposum desuper corvus clamavit, & dixit: Struthio frater ubi est pennarum superbia? At ille respondit: Nimirum pedum gravitas impedit cùm volandi vis adsit. Cui corvus; Etsi asininus pes ponderat, cur tamen tantilli capitis levitas, & colli gracilitas non te levant? Siquidem apparentia, & non substantia est in causa; quare sic ergo gloriaris de sarcina? ala enim sine volatu est barda. Et sicut sextus digitus manum fœdat, sic ala te onerat. Igitur fœda res, & vanitas onerosa est pompa. Nimirum nunc vides te imitari naturam stellarum micantium, & earum nutu aut similitudine formari, quæ cum apparent in cœlo, desinunt. Tota namque structura tua ad ostentationem spectat*. Deinde idipsum duobus novis apologis, primo muris & talpæ, secundò muli & equæ

& talpa. confirmat. *Verum non audisti quid mus responderit talpæ de oculis glorianti, scilicet habere oculum & non visum, non minus esse quàm monstrum. Unde apparere, & non esse, monstrosa cæcitas est. Nam cum in oculis adsit pompa, tenebris tamē ipsa perfunditur, & visione privatur. Similiter superbientem*

& mulus. *ex sexu mulum taliter equa confudit, dicens: Apparentia*

A *quidem sexum habes, sed cares existentiæ fructu, adulterina conjunctione plasmatus. Sic orbata fructu pompositas cæcatur, quia est superbia perversa nequam bardus. Nescis quod speculum dum ex una parte lucidum apparet, ex altera inimica luci opacitate obscuretur? Apparentia certè sine existentia mendax est. Quibus auditis struthio obmutuit*.

Attende in illis, ne forte cadas; Vers. 38.
Græcè, *non extollas teipsum, ne cadas*. S. Ephrem tract. de Humilitate: *Non exaltes teipsum, ne fortè cadas*; et adducas animæ tuæ inhonorationem] putà, infamiam, probrum & dedecus: modum subjicit dicens:

Et revelet Deus absconsa tua, (absconditam in corde tuo hypocrisin, impietatem & scelera;) et Vers. 39.
in medio synagogæ, id est, magnę multitudinis (Tigurin. *in medio cœtu*, Vatabl. *in media concione*) elidat te] Græcè, καταβαλεῖ, id est, dejiciat, prosternat te. *Deus hypocrisin detegit*
Nota hic condignam hypocritarum pœnam, congruè à justo Dei judicio eis irrogari solitam. q. d. Ne te simules, ostētes, prædices religiosum & sanctum, cùm sis irreligiosus, impius & hypocrita; quia solet Deus hypocrisin detegere, ac hypocritas, qui apud populum falsum sanctitatis & re-
B ligionis nomen aucupati sunt, prodere, ut omnes videant eorum fictionem & nequitiam, itaque infamia, probro & dedecore publico eos notare & mulctare, uti ordinariè fieri videmus in hac vita; sed certissimò id fiet in futura: Christus enim in die judicii omnem hypocrisin aperiet, & hypocritas publica & horrenda ignominia afficiet, dum ob scelera, quæ pandet, eos damnabit ad tartara.

Ita Christus patefecit & confudit coram populo hypocrisin Pharisæorum: *Attendite*, inquit, *à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*, Lucæ 12. Ita pariter Christus elisit hypocrisin, nomen, & factum Simonis Magi, qua se Prophetam divinum, imò Deum simulans, ut talis à Nerone & Romanis colebatur, cùm eum superbè per aera in cælum ope dæmonis volantem, ad preces S. Petri, spectante Nerone & toto populo, ex alto præcipitavit, ejusque crura saxo allidens confregit: unde Simon confusus, præ pudore ex Vrbe fugiens, mox dolore & mœrore animam infelicem exhalavit. *Tunc igitur*, inquit S. Maximus homil. 5. in Natali Apost. Petri & Pauli, *Petrus velut vinclum illum de sublimi aere deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens ejus crura confregit, & hoc in opprobrium facti il-* *Exempla*
C *lius: ut qui paulo antè uolare tentauerat, subito ambulare non posset: & qui pennas assumpserat, plantas amitteret*.

Quocirca verè Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 24. hypocritam vanæ gloriæ cupidum opponens humili, ait, *hypocritam vitrum veri margariti loco ponere*, id est, vanam gloriam pro vera æstimare, ac opera inania & fucata pro magnis, magnique valoris & meriti apud Deum ostentare: (in quem quadrat illud adagium: *Tanti vitrum, quanti margaritum*, teste Tertull. lib. 4. contra Marc.) *E contrario humilem veras margaritas sua æstimatione pro vitreis ducere*; tum, quia suas virtutes & opera bona parui æstimat, & imbecillia ac fragilia instar vitri; tum, quia per ea quasi per vitrum in Deum prospicit, omnia Deo, Deique gratiæ attribuens & resignans.

Ita detexit Deus occulta scelera Dioscori, qui, æquè ac Nestorius, specie humilitatis & sanctitatis occultans internam arrogantiam & scelera, irrepserat in episcopatum Alexandrinum; cùm effecit, ut in Concilio Chalcedonensi adversus eum darentur libelli, quibus ipse convincebatur Origenista, Arianus, homicida, incendiarius, vitaque turpissimus. Nihil enim magis Dei Ecclesiæ obesse com-
D pertum est, quàm cùm sub involucro sanctitatis iniquitas tegitur, & impietas horrenda vitiu, fuco religionis picta progreditur, fallens oculos intuentium. Facile namque est cavere, quos manifestos intelligas hostes; occultos autem quis effugiet? *Quis revelabit faciem indumenti ejus? portas vultus ejus quis aperiet?* ait Job c. 41.

Ita Alfonsus rex Aragoniæ, teste Panormit. lib. 2. de gestis ejus, c. 9. cùm audisset, Antonium Picentem, qui nomine abstinentiæ & sanctitatis Italiam & Hispaniam compleverat, ac cum Angelis versari & colloqui ferebatur, in morte suam prodidisse hypocrisin, atque à vermibus comestum miserè interiisse, sapienter dixit: *Propterea Deus in hypocritas tantoperè sævit, quòd, dum homines decipiunt, interponunt Deum ipsum tamquam sceleris mediatorem, ideoque ut plurimùm viventes adhuc plectuntur in hominum oculis, quos Dei nomine fefellerunt: ut intelligant mortales, à tali monstro maximè sibi cavendum esse, quod Deum ipsum*

non

non tantùm post mortem, sed etiam in vita ipsa indubitatum habet ultorem.

Ita mendicum illum simulantem se mortuum, ut socius ejus pro ipso sepeliendo pecuniam à S. Epiphanio impetraret, vera morte Deus punivit, uti refert Tripart. Histor. l.9.c.48. Ita hypocrisin monachi cujusdam revelavit Deus S. Euthymio, cùm Angelum vidit horrenda specie, tridente gravi, animam illius è corpore extrahentem, teste Niceph.l.14.52. Ita hypocrita monachus fingens se abstinere cibis, cùm occultè comederet, in morte coactus est idipsum publicè confiteri, atque addere: *Ecce nunc ad devorandum draconi traditus sum, qui cauda sua mea genua, pedesque colligavit; caput vero suum intra meum os mittens, spiritum meum ebibens extrahit.* Uti refert S.Gregor.4. Dialog. 38.

Ita hypocrisin suam detexit Doctor Parisiensis: cùm enim in vita ab omnibus probus haberetur, mortuus ex feretro proclamavit: *Justo Dei judicio accusatus, judicatus, & condemnatus sum.* Qua voce perculsus S.Bruno cum sociis Ordinem Carthusiensium instituit.

Ratio à priori. Porrò facit id Deus; quia ipse est cardiognostes, eique soli patent cordis arcana. Ejus ergo, qui prima est Veritas, quæ execratur omnem fallaciam, est, cordis falsitatem aperire. Ejus, qui est ipsa fidelitas bonorum provida, est, fraudes in corde latentes detegere, ne per eas in hæreses & errores deducantur ceteri fraudis ignari. Ejus, qui est ipsa justitia sincera & integra, est hypocrisin aperire, judicare, damnare: ipse enim solus est inspector mentium, & judex cordium: Hoc est, quod ait Apostolus Hebr.4. v. 12. *Vivus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.* Vide ibi dicta. Hinc in Scriptura viri religiosi & sancti dicuntur ambulasse cum Deo, conversati esse in oculis Dei, vixisse in conspectu Dei: quia, uti ore, ita & corde sincere studentes sanctitati, simpliciter serviebant Deo. Unde in Scriptura vocantur *simplices.* Sic Job cap. 1. 1. vocatur vir *simplex*, Hebr. תם tam, id est, perfectus: simplicitas ergo est perfectio, & hominem facit perfectum.

Tropol. Rabanus, & ex eo Palacius: Simplex est, inquiunt, qui uni servit Deo; duplex, qui vult gaudere cum sæculo, & regnare cum Christo. Qui Dei est per fidem, mundi per amorem: Deo dedit intellectum, mundo, affectum. Hi sunt, quos Elias dicit claudicare in duas partes, colentes simul Deum & Baal. Hi sunt Samaritani, servantes legem Dei, & simul servientes idolis suis. At esse Samaritanum, erat tunc injuria summa. Hi sunt hypocritæ, ostentantes se esse Christianos exteriùs, cùm longè ab ea vita absint interiùs. Quis enim non videt, te hypocritam vocandum, si cùm Christianum te verbis fatearis, factis te Christianum non esse ostendas? Planè, si liberè loqui liceat, magnam Christianorum partem vocabimus hypocritam: utpote quam scimus aliud dicere verbis, aliud factis confiteri. Vis ergo esse sincerus, sapiens & simplex? opere præsta, quod verbo profiteris: *ne scandalizeris in labiis tuis:* scandalizatur enim, id est, impingit & offendit in labiis, qui fidem & legem, quam labia ejus sonant, prævaricatur & violat: qui aliud labiis loquitur, aliud corde & opere exequitur. Hic sibi parat dedecus in die judicii: quia tunc Deus *revelabit omnia absconsa tua.* Tunc enim libri aperientur, & intelligent omnes, te alium fuisse exteriùs, alium interiùs. Tùc patebunt omnia scelera tua in conspectu totius mundi. Et *in medio illius synagogæ*, & conventus universalis Deus *elidet te*, proiiciens in voraginem (tunc enim terra aperietur) & inde in infernum, ubi elisus ardebis in æternum. Cur ita? Cur tanto misero pœna?

QUONIAM ACCESSISTI MALIGNÈ AD DOMINUM, ET COR TUUM PLENUM EST DOLO ET FALLACIA] Debueras accedere ad Deum simplici animo: at duplicem animum adduxisti. Debueras accedere verè & sincerè: accessisti hypocriticè, fallendo hominum oculos, qui credebant te esse Christianum intus & extrà. Ideò pœnam patieris sempiternam. Veritas verè coli vult, non falsò. Hucusque Palacius. Quocirca Theodor. in Histor. Patrum c.21. refert, Jacobum Anachoretam, cùm minister scyphum ejus absconderet, ne ab adventantibus videretur, id prohibuisse, ac dixisse: *Absit, o fili, ne celes homines ea, quæ sunt aperta Deo universorum: illi enim soli volens vivere, nullam humanæ gloriæ curam gero. Quid enim me juverit, si hi quidem magis me laborasse, & majori exercitatione usum esse scierint: Deus vero minori? Non enim sunt hi datores mercedis pro laboribus: sed Deus est suppeditator.* VERS.40.

QUONIAM ACCESSISTI MALIGNE AD DOMINUM] Sic quoque legit S.August. in Speculo. *Malignè*, id est, dolosè, fictè, dupliciter. Nam Græcè est, *quia non accessisti in veritate*, id est, verè & sincerè, *ad timorem*; quia accedendo ad timorem Domini, accedimus ad ipsum Dominum: Tigurina, *eo quod ad religionem ejus non accesseris sincere, sed animum dolosum attuleris.*

Denique Syrus hæc omnia à v. 36. hucusque paraphrasticè ita vertit, *dilige timorem Domini, & confirma cor tuũ: & ne timeas: accede, & ne tardes, & invenies vitam spiritui tuo: & cùm fueris appropinquans tamquam gigas & robustus, fili mi, ne mentiaris in timore Domini, & ne accedas ad eum duplici corde, & ne honorem quæras de illo in oculis hominum, & in labiis tuis esto cautus ad verum, ne spernas eloquium ejus, & ne monearis, & ne multiplices animæ tuæ ignominiam; ne fortè multiplicet Dominus vincula tua, & in medio Ecclesiæ deiiciat te; quia nominatus fuisti in timore Dei, & internum cordis tui plenum est fraude.*

Ex dictis liquet, principium, radicem, & quasi rationem à priori omnium quæ hoc capite dicta sunt, esse augustam præstantiam, sanctitatem, & majestatem Sapientiæ primæ & increatæ, quæ est ipsa deitas, ipseque Deus. Quia enim Deus summè sapiens, summè sanctus, summè potens, & immensus quaquaversum est; hinc omni tempore, amore, cultu, reverentia dignissimus est: quæ deinde ipse sapientiæ creatæ suo modo communicat, sed limitatè.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tentationis remedia novem. CAp. 1. *Siracides sapientiæ encomia celebravit, ut ea omnibus commendaret, modumque eam acquirendi præscripsit, scilicet, justitiam & custodiam legis. Nunc ejus dogmata & præcepta tradit, & sigillatim percenset. Primum ergo hoc cap. tradit dicens:* Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. *Hic itaque locus illustris est de tentatione, cujus & remedia assignat. Primum est præservativum, scilicet, eam expectare, & ad eam se præparare, v. 1. Secundum, humiliare & deprimere cor suum, v. 2. Tertium est patientia.* Sustine, *ait v. 2. Quartum est, audire consilia sapientum, v. 2. Quintum, non trepidare, vel nutare; sed esse firmum & constantem:* Ne festines in tempore obductionis, *ait v. 2. Sextum est, jungere se Deo, illique firmiter adhærere, v. 3. Septimum est, resignare se in voluntatem Dei:* Omne, *ait v. 4.* quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine. *Octavum est, firma in Deum fiducia:* Crede Deo, *ait v. 6.* & recuperabit te: & dirige viam tuam, & spera in illum: *Nonum est, constans Dei timor & amor:* Serva timorem illius, & in illo veterasce, ait, *v. 6. Quocirca à v.6. usque ad finem capitis eumdem commendat, estque parænesis & adhortatio ad spem, timorem, cultum & amorem Dei.*

1. FIli accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. 2. Deprime cor tuum, & sustine: inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus: & ne festines in tempore obductionis. 3. Sustine sustentationes Dei: conjungere Deo, & sustine, ut crescat in novissimo vita tua.

ta tua. 4. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: 5. Quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. 6. Crede Deo, & recuperabit te: & dirige viam tuam, & spera in illum. Serva timorem illius, & in illo veterasce. 7. Metuentes Dominum sustinete misericordiam ejus: & non deflectatis ab illo, ne cadatis. 8. Qui timetis Dominum, credite illi: & non evacuabitur merces vestra. 9. Qui timetis Dominum sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia. 10. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. 11. Respicite filii nationes hominum: & scitote quia nullus speravit in Domino, & confusus est, 12. Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est? aut quis invocavit eum, & despexit illum? 13. Quoniam pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate. 14. Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. 15. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo: & ideò non protegentur ab eo. 16. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas. 17. Et quid facient, cùm inspicere cœperit Dominus? 18. Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius: & qui diligunt illum, conservabunt viam illius. 19. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei: & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. 20. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. 21. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, & patientiam habebunt usque ad inspectionem illius. 22. Dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum. 23. Secundùm enim magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est.

Vers. 1. FILI ACCEDENS AD SERVITUTEM DEI, STA IN JUSTITIA ET TIMORE, ET PRÆPARA ANIMAM TUAM AD TENTATIONEM] Arabicus: *fili mi, si adhæsisti timori Dei, commuta anima tua omne malum*; Syrus, *fili, si accedes ad timorem Dei, exposuisti animam tuam omni tentationi. Adhære illi*, (timori Dei;) *& ne dimittas eum, ut sapiens fias in viis tuis*; Tigurina, *fili, cultum Dei aggressurus, fac in justitia sollicitè persistas, & animum tuum pares adversus tentationem*.

Siracides dans sapientiæ dogmata & præcepta, sequitur ordinem Decalogi, & naturæ. Unde incipit à Deo, Deique cultu. Primum ergo hoc est ejus dogma & præceptum, sed trimembre. Tres enim continet partes, & tria præcepta. Primum: *Accede ad servitutem Dei*, servi Deo. Secundum: *Sta in justitia & timore*. Tertium: *Præpara animam tuam ad tentationem*. Pari modo sapientes Ethici, tam sacri, quàm profani, suam Ethicam ordiuntur à Deo, Deique religione. Unde S. Isidorus lib. 2. Sentent. cap. 1. *Primum*, inquit, *sapientiæ studium est, quærere Deum, deinde honestatem vitæ cum innocentiæ opere. Servitus Dei* non est vilis & coacta servorum; sed nobilis (servire enim Deo, regnare est) & religiosa Dei cultorum, putà, Dei cultus B & religio. Hæc enim passim in Script. præsertim in Levitico & Numeris vocatur אבודה *aboda*, id est, servitus, cultura, ministerium. Ibi enim officia, ritus & cæremoniæ Levitarum in tabernaculo vocantur *aboda*. Porrò occasio hæc scribendi Siracidi fuit, quòd sub hoc tempus Judæi graviter afflicti fuerint à Ptolemæo Lagi, qui Alexandro Magno in regno Ægypti successit. Hic enim dolo cepit Jerosolymam, Judæos acerbè & inclementer tractavit, multos captivos in Ægyptum traduxit, ibique eos sedes figere jussit. Unde ei succedens Ptolemæus Philadelphus, in gratiam Eleazari & Septuag. Interpretum, centum viginti millia Judæorum manumisit, & ex Ægypto in Judæam remisit, uti narrat Joseph libr. 12. Antiq. cap. 1. & 2. Hæc ergo gravis fuit Judæorum tentatio, ob quam nonnulli à Judaismo ad gentilismum transierunt. Unde videtur sub hoc tempus ad eos in Dei servitute, & religione confirmandos, hæc scripsisse Siracides. Accessit & alia tentatio Samaritarum schismaticorum, de qua dicam v. 14. Præclarè S. Ephrem tract. de Patientia: *Qui Deo placere cupit*, ait, *ejusque heres per fidem evadere, ut & ipse filius Dei appelletur, & Spiritu sancto genitus, ante omnia longanimitatem apprehendens ac patientiam, debet fortiter obvias quasque sufferre tribulationes, angustias, atque necessitates, sive corporales morbos ac passiones, sive improperia atque injurias ab hominibus, sive etiam diversas invisibiles anxietates, quæ à spiritibus malignis inferuntur animæ*.

STA IN JUSTITIA ET TIMORE] Hæc verba desunt in Græcis modernis; sed ea legit S. August. in Speculo, & Cyprian. tract. de Mortalitate. Unde patet, olim ea fuisse in Græco, & Interpretem nostrum esse pervetustum, qui pleniora habuerit exemplaria Græca, quàm modò sint. Per *justitiam* intellige observationem mandatorum Dei: hanc enim exigit Dei servitus, imò in hac A consistit, ut dixi c. 1. 33. Sensus est, q.d. Si vis Deo servire, ejusque obsequio te mancipare, constanter observa ejus jussa & mandata, ac fuge peccata omnia, quæ eis repugnant: hæc enim ille odit & vetat, sicut illa amat, & mandat.

Nota τὸ *sta*, q. d. Persiste firmus, constans & immobilis quasi rupes, contra omnes hostes & tentationes, quæ mox ingruent & te invadent, uti sequitur: ideoque justitiæ huic constanti misce timorem, ne tibi præfidens deseraris à Deo, sinarisque in tentationem ruere & consentire, juxta illud; *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*, 1. Cor. 10. Rursum Dei *timor*, id est, metus & reverentia te in tua justitiæ statione confirmet, dum te cautum facit & sollicitum, ne Deum offendas, & justitia excidas. Optimus enim gratiæ & justitiæ custos est metus. *Animus vereri qui scit, scit tutò ingredi*, ait Seneca in Sentent. littera A. S. Ephrem. tract. de Patient. citans hæc verba Ecclesiastici: *Si porrò*, inquit, *fortiter strenuèque non perfert, sustinendo quamlibet tentationem ac tribulationem; verùm tristatur ac tædio afficitur, indignatur, et angitur, parum, quæ de certamine laborat; vel etiam desperat, quasi non sit* B *umquam liberanda, quod ipsum malitiæ ipsius est inventum ac artificium, in socordiam atque ignaviam pusillanimitatemque conjicientis animam, & spei compotem non effectam, quæ semper misericordiam expectet Domini in fide certa, nihilque hæsitante. Cujusmodi quidem anima vitam in futuro non promeretur, quoniam cunctorum se Sanctorum sequacem non præbuit, neque Domini vestigia est prosecuta. Considera ac cerne, quo pacto ab initio Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli ac Martyres per tribulationum atque tentationum vias pertranseuntes, ita potuerint placere Deo: qui fortiter quamcumque perferentes tentationem atque tribulationem, etiam inter angustias gavisi sunt, propter spem retributionis mercedis, quæ expectatur: sicut ait Scriptura: Fili, accedens ad servitutem Dei, dirige cor tuum, & sustine. Rursusque Apostolus dicit: Quòd si extra disciplinam estis, cum participes facti sunt omnes; ergo adulterini & non filii estis. Alibique iterum: Omnia, quæ superinferuntur tibi, tamquam bona amplectere sciensque absque Deo nihil fieri*. Denique, qui timore Domini imbui & perfici cupit, legat S. Ephrem qui spiritu timoris & compunctionis ceteros Patres antecellit, & non nisi timorem, amorem & vitam cælestem C spirat.

ET PRÆPARA ANIMAM TUAM AD TENTATIONEM] sustinendam & superandam. Tentabit enim te caro, mundus & dæmon: hos enim hostes lacessis, & provocas, qui lacessiti & iritati acriùs in te insurgent, tum per prospera, tum per adversa: hi enim duo sunt tentationum omnium fontes. Vide S. Gregor. 24. Moral. 13. Primum Siracidis monitum est: *Præpara te ad tentationem*. Causam dat S. Leo serm. 4. de Quadrag. cap. 3. *Vir enim*, ait, *sapientia Dei plenus, sciens studium religionis laborem habere certaminis, cum prævideret pugnæ periculum, ante admonuit pugnaturum: ne fortè, si ad ignorantem tentatio accederet, imparatum citiùs vulneraret*. Præpara ergo te ad tentationem, Primò per orationem;

juxta

juxta illud Christi Matth. 26. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Secundò, per fugam occasionum: nam, *Qui tangit picem, inquinatur ab ea*, Eccli. 13. Tertiò, per providentiam prævidendo futura pericula & certamina, ac contra ea arma accersendo. Quartò, per animi firmitatem, obfirmando te contra omnes tentationes venturas juxta illud psal. 118. *Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* ita Palacius. Hinc S. Hieron. hac sententia epist. 34. consolatur Julianum, qui filiabus simul & uxore erat orbatus: *Fili*, inquit, *accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem, & cùm omnia feceris, dicito: Servus inutilis sum: feci, quod facere debui. Tulisti liberos, quos ipse dederas. Recepisti ancillam, quam mihi ob breve solatium commendaveras. Non contristor, quod recepisti: sed gratias ago, quod dedisti.*

Causæ cur servi Dei tententur. Prima. Quæres, cur accedenti ad servitutem Dei parata est tentatio? Resp. Causæ sunt multæ. Prima, quia talis recedit à servitute diaboli, qui indignans se suo peculio & jure herili privari, eum ut servum fugitivum & apostatam persequitur, tentatque, ut ad sua castra, ad suum jus & dominium reducat. Talis ergo fixum habeat, certoque sibi proponat, se diabolum, omnesque dæmones ad B bellum, imò duellum perpetuum provocare & excitare. Audi Origen. homil. 9. in lib. Judic. *Venisti*, inquit, *ad aquam baptismi: istud est certaminis & pugnæ spiritualis initium: hinc tibi adversus Zabulum nascitur pugna principium.* Quod etiam luculenter explicat Gregor. in Job c. 3. ad illa verba: *Qui parati sunt suscitare Leviathan. Omnes*, ait, *qui ea, quæ mundi sunt, mente calcant, & quæ Dei sunt, plena intentione desiderant, Leviathan contra se suscitant; quia ejus malitiam instigatione suæ conversationis inflammant. Dolet contra se captivum reniti, & mox zelo accenditur, mox ad certamen movetur, mox ad tentationes innumeras contra rebellantem mentem se excitat.* Et alibi Job 40. ad illa verba: *Absorbebit fluvium, & non mirabitur. Illos magnoperè rapere nititur*, ait, *quos despectis terrenis studiis jungi jam cœlestibus contemplatur. Itemque toto nunc annisu in illorum mortem se erigit, quos contra se regeneratos tabescit. Jordanem sitit, & toties in os illius Jordanis fluit, quoties Christianus quisque ad iniquitatem defluit.* S. Hieronymus ita ad Eustoch. de custod. virgin. scribit: *Non quærit diabolus homines infideles; de Ecclesia Christi rapere festinat: escæ ejus*, secundùm Habacuc cap. 1. *electæ sunt. Job subvertere cupit, & devorato Juda ad cribrandos Apostolos expetit potestatem.* Idem docet S. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 2. citatque hunc locum Ecclesiastici. Porrò, quò quis magis virtuti & sanctitati studet, eò magis infestat eum diabolus. *Quantò enim quis*, ait Rabanus, *se à mundi errore avertere certat, & ad servitutem Dei coadunare festinat, tanto graviora bella ac certamina ab hostibus tolerat. Quisquis enim accingi in divino servitio properat, quid aliud quam contra se antiqui adversarii certamen parat? ut liber in certamine ictus suscipiat, qui quietus sub tyrannide in captivitate serviebat.* Unde S. Hilar. in cap. 4. S. Matth. *In sanctificatis nobis*, inquit, *maximè diaboli tentamenta grassantur.* Ut enim idem Hilar. ait: *Victoria ei est magis exoptata de sanctis.* Et Euthym. in Matth. 4. *Ubi*, inquit, *divitias vides, ibi aciem ex adverso instruit.* Quam ob causam meritò Chrysost. homil. 31. in Genes. dæmones ait similes esse piratis: *Quemadmodum*, inquit, *piratæ, quando vident navem multis mercibus oneratam, & plurimas adducentem divitias, tum potissimum variis moliuntur insidiis, ut possint mercibus omnibus navigantes illos spoliare: ita sanè diabolus, cum D videt spirituales divitias coacervatas, alacritatem fervidam, mentem vigilem, & quotidie divitias augeri, cruciatur, & dentibus frendet, & quasi pirata circuit, & innumeras excogitat artes, ut si qua vel parvum inveniat aditum, quidquid in nobis est spiritualium divitiarum, deprædetur.* Et in eamdem sententiam S. Leo serm. 1. de Quadrag. *Intelligamus*, ait, *quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tantò nos vehementius ab adversariis impetendos.* Sic etiam loquitur Isidorus libr. 3. de Sum. bono cap. 5. *Quia diabolus in sanctis intrinsecus non regnat, contra eos extrinsecus pugnat; & qui intrinsecus amisit dominium, exterius commovet bellum.*

Secunda. Secunda causa, cur fidelis mox à conversione debeat tentationes expectare, & parare se ad multas afflictiones, est, quia vitia cuncta eum impugnant, adeoque cum concupiscentiis omnibus sibi innatis, & indulgentia prioris vi- A tæ adauctis, planeq; jugiter insolitis ei dimicandum est: cupiditates enim, dum mortificantur, acriùs exurgunt, & caput exerunt, instar aspidis. Ita S. Hieron. epist. 1. *Erras, frater, erras, si putas, umquam Christianum persecutionem non pati.* S. Leo serm. 9. de Quadrag. *Numquam deest tribulatio persecutionis, si numquam desit observantia pietatis.* Egregiè verò Chrysost. homil. 8. in 2. ad Timoth. *Nemo certans requiem quærit: nefas est pugilem Dei vacare deliciis: non licet epulari luctantem. Luctamen quidem sunt præsentia omnia, certamen, bellum, stadium; aliud est quietis tempus; hoc ærumnis deputatum est atque sudoribus: nullus, ubi ad certamen se exuit unctusque est, requiem quærit.* S. Bernardus serm. 1. de convers. S. Pauli: *Videbatur*, ait, *jam cessasse persecutionis tempus; sed, ut palam factum est, numquam deest persecutio Christiano.* Undique imminent nobis certamina, quin etiam intra nos ipsos intestino bello oppugnamur. ita Chrysost. homil. 24. in Act. Apostol. *Vides*, inquit, *nunc majorem esse persecutionem, invadentibus nos undique affectionibus tamquam bestiis? Nunc est gravis persecutio, vel ob hoc, quòd non putatur esse persecutio: etenim etiam hanc difficultatem habet bellum, quod pax putatur, ut ne contra illud sumamus, vel insurgamus, nullus formidat, nullus tremit.* Et in eamdem sententiam S. Hieron. epist. 1. *Tunc*, ait, *maximè oppugnari, si te oppugnari nescis.* Enumerat deinde vitiorum oppugnationem: *Inde*, inquit, *me persequitur luxuria; inde avaritia conatur irrumpere; inde venter meus vult mihi Deus esse pro Christo; compellit libido, ut habitantem in me Spiritum sanctum fugem, ut templum ejus violem.* Id olim in Ismaele, qui, ut ait Paulus Galat. 4. 29. Isaacum persequebatur, fuisse significatum longa oratione docet Origenes homil. 7. in Genes. *Si caro*, inquit, *cujus personam gerit Ismael, qui secundùm carnem nascitur, spiritui blandiatur, qui est Isaac, & illecebrosis cum eo deceptionibus agat, & delectationibus illiciat, voluptatibus molliat; hujusmodi ludus carnis cum spiritu Saram maximè, quæ est virtus, offendit; & hujuscemodi blandimenta acerbissimam persecutionem judicat Paulus. Et tu ergo, ò auditor, non illam solùm persecutionem putes, quando furore Gentilium ad immolandum idolis cogeris; sed si fortè te voluntas carnis illiciat, si tibi libidinis alludat illecebra; hæc, si virtutis es filius, tamquam persecutionem, C maximè fuge. Sed, si injustitia blandiatur, & gratia ejus flexus non rectum judicium feras, intelligere debes, quia sub specie ludi blandam persecutionem ab injustitia pateris. Verùm & per singulas malitiæ species, etiamsi molles & delicatæ sint, & ludo similes, has persecutionem spiritus dicito.* Quocirca verè Beda in Proverbiis: *Ante conversionem*, inquit, *præcedit turba peccatorum: post conversionem sequitur turba tentationum. Amor enim sæculi contemptus est Dei: & vicissim amor Dei, contemptus est sæculi.* Rursum: *Diu jacens in peccatis, diu quoque, si converti voluerit, diabolicæ tentationis molestias sustinebit.*

Tertia causa est, quia socii & amici, videntes se ab eo qui statuit piè vivere, deseri, in eum insurgunt, sicut Ismael insurrexit in Isaacum, Esau in Jacob, fratres in Josephum. *Tertia.* Ita S. August. tract. 11. in Joannem: *Quam lusionem*, inquit, *dicit Script. vidisse Saram, hanc persecutionem dicit Apostolus: plus ergo vos persequuntur, qui vos illudendo seducunt.* Et post multa: *Illa lusio, illusio erat: illa lusio deceptionem significabat: nam magnum sacramentum attendat charitas vestra. Persecutionem illam vocat Apostolus ipsam lusionem, ipsum lusum persecutionem vocat.* & multa deinceps. Eòdem spectant, quæ scribit Gregorius libr. 9. reg. epist. 39. malorum enim societatem esse persecutionem ait ipse: *Ego*, inquit, *Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit: boni enim, si sine malis fuerint, perfecti esse boni non possunt; quia minimè purgantur: ipsa autem malorum societas, purgatio bonorum est. Tres in arca filii Noe fuerunt: unus irrisor patris extitit, qui etsi in se benedictus fuit; maledictionis tamen sententiam in filio suscepit. Duos Abraham prius quam uxorem Ceturam filios habuit; sed tamen carnalis ejus filius est repromissionis filium persecutus: quod magnus Doctor exponit dicens: Sicut autem is, qui secundùm carnem est, persequebatur eum qui secundùm spiritum; ita & nunc.* Bernardus verò serm. 1. de convers. Pauli, deplorat Ecclesiæ conditionem, in qua reperiuntur, qui non modò Christianos, sed ipsum etiam Christum persequuntur. Alibi verò serm. 6. in psalm. *Qui habitat*, explicans

cans Davidis verba: *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.* quatuor recenset persecutionum genera, quibus, tum privatim singuli, tum universa Ecclesia maximè oppugnatur. Præclarè Sanctus Augustinus serm. 78. de Temp. *Sicut duo parvuli,* inquit, *in utero Rebeccæ collidebantur: sic in utero Ecclesiæ duo sibi populi jugiter adversantur: in ventre spiritalis Rebeccæ, Ecclesiæ, duo populi colliduntur; humiles, scilicet, & superbi, casti & adulteri.*

Quarta. Quarta causa, sunt hostes & æmuli, qui virtuti ejus, quem oderunt, invidentes, cum insectantur maledictis, acribus verbis, & subinde verberibus. Id suos præmonuit Christus Matth. 10. 17: *Cavete,* ait, *ab hominibus: tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos.* Et paulò pòst vers. 21. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Denique v. 23. *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Et alibi Joan. 15. 19. *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis; mundus, quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Et post nonnulla cap. 16. 32. *Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria.* Et mox: *In mundo pressuram habebitis.* Adde illa cap. 16. 1. *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini: absque synagogis facient vos;* & quæ deinceps sequuntur. Denique S. Paulus 2. Timoth. 3. *Omnes,* inquit, *qui volunt piè vivere in Christo, persecutionem patientur.* Unde S. Bernard. serm. 64. in Cant. in illud Cant. 2. *Capite nobis vulpes parvulas: Vulpes,* ait, *tentationes sunt. Necesse est, ut veniant tentationes. Quis enim coronabitur, nisi qui legitimè certaverit? Aut quomodo certabunt, si desit, qui impugnet?*

Quinta. Quinta, quia Deus æterna lege sanxit, ut sui fideles, quasi virtutis pugiles & athletæ, adversis probentur, exerceantur, corroborentur, illustrentur, perficiantur. Hanc dat Moses Deuter. 13. 3. *Tentat,* inquit, *vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrùm diligatis eum an non, in toto corde, & in toto anima vestra.* Et David psal. 16. 3. *Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti: & non est inventa in me iniquitas.* Et psal. 25. 2. *Proba me, Domine, & tenta me: ure renes meos & cor meum.* Et psal. 65. 10. *Quoniam probasti nos, Deus; igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Et Salomon Sapient. 3. 5. *Quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se; tamquam aurum in fornace probavit eos.* Quocirca S. Gregor. homil. 35. in Evang. & lib. 3. Dialog. c. 26. *Duo,* ait, *sunt martyrii genera: unum in mente: aliud in mente simul & actione. Itaque esse Martyres possumus, etiamsi nullo percutientium ferro trucidemur: mori quippe à persequente, martyrium in aperto opere est: ferre verò contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione.* Et post nonnulla: *Et nos ergo sine ferro esse possumus Martyres, si patientiam veraciter in animo custodimus.*

Exempla Et paucis interjectis, cujusdam Stephani admirabilem patientiam prædicat: *Virtus,* inquit, *patientiæ in eo vehementer excreverat, ita ut eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset: reddebat contumeliis gratias: si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat: omnes suos adversarios nihil aliud quàm adjutores existimabat.* Ita Abbas Orsitius in Vitis Patr. lib. 5. libello 15. num. 51. *Sicut,* inquit, *later crudus mox aqua dissolvitur; igne verò coctus duratur, ut lapis: sic, qui non est igne tentationum decoctus, ut Joseph, mox aqua tribulationis enervatur, & liquescit, & perditur.* Et S. Syncletica lib. 5. libello 6. num. 16. docet, in tentatione nos debere esse ambidextros: *Si ferrum es,* inquit, *per ignem tibi adhibitum amittes æruginem. Dic ergo: Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me. Si aurum es, per ignem probatior eris. Exulta ergo, quia similis factus es Paulo, memor istius: Transivimus per ignem & aquam: residuum est quod sequitur, Ut inducamur in refrigerium.* Et num. 17. *Hæc,* ait, *est magna virtus, quando in infirmitate tolerantia fuerit, & gratiarum actio mittitur ad Deum. Si amittimus oculos, non feramus graviter: extollentiæ enim instrumentum amisimus, sed interioribus oculis gloriam Domini speculemur. Surdi facti sumus?*
A *non contristemur; quia auditum vanum amisimus. Manus ex aliqua passione debilitatæ sunt? sed interiores paratas habeamus adversus inimici tentationes. Infirmitas totum nostrum corpus tenet? sed nostro interiori homini sanitas crescit.* Denique, *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino; ita corda probat Dominus,* Proverb. 17. 3. Et: *Vasa figuli probat fornax; & homines justos tentatio tribulationis,* Eccli. 27. 6. Quare acutè Beda in Proverb. *Abel,* inquit, *esse renuit, quem Caini malitia non exercet.* Verè S. Franciscus, ut habet Speculum Vitæ ejus, in doctrina ipsius, cap. 12. dixit: *Annulus est victa tentatio, quo Deus animam servi sui sibi desponsat. Nemo enim servum Dei se æstimet, donec per tentationem & tribulationem transierit. Illa enim probatur virtus perfecta. Amplioris gratiæ signum est, nihil in servo suo impune relinquere, quamdiu vivit in hoc mundo.*

Solerter advertendum est, quod S. Gertrudis libr. 2. Revelat. c. 11. sibi cælitus revelatum scribit, scilicet, *Dæmonem in ea re & concupiscentiæ specie majorem tentandi occasionem accipere vel arripere, in qua quis aliquando ei præstitit consensum. Id enim decorem divinæ justitiæ ad con-*
B *gruensus castigationem, congruè & decorè permittere.* Qui ergo sapit, fortiter se cunctis dæmonis tentationibus, statim ut eas sentit, opponat. Idem tradunt Sancti in Vitis Patr. Exemplum clarum est in Vita S. Mariæ Ægyptiacæ, quæ per septemdecim annos in eremo graviter tentata fuit spiritu luxuriæ, quia totidem annis priùs illi consenserat & servierat. *A quo enim qui superatus est, hujus & servus est,* ait S. Petrus epist. 1. c. 2. 19. Talem ergo diabolus quasi servum fugitivum insequitur, ut ad pristinam suam servitutem reducat.

Sexta, quia Christus suos asseclas, quasi milites, crucis suæ tessera insignit, vultque, ut secum per tentationes & tribulationes mereantur immensum & æternum gloriæ pondus in cælis. Si enim *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam,* Lucæ 24. 26. cui tamen illa jure naturali filiationis erat debita; multò magis nos Christianos, qui ex nobis nullum ad eam jus habemus, decet per luctas & certamina tantam gloriam promereri, ac *per multas tribulationes intrare in regnum Dei,* Act. 4. 21. Hoc est, quod Christus iturus ad mortem Apostolis dixit, Lucæ 22. 20. *Vos estis qui permansistis mecum in tenta-*
C *tionibus meis.* Mox verò subjicit præmium: *Et ego,* ait, *dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.* Et Joan. 17. 24. *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Et Paulus 2. Corinth. 4. 10. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.* Et Rom. 6. 5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* Denique 2. Timoth. 2. v. 11. *Nam, si commortui sumus, & convivemus: si sustinebimus, & & conregnabimus.* Hoc sapiebat S. August. cùm diceret: *Nolo sine vulnere esse; quia te, Domine, video vulneratum.* Et Apostoli, qui, ut dicitur Actor. 5. 41. *ibant gaudentes à conspectu concilii: quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Et S. Jacobus cap. 1. 2. *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Ubi plura hac de re dixi. S. Joannes verò gloriam patientium videns & admirans Apoc. 7. 14. *Hi sunt,* inquit, *qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt*
D *stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni: ideò sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus.* Ita Abbas ille in Vitis Patr. libr. 5. libello 7. n. 43. vidit Angelum adornantem septem coronas discipulo suo, eò quòd septies somni tentationem illa nocte superasset. *Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud,* Matth. 11.

Denique S. August. in psal. 83. qui inscribitur, *Pro torcularibus.* Per torcularia accipit Ecclesias, & animas fidelium qui tentatione premuntur: *Uva,* inquit, *pendet in vitibus & oliva in arboribus: his enim duobus pro fructibus solent torcularia præparari. Et quamdiu pendet in fruteris suis, tamquam libero aere perfruuntur: at nec uva vinum est, nec oliva oleum ante pressuram. Sic sunt & homines, quos prædestinavit Deus ante sæcula conformes fieri imaginis unigeniti Filii sui, qui præcipuè in passione magnus botrus expressus est. Hujusmodi ergo homines, antequam accedant ad servitu-*

vitutem Dei, fruuntur in hoc sæculo, tamquam deliciosa libertate, velut uvæ, aut olivæ pendentes: sed quoniam dictum est: Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore; & præpara animam tuam ad tentationem; accedens quisque ad servitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscat, contribulabitur, conteretur, comprimetur, non ut in hoc sæculo pereat, sed ut in apothecas Dei defluat. Exuitur carnalium desideriorum integumentis, quasi vinaceis: hoc enim ei contigit in desideriis carnalibus. Propter quæ & Apostolus dixit: Exuite vos veterem hominem, & induite novum: hoc totum non fit nisi de pressura: propterea torcularia nominantur Ecclesiæ Dei hujus temporis.

Quocirca hujus sententię, tentationis & duelli specimen, imò auspicium suis omnibus dare & præire voluit Christus Dominus, qui orditurus suam prædicationem, quasi suam servitutem & obsequium Dei, abiens in desertum, ibique jejunans, tentari voluit à diabolo, triplici, id est, omni tentationis genere. Unde S. Hieron. in cap. 4. S. Matth. *Nisi*, ait, *jejunare cœpisset Dominus, tentandi occasio non fuisset diabolo, juxta illud: Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore; & præpara animam tuam ad tentationem.*

VERS. 2. DEPRIME] Jam Græca legunt, εὔθυνον, id est, *dirige cor tuum*. Et sic legit S. Ephrem tract. de Patientia, & Cyril. homil. quam Ephesi habuit: Tigurina, *rectè institue cor tuum*: q. d. Dirige cor tuum rectà ad Dei legem & voluntatem, illudque rectum effice, & in hac rectitudine conserva, ne illud per tentationem ad dextram, vel sinistram flecti, curvari & obliquari sinas. Primum remedium ad vincendam tentationem est, animi ad eam præparatio, quod assignavit v. 1. Secundum est, animi depressio & humilitas; vel, ut Græca habent, rectitudo: quia tunc rectus est animus, cùm legi, æquè ac gratiæ Dei humiliter se subjicit, sub eaque se deprimit & humiliat: hac enim humilitate sub potenti manu Dei, profitetur suam ad resistendum infirmitatem, imò impotentiam, ideoque tacitè postulat opem & gratiam Dei, eamque humilitate hac provocat & emeretur. Unde moraliter Palacius: *Ante conversionem*, inquit, *tuam anima tua erat corde elato: carebat illa jugo: carebat sessore & domitore. In conversione verò vult Deus sedere in throno suo: vult sedere super asina & pullo suo: vult ascendere super Cherub suo: vult equitare super pennas venti, seu spiritus sui. Deprime igitur te. Humilia te, Deum supra te recepturus: nullo modo superbiam admiseris*. Ita S. Antonius, teste S. Athanas. vidit totum mundum laqueis tentationum, quos tendebant dæmones, plenum, cumque suspirans diceret: *Domine, quis omnes hos laqueos evadere poterit?* audivit: *Humilitas. Humilitas enim solvit omnem virtutem inimici*, uti ipsi dæmones sæpius confessi sunt. Hac de causa Deus permittit in Sanctis, qui magnas tentationes vicerunt, nonnullas exiguas; ut, dum ab illis vincuntur, sentiant suam infirmitatem, seque humilient, atque victoriam majorum, non sibi, sed Deo attribuant. ita Rabanus.

Remedia tentationum.
Primum.
Secundũ.

ET SUSTINE] Tigurina, *age fortiter*; Græcè καρτέρησον, id est, tolera, sustine; sicut discipulus tolerat & sustinet flagella magistri. Rursum, *Sustine*, inquit Palacius, id est, ubi Deum super te admiseris, eum, quamvis videatur gravis, ne excusseris, sed sustine. Dictum est: *Viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum*. Ponderosus tibi videbitur non rarò. At, ne excusseris tam nobile pondus: dabit ipse vires ad sustinendum, qui vult pondus in onere, dicetque: *Sufficit tibi gratia mea*.

Tertium. Hoc est tertium tentationis remedium, scilicet, patientia & sustinentia, qua patienter toleres tentationis molestias, dolores, metus, sollicitudines & angores. Verè Seneca in Sentent. *Cuivis dolori remedium est patientia*. Idem libr. de Provident. cap. 1. *Deus*, inquit, *virum instum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat*. Post nonnulla cap. 2. *Omnia adversa* (vir bonus) *exercitationes putat: quis autem vir, modo erectus ad honesta, non est laboris appetens justi, & ad officia cum periculo promptus? Cui non industrio otium pœna est? Marcet sine adversario virtus: tunc apparet, quanta sit, quantum valeat polleatque, cùm quid possit, patientia ostendit*. Et multa ille deinde congerit, quæ multò veriùs in Christianum hominem cadunt: nihil enim viro justo optabilius est, quàm in rebus adversis patientia. *Hæc*, inquit

A Tertullianus lib. de Patientia, *fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, exomologesim assignat, carnem regit, spiritum servat, manum continet, tentationes conculcat, scandala pellit, pauperem consolatur, divitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, Gentilem incitat; servum domino, dominum Deo commendat; feminam exornat, virum approbat; amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene; in omni sexu, in omni ætate formosa est.*

ET INCLINA AUREM TUAM, ET SUSCIPE VERBA INTELLECTUS] Tigurin. *admove aurem tuam, verbaque consulta percipe*. Quartum est hoc tentationis remedium, nimirum, audire consilia & consolationes, tum S. Script. & librorum piorum, tum virorum spiritualium, quibus tentatus partim instruatur, quomodo, putà, quàm prudenter & patienter se in tentatione gerere debeat, partim roboretur, ut eam fortiter patiatur & sustineat. Significat ergo Siracides, tentatum debere excipere instructiones & consolationes, tum hominum, tum Dei, sive eas suggerat per inspirationes in-B ternas, sive per S. Script. & libros pios. Quocirca tentatus illicò recurrat ad lectionem & meditationem eorumdem. *Quartũ.*

Ita faciebat S. Paula, quando in omni tentatione volvebat verba S. Script. illi tentationi opportuna, quasi pharmaca efficacissima. Audi S. Hieron. in ejus Epitaphio: *In tentationibus, Deuteronomii verba volvebat: Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat, si diligatis Dominum Deum vestrum de toto corde vestro, & de tota anima vestra. In tribulationibus & angustiis, Isaiæ replicabat eloquia: Qui ablactati estis à lacte, qui abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem expectate, spem super spem: adhuc pusillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam. Et Scripturæ testimonium in consolationem suam edisserebat: Ablactatorum esse, eorum, scilicet, qui ad virilem ætatem pervenissent, tribulationem super tribulationem sustinere, ut spem super spem mereantur accipere: scientes, quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Et: Quod si is, qui foris est homo noster, corrumpatur; ille, qui intus est, innovetur. Et: In præsentiarum leve & momenta-C neum tribulationis vestræ, æternum gloriæ pondus operatur in vobis: non aspicientibus, quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Nec longum fore tempus, etiamsi humanæ impatientiæ tardum videatur, quin Dei statim videatur auxilium, dicentis: Tempore opportuno exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tibi.*

ET NE FESTINES IN TEMPORE (minùs rectè aliqui legunt, *in tempus*, q. d. Ne tua impatientia te præcipites in tempus, *obductionis*, id est, tentationis, ne sponte te conjicias in tentationem & consequenter in mortem præsentem & æternam. ita Palacius.) OBDUCTIONIS] Græcè ἐπαγωγῆς, id est, ut Complut. *inductionis*, & illationis pœnarum; Tigurina, *impetus*; Vatabl. *incursionis*; Palacius, *obsidionis*, putà, tentationis, afflictionis, calamitatis, quæ tibi inducitur, qua que mens & totus homo quasi tenebris obducitur & obnubilatur. Noster v. 4. vertit, *omne, quod tibi applicitum fuerit*; Græcè enim est idem verbum, ὃ ἐὰν ἐπαχθῇ σοι ita Hesychius. Tigurina, *ne quid impetus tempore trepides; sed Deum sustine patienter*; Vatabl. *ne præcipites*, &c. Arabicus, *esto tranquillus, innitens in viis tuis*. Sensus D ergo est, q. d. Dum tentaris, ne sis festinus & præceps in impatientiam, murmurationem, vindictam, pusillanimitatem, desperationem, apostasiam, &c. Sed esto longanimis, tolerans & constans. Hebræum enim חפז chapax, id est, festinare, sæpè significat trepidare: unde חפזון chippazon, est trepidatio, pavor, fuga: qui enim trepidat, fugit. Alludit ad Isajæ 28. 16. *Qui crediderit, non festinet*. Et Habacuc 2. 3. *Si moram fecerit, expecta illum*. Omnia enim tristia, æquè ac læta temperat, incidit, & tandem aufert tempus. Dolores omnes leniuntur tempore, imò tandem non leniuntur & evanescunt. Morbi tempore franguntur & dissipantur dissipata eorum causa, v. g. humore noxio consumpto. Idem planè fit in tentationibus. Verum est illud: *Optimus malorum omnium medicus est tempus*. Tempus mitigat iram, odium, concupiscentiam: tempus aperit secreta, & latentem veritatem in lucem producit. Tempus affert experientiam, consilium & prudentiam.

Saxa etiam longum fecit putrescere tempus.

Hinc Poetæ fingunt, Saturnum, temporis Deum saxum Jovis loco suppositum devorasse. Unde Ovidius lib. 4. de Ponto:

Gutta cavat lapidem; consumitur annulus usu;
Et teritur pressa vomer aduncus humo.

Alii passim exponunt: q.d. *Ne festines*, hoc est, ne per impatientiam, *obductionem*, id est, mortem, inclames, vel acceleres, tibique accersas: in morte enim omnia videntur contegi, obvolui & obduci. ita Lyran. *Ne festines in tempore obductionis, id est, divisionis sensuum*, inquit, *quod fit tempore mortis, id est, non desideres mortem, tractus propter adversitatis prolixitatem*. Genuinè alii, q. d. *Ne festines in tempore obductionis*; id est, ingruente passione vel odii, vel amoris, vel doloris, si vehemens sit, offunditur quodammodo rationis lumen, & quasi cælum animæ obductum non sinit mentem probè dispicere, quid melius, quid justius, quid decentius, imò & quid utilius sit. Ergo in tanta mentis caligine non temerè irruendum est in ea, quæ primò sese offerunt, instigante, nimirum, passione, quæ, cùm cæca sit, ducet ipsam nebulis offusam mentem in præcipitia, in voragines, in exitia. Expectandum ergo, donec subsidente passione nebulæ hæ discutiantur. Tempus enim veritatem aperit. Nam, ut ait Comicus: *Veritas temporis filia: lupus mendacio tempus.* quia tempus consumit mendacium, sicut lupus devorat ovem.

SUSTINE SUSTENTATIONES DEI] hoc est,
VERS. 3. ne festines, sed *expecta expectationes Dei*, quibus Deus, Deique auxilium & liberatio expectatur. q. d. Patienter expecta Deum, Deique opem, sicut in urbe obsessi expectant suppetias, ut ab obsidione liberentur. Unde Tigurina, *Deum sustine patienter*. Ille enim non sinet te tentari supra vires, sed tempore opportuno aderit & auxiliabitur, facietque cum tentatione proventum, 1. Corinth. 10. Sic sumitur sustentatio pro expectatione, patientia, longanimitate, Rom. 3. 26. *In sustentatione Dei ad ostensionem justitiæ ejus*. Hæc verba jam desunt in Græco. Sic S. Antonius acriter à dæmonibus tentatus & flagellatus, post sustinentiam videns Jesum, *Ubi*, inquit, *eras bone Jesu? ubi eras? quare non à principio adfuisti, ut sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est dicens: Antoni, hic eram: sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem, quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi; & faciam te in omni orbe nominari*, uti refert S. Athanas. in ejus Vita. Hoc est, quod monet Psaltes: *Expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum*, psal. 26. 14.

Minus genuinè Palacius sic interpretatur: *Sustine sustentatione*, id est, sustine onera & pondera tentationum, tibi sustentanda; nimirum, quæ Deus tibi imponit, & quibus tibi quasi gravis & ponderosus incumbit, quæque vult te pati & sustinere, imò in quibus ipse te sustentat, ait Lyranus, juxta illud 1. Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

Quintus. Quintum est hoc tentationis remedium, scilicet, in ea non trepidare, nec esse præcipitem; sed fortem, longanimem & constantem. Omnis enim tentatio ferè oritur ex mentis infirmitate & instabilitate, uti docet S. Gregor. in illud 1. Reg. 2. *Pedes sanctorum suorum servabit*. Pedes autem Sanctorum sunt fides, & amor, vel humilitas, & fortitudo, quibus fortes & invicti contra omnes tentationes consistimus. Ita *S. Paula*, inquit S. Hieron. in ejus Epitaphio, *constanter in mœrore cantabat: Quare tristis es, anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus. In periculis loquebatur: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et iterum: Qui vult animam suam salvam facere, perdet eam. Et: Qui perdiderit animam suam propter me, salvam eam faciet. Quando dispendia rei familiaris, & eversio totius patrimonii nuntiabatur, ajebat: Quid enim prodest homini, si totum mundum lucrifecerit, & animæ suæ damnum habuerit? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Et: Nudus exivi de utero matris meæ, nudus & redeam. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum*. Sapienter Abbas Pastor in Vitis Patr. lib. 6. libello 4. n. 9. *Ad hominem*, ait, *in tentatione constitutum pertinet illud Christi*, Matt. 6. *Nolite cogitare de crastino. Ut non cogitet, quantum temporis in ea facturus sit; sed potiùs quod hodiernum est & quotidianum, libenter suscipiat*. Nam, ut ait Christus: *Sufficit diei malitia* (afflictio) *sua. Crastinus dies sibi sollicitus erit*. Ita Religiosus ille tentatus per novem annos, ut congregationem Fratrum relinqueret, *facto vespere sibi dicebat: Crastina die hinc discedo. Et manè: Extorqueamus à nobis hic stare & hodie propter Dominum. Qui cum implesset novem annos, de die in diem ita faciens, abstulit Dominus ab eo tentationem*. Ibidem lib. 5. libello 7. n. 39. Quocirca verè S. Chrysost. hom. 4. in Epist. ad Philip. *Pro Christo pati*, inquit, *munus est majoris admirationis, quàm sit re vera mortuos excitare, & signa miranda patrare: nam illic quidem debitor sum; hic vero debitorem habeo Christum*. Alibi verò homil. 1. ad pop. Antioch. *Si corpus*, inquit, *rectè dicimus beatum, quod potest absque sui offensione ferre frigus, & calores, & famem, & inopiam, & viæ difficultates aliasque ærumnas; quanto magis beatam oportet vocare animam, quæ viriliter & fortiter omnes omnium molestiarum incursus ferre potest, & cor suum per omnia nulli servituti obnoxium servare?* Nec discrepat Gregorius Pontifex homil. 35. Evang. sic enim scribit: *Vere radix omnium custosque virtutum est patientia, hujus proprium munus aliena mala æquanimiter perpeti, & contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore morderi; & quod ait Apostolus, non vinci à malo, sed vincere in bono malum. Quanto autem culmine virtus patientiæ polleat, Salomon indicat dicens: Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Minor est ergo victoria, urbes expugnare: quia extra sunt, quæ vincuntur. Majus autem est, quod per patientiam vincitur: quia ipse à se animus superatur, & semetipsum sibi subjicit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ sternit.*

Denique præclarè Cassianus collat. 6. cap. 12. docet, mentem justi patientis debere esse non mollem, ut ceram; sed fortem & duram, ut adamantem: *Itaque mens viri justi*, inquit, *non debet esse similis ceræ, vel alterius cujusque materiæ molioris, quæ semper characteri signantium cedens, pro ejus forma atque imagine figuratur, quamquam in se tamdiu retinet, donec alio rursus superimpresso signaculo reformetur; atque ita fit, ut numquam in sua qualitate persistens, ad formam eorum quæ imprimuntur, semper convertatur ac transeat: quin potius debet esse velut quoddam adamantinum signatorium, ut inviolabilem mens nostra figuram sui semper custodiens characteris, universa, quæ incurrerint sibi, ad qualitatem sui status signet atque transformet; ipsa vero insigniri nullis incursibus possit.*

CONIUNGERE DEO] Græcè significantius, κολλήθητι, id est *conglutinare Deo*, scilicet, per arctissimum orationis, affectus & adhæsionis constantis & perdurantis vinculum. *Et sustine*, Græcè, μὴ ἀποστῇς, id est, *ne deficias*. ita Tigurin. ne, scilicet, ullo tentationis impetu divellaris à Deo, ne ab eo recedas, ne apostates. Sed dic cum Psalte: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam*, psalm. 72. Qui enim per spem & amorem coniungitur Deo, hic ab eo roboratur liberatur, protegitur. Deus enim illi est hyperaspistes & scutum, qui omnia hostium tela in se prius excipit, quàm ad sperantem in se, & sub suæ providentiæ scuto latitantem penetrent. Dicit ergo cum Psalte: *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*, psalm. 5. 13. Rursum, qui Deo coniungitur, coniungitur ipsi puritati & sanctitati: hæc autem elidit omne vitium, omnemque tentationem; hæc enim sollicitat ad impuritatem & peccatum. Omnis enim sanctitas sita est in amore & coniunctione cum Deo: quare, sicut Deus extremè odit peccatum & tentationem; sic & is, qui Deo est coniunctus: sanctitas enim est puritas. Sicut autem impuritas nascitur ex contactu inferiorum, ut cùm facies aut vestis luto aspergitur, vel cùm anima per affectum inferioribus inordinatè inhæret: ita puritas oritur ex contactu superiorum, cùm affectus ad sublimiora & nobiliora assurgit, & iis inhæret. Supremum autem omnium, & simplicissimum & purissimum est Deus: unde summa puritas consistit in adhæsione cum Deo. Qui ergo in tentatione ad Deum confugiunt, similes sunt avibus; qui verò ad humana auxilia respiciunt, similes sunt piscibus. Si quis enim ex ripa in flumen proiiciat lapidem, pisces qui in summo natabant, ad ima se demergunt, planeque à flumine absorbentur: aves verò vicinæ in altum evolant. Sic qui in tentatione ad homines confugiunt, magis in eam immergun-

Sanctitas sita in unione cũ Deo.

merguntur, & absorbentur sicut pisces: qui verò ad Deum confugiunt, tentationem quasi aves volando superant: quia in cælum ad Deum per fidem & spem evolant.

Sextum. Sextum hoc est efficax tentationis remedium. Hæc enim coniunctio cum Deo mentem super res omnes elevat, eamque in Deo defigit: in quo defixa videt & ridet hoc terræ punctum, omniaque tam adversa, quàm prospera, vilia & exilia sub se posita aspicit & despicit, dicitque, *Mens mea in Deo fundata est, & in Christo solidata.* Ita Abbas Moyses in Vitis Patrum, lib. 6. libell. 4. n. 6. rogatus: *Quid faciet homo in omni tentatione venienti super se?* respondit: *Flere debet in conspectu bonitatis Dei, ut adiuvet eum; & requiescet velociter, si rogat in scientia: scriptum est enim: Dominus mihi adiutor, & non timebo quid faciat mihi homo.* Et Abbas Ioannes lib. 3. num. 208. & 209. ait: Sicut homo videns feras ascendit in arborem, ut evadat: ita & homo videns tentationes irruentes confugiat per orationem ad Dominum, & salvabitur. Et sicut aqua extinguit ignem: *Sic quandocumque cogitatio turpis succensa fuerit ab inimico, tunc aquam orationis effundat, & extinguat illam.* Et Abbas Hyperichius lib. 5. libello 7. n. 20. *Hymni*, inquit, *spiritales sint in ore tuo, & meditatio assidua sublevet pondus tentationum supervenientium tibi: sic enim viator, sarcina oneris prægravatus, flando & respirando oneris & viæ paulatim laborem imminuit.* Et n. 22. Religiosus ille fame & despectu tentatus, *in his omnibus gratias agebat Deo: videns autem Deus patientiam ejus, abstulit bellum tentationis ab eo.* S. Ephrem serm. ad pietatem athletam exercente: *Quæcumque & quantæcumque pulset tentatio*, inquit, *sua tamen in Deum fiducia homo nequaquam excidet; imò eò magis soli Christo & misericordi, & qui animæ infirmitates curare potest, assiduè inhæreat, semper eum amans, ac meditans, sicque apud se cogitans statuensque: Quod si à Deo recessero deflectens à vero virtutis tramite, ad quem abire potero? nisi fortè in perditionem me ipsum præcipitem, & in manus fraudulenti hostis. Idcircò, licet infinitis gladiis igneorum telorum, & malitia passionum, nec non absurdarum cogitationum quotidie malignus impugnet; licet impetum faciat, ac in desperationem inducat; tantò magis ad Deum confugere oportebit, & in eo spem defigere. Sic enim suos probari vult Deus, ut constet, quod ipsum solum diligant.* O Domine, protector animæ meæ; robur meum, & salus mea, sic me tibi coniunge, sic tibi agglutina, ut nulla tribulatione à te separari possim. Sic te mihi præbe, sic communica, ut deliciis dulcedinis tuæ saturatus, vanas omnes mundi carnisque delicias abominer. Scribe in tabula cordis mei jucundissimam memoriam tui, nulla umquam tentatione delendam, ut tui desiderio semper æstuem, igne spei & amoris tui ardeam, & diluvio charitatis tuæ penitùs absorbear.

Vers. 4. UT CRESCAT IN NOVISSIMO VITA TUA] *Novissimum* in Script. significat non præcisè ultimum & extremum; sed id, quod posterius est & sequitur, licet propinquè. Hebr. enim אחרית *acharit*, quod Noster vertit, *novissimum*, idem est quod posterius, sequens, consequens. *In novissimo* ergo, id est, post toleratam tentationem *crescat vita tua*; tum præsens per lætitiam & felicitatem, qua Deus te victorem præmiabit; tum in futura, quæ æterna gloria te coronabit. Nota. *Vita* vocatur lætitia & felicitas; tum, quia vivere in miseriis & mœrore non est vita, sed longa mors. *Non est vivere, sed valere, vita*, ait Poeta; tum, quia lætitia & felicitas vitam conservant, prolongant, faciuntque longævos. Hoc est, quod promittit Deus patienti & speranti in se psal. 90. *Eripiam eum, & glorificabo eum; longitudine dierum replebo eum.*

OMNE, QUOD TIBI APPLICITUM (ἐπαχθῇ, id est, *inductum*; Complut. *adductum*) FUERIT, ACCIPE] Græcè, δέξαι ἀσμένως, id est, *suscipe libenter*; Arabicus, *tolera id, quod intulit tibi Deus, cum gratiarum actione* Tigurina, *quidquid invaserit te, libens excipe*: q.d. Quidquid tibi ingruerit, quidquid aduersi acciderit promptè imò gaudenter accepta de manu Dei. Quidquid enim ille tibi applicuerit, applicat ut tuus & rerum omnium dominus, cui te submittas oportet. Applicat ut pater amantissimus, quem, licet castigantem, redames oportet. Applicat ut medicus peritissimus, quem tuæ animæ vulnera sanantem, acriore licet medicina, vel ustione, avidè excipias oportet, ut dicas cum S. Iob c. 2. 10: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Et c. 1. 21. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Quin & Pindarus, licet Gentilis, ode 3. Pyth. *Semper* inquit, *ad eam fortunam, quæ me amplectetur, me in animo accommodabo, juxta meam facultatem colens eam.* Sapientis enim est se fortunæ, vel potiùs fortunam sibi accommodare. Hinc Stoicorum axioma: *Cede fato. Sapientis est præbere se fato. Fata enim volentem ducunt, nolentem trahunt.*

Porrò Rabanus: *Sciendum*, inquit, *quòd tribus modis patientia exerceri solet. Alia namque sunt, quæ à Deo; alia, quæ ab antiquo adversario; alia, quæ à proximo sustinemus. A proximo namque persecutiones, damna & contumelias; ab antiquo adversario tentamenta; à Deo autem flagella toleramus. Sed in omnibus tribus his modis vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali. Ne contra tentamenta adversarii seducatur ad delectationem, vel consensum delicti. Ne contra flagella opificis ad excessum prorumpat murmurationis. Perfectè enim adversarius vincitur, quando mens nostra, & inter tentamenta ejus servatur à delectatione atque consensu; & inter contumelias proximi custoditur ab odio, & inter flagella Dei compescitur à murmuratione: nec hæc agentes, retribui nobis præsentia bona requiramus. Nam pro labore patientiæ bona speranda sunt sequentis vitæ; ut tunc præmium nostri laboris incipiat, quando omnis labor jam funditus cessat.*

ET IN DOLORE SUSTINE] Hæc verba jam desunt in Græco: Sensus est: q.d. Noli conari per impatientiam dolorem excutere; quia sic magis eum excitabis & augebis: sed per patientiam sustine; quia sic eum minues. Omnibus enim malis remedium est patientia: præsertim quia patientia meretur jugum amoveri, vel imminui, quod impatientia meretur aggravari. Denique dolorem omnem effugere est impossibile: est enim hæc vita tribulationum & dolorum: atque sine dolore non vivitur in amore.

ET IN HUMILITATE TUA PATIENTIAM HABE] *Humilitas* hic non virtutem significat, sed humiliationem, dejectionem, afflictionem & dolorem, de quo præcessit. Unde Græcè est, ἐν ἀλλάγματι, (alii legunt in plurali, ἀλλάγμασι, id est, *in mutationibus*,) ταπεινώσεώς σου μακροθύμησον, id est, in mutatione *humilitatis*, vel potiùs *humiliationis tuæ longanimis esto*, hoc est, in mutatione qua humiliaris, dum, scilicet, mutatur sors tua felix in miseram, ut humilieris, deprimaris, affligaris; hanc mutationem & humiliationem longanimiter sustine. Tigurina, *in qua deprimeris vicissitudine, fortem te præbeas.* Hebr. enim ענה *ana*, id est, humiliari, significat pati, dolere, affligi. Unde עוני *oni*, est, humilitas, id est, dolor & afflictio. Hinc illud tritum in Script. *Humilia*, id est, macera, & afflige, *in jejunium animam tuam*; & sæpè alibi *humiliare* significat affligere, quia superbis (quales omnes sumus ex lapsu in peccatum) summa afflictio est deprimi & humiliari. Rursum *ana*, significat pati pauperiem. Unde עני *ani* est pauper. Hoc secutus Syrus vertit, *in paupertate longanimis esto*; & Arabicus, *ad languorem & necessitatem patiens esto.*

Septimum hoc est tentationis remedium, scilicet, resignare se in voluntatem Dei; ac quidquid illa nobis applicuerit, humiliter & patienter excipere, cogitando illud, ex ingenti Dei amore nobis applicari ad nostrum bonum, ac proinde magnum hoc esse Dei donum. Nam, ut sequitur: *Quoniam in igne probatur aurum; homines verò receptibiles in camino humiliationis*: Hac gnome appositè S. Pachomius, ut habet Vita ejus cap. 51. solatus est Theodorum discipulum ægrum. *Theodoro enim gravis passio capitis acerrimos dolores excitabat. Qui cùm rogaret Pachomium, ut eum suis relevaret orationibus, ait ad eum: Putas, fili, quòd alicui contingat dolor, aut passio, aut aliquid hujusmodi sine permissione Dei? Idcircò in dolore sustine, & in humilitate patientiam habe, & quando voluerit Dominus, tibi conferet sanitatem: quia si te diutiùs probare dignatur, gratus esto, ut perfectissimus Iob, qui in multis tribulationibus benedicebat Domino: & tu quoque, sicut ille, pro doloribus tuis majorem requiem à Domino percipies. Bona quidem est abstinentia, & in oratione perseverantia; tamen infirmus majus pretium adipiscitur, cùm longanimis & patiens invenitur.* *Septimū.* *Exemplū S. Pachomii.*

Antistrophus huic sententiæ est apologus frumenti & lilii, quem lectis parabolis ocellatum, nervolisque ex phy-

physica rationibus argumentosum profert Cyrill. lib. 1. Apol. moral. cap. 21. cujus titulus: *Omnem adversitatem ut vincas, patientiæ valet magnanimitas.* Apologus sic habet: *Frumenti granum projectum in terram & mortuum, cum juxta siccum lapidem pullulasset, lilium ita fertur ei dixisse: Vnde tibi contrito & mortuo spiritus germinandi, cùm ego quando conteror, eo ipso perdor? Cui granum respondit: Hoc mihi ex virtutis granditate contingit, qua fit ut passio mea sit mea actio, & dum morior, revivisco. Rerum enim virtute maximarum tunc magis intenditur valetudo* (valor, vis & vigor) *cùm earum conteritur aut moritur corporea magnitudo: nimirum phœnix mortua generat, & cinnamomum contritum plus inflammat. At verò res in quibus virtus minus prævalet, si teruntur ex hujusmodi contritione confunduntur, & pretiositatem suam perdunt. Vt draconites lapis si teritur, virtus ejus perditur; & magnes ferrum non attrahit, si teratur. Sic infirmum membrum sine dolore tangi non patitur, & sanum cùm tangitur delectatur. Non attendisti quòd virtuosus cùm adversis conteritur, tunc magnanimior invenitur? In calamitate siquidem majorem sumit spiritum, & triumphans ratio tunc vehementius roboratur.* Rationem à priori assignat, eamque exemplis Job, Joseph & Tobiæ confirmat dicens: *In malis enim non vinci, virtutis est victoria. Nemo autem vincitur, nisi cui suum bonum eripitur. Totum autem bonum magnanimi in virtute ejus consistit: ea namque sibi sufficiens est, quæ cùm excellat, ipsaque gaudeat virtute salva, nulla eum foris denudat privatio, nulla inhonestat confusio, nulla eum contristat sensus afflictio. Nonne* (Job 1.) *S. Job virtute dives, rerum inopia temporalium minimè est depauperatus? Eadem Joseph excellens* (Genes. 39.) *haudquaquam est infamia dehonestatus? Eademque gaudens Tobias* (Tob. 2.) *in tenebris cæcitatis haud fuit desolatus?* Denique ex hisce hoc apologi epimythium, velut ejus finem & fructum, colligit: *Quisquis vult, dicat aut faciat tibi injuriam, tu tamen nihil patieris, si tantùm sit virtus magnanimitatis. Quinimò prudens magnanimus in adversitatibus gloriatur* (2. Cor. 12. 9.) *quia in infirmitate virtus perficitur, atque venenum veneno contunditur. Asbestinum lignum incendio expurgatur, & electum aurum in camino rutilat approbatum. In adversitate igitur duntaxat impatiens vincitur, & in ea sapiens magnanimitate invictus aut corrigitur, aut medicamine præservatur, aut exanimis resuscitatur. Quibus dictis conticuit.*

Apologus patientiæ.

Ratio à priori.

Vers. 5. QUONIAM IN IGNE PROBATUR AURUM ET ARGENTUM, HOMINES VERO RECEPTIBILES] Græcè, δεκτοὶ, id est, *acceptabiles*, hoc est, accepti & grati Deo; digni, qui à Deo in amicos, familiares & filios recipiantur & adoptentur, ut sint ejus electi & heredes regni cælestis; Arabicus, *aurum enim probatur igne; & homo inopia & paupertate.*

IN CAMINO HUMILIATIONIS] Syrus, *in fornace paupertatis*; S. Ambros. in psal. 118. octon. 20. *in fornace humilitatis. Est enim*, ait, *humilitas virtutis, est & humilitas afflictionis*; Tigurina, *quoniam ut aurum igne probatur; ita homines commendabiles in fornace afflictionis.* Sicut ergo ignis non nocet, sed prodest auro, quia illud probat, purgat, perficit, illustrat, facitque splendidum & coruscum; ita caminus humiliationis & afflictionis patientem probat, purgat, perficit, illustrat, Deoque gratum & dignum efficit. Quocirca, sicut aurum igne fulgidum gratias debet igni, quo resplenduit: ita & patiens tentationi. Unde Psaltes psal. 118. *Bonum*, ait, *mihi, quia humiliasti me.* Impatiens verò, qui non meretur à Deo recipi, igne tentationis non purgatur, nec illustratur ut aurum, sed ut palea uritur & consumitur. Hoc est, quod ait S. Ephrem tract. de Timore Dei, *Multi habitu Monachi; at pauci certatores: tempore autem tentationis monachi probatio apparet.* Et Angelus ait Tobiæ cap. 12. *Quoniam acceptus eras Deo, necesse erat, ut tentatio probaret te.* Et Daniel cap. 11. 35. loquens de sanctis acriter tentatis ab Antiocho, & tentandis ab Antichristo: *De eruditis*, ait, *ruent, ut conflentur* (in tentatione quasi aurum in fornace) *& eligantur & dealbentur.* Vide ibi dicta.

Præclarè S. Aug. in psalm. 61. *Numquid*, inquit, *lucet aurum in fornace aurificis? in monili lucebit, in ornamento lucebit; patiatur tamen fornacem, ut purgatum à sordibus veniat ad lucem. Fornax ista, ibi palea, ibi aurũ, ibi ignis, ad hanc flat aurifex. In fornace ardet palea, & purgatur aurum. Illa in cineres vertitur, à sordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum justi, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio: ubi me ponit aurifex, tolero: jubeor ego tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, & quasi consumendum me; illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Quare? Quia Deo subiicietur anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea.* Porrò mensuram hujus probationis assignat S. Chrysost. homil. 4. ad popul. *Etenim aurifex*, inquit, *donec aurum benè purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: sic & Deus non abducit hanc nubem, donec nos penitus emendaverit. Qui enim tentationem permisit, ipse novit & tentationis solvendæ tempus. Et sicut citharœdus, neque nervum intendit, ut non abrumpat; neque remittit ultra modum, ne harmoniæ concentum lædat: sic & Deus agit, neque in remissione continua, nec in longa tribulatione nostram constituit animam, secundum suam prudentiam utrumque faciens. Non sinit enim nos continua potiri remissione, ne segniores fiamus: non autem rursum sinit in continua esse tribulatione, ne concidamus, neve desperemus. Ipsi igitur adversitatis finiendæ tempus relinquamus: nos verò tantùm in sanctitate vivamus.*

Rursum S. August. serm. 78. de Temp. *Mali*, inquit, *serviunt bonis non obsequendo, sed persequendo, quomodo persecutores Martyribus, quomodo lima vel mallei auro, quomodo mola serviunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia; ut illi coquantur, illa consumantur: quomodo in fornace aurificis palea servit auro; ubi sine dubio palea consumitur, aurum probatur.* Vide Cassianum collat. 6. cap. 11. ubi tres assignat tentationis causas & fines: *Sciendum*, ait, *est, omnes homines triplici ratione tentari: plerumque ob probationem, nonnumquam ob emundationem, interdum ob merita delictorum.* Quæ deinde exemplis & sententiis S. Scrip. probat & illustrat. Ac deinde quartam addit causam, qua *ob manifestandam*, ait, *solummodo gloriam & opera Dei, inferri quibusdam aliquas passiones Script. auctoritate cognoscimus*, juxta illud Joannis de cæco nato, cap. 9. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed, ut manifestentur opera Dei in illo.* Et de Lazaro ægro, cap. 11. *Infirmitas hæc non est ad mortem: sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per ipsam.*

CREDE DEO] & consequenter confide: fides enim parit spem & confidentiam in Deum: imò, *crede*; id est, ut Tigurina, *confide Deo*, eique te, tuaque, ac præsertim tentationes & afflictiones, tempusque liberationis crede, & committe. Vers. 6.

ET RECUPERABIT TE] Græcè, ἀντιλήψεται, id est, *suscipiet*, & in afflictiones prolapsum in pristinum felicitatis statum restituet: quod Noster vertit, *recuperabit*.

ET DIRIGE, id est, rectam fac VIAM, id est, conversationem, TUAM; atque ita demum (SPERA IN ILLUM) quia recta probaque vita parit confidentiam. Deus enim rectos corde quasi suos tuetur & protegit. Tigurin. *confide Deo, ut opem tibi ferat: rectis insiste viis, & illo nitere.* Fides enim sola non devincit Deum, nisi cùm recta probaque vita jungatur: peccata enim Deum, Deique opem avertunt. Quomodo enim peccator credat Deum sibi affuturum, cùm ipse illi non adsit, imò cùm ipse sibi non adsit? Vnde Arabicus vertit, *crede in Deum, ut sit tibi adjutor, & spera in eo, & ipse faciles reddet vias tuas.*

Hoc est octavum tentationis remedium, scilicet, fiducia in Deum: hæc enim facit animum excelsum, magnanimum, divinum, atque à Deo opem & robur impetrat ad tentationem superandam: Deus enim sperantem in se deserere aut fallere nequit: ei enim opem certam ubique in Script. promittit, ut Matth. 8. 13. *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* Et c. 9. 22. *Fides tua te salvam fecit.* Psal. 90. 1. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Et v. 4. *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris ab incursu & dæmonio meridiano.* Et vers. 14. *Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamavit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum.* adeoque totus ille Psalmus est de hac re, ideoque in tentatione, & pavore à multis legi solet, imò ab omnibus Ecclesiasticis legitur quotidie in Completorio contra tentationes,

Octavum

nes, terrores & illusiones nocturnas. Vide in eum S. Bernardum. Causa est, quòd fiducia Deo sit honori & gloriæ: quia sperans, sibi diffidens, fidit, totumque se credit Deo, itaque Deum quasi obligat, ut illum protegat; imò recuperet, etiamsi prolapsus & penè perditus sit. Agitur ergo hic honor Dei, qui Deum movet ut clienti suo opituletur.

Fidei & spei pretia. Præclarè Philo lib. de Abraham: *Sola*, inquit, *fides, qua creditur Deo, solidum est certumque bonum, vitæ solatium, bonæ spei supplementum, depulsivum calamitatum, felicitatum conciliativum, ablegatio superstitionis, pietatis assertio, posteritatis hereditas, profectus demum in rebus omnibus. Hanc enim qui habet, Deo fultus est universorum auctore, qui potest omnia: vult autem optima.* In libro autem, qui inscribitur, Quis rerum divinarum sit heres: *Quam difficile*, inquit, *est soli Deo credere renitente sensu, & natura, ipsa etiam ratione, pravis opinionibus occupata! Nimirum, res mortales, quibus circumdati sumus, suadent nobis, ut credamus, & fidamus gloriæ, potentiæ, amicis, sanitati & corporis robori, nostræque in primis prudentiæ, ne certa incertis præsentia futuris commutemus, neve, quod vetamur veteri proverbio, spem pretio emamus. Has persuasiones penitus ex animo ducere, nulli creaturæ fidere; sed in solo Deo omnes suas & spes & opes habere collocatas, ex eoque totum mente animoque pendere, res est animi magni & cælestis, nec inescati captique rebus terrenis.*

Serva timorem illius, et in illo veterasce] Hic versus jam deest in Græco: Tigurina habet, *tuere religionem ejus, & in ea consenesce.* Timor enim significat Dei reverentiam, cultum, religionem, *per quam servimus placentes Deo cum metu*: Græcè αἰδῶς, id est, *pudore*, verecundia, & *reverentia*, Hebr. 12. 28.

Nonum remedium tentationum est timor Dei. Nonum est hoc tentationis remedium, scilicet, filialis timor & amor Dei, si quis eum constanter servet, in eoque fixus usque ad senium, imò ultimum vitæ spiritum persistat, dicatque cum Apostolo: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* &c. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro*, Roman. 8. 35. Hoc remedium facile est, efficax, summéque meritorium. Quis enim non amet Deum suum, & ejus amore tentationem quamlibet toleret? Quid non efficiat amor Dei? Quid non meretur, qui fons est & principium omnis meriti? Quomodo Deus amantem se deserat, & non redamet, imò majore amore longè superet & transcendat? Quocirca, sicut miles in armis & gladiis, doctor in libris, prædicator in pulpitis, medicus in pharmacis, legisperitus in legibus, rusticus in agris, sartor in vestibus, aurifex in auro, opifex quisque in sua arte & opere veterascit & consenescit: sic fidelis & sanctus in timore & amore Dei. Hic enim est ejus gladius, hic ejus liber, hoc ejus pulpitum, ejus pharmacum, ejus lex, ejus rus & ager, ejus vestis, ejus aurum, ejus ars & opus.

Ita B. Oresietis, discipulus S. Pachomii: *Seminemus*, ait, *in lacrymis, ut cum gaudio metamus, non deficientes, quod sciamus, Dominum de tentatione liberare cultores suos.* B. Petrus Ravennas: *Teneræ*, ait, *militiæ est solo amore de omnibus tentationibus & vitiis reportare victoriam.* S. Chrysost. *Adamas esto, athleta Christi; & omnia pervinces.* S. Basil. ad Chilonem: *Corpus substerne laborum exercitio, animam assuefacito tentationibus æquanimiter tolerandis.* S. Bernard. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Disertè verò S. Antonius apud S. Athanasium. *Magna*, inquit, *adversus dæmones arma sunt, vita sincera, & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto: pertimescit Satanas rectè viventium vigilias, orationes, jejunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, & præcipuè purum cor erga amorem Christi.*

Ratio à priori. Ratio à priori est, quòd timor Dei adducat humilitatem, quæ est omnium tentationum victrix; & paupertatem spiritus, quæ materiam tentationis elidit. Prius docet S. August. lib. 1. de serm. Domini in monte, ubi septem dona Spiritus sancti coæquans octo beatitudinibus, timorem assignat primæ beatitudini: *Timor Dei*, inquit, *congruit humilibus, de quibus hic dicitur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, id est, non inflati, non superbi, de quibus Apostolus dicit: Noli altum sapere; sed time: id est, noli extolli.* Posterius æquè ac priùs docet D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 12. *Timori*, inquit, *propriè respondet paupertas spiritus. Cùm enim ad timorem filialem pertineat Deo reverentiam exhibere, & ei subditum esse, id quod ex hujusmodi subjectione consequitur, pertinet ad donum timoris. Ex hoc autem, quod aliquis se Deo subiicit, desinit quærere in seipso, vel in alio aliquo magnificari, nisi in Deo: hoc enim repugnaret perfectæ subjectioni ad Deum. Unde dicitur Psalm. 19. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. Et ideò ex hoc, quod aliquis perfectè timet Deum, consequens est, quod non quærat magnificari in seipso per superbiam; neque etiam quærat magnificari in exterioribus bonis, scilicet, honoribus & divitiis, quorum utrumque pertinet ad paupertatem spiritus.* Et sic per eam, & consequenter per timorem Dei illi annexum, eliduntur omnes tentationes: hæ enim ex appetitu vel honorum, vel opum ferè nascuntur. Plura de remediis tentationum dixi Jacobi 1. v. 12.

Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus: et non deflectatis ab illo,) Domino, ejusque timore, spe & amore) ne cadatis] Syrus, *qui timetis Dominum, sperate beatitudinem ejus: & non cunctemini de post eum*, (id est, sequimini eum sine cunctatione,) *ne fortè cadatis.* Est hic altera pars capitis, qua post assignata tentationis remedia, præcipuum fusius persequitur, scilicet, constantem spem, & fiduciam in Deum. Ad eam ergo hic continua est parænesis, qua omnes hortatur, ut in qualibet tentatione & tribulatione in timore Dei persistentes sperent in Deum, illique se credant & committant. Tigurina vertit, *qui Dominum reveremini, sperate benignitatem ejus, nec deflectatis ab eo, ut ne concidatis* in ruinam animæ & corporis, in barathrum peccati, desperationis & inferni, uti corruerunt Core, Dathan & Abiron, cùm à Deo & Mose desciverunt, Num. 16. Hoc est, quod ait Ierem. cap. 17. *Omnes, qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te in terra scribentur; quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium, Dominum.* Probat quatuor rationibus, fideli tentato in timore & fiducia Dei esse persistendum. Prima est, quia, nisi id faciat, cadet in peccatum, desperationem & gehennam. Ab his enim præservat, hominemque in suo gratiæ Dei statu conservat Dei timor, & fiducia. Hæc ergo prima timoris & spei est dos. Vers. 7. *Timoris & spei fructus. Primus.*

Qui timetis Dominum, credite (tum per fidem credendo, tum per spem & fiduciam confidendo) illi, et non evacuabitur merces vestra] Est hæc secunda ratio; q. d. In quavis tentatione, ò fideles, firmi persistite in cultu Dei, illique confidite; quia, si nutetis & excidatis à Dei cultu & spe, evacuabitur merces omnium bonorum operum, quæ priùs operati estis: juxta illud Ezech. 18. *Si averterit se justus à justitia sua, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Secunda est hæc timoris & spei dos, quòd mercedem bonorum operum conservet & adaugeat, quin & acceleret. Unde Syrus vertit, *timentes Deum, credite in eum; & non faciet pernoctare mercedem vestram*, juxta legem Levitici 19. 13. Vers. 8. *Secundus.*

Qui timetis Dominum, sperate in illum: et in oblectationem veniet vobis misericordia] q. d. Misericordia Dei, quam sperastis, vos oblectabit, cùm rem speratam, putà, salutem præsentem & æternam, largietur & tribuet. Hæc oblectatio & fruitio rei speratæ est tertia spei dos & fructus, juxta illud Psalm. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Qui ergo à timore & spe excidit, se & re sperata & divina consolatione defraudat, ac gratiam Dei sibi imminuit. Nam *quantum crescis in gratia, tantum & in fiducia dilataris*, ait S. Bern. ser. 3. in Cant. Græca jam habent: *Timentes Dominum, sperate in bona, & in lætitiam sæculi, & misericordiæ*: q. d. Timentes Deum sperate bona, putà, misericordiam & lætitiam perpetuam, quæ durabit in omne sæculum. Tigurin. vertit, *bona sperate, quibus Dominus religioni est, lætitiam quoque sempiternam & benignitatem*; Syrus, *timentes Dominum sperate beatitudinem ejus, & lætitiam æternam & redemptionem.* Arabicus hunc versum, & duos præcedentes in unum, quasi per compendium redigit, Vers. 9. *Tertius.*

git, itaque effert: *O timentes Dominum, sustinete gratiam ejus, ut recipiatis ab eo salutem, & gaudium, & exultationē.*

Porrò quæ, qualis & quanta hæc futura sit, docet S. Bernard. in Meditat. *Primum*, inquit, *est, videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus: habere Deum, qui est summum bonum: & ubi est summum bonum, ibi est felicitas summa, summa jucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, & secura æternitas.*

Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas,
Gaudia, lætitia, dulcedo, vita perennis,
Gloria, laus, requies, amor & concordia dulcis.

Quæ ergo nos angit vesania, vitiorum sitire absinthium, hujus mundi sequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium: & non magis convolare ad Sanctorum felicitatem, ad Angelorum societatem supernæ lætitiæ, & ad jucunditatem contemplativæ vitæ, ut possimus intrare in potentias Domini, & videre superabundantes divitias illas bonitatis ejus? Ibi vacabimus, & videbimus, quam dulcis est Dominus, & quàm magna multitudo dulcedinis ejus. Videbimus gloriæ decorem, Sanctorum splendorem, & regiæ potestatis honorem. Cognoscemus Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus sancti benignissimam clementiam; & ita habebimus notitiam illius summæ Trinitatis. Nunc corpora per corpus videmus, imagines etiam corporum spiritu cernimus. Tunc verò ipsam veritatem puro mentis intuitu videbimus. O quàm beata visio, videre Deum in seipso, videre in nobis, & nos in eo felici jucunditate! Quidquid desiderabimus, totum habebimus, &c. *Qualis putatis tunc erit splendor animarum, quando solis splendorem habebit lux corporum.* Idem serm. 17. in psal. *Qui habitat: Vita æterna*, ait, *ipsa est plenitudo, ipsa longitudo dierum; verus dies qui non novit occasum: plenus meridies, vera gloriæ plenitudo, æterna veritas, vera æternitas, vera æternaque satietas: siquidem nec longiturnitas illa terminum, nec claritas illa occasum, nec fastidium illa satietas habet. Erit enim securitas de æternitate, gloriatio de veritate, exultatio de satietate.*

VERS. 10. QUI TIMETIS DOMINUM, DILIGITE ILLUM, ET ILLUMINABUNTUR CORDA VESTRA] Hæc sententia non est in Græcis: unde Jansenius suspicatur, eam ab aliquo adiectam, hoc fine, ut fidei & spei, de quibus dixit v. 9. & 10. *credite, sperate*, adderetur tertia virtus theologica, putà, charitas; ideoque dici, *diligite*. Verùm hac ratione multæ sententiæ in textu Latino Ecclesiastici essent surreptitiæ; quia multæ desunt in Græco, uti dixi can. 16. Cur non potiùs aptam hanc concinnitatem trium virtutum theologicarum tribuamus ipsi Siracidi? Unde Rabanus: *Nota*, ait, *lector, quòd timentibus Dominum trinam facit discretionem. Nam primò illos jubet credere Deo: secundò, sperare in illum: tertiò, diligere illum: quia fide, spe & charitate omnis anima fidelis colit Deum. Et per has species perveniet ad contemplationem sanctissimæ Trinitatis, quæ est illi merces vera in beatitudine sempiterna.* Sensus ergo est: Qui timetis Deum, in dilectione ejus, æquè ac fide & spe, in quavis tentatione fortes persistite: & id est, quia, *illuminabuntur corda vestra*, putà lumine, non tam cognitionis, quàm consolationis & gaudii: hoc est, recreabuntur, exultabunt, & velut nova luce lætitiæ & jubili collustrabuntur, juxta illud Isaiæ 58. *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies: & requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam.* Consolatio & gaudium vocatur lux; quia instar lucis animam illustrat, recreat, vivificat. Hæc est quarta timoris & *Quartus.* spei dos, quòd pariat mirā animę consolationem & lętitiam.

VERS. 11. RESPICITE, FILII, NATIONES HOMINUM: ET SCITOTE, QUIA NULLUS SPERAVIT IN DOMINO, ET CONFUSUS EST] Vox *nationes*, est accusativi casus: Græcè enim est, ἀρχαίας γενεὰς, id est, *antiquas generationes*: & ita legit S. Ephrem parænesi 30. Hæ ergo vocantur *nationes*, juxta illud Virg. 3. Æneid.

Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Natio, inquit Festus, *est genus hominum, qui non aliunde venerunt, sed ibi nati sunt. In pecoribus quoque bonus proventus bona natio dicitur.* Sic & Plinius l. 22. c. 24. nūcupat *nationes mellis*, & l. 24. c. 6. *nationes resinæ*. Nationes ergo vocantur *Natio quid?* hic generationes & successiones hominum, putà, homines in terra geniti, & per generationes continuas sibi invicem per singula sæcula succedentes. Hinc Natio à Gentilibus habita fuit dea, quæ generationi hominum continuandæ præesset: *quæ, quia partus matro-*

A *narum tueatur, à nascentibus Natio nominata est*, ait Cicero lib. 3. de Natura deorum.

Quocirca Syrus vertit, *intellige rem, quæ ab initio fuit, & à generationibus sæculi. Intelligite & videte, quis credidit in eum, & dereliquit eum? vel, quis confidit in eo, & abjecit eum? aut, quis invocavit eum, & non respondit ei?* Arabicus, *considerate, quid fuerit in antiquo, & quid conveniens fuerit in generationibus præteritis. Respicite, & cautè vosmet regite: quis est, qui speravit in eo, & dereliquit eum? quis confidit in eo, & despexit illum?* Addit deinde nonnulla, quæ nec in Latino, nec in Græco, nec in Syro habentur, scilicet: *Qui vult vitam hereditare & gaudium indeficiens, suscipiat omnes sermones meos, & operetur in eis, ut confirmet in libro vitæ nomen suum. Confirmare in formidine Domini, ut permaneat cor tuum super illam, & non pertimescas. Accede ad illam, & ne tarderis, quia invenies beatitudinem & vitam: & cùm accesseris ad eam, accede veluti gigas & robustus.* Tigurina, *in prisca retro respicite sæcula, & hæc considerate. Quis in Domino confisus est, & ignominiam retulit?* q. d. Quis umquam in Dominum sperans, spe sua frustratus est? quis re sperata excidit, ideo-
B que confusus, id est, pudore affectus, & ignominia notatus est? q. d. Nullus, sed omnes spei suæ fructum retulerunt, ac re sperata, vel meliore potiti sunt, ideoque honorem & gloriam adepti. Considerate Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Mosen, Josue, Gedeonem, Samsonem, Davidem, Ezechiam, Josiam, Isajam, Jeremiam, Danielem, Machabæos, ceterosque per singula sæcula justos, qui in Domino confisi, periculis malisque omnibus ab eo liberati sunt, uti nervosè recenset Mathathias, qui Judam ceterosque filios Machabæos hisce exemplis hortatus est ad bellum, pro Deo & fide contra Antiochum heroicè suscipiendum, non tam armorum, quàm Dei spe & ope. 1. Machab. 2. 51. Huc allusit S. Paulus Roman. 5. 3. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.*

Porrò S. Chrysost. hanc promissionem non tantùm ad justos, sed & ad peccatores refert: *Non dixit*, ait, *Justus: sed quis? Etsi*, inquit, *sit peccator. Hoc est enim admirabile, quod etiam peccatores anchoram hanc spei tenentes, sint ab omnibus inexpugnabiles.* Idem in psalm. 117. *Dices*, in-
C quit, *Ego speravi, & sum pudore affectus. Bona verba, quæso, ò homo: ne divinæ Scripturæ obloquaris. Nam, si pudore affectus es, ideò affectus es, quod non ut oportuit, speraveris, ex eo quòd cesseris, ex eo quòd finem non expectaveris, ex eo quod pusillo & angusto animo fueris. Hoc enim vel maximè est sperare, quando in media mala & pericula fueris coniectus, tunc erigi.*

QUIS ENIM PERMANSIT IN MANDATIS EJUS, (Græcè, *in timore ejus*: hic enim adigit ad servanda mandata,) ET DERELICTUS EST? AUT QUIS INVOCAVIT EUM, ET DESPEXIT ILLUM?] q. d. Quisquis sperat in Deum, numquam à Deo desertus fuit, numquam quoque deseretur. Vel enim justus est, vel iniustus: si justus, & mandatis Dei obediens, impossibile est, ut à Deo, cùm sit ejus amicus & filius, derelinquatur: si iniustus, & in tribulatione ad Deum per pęnitentiam & spem confugiat, nec hunc despiciet. VERS. 12.

QUONIAM PIUS; Græcè, οἰκτίρμων, id est, clemens, ET MISERICORS (Complut. addunt, μακρόθυμος καὶ πολυέλεος, id est, longanimis & multæ miserationis) EST DEUS. ET REMITTET IN DIE TRIBULATIO- VERS. 13.
D NIS, pęnitentibus, & ad se redeuntibus, seque invocantibus, PECCATA: ET PROTECTOR EST OMNIBUS EXQUIRENTIBUS SE IN VERITATE,] qui, scilicet, verè & sincerè ad eum confugiunt, ejus amicitiam quærunt, ei obediunt, in eum confidunt, ei se & sua resignant, credunt & committunt. Rursum, *in veritate*, id est, in integritate, ut corde verò, id est, toto & integro, putà, toto affectu eum quæramus. *Verum* enim sæpè pro pleno & integro sumitur, ut Dan. 4. 34. *Omnia opera ejus* (Dei) *vera*, id est, integra & perfecta. 1. Petr. 5. 12. *Verum, id est, integrum.* *Contestans hanc esse veram*, id est, perfectam, *Dei gratiam*. Joan. 4. 23. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*. Et cap. 15. 1. *Ego sum vitis vera*, id est, perfecta. Sic Deus vult à nobis exquiri *in veritate*, id est, integrè & perfectè: sicut enim vult à nobis diligi ex toto corde, ita & vult à nobis in se sperari ex tota anima totaque fiducia. Hinc enim opponens subdit: *Væ duplici corde*. Syrus vertit, *quia clemens & misericors*

vicors est Dominus, & audit & liberat in omni momento tribulationum, & audit vocem operum voluntatis suæ. q.d. Audit vocem, non tam loquentium, quàm benè operantium, juxta voluntatem & legem suam.

VERS. 14. VÆ DUPLICI CORDE] Opponit duplex cor veritati, id est, simplicitati & sinceritati: q.d. Euge simplicibus & sinceris, qui Deum quærunt in veritate: sed væ iis, qui sunt duplici corde, id est, ficti, hypocritæ, dolosi, fraudulenti, simulantes se servire Deo, eumque colere & in eum sperare, cùm serviant mundo.

Rursum *veritati*, id est, integritati, opponit cor duplex, id est, divisum, putà, diffidens, quod, scilicet, partim adhæret Deo, partim creaturis; quod nunc spem collocat in Deo, nunc in hominibus; quod nunc invocat Deum, nunc sagas & magos. Vnde S. August. tract. 7. in Joannem: *Duplici corde*, inquit, *est, qui partem cordis dat Deo, partem diabolo.* Hunc odit Deus quasi sibi è diametro adversum: ipse enim ex natura sua est simplicissimus, ideoque integerrimus, sincerissimus, veracissimus, fidelissimus, sanctissimus.

Duplici corde quis? Respondeo. Primo. Primò ergo, Siracides duplici corde vocat diffidentes Deo, qui spem quasi divisam habent, ac trepidantes nunc eam in Deo, nunc in creaturis collocant. Vnde S. Iacobus huc alludens, cùm agit de oratione, ait c. 1. 6. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans*: moxque subdit v. 8. *Vir duplex animo*, Græcè, δίψυχος, id est, bianimis, sive duas habens animas, unam sperantem, alteram desperantem, *inconstans est in omnibus viis suis.* Pro quo S. Ignatius epist. 13. ad Heronem legit: *Ne sis duplici animo in precatione tua. Beatus enim, qui non ambigit.* Tales sunt hodie multi hæsitantes, ambigui, & quasi amphibii: qui tempore pacis confidunt & serviunt Deo: sed ubi persecutio vel metus ingruit, Deo diffidunt, eumque deserunt, ut hominibus placeant; &, ut ait Christus Lucæ 8. *ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.*

Secundo. Secundò, *duplici corde* est hypocrita, qui fictè & dolosè colit & invocat Deum, iuxta illud psalm. 11. 13. *In corde & corde*, id est, duplici corde *locuti sunt.* Tales sunt fraudulenti, qui unum cor intra pectus, aliud in labris habent; similes perdicibus Paphlagoniæ, quæ bicordes sunt, ideoque fraudulentæ & perniciosæ, teste Plinio lib. 11. 37. Æliano lib. 10. de Animal. 35. Gellio li. 16. 15. Vnde & S. Ambros. lib. 6. Hexam. cap. 3. perdicem dictam vult à perdendo. Tales imitantur dæmonem, cujus nomen est zabulus, q.d. διάβολος, id est, δίβουλος, διβουλος, δίψυχος, id est, duplicis consilii, versipellis, ut decipiat: ζα enim Græcis idem est quod διά, licet S. Hieron. in c. 6. ad Ephes. *Zabulus*, interpretetur καταῤῥέων, id est, *deorsum fluens, quod, scilicet, paulatim de veritate ad vitium defluxerit, & de cælestibus ad terrena corruerit.* Alii *zabolum* idem esse censent, quod *diabolum*, quod valdè est verisimile. Duos hosce sensus assignat Arabicus, dum vertit, *fili mi, ne defraudes in timore Dei, & ne accedas, cùm sis dubius in corde tuo, & ne glorieris illo* (timore) *inter homines, ut sit loquela labiorum tuorum in æquitate & veritate: & ne respuas sermonem ejus, & ne timeas, & non derelinquas ignominiam super animam tuam; ne fortè Dominus obfirmet vincula tua, & inducat in te supplicium in medio cœtu.*

Præclarè Nazianz. in Detrastichis. *Probum esse præstat, quàm videri. Leonem haberi simiam, quid iuverit?* S. Antonius explicans hæc verba *Væ duplici corde*, ait, hominem duplicis cordis esse monstrum extravagans & peregrinum: natura enim permittens monstrositatem in membris, eam in corde numquam admittit: videbis enim hominem quatuor manus, vel pedes, aut duo capita habentem; hominem verò duo corda habentem, nusquam & numquam visum est: quia cor est principium vitæ. Vnde, sicut non potest esse duplex vita in homine; sic nec duplex cor: meritò ergo monstrum dicemus hominem duplici corde; qui, scilicet, unum cor in ore, aliud in pectore gestat.

Tertio. Tertiò δίψυχος, id est, *duplici corde* & animo, sive bicors est, qui est levis, mutabilis, & varius instar chamæleontis, ut nunc velit, nunc nolit, nunc fidat Deo, nunc diffidat.

Quarto. Quartò, *duplici corde* est, qui cor partim affigit cælo, partim terræ, qui cupit simul servire Deo, & mammonæ. Vnde sequitur: *Væ manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.* Vide ea, quæ dixi Jacobi 1. 8. Hos duos sensus insinuat quoque versio Arabica jam recitata.

Græca pro *væ duplici corde*, habent, οὐαὶ καρδίαις δειλαῖς, id est, *væ cordibus timidis*, & ignavis: & ita legit S. Cyril. li. 1. de Adoratione in spiritu & veritate, sed Noster pro δειλαῖς legit, διψύχοις, id est, duplicibus: & ita etiamnum legunt nonnulli Græci codices, & S. Chrysost. homil. 4. in illud 1. Cor. 15. *Cum autem subiecta ei fuerint omnia.* Verùm utraque lectio conciliari potest: timidi enim & ærumnarum impatientes sunt diffidentes, atque duplex habent cor; & duplicem spem; unam enim reponunt in Deo; alteram in suis & suorum viribus. Hinc Apoc. 21. v. 8. *Timidis*, ait, *& incredulis* (id est, diffidentibus) &c. *pars illorum erit in stagno ardenti igne.*

VÆ DUPLICI CORDE, ET LABIIS SCELESTIS (de his labiis nil habet Græcus,) ET MANIBUS MALEFACIENTIBUS, ET PECCATORI TERRAM INGREDIENTI DUABUS VIIS] Notatur hic triplex duplicitas, scilicet, cordis, oris & manuum, id est, operis: ex duplici enim corde prodit duplex os, putà, labia scelesta, id est, ficta & dolosa, ac manus malefacientes: ac proinde talis est peccator & scelestus, qui terram ingreditur duabus viis: una enim via tendit ad Deum, eum exteriùs in pace colendo; altera pergit ad mundum & mundanos, eis in tempore tentationis confidendo, ac se conformando, ne ab eis rideatur, neve faciat jacturam famæ, bonorum aut vitæ. Ita S. Aug. tract. 9. in Joannem. *Non vult Christus*, inquit, *communionem, sed solus vult possidere, quod emit. Tanti emit, ut solus possideas: tu facis ei consortem diabolum, cui te per peccatum vendideras. Væ duplici corde, qui in corde suo partem faciunt Deo, partem faciunt diabolo. Iratus Deus, quia fit ibi pars diabolo, discedit, & totum diabolus possidebit. Non frustra itaque Apostolus dicit: Neque detis locum diabolo.* Græca jam habent: *Væ cordibus ignavis, & manibus* παρειμέναις, id est, *remissis*, torpidis, desperantibus, ideoque bonum deserentibus, & ad malum inclinantibus: quod Noster, vertit, *malefacientibus*, & scelerosо, *duabus viis ingredienti*; Syrus verò, *cor fœtidum, & manus dissoluta, homo qui incessit per vias multas*; Arabicus, *cor coagulatum, & manus trementes, & pedes in pluribus semitis incedentes.* Sic cap. 3. 28. vocatur cor דרכים *derachaim*, id est, duarum viarum, hoc est, duplex, fucatum, dolosum. *Cor*, inquit, *ingrediens vias duas non habebit successus*: tale est, quod ingreditur viam cæli & viam terræ, quod simul vult placere Deo & terrigenis. Sic Israelitis colentibus Deum simul & Baal ait Elias: *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum*, 3. Reg. 18. 21. Quocirca S. Paulus hortatur Hebræos c. 12. 12. dicens: *Remissas manus & soluta genua erigite: & gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret.*

Tales hodie sunt, qui cum Catholicis loquuntur & vivunt catholicè, cum hæreticis hæreticè, cum castis castè, cum incestis incestè. Tales fuere Samaritani, qui cum Deo vero coluerunt deos Gentium 3. Reg. 17. 33. ita Rabanus, Jansenius, Palacius & alii. Hi similes sunt muscis, quę in rota duobus motibus contrariis moventur; antrorsum, scilicet, ex se; retrorsum ex rotatione rotę: item stellis errantibus, putà, planetis, qui pręter motum proprium raptantur & moventur motu contrario primi mobilis. Vnde quidam vir sapiens Consiliario cuidam Elisabethę reginę Anglię roganti, quidnam de se sentirent transmarini (volebat enim haberi Orthodoxus, cùm reginę obsequeretur:) facetè respondit: *Domine, dicunt te imitari planetas, qui præter motum proprium sinunt se rapi motu primi mobilis.* Pręclarè Seneca in Sentent. *Tutissima*, ait, *res est, nihil timere præter Deum.*

Porrò, cùm totus hic locus spectet ad diffidentiam, spei Deum timentium & colentium oppositam; hinc ingredi duabus viis, hoc loco propriè est duos deos colere, duas religiones profiteri, in duobus diversis, imò contrariis, spem collocare. Hi enim nunc in adversam, nunc in obversam partem pergunt; nunc faciem, nunc tergum ostentant; nunc amicos, nunc inimicos se exhibent. *Pergere duabus viis quid. Respond. est duos deos colere.*

Sumpta est hęc phrasis ab Israëlitis, pręsertim Samaritis, qui cum Deo vero colebant deos patrios, putà, vitulos aureos inductos à Jeroboam, ideoque nunc ibant in Jerusalem ad adorandum Deum verum; mox pergebant in Dan & Bethel, ad adorandum quoque vitulos aureos; aut in Assyriam, vel Ægyptum, ad accersendam sibi opem, tam deorum, quàm regum Assyrię vel Ægypti. Id ita esse patet ex

tet ex Ierem. c. 18. *Et nunc*, inquit, *quid tibi vis in via Aegypti, ut bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis?* Et v. 36. *Quàm vilis facta es iterans vias tuas, & ab Aegypto confunderis, sicut confusa es ab Assur.* Et Osee c. 13. 4. *Deum absque me nescies, & salvator non est præter me*, &c. *Et ego ero eis quasi leæna; sicut pardus in via Assyriorum.* Et cap. 4. 15. *Nolite ingredi in Galgala, & ne ascenderitis in Betaven*, id est, in Bethel; quæ olim à Iacobo dicta & facta est Bethel, id est, domus Dei; nunc autem per vitulos aureos facta est Betaven; id est, domus idoli & peccati. Similia habent & inculcant ceteri Prophetæ.

Idem refricat hic Siracides hac de causa, quòd sub hoc tempus, puta, sub Alexandro Magnò (cui successit Ptolemæus Lagi, sub quo hæc scripsisse videtur Siracides,) Samaritæ ope Sanaballat, præfecti Darii regis Persarum, erexerint sibi templum in monte Garizim, quasi æmulum & oppositum templo Iudæorum in Ierusalem; & ad illud non tantùm Samaritas, sed & Iudæos invitabant. Unde, ut ait Iosephus in fine li. 11. Antiq. *Si quis apud Ierosolymitas, aut illiciti cibi sumpti, aut violati sabbati, aut similis criminis ejus ageretur, ad Sichimitas* (id est, Samaritas) *confugiebat, calumniam se passum dictitans.* Quocirca Siracides ca. 50. 27. *Duas gentes*, inquit, *odit anima mea: tertia autem non est gens*, (non est digna gentis nomine,) *quam oderim: qui sedent in monte Seir, & Philisthiim; & stultus populus, qui habitat in Sichimis*, putà, Samaritæ, quorum templum erat in Garizim juxta Sichem. Hoc templum & schisma duravit usque ad Christum: hinc mirabantur discipuli, quòd Christus cum Samaritana colloqueretur. Et Samaritana ad Christum Ioan. 4. 9. *Quomodo*, ait, *tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis quæ sum mulier Samaritana?* Et v. 20. *Patres nostri in monte hoc* (Sichem & Garizim) *adoraverunt, & vos dicitis, quia Ierosolimis est locus, ubi adorare oportet.* Quia ergo nonnulli à Iudæis deficiebant ad Samaritas, alii utrisque placere satagentes, adoraturi ibant Ierusalem, ac deinde Sichimam; hinc eos redarguit, eisque væ iræ divinæ, & damnationis æternæ minatur hic Siracides, de quo rursum dicendum erit c. 50. 27.

Moral. Primo, est velle placere Deo & mundo.

Moraliter S. Greg. lib. 3. in 1. Reg. c. 6. explicans illud de vaccis trahentibus arcam Domini: *Et itinere uno gradiebātur. Uno*, inquit, *itinere graditur, qui virtutem, quam prætendit in bono opere, in recta servat intentione. Quod contra de unoquoque reprobo dicitur. Væ peccatori ingredienti terram duabus viis. Duabus quippe viis peccator terram ingreditur, cùm Dei videtur esse quod agit; sed ex omni, quod religiosum foris exhibet, intus sæculi intentionem tenet. Uno autem itinere gradi electos suos Dominus insinuat, dicens: Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Hinc Paulus ait: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Hinc David: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus. Uno igitur itinere contra Bethsames vaccæ gradiuntur, quia electi ad æternam patriam festinantes, bona foris agunt, sed ex eisdem bonis operibus sæculi præmia non requirunt.*

Hoc est, quod acriter redarguit Deus per Oseam c. 10. 2. dicens: *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Et per Sophoniam c. 1. v. 5. *Disperdam eos, qui iurant in Domino, & iurant in Melchom*, id est, qui colunt Deum, & colunt Melchom: jurare enim est actus latriæ; unde per synecdochen omnem latriam cultumq; Dei significat. Nam, ut ait Richard. de S. Victore, l. 4. de Contemplat. c. 15. *Amor singularis consortem non recipit, socium non admittit.* Et Gregor. Nyssenus orat. 8. in Cant. *Qui ad solam*, inquit, *illam Dei naturam visus acumen dirigit, is in ceteris omnibus cæcus est, ad quæ multorum oculi respiciunt*, ut dicat cum Psalte: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* psal. 72. 15. ex Hebræo vertas *tecum non volui socium super terram.* Quò alludens S. Bern. epist. 249. ex humilitate confitens, se nondum totum cor Deo tradidisse: *Clamat*, inquit, *ad vos mea monstrosa vita, mea ærumnosa conscientia. Ego enim quædam chimæra mei sæculi, nec clericum gero, nec laicum. Nam monachi jam dudum exui conversationem, non habitum.* Quàm verè idipsum sibi approprient hodie nonnulli Religiosi! Idem serm. 2. de S. Michaele: *Qui Deo*, inquit, *simplici adhæret oculo, factus est & ipse simplex: aut certè jam non alter est oculus, sed unus cum eo, Apostolo teste: Quoniam qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo.* Corinth. 6. 17. Nervosè Beda in Proverb. *Sicut oculi omnium sunt in capite, sic in Christo consistere debet omnis intentio fidelium.* Et. *Melius est facere divortium cum homine, quàm cum Deo.*

Secundo, est aliis detrahere, se laudare.

Rursum duplex cor habent & duplicem linguam, qui temerè aliorum defectus, etiam minimos, indicant & accusant; suos, licet maiores, velant & excusant. Duplex namque habent cor; unum amplum, & vitio proprii amoris distentum, in quo propria peccata celant, & quasi cadavera putrida sepeliunt; alterum arctum, & invidiæ labe satis angustum, in quo nec leve alterius peccatum possunt abscondere. Labia habent scelesta, quia nihil sonant, nisi peccata & scelera proximorum; & bona illorum pro ingenita malitia, aut penitus fœdant, aut, si id non possunt, extenuant. Manus sunt illis malefacientes: nam, etsi fratrem manu non feriant, lingua tamen & verbis vice manus percutiunt: & ingrediuntur duabus viis; una, qua sua peccata excusant & contegunt; alia, qua fratrum defectus accusant & aperiunt.

Neque isti profectò nimis taxantur, quos S. Berd. ser. 3. de Dedic. Eccl. multò majori acrimonia perstrinxit. *Proditores sunt* (inquit) *quicumque in hoc Domini castrum inimicos ejus introducere moliuntur, quales sunt utique detractores, Deo odibiles, qui discordias seminant, nutriunt scandala inter fratres. Sicut enim in pace factus est locus Domini: sic in discordia locum diaboli fieri manifestum est.* Denique præclarè idem S. Bernard. serm. 66. in Cant. *Hypocritæ*, ait, *oves sunt habitu, astutia vulpes, actu & crudelitate lupi. Hi sunt, qui boni videri, non esse; mali non videri, sed esse volunt. Etenim semper minùs malitia palam nocuit, nec unquam bonus nisi boni simulatione deceptus. Ita ergo in malo bonorum boni apparere student; mali nolunt, ut plus liceat malignari. Neque enim est apud eos virtute colere, sed tolerare vitia quodam quasi minio virtutum.*

Apologus sinceritatis.

Hanc gnomen apposito spinæ & ficus apologo, ac pulchris argutisque parabolis adornat & illustrat Cyrill. lib. 2. Apolog. moral. c. 23. cui titulus *Contra apparentes & contrarium existentes. Spina*, inquit, *florebat, & ficus ante eam frondes ac grossos suos producebat, cui mox tumefacta ex floribus spina dixit: Ficus ubi sunt flores tui? at illa respondit: Spina ubi sunt fructus tui? tum spina: Non dedit mihi, inquit, natura fructus. Neque mihi, subiungebat ficus, flores addidit. Verùm cùm flos derivetur in fructu, melius est sine flore fructum producere, quàm fructu privatam florere: attamen quia non floreo, germen suavissimum gigno.* Deinde idipsum variis emblematibus palmæ, cannæ melleæ, sepulchri depicti, sapphiri & onychę demonstrat: *Sic & palma mel suum non effundens in floribus, mellifluum parit dactylum. Et canna mellea, quia flores non protulit, totam fructus dulcedinem intra semetipsam recondit. Quid ergo de apparentia contrariæ existentiæ gloriaris? sepulchrum quidem extrinsecus flosculis pingitur, & intus est spurcitia mortis plenum. Quin & sapphirus qui magis splendet, valet minus; & onycha gemma alba nigra præponitur: & hinc lapis quantò pallidior; tantò pretiosior existit. Atque ita rerum ipsa mirabilis fabricatrix natura, etiam in suis operibus apparentiam damnat.* Denique exemplo auri, margaritę, conchyliorum, embryonis & radicum idipsum evincit. *Ut quid igitur externa tantùm pompa gaudes? attende ut aurum in abstrusis terræ latibulis nascitur, & margarita per rorem caltius diffusum in occultis ostrearum conchis gemmascit: homo etiam in maternis visceribus oritur, & rerum substantia non videtur. Arbor occultis suis radicibus sub terra vitalem succum trahit, & humanæ vitæ fundamentum in præcordiis latet. Quin etiam pretiosissima quæque natura, invisibilia existunt: quid plura? magis certè gaudeo esse fructifera sine flore, quàm esse spina cum flore. Quibus dictis pomposam confudit.*

Similia.

VÆ DISSOLUTIS (παρειμένοις, id est, *remissis*) CORDE, QUI (Grecè, ὅτι, id est, *quoniam*) NON CREDUNT DEO, ET IDEO NON PROTEGENTUR AB EO] Syrus, *væ cordi quod non credit, neque ipsum stabilietur*; Arabicus, *væ cordi, quod fidem non habet; quoniam non permanebit.* Sensus est: q. d. Vę remissis & tepidis, qui molliter & tepidè adhærent Deo, nec firmiter ei credunt & confidunt; sed tempore tentationis titubant. Vę illis, qui furentium tribulationis undarum impetu dissipatis fidei funibus, speique anchora amissa fluctuant: Deus enim deserentes se non proteget, sed deseret, ac fluctuantes fluctuare mergique sinet. Quapropter S. Franciscus Xaverius navigans in Japonem, cum diabolus omnibus artibus ejus iter, quod prævidebat fore tam fructuosum, impedire aut remorari conaretur, ac mille impedimenta obiiceret, ut Xaverij spem & fortitudinem animi infringeret VERS. 15.

geret, ille tentationem hanc, & impedimenta à dæmone proficisci Dei instinctu advertens, omnibus viribus restitit, & in proposito firmus perstitit; itaque Dei ope omnia superavit, ac initia dedit Ecclesię, quam tot fidelium heroicis virtutibus & martyriis quotidie coruscare videmus, & gaudemus. Quocirca ajebat Xaverius, se tunc experientia didicisse, in rebus arduis & magnam animarum messem parituris, dęmonem, hujus fructus presagum, conari eas in sui initio evertere & succidere, tum per exteros hostes, tum immittendo viro Apostolico motus timoris & diffidentię: ac proinde nihil ęquè tunc satagendum esse, quàm ut in Dei fiducia firmus & immotus consistat, ac propositum suum constanter urgeat. Si id fecerit, certò Deum affore, ut omnes diaboli obiices disiiciat & superet. Tunc ergo nil ęquè timendum, ac diffidendum.

Porrò dissoluti corde sunt dissoluti & fracti animo, qui ob adversa diu durantia perdunt mentis constantiam. In corde enim præcipua est sedes animi, vitæ, spei, audaciæ: ipsum enim est sensus, motus, & vitæ principium, uti docet Aristot. lib.2.de Part.animal. cap.4. *Cor*, inquit, *origo prima & fons sanguinis est. Cor enim statim omnium partium primum consistens sanguinolentum est: motus etiam lætitiæ atque tristitiæ, denique omnium sensuum hinc oriri, eodemque desinere videntur.* Quocirca dum per metum solvitur vigor & robur animi, laxatur pariter & solvitur per sympathiam vigor roburque cordis. Unde Arist. lib.3.de Part.animal.c.6.hanc palpitationis cordis dat causam: *Cor*, inquit, *homini prope dixerim animalium uni palpitat, quia homo solùm spe rei futuræ expectationeque movetur.* Idem lib.de Juventute, senectute & respiratione, c.13.docet, in corde summum animæ ardorem consistere, ut ad eum temperandum respiratione indigeat. *Refrigeratione*, inquit, *omnino indiget animalium natura, propter fervorem animæ in corde: hanc autem faciunt per respirationem, quæcumque non solùm habent cor, sed etiam pulmonem.* Et Plin. lib.11.c.37. cordis naturam, situm, indolem, usum ita describit: *Cor*, inquit, *animalibus ceteris in medio pectore est: homini tantùm infra lævam papillam, turbinato mucrone in priora eminens. Piscibus solis ad os spectat. Hoc primum nascentibus formari in utero tradunt: deinde cerebrum, sicut tardissimè oculos. Sed hos primùm mori, cor novissimè. Huic præcipuus calor. Palpitat certè, & quasi alterum movetur animal, intra præmolli firmoque opertum membranæ involucro, munitum costarum & pectoris muro, ut pariat præcipuam vitæ causam & originem. Prima domicilia intra se animo & sanguini præbet, sinuoso specu, & in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino. Ibi mens habitat. Ex hoc fonte duæ grandes venæ in priora & terga discurrunt, sparsaque ramorum serie, per alias minores omnibus membris vitalem sanguinem rigant. Solum hoc viscerum vitiis non maceratur, nec supplicia vitæ trahit, læsumque mortem illicò affert. Ceteris corruptis, vitalitas in corde durat. Bruta existimantur animalium quibus durum riget, audacia quibus parvum est, pavida quibus prægrande. Maximum autem est proportione muribus, lepori, asino, cervo, pantheræ, mustelis, hyænis & omnibus timidis, aut propter metum maleficis. In Paphlagonia bina perdicibus corda. In equorum corde & boũ ossa reperiuntur interdum. Augeri id per singulos annos in homine, ac binas drachmas ponderis ad quinquagesimum annũ accedere, ab eo detrahi tantumdem, & ideo non vivere hominem ultra centesimum annum defectu cordis, Ægyptii existimant, quibus mos est cadavera asservare medicata. Hirto corde gigni quosdam homines proditur, neque alios fortioris esse industriæ, sicut Aristomenen Messenium, qui trecentos occidit Lacedæmonios.*

Cordis symptomata.

Quocirca ex corde oriuntur affectus animæ, & vicissim ex anima in cor redundant: hinc cor metonymicè capitur pro anima, quasi locus pro locato. Hinc rursum in spe, fortitudine, audacia stringitur & roboratur cor, ęquè ac anima; in diffidentia, metu, pusillanimitate laxatur, solvitur, debilitatur. Vnde Romana versio Græca hic habet, *væ dissoluto cordi*; Tigurina, *væ cordi collapso: nam, cùm nullam habeat fiduciam, defensione quoque carebit.*

Rursum cor in diffidentia & pavore dissoluitur; quia venæ & nervi, qui à corde prodeunt, & per quos, ut docent Aristot. & Plinius locis citatis, cor movet & vegetat totum corpus, laxantur & solvuntur: ita ut membra hisce vinculis, quibus cordi alligantur, laxatis laxentur, luxentur, & sensu motuque destituantur. Hoc symbolicè adaptes animę. Tres enim sunt funiculi, quibus anima Deo; quasi cordi suo, ex quo omnem vitæ spiritualis sensum motumque haurit, astringitur, putà, fides, ne abripiatur omni vento errorum; spes in tempore tribulationis; charitas, ne amore carnis & mundi abripiatur in scelera. Funiculi hi si luxentur, luxatur omnis animæ vigor: luxantur autem hoc modo: fides per dubitationem, spes per diffidentiam, charitas per teporem & torporem. Hic propriè de funiculo spei agitur. Vnde sequitur.

Cor solvitur metis. Cur?

VÆ HIS, QUI PERDIDERUNT SUSTINENTIAM, ὑπομονήν; Tigurina, *patientiam*. Noster meliùs vertit, *sustinentiam*, id est, longanimitatem, longamque tolerantiam & liberationis expectationem; nimirum, QUI ob durationem afflictionis, per pusillanimitatem DERELIQUERUNT VIAS RECTAS, ET DECLINAVERUNT IN VIAS PRAVAS] Hæc verba jam desunt in Græco. Loquitur propriè de Judęis afflictis à Ptolemęo Lagi, ut dixi initio capitis, è quibus multi ob diuturnitatem afflictionis perdiderunt patientiam, spem, imò & fidem, desciscentes à judaismo ad gentilismum. Vnde huc alludens Paulus hortans Hebręos ad sustinentiam persecutionis, quam patiebantur ob susceptam Christi fidem, cap.10.35. *Nolite*, ait, *amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem*. Pręclare S. Isidorus lib.2. Sentent.c.7. *Non inchoantibus*, inquit, *præmium promittitur; sed perseverantibus, sicut scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. Tunc enim placet Deo nostra conversatio, quando bonum, quod inchoamus, perseveranti fine complemus. Nam, sicut scriptum est: Væ his, qui sustinentiam perdiderunt, id est, opus bonum non consummaverunt*. Et S. Greg. lib.5. in 1. Reg. c.13. *Sustinentiam*, ait, *perdunt, qui bona, quæ inchoant, non consummant*. Et lib.7. Moral. c.14. *Sustinentiam*, ait, *perdunt, qui dum diu se immorari visibilibus æstimant, spem invisibilium derelinquunt*. VERS.16.

ET QUID FACIENT, CUM INSPICERE, ἐπισκέπτεσθαι, id est, inspicere, inquirere & judicare, COEPERIT DOMINUS] qui nunc tacens videtur non videre peccata; quia dissimulat, nec vindicat & punit. Est metalepsis: ex inspectione enim & inquisitione, intelligit ejus finem & terminum, putà, judicium & vindictam. S. Petrus vertit, *visitare*. Vnde diem judicii vocat *diem visitationis*, epist. 1. c.5.6. Syrus vertit, *væ vobis, gigantes confidentiæ: quid facietis, quando judicabit Dominus?* Arabicus, *væ vobis, ò vos, qui confiditis in vobismetipsis: quid facietis, cùm advenerit vobis judicium illius*. VERS.17.

QUI TIMENT DOMINUM, NON ERUNT INCREDIBILES (id est, increduli, diffidentes, inobedientes) VERBO ILLIUS] Tigurina, *qui reverentur Dominum, parere verbis ejus non recusabunt. Et qui diligunt illum, conservabunt viam illius*. Via Dei est lex, virtus, honestas, sanctitas: hac enim ipse incedit, suosque omnes incedere jubet. Audi S. Bernardum serm. 20. in Cantic. *Disce, ò Christiane, à Christo, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti: fortiter, ne oppressi ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloria, seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia Christus. Ne seducaris spiritu mendacii & erroris, lucescat tibi veritas Christus. Ne adversitatibus fatigeris: confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, confortet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus. Nec teporem habeat: nec careat discretione: nec timidus sit. Christus sit nostra dulcedo, sit suavis & dulcis affectui tuo Dominus Jesus, contra male utique dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clavum clavus expellit*. VERS.18.

QUI TIMENT DOMINUM, INQUIRENT QUÆ BENEPLACITA SUNT EI] ac proinde meditabuntur in lege Domini die ac nocte, psal. 1. 2. inquirent enim assiduè, quę sit *voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta*, Rom.12. Ita Sanctus Franciscus, ait Sanctus Bonav. jugiter inquirebat, quid Deo in se esset beneplacitum, quid à se requireret Deus, qua ratione ei magis & magis placere posset. Sic & S. Bernardus se extimulans ad sanctitatem sibi dicebat: *Bernarde, dic quare hic? Bernarde, ad quid venisti?* Et sanè quisque ex toto corde timens & amans Deum, quotidie, dum surgit, sibi dicere deberet: Quid à me hodie requirit Deus? qua ratione hodie ei magis servire & placere potero? illudq; investigare, & cognitũ illicò exequi. Hac de causa B. Theresia voto se obstrinxit se facturã in quo- VERS.19.

Mor. de studio placendi Deo.

in quolibet opere, id quod esset perfectius & gratius Deo. Anima enim ardens amore Dei, non nisi illi satisfacere, illi obsequi, illum oblectare satagit. Quocirca manè firmum concipit propositum, destinatque ac dicit: Hodie illud vitium mortificabo: hodie me vincam, & illam difficultatem amore Christi superabo: hodie illam crucem mihi obventuram cum Christo sustinebo: hodie illum laborem pro Deo alacriter subibo: hodie illos dolores, illos mei contemptus generosè feram: hodie tot actus contritionis, orationis, charitatis eliciam: hodie tot gradus humilitati, patientiæ, amori adiiciam. Audi S. Bernard. serm. 69. in Cant. *Anima ex eo, quod se diligere, & vehementer diligere sentit, etiam se diligi nihilominus vehementer non ambigit; & de sua singulari intentione, sollicitudine, cura, opera, diligentia, studioque, quo incessanter & ardenter invigilat, quemamodum placeat Deo, æquè hæc omnia in ipso indubitanter agnoscit. Ergo ex propriis, quæ sunt penes Deum, agnoscit; nec dubitat se amari, quæ amat. Ita est. Amor Dei, amorem animæ parit: & illius præcurrens intentio intentam animam facit, sollicitudoque sollicitam. Nescio enim, qua vicinitate naturæ, cum semel revelata facie gloriam Dei speculari anima poterit, mox illi conformari necesse est, atque in eamdem imaginem transformari. Igitur qualem te præparaveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. Bonus es, Domine, animæ quærenti te, occurris, amplecteris, sponsum exhibes, qui Dominus es: imo qui es super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.*

ET QUI DILIGUNT EUM, REPLEBUNTUR LEGE IPSIUS] Id est, ut Tigur. *plenam legi Dei navabunt operam*. *Replebuntur* ergo, id est, plenè eam inquirent, cognoscent, exequentur & perficient: sic enim per catachresin τὸ *repleri* sumit Siracides, ut dixi c. 1. 35.

Secundò Palacius sic explicat, q. d. *Qui diligunt Deum, implent se lege Dei. Nihil in se vacuum lege Dei relinquunt; oculos, manus, aures, memoriam, intellectum, voluntatem lege Dei replent, ut nihil in nobis sit, quod a lege sit alienum: ut enim Judæi omnia liminaria sanguine tingebant, ne perirent: ita pii cunctos animæ angulos lege Dei replent, ne non signati Tau damno dispereant.*

Tertiò, Jansenius, τὸ *Replebuntur*, inquit, significat fructum timoris & amoris Dei: q. d. Timentes Deum copiosa legis doctrina & cognitione replebuntur. Sic enim solet Dominus pietatem hominum erga se remunerare, juxta illud psal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini*, id est, illuminabimini. O lux, quæ semper luces, & numquam offuscaris: illumina me. O ignis, qui semper ardes, & numquam extingueris, accende me. O amor, qui semper ferves, & numquam tepescis, absorbe me, & transmuta me in te. O clarum lumen oculorum meorum, Iesu, expelle tenebras omnes à domicilio mentis meæ, meque totum illustra splendore gratiæ tuæ. Intra in animam meam, ò dulcedo summa, ut dulcia sapiat, & in te solo gaudeat, atque quiescat. O dilecte mi, dilecte votorum meorum, concede, ut te inveniam, inventumque teneam, & brachiis spiritualibus arctissimè constringam. Te desidero, & ad te anhelo, ò beatitudo æterna. Utinam te mihi dones, & me tibi intimè unias, atque mero divinæ charitatis totum inebries!

Quartò, Syrus vertit, *qui timet Dominum, multiplicabitur substantia* (possessio) *ejus, & semen ejus benedicetur post eum.*

VERS. 12. QUI TIMENT DOMINUM, PRÆPARABUNT CORDA SUA] Syrus, *disponent cor suum; & qui derelinquit eum, perdet spiritum suum.* q. d. Qui timent Deum, component animæ suæ statum, cogitationes, desideria, actiones & mores, ut eos conforment legi ac voluntati Dei eique sint grati & beneplaciti. Rursum dicent: *Audiam, quid in me loquatur Dominus*. Et cum Samuele; *Loquere, Domine, quia audit servus tuus*. Præparabunt cor suum humiliando, evacuando & expurgando à terrenis desideriis, desiderando, orando, ut cælestes Dei satus, putà, illustrationes, inspirationes, impulsus, dona & gratias recipiant & excipiant. Unde Tigurina, *quibus Dominus est religioni, hi corda sua excolent*, nimirum, ut explicando subdit: *In conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Græcè est ταπεινώσουσι, id est, *humiliabunt*; Tigurin. *animos suos coram illo submittent*: hæc enim submissio & reverentia est præparatio ad dona Dei excipienda. Eadem est sanctitas animæ & sanctificatio Dei, qua, scilicet, Deus, ut sanctissimum Numen, summa reverentia adoratur, & colitur. Hoc est quod suis sancit Deus Levit. 20. 7. *Sanctificamini, & estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester.* Et v. 26. *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separavi vos à ceteris populis, ut essetis mei.*

Dices: Timentes Deum timore casto & filiali, jam sunt justi & sancti: hic enim timor est actus charitatis: quomodo ergo eos hortatur Siracides, ut se sanctificent?

Resp. τὸ *sanctificabunt*, more Hebræo significat actum, non inchoatum, sed continuatum, & crescentem: q. d. Timentes Deum magis magisque studebunt sanctitati, indies in sanctitate proficient, indies à vitiis & defectibus, quantumvis levibus & exiguis, se purificabunt, quotidie sanctiores evadent, ut ad culmen sanctitatis conscendant, juxta illud psal. 83. 6. *Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit.* Et vers. 8. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion*. Quem versum Sanctus Furseus audivit Angelos sibi occinentes, eoque se ad profectum in virtute accendentes, uti refert Beda lib. 3. Hist. c. 19: Et sanè hoc deberet esse studium assiduum cujuslibet, non tantùm Religiosi & Sacerdotis, sed & Christiani, illudque sibi quotidie manè ob oculos ponere, refricare & renovare. Quid enim est christianismus, nisi professio sanctitatis, nisi studium virtutis, nisi imitatio vitæ Christi? de quo ait S. Lucas c. 2. 52. *Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Hoc est, quod Angelus docuit S. Joannem, dicens Apocal. 22. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* Et S. Paulus: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra*, 1. Thessal. 4. 3. Et v. 7. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem*. Et 2. Cor. 7. 1. *Has igitur habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei*. Et Rom. 6. 29. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*. Quocirca sapienter S. Ambros. lib. de Institut. virg. c. 11. *Cur*, inquit, *sæculo potius laboramus, & fraudamus animam nostram tantæ bonitatis dispendio, qui nulli alii nisi huic Domino servire deberemus?* Et S. Antonius apud S. Athanas. *Cur non ad lucranda regna cælorum ultro relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est? Nihil eorum cura sit Christianis, quæ secum auferre non possunt. Illud potius debemus expetere: quod nos ducat ad cælum, sapientiam, scilicet, castitatem, justitiam, virtutem pervigilem, pauperum curam, fidem in Christum; robustum animum iræ victorem. Animam nostram commendavit nobis Deus: servemus depositum, quale accepimus*. Angelicè verò S. Basil. epist. 1. ad Gregor. Theolog. *Ecquid*, ait, *beatius, quam hominem in terra concentum Angelorum imitari? ineunte statim die in orationes ire? in hymnis & canticis Creatorem venerari? Exinde sole jam dilucescente converti ad opera, nusquam sine oratione? denique canticis quasi sale condire actiones?*

Mor. de studio proficiendi in sanctitate.

Nota hic sex actus & officia, juxta quæ quotidie examen conscientiæ instituat timens Deum, quod ordine & gradatim hic consignat Siracides. Qui timent Dominum, inquit, *erunt credibiles*, id est, credent verbis Dei. Secundò, conservabunt vias ejus: servabunt, scilicet, Decalogum. Tertiò, inquirent, quomodo placebunt abundantius Deo. Quarto, replebuntur lege ejus, curantes, ut nihil in se sit, quod non lege Dei reguletur. Quinto, sanctificabunt animas, caventes minutiora peccata. Sextò demum, curabunt firmi usque ad mortem in hoc statu permanere.

VERS. 21. QUI TIMENT DOMINUM, CUSTODIUNT MANDATA ILLIUS, ET PATIENTIAM HABEBUNT USQUE AD INSPECTIONEM (id est visitationem) ILLIUS] donec ipse, scilicet, nos vultu benigno respiciat, & à malis liberet: vel usque ad inspectionem, id est, usque ad judicium. Hoc enim erit plena & ultima Dei inspectio & visitatio, quo pios malis omnibus eripiet, impios malis omnibus involvet. Hic versus jam deest in Græco: Tigurin. vertit, *donec respiciat Dominus, patienter perdurabunt.*

VERS. 22. DICENTES: SI POENITENTIAM NON EGERIMUS, INCIDEMUS IN MANUS DOMINI, ET NON IN MANUS HOMINUM] Græca Romana hæc nectentia cum v. 20. sic habent. *in conspectu illius humiliabunt animas suas* (cogitantes, vel dicentes:) *Incidamus in ma-*

manus Domini, & non in manus hominum. Quoniam secundum magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius. Quæ lectio facilem & planum habet sensum: q. d. Viri pij patientur constanter quævis adversa à Deo immissa, dicentque cum Davide: *Coarctor nimis: sed melius est, ut incidam in manus Domini, (multa enim misericordia ejus sunt,) quam in manus hominum*, 2. Reg. 24. 14.

Verùm S. August. in Speculo, Rabanus, & alij planè legunt eo modo, quo legit noster Interpres. Unde patet, eum esse pervetustum, & pleniore usum codice Græco. Adde & Græca jam habere, ἐμπεσούμεθα, quod propriè significat, *incidemus*, ut vertunt Complut. non, *incidamus*; ac proinde in Græcis quædam subintelligi, quæ supplenda sint, uti supplet Tigurina, scilicet, *dicentes: Si minus resipuerimus, incidemus in manus Domini, non in manus hominum.* Quod planè consentit cum nostris. Ejus ergo hic est sensus, q. d. Timentes Deum Deo humiliabunt & sanctificabunt animas suas, ac patienter excipient adversa quælibet, quasi flagella ab eo immissa ad castigandas præteritas culpas, sive graviores, sive leviores. Dicent enim: Nisi hanc pœnitentiam quasi castigationem paternam sponte capessamus, incidemus in manus ultrices Dei vindicis, quæ uti potentiores, ita & rigidiores sunt manibus hominum, ac proinde acriùs sæviunt, magisque penetrant, & puniunt delicta, præsertim post hanc vitam in igne, vel gehennæ, vel Purgatorii: unde Paulus ait: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*, Hebr. 10. 31. Quin & Poeta: *Dii laneos habent pedes, sed ferreas manus*: quia tarditatem supplicii gravitate compensant.

VERS. 23. SECUNDUM ENIM MAGNITUDINEM (μεγαλωσύνην, id est, majestatem, magnitudinem, magnificentiam) IPSIUS; SIC ET MISERICORDIA ILLIUS CUM IPSO EST] Syrus, *quia sicut majestas ejus, ita & misericordia ejus; & sicut nomen ejus, ita & opera ejus*: q. d. Qualiter vocatur, talis est, & taliter operatur. Tigurin. *quanta enim majestas est ipsius; tanta est ejusdem misericordia*. Omnia enim attributa in Deo sunt paria, imò unum & idem; sed significat Siracides potentissimæ majestatis Dei decus esse, parem cum ea, ideoque summam & immensam, clementiam juxta illud Sap. 12. 16. *Virtus tua justitiæ initium est; & ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. Virtus*, Græcè ἰσχύς, id est, potentia, robur, fortitudo: q. d. In hominibus fortitudo est initium oppressionis & injustitiæ: at in te tua fortitudo Domine, est initium justitiæ & clementiæ; quia *vera magnitudo principis est clementia*, ait Seneca lib. de Clementia. Et Sap. 11. 27. *Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas*; Græcè significantiùs, δέσποτα φιλόψυχε, id est, *Domine philoanime*, Domine animarum zelator, Domine qui animarum ardes amore. Rursum, sicut Deus est suum Esse, suaque celsitudo; sic est & sua misericordia. Quare, sicut non potest discedere à suo Esse suaque celsitudine; sic nec à sua misericordia, quin actu omnium misereatur. *In perpetuis enim non differt esse à posse*, ait Arist. 2. Physic.

Hæc Siracidis sententia referenda est ad τὸ *patientiam habebunt, sanctificabunt, præparabunt corda sua*, ceteraque præcedentia, & simul ad id quod proximè præcessit, *dicentes: Si pœnitentiam non egerimus*. in eo enim tacitè includitur τὸ *Pœnitentiam ergo agamus*. q. d. Timentes Deum in eo omnes spes suas defigent, ei præparabunt & sanctificabunt corda, in adversis patientiam habebunt, suscipientes ea loco pœnitentiæ ob commissas à se culpas; quia sciunt se hæc faciendo conciliaturos sibi Dei misericordiam, quæ magna est, imò immensa: tanta enim est, quanta est Dei magnitudo & majestas, quæ utique est infinita & immensa. Unde Syrus vertit, *qui timet Dominum, disponet cor suum; & qui derelinquit eum, perdet spiritum suum: quia, sicut majestas ejus, ita & misericordia ejus; & sicut nomen ejus, ita & opera ejus*; & Arabicus, *timentes Dominum inquirunt beneplacita illius, & opera ejus secundùm nomen ipsius.*

Mor. e Dei misericordia.

Moral. hinc disce, quanta sit Dei misericordia, nimirum, quanta est ejus magnitudo, majestas, immensitas: tanta enim est mensura misericordiæ, quanta majestatis; eadem enim est utriusque. Rursum, significat hac sententia Siracides, ex magnitudine majestatis & potentiæ oriri magnitudinem divinæ misericordiæ, beneficentiæ & clementiæ: magni enim animi & celsæ indolis est, iræ dominari, injuriis non moveri, peccantibus parcere, imò benefacere; quo fit, ut immensa Dei magnitudo & omnipotentia maximè se exerat & ostendat per immensam clementiam, juxta id, quod orat Ecclesia: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas*, &c. Et S. Fulgent. epist. 7. ad Venantium, cap. 4. *Magnus Deus*, ait, *multus est ad ignoscendum: in hoc multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors. Tanta est autem benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo; ut nihil sit, quod nolit, aut non possit relaxare converso.* Hoc est, quod ait Sapiens cap. 11. 24. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*: q. d. Omnipotentia tua tibi est quasi causa & ratio omnis misericordiæ: imò verò misereri peccatoris, eique pœnitenti peccata condonare, est opus summæ potentiæ, ac majoris, quàm sit creare cælum & terram, ob rationes, quas ex S. August. recenset S. Thom. 1. 2. q. 113. a. 9. Hac de causa Deus judicium & vindictam magistratibus inferioribus, sibique subordinatis committit; sibi verò peccatorum indulgentiam & misericordiam reservat, quasi opus regium & divinum. Unde Fulgent. epist. 7. c. 3. *Si misericors est Deus*, inquit, *universa potest peccata dimittere. Non est perfecta bonitas, à qua non omnis malitia vincitur.* Denique *superexaltat misericordia judicium*, Jacobi 2. 13.

Omnipotentia est ratio immensæ misericordiæ.

B

Hinc rursum Deus est summè patiens, dissimulans atrocissimas in se offensas & blasphemias; quia ipse summè sui rerumque omnium est potens: nam patientia est potentia; impatientia verò est animi impotentia, uti docet Boetius lib. 3. metro 5. Quapropter Deus Mosi petenti videre Dei gloriam, omneque bonum, ostendit ei suam misericordiam, seque proinde non omnipotentem, sed misericordem indigitavit, Exodi 33. 7. Vide, quæ ibidem dixi. Idcircò addit Siracides: *Sic misericordia illius cum ipso est*; licet enim justitia, sapientia, fortitudo, & cetera attributa sint pariter cum Deo; tamen id propriè tribuitur misericordiæ, quia hæc summè propria, intimaque est Deo, ac quasi è visceribus ejus nata, in iisque conclusa. Unde misericordia & eleemosyna specie virginis pulcherrimæ apparuit S. Joanni Archiepisc. Alexandrino, cognomento Eleemosynario, dicens, *se esse filiam summi Regis, illique familiarissimam & intimam, quæ quidlibet ab eo impetraret, & quoscumque commendaret, faceret amicissimos.* Quo viso ille ad tantum eleemosynæ studium accensus est, ut omnia in pauperes erogaret, & penè prodigeret, uti refert Leontius in ejus Vita. Misericordia ergo est opus divinum, quod misericordes facit quasi deos, juxta illud S. Gregor. Nazianz. de cura pauperum: *Esto calamitoso Deus.* Rursum opera cetera Dei ad extra, putà, opera sapientiæ, justitiæ, fortitudinis, sunt limitata & finita. Deus enim non creavit infinitum. At misericordiam infinitam effudit in nos, cùm seipsum in carne humanatum nobis tradidit, ut peccata nostra aboleret, juxta illud: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto*, Lucæ 1. Est ergo opus incarnationis & redemptionis, æquè ac remissionis peccatorum, in se immensum. Donum enim, quod in ea fit & datur, est immensum, putà, Christus ipse, ejusque merita infiniti pretij, ac per ea gratia & gloria, quæ objectivè (quia pro objecto habet Deum visum & possessum à Beatis) & duratione est infinita, quia durabit in æternum.

Patientia est potentia.

C

Vis pœnitentiæ.

D

Denique hinc disce, quantas vires habeat pœnitentia, quæ peccatum omne abolet, immensam Dei misericordiam accersit, eaque quasi vincit majestatem & vindictam judicis, &, ut ille ait, ligat quasi omnipotentem. Rursum, quàm pœnitens misericordiæ Dei supplex, pro venia & gratia se humiliare, eique gratias agere debeat: peccatum enim, cùm sit malum summum & infinitum, ut condonetur, indiget summa & infinita Dei misericordia. Unde David lapsus in peccatum: *Miserere mei, Deus*, inquit, *secundum magnam misericordiam tuam. Et secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*, psal. 50. 1. Hoc considerantes S. Magdalena, S. Petrus, S. Paulus, S. Pelagia, S. Mattheus, S. Maria Ægyptiaca, etiamsi scirent peccata sibi esse dimissa; tamen tota vita ea luxerunt, ut tantæ Dei misericordiæ aliqua ratione satisfacerent. Hæc omnia significat hic Siracides, dicens: *Secundum enim magnitudinem ejus, sic misericordia illius cum ipso.*

ipso est. Hac enim misericordia Dei indigent justi, non tantùm ut à peccatis purgentur; sed & ut deinceps ea caveant, tentationes omnes superent, in omni virtute conserventur & crescant, in sanctitate perficiantur & perseverent, ac ęternę glorię bravium consequantur. Undique ergo misericordia Dei eos cingit, obvallat & coronat, ut meritò ei jugiter cum Psalte canere singuli debeant: *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*, psal. 5. 13. Et: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui* (animarum fidelium) *replebuntur ubertate* virtutum & meritorum, psalm. 64. 12. Deus enim justis quasi continuam texit & plectit coronam tot, tantis & tam variis beneficiis & gratiis, quasi gemmis distinctam & variegatam. O Domine, qui dives es in misericordia, qui tuis donis nos coronas & cingis; ò vita perennis; vita, per quam vivo, sine qua morior; vita, per quam gaudeo, sine qua mœreo; vita dulcis & amabilis, concede, ut tibi jungar, te amplectar, & suavi charitate soporatus, in te, qui es pax gratissima, sanctè obdormiam. Da, Domine mi, ut anima mea virtute ardentis amoris conflata, & dulcedine penetrantis charitatis liquefacta, tota effluat in te. Posside eam, ò summum atque incommutabile bonum, posside eam, ut ipsa possideat te. Confige, dilecte mi, & transverbera cor meum acutissimo dilectionis telo, ut ego amore tui salubriter langueam, omnia transitoria mihi vilescant, tu solus placeas, solus incomparabili pulchritudine tua me lætifices. quia tu es tota possessio, totaque beatitudo animę meę.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

A Dei cultu, timore & honore transit ad cultum & honorem parentum. Inde v. 19. commendat mansuetudinem & humilitatem, ac ne altiora quæramus. Tertiò, v. 27. cordis duri pœnas recenset, ac v. 31. ex adverso cordis sapientis felices successus. Denique v. 33. commendat eleemosynam ejusque fructus assignat.

Stimuli duodecim ad honorandum parentes.

Nota. Duodecim argumentis incitat filios ad honorandos parentes. Primum est v. 2. quòd ex honore parentum pendeat salus filiorum. Secundum v. 3. quòd Deus parentes quasi sui vicarios honorari præceperit, in eosque patriam suam potestatem & auctoritatem transcripserit, ideoque in ipsis honoretur. Tertium v. 4. quòd honorans parentes veniam peccatorum impetrabit, & in oratione exaudietur. Quartum v. 5. quòd thesaurum sibi congregabit. Quintum v. 6. quòd jucundabitur in filiis. Sextum v. 7. quòd vitam habebit longævam. Septimum v. 8. quod natura nos deceat parentes quasi dominos esse colendos. Octavum v. 10. quòd honorans parentes benedicetur à Deo. Nonum v. 11. quòd benedictio patris firmet domos filiorum; maledictio verò eas evertat. Decimum v. 12. quòd honor & decus patris sit honor & decus filii: dedecus verò patris sit dedecus filii. Vndecimum v. 17. quòd honorantem parentes Deus eripiet à qualibet tribulatione. Duodecimum v. 18. quòd infamis sit & maledictus, qui parentes negligit. Totum hoc caput recenset S. Ambros. in fine tom. 2. in illudque duos subnectit sermones: quare subinde eum citabo, præsertim ubi à Vulgata Latina discrepat. Ambros. enim Græcum sequitur textum.

VERS. 1. 1. FIlii sapientiæ, ecclesia justorum: & natio illorum, obedientia & dilectio. 2. Judicium patris audite filii, & sic facite ut salvi sitis. 3. Deus enim honoravit patrem in filiis, & judicium matris exquirens, firmavit in filios. 4. Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur. 5. Et sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. 6. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur. 7. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem. 8. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt. 9. In opere & sermone, & omni patientia honora patrem tuum 10. Vt superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat. 11. Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta. 12. Ne glorieris in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria, ejus confusio. 13. Gloria enim hominis ex honore patris sui; & dedecus filii pater sine honore. 14. Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius. 15. Et si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua: eleemosyna enim patris non erit in oblivione. 16. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, 17. Et in justitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui: & sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. 18. Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem: & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem. 19. Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. 20. Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. 21. Quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. 22. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. 23. Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. 24. In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus ejus non eris curiosus. 25. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. 26. Multos quoque supplantavit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum. 27. Cor durum habebit malè in novissimo: & qui amat periculum, in illo peribit. 28. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, & pravus corde in illis scandalizabitur. 29. Cor nequam gravabitur in doloribus, & peccator adiiciet ad peccandum. 30. Synagogæ superborum non erit sanitas: frutex enim peccati radicabitur in illis, & non intelligetur. 31. Cor sapientis intelligitur in sapientia, & auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. 32. Sapiens cor & intelligibile abstinebit se à peccatis, & in operibus justitiæ successus habebit. 33. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. 34. Et Deus prospector est ejus qui reddit gratiam: meminit ejus in posterum, & in tempore casus sui inveniet firmamentum.

FILII

Digitized by

FILII SAPIENTIÆ, ECCLESIA JUSTORUM: A ET NATIO ILLORUM OBEDIENTIA ET DILECTIO.] Hic versus jam non extat in Græco, ac consequenter nec in Syriaco & Arabico: hi enim ex Græco traducti videntur. Arabicus tamen primum & secundum versiculum in unum conflat, vertitque hoc modo: *O Ecclesia filiorum, obedite patribus vestris*. Ergo Siracides cap. 1. & 2. de sapientia, hic ostendit, in quibus illa sit & habitet, quique sint veri sapientes, putà, non speculativè duntaxat, sed & practicè: hos enim non alios docet esse quàm justos, qui student obedientiæ & dilectioni. Hanc thesin quasi basin dicendorum stabilit & permittit; ac deinde descendit ad hypothesin, putà, ad obedientiam & dilectionem, quam filii probi parentibus exhibent, ex eaque thesin confirmat ac demonstrat, idque ordine congruo. Cùm enim c. 1. & 2. ostenderit, sapientiam primariò sitam esse in timore & cultu Dei, qui tribus primæ tabulæ Decalogi præceptis sancitur; hic descendit ad timorem & cultum parentum, quasi Dei in terra vicariorum, qui primo secundæ tabulæ Decalogi præcepto statuitur.

Sensus ergo est: *filii*, id est, discipuli & studiosi, *sa-* B *pientiæ sunt ecclesia*, id est, coetus & congregatio, *justorum*: q. d. Verè sapientes sunt justi; & *natio*, id est, genus, prosapia, & indoles *illorum est obedientia & dilectio*. q. d. Tales planè addicti sunt, totique vacant & student obedientiæ & dilectioni, ut ex ea proseminati esse videantur. Ubi Nota. Vox *filius*, apud Hebræos, cùm jungitur genitivo præmii vel pœnæ, idem est quod dignus; ut filius gehennæ est dignus & reus gehennæ, filius mortis est reus mortis, filii regni sunt digni regno cælesti, qui illud sua virtute merentur: cùm verò vox *filius*, jungitur genitivo virtutis aut vitii, idem est quod studiosus & discipulus, qui studet & incumbit virtuti, aut vitio: hic enim ex virtute virtuosum, vel ex vitio vitiosum se efficit & efformat, ut ex virtutis aut vitii institutione vel illecebra quasi semine prognatus censeri possit. Sic filii obedientiæ vocantur obedientes qui incumbunt obedientiæ: filii superbiæ vocantur superbi qui student ambitioni, altaque & superba ambiunt. Filii ergo sapientiæ sunt sapientes, qui student sapientiæ, qui sapientiæ dogmata & dictamina avidè hauriunt, imbibunt, amant & C exequuntur, ut ex sapientia quasi matre progeniti esse videantur, ideoque subdit: *Et natio*, id est, prosapia, *illorum*, putà, spiritualis & mystica, est *obedientia & dilectio*: q. d. Hi sapientiæ filii, putà, discipuli & studiosi, præter naturalem & carnalem generationem, aliam prosapiam habent supernaturalem, spiritualem & divinam, putà, obedientiæ & charitatis, ex qua spiritualiter prognati sunt: in his enim duobus consistit vera sapientia practica. Ita enim vacant obedientiæ & charitati, ut ex utraque progeniti dici possint.

Natio sapientum. Primò.

Ubi moraliter disce, quàm impensè sapientes & justi studere debeant obedientiæ & charitati, nimirum, ut non tam obedientes & charitate prædicti, quàm ipsa obedientia & charitas esse videantur: quia, scilicet, ex continuo usu utramque sibi ita familiarem fecerunt, ut in suam naturam convertisse videantur: ita, scilicet, imitantes Deum patrem suum, ex quo mysticè renati sunt, quique eis hanc suam sapientiæ generationem communicavit. Deus enim est ipsa sapientia, honestas & charitas, ut ait S. Ioannes epist. 1. cap. 4. v. 16. Hoc est, quod D ait S. Ambros. lib. de Noe, cap. 4. *Noe ad totius generis reservatur seminarium, qui non generationis nobilitate, sed justitiæ & perfectionis merito laudatur. Probati enim viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur; animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis*. Sic de S. Basilio, fratre suo, scribit Gregor. Nyssenus in oratione funebri: *Quæ est igitur Basilio nobilitas & claritudo generis? quæ patria? Ac genus quidem illi familiaritas & necessitudo cum Deo, patria verò virtus. Qui enim Deum recepit, ut inquit Evangelium, potestatem habet, ut filius Dei fiat. Qui autem virtute præditus est, & hanc colit, & ex hac sibi reditus conficit; patriam suam prorsus efficit id, in quo vivit: sobrietas autem illi pro domicilio erat, sapientia loco prædii; justitia autem & veritas & puritas pro splendidis ædificiorum ornamentis*.

Justi genus est prosapia virtutis.

A Hinc Secundò, *natio*, id est, *nati*. Unde S. August. in Speculo legit: *Et nati illorum obedientia & dilectio*: ac Tigurina vertit, *filii sapientiæ, cœtus justorum sunt; & surae (vel soboles, aut proles) illorum obedientia & charitas*: q. d. Uti justi sunt mystici filii sapientiæ: ita ex ea mysticas progenerant proles putà, opera obedientiæ & charitatis, quæ assiduè operantur, & in lucem edunt, adeò ut eadem in alios promineant, eosque sibi similes, putà, operum obedientiæ & charitatis studiosos efficiant; præterea verò summopere conantur, ut *natio*, id est, nati & filii eorum, iis ita impensè studeant, ut parentibus similes, videantur ex utero obedientiæ & charitatis esse progeniti; quomodo de Catone mirè continente dixerunt Gentiles, *Catonem ex eodem utero, quo continentia, esse prognatum*. Porrò Siracides hic significat, non quid semper sit, sed quid semper esse debeat, & ad quid justos conari & contendere oporteat. Videmus enim justos nonnullos in obedientia & charitate remissos & tepidos: videmus filios eorum sæpè inobedientes & rixosos, uti Davidi fuit Absalom, Ezechiæ fuit Manasses, Josiæ Ioachim & Sedecias: sed parentum officium est, filiis suam imprimere justitiam, B obedientiam, charitatem, ideoque eas toto animo complecti, ut in ipsas quasi conversi, non nisi eas spirent, filiique & ceteris aspirent & afflent.

Secundò:

Hinc Tertiò, Palacios sic explicat: Filii sapientiæ, ait, in quibus sapientia Dei habitat, quosque ipsa verbo suo sibi filios genuit, constituunt Ecclesiam justorum. Jam horum filii sunt obedientissimi, adeoque diligentes, ut sure eos obedientiam voces & dilectionem. Ergo filii justorum obedire nimis debent, diligere nimis debent. Et Ianenius: Justi, ait, sunt obedientia & dilectio, id est, penitus dediti sunt obedientiæ & dilectioni. Hebræi enim metonymicè sæpè abstracta ponunt pro concretis, maximè ubi est auxesis; sicut Latini scelus vocant eum, qui valdè est sceleratus. Et Rabanus: *Filios sapientiæ*, ait, *meritò dicit Ecclesiam justorum; quia qui verè sapiens est, verus est justitiæ cultor; quoniam vera sapientia veracitèr justitiæ ducit normam. Nationem verò justorum vocat obedientiam & dilectionem tropica locutione, quia per ipsas virtutes exprimit virtutum possessores*.

Tertiò.

Hinc disce, certum signum & velut tesseram, sapientiæ & justitiæ esse obedientiam & charitatem. Vis cognoscere, an qui sapiens sit & justus? vide, an obediens sit C & diligens. Si talem repereris, audacter dicito, eum esse sapientem & justum: si non, dicito non esse. Fides enim, quæ per dilectionem operatur, hoc est, charitas, distinguit filios Dei à filiis diaboli, ait S. August. serm. 51. de Temp. Rursum: *Sola obedientia virtus est, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. Hinc melior est obedientia quam victimæ; quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur*, ait S. Gregor. lib. 35. Moral. cap. 10.

Signum sapientiæ obedientia.

Denique obedientiam jungit dilectioni, quasi filiam matri: dilectio enim in mente parit obedientiam. Unde filii obediunt parentibus, quia eos amant, de quibus proinde sermonem subjicit. Hinc filii sapientiæ, putà, fideles & justi, ab Apostolis indigitantur filii obedientiæ, 1. Petri 1. 14. æquè ac filii dilectionis, Colos. 1. 13.

Obedientia jungitur charitati. Cur.

Hinc Clemens Alexandr. lib. 7. Stromat. *Sicut*, inquit, D *qui studet Platoni, sic Philosophus: ita qui paret Domino, & per eum datam sequitur prophetiam* (doctrinam sacram) *efficitur ad magistri imaginem Deus qui in carne versatur*. Obedientia ergo facit divinos, & quasi deos terrestres. Sapienter B. Laurentius Iustinian. lib. de Ligno vitæ, c. 3. de obedientia: *Sicut*, inquit, *sine duce non consistitur de militia, et sine gubernatore non pervenitur ad portum: ita absque obedientia impossibile est in hujus vitæ pelago non periclitari: ista enim hominem facit triumphare*. Sublimius Climacus gradu 4. *Obedientia*, ait, *est animæ propriæ perfecta abnegatio, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, metus mortis contemptio, tuta navigatio, contentum dormiendo iter. Obedientia est sepulchrum voluntatis, discretionis depositio*. Et S. Greg. lib. 4. in 1. Reg. cap. 10. ad illa, *Septem diebus expectabis me. Victimæ*, inquit, *suis obsequia obedientiæ, quia cùm hominibus pro Deo subdimur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt*,

qui obediunt: quia dum voluntatem suam aliis perfectè subjiciunt, ipsi lapsis per obedientiam Angelis dominantur. Et paulò anterius, in quo sita sit perfectio obedientiæ, ita docet: *Hæc perfectio est forma electa obedientiæ, ut in omni quod foris agamus, ad potentiam Conditoris ubique præsentem respiciamus. Sic nimirum in subditione obedientiæ nostra habere possumus & rectitudinem operis, & incrementa devotionis. Recti quidem tunc sumus opere, quia pro eo, quem cernimus, nos in labore obedientiæ exercemus. Devoti etiam sumus: quia ei nos placere credimus, quem inspectorem nostrorum laborum attendimus, & largitorem æternæ retributionis.*

Denique S. August. in psal. 143. *Agnosce*, inquit, *ordinem quære pacem; tu Deo, tibi caro: quid justius, quid pulchrius? tu majori, minor tibi: servi tu ei qui fecit te, ut tibi serviat quod est factum propter te. Si autem contemnis tu servire Deo, numquam efficies, ut tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris à servo.* Quocirca Proverb. 21. 28. dicitur: *Vir obediens loquetur victorias.* Quia, ut S. Gregor. 35. Moral. cap. 12. dixit: *Alienæ voci humiliter dum subdimur, nosmetipsos in corde superamus.*

Rursum jungit obedientiam charitati, ut ostendat in B praxi unam alteri quasi sororem sorori esse sociandam, unamque ab altera compleri & perfici. Perfecti enim ita obediunt, ut diligant; ita diligunt, ut obediant. Hæc enim dilectio obedientiæ, qua Primò diligunt Prælatos quasi suos parentes; Secundò, diligunt id, quod jubetur; Tertiò, diligunt ipsum obedire; facit facilem & perfectam eorum obedientiam. Nam, ut ait S. Leo serm. 4. de jejunio 7. mensis: *Obedientia mollit imperium; nec dura necessitate ibi servitur, ubi diligitur quod jubetur.* Et S. Ambros. in psal. 118. serm. 13. vers. 2. ad illud: *Levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. Legem*, inquit, *ille* (Psaltes David) *diligebat, ut legem libenter impleret. Qui enim diligit, ex voluntate facit quæ sibi sunt imperata; qui timet, ex necessitate.* Hæc est obedientia charitatis, quam fidelibus commendat S. Petrus epist. 1. c. 1. 22. Præclarè enim S. Bonav. processu 6. Religion. cap. 40. *Triplex*, ait, *est obedientia, scilicet, necessitatis, cupiditatis & charitatis.*

Vers. 2. JUDICIUM PATRIS AUDITE, FILII; ET SIC FACITE, UT SALVI SITIS] *Judicium* vocat sententiam, præceptum, præscriptum, putà, id, quod præscribit, & faciendum judicat pater. Sed quis hic pater? C Primò, Græca & S. Ambros. patrem accipiunt ipsum Siracidem, aut certè sapientiam, quasi illa filios suos vel discipulos alloquatur. sic enim habent: *Me patrem audite, filii.* Secundò, Rabanus accipit Patrem æternum, putà, Deum, qui est pater universorum, ex quo omnis paternitas in cælis & in terris nominatur: q. d. *Qui Dei Patris audierit judicium, & fecerit ejus præcepta, procul dubio salvus erit: cujus mandatum est, ut etiam patri temporali & matri honoris reverentia exhibeatur.* Tertiò, planè & simpliciter, per patrem accipe genitorem. Explicat enim obedientiam, quam dixit, jubendo ut filii obediant patri, de qua obedientia fusè deinceps sermonem instituit. Unde ait: *Et sic facite, ut salvi sitis.* q. d. *Audite*, id est, obedite judicio & sententiæ patris, ò filii: sic enim facietis, ut salutem præsentem & æternam consequamini. Alludit ad mercedem à Deo promissam filiis honorantibus parentes: *Honora patrem tuum & matrem, ut longo vivas tempore, & benè sit tibi*, Deuter. 5. v. 16. Vide ibi dicta.

Hinc patet, patrem, & pari modo Prælatum quemlibet, posse filio & subdito præcipere sub pœna peccati, etiam mortalis. Hoc enim significat τὸ *ut salvi sitis*, q. d. D Si obedieritis patri, salvi eritis; si non obedieritis, à salute excidetis. Unde Syrus vertit, *filii, patres audite, & facite, ut vivatis vitam sæculi sæculorum*; & Arabicus, *ò ecclesia filiorum, obedite patribus vestris, ut hereditetis vitam perennem.* Causam subdit dicens.

Vers. 3. DEUS ENIM HONORAVIT PATREM IN FILIIS] Deus enim honore affecit patrem, dum præcepit filiis, ut parentes honorent: q. d. Ideò judicium patris audiendum, eique obediendum est; quia Deus suum honorem, jus & imperium transscripsit in parentes, jubens filiis, ut eos quasi sui vicarios venerentur, audiant, obediant. Ratio physica est, quia Deus paternitatem suam, id est, potestatem, vim activamque generandi, communicavit patri, ac per eum filios produxit. Cùm ergo filii à Deo per patrem accipiant suum esse, omneque bonum, putà, quòd sint, quòd homines sint, quod rationales, quòd A benè instituti, quòd divites, &c. par est, ut eum quasi sui principium, auctorem & genitorem colant, ament, obsequantur. Hæc ratio est à priori, ideoque principium, fons & origo omnium, quæ hic dicuntur de honore parentum. Unde Tigurina vertit, *Dominus enim patrem liberis honorabilem reddidit*; Syrus, *Dominus enim glorificavit patrem in filiis*; Arabicus, *quoniam Dominus condecens constituit debitum super filium genitori suo. Debitum* intellige objectivè & passivè, putà, quod debetur patri à filio, non quod pater debet filio. Aut *debitum*, id est, auctoritatem, jus, imperium. Id patebit ex eo, quod mox de matre subdit. Hoc est, quod ait Philo lib. de Decalogo: *Filii probi parentes suos, ut deos quosdam visibiles, colunt & observant.* Additque, propterea præceptum de honorandis parentibus, à Deo legislatore positum esse in confinio duarum tabularum Decalogi, putà, in initio secundæ tabulæ illicò post præcepta de colendo Deo, tradita in prima tabula, ut significaretur, proximè post Deum colendos esse parentes, quasi deos nostros terrestres. Hinc Aristot. axioma est lib. 9. Ethic. *Diis, parentibus & magistris nemo potest reddere æquivalens.* Idem lib. 8. *Majoribus*, ait, *datur honor, minoribus lucrum; quia honor est tributum virtutis & beneficii; lucrum est auxilium indigentiæ.* Et Seneca in Proverbiis: *Præstabis*, inquit, *parentibus pietatem, cognatis dilectionem, amicis fidem, omnibus æquitatem: pacem habebis cum hominibus, bellum cum vitiis.* *Parentes quasi dii terrestres.*

ET JUDICIUM MATRIS EXQUIRENS FIRMAVIT IN FILIOS] *Judicium* hic significat tum jus, auctoritatem & imperium; tum sententiam & præceptum: q. d. Deus vult cuique suum jus servari: unde requirit, id est severè jubet, exigit & punit, ut *judicium*, id est, sententia & auctoritas matris conservetur & fiat à filiis; atque hoc ipso sancit & confirmat matris jus, auctoritatem, sententiam & præceptum apud filios, ut filii illud quasi Dei præceptum audire, eique obedire teneantur: ei enim suam, id est, divinam auctoritatem addidit, dum jussit & statuit, ut filii obediant parentibus, quasi vicariis suis. Unde Syrus vertit, *judicium matris in filius suis confirmavit*; Arabicus, *& debito genitricis constringuntur filii ejus*; Tigurina, *sententiæ matris attribuit auctoritatem in filios.* Meritò: nam, ut ait Aristot. lib. 6. Ethic. *Matres plus amant filios, quam patres; quia certiores sunt, eos esse suos, & quia plures circa eos* (dum eos utero gestant per novem menses, lactant, fasciant, purgant, educant, totaque circa eos occupantur) *labores sustinent.* Cùm ergo filii teneri plus accipiant à matre, quàm à patre; hinc & plus eamdem diligere solent.

Hac de causa Tobias moriturus sollicitè monet filium dicens cap. 4. 3. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ.* Causam subdit: *Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit pro te in utero suo.* Ubi Glossa Interl. *Redde*, ait, *te ei, quæ cum dolore dedit te.* Sic septem fratres Machabæi reddiderunt vitam matri & Deo per obedientiam, offerendo eam in holocaustum martyrii, ad quod mater eos incitabat, refricando dolores suos quibus eos conceperat & pepererat, 2. Machab. 7. Præclarè S. Ambros. in psal. 118. serm. 14. *Non possem*, ait, *salva pietatis jure odisse patrem cui debeo quod creatus sum: nec matrem longo decem mensium fastidio pii fœtus onera portantem, cui in absolutione plus periculi, in dilatione plus tædii est.* Et in cap. 2. Lucæ: *Tu matri debes pudoris injuriam, virginitatis dispendium, partus periculum, matri longa fastidia, matri longa discrimina: cui misera in ipsis votorum fructibus majus periculum est; & cùm ediderit, partu absolvitur, non timore.* Quin & Plato, cujus verba recenset Rhodiginus lib. 9. cap. 18. *Ergo fas est*, inquit, *parentibus prima & maxima debita, omnium antiquissima debitorum persolvere: putare enim quisque debet, omnia quæ possidet, eorum esse qui genuerunt: ita ut illis hæc omnia ministrare debeat; primum quidem externa bona, deinde corporis, postremò quæ ad animum pertinent, verbisque etiam per totam vitam parentes maximè venerari licet.*

QUI DILIGIT DEUM, honorando parentes, quos Deus quasi sui vicarios jussit à filiis diligi & honorari, EXORABIT PRO PECCATIS (omnia enim hæc spectant, sanciuntque honorem parentum. Unde Græca habent: *Qui honorat patrem, exorabit pro peccatis*:) ET SICUT QUI THESAURIZAT, ITA QUI HONORIFICAT MA- Vers. 4. Vers. 5.

MATREM SUAM] Syrus, *qui honorat patrem suum, dimittentur delicta ejus; & reponit thesauros, qui honorat matrem suam*: q. d. Qui honorat matrem, hunc honorem, quasi ingentem bonorum operum & meritorum thesaurum, in sinu Dei recondit, qui apud Deum pro felicitate filii intercedat, Deique oculos assiduè verberet, ut omne bonum ab illo impetret, ac præsertim premia vitæ æternæ, ait Rabanus. Tigurina, *qui reveretur patrem, peccata expiabit*; Græcè, ἐξιλάσεται, id est, propitiat, expiat; Complut. & S. Ambros. *veniam impetrat*, scilicet, præteritorum; à futuris verò *continebit se*: quin & *in oratione dierum*, id est, quotidiana, quæ per dies singulos funditur, *exaudietur*; S. Ambros. *in die orationis suæ exaudietur*; Tigurina, *votorum quotidianorum compos erit*; Palacius, *quo die petit, impetrabit*. Ratio est, quia honorem patri delatum sibi delatum reputat Deus, qui honorantes se honorat, audientes se exaudit, &, ut ita dicam, obedientibus sibi obedit, ac in liberales erga se multò indulgentior est & liberalior: non enim se patitur summa illa bonitas beneficentia aut liberalitate à creatura sua vinci; sed omnem illam longè superat & transcendit.

Honorans parētem, expiat peccata. Cur?

Causa Prima.

Secunda. Rursum, qui honorat patrem, patris molestiam, indignationem, impatientiam, ceteraque vitia dissimulat, toleret & lenit: vnde hac sua tolerantia sua delicta expiat, ac meretur, ut Deus illa pari modo toleret, condonet & aboleat.

Tertia. Tertiò, quia Deus idipsum hic per Siracidem promittit & sancit: ut enim ostendat, quàm sibi gratus sit honor parentum, promittit ei certam peccatorum veniam. Itaque honorem parentum hic quasi sacrificium pro peccato filiorum instituit, idque significat τὸ ἐξιλάσεται, id est, propitiat, & expiat. Ratio est, quia, si sacrificium, quo mactabatur caro animalis, v. g. vituli aut hirci, expiabat peccatum, ut patet Levit. 4. multò magis expiabit illud honor & obedientia filiorum, quo voluntas eorum parentibus, Deoque substernitur, & quasi mactatur, ut ait S. Gregor. paulò antè citatus.

Quarta. Quartò, quia veri probique (quin & improbi) parentes docent incitantque filios, ut timeant Deum, studeant ei placere, ac cavere ejus offensam: si quando eum offenderint, doleant, conterantur, veniamque efflagitent: quibus dum probi filii obediunt, hac contritione expiant peccata.

Quinta. Quintò, quia verus honor & pietas filiorum in parentes, subordinatur honori & pietati in Deum, adeoque ex ea proficiscitur & manat, ut patet v. 8. sicut amor proximi oritur & manat ex amore Dei: sicut enim amamus proximum propter Deum; sic & amamus colimusque parentes propter Deum. Hæc ergo pietas in Deum expiat peccata; quia adducit secum contritionem & dilectionem Dei: vera enim in Deum pietas dictat, ut ab ejus offensa te planè contineas; & sicubi eum offenderis, illicò doleas, conteraris, omnique studio ei te reconciliare satagas. Id significat noster interpres, cùm vertit, *qui diligit Deum, exorabit pro peccatis* quo significat, honorem, amorem & pietatem in parentes oriri ex dilectione Dei, ac per eam peccata expiare. Denique filii, qui honorant parentes, merentur & obtinent parentum orationem & benedictionem, qua eis præ ceteris bonis Dei gratiam apprecantur. Ita Job cap. 1. orabat, imò sacrificio expiabat hebdomadatim peccata filiorum.

Paulò aliter Palacius Græcam versionem explicat. q. d. *Qui diligit patrem, exorabit pro peccatis*, scilicet, patris: ut, sicut parens orat pro peccatis filiorum; ita vicissim filii orent pro peccatis parentis. Nostram verò sic, q. d. Filius qui diligit Deum, cavebit, ne parentes offendat: quòd si ex fragilitate humana eos offenderit, Deum pro offensa hac exorabit, *& in oratione dierum exaudietur*, id est, orans veniam multis diebus, eamdem tandem impetrabit. Oratio enim dierum est oratio quotidiana & perseverans, quæ per multos dies continuatur.

Vers. 6. QUI HONORAT PATREM SUUM, JUCUNDABITUR IN FILIIS] Tigurina, *jucunditatem capiet ex filiis*; Syrus, *lætabitur de filio suo*; quia, scilicet, Deus faciet, ut filii ejus sint probi, sani, habiles, egregii, ac præsertim patri obsequentes. Arabicus, *multiplicati sunt filii ejus*. Hæc enim est lex talionis, ut quod facit patri filius, idipsum à suo recipiat filio. Cùm ergo honore & obedientia sua lætificet patrem, par est, ut

A iisdem lætificetur à filio suo: qui verò patri inobediens est ac rebellis, ideòque eum contristat, inobedientes pariter ac rebelles sentiat & filios, ideoque tristetur, & non rarò mœstitia contabescat: cujus rei exempla extant quotidiana. Honor enim hic non tantùm honorem & reverentiam; sed & obedientiam, amorem ac beneficentiam complectitur. Cùm enim Deus precipit: *Honora patrem & matrem*; intellige primò, reverentiam exhibendo; secundò, obediendo; tertiò, amando; quartò, benefaciendo & sustentando, si senex sit aut indigeat, uti dixi Deut. 5. 16. Huc spectat illa Thaletis ad filios vox: *Quale premium rependeritis parentibus vestris, tale à liberis vestris expectate*. testis est Laertius lib. 1. cap. 1. Et illa Epaminondę: *Mihi jucundissimum est, quod utroque parente vivo Leuctrica pugna vicerim Lacedæmonios*. testis est Plutarch. in Gręc. Apophth.

QUI HONORAT PATREM SUUM, VITA VIVET LONGIORE] Arabicus, *qui honoraverit genitores suos, prolongabitur duratio ejus, & bene se habebit remuneratio illius in justitia genitorum suorum*. Justitię enim parentum particeps erit filius, si eos amet & B honoret. Causam dedi Deuter. 5. 16. Dignus enim est vita, qui vitę auctorem colit; indignus, qui eum negligit. *Vers. 7.*

ET QUI OBEDIT (S. August. in Speculo legit, *obaudit*) PATRI, REFRIGERABIT MATREM] Gręcè, ἀναπαύσει, id est, requiescere faciet, hoc est, pro tot doloribus, curis, mœroribus, quos mater pro ipso in conceptu, partu & educatione sustinuit, ipse tandem illi gaudium & quietem animi conciliabit: tum, quia mater gaudet de officio & virtute filiorum, ęquè ac de honore pręstito à filiis patri ac marito suo: quod enim marito confertur, confertur & uxori. vir enim & uxor sunt duo in carne una, putà, una persona civilis & politica: tum, quia mater à filiis eumdem honorem sperat & expectat, quem ab eis videt tribui patri. Honor enim, qui tribuitur patri, pari jure debetur & matri.

Gręca pro *patri*, habent κυρίῳ, id est, *Domino*. Vnde Complut. & S. Ambros. sic vertunt, *qui obedit Domino, quietem dabit matri suæ*; Tigurina, *qui Dominum audit, matri suæ acquiescet*; Syrus, *offert gratiarum actiones bonas Deo ille, qui honorat matrem suam*. Quod enim C matri exhibet filius, sibi exhibitum reputat Deus: tum, quia tam mater, quàm pater, Deum filiis repræsentant: tum, quia filii honorant matrem ex amore Dei, ut, scilicet, Dei legi & voluntati id jubentis satisfaciant.

Porrò nostra versio Latina plures patitur sensus, ait Palacius. Primus est: Qui obedit patri, hac ipsa obedientia refrigerium pręstat matri: ut contra, qui refractarius est patri, grandi tristitia afficit matrem. Secundus est: Ei, qui patri suo obedit, felicia succedent; quo felici rerum successu matrem lętificabit: quasi sit hoc quartum commodum eorum qui patri obediunt, quòd tam illis res succedent prosperè, ut vix sit, quod matrem pro filiis sollicitam tristitia premat. Tertius est: Qui patri obedit, conabitur matrem refrigerare. nam eo matris refrigerio obedientiam parenti pręstabit. Quartus est: Refrigerabit matrem, id est, matrem in refrigerio sepulcri tandem collocabit; ut Tobias junior, qui matrem è felici vita deduxit ad mortis quietem. Inter hos sensus primus & tertius maximè sunt literales & genuini.

Varii sensus.
Primus.
Secundus.
Tertius.
Quartus.

QUI TIMET DOMINUM, HONORAT PARENTES] Timor enim, id est, reverentia, cultus & amor D Dei, impellit nos ad faciendam ejus voluntatem & legem, inter quas prima secundę tabulę jubet honorari parentes. Hic versus jam non extat in Gręco, Syro & Arabico. Modum honorandi parentes subiicit, dicens: ET QUASI DOMINIS SERVIET HIS QUI SE GENUERUNT] q. d. Honor parentibus debitus, non tantùm consistit in assurgendo, caput detegendo, verbis reverentibus eos compellando, vultum submittendo, genu flectendo; sed potiùs in obedientia & obsequio, ut iis serviat *quasi dominis*; Palacius, *quasi diis*; in iis enim Deus repręsentatur, Deique dominium resplendet. Nam, ut ętas in senibus venerationi est, utpote in qua Dei ęternitas lucet: ita paternitas in parentibus est honori, in quibus Dei paternitas & dominium emicat. Uult ergo Deus, ut familiaritas & assidua conversatio filiorum cum parentibus, eorum erga parentes reverentiam non minuat, sed augeat, dum jubet eos cogitare, se non *Vers. 8.*

cum paribus, sed cum superioribus, & dominis agere. Vult ergo, ut talibus serviant, non ut servi, servili timore; sed ut ingenui filii liberali amore obsequantur, etiam demittendo se ad officia servilia, & vilia, cùm ea jubent parentes, vel exigit necessitas. Hinc Persæ filiis, servorum vice, utebantur, teste Rhodigino lib. 11. cap. 17. Idem fecisse Lacones, & Cretenses docet Strabo libr. 16. *Honor*, ait S. Hieron. in cap. 15. Matth. in Script. *non tantum in salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur. Honora, inquit Apostolus, viduas, quæ verè viduæ sunt: hic honor donum intelligitur. Et: Presbyteri duplici honore honorandi sunt, maximè qui laborant in verbo, & doctrina Dei.* Ratio est, quia filius cùm totum, quod est, acceperit à patre, est quasi peculium & possessio patris. Unde prima parens Eva, primum generans filium, vocavit eum *Cain*, id est, possessio, dicens, קניתי *kaniti*, id est, *possedi hominem per Deum*, Genes. 2. Hinc & patri est jus herile in filium, adeò ut in necessitate eum in servum vendere possit, ut colligitur Exodi 21. 7. sancitque Jus civile l. 2. C. de patribus qui filios distraxerunt. Vide Covarruu. l. 3. Variar. c. 14. n. 4. & Lessium lib. 2. de Justitia, c. 5. dub. 4. in fine.

Vers. 9. In opere et sermone, et omni patientia honora patrem tuum] Modum generalem honorandi præscripsit, dicens: *Et quasi dominis serviet his qui se genuerunt*; hìc ad particulares ejus modos descendit. Itaque dicit honorandum esse patrem, Primò, *in opere*, scilicet, opera, quæ pater injungit, exequendo, pro ejus & familiæ sustentatione laborando, necessitatibus ejus quibuslibet subveniendo. Secundò, *in sermone*, ut honorificè de patre loquatur, cum patrem nominet, humiliter ei respondeat, afflictum soletur, iratum blandè compellat, & leniat. Tertiò, *in patientia*, ut patienter toleret patris choleram, asperitatem, imperium, moresque difficiles ac vitia, utque ejus jussa, quantumvis ardua, sibique repugnantia, humiliter excipiat, hilariterque exequatur. Unde Tigurina vertit, *tam factis, quàm dictis patrem & matrem honora per summam patientiam, ut benè precetur tibi.* Jubet ergo, ut filii patientia vincant parentum, præsertim senum, morositatem; sicut patrum patientia sustinuit filiorum parvulorum ineptias & importunitatem. Fructum & mercedem quasi stimulum subdit, dicens:

Vers. 10. Ut superveniat tibi benedictio a Deo] Præclarè S. Ambros. in cap. 18. Lucæ: *Est*, ait, *honor non solum honorificentiæ, sed etiam largitatis. Pasce patrem tuum, pasce matrem tuam; etsi paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est; non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera; non reddidisti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium esset, ederet; ne quid quod lacti noceret, hauriret: illa tibi jejunavit; tibi manducavit: tibi illa, quem voluit cibum, non accepit; tibi, quem noluit, cibum sumpsit: tibi vigilavit, tibi flevit: & tu illam egere pateris? O fili, quantum tibi sumis judicium, si non pascas parentem? Illi debes, quod habes; cui debes, quod es.* Ita Isaac honoravit patrem obediendo ei usque ad mortem, offerens se illi ad holocaustum, ac proinde meruit a Deo benedici, & exaltari. Sic & Jacob honorando Isaacum patrem suum, & Joseph honorando & obsequendo parenti Jacobo, omnimodam ejus, Deique benedictionem promeruit, Gen. 49. 25. Plura exempla recenset Rhodig. lib. 11. c. 17. Valer. Max. lib. 5. c. 4. Senec. lib. 3. de Benefic. c. 37.

Ut superveniat tibi benedictio a Deo. Ita legunt passim: sed pro, *à Deo*, corrige cum Romanis, *ab eo*; Græca Complutens. & S. Ambros. *ab hominibus*; Græca Romana, *ab eo*, scilicet, patre. Sic & Syrus, *ut veniant super te benedictiones ejus*, scilicet, patris, de quibus per vocem causalem *enim*, Græcus subjicit, dicens: *Benedictio enim patris firmat domos filiorum*; Arabicus, *ut exaudiatur ipsius deprecatio pro te.* Multi tamen legunt, *à Deo*, quasi non tantùm patris, sed & quamlibet benedictionem, id est, beneficentiam, filio à Deo polliceatur: Deus enim sua beneficentia, patris, omniumque hominum preces excedit & vota.

Porrò hæc Dei benedictio non est fluxa & evanida, sed stabilis & solida. Hoc est enim, quod de ea addit: *Et benedictio illius in novissimo maneat*; quia æterna mercede compensatur, ait Rabanus. Porrò Palacius sic explicat: *Ut superveniat tibi benedictio à Deo*: ita hoc intellige: Ordinaria rerum dispositione futurus eras pauper, infelix, infamis; aliquis te magnus in malum casus manebat: at si patrem in omni patientia honorasti, divina benedictio te casui obnoxium è manibus infortunii liberabit. Sicut contraria ratione, si ordinaria rerum constitutione, longum victurus eras, non dimidiabis dies tuos, perinde ac si vir fuisti sanguinum, aut dolosus. Dignum verò est annotatione, quod sequitur: *Et benedictio illius in novissimo maneat.* Quod intelligi potest, vel quòd divinus favor & adjutorium usque ad finem vitæ duret. Aut, quod germanus est, quòd divinus favor atque benedictio maneat, & servetur in horam illam tanto periculo tremendam, scilicet, ad horam mortis & strictissimi examinis, ubi æternitatis jacitur alea. O quale, ò quantum beneficium tunc erit benedici & audire: Veni, benedicte, in regnum tibi paratum ab origine mundi! Ergo, sicut tu in omni patientia sustinuisti difficultates senis patris tui; ita Deus sustinebit in omni patientia, si quæ fuerint errata infirmæ animæ tuæ. Ut qua mensura mensus es B patri tuo, remetiatur tibi Pater misericors tuus. Hæc Palacius.

Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta] Vers. 11. Hæc verba, ut cohæreant cum versu præcedenti, significant ibi per benedictionem maximè intelligi benedictionē patris, uti exprimit Syrus: alioqui hic versus prorsus alius est à præcedenti, aliamq; mercedem filiis, qui parentes honorant, promittit, nimirum, quod parentes eis benedicent, benè precabuntur, eisque à Deo omne bonum exposcent: hæc autem parentum benedictio, utpote quasi ex auctoritate & jure herili ac paterno eis à Deo indulta & concessa, solet esse efficax, & à Deo in effectum conferri. De ea ergo ait: *Benedictio patris firmat domos filiorum*, &c Tigurina, *nam bona precatio patris domos liberorum stabilit, dira verò matris imprecatio eruit fundamenta*; Syrus, *benedictio patris stabilit contignationes, & maledictio matris eradicat fundamenta*; Arabicus, *precatio genitoris firmat aulas, & maledictio genitricis eradicat fundamentum.*

Per *domos*, non tantùm contignationes, ut Syrus, C putà fabricas domosque materiales; sed multò magis proles, & familiam accipe: q. d. Benedictio patris facit, ut filius prole & familia, eaque divite, honorata & splendida dotetur, decoretur & perduret: *maledictio verò matris* (pari jure & patris) *eradicat* domos usque ad *fundamenta*; id est planè sobolem, & familiam, ejusque opes & honores delet, & extinguit. Exemplum benedictionis est in Sem, & Japhet, qui à Noe, in Isaac, qui ab Abraham; & in Jacob, qui ab Isaac patre benedictus, pater fuit duodecim tribuum Israel: item in Tobia. In quibus patet basim, & radicem familiæ & felicitatis filiorum esse honorem parentum; radicem verò infelicitatis, & interitus eorumdem, esse inhonorationem parentum.

Maledictionis exemplum est in Cham, qui irridens patrem Noe ex vino nudatum, ab eo maledictus, maledictionem hanc, & servitutem in posteros Chananæos, qui ab Hebræis, posteris Sem, vastati sunt, transfudit. Simile exemplum refert S. August. lib. 22. de Civit. cap. 8. & prolixiùs serm. 94. inter novos, de matre, quæ decem filiis maledicens, omnes illos tremulos, miseros & D vagos effecit. Sic hodie videmus filios, & familias illustres, quæ videbantur per sæcula duraturæ, occidere & extingui. Causam quæris? Accipe, quòd parentes non honorarint ut debuerant, ideoque ab eis non benedictæ, sed maledictæ sint: Deus enim parentibus quasi instrumento utitur ad beandos, vel perdendos filios: sicuti enim per solem illustrat hunc mundum, ita per benedictionem patrum illustrat firmatque domos filiorum. Felix fuit Augustus Cæsar, sed in prolibus libidine infamibus infelix, ideoque eis maledicens, imò abdicans, omnes extinxit, nimirum Juliam utramque putà, filiam ac neptem, ac pòst Agrippinam à se adoptatam, quas proinde vocabat tres suas vomicas, sive tria carcinomata, vetuitque eas suo sepulcro inferri, exclamans: *O utinam cælebs vixissem, orbusque periissem!* testis est Suetonius in Augusto.

Vidit idipsum, duce natura & ratione, Plato qui dialogo

11. de

11. de Legibus, exempla manifestis ostendit, preces parentum adversus liberos semper, aut plerumque à Deo exaudiri: *Oedipus, inquit, contemptus à filiis, ea illis imprecatus est, quae exaudita effectaque abs iis, apud omnes feruntur. Amyntora quoque Phoenici filio iratum illi maledixisse fertur, & Hippolyto Theseo, plurimosque alios aliis: quibus apertissimum factum est, à diis preces parentum adversus filios exaudiri. Nihil enim imprecatione parentis perniciosius filio.* Denique Nazianz. orat. 1. *Duo ea quoque ait, precibus tuis, pios sermone, falsis spretis: benedictio enim patris firmat domos filiorum.* Et S. Ephrem ad hoc verba Siracidis alludens tract. de Timore Dei: *Honora, inquit, sacerdotem atque presbyterum, ut ab eo benedictionem consequaris.*

Vers. 12. Ne glorieris in contumelia (Graecè, ἀτιμίᾳ, id est, ignominia, infamia) patris tui] Allusit ad Cham, qui patris nuditatem irrisit, Gen. 9. 22. Solent enim superbi & perversi filii, ut suam sapientiam, opulentiam, fortitudinem ostentent, parentibus velle videri sapientiores, ditiores, fortiores, ideoque parentum insipientiam, paupertatem, miserias evulgant, quas celare debuerant. Unde Syrus vertit, *ne honoreris* (ne honori tuo deputes) *in opprobrio patris tui*; Arabicus: *ne te extollas adversus patrem tuum; quia non consequeris honorem ex eo.*

Vers. 13. Non est enim tibi gloria, ejus confusio] Graecè, οὐ γάρ ἐστί σοι δόξα, πατρὸς ἀτιμία, id est, *non est enim tibi gloria, patris infamia.* Patris enim infamia est pariter infamia filii, ut sequitur. Tigurina, *neque enim decori tibi fuerit ejus ignominia*; S. Ambros. *non est enim tibi gloria, patris ignominia.*

Vers. 14. Gloria enim hominis provenit, *scil.* & certitur ex honore patris sui: et dedecus filii, pater sine honore] Graeca complut. & S. Ambros. *& dedecus filiis mater in ignominia*; S. Ephrem tract. de Timore Dei, *dedecus filiis mater sine honore*; Tigurina, *paternus enim honor gloriam homini conciliat, & opprobrio liberis est mater ignominiosa*; Syrus, *honor enim viri est honor patris ejus, & deliciae magna illi qui ignominia afficit matrem suam. Fili mi, gloriare in honore patris tui, & ne demittas honorem ejus omnibus diebus vitae tuae.* Filius enim est pars patris & matris. Sicut ergo qui totum violat & laedit, partes omnes violat & laedit: ita qui honorat vel inhonorat patrem vel matrem, omnes suos filios, ac consequenter seipsum honorat vel inhonorat. Unde & Arabicus vertit, *nam honor viri, honor genitoris sui; & non commemores afflictionibus, qui contristat & afficit matrem suam. O fili mi, diligenter attende ad honorem patris tui, & ne relinquas venerationem illius in diebus vitae tuae.*

Fili, suscipe senectam patris tui] Graecè, ἀντιλαβοῦ, id est, *suscipe*, Complut. *adjuva*; Hugo, *sustenta*, alii *succurre*; Tigurina, *subleva*; S. Ambros. *tu adjuva in senectute patrem tuum.* Jubet enim senectam, & seniles mores patris à filiis non tantum tolerari; sed & consolatione, obsequio, sustentatione, omnique ope adjuvari, foveri & sublevari. Et hoc significat τὸ *suscipe*. Sic Psaltes passim rogat suscipi, id est, adjuvari, protegi, dirigi à Deo, Deumque vocat suum susceptorem, id est, adjutorem, protectorem, hyperaspisten. Ratio est, quia in senecta & canitie patris, relucet Dei generatio, antiquitas & aeternitas; ut cum filii caram patrem intuentur, in eo videantur sibi cum Daniele videre antiquum dierum, ejusque canos, Daniel. 7. 9.

Exemplum de honorandis parentibus. Quamobrem Plato dialog. 11. de Legibus: *Cujus pater, inquit, aut mater senio confecti, vel eorum parentes, quasi thesaurus quidam domi jacent, is putet, nunquam aliud tale sibi simulacrum, magisque efficax domi sua affuturum, si colat, ut decet, dum colatur.* Aristot. vero lib. 9. Ethic. c. 2. docet, filios debere succurrere parentibus magis quam sibi ipsis: *Redimere enim patrem, inquit, magis etiam quam seipsum debere videretur.* Et inferius: *Parentibus autem alimenta praecipue suppeditanda esse videntur, utpote cum debeamus: cumque illis, qui in causa sunt ut simus, honestius sit, quam nobis ipsis, in hoc opem ferre. Honor quoque parentibus, quemadmodum diis, exhibendus est.* Philo libr. de Decalogo, dat exemplum ciconiarum: *Ciconiae senes, inquit, impotes volandi nido se continent; ex his prognata terra marique volitant, & cibos parentibus afferunt, & eadem opera natos implumes parentesque effetos educant natura cujusdam, &c. & non absolvunt faciem prae pudore homines parentum contemptores, damnabuntque suam socordiam*

in re, quae vel sola curanda erat, vel ante alia; praesertim cum non tam conferatur, quam referatur beneficium? Filiorum enim nihil est proprium, quod non parentibus debeant, à quibus vel acceperunt, vel in accipiendo adjuti sunt. Habentur ipsius pietatem ac familiaritatem, principatu vertantur in anima; an extreme eas à pellere? Dei enim sub uniformantes parentes in gignendis liberis. Addit deinde, eumque exaggerat: *Et sunt, qui audacius exaggerant: nomen parentum, ajunt, patrem matremque deos consistere, illius vegentis imitatores fingendo animantibus: hoc non differe, quod Deus, se mundi genitor; hi vero filiorum tantummodo: nec fieri posse, ut pius sit erga illum invisibilem, qui erga hos conspicuos est impius.* Quare impii & barbari parricidae fuere Caspii, qui parentes septuagenarios fame necabant, teste S. Hieron. lib. 2. contra Jovin. Euseb. libr. 1. de Praeparat. c. 3. Caspios imitati sunt Bactriani, Hyperborei, Sardi, & jam Indi nonnulli, qui parentes senio confectos mactant, imo subinde devorant, quod inhumanum est & ferinum, imo plusquam ferinum: nec enim ferae ferarum suae speciei, multo minus parentes necant, aut vorant.

Et si defecerit sensu (νοῦν, id est, intellectu, mentis vigore, prudentia, sapientia) veniam da] S. Ambros. *veniam dabis*, id est, ignosce; Syrus, *etiamsi defecerit mens ejus, parce illi*; Tigurina, *quod si sensibus fuerit destitutus, huic consule.* Senes enim subinde defectu cerebro delirant, aut juvenibus delirare videntur. unde illud: *Delirus senex.* Jubet ergo mentis defectum, imo & delirium, in patre à filiis non culpari, nec subsannari, sed tolerari, dissimulari, & sublevari; eo quod pater filii infantiam, imprudentiam & puerilem stultitiam toleravit, formavit, correxit, eduxit. Unde & Arabicus vertit, *& si leviter fuerit sensu illius, humane illum tracta.*

Vers. 15. Et ne spernas (S. Ambros. *abhorreas*) eum in virtute tua] eo quod videas, te viribus mentis & corporis patri seni praevalere, ac pollere majori robore, & intellectus acumine ac prudentia. ob hoc enim solent juniores spernere, carpere, taxare senes. Syrus, *ne confundas eum omnibus diebus vitae tuae*; Tigurina, *illum aspernari summo tuo studio*; Arabicus, *ne parvi pendas illum, dum vivus est.* Causam subdit:

Eleemosyna enim patris non erit in oblivione] *Eleemosyna*, Hebr. חסד *chesed*, id est, pietas, benevolentia, misericordia patri exhibita. *Eleemosyna* ergo *patris* hic passive capitur, scilicet, non quam dedit, sed quam à filio accepit pater. Unde Tigurina, *neque enim patri praestita benignitas delebitur oblivione*, sed Deus & homines ejus recordabuntur, ut eam remunerentur: *jugiter ergo vivet in Dei memoria*, qui sibi factum aestimat, quod ejus imagini & vicario, puta patri, confert filius. Est liptote, sive miosis: parum enim dicitur, sed plus significatur: *Non erit in oblivione*, id est, erit in memoria & ampla remuneratione. Porro haec eleemosyna patri à filio est debita, ideoque ab Arabico vocatur justitia, *Justitia*, inquit, *in genitorem non delebitur, & ea delebitur multitudo delictorum.*

Vers. 16. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum] Vox *nam*, habet emphasim: q. d. Quaevis eleemosyna in patrem erit in memoria: at eleemosyna pro peccato matris senis, utpote morosioris, impatientioris, ideoque toleratu difficilioris, multas habet promissiones. Prima, quod *tibi restituetur bonum.* Secunda, quod aedificabitur tibi *in justitia.* Tertia, quod in die tribulationis efficiet; ut Deus sit memor tui. Quarta, quod solvet peccata tua.

Nota. *Pro pro peccato matris*, perperam quidam legunt, *pro bono facto matris*: q. d. Pro beneficentia matri à filio exhibita. Nam Graece est, ἀντὶ ἁμαρτιῶν, id est, *pro peccatis.*

Jam varii varie id explicant. Primò, aliqui *peccatum* accipiunt pro hostia pro peccato, juxta illud 2. Cor. 5. *Christus factus est pro nobis peccatum*, id est, hostia pro peccato: q. d. Quia tu, ô fili, obtulisti hostiam pro abolendis matris tuae peccatis, idcirco Deus restituet tibi bonum. Aut, ut ait Rabanus, *peccatum hic tropica locutione ipsam eleemosynam nominat, quae delet peccata.*

Secundò, peccatum matris objective & passive accipi potest: q. d. Quia tu, ô fili, ipsius peccasti & offendisti contra tuae matris Dei iram & poenam; hinc ergo illi suo

benignus & beneficus, Deus non tantùm tibi culpam, & pœnam condonabit, sed & abundè *restituet tibi bonum*, id est, beneficium, quod in matrem contulisti. Unde idipsum videtur explicare, dum subdit: *Et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua*. Favet versio Syri: *eleemosyna patris non datur oblivioni, & pro delictis ipsa plantatur.*

Tertiò planè & genuinè, *pro peccato matris*, scilicet, tolerato: q. d. Quia tu, ò fili, patienter tulisti impatientiam, morositatem, jurgia, aspera verba & verbera matris; hinc pro mercede reddetur tibi à Deo bonum; idque multiplex, tum in hac vita, tum in futura; sed præsertim hoc tolerantiæ & pietati tuæ congruum & appositum, nimirum, ut in justitia & pietate tua ædificetur domus. Idem enim dicit de matre, quod dixit de patre. Sicut ergo eleemosyna patris est ea, quæ in patrem confertur, tolerando ejus seniles mores, deliria, impatientias & morositates: ita per peccata matris, similia matris senilia vitia à filio tolerata intelliguntur. Unde, sicut illius non obliviscitur Deus, sed abundè remunerat; ita pro his restituet filio bonum. Quocirca Græca Romana habent absolutè, *& pro peccatis in justitia ædificabitur tibi*, Complut. & S. Ambros. *& pro peccatis reædificabitur tibi*.

Denique Richard. de S. Victore tract. in hunc locum: *Vis*, ait, *scire, quomodo tibi prodesse poterit bonum patris tui? Patrem venerando simul & imitando. Vis pariter scire, quomodo tibi proderit malum matris tuæ? Matrem venerando, sed non imitando*. Verùm ex dictis liquet, alium hujus loci esse sensum.

ET IN JUSTITIA ÆDIFICABITUR TIBI] *Justitia* hic significat pietatem: hæc enim est jus, sive debitum, quod filius debet patri: q. d. *In justitia*, id est pro justitia, sive in justitiæ, id est, pietatis, tuæ præmium *ædificabitur tibi*, scilicet, domus tua: q. d. Deus domum, id est, familiam, tuam prolibus, opibus, omnique affluentia instruet, bonisque omnibus cumulabit: felicissimè tecum, & cum domo tua agetur, & undequaque augeberis, & beaberis. Justitia ergo, id est quasi fundamentum, in quo Deus ædificat domos, id est familias, filiorum parentes honorantium, uti dixit vers. 11. Rursum ædificat Deus has domos in justitia, id est, solidè, firmiter, facitque eas firmas & perdurantes. domus enim in justitia fundatæ sunt firmæ & stabiles, sicut fundatæ in rapinis & injustitia sunt infirmæ & instabiles, brevique intereunt. Unde interitum hunc Deus minatur domui Joachin regis Juda: *Væ*, inquit, *qui ædificat domum suam in injustitia*, Jerem. 22. Et primoribus: *Væ, qui ædificatis Sion in sanguinibus*, Michææ 3.

Adverte hic, Deum solere filios, qui parentes honorant, præmiare prole & sobole numerosa & proba, quæ similiter ipsos honoret; idque jure talionis: æquum enim & congruum est, ut qui honorant parentes, ipsi quoque parentes fiant, similesque sibi generent filios, à quibus eumdem honorem, & commoda recipiant, quæ ipsi præstitere parentibus. Denique eleemosynam parentum solet Deus remunerare fœcunditate, & munere filiorum. Ita obstetrices Ægyptias, quæ quasi matres servaverant, & aluerant infantes Hebræorum contra præceptum Pharaonis, jubentis illos suffocari, Deus remuneratus est ampla sobole, & familia, Exod. 1. Abrahamo & Saræ in præmium hospitalitatis exercitæ in Angelos omnesque peregrinos, natus est Isaac, Genes. 18. 10. Id considerans Eliezer servus Abrahæ, cùm ejus jussu Isaaco uxorem quæreret Rebeccam, ab ea petiit haustum aquæ: quæ cùm illicò & ipsi & camelis potum affatim præberet, ex hac ejus hospitalitate conjecit Eliezer, eam congruam fore Isaaco uxorem, foreque fœcundam, uti ob eamdem fuerant Abraham & Sara. Sic & Elias & Eliseus suos hospites præmio filiorum, quos ipsi precibus à Deo impetrarunt, remunerati sunt.

Græca significantiùs habent, *ἀντὶ ἁμαρτιῶν προσανοικοδομηθήσεταί σοι*, id est, ut Romana vertunt, *& pro peccatis in injustitia ædificabitur tibi*: præpositio enim ἀντὶ notat analogiam justitiæ & mercedis, ut προσανοικοδομηθήσεται idem sit quod, ex justa quadam retributione & compensatione fiet tibi reædificatio & restauratio jacturæ per peccatum factæ: q. d. Ex peccato & cholera matris subiisti injuriam, infamiam & tristitiam; sed Deus hanc tibi restaurabit, faciendo, ut illa cedant & convertantur in tuum honorem, gloriam & lætitiam: hæc enim tuæ patientiæ merces, hæc tuæ virtuti laus, hæc tuæ afflictioni consolatio, hoc tuo dolori præmium congrua proportione respondet & debetur.

Tigurina aliter vertit, *adversus peccatum extruetur tibi propugnaculum*. quasi eleemosyna patri exhibita sit validum propugnaculum, quod sibi ædificat filius contra peccatum.

ET IN DIE TRIBULATIONIS COMMEMORABITUR TUI] q. d. Memor erit tui Deus: vel significantiùs, q. d. Ipsa eleemosyna memoriam tui refricabit Deo, ipsa causam tuam apud Deum aget, & peraget: ipsa enim vellicat Dei memoriam, ut bonis & beneficiis afficiat filium, qui mala & maledicta matris patienter excipit, & sorbet. ita Jansen. & Palacius. Unde Syrus emphaticè vertit, *in die angustiæ in recordationem veniet tibi*. Ubi τὸ *tibi* energiam habet, estque emphaticum: quasi dicat. Ad tuum commodum, ad tuum præmium, & decus. est Syrismus, similis illi, quo Italicè dicimus: *Questo che tu fai hoggi, te si racorderà quando sarai al punto della morte*; Arabicus, *in afflictione erit tibi adjutor*. Vers.17.

ET SICUT IN SERENO GLACIES, SOLVENTUR PECCATA TUA] S. Ambros. *sicut serenitas in glacie, sic solventur peccata tua*; Tigurina, *ut per serenitatem glacies, ita peccata tua solventur*; Syrus, *sicut calor glaciem* (solvit, & liquat) *abrogabit peccata tua*. Beneficentia enim filii in patrem, & matrem est quasi calor, imò sol liquans; & abolens omnem peccatorum glaciem. *Charitas enim operit multitudinem peccatorum*, 1. Petri 4. 8. idque tam quoad pœnam, quàm quoad culpam: q. d. Cùm ob peccata in die tribulationis in varias ærumnas, & mœrores incideris, illæ omnes dissolventur à beneficentia matri exhibita, perinde ut glacies dissolvitur à radiis solis: dies tribulationis vertetur in diem serenitatis; ac cùm aliis erit dies nubilus, misericordi erit serenus, præstante, itaque honorem parentum remunerante Deo. Unde Arabicus vertit, *avertet à te mala, sicut avertitur frigus in vehementia caloris*.

QUAM MALÆ FAMÆ EST (Græcè, βλάσφημος, id est, execrabilis, infamis est) QUI DERELINQUIT PATREM, in egestate, afflictione, senio constitutum & destitutum: ET EST MALEDICTUS A DEO, QUI EXASPERAT MATREM] Tigurina, *quam infamis est desertor patris, & maledictus a Domino, qui matri suæ movet indignationem*; Romana verò editio ex Græco sic habet, *tamquam blasphemus est, qui derelinquit patrem; & Syrus, blasphemat, qui spernit patrem suum, & maledictus est coram filio suo ille, qui ignominia afficit matrem suam*. Ubi Nota, contemptum parentum vocari blasphemiam; quia blasphemia est convitium quod jacitur in Deum vel Sanctos: parentes autem sunt vicarii Dei, & quasi dii quidam terrestres, ut superiùs dixi. Unde Rabanus, *impietatis*, inquit, *crimine reus tenetur, qui irreligiosus est in parentes, & maxime ille, qui spiritalem patrem vel matrem pravis sermonibus, atque iniquis operibus exacerbat*. Rursum τὸ *maledictus coram filio*, explica, q. d. Sicut filius maledicit patri; ita vicissim ipse lege talionis maledicetur à filiis, quos genuit aut gignet. Hinc & Arabicus vertit, *quia qui parvipendit jus patris sui, ipse est blasphemus opprimens: & qui calumniatur matrem suam, maledictio Creatoris sui descendet in eum*. Vers.19.

Porrò maledictio Dei, æquè ac benedictio, non est verbalis, sed realis & efficax: Dei ergo benedicere, est copiosè benefacere: maledicere, est affatim malefacere, putà, punire paupertate, infamia, morbis, adversitatibus, ac denique morte & gehenna, quibus pœnis omnibus punit Deus eos qui exasperant matrem. Præclarè Philo libr. de Decalogo: *Qui parentes*, ait, *suos negligunt, sciant se damnatos pro duobus tribunalibus, quæ sola sunt naturalia: impietatis, apud divinum, quod secundos post Deum auctores vitæ suæ non tractant ex officio: inhumanitatis verò apud humanum: cui enim benefaciunt, qui proximos & optimè de se meritos vilipendunt? quibus nulla referri gratia potest, quæ non sit inferior acceptis beneficiis*. Et S. Ambros. libr. 5. Hexam. 4. in illud Genes. 1. *Producant aquæ reptile super terram*. *Quàm bona*, inquit, *mater sit aqua, hinc considera: tu, o homo, docuisti abdicationes patrum in filios, separationes, odia, offensas; disce ergo ab aqua, quæ sit parentum & filiorum necessitudo. Vivere pisces sine aqua non queunt, nec a suis parentis consortio separari: & sit hoc natura quadam, ut separati moriantur illicò*.

Ele-

A Elegantí viperę & fœtuum apologo idipsum repræsentat Cyrillus libr. 3. Apolog. moral. cap. 26. cujus titulus: *Contra vitium ingratitudinis. Gravida vipera*, inquit, *cùm ad perfectam maturitatem fœtus produxisset, diros in suis visceribus morsus sentiens, amara nimis cum querimonia eis dixit: Quid est hoc scelus quod facitis? numquid redditis pro bono malum, quia laceratis ventrem qui vos portavit; matrem occiditis, quæ vos genuit? quæ est ista contra naturam nequitia, & ingratitudinis sævitia tam stupenda? At illi dixerunt: Quid est quod nobis dedisti aut fecisti? nimirum ut delectares te concepisti, & in tetri ventris carcere nos abscondisti. Quid aliud circa nos egeris nescimus: attamen prodire in lucem appetimus, & gratum mundi spatium videre affectamus. Quibus mater: Revera ego concepi vos ex medullis meis charioribus, alui de sanguinibus propriis, fovi calore; portavi labore, promovi cum dolore, & in visceribus propriis nocte ac die custodivi cum timore: nunc autem pro tantis beneficiis matri rependitis vicem mortis.* Deinde justam eis talionis pœnam intentans subjicit: *Veruntamen quia inique rependitis malum pro bono, retribuetur vobis justissimè malum pro malo. Nam justitia ingratitudini est grata, dum propter ejus demerita reddet ei digna stipendia, & propterea quia cum ingratitudine incipitis, dira quoque & sæva ingratitudine finietis: nam tu fili fœcundabis sororem tuam, ut ipsa te vita privet: & tu filia fœtus concipies qui confestim crudeliter te occident. Et sic ingratitudinis vitium vertetur in tormentum, & ingratitudo ingratitudine punietur, eritque soboles ingratitudinis cibus mortis. Quibus dictis dolore viscerum extincta est.*

Apologus de filiis ingratis.

Eorum pœna talionis.

VERS. 19. FILI, IN MANSUETUDINE OPERA TUA PERFICE, ET SUPER HOMINUM GLORIAM DILIGERIS] Instruxit Siracides filium quoad honorem parentum, nunc eum instruit quoad cetera & ceteros, ac in primis ut in omnibus & cum omnibus mansuetè & humiliter se gerat; præsertim quia humilitas & mansuetudo est fons & origo honoris parentum, omnisque virtutis & boni. Gestus enim mansuetus & humilis omnes honorat, itaque sibi conciliat; asper verò & superbus omnes spernit & deprimit, ideoque à se avertit, offendit & exasperat.

Porrò Sapiens omni statui & gradui commendat mansuetudinem; ut licet filius ascendat etiam ad regium fastigium & culmen; tamen mansuetè se gerat, regat & imperet. Quapropter subdit, *quantò major es, humilia te*. Unde Syrus vertit, *fili in divitiis tuis cum humilitate ambula, & præ largiente dona diligent te*. Hæc enim mansuetudo Prælato & principi subditorum benevolentiam, indeque securitatem & gloriam conciliat. ita Palacius. Admonet, inquit, recentiores, ne ex ira res præcipitent; sed animos mansuetudine frænent. Vt enim nihil est importunius improbitate eorum qui gubernantur; ita nihil est in hisce rebus excelsius, quàm in tanta importunitate mansuetos esse eos qui gubernant. Hinc maxima laus Mosi datur, quòd regens innumerum istum & durissimum populum, mortalium tamen esset mansuetissimus, Num. 12. 5. Et David rex Deo non aliam virtutem, quàm mansuetudinem suam allegat, dicens: *Memento Domine, David, & mansuetudinis ejus*, psal. 131. 1. Mosen mansuetudine, non tam humana, quàm divina superavit Christus. Nam, ut ait S. Bernard. serm. 22. in Cant. *Omnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Jesu, audientes, quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. In odore horum currimus.*

Celebre est illud Senecæ in Proverbiis. *Regibus certior est ex mansuetudine securitas.* Nam ex adverso ait Cicero lib. 3. Offic. *Nihil quod crudele, utile. Est enim hominum naturæ, quam sequi debemus, maximè inimica crudelitas.* Porrò, ut ait Aristot. lib. 1. de Cęlo, *Nullum violentum perpetuum.* Hinc eos, qui natura, indole & complexione sunt mites & blandi, omnes amant & ambiunt. Mitis autem signa physiognomica hæc dat Aristot. in Physiognom. c. 3. *Gravis specie, carnosus, caro humida & multa, bonæ magnitudinis & commensuratus: figura curuus, cursus capillorum sursum vulsus.*

Mercedem & premium mansuetudinis subdit: *Et super gloriam hominum diligeris*. q. d. Præ hominum gloria, id est, prę hominibus gloriosis & excellentibus, eorumque gloria, gradu & honore diligeris: quo significat mansuetudinem homini magis conciliare amorem, quàm quemvis alium splendorem & gloriam: hæc enim timorem potiùs incutit, quàm amorem: q. d. Mansuetudo longè magis nos amabiles & admirabiles facit, quàm omnis splendor & gloria: homines longè magis diligunt, & videre cupiunt mansuetudinem & mansuetos, quàm gloriam & gloriosos: appetitur & ambitur gloria, sed magis ambitur mansuetudo.

Rursum τὸ *diligeris*, accipi potest pro, glorificaberis: q. d. Omni gloria, omnibusque gloriosis eris gloriosior: tum, quia vera gloria est mansuetudo & humilitas: tum, quia homines solent eos, quorum mansuetudinem moresque diligunt, laudare, celebrare & glorificare. Est ergo metalepsis, qua ex dilectione gloria illam consequens significatur. Vnde alii sic explicant, *super*, id est, *præter* gloriam hominum diligeris, q. d. Pręter gloriam assequeris insuper benevolentiam, ut omnes te diligant. ita B Emmanuel Sà. Superbi enim & tyranni habent à suis gloriam, sed non dilectionem; quia timentur, non amantur: at mansuetus habet gloriam, & pręter gloriam habet omnium gratiam & dilectionem, quę gloriam condecorat, solidat & perpetuat.

Legit Interpres, ὑπὲρ ἀνθρώπων δόξαν, id est, *super hominum gloriam*; jam legunt, ὑπὸ ἀνθρώπου δεκτοῦ, id est, *ab homine acceptabili*, sive probato. Sic quoque legit S. Ambros. & S. Ephrem tract. de Timore Dei, *& ab homine acceptabili diligeris*; Tigurina, *& homini probato clarus eris*; Syrus verò, *& præ largiente dona diligent te*; alii, *pro homine probato, accepto*, vel *grato diligeris*: Præpositio enim, ὑπὸ; idem subinde est quod πρό. Arabicus, *o fili mi, incede cum mansuetudine in divitiis tuis, & sis*, id est, eris, *dilectus hominibus, plusquam is qui largitiones elargitur.*

Moraliter S. Bernard. serm. 2. in convers. S. Pauli: *Triplici*, ait, *velut ariete mansuetudo pulsatur: verborum injuriis, damnis rerum, corporis læsione. In his tribus omnis exhibitio patientiæ, omnis exercitatio mansuetudinis. Probata est illa virtus, quam nihil horum videtur concutere* C *potuisse*. Porrò mansuetudinis origo est humilitas: *Sicut enim mater præsumptionis est elatio, sic mansuetudo vera non nisi ex vera humilitate procedit*, ait idem S. Bernard. serm. 3. de visit. B. Marię. Hac de causa subdit Ecclesiasticus: *Quanto magnus es, humilia te*, &c.

Porrò, cur mansuetudo adeò ab omnibus, pręsertim subditis, dum à Superiore corripiuntur, sit expetita, ira verò exosa; rationem quasi à priori dat Reverendiss. D. Franciscus de Sales, Episcop. Genevensis, vir mellez sapientię & sanctitatis, in suo Philotheo, sive Isagoge ad vitam piam, parte 3. cap. 8. Monitio, ait, vel correctio manans ab ira, etiamsi comitem habet rationem, impurior est & turbidior, ideoque ingratior quàm sit ea quæ à sola puraque ratione proficiscitur. Causa est, quòd anima rationalis naturaliter subjecta sit rationi: hinc passioni non subiicitur, nisi quasi tyrannidi, ideoque tyrannicè. Quare ratio, quam comitatur passio, se reddit exosam; eò quòd justa ejus dominatio inquinetur, & vilescat per societatem tyrannidis, putà, passionis tyrannicę. Accedit, quòd ut ait Quintilian. libr. 11. c. 1. *Habet mens nostra natura sublime quiddam & erectum, & im-* D *patiens superioris. Ideoque abiectos, aut submittentes se allevamus; quia hoc facere, tamquam majores, videmur; & quoties discessit æmulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur, nec tam se majorem, quàm ceteros minores facere: inde invidene humiliores.* Rursum mansuetudo superioris frangit iras, cupiditates & impetus inferioris, perinde ac lana excipit & enervat ictus tormentorum; ac elephas iratus & furens mansuescit ad conspectum agni. Sic *Deus tranquillus tranquillat omnia, & quietum aspicere, quiescere est*, ait S. Bernard. Mansuetus enim agitur ratione, non passione; ideò tranquillus est, omniaque tranquillat. Huc facit proverbium Arabicum centuria 1. n. 40. *Tege merces tuas melle, & proiice eas in cisternam luti, id est, concilia corda stultorum sermone dulci.* Sicut enim pueri cibos melle conditos avide hauriunt; ita simplices, sermones mansuetudine mellitos cupidè excipiunt.

Cur mansueta correctio grata?

Quo-

Quocirca prudenter monet S. Ambros. lib. 2. Officior. cap. 7. *Primum*, inquit, *placiditate mentis, & animi benignitate insinuamus in affectum hominũ. Popularis enim & grata est omnibus bonitas, nihilque quod tam facilè illabatur humanis sensibus. Ea si mansuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborumque honore, patienti quoque sermonum vice, modestiæque adjuvetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis.* Subiicit exempla illustria Mosis & Davidis: *Quantas Moyses à populo Dei illatas absorbebat contumelias, & cùm Dominus in insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, ut indignationi divinæ plebem subduceret. Quam miti sermone post injurias appellabat populum, solabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fovebat operibus; & cùm Deo constanter loqueretur, homines tamen humili & grata appellatione affari solebat. Meritò æstimatus est supra homines, ut & vultum ejus non possent intendere, & sepulturam ejus non repertam crederent: quia sic sibi totius plebis mentes devinxerat, ut plus eum pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur. Quid ejus imitator sanctus David, electus ex omnibus ad plebem regendam; quam mitis & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu? Ante regnum se pro omnibus offerebat, rex cum omnibus æquabat suam militiam, & partiebatur laborem: fortis in prælio, mansuetus in imperio, patiens in convitio, ferre magis promptus, quàm referre injurias. Ideò tam charus erat omnibus, ut juvenis ad regnum, etiam invitus, peteretur, resistens cogeretur, senex ne prælio interesset à suis rogaretur, quod mallent omnes pro ipso periclitari, quàm illum pro omnibus.*

VERS. 20. QUANTO MAGNUS ES, HUMILIA TE IN OMNIBUS (præsertim in iis, quibus excellis & magnus es) ET CORAM DEO INVENIES GRATIAM] Græcè, *quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus*, id est, *quantò major es, tantò magis humilia te in omnibus.* Et sic legit S. Ambros. loco initio cap. citato, & S. Ephrem tract. de Timore Dei. Tigurina, *quantò major es, eò te geras submissius, ut gratiam initurus apud Dominum*; Arabicus & Syrus, *in omni, quod magnum est in mundo, humilia teipsum, & coram Domino invenies misericordiam.* Causę hujus pręcepti, vel moniti, sunt multę.

Magnis magna convenit humilitas: cur? Causa Prima. Prima, quia celsitudo solet homines inflare & instigare ad arrogantiam: monendi ergo sunt, qui ad eam conscendunt, ut eò magis se humilient, quò difficilius est se humiliare in sublimatione & sublimitate. Rectores, ait S. Gregor. multi injustè & tyrannicè regunt, pauci in plena justitia, paucissimi in mansuetudine & humilitate. Et S. August. de Sancta virgin. c. 31. citans hanc Ecclesiastici sententiam: *Mensura*, ait, *humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est, cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur.* Et S. Bernard. serm. 4. super *Missus est. Non magnum est* inquit, *humilem esse in abiectione: magna prorsus & rara virtus humilitas honorata.* Idem lib. 2. de Consid. *Nulla splendidior humilitate gemma, in omni præcipuè ornatu summi Pontificis. Quò enim celsior ceteris, eo humilitate apparet illustrior & seipso.* Et in hęc verba commentans Balduinus in Catena Tilmanni Godfredi: *Humilitas in honore*, inquit, *honor est ipsius honoris & dignitatis. Omnis dignitas eo ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignetur. Humilitas autem sine honore, ipsa sufficit ad honorem: honor verò sine humilitate, se perducit ad confusionem.*

Secunda. Secunda, quia vera magnitudo est humilitas. Sola enim humilitas exaltat: sola humilitas est magnanimitas. Sola enim magno animo despicit exiles, & inanes horum mundi fumos & umbras; quia spectat verum virtutis decus, verumque honorem, & gloriam cælestem, & æternam, quam à Deo & Angelis Beatisque omnibus expectat. Quocirca sapienter S. Ephrem. tract. de Timore Dei, initio tomi 3. *Cupis*, ait, *magnus esse? sis omnium novissimus. Cupis bonum possidere nomen? in lenitate ac mansuetudine opera tua temperato atque peragito.* Et inferiùs: *Magna felicitas & gloria est humilitas, & non est in ea lapsus atque ruina. Signum porrò humilitatis est, ambabus manibus omni tempore ac loco subvenire fratri necessitatem patienti.* Ex adverso verè S. Bernard. de Gradib. humilitat. *Quantò magis*, inquit, *ad alta festinas, tanto magis ad occasum declinas.* Huc pertinent duo adagia Arabica, quę extant inter impressa centuria prima: primum extat n. 3. *Si nescis ascendere per scalam, non ambulabis super tectum: id est, si non potes esse subditus duci, neque dux eris.* Si non potes humiliari, non poteris esse gloriosus: nemo enim rectè agit dominum, qui priùs non egit ministrum: nemo nisi humilis gloriam consequitur; adeò ut servitus via sit ad imperium, & humiliatio via sit ad gloriam, perinde ac scala, via est ad tectum. Alterum extat ibidem n. 4. *Ne ascendas cacumen jugi, cùm fueris ornatus; ne fortè cadas: id est, honoratus cave à typho & fastu, quia ocyssimè inflatus, & turgidus cadit.*

Tertia. Tertia, quia schola Christi Dei, est schola humilitatis, in eaque nihil discitur, nisi humilitas & charitas. Qui ergo humilior est, ille major, & doctior est in schola Christi: quia Christus cùm esset maximus, fuit pariter humillimus. *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum & humilis corde*, Matth. 11. Ita S. August. de S. Virgin. c. 33. ut doceat virgines, quæ dono virginitatis alios antecellunt, non debere inde superbire, sed magis humiliari, sic ait: *Cùm ergo Christianis omnibus custodienda sit humilitas, quandoquidem à Christo Christiani appellantur, cujus Euangelium nemo diligenter intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inveniat: tum maximè virtutis hujus sectatores & conservatores eos esse convenit, qui magno aliquo bono ceteris eminent, ut magnopere curent illud: Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus.* Idem epist. 56. ad Dioscorum: *Nisi*, ait, *humilitas omnia quæcumque benè facimus, præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. Itaque sicut Rhetor ille nobilissimus* (Demosthenes) *cùm interrogatus esset, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis observari oportere; pronuntiationem dicitur respondisse cum quæreretur quid secundò, eamdem pronuntiationem: quid tertiò, nihil aliud quàm pronuntiationem dixisse: si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil me aliud respondere, nisi humilitatem, liberet.*

Quarta. Quartam dat S. Gregor. homil. 9. in Euangel. *Cùm augentur*, ait, *dona, rationes etiam crescunt donorum. Tantò ergo humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quantò se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.*

Quinta. Quintam dat Siracides hic: *Et coram Deo invenies gratiam.* Ut ergo major sis coram Deo, qui est verus magnitudinis æstimator, & mensor, utque major sis in ejus gratia, esto major in humilitate: quia sicut pharmacopœi balsamum non recondunt nisi in myrotheciis planis, udis & nudis; sic & Deus gratiam suam non collocat nisi in vase plano & nudo, putà, in corde humili. *Deus non ponit oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ*, ait S. Bernardus serm. 3. de Annuntiat. vasa autem fiduciæ sunt corda humilium, quæ sibi diffidunt, unique fidunt Deo. Quocirca S. Isidorus de Conflictu vitiorum & virtut. sub initium: *Memento*, inquit, *quia pulvis es, quia cinis es, quia putredo & vermis es; quia etsi aliquid es, nisi tantò te humilies, quantò magnus es, perdes omninò quod es. Numquid tu altior quàm primus Angelus? Numquid tu splendidior in terra, quàm lucifer in cælo, qui propter superbiam ex summo ad imum decidit?* S. Ephrem de Vita spirituali, n. 66. *Quando*, inquit, *videris te ad apicem virtutum evectum, tunc maxima tibi humilitate opus est, ut fundamentis salvis & integris, quod superstructum est ædificium, inconcussum immobileque consistat: atque sic in multa securitate fructus tuus erit.* B. Antiochus homil. 70. de humilitate: *Quantò major es*, inquit, *tantò humilia te ipsum: nam opera omnia humiliantis se manifesta sunt & conspicua oculis Domini.*

Sexta. Sexta est, quia in hac re consistit tam perfectio humilitatis, quàm summa virtutis. Sicut enim primus gradus humilitatis est humiliare se superiori; secundus, pari; tertius, inferiori: sic ima humilitas est humiliare se in imò, media in medio, summa humiliare in summo culmine. Hoc est, quod Christus baptizandum se offerens S. Joanni, cùm ille ex reverentia id facere detrectaret, respondit: *Sine modò; sic enim decet nos implere omnem justitiam*, Matth. 3. 15. ubi Glossa ex S. Bernar. *Omnis justitia, ait, est humilitas, qua se superioribus, æqualibus & inferiori-*

viribus subiicit. Hæc ergo humilitas exaltat, imo superat omne iudicium, quod homo debet Deo, proximo, & sibi: Deo enim se subiicit per religionem, proximo per charitatem, corpus animæ, animam spiritui, spiritum legi Dei.

Hæc dum gnomas festiuo Solis apologo illustrat, & quasi exhibitat Cyrillus lib. 1. Apologorum moralium c. 13. cuius est titulus: *Gloriosa est prosperitas moderata.* Sic enim ait: *Cum Titan (sol) vniformi regularitate stabiliter* Apologus modestiæ. *moueretur, vidisse hoc admirans Mercurius, hac eum quæstione interpellauit: Vt quid semper in ecliptica volueris, vbi denique fixus nunquam inde mutaris? qui dixit: Vnde sapientiæ iam dudum a sæculis affirmatur esse, & hoc ignoras? Quis enim inter stellas sole gloriosior, cui fœneratur lux est lux primogenia, quæ tot calorum spectat, & gloria stellarum? Propter hoc ergo charissime media semper cæli regione moueor, nec vnquam ab ea declino. Nam si recte considerasti, prosperitas plerumque [illegible], & fastitat [illegible], nec illum vnquam exhibet amicum: quapropter ea est vel maxime moderata amplectenda, ne, cum amantibus cadat prosperitas, [illegible] prosperitatis immoderata peruersitas.* Deinde apologum similitudinibus Similia. variis, quales regia apum, dici, nautarum, lutis, temperantiæ, [illegible], confirmat, dum illa subiicit: *Nimirum ob hoc regulas apum deprimi aculeum, quem natura fecit cademe, ut, cum est agendi facultas validior, sit excedendi tunc authoritas minor. Certe certi tum, [illegible] magnam prosperitas est; vnde semper oportet prosperitatem, ut lux vertatur in tenebras, & nox dies reperatur successiua. Atque propter hoc prudenter in prosperis modestiæ magis ac beneficentiæ intendamus, ut illa interim [illegible], hoc amicos conciliamus; &, si contra nos quandoque tempestas ingruerit aduersitatis, salutares effugi portum reperiamus in amicis. Reuera nauta prudentior dum forma tempestatis imperium formidat, in tranquillitatis serena circumspectius, quo tutius nauiget, velum abbreuiat. Etenim ne excessiua vestis [illegible] usum obtundit, & immoderata latitia cor extinguet: sic prosperitas immoderata confundit. Nam sicut in temperamento est sanitas corporis, sic in modestia sanitas mentis. Nonne in altis constitutis maturabiliter metuimus ne cadamus?* Ex quibus hoc epimythium colligit: *Quemadmodum igitur cælestis serenitas quanto est lucidior, tanto est tranquillior: ita sapientis prosperitas esse debet moderatior, quanto maior.*

VERS. 21. Septimam subdit Sapiens: QUONIAM MAGNA POTENTIA DEI SOLIUS, ET AB HUMILIBUS (nonnulli legunt perperam, ab humilitate) HONORATUR. Ita legit S. Ambros. Græca Compl. Roman. S. August. in Speculo, Rabanus & alii passim: q. d. Ideo te summe humilia, & summam a Deo accipies gratiam, quia Deus summe humilitate honoratur; ideoque eos summe recreatur & delectatur: Deus autem honorantes se, quales sunt humiles, honorat, & ita gratia cumulat. Ratio a priori est, quia Deus est summa celsitudo: huic autem proprie summa debetur humilitas. Unde S. Bernard. serm. 4. de Natiuit. *Propterea, ait, cultrix commendatur humilitas, quod hac quasi propria virtus diuina fit exhibenda maiestati. Deus, ait idem lib. 5. de Consider. cap. 4. amat ut charitas, nouit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut maiestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, reuelat ut lux, assistit ut pietas.*

Aliter hæc distinguit & explicat Palacios: *Quia magna potentia tua, est Dei solius, q. d. O vestis, videris tibi potens, & vides tua potentia esse tua? At falleris. Potentia est Dei solius: qui fecerit te posse, potens: si vellet te nihil posse, etiamsi sit tua potentia summa, nihil poteris. Aufert enim ille spiritum principum. Terribilis est apud reges terræ. Quod cum multi reges testari possent, testatur nunc propere tamen Nabuchodonosor, factum sicut bos comederet. Ergo ne & te superbum a tua Deus magnitudine deiiciat, in teipsum humilia.* Tu igitur si terribilis sis, si maxime sis, si tamen nihil videas & agnoscas, Deus honorem, Dei opes, Dei infinitatem praeferendam honorabis. Græci codices in Complut. addunt: *Multi excelsi & gloriosi, sed mansuetis reuelantur secreta.* & sic legit S. Ambros. Syrus, *quia multa misericordia Dei, & humilibus arcana reuelantur.* Sic & Arabicus. Quod appolite conuenit [illegible], quibus præcipue loquitur Siracides, ait Palacios. Vis igitur, o rector, o iudex, nosse mysteria & abstrusa, quæ tibi parum non manifestant? Humilis esto; quia Altissimus Dominus, & humilia respicit. Ipse est veritas, amat ergo veritatem humilitatis, falsitatem odit superbiæ. Nam, ut ait quidam Sanctorum: *Deus amat humilitatem, quia amat veritatem: humilitas enim est vera cognitio sui & Dei, superbia vero vbique est ignorantia.*

Idem fuit, eiusque sensus & praxis ceterorum Sanctorum & sapientum. Ita B. Virgo erecta ad solium diuinitatis, cum Angelus ei promitteret, quod conciperet parereque Filium Dei, tanto magis profundo se humiliauit, ac humillime respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Eadem ab Elisabetha salutata mater Dei, illico hanc laudem non sibi arrogauit, sed in Deum reflexit: *Magnificat, inquit, anima mea Dominum; quia respexit humilitatem ancillæ suæ,* Lucæ 1. Salomon Dei oraculo declaratus mortalium sapientissimus: *Stultissimus, ait, sum virorum, & sapientia hominum non est mecum,* Prouerb. 30. 2. Exempla.

Magnus ille Simeon Stylites, orbis portentum, *in cunctis laboribus,* inquit Theodoretus in Histor. Patrum, c. 26. *tantaque rerum gestarum magnitudine & miraculorum multitudine, est tam a morum modestia ac moderatione præditus, ut si sit dignitate postremus omnium hominum. Præter modestiam autem & facilis ad eum patet aditus, & est affabilis & suauis, & respondet vnicuique eorum, qui loquuntur, siue opifex sit, siue mendicus, siue rusticus.* Hæc fuit certa nota & tessera eius sapientiæ & sanctitatis.

S. Franciscus sui æui sanctissimus, dictitabat se maximum esse orbis peccatorem. Idem dictitere alii; adeoque vere sapientiæ & sanctitatis certissimus index est vera humilitas, tantoque quis sanctior est & sapientior, quanto humilior: sicut ex aduerso quo quis insipientior est & improbior, eo & superbior. Beda in Prouerbiis aureas has de humilitate habet gnomas: Gnomæ.

Vitanda est superbia, quæ & Angelos decepit, & omnes vertices deiicit.

Vera dilectio non nisi vera humilitate acquiritur.

Quantum quisque in humilitate & castitate profecerit, tantum Deo appropinquabit.

Quanto altior gradus, tanto profundior casus.

Virgines sequuntur Agnum coniugati humiles, quam virgines superbientes.

Vis ingens animi, nullius laude moueri.

Nazianz. in carmin. de beatitud.

Felix, qui primus inter numerandus nullo

Christicolas, tectus se tenet inter eos.

Idem in Tetrastichis:

Sit alta vita, mens tamen alte spiritus:

Illud beabit, mouere a loco te deprimet.

Alius hinc sis, ut summa tua est nomen.

S. Bernard. serm. 45. in Cant. *Rara auis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimonia non tollit.* Idem serm. 13. in Cant. *Magna, ait, & rara virtus, ut magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem; mirabilem te apparere, & contemptibilem te reputare. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico.* Hoc ergo est vera animi celsitudo, hæc vera magnitudo, ut magnus cum sis, te ut paruum eligas & geras. Hæc est forma docens Prælati, ut prædicet & regat cum humilitate. Unde Christus per omnia maximus: *Discite, ait, a me, quia mitis sum, & humilis corde,* Matth. 11. Itane, ait S. August. tract. de Virgin. *magnum est esse paruum, ut nisi a te, qui magnus es, fieret, disci non posset? Ita plane: non enim aliter inuenitur requies animæ, nisi inquieto tumore depulso, quo magna sibi erat, quando sana tibi non erat.*

Praxes huius humilitatis, modumque eam assequendi assignat S. Basil. homil. 21. de humilitate: *Quonam pacto, ait, ad salutarem hanc animi humilitatem, pernicioso superbia elatione relicta, descendemus? Si per omnia studium modestia exerceamus, & nil [illegible] vt in sermone arrogantiam usurpes sophisticam, neque delectatum [illegible] superbam; sed in omnibus splendori ac magnificentiæ abstinebis, comis erga amicum, mansuetus erga docentem, patiens erga temerarium, humanus erga humilem, patiens afflictis, [illegible] in dolore consolator, in summa nemini contemnens: suauis in appellatione, alacer in respondendo, dexter & expeditus vniuersis, neque tua ipsius encomia [illegible], neque alios qui hoc faciant subornans, neque calumniam de proximo [illegible] admittens, & vero tuas ut [illegible] quantum fieri possit obtegens: peccatorum vero* gratia

gratia te ipsum accusans, nec exspectans, ut ab aliis reprehendare, ut idem facias quod justus, qui in principio sermonis seipsum accusat: & sit qualis erat Job, quem non puduit urbis tumultuationem, propriam contra se deprædicare ruinam. Ne sis increpando molestus ac severus; neque statim, aut cum animi commotione quemquam reprehendas, (resipit enim hoc contumaciam quamdam;) neque propter modica delicta condemnes aliquem, quasi rigidus juris exactor, sed eos, qui deliquerunt, complectare, & spiritualiter instruas, quemadmodum admonet Apostolus, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Et tantum studii impendas, ne apud homines gloriosus habeare, quantum impendunt alii, ut glorificentur, si quidem Christi memor fueris. At Prælatus es aliis, & homines te glorificant? Par esto subjectis, non tamquam dominans in cleris, ut Apostolus inquit; neque sæcularibus principibus te conformes; qui namque primus esse accepit, omnium hominum servum esse jubet Christus.

Denique nihil est, quod nos ita hominibus gratos ac Deo faciat, quàm si vitæ merito magni, humilitate infimi simus, ait S. Gregor. Unde Cassianus collat. 15. cap. 7. docet, charismatum virtutem non in mirabilibus, sed in humilitate consistere, quæ, ait, est *omnium magistra virtutum, cælestis ædificii firmissimum fundamentum, donum proprium & magnificum Salvatoris*. Et S. Hieron. vel potius S. Paulinus ad Celantiam: *Nihil*, inquit, *habeas humilitate præstantius, nihil amabilius: hoc est enim præcipua conservatrix, & quasi custos quædam virtutum omnium: nihilque est, quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus. Propter quod Scriptura dicit: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.*

Moraliter hæc Religiosis in Religione veteranis, & studio virtutis ac meritorum magnis congruè accommodat Faustus Regiensis Instruct. ad monachos, quæ habetur in Appendice Biblioth. SS. Patrum: *Quanto plus proficimus*, inquit, *tanto plus humiliemur; quia quantò plus humiliati fuerimus, tantò plus proficimus. Nullus ibi senior tam indoctus appareat, ut putet, quòd eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit. Humilitas enim atque obedientia in junioribus adhuc necessitas, in senioribus jam dignitas est. Ille benè proficit, ille benè consummat, qui quotidie sic agit, quasi semper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum, incitamenta esse perfectorum Scriptura pronuntiat.* Vide sequentia.

Moral. veterani magis sint humiles.

Illustre exemplum; imò speculum, hujus humilitatis & mansuetudinis fuit S. Franciscus, qui proinde per eam, gratiam & gloriam Dei, Angelorum & hominum est adeptus. Nam Primò, per eam adeò possedit terram cordis & corporis sui, ut illa mansuetudine hac animi planè imbuta, subiiceret se spiritui ad omnes labores & pœnitentias: quare caruit lucta carnis & spiritus; atque ut animus ejus erat angelicus; ita & corpus erat quasi angelicum.

Secundò, per eam accessit ad primævam innocentiam, quam habuit Adam in paradiso, ut animalia etiam fera eum quasi herum agnoscerent, imò ab eo se cicurari & mansuefieri sinerent. Oves & agni eum quasi fratrem ambiebant. Volucres cæli eum concionantem tacitæ, caputque submittentes audiebant, nec recedebant, nisi accepta benedictione. Eugubii lupus vastans regionem, adeò cicur ab eo effectus est, ut pacto à S. Francisco inter ipsum & cives inito, scilicet, ut lupus nil noxæ inferret, cives verò eum alerent, firmiter steterit, ac quotidie in urbem veniens alimoniam promissam petiturus, nulli prorsus noceret, idque per integrum biennium præstitit.

Tertiò, quòd homines feros & barbaros mansuefecerit. Plures prædones sua lenitate & charitate ad pœnitentiam, & ad sui sequelam convertit. Inter quos insignis fuit conversio prædonis in monte Alverniæ, qui rupem quamdam instar castri insederat, quò omnes prædas & spolia quasi ad asylum convehebat. Hic minitans dira S. Francisco, ab eo adeò placidè & suaviter exceptus fuit, ut prædo ejus consortio frui, & cum eo habitare postularit; ubi visa ejus sanctitate conversus, ab eo in Ordinem suum recipi petiit & impetravit; cumque alii eum F. Lupum appellarent, S. Franciscus eum F. Agnellum nominavit; quia ex lupo mutatus erat in agnum, juxta illud Isaiæ 11. *Habitabit lupus cum agno, & puer parvulus mina-*A*bit eos*. Assisij magnæ erant turbæ inter Episcopum & urbis consules. Ille interdixerat his sacra; hi interdixerant illi omne commercium, ut nihil illi suisve venderetur, aut vicissim ab eis emeretur. S. Franciscus misit è suis Religiosis, qui urbis proceres ducerent ad Episcopum, ac coram utrisque concinerent hosce versus. *Lauderis, mi Domine, propter illos, qui pro tuo amore offensas dimittunt, & patienter sustinent tribulationem & infirmitatem. Beati illi qui in pace sustinuerunt, quia à te altissimè coronabuntur.* Jussa peregerunt Religiosi, ac velut Dei præcentores alternis hoc carmen choris cecinerunt. Et ecce illicò Episcopus & proceres quasi excantata ira in mutuos ruerunt amplexus, utrimque veniam à se mutuò exposcentes; nimirum, Deus per S. Franciscum huic concentui occultam impertiit virtutem mansuefaciendi animos tam ægros & sibi invicem offensos. Denique adeò induit mansuetudinem Christi dicentis: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, ut Christus quinque vulnerum suorum stigmata ejus manibus, pedibus & lateri impresserit, quibus ipse in Christum crucifixum transformatus & transfiguratus videbatur. An non hæc in-
B gens gloria S. Francisci tam mansueti? Hinc & rebus inanimis quasi animatis imperabat. Unde, cùm cauterium ipsi inureretur ferro candenti, illi imperans, nullum sensit ardorem aut dolorem: quocirca ipse solem, lunam, stellas, ceterasque creaturas, quin & mortem morbosque vocabat fratres & sorores, ac cum illis quasi frater cum fratre agebat.

Vers. 22. ALTIORA TE NE QUÆSIERIS] Hæc sententia aptè cohæret cum humilitate, de qua sermo præcessit, imò quasi conclusio educitur ex eo quod Græca præmittunt: *Multi sunt excelsi & gloriosi, sed humilibus* (S. Ambros. *mansuetis*) *revelantur mysteria*. q. d. Noli superbè altiora te quærere; quia non superbis, sed humilibus ea revelantur. Hinc sumptum est illud Hebræorum proverbium, במופלי ממך אל תדרש *bemophele mimmach al tidros*, id est, *difficiliora quam pro te ne quæras*; vel, *occultum à te ne inquiras*. Unde suspicor ita Hebraicè hic in avi Siracidis textu extitisse. Sensus est, q. d. Noli curiosè scrutari, quæ Deus tibi occulta esse voluit, hoc est, res abditas, & à natura ipsa involutas. Huc pertinet illud Hebræorum dictum: *Non licet interrogare, quo con-*
C *silio, quamve ob causam creator hoc vel illud fecerit. Ne curiosè inquiras in facta Dei.* Nam omnia facit sapienter, tametsi ea lateant sapientes. Ab humilitate conversandi Siracides transit ad humilitatem discendi & sapiendi. Græca Complut. addunt ἀναισθήτως, id est, inscienter, inconsideratè, imprudenter; sed alii codices id demunt, idque per se in τὸ *altiora* intelligitur. Legit Interpres ὑψηλότερα, id est, *altiora*: atque ita legit S. Cyprian. lib. 3. Testimon. S. August. in Speculo, & Alexander Episcopus Alexandr. apud Theodoret. libr. 1. Histor. Jam legunt χαλεπώτερα, id est, difficiliora; alii, βαθύτερα, id est, *profundiora*; Syrus, *duriora*, vel *asperiora*; S. Ambros. initio cap. citatus legit, *difficiliora te ne quæras sine sensu, & fortiora te ne exquiras cum stultitia*. q. d. Difficiliora se quærere, est insensati & stulti.

Nota pronomen, *te*: quod enim te est altius, potest non esse altius me, & vice versa. Unde Tigurina vertit, *difficiliora, quàm quibus par sis, ne quæras*. Explicat id Paulus dicens, *Non plus sapere quàm oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem; & sicut unicuique Deus divisit mensuram fidei*, Roman. 12. 3. Unde Arabicus vertit, *ne*
D *quæras id, quod eminet supra vires tuas; & ne inquiras id, cujus tibi difficilis est consecutio*. Additque: *Et si præfectus fueris in aliqua præfectura, indulge libens*. Sicut enim altius est aure velle videre, oculo velle audire, pede velle transcendere caput; commensum verò est auri audire, oculo videre, pedi ambulare: ita altius est idiotæ velle scrutari astrorum ordines & cursus; id verò commensum est astrologo, nisi modum excedat, ut illa quasi digitis suis dimetiri velit. Altius est rustico investigare causas nivis, grandinis, ventorum: id verò commensum est physico. Altius est laico disputare de subtilibus mysteriis & controversiis fidei; sed id commensum est Theologo. Unde S. Basilius, cùm Demosthenes arte cocus, secta Arrianus, secum vellet de sanctissima Trinitate disputare, & arrianismum propugnare, appositè eum repulit dicens: *Hodie vidimus Demosthenem insulsum & infantem. Tuū est, ò Demosthenes, pulmenta decoquere, non de Theologia disserere.*

Altio-

Altiora ergo quærunt, qui ea, quæ suum statum, & captum excedunt, curiose scrutantur; qui indagant ea quæ per lumen rationis, vel naturale, vel supernaturale indagari nequeunt; ut qui Cingaros consulunt de fortuna & sorte sibi obventura; qui interrogant sagas & magos vel astrologos de eventibus futuris, vel præteritis, aut præsentibus arcanis & occultis: hæc enim eorum captum superant, sed commensa sunt Prophetæ & spiritui prophetico. Insuper, qui curiose indagant, an sint prædestinati à Deo, aliaque Dei consilia, & secreta scrutantur, contra quos denotat Sapiens Proverb. 25. 27. *Qui scrutator est*, inquit, *majestatis, opprimetur à gloria.* Et Apostolus Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Et S. Fulgent. de Incarnat. c. 28. *Quod*, inquit, *interrogant isti de Deo, dicentes: Cur ergo non facit omnes homines velle credere, cum non sit personarum acceptio apud Deum? Scire debent hoc in illis altioribus positum, à quibus S. Scriptura humana curiositatis arcet audaciam: Altiora te ne quæsieris, fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Et S. Fulbertus Carnotensis epist. 1. ad Adeodatum (extat tomo 3. Biblioth. SS. Patrum) sub initium: *Altiora te ne quæsieris, &c. incomprehensibilem enim*, inquit, *divini consilii altitudinem sapientia humana puro cognitionis intuitu comprehendere non potest.* Denique, qui mysteria SS. Trinitatis, divinitatis & humanitatis Christi nimis profunde & sublimiter, vel subtiliter scrutari volunt. Unde Nyssenus de Vita Mosis: *Altiora te ne quæsieris; hoc est*, inquit, *noli ossa Christi conterere: nam eorum scientia inscrutabilis est.*[illegible] S. August. vero lib. contra Priscillian. ad Orosium, cap. 11. tom. 6. quærenti, an sol, luna & sidera rationales habeant spiritus, sanque animata, respondet: *Altiora te ne quæsieris, &c. Ut magis in istis temeraria præsumptio, quam causa ignorationis culpanda videatur.* Ævo enim S. August. multi sectatores Platonem censebant, astra esse animata: jam constat ea esse inanima.

Rursum hæc sententia, cum sit generalis, multis aliis aptari potest, ut politice: q. d. In politia noli altiora te quærere: v. g. cur rex, princeps, aut magistratus hæc illave sanciat aut faciat: habet enim rationes altiores, & universaliores, quas tu ignoras. Rursum statui, & professioni: q. d. Noli statum & professionem tuam excedere, ut cum sis plebejus, velis haberi nobilis; cum sis chirurgus, velis agere medicum; cum sis opifex, velis agere doctorem; cum sis grammaticus, velis agere Theologum. In quos extat paræmia Hebræorum lib. Sanedrin c. ult. *Camelus abiit, ut cornua quæreret; & aures, quas habebat, amputaverunt ei.* Qui enim indebita ambit, debita amittit; qui aliora postulat, congrua perturbat; qui aliena invadit, propriis mulctatur.

ET FORTIORA TE NE SCRUTATUS FUERIS] Idem dicit. Græca addunt, *[illegible]*, id est, *investigaveris*, quasi significet, id esse insipientis; aut non omne horum scrutinium se vetare, sed tantum nimis curiosum, insipiens & stultum. *Fortiora* vocat sublimiora, altiora, statum & captum exsuperantia. Hinc Tigurina vertit, *ne scruteris illa quæ vires tuas superant;* Syrus, *quæ validiora sunt te, ne investiges.* Hebr. enim גבר *gabar*, id est, esse fortem, roborari, significat prævalere, vincere, superare, transcendere. Unde psal. 138. 6. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est*, id est, prævaluit, vicit me, *non potero ad eam* pertingere. Gen. 49. 26. *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus:* q. d. Benedictiones Jacobi prævaluerunt, & superaverunt benedictiones Isaaci, & Abrahæ patrum tuorum. Vide ibi dicta. Hebræi ergo difficiliora & captum exsuperantia vocant fortiora, duriora, altiora profundiora.

Gnoma de non scrutandis altioribus se. Aurea est gnome S. Augustini lib. de Beata Vita ex Terentio: *Cum non possis esse, quod velis; velis id, quod possis.* Talis est & illa vulgo trita: *Animum agas, si equum agere nequeas.* Et illa: *Tuo te pede metire. Ne sutor ultra crepidam. Tua sorte contentus vive.* Et illud Arabicum centuria 1. n. 96. *Quando non evenit tibi, quod vis, velis, quod evenit.* Maximus serm. 21. & Antonius in Melissa, part. 1. serm. 77. narrant Thaletem in cœlum suspicientem, & astra contemplantem, lapsum in foveam irrisum à vetula, dicitante, *merito id tibi accidisse, qui*

cum, quod ante pedes esset, ignoraret, cœlum contemplaretur, ut cognosceret. Quo spectat illud Pacuvii: *Quod ante pedes est, nemo spectat; cœli scrutantur plagas.* Eudidem vero rogatum à quodam, quales essent dii, quæque re maxime gauderent; respondisse: *Ego cetera nescio, at curiosos illis odio esse certo scio.* Memorabile est, quod scribit Laertius lib. 6. de Platone, scilicet, cum ideas suas prædicaret, easque novis vocabulis appellaret *mensalitates & cyathitates*, per quas voce intelligebat species mensæ & cyathi irrisum à Diogene dicente: *Mensam ac cyathum video; mensalitatem & cyathitatem non video.* Sed Platonem acute ei in os regessisse: *Non mirum: nam oculos habes, quibus cernuntur cyathi ac mensa; mentem vero non habes, qua cernuntur mensalitates & cyathitates.* Sequitur:

SED QUÆ PRÆCEPIT TIBI DEUS, ILLA COGITA SEMPER (pro *semper*, Græce est *[illegible]*, id est, *sancte*, & ita legit S. Ambr.) ET IN PLURIBUS OPERIBUS EJUS (vestigandis, & perscrutandis) NE FUERIS CURIOSUS] Syrus, *id quod præsumserunt tibi, intellige, & ne sit tibi confidentia in occultis. Curiosus*, ait

B S. August. de Utilit. credendi, *est, qui ea inde scrutatur ea, quæ ad se non pertinent: studiosus vero, qui diligenter perquirit ea, quæ ad se attinent.* Hoc utilissimum est dogma, hæc vera est sapientia, hæc praxis virtutis, hæc via ad felicitatem & beatam æternitatem.

Gnoma de cavenda curiositate. Idque adeo est clarum, ut idem lumine naturali viderint & docuerint Gentilium philosophi. Maximus serm. 46. citat Socratem, qui rogatus à curioso quid ageretur apud inferos, cum irridens dixit: *Nec ego apud inferos fui, nec quemquam illinc reversum alloquutus.* Hinc Socrates curiosis illud Homeri semper ingerebat: *Ædibus in nostris, quæ prava, aut recta geruntur.* Idem teste Laertio & Gellio, auditores ab excelsa cognitione astrologiæ physicæ, geometriæ & rerum ultramundanarum traducebat ad studium Ethices, dicens: *Quæ supra nos, nihil ad nos.* Ethica vero ad nos pertinet, quia facit, ut nobis ipsi notiores, utque rem domesticam aut publicam utiliter administremus. Rursum Maximus, & Antonius locis citatis, citant illud Demonactis: qui interrogatus, an mundus esset animatus, & rursus an globosus, respondit: *Vos de mundo solliciti estis, & vestram inscitiam immunditiam*

C *non curatis.* Idem intuitus duos philosophos indoctos, curiosos, & inepte inter se disceptantes, inquit: *Uter stultior, qui mulget hircum, an qui cribrum supponit?* Ita Lucianus in Vita Demonactis.

Divinitus noster Thomas Theodidactus de Imitat. Christi lib. 1. c. 2. *Quid prodest*, ait, *magna cavillatio de occultis & obscuris rebus? De quibus nec arguemur in judicio, quia ignoravimus? Grandis insipientia, quod neglectis utilibus & necessariis, ultro intendimus curiosis & damnosis.* Et inferius: *Certe adveniente die judicii, non quæretur à nobis, quid legimus, sed quid fecimus: nec quam bene diximus, sed quam religiose viximus.*

NON EST ENIM TIBI NECESSARIUM, EA, QUÆ ABSCONDITA SUNT, VIDERE OCULIS TUIS] Tigurina, *non opus est, ut oculis tuis arcana perspicias.* Est litotes, sive meiosis: minus enim dicitur, & plus significatur: *non est tibi necessarium;* imo non decet, non expedit, turpe est, irrationale & sæpe factu impossibile. Denique incivile est & rusticum, avertere oculos ab his, quæ Deus nobis vult revelare, & convertere ad ea quæ voluit occultare. Argute Ægyptius ille bajulus, *Vers. 23*

D lus, gestans quiddam velis opertum, cuidam curioso sciscitanti quid portaret: *Ideo*, inquit, *obvolutum est, ne scires: cur vero tu rogas, quod occultatum est?* Gorgias rogatus à quodam, cur solis ventrem inspexerit, cum ipsum non inspexerit: *Illud*, inquit, *tibi dispiciendum relinquo: cum ventrem fero, terram ad versus hujusmodi homines produceres.* Idem audiens quosdam argute de Antipodibus disserentem, irridens eum, ostensa in puteo hominum umbra, quæsivit, *num illos Antipodes putaret?*

IN SUPERVACUIS REBUS NOLI SCRUTARI MULTIPLICITER] Græca Complut. & S. Ambros. legunt; *in supervacuis [illegible]*, id est, *sermonum* (Roman. *[illegible]*, id est, *operum*) *tuorum ne sis curiosus;* Syrus, *& in reliquo operum ejus, ne sis defessus;* Tigurina *præter negotia tua ne cura, nec supervacua scruteris mandatorum.* Græcum enim, *[illegible]* significat Primo, *ne sis curiosus;* Secundo, ne nimis sis sollicitus, vel anxius; Ter- *Vers. 24*

tiò, ne nimis elabora, ne satage, ne nimis te fatiga, ne inaniter labora. περιεργία enim est curiositas, superflua anxietas, & velut diligentię redundantia, molestia, supervacua operositas. Hinc περίεργος est curiosus, laboriosus, difficilis, supervacaneus, ambitiosus, ardelio, nimium sollicitus, nimium affectatus. Hoc Latini prisci vocarunt satagere. Unde Quintil. lib. 6. c. 4. *Afer*, ait, *venustè Manlium Suram multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam deiicientem, & imponentem, non agere dixit, sed satagere.* Supervacua ergo, sive superflua opponit necessariis, quæ Deus cuique præcepit: q.d. Necessariis, putà, præceptis Dei cognoscendis & perficiendis intende, totumque cor & tempus applica; utrumque illis vix sufficiet, ut aliis vacare non liceat, nec libeat, quare omitte supervacua, id est, non necessaria, inutilia, vana, curiosa: in his enim inutiliter, otiosè & vanè expendes tempus, mentem, operam & laborem; ac proinde omnia hæc perdes, quę si necessariis impendisses, ingentia bonorum, tum temporalium, tum æternorum, putà meritorum gratiæ & gloriæ, lucra tibi comparasses. Arabicus hæc applicat ad secreta principum: vertit enim, *Ne perscruteris omnia opera principis.*

Sapienter Plutarch. lib. de Curiositate. *Venatores*, inquit, *non sinunt canes aberrare, & quemlibet odorem persequi; sed loris detrahunt revocantque, olfactum illorum servantes purum & integrum officio peculiari, ut acriùs inhæreant vestigiis, juxta illud:*

Naribus inquirens vestigia summa ferarum.

Sic oportet, inquit, *& curiositatem ad quidvis spectandum audiendumve excurrentem atque oberrantem cohibere ac retrahere, quò servetur ad utilia.* Præclarè S. Greg. homil. 36. in Euang. *Grave*, inquit, *curiositatis est vitium, quæ dum cujuslibet mentem ad investigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei sua intima abscondit, ut aliena sciens se nesciat; & curiosi animus quantò peritus fuerit alieni meriti, tantò fiat ignarus sui.* Quamquam Siracides hic propriè agit de curiosa scrutatione operum Dei, non morum proximi. Sapienter S. August. epist. 3. ad Volus. *Demus*, inquit, *Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.* Vide eumdem epist. 56. ad Dioscorum, qui ei curiosas è Ciceronis philosophia quæstiones proposuerat; ubi sub initium sic ait; *Ego autem vellem te abripere de medio deliciosarum inquisitionum tuarum; & constipare inter curas meas, ut vel disceres non esse inaniter curiosus, vel curiositatem tuam cibandam atque nutriendam imponere non auderes eis, quorum inter curas vel maxima cura est reprimere ac refrænare curiosos.*

VERS. 25. PLURIMA ENIM SUPER SENSUM HOMINUM OSTENSA SUNT TIBI] Syrus, *quia quod plus est te, ostensum est tibi*; Tigurina, *nam plura quam pro humano captu, tibi sunt patefacta.* Sensus ergo significat captum, intellectum, & vim cognoscendi: hanc enim significat Græcum συνέσεως. Unde S. Ambros. legit: *Plura enim intellectu ostensa sunt tibi.* Est nova ratio, cur vitanda sit curiositas. Dupliciter hæc sententia accipi potest. Primò, q. d. Deus multas res naturales & supernaturales, necessarias & utiles, quæ captum nostrum superant, nobis ostendit, & revelavit, ut illis ingenium occuparemus, ne illud supervacuis & inutilibus applicaremus. Illis ergo scrutandis ipsum impendamus, nec ad supervacua frustrà, curiosè, inutiliter & noxiè transscendamus. Favet Arabicus, qui vertit, *elatus namque es supra id, quod superius te est.*

Secundò, q.d. Deus multa creavit & creando ostendit, quæ captum nostrum superant: ea ergo scrutari velleque capere, est impossibile: relinquamus ergo ea captui Angelico, vel intellectui divino. Ideò enim fecit & ostendit hominibus ea quæ, id est, quorum causæ, proprietates, effectus hominum captum superant, ut eis demonstret, suam omnipotentiam & omniscientiam tantùm hominum captum & facultatem transscendere, quantum sua deitas & majestas creatam naturam, & humanitatem, mentemque nostram transscendit. Sic Mathematici hoc ævo per dioptram & studiosas observationes multa notarunt in cęlis, quæ Aristoteli & veteribus fuere incognita, ut Venerem & Mercurium moveri circa solem, & nunc supra solem esse, nunc infrà: Jovem habere quatuor stellas minores, quę circa ipsum moventur, aliæ aliis celeriùs: Saturnum habere duas sibi similes, ideoque pallidas: Venerem instar lunæ crescere & corniculari, quod ego ipse per dioptram clarè conspexi. De Marte dubitant. Solem & lunam tra-

A dunt per intervalla habere maculas; quæ crescant, moveantur & dividantur, ac nunc appareant, nunc evanescant: quas pariter ego ipse conspexi. Cometen, qui apparuit anno Domini 1618. die 29. Augusti, ex ingenti ejus in regionibus quantumvis dissitis parallaxi, sine mutatione, contenderunt multi non fuisse in aere, sed in æthere supra lunam. Omitto stellas novas subinde in cælo apparentes, ac deinde disparentes, qualis fuit illa in Cassiopœja, quę apparuit anno Domini 1572. quæque omnium Mathematicorum oculos excivit, & ingenia exercuit, imò obstupefecit. Quæ Phęnomena multos modernos Philosophos & Mathematicos movent, ut opinentur, cęlos esse fluidos, non solidos; inde enim mutationes has, maculas, novasque stellas recipere. Prudenter Cato in Distichis.

Mitte, ait, *arcana Dei, cælumque inquirere quid sit:*
Cum sis mortalis, quæ sunt mortalia, cura.

Simile est in Meteoris: quis enim physicus claram det caussam, cur ecnephias domos & naves ex uno loco in alium transferat? cur turbo in orbem rotetur, omnesque res secum in orbem rapiat? cur venti sint stati, nuncque flent
B ab Oriente potiùs, quàm ab Occidente; aliàs ab Occidente vel Meridie potiùs, quàm ab Oriente & Occidente? cur iris semper sit tricolor, & una alteri concolor? Simile est in virtutibus lapidum & gemmarum. Quis enim det caussam, cur magnes, etiamsi in mille partes secetur, semper altera sui parte polum unum, altera adversum respiciat?

Multò magis captum nostrum superant mysteria fidei & Theologiæ, ut mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, Eucharistię, peccati originalis, quo peccatum, quod commisit Adam, posteris omnibus & singulis imputatur, eisque fit personale & proprium. Audi S. Athanas. in tract. de Salut. advers. Christ. *Non enim*, inquit, *fides de re evidenti concepta fides dici poterit: sed fides est, quæ de impossibili possibilitatem, & robur in imbecillitate, & patibile in impatibili, & corruptionem in incorruptibilitate; & mortale in immortalitate, & in paucitate magnitudinem credit.*

S. Thomas Aquinas post mortem in gloria apparens Reginaldo socio suo, ab eoque rogatus, ut jam beatus dissolveret quęstionem illam, de qua toties in vita disputarat:
C An Deus à Beatis videretur per speciem, an sine specie? eam solvere noluit, sed ambiguè respondens ait: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum.* Vide S. Gregor. Nazianz. orat. 34. ubi non tantum Deum, sed & Dei opera nobis incomprehensibilia esse ostendit: *Quo pacto*, inquit, *terra firma & immota consistit? cujus rei adminiculo fulcitur?* &c. *Quis tantam aquarum molem coniunxit? Qui fit, ut mare, cùm fluvios omnes excipiat, non exuberet? Qui fit, ut tantum elementum arenam pro termino habeat? Possuntne hoc expedire Physici, ac verè cyatho mare* (quod S. Augustino de SS. Trinitate scribere meditanti, Angelus specie pueri obiecit) *hoc est, res tantas ingenio suo, metientes?* Plura vide apud Damasc. lib. 1. Parallel. c. 3.

MULTOS QUOQUE SUPPLANTAVIT SUSPICIO ILLORUM, ET IN VANITATE DETINUIT SENSUS ILLORUM] Quinque rationibus ostendit altiora non esse scrutanda. Prima v. 23. quoniam necessariis, putà, præceptis Dei, toti intendere debemus. mens enim illis scrutandis & perficiendis vix sufficit, etiamsi tota eis intendat. Secunda v. 24. quia abscondita sunt. VERS. 26. *Quinque caussæ, cur altiora non sint scrutanda*
D Tertia v. 25. quia supercua sunt. Quarta v. 26. quia sensum & captum nostrum superant. Quinta est hoc versu ab effectu & pernicie, quam afferunt, nimirum, quòd multos supplantent, & in vanitate detineant.

Pro *supplantavit*, Græcè est, ἐπλάνησεν, id est, *implanavit*, uti legit S. August. in Speculo, hoc est, decepit, & dejecit, quod Noster vertit, *supplantavit*: πλανάω enim idem est, quod seduco, impono, in errorem induco, decipio, planum ago & impostorem, eludo, fallo, in transversum ago, deiicio, supplanto. Sensus est, q. d. Suspicio & opinio de rebus altioribus & captum transscendentibus, multos decipit & supplantavit: suspicati enim sunt & opinati, se intelligere & capere ea, quę non capiebant, nec capere poterant: quare in errores graves, quibus se & alios perdiderunt, corruerunt. Tales fuere Philosophi, qui multa insulsè, falsè & erroneè de Deo, de beatitudine, de virtute senserunt & docuerunt; qui dicen-

dicentes is esse sapientes, vani & stulti facti sunt, ait Apost. Rom. 1. De quibus proinde verè dixit S. Prosper contra Collatorem, pag. 147. *Et quidem dicisse fortur: Absque fide, reliquorum falertur causis perpetuam nullam habituras certas; sic univer. sapientia viribus naturalibus ad comprehendendam veritatem per divina veritate tenebra sunt atque caligo: cujus in sola verbo Dei explicatur doctrina & traditur, ac contingit cognitio atque scientia.* In eudem hanc paroemiam iaciunt Hebræi: *Descenderunt in profundum maris, & educunt testam.* Sicut enim urinatores in mare se demergentes ad quærendum merces pretiosas, pro his sæpè educunt testas & quisquilias; sic Philosophi scrutantes sapientiam, nugas & errores reperiunt. Vide S. Eusebium epist. ad Valerian. & Francisc. Vallesium de Sacra Philosoph. cap. 84. Unde hæc sententia in Græco sic habet, *multos enim implanavit suspicio ipsorum, & cogitatio mala labefecit sensus illorum*; S. Ambros. *multos supplantavit suspicio illorum vana, & cogitatio prava labefecit sententiam eorum*; Tigurina, *multos enim decepit vana sua opinio, & coniectura sensus sui prava labefactavit.* Græcum enim ὑπόληψις explicatur per ὑπονοια, iam ὑπονοια significat cogitationem, opinionem, suspicionem, coniecturam: hæc appositè labefactat διάνοιας, idest, mentem, *sensum*, *sententiam eorum*. Quare porrò est Hugonis explicatio: *Verbum, suspicio, inquit, est sursum aspicere; nomen, suspicio, est nimis alta speratio*, q. d. Qui nimium suspicit, & altiora se scrutatur, facilè decipitur. Nil aliud enim significat ὑπόληψις vel ὑπονοια. Unde Arabicus, *aliter homines divergit, & opinio mala fefellit eos fortasse in pravitate finis illius*; Syrus, *quia multæ sunt cogitationes hominum, & apparentia mala errare faciens.*

Sic quot quantosque hodie implanavit alchymia, qui, ut invenirent lapidem philosophicum, quo argentum & metalla converterent in aurum, distillando consumserunt suas opes, laborem, annos & vitam casso & irrito conatu? Quot ingenia frustrà desudarunt in invenienda quadratura circuli? Denique hinc orti sunt omnes errores & hæreses, quòd scilicet novatores curiosos supplantet sua suspicio, id est, *opinio*, quam quisque sibi format & concipit, non fides, quam sacræ Literæ docent. *Curiositas*, ait S. August. tract. 97. in Ioan. *hæresium*... Et Tertull. lib. de Præscript. adversus hæret. *Hæreses, ait, à Philosophia subornantur: inde æones & formæ nescio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat*, &c. Unde Philosophos vocat patriarchas hæreticorum. Quare sapienter Urbanus Pontif. ad Carolum, ut habetur dist. 37. C *Non in Dialectica, inquit, placuit Deo salvare populum suum: regnum Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonum.* Et S. Nilus lib. ad Monach. *Curiositas, inquit, multiformi sibi credo cavenda, & odiosa.* Verè Sapiens c. 4. 12. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum.* Nimia enim scrutatio mentem hebetat, sicut nimia lux oculos excæcat. Unde Antenidorus lib. 1. Onirocrit. c. 28. *Novus iste, est mihi quidam, qui res suas sibi nimis acutas habere, & cæcus factus est.*

Ne suspicio sis, Suspicio ma- na fallit ut Moral. Suspiciosi, quales sunt timidi & melancholici, in multa errant & delirant, quia suspicantur timida & tristia, quæ illis suggerit timor & atra bilis. Verè S. Eucherius ad Valerian. *Et nos, ait, suspiciosos, suspicor nonnis: non enim suspicamur, nisi quod nescimus.* Quare talibus inculcandum est, quod medici inculcant ei, qui laborat capitis vertigine, ideoque putat domum & res omnes gyrare & volvi: *Non domus, sed tua te vertigo gyrat. Non domus, sed tua phantasia, totum cerebrum vertitur. Tene ergo memor: non cadit domus, non te opprimet: illa firma consistit; sed tua imaginatio infirma & volubilis omnia fluxa illi esse sermone volui existimat.* Hæc facit epigramma: *Suspicionibus scenis*, nimirum:

Suspicio exitia tollitur dira focoris,
Non potis hoc tecum pellere cassa malum.
Cur tu quod fugeres, quod te fecisse pudeat,
Hoc alium prava suspicione gravas?
Suspicione care, pereque hanc pellere tolle:
Improba est, quisquis suspiciosus erit.
Suspicio, incertum semper maleribus addit,
Qualibet atque animo candidiore notat.

Post hanc sententiam Complut. & nonnulli alii addunt Græci, & S. Ambros. subdunt hanc sententiam: *Pupillas non habens, carebit claritate; intelligentiæ autem expers, ne profitearis*; Tigurina, *oculis carens, lucis expers est, ne profitearis.* Syrus hanc sententiam subdit post vers. 15. namque ita enuntiat, *Qui non habet pupillas oculorum, desit ei lumine, & cum cunctis aliis, sapientia, ne confiteri doleat ad docendum.* Sensus est, Sicut, qui caret pupi-

Cornel. in Eccles.

la, & consequenter visu, qui est in pupilla, non potest videre; nec lucem præbere aliis membris, totique corpori: ita qui cognitione caret, non potest eam aliis impertiri; proinde à docendo abstineat. q. d. Ne alios doceas, quod prius ipse non didiceris; ne sis magister nisi priùs fueris discipulus; ne fallare esse doctor, nisi ipse sis doctus, non tantum adjectivè, sed & substantivè. Nonnulli enim hebetes multos annos audiunt insignes philosophos & Theologos, ab eisque multa docti, remanent tamen rudes & indocti. *Sic Pythagoras*, ait S. Hieron. ad Paulinum, *Memphiticos vates, sic Plato Ægyptum lustravit, & ... peragravit, ut qui Athenis magister erat & potens, cujusque doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens aliena verecundè discere, quàm sua impudenter ingerere.* Et infrà: *Tractant fabrilia fabri: sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant, &c. Alii, etiam ad Scripturas sacras post sæculares litteras venerint, & sermone composito aures populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant: nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint; sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem.*

VERS. 27. COR DURUM MALE HABEBIT IN NOVISSIMO: ET QUI AMAT PERICULUM, IN ILLO PERIBIT.] Cor durum efficit superbia, & consuetudo crebra peccandi, hæc enim, cùm sit quasi altera natura, indurat mentem in peccato. Transit ab humilitate ad duritiem quasi ad contrarium, quia solent oratores ex antithesi unius contrarii illustrare alterum ei adversum. Sicut enim cor humile est tenerum, molle & flexile; sic cor superbum est durum, rigidum & inflexile. Cor durum ergo opponit, tum mansuetudini & humilitati, quam commendavit vers. 19. & 20. tum obedientiæ, quam filiis commendavit v. 2. & sequent. Multi enim filii sunt duræ cervicis, obstinati, pertinaces, ideoque inobedientes & rebelles parentibus. Tangit ergo radices obedientiæ, quæ est humilitas; & inobedientiæ, quæ est superbia & obstinatio. Denique cor durum facit homines pertinaciter inhærere suæ suspicioni & opinioni, de qua vers. præcedenti. Quare cor durum hic exagitat, & quàm grande sit malum demonstrat.

Igitur cor durum vocat præfractum, superbum, protervum in peccato, suaque prava opinione & sensu obstinatum, quod nullis monitis minisque se flecti sinit, ideoque obduratum est & impœnitens, quale fuit cor Pharaonis, Exod. 7. & sequent. quod proinde licet Deus ad tempus toleret; tamen tandem horrenda plaga disperdit & conterit, uti contrivit Pharaonem immittendo toti Ægypto decem plagas acerbissimas: nec enim æquum est, ut Deum sentiat blandum in morte, qui erga Deum & homines fuit durus in vita, ait Palatius. Et Lyran. *Sicut durum, inquit in corporibus dicitur, quod resistit tangenti; sic in spiritualibus, quod resistit instinctui ad bonum.*

Divinè cor durum definit & describit S. Bernard. lib. 1. de Consider. ad Eugen. *Quid ergo, est cor durum? Ipsum est cor durum, quod scindit sui non ... compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur. Ingratum est ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina: præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non prævidens. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omnino non præterit; præsentium nihil non perit; futurorum nulla, nisi forte ad ulciscendum, prospectio seu præparatio est. Et, ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.*

Cor durum definit S. Bernard.

Porrò, *cor durum male habebit in novissimo*, q. d. Cor durum videtur sibi benè habere, quia in suis cupiditatibus, atque in protervia & duritie, sibi complacet, ferociterque conquiescit, ac videtur sibi esse inexpugnabile; quia nemo audet illud tangere, eò quòd quisque desperet illud se posse frangere: sed *in novissimo*, id est, tandem, præsertim in morte, *male habebit*: quia tanget illud, & franget Deus. Unde Syrus vertit, *cor durum, malus finis ejus*, id est, cordi duri malus erit finis: ex adverso, *qui diligit bona, in iis exsultabit*: id est, in iis incedet. iis

uttur

qui obediunt: quia dum voluntatem suam aliis perfectè subjiciunt, ipsi lapsis per obedientiam Angelis dominantur. Et paulò anterius, in quo sita sit perfectio obedientiæ, ita docet: *Hac perfectio est forma electa obedientiæ, ut in omni quod foris agamus, ad potentiam Conditoris ubique præsentem respiciamus. Sic nimirum in subditione obedientiæ nostræ habere possumus & rectitudinem operis, & incrementa devotionis. Recti quidem tunc sumus opere: quia pro eo, quem cernimus, nos in labore obedientiæ exercemus. Devoti etiam sumus: quia ei nos placere credimus, quem inspectorem nostrorum laborum attendimus, & largitorem æternæ retributionis.*

Denique S. August. in psal. 143. *Agnosce*, inquit, *ordinem quære pacem; tu Deo, tibi caro: quid justius, quid pulchrius? tu majori, minor tibi: servi tu ei qui fecit te, ut tibi serviat quod est factum propter te. Si autem contemnis tu servire Deo, numquam efficies, ut tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris à servo.* Quocircà Proverb. 21. 28. dicitur: *Vir obediens loquetur victorias*. Quia, ut S. Gregor. 35. Moral. cap. 12. dixit: *Alienæ voci humiliter dum subdimur, nosmetipsos in corde superamus*.

Rursum jungit obedientiam charitati, ut ostendat in praxi unam alteri quasi sororem sorori esse sociandam, unamque ab altera compleri & perfici. Perfecti enim ita obediunt, ut diligant; ita diligunt, ut obediant. Hæc enim dilectio obedientiæ, qua Primò diligunt Prælatos quasi suos parentes; Secundò, diligunt id, quod jubetur; Tertiò, diligunt ipsum obedire; facit facilem & perfectam eorum obedientiam. Nam, ut ait S. Leo serm. 4. de jejunio 7. mensis: *Obedientia mollit imperium; nec dura necessitate ibi servitur, ubi diligitur quod jubetur*. Et S. Ambros. in psal. 118. serm. 13. vers. 2. ad illud: *Levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. Legem*, inquit, *ille* (Psaltes David) *diligebat, ut legem libenter impleret. Qui enim diligit, ex voluntate facit quæ sibi sunt imperata; qui timet, ex necessitate*. Hæc est obedientia charitatis, quam fidelibus commendat S. Petrus epist. 1. c. 1. 22. Præclarè enim S. Bonav. processu 6. Religion. cap. 40. *Triplex*, ait, *est obedientia, scilicet, necessitatis, cupiditatis & charitatis*.

VERS. 2. JUDICIUM PATRIS AUDITE, FILII; ET SIC FACITE, UT SALVI SITIS] *Judicium* vocat sententiam, præceptum, præscriptum, putà, id, quod præscribit, & faciendum judicat pater. Sed quis hic pater? Primò, Græca & S. Ambros. patrem accipiunt ipsum Siracidem, aut certè sapientiam, quasi illa filios suos vel discipulos alloquatur. sic enim habent: *Me patrem audite, filii*. Secundò, Rabanus accipit Patrem æternum, putà, Deum, qui est pater universorum, ex quo omnis paternitas in cælis & in terris nominatur: q. d. *Qui Dei Patris audierit judicium, & fecerit ejus præcepta, procuidubio salvus erit: cujus mandatum est, ut etiam patri temporali & matri honoris reverentia exhibeatur*. Tertiò, planè & simpliciter, per patrem accipe genitorem. Explicat enim obedientiam, quam dixit, jubendo ut filii obediant patri, de qua obedientia fusè deinceps sermonem instituit. Unde ait: *Et sic facite, ut salvi sitis*. q. d. *Audite*, id est, obedite judicio & sententiæ patris, ô filii: sic enim facietis, ut salutem præsentem & æternam consequamini. Alludit ad mercedem à Deo promissam filiis honorantibus parentes: *Honora patrem tuum & matrem, ut longo vivas tempore, & bene sit tibi*, Deuter. 5. v. 16. Vide ibi dicta.

Hinc patet, patrem, & pari modo Prælatum quemlibet, posse filio & subdito præcipere sub pœna peccati, etiam mortalis. Hoc enim significat τὸ *ut salvi sitis*, q. d. Si obedieritis patri, salvi eritis; si non obedieritis, à salute excidetis. Unde Syrus vertit, *filii, patres audite, & facite, ut vivatis vitam sæculi sæculorum*; & Arabicus, ô *ecclesia filiorum, obedite patribus vestris, ut hereditetis vitam perennem*. Causam subdit dicens.

VERS. 3. DEUS ENIM HONORAVIT PATREM IN FILIIS] Deus enim honore affecit patrem, dum præcepit filiis, ut parentes honorent: q. d. Ideo judicium patris audiendum, eique obediendum est; quia Deus suum honorem, jus & imperium transscripsit in parentes, jubens filiis, ut eos quasi sui vicarios venerentur, audiant, obediant. Ratio physica est, quia Deus paternitatem suam, id est, potestatem, vim actumque generandi, communicavit patri, ac per eum filios produxit. Cùm ergo filii à Deo per patrem accipiant suum esse, omneque bonum, putà, quòd sint, quòd homines sint, quòd rationales, quòd

A benè instituti, quòd divites, &c. par est, ut eum quasi sui principium, auctorem & genitorem colant, ament, obsequantur. Hæc ratio est à priori, ideoque principium, fons & origo omnium, quæ hic dicuntur de honore parentum. Unde Tigurina vertit, *Dominus enim patrem liberis honorabilem reddidit*; Syrus, *Dominus enim glorificavit patrem in filiis*; Arabicus, *quoniam Dominus condecens constituit debitum super filium genitori suo*. *Debitum* intellige objectivè & passivè, putà, quod debetur patri à filio, non quod pater debet filio. Aut *debitum*, id est, auctoritatem, jus, imperium. Id patebit ex eo, quod mox de matre subdit. Hoc est, quod ait Philo lib. de Decalogo: *Filii probi parentes suos, ut deos quosdam visibiles, colunt & observant*. Additque, proptereà præceptum de honorandis parentibus, à Deo legislatore positum esse in confinio duarum tabularum Decalogi, putà, in initio secundæ tabulæ illicò post præcepta de colendo Deo, tradita in prima tabula, ut significaretur, proximè post Deum colendos esse parentes, quasi deos nostros terrestres. Hinc Aristot. axioma est libr. 9. Ethic. *Diis, parentibus & magistris nemo* *Parentes quasi dii terrestres.*

B *potest reddere æquivalens*. Idem lib. 8. *Majoribus*, ait, *datur honor, minoribus lucrum; quia honor est tributum virtutis & beneficii; lucrum est auxilium indigentiæ*. Et Seneca in Proverbiis: *Præstabis*, inquit, *parentibus pietatem, cognatis dilectionem, amicis fidem, omnibus æquitatem: pacem habebis cum hominibus, bellum cum vitiis*.

ET JUDICIUM MATRIS EXQUIRENS FIRMAVIT IN FILIOS] *Judicium* hic significat tum jus, auctoritatem & imperium; tum sententiam & præceptum: q. d. Deus vult cuique suum jus servari: unde requirit, id est severè jubet, exigit & punit, ut *judicium*, id est, sententia & auctoritas matris conservetur & fiat à filiis; atque hoc ipso sancit & confirmat matris jus, auctoritatem, sententiam & præceptum apud filios, ut filii illud quasi Dei præceptum audire, eique obedire teneantur: ei enim suam, id est, divinam auctoritatem addidit, dum jussit & statuit, ut filii obediant parentibus, quasi vicariis suis. Unde Syrus vertit, *judicium matris in filiis suis confirmavit*; Arabicus, *& debito genitricis constringuntur filii ejus*; Tigurina, *sententia matris attribuit au-*

C *ctoritatem in filios*. Meritò: nam, ut ait Aristot. lib. 6. Ethic. *Matres plus amant filios, quam patres; quia certiores sunt, eos esse suos, & quia plures circa eos* (dum eos utero gestant per novem menses, lactant, fasciant, purgant, educant, totaque circa eos occupantur) *labores sustinent*. Cùm ergo filii teneri plus accipiant à matre, quàm à patre; hinc & plus eamdem diligere solent.

Hac de causa Tobias moriturus sollicitè monet filium dicens cap. 4. 3. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ*. Causam subdit: *Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit pro te in utero suo*. Ubi Glossa Interl. *Redde*, ait, *te ei, quæ cum dolore dedit te*. Sic septem fratres Machabæi reddiderunt vitam matri & Deo per obedientiam, offerendo eam in holocaustum martyrii, ad quod mater eos incitabat, refricando dolores suos quibus eos conceperat & pepererat, 2. Machab. 7. Præclarè S. Ambros. in psal. 118. serm. 14. *Non possem*, ait, *salvo pietatis jure odisse patrem cui debeo quod creatus sum: nec matrem longo decem mensium fastidio pii fœtus onera portantem, cui in absolutione plus periculi, in dilatione plus tædii est*. Et in cap. 2. Lucæ: *Tu matri debes pudoris injuriam,*

D *virginitatis dispendium, partus periculum, matris longa fastidia, matris longa discrimina: cui miseræ in ipsis votorum fructibus majus periculum est; & cùm ediderit, partu absolvitur, non timore*. Quin & Plato, cujus verba recenset Rhodiginus lib. 9. cap. 18. *Ergo fas est*, inquit, *parentibus prima & maxima debita, omnium antiquissima debitorum persolvere: putare enim quisque debet, omnia quæ possidet, eorum esse qui genuerunt: ita ut illis hæc omnia ministrare debeat; primum quidem externa bona, deinde corporis, postremò quæ ad animum pertinent, verbisque etiam per totam vitam parentes maximè venerari licet*.

QUI DILIGIT DEUM, honorando parentes, quos Deus quasi sui vicarios jussit à filiis diligi & honorari, EXORABIT PRO PECCATIS (omnia enim hæc spectant, sanciuntque honorem parentum. Unde Græca habent: VERS. 4.
Qui honorat patrem, exorabit pro peccatis:) ET SICUT QUI THESAURIZAT, ITA QUI HONORIFICAT VERS. 5.

MA-

MATREM SUAM] Syrus, *qui honorat patrem suum, dimittentur delicta ejus; & reponit thesauros, qui honorat matrem suam*: q. d. Qui honorat matrem, hunc honorem, quasi ingentem bonorum operum & meritorum thesaurum, in sinu Dei recondit, qui apud Deum pro felicitate filii intercedat, Deique oculos assiduè verberet, ut omne bonum ab illo impetret, ac præsertim premia vitæ æternæ, ait Rabanus. Tigurina, *qui reveretur patrem, peccata expiabit*; Græcè, ἐξιλάζεται, id est, propitiat, expiat; Complut. & S. Ambros. *veniam impetrat*, scilicet, præteritorum; à futuris verò *continebit se*: quin & *in oratione dierum*, id est, quotidiana, quæ per dies singulos funditur, *exaudietur*; S. Ambros. *in die orationis suæ exaudietur*; Tigurina, *votorum quotidianorum compos erit*; Palacius, *quo die petit, impetrabit*. Ratio est, quia honorem patri delatum sibi delatum reputat Deus, qui honorantes se honorat, audientes se exaudit, &, ut ita dicam, obedientibus sibi obedit, ac in liberales erga se multò indulgentior est & liberalior: non enim se patitur summa illa bonitas beneficentia aut liberalitate à creatura sua vinci; sed omnem illam longè superat & transcendit.

Honorans parẽtem, expiat peccata. Cur?

Causa Prima.

Secunda. Rursum, qui honorat patrem, patris molestiam, indignationem, impatientiam, ceteraque vitia dissimulat, toleret & lenit: vnde hac sua tolerantia sua delicta expiat, ac meretur, ut Deus illa pari modo toleret, condonet & aboleat.

Tertia. Tertiò, quia Deus idipsum hic per Siracidem promittit & sancit: ut enim ostendat, quàm sibi gratus sit honor parentum, promittit ei certam peccatorum veniam. Itaque honorem parentum hic quasi sacrificium pro peccato filiorum instituit, idque significat τὸ ἐξιλάζεται, id est, propitiat, & expiat. Ratio est, quia, si sacrificium, quo mactabatur caro animalis, v. g. vituli aut hirci, expiabat peccatum, ut patet Levit. 4. multò magis expiabit illud honor & obedientia filiorum, quo voluntas eorum parentibus, Deoque substernitur, & quasi mactatur, ut ait S. Gregor. paulò antè citatus.

Quarta. Quartò, quia veri probique (quin & improbi) parentes docent incitantque filios, ut timeant Deum, studeant ei placere, ac cavere ejus offensam: si quando eum offenderint, doleant, conterantur, veniamque efflagitent: quibus dum probi filii obediunt, hac contritione expiant peccata.

Quinta. Quintò, quia verus honor & pietas filiorum in parentes, subordinatur honori & pietati in Deum, adeoque ex ea proficiscitur & manat, ut patet v. 8. sicut amor proximi oritur & manat ex amore Dei: sicut enim amamus proximum propter Deum; sic & amamus colimusque parentes propter Deum. Hæc ergo pietas in Deum expiat peccata; quia adducit secum contritionem & dilectionem Dei: vera enim in Deum pietas dictat, ut ab ejus offensa te planè contineas; & sicubi eum offenderis, illicò doleas, conteraris, omnique studio ei te reconciliare satagas. Id significat noster interpres, cùm vertit, *qui diligit Deum, exorabit pro peccatis* quo significat, honorem, amorem & pietatem in parentes oriri ex dilectione Dei, ac per eam peccata expiare. Denique filii, qui honorant parentes, merentur & obtinent parentum orationem & benedictionem, qua eis præ ceteris bonis Dei gratiam apprecantur. Ita Job cap. 1. orabat, imò sacrificio expiabat hebdomadatim peccata filiorum.

Paulo aliter Palacius Græcam versionem explicat. q. d. *Qui diligit patrem, exorabit pro peccatis*, scilicet, patris: ut, sicut parens orat pro peccatis filiorum; ita vicissim filii orent pro peccatis parentis. Nostram verò sic, q. d. Filius qui diligit Deum, cavebit, ne parentes offendat: quòd si ex fragilitate humana eos offenderit, Deum pro offensa hac exorabit, *& in oratione dierum exaudietur*, id est, orans veniam multis diebus, eamdem tandem impetrabit. Oratio enim dierum est oratio quotidiana & perseverans, quæ per multos dies continuatur.

VERS. 6. QUI HONORAT PATREM SUUM, JUCUNDABITUR IN FILIIS] Tigurina, *jucunditatem capiet ex filiis*; Syrus, *lætabitur de filio suo*; quia, scilicet, Deus faciet, ut filii ejus sint probi, sani, habiles, egregii, ac præsertim patri obsequentes. Arabicus, *multiplicati sunt filii ejus*. Hæc enim est lex talionis, ut quod facit patri filius, idipsum à suo recipiat filio. Cùm ergo honore & obedientia sua lætificet patrem, par est, ut iisdem lætificetur à filio suo: qui verò patri inobediens est ac rebellis, ideòque eum contristat, inobedientes pariter ac rebelles sentiat & filios, ideoque tristetur, & non rarò mœstitia contabescat: cujus rei exempla extant quotidiana. Honor enim hic non tantùm honorem & reverentiam; sed & obedientiam, amorem ac beneficentiam complectitur. Cùm enim Deus precipit: *Honora patrem & matrem*; intellige primò, reverentiam exhibendo; secundò, obediendo; tertiò, amando; quartò, benefaciendo & sustentando, si senex sit aut indigeat, uti dixi Deut. 5. 16. Huc spectat illa Thaletis ad filios vox: *Quale præmium rependeritis parentibus vestris, tale à liberis vestris expectate*. testis est Laertius lib. 1. cap. 1. Et illa Epaminondę: *Mihi jucundissimum est, quod utroque parente vivo Leuctrica pugna vicerim Lacedæmonios*. testis est Plutarch. in Grec. Apophth.

QUI HONORAT PATREM SUUM, VITA VIVET LONGIORE] Arabicus, *qui honoraverit genitores suos, prolongabitur duratio ejus, & benè se habebit remuneratio illius in iustitia genitorum suorum*. Justitię enim parentum particeps erit filius, si eos amet & honoret. Causam dedi Deuter. 5. 16. Dignus enim est vita, qui vitę auctorem colit; indignus, qui eum negligit. VERS. 7.

ET QUI OBEDIT (S. August. in Speculo legit, *obaudit*) PATRI, REFRIGERABIT MATREM] Grecè, ἀναπαύσει, id est, requiescere faciet, hoc est, pro tot doloribus, curis, mœroribus, quos mater pro ipso in conceptu, partu & educatione sustinuit, ipse tandem illi gaudium & quietem animi conciliabit: tum, quia mater gaudet de officio & virtute filiorum, ęquè ac de honore prestito à filiis patri ac marito suo: quod enim marito confertur, confertur & uxori. vir enim & uxor sunt duo in carne una, putà, una persona civilis & politica: tum, quia mater à filiis eumdem honorem sperat & expectat, quem ab eis videt tribui patri. Honor enim, qui tribuitur patri, pari jure debetur & matri.

Gręca pro *patri*, habent κυρίῳ, id est, *Domino*. Vnde Complut. & S. Ambros. sic vertunt, *qui obedit Domino, quietem dabit matri suæ*; Tigurina, *qui Dominum audit, matri suæ acquiescet*; Syrus, *offert gratiarum actiones bonas Deo ille, qui honorat matrem suam*. Quod enim matri exhibet filius, sibi exhibitum reputat Deus: tum, quia tam mater, quàm pater, Deum filiis repræsentant: tum, quia filii honorant matrem ex amore Dei, ut, scilicet, Dei legi & voluntati id jubentis satisfaciant.

Porrò nostra versio Latina plures patitur sensus, ait Palacius. Primus est: Qui obedit patri, hac ipsa obedientia refrigerium prestat matri: ut contra, qui refractarius est patri, grandi tristitia afficit matrem. Secundus est: Ei, qui patri suo obedit, felicia succedent; quo felici rerum successu matrem lętificabit: quasi sit hoc quartum commodum eorum qui patri obediunt, quòd tam illis res succedent prosperè, ut vix sit, quod matrem pro filiis sollicitam tristitia premat. Tertius est: Qui patri obedit, conabitur matrem refrigerare. nam eo matris refrigerio obedientiam parenti prestabit. Quartus est: Refrigerabit matrem, id est, matrem in refrigerio sepulcri tandem collocabit; ut Tobias junior, qui matrem è felici vita deduxit ad mortis quietem. Inter hos sensus primus & tertius maximè sunt literales & genuini.

Varii sensus. *Primus.* *Secundus.* *Tertius.* *Quartus.*

QUI TIMET DOMINUM, HONORAT PARENTES] Timor enim, id est, reverentia, cultus & amor Dei, impellit nos ad faciendam ejus voluntatem & legem, inter quas prima secundę tabulę jubet honorari parentes. Hic versus jam non extat in Gręco, Syro & Arabico. Modum honorandi parentes subiicit, dicens: ET QUASI DOMINIS SERVIET HIS QUI SE GENUERUNT] q. d. Honor parentibus debitus, non tantùm consistit in assurgendo, caput detegendo, verbis reverentibus eos compellando, vultum submittendo, genu flectendo; sed potiùs in obedientia & obsequio, ut iis serviat *quasi dominis*; Palacius, *quasi diis*; in iis enim Deus repręsentatur, Deique dominium resplendet. Nam ut ętas in senibus venerationi est, utpote in qua Dei ęternitas lucet: ita paternitas in parentibus est honori, in quibus Dei paternitas & dominium emicat. Uult ergo Deus, ut familiaritas & assidua conversatio filiorum cum parentibus, eorum erga parentes reverentiam non minuat, sed augeat, dum jubet eos cogitare, se non VERS. 8.

cum paribus, sed cum superioribus, & dominis agere. Vult ergo, ut talibus serviant, non ut servi, servili timore; sed ut ingenui filii liberali amore obsequantur, etiam demittendo se ad officia servilia, & vilia, cùm ea jubent parentes, vel exigit necessitas. Hinc Persæ filiis, servorum vice, utebantur, teste Rhodigino lib. 11. cap. 17. Idem fecisse Lacones, & Cretenses docet Strabo libr. 16. *Honor*, ait S. Hieron. in cap. 15. Matth. in Script. *non tantum in salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur. Honora, inquit Apostolus, viduas, quæ verè viduæ sunt: hic honor donum intelligitur. Et: Presbyteri duplici honore honorandi sunt, maximè qui laborant in verbo, & doctrina Dei.* Ratio est, quia filius cùm totum, quod est, acceperit à patre, est quasi peculium & possessio patris. Unde prima parens Eva, primum generans filium, vocavit eum *Cain*, id est, possessio, dicens, *ענית*, id est, *possedi hominem per Deum*, Genes. 2. Hinc & patri est jus herile in filium, adeò ut in necessitate eum in servum vendere possit, ut colligitur Exodi 21. 7. sancitque Jus civile l. 2. C. de patribus qui filios distraxerunt. Vide Covarruu. l. 2. Variar. c. 14. n. 4. & Lessium lib. 2. de Justitia, c. 5. dub. 4. in fine.

Vers. 9. IN OPERE ET SERMONE, ET OMNI PATIENTIA HONORA PATREM TUUM] Modum generalem honorandi præscripsit, dicens: *Et quasi dominis serviet his qui se genuerunt*; hic ad particulares ejus modos descendit. Itaque dicit honorandum esse patrem, Primò, *in opere*, scilicet, opera, quæ pater injungit, exequendo, pro ejus & familiæ sustentatione laborando, necessitatibus ejus quibuslibet subveniendo. Secundò, *in sermone*, ut honorificè de patre loquatur, eum patrem nominet, humiliter ei respondeat, afflictum soletur, iratum blandè compellat, & leniat. Tertiò, *in patientia*, ut patienter toleret patris choleram, asperitatem, imperium, moresque difficiles ac vitia, usque ejus jussa, quantumvis ardua, sibique repugnantia, humiliter excipiat, hilariterque exequatur. Unde Tigurina vertit, *tam factis, quam dictis patrem & matrem honora per summam patientiam, ut benè precetur tibi.* Jubet ergo, ut filii patientia vincant parentum, præsertim senum, morositatem; sicut patrum patientia sustinuit filiorum parvulorum ineptias & importunitatem. Fructum & mercedem quasi stimulum subdit, dicens:

Vers. 10. UT SUPERVENIAT TIBI BENEDICTIO A DEO] Præclarè S. Ambros. in cap. 18. Lucæ: *Est*, ait, *honor non solum honorificentiæ, sed etiam largitatis. Pasce patrem tuum, pasce matrem tuam; etsi paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est; non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera; non reddidisti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium esset, ederet; ne quid quod lacti noceret, hauriret: illa tibi jejunavit; tibi manducavit: tibi illa, quem voluit cibum, non accepit; tibi, quem noluit, cibum sumpsit: tibi vigilavit, tibi flevit: & tu illam egere pateris? O fili, quantum tibi sumis judicium, si non pascas parentem? Illi debes, quod habes; cui debes, quod es.* Ita Isaac honoravit patrem obediendo ei usque ad mortem, offerens se illi ad holocaustum, ac proinde meruit a Deo benedici, & exaltari. Sic & Jacob honorando Isaacum patrem suum, & Joseph honorando & obsequendo parenti Jacobo, omnimodam ejus, Deique benedictionem promeruit, Gen. 49. 25. Plura exempla recenset Rhodig. lib. 11. c. 17. Valer. Max. lib. 5. c. 4. Senec. lib. 3. de Benefic. c. 37.

Ut superveniat tibi benedictio à Deo. Ita legunt passim: sed pro, *à Deo*, corrige cum Romanis, *ab eo*; Græca Complutens. & S. Ambros. *ab hominibus*; Græca Romana, *ab eo*, scilicet, patre. Sic & Syrus, *ut veniant super te benedictiones ejus*, scilicet, patris, de quibus per vocem causalem *enim*, Græcus subjicit, dicens: *Benedictio enim patris firmat domos filiorum*; Arabicus, *ut exaudiatur ipsius deprecatio pro te*. Multi tamen legunt, *à Deo*, quasi non tantùm patris, sed & quamlibet benedictionem, id est, beneficentiam, filio à Deo polliceatur: Deus enim sua beneficentia, patris, omniumque hominum preces excedit & vota.

Porrò hæc Dei benedictio non est fluxa & evanida, sed stabilis & solida. Hoc est enim, quod de ea addit: *Et benedictio illius in novissimo maneat*; quia æterna mercede compensatur, ait Rabanus. Porrò Palacius sic explicat: *Ut superveniat tibi benedictio à Deo*: ita hoc intellige: Ordinaria rerum dispositione futurus eras pauper, infelix, infamis; aliquis te magnus in malum casus manebat: at si patrem in omni patientia honorasti, divina benedictio te casui obnoxium è manibus infortunii liberabit. Sicut contraria ratione, si ordinaria rerum constitutione, longum victurus eras, non dimidiabis dies tuos, perinde ac si vir fuisti sanguinum, aut dolosus. Dignum verò est annotatione, quod sequitur: *Et benedictio illius in novissimo maneat.* Quod intelligi potest, vel quòd divinus favor & adjutorium usque ad finem vitæ duret. Aut, quod germanus est, quòd divinus favor atque benedictio maneat, & servetur in horam illam tanto periculo tremendam, scilicet, ad horam mortis & strictissimi examinis, ubi æternitatis jacitur alea. O quale, ò quantum beneficium tunc erit benedici & audire: Veni, benedicte, in regnum tibi paratum ab origine mundi! Ergo, sicut tu in omni patientia sustinuisti difficultates senis patris tui; ita Deus sustinebit in omni patientia, si quæ fuerint errata infirmę animæ tuæ. Ut qua mensura mensus es B patri tuo, remetiatur tibi Pater misericors tuus. Hæc Palacius.

BENEDICTIO PATRIS FIRMAT DOMOS FILIORUM, MALEDICTIO AUTEM MATRIS ERADICAT FUNDAMENTA] Hæc verba, ut cohæreant cum versu præcedenti, significant ibi per benedictionem maximè intelligi benedictionē patris, uti exprimit Syrus: alioqui hic versus prorsus alius est à præcedenti, aliamq; mercedem filiis, qui parentes honorant, promittit, nimirum, quòd parentes eis benedicent, benè precabuntur, eisque à Deo omne bonum exposcent: hæc autem parentum benedictio, utpote quasi ex auctoritate & jure herili ac paterno eis à Deo indulta & concessa, solet esse efficax, & à Deo in effectum conferri. De ea ergo ait: *Benedictio patris firmat domos filiorum*, &c. Tigurina, *nam bona precatio patris domos liberorum stabilit, dira verò matris imprecatio eruit fundamenta*; Syrus, *benedictio patris stabilit contignationes, & maledictio matris eradicat fundamenta*; Arabicus, *precatio genitoris firmat aulas, & maledictio genitricis eradicat fundamentum.* Vers. 11.

C Per *domos*, non tantùm contignationes, ut Syrus, puta fabricas domosque materiales; sed multò magis proles, & familiam accipe: q. d. Benedictio patris facit, ut filius prole & familia, eaque divite, honorata & splendida dotetur, decoretur & perduret: *maledictio verò matris* (pari jure & patris) *eradicat* domos usque ad *fundamenta*; id est planè sobolem, & familiam, ejusque opes & honores delet, & extinguit. Exemplum benedictionis est in Sem, & Japhet, qui à Noe, in Isaac, qui ab Abraham; & in Jacob, qui ab Isaac patre benedictus, pater fuit duodecim tribuum Israel: item in Tobia. In quibus patet basim, & radicem familiæ & felicitatis filiorum esse honorem parentum; radicem verò infelicitatis, & interitus eorumdem, esse inhonorationem parentum.

Maledictionis exemplum est in Cham, qui irridens patrem Noe ex vino nudatum, ab eo maledictus, maledictionem hanc, & servitutem in posteros Chananæos, qui ab Hebræis, posteris Sem, vastati sunt, transfudit. Simile exemplum refert S. August. lib. 22. de Civit. cap. 8. & prolixiùs serm. 94. inter novos, de matre, quæ decem filiis maledicens, omnes illos tremulos, miseros & D vagos effecit. Sic hodie videmus filios, & familias illustres, quæ videbantur per sæcula duraturæ, occidere & extingui. Causam quæris? Accipe, quòd parentes non honorarint ut debuerant, ideoque ab eis non benedictæ, sed maledictæ sint: Deus enim parentibus quasi instrumento utitur ad beandos, vel perdendos filios: sicuti enim per solem illustrat hunc mundum, ita per benedictionem patrum illustrat firmatque domos filiorum. Felix fuit Augustus Cæsar, sed in prolibus libidine infamibus infelix, ideoque eis maledicens, imò abdicans, omnes extinxit, nimirum Juliam utramque putà, filiam ac neptem, ac pòst Agrippinam à se adoptatam, quas proinde vocabat tres suas vomicas, sive tria carcinomata, vetuitque eas suo sepulcro inferri, exclamans: *O utinam cælebs vixissem, orbusque periissem!* testis est Svetonius in Augusto.

Vidit idipsum, duce natura & ratione, Plato qui dialogo 11. de

11. de Legibus, exemplis manifestis ostendit, preces parentum adversus liberos semper, aut plerumque à Deo exaudiri: *Oedipus*, inquit, *contemptus à filiis, ea illis imprecatus est, quæ exaudita effectaque ab iis, apud omnes feruntur. Amyntora quoque Phœnici filio iratum illi maledixisse ferunt, & Hippolyto Thesea, plurimosque alios aliis: quibus apertissimum factum est, à diis preces parentum adversus filios exaudiri. Nihil enim imprecatione parentis perniciosius filio.* Denique Nazianz. orat. 1. *Due tu quoque* ait, *precibus tuis, prius sermone, fulci spiritu: benedictio enim patris firmat domos filiorum.* Et S. Ephrem ad hæc verba Siracidis alludens tract. de Timore Dei: *Honora*, inquit, *sacerdotem atque presbyterum, ut in te benedictio oris ipsorum veniat.*

Vers.12. Ne glorieris in contumelia (Græcè, ἀτιμίᾳ, id est, ignominia, infamia) patris tui] Alludit ad Cham, qui patris nuditatem irrisit, Gen. 9. 22. Solent enim superbi & perversi filii, ut suam sapientiam, opulentiam, fortitudinem ostentent, parentibus velle videri sapientiores, ditiores, fortiores, ideòque parentum insipientiam, pauperiem, miserias evulgant, quas celare debuerant. Unde Syrus vertit, *ne honoreris* (ne honori tuo deputes) *in opprobrio patris tui*; Arabicus; *ne te extollas adversus patrem tuum; quia non consequeris honorem ex eo.*

Vers.13. Non est enim tibi gloria, ejus confusio] Græcè, οὐ γάρ ἐστί σοι δόξα, πατρὸς ἀτιμία, id est, *non est enim tibi gloria, patris infamia*, Patris enim infamia est pariter infamia filii, ut sequitur. Tigurina, *neque enim decori tibi fuerit ejus ignominia*; S. Ambros. *non est enim tibi gloria, patris ignominia.*

Gloria enim hominis provenit, est, & cernitur ex honore patris sui: et dedecus

Vers.14. filii, pater sine honore] Græca complut. & S. Ambros. *& dedecus filiis mater in ignominia*; S. Ephrem tract. de Timore Dei, *dedecus filiis mater sine honore*; Tigurina, *paternus enim honor gloriam homini conciliat, & opprobrio liberis est mater ignominiosa*; Syrus, *honor enim viri est honor patris ejus; & delicta magna illi qui ignominia afficit matrem suam. Fili mi, gloriare in honore patris tui, & ne dimittas honorem ejus omnibus diebus vitæ tuæ.* Filius enim est pars patris & matris. Sicut ergo qui totum violat & lædit, partes omnes violat & lædit: ita qui honorat vel inhonorat patrem vel matrem, omnes ejus filios, ac consequenter seipsum honorat vel inhonorat. Unde & Arabicus vertit, *nam honor viri, honor genitoris sui; & non imminuetur offensio illius, qui contumeliis affecerit matrem suam. O fili mi, diligenter attende ad honorem patris tui, & ne relinquas reverentiam illius in diebus vitæ ejus.*

Fili, suscipe senectam patris tui] Græcè, ἀντιλαβοῦ, id est, *suscipe*, Complut. *adjuva*; Hugo, *sustenta*, alii, *succurre*; Tigurina, *sublevæ*; S. Ambros. *fili, adjuva in senecta patrem tuum.* Jubet enim senectam, & seniles mores patris à filiis non tantùm tolerari: sed & consolatione, obsequio, sustentatione, omnique ope adjuvari, foveri & sublevari. Et hoc significat τὸ *suscipe*. Sic Psaltes passim rogat suscipi, id est, adjuvari, protegi, dirigi à Deo, Deumque vocat suum susceptorem, id est, adjutorem, protectorem, hyperaspisten. Ratio est, quia in senecta & canitie patris, relucet Dei generatio, antiquitas, & æternitas; ut cum filii canum patrem intuentur, in eo videantur sibi cum Daniele videre antiquum dierum, ejusque canos, Daniel. 7. 9.

Encomma de honorandis parentibus.

Quamobrem Plato dialog. 11. de Legibus: *Cujus pater*, inquit, *aut mater senio confecti, vel eorum parentes, quasi thesaurus quidam domi jacens, is putet, numquam aliud tale sibi simulacrum, magisque efficax domi suæ affuturum, si rectè, ut decet, ab eo colitur.* Aristot. verò lib. 9. Ethic. c. 2. docet, filios debere succurrere parentibus magis quàm sibi ipsis: *Redimere enim patrem*, inquit, *magis etiam quam seipsum debere videretur.* Et inferiùs: *Parentibus autem alimenta præcipua suppeditanda esse videntur, utpote cùm debeamus: cumque illis, qui in causa sunt ut simus, honestius sit, quàm nobis ipsis, in his opem ferre, Honor quoque parentibus, quemadmodum diis, exhibendus est.* Philo libr. de Decalogo, dat exemplum ciconiarum: *Ciconiæ senes*, inquit, *impotes volandi nido se continent; ex his prognatæ terra marique volitant, & cibos parentibus afferunt, & eadem opera natos implumes parentesque effetos educant naturæ instinctu*, &c. *& non obvolvent faciem præ pudore homines parentum contemptores, damnabuntque suam incuriam*

in re, quæ vel sola curanda erat, vel ante alias; præsertim cùm non tam conferatur, quam referatur beneficium? Filiorum enim nihil est proprium, quod non parentibus debeant, à quibus vel acceperunt, vel in accipiendo adjuti sunt. Habentne igitur pietatem ac sanctitatem, principales virtutes in anima; an ejecerunt eas à pectore? Deo enim subministrant parentes in gignendis liberis. Addit deinde, remque exaggerat: *Et sunt, qui audacius exaggerantes nomen parentum, ajunt, patrem matremque deos conspicuos, illius ingenitt imitatores fingendis animantibus: hoc uno differre, quod Deus sit mundi genitor; hi verò filiorum tantummodo: nec fieri posse, ut pius sit erga illum invisibilem, qui erga hos conspicuos est impius.* Quare impii & barbari parricidæ fuere Caspii, qui parentes septuagenarios fame necabant, teste S. Hieron. lib. 2. contra Jovin. Euseb. libr. 1. de Præparat. c. 3. Caspios imitati sunt Bactriani, Hyperborei, Sardi, & jam Indi nonnulli, qui parentes senio confectos mactant, imò subinde devorant, quod inhumanum est & ferinum, imò pluquam ferinum: nec enim feræ feram suæ speciei, multo minùs parentes necant, aut vorant.

Et si defecerit sensu (συνέσει, id est, intellectu, mentis vigore, prudentia, sapientia) veniam da] S. Ambros. *veniam habe*, id est, ignosce; Syrus, *etiamsi defecerit mens ejus, parce illi*; Tigurina, *quod si sensibus fuerit abalienatus, boni consule.* Senes enim subinde deficiente cerebro delirant, aut juvenibus delirare videntur: unde illud: *Delirus senex.* Jubet ergo mentis defectum, imò & delirium, in patre à filiis non culpari, nec subsannari, sed tolerari, dissimulari, & sublevari; eo quòd pater filii infantiam, imprudentiam & pueriles mores tolerarit, formarit, correxit, elimarit. Unde & Arabicus vertit, *& si levior factus fuerit sensus illius, humane illum tracta.*

Et ne spernas (S. Ambros. *inhonores*) eum in virtute tua] eo quòd videas, te viribus mentis & Vers.15. corporis patri seni prævalere, ac pollere majori robore, & intellectus acumine ac prudentia. ob hoc enim solent juniores spernere, carpere, taxare senes. Syrus, *ne confundas eum omnibus diebus vitæ tuæ*; Tigurina, *illum aspernari summo cave studio*; Arabicus, *ne parvi pendas illum, dum vivus est.* Causam subdit:

Eleemosyna enim patris non erit in oblivione] *Eleemosyna*, Hebr. חסד *chesed*, id est, pietas, benevolentia, misericordia patri exhibita. *Eleemosyna ergo patris* hic passivè capitur, scilicet, non quam dedit, sed quam à filio accepit pater. Unde Tigurina, *neque enim patri præstita benignitas dabitur oblivioni*; sed Deus & homines ejus recordabuntur, ut eam remunerentur: jugiter ergo vivet in Dei memoria, qui sibi factum æstimat, quod ejus imagini & vicario, puta patri, confert filius. Est liptote, sive miosis: parum enim dicitur, sed plus significatur: *Non erit in oblivione*, id est, erit in memoria & ampla remuneratione. Porro hæc eleemosyna patri à filio est debita, ideoque ab Arabico vocatur justitia, *Justitia*, inquit, *in genitorem non delebitur, & ea delebitur multitudo delictorum.*

Vers.16. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum] Vox *nam*, habet emphasin: q.d. Quævis eleemosyna in patrem erit in memoria: at eleemosyna pro peccato matris senis, utpote morosioris, impatientioris, ideòque toleratu difficilioris, multas habet promissiones. Prima, quòd *tibi restituetur bonum.* Secunda, quòd ædificabitur tibi *in justitia.* Tertia, quòd in die tribulationis efficiet; ut Deus sit memor tui. Quarta, quòd solvet peccata tua.

Nota. Pro *pro peccato matris*, perperam quidam legunt, *pro bono facto matris*: q. d. Pro beneficentia matri à filio exhibita. Nam Græcè est, ἀντὶ ἁμαρτιῶν, id est, *pro peccatis.*

Jam varii variè id explicant. Primò, aliqui *peccatum* accipiunt pro hostia pro peccato, juxta illud 2. Cor. 5. *Christus factus est pro nobis peccatum*, id est, hostia pro peccato: q. d. Quia tu, ò fili, obtulisti hostiam pro abolendis matris tuæ peccatis, idcircò Deus restituet tibi bonum. Aut, ut ait Rabanus, *peccatum hic tropica locutione ipsam eleemosynam nominat, quæ delet peccata.*

Secundò, peccatum matris objectivè & passivè accipi potest: q. d. Quia tu, ò fili, sæpiùs peccasti & offendisti matrem, ac mereris Dei iram & pœnam; hinc si erga illa sis beni-

benignus & beneficus, Deus non tantùm tibi culpam, & pœnam condonabit, sed & abundè *restituet tibi bonum*, id est, beneficium, quod in matrem contulisti. Unde idipsum videtur explicare, dum subdit: *Et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua*. Favet versio Syri: *eleemosyna patris non datur oblivioni, & pro delictis ipsa plantatur.*

Tertiò planè & genuinè, *pro peccato matris*, scilicet, tolerato: q. d. Quia tu, ô fili, patienter tulisti impatientiam, morositatem, jurgia, aspera verba & verbera matris; hinc pro mercede reddetur tibi à Deo bonum; idque multiplex, tum in hac vita, tum in futura; sed præsertim hoc tolerantiæ & pietati tuæ congruum & appositum, nimirum, ut in justitia & pietate tua ædificetur domus. Idem enim dicit de matre, quod dixit de patre. Sicut ergo eleemosyna patris est ea, quæ in patrem confertur, tolerando ejus seniles mores, deliria, impatientias & morositates: ita per peccata matris, similia matris senilia vitia à filio tolerata intelliguntur. Unde, sicut illius non obliviscitur Deus, sed abundè remunerat; ita pro his restituet filio bonum. Quocirca Græca Romana habent absolutè, *& pro peccatis in justitia ædificabitur tibi*, Complut. & S. Ambros. *& pro peccatis reædificabitur tibi*.

Denique Richard. de S. Victore tract. in hunc locum: *Vis*, ait, *scire, quomodo tibi prodesse poterit bonum patris tui? Patrem venerando simul & imitando. Vis pariter scire, quomodo tibi proderit malum matris tuæ? Matrem venerando, sed non imitando*. Verùm ex dictis liquet, alium hujus loci esse sensum.

ET IN JUSTITIA ÆDIFICABITUR TIBI] *Justitia* hic significat pietatem: hæc enim est jus, sive debitum, quod filius debet patri: q. d. *In justitia*, id est pro justitia, sive in justitiæ, id est, pietatis, tuæ præmium *ædificabitur tibi*, scilicet, domus tua: q. d. Deus domum, id est, familiam, tuam prolibus, opibus, omnique affluentia instruet, bonisque omnibus cumulabit: felicissimè tecum, & cum domo tua agetur, & undequaque augeberis, & beaberis. Justitia ergo, id est quasi fundamentum, in quo Deus ædificat domos, id est familias, filiorum parentes honorantium, uti dixit vers. 11. Rursum ædificat Deus has domos in justitia, id est, solidè, firmiter, facitque eas firmas & perdurantes. domus enim in justitia fundatæ sunt firmæ & stabiles, sicut fundatæ in rapinis & injustitia sunt infirmæ & instabiles, brevique intereunt. Unde interitum hunc Deus minatur domui Joachin regis Juda: *Væ*, inquit, *qui ædificat domum suam in injustitia*, Jerem. 22. Et primoribus: *Væ, qui ædificatis Sion in sanguinibus*, Michææ 3.

Adverte hic, Deum solere filios, qui parentes honorant, præmiare prole & sobole numerosa & proba, quæ similiter ipsos honoret; idque jure talionis: æquum enim & congruum est, ut qui honorant parentes, ipsi quoque parentes fiant, similesque sibi generent filios, à quibus eumdem honorem, & commoda recipiant, quæ ipsi præstitere parentibus. Denique eleemosynam parentum solet Deus remunerare fœcunditate, & munere filiorum. Ita obstetrices Ægyptias, quæ quasi matres servaverant, & aluerant infantes Hebræorum contra præceptum Pharaonis, jubentis illos suffocari, Deus remuneratus est ampla sobole, & familia, Exod. 1. Abrahamo & Saræ in præmium hospitalitatis exercitæ in Angelos omnesque peregrinos, natus est Isaac, Genes. 18. 10. Id considerans Eliezer servus Abrahæ, cùm ejus jussu Isaaco uxorem quæreret Rebeccam, ab ea petiit haustum aquæ: quæ cùm illicò & ipsi & camelis potum affatim præberet, ex hac ejus hospitalitate conjecit Eliezer, eam congruam fore Isaaco uxorem, foreque fœcundam, uti ob eamdem fuerant Abraham & Sara. Sic & Elias & Eliseus suos hospites præmio filiorum, quos ipsi precibus à Deo impetrarunt, remunerati sunt.

Græca significantiùs habent, ἀντὶ ἁμαρτιῶν προσανοικοδομηθήσεταί σοι, id est, ut Romana vertunt, *& pro peccatis in injustitia ædificabitur tibi*: præpositio enim ἀνὰ notat analogiam justitiæ & mercedis, ut προσανοικοδομηθήσεται idem sit quod, ex justa quadam retributione & compensatione fiet tibi reædificatio & restauratio jacturæ per peccatum factæ: q. d. Ex peccato & cholera matris subiisti injuriam, infamiam & tristitiam; sed Deus hanc tibi restaurabit, faciendo, ut illa cedant & convertantur in tuum honorem, gloriam & lætitiam: hæc enim tuæ patientiæ merces, hæc tuæ virtuti laus, hæc tuæ afflictioni consolatio, hoc tuo dolori præmium congrua proportione respondet & debetur.

Tigurina aliter vertit, *adversus peccatum extruetur tibi propugnaculum*. quasi eleemosyna patri exhibita sit validum propugnaculum, quod sibi ædificat filius contra peccatum.

ET IN DIE TRIBULATIONIS COMMEMORABITUR TUI] q. d. Memor erit tui Deus: vel significantiùs, q. d. Ipsa eleemosyna memoriam tui refricabit Deo, ipsa causam tuam apud Deum aget, & peraget: ipsa enim vellicat Dei memoriam, ut bonis & beneficiis afficiat filium, qui mala & maledicta matris patienter excipit, & sorbet. ita Janten. & Palacius. Unde Syrus emphaticè vertit, *in die angustiæ in recordationem veniet tibi*. Ubi Τὸ *tibi* energiam habet, estque emphaticum: quasi dicat. Ad tuum commodum, ad tuum præmium, & decus. est Syrismus, similis illi, quo Italicè dicimus: *Questo che tu fai hoggi, te si racorderà quando sarai al punto della morte*; Arabicus, *in afflictione erit tibi adjutor*. Vers.17.

ET SICUT IN SERENO GLACIES, SOLVENTUR PECCATA TUA] S. Ambros. *sicut serenitas in glaB acie, sic solventur peccata tua*; Tigurina, *ut per serenitatem glacies, ita peccata tua solventur*; Syrus, *sicut calor glaciem* (solvit, & liquat) *abrogabit peccata tua*. Beneficentia enim filii in patrem, & matrem est quasi calor, imò sol liquans; & abolens omnem peccatorum glaciem. *Charitas enim operit multitudinem peccatorum*, 1. Petri 4. 8. idque tam quoad pœnam, quàm quoad culpam: q. d. Cùm ob peccata in die tribulationis in varias ærumnas, & mœrores incideris, illæ omnes dissolventur à beneficentia matri exhibita; perinde ut glacies dissolvitur à radiis solis: dies tribulationis vertetur in diem serenitatis; ac cùm aliis erit dies nubilus, misericordi erit serenus, præstante, itaque honorem parentum remunerante Deo. Unde Arabicus vertit, *avertet à te mala, sicut avertitur frigus in vehementia caloris.*

QUAM MALÆ FAMÆ EST (Græcè, βλάσφημος, id est, execrabilis, infamis est) QUI DERELINQUIT PATREM, in egestate, afflictione, senio constitutum & destitutum: ET EST MALEDICTUS A DEO, QUI EXASPERAT MATREM] Tigurina, *quam infamis est desertor patris, & maledictus à Domino, qui matri suæ C movet indignationem*; Romana verò editio ex Græco sic habet, *tamquam blasphemus est, qui derelinquit patrem*; & Syrus, *blasphemat, qui spernit patrem suum, & maledictus est coram filio suo ille, qui ignominia afficit matrem suam*. Ubi Nota, contemptum parentum vocari blasphemiam; quia blasphemia est convitium quod jacitur in Deum vel Sanctos: parentes autem sunt vicarii Dei, & quasi dii quidam terrestres, ut superiùs dixi. Unde Rabanus, *impietatis*, inquit, *crimine reus tenetur, qui irreligiosus est in parentes, & maxime ille, qui spiritalem patrem vel matrem pravis sermonibus, atque iniquis operibus exacerbat*. Rursum Τὸ *maledictus coram filio*, explica, q. d. Sicut filius maledicit patri; ita vicissim ipse lege talionis maledicetur à filiis, quos genuit aut gignet. Hinc & Arabicus vertit, *quia qui parvipendit jus patris sui, ipse est blasphemus opprimens: & qui calumniatur matrem suam, maledictio Creatoris sui descendet in eum*. Vers.19.

Porrò maledictio Dei, æquè ac benedictio, non est verbalis, sed realis & efficax: Dei ergo benedicere, est copiosè benefacere: maledicere, est affatim malefacere, D putà, punire paupertate, infamia, morbis, adversitatibus, ac denique morte & gehenna, quibus pœnis omnibus punit Deus eos qui exasperant matrem. Præclarè Philo libr. de Decalogo: *Qui parentes*, ait, *suos negligunt, sciant se damnatos pro duobus tribunalibus, quæ sola sunt naturalia: impietatis, apud divinum, quòd secundos post Deum auctores vitæ suæ non tractant ex officio: inhumanitatis verò apud humanum: cui enim benefaciunt, qui proximos & optimè de se meritos vilipendunt? quibus nulla referri gratia potest, quæ non sit inferior acceptis beneficiis*. Et S. Ambros. libr. 5. Hexam. 4. in illud Genes. 1. *Producant aquæ reptile super terram. Quàm bona*, inquit, *mater sit aqua, hinc considera: tu, ô homo, docuisti abdicationes patrum in filios, separationes, odia, offensas; disce ergo ab aqua, quæ sit parentum & filiorum necessitudo. Vivere pisces sine aqua non queunt, nec à sui parentis consortio separari: & sit hoc natura quadam, ut separati moriantur illicò*.

Ele-

Eleganti viperę & fœtuum apologo idipsum repræsentat Cyrillus libr. 3. Apolog. moral. cap. 26. cujus titulus: *Contra vitium ingratitudinis. Gravida vipera*, inquit, *cum ad perfectam maturitatem fœtus produxisset, diros in suis visceribus morsus sentiens, amara nimis cum querimonia eis dixit: Quid est hoc scelus quod facitis? numquid redditis pro bono malum, quia laceratis ventrem qui vos portavit; matrem occiditis, quæ vos genuit? quæ est ista contra naturam nequitia, & ingratitudinis sævitia tam stupenda? At illi dixerunt: Quid est quod nobis dedisti aut fecisti? nimirum ut delectares te concepisti, & in tetri ventris carcere nos abscondisti. Quid aliud circa nos egeris nescimus: attamen prodire in lucem appetimus, & gratum mundi spatium videre affectamus. Quibus mater: Revera ego concepi vos ex medullis meis charioribus, alui de sanguinibus propriis, fovi calore; portavi labore, promovi cum dolore, & in visceribus propriis nocte ac die custodivi cum timore: nunc autem pro tantis beneficiis matri rependitis vicem mortis.* Deinde justam eis talionis pœnam intentans subiicit: *Veruntamen quia inique rependitis malum pro bono, retribuetur vobis justissime malum pro malo. Nam justitia ingratitudini est grata, dum propter ejus demerita reddet ei digna stipendia, & propterea quia cum ingratitudine incipitis, dira quoque & sæva ingratitudine finietis: nam tu fili fæcundabis sororem tuam; ut ipsa te vita privet: & tu filia fætus concipies qui confestim crudeliter te occident. Et sic ingratitudinis vitium vertetur in tormentum, & ingratitudo ingratitudine punietur, eritque soboles ingratitudinis cibus mortis. Quibus dictis dolore viscerum extincta est.*

Apologus de filiis ingratis.

Eorum pœna talionis.

VERS. 19. FILI, IN MANSUETUDINE OPERA TUA PERFICE, ET SUPER HOMINUM GLORIAM DILIGERIS] Instruxit Siracides filium quoad honorem parentum, nunc eum instruit quoad cetera & ceteros, ac in primis ut in omnibus & cum omnibus mansuetè & humiliter se gerat; præsertim quia humilitas & mansuetudo est fons & origo honoris parentum, omnisque virtutis & boni. Gestus enim mansuetus & humilis omnes honorat, itaque sibi conciliat; asper verò & superbus omnes spernit & deprimit, ideoque à se avertit, offendit & exasperat.

Porrò Sapiens omni statui & gradui commendat mansuetudinem; ut licet filius ascendat etiam ad regium fastigium & culmen; tamen mansuetè se gerat, regat & imperet. Quapropter subdit, *quantò major es, humilia te*. Unde Syrus vertit, *fili in divitiis tuis cum humilitate ambula, & præ largiente dona diligent te*. Hæc enim mansuetudo Prælato & principi subditorum benevolentiam, indeque securitatem & gloriam conciliat. ita Palacius. Admonet, inquit, recentiores, ne ex ira res præcipitent; sed animos mansuetudine frænent. Vt enim nihil est importunius improbitate eorum qui gubernantur; ita nihil est in hisce rebus excellsius, quàm in tanta importunitate mansuetos esse eos qui gubernant. Hinc maxima laus Mosi datur, quòd regens innumerum istum & durissimum populum, mortalium tamen esset mansuetissimus, Num. 12. 5. Et David rex Deo non aliam virtutem, quàm mansuetudinem suam allegat, dicens: *Memento Domine, David, & mansuetudinis ejus*, psal. 131. 1. Mosen mansuetudine, non tam humana, quàm divina superavit Christus. Nam, ut ait S. Bernard. serm. 22. in Cant. *Omnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Jesu, audientes, quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. In odore horum currimus.*

Celebre est illud Senecæ in Proverbiis. *Regibus certior est ex mansuetudine securitas*. Nam ex adverso ait Cicero lib. 3. Offic. *Nihil quod crudele, utile. Est enim hominum natura, quam sequi debemus, maximè inimica crudelitas.* Porrò, ut ait Aristot. lib. 1. de Cęlo, *Nullum violentum perpetuum*. Hinc eos, qui natura, indole & complexione sunt mites & blandi, omnes amant & ambiunt. Mitis autem signa physiognomica hæc dat Aristot. in Physiognom. c. 3. *Gravis specie, carnosus, caro humida & multa, bonæ magnitudinis & commensuratus: figura curuus, cursus capillorum sursum-vulsus.*

Mercedem & premium mansuetudinis subdit: *Et super gloriam hominum diligeris*. q. d. Præ hominum gloria, id est, prę hominibus gloriosis & excellentibus, eorumque gloria, gradu & honore diligeris: quo significat mansuetudinem homini magis conciliare amorem, quàm quemvis alium splendorem & gloriam: hæc enim timorem potiùs incutit, quàm amorem: q. d. Mansuetudo longè magis nos amabiles & admirabiles facit, quàm omnis splendor & gloria: homines longè magis diligunt, & videre cupiunt mansuetudinem & mansuetos, quàm gloriam & gloriosos: appetitur & ambitur gloria, sed magis ambitur mansuetudo.

Rursum τὸ *diligeris*, accipi potest pro, glorificaberis: q. d. Omni gloria, omnibusque gloriosis eris gloriosior: tum, quia vera gloria est mansuetudo & humilitas: tum, quia homines solent eos, quorum mansuetudinem moresque diligunt, laudare, celebrare & glorificare. Est ergo metalepsis, qua ex dilectione gloria illam consequens significatur. Vnde alii sic explicant, *super*, id est, *præter* gloriam hominum diligeris, q. d. Pręter gloriam assequeris insuper benevolentiam, ut omnes te diligant. ita Emmanuel Sà. Superbi enim & tyranni habent à suis gloriam, sed non dilectionem; quia timentur, non amantur: at mansuetus habet gloriam, & pręter gloriam habet omnium gratiam & dilectionem, quę gloriam condecorat, solidat & perpetuat.

Legit Interpres, ὑπὲρ ἀνθρώπων δόξαν, id est, *super hominum gloriam*; jam legunt, ὑπὸ ἀνθρώπου δεκτοῦ, id est, *ab homine acceptabili*, sive probato. Sic quoque legit S. Ambros. & S. Ephrem tract. de Timore Dei, *& ab homine acceptabili diligeris*; Tigurina, *& homini probato clarus eris*; Syrus verò, *& præ largiente dona diligent te*; alii, *pro homine probato, accepto*, vel *grato diligeris*: Præpositio enim, ὑπὸ; idem subinde est quod ὑπὲρ. Arabicus, *ô fili mi, incede cum mansuetudine in divitiis tuis, & sis*, id est, eris, *dilectus hominibus, plusquam is qui largitiones elargitur*.

Moraliter S. Bernard. serm. 2. in convers. S. Pauli: *Triplici*, ait, *velut ariete mansuetudo pulsatur: verborum injuriis, damnis rerum, corporis læsione. In his tribus omnis exhibitio patientiæ, omnis exercitatio mansuetudinis. Probata est illa virtus, quam nihil horum videtur concutere potuisse*. Porrò mansuetudinis origo est humilitas: *Sicut enim mater præsumptionis est elatio, sic mansuetudo vera non nisi ex vera humilitate procedit*, ait idem S. Bernard. serm. 3. de visit. B. Marię. Hac de causa subdit Ecclesiasticus: *Quanto magnus es, humilia te*, &c.

Porrò, cur mansuetudo adeò ab omnibus, pręsertim subditis, dum à Superiore corripiuntur, sit expetita, ira verò exosa; rationem quasi à priori dat Reverendiss. D. Franciscus de Sales, Episcop. Genevensis, vir mellee sapientię & sanctitatis, in suo Philotheo, sive Isagoge ad vitam piam, parte 3. cap. 8. Monitio, ait, vel correctio manans ab ira, etiamsi comitem habet rationem, impurior est & turbidior, ideoque ingratior quàm sit ea quæ à sola puraque ratione proficiscitur. Causa est, quòd anima rationalis naturaliter subiecta sit rationi: hinc passioni non subiicitur, nisi quasi tyrannidi, ideoque tyrannicè. Quare ratio, quam comitatur passio, se reddit exosam; eò quòd justa ejus dominatio inquinetur, & vilescat per societatem tyrannidis, putà, passionis tyrannicę. Accedit, quòd ut ait Quintilian. libr. 11. c. 1. *Habet mens nostra natura sublime quiddam & erectum, & impatiens superioris. Ideoque abiectos, aut submittentes se allevamus; quia hoc facere, tamquam majores, videmur; & quoties discessit æmulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur, nec tam se majorem, quàm ceteros minores facere: inde invident humiliores*. Rursum mansuetudo superioris frangit iras, cupiditates & impetus inferioris, perinde ac lana excipit & enervat ictus tormentorum; ac elephas iratus & furens mansuescit ad conspectum agni. Sic *Deus tranquillus tranquillat omnia, & quietum aspicere, quiescere est*, ait S. Bernard. Mansuetus enim agitur ratione, non passione; ideò tranquillus est, omniaque tranquillat. Huc facit proverbium Arabicum centuria 1. n. 40. *Tege merces tuas melle, & proiice eas in cisternam luti, id est, concilia corda stultorum sermone dulci.* Sicut enim pueri cibos melle conditos avide hauriunt; ita simplices, sermones mansuetudine mellitos cupidè excipiunt.

Cur mansueta correctio grata?

Quo-

Quocirca prudenter monet S. Ambrof. lib. 2. Officior. cap. 7. *Primùm*, inquit, *placiditate mentis, & animi benignitate insinuemus in affectum hominũ. Popularis enim & grata est omnibus bonitas, nihilque quod tam facilè illabatur humanis sensibus. Ea si mansuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborumque honore, patienti quoque sermonum vice, modestiæque adjuvetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis.* Subjicit exempla illustria Mosis & Davidis: *Quantas Moyses à populo Dei illatas absorbebat contumelias, & cùm Dominus in insilentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, ut indignationi divinæ plebem subduceret. Quam mitis sermone post injurias appellabat populum, solabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fovebat operibus; & cùm Deo constanter loqueretur, homines tamen humili & grata appellatione affari solebat. Meritò æstimatus est supra homines, ut & vultui ejus non possent intendere, & sepulturam ejus non repertam crederent: quia sic sibi totius plebis mentes devinxerat, ut plùs eum pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur. Quid ejus imitator sanctus David, electus ex omnibus ad plebem regendam; quàm mitis & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu? Ante regnum se pro omnibus offerebat, rex cum omnibus æquabat suam militiam, & partiebatur laborem: fortis in prælio, mansuetus in imperio, patiens in convitio, ferre magis promptus, quàm referre injurias. Ideò tam charus erat omnibus, ut juvenis ad regnum, etiam invitus, peteretur, resistens cogeretur, senex ne prælio interesset à suis rogaretur, quod mallent omnes pro ipso periclitari, quàm illum pro omnibus.*

Vers. 20. QUANTO MAGNUS ES, HUMILIA TE IN OMNIBUS (præsertim in iis, quibus excellis & magnus es) ET CORAM DEO INVENIES GRATIAM] Græcè, *quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus*, id est, *quantò major es, tantò magis humilia te in omnibus*. Et sic legit S. Ambrof. loco initio cap. citato, & S. Ephrem tract. de Timore Dei. Tigurina, *quantò major es, eò te geras submissius, ut gratiam initurus apud Dominum*; Arabicus & Syrus, *in omni, quod magnum est in mundo, humilia teipsum, & coram Domino invenies misericordiam*. Causæ hujus præcepti, vel moniti, sunt multæ. Prima, quia celsitudo solet homines inflare & instigare ad arrogantiam: monendi ergo sunt, qui ad eam conscendunt, ut eò magis se humilient, quò difficilius est se humiliare in sublimatione & sublimitate. Rectores, ait S. Gregor. multi injustè & tyrannicè regunt, pauci in plena justitia, paucissimi in mansuetudine & humilitate. Et S. August. de Sancta virgin. c. 31. citans hanc Ecclesiastici sententiam: *Mensura*, ait, *humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est, cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur.* Et S. Bernard. serm. 4. super *Missus est*. *Non magnum est*, inquit, *humilem esse in abjectione: magna prorsus & rara virtus humilitas honorata.* Idem lib. 2. de Consid. *Nulla splendidior humilitate gemma, in omni præcipuè ornatu summi Pontificis. Quo enim celsior ceteris, eo humilitate apparet illustrior & seipso.* Et in hæc verba commentans Balduinus in Catena Tilmanni Godfredi: *Humilitas in honore*, inquit, *honor est ipsius honoris & dignitatis. Omnis dignitas eo ipso dignitatis nomine indigna est, si humiliari dedignetur. Humilitas autem sine honore, ipsa sufficit ad honorem: honor verò sine humilitate, se perducit ad confusionem.*

Magnis magna convenit humilitas: cur? Causa Prima.

Secunda, quia vera magnitudo est humilitas. Sola enim humilitas exaltat: sola humilitas est magnanimitas. Sola enim magno animo despicit exiles, & inanes horum mundi fumos & umbras; quia spectat verum virtutis decus, verumque honorem, & gloriam cælestem, & æternam, quam à Deo & Angelis Beatisque omnibus expectat. Quocirca sapienter S. Ephrem. tract. de Timore Dei, initio tomi 3. *Cupis*, ait, *magnus esse? sis omnium novissimus. Cupis bonum possidere nomen? in lenitate ac mansuetudine opera tua temperato atque peragito.* Et inferiùs: *Magna felicitas & gloria est humilitas, & non est in ea lapsus atque ruina. Signum porrò humilitatis est, ambabus manibus omni tempore ac loco subvenire fratri necessitatem patienti.* Ex adverso verè S. Bernard. de Gradib. humilitat. *Quantò magis*, inquit, *ad alta festinas, tantò magis ad occasum declinas.* Huc pertinent duo adagia Arabica, quæ extant inter impressa centuria prima: primum extat n. 3. *Si nescis ascendere per scalam, non ambulabis super tectum*: id est, *si non potes esse subditus duci, neque dux eris.* Si non potes humiliari, non poteris esse gloriosus: nemo enim rectè agit dominum, qui priùs non egit ministrum: nemo nisi humilis gloriam consequitur; adeò ut servitus via sit ad imperium, & humiliatio via sit ad gloriam, perinde ac scala, via est ad tectum. Alterum extat ibidem n. 4. *Ne ascendas cacumen jugi, cùm fueris ornatus; ne fortè cadas: id est, honoratus cave à typho & fastu, quia ocyssimè inflatus, & turgidus cadit.*

Secunda.

Tertia, quia schola Christi Dei, est schola humilitatis, in eaque nihil discitur, nisi humilitas & charitas. Qui ergo humilior est, ille major, & doctior est in schola Christi: quia Christus cùm esset maximus, fuit pariter humillimus. *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum & humilis corde*, Matth. 11. Ita S. August. de S. Virgin. c. 33. ut doceat virgines, quæ dono virginitatis alios antecellunt, non debere inde superbire, sed magis humiliari, sic ait: *Cùm ergo Christianis omnibus custodienda sit humilitas, quandoquidem à Christo Christiani appellantur, cujus Euangelium nemo diligenter intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inveniat: tum maximè virtutis hujus sectatores & conservatores eos esse convenit, qui magno aliquo bono ceteris eminent, ut magnoperè curent illud: Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus.* Idem epist. 56. ad Dioscorum: *Nisi*, ait, *humilitas omnia quæcumque benè facimus, præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. Itaque sicut Rhetor ille nobilissimus (Demosthenes) cùm interrogatus esset, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis observari oportere; pronuntiationem dicitur respondisse cùm quæreretur quid secundò, eamdem pronuntiationem: quid tertiò, nihil aliud quàm pronuntiationem dixisse: si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil me aliud respondere, nisi humilitatem, liberet.* *Tertia.*

Quartam dat S. Gregor. homil. 9. in Euangel. *Cùm augentur*, ait, *dona, rationes etiam crescunt donorum. Tantò ergo humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quantò se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.* *Quarta.*

Quintam dat Siracides hic: *Et coram Deo invenies gratiam.* Ut ergo major sis coram Deo, qui est verus magnitudinis æstimator, & mensor, utque major sis in ejus gratia, esto major in humilitate: quia sicut pharmacopœi balsamum non recondunt nisi in myrotheciis planis, udis & nudis; sic & Deus gratiam suam non collocat nisi in vase plano & nudo, putà, in corde humili. *Deus non ponit oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ*, ait S. Bernardus serm. 3. de Annuntiat. vasa autem fiduciæ sunt corda humilium, quæ sibi diffidunt, unique fidunt Deo. Quocirca S. Isidorus de Conflictu vitiorum & virtut. sub initium: *Memento*, inquit, *quia pulvis es, quia cinis es, quia putredo & vermis es; quia etsi aliquid es, nisi tantò te humilies, quantò magnus es, perdes omninò quod es. Numquid tu altior quàm primus Angelus? Numquid tu splendidior in terra, quàm lucifer in cælo, qui propter superbiam ex summo ad imum decidit?* S. Ephrem de Vita spirituali, n. 66. *Quando*, inquit, *videris te ad apicem virtutum evectum, tunc maxima tibi humilitate opus est, ut fundamentis salvis & integris, quod superstructum est ædificium, inconcussum immobileque consistat: atque sic in multa securitate fructus tuus erit.* B. Antiochus homil. 70. de humilitate: *Quantò major es*, inquit, *tantò humilia te ipsum: nam opera omnia humiliantis se manifesta sunt & conspicua oculis Domini.* *Quinta.*

Sexta est, quia in hac re consistit tam perfectio humilitatis, quàm summa virtutis. Sicut enim primus gradus humilitatis est humiliare se superiori; secundus, pari; tertius, inferiori: sic ima humilitas est humiliare se in imò, media in medio, summa humiliare in summo culmine. Hoc est, quod Christus baptizandum se offerens S. Joanni, cùm ille ex reverentia id facere detrectaret, respondit: *Sine modò; sic enim decet nos implere omnem justitiam*, Matth. 3. 15. ubi Glossa ex S. Bernar. *Omnis justitia, ait, est humilitas, quæ se superioribus, æqualibus & inferiori-* *Sexta.*

rioribus subiicit. Hæc ergo humilitas exoluit, imò superat omne jus & debitum, quod homo debet Deo, proximo, & sibi: Deo enim se subiicit per religionem, proximo per charitatem, corpus animę, animam spiritui, spiritum legi Dei.

Hasce duas gnomas festivo Solis apologo illustrat, & quasi exhilarat Cyrillus lib. 1. Apologorum moralium c.
Apologus modestię. 17. cujus est titulus: *Gloriosa est prosperitas moderata.* Sic enim ait: *Cùm Titan* (sol) *uniformi regularitate stabiliter moveretur, valdè hoc admirans Mercurius, hac eum quæstione interpellavit: Ut quid semper in ecliptica volueris, ibidemque fixus numquam inde mutaris? qui dicit: Fons sapientiæ jam dudum à sæculis æstimatus es, & hoc ignoras? Quis enim inter stellas sole gloriosior, cui fontaliter data est lux primigenia, quæ tot cælorum spes est, & gloria stellarum? Propter hoc ergo charissime media semper cæli regione moveor, nec umquam ab ea declino. Nam si rectè considerasti, prosperitas plerumque gignit inimicos, & suscitat lividos, nec ullum umquam exhibet amicum: quapropter in ea vel maximè moderatio amplexanda, ne, cum æmulos injustè cudit prosperitas, justè formet eos prosperitatis immoderata perversitas.* Deinde apologum similitudinibus variis, putà regis apum, diei, nautarum, lucis, tempe-
Similia. ramenti sanitatis, confirmat, dum ista subiicit: *Nimirum ob hoc regulus apum deponit aculeum, quem natura sic instruit, ut, cùm est agendi facultas validior, sit excedendi tunc auctoritas minor. Cæca certè lux, diesque volatilis mutabilium prosperitas est; unde semper oportet pavescere, ne lux vertatur in tenebras, & nox diei repentino cursu succedat. Atque propter hoc prudenter in prosperis modestiæ magis ac beneficentiæ intendamus, ut illa vitemus inimicos, hac amicos conciliemus; &, si contra nos quandoque tempestas ingruerit adversitatis, salutaris effugij portum reperiamus in amicis. Revera nauta prudentior dum futuræ tempestatis impetum formidat, in tranquillitatis sereno circumspectus, quo tutius naviget, velum abbreviat. Etenim ut excessiva rutilantia visum obtundit, & immoderata lætitia cor extinguit: sic prosperitas immoderata confundit. Nam sicut in temperamento est sanitas corporis, ita in modestia sanitas mentis. Nonne in altis constituti naturaliter metuimus ne cadamus?* Ex quibus hoc epimythium colligit: *Quemadmodum igitur cælestis serenitas quanto est lucidior, tanto est tranquillior: ita sapientis prosperitas esse debet moderatior, quantò major.*

VERS. 21. Septimam subdit Sapiens: QUONIAM MAGNA POTENTIA DEI SOLIUS, ET AB HUMILIBUS (nonnulli legunt perperam, *ab hominibus*) HONORATUR] Ita legit S. Ambros. Græca Complut. Roman. S. August. in Speculo, Rabanus & alij passim: q. d. Ideò te summè humilia, & summam à Deo accipies gratiam, quia Deus summè humilitate honoratur; ideoque ea summè recreatur & delectatur: Deus autem honorantes se, quales sunt humiles, honorat, & sua gratia cumulat. Ratio à priori est, quia Deus est summa celsitudo: huic autem propriè summa debetur humilitas. Unde S. Bernard. serm. 4. de Nativit. *Propterea*, ait, *cælitus annumeratur humilitas, quod hæc quasi propria virtus divinæ sit exhibenda majestati. Deus*, ait idem lib. 5. de Consider. cap. 5. *amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut solus, revelat ut lux, assistit ut pietas.*

Aliter hæc dispungit & explicat Palacius: *Quia magna potentia tua, est Dei solius.* q. d. O rector, videris tibi potens, & videtur hæc potentia esse tua? *At falleris. Potentia est Dei solius: qui si vult te posse, poteris: si velit te nihil posse, etiamsi sit tua potentia summa, nihil poteris. Aufert enim ille spiritum principum. Terribilis est apud reges terræ. Quod cum multi reges testari possint, testatur magnopere tamen Nabuchodonosor, fænum sicut bos comedens. Ergo ne & te superbum à tua Deus magnitudine deiciat, tu teipsum humilia.* Tu igitur si tenebras tuas, si tuas miserias, si tuum nihil videas & agnoscas, Dei lucem, Dei opes, Dei infinitatem profundissimè honorabis. Græci codices in Complut. addunt: *Multi excelsi & gloriosi, sed mansuetis revelantur secreta.* & sic legit S. Ambros. Syrus, *quia multa misericordia Dei, & humilibus arcana revelantur.* Sic & Arabicus. Quod appositè convenit rectoribus, quibus præcipuè loquitur Siracides, ait Palacius. Vis igitur, ò rector, ò judex, nosse mysteria & abstrusa, quæ tibi jura non manifestant? Humilis esto; quia Aexcelsus Dominus, & humilia respicit. Ipse est veritas; amat ergo veritatem humilitatis, falsitatem odit superbiæ. Nam, ut ait quidam Sanctorum: *Deus amat humilitatem, quia amat veritatem: humilitas enim est vera cognitio sui & Dei, superbia utriusque est ignoratio.*

Idem fuit, estque sensus & praxis ceterorum Sancto- *Exempla*
rum & sapientum. Ita B. Virgo evecta ad solium divinitatis, cùm Angelus ei promitteret, quòd conciperet pareretque Filium Dei, tantò magis profundè se humiliavit, ac humillimè respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Eadem ab Elisabetha salutata mater Dei, illicò hanc laudem non sibi arrogavit, sed in Deum reflexit: *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum; quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, Lucæ 1. Salomon Dei oraculo declaratus mortalium sapientissimus: *Stultissimus*, ait, *sum virorum, & sapientia hominum non est mecum*, Proverb. 30. 2.

Magnus ille Simeon Stylites, orbis portentum, *in tantis laboribus*, inquit Theodoretus in Histor. Patrum, c. 26. *tantaque rerum gestarum magnitudine & miraculorum multitudine, est tanta morum modestia ac moderatione præ-*
B *ditus, ac si sit dignitate postremus omnium hominum. Præter modestiam autem & facilis ad eum patet aditus, & est affabilis & suavis, & respondet unicuique eorum, qui loquuntur, sive opifex sit, sive mendicus, sive rusticus.* Hæc fuit certa nota & tessera ejus sapientię & sanctitatis.

S. Franciscus sui ævi sanctissimus, dictitabat se maximum esse orbis peccatorem. Idem dictitent alii; adeoque verę sapientiæ & sanctitatis certissimus index est vera humilitas, tantoque quis sanctior est & sapientior, quantò humilior: sicut ex adverso quò quis insipientior est & improbior, eò & superbior. Beda in Proverbiis aureas has de humilitate habet gnomas: *Gnomæ.*

Vitanda est superbia, quæ & Angelos decepit, & omnes virtutes destruit.

Vera discretio non nisi vera humilitate acquiritur.

Quantum quisque in humilitate & castitate profecerit, tantum Deo appropinquabit.

Quantò altior gradus, tantò profundior casus.

Rectius sequuntur Agnum conjugati humiles, quàm virgines superbientes.

Vis ingens animi, nullius laude moveri.

C Nazianz. in carmin. de beatitud.

Felix, qui primos inter numerandus ovilis
Christicolæ, tacitus se tenet inter oves.

Idem in Tetrastichis:

Sit alta vita, non item alti spiritus:
Illud beabit, miserè at hoc te deprimet.
Altus licet sis, te supra lex est tamen.

S. Bernard. serm. 45. in Cant. *Rara avis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimonia non excludi.* Idem serm. 13. in Cant. *Magna*, ait, *& rara virtus, ut magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem; mirabilem te apparere, & contemptibilem te reputare. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico.* Hæc ergo est vera animi celsitudo, hęc vera magnitudo, ut magnus cum sis, te ut parvum ęstimes & geras. Hæc est summa dos & laus Prælati, ut præsit & regat cum humilitate. Unde Christus per omnia maximus: *Discite*, ait, *à me, quia mitis sum, & humilis corde*, Matth. 11. *Itane*, ait S. August. tract. de Virgin. *magnum est esse parvum, ut nisi à te, qui magnus es, fieret, disci non posset? Ita plane: non enim*
D *aliter invenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quæ magna sibi erat, quando sana tibi non erat.*

Praxes hujus humilitatis, modosque eam assequen- *Praxes.*
di assignat S. Basil. homil. 22. de humilitate: *Quonam pacto*, ait, *ad salutarem hanc animi humilitatem, perniciosa superbiæ elatione relicta, descendemus? Si perpetuò studium modestiæ exerceamus*, &c. *Vide, ne in sermone arrogantiam usurpes sophisticam, neque dilectionem ostentes superbam; sed in omnibus splendori ac magnificentiæ detrahas, comis erga amicum, mansuetus erga domesticum, patiens erga temerarios, humanus erga humiles, patronus afflictis, invisens in dolore constitutos, in summa neminem contemnens: suavis in appellatione, alacer in responsione, dexter & expositus universis, neque tua ipsius celebrans encomia, neque alios qui hoc faciant subornans, neque inhonestam de proximo famam admittens, & virtutes tuas ac prærogativas quantum fieri potest obtegens: peccatorum verò*

gratia te ipsum accusans, nec exspectans, ut ab aliis reprehendare, ut idem facias quod justus, qui in principio sermonis seipsum accusat: & sit qualis erat Job, quem non puduit urbis tumultuationem, propriam contra se deprædicare ruinam. Ne sis increpando molestus ac severus; neque statim, aut cum animi commotione quemquam reprehendas, (resipit enim hoc contumaciam quamdam;) neque propter modica delicta condemnes aliquem, quasi rigidus juris exactor, sed eos, qui deliquerunt, complectare, & spiritualiter instruas, quemadmodum admonet Apostolus, considerans te ipsum, ne & tu tenearis. Et tantum studii impendas, ne apud homines gloriosus habeare, quantum impendunt alii, ut glorificentur, si quidem Christi memor fueris. At Prælatus es aliis, & homines te glorificant? Par esto subjectis, non tamquam dominans in cleris, ut Apostolus inquit; neque sæcularibus principibus te conformes; qui namque primus esse accepit, omnium hominum servum esse jubet Christus.

Denique nihil est, quod nos ita hominibus gratos ac Deo faciat, quàm si vitæ merito magni, humilitate infimi simus, ait S. Gregor. Unde Cassianus collat. 15. cap. 7. docet, charismatum virtutem non in mirabilibus, sed in B humilitate consistere, quæ, ait, est *omnium magistra virtutum, cælestis ædificii firmissimum fundamentum, donum proprium & magnificum Salvatoris.* Et S. Hieron. vel potius S. Paulinus ad Celantiam: *Nihil*, inquit, *habeas humilitate præstantius, nihil amabilius: hoc est enim præcipua conservatrix, & quasi custos quædam virtutum omnium: nihilque est, quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus. Propter quod Scriptura dicit: Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.*

Moral. veterani magis sint humiles. Moraliter hæc Religiosis in Religione veteranis, & studio virtutis ac meritorum magnis congruè accommodat Faustus Regiensis Instruct. ad monachos, quæ habetur in Appendice Biblioth. SS. Patrum: *Quantò plus proficimus*, inquit, *tantò plus humiliemur; quia quantò plus humiliati fuerimus, tantò plus proficimus. Nullus ibi senior tam indoctus appareat, ut putet, quod eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit. Humilitas enim atque obedientia in junioribus adhuc necessitas, in senioribus jam dignitas est. Ille benè proficit, ille benè consummat, qui quotidie sic agit, quasi semper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum, incitamenta esse perfectorum Scriptura pronuntiat.* Vide sequentia.

Illustre exemplum; imò speculum, hujus humilitatis & mansuetudinis fuit S. Franciscus, qui proinde per eam, gratiam & gloriam Dei, Angelorum & hominum est adeptus. Nam Primò, per eam adeò possedit terram cordis & corporis sui, ut illa mansuetudine hac animi planè imbuta, subiiceret se spiritui ad omnes labores & pœnitentias: quare caruit luctâ carnis & spiritus; atque ut animus ejus erat angelicus; ita & corpus erat quasi angelicum.

Secundò, per eam accessit ad primævam innocentiam, quam habuit Adam in paradiso, ut animalia etiam fera eum quasi herum agnoscerent, imò ab eo se cicurari & mansuefieri finerent. Oves & agni eum quasi fratrem ambiebant. Volucres cœli eum concionantem tacitæ, caputque submittentes audiebant, nec recedebant, nisi accepta benedictione. Eugubii lupus vastans regionem, adeò cicur ab eo effectus est, ut pacto à S. Francisco inter ipsum & cives inito, scilicet, ut lupus nil noxæ inferret, cives verò eum alerent, firmiter steterit, ac quotidie in urbem veniens alimoniam promissam petiturus, nulli prorsus noceret, idque per integrum biennium præstitit.

Tertiò, quòd homines feros & barbaros mansuefecerit. Plures prædones sua lenitate & charitate ad pœnitentiam, & ad sui sequelam convertit. Inter quos insignis fuit conversio prædonis in monte Alverniæ, qui rupem quamdam instar castri insederat, quò omnes prædas & spolia quasi ad asylum convehebat. Hic minitans dira S. Francisco, ab eo adeò placidè & suaviter exceptus fuit, ut prædo ejus consortio frui, & cum eo habitare postularit; ubi visa ejus sanctitate conversus, ab eo in Ordinem suum recipi petiit & impetravit; cumque alii eum F. Lupum appellarent, S. Franciscus eum F. Agnellum nominavit; quia ex lupo mutatus erat in agnum, juxta illud Isaiæ 11. *Habitabit lupus cum agno, & puer parvulus minaA bit eos.* Assisii magnæ erant turbæ inter Episcopum & urbis consules. Ille interdixerat his sacra; hi interdixerant illi omne commercium, ut nihil illi suive venderetur, aut vicissim ab eis emeretur. S. Franciscus misit è suis Religiosis, qui urbis proceres ducerent ad Episcopum, ac coram utrisque concinerent hosce versus. *Lauderis, mi Domine, propter illos, qui pro tuo amore offensas dimittunt, & patienter sustinent tribulationem & infirmitatem. Beati illi qui in pace sustinuerunt, quia à te altissimè coronabuntur.* Jussa peregerunt Religiosi, ac velut Dei præcentores alternis hoc carmen choris cecinerunt. Et ecce illicò Episcopus & proceres quasi excantata ira in mutuos ruerunt amplexus, utrinque veniam à se mutuò exposcentes; nimirum, Deus per S. Franciscum huic concentui occultam impertiit virtutem mansuefaciendi animos tam ægros & sibi invicem offensos. Denique adeò induit mansuetudinem Christi dicentis: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, ut Christus quinque vulnerum suorum stigmata ejus manibus, pedibus & lateri impresserit, quibus ipse in Christum crucifixum transformatus & transfiguratus videbatur. An non hæc inB gens gloria S. Francisci tam mansueti? Hinc & rebus inanimis quasi animatis imperabat. Unde, cùm cauterium ipsi inureretur ferro candenti, illi imperans, nullum sensit ardorem aut dolorem: quocirca ipse solem, lunam, stellas, ceterasque creaturas, quin & mortem morbosque vocabat fratres & sorores, ac cum illis quasi frater cum fratre agebat.

ALTIORA TE NE QUÆSIERIS] Hæc sententia aptè cohæret cum humilitate, de qua sermo præcessit, imò quasi conclusio educitur ex eo quod Græca præmittunt: *Multi sunt excelsi & gloriosi, sed humilibus* (S. Ambros. *mansuetis*) *revelantur mysteria.* q. d. Noli superbè altiora te quærere; quia non superbis, sed humilibus ea revelantur. Hinc sumptum est illud Hebræorum proverbium, במופלי מסך אל תדרש *bemophlele mimmach al tidros*, id est, *difficiliora quàm pro te ne quæras*; vel, *occultum à te ne inquiras.* Unde suspicor ita Hebraicè hic in avi Siracidis textu exstitisse. Sensus est, q. d. Noli curiosè scrutari, quæ Deus tibi occulta esse voluit, hoc est, res abditas, & à natura ipsa involutas. Huc pertinet illud Hebræorum dictum: *Non licet interrogare, quo conC silio, quamve ob causam creator hoc vel illud fecerit. Ne curiosè inquiras in facta Dei.* Nam omnia facit sapienter, tametsi ea lateant sapientes. Ab humilitate conversandi Siracides transit ad humilitatem discendi & sapiendi. Græca Complut. addunt ἀμαθῶς, id est, inscienter, inconsideratè, imprudenter; sed alii codices id demunt, idque per se in τὰ *altiora* intelligitur. Legit Interpres ὑψηλότερα, id est, *altiora*: atque ita legit S. Cyprian. lib. 3. Testimon. S. August. in Speculo, & Alexander Episcopus Alexandr. apud Theodoret. libr. 1. Histor. Jam legunt χαλεπώτερα, id est, difficiliora; alii, βαθύτερα, id est, *profundiora*; Syrus, *duriora*, vel *asperiora*; S. Ambros. initio cap. citatus legit, *difficiliora te ne quæras sine sensu, & fortiora te ne exquiras cum stultitia.* q. d. Difficiliora se quærere, est insensati & stulti.

Nota pronomen, *te*: quod enim te est altius, potest non esse altius me, & vice versa. Unde Tigurina vertit, *difficiliora, quàm quibus par sis, ne quæras.* Explicat id Paulus dicens, *Non plus sapere quàm oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem; & sicut unicuique Deus divisit D mensuram fidei*, Roman. 12. 3. Unde Arabicus vertit, *ne quæras id, quod eminet supra vires tuas; & ne inquiras id, cujus tibi difficilis est consecutio.* Additque: *Et si præfectus fueris in aliqua præfectura, indulge libens.* Sicut enim altius est aure velle videre, oculo velle audire, pede velle transcendere caput; commensum verò est auri audire, oculo videre, pedi ambulare: ita altius est idiotæ velle scrutari astrorum ordines & cursus; id verò commensum est astrologo, nisi modum excedat, ut illa quasi digitis suis dimetiri velit. Altius est rustico investigare causas nivis, grandinis, ventorum: id verò commensum est physico. Altius est laico disputare de subtilibus mysteriis & controversiis fidei; sed id commensum est Theologo. Unde S. Basilius, cùm Demosthenes arte cocus, secta Arrianus, secum vellet de sanctissima Trinitate disputare, & arrianismum propugnare, appositè eum repulit dicens: *Hodie vidimus Demosthenem insulsum & infantem. Tuum est, ô Demosthenes, pulmenta decoquere, non de Theologia disserere.*

Altio-

VERS. 22.

Altiora ergo quærunt, qui ea, quæ suum statum, & captum transscendunt, curiosè scrutantur; qui indagant ea quæ per lumen rationis, vel naturale, vel supernaturale indagari nequeunt; ut qui Cingaros consulunt de fortuna & sorte sibi obventura; qui interrogant sagas & magos vel astrologos de eventibus futuris, vel præteritis, aut præsentibus arcanis & occultis: hæc enim eorum captum superant, sed commensa sunt Prophetæ & spiritui prophetico. Insuper, qui curiosè indagant, an sint prædestinati à Deo, aliaque Dei consilia, & secreta scrutantur, contra quos denotat Sapiens Proverb. 25. 27. *Qui scrutator est*, inquit, *majestatis, opprimetur à gloria*. Et Apostolus Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus*! Et S. Fulgent. de Incarnat. c. 28. *Quod*, inquit, *interrogant isti de Deo, dicentes: Cur ergo non facit omnes homines velle credere, cùm non sit personarum acceptio apud Deum? Scire debent hoc in illis altioribus positum, à quibus S. Scriptura humanæ curiositatis arcet audaciam: Altiora te ne quæsieris, fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper*. Et S. Fulbertus Carnotensis epist. 1. ad Adeodatum (extat tomo 3. Biblioth. SS. Patrum) sub initium: *Altiora te ne quæsieris*, &c. *incomprehensibilem enim*, inquit, *divini consilii altitudinem sapientia humana puro cognitionis intuitu comprehendere non potest*. Denique, qui mysteria SS. Trinitatis, divinitatis & humanitatis Christi nimis profundè & sublimiter, vel subtiliter scrutari volunt. Unde Nyssenus de Vita Mosis: *Altiora te ne quæsieris; hoc est*, inquit, *noli ossa Christi conterere: non enim eges scientia ipsorum*. S. August. verò lib. contra Priscillian. ad Orosium, cap. 11. tom. 6. quærenti, an sol, luna & sidera rationales habeant spiritus, sintque animata, respondet: *Altiora te ne quæsieris*, &c. *Ut magis in istis temeraria præsumptio, quàm cauta ignoratio culpanda videatur*. Ævo enim S. August. multi sectantes Platonem censebant, astra esse animata: jam constat ea esse inanima.

Rursum hæc sententia, cùm sit generalis, multis aliis aptari potest, ut politiæ: q. d. In politia noli altiora te quærere: v. g. cur rex, princeps, aut magistratus hæc illave sanciat aut faciat: habet enim rationes altiores, & universaliores, quas tu ignoras. Rursum statui, & professioni: q. d. Noli statum & professionem tuam excedere, ut cùm sis plebejus, velis haberi nobilis; cùm sis chirurgus, velis agere medicum; cùm sis opifex, velis agere doctorem; cùm sis grammaticus, velis agere Theologum. In quos extat parœmia Hebræorum lib. Sanedrin c. ult. *Camelus abiit, ut cornua quæreret; & aures, quas habebat, amputaverunt ei*. Qui enim indebita ambit, debita amittit; qui altiora postulat, congruis privatur; qui aliena invadit, propriis mulctatur.

ET FORTIORA TE NE SCRUTATUS FUERIS] Idem dicit. Græca addunt, ἐν ἀφροσύνῃ, id est, *in insipientia*, quasi significet, id esse insipientis; aut non omne horum scrutinium se vetare, sed tantùm nimis curiosum, insipiens & stultum. *Fortiora* vocat sublimiora, altiora, statum & captum exuperantia. Hinc Tigurina vertit, *ne scruteris stultè quæ vires tuas superant*; Syrus, *quæ validiora sunt te, ne investiges*. Hebr. enim גבר *gabar*, id est, esse fortem, roborari, significat prævalere, vincere, superare, transcendere. Unde psal. 138. 6. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est*, id est, prævaluit, vicit me, *hinc non potero ad eam* pertingere. Gen. 49. 26. *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus*: q. d. Benedictiones Jacobi prævaluerunt, & superaverunt benedictiones Isaaci, & Abrahæ patrum tuorum. Vide ibi dicta. Hebræi ergo difficiliora & captum exuperantia vocant fortiora, duriora, altiora profundiora.

Gnomæ de non scrutandis altioribus se. Aurea est gnome S. Augustini libr. de Beata Vita ex Terentio: *Cum non possis esse, quod velis; velis id, quod possis*. Talis est & illa vulgò trita: *Asinum agas, si equum agere nequeas*. Et illa: *Tuo te pede metire*. *Ne sutor ultra crepidam*. *Tua sorte contentus vive*. Et illud Arabicum centuria 1. n. 96. *Quando non evenit tibi, quod vis; velis, quod evenit*. Maximus serm. 21. & Antonius in Melissa, part. 2. serm. 77. narrant Thaletem in cælum suspicientem, & astra contemplantem, lapsum in foveam irrisum à vetula, dictitante, *meritò id illi accidisse, qui actum, quod ante pedes esset, ignoraret, cælum contemplaretur, ut cognosceret*. Quò spectat illud Pacuvii: *Quod ante pedes est, nemo spectat: cæli scrutantur plagas*. Euclidem verò rogatum à quodam, *quales essent dii, quaque re maximè gauderent*; respondisse: *Ego cetera nescio, at curiosos illis odio esse certò scio*. Memorabile est, quod scribit Laertius lib. 6. de Platone, scilicet, eum ideas suas prædicantem, easque novis vocabulis appellantem *menseitates & cyathitates*, per quas voce intelligebat species mensæ & cyathi irrisum à Diogene dicente: *Mensam ac cyathum video; menseitatem & cyathitatem non video*. Sed Platonem acutè ei in os regessisse: *Non mirum: nam oculos habes, quibus cernuntur cyathi ac mensa; mentem verò non habes, qua cernuntur menseitates & cyathitates*. Sequitur:

SED QUÆ PRÆCEPIT TIBI DEUS, ILLA COGITA SEMPER (pro *semper*, Græcè est ὁσίως, id est, *sanctè*, & ita legit S. Ambr.) ET IN PLURIBUS OPERIBUS EJUS (vestigandis, & perscrutandis) NE FUERIS CURIOSUS] Syrus, *id quod proposuerunt tibi, intellige, & ne sit tibi confidentia in occultis*. *Curiosus*, ait B S. August. de Utilit. credendi, *est, qui avidè scrutatur ea, quæ ad se non pertinent: studiosus verò, qui diligenter perquirit ea; quæ ad se attinent*. Hoc utilissimum est dogma, hæc vera est sapientia, hæc praxis virtutis, hæc via ad felicitatem & beatam æternitatem.

Idque adeò est clarum, ut idem lumine naturali viderint & docuerint Gentilium philosophi. Maximus serm. 36. citat Socratem, qui rogatus à curioso quid ageretur apud inferos, eum irridens dixit: *Nec ego apud inferos fui, nec quemquam illinc reversum allocutus*. Hinc Socrates curiosis illud Homeri semper ingerebat: *Ædibus in nostris, quæ prava, aut recta gerantur*. Idem teste Laertio & Gellio, auditores ab exacta cognitione astrologiæ physicæ, geometriæ & rerum ultramundanarum traducebat ad studium Ethices, dicens: *Quæ supra nos, nihil ad nos*. Ethica verò ad nos pertinet, quia facit, ut nobis ipsi noti simus, utque rem domesticam aut publicam utiliter administremus. Rursum Maximus, & Antonius locis citatis, citant illud Demonactis: qui interrogatus, an mundus esset animatus, & rursus an globosus, respondit: *Vos de mundo solliciti estis, & vestram ipsorum immunditiem* C *non curatis*. Idem intuitus duos philosophos indoctos, curiosos, & insulse inter se disceptantes, inquit: *Uter stultior, qui mulget hircum, an qui cribrum supponit*? Ita Lucianus in Vita Demonactis. *Gnomæ de vitanda curiositate.*

Diviniùs noster Thomas Theodidactus de Imitat. Christi lib. 1. c. 3. *Quid prodest*, ait, *magna cavillatio de occultis & obscuris rebus. de quibus nec arguemur in judicio, quia ignoravimus? Grandis insipientia, quod neglectis utilibus & necessariis, ultro intendimus curiosis & damnosis*. Et inferiùs: *Certè adveniente die judicii, non quæretur à nobis, quid legimus, sed quid fecimus: nec quam benè diximus, sed quam religiosè viximus*.

NON EST ENIM TIBI NECESSARIUM, EA, QUÆ ABSCONDITA SUNT, VIDERE OCULIS TUIS] Tigurina, *non opus est, ut oculis tuis arcana perVideas*. Est liptote, sive miosis: minùs enim dicitur, & plus significatur: *non est tibi necessarium*; imò non decet, non expedit, turpe est, irrationale & sæpè factu impossibile. Denique incivile est & rusticum, avertere oculos ab his quæ Deus nobis vult revelare, & convertere ad ea quæ voluit occultare. Arguté Ægyptius ille bajuD lus, gestans quiddam velis opertum, cuidam curioso sciscitanti quid portaret: *Ideò*, inquit, *obvelatum est, ne scires: cur verò vestigas, quod occultatum est*? Gorgias rogatus à quodam, cur faba ventrem inflent. cùm ignem non inflent: *Istud*, inquit, *tibi despiciendum relinquo: ceterùm scio, terram ad versus hujusmodi homines producere ferulas*. Idem audiens quemdam argutè de Antipodibus differentem, irridens eum, ostensis in puteo hominum umbris, quæsivit, *num illos Antipodes putaret*? VERS. 23.

IN SUPERVACUIS REBUS NOLI SCRUTARI MULTIPLICITER] Græca Complut. & S. Ambros. legunt; *in supervacuis λόγων*, id est, *sermonum* (Roman. ἔργων, id est, *operum*) *tuorum ne sis curiosus*; Syrus, *& in reliquo operum ejus, ne fias difficilis*; Tigurina *plura negotiis tuis ne cura, nec supervacua scruteris multifariam*. Græcum enim, μὴ περιεργάζου significat Primò, *ne sis curiosus*; Secundò, ne nimis sis sollicitus, vel anxius; Tertio, VERS. 24.

dicentes se esse sapientes, vani & stulti facti sunt, ait Apost. Rom. 1. De quibus proinde verè dicit S. Prosper contra Collatorem, pag. 147. *Et quidem dicissi fuerunt: Atque sole, reliquerunt, sidereum causa perpetuam nullam habituras terras; sic unicer. sua specie viribus naturalibus ad comprehendendam veritatem prae divina veritate tamen e sunt atque caligo: cujus in sole verbo Dei explicatur doctrina & traditur, ac convenit cognitis atque scientia.* In eosdem hanc paroemiam faciant Hebraei: *Descenderunt in profundum maris, & eduxerunt testam.* Sicut enim urinatores in mare se demergentes ad quaerendum merces pretiosas, pro iis saepè educunt testas & quisquilias: sic Philosophi scrutantes sapientiam, nugas & errores repererunt. Vide S. Eucherium epist. ad Valerian. & Francis. Vallesium de Sacra Philosoph. cap. 64. Unde hanc sententiam in Graeco sic habet, *multos enim implanavit suspicio ipsorum, & cogitatio mala labefecit sensus illorum;* S. Ambros. *multos supplantavit suspicio illorum vana, & cogitatio prava labefecit sensum eorum;* Tigurina, *multos enim decepit vana sua opinio, & conjectura sensus sui prava labefactavit.* Graecum enim ὑπόληψις explicatur per *existimationem*, item *existimationem* significat cogitationem, opinionem, suspicionem, conjecturam: hinc apposite labefactaant *sensum*, id est, mentem, sensum, sententiam eorum. Quare parergon est Hugonis explicatio: *Verbum, suspicio*, inquit, *est sursum aspicio; nomen, suspicio, est nimia alta scrutatio*, q. d. Qui nimiam suspicit, & altiora se scrutatur, facilè decipitur. Nihil enim significat ὑπόληψις vel ὑπόνοια. Vide Arabicus, *video homines diversos, & opinio mala subvertit cor eorum in peccatum finis illius;* Syrus, *quia multae sunt cogitationes hominum, & apparentia mala errare faciunt.*

Sic quot quantosque hodie implanavit alchymia, qui, ut invenirent lapidem philosophicum, quo argentum & metalla converterent in aurum, distillando exhauserunt suas opes, labores, annos & vitam cassò & irrito conatu? Quot ingenia frustrà desudarunt in invenienda quadratura circuli? Denique hinc orti sunt omnes errores & haereses, quòd seduces novatores curiosos supplantet sua suspicio, id est, opinio, quam quisque sibi format & concipit, non fides, quam sacrae Literae docent. *Curiositas*, ait S. August. tract. 97. in Ioan. *invenit haeresim.* Et Tertull. lib. de Praescript. adversus haeret. *Haeresis*, ait, *à Philosophia subornatur; inde aeones & formae nescio quae, & trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat*, &c. Unde Philosophos vocat patriarchas haereticorum. Quare sapienter Urbanus Pontif. ad Carolum, ut habetur dist. 37. *Non in Dialectica*, inquit, *placuit Deo salvare populum suum: regnum Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonum.* Et S. Nilus Instit. ad Monach. *Curiositas*, inquit, *nulli scrutari: sed crede tantùm, & adora.* Verè Sapiens c. 4. 12. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiae transvertit sensum.* Nimia enim scrutatio mentem hebetat, sicut nimia lux oculos excaecat. Vide Artemidorus lib. 1. Onirocrit. c. 28. *Nomen etc. est mihi quidam, qui a sue est sibi tot oculos habere, & caecus factus est.*

Suspiciosi torquentur falsis curis. Moral. Suspiciosi, quales sunt timidi & melancholici, in multis errant & delirant; quia suspicantur timenda & tristia, quae illis suggerit timor & atra bilis. Verè S. Eucherius ad Valerian. *Si vis*, ait, *sinceras, suspicax non eris: nam cum suspicaverit, nisi quod nesciimus.* Quare talibus inculcandum est, quod medici inculcant ei, qui laborat capitis vertigine, ideoque putat domum & res omnes gyrare & volvi: *Non domus, sed tua te vertigo gyrat, Non domus, sed tua phantasia, tuum cerebrum vertitur. Pone ergo metum: non cadet domus, non te opprimet: illa firmo consistit; sed tua imaginatio infirma & nubila omnia sibi similia esse, secumque volui autumat.* Huc facit emblema: *Suspicionibus siccatis*, nimirum:

Suspicio contra tollatur dira facessat,
Non potis hoc unum pellere cassa malum,
Cur tu quod fugeres, quod te fecisse puderes,
Hoc alium prava suspicione gravas?
Suspicione caret, parvique homo pollora sollo:
Improbus est, quisquis suspiciosus erit,
Qui sapit, inventum semper melioribus addit,
Qualibet atque animi candidiore notat.

Post hanc sententiam Complut. & nonnulli alii codices Graeci, & S. Ambros. subdunt hanc sententiam: *Pupillas non habens, carebis lumine; intelligentiae autem expers, ne profitearis;* Tigurina, *oculis carens, cujus expers es, ne profitearis.* Syrus hanc sententiam subnectit post vers. 29. eamque ita enuntiat, *Qui non habet pupillas oculorum, desit in lumine; & etiam carens malè a scientia, ne consilium dederis ad docendum.* Sensus est: Sicut, qui caret pupil-

Cornel. in Ecclesiast.

la, & consequenter visu, qui est in pupilla, non potest videre; nec lucem praebere aliis membris, totique corpori: ita qui cognitionis est expers, non potest eam aliis impertiri: proinde à docendo abstineat. q. d. Ne alios doceas, quod prior ipse non didiceris: ne fias magister, nisi priùs fueris discipulus: ne sustineas esse doctor, nisi ipse sis doctus, non tantùm adjectivè, sed & substantivè. Nonnulli enim habetes multos annos audiunt insignes philosophos & Theologos, ab eisque multa docti, remanent tamen rudes & indocti. *Sic Pythagoras*, ait S. Hieron. ad Paulinum, *Memphiticos vates, sic Plato Aegyptum laboriosissimè peragravit, ut qui Athenis magister erat & potens, cujusque doctrinam Academiae gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens aliena verecundè discere, quam sua impudenter ingerere.* Et infrà: *Tractant fabrilia fabri; sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant, &c. Alii, cùm ad Scripturas sacras post saeculares litteras venerint, & sermone composito aures populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant: nec scire dignantur, quid Prophetae, quid Apostoli senserint; sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia; quasi grande sit, & non vitiosissimum dicendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem.*

Vers. 27. COR DURUM MALE HABEBIT IN NOVISSIMO: ET QUI AMAT PERICULUM, IN ILLO PERIBIT.] Cor durum efficit superbia, & consuetudo crebra peccandi. haec enim, cùm sit quasi altera natura, induerat mentem in peccato. Transit ab humilitate ad duritiem quasi ad contrarium, quia solent oratores ex antithesi unius contrarii illustrare alterum ei adversum. Sicut enim cor humile est tenerum, molle & flexile; sic cor superbum est durum, rigidum & inflexile. Cor durum ergo opponit, tum mansuetudini & humilitati, quam commendavit vers. 19. & 20. tum obedientiae, quam filiis commendavit v. 2. & sequent. Multi enim filii sunt durae cervicis, obstinati, pertinaces, ideoque inobedientes & rebelles parentibus. Tangit ergo radicem obedientiae, quae est humilitas; & inobedientiae, quae est superbia & obstinatio. Denique cor durum facit homines pertinaciter inhaerere suae suspicioni & opinioni, de qua vers. praecedenti. Quare cor durum hic exagitat, & quàm grande sit malum demonstrat.

Igitur cor durum vocat praefractum, superbum, protervum in peccato, suaque prava opinione & sensu obstinatum, quod nullis monitis trahique se flecti sinit, ideoque obduratum est & impoenitens, quale fuit cor Pharaonis, Exod. 7. & sequent. quod proinde licet Deus ad tempus toleret; tamen tandem horrendis plagis disperdit & conterit, uti contrivit Pharaonem immittendo toti Aegypto decem plagas acerbissimas: nec enim aequum est, ut Deum sentiat blandum in morte, qui erga Deum & homines fuit durus in vita, ait Palacius. Et Lyran. *Sicut durum*, inquit *in corporalibus dicitur, quod resistit tangenti; sic in spiritualibus, quod resistit instinctui ad bonum.*

Cor durum describit S. Bernard. Divinè cor durum definit & describit S. Bernard. lib. 1. de Consider. ad Eugen. *Quid sit, est cor durum? Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret; quia nec sentit. Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus minis non cedit, flagellis induratur. Ingratum est ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia saevum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina: praeteritorum obliviscens, praesentium negligens, futura non providens. Ipsum est, cui praeteritorum, praeter solas injurias, nihil omninò non praeterit: praesentium nihil non perit; futurorum nulla, nisi forte ad ulciscendum, prospectio seu praeparatio est. Et, ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.*

Porrò, *cor durum malè habebit in novissimo*, q. d. Cor durum videtur sibi benè habere, quia in suis cupiditatibus, aequè ac protervia & duritie, sibi complacet, firmiterque conquiescit, ac videtur sibi esse inexpugnabile; quia nemo audet illud tangere, eò quòd quisque desperet illud se posse frangere: sed *in novissimo*, id est, tandem, praesertim in morte, *malè habebit*: quia tanget illud, & franget Deus. Unde Syrus vertit, *cor durum, malus finis ejus*; id est, cordi duri malus erit finis: ex adverso, *qui diligit bona, in iis calcabit*: id est, in iis incedet, iis

H utetur

utetur & fruetur, tam moriens, quàm vivens; Tigurina, *cor pertinax malum tandem accipiet*. Denique cordi lapideo & duro, quale fuit Judæorum, opponitur cor carneum & molle, quod Deus per Christum promittit Christianis Ezech. c. 11. 19. & c. 36. 26. Vide ibi dicta. Unde Abbas Pastor rogatus de duritia cordis, respondit, eam vinci & frangi verbo Dei: *Natura aquæ*, inquit, *mollis est; lapidis autem dura est: & si vas aquæ plenum pendeat supra lapidem, ex quo assiduè stillans gutta cadat in lapidem, perforat eum: ita & sermo divinus lenis est; cor autem nostrum durum: audiens ergo homo frequenter divinum sermonem, aperitur cor eius ad timendum Deum*. Ita Vitæ Patr. lib. 6. libello 18. n. 16. Alius: *Esto*, inquit, *janitor cordis tui, ne intret peregrinus dicens: Noster es, an adversariorum?* Claude ergo cor ne intrent ea, quæ illud indurent. ita Joannes Moschus in Prato spirit. c. 110.

ET QUI AMAT PERICULUM, PERIBIT IN ILLO] Primò, Palacius hoc refert ad cor durum, de quo sermo præcessit: q. d. Cor durum amans periculum damnationis æternæ, in ea damnatione peribit. Est enim cordis duritia aperta ad damnationem via: sicut benignitas, charitas, teneritudo, certa est ad felicitatem semita.

Secundò, idem generaliùs per *periculum* accipit peccatum mortale: est enim peccatum mortale certum inferni periculum: q. d. Qui amat peccatum mortale, in eo peribit, id est, morietur; ibitque ad mortem gehennæ æternam, nisi Deus magna sua misericordia eum ruentem cohibeat, reducat, & extrahat.

Tertiò, planè & plenè: qui amat quodlibet periculum, in eo peribit. Sicut enim milites pugnaces, qui amant bellum, in ejus periculis & præliis pereunt; ac natatores, qui amant natationem, in ea ferè submerguntur: sic, qui amant rem quampiam, cui subest periculum peccati, v. g. consortium feminarum, vel impiorum, in ea communiter pereunt; quia cadunt in peccatum & exitium, cujus erat periculum, in quod ultrò se coniecerunt, nec ab eo etiam moniti se abduxerunt. Sic qui negligens est in reiicienda cogitatione libidinis vel vindictæ, facilè labetur in ejus consensum. Quocirca S. Chrysost. homil. 22. in cap 7. ad Rom. *Lascivus*, inquit, *es, & luxui deditus? ponito tibi ipsi certum terminum, ut possibile mulierem non aspicias, neque in theatrum ascendas: multò siquidem facilius est principio mulierem elegantis formæ ne videre quidem, quàm postquam spectaveris, irrequietam ex animo, quæ inde nascitur, eiicere tumultuationem. Leviora enim sunt prima congressu certamina, imò ne opus quidem fuerit certamine, tantummodo ne aperiamus hosti portas, neque semina malitiæ recipiamus*. Quocirca S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium, de custodia virginit. *Dum*, inquit, *parvus est hostis, interfice nequitiam, ne crescant zizania, elidatur in semine*. Causa est, quòd dæmon tegit periculum specie honesti amoris, vel amicitiæ. Sicut ergo aquæ pellucidæ fallunt ingredientem, ut fundum earum videns putet eas non esse profundas, sed facilè posse transiri, dum verò eas ingreditur & pergit, sentit esse opinione sua profundiores, ac tandem iis superatur & mergitur: sic prorsus accidit in conversatione feminarum, ceterisque rebus periculosis. Verè Plinius lib. 31. cap. 2. *Periculosiores*, inquit, *sunt fontes, qui limpidis aquis blandientes, oculis tamen perniciem afferunt; minus formidandi, qui ipsa specie testantur, aquas esse fugiendas*. Ita difficiliùs vitantur mala, quæ boni prætextu fallunt.

QUI AMAT ergo PERICULUM, PERIBIT IN ILLO] Dicit hoc ob curiosos, de quibus egit paulò antè. Curiosi enim ob curiositatem in multa se coniiciunt pericula, in quibus proinde pereunt. Unde Græca Romana hanc sententiam collocant ante v. 27. *Cor durum*, &c. & proximè subnectunt iis, quæ de curiositate dicta sunt. Rursum proximè juxta editionem Vulgatam & Complut. hæc referas ad cor durum: q. d. Cor durum videtur sibi benè habere: at in novissimo malè habebit; quia certa illud manet Dei vindicta, certum supplicium: qui ergo amat hoc cordis duri periculum, implicitè amat hoc ejus supplicium, nimirum, qui in corde duro durè persistit hic utique in eo peribit, uti dixi expos. 1. Communi enim hominum sensu & phrasi, qui amat antecedens, dicitur amare consequens ei annexum: qui amat culpam, dicitur amare pœnam culpæ annexam: qui amat rem periculosam, dicitur amare periculum rei concupitæ annexum. Cordi ergo duro applicat hanc de periculo gnomen; quæ tamen, cùm sit generalis, cuivis periculo aptari potest.

Quocirca rectè ex ea colligunt Theologi, eum, qui expertus est conversationem cum certis personis, aut rem aliam sibi fuisse occasionem peccati, ita ut ea posita sæpè lapsus sit in consensum peccati mortalis, aut ex aliis coniecturis colligit imminere sibi grave periculum talis consensus, omninò teneri abstinere à tali conversatione, re & occasione, licet aliàs licita & utili, nisi necessitas ea uti cogat. Vide Sanchez de Matrimonio, tom. 3. lib. 9. disp 45. n 6 & Joan. de Salas 1. 2. quæst. 74. tract. 13. disput 6. sect. 17. Rationem dat S. August. lib. 16. de Civit. cap. 19. & lib. 22. contra Faustum, c. 25. & 26. dum ait: *Qui non præcavet periculum quod præcavere potest, potius tentat Deum, quam sperat in eo*. Et S. Basil. de Constit. Monast. cap. 4. *Bellum*, ait, *quod præter voluntatem incidit nobis, excipere fortasse necessarium sit; ipsum verò voluntariè sibi creare, summa dementia est*. Præclarè S. Cyprian. de Singular. Cleric. *Pro certo*, ait, *implanatur animum suum decipit, qui non cavendo contraria, noxiis rebus semetipsum commiserit. Ille autem tutiùs sibi consulit, qui circa malos semper insidias, species quascumque noxias extimescit*. Nam, ut sapienter ait Seneca in Hercule fur.

Qui ambit periculum peccati mortalis, peccat mortaliter.

Nemo se tutò periculis offerre tam crebrò potest:
Quem sæpè transit casus, aliquando invenit.

Prudenter ergo Comicus: *Miseri est nescire sine periculo vivere*. Notat inquietum hominum genus, quod fortunæ suæ secundæ semper iostat, negotia quærit è negotiis, bella è bellis. Tales enim, etsi fælices, miseros vocat auctor. Hujus animi unum pro multis graphicè depinxit Cornelium Fuscum lib. 2. Histor. Tacitus: *Non tam præmiis periculorum*, inquit, *quàm ipsis periculis lætus pro certis & olim partis nova, ambigua, ancipitia malebat*. Quocirca Siracides sententia hac excludit fatum, quod multos seducit, ut nullum periculum vitent. Turcæ enim ruunt in enses & neces, dum præliantur. Hæretici nostri, quin & Catholici nonnulli, nec pestiferos, nec pestis periculum fugiunt, persuasi hoc argumento: Vel Deus decrevit, ut moriar peste, gladio, &c. vel non decrevit. Si decrevit, quidquid egero, moriar: quia Dei manus & decretum effugere vel infringere nequeo. Si non decrevit, non moriar: liberè ergo in periculum quodvis me inferam. Verùm hic manifestus est paralogismus: Deus enim non decrevit, ut moriaris peste, prælio, rixa, nisi tu sponte in illam, indeque in evidens mortis periculum, te coniicias. Sin te sponte in illam inferas, permittet te illa tangi & perire: decrevit enim, ut qui amat periculum pereat in illo, uti ait hic Siracides. Quocirca vice versa decrevit, ut qui fugit periculum, in illo non pereat. Fuge ergo pestem, rixam, prælium, & in illis non peribis. Si sano es cerebro, & sapis, utique hoc ita esse fateberis.

Huc facit elegans & festivus apologus murium & felis apud Gabr. Faernum:

Apologus murium & felis.

Consilium olim cùm senatus murium
Deliberaret, sæva quo possent modo
Cavere felis furta, & insidias graves,
Decrevit unus, collo ut adversarii
Suspenderent ex ære tintinnabulum,
Cujus sono illum adesse persentiscerent.
Probare pro se quisque consilium; & statim
Cœpere pedibus ire in hanc sententiam.
Tum ab sede surgens unus ex primoribus,
Cui cano oculos barba velabat genas,
Manu silentium imperans: Mihi quoque
Probatur, ut cui maximè, hæc sententia;
Sed oro vos, quis, inquit, ex nobis, patres,
Feli ausit alligare tintinnabulum?

Affabulatio: *Carent periculosa consilia exitu*.

Porrò S. Chrysost. homil. 67. ad populum, egregiè docet, quando pericula sapienter sint fugienda, quando generosè capessenda: *Precemur Deum*, inquit, *ne intremus in tentationem: inducti verò generosè feramus. Nam illud quidem est modestorum virorum, se periculis non ingerere; hoc autem generosorum atque sapientum. Nec itaque nos ingeramus temerariè; audacis enim est: neque rebus tracti vocantibus cedamus, timidi siquidem est: sed, si prædicatio quidem vocet, ne recusemus: cùm verò nulla causa proruer, aut utilitas necessitasve secundùm pietatem vocet, ne curramus: ostentatio enim est & superflua jactatio. Si quid verò fiat, quod noceat pietati, licet innumeras sustinere mortes oporteat, nihil recusemus. Noli tentationes accersere, cùm secundùm pietatem recta tibi successerint: quid superflua attrahis pericula, quæ nullam habent utilitatem?* Probat id ex præcepto Christi: *Hæc dico cupiens, ut Christi leges custodiatis, qui iubet orare ne inducamur in tentationem, & ut tollentes crucem, sequamur eum. Hæc enim non sunt contraria, sed & valde consona. Tu namque ita quidem te præpara,*

Periculum quando subeundum.

tam-

tanquam miles proteruſus: in armis continuò verſaris: ſolers, vigilans ſemper hoſtem expella: ne tamen hoſtes tibi parias: hoc enim necesse militis, ſed ſidelis. Si verò Religiosis tuba vocet, ſtrenue progredere, & animam porsi pende, & multa cum alacritate deſcendas ad certamina, hoſtium aciem diſſipa, conſtringe caput diaboli, trophæum erige. Si verò pietas nihil ledatur, nec ullus noſtra populare degenatur, ſecundum animam dico; nec aliquid, quod Deo diſplicet, agere cogis; ne ſis ſuperſtitus. Sanguine plenam eſſe decet Christiani vitam, non alienum effundendo, ſed ſuperatum ſuum effundere præſtando. Tanta ergo promptitudine proprium effundamus cruorem, cùm pro Christo ſit hoc agendum, quanta quis aquam effunderet. Nam & aqua ſanguis eſt corpus irrigans. Et tanta facilitate carnem exuamus, quanta veſtimentum. Similia habet Nazianz. orat. 4. cujus verba recitabo cap. 32.15 Huc facit ſapiens Ariſtidis conſilium tomo 2. orat. 1. de pace: *Tunc, ait, ſuſcipiendum eſt periculum, quando incertus ſit eventus, cùm quies aperte nocet.* Et Alcibiades, qui accitus ab Athenienſibus è Sicilia, ut diceret cauſam capitis, abdidit ſeſe, dicens: *Stultum eſſe ſatuum, qui cùm aufugere liceat, diſceptat ubi, cùm liceat vitare ne eat.* ita Plutarch. in ejus Vita. Quod Belgæ eleganter dicunt: *Beter iſt ende vliſten dan [illegible]*; ſatius eſt inter ſarmenta in ſilvis, quàm inter ferra & tormenta in carcere vitam agere.

Vers. 28. COR INGREDIENS DUAS VIAS, NON HABEBIT SUCCESSUS] Hebræi [illegible] *leb derachaim*, id eſt, cor duarum viarum, ſive quod duas ingreditur vias, vocant cor & voluntatem, quæ tendit in duo contraria: quæ vult ſervire Deo & diabolo; quæ vult vacare legi Dei, & legi mundi; quæ intendit tam ſuæ concupiſcentiæ, quàm rationi & virtuti. Vide dicta cap. 2. 14. Hoc *non habebit ſucceſſus*, quia, nec Dei, nec mundi gratiam, quam aucupatur, acquiret: Ita Volſæus ille, qui Henrico VIII. Angliæ regi adulans perſuaſit, ut legitimam uxorem Catharinam Caroli V. amitam repudiaret, aliamque ſibi gratiorem duceret, cùm tandem juſto Dei judicio in regis iram & extremam calamitatem incidiſſet, ſerò facti pœnitens exclamavit: *Me miſerum! quia regis gratiam Deo neglecto aucupatus ſum, juſtè gratiam Dei perdidi, nec regis gratiam acquiſivi.* Teſtis eſt Sanderus de Schiſmate Anglicano.

Pro *ſucceſſus*, nonnulli legunt, *requiem*, idque appoſitè. Irrequietus enim eſt, qui ſatagit duobus dominis contrariis ſervire: neceſſe eſt enim, ut, dum uni placet, alteri diſpliceat; dum uni gratificatur, alterum offendat.

Tropolog. ingreditur vias duas, putà, juſtitiæ & peccati, cæli & gehennæ, qui crebrò confitetur, quæ via eſt juſtitiæ, & tamen ad occaſionem peccandi, quæ via eſt peccati, revertitur; ideoque in via juſtitiæ non habebit ſucceſſus, nec progreſſus. Rurſus duabus viis *terram cor ingreditur, quando & Dei eſt, quod opere exhibet, & mundi, quod per cogitationem quærit*, ait S. Gregor. 1. Moral. c. 12.

Hic verſus item deeſt in Græcis, Syris & Arabicis. Porrò notat proprietatem cordis dueri, ſcilicet, quòd ſit ſectum, velitque Deo ſimul ſervire & mundo. Hi enim quatuor verſus ſpectant ad cor durum; unde mox illud vocat *cor pravum*, & *cor nequam*. Hoc eſt, quod ait Chriſtus Matt. 6. *Ne rejecto duobus dominis ſervire Deo ſcilicet, & Mammonæ. Ita & Elias clamat enim contra hos Elias: Uſquequò claudicatis in duas partes? Bona mater integrum, non diviſum vult filium: ſicut, quaſi mater ſingebat, dividi filium optavit. Ita Deus integrum cor, non diviſum vult. Ita dicente Moyſe: Dominus ſolus dux eorum fuit, neque erat cum eis Deus alienus. Ergo non licet tibi Dagonem habere cum arca. Non licet terram duplici ſemine ſeminare. Non licet veſtem lana & lino contextam. Non licet arare in bove & aſino*, inquit Palacius.

Hinc poteſt per *cor ingrediens duas vias*, intelligi cor non tam ſimulatum & ſictum, quàm varium, inconſtans & peruum; ut ſequitur, quod omnibus ſe accommodat, ut omnibus placeat: quare cum probis eſt probum, cum caſtis caſtum, cum improbis improbum, cum laſcivis laſcivum. Hujus ſymbolum eſt chamæleon, qui colorem mutat, & colores rerum, quibus ſe jungit, aſſumit & induit ex metu, propter paucitatem ſanguinis & caloris, ait Ariſtot. lib. 4. de Part. animal. cap. 11. Tales maximè ſunt hæretici, de quibus S. Bernard. ſerm. 65. in Cant. *Hypocritæ, inquit, hæretici ovem ſunt habitu, aſtu vulpes, actu & crudelitate lupi: hi ſunt, qui boni videri non eſſe, mali non videri, ſed eſſe volunt. Mali ſunt, & boni videri volunt, ne ſoli ſint mali. Mali videri timent, ne parum ſint mali. Iterum minùs ſemper malitia palam nocuit; nec unquam bonus, niſi boni ſimulatione decipitur eſt.*

Cornel. in Eccleſiaſt.

ET PRAVUM COR) Varia eſt hic lectio, S. Aug. in Speculo & Tigurina legunt utrumque *prævericordis*; alii, *pravus corde*, alii, *maximum*; alii, *cor pravi*; alii, *pravi cordis*. Vide hic Francisc. Lucam Notis ad hunc locum. Legendum cum Romanis: *Et pravum corde*) IN ILLIS SCANDALIZABITUR) id eſt, offendet; Tigurina *offendetur* (vide dicta cap. 1. v. 35. *in illis*; q. d. Impinget, cadet, in ruinam incidet, dum duabus ingreditur viis, dum, ſcilicet, ſimul Deo & mundo capit placere. Pendet hoc hemiſtichium à præcedenti, ideò enim non habebit ſucceſſus, quia impinget & corruet, dum enim uni domino ſervit, alterum illi contrarium offendat, ejuſque iram & vindictam incurrat, neceſſe eſt: præſertim quia Deus, qui totum cor poſcit, non fert æmulum & rivalem, ideoque graviter punit eos, qui cordis dimidium ſibi ſurripiunt, hoſtique ſuo tradunt.

Secundò, moraliter & appoſitè Palacius, *Quod, ait, inquit, non habebit ſucceſſus, ita intellige. Tu volebas frui bonis bona & mala via: at neque his frueris, nec illis. Nam frueretur te bonis, quæ in mala via eſſe videntur, avocat bona via: & delectationi tuæ in mala bona via ſ[illegible]; ita contrà frueremini bonis via bona, via mala revocat, & delectationi bona via frui, ut licet, non ſinit. Hoc declarat amplius Author per verba ſequentia: Et pravum cor in illis ſcandalizabitur; id eſt, ingrediens ſimul viam bonitatis & malitiæ, ſcandalizatur & offenditur ex utraque. Nam gaudens in bona, torquetur ex mala. Contrà, gaudentem in mala, bona conteriſtat. Ergo eſto calidus, aut ſrigidus: quia verò tepidus es, incipiam evomi ab ore Domini.*

Vers. 29 COR NEQUAM) Græcè, *σκληρὰ*, id eſt, durum, pertinax, obſtinatum in malo, GRAVABITUR IN DOLORIBUS: S. Ambroſ. *laboribus*, quia ſua nequitia, duritia & obſtinatione theſaurizat ſibi iram Dei, juxta illud Rom. 2. 5. *Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei*: Unde cauſam ſubdit dicens: ET, id eſt, quia, PECCATOR, quia jam obduruit in peccatis, eorumque habitum & conſuetudinem penè incorrigibilem ſibi induxit, ADJICIET AD PECCATUM Græcè, *peccator addet peccata ſuper peccata*, & conſequenter dolores dolori, quia Deus addet ei plagas ſuper plagas, ac dolores ſuper dolores, juxta illud Eccli. 23. *Vir multum jurans replebitur iniquitate.* En culpa. *Et à domo eius non recedet plaga.* En pœna. Unde Syrus vertit, *cor durum, multiplicabuntur dolores eius, & arrogans addet peccata peccatis*; Arabicus, *cordis duri multiplicabuntur dolores illius, & deriſor peccata peccatis accumulat*; Tigurina, *cor pertinax gravabitur laboribus, & ſceleroſus peccata peccatis accumulabit.* Nam, ut ait Nazianz. in Diſtichis. *Sicut ferrum atteritur lapides quoque accendit; & durum & aſperum pollex virga contrivi ſolet.* Hinc elice concluſionem, ſi vis arcere dolores & accerſere gaudia, fuge peccata, vaca virtuti & juſtitiæ: ubi enim eſt virtus, ibi eſt & lætitia, ubi peccatum, ibi eſt & comes ejus individuus, putà, triſtitia. Vide idipſum inculcans ſubdit: *Synagogæ ſuperborum non erit ſanitas.*

Nota *Et peccator adjiciet ad peccandum*. Nam, ut ait S. Greg. lib. 25. Moral. cap. 26. *Peccatum, quod pœnitentia non deletur, ipſo pondere mox ad aliud trahit: juſto enim judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in alia cadat.* Id in ſe expertus eſt Auguſt. quare lib. 8. Confeſſ. c. 5. *Velle meum, inquit, tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me, quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido; & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.* Accedit, quòd dæmon à peccatore pro delectatione peccati hanc quaſi exigit uſuram, ſcilicet augmentum peccati, novum quæ peccanam, quod illi ſuggerit, juxta illud: *Ex uſuris & iniquitate redimet animas eorum*, pſalm. 71. 14. Sic à David pro uſura adulterii cum Betſabee, exegit homicidium Uriæ illius mariti.

Vers. 30 SYNAGOGA, id eſt, cœtui, congregationi, multitudini, (vide) SUPERBORUM NON ERIT SANITAS; Græcè, *ἴασις*, id eſt, ſanatio, curatio, medela: q. d. Duri corde & ſuperbi, quia Dei & hominum monita ſpreverunt, nullamque admiſerunt curationem, hinc ſuo tempore graviter & immedicabiliter punientur, ut curari & ſanari nequeant. Cauſam ſubdit: FRUTEX ENIM PECCATI, id eſt, omnis eorum ad peccandum poteſtas & facultas, in qua jam radicati & firmati videntur, ERADICABITUR IN ILLIS, ET NON INTELLIGETUR

H 4 hoc

Digitized by Google

cum paribus, sed cum superioribus, & dominis agere. Vult ergo, ut talibus serviant, non ut servi, servili timore; sed ut ingenui filii liberali amore obsequantur, etiam demittendo se ad officia servilia, & vilia, cùm ea jubent parentes, vel exigit necessitas. Hinc Persæ filiis, servorum vice, utebantur, teste Rhodigino lib. 11. cap. 17. Idem fecisse Lacones, & Cretenses docet Strabo libr. 16. *Honor*, ait S. Hieron. in cap. 15. Matth. in Script. *non tantum in salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur. Honora, inquit Apostolus, viduas, quæ verè viduæ sunt: hic honor donum intelligitur. Et: Presbyteri duplici honore honorandi sunt, maximè qui laborant in verbo, & doctrina Dei.* Ratio est, quia filius cùm totum, quod est, acceperit à patre, est quasi peculium & possessio patris. Unde prima parens Eva, primum generans filium, vocavit eum *Cain*, id est, possessio, dicens, *kanithi*, id est, *possedi hominem per Deum*, Genes. 2. Hinc & patri est jus herile in filium, adeò ut in necessitate eum in servum vendere possit, ut colligitur Exodi 21. 7. sancitque Jus civile l. 2. C. de patribus qui filios distraxerunt. Vide Covarruu. l. 2. Variar. c. 14. n. 4. & Lessium lib. 2. de Justitia, c. 5. dub. 4. in fine.

VERS. 9. IN OPERE ET SERMONE, ET OMNI PATIENTIA HONORA PATREM TUUM] Modum generalem honorandi præscripsit, dicens: *Et quasi dominis serviet his qui se genuerunt*; hìc ad particulares ejus modos descendit. Itaque dicit honorandum esse patrem, Primò, *in opere*, scilicet, opera, quæ pater injungit, exequendo, pro ejus & familiæ sustentatione laborando, necessitatibus ejus quibuslibet subveniendo. Secundò, *in sermone*, ut honorificè de patre loquatur, eum patrem nominet, humiliter ei respondeat, afflictum soletur, iratum blandè compellat, & leniat. Tertiò, *in patientia*, ut patienter toleret patris choleram, asperitatem, imperium, moresque difficiles ac vitia, utque ejus jussa, quantumvis ardua, sibique repugnantia, humiliter excipiat, hilariterque exequatur. Unde Tigurina vertit, *tam factis, quam dictis patrem & matrem honora per summam patientiam, ut benè precetur tibi.* Jubet ergo, ut filii patientia vincant parentum, præsertim senum, morositatem; sicut patrum patientia sustinuit filiorum parvulorum ineptias & importunitatem. Fructum & mercedem quasi stimulum subdit, dicens:

VERS. 10. UT SUPERVENIAT TIBI BENEDICTIO A DEO] Præclarè S. Ambros. in cap. 18. Lucæ: *Est*, ait, *honor non solum honorificentiæ, sed etiam largitatis. Pasce patrem tuum, pasce matrem tuam; etsi paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est; non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera; non reddidisti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium esset, ederet; ne quid quod lacti noceret, hauriret: illa tibi jejunavit; tibi manducavit: tibi illa, quem voluit cibum, non accepit; tibi, quem noluit, cibum sumpsit: tibi vigilavit, tibi flevit: & tu illam egere pateris? O fili, quantum tibi sumis judicium, si non pascas parentem? Illi debes, quod habes; cui debes, quod es.* Ita Isaac honoravit patrem obediendo ei usque ad mortem, offerens se illi ad holocaustum, ac proinde meruit a Deo benedici, & exaltari. Sic & Jacob honorando Isaacum patrem suum, & Joseph honorando & obsequendo parenti Jacobo, omnimodam ejus, Deique benedictionem promeruit, Gen. 49. 25. Plura exempla recenset Rhodig. lib. 11. c. 17. Valer. Max. lib. 5. c. 4. Senec. lib. 3. de Benefic. c. 37.

Ut superveniat tibi benedictio a Deo. Ita legunt passim: sed pro, *à Deo*, corrige cum Romanis, *ab eo*; Græca Complutens. & S. Ambros. *ab hominibus*; Græca Romana, *ab eo*, scilicet, patre. Sic & Syrus, *ut veniant super te benedictiones ejus*, scilicet, patris, de quibus per vocem causalem *enim*, Græcus subiicit, dicens: *Benedictio enim patris firmat domus filiorum*; Arabicus, *ut exaudiatur ipsius deprecatio pro te*. Multi tamen legunt, *à Deo*, quasi non tantùm patris, sed & quamlibet benedictionem, id est, beneficentiam, filio à Deo polliceatur: Deus enim sua beneficentia, patris, omniumque hominum preces excedit & vota.

Porrò hæc Dei benedictio non est fluxa & evanida, sed stabilis & solida. Hoc est enim, quod de ea addit: *Et benedictio illius in novissimo maneat*; quia æterna mercede compensatur, ait Rabanus. Porrò Palacius sic explicat: *Ut superveniat tibi benedictio à Deo*: ita hoc intellige: Ordinaria rerum dispositione futurus eras pauper, infelix, infamis; aliquis te magnus in malum casus manebat: at si patrem in omni patientia honorasti, divina benedictio te casui obnoxium è manibus infortunii liberabit. Sicut contraria ratione, si ordinaria rerum constitutione, longum victurus eras, non dimidiabis dies tuos, perinde ac si vir fuisti sanguinum, aut dolosus. Dignum verò est annotatione, quod sequitur: *Et benedictio illius in novissimo maneat.* Quod intelligi potest, vel quòd divinus favor & adiutorium usque ad finem vitæ duret. Aut, quod germanus est, quòd divinus favor atque benedictio maneat, & servetur in horam illam tanto periculo tremendam, scilicet, ad horam mortis & strictissimi examinis, ubi æternitatis jacitur alea. O quale, ò quantum beneficium tunc erit benedici & audire: Veni, benedicte, in regnum tibi paratum ab origine mundi! Ergo, sicut tu in omni patientia sustinuisti difficultates senis patris tui; ita Deus sustinebit in omni patientia, si quæ fuerint errata infirmę animæ tuæ. Ut qua mensura mensus es
B patri tuo, remetiatur tibi Pater misericors tuus. Hæc Palacius.

BENEDICTIO PATRIS FIRMAT DOMOS FILIORUM, MALEDICTIO AUTEM MATRIS ERADICAT FUNDAMENTA] Hæc verba, ut cohæreant cum versu præcedenti, significant ibi per benedictionem maximè intelligi benedictionē patris, uti exprimit Syrus: alioqui hic versus prorsus alius est à præcedenti, aliamq; mercedem filiis, qui parentes honorant, promittit, nimirum, quòd parentes eis benedicent, benè precabuntur, eisque à Deo omne bonum exposcent: hæc autem parentum benedictio, utpote quasi ex auctoritate & jure herili ac paterno eis à Deo indulta & concessa, solet esse efficax, & à Deo in effectum conferri. De ea ergo ait: *Benedictio patris firmat domos filiorum*, &c. Tigurina, *nam bona precatio patris domos liberorum stabilit, dira vero matris imprecatio eruit fundamenta*; Syrus, *benedictio patris stabilit contignationes, & maledictio matris eradicat fundamenta*; Arabicus, *precatio genitoris firmat aulas, & maledictio genitricis eradicat fundamentum.* VERS. 11.

Per *domos*, non tantùm contignationes, ut Syrus, pu-
C tà fabricas domosque materiales; sed multò magis proles, & familiam accipe: q. d. Benedictio patris facit, ut filius prole & familia, eaque divite, honorata & splendida dotetur, decoretur & perduret: *maledictio vero matris* (pari jure & patris) *eradicat* domos usque ad *fundamenta*; id est planè sobolem, & familiam, ejusque opes & honores delet, & extinguit. Exemplum benedictionis est in Sem, & Japhet, qui à Noe, in Isaac, qui ab Abraham; & in Jacob, qui ab Isaac patre benedictus, pater fuit duodecim tribuum Israel: item in Tobia. In quibus patet basim, & radicem familiæ & felicitatis filiorum esse honorem parentum; radicem verò infelicitatis, & interitus eorumdem, esse inhonorationem parentum.

Maledictionis exemplum est in Cham, qui irridens patrem Noe ex vino nudatum, ab eo maledictus, maledictionem hanc, & servitutem in posteros Chananæos, qui ab Hebræis, posteris Sem, vastati sunt, transfudit. Simile exemplum refert S. August. lib. 22. de Civit. cap. 8. & prolixiùs serm. 94. inter novos, de matre, quæ decem filiis maledicens, omnes illos tremulos, miseros &
D vagos effecit. Sic hodie videmus filios, & familias illustres, quæ videbantur per sæcula duraturæ, occidere & extingui. Causam quæris? Accipe, quòd parentes non honorarint ut debuerant, ideoque ab eis non benedictæ, sed maledictæ sint: Deus enim parentibus quasi instrumento utitur ad beandos, vel perdendos filios: sicuti enim per solem illustrat hunc mundum, ita per benedictionem patrum illustrat firmatque domos filiorum. Felix fuit Augustus Cæsar, sed in prolibus libidine infamibus infelix, ideoque eis maledicens, imò abdicans, omnes extinxit, nimirum Juliam utramque putà, filiam ac neptem, ac pòst Agrippinam à se adoptatam, quas proinde vocabat tres suas vomicas, sive tria carcinomata, vetuitque eas suo sepulcro inferri, exclamans: *O utinam cœlebs vixissem, orbusque periissem!* testis est Svetonius in Augusto.

Vidit idipsum, duce natura & ratione, Plato qui dialogo

. 11. de

21. de Legibus, exemplis manifestis ostendit, preces parentum adversus liberos semper, aut plerumque à Deo exaudiri: *Oedipus, inquit, contemptus à filiis, ea illis imprecatus est, quæ à dijs audita & effecta que ab ijs, apud omnes feruntur. Amyntora quoque Phœnici filio iratum illi maledixisse ferunt, & Hippolyto Theseâ, plurimosque alios aliis: quibus apertissimum factum est, à diis preces parentum adversus filios exaudiri. Nihil enim imprecatione parentis perniciosius filio.* Denique Nazianz. orat. 1. *Tue tu quoque, ait, precibus tuis, pro se orante, salus sperium: benedictio enim patris firmat domos filiorum.* Et S. Ephrem ad hæc verba Siracidis alludens tract. de Timore Dei: *Honora, inquit, sacerdotem atque presbyterum, ut ea te benedictio eius assequatur.*

Vers. 12. Ne glorieris in contumelia (Græcè, ἀτιμίᾳ, id est, ignominia, infamia) patris tui] Alludit ad Cham, qui patris nuditatem irrisit, Gen. 9. 22. Solent enim superbi & perversi filii, ut suam sapientiam, opulentiam, fortitudinem ostentent, parentibus velle videri sapientiores, ditiores, fortiores, ideòque parentum insipientiam, paupertatem, miserias evulgant, quas celare deberent. Unde Syrus vertit, *ne honoris* (ne honori tuo B deputes) *in opprobrio patris tui*; Arabicus, *ne te extollas adversus patrem tuum; quia non consequeris honorem ex eo.*

Vers. 13. Non est enim tibi gloria, eius confusio] Græcè, *οὐ γάρ ἐστί σοι δόξα, πατρὸς ἀτιμία*, id est, *non est enim tibi gloria, patris infamia*. Patris enim infamia est pariter infamia filii, ut loquitur. Tigurina, *neque enim decus tibi fuerit eius ignominia*; S. Ambros. *non est enim tibi gloria, patris ignominia.*

Vers. 14. Gloria enim hominis provenit, est, & oritur ex honore patris sui: et dedecus filii, pater sine honore] Græca complut. & S. Ambros. *& dedecus filiis mater in ignominia*; S. Ephrem tract. de Timore Dei, *dedecus filio mater sine honore*; Tigurina, *paternus enim honor gloriam hominis conciliat, & opprobrio liberis est mater ignominiosa*; Syrus, *honor enim viri est honor patris eius; & lucilla magna illi qui ignominia afficit matrem suam. Fili mi, glorare in honore patris tui, & ne dimittas honorem eius omnibus diebus vitæ tuæ.* Filius enim est pars patris & matris. Sicut ergo qui totum violat & lædit, partes omnes violat & lædit: ita qui honorat vel inhonorat patrem vel matrem, omnes eius filios, ac consequenter seipsum honorat vel inhonorat. Unde & Arabicus vertit, *nam honor viri, honor genitoris sui; & non immensum est infortunium, qui contemtu afficere matrem suam. O fili mi, diligenter attende ad honorem patris tui, & ne relinquas reverentiam illius in diebus vitæ eius.*

Fili, suscipe senectam patris tui] Græcè, ἀντιλαβοῦ, id est, *suscipe*, Complut. *adiuva*; Hugo, *sustenta*, alii *suscitare*; Tigurina, *subleva*; S. Ambros. *sic, adiuva in senectâ patrem tuum.* Iubet enim senectam, & seniles mores patris à filiis non tantum tolerari sed & consolatione, obsequio, sustentatione, omnique ope adiuvari, foveri & sublevari. Et hoc significat *Te suscipe*. Sic Psaltes passim rogat suscipi, id est, adiuvari, protegi, dirigi à Deo, Deumque vocat suum susceptorem, id est, adiutorem, protectorem, hyperaspisten. Ratio est, quia in senecta & canitie patris, relucet Dei generatio, antiquitas, & æternitas; ut cum filii canum patrem intuentur, in eo videantur sibi cum Daniele videre antiquum dierum, eiusque canos, Daniel. 7. 9.

Gemma de honorandis parentibus. Quamobrem Plato dialog. 11. de Legibus: *Cuius pater, inquit, aut mater senio confecti, vel eorum parentes, quasi thesaurus quidam domi iacent, is putet, numquam aliud tale sibi simulacrum, magisque efficax domi suæ affuturum, si rectè, ut decet, ab eo colatur.* Aristot. verò lib. 9. Ethic. c. 2. docet, filios debere succurrere parentibus magis quàm sibi ipsis: *Redimere enim patrem, inquit, magis etiam quàm seipsum debere videretur.* Et infra: *Parentibus autem alimenta præcipuè suppeditanda esse videntur, utpote cum debeamus: cumque illis, qui in causa sunt ut simus, honestius sit, quàm nobis ipsis, in hoc opem ferre. Honor quoque parentibus, quemadmodum diis, exhibendus est.* Philo libr. de Decalogo, dat exemplum ciconiarum: *Ciconiæ senes, inquit, impotes volandi nido se continent; at hos pregnatæ terra marique volitant, & cibos parentibus afferunt, & eadem opera natos impigrè parentesque effœtos educant natura castrallæ, &c. & non obvoluant faciem præ pudore homines parentum contemptores, damnaluque suam socordiam*

Cornel. in Ecclesiast. IIII.

inre, qua vel sola curanda erat, vel ante alias; præsertim cum non tam conferatur, quam referatur beneficium? Filiorum enim nihil est proprium, quod non parentibus debeant, à quibus vel acceperunt, vel in accipiendo adiuti sunt. Habent ne igitur potestatem ac facultatem, principalis virtutis in animo; an exercent eas à pellore? Deo enim subministrant parentes in gignendis liberis. Addit deinde, utique exaggerat: *Et sunt, qui audacius exaggerantes nomen parentum, aiunt, patrem matremque deos conspicuos, illius ingenii imitatores fingendo animantibus: hoc uno differre, quod Deus sit mundi genitor; hi verò filiorum tantummodo: nec fieri posse, ut pius sit erga illum invisibilem, qui erga hos conspicuos est impius.* Quare impii & barbari parricidæ fuere Caspii, qui parentes septuagenarios fame necabant, teste S. Hieron. lib. 2. contra Iovin. Euseb. libr. 1. de Præparat. c. 3. Caspios imitati sunt Bactriani, Hyperborei, Sardi, & iam Indi nonnulli, qui parentes senio confectos mactant, imò subinde devorant, quod inhumanum est & ferinum, imò plusquam ferinum: nec enim feræ feram suæ speciei, multo minus parentes necant, aut vorant.

B Et si defecerit sensu (*ἐκλείπῃ*, id est, intellectu, mentis vigore, prudentia, sapientia) veniam da] S. Ambros. *veniam habe*, id est, ignosce; Syrus, *etiamsi defecerit mens eius, parce illi*; Tigurina, *quod si sensibus fuerit absolutus, boni consule.* Senes enim subinde deficiente cerebro delirant, aut puerilibus delirare videntur. unde illud: *Delirus senex.* Iubet ergo mentis defectum, imò & delirium, in patre à filiis non culpari, nec subsannari, sed tolerari, dissimulari, & sublevari; eo quòd pater filii infantiam, imprudentiam & pueriles mores tolerarit, formarit, correxit, elimarit. Unde & Arabicus vertit, *& si leviter sensus fuerit sensu illius, humane illum tracta.*

Et ne spernas (S. Ambros. *inhonores*) eum in virtute tua] eo quòd videas, te viribus mentis & corporis patri seni prævalere, ac pollere maiori robore, & intellectus acumine ac prudentia. ob hoc enim solent iuniores spernere, carpere, taxare senes. Syrus, *ne conculces eum omnibus diebus vitæ tuæ*; Tigurina, *illum aspernari summo cave studio*; Arabicus, *ne parvipendas illum, dum vivus est.* Causam subdit: Vers. 15.

C Eleemosyna enim patris non erit in oblivione] *Eleemosyna*, Hebr. חסד chesed, id est, pietas, benevolentia, misericordia patri exhibita. *Eleemosyna* ergo *patris* hic passivè capitur, scilicet, non quam dedit, sed quam à filio accepit pater. Unde Tigurina, *neque enim patri præstita benignitas delebitur oblivione*; sed Deus & homines eius recordabuntur, ut eam remunerentur: pariter ergo vivet in Dei memoria, qui sibi factum æstimat, quod eius imagini & vicario, puta patri, confert filius. Est lipotes, sive miosis: parum enim dicitur, sed plus significatur: *Non erit in oblivione*, id est, *erit in memoria* & ampla remuneratione. Porro hæc eleemosyna patri à filio est debita, ideoque ab Arabico vocatur iustitia, *Iustitia*, inquit, *in genitorem non delebitur, & ea delebitur multitudo delictorum.*

Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum] Vox *nam*, habet emphasin: q. d. Vers. 16.
Quamvis eleemosyna in patrem erit in memoria: at eleemosyna pro peccato matris senis, utpote morosioris, impatientioris, ideòque toleratu difficilioris, multas habet D promissiones. Prima, quòd *tibi restituetur bonum*. Secunda, quòd *ædificabitur tibi in iustitia*. Tertia, quòd in die tribulationis efficiet ut Deus sit memor tui. Quarta, quòd solvet peccata tua.

Nota. Pro *pro peccato matris*, perperam quidam legunt, *pro bono facto matris*: q. d. Pro beneficentia matri à filio exhibita. Nam Græcè est, ἀντὶ ἁμαρτιῶν, id est, *pro peccatis*.

Iam varii variè id explicant. Primò, aliqui *peccatum* accipiunt pro hostia pro peccato, iuxta illud 2. Cor. 5. *Christus factus est pro nobis peccatum*, id est, hostia pro peccato: q. d. Quia tu, ô fili, obtulisti hostiam pro abolendis matris tuæ peccatis, idcircò Deus restituet tibi bonum. Aut, ut ait Rabanus, *peccatum hic tropicè locutione ipsam eleemosynam nominat, quæ delet peccata.*

Secundò, peccatum matris obiectivè & passivè accipi potest: q. d. Quia tu, ô fili, ipsius peccasti & offendisti contremque materia Dei iram & pœnam; hinc si erga illa sis

benignus & beneficus, Deus non tantùm tibi culpam, & pœnam condonabit, sed & abundè *restituet tibi bonum*, id est, beneficium, quod in matrem contulisti. Unde idipsum videtur explicare, dum subdit: *Et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua*. Favet versio Syri: *eleemosyna patris non datur oblivioni, & pro delictis ipsa plantatur.*

Tertiò planè & genuinè, *pro peccato matris*, scilicet, tolerato: q. d. Quia tu, ò fili, patienter tulisti impatientiam, morositatem, jurgia, aspera verba & verbera matris; hinc pro mercede reddetur tibi à Deo bonum; idque multiplex, tum in hac vita, tum in futura; sed præsertim hoc tolerantiæ & pietati tuæ congruum & appositum, nimirum, ut in justitia & pietate tua ædificetur domus. Idem enim dicit de matre, quod dixit de patre. Sicut ergo eleemosyna patris est ea, quæ in patrem confertur, tolerando ejus seniles mores, deliria, impatientias & morositates: ita per peccata matris, similia matris senilia vitia à filio tolerata intelliguntur. Unde, sicut illius non obliviscitur Deus, sed abundè remunerat; ita pro his restituet filio bonum. Quocirca Græca Romana habent absolutè, *& pro peccatis in justitia ædificabitur tibi*, Complut. & S. Ambros. *& pro peccatis reædificabitur tibi*.

Denique Richard. de S. Victore tract. in hunc locum: *Vis*, ait, *scire, quomodo tibi prodesse poterit bonum patris tui? Patrem venerando simul & imitando. Vis pariter scire, quomodo tibi proderit malum matris tuæ? Matrem venerando, sed non imitando*. Verùm ex dictis liquet, alium hujus loci esse sensum.

ET IN JUSTITIA ÆDIFICABITUR TIBI] *Justitia* hic significat pietatem: hæc enim est jus, sive debitum, quod filius debet patri: q. d. *In justitia*, id est pro justitia, sive in justitiæ, id est, pietatis, tuæ præmium *ædificabitur tibi*, scilicet, domus tua: q. d. Deus domum, id est, familiam, tuam prolibus, opibus, omnique affluentia instruet, bonisque omnibus cumulabit: felicissimè tecum, & cum domo tua agetur, & undequaque augeberis, & beaberis. Justitia ergo, id est quasi fundamentum, in quo Deus ædificat domos, id est familias, filiorum parentes honorantium, uti dixit vers. 11. Rursum ædificat Deus has domos in justitia, id est, solidè, firmiter, facitque eas firmas & perdurantes. domus enim in justitia fundatæ sunt firmæ & stabiles, sicut fundatæ in rapinis & injustitia sunt infirmæ & instabiles, brevique intereunt. Unde interitum hunc Deus minatur domui Joachin regis Juda: *Væ*, inquit, *qui ædificat domum suam in injustitia*, Jerem. 22. Et primoribus: *Væ, qui ædificatis Sion in sanguinibus*, Michææ 3.

Adverte hic, Deum solere filios, qui parentes honorant, præmiare prole & sobole numerosa & proba, quæ similiter ipsos honoret; idque jure talionis: æquum enim & congruum est, ut qui honorant parentes, ipsi quoque parentes fiant, similesque sibi generent filios, à quibus eumdem honorem, & commoda recipiant, quæ ipsi præstitere parentibus. Denique eleemosynam parentum solet Deus remunerare fœcunditate, & munere filiorum. Ita obstetrices Ægyptias, quæ quasi matres servaverant, & aluerant infantes Hebræorum contra preceptum Pharaonis, jubentis illos suffocari, Deus remuneratus est ampla sobole, & familia, Exod. 1. Abrahamo & Saræ in præmium hospitalitatis exercitæ in Angelos omnesque peregrinos, natus est Isaac, Genes. 18. 10. Id considerans Eliezer servus Abrahæ, cùm ejus jussu Isaaco uxorem quæreret Rebeccam, ab ea petiit haustum aquæ: quæ cùm illicò & ipsi & camelis potum affatim præberet, ex hac ejus hospitalitate conjecit Eliezer, eam congruam fore Isaaco uxorem, foreque fœcundam, uti ob eamdem fuerant Abraham & Sara. Sic & Elias & Eliseus suos hospites præmio filiorum, quos ipsi precibus à Deo impetrarunt, remunerati sunt.

Græca significantiùs habent, [illegible], id est, ut Romana vertunt, *& pro peccatis in injustitia ædificabitur tibi*: præpositio enim [illegible] notat analogiam justitiæ & mercedis, ut [illegible] idem sit quod, ex justa quadam retributione & compensatione fiet tibi reædificatio & restauratio jacturæ per peccatum factæ: q. d. Ex peccato & cholera matris subiisti injuriam, infamiam & tristitiam; sed Deus hanc tibi restaurabit, faciendo, ut illa cedant & convertantur in tuum honorem, gloriam & lætitiam: hæc enim tuæ patientiæ merces, hæc tuæ virtuti laus, hæc tuæ afflictioni consolatio, hoc tuo dolori præmium congrua proportione respondet & debetur.

Tigurina aliter vertit, *adversus peccatum extruetur tibi propugnaculum*. quasi eleemosyna patri exhibita sit validum propugnaculum, quod sibi ædificat filius contra peccatum.

Vers. 17. ET IN DIE TRIBULATIONIS COMMEMORABITUR TUI] q. d. Memor erit tui Deus: vel significantiùs, q. d. Ipsa eleemosyna memoriam tui refricabit Deo, ipsa causam tuam apud Deum aget, & peraget: ipsa enim vellicat Dei memoriam, ut bonis & beneficiis afficiat filium, qui mala & maledicta matris patienter excipit, & sorbet. ita Jansen. & Palacius. Unde Syrus emphaticè vertit, *in die angustiæ in recordationem veniet tibi*. Ubi τὸ *tibi* energiam habet, estque emphaticum: quasi dicat. Ad tuum commodum, ad tuum præmium, & decus. est Syrismus, similis illi, quo Italicè dicimus: *Questo che tu fai hoggi, te si racorderà quando sarai al punto della morte*; Arabicus, *in afflictione erit tibi adjutor*.

ET SICUT IN SERENO GLACIES, SOLVENTUR PECCATA TUA] S. Ambros. *sicut serenitas in glacie, sic solventur peccata tua*; Tigurina, *ut per serenitatem glacies, ita peccata tua solventur*; Syrus, *sicut calor glaciem* (solvit, & liquat) *abrogabit peccata tua*. Beneficentia enim filii in patrem, & matrem est quasi calor, imò sol liquans; & abolens omnem peccatorum glaciem. *Charitas enim operit multitudinem peccatorum*, 1. Petri 4. 8. idque tam quoad pœnam, quàm quoad culpam: q. d. Cùm ob peccata in die tribulationis in varias ærumnas, & mœrores incideris, illæ omnes dissolventur à beneficentia matri exhibita, perinde ut glacies dissolvitur à radiis solis: dies tribulationis vertetur in diem serenitatis; ac cùm aliis erit dies nubilus, misericordi erit serenus, præstante, itaque honorem parentum remunerante Deo. Unde Arabicus vertit, *avertet à te mala, sicut avertitur frigus in vehementia caloris*.

Vers. 19. QUAM MALÆ FAMÆ EST (Græcè, βλάσφημος, id est, execrabilis, infamis est) QUI DERELINQUIT PATREM, in egestate, afflictione, senio constitutum & destitutum: ET EST MALEDICTUS A DEO, QUI EXASPERAT MATREM] Tigurina, *quàm infamis est desertor patris, & maledictus a Domino, qui matri suę movet indignationem*; Romana verò editio ex Græco sic habet, *tamquam blasphemus est, qui derelinquit patrem*; & Syrus, *blasphemat, qui spernit patrem suum, & maledictus est coram filio suo ille, qui ignominia afficit matrem suam*. Ubi Nota, contemptum parentum vocari blasphemiam; quia blasphemia est convitium quod jacitur in Deum vel Sanctos: parentes autem sunt vicarii Dei, & quasi dii quidam terrestres, ut superiùs dixi. Unde Rabanus, *impietatis*, inquit, *crimine reus tenetur, qui irreligiosus est in parentes, & maximè ille, qui spiritalem patrem vel matrem pravis sermonibus, atque iniquis operibus exacerbat*. Rursum τὸ *maledictus coram filio*, explica, q. d. Sicut filius maledicit patri; ita vicissim ipse lege talionis maledicetur à filiis, quos genuit aut gignet. Hinc & Arabicus vertit, *quia qui parvipendit jus patris sui, ipse est blasphemus opprimens: & qui calumniatur matrem suam, maledictio Creatoris sui descendet in eum*.

Porrò maledictio Dei, æquè ac benedictio, non est verbalis, sed realis & efficax: Dei ergo benedicere, est copiosè benefacere: maledicere, est affatim malefacere, putà, punire paupertate, infamia, morbis, adversitatibus, ac denique morte & gehenna, quibus pœnis omnibus punit Deus eos qui exasperant matrem. Præclarè Philo libr. de Decalogo: *Qui parentes*, ait, *suos negligunt, sciant se damnatos pro duobus tribunalibus, quæ sola sunt naturalia: impietatis, apud divinum, quod secundos post Deum auctores vitæ suæ non tractant ex officio: inhumanitatis verò apud humanum: cui enim benefaciunt, qui proximos & optimè de se meritos vilipendunt? quibus nulla referri gratia potest, quæ non sit inferior acceptis beneficiis*. Et S. Ambros. libr. 5. Hexam. 4. in illud Genes. 1. *Producant aquæ reptile super terram. Quàm bona*, inquit, *mater sit aqua, hinc considera: tu, o homo, docuisti abdicationes patrum in filios, separationes, odia, offensas; disce ergo ab aqua, quæ sit parentum & filiorum necessitudo. Vivere pisces sine aqua non queunt, nec à suæ parentis consortio separari: & sit hoc natura quadam, ut separati moriantur illicò*.

Ele-

Eleganti viperę & fœtuum apologo idipsum repræsentat Cyrillus libr. 3. Apolog. moral. cap. 26. cujus titulus: *Contra vitium ingratitudinis. Gravida vipera*, inquit, *cùm ad perfectam maturitatem fœtus produxisset, diros in suis visceribus morsus sentiens, amara nimis cum querimonia eis dixit: Quid est hoc scelus quod facitis? numquid redditis pro bono malum, quia laceratis ventrem qui vos portavit; matrem occiditis, quæ vos genuit? quæ est ista contra naturam nequitia, & ingratitudinis sævitia tam stupenda? At illi dixerunt: Quid est quod nobis dedisti aut fecisti? nimirum ut delectares te concepisti, & in tetri ventris carcere nos abscondisti. Quid aliud circa nos egeris nescimus: attamen prodire in lucem appetimus, & gratum mundi spatium videre affectamus. Quibus mater: Revera ego concepi vos ex medullis meis charioribus, alui de sanguinibus propriis, fovi calore; portavi labore, promovi cum dolore, & in visceribus propriis nocte ac die custodivi cum timore: nunc autem pro tantis beneficiis matri rependitis vicem mortis.* Deinde justam eis talionis pœnam intentans subjicit: *Verumtamen quia iniquè rependitis malum pro bono, retribuetur vobis justissimè malum pro malo. Nam justitia ingratitudini est grata, dum propter ejus demerita reddet ei digna stipendia, & propterea quia cum ingratitudine incipitis, dira quoque & sæva ingratitudine finietis: nam tu fili fœcundabis sororem tuam, ut ipsa te vita privet: & tu filia fœtus concipies qui confestim crudeliter te occident. Et sic ingratitudinis vitium vertetur in tormentum, & ingratitudo ingratitudine punietur, eritque soboles ingratitudinis cibus mortis. Quibus dictis dolore viscerum extincta est.*

Apologus de filiis ingratis.

Eorum pœna talionis.

VERS. 19. FILI, IN MANSUETUDINE OPERA TUA PERFICE, ET SUPER HOMINUM GLORIAM DILIGERIS] Instruxit Siracides filium quoad honorem parentum, nunc eum instruit quoad cetera & ceteros, ac in primis ut in omnibus & cum omnibus mansuetè & humiliter se gerat; præsertim quia humilitas & mansuetudo est fons & origo honoris parentum, omnisque virtutis & boni. Gestus enim mansuetus & humilis omnes honorat, itaque sibi conciliat; asper verò & superbus omnes spernit & deprimit, ideoque à se avertit, offendit & exasperat.

Porrò Sapiens omni statui & gradui commendat mansuetudinem; ut licet filius ascendat etiam ad regium fastigium & culmen; tamen mansuetè se gerat, regat & imperet. Quapropter subdit, *quantò major es, humilia te*. Unde Syrus vertit, *fili in divitiis tuis cum humilitate ambula, & præ largiente dona diligent te*. Hæc enim mansuetudo Prælato & principi subditorum benevolentiam, indeque securitatem & gloriam conciliat. ita Palacius. Admonet, inquit, recentiores, ne ex ira res præcipitent; sed animos mansuetudine frænent. Vt enim nihil est importunius improbitate eorum qui gubernantur; ita nihil est in hisce rebus excelsius, quàm in tanta importunitate mansuetos esse eos qui gubernant. Hinc maxima laus Mosi datur, quòd regens innumerum istum & durissimum populum, mortalium tamen esset mansuetissimus, Num. 12. 3. Et David rex Deo non aliam virtutem, quàm mansuetudinem suam allegat, dicens: *Memento Domine, David, & mansuetudinis ejus*, psal. 131. 1. Mosen mansuetudine, non tam humana, quàm divina superavit Christus. Nam, ut ait S. Bernard. serm. 22. in Cant. *Omnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Jesu, audientes, quòd non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. In odore horum currimus.*

Celebre est illud Senecæ in Proverbiis. *Regibus certior est ex mansuetudine securitas.* Nam ex adverso ait Cicero lib. 3. Offic. *Nihil quod crudele, utile. Est enim hominum naturæ, quam sequi debemus, maximè inimica crudelitas.* Porrò, ut ait Aristot. lib. 1. de Cęlo, *Nullum violentum perpetuum*. Hinc eos, qui natura, indole & complexione sunt mites & blandi, omnes amant & ambiunt. Mitis autem signa physiognomica hæc dat Aristot. in Physiognom. c. 3. *Gravis specie, carnosus, caro humida & multa, bona magnitudinis & commensuratus: figura curvus, cursus capillorum sursum vulsus.*

Mercedem & pręmium mansuetudinis subdit: *Et super gloriam hominum diligeris*. q. d. Præ hominum gloria, id est, prę hominibus gloriosis & excellentibus, eorumque gloria, gradu & honore diligeris: quo significat mansuetudinem homini magis conciliare amorem, quàm quemvis alium splendorem & gloriam: hæc enim timorem potiùs incutit, quàm amorem: q. d. Mansuetudo longè magis nos amabiles & admirabiles facit, quàm omnis splendor & gloria: homines longè magis diligunt, & videre cupiunt mansuetudinem & mansuetos, quàm gloriam & gloriosos: appetitur & ambitur gloria, sed magis ambitur mansuetudo.

Rursum τὸ *diligeris*, accipi potest pro, glorificaberis: q. d. Omni gloria, omnibusque gloriosis eris gloriosior: tum, quia vera gloria est mansuetudo & humilitas: tum, quia homines solent eos, quorum mansuetudinem moresque diligunt, laudare, celebrare & glorificare. Est ergo metalepsis, qua ex dilectione gloria illam consequens significatur. Vnde alii sic explicant, *super*, id est, *præter* gloriam hominum diligeris, q. d. Pręter gloriam assequeris insuper benevolentiam, ut omnes te diligant. ita Emmanuel Sà. Superbi enim & tyranni habent à suis gloriam, sed non dilectionem; quia timentur, non amantur: at mansuetus habet gloriam, & pręter gloriam habet omnium gratiam & dilectionem, quę gloriam condecorat, solidat & perpetuat.

Legit Interpres, ὑπὲρ ἀνθρώπων δόξαν, id est, *super hominum gloriam*; jam legunt, ὑπὸ ἀνθρώπου δεκτοῦ, id est, *ab homine acceptabili*, sive probato. Sic quoque legit S. Ambros. & S. Ephrem tract. de Timore Dei, *& ab homine acceptabili diligeris*; Tigurina, *& homini probato clarus eris*; Syrus verò, *& præ largiente dona diligent te*; alii, *pro homine probato, accepto*, vel *grato diligeris*: Præpositio enim, ὑπὲρ; idem subinde est quod ὑπὸ. Arabicus, *o fili mi, incede cum mansuetudine in divitiis tuis, & sis*, id est, eris, *dilectus hominibus, plusquam is qui largitiones elargitur*:

Moraliter S. Bernard. serm. 2. in convers. S. Pauli: *Triplici*, ait, *velut ariete mansuetudo pulsatur: verborum injuriis, damnis rerum, corporis læsione. In his tribus omnis exhibitio patientiæ, omnis exercitatio mansuetudinis. Probata est illa virtus, quam nihil horum videtur concutere potuisse*. Porrò mansuetudinis origo est humilitas: *Sicut enim mater præsumptionis est elatio, sic mansuetudo vera non nisi ex vera humilitate procedit*, ait idem S. Bernard. serm. 3. de visit. B. Marię. Hac de causa subdit Ecclesiasticus: *Quanto magnus es, humilia te*, &c.

Porrò, cur mansuetudo adeò ab omnibus, prę̨sertim subditis, dum à Superiore corripiuntur, sit expetita, ira verò exosa; rationem quasi à priori dat Reverendiss. D. Franciscus de Sales, Episcop. Genevensis, vir melleę sapientię & sanctitatis, in suo Philotheo, sive Isagoge ad vitam piam, parte 3. cap. 8. Monitio, ait, vel correctio manans ab ira, etiamsi comitem habet rationem, impurior est & turbidior, ideoque ingratior quàm, sit ea quæ à sola puraque ratione proficiscitur. Causa est, quòd anima rationalis naturaliter subjecta sit rationi: hinc passioni non subjicitur, nisi quasi tyrannidi, ideoque tyrannicè. Quare ratio, quam comitatur passio, se reddit exosam; eò quòd justa ejus dominatio inquinetur, & vilescat per societatem tyrannidis, putà, passionis tyrannicę. Accedit, quòd ut ait Quintilian. libr. 11. c. 1. *Habet mens nostra natura sublime quiddam & erectum, & impatiens superioris. Ideoque abjectos, aut submittentes se allevamus; quia hoc facere, tamquam majores, videmur; & quoties discessit æmulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur, nec tam se majorem, quàm ceteros minores facere: inde invident humiliores*. Rursum mansuetudo superioris frangit iras, cupiditates & impetus inferioris, perinde ac lana excipit & enervat ictus tormentorum; ac elephas iratus & furens mansuescit ad conspectum agni. Sic *Deus tranquillus tranquillat omnia, & quietum aspicere, quiescere est*, ait S. Bernard. Mansuetus enim agitur ratione, non passione; ideò tranquillus est, omniaque tranquillat. Huc facit proverbium Arabicum centuria 1. n. 40. *Tege merces tuas melle, & prone eas in cisternam tuis, id est, concilia corda stultorum sermone dulci.* Sicut enim pueri cibos melle conditos avide hauriunt; ita simplices, termones mansuetudine mellitos cupidè excipiunt.

Cur mansueta correctio grata?

Quo-

Quocirca prudenter monet S. Ambros. lib. 2. Officior. cap. 7. *Primum*, inquit, *placiditate mentis, & animi benignitate insinuamus in affectum hominū. Popularis enim & grata est omnibus bonitas, nihilque quod tam facilè illabatur humanis sensibus. Ea si mansuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborumque honore, patienti quoque sermonum vice, modestiaque adjuvetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis.* Subiicit exempla illustria Mosis & Davidis: *Quantas Moyses à populo Dei illatas absorbebat contumelias, & cum Dominus in insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, ut indignationi divinæ plebem subduceret. Quam miti sermone post injurias appellabat populum, solabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fovebat operibus; & cùm Deo constanter loqueretur, homines tamen humili & grata appellatione affari solebat. Meritò æstimatus est supra homines, ut & vultui ejus non possent intendere, & sepulturam ejus non repertam crederent: quia sic sibi totius plebis mentes devinxerat, ut plus eum pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur. Quid ejus imitator sanctus David, electus ex omnibus ad plebem regendam; quam mitis & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu? Ante regnum se pro omnibus offerebat, rex cum omnibus æquabat suam militiam, & partiebatur laborem: fortis in prælio, mansuetus in imperio, patiens in convitio, ferre magis promptus, quam referre injurias. Ideò tam charus erat omnibus, ut juvenis ad regnum, etiam invitus, peteretur, resistens cogeretur, senex ne prælio interesset à suis rogaretur, quod mallent omnes pro ipso periclitari, quàm illum pro omnibus.*

VERS. 20. QUANTO MAGNUS ES, HUMILIA TE IN OMNIBUS (præsertim in iis, quibus excellis & magnus es) ET CORAM DEO INVENIES GRATIAM] Græcè, *quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus*, id est, *quantò maior es, tantò magis humilia te in omnibus.* Et sic legit S. Ambros. loco initio cap. citato, & S. Ephrem tract. de Timore Dei. Tigurina, *quanto majores, eò te geras submissius, ut gratiam initurus apud Dominum;* Arabicus & Syrus, *in omni, quod magnum est in mundo, humilia teipsum, & coram Domino invenies misericordiam.* Causę hujus pręcepti, vel moniti, sunt multę.

Magnis magna convenit humilitas: cur? Causa Prima. Prima, quia celsitudo solet homines inflare & instigare ad arrogantiam: monendi ergo sunt, qui ad eam conscendunt, ut eò magis se humilient, quò difficilius est se humiliare in sublimatione & sublimitate. Rectores, ait S. Gregor. multi iniustè & tyrannicè regunt, pauci in plena justitia, paucissimi in mansuetudine & humilitate. Et S. August. de Sancta virgin. c. 31. citans hanc Ecclesiastici sententiam: *Mensura*, ait, *humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est, cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur.* Et S. Bernard. serm. 4. super *Missus est. Non magnum est* inquit, *humilem esse in abiectione: magna prorsus & rara virtus humilitas honorata.* Idem lib. 2. de Consid. *Nulla splendidior humilitate gemma, in omni præcipuè ornatu summi Pontificis. Quò enim celsior ceteris, eò humilitate apparet illustrior & seipso.* Et in hęc verba commentans Balduinus in Catena Tilmanni Godfredi: *Humilitas in honore*, inquit, *honor est ipsius honoris & dignitatis. Omnis dignitas eo ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignetur. Humilitas autem sine honore, ipsa sufficit ad honorem: honor verò sine humilitate, se perducit ad confusionem.*

Secunda. Secunda, quia vera magnitudo est humilitas. Sola enim humilitas exaltat: sola humilitas est magnanimitas. Sola enim magno animo despicit exiles, & inanes horum mundi fumos & umbras; quia spectat verum virtutis decus, verumque honorem, & gloriam cælestem, & æternam, quam à Deo & Angelis Beatisque omnibus expectat. Quocirca sapienter S. Ephrem tract. de Timore Dei, initio tomi 3. *Cupis*, ait, *magnus esse? sis omnium novissimus. Cupis bonum possidere nomen? in lenitate ac mansuetudine opera tua temperato atque peragito.* Et inferiùs: *Magna felicitas & gloria est humilitas, & non est in ea lapsus atque ruina. Signum porrò humilitatis est, ambabus manibus omni tempore ac loco subvenire fratri necessitatem patienti.* Ex adverso verè S. Bernard. de Gradib. humilitat. *Quantò magis*, inquit, *ad alta festinas, tanto magis ad occasum declinas.* Huc pertinent duo adagia Arabica, quę extant inter impressa centuria prima: primum extat n. 3. *Si nescis ascendere per scalam, non ambulabis super tectum*: *id est, si non potes esse subditus duci, neque dux eris.* Si non potes humiliari, non poteris esse gloriosus: nemo enim rectè agit dominum, qui priùs non egit ministrum: nemo nisi humilis gloriam consequitur; adeò ut servitus via sit ad imperium, & humiliatio via sit ad gloriam, perinde ac scala, via est ad tectum. Alterum extat ibidem n. 4. *Ne ascendas cacumen jugi, cum fueris ornatus; ne fortè cadas: id est, honoratus cave à typho & fastu, quia ocyssimè inflatus, & turgidus cadit.*

Tertia. Tertia, quia schola Christi Dei, est schola humilitatis, in eaque nihil discitur, nisi humilitas & charitas. Qui ergo humilior est, ille major, & doctior est in schola Christi: quia Christus cùm esset maximus, fuit pariter humillimus. *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum & humilis corde*, Matth. 11. Ita S. August. de S. Virgin. c. 33. ut doceat virgines, quæ dono virginitatis alios antecellunt, non debere inde superbire, sed magis humiliari, sic ait: *Cùm ergo Christianis omnibus custodienda sit humilitas, quandoquidem à Christo Christiani appellantur, cujus Evangelium nemo diligenter intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inveniat: tum maximè virtutis hujus sectatores & conservatores eos esse convenit, qui magno aliquo bono ceteris eminent, ut magnopere curent illud: Quanto magnus es, tantò humilia te in omnibus.* Idem epist. 56. ad Dioscorum: *Nisi*, ait, *humilitas omnia quæcumque benè facimus, præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. Itaque sicut Rhetor ille nobilissimus* (Demosthenes) *cum interrogatus esset, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis observari oportere; pronuntiationem dicitur respondisse cum quæreretur quid secundò, eamdem pronuntiationem: quid tertiò, nihil aliud quam pronuntiationem dixisse: si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil me aliud respondere, nisi humilitatem, libere t.*

Quarta. Quartam dat S. Gregor. homil. 9. in Evangel. *Cùm augentur*, ait, *dona, rationes etiam crescunt donorum. Tantò ergo humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quantò se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.*

Quinta. Quintam dat Siracides hic: *Et coram Deo invenies gratiam.* Ut ergo major sis coram Deo, qui est verus magnitudinis æstimator, & mensor, utque major sis in ejus gratia, esto major in humilitate: quia sicut pharmacopœi balsamum non recondunt nisi in myrotheciis planis, udis & nudis; sic & Deus gratiam suam non collocat nisi in vase plano & nudo, putà, in corde humili. *Deus non ponit oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ*, ait S. Bernardus serm. 3. de Annuntiat. vasa autem fiduciæ sunt corda humilium, quæ sibi diffidunt, unique fidunt Deo. Quocirca S. Isidorus de Conflictu vitiorum & virtut. sub initium: *Memento*, inquit, *quia pulvis es, quia cinis es, quia putredo & vermis es; quia etsi aliquid es, nisi tantò te humilies, quantò magnus es, perdes omninò quod es. Numquid tu altior quam primus Angelus? Numquid tu splendidior in terra, quam lucifer in cælo, qui propter superbiam ex summo ad imum decidit?* S. Ephrem de Vita spirituali, n. 66. *Quando*, inquit, *videris te ad apicem virtutum evectum, tunc maxima tibi humilitate opus est, ut fundamentis salvis & integris, quod superstructum est ædificium, inconcussum immobileque consistat: atque sic in multa securitate fructus tuus erit.* B. Antiochus homil. 70. de humilitate: *Quantò major es*, inquit, *tantò humilia te ipsum: nam opera omnia humiliantis se manifesta sunt & conspicua oculis Domini.*

Sexta. Sexta est, quia in hac re consistit tam perfectio humilitatis, quàm summa virtutis. Sicut enim primus gradus humilitatis est humiliare se superiori; secundus, pari; tertius, inferiori: sic ima humilitas est humiliare se in imò, media in medio, summa humiliare in summo culmine. Hoc est, quod Christus baptizandum se offerens S. Joanni, cùm ille ex reverentia id facere detrectaret, respondit: *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam*, Matth. 3. 15. ubi Glossa ex S. Bernar. *Omnis justitia, ait, est humilitas, quæ se superioribus, æqualibus & infe-*

riori-

rioribus subjicit. Hæc ergo humilitas exsolvit, imò superat omne jus & debitum, quod homo debet Deo, proximo, & sibi: Deo enim se subjicit per religionem, proximo per charitatem, corpus animæ, animam spiritui, spiritum legi Dei.

Hasce duas gnomas festivo Solis apologo illustrat, & quasi exhilarat Cyrillus lib. 1. Apologorum moralium c. 17. cujus est titulus: *Gloriosa est prosperitas moderata.* Sic

Apologus modestiæ. enim ait: *Cum Titan (sol) uniformi regularitate stabiliter moveretur, valdè hoc admirans Mercurius, hac eum quæstione interpellavit: Ut quid semper in ecliptica volveris, ibidemque fixus numquam inde mutaris? qui dixit: Tunc sapientiæ jamdudum à sæculis æstimatus es, & hoc ignoras? Quis enim inter stellas sole gloriosior, cui sortaliter data est lux primigenia, quæ tot cælorum spes est, & gloria stellarum? Propter hoc ergo charissime media semper tali regimine moveor, nec umquam ab ea declino. Nam si rectè consideras, prosperitas plerumque gignit inimicos, & suscitat lividos, nec ullum umquam exhibet amicum: quapropter in ea vel maxime moderato amplexanda, ut, cum amalos invidè cudat prosperitas, justè sumet eos prosperitatis immoderata perversitas.* Deinde apologum similitudinibus

Similia. variis, putà regis apum, dici, nautarum, lucis, temperamenti sanitatis, confirmat, dum ista subjicit: *Nimirum ob hoc regulis apum deponit aculeum, quem natura sic sustinuit, ut, cum est agendi facultas validior, sit excedendi tunc audacitas minor. Cæca certè lux, denique volatilis mutabilium prosperitas est: unde semper oportet pavescere, ne lux vertatur in tenebras, & non dies repentino cursu succedat. Atque propter hoc prudenter in prosperis modestia magis ac beneficentia intendamus, ut illa externas inimicitias, hæc amicos conciliemus: &, si contra nos quandoque tempestas ingruerit adversitatis, salutaris effugii portum reperiamus in amicis. Revera namque prudentior timet futuræ tempestatis impetum formidat, in tranquillitatis sereno circumspectus, quo tutius naviget, velum abbreviat. Etenim ut excessiva exuberantia visum obtundit, & immoderata lætitia cor extinguit: sic prosperitas immoderata confundit. Nam sicut in temperamento est sanitas corporis, ita in modestia sanitas mentis. Nonne in altis constituti maturaliter meruimus ne cadamus?* Ex quibus hoc epimythium colligit: *Quemadmodum igitur cælestis serenitas quanto est lucidior, tanto est tranquillior: sic sapientis prosperitas esse debet moderatior, quanto major.*

VERS. 21. Septimam subdit Sapiens: QUONIAM MAGNA POTENTIA DEI SOLIUS, ET AB HUMILIBUS (nonnulli legunt perperam, *ab hominibus*) HONORATUR] Ita legit S. Ambros. Græca Complut. Roman. S. August. in Speculo, Rabanus & alii passim: q. d. Ideò te summè humilia, & summam à Deo accipies gratiam, quia Deus summè humilitate honoratur; idemque ea summè recreatur & delectatur: Deus autem honorantes se, qui tales sunt humiles, honorat, & sua gratia cumulat. Ratio à priori est, quia Deus est summa celsitudo: huic autem propriè summa debetur humilitas. Unde S. Bernard. serm. 4. de Nativit. *Propterea, ait, cælestis annuntiatur humilitas, quòd hæc quasi propria virtus divinæ sit exhibenda majestati. Deus,* ait idem lib. 5. de Consider. cap. 5. *amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut salus, revelat ut lux, assistit ut pietas.*

Aliter hæc disjungit & explicat Palacius: *Quia magna potentia tua, est Dei solius. q. d. Orei...r, videris tibi potens, & credis hæc potentia esse tua? At falleris. Potentia est Dei solius: qui si vult te posse, poteris: si vult te nihil posse, etiamsi sit tua potentia summa, nihil poteris. Aufert enim ille spiritum principum. Terribilis est apud reges terræ. Quod tam multi reges testari possint, testatur magnopere tamen Nabuchodonosor, fœnum sicut bos comedens. Ergo ne & te superbum à tua Deus magnitudine deturbet, cum teipsum humilia.* Tu igitur si tenebras tuas, si tuas miserias, si tuum nihil vicious & agnoscas, Deiforem, Dei opes, Dei infinitatem profundissimè honorabis. Græci codices in Complut. addunt: *Multi excelsi & gloriosi: sed mansuetis revelantur secreta.* & sic legit S. Ambros. Syrus, *quia multa misericordia Dei, & humilibus arcana revelantur.* Sic & Arabicus. Quod appositè convenit rectoribus, quibus præcipuè loquitur Siracides, ait Palacius. Vis igitur, ô rector, ô judex, nosse mysteria & abstrusa, quæ tibi jam non manifestant? Humilis esto; quia

excelsus Dominus, & humilia respicit. Ipse est veritas; amat ergo veritatem humilitatis, falsitatem odit superbiæ. Nam, ut ait quidam Sanctorum: *Deus amat humilitatem, quia amat veritatem: humilitas enim est vera cognitio sui & Dei, superbia utriusque est ignoratio.*

Idem fuit, estque lenius & praxis cæterorum Sanctorum & sapientum. Ita B. Virgo evecta ad solium divinitatis, cùm Angelus ei promitteret, quòd conciperet pareretque Filium Dei, tantò magis profundè se humiliavit, ac humillimè respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Eadem ab Elisabetha salutata mater Dei, illico hanc laudem non sibi arrogavit, sed in Deum reflexit: *Magnificat,* inquit, *anima mea Dominum; quia respexit humilitatem ancillæ suæ,* Lucæ 1. Salomon Dei oraculo declaratus mortalium sapientissimus. *Stultissimus,* ait, *sum virorum, & sapientia hominum non est mecum,* Proverb. 30. 2. Exempla.

Magnus ille Simeon Stylites, orbis portentum, *in tantis laboribus,* inquit Theodoretus in Histor. Patrum, c. 26. *tantaque rerum gestarum magnitudine & miraculorum multitudine, est tanta morum modestia ac moderatione præditus, ac si sit dignitate postremus omnium hominum. Præter modestiam autem & facilis ad eum patet aditus, & est affabilis & suavis, & respondet unicuique eorum, qui loquuntur, sive opifex sit, sive mendicus, sive rusticus.* Hæc fuit certa nota & tessera ejus sapientiæ & sanctitatis.

S. Franciscus sui ævi sanctissimus, dictitabat se maximum esse orbis peccatorem. Idem dictitant alii; adeoque verè sapientiæ & sanctitatis certissimus index est vera humilitas, tantoque quis sanctior est & sapientior, quantò humilior: sicut ex adverso quò quis insipientior est & improbior, eò & superbior. Beda in Proverbiis auratas has de humilitate habet gnomas: Gnomæ.

Vitanda est superbia, quæ & Angelos decepit, & omnes variantes destruit.

Vera discretio non nisi vera humilitate acquiritur.

Quantum quisque in humilitate & castitate profecerit, tantum Deo appropinquabit.

Quantò altior gradus, tantò profundior casus.

Reclius sequuntur Agnum coniugati humiles, quàm virgines superbientes.

Vis ingens animi, nullius laude moveri.

Nazianz. in carmin. de beatitud.

Felix, qui primus inter numerandus utilis
Christicolæ, tantus se tenet inter oves.

Idem in Tetrastichis:

Sit alta vota, non tamen alti spiritus:
Illud beabit, misere at hoc te deprimet.
Altus licet sis, te supra tamen est tamen.

S. Bernard. serm. 42. in Cant. *Rara avis in terris, aut familiaritatem non perdere, aut humilitatem familiaritas non excludit.* Idem serm. 12. in Cant. *Magna, ait, & rara virtus, ut magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus, etiam te solum latere sanctitatem; mirabilem te apparere, & contemptibilem te reputare. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico.* Hæc ergo est vera animi celsitudo, hæc vera magnitudo, ut magnus cum sis, te ut parvum æstimes & geras. Hinc est summa dos & laus Prælati, ut præsit & regat cum humilitate. Unde Christus per omnia maximus: *Discite, ait, a me, quia mitis sum, & humilis corde,* Matth. 11. *Itane,* ait S. August. tract. de Virgin. *magnum est esse parvum, ut nisi à te, qui magnus es, fieret, disci non posset? Ita plane: non enim aliter invenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quia magna sibi erat, quando sana sibi non erat.*

Praxes hujus humilitatis, modosque eam assequendi assignat S. Basil. homil. 23. de humilitate: *Quonam pacto, ait, ad salutarem hanc animi humilitatem, pernitiosa superbiæ elatione relicta, descendemus? Si perpetuò studium modestiæ exerceamus, &c. Vide, ne in sermone arrogantiam usurpes, sophisticam, neque delectationem ostentes superbam; sed in omnibus splendore ac magnificentiæ careas, comis erga amicum, mansuetus erga domesticum, patiens erga temerarios, humanus erga humiles, patronus afflictis, consortio in dolore consistentium, in summa neminem contemnens: suavis in appellatione, alacer in respondendo, dexter & expeditus universis, neque tua ipsius extollens encomia, neque alios quibus faveant subornans, neque inhonestam de proximo famam admittens, & virtutes tuas ut fieri potest occultans quantum fieri possit obtegens: peccatorum verò* Praxes.

gratia

gratia te ipsum accusans, nec exspectans, ut ab aliis reprehendare, ut idem facias quod justus, qui in principio sermonis seipsum accusat: & sit qualis erat Job, quem non puduit urbis tumultuationem, propriam contra se deprædicare ruinam. Ne sis increpando molestus ac severus; neque statim, aut cum animi commotione quemquam reprehendas, (resipit enim hoc contumaciam quamdam;) neque propter modica delicta condemnes aliquem, quasi rigidus juris exactor, sed eos, qui deliquerunt, complectare, & spiritualiter instruas, quemadmodum admonet Apostolus, considerans te ipsum, ne & tu teneris. Et tantum studii impendas, ne apud homines gloriosus habeare, quantum impendunt alii, ut glorificentur, si quidem Christi memor fueris. At Prælatus es aliis, & homines te glorificant? Par esto subiectis, non tamquam dominans in cleris, ut Apostolus inquit; neque secularibus principibus te conformes; qui namque primus esse accepit, omnium hominum servum esse jubet Christus.

Denique nihil est, quod nos ita hominibus gratos ac Deo faciat, quàm si vitæ merito magni, humilitate infimi simus, ait S. Gregor. Unde Cassianus collat. 15. cap. 7. docet, charismatum virtutem non in mirabilibus, sed in B humilitate consistere, quæ, ait, est *omnium magistra virtutum, cælestis ædificii firmissimum fundamentum, donum proprium & magnificum Salvatoris.* Et S. Hieron. vel potius S. Paulinus ad Celantiam: *Nihil,* inquit, *habeas humilitate præstantius, nihil amabilius: hoc est enim præcipua conservatrix, & quasi custos quædam virtutum omnium: nihilque est, quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus. Propter quod Scriptura dicit: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.*

Moraliter hæc Religiosis in Religione veteranis, & studio virtutis ac meritorum magnis congruè accommodat Faustus Regiensis Instruct. ad monachos, quæ habetur in Appendice Biblioth. SS. Patrum: *Quanto plus proficimus,* inquit, *tantò plus humiliemur; quia quantò plus humiliati fuerimus, tantò plus proficimus. Nullus ibi senior tam indoctus appareat, ut putet, quòd eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit. Humilitas enim atque obedientia in junioribus adhuc necessitas, in senioribus jam dignitas est. Ille benè proficit, ille benè consummat, qui quotidie sic agit, quasi semper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum, incitamenta esse perfectorum Scriptura pronuntiat.* Vide sequentia.

Moral. veterani magis sint humiles.

Illustre exemplum; imò speculum, hujus humilitatis & mansuetudinis fuit S. Franciscus, qui proinde per eam, gratiam & gloriam Dei, Angelorum & hominum est adeptus. Nam Primò, per eam adeò possedit terram cordis & corporis sui, ut illa mansuetudine hac animi planè imbuta, subiiceret se spiritui ad omnes labores & pœnitentias: quare caruit luctâ carnis & spiritus; atque ut animus ejus erat angelicus; ita & corpus erat quasi angelicum.

Secundò, per eam accessit ad primævam innocentiam, quam habuit Adam in paradiso, ut animalia etiam fera eum quasi herum agnoscerent, imò ab eo se cicurari & mansuefieri sinerent. Oves & agni eum quasi fratrem ambiebant. Volucres cæli eum concionantem tacitæ, caputque submittentes audiebant, nec recedebant, nisi accepta benedictione. Eugubii lupus vastans regionem, adeò cicur ab eo effectus est, ut pacto à S. Francisco inter ipsum & cives inito, scilicet, ut lupus nil noxæ inferret, cives verò eum alerent, firmiter steterit, ac quotidie in urbem veniens alimoniam promissam petiturus, nulli prorsus noceret, idque per integrum biennium præstitit.

Tertiò, quòd homines feros & barbaros mansuefecerit. Plures prædones sua lenitate & charitate ad pœnitentiam, & ad sui sequelam convertit. Inter quos insignis fuit conversio prædonis in monte Alverniæ, qui rupem quamdam instar castri insederat, quò omnes prædas & spolia quasi ad asylum convehebat. Hic minitans dira S. Francisco, ab eo adeò placidè & suaviter exceptus fuit, ut prædo ejus consortio frui, & cum eo habitare postularit; ubi visa ejus sanctitate conversus, ab eo in Ordinem suum recipi petiit & impetravit; cumque alii eum F. Lupum appellarent, S. Franciscus eum F. Agnellum nominavit; quia ex lupo mutatus erat in agnum, juxta illud Isaiæ 11. *Habitabit lupus cum agno, & puer parvulus mina-*

A *bit eos.* Assisij magnæ erant turbæ inter Episcopum & urbis consules. Ille interdixerat his sacra; hi interdixerant illi omne commercium, ut nihil illi suive venderetur, aut vicissim ab eis emeretur. S. Franciscus misit è suis Religiosis, qui urbis proceres ducerent ad Episcopum, ac coram utrisque concinerent hosce versus. *Lauderis, mi Domine, propter illos, qui pro tuo amore offensas dimittunt, & patienter sustinent tribulationem & infirmitatem. Beati illi qui in pace sustinuerunt, quia à te altissime coronabuntur.* Jussa peregerunt Religiosi, ac velut Dei præcentores alternis hoc carmen choris cecinerunt. Et ecce illicò Episcopus & proceres quasi excantata ira in mutuos ruerunt amplexus, utrimque veniam à se mutuò exposcentes; nimirum, Deus per S. Franciscum huic concentui occultam impertiit virtutem mansuefaciendi animos tam ægros & sibi invicem offensos. Denique adeò induit mansuetudinem Christi dicentis: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde,* ut Christus quinque vulnerum suorum stigmata ejus manibus, pedibus & lateri impresserit, quibus ipse in Christum crucifixum transformatus & transfiguratus videbatur. An non hæc ingens gloria S. Francisci tam mansueti? Hinc & rebus inanimis quasi animatis imperabat. Unde, cùm cauterium ipsi inureretur ferro candenti, illi imperans, nullum sensit ardorem aut dolorem: quocirca ipse solem, lunam, stellas, ceteraśque creaturas, quin & mortem morbosque vocabat fratres & sorores, ac cum illis, quasi frater cum fratre agebat.

ALTIORA TE NE QUÆSIERIS] Hæc sententia aptè cohæret cum humilitate, de qua sermo præcessit, imò quasi conclusio educitur ex eo quod Græca præmittunt: *Multi sunt excelsi & gloriosi, sed humilibus* (S. Ambros. *mansuetis*) *revelantur mysteria.* q. d. Noli superbè altiora te quærere; quia non superbis, sed humilibus ea revelantur. Hinc sumptum est illud Hebræorum proverbium, במופלי ממך אל תדרש *bemophele mimmach al tidros,* id est, *difficiliora quàm pro te ne quæras;* vel, *occultum à te ne inquiras.* Unde suspicor ita Hebraicè hic in avi Siracidis textu extitisse. Sensus est, q. d. Noli curiosè scrutari, quæ Deus tibi occulta esse voluit, hoc est, res abditas, & à natura ipsa involutas. Huc pertinet illud Hebræorum dictum: *Non licet interrogare, quo consilio, quamve ob causam creator hoc vel illud fecerit. Ne curiose inquiras in facta Dei.* Nam omnia facit sapienter, tametsi ea lateant sapientes. Ab humilitate conversandi Siracides transit ad humilitatem discendi & sapiendi. Græca Complut. addunt ἀμαθέστως, id est, inscienter, inconsideratè, imprudenter; sed alii codices id demunt, idque per se in τὸ *altiora* intelligitur. Legit Interpres ὑψηλότερα, id est, *altiora:* atque ita legit S. Cyprian. lib. 3. Testimon. S. August. in Speculo, & Alexander Episcopus Alexandr. apud Theodoret. libr. 1. Histor. Jam legunt χαλεπώτερα, id est, difficiliora; alii, βαθύτερα, id est, *profundiora;* Syrus, *duriora,* vel *asperiora;* S. Ambros. initio cap. citatus legit, *difficiliora te ne quæras sine sensu, & fortiora te ne exquiras cum stultitia.* q. d. Difficiliora se quærere, est insensati & stulti.

VERS. 22.

Nota pronomen, *te:* quod enim te est altius, potest non esse altius me, & vice versa. Unde Tigurina vertit, *difficiliora, quàm quibus par sis, ne quæras.* Explicat id Paulus dicens, *Non plus sapere quàm oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem; & sicut unicuique Deus divisit mensuram fidei,* Roman. 12. 3. Unde Arabicus vertit, *ne quæras id, quod eminet supra vires tuas; & ne inquiras id, cujus tibi difficilis est consecutio.* Additque: *Et si præfectus fueris in aliqua præfectura, indulge libens.* Sicut enim altius est aure velle videre, oculo velle audire, pede velle transcendere caput; commensum verò est auri audire, oculo videre, pedi ambulare: ita altius est idiotæ velle scrutari astrorum ordines & cursus; id verò commensum est astrologo, nisi modum excedat, ut illa quasi digitis suis dimetiri velit. Altius est rustico investigare causas nivis, grandinis, ventorum: id verò commensum est physico. Altius est laico disputare de subtilibus mysteriis & controversiis fidei; sed id commensum est Theologo. Unde S. Basilius, cùm Demosthenes arte cocus, secta Arrianus, secum vellet de sanctissima Trinitate disputare, & arrianismum propugnare, appositè eum repulit dicens: *Hodie vidimus Demosthenem insulsum & infantem. Tuū est, ô Demosthenes, pulmenta decoquere, non de Theologia disserere.*

Altio-

Altiora ergo quærunt, qui ea, quæ suum statum, & captum transcendunt, curiosè scrutantur; qui indagant ea quæ per lumen rationis, vel naturale, vel supernaturale indagari nequeunt; ut qui Cingaros consulunt de fortuna & sorte sibi obventura; qui interrogant sagas & magos vel astrologos de eventibus futuris, vel præteritis, aut præsentibus arcanis & occultis: hæc enim eorum captum superant, sed commensa sunt Prophetæ & spiritui prophetico. Insuper, qui curiosè indagant, an sint prædestinati à Deo, aliaque Dei consilia, & secreta scrutantur, contra quos denotat Sapiens Proverb. 25. 27. *Qui scrutator est*, inquit, *majestatis, opprimetur à gloria* Et Apostolus Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt judicia eius, & investigabiles viæ ejus!* Et S. Fulgent. de Incarnat. c. 28. *Quòd*, inquit, *interrogant isti de Deo, dicentes: Cur ergo non facit omnes homines velle credere, cùm non sit personarum acceptio apud Deum? Scire debent hoc in illis altioribus positum, à quibus S. Scriptura humanæ curiositatis arcet audaciam: Altiora te ne quæsieris, fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Et S. Fulbertus Carnotensis epist. 1. ad Adeodatum B (extat tomo 3. Biblioth. SS. Patrum) sub initium: *Altiora te ne quæsieris*, &c. *incomprehensibilem enim*, inquit, *divini consilii altitudinem sapientia humana puro cognitionis intuitu comprehendere non potest*. Denique, qui mysteria SS. Trinitatis, divinitatis & humanitatis Christi nimis profundè & sublimiter, vel subtiliter scrutari volunt. Unde Nyssenus de Vita Mosis: *Altiora te ne quæsieris; hoc est*, inquit, *noli ossa Christi conterere: non enim eges scientia ipsorum*. S. August. verò lib. contra Priscillian. ad Orosium, cap. 11. tom. 6. quærenti, an sol, luna & sidera rationales habeant spiritus, sintque animata, respondet: *Altiora te ne quæsieris*, &c. *Ut magis in istis temeraria præsumptio, quàm cauta ignoratio culpanda videatur*. Ævo enim S. August. multi sectantes Platonem censebant, astra esse animata: jam constat ea esse inanima.

Rursum hæc sententia, cùm sit generalis, multis aliis aptari potest, ut politiæ: q. d. In politia noli altiora te quærere: v. g. cur rex, princeps, aut magistratus hæc illave sanciat aut faciat: habet enim rationes altiores, & universaliores, quas tu ignoras. Rursum statui, & C professioni: q. d. Noli statum & professionem tuam excedere, ut cùm sis plebejus, velis haberi nobilis; cùm sis chirurgus, velis agere medicum; cùm sis opifex, velis agere doctorem; cùm sis grammaticus, velis agere Theologum. In quos extat parœmia Hebræorum lib. Sanedrin c. ult. *Camelus abiit, ut cornua quæreret; & aures, quas habebat, amputaverunt ei*. Qui enim indebita ambit, debita amittit; qui altiora postulat, congruis privatur; qui aliena invadit, propriis mulctatur.

ET FORTIORA TE NE SCRUTATUS FUERIS] Idem dicit. Græca addunt, *ἐν ἀφροσύνῃ*, id est, *in insipientia*, quasi significet, id esse insipientis; aut non omne horum scrutinium se vetare, sed tantùm nimis curiosum, insipiens & stultum. *Fortiora* vocat sublimiora, altiora, statum & captum exuperantia. Hinc Tigurina vertit, *ne scruteris stultè quæ vires tuas superant*; Syrus, *quæ validiora sunt te, ne investiges*. Hebr. enim גבר *gabar*, id est, esse fortem, roborari, significat prævalere, vincere, superare, transcendere. Unde psal. 138. 6. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est*, id est, prævaluit, vicit me, *hinc non potero ad eam* pertingere. Gen. D 49. 26. *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus*: q. d. Benedictiones Jacobi prævaluerunt, & superaverunt benedictiones Isaaci, & Abrahæ patrum tuorum. Vide ibi dicta. Hebræi ergo difficiliora & captum exuperantia vocant fortiora, duriora, altiora profundiora.

Gnome de non scrutandis altioribus se.

Aurea est gnome S. Augustini libr. de Beata Vita ex Terentio: *Cum non possis esse, quod velis; velis id, quod possis*. Talis est & illa vulgò trita: *Asinum agas, si equum agere nequeas*. Et illa: *Tuo te pede metire*. *Ne sutor ultra crepidam*. *Tua sorte contentus vive*. Et illud Arabicum centuria 1. n. 96. *Quando non evenit tibi, quod vis; velis, quod evenit*. Maximus serm. 21. & Antonius in Melissa, part. 2. serm. 77. narrant Thaletem in cælum suspicientem, & astra contemplantem, lapsum in foveam irrisum à vetula, dictitante, *meritò id illi accidisse, qui Actum, quod ante pedes esset, ignoraret, cælum contemplaretur, ut cognosceret*. Quò spectat illud Pacuvii: *Quod ante pedes est, nemo spectat; cæli scrutantur plagas*. Euclidem verò rogatum à quodam, *quales essent dii, quaque re maximè gauderent*; respondisse: *Ego cetera nescio, at curiosos illis odio esse certò scio*. Memorabile est, quod scribit Laertius lib. 6. de Platone, scilicet, eum ideas suas prædicantem, easque novis vocabulis appellantem *mensitates & cyathitates*, per quas voce intelligebat species mensæ & cyathi irrisum à Diogene dicente: *Mensam ac cyathum video; mensitatem & cyathitatem non video*. Sed Platonem acutè ei in os regessisse: *Non mirum: nam oculos habes, quibus cernuntur cyathi ac mensa; mentem verò non habes, quâ cernuntur mensitates & cyathitates*. Sequitur:

SED QUÆ PRÆCEPIT TIBI DEUS, ILLA COGITA SEMPER (pro *semper*, Græcè est *ὁσίως*, id est, *sanctè*, & ita legit S. Ambr.) ET IN PLURIBUS OPERIBUS EJUS (vestigandis, & perscrutandis) NE FUERIS CURIOSUS] Syrus, *id quod proposuerunt tibi, intellige, & ne sit tibi confidentia in occultis*. *Curiosus*, ait S. August. de Utilit. credendi, *est, qui avidè scrutatur ea, quæ ad se non pertinent: studiosus verò, qui diligenter perquirit ea, quæ ad se attinent*. Hoc utilissimum est dogma, hæc vera est sapientia, hæc praxis virtutis, hæc via ad felicitatem & beatam æternitatem.

Gnome de vitanda curiositate.

Idque adeò est clarum, ut idem lumine naturali viderint & docuerint Gentilium philosophi. Maximus serm. 36. citat Socratem, qui rogatus à curioso quid ageretur apud inferos, eum irridens dixit: *Nec ego apud inferos fui, nec quemquam illinc reversum allocutus*. Hinc Socrates curiosis illud Homeri semper ingerebat: *Ædibus in nostris, quæ prava, aut recta gerantur*. Idem teste Laertio & Gellio, auditores ab exacta cognitione astrologiæ physicæ, geometriæ & rerum ultramundanarum traducebat ad studium Ethices, dicens: *Quæ supra nos, nihil ad nos*. Ethica verò ad nos pertinet, quia facit, ut nobis ipsi noti simus, utque rem domesticam aut publicam utiliter administremus. Rursum Maximus, & Antonius locis citatis, citant illud Demonactis: qui interrogatus, an mundus esset animatus, & rursus an globosus, respondit: *Vos de mundo solliciti estis, & vestram ipsorum immunditiem non curatis*. Idem intuitus duos philosophos indoctos, curiosos, & insulse inter se disceptantes, inquit: *Uter stultior, qui mulget hircum, an qui cribrum supponit?* Ita Lucianus in Vita Demonactis.

Diviniùs noster Thomas Theodidactus de Imitat. Christi lib. 1. c. 3. *Quid prodest*, ait, *magna cavillatio de occultis & obscuris rebus, de quibus nec arguemur in judicio, quia ignoravimus? Grandis insipientia, quod neglectis utilibus & necessariis, ultrò intendimus curiosis & damnosis*. Et inferiùs: *Certè adveniente die judicii, non quæretur à nobis, quid legimus, sed quid fecimus: nec quàm benè diximus, sed quàm religiosè viximus*.

NON EST ENIM TIBI NECESSARIUM, EA, QUÆ ABSCONDITA SUNT, VIDERE OCULIS TUIS] Tigurina, *non opus est, ut oculis tuis arcana pervideas*. Est liptote, sive miosis: minùs enim dicitur, & plus significatur: *non est tibi necessarium*; imò non decet, non expedit, turpe est, irrationale & sæpè factu impossibile. Denique incivile est & rusticum, avertere oculos ab his quæ Deus nobis vult revelare, & convertere ad ea quæ voluit occultare. Argutè Ægyptius ille bajulus, gestans quiddam velis opertum, cuidam curioso sciscitanti quid portaret: *Ideò*, inquit, *obvelatum est, ne scires: cur verò vestigas, quod occultatum est?* Gorgias rogatus à quodam, cur fabæ ventrem inflent, cùm ignem non inflent: *Istud*, inquit, *tibi dispiciendum relinquo; ceterùm scio, terram adversus hujusmodi homines producere ferulas*. Idem audiens quemdam argutè de Antipodibus disserentem, irridens eum, ostensis in puteo hominum umbris, quæsivit, *num illos Antipodes putaret?* VERS. 23

IN SUPERVACUIS REBUS NOLI SCRUTARI MULTIPLICITER] Græca Complut. & S. Ambros. legunt; *in supervacuis λόγων*, id est, *sermonum* (Roman. *ἔργων*, id est, *operum*) *tuorum ne sis curiosus*; Syrus, *& in reliquo operum ejus, ne sias difficilis*; Tigurina *plura negotiis tuis ne cura, nec supervacua scruteris multifariam*. Græcum enim, *μὴ περιεργάζου* significat Primò, *ne sis curiosus*; Secundò, ne nimis sis sollicitus, vel anxius; Tertiò, VERS. 24

dicentes se esse sapientes, vani & stulti facti sunt, ait Apost. Rom. 1. De quibus praeclare verò dicit S. Prosper contra Collatorem, pag. 147. *Ut quidam dixisse feruntur: Adsque sole, reliquorum siderum causa perpetuam noctem habituras terras; sic omnes sapientia virilis naturalibus ad comprehendendam veritatem gratiae divinae tamen & sunt atque caligo: cujus in sola verbo Dei explicatur doctrina & traditur, ut contingit cognitio atque scientia.* In eosdem hanc paroemiam iaciunt Hebraei: *Descenderunt in profundum maris, & educunt testam*. Sicut enim urinatores in mare se demergentes ad quaerendam mercem pretiosam, pro ea saepè educunt testas & quisquilias: sic Philosophi scrutantes sapientiam, nugas & errores reperiunt. Vide S. Eucherium epist. ad Valerian. & Francis. Vallesium de Sacra Philosoph. cap. 64. Unde hanc sententiam in Graeco sic habet, *multos enim supplantavit suspicio ipsorum, & cogitatio mala labefecit sensus illorum*; S. Ambros. *multos supplantavit suspicio illorum vana, & cogitatio prava labefacit sententiam eorum*; Tigurina, *multos enim decepit vana sua opinio, & consilium sensus sui prava labefactavit*. Graecum enim ὑπόληψις explicatur praesumptio, iam *minus* significat cogitationem, opinionem, suspicionem, consiliumque; hanc opponit labefactat *διάνοιαν*, id est, mentem, sensum, *sententiam eorum*. Quare pertinet B est Hugonis explicatio: *Verbum, suspicio, inquit, est sursum aspicio; nomen suspicio, est nimis alta speculatio*, q. d. Qui nimium suspicit, & altiora se scrutantur, facilè decipitur. Nihil enim significat ὑπόληψις *suspicio*. Unde Arabicus, *videt homines diversos, & opinio mala seducit cor eorum in pravitatem sensus illius*; Syrus, *quia multae sunt cogitationes hominum, & apparentia mala errare faciunt*.

Sic quot quantique hodie supplantavit alchymia, qui, ut invenirent lapidem philosophicum, quo argentum & metalla converterent in aurum, dilapidando exhauserunt suas opes, laborem, annos & vitam cassô & irrito conatu? Quot ingenia frustrà desudarunt in invenienda quadratura circuli? Denique hinc orti sunt omnes errores & haereses, quòd scilicet haeretici curiosos supplantet sua suspicio, id est, opinio, quam quisque sibi format & concipit, non fides, quam sacrae Litterae docent. *Curiositas*, ait S. August. tract. 97. in Ioan. *haeresim dat*. Et Tertull. lib. de Praescript. adversus haeres. *Haereses, ait, à Philosophia subornantur, inde aeones & formae nescio quae, & trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat*, &c. Unde Philosophos vocat patriarchas haereticorum. Quare sapienter Urbanus Pontif. ad Carolum, ut habetur dist. 37. C *Non in Dialectica, inquit, placuit Deo salvare populum suum: regnum Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonum*. Et S. Nilus Instit. ad Monach. *Curiosior, inquit, noli scrutari: sed crede omnino, & adora*. Verè Sapiens c. 4. v. 12. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiae transvertit sensum*. Nimia enim scrutatio mentem hebetat, sicut nimia lux oculos excaecat. Unde Artemidorus lib. 1. Onirocrit. c. 28. *Nimis scit, est mihi quidam, qui non facit filio suo oculos habere, & casus felices ad*.

... suspicio... falsa:... Moral. Suspiciosi, quales sunt timidi & melancholici, in multa incurrunt & delirant: quia suspicantur tristia & tristia, quae illis suggerit timor & atra bilis. Verè S. Eucherius ad Valerian. *Et sic, uti affirmavi, suspicor non erit: non enim suspicamur, nisi quod nescimus*. Quare talibus inculcandum est, quod medici inculcant ei, qui laborat capitis vertigine, ideoque putat domum & res omnes gyrare & volvi: *Non domus, sed tua te vertigo gyrat. Non domus, sed tua phantasia, tuum cerebrum vacillat. Tene ergo mentem: non cadet domus, non te opprimet: illa firma consistit; sed tua imaginatio infirma & volubilis omnia sibi similia esse semperque volvi existimat*. Hoc sacit epigrammata: *Suspiciosulus securis, nimirum*:

Suspicio crebra tollatur libra facessat,
Non patit hoc nemo pessura cassa malum.
Cur tu quod fugeres, quod te fecisse puderes,
Hoc alium prava suspicione gravas?
Suspicione cave, perdoque hanc pestem tolle:
Improbus est, quisquis suspiciosus erit.
Quisquis, inventum semper malevolas addit,
Qualibet atque animo candidiore notat.

Post hanc sententiam Complut. & nonnulli alii codices Graeci, & S. Ambros. subdunt hanc sententiam: *Pupillas non habens, carebis lumine, intelligentiae autem expers, ne profitearis*; Tigurina, *oculis carens, luce carebis; intelligentiae expers, ne profitearis*. Syrus hanc sententiam à sensu post vers. 9. ita utique ita enuntiat: *Qui non habet pupillam oculorum, desit ei lumine, & cùm caligaverit a scientia, ne confisum debet ad discendum*. Sensus est sicut, qui caret pupil-

A la, & consequenter visu, qui est in pupilla, non potest videre; nec lucem praebere aliis membris, totique corpori: ita qui cognitione ... caret, non potest eam aliis impertiri: proinde à docendo abstineat. q. d. Ne alios doceas, quod prius ipse non didiceris: ne sis magister, nisi priùs fueris discipulus: ne fallenas esse doctor, nisi ipse sis doctus, non tantùm affectivè, sed & substantivè. Nonnulli enim hebetes multos annos audiunt insignes philosophos & Theologos, ab eisque multa docti, remanent tamen rudes & indocti. *Sic Pythagoras*, ait S. Hieron. ad Paulinum, *Memphiticos vates, sic Plato Aegyptum laboriosissimè peragravit, ut qui Athenis magister erat & potens, cujusque doctrinam Academiae gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus; malens aliena verecundè discere, quàm sua impudenter ingerere*. Et inferiùs: *Tractant fabrilia fabri; sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant*, &c. Addit, *cùm ad Scripturas sacras post saeculares litteras venerint, & sermone composito aures populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant: nec scire dignantur, quid Prophetae, quid Apostoli senserint; sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem*.

COR DURUM MALE HABEBIT IN NOVISSIMO: ET QUI AMAT PERICULUM, IN ILLO PERIBIT.] Cor durum efficit superbia, & consuetudo crebra peccandi. haec enim, cùm sit quasi altera natura, indurat mentem in peccato. Transit ab humilitate ad duritiem quasi ad contrarium, quia solent oratores ex antithesi unum contrarii illustrare altero ei adverso. Sicut enim cor humile est tenerum, molle & flexile; sic cor superbum est durum, rigidum & inflexile. Cor durum ergo opponit, tum mansuetudini & humilitati, quam commendavit vers. 19. & 20. tum obedientiae, quam filiis commendavit v. 2. & sequent. Multi enim filii sunt durae cervicis, obstinati, pertinaces, ideoque inobedientes & rebelles parentibus. Tangit ergo radicem obedientiae, quae est humilitas; & inobedientiae, quae est superbia & obstinatio. Denique cor durum facit homines pertinaciter inhaerere suae suspicioni & opinioni, de qua vers. praecedenti. Quare cor durum hic exagitat, & quàm grande sit malum demonstrat. Vers. 27.

C Igitur cor durum vocat praefractum, superbum, protervum in peccato, suaque prava opinione & sensu obstinatum, quod nullis monitis minisque se flecti sinit, ideoque obduratum est & impoenitens, quale fuit cor Pharaonis, Exod. 7. & sequent. quod proinde licet Deus ad tempus toleret; tamen tandem horrenda plaga disperdit & conterit, uti contrivit Pharaonem immittendo toti Aegypto decem plagas acerbissimas: nec enim aequum est, ut Deum sentiat blandum in morte, cui erga Deum & homines fuit durus in vita, ait Palacius. Et Lyran. *Tinus durum, inquit in corpendibus dicitur, quod resistit tangenti; sic in spiritualibus, quod resistit inspirationi ad bonum*.

Cor durum quid? describit S. Bernard. Divinè cor durum definit & describit S. Bernard. lib. 1. de Consider. ad Eugen. *Quid ergo, est cor durum? Solum est cor duri, quod sensitissimum non colunter; quia nec sentit. Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec moveatur precibus; minis non cedit, flagellis induratur. Ingratum est ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia saevum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina: praeteritorum obliviscens, praesentium negligens, futura* D *non providens. Ipsum est, cui praeteritorum, praeter solas injurias, nihil omninò non praeterit; praesentium nihil non perit; futurorum nulla, nisi fortè ad ulciscendum, prospectio seu praeparatio est. Et, ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur*.

Porrò, *cor durum malè habebit in novissimo*. q. d. Cor durum videtur sibi benè habere, quia in suis cupiditatibus, atquè se protervia & duritie, sibi complacet, ferociterque conquiescit, ac videtur sibi esse inexpugnabile; quia nemo audet illud tangere, eò quòd quisque desperet illud se posse frangere: sed *in novissimo*, id est, tandem, praesertim in morte, *malè habebit*: quia tanget illud, & franget Deus. Unde Syrus vertit, *cor durum, malus sui finis erit*, id est, cordis duri malus erit finis: ex adverso, *qui diligit bona, in iis exsultabit*: id est, in iis lucebit. ... H ... utitur

nunquam ullo pretio fuit: In armis semianimis uniquis: fideo, nisi [illegible] semper hostem capessit: nec tamen hostes vitet parius: hoc enim non est militis, sed sollicitudinis. Si vero Religionis tuba canat, famam progredere, & animam parat pende, & cumulatum alacriter descendas ad certamina, hostium aciem dissipa, confringe caput diaboli, trophaeum erige. Si vero pietas nihil laedatur, nec aliter nostra populatur dogmata, secundum animam dico; nec aliquid, quod Deo displiceat, agere cogit; ne sis superstitiosus. Sanguinem plenum esse decet Christiani vitam, non alienum effundendo, sed suam paratum semper effundere praestando. Tanta ergo promptitudine properans effundamus cruorem, cum pro Christo sit hoc agendum, quanta quis aquam effunderet. Nam & aqua sanguis est corpus irrigans. Et tanta facilitate carnem exuamus, quanta vestimentum. Similia habet Nazianz. orat. 4. cujus verba recitabo cap. 32.25. Hac fuit sapiens Aristidis consilium tomo 1. orat. 1. de pace: Tunc, ait, suscipiendum est periculum, quando incertus sit eventus, cum quies aperte nocet. Et Alcibiades, qui accitus ab Atheniensibus è Sicilia, ut diceret causam capitis, abdidit se, dicens: Stultus est eum, qui vacare levius, ubi eum quaerat elabi, cum liceat vitare ne eat. ita Plutarch. in ejus Vita. Quod Belgae eleganter dicunt: Beter ist ende rysten dan bedeijgeren, satius est inter tormenta in filiis, quam inter ferra & tormenta in certare vitam agere.

Vers. 28. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus.] Hebraei [illegible] lob derachaim, id est, cor durum viarum, sive quod duas ingreditur vias, vocant cor & voluntatem, quae tendit in duo contraria: quae vult servire Deo & diabolo; quae vult vacare legi Dei, & legi mundi; quae interdictam suae concupiscentiae, quam rationi & virtuti. Vide dicta cap. 2. 14. Hoc non habebit successus, quia, nec Dei, nec mundi gratiam, quam aucupatur, acquiret. Ita Volsaeus, qui Henrico VIII. Angliae regi adulans persuasit, ut legitimam uxorem Catharinam Caroli V. amitam repudiaret, aliamque sibi gratiorem duceret, cum tandem justo Dei judicio in regis iram & extremas calamitates incidisset, sero sacri pertinentis exclamavit: Me miserum! quia regis gratiam Deo neglecto aucupatus sum, iustè gratiam Dei perdidi, nec regis gratiam acquisivi. Testatur Sanderus de Schismate Anglicano.

Prosperitas, nonnulli legunt, requiem, idque appositè. Irrequietus enim est, qui fungit duobus dominis contrariis servire: necesse est enim, ut, dum uni placet, alteri displiceat; dum uni gratificatur, alterum offendat.

Tropolog. ingreditur vias duas, puta, iustitiae & peccati, caeli & gehennae, qui crebro confitentur, quae via est iustitiae, & tamen ad occasionem peccandi, quae via est peccati, revertitur; ideoque in via iustitiae non habebit successus, nec progressum. Recte ergo duabus viis terram non ingreditur, quando & Dei est, quod operatur, & mundi, quod per cogitationem quaerit, ait S. Gregor. 1. Moral. c. 11.

Hic versus iam deest in Graecis, Syris & Arabicis. Porro notat peccatorem candide dicit, scilicet, qui sic facit, utrique Deo simulatque & mundo. Hi enim quatuor verba ipsi par ad cor durum; unde non illud vocat cor pravum. &c cor pigrum. Hoc est, quod ait Christus Matt. 6. Nemo potest duobus dominis servire Deo scilicet, & Mammonae. Deo & Baalo clamat enim contra has Elias: Usquequo claudicatis in duas partes? Bona mater integrum, non divisum vult filium; licet, quae se matrem fingebat, dividi filium optavit. Ita Deus integrum cor, non divisum vult. Ita dicente Mose: Dominus solus dux eorum fuit, neque erat cum eis Deus alienus. Ergo non licet tibi Dagonem habere cum arca. Non licet terram duplici semine seminare. Non licet vestem lana & lino contextam. Non licet arare in bove simul & asino; inquit Palacius.

Hinc possis per cor ingrediens duas vias, intelligi cor non tam simulatum & fictum, quam varium, inconstans & protervum; ut sequitur, quod omnibus se accommodat, ut omnibus placeat: quale cum probis est probum, cum castis castum, cum improbis improbum, cum lascivis lascivum. Hujus symbolum est chamaeleon, qui colorem mutat, & colorem eorum, quibus se jungit, assumit & induit ex metu, propter paucitatem sanguinis & caloris, ait Aristot. lib. 4. de Part. animal. cap. 11. Tales maximè sunt haeretici, de quibus S. Bernard. serm. 65. in Cant. Hypocrisis, inquit, haeretici execrant bellum, alia vulpes, alia & crudelitate lupi: hi sunt, qui boni videri non esse, mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, & boni videri volunt, ne soli sint mali. Mali videri timent, ne paucorum maliciorum minus semper malitia palam nocuit; nec unquam bonus, nisi boni simulatione decipitur est.

Cornel. in Ecclesiast. [illegible]

A Et pravum cor) Varia est hic lectio, S. Aug. in Speculo & Tigurina legunt vertuntque praevaricator; alii, pravus corde, alii, perversum, alii, corruptum, alii, praevaricatis. Vide hic Francisc. Lucam Notis ad hunc locum. Legendum cum Romanis: Et pravum corde) in illis scandalizabitur, id est, offendet; Tigurina offendetur (vide dicta cap. 1. v. 35. in illis) q. d. Impinget, cadet, in ruinam incidet, dum duabus ingreditur viis, dum, scilicet, simul Deo & mundo cupit placere. Pendet hoc hemistichium à praecedenti, ideo enim non habebit successus, quia impinget & corruet, dum enim uni domino servit, alterum illi contrarium offendit, ejusque iram & vindictam incurrit, necesse est: praesertim quia Deus, qui totum cor poscit, non fert aemulum & rivalem, ideoque graviter punit eos, qui cordis dimidium sibi surripiunt, hostique suo tradunt.

Secundo, moraliter & appositè Palacius, Quod, ait, inquit, non habebit successus, ita intellige. Pravo cordi fient bona bona & mala via: ut neque his fruetur, nec illis. Nam fraudantur bonis, quae in mala via esse videntur, avocat bona via: &

B dulcedini suae in mala bona via: sic eterum amaritudinem insurgere: ita contrà fraudantur bonis via bona, via mala revocat. & dulcedine vitae bona via frui, ut licet, non fruit. Hoc declarat amplius Auctor per verba sequentia: Et pravum cor in illis scandalizabitur; id est, ingrediens simul viam bonitatis & malitiae, scandalizatur & offenditur ex utraque. Nam gaudens in bona, tangitur ex mala. Contrà, gaudentem in mala, bona conturbat. Ergo ille calidus, nec frigidus: quia verò tepidus es, incipiam evomere ab ore Domini.

Cor nequam; Graecè, [illegible], id est, durum, pertinax, obstinatum in malo, gravabitur in doloribus; S. Ambros. laboribus, quia suas neque ire, duritiae & obstinationis thesaurizat sibi iram Dei, juxta illud Rom. 2. 5. Secundum duritiam tuam, & impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, & revelationis justi judicii Dei. Unde causam subdit dicens: Et, id est, quia, peccator, quia jam obduruit in peccatis, eorumque habitum & consuetudinem penè incorrigibilem sibi induxit, adjiciet ad peccatum. Graecè, peccator addet peccata super peccata, & consequenter dolores dolori; quia Deus addet ei plagas super plagas, ac

Vers. 29

C dolores super dolores, juxta illud Eccli. 23. Vir multum jurans replebitur iniquitate, En culpa. Et à domo eius non recedet plaga. En poena. Unde Syrus vertit, cor durum, multiplicabuntur dolores eius, & arrogans addet peccata peccatis; Arabicus, cordis duri multiplicabuntur dolores illius, & dolosus peccata peccatis accumulabit; Tigurina, cor pertinax gravabitur laboribus, & sceleratus peccata peccatis accumulabit. Nam, ut ait Nazianz. in Distichis: Sicut ferrum attrahitur lapide, quoque accendit; At durum & asperum pellas virga correcti solet. Hinc elice conclusionem, si vis avertere dolores & accersere gaudia, fuge peccata, vaca virtuti & sanctitati: ubi enim est virtus, ibi est & laetitia, ubi peccatum, ibi est & comes eius individuus, puta, tristitia. Vide idipsum in Salvatore subdit: Synagoga superborum non erit sanitas.

Nota Vers. & peccator adjiciet ad peccandum. Nam, ut ait S. Greg. lib. 25. Moral. cap. 12. Peccatum, quod poenitentia non deletur, ipso pondere mox ad aliud trahit; ut ex eorum iudicio omnipotentis Domini peccatis cumulantur, ut praecedentis peccati meritis ratione in alia cadat. Idipsum experiebatur August. quare lib. 8. Confess. c. 5. Velle meum, inquit,

D tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me, quippe ex voluntate perversa facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Accedit, quod daemon à peccatore pro delectatione peccati hanc quasi exigit usuram, scilicet augmentum peccati, novamque peccatorum, quod illi suggerit, juxta illud: Et usuris & iniquitate redimet animas eorum, psalm. 71. 14. Sic à Davi le per usuram adulterii cum Bersabee, exegit homicidium Uriae illius mariti.

Synagoga, id est, coetui, congregationi, multitudini, turbae) superborum non erit sanitas; Graecè, [illegible], id est, sanatio, curatio, medela; q. d. Durico- des & superbi, quia Dei & hominum monita spreverunt, nullamque ad meliorem curationem, hinc suo tempore graviter & immedicabiliter punientur, ut curari & sanari nequeant. Causam subdit: Frutex enim peccati, id est, omnis eorum ad peccandum potestas & facultas, in qua jam radicati & firmati videntur, eradicabitur in illis, et non intelligetur

Vers. 30

H 2 hoc

hoc est, penitus tolletur ab eis, ita ut amplius non intelligatur, nec agnoscatur esse vel fuisse; hoc est, sic tolletur, ut nullum ejus appareat vestigium, iuxta illud psalm. 36. *Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani: & transivi, & ecce non erat: quæsivi eum, & non est inventus locus eius.* ita Iansenius. Secundò, Palacius explicat: q. d. Superbis & obstinatis non est sanitas; quia ipsi in corde adiiciunt peccata peccatis, ac consequenter in corpore cumulant plagas plagis, dolores doloribus. Ergo, si videris sanum superbum, ingredere cor ejus: ibi videbis dolorum carnificinam. Porrò *frutex peccati* est liberum arbitrium, sive libertas benè vel malè agendi: hæc tolletur à superbis in inferno: quia damnati non habent liberum arbitrium ad benè vel malè agendum: nam in malo obdurati & obfirmati sunt, ait Palacius.

Porrò Græca iam pro συναγωγῇ, id est *synagoga*, legunt ἐπαγωγῇ, id est, obductio, inductio: unde sic habent. *Obductioni superbi non est sanatio: frutex enim peccati radicavit in illo.* Obductio intelligitur mali, putà, clades, calamitas & supplicium pro peccatis inflictum, uti dixi c. 2. 2. q. d. Talis & tanta calamitas à Deo infligetur superbo & duro, ut ei non sit remedium, ut eam curare & sanare sit impossibile. Hinc & Syrus vertit, *plaga illusoris non habet medelam, qui à planta prava, planta eius*; S. Ephrem tract. de Timore Dei: *obductio superbiæ non est sanatio: frutex enim radicavit in illa* q. d. Etiamsi superbia exteriùs obducatur & operiatur velo humilitatis, non tamen sanatur; quia interiùs in corde manet ejus radix, putà, mens superba. Superbi enim exteriùs simulant se humiles; sed interius tument arrogantia. Arabicus, *non est supplicia derisoris indulgentia: plantam namque pravam plantavit*; Complut. addunt nonnulla: sic enim habent. *In inductione superbi non est sanitas: itinera eius eradicabuntur: planta enim nequitiæ radices misit in illo.* & sic legit S. Ambros. Tigurina verò, *in inductione*, id est, in spatione, *arrogantis nihil est sani, & gressus eius convellentur*, (Vatabl. *vestigiis evertetur, id est, institutis suis falletur*,) *quia radices egit in ea planta malitiæ.* Hæc lectio consentit cum Vulgata. Latina; sed ea est uberior: quod enim Græca dicit, *itinera eius eradicabuntur*; Latina dicit, *frutex peccati eradicabitur*. Frutex enim arboris est quasi iter & semita, qua se promovet & propagat arbor. Hinc per *fruticem peccati* possunt accipi voluptates, opes, honores: item machinationes, artes, fraudes, socii, congregationes, clientelæ, spes, &c. Hæ enim sunt illecebræ & fomites peccati, quibus illud proserpit, seque propagat, sicut per frutices proserpit & propagat se arbor; ob quas, & per quas peccator peccata peccatis accumulat, ideoque eas omnes eradicabit & disperdet iustus criminum ultor Deus. Causam subdunt Græca: quia *planta malitiæ in eo radices egit.* q. d. Quia in malitia planè radicata est, ut ab ea se avelli, nec minis, nec monitis permiserit, adeò ut nulla supersit spes emendationis & bonitatis; idcircò malitiam hanc eius cum ipso evellet & evertet Deus. Luxuriantes ergo voluptatum, honorum & opum frutices amputemus, sicut vinitor putat palmites & pampinos vitis luxuriantes, ne Deus vitem ipsam totumque hominem eradicet, & in ignem æternum mittat.

Denique pro *frutex enim peccati eradicabitur in illis*, uti legit Iansenius & alii; legendum est contrariè, *frutex enim peccati radicabitur in illis*; uti legunt Romana & Græca: q. d. Voluntas propria & cupiditas, quæ est frutex peccati, id est, peccatum omne progerminans, altas radices aget in superbis, *& non intelligetur*, quia superbi non intelligunt se agi propria voluntate & cupiditate: putant enim se agi ratione, voluntate Dei & charitate: amor enim proprius & superbia eos excæcat, & lucem naturalem offuscat, ut seipsos & suum hocce vitium non perspiciant; ideoque Deus illos puniet, eradicabit & affliget immedicabiliter.

VERS. 31. COR SAPIENTIS INTELLIGITUR IN SAPIENTIA, ET AURIS BONA AUDIET CUM OMNI CONCUPISCENTIA SAPIENTIAM) Cordi duro, indocili, inflexili, & præfracto opponit cor sapientis, utpote docile, flexile, studiosum & subditum sapientiæ: illud ergo *intelligitur*, inquit, id est, cognoscitur in sapientia, supple, audienda, legenda, meditanda, proloquenda, docenda & opere exercenda: ideoque addit, *auris bona*, quæ libenter audit bona, manans ex corde bono, quale est sapientis *audiet cum omni concupiscentia*, id est, aviditate: q. d. Avidissimè excipiet *sapientiam*, præsertim sublimiorem & magis reconditam. Hanc enim significat vox παραβολή. Sic enim habent Græca, & ex eis S. Ambros.

A *Cor sapientis cogitabit parabolam, & auris auditoris desiderium sapientis.* Vox *desiderium*, dupliciter accipi potest. Primò, ut referatur ad sapientem: q. d. Sapiens desiderat aurem auditoris, id est, aurem audientem & attentam. Secundò, ut referatur ad aurum: q. d. Auris auditoris, id est, audiendi avida, desiderat audire sapientem, ut ab eo sapientiam hauriat & addiscat. Hunc sensum expressit Latinus Interpres, & Syrus, *cor sapiens* ait, *intelliget parabolas sapientum; & auris, quæ audit, lætabitur in sapientibus.* Priorem sequitur Tigurina, dum vertit, *cor hominis cordati meditatur sermones reconditos* (Vatabl. *res arcanas*) *& sapiens aurem attentam expetit.* Ita David. *Audiam*, ait, *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam*, psal. 84. 9. Hæc est antithesis prima inter cor durum & sapiens.

Igitur docet hic Siracides, ad sapientiam requiri primò, cor avidum sapientiæ: secundò, aurem docilem, quæ libenter audiat dogmata & monita salutis: quibus si tertiò accedat manus, id est, operatio, ut opere exerceat quod audivit, perfectam nanciscitur sapientiam, id est, virtutem. Vnde Aristot. apud Laert. lib. 5. cap. 1. asserit, tria ad sapientiam exigi, naturam, doctrinam, exercitationem: natura est in corde & mente capaci & avida: doctrina in aure docili: exercitatio in manu & operatione. Sapienter S. Bernard. serm. 28. in Cant. *Auris*, inquit, *prima mortis ianua, prima & vitæ: nunc autem unde irrepsit morbus, inde remedium intret, & per eadem sequatur vestigia vita mortem, tenebras lux, venenum; serpentis antidotum veritatis.* Porrò, quanta debeat esse aviditas sapientiæ, ostendit S. Cyrill. libr. 1. in Ioan. cap. 2. dum ait, nos debere æmulari canes venaticos, qui undique odorantur & persequuntur feram, donec eam comprehendant. Simili enim modo nos debere scrutari & insequi veritatem, donec eam teneamus.

Antithesis cordis duri, & sapientis Primo.

SAPIENS COR ET INTELLIGIBILE (id est, intelligens: sic sæpè verbalia desinentia in *bilis* accipiuntur pro participiis, vel nominibus, ut *incredibilis* pro incredulus, *docibilis* pro docilis) ABSTINEBIT SE A PECCATIS] Sapientia enim practica & vera consistit in fuga peccatorum, & exercitio virtutum. Est hæc secunda antithesis cordis duri & cordis sapientis: cor enim durum addet peccata peccatis, ut dixi vers. 29. cor verò sapiens ab iis abstinebit. Audi S. Ambros. de Iacob, & vita beata, cap. 8. *Manet*, inquit, *semper inter adversa & delectabilia perfecta virtus neque adversa de perfectione eius quidquam minuunt, neque delectabilia adiungunt perfectioni.* Et ad Simplic. lib. 2. epist. 7. *Sapiens non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur: ubi enim sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia & fortitudo: sapiens manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicatus fide.* Quin & Seneca ad Heluiam, cap. 5. *Nec secunda*, inquit, *sapientem efferunt, nec adversa demittunt.* Vnde idem infert epist. 117. cap. 6. *Sapientia est mens perfecta, vel ad summum optimumque perducta.* Et ibidem cap. 8. *Sapiens vicinus proximusque diis consistit, excepta mortalitate similis Deo.* — VERS. 32. — *Secundo.*

ET IN OPERIBVS IVSTITIÆ SVCCESSVS HABEBIT] Tigurina, *in operibus iustis successu potietur.* Deus enim prosperat iustas iustorum quasi amicorum actiones, utpote à se, & sua gratia profectas, sibique gratissimas iuxta illud Apostoli: *Creati in operibus bonis* (id est, ad opera bona) *quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*, Ephes. 2. v. 20. Et illud Psaltis psalm 13. *Omnia, quæcumque faciet, prosperabuntur.*

Est hæc tertia antithesis cordis duri, & cordis sapientis. Durum enim non habebit successus, ut dixit v. 28. quia Deum habet adversum: sapiens verò habebit, quia Deum habet propitium. Hic versus iam deest in Græco & Syro. — *Tertia.*

VERS. 33. IGNEM ARDENTEM EXTINGVIT (S. Ambros. legit, *restinguit*) AQVA ET ELEEMOSYNA RESISTIT PECCATIS] præteritis; sed & pari ratione ac iure præsentibus & futuris. Nota vi *&*, id est, similiter, pari modo, sic. Est enim comparatio: q. d. Sicut ignem extinguit aqua; sic eleemosyna extinguit peccata. *Sicut enim aquæ elementum*, inquit Rabanus, *effusum ignis extinguit ardorem; sic & eleemosyna, quæ per charitatis affectum expenditur, peccatorum obruet flammam.* Pro *resistit*, Græcè est, ἐξιλάσεται, id est, *expiabit peccata*: hoc autem est resistere peccatis nos accusantibus apud Deum, scilicet, eum placare, itaque peccata expiare, iuxta illud: *Superexaltat misericordia iudicium*, Iacob. 2. 13. Arabicus, *extenuat peccata*; Syrus,

tegit

remittit peccata; S. Cyprian. tract. de Opere & eleemos. *extinguit peccata;* Tigurina, *peccatum expiat misericors benignitas.* Hebr. enim חסד *chesed*, idem est quod pietas, misericordia, benignitas, beneficentia, eleemosyna. Eleemosyna ergo est peccati piaculum, & quasi victima pro peccato, juxta illud Daniel. 4. 24. *Peccata tua eleemosynis redime.* Vide ibi dicta. Transit recto ordine ac gradu à sapientia & justitia, ad eleemosynam; quia hæc inter opera justitiæ, quæ dixit esse sapientis, primas tenet.

Eleemosyna est piaculum peccati.

Est aqua ignem peccati restinguens.

Apposité comparat peccatum igni, eleemosynam aquæ. Primò, quia, sicut ignis adurit læditque corpus; ita peccatum lædit, occidit & exurit animam. Peccatum ergo est quasi ferrum candens, quod suo te contactu vult comburere obiice tu illi aquam eleemosynæ: non te aduret. Secundò, quia, sicut ignis excitat flammas; ita peccatum suscitat concupiscentias, æstusque iræ, gulæ, libidinis, &c. Tertiò, quia peccata accendunt ignem, id est, iram & ultionem Dei, ut igne furoris sui eos disperdat. Quartò, quia peccata peccatori parant ignem gehennæ. Hosce omnes peccati ignes mira vi sopit eleemosyna, imò ita extinguit, ut nullum eorum vestigium supersit. Vide Matth. 25. 35. Quocirca S. Maximus homil. 1. de eleemos. *Dicit*, ait, *Scriptura divina: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Magna planè, & cunctis ambienda sententia, quæ hominibus penè jam mortuis, & peccatorum suorum incendio arefactis, redivivum quoddam beneficium pollicetur.*

Primò. Secundò. Tertiò. Quartò.

Mysticè S. Cyprian. de Opere & eleemos. per aquam accipit baptismum, per ignem gehennam: *Hic*, inquit, *ostenditur & probatur, quia sicut lavacro aquæ salutaris, gehennæ ignis extinguitur; ita eleemosynis atque operationibus iustis, delictorum flamma sopitur. Et quia semel in baptismo remissio peccatorum datur, assidua & ingis operatio, baptismi instar imitata. Dei rursus indulgentiam largitur.* Sic quoque explicat S. Gaudent. de Natali Domini, tract. 13. Hinc pariter S. August. homil. 39. inter 50. *Dedit nobis*, inquit, *Deus secundum baptismum. Nam, sicut aqua extinguit ignem: sic eleemosyna extinguit peccatum. In horreis nostris habeamus abundantiam, quæ flammas nostras oblatione unius panis extinguat: ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti.* Sic & S. Laurentius, Episc. Novarum, homil. de pœnitentia, quæ extat in Biblioth. SS. Patrum in Appendice, ex hisce Siracidis verbis comparat eleemosynam baptismo: *Aqua*, inquit, *& ablutio & remissio in eleemosyna largientis est. Ne differas ablui inquinatum corpus & animam fontibus eleemosynæ, ut redeas rursus in præmissi baptismatis formam. Sicut aqua extinguit ignem; sic eleemosyna extinguit peccata. Tanquam si ita dictum esset: Sicut aqua extinguit ignem ardentem; sic eleemosyna discerpit avaritiam, funera, hominumque crimina, vincula funesta disrumpit.* Et mox *Sicut peccatum, quod extra corpus est, eleemosyna fulminat & extinguit: sic vitium libidinis, quod membra incestat, lacrymarum ubertas extirpat. Ergo peccatum, quod extra corpus est, proprium habet fontem eleemosynarum: & flagitium, quod intra corpus committitur, suum habet fontem ex oculis profluentem.* Affert exemplum Zachæi, qui eleemosynis sua peccata abolevit, Lucæ 19. *Translatus*, inquit, *de bono ad malum, de præda ad palmam.*

Eleemosyna est secundus baptismus.

Causa Primo. Causa, cur eleemosyna extinguat peccatum, est, quia misericordes in alios, sibi Dei misericordiam conciliant, & quasi emerentur, juxta illud promissum Christi: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, Matth. 5. 7. Secundò, quia pauperes pro suis eleemosynariis Deum præcantur; pauperum autem vocem audit & exaudit Deus. Tertiò, quia, cùm eleemosynam corporalem multi ob inopiam facere nequeant, omnes tamen possunt facere spiritalem, qualis est precari pro pauperibus, eos consolari, docere, benè consulere, &c. ac præsertim offensam dimittere iis qui nos offenderunt. Hæc autem remissio quasi jure talionis meretur parem remissionem, juxta promissum Christi. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra.* Matt. 6. 14. Quartò, quia eleemosyna est actus charitatis: charitas autem operit multitudinem peccatorum, Jacob. 5. 20.

Secunda. Tertia. Quarta.

Quocirca S. Ambr. in hæc verba Ecclasiastici, serm. 1. tom. 2. *Ignē ardentem*, inquit, *restinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Magna planè & cunctis ambienda sententia, quæ hominibus penè iam mortuis, & peccatorum suorum incendio arefactis redivivum quoddam beneficium pollicetur, ut interveniente*

A *eleemosyna, sicut aqua intermortuis, succus (qui sit) refrigerium arescentibus infundatur: hoc est, ut miseri homines, qui in mortem peccatis, aruerant, ad vitam eleemosynis reviviscant; sitque illis misericordia fons salutis, quibus avaritia fuerat mortis incendium, ut flammas, quas sibi peccando incenderant, largiendo restinguant; atque utiliore commercio, qui pecuniam quondam dederat, ut adulterium perpetraret, nunc pecuniam eroget, ut adulter esse iam desinat; & emat sibi quodammodo innocentiam, qui sibi emerat aliquando peccatum: dicit enim Dominus ad discipulos suos: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Unde concludit: *Sola misericordia virtus, cunctorum est redemptio peccatorum.* Idem serm. 2 eleemosynam comparat, imò præfert aquæ baptismi: *Ipsa enim*, inquit, *gehennæ consumit incendia, quæ dum per baptismum infunditur, Tartari restinguit ardorem: vivificat enim animas, & delicta restinguit. Ita igitur eleemosyna resistit peccatis, sicut aqua baptismi gehennæ restinguit incendium. Ergo quodammodo eleemosyna animarum aliud est lavacrum: nisi quòd indulgentior est eleemosyna, quam*
B *lavacrum: lavacrum enim semel datur; eleemosynam autem quoties feceris, toties promereris veniam.* Eadem habet serm. 42. Ex dictis disce, quanta sit vis, dignitas, utilitas & necessitas eleemosynæ.

ET DEUS PROSPECTOR EST EJUS QUI REDDIT GRATIAM) q. d. Deus providet, & de omnibus prospicit eleemosynario, qui benefacit, miseretur, & dat eleemosynam indigenti, juxta illud Psaltis & Pauli: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, &c. *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, ut in omnibus locupletati abundetis*, 2. Corinth. 9. Vide Chrysost. homil. *Quòd eleemosyna est ars omnium quæstuosissima.* Memorabile hujus sententiæ exemplum extat in Sophronio, putà, in Prato spiritali Joannis Moschi, cap. 261. de nobili quodam Constantinopolitano, qui, cùm omnia sua in pauperes distribuisset, filio nil nisi Christum curatorem reliquit: quare Christus se ei curatorem præstitit, monuitque divitem primarium, ut illi filiam unicam in uxorem traderet, eumque omnium bonorum heredem scriberet; qui idipsum fecit, juvenique dixit: *Ecce bonus*
C *curator tuus misit tibi uxorem.* Hoc est, quod ait S. Chrysost. homil. 53. & 68. ad popul. *Si filiis*, inquit, *omnia dimittas, periculosæ custodiæ tuæ cuncta commendasti: si verò Deum eis relinquas hæredem & tutorem, innumeros reliquisti thesauros. Si vis filios divites in tuto relinquere. Deum ipsis relinque debitorem, & hoc eis chirographum trade. Deus centuplum, quod promisit, rependet. Deo ergo fæneraŕe.* Et S. Cyprian. tract. de Opere & eleemos. *Patrimonium*, ait, *Deo creditum nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur.*

Vers. 34

Græca jam aliter habent, nimirum: *Dominus qui retribuit* (Græcum, ἀνταποδιδοὺς, habet emphasim: q. d. Qui recompensat, qui quasi mercedem merito, ac par pari retribuit) *gratias* (copiam gratiarum,) *meminit in posterum*; Syrus, *qui facit, quod bonum est, paratus* (id est, benè dispositus) *est in via sua*; Arabicus, *qui operatur bonum, benè se habebunt viæ illius.*

MEMINIT (Deus) EIUS (eleemosynæ) IN POSTERUM] ut eam suo tempore remuneretur, laudet & celebret, uti Christus apparuit noctu S. Martino, qui dimidiam
D chlamydem dederat pauperi, eam coram Angelis ostentans, dicensque: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.* ita Sulpitius in Vita S. Martini.

ET IN TEMPORE CASUS SUI INVENIET (eleemosyna, & eleemosynarius) FIRMAMENTUM) Syrus, *& in tempore, quo ceciderit, inveniet esse fulcrum*: Arabicus, *& qui cadet, erit illi virtus & sustentaculum*; Tigurina omnia hæc una sententia complectitur, *Dominus gratiam redditurus memor erit in posterum, ut auctor* (eleemosynæ) *tempore casus sui adminiculum inveniat*: q. d. Si eleemosynarius in adversa labatur, si in calamitates incidat, Deus memor ejus eleemosynarum eum fulciet, roborabit, eriget, restituet in pristinum statum & gradum, imò maioribus bonis & donis cumulabit.

Secundò, Palacius hæc accipit de casu, id est, lapsu in peccatum: q. d. Si eleemosynarium in peccatum labi contingat, in ipso casu inveniet eleemosynam, quam fecit, cui nitatur, & in qua firmetur, ut surgat. Quia eleemosyna misero data rogat pro datore Deum, ut eum ab omni miseria liberet, qui miseros ab eorum miseria liberare solebat. Hoc est, quod ait Tobias cap. 4. *Eleemosyna*

ab omni peccato & à morte liberat, & non patitur animam A *ire in tenebras.*

Huius rei mirabile extat exemplum in Prato spirit. Joannis Moschi, cap. 207. de virgine quadam Gentili, quæ cùm sua erogasset in pauperes, redacta ad inopiam, lapsa est in fornicationem, ut quæ victum sibi pararet, seipsam prostituit: sed Deus memor ejus eleemosynarum, ipsam ad pœnitentiam revocavit, per eamq; ad castitatem, fidem & baptismũ traduxit; cumque nullus pro ea in baptismo spondere vellet, Angeli cælitus missi pro ea se sponsores præstiterunt.

Denique Psaltes psal. 40. 1. *Beatus*, inquit, *qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Quocirca S. Cyprian. in fine tract. de Opere & eleemosyna, hæc ei dat elogia: *Præclara & divina res*, inquit, *fratres clarissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati: res posita in potestate facientis, res & grandis & facilis, sine periculo persecutionis, corona pacis, verum Dei munus & maximum, infirmis necessarium, fortibus gloriosum, quo Christianus adjutus perfert gratiam spiritalem, promeretur Christum judicem, Deum computat debitorem. Ad hanc operum salutarium palmam libenter ac prompte certemus: omnes in agone justitiæ, Deo & Christo spectante, curramus; & qui sæculo & mundo majores esse jam cœpimus, cursum nostrum nulla sæculi & mundi cupiditate tardemus.* Et S. Chrysost. homil. 33. ad popul. *Eleemosyna*, inquit, *Christi assistas tribunali, non tantùm patrocinans verùm & ipsi persuadens judici, ut reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam feras: & licet millies peccaveris, coronat, & victorem promulgat.* Intellige hæc de illis, qui peccant ex fragilitate, non ex præsumptione. Ex hac enim, & similibus S. Scripturæ de eleemosyna peccatum expiante sententiis, quidam in errorem prolapsi sunt, ut censerent, sibi licere rapere aliena, & vivere ut liberet, eò quòd eleemosyna sine pœnitentia compensaret omne peccatum. Quem errorem recenset & confutat S. August. l. 21. de Civit. cap. 22. & Enchir. cap. 75. *Non ergo*, inquit, *se fallant, qui per eleemosynas quamlibet largissimas fructuum suorum, vel cujuscumque pecuniæ, impunitatem se emere existimant, in facinorum suorum immunitate ac nequitia permanendo.* Sic & S. Gregor. in Pastor. parte 3. cap. 21. *Ne venalem*, inquit, *Dei justitiam æstiment, si cùm curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrantur se posse inultè peccare: melior quippe est anima quàm esca, & corpus quàm vestimentum.* Et S. Cæsarius Arelat. homil. 9. *Prodest eleemosyna*, inquit, *si omittas peccare.*

Hi sunt ergo tres fructus eleemosynæ. Primus, quòd instar aquæ restinguat peccata. Secundus, quòd maneat in memoria Dei, ut eam remuneretur. Tertius, quòd in casu sit fulcrum. Vide ea, quæ dixi Deuteron. vers. 12. ubi viginti illustres eleemosynæ fructus recensui.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Parænesis est ad eleemosynam: pergit enim ad eam adhortari usque ad v. 12. A quo usque ad v. 23. est parænesis & cohortatio ad sapientiam, ex duodecim ejus officiis & beneficiis, quæ ipsa suis filiis, præsertim eleemosynariis, præstat. Inde usque ad finem capitis recenset varia hujus sapientiæ præcepta, præcipuè circa pudorem malum, qui hostis est sapientiæ.

1 Filli, eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transvertas à paupere. 2. Animam
esurientem ne despexeris: & non exasperes pauperem in inopia sua. 3. Cor inopis ne afflixeris,
& non protrahas datum angustianti. 4. Rogationem contribulati ne abjicias: & non avertas faciem tuam
ab egeno. 5. Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram: & non relinquas quærentibus tibi retrò maledicere.
6. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius: exaudiet au-
tem eum, qui fecit illum. 7. Congregationi pauperum affabilem te facito, & Presbytero humilia ani-
mam tuam, & magnato humilia caput tuum. 8. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde
debitum tuum, & responde illi pacifica in mansuetudine. 9. Libera eum, qui injuriam patitur, de
manu superbi: & non acidè feras in anima tua, 10. In judicando esto pupillis misericors ut pater, & pro
viro matri illorum. 11. Et eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis quàm mater.
12. Sapientia filiis suis vitam inspirat, & suscipit inquirentes se, & præibit in via justitiæ. 13. Et qui il-
lam diligit, diligit vitam: & qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus. 14. Qui tenue-
rint illam, vitam hereditabunt: & quò introibit, benedicet Deus. 15. Qui serviunt ei, obsequentes
erunt sancto: & eos qui diligunt illam, diligit Deus. 16. Qui audit illam, judicabit Gentes: & qui in-
tuetur illam, permanebit confidens. 17. Si crediderit ei, hereditabit illam, & erunt in confirmatione
creaturæ illius. 18. Quoniam in tentatione ambulat cum eo, & in primis eligit eum. 19. Timorem, &
metum, & probationem inducet super illum: & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec ten-
tet eum in cogitationibus suis, & credat animæ illius. 20. Et firmabit illum, & iter adducet directum
ad illum, & lætificabit illum. 21. Et denudabit absconsa sua illi, & thesaurizabit super illum scientiam,
& intellectum justitiæ. 22. Si autem aberraverit, derelinquet eum, & tradet eum in manus inimici sui.
23. Fili, conserva tempus, & devita à malo. 24. Pro anima tua ne confundaris dicere verum. 25. Est
enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam. 26. Ne accipias faciem
adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium. 27. Ne reverearis proximum tuum in ca-
su suo. 28. Nec retineas verbum in tempore salutis Non abscondas sapientiam tuam in decore suo. 29. In
lingua enim sapientia dignoscitur: & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati, & firmamentum
in operibus justitiæ. 30. Non contradicas verbo veritatis ullo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ
confundere. 31. Non confundaris confiteri peccata tua, & ne subiicias te omni homini pro peccato. 32.
Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii. 33. Pro justitia agonizare pro
anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. 34. Noli
citatus esse in lingua tua; & inutilis, & remissus in operibus tuis. 35. Noli esse sicut leo in domo tua,
evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi. 36. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum,
& ad dandum collecta.

Vers. 1. FILI ELEEMOSYNAM PAVPERIS NE DEFRAVDES] hoc est, pauperem eleemosyna non defraudes. Est hypallage. Similis est illa frequens Hebræis: *Miserunt civitatem in ignem*, hoc est, miserunt ignem in civitatem. Et illa Exodi c. 12. v. 11. *Calceamenta habebitis in pedibus*, id est, pedes habebitis in calceamentis, sive calceatos.

Vox *defraudes*, vel, vt Græcè est, *prives*, significat eleemosynam pauperi esse debitam, illumque ad eam habere ius, non iustitiæ, sed charitatis, vt; scilicet, petat à divite panem, vestem, vel nummum sibi ab eo ex charitate debitum, quo quasi stimulo incitat divitem ad dandum illum. q. d. Da panem pauperi; quia panis ille est pauperis, hoc est, pauperi debitus: vnde si illum ei neges, facis ei iniuriam, quia eum re sibi debita defraudas. Hoc est, quod ait S. Basil. in illud Evangel. *Destruam horrea mea. At tu*, inquit, *numquid spoliator es, qui, quæ dispensanda accepisti, propria reputas? Est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam tu in conclavi conservas; discalceati calceus, qui apud te marcescit; indigentis argentum, quod possides inhumatum. Quocirca tot pauperibus iniuriam facis, quot dare valeres*. Et, quod magis mirere, negat S. Ambrosius serm. 81. posse quemquam bona sua appellare, quæ quis possidet: *Sed, ais*, (inquit) *quid iniustum est, si cùm aliena non invadam, propria diligenter servem? O impudens dictum; Propria dicis? Quæ? Ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti?* Et mox, *Non minus est criminis habenti tollere, quàm, cùm possis & abundes, indigentibus denegare*. Neque aliter sentit S. Hieronymus, qui ad Hedibiam hunc in modum scribit epist. 110. quæst. 1. *Si plus habes, quàm tibi ad victum vestitumque necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem esse te noveris*.

Superflua divitum sunt pauperum, debita charitatis.

Addo S. Chrysostomum, qui ad populum Antioch. verba faciens: *Numquid* (ait) *grave quidpiam & onerosum a nobis requirit. Necessitatem excedentia vult nos facere necessaria, & quæ nequidquam & inutiliter reposita sunt, hæc vult benè distribui*. Et aliquantò pòst: *Tuarum rerum es, ò homo, dispensator, non minùs quàm qui Ecclesiæ bona dispensat*. Et mox: *Non ad hoc accepisti, vt in delicias absumeres; sed vt in eleemosynam erogares: numquid enim tua possides? Res pauperum tibi sunt creditæ, sive ex laboribus iustis, sive ex hereditate paterna possideas*. Et S. Bernard. epist. 42. ad Henric. Senon. sic ait: *Nostrum est, pauperes clamant, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod vos inaniter expenditis*. Nostrum, id est, nobis debitum est, non ex iustitia, sed ex charitate. Denique S. August. in psalm. 147. *Superflua diviti*, inquit, *necessaria sunt pauperi: aliena retinet, qui ista tenet*. Porrò, ne quis dicat hæc concionatoriè per exaggerationem dici, didacticè & scholasticè S. Thomas 2. 2. q. 66. a. 7. ita definit: *Res, quas aliqui superabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum sustentationi*. Idem in 4. dist. 15. q. 2. artic. 4. asserit, hanc esse communem Theologorum omnium sententiam.

Quocirca S. Franciscus, teste S. Bonavent. & aliis in eius actis, quæ sibi quasi pauperi data erant, si pauperior quis ab eo eleemosynam petiisset, illicò non tam donabat, quàm iure suo cedebat. Vnde audiens vetulæ cuiusdam inediam, dixit: *Frater mi restituamus alienum hoc* (pallium suum denotans) *quod ego retinebam, donec æquioris tituli possessor appareret. Iam apparuit pauperrima quædam soror nostra, ad quam rogo vt mittas hoc meum palliolum, cum quibusdam panibus ex eleemosyna collectis, quæ dum Fratres portaverint, dicant, quod suum erat sibi dari: reputo enim, quæ nobis conferuntur, in nostrum cedere vsum, donec indigentior supervenerit*. Sed vide miram Dei providentiam & remunerationem. eodem tempore aliqui ex Pontificiis detulerunt tot panni vlnas, quot S. Patri, eiusque sociis vestiendis sufficiebant.

Pro *eleemosynam*, Græcè est ζωὴν, id est, *vitam*. hoc est, victum, sive ea, quæ ad vitam conservandam pertinent. Hinc ζωὴ & βίος, tam victum, quàm vitam significat, æquè ac Hebr. חיים *chajim*, vt patet Proverb. 27. 27. in Hebr. Hinc illud vulgò tritum: βίος βίου δεῖται, id est, vita victu indiget. Vnde Tigurina vertit, *ne defraudes victu pauperem*. Cùm ergo Græcè dicitur, ζωὴν τοῦ πτωχοῦ μὴ ἀποστερήσῃς, id est, *vitam*, hoc est, victum, *mendici ne prives*, sensus est, q. d. Ne prives pauperem suo victu, quasi sua vita. Novum dat stimulum ad eleemosynam: significat enim ex eleemosyna, putà, ex victu, pendere vitam pauperis: ita vt, si eum prives eleemosyna & victu, prives & vita: hæc enim sine victu conservari nequit. Vnde Syrus vertit, *fili mi, ne irrideas vitam pauperis*; Arabicus, *ne derideas victum pauperis*. Hoc est, quod sancitur iure Canonico dist. 86. can. *Pasce. Pasce fame morientem: si non pavisti, occidisti*. Quam sententiam Gratianus ibidem, & S. Thom. 2. 2. qu. 32. art. 5. tribuunt S. Ambros. in Officiis: sed hodie, nec ibi, nec alibi in S. Ambrosio reperitur. Simile tamen invenitur apud S. August. in psalm. 118. *Hoc est*, inquit, *occidere hominem, vitæ suæ ei subsidia denegare: cave, ne inter loculos tuos concludas salutem inopum, & tamquam in tumulis sepelias vitam pauperum*. Rursus S. Ambros. libr. de Naboth. *Parietes*, inquit, *vestitis auro, homines nudatis: clamat ante domum tuam nudus, & negligis, & sollicitus es, quibus marmoribus pavimenta vesties: pecuniam pauper quærit, & non habet: panem postulat homo, & equus tuus aurum sub dentibus mandit*.

Porrò ζωὴ & victus, non tantùm significat alimoniam; sed & vestitum, pharmaca, habitationem, & quidquid ad vitam tuendam est opportunum, quæ omnia præstat eleemosyna. *Vnde multæ eius sunt species*, ait Rabanus. *Non solùm ergo, qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro, vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliranti consilium, & quod cuique necessarium est indigenti; verùm etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat: & qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, & tamen peccatum eius, quo ab illo læsus aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat vt ei dimittatur; non solùm in eo quod dimittit atque orat, verùm etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, qui misericordiam præstat*. Quæ omnia Rabanus transscripsit ex S. August. Enchiridij cap. 71. & 72. qui & causam addit dicens: *Multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati: quia ipsi sibi inveniuntur esse inimici: amici verò eorum potiùs illi, quos inimicos putant*. Et idem S. August. in psalm. 103. *Valde*, inquit, *male diligit is, qui benè audit, & malè operatur. si potes dare, da; si non potes, affabilem te fac: coronat Deus intus bonitatem, vbi non invenit facultatem: nemo dicat, Non habeo: charitas de sacculo non erogatur*.

Varia species eleemosynæ.

ET OCVLOS TVOS NON TRANSVERTAS A PAVPERE] Vt, cùm pauper in te intentè respicit petens eleemosynam, tu ab eo aspectum ne avertas, aliòque transferas. Vnde Tobias cap. 4. 7. filio præcipit: *Noli avertere faciem tuam ab vllo paupere: sic enim fiet, vt nec a te avertatur facies Domini*. Vult ergo Siracides, vt si videro pauperem, figam oculos in eum, vt ea fiducia petat à me: si enim viderit me à se avertere oculos, incipiet diffidere, ac ita non petet, & in sua miseria perseverabit, ait Palacios. Græcè est, μὴ παρελκύσῃς, id est, *ne protrahas oculos indigentis*, vt, scilicet, debeant diu in te respicere, & petere eleemosynam; sed citò eam exhibe: tum, vt liberes eum longa molestia respiciendi in te & petendi; tum, ne diu eum suspensum & dubium de tua donatione teneas, itàque affligas. Vnde Syrus vertit, *ne affligas pauperem ignobilem*; Tigurina, *ne oculos egenorum diu produxeris*; Arabicus, *ne visu moerens dolore afflicto*. tum, vt citò eius necessitatis æquè ac desiderio succuras; tum, vt tua promptitudine & celeritate dandi, meliorem & gratiorem facias tuam eleemosynam, magisque pauperem soleris & exhilares, iuxta illud Apostoli: *Qui miseretur in hilaritate*, Rom. 12. 8. Et: *Bis dat, qui citò dat*. Qui enim post longas preces dat eleemosynam, significat, se eam ægrè & coactè dare, nec tam dare, quàm carò vendere, putà, laboriosis precibus & molestis clamoribus eam commutare; aut potiùs eam penè vi sibi invito extorqueri. Imitare ergo Abraham, de quo dicitur Genes. 18. 2. *Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum* &c. *& dixit Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum*, &c. Quare S. Ambros. lib. 1. de Abraham, cap. 5. *Disce*, inquit, *quam impiger esse debeas, vt possis prævenire hospitem, ne quis præveniat, & te boni muneris defraudet copia*. Et S. Chrysost. in cap. 18. Genes. *Currit*, ait, *& volat senex: vidit enim prædam, quam venabatur: non vocavit famulos. quasi diceret: Magnus thesaurus est, magna negociatio: per meipsum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum*.

Vers. 2. ANIMAM ESVRIENTEM NE DESPEXERIS] Græcè,

cè, *μὴ λυπήσῃς*, id est, *ne contristes*; Arabicus, *ne contristes ventrem inopis, & ne prohibeas damno læsum eleemosyna*; Syrus, *ne dolore afficias spiritum animæ indigentis*. Spiritus enim pauperis dolore afficitur, cùm videt se, suasque preces non attendi, sed negligi & despici à divite: inde enim dolet & tristatur, ac, si sit cholericus, irascitur. Vnde sequitur.

ET NON EXASPERES PAVPEREM IN INOPIA SVA] q. d. Pauper satis habet asperitatis in sua fame & inopia: noli ergo aliam ei addere, eumque exasperare tua dissimulatione, despectu, tarditate, verbis morosis & asperis, vti nonnulli obiurgare solent pauperes mendicantes, cùm eos deberent consolari, itaq; afflictiones addunt afflictos.

Græcè rursum est, *μὴ παρελκύσῃς*, id est, *ne protrahas pauperem*; Syrus, *ne obliviscaris spiritum hominis contriti*; Tigurina, *ne in inopia sua suspensum quemquam teneas*. Sic enim videris eum despicere. Noster videtur legisse, *μὴ παροργίσῃς*, id est, non exasperes, non exacerbes, ne ad iram provoces. Præclarè Nyssenus orat. de pauperum amore: *O serve Christi*, inquit, *Dei atque hominum amore prædite, ne fratrem despicias, ne prætereas; ne ut scelus, ut piaculum, ut aliud quiddam fugiendum & interdictum aversaris.* B *Membrum tuum est, licet calamitate frangatur. Tibi, licet animo forti prætereas, pauper relictus est, ut Deo: his enim verbis fortasse te pudore promovebo.*

Vers. 3. COR INOPIS NE AFFLIXERIS, ET NON PROTRAHAS DATVM ANGVSTIANTI) *Datum*, id est, eleemosynam, quam dare debes, dare cogitas ac daturus es. Idem malum aliis aliisque verbis & sententiis exaggerat. Græcè, *cor irritatum ne conturbes*. q. d. Cor pauperis satis offenditur, iritatur, & ad tristitiam iramque provocatur sua miseria, fame & egestate: noli ergo illud tua cunctatione vel repulsa magis concitare & iritare. Tigurina, *cor exacerbatum ne perturbes magis, nec differas, quod erogaturus sis in egenum*; Syrus, *viscera hominis pauperis ne dolore afficias, & ne prohibeas munus ab inope*.

Citò facienda eleemosyna: cur? Ratio prima. Ratio à priori est. Prima, quòd, qui citò facit eleemosynam indigenti, totam aufert miseriam: qui verò tardè, partem dumtaxat miseriæ aufert, partem verò ei relinquit. Nam, v. g. qui famelico succurrit tertia die per duos priores dies eum famere permittit quæ sanè ingens est miseria & tormentum. qui si ilicò succurrisset, duos pariter priores C dies famis & miseriæ illi ademisset. Quare, qui citò dat, plùs dat quàm qui tardè: quia totam homini afflictionem adimit, eumque in quiete, commodoque statu constituit. Hanc rationem dat S. Basil. homil. 6. in ditescentes: *Iam quando suppetis*, inquit, *quid prohibet, quò minùs liberaliter impertiare? Nonne inops adest? non sunt plena horrea? non merces à Domino parata? non mandatum manifestum? esuriens fame absumitur, nudus frigore rigescit, & tu eleemosynam in crastinum differs. Audi Salamonem: Ne dicas: Regressus revertere, & cras dabo. ignoras enim, quid sequens pariet dies.* Et S. Gregor. 3. parte Pastor. admon. 21. *Ne*, inquit, *quæ præbenda sunt citiùs, serò præbeantur, audiant, quod scriptum est: Ne dixeris amico tuo. Vade, & revertere: cras tibi dabo.* Et Nazianz. orat. 16. *Ne nox quidem*, inquit, *misericordiæ officia tibi interrumpat. Ne dixeris: Rediens redi, & crastino die dabo tibi, ne quid inter propositum tuum & beneficium intercedat: una enim beneficentia est, quæ moram non admitit.*

Secunda. Secunda, quòd qui citò dat, citò explet desiderium, quod cruciat indigentem: qui verò tardè, sinit eum desiderio suo cruciari: D *spes enim, quæ differtur, affligit animam.* Quare, sicut corpus cruciatur, dum extenditur ultra naturalem modum & situm in eculeo; sic pariter cruciatur animus, dum extenditur distensione spei, & lõga expectatione rei desideratæ. Quod ergo est corpori eculeus, hoc animæ est extensio spei, siue dilatio rei speratæ. Si ergo hominem eculeo corporis statim liberas, si potes, nec vel ad momentum tardas; cur pariter illicò non liberas eumdem eculeo animæ, id est, cruciatu spei & desiderij? Hoc significat hìc Siracides dicens: *Non protrahas datum angustianti*. Hanc rationem dat Seneca lib. 2. de Benef. *Nihil æquè*, inquit, *amarum est, quam diu pendere: æquiore quidem animo ferunt præscindi spem suam, quam trahi.* Et Salom. Proverb. 13. 12. *Spes, quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ, desiderium veniens.* Septuag. *Melior, est qui incipit succurrere cordi, quam qui promisit, & in spem remisit.* In Hebr. est elegans oppositio: *Spes protracta infirmat cor*, vel A est *infirmitas cordi*. Huic autem infirmitati benè opponitur lignum vitæ, quod affert sanitatem & robur.

Tertia, quòd qui citò dat, indicat animum beneuolum, se scilicet libenter dare: qui verò tardè, indicat animum auarum & malevolum, vel certè minùs benevolum. *Tertia.* Munus autem & eleemosyna maximè æstimatur ex animo & benevolentia dantis. Quare longè gratius est munus exiguum citò, & liberali animo datum, quàm magnum tardè & ægrè, avaro vel pigro animo præstitum. Hanc rationem dat Seneca lib. 2. de Benef. *Verissimum*, inquit, *existimo, quod ille amicus dixit, tantumdem gratiæ demi, quantum moræ adiicitur.* Quare Democritus, ut Stobæus refert, dicere solitus erat: *Si benè de aliquo mereri vis, citissimè da: mora enim ingratum redditur, & parum amabile, quidquid dederis.* Idem Seneca in Proverb. *Duplex*, ait, *fit bonitas, cùm accedit celeritas: minùs decipitur, cui negatur celeriùs, quod recipere potuit.* S. Gregor. Nazianz. de pauper. amor. *Beneficii enim gratia*, inquit, *promptitudine & celeritate congeminatur*, iuxta illud Publij Mimi: *Qui citò dat, bis dat.* & illud Luciani, ut Ausonius vertit.

Si benè quid facias facias citò: nam citò factum
Gratum erit: ingratum gratia tarda facit.

Addit Quartò Siracides, quòd qui negligit preces pauperis postulantis eleemosynam, eum despiciat & contristet, *Quarta.* ac subinde ad iram & inpatientiam adigat, ut mala imprecetur neganti eleemosynam, quorum omnium vindex est Deus, qui est pater pauperum. Hanc rationem dat Seneca lib. 2. de Beneficiis, cap. 1. *Vt maioribus*, inquit, *nostris gravissimis visum est, nulla res cariùs constat, quàm quæ precibus empta est. Adeò etiam deos, quibus honestissimè supplicamus, tacitè malumus, & intra nosmetipsos precari. Molestum verbum est, onerosum, & demisso vultu dicendum, Rogo.* Idem lib. 2. de Benef. cap. 7. asserit, *Beneficium morosè datum simile esse pani lapidoso, quem esurienti accipere necessarium est, sed acerbum.* Tale illud Proverb. 20. 17. *Suavis est homini panis mendacii*; id est, videtur suavis: *& postea implebitur os eius calculo.* Quocirca sponsa celebrans sponsi liberalitatem Cant. 5. 14. *Manus illius*, inquit, *tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. tornatiles*; quia faciles, agiles, promptæ ad dandum. *aureæ*; quia aurum largiuntur. *plenæ hyacinthis*; quia omnium gratiam conciliant, omnesque sibi amore devinciunt. Huc facit dictum Diogenis: *Non sunt porrigendæ manus amicis, digitis complicatis*: q. d. Non sufficit amicis te exhibere amicum; sed amicitiæ iungenda est benevolentia. ita Laert. lib 6.

Denique, *Qui tardè dedit, diu noluit*, ait Seneca lib. 1. de Benef. cap. 1. *Quinta.* Et Philo: *Beneficentia*, ait, *sicut luna numquam pulchior apparet, quàm cùm plena est.* Plinius in Panegyr. Traiani celerem beneficentiam commendat. *Sic ingenui largique fontes, ut ubique profusi, ire festinant: sic celeriter in terras cœlo missa perveniunt; sic denique divina illa mens, quæ totum hunc mundum gubernat, quidquid cogitavit, illicò fecit*, ait Eumenius orator in orat. ad Constantin. cap. 10. Xenophon, an propiùs Numini accesserit Persarum rex, an Agesilaus, examinans in Vita eius: *Putabat ille*, inquit, *splendidum esse, quòd negotia tardiùs conficeret: hic maximè tum lætabatur, cùm homines, id quod cupiebant, celerrimè consecutos dimitteret.* De Simone sic scribit Æmilius Probus: *Semper pedissequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis eius indigeret, haberet quod statim daret, ne differendo videretur negare.* Aurea est Theodorici regis vox apud Cassiodor. lib. 3. epist. 40. *Apud conscientiam nostram læsionis genus est, profutura tardare: nec possumus æstimare iucundum, quod ingrata fuerit dilatione suspensum.* Nam, ut idem ait lib. 12. epist. 8. *Hoc est bona desideria suspendere. quod illicita perpetrare.* Quocirca de Gratiano Imper. ita scribit præceptor eius Auson. Burdegalensis: *Spem superas, cupienda prævenis, vota præcurris: quæque animi nostri celeritas divum instar affectas, beneficiis præeuntibus antecéditur: præstare tibi est, quàm nobis optare velociùs.* Hoc ergo regium est, hoc divinum.

Vers. 4. ROGATIONEM CONTRIBVLATI NE ABIICIAS] Græca Complut. *supplicem in tribulatione positum*, vel *tribulatum ne abiicias*; Tigurina, *supplicem afflictum ne reiicias*; Arabicus, *ne avertas te à voce petentis*; Syrus, *deprecationem pauperis ne derelinquas*. Hinc Aristot. in Physiognom. cap. 6. *Misericors*, ait, *est sapiens & modestus*; (vt, vel det, quod petitur; vel si id nequit, det bona verba, ait Rabanus:) *immisericors, insipiens & inverecundus. Misericordes*

quicum-

quicumque pulchri & albi coloris, & habent oculos pingues, & nares deorsum distantes, ac semper plorant. Sapienter Lactantius in Epitome suarum Institut. cap. 5. *Ergo animal*, ait, *commune atque consors esse debemus, ut nos invicem præstandis recipiendisque auxiliis muniamus. Multis enim casibus & incommodis fragilitas nostra subiecta est, sperat tibi accidere posse, quod alteri accidit: ita demum excitaberis ad opem ferendam, si sumpseris eius animum, qui opem tuam tunc in malis constitutus implorat: si quis victu indiget, impertiamur: si quis nudus occurrerit, vestiamus.*

AB INOPE NE AVERTAS OCULOS TUOS PROPTER IRAM) Cujus Primò, accipe iram divitis, à quo pauper eleemosynam petit; q. d. Ne irascaris pauperi, cumque re-
Vers. 5. pellas quasi importunum, qui clamoribus suis tuas aures obtundat. Si enim id feceris, ipse tibi maledicet, & Deus eum exaudiet. Innuit hoc Rabanus, & Tigurina dum vertit, *oculum per iram ne deiicias ab egeno*. Hoc enim est, τὸ χεῖρα ὀργῆς, quod est in quodam vetusto codice Græco, etsi in aliis passim, æquè ac Syriacis, id desit. Unde & S. Aug. in Speculo legit *To propter iram*. Secundò, accipi potest ira pauperis: de ea enim immediatè antè dixit: *Non exasperes pauperem*. Et mox explicans subiungit: *Et ne relinquas quærentibus tibi retrò maledicere*. Nam, ut ait Comicus:

Famis & morabilem in nasum concitant.

Hoc est, quod ait Salomon Proverb. 21. 14. *Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam.* Tertiò, accipi potest ira Dei, quam concitat ira & maledictio pauperis: q. d. Noli auertere oculos à paupere; hocque neglectu & despectu eius iram concitare, quia ipse iratus suas contra te querelas deponet apud Deum, ejusque maledictionem tibi imprecans, vindictam ejusdem tibi accerset. Hoc est, quod subdit:

ET NON RELINQUAS (occasionem) QUÆRENTIBUS TIBI RETRO, id est, secretò post tergum tuum, cùm coram & in faciem non audeant, MALEDICERE] Græca & Syrus, *& ne des illi locum, ut maledicat te;* Arabicus, *ne facias illi viam adversum te, ut tibi maledicat;* Tigurina, *nec locum malè tibi precandi cuiquam des.* Sensus ergo est, q. d. Ne tua aversione & ira des occasionem pauperibus, qui à te quærunt & postulant eleemosynam, ut tibi post tergum maledicant, id est mala apprecentur à Deo. Rationem subdit:

Vers. 6. MALEDICENTIS ENIM TIBI IN AMARITUDINE (quam in tua avaritia, duritia & ira iniquè concitasti) EXAUDIETUR DEPRECATIO ILLIUS. *Tò illius* per pleonasmum Hebræis usitatum redundat: Hebræi enim antecedenti substantivo subnectunt pronomen demonstrativum, quod apud Latinos & Græcos redundat. Causam subdit: EXAUDIET AUTEM EUM QUI FECIT ILLUM) q. d. Deus creator exaudiet illum, tamquam suam creaturam afflictam, à te spretam & sibi derelictam: ipse ergo quasi pauperum & pupillorum advocatus & pater, justam ejus contra te querelam & causam suscipiet, teque condemnabit & puniet. Unde Syrus nervosè vertit, *maledicit enim ipse amarus palato ex tota anima sua, & vocem clamoris eius exaudit creator eius;* & Arabicus, *præ iracundia enim maledicit de extremis cordis sui, & exaudit creator illius vocem humiliationis eius;* & Tigurina, *nam animi præ acerbitate malè tibi precantis orationem creator eius exaudiet.* Huic affine est illud Salomonis Prover. 21. 13. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Hæc enim est justa lex talionis. Similis de vidua & pupillo sancita est Exodi 22. 22.

Appositum huius rei exemplum recenset Sigebertus in Chronico, tempore Sabiniani Pontificis, sub annum Christi 605. & ex eo Cardin. Baronius in Annal. anni iam dicti, de nautis quibusdam, qui cum pauperi eleemosynam petenti insulsè respondissent, *se in navi nisi lapides habere*, respondens ille imprecando dixit: *Verum ergo sit, quod dixistis.* Quo dicto omnia versa sunt in lapides, colore tamen pristino & forma eadem in singulis remanente.

Quocirca Nazianz. in Tetrastichis, hos ad eleemosynam dat stimulos:

1. *Depelle cuncta: sint opes solus tibi Christus.*
2. *Tua, quas porrigis, non sunt opes.*
3. *Debitorem præfer omnibus Deum,*
Frusto rependis scriptra qui cælestia.
4. *Alit tegitque pauperes pascens, Deum.*
5. *Accessit ad me pauper; at frustrà tamen!*
Christe, extimesco, ne tuam quærens opem,
Abeam vicissim prorsus abs te mi ferens.
Nam quod negas quis alteri, frustrà petit.

Idem in Monostichis:

Eris si beneficus, imitaberis Deum;
Fac sis benignus, ut benignum habeas Deum.

Porrò notat Palacius, Deum non audire cujusvis pauperis imprecationes. Sed, si justus pauper, inquit, in re gravi justè petat, & tu injustè negas, audiet Deus cruentam imprecationem, & justè te damnabit iniustum. Secùs erit, si bona quavis ratione negabis: sunt enim quidam pauperes improbi, adeoque audaces & importuni, ut, nisi illicò des quæcumque petunt, diras omnes imprecentur. Hos non audit, sed potiùs retundit & repuit Deus.

CONGREGATIONI PAUPERUM AFFABILEM TE FACITO] Græca & Syrus non habent τὸ *pauperum*: sic nec Arabicus, qui vertit, *dilectum te fac ecclesiæ.* Sed ex præcedentibus & sequentibus liquet id subintelligi, præsertim quia in cœtu & congregatione populi, plerique sunt tenues & pauperes. Rursum pro *affabilem* habent, προσφιλῆ, id est, *amabilem;* Complut. *amicabilem:* sed amabilis est affabilis. Est hæc sententia bimembris, duoque docet: scilicet, quomodo cum paribus & inferioribus, quales sunt plebeii & pauperes, nos gerere debeamus; nimirum, amabiliter & affabiliter, quasi pares, æquales & socii, ac quomodo cum superioribus, quales sunt presbyteri, seniores & magnates, nimirum, humiliter & submissè. Palacius tamen omnia refert ad pauperes, quia de eis hic continuus est sermo; q. d. Cœtui pauperum esto affabilis; sed &, si qui inter eos sunt presbyteri, id est, senes aut magnates, qui gradu suo exciderunt, & ad inopiam redacti sunt, eos honora, & coram eis te humilia: nobilis enim ob paupertatem, nobilitatem suam & honorem non amisit; sed potiùs, si probus sit & patiens, adauxit, & sicut in sene resplendet æternitas Dei Patris; ita in nobili refulget ingenuitas Dei Filii. Vers. 7.

ET PRESBYTERO HUMILIA ANIMAM TUAM] Hæc verba desunt in Græco & Syro. *Presbyterum* intellige, tum ætate, putà, seniorem, ut vertit Tigurina; tum gradu & ordine, putà, sacerdotem: huic enim maximè credita est cura animæ, quæ proinde illi humilianda est, ut ab eo se instrui, duci, regi, absolvi & perfici sinat.

ET MAGNATO; Græcè, μεγιστᾶνι, id est, magnati, HUMILIA CAPUT TUUM] Arabicus, *summitte præfectis civitatis;* Syrus, *præsidibus urbis humilia caput tuum;* Tigurina, *optimati caput tuum submitte.* μεγιστᾶνες enim vocantur, quasi μέγιστοι. Sic μεγιστᾶνες, id est, *magnates*, apud Macedones dicebantur, qui apud nos senatores dicuntur, sive principes & capita urbis. Unde & summum magistratum vocant Magnotarchen, teste Livio lib. 5. bell. Macedon. Magnatibus ergo, ut talibus, debetur submissio & reverentia, quam proinde eis jubet deferri Siracides. Sunt enim nonnulli plebeii, ita vel rustici, vel stolidi & arrogantes, ut cum magnatibus agere velint quasi cum æqualibus, quasi par cum pari, socius cum socio: quo meritò offenduntur magnates, ideoque tales humiliare & castigare satagunt. Vers. 8.

DECLINA (inclina) PAUPERI SINE TRISTITIA AUREM TUAM] Arabicus, *humilia animam tuam indigenti.* τὸ *sine tristitia*, non est jam in Græco, nec Syro; sed legit illud S. Chrysost. lib. 3. de Sacerdot. scilicet, ἀλύπως, & Tigurina, *præbe aurem tuam pauperi citra molestiam.* Multi enim audiunt pauperes, sed cum molestia, tædio, tristitia: quæ proinde tollunt, vel valdè imminuunt decus suæ patientiæ & misericordiæ. *Quia qui coactus aliquid facit, mercedem non habet*, ait Ambrosiaster in cap. 8 epist. 2. ad Corinth.

Præclarè S. Chrysost. homil. 21. in epist. ad Roman. explicans illud cap. 12. *Qui miseretur in hilaritate*, causam & stimulum dat: *Quis*, inquit, *regnum accipiens mæstus est? Quis peccatorum remissionem recipiens, in mœrore manet? noli itaque pecuniarum respicere sumptum, sed magis, qui ex illo sumptu est, proventum. Si enim qui seminat, gaudet, tametsi in incertum seminet; multò magis qui cælum quasi agrum colit.* Denique *hilarem datorem diligit Deus*, 2. Corinth. 9. 7. non eum qui mœrore afficiatur, perinde ac si pecuniam in pauperes erogatam perdat; cui audiendus est S. Cyprianus tract. de Opere & eleemosyna: *Metuis*, *Eleemosynarii non timeant inopiam.*

inquit,

inquit, *ne patrimonium tuum fortè deficias, si operari ex eo largiter cœperis? Quando factum est, ut justo possent deesse subsidia vitæ? Danieli in lacu ad leonum prædam jussu regis incluso prandium divinitus apparatur: & tu metuis, ne operanti tibi, & Dominum promerenti desit alimentum? Unde hæc incredula cogitatio? unde impia & sacrilega ista meditatio?* &c.

ET REDDE DEBITUM TUUM] Deest id in Græco & Syro: *Debitum* intellige, tum eleemosynæ, tum affabilitatis & facilitatis in audiendo pauperem. Unde Arabicus vertit, *redde illi responsum & pacem in mansuetudine*; Tigurina, *fungere officio tuo*: *officium* enim significat debitum, putà, omne id, quod alteri exhibere debemus, sive illud debitum sit ex justitia, sive ex charitate, sive ex misericordia, sive ex affabilitate & modestia, sive ex quacumque alia virtute. Porrò divites sæpè debent pauperibus multa ex justitia pro mercibus, servitiis, laboribus, &c. ab eis sibi exhibitis, ac in illis persolvendis sunt morosi, tardi & difficiles, quia superbè pauperibus dominari volunt, ab eisque quasi subditis sibi omnia deberi censent. Qua in re peccant non tantùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam. Jubet ergo eis Siracides, ut pauperibus præstent omne debitum, primò justitiæ, deinde charitatis & cæterarum virtutum.

Ex hoc loco liquet eleemosynam non esse quid liberum, sed esse debitum. Unde S. Ambros. lib. de Nabot cap. 12. *Debitum igitur reddis*, inquit, *non largiris indebitum*. Ideoque dicit tibi Script. *Declina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum*. Et S. August. in psalm. 147. ante medium: *Quære*, inquit, *quantum tibi Deus dederit, & ex eo tolle, quod sufficit. Cætera, quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria: superflua igitur necessaria sunt pauperum; res alienæ*. Et serm. 219. de Temp. *Quidquid, excepto victu mediocri, & vestitu rationabili, superfuerit, non luxuriæ reservetur, sed in cælesti thesauro per eleemosynam pauperum reponatur. Quidquid enim Deus nobis, plus quàm opus est, dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum transmisit: quòd si non dederimus, res alienas invasimus.* Idem dicit S. Hieron. vel quisquis est Auctor in Regula Monachorum, cap. 6. relatus à Gratiano in Decretis.

ET RESPONDE ILLI PACIFICE (corrige cum Roman. *pacifica*; hoc enim significat Græcum, εἰρηνικά) IN MANSUETUDINE] q. d. Responde pauperibus mansuetè & benignè ea, quæ animo eorum pacem & serenitatem afferant, non iram & indignationem moveant, ut tibi benedicant, non maledicant, ut dixit v. 5. Syrus, *responde illi pacem* (ea quæ pacis sunt, ea quæ pacificant, mentemque tranquillant) *cum mansuetudine*; Tigurina, *responde eidem amica cum mansuetudine*. Verè S. Ambros. vel quisquis est auctor (non enim videtur esse Ambrosii) in epist. 1. ad Timoth. cap. 4. *Omnis*, inquit, *summa disciplinæ nostræ* (Christianæ) *in misericordia & pietate est*.

LIBERA EUM, QUI INJURIAM PATITUR, DE
Vers. 9 MANU SUPERBI] Arabicus, *vindica damno affectum ab illo, qui eum damno afficit*; Syrus, *libera afflictum ab affligentibus eum*; Tigurina, *injuriam patientem eripe è manu injuriam inferentis*. Græcè, ἐξελοῦ ἀδικούμενον ἐκ χειρὸς ἀδικοῦντος, id est, *eripe injuriam patientem de manu injuriantis*. Hic enim est actus misericordiæ par, vel major, illi qui dat panem & necessaria pauperi. Sic Abraham liberavit Lot captum ab hostibus, Genes. 14. Moyses liberavit Judæum ab Ægyptio, Exodi 2. Idem sanxit Salomon Proverb. 24. 11. *Erue*, inquit, *eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad perditionem, ne cesses liberare. Si dixeris: Vires non suppetunt; qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fallit*. Hoc est, quod eum imitatus Siracides subjungit:

ET NON ACIDE FERAS IN ANIMA TUA] hoc est, *tædiosè, vel indignè*, ait Rabanus, *quia charitatis fervorem erga proximum se non habere ostendit, qui eum ab hoste eripere non contendit*. Ubi Nota. τὸ *acidè*, potest Primò, accipi
Acidè quid? Respond. Primò. pro *acedè*, ut sit adverbium derivatum ab acedo, & acedia, pro quo vulgò (licet barbarè) dicitur accedia. Unde & nonnulli codices hic habent, *accidè*, quomodo Interpretem Latinum vertisse est verisimile, sicut & c. 6. 26. *Ne acedieris in vinculis ejus*. Et c. 22. 16. *Non acediaberis in stultitia*. Ubi Græcè est, μὴ ἀκηδιάσῃς. Quare τὸ ac-de, vel acide, pronuntiandum est penultima longa: respondet enim longæ vocali η, quæ est in Græco ejus etymo ἄκηδος & ἀκηδία, id est, acedia, torpor, tædium, pigritia, mœror, ita dicta à κῆδος id est, cura, labor, & α privativo: unde ἀκηδὴς idem est; quod sine cura, expers laboris, incurius, negligens, torpidus, acedus. Sensus ergo est: hanc, quam dixi præstandam, injuriam patientis liberationem, non feras in animo tuo *acide*, hoc est, cum tædio & tristitia: q. d. Non sit tibi tædiosum eam præstare, ne sis acedus, piger, lentus & tardus ad eum liberandum; sed libenter, alacriter & velociter eum libera. ita Jansenius. Favent Græca, quæ habent: μὴ ὀλιγοψυχήσῃς, id est, *ne sis pusillanimis*, quod Interpres Rom. vertit, *non acedieris*. acedus enim est pusillanimis. Acediæ enim filiæ sunt pusillanimitas, metus, torpor, tristitia, tædium, tarditas, desperatio. Tigurina: *Ne demittas animum*.

Secundò, τὸ *acide*, Latinè & propriè cum Lyrano deducas non ab *acedia* (sic enim *acede* dicendum fuisset, non *acide*) sed ab *acor* & acidus, ut idem sit quod ægrè, iracundè, molestè, indignanter, sive, ut Raban. ait, *indignè*, vultuque acido & moroso, quasi acetum bibisses, aut acidum pomum comedisses: fructus enim acidi molestant dentes, eosque obstupefaciunt, ideoque maxillas contrahunt, faciemque acidam exhibent. Pusillanimes enim, cùm opus arduum occurrit, cui se impares arbitrantur, aut cui ex parvitate animi succumbunt, ut illud excutiant, irascuntur & indignantur. τὸ ergo *acide* magis impatientiam & indignationem hominis difficilis & morosi sonat, quàm acediam & torporem incurii. Unde Complut. vertunt, *ne sis impatiens*; Syrus, *ne abbrevietur spiritus tuus*, id est, esto patiens, fortis & longanimis; Arabicus, *ne fastidias veritatem*, id est, veritatis & innocentiæ patrocinium. Quare Interpres noster vertens *acide*, non barbarus est, uti nonnulli putant: sed egregiè Latinus. Sic enim Plautus homines acerbos, molestos, iracundos, dicaces, mordaces, vocat acidissimos. Idem in Pseudol. *Ecquid*, inquit, *habet is homo aceti in pectore?* Idem in Bacchid. *Nunc experiar sitne acetum tibi cere in pectore*. Et Horat. 1. Sermon. Secundò.

At Græcus, postquam est Italo perfusus aceto:

id est, postquam amara mordacitate Itali est reprehensus. Acetum enim Italiæ est acutum, acre, mordax, ideoque acidum ab acuendo, quia cibos & linguam acuit, eisque suum acorem indit. Sensus ergo est, q. d. Cùm tibi liberandus de manu superbi occurrit injuriam patiens, *non acide feras*, hoc est, non concipias inde animi molestiam, impatientiam, morositatem, iram, quasi æquo gravius onus, tuisque humeris impar tibi portandum offeratur: non ostendas te in eo liberando acidum, amarum, difficilem & morosum, quòd verearis potentem & superbum offendere, cum eoque non audeas contendere: noli irasci & indignari; sed magno, tranquillo, misericordi, sereno & generoso animo ei succurre, eum protege & libera, cogitando te Dei causam defendere, justitiæ esse hyperaspisten; misericordiæ patronum agere, pupillorum & pauperum jura tueri, ideoque injustitiæ esse domitorem, superbiæ mastygem, injuriæ vindicem.

IN JUDICANDO ESTO PUPILLIS MISERICORS UT PATER] Græca & Syrus τὸ *in judicando*, connectunt cum præcedentibus, hoc modo; *Ne sis pusillanimis in judicando*, id est, in vindicando & liberando injuriam patien- Vers. 10.
tem de manu superbi; ac deinde novam inchoant sententiam: *Esto pupillis misericors*. Judicis enim propriè & auctoritativè est liberare injuriam patientem, ejusque jus & innocentiam tueri. Sed sive præcedentibus, sive subsequentibus connectas, eodem ferè redit sensus. Agitur enim de liberatione pauperum, miserorum & derelictorum, quales maximè sunt pupilli & viduæ. Jubet ergo, ut tales in judicio non negligantur, nec causæ eorum prorogentur, multò minùs perversè & iniquè in favorem partis adversæ potentis judicetur.

ET PRO VIRO MATRI ILLORUM] Syrus, *esto ut pater pupillis, & pro viro viduæ*; Arabicus, *esto orphanis loco patris, & in similitudine mariti viduis*. Unde Gelasius Papa epist. ad Gerontium & Petrum Episcopos, & habetur dist. 87. can. 1. iis viduarum & pupillorum patrocinium demandat. *Plus*, inquit, *viduarum & orphanorum causas & impensiùs ducimus exequendas, quàm tueri à nobis, vel ab omnibus, divina manifestat assertio*. Idem can. 2. *Pupillis tuitionem*, inquit, *etiam divinitas jussit impendi*. Hoc enim tam miserorum & desolatorum patrocinium, est sacrificium Deo gratissimum, juxta illud: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum*, Jac. 1. v. ult. Causas ibidem assignavi.

Idipsum

Idipsum præstitit Iob, unde coram Deo illud sibi laudi ducens allegat, ut similem sibi opem ab eo impetret: sic enim ait cap. 29. 11. *Auris audiens beatificabat me, eò quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum. Conterebam molas iniqui & de dentibus eius auferebam prædam.* Similia habet c. 31. v. 16. & sequent. Plura hac de re S. Ambrosii exempla recenset Sozom. lib. 7. Histor. cap. 24. Intellige hæc de pupillis & viduis quæ justam habent caussam, & in ea injustè à potentibus opprimuntur. Nam, si injustam causam foveant, sequenda est lex Exodi 23. *Non misereberis pauperis in judicio*, ut propter iniquam misericordiam justitiam pervertas, causam injustam pauperi adjudicando.

Vers. 11. Et eris tu velut filius Altissimi obediens (Arabicus & Syrus, *& eris Deo veluti filius*) et miserebitur tui magis quam mater) καὶ sumitur pro *idcircò*, hac de causa, ob hoc eleemosynæ meritum: illi enim subdit congruam & quasi ex æquo commensam ἀντιμισθίαν & mercedem hanc, q. d. Si pupillum tutatus fueris ut pater, viduam ut maritus, Deus vicissim pro mercede exhibebit se tibi patrem, ac te ut filium curabit, imò indulgentior tibi erit quàm filiis soleat esse mater. Eris ergo filius Dei Altissimi, quia ejus præceptis obediens misericordiam præstitisti viduis & pupillis, ac consequenter eris quasi Deus quidam terrestris. Sicut enim filius hominis est homo: ita filius Dei est Deus; præsertim si propriam divinitatis dotem, putà, beneficentiam & misericordiam, imitetur. Hæc est ratio à priori, quæ ingentem dat stimulum ad eleemosynam. Hoc est, quod ait S. Hilar. in psal. 51. *Sic enim* (in eleemosynam dato) *donamur, ut ex terrenis cælestes, & ex mortalibus simus æterni*. Et Clemens Alexand. lib. 1. Strom. *Dei imago est*, inquit, *homo benefaciens*. Nazianz. orat. 16 de pauper. fovend. *Nihil adeò divinum habet homo, quàm benefacere. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando*, &c. *Neque enim ulla omnino res est, quæ Dei benevolentiam perinde conciliet, ac misericordia*. S. Gregor. Nyssenus lib. de Beatitud. *Beati misericordes. Si misericordiæ*, ait, *appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi ut Deus fias, tamquam insignitus propria nota divinitatis*. S. Leo serm. 10. de Quadrag. *Nulla*, ait, *devotione fidelium magis Dominus delectatur, quàm ista, quæ pauperibus eius impenditur, & ubi curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit*.

Beneficentia facit divinos & quasi deos.

Idem à Salomone, Siracide & Hebræis didicerunt Gentiles. Plinius lib. 2. cap. 7. *Deus*, ait, *mortali est juvare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres iuere Romani.* Seneca in Proverb. *Quid est dare beneficium? imitari Deum.* Idem de Form. vitæ: *Deum*, ait, *amabis; sed illum in hoc imitaberis, quòd nobis omnibus prodesse, & nulli obesse possit*. Nam, ut ait Plato in Timæo, *Deus est summum bonum, super omnem substantiam, omnemque naturam, quem cuncta petunt, cùm ipse sit plenæ perfectionis, nec societatis indigeat*. Et Aristot. lib. 1. Ethicor. cap. 2. *Bonum quantò communius*, inquit, *tantò divinius*.

Et miserebitur (Græcè ἀγαπήσει, id est, diliget) tui magis quam mater) Rectè legit spiritu leni cum Complut. Interpres, ἢ μητέρα. Quare minùs rectè aliqui spiritu aspero legunt, ἢ μητέρα, vertuntque, *& diliget te magis matre tua*. Mira Dei dignatio, qua misericordibus & eleemosynariis erga pupillos & viduas, dignatur esse non tantùm pater, sed & mater, imò plusquam mater, iuxta illud Isaiæ 44. 2. *Hæc dicit Dominus faciens & formans te, ab utero auxiliator tuus*. Et v. 24. *Redemptor tuus, & formator tuus ex utero*. Et c. 46. 3. *Audite me, domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva, usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo, & salvabo*. Et c. 49. 15. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.*

Hac de causa Philo, Orpheus aliique veteres Philosophi & Theologi Deum vocant πατρομήτορα & μητροπάτορα, id est, *patrimatrem & matripatrem*, eò quòd omnipotentiæ patris indulgentiam matris associet. qua de re plura dixi Actor. 17. v. 27. & epist. 1. S. Joan. cap. 1. 1. *Causa est*, ait Palacius, & quasi ratio à priori, *quia paternus affectus & maternus maior multò est in Deo, quam sit in patre aut matre vulgaribus. Cùm enim Deus eum affectum rebus creatis communicarit, majorem sibi reservavit, ut nos maiore prosequeretur. Nulla enim creatura tanti affectus capax est, quantum ipse habet, qui infinita habet cuncta quæ habet. Notabis item, quàm compendiaria ratione principes & judices Deum sibi possint habere devinctum ut patrem & matrem, scilicet, ius servando pupillis & viduis.* Pauperes enim & afflicti, cùm sint omni humano auxilio destituti suo jure divinam opem, regiumque præsidium implorant: his ergo adest Deus, atque Rex vel Princeps, *cuius imperii maiestas, salutis est tutela*, ut ait Plinius in Panegyr. Traiani: *Principem enim*, inquit ille, *dat Deus, qui erga hominum genus vice sua fungatur*. Sic de Salomone, rege pio æquò ac potente, & magis de Christo prædixit David Psal. 71. v. 12. *Liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor*. Sic & Theodoricus, Rex Gothorum sapiens, apud Cassiodor. lib. 3. Variar. c. 20. ait. *Inter gloriosas reip. curas, quas perpeti cogitatione Deo auxiliante revoluimus, cordi nostro est levamen humilium, ut contra potentiam superborum nostræ pietatis erigamus obstaculum, nec liceat quidquam apud nos audaciæ, cuius est propositi superba calcare.*

Hinc disce quantæ utilitatis, & quanti apud Deum momenti & meriti sit eleemosyna, ut meritò dixerit Ven. Beda in Proverbiis: *Salus est divitum, subvenire necessitatibus pauperum. Manus pauperis, est Christi gazophylacium*. Huc facit proverbium Arabicum, quod habetur in impressis centuria 1. n. 80. *Liberalis vicinus est Deo, vicinus hominum, vicinus paradiso, remotus ab igne inferni*, q. d. Liberalis felix est, non solùm in hoc seculo, sed & in futuro: quia vicinus erit Deo. Quin & Seneca in Sententiis: *Eleemosyna*, ait, *non tam accipientibus, quàm dantibus prodest*. Quare verò dixit S. Paulus: *Beatius est magis dare, quàm accipere*, Actor. 20. 35.

Moral. de pretio eleemosynæ.

Porrò S. Chrysost. homil. 35. & 68. ad Popul. *Deus*, inquit, *cibari à te vult* (in paupere,) *ut te cibet: indui, ut te induat. Pecuniam ergo contemne, ne contemnaris; ut dives fis, tua largiter da; ut colligas, disperge: imitare seminantem. Semina in benedictionibus, ut de benedictionibus & metas.* Idem homil. 32. in epist. 2. ad Timoth. *Eleemosyna*, ait, *est amica Dei, semper ei propinqua, pro quibuscumque voluerit facile gratiæ munus impetrat, tamen si à nobis non lædatur, si nullam à nobis patiatur injuriam. Iniuriam autem patitur, cùm ex rapinis eam volumus operari: si verò fuerit munda, magnam præstat confidentiam tribuentibus eam. Tanta est virtus ejus, tantaque potentia.* Addit deinde: *Sed etiam vincula peccatorum ipsa dissolvit, fugat tenebras, extinguit ignem, mortificat vermem, expellit stridorem dentium. Huic portæ cæli aperiuntur, & veluti regina intrante nullus ianitorum, nullus custodum qui portis assistunt, audet dicere: Quæ tu es? vel unde? sed omnes eam è regione suscipiunt. Regina namque est verè regina, similes faciens homines Deo. Estote, inquit, misericordes, sicut Pater vester misericors est. Pennata namque est, & valdè levis, habens alas aureas, & volatum qui Angelos deceat: scriptum est enim: Pennæ tuæ sicut pennæ columbæ deargentatæ, & collum eius in fulgore auri. Sicut columba quædam nitens & aurea, venustate decorata, mites & affabiles oculos habens, per cuncta pervolat: sic & misericordia nitet magno decore festiva. Nihil est illis oculis melius.* Mox pavoni eam comparans subdit: *Pulcher quidem est pavo; sed in illius comparatione deformis apparet. Ita enim ut avis quædam pulchra est & mirabilis ab ipso initio per tempora cuncta perdurans, & multa divina gratia decoratur. Virgo est habens alas aureas, circumspecta per omnia, venustèque succincta, vultum habens candidum atque mansuetum, pennata est, levis, & semper ante solium regale consistit. Quando iudicamur, repentè subvenit, & nos à suppliciis liberat imminentibus, alis suis nos contegens. Hanc ampliùs desiderat Deus, quam sacrificia innumera.*

Vers. 12. Sapientia filiis suis vitam inspirat) Secunda est hæc capitis pars, qua redit ad sapientiam quasi ad primarium suum thema: sicut enim cap. 3. v. 32. & 33. saliit à sapientia ad eleemosynam, quasi à genere ad speciem; ita hic resilit ab eleemosyna ad sapientiam, quasi à specie ad genus, ab hypothesi ad thesin. Dixerat enim v. præced. Deum misserturum misericordium quasi filiorum, magis quàm matrem: nunc idipsum sigillatim ostendit, quanta, scilicet, Deus per sapientiam suam iis præstet & communicet. Quocirca sedecim sapientiæ officia & beneficia, quæ ipsa suis filiis, quales dixit esse misericordes, confert, recenset. Primum est, *Sapientia filiis*

Sedecim sapientiæ officia & beneficia.

suis

suis vitam inspirat; Secundum, *Suscipit inquirentes se*; Tertium, *Praibit in via justitiæ*; Quartum, *Qui vigilaverit ad illam, complectentur placorem ejus*; Quintum, *Quò introibit* (sapiens,) *benedicet Deus*; Sextum, *Qui serviunt ei, obsequentes erunt sancto*; Septimum, *Eos, qui diligunt illam, diligit Deus*; Octavum, *qui audit illam, judicabit gentes*; Nonum, *qui intuetur illam, permanebit confidens*; Decimum, *Si crediderit ei, hereditabit illam*; Undecimum, *Erunt in confirmatione creaturæ illius*; Duodecimum, *In tentatione ambulat cum eo*; Decimumtertium, v. 20. *Firmabit illum*; Decimumquartum, *Lætificabit illum*, Decimumquintum, *Denudabit absconsa sua illi*; Decimumsextum, *Thesaurizabit super illum scientiam & intellectum justitiæ*.

Primum ergo est: *Sapientia filiis suis vitam inspirat*, putà, vitam gratiæ & gloriæ, quæ est vita supernaturalis, cælestis, divina, beata & æterna. Comparat sapientiam matri. Sicut enim mater filios in utero animat & vivificat, ejúsque aspirat vitam naturalem: ita sapientia suis inspirat supernaturalem. Fertur pelecanus avis eliciendo è pectore sanguinem, eoque rigando, pullos jam mortuos, vel verius deficientes & moribundos vivificare. Pelecano similis est sapientia. Unde pelecanus est symbolum Christi, qui suo sanguine nos peccato mortuos, aspirando spiritum gratiæ & charitatis vivificavit. Audi S. Hieron. epist. 29. ad Præsidium, tom. 9. vel quisquis est auctor. stylus enim arguit non esse S. Hieron. imo esse assumentum epistolæ, continens fabulosa de phœnice, vipera, pelecano, &c. *Pelecani*, inquit, *cùm suos à serpente filios occisos, mortuos inveniunt, lugent; & se & sua latera percutiunt, & sanguine excusso ad corpora mortuorum sic reviviscunt*. Idem habet S. August. in psalm. 101. Kiranides, Isidorus, Gesnerus & Aldrovandus libr. 19. de Avibus, capit. 2. in Onocrotalo, hunc enim censent esse pelecanum, æquè ac Sant. Hieronim. in psalm. 101. Plinius & Oppianus. Verùm de veritate hujus rei meritò dubitat S. August. Negant Albertus, Gesnerus & Aldrovandus; qui tamen addit, Horum, & Ægyptios tradere, vulturem Ægyptiam ardentissimè suos pullos amare, ac, si quando nutrimenti facultas desit, ne fame illi pereant, femori suo vulnus infligere, & effluentem sanguinem eis dare exorbendum: pelecanum verò adeò pullos suos diligere, ut dum ignem circa nidum ab aucupibus excitatum extinguere alis ventilando conatur, illas sibi adurat & torreat. Idem tradit Pierius. Addit Gesnerus, pelecanum fortè vocari vulturem Ægyptiam jam dictam.

Christus quasi pelecanus suo sanguine nos vivificat.

Talis vultur, talis pelecanus nobis est Christus, qui est ipsa increata & incarnata Dei Sapientia: ipse enim suo sanguine in cruce, & sua carne in Eucharistia nos pascit & vivificat. Porrò, cùm sapientia hæc unica sit, unicam pariter habet vitam, qua ipsa vivit, quamque filiis per inspirationem communicat, nisi quòd vita hæc in ipsa est per naturam, filiis verò communicatur per gratiam. Hujus symbolum & initium fuit in suscitatione Lazari: Christus enim clamando: *Lazare, veni foras*, eum à morte ad vitam revocavit, Joan. 11. Idem facit cuilibet peccatori, dum eum peccato mortuum spiraculo gratiæ, quasi filium sapientiæ vivificat.

Rursum hæc sententia valde appositè accipi potest de sapientia creata: ipsa enim vitam, id est, doctrinam vitalem & vivificam, putà, normam benè beatéque vivendi suis aspirat. Unde Arabicus vertit, *sapientia corripit filios suos, & egredietur in omni sermone suo*; Syrus, *sapientia filios suos erudivit, & illuminabit omnes qui intelligunt eam*. Sicut ergo lux solis est vivifica, vitamque plantis & animalibus aspirat: sic & sapientia, quæ est lux spiritalis & divina, juxta illud psalm. 35. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ*. Quis hic fons? utique lumen, quod explicans subdit: *Et in lumine tuo videbimus lumen*. Notent hoc doctores, quique alios ad virtutem magno labore erudiunt & illuminant, seque solentur & excitent, cogitando, quòd alios illuminando vitam eis conferant, non animalem, naturalem & temporalem: sed cælestem, supernaturalem & æternam. Hinc, sicuti Deus inspirans in Adam spiraculum vitæ, eum animavit & vivificavit, Genes. 2. 7. ita pariter Christus insufflans in Apostolos Spiritum sanctum Joannis cap. 20. fecit eos non tantùm in animam viventem, sed & in Spiritum vivificantem, ut, scilicet, alios quamplurimos sua sanctitate & spiritu vivificarent Deo.

Tertiò, Græca jam non habent, ἐψύχωσεν, id est, ani- A mavit, vivificavit, vitam inspiravit, uti legit Noster; sed ἀνύψωσε, id est, exaltavit. Unde Tigurina vertit, *sapientia filios suos extollit*. quia ex rudibus facit doctos, ex insipientibus sapientes, ex terrenis cælestes, ex hominibus Angelos. Ad hæc, quia facit eos reges, præsides, duces, rectores, doctores cæterorum: sapientum enim est alios minùs sapientes regere & docere.

Rursum Clemens Alexand. lib. 7. Strom. legit, ἐνεφύσησε, id est, *inflavit*, vel *insufflavit sapientia filios suos*; hoc est, insufflando vitam iis inspirat, ut vertit Noster. Alludit ad halitum vitalem, quem Deus inspiravit Adæ, Gen. 2. Inflare enim hic non significat tumefacere, sed inspirare sapientiam & vitam. *Non enim* (inquit Clemens Alexand. lib. 7. Strom.) *iis qui sunt in doctrina singulari, fastum & arrogantiam ingeneravit Dominus; sed in veritate habere fiduciam, & esse magnificum in cognitione, quæ traditur per Scripturas; effici contemptorem eorum quæ trahunt ad peccatum: quod significat dictio*, inflavit, *quæ docet magnificentiam sapientiæ, quæ implantatur iis qui sunt per doctrinam filii*. Tertull. in Scorpiaco, cap. 9. legit, *sophia insuflavit filios suos*. sed potiùs hanc sententiam Tertull. ex Proverb. c. 9. 2. quàm ex hoc loco sumpsisse videtur, uti anno- B tavit ibidem Pamelius.

Symbolicè, Sapientia increata, putà, ipse Deus, est vita essentialis & increata, quam filiis suis aspirat, infundendo eis vitam creatam, putà gratiam & charitatem, quæ est quasi anima supernaturalis animæ & hominis. Ubi rectè notat noster Lessius lib. 6. de Perfection. divinis, cap. 5. Vita, inquit, dicitur & substantia vitalis, ut est anima & natura angelica; & operatio vitalis, quæ nimirum in operante, à quo emanat, remanet: qualis est intelligere, amare, sentire, appetere, se movere. Utroque modo Deus est vita (semotis imperfectionibus) nec solùm vita, sed prima vita, & æterna vita, & ipsa vitæ plenitudo ac universitas, omnis vitæ origo & consummatio, principium & finis: in quo etiam omnia, quæ non vivunt, vita sunt. Ipse enim est supervitalis essentia, & superessentialis vita, omnem vitalem substantiam intra se eminentissimè & simplicissimè præhabens, & causaliter complectens, & extra se quamlibet juxta suam speciem formans, conservans & perficiens. Ipse est sua vitalis operatio, nimirum, sua intellectio, suus amor, suum gaudium, sua beatitas. Ex illo supervitali fon- C te omnia, quæ aliquo modo vivunt, vitam hauriunt, & vitales facultates motusque accrescunt, alia præstantiores, alia minùs præstantes, juxta gradum cujusque & ordinem. Inde vita omnis & plantarum, & animalium & hominum, & dæmonum, & Angelorum; omnis vita naturalis & supernaturalis hujus sæculi & futuri, temporalis & æterna. Denique, sicut ipse est omnium existentium Esse superessentiale, ita omnium viventium vita supervitalis, ut S. Dionysius cap. 6. de Divinis nomin. ait. Tribuitur Deo *vita*, maximè ratione intelligentiæ & sapientiæ: hæc enim est prima & suprema vita, seu vitalis operatio, à qua omnis alia vita procedit. A sapientia enim manat amor: per hæc autem cætera omnia sunt condita & formata. Deinde in ipsius sapientia omnia viuunt: ipsum enim intelligi, & intellectu formari est quoddam Esse, & vita intelligibilium; & intellectio rei, est ipsa res modo intelligibili. Itaque sapientia divina est omnium vita, & per eam Deus sibi & omnibus vivit, & omnia ipsi viuunt, & adsunt, & splendent, & immutabiliter in ipso perseverant ex omni æternitate in omnem æternitatem.

D Et suscipit inquirentes se) q. d. Sapientia velut mater & magistra, sui studiosos velut manu porrecta ad se allicit, eosque ultrò in suam disciplinam, alimoniam, fidem & tutelam recipit. Unde Tigurina vertit, *& sectatores suos amplectitur*. Unde Dionys. *Suscipit*, ait, id est, preces eorum exaudit. Ampliùs & pleniùs Hugo discutiens τὸ *suscipit*. *Suscipit*, inquit, *id est, sursum capit, ut omnis eorum cogitatio & conversatio sit in cælis*. Rursum *suscipit*, ad protegendum: unde in Psalmis, *Susceptor & protector noster*. Et Psalm. 40. *Me autem propter innocentiam suscepisti*. Et psalm. 138. *Suscepisti me de utero matris meæ*. Item *suscipit*, ad reficiendum. Matth. 11. *Venite ad me, omnes qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos*. Quo sensu dicitur psalm. 3. *Ego dormivi & exsurrexi: quia Dominus suscepit me*. Et Matth. 18. *Qui susceperit unum*, &c. *me suscipit*. Item *suscipit*, ad erudiendum; *suscipit*, ad glorificandum. Psalm. 146. *Suscipiens mansuetos*

sustine Dominum. Isaiæ 42. *Ecce servus meus, suscipiam eum*. Pergit Hugo: *Suscipit timidos ut dominus, famelicos ut pater, ignaros ut magister, miseros ut Deus*.

ET PRÆIBIT IN VIA JUSTITIÆ] quasi facem præferens, ostendensque quid justum sit & sanctum, quid injustum & impium, ac monens hortansque suos ut justum capessant, itaque efficiens, ut in via justitiæ claro & constanti gressu incedant. Hujus typus fuit columna ignis noctu præiens castra Hebræorum, quæ eos securos salvosque duxit in terram promissam, de qua dixi Exodi 13. & Num. 9. unde de eo securus Jeremias ait cap. 17. 16. *Et ego non sum turbatus te pastorem sequens*.

Porrò Sapientia increata, putà, Christus, nobis præit viam justitiæ, non tantùm sua doctrina & exemplo, sed & sua gratia præveniente, qua voluntatem languidam excitat & corroborat ad opera justitiæ, eorumque occasiones suggerit, tentationes amovet, omnemque justitiæ viam complanat, facilemque & expeditam reddit. Christus ergo nos præit, sicut pastor præit oves, eas deducens ad pascua, protegens à lupo, viam ostendens, & per omnia dirigens: & sicut pater præit filium, eum apprehensa manu deducens per salebras & rupes, juxta illud psal. 72. 24. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me*. Insuper præit, sicut dux præit milites ad pugnam, æquè ac ad victoriam & triumphum, juxta illud Michææ 2. 13. *Ascendet pandens iter ante eos*, &c. *Et Dominus in capite eorum*. Vide ibi dicta.

VERS. 13. ET QUI ILLAM DILIGIT, DILIGIT VITAM] Syrus, *amatores ejus sunt illi qui amant vitam*. Quia sapientia creata est animæ vita; tum formalis, per doctrinam & gratiam; tum causalis, per gloriam, ad quam nos deducit. Sapientia verò increata, putà, Christus, est *via, veritas & vita*, Joan. 14. 6. Ergo *filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Si diligitis peccatum, verè puram diligitis mortem. Si diligitis mundum, utiq; diligitis vanitatem, & mistam cum multa morte exiguam vitam. Diligite sapientiam, ita puram & sine labe vitam diligetis. Igitur sola sapientia digna est vestra dilectione, ait Palacius. Prudenter Plato l. 6. de Republ. *Fieri*, inquit, *non potest, ut illud non imitetur aliquis, cui cum amore admirabundus adhæret: quare, cum Philosophus divino atque decoro prudenter adhæreat, divinus ipse atque decorus, quoad homini possibile est, efficitur*.

ET QUI VIGILAVERINT AD ILLAM, COMPLECTENTUR PLACOREM EJUS] *Placorem*, id est, placiditatem, suavitatem, jucunditatem & lætitiam sapientiæ. Hæc enim significat Græcum εὐφροσύνης. Sicut enim sapientia creata & increata, putà, Christus, est vita; sic est & dulcedo ac lætitia ineffabilis animæ sapienti, & sanctæ. Syrus vertit, *& qui inquirunt eam, percipient voluntatem*, vel *desiderium à Domino*: putà, percipient id, quod volunt, optant & desiderant; ideoque lætabuntur. Desiderium enim rei amatæ absentis, parit lætitiam & gaudium, si res amata & optata fiat præsens, eaq; fruamur. Unde Tigurina, *qui eam manè adeunt, replebuntur lætitia*.

Nota. Τὸ *vigilaverint*, significat primò manè surgendum ad quærendam sapientiam: aurora enim sapientiæ & Musis amica. Rursum, quòd sapientia offert sese & occurrit iis, qui manè studiosè & sollicitè eam investigant: hi enim sunt, ut habent Græca, οἱ ὀρθρίζοντες πρὸς αὐτήν, id est, manicantes, sive manè evigilantes & surgentes ad ipsam perquirendam. Sic Psaltes psal. 62. vers. 1. *Deus, Deus meus*, inquit, *ad te de luce vigilo*. Et Isaias cap. 26. *Anima mea*, inquit, *desideravit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de manè vigilabo ad te*. Et Moses Deuter. 6. v. 7. *Meditaberis in eis* (verbis Dei & sapientiæ) *sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens*. Vide ibi dicta. Facit ergo vigiliam amor & amans sollicitudo: si amor Christi te accenderit, excitaberis summo manè è somno, nihil aliud quàm Christum & cogitans & amans. Tunc senties placorem, seu placidissimam & jucundissimam esse sapientiam: tunc gustabis, quàm suavis sit Dominus: tunc prælibabis, quàm beata sit æternitas, quam Deus suis, putà, sapientiæ, studiosis promisit. Tunc jubilabis Deo cum Angelis, juxta illud S. Job cap. 38. 7. *Cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei*. Hæc sciunt, & sapiunt, qui manè vacant orationi & meditationi sapientiæ. Hujus dulcedinis sapientiæ symbolum erat manna, omne delectamentum in se habens, & omnem saporem suavitatis,

A quod ante solis ortum vigilantes colligere debebant, ne liquesceret. Sapient. 16. 27. *Quod enim*, inquit, de manna loquens, *ab igne non poterat extermìnari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat: ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare*. Quocirca S. Bernard. serm. 70. in Cant. *In principio vigiliarum tuarum*, inquit, *accelera: quantumvis etiam ipsas anticipares vigilias, invenies eum, non prævenies: temerè in tali negotio vel primus aliquid tribuis tibi, vel plus; & magis amat, & ante*. Idem Bernardus serm. de septem donis Spiritus sancti: *Omnes*, inquit, *sapientiam quærimus, omnes concupiscimus eam; sed frustra quærit, qui in lectulo suo quærit; neque in terra suaviter viventium invenitur, lectulus est, & diligentem quæris? Si quæritis*, inquit, *quærite, convertimini, & venite. Quæris unde? A lectulo tuo. Quæris, unde converteris? A voluptatibus, inquit, tuis avertere*.

Pro *placorem*, alii vertunt *malaciam*, id est, sedatissimam animi quietem, sublatis animi & conscientiæ scrupulis æstibusque, similem mari tranquillo, nullisque ventis aut fluctibus agitato. Mysticè, hæc sapientia est Christi mater Deipara, quæ omnes ad se confugientes quibuslibet angoribus, animique perturbationibus liberat, serenat ac tranquillat. Unde S. Bonaventura in Speculo: *Ad te*, ait, *Domina, clamavit in angustia anima mea: & tu serenasti conscientiam meam*.

Moral. Nota, effectum signumque certum veræ sapientiæ & sanctitatis esse placorem, putà, animum placidum, quietum, hilarem: hunc enim efficit sanctitas & sancta conscientia, quia animam Deo assimilat. Deus autem est ipsa placiditas, tranquillitas; hilaritas. Quocirca S. Ephrem in hac animi quiete constituit perfectionem virtutis, & sanctitatis: sic enim scribit tomo 1. tract. de Vera renuntiatione: *Universum certamen nostrum in eo est positum, ut ab iis, quæ intra nos sunt, perturbationibus conquiescamus ac liberemur; & veris immunitatibus renuntiemus, cum universa turba pravarum cogitationum quæ ab adversariis potestatibus nobis ingeruntur. Vera siquidem renuntiatio hæc est, interna animi pace atque quiete perfrui, eamque tueri. Quando igitur coram Deo in oratione perstitis, cave, ne pulchra tua vasa, in quibus Deo ministras, hoc* — *Sanctitas sita in pace animi.*

C *est, cogitationes tuæ, ab hostibus tuis rapiantur. Et quo pacto, precor, vel in quo ministrabis Deo universorum, raptis, id est, abreptis, & quasi in captivitatem abductis cogitationibus? Non enim indiget Deus, ut os vel lingua oret. Cultus autem Deo placens hic est, ut cogitationes, & tota fortitudo ac vis animæ, cum mente tota absque ulla distractione in Deum ferantur*. Idem tract. de Beatitudinibus eas sic orditur: *Beatus, qui à cunctis rebus terrenis vanæ hujus vitæ totus est liber in Domino, ac Deum solum bonum ac misericordem amplectitur. Beatus, qui spirituali gaudio suos refecit conservos, ex fructibus virtutum, quas suo excoluit labore, ut fructum referret in Domino. Beatus, in cujus pectore semper Dei memoria insederit: erit enim totus ille quasi Angelus cœlestis super terram, cum timore & amore Domino sacrificium offerens. Beatus, qui in cella sua, in Domino, tanquam Angelus cœlestis, castas retinet cogitationes, suoque collaudat eum ore, qui omnium spirituum habet potestatem. Beatus, qui factus est sicut Seraphim & Cherubim, & in divino ac spirituali officio nunquam est segnis; sed assiduè glorificat Dominum. Beatus, qui semper*

D *spiritualis gaudii plenus est, nec importandò suavis Domini jugo pigrescit: coronabitur enim gloria*.

Diviné verò S. Cyprian. lib. 2. epist. 2. ad Donatum, animi sancti in hac quiete omnia terrena, tam prospera, quàm adversa, despicientis, imò ridentis, celsitudinem ita describit: *Una igitur placida & fida tranquillitas, una solida & firma securitas, si quis ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cælum oculos tollat à terris, & ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente jam proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, intra suam jacere conscientiam glorietur. Nihil appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est*. Et mox: *Ut sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat; ita se spiritus cœlestis infundit, postquam auctorem suum cælum intuens anima cognovit, side altior, & hoc omni terrena potestate sublimior, id esse incipit, quod esse se credit. Tu tantum, quem jam spiritalibus castris cœlestis militia signa-*

vit, tene incorruptam, tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam. Sit tibi vel oratio assidua, vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum: ille te præceptis suis instruat, ille disponat: quem ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet. Denique S. August. lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 9. explicans illud Matth. 5. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur;* ita sapientiam definit: *Sapientia est contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, & suscipiens similitudinem Dei.* quia facit, ut sapiens instar Dei sit placidus, serenus, tranquillus, imperturbatus, excelsus, tam in adversis, quàm in prosperis, quasi Angelus aliquis in carne obambulans.

QUI TENUERINT ILLAM, VITAM HEREDI-
Vers. 14. TABUNT] præsentem sæpè longævam, & futuram semper æternam. Pro *vitam* Græcè est δόξαν, id est, *gloriam.* via enim ad gloriam perennem est sapientia. Sic & Arabicus, *qui pervenient*, inquit, *in illa, invenient honorem à Deo.* Utrumque jungit Syrus, vertitque, *amatores ejus sunt illi, qui amant vitam.* Et mox: *Et qui adhærent illi, honorem ab ante Dominum* (id est, à Domino) *invenient;* Græcè, ὁ κρατῶν αὐτῆς κληρονομήσει δόξαν, id est, qui eam apprehenderit, & constanter tenuerit ac possederit; Tigurina, *qui ea potitus fuerit, gloriam consequetur.* Græca ergo legunt in singulari, & hoc aptè concordat cum singulari, *introibit*, quod sequitur.

ET QUO (quocumque) INTROIBIT (aliqui clariùs magisque connexè legunt, *introibunt*) non sapientia; sed, qui tenuerit illam; BENEDICET DEUS] q. d. Quocumque introibit sapiens, comitabitur eum Dei benedictio, qua Deus omnibus ejus itineribus & actionibus benedicet, easque prosperabit, & ad felicem exitum fructumque insignem perducet. Syrus rursus vertit dupliciter, *qui inquirunt eam, accipient voluntatem* (id est, desiderium, putà, id quod volunt & desiderant) *à Domino.* Et mox, *Et locus, cui benedixit Dominus, domus habitationis eorum;* Arabicus, *& mansio eorum mansio est cui benedixit Deus;* Tigurina, *quocumque introierit, accedet favor Domini.* Hoc est, quod Israelitis sapientibus, putà, timentibus Deum, promisit Moses Deuter. 28. 1. *Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus,* &c. *Benedictus tu in civitate, & benedictus tu in agro,* &c. *benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens.* & v. 8. *Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum, benedicetque tibi in terra, quam acceperis.* Ita benedixit Abrahæ, Isaac & Jacob, quin & propter Jacob benedixit infideli Laban socero ipsius. Unde Laban ad Iacob volentem discedere, supplicans ut maneat: *Inveniam*, ait, *gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te,* Genes. 30. 27.

Alludit Siracides ad historiam Obededom, in cujus domum arca Dei introivit, ac ideò herum domus, totamque ejus familiam Deus benedixit, 2. Reg. 6. Si Deus benedixit Obededom ob ingressum arcæ, quantò magis benedicet animam, in quam divina sapientia, id est, sanctitas introibit?

QUI SERVIUNT EI, OBSEQUENTES ERUNT,
Vers. 15. (Tigurina, *obsequium præstant*) SANCTO] Græcè, οἱ λατρεύοντες αὐτῇ, λειτουργήσουσιν ἁγίῳ, id est, *qui latria colunt illam* (sapientiam) *hi liturgiam exhibent*, id est, ministerium sacrum serviunt, *sancto*, puta, Deo, vel potiùs sanctuario & templo: hoc enim Græcè vocatur ἅγιον sine articulo, id est, sanctum per excellentiam; adeoque secretior ejus pars, in qua erat arca & Cherubim, vocabatur, ἅγια ἁγίων, id est, Sancta sanctorum, hoc est, sanctissima. Alludit ad illud Proverb. 9. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum*, putà templum, hoc est, Ecclesiam, tum legis naturæ, tum Mosaicæ, tum Evangelicæ: *immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam*, tum sapientiæ & doctrinæ, tum sacrificii, præsertim Eucharistici. Sensus ergo est, q. d. Qui se addicunt & quasi devovent sapientiæ, ut illam discant, aliosque doceant, eaque ratione eamdem latria, id est, cultu quodam sacro & religioso colunt, hi sunt quasi sacerdotes mystici, qui Deo in templo, putà, in Ecclesia, liturgiam, id est ministerium sacrum, exhibent, dum alios docent Deum latria colere, piè vivere, & in omnibus sapienter agere. Significat ergo Primò, studiosos & cultores sapientiæ eo fore honore, ut sint quasi λειτουργοί,

A id est, sacerdotes templi & Dei. Alludit ad illud Isaiæ 61. 6. vbi Septuag. eodem nomine utentes vertunt, ὑμεῖς δὲ ἱερεῖς κυρίου κληθήσεσθε, καὶ λειτουργοὶ Θεοῦ id est, *vos autem sacerdotes Domini vocabimini & ministri sacrorum Dei.* Huc pariter allusit S. Paulus, cùm se cæterosque sapientię, putà, Euangelii, præcones vocat λειτουργοὺς id est, sacerdotes Dei, qui Deo sacrificent Euangelium, hoc est, Euangelii prædicationem Deo offerant, quasi victimam mysticam, sed gratissimam, Rom. 15. 16. Vide ibi dicta. Simili modo D. Henricus Suso vocabatur Minister ęternę sapientiæ, ut dixi cap. 1. 15

Notent hæc Philosophi & Theologi, Philosophię & Theologiæ non tantùm speculativę, sed & practicę studiosi, sive doctores, sive discipuli; sciant se mysticos esse Dei sacerdotes, Deoque sacrificare studium & doctrinam sapientiæ.

Secundò, consequenter indicat studiosos sapientię ita purè, castè & sanctè eam colere, & vivere debere, perinde ac si sacerdotes essent, sacrisque in templo fungerentur. Vnde Syrus vertit, *ministri ejus* (sapientiæ,) *ministri sanctitatis;* & Arabicus, *ministri illius, ministri puri &*
B *sancti.* Unde Palacius sic explicat: Obsequentes erunt sancto, id est, sanctitati. *Nemo putet*, inquit, *se diligere sapientiam, aut ei inservire, si sanctitati non obsequatur: ut enim juxta Paulum*, 2. Tim. 2. 19. *Recedat ab iniquitate, omnis qui invocat nomen Domini: ita recedat ab iniquitate, qui servit sapientiæ. Cur ita? Quia sapientia sanctitas est. Igitur, ut qui se totum tradit sapientiæ, credere debet se tradidisse sanctitati: ita qui partem suam dedit iniquitati, credat se totum sapientiæ abstulisse. Tu jam, lector, intelligis, cur Angelus Mariæ dixit: Quod enim ex te nascetur sanctum. Scilicet, quia, ut verè ex Virgine Sapientia Dei nata est; ita & sanctitas Dei nata est: omnino siquidem necessarium est, ut sapientia infinita sit sanctitas infinita.* Hæc Palacius.

Tertiò, quòd eos quasi suos sacerdotes diliget, intimos & familiarissimos habebit, proteget & benedicet Deus. Unde subdit: *Et eos, qui diligunt illam, diliget Deus;* Syrus & Arabicus, *& domum habitationis ejus* (sapientię) *diligit Deus.*

Porrò latria hęc exhibenda sapientię creatę, æquè ac victima & sacrificium, est metaphorica & mystica: latria
C verò exhibenda Sapientię increatæ (hęc enim est Deus,) & incarnatæ (hæc enim est Christus,) est propriè dicta: tam enim Christus homo, quàm Deus latria colendus & adorandus est; hic enim homo, putà, Jesus Christus, subsistit in persona Dei, estque Deus.

ET EOS, QUI DILIGUNT ILLAM, DILIGIT DEUS] Tigurina, *amatores ejus* (sapientię) *diligit Dominus.* Sapientiam accipe tum creatam, tum increatam & incarnatam. Unde Palacius sic explicat, q. d. *Ne credas, si te totum cultui & dilectioni sapientiæ dedicaveris, quòd ideo Deus offendetur, quasi iratus, quod eum non colas, sapientiam colens. Minimè. Imò contra: quia sapientia ex ore Dei prodiit, Deus est, scilicet, filius Dei natus ex Deo. At necessario Deus Pater diliget eum, qui ejus filium unicissime dilexerit. Ergo, si Christianus nihil aliud, nisi Christum in memoria gerat, non ideò Pater velut Christi gloriæ invidus, Christianum odio prosequetur: sed contra velut ejus gloriæ cupidus, diliget eum, qui Christum ardentius amat.*

Tropol. ex hac gnome disce, servire sapientiæ & Deo, *Servire*
esse veram libertatem, imò summam nobilitatem & di- *sapientiæ*
gnitatem: talis enim est sacerdotium, munusque sacrifi- *est regna-*
D candi, quod Siracides tribuit ei, qui servit sapientiæ, dum *re.*
eum facit mysten & λειτουργὸν Dei. Hinc Francisc. Piccolominæus de Principiis virtutum, gradu 2. cap. 27. proponit duo paradoxa, eaque verissima esse demonstrat. Primum est: *Optimus usus libertatis hominis, est usus veræ servitutis ejus.* Alterum est: *Homini melius est servire, quam regnare; & universa perfectio regni hominis, in servitute est posita.* Fundamentum veritatis utriusque enuntiationis illud est, quia vera servitus naturæ rei congruens, ea est, per quam inferiora suo superiori subiiciuntur: dum verò è contrà superiora subiiciuntur inferioribus, ea est perversio naturę rerum, & dispositio pręter naturam; non autem naturalis servitus, & quoniam infera à superis perficiuntur; hinc evenit, quòd, dum per naturam serviunt, sua perfectione fruuntur. Ita corpus per naturam inservit animę, anima rationi & menti, mens Deo, ac ut corpus ab anima,

anima

anima à mente, ita mens à Deo perficitur. homo tunc rectè utitur munere libertatis, dum ea præeligit, quæ legibus & voluntati Dei sunt consentanea: dum autem id facit, vero & legitimo domino subiicitur & inde ortum ducit veritas primæ enuntiationis, quæ fuit, optimum usum libertatis, esse usum veræ & naturalis servitutis. Huic simile illud est, quod à Theologis dicitur: *Servire Deo, regnare est*, ut etiam servire principi justo, rectèque institutis legibus. Id enim verum est: Primò, quia illa servitus est rectus usus libertatis. Secundò, quia dum nobis Deum statuimus ducem, libertatem nobis principem facimus, cùm Deus sit ipsa libertas. Tertiò, quia juncti regi & principi cum eo regnare dicimur; Deus autem Rex regum est: juncti autem servis dicimur induere vilem conditionem servitutis; sic cum servis servi sumus, juncti regi sumus reges. Demum; quia homines ita affecti verè agunt, quod per naturam rectè formatam velle ac præeligere debent. Altera enuntiatio erat, homini melius esse inservire quàm regnare. Et jure profectò. Dum enim homo imperat & regnat, eatenus bono fruitur, quatenus id facit quod voluntati & decretis Dei est consentaneum, & ideò in eo est posita perfectio imperii sui, ut Deo & legibus ejus obtemperet: nemo igitur rectè regnat, nisi rectè serviat; & quia rectè servit, ideò benè regnat. Hinc majorem hominis dignitatem, & præstantiorem ejus conditionem indicamus, dum illum appellamus servum Dei, quàm dum regem & principem mundi. Nitendum est igitur ingenua servitute majoribus nostris servire: cavendum est ab ea servitute, quæ nos inferioribus subiicit, & vilioribus mancipat, ut evenit dum ratio sensui, & sensus corpori obtemperat.

Servitus ergo nobilissima & regia est, servire Deo. Deus enim sibi servientes exaltat, glorificat, beat, facitque reges & sacerdotes, Apocal. 5. v. 10. Porrò hæc Dei servitus, uti rectè docet noster Lessius lib. 1. de Perfect. divin. cap. 6. consistit in quatuor. Primò, in cognitione Dei, & eorum quæ ad ipsum pertinent. hoc enim est fundamentum obsequii totius & famulatus. Secundò, in officiis charitatis & benevolentiæ, dum de bonis ipsius gaudemus; & illa ex intimo animi affectu ipsi gratulamur; dum ejus gloriam promovere omni studio conamur, animam, corpus, curas & cogitationes ipsius dignitati tuendæ & amplificandæ devouentes. Sic boni aulici suo principi toti addicti faciunt: illius enim virtutes & potentiam ubique extollunt, ut omnes in ejus amorem & obsequium alliciant; nec sustinent ipsius nomen à quoquam lædi. Tertiò, in officiis religionis, dum illum colimus sacrificiis, cæremoniis, hymnis, laudibus, precibus, votis. Hoc est officium Angelorum & Sanctorum in cælo, qui toti in eo sunt, ut Deum honorent, laudent, benedicant. Itaque perfecta servitus Dei est vita æterna, & beatitudo nostra. Quartò, in custodia mandatorum, & in officio virtutis, dum aliquid boni facimus, ut mandatis ejus pareamus, vel ut ipsi gratificemur. Hoc autem esse maximi momenti ex eo patet, quod minimum Dei bonum, quà Dei est, sit pluris æstimandum, quàm omne bonum creaturarum, quatenus ad ipsas creaturas pertinet. Hinc fit, ut Deus pro singulis operibus bonis promittat nobis vitam æternam atque adeò seipsum cum omnibus bonis suis; tantum nobis effectu respondens, quantum nos ei affectu boni volumus. Damus ei affectu totum bonum suum, reddit ille nobis effectu idem bonum: illius enim amor est efficax, noster inefficax.

Servitus Dei quadruplex. Prima. — *Secunda.* — *Tertia.* — *Quarta.*

VERS. 16. QUI AUDIT ILLAM, JUDICABIT GENTES] Græcè, ὑπακούων, id est, qui obaudit, sive obedit illi; Tigurina, *qui paret illi, judex erit gentium*. Futurum *judicabit*, hic & aliàs sæpè accipiendum est δυνητικῶς, sive pro modo potentiali: q. d. Poterit judicare, aptus dignusque est qui judicet. Multi enim sapientes sunt, qui actu non sunt, imò nolunt esse judices: sapiens enim mavult agere vitam privatam, quàm publicam, sibique vivere & Deo, nisi ad regimen vocetur, imò cogatur, ut dicit S. August. 19. Civit. cap. 19. *Otium sanctum*, inquit, *quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis: quam sarcinam si nullus imponit, percipienda atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem*. Sic Job 9. 6. dicitur: *Qui commovet terram de loco suo*: A *commovet*, id est, commovere potest. Nec enim Deus umquam globum terræ è loco & centro suo dimovit, nisi fortè in passione Christi, uti reipsa factum esse asserit ibidem in Catena Didymus.

Ergo τὸ *judicabit*, significat Primò, dignitatem & aptitudinem ad judicandum, adeoque neminem esse aptum ut judicet & regat, nisi sit sapiens. Unde Syrus vertit, *qui me audit, judicabit veritatem*; Arabicus, *qui obedit mihi, judicet in veritate*. Secundò, actum, quia veri dignique judices & principes delecti à Deo, vel à viris prudentibus, fuerunt & sunt sapientes, uti Moses, Samuel, David, Salomon, qui proinde orat Deum pro sapientia ad gubernandum, dicens: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam*, &c. Sapient. 9. 4. ideoque eam sibi à Deo inditam accepit, 3. Reg. 3. 5. Sic & Apostoli fuere judices orbis, quia Sapientiam incarnatam in carne loquentem audierunt. Tertiò, omnis, qui obedit sapientiæ, judicabit gentes, in die judicii: Christi enim sententiam approbabunt omnes sapientes, id est, Sancti, juxta illud. *Nescitis, quod sancti de hoc mundo judicabunt? Nescitis, quod Angelos judicabimus?* 1. Cor. B 6. 3. Et illud: *Justi judicabunt nationes, & dominabuntur populis*, Sapient. 3. 8. Denique, qui sapientiam audit, est spiritalis. *Animalis enim homo non percipit, quæ sunt Dei*: at qui *spiritalis, judicat omnia*, 1. Cor. 2. 15.

Dixit Ecclesiasticus v. præced. sapientes esse sacerdotes: hic addit, eos pariter esse reges & judices orbis. Unde fideles alloquens S. Petrus, ait: *Vos genus electum, regale sacerdotium*, 1. Petri 2. 9.

ET QUI INTUETUR ILLAM, PERMANEBIT CONFIDENS] Græca hic variant. Romana enim legunt, προσελθὼν, id est, qui accesserit ad illam; Complut. προσέχων, id est, qui attendit, vel intendit illi: unde Noster vertit, *qui intuetur illam*. Qui enim alicui intendit & auscultat, in eum respicere, eumque intueri solet. Fortè etiam Noster in Græco legit, προσορῶν, id est, *qui intuetur illam*, ita, scilicet, ut ipse sapientię intendat, & vicissim sapientia se illi spectandam & intuendam exhibeat. Pro *permanebit*, Græcè est κατασκηνώσει, id est, *habitabit*, scilicet, in sapientia, quasi in asylo *confidens* & securus, juxta illud psalm. 90. 1. *Qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*. Unde Syrus vertit, *qui auscultat me, habitabit intra me*; Arabicus, *qui recipit sermonem meum, habitabit in diuturnitate*.

Pro *confidens*, Græcè est, πεποιθὼς, quod Tigurina vertit, *securè*, alii, *fretus*, *certus*, *fidens*, juxta illud Proverb. 28. 1. *Justus quasi leo confidens absque terrore erit*. tum, quia confidit, certusque est & resolutus, quòd nihil eum à sapientiæ amore & charitate separabit, dicitque cum Apostolo, *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum* (Græcè, πέπεισμαι, id est, confido, certò mihi persuadeo) *quia neque mors, neque vita*, &c. Roman. 8. 35. tum, quia confidit, Deum, qui sibi tantum sapientiæ donum contulit, etiam cetera minora collaturum. *Qui enim confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebuntur in æternum*, psalm. 124. Sic Susanna accusata falsò de adulterio, *flens suspexit in cælum: erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino*, Danielis 13. 35.

SI CREDIDERIT EI, HEREDITABIT ILLAM] Græca Romana legunt in secunda persona ἐμπιστεύσῃς, *si credideris ei, hereditabis illam*. Sed Græca Complut. legunt ut Latinus Vulgatus, in tertia persona: habent enim, ἐὰν πιστεύσῃ, id est, *si crediderit ei*, si fidelis fuerit sapientię, *si firmiter ei adhæserit*, uti vertunt Romana. Syrus, *si crediderit in me, hereditabit me*: Arabicus videtur legisse, *in vero*, vertit enim, *in veritate mea hereditabit me*. Ad verbum ἐμπιστεύειν est, in πίστει, (id est, fidem sapientiæ) se tradiderit, si se totum ejus fidei crediderit & commiserit, ac ut verbo tenus reddam, *infidarit*; Tigurina, *si se præstiterit ei fidum, heres ejus erit*, tum in hac vita per gratiam, tum potiùs in futura per gloriam, eamque certam & securam, ut nullum sit periculum illam amittendi: sapientia enim, æquè ac Deus, sapientem, putà, justum non deserit, nisi priùs ab eo deseratur, uti ex S. August. definit Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. & 13. VERS. 17.

ET ERUNT IN CONFIRMATIONE (scilicet, possessionis & hereditatis sapientiæ) CREATURÆ ILLIUS

Grecè enim eſt, καὶ ἐν κατασχέσει ἔσονται αἱ γενεαὶ αὐτῶν, hoc eſt, *& in occupatione*, detentione, poſſeſsione, firma retentione, amplexu, cuſtodia ſapientię, *erunt generationes*, id eſt, filii, tum carnales, tum maximè ſpiritales *illorum*, qui, ſcilicet, ſe totos crediderint, & imbuendos regendoſque commiſerint ſapientię: q. d. *Creatura*, id eſt, filii eorum qui ſe addicunt ſapientię, ideoque illam hereditant, veſtigiis parentum inſiſtent, ac totis viribus incumbent & ſatagent, ut avitam hanc ſapientię poſſeſsionem, à parentibus quaſi hereditaria traditione relictam complectantur, planèque ſibi confirment. Nota enallagen crebram Hebræis & Eccleſiaſtico, qua à numero ſingulari tranſit ad pluralem: undè ait, *illorum*, pro *illius*, qui, ſcilicet, crediderit ſapientiæ: τὸ *illius*, univerſim accipitur pro omni, vel quolibet: quicumque enim crediderit ſapientiæ, hereditabit illam. Quocirca aliqui codices Græci & Latini pro αὐτῶν, id eſt, *illorum*, legunt αὐτοῦ, id eſt, *illius*. Unde Tigurina vertit, *& poſſeſſionem retinebit ejuſdem progenies*.

γενεά, id eſt, creatura, variè capitur.

Primò.

Secundò. Secundò, Arabicus & Syrus, τὸ γενεαί, vertunt *generationes*, id eſt, ſæcula. Unde ſic transfert Syrus, *ſi crediderit in me, hereditabit me, & ſuſcipiet me omnibus generationibus ſæculi*; Arabicus, *in veritate hereditabit me, & perdurabo ei in omnes generationes ſæculi*. Ut ſignificetur fidelitas, conſtantia & æternitas ſapientiæ, qua ſuos numquam deſerit; ſed perpetim eis adeſt, docet, tuetur, regit ducitque ad beatitudinem æternam.

Tertiò. Tertiò, Janſenius cenſet hic agi de poſſeſsione, non tam ſapientiæ, quàm terræ: q. d. Sapiens, ejuſque filii poſsidebunt terram, in ejuſque poſſeſsione confirmabuntur, juxta illud pſalm. 111. *Potens in terra erit ſemen ejus, generatio rectorum benedicetur*. Et illud Chriſti: *Beati mites* (ſapientes enim ſunt humiles & mites) *quoniam ipſi poſſidebunt terram*, Matth. 5. Hoc modo γενεαί, id eſt, generationes, hic accipi poſſent pro frugibus & fructibus, putà, opibus & prædiis, quas ſapienti & iuſti affert, & quaſi generat ſapientia. Sic c. 1. v. 21. de ſapientia dixit, *Omnem domum illius implebit à generationibus*, id eſt, fructibus ſuis. Et c. 6. 20. *Cito edes de generationibus illius*. Et c. 24. 26. *A generationibus*, id eſt, fructibus, *meis implemini*. Significat ergo hic Siracides, opes & opera ſapientium eſſe ſtabilia & perpetua.

Quartò. Quartò, Palacius per *creaturas* accipit virtutes, heroicas actiones & facinora, quas ſibi per ſapientiam, gratiamque Dei parit & creat juſtus. *Sicut enim*, inquit, *anima rationalis in corpore; ita gratia & virtutes infuſæ non gignuntur, ſed creantur in anima. Ut enim nulla potentia naturæ inducere poteſt animam in corpus: ita nec gratiam & virtutes infuſas in anima. Ergo gratia & virtutes infuſæ ſunt creaturæ piorum. Hæ creaturæ in igne tentationis non comburuntur; quia non ſunt fœnum, ſtipula, aut palea: quin potius confirmantur, quia ſunt argentum & aurum. Carnalis vir, ut qui palea eſt, cùm venit ignis tribulationis, deficit, non firmatur: ſpiritualis, quia velut aurum in fornace probatur, confirmatur, non evaneſcit. Quæris diſcriminis cauſam? eam Auctor ſubdit: Quia cum eo Deus ambulat in tentatione, cujus flammam in aurum convertit: ut olim fecit, quando cum pueris in igne Babylonis ambulabat*. Verùm hæ creaturæ myſticæ potiùs ſunt, quàm litterales: valdè tamen huic loco appoſitæ. Anagog. *erunt in confirmatione opera juſti*, ait Rabanus: *quia ad præmia æterna hereditatis remuneranda ſervabuntur, pro cujus amore omnia fecit; ita ut eorum acceptor tunc dicat cum Propheta: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo, quoniam præelegi eam*.

Denique valde congruè κατάσχεσις, id eſt, poſſeſsio & confirmatio, hic accipi poſſet, non ſapientis, ſed ſapientiæ poſsidentis & regentis ſapientem: q. d. Omnes γενεαί, id eſt, generationes, putà, filii, opes & opera ſapientum, ſunt in κατασχέσει, id eſt, dominio & gubernatione ſapientiæ: ipſa quaſi pædagogus ſapientem, & omnia, quę ejus ſunt, occupat, moderatur, regit, dirigit, proſperat, & ad felicem exitum perducit. Grȩcum enim κατέχομαι, id eſt, κατοχὸς εἶναι, verbum eſt peculiare iis, qui tamquam alieno feruntur arbitrio, ut qui in Dei alicujus reducti ſunt poteſtatem, qui illos pro ſua poteſtate moderatur: poſsidetque & agit, quocumque lubet. Sic Lucianus ait, ὑπὸ θεοῦ κατέχομαι, id eſt, ab ipſo Deo occupor, feror & regor. Felix, qui Deo ſeſſore regitur. Felix, quem Dei ſapientia regit. Vide dicta Apocal. 6. 2. Hac phraſi ſignificat Siracides ſapientiam ita eſſe hereditatem ſapientis, ut viciſsim potiùs ipſe ſit hereditas ſapientię: ſapientiam enim hereditatem eſſe, non tam paſsivam, quàm activam, quę, ſcilicet, ſapientem agat, regat & ducat ad omne bonum.

QUONIAM IN TENTATIONE (legit Interpres ἐν πειρασμῷ, & ſic habet codex manuſcriptus, quem citant Roman.) AMBULAT CUM EO] primò, Palacius ſic explicat: q. d. Sapientia ſuis adeſt in tentatione, eoſque ſolatur & roborat. Alludit ad Angelum ambulantem cum tribus pueris in fornace Babylonis, eoſque ab igne protegentem, Daniel. 3. 49. Pari enim modo cum ſuis ambulat, eoſque protegit ſapientia. Unde David ea comitatus ait pſalm. 22. 4. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Et Paulus 1. Corinth. 12. 9. *Virtus Dei in infirmitate* mea *perficitur*. Quare? quia, ut ait ei Chriſtus: *Sufficit*, quæ tibi adeſt, *gratia mea*. Et interim agnoſce, cui debeas in tentatione victoriam. Non enim potes eam viribus tuis arrogare, ſed ſapientiæ, quæ tecum ambulat in tentatione, ideoque Petrus eam deſerens, & Judæis Chriſti hoſtibus ſe adiungens, in tentationes cecidit, & Chriſtum negavit, Matth. 26. VERS. 18.

Verùm alium planè hujus verſiculi eſſe ſenſum liquet ex Græco, qui ſic habet: ὅτι διεστραμμένως πορεύσεται μετ' αὐτοῦ ἐν πρώτοις, id eſt, *quia obliquè, diſtortè, durè ambulabit cum eo in primis*, vel in principio: q. d. Sapientia, & Deus, qui eſt prima ſapientia, ſui ſtudioſum & diſcipulum ſolet initio per tentationes & aſpera quæque probare, *& in primis eligit eum*, id eſt, in principio delectum ejus facit, eum explorat & probat per adverſa, an docilis, ſtabilis & ſe dignus ſit, antequam ei ſe inſinuet, eumque conſoletur, ut dicit v. 21. Probat enim quod dixit v. præced. *Si crediderit ei*, id eſt, ſi fidum ſe ei (ſapientiæ) præſtiterit, *hereditabit illam*. q. d. Ut ſapientia ſui aſſeclæ fidelitatem & conſtantiam exploret, ſolet eum tentationibus exagitare, in quibus ſi ille & conſtans perſiſtat, tunc demum ſapientia eum ut idoneum, & dignum ſe diſcipulum amplectitur, ſolatur, inſtruit, perficit, omnibuſque ſuis bonis & donis cumulat. Hunc ſenſum dat Syrus, dum vertit, *è converſo* (ex adverſo) *ambulabo cum illo, & in principio tentabo* (probabo, experiar) *illum*; & Arabicus, *quia in repugnantia incedam cum illo: prius enim contriſto illum*. Clariſſimè verò Tigurina hunc verſum & ſequentes uſque ad v. 24. ita vertit, *nam perversè primum cum tali conſiſtere ſolet, & eum injecto territare metu, ſuaque diſciplina excruciare, donec fides animi ejus conſtiterit, & eum per jura ſua reddiderit probatum, tum demum ſe rurſum convertit recto itinere, & exhilarato arcana ſua detegit: deinde locupletat cum ſcientia & cognitione juſtitiæ. Quod ſi ille defecerit, deſerit eumdem, & permittit eum poteſtati ruinæ ipſius*.

Deus Sanctos probat adverſis.

Ex hoc verſu ſumptus fuit vetus ille Athenarum & Academiarum mos probandi eos, qui eò ſtudiorum cauſa ventitabant: Athenis enim ſolebant novos ſcholares ſcommatibus, conviciis, ſibilis, riſibus excipere, ita que probare eorum patientiam & modeſtiam, itaque probatos ad academiam admittebant, uti refert S. Gregor. Nazianz. orat. 20. ubi S. Baſilium Athenas venientem ita exagitatum fuiſſe commemorat. Similem morem vidi olim Coloniæ Ubiorum: ſcilicet, novos philoſophos non tantum verbis, ſed & verberibus probabant, dictitantes ita beaniſmum deponi. Beanus enim, inquiebant ipſi, juxta ſingulas nominis litteras eſt, aſinus neſciens vitam ſtudioſorum. Sed cavendum hic, ne quid nimis. Multò magis in omnibus Religionibus ſolent variis duriſque experimentis probari Novitij; tum ut eorum propoſitum, an ſerium & ſolidum ſit, explorent: tum, ut eos præparent ad dura quælibet in Religione ſubeunda; ac præſertim ut faciant eos humiles, dociles, obedientes, de quo vide Caſſianum lib. 4. de Inſtitutis renunt. cap. 3. *Igitur*, inquit, *ambiens quis in cœnobii recipi diſciplinam, non ante prorſus admittitur, quàm diebus decem, vel eo ampliùs pro foribus excubans indicium perſeverantiæ ac deſiderii ſui, pariterque humilitatis ac patientiæ demonſtraverit. Cumque omnium prætereuntium Fratrum genibus provolutus, & ab univerſis de induſtria refutatus atque deſpectus, tamquam qui non Religionis,*

ſed

sed necessitatis obtentu monasterium optet intrare; injuriis quoque & exprobrationibus multis affectus experimentum dederit constantiæ suæ; qualisque futurus sit in tentationibus, opprobriorum tolerantia declaraverit, atque ita fuerit explorato mentis ardore susceptus; diligentia summa perquiritur, num de pristinis facultatibus suis inhæserit ei vel unius nummi contagio. Deinde cap. 7. & 8. narrat, Novitios solere probari in xenodochiis serviendo ægrotis, ac denique tradi magistro, qui eorum non tantùm passiones, sed & voluntates cruciet, domet & frangat. Idem facit Deus cum omnibus Sanctis, præsertim eximiis & heroibus, uti sunt Martyres, de quibus Sapientiæ 3. vers. 5. dicitur: *In paucis vexati, in multis bene disponentur*. Græca significantiùs habent, ὀλίγα παιδευθέντες μεγάλα εὐεργετηθήσονται, id est, *exiguis castigati multis beneficiis* vel felicitatibus *afficientur*. Causam subdit Sapiens: *Quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent*. Hoc est, quod ait Apostolus Rom. 5. 4. *Tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio verò spem; spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, ita Rabanus.

Vers. 19. TIMOREM, ET METUM, ET PROBATIONEM INDUCET SUPER ILLUM] Hic ostendit modum, quo sapientia suos discipulos tentat, probat & explorat, nimirum, incutiendo eis *timorem & metum*. τὸ *& probationem*, non est in Græco, sed ab Interprete additum explicationis gratia: q. d. Inducet ei timorem & metum ad probationem, vel qui sit ejus proba & exploratio. Unde Arabicus clarè vertit, *prius enim contristo illum, & induco super illum timorem & terrorem, & probo illum in tentationibus, quibus illum tento, ut, cùm pervenero ad tempus meum, & immersa sit in corde illius doctrina mea, inclinem me ad illum, & colligam illum ad me, & revelem illi universa secreta mea*; & Syrus, *timorem & tremorem initiam ei, & scrutabor eum in tentationibus meis usque ad justitiam, quo implebitur* (consolationem recipiet) *cor ejus in me, convertar, firmabor cum illo, & revelabo illi omnia abscondita mea*.

Prima ergo via, qua Deus utitur erga suos, est via afflictionis, timoris, tristitiæ: eam deinde excipit via consolationis, libertatis, lætitiæ, eo major, quo major præcesserit tristitia. Hinc justificatio impij incipit à timore & terrore mortis, judicii, inferni, &c. ut docet Concil. Trident. sess. 6. c. 6. Ex adverso via prima, qua utitur dæmon erga suos, est via lætitiæ, lasciviæ & gaudiorum; sed eam mox excipit via tristitiæ, angustiæ & lamentationum, tum hujus vitæ, tum gehennæ, ad quam recta ducit. Unde serò, sed serò dicent: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra*.

ET CRUCIABIT ILLUM IN TRIBULATIONE DOCTRINÆ SUÆ] Græcè, ἐν παιδείᾳ αὐτῆς, id est, in disciplina, vel castigatione sua. Sapientia enim, sive Ethica Christiana castigat & resecat omnes motus gulæ, iræ, superbiæ, concupiscentiæ nobis innatæ, itaque nos cruciat, sicut pueri petulci & lascivientes cruciantur disciplina & virga magistri: παιδεία enim est παίδων, id est, puerorum eruditio, castigatio, institutio. Homo enim animalis similis est puero, qui sensu, non ratione, regitur, ideoque puerili virga castigandus est, non hostili gladio necandus. An non castigatur & cruciatur libidinosus continuò à sua carne stimulatus ad libidinem, continuò vicissim à lege Dei ad castitatem adactus? An non cruciatur avarus à lege Dei, quæ ab eo nummos, velut oculos, extorquet, & in pauperes erogari jubet? An non cruciatur à lege charitatis, quæ inimicos diligi jubet, is qui spiritu vindictæ agitatus inimicum in mille frusta concideret, si posset?

DONEC TENTET, & tentando exploret, EUM IN COGITATIONIBUS SUIS] Perperam pro *suis* aliqui legunt *illius*. Nam Græca est ἐν δικαιώμασιν αὐτῆς, id est, *in justificationibus suis*, quod Hebræi dicunt בחקותיו *bechuccotaf*, id est, in statutis & legibus suis, an, videlicet, fidelis se subiiciat legibus sapientiæ per omnia, quantumvis naturæ & carni molestis. Itaque *credat animæ illius*, ut confidat illius constantiæ, utque tutò ei se suaque dogmata communicet & committat, utpote qui tantum docilitatis, sapientiæ & perseverantiæ dederit specimen. Hinc liquet τὸ *suis* referri ad sapientiam, non ad ejus discipulum.

ET FIRMABIT ILLUM] q. d. Jam probatum & exploratum in stabili & firmo virtutis pacisque statu collocabit. Hæc verba desunt in Græco. Vers. 20.

ET ITER ADDUCET DIRECTUM AD ILLUM] q. d. Faciet viam expeditionem sublatis difficultatibus, qua redeat ad ipsum; sive via commodissima ad illum veniens, iter adducet directum ad illum. Græcè enim est, καὶ πάλιν ἐπανήξει κατ' εὐθεῖαν πρὸς αὐτὸν, id est, *& rursus redibit recta ad illum*. Dixerat enim v. 18. sapientiam initio obliquè & tortè ambulare cum discipulo, ut eum probet: hic verò ait, eamdem ad jam probatum rectà redire, id est, vultum ei rectum, planum & serenum ostendere, eum exhilarare & consolari: sicut enim via obliqua est afflictionis & tentationis, sic ex adverso via recta est consolationis & exultationis. Unde Arab. vertit, *ut inclinem me ad illum & colligam illum ad me*. Hinc & sequitur.

ET LETIFICABIT ILLUM, quoad affectum: quoad intellectum verò, DENUDABIT ABSCONSA (arcana) SUA ILLI, ET THESAURIZABIT SUPER ILLUM SCIENTIAM ET INTELLECTUM JUSTITIÆ] Vers. 21.

Nota, τὸ *thesaurizabit*. q. d. Non modicè, sed abundè ditabit illum, quasi ingenti thesauro. Celebre est illud Arabum proverbium: *Acquire tibi aurum in mensura, & scientiam sine mensura*. Extat inter proverbia Arabica centuria 2. nu. 29.

Moral. disce hic quanta bona pariat obedientia, qua quis obedit, tum voci & legi, tum inspirationi sapientiæ divinæ.

SI AUTEM ABERRAVERIT, DERELINQUET EUM; clarè Tigurina, *quòd si ille defecerit, deserit eumdem*. q. d. Si deseras sapientiam, ipsa vicissim deseret te, Vers. 22.
ET TRADET EUM IN MANUS INIMICI SUI] Græcè, εἰς χεῖρας πτώσεως αὐτοῦ, id est, *in manus casus sui*: q. d. Sinet eum ferri in casum & ruinam suam, in quam deserens viam sapientiæ & salutis sponte incurrit, seque præcipitat. Unde Syrus vertit, *si diverterit à me, abjiciam eum, & dabo eum in manus raptorum*; Arabicus, *si reliquerit me, subvertam illum, & tradam illum raptoribus*; Tigurina, *permittit eum potestati ruinæ ipsius*. Hebræi enim per prosopopœjam cuilibet rei tribuunt manum per eamque significant potestatem, imperium, actionem. Sic dicunt, non venies in manus peccati, id est, non peccabis, peccato non subiacebis. Ita hic ruinæ datur manus, id est, jus & potestas in ruentem. Hoc est, quod ait Paulus Hebr. 6. 4. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi futuri, & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes*.

Nota prosopopœjam. Toto enim hoc loco inducitur sapientia quasi persona & pædagogus, quæ suos discipulos docet, eosque primò terret & castigat, deinde obsequentes consolatur & lætificat; contumaces verò deserit, sinitque agi in ruinam: quo significat Primò, legem Dei (hæc enim est sapientia practica) peccatori initio esse gravem & molestam, eò quòd ejus cupiditatibus resistat, easque resecet; eidem verò jam justificato, & legi assuefacto esse facilem & jucundam. Secundò, Deum, qui est æterna & increata sapientia eos, quos ad se, suumque obsequium & regnum vocat, primò tentare & affligere; deinde roborare & exhilarare, uti paulò antè dixi.

FILI, CONSERVA TEMPUS] Siracides ab encomio sapientiæ transit ad ejus præcepta & dogmata. Vers. 23.
Quocirca hic incipit tertia pars capitis, qua agit de veritate dicenda, & malo pudore cavendo! Hoc ergo est primum sapientiæ dogma: *Fili, conserva* vel observa *tempus*, idque dupliciter. Primò, ut tempus sumatur pro occasione & opportunitate temporis. Unde Tigurina vertit: *occasionem observa*. nam *omnia tempus habent; tempus loquendi, tempus tacendi*, &c. Eccles. 3. 1. Magna enim sapien-

pientia est nosse uti occasione dicendi, docendi & agendi, A uti ostendi Actor. 1. 7. Unde Arabicus vertit, *cognosce loca verborum*.

Nota. Græcum *συντήρησον*, verti potest, *observa*, & *conserva*: tempus enim non tantùm observandum, sed & conservandum est, quasi res pretiosissima nobis à Deo concessa ad comparandas opes immortales, putà, virtutum, gratiæ & gloriæ æternæ. Hanc temporis gemmam nobis eripere conantur dæmones & mali socij, ut garruli, ludiones, &c. qui idcircò fures temporum appellantur, qui nos sollicitant, ut illud cum ipsis prodigamus, & rebus vanis, imò noxiis & damnosis, impendamus. Jubet ergo Siracides, tempus hoc, velut cymelium præstantissimum, & si perdatur irrecuperabile, studiosissimè conservari, impendendo illud operibus virtutum, & à vitiis abstinendo. Unde addit: *Et devita à malo*. Hinc à *συντηρεῖν*, dicitur *συντήρησις*, id est, synteresis, quæ significat attentionem animi, & stimulum conscientiæ eam jugiter admonentis, ne quid contra seipsam committat, & ut seipsam integram, & à vitiis intactam circumquaque conservet. Unde Syrus vertit, *serva tempus*; & Palacius, *conserva tempus*, inquit, id est, utere occasione. Ideò enim Literæ sacræ dicunt: *Omnia tempus habent*. Et humaniores occasionem pingunt cæsarie capillata, occipite nudo, ut, nisi cæsariem à facie arripueris, ab occipite arripere nequeas.

Altior fortasse sensus est: ut noveris vitæ præsentis tempore uti. Ne, dum ejus damna vitare studes, in æternæ vitæ damna cadas. Tertius & altior sensus est: Impiis vita fugit, tempus vadit velut vapor, umbra, fumus, nubes, &c. At pii jubentur tenere & servare tempus: quod præstant, cùm in tempore, æternitatis opera faciunt. Et licet temporalia sint, quæ nunc gerunt; tenent tamen ea in æternum secum in cælo duratura. Merita enim nostra, & coronæ æternum nobiscum durabunt; dicente Christo: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*, &c. Quantum sit pretium temporis, intelligunt damnati, qui pro hora pœnitentiæ, darent totum mundum omnesque labores & tormenta libenter subirent. Unde Satyricus.

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum:
Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.

Et Seneca epist. 118. *Non tam benignum & liberale*, inquit, *nobis tempus natura dedit, ut ex illo vacet perdere*. Et mox: *Ex hoc tempore tam angusto & rapido, & nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum?* Tempus hoc est momentum, ex quo pendet Æternitas, vel beatissima, vel miserrima.

Rursum tempus sumi potest pro malitia temporis & sæculi: q. d. Hoc sæculum plenum est laqueis & tentationibus: illas ergo observa, *& devita à malo*, juxta illud Apostoli: *Videte, fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*, Ephes. 5. 15: Vide ibi dicta.

Vers. 24. PRO ANIMA TUA NE CONFUNDARIS DICERE VERUM] Duo ultima verba non sunt in Græco: sic enim habet, *περὶ τῆς ψυχῆς σου μὴ αἰσχυνθῇς*, id est, *pro anima tua non erubescas*. Quod Primò, aliqui sic exponunt: q. d. Ne te pudeat animæ tuæ, hoc est; ne te tui ipsius pudeat. ita Tigurina. Secundò, Vatablus: q. d. Ne quid committas, cur te animæ tuæ pudere possit, aut ne te pudeat animę tuę cavere, & prospicere ejus bono ac saluti; vel ea uti fortiter: unicam enim habes animulam, quasi oviculam tibi à Deo concreditam: vide ergo, ut eam non perdas, sed salves in æternum. Tertiò, Syrus vertit, *cave à malo, & à teipso non confundaris*, vel *contumeliam accipias*. q. d. Devita à malo, quia si illud non vitaveris, pudefacies & contumelia afficies te & animam tuam. Accedit huc Arabicus, *ne redeas in id, in quo non est mansio præ confusione tua*. Quartò, Noster solerter vertit, *pro anima tua ne confundaris dicere verum*. Omnia enim sequentia usque ad v. 33. spectant ad pudorem, quo quem pudet dicere verum. Unde multas hujus mali pudoris species recenset. Transit enim Siracides à genere ad speciem usitatissimam, aut certè ad exemplum ubique obvium. Dixerat enim, *Devita à malo*, jam dicit, *Devita à malo pudore*; sic enim vitabis omne malum, cujus hic pudor est causa. Fortè etiam Noster in exemplari Græco olim legit, *λέγειν τὸ ἀληθὲς*, id est, *dicere verum*.

Jam τὸ *pro anima*, dupliciter accipi potest. Primò, q. d. Non confundaris, non verearis dicere verum pro anima, id est, pro vita tua liberanda à periculo mortis, infamiæ, similisvè mali, noli tanti æstimare vitam, ut pro ea tuenda neges veritatem, sed dicito cum Paulo: *Non facio animam meam pretiosiorem quàm me*, Act. 20. 24. Et cum Davide psal. 119. 109. *Anima mea in manibus meis semper*, ut eam pro veritate tradam & prodigam. Sensus ergo est, q. d. Non sit tibi charior vita, quàm veritas, ut pro illa tuenda hanc neges, neces & jugules præ pudore & timore: pudor enim est pars & species timoris: noli ergo violare veritatem, ut vitam serves; sed si alterutra perdenda sit, potiùs perde vitam quàm veritatem. ita Palacius.

Secundò, & aptiùs ad sequentia, *animam* accipias pro conscientia: q. d. *Pro anima*, hoc est, pro animæ tuæ salute, ut, scilicet, animam, id est, conscientiam tuam illæsam à culpa & pœna serves, non confundaris, nec metuas dicere veritatem, ut significetur causa, ob quam non est erubescenda veritas, nempe, salus animæ propriæ, quæ per præposterum pudorem confitendæ verita- B tis amittitur, inquit Jansenius. *Qui enim*, ait Christus Lucæ 9. *erubuerit me & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua*. Erubescit autem confiteri veritatem & Christum, non tantùm qui negat fidem; sed & qui proximi famam & innocentiam, cùm potest & debet, non tuetur; aut qui peccantem non corripit, aut qui peccatum proprium confiteri, cùm oportet, erubescit; aut qui veritatem, cùm opprimitur, non defendit. quos casus sequentibus versibus exponit & proponit Siracides. In fide res clara est: Martyr enim pro anima, id est, æterna animæ salute, non debet confundi, nec metuere, sed intrepidè confiteri veram & orthodoxam fidem, juxta illud Rom. 10. 10. *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem*. Rursum res clara est in mendacio vel silentio pernicioso, cùm, scilicet, quis ex pudore silet veritatem, qua alium injusta morte similive damno liberare poterat & debebat. Igitur in genere, *Pro anima*, ut, scilicet, vites peccatum mortale, quod mortem affert animæ, *ne confundaris dicere verum*. Nam, ut ait S. Greg. in illud Job 31. *Si abscondi C quasi homo peccatum meum*, lib. 22. Moral. 13. *Usitatum humani generis vitium est, & labendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & convictum defendendo multiplicare*. Hinc illud vulgò tritum: *Error gignit arrogantiam*.

Nota. Verecundia, sive pudor, propriè non est virtus, sed naturalis passio, qualis est ira, miseratio, dolor, timor: timoris enim pars, vel comes est pudor. Pudor enim non est aliud, quàm timor dedecoris, vel infamię. Si ergo verum sit dedecus, bonus erit pudor, ut cùm quem pudet ebrietatis, similisve vitii: sin falsum sit dedecus, pravus erit pudor, ut cùm quem pudet vitii omissi, v. g. quòd cum ebriosis non se inebriet; quòd cum impudentibus non sit impudens: sicut bona est ira, qua irascimur sceleri & sceleratis; mala, cùm irascimur ob negatas cupiditates, aliave vana de causa. Virtutis enim est regere pudorem, iram, ceterasque animi passiones, iisque uti ad bonum, ac impedire ne exorbitent & ferantur in malum. Docet ergo hic Siracides in particulari, quibus in rebus pudor sit bonus, & in quibus malus. Ita Arist. lib. 4. Ethic. cap. 9. docet, verecundiam non esse virtutem, sed D passionem naturalem. Nam, *Definitur*, inquit, *infamiæ metus quidam. Existit autem similiter atque metus, qui in rebus formidolosis versatur. Erubescunt enim ii, qui pudore afficiuntur; pallescunt autem, qui mortem extimescunt. Apparet igitur utrumque quodammodo ad corpus pertinere: quod quidem perturbationis potius, quam habitus proprium videtur*. Idem docet Damasc. & ex eo S. Thom. 2. 2. quæst. 144. art. 1. ubi ait: Verecundia non est virtus, sed laudabilis passio.

Pudore est passio, non virtus.

Dices: Aristot. lib. 3. Ethic. cap. 8. verecundiam vocat virtutem, dicens: *Hæc fortitudo simillima videtur ei, quæ primo loco posita est, quoniam ejus effectrix virtus est: pudor enim & honesti appetitio, videlicet honoris, ac dedecoris, quod turpe est, fuga, eam efficit*. Respondeo, Vocatur virtus, id est semivirtus, semen virtutis, via ad virtutem: quia oritur ex desiderio honesti, & timore infamię, quę sunt principia virtutis, & calcar ad eamdem. Dici etiam potest

virtus

Est virtus cùm liberè elicitur.

virtus quædam naturalis, quia est congrua constitutio per naturam nobis competens. Denique propriè dicta est virtus, cùm est actus, non naturalis, sed liberè elicitus, quo pudet nos peccati vel vitii, illudque liberè refugimus & abhorremus. Unde Plato in Protagora ait, *Justitiam & pudorem esse munera Jovis per Mercurium tributa hominibus, quæ civitates ornarent, & mutua benevolentia cives conciliarent*. Et post pauca: *Omnes siquidem horum participes esse debent*. Idem in Sophista ait, *Homerum asserere, cùm Deos alios, tum maximè hospitalem Deum inter homines, qui justi pudoris participes sunt, versari, & hominum contumelias injuriasque inspicere*. Hinc pudor, cùm sit infamiæ metus, pertinet ad appetitum irascibilem: hic enim famæ & honoris est custos. Porrò pudor maximè decet pueros, virgines & juvenes, in quibus sæpè est nimius. Unde non planè resecandus, sed moderandus & in bonum dirigendus est. Hinc Plutar. tract. de Vitiosa verecundia, ait: *Agricola, cùm vitem putat, cautè manum admovet, timens, ne quid ex his quæ sana sunt, resecet. Sic in vitioso pudore cave, ne imprudens resecet etiam ingenuum pudorem*. Subditque: *Nutrices quoque, dum frequenter pressiùs extergunt sordes ab infantibus, nonnunquam una cum sordibus carnem abstrahunt, læduntque: sic, qui malum pudorem expellunt, lædere quandoque solent etiam bonum*. S. Ambr. verò lib. 1. Offic. cap. 18. *Pulchra*, inquit, *virtus verecundia*, &c. *Pudicitiæ comes est, cujus societate castitas ipsa tutior est: bonus enim regendæ castitatis pudor est comes: qui, si se prætendat ad ea, quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinet*.

VERS. 25. EST ENIM CONFUSIO ADDUCENS PECCATUM, ET EST CONFUSIO ADDUCENS GLORIAM, ET GRATIAM] Syrus, *est confusio, quæ creat peccata; & est confusio, cujus honor gratia ejus*: Tigurina, *est pudor trahens secum peccatum; est item pudor gloriæ gratiæque conciliator*; Græca habent, *est confusio adducens peccatum, & est confusio gloria, & gratia*, id est, causans gloriam & gratiam: q. d. Duplex est pudor. Unus vanus & mundanus, quo quis ex pudore, & timore hominum non audet dicere verum, aut agere quod justitiam agendum dictat: hic adducit peccatum. Alter honestus, & sanctus, quo quem pudet peccare, aut peccasse, ideoque pœnitet, & vitam emendat: aut quo justus erubescit de sua modica justitia, ideoque ad majorem seipsum excitat: hic adducit gratiam, & gloriam, tam apud Deum, quàm apud homines. Talis confusio fuit illa S. Antonii, qua, viso S. Paulo Eremita, tantæ sanctitatis memoria compunctus, & ad eam æmulandam accensus, suis discipulis dicebat: *Væ mihi peccatori qui falso monachi nomen fero. Vidi Eliam, vidi Joannem in deserto, & verè vidi Paulum in paradiso*, uti refert S. Hieron. in Vita S. Pauli. De utroque hoc pudore fusè aget Siracides in fine cap. 41. & initio cap. 42.

Pudor duplex.

Nota. *Confusio* hic non significat ignominiam, quæ Græcè dicitur ἀτιμία; sed pudorem, ut & sæpè alibi: hunc enim significat Græcum αἰσχύνη. Porrò S. Gregor. per *confusionem* accipit perturbationem mentis pœnitentis; hanc enim inducit pudor: explicans enim illud Job 3. *Occupet eum caligo*, lib. 4. Moral. cap. 17. *Quia*, inquit, *in caligine oculus confunditur, ipsa per pœnitentiam mentis nostræ confusio caligo nominatur. Nam, sicut caligo nebulosa congerie obscurat diem, ita confusio perturbatis cogitationibus obnubilat mentem. De qua per quemdam dicitur: Est confusio adducens gloriam. Cùm enim ad mentem male gesta pœnitendo reducimus, gravi mox mœrore confundimur, perstrepit in animo turba cogitationum, mœror conterit, anxietas devastat, in ærumnam mens vertitur, & quasi quodam nubilo caliginis obscuratur. Hæc namque caligo confusionis eorum mentem salubriter oppresserat, quibus Apostolus dicebat: Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Hunc ergo peccati diem caligo occupet, id est, blandimentum nequitiæ, afflictio pœnitentiæ digno mœrore perturbet*. Idem clariùs lib. 1. in Ezech. homil. 10. *Sicut verecundia*, ait, *laudabilis est in malo; ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum, sapientia est: bonum verò erubescere, fatuitatis. Unde scriptum est: Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam. Qui enim erubescit pœnitendo mala quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit: qui verò erubescit bona facere, a statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit*.

Talis fuit verecundia Lucretiæ, quæ timens infamiam falsam adulterii, qua se eam infamaturum Tarquinius minabatur, permisit se ab eo vitiari: hic ergo mundanus & vitiosus pudor adduxit peccatum, quin & infamiam ac mortem, quam per eumdem effugere cogitabat. Ex adverso pudor S. Susannæ, quo puduit eam peccare in conspectu Dei, ideoque infamiæ, quam ei minabantur senes impudici, periculo ultrò se exposuit, adduxit ei gratiam & gloriam apud homines, æquè ac apud Deum, Daniel. 13.

Audi & S. Bernard. serm. ad milites templi, c. 12. *Est pudor adducens peccatum, & pudor adducens gloriam. Bonus pudor est, quo peccasse, aut certè peccare confunderis: & omnis licet humanus arbiter fortè absit, divinum tamquam humanum tantò verecundiùs revereris aspectum, quantò, & veriùs Deum quam homines cogitas puriorem: tantoque eum graviùs offendi à peccante, quantò constat longiùs ab illo esse omne peccatum. Hujuscemodi procul dubio pudor fugat opprobrium, parat gloriam, dum aut peccatum omnino non admittit, aut certè admissum & pœnitendo punit, & confitendo expellit; si tamen gloria etiam nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Quod si quispiam confiteri confunditur id quoque, unde compungitur, talis pudor peccatum adducit, & gloriam de conscientia perdit, quando malum, quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus obstruso labiorum ostio non permittit exire, cum eum exemplo David dicere potiùs oporteret: Et labia mea non prohibebo, Domine, tu scisti. Qui & seipsum redarguens, puto super hominum stulto & irrationabili pudore: Quoniam tacui, inquit, inveteraverunt ossa mea*.

Porrò, S. Ephrem hunc pudorem ad versum sequentem refert, eique postponit, uti mox ostendam. Exemplum illustre pudoris boni dat S. Hieron. Pammachium, epist. 26. ad eumdem: Pammachius enim Consul Romanus, defuncta Paulina uxore, S. Paulæ filia, publicè monachum professus, spectaculum se facere urbi & orbi non erubuit. Audi S. Hieron. *Quis enim hoc crederet, ut Consulum pronepos, & Furiani germinis decus, inter purpuras Senatorum furva tunica pullatus incederet, & non erubesceret oculos sodalium, ut se deridentes derideret? Est confusio, quæ ducit ad mortem: & est confusio, quæ ducit ad vitam. Prima virtus est monachi, contemnere hominum judicia, & semper recordari Apostoli dicentis. Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*. Galat. 1. S. Gregor. exemplum dat Davidem saltantem ante arcam, 1. Reg. 16. 14. sic enim ait lib. 27. Moral. cap. 39. *Quid de ejus facto ab aliis sentiatur, ignoro: ego David plus saltantem stupeo, quam pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit; saltando autem coram Domino semetipsum vicit*. Sic Martyres, Apostoli & Prophetæ ab impiis ludibria & verbera experti, hæc fortiter pro Deo sustinuerunt, nec illa sibi pudori, sed gloriæ esse duxerunt, uti docet Apost. Hebr. 11.

Pudor bonus Pammachii.

Denique S. August. epist. 48. citato hoc loco Eccles. *Confusio*, inquit, *adducit peccatum, cum erubescit quisque pravam mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, aut diu errasse, seipso judice teneatur. Confusio autem adducit gratiam, & gloriam, cum erubescit quisque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur*. Et S. Greg. hunc locum Eccles. nectens cum illo Ezech. 3. 9. *Ut adamantem, & ut silicem dedi faciem tuam*, in adamante honorem, in silice ignominiam intelligit: *Si ab auditoribus*, inquit, *honoraris, si calcaris, aut despiceris, ut nec per illatum honorem refrænetur lingua ex verecundia, nec per despectum taceat ex infirmitate*. S. Amb. in psal. 43. explicans illud v. 16. *Tota die verecundia* (Sym. *confusio*) *mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me: Quæ*, inquit, *confusio Christi, nisi crux, quod nudus pependit in ea? Et bene tota die: quia ex quo affixus est cruci, usque in horam nonam tenebræ factæ sunt, & post horam nonam lux refulsit usque in vesperum*. Subdit deinde: *Sed, quemadmodum est confusio adducens peccatum; ita est confusio, quæ peccatum abolet: ut confusio crucis Domini nostri Jesu Christi, per quem peccata mundantur. Est etiam omnis confusio bona, quam pro Christi nomine subeas, & admodum gloriosa; si, verbi gratia, in persecutione lex fit, ut verberetur Christianus, ut dignitatem amittat, ut careat privilegio, ut in vincula ducatur*. Nam, ut ait Nazianz. iamb. 23. *Est decus summum, pietatis ergo ferre dedecus*.

NE ACCIPIAS FACIEM ADVERSUS FACIEM TUAM, VERS. 26.

TUAM, NEC ADVERSUS ANIMAM TUAM MENDACIUM] Primò, Syrus sic vertit, & explicat, *ne sis hypocrita, & ne erubescas confiteri offensionem tuam*, id est, quòd offenderis, vel cecideris in aliquod peccatum. Accedit Arabicus. *ne decipias temetipsum, & ne confundaris præ confessione delictorum tuorum*.

Secundò, Græcum πρόσωπον, tam personam, quàm faciem significat. Rursum Hebræi per נשא פנים *neso panim*, id est, *accipere faciem*, significant acceptionem personarum. Unde aliqui sic vertunt, *ne accipias personam contra animam* (Græcè enim est ψυχῆς) *tuam, & ne confundaris ad casum tuum*: sicque exponunt: *contra animam tuam*, id est, contra teipsum: q. d. Si quis famam tuam læserit, ne ejus personæ, licet magnæ & potentis, ita habeto rationem, ut non ausis teipsum defendere, aut innocentiam tuam tueri. Nam in tali casu pudor noxius est, & homini exitium creat.

Tertiò, Palacius sic explicat: q.d. Neminem plusquàm te æstimes, ut illius causa pecces: nemo te sit tibi pretiosior. Ideò subiungit: *Nec adversus animam tuam mendacium*; id est, si mendacium est mortale peccatum, scilicet, contra animam tuam, nullius hominis gratia mentiare; B putà, propter nullius amorem, aut timorem. Si tam pretiosa est anima tua, ut propter eam Deus funderet suam; cur tu non eodem pretio eam æstimes? Eumdem sensum habent sequentia: *Ne reverearis proximum tuum in casu suo*: id est, nihil timeas proximum minantem tibi casus, & ruinas, ut propter ejus minas *retineas verbum in tempore salutis*.

Quartò, Tigurina more suo liberè vertit, *ne cedas ulli faciei, quod animæ tuæ damno fiat: nec in tuam perniciem erubescas*, hoc est, uti explicat Vatablus, *ne cuius truculentiæ cedas, aut blanditiis, quominus quæ justa sunt, dicas & facias*. Hic sensus valdè est appositus, illique Vulgatam Latinam versionem sic rectè adaptes: q.d. Non accipies *faciem* vel personam potentis *adversus faciem tuam*, id est, adversus teipsum, ut, scilicet, præ personæ potentis pudore & timore mentiaris, aut taceas veritatem, quam eloqui necessarium est, vel tibi, vel proximis: itaque tuo mendacio, vel noxio silentio tuam aliorumve famam, vitam, vel animam & conscientiam in periculum præsens & æternum adducas. Unde Græca addunt: *Et ne reverearis in casum tuum*, vel *in perniciem* C *tuam*; ut, scilicet, ex nimia reverentia & pudore cujuspiam, cadas in peccatum, mortem, infamiam, &c. Hinc & subdit Vulgata versio: *Nec adversus animam tuam mendacium*, scilicet, accipias, vel sustineas, illi ve cedas, ut illo sinas *tuam animam*, id est, conscientiam, vitam, vel famam opprimi vel infamari à quopiam potente præ pudore; quia, scilicet, ex pusillanimitate non audes illi resistere; sed illi fidenter & animosè te oppone, ac veritatem & teipsum, tuamque animam tuere. Posterius enim hoc hemistichium idem est cum priori, illudque explicat more Hebræo. Igitur *adversus animam tuam*; id est, adversus teipsum, vel adversus conscientiam tuam. ita Jansenius. Quare idem est, *Non accipias adversus animam tuam mendacium*; cum eo, quod paulò antè dixit: *Pro anima tua ne confundaris dicere verum*. Siracides enim congeminat sententias, aliisque, & aliis idem dicit & inculcat.

Præcis resistas inverecunde. Prudenter Plutarch. lib. de Vitiosa verecundia, *Sæpè*, inquit, *fumum ignominiæ fugientes in ignem ruimus. Egregiè Zeno, cum incidisset in adolescentem juxta mœnia furtim ambulantem audissetque, quod fugeret amicum, a quo* D *postulabatur ad ferendum falsum testimonium: Quid ais, inquit, ignave? ille ausus est te malo injuriaque afficere, nec erubescit: & tu illi pro justitia non audes obsistere?* Nimirum, pro veritate oportet stare fortes, & inverecundos, ac contra impudentes induere impudentiam, ne ex fuga pudoris vani verum incurramus, ac volentes vitare Scyllam incidamus in Charybdim: qui enim ex pudore pravo mentitur, pejerat, &c. ne offendat amicum; hic in longè majorem apud Deum & homines infamiam, & vindictam incidet, ob admissum mendacium, & perjurium, &c.

Exemplum S. Sotheris. Exemplum illustre est in S. Sothere virgine & Martyre, quæ, cùm aliàs pudoris & castitatis studio faciem velaret; in martyrio tamen eamdem nudavit, ac tyranno constanter opposuit, eamdemque carnifici cædendam ultrò læta intrepidè exposuit. Audi S. Ambrosium exhortat. ad Virgin. ante finem: *At non S. Sotheris vultus sui curam gerebat, quæ cum esset decora facie valdè, & nobilis virgo majorum prosapia, consulatus & præfecturas parentum sacra posthabuit fide, & immolare jussa non acquievit. Quam persecutor immanis palmis cædi præcepit, ut tenera virgo dolori cederet aut pudori. At illa, ubi audivit hanc vocem, vultum aperuit, soli invelata atque intecta martyrio, & volens injuriæ occurrit, vultum offerens, ut ibi martyrii fieret sacrificium, ubi solet esse tentamentum pudoris. Gaudebat enim dispendio pulchritudinis, periculum integritatis auferri.* Et mox: *Hæc triumphales retulit martyrii cicatrices, ut imaginem Dei, quam acceperat, reservaret.* Idem lib. 3. de Virgin. *S. Sotheri*, inquit, *persecutionis ætate servilibus quoque contumeliis ad fastigium passionis evecta, etiam vultum ipsum, qui inter cruciatus totius corporis liber esse consuevit injuriæ, & spectare potius tormenta, quam perpeti, carnifici dedit: tam fortis & patiens, ut, cùm teneras pœnæ offerret genas, priùs carnifex cædendo deficeret, quàm Martyr injuriæ cederet. Non vultum inflexit, non ora convertit: non gemitum, non lacrymam dedit. Denique, cùm cætera pœnarum genera vicisset, gladium, quem quærebat, invenit*. Romæ enim via Appia gladio percussa an. Domini 304. die 10. Febr. virginitatis æquè ac martyrii lauream tulit. Molanus in Sanctis Belgii scribit, corpus ejus Dordraci in Hollandia asservari.

Denique S. Ephræm tract. de Abstinendo à cupidit. carnal. hunc versum præcedenti, quasi causam effectui præponit, sicque legit: *Ne acceptor sis personæ contra faciem tuam, neque confundaris in casu tuo. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam, & gratiam*, vel, ut idem cum Græcis legit tract. de Timore Dei, *est confusio gloria & gratia*.

Est hæc prima mundani malique pudoris species, qua ob reverentiam personæ potentis quem pudet dicere verum, ac mentitur, vel mendacio consentit in perniciem sui ipsius, suæque animæ. Sequitur secunda, qua quem pudet corripere proximum peccantem vel errantem, de qua ait. *Prima pudoris mali species, Secunda.*

NE REVEREARIS (Tigurina, *ne reformides*) PROXIMUM TUUM IN CASU SUO] q. d. Non pudeat te corripere proximum, cùm cadit in aliquod peccatum vel errorem. Unde subdit. VERS. 27.

NEC RETINEAS VERBUM correptionis, instructionis & consilii, IN TEMPORE SALUTIS] quo scilicet, potes ejus saluti, eum corripiendo & instruendo, consulere. Græca jam aliter habent, nimirum: *non erubescas ad casum*, vel *perniciem tuam*; Syrus & Arabicus, *non erubescas confiteri delicta tua*, uti paulò antè recensui. Porrò, pro *nec retineas verbum in tempore salutis*; Arabicus vertit, *ne avarus sis in sermone tuo, cùm proderis*, id est, cùm prodesse poteris; Tigurina, *salutiferam occasionem nactus ne comprimas sermonem*. Verè Seneca in Proverbiis: *Amici*, inquit, *vitia si feras, facis tua. Cum his conversare, qui te corrigant. Secretò admone amicos, palàm lauda: vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit. Bonis nocet qui malis parcit*. Sic Jethro non erubuit corripere Mosen, ac admonere, ut adjutores sibi in regendo populo asciseeret, Exodi 18. quin & Comicus amicum hac nota certissima designat: VERS. 28.

Si quid, inquit, me scis fecisse inscitè aut improbè,
Si id non accusas, tu ipse objurgandus es.

Secundò, *Ne reverearis proximum in casu suo*: q. d. Ne vereare proximum visere & solari, nec te pudeat ejus, cùm videris eum à statu suo honorato cecidisse in inopiam & ignominiam: nec retineas eo tempore verbum salutiferum, putà consolatorium, quo eum erigas, instruas, sustentes, uti fecerunt amici Job eum afflictum visitantes & consolantes.

Tertiò, Palacius hæc refert ad Martyres animandos in persecutione: q. d. Ne reverearis, id est, ne timeas proximum minantem tibi casus & ruinas, ut propter ejus minas *retineas verbum in tempore salutis*, quo, scilicet, veram fidem & virtutem profitearis & prædices. Sic & Rabanus hæc omnia explicat de Martyribus.

NON ABSCONDAS SAPIENTIAM TUAM IN DECORE SUO] Græcè, εἰς καλλονὴν, id est *ad ornatum*, vel *pulchritudinem*. Quòd, Primò, sic aliqui explicant: q. d. Ne abscondas sapientiam, ut videaris esse bellus pulcher, putà, doctus & sapiens. Secundò, melius alii:

q. d. Ne abſcondas ſapientiam, cùm illa pandenda & decoranda eſt, cùm, ſcilicet, pulchrum & decorum eſt, eam promere: quod fit, cùm per eam promi poſcit Dei gloria, & proximorum ſalus: quod paulò antè dixit, *in tempore ſalutis*. Unde Tigurina vertit, *ne ſapientiam tuam celes, quo minus reddas illuſtrem*. Hunc ergo honorem debemus, non nobis, ſed ſapientiæ, ut eam enuntiemus, cùm per hoc illa decoratur; cùm verò illa à ſtolidis ridetur & ſpernitur, ſilenda & celanda eſt, ne ſanctum demus canibus, neve margaritas projiciamus ante porcos, qui illas conculcent & conſpurcent, uti monet Chriſtus Matth. 7. 6.

Tertia. Tertia eſt hæc mali pudoris & ſilentii ſpecies, qua quis ex pudore ſilet ſapientiam, cùm ipſa eloquio honoranda & decoranda eſt. Huc facit illud Proverb. 11. v. 26. *Qui abſcondit frumenta*, inquit, *maledicetur in populis: benedictio autem ſuper caput vendentium*. Quod explicans D. Gregor. 3. parte Paſtor. admon. 26. *Frumenta*, inquit, *abſcondere, eſt prædicationis ſanctæ apud ſe verba retinere: in populis autem talis quiſque maledicetur; quia in ſolius culpa ſilentii pro multorum, quos corrigere poterat, pœna damnatur.*

VERS. 29. IN LINGUA ENIM ſapientiam proloquente SAPIENTIA DIGNOSCITUR, ET SENSUS EST SCIENTIA (ita legit Janſenius: q.d. Senſatus ſermo index & effectus eſt ſcientiæ, quin & cauſa ſcientiæ: ſenſata enim oratio parit ſapientiam in audiente eam.) Sed corrige cum Romanis: ET SENSUS, ET SCIENTIA, ET DOCTRINA (ſcilicet, eſt,) IN VERBO SENSATI] q.d. Senſatus, ſive cordatus, loquitur ſenſatè, & in ſuis verbis oſtendit ſcientiam & doctrinam, tum ſpeculativam, tum potiùs practicam, putà, prudentiam. Siracides enim, æquè ac Salomonis, prudentiam, ſuamque Ethicam nunc vocat ſapientiam, nunc ſcientiam, nunc doctrinam, nunc diſciplinam, nunc intellectum, nunc ſenſum. Rurſum cum Palacio hæc tria ita diſtinguas: *Senſus* vocatur vivida perceptio, & velut tactus quidam & experientia rerum ſpiritalium: *ſcientia* eſt notitia rerum naturalium: *doctrina* eſt eruditio, ſive facultas & facilitas docendi in docente. Hæc tria non agnoſcuntur, niſi ex verbis ſenſati, & prudentis.

Addit denique: ET FIRMAMENTUM IN OPERIBUS JUSTITIÆ] ſcilicet, doctrinæ, vel veritatis dictæ: q.d. Optima confirmatio & perſuaſio ſapientiæ & doctrinæ eſt ea quæ fit, non per verba, ſed per *opera juſtitiæ* facta à docente: opera enim, quia realia, magis vocalia ſunt verbis. Ita Lyran. Aliter Janſenius: Hiſce verbis, ait, ſignificatur, de qua doctrinà ſit ſermo, nempe, de ea quæ ſit firmamentum juſtitiæ, hoc eſt, qua homines firmantur in operibus bonis. Aliter quoque Palacius: Sicut, inquit, per verbum agnoſcitur magiſtri doctrina: ita *firmamentum*, ſeu firmitas & conſtantia animi agnoſcitur in operibus juſtitiæ: ſi enim tempore perſecutionis operaris juſtitiam, minimè ab ea deflectens; firmum te eſſe demonſtras. Vis hæc omnia velut in ſpeculo videre? Chriſti vitam coram oculis ſtatue: Videbis eum dicentem: *Non abſcondi juſtitiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo.* Quàm verò magni conſtitit hanc ſapientiam non abſcondiſſe, audi ſequentia: *Tu autem, Domine, ne longè facias miſerationes tuas à me. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus*, &c. Ergo in lingua Chriſti dignoſcitur ſapientia, ſenſus, ſcientia & doctrina, & in ejus operibus firmitas animi.

Græca pro his omnibus tantùm habent: *Nam ex ſermone ſapientia cognoſcitur, & è verbis linguæ eruditio*; Syrus, *ne abſcondas ſapientiam tuam, quia in ſermone cognoſcitur ſapientia, & intelligentia in confabulatione*; Arabicus, *quoniam ſcientia ex eloquio cognoſcitur, & intelligentiam peccare facit lingua*. Sermo enim eſt mentis ſpeculum & imago. Unde Socrates ad adoleſcentem: *Loquere*, inquit, *ut te* (tuam mentem, prudentiam, ſenſa) *videam*. Sunt enim verba vehiculum mentis. Eſt oratio interpres animi. Sermo eſt lux, qua cor, & ea, quæ ſunt in corde, videntur. Verè Seneca in Proverbiis: *Imago animi*, ait, *eſt ſermo: qualis vir, talis oratio*. Et Menander: *Viri character ex ſermone cognoſcitur*. Porrò ſermonis firmamentum eſt opus juſtitiæ, quod Hebræi dicunt: *Non ſermo radix, ſed opus*: q.d. Semper plus facere debemus, quàm dicere. Plus in negotiis gerendis res, quàm verba proſunt. Qualis arbor ſine radice, talis eſt ſermo ſine opere. Quod orator de virtute dixit, *Rem eſſe, non verba*; idem de ſcientia dicas. Qui hoc ſeculum cum patrum ævo comparant, dicunt patres plus conſcientiæ, minùs ſcientiæ habuiſſe: nos verò plus ſcientiæ, minus conſcientiæ habere. Scientiam adeptus es? laudo; ſed magis, ſi conſcientiam: vera enim ſcientia ita tractanda eſt, ut melior potiùs quàm doctior evadas, ut pectus inſtruas magis, quàm mentem acuas, inquit Palacius.

NON CONTRADICAS VERBO VERITATIS ULLO MODO] Eſt enim tam divina res, veritas, ut ſit ipſe Deus, ait Palacius. Torquet hæc verba S. Auguſt. l. 3. Contra Parmen. c. 6. contra Donatiſtas, qui imprudenter veritati, æquè ac edicto Conſtantini Imp. reſiſtebant: *Nonne*, inquit, *ſcriptum eſt: Non contradicas ullo modo veritati? Cui autem niſi veritati contradicitur, cùm etiam Regi ex veritate aliquid jubenti reſiſtitur?* VERS. 30.

ET DE MENDACIO INERUDITIONIS, (ἀπαιδευσίας, id eſt, indiſciplinationis, inſcitiæ, imperitiæ,) TUÆ, hoc eſt, indiſciplinatè, inſcitè, imperitè, temerè, imprudenter prolato, CONFUNDERE] Ita Romana, & Græca nonnulla, licet Complut. Tigurina, & alii deleant τὸ *mendacio*, legantque tantùm: *De ineruditione tua confundere*. Sed tum quoque per *ineruditionem* intelligitur mendacium, vel falſitas, qua veritati contradicitur: de eo enim ſermo præceſſit: ſicut enim veritas eſt res divina; ita mendacium eſt res diabolica. Diabolus enim eſt *mendax, & pater ejus*, ſcilicet, mendacii, Joan. 8. 44. Eſt ergo turpiſſimum à caſtris veritatis deſicere ad caſtra mendacii, (hoc enim eſt tranſire à caſtris Dei ad caſtra diaboli;) maximè viro Chriſtiano, cujus tota laus & ſalus in veritate conſiſtit.

Eſt hæc quarta mali pudoris ſpecies, oppoſita ſecundæ v. 27. Sicut enim ibi juſſit vinci pudorem, qui hominem detinet, ne proximum peccantem corripiat; ita vice verſa hic monet eum, qui corripitur, ne ex ſuperbo pudore contradicat veritati, ac mendaciter neget ſe commiſiſſe peccatum de quo arguitur, aut illud quaſi rectè factum velit excuſare, & defendere. Unde de eodem ſubdit: *Non confundaris confiteri peccata tua*. Senſus ergo eſt: q.d. Si quod mendacium per imprudentiam, incogitantiam, præcipitationem, inſcitiam prolocutus es, ubi hoc adverteris, noli illud tueri, ſed confundere, revoca & emenda: pudor enim laudabilis eſt, quo quis errorem humiliter agnoſcit & confitetur: vituperabilis verò eſt, quo quis ſuperbè errorem tueri ſatagit, ne erraſſe videatur: nolle enim pudere de pudendo, magnæ eſt impudentiæ; ac nolle pœnitere de pœnitendo, arrogantis eſt impœnitentiæ. Huic expoſitioni favet Tigurina, dum vertit, *cave ne contradicas veritati ullo modo, quamobrem fallacis imperitiæ te pudeat.* *Quarta*

Secundò, Janſenius appoſitè ſic exponit, q. d. Pudeat te deprehendi mendacem, dum per imprudentiam tuam, inſcitiam & audaciam veritati contradicis, ut quod dicitur. *De mendacio confundere*, accipiatur de mendacio non commiſſo, ſed committendo: hoc enim aptè reſpondet ei, quod præceſſit, *non contradicas verbo veritatis*, ideoque *de mendacio confundere*. q. d. Ideoque pudeat te mentiri, quia per mendacium contradicis veritati. Huic expoſitioni favet Syrus, *ne garrias contra veritatem, & à ſtultitiis tuis contine te*; & Arabicus, *ne adverſeris æquitati, neve cum illa contendas, & regredere à delictis tuis, & averte te ab eis.*

Unde S. Auguſt. lib. 3. contra Parmen. c. 3. hæc applicans hæreticis qui reſiſtunt fidei, qualis erat Parmenianus & Donatiſtæ: *Cui autem*, inquit, *niſi veritati contradicitur, cum etiam regi ex veritate aliquid jubenti reſiſtitur? Sed Rex homo qui minatur, vel qui judicat ad tempus, moleſtus eſt: non ſic ille Rex, qui etiam veritas dicitur.* Denique B. Antiochus homil. 60. de verecundia, citans hunc Eccleſ. locum: *Confuſio faciei*, inquit, *cooperuit me. Hujuſmodi pudor, ſive verecundia planè ſancta eſt, cùm ſecundùm Deum ſit, ut quæ hominem adducat ad pœnitentiam, ac proinde non mediocrem affert animæ fiduciam.*

NON CONFUNDARIS CONFITERI PECCATA TUA] Eſt hæc quinta pravi pudoris ſpecies, qua quem pudet peccata confiteri. Non loquitur Siracides præcisè de Confeſſione Sacramentali, utpote quæ illo tempore nondum erat inſtituta: ſed generatim de confeſſione, qua quis legitimè de peccato rogatus, monitus aut correptus, illud falsò negat. Unde Græca hic addunt id, quod Noſter VERS. 31. *Quinta.*

ster habet vers. sequ. *Nec adversus cursum fluminis contendas*. q. d. Noli contra veritatem omnium, præsertim Superiorum, ore contra te currentem, teque arguentem, negando peccatum contendere; quia vi & communi voce veritatis, quasi fluminis vinceris, magisque patefiet tua iniquitas, falsitas & impudentia. Quocirca multò magis hæc sententia locum habet in Confessione Sacramentali, postquam illa à Christo fuit instituta, utpote in qua jussit sanxitque Deus peccata pandi, de iisque confundi & pœnitere.

Contra hanc sententiam & legem peccavit Adam, cùm culpam suam impudenter in Evam rejecit, Genes. 3. ideoque paradiso ejectus, & morte cum posteris omnibus mulctatus est. Tu verò, si Deum tibi optas propitium, cum Davide dicito: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*. Humiliter ergo peccata tua confitere Deo aut homini: præsertim si is habeat potestatem & sapientiam, qua te convincere, & punire, aut peccata remittere, iisque mederi possit, ut per humilem confessionem & agnitionem peccati veniam consequaris, ultionem evadas, & misericordiam gratiamque nanciscaris. Porrò solet dæmon pudorem, quem peccatori, dum peccaret, abstulit, eidem, dum illud vult confiteri, restituere, ut confessionem impediat, eumque in peccato captivum detineat. Quocirca Tertull. lib. de Pœnit. cap. 10. *Plerosque*, inquit, *hoc opus in publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores quam salutis*. Et mox ironicè: *Næ tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò subducens*. Et S. August. vel quisquis est Auctor. lib. 2, cap. 5. de Visit. infirm. *Heu! cur erubescis*, inquit, *confiteri, quod facere nequaquam erubuisti?* Et S. Bernard. in Sentent. *Cur te pudet*, inquit, *peccatum tuum dicere, quem non pudet facere?*

Dæmon pudorem peccati adimit, confitenti restituit.

Pudor hic excutiendus est Primò: timore majoris pudoris, quo afficietur peccator in die judicii: sic enim clavus clavo pellitur. Unde S. Greg. Nazianz. orat. in S. Baptisma: *Ne peccatum*, inquit, *confiteri graveris, ut per hujus vitæ pudorem, futuri seculi pudorem ignominiamq; fugias*. Et S. August. loco jam citato: *Melius*, inquit, *est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam in die judicii coram tot millibus hominum, gravi repulsa denotatum tabescere*. Secundò, cogitando confessionem nemini esse pudori, sed gloriæ, quòd per illam de superbia, peccato, nobis ipsis ac dæmone triumphemus. Unde Nazianz. loco jam citato: *Perspicuum*, inquit, *facias, te serio atque ex animo peccatum odisse, dum illud tamquam contumelia dignum traducis, ac velut ludibrio exponis, de eoque triumphum agis*. Exempla hujus triumphi illustria recenset Climacus grad. 4. & 5. de Pœnit.

Quocirca meritò exclamat S. Ber. epist. 185. ad Eustach. *O verecundia*, inquit, *expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris & honestatis. Hæc planè illa, quam Sapiens loquitur, confusio adducens peccatum. Itane verecundum est homini, vinci a Deo, & probro ducitur humiliari sub potenti manu Altissimi? Nam ita Rex ille gloriosus David: Tibi soli peccavi, inquit, & malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris. Summum victoriæ genus, divinæ cedere majestati; & auctoritati matris Ecclesiæ non reluctari, summus honor & gloria. O perversitas! Non pudet inquinari, & ablui pudet! Est pudor (juxta Sapientem) adducens gloriam; si, videlicet peccare pudeat: si non, pudeat vel peccasse: & ita vel sera gloria non carebis: reducente, nimirum, pudore, quam culpa fugaverat. Secundum tenent beatitudinis locum, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Honorabile tegumentum, de quo loquitur: Confessio & pulchritudo in conspectu ejus. Quis mihi tribuat videre te in vestitu deaurato, ut dicamus & tibi: Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento*. Idem serm. 4. inter minores: *Melior est*, ait, *in malis factis humilis confessio, quam in bonis factis superba gloriatio*. Idem in Meditat. c. 37. *Omnia in confessione lavantur, conscientia mundatur, amaritudo tollitur, peccatum fugatur, tranquillitas redit, spes revivescit, animus hilarescit. Post baptismum nullum aliud est remedium, quam confessionis refugium. Sit ergo devota cordis compunctio, vera oris confessio, discreta carnis mortificatio, repentina vitiorum extirpatio, læta bonorum operum exhibitio*. Et mox: *Simulata confessio non est confessio, sed duplex confusio. Excludit enim miserationem Dei miseria fi-*

Encomia confessionis.

mulatio. Nec dignatio locum habet, ubi fuerit dignitatis præsumptio. Mutuatus est Siracides hanc gnomen à Salomone Proverb. 18. 17. *Justus prior est accusator sui*. ubi plura de confessione dicam.

ET NE SUBIICIAS TE OMNI HOMINI PRO PECCATO] q.d. Non confundaris confiteri peccata tua; confundere autem de ipso peccato, ita ut nulli (Hebr. enim, *non omni*, idem est quod *nulli*) homini ad peccatum sollicitanti te subiicias ad illud perpetrandum. Priori ergo hemistichio Siracides hortatur ad confessionem peccati patrati; posteriore dehortatur à consensu patrandi. ita Rabanus, Glossa Interlinealis, & Palacius. Hunc sensum exigunt Græca: *Ne te submittas stulto homini*; & Syrus, *ne subiicias dementi teipsum*; & Arabicus, *ne contendas cùm insipiente, & ne præbeas nomen tuum stulto*. Aliter Lyranus. q. d. Noli te subiicere cuilibet homini, ut cuilibet peccata confitearis; sed ei tantùm, qui illa novit, potestque iis salutare remedium adhibere vel ostendere. Aliter quoque Jansen. qui, ut hæc omnia inter se nectat, ita explicat: q. d. Ne confundaris confiteri peccata tua, dum à sapiente, vel Superiore & judice de eis argueris, & *ne pro peccato* à te admisso ulli *homini te subiicias*, hoc est, obnoxium facias majori, & novæ reprehensioni ac ultioni, si, scilicet, mendax inveniaris dum vis negare, vel excusare peccata commissa. Quare *noli resistere contra faciem potentis*, pro peccato, scilicet, à te admisso; hoc est, cùm judex, aut quivis alius, qui potest tua mendacia confutare & vindicare, te de peccato arguit, noli mendaciis te contra eum defendere, *nec coneris contra ictum fluminis*; id est, nec contra potentiam ejus, qui veritate oppugnat, obnitere. Id enim perinde est, ac si coneris contra ictum, id est, vim fluminis. Verùm hæc expositio, licet magis connexa, minùs tamen plana, magisque coacta videtur, eique adversatur textus Græcus, Syrus & Arabicus.

NOLI RESISTERE CONTRA FACIEM POTENTIS, NEC CONERIS CONTRA ICTUM (Græca Complut. *cursum*; Rom. *fluxum*) FLUVII] q. d. Noli resistere potenti, sive homini, sive populo & multitudini: quia illi resistere non poteris, sicut resistere nequis ictui, id est, impetui fluminis. Est disparatum & diversum hoc à precedenti præceptum, qualia sunt pleraque in hoc libro; aptè tamen precedenti subnectitur. q. d. Ne subiicias te homini pro peccato; sed neque resistas potenti, ubi ille ad peccatum te non urget: illud enim pravitatis est, hoc imprudentiæ. Frustra enim niti, & nihil aliud laborando, quàm odium quærere, extremæ dementiæ est, ait ex Salustio S. Hieron. Sic Samuel populo temerè Regem poscenti, consultè cessit, deditque Saulem, 1. Reg. 8. Porrò Complut. & S. August. in Speculo, pro *fluminis*, legunt *fulminis*. Potens enim & audax similis est fulmini, cujus ictus omnia etiã durissima penetrat, liquat & siderat. Quis huic resistat? Hæc est quasi ratio à priori.

VERS. 32.

Nota. Hi duo versus, scilicet, 30. & 31. qui sic habent in Latina Vulgata, *Ne confundaris confiteri peccata tua, & non subiicias te omni homini pro peccato. Noli resistere contra faciem potentis, nec contra ictum fluvii*: aliter habent in Græcis codicibus, qui etiam sententiarum membra traiiciunt, putà, quædam præponunt, quædam postponunt: sic enim habent, *Ne erubescas confiteri peccata tua, nec adversus cursum fluminis contendas. Ne te submittas*, vel *sufternas stulto homini, nec vultui potentis cedas*. Porrò Syrus ad Græcum accedit: ab eo tamen nonnihil discrepat. sic enim habet, *ne erubescas confitens peccata tua, & ne resistas stulto. Ne subiicias dementi teipsum, & ne contendas adversus dominum*, putà, principem vel herum. Et Arabicus, *ne confundaris confiteri peccata tua: ne contendas cum insipiente, & ne præbeas nomen tuum stulto: ne contendas cum principe*. Verùm hæ versiones & lectiones non tam aptè cohærent, quàm Latina Vulgata: quare ejus Auctor Latinus Interpres videtur habuisse emendatius exemplar Græcum, uti hic fatentur & annotarunt Interpretes, non tantum orthodoxi, sed & heterodoxi, imò cacodoxi in fide.

Hanc Siracidis gnomen illustrat apologus arundinis & olivæ apud Æsopum. *De viribus*, inquit, *arundo & oliva contendebant: cùm arundini oliva convicium faceret, utpote imbecillæ, ac facile cedenti ventis omnibus, arundo tacendo nihil locuta est. Ac parumper præstolata, ubi acer afflavit ventus, arundo succussa & inclinata ventis, facilè*

evasit

evasit oliva autem cum ventis restitisset, ut diffracta est. Affabulatio. Fabula significat, eos, qui tempori ac præstantioribus non resistunt, meliores esse iis qui cum potentioribus contendunt.

Porrò Nazianz. epist. 57. ad Eudoxium, hanc parœmiam adaptat naturæ; q. d. *Ne coneris contra ictum fluvii* hoc est, ne coneris contra propensionem naturæ, juxta illud:

Tu nihil invita facies dicesve Minerva.

Vers. 33. PRO JUSTITIA AGONIZARE PRO ANIMA TUA, ET USQUE AD MORTEM CERTA PRO JUSTITIA, ET DEUS EXPUGNABIT PRO TE INIMICOS TUOS] Græca de more hic magis sunt concisa, sic enim habent: *Ad mortem usque decerta pro veritate, & Dominus pugnabit pro te.* Et sic legit Joannes Maxentius præf. in Dialog. contra Nestor. Et Syrus, *usque ad mortem certa pro veritate, & Dominus certabit pro te.* Addit Arabicus, *Et victorem te reddet.* Hic versus respicit & spectat ad v. 24. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* Et ad v. 30. *Non contradicas verbo veritatis.* Illis enim hic per gradationem addit: *Usque ad mortem certa pro veritate.* Ut ostendat, quàm nobis curæ & cordi debeat esse veritas, quamque ejus tutelam & patrocinium suscipere debeamus, scilicet, ut pro ea dimicemus usque ad mortem. Veritatem intellige, tum fidei & religionis, tum morum, actionum & virtutum, præsertim justitiæ propriè dictæ. Unde Noster solerter vertit *justitiam*. Justitia enim generatim hic capitur pro religione, æquitate, & qualibet virtute; sed maximè pro justitia propriè dicta. Pro ea enim quasi pro anima certare debemus, quia ex justitia & virtute pẽdet animæ felicitas præsens & æterna, adeoq; virtus est animæ salus, imò animæ anima. Ne quis enim dicat: Justitiæ patrocinium ad me non pertinet. addit: *Agonizare pro anima tua.* q. d. Dum pro justitia agonizas & certas, certas pro anima tua; imò certas pro Deo, qui est prima & increata veritas & justitia, quique animam tibi dedit, ut pro ea & veritate certes usque ad mortem. Unde Dionys. apud Anton. in Melissa, p. 1. cap. 21. *Veritas*, inquit, *est Deus, utpote unum, non multa secundum naturam. Verum quippe unum est; mendacium autem multiplex. Nam & Christus inquit: Ego sum via, veritas & vita*, Joan. 14. Hinc Jamblichus apud Stobeum serm. 11. de veritate: *Veritas*, inquit, *ut Græcum ejus etymon indicat, circa Deum & incorruptam Dei actionem versatur.* Græcè enim veritas dicitur ἀλήθεια, quòd ἀλεῖ, id est molat, θεῖα, id est, divina, quòd, scilicet, circa Deum & divina occupetur, ipsaque sit quasi ἄλημα, id est, farina Dei, & Deitatis.

Nota Græcismum, quo verbum passivum, *agonizare*, quasi deponens sumitur activè pro *agoniza*, certa, confflige, contende, pugna, dimica. Græci enim crebriùs usurpant passivum ἀγωνίζομαι, quàm activum ἀγωνίζω, pro certo, dimico, &c. Simili modo Noster *certari*, usurpat pro *certare*, cap. 11. 9. Porrò τὸ *agonizare* emphasim habet: q. d. Pro anima tua, ut, scilicet, salves animam tuam, omnes vires exsere, totoque conatu certa pro justitia, scilicet, ea contentione & agone, qua moribundi in agonia cum morte luctantur. In his enim natura, ut se suamque vitam tueatur, omne suum robur expromit, & extremum potentiæ suæ exserit, unde multi è mortis periculo eluctantur, & vitæ restituuntur. Aut potiùs, *agonizare*, id est, acerrimè certa pro justitia, æquè ac olim pugiles & olympionicæ in agone pro corona certabant usque ad mortem. Alludit ad agones Olympicos, similesque Græcorum. In Grecia enim quatuor fuere certamina sacra, quos agones appellabant, scilicet Nemea, Pythia, Isthmia, Olympia, de quibus vide Budeum in Pandect. De iisdem extat Archiæ epigramma:

Quatuor Argivis certamina sacra feruntur,
Bina hominum natis, binaque cælitibus.
Phœbo, ipsique Jovi, Archemoro, & parvo Melicertæ,
Poma, oleastra, apium, præmia, pinus erant.

Huc quoque allusit Apostolus 1. Corinth. 9. v. 25. *Omnis, qui agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Vide dicta ibidem & Apoc. 3. in fine.

Preclarè Philo libr. Quòd omnis probus sit liber. *Spectavi*, inquit, *aliquando certantes pancratio: alterum obtundentem pugnis & calcibus, totisq; viribus contendentem ad victoriam tandem lassum & incoronatum à stadio discedere: alterum carnosum, nervosum, musculosum, refertumq; spiritu verè athletico, tamquam saxeum ferreumque nihil plagis cedere, solaque patientia superare adversarium, & ad extremum adipisci victoriam.* Et statim ad mores, uti solet, digressus: *Huic similem*, inquit, *bonum virum censeo, qui validè confirmatus, certo animi proposito efficit, ut adversarius priùs delassetur inferendo injurias, quam ipse quidquam agat præter animi sui sententiam.* Et S. Hieron. ad Heliodorum: *Quid facis in paterna domo, delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hyems acta sub pellibus? Ecce de cælo tuba canit. Ecce cum nubibus debellaturus orbem, Imperator armatus egreditur. Et tu mihi de cubiculo ad aciem: tu de umbra egrederis ad solem? Corpus assuetum tunicis, loricæ onus non fert: caput opertum linteo, galeam recusat: mollem otio manum durus exasperat capulus.*

Talis justitiæ pugil fuit S. Joannes Baptista, qui pro iure matrimonii certans, & corripiens adulterum Herodem ab eo martyrio laureatus est. Similes fuere cœteri Martyres. Talis quoque fuit Judas, Jonathas, cœterique Machabęi, qui pro justitia, id est, pro justa patrię & B Ecclesię defensione, contra Antiochum fortissimè depugnarunt, ideoque Deus pro eis, imò pro justitia pugnans, fecit eos victores & gloriosos, ut pauci ingentes hostium copias profligarent, uti narratur in libr. Machab. Milites ergo pro justitia certent usque ad mortem: quin & fidelis quilibet in tentatione positus, quasi miles Christi pro Deo & justitia confligat cum dęmone, mundo & concupiscentia usque ad mortem, cogitans rem agi de anima sua, ejusque salute ęterna. Vide S. Cyprianum Exhortat. ad Martyr. & Tertull. in Scorpiaco, & Exhort. ad Martyres.

Porrò appositè hanc sententiam pręcedenti subiicit Siracides: q. d. Dixi *Noli resistere contra faciem potentis.* Sed intellige, si potens ad peccatum te non cogat, aut sollicitet: si enim sollicitet, dico & edico: *Pro justitia agonizare pro anima tua.* quòd Palacius sic explicat; q. d. Si silentium tuum in justitię periculum, aut damnum cedit, tunc pro ea in agoniam mortis te coniice. Certa contra totum mundum pro pietate, uti certavit S. Athanasius contra orbem penè totum Arrianum. Non solus certabis, non solus agonem sustinebis: Deus stat pro te. C Resiste ergo iis, qui justitiam oppugnant. Intellige, si resistere tibi ex officio incumbat, aut si religio & fides, vel salus propinquorum ex tua resistentia pendeat. Alioqui non adeò obligaris principi iniquo resistere, maximè si non speres ex resistentia remedium affuturum.

Ita S. Cornelius gloriosus Pontifex & Martyr, corneo & invicto corde restitit Decio, Gallo & Volusiano Impp. omnes ad idololatriam cogentibus, ac Romanis ceterisque Christianis resistendi dux & auctor fuit. *Cornea virtus S. Cornelii.* Quocirca anno Domini 255. truncato capite martyrii laurea coronatus evolavit in cęlum: ac non multò post S. Leo Primus, in pontificatu successor, via Appia, ubi illustrem fidei agonem obiverat, templum ęternę quasi glorię theatrum in ejus honorem excitavit. Eumdem magnis virtutum elogiis celebrat coęvus illi & commilito S. Cyprianus epist. 1. ad Cornelium: *Exprimi satis non potest*, inquit, *quanta istic exultatio fuerit*, &c. *ducem te illic confessionis fratribus extitisse, ut, dum præcedis ad gloriam, multos feceris gloriæ comites; & confessorem populum suaseris fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri. Virtus illic Episcopi præcedentis publicè comprobata est, adunatio fraternitatis* D *ostensa est, dum apud vos unus animus, & una vox est, Ecclesia omnis Romana confessa est.* Et lib. 4. epist. 2. ad Antonianum de Cornelio: *Acies adhuc geritur, & agon quotidie celebratur.* Et inferiùs: *Quanta in ipso suscepto Episcopatu suo? quantum robur animi? qualis firmitas fidei? quod nos simplici corde & perspicere penitus, & laudare debemus, sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali cathedra eo tempore, cùm tyrannus infestus sacerdotibus Dei, fanda atque infanda comminaretur; cùm multo patientius & tolerabilius audiret levari adversus se æmulum principem, quàm constitui Romæ Dei sacerdotem. Nonne hic, frater charissime, summo virtutis & fidei testimonio prædicandus est? Nonne inter gloriosos Confessores & Martyres deputandus, qui tantum temporis sedit expectans corporis sui carnifices, & tyranni ferocientis ultores; qui Cornelium adversus edicta feralia resistentem, & minas & cruciatus, & tormenta fidei vigore calcantem, vel gladio invaderent, vel cruci figerent,*

vel

vel quodlibet inaudito genere pœnarum viscera ejus & membra laniarent? Etiamsi majestas Domini protegentis, & bonitas sacerdotem, quem fieri voluit, factum quoque protexit; tamen Cornelius, quantum ad ejus devotionem pertinet & timorem, passus est quidquid pati potuit; & tyrannum armis, & bello postmodum victum, prior sacerdotio suo vicit.

Coævus & fortitudine suppar S. Cornelio fuit S. Babylas, Patriarcha Antiochenus, qui Decium Imper. magno satellitio & fastu ingredientem ecclesiam, majore animo & virtute ex ea expulit, ideoque gloriosum obiit martyrium: unde & post mortem in Daphne sepultus, inde dæmones expulit. Quæ admirans S. Joannes Chrysost. libro contra Gentiles, exclamat: *O animum imperterritum, mentemque excelsam! ò cæleste pectus, & constantiam Angelicam! Etenim ipsum sanctæ Litteræ erudierant, mundi hujus res omnes non nisi umbram esse & somnium, & si quid his vanius est. Idcircò cogitationem traducebat ad supremum illum regem sedentem super Cherubim, intuentem abyssos, ad thronum illum gloriosum, ad Angelorum myriadas, ad chiliadas Archangelorum.*

VERS. 34. NOLI CITATUS ESSE IN LINGUA TUA; ET INUTILIS ET REMISSUS IN OPERIBUS TUIS] In Græcis est hìc triplex lectio. Pro *citatus* enim Primò, Noster legit, ταχὺς, id est, celer, velox, citus & citatus. Secundò, Roman. legunt, τραχὺς, id est, asper, durus, ferox. Tertiò, Complut. legunt, θρασὺς, id est audax, temerarius. Sic & Tigur. *ne in lingua tua*, inquit, *confidens sis: nec rursum in operibus tuis segnis* (νωθρὸς, id est, ignavus, imbellis, segnis, tardus, piger, somnolentus;) Syrus, *ne sis elatus*, inquit, *in lingua tua, & remissus & debilis in operibus tuis*; & Arabicus, *ne sis tumidus in lingua tua, & iners & negligens in operibus tuis*. Sed melior est lectio nostri Interpretis: sic enim constat antithesis inter citatum in lingua, & remissum in opere: vetat enim hic duo: Primò, velocitatem ad loquendum: Secundò, tarditatem ad benè operandum, quæ duo vitiosiora sunt, si jungantur, uti sæpè ea jungi videmus. Cùm enim in homine una eademque sit anima, quæ per linguam loquitur, & per manum operatur, atque ipsa sit limitatæ & exiguæ attentionis & virtutis, si totam illam ipsa applicet & exserat in lingua, parum residui habet, quod exserat in manu & actione, præsertim cùm lingua & manus, locutio & operatio sint valdè disparata, & penè contraria. Unde vulgò dicitur: *Impigræ linguæ, ignavi animi*.

Quocirca prudenter Seneca Lucilium monet epist. 72. *Summa summarum*, inquit, *hæc erit: tardiloquum te esse jubeo*. Quin & Psaltes psal. 32. 2. *Dixi*, ait, *Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*. Causam dat ibidem S. August. *Non enim*, inquit, *lingua frustrà in udo est, nisi quia facilè labitur. Custodi ergo vias tuas, & noli delinquere in lingua: perpende, quod dicturus es, examina, consule interiorem veritatem, & sic profer ad exteriorem auditorem.* Ibidem S. Ambros. *Aliæ*, inquit, *sunt viæ, quas debemus sequi, aliæ, quas custodire: sequi vias Domini, custodire nostras, ne in culpam dirigantur. Potes autem custodire, si non cito loquaris.*

Porrò hæc sententia, cùm sit generalis, variis aptari potest. Primò, promissis: q. d. Noli esse celer in promittendo, tardus in præstando promissum. Secundò, mandatis & imperiis: q. d. Noli esse celer in mandando, tardus in operando, ut multa aliis ordines & mandes; sed nolis ipse manum operi admovere. Verus enim familiæ, cœtus & belli dux non dicet suis: Ite, facite hoc, milites: sed, Eamus, faciamus, commilitones, primusque suis anteibit, & manum operi admovebit, uti dicebat, & faciebat Julius Cæsar. Tertiò, pigris & acedis, qui multi sunt in loquendo, remissi in laborando, ut totum sensum, motum & vitam videantur habere in lingua, ac consequenter manus insensibiles, immobiles & quasi emortuas. Quartò, superbis, qui magna de se jactant, cùm nihil opere efficiant. Talis est miles ille Thraso apud Comicum, qui facinora in bellis à se patrata pleno ore buccinabat, cùm esset imbellis, ignavus & timidissimus. Quintò, magistris & concionatoribus, qui multa docent sermone, sed nihil opere præstant. Unde illi simile est illud Hebræorum adagium: *Thalmud sine opere non est magnum Thalmud*; sive, *doctrina absque opere non est doctrina*. q. d. Non est magnificanda doctrina, aut doctor, qui aliter vivit quàm docet. Hujusmodi enim doctrina cadit super corda, sicut imber cadit super saxa, ut quidam sapientum ait: vera enim doctrina exigit, ut ad legem suam quisque vivat, ne ab oratione mores dissentiant. *Non enim est in sermone regnum Dei, sed in virtute*, 1. Corinth. 4. 20. Sextò, otiosis, loquacibus, garrulis, maledicis, qui sua garrulitate, & maledicentia sibi aliisque periculum creant. *Os enim lubricum operatur ruinas*, ait Raban. Unde S. Jacobus c. 1. v. 19. *Sit*, inquit, *omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendū, & tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur*. Ita Zeno audiens adolescentem garrulum: *Aures*, inquit, *in linguam defluxere*. significans adolescentis esse multa audire, pauca loqui, teste Laert. l. 7. c. 1. Idem dicas otioso & loquaci: *Hujus manus in linguam defluxerunt*. &, ut ajebat Theocritus Chius: *Hujus in ore omnis supellex est, & unicum domicilium*. Idem cùm Anaximenes esset dicturus, ita præfatus est: *Incipit verborum flumen, mentis gutta*. significans illum esse multiloquum, sed parum sapientem, uti refert Stobæus serm. 34. Tales sunt desidiosi, & garruli. Denique R. Samai in *Pirke avoth*: *Parcum*, ait, *te volo in loquendo, multum in agendo*.

Linguati remissi in actione sextupliciter.

Huic gnomæ antistrophus est apologus leonis, & asini apud Cyrillum lib. 1. Apologorum moralium cap. 16. cujus titulus: *Dic voce tenuis, & age actu grandi. Leonem*, inquit, *socius asinus antecedens, cùm de longe luporum turmam aspiceret, eminus cœpit vocem emittere, ut ejus granditate ventosa grex inimicus discederet perculsus. At verò cùm hostes à clamore hunc esse asinum cognoscerent, fixi stantes cœperunt ridere, scientes tantum sonitum pectoris minimè respondere virtuti cordis. Tunc leo percepta voce statim cucurrit ad socium, atque dixit: Amice quid tibi est, quòd clamasti? cui ille: Mi frater, grex luporum apparuit, quem grandi voce perterrui nec se movet: sed mox ad odorem tuum non sine mea admiratione disparuit. Ad hæc leo prudenter subridens: Si nosti, inquit, nequam lupus est callidus, clamorem deridet, ac virtutem tantum timet, latratum canis subsannat, dummodo morsum effugiat*. Idipsum deinde confirmat exemplo militis & philosophi, ac rationem à priori assignat. *Nimirum expertus miles tubam bellicam non pavescit, sed gladium: & eruditus philosophus nubis tonitruum non veretur, sed fulgur. Quid enim est clamor, nisi pectoris evacuati & oris sonus effusus? nempe vacua magis sonant, ventosaque concrepant. Quapropter charissime, qui clamoribus utitur, à sapiente minime timetur. Quoniam ventosus & vacuus sine virtutis soliditate fore cognoscitur. Clamore siquidem iracundiæ flamma in clibano cordis accenditur, de qua statim fumus exoritur, & obfuscata ratione virtutis splendor fuscatur. Ex lumine namque rationis oritur virtus. Quare magis prudenter id efficitur, quod inanis apparentia spreta voce, rei granditatem finitur. Sic regularis cæli motus, cùm sit actus virtuosus, grandi virtute sine sono completur. Quo dicto de clamorosa voce confusus asinus, à leonis societate discessit.*

Dic voce tenui, & age actu grandi.

Ratio à priori.

NOLI ESSE SICUT LEO IN DOMO TUA, dominans, clamans, sæviens, ideoque EVERTENS DOMESTICOS TUOS, ET OPPRIMENS SUBJECTOS TIBI) Græcè φαντασιοκοπῶν, id est, *phantasia laborans*, cerebrosus, qui vanis imaginibus percellitur, insanus *in domesticos tuos*. Syrus pro *leo*, vertit *canis*, putà, molossus, qui est instar leonis: leo enim interiora omnia habet cani similia, uti docet Aristot. lib. 2. de Histor. animal. cap. 1. Rursum leonum morsus sanatur, ut canum morsus, uti idem docet lib. 9. cap. 44. nisi pro Syro כלבא *Kelbo*, id est, canis, aliis punctis legas Hebræum כלביא *callabi*, id est, sicut leo, uti legit Noster. Sic ergo vertit, *ne sis canis* (putà, impudens, rixosus, mordens, lacerans, devorans) *in domo tua, & impetuosus & terribilis in operibus tuis*; Arabicus, *ne sis fastidiosus & tumultuosus in domo tua, & circumiens & multus in operibus tuis*; Tigur. *ne te domi tuæ geras in modum leonis, nec in domesticos tuos insanè sævias*. Vetat patrum & herorum in filios, familiares & servos, Primò, nimiam curiositatem; Secundò, importunitatem; Tertiò, sævitiam; Quartò, clamores & jurgia; Quintò, dominandi libidinem, non ex ratione, sed ex ambitione, cupiditate, sævitia; Sextò, insaniam: hæc enim dominium faciunt, non herile, & paternum; sed tyrannicum, imò belluinum & leoninum: q. d. Noli in familia tua esse sicut leo, ut instar leonis omnia curiosè velis scrutari, ad minimos errores clames, & rugias, dura imperes, verberes, vindices, omnia-

VERS. 35.

omniaque agas pro phantasia & cupiditate, non ex ratione & æquitate; sed potius humanum æquum, rationabilem, benignum, & quasi socium, patrem & fratrem te eis exhibeas: sunt enim quidam, qui foris apud exteros comes, affabiles & humanos se exhibent; domi verò suis se præstant feros & barbaros, ideoque leones potiùs, quàm homines. Celebre est illud Dionysiis apud Sophoclem in Tragœdia:

Quisquis tyranni ad tecta se contulit,
Fit servus illi, liber etsi venerit.

Quod Aristippus correxit, subjungens: *Haud servus est, si liber illuc venerit.* Significans sapientem, qui spe metuque vacat, esse liberum, etsi serviat. Vide Laert. lib. 2. cap. 8. Igitur, si herus natura in iram pronus est, per sapientiam illam domet & frænet. Hinc veteres pinxere leonem inclinantem caput noctuæ, quæ symbolum est sapientiæ, ut significarent, iracundos & sævos debere caput, iramque & ferociam submittere sapientiæ, ut illi se subdant, ab eaque moderentur, frænentur & regantur, ne præcipites se perdant, & in exitium ruant.

B Jam verò sicut sapienter dicitur: *Noli esse sicut leo.* ita pariter dicas: *Noli esse sicut vulpes in domo tua.* Ut tua calliditate, dolis & fraudibus tuos fallas, circumvenias, illaquees: ac non rarò fit, ut qui in familiæ, vel reipubl. principatum astu se insinuat et ingreditur ut vulpes, in eadem regnet ut leo. Porrò satius est esse leonem, quàm vulpem: leones enim, ait Plinius lib. 8. cap. 16. *dolis carent & suspicione: nec limis intuentur oculis, aspicique simili modo nolunt.* Unde Hebræorum est proverbium in Sanhedrin, cap. 4. *Esto potiùs cauda leonum, quàm caput vulpium.* q. d. Da operam, ut potiùs postremus sis inter viros magnanimos et generosos, quàm primus inter callidos et versipelles. Huc facit, quod in Æsopi fabulis refertur de leæna, quę vulpi glorianti se multos fœtus edere, respondit, se unum tantùm parere, sed leonem. Caudæ meminit, quia *leonum animi index cauda, sicut equorum aures*, ait Plinius libr. 8. cap. 16. Hac de causa iidem Hebræi dicunt: *Vulpem* (equè ac leonem) *in tempore suo adora.* q. d. Hominem callidum et versipellem, quem Apulejus vocat *vulpionem*, cole et observa, cùm est in honore et dignitate, aut cùm eges ejus opera;

C *Leonem mitigat agnus, ferum mitis* si non ut prosit, saltem ut non obsit. Sic Abraham adoravit filios Heth Gentiles et Chananæos, idooque vafros et potentes, Genes. 23. 12. Atque hoc singulare est remedium, quo se domestici conservent et tueantur in domo, in qua herus est leo; nimirum, ut humilitate, observantia, patientia, mansuetudine, cultu, leonis iras animosque infringant, eumque molliant et cicurent: nam leo humilianti se parcit, resistentem sternit, verè enim Poeta:

Corpora magnanimo satis esse prostrasse leoni.

Audi Plinius lib. 8. cap. 16. penes quem sit fides: *Leoni tantum ex feris clementia in supplices: prostratis parcit: & ubi sævit, prius in viros quam in feminas fremit: in infantes, non nisi magna fame. Credit Libya intellectum pervenire ad eos precum. Captivam certè Getuliæ reducem audivi, multorum in silvis impetum à se mitigatum alloquio, ausam dicere se feminam profugam, infirmam, supplicem animalis omnium generosissimi, cæterisque imperantis, indignam ejus gloria prædam.*

A NON SIT PORRECTA MANUS TUA AD ACCIPIENDUM, ET AD DANDUM COLLECTA] Ver. 36
Pro *porrecta*, Grecè est, ἐκτεταμένη, id est, extensa, quę rectè apponitur συνεσταλμένη, id est, contracte. Minùs oppositè ergo quidam legunt, ἐκτεταγμένη, id est, *instructa*, ab ἐκτάττω, id est aciem instruo. Syrus, *ne sit manus tua extensa ad accipiendum, & sit contracta ad dandum*; Arabicus, *ne sit manus tua extensa ad sumptionem, & retenta ab elargitione.* Notat duo avaritię vitia. Primum est aviditas accipiendi, et congregandi. Secundùm, est tenacitas in largiendo. Tigurina vertit, *ne manum habeas porrectam ad accipiendum; ad reddendum* (ἀποδιδόναι enim significat et dare, et reddere) *autem contractam*, qua versione notantur ii, qui proni sunt ad emendum, et ad accipiendum mutuo, vel commodato; sed difficiles in solvendo, et restituendo.

Discant Christiani à Christo, et S. Paulo istud: *Beatius est magis dare, quàm accipere*, Actor. 20. 35. vide ibi dicta. Quin et Aristot. in Ethicis docet, virtuti magis proprium esse εὖ ποιεῖν, quàm εὖ πάσχειν, id est, beneficium facere, quàm accipere. Memorabile est dictum Artaxerxis regis Persarum, qui ab altera manu longiore cognominatus est Longimanus: hic enim cùm idcircò quasi monstruosus rideretur, argutè respondit, *Deum sibi, quasi principi, sapienti elegantia, manum ad dandum, puta, dexteram, dedisse longissimam; alteram verò ad detrahendum, puta, sinistram, dedisse contractam & brevissimam. Regalius enim esse addere, quàm adimere; dare, quàm accipere.* Sic enim Deus ad dandum est longimanus, ad accipiendum brevimanus. ita Plutarch. in Apophth. Regum.

Denique ad hunc & præcedentem versiculum spectat illud Nazianzeni in Tetrastichis, quo docet potentiam non nocendo, sed iuvando, non accipiendo, sed dando esse ostendendam:

Aliis nocendo robur haud monstra tuum,
Benè sed merendo, si Deum sequi cupis.

Siracidi concinit Ben-Sira Alphabeto primo, littera *Thau*: *Tam liberalis sit*, inquit, *tibi manus, quasi semper satur fueris, & non quasi modo demum satur factus; anteà verò esurieris.* Saturi enim semper sunt benefici & effusi: qui verò esuriit aliquando, ejusque recordatur, in dando est parcus, utpote memor egestatis suę.

Porrò Aristoteles lib. 5. Ethicor. c. 3. inter magnanimi & magnanimitatis dotes hanc, velut unam è pręcipuis assignat: *Magnanimus*, inquit, *talis est, ut afficiat beneficiis alios, ipse affici erubescat. Excellentis enim illud est; hoc ejus qui excellitur: estque ejusmodi, ut plura retribuat: ita enim fiet, ut qui prior contulerit beneficium, insuper debeat, beneficiumque accepisse videatur. Meminisse præterea eorum videntur, quibus benignè fecerint; eorum autem, à quibus acceperint, minimè: quippe cùm is, qui acceperit, minor sit eo qui beneficium contulerit: ipsi autem velint esse superiores: unde etiam illa jucundè, hæc iniucundè audire consueverunt. Atque idcircò neque Thetis beneficia Iovi dicitur commemorare: neque Lacedæmonii ad Athenienses; sed tantummodo ea, quibus fuerunt affecti. Magnanimi quoque est, à nemine quippiam aut vix tandem petere, sed promptè aliis ministrare.* Atque hęc est ratio à priori sententiæ Siracidis.

vit, tene incorruptam, tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam. Sit tibi vel oratio assidua, vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum: ille te praeceptis suis instruat, ille disponat: quem ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet. Denique S. August. lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 9. explicans illud Matth. 5. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur;* ita sapientiam definit: *Sapientia est contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, & suscipiens similitudinem Dei.* quia facit, ut sapiens instar Dei sit placidus, serenus, tranquillus, imperturbatus, excelsus, tam in adversis, quàm in prosperis, quasi Angelus aliquis in carne obambulans.

QUI TENUERINT ILLAM, VITAM HEREDI-
VERS. 14. TABUNT] praesentem saepè longaevam, & futuram semper aeternam. Pro *vitam* Graecè est δόξαν, id est, *gloriam.* via enim ad gloriam perennem est sapientia. Sic & Arabicus, *qui pervenient,* inquit, *in illa, invenient honorem a Deo.* Utrumque jungit Syrus, vertitque, *amatores ejus sunt illi, qui amant vitam.* Et mox: *Et qui adhaerent illi, honorem ab ante Dominum* (id est, à Domino) *invenient;* Graecè, ὁ κρατῶν αὐτῆς κληρονομήσει δόξαν, id est, qui eam apprehenderit, & constanter tenuerit ac possederit; Tigurina, *qui ea potitus fuerit, gloriam consequetur.* Graeca ergo legunt in singulari, & hoc aptè concordat cum singulari, *introibit,* quod sequitur.

ET QUO (quocumque) INTROIBIT (aliqui clariùs magisque connexè legunt, *introibunt*) non sapientia; sed, qui tenuerit illam; BENEDICET DEUS] q. d. Quocumque introibit sapiens, comitabitur eum Dei benedictio, qua Deus omnibus ejus itineribus & actionibus benedicet, easque prosperabit, & ad felicem exitum fructumque insignem perducet. Syrus rursus vertit dupliciter, *qui inquirunt eam, accipient voluntatem* (id est, desiderium, putà, id quod volunt & desiderant) *à Domino.* Et mox, *Et locus, cui benedixit Dominus, domus habitationis eorum;* Arabicus, *& mansio eorum mansio est cui benedixit Deus;* Tigurina, *quocumque introierit, accedet favor Domini.* Hoc est, quod Israelitis sapientibus, putà, timentibus Deum, promisit Moses Deuter. 28. 1. *Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus,* &c. *Benedictus tu in civitate, & benedictus tu in agro,* &c. *benedicta horrea tua, & benedictae reliquiae tuae. Benedictus eris ingrediens & egrediens.* & v. 8. *Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum, benedicetque tibi in terra, quam acceperis.* Ita benedixit Abrahae, Isaac & Jacob, quin & propter Jacob benedixit infideli Laban socero ipsius. Unde Laban ad Jacob volentem discedere, supplicans ut maneat: *Inveniam,* ait, *gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te,* Genes. 30. 27.

Alludit Siracides ad historiam Obededom, in cujus domum arca Dei introivit, ac ideò herum domus, totamque ejus familiam Deus benedixit, 2. Reg. 6. Si Deus benedixit Obededom ob ingressum arcae, quantò magis benedicet animam, in quam divina sapientia, id est, sanctitas introibit?

QUI SERVIUNT EI, OBSEQUENTES ERUNT,
VERS. 15. (Tigurina, *obsequium praestant*) SANCTO] Graecè, οἱ λατρεύοντες αὐτῇ, λειτουργήσουσιν ἁγίῳ, id est, *qui latria colunt illam* (sapientiam) *hi liturgiam exhibent,* id est, ministerium sacrum serviunt, *sancto,* puta, Deo, vel potiùs sanctuario & templo: hoc enim Graecè vocatur ἅγιον sine articulo, id est, sanctum per excellentiam; adeoque secretior ejus pars, in qua erat arca & Cherubim, vocabatur, ἅγια ἁγίων, id est, Sancta sanctorum, hoc est, sanctissima. Alludit ad illud Proverb. 9. 1. *Sapientia aedificavit sibi domum,* putà templum, hoc est, Ecclesiam, tum legis naturae, tum Mosaicae, tum Evangelicae: *immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam,* tum sapientiae & doctrinae, tum sacrificij, praesertim Eucharistici. Sensus ergo est, q. d. Qui se addicunt & quasi devovent sapientiae, ut illam discant, alios que doceant, eaque ratione eamdem latria, id est, cultu quodam sacro & religioso colunt, hi sunt quasi sacerdotes mystici, qui Deo in templo, putà, in Ecclesia, liturgiam, id est ministerium sacrum, exhibent, dum alios docent Deum latria colere, piè vivere, & in omnibus sapienter agere. Significat ergo Primò, studiosos & cultores sapientiae eo fore honore, ut sint quasi λειτουργοὶ, A id est, sacerdotes templi & Dei. Alludit ad illud Isaiae 61. 6. vbi Septuag. eodem nomine utentes vertunt, ὑμεῖς δὲ ἱερεῖς κυρίου κληθήσεσθε, καὶ λειτουργοὶ Θεοῦ id est, *vos autem sacerdotes Domini vocabimini & ministri sacrorum Dei.* Huc pariter allusit S. Paulus, cùm se ceterosque sapientiae, putà, Euangelij, praecones vocat λειτουργοὺς id est, sacerdotes Dei, qui Deo sacrificent Euangelium, hoc est, Euangelij praedicationem Deo offerant, quasi victimam misticam, sed gratissimam, Rom. 15. 16. Vide ibi dicta. Simili modo D. Henricus Suso vocabatur Minister aeternae sapientiae, ut dixi cap. 1. 15.

Notent haec Philosophi & Theologi, Philosophiae & Theologiae non tantùm speculativè, sed & practicè studiosi, sive doctores, sive discipuli; sciant se mysticos esse Dei sacerdotes, Deoque sacrificare studium & doctrinam sapientiae.

Secundò, consequenter indicat studiosos sapientiae ita purè, castè & sanctè eam colere, & vivere debere, perinde ac si sacerdotes essent, sacrisque in templo fungerentur. Vnde Syrus vertit, *ministri ejus* (sapientiae,) *ministri sanctitatis;* & Arabicus, *ministri illius, ministri puri &*
B *sancti.* Unde Palacius sic explicat: Obsequentes erunt sancto, id est, sanctitati. *Nemo putet,* inquit, *se diligere sapientiam, aut ei inservire, si sanctitati non obsequatur: ut enim juxta Paulum,* 2. Tim. 2. 19. *Recedat ab iniquitate, omnis qui invocat nomen Domini: ita recedat ab iniquitate, qui servit sapientiae. Cur ita? Quia sapientia sanctitas est. Igitur, ut qui se totum tradit sapientiae, credere debet se tradidisse sanctitati: ita qui partem suam dedit iniquitati, credat se totum sapientiae abstulisse. Tu jam, lector, intelligis, cur Angelus Mariae dixit: Quod enim ex te nascetur sanctum. Scilicet, quia, ut verè ex Virgine Sapientia Dei nata est; ita & sanctitas Dei nata est: omnino siquidem necessarium est, ut sapientia infinita sit sanctitas infinita.* Haec Palacius.

Tertiò, quòd eos quasi suos sacerdotes diliget, intimos & familiarissimos habebit, proteget & benedicet Deus. Unde subdit: *Et eos, qui diligunt illam, diliget Deus;* Syrus & Arabicus, *& domum habitationis ejus* (sapientiae) *diligit Deus.*

Porrò latria haec exhibenda sapientiae creatae, aequè ac victima & sacrificium, est metaphorica & mystica: latria
C verò exhibenda Sapientiae increatae (haec enim est Deus,) & incarnatae (haec enim est Christus,) est propriè dicta: tam enim Christus homo, quàm Deus latria colendus & adorandus est; hic enim homo, putà, Jesus Christus, subsistit in persona Dei, estque Deus.

ET EOS, QUI DILIGUNT ILLAM, DILIGIT DEUS] Tigurina, *amatores ejus* (sapientiae) *diligit Dominus.* Sapientiam accipe tum creatam, tum increatam & incarnatam. Unde Palacius sic explicat, q. d. *Ne credas, si te totum cultui & dilectioni sapientiae dedicaveris, quòd ideò Deus offendetur, quasi iratus, quòd eum non colas, sapientiam colens. Minimè. Imò contra: quia sapientia ex ore Dei prodiit, Deus est, scilicet, filius Dei natus ex Deo. At necessariò Deus Pater diliget eum, qui ejus filium unicissimè dilexerit. Ergo, si Christianus nihil aliud, nisi Christum in memoria gerat, non ideò Pater velut Christi gloriae invidus, Christianum odio prosequetur: sed contra velut ejus gloriae cupidus, diliget eum, qui Christum ardentius amat.*

Tropol. ex hac gnome disce, servire sapientiae & Deo, *Servire*
esse veram libertatem, imò summam nobilitatem & di- *sapientiae*
gnitatem: talis enim est sacerdotium, munusque sacrifi- *est regna-*
D candi, quod Siracides tribuit ei, qui servit sapientiae, dum *re.*
eum facit mysten & λειτουργὸν Dei. Hinc Francisc. Piccolominaeus de Principiis virtutum, gradu 2. cap. 37. proponit duo paradoxa, eaque verissima esse demonstrat. Primum est: *Optimus usus libertatis hominis, est usus verae servitutis ejus.* Alterum est: *Homini melius est servire, quam regnare; & universa perfectio regni hominis, in servitute est posita.* Fundamentum veritatis utriusque enuntiationis illud est, quia vera servitus naturae rei congruens, ea est, per quam inferiora suo superiori subiiciuntur: dum verò è contrà superiora subiiciuntur inferioribus, ea est perversio naturae rerum, & dispositio praeter naturam; non autem naturalis servitus, & quoniam infera à superis perficiuntur; hinc evenit, quòd, dum per naturam serviunt, sua perfectione fruuntur. Ita corpus per naturam inservit animae, anima rationi & menti, mens Deo, ac ut corpus ab anima,

anima

anima à mente, ita mens à Deo perficitur. homo tunc rectè utitur munere libertatis, dum ea præeligit, quæ legibus & voluntati Dei sunt consentanea: dum autem id facit, vero & legitimo domino subiicitur & inde ortum ducit veritas primæ enuntiationis, quæ fuit, optimum usum libertatis, esse usum veræ & naturalis servitutis. Huic simile illud est, quod à Theologis dicitur: *Servire Deo, regnare est*, ut etiam servire principi justo, rectèque institutis legibus. Id enim verum est: Primò, quia illa servitus est rectus usus libertatis. Secundò, quia dum nobis Deum statuimus ducem, libertatem nobis principem facimus, cùm Deus sit ipsa libertas. Tertiò, quia juncti regi & principi cum eo regnare dicimur; Deus autem Rex regum est: juncti autem servis dicimur induere vilem conditionem servitutis; sic cum servis servi sumus, juncti regi sumus reges. Demum; quia homines ita affecti verò agunt, quod per naturam rectè formatam velle ac præeligere debent. Altera enuntiatio erat, homini melius esse inservire quàm regnare. Et jure profectò. Dum enim homo imperat & regnat, eatenus bono fruitur, quatenus id facit quod voluntati & decretis Dei est consentaneum, & ideò in eo est posita perfectio imperij sui, ut Deo & legibus ejus obtemperet: nemo igitur rectè regnat, nisi rectè serviat; & quia rectè servit, ideò benè regnat. Hinc majorem hominis dignitatem, & præstantiorem ejus conditionem indicamus, dum illum appellamus servum Dei, quàm dum regem & principem mundi. Nitendum est igitur ingenua servitute majoribus nostris servire: cavendum est ab ea servitute, quæ nos inferioribus subiicit, & vilioribus mancipat, ut evenit dum ratio sensui, & sensus corpori obtemperat.

Servitus ergo nobilissima & regia est, servire Deo. Deus enim sibi servientes exaltat, glorificat, beat, facitque reges & sacerdotes, Apocal. 5. v. 10. Porrò hæc
Servitus Dei quadruplex. Dei servitus, uti rectè docet noster Lessius lib. 1. de Perfect. divin. cap. 6. consistit in quatuor.
Prima. Primò, in cognitione Dei, & eorum quæ ad ipsum pertinent. hoc enim est fundamentum obsequii totius & famulatus. Secundò,
Secunda. in officiis charitatis & benevolentiæ, dum de bonis ipsius gaudemus; & illa ex intimo animi affectu ipsi gratulamur; dum ejus gloriam promovere omni studio conamur, animam, corpus, curas & cogitationes ipsius dignitati tuendæ & amplificandę devouentes. Sic boni aulici suo principi toti addicti faciunt: illius enim virtutes & potentiam ubique extollunt, ut omnes in ejus amorem & obsequium alliciant; nec sustinent ipsius nomen à
Tertia. quoquam lædi. Tertiò, in officiis religionis, dum illum colimus sacrificiis, cæremoniis, hymnis, laudibus, precibus, votis. Hoc est officium Angelorum & Sanctorum in cælo, qui toti in eo sunt, ut Deum honorent, laudent, benedicant. Itaque perfecta servitus
Quarta. Dei est vita æterna, & beatitudo nostra. Quartò, in custodia mandatorum, & in officio virtutis, dum aliquid boni facimus, ut mandatis ejus pareamus, vel ut ipsi gratificemur. Hoc autem esse maximi momenti ex eo patet, quod minimum Dei bonum, quà Dei est, sit pluris æstimandum, quàm omne bonum creaturarum, quatenus ad ipsas creaturas pertinet. Hinc fit, ut Deus pro singulis operibus bonis promittat nobis vitam ęternam atque adeò seipsum cum omnibus bonis suis; tantum nobis effectu respondens, quantum nos ei affectu boni volumus. Damus ei affectu totum bonum suum, reddit ille nobis effectu idem bonum: illius enim amor est efficax, noster inefficax.

VERS. 16. QUI AUDIT ILLAM, JUDICABIT GENTES] Græce, ὑπακούων, id est, qui obaudit, sive obedit illi; Tigurina, *qui paret illi, judex erit gentium*. Futurum *judicabit*, hic & aliàs sæpè accipiendum est δυνατικῶς, sive pro modo potentiali: q. d. Poterit judicare, aptus dignusque est qui judicet. Multi enim sapientes sunt, qui actu non sunt, imò nolunt esse judices: sapiens enim mavult agere vitam privatam, quàm publicam, sibique vivere & Deo, nisi ad regimen vocetur, imò cogatur, ut dicit S. August. 19. Civit. cap. 19. *Otium sanctum*, inquit, *quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis: quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem*. Sic Job 9. 6. dicitur: *Qui commovet terram de loco suo*:
A *commovet*, id est, commovere potest. Nec enim Deus umquam globum terræ è loco & centro suo dimovit, nisi fortè in passione Christi, uti reipsa factum esse asserit ibidem in Catena Didymus.

Ergo τὸ *judicabit*, significat Primò, dignitatem & aptitudinem ad judicandum, adeoque neminem esse aptum ut judicet & regat, nisi sit sapiens. Unde Syrus vertit, *qui me audit, judicabit veritatem*; Arabicus, *qui obedit mihi, judicet in veritate*. Secundò, actum, quia veri dignique judices & principes delecti à Deo, vel à viris prudentibus, fuerunt & sunt sapientes, uti Moses, Samuel, David, Salomon, qui proinde orat Deum pro sapientia ad gubernandum, dicens: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam*, &c. Sapient. 9. 4. ideoque eam sibi à Deo inditam accepit, 3. Reg. 3. 5. Sic & Apostoli fuere judices orbis, quia Sapientiam incarnatam in carne loquentem audierunt. Tertiò, omnis, qui obedit sapientiæ, judicabit gentes, in die judicij: Christi enim sententiam approbabunt omnes sapientes, id est, Sancti, juxta illud. *Nescitis, quòd sancti de hoc mundo judicabunt? Nescitis, quod Angelos judicabimus?* 1. Cor.
B 6. 3. Et illud: *Justi judicabunt nationes, & dominabuntur populis*, Sapient. 3. 8. Denique, qui sapientiam audit, est spiritalis. *Animalis* enim *homo non percipit, quæ sunt Dei*: at qui *spiritalis, judicat omnia*, 1. Cor. 2. 15.

Dixit Ecclesiasticus v. præced. sapientes esse sacerdotes: hic addit, eos pariter esse reges & judices orbis. Unde fideles alloquens S. Petrus, ait: *Vos genus electum, regale sacerdotium*, 1. Petri 2. 9.

ET QUI INTUETUR ILLAM, PERMANEBIT CONFIDENS] Greca hic variant. Romana enim legunt, προσελθὼν, id est, qui accesserit ad illam; Complut. προσέχων, id est, qui attendit, vel intendit illi: unde Noster vertit, *qui intuetur illam*. Qui enim alicui intendit & auscultat, in eum respicere, eumque intueri solet. Fortè etiam Noster in Græco legit, προσορῶν, id est, *qui intuetur illam*, ita, scilicet, ut ipse sapientię intendat, & vicissim sapientia se illi spectandam & intuendam exhibeat. Pro *permanebit*, Grecè est κατασκηνώσει, id est, *habitabit*, scilicet, in sapientia, quasi in asylo *confidens* & securus, juxta illud psalm. 90. 1. *Qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*. Unde Sy-
C rus vertit, *qui auscultat me, habitabit intra me*; Arabicus, *qui recipit sermonem meum, habitabit in diuturnitate*.

Pro *confidens*, Græcè est, πεποιθὼς, quod Tigurina vertit, *securè*, alii, *fretus*, *certus*, *fidens*, juxta illud Proverb. 28. 1. *Justus quasi leo confidens absque terrore erit*. tum, quia confidit, certusque est & resolutus, quòd nihil eum à sapientiæ amore & charitate separabit, dicitque cum Apostolo, *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum* (Grecè, πέπεισμαι, id est, confido, certò mihi persuadeo) *quia neque mors, neque vita*, &c. Roman. 8. 35. tum, quia confidit, Deum, qui sibi tantum sapientiæ donum contulit, etiam cetera minora collaturum. *Qui* enim *confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebuntur in æternum*, psalm. 124. Sic Susanna accusata falsò de adulterio, *flens suspexit in cælum: erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino*, Danielis 13. 35.

SI CREDIDERIT EI, HEREDITABIT ILLAM] Græca Romana legunt in secunda persona ἐὰν ἐμπιστεύσῃς, *si credideris ei, hereditabis illam*. Sed Græca Complut. le- VERS. 17.
D gunt ut Latinus Vulgatus, in tertia persona: habent enim, ἐὰν ἐμπιστεύσῃ, id est, *si crediderit ei*, si fidelis fuerit sapientię, *si firmiter ei adhæserit*, uti vertunt Romana. Syrus, *si crediderit in me, hereditabit me*: Arabicus videtur legisse, ἐν πίστει, vertit enim, *in veritate mea hereditabit me*. Ad verbum ἐμπιστεύειν est, in πίστιν, (id est, fidem sapientiæ) se tradiderit, si se totum ejus fidei crediderit & commiserit, ac ut verbo tenus reddam, *infidarit*; Tigurina, *si se præstiterit ei fidum, heres ejus erit*, tum in hac vita per gratiam, tum potiùs in futura per gloriam, eamque certam & securam, ut nullum sit periculum illam amittendi: sapientia enim, æquè ac Deus, sapientem, putà, justum non deserit, nisi priùs ab eo deseratur, uti ex S. August. definit Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. & 13.

ET ERUNT IN CONFIRMATIONE (scilicet, possessionis & hereditatis sapientiæ) CREATURÆ ILLIUS

Græcè enim est, καὶ ἐν κατασχέσει ἔσονται αἱ γενεαὶ αὐτῶν, hoc est, *& in occupatione*, detentione, possessione, firma retentione, amplexu, custodia sapientiæ, *erunt generationes*, id est, filii, tum carnales, tum maximè spirituales *illorum*, qui, scilicet, se totos crediderint, & imbuendos regendosque commiserint sapientiæ: q. d. *Creatura*, id est, filii eorum qui se addicunt sapientiæ, idcoque illam hereditant, vestigiis parentum insistent, ac totis viribus incumbent & satagent, ut avitam hanc sapientiæ possessionem, à parentibus quasi hereditaria traditione relictam complectantur, planèque sibi confirment. Nota enallagen crebram Hebræis & Ecclesiastico, quæ à numero singulari transit ad pluralem: undè ait, *illorum*, pro *illius*, qui, scilicet, crediderit sapientiæ: τὸ *illius*, universim accipitur pro omni, vel quolibet: quicumque enim crediderit sapientiæ, hereditabit illam. Quocirca aliqui codices Græci & Latini pro αὐτῶν, id est, *illorum*, legunt αὐτοῦ, id est, *illius*. Unde Tigurina vertit, *& possessionem retinebit ejusdem progenies*.

Creatè, id est, creatura, variè capitur.

Primò.

Secundò.

Secundò, Arabicus & Syrus, τὸ γενεαὶ, vertunt *generationes*, id est, sæcula. Unde sic transfert Syrus, *si crediderit in me, hereditabit me, & suscipiet me omnibus generationibus sæculi*; Arabicus, *in veritate hereditabit me, & perdurabo ei in omnes generationes sæculi*. Ut significetur fidelitas, constantia & æternitas sapientiæ, quæ suos numquam deserit; sed perpetim eis adest, docet, tuetur, regit ducitque ad beatitudinem æternam.

Tertiò.

Tertiò, Jansenius censet hic agi de possessione, non tam sapientiæ, quàm terræ: q. d. Sapiens, ejusque filii possidebunt terram, in ejusque possessione confirmabuntur, juxta illud psalm. 111. *Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur*. Et illud Christi: *Beati mites* (sapientes enim sunt humiles & mites) *quoniam ipsi possidebunt terram*, Matth. 5. Hoc modo γενεαὶ, id est, generationes, hic accipi possent pro frugibus & fructibus, putà, opibus & prædiis, quas sapienti & iusti affert, & quasi generat sapientia. Sic c. 1. v. 21. de sapientia dixit, *Omnem domum illius implebit à generationibus*, id est, fructibus suis. Et c. 6. 20. *Citò edes de generationibus illius*. Et c. 24. 26. *A generationibus*, id est, fructibus, *meis implemini*. Significat ergo hic Siracides, opes & opera sapientium esse stabilia & perpetua.

Quartò.

Quartò, Palacius per *creaturas* accipit virtutes, heroicas actiones & facinora, quas sibi per sapientiam, gratiamque Dei parit & creat justus. *Sicut enim*, inquit, *anima rationalis in corpore; ita gratia & virtutes infusæ non gignuntur, sed creantur in anima. Ut enim nulla potentia naturæ inducere potest animam in corpus: ita nec gratiam & virtutes infusas in animo. Ergo gratia & virtutes infusæ sunt creaturæ piorum. Hæ creaturæ in igne tentationis non comburuntur; quia non sunt fœnum, stipula, aut paleæ: quin potius confirmantur, quia sunt argentum & aurum. Carnalis vir, ut qui palea est, cum venit ignis tribulationis, deficit, non firmatur: spiritualis, quia velut aurum in fornace probatur, confirmatur, non evanescit. Quæris discriminis causam? eam Auctor subdit: Quia cum pio Deus ambulat in tentatione, cujus flammam in aurum convertit: ut olim fecit, quando cum pueris in igne Babylonis ambulabat*. Verùm hæ creaturæ mysticæ potiùs sunt, quàm litterales: valdè tamen huic loco appositæ. Anagog. *erunt in confirmatione opera justi*, ait Rabanus: *quia ad præmia æternæ hereditatis remuneranda servabuntur, pro cujus amore omnia fecit; ita ut eorum acceptor tunc dicat cum Propheta: Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam præelegi eam*.

Denique valdè congruè κατάσχεσις, id est, possessio & confirmatio, hic accipi posset, non sapientis, sed sapientiæ possidentis & regentis sapientem: q. d. Omnes γενεαὶ, id est, generationes, putà, filii, opes & opera sapientum, sunt in κατασχέσει, id est, dominio & gubernatione sapientiæ: ipsa quasi pædagogus sapientem, & omnia, quæ ejus sunt, occupat, moderatur, regit, dirigit, prosperat, & ad felicem exitum perducit. Græcum enim κατέχομαι, id est, κάτοχος εἶναι, verbum est peculiare iis, qui tamquam alieno feruntur arbitrio, ut qui in Dei alicujus redacti sunt potestatem, qui illos pro sua potestate moderatur: possidetque & agit, quocumque lubet. Sic Lucianus ait, ὑπὸ θεοῦ κατέχομαι, id est, ab ipso Deo occupor, feror & regor. Felix, qui Deo sessore regitur. Felix, quem Dei sapientia regit. Vide dicta Apocal. 6. 2. Hac phrasi significat Siracides sapientiam ita esse hereditatem sapientis, ut vicissim potiùs ipse sit hereditas sapientiæ: sapientiam enim hereditatem esse, non tam passivam, quàm activam, quæ, scilicet, sapientem agat, regat & ducat ad omne bonum.

QUONIAM IN TENTATIONE (legit Interpres ἐν πειρασμῷ, & sic habet codex manuscriptus, quem citant Roman.) AMBULAT CUM EO] primò, Palacius sic explicat: q. d. Sapientia suis adest in tentatione, eosque solatur & roborat. Alludit ad Angelum ambulantem cum tribus pueris in fornace Babylonia, eosque ab igne protegentem, Daniel. 3. 49. Pari enim modo cum suis ambulat, eosque protegit sapientia. Unde David ea comitatus ait psalm. 22. 4. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Et Paulus 2. Corinth. 12. 9. *Virtus Dei in infirmitate* mea *perficitur*. Quare? quia, ut ait ei Christus: *Sufficit*, quæ tibi adest, *gratia mea*. Et interim agnosce, cui debeas in tentatione victoriam. Non enim potes eam viribus tuis arrogare, sed sapientiæ, quæ tecum ambulat in tentatione, ideoque Petrus eam deserens, & Judæis Christi hostibus se adiungens, in tentationes cecidit, & Christum negavit, Matth. 26. VERS. 18.

Verùm alium planè hujus versiculi esse sensum liquet ex Græco, qui sic habet: ὅτι διεστραμμένως πορεύσεται μετ' αὐτοῦ ἐν πρώτοις, id est, *quia obliquè, distortè, durè ambulabit cum eo in primis*, vel in principio: q. d. Sapientia, & Deus, qui est prima sapientia, sui studiosum & discipulum solet initio per tentationes & aspera quæque probare, *& in primis eligit eum*, id est, in principio delectum ejus facit, eum explorat & probat per adversa, an docilis, stabilis & se dignus sit, antequam ei se insinuet, eumque consoletur, ut dicit v. 21. Probat enim quod dixit v. præced. *Si crediderit ei*, id est, si fidum se ei (sapientiæ) præstiterit, *hereditabit illam*. q. d. Ut sapientia sui asseclæ fidelitatem & constantiam exploret, solet eum tentationibus exagitare, in quibus si ille & constans perlistat, tunc demum sapientia eum ut idoneum, & dignum se discipulum amplectitur, solatur, instruit, perficit, omnibusque suis bonis & donis cumulat. Hunc sensum dat Syrus, dum vertit, *è converso* (ex adverso) *ambulabo cum illo, & in principio tentabo* (probabo, experiar) *illum*; & Arabicus, *quia in repugnantia incedam cum illo: prius enim contristo illum*. Clarissimè verò Tigurina hunc versum & sequentes usque ad v. 24. ita vertit, *nam perversè primum cum tali conflictari solet, & eum iniecto territare metu, suaque disciplina excruciare, donec fides animi ejus constiterit, & eum per jura sua reddiderit probatum, tum demum se rursum convertit recto itinere, & exhilarato arcana sua detegit: deinde locupletat eum scientia & cognitione justitiæ. Quod si ille defecerit, deserit eumdem, & permittit eum potestati ruinæ ipsius*.

Deus Sanctos probat adversis.

Ex hoc versu sumptus fuit vetus ille Athenarum & Academiarum mos probandi eos, qui eò studiorum causa ventitabant: Athenis enim solebant novos scholares scommatibus, conviciis, sibilis, risibus excipere, itaque probare eorum patientiam & modestiam, itaque probatos ad academiam admittebant, uti refert S. Gregor. Nazianz. orat. 20. ubi S. Basilium Athenas venientem ita exagitatum fuisse commemorat. Similem morem vidi olim Coloniæ Ubiorum: scilicet, novos philosophos non tantum verbis, sed & verberibus probabant, dictitantes ita beanismum deponi. Beanus enim, inquiebant ipsi, juxta singulas nominis litteras est, asinus nesciens vitam studiosorum. Sed cavendum hic, ne quid nimis. Multò magis in omnibus Religionibus solent variis durisque experimentis probari Novitii; tum ut eorum propositum, an serium & solidum sit, explorent: tum, ut eos præparent ad dura quælibet in Religione subeunda; ac præsertim ut faciant eos humiles, dociles, obedientes, de quo vide Cassianum lib. 4. de Institutis renunt. cap. 3. *Igitur*, inquit, *ambiens quis in cœnobii recipi disciplinam, non antè prorsus admittitur, quàm diebus decem, vel eo amplius pro foribus excubans indicium perseverantiæ ac desiderii sui, pariterque humilitatis ac patientiæ demonstraverit. Cumque omnium prætereuntium Fratrum genibus provolutus, & ab universis de industria refutatus atque despectus, tamquam qui non Religionis,*

sed

sed necessitatis obtentu monasterium optet intrare; injuriis quoque & exprobrationibus multis affectus experimentum dederit constantiæ suæ; qualisque futurus sit in tentationibus, opprobriorum tolerantia declaraverit, atque ita fuerit explorato mentis ardore susceptus; diligentia summa perquiritur, num de pristinis facultatibus suis inhæserit ei vel unius nummi contagio. Deinde cap. 7. & 8. narrat, Novitios solere probari in xenodochiis serviendo ægrotis, ac denique tradi magistro, qui eorum non tantum passiones, sed & voluntates cruciet, domet & frangat. Idem facit Deus cum omnibus Sanctis, præsertim eximiis & heroibus, uti sunt Martyres, de quibus Sapientiæ 3. vers. 5. dicitur: *In paucis vexati, in multis bene disponentur.* Græca significantiùs habent, ὀλίγα παιδευθέντες μεγάλα εὐεργετηθήσονται, id est, *exiguis castigati multis beneficiis vel felicitatibus afficientur.* Causam subdit Sapiens: *Quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent.* Hoc est, quod ait Apostolus Rom. 5. 4. *Tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem;* B *probatio verò spem; spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis,* ita Rabanus.

VERS. 19. TIMOREM, ET METUM, ET PROBATIONEM INDUCET SUPER ILLUM] Hic ostendit modum, quo sapientia suos discipulos tentat, probat & explorat, nimirum, incutiendo eis *timorem & metum*. Τὸ *& probationem*, non est in Græco, sed ab Interprete additum explicationis gratia: q. d. Inducet ei timorem & metum ad probationem, vel qui sit ejus proba & exploratio. Unde Arabicus clarè vertit, *prius enim contristo illum, & induco super illum timorem & terrorem, & probo illum in tentationibus, quibus illum tento, ut, cùm pervenero ad tempus meum, & immersa sit in corde illius doctrina mea, inclinem me ad illum, & colligam illum ad me, & revelem illi universa secreta mea;* & Syrus, *timorem & tremorem injiciam ei, & scrutabor eum in tentationibus meis usque ad justitiam, quo implebitur* (consolationem recipiet) *cor ejus in me, convertar, firmabor cum illo, & revelabo illi omnia abscondita mea.*

Prima ergo via, qua Deus utitur erga suos, est via af- C flictionis, timoris, tristitiæ: eam deinde excipit via consolationis, libertatis, lætitiæ, eo major, quo major præcesserit tristitia. Hinc justificatio impij incipit à timore & terrore mortis, judicii, inferni, &c. ut docet Concil. Trident. sess. 6. c. 6. Ex adverso via prima, qua utitur dæmon erga suos, est via lætitiæ, lasciviæ & gaudiorum; sed eam mox excipit via tristitiæ, angustiæ & lamentationum, tum hujus vitæ, tum gehennæ, ad quam recta ducit. Unde serò, sed serò dicent: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra.*

ET CRUCIABIT ILLUM IN TRIBULATIONE DOCTRINÆ SUÆ] Græcè, ἐν παιδείᾳ αὐτῆς, id est, in disciplina, vel castigatione sua. Sapientia enim, sive Ethica Christiana castigat & resecat omnes motus gulæ, iræ, superbiæ, concupiscentiæ nobis innatæ, itaque nos cruciat, sicut pueri petulci & lascivientes cruciantur disciplina & virga magistri: παιδεία enim est παίδων, id est, puerorum eruditio, castigatio, institutio. Homo enim D animalis similis est puero, qui sensu, non ratione, regitur, ideoque puerili virga castigandus est, non hostili gladio necandus. An non castigatur & cruciatur libidinosus continuò à sua carne stimulatus ad libidinem, continuò vicissim à lege Dei ad castitatem adactus? An non cruciatur avarus à lege Dei, quæ ab eo nummos, velut oculos, extorquet, & in pauperes erogari jubet? An non cruciatur à lege charitatis, quæ inimicos diligi jubet, is qui spiritu vindictæ agitatus inimicum in mille frusta concideret, si posset?

DONEC TENTET, & tentando exploret, EUM IN COGITATIONIBUS SUIS] Perperam pro *suis* aliqui legunt *illius*. Nam Græca est δικαιώμασιν αὐτῆς, id est, *in justificationibus suis*, quod Hebræi dicunt בחקותיו *bechucotav*, id est, in statutis & legibus suis, an, videlicet, fidelis se subjiciat legibus sapientiæ per omnia, A quantumvis naturæ & carni molestis. Itaque *credat animæ illius*, ut confidat illius constantiæ, utque tutò ei se suaque dogmata communicet & committat, utpote qui tantum docilitatis, sapientiæ & perseverantiæ dederit specimen. Hinc liquet τὸ *suis* referri ad sapientiam, non ad ejus discipulum.

VERS. 20. ET FIRMABIT ILLUM] q. d. Jam probatum & exploratum in stabili & firmo virtutis pacisque statu collocabit. Hæc verba desunt in Græco.

ET ITER ADDUCET DIRECTUM AD ILLUM] q. d. Faciet viam expeditionem sublatis difficultatibus, qua redeat ad ipsum; sive via commodissima ad illum veniens, iter adducet directum ad illum. Græcè enim est, καὶ πάλιν ἐπανήξει κατ' εὐθεῖαν πρὸς αὐτόν, id est, *& rursus redibit recta ad illum.* Dixerat enim v. 18. sapientiam initio obliquè & tortè ambulare cum discipulo, ut eum probet: hic verò ait, eamdem ad jam probatum rectà redire, id est, vultum ei rectum, planum & serenum ostendere, eum exhilarare & consolari: sicut enim via obliqua est afflictionis & tentationis, sic ex adverso via recta est consolationis & exultationis. Unde Arab. vertit, *ut inclinem* B *me ad illum & colligam illum ad me.* Hinc & sequitur.

VERS. 21. ET LETIFICABIT ILLUM, quoad affectum: quoad intellectum verò, DENUDABIT ABSCONSA (arcana) SUA ILLI, ET THESAURIZABIT SUPER ILLUM SCIENTIAM ET INTELLECTUM JUSTITIÆ]

Nota, τὸ *thesaurizabit*. q. d. Non modicè, sed abundè ditabit illum, quasi ingenti thesauro. Celebre est illud Arabum proverbium: *Acquire tibi aurum in mensura, & scientiam sine mensura.* Extat inter proverbia Arabica centuria 2. nu. 29.

Moral. disce hic quanta bona pariat obedientia, qua quis obedit, tum voci & legi, tum inspirationi sapientiæ divinæ.

VERS. 22. SI AUTEM ABERRAVERIT, DERELINQUET EUM; clarè Tigurina, *quòd si ille defecerit, deserit eumdem.* q. d. Si deseras sapientiam, ipsa vicissim deseret te, ET TRADET EUM IN MANUS INIMICI SUI] Græcè, εἰς χεῖρας πτώσεως αὐτοῦ, id est, *in manus casus sui:* q. d. Sinet eum ferri in casum & ruinam suam, in quam deserens viam sapientiæ & salutis sponte incurrit, seque C præcipitat. Unde Syrus vertit, *si diverterit à me, abjiciam eum, & dabo eum in manus raptorum;* Arabicus, *si reliquerit me, subvertam illum, & tradam illum raptoribus;* Tigurina, *permittit eum potestati ruinæ ipsius.* Hebræi enim per prosopopœjam cuilibet rei tribuunt manum per eamque significant potestatem, imperium, actionem. Sic dicunt, non venies in manus peccati, id est, non peccabis, peccato non subjacebis. Ita hic ruinæ datur manus, id est, jus & potestas in ruentem. Hoc est, quod ait Paulus Hebr. 6. 4. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi futuri, & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.*

Nota prosopopœjam. Toto enim hoc loco inducitur sapientia quasi persona & pœdagogus, quæ suos discipulos docet, eosque primò terret & castigat, deinde obsequentes consolatur & lætificat; contumaces verò deserit, sinitque agi in ruinam: quo significat Primò, legem Dei (hæc enim est sapientia practica) peccatori initio esse gravem D & molestam, eò quòd ejus cupiditatibus resistat, easque resecet; eidem verò jam justificato, & legi assuefacto esse facilem & jucundam. Secundò, Deum, qui est æterna & increata sapientia eos, quos ad se, suumque obsequium & regnum vocat, primò tentare & affligere; deinde roborare & exhilarare, uti paulò ante dixi.

VERS. 23. FILI, CONSERVA TEMPUS] Siracides ab encomio sapientiæ transit ad ejus præcepta & dogmata. Quocirca hic incipit tertia pars capitis, qua agit de veritate dicenda, & malo pudore cavendo: Hoc ergo est primum sapientiæ dogma: *Fili, conserva* vel observa *tempus*, idque dupliciter. Primò, ut tempus sumatur pro occasione & opportunitate temporis. Unde Tigurina vertit: *occasionem observa.* nam *omnia tempus habent; tempus loquendi, tempus tacendi*, &c. Eccles. 3. 1. Magna enim sapien-

pientia est nosse uti occasione dicendi, docendi & agendi, uti ostendi Actor. 1. 7. Unde Arabicus vertit, *cognosce loca verborum*.

Nota. Græcum *συντήρησον*, verti potest, *observa*, & *conserva*: tempus enim non tantùm observandum, sed & conservandum est, quasi res pretiosissima nobis à Deo concessa ad comparandas opes immortales, putà, virtutum, gratiæ & gloriæ æternæ. Hanc temporis gemmam nobis eripere conantur dæmones & mali socij, ut garruli, ludiones, &c. qui idcircò fures temporum appellantur, qui nos sollicitant, ut illud cum ipsis prodigamus, & rebus vanis, imò noxiis & damnosis, impendamus. Jubet ergo Siracides, tempus hoc, velut cymelium præstantissimum, & si perdatur irrecuperabile, studiosissimè conservari, impendendo illud operibus virtutum, & à vitiis abstinendo. Unde addit: *Et devita à malo*. Hinc à *συντηρεῖν*, dicitur *συντήρησις*, id est, synteresis, quæ significat attentionem animi, & stimulum conscientiæ eam jugiter admonentis, ne quid contra seipsam committat, & ut seipsam integram, & à vitiis intactam circumquaque conservet. Unde Syrus vertit, *serva tempus*; & Palacius, *conserva tempus*, inquit, id est, utere occasione. Ideò enim Literæ sacræ dicunt. *Omnia tempus habent*. Et humaniores occasionem pingunt cæsarie capillata, occipite nudo, ut, nisi cæsariem à facie arripueris, ab occipite arripere nequeas.

Altior fortasse sensus est: ut noveris vitæ præsentis tempore uti. Ne, dum ejus damna vitare studes, in æternæ vitæ damna cadas. Tertius & altior sensus est: Impiis vita fugit, tempus vadit velut vapor, umbra, fumus, nubes, &c. At pii jubentur tenere & servare tempus: quod præstant, cùm in tempore, æternitatis opera faciunt. Et licet temporalia sint, quæ nunc gerunt; tenent tamen ea in æternum secum in cœlo duratura. Merita enim nostra, & coronæ æternum nobiscum durabunt; dicente Christo: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*, &c. Quantum sit pretium temporis, intelligunt damnati, qui pro hora pœnitentiæ, darent totum mundum omnesque labores & tormenta libenter subirent. Unde Satyricus.

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum:
Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.

Et Seneca epist. 118. *Non tam benignum & liberale*, inquit, *nobis tempus natura dedit, ut ex illo vacet perdere*. Et mox: *Ex hoc tempore tam angusto & rapido, & nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum?* Tempus hoc est momentum, ex quo pendet Æternitas, vel beatissima, vel miserrima.

Rursum tempus sumi potest pro malitia temporis & sæculi: q. d. Hoc sæculum plenum est laqueis & tentationibus: illas ergo observa, *& devita à malo*, juxta illud Apostoli: *Videte, fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*, Ephes. 5. 15: Vide ibi dicta.

Vers. 24. PRO ANIMA TUA NE CONFUNDARIS DICERE VERUM] Duo ultima verba non sunt in Græco: sic enim habet, *περὶ τῆς ψυχῆς σου μὴ αἰσχυνθῇς*, id est, *pro anima tua non erubescas*. Quod Primò, aliqui sic exponunt: q. d. Ne te pudeat animæ tuæ, hoc est; ne te tui ipsius pudeat. ita Tigurina. Secundò, Vatablus: q. d. Ne quid committas, cur te animæ tuæ pudere possit, aut ne te pudeat animę tuę cavere, & prospicere ejus bono ac saluti; vel ea uti fortiter: unicam enim habes animulam, quasi oviculam tibi à Deo concreditam: vide ergo, ut eam non perdas, sed salves in æternum. Tertiò, Syrus vertit, *cave à malo, & à teipso non confundaris*, vel *contumeliam accipias*. q. d. Devita à malo, quia si illud non vitaveris, pudefacies & contumelia afficies te & animam tuam. Accedit huc Arabicus, *ne redeas in id, in quo non est mansio præ confusione tua*. Quartò, Noster solerter vertit, *pro anima tua ne confundaris dicere verum*. Omnia enim sequentia usque ad v. 33. spectant ad pudorem, quo, quem pudet dicere verum. Unde multas hujus mali pudoris species recensent. Transit enim Siracides à genere ad speciem usitatissimam, aut certè ad exemplum ubique obvium. Dixerat enim, *Devita à malo*, jam dicit, *Devita à malo pudore*; sic enim vitabis omne malum, cujus hic pudor est causa. Fortè etiam Noster in exemplari Græco olim legit, *λέγειν τὸ ἀληθές*, id est, *dicere verum*.

Jam τὸ *pro anima*, dupliciter accipi potest. Primò, q. d. Non confundaris, non verearis dicere verum pro anima, id est, pro vita tua liberanda à periculo mortis, infamiæ, similisvè mali, noli tanti æstimare vitam, ut pro ea tuenda neges veritatem, sed dicito cum Paulo: *Non facio animam meam pretiosiorem quàm me*, Act. 20. 24. Et cum Davide psal. 119. 109. *Anima mea in manibus meis semper*, ut eam pro veritate tradam & prodigam. Sensus ergo est, q. d. Non sit tibi charior vita, quàm veritas, ut pro illa tuenda hanc neges, neces & jugules præ pudore & timore: pudor enim est pars & species timoris: noli ergo violare veritatem, ut vitam serves; sed si alterutra perdenda sit, potiùs perde vitam quàm veritatem. ita Palacius.

Secundò, & aptiùs ad sequentia, *animam* accipias pro conscientia: q. d. *Pro anima*, hoc est, pro animæ tuæ salute, ut, scilicet, animam, id est, conscientiam tuam illæsam à culpa & pœna serves, non confundaris, nec metuas dicere veritatem, ut significetur causa, ob quam non est erubescenda veritas, nempe, salus animæ propriæ, quæ per præposterum pudorem confitendæ veritatis amittitur, inquit Jansenius. *Qui enim*, ait Christus Lucæ 9. *erubuerit me & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua*. Erubescit autem confiteri veritatem & Christum, non tantùm qui negat fidem; sed & qui proximi famam & innocentiam, cùm potest & debet, non tuetur; aut qui peccantem non corripit, aut qui peccatum proprium confiteri, cùm oportet, erubescit; aut qui veritatem, cùm opprimitur, non defendit. quos casus sequentibus versibus exponit & proponit Siracides. In fide res clara est: Martyr enim pro anima, id est, æterna animæ salute, non debet confundi, nec metuere, sed intrepidè confiteri veram & orthodoxam fidem, juxta illud Rom. 10. 10. *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem*. Rursum res clara est in mendacio vel silentio pernicioso, cùm, scilicet, quis ex pudore silet veritatem, qua alium injusta morte similive damno liberare poterat & debebat. Igitur in genere, *Pro anima*, ut, scilicet, vites peccatum mortale, quod mortem affert animę, *ne confundaris dicere verum*. Nam, ut ait S. Greg. in illud Job 31. *Si abscondi quasi homo peccatum meum*, lib. 22. Moral. 13. *Usitatum humani generis vitium est, & labendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & convictum defendendo multiplicare*. Hinc illud vulgò tritum: *Error gignit arrogantiam*.

Nota. Verecundia, sive pudor, propriè non est virtus, sed naturalis passio, qualis est ira, miseratio, dolor, timor: timoris enim pars, vel comes est pudor. Pudor enim non est aliud, quàm timor dedecoris, vel infamię. Si ergo verum sit dedecus, bonus erit pudor, ut cùm quem pudet ebrietatis, similisve vitii: sin falsum sit dedecus, pravus erit pudor, ut cùm quem pudet vitii omissi, v. g. quòd cum ebriosis non se inebriet; quòd cum impudentibus non sit impudens: sicut bona est ira, qua irascimur sceleri & sceleratis; mala, cùm irascimur ob negatas cupiditates, aliave vana de causa. Virtutis enim est regere pudorem, iram, ceterasque animi passiones, iisque uti ad bonum, ac impedire ne exorbitent & ferantur in malum. Docet ergo hic Siracides in particulari, quibus in rebus pudor sit bonus, & in quibus malus. Ita Arist. lib. 4. Ethic. cap. 9. docet, verecundiam non esse virtutem, sed passionem naturalem. Nam, *Definitur*, inquit, *infamiæ metus quidam. Existit autem similiter atque metus, qui in rebus formidolosis versatur. Erubescunt enim ii, qui pudore afficiuntur; pallescunt autem, qui mortem extimescunt. Apparet igitur utrumque quodammodo ad corpus pertinere: quod quidem perturbationis potius, quam habitus proprium videtur*. Idem docet Damasc. & ex eo S. Thom. 2. 2. quæst. 144. art. 1. ubi ait: Verecundia non est virtus, sed laudabilis passio.

Pudore est passio, non virtus.

Dices: Aristot. lib. 3. Ethic. cap. 8. verecundiam vocat virtutem, dicens: *Hæc fortitudo simillima videtur ei, quæ primo loco posita est, quoniam ejus effectrix virtus est: pudor enim & honesti appetitio, videlicet honoris, at dedecoris, quod turpe est, fuga, eam efficit*. Respondeo, Vocatur virtus, id est semivirtus, semen virtutis, via ad virtutem: quia oritur ex desiderio honesti, & timore infamię, quę sunt principia virtutis, & calcar ad eamdem. Dici etiam potest virtus

Est virtus cùm liberè elicitur.

virtus quædam naturalis, quia est congrua constitutio per naturam nobis competens. Denique propriè dicta est virtus, cùm est actus, non naturalis, sed liberè elicitus, quo pudet nos peccati vel vitii, illudque liberè refugimus & abhorremus. Unde Plato in Protagora ait, *Justitiam & pudorem esse munera Jovis per Mercurium tributa hominibus, quæ civitates ornarent, & mutua benevolentia cives conciliarent.* Et post pauca: *Omnes siquidem horum participes esse debent.* Idem in Sophista ait, *Homerum asserere, cùm Deos alios, tum maximè hospitalem Deum inter homines, qui justi pudoris participes sunt, versari, & hominum contumelias injuriasque inspicere.* Hinc pudor, cùm sit infamiæ metus, pertinet ad appetitum irascibilem: hic enim famæ & honoris est custos. Porrò pudor maximè decet pueros, virgines & juvenes, in quibus sæpè est nimius. Unde non planè resecandus, sed moderandus & in bonum dirigendus est. Hinc Plutar. tract. de Vitiosa verecundia, ait: *Agricola, cùm vitem putat, cautè manum admovet, timens, ne quid ex his quæ sana sunt, resecet. Sic in vitioso pudore cave, ne imprudens resectes etiam ingenuum pudorem.* Subditque: *Nutrices quoque, dum frequenter pressiùs extergunt sordes ab infantibus, nonnunquam una cum sordibus carnem abstrahunt, læduntque: sic, qui malum pudorem expellunt, lædere quandoque solent etiam bonum.* S. Ambr. verò lib. 1. Offic. cap. 18. *Pulchra*, inquit, *virtus verecundia*, &c. *Pudicitiæ comes est, cujus societate castitas ipsa tutior est: bonus enim regendæ castitatis pudor est comes: qui, si se prætendat ad ea, quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinet.*

Vers. 25. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam, et gratiam] Syrus, *est confusio, quæ creat peccata; & est confusio, cujus honor gratia ejus:* Tigurina, *est pudor trahens secum peccatum; est item pudor gloriæ gratiæque conciliator;* Græca habent, *est confusio adducens peccatum, & est confusio gloria, & gratia*, id est, causans gloriam & gratiam: q. d. Duplex est pudor. Unus vanus & mundanus, quo quis ex pudore, & timore hominum non audet dicere verum, aut agere quod justitiam agendum dictat: hic adducit peccatum. Alter honestus, & sanctus, quo quem pudet peccare, aut peccasse, ideoque pœnitet, & vitam emendat: aut quo justus erubescit de sua modica justitia, ideoque ad majorem seipsum excitat: hic adducit gratiam, & gloriam, tam apud Deum, quàm apud homines. Talis confusio fuit illa S. Antonii, qua, viso S. Paulo Eremita, tantæ sanctitatis memoria compunctus, & ad eam æmulandam accensus, suis discipulis dicebat: *Væ mihi peccatori qui falsò monachi nomen fero. Vidi Eliam, vidi Joannem in deserto, & verè vidi Paulum in paradiso*, uti refert S. Hieron. in Vita S. Pauli. De utroque hoc pudore fusè aget Siracides in fine cap. 41. & initio cap. 42.

Pudor duplex.

Nota. *Confusio* hic non significat ignominiam, quæ Græcè dicitur ἀτιμία; sed pudorem, ut & sæpè alibi: hunc enim significat Græcum αἰσχύνη. Porrò S. Gregor. per *confusionem* accipit perturbationem mentis pœnitentis; hanc enim inducit pudor: explicans enim illud Job 3. *Occupet eum caligo*, lib. 4. Moral. cap. 17. *Quia*, inquit, *in caligine oculus confunditur, ipsa per pœnitentiam mentis nostræ confusio caligo nominatur. Nam, sicut caligo nebulosa congerie obscurat diem, ita confusio perturbatis cogitationibus obnubilat mentem. De qua per quemdam dicitur: Est confusio adducens gloriam. Cùm enim ad mentem malè gesta pœnitendo reducimus, gravi mox mœrore confundimur, perstrepit in animo turba cogitationum, mœror conterit, anxietas devastat, in ærumnam mens vertitur, & quasi quodam nubilo caliginis obscuratur. Hac namque caligo confusionis eorum mentem salubriter oppresserat, quibus Apostolus dicebat: Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Hunc ergo peccati diem caligo occupet, id est, blandimentum nequitiæ, afflictio pœnitentiæ digno mœrore perturbet.* Idem clariùs lib. 1. in Ezech. homil. 10. *Sicut verecundia*, ait, *laudabilis est in malo; ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum, sapientia est: bonum verò erubescere, fatuitatis. Unde scriptum est: Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam. Qui enim erubescit pœnitendo mala quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit: qui verò erubescit bona facere, a statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit.*

Talis fuit verecundia Lucretiæ, quæ timens infamiam Assaltum adulterii, qua se eam infamaturum Tarquinius minabatur, permisit se ab eo vitiari: hic ergo mundanus & vitiosus pudor adduxit peccatum, quin & infamiam ac mortem, quam per eumdem effugere cogitabat. Ex adverso pudor S. Susannæ, quo puduit eam peccare in conspectu Dei, ideoque infamiæ, quam ei minabantur senes impudici, periculo ultrò se exposuit, adduxit ei gratiam & gloriam apud homines, æquè ac apud Deum, Daniel. 13.

Audi & S. Bernard. serm. ad milites templi, c. 12. *Est pudor adducens peccatum, & pudor adducens gloriam. Bonus pudor est, quo peccasse, aut certè peccare confunderis: & omnis licet humanus arbiter fortè absit, divinum tamquam humanum tantò verecundiùs revereris aspectum, quantò, & veriùs Deum quàm homines cogitas puriorem: tantoque eum graviùs offendi à peccante, quantò constat longiùs ab illo esse omne peccatum. Hujuscemodi procul dubio pudor fugat opprobrium, parat gloriam, dum aut peccatum omnino non admittit, aut certè admissum & pœnitendo punit, & confitendo expellit; si tamen gloria etiam nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Quòd si quis-*
B *piam confiteri confunditur id quoque, unde compungitur, talis pudor peccatum adducit, & gloriam de conscientia perdit, quando malum, quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus obstruso labiorum ostio non permittit exire, cùm eum exemplo David dicere potiùs oporteret: Et labia mea non prohibebo, Domine, tu scisti. Qui & seipsum redarguens, puto super hominum stulto & irrationabili pudore: Quoniam tacui, inquit, inveteraverunt ossa mea.*

Pudor bonus Pammachii.

Porrò, S. Ephrem hunc pudorem ad versum sequentem refert, eique postponit, uti mox ostendam. Exemplum illustre pudoris boni dat S. Hieron. Pammachium, epist. 26. ad eumdem: Pammachius enim Consul Romanus, defuncta Paulina uxore, S. Paulæ filia, publicè monachum professus, spectaculum se facere urbi & orbi non erubuit. Audi S. Hieron. *Quis enim hoc crederet, ut Consulum pronepos, & Furiani germinis decus, inter purpuras Senatorum furva tunica pullatus incederet, & non erubesceret oculos sodalium, ut se deridentes derideret? Est confusio, quæ ducit ad mortem: & est confusio, quæ ducit ad vitam. Prima virtus est monachi, contemnere hominum*
C *judicia, & semper recordari Apostoli dicentis: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Galat. 1. S. Gregor. exemplum dat Davidem saltantem ante arcam, 1. Reg. 16. 14. sic enim ait lib. 27. Moral. cap. 39. *Quid de ejus facto ab aliis sentiatur, ignoro: ego David plus saltantem stupeo, quàm pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit; saltando autem coram Domino semetipsum vicit.* Sic Martyres, Apostoli & Prophetæ ab impiis ludibria & verbera experti, hæc fortiter pro Deo sustinuerunt, nec illa sibi pudori, sed gloriæ esse duxerunt, uti docet Apost. Hebr. 11.

Denique S. August. epist. 48. citato hoc loco Eccles. *Confusio*, inquit, *adducit peccatum, cùm erubescit quisque pravam mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, aut diu errasse, seipso judice teneatur. Confusio autem adducit gratiam, & gloriam, cùm erubescit quisque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur.* Et S. Greg. hunc locum Eccles. nectens cum illo Ezech. 3. 9. *Ut adamantem, & ut silicem dedi faciem tuam*, in adamante honorem, in silice ignominiam intelligit: *Si ab auditoribus*, inquit, *honoraris, si calcaris, aut despiceris,*
D *ut nec per illatum honorem refrænetur lingua ex verecundia, nec per despectum taceat ex infirmitate.* S. Amb. in psal. 43. explicans illud v. 16. *Tota die verecundia* (Sym. *confusio*) *mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me: Quæ*, inquit, *confusio Christi, nisi crux, quod nudus pependit in ea? Et benè tota die: quia ex quo affixus est cruci, usque in horam nonam tenebræ factæ sunt, & post horam nonam lux refulsit usque in vesperum.* Subdit deinde: *Sed, quemadmodum est confusio adducens peccatum; ita est confusio, quæ peccatum abolet: ut confusio crucis Domini nostri Jesu Christi, per quem peccata mundantur. Est etiam omnis confusio bona, quam pro Christi nomine subeas, & admodum gloriosa; si, verbi gratia, in persecutione lex sit, ut verberetur Christianus, ut dignitatem amittat, ut careat privilegio, ut in vincula ducatur.* Nam, ut ait Nazianz. jamb. 23. *Est decus summum, pietatis ergo ferre dedecus.*

Vers. 26. Ne accipias faciem adversus faciem tuam,

TUAM, NEC ADVERSUS ANIMAM TUAM MENDACIUM] Primò, Syrus sic vertit, & explicat, *ne sis hypocrita, & ne erubescas confiteri offensionem tuam*, id est, quòd offenderis, vel cecideris in aliquod peccatum. Accedit Arabicus. *ne decipias temetipsum, & ne confundaris præ confessione delictorum tuorum.*

Secundò, Græcum πρόσωπον, tam personam, quàm faciem significat. Rursum Hebræi per נשא פנים *neso panim*, id est, *accipere faciem*, significant acceptionem personarum. Unde aliqui sic vertunt, *ne accipias personam contra animam* (Græcè enim est ψυχῆς) *tuam, & ne confundaris ad casum tuum:* sicque exponunt: *contra animam tuam*, id est, contra teipsum: q. d. Si quis famam tuam læserit, ne ejus personæ, licet magnæ & potentis, ita habeto rationem, ut non ausis teipsum defendere, aut innocentiam tuam tueri. Nam in tali casu pudor noxius est, & homini exitium creat.

Tertiò, Palacius sic explicat: q.d. Neminem plusquàm te æstimes, ut illius causa pecces: nemo te sit tibi pretiosior. Ideò subjungit: *Nec adversus animam tuam mendacium*; id est, si mendacium est mortale peccatum, scilicet, contra animam tuam, nullius hominis gratia mentiare; B putà, propter nullius amorem, aut timorem. Si tam pretiosa est anima tua, ut propter eam Deus funderet suam; cur tu non eodem pretio eam æstimes? Eumdem sensum habent sequentia: *Ne reverearis proximum tuum in casu suo:* id est, nihil timeas proximum minantem tibi casus, & ruinas, ut propter ejus minas *retineas verbum in tempore salutis.*

Quartò, Tigurina more suo liberè vertit, *ne cedas ulli faciei, quod animæ tuæ damno fiat: nec in tuam perniciem erubescas*, hoc est, uti explicat Vatablus, *ne cujus truculentiæ cedas, aut blanditiis, quominus quæ justa sunt, dicas & facias.* Hic sensus valdè est appositus, illique Vulgatam Latinam versionem sic rectè adaptes: q.d. Non accipies *faciem* vel personam potentis *adversus faciem tuam*, id est, adversus teipsum, ut, scilicet, præ personæ potentis pudore & timore mentiaris, aut taceas veritatem, quam eloqui necessarium est, vel tibi, vel proximis: itaque tuo mendacio, vel noxio silentio tuam aliorumve famam, vitam, vel animam & conscientiam in periculum præsens & æternum adducas. Unde Græca addunt: *Et ne reverearis in casum tuum*, vel *in perniciem tuam*; ut, scilicet, ex nimia reverentia & pudore cujuspiam, cadas in peccatum, mortem, infamiam, &c. Hinc & subdit Vulgata versio: *Nec adversus animam tuam mendacium*, scilicet, accipias, vel sustineas, illive cedas, ut illo sinas *tuam animam*, id est, conscientiam, vitam, vel famam opprimi vel infamari à quopiam potente præ pudore; quia, scilicet, ex pusillanimitate non audes illi resistere; sed illi fidenter & animosè te oppone, ac veritatem & teipsum, tuamque animam tuere. Posterius enim hoc hemistichium idem est cum priori, illudque explicat more Hebræo: Igitur *adversus animam tuam*; id est, adversus teipsum, vel adversus conscientiam tuam. ita Jansenius. Quare idem est, *Non accipias adversus animam tuam mendacium*; cum eo, quod paulò antè dixit: *Pro anima tua ne confundaris dicere verum*. Siracides enim congeminat sententias, aliique, & aliis idem dicit & inculcat.

Pravis resistas inverecundè. Prudenter Plutarch. lib. de Vitiosa verecundia, *Sæpè*, inquit, *fumum ignominiæ fugientes in ignem ruimus. Egregiè Zeno, cum incidisset in adolescentem juxta mœnia furtim ambulantem audissetque, quod fugeret amicum, a quo postulabatur ad ferendum falsum testimonium: Quid ais, inquit, ignave? ille ausus est te malo injuriaque afficere, nec erubescit: & tu illi pro justitia non audes obsistere?* Nimirum, pro veritate oportet stare fortes, & inverecundos, ac contra impudentes induere impudentiam, ne ex fuga pudoris vani verum incurramus, ac volentes vitare Scyllam incidamus in Charybdim: qui enim ex pudore pravo mentitur, pejerat, &c. ne offendat amicum; hic in longè majorem apud Deum & homines infamiam, & vindictam incidet, ob admissum mendacium, & perjurium, &c.

Exemplum S. Sotheris. Exemplum illustre est in S. Sothere virgine & Martyre, quæ, cùm aliàs pudoris & castitatis studio faciem velaret; in martyrio tamen eamdem nudavit, ac tyranno constanter opposuit, eamdemque carnifici cædendam ultrò læta intrepidè exposuit. Audi S. Ambrosium exhortat. A ad Virgin. ante finem: *At non S. Sotheris vultus sui curam gerebat, quæ cum esset decora facie valdè, & nobilis virgo majorum prosapia, consulatus & præfecturas parentum sacra posthabuit fide, & immolare jussa non acquievit. Quam persecutor immanis palmis cædi præcepit, ut tenera virgo dolori cederet aut pudori. At illa, ubi audivit hanc vocem, vultum aperuit, soli invelata atque intecta martyrio, & volens injuriæ occurrit, vultum offerens, ut ibi martyrii fieret sacrificium, ubi solet esse tentamentum pudoris. Gaudebat enim dispendio pulchritudinis, periculum integritatis auferri.* Et mox: *Hæc triumphales retulit martyrii cicatrices, ut imaginem Dei, quam acceperat, reservaret.* Idem lib. 3. de Virgin. *S. Sotheri*, inquit, *persecutionis ætate servilibus quoque contumeliis ad fastigium passionis evecta, etiam vultum ipsum, qui inter cruciatus totius corporis liber esse consuevit injuriæ, & spectare potius tormenta, quam perpeti, carnifici dedit: tam fortis & patiens, ut, cùm teneras pœnæ offerret genas, prius carnifex cædendo deficeret, quàm Martyr injuriæ cederet. Non vultum inflexit, non ora convertit: non gemitum, non lacrymam dedit. Denique, cùm cætera pœnarum genera vi-* B *cisset, gladium, quem quærebat, invenit.* Romæ enim via Appia gladio percussa an. Domini 304. die 10. Febr. virginitatis æquè ac martyrii lauream tulit. Molanus in Sanctis Belgii scribit, corpus ejus Dordraci in Hollandia asservari.

Denique S. Ephræm tract. de Abstinendo à cupidit. carnal. hunc versum præcedenti, quasi causam effectui præponit, sicque legit: *Ne acceptor sis personæ contra faciem tuam, neque confundaris in casu tuo. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam, & gratiam*, vel, ut idem cum Græcis legit tract. de Timore Dei, *est confusio gloria & gratia*,

Est hæc prima mundani malique pudoris species, qua ob reverentiam personæ potentis quem pudet dicere verum, ac mentitur, vel mendacio consentit in perniciem sui ipsius, suæque animæ. Sequitur secunda, qua quem pudet corripere proximum peccantem vel errantem, de qua ait. *Prima pudoris mali species, Secunda.*

NE REVEREARIS (Tigurina, *ne reformides*) PROXIMUM TUUM IN CASU SUO] q. d. Non pudeat te corripere proximum, cùm cadit in aliquod peccatum vel C errorem. Unde subdit. VERS. 27.

NEC RETINEAS VERBUM correptionis, instructionis & consilii, IN TEMPORE SALUTIS] quo scilicet, potes ejus saluti, eum corripiendo & instruendo, consulere. Græca jam aliter habent, nimirum: *non erubescas ad casum*, vel *perniciem tuam*; Syrus & Arabicus, *non erubescas confiteri delicta tua*, uti paulò antè recensui. Porrò, pro *nec retineas verbum in tempore salutis*; Arabicus vertit, *ne avarus sis in sermone tuo, cùm proderis*, id est, cùm prodesse poteris; Tigurina, *salutiferam occasionem nactus ne comprimas sermonem*. Verè Seneca in Proverbiis: *Amici*, inquit, *vitia si feras, facis tua. Cum his conversare, qui te corrigant. Secretò admone amicos, palàm lauda: vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit. Bonis nocet qui malis parcit.* Sic Jethro non erubuit corripere Mosen, ac admonere, ut adjutores sibi in regendo populo asciseeret, Exodi 18. quin & Comicus amicum hac nota certissima designat: VERS. 28.

Si quid, inquit, me scis fecisse inscitè aut improbè,
Si id non accusas, tu ipse objurgandus es.

Secundò, *Ne reverearis proximum in casu suo*: q. d. D Ne vereare proximum visere & solari, nec te pudeat ejus, cùm videris eum à statu suo honorato cecidisse in inopiam & ignominiam: nec retineas eo tempore verbum salutiferum, putà consolatorium, quo eum erigas, instruas, sustentes, uti fecerunt amici Job eum afflictum visitantes & consolantes.

Tertiò, Palacius hæc refert ad Martyres animandos in persecutione: q. d. Ne reverearis, id est, ne timeas proximum minantem tibi casus & ruinas, ut propter ejus minas *retineas verbum in tempore salutis*, quo, scilicet, veram fidem & virtutem profitearis & prædices. Sic & Rabanus hæc omnia explicat de Martyribus.

NON ABSCONDAS SAPIENTIAM TUAM IN DECORE SUO] Græcè, εἰς καλλονὴν, id est *ad ornatum*, vel *pulchritudinem*. Quòd, Primò, sic aliqui explicant: q. d. Ne abscondas sapientiam, ut videaris esse bellus pulcher, putà, doctus & sapiens. Secundò, meliùs alii:

q.d.

q. d. Ne abscondas sapientiam, cùm illa pandenda & decoranda est, cùm, scilicet, pulchrum & decorum est, eam promere: quod fit, cùm per eam promi poscit Dei gloria, & proximorum salus: quod paulò antè dixit, *in tempore salutis*. Unde Tigurina vertit, *ne sapientiam tuam celes, quominus reddas illustrem*. Hunc ergo honorem debemus, non nobis, sed sapientiæ, ut eam enuntiemus, cùm per hoc illa decoratur; cùm verò illa à stolidis ridetur & spernitur, silenda & celanda est, ne sanctum demus canibus, neve margaritas proiiciamus ante porcos, qui illas conculcent & conspurcent, uti monet Christus Matth. 7. 6.

Tertia. Tertia est hæc mali pudoris & silentii species, qua quis ex pudore silet sapientiam, cùm ipsa eloquio honoranda & decoranda est. Huc facit illud Proverb. 11. v. 26. *Qui abscondit frumenta*, inquit, *maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium*. Quod explicans D. Gregor. 3. parte Pastor. admon. 26. *Frumenta*, inquit, *abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere: in populis autem talis quisque maledicetur; quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere poterat, pœna damnatur*.

Vers.29. In lingua enim sapientiam proloquente sapientia dignoscitur, et sensus est scientia (ita legit Jansenius: q.d. Sensatus sermo index & effectus est scientiæ, quin & causa scientiæ: sensata enim oratio parit sapientiam in audiente eam.) Sed corrige cum Romanis: et sensus, et scientia, et doctrina (scilicet, est,) in verbo sensati] q.d. Sensatus, sive cordatus, loquitur sensatè, & in suis verbis ostendit scientiam & doctrinam, tum speculativam, tum potiùs practicam, putà, prudentiam. Siracides enim, æquè ac Salomonis, prudentiam, suamque Ethicam nunc vocat sapientiam, nunc scientiam, nunc doctrinam, nunc disciplinam, nunc intellectum, nunc sensum. Rursum cum Palacio hæc tria ita distinguas: *Sensus* vocatur vivida perceptio, & velut tactus quidam & experientia rerum spiritalium: *scientia* est notitia rerum naturalium: *doctrina* est eruditio, sive facultas & facilitas docendi in docente. Hæc tria non agnoscuntur, nisi ex verbis sensati, & prudentis.

Addit denique: Et firmamentum in operibus justitiæ] scilicet, doctrinæ, vel veritatis doctæ: q.d. Optima confirmatio & persuasio sapientiæ & doctrinæ est ea quæ fit, non per verba, sed per *opera justitiæ* facta à docente; opera enim, quia realia, magis vocalia sunt verbis: ita Lyran. Aliter Jansenius: Hîcce verbis, ait, significatur, de qua doctrinâ sit sermo, nempe, de ea quæ sit firmamentum justitiæ, hoc est, qua homines firmantur in operibus bonis. Aliter quoque Palacius: Sicut, inquit, per verbum agnoscitur magistri doctrina: ita *firmamentum*, seu firmitas & constantia animi agnoscitur in operibus justitiæ: si enim tempore persecutionis operaris justitiam, minimè ab ea deflectens; firmum te esse demonstras. Vis hæc omnia velut in speculo videre? Christi vitam coram oculis statue: Videbis eum dicentem: *Non abscondi justitiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo*. Quàm verò magni constitit hanc sapientiam non abscondisse, audi sequentia: *Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas à me. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus*, &c. Ergo in lingua Christi dignoscitur sapientia, sensus, scientia & doctrina, & in ejus operibus firmitas animi.

Græca pro his omnibus tantùm habent: *Nam ex sermone sapientia cognoscitur, & è verbis linguæ eruditio*; Syrus, *ne abscondas sapientiam tuam, quia in sermone cognoscitur sapientia; & intelligentia in confabulatione*; Arabicus, *quoniam scientia ex eloquio cognoscitur, & intelligentiam peccare facit lingua*. Sermo enim est mentis speculum & imago. Unde Socrates ad adolescentem: *Loquere*, inquit, *ut te* (tuam mentem, prudentiam, sensa) *videam*. Sunt enim verba vehiculum mentis. Est oratio interpres animi. Sermo est lux, qua cor, & ea, quæ sunt in corde, videntur. Verè Seneca in Proverbiis: *Imago animi*, ait, *est sermo: qualis vir, talis oratio*. Et Menander: *Viri character ex sermone cognoscitur*. Porrò sermonis firmamentum est opus justitiæ, quod Hebræi dicunt: *Non sermo radix, sed opus*: q.d. Semper plus facere debemus, quàm dicere. Plus in negotiis gerendis res, quàm verba prosunt. Qualis arbor sine radice, talis est sermo sine opere. Quod orator de virtute dixit, *Rem esse, non verba*; idem de scientia dicas. Qui hoc sæculum cum patrum ævo comparant, dicunt patres plus conscientiæ, minùs scientiæ habuisse: nos verò plus scientiæ, minus conscientiæ habere. Scientiam adeptus es? laudo; sed magis, si conscientiam: vera enim scientia ita tractanda est, ut melior potiùs quàm doctior evadas, ut pectus instruas magis, quàm mentem acuas, inquit Palacius.

Non contradicas verbo veritatis ullo modo] Est enim tam divina res, veritas, ut sit ipse Deus, ait Palacius. Torquet hæc verba S. August. l. 3. Contra Parmen. c. 6. contra Donatistas, qui imprudenter veritati, æquè ac edicto Constantini Imp. resistebant: *Nonne*, inquit, *scriptum est: Non contradicas ullo modo veritati? Cui autem nisi veritati contradicitur, cùm etiam Regi ex veritate aliquid jubenti resistitur?* Vers.30.

Et de mendacio ineruditionis, (*anepaideusias*, id est, indisciplinationis, inscitiæ, imperitiæ,) tuæ, hoc est, indisciplinatè, inscitè, imperitè, temerè, imprudenter prolato, confundere] Ita Romana, & Græca nonnulla, licet Complut. Tigurina, & alii deleant τὸ *mendacio*, legantque tantùm: *De ineruditione tua confundere*. Sed tum quoque per *ineruditionem* intelligitur mendacium, vel falsitas, qua veritati contradicitur: de eo enim sermo præcessit: sicut enim veritas est res divina; ita mendacium est res diabolica. Diabolus enim est *mendax, & pater ejus*, scilicet, mendacii, Joan. 8. 44. Est ergo turpissimum à castris veritatis deficere ad castra mendacii, (hoc enim est transire à castris Dei ad castra diaboli;) maximè viro Christiano, cujus tota laus & salus in veritate consistit.

Est hæc quarta mali pudoris species, opposita secundæ *Quarta* v. 27. Sicut enim ibi jussit vinci pudorem, qui hominem detinet, ne proximum peccantem corripiat; ita vice versâ hîc monet eum, qui corripitur, ne ex superbo pudore contradicat veritati, ac mendaciter neget se commisisse peccatum de quo arguitur, aut illud quasi rectè factum velit excusare, & defendere. Unde de eodem subdit: *Non confundaris confiteri peccata tua*. Sensus ergo est: q. d. Si quod mendacium per imprudentiam, incogitantiam, præcipitationem, inscitiam prolocutus es, ubi hoc adverteris, noli illud tueri, sed confundere, revoca & emenda: pudor enim laudabilis est, quo quis errorem humiliter agnoscit & confitetur: vituperabilis verò est, quo quis superbè errorem tueri satagit, ne errasse videatur: nolle enim pudere de pudendo, magnæ est impudentiæ; ac nolle pœnitere de pœnitendo, arrogantis est impœnitentiæ. Huic expositioni favet Tigurina, dum vertit, *cave contradicas veritati ullo modo, quamobrem fallacis imperitiæ te pudeat*.

Secundò, Jansenius appositè sic exponit, q. d. Pudeat te deprehendi mendacem, dum per imprudentiam tuam, inscitiam & audaciam veritati contradicis, ut quod dicitur. *De mendacio confundere*, accipiatur de mendacio non commisso, sed committendo: hoc enim aptè respondet ei, quod præcessit, *non contradicas verbo veritatis*, ideoque *de mendacio confundere*. q. d. Ideoque pudeat te mentiri, quia per mendacium contradicis veritati. Huic expositioni favet Syrus, *ne garrias contra veritatem, & à stultitiis tuis contine te*; & Arabicus, *ne adverseris æquitati, neve cum illa contendas, & regredere à delictis tuis, & averte te ab eis*.

Unde S. August. lib. 3. contra Parmen. c. 3. hæc applicans hæreticis qui resistunt fidei, qualis erat Parmenianus & Donatistæ: *Cui autem*, inquit, *nisi veritati contradicitur, cùm etiam regi ex veritate aliquid jubenti resistitur? Sed Rex homo qui minatur, vel qui judicat ad tempus, molestus est: non sic ille Rex, qui etiam veritas dicitur*. Denique B. Antiochus homil. 60. de verecundia, citans hunc Eccles. locum: *Confusio faciei*, inquit, *cooperuit me. Hujusmodi pudor, sive verecundia planè sancta est, cùm secundùm Deum fit, ut quæ hominem adducat ad pœnitentiam, ac proinde non mediocrem affert animæ fiduciam*.

Non confundaris confiteri peccata Vers.31.
tua] Est hæc quinta pravi pudoris species, qua quem *Quinta.*
pudet peccata confiteri. Non loquitur Siracides præcisè de Confessione Sacramentali, utpote quæ illo tempore necdum erat instituta: sed generatim de confessione, qua quis legitimè de peccato rogatus, monitus aut correptus, illud falsò negat. Unde Græca hic addunt id, quod Noster

ster habet vers. sequ. *Nec adversus cursum fluminis contendas*. q. d. Noli contra veritatem omnium, præsertim Superiorum, ore contra te currentem, teque arguentem, negando peccatum contendere: quia vi & communi voce veritatis, quasi fluminis vinceris, magisque patefiet tua iniquitas, falsitas & impudentia. Quocirca multò magis hæc sententia locum habet in Confessione Sacramentali, postquam illa à Christo fuit instituta, utpote in qua jussit sanxitque Deus peccata pandi, de iisque confundi & pœnitere.

Contra hanc sententiam & legem peccavit Adam, cùm culpam suam impudenter in Evam rejecit, Genes. 3. ideoque paradiso ejectus, & morte cum posteris omnibus mulctatus est. Tu verò, si Deum tibi optas propitium, cum Davide dicito: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*. Humiliter ergo peccata tua confitere Deo aut homini: præsertim si is habeat potestatem & sapientiam, qua te convincere, & punire, aut peccata remittere, iisque mederi possit, ut per humilem confessionem & agnitionem peccati veniam consequaris, ultionem evadas, & misericordiam gratiamque nanciscaris. Porrò solet dæmon pudorem, quem peccatori, dum peccaret, abstulit, eidem, dum illud vult confiteri, restituere, ut confessionem impediat, eumque in peccato captivum detineat. Quocirca Tertull. lib. de Pœnit. cap. 10. *Plerosque*, inquit, *hoc opus in publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores quàm salutis*. Et mox ironicè: *Ne tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò subducens*. Et S. August. vel quisquis est Auctor. lib. 2, cap. 5. de Visit. infirm. *Heu! cur erubescis*, inquit, *confiteri, quod facere nequaquam erubuisti?* Et S. Bernard. in Sentent. *Cur te pudet*, inquit, *peccatum tuum dicere, quem non pudet facere?*

Dæmon pudorem peccati adimit, confitenti restituit.

Pudor hic excutiendus est Primò: timore majoris pudoris, quo afficietur peccator in die judicii: sic enim clavus clavo pellitur. Unde S. Greg. Nazianz. orat. in S. Baptisma: *Ne peccatum*, inquit, *confiteri graveris, ut per hujus vitæ pudorem, futuri seculi pudorem ignominiamq; fugias*. Et S. August. loco jam citato: *Melius*, inquit, *est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die judicii coram tot millibus hominum, gravi repulsa denotatum tabescere*. Secundò, cogitando confessionem nemini esse pudori, sed gloriæ, quòd per illam de superbia, peccato, nobis ipsis ac dæmone triumphemus. Unde Nazianz. loco jam citato: *Perspicuum*, inquit, *facias, te serio atque ex animo peccatum odisse, dum illud tamquam contumelia dignum traducis, ac velut ludibrio exponis, de eoque triumphum agis*. Exempla hujus triumphi illustria recenset Climacus grad. 4. & 5. de Pœnit.

Quocirca meritò exclamat S. Ber. epist. 185. ad Eustach. *O verecundia*, inquit, *expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris & honestatis. Hæc planè illa, quam Sapiens loquitur, confusio adducens peccatum. Itane verecundum est homini, vinci a Deo, & probro ducitur humiliari sub potenti manu Altissimi? Nam ita Rex ille gloriosus David: Tibi soli peccavi, inquit, & malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris. Summum victoriæ genus, divinæ cedere majestati; & auctoritati matris Ecclesiæ non reluctari, summus honor & gloria. O perversitas! Non pudet inquinari, & ablui pudet! Est pudor (juxta Sapientem) adducens gloriam; si, videlicet peccare pudeat: si non, pudeat vel peccasse: & ita vel sera gloria non carebis, reducente, nimirum, pudore, quam culpa fugaverat. Secundum tenent beatitudinis locum, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Honorabile tegumentum, de quo loquitur: Confessio & pulchritudo in conspectu ejus. Quis mihi tribuat videre te in vestitu deaurato, ut dicamus & tibi: Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento*. Idem serm. 4. inter minores: *Melior est*, ait, *in malis factis humilis confessio, quam in bonis factis superba gloriatio*. Idem in Meditat. c. 37. *Omnia in confessione lavantur, conscientia mundatur, amaritudo tollitur, peccatum fugatur, tranquillitas redit, spes revivescit, animus hilarescit. Post baptismum nullum aliud est remedium, quam confessionis refugium. Sit ergo devota cordis compunctio, vera oris confessio, discreta carnis mortificatio, repentina vitiorum extirpatio, læta bonorum operum exhibitio*. Et mox: *Simulata confessio non est confessio, sed duplex confusio. Excludit enim miserationem Dei misericordia simulatio. Nec dignatio locum habet, ubi fuerit dignitatis præsumptio*. Mutuatus est Siracides hanc gnomen à Salomone Proverb. 18. 17. *Justus prior est accusator sui*. ubi plura de confessione dicam.

Encomia confessionis.

ET NE SUBIICIAS TE OMNI HOMINI PRO PECCATO] q. d. Non confundaris confiteri peccata tua; confundere autem de ipso peccato, ita ut nulli (Hebr. enim, *non omni*, idem est quod *nulli*) homini ad peccatum sollicitanti te subiicias ad illud perpetrandum. Priori ergo hemistichio Siracides hortatur ad confessionem peccati patrati; posteriore dehortatur à consensu patrandi. ita Rabanus, Glossa Interlinealis, & Palacius. Hunc sensum exigunt Græca: *Ne te submittas stulto homini*; & Syrus, *ne subiicias dementi teipsum*; & Arabicus, *ne contendas cùm insipiente, & ne præbeas nomen tuum stulto*. Aliter Lyranus. q. d. Noli te subiicere cuilibet homini, ut cuilibet peccata confitearis; sed ei tantùm, qui illa novit, potestque iis salutare remedium adhibere vel ostendere. Aliter quoque Jansen. qui, ut hæc omnia inter se nectat, ita explicat: q. d. Ne confundaris confiteri peccata tua, dum à sapiente, vel Superiore & judice de eis argueris, & *ne pro peccato* à te admisso ulli *homini te subiicias*, hoc est, obnoxium facias majori, & novæ reprehensioni ac ultioni, si, scilicet, mendax inveniaris dum vis negare, vel excusare peccata commissa. Quare *noli resistere contra faciem potentis*, pro peccato, scilicet, à te admisso; hoc est, cùm judex, aut quivis alius, qui potest tua mendacia confutare & vindicare, te de peccato arguit, noli mendaciis te contra eum defendere, *nec coneris contra ictum fluminis*; id est, nec contra potentiam ejus, qui veritate oppugnat, obnitere. Id enim perinde est, ac si coneris contra ictum, id est, vim fluminis. Verùm hæc expositio, licet magis connexa, minùs tamen plana, magisque coacta videtur, eique adversatur textus Græcus, Syrus & Arabicus.

NOLI RESISTERE CONTRA FACIEM POTENTIS, NEC CONERIS CONTRA ICTUM (Græca Complut. *cursum*; Rom. *fluxum*) FLUVII] q. d. Noli resistere potenti, sive homini, sive populo & multitudini: quia illi resistere non poteris, sicut resistere nequis ictui, id est, impetui fluminis. Est disparatum & diversum hoc à præcedenti præceptum, qualia sunt pleraque in hoc libro; aptè tamen præcedenti subnectitur. q. d. Ne subiicias te homini pro peccato; sed neque resistas potenti, ubi ille ad peccatum te non urget: illud enim pravitatis est, hoc imprudentiæ. Frustra enim niti, & nihil aliud laborando, quàm odium quærere, extremæ dementiæ est, ait ex Salustio S. Hieron. Sic Samuel populo temerè Regem poscenti, consultè cessit, deditque Saulem, 1. Reg. 8. Porrò Complut. & S. August. in Speculo, pro *fluminis*, legunt *fulminis*. Potens enim & audax similis est fulmini, cujus ictus omnia etiã durissima penetrat, liquat & siderat. Quis huic resistat? Hæc est quasi ratio à priori. VERS. 32.

Nota. Hi duo versus, scilicet, 30. & 31. qui sic habent in Latina Vulgata, *Ne confundaris confiteri peccata tua, & non subiicias te omni homini pro peccato. Noli resistere contra faciem potentis, nec contra ictum fluvii*: aliter habent in Græcis codicibus, qui etiam sententiarum membra traiiciunt, putà, quædam præponunt, quædam postponunt: sic enim habent, *Ne erubescas confiteri peccata tua, nec adversus cursum fluminis contendas. Ne te submittas, vel sufternas stulto homini, nec vultui potentis cedas*. Porrò Syrus ad Græcum accedit: ab eo tamen nonnihil discrepat. sic enim habet, *ne erubescas confitens peccata tua, & ne resistas stulto. Ne subiicias dementi teipsum, & ne contendas adversus dominum*, putà, principem vel herum. Et Arabicus, *ne confundaris confiteri peccata tua: ne contendas cum insipiente, & ne præbeas nomen tuum stulto: ne contendas cum principe*. Verùm hæ versiones & lectiones non tam aptè cohærent, quàm Latina Vulgata: quare ejus Auctor Latinus Interpres videtur habuisse emendatius exemplar Græcum, uti hic fatentur & annotarunt Interpretes, non tantùm orthodoxi, sed & herodoxi, imò cacodoxi in fide.

Hanc Siracidis gnomen illustrat apologus arundinis & olivæ apud Æsopum. *De viribus*, inquit, *arundo & oliva contendebant: cùm arundini oliva convicium faceret, utpote imbecillæ, ac facilè cedenti ventis omnibus, arundo tacendo nihil locuta est. Ac parumper præstolata, ubi acer afflavit ventus, arundo succussa & inclinata ventis, facilè evasit*

evasit oliva autem cum ventis restitisset, ut diffracta est. Affabulatio. Fabula significat, eos, qui tempori ac præstantioribus non resistunt, meliores esse iis qui cum potentioribus contendunt.

Porrò Nazianz. epist. 57. ad Eudoxium, hanc parœmiam adaptat naturæ; q. d. *Ne coneris contra ictum fluvii* hoc est, ne coneris contra propensionem naturæ, juxta illud:

Tu nihil invita facies dicesve Minerva.

Vers. 33. PRO JUSTITIA AGONIZARE PRO ANIMA TUA, ET USQUE AD MORTEM CERTA PRO JUSTITIA, ET DEUS EXPUGNABIT PRO TE INIMICOS TUOS] Græca de more hic magis sunt concisa, sic enim habent: *Ad mortem usque decerta pro veritate, & Dominus pugnabit pro te.* Et sic legit Joannes Maxentius præf. in Dialog. contra Nestor. Et Syrus, *usque ad mortem certa pro veritate, & Dominus certabit pro te.* Addit Arabicus, *Et victorem te reddet.* Hic versus respicit & spectat ad v. 24. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* Et ad v. 30. *Non contradicas verbo veritatis.* Illis enim hic per gradationem addit: *Usque ad mortem certa pro veritate.* Ut ostendat, quàm nobis curæ & cordi debeat esse veritas, quamque ejus tutelam & patrocinium suscipere debeamus, scilicet, ut pro ea dimicemus usque ad mortem. Veritatem intellige, tum fidei & religionis, tum morum, actionum & virtutum, præsertim justitiæ propriè dictæ. Unde Noster solerter vertit *justitiam.* Justitia enim generatim hic capitur pro religione, æquitate, & qualibet virtute; sed maximè pro justitia propriè dicta. Pro ea enim quasi pro anima certare debemus, quia ex justitia & virtute pēdet animæ felicitas præsens & æterna, adeoq; virtus est animæ salus, imò animæ anima. Ne quis enim dicat: Justitiæ patrocinium ad me non pertinet, addit: *Agonizare pro anima tua.* q. d. Dum pro justitia agonizas & certas, certas pro anima tua; imò certas pro Deo, qui est prima & increata veritas & justitia, quique animam tibi dedit, ut pro ea & veritate certes usque ad mortem. Unde Dionys. apud Anton. in Melissa, p. 1. cap. 21. *Veritas,* inquit, *est Deus, utpote unum, non multa secundum naturam. Verum quippe unum est; mendacium autem multiplex. Nam & Christus inquit: Ego sum via, veritas & vita,* Joan. 14. Hinc Jamblichus apud Stobeum serm. 11. de veritate: *Veritas,* inquit, *ut Græcum ejus etymon indicat, circa Deum & incorruptam Dei actionem versatur.* Græcè enim veritas dicitur ἀλήθεια, quòd ἀλῇ, id est molat, θεῖα, id est, divina, quòd, scilicet, circa Deum & divina occupetur, ipsaque sit quasi ἄλευρον, id est, farina Dei, & Deitatis.

Nota Græcismum, quo verbum passivum, *agonizare,* quasi deponens sumitur activè pro *agoniza,* certa confligere, contende, pugna, dimica. Græci enim crebriùs usurpant passivum ἀγωνίζομαι, quàm activum ἀγωνίζω, pro certo, dimico, &c. Simili modo Noster *certari,* usurpat pro *certare,* cap. 11. 9. Porrò τὸ *agonizare* emphasim habet: q.d. Pro anima tua, ut, scilicet, salves animam tuam, omnes vires exsere, totoque conatu certa pro justitia, scilicet, ea contentione & agone, qua moribundi in agonia cum morte luctantur. In his enim natura, ut se suamque vitam tueatur, omne suum robur expromit, & extremum potentiæ suæ exserit, unde multi è mortis periculo eluctantur, & vitæ restituuntur. Aut potiùs, *agonizare,* id est, acerrimè certa pro justitia, æquè ac olim pugiles & olympionicæ in agone pro corona certabant usque ad mortem. Alludit ad agones Olympicos, similesque Græcorum. In Græcia enim quatuor fuere certamina sacra, quos agones appellabant, scilicet Nemea, Pythia, Isthmia, Olympia, de quibus vide Budęum in Pandect. De iisdem extat Archię epigramma:

Quatuor Argivis certamina sacra feruntur,
Bina hominum natis, binaque cælitibus.
Phœbo, ipsique Jovi, Archemoro, & parvo Melicertæ,
Poma, oleastra, apium, præmia, pinus erant.

Huc quoque allusit Apostolus 1. Corinth. 9. v. 25. *Omnis, qui agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Vide dicta ibidem & Apoc. 3. in fine.

Pręclarè Philo libr. Quòd omnis probus sit liber. *Spectavi, inquit, aliquando certantes pancratio: alterum obtundentem pugnis & calcibus, totisq; viribus contendentem ad victoriam tandem lassum & incoronatum à stadio discedere: alterum carnosum, nervosum, musculosum, refertumq; spiritu verè athletico, tamquam saxeum ferreumque nihil plagis cedere, solaque patientia superare adversarium, & ad extremum adipisci victoriam.* Et statim ad mores, uti solet, digressus: *Huic similem,* inquit, *bonum virum censeo, qui validè confirmatus, certo animi proposito efficit, ut adversarius priùs delassetur inferendo injurias, quam ipse quidquam agat præter animi sui sententiam.* Et S. Hieron. ad Heliodorum: *Quid facis in paterna domo, delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hyems acta sub pellibus? Ecce de cœlo tuba canit. Ecce cum nubibus debellaturus orbem, Imperator armatus egreditur. Et tu mihi de cubiculo ad aciem: tu de umbra egrederis ad solem? Corpus assuetum tunicis, lorica onus non fert: caput opertum linteo, galeam recusat: mollem otio manum durus exasperat capulus.*

Talis justitiæ pugil fuit S. Joannes Baptista, qui pro jure matrimonii certans, & corripiens adulterum Herodem ab eo martyrio laureatus est. Similes fuere cœteri Martyres. Talis quoque fuit Judas, Jonathas, ceterique Machabęi, qui pro justitia, id est, pro justa patrię & Ec-B clesię defensione, contra Antiochum fortissimè depugnarunt, ideoque Deus pro eis, imò pro justitia pugnans, fecit eos victores & gloriosos, ut pauci ingentes hostium copias profligarent, uti narratur in libr. Machab. Milites ergo pro justitia certent usque ad mortem: quin & fidelis quilibet in tentatione positus, quasi miles Christi pro Deo & justitia confligat cum dęmone, mundo & concupiscentia usque ad mortem, cogitans rem agi de anima sua, ejusque salute ęterna. Vide S. Cyprianum Exhortat. ad Martyr. & Tertull. in Scorpiaco, & Exhort. ad Martyres.

Porrò appositè hanc sententiam pręcedenti subiicit Siracides: q. d. Dixi *Noli resistere contra faciem potentis.* Sed intellige, si potens ad peccatum te non cogat, aut sollicitet: si enim sollicitet, dico & edico: *Pro justitia agonizare pro anima tua.* quòd Palacius sic explicat, q. d. Si silentium tuum in justitię periculum, aut damnum cedit, tunc pro ea in agoniam mortis te conjice. Certa contra totum mundum pro pietate, uti certavit S. Athanasius contra orbem penè totum Arrianum. Non solus certabis, non solus agonem sustinebis: Deus stat pro te. C Resiste ergo iis, qui justitiam oppugnant. Intellige, si resistere tibi ex officio incumbat, aut si religio & fides, vel salus propinquorum ex tua resistentia pendeat. Alioqui non adeò obligaris principi iniquo resistere, maximè si non speres ex resistentia remedium affuturum.

Ita S. Cornelius gloriosus Pontifex & Martyr, corneo & invicto corde restitit Decio, Gallo & Volusiano Impp. omnes ad idololatriam cogentibus, ac Romanis ceterisque Christianis resistendi dux & auctor fuit. Quocirca anno Domini 255. truncato capite martyrii laurea coronatus evolavit in cęlum: ac non multò post S. Leo Primus, in pontificatu successor, via Appia, ubi illustrem fidei agonem obiverat, templum ęternę quasi glorię theatrum in ejus honorem excitavit. Eumdem magnis virtutum elogiis celebrat coęvus illi & commilito S. Cyprianus epist. 1. ad Cornelium: *Exprimi satis non potest,* inquit, *quanta istic exultatio fuerit,* &c. *Ducem te illic confessionis fratribus extitisse, ut, dum præcedis ad gloriam, multos feceris gloriæ comites; & confessorem populum suaseris fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri. Virtus illic Episcopi* D *præcedentis publicè comprobata est, adunatio fraternitatis ostensa est, dum apud vos unus animus, & una vox est, Ecclesia omnis Romana confessa est.* Et lib. 4. epist. 2. ad Antonianum de Cornelio: *Acies adhuc geritur, & agon quotidie celebratur.* Et inferiùs: *Quanta in ipso suscepto Episcopatu suo? quantum robur animi? qualis firmitas fidei? quod nos simplici corde & perspicere penitus, & laudare debemus, sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali cathedra eo tempore, cùm tyrannus infestus sacerdotibus Dei, fanda atque infanda comminaretur; cùm multo patientius & tolerabilius audiret levari adversus se æmulum principem, quàm constitui Romæ Dei sacerdotem. Nonne hic, frater charissime, summo virtutis & fidei testimonio prædicandus est? Nonne inter gloriosos Confessores & Martyres deputandus, qui tantum temporis sedit expectans corporis sui carnifices, & tyranni ferocientis ultores; qui Cornelium adversus edicta feralia resistentem, & minas & cruciatus, & tormenta fidei vigore calcantem, vel gladio invaderent, vel cruci figerent,* vel

Cornea virtus S. Cornelii.

omniaque agas pro phantasia & cupiditate, non ex ratione & æquitate; sed potius humanum æquum, rationabilem, benignum, & quasi socium, patrem & fratrem te eis exhibeas: sunt enim quidam, qui foris apud exteros comes, affabiles & humanos se exhibent; domi verò suis se præstant feros & barbaros, ideoque leones potiùs, quàm homines. Celebre est illud Dionysiis apud Sophoclem in Tragœdia:

Quisquis tyranni ad tecta se contulit,
Fit servus illi, liber etsi venerit.

Quod Aristippus correxit, subjungens: *Haud servus est, si liber illuc venerit*. Significans sapientem, qui spe metuque vacat, esse liberum, etsi serviat. Vide Laert. lib. 2. cap. 8. Igitur, si herus natura in iram pronus est, per sapientiam illam domet & frænet. Hinc veteres pinxere leonem inclinantem caput noctuæ, quæ symbolum est sapientiæ, ut significarent, iracundos & sævos debere caput, iramque & ferociam submittere sapientiæ, ut illi se subdant, ab eaque moderentur, frænentur & regantur, ne præcipites se perdant, & in exitium ruant.

B Jam verò sicut sapienter dicitur: *Noli esse sicut leo.* ita pariter dicas: *Noli esse sicut vulpes in domo tua*. Ut tua calliditate, dolis & fraudibus tuos fallas, circumvenias, illaquees: ac non rarò fit, ut qui in familiæ, vel reipubl. principatum astu se insinuat et ingreditur ut vulpes, in eadem regnet ut leo. Porrò satius est esse leonem, quàm vulpem: leones enim, ait Plinius lib. 8. cap. 16. *dolis carent & suspicione: nec limis intuentur oculis, aspicique simili modo nolunt*. Unde Hebræorum est proverbium in Sanhedrin, cap. 4. *Esto potiùs cauda leonum, quàm caput vulpium*. q. d. Da operam, ut potiùs postremus sis inter viros magnanimos et generosos, quàm primus inter callidos et versipelles. Huc facit, quod in Æsopi fabulis refertur de leæna, quę vulpi glorianti se multos fœtus edere, respondit, se unum tantùm parere, sed leonem. Caudæ meminit, quia *leonum animi index cauda, sicut equorum aures*, ait Plinius libr. 8. cap. 16. Hac de causa iidem Hebræi dicunt: *Vulpem* (ęquè ac leonem) *in tempore suo adora*. q. d. Hominem callidum et versipellem, quem Apulejus vocat *vulpionem*, cole et observa, cùm est in honore et dignitate, aut cùm eges ejus opera; si non ut prosit, saltem ut non obsit. Sic Abraham adoravit filios Heth Gentiles et Chananæos, ideoque vafros et potentes, Genes. 23. 12. Atque hoc singulare est remedium, quo se domestici conservent et tueantur in domo, in qua herus est leo; nimirum, ut humilitate, observantia, patientia, mansuetudine, cultu, leonis iras animosque infringant, eumque molliant et cicurent: nam leo humilianti se parcit, resistentem sternit, verè enim Poeta:

Leonem mitigat agnus, forum mitis

Corpora magnanimo satis esse prostrasse leoni.

Audi Plinius lib. 8. cap. 16. penes quem sit fides: *Leoni tantum ex feris clementia in supplices: prostratis parcit: & ubi sævit, priùs in viros quàm in feminas fremit: in infantes, non nisi magna fame. Credit Libya intellectum pervenire ad eos precum. Captivam certè Getuliæ reducem audivi, multorum in silvis impetum à se mitigatum alloquio, ausam dicere se feminam profugam, infirmam, supplicem animalis omnium generosissimi, cæterisque imperantis, indignam ejus gloria prædam.*

A NON SIT PORRECTA MANUS TUA AD ACCIPIENDUM, ET AD DANDUM COLLECTA] Ver. 36.
Pro *porrecta*, Grecè est, ἐκτεταμένη, id est, extensa, quę rectè apponitur συνεσταλμένη, id est, contracte. Minùs oppositè ergo quidam legunt, ἐντεταγμένη, id est, *instructa*, ab ἐντάττω, id est aciem instruo. Syrus, *ne sit manus tua extensa ad accipiendum, & sit contracta ad dandum*; Arabicus, *ne sit manus tua extensa ad sumptionem, & retenta ab elargitione*. Notat duo avaritię vitia. Primum est aviditas accipiendi, et congregandi. Secundùm, est tenacitas in largiendo. Tigurina vertit, *ne manum habeas porrectam ad accipiendum; ad reddendum* (ἀποδιδόναι enim significat et dare, et reddere) *autem contractam*, qua versione notantur ii, qui proni sunt ad emendum, et ad accipiendum mutuo, vel commodato; sed difficiles in solvendo, et restituendo.

Discant Christiani à Christo, et S. Paulo istud: *Beatius est magis dare, quàm accipere*, Actor. 20. 35. vide ibi dicta. Quin et Aristot. in Ethicis docet, virtuti magis proprium esse εὖ ποιεῖν, quàm εὖ πάσχειν, id est, beneficium facere, quàm accipere. Memorabile est dictum Artaxerxis regis Persarum, qui ab altera manu longiore cognominatus est Longimanus: hic enim cùm idcircò quasi monstruosus rideretur, argutè respondit, *Deum sibi, quasi principi, sapienti elegantia, manum ad dandum, puta, dexteram, dedisse longissimam; alteram verò ad detrahendum, puta, sinistram, dedisse contractam & brevissimam. Regalius enim esse addere, quàm adimere; dare, quàm accipere*. Sic enim Deus ad dandum est longimanus, ad accipiendum brevimanus. ita Plutarch. in Apophth. Regum.

Denique ad hunc & præcedentem versiculum spectat illud Nazianzeni in Tetrastichis, quo docet potentiam non nocendo, sed iuvando, non accipiendo, sed dando esse ostendendam:

Aliis nocendo robur haud monstra tuum,
Benè sed merendo, si Deum sequi cupis.

Siracidi concinit Ben-Sira Alphabeto primo, littera *Thau*: *Tam liberalis sit*, inquit, *tibi manus, quasi semper satur fueris, & non quasi modò demum satur factus; anteà verò esurieris*. Saturi enim semper sunt benefici & effusi: qui verò esuriit aliquando, ejusque recordatur, in dando est parcus, utpote memor egestatis suę.

Porrò Aristoteles lib. 5. Ethicor. c. 3. inter magnanimi & magnanimitatis dotes hanc, velut unam è pręcipuis assignat: *Magnanimus*, inquit, *talis est, ut afficiat beneficiis alios, ipse affici erubescat. Excellentis enim illud est; hoc ejus qui excellitur: estque ejusmodi, ut plura retribuat: ita enim fiet, ut qui prior contulerit beneficium, insuper debeat, beneficiumque accepisse videatur. Meminisse præterea eorum videntur, quibus benignè fecerint: eorum autem, à quibus acceperint, minimè: quippe cùm is, qui acceperit, minor sit eo qui beneficium contulerit: ipsi autem velint esse superiores: unde etiam illa jucundè, hæc iniucundè audire consueverunt. Atque idcircò neque Thetis beneficia Iovi dicitur commemorare: neque Lacedæmonii ad Athenienses; sed tantummodo ea, quibus fuerunt affecti. Magnanimi quoque est, à nemine quippiam aut vix tandem petere, sed promptè aliis ministrare.* Atque hęc est ratio à priori sententiæ Siracidis.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet opibus non esse fidendum, nec superbiendum, usque ad v. 4. ubi tractat de conversione ad pœnitentiam usque v. 11. Inde usque ad finem capitis agit de constanti sinceritate in dictis & factis.

1. Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris: Est mihi sufficiens vita; nihil enim proderit in tempore vindictæ & obductionis. 2. Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui: 3. Et ne dixeris: Quomodo potui? aut quis me subiiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. 4. Ne dixeris: Peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. 5. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adiicias peccatum super peccatum. 6. Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. 7. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant & in peccatores respicit ira illius. 8. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. 9. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. 10. Noli anxius esse in divitiis iniustis: non enim proderunt tibi in die obductionis & vindictæ. 11. Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam: sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. 12. Esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui & scientia, & prosequatur te verbum pacis & iustitiæ. 13. Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas: & cum sapientia proferas responsum verum. 14. Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris. 15. Honor & gloria in sermone sensati, lingua verò imprudentis subversio est ipsius. 16. Non appelleris susurro, & lingua tua ne capiaris, & confundaris. 17. Super furem enim est confusio & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia. 18. Iustifica pusillum, & magnum similiter.

VERS. 1. NOLI ATTENDERE AD POSSESSIONES INIQUAS] Τὸ *iniquas*, jam non est in Græco, Syro & Arabico: sic enim habet Græcus & Syrus, *ne confidas in divitiis tuis*; Arabicus, *ne confidas in armentis tuis*. Hebræum enim מקנה *micne*, significat, & possessiones, & pecora, sive armenta: in his enim consistebat priscorum, Abrahæ, Isaac, Iacob, Iob, &c. possessio & opes. Alii, *non innitaris pecuniis tuis*: hoc enim significat Græcum, *μὴ ἔπεχε*, pro quo Hebræi dicunt, אל תשען *al tiscan*. Alii pro ἔπεχε, legunt ἔνεχε, vertuntque, *ne lateris in opibus tuis*. Noster ergo uti vetustius, ita plenius habuit exemplar Græcum, in quo continebatur τὸ *iniquas*, ut patebit v. 11. Monet enim Siracides, ne opibus inhiemus, præsertim per iniusta lucra, ait Rabanus. Unde v. 3. Græca Complut. habent: *Deus enim vendicabit tuam iniuriam*, qua alios oppressisti, ut habent Syrus & Arabicus, v. 14. Rursum possessiones indigitat *iniquas*: quia sæpè per iniquitatem acquiruntur, iuxta illud: *Omnis dives, aut iniquus, aut iniqui heres*. quod citat & probat S. Hieron. epist. 150. ad Hedibiam, quest. 1. *Divitiæ iniquæ ob quatuor causas. Prima.* Unde huc alludens Christus mammonæ dat epithetum *iniquitatis*, id est, iniqui, Lucæ 16. v. 9. & 11. idque quadruplici sensu & causa. Primò, B S. Hieron. in cap. 6. S. Matth. *Divitiæ*, ait, *vocantur mammona; quia de iniquitate collectæ sunt*, quasi *mommona* derivetur ex מן *men*, id est *a*, & מונה *mona*, id est violentia, à rad. ינה *iana*, id est, vim intulit: licet veriùs derivetur à טמן *taman*, id est, abscondit: inde enim addito *mem* heemantico, Hebraicè vocatur מטמון *matmon*, & Chaldaicè elisa littera *tet*, euphoniæ causa, *mammom* & *mammona*: q. d. Thesaurus absconditus: solent enim opes & nummi abscondi. *Secunda.* Secundò, divitiæ vocantur *iniquitatis*, sive iniquæ, id est, infidę & fallaces, per Hebraismum: quia vanæ sunt & mendaces, non veræ, non fideles & stabiles; sed illicò possessorem deserunt, & ad alium herum transeunt. Unde huc alludens Christus Lucæ 16. v. 11. ait: *Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis?* Vbi *iniquum mammonam* opponit *vero*, putà veris opibus cælestibus & ęternis, quæ nulli invito eripi possunt, cùm terrenæ sint falsę & mendaces, quia specie verarum opum homines fallunt: nec enim mentem explent, & citò pereunt, ac facilè eripiuntur. ita Theophyl. Euthym. Beda, Irenę. Cyprian. Cassian. Gaudent. & alii, quos citat & sequitur ibidem noster Maldonatus. *Tertia.* Tertiò, *iniquitatis*: quia divitiæ sunt materia & illecebræ fraudum, furtorum, omnisque peccati, præsertim iniquitatis & iniustitię. *Quarta.* Quartò, *iniquitatis*: quia iniqui & impii putant eas solas esse divitias: non enim norunt divinas & cęlestes. Ita S. August. serm. 35. de Verbis Domini. Hasce omnes causas spectat hic Siracides. Unde cap. præcedenti vers. ultimo, vetuit earum cupiditatem & studium: hic verò vetat in iis, utpote falsis & fugacibus, collocari spem & fiduciam: versu verò proximo vetabit earumdem usum ad arrogantiam & fastum, abusum.

Nota metalepsin: *attendere* enim *ad possessiones iniquas*, est eas amare, concupiscere, corradere, in iis sperare, confidere, lętari, superbire: quia, quę amamus, concupiscimus & speramus, illa crebrò aspicimus, illi attendimus & intendimus: ubi enim est amor, ibi est & oculus. Unde Palacius sic explicat: q. d. Noli opes iniquas concupiscere. Et si eas habes, neque intuitu eas dignare; indignę sunt, quę videantur. Iubet Dominus, ne aspiciamus vinum in splendore suo: nec meretricem blandientem in pulchritudine sua. Hæc enim conspecta pelliciunt, & velut magnes etiam ferreum attrahunt pectus. Idem, nescio, an potentiùs efficit auri fulvus ille color. igitur, ne ad ipsum attendas. Basiliscus est ille, quem attendis aureus splendor: nisi quòd ille occidit corpus, hic animam. Ergo, sicut, qui in veste sua viperam invenit, non moratur, eam aspiciendo; sed, quàm citissimè potest, eam excutit & fugit: ita, qui in arca habet aurum iniustum, quantocyus potest, aurum exterminet & fugiat.

ET NE DIXERIS: EST MIHI SUFFICIENS VITA] *Vita*, id est, victus, & vitæ subsidia. Græcè, *est mihi sufficientia ad vitam*. q. d. Ipse mihi meis opibus sufficio, alterius non egeo, nullius opus habeo; mihi enim meis sufficiens sum, imò abundans: hic enim Græcè vocatur αὐτάρκη. Ita videmus, divites æstimare se sibi sufficere. Syrus, *ne dicas: Satis habeo*; Arabicus, *ne dicas: Substantia mea multa est*; Tigurina, *ne dicas: Ad vitam meam abunde sum instructus*. q. d. Habeo opes, ut agam vitam lautam, splendidam, longam, uti dicebat dives ille Evangelicus animæ suę, Lucę 12. 19. *Anima, habes multa posita in annos plurimos, acquiesce, comede, bibe, epulare*. Ideoque illico *dixit illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives*. Grę-cè, πλουτῶν, id est, *ditescens*; ut, scilicet, per eleemosynas, aliaC que bona opera ditescat apud Deum, utque per amorem & spem in Deum, ut ei placeat, eoque fruatur, tendat, ac multa merita & pręsidia apud Deum quasi divitias recondat, ibique reconditas possideat. Quare rectè regius Psaltes monet: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, psal. 61. 11.

NIHIL

NIHIL ENIM PRODERIT IN TEMPORE VINDICTÆ ET OBDUCTIONIS) Tigurina, *aggressionis*, id est, punitionis & calamitatis, uti dixic 2. v. 2. præsertim mortis, in qua avaro & injusto omnia sunt obducta & conclusa, ac de ejus avaritia, dolis & rapinis acris à Deo sumetur ultio. Falso ergo, ò avare, credis opes iniquas tibi sufficere ad vitam, utpote quæ Deum provocant, ut tibi auferat vitam. Quia enim in iis credis te habere sufficientem vitam, hinc hoc ipso irritas Deum ad adimendum tibi vitam, ut intelligas, eam non ab opibus, sed à Deo pendere; utque mortalem tuam avaritiam, injustitiam & præfidentiam merita puniat morte, præsenti & æterna. Idem monuere Poetæ. Unde Ovid. lib. 5. Tristium eleg. 15.

Divitis ad manes nil feret umbra suos.

Propert. l. 3. eleg. 4.

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.

Sic etiam Job. 27. 19. *Dives, cùm dormierit, nihil secum auferet.* Psal. 48. 17. *Ne timueris, cùm dives fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam, cùm interierit, non sumet omnia*; hoc est, nihil sumet.

VERS. 2. NE SEQUARIS IN FORTITUDINE TUA CONCUPISCENTIAM CORDIS TUI) ut tibi persuadeas & dicas: Per opes viresque meas fortis & potens sum, ideoque mihi licent, quæcumque libent. Hæc enim divitum opibus suis superbientium & præfidentium est vox. Unde Vatablus vertit, *neque ideò animo tuo, aut potentia, cupiditates cordis tui sequendo indulgeas*; Syrus, *ne confidas in fortitudine tua, ut ambules in desideriis cordis tui*; Arabicus, *ne fiduciam habeas in virtute tua, & ne obsequaris concupiscentiæ tuæ*. Prudenter Seneca Tragœdus in Troade:

Minimum, ait, libere debet, cui plurimum licet.

VERS. 3. ET NE DIXERIS: QUOMODO POTUI efficere & consequi, quod volui & concupivi? q. d. Quàm potens evasi, invalui, cæterisque prævalui, (hoc enim significat Hebræum יוכל *iachol*, id est, *potui*; Syrus, *quis potens ut ego*) AUT QUIS ME SUBIICIET PROPTER FACTA MEA?) Arabicus, *quisnam me tolerabit?* Divitum enim fastus, cupiditas, rapina, ambitio & dominatio est sæpè intolerabilis. Vatablus, *quis me propter facinora mea perdomabit?* alii, *quis in me potentatum obtinebit?* vel, *quis mei dominabitur?* Hoc enim significat Græcum, τίς με δυναστεύσει. Alii, *cujus potentia in facta mea inquiret?* Divites enim potentes & superbi eò arrogantiæ sensim conscendunt, ut putent, se quasi esse deos quosdam terrestres; nec esse Numen, quod eos opibus spoliare, deprimere & subjugare possit. Unde dicunt: *Quis noster Dominus est?* psal. 11. v. 5. Ita insolenter jactabat se Nabuchodonosor dicens: *Nonne hæc est Babylon, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ?* Ideoque Deum hac sententia se fulminantem eodem momento audivit: *Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua: Fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud. Eadem hora sermo completus est.* Daniel. 4. 29 Et blasphemus tumidusque Sennacherib: *Quis*, ait, *est ex omnibus diis terrarum, qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Jerusalem de manu mea?* Isaiæ 36. 20. Ideoque mox Angelus è copiis ejus cecidit 185. millia, ac ipsummet per filios trucidavit, Isaiæ 37. v. 36. Quo circa subdit Siracides:

DEUS ENIM VINDICANS VINDICABIT) id est, omnino & acriter vindicabit, τὴν ὕβριν σου, id est, *tuam iniuriam & petulantiam*, ut addunt Græca Complut. qua, scilicet, alios depressisti & oppressisti. Unde Arabicus vertit, *Dominus enim vindex est omnibus oppressis & coactis*; & Syrus, *Dominus enim vindex est omnium oppressorum*; sed maximè vindicabit injuriam, qua Dei jugum excutere, teque Deo æquare voluisti: Deus enim sæpè alia hominum peccata, licet gravia, punire differt & dissimulat; sed cùm eò assurgunt, ut divinitatem invadere, & cum Deo contendere, ac quasi duellum inire velint, illicò Deus sui honoris zelotes non ferens tantam arrogantiam, tales è cælo ferire & siderare solet, uti patet ex jam dictis de Nabuchodonosor & Sennacherib. Quibus adde Tyrum, ejusque Regem, de quo Ezechiel. c. 28. v. 2. *Eo quod elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris, cùm sis homo, & non Deus; & dedisti cor tuum quasi cor Dei, &c. idcirco interficient & detrahent te. Morte incircumcisorum morieris in manu alienorum.* Et Pharaonem in Ægypti opibus superbientem, de quo Ezech. c. 29. v 3. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus est fluvius, & ego feci memetipsum. Et ponam frænum in maxillis tuis. Ecce adducam super te gladium, & interficiam de te hominem & jumentum.* Sic superbos gigantes theomachos Deus mersit diluvio, Genes. 6. & arrogantem Nemrod cum suis fabricantem turrim Babel, quæ cælum contingeret, linguarum divisione mulctavit, & per totum orbem vagos dispersit, Genes. 11.

NE DIXERIS: PECCAVI: ET QUID MIHI ACCIDIT TRISTE?) Τὸ *triste* non est in Syro & Græcis nonnullis; illud tamen legit S. August. in Speculo, & S. Cyprian. lib. 3. Testimon. ac Complut: habent λυπηρὸν, id est, triste, grave, molestum, acerbum, anxium, infestum, miserum: cui opponitur τερπνὸν id est, lætum, hilare, iucundum, delectabile, faustum: sic enim divites iniqui, quibus omnia ex voto succedunt, ex eo quòd Deus ultionem differat, promittunt sibi impunitatem, quasi Deus vel non videat, vel non possit punire, vel non velit, aut non curet eorum fraudes & scelera: quibus respondet, Deum esse Altissimum, ideoque ex alto omnia eorum scelera videre, posse & velle punire. ALTISSIMUS ENIM altissimam habet potentiam & providentiam, ut singula ad libram justitiæ examinet, & præmiet, vel puniat. Sed idem EST PATIENS REDDITOR) q. d. Deus moratur & differt reddere & retribuere mala malis, quia ipse est *patiens*, Græcè, μακρόθυμος, id est, longanimis; tum, quia longanimiter expectat impios ad pœnitentiam; tum, quia tarditatem supplicii gravitate compensat, juxta illud: *Dii laneos habent pedes*, *sed ferreas manus*, quibus lentè pergunt ad vindictam; quibus validos infligunt ictus & verbera. Unde Græca Complut. addunt, οὐ μή σε ἀνῇ, id est, *non te dimittet* impunitum; sed eò acriùs puniet, quo tardiùs. *Te redditor*, iam non est in Græco, Syro & Arabico. Arabicus sic habet, *ne dicas: Deliqui, & non sum cruciatus. Deus enim excelsus est longus patientia & benevolentia*; Tigurina, *ne dicas: Postquàm peccavi, quid mihi triste accidit? Dominus enim patiens quidem est, sed impunè te non dimittet*: quia enim altissimus est & potentissimus, hinc pariter altissimam habet patientiam adeoque in ea suam potentiam, imò omni potentiam ostendit, quòd, scilicet, tot hominum injuriis & sceleribus indignissimè lacessitus, irasci nesciat; sed iræ, indignationi, vindictæ dominetur, maneatque serenus, tranquillus, patiens, imperturbatus, benignus & clemens: sed altissimus pariter, altissimam & summam habet justitiam & vindictam, ut nihil, licet minimum, sinat impunitum. Unde unum peccatum mortale, putà, unum furtum & rapinam, æternis punit gehennæ incendiis. Reveremini ergo, o mortales, o potentes potentiores Dei oculos, & vultum omnia cernentem: Dei potentiam exhorrescite: Dei providentiam metuite: Dei patientiam amate & amplectimini: Dei justitiam & vindictam declinate & fugite. Hæc ergo omnia Dei attributa notantur hisce tribus Dei epithetis: *Altissimus est patiens redditor*; vel, ut Jansenius legit, *patiens est redditor*. Τὸ enim *patiens*, notat Dei longanimitatem in dilatione vindictæ: τὸ vero *redditor*, notat ejus justitiam in irroganda justa & adæquata pœna.

Audi S. Gregor. homil. 13. in Evangel. *Conclusit*, inquit, *Dei pietas duritiam nostram. Non est iam quid homo excusationis inveniat. Deus despicitur, & expectat: contemni se videt, & revocat: iniuriam de contemptu suo suscipit, & tamen quandoque revertentibus etiam præmia promittit. Sed nemo hanc eius longanimitatem negligat: quia tanto districtiorem iustitiam in iudicio exiget, quanto longiorem patientiam ante iudicium prærogavit. Hinc etenim Paulus dicit: Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiam tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis iusti iudicii Dei. Hinc Psalmista ait: Deus iudex iustus, fortis & longanimis. Dicturus quippe longanimem, præmisit iustum: ut quem vides peccata delinquentium diu patienter ferre, scias hunc etiam quandoque districtè iudicare. Hinc per quemdam sapientem dicitur: Altissimus enim est patiens redditor. Patiens enim redditor dicitur, quia peccata hominum & patitur & reddit. Nam, quos diu, ut convertantur, tolerat, non conversos duriùs damnat.*

Audi & S. Paulinum epist. 18. ad Delphinum morbo afflictum: *Qui prosperatur*, inquit, *in vita sua, & viribus confisus sanitatis, insultus dicit: Peccavi, & quid mihi accidit triste? non audeat sibi de corporea felicitate blandiri, metu divina*

divinæ potestatis adstrictus ad justitiam corrigatur, dum ulstricem Domini cælestis manum impiis actibus iure expavescit, quam videt & justis severam: nam, si vos vix citra verbera castigationis evaditis, nos iniqui & peccatores ubi parebimus? Porrò S. August. lib. de Patientia: *Patientia*, inquit, *Dei prædicatur, non in hoc, quòd malum aliquod patiatur; sed in hoc, quòd expectat malos, ut convertantur.* Quòd si nolint converti, uti patiens fuit: ita acer erit eis redditor & ultor.

Notat S. Chrysost. homil. 2. in epist. ad Coloss. Deum ubique in Script. vocari μακρόθυμον, id est, longanimem: nusquam verò absolutè vocari ὑπομονητικόν. id est, patientem, eò quòd longanimis dicitur is qui ulcisci potest, etsi tardè ulciscatur: patiens verò, qui tolerat, & nequit sibi injurias ulcisci & plectere. Vide Plutarchum libr. de sera Numinis vindicta. Denique huc spectat Arabicum proverbium, quod extat centuria 2. n. 15. *Homo sine pœnitentia, est tamquam fluvius sine aqua: & mulier sine verecundia, tamquam lampas sine lumine.* Et n. 17. *Si tu, qui malè egisti in eo quod præterit, esto benè agens in eo quod reliquum est. Qui non anticipat pœnitentiam ante mortem, infelix est.* Verè stulti peccatores; qui peccando æternam damnationem incurrunt, gratiam Dei perdunt, charitatem amittunt, virtutes dilapidant, felicitatem perpetuò duraturam prodigunt; & tamen læti & hilares dicunt: *Peccavi, & quid mihi accidit triste?* Quasi non esset miserrimum tantis malis se subdidisse, & tanta bona dilapidasse: quasi Altissimus non esset patiens redditor: quasi non esset verum, quòd misericordia & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Verè stulti, quos dæmones excæcant; sicut Philisthæi ducem inclytum Samsonem, & sicut Chaldæi Sedeciam Regem excæcarunt; ut nec ignominiosam occupationem agitandi molam tam inutilium laborum aspiciant, nec ingressum in Babyloniæ confusionem advertant.

VERS. 5. DE PROPITIATO PECCATO NOLI ESSE SINE METU) Ita Romana, & pleraque Biblia Latina: manuscripta tamen legunt, *de propitiatu peccatorum*: sicque legendum esse censent, non tantùm kemnitius & hæretici, sed & Glossa, Jansenius, quin & S. August. in Speculo. Probant, quia sic habent Græca. περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου προσθεῖναι ἁμαρτίαν ἐφ' ἁμαρτίαις, id est, *de propitiatu seu propitiatione, ne sis sine timore, ut addas peccata peccatis.* Verùm retinenda est Vulgata lectio, *de propitiato peccato*, juxta decretum Concilii Trident. sess. 4. illa enim solerter explicat lectionem Græcam, uti mox ostendam.

Porrò lectio Græca duplicem admittit sensum: potest enim accipi de propitiatione præterita, potest & de futura. De futura accipit Jansenius, idque colligit ex eo, quod sequitur, *Ut addas peccata peccatis*, ut sensus sit: Noli tibi certò promittere, quòd Deus propitiabitur peccatis tuis, quodque illorum ab eo veniam obtinebis, ut de Dei misericordia & venia ab eo obtinenda præfidens liberiùs pecces, & peccata peccatis accumules. Itaque, postquam superiori sententia resecuit libertatem peccandi ex præsumptione impunitatis, propter vindictæ dilationem; iam hac sententia eamdem libertatem resecat ex præsumptione facilis miserationis divinæ: quam quia plerique se facilè statim consecuturos confidunt, hinc liberè peccata peccatis adiiciunt. duo enim hæc sunt, quæ faciunt homines liberè peccare: dilatio, scilicet, vindictæ divinæ, & præsumptio de faciliter obtinenda Dei misericordia. Quare ex hoc loco non satis firmum colligitur argumentum contra hæresim hujus temporis, quæ docet, fideles certò credere debere sibi remissa esse peccata, seque esse justos, imò prædestinatos, certoque salvandos. Hæc Jansenius.

Verùm alii passim meliùs hunc locum accipiunt de propitiatione præterita, indeque validè argumentantur contra hæresim jam dictam: sensus enim est, q. d. Esto, confidas ob pœnitentiam & sacrificia pro peccato Levit. 4. præscripta, ac Sacramenta à Christo in lege nova præscribenda, tibi peccatum esse propitiatum & condonatum; noli tamen de eo esse securus, & sine metu, ne fortè confidentia, pœnitentia & dispositio tua sit falsa, ideoque peccatum tibi non sit condonatum; quia *nescit homo, utrùm amore, an odio dignus sit*, Eccles. 9. 1. Rursum noli esse sine metu: quia esto culpa sit remissa; remanet tamen pœna tibi luenda, vel hic, vel in Purgatorio: & nescis, an pro hac pœna ex æquo satisfeceris.

Idem est sensus Græcæ lectionis, uti solerter advertit noster Interpres, qui idcircò pro *de propitiatu peccati*, rectè & clarè vertit, *de propitiato peccato*. Sensus enim Græcè est, q. d. Noli de propitiatione & placatione peccati esse sine metu, quasi certus sis illud tibi esse propitiatum & remissum, ut hac persuasione fias confidentior & audacior ad iterandum peccatum, & ad addendum peccata peccatis, quia scilicet, tibi persuades, pari certitudine & facilitate, illa quoque, cùm ad Deum ingemueris, tibi esse condonanda. ita Bellarm. lib. 3. de justific. c. 4. in fine, Gabriel Vasquez 1. 2. tom. 2. disp. 112. c. 4. in fine, Gregor. de Valentia 1. 2. tract. de gratia, disp. 8. qu. 4. puncto 4. Suarez tract. de gratia, p. 3. lib. 9. c. 9. & alii. *De propitiato peccato hic agi.*

Hunc esse sensum probatur Primò: quia eum exigit versio Vulgata, *de propitiato peccato*: quam esse retinendam & tuendam sanxit Concilium Trid. *Prob. 1.*

Secundò, quia de futura peccatorum propitiatione & remissione illicò subdit Sapiens: *Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Ergo quod hic dicit, *De propitiato peccato noli esse sine metu*, accipiendum est de propitiatione præterita, non futura: alioqui enim idem diceret, essetque battologia, & superflua ac inanis ejusdem repetitio. *Secundò.*

Tertiò, quia de præterito peccato hic agi patet ex eo, quod immediatè præcessit: *Ne dixeris: Peccavi, & quid mihi accidit triste?* Sicut ergo ibi agit de præterita impunitate, sive remissione pœnæ; ita hic agit de præterita remissione culpæ. *Tertiò.*

Quartò, quia de præterita remissione appositè dicitur modestè, *De propitiatu peccati noli esse sine metu*; non de futura. De futura enim asperiùs & rigidiùs dicendum esset: Omninò metue, fuge & horre peccatum futurum; quia planè incertus es & dubius, an illius veniam consequeris: tum, quia nescis, an illo perracto supervives; fortè enim Deus in flagranti delicto, aut paulò pòst, morte subitanea te puniet: tum, quia nescis, an Deus dabit tibi gratiam efficacem, ut pœniteas eo dolore & proposito serio qui ad remissionem requiritur. *Quartò.*

Quintò, quia Syrus & Arabicus vertunt, *ne confidas de remissione*, quasi persuadens tibi, peccata jam esse remissa: *Ne peccata peccatis addas.* Et Tigurina, quam admittunt; imò sibi arrogant hæretici, *super data venia ne sis securus, ne peccata peccatis ampliùs accumules.* *Quintò.*

Sextò, quia simili modo ait Eccles. c. 21. v. 1. *Fili, peccasti, ne adiicias iterum: sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Ubi duplicem sollicitudinem exigit, unam pro futuris, alteram pro præteritis: unde ait: *Et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Quibus verbis significat, eum, qui peccavit, semper debere esse sollicitum obtinendæ remissionis; quia, nimirum, numquam potest esse certus quòd illam obtinuerit. Sic igitur & hic monet Primò. Ne sis securus de remissione præscripta, quasi certò existimes te illam à Deo accepisse: sed adhuc conteraris, & sollicitè ores, ut tibi peccata dimittantur. Deinde, ut caveas in futurum, & non addas peccato peccatum spe facilis indulgentiæ. *Sextò.*

Denique, etsi daremus hæreticis, hic agi de propitiatione futura; tamen inde rectè colligeremus idem de præterita. Cur enim tibi metuendum est de propitiatione futura? Utique, quia nescis, an veram seriamque acturus sis pœnitentiam. Pari modo nescis, an in præterita veram seriamque habueris egerisque pœnitentiam. Ergo, sicut non es securus de propitiatione futura; sic nec de præterita.

Dices: Hic agi de propitiatione futura, non præterita, arguit id quod sequitur: *Multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Resp. Illa verba non pertinent ad priorem hujus versiculi partem: *De propitiato peccato noli esse sine metu* quia hoc iam est propitiatum & præteritum: sed ad posteriorem: *Neque adiicias peccatum super peccatum.* Ecclesiasticus enim hic ponit duas præsumptionis species: primam præsumptionem remissionis peccatorum præteritorum, secundam futurorum.

Dices Secundò: Ambros. Catharinus opusc. de Certitudine gratiæ, ubi docet, justos posse esse certos certitudine, non fidei, sed theologica, de sua remissione & gratia, fatetur quidem, hic agi de propitiatione præterita: attamen metum refert non ad eam, sed ad futuram in peccatum recidivam: q. d. Esto, certus sis propitiatum tibi esse peccatum; tamen noli planè esse securus & sine metu, ne, videlicet, in idem aliudve peccatum ex præfidentia iterum

iterum recidas & prolabaris; ac si dictum esset: *Propter propitiationem*, quam accepisti, noli esse sine metu. Verùm aliud est *propter propitiationem*, aliud *de propitiatione noli esse sine metu*. Ratio Catharini est: Metus omnis est de futuro, non de præterito: de præterito enim malo dolemus; at non nisi futurum metuimus. Resp. metum etiam esse de præterito, cùm præteritum respectum habet ad futurum: v. g. metuit reus, ne advocatus non satis efficaciter causam suam egerit, ut propterea à judice sit damnandus. Sic hic metuit justus, ne peccatum non sit sibi condonatum, ut propterea à Deo sit puniendus, & mancipandus gehennæ.

Porrò metus hic de propitiato peccato non est is, quo quis metuit, ne Deus peccatum propitiatum revocet, iterumque imputet ei qui illud commisit: sicut homines subinde debita & offensas remissas revocant, & puniunt. Nam, quod Deus semel condonavit, semper & in æternum condonavit: *Sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei*, Rom. 11. 29.

Denique τὸ *in abundantia*, id est, multùm, quod habent Græca, tum ad præcedens referri potest, q. d. De propitiato peccato noli esse securus multum: tum ad sequens, q. d. In abundantia, id est, abundanter, ne addas peccata peccatis, ne eorum copiam accumules. Novè Novator quidam sic vertit & exponit: *De expiatione securus ne esto in abundantia: q. d. Ne confidas opibus tuis fore, ut iis redimas peccata tua*.

Moraliter, Spiritus sanctus justis omnibus hic sanctum timorem incutit. Non enim vult eos de venia & justitia esse certos, sed timidos & pavidos, ut hoc timore humiles semper existant, æquè ac cauti & ferventes in studio pœnitentiæ ceterarumque virtutum. Equidem & rei tantæ magnitudo, quanta est salus æterna, hoc efficere in omnibus hominibus debet, ut numquam sibi satis cavisse existiment; & peccatorum odium, nempe, tam turpis rei, si verum est odium, hoc quoque requirit, ut ea etiam condonata, nos tamen ultrò vindicemus, & quasi hostes, qui tantoperè nocuerunt, voluntariis pœnis puniamus. Est enim in hoc genere valdè considerandum quod libr. 4. Moral. cap. 17. S. Gregorius ait: *Nullum peccatum Dominus inultum relaxat: aut enim nos flendo insequimur, aut ipse judicando reservat*. Atque idem libr. 9. Moral. cap. 17. hoc etiam illo sacræ Scripturę testimonio confirmat, ubi beatus Job Domino loquitur: *Sciens*, inquit, *quòd non parceres delinquenti. Delinquenti Dominus non parcit, quia delictum, sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans punit*. Nequaquam igitur peccato parcitur: quia nullatenus sine vindicta laxatur.

Quò etiam pertinet illud S. Augustini dictum, quod meritò laudatur à Posidonio, qui ejus Vitam scripsit, qui hoc monere solebat, *etiam laudatos quoslibet sacerdotes, numquam committere debere, ut sine justa & congruenti pœnitentia ex hac vita decederent*. Ita S. Petrus peccatum negationis Christi, licet sibi remissum tota vita flevit, & quotidie ad gallicinium ejus memor ubertim lacrymabatur, adeò ut ex assiduo fletu oculos haberet rubicundos, & quasi sanguine respersos, teste Nicephoro lib. 2. c. 37. & Baronio anno Christi 69. c. 29. Ita S. Magdalena, licet à Christo audisset: *Remittuntur tibi peccata*; tamen usque ad mortem ea deflevit, ac ab hominum omnium conversatione in Balmam secedens, ibique pœnitens omnibus sæculis vivum pœnitentiæ exemplar seipsam constituit. Idem fecere S. Pelagia pœnitens, S. Maria Ægyptiaca, S. Guilielmus Aquitaniæ Dux, conversus à S. Bernardo, multique alii, ut peccati veniam, Dei gratiam & animæ salutem assecurarent, ac in tuto collocarent. Tremenda enim est sententia S. Ambros. lib. 2. de Pœniten. c. 10. *Facilius*, ita, *inveni, qui innocentiam servaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam. An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copula coniugalis usus? Renuntiandum sæculo est, somno ipsi minus indulgendum quàm natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus, vivendum ita ut vitali huic moriamur usui: se ipsum homo abneget, & totus immutetur*. Subdit exemplum: *Sicut quemdam adolescentem fabulæ ferunt, propter amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regressum postea*

Officia veræ pœnitentis.

A *veteri occurrisse dilectæ: quæ, ubi non interpellata, miratæ putaverit non recognitam, rursus occurrens dixerit: Ego sum. respondérit ille: Sed ego non sum. Unde bene Dominus ait: Qui vult post me venire abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Etenim, qui mortui & sepulti Christo sunt, non debent iterum velut viventes de hoc mundo decernere. Ne tetigeritis (inquit) nec attaminaveritis, quæ sunt omnia ad corruptelam ipso usu, eò quod ipse hujus vitæ usus corruptela sit integritatis*.

Denique audi, quid Gregoriæ, quæ Imperatrici erat à cubiculis, flagitanti, ut remissionis peccatorum revelationem & certitudinem acciperet, rescribat S. Gregor. lib. 6. epist. 22. *Rem*, inquit, *difficilem & inutilem postulasti. difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat; inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fidei non debes, nisi cùm jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minimè valebis: quæ dies quousque veniat semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Certè Paulus Apostolus jam ad tertium cælum ascenderat, in paradisum* B *quoque deductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret: & tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum, & servituti subiicio, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui jam ad cælum ducitur; & jam timere non vult, qui adhuc in terra conversatur*.

Porrò finis & fructus hujus sententiæ est, ut ex ea profundè nos coram Deo humiliemus, ejusque sacro metu percellamur, ac cum timore & tremore nostram salutem operemur, cogitantes, quòd certi simus nos Deum offendisse, incerti an offensam nobis condonarit, idque significant verba S. Gregor. jam recitata: hic enim metus acer est stimulus ad veram pœnitentiam, omnemque virtutem, quocirca veniam & salutem nobis quasi assecurat: ipse enim est donum Dei, quod Spiritus sanctus electis immittere solet, ut per illud quasi per viam regiam eos deducat ad suam felicitatem & gloriam: qui ergo illum in se sentit, sciat se habere pignus suæ salutis. Unde S. Bernard. serm. in illud Proverb. 3. *Beatus homo, qui invenit sapientiam. Invenisti*, inquit, *planè sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas, si hu-* C *jus sæculi desiderabilia parvipendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas*. Idem serm. 15. in psal. 90. *Qui habitat. Est*, inquit, *is ipse timor firmissima quædam & efficax materia spei. Siquidem maximum quoddam Dei donum timor iste, & ex perceptione præsentium firma est expectatio futurorum. Postremo beneplacitum est Domino super timentes eum* (psalm. 146.) *& utique vita in voluntate ejus, & in beneplacito ejus salus æterna*. Idem serm. 54. in Cant. *In veritate didici, nil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. Beatus homo, qui semper est pavidus*, Proverb. 3. Huc facit illud Isaiæ 26. 8. juxta Septuag. *A timore tuo, Domine, concepimus, & peperimus spiritum salutis*.

Neque adiicias peccatum super peccatum] Est hæc altera, ut dixi, præsumptionis species, qua quis præsumens de Dei misericordia peccata peccatis accumulat. Unde eam explicans subdit:

Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur] ut ea mihi, cùm pœnituero, ejusque misericordiam imploravero, illicò condonet. Unde Syrus hunc versum transponens, & præcedenti præponens, æquè ac Arabicus, ita vertit, *ne dicas: Misericors est Dominus, & multitudinem debitorum dimittet mihi*. Est enim præsumptio hæc peccatum in Spiritum sanctum: quia misericordia & bonitate ejus abutitur ad malitiam, eamque torquet ad iterandum peccata. Misericordia Domini, ait Palacius, magna est, non ut adiicias peccata; sed ut remittenda credas, si amplius ea non committere decernas. Immane flagitium est, misericordiam Dei lenam facere diaboli: & quod per misericordiam, per quam Deo coniungi debueras, diabolo coniungare. Ergo misericordiam, quam Deus in asylum peccatoribus proposuerat (in templum sancti Dei, ubi esset Deus propitiandus) tu fecisti velut lupanar diaboli, ubi diabolo festa celebrantur. Er-

Vers. 6.

go ne in misericordia ad peccandum confidas. nam misericordia & ira ab illo citò proximant.

Vers. 7. MISERICORDIA ENIM ET IRA AB ILLO CITO PROXIMANT; Græcè ταχυνεῖ, id est, *festinabit*, citò veniet. ET IN PECCATORES RESPICIT; Græcè, καταπαύσει, id est, *requiescit*, IRA ILLIUS] q. d. Sicut Dei misericordia citò adest & subvenit pœnitentibus, ut Magdalenæ, latroni in cruce, Saulo, &c. ita & ira Dei citò ingruet peccatoribus impœnitentibus, eosque subitò & ex improviso nil tale expectantes occupabit, uti præoccupavit Luciferum, Cainum, Saulem, ac omnes homines in diluvio, & Sodomitas in conflagratione Pentapolis. Peccatores vocat eos, qui habitum habent peccandi, in eoque se obfirmant & obdurant: ad hos enim pertinet, non misericordia, sed ira & vindicta Dei; imò super eos requiescet jugiter & in æternum, nimirum, in æternis gehennæ tormentis. Unde Syrus vertit, *quia misericordia & ira cum eo sunt, & super impios morabitur furor ejus*; Vatablus, *tam enim ira, quam misericordia festinat ab eo, & in scelerosos furor ejus incumbet.*

Porrò Palacius τὸ *citò proximant*, tripliciter explicat. Primò, q.d. Cùm peccatoribus ira venit, quamvis tardissimè veniat, citò venisse videtur. Adeò enim demersi sunt in deliciis suis, ut breve videatur quod longum est. Ita enim cùm nimis delectamur aliquid videndo, audiendo, gustando, brevis omnis mora videtur. Secundò: Brevis est vita nostra. in tam brevi spatio nihil est tardum. Ideò miseri dicunt: *Nos nati statim desivimus esse*. Lege, quæ viri pii, & quæ iniqui dicunt de vitæ nostræ brevitate, Sapient. 5. Tertiò: Omne peccatum ex natura sua citam pœnam requirit. si citò illa non venit, id est misericordia Dei. Sed aliquando permittit Deus pœnam jure sævire: tunc citò venit.

Rursum pondera τὸ *respicit*: q. d. Ut leo famescens, in objectum sibi cadaver respicit, in illud cupiens insilire: ita ira Dei in scelera nostra conjectos oculos habet, gestiens in illa desilire: & desilit actu, cùm per misericordiam Dei sibi facultas non denegatur.

Quartò, aliqui sic explicant, q. d. Festinat quidem ira divina ad peccatores in suis malis obstinatos puniendos: at in ea festinatione non procedit solitaria, sed comite misericordia: quæ tunc maximè elucet, cùm peccatores citò feriuntur, ne, si diutiùs suis sceleribus vacare permittantur, majora ad supplicia reserventur. Ita S. Chrysost. homil. 25. in Gen. docet festinare Dei ultionem, cùm homines in peccatis obdormiunt; idque non tantùm ex justitia, ut eos puniat; sed etiam ex misericordia, ne graviùs puniat, quos prævidet, si diutiùs supersint, graviùs peccaturos, ideoque acerbiùs puniendos.

Tropol. Rabanus hic docet, quemlibet justum semper ob oculos sibi ponere debere tam justitiam & iram, quàm misericordiam Dei, ut ex illa timorem, ex hac spem concipiat & alat. *Beneplacitum est enim Domino super timentes eum, & in eis qui sperant in misericordia ejus. Hinc in lege præceptum est Deuter. 24. Ne auferas loco pignoris inferiorem & superiorem molam. Superior enim mola est spes; inferior est timor: spes enim ad alta subvehit; timor autem cor inferiùs premit.* Hæ ergo duæ molę, id est, duo lapides molares, jungi debent, *Ut una sine altera inutiliter non habeatur. In peccatoris enim pectore incessanter debet spes & formido conjungi: quia incassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat: incassum justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat.* Hæc Rabanus.

Vers. 8. NON TARDES CONVERTI AD DOMINUM,
ET NE DIFFERAS DE DIE IN DIEM, ut usurpes
corvinum, *cras*, *cras* convertar, & vitam in melius
commutabo. Rationem subdit: SUBITO ENIM VE-
NIET IRA ILLIUS, ET IN TEMPORE VINDI-
Vers. 9. CTÆ DISPERDET TE] Legit Interpres cum Rom.
ἐξολοθρεύσει, id est, disperdet te: sic & S. August. in Speculo. Verùm Complut. legunt ἐξαρεῖ, id est, disperderis. Alii, ἐξαρεῖ, id est, auferet te. Porrò Complut. quædam interserunt adduntque, sic enim habent: *Subito enim egredietur ira Domini; & cum negligens fueris, dettereris, & in tempore vindictæ disperderis*. Syrus, *ne cuncteris pœnitere coram Deo, & ne impedimentum patiaris* (q. d. Omnem pœnitendi remoram abrumpe & perfringe) *de die in diem: quia repentè egredietur furor, &* in

A *tempore retributionis peribis*; Vatablus, *ne differas converti ad Dominum, nec diem ex die ducas: nam ira Domini repentè erumpet, rerumque securus, profligaberis, & tempore ultionis peribis*. Quis enim viperam lethiferam manu ferat, & non statim excutiat? Quis pestem in corpore alat? Quis hostem capitalem intra mœnia ferat? Quis cadaver vermibus horridum domi toleret? Quis dæmonem in mento gestet? Peccatum lethale est vipera, est pestis, est hostis, est cadaver, est dæmon: illicò ergo ut illud sentis, totis viribus pœnitendo excutias. Audi S. Basil. Admonit. ad filium spiritalem, sapienter eum de cita pœnitentia monentem: *Quando*, inquit, *te peccatis obnoxium senseris, ad pœnitentiam citò converti ne confundaris: qui enim hic pœnituerit, in novissimo non pœnitebit. Clementer enim Dominus ad pœnitentiam confugientes suscipit. Et ne misericordia Dei fretus peccata peccatis adjicias, ne velis dicere: Donec viget ætas mea, carnis concupiscentiam exercebo, & postremò in senectute malorum meorum pœnitentiam geram: pius namque est Dominus, & multum misericors, nec ultra facinorum meorum memorabitur. Noli taliter, fili, cogitare: quia summa stul-*
B *titia est, hoc in mente apud Dominum concipere, cùm & impium sit talem licentiam à Deo expectare quempiam.* Causam subdit: *Noli, inquam, sic cogitare, cùm nescias qua die moriturus sis: quis enim novit hominum diem exitus sui? non enim omnes in senectute privabuntur hac luce: sed in diversis ætatibus de hoc mundo migrabunt: & in quibus actibus vocabitur homo, in iisdem necesse est reddere rationem: nemo enim in inferno confitebitur Domino. Sed nec tu cuncteris ad pœnitentiam converti. Semper ante oculos tuos versetur ultimus dies: cùm enim diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas pervenire; & cum in lectulum ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis adventu, ut faciliùs te possis refrænare ab omnibus vitiis. Semper cor tuum promissa cælestia meditetur, ut ipsa te ad virtutis viam provocent.* Audi & S. Ambros. (vel potiùs Victor. Cartennę Episcopum, ut patet ex fine libri, ac ex Gennadio & Trithemio de Script. Eccles.) lib. de Pœnit. cap. 28. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim venit ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet te. Et iterum: Fili, peccasti, ne adjicias iterum; sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimit-*
C *tantur: & ne adjicias peccatum super peccatum, & dicas: Miseratio Dei magna est. Misericordia enim, & ira ab illo. Nec nos usque ad mortem fieri mancipia patiamur, nec demus corpora nostra scelerum ditioni; sed obediamus Apostolo dicenti: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis ei: ut quia peccata deesse non possunt, certe non regnent; hoc est, ne sine respectu evadendi fiat abrupta licentia peccandi.* Et mox: *Vale, cùm nobis inopinatus sit exitus terminalis, & vitæ nostræ dubia sint ex mortis ignorantia curricula, quomodo sibi quisque superesse ad confitendum tempus existimat, qui temporis sui tempus ignorat, cum utique audiat dicentem Scripturam: Vivens & sanus fateberis & laudabis Deum, & in partem vade sæculi sancti cum vivis & dantibus confessionem. Dilatio enim temporis confessionem creet, & non desperationem generet; quia exaggeratur in dilato damnatio, qui divinam patientiam pertinaci animositate coguat. Quod sancti Noe temporibus docetur effectum, cum per centum annos pertracta patientia, implacabilem per mundi ambitum fudit cataclysmum, inundante censura.*

Scripsit de hac Ecclesiastici sententia S. August. homil.
D 12. inter 50. tomo 10. ubi inter alia causam ejus dans ait: *Promisit enim tibi Deus, quoniam, quo die conversus fueris, obliviscitur mala tua præterita: sed numquam vitam crastini diei promisit tibi. An fortè non tibi illam promisit Deus, & promisit illam tibi Mathematicus, ut damnet te & illum?* &c. *Misericordia Dei est, quia nescit homo, quando moriatur. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.* Idem serm. 202. de Temp. *O homo, quare differs de die in diem, fortè hodie habiturus ultimum diem?*

Denique S. Chrisost. patheticè hanc sententiam exaggerat homil. 22. in epist. 2. ad Corinth. *Ne moreris*, ait, *converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Nescis, quid paritura sit superventura dies: periculum enim & metus est in differendo, salus verò certa & secura, si nulla sit dilatio. Ne dicas: Erit aliquando tempus, quando converti licebit. Verba enim hæc Deum valde exasperant. Cur nam, cum ipse tibi infinita sæcula*

prom-

promisit, tu in præsenti vita laborare non vis, quæ parva & momentanea est; sed sic marcidus ac dissolutus agis, quasi hac breviorem aliam quamdam inquiras? Nonne illa quotidianæ comessationes, nonne scorta, nonne theatra, nonne divitiæ id testantur? Et mox ita concludit: *Inebriatus es? ventri indulsisti? rapuisti? siste jam gradum, verte te in diversum, confitere Deo gratiam, quòd non in mediis peccatis te abstulit: ne aliud quære privilegium, ne male opereris. Multi, cùm aliis damnum fraudulenter facerent, subitò perierunt, & ad manifestum judicium abierunt. Time, ne & tu hoc patiare inexcusabilis. Sed multis, inquis, dedit Deus privilegium, ut in ultima senecta confiterentur. Quid igitur? numquid & tibi dabit? Fortasse dabit, inquis. Cur dicis, Fortasse? Contingit aliquoties? Cogita, quòd de anima deliberas: proinde etiam de contrario cogita, & dic: Quid autem, si non det? Quid autem, si det? inquis. Det quidem ipse: veruntamen hoc illo certius & utilius.*

Denique huc facit proverbium Arabicum, quod extat centuria 1. n. 23. *Nata in aqua ante vesperam*: q.d. Sicut tardè nimis & periculosè natatio sub vesperam instituitur; ita & periculosè in extremam vitam pœnitentia differtur: Et num. 44. *Accende lucernam tuam ante tenebras*. q. d. Illumina te pœnitentia, gratia & bonis operibus, antequam superveniat tibi mors.

Pœnitentiæ origo, ratio & essentia.

Ex dictis liquet radicem pœnitentiæ, & quasi rationem à priori, cur peccatori pœnitendum, & citò pœnitendum sit, esse ingens peccati malum, noxam & periculum, quod peccatum animæ creat. Malum hoc est offensa Dei, ira & vindicta, quæ peccatores quasi læsæ majestatis divinæ reos, usque ad gehennam persequitur, idque omni jure, & meritò: quia peccatum est summus Dei opt. max. & contemptus, & injuria, & inhonoratio, & inobedientia, & ingratitudo: omnes enim istæ malitiæ existunt in quovis peccato mortali formaliter distinctæ; & omnibus illis sigillatim offenditur Deus; quare de singulis peccator meritò dolet, & pœnitet.

Porrò duo sunt actus, sive officia pœnitentis & pœnitentiæ. Prior & primarius, dolere de peccato, quia est offensio Dei, cum serio illud deinceps cavendi proposito, qui est actus charitatis: charitatis enim est, uti gaudere de Dei bonis: ita & dolere de Dei offensis, &, ut ita dicam, malis. Posterior est, vindicare in se peccatum admissum, qui est actus virtutis pertinentis ad justitiam, ejusque quasi pars potentialis, uti docet D. Thomas 3. p. qu. 85. art. 3. Hac enim pœnitens, velut sui judex, nomine Dei punit seipsum tamquam reum. & injuriam Deo factam resarcire conatur. Unde efficitur, virtutem illam, qua peccator pœnitet. non esse unam, sed duas, nimirum, charitatem & justitiam quamdam vindicativam, quæ, quia aliud nomen proprium non habet, pœnitentia dici potest. Hæc liquent ex pœnitentiæ definitione, quam variam varii assignant; sed eodem omnes redeunt.

Primò enim, ex ratione generis sic eam definit S. Gregor. homil. 34. in Evangel. *Pœnitentia*, inquit, *est perpetrata peccata plangere, & plangenda non committere.* Et ex S. Gregorio Magister Sentent. in 4. dist. 14. *Pœnitentia est virtus, seu gratia, qua mala cum emendationis proposito plangimus, & odimus, & plangenda ulterius committere nolumus.*

Secundò, ex ratione specifica sic eam definit auctor libri de Vera, & falsa pœnitentia apud S. August. c. 8. *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, semper puniens in se, quod dolet commisisse. Semper*, id est, quoties aliquid commisit mali. Et cap. 19. *Pœnitere est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando.*

Tertiò, ex fine sic eam definit auctor Hypognost. apud S. August. lib. 3. *Pœnitentia est res optima*, id est, virtus eximia: *quæ omnes defectus revocat ad perfectum*, hoc est, corrigit totam vitam hominis.

Quartò, respectu subjecti sic eam definit S. Ambros. *Pœnitentia est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis quæ quisque admisit*. Et glossa in Matth. 4. *Est reformatio mala mentis.*

Quintò, respectu terminorum à quo, & ad quem, sic eam definit Damascenus: *Pœnitentia est ab iis quæ sunt præter naturam, ad ea quæ sunt secundùm naturam, reversio.* Denique pœnitentia primariò est peccatorum mortalium, secundariò tamen venialium. Unde S. August. epist. 108. ad Seleucianam, *Est*, inquit, *etiam pœnitentia bonorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes: Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in Baptismo; sed illa utique, quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra subrepunt.* Ubi Nota, pœnitentiam non tantùm esse novam vitam, ut volunt hæretici; sed & veteris vitæ castigationem: à pœna enim dicitur pœnitentia, quasi pœnæ tentio; & pœnitere dicitur, quasi pœnam tenere. Unde Ausonius:

Sum dea, quæ facti non factique exigo pœnas:
Ut te pœniteat, sic Metanœa vocor.

Ex dictis sequitur, stultum esse procrastinare pœnitentiam; sapientis verò, eam accelerare. Quocirca luget suam conversionis tarditatem S. August. lib. 6. Confess. cap. 11. & lib. 8. cap. 5. & 7. Idem serm. 17. de Verbis Domini, vocat corvinam vocem, *cras, cras convertar. Ipsa res est*, inquit, *quæ multos occidit, cùm dicunt, Cras, cras; subitò ostium clauditur: remansit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum.* Idem in psal. 114. *Deus*, ait, *pœnitentiæ tuæ indulgentiam promisit; sed huic dilationi tuæ crastinum non promisit.* Sic & S. Gregor. homil. 12. in Evangel. *Qui pœnitenti*, inquit, *veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit.* Quocirca Psaltes Psalm. 94. 8. *Hodie*, inquit, *si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Quin & Seneca lib. de Brevitate vitæ: *Non pudet*, inquit, *te reliquias vitæ tibi reservare; & id solum tempus bonæ menti reservare, quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est tunc vivere incipere, cùm desinendum est!*

NOLI ANXIUS ESSE IN DIVITIIS INJUSTIS] Redit ad v. 1. unde in Græco eadem est sententia, quæ v. 1. μὴ ἐπέχειν χρήμασιν ἀδίκοις, quod Noster vers. 1. vertit, *noli attendere ad possessiones iniquas*. Ex quo patet, τὸ *iniquas*, v. 1. esse addendum, uti addit Noster, licet desit in Græco: quia illud ipsum hoc versu, tam habet Græcus, quàm Latinus. Porrò χρήματα, tam possessiones, quàm pecunias, adeòque census, facultates, omniaque fortunæ bona significant. Rursum ἐπέχειν significat attendere, intendere, incumbere studiosè & anxiè curare, amare & concupiscere. Sensus ergo est, q. d. Noli animum adjicere, noli anxiè attendere & intendere divitiis injustè per fraudes, dolos & rapinas acquirendis: noli anxiè quærere & corradere opes per fas & nefas. Vers. 10.

NON ENIM PRODERUNT TIBI IN DIE OBDUCTIONIS, putà in die calamitatis, ET VINDICTÆ] uti dixi v. 1. Syrus, *ne confidas in divitiis iniquitatis; quia non auxiliabuntur tibi in die angustiæ*. Alludit ad Proverb. 10. 2. *Nil proderunt thesauri impietatis; justitia autem liberabit à morte.*

NON VENTILES TE IN OMNEM VENTUM.] Vers. 11
Noli te ventilare, agitare & accommodare ad omnem hominum, tentationum & cupiditatum ventum, id est impulsum; *sed esto firmus in via Domini*, ut sequitur. Noli, quod vulgò dicitur, pallium aut calyptram cuilibet auræ & vento obvertere; quod est assentatorum, & politicorum, qui foro utuntur, & serviunt tempori. Hoc est, quod ait Paulus Ephes. 4. 14. *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Pronomen *te*, non est in Græco, nec Syro: Græcus enim habet, *ne ventila quovis vento*; Syrus, *ne sis ventilans in omnem ventum*. Sed sic potiùs vertendum esset passivè; *noli ventilari*, id est, agitari & rapi quovis vento: nam ventilo est activum. Latinius ergo & clariùs vertit Noster, *ne ventiles te*, hoc est, ne te agas, moveas & inflectas ad omnem ventum: Vatabl. *ne te cuivis vento jactandum permittas*, vel *exponas*. Sic de Crispino ait Juven. satyra. 1.

Ventilat æstivum digitis sudantibus aurum.

Sic flatus ventilat faces accensas; sic rusticus ventilabro ventilat frumentum; sic aura ventilat jubas equi; sic tauri olim iritati pilas stramineas cornibus ventilabant, & in astra jaciebant, non secùs ac paleæ ventilabris sparguntur. Unde Zachar. 1. 19. & 21. dicitur: *Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam.* Porrò ventilare est in ventum jactare, dividere, dispergere, juxta illud Jerem. 49. 36. *Ventilabo eos in omnes ventos; & non erit gens, ad quam non perveniant profugi Ælam.* Sic Hebræum פרש *paras*, dividere, dispergere, ventilare significat.

ET NON EAS IN OMNEM VIAM] Alia est parœmia, idem significans quod, *Non te ventiles in omnem ventum*. Vide de ea dicta cap. 2. v. 14. Syrus, *ne sis curiosus ad omnem semitam*.

SIC ENIM OMNIS PECCATOR PROBATUR IN DUPLICI LINGUA] ut pro varietate personarum & locorum nunc ajat, nunc neget; nunc laudet, nunc vituperet. Tò *omnis* delet Græcus, Glossa & Lyra. nec enim omnis peccator probatur in duplici lingua; sed tantum adulator & perfidus. Unde Græca habent: *Sic est adulator bilinguis*. & juxta hoc explicandus est Vulgatus Interpres: quasi dicat: *Sic enim omnis peccator in duplici lingua*, hoc est, peccator bilinguis (hic enim peccat duplici lingua) *probatur* & convincitur, supple, ire in omnem viam, & ventilare se in omnem ventum, uti præcessit: hoc enim respicit & refert τὸ *sic*, quæ est vocula nexus, exempli, similitudinis & indicis, indicans id, quod præcessit.

Huic adagio similia sunt hæc: *Chamæleonte mutabilior: Cothurno versatilior: Proteo inconstantior: Polypi mentem gerit: Euripo magis varius: Duabus sellis sedet: Duodecim artium est: Punica fides: Maritimi mores: Dædali opera: Magis varius quàm hydra: Sisyphi artes: Vespertilio: Trochi in morem: Vias novit, quibus effugit Eucrates*, qui dum molitor esset, & accusaretur, semper rimam aliquam, per quam elaberetur, inveniebat. *Venti campus*, quod dici solet in hominem instabilem, levem & inconstantem, qui sensus & mores ad quemlibet ventum commutat: nam in campo & planitie venti liberiùs huc illucve divagantur, nullo coerciti obstaculo. denique instabiles vocamus ventosos. Unde Horatius:

Romæ Tibur amo ventosus, Tibure Romam.

Idem:

Non ego ventosæ venor suffragia plebis.

VERS. 12. ESTO FIRMUS IN VIA DOMINI, ET IN VERITATE SENSUS TUI, ET SCIENTIA; ET PROSEQUATUR TE VERBUM PACIS ET JUSTITIÆ] *Optimum est enim gratia stabilire cor*, Hebr. 13. 9. Græcus hîc de more concisus est, ac per compendium bimembri sententia rem totam clarè comprehendit. Ait enim: ἴσθι ἐστηριγμένος ἐν συνέσει σου, καὶ εἷς ἔστω ὁ λόγος σου, id est, *In sententia tua certa constans esto, & unus sit sermo tuus*. Alii pro *in sententia tua*, vertunt, *in sensu tuo*; alii, *in intellectu tuo*: alii, *in prudentia tua*, alii, *in doctrina tua stabilis esto*: σύνεσις enim est νόησις, id est, prudentia, industria, intelligentia, peritia, perspicacia, conscientia, sententia, judicium. Syrus, *esto innixus super gustu tuo*, id est, sensu tuo, *& verbum tuum unum est*.

Est antithesis versus præcedentis: ventilationi enim in omnem ventum, id est, levitati & inconstantiæ, opponit firmitatem & constantiam, tum mentis, tum sermonis, ut quod semel secundùm Deum & rectam rationem credendum vel agendum rectè judicasti, idipsum constanter & voluntate conserves, & ore proloquaris. *Via* enim *Domini* est recta fides & operatio: *veritas sensus* est vera animi sententia, verum prudentiæ judicium: *scientia* est sententiæ & judicii certitudo: hanc enim significat Græcum σύνεσις, quæ vox notat, ut quid ritè credas vel agas, non sufficere prudens rectumque judicium; sed illud debere esse certum: in fide quidem omnino physicè & speculative; in actione verò moraliter & practicè certum, ut, scilicet, antequam quid agas, moraliter certus sis, id quod agis, esse licitum, honestum, Deo gratum. *Omne enim, quod non est ex fide*, (id est credulitate, & dictamine conscientiæ) *peccatum est*, Rom. 14. 23.

Porrò ex constantia mentis, & judicii sequitur constantia oris, & sermonis de qua subdit: *Et prosequatur te verbum pacis, & justitiæ*. nimirum, verbum unum & uniforme, putà, verum, ideoque pacificum, & justum, quod opponit bilingui vers. 12. bilingue enim verbum est duplex, difforme, putà, falsum, ideoque turbulentum, & injustum, quod lites, discordias, seditiones & bella concitat. Bilinguis enim ob metum potentum, vel ad gratiam eorum aucupandam, à veritate flectitur ad falsitatem: simplex verò & uniformis tenaciter veritati adhæret, nec minis aut promissis ab ea se deduci patitur; sed quod mente judicavit, constanter retinet, & idipsum ore eloqui non metuit. Consultè paci insti-

A tiam adiunxit, quia mala pax est, quæ justa non est; ideoque fugienda est, quæ cum injustitia conjuncta est: veræ enim, & solidæ pacis parens est justitia. O auream mentem, linguamque veritatis & justitiæ, quæ Deo nixa hominum favores & odia non curat, ideoque solidam familiis orbiq; pacem creat! Si ergo quæris: Quomodo firmus ero in via Dei? Resp. Si firmus sis in veritate, veraque & justa animi tui sententia, eamque uniformi ore proloquaris & tuearis.

Præclarè Philo lib. Quod omnis probus sit liber: *Invictus animus*, inquit, *rationis rectæ placitis confirmatus, cedit nemini*. Citatque Zenonis, Stoicorum parentis, dictum: *Faciliùs est utrem inflatum mergere, quàm probum virum invitum ad aliquid agendum cogere*. Celebrat Plutarch. constantiam Fabricii, qui respuens Pyrrhi regis munera, cùm subitò à tergo ejus elephas barriens, à Pyrrho territandi causa immissus, appareret: *Me*, inquit, *nec aurum heri, nec bellua hodie fecit attonitum*. Quocirca gloriosè audiit: *Faciliùs est solem à suo cursu, quàm Fabricium à suo proposito deducere*. Huc facit illud Socratis apud Stobæum serm. 1. de Prudentia: *Ut sta-* — *Constantiæ exempla.*

B *tua basi, ita vir bonus instituto innixus honesto, nullatenus demoveri debet*.

Nota. Hic & alibi pax jungitur justitiæ: quia ejus est effectus & comes individuus, juxta illud psalm. 84. 12. *Justitia & pax osculatæ sunt*. Psalm. 71. 7. *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis*. Isaiæ 32. 17. *Et erit opus justitiæ, pax*. Quare August. in psalm. 84. *Fac*, inquit, *justitiam, & habebis pacem, ut osculentur se justitia & pax: si enim non amaveris justitiam, pacem non habebis: amant enim se duo ista, justitia & pax, & osculantur se: ut qui feceris justitiam, inveniat pacem osculantem justitiam. Duæ amicæ sunt: tu fortè unam vis, & alteram non facis. Nemo enim est, qui non vult pacem: sed non omnes volunt operari justitiam. Si ergo vis pacem, ama justitiam: quia duæ amicæ sunt, justitia & pax. Ideò alius psalmus dicit tibi: Declina à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam. Jam enim non diu illam quæres, quia ipsa occurret tibi, ut osculetur justitiam*. Hinc pacis olim symbolum erat caduceus, id est, virga (quæ symbolum est rectitudinis & justitiæ) quam circumplectentes serpentes invicem osculabantur: quia justitiam — *Justitiæ comes est pax.*

C etiam perversi osculantur. Illam manu tenebat Mercurius, qui Deus erat sapientiæ, quæ parens est justitiæ & pacis.

Denique hanc sententiam adaptes pœnitentibus & ineuntibus novam vitam, ut in ea sint firmi & constantes, nec ad pristinas cupedias relabantur, quibus rectè occinit S. Ambros. lib. 3. epist. 9. ad Irenæum, exemplum Lot: *Si quis*, inquit, *incola esse cœperit civitatis supernæ, incola, videlicet, conversatione & moribus, non discedat ab ea, non exeat, non restectat vestigium, non revertatur retrò; retrò luxuria, retrò impuritas est. Denique ascendens ad montem Lot, retrò reliquit Sodomitana flagitia: quæ autem respexit retrò, non potuit ad superiora evadere*. Eamdem Lot similitudinem ad idem probandum attulit S. Hieron. ad Licinium epist. 28. *Sodomam*, inquit, *reliquisti ad montana festinans; post tergum ne respicias: ne aratri stivam, ne simbriam Salvatoris, ne cincinnos ejus noctis rore madefactos, quos semel tenere cœpisti, aliquando dimittas: ne de tecto virtutis, pristina quæsiturus vestimenta, descendas: ne de agro revertaris domum, ne campestria cum Lot, & amœna hortorum diligas, quæ non irrigantur*

D *de cœlo, ut terra sancta; sed de turbido flumine Jordanis, postquam dulces aquas maris mortui commixtione mutavit*.

Anagog. Rabanus: *Firmus*, ait, *in via Dei est, qui regulam Catholicæ fidei ritè credendo servat, & doctrinam Evangelicam rectè vivendo, ac benè operando sequitur. Hunc prosequetur verbum pacis, & justitiæ, quando in meritorum retributione illi conferetur præmium æternæ gloriæ, dicente Domino: Euge, serve bone, & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui*.

ESTO MANSUETUS AD AUDIENDUM VERBUM, UT INTELLIGAS: ET CUM SAPIENTIA PROFERAS RESPONSUM VERUM] Multi legunt, *verbum Dei*, quasi dicat. Mansuetè audi verbum Dei: ita Deus illud in mente, & voluntate tua loquetur, ut illud intelligas & comprehendas, juxta illud psalm. — VERS. 13.

14. *Docebit mites vias suas*. Sed sequentia aliun sensum exigunt. Quare τὸ *Dei*, cum Romanis, Rabano & Græcis defendum est. Græca enim sic habent: γίνου ταχὺς (Noster legit πρᾶος, id est mansuetus,) ἐν ἀκροάσει σου ἀγαθῇ, καὶ ἐν μακροθυμίᾳ φθέγγου ἀπόκρισιν ὀρθήν, id est, *esto velox in auditione tua bona, & in longanimitate profer responsum rectum*; Syrus, *esto velox ad audiendum, & cum tarditate ad responsum*. Unde hinc videtur sumpsisse S. Jacobus illud cap. 1. 19. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*. Vide ibi dicta. Rationem dat S. August. tract. 59. in Joan. *Tutiùs enim*, inquit, *veritas auditur, quàm prædicatur: quoniam, cùm auditur, humilitas custoditur: cùm autem prædicatur, vix non subrepit cuiuis hominum quantulacumque iactantia, in qua utique pedes inquinantur*.

Sensus ergo est: q. d. Cùm quid audis & interrogaris de Deo, rebusque bonis & honestis, attende, & ne sis impatiens in audiendo, ac præceps in respondendo, vt interrogationem interrumpas, præcedas aut prævertas, ac temerè respondeas, antequam plenè interrogationem perceperis; vti nonnulli cholerici ac temerarij faciunt, qui proinde sæpè de fabis interrogati, de alliis respondent: sed patienter audi totam interrogationem, ac ea audita benè tecum cogita, quid respondere debeas; eoque cognito, leniter, mansuetè & prudenter responde. Ita Maximus serm. 13. refert Xenocratem de obscœnis interrogatum tacuisse, cumque vrgeretur, vt responderet, dixisse: *De talibus rebus te hominem vanum interrogare decet; me autem respondere nequaquam*. Demonax rogatus; quid sentiret de conflictu duorum, quorum alter absurdè proponebat, alter absurdè respondebat, ait: *Alter mulget hircum, alter supponit cribrum*. ita Plutarchus in apophtheg.

Complut. & Tigurina quædam interserunt. sic enim habent: *Ad auscultandum promptus esto: fac integra*, vel *sincera*, vel *vera* (putà, sine simulatione & fuco: Græcè enim est, ἐν ἀληθείᾳ) *sit vita tua, & cum animi lenitate responsum redde*. Sed ea, quæ interseruntur, impertinentia videntur, & nexum sermonis intercipiunt, ideoque surreptitia apparent. Unde & Græci codices Romani ea delent.

VERS. 14. SI EST TIBI INTELLECTVS (σύνεσις, id est, intelligentia, sapientia, peritia doctrina) RESPONDE PROXIMO, te consulenti & interroganti; Vatablus, *si sapis, responde proximo*; SIN AVTEM, SIT MANVS TVA SVPER OS TVVM, id est claude os tuum, & sile: NE CAPIARIS IN VERBO INDISCIPLINATO, id est, imperito, indocto, imprudenti, insipienti; ET CONFVNDARIS] Tigurina; *ne verbo inepto incurras in reprehensionem, & vituperreris*. Hæc verba, *Ne capiaris*, &c. iam desunt in Greco. Præclarè Nazianz. orat. 1. *Valdè stultorum*, ait, *aut temerariorum est, alios docere aggredi, priusquam ipsi satis edocti simus, ac, ut dici solet, in dolio discere, hoc est, in aliorum animabus pietatem meditari & exercere*. Quod explicans Elias: Qui, ait, in aliorum animis pietatem inserere conantur, cùm ipsi per se nondum eam exactè didicerint, faciunt perinde vt illi, qui in dolio figlinam artem addiscunt. Figuli enim non statim in dolio, sed in exiguis vasculis, vt ollis aut cyathis, figlinam docent, in quibus, scilicet, si spem opera frustretur, exigua est iactura. Notat ergo, qui maiora ante minora discere conantur, quod, scilicet, faciunt, qui antequam didicerint, aliorum doctores & magistros sese profitentur. Nota proverbium: *Sit manus tua super os tuum*, id est, silentium tibi indicito, & taceto, iuxta illud Iuven.

Digito compesce labellum.

Harpocrates emblema silentij Idipsum priscis innuebat Sigalionis seu Harpocratis statua, digito sigillans os suum, de qua Varro lib. 4. de Lingua Latin. cap. 10. & Auson. epist. 12. ad Paulin.

Aut tua Sigalion Aegyptius oscula signet.

Sigalion enim erat Deus præses silentij: σιγὴ enim est silentium. Idem dicebatur Harpocrates, eratque simulachrum in sacris Isidis & Serapidis, quod digito labiis impresso admonebat, vt silerent. Fuit autem Harpocrates revera Philosophus Græcus, cuius doctrina & præceptum in id tendebat, vt silentium præciperet, illudque rebus omnibus anteponeret. Sic Iob. cap. 21. 5. *Superponite*, ait, *digitum ori vestro*, id est, silentes me audite. Et c. 29. 9. *Principes cessabant loqui; & digitum superponebant ori suo*. Huc etiam

A facit proverbium Arabicum centur. 1. n. 98. & sequent. *Taciturnitas conciliat sibi amorem. Taciturnitas super silentio, melior est pœnitentia super sermone. Taciturnitas sapientia est, sed rarus est agens eam*. Rationem huius sententiæ subdit Siracides dicens:

HONOR ET GLORIA IN SERMONE SENSATI: LINGVA VERO IMPRVDENTIS, SVBVERSIO EST IPSIVS] Pro τιμὴ, id est, honor, decus, Grecus iam habet contrariè ἀτιμία. Rursum τὸ *sensati*, & τὸ *imprudentis*, non est in Græco: sic enim habet, *gloria & infamia in locutione: & lingua hominis, casus illius est*. Alludit ad illud: *Mors & vita in manu linguæ*, Proverb. 18. 21. Syrus, *honor & ignominia in manus eius qui loquitur; & lingua hominum deiicit eos*; Tigurina, *oratio tam gloriæ capax est, quàm ignominiæ: nec rarò lingua præcipitat hominem*. Huc facit proverbium Arabicum centur. 1. n. 75. *Cave, ne scindat lingua tua collum tuum*: Multi enim propter incontinentiam linguæ capite plectuntur. VERS. 15.

NON APPELLERIS SVSVRRO) Dat exemplum illustre linguæ imprudentis & bilinguis: susurro enim est bilinguis; quia coràm laudat, à tergo vituperat & mordet. susurro enim est, qui occultè maledicendo odium in aliquem aut dissensionem molitur, qualis est detractor, ita dictus à nomine *susurrus*, id est, occultum & submissum murmur, B quod de hominibus in aurem susurrantibus, vel de arborum foliis vento agitatis dicitur: vnde verbum susurrare, id est, furtim & submissa voce loqui. Hinc vocantur occulti, humiles, tenues, dubij susurri, de quibus Ovid. 12. Metamorph. VERS. 14.

Seditioque recens, dubiique auctore susurri:

id est, occulti rumores potiùs, quàm delationes. Græce, ψίθυρος, id est, susurrator, occultus delator, clandestinus vituperator, obtrectator. Inde ψιθυρίζειν, id est, susurrare, quod interpres Theocriti derivat ἀπὸ τοῦ ψιθυρίζειν τοῖς θύραις, ἤγουν τοῖς ὠσί, id est, tenuiter movere in audiendi ianuis. Pollux verò hoc hirundinum proprium esse ait lib. 5. Id alij vocant trinsare: nam sic ait Auctor Philomelæ carminis,

pupillat pavo, trinsat hirundo vaga.

Est onomatopœia: tam enim Græca vox ψίθυρος, quàm Latina *susurro*, à sono, quem edunt garruli & susurrantes, *sus*, *sur*, conficta videtur. ita Isidor. Hispalen. *Susurro*, ait, *de sono locutionis appellatur; quia non in facie alicuius, sed in aure loquitur de altero detrahendo*. Hinc Pythagoræ fuit C symbolum & dogma; *Hirundinem sub eodem tecto ne habeas*. quod. S. Hieron. secutus Aristotelem, interpretatur, abstinendum esse à commercio garrulorum & susurronum. Alij censent, Pythagoram hirundinis symbolo notasse conuictorem ingratum, parumque firmum & infidũ esse domo ablegandum. ita Plutarch. Symposiac. decade 8. Unde & Cicero (vel quisquis est auctor) in Rhetor. ad Herennium, hirundinem ait esse symbolum infidæ amicitiæ: hirundines enim ineunte vere aduolant, hieme instante avolant. Hinc Syrus vertit, *ne appelleris ambulans in duobus*, id est bilinguis & duplex corde. Hoc vitium exosum est Deo & hominibus. vnde de eo subdit Siracides, *Et lingua tua non capiaris* Syrus, *& lingua tua ne offendas*, vel impingas. Dum enim tua susurratio, duplicitas falsitas & fallacia deprehenditur, vti ordinariè fit, exploderis, confunderis & non rarò verberũ mortisq; adis periculum. Græcus habet: *Et lingua tua ne insidieris*, quia in tuas insidias & damna, quę susurrando proximo struis, ipse incides & capieris. Alludit ad Proverb. 26. 20. vbi graphicè susurronis perniciem depingit Salomon dicens: *Cum* D *defecerint ligna, extinguetur ignis; & susurrone subtracto, iurgia conquiescent*. Exemplum appositum de ancillis matris suæ Monicæ, eam apud socrum per susurros traducentibus, sed à socru castigatis, refert S. August. libr. 9. Confess. cap. 9. Subdit Salomon v. 22. *Verba susurronis quasi simplicia; & ipsa perveniunt ad intima ventris*. Bilingues ergo sunt quasi bisulci serpentes: quia aliud ore loquuntur, aliud in corde clausum retinent, iuxta illud Eccles. 10. 11. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit*. Quocirca Rabanus hic: *Susurronem*, inquit, *appellat detractorem, cuius confusio vera est, quia damnatio certa*.

Porrò susurratio eo peior & pestilentior est, quo maior est amicitia & amicorum copia. Talis est eorum, qui familias, congregationes, Religiones, vrbes, pro-

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

APpositè à susurrone transit ad amicum & amicitiam: ut enim ostendat, quantum malum sit susurratio, describit quantum bonum sit amicitia: hoc enim aufert susurro. Igitur est hic insigne encomium veræ amicitiæ, usque ad vers. 18. Inde ad finem docet, quàm sit ardua sapientia, quantoque nisu & studio prosequenda, inter externa enim bona principem locum tenet amicus & amicitia. Quocirca in inferno, ubi nullum est bonum, sed omne malum, nulla est amicitia, sed omnium inter se inimicitia & hostilitas tam enim dæmones, quàm damnati, invicem improperant, conviciantur & maledicunt.

NOli fieri pro amico, inimicus proximo: improperium enim & contumeliam malus hereditabit, &
omnis peccator invidus & bilinguis. 2. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus: ne
fortè elidatur virtus tua per stultitiam. 3. Et folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relin-
quaris velut lignum aridum in eremo. 4. Anima enim nequam disperdet, qui se habet, & in gaudium
inimicis dat illum, & deducet in sortem impiorum. 5. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat ini-
micos: & lingua eucharis in bono homine abundat. 6. Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi unus
de mille. 7. Si possides amicum, in tentatione posside eum, & ne facilè credas ei. 8. Est enim amicus se-
cundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis. 9. Et est amicus, qui convertitur ad inimi-
citiam: & est amicus, qui odium, & rixam & convitia denudabit. 10. Est autem amicus socius mensæ, &
non permanebit in die necessitatis. 11. Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, & in dome-
sticis tuis fiducialiter aget. 12. Si humiliaverit se contra te, & à facie tua absconderit, se unanimem habe-
bis amicitiam bonam. 13. Ab inimicis tuis separare, & ab amicis tuis attende. 14. Amicus fidelis, prote-
ctio fortis, qui autem invenit illum, invenit thesaurum. 15. Amico fideli nulla est comparatio, & non est
digna ponderatio auri & argenti, contra bonitatem fidei illius. 16. Amicus fidelis, medicamentum vitæ &
immortalitatis: & qui metuunt Dominum, invenient illum. 17. Qui timet Deum, æquè habebit amici-
tiam bonam: quoniam secundùm illum erit amicus illius. 18. Fili, à juventute tua excipe doctrinam, &
usque ad canos invenies sapientiam. 19. Quasi qui arat, & seminat, accede ad eam, & sustine bonos fru-
ctus illius. 20. In opere enim ipsius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius. 21. Quàm
aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa excors. 22. Quasi lapidis virtus,
probatio erit in illis, & non demorabuntur projicere illam. 23. Sapientia enim doctrinæ secundum nomen
est ejus, & non est multis manifesta: quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei. 24. Au-
di, fili, & accipe consilium intellectus, & ne abiicias consilium meum. 25. Injice pedem tuum in compedes
illius, & in torques illius collum tuum. 26. Subjice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis
ejus. 27. In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conserva vias ejus. 28. Investiga illam,
& manifestabitur tibi, & continens factus, ne derelinquas eam. 29. In novissimis enim invenies requiem in
ea, & convertetur tibi in oblectationem. 30. Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, &
bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ. 31. Decor enim vitæ est in illa, & vincula illius alligatu-
ra salutaris. 32. Stolam gloriæ indues eam, & coronam gratulationis superpones tibi. 33. Fili, si attende-
ris mihi, disces, & si accommodaveris animum tuum, sapiens eris. 34. Si inclinaveris aurem tuam, exci-
pies doctrinam, & si dilexeris audire, sapiens eris. 35. In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sa-
pientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, & proverbia laudis non ef-
fugiant à te. 36. Et si videris sensatum, evigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus. 37. Co-
gitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè assiduus esto, & ipse dabit tibi cor, &
concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.

VERS. 1. NOLI FIERI PRO AMICO INIMICUS PROXIMO] susurrando, & occultè ei detrahendo ac nocendo, uti præcessit & sequitur, (dum ait, *invidus & bilinguis*:) hæc enim pendent & deducuntur ex iis, quæ dixit de susurrone. Unde Rabanus iisdem connectit, annectitque capiti sexto, ac caput septimum, imò librum secundum Comment. inchoat à v. 5. *Verbum dulce multiplicat amicos*. Causam subdit: IMPROPERIUM ENIM ET CONTUMELIAM MALUS (iniquus) HEREDITABIT, ET OMNIS PECCATOR INVIDUS ET BILINGUIS] *&*, id est, præsertim (sic dicitur: *Dicite discipulis ejus, &*, id est, præsertim, *Petro*, quasi primo & capiti ceterorum, Marci 16. 7.) q. d. Omnis malus, velut justam malitiæ suæ sortem & pœnam illi debitam hereditabit probrum & contumeliam; sed præsertim eamdem hæreditabit peccator invidus & bilinguis, qui, scilicet, ex invidia & dolo clàm amico detrahit & & nocet. Hinc Græca habent: *Sic peccator bilinguis*, ut, scilicet, susurrando pro amico fiat inimicus, ideoque improperium & contumeliam hereditet. Unde Complut. addunt: *Sic peccator bilinguis ignominiam habebit*. Et Syrus incipiens à versu ult. cap. præced. sic nectit et vertit, *multum sive parvum ne noceas; & pro amico ne fias inimicus, ne nomen malum & ignominiam hæredites: &* (quia) *opprobrium & peccata super eum, qui ambulat in duobus*, id est super bilinguem & susurronem.

Taxantur ergo hic illi, qui instar polypi mentem & vocem variant, ac nunc se amicos, nunc inimicos exhibent: quales compares paliuro, qui teste Plinio lib. 13. 19. fructum dat succosum & vinosum, ideoque jucundum palato; sed quia spinosus, pungit manum. Sic enim & hi nunc mulcent, nunc pungunt. *Ut ibi inveniatur dolor, ubi putabatur auxilium*, ait S. Hieron. in Michææ cap. 7. vers. 4.

Robertus Holkot, natione Anglus, professione Dominicanus, qui sub annum Domini 1349. scripsit in septem prima capita Ecclesiastici, aliter hanc gnomen explicat, q. d. Ut amico gratificeris, noli quem alium proximum lædere, eique fieri inimicus: tum, quia nullius amici causa facienda sunt mala, nec amicitia permittit injuriam tertii: tum, quia pejus est unum efficere inimicum, quàm plures facere vel servare amicos. Amicus enim citò beneficii obliviscitur; inimicus autem injuriæ semper erit memor, eamque ulciscetur. Quocirca sapienter Pericles rogatus ab amico, ut sui causa pejeraret, respondit: *Amicus sum, sed usque ad aras*. Amicus enim

ab

ab amico nil debet petere iniquum: & si petat, reiiciendus est. Hinc & illud sapientis monitum: *Ita multis prosis, ut ne vel uni obsis.* Verum prior sensus est genuinus, ut patet ex dictis.

Vers. 2. et 3. NON TE EXTOLLAS IN COGITATIONE ANIMÆ TUÆ VELUT TAURUS: NE FORTE ELIDATUR VIRTUS TUA PER STULTITIAM, ET FOLIA TUA COMEDAT, ET FRUCTUS TUOS PERDAT, ET RELINQUARIS VELUT LIGNUM ARIDUM IN EREMO] Versu præced. vetuit dolum & hypocrisin: hic vetat animositatem & fastum, qui æquè ut dolus nocet proximo, & amicitiam dissolvit & evertit. Ita Rabanus. Sensus ergo est, q. d. Ne te extollas per cogitationem animæ, id est, animositatis, tuę, ut putes te omnia posse instar tauri, qui animositate sua cetera pecora & pecudes fugat, sternit & exagitat: quia sicut taurus cornupeta vel à feris, vel ab heris ligatur, concluditur, mactatur, itaque virtus, id est, animositas, ejus eliditur: ita pariter virtus, id est, fortis animositas, tua elidetur per stultitiam, eademque consumet folia tua, id est, ornatum & gloriam tuam cum omni fructu tuo, perinde ut taurus solet discerpere plantarum folia & fructus, quibus ipse cum ceteris armentis vesci poterat & debebat, ut animam, id est, vitam, conservaret. Porrò, *Ne sufficere nobis credamus*, inquit Rabanus, *si extollentiam vitemus, in actu, dicit: Non te extollas in cogitatione animæ tuæ: Deus enim inspector est cordis; & non secundum faciem, sed secundum veritatem unumquemque diiudicat; quem nemo potest per hypocrysin fallere: quia omnia nuda & aperta sunt oculis ejus: qui si interius animæ cervicatam ac tumidam cogitationem conspexerit, non ei placebit, sed allidetur virtus ipsius superbi per stultitiam elationis, & folia verborum ejus sunt vacua, & fructus operum inutiles, & velut lignum aridum non habens viriditatem dilectionis, inter steriles iniquorum actiones deputabitur.*

Hunc esse sensum patet ex Græco: sic enim habet; *Ne efferaris ob consilium animæ tuæ, ne quasi taurus anima tua discerpat te;* id est, *ne ut taurus plantas solet discerpere, ita tuum te perdat consilium: depascatque folia tua, deinde fructus tuos disperdat, & velut arborem destituat aridam.* ita Tigurina, licet Complut. & Romana legant in secunda persona, *depascas, disperdas, destituas.* Sed eodem redit sensus. S. Ephrem parænesi 26. sic legit: *Ne te extollas in cogitatione animæ tuæ, ne abripiatur velut taurus anima tua. frondes tuæ comedentur, & fructus tuos perdes;* Syrus, *ne tradaris in manus animæ* (animositatis) *tuæ, ut non quæras sicut taurus fortitudinem tuam. Folia tua decidere facies, & fructum tuum comedes, & feres te tamquam arborem aridam: quia anima crudelis disperdet dominum suum.*

Alludit ad historiam Nabuchodonosoris, qui suo imperio & robore fretus, sese extollens ut taurus, hac sua stulta superbia elisus, & mutatus est in bovem & taurum, ut quasi amens & brutus regno pelleretur, & ablegaretur in silvas ad bestias. Hęc stultitia ejus folia & ramos dejecit, quia splendorem regium illi abstulit. Eadem fructus ejus perdidit, scilicet, omnia opera regia, & tot regnorum administrationem. Denique eadem illum miserum & squalidum effecit, velut lignum aridum in eremo, destitutum, scilicet, omnibus amicis, familiaribus, subiectis, omnique humana ope & solatio. Lege Danielis ca. 4. & videbis omnia huic loco Siracidis ad amussim congruere & respondere.

Apologus asini. Huc facit apologus Æsopi illo ævo celebris (Æsopus enim ducentis annis Siracidem antecessit, ejusque prudentes mythi & apologi fuere celebres, & omnium ore triti) de asino & leone. Cum asino, inquit, gallus aliquando pascebatur. Leone autem aggresso asinum, gallus exclamavit, & leo (ajunt enim galli vocem timere) fugit. At asinus ratus propter se fugere, aggressus est statim leonem. Ut verò procul hunc persecutus est, quò non ampliùs galli perveniebat vox, conversus leo devoravit asinum. Hic verò moriens clamabat: *Me miserum & dementem! Ex pugnacibus enim non natus parentibus, cujus gratia in aciem irrui?* Asinus ergo hic notat stolidos, qui in superba virium suarum cogitatione & ęstimatione eliduntur & pereunt.

Ne glorieris in fortitudine. Antistrophus huic gnomæ est apologus rhinocerotis & corvi apud Cyrillum lib. 2. Apolog. Moral. c. 18. cujus titulus: *Contra superbientes ex robore. Superbus rhinoceros*, inquit, *maximo robore cornu sui inflatus, cùm vidisset corvum supra ripam quiescentem, præsumpsit eum vi mira cornu sui subvertere, ut se coram illo de gloria roboris ostentaret. Cùm igitur hunc fulmineo ictu percussisset, petra resistentis duritia impetum excipiens, acumen cornu fregit, & doloris pondere una cum luxato corpore, victum statim robur dedit. Cui deinde è tantis doloribus decumbenti, corvus cum risu obiecit dicens: Rhinoceros frater mi, ubi est cornu prævalidum tuum? ubi robur stupendum? nimirum quia in uno posuisti totum, uno perdito mox amisisti & totum. Nesciviisti parvam esse cujusvis virtutem corporis, nisi major simul adsit virtus animi? Tota namque* (Iudic. 14.) *illa mira vis Samsonis non ab ossibus tantum, sed à spiritu erat in capillis. Virtutis autem spiritus humilitas est. Hæc enim basis & fundamentum est corporis roboris & virtutum.* Unde epimythium sive fructum apologi colligit: *Crede igitur mihi, nihil superba validitate infirmius, nihilque humili debilitate potentius in hoc sæculo inveniri. Ferrum enim quanto durius est, tanto citiùs frangitur: & vitrum tanto faciliùs rumpitur, quanto ampliùs induratur. Verumtamen gutta mollissima saxum excavat, & teredo vermis tenerrimus lignum vastat; quin & spiritus fulmineus duriora destruit, molliora illæsa relinquit. Arcus etiam quanto magis curvatur, tanto validiùs telum vibrat. Quo dicto victum superbia unicornu dimisit.*

Apologus rhinocerotis.

Nil humilitate fortius. nil superbia debilius.

Nota. Animosos, impetuosos & violentos aptè comparat tauris, quia inter animalia vix ullum est, quod ex cornibus ita audeat, ex viribus ita confidat, ex animo ita superbiat, ut taurus. Vide Ælianum sub finem libri 3. Igitur tauri uti fortes & torosi, ita pariter animosi sunt, iracundi & furibundi; hinc taurus est armenti & vaccarum dux: taurus enim est bos ad procreandum reservatus. Causam dat Aristot. lib. 2. de Partib. animal. c. 4. quòd tauri sanguine, eoque fibroso & crasso abundent. *Timidiora* (animalia) ait, *sunt, quibus sanguis dilutus nimium est: metus enim refrigerat: quamobrem quæ exanguia, timidiora sunt sanguineis,* &c. *Quorum autem sanguis fibris admodum multis crassisque refertus est, hæc terrena ampliùs constant natura, & animosa, iracunda, proindeque furibunda sunt: ira enim calorifica est. Solida autem firmioraque omnia concalefacta, vehementiùs quàm humida calefaciunt: fibræ verò solidæ terreneæque sunt, itaque quasi fomenta in sanguine efficiuntur, fervoremque per iram accendunt. Ex quo fit, ut tauri & apri animosi iracundique furibundique sint: sanguis enim eorum fibris refertior est: & quidem taurorum sanguis omnium celerrimè coit & durescit.* Hinc Homerus Agamemnonem comparat tauro. est enim taurus symbolum regis, qui præcellit populo, sicut taurus armento, ut docet Diogenes orat. 2. apud Dionem. Hinc & Ioseph, quia fratribus præcellens, princeps fuit in Ægypto, à Mose comparatur tauro: *Quasi primogeniti tauri*, inquit, *pulchritudo ejus: cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ*, Deuter. 33. 17. Ubi pro *tauri*, Hebr. est שור *schor*, Chaldaicè תור *tor*, unde Latinum & Græcum *taurus*, Gallicum *taureau*, Hispanicum & Italicum *toro*. Hebr. enim dicitur *schor*, à rad. שור *schor*, id est, intendere, extendere, eò quòd taurus corpus habeat distentum & plenum; sive quòd oculos & aspectum habeat intensum, firmum & fixum: unde proverbium huic loco congruens, *Taurina phantasia, Tauricum tueri*, id est, torvè; *Taurinus obtutus*, pro fixo, severo, arroganti & feroci. Aristophanes in Ranis: *Itaque ore prono contuetur tauricum.* Et Socratismos erat, teste Platone, taurinis oculis intueri. Virgil. quoque bovem torvam vocat: *Optima torvæ Forma bovis.*

Taurus furibundus: Cur?

Sensus ergo est: q. d. Non te extollas in cogitatione tua, quòd putes te viribus, opibus, sapientia, amicis, famulis, &c. abundare, sicut taurus in phantasia sua ob robur se extollit, ut toti armento imperare & dominari velit, ne elidatur & confringatur virtus, id est, fortitudo, Græcè, ψυχὴ, id est, anima tua, putà, animositas, animosa, superba, ferox et taurina cogitatio animæ tuæ, *per stultitiam*, qua insolenter superbis, et majora viribus tentas, ac in potentiores impingis, ideoque ab eis deiiceris, sicut eliditur tauri virtus, dum indomita stultè invadit tauros æquè fortes, vel fortiores se, à quibus vel vincitur et sternitur, vel certè vis ejus domatur et infringitur. Sic hodie videmus multos viribus naturæ,

turæ, ingenii & gratiæ pollere, quibus magna præstare possent, si iis modestè, & temperanter uterentur; sed dum iis insolescunt, & plura sibi arrogant, vel tentant, quàm vires ferant, per stultitiam perdunt omne suarum virium, & donorum decus, vim & efficaciam. Quo fit, ut ipsa, scilicet, stultitia, vel potiùs virtus, qua stultè abutuntur, comedat folia eorum, & fructus eorum perdat, hoc est, omnem eorum decorem (folia enim sunt coma, & decus arborum) & fructum, quem aliàs protulissent, evertat & tollat; ita ut virtus, quæ ipsos decorare, & ditare debuerat, privet eos omni decore, & fructu; sic ut iis nudati relinquantur velut lignum aridum in eremo, scilicet, steriles, inglorii, & ad nihil utiles, nisi ut eradicentur, & in ignem mittantur, ut ait Christus Joan. 15. 6. Alludit rursum ad taurum, qui indomita sua feritate arborum folia comedit, & fructus disperdit, atque arborem desolat, & relinquit velut lignum aridum.

Huic vicinum est adagium cap. 4. 35. *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi.* Porrò superbiam vocat *stultitiam*: nam, sicut humilitas est sanitas animi; ita superbia est ejus insania: quia humilitas est veritas; superbia est vanitas, falsitas, vanaque de se opinio, stultitia & insania.

Superbia est stultitia.

Secundò, magis expressè, & appositè hæc referas ad dissociationem amicitiæ ex fastu, & fastidio amici, de qua totus hic est sermo. Pro quo Nota, & audi Aristot. lib. 6. de Natura animal. cap. 18. *Taurus*, inquit, *cum tempus coitus adfuerit, tum demum incipit communibus cum vaccis pascuis uti, cumque reliquis tauris dimicat. Nam ante id tempus inter sese pascuntur: quod quidem appellant* ἐπιμιγνύναι (quod aliqui vertunt *coarmentari*, quasi cum armento convenire; alii meliùs contrariè *dearmentari*, vel *abarmentari*, id est, ab armento se segregare.) *Sane qui in Epiro sunt tauri, sæpè trium mensium spatio non apparent.* Hoc festus vocat *negligere gregem*, alii *abgregari*, quod proprium est taurorum. Unde proverbium: *Abiit & taurus in silvam*, dici solitum in maritos superbos, et fastidiosos, qui uxores deserunt. Item, in amicos tumidos et insolentes, qui amicum, cùm eo fruiti fuerint, ejusque opes emunxerint, fastidiunt, et derelinquunt: sed, sicut taurus armenta fastidiens, et ex indomita libertate, fastu, et feritate fugiens in silvam, ibi sæpè ab aliis tauris, leonibus et ursis impetitur, et eliditur, (nam ut docet Aristot. lib. 9. Histor. animal. *à feris interimuntur tauri, ubi ab armento deerraverunt gregem relinquentes, gregisque divortia quærentes.*) ita pariter, qui amicum deserit, in inimicos incidit, qui eum elidunt, expilant, et subinde occidunt. Rursum, sicut taurus fugiens in silvam disperdit folia fructusque arborum, easque desolatas efficit, et relinquit velut lignum aridum in eremo: ita pariter qui subditos et amicos, quos ex officio in vita sociali soliti erant pascere, alere, docere, regere, itaque in Ecclesia erant velut arbores frugiferæ et foliis ornatæ, hi si eos temerè et superbè deserant, fastidiant et fugiant, omni hoc fructu, et decore se ipsos privant, omnique pristina gratia, utpote ad communem usum eis data, à Deo justo judice privabuntur, eruntque velut ligna arida in eremo. Hominum folia, putà ornamenta, sunt honor, gloria, amici, famuli, apparatus, splendor domesticus, etc. Horum omnium tinea est superbia, quæ hominis folia, velut vermis hederam Jonæ, exedit et devorat. Fructus hominis pii sunt opera sancta, quæ sunt merita cœli: hæc superbo pereunt; quia preterita nihil illi prosunt, futura parere nequit. Denique superbia relinquit hominem velut lignum aridum in eremo, desertum à Deo, Angelis et hominibus.

Porrò tauros à tauris in pugna vinci et elidi docet Virgil. Georg. 3.

Nec mos bellantes unà stabulare; sed alter
Victus abit, longeque ignotis exulat oris,
Multa gemens ignominiam plagasque superbi
Victoris, tum quos amisit inultus amores,
Et stabula aspectans regnis excessit avitis.

Aristot. quoque lib. 6. de Histor. animal. cap. 20. docet, tauros victores, post coitum quasi enervatos, à victis vinci et elidi. *Coit*, inquit, *qui vicerit: cumque is venere jam debilitatus languerit, aggreditur victus ille languentem & plerumque superat.*

Hinc Tertiò, nonnulli hęc referunt ad effusam libidinem divitum et potentum, q. d. Noli superbè et luxuriosè grassari in tuos, tibique subditos vel obnoxios, velut taurus potens et insolens, qui cum omnibus vaccis, prout ejus animæ, id est, phantasiæ & concupiscentiæ libuerit, miscetur: quia, sicut hic miscendo elidit et exhaurit suam virtutem et robur; ita pariter et tu tuam virtutem exhauries. Nihil enim tam vires hominis debilitat et enervat, ac libido, per illam enim semen, quod est nobilissimus sanguis, ac cum eo optimi spiritus vitales excernuntur. Rursum libido omnia folia & fructus, id est, omnem hominis virorem, ornatum, virtutes & merita consumat & disperdit, eumque facit exuccum, sterilem & marcidum, velut lignum aridum in eremo: superbiæ enim comes & filia est libido, æquè ac humilitatis comes & filia est castitas. Talis taurus inter suos fuit spurcissimus Lutherus, ejusque asseclæ, adeò ut etiamnum inter feminas eorum hæc infamis & satanica audiatur vox: Tauriza nos. Vide Cochlæum, Sanderum, Surium, &c. in Actis Lutheri & posterorum. Verum est hic illud Psaltis psalm. 67. v. 31. *Congregatio taurorum in vaccis populorum.* Porrò libido omnem veram amicitiam (de qua hic agitur) utpote quæ honestate nititur, dissuit & dissoluit: tantum enim eius est probrum, tantus naturæ horror, tantum luxuriosorum fastidium, ut eam, quam antè ardentissimè adamarant, iam à se vitiatam sæpe audire & videre non sustineant.

Denique in tauro repræsentatur & vetatur arrogantia, libido dominandi tyrannis, concupiscentia, insolentia, verborum asperitas, morum durities, barbaries, sævitia, crudelitas, feritas: taurus enim non agitur ratione, sed cogitationis & phantasiæ suæ impetu, quasi percitus œstro & furiis agitatus, unde horrisonum mugit & boat.

ANIMA ENIM NEQUAM DISPERDET, QUI SE HABET (id est, enim, qui habet animam nequam:) ET IN GAUDIUM INIMICIS DAT (aliqui legunt, *dedet*) ILLUM, ET DEDUCET IN SORTEM IMPIORUM] putà, ad ęternam miseriam, et gehennam. Grecus concisus est, et sic habet: *Anima enim improba disperdet possidentem se, & derisum inimicorum faciet se.* Animam *nequam*, id est, non utcumque malam, sed egregiè et insigniter malam (*nequam* enim ait Festus, *dicitur quod ne tanti quidem sit, quàm quod habetur minimi.* Et Varro ex *ne*, et *quidquam* media syllaba extrita derivat) vocat superbam, fastidiosam, crudelem et luxuriosam, qualem jam descripsit. Unde Syrus vertit, *anima dura* (crudelis) *disperdet* vel *corrumpet dominum suum, et lætitiam inimicis ejus faciet eum.* Quocirca Siracides animę durę et taurinę, quę amicitiam dissolvit, opponit animam suavem et dulciloquam, quę amicos, et amicitiam consociat, dicens: *Verbum dulce multiplicat amicos.* Vers. 4.

Moral. Notat hic tria gravissima damna, quę sibimet infert anima nequam, et maligna. Primum est, quòd se disperdat per lapsum in crimen lethale. Secundum, quòd se det in gaudium, et predam inimicis, tam hominibus, quàm dęmonibus. Tertium, quòd deducat eum in sortem impiorum, putà, in gehennam. Hujus symbolum est leo, qui dum prædam venatur, in foveam et caveam sibi à venatoribus paratam incautus irruit, ibique eorum fit preda et ludibrium, teste Plinio libr. 8. cap. 16. et S. Gregor. libr. 9. Moral. cap. 34. sic enim, et superbus, dum predari vult alios, preda fit ipse, et risus dęmonum. Hoc est, quod ait Job capit. 10. vers. 16. *Et propter superbiam quasi leænam, capies me, reversusque mirabiliter me crucias.* Ubi vide Sanctum Gregorium loco jam citato.

VERBUM DULCE MULTIPLICAT AMICOS, ET MITIGAT INIMICOS] Docet, modum parandi et conservandi amicos, esse sermonis suavitatem, quam per antithesin appositè superbę ostentationi, et ferocitati taurinę, quę omnes avertit et evertit, subiicit. Grecè, *guttur suave multiplicat sibi amicos*; Syrus, *os suave*, (id est, oris suavis, est Hebraismus, et Syrismus) *multiplicabuntur amici ejus.* Causam dat Palacius: Quia verbum, inquit, est vehiculum mentis. Igitur in verbo dulci dulcis mens vadit, effluit et illabitur instar sacchari in Vers. 5.

Verbum dulce amicat: cur

Digitized by Google

animum audientis, eumque totum dulcedine sua penetrat, imbuit, allicit, & in sui amorem rapit. Similiter & inimicus dulcedine verbi veluti musici concentus, audita, aures illi non occludit; sed aperit, ac per aures illud in mentem recipit, ejusq; dulcedine, quasi melle omne suum fel, id est, amaritiem, iram & odium, dulcorat, & ex inimico facit se amicum. Quare lingua dulcis est similis linguæ canis, quæ ulcera lambendo dolores lenit, plagisque corporis medetur: simili enim modo plagis animi quasi lambendo medetur lingua blandiloqua. Talis fuit lingua nostri R. P. Petri Canisii, Germanorum Apostoli, qua multos Deo, & dissidentes invicem conciliavit, ut vulgò diceretur linguam Canisii instar canis animorum esse medicam. Unde Husitarum in Canisium scomma:

Hinc procul esto canis, pro nobis excubat anser.

id est, Joannes Hus: Bohemi enim anserem vocant *hus*. Alludunt ad anserem, qui excubando servavit Romanos in Capitolio obsessos. Sic Orpheus dulci suo sermone quasi cantu dicitur movisse cautes & saxa, id est, saxea hominum corda. Id fecere alii. *Movit Amphion lapides canendo*. S. Mechtildis sua suaviloquentia omnes B rapiebat, adeò ut putarent se Angelum loquentem audire. ita habet ejus Vita. Hanc autem suavitatem hauserat ex Deo, & Christo crucifixo. Est enim Deus mare dulcedinis: ex hoc mari mentis & linguæ rivulus deductus, maris dulcedinem servabit. Excipe, quando improborum, et obstinatorum vitia acriùs sunt perstringenda, juxta illud: *Increpa illos durè, ut sani sint*, Tit. 1. 13. Hoc est, quod in sponsa poscit et commendat sponsus Cant. 4. 3. *Sicut vitta*, inquit, *coccinea, labia tua, & eloquium tuum dulce*.

Ratio à priori. Ratio à priori est, quòd suavitas & dulcedo in omni rerum genere, naturę accidat gratissima, eique melleum sit oblectamentum. Sic enim dulces sapores palato, dulces melodiæ auribus, suaves colores oculis sunt gratissimi. Hoc est, quod ait Ecclesiast. c. 40. 21. *Tibia & psalterium suavem faciunt melodiam, & super utraque lingua suavis*. Et Cicero de officiis: *Difficile*, ait, *est dictu, quantoperè conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis*. Hinc Antalcidas rogatus, quo pacto quis maximè placere possit hominibus, respondit: *Si loquatur illis jucundissime, præstet autem utilissima*. ita Plutarch. in C Laconicis. Exemplo sit Abigail, quę David ruentem in cædem Nabal mariti sui, sermone leni mitigavit, adeò ut mortuo Nabal eam in uxorem duxerit, 1. Reg. 25. Et David, qui simili suaviloquentia dulcoravit malignos Saulis spiritus. Et Gedeon, qui blando sermone lenivit & sopivit jurgia Ephrateorum, Judic. 8. 3. Mellitus enim sermo mellitam parit responsionem. Unde sponsa suaviloquium suum hausisse se docet ex suaviloquio Sponsi: *Guttur*, inquit Cant. 5. 16. *illius suavissimum; & totus desiderabilis*. Et cap. 2. 3. *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo*; hoc est, *sermo illius dulcis est fructus*, ait Gregor. Nyssen. orat. 4. in Cant.

Et lingua eucharis in bono homine abundat] Ita Romana. Retinuit Interpres vocem Græcam εὔχαρις, id est, *gratiosa*, uti nonnulli codices legunt. Aliqui pro εὔχαρις, legunt, εὔλαλος, id est, eloquens, diserta. Hæc *abundat*, scilicet, χάριτι, id est, gratia, quæ continetur in voce εὔχαρις, quia conciliat sibi omnes, omniumque sermones & corda. Hinc rursum *abundat*, id est, abundè fert fructum, ait Emmanuel D Sà: unde Gręca expressè & clarè habent: γλῶσσα εὔχαρις πληθύνει εὐπροσήγορα, id est, *lingua gratiosa multiplicat bonas loquelas*; Jansenius, *sermones affabiles*; Roman. *lingua beneloquens multiplicabit bonas salutationes*; Tigurina, *lingua diserta plurimas salutationes consequitur*; Syrus, *labia justorum, salutatio*, (salutis & pacis apprecatio;) *& salutatores*, (qui pacem tibi precentur) *tui multi erunt*. Significat ergo sermonis suavitatem esse illicem salutationis & affabilitatis, ut multi suaviloquum sequantur, salutent, aveantque cum eo miscere sermones & suaviter colloqui, ac suavitatem suavitati rependant, ut, quod Comicus dixit: *Si malè dixeris, pejus audies*, invertere hic liceat: *Si bene dixeris, melius audies*. Huc facit illud Salomonis Prover. 15. v. 1. *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem*. Et v. 4. *Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret* A *spiritum* Et v. 18. *Vir iracundus provocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas*.

Multi pacifici sint tibi; et consiliarius sit tibi unus de mille] *Pacifici*, Vers. 6.
Græcè non est, εἰρηνοποιοί, id est, qui pacem faciant, & discordes concilient; sed εἰρηνεύοντες, id est, in pace degentes, pacem servantes: q. d. Cum multis, id est, cum omnibus, quoad potes, pacem cole, & serva: at consiliarii sint tibi selecti, pauci & rari, adeò ut ex mille unum deligas, qui tibi sit à consiliis: quia pauci sunt prudentes, pauciores experientia pollentes, paucissimi secreti & fidi, qui sincerè & ex corde te ament, nec nisi tuum bonum quærant, juxta illud Salomonis Ecclesiastæ 7. 27. *Virum* (cordatum, fidum, sapientem, constantem) *de mille unum reperi. mulierem ex omnibus non inveni*. Et Prov. 20. v. 6. *Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inveniet?* Unde Gręcè est, *Consiliarii tibi sint unus è mille*; Syrus, *secreti tui conscius unus ex mille*; Vatabl. *fac benevolos habeas multos; at unum de mille consiliarium*. Huc pertinet illud Sapientis dictum: *Esto comis omnibus, familiaris paucis, blandus & blandiens nemini*. Et Theognis: *Tu*, inquit, *ne cum amicis omnibus communica: pauci sanè ex multis fidelem habent mentem*. Siracidi concinit Ben-Sira alphabeto 2. litt. *gimel*, dum ita sancit: *Patefac arcanum tuum uni è mille, licet; multi fuerint qui pacem tuam quærant*; qui, scilicet, tibi benè cupiant, tibique sint benevoli. Et istud Hesiodi: *Neque nullis sis amicus, neque multis*. quod citat Aristot. lib. 9. Ethic. cap. 10. causamque dat: Quia, ait, citra ullius amici consuetudinem vivere, injucundum & ferinum esse videtur. Rursum, nec vehementer amare possumus simul multos, nec pluribus morem gerere. Unde ait: *Multis amicus: nemini amicus*. Lucianus in Toxaride narrat, apud Scythas πολυφιλίαν, id est, complurium amicitiam, non aliter infamem fuisse, quàm apud alias gentes polygamiam, id est, pluralitatem uxorum. qua de re tamen diversum sentit Cicero lib. de Amicitia, & alii nonnulli.

Utramque sententiam & utrosque auctores concilies, si dicas, tres esse gradus amicitię. Primus est generalis, qui multos, imò omnes, satagit habere amicos. Unde D. Thomas 2. 2. q. 114. ait, amicitiam esse affabilitatem: quę virtus est specialis, qua quis se omnibus comem prębet & affabilem. Hos Siracides hic vocat *pacificos*, pro quo Auctor de Salut. docum. apud S. August. cap. 6. legit *amicos*: *Amici*, inquit, *tibi sint multi, sed consiliarius unus*. Secundus est particularis, qui paucos complectitur. Tertius singularis, qui paucissimos. Igitur amor naturalis & supernaturalis, putà, charitas dictat communem & generalem amicitiam posse & debere amplecti multos, imò omnes quoad fieri potest: strictam verò & specialem esse singularem, & unum dumtaxat, aut duos tresve ut summum complecti. Benevolentia ergo est erga multos; amicitia verò ergo paucos, juxta illud Dicearchi apud Plutarch. initio lib. 4. Sympos. *Omnium tibi benevolentiam concilia: amicitia autem cum bonis ini*.

Ratio à priori est, prima, quòd affectus, & amor hominis sit finitus, valdeque limitatus, & exiguus: quare, si in multos dividatur, & spargatur, erga singulos imminuitur, nequitque esse singularis, intensus et eximius. Unde Plutarch. lib. de Multitudine amicorum: *Sicut fluvii*, ait, *in multos deducti rivos, leviorem habent cursum: ita vehemens amor in multos dispersus, haud dubie marcescit*. Perinde ac calor collectus in furno, vel hypocausto, aperto ostio vel fenestra, in aerem dispergitur, et evanescit. Hinc et parentes, qui unam dumtaxat habent prolem, eam vehementissimè amant, utpote amore in unum collecto: si deinde plures generent, amor hic minuitur, et in plures spargitur. Secunda, quòd amicitia singularis, sit summa amicorum unio: hæc autem inter plures consistere nequit: tum; quia plura essentialiter uniri nequeunt, sed accidentaliter tantùm coagmentantur, uti lapides in fabrica domus: tum, quia inter plures varii, et sępe diversi, imò contrarii sunt affectus, indoles, sensus, judicia, quę in unum coire nequeunt: quot enim capita, tot sensus, tot affectus, tot judicia: diversitas autem affectuum, ęquè ac judiciorum, valdè diluit, et infirmat amorem, et amicitiam. Nam, ut ait Plutarch. libr. jam cita-

Amicitia est paucorum Ratio. prima.

Secunda.

vitato; *adigo amicitia est ex similitudine morum, affectuum & judiciorum. Quis vero instar polypi vel Protei est ita mutabilis, varius & laboriosus, ut se multis similem reddere & accomodare possit, aut velit? Amicitia est mores, affectus, sermonem, studia & animi sensum exaquare*, hæc Plutarch. Tertia est, quam dat Auctor de Amicitia apud S. August. cap. 11. quòd amicus amico sit intimus: *Cum amicus tui sit consors animi*, inquit, *cui spiritui tuum coniungas, & applices, & ita misceas, ut unum fieri velis ex duobus; cui te tamquam alteri tibi committas; cui nihil occultes, à quo nihil timeas*: hinc non nisi rarus esse debet, isque benè probatus & perspectus. Quartam dat Aristot. lib. 9. Ethic. cap. 10. quòd pluribus amicis convivere, subministrare, succurrere, satisfacere difficile, ac sæpè impossibile sit, dum non rarò cum altero collætandum, cum altero condolendum sit. *Neque enim*, inquit, *fieri posse videtur, ut multis vehementer amicus quispiam sit; neque ut plurium amore sit captus: exuperatio enim amicitiæ quædam esse consuevit: id autem erga unum est: & vehementer igitur* (amare) *erga paucos quoque erit*. Quintam dat hic Siracides: quòd consiliarij non possint esse multi; sed unus de mille: tum, quia inter plures non servatur secretum; tum, quia difficile est plures reperire tantæ prudentię, integritatis, rectitudinis, virtutis, quanta requiritur in consiliario, præsertim principis, vel ejus qui rem plurium administrat. *Quomodo enim*, ait S. Ambros. lib. 2. Offic. *potero judicare eum consilio superiorem; quem video moribus inferiorem?* Quomodo credam, illum ratione agi, qui passionibus & affectibus agitur? Quomodo ei mea credam, qui sua lucra aucupatur? Sextam dat Plutarch. lib. de Multitudine amicorum: *Etenim*, inquit, *ad genuinam amicitiam tria requiruntur potissimum; virtus, ut pulchrum; consuetudo, ut jucundum; usus, ut necessarium nam & cum judicio recipiendus est amicus, & consuetudo læta esse debet, & usus occasione exigente promptus. quæ omnia multitudini amicorum adversantur*. Et inferiùs probat idipsum ex dicto Pythagoræ: *Ne multis manum iniicias, id est, ne multos facias amicos*. Additque: *Oraculum Timesiæ in colonia ducenda quærenti, responsum fuit: Quære examina apum, vesparum, & habebis abunde. Ita, qui amicorum greges quærunt, incauti in inimicorum examina incidunt*. Denique idipsum patet in amicitia cum Deo: Deus enim solus, & singulariter vult amari à nobis ex toto corde, ita ut nihil amemus nisi ipsum, vel propter ipsum, juxta illud sponsæ Cant. 2. v. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia*. Hinc, quo magis quis mentem & amorem abstrahit ab hominibus rebusque creatis; eò magis se unit Deo, eique charior & intimior amicus efficitur. Unde S. Ægidius, socius S. Francisci, rogatus, Qua ratione quis ad perfectionem virtutis & amoris perveniret, respondit: *Una ad unum*. q. d. Una anima uni Deo in totum, se per fidem, spem, charitatem & contemplationem astringat, ut cum S. Magdalena audiat illud Christi: *Porrò unum est necessarium: Maria Optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, Lucæ 11.

Tertia. *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.*

Apologus amicitiæ.

In hanc gnomen ingeniosum erinacei & viperæ apologum, acutis eruditisque gnomis sententiosum scripsit Cyrillus lib. 1. Apologorum moral. c. 19. cujus titulus: *Esto amicus cunctis, intimus paucis, fidelissimus universis. Spinosum erinaceum cernens viperula, corticem ejus mirata dixit: Tu quis es? cui ille, Fidelis amicus, nam amicus is est, qui una tecum est anima; at verus est, cui si multum adhæseris, pungit. Nam qui verè diligit, in lusibus etiam corripit: & qui in facinoribus blanditur, odit. Ad hæc vipera dixit: Placet certè satis, quod amicitia sit intima unitas cordium: quod vero veritas ejus spina sit, minus placet: vera namque dilectio non in superficie, sed in re; non in asperitate, sed in tranquillitate fundatur. Nonne spina de radice maledictionis processit? Tunc erinaceus punctus hac invectiva subiunxit: Scio charissima, quod amor & odium in sola substantia radicentur; unde in venenosa lethalitate tua generalis inimicitia est, & in medicinali tua virtute amicitia est communis. Attamen dilectionis veritas falsitasque subiectæ substantiæ, notantur ex cortice. Verus enim amor desoris pungit, & mulcet intus; foris est acer, & intrinsecus dulcescit; exteriùs percutit, & interiùs medetur, est enim quasi medicina amara. Nam ut Aristoteles scribit, diligit quasi odiens senex. Et fideli David amatori dictum est, quod se oderat diligendo se*. Signa deinde Afficti amoris hæc profert: *Fictus enim amor oculorum nitet in lumine, sapit in ore, mulcet in aure, ridet in facie, placet in cute: intus tamen est venenum Sardiniæ, quia nimirum quos perimit, risu perire facit*. Sunt enim qui dicunt in Sardinia herbam nasci dictam Sardoam, quæ sapore dulcis, gustata tamen ora hominum in rictus dolore contrahit, indeque dictum risum Sardonium. ita Solinus & Servius in illud Virgilii eclog. 7.

Verus amicus corripit. *Falsus blanditur.*

Imo ego Sardois videor tibi amarior herbis.

Pergit erinaceus: *At fortè depicto cortice gloriaris? nempe basilisci rutilat oculus & occidit, scorpio priùs lingit quàm percutit, & dum ore blandè cutem emollit, cauda venenosum aculeum pestilentiùs figit: Sirena suaviter cantat, ut nautam stupefactum per naufragium devoret. & ubi magis periculosus est transitus, ibi aqua facies plus arridet. Spina ergo erinacea verus & sensatus amicus est, & pictura viperea fraudulentus*. Subdit deinde viperam ab erinaceo fœdus amicitiæ postulasse. *At ille* (erinaceus) *respondit: Ego certè amicus sum cunctis, intimus paucis, fidelissimus universis. Nam qui non omnes diligit, nullatenus ex virtute amavit. Et qui est intimus pluribus dilector; nullius est magnus: minuitur enim virtus, cum diverttitur. Sic mater plus diligit unicum, quàm si simul numerum habuisset natorum. Tamen si tandem vis audire, nulli ego intima dilectione astringor, nisi cujus virtutem longis temporibus, atque veritatem in mille calamitatibus comprobavi. Vinum enim novum novus amicus: sapit enim in ore, bullit in ventre, fallit in capite, latet turbulentum in face. Et ideo nolo tuus esse amicus. Amicus stultorum similis eis efficitur. Quo dicto repudiatam dimisit*.

Si possides amicum, in tentatione posside eum] To *possides* & *posside*, significant actum inchoatum, non perfectum: quare idem significant, quod *comparas* & *compara*. Heb. enim קנה *kana*, & Grecum κτᾶσθαι, & possidere; & comparare significat. Sic dicitur Proverb. 8. 22. *Dominus possedit*, id est paravit, genuit, *me*. Sensus ergo est. q. d. Si possidere paras amicum, si eum comparas ut possideas, para & compara eum per tentationem; nimirum, tenta & proba ejus fidem & amorem in rebus parvis antequam ei committas magna. Unde Tigurina vertit, *si paras amicum, tentationem parato, & probato illum, & ne citò ei credas*. Pronomen enim *teipsum*, quod addunt nonnulli, delendum est cum Græcis & Romanis. Vers. 7.

Prima ergo lex amicitiæ est, *Priùs delige amicum, quàm diligas: priùs proba, quàm ama*. Nam, ut ait Ennius: *Amicus certus in re incerta cernitur*. Et Beda in Proverbiis littera A: *Amicum res secundæ parant, adversæ probant*. Si ergo, antequam emas vasa, priùs ea inspicis; multò magis vitam eorum inspicere debes, quos tibi in amicitiam adiuncturus es, ait Antisthenes apud Laert. lib. 2. c. 8. Antonius in Melissa ex Menandro: *Aurum*, inquit *probari solet igne; amici vero benevolentia tempore arguitur: qui enim tempore secundæ fortunæ amico adulatur, temporis est amicus, non amici*. Igitur sicut in fornace argentum vivum, auro licet inhærens & amicissimum, mox liquatur, & abit: sic in tribulatione amicus infidus, licet anteà intimus, abit & amicum deserit: mobilis enim est instar hydrargyri. Idem rursum: *Equi usum asperitas viæ prodit, & amicum benevolum calamitates discernunt*. Poeta apud S. August. (vel Auctorem: non enim videtur esse S. August.) lib. de Amicitia cap. 3.

Prima lex amicitiæ. *Gnomæ de amicitiæ probatione per adversa.*

Non est personæ, sed prosperitatis amicus:
Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat.

Isocrates apud Maximum: *Amicos*, inquit, *ex vitæ calamitate, & periculorum participatione probatum: aurum enim igne probamus, amicos autem in rebus adversis dignoscimus*. Ab Isocrate sumpsit hoc Ovidius.

Scilicet, ut fulvum spectatur in ignibus aurum:
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Sicut Zeuxis morosè pingens, tarditatem ejus mirantibus respondit, se æternitati pingere: ita multo tempore, multisque adversis probata amicitia, perdurabit, ait Plutarch. de Multitud. amic. Hinc Antisthenes apud Laert. l. 2. c. 8. *Sicut vasa*, inquit, *explorantur pulsu & tinnitu, sic amicorum fides exploranda est tribulatione & rebus adversis*. Et Plut. *Sicut navis compagē probat tempestas: si enim sit firma & valida, illi resistet, sin autem, fatiscet & dissiliet:*

sic amici probandi sunt malorum incursu. Unde subdit Siracides: *Et non facilè credas ei teipsum.* Quia, ut sapienter ait Antiochus Abbas homil. 65. *cuilibet obvio concredere sui pectoris arcanum, peculiare est animæ prorsus ineruditæ, & quæ nihildum experta est decoris & honestatis.* Rationem à priori subiicit dicens: *Est enim amicus secundum tempus suum, & non permanebit in tempore tribulationis.* Nam, ut ait Seneca ad Lucilium epist. 9. *In quid amicum paro? ut habeam, pro quo mori possim; ut habeam, quem in exilium sequar. Detrahit amicitiæ majestatem suam, qui illam parat ad casus.*

Porrò Arabum proverbium centur. 2. num. 83. *Adiuvare fratrem* (amicum) *suum iniuriam facientem, aut patientem*, impium est & antichristianum: omne enim patrocinium iniuriæ & sceleris, iniuria & scelus est: proinde amici, qui amicos suo principi rebelles ad rebellandum iniustè adiuvant, rebellionem auctorant, ideoque lege talionis merentur, ut & ipsi sibi subditos experiantur perduelles; atque hæc amicitia durare nequit: illicò enim dissuitur, quod scelere consutum est. *Amicus ergo esto amico,* sed *usque ad aras.* Audi S. Hieron. in Michææ cap. 7. *Sed & nunc,* ait, *rara fides est, cum aliud in labiis, aliud in corde versatur: venenum animi, lingua mella tegunt. Amici divitum multi: à pauperibus autem, etiam qui videntur esse, discedunt. Unde dicitur: Si habes amicum, in tentatione posside eum. Legi in cujusdam controversiâ: Amicus diu quæritur, vix invenitur, difficilè*
B
servatur. Scripsit Theophrastus tria de amicitia volumina, omni eam præferens charitati; & tamen raram in rebus esse contestatus est. Subdit deinde: *Est & Ciceronis de amicitia liber, quem Lælium inscripsit, in quo illud, quod apud nostros præcipitur, ut sit nobis amicus quasi vinum vetus, & in suavitate bibamus illud; pene eisdem verbis positum est, Amicitia pares aut accipit, aut facit: ubi inæqualitas est, & alterius eminentia, alterius subiectio; ibi non tam amicitia, quam adulatio est. Unde & alibi legimus: Sit amicus eadem anima. Et Lyricus pro amico precans: Serves, inquit, animæ dimidium meæ. Nolite ergo credere in amicis, id est, his hominibus, qui de amicitiis sectantur lucra. Si vis vera amicitia delectari, esto amicus Dei; sicut Moses, qui loquebatur Deo quasi amicus ad amicum.*

Secundò, Τὸ *posside*, per metalepsin accipi posset pro *utere* quasi possessione tua: quæ enim possidemus, ea possidemus ad usum: q. d. *In tentatione*, id est, dum tentaris, tribularis, affligeris, tunc recurre ad amicum, ejusque auxilio & consilio utere, ut ex tribulatione emergas: qui enim tribulatur & tentatur, sibi non sufficit, nec suo judicio fidere debet, sed amici. Verùm prior sensus potior & germanior est, ut patet ex causa, quam subdit dicens:

Vers. 8. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis] Dat causam, cur ante amicitiam probandus sit amicus: quia, scilicet, multi sunt amici *secundum tempus suum*; id est, cùm eis est opportunum & commodum, cùm, scilicet, alterius ope & amicitia indigent, ut quod optant, consequantur, qui idipsum adepti & votis potiti abeunt, & amicum in tribulatione derelinquunt. Sic Alfonsus, Aragonum rex, testibus Panormitano & Ænea Sylvio in ejus Vita, amicos aulam frequentantes, ut officium vel beneficium aliquod obtinerent, vocabat vultures aulæ, qui eo, quod quærebant, adepto, illicò avolarent. Huc facit illud tritum:

Vulgus amicitias utilitate probat.

Unde Syrus vertit, *est amicus ad horam*, id est, horarius; *& non permanet in tempore tribulationis. In bonis tuis est sicut tu, & in malis tuis elongat se à te. Si cecideris, convertetur in te; & à conspectu tuo digredietur & abscondetur*; Tigurina, *sunt enim amici, quamdiu sibi opportunum est, qui tibi desint tempore calamitatis tuæ.* Sapienter Aristot. lib. 8. Ethic. cap. 4. *Vera*, ait, *amicitia est, non quam utilitas, aut necessitas; sed quam virtus & honestas concilians.* Idem lib. 7. Moral. Eudem. Amicitia, ait, virtute, non pecuniis aut forma concilianda est. Etenim, si rebus caducis concilietur, caduca sit & ipsa necesse est. Nihil autem in rebus humanis est stabile præter unam virtutem, quæ sola fortunæ ludibriis non est obnoxia. Et Seneca in Proverb. *Talem diligentiam exhibe in amicitiis comparandis, ne incipias amare, quem deinceps possis odisse. Tu primùm exhibe te bonum, & sic quæras alterum tui similem. Turpius nihil est, quàm cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris.* Diviniùs S. August. (vel auctor) lib. de Amicitia: *Amicitia mundialis*, ait, *est plena fraudis atque fallaciæ: nihil in ea certum, nihil constans, nihil securum; sed cum fortuna mutatur, & sequitur marsupium.* Unde *Salomon* (Siracides Salomonis assecla) *dicit: Est amicus secundùm tempus; & non permanebit in tempore tribulationis. Tolle spem quæstus, & statim desinet esse amicus.* Et Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 211. *Inimicitiam*, ait, *in aqua scribere oportet, ut illico aboleatur: amicitiam autem in æs incidere oportet, ut perpetuò firma conservetur.*

Et est amicus, qui convertitur ad inimicitiam] Hoc est secundum genus pseudoamicorum, qui, scilicet, ob levem offensam ex amicis fiunt inimici. Sunt enim aliqui adeò vel arrogantes, vel delicati, vel debiles, vel morosi, ut re minima quæ displiceat, offendantur, fiantque inimici. *Quidam inimici graves sunt, amici leves*, ait Seneca in Proverb. Cum talibus non est ineunda amicitia: verum enim est prover- Vers. 9.
B
bium, quod recitat Livius libr. 10. de bello Macedon. *Amicitias immortales, inimicitias mortales esse debere.* Verùm eò prolapsi sunt mores hominum, ut simultates sint immortales, amicitiæ plusquam vitreæ; plusque possit una Ate, quàm centum Litæ; atque omnium tardissimè senescat ira, benevolentia verò ad quamvis levem occasionem intereat. Idem censuit Aristot. 2. Rhetor. *Non est amicus*, inquit, *quisquis amare desiit.* Quocirca *mores amici noveris, non oderis*, ut vulgo dicitur: nimirum, in amicorum moribus quædam dissimulanda sunt, sic ut intelligantur quidem, sed tamen tolerentur, ne severior & oculatior in observandis amici malis, subvertas amicitiam: siquidem nulli futurus est amicus, qui nihil vitiorum in amico ferre possit. Denique celebris est gnome Aristot. lib. 7. Moral. Eudem. *Amicitia est stabilium, felicitas temperantium*, id est, eorum, qui sua sorte contenti vivunt. Porrò, sicut ex fortissimo vino fortissimum fit acetum; sic, si acescat amicitia, summa fit inimicitia, tum, quia læsio, quæ fit ab amico, est gravissima & intimè pungens: tum, quia quantus præcessit amor, tantum subsequitur odium, cùm amor ver-
C
titur in odium. Unde Plinius lib. 37. c. 4. *Ut adamas*, inquit, *si frangi contingat malleis, in minutissimas dissidit crustas, adeo ut vix oculis cerni queant; ita arctissima necessitudo, si quando contingat dirimi, in summam vertitur simultatem, & ex arctissimis fœderibus, si semel rumpantur, maxima nascuntur dissidia.*

Et est amicus, qui odium, et rixam, et convicia denudabit] Hæc sententia præcedentem explicat: q. d. Est, inquam, amicus, qui leviter ex amico conversus in inimicum, uti præcessit, revelabit tua secreta sibi à te communicata, præsertim convicia & probra, quę in odio & rixa in alium effudisti, vel alius in te effudit. In Gręco enim non est τὸ *amicus*, sed unica sententia hoc modo: *Et est amicus, qui convertitur ad inimicitiam, & rixam opprobrii tui denudabit.* Vel, ut vertit Tigurina, *sunt item amici, qui inimicos conversi, opprobrium tuum per rixam proferant.* qui, scilicet, leviter rixantes tecum, in rixa tua secreta & probra occulta propalent; ut sit hypallage: *rixam opprobrii*, id est, *opprobrium rixæ*, id est, opprobrium in rixa, per rixam proferant. Hęc amicitia est feminea. ma-
D
sculi enim amoris est, ab amico offensum, in amicitia perseverare. Qui enim penitius amat, & quasi in naturam amoris transiit, is quantumlibet offensus, & conviciis proscissus, non concipiet odium; imò sentiet sibi amorem accendi, velut fornax accensa, cui aliquantum inspergitur aquæ; & velut ignis, qui flabello agitatus magis inardescit. Unde S. Hieron. epist. 41. ad Ruffin. *amicitia*, inquit, *quæ desinere potest, vera numquam fuit.* Et S. Chrysost. homil. 61. in Matth. *Charitas*, inquit, *quæ Christi causa fundatur, firma, stabilis, atque invicta est; nec ulla obtrectatione, ullis periculis, non morte, non alia re temporali conquassatur.* Et Cassianus collat. 16. cap. 3. *Hæc amicitia*, ait, *sola similitudine virtutum juncta est, quæ in nullis umquam casibus scinditur: quam non solùm dissociare vel delere locorum vel temporum intervalla non prævalent; sed ne mors quidem divellit.*

Est autem amicus socius mensæ, (Gręcè, Vers. 12.

parti-

participes mensarum, ET NON PERMANEBIT IN DIE NECESSITATIS] Græcè, θλίψεως, id est, *afflictionis*, Vatabl. *est amicus quispiam, ut mensa sit particeps, qui tempore calamitatis tuæ te deserat*. Tales vulgò vocantur amici ollares, & parasiti, quibus aulæ æquè ac popinæ abundant. Hæc enim est ollæ amicitia, quam patina non benevolentia conciliat, cui illud occinitur: ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία. *Fervet olla, vivit amicitia*, de qua Juvenal.

Amicitia ollaris.

Te putat ille suæ captum nidore culinæ,
Nec malè conjectat.

Hos Eupolis vocat *amicos inter prandium, & juxta sartaginem*. Huc facit adverbium Hebraicum in Gemara: *Ad ostium tabernæ fratres, & amici: ad ostium carceris, neque fratres, neque amici*. q.d. Ad fores œnopolii, & tabernæ omnes præstò sunt, salutantes officiosè tabernarium, ut possint cum eo simul potare: at si viderint hominem capi, & duci in carcerem, illicò omnes ab eo diffugiunt; imò ne unus quidem ad eum respicit, juxta illud Poetæ:

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Nam, ut hirundines æstivo tempore præstò sunt, frigore pulsæ recedunt: ita tales amici sereno vitæ tempore præstò sunt; sed simulatque hyemem fortunæ senserint, devolant omnes, ait auctor ad Heren. libr. 4. Sic & Seneca ac Pythagoras infidos amicos comparant hirundinibus.

Est hæc tertia species pseudoamicorum, qui non tui, sed sui ventris, & gulæ sunt amici, ac proinde ea deficiente pariter deficiunt. Verum enim est illud: *Felicitas multos habet amicos*. Et: *Felicibus cognatus est quilibet*. Ex adverso: *Perit honor amicorum afflictio viro, paucique in rebus adversis fidi mortales ad laboris societatem*, ait Pindarus in Nemæis, ode 10. Huc pertinet proverbium Hebræum: *In domo sua hospes, in aliena paterfamilias*. Est enim genus hominum, qui domi parsimoniam colunt, foris luxu diffluunt: quoniam aliena vorant, ut sua; & suis parcunt, ut alienis: in propria mensa formicæ, in aliena vultures: cujusmodi Demea fingitur in Adelphis Terentii. Præclarè Cicero de Amicit. *Plerique*, ait, *in rebus humanis bonum non norunt, nisi quod fructuosum sit, & amicos, tamquam pecudes, eos potissimùm diligunt, ex quibus sperant, se maximum fructum esse capturos: ita pulcherrima illa, & maximè naturali carent amicitia per se, & propter se expetenda.*

VERS. 11. AMICUS SI PERMANSERIT FIXUS, ERIT TIBI QUASI COÆQUALIS, ET IN DOMESTICIS TUIS FIDUCIALITER AGET] Post diversas species, quibus falsos amicos expressit, ad veri amici pervenit demonstrationem, ait Rabanus. Sensus est. q.d. Ubi inveneris fidum firmumque amicum, habeto eum ut æqualem, esto eo sis major, cum eoque age familiariter quasi cum æquali. Nam, ut ait Alcuinus, sive Albinus Flaccus, disp. cum Pipino, Caroli Magni filio: *Quid est amicitia? Æqualitas amicorum*. Est enim *amicus, alter ego*, ait Aristot. & amicitia æquales aut invenit, aut efficit, ait Cicero libr. de Amicitia: ac proinde permitte ei, ut inter domesticos tuos liberè agat, eos vice tui monens, juvans, dirigens, quasi causam tuam agens, & de commodis tuis sollicitus. Unde, cùm Darii uxor, Hephæstionem putans Alexandrum venerata, errore agnito pudefieret, Alexander eam consolans: *Ne molestè feras*, inquit, *nam & hic Alexander est*. ita Curtius in vita Alexandri.

SI HUMILIAVERIT SE CONTRA, id est, coram, TE, ET A FACIE TUA ABSCONDERIT SE, ex modestia, verecundia & reverentia subinde subducens se; nihilominùs UNANIMEM, id est, per omnia consentientem, HABEBIS EJUS AMICITIAM BONAM] q.d. Esto, amicus tuus sit verecundior & modestior; non idcircò eum parvipendas, sed potiùs eò chariorem habeto: quia, cùm jure amicitiæ posset amica erga te libertate uti; tamen ex modestia ea abstinet, imò hoc ipso magis agnoscere debes bonam, & unanimem ejus amicitiam, de eaque tibi gratulari, quòd, scilicet, se tibi subjiciat, teque honoret, & revereatur, quasi tibi subditus, cùm sit æqualis. Subditi enim sinceri, quia obedientes, magis sunt unanimes cum Superiore suo, quem amant, & reverentur, quàm amicus cum amico sibi æquali. Alludit ad illud Proverb. 18. 24. *Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater*, de quo plura ibidem. Huc facit proverbium Arabicum, quod extat centur. 2. n. 75. *Cùm fuerit amicus tuus mel, ne comederis eum totum*. Multi enim abutuntur bonitate, & liberalitate amicorum. Et Cicero de Amicit. *Amici*, ait, *non solùm colent inter se, ac diligent; sed etiam verebuntur: nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam.*

Secundò, Palacius sic exponit: quasi dicat, Sicubi contingat amicum tuum errasse, & præ errati pudore humiliat ille se coram te, ac ex verecundia vultum abscondit, id boni amici & amicitiæ certum habeto signum. Desperata enim est sanitas amici, quem sui peccati non pudet. Tertiò, idem: quasi dicat. Amicus, qui tua commoda absens gerit, unanimis habendus est, qui res tuas acturus humiliat, declinat & abscondit se à te, is verus amicus habendus est.

B Rabanus, & eum secutus Jansenius, priorem versum, undecimum scilicet, referunt ad verum amicum; posteriorem verò hunc duodecimum referunt ad fictum: sic enim legunt: *Si humiliaverit* (amicus fictus fictè) *se contra te, à facie tua abscondet se*, in tempore necessitatis se, suamque opem tibi subducet. Igitur *unanimem habebis* (id est, habeto, & quærito) *amicitiam bonam*. Ratio eorum est: quia hic sensus magis accedit ad textum Græcum. Verùm hæc dura, hiulca & distorta videntur, multaque supplent, quæ in textu non habentur, imò à lectione Vulgata dissentiunt. Accedit, quòd vers. 12. nulla ficti amici fiat mentio, quodque versus ille planè pendeat à v. 11. quo agitur de amico vero. Igitur de eodem uterque versus accipiendus est eo sensu quem initio recensui.

Porrò Græca hic, tam à Rabano, quàm à Vulgata versione toto cælo distant, eique quasi contraria sunt: omnia enim hæc accipiunt de amico falso, qui est socius mensæ, de quo dictum est vers. 10. De eo ergo sic dicitur vers. 11. & 12. *Rebus tuis secundis erit sicut tu* (tibi blandietur, tibi se accommodabit, tuo more se geret,
C ait Vatabl. *& in domesticos utetur libertate* (Vatabl. potestatem exercebit quasi rem tuam agens.) *Quòd si dejectus*, humiliatus, afflictus *fueris, erit contra te, & à facie tua occultabitur*. Græcum de more sequitur Syrus; sic enim vertit: *in bonis tuis est sicut tu, & in malis tuis elongas se à te: si cecideris, convertitur in te, & à conspectu tuo digredietur & abscondetur.*

Nota. Amicitiam veram indigitat *unanimem*; tum, quia, *ubi unanimitas est inter amicos, ibi stabilitas est amicitiæ*, ait Rabanus; tum, quia amicorum est idem velle, idem nolle, hoc est, esse unanimes, & consentire judicio, æquè ac voluntate; tum, quia gustus, sapor, dulcedo, medulla & quasi anima amicitiæ est, amicorum concordia & unanimitas. *Quid enim est amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adjungas atque applices, & ita misceas, ut unum velis ex duobus? cui se tamquam alteri tibi committas? Non enim vectigalis est amicitia; sed plena decoris, plena gratiæ & virtutis*, ait Rabanus. Et Abbas Joseph apud Cassian. collat. 16. quæ est de amicitia, capit. 3. *Hæc est*, ait, *amicitia fida insolubilisque conjunctio, quæ sola virtutum*
D *parilitate fundatur: Dominus enim inhabitare facit unius moris in domo*: Psalm. 67. *Et idcircò in his tantùm indirupta potest dilectio permanere, in quibus unum propositum ac voluntas, unum velle ac nolle consistit. Quam si vos quoque cupitis inviolabilem retentare, festinandum est vobis, ut expulsis primitus vitiis, mortificetis proprias voluntates, & ut unito studio atque proposito, illud, quo Propheta admodum delectatur, gnaviter impleatis: Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum!* psalm. 132. Vide eum cap. sequenti, ubi quinque ad hanc unanimitatem media suggerit. Primum, est contemptus opum & mundi. Secundum, mortificatio voluntatis. Tertium, ut omnia postponat bono charitatis & pacis. Quartum, ut credat, nec justis, nec injustis de causis penitùs irascendum. Quintum, ut fratris iracundiam adversus se etiam sine ratione conceptam, eodem modo, quo suam, curare desideret. Denique, ut se de hoc mundo credat quotidie migraturum. Causam verò initio capitis 3. præmittit dicens: *In his*

bis igitur cunctis unum est genus insolubile charitatis, quod nec commendationis gratia, nec officii vel munerum magnitudo, contractusque cujusquam ratio, vel naturæ necessitas jungit; sed sola virtutum similitudo. Quin & Cicero libr. de Amicitia, eam sic definit, *Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum, humanarumque rerum cum benevolentia & charitate summa consensio.* Rursum: *Amicitia est sanctissima illa & familiarissima conjunctio inter duos aut tres, ex mutuo amore conflata: in qua est omnium studiorum ac voluntatum summa consensio. Amicitiæ vis in eo est, ut unus quasi animus fiat ex pluribus.* Præclariùs S. Ambros. lib. 3. Offic. in fine: *Qui est unanimis*, inquit, *ipse amicus est: quod unitas animorum in amicis sit, neque quisquam detestabilior, quàm qui amicitiam læserit. Unde in proditore Dominus hoc gravissimum invenit, quo ejus condemnaret perfidiam, quod gratiæ vicem non repræsentaverit, & conviviis amicitiæ venenum malitiæ miscuerit. Itaque sic ait: Tu verò homo unanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. Hoc est, non potest sustineri istud, quia unanimis appetisti eum qui tibi donaverat gratiam. Nam, si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, & ab eo qui me oderat, absconderem me.* B *Inimicus vitari potest, amicus non potest, si insidiari velit. Illum cavemus, cui non committimus consilia nostra: hunc cavere non possumus, cui commisimus. Itaque ad exaggerandam peccati invidiam non dixit: Tu vero servus meus, Apostolus meus, sed, Unanimis meus: hoc est, non meus, sed etiam tuus proditor es, qui unanimum prodidisti.*

Amicitiæ definitio.

Ex dictis colligas, amicitiam variè posse describi & definiri. Nonnulli veterum, ait Aristot. lib. 8. Ethic. cap. 1. amicitiam definiverunt esse similitudinem. Sed similitudo est causa amicitiæ, non ipsa amicitia. Hesiodus apud Platonem in Lyside: *Amicitia*, inquit, *est consensio similium.* Alii ex adverso: *Amicitia*, inquiunt *est consensio dissimilium*, Plato ibidem; *Amor*, ait, *& amicitia, est appetitio ejus quod proprium, & cognatum est, ex indigentia consurgens.* Verùm hæc definitio nimis lata est, & cuivis amori competit. Cicero lib. de Amicitia: *Amicitia est voluntatum, studiorum, sententiarumque summa consensio.* Hæc descriptio potiùs ex fructibus, & effectibus amicitiæ, quàm essentiæ ejus definitio. Aristot. libr. 8. Ethic. cap. 2. & 7. *Amicitia*, inquit, *est, amicum amico velle bona ejus ipsius causa, non latenter, sed apertè* amorem suum amico manifestando. S. August. (vel quisquis est auctor: ex stylo enim liquet non esse S. August.) lib. de Amicitia, c. 7. *Ego*, ait, *amicitiam nihil aliud esse credo, quàm inter duos tantam voluntatum societatem, ut nihil velit unus, quod alter nolit: & ea sit inter utrosque in bonis malisque consensio, ut non spes, non sensus, non honor, non quidquam, quod alterius sit, alteri denegetur, ad vivendum pro voluntate, & ad utendum, ut unusquisque, sicut erga se, ita afficiatur erga proximum in omni officio et sequio, quod rependat invicem.* Breviùs alii: *Amicitia est summus quidam tempore, & consuetudine confirmatus amor mutuus duorum, aut ad summum trium, ex morum virtutisque similitudine profectus.* Alii pleniùs magisque disertè & dialecticè: *Amicitia est proborum hominum mutuus, conspicuus, confirmatusque amor, ex probitatis cognitione consurgens, ad vitæ honestæ conjunctionem perducens.* Ecce hic sunt omnes amicitiæ causæ. Formalis, est mutuus amor; materialis, sunt duo, vel tres invicem amantes: efficiens, est probitatis cognitio: finalis, *ad vitæ honestæ conjunctionem perducens.* Rursum S. August. lib. 3. contra Academ. cap. 6. in fine; *Amicitia*, ait, *rectissimè atque sanctissimè definita est* (à Cicerone) *rerum humanarum & divinarum cum benevolentia & charitate consensio.*

Amicitiæ descriptiones variæ.

VERS. 13. AB INIMICIS TUIS SEPARARE, ET AB AMICIS TUIS ATTENDE] Est hæc quasi conclusio dictorum de amicis veris & fictis: q. d. Igitur, quos nosti tibi inimicos, devita, caveque in omnibus, ne tibi ulla in re nocere valeant: amicis verò ne nimis confidas; tum, quia multi sunt falsi fictique amici, aut ex amicis mutantur in inimicos, uti præcessit; tum, quia amici subinde seipsos quærunt, & nimia libertate ac licentia, amici incommodo ad sua commoda abutuntur. Syrus, *ab inimico tuo elongare, & ab amico tuo esto cautus.* Hinc illud Poetæ:

Fallere difficile est inimicum: at amicus amicum
Fallere non magno, Cyrne, labore potest.

Antigonus rex, teste Plutarcho, quotidie rogabat Deum, ut se ab amicis protegeret: rogantibus, cur non potiùs ab inimicis, respondit: Quia hos cognitos vitare possum illos verò fictos & fucatos cavere non possum.

Vatabl. vertit, *inimicos tuos devita, & ab amicis cave tibi.* Nihil ergo coram, vel cum inimicis age, nihil loquere, nisi benè præmeditatum. Nam livor, & odium eorum omnia tua facta, & dicta sinistrè interpretatur, omnia in pejorem partem torquet, carpit, accusat, damnat; sapiens tamen iis omnibus sapienter uti novit, omniaque in suum commodum convertit, memor illius dicti Catonis apud Cicer. de Amicit. *Melius in quibusdam acerbi inimici merentur, quàm ii amici, qui dulces videntur: illi enim sæpè verum dicunt, hi numquam. Nulla enim in amicitiis pestis est major, quàm adulatio, blanditia, assentatio: delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest.* Porrò S. Ambros. lib. de Bono mortis, cap. 7. hunc locum sic legit & explicat mysticè: *Non credamus nos huic corpori, non misceamus cum eo animam nostram: Cum amico, inquit, misce animam tuam, non cum inimico. Inimicum tibi est corpus tuum, quod repugnat menti tuæ, cujus opera inimicitiæ, dissensiones, lites, perturbationesque. Noli cum eo miscere animam tuam, ne utrumque confundas.*

Nota τὸ *& ab amicis tuis attende.* significat enim subinde perfidos, subinde infidos, esse vel fieri amicos, ut proinde eis non sit fidendum, præsertim ubi res propria agitur. Extat hac de re insignis apologus apud Gellium libr. 2. cap. 29. cassitæ (alaudæ,) quæ nidum, & pullos collocarat in segete; cumque herus eam demessurus convocaret amicos, deinde vicinos, cassita pullos monuit, ut securè consisterent, nihil enim effectum iri. Ita factum: amici enim & vicini suis occupati non venere ad metendum. Id videns herus detestatus amicorum infidam societatem, dixit filio: *Affer prima luce duas falces: unam egomet mihi, & tu tibi capies alteram: & frumentum nosmetipsi manibus nostris cras metemus. Id ubi ex pullis dixisse dominum mater audivit: Tempus, inquit, est cedendi, & abeundi: fiet nunc dubio procul, quod futurum dixit. In ipso enim jam vertitur, cujas res est; non in alio, unde petitur. Atque ita cassita nidum migravit, & seges à domino demessa est. Hæc quidem est Æsopi fabula de amicorum, & propinquorum levi, & inani fiducia. Sed, quid aliud sanctiores* C *libri Philosophorum monent, quàm ut in nobis tantùm ipsis nitamur? alia autem omnia, quæ extra nos, extraque nostrum animum sunt, neque pro nostris, neque pro nobis ducamus? Hunc Æsopi apologum Ennius in Satyris, scitè admodum & venustè versibus quadratis composuit, quorum duo postremi isti sunt: quos habere cordi, & memoriæ operæ pretium esse hercle puto:*

Apologus alaudæ.

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm:
Ne quid expectes amicos, quod tu agere possis.

Huc usque Gellius. Huc facit Italorum adagium: *Qui vuole, anda; qui non vuole, manda*; hoc est, qui efficaciter vult, ipse vadit ad rem conficiendam: qui non vult, mittit amicos vel famulos.

AMICUS FIDELIS, PROTECTIO FORTIS: QUI AUTEM INVENIT ILLUM, INVENIT THESAURUM] Græcè, [illegible], id est, *invenit*, in præterito; Syrus, *amicus veritatis* (id est, verus) *amicus est fortitudinis* (id est, fortis, imò quasi ipsa fortitudo, & robur amici) *& qui illum inveniunt, inveniunt thesaurum*; Vatabl. *amicus fidus, præsidium validum est; qui talem nactus est, thesaurum invenit.* VERS. 14.

D Incipit hic recensere commoda, & elogia veræ amicitiæ. Primum est, quòd sit *protectio fortis*; Græcè, [illegible], id est, tegmen, tegumentum, velamentum, tutela, præsidium ([illegible], enim est tego, operio, munio, prætexto) forte, robustum, validum, firmum, potens, violentum, quod omnia vincat & superet. S. Gregor. Nazianz. orat. 6. ad Gregorium Nyssenum: *Amicus*, inquit, *fidelis protectio fortis, munitum palatium.* Et inferiùs: *Amicus fidelis, solatii portus.* Et alibi *asylum tutissimum* nuncupat, *navemque contra omnes tempestates munitissimam.* Sic & Isidorus Pelus. amicitiam vocat *panopliam fortissimam.* Causa est, quam dat Cicero lib. de Amic. *Inter amicos, ait, omnium rerum, consiliorum & voluntatum sine ulla exceptione sit communitas.* Et Seneca epist. 48. *Consortium rerum omnium facit amicitia.* Et l. 6. de Benefic. c. 12. *Non sic mihi cum amico communia omnia sunt, quomodo cum socio, ut pars mea sit pars illius: sed quo-*

Commoda amicitiæ. Primum.

quomodo patri matrique communes sunt liberi. Amicus ergo fidus amici non tantùm substantiam & famam, si illa à raptore vel detractore lædatur, tam verbo, quàm consilio & auxilio protegit; sed & vitam, conscientiam & animam à morte præsenti & æterna tuetur, imò vitam propriam pro amici vita discrimini exponit, uti fecere Nysus & Euryalus apud Virgil. 9. Æneid. Pylades & Orestes, Damon & Pythias, teste S. Ambr. lib. 2. de Virgin. ac præstantiùs S. Basilius, & S. Gregor. Nazianz. de quo idem orat. 20. in S. Basil. *Ne: nobiscum*, ait, *Gentiles, Orestes suos & Pylades ullo modo conferendos putabant, nec Molionidas illos Homerico versu celebratos, quos calamitatis societas atque ars egregie aurigandi nobilitavit, eodem tempore frena & verbera inter se patientes*. Sic Abraham ostendit se amicum Lot, dum eum cum vitæ suæ periculo è manibus hostium liberavit, Genes. 14. & Chusai Davidi, cùm Achitophelis consilia apud Absalonem Davidem patrem persequentem discussit, 2. Reg. 17. Sic Jonathas Davidem amicum apud Saulem ab omni injuria protexit, juxta illud Eccles. 4. 10. *Si unus ceciderit, ab altero fulcitur*, &c. *Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei; funiculus triplex difficilè rumpitur*.

Porrò nullus justo est amicus fidelior & fortior Deo. Hic ergo ejus est fortis protectio, arx & asylum in omni tentatione & adversitate, juxta illud psalm 90. 1. *Qui habitat in adjutorio* (Heb. *in latibulo*; Chald. *in secreto*; Hieron. *in abscondito Excelsi*,) *Altissimi, in protectione* (S. Hieron. *in umbraculo*; Chal. *in umbra millium gloriæ, omnipotentis*) *Dei cæli*; Hebr. *Saddai*, id est, sufficientissimi, qui sufficit protegere contra omnia mala, & dare omnia bona, ut justus Dei ope nixus nihil sub cælo timeat, ait S. Bernard. *commorabitur*, Hebr. *pernoctabit*, noctu securus erit. *Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum*) *Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero, scapulis suis obumbrabit tibi*. Lege sequentia. Vide S. Aug. hom. 38. inter 50. ubi docet, veram amicitiam non esse, nisi quæ Deo nititur & conciliatur. *Incipiat*, ait, *homo amare Deum, & non amabit in homine nisi Deum. Nihil delectabilius Deo. Nam in homine sunt quæ offendant: Deus non est, qui te offendat, si tu eum non offendas: nihil illo pulchrius, nihil dulcius. Si pulcher est mundus, qualis artifex mundi? Evelle ergo cor tuum ab amore creaturæ, ut inhæreas creatori, ut dicas, quod in Psalmo scriptum est: Mihi autem adhærere Deo bonum est. Si autem deseris eum qui te fecit, & amas illa quæ fecit, deserto illo qui te fecit, adulter es*, &c. *Amicum gratis amas, & ad hoc eum amas, ut tecum amet Deum*. Hæc & plura sparsim eo loco S. August. Idem serm. 256. de Temp. *Dominum*, ait, *amemus, quo nihil melius invenimus: ipsum amemus propter ipsum, & nos in ipso, tamen propter ipsum. Ille enim veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo. Hæc est vera dilectio; propter aliud si nos diligimus, oderimus potius, quàm diligimus*. Idem (vel quisquis est auctor: stylus enim humilior & jejunior arguit non esse S. Aug.) li. de Amicitia, to. 4. *Constat mihi*, inquit, *Tullium vera amicitia ignorasse virtutem, cùm ejus principium finemq; Christum, penitùs ignorarit, qui est α & ω, principium & finis omnium laborum. Vera amicitia non potest esse inter eos qui sine Christo sunt*. Et S. Ambros. 3. Offic. cap. 15. *Non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus. Pietatis custos amicitia est*.

Amicitiæ commodū secundum Secundum amicitiæ commodum est, quòd ipsa amico sit thesaurus, id est, res pretiosa, dives, opulenta, quæ illi rerum copiam, æquè ac voluptatem afferat. Quocirca Cyrus apud Xenophontem ait, *optimè pecunias apud amicos deponi, neque ullos eis tutiores ac fideliores esse thesauros*. Et Seneca: *Hæ sunt divitiæ certæ*, inquit, *in quacumque sortis humanæ levitate uno loco permansuræ: quæ quo majores fuerint, hoc minorem habebunt invidiam*. Alexander Magnus rogatus ubi thesauros haberet: In amicis, inquit, ita Maxim. serm. de Amicitia. Huc facit illud Comici: *Cum sunt amici, esse tibi thesauros putes*. Sicut enim ex thesauro depromis non solùm necessaria, sed & utilia ac jucunda ad usum: sic & ex amico ejusque opibus & dotibus. Unde illud Cantic. 4. v. 12. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus*; S. Greg. Nazianz. orat. ad Gregor. Nyssenum, explicat de fido amico: *Amicus*, inquit, *fidelis, hortus conclusus, fons obsignatus: quæ opportunè aperiuntur & communicantur*. q.d. Sicut ex

A horto fructus, ex fonte aquam, cùm libet, hauris & depromis: sic & ex amico accipis omnia ad vitam opportuna. Quin & Cicero de Amic. *Multæ sunt res*, inquit, *in quibus de suis commodis boni viri multa detrahunt, & detrahi permittunt, ut ipsis potiùs amici fruantur, quàm ipsi*.

Quantus sit amicitiæ thesaurus, liquet ex ejus officiis & legibus, quas tum alii, tum Cicero recenset lib. de Amicit. Prima, ait, lex in amicitia sancienda esto, ut neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati. Secunda, in amicitia nihil fictum, nihil simulatum sit: & quidquid sit, id verum & voluntarium sit. Tertia, in vera amicitia nihilo se plus alter, quàm alterum diligat. Quarta, præcipiendum in amicitia, ne intemperata benevolentia (quod sæpè fit) impediat magnas utilitates amicorum. Quinta, amicitia non est ad fructum nostrum referenda, non ad illius commoda, quem diligimus: alioqui non erit ista amicitia, sed mercatura quædam utilitatum suarum. Sexta, non utilitatem amicitia, sed amicitiam utilitas sequitur. Septima, amicitia numquam intempestiva, numquam molesta sit. Octava, B amicitia virtutum adjutrix à natura data est, non vitiorum comes. Nona, amicitia summa fide, constantia, justitia servanda est. Decima, in amicitia superior par esse debet inferiori. Undecima, nimiæ amicitiæ fugiendæ, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus. Duodecima, amicitiæ non debet esse satietas, & veterrimæ amicitiæ debent esse suavissimæ. Decimatertia, amici sæpè monendi & objurgandi sunt. Decimaquarta, amicitiæ, quæ minùs probantur, sensim dissuendæ sunt, non repente præcidendæ, ut censuit Cato. Decimaquinta, amicitia poscit mutuas salutationes, officia, affabilitatem, alloquia. Nam, ut ait Aristot. lib. 8. Ethic. cap. 5. *Multas amicitias dissolvit ἀπροσηγορία*, id est, *taciturnitas vel inaffabilitas*. Decimasexta, amicus amico in lætis congaudere, in tristibus condolere debet, cumque omni ope & opera sublevare. Nam, ut ait Diogenes: *amicorum, & deorum omnia sunt communia*. Et Plutarch. lib. 3. Symposiac. quæst. 10. *Amici ad salem & cuminum*, ut, scilicet, pauperiem mutuam tolerent & sustentent, paratique sint sale & cumino dumtaxat propositis unà cœnare. Decimaseptima, amicus amici odia, C incommoda, dispendia, &c. in se suscipiat. Unde Chilon, ait Plutarch. lib. de Multitud. amic. cuidam *dicenti nullum se habere inimicum*, *respondit: Videris mihi tu etiam nullum habere amicum. Inimicitiæ quippe statim comitantur amicitias, iisque se implicant: neque fieri potest, ut amici non fiant injuriarum, ignominiarum odiorumque participes: inimici enim amicum ejus quem oderunt, suspectum habent, maleque ei cupiunt*. Decimaoctava, amicus amici moribus, sensibus, votis, quoad licet, se accommodet. Nam, ut ait ibidem Plutarch. *Concentus quidem nervorum ex contrariis sonis conflatur, acutis & gravibus, utcumque similitudinem quamdam gignentibus: amicitia autem concentus, nullam vult partem esse dissimilem, aut inæqualem; sed oportet omnia dicta, sensa, consilia & affectus inter se convenire, veluti uno animo in plura diffuso corpora*. Insuper amicus pro amico tristia & dura constanter patiatur. Sic Martyres pro Deo sibi amicissimo ignes, eculeos, feras, &c. forti lætoque animo tolerarunt. Unde S. August. in c. 6. S. Joan. tract. 27. *Quomodo*, inquit, *mansit in illo* (Deo) *S. Laurentius? Mansit usque ad tentationem, mansit usque ad tyrannicam interro-* D *gationem, mansit usque ad peremptionem: parum est, usque ad immanem excruciationem mansit. Non enim occisus est cito, sed cruciatus est in igne*. Sic Christus Apostolos vocat amicos, Joan. 15. 15. Quare? quia *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*, Lucæ 22, 28.

Amicitiæ leges octodecim.

AMICO FIDELI NULLA EST COMPARATIO. q.d. Nihil ei comparari potest tamquam æquivalens. Græcè, οὐκ ἔστιν ἀντάλλαγμα, id est, *non est commutatio, permutatio, compensatio*; Vatabl. *amico fideli nullum par est pretium*, nihil est, quod ejus dignitatem & utilitatem æquet, ut etiamsi omnibus opibus emeres amicum fidum, non tamen par & justum pro eo appenderes pretium. ET NON EST DIGNA PONDERATIO AURI ET ARGENTI CONTRA BONITATEM FIDEI ILLIUS] quæ, scilicet, in altera bilancis lance illi contraponatur, illique æquiponderet & æquivaleat: semper enim bonitas fidei, id est, fidelitatis amici, quantolibet auro & VERS. 15.

Amicitiæ commodū tertium

argen-

argento præponderabit; eritque dignior, & pretiosior Christianus amicus suis monitis, consiliis, instructionibus, correptionibus efficit apud amicum, ut is semper vivat, tum in hoc sæculo per famam, tum in futuro per gloriam.

Græcè, *καὶ οὐκ ἔστι σταθμὸς τῆς καλλονῆς αὐτοῦ*, id est, *& non est pondus pulchritudinis* (bonitatis) *illius*: q. d. Non satis potest ponderari aut æstimari pulchritudo, id est, decus, bonitas & pretium veri amici. Syrus: *Amico fideli non est pretium*. Pretio æstimari nequit, quia pretium omne superat, *& non est pondus gratiæ* (in dativo) *ejus*. Tigurina, *nulla re dignè decus fidei ejus rependitur*: nihil ei est ἀντάξιον, id est, æquiparabile, æquandum, conferendum. Unde apud Hebræos est proverbium: *Potior est amicus in platea, quàm aurum in cista*. Et Homerus Odyss. 9. *Fidus amicus non est inferior, nec posthabendus fratri germano*. Et Cicero libr. de Amicit. *Haud scio*, ait, *an, excepta sapientia, quidquam sit homini amicitia melius à diis immortalibus datum. Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt*. Denique Franc. Victoria, & ex eo Franc. Suarez tract. de Charit. disp. 9. sect. 4. docent posse tanta esse amici in amicum beneficia, ut liceat eum magis amare, quàm proprium patrem. Vide Plut. dialogo de amico fideli, ubi eum omnibus consanguineis præfert: *Habes*, inquit, *rem dulcissimam sanctissimamq; quæ una post solam virtutem nihil homini melius, vel natura, vel casus, vel studium dedit: dulces, fateor, parentes, dulces avi, dulces item filii, dulces fratres, dulces uxores; possunt tamen amarescere, nec parentes ideò, nec fratres, nec filii desierunt esse, cùm tamen dulces esse desierint: at amicus solus, dum sit verus, dulcis & charus esse non desinit*.

Apologus fidelis amici.

Insigni canis, & lupi apologo idipsum ex imis amicitiæ & virtutis radicibus declarat Cyrillus lib. 3. Apolog. moralium cap. ultim. Canis, inquit, verberatus ab hero clamans & ejulans, increpatus à lupo dicente: *Tu reus tibi es, qui tantum semper hominem dilexisti: pro labore igitur tuo suscipe dolorem respondit*:

Si fortuna dedit ludum mihi dulcia: quare
Dedigner sub ea paucula dura pati?

Si bona suscepi de manu hominis, quare non sustineam & mala? Sicut asbestus lapis, qui verè diligit, semper accenditur. Quid ergo dignum dabitur pro virtute, quid æquivalens reddetur pro grato homine? certè nihil est quod à grato liberaliter rependitur, nisi virtus pro virtute, amor pro amore, atque homo pro homine quantocyus redonetur. Vade igitur quia hominis semper sum amicus, & tuus propter hominem perpetuus inimicus. Quibus cum pavore auditis lupus mox in solitudinem fugit.

Tertium est hoc amicitiæ elogium, quòd pretium ejus sit incomparabile, & inæstimabile. Sequitur quartum.

AMICUS FIDELIS, MEDICAMENTUM VITÆ ET IMMORTALITATIS] Sic legit, & S. Cyprian.
VERS. 16. libr. 3. Testim. Nam Græcè tantùm est, *φάρμακον ζωῆς*, id est, pharmacum vitæ, scilicet, miseræ hujus, & ærumnosæ: idque Primò, quia omnibus hujus, vitæ miseriis, & ægritudinibus, tam corporis, quàm animi, uti sint mœrores, angores, timores, &c. quæ innumeræ sunt, medetur amicitia; consulendo, juvando, & consolando amicum. quo significat vitam nostram esse continuam infirmitatem, & ægritudinem, non unam, sed multiplicem, cujus medicus sit amicus, juxta illud Proverb. 15. 4. *Lingua placabilis, lignum vitæ*; Hebr. & Chald. *medicina* (Septuag. *sanitas*) *linguæ, arbor vitæ*; Unde Syrus vertit, *amicus fidelis, medicina est vitæ*, Arabicus, *amicus fidei* (id est, fidelis) *est velut emplastrum vitæ. Quid dulcius*, ait Seneca in Proverb. *quàm habere amicum, cum quo omnia audeas; ut tibi; cui sic loquaris, ut tecum. Sapiens etsi contentus est se, tamen amicum vult habere: sed hoc ob nihil aliud, nisi ut exerceat amicitiam, ne tam magna virtus jaceat: non ad hoc, ut dicit Epicurus, ut habeat, qui sibi assideat, succurrat: sed ut habeat, cui assideat, quando libet*. Verè S. Hier. in cap. 7. Mich. *Amicus*, inquit, *diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur*. Nam, ut ait Comicus: *Quod medicus est ægro corpori, hoc amicus est mentis ægritudini. Nam verba amica sunt medela commoda*.

Commodũ quartum.

Secundò, amicus est pharmacum vitæ, & immortalitatis, quia affert, & prolongat vitam; tum præsentem, mortalem, dum facit hominem imperturbabilem, & impassibilem: tum futuram immortalem, instar ligni vitæ, juxta illud: *Fructus justi lignum vitæ*, Proverb. 11. 30. Ille enim verissimus est amicus, qui amicum docet iter, & ducit ad beatam immortalitatem. Fidelis ergo, &

A Christianus amicus suis monitis, consiliis, instructionibus, correptionibus efficit apud amicum, ut is semper vivat, tum in hoc sæculo per famam, tum in futuro per gloriam. Quocirca S. August. lib. 4. Confess. cap. 6. *Bene*, inquit, *quidam* (Horatius) *dixit de amico suo, Dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam, & animam illius* (amici) *unam fuisse animam in duobus corporibus. & ideò mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere: ideò fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram*. Audi Rabanum: *Amicus dicitur, quasi animi custos. In amico quippe fideli medicamentum est vitæ & immortalitatis: quia, si fidelis est, secundum Deum utique amicus est: si autem secundum Deum amicus est, ea semper cum amico tractat, quæ ad medicamentum vitæ æternæ, & immortalitatem perpetuam pertinent*. Unde est illa Tullii Ciceronis sententia, *Amicitiam nisi inter bonos esse non posse. Est enim boni viri* (*quem eumdem sapientem licet dicere*) *hæc duo tenere in amicitia: primum, ne quid fictum sit, neve simulatum. Aperte enim vel amare, vel odisse magis ingenui est, quàm fronte occultare sententiam. Deinde, non solùm ab aliquo*
B *allatas criminationes repellere; sed ne ipsum quidem esse suspiciosum, semper aliquid existimantem ab amico esse violatum. Accedat huc suavitas quædam oportet sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ. Tristitia autem, & in omni re severitas habet illa quidem gravitatem; sed amicitia remissior esse debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem facilitatem proclivior*. Audi & S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 32. *Benevolentia*, ait, *communis quædam parens omnium, quæ amicitiam connectit, & copulat: in consiliis fidelis, in prosperis læta, in tristibus mœsta, ut unusquisque benevolentis se magis quàm sapientis credat consilio: ut David, cum esset prudentior, Jonathæ tamen junioris consiliis acquiescebat. Tolle ex usu hominum benevolentiam, tamquam solem è mundo tuleris, ita erit: quia sine ea usus hominum esse non potest, ut peregrinanti monstrare viam, revocare errantem, deferre hospitium, aquam de aqua profluenti dare, lumen de lumine accendere. Non igitur mediocris virtus, de qua sibi plaudebat Job dicens: Foris autem non habitabat hospes, janua mea omni venienti patebat. Benevolentia itaque in his est omnibus, tamquam fons aquæ reficiens sitientem:*
C *tamquam lumen, quod etiam in aliis luceat, nec illis desit, qui de suo lumine aliis lumen accenderint*. Idem S. Ambrosius libr. 3. cap. ultim. *Solatium*, inquit, *hujus vitæ est, ut habeas, cui pectus aperias tuum; ut colloces tibi virum fidelem, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur*: & subinde, *qui in lætis exultantem comprimat, in tristibus mœrentem erigat*.

Rursum S. August. (vel quisquis est auctor) libr. de Amicitia, c. 2. *Amicus*, inquit, *quasi amoris, vel ipsius animi custos dicitur: quoniam amicum meum amoris mutui, vel ipsius animi oportet esse custodem, ut omnia ejus secreta fideli silentio servet, & quidquid in eo vitiosum viderit, pro viribus caveat & deleat: cui & gaudendo congaudeat, et dolendo condoleat*. Et cap. 5. *Amicus*, ait, *sapiens, medicamentum est vitæ. Non enim validior vel efficacior est vulneribus nostris medicina, quàm habere, qui omni incommodo occurrat compatiens, omni commodo occurrat congratulans: ut junctis suis humeris onera sua invicem tolerent, & quod unusquisque propriam levius quàm amici portet injuriam. Amicitia ergo secundas res facit splendidiores; adversas partiens*
D *communicansque, reddit leviores: nam & philosophis etiam placuit. Non aqua, non sole, non igne pluribus locis utimur, quàm amico: in omni actu, in omni studio, in certis, in dubiis, in quolibet eventu, in fortuna qualibet, in secreto, in publico, in omni consolatione, domi forisque ubique amicitia grata, amicus necessarius, utilis gratus reperitur. Quocirca amici, ait Tullius, & absentes adsunt sibi, & egentes abundant, & imbecilles valent: &, quod difficilius, est dictu, mortui vivunt. Igitur amicitia est divitibus pro eleemosyna, exulibus pro patria, pauperibus pro censu, ægrotis pro medicina, mortuis pro vita, sanis pro gratia, imbecillibus pro virtute, robustis pro præmio*. Addit, verum amicum leviùs propriam, quàm amici injuriam tolerare.

Idem S. August. serm. 21. de verbis Apostoli, citans illud Apost. Galat. 6. 2. *Alter alterius onera portate. & sic adimplebitis legem Christi. Nihil*, ait, *sic probat amicũ, quemadmodum oneris amici portatio*. Tale amicũ Philagrio se præ-

stitit

stitit S. Gregor. Nazianz. ut ipse ad eumdem scribit epist. 64. *Quæ tibi molesta sunt*, inquit, *utique & nobis: amicorum communia omnia censemus, tam prospera quàm adversa, eaque amicitiæ lex est*. Denique eleganter S. Chrysost. hom. 2. in epist. 1. ad Thessal. *Reverà*, ait, *vitæ pharmacum est, fidus amicus; reverà protectio fortis est, fidus amicus. Quid enim non efficeret germanus amicus? quantam utilitatem, quantam securitatem generat? Si mille thesauros dixeris; nihil tamen germano correspondebunt amico*. Et post nonnulla: *Cum amico & paupertas tolerabilis est: sine illo & sanitas & divitiæ intolerabiles sunt. Alium pro se ipso habet, qui amicum habet. Præstringor, & veluti præcludor faucibus, non valens exemplo aliquo rem istam exprimere. Novi ego quemdam, qui cum sanctos viros amici sui causa obsecraret, primum pro illo, & tum demum pro se orare, obsecrabat*.

Amicus ergo est salutare & panchrestum vitæ pharmacum, contra omnes ejus morbos & vulnera. Ille te mœrentem solatur, desperantem erigit, dolentem recreat, trepidantem excitat: in arduis est præsidium, in dubiis consilium, in adversis solatium, in prosperis, ne cadas aut evanescas, fulcimentum. Quid? quòd insuper est immortalitatis medicamentum: tum, quia te mortuum ac sepultum, non sinit tamen à sua & reliquorum memoria prorsus interire; facta demortui celebrat, dicta repetit, virtutes ac merita prædicat: tum (quod utilius atque optabilius est) defuncti animam Christianis suffragiis, pietatisque officiis, ut tandem immortalitatis gloriosæ munere donetur, verus animæ curator & amicus prosequitur. Verus quippe fidelisque amicus non proprium, sed amici lucrum quærit. *Quid est*, inquit S. Ambros. *amicus, nisi consors amoris? Non est vectigalis amicitia, sed plena decoris. Virtus est amicitia, non quæstus*. Ita ipse lib. 3. Offic. cap. ult. Huc facit proverbium Hebræorum: *Aut societas* (amicitia) *aut mors*: q. d. *Vita sine amico non est vita, sed mors. Quæ potest esse vita vitalis*, ait Cicero lib. de Amicitia, *quæ non in amici mutua benevolentia conquiescit? Hoc experiremur, si Deus nos ex hac hominum societate tolleret, & in solitudine collocaret; atque ita suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam, hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet: quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium, solitudo?* Hac de causa Aristot. 1. Polit. c. 2. dicit, *eum, qui cum aliis versari nequit, aut Deum esse, aut bestiam*. Pergit Cicero: *Amicus magis necessarius est, quam ignis & aqua*. Sicut enim citra ignem & aquam non constat hominum vita; ita nec sine consuetudine, & opera amicorum, quos ob idipsum Latini necessarios vocant, uti amicitiam necessitudinem. Innuit hæc Ciceronis sententia duo maxima commoda colligi ex amicitia, voluptatem, & usum: nihil est enim jucundius igni, nihil utilius aqua. Huc facit adagium: *Sal vitæ est amicitia: oculus vitæ est sapientia: antidotum vitæ est patientia*.

Quintum amicitiæ elogium.

ET QUI METUUNT DOMINUM, INVENIUNT ILLUM] Docet hic modum inveniendi, & parandi fidum amicum, esse amorem Dei. Fidus enim amicus est magnum Dei donum, quod Deus sui cultoribus, quasi ingentem sui cultus mercedem, rependit, quo simul ostendit verum amicum esse ingens, imò divinum bonum, utpote quod non ab homine, sed à Deo sperari petique debeat. Quocirca hoc est quintum amicitiæ elogium. Unde Tigurina vertit, *talem autem nancifcentur, qui reverentur Dominum*; Syrus vero, *& qui timet Deum, ipsemet est*, scilicet amicus fidelis. Sic & Arabicus, *& est* (amicus fidei) *de timentibus Deum*, hoc est, amicus fidelis est timens Deum. q. d. Si quæris amicum fidelem, quære timentem Deum: quia non est amicus fidelis, nisi qui timet Deum. Timens enim Deum fidelis est Deo, ideoque fidelis est & homini præsertim amico. *Quid amicitia pretiosius*, exclamat Rabanus, *quæ angelis communis & hominibus est? Ipse Dominus noster ex servis amicos fecit, sicut ait Joan. 15. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Dedit formam amicitiæ, quam sequamur*. Denique amicitiæ fons & origo est ipse Deus, & Deitas, quæ ob amicitiam communicat se tribus personis divinis. Hæ ergo inter se sunt primi increati & summi amici qui suum amicitiæ bonum angelis & hominibus communicant. Unde S. Ambr. l. 2. de Spiritu sancto, in fine: *Quidam* (Cicero l. libr. de amicitia) *ait, interrogatus: Quid amicus esset? Alter, inquit, ego. Si ergo homo amicum ita definivit, ut alterum se esse diceret, per unitatem, videlicet, amoris & gratiæ; quanto magis in Patre & Filio & Spiritu sancto unitatem majestatis æstimare debemus, cùm per eamdem operationem ac divinitatem, vel unitas, vel certè, id quod amplius est*, ταὐτότης, (id est, identitas) *exprimatur? ταὐτὸ enim idem significat, ex eo quod idem habeat & Pater & Filius & Spiritus sanctus, ut idem velle & idem posse non affectione sit voluntatis, sed in substantia Trinitatis*.

QUI TIMET DEUM ÆQUE HABEBIT AMICITIAM BONAM. q. d. Sicut timens Dominum constantem cum eo amorem, & fidelem amicitiam servat & colit: sic *æquè*, id est, pariter, congruè, justè & meritò inveniet & habebit amicitiam bonam fidelis amici: quia par, justum, & congruum est, ut qui fidelis est Deo, sibi fideles pariter sentiat homines, præsertim amicos: QUONIAM SECUNDUM ILLUM ERIT AMICUS ILLIUS] q. d. Quia qualis est ille erga Deum, & proximum, talis illi vicissim erit amicus illius: ut sicut ille fidus est Deo & proximo, ita similiter illi fidi sint sui amici. Hunc sensum exigunt Græca, quæ sic habent: *Qui timet Dominum*, εὐθύνει, id est, *rectificat*, rectam facit, rectam constituit, *amicitiam suam, nam erga eum talis etiam proximus ipsius erit*, puta, fidelis, sincerus, constans, qualis ipse est erga Deum. Aliter Palacius: q. d. Qualis es tu, talis est, & amicus tuus: similis enim quærit similem. Cùm enim amicus sit alter ego, si ego sum bonus, erit & amicus meus bonus: si est ille malus, ergo & ego malus. Amicorum enim omnia sunt communia: ergo & virtus, aut nequitia communis est. Indicium evidens animi tui est amicus tuus: si amicum habes malum, demonstras te esse malum. Si donum Dei est amicus, non potest Deus bonus mala donare. Ergo viri boni amicus erit bonus. Hæc Palacius.

Vers. 17.

Syrus verò ad id, quod præmisit, *Qui timet Deum, ipsemet est*, scilicet fidelis amicus, appositè subdit: *Qui timent Deum, confirmabunt amicitias suas, & sicut ipse in amicis ejus*; & Arabicus, *perdurabit amicitia eorum, quoniam amici ejus similes illi sunt*. q. d. Firma amicitia nulla re firmatur, nisi timore Dei: quia qualis est Deus, tales fiunt, & amici, tum erga Deum, tum erga se invicem: quæ enim conveniunt in uno tertio, conveniunt pariter inter se. Vera ergo amicitia est eorum, qui in Deo conveniunt, ac in Dei amore & charitate sociantur. Deus enim, cùm sit fidus, constans, immutabilis, hinc pariter suos amicos facit fidos, constantes, immutabiles. Pari modo, qui fidos quærit servos, milites, operarios, ancillas, quærat eos, qui timeant Deum. Timor enim Dei coget eos fidos esse hero ducique suo, sicut cogit eos fidos esse Deo. Qui hoc sapiunt, felices sunt, optimeque eis ubique servitur. Hoc est, quod ait Ben-Sira alphabeto primo litera Phe: *Si necesse est, ut contrahas accipiendo & dando, esto sors tua cum viro bono*: q. d. Si tibi negotiandum est, negotiare cum viro probo, non cum improbo: quia probis adest Deus, improbis resistit. Sapiebat hoc Constantius Imp. pater Constantini Magni, qui, ut refert Eusebius lib. 1. de Vita Constantini, ut sinceros Christianos à fictis secerneret, sibique amicos & aulicos ascisceret, simulatè edixit, ut Christi cultores aula sua excederent; in ea verò remanerent soli idolorum asseclæ: quare veri Christiani aula excesserunt, ficti in ea remanserunt. Tum ille, detecta simulatione, idololatras omnes, quasi proditores, aula expulit, verosque Christianos dumtaxat in eam adlegit, dicens: *Quomodo Imperatori fidem servabunt, qui erga Deum deprehensi sunt perfidi? Hos vero, qui veritatem confessi fuerant, dignos esse dicebat, qui circa Imperatorem essent; atque ita eos corporis ac regni etiam sui custodes esse præcepit, dicens, oportere tales inter primos ac necessarios, tam amicos, quam familiares excoli & ornari, ac magis in honore & pretio haberi, quam magnorum thesaurorum æraria*.

Audi Rabanum hic: *Plenam ergo*, inquit, *atque perfectam amicitiæ gratiam nisi inter perfectos viros, ejusdemque virtutis perseverare non posse sancti Patres docuerunt. Unde, quomodo ad perfectionem illius & inviolabilem statum pervenire possit, quasi gradus quosdam statuerunt. Primum igitur gradum veræ amicitiæ in contemptu substantiæ mundialis, & omnium, quas habemus, rerum despectione esse*

Sex gradus amicitiæ.

esse dixerunt. Secundum, ut ita suas unusquisque resecet voluntates, ne se sapientem atque consultum esse judicans suis malit, quam proximi diffinitionibus obedire. Tertium, ut sciat omnia, etiam quæ utilia ac necessaria æstimat, postponenda bono charitatis & pacis. Quartum, ut credat, nec justis, nec injustis de causis penitus irascendum. Quintum, ut adversum se iracundiam fratris, etiam sine ratione conceptam, eodem modo, quo suam, curare desideret, sciens æqualiter sibi perniciosam alterius esse tristitiam, ac si adversus alium ipse moveatur, nisi eam, quantum in se est, de fratris mente depulerit. Postremum illud est, quod generale vitiorum omnium peremptorium esse non dubium est: ut se de hoc mundo credat quotidie migraturum, quæ persuasio, non solùm nullam in corde tristitiam residere permittit, verum etiam universos concupiscentiarum ac peccatorum omnium comprimet motus. Hæc igitur quicumque tenuerit, amaritudinem iræ atque discordiæ nec pati poterit nec inferre.

Gentiliũ gnomæ de amicitia. Idem dixerunt Gentilium sapientes de amicitia naturali, quæ, scilicet, fundatur in communicatione bonorum et virtutum naturalium. Cicero lib. 1. Officior. *Omnium societatum nulla præstantior*, inquit, *nulla firmior, quam cùm viri boni moribus similes, sunt familiaritate conjuncti. Nihil enim amabilius, nec copulatius, quàm morum similitudo bonorum. In his, in quibus eadem studia sunt, eadem voluntates: in his fit, ut æquè quisque altero delectetur ac seipso, efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus.* Idem lib. de Amic. asserit, *amicitiam nisi inter bonos esse non posse. Virtus*, inquit, *conciliat amicitias & conservat: in ea enim est convenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia: quæ, cùm se extulit, & ostendit lumen suum, & idem aspexit, agnovitque in alio, ad id se admovet, vicissimque accipit illud, quod in altero est: ex quo exardescit sive amor, sive amicitia: utrumque enim dictum est ab amando.* Aristot. hæc de amicitia sunt placita: *Amicus est alter ego.* Ethic. lib. 9. *Amicus debet se tenere ad amicum, sicut genu ad tibiam.* Ibidem: *Ambobus existentibus amicis sanctum est præhonorare veritatem,* ut dicat: *Amicus Plato, sed magis amica veritas.* Ethicor. lib. 1. *Honesta amicitia propriè dicitur amicitia, alia ex accidenti.* 8. Ethic. c. 4. *Amicitia magis consistit in eo, ut amet, quam ut ametur. Argumento sunt matres, quæ filios amando gaudent, redamari non curant.* 8. Ethic. 8. *Proverbia in amicitia sunt: Una anima: Communia omnia amicorum: Æqualitas amicitia: Tibia genu propinquius.* 9. Ethic. 8. *In quibus jus & justum est, in his est amicitia.* Quamobrem *quot justorum sunt species, tot & amicorum. Justum certè est & hospiti erga civem, & servo erga dominum, & civi erga civem, & filio erga patrem, & uxori erga virum,* &c. *& amicitiæ sunt in horum singulis.* lib. 2. Magnor. Moral. cap. 12. *Bonorum & eorum qui in virtute sunt, amicitia perfecta est.* 8. Ethic. c. 3. *Constantissima igitur, stabilissima ac honestissima, quæ inest probis amicitia: quippe quod propter virtutem, ac per se bonum. Nam virtus incommutabilis, & quæ per eam conciliatur amicitia, constantissima est: at quæ ex commodo, stabilis non est; quippe quæ cum commodo elabitur.* libr. 2. Magn. Moral. cap. 12. Si hęc vera sunt in amicitia naturali, utique veriora erunt in supernaturali, quę in communicatione bonorum, et virtutum supernaturalium, ac pręsertim in charitate fundatur: charitas enim est perfecta amicitia, tam hominis cum Deo, quàm hominis cum homine. Ratio à priori ergo, cur amicitia sit constans etiam in adversis, est ejus honestas, dignitas et pręstantia: item charitas, cui, si supernaturalis sit, innititur, de quo plura Prov. 17. 17.

Porrò hęc omnia, quę de amico hic sancit sapiens, per excellentiam conveniunt Christo Domino. Ipse enim est *Christus verus amicus.* amicus amicorum, prę omnibus amicis amandus et colendus: per quem et in quo cęteri amici amandi, et colendi sunt: sine quo nullus est verus amicus, Christus ergo *Primò.* Primò, fundit verbum dulce, quia lingua ejus est εὔχαρις, id est gratiosa, et lingua charitum: quia lingua non Angelorum, sed Dei ac Verbi Dei, juxta illud psal. 44. 3. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Et Cantic. 5. 13. *Labia ejus, lilia distillantia myrrham primam.* Et vers. 16. *guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis: talis est dilectus meus: & ipse est amicus meus.* Quocirca verè dixit S. Cyprian. de passione Christi: *De impietate & malitia suavi-* *Secundò.* *tas pietasque Christi triumphat.* Secundò, Christus nobis est consiliarius unus de mille: hoc enim nomen ei dat *Tertiò.* Isaias cap. 9. vers. 6. Vide ibi dicta. Tertiò, Christus

A est amicus in tentatione: quia per crucem, passionem et *Octavò.* mortem pro nobis obitam, probavit suam erga nos amicitiam. Et quia in Eucharistia seipsum nobis in cibum reliquit ad tentationum remedium, ac tribulationum omnium solamen et robur. Vide S. Ambros. lib. 7. in Lucam, cap. 11. *Quis*, ait, *amicior nobis, quàm qui pro nobis corpus suum tradidit?* Quartò, Christus nobis est unanimis, quia noster frater per incarnationem fieri dignatus est. Quintò, Christus est amicus fidelis, ideoque protectio fortis. Sextò, Christus est thesaurus animę nostrę. Septimò, Christo nihil ęquari aut comparari potest. Octavò, Christus est medicamentum vitę et immortalitatis, juxta id quod ipse ait Joan. 6. vers. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et vers. 55. *Et qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Unde S. Leo serm. 16. de passione. *In me* (Christo crucifixo) ait, *omnis infirmitas aboletur, omnis plaga sanatur.* Amor enim est transformator amantium, ideoque amantes transformat in Christum. Quocirca S. Ambros. libr. B de Isaac et anima, cap. 8. *Quoniam*, inquit, *formatus in sponsa Christus erat, ait: Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum. Sigillum Christus in fronte est; ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus; in brachio, ut semper operemur: ut, si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis. Ipse est signaculum nostrum, quem Pater signavit Deus.* Talis erat S. Paulus de quo S. Chrysost. in illud Galat. 2. 20. *Vivo ego; jam non ego: vivit verò in me Christus. Quoniàm*, inquit, *seipsum Christo & cruci totum præbuerat, & ad illius voluntatem omnia faciebat, non dixit: Vivo ego Christo; sed, quod longè maius est: Vivit verò in me Christus.* Unde sapienter et piè S. Bernard. in Formula honestę vitę: *Sit tibi Jesus*, ait, *semper in corde, & numquam imago crucifixi ab animo tuo recedat: semper illum cogita pro te in cruce pendentem. Sic nimirum erit tibi fasciculus myrrhæ inter ubera tua.* Et S. August. in Meditation. capit. 35. *Dulcissimè, & amantissime Jesu infunde, obsecro, multitudinem charitatis tuæ pectori meo, ut te solum in corde habeam. Scribe digito tuo in pectore meo dulcem tui memoriam, nulla umquam oblivione delendam,* &c. *Quam* C *magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te!* Idem epist. 52. ad Macedon. *A charitate*, inquit, *æternitatis, & veritatis, cujus regnator est Christus, manat vera amicitia, non pensanda temporalibus commodis, sed gratuito amore potienda. Nemo enim potest veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit ipsius primitiès veritatis.*

FILI, A JUVENTUTE TUA (Syrus, *à pueritia tua*) EXCIPE (legit, ἐκδέξαι; jam legunt, ἐπίλεξαι, id est, *elige*) DOCTRINAM, (Gręcè, παιδείαν, id est, institu- *Vers. 18.* tionem disciplinę, qua παῖδες, id est, pueri erudiuntur et formantur in litteris et bonis moribus;) ET USQUE AD CANOS INVENIES SAPIENTIAM] Pro ἕως πολιῶν, id est, *usque ad canos*, perperam aliqui legunt, ἕως ποδῶν, id est, *usque ad pedes*. Sapientia enim non est in pede et talis, sed in capite, et canis. Tigurina, *fili, à juventute tua addisce disciplinam, & sapientiam tandem canescens invenies*; Vatabl. *ad canos usque duraturam invenies*; aut, *ad canitiem usque sectaberis.* ut per metalepsin τὸ *invenies*, sumatur pro *inquires, investigabis, sectaberis*: quę enim invenire cupimus, ea inquirimus, ve- D stigamus, et sectamur. Igitur est hic duplex sensus. Primò, q. d. Fili, à juventute tua aperto pectore suscipe sapientum instructionem, et doctrinam: ita fiet, ut usque ad canos, hoc est, in canis, putà, in senectute et canitie invenias sapientiam: sapientia enim diu discenda est, ac à pueris per omnem ętatem, ut in senectute ea plenè potiamur et fruamur. In pueris enim dominatur gula, in juvenibus luxuria, in viris ambitio: at hęc omnia cadunt in senectute, tumque homo incipit perfectè sapere, cùm passionibus sopitis divina ambit et ęterna, quibus se propinquare cernit. Rursum tunc invenit sapientiam, id est, fructus sapientię, putà, animi quietem, moderationem, lętitiam, etc. hos enim fructus parit sapientia. Disce ergo, juvenis, ut senex invenias, et fruaris sapientia: sapientia enim, ut ait Aristot. non est in juvenis novitate, sed in senum experientia. Secundò, q. d. Fili à juventuta tua stude doctrinæ, et sapientiæ, quia hæc numquam te dele-

deseret; sed ad canos usque tibi adhærebit, teque indivulsè comitabitur, cùm opes voluptates, honores hominem in senio deserant. Rursum Palacius sic explicat: q. d. Disce, juvenis, & usque ad canitiem semper licebit sapientiam invenire; & in ea proficere. Cùm enim sapientia sit dilectio Dei, ejus luce resplendens, ab ejus gratia dimanans, ut in gratia & dilectione & fide, licet semper, dum vivimus, proficere (ut quædam Clementina decrevit:) ita & in sapientia, semper usque ad canos proficere licebit.

Priori sensui favet id, quod sequitur: *Quasi is, qui arat, & qui seminat, accede ad eam, & sustine* (expecta in senectute) *bonos fructus illius*. q. d. Sere in juventute semina sapientiæ, ut ejus fruges metas in senectute: senum enim est sapientia; senum, inquam, qui à juventute ei vacarint: qui enim à puero vacarunt concupiscentię & insipientiæ, in senectute erunt pariter concupiscentes & insipientes. Unde Nazianzen. in Tetrastichis: *Senes*, inquit, *decet sapientia, juvenes temperantia*. Est ergo laus sapientiæ, quòd ipsa sit decus & ornamentum senectutis. Ut hoc ergo bonum senectuti tuæ concilies, à puero eidem vacare incipe. Verùm id ipsum posteriori quoque sensui adaptes: subdit enim: *In opere ipsius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius*. Posterior ergo sensus, uti uberior, ita simplicior & germanior est, ac priorem includit. Summa, jubet studioso sapientiæ, ut à puero addiscat eam: tum, quia puerilis ætas est quasi cera & tabula rasa, quę quaslibet figuras sibi impressas facilè recipit, & constanter retinet, juxta illud:

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

Senectus verò dura & inflexilis est ab iis quæ in juventute didicit, quibusque per tot annos assuevit. Tum, quia sapientiæ studium est sublime, longum & arduum: igitur à puero capessendum. Præclarè S. Hieron. epist. 7. ad Lætam, de instit. filiæ, illam à puero litteris, sanctisque moribus imbuendam docet: *Difficulter*, inquit, *eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum colore revocet?* De puerorum institutione plura vide apud Clementem Alexandr. in Pædag. Xenophontem in Pædia Cyri, Platonem lib. 2. 4. & 7. de Republ. Aristotol. in Oeconom. Plutarchum & alios. De eadem plura dicam cap. 30. v. 11.

Incipit hic secunda pars capitis, qua ab amicitia transit ad studium sapientiæ; tum quia vera amicitia est comes & filia sapientiæ; tum, quia identidem Siracides salit & resilit ad sapientiam, quasi ad totius libri scopum & argumentum: totus enim hic liber agit de sapientia, tum in genere, tum in specie: varias enim ejus species, putà, varias virtutes & virtutum officia recenset: ac deinde à speciebus ad genus, putà, ad sapientiam, quasi ad objectum sibi adæquatum resilit.

VERS. 19. QUASI IS, QUI ARAT, ET QUI SEMINAT, ACCEDE AD EAM, (id est, longanimiter & patienter labora,) ET SUSTINE BONOS FRUCTUS ILLIUS] Syrus, *sicut seminator, & sicut messor accede ad eam, & multitudinem frugum eius colliges*; Vatabl. *quasi qui ares & seras, accede ad eam, & bonos ab ea fructus expecta. Vomere quippe Evangelii*, ait Rabanus, *de corde suo genimina vitiorum debet extirpare, qui semen divini verbi edere, & fructus dulcissimos sacrarum virtutum desiderat metere*. Docet modum parandi sapientiam ex similitudine & modo parandi fruges & messem per agriculturam. Sicut enim agricola primò, magno labore spinas & radices eruncat, vel, ut Cato ait, averruncat, id est, runca evellit, exherbat & extirpat; deinde terram arat, subigit & excolit. Secundò, in ea seminat id, quod metere cupit, ac dispendium seminis patitur, ut illud auctius recipiat. Tertiò, hæc omnia facit spe frugum; quia, scilicet, sperat opimam messem. Quartò, messem longanimiter per multos menses expectat. Ita pariter sapientiæ studiosus primò, mentem suam quasi terram, evulsis vitiorum spinis, multo labore poliat, subigat & excolat, juxta illud Ierem. 4. 3. *Novate vobis novale, & nolite serere super spinas*. Secundò, in ea semina divinæ sapientiæ partim legendo, vel audiendo, partim meditando, partim orando, partim divinas illuminationes & inspirationes hauriendo, iaciat & excipiat. Tertiò, speret fructum & messem sapientiæ. Quartò, [A] longanimiter eam, eiusque frugum copiam, dulcedinem & præstantiam expectet, iuxta illud:

Multa tulit, fecitque puer, sudavit & alsit.

Et,

Non iacet in molli veneranda scientia lecto:
Illa sed assiduo parta labore venit.

Huc alludens S. Jacobus cap. 5. 7. ait: *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum: patientes igitur estote & vos, & confirmate corda*, &c. Vide ibi dicta. Porrò, sicut totius vitæ laborem sibi agricultura desiderat: ita & vehementiùs eumdem sapientiæ cultura deposcit. Idcircò ait Paulus: *Dei agricultura estis*, 1. Corinth. 3. 9.

Quocirca S. Bernard. serm. de septem donis Spiritus sancti: *Ager est mundus, ait Veritas, fodiamus in eo: thesaurus absconditus latet, effodiamus eum. Ipsa est autem sapientia, quæ trahitur de occultis. Omnes eam quærimus, omnes concupiscimus eam: sed frustra quærit, qui in lectulo suo quærit*. Et Seneca epist. 109. *Prosunt*, ait, *inter se boni: exercent enim virtutes, & sapientiam in suo statu continent. Peritos luctandi usus exercet. Opus est &* [B] *sapienti agitatione virtutum*. Igitur, sicut ager terræ, ut copiosam ferat messem, longo labore & spe debet arari, fodi, occari seminari, sarriri, &c. sic prorsus hæc omnia mysticè peragenda sunt in agro animæ, ut copiosos sapientiæ & virtutis fructus proferat. Nam, ut ait Origen. homil. 9. in Exod. *Spes futurorum laborantibus requiem parit, sicut in agone positis dolorem vulnerum mitigat spes coronæ*. Et Apostol. *Debet in spe qui arat arare*. 1. Corinth. 9. 10. Vide ibi dicta.

IN OPERE IPSIUS EXIGUUM LABORABIS, ET CITO EDES DE GENERATIONIBUS (id est, fructibus ab ea genitis) ILLIUS] Syrus, *velut laborem exiguum laborabis, & statim fructus ejus comede*; Vatabl. *nam in opere eius non multum elaboraveris, quia de proventibus eius mox comedas*. VERS. 19.

Pro *in opere*, Græcè est, ἐνεργείᾳ. Quæ vox tria significat; Primò, ipsum opus & opificium; Secundò, ipsam operationem, occupationem, actionem, culturam, exercitationem, operam & laborem, qui ad opus efficiendum suscipitur, putà, ipsam agricolationem; Tertiò, utriusque, scilicet, tam operis, quàm operationis & laboris quæstum & lucrum. [C] Omnibus hisce modis hic accipi potest, sed optimè secundo. Persistit enim in metaphora agricolæ, qui magno labore terram arat, sarrit & seminat: sicut enim ille post terræ culturam, mox ex ea fructus percipit, ita studiosus sapientiæ ex studio & cultura mentis, illicò & citiùs quàm agricola ex ea suaves & præstantes sapientiæ fruges colligit, iuxta illud: *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*, psal. 125. v. 6. Hoc est, quod ait Paulus Hebr. 12. v. 11. *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ*.

Porrò sapientiæ fruges & fructus sunt multi & eximii, è quibus paucos hosce recenset Palacius. Primus est, animam liberare à tenebris & cæcitate, quam perseverantia peccandi parit. Secundus, liberare à tormentis, quæ mens sibi malè conscia sentit: cùm enim peccatum sit vulnus animæ, necessariò ei dolorem & tormentum incutiet, nisi mortua iaceat. Tertiùs est maximus, liberare à metu inferni, quem sibi peccator jure commeruit. [D] *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?* Quartus est erigere animam in spem vitæ æternæ potiundæ: *Expectantes* (inquit) *beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei*, &c. Quintus erigere animam ad confidendum in Deo velut in patre, qui in omni tribulatione nostra consolabitur nos. Sextus, *exspectare diem mortis & iudicii cum animi fiducia*, imò nonnumquam dicere: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*. Septimus, sentire iam nunc lætitiam, gaudium & iubilationem cęlestem, dicente illo: *Parasti in conspectu meo mensam*. Et item: *Faciet Dominus in monte isto convivium pinguium medullatorum*. Et item: *Gaudete in Domino semper. O quàm bonus & suavis est, Domine, spiritus tuus!* Sapient. 12. v. 1. *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus*, psal. 33. 9. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*, psalm. 118. 32. Porrò primos hosce fructus illicò percipit anima, *Sapientiæ fructus septem.*

at

ac deinde sensum ceteros, imò non rarò cum peccatorum expulsione sentitur mira conscientię serenitas, gratię iucunditas, consolationis cælestis, qua Deus animam mulcet, copia, suaves piæque lacrymæ, &c. Exemplum illustre pręluxit in Christo, qui modico tempore in cruce & morte laborans, mox resurrexit ad vitam & gloriam immortalem, ex brevi passionis semine metens sibi & nobis opes immensas, & gloriam sempiternam.

Vers.21. QUAM ASPERA EST NIMIUM SAPIENTIA INDOCTIS HOMINIBUS, ET NON PERMANEBIT IN ILLA EXCORS] *Indoctos* vocat insipientes & imprudentes, qui non rationem, sed concupiscentiam sequuntur. Eosdem vocat *excordes*, id est, vecordes & stultos: his enim ob asperitatem horrori est sapientia practica (de tali enim hic passim est sermo) putà, prudentia, virtus & sanctitas: unde Syrus vertit, *quàm aspera stultis sapientia, & non patientur eam excordes*; Tigurina, *quàm aspera valde est imperitis: nullus enim excors perdurat apud eam*, q.d. Quàm aspera est guloso temperantia, luxurioso castitas, avaro liberalitas, superbo humilitas, iracundo lenitas, pigro labor & sedulitas! Utique est ei quasi lapis oneris, ut ait v. 22. sicut enim stomacho amaro cibi dulces videntur amari: ita carnali & cupidinibus suis addicto, sapientia & virtus in se suavis & placida, videtur aspera, inaccessa & impossibilis, iuxta illud Proverb. 24. 7. *Excelsa stulto sapientia*. Et Prov. 15. 5. *Stultus irridet disciplinam patris sui*. Et v. 12. *Non amat pestilens eum, qui se corripit, nec ad sapientes graditur*.

Vers.22. QUASI LAPIDIS VIRTUS PROBATIO ERIT IN ILLIS, ET NON DEMORABUNTUR PROIICERE ILLAM] *Virtus*, sive vis, *lapidis*, est lapidis fortitudo, pondus & gravitas: hujus ad instar *erit* stultis *probatio* sapientiæ: q. d. Sicut homo ignavus, volens elevare & imponere humero vel capiti lapidem gravem & ponderosum, mox ut ejus gravitatem & pondus sentit, illicò eum deponit & abiicit: ita stulti tentant quandoq; addiscere sapientiam, eamque in humeros elevare & suscipere cogitant: sed mox ut ejus difficultatem, onus & pondus sentiunt, illicò ex ignavia & amore suarum cupiditatum eam abiiciunt. Sicut ergo lapis probat vires corporis; sic sapientia probat vires animi, qui enim forti & resoluto animo eam complectuntur, omne eius onus generosè superant, itaque onus eis in levitatem, & quasi in pennas & plumas vertitur: qui verò depresso & carnali sunt animo, oneri eius succumbunt, ideoque eam deserunt. Syrus & Hugo per *lapidem* accipiunt gemmam pretiosam: sic enim vertit Syrus, *sicut lapis est pretiosus super eum, ne intueatur & dimittat eam*, q. d. Stultus aspicit eminùs sapientiam, quasi gemmam, v. g. adamantem, supra se & opes suas elevatam, quam proinde quasi nimii pretii cominùs intueri non audet, ut eam comparet, & in pectus suum immittat; sed eam aliis ditioribus et nobilioribus emendam relinquit. Verùm nemo est, qui gemmam velit ἀποῤῥίψαι, id est, abiicere. Quare meliùs alii passim accipiunt lapidem vulgarem, gravem et ponderosum: huius enim pondus, qui supra suas vires esse sentit, illicò abiicit. Unde Vatabl. vertit, *tamquam lapis probator gravis* (Græcè, ἰσχυρὸς, id est, validus, fortis, ponderosus) *incumbit illi, nec moram interponit, quin eum excutiat*. Alludit ad lapidem luctæ: in lucta enim certabant viribus, quis maiorem, magisque grandem et ponderosum lapidem ferre posset: hic enim vocabatur *lapis oneris*, sive discus, et Græcè, λίθος δοκιμασίας, id est, lapis probationis, quia eo probabant et explorabant quantæ essent vires et robur cuiusque, ut scirent quis cui antagonistæ in lucta deberet comparari et opponi, de quo Zacharias cap. 12. 3. *In die illa*, inquit, *ponam Ierusalem quasi lapidem oneris cunctis populis: omnes, qui levabunt eam, concisione lacerabuntur*. Vide ibi dicta. Hic ergo lapis ignavis et timidis est lapis oneris, fortibus verò et sapientię, id est, virtutis, studiosis est lapis roboris, gloriæ et triumphi, ideoque eis quasi in gemmam illustrem, putà in smaragdum, carbunculum et adamantem convertitur. Rursum, hic lapis est quasi lapis Lydius, qui probat et discernit aurum verum à falso et fictitio: pari enim modo disciplina sapientiæ probat et secernit veros discipulos à falsis. Unde

Lapis oneris quis,

A huc alludens Isidor. Pelus. epist. 400. *Vir patiens*, inquit, *laborum exploratio est, & quasi lapis δοκιμασίας, id est probationis*. Nam, ut ait Nazianz. in Carmine de virtut. & vitiorum definitione: *Patientia malorum est decoctio*.

Moraliter, disce hic disciplinam, mortificationem, tribulationem, morbum, calumniam, persecutionem, esse lapidem oneris & probationis: ejus enim onere probatur patientia, humilitas & fortitudo cujusque fidelis. Illam ergo quasi onus humeris nostris à Deo impositum hilariter capessamus, & generosè portemus: ita veræ sapientiæ decus, putà, Dei gratiam, gloriam & coronam quasi athletę Christi nanciscemur. Quocirca S. August. in psal. 86. *Quadrati lapidis*, inquit, *similis esse debet Christianus: in omni tribulatione non cadit, etsi impellitur: & si quà vertitur, numquam cadit: nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat semper: stantem te sic inveniat omnis casus*. Sic & Plato, Aristoteles, Plutarchus & Seneca patientes & fortes piosque viros vocant tetragonos, id est quadratos: Philo verò libr. de sacrific. Cain & Abel, labores & molestias comparat cum escis,

Mor. tribulatio est lapis oneris à Deo cuique ad mensus.

B quibus nutritur & roboratur homo. *Equidem existimo*, inquit, *laboris ubique eamdem vim esse. Nam, sicut à cibo tota vita pendet una cum suis actionibus; ita etiam à labore pendet, quidquid in rebus bonum est. Ergo sicut, qui vitam prorogare cupiunt, alimenta non negligunt: ita quotquot, quæ bona sunt, concupiscunt, laborum perpessionem magni faciunt: sicut enim cibus se habet ad vitam, sic illa ad honestatem*. Porrò Deus hunc lapidem cujusque viribus admetitur, ut minùs forti minùs ponderosum, magis forti magis ponderosum imponat: aut certè, si pondus lapidis vires hominis superet, Deus homini vires adauget, & ponderi commensurat. Quare nemo de nimio ejus pondere iure queri potest, nemo ab eo ferendo se excusare. Nam, ut ait Apostolus 1. Corinth. 10. 13. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Denique pondus hujus lapidis sentiunt acedi & tepidi dumtaxat: nam amantes & ferventes dicunt cum S. Bernardo: *Labor meus non est nisi unius horæ; & si amplius, non sentio præ amore*. Amanti enim nihil est

C difficile.

Vers.23. SAPIENTIA ENIM DOCTRINAE SECUNDUM NOMEN EST EIUS, ET NON EST MULTIS MANIFESTA] Primò, Hugo sic explicat: *Sapientia est secundum nomen eius*, scilicet, stulti & excordis, de quo vers. 22. q. d. Stulti sapientiam doctrinæ reputant stultitiam; quia non capiunt, nec sapiunt ea, quæ dicuntur. Verùm obstat Græcum αὐτῆς, id est, *eius*, quod est femininum, ac proinde stultum referre nequit, sed sapientiam.

Sapientia iuxta nomen abscondita quo modo Resp. Primò.

Secundò, Dionys. Lyran. & Robert. Holkot, exponunt q. d. Sapientia doctrinæ, id est, sapientia hæc salubris & doctrinalis, docens summo bono adhærere, nomen habet à sua proprietate, & re ipsa, suaque actione, videlicet, ab interno divinorum sapore, et gustu dulcedinis summi boni: dicitur enim sapientia à sapore, quasi sapida scientia. Hunc autem eius saporem & gustum absconditum pauci percipiunt, nec nisi eius studiosi. Verùm obstat, quòd Siracides fuerit Hebræus, non Latinus, scripseritque Hebraicè, ac proinde ad Hebræum sapientiæ nomen, non ad Latinum, respexerit.

Secundò.

D Tertiò, alii σοφίαν, id est, sapientiam, censent alludere ad ζόφον, quasi σοφία sit ζόφος, id est, caligo, putà obscura et arcana. Verùm huic obstat idem, quod priori. Siracides enim Hebraicè scripsit, non Græcè. Potuit tamen ipse, utpote Græcè peritus, ad Græcæ linguę tunc in Ægypto, ubi ipse hæc scripsit, usitatæ etymon secundario alludere. ita Pineda in Iob cap. 28. vers. 18. in fine: Sophia, inquit, à ζόφος, id est, à caligine, dicitur, quasi in caligine et ignoratione delitescens.

Tertiò,

Quartò, Jansenius facilè se expedit, sicque explicat: *Sapientia est secundum nomen eius*, hoc est, est id, quod dicitur et prædicatur, nempe, ardua res et excelsa: et non quibusvis obvia. Accedit Rabanus: *Sapientia*, inquit, *doctrinæ, sinceritas est legis divinæ: quæ secundùm nomen eius est, hoc est, prudentia, veritas & virtus*.

Quartò,

Con-

quit, *doctrina, sinceritas est legis divinæ: quæ secundùm nomen ejus est, hoc est, prudentia, veritas & virtus.* Consentit Hugo: Sapientia, inquit, ignota & occulta est tam quoad nomen, quàm quoad rem: quia Philosophi disputant, tam de nomine, quàm de re sapientiæ. Quærunt enim, quis sit sapiens? quid sit sapientia? Rursum sapientia occulta est; quia ipsa est prudentia, virtus & veritas occultè illuminans mentem, & inflammans voluntatem. A

Quintò. Quintò, aliqui pro αὐτῆς: id est, *ejus*, legentes αὐτοῖς, id est, *ipsis*, scilicet, indoctis & excordibus, de quibus v. 22. & 23. sic explicant: q. d. Sapientia secundùm nomen est indoctis, hoc est, nomine tenus illis nota est; reipsa autem ignota; vel quoad nomen dumtaxat illis competit: q. d. Nomen habent sapientum; reverà autem sunt insipientes. Favet Tigurina, *nam sapientia talibus* (excordibus) *de nomine tantùm suo, neque adeo multis nota est*. Huc accedit S. Thom. 2. 2. q. 45. art. 2. ad 2. *Videtur*, inquit, *hic nomen sapientiæ accipi pro ejus fama, quæ à cunctis commendatur.* q. d. Nomen & fama sapientiæ apud omnes est illustris; sed tamen pauci eam assequuntur. Ex adverso Syrus vertit, *nomen ejus sicut doctrina ejus, & stultis non revelatur.* q. d. Stultis, tam nomen quàm doctrina sapientiæ est ignotum & invisum. B

Sextò. Sextò, alii per sapientiæ nomen accipiunt, non nomen proprium, sed epithetum appropriatum: sapientia enim in Scriptura vocatur thesaurus absconditus, aurum, argentum, gemma, margarita, quæ absconduntur, vel in conchis maris, vel in abditis venis terræ. Vide Job. cap. 28. v. 12. & sequent. ubi sapientiam comparat auro, & topazio abscondito: *Abscondita*, inquit, *est ab oculis omnium viventium. Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum ejus.* ita Pineda in Job. cap. 28. v. 18. in fine. Nam cùm sapientia, inquit, sæpè nominetur auri, gemmarum, universarumque opum appellationibus, significatur esse aliquid reconditum in occultis recessibus, ideoque à paucissimis inveniri, &, quod in rebus rarissimis pretiosissimisque contingit, plerisque ignotam & occultam esse, & non nisi nomine tenus cognitam: qui autem semel illam invenit, si sapiens est, numquam dimittit. Sic Christus sapientiam Evangelicam vocat thesaurum in agro absconditum, *quem qui invenerit homo, abscondit; & præ gaudio illius vadit & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum*, Matth. 13. 44. Et Apostolus passim vocat thesauros sapientiæ & scientiæ Dei absconditos in Christo. Thesaurus autem vocantur opes pretiosę, arcanę & absconditę: dicitur enim θησαυρὸς quasi θεμένος εἰς αὔριον, id est, repositus & reconditus in futurum. Hac de causa Christus Dominus Patrem contestans ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te*, Matth. 11. 25. C

Septimò. Septimò, sapientia doctrinę, scilicet sacræ & divinæ, & nomine suo vocatur, & reipsa est mystica & abscondita. Dogmata enim ejus vocantur mysteria, id est, sacramenta & sacra arcana, ac doctores ejus vocantur mystæ, ἀπὸ τοῦ μύειν στόμα, id est, à claudendo ore, eò quòd mysteria ejus silentio tegenda, ac non nisi paucis & dignis evulganda sint: idcircò Christus populo loquebatur in parabolis; Apostolis autem, apertis clarisq; verbis, Matt. 13. v. 13. Hinc Paulus: *Loquimur*, ait, *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*, 1. Corint. 2. v. 7. Et S. Dionys. S. Pauli discipulus scripsit librum de Mystica Theologia. Denique prisci illi sapientes sub & ante tempora Siracidis, ut Ezechiel, Daniel, Zacharias, Pythagoras, Plato, Trismegistus, sapientiam suam docebant per hieroglyphica, symbola, emblemata, ænigmata, ut eam celarent rudes & incapaces; capaces verò ad ejus studium excitarent. Unde signanter ait Siracides, *sapientia doctrinæ*: q. d. Sapientia quatenus docetur à mystis & Theologis hujus ævi, tam quoad dogmata, quàm quoad eorum nomina, est symbolica, obscura & ænigmatica. D

Octavò. genuinè. Denique, ut planè et plenè textui et litterę satisfaciam, sensus est, q. d. Sapientia indoctis est aspera, et instar ponderosi lapidis, quem quia humeris ferre non valent, quia non volunt, hinc eum illicò excutiunt. Nam sapientia, secundùm nomen et etymon suum Hebraicum, sonat rem laboriosam, difficilem, arduam, reconditam, quę non nisi magno labore erui, et in lucem produci potest; quia ipsa reverà talis est. Id ita esse ostendo in quatuor Hebraicis vel Arabicis sapientię nominibus. Primum est *ilm* vel *talim*: radix enim עלה *alam*, Hebraicè significat, abscondit: unde *alma* vocatur virgo viro incognita, et domi abscondita. Arabicè verò (Arabica autem est affinis, et quasi dialectus Hebraicę,) *alam* significat, Primò, abscondit; Secundò, novit, scivit, certus fuit: inde ערה *ilm* vocatur sapientia, scientia, doctrina, ars prudentia: תעליה *talim* vocatur informatio, studium, disciplina, tractatus: *alim* vocatur sapiens, sciens, prudens, doctus, litteratus: unde dicitur Elymas; id est, magus, et rerum arcanarum peritus, uti dixi Actor. 13. 8. *Muallim* vocatur doctor, magister, rabbi: *muallam* vocatur discipulus, studiosus. Unde Saraceni et Turcę rem quampiam asseverantes et jurantes dicunt, אלצעליצ *illa alim*, id est, Deus novit, qui novit arcana pectoris.

Secundum Hebręum sapientię nomen est Magia. מהגיה *magim* enim, id est magi, apud Hebręos, indeque Chaldęos, Persas, Arabes, aliosque Orientales, vocantur sapientes, quasi meditantes et scrutantes arcana; et magia vocatur sapientia arcana. Radix enim הגה *haga* significat meditari, speculari, disquirere, scrutari. Unde *higgaion* est meditatio. Porrò *haga* planè alludit ad *iaga*, id est, laborare, dolore afficere, affligere, fatigare; quia scientia, quę per meditationem paratur, magno labore et fatigatione mentis acquiritur: quam quia, velut lapidem onerosum, refugiunt insipientes; hinc pariter ad sapientiam penetrare nequeunt.

Tertium nomen sapientię est הלמיד *talmud*, id est, doctrina: hoc enim alludit, et quasi includit עלה *alam*, id est, abscondit; ut *talmud* dicatur quasi *almud*, putà, res abscondita. Rursum à *lamad*, id est, docuit, et *talmud*, id est, doctrina, derivatur מלמד *malmad*, id est, stimulus, putà, baculus aut virga, in cujus summitate est aculeus, quo bubulcus pungit boves: sic dictus, quòd boves doceat arare, ait R. David. Pari modo juvenes à magistro, ferula quasi stimulo erudiuntur et docentur sapientiam: quare eis aspera et molesta est sapientia. Hoc est, quod ait Sapiens Eccles. 12. 11. *Verba sapientum quasi stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore uno.*

Quartum et præcipuum sapientiæ nomen, quo passim utitur Salomon in Proverbiis, est חכמה *chochma*: *chochma* autem noster Emmanuel Sà derivat à כמס *camas*, id est, abscondere; unde *camus* vocatur absconditus, reconditus, latens, Deut. 32. 34. Aut à כמן *keman*, quod Chaldaicè, Syriacè et Arabicè significat, occulavit: unde *michman*, id est, thesaurus: & *machman*, id est, latibulum, spelunca. Verùm *chochma* derivatur à חכם *chacham*, id est, sapiens fuit, uti norunt Hebraicè periti, non à *camas*, vel *keman*. Melius ergo חכמה *chochma*, id est, sapientia, alludit ad אוחמה *och ma*. Litteræ enim *aleph* & *chet*, cùm ambæ sint gutturales, sunt inter se commutabiles: *och* enim vel *ach*, Hebræis, æquè ac Latinis, Græcis & ceteris, est interjectio, & naturalis vox dolentis, sive gemitus & suspirium lamentantis: *ma* verò significat, quid, quantum. Sensus ergo est: q. d. *chochma*, id est, sapientia, est *achma*, id est, suspirium, quo sapientiæ studiosus gemit & suspirat dicens: Ah quanti laboris est sapientia! Ah quantum mihi cerebrum mentemque pro ea nanciscenda fatigo! Ah quàm arduum est sapere! Nam ad sapientiam, putà, virtutem, nanciscendam, opus est Socratico robore, ait S. Hieron. sapientia enim hic non tam speculativa, quàm practica accipitur, putà virtus, quæ pariter à vi & virili robore dicitur: eo enim ad virtutem assequendam est opus, ut ad illam totis viribus connitamur, perinde, ut Hercules & Argonautę ad vellus aureum. Quocirca virtus à Poetis dicitur habitare in editis & penè inaccessis rupibus, teste Clem. Alexandr. libr. 4. Stromat sub initium: *Sudor*, inquit, *ante virtutem positus est*. Unde Hesiodus: Chochma *est* achma, *sapientia est suspirium*

Via longa est atque acclivis ad ipsam.
Ardua namque prius, sed cùm ad fastigia ventum,
Fit facilis.

ac deinde sensim ceteros, imò non rarò cum peccatorum expulsione sentitur mira conscientię serenitas, gratię jucunditas, consolationis cælestis, qua Deus animam mulcet, copia, suaves piæque lacrymæ, &c. Exemplum illustre preluxit in Christo, qui modico tempore in cruce & morte laborans, mox resurrexit ad vitam & gloriam immortalem, ex brevi passionis semine metens sibi & nobis opes immensas, & gloriam sempiternam.

VERS. 21. QUAM ASPERA EST NIMIUM SAPIENTIA INDOCTIS HOMINIBUS, ET NON PERMANEBIT IN ILLA EXCORS] *Indoctos* vocat insipientes & imprudentes, qui non rationem, sed concupiscentiam sequuntur. Eosdem vocat *excordes*, id est, vecordes & stultos: his enim ob asperitatem horrori est sapientia practica (de tali enim hic passim est sermo) putà, prudentia, virtus & sanctitas: unde Syrus vertit, *quàm aspera stultis sapientia, & non patientur eam excordes;* Tigurina, *quàm aspera valdè est imperitis: nullus enim excors perdurat apud eam*, q.d. Quàm aspera est guloso temperantia, luxurioso castitas, avaro liberalitas, superbo humilitas, iracundo lenitas, pigro labor & sedulitas! Utique est ei quasi lapis oneris, ut ait v. 22. sicut enim stomacho amaro cibi dulces videntur amari: ita carnali & cupidinibus suis addicto, sapientia & virtus in se suavis & placida, videtur aspera, inaccessa & impossibilis, juxta illud Proverb. 24. 7. *Excelsa stulto sapientia*. Et Prov. 15. 5. *Stultus irridet disciplinam patris sui*. Et v. 12. *Non amat pestilens eum, qui se corripit, nec ad sapientes graditur*.

VERS. 22. QUASI LAPIDIS VIRTUS PROBATIO ERIT IN ILLIS, ET NON DEMORABUNTUR PROIICERE ILLAM] *Virtus*, sive vis, *lapidis*, est lapidis fortitudo, pondus & gravitas: hujus ad instar *erit* stultis *probatio* sapientiæ: q. d. Sicut homo ignavus, volens elevare & imponere humero vel capiti lapidem gravem & ponderosum, mox ut ejus gravitatem & pondus sentit, illicò eum deponit & abiicit: ita stulti tentant quandoq; addiscere sapientiam, eamque in humeros elevare & suscipere cogitant: sed mox ut ejus difficultatem, onus & pondus sentiunt, illicò ex ignavia & amore suarum cupiditatum eam abiiciunt. Sicut ergo lapis probat vires corporis; sic sapientia probat vires animi, qui enim forti & resoluto animo eam complectuntur, omne eius onus generosè superant, itaque onus eis in levitatem, & quasi in pennas & plumas vertitur: qui verò depresso & carnali sunt animo, oneri eius succumbunt, ideoque eam deserunt. Syrus & Hugo per *lapidem* accipiunt gemmam pretiosam: sic enim vertit Syrus, *sicut lapis est pretiosus super eum, ne intueatur & dimittat eam*, q. d. Stultus aspicit eminùs sapientiam, quasi gemmam, v. g. adamantem, supra se & opes suas elevatam, quam proinde quasi nimii pretii cominùs intueri non audet, ut eam comparet, & in pectus suum immittat; sed eam aliis ditioribus et nobilioribus emendam relinquit. Verùm nemo est, qui gemmam velit ἀπορρίψαι, id est, abiicere. Quare meliùs alii passim accipiunt lapidem vulgarem, gravem et ponderosum: huius enim pondus, qui supra suas vires esse sentit, illicò abiicit. Unde Vatabl. vertit, *tamquam lapis probator gravis* (Græcè, ἰσχυρὸς, id est, validus, fortis, ponderosus) *incumbit illi, nec moram interponit, quin eum excutiat*. Alludit ad lapidem luctæ: in lucta enim certabant viribus, quis maiorem, magisque grandem et ponderosum lapidem ferre posset: hic enim vocabatur *lapis oneris*, sive discus, et Græcè, λίθος δοκιμασίας, id est, lapis probationis, quia eo probabant et explorabant quantæ essent vires et robur cuiusque, ut scirent quis cui antagonistæ in lucta deberet comparari et opponi, de quo Zacharias cap. 12. 3. *In die illa*, inquit, *ponam Ierusalem quasi lapidem oneris cunctis populis: omnes, qui levabunt eam, concisione lacerabuntur*. Vide ibi dicta. Hic ergo lapis ignavis et timidis est lapis oneris, fortibus verò et sapientię, id est, virtutis, studiosis est lapis roboris, gloriæ et triumphi, ideoque eis quasi in gemmam illustrem, putà in smaragdum, carbunculum et adamantem convertitur. Rursum, hic lapis est quasi lapis Lydius, qui probat et discernit aurum verum à falso et fictitio: pari enim modo disciplina sapientiæ probat et secernit veros discipulos à falsis. Unde

Lapis oneris quis,

A huc alludens Isidor. Pelus. epist. 400. *Vir patiens*, inquit, *laborum exploratio est, & quasi lapis δοκιμῆς, id est probationis*. Nam, ut ait Nazianz. in Carmine de virtut. & vitiorum definitione: *Patientia malorum est decoctio*.

Moraliter, disce hic disciplinam, mortificationem, tribulationem, morbum, calumniam, persecutionem, esse lapidem oneris & probationis: ejus enim onere probatur patientia, humilitas & fortitudo cujusque fidelis. Illam ergo quasi onus humeris nostris à Deo impositum hilariter capessamus, & generosè portemus: ita veræ sapientiæ decus, putà, Dei gratiam, gloriam & coronam quasi athletę Christi nanciscemur. Quocirca S. August. in psal. 86. *Quadrati lapidis*, inquit, *similis esse debet Christianus: in omni tribulatione non cadit, etsi impellitur: & si qua vertitur, numquam cadit: nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat semper: stantem te sic inveniat omnis casus*. Sic & Plato, Aristoteles, Plutarchus & Seneca patientes & fortes piosque viros vocant tetragonos, id est quadratos: Philo verò libr. de sacrific. Cain & Abel, labores & molestias comparat cum escis,

Mor. tribulatio est lapis oneris à Deo cuique admensus.

B quibus nutritur & roboratur homo. *Equidem existimo*, inquit, *laboris ubique eamdem vim esse. Nam, sicut à cibo tota vita pendet una cum suis actionibus; ita etiam à labore pendet, quidquid in rebus bonum est. Ergo sicut, qui vitam prorogare cupiunt, alimenta non negligunt: ita quotquot, quæ bona sunt, concupiscunt, laborum perpessionem magnifaciunt: sicut enim cibus se habet ad vitam, sic illa ad honestatem*. Porrò Deus hunc lapidem cujusque viribus admetitur, ut minùs forti minùs ponderosum, magis forti magis ponderosum imponat: aut certè, si pondus lapidis vires hominis superet, Deus homini vires adauget, & ponderi commensurat. Quare nemo de nimio ejus pondere iure queri potest, nemo ab eo ferendo se excusare. Nam, ut ait Apostolus 1. Corinth. 10. 13. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patientur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Denique pondus hujus lapidis sentiunt acedi & tepidi dumtaxat: nam amantes & ferventes dicunt cum S. Bernardo: *Labor meus non est nisi unius horæ; & si amplius, non sentio præ amore*. Amanti enim nihil est

C difficile.

VERS. 23. SAPIENTIA ENIM DOCTRINAE SECUNDUM NOMEN EST EIUS, ET NON EST MULTIS MANIFESTA] Primò, Hugo sic explicat: *Sapientia est secundùm nomen eius*, scilicet, stulti & excordis, de quo vers. 22. q. d. Stulti sapientiam doctrinæ reputant stultitiam; quia non capiunt, nec sapiunt ea, quæ dicuntur. Verùm obstat Græcum αὐτῆς, id est, *eius*, quod est femininum, ac proinde stultum referre nequit, sed sapientiam.

Sapientia iuxta nomen abscondita quo modo Resp. Primò.

Secundò, Dionys. Lyran. & Robert. Holkot, exponunt q.d. Sapientia doctrinæ, id est, sapientia hæc salubris & doctrinalis, docens summo bono adhærere, nomen habet à sua proprietate, & re ipsa, suaque actione, videlicet, ab interno divinorum sapore, et gustu dulcedinis summi boni: dicitur enim sapientia à sapore, quasi sapida scientia. Hunc autem eius saporem & gustum absconditum pauci percipiunt, nec nisi eius studiosi. Verùm obstat, quòd Siracides fuerit Hebræus, non Latinus, scripseritque Hebraicè, ac proinde ad Hebræum sapientiæ nomen, non ad Latinum, respexerit.

Secundò.

D Tertiò, alii σοφίαν, id est, sapientiam, censent alludere ad ζόφον, quasi σοφία sit ζόφος, id est, caligo, putà obscura et arcana. Verùm huic obstat idem, quod priori: Siracides enim Hebraicè scripsit, non Græcè. Potuit tamen ipse, utpote Græcè peritus, ad Græcæ linguę tunc in Ægypto, ubi ipse hæc scripsit, usitatæ etymon secundario alludere. ita Pineda in Job cap. 28. vers. 18. in fine: Sophia, inquit, à ζόφου, id est, à caligine, dicitur, quasi in caligine et ignoratione delitescens.

Tertiò,

Quartò, Jansenius facilè se expedit, sicque explicat: *Sapientia est secundùm nomen eius*, hoc est, est id, quod dicitur et prædicatur. nempe, ardua res et excelsa: et non quibusvis obvia. Accedit Rabanus: *Sapientia*, inquit, *doctrinæ, sinceritas est legis divinæ: quæ secundùm nomen eius est, hoc est, prudentia, veritas & virtus*.

Quartò,

Con-

quit, *doctrina, sinceritas est legis divinæ: quæ secundum nomen ejus est, hoc est, prudentia, veritas & virtus.* Consentit Hugo: Sapientia, inquit, ignota & occulta est tam quoad nomen, quàm quoad rem: quia Philosophi disputant, tam de nomine, quàm de re sapientiæ. Quærunt enim, quis sit sapiens? quid sit sapientia? Rursum sapientia occulta est; quia ipsa est prudentia, virtus & veritas occultè illuminans mentem, & inflammans voluntatem.

Quintò. Quintò, aliqui pro αὐτῆς: id est, *ejus*, legentes αὐτοῖς, id est, *ipsis*, scilicet, indoctis & excordibus, de quibus v. 22. & 23. sic explicant: q. d. Sapientia secundùm nomen est indoctis, hoc est, nomine tenus illis nota est; reipsa autem ignota; vel quoad nomen dumtaxat illis competit: q. d. Nomen habent sapientum; reverà autem sunt insipientes. Favet Tigurina, *nam sapientia talibus* (excordibus) *de nomine tantum suo, neque adeo multis nota est*. Huc accedit S. Thom. 2. 2. q. 45. art. 2. ad 2. *Videtur*, inquit, *hic nomen sapientiæ accipi pro ejus fama, quæ à cunctis commendatur.* q. d. Nomen & fama sapientiæ apud omnes est illustris; sed tamen pauci eam assequuntur. Ex adverso Syrus vertit, *nomen ejus sicut doctrina ejus, & stultis non revelatur*. q. d. Stultis, tam nomen quàm doctrina sapientiæ est ignotum & invisum.

Sextò. Sextò, alii per sapientiæ nomen accipiunt, non nomen proprium, sed epithetum appropriatum: sapientia enim in Scriptura vocatur thesaurus absconditus, aurum, argentum, gemma, margarita, quæ absconduntur, vel in conchis maris, vel in abditis venis terræ. Vide Job. cap. 28. v. 12. & sequent. ubi sapientiam comparat auro, & topazio abscondito: *Abscondita*, inquit, *est ab oculis omnium viventium. Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum ejus.* ita Pineda in Job. cap. 28. v. 18. in fine. Nam cùm sapientia, inquit, sæpè nominetur auri, gemmarum, universarumque opum appellationibus, significatur esse aliquid reconditum in occultis recessibus, ideoque à paucissimis inveniri, &, quod in rebus rarissimis pretiosissimisque contingit, plerisque ignotam & occultam esse, & non nisi nomine tenus cognitam: qui autem semel illam invenit, si sapiens est, numquam dimittit. Sic Christus sapientiam Evangelicam vocat thesaurum in agro absconditum, *quem qui invenerit homo, abscondit; & præ gaudio illius vadit & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum*, Matth. 13. 44. Et Apostolus passim vocat thesauros sapientiæ & scientiæ Dei absconditos in Christo. Thesaurus autem vocantur opes pretiosę, arcanę & absconditę: dicitur enim θησαυρὸς quasi θέσις εἰς αὔριον, id est, repositus & reconditus in futurum. Hac de causa Christus Dominus Patrem contestans ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te*, Matth. 11. 25.

Septimò. Septimò, sapientia doctrinę, scilicet sacræ & divinæ, & nomine suo vocatur, & reipsa est mystica & abscondita. Dogmata enim ejus vocantur mysteria, id est, sacramenta & sacra arcana, ac doctores ejus vocantur mystæ, ἀπὸ τοῦ μύειν τὸ στόμα, id est, à claudendo ore, eò quòd mysteria ejus silentio tegenda, ac non nisi paucis & dignis evulganda sint: idcircò Christus populo loquebatur in parabolis; Apostolis autem, apertis clarisq; verbis, Matt. 13. v. 13. Hinc Paulus: *Loquimur*, ait, *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*, 1. Corint. 2. v. 7. Et S. Dionys. S. Pauli discipulus scripsit librum de Mystica Theologia. Denique prisci illi sapientes sub & ante tempora Siracidis, ut Ezechiel, Daniel, Zacharias, Pythagoras, Plato, Trismegistus, sapientiam suam docebant per hieroglyphica, symbola, emblemata, ęnigmata, ut eam celarent rudes & incapaces; capaces verò ad ejus studium excitarent. Unde signanter ait Siracides, *sapientia doctrinæ*: q. d. Sapientia quatenus docetur à mystis & Theologis hujus ævi, tam quoad dogmata, quàm quoad eorum nomina, est symbolica, obscura & ænigmatica.

Octavò. genuinè. Denique, ut planè et plenè textui et litterę satisfaciam, sensus est, q. d. Sapientia indoctis est aspera, et instar ponderosi lapidis, quem quia humeris ferre non valent, quia non volunt, hinc eum illicò excutiunt. Nam sapientia, secundùm nomen et etymon suum Hebraicum, sonat rem laboriosam, difficilem, arduam, reconditam, quę non nisi magno labore erui, et in lucem produci potest; quia ipsa reverà talis est. Id ita esse ostendo in quatuor Hebraicis vel Arabicis sapientię nominibus. Primum est *ilm* vel *talim*: radix enim עלה *alam*, Hebraicè significat, abscondit: unde *alma* vocatur virgo viro incognita, et domi abscondita. Arabicè verò (Arabica autem est affinis, et quasi dialectus Hebraicę,) *alam* significat, Primò, abscondit; Secundò, novit, scivit, certus fuit: inde עלה *ilm* vocatur sapientia, scientia, doctrina, ars prudentia: תעליה *talim* vocatur informatio, studium, disciplina, tractatus: *alim* vocatur sapiens, sciens, prudens, doctus, litteratus: unde dicitur Elymas; id est, magus, et rerum arcanarum peritus, uti dixi Actor. 13. 8. *Mualim* vocatur doctor, magister, rabbi: *mualam* vocatur discipulus, studiosus. Unde Saraceni et Turcę rem quampiam asseverantes et jurantes dicunt, אלצעליצ *illa alim*, id est, Deus novit, qui novit arcana pectoris.

Secundum Hebręum sapientię nomen est Magia. מהגית *magim* enim, id est magi, apud Hebręos, indeque Chaldęos, Persas, Arabes, aliosque Orientales, vocantur sapientes, quasi meditantes et scrutantes arcana; et magia vocatur sapientia arcana. Radix enim הגה *haga* significat meditari, speculari, disquirere, scrutari. Unde *higgaion* est meditatio. Porrò *haga* planè alludit ad *iaga*, id est, laborare, dolore afficere, affligere, fatigare; quia scientia, quę per meditationem paratur, magno labore et fatigatione mentis acquiritur: quam quia, velut lapidem onerosum, refugiunt insipientes; hinc pariter ad sapientiam penetrare nequeunt.

Tertium nomen sapientię est תלמוד *talmud*, id est, doctrina: hoc enim alludit, et quasi includit עלה *alam*, id est, abscondit; ut *talmud* dicatur quasi *almud*, putà, res abscondita. Rursum à *lamad*, id est, docuit, et *talmud*, id est, doctrina, derivatur מלמד *malmad*, id est, stimulus, putà, baculus aut virga, in cujus summitate est aculeus, quo bubulcus pungit boves: sic dictus, quòd boves doceat arare, ait R. David. Pari modo juvenes à magistro, ferula quasi stimulo erudiuntur et docentur sapientiam: quare eis aspera et molesta est sapientia. Hoc est, quod ait Sapiens Eccles. 12. 11. *Verba sapientum quasi stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore uno.*

Quartum et præcipuum sapientiæ nomen, quo passim utitur Salomon in Proverbiis, est חכמה *chochma*: *chochma* autem noster Emmanuel Sà derivat à כמס *camas*, id est, abscondere; unde *camus* vocatur absconditus, reconditus, latens, Deut. 32. 34. Aut à כמן *keman*, quod Chaldaicè, Syriacè et Arabicè significat, occulavit: unde *michman*, id est, thesaurus: & *machman*, id est, latibulum, spelunca. Verùm *chochma* derivatur à חכם *chacham*, id est, sapiens fuit, uti norunt Hebraicè periti, non à *camas*, vel *keman*. Melius ergo חכמה *chochma*, id est, sapientia, alludit ad אוחמה *ach ma*. Litteræ enim *aleph* & *chet*, cùm ambæ sint gutturales, sunt inter se commutabiles: *ach* enim vel *ach*, Hebræis, æquè ac Latinis, Græcis & ceteris, est interjectio, & naturalis vox dolentis, sive gemitus & suspirium lamentantis: *ma* verò significat, quid, quantum. Sensus ergo est: q. d. *chochma*, id est, sapientia, est *achma*, id est, suspirium, quo sapientiæ studiosus gemit & suspirat dicens: Ah quanti laboris est sapientia! Ah quantum mihi cerebrum mentemque pro ea nanciscenda fatigo! Ah quàm arduum est sapere! Nam ad sapientiam, putà, virtutem, nanciscendam, opus est Socratico robore, ait S. Hieron. sapientia enim hic non tam speculativa, quàm practica accipitur, putà virtus, quæ pariter à vi & virili robore dicitur: eo enim ad virtutem assequendam est opus, ut ad illam totis viribus connitamur, perinde, ut Hercules & Argonautę ad vellus aureum. Quocirca virtus à Poetis dicitur habitare in editis & penè inaccessis rupibus, teste Clem. Alexandr. libr. 4. Stromat sub initium: *Sudor*, inquit, *ante virtutem positus est*. Unde Hesiodus:

Via longa est atque acclivis ad ipsam.
Ardua namque prius, sed cum ad fastigia ventum,
Fit facilis.

Chochma est achma, sapientia est suspirium.

Rursum *chochma* quoad omnes litteras alludit ad חוח *cho-ach*, id est, spina asperrimis aculeis, & מה *ma*, id est, quantum. q. d. O quot spinis obsita! O quàm spinosa, aculeata, difficilis & imperuia est sapientia! Quantum in ea est spinarum & sentium!

Insuper nonnulli *chochma* censent alludere ad Chaldæum אכם *acham*, id est, niger fuit, denigratus est; q. d. Quàm atra, quàm obscura, quàm in tenebris recondita & arcana est sapientia! Unde אכמות *achmut*, vocatur nigredo, tristitia & aurora; quia subnigra & obscura, quæ sapientiæ & philomusis est amica. Hinc quoque Chaldæi *achmeta* vocant scrinium, lagenam, vel urnam, in quo recondebantur litteræ, libri & memorialia Regum, 1. Esdræ 6. 2. ubi Noster vertit, *in Ecbatanis*, quæ erat sedes Regum Persarum. In simili enim Dei scrinio recondita est sapientia.

Igitur tam nomine quàm reipsa, ardua & laboriosa est sapientia; putà Dei gratia, & virtus & salus, ideoque à paucis laboris avidis apprehenditur. Idcircò ait Christus Matth. 20. 16. *Multi sunt vocati, pauci verò electi*. Et Matt. 7. 14. *Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci intrant per eam!*

Et non est multis manifesta] Planè, sicut pulveris est multum in terra, auri parum: ita rari sunt, quibus sapientia innotescit. adeò nos mundi prudentia cæcavit, adeò sibi vendicavit, adeò nos sapientiæ Dei ad se vocanti & pellicienti, Proverb. 1. 21. subtraxit. Huc facit gnome Rabbini prisci in *Pirke aboth*, id est, in Apoph. Patrum, quæ sic habet: Dignitas & excellentia legis regium & sacerdotalem honorem suo splendore vincit, ac sublimitate supereminet: quippe 30. gradibus ad regni culmen ascenditur: 24. ad sacerdotii fastigium pervenitur: at verò ad apicem intelligentiæ legis, 48. necessaria sunt. Hæc autem sunt ista: studium, id est, improba diligentia, docilitas in obediendo magistris, intensio animi, attentio & affectio cordis, timor ac tremor, animi demissio, gaudium, obsequium præstare sapientibus, subtilitas cum condiscipulis in disputando & argumentando, alacritas, patientia, studium scripturæ, peritia misnæ seu legis oralis ac traditæ, parum negotiationis temporalis, parum somni, modicum risus, modicum delectationis, sæcularium negotiorum permodicum, in irascendo tarditas, cor benè affectum erga sapientes, fidelitas, tribulationum perpessio, suæ conditionis agnitio, sua sorte contentum esse, prudenter loqui, nec honorem sibi aut dignitatem aliquam arrogare. Sic amatur, & amat Deum, justitiam, increpationem & rectitudinem: avertit se ab ambitionis vitio, nec propter eam, quam se habere novit in lege peritiam, vanè extollitur, aut inflatur, aut libenter tamquam judex sententiam pronuntiat: onus & jugum proximi sui suavissimè ac placidissimè portat; omnia ejus dicta, vel facta in meliorem partem detorquet; in pace eum & veritate confirmat ac roborat; in suo se amat studio. Quærit & respondet: audit, quæ dicuntur; & insuper addit de suo doctrinam: discit, ut doceat, & in praxim, quæ à præceptoribus accepit, reducat. Acuit ingenium ac diligentiam magistri; lectioni attentam aurem accommodat; fideliter eum auctorem laudat, à quo quid accepit: nam probè novit, eum qui illi fonti, à quo aliquid haurit, illud fideliter & sine invidia refert, salutem mundo ac redemptionem adducere, juxta illud Esther: *Et dixit Esther Regi nomine Mardochai*. Hucusque Rabbinus.

48. gradus ad sapientiam;

Quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei] Hæc verba nunc desunt in Græco, Syro & Arabico. Ostendit v. præced. sapientiæ difficultatem, hic ejusdem ostendit præstantiam, ut ejus studium in nobis exacuat, ne quis ob difficultatem eam refugiat: nam difficilia, quæ pulchra. Sensus ergo est q. d. Dixi sapientiam esse arduam & difficilem; sed simul dico, eam esse utilissimam, pulcherrimam & præstantissimam. Nam ipsa sui studiosos & familiares perducit usque ad conspectum Dei; putà ad beatitudinem, quæ in clara Dei visione consistit, in qua sola perfecta est sapientia. O vires aquilæ (putà sapientiæ) summas, quæ expandit alas, & assumit pios super eas, eosque super omnes cælos ad Dei thronum & lucem innaccessibilem evehit & exaltat, juxta illud Deuter. 32. 11. *Sicut aquila provocans ad vo-* A *landum pullos suos, & super eos volitans; expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis!*

Hinc Nota, Rabbinis & Judæis cognitum fuisse, quòd felicitas nostra consistat in visione Dei, quodque ad eam ducat, eamque mereatur fides & sapientia; putà, virtus et charitas. Ita Rabanus, *Quibus*, ait, *agnita est; hoc est, qui eam recta fide ac bonis operibus servant, perducit illos ad contemplationem gloriæ Dei. Beati enim mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt*. Sic Christus Joan. 17. 3. cognitionem sapientiæ suæ vocat vitam æternam: qui enim practicè eam cognoscit, id est, amat et moribus exprimit, hic pergit et pervenit ad vitam æternam. *Hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Quæ verba explicans S. Cyrill. lib. 11. in Joan. c. 17. *Cognitio*, inquit, *est vita, spiritualem nobis benedictionem adducens, per quam Spiritus in cordibus nostris habitat, in adoptionem filiorum Dei, & veram pietatem per Evangelicam vitam, & incorruptibilitatem reformans. Cùm igitur origo, & quasi pronuba dictorum omnium cognitio Dei veri esse inveniatur, rectè* B *à Domino nostro Iesu Christo vita æterna est appellata, quasi mater & radix, virtute naturaque sua vitam æternam pariens.*

Audi, fili, et accipe consilium intellectus, et ne abiicias consilium meum] *Consilium intellectus*, sive intelligentiæ, vocat consilium intelligentis; putà, consilium sapiens et prudens. Syrus, *audi, fili mi, & suscipe doctrinam meam, & ne amoveas disciplinam meam*; Tigurina, *audi, fili, & sententiam meam amplectere, nec renue meum consilium*. Consilium hoc subiicit dicens: Vers. 24.

Iniice pedem tuum in compedes illius (sapientiæ,) et in torques illius collum tuum] Syrus, *immitte pedem tuum in rete ejus, & in sarcinam eius immitte collum tuum*; Tigurina, *pedes tuos in compedes eius insere, & in nervum* (Vatabl. *in numellam*) *ejus cervicem tuam*. Nam vox *torques*, hic non significat monilia & catenas aureas, sed bojas, numellam, sive collare vinculum, quo collum canum v. g. stringitur: hoc enim significat Græcum κλοιός. Idipsum rectè vocatur torquis, quia collum torquet & cruciat instar tormenti & tortu- C ræ. Sicut ergo pedes equorum, vaccarum & boum in pascuis & septis, ne ea transiliant, arctantur compedibus; & sicut canes cinguntur collari, ut per catenam illi annexam ab hero duci regique possint: sic pariter sapientia sua disciplina & castigatione, quasi compede & collari, ligat & stringit tam collum & caput, id est, mentem, voluntatem & affectus; quàm pedes, id est, gressus, motus & actiones nostras, ne illecebra aut concupiscentia aliqua abrepti exorbitent, hominemque in abyssum præcipitent, sed ut sapientiæ ductum & disciplinam quaquaversum sequantur, itaque rectam virtutis in cælum viam ineant. Sapientia enim non facit libertinos, ut volunt hæretici; sed compositos, maturos, rationi & disciplinæ subditos, ut caro serviat spiritui, spiritus Deo.

Vers. 25.

Compedes sapientiæ.

Porrò torques & compedes significant in homine dominari animales appetitus & concupiscentias, quasi bestias & feras, quæ proinde instar bestiarum à sapientia, disciplina quasi compede & catena, domandæ, frænandæ & captivandæ sint, ne & seipsas et herum perdant. Audi D S. Gregorium in psal. 5. pœnitent. explicantem v. 21. *Ut audiret gemitus compeditorum. Sancti viri*, inquit, *non incongruè compediti dicuntur; quia ligati vinculis disciplinæ Dei, nequaquam ad ea, quæ exteriora sunt, vagantur: & quasi gressum operis immobiliter figunt, dum à conditoris desiderio nusquam discedunt. De his namque compedibus scriptum est: Iniice pedes tuos in compedes ejus, & in torques illius collum tuum: quia profectò cujus à pravitate gressus compescitur, ejus fides sanctarum veritate virtutum adornatur. Collum namque fides est, per quam Deo fidelis quisq; coniungitur, & quasi per collum capiti suo Christo Ecclesia, quæ ejus est corpus, unitur. Unde in laudem sponsæ in Canticis Canticorum dicitur: Collum tuum sicut monilia. Quia enim, sicut Iacobus ait, fides sine operibus mortua est; quasi collum sponsæ monilibus circumdatur dum fides sanctæ animæ operibus decoratur. Gemunt continuè compediti: quia dum exilii sui tenebras electi considerant, ad claritatem visionis Dei indesinenter suspirant.*

Quo-

Quocirca compedes hæ sapientiæ, non tam vincula sunt servitutis, quàm insignia libertatis, quales erant compedes aureæ mulierum, de quibus Plin. lib. 33. c. 12. *Argentum*, ait, *succedit ex re aliquando & auro, luxu feminarum plebis compedes sibi ex eo facientium.* Unde & compedes hæ desinunt in torquem, quem aureum suspicatur S. August. in psal. 149. *Suscipit*, ait, *à vinculis ferreis, finitur ad torquem aureum. Dictum est enim de Sapientia: Et torquem aureum circa tuam cervicem: non tibi imponeret torquem aureum, nisi primum in compedibus ferreis te alligasset.* Unde Cantic. 1. 10. *Pulchræ sunt*, inquit, *genæ tuæ, sicut turturis; collum tuum, sicut monilia.* Ubi Chald. *Quàm pulcher*, ait, *est populus hic, ut dentur eis verba legis, & sint sicut inauris in maxillis eorum,* &c. *quàm pulchra sunt dorsa eorum, ut sustineant jugum præceptorum meorum, & sint super eos, sicut jugum super cervices bovis, qui arat in aratro.* Denique S. Hieron. epist. 127. ad Fabiolam: *Vincula*, ait, *Domini voluntaria sunt, & vertuntur in amplexus; quique bis fuerit colligatus, dicit: Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

Subiice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris vinculis ejus) Græca habent, *subiice humerum tuum, & porta illam*, quasi lapidem oneris, de quo dixit v. 22. & μὴ προσοχθίσῃς, id est, ut Complut. *ne sis inimicus ejus*; Syrus, *appropria humerum tuum, & porta eam, & ne contristeris in pondere ejus*; Tigurina, *humero tuo subiecto sustine eam, nec indignè feras ipsius vincula.* Noster vertit, *ne acedieris*, id est, acedia, tristitia, impatientia afficiaris ob vincula ejus manibus tuis iniecta. Acedia enim parit tristitiam, tristitia iram, ira impatientiam rei gravis & molestæ. Ex Græco quis suspicari posset legendum esse, *ne acedieris*, id est, ne acidè, id est, ægrè & indignè feras, de quo dixi c. 4. v. 9.

Nominat quatuor totidem membrorum, eorumque præcipuorum, vincula: compedes enim vinciunt pedes, torques collum, sarcina humeros, manicæ manus: quo significat sapientiam sua disciplina coercere & constringere omnia hominis membra, omnes sensus, omnes actiones. Speciatim verò per *collum* significatur phantasia & intellectus, per *humeros* appetitus, præsertim irascibilis, in quo regnat dulcedo se extollendi, & dominandi arrogantia & fastus: sicut enim humerus collo adiacet & subjacet; ita appetitus subjacet phantasiæ & cognitioni: hæc autem omnia premit sapientia per *manus* significantur actiones, per *pedes* motus & gressus: quę omnia rationis legibus quasi vinculis astringit sapientia; putà, Dei lex, virtus & charitas, juxta illud Roman. 8. 13. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Igitur docet Siracides sapientiam habere compedes, quibus vinciat pedes; compedes hę sunt, modestia: item manicas, quibus astringat manus; manicę hę sunt continentia: ad hęc torques, quibus liget collum; torques est obedientia: denique ipsam esse onus (scilicet crucis) cui humeros supponamus oportet per patientiam. Ergo ut Christus crucem bajulando ei humeros sopposuit, cui deinde clavis manus pedesque, id est, totum corpus astrinxit, ita tu crede sapientiam crucem esse, cui manus, pedes, totumque corpus & animam alligare debeas. Audisti Deum diligendum esse ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, ex tota fortitudine; id est, ex omni toto tuo, putà ex pedibus, manibus, collo & corpore toto. Idipsum hic docet Ecclesiasticus: Sapientia enim est dilectio Dei, ut dixit cap. 1. 14. Quocirca sapientia cohibet manus, ne cui noceant: pedes, necubi exorbitent, vel offendant: collum & corpus, ut à lege Dei non dimoveantur. Totum te Deus vult, totum te Deo sapientia suis hisce vinculis devincit & astringit. ita Palacius.

Audi & Rabanum *Inücit pedem suum in compedes illius, qui progressum vitæ suæ munit præceptis illius. Indit collum suum in torquem ejus; qui temperat sermones suos secundum regulam ipsius. Subiicit illi humerum suum ad portandum, qui actus suos subiicit magisterio illius, & implet opere quod jubet: & ne quis tædiose & graviter ejus doctrinam accipiat, subiungit,* &c. Corn. Tacit. lib. de Moribus German. scribit eos olim, dum locum diis sacrum ingrederentur, vinculis se obligasse, ut se diis obstrictos profiterentur: unde & religio à religando dicta, quòd animam Deo, cujus est, alliget & religet. Quidni ergo fidelis vinculis legis Dei sponte se Deo alligat?

Symbolicè nonnulli hęc adaptant cultui & servituti B. Virginis (hęc enim æternę Sapientię est mater) qua viri peculiariter devoti illi se consecrant, totosque se ejus obsequio velut servos, imò mancipia addicunt & mancipant. Extat sodalitas, & praxis hujus servitutis edita hoc titulo, *Mancipium Mariæ, hoc est, modus dedicandi se B. Virgini in mancipium.* Sic ante 300. annos Florentię septem viri eximiè pii se devoverunt cultui B. Virginis, ac instituerunt Ordinem Servorum B. Virg. indeque Servitę sunt appellati. atque B. Virgo id ratum gratumque habuit: ipsa enim singulis separatim per quietem apparuisse dicitur cum magno & illustri Angelorum exercitu, una manu pullam tunicam, altera librum apertum tenens, jubens eos deinceps illa veste uti, & illa regula, quam S. Augustini esse aiebat. Ita habent Annales Ordinis Servorum, et ex iis noster Platus lib. 1. de Bono status Relig. c. 34.

Ante hos anno Domini 1050. primus Marinus, B. Petri Damiani frater, solemni ritu sese obsequio B. Virginis velut mancipium dedicavit. Ritum enarrat ipse Damianus lib. 2. epist. 14. ad Desiderium Abbatem Cassinensem: *Altari*, inquit, *se B. Dei Genetricis velut servile mancipium tradidit, & pro servilibus numellis collo corrigiam, qua cingebatur, innexuit, & humeros denudans, mox se quasi servum malum coram Domina sua verberibus affecit: atque in veræ servitutis tesseram servile tributum pendens, quamdam pecuniæ summam in altaris crepidine posuit, dixitq; Per istud ergo munusculum servitutis me, ò Domina, tibi nunc offero, & amodò, quoad vixero, certi canonis appendam annale tributum.* Quo demum obsequio id assecutus est vir optimus, ut suavissimam in morte dominam videre meruerit, quam & his verbis allocutus est sacri gaudii & confidentiæ plenissimus: *Et quid est, ò Domina mea, Regina cæli & terræ, quia visitare dignata es pauperculum servum tuum? Benedic me, Domina mea: nec patiaris me in tenebras ire, cui lucem tantæ præsentiæ dedisti.* Tum roseo vultu ad circumstantes: *Venit*, inquit, *Regina mundi, venit mater Redemptoris æterni, hilaritatem mihi sereni vultus ostendit, benedixit & abiit.* Ille verò inter hæc relicto nobis clarissimo amabilis hujus servitutis exemplo, suavissimè exspiravit. Et hinc fluxit sacrum illud servitium Mariæ, hæc illius est origo servitutis: nec obscurè cælesti prodigio comprobata. Quare hic iste mancipatus uti nobilis (quid enim nobilius, quàm Dei matris esse servum & vernaculum) ita sanctus & perutilis est. Nam B. Virgo sui cultores rectis itineribus in cęlum ad suum glorię thronum perducit: ut proinde illi rectè adaptes id, quod subdit Siracides v. 30. *Erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ.*

In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtute (δυνάμει, id est, potentia, vi, robore) tua conserva vias ejus] *In omni*, id est, toto, *animo*. Est enallage & catachresis: ponitur enim totum universale, pro toto quanto, sive integro. Unde Complut. vertunt, *in toto animo accede ad illam*; Syrus, *in toto corde tuo accede ad eam, & in tota virtute tua* (putà, totis viribus) *custodi vias ejus*; Vatabl. *animo toto aspires ad illam, & pro virili parte serves ejusdem vestigia.* Sunt enim, qui frigidè, languidè, & quasi dimidiata voluntate se dare volunt sapientiæ: at hi eam non assequuntur; quia ipsa totum cor, totum animum & affectum deposcit, ut ejus studiosus ingenti animi ardore in eam feratur, ad eam magnis desideriis suspiret & anhelet; tum, ut eam mente percipiat; tum, ut perceptam opere adimpleat. Vers. 27.

Investiga eam, et manifestabitur tibi: et continens (ἐγκρατὴς, id est, *compos*) factus ne relinquas eam] Syrus, *investiga, & scrutare, & quære; & invenies: confortare in ea, & ne dimittas eam*; Tigurina, *fac illam investiges, & inquiras: nam tibi cognoscenda dabitur: cæterùm assecutus eam ne deseras.* Hic ergo est ordo, quo acquiritur & possidetur sapientia. Primò, investiganda est eo studio & sagacitate, quo venatores investigant lepores & cuniculos in suis antris latitantes: ac ne de ea invenienda desperes, vel de longa investigatione queraris, & tædio afficiaris, certus esto, quòd, si quærere perrexeris, illa se manifesta- Vers. 28.

bit tibi. Deinde eam assecutus constanter retine, nec ullo metu vel præmio deseras. Perseverantia enim coronat sapientiam, æquè ac virtutes ceteras. Hoc est, quod ait Christus Matth. 7. v. 7. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur.* Ita se res habet apud Deum, Deique sapientiam: secus est apud homines, hominumque scientiam, ubi subinde multi petunt, quærunt & pulsant; sed nihil aut parum inveniunt, vel ob ruditatem & tarditatem ingenii, vel ob defectum magistrorum, vel ob alias causas.

Nota. Pro *continens*, Græcè est, ἐγκρατὴς, id est, tenens, obtinens, occupans, possidens, qui dominium & & potestatem in aliquam rem obtinet: & quia tales sunt temperantes, qui dominantur gulæ & ventri, quasi appetitus domini; hinc ἐγκρατὴς significat quoque continentem, id est, temperantem. Sic Sapient. 8. 21. dicitur: *Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens* (id est, compos voti, putà, obtinens sapientiam) *nisi Deus det; adii Dominum, & deprecatus sum.*

Vers. 29. In novissimis enim invenies requiem in ea, et convertetur tibi in delectationem] Syrus, *in fine invenies requiem & blanditias, & lætaberis in novissimo tuo.* Itaque τὸ *in novissimis*, idem est, quod, *in fine*, studii, scilicet, & laborum, quos impendisti addiscendæ & acquirendę sapientię, putà, virtuti. Hebr. enim אחרית *acharit*, quod Latinus Interpres vertere solet novissimum, significat *post, postea, posterius.* Excitat ad sapientię, id est, virtutis, studium, spe prēmii & fructus: q. d. Ne te tædeat laborum, quos impendis, ut te & tuas concupiscentias vincas, & virtutem acquiras: quia, ubi per continuum laborem concupiscentias domitas & rationi obedientes habueris, virtus tibi per consuetudinem fiet facilis & jucunda; tum ob suum decus & pulchritudinem, qua se omnibus efficit amabilem; tum, quia affert miram conscientiæ requiem, serenitatem & lętitiam. Quocirca omnis prior amaritudo, quam sensisti in ejus studio, vertetur tibi in oblectationem, inchoatè quidem in hac vita; perfectè verò in futura, quando propter eam ęterna felicitate donaberis.

Vers. 30. Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriæ) Syrus; *& erunt tibi retia* (sapientię,) *sedes fortis, & vestimentum honoris induet te, & coronam gloriæ nectet tibi;* Vatabl. *compedes eius erunt tibi præsidio validissimo, solidoque firmamento, & ejusdem nervi* (vel *trunci,* sive *boia*) *honorifico amictui.* Versu præced. duos sapientiæ, sive virtutis, fructus assignavit, scilicet, mentis requiem & lætitiam: hic quatuor alios assignat, scilicet, protectionem, corroborationem, libertatem & gloriam: q. d. Compedes, quos tuis pedibus et gressibus iniecit sapientia, prima fronte visi sunt tuos pedes et gressus impedire, ignominia & servitute afficere, deprimere, & debilitare: at ubi iis consueveris, senties eas tibi verti *in protectionem fortitudinis,* id est, fortem, ac *bases virtutis,* id est, roboris, hoc est, robustas: q. d. Firmabunt tuos pedes & gressus, ut in iis quasi in basibus firmis liberè & firmè consistas; nec timeas lapsum, vel ruinam in peccatum, & pęnas illud consequentes, aut dæmonum aliorumve hostium incursum: quia contra hęc omnia te validè protegent & corroborabunt: rursum torques, sive numella, quas sapientia iniecit collo tuo, quasi servo fugitivo, vel reo, vertentur tibi in ornamentum, & in stolam glorię, quasi principi vel regi; utpote qui quasi Rex per sapientiam imperes omnibus tuis affectibus & motibus, ideoque liberè & liberaliter.

Hæc maximè experieris in novissimis propriè dictis, putà in hora mortis, & in die judicii: tunc enim contra omnes dæmonum tentationes & furias virtus te proteget, roborabit et decorabit. Erit ergo in die judicii virtus tibi quasi turris et basis inconcussa, ut in rigoroso Christi judicio et ira immotus et imperturbatus consistas, ab eoque coram Angelis et Sanctis omnibus orneris stola immortalisatis & gloriæ cælestis. ita Rabanus. Sic Christus cruci quasi latro clavis & funibus affixus, ipsam crucem, clavos & funes vertit in suum robur, triumphum, imperium & gloriam. *Regnavit* enim *à ligno Deus*: ideoque hæc ipsa iam à regibus adorantur, & in labaris ac vexillis quasi tropheą gestantur. Addidi funes: quia verisimile est, Christum non tantùm clavis, sed & funibus cruci fuisse astrictum: clavi enim manuum & pedum non potuissent soli tantam corporis molem sustinere: & funes hi è Jerusalem Romam à S. Helena delati, servantur in ejus palatio, nunc templo S. Crucis in Jerusalem, uti habet programma sacello ejus subterraneo prefixum. Hujus rei typo Joseph Patriarcha, cui ob amorem sapientię, virtutis & castitatis, compedes & vincula injecta, commutata sunt in annulos et torques aureas, ac stolam byssinam, quando ob vaticinia et providentiam futuræ sterilitatis à Pharaone creatus est Princeps Ægypti, curruque regio vectus, salutatus est Salvator mundi. Quod mysticè explanans S. Ambros. lib. de Joseph: *Quid sibi vult,* ait, *annulus* digito insertus, nisi ut intelligamus pontificatum ejus fidei esse delatum, ut alios ipse signaret? Quid stola, *quæ est amictus sapientiæ, nisi tributum ab illo rege cælestis prudentiæ pricipatum? Torques aureus intellectum bonum videtur exprimere. Currus significat fastigium sublime meritorum.* Vide dicta Genes. 41. v. 42. et 45.

Porro alludit Siracides de more ad illud Salomonis Proverb. 1. v. 8. et 9. *Fili mi, audi disciplinam patris,* etc. *ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Septuag. *coronam enim gratiarum* aut *charitum suscipies tuo vertici, & torquem aureum circa collum tuum.* Ubi Lyranus: Antiquitus, ait, sapientes utebantur torque aureo, & bulla ad pectus demissa in sapientiæ symbolum, quæ in pectore claudi existimatur. Addit Abulens. in Genes. c. 41. torques principibus olim dari solitos; at non omnibus, sed iis qui sapientiæ laude erant celebres: corona enim erat insigne principatus & potestatis; torques verò potestatis cum sapientia conjunctæ. Ita Nabuchodonosor Danieli, si somnium suum sapienter interpretatus fuisset, torquem promisit: *Purpura,* ait, *vestieris, & torquem aureum circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo princeps eris,* Daniel. 5. 7. Darius Zorobabeli & sociis disputantibus, quidnam esset fortissimum, victori quasi sapientiæ palmam ferenti, promisit, *purpura cooperiri; cidarim byssinam, & torquem circa collum: & secundo loco sedebit à Dario,* inquit, *propter sapientiam suam; & cognatus Darii vocabitur,* 3. Esdræ 3. Ubi Nota. Olim insigne sapientis erat cidaris byssina: cùm enim ceteri uterentur tiara simplici, sapientibus tiaram bysso obligabant, eamque vocabant cidarim byssinam, ut docet Brisonius lib. de Regno Persico. Huc alludit hic Siracides, cùm sapienti quasi insigne debitum promittit stolam byssinam: cum stola enim byssina dabatur & cidaris byssina. Unde Syrus vertit, *& coronam gloriæ* (puta, cidarim byssinam) *nectet tibi.*

Rursum alludit ad Proverb. c. 4. v. 8. ubi Salomon philosopho & sapientiæ studioso promittit ejus prēmia, dicens: *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te:* Hebr. *dabit tibi copulam gratiæ, & diadema decoris muniet te;* Septuag. *ut det capiti tuo coronam gratiarum: corona autem deliciarum proteget te;* Chaldæus, *& ponet in capite tuo pulchritudinem gratiæ: & corona decoris erit super te.* Hanc enim Siracides alia metaphora vocat stolam gloriæ.

Tropolog. noster Pineda in Job. c. 27. v. 6. per *compedes* accipit obligationes & vota perfectioris vitæ; nam hęc ipsa vincula, quæ sunt nostræ imbecillitatis argumenta, eadem ipsa sunt quasi torques & bases virtutis, id est, supplementum fortitudinis, & præsidium validissimum ad retinendam fortiter sanctitatem, quam semel tenere cępimus. Ita S. Gregor. 31. Moral. c. 11. *Potenter dimicantibus,* inquit, *in munere torques datur: ut quia signa virtutum gestant, maiora semper exerceant, & debilitatis crimen incurrere nequeant, dum in semetipsis jam fortitudinis est præmium, quod ostentant.* Et Beda in illud Ezech. 16. 11. *Et torquem circa collum tuum: Additur,* inquit, *& collo torques, cum fulgore perfectæ operationis, sermo prædicationis, qui per collum procedit, confirmatur: ac ne contemni ab auditoribus debeat, indeficienti virtutum connexione docetur. Torques igitur iste ex propriis constans laboribus, quem*

Deus

Deus sponsæ suæ collo circumdat, omnibus mundi divitiis pretiosior est: siquidem eam suaviter intra metas virtutis continet, & à vitiis, quæ damnat, abducit.

DECOR ENIM VITÆ EST IN ILLA, ET VINCULA EJUS ALLIGATURA (Rabanus legit, *nectura*; alii, *netura*: hoc enim est κλῶσμα) SALUTARIS]
VERS. 31. q. d. Sapientia & lex Dei, quæ tibi quasi servo initio erat ignominiosa, molesta & arcta, quasi compedes, eadem tibi jam illi assuefacto erit decor decorans, & ornans tuam vitam. Rursum pariet tibi decorem & gloriam vitæ cælestis & æternæ; vita enim gratiæ, & multò magis vita gloriæ, est pulcherrima, plenaque omni decore & majestate. Denique ejus vincula erunt tibi alligatura salutaris: sicut enim medicus manui tuæ vulneratæ medelam adhibens, manum fasciis alligat, ac illa ligatura salutaris est, quia salubrem sanitatem & libertatem manui restituit: ita sapientia & lex Dei, ut vulneribus peccatorum & concupiscentiarum medeatur, ea legibus suis stringens & alligans, iisdem hac sua alligatura salutem & libertatem conciliat.

Græca pro *decor vitæ*, habent, *ornatus auri*: & pro *alligatura salutaris*, habent, *nexus hyacinthinus*. *Decor aureus*, inquiunt, *est in ea, & vincula illius nexus hyacinthinus*; vel, ut Romani codices legunt, *& vincula illius fila hyacinthina*; Vatabl. *ornatus enim ipsi est aureus, & hyacinthino textu vincula*; alii, *ornamentum aureum est super illam, & vincula ejus vittæ hyacinthinæ*. Aureus enim ornatus est summus apud homines, & vestis janthina sive hyacinthina olim erat vestis regum & principum. Significat ergo sapientiam & virtutem ornare sui studiosos, eosque facere reges & principes, imò homines cælestes, Deique filios & aulicos. Vide, quæ de hyacintho dixi Ezech. 16. 10. S. Ambros. lib. 2. epist. 12. ad Valentin. Imp. sic legit: *Aurea est lingua sapientum, qua phaleratis*, inquit, *dotata sermonibus, & quodam splendentis eloquii velut coloris pretiosi corusco resultans, capit animorum oculos specie formosi, visusque perstringit*. Talis fuit lingua S. Joannis Constantinopol. Patriarchæ, qui ab ea cognominatus est Chrysostomus, id est, aureum os; & B. Petri cognomento Chrysologi, id est, aurei sermonis.

Alludit ad vittas hyacinthinas, quas in fimbriis vestium gestare Judæos jussit Deus, ut per eas recordarentur sapientiæ, putà legis Dei; simul ut iis dignoscerentur à Gentibus, & ornarentur quasi populus Deo & sapientiæ dicatus. Hæ enim Numer. 15. v. 38. Hebr. vocantur פְּתִיל תְּכֵלֶת *petil tecbelet*, id est, filum hyacinthi: Græcè, κλῶσμα ὑακίνθινον (quas voces in Græco hic usurpat Siracides:) nam κλῶσμα, vel κλωσις, dicitur filum retortum: de hisce enim sic sancit Deus Numer. 15. 38. *Dices ad eos* (Judæos, sive filios Israel) *ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas & oculos, per res varias fornicantes; sed magis memores præceptorum Domini, faciant ea, sintque sancti Deo suo*. Hæ ergo fimbriæ erant quasi pedum compedes, cohibentes eos à vitiis, & cogentes eos rectà in via mandatorum Dei incedere, ac pergere in cælum. Idcircò enim hæ fimbriæ erant janthini, id est, violacei & cælestis, coloris, ut per hoc monerentur, conversationem et spem suam debere esse in cælo, utque cogitationem habentes apud Deum, Dei timorem et præsentiam semper ob oculos ponerent, itaque rectà ad eum in cælum contenderent.

STOLAM GLORIÆ INDUES EAM] *Stola* vestis erat ad talos promissa et decora, eratque tam virorum, quàm mulierum. Perperam multi codices legunt *stola*,
VERS. 32. quasi stola gloriæ amicienda sit ipsa sapientia: non enim sapientiam, sed sapientiæ studiosum stola ornandum significat. Sensus ergo est: q. d. *Eam*, scilicet, sapientiam, ò philomuse, *indues*, quasi *stolam gloriæ*. q. d. Sapientia ornatus, ubique conspicuus et illustris incedes, perinde ac si amictus esses stola splendida et gloriosa. Est Hebraismus: Hebræi enim sæpè subticent, et supplendas relinquunt notas similitudinis, *quasi*, *velut*, *sicut*. Tigurina, *ut amictum honorificum indues eam*.

ET CORONAM GRATULATIONIS (putà, lætam, jucundam, insignem, splendidam, de qua proinde gaudeas, tibique gratuleris) SUPERPONES TIBI] Græcè, *& coronam* ἀγαλλιάματος, id est, *exultationis*, quæ te, scilicet, præ gaudio exilire et exultare faciat, *circumpones tibi*; Vatabl. *& festivam tibi coronam impones*. Corona debetur sapienti, quasi sacerdoti, regi, & triumphanti, ut dixi cap. 1. 11. & tamquam bonis omnibus cumulato & perfecto, uti dixi cap. 1. 22. Corona enim rotunda, totumque caput ambiens, symbolum est perfectionis & complementi. Hanc coronam opponit, imò imponit, labori & oneri, quo caput et mentem studendo, et studiosè vincendo suas cupiditates, fatigavit sapientiæ studiosus.

Hæc ergo sunt quatuor insignia sapientiæ studiosi, totidem laboribus ejus debita, et ab eo promerita. Pro labore enim capitis datur ei corona exultationis; pro compedibus datur ei torques aurea; pro onere humeris ejus imposito datur ei epomis, sive superhumerale, quale datum fuit Aaroni, de quo dixi Exodi 28. v. 6. pro veste sordida datur ei stola gloriæ. Unde etiamnum hæc quasi doctoratus insignia dantur Doctoribus, dum creantur, scilicet, pro corona birretum, torques aurea, epomis et stola byssina. *Doctorũ* Sic olim Pythagoram celebrem sapientiæ doctorem alba veste, quæ summarum potestatum propria *insignia* esset, amiciri, ac caput aurea corona redimiri, solitum *quatuor.* tradit Ælianus lib. 12. Variæ histor. c. 32. Demosthenem quoque ob sapientiam et eloquentiam aurea corona donatum ab Atheniensibus testatur Plutarch. Ab iisdem eadem insignitum Zenonem, parentem Stoicorum, quòd vitam rigidam, quam docebat, præiret exemplo, narrat Laertius lib. 8. *Viros enim sapientes & bonos oportuit coronari*, ait Athenæus ex Eurip. lib. 2.

Quocirca in Panegyr. Constantini Augusti ita legimus: *Meritò igitur tibi, Constantine Imperator, senatus signum Dei, & paulò ante Italia scutum & coronam, cuncta aurea dedicarunt, ut conscientiæ debitum aliqua ex parte relevarent. Etenim sæpè debetur & divinitati simulacrum aureum, & virtuti scutum, & corona pietati*. Eamdem coronam designat Sara orans, dicensque: Domine, quisquis tui cultor est, huius vita, etsi experimentis subiacet, tamen pro certo habet se iri coronatum, Tobiæ 3. 21. Et S. Joannes Apocal. 4. 4. *Super thronos*, inquit, *vigintiquatuor seniores sedentes circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ*. Hos seniores Prudentius l. 1. contra Symmach. vocat Sapientes.

Estne ille è numero paucorum, qui diadema
Sortiti æthereæ coluerunt dogma Sophiæ?

Hinc anagogicè accipias hic stolam immortalitatis, & coronam gloriæ, quam Deus sapientibus, id est, Sanctis, præparavit in cælo. Unde Hugo ait stolam denotare beatitudinem animæ & corporis; coronam verò aureolam. Holkot ex adverso per stolam accipit aureolam, per coronam verò gloriam Beatorum. Huc facit corona sapientiæ, quæ olim ex olea plectebatur, de qua Herodot. libr. 2. Plura vide apud Carol. Paschal. lib. 5. de Coronis, c. 10. & sequent.

FILI, SI ATTENDERIS MIHI, ut ames sapientiam, eamque omni studio prosequaris, DISCES eam- VERS. 33.
dem] Unde Græca & Syrus habent, *si volueris, fili*, scilicet attendere & obedire mihi, ut vaces sapientiæ, *erudieris*. Explicata sapientiæ asperitate & præstantia, *Dispositio* transit ad modos eam assequendi. Igitur ad eam dispo- *ad sapien-* sitiones et modos assignat. Prima est amor sapientiæ: *tiam pri-* qui enim ardenter aliquid amant, totis viribus ei in- *ma, est a-* cumbunt: quo fit, ut in eo proficiant et perficiantur, *mor eius.* juxta illud Salustii: *Ubi intenderis ingenium, ibi valet*.

SI ACCOMMODAVERIS ANIMUM TUUM MIHI et sapientiæ, SAPIENS ERIS] Græcè, *& si tradideris animam tuam*; Vatabl. *si adverteris animum tuum, evades callidus*; Syrus, *si apposueris cor tuum, fies astutus*, id est, prudens et sapiens. Prudentiæ enim pars est circumspectio astuta et callida. Unde in Proverbiis nomina *astutus* et *callidus* sumuntur pro prudenti. Arabicus, *ò fili mi, si volueris, fuisti sapiens: & si separasti cor tuum ad sapientiam, fuisti divinans illam*, quasi per divinationem et revelationem divinam accipiens illam. *Fuisti*, id est, *eris*. Est Arabismus: Arabes enim præteritum usurpant pro futuro, ad confirmandum id quod dicitur: q. d. Ita certò erit futura, ac si iam fuisset præterita. Idem faciunt Hebræi, ut patet in Prophetis.

SI INCLINAVERIS AUREM TUAM, EXCIPIES DOCTRINAM; Græcè, σύνεσιν, id est, intellectum, intelligentiam; ET SI DILEXERIS AUDIRE, VERS. 34.

SAPIENS ERIS] sapiens evades. Græca invertunt verborum ordinem: sic enim habent: *Si dilexeris audire, recipies intellectum; & si inclinaveris aurem tuam, sapiens eris*; Tigurina, *si audieris libenter, scientiam percipies; & si aurem tuam admoveris, adipisceris sapientiam*.

Secunda est hæc dispositio ad sapientiam, scilicet, eam audire. Auditus enim est sensus disciplinæ, ait Aristoteles.

Secunda, eam audire.

VERS. 35.

IN MULTITUDINE PRESBYTERORUM (seniorum) PRUDENTIUM STA; ET SAPIENTIÆ ILLORUM EX CORDE CONIUNGERE] Græca, *in multitudine presbyterorum sta; & qui sapiens, ei coniungere*. Sunt enim nonnulli presbyteri & senes insipientes, à quibus proinde non sapientia, sed insipientia discitur. Syrus, *in congregatione senum esto stans: & vide, quis sit sapiens, & adhære illi*; Vatabl. *in cœtu senum consiste, & adiunge te cuivis sapienti*. Nota τὸ *in multitudine*: à multis enim multa audiuntur, & difficile est multos sapientes simul errare.

Tertia, audire senes sapientes.

Tertiò est hęc via ad sapientiam; nimirum, ut magistros sapientię eligamus, non quosvis, sed seniores sapientia pręditos: hi enim sapientiam, quam longo usu & studio didicerunt, optimè docent juniores. Peccavit contra hoc Roboam, qui respuit consilia senum, & secutus phantasiam juvenum, potiore parte regni excidit, 3. Regum 12. Peccant & superbi, prędertim hęretici, qui proprio fidentes ingenio, absque magistrorum traditione sacram Scripturam tentant scrutari, ait Rabanus: quod quàm periculosum sit, eorum lapsus, errores & hæreses declarant: superbia enim facit, ut suas sententias & sectas traditioni Ecclesiæ & doctrinis sanctorum Patrum præferant: quos proinde taxat Salomon Proverb. 2. 13. *Qui relinquunt*, inquit, *iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas: qui lætantur, cùm malefecerint; & exultant in rebus pessimis: quorum viæ perversæ sunt, & infames gressus eorum*. Et cap. 3. 7. *Ne sis sapiens apud temetipsum*. Jubet ergo Siracides, senes, & senum sententias audiri & consuli.

Hinc Dio Chrysost. Proverbia appellat cana verba, non antiquata, sed antiquitate senescentia, gravia & matura. Et quidem id ipsum, quod viro cani et senectus afferunt, verbis ex antiquitate accedit, auctoritas, videlicet, gravitas, maturitas, pondus. Ex quo fit, ut, quemadmodum senes grandęvosque adire solemus, ut consilium ab ipsis petamus: sic nonnumquam proverbia adagiaque antiqua adhibenda sunt in consilium, quæ canam quamdam et omni senecta graviorem continent veritatem. Utrumque simul pręcipit Ecclesiasticus hic, senes pariter atque proverbia consulere. *In multitudine*, inquit, *presbyterorum sta, & sapientiæ illorum ex corde coniungere, & proverbia laudis non effugiant à te*. In Gręcis est, παροιμίαι συνέσεως, id est, adagia intellectus, scita, nimirum et docta. Hinc factum, ut Romani Imperatores magnis de rebus consulti proverbiis nonnumquam responderint. Illud nunc exstat in Digestis: *Nec omnia, nec passim, nec ab omnibus*; quod citatur ab Ulpiano in Pandect. lib. 1. tractatu de officio Proconsulis, ex epistola Severi et Antonini Imperatorum. ita noster Salazar in Proverb. cap. 1. v. 38. Huc facit Sophoclis exemplum. Ipse enim decrepitus à filiis accusatus dementię, judicibus recitavit fabulam, quam proximè scripserat, rogans, num ea foret delirantis? Addiditque: *Si sum Sophocles, non deliro; si deliro, non sum Sophocles*. Præclarè S. Hieron. *Omnes*, inquit, *penè virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapientia, decrescunt cætera*. Et inferiùs: *Senectus*, etc. *ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit*. Hęc et plura S. Hieron. epist. 2. ad Nepotianum. Et Job cap. 12. 12. *In antiquis*, inquit, *est sapientia, & in multo tempore prudentia*. Quin et Socrates, teste Platone in Sympos. ajebat tum oculum mentis instar aquilę acutè cernere, cùm corporis oculus hebescit et caligat. Et Plautus in Trinummo, *Sapientia*, ait, *ætas condimentum est, sapiens ætati cibus est*. Et Cicero de Senect. *Temeritas*, ait, *est florescentis ætatis, prudentia senectutis*. Solon rogatus, quid esset senectus? respondit, Est vitę hyems; veriùs dixisset, Est ver sapientię.

UT OMNEM NARRATIONEM DEI (quę est de Deo, rebusque divinis, quęque ex Dei libris, vel ex Dei Ecclesia, traditione accepta est) POSSIS AUDIRE, ET PROVERBIA LAUDIS, id est, laudabilia, putà, sententię eruditę et graves, NON EFFUGIANT A TE] Vatabl. *narrationem divinam omnem libenter audias, nec te recondita prudentiaque dicta fugiant*. Sicut enim apes undique in omnes flores involant, ut inde mel colligant: ita ex omnibus sapientibus de rebus divinis audienda & colligenda est sapientia. Idem pręcipit S. Bernardus in Formula honestę vitę: *Numquam*, ait, *sis otiosus, quin aut legas, aut aliquid de sacris Scripturis mediteris: vel certè, quod melius est, rumines psalmos; operando nihilominus incessanter, quod tibi fuerit iniunctum, ut semper te diabolus inveniat occupatum. Illas etiam scripturas libentiùs legas, quæ præcipuè erga Christum tuum magis inflamment affectum*. Quartus est hic modus & via ad parandam sapientiam.

Quarta, legere gnomas veterum.

Nota *narrationem Dei*, vocat Primò narrationem præceptorum Dei; Secundò, narrationem acceptam à Deo, saltem mediatè, putà, mediante Ecclesia, ejusque Doctoribus; Tertiò, narrationem, quomodo res quælibet secundùm Deum, Deique voluntatem disponi & agi debeat; Quartò, narrationem operum & gestorum Dei, quæ, scilicet, fecit pro populo suo fideli, vel contra infideles, ut contra Pharaonem, quæ narrantur in Genesi, Exodo, libris Regum, &c. Ex his enim sapientia colligitur: si enim historia profana est magistra vitæ, quanto magis historia sacra Dei? Rursum *Proverbia laudis* vocat laudabilia & laude digna, vel quæ in Dei laudem sunt conscripta, quales sunt multi Psalmi, inquit Palacius.

VERS. 36.

ET SI VIDERIS SENSATUM (sapientem, prudentem) EVIGILA AD EUM, id est, primo diluculo studiosè & assiduè perge ad eum audiendum: quod alibi Script. vocat *manicare*, id est, manè surgere & festinare: ET GRADUS OSTIORUM (putà, gradus, quibus ascenditur ad ostia; viri enim primarii, uti sunt sapientes, solent commorari in altiori domus parte, quasi salubriori, secretiori & honoratiori, ad quam per gradus ascenditur, uti Romæ fieri videmus in palatiis Prælatorum) ILLIUS EXTERAT PES TUUS] q. d. Ita crebrò eum adi & visita, ut videaris pede exterere ejus gradus, quod vulgò dicitur: *Tere limen domus sapientis*. Unde Syrus vertit, *vide quis sit sapiens, & quære eum, & calcet limen eius pes tuus*. Et S. August. tractat. 7. in Joannem, pro *gradus ostiorum*, legit *limen ostiorum*. Nonnulli pro θυρῶν, id est, ostiorum, legunt τρίβων, id est, semitarum. Græca Complut. habent, *si videris virum prudentem, manè surge ad eum, & gradus ostiorum eius deterat pes tuus*; Tigurina, *ubi cordatum quempiam videris, manè ad eum propera: & pes tuus limina forium* (Vatabl. *callem itinerum*) *eius atterat*.

Idem suasere Gentiles: nam ex libris Ciceronis liquet, moris fuisse Romanis, filios mittere ad domos senum gravium & nobilium, ut Catonis, Scipionis, Lælii, Attici, ut ex eorum convictu & verbis Romanos mores in sua puritate combiberent. *Nulla enim res*, ait Seneca epist. 94. *magis animos ad honesta inducit, dubiosque & in pravum inclinantes revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio: paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, aspicique frequenter. Occursus mehercle ipse sapientium iuvat, & est aliquid quod ex magno viro vel tacente proficias*.

VERS. 37

COGITATUM TUUM HABE IN PRÆCEPTIS DEI, ET IN MANDATIS ILLIUS (meditandis & opere explendis) MAXIME ASSIDUUS ESTO. Est hæc quinta dispositio & via ad sapientiam, scilicet, ut, cùm quis sapientiam à sapiente audierit, eam deinde assiduè mente & cogitatione revolvat, ruminet, pertractet. Non enim sufficit eam audire: audita enim cum auditu simul elabuntur, nisi mente ea teneamus & meditemur. Unde Græca clarè habent, *cogita in præceptis Domini* τελείως id est, *perfectè: & in mandatis illius meditare semper*, Syrus, *contemplare in timore Dei, & in mandatis eius esto meditans quotidie*. Sapientia enim practica, de qua hic agitur, consistit in timore Dei, putà, in meditatione & observatione mandatorum Dei. Vatabl. *exactè perpende præcepta Domini, eiusdemque mandata meditare assiduè*, τὸ enim τελείως significat exactam, profundam, perfectam debere esse meditationem in lege Dei, non superficialem & perfunctoriam. Hoc est, quod ait

Quintò, eam meditari.

ait Psaltes psalm. 1. 2. *Beatus vir, &c. cuius in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac noctè.* Et psalm. 118. *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.* Moses quoque ita sancit filiis Israel, Deuter. 6. v. 6. *Erunt verba hæc, quæ ego tibi præcipio, hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.*

Porrò meditatio hæc debet esse practica, & ad opus dirigi, adeoque rerum spiritualium magistri tradunt, optimas esse meditationes, quæ ad actiones particulares, imò singulares, descendunt: v. g. dum quis meditatur de patientia, ut meditatio meditanti sit fructuosa, in ea concipiat firmetque propositum libenter & fortiter patiendi, non in genere dumtaxat, sed hìc et nunc, dicendo: Meam febrim, meos socios molestos, meas irrisiones, scommata, dicteria talia in me jaci solita, & hodie jacienda, amore Dei generosè & hilariter sustinebo, ut conformem me Christo in cruce eadem & plura patienti. Atque talis meditatio imprimit voluntati studium similium operum; intellectum verò aperit & illuminat, iuxta illud psalm. 77. 72. *In intellectibus manuum suarum deduxit eos*, putà intelligentia, quam opus manuum eis peperat. Unde S. Hieron. Aquila & Chald. vertunt. *in prudentia manuum*, id est, actionum, ait Euthymius, *deduxit eos.*

ET IPSE DABIT TIBI COR (id est, mentem cordatam, constantem, & sapientem & prudentem) ET CONCUPISCENTIA (non carnis & mundi, sed) SAPIENTIÆ DABITUR TIBI) putà, sapientia, quam concupiscis, sive sapientia concupita. Est hypallage. ita Syrus & Tigurina. Vel simpliciter, q. d. Initio horrebas sapientiam quasi asperam: at ubi cœperis ei studere, Deumque pro ea invocare, Deus horrorem et tædium convertet in concupiscentiam et aviditatem, ut eam ardenter desideres, et concupiscas quasi rem honestam, pulchram, suavem, cælestem et divinam. Qui enim in lege habet intellectum, ait Palacius, quo magis habet, eo magis habere desiderat: adeò est sapientia dulcis. Sic et Rabanus. Græca, *ipse firmabit cor tuum in studio & sequela sapientiæ, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi*; Syrus, *ipse firmabit vias tuas, & de eo, quod desideraveris, docebit te*; Tigurina, *ipse cor tuum confirmabit, & quam desideras, sapientia tibi dabitur.* Hinc liquet, *cor* hìc sumi pro firmitate et constantia cordis in studio sapientiæ, *& concupiscentiam sapientiæ* vocari sapientiam concupitam: q. d. Deus dabit constantiam animi in prosequenda sapientia, ex qua fiet, ut eamdem adeò concupitam tandem ediscas et assequaris. Aliqui *concupiscentiam* hic accipiunt ipsius sapientiæ, non hominis eam concupiscentis: q. d. Dabitur tibi omne bonum, quod ardenter secum tibi impertiri cupit ipsa sapientia: Ipsa enim concupiscit se suaque omnia suis philomusis elargiri.

Sic Verbum æternum, quod est Sapientia Patris, ardenter concupivit se hominibus communicare, ideoque carnem nostram induit: unde et ait, *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, Proverb. 8. 31. Concupiscentia ergo
B sapientiæ longè major est, quàm sit nostra: est enim concupiscentia Spiritus sancti, de qua ait Apostol. *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Roman. 8. Simili modo viri nonnulli eruditi et pij orant: *Domine, da mihi hoc, quod pro me optat postulatque a te sanctissima Virgo Maria*: ipsa enim maiora optat, quàm nos optare possimus. Simili phrasi ait Osee c. 10. 12. *Metite in ore* (Hebr. *ad os*) *misericordiæ*. q. d. Metite ad votum et concupiscentiam misericordiæ, quantum, scilicet, ipsa ore suo desiderat et flagitat. Verùm ex dictis liquet priorem sensum esse genuinum.

Est hæc sexta dispositio et via ad sapientiam, nimirum, Dei gratia, ideoque per orationem ab eo efflagitanda, ut dicamus cum Psalte psalm. 118. 18. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Hoc est, quod à Davide patre didicit et docuit Salomon, Proverb. 3. 5. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* ità Rabanus.

Sextò. Dei gratia.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primò docet cavendam peccati culpam, ut vites eius pœnam; Secundò, v. 4. docet ambiendum non esse magistratum; Tertiò, v. 13. agit de moderatione linguæ: Quartò, v. 15. docet quomodo homo se gerere debeat erga seipsum, erga amicos, v. 20. erga uxorem, v. 21. erga servos, v. 22. erga pecora, v. 24. erga filios & filias, v. 25. erga parentes, v. 29. erga sacerdotes, v. 31. erga mortuos & ægros, v. 37. Denique v. 40. ad hæc omnia ritè præstanda medium efficax assignat, scilicet, memoriam novissimorum.

NOli facere mala, & non te apprehendent. 2. Disce ab iniquo, & deficient mala abs te. 3. Fili, non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum. 4. Noli quærere à Domino ducatum, neque à rege cathedram honoris. 5. Non te iustifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est: & penes regem noli velle videri sapiens. 6. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua. 7. Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum. 8. Neque alliges duplicia peccata: nec enim in uno eris immunis. 9. Noli esse pusillanimis in animo tuo. 10. Exorare & facere eleemosynam ne despicias. 11. Ne dicas: In multitudine munerum meorum respiciet Deus, & offerente me Deo altissimo, munera mea suscipiet. 12. Non irrideas hominem in amaritudine animæ: est enim, qui humiliat & exaltat, circumspector Deus. 13. Noli arare mendacium adversus fratrem tuum: neque in amicum similiter facias. 14. Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona. 15. Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, & non iteres verbum in oratione tua. 16. Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo. 17. Non te reputes in multitudine indisciplinatorum. 18. Memento iræ, quoniam non tardabit. 19. Humilia valdè spiritum tuum: quoniam vindicta carnis impij, ignis & vermis. 20. Noli prævaricari in amicum pecuniam differentem: neque fratrem charissimum auro spreveris. 21. Noli discedere à muliere sensata & bona, quam sortitus es in timore Domini: gratia enim verecundiæ illius super aurum. 22. Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. 23. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum. 24. Pecora tibi sunt? attende illis: & si sunt utilia, perseverent apud te. 25. Filij tibi sunt? erudi illos, & curva illos à pueritia illorum. 26. Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. 27. Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam. 28. Mulier si est tibi secundùm animam tuam, non proijcias illam, & odibili non credas te. 29. In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitum

tum matris tuæ ne obliviscaris. 30. Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis; quomodo & illi tibi. 31. In tota anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica. 32. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & ministros eius ne derelinquas. 33. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes, & propurga te cum brachiis. 34. Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum & purgationis: & de negligentia tua purga te cum paucis. 35. Datum brachiorum tuorum, & sacrificium sanctificationis offeres Domino, & initia Sanctorum. 36. Et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio, & benedictio tua. 37. Gratia dati in conspectu omnis viventis, & mortuo non prohabeas gratiam. 38. Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. 39. Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. 40. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.

VERS. 1. NOLI FACERE MALA, ET NON TE APPREHENDENT] *mala*, scilicet, uti addunt Græca Complut. licet Romana legant in singulari: *Et non apprehendet te malum*. Ludit metonymicè in voce *mala*: priùs enim accipit mala culpæ, putà peccata; posteriùs mala pœnæ, quæ ex malis culpæ quasi effectus & proles nascuntur: q. d. Vis evadere mala pœnæ? noli facere mala culpæ. Sic dicimus furi: Vis evadere furcam? evita furtum. Et: *Si non essent peccata, non essent flagella*. Syrus, *ne facias, quod malum est, & non inveniet te malum*; Vatabl. *ne quid mali facias, ne tibi malum accidat*; alij, *ne facito mala, & malum te non comprehendet*. Malum enim, sive malitia, suum habet regnum & imperium in omnes qui mala faciunt, in quos proinde sua mala pœnæ & flagella, velut suos lictores & tortores immittit. Malum enim est adeò aculeatum & noxium, ut, si illud tangas, illicò ab eodem comprehendaris & affligaris; perinde ut qui tangunt vel calcant cuspides acicularum vel clavorum, illicò iis exilientibus læduntur. Talis acicularum cuspis est malum & peccatum. Hoc est, quod ait Comicus:

Noxa caput sequitur. Et:
Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Peccatum ergo est quasi pix, gluten, cardui, & spinæ, quas si tangas, illicò ab iis comprehenderis, pungeris & inquinaris. Unde illud: *Qui tangit picem, inquinatur ab ea*.

Mala accipe, tum præsentis vitę, qualia sunt, pauperies, morbi, persecutiones, infamia, mors, &c. tum futuræ in gehenna: sępè enim Deus peccatores non punit in hac vita, ut acriùs puniat in futura, ubi *fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia mors vivit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit*, ait B. Petrus Damiani ad Blancam, cap. 12. Causam dat S. August. epist. 49. ad Deo gratias: *Voluntas*, inquit, *punitur, quæ æternam voluit habere peccati fruitionem; & ideò æternam inveniet vindictæ severitatem*. Vide S. Greg. 9. Moral. c. 39. ad illa Jobi c. 10. *Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*.

VERS. 2. DISCEDE AB INIQUO, ET DEFICIENT MALA ABS TE] Est hic duplex sensus. Prior, q. d. Discede ab homine iniquo, & discedes ab iniquitate & malitia: quia iniqui socios inducunt ad suas iniquitates. Ita Arabicus, *ne commiscearis*, inquit, *iniquo: elongare ab eo, elongabitur à te*. Dat modum cavendi peccata, nimirum, cavendo malam societatem, malosque socios: his enim nihil est perniciosius. Unde S. August. à sociis seductus ad furandum poma, exclamat lib. 3. Confess. c. 9. *O nimis inimica amicitia, seductio mentis investigabilis, &c. cùm dicitur: Eamus, faciamus: & pudet non esse impudentem*. Mali enim socii sunt instar scorpii, qui, teste Plinio libr. 11. cap. 25. venenum instar lactis effundit: nam instar lactis intima pervadit, et veneno inficit, itaque perimit. Sic enim socij suis blanditiis penetrant cor hominis, illudque suis pravis consiliis inquinant et occidunt. Hinc et qui venenum inimicis propinant, illud lacti vel vino indunt, tum ut scelus tegant, tum ut venenum intima cum lacte pervadat, ac cor petat et perimat. Simile faciunt mali socij, dum suas nequitias blanditiis inferunt, ut suaviùs animam totam pervadant et perdant.

Posterior: q. d. Discede à re iniqua, putà, à culpa sive peccato; et mala pœnę pariter discedent abs te. Posteriori sensui favet Syrus, *abscede à malo, & elongabit à te*: quasi idem dicat, quod dixit v. 1. sed aliis verbis. Priori favent Gręca: *Recede ab iniusto, ut à te declinet peccatum*. *Peccatum* enim licet metonymicè significet pęnam pecca-
A to debitam: tamen propriè peccati culpam denotat. Porrò Complut. legunt τὸ ἁμαρτίαν, id est, *peccatum*, licet Romana idipsum deleant; sic enim habent: *Discede ab iniquo & declinabit à te*. Ubi τὸ *iniquo*, tam masculinè de homine iniquo, quàm neutrè de re iniqua accipi potest. Si de homine accipias, sensus erit, q. d. Discede ab homine iniquo, et is pariter ac cum eo iniquitas discedet à te. si de re accipias, sensus erit; q. d. Discede à re iniqua, putà ab iniquitate, et illa pariter discedet à te, ut te non tangat, nec sua culpa, nec sua pęna. Sicque lectio Gręca, ęquè ac Syra, favebit sensui posteriori, qui magis respondet versui pręcedenti et sequenti; sequitur enim:

FILI, NON SEMINES MALA IN SULCIS INIUSTITIÆ, ET NON METES EA IN SEPTUPLUM] VERS. 3. Gręcè, *non semines semina mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea septupla*; Syrus, *ne semines super cultura peccati, ne septuplum metas illud*; Vatabl. *fili, ne committas semen sulcis iniustitiæ, ne septies tanto ampliorem inde messem facias*.
B *Seminare in sulcis iniustitia* est, seminare in agro sulcato et arato iniustitię, putà, est seminare semen iniustitię; in agro enim iniustitię non seritur nisi semen iniustitię. Ager noster est cor nostrum, mens nostra, voluntas nostra; in ea ducimus sulcos iustitię, vel iniustitię, cùm illi imprimimus habitus et inclinationes bonas, vel malas: in quibus seminamus, dum cogitationes, volitiones, intentiones, desideria, proposita bona vel mala, iis iniicimus. Sensus ergo est: q. d. Noli agro, id est, cordi tuo indere sulcos iniustitię, id est, inclinationes ad iniustitiam, nec in iis seminare semina iniustitię, putà, cogitationes et molitiones pravas. Alludit ad Osee 10. v. 11. *Ephraim vitula docta diligere trituram, &c. Arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob. Seminate vobis iniustitia, & metite in ore misericordiæ, innovate vobis novale, &c. Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacij*. Vide, quę de hac re
C ibidem fusè dixi.

ET NON METES EA IN SEPTUPLUM] Alludit ad illud de parricidio Cain: *Septuplum ultio dabitur de Cain*. Genes. 4. 24. ubi Septuag. vertunt, *septem vindictas exolvet*; Aquila, *septempliciter*, ubi Procopius, *Septenarius*, inquit, *perfectionem pęnæ denotat*, iuxta illud psalmi 78. 12. *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, &* psal. 30. 24. *Retribuet abundanter facientibus superbiam*. Et Levit. 26. 28. *Corripiam vos septem*, id est, multis, *plagis*. Et Job 85. 19. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima*, id est, summa et acerrima, *non tanget te malum*.

Jam dupliciter, putà de duplici messe, hic locus accipi potest. Primò, de messe culpę: q. d. Una iniustitia parit alias septem, instar hydrę. Adeò enim fœcunda est malitia, ut instar lolij se proleminet, et ex una septem, id est, multę alię pullulent. Secundò, de messe pœnę: q. d. Non punieris acerrimè. Nam una iniustitia septem, id est, mul-
D tis et copiosis pœnis punitur, non quòd graviùs puniatur, quàm mereatur: Deus enim punit citra condignum: sed quòd eius malitia sit tanta, ut una pœna illi ex ęquo satisfieri nequeat: peccatum enim mortale, etiam unicum ex eo quòd Deum offendit, et est crimen lęsę maiestatis, divinę, adeò grave est et enorme, ut nullis huius vitę pœnis ęquari possit, sed mereatur omnia tormenta, et incendia gehennę, eaque ęterna. Omnis ergo culpa septuplam pœnam habet: tum, quia in hoc sęculo multis pœnis à Deo castigatur: tum, quia in futuro universitatem omnium pœnarum sustinere cogitur. Pœna enim inferni, vel unica, omnium huius vitę pœnarum vicem habet, sicut una glorię ęternę felicitas omnium huius vitę delectationum vicem habet, perinde ac manna omnem contine-

tinebat saporem, & omnem saporis suavitatem. Hic sensus priore est potior & germanior; tum, quia messis culpæ est pœnarum copia; tum, quia de messe pœnarum sermo præcessit; tum, quia alludit ad septuplam pœnam Caini, & ad illud Oseæ 10.4. *Germinavit quasi amaritudo iudicium super sulcos agri*: amaritudo enim iudicij est amaritudo supplicij, quam germinant pravi sulci in agro iniustitiæ. Minutius Hugo septem peccati plagas ita sigillatim numerat: Peccati, ait, pœnæ sunt tres in anima, scilicet, dolor, ira & obtenebratio: in corpore verò sunt quatuor, scilicet, à quatuor elementis: impios enim puniet terra in die iudicij, eos absorbendo: aqua, congelando: aer, sive ventus de pœna in pœnam impellendo: ignis, comburendo. Peccatum ergo est hydra septiceps: gerit enim septem capita, tum culparum capitalium, tum pœnarum, uti jam dixi. Hydram enim finxerunt Poetæ, esse serpentem multorum capitum in Lerna palude, quarum aliquot excisis, totidem continuò renascebantur: quare ab Herculo sagittis, & igne perempta & combusta est. Fabula inde nata, quòd anguium genus, sub quo hydra continetur, sit fœcundissimum, & nisi incendiis semina exurerentur, non esset fœcunditati eorum resistere, ait Sipontinus ex Plinio lib. 29. cap. 4. Ita peccati mira est fœcunditas: ex uno enim fit lapsus in aliud, & aliud sine fine; nisi igne acris censuræ, castigationis, & amoris Dei radicitus succendatur.

Porrò septuplum hoc pœnæ, non est septuplum respectu malitiæ & demeriti culpæ: eius enim respectu est simplum, & minùs quàm simplum, uti jam ostendi; sed respectu delectationis, quam percipit peccator in peccando: hæc enim delectatio brevis est & exigua: pœnæ verò eam sequentes sunt septuplices, id est, multiplices. Vere Job cap. 20. 5. *Laus* (id est, iubilum, cantus, exultatio) *impiorum brevis, & gaudium hypocritæ ad instar puncti*. Punctum hoc tam lineæ, quàm temporis, putà, momentum, accipi potest. S. Gregor. ibidem accipit de puncto lineæ: *In puncto*, ait, *stylus mox ut ponitur, levatur; nec mora ulla agitur ut per exprimendam lineam trahatur: sic hypocrita præsentis vitæ gaudia, cùm tangit, amittit.* Tangit ergo ea sicut globus vel sphæra terram tangit in puncto. Rursum, ut ait S. Bonavent. sicut punctum, utpote indivisibile, nullam habet longitudinem, nec latitudinem, nec altitudinem, nec profunditatem: sic voluptas & gloria impiorum non habet longitudinem, quia brevi tempore, & quasi momento tantùm durat: nec latitudinem, quia arcta est & modica: nec altitudinem, quia non cœlestis est, sed terrena & vilis: nec profunditatem, quia cordis ima non penetrat, nec satiat. Ex adverso pœna hypocritę est longissima, quia æterna: latissima, quia omnes sensus, membra, potentias animę & corporis occupat: altissima, quia privat eum Deo, cœlo, felicitate æterna: profundissima, quia intima animę cruciat, eamque detrudit in profundissimum locum inferni. Unde Septuag. vertunt, *lætitia impiorum, ruina insignis: & gaudium iniquorum est perditio*. In quę verba appositè S. Chrysost. *Si eorum lætitia*, inquit, *ingens est ruina, & gaudium perditio, quid dicemus esse ipsum interitum? Dic, amabo te, quid dolorem, quid animi ægritudinem?*

VERS. 4. NOLI QUÆRERE A DOMINO (ita Græca, Romana & Syrus: perperam ergo aliqui legunt, *ab homine*) DUCATUM, id est, principatum: princeps enim est dux populi, quia eum ducere & regere tenetur: NEQUE A REGE CATHEDRAM HONORIS] id est, honorificam, qualis est Episcopi, doctoris, iudicis, principis, sicut petierunt filii Zebedęi à Christo sedere ad dextram & sinistram ipsius in regno suo, Matth. 20. Syrus, *ne quæras à Deo principatum, & à rege donum honorificum*: Vatabl. *principatum à Domino ne petas, nec à rege sedem magnificam*. Ratio est. Prima, quia hęc petere est vitium ambitionis & fastus. Secunda, quia qui hęc ambiunt, subiacent multorum invidiæ, detractioni et calumniis. unde ab iis deiiciuntur, imò in magnas calamitates coniiciuntur. Tertia, quia ubi est honos, ibi est et onus. v. g. in episcopatu est onus et cura animarum sibi subditarum, de quibus exactam rationem ab Episcopo reposcet Deus. Igitur monet, ne ambiamus principatum, sive secularem, sive Ecclesiasticum, presertim Episcopatum, cui annexa est cathedra docendi. Unde ab eodem ambitu fideles deterrens S. Jacobus c. 3. 1. *Nolite*, inquit, *plures magistri fieri, fratres mei, scientes, quoniam maius iudicium sumitis: in multis enim offendimus omnes.* Vide ibi dicta, et 1. Timoth. 3.1. Verissimum est illud S. Bernardi lib. 3. de Consid. *Ambitio ambientium est crux*. Artemidorus in Onirocrit. lib. 2. 31. Somnium regnandi ait portendere mortem ægro; sano verò cognatorum amissionem. *Regnare sibi videri*, inquit, *ægrotanti mortem prædicit: sanis autem cognatorum & sodalium omnium amissionem & separationem portendit: est enim insociabile regnum.* Somnium hoc somnium dicas; subinde tamen ita fit. Joseph enim somnians se principem, et fratrum gratiam, ac libertatem, et penè vitam amisit, Genes. 37. et sequ. Illustre exemplum huius rei, S. Cyprian. lib. 4. epist. 2. ad Antonianum statuit S. Corneliu m Pontif. et Martyrem, de quo ita scribit: *Episcopatum nec voluit, nec postulavit, &c. sed quietus & modestus, & quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non ut quidam vim fecit, ut Episcopus fieret: sed ipse vim passus est, ut episcopatum coactus acciperet.*

Ambitionis damna & crucis.

Idem censuere et suasere Philosophi. Ovidius lib. 3. de Tristib.

Crede mihi, benè qui latuit, benè vixit, & intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Horatius lib. 2. Carm. ode 10.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ graviore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.

Rursum Ovidius:

Vive sine invidia, mollesque inglorius annos
Exige, amicitias & tibi iunge pares.

Boetius lib. 2. de Consol. metro 4.

Humili domum memento
Certus figere saxo.
Quamvis tonet ruinis
Miscens æquora ventus,
Tu conditus quieti
Felix robore valli,
Duces serenus ævum,
Ridens ætheris iras.

Denique symbolum est Pythagorę: *Fabis abstine, hoc est, resp. administrationem devita: olim enim magistratus per suffragia fabis lata creabantur*, inquit Plutarch. lib. de Liberis educ.

Hanc gnomen festivo simię et vulpis apologo, oculis quasi spectandam subiicit Cyrillus libr. 2. Apologorum moralium cap. 6. cui titulus: *Contra superbos qui volunt æquiparari Deo. Simia*, inquit, *videns agilem nautam in malum velociter ascendentem, cùm eum imitari niteretur, corvus id animadvertens, dixit ei: Sta in loco tuo charissima, ne in regionem extraneam elevata, gravi ruina corporis depereas. At illa verbis eius spretis ascendens, statim profunditatis altæ contuitu, debilis cerebri imaginatione confusa, in præceps ruebat, & cervice fracta numquam de cetero vultum potuit elevare. Denique cùm regem in solio sedentem conspexisset, cœpit idem ipsa cupere, & eo absente quasi princeps alter in throno consedit. Quo viso vulpecula venit ad solium, & salutato sophistico rege, tamquam ministra provida ironicè flagitavit mandatum. Cui simia dixit, Hoc tantum præcipio, ut læta gloriam meam cernas. At illa: Ego autem consulo tibi, ut hinc quàm citissimè descendas. Quod cùm negligeret vana similitudinis sitibunda, statim inde dejecta est caninis dentibus laceranda. Tunc ad se reversa doloribus: Væ mihi, inquit, quia sprevi consilia sapientum. Nesciebam quòd ubi non est consilium, desit salus. Quæ cùm audisset vulpes, appropinquavit, & dixit: Amodo quippe te video vexatione sensui restitutam.* Deinde eamdem alia eaque clara ratione perurget, qua illi suam fęditatem et stultitiam demonstrat: *Verùm cur ceteris animalibus Adæ naturæ subiectis, tu sola commune iugum refugiens, eidem æquiparari conaris? At illa respondit: Movet me ad hoc innata cupido. nonne cunctis brutis humano corpori sum plasmata conformior? Tunc vulpes arguens inquit: Quamquam certè secundum figuram plus omnibus homini sis conformis, tamen quia hæc in te similitudo pervertitur, hinc tua forma difformior invenitur. Quid enim simo naso turpius? aut bracca digitali deformius?*

Apologus arrogantia.

VERS. 5. NON TE JUSTIFICES (id est, velut justum defendas et ostentes, ut omnia tua facta apud Deum excusare

sare velis) ANTE DEUM, QUONIAM AGNITOR CORDIS IPSE EST, ET PENES REGEM NOLI VELLE VIDERI SAPIENS] Syrus, *ne iustifices animam tuam coram Deo, & coram rege ne sis stultus*, quia superbi sunt stulti, & superbia, qua vis videri sapiens coram rege, est stultitia. Græca æquè ac Syrus non habent τὸ, *quoniam agnitor cordis ipse est*; sed, *Ne te coram Domino pro iusto vendites, quoniam ipse pernovit cor uniuscuiusque: nec apud regem ostentes sapientiam*. Dat causam, cur à Deo non sit petendus principatus, nec à rege cathedra honoris, quia, scilicet, si à Deo petas principatum, debes coram eo agnoscere & commendare te quasi justum. Princeps enim, uti major est subditis, ita iis debet esse melior & iustior. Unde de Saule rege dicitur: *Non erat vir de filiis Israel melior illo*, 1. Reg. 9. 2. At iustum se ostentare coram Deo, arrogans est & stultum. Deus enim, qui novit occulta cordium, scit neminem ita esse iustum, quin quemlibet de peccato vel pręsenti, vel pręterito arguere possit, uti docet S. Joannes epist. 1. cap. 1. 10. *Si dixerimus*, inquit, *quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum eius in nobis non est*. Unde Job, modestè licet vereque defendens innocentiam suam, à Deo redargutus, audivit cap. 38. 2. *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? Accinge sicut vir lumbos tuos, & interrogabo te, & responde mihi*. Quocirca Job culpam agnoscens & deprecans cap. 42. 3. *Insipiter*, ait, *locutus sum, & quæ ultra modum excederet scientiam meam*. Unde Eliphaz ad Job cap. 15. 15. *Ecce*, inquit, *inter Sanctos eius nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu eius; quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?*

Insuper reges nulli dant cathedram honoris nisi sapienti. Si ergo tuam sapientiam regi vendites & ostentes, ut cathedram assequaris, rex per se & suos consiliarios proponendo tibi difficillimas quæstiones, poterit inscitiam tuam prodere, & aliis ridendam proponere. Rursum esto sis sapiens, tamen vitiosum & ambitiosum est, quod velis videri sapiens: & licet hoc tuum ambitionis ulcus tegas & dissimules: rex tamen & aulici tabulis assueti sagaciter illud odorantur, explodunt et rident, quasi stultum, ut vertit Syrus.

Apologus. Hinc collige hæc axiomata: Qui eligitur in principem, iustus sit coram Domino. Et, qui cathedram vult obtinere à rege, sapiens sit oportet: alioqui et peccabit, et se infamabit, et multis periculis exponet. Cùm enim stultus promovetur ad altiorem gradum, magis stultitiam suam, quæ priùs erat incognita, per stultos actus demonstrat. *Sicut simia, quanto sursum ascendit, tanto turpitudinem suam plus ostendit*, ait Lyranus.

Huc facit apologus pavonis et monedulæ apud Faernum: *Cùm haberent comitia volucres regi creando, petiit regnum pavo, quod se ob formam eximiam illo dignum præ cunctis esse diceret. Qui cum omnium suffragia laturus videretur: Hic tamen rex, inquit monedula, si forte sit factus, & aquilam hostem habuerimus, quidnam opis auxiliive poterit afferre?* Affabulatio: *In deligendo rege magis spectanda sunt animi bona, quam corporis*.

Igitur causa prima, cur coram rege non debeas velle videri sapiens, est dedecus ambitionis et fastus, quod omnes, sed maximè reges, abominantur. Sicut enim teste Arist. lib. 9. Histor. anim. c. 44. et Plinio lib. 10. c. 21. leones oderunt ignem et fumum; sic et reges oderunt ostentationem et jactantiam, sciunt enim hanc ingentem esse vanitatem et mendacium. Nam, sicut ligna, quæ multum fumi dant, parum caloris et ignis exhibent, eò quòd materia vertenda in ignem, abeat in fumum: sic ferè, qui magna jactant, minimum possunt. *Sapientes* enim *abscondunt sapientiam*, Proverb. 10. 14.

Secunda, quòd reges virum sapientem, præsertim exterum, timeant, ne regnum prodat, turbet, evertat. Sic Saul persecutus est Davidem, ob cęsum Goliat, cùm ei acclamaretur: *Percussit Saul mille, & David decem millia*, timebat enim, ne regnum sibi adimeret. Et proceres Achis regis Davidem à Saule profugum, proditionis insimularunt: unde David stultum se simulans, periculum capitis evasit, 1. Reg. 21. 11.

Tertia, quòd reges magnanimi videri velint omnibus sapientiores, fortiores, excellentiores, sibique omnia velint attribui: quare sibi, suoque honori et gloriæ decedere putant, se quem si sapientiorem vel præstantiorem videant vel audiant. Ita Philippus Macedo, inquit Demosthenes, *omnia præclara facinora sua esse videri volebat: & magis indignabatur ducibus ac præfectis, qui prosperè & laudabiliter aliquid gesserant, quàm iis qui infeliciter & ignavè*. Patrem Philippum secutus filius Alexander, *vinci quidem hostes volebat, sed Antipatrum vicisse indignabatur; suæ demptum gloriæ existimans, quidquid cessisset alienæ*, ait Curtius lib. 6.

Memorabile est, quod scribit Xenophon. lib. 4. Cyripædiæ, de Gobria eunte venatum cum rege Assyriorum: *Ursa*, inquit, *ut est oblata, cùm utrique illam persequerentur, misso rex jaculo, ictu frustratus est: at Gobrias spiculum vibrans ursam prosternit. Quam rem ægrè molesteque rex tulit, invidiamque clam recondit. Sed & obiectus est leo, quem ibidem à rege irrito conatu insecutum, idem Gobrias conficit. Hic rex secum mussitans, &c. arrepta à ministro lancea, Gobriæ pectus transfigit, atque ita adolescentem, cujus strenuitatem ægris tulerat oculis, vita spoliavit*. Similia hoc ęvo vidimus exempla. Qui ergo cum regibus agit, cum eis modestè et reverenter agat, eis omnia cedat, sapientiam et dotes non ostentet, sed potiùs tegat et abscondat:
B ita vitam et gratiam regis retinebit.

Porrò hęc sententia maximè locum habet in ostentatione sapientię gubernandi. Si qui, enim eam reges docere velit, aut eorum regendi modum carpere et corrigere, utique vapulabit. Peccant in hac re viri etiam sapientes, qui regum acta vellicant, culpant, eisque imprudentię notam inurunt, cùm non sciant eorum secreta, omnesque rei circumstantias: quas si nossent, ea non improbarent, imò approbarent. Memini Alexandrum Farnesium, inclytum Parmę Principem, cùm Belgium gubernaret, monitum à quibusdam viris valdè sapientibus, ut arcem quamdam Belgio valdè noxiam occuparet; modumque occupandi suggerebant. Ille illicò argumentis ad oculum evidentibus, id impossibile esse demonstravit, eosque ita convicit, ut coram ipso pueri viderentur: nimirum, *Aliud*, inquiebat ipse, *est, peritum esse librorum, aliud armorum*. Excipe, nisi reges cupiant doceri, aut cognoscere sapientiam alicuius, ut sciant an idoneus sit, quem in consiliarium; Episco-
C pum, gubernatorem deligant: tunc enim sapientia promenda est, ut prompserunt 72. Interpretes S. Scripturę rogati à Ptolemęo de modo rectè gubernandi, teste Aristęa.

NOLI QUÆRERE FIERI JUDEX, NISI VALEAS VIRTUTE IRRUMPERE (id est, perrumpere, perfringere, dissipare: nam Gręcè est, ἐξᾶραι, id est, tollere, profligare, extirpare) INIQUITATES] S. August. in Speculo legit, *noli quærere fieri judex, si non vales virtute irrumpere iniquitates*. Magna enim est sępè vis iniquitatis, quę majore vi judicii et ęquitatis profliganda est. Gręca Romana, *noli quærere fieri judex, ne forte non possis auferre iniquitates*. Et sic legit S. Hieronym. in cap. 3. Isaię explicans v. 6. *Princeps esto noster: ruina autem hæc sub manu tua. Respondebit: Non sum medicus, nolite constituere me principem populi*. Syrus, *noli quærere fieri judex, nisi habeas vim ad destruendam iniquitatem*; Tigurina; *judex evadere ne contendas, ne iniquè factis par esse non possis*, scilicet, vel in aliis puniendis, vel in te admissis sustinendis, ait Vatabl. Jam Rabanus sic explicat: q. d. Si vis fieri iudex, primò in te
D ipso confringe omnes iniquitates: *Quia*, inquit, *qui gravatur pondere propriarum culparum, non debet velle fieri judex alienarum*. Verùm alii passim accipiunt hęc de culpis alienis, non propriis. In iudice enim requiritur non tantùm sapientia et iustitia, sed et virtus, id est, fortitudo et potentia, tum interna, tum externa, qualis est favor civium et amicorum potentum, ad perrumpendas et confringendas quaslibet etiam potentum et principum iniquitates, ut urbem et provinciam sceleribus expurget. Hoc enim est pręcipuum munus iudicis et principis, qui est iudicum iudex. Sanè populi iniquitates velut catenę iudicem circumdant et vinciunt: virtute ergo magna indiget ad eas disrumpendas. Hoc enim bonum est, tum reip. tum privati iniquè agentis. Nam, ut ait Boetius libr. 4. de Consol. *Mali puniti feliciores sunt, quàm impuniti*: quia pœna eorum ingens est bonum; tum ratione iustitię, quam lęsam sarcit; tum, quia scandalum ab eis datum tollit, ac pręservat à futuro.

Vers. 6. *Fortis sit judex.*

Prę-

Præclarè Beda in Sententiis: *Tantum, ait, valent leges, quantum volunt* (imò *valent*) *reges*. *Cum dolo abscindenda sunt, quæ leniter sanari non possunt.* Idem sancit Greg. Naz. in Sententiis: *Quisquis*, inquit, *leges tuendas suscepisti, timorem omnem ex animo pelle; omnis enim, cui legum custodia mandata est, metu vacare debet.* Huius rei symbolo Samuel in convivio ex victima armũ Sauli, quasi futuro regi & iudici populi servavit, 1. Reg. 9. 24. Sauli, inquã, qui ab armo & sursum ceteros omnes statura superabat. Eligitur enim Saul in regẽ, qui armo & humero præstat, nempe, virtute ac robore animi ad perrumpendas iniquitates: armus enim sive humerus, symbolũ est roboris & fortitudinis, ideoq; tã regi, quàm sacerdoti, Exodi 29. v. 27. de industria reservatus, nempe, ad significandum virtutem regum ac Prelatorũ ad munus suum strenuè obeundũ, & onus populi sustinendum: nam, ut ait Naz. in Distichis: *Vt foliorum strepitus lepores exterrent: ita rerum umbra timidos & ignavos.* Unde S. Ambr. l. 4. ep. 29. ad Florianum: *Cave honores*, inquit, *quos sine culpa tenere non potes.* Quin & Seneca l. de Tranq. c. 4. *Quorundam*, inquit, *parum idonea est verecundia rebus civilibus, quæ firmam frontem desiderant. His utilior negotio quies est.* Idem in Sententiis: *Bonis nocet, quisquis pepercerit malis. Bono iustitiæ proxima est severitas. Vt fulmina paucorum periculo cadunt, multorum metu: sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius, quam nocent.* Et Plato l. 2. de Legibus: *Princeps*, ait, *ac magistratus quilibet debet esse prudens & fortis. Prudens, ne ex imperiti vulgi iudicio pendeat: fortis, ut quæ salutaria sunt constanter exequatur.* Idem lib. 6. *Iudex*, ait, *Dei personam quodammodo repræsentat.* Dei ergo æquitatem & fortitudinem imitetur.

Denique diviné Isidorus Pelusiot. lib. 1, epist. 290. *Imperiorum, ait, robur ac firmitas, Dei amicitia est. Ex quo sequitur, eum, qui robustè imperium gerit, Dei amicum esse. Mihi enim, ait Scriptura, nimis honorati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Quocirca si Dei amicus esse studes, fac robustè præsis, hoc est, nec muneribus nec amicitiæ, verùm dignitate ac merito ius præbens.*

Hac de re S. Bernard. monens Eugenium Pontificem l. 3. de Consid. c. 5. *Inferiorum*, ait, *culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesque rectores.* Et inferius: *Impunitas incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix.* Et l. 4. c. 6. *Alius alia dispenset, de disciplina tu provide: illud nemini credas. Si insolentior coram te vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit, manus tua super huiusmodi, tu ulciscere iniuriam tuam. Impunitas ausum parit, ausus excessum.* Et c. 6. ait, *Pontificem esse debere virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, Deum Pharaonis.* Additque: *ubi malitia iuncta potentia est, aliquid tibi supra hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat, timeat orationem, qui admonitionem contempsit. Cui irasceris tu, Deum sibi iratum, non hominem putet. Qui te non audierit, auditurum Deum, & contra se paveat.*

NE FORTE EXTIMESCAS FACIEM POTENTIS, ET PONAS SCANDALUM IN ÆQUITATE TUA] Ita Romana & Græca. Malè ergo Raban, Lyran. Hugo, Dionys. Iansen. pro *in æquitate*, legunt, *in agilitate*, quod Lyran. sic exponit: q. d. Ne alios offendas per tuam agilitatem, id est, levitatem & incostantiam. Iansenius vero, q. d. *Ne ponas scandalum*, id est, obstaculum in agilitate, id est, dexteritate tua; ut, scilicet, præ metu non audeas uti solita tua dexteritate & promptitudine ad defendendum innocentes oppressos: *Agilem* enim actio facit, *strenuum* motus, *fortem* animus, *robustum* corpus, ait Cornelius Fronto. Hoc sensu S. Aug. in Speculo legit, *in agilitate*: perperam Abulens. in c. 20. Iudic. q. 26. legit *in malignitate tua*; Syrus, *ne forte timeas a conspectu divitis, & facias maculam in timore tuo*: Tigurina, *ne forte faciem potentis reformides, & integritati tuæ ponas offendiculum*: alii, *& ponas scandalum in recto itinere tuo*, quo, scilicet, recta per viam iustitiæ incedebas. Græcum enim εὐθύτητι, idem est, quod *in rectitudine, in iustitia, in æquitate*. Sensus ergo est, q. d. Ne fortè reverearis (hoc enim est Græcum, εὐλαβηθῇς) & verearis faciẽ potentis, ac per hanc reverentiam & metum ponas tibi ipsi scandalum, id est, occasionem labendi & ruendi in æquitate tua, vel in recto itinere tuo; ut, scilicet, in recto iustitiæ itinere, quo solebas incedere, per metum corruas, & à rectitudine ac iustitia deflectas, & rectam iustamq; sententiam proferre vel exequi non audeas; sed potius in gratiam potentum pauperes condemnes, vel à potentibus opprimi

A permittas: hoc enim tibi scandalũ erit & ruina, uti in culpam iniustitiæ, ita & in pęnã ac vindictam, sive à lege, sive à Deo illi decretam. Exemplũ est in Achab rege, qui, quia impio Benadad, quẽ bello ceperat, pepercit, audiit à Deo: *Quia dimisisti hominem dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius*, 3. Reg. 20. 42. Sic & Saul parcens impio Agag, regi Amalec, nimiam hanc clementiam morte luit, 1. Regum 15.

Quocirca sapienter Totila rex Gothorum, rogatus, ut cuidam stuprũ virgini illatũ condonaret, respondit: *Eiusdẽ ingenij est delicto se obstringere, & delictorum supplicia impedire: omnino autem, aut hunc pœnam dare, aut Gothorum resp. interire necesse est*, ita Sigon. de Occident. Imp. Sicut enim si fundamenta non æquè collocentur, domus illis incumbens hiat, rumpitur & ruit: sic & si iudicia non sint æqua, ruit resp. eius enim basis & fundamentum est iustitia.

Nota. Scandalum Græcè à σκάζω, id est, deflecto, inclino, claudico, dicitur paxillus qui in muscipulis erigitur, ut obicem sustineat, quẽ mus dum ingreditur offendens, in se

B evertit subita ruina. Inde σκάνδαλον, vocatur obstaculũ, offendiculum, obex, et quidquid prolapsionis et ruinæ causã affert, quale est hic reverentia et metus ita Pollux, et S. Hier. contra Pelag. *Scolon*, inquit, *& scandalum apud Græcos ex offensione ac ruina nomen acceperunt*. Sapientis ergo est, seipsum, suasq; passiones et infirmitates nosse ac cavere, ne iis det occasionẽ labendi in peccatũ, v. g. qui nimis reveretur et metuit aliquã personam, ac expertus est, se ex hoc metu lapsum esse in peccatũ aliquod; caveat, ne cũ tali persona agat, quę hunc metum ei inijcere solet: qui nimio amore alicuius rei vel personę se agi sentit, fugiat eius pręsentiam, ne eius præsentis specie illectus in eã rapiatur, et corruat: qui novit se propensum in vina & gulam, fugiat sympofia & convivas. Hæc est prudentia cautorum & sanctorum, per quam providè pericula sibi obventura prospicientes ea præcavent, seque contra ea præmuniunt. Idem applices cuilibet statui, officio & instituto.

Hinc Secundò, aliqui scandalum hic non passivum jam dictum, sed activum accipiunt: q. d. Ne ex timore favendo

C potenti, æquitas tua fiat iniquitas, itaq; scandalũ det aliis: Omnes enim scandalizantur, dum audiunt, iudicẽ favere potenti nocenti, ideoq; illi causam adiudicare, & condemnare pauperem innocentem. Sicut enim in eclipsi macula solis deficiẽtis, ab omnibus notatur; sic & macula defectusque iniusti iudicis, qui est quasi sol iustitiæ, ab omnibus advertitur & damnatur. Hic ergo similis est heliotropio, quod ad solem sese obvertit, cum illoque rotatur & flectitur: & paleæ, quæ vento raptatur & volvitur: ac lunæ corniculatæ, quæ inequali facie se videndam exhibet: nobis enim exhibet cornua, cælitibus verò orbem plenum. Sic & iudex potenti plus æquo tribuit: impotenti minus æquo. Hic est respectus personarũ damnatus iure divino & humano, quo plus respicitur potens quàm pauper, et plus potentia quàm innocentia et iustitia. hoc est scandalũ, quod alios ad dolorem, alios ad sceleris imitationem trahit. Nam, ut ait S. Chrys. hom. 1. de verbis Apost. *Sicut in corpore, aliquo quidem membro corrupto, non est ingens damnum: oculis verò læsis, vel capite contrito totum corpus inutile redditur: sic & qui in alta quadam tamquam virtutis specula cũ multa claritate constitutus, ab omnibus admirationi habitus, quando*

D *cecidit, magnam ruinam & iacturam facit, non tantum quia ex alto cecidit, sed quoniam aliis multis scandali materia est in idipsũ respicientibus.* Hinc in scandalo Beelphegor Deus ait ad Moisen Num. 25. 4. *Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solẽ in patibulis*, ut qui populo fuere duces sceleris, sint exẽplũ supplicii: et qui publicè in sole peccare non erubuerunt, corã sole inverecundiæ pęnas luant, qua de causa et Bithyni iudicibus tribunal in conspectu solis statuebant, teste Alexandro ab Alex. l. 3. Genial. c. 5.

NON PECCES IN MULTITUDINEM CIVITATIS, NEC TE IMMITTAS IN POPULUM.] Tripliciter hęc sententia exponi potest. Primò, ut *in multitudinem*, per Hebraismũ et Gręcismũ (quo εἰς sępè ponitur pro ἐν) capiatur pro *in multitudine*, ac vetet ne quis multitudini plebis et turbę populi sese accommodet, pręsertim dum tumultuatur, et magistratui reluctatur: aut iudicis sententiam infringere vel impedire molitur: quod sępè fit, dũ cives sibi cognatos vel charos, licet noxios, iure ad mortem aliamve pœnam damnatos ab ea eripere conantur, aut dum vulgus leges utiles à magistratu sancitas, quia eas sibi molestas sentit, abolere satagit: ut sit hic alia causa, cur nemo ambire debeat iudicis officium, ne, scilicet, metus, sicut eum impulit Vers. 7.

cede-

cedere potentibus, ita eũ cogat cedere & turbæ populi: magna enim est vis vulgi agglomerati, tumultuãtis & furẽtis.

Sensus ergo est: q. d. Ne pecces in & cũ multitudine civitatis plebisq; peccantis, ideoq; in populum tumultuantẽ, vel peccantem nõ te immittas, ne ab eo velut à rapido torrente in scelus abripiaris; sed potiùs domi te contine, aut secede, donec tumultus ille vel fervor populi transeat & sopiatur. Eodẽ enim spectare videtur pars posterior huius versus, quò spectat prior. Huic sensui favet Syrus, *ne condemnes animã tuam*, (vel, *teipsum*) *in congregatione civitatis & ne exponas animã tuam iudiciis eius*. Et Græca, quæ pro, *ne te immittas in populum*, habent, καὶ μὴ καταβάλῃς σεαυτὸν ἐν ὄχλῳ, id est, *& ne dimittas*, vel *præcipites*, vel *destruas*, opprimas, perdas, eneces (hęc omnia enim significat καταβάλλω,) *te in turba*, vel in turbam populi tumultuantis. Et Tigurina, *ne te abiectè vulgo permittas*.

Aura popularis pericula.

Sapienter Paul.l.1. *Illud*, ait, *præclarè mihi dictũ videtur, hominem nimis reip. administrationi deditũ, & populari auræ fidentem, haud umquam feliciter diem extremum claudere*. Imò multos sustulit furor popularis: populi enim affectus instar auræ, vertuntur, & ex amore in odiũ commutantur. Unde Senec. ep. 39. *Numquam*, ait, *volui populo placere. Nã*

B

quæ ego scio, nõ probat populus: quæ probat populus ego nescio. Quis placere potest populo, cui placet virtus? Malis artibus popularis favor quæritur: similem te illis facias oportet. Celebre est illud Apostoli: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*, Galat. 1. Vide, quæ de vulgi moribus dixi Num. 11. 4. & Num. 20. 3. Huc facit apologus vulpis & leonis, quo à sequela populi se excusat Horatius epist. 1. ad Mæcenatem, dicens:

Quod si me populus Romanus fortè roget, cur
Non ut porticibus, sic iudiciis fruar iisdem:
Nec sequar, aut fugiam, quæ diligit ipse, vel odit:
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni.
Respondit, referam: Quia me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.
Bellua multorum es capitum.

Huc accedunt tres expositiones Pauli à Palacio. Prima

C

est: ne ob favorẽ populi pecces, uti Absalom favore populi Davidẽ patrẽ regno expulit, 2. Reg. 15. Secunda: Ne in gratiam populi pecces, uti peccavit Saul propter populũ non occidens Amalec, sicut Deus ei iusserat, 1. Reg. 15. Tertia, q.d. O iudex, ò princeps, si peccandũ est, ne publicè pecces: ne doceas peccare subiectos, ne te exemplũ peccati populo proponas: id enim peccatum est duplex, id est, multiplex & grave: & si peccatum simplex non est liberum à pęna, quomodo tam grave erit immune? O quàm graviter peccavit Jeroboam, qui Israeli fuit causa peccati? Igitur, ne iudex, aut princeps (de his enim loquitur) peccet corã multitudine & populo. Si egerere vult, cum Saul speluncam intret, ubi onus ventris relinquat: & nec ibi se tutũ credat; adest enim testis David. admoneatur princeps peccata sua publica esse. Nam, ut Episcopus, qui citò manus imponit, communicat peccatis ordinati; ita, qui coram plebe peccat, communicat peccatis, quæ eius exemplo populus admittet. Hæc Palacius.

Alter sensus est: q.d. Noli fieri iudex, aut princeps, ne te exponas periculo offendendi multitudinem & populũ, qui, ut facilè irritatur, ita difficilè placatur, ac sępè eos à quibus

D

offenditur, vita & bonis spoliat. Dicit ergo, ait Jansenius: nõ pecces *in*, id est, contra multitudinem civitatis, iniuria illã afficiendo: neq; te temerè immittas et præcipites in populum, sive ad regendum illum, sive potiùs ad componendas rixas et contentiones à populo excitatas: utrumq; enim periculosum est, ne, scilicet, à populo furente discerparis: et prius etiam grave est peccatum, eoque gravius, quo in totum populum peccatur. Sic dicendũ est, duo hic dari præcepta: primum, ne peccetur in populum: secundũ, ne eius rixis se quis immisceat. Hic sensus magis congruit versioni Vulgatæ Latinæ. Sic in populum Israel petentem sibi imminui onera à Salomone imposita, peccavit insipiens Roboam dicendo: *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei, &c. Pater meus cecidit vos flagellis: ego autem cadã vos scorpionibus*, 3. Reg. 12. 11. ideoque à populo regno Israel spoliatus, soli tribui Juda cum Beniamin dominatus est.

Tertiò, facillimus et planissimus erit sensus, si peccatum hic non theologicum, sed civile et politicum accipias, pro offensa: q.d. Ne pecces, id est, ne offendas multitudinẽ civitatis, sive per iudicii sententiam, sive per legem illi invisã et exosam, sive, ut sequitur, immittendo te in populum tumultuantẽ et furentem. Monet ergo declinandũ esse officiũ

A

iudicis et principis, ne cogatur subinde offendere multitudinem, aut inscius et imprudens illam offendat, cũ sui et suorũ periculo. Hoc sensu prior pars versiculi cum posteriore optimè cohęret. Hic sensus pariter conciliat lectionem Græcam, Latinam et Syram, quæ omnes illi favent, illumque exposcunt. Huc facit symbolũ Pythagoræ: *Progredienti gregi è via cede, id est, multitudini te non oppone*.

NEQUE ALLIGES DUPLICIA PECCATA: NEC ENIM IN UNO ERIS IMMUNIS] Primò: q.d. Noli fieri iudex aut princeps, ne duplices peccata tua: nam præter propria imputabuntur tibi aliena, putà, populi: vel ob pravum exemplum, quod ei dedisti: vel quia illa corrigere (uti ex officio tenebaris) neglexisti. Secundò, q.d. Ne pecces in multitudinem populi, quia hæc *peccata*, utpote in multos commissa, sunt *duplicia*, id est, multiplicia. Tertio, et genuinè, q.d. Si semel in multitudinẽ, vel in iustitiam et æquitatẽ peccasti, noli peccatum hoc iterare, et peccata peccatis cumulando, ea quasi alligare in fasciculum, cogitando: Jam peccavi, jam Dei gratiam perdidi: dabo ergo me vitiis et voluptatibus. Sufficiat semel peccasse, sufficiat unũ vulnus tibi inflixisse, noli vulnus vulneri, plagã plagæ addere. Una plaga facilè — VERS. 8.

B

curari potest, multæ sæpè sunt lethales et insanabiles. Hũc sensum exposcunt Græca, *ne alliges bis peccatum*: Syrus, *ne iteres peccata, quia in prioribus non es iustificatus*: Vatabl. *cave peccatũ congemines*. Ex iteratis enim peccatis, ceu è multiplicatis contortisq; filis, fit crassus funis, qui rũpi nequit, iuxta illud: *Funibus peccatorũ suorum constringitur impius*, Prov. 5. v. 22. Et, *Vę, qui trahitis impietatẽ in funiculo vanitatis, & quasi vinculũ plaustri peccatũ*, Isa. 5. 18. Vide ibi dicta.

Causam subdit: *Nec enim in uno eris immunis*, scilicet, à merita castigatione et supplicio. Vatabl. *cum ne unum quidem impunè laturus sis*: q. d. Si duplicas culpam, duplicas tibi pęnam: ut ergo simplex sit tibi pęna, simplex sit et culpa. Quare c. 20. 1. *Fili*, inquit, *peccasti: ne adiicias iterum*.

NOLI ESSE PUSILLANIMIS IN ANIMO TUO: EXORARE ET FACERE ELEEMOSYNAM NE DESPICIAS] Hic versus pendet à præcedenti, q.d. Si peccasti, noli esse pusillanimis, — VERS. 9. & 10.

C

ut illud iteres, et peccata peccatis accumules, noli de venia desperare aut diffidere: sed pro ea Deum exorare, eumque eleemosynis placare ne negligas. Tam enim pusillanimitatem, quàm peccata levat tollitque oratio, iuxta illud S. Jacobi cap. 5. 13. *Tristatur aliquis vestrũm oret*. Vide ibi dicta Siracidem secutus Cato in Distichis ita sancit:

Rebus in adversis animum dimittere noli:
Spem retine: spes una hominem nec morte relinquit.

Græca τὸ *exorare*, iungunt cũ *pusillanimis*: sic enim habent: *Noli esse pusillanimis in oratione tua, & eleemosynã facere ne despicias*. Orandũ est enim cũ magna fiducia impetrandi quod petimus: hæcq; fiducia est quasi anima et nervus orationis, quę ei dat robur et efficaciã. Sed eodẽ redit sensus.

Pręclarè S. Bern. docet spiritum pusillanimem ob recordationem peccatorũ vel passionũ ineptum esse ad Dei laudem et iubilum, ac proinde debere orare, ut Deus ad illam ipsum elevet. Sic enim ait ser. 10. in Cant. *Quæ pusillanimis est & modicæ fidei mens, rei suæ familiaris tenuitate constringitur, nec valet præ inopia otiari ad vacandum divinis laudibus, seu his quæ laudes pariunt intuendis beneficiis. Et si quando certè conatur assurgere, confestim domesticarum ne-*

D

cessitatum curis urgentibus evocatur ad sua, & in spe comprimi propria egestate compellitur.

Gręco accedit Syrus, *ne contristeris* (tristitiæ enim comes, et iam filia, jam mater est pusillanimitas) *in verbis orationis tuæ, & ab eleemosyna ne tardes*: Tigurina, *ne sis remisso ad precationes faciendas animo*; Vatabl. *animum in precibus tuis ne despondeas*; aut, *quò minus preceris, ne despondeas animũ, nec miserando benignum præbere te negligas*: Vatabl. *nec in pauperes erogare omittas*, iuxta illud Danielis ad Nabuchodonosor monitum c. 4. 44. *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum*. Vide ibi dicta. Huc spectat illustre adagium Arabũ cent. 1. n. 79. et 80. *Qui operatur bonum, non privabitur remuneratione eius. Liberalis est vicinus Dei; vicinus hominum, vicinus paradisi, remotus ab igne inferni*. Paulò aliter legit et intelligit Origen. homil. 1. in Ezech. nimirum sic: *Fili, noli esse pusillanimis in disciplina Dei*, quod explicat subdẽs: *Neq; deficiens correptus ab eo*.

Generaliùs hęc accipit Palacius, q.d. Si te mala premũt, pręsertim minæ potentum, ut iis litem adiudices, ne despondeas animum; sed ora, et fac eleemosynam. Hęc est summa totius vitę: Ora Deum, dilige proximũ. Hęc sunt in quavis lege potissima. Hęc advocant bona omnia, et propulsant mala omnia. Hę sunt leges, per quas examinabuntur

in die

in die judicii cuncti mortales. *Sic & alii nonnulli hoc referunt superiùs ad v.6. Noli quærere fieri judex.* q.d. Noli ambire fieri judex: sed tamen, si præter tuam mentē coactus, vel factus es judex, noli esse pusillanimis, ut extimescas facies potentum, sed magno & excelso animo iis resiste, ac pro æquitate & pauperibus oppressis justam fer sententiam. Imitare Davidem dicentem psalm. 100.8. *In matutino* (id est, tempestivè, citò) *interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Potentes enim similes sunt animali, quod vocatur myrmecoleō, id est, formica-leo, vel formicarius leo, aut leonina formica, de quo Job 4.11. *Tigris periit, eò quòd non haberet prædam*: ubi Septuag. pro *tigris*, vertunt *myrmecoleon*. Est hoc animal exiguum formicis adversum, uti leo ceteris animalibus, quod se sub pulvere abscondit, & formicas frumenta gestantes interficit, & interfectas cōsumit. Unde mysticè per illud S. Greg. accipit diabolum: diabolus enim piis & constantibus est timidus & formica; impiis verò & timidis est terribilis ut leo. S. Nilus verò per myrmecoleonem accipit perturbationes animi, qualis est timor & pusillanimitas, quæ initio à tenuioribus causis exoriuntur, & quasi formicæ latenter obrepunt: ubi verò se confirmarint, adeò immanis est earum impetus, ut non minùs quam leo periculum iniiciant occurrenti. Ita de Modesto Valentis Imp. præfecto conante S. Basil. pertrahere ad Arrianismū, canit Cyr. Theodorus:

Modeste Basilio Magno subes:
Formica sanè es, rugias licet ut leo.

Est enim genus leonum in Pseudocasia, qui formicæ appellantur, ait Strabo li. 16. S. Basil. imitetur judex & quivis sapiens. Si enim se constantem in justitia & virtute tuenda ostendat, potentes demittent se quasi formicæ: sin eos timeat, insurgent in ipsum, velut leones.

Vers. 11. NE DICAS: IN MULTITUDINE MUNERUM (sacrificiorum, victimarum, oblationum, ita Syrus) MEORUM RESPICIET DEUS, ET OFFERENTE ME DEO ALTISSIMO, MUNERA MEA SUSCIPIET] Versu præcedenti vetuit diffidentiam in oratione, hic vetat illi contrariam præsumptionem: q.d. Noli esse pusillanimis in oratione, ut diffidas te impetraturum id quod postulas: sed neque sis præfidens, ut peccata peccatis accumules, dicendo te hæc omnia expiaturū per sacrificia. Nec enim sacrificia veteris legis erant propitiatoria, & expiabant peccata ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, putà ex devotione & contritione offerentis. Sacrificium verò Eucharisticum legis novæ, etsi vim habeat ex opere operato, tamen ut culpam expiet, requirit pariter opus operātis, putà contritionem pœnitentis. Dicit hoc contra vulgus peccatorum ævi prisci (æquè ac moderni) quod putabat omnia peccata expiari per sacrificia, etiamsi quis in voluntate & proposito, imò & actu peccati perseveraret. Unde Græca & Syrus hanc sententiam immediatè subiiciunt versui octavo, hoc modo: *Neq alliges peccata duplicia,* &c. *neque dicas: In multitudine munerum meorum respiciet Deus*: q.d. Ne duplices, triplices & quadruplices peccata hac præfidentia, quòd victimas pro iis afferes, ad quas respiciens Deus illa condonabit.

Vers. 12. NON IRRIDEAS HOMINEM IN AMARITUDINE (afflictione, dolore, mœstitia, angustiis) ANIMÆ SUÆ: EST ENIM QUI HUMILIAT ET EXALTAT CIRCUMSPECTOR DEUS] Syrus *ne irrideas homines, quorum amara sunt palata* (cordis, & consequenter oris, id est, qui tristes sunt & mœrentes: his enim quasi palato infecto, omnia velut insipida desipiunt: *quoniam est qui exaltat, & qui humiliat*; Vatabl. *hominem acerbitate animi sui laborantem ne derideas: est enim, qui deprimat, & idem evehat Deus animadversor.* q.d. Noli afflictum deridere memor fortunæ & sortis humanæ, quam Deus ad nutum librat & nutat, ut nunc miseros prosperet, nunc felices affligat, juxta illud Isocratis ad Dæmonicum: *Nemini calamitatem exprobra: fortuna enim communis est, & futurum nō videtur.* q.d. Nescit homo quid sibi evēturū sit:

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ.

Secundò, pressiùs & potiùs, q.d. Noli miserum irridere, quia solet Deus superbos, præsertim qui miseros irrident, deiicere, affligere & eidem irrisioni exponere, juxta legem talionis: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Quocirca cùm Franciscus, rex Galliæ, captus à Carolo V. in pariete cubiculi inscripsisset. *Hodie mihi, cras tibi*: sortis & vicis humanæ memor subscripsit Carolus: *Homo sum, humani à me nihil alienum puto.* Præclarè Plin. li. 16. c. 15. *Ut in totum natura,* inquit, *quæ spectatissimè florent, celerrimè marcescunt, veluti rosa, tilia, viola, cùm alio durent: ita in hominum vita, quæ florentissima sunt, citissimè vertuntur in diversum*, putà, felicitas in infelicitatem, sanitas in morbum, robur in infirmitatem, favor in odium, honor in contemptum, amici in inimicos, vita in mortem. Quocirca reges Chaldæi, teste Herodoto li. 1. gestabant sceptrum, in quo rosa aut similis flos erat exsculptus: rosa autem, quia frigida, ebrietati resistit. Igitur sceptro, quod homines fastu inebriat & dementat, incidebant rosam, Aquæ, licet sit speciosissima, subitò tamen marcescit, ut cogitantes pari modo sua sceptra brevi corrumpenda, fastum ponerent, & modestiam induerent. *Omnis* enim *potentatus brevis vita*, ut audiemus c. 10. 11. Adde, solent miseri, si rideantur, ad Deum gemere: Deus autem gemitus eorum exaudit & vindicat. miseria enim miseri misericordiam flagitat, non risum. Hoc est, quod orat Psaltes psal. 68. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Cur? *Quia quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

Porrò remedium irrisionis est compunctio, qua quis propria peccata & extremum judicium cogitans, aliena non respicit. Audi S. Antiochum homil. 48. *Qui sua luget peccata, huic nullus relinquitur locus alterum ut derideat, aut de ridiculis sannis aspergat, & exacerbat fratrem.* Audi enim quid dicat Parœmiastes: *Ne deriseris hominem in amaritudine animæ suæ.* Et post nonnulla: *Maliō profuerit derideri te, quàm unum aliquem ut ipse derideas. Iusti enim derisui ac ludibrio haberi solent, non item deridere. Traduntur enim in manus peccatorum, juxta B. Iob sententiam: & melicus ille concentor hymnorum, psal. 68. Adversum me loquebantur, qui sedebant in portas & in me psallebant qui bibebant vinum, & Opprobria exprobrantium tibi ceciderūt super me.* Rursum remedium

B irrisionis est, cogitare, quòd Deus irrisores irrideat, juxta legem talionis, Proverb. 3. 34. *Ipse deludet illusores.* Isajæ 51. 7. *Nolite timere opprobrium hominum,* &c. *sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis; & sicut lanam, sic devorabit eos tinea.* q.d. Exprobratio & irrisio est quasi tinea & vermis, qui è lana & veste genitus, ipsammet erodit & consumit: impii enim producunt irrisionem, ob quam à Deo irridentur & consumuntur.

NOLI ARARE MENDACIUM ADVERSUS FRATREM TUUM, NEQUE IN AMICUM SIMILITER FACIAS] Perperam aliqui scioli non intelligentes, quid sit, *arare mendacium*, pro *arare* correxerunt *amare*, quod proinde in Complut. pluresque alios codices irrepsit. Græca enim & Romana constanter legunt *arare*. Porrò *arare mendacium*, est fabricare, concinnare, adornare mendacium & calumniam. Unde Syrus vertit, *ne cogites malum adversus fratrem tuum, sic etiam adversus proximum pariter*; Vatabl. *ne machineris adversus fratrem tuum mendacium, nec idem struas in amicum*; Arabicus, *ne imputes dicto, fratri tuo notā mali, neque amico tuo.* Ratio hujus phrasis est quòd Hebr. חרש *charas* (unde Latinum *aras*) significat arare & fabricare. Voluit id imitari interpres Græcus & Latinus, ideoq; *charas*, id est, arare, sumit pro fabricare: unde illud ps. 128. 3. *Supra dorsum meum* Vers. 13.

C *araverunt aratores.* Sic enim Judæi dorsum Christi; & persecutores dorsa Martyrum flagris & ungulis excavabant, ac si in iis sulcos arando duxissent.

Alludit ad Oseæ 10. 13. *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii.* Ubi ratio hujus metaphoræ aperitur, nimirum, quòd, sicut arator arat terram, in eaq; seminat, ut semini similem messem metat: sic qui concinnat iniquitatem & mendacium, metet mendacium, frugesque mendaces, uti ibidem dixi. Ita Samson proponens ænigma Philisthæis, cùm ipsi ejus solutionem ab uxore Dalila scrutati enuntiasēt, dixit: *Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam.* Ubi *arare* sumitur pro vestigare, excogitare, rimari; *vitula* pro puella vel sponsa ob juvenilem ejus lasciviam, imprudentiam & inconstantiam: persistit enim in metaphora arandi: olim enim, uti & jam, arabant vitulis, id est, vaccis & bobus. sicut enim arator fodiendo quasi scrutatur & rimatur terrā: sic qui secretum aliquod vestigat vel excogitat, illud ipsum sua arte & industria meditando scrutatur & rimatur. Idem facit arator mendacii, de quo hic est sermo, quæ est tertia ratio & analogia hujus phrasis.

Rursum alludit ad Prov. 3. 29. *Ne moliaris inimico tuo malum, cùm ille in te habeat fiduciam*: ubi pro, *moliaris*, Hebr. est verbum

D חרש *charas* jam dictum. Unde Septuag. vertunt, *ne fabriceris.*

Nominat *fratrem & amicum*, quia in eos eo immanior est malitia, quo major est cognatio & coniunctio, indeque fiducia, ac consequenter major est perfidia. Unde Clemens Alexand lib. 6. Strom. post initium, celebrat illud Alcmæonis; *Inimicum facilius est cavere, quàm amicum.* Et illud Sophoclis; *Quod maius ulcus, quàm amicus malus?* S. Maximus serm. de Amicitia, narrat Antigonum quotidie sacrificando orasse deos, ut se à fictis amicis tuerentur; ac rogatum, cur id tantoperè postularet, respondisse: *Quia hostes, cùm cognosco, caveo.*

Nota hic pulchram metaphorā, qua lingua loquendo dicitur arare. Nam Primò, sicut arator arando exercet terram: ita linguatus loquendo exercet linguam. Secundò, sicut arator aratro glebas proscindit: ita loquax lingua sua famam aliorum proscindit. Tertiò, sicut arator arando sulcat agrum; ita lingua sulcat aerem, palatum, labia & dentes. Quartò, sicut arator arat in campo, vel puro, vel spinoso: ita linguæ campus purus, in quo rectè arat, est veritas; spinosus, in quo perperam, est mendacium. Quin- *Quinque analogiæ inter loquacem & aratorem.*

tò, sicut arator ex campo puro puram messem, ex spinoso spinosam colligit: ita, qui lingua arat in campo veritatis, veras ex eo fruges: qui verò arat in campo mendaci, fallaces & mendaces metit & colligit. A

VERS. 14. NOLLI VELLE MENTIRI OMNE MENDACIUM; ASSIDUITAS ENIM ILLIUS NON EST BONA] Versu præced. vetuit mendacium in fratrem & amicum; jam, ne quis ex eo colligat aliud quodlibet mendacium esse licitũ, hìc omne omnino prohibet. Erravit Plato docens lib. de Rep. mendacium quidem in se esse malum; eo tamen uti licere quandoq; ad maius malum vitandum, sicut utimur venenis in theriaca: mendacio ergo utendum esse quasi helleboro Platonem secuti sunt Origen. Clemens Alex. Cassian. Beda & alii, quos citavi Exod. 1. v. 19. Contra hos scripsit S. Aug. lib. de Mendacio, & lib. Contra mendaciũ. Sed & Ecclesiasticus hoc loco eos damnat. Respondebant illi, ut refert S. Aug. libb. citatis, Primò, Ecclesiasticum dicere, *Noli velle mentiri omne mendacium:* vetare itaq; tantùm omne mendacium: aliquod ergo permittere. Sed refutat hoc rectè S. Aug. nam Hebreis *non omne*, idem est, quod *nullum*; q.d. Nullum mendacium velis proferre; secùs est apud Logicos, ubi *non omne*, idem est, quod *aliquod non*. Unde Syrus vertit, *ne velis mentiri quodcumque mendacium*; Vatabl. *ne velis uti ullo mendacio*, sive illud perniciosum sit, sive jocosum, sive officiosũ dumtaxat: hæ enim sunt tres species mendacij. Nam mendacium in se & intrinsecè malum est, ut nullo modo, fine vel eventu possit fieri bonũ & licitũ, perinde ac est furari, fornicari, blasphemare, calumniari, maledicere, &c. quę ita intrinsecè mala sunt, ut nullo casu vel fine bona fieri possint. B

Resp. Secundò, Ecclesiasticum dicere, *Noli velle mentiri*, quasi prohibeat tantùm omne mendacium, quod spontè & voluntariè quis profert; non autem quod quis invitus ob maius bonũ pronuntiat. Refutat hoc S. Aug. aitq; Ecclesiasticum addere τὸ *velle*, ut sciamus non solum mendacium ore prolatum; sed etiã voluntatem illud proferẽdi esse malam & peccatum. Addit Jansenius, addi τὸ *velle*, ut, quoniam per infirmitatem humanam, vel omninò fieri non potest, vel vix, ut quis numquam mentiatur (*Si quis enim in verbo non offendit, hic perfectus est vir*, Jacob. 3. v. 2.) saltem caveat, ne affectet mendacium, & studiosè mentiatur, atq; ex proposito. Unde sequitur: *Assiduitas enim illius non est bona*, id est, valdè est mala. Est miosis: minus enim dicitur, & plus significatur. Græcè, *non ad bonum*, scilicet, tendit & cedit; Syrus, *quia finis eius non fuit bonus*; Vatabl. *numquã enim prodest frequentatio eius*; alii, *continuatio eius non ad bonum spectat*: q.d. Nullum omninò mendacium est volendum: quòd si aliquando mendacium nobis elabatur, cavendũ est ab eius assiduitate: hęc enim res est pessima. C

Sensus ergo totius sententiæ est: q.d. Nolli velle mentiri omne, id est, ullum mendacium: quia ex uno venies ad secundum, tertium & quartum, & tandem in assiduitatem, sive consuetudinem mentiendi, quæ pessima est: hæc enim faciet, ut etiam mentiaris in damnum & perniciem alterius, quæ est calumnia gravis & lethifera. Quare, ne dicito; Mentior tantùm jocosè vel officiosè, ut aliis prosim, vel ut eos recreem; quia ex assiduitate mẽtiendi & linguæ volubilitate quandoque mendacium proferes, illudque tibi non cogitanti excidet, cùm agetur de fama, bonis & vita proximi, ac per habitum inadvertenter eum infamabis, eriſq; causa, ut bonis, & subinde vita spolietur. Rursum ex mendacio facilis est lapsus in periurium; qui enim crebrò mentitur, & crebrò iurat, impossibile est ut sæpè non iuret falsum. Unde Cicero pro Roscio Comœdo: *Qui mentiri solet*, inquit, *peierare consuevit. Quem ego, ut mentiatur, inducere possum; ut peieret, exorare facile potero. Nam, qui semel à veritate deflexit, hic non maiore religione ad periurium, quàm ad mendacium perduci consuevit*, &c. *propterea quę pœna à diis immortalibus periuro, hæc eadẽ mendaci constituta est.* D

Moral. Vide hìc, quanta sit dignitas veritatis, adeò ut omne mendacium, etiam minimum, sit peccatum, quia veritati contrarium. Celebre est adagium Arabum cent. 1. nu. 72. & 73. *Veritas magnificentia est, mendacium vilitas; veritas sanitas est, mendacium infirmitas.* Quocirca *os linguæ carcer est.* Et cent. 2. n. 39. *Lumen omnium factorum tuorum esto sermo verax.* Et num. 48. *Omitte mendacium, ubi videris, quod tibi profuturum erit: nam nocebit tibi. Tunc quoque est hærere veritati, ubi videris quòd ipsa nocebit tibi; quia ipsa proderit tibi.* Et n. 48. *Qui notus est veracitate, recipitur eius mendacium; & qui notus est mendacitate, non recipitur eius veritas.* Eam enim vim opinio habet, ut ei qui vera solet loqui, etiã cùm mentitur, credamus: ei verò, qui sæpiùs mentitur, etiã tunc, cùm verum dicit, fides non habeatur. Quin & Plato lib. 1. de Legibus: *Turpissimum est*, inquit, *magistratum aut principem* (pariter & civem) *eo ipso ore mentiri, quo Deum invocat.*

Dignitas veritatis.

Ratio à priori est; quia Deus est veritas, eaque essentialis & increata: quantum ergo ad veritatem accedis, vel ab ea recedis; ad Deum accedis, vel recedis; Deus enim amat veraces quasi sui similes, mendaces odit quasi sui dissimiles. Quocirca Pythagoras censuit, *Veritatem post Deum colendam esse, utpote quæ homines Deo proximos facit*, teste S. Hier. contra Ruffinum. Hinc Deus Christum amat infinitè, quia ipse est Verbum Patris adæquatum & verissimum. Christo ergo Dei Verbo associantur veraces; Christi enim vox est; *Ego sum via, veritas, & vita.* Jo. 15 Qua de causa ipse, utpote ipsa veritas, hanc veracitatis legem sancit; *Sit sermo vester, est, est; non, non; quod autem his abundantius est, à malo est*, Matth. 5. 37. Ipse tandem pro veritate, quòd, scilicet, ipse esset Messias Dei Filius, occubuit. Sic & Martyres maluerunt perdere vitam, quàm fidem & veritatem. Denique S. Joannes Apoc. 21. 8. *Omnibus mendacibus*, inquit, *pars illorum in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* Nam, ut ait S. Basil. epist. 75. *Mendacium est diaboli fœtus.*

NOLI VERBOSUS ESSE IN MULTITUDINE PRESBYTERORUM, ET NON ITERES VERBUM IN ORATIONE TUA] putà, qua Deum oras & deprecaris; hanc enim significat Græcum προσευχῇ. Vetuit mendacium, nunc vetat verbositatem & garrulitatem, quasi rectam viam ad mendacium: qui enim verbosi sunt, ex multiloquio & volubilitate linguæ facilè incidunt in mendacium. Hæc autem verbositas gravior & indecentior est; tum *in multitudine presbyterorum*, id est, seniorũ; hos enim decet loqui, iuvenes autem eos modestè & reverenter audire ac silere, uti fusiùs sanciet c. 32. v. 9. & seq. præsertim, quia senes, utpote sapientes & experientia pollentes, facilè possunt verbosos de lapsu memoriæ, errore, vel mendacio redarguere. Tum in oratione apud Deum; Deus enim non flectitur verbis, sed affectibus humilitatis, verecundiæ, devotionis, desiderii, amoris. Prohibetur hìc ergo non prolixa oratio verbalis, sed irreverens tautologia, & verbosa iteratio sermonis, qua Judæi & Pharisæi utebantur putantes se instar Ciceronis blando sermone & eloquentia persuasuros Deo, ut postulata concedat. Unde pro *verbosus esse* Græcè est, ἀδολεσχεῖν, id est, garrire, nugari, ineptire, effutire quælibet, nulla habita ratione loci, temporis & personarum. Syrus accipit pro fingere & simulare; vertit enim, *ne abscondas animum tuum* (verbis fictis & simulatis) *in congregatione principum, & ne varies verba orationis tuæ*: Vatabl. *in cœtu senum ne sis verbosus, nec in precatione tua dictum iteres.* Hoc est, quod sancit Christus Matt. 6. 7. *Orantes autem nolite multùm loqui sicut Ethnici: putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur*, putà, propter multiloquium, Græcè βαττολογεῖν. Battologia autem est nugacitas, ac futilis verborum profusio & repetitio Ethnici enim putabant se hac quasi rhetorica sua deos excitare a mulcere & flectere. Contrà eos docet Christus, orationis essentiam, efficaciam & vim sitam esse, non in verbis oris, sed in colloquio mentis cum Deo, cujus causa & quasi anima sit desiderium, & pius animi affectus. quem tamen non negat verbis posse exprimi & foveri: tum ut & ore æquè ac lingua Deum exteriùs laudemus: tum ut voce mentis affectus acuatur, excitetur & continuetur. Igitur cùm ait Eccles. *Ne iteres verbum in oratione*, intellige, ex infidelitate, quasi necessarium sit verba repetere, ut ea Deus possit audire; vel ne temerè & sine fructu iteres. Nam alioqui Ecclesia Versus & Antiphonas iterat, Primò ex abundantia devotionis ac ad excitandum spiritum & orationem; Secundò, ad recreandos animos orantium; Tertiò, ad meliorem concentum; Quartò, quia mysticè hæc Responsoria significant opera bona sæpiùs esse iteranda. ita Amalarius in Antiphonario, c. 4. Turrecrem. tr. 66. ad Regulam S Bened. & Suar. li. 4. de orat. vocali, c. 2.

VERS. 15.

Rursum noster Emmanuel Sà sic exponit: *Ne iteres verbum in oratione tua*: q.d. Dum oras, esto attentus, ne ob distractionem verba iteres; hoc enim indecens est & irreverens coram Deo. Hoc notent scrupulosi, qui ob metum distractionis identidem verba orationis repetunt. qua in re errant: tum quia hic metus in scrupulosis est inanis & vitiosus: tum, quia repetitio hæc irreverens est: tum, quia hac ratione metus suos & scrupulos alunt & augent: tum, quia pronuntiando verba satisfecerunt obligationi orationis, & esto in ea distracti fuissent, distractio hæc in eis sæpè involuntaria est, ideoque peccati expers: sin voluntaria aliquo modo fuisset, ideoque peccatum aliquod, illud non iteratione verborum, sed contritione delendum est. Huc pertinet expositio Hugonis & Dionysij; Sensus, inquiunt, est, q.d. Oratio tua tam devota & attenta sit, ut non habeas scrupulum vel dubium, an ritè vel attentè verba protuleris, ideoque velis ea iterare; sed conscius tuæ devotionis & attentionis, audacter ad ulteriora progrediare.

Mysticè S. Greg. part. 3. Pastor. admonit. 31. hæc refert ad eos qui in peccata, quæ planxerunt, relabuntur, *Sus*, inquit, *in volutabro luti cùm lavatur, sordidior redditur. Et qui admissum plangit, nec tamen deserit*, &c. *ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lacrymas facit. Hinc scriptum est: Ne iteres verbum in oratione tua; quo dicto nequaquam nos prohibet sæpè veniam petere; sed culpas iterare. Ac si apertè dicat; Cùm malè gesta defleveris, nequaquam rursus facias,*

faciat, quod in precibus iterum plangas. Sic & S.Chrys.to.1.homil. in illud psal.84. *Non in æternum irascaris, Quid est,* inquit: *Ne repetas sermonem in oratione? Quis enim non repetat? An fortè illud intelligendum est de eo, quod dicis Deo: Peccavi? Non repetas factum; quia cùm repetis, id est, ad peccatum redieris, orationem repetis. Ergo eligendum est à sapientibus peccatum agnoscere, & dolere semper. Præterita vetusta malè commissa, malè cogitata, pessimè delectata, inordinatè dicta debent quotidie in mente manere, & semper homo debet ista dolere, ut, cùm venerint novæ suggestiones, ibi repellatur inimicus, dicendo: Adhuc doleo peccatum vetustum, quomodo admitto peccatum novum?* Idem verò Chrysost. in ps.142. initio sic explicat: *Ne iteraveris verbum in oratione: non autem hortatur, ut non eadem bis dicamus, cùm eum rogamus & precamur: absit: iubemur enim perseverare in orationibus: sed ne differamus, quando Deo aliquid fuerimus polliciti, & id solvere properemus. Et ideo dicit alibi: Ne differas reddere votum.* Huic sensui favet Syrus, *ne varies verba orationis tuæ.*

Vers. 16. NON ODERIS LABORIOSA OPERA, ET RUSTICATIONEM CREATAM AB ALTISSIMO] Græcè, *non oderis laboriosam operationem, & agriculturam creatam ab Altissimo.* In Syro hæc sententia deest. Vatabl. *laboriosum opus ne prosequaris odio, nec agriculturam ab Altissimo institutam.* Copula & est exegetica & emphatica: q.d. Ne oderis laboriosum opus, quale in primis est agricultura. Sic Christus ait Marci 16. v.7. *Dicite discipulis, &* (id est, *præsertim*) *Petro*, quasi omnium capiti & principi. Commendat amorem laboris & agriculturæ quinque de causis.

Laborandum homini quinque de causis. Primò. Prima, quia labor excludit otium, quod est fons & origo malorum omnium. Quantum ergo malorum ab ignavia feres, tantum bonorum à labore, imò amplius capies. Idcircò natura dedit homini geminas manus, ut iis assiduè laboret.

Secundò. Secunda, quia *homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum*, ait Job c.5. v.7. Hinc Rabbinus quidam eruditus dixit: *Ama opus, & odio habeto doctoratum:* q.d. De re & opere, non de inani nomine & titulo sis sollicitus. Causa est, quam dat Salomon Proverb.14.23. *In omni opere erit abundantia: ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas:* q.d. Rerum copia paritur laborando, non otiando & garriendo. Hebr. *in omni labore erit augmentum: verbum labiorum verò ad defectum;* Septuag. *in omni sollicito erit abundantia: dulcis autem & carens dolore in egestate erit;* Chaldæus, *in omni quod sollicitum te facit, erit sibi commodum: & labia superflua in egestate erunt.* Maximus serm.32. celebrat Democritum, qui rogatus, qua re laboriosi differrent à desidiosis, respondit: *Illa qua impii à piis, spe, scilicet, bona.* Sperant quippe, qui corpus laboribus exercent, pinguia laborum præmia: desides autem semper præsentem intuentur paupertatem. Quocirca Severus Imp. tribuno symbolum dedit, *Laboremus:* Pertinax Imp. *Militemus*, ait Spartianus. Idem sibi dicat fidelis: nam, ut ait Iob c.7.1. *Militia est vita hominis super terram: & sicut dies mercenarii, dies eius.* Memorabile est, quod in Histor. Romana legimus, Scipionem Nasicam ambientem ædilitatem, ab ea repulsum, eò quòd competitoris sui manum agricultura duratam contrectans, ironicè rogasset, an manibus incedere, terramq; calcare consuesset? Phryges verò eum, qui bovem, aut instrumentum quodpiam agricolandi sustulisset, morte mulctabant, teste Stobæo serm.42.

Tertiò. Tertia, quia labor vegetat & roborat corpus, æquè ac animũ. Hebræorum est gnome: *In quo quisque laborat, ex eo fructum feret;* nimirum homines industrii semper fructum colligunt sui laboris: nam, ut umbra corpus, sic utilitas laborem animi aut corporis comitatur. Ergo, si commodum quæris & robur, ne fuge laborẽ; si è nuce nucleum edere vis, frange nucem. Quocirca Aristot. li.1. Oeconom. agriculturam ait omnium artium esse optimam, eò quòd sit secundùm naturam, nec bellando, aut mercando uti milites & mercatores, sed laborando à terra, quæ omnium est mater, victum quærat. Et Virgil. lib.2. Georgic.

O fortunatos nimiùm, sua si bona norint,
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.

Et inferiùs:

At secura quies, & nescia fallere vita,
Dives opum variarum, &c. *extrema per illos*
Iustitia excedens terris vestigia fecit.

Est enim agricultura *ars omnium innocentissima*, ait S. August. Plura vide apud Catonem & Columel. præfat. de Re rustica, Plinium lib.18.c.5. Xenoph. in Oecon. Varronem lib.1. cap.2. Stobæum serm.54. & alios.

Quartò. Quarta, quia labor vitia excludit, & virtutes inserit, putà, innocentiam, patientiam, fortitudinem, uti patet in agricolis: Rursum labor parit heroica opera. Ita S. Dominicus Loricatus rogatus, quomodo ad tantum vitæ rigorem (præter enim vigilias & jejunia assidua, quotidie flagellis se cædebat per integrũ Psalterium) pervenisset, respondit: *Labor laborem adsciscit: vigi-*

Alias vigiliæ pariunt. Nam, ut aiunt Arabes: *gusta, tibaberis*, id est, gusta laborem, & ipse vocabit te ad appetitum sui. *Accede ad pinguem, & pinguesces.* Vulgò dicitur: *Fatum adiuvat conatum, & tonans conantem. Merces præcepti præceptum*, id est, qui laborat, ut unum præceptum observet, ei Deus quasi præmij loco concedit, ut & alia observare possit. Ita Pythagoras apud Stobæum ser.27. hortabatur suos, *ut optimum vivendi genus sibi deligerent quamvis enim laboriosissimum esset, consuetudine tamen iucundum fore.*

Quinta, quia agricultura à Deo instituta est, & homini demãdata in statu innocentiæ. Genes.2.15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum.* Rursum mox à peccato hanc pœnitentiam Deus homini iniunxit: *In laboribus comedes ex ea* (terra) *cunctis diebus vitæ tuæ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, Genes.3.17. Agricola ergo fuit Adam, Abel, Seth, Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, omnesque Patriarchæ. Vide dicta locis citatis, & Genes. 9.20. Sic Romulus, Remus, Camillus, primique Romani nobiles fuere agricolæ, & à rastris ad arma & sceptra vocati sunt. Unde Cicero lib.1. Offic. *Omnium rerum*, inquit, *ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.* Et: *Agricolæ ita semper vivunt, ut quæstum fecerint nullum; fructum autem eum solum, quem labore pepererint.* Quocirca S. August. hæresi 46. Manichæos ridet quasi stolidos, quòd damnarent agriculturam: *Vinum, ait, non bibunt, dicentes fel esse principum tenebrarum, &c. Herbas atque arbores sic putant vivere, ut vitam, quæ illis inest, & sentire credant, & dolere cùm læduntur: unde agriculturam, quæ omnium artium est innocentissima, tamquam plurium homicidiorum ream dementes accusant.* Denique Alfonsus rex Aragonum, videns senem ebrium dicentem, *vinum esse lac senum. Sed regum*, inquit, *cibus est honos, quem dij immortales non otio, aut luxu: sed improbis laboribus, multisque sudoribus vendunt.* Testis Panorm. libr.1. de Gest. Alfonsi.

Mysticè, rusticatio nostra est cultura animæ, tum propriæ, tum alienæ. Rus enim nostrum nobis à Deo ad excolendum commissum, est anima, iuxta illud S.Pauli 1. Corinth.3.9. *Dei agricultura estis.* Et v.6. *Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit.* Pro hoc rure omnes labores alacriter subeundi sunt, omnesque dolores tolerandi, uti eos subiit & toleravit S. Paulus cæterique Apostoli, ob spem messis amplæ & æternæ in gloria cælesti, iuxta illud psal.125.6. *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Ergo*, inquit S. Ambr. lib.8. in Lucam, c.17. *ita Concertamus & colamus agrum nostrum in istius culturæ munere constituti, ut in illa superiore Ierusalem, ubi legis vera custodia celebratur, habeamus similaginem de manipulis nostris, quos beati qui potuerint congregare, ut venientes veniant in exultatione tollentes manipulos suos.*

NON TE REPUTES (ἐγκαταλογίζου, id est, computes, associes, adiungas, vel computari & annumerari permittas) IN MULTITUDINE INDISCIPLINATORUM] Græcè ἁμαρτωλῶν, id est, *peccatorum*, qui Deum non timent, nec eius vindictam prævident & verentur. At verò tu qui fidelis es & sapis, MEMENTO IRÆ, (vindictæ Dei in peccatores:) QUONIAM NON TARDABIT] Vatabl. *non te adiungas multitudini scelerosorum: sed vindictam moram non esse facturam memineris.* Syrus priorem partem aliter vertit; sic enim habet, *ne ames animam tuam* (te ipsum) *præ homine, qui est tecum: recordare, quoniam furor non transit.* Hoc accipe cum grano salis, nimirum, q.d. Ne ita ames te, ut proximum præ te despicias, spolies, opprimas; alioqui enim ordo charitatis poscit, ut magis nos quàm alios diligamus. Unde sequitur. Vers. 17. Vers. 18.

HUMILIA VALDE SPIRITUM TUUM, QUONIAM VINDICATA CARNIS IMPII, IGNIS ET VERMIS] Explicat iram Dei, quam v. præced. dixit non tardaturam, per ignem & vermem, ut eius consideratione & metu humiliemus nos, & fugiamus superbiam, cui hic ignis & vermis à Deo parati sunt. Unde Græca hæc traiiciunt, sicque ordinant, *Humilia valdè animam tuam. Memento, quoniam ira non tardabit, quoniam vindicta impii ignis & vermis.* S. Ephrem tract. de Timore Dei, sic legit, *Ne superbias, neque dilateris: sed te ipsum humilia: ultio quippe impiorum ignis & vermis.* Sed paraphrasticè, ut videtur, quædam explicationis causa addit & interserit. Syrus rursum aliò abit: *Multùm multùm humilia spiritum tuum, quoniam finis omnium hominum in altum fit.* q.d. Quia finis hominum est altus, putà, gloria cœlestis, ad quam ducit humilitas, utpote, quæ sola exaltat. Præclarè S. Bernard. de Interiori domo, c.28. *Qui sibi displicet*, ait, *Deo placet. & qui sibi vilis est, Deo charus est*, Arabicus, *humilia animam tuam valdè valdè, quoniam ultimum esse hominum in pulverem & corruptionem.* Vers. 19.

Valdè humiliandum Nota, τὸ *valdè*: q.d. Humilia & deprime te sub Deo & Angelis, sub hominibus, sub omnibus creaturis usque in infernum

sicut P. Franciscus Borgia ponebat se ad pedes Judæ proditoris, imò sub Lucifero & dæmonibus; quia pluries graviùs & diutiùs peccasti illis: unicum enim peccatum mortale est summum malum, quod in orbe esse aut fingi potest: ipsum ergo est summa vilitas evertenda in gehennam, ut ibi puniatur igne & verme, præsertim peccatum superbiæ. Humilia te ergo, & te vermem agnosce, ac dic cum Christo: *Vermis sum ego, & non homo,* ut vermes gehennæ evadas. Unde S. Bernard. in Formula vitæ honestæ. *Ista tria,* inquit, *habe semper in mente: Quid fuisti, quid es, & quid eris? Quid fuisti, quia sperma fœtidum. Quid es, quia vas stercorum. Quid eris, quia esca vermium. Similiter imagineris eorum pœnas, qui sunt in inferno, & quòd numquam finiantur, & pro quàm modica delectatione tanta mala patiuntur.*

S. Vincentius Ferrerius sui ævi Apostolus tract. de Vita spiritali, simpliciter, sed piè & nervosè ita scribit & præscribit: *Qui vult fugere laqueos & tentationes diaboli, sentiat de seipso sicut de uno corpore mortuo, pleno vermibus & male olenti, & sicut de uno cadavere, quod dedignatur videre & intueri, imò super quod claudit nares propter eius pessimum odorem & fœtorem, & à quo avertit faciem, ut non videat talem & talem abominationem. Sic oportet, charissime, facere semper mihi & tibi; sed plus mihi, quia tota vita mea fœtida est, totus fœtidus sum, & corpus meum & anima mea, & omnia, quæ intra me sunt, fæce & putredine peccatorum & iniquitatum fœtidissima & abominabilissima sunt; & quod deterius est, quotidie hunc fœtorem in me sentio recentiùs & angustiùs revocari.* Et inferiùs: *Et sicut sibi & Deo fœtere se credit & sentit: sic etiam credat & sentiat, quòd non solùm coram Angelis & sanctis animabus, sed etiam coram omnibus hominibus viventibus sit abominabilis & fœtidus: & quia facta & dicta sua non solùm homines videre & audire dedignantur; sed quòd nares suas claudant & avertant facies suas, ne ipsum videant; & tamquam fœtidum cadaver de medio eorum expellant, & sit ab eis alienatus & separatus & proiectus, sicut plus quàm leprosus, usquequò veniat & reveniat ad seipsum. Et si quis de eo iustitiam faceret, & de corpore suo sentiat quod iustum est, & ita credat, etiamsi sibi oculi eruerentur, nasus truncaretur, manus abscinderentur, & aures, & os, & sic de aliis sensibus corporalibus & membris; quia cum his omnibus Deum offendit, & creatorem. Item, quòd despici desideres & contemni, & quòd omnia vituperia, verecundias, diffamationes, iniurias, blasphemias, & cætera adversa summo cum gaudio & lætitia recipiat, & patienter ferat. Et oportet quòd diffidas de teipso totaliter, & de omnibus bonis tuis, & de tota vita tua, & cõvertas te totū, & reclines super brachia Jesu Christi pauperrimi & vilissimi, & improperati, despecti & mortui propter te, usquequò tu sis mortuus in omnibus sentimentis tuis humanis, & Iesus Christus crucifixus vivat in corde tuo, & in tua anima, & totus trãsformatus & transfiguratus cordialiter sit in te: ut numquam videas, nec sentias, nec audias, nisi ipsum solum stantem in cruce propter te mortuum & suspensum; ad exemplum Virginis Mariæ, mortuus in mundo, & vivens in fide.* Et post nonnulla: *Debes etiam circa seipsum exerceri alio septiformi affectu.* Primò, *scilicet, quòd totus de suis vitiis & defectibus confundatur.* Secundò, *ut peccata sua tamquam offensiva, & sui ipsius maculativa acutissimo & acerbissimo dolore plangas & deplores.* Tertiò, *humiliatione sui & conculcatione cum contemptu, ut, scilicet totis viribus se sicut rem vilissimam & fœtidissimam spernat, & cõtemni appetat, ut dictum est.* Quartò, *rigore severissimo, ut, scilicet, corpus suum asperrimè maceret, & macerari appetat, tamq; peccato fœtidum, imò tamquam latrinam & sentinam & tumulum omnium fœditatum.* Quintò, *ira implacabili contra omnia vitia sua, & contra radices & inclinationes vitiorum suorum.* Sextò, *vigore pervigili & strenuo, ut, scilicet, omnes sensus, actus, potentias suas semper cum quadam virilissima strenuitate, in omne bonum teneat pervigiles & attentos.* Septimò, *discretione perfectæ modestiæ, seu moderantia, ut, scilicet, in omnibus districtissimè servet mensuram & modum; videlicet, inter nimium, & non satis; ut, scilicet, nihil sit in eo superfluum, nihil diminutum, aut defectivum, nec plus quàm debeat, aut minus quàm deceat.*

Secundò, τὸ *valdè*, ait Dion. significat multas nos habere ad humiliandum rationes & stimulos. Prima, est consideratio peccatorum commissorum. Secunda, fragilitas propria. Tertia, naturæ imperfectio: homo enim in serie creaturarum rationalium est infimus, nec eo inferior creari potest, uti nõnulli cẽsent. Quarta, sordes & putredines corporis. Quinta, comparatio cũ Sanctis & Beatis. Sexta, quia nihil habet ex se, nec suum. Septima, consideratio judicii divini. Octava, consideratio divinæ majestatis. Nona, vindicta superbiæ quam Siracides hic assignat ignem & vermem, idq; appositè. Nam, ut ait Plin. l. 11. c. 33. *Vermes in ligno nascuntur, ubicumq; humor est nimius, & lignum corrodunt.* Addit c. 37. *nulli vermiũ generi, oculos esse.* Ita superbus oculos nõ habet, quibus se suamq; miseriam cognoscat; sed instar Tiresiæ cæcus, putat se esse quod nõ est: quia nimio philautiæ humore, & quasi hydrope oppletus est. sed hæc superbia eum corrodet & perdet.

Gradus humilitatis duodecim.

Tertiò, τὸ *valdè*, significat varios esse gradus & actus humilitatis, per quos sensum humilem descendere oportet, ut in humilitate crescat. Gradus hos assignat S. Benedictus in Regula: Primus, inquit, timor Domini; Secundus, resignatio: Tertius, obedientia: Quartus, obedientia etiam in arduis; Quintus, mala & alia quævis aperire Superiori, Sextus, ad omnia se indignum æstimare; Septimus omnibus se inferiorem ex animo existimare: Octavus, communia servare, non esse singularem: Nonus tacere, donec rogetur; Decimus, non esse ad risum promptum; Undecimus, pauca & rationabilia modestè loqui; Duodecimus, corde & corpore præ se ferre humilitatem.

Actus novem. Primò.

Porrò actus humilitatis hoc ordine accipe. Actus primus, vilipensio sui. Secundus, putare se ineptum ad omnia. Tertius, nolle æstimari. Quartus, vilem velle se haberi. Quintus, dolere magni fieri. Sextus aliis se conferendo inferiorem reputare. Septimus, resignare se totum. Octavus, subiicere se hominibus omnibus propter Deum. Nonus, amplecti quod humilius est.

Secundò.

Accipe aliam eorum seriem. Primò, nihil dicere unde laudem consequatur. Secundò, non gaudere cùm laudatur. Tertiò, non facere quidquam ob respectũ humanũ. Quartò, non se excusare. B Quintò, vanas cogitationes procul pellere. Sextò, omnes sibi ducere superiores. Septimò, benè accipere humilitatis occasiones.

Signa decem.

Porrò Cassianus signa humilitatis assignat. Primò, mortificatum esse; Secundò, aperire omnia Superiori: Tertiò, omnia ex eius arbitrio facere; Quartò, obedientia in omnibus & mansuetudo: Quintò, non inferre malum, & illatum pati; Sextò, nihil agere sine exemplo, aut regula: Septimò, omni vilitate contentum esse, & inutilem operarium se existimare: Octavò, se ex corde putare omnibus inferiorem; Nonò, cohibere linguam & modestè loqui; Decimò, non facilè ridere. Item hæc. Primò, nolle laudari; Secundò, simplicem esse in moribus: Tertiò, bona de se dicta non agnoscere, aut ne ea perdat, quia cognita, timere: Quartò minùs putare de se, quàm dicatur: Quintò, in proximo videre, quòd plus habeat sese: Sextò accusare se: Septimò, non excusare, & correctionem admittere libenti animò: Octavò, nescire virtutes suas: Nonò, humana contemnere; Decimò, pro persequentibus orare, & iis benefacere.

QUONIAM VINDICTA CARNIS IMPII, IGNIS ET VERMIS] Tigurina, *quoniam ignis & vermis supplicia sunt carnis impij.* q. d. Quia impij superbè & delicatè carnem suam vestiunt, enutriunt, exaltant, hinc punietur illa igne & verme. Hu- C militati iungit carnem & carnis pęnas, ignem & vermem, minatur: q. d. Nisi te humilies, sed superbire velis, iusto Dei iudicio incides in libidinem & vitia carnis: humiliato enim spiritu humiliatur & caro, superbiente verò spiritu, superbit lascivitque & caro: ac proindè Cassian. S. Greg. & alii optimum remedium castitatis assignant humilitatem. Siracidi succinit R. Levitat in *Pirke avoth. c. 4. Curvo admodum,* inquit, *& demisso spiritu ambules: exspectatio enim omnis hominis, vermes.*

Jam triplex est hìc sententia. Primò quidam sicut vermem, ita & ignem non proprium, sed metaphoricum accipiunt. Secundò, alii accipiunt ignem proprium, sed vermem metaphoricum, putà, remorsum conscientiæ. Tertiò, alii aptissimè, tam vermem, quàm ignem proprium & realem intelligunt.

An ignis inferni corporeus. Negat Origen. & alii.

Quæritur ergo primò, an ignis inferni, quo cruciantur dæmones & damnati, sit verus & corporeus; an verò figuratus & spiritalis? Figuratum & spiritalem esse censet Origenes homil. 13. in Exod. ubi ait, ignem gehennæ ab igne nostro natura ipsa differre; urendi tamen vi præditum esse. Et lib. 2. Periarch. c. 11. ignem hunc à sceleribus ipsis in animis impiorum excitari asserit, perinde ac febris ab humorum copia & pugna in corporibus humanis excitatur. Et homil. 9. de diversis in Matth. locis (licet D nonnulli negent eam esse Origenis) docet ignem hunc æquè ac vermem esse metaphoricum. Accedit S. Hier. in c. 66. Isaiæ; *ignis,* inquit, *qui non extinguitur, à plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torquet in suppliciis constitutos.* Quod avidè arripit sequiturque Calvinus, dum ait, damnatos in inferno non alio igne aut pęna torqueri, quàm quòd apprehendant Deum sibi ob scelera esse iratum & offensum; hæc enim apprehensio, inquit, cruciat eos instar ignis. Verùm aliud est ignis & combustio, aliud apprehensio & imaginatio. Disertè verò S. Ambr. lib. 7. in Lucam, c. 14. *Ergo,* inquit, *nec corporalium stridor aliquis dentium, neq; ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium neq; vermis est corporalis; sed hæc ideò, quia sicut ex multa cruditate & febres nascuntur & vermes: ita si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interposita sobrietate abstinentiæ, sed miscendo peccata peccatis, tamquam cruditatem quamdam contrahat veterum, & recentium delictorum, igne aduretur proprio, & suis vermibus consumetur.* Paucis autem interiectis; *Ignis est,* ait, *quem generat*

mœsti-

mæstitia delictorum: vermis est, eò quòd irrationabilia animæ peccata mentem rei sensumq; compungunt, & quadam exedunt viscera conscientiæ. Nec magnopere ab hac sententia abhorrere videtur S. August. 21. de Civit. c. 10 Cùm enim de historia divitis Epulonis ageret: *Convenienter*, inquit, *responderi posset, talem fuisse illam flammam, quales oculi quos levavit, & quibus Lazarum vidit; qualis lingua, cui humorem exiguum desideravit infundi; qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri postulavit: ubi tamen erant sine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis & illa flamma, qua exarsit, & illa guttula, quam poposcit, qualia etiam sunt visa dormientium, sive in ecstasi cernentium res incorporales, habentes tamen similitudinem corporum.* Gregorius autem lib. 15. Moral. cap. 14. aliàs 17. *At contrà*, inquit, *gehennæ ignis, cùm sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore non caret.* Denique Damascenus lib 4. de fide c. ultim. *Traduntur*, ait, *peccatores in ignem æternum, non materialem, qualis est apud nos: sed qualem novit Deus.* Denique Nyssenus lib. de Anima & resurrect. ignem hunc accipit mysticum & metaphoricum ut non sit aliud quàm dolor amissæ beatitudinis: *Privatio*, inquit, *eorum quæ bona videntur, flamma animam perurens existit, guttam aliquam ex pelago bonorum, quibus Sancti affluunt & abundant, & consolationem desiderans, & non adipiscens.*

Afferri possunt & rationes. Prima, quia ignis hic agit in dæmones incorporeos: ergo incorporeus & ipse sit oportet: nec enim corpus agere potest in spiritum. Secunda, quia Græci in Concil. Florent. censuerunt in Purgatorio non esse ignem verum, quo purgentur animæ; nec tamen eos reprehenderunt Latini. Ergo idem dicendum est de igne inferni: passim enim Theologi censent, eumdem esse ignem Purgatorii & inferni.

Ratio prima. *Secunda.*

Verùm dico, certum est in inferno verum & corporeum esse ignem, quo cruciantur tam dæmones, quàm animæ & corpora damnatorum. Id probatur Primò, ex Scriptura, quæ ubique docet, damnatos in inferno puniri igne. Disertè Christus Matth. 25. 41. *Discedite à me*, inquit, *maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Isajas c. 30. 33. *Præparata est ab heri Topheth, à rege præparata, profunda & dilatata: nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Et c. 33. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Marcus c. 9. 44. *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* S. Joannes in Apocalyps. crebrò docet, impios in gehenna igne torqueri, ut c. 19. 20. *Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.* Cap. 20. 15. *Qui non inventus est in libro scriptus, missus est in stagnum ignis.* Idem dicit c. 21. 8. Similia passim habet S. Paulus, S. Petrus, cæterique Apostoli. Verba autem S. Scripturæ propriè, ut sonant, accipienda sunt, non figuratè, nisi quæ necessitas cogat, quæ hic nulla apparet. Denique hic ignis erit vindicta carnis impii; ergo corporeus, ut in carnem agat, sit oportet.

Affirmant cæteri. *Probatur Primò.*

Secundò, quia damnatos in inferno igne cruciari, communis est Ecclesiæ & fidelium sensus, qui ignem gehennæ à Scriptura inculcatum verum & proprium intelligunt, non metaphoricum.

Secundò.

Tertiò, quia idem est sensus Patrum Græcorum & Latinorum. S. Cypr. de Laude martyrii: *Gehenna*, inquit, *magno plangentium murmure & gemitu, crucianlibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem, sæva semper incendia camini fumantis expirat.* Clemens Alex. lib. 5. Strom. ait impios puniri *ἐκπυρώσει*, id est, exustione & inflammatione. Idem asserit S. Justin. Adhort. ad Gentes. Nazian. verò orat. in S. lavacr. ignem gehennæ confert cum igne Sodomæ. S. Chrys. homil. 44. & 55. in Matth. & homil. de præmiis Sanct. *In ignis*, ait, *fluvium atq; pelagus intendentur, pelagus impertransibile, atque magnitudine acerbissimum; in quo ignei fluctus montium instar eriguntur.* Idem homil. 13. in epist. ad Rom. & homil 4. in epist. ad Ephes. *Expendito vitæ alterius mala quæ sint futura, regni cælorum privationem, à gehenna iniustum dolorem, vincula perpetua, exteriores tenebras, vermem venenatum, dentium fremitum, pressuram loci angustam, igneos fluvios, fornaces numquam restinguendas.* S. Basil. in psal 28. *Ignem illum*, ait, *vim urendi retinere, luce tamen destitui.* Idem docet S. Hier. in c. 10. S. Matth. Isid. li. de Summo bono, c. 21. ac disertè S. Aug. li. 21. de Civit. 10. de Fide & oper. c. 15. & sæpè alibi. Ac S. Greg. li. 4 Dial. c. 29. ubi disputat, qua ratione ignis gehennæ cùm sit corporeus, in animas & dæmones, qui sunt incorporei, agere possit.

Tertiò.

Quartò, idem uno ore docent DD. Scholastici in 4. dist. 44. & 49. & 1. p. qu. 64. ar. 3. & 4.

Quartò.

Denique nisi ignis hic statuatur corporeus, difficillimum est concipere & explicare quid ignis gehennæ nomine intelligendū sit, & quis sit ignis ille spiritalis & metaphoricus.

Quintò.

Argumenta contrariæ ad sententiæ Resp. Origenes licet excusari possit eo modo, quo cæteri, tamen de eo nō multùm laboro; tum, quia plures alios habuit errores; tum, quia symbolicus esse solet S. Script. interpres, ideoq; teste S. Hier. malè audivit, quasi qui sensum literalem destrueret, ut suos conceptus symbolicos stabiliret. S. Hier. loquitur ex sententia Origenis & similium, non ex sua, ut patet verba citata intuenti. Ambr & Damasc. dicunt, ignem inferni non esse materialem & corporeum, non absolutè; sed respectu nostri ignis: quia, scilicet, nostro longè est subtilior, acrior, ardentior & penetrantior. Rursus, quia modus agendi ipsius non est corporeus, sed spiritalis & divinus. Agit enim ille ignis quasi instrumentum potentiæ divinæ in ipsos spiritus, putà, in dæmones & animas. Sic subinde Patres dicunt, Angelos esse corporeos, non in se, sed si cum Deo, qui purissimus & celsissimus est spiritus, conferantur. Tantum enim distant à puritate Dei, quantum corpora à puritate Angelorum, & longè ampliùs. Denique dicitur ignis non esse materialis, quia non eget assidua nova materia, qua alatur, nec consumit corpora, quæ urit, uti facit noster, nec lucet, nec extingui potest. Ita Damascenum interpretantur Clichtovæus, & S. Thom. in 4. d. 44. qu. 3. ar 2. ad 1.

Resp. ad Patres negantes.

In S. Greg. pro *gehennæ ignis, cùm sit incorporeus*, corrigendum est, *cùm sit corporeus*: sequitur enim, *& in se missos reprobos corporaliter exurat*, uti rectè advertit Bellar. li. 2. de Purgat. c. 11. opponit enim ignem gehennæ igni nostro, in eo quòd noster, cùm corporeus sit, debeat assiduè foveri novis fomentis appositis: ille verò licet pariter corporeus sit, non debeat foveri, sed semel ab initio conditus duret inextinguibilis. Nam li. 4. Dial. c. 29. expressè docet, ignem gehennæ esse corporeum. S. Aug. loco allegato non loquitur de igne damnatorum in gehenna, sed tantùm de historia Epulonis Lucæ 16. aitque illam, velut visionem parabolicè enarrari, eò quòd nominet digitum, linguam, guttam, &c. quibus carebat anima Epulonis & Lazari: ac consequenter ignem, qui ibidem nominatur, non fuisse realem, sed imaginarium, qualis in visione Prophetis exhibetur, eò quòd lingua Epulonis dicatur hoc igne cruciari. Cùm ergo constet Epulonem post mortem non habuisse linguam; sequitur pariter reali igne linguam eius non potuisse comburi. Quare hæc linguæ ejus per ignem ustio, symbolicè & parabolicè explicanda est. Nam alioqui S. Aug. ib. & locis paulò antè citatis disertè asserit, ignem gehennæ esse corporeum. Ilicò enim post verba allegata subdit: *At verò in gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit.* Idem non aliud velle videtur Nyssenus: agit enim de historia & igne Epulonis, quam cum S. Aug. parabolicè accipiendam censet: *Quos enim oculos*, inquit, *in inferno attollit dives ille, qui carneos oculos in sepulcro reliquerat? quo pacto item flammam sentit* (in lingua) *quod incorporeum est? quam verò linguam refrigerari per guttam cupiebat, cùm ei carnea lingua non adesset? qui autem ille digitus, qui perferret ei guttam? ipse etiam sinus requietis, quis?*

Ad primam rationem Resp. ignem hunc agere in spiritus non naturaliter, sed supernaturaliter quasi instrumentum omnipotentiæ Dei. *Cur enim*, ait S. Aug. li 21 c. 10. *non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?*

Ad primā rationem.

Ad secundam: Certius est ignem gehennæ esse verum ignem, quàm ignem Purgatorii, ob rationes jam dictas. Rursum, certum est, ignem Purgatorii esse verum ignem, uti censet Ecclesia Latina. Noluerunt tamen Latini cum Græcis in Concilio Florent. hac de re contendere; quia idipsum non est de fide: sufficiebat Latinis, quòd Græci confiterentur. Purgatorium esse, in eoque animas puniri & purgari. Habebant enim alia maioris momenti ad fidem spectantia cum Græcis tractanda, iisque persuadenda. Quocirca sessione ultima definitur Purgatorium esse, nulla ignis mentione habita.

Ad secundam.

Moraliter disce hic quàm atrox sit pœna damnatorum,

A scilicet, incendium, ac incendium infernale & æternum, idque justè & meritò. Si ergo quæras, cur Deus damnatos cruciat igne potiùs quàm alio supplicio. Resp. Primò, quia pœna ignis optimè respondet & congruit igni concupiscentiæ, quo arserunt, & cui indulserunt in hac vita peccatores, idque significat τὸ *vindicta carnis*: in carne enim residet stimulus concupiscentiæ. Unde S. Paulus Galat. 5. v. 17. 19. & alibi, vitia & opera carnis vocat vitia & opera concupiscentiæ. Memorabilis ac horribilis est S. Rhemigii, Rhemensis Episcopi, de carnis & libidinis vitio sententia: *Demptis parvulis*, inquit, *ex adultis propter carnis vitium, pauci salvantur*. Si ergo totus penè mundus hoc avernali igne ardet, quid mirum, si & igne crucietur in gehenna? *Quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, Sapient. 11. 17.

Cur damnati cruciantur igne? Respondet Primò.

Secundò. Secundò, quia ignis acerrimus est, & maximam habet agendi & affligendi vim in corpora, & per corpora in animas ea informantes. Rursum, magna est analogia & vicinitas animæ cum igne: inter elementa enim & corpora maximè spiritalis est ignis, unde ad animam proximè accedit: hinc & Hebr. איש *isch*, id est, vir animatus, dicitur quasi אש *esch*, id est, ignis, ait Euseb. libr. 11. de Præpar. c. 2.

B

Tertiò. Tertiò, appositè superbia spirituum, putà dæmonum & animarum, punitur corpore, scilicet, igne, ut qui supra Deum se extollere voluerunt, corporeo igni quasi tortori subjiciantur. Hoc est, quod ait hic Siracides: *Humilia valdè spiritum tuum, quia vindicta carnis impii, ignis & vermis*. Hanc spirituum superborum humiliationem repræsentat ipse ignis: nam, cùm natura sua postulet esse in alto summoque orbis loco, ad puniendam dæmonum hominumque superbiam, deprimitur in imum inferni centrum: & sicut ipse violenter ibi detinetur, ita & spiritus quos punit.

Quartò. Quartò, ignis gehennæ cùm sit incorruptibilis, aptum est symbolum & instrumentum punitionis damnatorum, utpote quæ æterna est, & in æternum durabit. Rursum ignis hic symbolum est cæli empyrei, ex quo corruerunt dæmones: empyreum enim à πυρ, id est igne, dicitur, quasi igneum, quia splendidum ut ignis; sed sine calore & ardore, qui est in igne inferni: quocirca in empyreo intercisam esse flammam ignis, ait S. Basil. in psal. 28. Ignis ergo refricat dæmonibus cælum empyreum, ex quo exciderunt, itaque eos torquet, dum empyreum in ignem inferni sibi commutatum vident.

C

Quintò. Quintò, ignis omnium optimè exprimit ardorem furoris divini in damnatos. Porrò sicut naturaliter sentimus in anima dolorem, dum corpus igne cruciatur; hic enim cruciatus à corpore transit in animam illi cohærentem, eamque informantem: ita supernaturaliter Deus vi divina, per ignem efficit in anima separata talem dolorem & cruciatum, qualis naturaliter in anima corpori conjuncta ob sympathiam mutuam existit.

Ignis gehennæ sulphureus. Denique ignem gehennæ esse sulphureum liquet psal. 10. *Pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur*, &c. Isaiæ 30. *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam*. Idem docet S. Joannes Apocal. 14. 10. & 11. Idem confirmatur ex eo, quòd Sodoma & finitimæ civitates igne sulphureo sint subversæ, Genes. 19. de quibus ait S. Judas, quòd *ignis æterni pœnam sustinentes, factæ sint exemplum* orbi, manifestè indicans, ignem sulphureum esse æternum: loquitur enim de pœnâ, quæ toti mundo fuit conspicua, quæ æterna non fuit: sed ignis sulphureus, cujus pœnam ipsi sustinebant, æternus est, quamvis non idem numero.

D

Est enim sulphur aptissimum punitioni impiorum, tum propter vim igneam, qua facilè & vehementer exardescit; tum propter odoris tetri acrimoniam, quæ fœtori peccatorum congruit; tum, quia suffitui in expiationibus domorum sulphur adhiberi solet, ut inquit Plinius lib. 35. cap. 15. Inquinarunt peccatores domos suas, nempe, animam & carnem suam peccando, dum viverent. unde conveniens est, ut Deus igne sulphureo hasce domos, quantum fas est, expiet & quodammodo sanctificet: supplicium enim peccatorum est genus quoddam expiationis & purgationis. Hujus quoque rei signum est, quòd infinita vis sulphuris, partim semper ardentis, partim non ardentis, sub terra lateat, ut ex thermis & montibus ardentibus, qui plurimi sunt per orbem, manifestum est: nam & thermæ sulphur olent, & ignes montium sulphurei sunt. Ipsa quoque fulmina, quæ iræ divinæ sunt symbola, igne sulphureo constant, & sulphur olent. Ita noster Lessius de Attributis divin. in Justitia.

Ignis gehennæ est maxima pœnarum, quinque de causis. Sicut ergo peccatum mortale, v. g. libido, ebrietas, superbia est summum malorum in ratione culpæ & offensæ Dei, ita ignis gehennæ summum est malorum in ratione pœnæ & vindictæ. idque Primò, quia ignis hic est sulphureus & infernalis. Secundò, quia idem est ardentissimus, acerrimus & efficacissimus. Tertiò, quia non tantùm corpora, sed & animas immediatè urit: in hac enim vita vis ignis in animam refringitur per corpus, ut non nisi refracta & quasi dimidiata ad animam perveniat: in gehenna verò ignis intimè uret ipsas animas & dæmones in seipsis: anima autem sensibilior est corpore; imò tota vis sentiendi oritur & residet in anima. Quartò, quia ignis gehennæ non lucet, sed est mera caligo; unde non solùm suo ardore, sed & sua caligine ac fumo, & fœtore sulphureo cruciabit damnatos. Quintò, quia ignis hic est æternus, ut extingui, imò minui non possit. *Hæc recordare*, ait S. August. serm. 181. de Temp. cap. 18. *& ignem illum gehennæ, his quæ te nunc exagitant, flammis libidinis & cupiditatis oppone. Ignis hic, qui in præsenti est vita, absumit cuncta, quæ recipit; ille verò, quos susceperit, semper cruciat, & pœna sua semper integros servat. Propterea enim & inextinguibilis dicitur, non solùm quia ipse non extinguitur; sed, quia nec eos quos susceperit, extinguet aut perimet. Hujus autem pœnæ & ignis illius potentiam nulla vox exponere, nullus poterit sermo explicare*, &c. Ubi *fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum*, Apocal. 14. 11.

Heu miseri stolidique mortales, qui modica carnis voluptate infatuati, quasi ebrii & amentes, Dei cælique immemores, æternitatis obliti, velut per jocum vos mergitis in omnium ærumnarum barathrum, in immensum æternitatis oceanum, in æternantia gehennæ incendia! Quid est, ò Deus immortalis, æternitas ignium, æternùm in flammis vivere? O verè momentum, quod delectat; æternum, quod cruciat! O vesania hominum omni insania insanior, qui exiguo carnis gaudio arcessunt sibi æternos ignes! O æternitas rogi sulphurantis! ò æternitas tartarea in flammis ignitissima, in desperatione perenni desperatissima! ò mortem vitalem, & vitam mortiferam! ò omnium tormentorum atrocissimum tormentum æternitas! Momento bibitur, luditur, fornicatur; momento transit voluptas, succedit illicò æterna calamitas. Sic ridendo itur in perennia ignium, cursu perenni æternitatis, sæcula. Itur, at non reditur: nam finis est exordium, exordiumque finis. O finis sine fine! ò mors sine morte! Cùm claudit orbem temporum, orditur orbis perennis suum orbem: Æternitas, inquam, post omne tempus semper quasi rediviva, suum orditur perennitatis orbem. Cogitabat hæc assiduè Reverendissimus D. Godefridus, nuper Bambergensis & Herbipolensis Episcopus, cujus pro alloquio Herbipoli fruitus sum, qui assiduè æternitatem mente versans, dicere solebat: *Omni momento sto ad ostium æternitatis*. Idem dicito tibi, ò Lector, cùm te caro vel dæmon ad illicita sollicitat: Si id fecero, luam æternis ignibus: sto ad ostium æternitatis, absit ergo, ut id faciam: absit, ut tam insanus sim. ego tanti pœnitere, & æternùm pœnitere non emo. Injice digitum in ignem, vel flammam candelæ, & si illum tolerare nequis ad horam, quomodo tolerabis æternos sulphurantis gehennæ globos?

An vermes veri in inferno? Negant aliqui. Quæritur secundò, an in gehenna sint veri vermes, an metaphorici duntaxat; Multi censent tantùm esse metaphoricos, putà, remorsus & angores conscientiæ oblatrantis, jugiterque damnato objectantis: Cur fornicatus es? cur te inebriasti? cur non prævidisti hæc tormenta? cur tam vili esca prodegisti Deum, cælum, felicitatem? cur tam brevi & exili voluptate accersivisti tibi hæc æterna gehennæ incendia? quàm facilè ea vitasses, si hæc sæpiùs cogitasses? Nunc tuam stultitiam, tuam vesaniam lues, & planges æterna, sed sera & inutili pœnitentia. Actum est, perii, damnatus sum, æternum ardebo. O me infelicem! ò me vesanum! ò me creaturarum omnium miserrimum & desperatissimum! Ita vermem hunc pro dolore & mœrore, qui quasi vermis oritur ex putredine peccati, accipiunt S. Ambros. lib. 7.

in Lucam, c. 14. cujus verba paulò ante recitavi, S. Hieron. in c. 66. Isaiæ, S. Thom. in 4. dist. 50. quæst. 2. art. 3. ad 1. & 2. ibique Dominicus Soto, & alij multi, ac noster Lessius de Attributis divin. lib. 13. c. 24. num. 159.

Afferunt alii.

Verùm S. August. 21. Civit. c. 9. & 10. S. Basil. in ps. 33. Prosper lib. 3. de vita contempl. c. 12. S. Anselm. in Elucidario, S. Chrysost. Theophyl. Cyrill. Hugo Victor. & alii, quos citavi Isaiæ 66. 23. censent hunc vermem esse proprium, literalem & realem. Probatur Primò, quia in gehenna, ignis est proprius, non metaphoricus: ergo & similis est vermis. Secundò, quia hic vermis vocatur *carnis*, quasi carnem arrodens, uti notat S. August. loco citato.

Dices Primò, τὸ *carnis*, non est in Græco. Resp. τὸ *carnis*, est in Latinis omnibus. Olim etiam fuisse in Græco colligitur ex eo, quòd S. August. illud legat; qui tamen S. Hieron. versione, quæ Uulgata est, utpote tum necdum recepta, uti non solet, sed alia vetustiore.

Dices Secundò: Non dicitur *vermis carnis*, sed *vindicta carnis ignis & vermis*, ut sensus sit: q. d. Uindicta operum carnalium, vel vindicta carnis, id est concupiscentiæ, tum corporis, tum animi, cui indulserunt impii, erit ignis & vermis arrodens animam, & consequenter malè etiam afficiens carnem. Aut *vindicta carnis*, id est, animæ olim carni junctæ & deditæ, erit vermis & ignis. Ita S. Thom. loco citato. Verùm hæc non satisfaciunt: dicitur enim *vermis vindicta carnis*, quia carnem ob peccata in ea commissa vindicabit & puniet, æquè ac ignis eamdem carnem puniet & uret, non per animam, sed per se & immediatè. Alioqui enim omisisset τὸ *carnis*, & nude dixisset, *vindicta impii ignis & vermis*: præsertim quia propriè non agit de libidine, quæ est in carne; sed de superbia, quæ est in mente. Ait enim. *Humilia valdè spiritum tuum, quia vindicta carnis impii, ignis & vermis*. Denique idipsum clarè explicatur Judith. c. 16. 21. ubi dicitur: *Dabit ignem & vermem in carnes eorum, ut urantur & sentiant in sempiternum*. Pluribus idipsum confirmavi Isaiæ c. 66. 23.

Tropol. vermis est remorsus conscientiæ.

Tropol. vermis hic est remorsus conscientiæ iam dictus, de quo S. Bernard. lib. 5. de Consider. *Hic est vermis, qui non moritur memoria præteritorum. Non cessat rodere conscientiam, eaque pastus esca utique inconsumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, & mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis. Hæc secunda mors, quæ nunquam peroccidit, sed semper occidit.*

Patheticè S. Ephrem tract. de Abrenuntiatione, & variis inferni pœnis, sub finem tomi 1. hunc vermem, putà luctum & lamenta damnatorum, repræsentat, ubi inter cætera ait: *Tunc amarissimè illacrymantes ciulantesque dicent. O quo pacto in negligentia atque torpore tempus nostrum transegimus? O quomodo illusi sumus? O quomodo divinarum Scripturam audientes irridentesque, nos ipsos irrisimus? Ibi Deus loquebatur nobis per Scripturas, & non attendebamus: hic nos iam clamamus, & ipse suam à nobis faciem avertit. Quid nobis profuerunt fines mundi? Vbi iam qui nos genuit pater? Vbi quæ nos peperit mater? Vbi filii? Vbi amici? Vbi divitiæ? Vbi substantia atque possessiones? Vbi turba? Vbi convivia? Vbi vanii & intempestivi cursus? Vbi reges atque potentes? Quomodo à nullo eorum salvari modò possumus; neque verò nobis ipsi opem ferre. At penitus derelicti sumus, & à Deo & à Sanctis ejus.* Et paulò inferiùs: *Dicendum quid restabit? Valete, iusti universi. Valete, Apostoli, Prophetæ & Martyres. Vale, cœtus Patriarcharum. Vale, Monachorum agmen. Vale, crux pretiosa atque vivifica. Vale, cœlorum regnum omni fine carens. Vale, superna Ierusalem, primitivorum mater. Vale, paradise voluptatis. Vale etiam tu, domina Dei genitrix, mater amatoris hominum Dei. Valete, patres ac matres filii atque filiæ: nullum siquidem vestrum visuri sumus alterà. Postea verò abiturus est unusquisque in præparatum sibi ob pravia sua opera tormentorum locum, ubi vermis eorum non moritur, neque ignis extinguitur.*

Noli prævaricari in amicum pecuniam differentem] Transit congruo ordine à cura sui, ad curam amici, qui est alter ego. Iam Primò, Lyran. sic exponit: q. d. Noli rumpere pristinam amicitiæ tesseram cum amico, si is differat tibi reddere pecuniam commodatam. Nam amicitia multò pretiosior est, quàm pecunia, uti docet Aristot. 8. Ethic. Maius verò bonum non est contemnendum pro minori; sed magis è converso. Sic & Rabanus, Palacius, & alij passim. Verùm hic sensus esto congruat Latinæ versioni, non congruit tamen Græcæ. Græcum enim διάφορον, quod Noster vertit *differentem*, A non significat tardantem, morantem, prorogantem solutionem pecuniæ debitæ, sed longè aliud.

Secundò, Iansenius ex manuscriptis legit: *Noli prævaricari in amicum pecunia differenti*, id est, ob pecuniam differentem, hoc est, ob pecuniam excellentem, aut variam & multam: Græcum enim διάφορον, significat rem præstantem & excellentem. Verùm hic sensus esto congruat Græco; non congruit tamen Latino. Latinè enim *differens* non significat rem præstantem & excellentem, sed aliam & diversam. Adde, lectio eius discrepat à lectione Vulgata Bibliorum impressorum.

Tertiò, alij, uti notatur in margine Glossæ ordinariæ, legunt: *Noli prævaricari in amicum pecunia differentem*, qui, scilicet, in re pecuniaria à te differt & dissidet; sive, quia non tantum habet, quantum tu, sed te est pauperior; sive, quia pecuniam, quam ab eo quasi tibi debitam reposcis, vel gratuitò donari aut commodari efflagitas, negat, vel solvere procrastinat. Verùm omnes penè codices legunt, *pecuniam* (non *pecunia*) *differentem*: cui lectioni sensus iam assignatus non convenit.

Differre pro distrahere.

Quartò ergo & genuinè, τὸ *differentem* hic idem est quod B divertentem, aliò avertentem & distrahentem. Hoc enim propriè est, *differre*, scilicet, in diversas partes ferre, ait Donatus, auferre & aliò transferre, item disturbare. Sic Plautus in Rudent. ait: *Nos cum scapha tempestas dextrovorsum differt*, id est, transfert & distrahit. Tacitus lib. 21. *Castra in plano sita vi fluminis differebantur*, id est, distrahebantur. Uarro de Re rustica lib. 1. c. 4. *Cytisum seritur in terra benè subacta, tamquam semen brassicæ: inde differtur* (id est, transfertur) *& in sesquipedem ponitur*. Terent. in Adelph. *Miseram me, differor* (id est, distrahor) *doloribus*. Plaut. in Cistellar. *Miser exanimor, feror, differor, diripior*. Idem significat Græcum διαφέρω, id est, in diversum fero, abripio, exagito, distraho. Sensus ergo est, q. d. Noli prævaricari in amicum, vt eius amicitiam abrumpas vel violes, hoc nomine, quòd pecuniam, merces & lucra à te avertat & aliò differat, id est, divertat & transferat ad se & suos, vel etiam ad alienos: aut quòd pecuniam tibi iure, vel ex amicitia debitam aliorsum differat, alibique expendat, itaque tibi eam numerare & solvere differat & procrastinet. Quare ex hoc sensu elicitur primùs paulò C antè assignatus. Vide hic quàm noster Interpres sit Latinus, profundus & solers.

Ratio est, quia potest amicus huius suæ translationis iustas, easque varias afferre causas, ut quòd alteri eam promiserit, aut quòd alter sit magis indignus, aut quòd Deo & rebus piis eam dicare cogitet, &c. Sed esto nullam iustam possit prætexere causam, nisi quòd ita ei faciendum videatur, itaque libeat, non tamen idcirco rumpenda tibi est pristina cum eo amicitia, quia hæc omni pecunia est potior. Nam, vt ait Cicero de Amicitia: *Amicus est optima & pulcherrima supellex*. Huic sensui favet Syrus, *ne commutes amicum in* (id est, pro) *pecunia, & fratrem*, qui est tibi (pro) *auro Ophir*. Et Græca, μὴ ἀλλάξῃς φίλον ἕνεκεν διαφόρου κατὰ μηδέν, id est, *ne commutes amicum ob differens secundùm aliquid*, putà quia aliquid à tè differt & divertit alioque avertit.

Pro διάφορον, Complut. Romana & alij legunt contrariè ἀδιάφορον, id est, indifferens. Unde aliqui vertunt, *ne commutes bonum amicum propter indifferens*, id est propter adiaphora, putà, bona fortunæ, quæ media sunt inter D virtutem & vitium, nec bona, nec mala, ideoque parvi facienda: quia sicut eis vti ad virtutem, sic iisdem abuti ad vitium possumus. Unde Tigurina vertit, *ne permutes unquam amicum re vulgari, nec fratrem sincerum auro Ophirio*. q. d. Aurum & pecuniam vt vilia pre amicitia contemne: noli propter ea amicitiam solvere; quia si egeret amicus, dares ei tua: æstima te iam dedisse, vel dare. Hoc est, quod audiemus c. 27. *Perde pecuniam propter fratrem & amicum*. Et Salomon Proverb. 12. *Qui negligit damnum propter amicum, iustus est*.

Neque fratrem (tum natura, putà fratrem germanum; tum amicitia, putà amicum qui est instar fratris) charissimum auro spreveris] putà propter aurum, quod ipse à te postulat, vel à te divertit, aut dare vel solvere differt. Græcè & Syriacè, *ne permutes amicum pro auro Ophir*, id est, pro auro præstantissimo, quale producit regio Ophir, vel, ut Complut. & Romana legunt, *Sophir* ait *Suphir*. Septuag. enim prò *Ophir* vel *Hophir*

Digitized by Google

Hophir, vertunt *Sophir*, 3. Reg. 9. 28. & cap. 10. 11. 1. Paral. 29. 4. quia aspiratio, sæpè vertitur in literam *s*, ut ὗς, sus: ὑπὲρ, super; ὕλη, sylua. Porrò Ophir, vel est Peru, unde aurum Salomonis vocatur aurum Peruim. quasi Peruanorum, 2. Paral. 3. 6. in Hebræo & Græco Septuag. vel, ut Gaspar Varrerius lib. de Ophir, est aurea Chersonesus, aut potiùs omnis ea ora, quæ Peguiis, Malaca & Somatra continetur, unde noster Maffeius lib. 16. histor. Indicæ tradit, Pegusios originem & stirpem ducere à Iudæis exulibus, qui à Salomone damnati ad Ophirinas aurifodinas ea loca primi tenuerint. Aurum Ophir fuit præstantissimum & laudatissimum. Vnde Isidorus censet aurum obrisum dici quasi Ophirisum. Vide quæ de Ophir & Ophas dixi Ierem. 10. 9.

NOLI DISCEDERE A MVLIERE SENSATA ET
Vers. 21. BONA, QVAM SORTITVS ES IN TIMORE DOMINI: GRATIA ENIM UERECVNDIÆ EIUS SUPER AVRVM] Ab amico transit ad uxorem quasi viro coniunctissimam, atque: Sicut amicus non est deserendus, nec auro commutandus; sic nec uxor, in qua quatuor requirit conditiones: Primò, ut sit sensata, id est, cordata & prudens: Secundò, ut sit bona, id est, non vitiosa, nec cervicosa aut maligna, sed bonis & commodis moribus. Tertiò, ut sit verecunda, indeque erga maritum humilis, & erga exteros casta: Quartò, ut habeat timorem Dei: τὸ enim *quam sortitus es in timore Dei*, tam ad uxorem, quàm ad virum pertinet: q. d. Quam timentem Deum ab eo obtinuisti, & ipse timens Deum, merito timoris Dei, iuxta illud cap. 26. *Mulier bona, pars bona, in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis suis*, ut data est Tobiæ Sara, Isaaco Rebecca, Dauid Abigail. Græca hoc loco concisè habent, *ne discedas à muliere sapiente & bona: nam gratia eius super aurum*; Syrus, *ne commutes mulierem bonam & pulchram visu pro margaritis*; Tigurina, *uxore sapiente bonaque caue ne excidas, si quam secundùm religionem Domini nactus es: nam venustas eius præstantior auro est*; vel, ut alii, *eius enim gratia superat aurum*. Olim licebat Iudæis dare uxoribus libellum repudii: monet ergo hic Sapiens; ne eum dent uxoribus, si illas sapientes, bonas & castas nacti sunt. In lege nova sublatum est repudium; certis tamen casibus permissum est thori divortium; sed suadet hic Siracides, ut illud non facilè fiat; imò, si uxor sit sensata & probа, illud facere non licet.

Ratio à priori. Ratio à priori est, quòd mulier sensata sensatè regat filios & familiam, itaque pace bonisque omnibus eam locupletet, ac marito sensata det consilia. Unde Deus dixit Abrahæ: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius*, Genes. 21. 12. Talia dedit S. Cæcilia Valeriano, Clotildis Clodovæo, Monica Patritio, &c. dum eos ad fidem & salutem traduxerunt. Rursum verecundia in uxore magis rubet & rutilat quàm aurum. illius enim rubor est *virtutis tinctura*, ut ita Diogenes apud Laert. atque arx pulchritudinis, æquè ac castitatis, ut ait Demades apud Stobæum serm. 72. Idem Stobæus serm 31. narrat, quòd Pythias Aristotelis filia rogata, quonam colore pulcherrimè genæ pingerentur, responderit, colore verecundiæ. Vnde S. Gregor. Nazianz. orat. advers. mulier. ambit. se ornantes: *Vnus*, ait, *color in mulieribus amabilis est, nimirum, rubor ille quem pudor gignit: qui quidem à pictore nostro* (Christo) *pingitur*. Et S. Ambrosius libro 1. Officior. c. 18. *Pulchra*, ait, *virtus verecundia, & suavis gratia: quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus*. Hic igitur rubor est purpura honestatis. Verecundiæ pariter est, quod scribit Plutarch. in Moral. *Luna*, inquit, *cùm soli coniungitur, tum obscuratur & occultatur; cùm abest, lucet: contrà, proba uxor præsente marito maximè conspici debet, eodem absente maximè condi ac latere.*

NON LÆDAS SERUVM IN UERITATE OPERANTEM,
Vers. 22. NEQVE MERCENARIVM DANTEM ANIMAM SVAM] Ab uxore descendit ad seruum. Pro *non lædas*, Græcè est μὴ κακώσῃς, id est, ne affligas, ne malè tractes, ne malis verbis aut verberibus afficias *seruum in veritate*, id est, verè, fideliter, & ex animo, non fictè & ad oculum pro te *operantem: neque mercenarium dantem animam suam*, id est, qui non parcit sibi & labori, sed omnes animæ suæ corporisque vires operi, à quo conductus est, impendit, ut videatur præ nisu, conatu & sudore subinde efflare animam. In seruo ergo requirit fidelitatem, in mercenario diligentiam. Unde Syrus, *ne affligas seruum, qui seruit* A *in veritate; neque mercenarium, quia laborare facit animam suam* (id est, seipsum;) Tigurina, *ne male tractes famulum operantem fideliter, nec mercenarium se tibi totum impendentem*; Antonius in Melissa serm. 29. legit, *Seruum opus verè facientem ne malè tractato*. Huc facit illud Senecæ lib. 1. de Clementia c. 18. *Servis imperare moderatè, laus est: & in mancipio cogitandum est, non quantum illud impunè pati possit, sed quantum permittat æqui bonique natura, quæ parcere etiam captiuis & pretio partis iubet*. Causam dat S. Paulus Ephes. 6. 9. *Et vos domini*, inquit, *eadem facite illis* (seruis) *remittentes minas: scientes, quia & illorum & vester Dominus est in cælis, & personarum acceptio non est apud eum*. vide ibi dicta. Rationem œconomicam dabat M. Crassus, qui liberaliter servos habebat, imò docebat: *Quia*, inquit, *servi anima sunt rei domesticæ instrumenta*. Idem sensit Aristoteles in Oeconomicis.

SERVUS SENSATUS SIT TIBI DILECTVS QVASI ANIMA TVA: NON DEFRAVDES ILLVM LIBERTATE, Vers. 23.
NEQVE INOPEM DERELINQVAS ILLVM) Græcè, *seruum συνετὸν*, id est, *prudentem, sensatum diligat anima tua, ne defraudes illum libertate*; Syrus, *seruus sapiens*,
B supple, si tibi sit, *dilige eum, ut animam tuam: & ne prohibeas ab eo libertatem*, id est, ne deneges ei libertatem; Arabicus, *ne noceas servo fideliter agenti; neque mercenario laborare facienti*, vel *vexanti animam suam. Dilige seruum sapientem secundùm dilectionem tuam animæ tuæ* (hoc est, prout te ipse diligis) *& ne prohibeas illum libertate*; Antonius in Melissa serm. 23. *Prudentem seruum ex animo diligito*. Duo ergo servo prudenti ab hero præstanda docet Græcus, scilicet, Primum, dilectionem ex animo; Secundum, libertatem: addit Tertium Latinus, ne dimittatur inops, juxta illud Deuter. 15. 13. *Quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum*. Porrò ait: *Non defraudes illum libertate*, quando, scilicet, vel pretio se redimere potest & vult, vel tempus servitutis à lege vel aliunde præscriptum expirat, uti Hebræis indultum erat sex annis tantùm servire, septimo verò anno liberos egredi, Exodi 21. 2. Rursum in iubileo omnes servi debebant liberi dimitti, Levit. 25. 41. Alias servum sensatum libertate donare consilii est, non præcepti: ejus enim prudentia & virtus meretur potius liberè agere quàm servire, po-
C tiùs aliis imperare quàm parere. Secùs est de seruis malis & insensatis: his enim utilior est servitus quàm libertas.

Porrò multi olim servos ob fidelitatem & officia sibi in filios adoptabant: itaque simul eos libertate & hereditate donabant, idque hic innuere & suadere Siracidem censent nonnulli. Ita Plato Dialog. 4. ait Republ. ati adoptione tolli servitutem, & Plutarch. in Politicis suadet libertos adoptari, ut simili adoptionis spe servi heris ad nutum obsequi condiscant. Idcircò etiamnum Turcæ servos sibi obsequentes in filios adoptant: quin & Hispani nonnulli, si filius desit, servum officiosissimum in filium adoptant. Idem factitasse Hebræos insinuat Salomon Proverb. 17. 2. *Seruus sapiens* inquit, *dominabitur filiis stultis, & inter fratres hæreditatem dividet*: sicque putant nonnulli Salomonem adoptasse sibi Jeroboam ob ejus fortitudinem, qui deinde insolentior factus regnum decem tribuum Roboamo eripuit, sibique arrogavit. *P. Catienus Philotimus*, ait Plinius lib. 7. c. 36. *patronum adeo dilexit, ut heres omnibus bonis institutus, in eius rogum se iaceret*. Sic & servi apud Gallos, eadem pyra cum heris cremabantur, teste Cæsare lib.
D 6. belli Gall. unde de iisdem agens Pompon. Mela lib. 3. c. 2. *Erant*, ait, *qui in rogos suorum, velut unà victuri, libenter se immitterent*.

Nota. Sapiens adeò hero commendat servos & ancillas: tum, quia officium heri est, suæ domus & domesticorum peculiarem hebere curam; hoc enim exigit iustitia œconomica & ordo charitatis: tum, quia hoc ipsum redundat in decus & commodum heri: servi enim si ab hero benignè beneque tractentur, ipsi multò studiosiùs servient, ipsique per omnia placere satagent; quin & ejus mores ac virtutes æmulabuntur.

Quocirca ex moribus servi solent æstimari mores heri, ut heri decus, vel dedecus à servis pendeat. Audi S. Hieron. ad Demetriadem: *Mores & studia dominarum plerumque ex ancillarum & comitantium moribus iudicantur*. Et ad Principiam scribit, ex lascivia puellarum comitantium, de dominarum moribus judicari. S. Gregor. Nazianz. *Heri mores ex servo æstimantur.*
in car-

in carmine contra mulieres ornatas, graviter asserit, *ancillas esse imagines cordis dominarum* Sicut enim veris. nuntij sunt hirundines, flos fructus; ita & dominorum servi & ancillæ. Hinc illud proverbium apud Platonem lib. 8. de Republ. *Dominas imitantes catella*. Et illud apud Ciceron. lib. 5. ad Atticum: *Qualis hera, tales & ancillæ*. Et illud Terentij in Eunucho: *Domini similis es*. Causa est duplex. Prior, quòd famulos similes nobis adsciscamus: similis enim similem sibi quærit. Posterior, quòd servi soleant se accommodare moribus heri, eosque imbibere & induere. In eius enim qui sibi præsidet, *velati unici exempli, mores. ij qui sub sunt, se firmant*, ait Livius lib. 1. decade 1. Vnde Euripedes apud Stobæum serm. 60. *Servi*, inquit, *dominorum morbis inficiuntur*. Et Alexis apud eumdem:

Ceterùm ergo vulgus servos similes
Habere videbis mores dominis.

Et Baptista Mantuanus egregiè ad Fulconem:

Cur tibi sint dociles servi sine crimine Fulco;
A simili mores accipiuntur hero:

Cur?

Denique *servus sensatus* & fidus *sit tibi dilectus quasi anima tua*: quia ipse pro te animam ponit in laboribus, & ponet in sanguine, si opus sit. Sic plures servi pro heris ultrò se morti obtulerunt. Mero servus Antonij postulatus hero necem afferre, in se pugionem strinxit. & seipsum pro hero interemit, teste Plutarcho in Antonio. Post cladem Cannensem Romani undecim millia servorum armarunt, qui heris libertatem, Romæ imperium restituerunt, teste Valerio Maximo libr. 7. cap. 6. Plura recenset Seneca lib. 3. de Benefic. cap. 23. & seqq. Onesimus servus Philemonis, conversus à S. Paulo, ab eodem, Philemoni quasi cor & viscera commendatur, ut patet ex epist. ad Philem. Vnde Onesimus Ephesiorum tandem evasit Episcopus, ac gloriosum obiit martyrium.

Mysticè, servus sensatus est corpus iusti: hoc enim corpus sensatum est, quod rationi subest, quod virtuti paret, quod nullo modo divino amori moventi renititur; cui propterea libertas à vitiorum labe, & studiosorum operum opes debentur. Tale igitur corpus licet aut mendicitate prematur, aut doloribus affligatur, aut imbecillitate molestetur, felicitatem huius vitæ non impedit, sed promovet; siquidem perfectæ virtutis instrumentum est. Perfectio quoque divitias virtutum comparat, præsertim quia eius animum à desiderio rerum terrenarum abducit, ut rebus ad usum vitæ necessariis (quæ paucissimæ sunt) contentus, reliqua nec quærat, nec concupiscat. Dives autem est, qui nihil appetit, qui suis contentus iu-

Vers. 24. cundè vivit.

Pecora tibi sunt? attende illis] Græcè, ἐπισκέπτου αὐτά, id est, inspice, intende, visita, cura illa: non credas ea per omnia servis; sed tu ipse ea quandoque visita, an debite à famulis tractentur & alantur: *Oculus enim Domini saginat equum: & si sunt utilia, perseverent apud te*. Sin inutilia sunt, divende, abdica, vel in cibum usumque familiæ occide & macta. Syrus, *iumentum est tibi? experire illud: & si verum* (id est, integrum & undequaque perfectum) *est, posside illud*. A cura servorum descendit ad curam pecorum, quæ pariter hero serviunt: vnde iumenta vocantur à iuvando.

Iumenta curanda tres ob causas. Prima.

Porrò tribus de causis eorum curam commendat. Prima est, quia heri est curare non tantùm se, sed & totam familiam, ad quam pertinent & pecora. Rursum benignitas & beneficentia heri se non tantùm ad homines, sed & pecora extendat oportet: sicut enim vitium sævitiæ est nimio labore obruere iumenta, aut negare eis cibum debitum: sic pariter virtus clementiæ est benignum esse in pecora, eisque de pabulo, adaquatione, ceterisque commodis, statis horis providere, iuxta illud Proverb. 12. 10. *Novit* (Septuag. *miseratur*) *iustus iumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia*. In quæ verba S. Chrysost. homil. 29. in epist. ad Roman. *Sunt enim*, inquit, *Sanctorum animæ vehementer mites, & hominum amantes, non solùm erga suos, sed etiam alienos: Ita ut hanc suam mansuetudinem etiam ad animantia bruta extendant. Idcircò Sapiens dixit: iustus miseretur animarum iumentorum suorum: si ergo iumentorum, multò magis hominum.*

Secunda.

Secunda, quia herus curando pecora curat seipsum, putà res suas, quibus se & familiam alit; quare stolidi & sibi ipsis iniqui sunt heri sævi, qui sua avaritia aut sævitia

A suos equos, boves, asinos ita onerant, ut succumbant; ita verberant, ut lacerent; ita parcè alunt, ut viribus deficiant: hi enim privant se ingenti commodo, quod ex eis perciperent, si ritè eos tractarent.

Tertia.

Tertia, quia inhumanitas & sævitia in pecora signum & principium est sævitiæ in homines. Quocirca ex historiis liquet, eos, qui crudeles fuere in homines, sævos quoque fuisse in bestias. Ita Nero crudelis delectabatur laniena & carnificina animalium, adeoque ipse sua manu sæpè ea iugulabat, hæcque erat eius recreatio & voluptas. Domitianus crudelis, horas plures per diem vacabat captioni & mactationi muscarum: stylo enim aureo eas configebat, ut nullam vivam relinqueret unde proverbium: *Ne musca quidem*. Quocirca Oppianus lib. 2. de Venatione, venationes nimias regibus vetat, causamque dat: *Ne cæde animalium delectati, hominum quoque internecionem cogitent*. Xenophon quoque docet, Cyrum se & Persas per venationem & mactationem animalium, assuefecisse bello & iugulationi hominum. Hac de causa Deus Iudæis iussit humanitatem in bestias: v. g. ne ararent in bove & asino, quia asinus impar est bovi, & plus æquo in eodem cum bove iugo gravatur: ne auferendo nidos avium, caperent matrem simul cum pullis: ne alligarent os bovi trituranti: ut die

Vers. 23.

B septimo, putà, sabbatho, sinerent quiescere iumenta omnia. *Quo facilius*, inquit Tertull. libr. 2. contra Marc. c. 17. *in pecudibus & bestiis præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur*; ut, scilicet, Iudæi duri discerent esse humani in homines, quia à Deo humani cogebantur esse in bestias.

Tropol. Pecora sunt homines rudes & hebetes: q. d. Si habes homines parvi cerebr. & mentis tibi commissos, compatere hebetudini & fragilitati eorum: nec tædeat te eos erudire & formare in doctrina & vita Christiana, etiamsi parum videaris proficere, memor istius:

Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo:
Sic homo fit doctus, non vi, sed sæpè studendo.

Sic legimus S. Isidorum Archiepiscopum Hispalensem, cùm puer esset, adeò hebeti fuisse ingenio, ut nihil caperet: quare de relinquendis studiis cogitans, cùm mœstus iuxta puteum consisteret, intuitus sulcos, quos in lapide duro crebri sitularum attractus effecerant, sic secum ratiocinatus est: Si iteratio & frequentia trahendi potest excavare lapides, utique frequentia studendi poterit polire meum ingenium, esto hebes & durum. Quare

C resumpto animo constanter studiis vacans, vir adeò doctus evasit, ut eo doctiorem illo ævo non viderit Hispania; quin & ei debeat gymnasia, academias, virosque doctos, vtpote qui eius fuere discipuli, vel asseclæ & æmuli. ita habet eius Vita. Id notent & imitentur qui catechizant & docent rusticos, Indos, Caphres, mancipia, quibus natura dimidium mentis dumtaxat dedisse videtur, ait Aristot.

Symbolicè, peccora sunt animales hominis appetitus, sensus & sensationes. in his enim convenimus cum pecoribus, sumusque animalia, & vivimus animaliter. His invigilandum est, ut sint utilia, & subserviant rationi ac menti, quasi suo hero & domino: cui si reluctentur & rebellent, abdicanda sunt, & mortificanda, iuxta illud: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, Rom. 8. 13.

Filii tibi sunt? erudi; Græcè, παίδευε, id est, instrue, castiga, forma, illos, et curua, doma, illos a pueritia illorum] Syrus, *filios habes, erudi* (vel *corripe*) *illos, & accipe illis uxores in adolescentia eorum*, ne discurrant ad scorta. Vox *erudi*, spectat propriè ad intellectum: vox *curva*, ad affectum: vterque enim dirigendus & formandus est in pueris & iuvenibus, ne vel rudes & indociles maneant, vel inflexiles & indomiti: pueris enim congenita est in intellectu ignorantia, hæc tollenda est eruditione: in affectu superbia & concupiscentia: hæc curvanda & castiganda sunt mortificatione, iuxta illud Proverb. 13. v. 24. *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit*: *Curva* ergo eorum cervicem, ut discant se humiliare & obedire, ut discant frangere suos appetitus & concupiscentias, ut fugiant illecebras & mollitiem.

Vers. 25.

D

Verè Fabius lib. 1. Instit. c. 3. *Mollis*, ait, *educatio mentis corporisq; vires frangit*. Et Plutarch. lib. de Liberis educandis: *Vidi, ait, patres, quibus amor nimius causa extitit, ut amarent.*

rent. Hi imitantur simias, quæ fœtus ita arctè complectuntur, ut subinde eos enecent, teste Plinio lib. 8. c. 54. Aspera fuit illa filiorum educatio, de qua Virgil. Æneid. 9.

Natos ad flumina primùm
Deferimus, sævoq; gelu duramus & undis.

Plura hac de re vide apud Plutarch. in Lycurgo, Senecam lib. 2. de Ira c. 22. Alexandrum ab Alexandr. lib. 2. Genial. c. 25. Prudenter S. Chrysost. homil. 9. in 1. ad Timoth. parentes monet, *ut nihil agere filiis permittant, ex iis quæ noxiè iucunda sunt*. Nam, ut rectè monet Clemens lib. 1. de Pædag. cap. 7. *Florescit vitiis, nisi putetur; ita & homo*

Piè & sapienter S. Hieron. epist. 7. ad Lætam docet particulatim, quomodo Paulam filiolam instituat: *Postquam*, inquit, *Ablactaverit eam cum Isaac, & vestieris cum Samuele, redde pretiosissimam gemmam cubiculo Mariæ, & cunis Iesu vagientis impone. Nutriatur in monasterio, sit inter virginum choros: iurare non discat: mentiri sacrilegium putet: nesciat sæculum: vivat angelicè: sit in carne, sine carne: omne hominum genus sibi simile putet*. Similia suadet S. Chrysost. homil. 21. in epist. ad Ephes. *Peperisti*, inquit, *puerum? Imitare Annam. Disce, quid fecerit illa: mox illum subduxit, atque obtulit in templo. Quis vestrum non innumeris mavis mallet filium suum fieri Samuelem, quàm totius orbis regem.*

Vers. 26. FILIÆ TIBI SVNT? SERVA CORPVS ILLARVM] integrum, intactum, castum & purum. In eo enim omnis filiæ decor & dignitas consistit; præsertim, quia ejus sexus & ætas fragilis est, & in vitium pronus, multique ei insidiantur. Id facies, si eam domi contineas, si à iuvenibus, à conviviis, à tripudiis, à spectaculis parum honestis parum honestis eam arceas: sic enim vitium passa est Dina, eò quòd curiosè spectarit Sichimitas, Genes. 34. Si semper te vel matrem ducem comitemque habeat, si ancillæ & servi sint pudici, si nullum sermonem impudicum audiat; nam corrumpunt bonos mores colloquia prava: si denique verecundiæ pudicitiæ amor, ac impudicitiæ horror continuò ei inseratur. Quæ sanè inter omnia efficacissima est castitatis medicina & custodia. Audi Ovidium lib. 3. elegia 4.

Dure vir, imposito teneræ custode puellæ,
Nil agis: ingenio quæque tuenda suo est.
Vt iam servaris bene corpus, adultera mens est:
Nec custodire, ni velit, ulla potest:
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas:
Omnibus exclusis intus adulter erit.

Et paulò pòst:

Centum fronte oculos, centum cervice gerebat
Argus: & hos omnes sæpe fefellit amor.

ET NON OSTENDAS HILAREM FACIEM TVAM AD ILLAS) Tum ut severitate vultus reprimas & coerceas earum lasciviam, levitatem, libertatem, audaciam; tum, ut eadem illis pudorem & metum tui iniicias, ne te offendere audeant; tum, ne patris erga se blanditiis discant viris affici, & erga eos liberiores & inverecundiores fieri, ait Jansenius. Nam, ut ait Salomon, *Melior est ira risu: quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis*. Ecclesiast. 7. 4. In quæ verba S. Gregorius Thaumaturgus: *Prudens ira*, inquit, *risui præferenda est: severa enim vultus habitudine anima ad rectum honestumque componitur, ac sapientum quidem animæ tristitia contrahuntur, stultorum autem animæ lætitia elatæ diffunduntur*. Et Isidorus Campensis: *Per tristitiam*, ait, *quæ in vultu apparet, cor admonetur officii sui*, præsertim cor feminę, quod magis timore, quàm amore in officio continetur. Satis est filiabus amor & familiaritas matrum. non igitur requirant etiam patrum indulgentiorem affectum. Credát ex patris severiore vultu viros, esse severos ne, illorum amore facilè capiantur. S. Bern. lib. 4. de Consider. c. 6. *Filiæ tibi sunt? noli faciem tuam hilarem ad eas ostendere. Nec austeritatem tamen (suade) tibi, sed gravitatem. Illa infirmiores fugat, hæc reprimit leviores. Illa si adsit, odibilem; hæc si desit, contemptibilem reddit: in omnibus tamen modus melior. Ego nec severius velim, nec dissolutius. Quid hac mediocritate gratius, ut non de severitate sis oneri, nec de familiaritate contemptui?* &c. *Ille convenientior habitus, si tu actu quidem severus sis, vultu serenus, verbo serius*. Clemens Alexandr. 1. Pædag. c. 9. citans hæc verba: *Et ne ostendas hilarem faciem ad illas. Qui*, ait, *ad gratiam loquuntur, parum diligunt; qui autem ad utilitatem, acerbi sunt, in futurū sæculum beneficio afficiunt non præsentem voluptatem Dominus, sed futuram spectantis delectationē.*

A Hoc sapientis monitum servavit sponsa, quæ cùm formosa esset, nigram se tamen sodalibus ostendit. Cant. 1. 5. Quæ verba explicans S. Bernard. serm. 28. in Cant. *Vt*, inquit, *remissis, mollibus, & fugitantibus disciplinam, non candorem serenitatis, sed obscurum severitatis exhibeat*. Suum, scilicet, imitata est sponsum, de quo David psal. 117. *Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me*, In quæ verba Clemens Alexandr. 1. Pædag. c. 7. *A Domino*, ait, *castigari, & tamquam à pædagogo erudiri, est à morte liberari*. Leæna, teste Philostrato lib. 7. ut cicuretur, non nimis blandè delinienda est, alioqui insolescit & ferocit: sic & mulier, præsertim filia, quam Cato vocabat animal indomitum. Margaritæ in conchis concrescunt, non sudo, sed turbato cælo, ut docet Dioscor. & Physici: si ergo filiam vis margaritam, id est, puram & virginem, severum ei vultum ostende, iuxta illud Iob 29. 24. *Si quando ridebam ad eos, non credebant*. Crocus, ait Plinius lib. 21. cap. 6. *gaudet calcari & atteri pede, pereundoque meliùs provenit*. Sic & crocea filiarum integritas. Huc facit illud S. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 2. *Qui præest, debet & arridens timeri, & iratus amari; ut eum nec nimia lætitia vilem red-*
B *dat, nec immoderata severitas odiosum.*

Tropol. vel symbolicè, filiæ Dei sunt animæ sanctæ: harum Deus corpus, id est, integritatem virtutum omnium, servat, ideoque non hilarem, sed severum eis vultum ostendit, dum eas variis tribulationibus affligit. Unde S. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 17. iis applicat illud Iob cap. 12. *Lampas contempta apud cogitationes divitum. Iusti*, inquit, *simplicitas & lampas esse dicitur & contempta. Lampas, quia interiùs lucet: & contempta, quia exteriùs non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria resplendet decoris. Lucet ergo & despicitur, qui flagrans virtutibus abiectus æstimatur*. Deinde ostendit talem lampadem fuisse Christum & Paulum, ac subdit: *Sed contempta lampas, quæ in terra irrisiones tolerat, de cælo lucidius per iudicium coruscat. Vnde aptè subiungitur, Parata ad tempus statutum.*

TRADE FILIAM nuptui, sive marito, cùm ad nubiles annos pervenerit, idque tempestivè, antequam eius decor, fœcunditas & vigor deflorescat: ET GRANDE OPVS FECERIS] Tigurina, *eloca filiam, & magnum opus peregeris. Grande*, quia difficile, æquè ac perutile, tum tibi, tum filiæ, tum reip. Tibi, quia ingenti eius cura, ac procorum molestiis & periculis te liberas & exoneras: vnde Syrus vertit, *exire fac filiam, & egredietur violentia*. filiæ, quia eius pudicitiæ consulis, eamque collocas in statu honesto per omnem vitam: reipubl. quia eius coniugium dabit proles, quæ numero, officiis & meritis augeant rempubl. Hoc consilium congruit ævo Siracidis, quo cælibatus non erat in vsu, imò erat dedecori. At Christus divinius consilium dedit, dum suasit virginitatem & cælibatum. Audi Apostolum 1. Corinth. 7. 8. *Dico non nuptis & viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego*. Causam dat v. 34. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*. Idcircò erecta sunt tot virginum monasteria, quibus clausura à Canonibus & Concil. Trident. severè indicta est. Nam *femina aut murus, aut maritus*. Trade ergo filiam viro: nisi illa meliori viro, scilicet, Christo, iungi velit in monachatu.

Siracidi consentit Ben-Sira alphabeto primo, littera Mem: *Aquæ mulieris, quæ virgo invenit est dulces sunt, & augent vires*: (alludit ad illud Proverb. 5. vers. 15. *Bibe aquam de cisterna tua*, id est, fruere vxore tua:) *sed aquæ mulieris vetulæ amaræ sunt. ut absinthium, & debilitant vires ut cisterna, quæ aquas habuit quas ventus hauriendo absorpsit*. quasi dic. Vetula effœta est, exhausta, infæcunda & sterilis, ideoque ingrata & insipida. Quocirca S. Ignatius citatus ab Antonio in Melissa, lib. 1. cap. 14. *Iunioribus*, ait, *contrahendæ sunt nuptiæ, antequam meretriciis amoribus implicentur*. Quin & Plutarchus in Laconicis refert, Lycurgum certum tempus præscripsisse, quo puellæ nubere, iuvenes ducere deberent. Rogatum cur? respondisse: *Vt soboles ex adultis, perfectaque ætatis parentibus nata, valida sit & vegeta*. Ex præpropero enim coniugio læduntur corpora gignentium, ac proles nascitur imbecilla. Denique iunioribus parentibus deest apud liberos auctoritas, quam ætas conciliat.

ET HOMINI SENSATO, Græcè, *συνετῷ*, id est prudēti, intelli-

intelligenti, Syrus, *sapienti*; Tigurina, *cordato*) DA ILLAM) Græcè, *δώρησαι*, id est, *dona*, hoc est, da, trade etiam sine dote. Scitum est illud Themistoclis filiam viro tenuis fortunæ, sed sapienti elocantis: *Malo virum pecunia, quàm pecuniam viro indigentem*. Multorum hac in re gravis est error, qui dum filiabus maritos quærunt, quærunt opulentos & nobiles. nec multum curant, an prudentes & sapientes sint, insipientes: unde multa infausta & lugubria filiarum cum maritis coniugia intuemur. Democritus dicebat, *Qui bonum generum nactus sit, invenisse filium; qui verò malum, simul & filiam perdidisse*, teste Stobæo serm. 68. Sapientissimi & felicissimi sunt, qui filiabus maritos procurant sapientes, æquè ac opulentos & nobiles; uti Noemi nurvi suæ Ruth procuravit maritum Booz opibus æquè ac prudentia & probitate insignem.

Filiarum elocatio quoto anno facienda.

Porrò leges civiles & canonicæ feminam nobilem, & matrimonio maturam definiunt anno ætatis duodecimo, virum verò anno decimoquarto: at non suadent eo exacto statim contrahi matrimonium. Illud tantùm scriptum reliquerunt, filiam posse inconsulto patre coniugium contrahere, si pater ejus nuptias distulerit usque ad annum 25. quasi senserint feminam intra illud tēpus esse nuptui tradendam. Hesiodus lib. 2. de Oper. & dieb. viro annum trigesimum, feminæ decimumquintum ad matrimonium constituit. Solon apud Philonem lib. 2. de Opificio mundi, quintum septenarium, id est, annum 35. nuptiis assignavit. Plato lib. 6. de Republ. *Nuptiarum*, ait, *tempus sit puellæ ab anno decimosexto in vigesimum, idque sit longissimum tempus ad hoc institutum, masculo à trigesimo ad trigesimum-quintum*. Vide Aristot. libr. 7. Polit. cap. 16. ubi feminas nuptui tradendas censet anno ætatis 18. masculos 36. quia mas gignere potest usque ad annum 70. femina ad 50. vide & Tiraquellum lege 6. connubiali.

VERS. 21. MULIER (Græcè, *γυνή*, id est, uxor) SI EST TIBI SECUNDUM ANIMAM TUAM, talis, scilicet, qualem anima tua desiderat, quæ nimirum, sit facilis & commodis moribus, quæque tuis votis æquè ac ingenio & affectibus congruat, NON PROIICIAS ILLAM, ne des ei libellum repudii in lege veteri permissum & licitum: ET ODIBILI, ob pervicaciam, garrulitatem & morum improbitatem, NON CREDAS TE) Græcè, *μὴ ἐμπιστεύσῃς*, id est *ne tradas* vel *dedas teipsum*, scilicet, in maritum, ait Jansenius. Verùm iam præsupponitur esse uxor, quam proinde non suadet statim abiici, sed ut maritus ei se suaque secreta non credat. Maritus enim tradit vel dedit se uxori, cùm totum se ei fidit & committit, cumque omnia sua in ejus sinum effundit, uti Samson se effudit in sinum Dalilæ, ideoque ab ea proditus, est à Philisthæis captus & exoculatus. Et Amphiaraus Eriphilæ uxori revelans suas latebras, ab ea pretio aurei monilis venditus & proditus est, teste Statio Hygino cap. 73. Unde Dionys. pro *non credas te*, legit, *non reveles tua occulta*. mulier enim tacere, & secreta servare nequit. Unde Cleobulus: *Cum uxore*, inquit, *ne contende, neve ei nimium confide*. Et Cato trium se pœnitere dicebat: tertium erat, quòd umquam secretum credidisset mulieri. Hoc est, quod ait Michæas c. 7. v. 5. *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, claude ostia oris tui*. Hinc vertit Syrus, *uxorem habes, ne dimittas eam; &, si iniqua est, ne credas ei*; Vatabl. *uxorem ex sententia nactus es, ne repudies; nec te permittas odiosæ*.

Redit Siracides ad v. 21. *Noli discedere à muliere sensata & bona*, illudque quasi magni in familia ad pacem, concordiam & virtutem momenti commendat & inculcat. Palacius per *mulierem*, accipit uxorem; per *odibilem*, concubinam: q. d. Noli abiicere uxorem, & adhærere concubinæ, eique te credere; quia hæc odibilis est: tum, quia est causa odii & litium inter maritum & uxorem; tum, quia eam mox oditurus es, cùm videbis ab ea opes tuas exhauriri: olim enim polygamia erat licita, & concubina vocabatur secundaria uxor, qualis Abrahæ fuit Agar, Jacobo Bala & Zelpha. Verùm nil cogit *odibilem* restringere ad concubinam. Cuilibet enim uxori si odibilis sit, suadet non esse credendum.

Uxor quærenda similis marito.

Nota τὸ, *secundùm animam*. Illo enim significat diligendam cuique esse uxorem, quæ gratis sit moribus, quæque cum marito habeat sympathiam, & moribus congruat. Tædiosa enim est vita mariti, si cum uxore indolis & complexionis sibi contrariæ iugiter versari debeat: v. g. si maritus complexionis sanguineæ & jovialis, perpetuò agere

A debeat cum uxore tristi, tetrica, melancholica. Rursum vulgatum est illud Pittaci apud Laertium lib. 1. c. 5. *Uxorem tibi æqualem ducito*. Rationem dat Cleobulus apud Stobæum serm. 3. de Temperant. *Si enim ex superiore familia duxeris*, inquit, *non affines tibi, sed dominos comparabis*. Chilon apud Stobæum serm. 38. dixit, *filias elocandas esse ætate virgines, sed prudentia matronas*. Idem censuit uxorem humilem modico apparatu ducendam, ne pro coniuge dominam accersas domum: sat enim dotata venit puella, quæ pudicitiam & honestos mores secum defert. Idcircò Lacones sanxerunt, ut virgines sine dote nuptum irent, teste Laertio lib. 1. c. 4. ut iuvenum quisque ad puellæ mores respiciens, ex virtute & indole sibi congruente faceret electionem.

IN TOTO CORDE TUO HONORA PATREM TUUM, ET GEMITUS MATRIS TUÆ, quos in te concipiendo, utero gestando, lactando, fasciando, &c. toleravit, NE OBLIVISCARIS) Ita hæc nectunt Latina, Romana, Græca & Syrus: quare perperam Jansenius & alii, τὸ *in toto corde*, annectunt versui præcedenti. Jubet ergo filio: *In*, id est, *ex*, *toto corde honora*; Græcè *δόξασον*, id est, *glorifica patrem tuum*; Tigurina, *patrem tuum animo toto* VERS. 29
B *magnifica, nec dolorum matris obliviscaris*. Hoc ipsum Tobias moriens filium docuit, dicens c. 4. *Honorem habebis matris tuæ omnibus diebus vitæ tuæ. Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo*. Porrò gemitus matris majores sunt, quibus illa gemit pro filio sceleribus perdito, ut in viam virtutis & gratiæ divinæ redeat, quales fuere gemitus S. Monicæ pro S. Augustino, quos ipse recenset in lib. Confess.

MEMENTO, QUONIAM NISI PER ILLOS NATUS NON FUISSES, ET RETRIBUE ILLIS, QUOMODO ET ILLI TIBI) Nonnulli codices delent τὸ *natus*, leguntque significantiùs, *nisi per eos non fuisses*: q. d. Sine parentibus non fuisses in rerum natura, fuisses non ens, fuisses nihil: totum enim quod es, à parentibus habes. Græca paulò aliter habent: *Memento, quod per eos natus sis, & quid retribues eis sicut illi tibi?* q. d. Non potes eis par pari reddere: *diis enim, parentibus & præceptoribus æquivalens reddi nequit*. Nostra Latina versio est nervosior, cui consentit Syrus, *memento, quia nisi ipsi, tu non esses; & quis retribuet iis qui te educaverunt?* Licet enim parentes propriè tantùm dent corpus filio, anima vero creetur à solo Deo; VERS. 30.
C tamen, quia corpus taliter à parentibus organizatum talem poscit animam, ideoque Deus eam creat, & creando infundit corpori; hinc parentes corporis censentur quoque esse parentes animæ, saltem mediatè, putà mediante corpore: vocantur enim parentes totius compositi, putà hujus hominis, qui conflatur ex anima & corpore.

An idem filius possit ex aliis parentibus nasci. Nebat Vasquez.

Videtur Ecclesiasticus hoc loco sequi opinionem illorum Philosophorum & Theologorum, qui censent individuum, putà prolem hanc, determinari à causis secundis: v. g. cur nascatur hæc proles, non alia, causam esse parentes, qui hoc loco & tempore generantes determinant generationem ad hunc genitum naturaliter: nam supernaturaliter Deus potest facere, ut idem filius ex alio nascatur. Hanc sententiam videtur sequi S. Thom. qui censet individuationis causam esse materiam signatam, sive affectam hisce circumstantiis & accidentibus. Eamdem tenet Gabriel Vasquez 3. p. q. 19. a. 4. disp. 74. c. 7. eamque probat tribus argumentis. Primò, quia Deus est causa universalis & indeterminata, quæ determinatur ad hanc vel illam speciem, (multò magis ad hoc, vel illud individuum) à causis secundis. Secundò, quia actus liberi
D determinantur à voluntate libera, non à Deo; alioqui si à Deo essent prædeterminati, non essent liberi. Tertiò, quia nisi effectus determinaretur à causa, posset idem numero reproduci naturaliter: si enim illa in se est indeterminata, æquè ac effectus ejus, non apparet ratio cur non possit eumdem reproducere: unde sequeretur, resurrectionem corporem esse naturalem, cùm constet eam esse supernaturalem. Favet S. Chrysost. homil. 5. de Pœnit. ubi quærit, cur Deus Esau, quem odio habebat, non ilicò è medio sustulerit? ac respondet, causam fuisse, ut ex eo nasceretur Job, qui alioqui natus non fuisset: *Si excisus fuisset*, inquit, *maximum fortasse iustitiæ fructum mundus amisisset. Et qualem, audi. Esau genuit Raguelem, Raguel Saram, Sara Iob. Cerne, qualis elanguisset patientiæ flos, si præveniens Deus à radice pœnas exegisset*. Idem liquet de multis Sanctis, quorum nativitatem parentes

Probat Primò. *Secundò.* *Tertiò.*

rentes

rentes suis precibus & meritis impetrarunt. Denique non decrevit Deus nasci hos vel illos filios, nisi quia prævidit parentes eos tali die vel hora generaturos. Effectus enim non prævidetur, nisi ex prævisa causa. Excipio Christum, B. Virginem, & fortè Sanctos aliquos eximios: Christus enim ante ceteros homines à Deo decretus & prædestinatus est, quasi caput & redemptor omnium; sed B. Virgo sua sanctitate meruit, ut ex se potiùs quàm ex alia fœmina nasceretur, uti docent Theologi.

Asserit Suarez. Contrarium docet P. Suarez 3. parte, disp. 10. sect. 7. & clariùs in Metaphys. tom. 1. disp. 26. sect. 5. n. 27. & Salazar tractat. de Concept. cap. 24. numer. 24. 30. & sequent. censent enim determinationem effectus, v. g. prolis, quoad individuum à Deo fieri; ita ut quilibet singularis effectus, qui ab una singulari causa producitur, possit etiam ab alio produci; ac proinde proles quæ gignitur ab hoc patre, possit ab alio quoque generari: itaque à Deo determinari, ut hic in individuo ab hisce parentibus producatur, non alius, nec ex aliis. Quocirca Deum primò decrevisse, ut tales totque homines in individuo existerent in mundo: deinde decrevisse, ut iidem ex talibus parentibus, tali tempore nascerentur.

Iuxta hanc sententiam, quæ sanè difficultates magnas habet, hic locus Ecclesiastici exponendus est: *Memento, quoniam nisi per eos natus non fuisses*, quia, scilicet, Deus ultimò prædeterminavit, ut ex iis solis nascereris, non ex aliis posito autem hoc ultimo Dei decreto, impossibile fuit, te ex aliis nasci; quia non potes nasci, nisi uti Deus voluit & decrevit. Imò P. Fonseca lib. 5. Metaphys. c. 2. qu. 14. sect. 3. eodem redire asserit, dicere, hunc effectum esse hunc numero potiùs quàm illum, quia productus est ab hoc numero agente, & ex hac numero materia, & in hoc numero vel momento temporis; ac si quis dicat: quia divina voluntas ad hunc numero effectum naturalem in hoc numero ac tempore, naturales ejus causas determinavit.

Sententia Scoti. Porrò Scotus in 2. dist. 20. q. 2. opinatur in statu innocentiæ (si in eo perstitisset Adam) eosdem numero futuros fuisse homines, qui nunc prædestinati sunt, & non plures, nec pauciores (nulli enim tunc fuissent reprobi) ideoque prædestinatos, qui nunc nascuntur ex reprobis, tunc nascituros fuisse ex prædestinatis. Ratio ejus est: Quia, inquit, prædestinatio facta est ante prævisum peccatum originale, & ante prævisas generationes omnium futurorum hominum, quod etiam docet Suarez lib. 1. de Prædestinat. c. 12. Favet S. Gregor. l. 4. Moral. c. 26. vel 28. cùm ait: *Si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret: sed hi, qui nunc per redemptionem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur.* Sed exponi posset S. Gregor. de electione in genere, non in individuo: q.d. Si Adam perstitisset, soli electi ex eo nascerentur; sed illi tunc fuissent electi per solam Dei electionem, cùm nunc omnes electi sint per redemptionem Christi.

Refellitur. Verùm, quidquid sit de mente S. Gregorii, communiter alii Theologi docent cum S. August. electionem factam esse post prævisum peccatum originale, quia facta est ex meritis Christi, quæ hoc peccatum præsupponunt. Unde passim S. August. docet, electionem Sanctorum esse factam ex massa peccato originali infecta & corrupta. Rursum prædestinatio præsupponit subiectum, putà hominem, prædestinatum iam esse in rerum natura, vel esse futurum. Qui enim non est homo, nequit prædestinari ad humanam gratiam & gloriam. Denique parum probabile videtur, quod addit Scotus, ut suam sententiam iam recensitam tueatur, scilicet, nonnullos; qui nunc nascuntur in sexu feminino, in statu innocentiæ nascituros fuisse in statu virili, vel è contra: præsupponit enim nunc viros & feminas nasci numero impari, in statu autem innocentiæ nascituros fuisse numero pari, ut quilibet vir suam haberet uxorem, & qualibet uxor suum virum.

Moral. hic disce, quàm parentes, & maximè Deum patrem omnium, amare & revereri debeamus. Unde Diogenes ad quemdam qui patrem spernebat: *Non te pudet*, inquit, *eum despicere, cui debes hoc ipsum, quòd tibi places?* ita Laert. lib. 6. Et Plato ad similem: *Non desines*, ait, *illum contemnere, cuius gratia altum sapere vis?* ita Maxim. serm. 33. De Deo verò Moses ait Israeli: *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Deuter. 32. v. 6.

IN TOTA ANIMA TVA TIME; Græcè, εὐλαβοῦ id est, reverere, venerare, cole, DOMINVM, ET SACERDOTES ILLIVS SANCTIFICA] Græcè, θαύμαζε, id est, suspice & admirare; Syrus, *in toto corde tuo time Deum & sacerdotes eius honora*. Timor Dei in Script. idem est quod cultus, reverentia & veneratio Dei: Deum enim ex tota anima venerari, colere & amare debemus. Ratio est, quia Deus est anima animæ. Sicut ergo corpus totum est animæ; ita anima tota debet esse Dei. Anima, ait Aristot. lib. 2. de Anima, est causa corporis viventis in triplici genere causæ, scilicet, formalis, efficientis & finalis; itidem est & Deus ipsi animæ. Rursum Deus est anima, id est, vita, animæ, non tantùm naturalis per creationem; sed & supernaturalis per gratiam. *Quia*, inquit S. August. tract. 19. in Joannem, *vita eius* (animæ) *est Deus, quomodo cùm ipsa est in corpore, præstat illi vigorem, decorem, mobilitatem, officia membrorum: sic cùm vita eius Deus in ipsa est, præstat illi sapientiam, iustitiam, charitatem.* Idem de Cognitione veræ vitæ c. 31. *Deus est vita animæ, sicut ipsa est vita corporis. Sed sicut mortuum est corpus, quando animam non habet: ita anima mortua est, quando Deo caret.* Adde, quòd anima, & qualibet res creata, magis pendet & sustentatur à Deo, quàm à seipsa. Deus enim continuo suo influxu ei dat suum esse, itaque iugiter quasi eam creat; quòd si Deus suum influxum subtraheret, illicò in suum nihilum; ex quo à Deo creata est, recideret. Quare anima tota magis debet amare Deum, quàm seipsam, quia Deus maius est ejus bonum quàm illa sit sibi ipsi.

Vers. 31.

Deus summè colendus.

Quia Deus est anima animæ.

Insuper anima est species specierum, sive forma formarum, ait Aristot. lib. 3. de Anima: tum, quia anima formarum omnium est nobilissima; tum, quia ipsa recipit omnes omnium intelligibilium & cognoscibilium species. Anima ergo quasi præstantissima debetur Deo præstantissimo, imò quaquaversum immenso, omniumque intelligibilium summo, universalissimo & perfectissimo principio. Quare verè ait Beda in Proverbiis:

Totus ubique manens, tota est virtute colendus.

Porrò quod addit, *sacerdotes illius sanctifica*; hoc est, sanctè eos habe, ut sanctos, id est, Deo consecratos, honora, iuva, sustenta; Græcè, *admirare*: q.d. Tanta est sacerdotum & sacerdotii excellentia, consecratio & sanctitas, ut omnes eam admirari, & admirando venerari ac revereri debeant. Hinc discant sacerdotes dignam sacerdotio vitam agere sint homines cælestes, Angeli Dei, terræ miracula. *Vivant ut numina, loquantur ut oracula*; ut sermone æquè sic vita sint admirabiles, suique admirationem in laicis excitent. Rationem dat S. Ignatius epist. 10. ad Smyrnenses: *Sacerdotium*, ait, *est omnium bonorum, quæ in mundo sunt, apex: qui adversus illud fecerit, non hominem ignominia afficit, sed Deum.* Et S. Gregor. Nazianz. orat. 21. *Sacerdos*, inquit *cum Angelorum ordine & classe futurus est, qui cum Archangelis Deum celebrabit, qui ad sacrum altare sacrificia transmittet, simulque cum Christo sacerdotio fungetur: qui figmentum instaurabit, imaginemque creatori sistet, & superno mundo opificem aget; & quod maius est, dicam, Deus erit, aliosque deos efficiet.*

Quocirca Christus sacerdotes etiam Mosaicos honoravit, dum leprosos à se curatos ad eos transmisit, dicens: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* A regibus autem honorari voluit, quando tres Magos, duce stella, vocavit ad se adorandum in Bethlem, ut ostenderet sacerdotium præstantius esse regno. Nam *purpura Imperatores facit, non sacerdotes*, ait S. Ambros. apud Theodor. lib. 5. Histor. cap. 7. & Philo lib. 3. de vita Mosis: *Cidaris*, inquit, *pro diademate imponitur capiti: quia quamdiu sacerdos honore suo fungitur & ministerio, non solùm privatis hominibus est venerantior, verùm etiam cunctis regibus.* Et S. Chrysost. homil. 4. de verbis Isaiæ: *Vidi Dominum Regi*, inquit, *corpora commissa sunt, sacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit; sacerdos autem maculas peccatorum. Ille cogit, hic exhortatur: ille necessitate, hic consilio: ille habet arma sensibilia, hic arma spiritalia: ille bellum gerit cum barbaris, huic bellum est adversus dæmones: maior hic principatus: propterea rex caput submittit manui sacerdotis, & ubique in veteri Scriptura sacerdotes ungebant reges.* Quocirca ignis à Deo immissus in Nadab & Abiu sacerdotes, eò quòd ignem alienum obtulissent, eos quidem afflavit & exanimavit; vestes autem, utpote sacerdotales, tangere non est ausus, ut hoc miraculo sanciret dignitatem sacerdotii, Levit. 10. 5.

In

VERS. 32. IN OMNI VIRTUTE TUA DILIGE EUM QUI TE FECIT] Pro *virtute*, Graecè est, δύναμις, id est, potentia, possibilitate; Vatabl. *omni vi: &*, id est ideò, ut, scilicet, ostendas te Deum diligere ex tota virtute, & vi tua, *sacerdotes illius sanctifica*; Syrus, *in toto corde tuo honora creatorem tuum*. Citat Deuter. c. 6. 5. juxta Sept. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*: ubi pro *fortitudine*, Hebr. est, *ex toto valde tuo*; Septuag. *ex tota virtute tua*; quod S. Lucas c. 10. 27. vertit, *ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua*; Vatabl. *pro omni virili tuo*, id est, ex omni tua facultate & possibilitate, ex omni tuo valore & vigore, validissimè & valentissimè, ac si fieri posset, *nimis* (hoc enim significat Hebr. מאד *meod*) dilige Deum, juxta illud psalm. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*. S. Bernard. ser. 29. in Cant. *Non abduci*, ait, *blanditiis, nec seduci fallaciis, nec injuriis frangi toto corde, tota anima, tota virtute diligere est*. Ratio est, quia Deus est omne bonum, imò oceanus immensus bonorum omnium: ergo omnibus viribus appetendus & diligendus.

Amoris Dei septē gradus. Quid hic praecipiatur, & quibus de causis, fusè docui Deut. 6. 5. Quibus adde, Richardum de S. Victore tract. de Gradibus charitatis, septem dilectionis Dei gradus assignare. *Primus est*, inquit, *ut amor sit inseparabilis, ut anima cum Apostolo dicere possit: Quis me separabit à charitate Christi? Secundus, quòd sit insatiabilis: ignis enim numquam dicit, Sufficit: nihilque sibi egisse umquam videntur, & servos se dicunt inutiles, qui eo sunt succensi. Tertius, quòd sit invictus. Fortis enim ut mors dilectio, & aquae multae non potuerunt exstinguere charitatem. Quartus, quòd sit delectabilis, dicereq; anima possit amore isto succensa: Introduxit me rex in cellaria sua. memor fui Dei, & delectatus sum. Quintus, quòd vulneret animam ardentibus desideriis & plurimis, quibus optat, ut omnes ei serviant, & omnes trahere ad eum conatur. Sextus, quòd semper Deum sitiat, semper eum praesentem habeat, omnis ei creatura memoriam illius revocet. Septimus, quòd desideret conjungi, & esse cum Christo, non taedio vitae, sed charitate impulsus, quisquis ea fuerit inflammatus*. Exclamemus ergo identidem cum Psalte, psal. 17. 1 *Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in caelo & in terra? Quid mihi est in caelo, & à te quid volui super terram? Benedic, anima mea, Domino, & omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus. Exaltare super caelos, Deus, & super omnem terram gloria tua*.

Rursum virtus, ait Aristot. lib. 1. de Caelo, textu 1. c. 16. ac ex eo noster Alvarez de Paz lib. 3. de Vita spirit. part. 2. c. 21. *est illud summum ac praestantissimum, ad quod vis aut potentia alicujus valet pertingere. Nam si quis posset centum talenta portare, vis ejus est ad portandum quinquaginta aut octoginta; virtus vero ad portandum centum: & si possit ambulare, & perniciter currere, vis est ad ambulandum, & virtus ad velocissimè currendum*. Hanc autem esse hujus nominis notionem confirmat nomen vir, à quo (teste Cicerone Tuscul. 2.) dicta est. *Vir enim* (ut ait Lactantius de Opificio Dei c. 12.) *nominatus est, quod in eo major vis est quam in femina, & hinc virtus nomen accepit. A qua etiam significatione sacra pagina non abhorrent, hoc nomen pro robore, potestate & fortitudine non semel usurpantes: Domine, Domine, virtus salutis meae* (inquit David psal. 139.) *obumbrasti caput meum in die belli*. Et psal. 17. *Deus qui praecinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam*. Et rursus psal. 32. *Praecinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subtus me. Hinc astra virtutes appellantur, quod eorum motu & influxu Deus inferiora gubernet, & magna ac mirabilia perficiat. Verbo quippe Domini caeli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Hinc etiam virtutes, tum morales, tum intellectuales, cum Theologicae hoc nomen acceperunt, quod potentias aut vires nostras operibus bonis & malis expositas ad opus optimum inclinent, & ad praestantissimas functiones disponant.*

Quid sit ex tota virtute diligere? *Est ergo virtus, si ejus primaevam notionem attendamus, nisus & conatus & impetus rei, totum quod potest facientis, & ad summum ac sibi praestantissimum anhelantis. Quare tunc Deum ex omni virtute diligimus, cum voluntatem excitamus ut omni conatu Deum diligat, & vires alias seu potentias erigimus, ut non segniter, non oscitanter, sed strenuè ac diligenter in Dei obsequium ac voluntatem intendant*. Unde S. Thomas opusc. 61. c. 23. hunc sensum exprimens sic ait: *Diligis Dominum, non tantum ex vi, sed etiam ex virtute, cum diligendo & laborando experiris summum potentiae: quòd si in hoc summo & ultimo termino actum dilectionis semper continuares, tunc non tantum ex virtute, sed etiam ex tota virtute diliges. Sed quia in vita mortali non est possibile, ut quis in omnibus bonis actibus suis summum conatum adhibeat, considerandum est, quomodo haec sententia vitae justorum peregrinantium accommodetur, ut possint eam utcumque servare, & Deum ex tota virtute diligere. Illi sanè dicuntur ex virtute diligere, qui Dei sunt diligentes amatores, qui Deum fervide amant, & qui gnaviter & strenuè omnem (quantum possunt) defectum & imperfectionem cavent, & virtutis opera ad suum statum & munus pertinentia sedulè, sollicitè & diligenter exercent. Quidam enim (ut Bernardus* serm. 3. de Pentecoste: *optimè annotavit) accipiunt Spiritum sanctum, spiritum charitatis ad salutem: quidam verò accipiunt ad fervorem. Illi accipiunt ad salutem, qui in toto corde suo revertuntur ad Dominum Deum suum, qui omni crimini valedicunt, & spiritu contritionis emundati gratiam & charitatem accipiunt. Illi accipiunt ad fervorem, cùm in cordibus perfectorum (ut verbis sanctissimi Patris utar) vehementiùs spirans, validum ignem charitatis accendit, ut non solùm in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus glorientur, contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, despectionem exaltationem*. Nam, ut ait S. Chrysost. serm. 6. de passione Domini: *Adversis probatur amor, affectio pensatur periculis, poenis examinatur dilectio, morte perfecta charitas innititur. Jure itaque Bernardus supremum amoris gradum, quem caelesti patriae reservat, cùm, videlicet, homo se purè diligit propter Deum, & seipsum quodammodo perdit, tamquam non sit, & omnino semetipsum non sentit, & à semetipso exinanitur & annullatur, solis Martyribus in hac vita audet certa ratione concedere. Putamusne* (inquit) *hanc gratiam, vel ex parte sanctos Martyres assecutos, in illis adhuc victoriosis corporibus constitutos? Magna vis prorsus amoris illas animas introrsus rapuerat, quae ita sua corpora feris exponere, & tormenta contemnere valuerunt*.

Porrò S. Thomas opusc. 61. de Dilect. Dei cap. 23. paulò subtiliùs distinguit virtutem à fortitudine: *quod virtus sit summus conatus virium nostrarum ad agendum, fortitudo verò summus conatus ad sustinendum*. Cui consentit S. August. lib. 1. de Moribus Eccles. cap. 22. *Amor*, inquit, *quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur*. Et infrà: *Nihil est tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cum se anima rapit in Deum, super omnem carnificinam libera & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur*. Et lib. 1. de Morib. Manich. c. 15. dicit, *fortitudinem esse amorem omnia propter Deum facilè perferentem. Quare diligere ex omni virtute, est ita Deum amare, ut quis nec tentationibus cedat, nec in tribulationibus & minis, sive a daemone, sive ab hominibus intentatis succumbat; sicut accidit Davidi, uxorem alienam* 2. Reg. 11. *contra jus & fas accipienti, Petro neganti, discipulis fugientibus;* Matt. 26. *& accidit multis aliis, qui ad tempus fide viva credunt, & in tempore tentationis recedunt. Hujus amoris ex omni fortitudine meminit Paulus, quando sui amoris robur, & firmitatem edixit: Quis* (ait) *nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? & statim: Certus sum, quia neque mors, neque vita*, &c. Rom. 8. Talem amorem habebat sponsa dicens Cantic. 8. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio*.

Perfectio in quo sita? Scripsit S. Catharina Senensis instinctu Spiritus sancti dialogum brevem, sed succulentum, & aureum, de Consummata perfectione, in quo perfectionem sitam esse docet in jugi & plena conformatione voluntatis nostrae cum divina; hanc autem conformationem fieri per dilectionem Dei ex toto corde, & tota virtute, quae tria requirit, eaque ita illi describit Deus: *Respōdeo Primo.* *Primò, ut voluntatem tuam ab omni amore affectuque terreno, & carnali prorsus amoveas, segreges, mundifices, ita ut in ista vita nihil transitorium, nihil caducum, nihil temporale ames nisi propter me, te propter me, & proximum*

propter me. Quoniam divinus amor terreni affectus, aut alterius cujusvis amoris consortium pati non potest. Unde quantum eum terrenarum rerum contagione infeceris, tantum & in mei amore peccabis, & de tua perfectione deperdes. Mentem quippe ut munda & sancta sit, omnia quæ corpus sentit, fastidire necesse est. Effice igitur ne quidquam ex his quæ à bonitate mea vestros in usus profecta sunt, te à me amando impediat; sed omnia adjuvent, accendant, inflamment. Quoniam vobis illa creando concessi, ut bonitatis meæ largitatem latius ex ipsis dignoscentes, me abundantiore quoque amore prosequeremini. Secundò, ut omnes cogitationes, actus & opera tua dirigas ad meum solummodo honorem & gloriam, semperque solius meæ laudis studiosissima, des operam precibus, verbis & exemplis, & quomodo possis, ut non tu tantùm sic, sed alii omnes tecum pariter, & eodem modo affecti sint, utque universi me unum norint, ament, colant; hocque mihi magis placet, quàm primum; quoniam magis implet voluntatem meam. Tertium, quod reliquum est, si assecuta fueris, tibi nil deesse, teque consummatam integritatem consecutam scito. Illud autem hoc est, ut summo desiderio quæras, nitaris & studeas ad hanc pervenire mentis dispositionem, ut mihi ita conjuncta sis, tuaq; mea (quæ perfectissima B *est) ita similis sit conformisque voluntas, ut nolis non solum malum, sed & bonum, quod ipse nolim, utq; eveniat quidquid velit & undecumq; velit in istius vitæ miseria, sive spiritualibus, sive temporalibus in rebus, minimè frangatur pax tua, turbeturque quies mentis tuæ: sed inconcussa fide semper teneas me Deum tuum omnipotentem magis amare te, quàm tu teipsam, meque tui diligentissimam habere curam, & multò diligentiorem quàm tu. Quanto magis sic te mihi commiseris dederisque, tantò magis te adjuvans, tibi semper adero, & tu ipsa clarius cognosces, ac uberius senties circa te dulcissimam charitatem meam. Ad hanc autem perfectionem perveniri non potest, nisi per stabilem constantiam, ac absolutam propriæ voluntatis abnegationem.* Et inferiùs: *Ad hanc igitur si pervenire vis, tibi est in summa humilitate perstandum, & ex vera atque intima miseriæ, & inopiæ tuæ cognitione, id unum jugiter vehementerque affectandum, ut mihi soli pareas, meamque solius voluntatem observes. Quo autem id præstare queas, necesse est, ut per mentis conceptum, & animi existimationem tibi habitaculum circum undique concameratum, ex solius meæ voluntatis materia construas, teque eo concludas, & semper inhabites, ut quo-* C *cumque eas, numquam ex eo egrediaris; quocumque prospicias, numquam extrà aspicias; sed tuos mentis & corporis sensus mea semper circumstet voluntas, nec quidquam aliud loquaris, cogites aut efficias, nisi quod mihi placet, & meæ esse voluntatis credas, sicque te quidquid agendum erit, sanctus Spiritus edocebit.* Et post nonnulla. *His verò per firmam fidem mente ac meditatione collectis, cognosces tribulationes, tentationes, difficultates, dolores, infirmitates, & adversa omnia, ob nullam aliam causam me gubernante provenire, nisi utilitatis & salutis vestræ gratia, ut per ea quæ videntur vobis mala, à pravitate corrigamini, & ad virtutem, qua itur ad verum & summum bonum vobis incognitum, perducamini. Cognosces præterea hoc fidei lumine perlustrata, me Deum tuum magis posse, scire, velle bonum tuum quàm tu, teque id nec posse, nec scire, nec velle absque gratia mea.* Hac ratione Sancti fiunt perfecti, faciles, læti, & ad quovis casus impertubabiles. *Prospiciunt namque claro & purgatissimo mentis oculo, à me summo Universi gubernatore mirifica sapientia, charitate & ordine cuncta administrante, non nisi bona posse provenire, meque sibi ac rebus suis melius utiliusque prospice-* D *re, quàm ipsimet per se sciant, possint ac velint; sicque omnibus in rebus quæ eveniant, quasque sustineant (utut sint) me auctorem, & non proximum, firmo considerantes proposito, quadam invicta & inexpugnabili patientia ita roborantur, ut non solùm æquo animo, sed libenti ac gaudenti sustineant, degustantes in omnibus, sive intrinsecus, sive extrinsecus accidant, meæ ineffabilis dulcedinem charitatis. quod est sentire de me in bonitate: in omnibus (inquam) tribulationibus difficultatibusque attendere, credere, & læto animo gratoque meditari, me disponere omnia suaviter, & ex profundo meæ dilectionis fonte cuncta provenire. Atque hujus ultimæ considerationis, compositionisque sanctissimæ maximum bonum nil aliud corrumpit, impedit, & perdit, quàm propria voluntas vestra, & amor vestri, quæ si tollerentur à vobis, tolleretur & infernus vobis; tum ille, qui maledictis æterno mentis, & corporis tormento Aparatus est; tum ille, quem in mortali vita multiplici agitatione animi, ac vicario curarum æstu, imo sustinetis errore.*

Porrò Ascetæ & contemplationi dediti, ita Deum ex tota virtute diligunt, ut non tantùm singula ejus præcepta observare, in ejus voluntatem se suaque cuncta resignare, illis per omnia se conformare studeant; sed etiam omnes animæ vires & potentias illi unire, in eumque per amorem transfundere, & transformare satagant, ut eum unum jugiter cogitent & ament, cum miro mentis gaudio & jubilo, ut in eo, velut abysso sapientiæ, pulchritudinis, gloriæ, voluptatum & bonorum omnium immergantur & absorbeantur, idque faciunt per varios modos & actus. *Primus est, quo Deo perfectiones illas, quas* *Sex actus*
habet, gratularis ex amore ardenti, & gaudes, adeò ut *amoris*
si quæ illi deesset, & in tua foret manu, ei liberalissimè *Dei.*
illam tribueres. Secundus, quo eas supra omnia æstimas, præ Deo omnia despicis, omnibusque & tibi ipsi renuntias, ut uno illo fruaris, ut uni illi placeas, qui infinities pluris est omnibus quæ sunt, & in infinitis mundis esse possunt. Tertius actus est, quo desideras illum amare summo affectu ob ejus perfectiones, quæ singulæ, & infinitæ sunt, & dignæ amore infinito, & optas omnium creaturarum affectus, quos in Deum effundere toto corde possis, eumque totis viribus amare. Quartus, quo gaudes de omnibus quæ Deus fecit, & facit, eo maximè nomine, quòd ab illius manu, & opera procedant, qui potentissimus, sapientissimus & optimus est. Quintus, gaudere de honore & gloria, quâ eum afficiunt Angeli in cælo, & optare ut homines & creaturæ eum laudent, & honorent. Sextus, desiderare Deo uniri per cognitionem & amorem, & frui & conquiescere in illa unione, quâ est creaturæ omni conjunctus, per essentiam, præsentiam & potentiam. Ita noster Antonius Sucquet lib. 3. Viæ vitæ cap. 20. quo libro eleganter, doctè & piè viam perfectionis docet.

Tales ergo insatiabiliter Deum desiderantes, assiduè ad eum suspirant, & anhelant, dicuntque: Si totus mundus meus foret plenus sanctis Angelis, omnes tibi corde resignarem, Domine; quia tu es amor meus: si haberem omnium mortalium affectum, omnem Angelorum, & Sanctorum spiritum, te eo complecterer, in te viverem, moverer, & essem. Utinam omnes miserorum pœnas ferre possem, ut omnes te cognoscerent, colerent, diligerent. Brevis enim & levis est omnis dolor illi, quem tuus amor inebriat & transformat. *O pela-* *Amoris*
gus sanctæ dilectionis atque dulcedinis, Deus meus, veni *suspiria.*
& tribue te animæ meæ. Da, ut integro corde, pleno desiderio, flammantique affectu jugiter aspirem ad te, & suavissimè respirem in te, te omni creaturæ præferam, propter te omni transitoriæ delectationi renuntiem, o vera, & summa exultatio mea. Pasce me; Domine, esurientem mendicum tuum jugi influxu divinitatis tuæ, hoc peto, hoc desidero, ut vehemens amor me totum penetret, repleat, atque in se transmutet. Da, benignissime redemptor, ut dilectione tui totus ignescam, totus à me ipso deficiam, in te solo delecter, te solum sciam, & sentiam. O superaffluens abyssus divinitatis, trahe & immerge me in te, totam affectionem cordis mei ita abripe, & tibi applica, ut ipsa ad cætera omnia sit prorsus exanimis. Hæc & plura D. Ludovic. Blosius in Aspirationibus. Vide S. Bernard. serm. 1. & seq. in Cantic. Bonavent. in Itinerario mentis, & P. Alvarez de Paz lib. 3. jam citato.

ET MINISTROS (Græcè λειτουργοὺς, id est, sacros ministros, putà sacerdotes, & Levitas, qui sacris operantur, Deoque sanctam sacrificii liturgiam offerunt) EJUS NE DERELINQUAS] sed primitiis, decimis, oblationibus ale, & sustenta, ut Deo ministrare & liturgiam peragere possint.

HONORA (Syrus, *lauda*) DEUM EX TOTA ANI- VERS. 33.
MA TUA] Tria debentur Deo. Primum, timor, quasi Deo, de quo dixit v. 31. Secundum, amor quasi patri, de quo dixit v. 32. Tertium, honor quasi summo omnium Domino, de quo agit hoc loco. *Filius*, ait Malachias cap. 1. 6. *honorat patrem, & servus dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Adde: Et si omne bonum ego sum, ubi est amor meus?

ET HONORIFICA (Græcè, δόξασον, id est, *glorifica*; Tigurina, *magnifica*) SACERDOTES] Honor in Script. tria complectitur, scilicet, venerationē, obedientiā, susten-

sustentationem. Unde hæc tria jubemur præstare parentibus, si indigeant, cùm jubemur eos honorare. Eadem debemus sacerdotibus. Porrò honor sacerdoti debitus est augustus & divinus, quia ipse est Dei vicarius, mediator & interpres apud homines. Hoc significat Græcum, *glorifica*.

Honorandi sacerdotes.

Ita Alexander Magnus adoravit Jaddum pontificem, vel potiùs Deum in pontifice. Vide Joseph. 11. Antiqu. 8. Ita Constantinus Magnus honoravit sacerdotes & Episcopos Concilij Niceni. *Significabant hoc*, ait Euseb. lib. 3. de Vita Constantini, *oculi submissi, rubor in vultu, decens ingredientis motus, morum humanitate, imperialisque clementia mansuetudine permixta*, &c. *positaque modica quadam sede, non sedit priusquam ab Episcopis annueretur*. Et inferius: *Unumquemque illorum pro cujusque dignitate, magnificis muneribus honorabat*. Addit, eum libellos famosos contra Episcopos quosdam sibi oblatos noluisse inspicere, sed illicò flammis cremandos tradidisse. Ita Theodosius Imper. honoravit S. Ambrosium, ut jubenti adytis templi excedere illicò paruerit, ac pœnitentiam ob cædem Thessalonicensium ab eo sibi impositam humiliter exceperit. Ita Carolus Magnus honoravit Pontifices Romanos, ut eorum accitu quater Romam profectus sit, ac Urbem totamque Italiam Longobardorum tyrannide liberarit. S. Ludovicus Francorum Rex sapiens & sanctus, mirè venerabatur sacerdotes & Religiosos. Quocirca moriens inter aurea monita, quæ Philippo primogenito dedit, hæc extant: *Semper sis addictus & devotus Romanæ Ecclesiæ, & ejus Pontifici, haud secus atque spirituali patri, te morigerum præbeas. Crebro confitearis peccata tua, deligasque tibi sapientes confessarios, qui te possint instituere & docere, quid agere, quid vitare te oporteat: & coram illis ita te compares, ut audeant te sincere reprehendere, & vitia tua indicare tibi*.

Exempla

Basilius Imper. Constant. exhortat. ad Leonem filium (habetur tom. 5. Biblioth. SS. Patrum) cap. 3. *Summo honore*, inquit, *prosequare matrem tuam Ecclesiam, quæ te in Spiritu sancto lactavit, & tuo capiti, ad Dei per Christum laudem, coronam imperii imposuit*, &c. *Honora ergo Ecclesiam Dei, ut tu vicissim à Deo in honore habeare: & sacerdotes ejus reverere tamquam spirituales patres, & deprecatores pro nobis apud Deum. Honor enim, qui sacerdotibus habetur, ad Deum refertur. Et sicut propter te ministros tuos in honore habere justum est; ita & propter Deum sacerdotes ejus magni facere, & in pretio habere, sanctum. Sicut autem honor, qui eis defertur, ad Deum pertinet; ita eorum contumelia & contemptus longe etiam gravius ejus iram provocat*.

ET PROPURGA TE CUM BRACHIIS] Hæc sententia jam deest in Græco & Syro. Quinque manuscripti codices legunt: *Et propugnato cum bracchiis*; itaque legendum censet Jansenius: q. d. Sacerdotes Dei tuis brachiis armisque, ô laice, defende & propugna. Verùm in lege veteri sacerdotes se suis armis defendebant, nec aliena brachia desiderabant; uti Judas Machabæus, ejusque fratres fuere pontifices, & simul duces belli, populique vindices. Rursum omnes codices impressi cum Rabano (qui legit, *purga*) legunt: *Et propurga te cum brachiis*. quod dupliciter accipi potest: Primò, q. d. Oblationibus brachiorum, id est, quas brachiis & manibus tuis offers, quasque labore brachiorum comparasti (brachium enim laboris est symbolum, ait Pierius libr. 35.) purga & expia peccata tua. ita Rabanus, Palacius & Lyran. Secundò, q. d. Purga peccata tua, offerendo brachia dextra, id est, armos dextros victimarum sacerdoti. Hi enim cum pectusculo ex victima debebantur sacerdoti in sacrificio pacifico, ex lege Levit. 7. 32. hique Hebr. vocantur שוק ימין *scoc iamin*, à Septuag. βραχίονα δεξιὸν, id est, brachia dextra, ut patet Levit. 7. v. 33. & c. 8. 25. & c. 9. 21. Licet enim sacrificium pacificum primariò non purgaret peccata, sed tantùm offerretur pro pace, id est, incolumitate & salute domus vel reipub. concomitanter tamen & secundariò offerebatur quoque pro purgatione peccatorum: pacem enim & salutem Dei habere non possumus, nisi habeamus ejus gratiam: gratiam autem habere nequimus, nisi à peccatis purgemur & expiemur.

Tropolog. *Propurga te cum brachiis*: q. d. Expia peccata non tantùm corde & ore, sed & opere; non tantùm confessione, sed & satisfactione, brachiis tuis exercendo opera pœnitentiæ & charitatis. Hujus rei symbolum est in natura. tradunt enim medici, è corde sinistrum ramum majoris arteriæ ad sinistrum brachium porrigi, quo tacitè monet nos natura, ut amorem in corde conclusum in brachia, id est, in opera, porrigamus, juxta illud sponsi ad sponsam Cantic. 8. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*; hoc est, amorem, quo me corde amas, exteriùs per brachia exere, & in opera confer. ita S. Gregor. & Theodoretus ibidem.

DA ILLIS PARTEM, SICUT MANDATUM EST TIBI, PRIMITIARUM (q. d. Da illis primitias, quæ sunt pars sive portio sacerdotibus ex lege debita; sub primitiis & decimas accipe) ET PURGATIONIS] id est, decimas, ait Lyran. Verùm decimæ non erant purgatrices peccati, sed debitæ ad sustentationem Levitarum. Melius Jansen. per *purgationem* accipit victimas pro purgatione leprosi, menstruatæ, aut alia ratione immundi, lege veteri præceptas. Tertiò, appositè *pars purgationis* est portio victimarum, quam pro purgatione peccati lex offerri sanciebat. Ubi Nota. Peccatum Levit. 7. 1. & seq. distinguitur à delicto, aliæque victimæ præscribuntur pro expiatione peccati, aliæ pro expiatione delicti: *peccatum* enim, Hebr. חטאת *chattat*, Græcè ἁμαρτία, vocabatur crimen scienter & prudenter commissum: *delictum* verò, Hebr. אשם *ascam*, Græcè πλημμέλεια, vocabatur crimen ignoranter per oblivionem, vel imprudentiam commissum. Dicit ergo, *Da illis partem purgationis*, id est, da illis victimas pro purgatione peccati in Levitico sancitas. VERS. 34.

ET DE NEGLIGENTIA, Græcè, περὶ πλημμελείας, id est, de delicto ignoranter commisso, PURGA TE CUM PAUCIS] Quod dupliciter accipi potest. Primò, q. d. Paucos adhibe socios vel testes, cùm victimam offers pro purgatione delicti tui; tum, ut famæ tuæ & pudori consulas: in sacrificio enim debebat fieri confessio delicti, eaque particularis, uti ostendi Num. 5. 7. tum, ut aliis sis exemplo, ne eos confessione tui delicti scandalizes, & ad illud imitandum invites. Secundò, q. d. Paucis victimis & sumptibus te purga, si pauper es, nec habes multa & magna quæ offeras. ita Emman. Sà. unde Rabanus: *Ostendit*, inquit, *quod oblatio, quæ ex humili mente, & pura dilectione Deo offertur, licet parva sit quantitate, multorum delictorum negligentias purgat, de quo scriptum est: Charitas operit multitudinem peccatorum*, 1. Petr. 4. Et Jansen. *Significatur*, ait, *quod si quis non possit sacrificium divitum offerre, saltem pauca illa & parva offerat, quæ à pauperibus exiguntur*.

DATUM BRACHIORUM TUORUM, ET SACRIFICIUM SANCRIFICATIONIS OFFERES DOMINO, ET INITIA SANCTORUM] Græca de more hic concisa sunt. Igitur duos hosce versus, scilicet 34. & 35. sic efferunt: *Da ei* (sacerdoti, *partem, sicut præceptum est tibi, primitias & pro delicto*, de quibus dixi v. 34. *& munus armorum, & hostiam sanctificationis, & primitias sanctorum*, de quibus hoc versu. Syrus, *da illis id quod eis debetur, tamquam id quod præceptum est: panem oblationum, & primitias manuum*; Vatabl. *portionem suam, ut mandatum habes, tribuas eisdem primitias & lustrationes, piaculariaque munera, tum præbendos armos ac lustralia sacrificia, primitiasque sacrorum*. Igitur, *datum brachiorum* est *munus armorum*: nam, ut paulo antè dixi, in sacrificio pacifico armi dextri cum pectusculo duntaxat dandi erant sacerdoti, ideoque vocabatur armus separationis, & elevationis; quia separabatur & elevabatur quasi donum Deo datum in sacerdote. *Pectusculum*, inquit, *elevationis, & armum separationis tuli à filiis Israel de hostiis eorum pacificis, & dedi Aaron sacerdoti, & filiis ejus lege perpetua, ab omni populo Israel*, Levit. 7. 34. VERS. 35.

Sacrificium sanctificationis; Primò, cùm Dionysio Carthus. accipi potest holocaustum, hoc enim totum erat sanctum, id est, Deo consecratum & oblatum, quia totum in honorem Dei cremabatur, ut, sicut v. præced. jussit dari sacrificia pro peccato, & hic per *datum brachiorum* dari sacrificia pacifica; ita per hostiam sanctificationis jubeat dari holocaustum: hæc enim erat triplex hostia, triplexque sacrificium Judæis præscriptum, Levit. 1. 2. & 3. Secundò, Jansenius per *sacrificium sanctifica-*

Sacrificium sanctificationis *quod? Respondeo. Primo. Secundo.*

sicut P. Franciscus Borgia ponebat se ad pedes Judæ proditoris, imò sub Lucifero & dæmonibus; quia pluries graviùs & diutiùs peccasti illis: unicum enim peccatum mortale est summum malum, quod in orbe esse aut fingi potest: ipsum ergo est summa vilitas evertenda in gehennam, ut ibi puniatur igne & verme, præsertim peccatum superbiæ. Humilia te ergo, & te vermem agnosce, ac dic cum Christo: *Vermis sum ego, & non homo*, ut vermes gehennæ evadas. Unde S. Bernard. in Formula vitæ honestæ. *Ista tria*, inquit, *habe semper in mente: Quid fuisti, quid es, & quid eris? Quid fuisti, quia sperma fœtidum. Quid es, quia vas stercorum. Quid eris, quia esca vermium. Similiter imagineris eorum pœnas, qui sunt in inferno, & quòd numquam finientur, & pro quàm modica delectatione tanta mala patiuntur.*

S. Vincentius Ferrerius sui ævi Apostolus tract. de Vita spiritali, simpliciter, sed piè & nervosè ita scribit & præscribit: *Qui vult fugere laqueos & tentationes diaboli, sentiat de seipso sicut de uno corpore mortuo, pleno vermibus & male olenti, & sicut de uno cadavere, quod dedignatur videre & intueri, imò super quod claudit nares propter eius pessimum odorem & fœtorem, & à quo avertit faciem, ut non videat talem & talem abominationem. Sic oportet, charissime, facere semper mihi & tibi; sed plus mihi, quia tota vita mea fœtida est, totus fœtidus sum, & corpus meum & anima mea, & omnia, quæ intra me sunt, fæce & putredine peccatorum & iniquitatum fœtidissima & abominabilissima sunt; & quod deterius est, quotidie hunc fœtorem in me sentio recentiùs & angustiùs renovari.* Et inferiùs: *Et sicut sibi & Deo fœtere se credit & sentit: sic etiam credat & sentiat, quòd non solùm coram Angelis & sanctis animabus, sed etiam coram omnibus hominibus viventibus sit abominabilis & fœtidus: & quia facta & dicta sua non solùm homines videre & audire dedignantur; sed quòd nares suas claudant & avertant facies suas, ne ipsum videant; & tamquam fœtidum cadaver de medio eorum expellant, & sit ab eis alienatus & separatus & proiectus, sicut plus quàm leprosus, usquequò veniat & reveniat ad seipsum. Et si quis de eo iustitiam faceret, & de corpore suo sentiat quod iustum est, & ita credat, etiamsi sibi oculi eruerentur, nasus truncaretur, manus abscinderentur, & aures, & os, & sic de aliis sensibus corporalibus & membris; quia cum his omnibus Deum offendit, & creatorem. Item, quòd despici desideret & contemni, & quòd omnia vituperia, verecundias, diffamationes, iniurias, blasphemias, & cætera adversa summo cum gaudio & lætitia recipiat, & patienter ferat. Et oportet quòd diffidas de teipso totaliter, & de omnibus bonis tuis, & de tota vita tua, & cōvertas te totū, & reclines super brachia Jesu Christi pauperrimi & vilissimi, & improperati, despecti & mortui propter te, usquequò tu sis mortuus in omnibus sentimentis tuis humanis, & Iesus Christus crucifixus vivat in corde tuo, & in tua anima, & totus trāsformatus & transfiguratus cordialiter sis in te: ut numquam videas, nec sentias, nec audias, nisi ipsum solum stantem in cruce propter te mortuum & suspensum; ad exemplum Virginis Mariæ, mortuus in mundo, & vivens in fide.* Et post nonnulla: *Debet etiam circa seipsum exerceri alio septiformi affectu.* Primò, *scilicet, quòd totus de suis vitiis & defectibus confundatur.* Secundò, *ut peccata sua tamquam offensiva, & sui ipsius maculativa acutissimo & acerbissimo dolore plangat & deploret.* Tertiò, *humiliatione sui & conculcatione cum contemptu, ut, scilicet totis viribus se sicut rem vilissimam & fœtidissimam spernat, & cōtemni appetat, ut dictum est.* Quartò, *rigore severissimo, ut, scilicet, corpus suum asperrimè maceret, & macerari appetat, tamq; peccato fœtidum, imò tamquam latrinam & sentinam & tumulum omnium fœditatum.* Quintò, *ira implacabili contra omnia vitia sua, & contra radices & inclinationes vitiorum suorum.* Sextò, *vigore pervigili & strenuo, ut, scilicet, omnes sensus, actus, potentias suas semper cum quadam virilissima strenuitate, in omne bonum teneat pervigiles & attentos.* Septimò, *discretione perfectæ modestiæ, seu moderantia, ut, scilicet, in omnibus districtissimè servet mensuram & modum; videlicet, inter nimium, & non satis; ut, scilicet, nihil sit in eo superfluum, nihil diminutum, aut defectivum, nec plus quàm debeat, aut minus quàm deceat.*

Secundò, *τὸ valdè*, ait Dion. significat multas nos habere ad humiliandum rationes & stimulos. Prima, est consideratio peccatorum commissorum, Secunda, fragilitas propria. Tertia, naturæ imperfectio: homo enim in serie creaturarum rationalium est infimus, nec eo inferior creari potest, uti nōnulli cēsent. Quarta, sordes & putredines corporis. Quinta, comparatio cū Sanctis & Beatis. Sexta quia nihil habet ex se, nec suum. Septima, consideratio judicii divini. Octava, consideratio divinæ majestatis. Nona, vindicta superbiæ quam Siracides hic assignat ignem & vermem, idq; appositè. Nam, ut ait Plin. l. 11. c. 32. *Vermes in ligno nascuntur, ubicumq; humor est nimius, & lignum corrodunt.* Addit c. 37. *nulli vermiū generi, oculos esse.* Ita superbus oculos nō habet, quibus se suamq; miseriam cognoscat; sed instar Tiresiæ cæcus, putat se esse quod nō est: quia nimio philautiæ humore, & quasi

A hydrope oppletus est. sed hæc superbia eum corrodet & perdet.

Gradus humilitatis duodecim.

Tertiò, *τὸ valdè*, significat varios esse gradus & actus humilitatis, per quos sensum humilem descendere oportet, ut in humilitate crescat. Gradus hos assignat S. Benedictus in Regula: Primus, inquit, timor Domini; Secundus, resignatio: Tertius, obedientia: Quartus, obedientia etiam in arduis; Quintus, mala & alia quævis aperire Superiori, Sextus, ad omnia se indignum æstimare; Septimus omnibus se inferiorem ex animo existimare: Octavus, communia servare, non esse singularem: Nonus tacere, donec rogetur; Decimus, non esse ad risum promptum; Undecimus, pauca & rationabilia modestè loqui; Duodecimus, corde & corpore præ se ferre humilitatem.

Actus novem. Primò.

Porrò actus humilitatis hoc ordine accipe. Actus primus, vilipensio sui. Secundus, putare se ineptum ad omnia. Tertius, nolle æstimari. Quartus, vilem velle se haberi. Quintus, dolere magni fieri. Sextus aliis se conferendo inferiorem reputare. Septimus, resignare se totum. Octavus, subiicere se hominibus omnibus propter Deum. Nonus, amplecti quod humilius est.

Secundò.

Accipe aliam eorum seriem. Primò, nihil dicere unde laudem consequatur. Secundò, non gaudere, cùm laudatur. Tertiò, non facere quidquam ob respectū humanū. Quartò, non se excusare.
B Quintò, vanas cogitationes procul pellere. Sextò, omnes sibi ducere superiores. Septimò, benè accipere humilitatis occasiones.

Signa decem.

Porrò Cassianus signa humilitatis assignat. Primò, mortificatum esse; Secundò, aperire omnia Superiori: Tertiò, omnia ex eius arbitrio facere; Quartò, obedientia in omnibus & mansuetudo: Quintò, non inferre malum, & illatum pati; Sextò, nihil agere sine exemplo, aut regula: Septimò, omni vilitate contentum esse, & inutilem operarium se existimare: Octavò, se ex corde putare omnibus inferiorem; Nonò, cohibere linguam & modestè loqui; Decimò, non facilè ridere. Item hæc. Primò, nolle laudari: Secundò, simplicem esse in moribus: Tertiò, bona de se dicta non agnoscere, aut ne ea perdat, quia cognita, timere: Quartò minùs putare de se, quàm dicatur: Quintò, in proximo videre, quòd plus habeat sese: Sextò accusare se: Septimò, non excusare, & correctionem admittere libenti animò: Octavò, nescire virtutes suas: Nonò, humana contemnere: Decimò, pro persequentibus orare, & iis benefacere.

QUONIAM VINDICTA CARNIS IMPII, IGNIS ET VERMIS] Tigurina, *quoniam ignis & vermis supplicia sunt carnis impij.* q. d. Quia impij superbè & delicatè carnem suam vestiunt, enutriunt, exaltant, hinc punietur illa igne & verme. Hu-
C militati iungit carnem, & carnis pœnas, ignem & vermem, minatur: q. d. Nisi te humilies, sed superbire velis, iusto Dei iudicio incides in libidinem & vitia carnis: humiliato enim spiritu humiliatur & caro, superbiente verò spiritu, superbit lascivitque & caro: ac proindè Cassian. S. Greg. & alii optimum remedium castitatis assignant humilitatem. Siracidi succinit R. Levitat in *Pirke avoth. c. 4. Curvo admodum*, inquit, *& demisso spiritu ambules: exspectatio enim omnis hominis, vermes.*

Jam triplex est hìc sententia. Primò quidam sicut vermem, ita & ignem non proprium, sed metaphoricum accipiunt. Secundò, alii accipiunt ignem proprium, sed vermem metaphoricum, putà, remorsum conscientiæ. Tertiò, alii aptissimè, tam vermem, quàm ignem proprium & realem intelligunt.

An ignis inferni corporeus. Negat Origen. & alii.

Quæritur ergo primò, an ignis inferni, quo cruciantur dæmones & damnati, sit verus & corporeus; an verò figuratus & spiritalis? Figuratum & spiritalem esse censet Origenes homil. 13. in Exod. ubi ait, ignem gehennæ ab igne nostro natura ipsa differre; urendi tamen vi præditum esse. Et lib. 2. Periarch. c. 11. ignem hunc à sceleribus ipsis in animis impiorum excitari asserit, perinde ac febris ab humorum copia & pugna in corporibus humanis excitatur. Et homil. 9. de diversis in Matth. locis (li-
D cet nonnulli negent eam esse Origenis) docet ignem hunc æquè ac vermem esse metaphoricum. Accedit S. Hier. in c. 66. Isaiæ: *ignis*, inquit, *qui non extinguitur, à plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torquet in suppliciis constitutos.* Quod avidè arripit sequiturque Calvinus, dum ait, damnatos in inferno non alio igne aut pœna torqueri, quàm quòd apprehendant Deum sibi ob scelera esse iratum & offensum; hæc enim apprehensio, inquit, cruciat eos instar ignis. Verùm aliud est ignis & combustio, aliud apprehensio & imaginatio. Disertè verò S. Ambr. lib. 7. in Lucam, c. 14. *Ergo*, inquit, *nec corporalium stridor aliquis dentium, neq; ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium neq; vermis est corporalis: sed hæc ideò, quia sicut ex multa cruditate & febres nascuntur & vermes: ita si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interposita sobrietate abstinentiæ, sed miscendo peccata peccatis, tamquam cruditatem quamdam contrahat veterum, & recentium delictorum, igne aduretur proprio, & suis vermibus consumetur.* Paucis autem interiectis; *Ignis est*, ait, *quem generat*

mæsti-

mœstitia delictorum: vermis est, eò quòd irrationabilia animæ peccata mentem rei sensumq; compungunt, & quadam exedunt viscera conscientiæ. Nec magnopere ab hac sententia abhorrere videtur S. August. 21. de Civit. c. 10 Cùm enim de historia divitis Epulonis ageret: *Convenienter*, inquit, *responderi posset, talem fuisse illam flammam, quales oculi quos levavit, & quibus Lazarum vidit; qualis lingua, cui humorem exiguum desideravit infundi; qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri postulavit: ubi tamen erant sine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis & illa flamma, qua exarsit, & illa guttula, quam poposcit, qualia etiam sunt visa dormientium, sive in ecstasi cernentium res incorporales, habentes tamen similitudinem corporum.* Gregorius autem libr. 15. Moral. cap. 14. aliàs 17. *At contrà*, inquit, *gehennæ ignis, cùm sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore non caret.* Denique Damascenus lib. 4. de fide c. ultim. *Traduntur*, ait, *peccatores in ignem æternum, non materialem, qualis est apud nos: sed qualem novit Deus.* Denique Nyssenus lib. de Anima & resurrect. ignem hunc accipit mysticum & metaphoricum ut non sit aliud quàm dolor amissæ beati- B tudinis: *Privatio*, inquit, *eorum quæ bona videntur, flamma animam peruxens existit, guttam aliquam ex pelago bonorum, quibus Sancti affluunt & abundant, & consolationem desiderans, & non adipiscens.*

Afferri possunt & rationes. Prima, quia ignis hic agit in dæmones incorporeos: ergo incorporeus & ipse sit oportet: nec enim corpus agere potest in spiritum. Secunda, quia Græci in Concil. Florent. censuerunt in Purgatorio non esse ignem verum, quo purgentur animæ; nec tamen eos reprehenderunt Latini. Ergo idem dicendum est de igne inferni: passim enim Theologi censent, eumdem esse ignem Purgatorii & inferni.

Ratio prima. *Secunda.*

Verùm dico, certum est in inferno verum & corporeum esse ignem, quo cruciantur tam dæmones, quàm animæ & corpora damnatorum. Id probatur Primò, ex Scriptura, quæ ubique docet, damnatos in inferno puniri igne. Disertè Christus Matth. 25. 41. *Discedite à me*, inquit, *maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Isajas c. 30. 33. *Præparata est ab heri Topheth, à rege præparata, profunda & dilatata: nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* C Et c. 33. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Marcus c. 9. 44. *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* S. Joannes in Apocalyps. crebrò docet, impios in gehenna igne torqueri, ut c. 19. 20. *Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.* Cap. 20. 15. *Qui non inventus est in libro scriptus, missus est in stagnum ignis.* Idem dicit c. 21. 8. Similia passim habet S. Paulus, S. Petrus, cæterique Apostoli. Verba autem S. Scripturæ propriè, ut sonant, accipienda sunt, non figuratè, nisi quæ necessitas cogat, quæ hic nulla apparet. Denique hic ignis erit vindicta carnis impii; ergo corporeus, ut in carnem agat, sit oportet.

Affirmant cæteri. *Probatur Primò.*

Secundò, quia damnatos in inferno igne cruciari, communis est Ecclesiæ & fidelium sensus, qui ignem gehennæ à Scriptura inculcatum verum & proprium intelligunt, non metaphoricum.

Secundò.

Tertiò, quia idem est sensus Patrum Græcorum & Latinorum. S. Cypr. de Laude martyrii: *Gehenna*, inquit, *magno plangentium murmure & gemitu, cruciantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem, sæva semper incendia camini fumantis expirat.* D Clemens Alex. lib. 5. Strom. ait impios puniri *ἐκπυρώσει*, id est, exustione & inflammatione. Idem asserit S. Justin. Adhort. ad Gentes. Nazian. verò orat. in S. lavacr. ignem gehennæ confert cum igne Sodomæ. S. Chrys. homil. 44. & 55. in Matth. & homil. de præmiis Sanct. *In ignis*, ait, *fluvium atq; pelagus intruduntur, pelagus impertransibile, atque magnitudine acerbissimum; in quo ignei fluctus montium instar eriguntur.* Idem homil. 13. in epist. ad Rom. & homil 4. in epist. ad Ephes. *Expende vitæ alterius mala quæ sint futura, regni cælorum privationem, à gehenna inustum dolorem, vincula perpetua, exteriores tenebras, vermem venenatum, dentium fremitum, pressuram loci angustam, igneos fluvios, fornaces numquam restinguendas.* S. Basil. in psal. 28. *Ignem illum*, ait, *vim urendi retinere, luce tamen destitui.* Idem docet S. Hier. in c. 10. S. Matth. Isid. li. de Summo bono, c. 21. ac disertè S. Aug. li. 21. de Civit. 10. de Fide & oper. c. 15. & sæpè alibi. Ac S. Gre-

Tertiò.

A li. 4 Dial. c. 49. ubi disputat, qua ratione ignis gehennæ cùm sit corporeus, in animas & dæmones, qui sunt incorporei, agere possit.

Quartò, idem uno ore docent DD. Scholastici in 4. dist. 44. & 49. & 1. p. qu. 64. ar. 3. & 4. *Quartò.*

Denique nisi ignis hic statuatur corporeus, difficillimum est concipere & explicare quid ignis gehennæ nomine intelligendũ sit, & quis sit ignis ille spiritalis & metaphoricus *Quintò.*

Argumenta contrariæ ad sententiæ Resp. Origenes licet excusari possit eo modo, quo cæteri, tamen de eo nõ multùm laboro; tum, quia plures alios habuit errores; tum, quia symbolicus esse solet S. Script. interpres, ideoq; teste S. Hier. malè audivit, quasi qui sensum literalem destrueret, ut suos conceptus symbolicos stabiliret. S. Hier. loquitur ex sententia Origenis & similium, non ex sua, ut patet verba citata intuenti. Ambr. & Damasc. dicunt, ignem inferni non esse materialem & corporeum, non absolutè, sed respectu nostri ignis: quia, scilicet, nostro longè est subtilior, acrior, ardentior & penetrantior. Rursus, quia modus agendi ipsius non est corporeus, sed spiritalis & divinus. Agit enim ille ignis quasi instrumentum potentiæ divinæ in ipsos spiritus, putà, in dæmones & animas. Sic subinde Patres dicunt, Angelos esse corporeos, non in se, sed si cum Deo, qui purissimus & celsissimus est spiritus, conferantur. Tantum enim distant à puritate Dei, quantum corpora à puritate Angelorum, & longè ampliùs. Denique dicitur ignis non esse materialis, quia non eget assidua nova materia, qua alatur, nec consumit corpora, quæ urit, uti facit noster, nec lucet, nec extingui potest. Ita Damascenum interpretantur Clichtovæus, & S. Thom. in 4. d. 44. qu. 3. ar 2. ad 1.

Resp. ad Patres negantes.

In S. Greg. pro *gehennæ ignis, cùm sit incorporeus*, corrigendum est, *cùm sit corporeus*: sequitur enim, *& in se missos reprobos corporaliter exurat*, uti rectè advertit Bellar. li. 2. de Purgat. c. 11. opponit enim ignem gehennæ igni nostro, in eo quòd noster, cùm corporeus sit, debeat assiduè foveri novis fomentis appositis: ille verò licet pariter corporeus sit, non debeat foveri, sed semel ab initio conditus duret inextinguibilis. Nam li. 4. Dial. c. 29. expressè docet, ignem gehennæ esse corporeum. S. Aug. loco allegato non loquitur de igne damnatorum in gehenna, sed tantùm de historia Epulonis Lucæ 16. aitque illam, velut visionem parabolicè enarrari, eò quòd nominet digitum, linguam, guttam, &c. quibus carebat ani- C ma Epulonis & Lazari: ac consequenter ignem, qui ibidem nominatur, non fuisse realem, sed imaginarium, qualis in visione Prophetis exhibetur, eò quòd lingua Epulonis dicatur hoc igne cruciari. Cùm ergo constet Epulonem post mortem non habuisse linguam; sequitur pariter reali igne linguam eius non potuisse comburi. Quare hæc linguæ ejus per ignem ustio, symbolicè & parabolicè explicanda est. Nam alioqui S. Aug. ib. & locis paulò antè citatis disertè asserit, ignem gehennæ esse corporeum. Ilicò enim post verba allegata subdit: *At verò in gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit.* Idem non aliud velle videtur Nyssenus: agit enim de historia & igne Epulonis, quam cum S. Aug. parabolicè accipiendam censet: *Quos enim oculos*, inquit, *in inferno attollit dives ille, qui carneos oculos in sepulcro reliquerat? quo pacto item flammam sentit* (in lingua) *quod incorporeum est? quam verò linguam refrigerari per guttam cupiebat, cùm ei carnea lingua non adesset? qui autem ille digitus, qui perferret ei guttam? ipse etiam sinus requietis, quis?*

Ad primam rationem Resp. ignem hunc agere in spiritus non naturaliter, sed supernaturaliter quasi instrumentum omnipotentiæ Dei. *Cur enim*, ait S. Aug. li. 21. c. 10. *non dicamus,* D *quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?* *Ad primā rationem.*

Ad secundam: Certius est ignem gehennæ esse verum ignem, quàm ignem Purgatorii, ob rationes jam dictas. Rursum, certum est, ignem Purgatorii esse verum ignem, uti censet Ecclesia Latina. Noluerunt tamen Latini cum Græcis in Concilio Florent. hac de re contendere; quia idipsum non est de fide: sufficiebat Latinis, quòd Græci confiterentur Purgatorium esse, in eoque animas puniri & purgari. Habebant enim alia maioris momenti ad fidem spectantia cum Græcis tractanda, iisque persuadenda. Quocirca sessione ultima definitur Purgatorium esse, nulla ignis mentione habita.

Ad secundam.

Moraliter disce hic quàm atrox sit pœna damnatorum,

scilicet, incendium, ac incendium infernale & æternum, idque justè & meritò. Si ergo quæras, cur Deus damnatos cruciat igne potiùs quàm alio supplicio. Resp. Primò, quia pœna ignis optimè respondet & congruit igni concupiscentiæ, quo arserunt, & cui indulserunt in hac vita peccatores, idque significat *τὸ vindicta carnis*: in carne enim residet stimulus concupiscentiæ. Unde S. Paulus Galat. 5. v. 17. 19. & alibi, vitia & opera carnis vocat vitia & opera concupiscentiæ. Memorabilis ac horribilis est S. Rhemigii, Rhemensis Episcopi, de carnis & libidinis vitio sententia: *Demptis parvulis*, inquit, *ex adultis propter carnis vitium, pauci salvantur*. Si ergo totus penè mundus hoc avernali igne ardet, quid mirum, si & igne crucietur in gehenna? *Quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, Sapient. 11. 17.

Cur damnati cruciantur igne? Respondet Primò.

Secundò.

Secundò, quia ignis acerrimus est, & maximam habet agendi & affligendi vim in corpora, & per corpora in animas ea informantes. Rursum, magna est analogia & vicinitas animæ cum igne: inter elementa enim & corpora maximè spiritalis est ignis, unde ad animam proximè accedit: hinc & Hebr. איש *isch*, id est, vir animatus, dicitur quasi אש *esch*, id est, ignis, ait Euseb. libr. 11. de Præpar. c. 2.

Tertiò.

Tertiò, appositè superbia spirituum, putà dæmonum & animarum, punitur corpore, scilicet, igne, ut qui supra Deum se extollere voluerunt, corporeo igni quasi tortori subjiciantur. Hoc est, quod ait hic Siracides: *Humilia valdè spiritum tuum, quia vindicta carnis impii, ignis & vermis*. Hanc spirituum superborum humiliationem repræsentat ipse ignis: nam, cùm natura sua postulet esse in alto summoque orbis loco, ad puniendam dæmonum hominumque superbiam, deprimitur in imum inferni centrum: & sicut ipse violenter ibi detinetur, ita & spiritus quos punit.

Quartò.

Quartò, ignis gehennæ cùm sit incorruptibilis, aptum est symbolum & instrumentum punitionis damnatorum, utpote quæ æterna est, & in æternum durabit. Rursum ignis hic symbolum est cæli empyrei, ex quo corruerunt dæmones: empyreum enim à πῦρ, id est igne, dicitur, quasi igneum, quia splendidum ut ignis; sed sine calore & ardore, qui est in igne inferni: quocirca in empyreo intercisam esse flammam ignis, ait S. Basil. in psal. 28. Ignis ergo refricat dæmonibus cælum empyreum, ex quo ceciderunt, itaque eos torquet, dum empyreum in ignem inferni sibi commutatum vident.

Quintò.

Quintò, ignis omnium optimè exprimit ardorem furoris divini in damnatos. Porrò sicut naturaliter sentimus in anima dolorem, dum corpus igne cruciatur; hic enim cruciatus à corpore transit in animam illi cohærentem, eamque informantem: ita supernaturaliter Deus vi divina, per ignem efficit in anima separata talem dolorem & cruciatum, qualis naturaliter in anima corpori conjuncta ob sympathiam mutuam existit.

Ignis gehennæ sulphureus.

Denique ignem gehennæ esse sulphureum liquet psal. 10. *Pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur*, &c. Isaj. 30. *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam*. Idem docet S. Joannes Apocal. 14. 10. & 21. Idem confirmatur ex eo, quòd Sodoma & finitimæ civitates igne sulphureo sint subversæ, Genes. 19. de quibus ait S. Judas, quòd *ignis æterni pœnam sustinentes, factæ sint exemplum* orbi, manifestè indicans, ignem sulphureum esse æternum: loquitur enim de pœnâ, quæ toti mundo fuit conspicua, quæ æterna non fuit: sed ignis sulphureus, cujus pœnam ipsi sustinebant, æternus est, quamvis non idem numero. Est enim sulphur aptissimum punitioni impiorum, tum propter vim igneam, qua facilè & vehementer exardescit; tum propter odoris tetri acrimoniam, quæ fœtori peccatorum congruit; tum, quia suffitui in expiationibus domorum sulphur adhiberi solet, ut inquit Plinius lib. 35. cap. 15. Inquinarunt peccatores domos suas, nempe, animam & carnem suam peccando, dum viverent. unde conveniens est, ut Deus igne sulphureo hasce domos, quantum fas est, expiet & quodammodo sanctificet: supplicium enim peccatorum est genus quoddam expiationis & purgationis. Hujus quoque rei signum est, quòd infinita vis sulphuris, partim semper ardentis, partim non ardentis, sub terra lateat, ut ex thermis & montibus ardentibus, qui plurimi sunt per orbem, manifestum est: nam & thermæ sulphur olent, & ignes

A montium sulphurei sunt. Ipsa quoque fulmina, quæ iræ divinæ sunt symbola, igne sulphureo constant, & sulphur olent. Ita noster Lessius de Attributis divin. in Justitia.

Ignis gehennæ est maxima pœnarum, quinque de causis.

Sicut ergo peccatum mortale, v. g. libido, ebrietas, superbia est summum malorum in ratione culpæ & offensæ Dei, ita ignis gehennæ summum est malorum in ratione pœnæ & vindictæ. idque Primò, quia ignis hic est sulphureus & infernalis. Secundò, quia idem est ardentissimus, acerrimus & efficacissimus. Tertiò, quia non tantùm corpora, sed & animas immediatè urit: in hac enim vita vis ignis in animam refringitur per corpus, ut non nisi refracta & quasi dimidiata ad animam perveniat: in gehenna verò ignis intimè uret ipsas animas & dæmones in seipsis: anima autem sensibilior est corpore; imò tota vis sentiendi oritur & residet in anima. Quartò, quia ignis gehennæ non lucet, sed est mera caligo; unde non solùm suo ardore, sed & sua caligine ac fumo, & fœtore sulphureo cruciabit damnatos. Quintò, quia ignis hic est æternus, ut extingui, imò minui non possit. *Hæc recordare*, ait S. August. serm. 181. de Temp. cap. 18.
B *& ignem illum gehennæ, his quæ te nunc exagitant, flammis libidinis & cupiditatis oppone. Ignis hic, qui in præsenti est vita, absumit cuncta, quæ recipit; ille verò, quos susceperit, semper cruciat, & pœna sua semper integros servat. Propterea enim & inextinguibilis dicitur, non solùm quia ipse non extinguitur; sed, quia nec eos quos susceperit, extinguet aut perimet. Hujus autem pœnæ & ignis illius potentiam nulla vox exponere, nullus poterit sermo explicare*, &c. Ubi *fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum*, Apocal. 14. 11.

Heu miseri stolidique mortales, qui modica carnis voluptate infatuati, quasi ebrii & amentes, Dei cælique immemores, æternitatis obliti, velut per jocum vos mergitis in omnium ærumnarum barathrum, in immensum æternitatis oceanum, in æternantia gehennæ incendia! Quid est, ò Deus immortalis, æternitas ignium, æternùm in flammis vivere? O verè momentum, quod delectat; æternum, quod cruciat! O vesania hominum omni insania insanior, qui exiguo carnis gaudio arcessunt sibi æternos ignes! O æternitas rogi sulphurantis! ò æternitas tartarea in flammis ignitissima, in desperatione perenni desperatissima! ò mortem vitalem, & vitam mortiferam! ò omnium tormentorum atrocissimum tormentum æternitas! Momento bibitur, luditur, fornicatur; momento transit voluptas, succedit illicò æterna calamitas. Sic ridendo itur in perennia ignium, cursu perenni æternitatis, sæcula. Itur, at non reditur: nam finis est exordium, exordiumque finis. O finis sine fine! ò mors sine morte! Cùm claudit orbem temporum, orditur orbis perennis suum orbem: Æternitas, inquam, post omne tempus semper quasi rediviva, suum orditur perennitatis orbem. Cogitabat hæc assiduè Reverendissimus D. Godefridus, nuper Bambergensis & Herbipolensis Episcopus, cujus pro alloquio Herbipoli fruitus sum, qui assiduè æternitatem mente versans, dicere solebat: *Omni momento sto ad ostium æternitatis*. Idem dicito tibi, ò Lector, cùm te caro vel dæmon ad illicita sollicitat: Si [illegible] fecero, luam æternis ignibus: sto ad ostium æternitatis, absit ergo, ut id faciam: absit, ut tam insanus sim. ego tanti pœnitere, & æternùm pœnitere non emo. Injice digitum in ignem, vel flammam candelæ, & si illum tolerare nequis ad horam, quomodo tolerabis æternos sulphu-
D rantis gehennæ globos?

An vermes veri in inferno? Negant aliqui.

Quæritur secundò, an in gehenna sint veri vermes, an metaphorici dumtaxat? Multi censent tantùm esse metaphoricos, putà, remorsus & angores conscientiæ oblatrantis, jugiterque damnato objectantis: Cur fornicatus es? cur te inebriasti? cur non prævidisti hæc tormenta? cur tam vili esca prodegisti Deum, cælum, felicitatem? cur tam brevi & exili voluptate accersivisti tibi hæc æterna gehennæ incendia? quàm facilè ea vitasses, si hæc sæpiùs cogitasses? Nunc tuam stultitiam, tuam vesaniam lues, & planges æterna, sed sera & inutili pœnitentia. Actum est, perii, damnatus sum, æternum ardebo. O me infelicem! ò me vesanum! ò me creaturarum omnium miserrimum & desperatissimum! Ita vermem hunc pro dolore & mœrore, qui quasi vermis oritur ex putredine peccati, accipiunt S. Ambros. lib. 7.

in

in Lucam, c. 14. cujus verba paulò ante recitavi, S. Hieron. in c. 66. Isaiæ, S. Thom. in 4. dist. 50. quæst. 2. art. 3. ad 1. & 2. ibique Dominicus Soto, & alij multi, ac noster Lessius de Attributis divin. lib. 13. c. 24. num. 159.

Afferunt alii.

Verùm S. August. 21. Civit. c. 9. & 10. S. Basil. in ps. 33. Prosper lib 3. de vita contempl. c. 12. S. Anselm. in Elucidario, S. Chrysost. Theophyl. Cyrill. Hugo Victor. & alii, quos citavi Isaiæ 66. 23. censent hunc vermem esse proprium, literalem & realem. Probatur Primò, quia in gehenna, ignis est proprius, non metaphoricus: ergo & similis est vermis. Secundò, quia hic vermis vocatur *carnis*, quasi carnem arrodens, uti notat S. August. loco citato.

Dices Primò, *τὸ carnis*, non est in Græco. Resp. *τὸ carnis*, est in Latinis omnibus. Olim etiam fuisse in Græco colligitur ex eo, quòd S. August. illud legat; qui tamen S. Hieron. versione, quæ Uulgata est, utpote tum necdum recepta, uti non solet, sed alia vetustiore.

Dices Secundò: Non dicitur *vermis carnis*, sed *vindicta carnis ignis & vermis*, ut sensus sit: q. d. Uindicta operum carnalium, vel vindicta carnis, id est concupiscentiæ, tum corporis, tum animi, cui indulserunt impii, erit ignis & vermis arrodens animam, & consequenter malè etiam afficiens carnem. Aut *vindicta carnis*, id est, animæ olim carni iunctæ & deditæ, erit vermis & ignis. Ita S. Thom. loco citato. Verùm hæc non satisfaciunt: dicitur enim *vermis vindicta carnis*, quia carnem ob peccata in ea commissa vindicabit & puniet, æquè ac ignis eandem carnem puniet & uret, non per animam, sed per se & immediatè. Alioqui enim omisisset *τὸ carnis*, & nude dixisset, *vindicta impii ignis & vermis*: præsertim quia propriè non agit de libidine, quæ est in carne; sed de superbia, quæ est in mente. Ait enim. *Humilia valdè spiritum tuum, quia vindicta carnis impii, ignis & vermis*. Denique idipsum clarè explicatur Iudith. c. 16. 21. ubi dicitur: *Dabit ignem & vermem in carnes eorum, ut urantur & sentiant in sempiternum*. Pluribus idipsum confirmavi Isaiæ c. 66. 23.

Tropol. vermis est remorsus conscientiæ.

Tropol. vermis hic est remorsus conscientiæ iam dictus, de quo S. Bernard. lib. 5. de Consider. *Hic est vermis, qui non moritur memoria præteritorum. Non cessat rodere conscientiam, eaque pastus esca utique inconsumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, & mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis. Hæc secunda mors, quæ nunquam peroccidit, sed semper occidit.*

Patheticè S. Ephrem tract. de Abrenuntiatione, & variis inferni pœnis, sub finem tomi 1. hunc vermem, putà luctum & lamenta damnatorum, repræsentat, ubi inter cætera ait: *Tunc amarissimè illacrymantes eiulantesque dicent. Il quo pacto in negligentia atque torpore tempus nostrum transegimus? O quomodo illusi sumus? O quomodo divinam Scripturam audientes irridentesque, nos ipsos irrisimus? Ibi Deus loquebatur nobis per Scripturas, & non attendebamus: hic nos iam clamamus, & ipse suam à nobis faciem avertit. Quid nobis prodeunt fines mundi? Vbinam qui nos genuit pater? Vbi quæ nos peperit mater? Vbi filii? Vbi amici? Vbi divitiæ? Vbi substantia atque possessiones? Vbi turba? Vbi convivia? Vbi vanii & intempestivi cursus? Vbi reges atque potentes? Quomodo à nullo eorum salvari modò possumus; neque verò nobis ipsi opem ferre. At penitus derelicti sumus, & à Deo & à Sanctis ejus.* Et paulò inferiùs: *Dicendum quid restabit? Valete, iusti universi. Valete, Apostoli, Prophetæ & Martyres. Vale, cœtus Patriarcharum. Vale, Monachorum agmen. Vale, crux pretiosa atque vivifica. Vale, cælorum regnum omni fine carens. Vale, superna Ierusalem, primitivorum mater. Vale, paradise voluptatis. Vale etiam tu, domina Dei genitrix, mater amatoris hominum Dei. Valete, patres ac matres filii atque filiæ: nullum siquidem vestrum visuri sumus ultrà. Postea verò abiturus est unusquisque in præparatum sibi ob prava sua opera tormentorum locum, ubi vermis eorum non moritur, neque ignis extinguitur.*

Noli praevaricari in amicum pecuniam differentem] Transit congruo ordine à cura sui, ad curam amici, qui est alter ego. Iam Primò, Lyran. sic exponit: q. d. Noli rumpere pristinam amicitiæ tesseram cum amico, si is differat tibi reddere pecuniam commodatam. Nam amicitia multò pretiosior est, quàm pecunia, uti docet Aristot. 8. Ethic. Maius verò bonum non est contemnendum pro minori; sed magis è converso. Sic & Rabanus, Palacius, & alij passim. Verùm hic sensus esto congruat Latinæ versioni, non congruit tamen Græcæ. Græcum enim διαφέρον, quod Noster vertit *differentem*, non significat tardantem, morantem, prorogantem solutionem pecuniæ debitæ, sed longè aliud.

Secundò, Iansenius ex manuscriptis legit: *Noli prævaricari in amicum pecunia differenti*, id est, ob pecuniam differentem, hoc est, ob pecuniam excellentem, aut variam & multam: Græcum enim διαφέρον, significat rem præstantem & excellentem. Verùm hic sensus esto congruat Græco; non congruit tamen Latino. Latinè enim *differens* non significat rem præstantem & excellentem, sed aliam & diversam. Adde, lectio eius discrepat à lectione Vulgata Bibliorum impressorum.

Tertiò, alij, uti notatur in margine Glossæ ordinariæ, legunt: *Noli prævaricari in amicum pecunia differentem*, qui, scilicet, in re pecuniaria à te differt & dissidet; sive, quia non tantum habet, quantum tu, sed te est pauperior; sive, quia pecuniam, quam ab eo quasi tibi debitam reposcis, vel gratuitò donari aut commodari efflagitas, negat, vel solvere procrastinat. Verùm omnes penè codices legunt, *pecuniam* (non *pecunia*) *differentem*: cui lectioni sensus iam assignatus non convenit.

Differre pro distrahere.

Quartò ergo & genuinè, *τὸ differentem* hic idem est quod divertentem, aliò avertentem & distrahentem. Hoc enim propriè est, *differre*, scilicet, in diversas partes ferre, ait Donatus, auferre & aliò transferre, item disturbare. Sic Plautus in Ruden. ait: *Nos cum scapha tempestas dextrovorsum differt*, id est, transfert & distrahit. Tacitus lib. 21. *Castra in plano sita vi fluminis differebantur*, id est, distrahebantur. Uarro de Re rustica lib. 1. c. 4. *Cytisum seritur in terra benè subacta, tanquam semen brassicæ: inde differtur* (id est, transfertur) *& in sesquipedem ponitur*. Terent. in Adelph. *Miseram me, differor* (id est, distrahor) *doloribus*. Plaut. in Cistellar. *Miser exanimor, feror, differor, diripior*. Idem significat Græcum διαφέρω, id est, in diversum fero, abripio, exagito, distraho. Sensus ergo est, q. d. Noli prævaricari in amicum, vt eius amicitiam abrumpas vel violes, hoc nomine, quòd pecuniam, merces & lucra à te avertat & aliò differat, id est, divertat & transferat ad se & suos, vel etiam ad alienos: aut quòd pecuniam tibi iure, vel ex amicitia debitam aliorsum differat, alibique expendat, itaque tibi eam numerare & solvere differat & procrastinet. Quare ex hoc sensu elicitur primùs paulò antè assignatus. Vide hic quàm noster Interpres sit Latinus, profundus & solers.

Ratio est, quia potest amicus huius suæ translationis instas, easque varias afferre causas, ut quòd alteri eam promiserit, aut quòd alter sit magis indignus, aut quòd Deo & rebus piis eam dicare cogitet, &c. Sed esto nullam iustam possit prætexere causam, nisi quòd ita ei faciendum videatur, itaque libeat, non tamen idcirco rumpenda tibi est pristina cum eo amicitia, quia hæc omni pecunia est potior. Nam, vt ait Cicero de Amicitia: *Amicus est optima & pulcherrima supellex*. Huic sensui favet Syrus, *ne commutes amicum in* (id est, pro) *pecunia, & fratrem*, qui est tibi (pro) *auro Ophir*. Et Græca, μὴ ἀλλάξῃς φίλον ἕνεκεν διαφέροντος, id est, *ne commutes amicum ob differens secundùm aliquid*, putà quia aliquid à te differt & divertit alioque avertit.

Pro διαφέροντος, Complut. Romana & alij legunt contrariè ἀδιαφόρου, id est, indifferens. Unde aliqui vertunt, *ne commutes bonum amicum propter indifferens*, id est propter adiaphora, putà, bona fortunæ, quæ media sunt inter virtutem & vitium, nec bona, nec mala, ideoque parvi facienda: quia sicut eis vti ad virtutem, sic iisdem abuti ad vitium possumus. Unde Tigurina vertit, *ne permutes unquam amicum re vulgari, nec fratrem sincerum auro Ophirio*. q. d. Aurum & pecuniam vt vilia pre amicitia contemne: noli propter ea amicitiam solvere; quia si egeret amicus, dares ei tua: æstima te iam dedisse, vel dare. Hoc est, quod audiemus c. 27. *Perde pecuniam propter fratrem & amicum*. Et Salomon Proverb. 12. *Qui negligit damnum propter amicum, iustus est*.

Neque fratrem (tum natura, putà fratrem germanum; tum amicitia, putà amicum qui est instar fratris) charissimum auro spreueris] putà propter aurum, quod ipse à te postulat, vel à te divertit, aut dare vel solvere differt. Græcè & Syriacè, *ne permutes amicum pro auro Ophir*, id est, pro auro præstantissimo, quale producit regio Ophir, vel, ut Complut. & Romana legunt, *Sophir* ait *Suphir*. Septuag. enim prò *Ophir* vel

Hophir

Hophir, vertunt *Sophir*, 3. Reg. 9. 28. & cap. 10. 11. 1. Paral. 29. 4. quia aspiratio *h*, sæpè vertitur in literam *s*, ut ὗς, sus: ὑπὲρ, super; ὕλη, sylua. Porrò Ophir, vel est Peru, unde aurum Salomonis vocatur aurum Peruim. quasi Peruanorum, 2. Paral. 3. 6. in Hebræo & Græco Septuag. vel, ut Gaspar Varrerius lib. de Ophir, est aurea Chersonesus, aut potiùs omnis ea ora, quæ Pegusiis, Malaca & Somatra continetur, unde noster Maffeius lib. 16. histor. Indicæ tradit, Pegusios originem & stirpem ducere à Iudæis exulibus, qui à Salomone damnati ad Ophirinas aurifondinas ea loca primi tenuerint. Aurum Ophir fuit præstantissimum & laudatissimum. Vnde Isidorus censet aurum obrisum dici quasi Ophirisum. Vide quæ de Ophir & Ophas dixi Ierem. 10. 9.

VERS. 21. NOLI DISCEDERE A MVLIERE SENSATA ET BONA, QVAM SORTITVS ES IN TIMORE DOMINI: GRATIA ENIM UERECVNDIÆ EIUS SUPER AVRVM] Ab amico transit ad uxorem quasi viro coniunctissimam, atque: Sicut amicus non est deferendus, nec auro commutandus; sic nec uxor, in qua quatuor requirit conditiones: Primò, ut sit sensata, id est, cordata & prudens: Secundò, ut sit bona, id est, non vitiosa, nec cervicosa aut maligna, sed bonis & commodis moribus. Tertiò, ut sit verecunda, indeque erga maritum humilis, & erga exteros casta: Quartò, ut habeat timorem Dei: τὸ enim *quam sortitus es in timore Dei*, tam ad uxorem, quàm ad virum pertinet: q.d. Quam timentem Deum ab eo obtinuisti, & ipse timens Deum, merito timoris Dei, iuxta illud cap. 26. *Mulier bona, pars bona, in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis suis*, ut data est Tobiæ Sara, Isaaco Rebecca, Dauid Abigail. Græca hoc loco concisè habent, *ne discedas à muliere sapiente & bona: nam gratia eius super aurum*; Syrus, *ne commutes mulierem bonam & pulchram visu pro margaritis*; Tigurina, *uxore sapiente bonaque cave ne excidas, si quam secundùm religionem Domini nactus es: nam venustas eius præstantior auro est*; vel, ut alii, *eius enim gratia superat aurum*. Olim licebat Iudæis dare uxoribus libellum repudii: monet ergo hic Sapiens; ne eum dent uxoribus, si illas sapientes, bonas & castas nacti sunt. In lege nova sublatum est repudium; certis tamen casibus permissum est thori divortium; sed suadet hic Siracides, ut illud non facilè fiat; imò, si uxor sit sensata & proba, illud facere non licet.

Ratio à priori. Ratio à priori est, quòd mulier sensata sensatè regat filios & familiam, itaque pace bonisque omnibus eam locupletet, ac marito sensata det consilia. Unde Deus dixit Abrahæ: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius*, Genes. 21. 12. Talia dedit S. Cæcilia Valeriano, Clotildis Clodovæo, Monica Patritio, &c. dum eos ad fidem & salutem traduxerunt. Rursum verecundia in uxore magis rubet & rutilat quàm aurum. illius enim rubor est *virtutis tinctura*, ut ita Diogenes apud Laert. atque arx pulchritudinis, æquè ac castitatis, ut ait Demades apud Stobæum serm. 72. Idem Stobæus serm 31. narrat, quòd Pythias Aristotelis filia rogata, quonam colore pulcherrimè genæ pingerentur, responderit, colore verecundiæ. Vnde S. Gregor. Nazianz. orat. advers. mulier. ambit. se ornantes: *Vnus*, ait, *color in mulieribus amabilis est, nimirum, rubor ille quam pudor gignit: qui quidem à pictore nostro* (Christo) *pingitur*. Et S. Ambrosius libro 1. Officior. c. 18. *Pulchra*, ait, *virtus verecundia, & suavis gratia: quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus*. Hic igitur rubor est purpura honestatis. Verecundiæ pariter est, quod scribit Plutarch. in Moral. *Luna*, inquit, *cùm soli coniungitur, tum obscuratur & occultatur; cùm abest, lucet: contrà, proba uxor præsente marito maximè conspici debet, eodem absente maximè condi ac latere*.

VERS. 22. NON LÆDAS SERUVM IN UERITATE OPERANTEM, NEQVE MERCENARIVM DANTEM ANIMAM SVAM] Ab uxore descendit ad seruum. Pro *non lædas*, Græcè est μὴ κακώσῃς, id est, ne affligas, ne malè tractes, ne malis verbis aut verberibus afficias *seruum in veritate*, id est, verè, fideliter, & ex animo, non fictè & ad oculum pro te *operantem: neque mercenarium dantem animam suam*, id est, qui non parcit sibi & labori, sed omnes animæ suæ corporisque vires operi, à quo conductus est, impendit, ut videatur præ nisu, conatu & sudore subinde efflare animam. In seruo ergo requirit fidelitatem, in mercenario diligentiam. Unde Syrus, *ne affligas seruum, qui servit in veritate; neque mercenarium, quia laborare facit animam suam* (id est, seipsum;) Tigurina, *ne male tractes famulum operantem fideliter, nec mercenarium se tibi totum impendentem*; Antonius in Melissa serm. 29. legit, *Seruum opus verè facientem ne male tractato*. Huc facit illud Senecæ lib. 1. de Clementia c. 18. *Seruis imperare moderate, laus est: & in mancipio cogitandum est, non quantum illud impune pati possit, sed quantum permittat æqui bonique natura, quæ parcere etiam captiuis & pretio paratis iubet*. Causam dat S. Paulus Ephes. 6. 9. *Et vos domini*, inquit, *eadem facite illis* (seruis) *remittentes minas: scientes, quia & illorum & vester Dominus est in cælis, & personarum acceptio non est apud eum*. vide ibi dicta. Rationem œconomicam dabat M. Crassus, qui liberaliter servos habebat, imò docebat: *Quia*, inquit, *servi anima sunt rei domesticæ instrumenta*. Idem sensit Aristoteles in Oeconomicis.

SERVUS SENSATUS SIT TIBI DILECTVS QVASI ANIMA TVA: NON DEFRAVDES ILLVM LIBERTATE, NEQVE INOPEM DERELINQVAS ILLVM) Græcè, VERS. 23.
seruum συνετὸν, id est, *prudentem, sensatum diligat anima tua, ne defraudes illum libertate*; Syrus, *seruus sapiens*, supple, si tibi sit, *dilige eum, ut animam tuam: & ne prohibeas ab eo libertatem*, id est, ne deneges ei libertatem; Arabicus, *ne noceas servo fideliter agenti; neque mercenario laborare facienti*, vel *vexanti animam suam. Dilige seruum sapientem secundùm dilectionem tuam animæ tuæ* (hoc est, prout te ipse diligis) *& ne prohibeas illum libertate*; Antonius in Melissa serm. 23. *Prudentem seruum ex animo diligito*. Duo ergo servo prudenti ab hero præstanda docet Græcus, scilicet, Primum, dilectionem ex animo; Secundum, libertatem: addit Tertium Latinus, ne dimittatur inops, juxta illud Deuter. 15. 13. *Quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum*. Porrò ait: *Non defraudes illum libertate*, quando, scilicet, vel pretio se redimere potest & vult, vel tempus servitutis à lege vel aliunde præscriptum expirat, uti Hebræis indultum erat sex annis tantùm servire, septimo verò anno liberos egredi, Exodi 21. 2. Rursum in iubileo omnes servi debebant liberi dimitti, Levit. 25. 41. Alias servum sensatum libertate donare consilii est, non præcepti: ejus enim prudentia & virtus meretur potius liberè agere quàm servire, potiùs aliis imperare quàm parere. Secùs est de seruis malis & insensatis: his enim utilior est servitus quàm libertas.

Porrò multi olim servos ob fidelitatem & officia sibi in filios adoptabant: itaque simul eos libertate & hereditate donabant, idque hic innuere & suadere Siracidem censent nonnulli. Ita Plato Dialog. 4. ait Republ. ati adoptione tolli servitutem, & Plutarch. in Politicis suadet libertos adoptari, ut simili adoptionis spe servi heris ad nutum obsequi condiscant. Idcircò etiamnum Turcæ servos sibi obsequentes in filios adoptant: quin & Hispani nonnulli, si filius desit, servum officiosissimum in filium adoptant. Idem factitasse Hebræos insinuat Salomon Proverb. 17. 2. *Seruus sapiens* inquit, *dominabitur filiis stultis, & inter fratres hæreditatem dividet*: sicque putant nonnulli Salomonem adoptasse sibi Jeroboam ob ejus fortitudinem, qui deinde insolentior factus regnum decem tribuum Roboamo eripuit, sibique arrogavit. *P. Catienus Philotimus*, ait Plinius lib. 7. c. 36. *patronum adeo dilexit, ut heres omnibus bonis institutus, in eius rogum se iaceret*. Sic & servi apud Gallos. eadem pyra cum heris cremabantur, teste Cæsare lib. 6. belli Gall. unde de iisdem agens Pompon. Mela lib. 3. c. 2. *Erant*, ait, *qui in rogos suorum, velut unà victuri, libenter se immitterent*.

Nota. Sapiens adeò hero commendat servos & ancillas: tum, quia officium heri est, suæ domus & domesticorum peculiarem habere curam; hoc enim exigit iustitia œconomica & ordo charitatis: tum, quia hoc ipsum redundat in decus & commodum heri: servi enim si ab hero benignè beneque tractentur, ipsi multò studiosiùs servient, ipsique per omnia placere satagent; quin & ejus mores ac virtutes æmulabuntur.

Quocirca ex moribus servi solent æstimari mores heri, ut heri decus, vel dedecus à servis pendeat. Audi S. Hieron. ad Demetriadem: *Mores & studia dominarum plerumque ex ancillarum & comitantium moribus iudicantur*. Et ad Principiam scribit, ex lascivia puellarum comitantium, de dominarum moribus judicari. S. Gregor. Nazianz. *Heri mores ex servo æstimatur.*

in car-

in carmine contra mulieres ornatas, graviter asserit, *ancillas esse imagines cordis dominarum*. Sicut enim veris nuntij sunt hirundines, flos fructus; ita & dominorum servi & ancillæ. Hinc illud proverbium apud Platonem lib. 8. de Republ. *Dominas imitantes catellæ*. Et illud apud Ciceron. lib. 5. ad Atticum: *Qualis hera, tales & ancillæ*. Et illud (Terentij) in Eunucho: *Domini similis es*. Causa est duplex. Prior, quòd famulos similes nobis adsciscamus: similis enim similem sibi quærit. Posterior, quòd servi soleant se accommodare moribus heri, eosque imbibere & induere. In eius enim qui sibi præsidet, *velut unici exempli, mores, ij qui sub sunt, se formant*, ait Livius lib. 1. decade 1. Vnde Euripedes apud Stobæum serm. 60. *Servi*, inquit, *dominorum morbis inficiuntur*. Et Alexis apud eumdem:

Ceterùm ergo vulgus servos similes
Habere videbis mores dominis.

Et Baptista Mantuanus egregiè ad Fulconem:

Cur tibi sint dociles servi sine crimine Fulco;
A simili mores accipiuntur hero:

Denique *servus sensatus* & fidus *sit tibi dilectus quasi anima tua*: quia ipse pro te animam ponit in laboribus, & ponet in sanguine, si opus sit. Sic plures servi pro heris ultrò se morti obtulerunt. Mero servus Antonij postulatus hero necem afferre, in se pugionem strinxit, & seipsum pro hero interemit, teste Plutarcho in Antonio. Post cladem Cannesem Romani undecim millia servorum armarunt, qui heris libertatem, Romæ imperium restituerunt, teste Valerio Maximo libr. 7. cap. 6. Plura recenset Seneca lib. 3. de Benefic. cap. 23. & seqq. Onesimus servus Philemonis, conversus à S. Paulo, ab eodem, Philemoni quasi cor & viscera commendatur, ut patet ex epist. ad Philem. Vnde Onesimus Ephesiorum tandem evasit Episcopus, ac gloriosum obiit martyrium.

Mysticè, servus sensatus est corpus iusti: hoc enim corpus sensatum est, quod rationi subest, quod virtuti paret, quod nullo modo divino amori moventi renititur; cui propterea libertas à vitiorum labe, & studiosorum operum opes debentur. Tale igitur corpus licet aut mendicitate prematur, aut doloribus affligatur, aut imbecillitate molestetur, felicitatem huius vitæ non impedit, sed promovet; siquidem perfectæ virtutis instrumentum est. Perfectio quoque divitias virtutum comparat, præsertim quia eius animum à desiderio rerum terrenarum abducit, ut rebus ad usum vitæ necessariis (quæ paucissimæ sunt) contentus, reliqua nec quærat, nec concupiscat. Dives autem est, qui nihil appetit, qui suis contentus iucundè vivit.

VERS. 24. PECORA TIBI SVNT? ATTENDE ILLIS] Græcè, ἐπισκέπτου αὐτά, id est, inspice, intende, visita, cura illa: non credas ea per omnia servis; sed tu ipse ea quandoque visita, an debite à famulis tractentur & alantur: *Oculus enim Domini saginat equum*: *& si sunt utilia, perseverent apud te*. Sin inutilia sunt, divende, abijca, vel in cibum usumque familiæ occide & macta. Syrus, *iumentum est tibi? experire illud*: *& si verum* (id est, integrum & undequaque perfectum) *est*, *possside illud*. A cura servorum descendit ad curam pecorum, quæ pariter hero serviunt: vnde iumenta vocantur à iuvando.

Iumenta curanda tres ob causas. Prima. Porrò tribus de causis eorum curam commendat. Prima est, quia heri est curare non tantùm se, sed & totam familiam, ad quam pertinent & pecora. Rursum benignitas & beneficentia heri se non tantùm ad homines, sed & pecora extendat oportet: sicut enim vitium sævitiæ est nimio labore obruere iumenta, aut negare eis cibum debitum: sic pariter virtus clementiæ est benignum esse in pecora, eisque de pabulo, adaquatione, ceterisque commodis, statis horis providere, iuxta illud Proverb. 12. 10. *Novit* (Septuag. *miseratur*) *iustus iumentorum suorum animas*: *viscera autem impiorum crudelia*. In quæ verba S. Chrysost. homil. 29. in epist. ad Roman. *Sunt enim*, inquit, *Sanctorum animæ vehementer mites, & hominum amantes, non solùm erga suos, sed etiam alienos: ita ut hanc suam mansuetudinem etiam ad animantia bruta extendant. Idcircò Sapiens dixit: iustus miseretur animarum iumentorum suorum: si ergo iumentorum, multò magis hominum.*

Secunda. Secunda, quia herus curando pecora curat seipsum, putà res suas, quibus se & familiam alit; quare stolidi & sibi ipsis iniqui sunt heri sævi, qui sua avaritia aut sævitia suos equos, boves, asinos ita onerant, ut succumbant; ita verberant, ut lacerent; ita parcè alunt, ut viribus deficiant: hi enim privant se ingenti commodo, quod ex eis perciperent, si ritè eos tractarent.

Tertia, quia inhumanitas & sævitia in pecora signum & principium est sævitiæ in homines. Quocirca ex historiis liquet, eos, qui crudeles fuere in homines, sævos quoque fuisse in bestias. Ita Nero crudelis delectabatur laniena & carnificina animalium, adeoque ipse sua manu sæpè ea iugulabat, hæcque erat eius recreatio & voluptas. Domitianus crudelis, horas plures per diem vacabat captioni & mactationi muscarum: stylo enim aureo eas configebat, ut nullam vivam relinqueret unde proverbium: *Ne musca quidem*. Quocirca Oppianus lib. 2. de Venatione, venationes nimias regibus vetat, causamque dat: *Ne cæde animalium delectati, hominum quoque interneciones cogitent*. Xenophon quoque docet, Cyrum se & Persas per venationem & mactationem animalium, assuefecisse bello & iugulationi hominum. Hac de causa Deus Iudæis iussit humanitatem in bestias: v. g. ne ararent in bove & asino, quia asinus impar est bovi, & plus æquo in eodem cum bove iugo gravatur: ne auferendo nidos avium, caperent matrem simul cum pullis: ne alligarent os bovi trituranti: ut die septimo, putà, sabbatho, sinerent quiescere iumenta omnia. *Quo facilius*, inquit Tertull. libr. 2. contra Marc. c. 17. *in pecudibus & bestiis præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur*; ut, scilicet, Iudæi duri discerent esse humani in homines, quia à Deo humani cogebantur esse in bestias.

Tropol. Pecora sunt homines rudes & hebetes: q. d. Si habes homines parvi cerebr. & mentis tibi commissos, comparere hebetudini & fragilitati eorum: nec tædeat te eos erudire & formare in doctrina & vita Christiana, etiamsi parum videaris proficere, memor istius:

Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo:
Sic homo fit doctus, non vi, sed sæpè studendo.

Sic legimus S. Isidorum Archiepiscopum Hispalensem, cùm puer esset, adeò hebeti fuisse ingenio, ut nihil caperet: quare de relinquendis studiis cogitans, cùm mœstus iuxta puteum consisteret, intuitus sulcos, quos in lapide duro crebri sitularum attractus effecerant, sic secum ratiocinatus est: Si iteratio & frequentia trahendi potest excavare lapides, utique frequentia studendi poterit polire meum ingenium, esto hebes & durum. Quare resumpto animo constanter studiis vacans, vir adeò doctus evasit, ut eo doctiorem illo ævo non viderit Hispania; quin & ei debeat gymnasia, academias, virosque doctos, vtpote qui eius fuere discipuli, vel asseclæ & æmuli. ita habet eius Vita. Id notent & imitentur qui catechizant & docent rusticos, Indos, Caphres, mancipia, quibus natura dimidium mentis dumtaxat dedisse videtur, ait Aristot.

Symbolicè, peccora sunt animales hominis appetitus, sensus & sensationes. in his enim convenimus cum pecoribus, sumusque animalia, & vivimus animaliter. His invigilandum est, ut sint utilia, & subserviant rationi ac menti, quasi suo hero & domino: cui si reluctentur & rebellent, abdicanda sunt, & mortificanda, iuxta illud: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, Rom. 8. 13.

FILII TIBI SUNT? ERUDI; Græcè, παίδευε, id est, instrue, castiga, forma, ILLOS, ET CURUA, doma, ILLOS A PUERITIA ILLORUM] Syrus, *filios habes, erudi* (vel *corripe*) *illos, & accipe illis uxores in adolescentia eorum*, ne discurrant ad scorta. Vox *erudi*, spectat propriè ad intellectum: vox *curva*, ad affectum: vterque enim dirigendus & formandus est in pueris & iuvenibus, ne vel rudes & indociles maneant, vel inflexiles & indomiti: pueris enim congenita est in intellectu ignorantia, hæc tollenda est eruditione: in affectu superbia & concupiscentia: hæc curvanda & castiganda sunt mortificatione, iuxta illud Proverb. 13. v. 24. *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit*: *Curva* ergo eorum cervicem, ut discant se humiliare & obedire, ut discant frangere suos appetitus & concupiscentias, ut fugiant illecebras & mollitiem. VERS. 25.

Verè Fabius lib. 1. Instit. c. 3. *Mollis*, ait, *educatio mentis corporisq; vires frangit*. Et Plutarch. lib. de Liberis educandis: *Vidi*, ait, *patres, quibus amor nimius causa extitit, ne amarent.*

rent. Hi imitantur simias, quæ fœtus ita arctè complectuntur, ut subinde eos enecent, teste Plinio lib. 8. c. 54. Aspera fuit illa filiorum educatio, de qua Virgil. Æneid. 9.

Natos ad flumina primùm
Deferimus, sævoq; gelu duramus & undis.

Plura hac de re vide apud Plutarch. in Lycurgo, Senecam lib. 2. de Ira c. 21. Alexandrum ab Alexandr. lib. 2. Genial. c. 25. Prudenter S. Chrysost. homil. 9. in 1. ad Timoth. parentes monet, *ut nihil agere filiis permittant, ex iis quæ noxiè iucunda sunt.* Nam, ut rectè monet Clemens lib. 1. de Pædag. cap. 7. *Vinescit vitis, nisi putetur; ita & homo*

Piè & sapienter S. Hieron. epist. 7. ad Lætam docet particulatim, quomodo Paulam filiolam instituat: *Postquam*, inquit, *Ablactaveris eam cum Isaac, & vestieris cum Samuele, redde pretiosissimam gemmam cubiculo Mariæ, & cunis Iesu vagientis impone. Nutriatur in monasterio, sit inter virginum choros: iurare non discat: mentiri sacrilegium putet: nesciat sæculum: vivat angelicè: sit in carne, sine carne: omne hominum genus sibi simile putet.* Similia suadet S. Chrysost. homil. 21. in epist. ad Ephes. *Peperisti*, inquit, *puerum? imitare Annam. Disce, quid fecerit illa: mox illum subduxit, atque obtulit in templo. Quis vestrum non innumeris modis mallet filium suum fieri Samuelem, quàm totius orbis regem.*

Vers. 26. Filiæ tibi svnt? serva corpvs illarvm] integrum, intactum, castum & purum. In eo enim omnis filiæ decor & dignitas consistit; præsertim, quia ejus sexus & ætas fragilis est, & in vitium pronus, multique ei insidiantur. Id facies, si eam domi contineas, si à iuvenibus, à conviviis, à tripudiis, à spectaculis parum honestis parum honestis eam arceas: sic enim vitium passa est Dina, eò quòd curiosè spectarit Sichimitas, Genes. 34. Si semper te vel matrem ducem comitemque habeat, si ancillæ & servi sint pudici, si nullum sermonem impudicum audiat; nam corrumpunt bonos mores colloquia prava: si denique verecundiæ pudicitiæ amor, ac impudicitiæ horror continuò ei inseratur. Quæ sanè inter omnia efficacissima est castitatis medicina & custodia. Audi Ovidium lib. 3. elegia 4.

Dure vir, imposito teneræ custode puellæ,
Nil agis: ingenio quæque tuenda suo est.
Vt iam servaris benè corpus, adultera mens est:
Nec custodire, ut velis, ulla potest:
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas;
Omnibus exclusis intus adulter erit.

Et paulò pòst:

Centum fronte oculos, centum cervice gerebat
Argus: & hos omnes sæpe fefellit amor.

Et non ostendas hilarem faciem tvam ad illas) Tum ut severitate vultus reperimas & coerceas earum lasciviam, levitatem, libertatem, audaciam; tum, ut eadem illis pudorem & metum tui iniicias, ne te offendere audeant; tum, ne patris erga se blanditiis discant viris affici, & erga eos liberiores & inverecundiores fieri, ait Jansenius. Nam, ut ait Salomon, *Melior est ira risu: quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Ecclesiast. 7. 4. In quæ verba S. Gregorius Thaumaturgus: *Prudens ira*, inquit, *risui præferenda est: severa enim vultus habitudine anima ad rectum honestumque componitur, ac sapientum quidem animæ tristitia contrahuntur, stultorum autem animæ lætitia elatæ diffunduntur.* Et Isidorus Campensis: *Per tristitiam*, ait, *quæ in vultu apparet, cor admonetur officii sui*, præsertim cor feminę, quod magis timore, quàm amore in officio continetur. Satis est filiabus amor & familiaritas matrum. non igitur requirant etiam patrum indulgentiorem affectum. Credát ex patris severiore vultu viros, esse severos ne, illorum amore facilè capiantur. S. Bern. lib. 4. de Consider. c. 6. *Filiæ tibi sunt? noli faciem tuam hilarem ad eas ostendere. Nec austeritatem tamen (suade) tibi, sed gravitatem. Illa infirmiores fugat, hæc reprimit leviores. Illa si adsit, odibilem; hæc si desit, contemptibilem reddit: in omnibus tamen modus melior. Ego nec severius velim, nec dissolutius. Quid hac mediocritate gratius, ut non de severitate sis oneri, nec de familiaritate contemptui?* &c. *Ille convenientior habitus, si tu actu quidem severus sis, vultu serenus, verbo serius.* Clemens Alexandr. 1. Pædag. c. 9. citans hæc verba: *Et ne ostendas hilarem faciem ad illas Qui*, ait, *ad gratiam loquuntur, parum diligunt; qui autem ad utilitatem, acerbi sunt, in futurū sæculum beneficio afficiunt non præsentem voluptatem Dominus, sed futuram spectanis delectationē.*

A Hoc sapientis monitum servavit sponsa, quæ cùm formosa esset, nigram se tamen sodalibus ostendit. Cant. 1. 5. Quæ verba explicans S. Bernard. serm. 28. in Cant. *Vt*, inquit, *remissis, mollibus, & fugitantibus disciplinam, non candorem serenitatis, sed obscurum severitatis exhibeat.* Suum, scilicet, imitata est sponsum, de quo David psal. 117. *Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me*, In quæ verba Clemens Alexandr. 1. Pædag. c. 7. *A Domino*, ait, *castigari, & tanquam à pædagogo erudiri, est à morte liberari.* Leæna, teste Philostrato lib. 7. ut cicuretur, non nimis blandè delinienda est, alioqui insolescit & ferocit: sic & mulier, præsertim filia, quam Cato vocabat animal indomitum. Margaritæ in conchis concrescunt, non sudo, sed turbato cælo, ut docet Dioscor. & Physici: si ergo filiam vis margaritam, id est, puram & virginem, severum ei vultum ostende, iuxta illud Iob 29. 24. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Crocus, ait Plinius lib. 21. cap. 6. *gaudet calcari & atteri pede, pereundoque meliùs provenit.* Sic & crocea filiarum integritas. Huc facit illud S. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 2. *Qui præest, debet & arridens timeri, & iratus amari; ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum.*

B Tropol. vel symbolicè, filiæ Dei sunt animæ sanctæ: harum Deus corpus, id est, integritatem virtutum omnium, servat, ideoque non hilarem, sed severum eis vultum ostendit, dum eas variis tribulationibus affligit. Unde S. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 17. iis applicat illud Iob cap. 12. *Lampas contempta apud cogitationes divitum. Iusti*, inquit, *simplicitas & lampas esse dicitur & contempta. Lampas, quia interiùs lucet: & contempta, quia exteriùs non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria resplendet decoris. Lucet ergo & despicitur, qui flagrans virtutibus abiectus æstimatur.* Deinde ostendit talem lampadem fuisse Christum & Paulum, ac subdit: *Sed contempta lampas, quæ in terra irrisiones tolerat, de cælo lucidius per iudicium coruscat. Vnde aptè subiungitur, Parata ad tempus statutum.*

Trade filiam nuptui, sive marito, cùm ad nubiles annos pervenerit, idque tempestivè, antequam eius decor, fœcunditas & vigor deflorescat: et grande opvs feceris] Tigurina, *eloca filiam, & magnum opus peregeris. Grande*, quia difficile, æquè ac perutile, tum ti- Vers. 27.
C bi, tum filiæ, tum reip. Tibi, quia ingenti eius cura, ac procorum molestiis & periculis te liberas & exoneras: vnde Syrus vertit, *exire fac filiam, & egredietur violentia.* filiæ, quia eius pudicitiæ consulis, eamque collocas in statu honesto per omnem vitam: reipubl. quia eius coniugium dabit proles, quæ numero, officiis & meritis augeant rempubl. Hoc consilium congruit ævo Siracidis, quo cælibatus non erat in vsu, imò erat dedecori. At Christus divinius consilium dedit, dum suasit virginitatem & cælibatum. Audi Apostolum 1. Corinth. 7. 8. *Dico non nuptis & viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.* Causam dat v. 34. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Idcircò erecta sunt tot virginum monasteria, quibus clausura à Canonibus & Concil. Trident. severè indicta est. Nam *femina aut murus, aut maritus.* Trade ergo filiam viro: nisi illa meliori viro, scilicet, Christo, iungi velit in monachatu.

Siracidi consentit Ben-Sira alphabeto primo, littera Mem: *Aquæ mulieris, quæ virgo inventa est dulces*
D *sunt, & augent vires*: (alludit ad illud Proverb. 5. vers. 15. *Bibe aquam de cisterna tua*, id est, fruere vxore tua:) *sed aquæ mulieris vetulæ amaræ sunt. ut absinthium, & debilitant vires ut cisterna, quæ aquas habuit quas ventus hauriendo absorpsit.* quasi dic. Vetula effœta est, exhausta, infæcunda & sterilis, ideoque ingrata & insipida. Quocirca S. Ignatius citatus ab Antonio in Melissa, lib. 1. cap. 14. *Iunioribus*, ait, *contrahendæ sunt nuptiæ, antequam meretriciis amoribus implicentur.* Quin & Plutarchus in Laconicis refert, Lycurgum certum tempus præscripsisse, quo puellæ nubere, iuvenes ducere deberent. Rogatum cur? respondisse: *Vt soboles ex adultis, perfectæque ætatis parentibus nata, valida sit & vegeta.* Ex præpropero enim coniugio læduntur corpora gignentium, ac proles nascitur imbecilla. Denique iunioribus parentibus deest apud liberos auctoritas, quam ætas conciliat.

Et homini sensato, (Græcè, συνετῷ, id est prudēti, intelli-

intelligenti, *Syrus*, *sapienti*; Tigurina, *cordato*) DA ILLAM) Græcè, ἔκδοσον, id est, *dona*, hoc est, da, trade etiam sine dote. Scitum est illud Themistoclis filiam viro tenuis fortunæ, sed sapienti elocantis; *Malo virum pecunia, quàm pecuniam viro indigentem*. Multorum hac in re gravis est error, qui dum filiabus maritos quærunt, quærunt opulentos & nobiles. nec multum curant, an prudentes & sapientes sint, insipientes: unde multa infausta & lugubria filiarum cum maritis coniugia intuemur. Democritus dicebat, *Qui bonum generum nactus sit, invenisse filium; qui verò malum, simul & filiam perdidisse*, teste Stobæo serm. 68. Sapientissimi & felicissimi sunt, qui filiabus maritos procurant sapientes, æquè ac opulentos & nobiles; uti Noemi nurvi suæ Ruth procuravit maritum Booz opibus æquè ac prudentia & probitate insignem.

Filiarum elocatio quoto anno facienda. Porrò leges civiles & canonicæ feminam nubilem, & matrimonio maturam definiunt anno ætatis duodecimo, virum verò anno decimoquarto: at non suadent eo exacto statim contrahi matrimonium. Illud tantùm scriptum reliquerunt, filiam posse inconsulto patre coniugium contrahere, si pater ejus nuptias distulerit usque ad annum 25. quasi senserint feminam intra illud tẽpus esse nuptui tradendam. Hesiodus lib. 2. de Oper. & dieb. viro annum trigesimum, feminæ decimumquintum ad matrimonium constituit. Solon apud Philonem lib. 2. de Opificio mundi, quintum septenarium, id est, annum 35. nuptiis assignavit. Plato lib. 6. de Republ. *Nuptiarum*, ait, *tempus sit puellæ ab anno decimosexto in vigesimum, idque sit longissimum tempus ad hoc institutum, masculo à trigesimo ad trigesimum quintum*. Vide Aristot. lib. 7. Polit. cap. 16. ubi feminas nuptui tradendas censet anno ætatis 18. masculos 36. quia mas gignere potest usque ad annum 70. femina ad 50. vide & Tiraquellum lege 6. connubiali.

Vers. 28. MULIER (Græcè, γυνή, id est, uxor) SI EST TIBI SECUNDUM ANIMAM TUAM, talis, scilicet, qualem anima tua desiderat, quæ nimirum, sit facilis & commodis moribus, quæque tuis votis æquè ac ingenio & affectibus congruat, NON PROIICIAS ILLAM, ne des ei libellum repudii in lege veteri permissum & licitum: ET ODIBILI, ob pervicaciam, garrulitatem & morum improbitatem, NON CREDAS TE) Græcè, μὴ ἐνδῶς σεαυτόν, id est *ne tradas* vel *dedas teipsum*, scilicet, in maritum, ait Jansenius. Verùm iam præsupponitur esse uxor, quam proinde non suadet statim abiici, sed ut maritus ei se suaque secreta non credat. Maritus enim tradit vel dedit se uxori, cùm totum se ei fidit & committit, cumque omnia sua in ejus sinum effundit, uti Samson se effudit in sinum Dalilæ, ideoque ab ea proditus, est à Philisthæis captus & exoculatus. Et Amphiaraus Eriphilæ uxori revelans suas latebras, ab ea pretio aurei monilis venditus & proditus est, teste Statio Hygino cap. 73. Unde Dionys. pro *non credas te*, legit, *non reveles tua occulta*. mulier enim tacere, & secreta servare nequit. Unde Cleobulus: *Cum uxore*, inquit, *ne contende, neve ei nimiùm confide*. Et Cato trium se pœnitere dicebat: tertium erat, quòd umquam secretum credidisset mulieri. Hoc est, quod ait Michæas c. 7. v. 5. *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, claude ostia oris tui*. Hinc vertit Syrus, *uxorem habes, ne dimittas eam; &, si iniqua est, ne credas ei*; Vatabl. *uxorem ex sententia nactus es, ne repudies; nec te permittas odiosæ*.

Redit Siracides ad v. 21. *Noli discedere à muliere sensata & bona*, illudque quasi magni in familia ad pacem, concordiam & virtutem momenti commendat & inculcat. Palacius per *mulierem*, accipit uxorem; per *odibilem*, concubinam: q. d. Noli abiicere uxorem, & adhærere concubinæ, eique te credere; quia hæc odibilis est: tum, quia est causa odii & litium inter maritum & uxorem; tum, quia eam mox oditurus es, cùm videbis ab ea opes tuas exhauriri: olim enim polygamia erat licita, & concubina vocabatur secundaria uxor, qualis Abrahæ fuit Agar, Jacobo Bala & Zelpha. Verùm nil cogit *odibilem* restringere ad concubinam. Cuilibet enim uxori si odibilis sit, suadet non esse credendum.

Uxor quærenda similis marito. Nota τὸ, *secundùm animam*. Illo enim significat diligendam cuique esse uxorem, quæ gratis sit moribus, quæque cum marito habeat sympathiam, & moribus congruat. Tædiosa enim est vita mariti, si cum uxore indolis & complexionis sibi contrariæ iugiter versari debeat: v. g. si maritus complexionis sanguineæ & jovialis, perpetuò agere debeat cum uxore tristi, tetrica, melancholica. Rursum vulgatum est illud Pittaci apud Laertium lib. 1. c. 5. *Uxorem tibi æqualem ducito*. Rationem dat Cleobulus apud Stobæum serm. 3. de Temperant. *Si enim ex superiore familia duxeris*, inquit, *non affines tibi, sed dominos comparabis*. Chilon apud Stobæum serm. 38. dixit, *filias elocandas esse ætate virgines, sed prudentia matronas*. Idem censuit uxorem humilem modico apparatu ducendam, ne pro coniuge dominam accersas domum: sat enim dotata venit puella, quæ pudicitiam & honestos mores secum defert. Idcircò Lacones sanxerunt, ut virgines sine dote nuptum irent, teste Laertio lib. 1. c. 4. ut iuvenum quisque ad puellæ mores respiciens, ex virtute & indole sibi congruente faceret electionem.

IN TOTO CORDE TUO HONORA PATREM TUUM, ET GEMITUS MATRIS TUÆ, quos in te concipiendo, utero gestando, lactando, fasciando, &c. toleravit, NE OBLIVISCARIS) Ita hæc nectunt Latina, Romana, Græca & Syrus: quare perperam Jansenius & alii, τὸ *in toto corde*, annectunt versui præcedenti. Jubet ergo filio: *In*, id est, *ex*, *toto corde honora*; Græcè δόξασον, id est, *glorifica patrem tuum*; Tigurina, *patrem tuum animo toto magnifica, nec dolorum matris obliviscaris*. Hoc ipsum Tobias moriens filium docuit, dicens c. 4. *Honorem habebis matris tuæ omnibus diebus vitæ tuæ. Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo*. Porrò gemitus matris majores sunt, quibus illa gemit pro filio sceleribus perdito, ut in viam virtutis & gratiæ divinæ redeat, quales fuere gemitus S. Monicæ pro S. Augustino, quos ipse recenset in lib. Confess. Vers. 29

MEMENTO, QUONIAM NISI PER ILLOS NATUS NON FUISSES, ET RETRIBUE ILLIS, QUOMODO ET ILLI TIBI) Nonnulli codices delent τὸ *natus*, leguntque significantiùs, *nisi per eos non fuisses*: q. d. Sine parentibus non fuisses in rerum natura, fuisses non ens, fuisses nihil: totum enim quod es, à parentibus habes. Græca paulò aliter habent: *Memento, quod per eos natus sis, & quid retribues eis sicut illi tibi?* q. d. Non potes eis par pari reddere: *diis enim, parentibus & præceptoribus æquivalens reddi nequit*. Nostra Latina versio est nervosior, cui consentit Syrus, *memento, quia nisi ipsi, tu non esses; & quis retribuet iis quæ te educaverunt?* Licet enim parentes propriè tantùm dent corpus filio, anima vero creetur à solo Deo; tamen, quia corpus taliter à parentibus organizatum talem poscit animam, ideoque Deus eam creat, & creando infundit corpori; hinc parentes corporis censentur quoque esse parentes animæ, saltem mediatè, putà mediante corpore: vocantur enim parentes totius compositi, putà hujus hominis, qui conflatur ex anima & corpore. Vers. 30.

Videtur Ecclesiasticus hoc loco sequi opinionem illorum Philosophorum & Theologorum, qui censent individuum, putà prolem hanc, determinari à causis secundis: v. g. cur nascatur hæc proles, non alia, causam esse parentes, qui hoc loco & tempore generantes determinant generationem ad hunc genitum naturaliter: nam supernaturaliter Deus potest facere, ut idem filius ex alio nascatur. Hanc sententiam videtur sequi S. Thom. qui censet individuationis causam esse materiam signatam, sive affectam hisce circumstantiis & accidentibus. Eamdem tenet Gabriel Vasquez 3. p. q. 19. a. 4. disp. 74. c. 7. eamque probat tribus argumentis. Primò, quia Deus est causa universalis & indeterminata, quæ determinatur ad hanc vel illam speciem, (multò magis ad hoc, vel illud individuum) à causis secundis. Secundò, quia actus liberi determinantur à voluntate libera, non à Deo; alioqui si à Deo essent prædeterminati, non essent liberi. Tertiò, quia nisi effectus determinaretur à causa, posset idem numero reproduci naturaliter: si enim illa in se est indeterminata, æquè ac effectus ejus, non apparet ratio cur non possit eumdem reproducere: unde sequeretur, resurrectionem corporem esse naturalem, cùm constet eam esse supernaturalem. Favet S. Chrysost. homil. 5. de Pœnit. ubi quærit, cur Deus Esau, quem odio habebat, non ilicò è medio sustulerit? ac respondet, causam fuisse, ut ex eo nasceretur Job, qui alioqui natus non fuisset: *Si excisus fuisset*, inquit, *maximum fortasse iustitiæ fructum mundus amisisset. Et qualem, audi. Esau genuit Raguelem, Raguel Saram, Sara Iob. Cerne, qualis elanguisset patientiæ flos, si præveniens Deus à radice pœnas exegisset*. Idem liquet de multis Sanctis, quorum nativitatem parentes

An idem filius possit ex aliis parentibus nasci. Nebat Vasquez.

Probat Primò.

Secundò.

Tertiò.

rentes suis precibus & meritis impetrarunt. Denique non decrevit Deus nasci hos vel illos filios, nisi quia prævidit parentes eos tali die vel hora generaturos. Effectus enim non prævidetur, nisi ex prævisa causa. Excipio Christum, B. Virginem, & fortè Sanctos aliquos eximios: Christus enim ante ceteros homines à Deo decretus & prædestinatus est, quasi caput & redemptor omnium; sed B. Virgo sua sanctitate meruit, ut ex se potiùs quàm ex alia fœmina nasceretur, uti docent Theologi.

Asserit Suarez. Contrarium docet P. Suarez 3. parte, disp. 10. sect. 7. & clariùs in Metaphys. tom. 2. disp. 26. sect. 5. n. 27. & Salazar tractat. de Concept. cap. 24. numer. 24. 30. & sequent. censent enim determinationem effectus, v. g. prolis, quoad individuum à Deo fieri; ita ut quilibet singularis effectus, qui ab una singulari causa producitur, possit etiam ab alio produci; ac proinde proles quæ gignitur ab hoc patre, possit ab alio quoque generari: itaque à Deo determinari, ut hic in individuo ab hisce parentibus producatur, non alius, nec ex aliis. Quocirca Deum primò decrevisse, ut tales totque homines in individuo existerent in mundo: deinde decrevisse, ut iidem ex talibus parentibus, tali tempore nascerentur.

Iuxta hanc sententiam, quæ sanè difficultates magnas habet, hic locus Ecclesiastici exponendus est: *Memento, quoniam nisi per eos natus non fuisses*, quia, scilicet, Deus ultimò prædeterminavit, ut ex iis solis nascereris, non ex aliis posito autem hoc ultimo Dei decreto, impossibile fuit, te ex aliis nasci; quia non potes nasci, nisi uti Deus voluit & decrevit. Imò P. Fonseca lib. 5. Metaphys. c. 2. qu. 14. sect. 3. eodem redire asserit, dicere, hunc effectum esse hunc numero potiùs quàm illum, quia productus est ab hoc numero agente, & ex hac numero materia, & in hoc numero vel momento temporis; ac si quis dicat: quia divina voluntas ad hunc numero effectum naturalem in hoc numero ac tempore, naturales ejus causas determinavit.

Sententia Scoti. Porrò Scotus in 2. dist. 20. q. 2. opinatur in statu innocentiæ (si in eo perstitisset Adam) eosdem numero futuros fuisse homines, qui nunc prædestinati sunt, & non plures, nec pauciores (nulli enim tunc fuissent reprobi) ideoque prædestinatos, qui nunc nascuntur ex reprobis, tunc nascituros fuisse ex prædestinatis. Ratio ejus est: Quia, inquit, prædestinatio facta est ante prævisum peccatum originale, & ante prævisas generationes omnium futurorum hominum, quod etiam docet Suarez lib. 1. de Prædestinat. c. 12. Favet S. Gregor. l. 4. Moral. c. 26. vel 28. cùm ait: *Si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret: sed hi, qui nunc per redemptionem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur.* Sed exponi posset S. Gregor. de electione in genere, non in individuo: q. d. Si Adam perstitisset, soli electi ex eo nascerentur; sed illi tunc fuissent electi per solam Dei electionem, cùm nunc omnes electi sint per redemptionem Christi.

Refellitur. Verùm, quidquid sit de mente S. Gregorii, communiter alii Theologi docent cum S. August. electionem factam esse post prævisum peccatum originale, quia facta est ex meritis Christi, quæ hoc peccatum præsupponunt. Unde passim S. August. docet, electionem Sanctorum esse factam ex massa peccato originali infecta & corrupta. Rursum prædestinatio præsupponit subiectum, putà hominem, prædestinatum iam esse in rerum natura, vel esse futurum. Qui enim non est homo, nequit prædestinari ad humanam gratiam & gloriam. Denique parum probabile videtur, quod addit Scotus, ut suam sententiam iam recensitam tueatur, scilicet, nonnullos; qui nunc nascuntur in sexu feminino, in statu innocentiæ nascituros fuisse in statu virili, vel è contra: præsupponit enim nunc viros & feminas nasci numero impari, in statu autem innocentiæ nascituros fuisse numero pari, ut quilibet vir suam haberet uxorem, & quælibet uxor suum virum.

Moral. hic duce, quàm parentes, & maximè Deum patrem omnium, amare & revereri debeamus. Unde Diogenes ad quemdam qui patrem spernebat: *Non te pudet*, inquit, *eum despicere, cui debes hoc ipsum, quòd tibi places?* ita Laert. lib. 6. Et Plato ad similem: *Non desines*, ait, *illum contemnere, cuius gratia altum sapere vis?* ita Maxim. serm. 33. De Deo verò Moses ait Israeli: *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Deuter. 32. v. 6.

IN TOTA ANIMA TVA TIME; Græcè, [illegible] est, reverere, venerare, cole, DOMINVM, ET SACERDOTES ILLIVS SANCTIFICA] Græcè, [illegible], id Vers. 31.
est, suspice & admirare; Syrus, *in toto corde tuo time Deum, & sacerdotes eius honora*. Timor Dei in Script. idem est quod cultus, reverentia & veneratio Dei: *Deus summè colendus. Quia Deus est anima animæ.* Deum enim ex tota anima venerari, colere & amare debemus. Ratio est, quia Deus est anima animæ. Sicut ergo corpus totum est animæ; ita anima tota debet esse Dei. Anima, ait Aristot. lib. 2. de Anima, est causa corporis viventis in triplici genere causæ, scilicet, formalis, efficientis & finalis; itidem est & Deus ipsi animæ. Rursum Deus est anima, id est, vita, animæ, non tantùm naturalis per creationem; sed & supernaturalis per gratiam. *Quia*, inquit S. August. tract. 19. in Joannem, *vita eius* (animæ) *est Deus, quomodo cùm ipsa est in corpore, præstat illi vigorem, decorem, mobilitatem, officia membrorum: sic cùm vita eius Deus in ipsa est, præstat illi sapientiam, iustitiam, charitatem.* Idem de Cognitione veræ vitæ c. 31. *Deus est vita animæ, sicut ipsa est vita corporis. Sed sicut mortuum est corpus, quando animam non habet: ita anima mortua est, quando Deo caret.* Adde, quòd anima, & quælibet res creata, magis pendet & sustentatur à Deo, quàm à seipsa. Deus enim continuo suo influxu ei dat suum esse, itaque iugiter quasi eam creat; quòd si Deus suum influxum subtraheret, illicò in suum nihilum; ex quo à Deo creata est, recideret. Quare anima tota magis debet amare Deum, quàm seipsam, quia Deus maius est ejus bonum quàm illa sit sibi ipsi.

Insuper anima est species specierum, sive forma formarum, ait Aristot. lib. 3. de Anima: tum, quia anima formarum omnium est nobilissima; tum, quia ipsa recipit omnes omnium intelligibilium & cognoscibilium species. Anima ergo quasi præstantissima debetur Deo præstantissimo, imò quaquaversum immenso, omniumque intelligibilium summo, universalissimo & perfectissimo principio. Quare verè ait Beda in Proverbiis:

Totus ubique manens, tota est virtute colendus.

Porrò quod addit, *sacerdotes illius sanctifica*; hoc est, sanctè eos habe, ut sanctos, id est, Deo consecratos, honora, iuva, sustenta; Græcè, *admirare*: q. d. Tanta est sacerdotum & sacerdotii excellentia, consecratio & sanctitas, ut omnes eam admirari, & admirando venerari ac revereri debeant. Hinc discant sacerdotes dignam sacerdotio vitam agere sint homines cælestes, Angeli Dei, terræ miracula. *Vivant ut numina, loquantur ut oracula*; ut sermone æquè sic vita sint admirabiles, suique admirationem in laicis excitent. Rationem dat S. Ignatius epist. 10. ad Smyrnenses: *Sacerdotium*, ait, *est omnium bonorum, quæ in mundo sunt, apex: qui adversus illud fecerit, non hominem ignominia afficit, sed Deum.* Et S. Gregor. Nazianz. orat. 21. *Sacerdos*, inquit *cum Angelorum ordine & classe futurus est, qui cum Archangelis Deum celebrabit, qui ad sacrum altare sacrificia transmittet, simulque cum Christo sacerdotio fungetur: qui figmentum instaurabit, imaginemque creatori sistet, & superno mundo opificem aget; & quod maius est, dicam, Deus erit, aliosque deos efficiet.*

Quocirca Christus sacerdotes etiam Mosaicos honoravit, dum leprosos à se curatos ad eos transmisit, dicens: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* A regibus autem honorari voluit, quando tres Magos, duce stella, vocavit ad se adorandum in Bethlem, ut ostenderet sacerdotium præstantius esse regno. Nam *purpura Imperatores facit, non sacerdotes*, ait S. Ambros. apud Theodor. lib. 5. Histor. cap. 7. & Philo lib. 3. de vita Mosis: *Cidaris*, inquit, *pro diademate imponitur capiti: quia quamdiu per sacerdos honore suo fungitur & ministerio, non solùm privatis hominibus est anteponendus, verùm etiam cunctis regibus.* Et S. Chrysost. homil. 4. de verbis Isaiæ: *Vidi Dominum Regi*, inquit, *corpora commissa sunt, sacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit; sacerdos autem maculas peccatorum. Ille cogit, hic exhortatur: ille necessitate, hic consilio: ille habet arma sensibilia, hic arma spiritalia: ille bellum gerit cum barbaris, huic bellum est adversus dæmones: maior hic principatus: propterea rex caput submittit manui sacerdotis, & ubique in veteri Scriptura sacerdotes ungebant reges.* Quocirca ignis à Deo immissus in Nadab & Abiu sacerdotes, eò quòd ignem alienum obtulissent, eos quidem afflavit & exanimavit; vestes autem, utpote sacerdotales, tangere non est ausus, ut hoc miraculo sanciret dignitatem sacerdotii, Levit. 10. 5.

In

VERS. 32. IN OMNI VIRTUTE TUA DILIGE EUM QUI TE FECIT] Pro *virtute*, Græcè est, δύναμις, id est, potentia, possibilitate; Vatabl. *omni vi*: & id est ideò, ut, scilicet, ostendas te Deum diligere ex tota virtute, & vi tua, *sacerdotes illius sanctifica*; Syrus, *in toto corde tuo honora creatorem tuum*. Citat Deuter. c. 6. 5. juxta Sept. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*: ubi pro *fortitudine*, Hebr. est, *ex toto valde tuo*; Septuag. *ex tota virtute tua*; quod S. Lucas c. 10. 27. vertit, *ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua*; Vatabl. *pro omni virili tuo*, id est, ex omni tua facultate & possibilitate, ex omni tuo valore & vigore, validissimè & valentissimè, ac si fieri posset, *nimis* (hoc enim significat Hebr. מאד *meod*) dilige Deum, juxta illud psalm. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*. S. Bernard. ser. 29. in Cant. *Non abduci*, ait, *blanditiis, nec seduci fallaciis, nec injuriis frangi toto corde, tota anima, tota virtute diligere est*. Ratio est, quia Deus est omne bonum, imò oceanus immensus bonorum omnium: ergo omnibus viribus appetendus & diligendus.

Amoris Dei septē gradus. Quid hic præcipiatur, & quibus de causis, fusè docui Deut. 6. 5. Quibus adde, Richardum de S. Victore tract. de Gradibus charitatis, septem dilectionis Dei gradus assignare. *Primus est*, inquit, *ut amor sit inseparabilis, ut anima cum Apostolo dicere possit: Quis me separabit à charitate Christi? Secundus, quòd sit insatiabilis: ignis enim numquam dicit, Sufficit: nihilque sibi egisse umquam videntur, & servos se dicunt inutiles, qui eo sunt succensi. Tertius, quòd sit invictus. Fortis enim ut mors dilectio, & aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem. Quartus, quòd sit delectabilis, diceretq; anima possit amore isto succensa: Introduxit me rex in cellaria sua. memor fui Dei, & delectatus sum. Quintus, quòd vulneret animam ardentibus desideriis & plurimis, quibus optat, ut omnes ei serviant, & omnes trahere ad eum conatur. Sextus, quòd semper Deum sitiat, semper eum præsentem habeat, omnis ei creatura memoriam illius revocet. Septimus, quòd desideret conjungi, & esse cum Christo, non tædio vitæ, sed charitate impulsus, quisquis ea fuerit inflammatus*. Exclamemus ergo identidem cum Psalte, psal. 17. 1 *Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra? Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Benedic, anima mea, Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Exaltare super cælos, Deus, & super omnem terram gloria tua*.

Rursum virtus, ait Aristot. lib. 1. de Cælo, textu 1. c. 16. ac ex eo noster Alvarez de Paz lib. 3. de Vita spirit. part. 2. c. 21. *est illud summum ac præstantissimum, ad quod vis aut potentia alicujus valet pertingere. Nam si quis posset centum talenta portare, vis ejus est ad portandum quinquaginta aut octoginta; virtus vero ad portandum centum: & si possit ambulare, & perniciter currere, vis est ad ambulandum, & virtus ad velocissimè currendum*. Hanc autem esse hujus nominis notionem confirmat nomen vir, à quo (teste Cicerone Tuscul. 2.) dicta est. *Vir enim* (ut ait Lactantius de Opificio Dei c. 12.) *nominatus est, quod in eo major vis est quam in femina, & hinc virtus nomen accepit. A qua etiam significatione sacra pagina non abhorrent, hoc nomen pro robore, potestate & fortitudine non semel usurpantes: Domine, Domine, virtus salutis meæ* (inquit David psal. 139.) *obumbrasti caput meum in die belli*. Et psal. 17. *Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam*. Et rursus psal. 32. *Præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subtus me. Hinc astra virtutes appellantur, quòd eorum motu & influxu Deus inferiora gubernet, & magna ac mirabilia perficiat. Verbo quippe Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Hinc etiam virtutes, tum morales, tum intellectuales, cum Theologicæ hoc nomen acceperunt, quòd potentias aut vires nostras operibus bonis & malis expositas ad opus optimum inclinent, & ad præstantissimas functiones disponant. Est ergo virtus, si ejus primævam notionem* *Quid sit ex tota virtute diligere?* *attendamus, nisus & conatus & impetus rei, totum quod potest facientis, & ad summum ac sibi præstantissimum anhelantis. Quare tunc Deum ex omni virtute diligimus, cum voluntatem excitamus ut omni conatu Deum diligat, & vires alias seu potentias erigimus, ut non segniter, non oscitanter, sed strenuè ac diligenter in Dei obsequium ac voluntatem intendant*. Unde S. Thomas opusc. 61. c. 23. hunc sensum exprimens sic ait: *Diligis Dominum, non tantùm ex vi, sed etiam ex virtute, cum diligendo & laborando experiris summum potentiæ: quòd si in hoc summo & ultimo termino actum dilectionis semper continuares, tunc non tantùm ex virtute, sed etiam ex tota virtute diliges. Sed quia in vita mortali non est possibile, ut quis in omnibus bonis actibus suis summum conatum adhibeat, considerandum est, quomodo hæc sententia vitæ justorum peregrinantium accommodetur, ut possint eam utcumque servare, & Deum ex tota virtute diligere. Illi sanè dicuntur ex virtute diligere, qui Dei sunt diligentes amatores, qui Deum fervide amant, & qui gnaviter & strenuè omnem (quantum possunt) defectum & imperfectionem cavent, & virtutis opera ad suum statum & munus pertinentia sedulè, sollicitè & diligenter exercent. Quidam enim* (*ut Bernardus* serm. 3. de Pentecoste: *optimè annotavit*) *accipiunt Spiritum sanctum, spiritum charitatis ad salutem: quidam vero accipiunt ad fervorem. Illi accipiunt ad salutem, qui in toto corde suo revertuntur ad Dominum Deum suum, qui omni crimini valedicunt, & spiritu contritionis emundati gratiam & charitatem accipiunt. Illi accipiunt ad fervorem, cùm in cordibus perfectorum* (*ut verbis sanctissimi Patris utar*) *vehementius spirans, validum ignem charitatis accendit, ut non solùm in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus glorientur, contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, despectionem exaltationem*. Nam, ut ait S. Chrysost. serm. 6. de passione Domini: *Adversis probatur amor, affectio pensatur periculis, pœnis examinatur dilectio, morte perfecta charitas innuitur. Jure itaque Bernardus supremum amoris gradum, quem cælesti patriæ reservat, cùm, videlicet, homo se purè diligit propter Deum, & seipsum quodammodo perdit, tamquam non sit, & omnino semetipsum non sentit, & à semetipso exinanitur & annullatur, solis Martyribus in hac vita audet certa ratione concedere. Putamusne* (inquit) *hanc gratiam, vel ex parte sanctos Martyres assecutos, in illis adhuc victoriosis corporibus constitutos? Magna vis prorsus amoris illas animas introrsus rapuerat, quæ ita sua corpora feris exponere, & tormenta contemnere valuerunt*.

Porrò S. Thomas opusc. 61. de Dilect. Dei cap. 23. paulò subtiliùs distinguit virtutem à fortitudine: *quod virtus sit summus conatus virium nostrarum ad agendum, fortitudo vero summus conatus ad sustinendum*. Cui consentit S. August. lib. 1. de Moribus Eccles. cap. 22. *Amor*, inquit, *quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur*. Et infrà: *Nihil est tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cum se anima rapit in Deum, super omnem carnificinam libera & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur*. Et lib. 1. de Morib. Manich. c. 15. dicit, *fortitudinem esse amorem omnia propter Deum facilè perferentem. Quare diligere ex omni virtute, est ita Deum amare, ut quis nec tentationibus cedat, nec in tribulationibus & minis, sive a dæmone, sive ab hominibus intentatis succumbat; sicut accidit Davidi, uxorem alienam contra jus & fas accipienti, Petro neganti, discipulis fugientibus; & accidit multis aliis, qui ad tempus fide viva credunt, & in tempore tentationis recedunt*. *Hujus amoris ex omni fortitudine meminit Paulus, quando sui amoris robur, & firmitatem edixit: Quis* (ait) *nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? & statim: Certus sum, quia neque mors, neque vita*, &c. Talem amorem habebat sponsa dicens Cantic. 8. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*. 2. Reg. 11. Matt. 26. Rom. 8.

Scripsit S. Catharina Senensis instinctu Spiritus sancti dialogum brevem, sed succulentum, & aureum, de Consummata perfectione, in quo perfectionem sitam esse docet in jugi & plena conformatione voluntatis nostræ cum divina; hanc autem conformationem fieri per dilectionem Dei ex toto corde, & tota virtute, quæ tria requirit, eaque ita illi describit Deus: *Primò, ut voluntatem tuam ab omni amore affectuque terreno, & carnali prorsus amoveas, segreges, mundifices, ita ut in ista vita nihil transitorium, nihil caducum, nihil temporale ames nisi propter me, te propter me, & proximum* pro- *Perfectio in quo sita?* *Respōdeo Primo.*

sustentationem. Unde hæc tria jubemur præstare parentibus, si indigeant, cùm jubemur eos honorare. Eadem debemus sacerdotibus. Porrò honor sacerdoti debitus est augustus & divinus, quia ipse est Dei vicarius, mediator & interpres apud homines. Hoc significat Græcum, *glorifica*.

Honorandi sacerdotes.

Ita Alexander Magnus adoravit Jaddum pontificem, vel potiùs Deum in pontifice. Vide Joseph. 12. Antiqu. 8. Ita Constantinus Magnus honoravit sacerdotes & Episcopos Concilij Niceni. *Significabant hoc*, ait Euseb. lib. 2. de Vita Constantini, *oculi submissi, rubor in vultu, decens ingredientis motus, morum humanitate, imperialisque clementiæ mansuetudine permixta*, &c. *positaque modica quadam sede, non sedit priusquam ab Episcopis annueretur*. Et inferius: *Unumquemque illorum pro cujusque dignitate, magnificis muneribus honorabat*. Addit, eum libellos famosos contra Episcopos quosdam sibi oblatos noluisse inspicere, sed illicò flammis cremandos tradidisse. Ita Theodosius Imper. honoravit S. Ambrosium, ut jubenti adytis templi excedere illicò paruerit, ac pœnitentiam ob cædem Thessalonicensium ab eo sibi impositam humiliter exceperit. Ita Carolus Magnus honoravit Pontifices Romanos, ut eorum accitu quater Romam profectus sit, ac Urbem totamque Italiam Longobardorum tyrannide liberarit. S. Ludovicus Francorum Rex sapiens & sanctus, mirè venerabatur sacerdotes & Religiosos. Quocirca moriens inter aurea monita, quæ Philippo primogenito dedit, hæc extant: *Semper sis addictus & devotus Romanæ Ecclesiæ, & ejus Pontifici, haud secus atque spirituali patri, te morigerum præbeas. Crebro confitearis peccata tua, deligasque tibi sapientes confessarios, qui te possint instituere & docere, quid agere, quid vitare te oporteat: & coram illis ita te compares, ut audeant te sincere reprehendere, & vitia tua indicare tibi*.

Exempla

Basilius Imper. Constant. exhortat. ad Leonem filium (habetur tom. 5. Biblioth. SS. Patrum) cap. 3. *Summo honore*, inquit, *prosequare matrem tuam Ecclesiam, quæ te in Spiritu sancto lactavit, & tuo capiti, ad Dei per Christum laudem, coronam imperii imposuit*, &c. *Honora ergo Ecclesiam Dei, ut tu vicissim à Deo in honore habeare: & sacerdotes ejus reverere tamquam spirituales patres, & deprecatores pro nobis apud Deum. Honor enim, qui sacerdotibus habetur, ad Deum refertur. Et sicut propter te ministros tuos in honore habere justum est; ita & propter Deum sacerdotes ejus magni facere, & in pretio habere, sanctum. Sicut autem honor, qui eis defertur, ad Deum pertinet; ita eorum contumelia & contemptus longe etiam gravius ejus iram provocat*.

Et propurga te cum brachiis] Hæc sententia jam deest in Græco & Syro. Quinque manuscripti codices legunt: *Et propugnato cum bracoiis*; itaque legendum censet Jansenius: q. d. Sacerdotes Dei tuis brachiis armisque, ô laice, defende & propugna. Verùm in lege veteri sacerdotes se suis armis defendebant, nec aliena brachia desiderabant; uti Judas Machabæus, ejusque fratres fuere pontifices, & simul duces belli, populique vindices. Rursum omnes codices impressi cum Rabano (qui legit, *purga*) legunt: *Et propurga te cum brachiis*. quod dupliciter accipi potest: Primò, q. d. Oblationibus brachiorum, id est, quas brachiis & manibus tuis offers, quasque labore brachiorum comparasti (brachium enim laboris est symbolum, ait Pierius libr. 35.) purga & expia peccata tua. ita Rabanus, Palacius & Lyran. Secundò, q. d. Purga peccata tua, offerendo brachia dextra, id est, armos dextros victimarum sacerdoti. Hi enim cum pectusculo ex victima debebantur sacerdoti in sacrificio pacifico, ex lege Levit. 7. 32. hique Hebr. vocantur שוק ימין *scoc iamin*, à Septuag. βραχίονα δεξιὸν, id est, brachia dextra, ut patet Levit. 7. v. 33. & c. 8. 25. & c. 9. 21. Licet enim sacrificium pacificum primariò non purgaret peccata, sed tantùm offerretur pro pace, id est, incolumitate & salute domus vel reipub. comitanter tamen & secundariò offerebatur quoque pro purgatione peccatorum: pacem enim & salutem Dei habere non possumus, nisi habeamus ejus gratiam: gratiam autem habere nequimus, nisi à peccatis purgemur & expiemur.

Tropolog. *Propurga te cum brachiis*: q. d. Expia peccata non tantum corde & ore, sed & opere; non tantum

A confessione, sed & satisfactione, brachiis tuis exercendo opera pœnitentiæ & charitatis. Hujus rei symbolum est in natura. tradunt enim medici, è corde sinistrum ramum majoris arteriæ ad sinistrum brachium porrigi, quo tacitè monet nos natura, ut amorem in corde conclusum in brachia, id est, in opera, porrigamus, juxta illud sponsi ad sponsam Cantic. 8. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*; hoc est, amorem, quo me corde amas, exteriùs per brachia exere, & in opera confer. ita S. Gregor. & Theodoretus ibidem.

Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum (q. d. Da illis primitias, quæ sunt pars sive portio sacerdotibus ex lege debita; sub primitiis & decimas accipe) et purgationis] id est, decimas, ait Lyran. Verùm decimæ non erant purgatrices peccati, sed debitæ ad sustentationem Levitarum. Melius Jansen. per *purgationem* accipit victimas pro purgatione leprosi, menstruatæ, aut alia ratione immundi, lege veteri præceptas. Tertiò, appositè *pars purgationis* est portio victimarum, quam pro purga- Vers. 34.

B tione peccati lex offerri sanciebat. Ubi Nota. Peccatum Levit. 7. 1. & seq. distinguitur à delicto, aliæque victimæ præscribuntur pro expiatione peccati, aliæ pro expiatione delicti: *peccatum* enim, Hebr. חטאת *chattat*, Græcè ἁμαρτία, vocabatur crimen scienter & prudenter commissum: *delictum* verò, Hebr. אשם *ascam*, Græcè πλημμέλεια, vocabatur crimen ignoranter per oblivionem, vel imprudentiam commissum. Dicit ergo, *Da illis partem purgationis*, id est, da illis victimas pro purgatione peccati in Levitico sancitas.

Et de negligentia, Græcè, περὶ πλημμελείας, id est, de delicto ignoranter commisso, purga te cum paucis] Quod dupliciter accipi potest. Primò, q. d. Paucos adhibe socios vel testes, cùm victimam offers pro purgatione delicti tui; tum, ut famæ tuæ & pudori consulas: in sacrificio enim debebat fieri confessio delicti, eaque particularis, uti ostendi Num. 5. 7. tum, ut aliis sis exemplo, ne eos confessione tui delicti scandalizes, & ad illud imitandum invites. Secundò, q. d. Paucis victimis & sumptibus te purga, si pauper es, nec habes multa & magna quæ offeras. ita Emman. Sà. unde

C Rabanus: *Ostendit*, inquit, *quòd oblatio, quæ ex humili mente, & pura dilectione Deo offertur, licet parva sit quantitate, multorum delictorum negligentias purgat, de quo scriptum est: Charitas operit multitudinem peccatorum*, 1. Petr. 4. Et Jansen. *Significatur*, ait, *quod si quis non possit sacrificium divitum offerre, saltem pauca illa & parva offerat, quæ à pauperibus exiguntur*.

Datum brachiorum tuorum, et sacrificium sancrificationis offeres Domino, et initia sanctorum] Græca de more hic concisa sunt. Igitur duos hosce versus, scilicet 34. & 35. sic efferunt: *Da ei* (sacerdoti, *partem, sicut præceptum est tibi, primitias & pro delicto*, de quibus dixi v. 34. *& munus armorum, & hostiam sanctificationis, & primitias sanctorum*, de quibus hoc versu. Syrus, *da illis id quod eis debetur, tamquam id quod præceptum est: panem oblationum, & primitias manuum*; Vatabl. *portionem suam, ut mandatum habes, tribuas eisdem primitias & lustrationes, piaculariaque munera, tum præbendos armos ac lustralia sacrificia, primitiasque sacrorum*. Igitur, *datum brachiorum* est *munus armorum*: nam, ut paulò an- Vers. 35.

D te dixi, in sacrificio pacifico armi dextri cum pectusculo duntaxat dandi erant sacerdoti, ideoque vocabatur armus separationis, & elevationis; quia separabatur & elevabatur quasi donum Deo datum in sacerdote. *Pectusculum*, inquit, *elevationis, & armum separationis tuli à filiis Israel de hostiis eorum pacificis, & dedi Aaron sacerdoti, & filiis ejus lege perpetua, ab omni populo Israel*, Levit. 7. 34.

Sacrificium sanctificationis; Primò, cùm Dionysio Carthus. accipi potest holocaustum, hoc enim totum erat sanctum, id est, Deo consecratum & oblatum, quia totum in honorem Dei cremabatur, ut, sicut v. præced. jussit dari sacrificia pro peccato, & hic per *datum brachiorum* dari sacrificia pacifica; ita per hostiam sanctificationis jubeat dari holocaustum: hæc enim erat triplex hostia, triplexque sacrificium Judæis præscriptum, Levit. 1. 2. & 3. Secundò, Jansenius per *sacrificium sanctifica-*

Sacrificium sanctificationis quod? Respondeo. Primò. Secundò.

ctificationis accipit sacrificium, quod Nazaræi offerebant A pro singulari sua sanctificatione, Numer. 6. Nazaræus enim Hebr. idem est, quod separatus, sanctus, consecratus Deo, quia tondendo comam, abstinens vino & sicera, totum quasi se Deo dedicabat. Plerique enim ex Judæis religiosiores faciebant hoc votum, & ad id tacitè hic hortatur Siracides, uti jam sanctitatis studiosi nuncupant votum Religionis. *Tertiò.* Tertiò, per *sacrificium sanctificationis* accipi potest sacrificium votivum, sive ex voto oblatum, quod, scilicet, voto nuncupasti & sanctificasti Domino: votum enim, quia voluntarium, Deoque dicatum, dicitur estque sanctificatio voventem sanctificans, præsertim votum *cherem* sive anathematis, quo res Deo per votum promissa debebat mori, vel naturaliter, vel civiliter, itaque Deo quasi immolari, uti dixi Levit. 27. Quartò, Tigurina vertit, *sacrificia lustralia*, quibus, scilicet, expiabatur quis ab immunditia legali, & legaliter sanctificabatur, de quibus Numer. 19. *Quartò.* Quintò, Lyran. accipit sacrificia pacifica, ut *To datum brachiorum*, id est, armorum, exponat per *sacrificium sanctificationis*. *Quintò.* Verùm hæ duæ ultimæ expositiones minùs commodæ & frigidiores videntur.

ET INITIA SANCTORUM] Græcè, *& primitias sanctorum*, *To sanctorum*, est neutrum, non masculinum, q. d. Rerum sanctarum. Quænam hæc? Primò, Vatabl. vertit, *primitias sanctas*: quælibet ergo primitiæ, quia sanctæ, hoc sensu hic accipiendæ sunt. *Initia sanctorum quæ? Respondeo Primò.* Verùm has sanxit vers. præcedenti. Secundò, Lyran. *initia sanctorum*, inquit, id est, sanctificationes hominum sunt primitiæ, decimæ, & cetera quæ dicta sunt, *Secundò.* quasi omnia jam dicta unico hoc verbo recapitulet, & summatim complectatur. Huc accedit expositio Dionys. Carthus. *initia sanctorum*, inquit, sunt præcipua, quæ Deo sanctificata, id est, consecrata sunt: Græcum enim ἀρχὴ (unde ἀπαρχαὶ, id est, initia sive primitiæ,) tam initium quàm præcipuum significat. Jusserat enim Deus præcipua & meliora sibi offerri. *Tertiò.* Tertiò magis genuinè Jansenius hæc à præcedentibus distinguens, *initia sanctorum*, inquit, vocatur ea decimarum portio, quam ex omnibus decimis perceptis Levitę debebant persolvere sacerdotibus, decimam, scilicet, decimarum, quæ ante omnia & ex optimis erat reddenda, ideoque vocatur *initia sanctorum*. Primitiæ enim vocantur sanctæ, C quia Deo ex lege consecratæ & debitæ Numer. 18. Verùm hac ratione Siracides solis Levitis loqueretur.

Quartò ergo adde, *initia sanctorum*, complecti decimas quaslibet, *Quartò.* præsertim primas, quas Iudæi ex lege Numer. 18. tenebantur quotannis solvere Levitis, & per eos sacerdotibus, his enim Levitæ pendebant decimam decimæ, uti jam dixi. Triplices enim decimæ Iudæis ex lege erant præscriptæ. Primæ erant omnium frugum, gregum & armentorum, quæ totę dabantur Levitis. Secundæ erant, quas ex novem partibus residuis Iudęis separabant, ut ex eis euntes ad tabernaculum ibi cum Levitis & sacerdotibus epularentur. Tertiæ erant, quæ singulis trienniis separabantur & dabantur pauperibus, viduis, pupillis & Levitis in modum eleemosynę: de quibus omnibus dixi Deuteron. 14. 22. Primæ ergo & communes decimæ vocantur *initia sanctorum*, quia erant primitiæ ceterarum decimarum, putà secundarum & tertiarum: omnes enim decimæ erant sanctę, quia ex le- D ge sanctificatę & oblatę Domino: primę ergo erant *initia sanctorum*. Rursus quęlibet decimę, etiam secundę & tertię, possunt dici *initia sanctorum*, quia ipsę erant sanctificatę Deo, & per eas cętera omnia bona, quorum hę erant decimę, quasi per sui partem & primitias censebantur Deo esse oblata & sanctificata. Insuper secundę decimę erant *initia sanctorum*, quia erant decimę rerum jam per primas decimas Deo oblatarum & sanctificatarum: sic & tertię erant *initia sanctorum*, quia erant decimę rerum, quę per primas & secundas decimas Deo erant quasi oblatę & dedicatę. Unde ad tertias spectat, quod sequitur: *Et pauperi porrige manum, ut perficiatur propitiatio & benedictio tua*. Igitur hic Siracides complectitur quatuor genera rerum sacerdoti debitarum, scilicet. primò, primitias; secundò, sacrificia & victimas; tertiò, sacrificium sanctificationis, id est, vota; quartò, initia sanctorum. id est, decimas.

Quintò, planissimè & aptissimè, per *initia*, sive primitias sanctorum, accipias dona & oblationes pro templo, putà pro ejus sartis tectis, ornatu, vasis, supellectile, panibus, oleo, &c. Nam Sanctum vel in plurali Sancta (ob eximiam sanctitatem) vocatur tabernaculum, sive templum. Rursum Hebræi initia, sive primitias, vocant omnem oblationem & omne donum, quod Deo offertur: sicut ergo v. præcedenti sanxit primitias (sub quibus & decimas intelligit) sacerdotibus ex lege debitas, sic hic sanxit primitias, id est, oblationes fabricæ & templo faciendas, perinde ac Canones in lege nova præcipiunt oblationes fidelium applicari non tantùm sacerdotibus, sed & fabricæ templorum.

Mysticè Rabanus hęc omnia refert ad eleemosynam: *Mysticè sunt eleemosyna.* sic enim legit & connectit: *Datum brachiorum, & sacrificium sanctificationis offer initia sanctorum, & pauperi porrige manum tuam*, &c. q. d. Eleemosyna, quę datur pauperi, est *datum brachiorum*, quia brachiis robustis & liberalibus datur: eadem est *sacrificium sanctificationis*; *sacrificium*, quia in honorem Dei datur; *sanctificationis*, quia dantem sanctificat, vel ad sanctitatem dispo- B nit: ideoque vocatur *initia sanctorum*, quasi initium sanctitatis & justificationis.

Mysticè rursum nonnulli hoc accommodant Religiosis. Hi enim externis operibus per bona brachiorum designatis, necdum satiati, interna opera contemplationis & lectionis adiiciunt, atque in altari cordis holocaustum sanctificationis, id est, seipsos, igne charitatis absumunt.

ET PAUPERI PORRIGE MANUM TUAM, UT PERFICIATUR PROPITIATIO ET BENEDICTIO TUA] *To propitiatio* jam non est in Græco, nec in Syro, qui sic habet: *Etiam pauperi extende manum tuam, ut compleantur benedictiones tuæ*. VERS. 36. *Benedictio*, Gręcè εὐλογία, significat beneficentiam, liberalitatem, largam donationem. Unde Tigurina, vel potiùs Vatabl. vertit, *ut plena sit tua munificentia expiatioque*: q. d. Non sufficit beneficium esse in sacerdotes, quia hoc omni jure est debitum; sed ut plena sit beneficentia, oportet eam extendere ad pauperes: illa enim pura est, pureque fit ex amore Dei, cùm à paupere non speretur retributio. Hinc Deus pauperes sibi arrogat: *Tibi*, inquit Psaltes, *derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor*, psalm. 9. 34. Unde hac beneficentia in pauperes, provocat eleemosynarius vicariam Dei in se benedictionem & beneficentiam, etiam in temporalibus, juxta illud: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. Vide sequentia 2. Cor. 9. 6. Quocirca rectè Noster addidit *To propitiatio*: eleemosyna enim propitium nobis facit Deum, ac peccata expiat, Daniel. 4. 24.

GRATIA DATUS (corrige cum Romanis, *dati*,) VERS. 37. IN CONSPECTU OMNIS VIVENTIS] q. d. Datum, sive donum gratum est omni viventi. Syrus, *misericordia enim est in oculis omnium creaturarum*: q. d. omnes eam amant: *Ubi enim est oculus, ibi est & amor: ubi manus, ibi & dolor*; Tigurina, *gratiosa est apud vivos omnes munificentia, ac ne à mortuo quidem prohibenda*; alii, *gratiam habet donum apud omnem viventem*. Quare perperam Dionys. hęc cum v. pręcedenti ita connectit & explicat: q. d. Ut perficiatur benedictio tua tibi conferenda in die judicii, in conspectu omnis viventis, gratia dati, id est, propter eleemosynam pauperibus datam.

ET MORTUO (Syrus, *à mortuo*) NON PROHIBEAS GRATIAM] Alii, *mortuo ne deneges benignitatem*, *Beneficia mortuis debita.* vel beneficium. Multiplex enim mortuo debetur. *Primum.* Primum funeris & sepulturę, in quo mirè laudatur Tobias. Hinc & Canones sanciunt pro sepulcro & loco sepulturę non licere exigere pretium, sed illum gratis esse concedendum. Audi Concil. Triburiense cap. 16. quod citatur 13. q. 2. cap. 14. *In Ecclesiastico*, inquit, *scriptum est: Mortuo non prohibeas gratiam, sciens quoniam omnes moriemur. Et, omnia quæ de terra orta sunt, in terram convertentur. Quid terra terram vendis? Memento, quod terra es, & in terram reverteris. (Et alibi de homine dictum est: Terram teris, terram geris, & in terram converteris, qui de terra sumeris.) Et: Quoniam mors tibi futura est, & appropinquat; & si tardat, recordare quia non hominis est terra, sed Domini est terra & plenitudo ejus.*

Si terram vendis, invasione rei Dominicæ reus teneris. Gratis accepisti à Deo, gratis da pro eo. Quare interdictum sit omnibus omnino Christianis terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare. Secunda & potissima

Secundū. gratia, sive beneficium mortuis exhibendum, est oratio, sacrificia & suffragia pro eorum salute, ut à pœnis Purgatorii liberentur, & Dei visione cœloque donentur, uti fecit Judas Machabæus 2. Machab. 12.43. Unde postquam præcepit eleemosynam viventibus dari, ne quis ab ea excludat mortuos, subiicit his quoque eam esse faciendam, præsertim quia eleemosynæ quæ fiunt viventibus pro salute mortuorum horum, pariter sunt eleemosynæ,

Tertium. idque majori fructu & commodo. Tertia gratia est, ut eorum memoria & monumenta conserventur, ac fama & honor defendatur: item ut eorum filii, filiæ, uxores & nepotes juventur, alantur, protegantur. Vide S. August. lib. de Cura pro mortuis, ubi cap. 9. refellit Poetas & Gentiles, qui censebant animas velut umbras vagari, nec posse inferni fluvium transmeare, quamdiu corpora manebant insepulta. Vide eumdem lib. 9. Confess. c. 12. de sepultura S. Monicę matris suæ, ac S. Dionys. Areopag. Ecclesiast. Hierarch. c. 7. S. Cyprian. lib. 1. epist. 9. ad Furnitanos, S. Ambros. lib. de Tobia c. 1. S. Chrysost. homil. 69. ad popul. Nazianz. oratione in Cæsarium. Quanta Gentilibus fuerit cura sepulcri, vide apud Alexandr. ab Alexandr. lib. 3. Genial. c. 3. & ibidem Tiraquellum.

Vers. 38. NON DESIS PLORANTIBUS (ob mortem parentum, aliamve calamitatem) IN CONSOLATIONE, ET CUM LUGENTIBUS AMBULA] lugendo cum lugentibus, ut vertit Tigurina, & flendo cum flentibus, uti monet Paulus Rom. 12. 15. Syrus, *neque differas* (moreris, tardes) *à domo plorantis, & cum omnibus mœrentibus mœrens esto.* Non enim sufficit plorantes verbis consolari; sed & cum iis lugentibus lugere & plorare oportet. Hac enim luctus communione dolor alleviatur, quia in alios dividitur, & ab iis quasi sustentatur. Ita fecit Job dicens cap. 30. 25. *Flebam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.*

Causę cur compassione levetur dolor afflicti Prima. Hæc ergo prima est ratio, cur compassione levetur dolor afflicti; quia, scilicet, compatiens aperit cor afflicti dolore occlusum & oppressum, facitque ut dolor effluat, & in se derivetur. Unde S. Ambros. lib. 3. Offic. c. ult. *Solatium*, inquit, *hujus vitæ est, ut habeas cui pectus aperias tuum, ut colloces tibi virum fidelem, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur*, &c. *qui in lætis exultantem comprimat, in tristibus mœrentem erigat.*

Secunda. Secunda est, quòd compatiens afflicto, ideoque consiliorum inopi, sana consilia ad dolorem mitigandum suggerat, quæ dolor patientis in seipso inveniri non finit. Unde Proverb. 29. 9. dicitur: *Unguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici consiliis anima dulcoratur:* Septuag. *disrumpitur autem à calamitatibus anima.* Unde & illud Philosophi: *Animo ægrotanti medicus est oratio.*

Tertia. Tertia, quòd compatiens amor & affectus tantum subinde est bonum, quantum malum est ipse dolor patientis: quare positus in bilance illi æquiponderat, tantumque solatur & lætificat patientem, quantum eum dolor affligit & cruciat. Rursum compatiens patienti dat quasi partem cordis sui: quare patiens duplici quasi corde, putà tam suo, quàm amici roboratus, leviùs fert dolorem. Ita S. Gregor. 20. Moral. 26. in illud Job 30. *Flebam super eo, qui afflictus erat. Exteriora largiens*, inquit, *rem extra semetipsum præbuit. Qui autem fletum & compassionem proximo tribuit, ei aliquid etiam de semetipso dedit.* Addit deinde novam rationem: *Idcircò autem plus compassionem quam datum dicimus: quia rem quamlibet plerumque dat etiam, qui non compatitur; numquam autem qui verè compatitur, quod necessarium proximo conspicit; negat.*

Quarta. Quarta, quòd patiens sit quasi in mari amaritudinis demersus, ex quo per se emergere nequit: compatiens ergo compassionis affectum ei exhibens, quasi manum ei præbet, qua eum extrahat; sicut piscatores escam suggerunt pisci, ut eum è mari educant. Affectus enim est quasi esca, qua patientem adescat, itaque secum elevat ad robur & spem melioris fortunæ. Ita S. Gregor. libr. 3. Moral. c. 10. *Ordo*, inquit, *consolationis est, ut, cùm volumus afflictum quempiam à mœrore suspendere, studeamus prius mœrendo ejus luctui concordare. Dolentem non potest consolari, qui non concordat dolori: quia in eo ipso quod à mœroris afflictione discrepat, minùs ab illo recipitur, à quo mentis qualitate separatur. Emolliri itaque prius debet animus, ut afflictio congruat, congruens inhæreat, inhærens trahat. Neque enim ferrum ferro conjungitur, si non utrumque exustione ignis liquetur: & durum molli non adhæret, nisi priùs ejus duritia temperata mollescat, ut quasi hoc ipsum fiat, quod curatur ut teneat. Sic nec jacentes erigimus, nisi à rigore nostri status inclinemur. Amici igitur B. Job, ut afflictum à dolore suspenderent, curaverunt necessariò simul dolere.* Nostræ ergo lacrymæ lacrymantium lacrymas detergunt & desiccant; sicut pluvia pulverulenta, quæ pulverem excitat, desiccat, non humectat.

NON TE PIGEAT VISITARE ÆGROTUM: EX HIS ENIM IN DILECTIONE FIRMABERIS] Vers. 39. Græca, *ne pigriteris* (& sic legit S. Cyprian. lib. 3. Testimon) *visitare ægrotum: ex his enim diligeris*; Syrus, *neque tædeat te visitare infirmos: quia propter hæc diligeris*; B Tigurina, *ne dubites invisere ægrotum; nam gratiam ex eo colliges.* Gręcum enim ὀκνεῖν, significat pigere, tædere, gravari, dubitare, differre, negligere, timere, tardare, ęgrè & gravatim facere, omittere. Unde ὄκνος est cunctatio, ignavia, segnities, tarditas, dubitatio, timor. Hi enim affectus connexi sunt, & unus ex alio nascitur, eumque comitatur. Inde Oenus ille fabulosus piger apud Ovidium. Quia enim morbi & morbidi nihil lęti, sed omnia tristia, ipsamque mortem afferunt & repræsentant: hinc oritur tędium & pigritia eos visitandi. Jubet ergo hoc tędium superari fervore charitatis, uti fecit noster S. P. Ignatius Parisiis ab ęgro, licet sibi infido, accersitus Rothomagum. Tribus enim primis leucis tantam sibi à dęmone sensit iniici gravedinem, ut videretur sibi habere pedes plumbeos: sed illud constanter tolerans & superans discussit adeò, ut reliquum itineris currendo instar cervi, divinis consolationibus affluens peregerit, uti refert Ribaden. libr. 5. Vitę ejus cap. 2. Signum ergo languentis & deficientis dilectionis est, ęgrè & pigrè visitare infirmos. Unde in Concil. Toletano c. 2. quod citatur distinct. 25. Canon. *Unum*, inter alia peccata venia- C lia igne Purgatorio expianda, ponuntur hęc: *Quoties plus loquitur, quam oportet: plus facit quàm expedit: quoties pauperes importune petentes exasperat: quoties in carcere positos tardiùs requisiverit, & infirmos tardiùs visitaverit.*

Rursum τὸ *visitare*, non solùm adire & visere, sed & solari, consulere, benefacere, omnique ope juvare significat. Denique ex his, scilicet, omnibus jam dictis, putà dando eleemosynas, tam mortuis, quàm viventibus, plorantes solando, infirmos visitando, *in dilectione firmaberis:* hęc enim sunt officia & actus dilectionis; actus autem firmant & intendunt habitum. Non facilè, ait Palacius, à dæmone vincetur, qui infirmos visitare contendit; infirmi infirmitas firmat infirmam charitatem. Rursum ex his operibus in Dei dilectione firmaberis, quia firmiùs te diliget Deus, ac ideò non patietur te in peccata prolabi.

Ratio à priori est: quòd visitare infirmos ex charitate sit actus charitatis: actus autem augent & firmant habitum: si quis visitet ęgrum non propriè ex motivo D charitatis, sed misericordię, vel alterius virtutis, etiam sic firmatur charitas. Nam virtutes omnes inter se connexę, & earum vinculum est charitas: quocirca charitas per actus aliarum virtutum, prę sertim misericordię & pietatis, nutritur, augetur & roboratur. Videtur, ait Dionys. Interpres in Gręco legisse ἀγαπήσεις, activè, id est, amabis, diliges; hoc est, in amore & dilectione cresces & firmaberis: significatur enim actus continuatus, non inchoatus. Jam legunt passivè, ἀγαπηθήσῃ, id est, *diligeris:* cui quoque adaptari potest nostra versio Latina, *in dilectione firmaberis*, si dilectionem non activam, sed passivam accipias: q. d. Per hęc augebis tui amorem, facies ut magis diligaris à Deo & hominibus, ac vicissim eos magis activè diliges; tum, quia amor provocat amorem: magnes enim amoris est amor: tum, quia Deus illis, quos magis diligit, majorem gratiam

tiam & amorem infundit, quo vicissim eum magis amant & diligunt. Amor enim Dei est efficax, paritque sui amorem reciprocum. Summa, planus erit sensus omnes versiones concilians, si dilectionem activam, æquè ac passivam intelligas: q. d. Per hęc officia pietatis cresces in dilectione, ideoque vicissim magis diligeris à Deo & hominibus. ita Dionys.

Verùm mihi valdè fit verisimile, Siracidem seniorem, qui Hebraicè hunc librum scripsit, scripsisse hoc loco תאהב *taohab*, quod est futurum coniugationis *hophal*, id est, *in dilectione poneris & firmaberis*. *Hophal* enim habet significationem passivam duplicem: respondet enim coniugationis *hiphil*, quæ est duplex activa. Igitur אהב *ahab*, sicut in *hiphil* significat, *fecit amare*, sic in *hophal* significat, *factus est amare*, vel firmatus est in amore. Unde *taohab*, quod est futurum *hophal*, significat, *firmaberis in dilectione*. Hinc fit verisimile, nostram versionem Latinam traductam esse immediate ex Hebræo. Idipsum in Græco voluit imitari Siracides junior: itaque per τὸ ἀγαπηθῆναι voluit significare non simplex passivum, scilicet, *diligeris*; sed duplex, scilicet, *incitaberis ad dilectionem*, in eaque firmaberis: sic enim vertit Latinus, & hoc significat Hebræum *taohab*. Igitur ἀγαπηθῆναι, idem est quod ἐν ἀγάπῃ τεθῆναι, id est, in amore collocaberis: & fortè ita vertit Siracides, vel ἀγάπῃ στηριχθῆναι, id est, in amore firmaberis. Sic exponit S. August. illud Genes. 22. 12. *Nunc cognovi, quod times Deum*. *Cognovi*, id est, cognoscere te feci: Deus enim idipsum antè cognoscebat. Et illud Roman. 8. 26. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. *Postulat*, id est, postulare nos facit. Nec enim Spiritus sanctus gemere potest.

Moral. de visitatione ægrorum.

Moral. disce hic, quàm utile & sanctum sit visitare infirmos. Quod enim infirmis fit, Christus sibi factum æstimat. unde in die judicii electis dicet: *Infirmus eram, & visitastis me*, Matth. 25. 36. Qui ergo infirmum visitat, Christum visitat. Quocirca S. Bonaventura in Stimulo divini amoris, cap. 1. *Cur*, inquit, *anima tota die anxiaris post Christum? Indicabo tibi quem diligit anima tua. Certè in infirmaria jacet, & ibi angustiatur, ibi torquetur. Curre & sibi monstra, sibi compatere infirmanti.* Hæc ipse simplici, sed incenso stylo. S. Gregor. Nazianz. orat. 27. de cura pauper. *Pauperi*, inquit, *subveni, vestem præbe, medicamentum adhibe, vulnus alliga, de calamitate percontare, de patientia orationem habe* (hæc enim, adeoque omnem opem, quæ re verbove fit, includit τὸ *visitare ægrotum*.) *Bono esto animo, accede. Haudquaquam ex ea re labefactaberis: haudquaquam vitium contrahes, etiamsi homines nimium molles & delicati hoc existiment, inanibus rationibus decepti, vel potiùs hoc sive mollitiei suæ atque inertiæ, sive impietati prætexant.* Idem Nazianz. orat. 20. mirè celebrat S. Basilium, quòd Cæsareæ nosodochium ædificarit, ægros omni ope adjuverit, quin & eorum vulnera osculatus sit, in iis contemplans Christum. *Quocirca*, inquit, *ne labra quidem nor generosus, & generosis parentibus ortus, nominisque splendore clarissimus, ægrotis admovere gravabatur.* Plura hujus rei heroica heroum exempla, uti S. Gallicam, Placillæ Imperatricis, Radegundis, Eustachii, S. Mariæ Oigniacensis, &c. exempla recensui Isaiæ 38. in calce capitis, & Jacobi 1. 27.

Quomodo consolandi & admonendi sint ægri, vide apud S. Gregor. 3. parte Pastor. admon. 13. Idem S. Gregor. 20. Moral. 26. subtiliter docet, quomodo visitans ægros in dilectione firmetur; quia, scilicet, ex dilectione ægri dolores per compassionem in se transcribit, qui est insignis dilectionis actus. *Ille*, inquit, *perfectè tribuit, qui cum eo, quod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit; ut prius in se dolentis passionem transferat, & tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat.* Illustrat id exemplo Christi, *qui cùm posset nobis etiam non moriendo succurrere, subvenire tamen moriendo hominibus voluit: quia, videlicet, minùs amasset, nisi & vulnera nostra susciperet: nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc, quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret.* Idem homil. 39. in Evangel. illustre recenset exemplum. Martyrius monachus, inquit, leprosum in via repertum, in humeros sustulit. *Statim verò ut ad monasterii aditum pervenit, is qui leprosus esse putabatur, de collo ejus exiliens, & in ea specie apparens, qua recognosci ab hominibus solet Christus Jesus, ad cælum Martyrio aspiciente rediit, eique ascendens dixit. Martyri, tu me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super cælos.* Leo IX. Pontifex leprosum ante fores repertum in proprio lecto collocari jussit, qui manè quæsitus, nusquam inventus est. Creditum est Christum pauperis specie eò loci recubuisse. ita Platina, & alii in Vita Leonis IX.

Vers. 40.

IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS MEMORARE NOVISSIMA TUA, ET IN ÆTERNUM NON PECCABIS] *Ultimò ponit*, ait Lyran. *directivum totius vitæ humanæ, sicut nauta sedet in ultima parte navis, ut dirigat eam*: ut, scilicet, acrem det stimulum ad studia charitatis & virtutum, ac adimplenda Dei præcepta, quæ multa hoc capite assignavit, & plura deinceps assignabit, ne quod eorum tędium surrepat. Hæc ratio est à priori. Finis enim, qui in novissimis includitur, est principium agibilium, ut docent Philosophi: omnia enim agunt propter finem: ac pręsertim in Ethica finis hominis, qui est beatitudo, eum movet & impellit ad fugam peccati & amplexum virtutis, quasi ad media quibus beatitudo obtinetur. Gręca quędam legunt, ἐν λόγοις, id est, in omnibus sermonibus vel verbis. Alia tamen legunt, ἔργοις, id est, operibus. Ita legit Noster, idque meliùs & plenius: non enim in solis verbis, sed in omnibus actibus oportet meminisse novissimorum. Adde, Hebr. דבר *dabar*, id est, verbum, sępè pro facto sumi. Syrus, *in omnibus operibus tuis memor esto finis, & in æternum non peccabis*. scilicet, numquam mortaliter, raró venialiter, ait Dionys. Novissimorum enim intenta cogitatio retrahit à malo, & incitat ad omne bonum. Rursum, ut ait Rabanus, *Nemo potest perfectè peccatum devitare, & operibus justitiæ deservire, nisi qui sperat se quotidie de hoc mundo migrare. Qui enim considerat, qualis est in morte, semper fit timidus in operatione: unde in oculis suis quasi jam non vivit, nil quod transit appetit, cunctis præsentis vitæ desideriis contradicit, & penè mortuum se considerat; quia, moriturum minimè ignorat: perfecta enim vita est mortis meditatio, quam dum justi sollicitè peragunt, culparum laqueos evadunt.* Quocirca S. August. in Speculo peccat. c. 1. *Consideratio*, ait, *hujus sententiæ, destructio est superbiæ, extinctio invidiæ, medela malitiæ, effugatio luxuriæ, evacuatio vanitatis & jactantiæ, constructio disciplinæ, perfectio sanctimoniæ, præparatio salutis æternæ.* Et cap. 6. *Ne pereas, vide in hoc speculo quid es, & quid eris; cujus conceptio tabes menstrua, origo lutum, putredo finis.* Et c. 7. *Quid tunc proderit appetitus cibi exquisiti, potus delicatus, vestis curiositas, calceamenti speciositas, carnis mollities, ventris ingluvies, ciborum superfluitas, crapula & ebrietas, domorum constructio, præbendarum acquisitio, divitiarum aggregatio?* Hæc August. vel quisquis est auctor: nam c. 3. citat versus Boetii, qui 170. annis fuit posterior S. Augustino.

Regula certa actionum omnium, memoria novissimorum.

Porrò novissima sunt quatuor, mors, judicium, ac gehenna, & cælestis gloria: utraque æterna, quibus qui non movetur, vel pecus est, vel lapis, non homo; chalybs est, silex est. Tradit hic Siracides regulam certam, quæ omnes actiones nostras regulet, ordinet, sanctificet. nimirum, hanc: In singulis operibus illud eligito, illud agito, quod in hora mortis voles te elegisse & egisse: *In omni opere suo dicat quisque sibi ipsi: Si modò moriturus esses, faceres istud?* ait S. Bernard. in Speculo monach. In singulis operibus illud eligito, illud agito, quod in die judicii, cùm coram terribili tribunali Christi eorum rationem redditurus stabis, optabis te elegisse & egisse. Nihil agas, cujus in æternum te pœniteat, quod te egisse jugiter lugeas, & luas in gehenna. Stude quàm optimè & perfectissimè singula peragere, ut de omni gaudeas, & maximis præmiis doneris in cælo.

Quocirca S. P. Ignatius, fundator Societatis nostræ, in Exercitiis spiritualibus, has in dubiis, sive de vitę statu eligendo, sive de alia re qualibet resolvenda, securas dat praxes & modos eligendi. Illum statum elige, illam partem in dubio capesse, quam voles te elegisse in articulo mortis. quod optabis te elegisse & capessivisse in die judicii, illud nunc elige & capesse. Tunc enim purum habebis judicium, quod nunc ob passiones, commoda & concupiscentias sępè obscuratur,

ratur; imò excæcatur. Tunc sincerè verèque judicabis de agendis, vel non agendis, quando rebus omnibus valedices, cùm jam ob respectus humanos honorum, deliciarum vel opum, sæpè distortè, & perversè de iis judices.

Hæc cogitatio, & regula erit efficacior, si cogites novissima non procul abesse, sed brevi tibi obventura, rursum tibi incertum esse, quo die vel hora te occupatura sint. Quocirca omni die, et hora te ad illa subeunda debere esse paratum, & expeditum. *Quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet*, uti præmonuit Christus Lucæ 12. 40. Nam à morte bona pendet beata æternitas; à mala infelix, & miserrima. Cujus disparitatis symbola sunt muręna, & scorpius: murænæ enim in cauda animam, & vitam gerit, potiùs quàm in capite; scorpius verò in cauda gerit spiculum mortis. *Muranas*, ait Plin. lib. 32. cap. 2. *animam in cauda habere certum est*, ideoque *ea ictu celerrimè examinari, at capitis, ictu difficulter*. Sic Sancti animam habent in cauda, quia mentem defixam habent in cogitatione novissimorum, ut per bonam mortem transeant ad beatam immortalitatem. At dęmon quasi scorpius capite blanditur, cornibusque amplexatur; sed detentum spiculo caudę transfigat, & perimat: sic enim suis initio peccati illecebras exhibet, sed eosdem in morte spiculo damnationis configit, morientesque secum rapit ad tartara. Quocirca Sanctus Isidorus in fine Chronici: *In omnibus*, inquit, *operibus memorare novissima tua. Quando enim unusquisque de sæculo migrat, tunc illi consummatio sæculi*. Et Nazianz. in Sententiis: *Mortem*, inquit, *velut præsentem semper tibi ob oculos pone: ita enim fiet, ut cùm ipsi occurrendum erit, superior existas*.

Causa.

Causam dat S. Bernard. serm. 2. in Festo SS. Petri, & Pauli: *Fili, ait Sapiens, memorare novissima tua, & non peccabis: nimirum, quòd hæc cogitatio maximè facit timoratum; timor expellat peccatum, negligentiam non admittat. Novissima autem nostra sunt, mors, judicium, gehenna. Quid horribilius morte? quid judicio terribilius? nam gehenna nihil potest intolerabilius cogitari. Quid metuet, si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur? In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, mortis horrorem, judicii tremendum discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris. Time, o homo, quòd in morte separandus es a bonis omnibus hujus corporis, & tam dulce carnis, & animæ vinculum amarissimo secandum divortio erit. Time, quod in terribili judicio ei præsentandus es, in cujus manus horrendum est incidere: & eo examinante quem nihil latet, si quidem inventa fuerit in te iniquitas, alienandus ab universitate quietis & gloriæ, & segregandus a numero Beatorum. Time, quòd in gehenna cruciatibus æternis, & immensis exponendus es, in sorte diaboli, & angelorum ejus, in igne æterno qui præparatus est eis. Dies novissimus quàm sit expectatione terribilis, fili, memorare novissima tua.* Et paulò inferiùs: *Unde nobis ista dissimulatio est, fratres mei? unde hæc tam perniciosa tepiditas? unde hæc securitas maledicta? Quid seducimus miseri nosipsos? Forsitan jam divites facti sumus; forsitan regnamus. Nonne ostium domus nostræ horribiles spiritus illi obsident? nonne exitum nostrum larvales illæ facies præstolantur? Quis ille pavor erit, o anima mea, cùm dimissis omnibus, quorum tibi est tam jucunda præsentia, gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam regionem, occursantia tibi catervatim ruere teterrima illa monstra videbis? Quis tibi in die tantæ necessitatis occurret? quis tuebitur a rugientibus præparatis ad escam? quis consolabitur? quis deducet? Filioli mei, memoremur hæc novissima nostra, ne peccemus.* Eadem repetit sermone de primordiis, mediis & novissimis: ubi & addit: *Nam in morte non magnum, non parvum aliquid de bonis hujus mundi tecum delaturus es: in judicio nec fallere, nec resistere possibile erit: in gehenna nulla penitus consolatio, sed perpetuum væ, ululatus & fletus & stridor dentium.*

Gnomæ Patrum de memoria novissimorum.

Hic ergo fuit sensus, hic virtutis stimulus Doctorum, & Sanctorum omnium. Audi S. August. lib. 2. de Genesi contra Manic. cap. 28. *Nihil*, ait, *sic revocat homines a peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio; tunc enim anteacta vitæ coram justissimo judice reddenda ratio erit.* Et serm. 3. de Innoc. *Si diem mortis suæ homines jugiter cogitare vellent, animam suam ab omni cupiditate vel malitia cohiberent.* Quod ipsum magis verè de memoria judicii, sempiternorumque suppliciorum affirmatur: sic enim ait Basilius in psalm. 33. *Si quando te senseris ad aliquod provocari peccatum, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Christi judicium, & hoc quasi fræno animam cohibe.* Et S. Ambrosius ad Virgin. lapsam cap. 8. *Si mente cernerent homines peccatores, quale judicium imminet mundo; sensus humanus non dispergeretur vanitate sæculari, si non infidelitate gravaretur.* Quantam verò vim habeant inferorum supplicia ad animum ab omni scelere revocandum, luculenter docuit Prosper lib. 3. de Vita contempl. cap. 11. *Cogitare, quale malum sit ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi, beatissima Sanctorum omnium societate privari, fieri patriæ cælestis extorrem, mori vita beata, morti vivere sempiternæ, in æternum ignem cum diabolo, & angelis ejus expelli, ubi sit mors secunda, damnatio, exilium, vitæ supplicium, non sentire in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat, exundantis incendii terribiles crepitus pati, barathri fumantis cæca caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri. Hæc & similia multa cogitare nihil est aliud, quam vitiis omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrænare.*

Audi S. Basil. ad filium spirit. *Semper*, ait, *ante oculos tuos versetur ultimus dies. Cùm diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas pervenire: & cùm in lectulum ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis adventu, ut facilius te possis refrænare ab omnibus vitiis. Semper cor tuum cælestia promissa meditetur: omnia terrena, quæ possides, in cælestes mansiones transfer.* Rursum S. August. vel quisquis est auctor Speculi peccatoris, to. 9. cap. 3. *Sapientis*, ait, *est non tam cujuslibet rei principium prospicere, quam finem exitumque providere. Felix esse comprobatur, qui sic cogitat de supplicio ante supplicium, ut postea supplicii effugiat periculum.* Ex cap. 5. *Utinam saperes & intelligeres, quæ mundi sunt; & provideres, quæ inferni sunt: profectò Deum timeres, superna appeteres, mundum contemneres, & infernum horreres. In illa nimis metuenda extrema hora tua quis amicorum, quis parentum tuorum veniet cum gladiis & armis auxilium ferre? Non enim erit tunc qui te consoletur ex omnibus charis tuis. Refugium tuum tantummodo apud Deum*, &c.

Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror:
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Exempla Christianorum.

Fecit hoc S. Marcella, de qua S. Hieron. in ejus epitaphio epist. 16. ad Principiam ejus filiam: *Annis*, inquit, *plurimis sic suam transegit ætatem, ut ante se vetulam cerneret, quam adolescentulam fuisse meminisset, laudans illud Platonicum, qui Philosophiam meditationem mortis esse dixit: unde & noster Apostolus 1. Corinth. 15. Quotidie*, inquit, *morior propter vestram salutem. Et Dominus: Nisi quis tulerit crucem suam quotidie, & secutus fuerit me, non potest meus esse discipulus. Multoque antè per Prophetam Spiritus sanctus: Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Et post multas ætates illa sententia: Memento semper diem mortis, & nunquam peccabis. Disertissimique præceptum Satyrici:*

Vive memor lethi fugit hora; hoc, quod loquor, inde est.

Sic ergo ætatem duxit, & vixit, ut semper se crederet esse morituram: sic induta est vestibus, ut meminisset sepulcri, offerens se hostiam rationabilem, vivam, placentem Deo.

Idem in Epitaph. Nepotiani ad Heliodor. *Platonis*, inquit, *sententia est, omnem sapientium vitam meditationem esse mortis. Laudant hoc Philosophi, & in cælum usque ferunt: sed multò fortius Apostolus: Quotidie*, inquit, *morior per gloriam vestram. Aliud est enim conari, aliud agere: aliud vivere moriturum, aliud mori victurum. Ille moriturus est ex gloria, iste moritur semper ad gloriam. Debemus igitur & nos animo præmeditari, quod aliquando futuri sumus, & quod velimus nolimus, abesse longiùs non potest: nam si nongentos vitæ excederemus annos, ut ante diluvium vivebat humanum genus; & Mathusalem nobis tempora donarentur; tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desisset: etenim inter eum qui decem vixit annos, & eum qui mille; postquam idem vitæ finis advenerit,*

rit, & irrecusabilis mortis necessitas; transactum omne tantumdem est; nisi quòd senex magis onustus peccatorum fasce proficiscitur.

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Subdit exemplum Xerxis: *Xerxes ille Rex potentissimus, qui subvertit montes, maria constravit, cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem vidisset exercitum, flesse dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus: jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regnis regna collisa: alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios ad servitutem trahi: hic nuptias, ibi planctum: illos nasci, istos mori: alios affluere deliciis, alios mendicare: & non Xerxis tantùm exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos. Vincitur sermo rei magnitudine, & minus est omne quod dicimus. Redeamus igitur ad nos; & quasi è cælo descendentes paulisper nostra videamus. Sentisne, obsecro, quando infans, quando puer, qando juvenis, quando robustæ ætatis, quando senex factus sis? Quotidie morimur, quotidie commutamur: & tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur: quot puncta notarii, tot meorum damna sunt temporum. Scribimus atque rescribimus: transeunt maria epistolæ, & scindente sulcum carina, per singulos fluctus ætatis nostræ momenta minuuntur. Solum habemus lucri, quod Christi nobis amore sociamur.*

Magnus ille Simeon Stylites, non nisi unum sermonem scripto reliquit, cujus titulus est, *De semper mente complectendo suum discessum*: ubi graphicè depingit animæ peccatricis morientis angustias, cùm à dæmonibus cingitur ut eam in tartara abripiant; atque ex adverso animæ lætitiam, cùm ab Angelis ducitur in paradisum. Extat in Biblioth. SS. Patrum in Appendice. Porrò hic Simeon è columna quotidie bis docebat populum; tota autem ejus doctrina, & concio erat de novissimis: *Jubens in cælum suspicere, & evolare, ac è terra discedere, & regnum, quod expectatur, visione apprehendere, & gehennæ minas timere, & terrena contemnere, & futura expectare*, ait Theodor. in histor. Patrum capit. 26. Idipsum docebat reipsa, putà statione, & oratione continua magis quàm voce & concione: stabat enim jugiter suspiciens cælum, Deumque deprecans quasi ad eum evadere gestiens.

S. Anselmus ad Burgundium, & Richeram, ejus conjugem, epist. 5. *Ponite*, ait, *quotidie ante oculos vestros finem vestrum: cogitate intentissimè, cujus erunt, & quid vobis proderunt, quæ post vos remanebunt. Cogitate, quò ibitis, quid vobiscum portabitis, quid ibi quod præmissum à vobis sit, invenietis. Certè non portabitis vobiscum, nec invenietis ibi aliud, quàm merita vestra, sive bona, sive mala.* Et mox: *Hæc cogitate, hæc inter vos die ac nocte, in secreto, & publico tractate, hæc sint colloquia vestra invicem, Domine mi, amica mea: Quid facimus, quid tardamus? propè est ultima dies nostra. Quomodo expendimus vitam nostram? quomodo satisfacimus Deo pro peccatis nostris? Præparemus nos quasi videamus in proximo diem vocationis nostræ, & ita aptemus nos, ut securi eamus ad judicium; quia recepturi sumus sine dubio, prout gerimus in hac vita, sive bonum, sive malum. Deus junxit nos in hac vita, facimus, ut simul nos jungat in æterna vita, & ibi videamus prolem nostram, quam sibi Deus jam assumpsit. Hæc sint studia vestra, hæc sollicitudo, hæc suspiria vestra.*

Vis exemplum magis patheticum, & vivum? Accipe. S. Joannes Eleemosynarius, ut novissimorum semper recordaretur, sepulcrum sibi extrui, sed imperfectum relinqui curavit, ac monitorem statuit, qui diebus festis sibi coram omnibus diceret: *Monumentum tuum in hodiernum usque diem est imperfectum, Domine: inbe ergo, ut id finem accipiat, incertum est enim qua fur ingrediatur*, nempe, mors. Hæc cogitatio ad tantas eleemosynas eum extimulavit. ita Leontius in ejus Vita. Idem fecit Theodosius cœnobiarcha, cujus Vita extat apud Surium die 11. Januarii. *S. Joannis Eleemosinarii.*

S. Rembertus Archiepisc. Bremensis, ut habet ejus Vita, dictitabat primam Philosophiæ definitionem esse meditationem mortis. Hanc ergo jugiter præmeditabatur, & ad eam se disponebat, ut impleret illud Sapientis: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Ubi enim non est timor mortis, ibi est dissolutio vitæ; ubi verò dissolutio vitæ, ibi peccatorum abundantia; & ubi hæc, ibi perditio animæ. Timor enim semper emendat, tollit securitatem, parit sollicitudinem, superbiam deiicit, humilitatem nutrit, charitatem auget, & virtutes multiplicat. Celebris est sententia S. Hieron. *Facilè contemnit omnia, qui semper cogitat se moriturum.* Et illa: *Sive comedo, sive bibo, sive studeo, sive quid aliud ago semper ultima illa tuba insonat auribus meis: Surgite, mortui: venite ad judicium.*

Noster B. Franciscus de Borgia dictitabat, boni viri, præsertim Religiosi, exercitium esse, quotidie per 24. horas se præparare ad mortem; quodque ipse tunc rectè constitutus erat, quando quolibet die dicere poterat cum S. Paulo: *Quotidie morior*, ita Ribadeneir. in Vita eius, libr. 4. capit. 5. Denique S. Job cap. 14. 14. *Cunctis diebus*, ait, *quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea.*

Idem fuit sensus Gentilium. S. Maximus. serm. 36. narrat, Musonium interrogatum quis optimè extremum diem clauderet? respondisse: *Qui semper postremum vitæ diem sibi instare proposuerit.* Plato, uti jam dixi, censuit: *Omnem sapientum vitam esse meditationem mortis.* *Gentiliũ.*

Apud Ægyptios in solemnibus conviviis unus quispiam cadaver ligneum quàm proximè ad verum effictum, convivis singulis ostendens dicebat: *In hunc intuens pota, & oblectare, talis post mortem futurus*; licet, quo fine hoc fecerint, sit ambiguum. Testis est Herodotus lib. 3.

Aristippus in maris tempestate expallescens, ea sedata, cùm ei quidam insultaret: *Cur vos, Philosophi, qui prædicatis mortem non esse formidandam, expallescitis in discrimine, nos indocti non timemus? Quoniam*, inquit Aristippus, *non de pari anima tibi mihique cura est ac metus.* Addit Gellius eum dixisse: *Ego timeo animæ Aristippi, tu non times animæ nebulonis.* ita Laertius libr. 2. capit. 8.

Secundus Philosophus, teste eodem Laertio, rogatus ab Hadriano Imper. Quid esset mors? respondit: *Mors est æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitalis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somnii pater, fuga vitæ, vivorum discessio, resolutio omnium.* Denique Seneca in Proverbiis: *Omnis dies*, inquit, *velut ultimus ordinandus est.*

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRosequitur argumentum capitis præcedentis, quomodo, scilicet, quis prudenter se cum proximis gerere debeat; sed circa alia hominum genera. Rursum cap. præced. docuit quid proximo cuique præstari debeat: hic verò & sequenti, quid non præstari. Primò ergo docet non esse litigandum cum potente, divite, linguato, indocto. Secundò, v. 6. docet non esse spernendos peccatores pœnitentes, nec senes, nec inimicos mortuos. Tertiò, v. 13. docet non esse reprehendendos peccatores obstinatos, contumeliosos, fortiores, judices, iracundos, audaces. Quartò, v. 20. docet consilium non esse ineundum cum fatuis & extraneis. Summa, totum ferè caput suadet pacem & tranquillitatem vitæ, ejusque obices & impedimenta indicat, & dissuadet.

NOn litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius. 2. Non contendas cum viro locuplete, ne fortè contra te constituat litem tibi. 3. Multos enim perdidit aurum & argentum, & usque ad cor regum extendit & convertit. 4. Non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem illius ligna. 5. Non communices homini indocto, ne malè de progenie tua loquatur. 6. Ne despicias hominem avertentem se à peccato, neque improperes ei: memento, quoniam omnes in correptione sumus. 7. Ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt. 8. Noli de mortuo inimico tuo gaudere: sciens, quoniam omnes morimur, & in gaudium nolumus venire. 9. Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in proverbiis eorum conversare. 10. Ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus, & servire magnatis sine querela. 11. Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis. 12. Quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. 13. Non incendas carbones peccatorum arguens eos: & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. 14. Ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo. 15. Noli fœnerari homini fortiori te: quòd si fœneraveris, quasi perditum habe. 16. Non spondeas super virtutem tuam: quòd si spoponderis, quasi restituens cogita. 17. Non judices contra judicem, quoniam secundùm quod justum est judicat. 20. Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent. 21. Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim quid pariet. 22. Non omni homini cor tuum manifestes, ne fortè inferat tibi gratiam falsam, & convicietur tibi.

VERS. I.

NON LITIGES CUM HOMINE POTENTE, NE A FORTE INCIDAS IN MANUS ILLIUS] Pro *litiges* Græcè est διαμάχου, quod significat certare, tam verbis, quàm verberibus, putà, tam litigare, quàm pugnare. Insipiens enim est, qui cum potentiore se contendit; sive lite forensi, sive pugnis vel armis: quia certum est periculum, quòd illi succumbet, & in ejus laqueos incidet, ab eoque vincetur & proteretur. Unde Tigurina, putà Vatabl. vertit, *ne concertes cum homine potente;* Syrus, verò, *ne converseris cum homine qui est asperior te, ne fortè incidas in manus ejus.* Huc facit proverbium Latinum: *Hinnulus leonem;* supple, provocat: imò, si sapit & sibi consultum velit, ne provocet ad litem vel duellum.

Cum potentiore non litigandum. Gnomæ. Parallelæ Siracidi sunt aliarum gentium & sapientum sententiæ. Celebris est illa Alcibiadis: *Cùm licet fugere, ne quære litem.* Et illa S. Gregorii Nazianzeni in Distichis: *Ut peritus gubernator tempestates, quoad fieri potest, devitat: sic sapientis animus gravia omnia periculosa.* Lis autem omnis gravis est & periculosa; sed maximè ea, quæ cum principe vel potente suscipitur. Nam, ut ait Seneca B in Proverbiis: *Tempestas grandis est indignatio regis.* Arabum est adagium centur. 1. n. 2. *Ne jace sagittas in idolum ferreum,* id est, ne jace verba tua in eum qui fortior te est: *neque obsiste adversarius illi qui tibi præpollet.* Sagittæ enim in idolum ferreum jactæ, illud non transfigunt, sed resultantes jacientem potiùs lædunt: sic potentes imbecillorum conatibus non læduntur, sed eos potiùs in ipsos retorquent. Cato in Distichis.

Cede locum læsus fortunæ, cede potenti:
Lædere qui potuit, poterit quandoque juvare.

Præclarè Nazianz. in Tetrastichis:

Non obtinere cuncta, nec semper, stude.
Benè vinci ames plus, improbè quàm vincere.
Athleta nam non vincitur quisquis jacet
Humi; sed hostem sæpè sternens dejicit.

Apologus Elegans hac de re extat apologus leonis & vulpis, apud Gabriam, aliosque mythologos: *Amicitiam,* inquit, *quodam tempore junxere inter se leo, asinus, vulpes, atque ita communiter venatum exiere. Copiosa autem præda parta, jubet asinum leo illam dividere: qui similiter in tres æquales partes distribuens, sorte putabat decerni oportere, quid quisque deberet sumere. Ob hæc leo ira commotus in asinum irruit, & dilacerat, atque devorat miserum. Tum vulpem dividere jubet. At illa in acervum congestis universis, sibi exemit parvulam portiunculam; atque hanc justam divisionem esse dixit, ut leoni, cujus non solùm auspiciis, sed etiam laboribus omnia essent quæsita, plurima extra sortem cederent. Cui leo? Quis te, inquit, optima vulpecula, tam scitè partiri docuit? Asini, respondit vulpes, mi leo fortissime, asini socii nostri casus.* Similis est apologus Phędri lib. 1. Fabul. cap. 5. *Vacca,* inquit, *capella, ovis & leo in venatione cepere cervum, quo in quatuor partes diviso, dixit leo:*

Ego primam tollo, quia nominor leo:
Secundum, quia sum fortis, tribuetis mihi:
Tum, quia plus valeo, me sequatur tertia:
Malo afficietur, si quis quartam tetigerit.
Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

Affabulatio:

Numquam est fidelis cum potente societas.

Ex hoc apologo dicta est leonina societas, cùm omne commodum ad unum redit, reliquis vi fraudatis, qualis solet esse plebeiis cum præpotentibus. Extat in Pandectis, in quibus ex Ulpiano refert Aristo, Cassium respondisse, societatem talem coire non posse, ut alter lucrum tantùm, alter damnum sentiret, & hanc societatem leoninam solitum appellare. Similem apologum ollæ & cacabi assignabit Siracides cap. 13. 3. Accedit, quod sicut cameli (& elephantes) bibituri potiùs pedibus turbant aquam, ne in limpida videant suum gibbum & deformitatem. *Cameli bibunt,* ait Plinius lib. 8. cap. 18. *obturbata conculcatione prius aqua.* Sic potentes sua auctoritate, famulatu, clamoribus, minis turbant rei narrationem & veritatem, ne eorum causæ iniquitas, tyrannis & fastus appareat. Frustra ergo cum eis litigas, qui aquam veritatis & justitiæ, limo clamorum & mendaciorum conturbant & obscurant; ut quod æquum justumque est, cerni nequeat. Quare cum potente liti-

canis, qui iritatus latrare non cessat. Syrus, *ne litiges cum viro contentioso, & ne ponas super ignem ligna*: quia, sicut princeps est potens robore, dives ære: sic linguatus pollet lingua. Quare, uti cum illis non esse litigandum docuit v. 1. & 2. sic & cum linguato non esse certandum docet hoc versu. Linguatus enim verbis & clamoribus strepit & crepitat instar lauri virentis igni impositæ. Unde illud Diogenis: *Magis vociferatur, quàm laurus viridis incensa*. Hinc & adagium: *Insana laurus est*; dici solitum in rixarum auctorem, qui quocumque se vertit, lites suscitat. Ortum habuit ex illo, quod scribit Plinius lib. 16. c.45. *Ejus* (Bebricis regis) *tumulus à supremo die lauro tegitur, quam insanam vocant; quoniam si quid ex ea decerptum inferatur navibus, jurgia fiant, donec abiiciatur*. Verùm hoc superstitionem olet, uti & illud, quod scribit lib. 19. c. 7. *Ocimum cum maledictis & probris serendum præcipiunt, ut latius proveniat*. Plura habet similia de remediis morborum, deque herbarum & gemmarum virtutibus superstitiosa, libr. 28. cap. 1. 2. & seq. & alibi.

Huic simile est illud Catonis:

Contra verbosos noli contendere verbis:

& illud Arabum centur.1.n.28. *Ne scalpito* (Pythagoras dixit, *ne fodito*) *ignem gladio*; id est, loquacem & iratum contendendo noli iritare: sicut enim prunæ, quamdiu relinquuntur, placidæ sunt, suisque cineribus ardorem suum tegunt: quamprimùm verò contrectantur & fodiuntur, ignes ostentant, vim scintillarum evomunt, ac in apertam flammam tandem erumpunt: sic loquaces & iracundi, quandiu soli & intacti vivunt, malitiam suam cohibent & tegunt: mox verò ut tanguntur, oculis scintillant, nare fumum, ore ignes eiaculantur. Et centur.1.n.25. *Qui non dat lignum ad ignem, impedit illum, quo minùs exardescat*: id est, *qui pudefit ob verba scandali, impedit iram, ut non inflammetur*. Verba scandali vocantur, quę quis ira percitus in aliquem evomit. Qui enim reprehensus, aut probro affectus pudore suffunditur, nec se contendenti & exprobranti opponit, iram ejus cohibet, & velut frigida iniecta, ignem restinguit. Qui verò responsat verbis acribus, quasi lignis iram accendit & inflammat, juxta illud Proverb.26. 20. *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis, & susurrone subtracto jurgia conquiescent. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem: sic homo iracundus suscitat rixas*. q. d. Ira est instar ignis: ignis autem alitur crescitque pabulo. Igitur, sicut ignis pabulum connaturale sunt ligna: sic iræ propria fomenta sunt iratorum jurgia, detractiones, dicteria & maledicta. Vide S. Basilium homil. 21. & in varios Script. locos, ac S. Chrysost. homil. 29. ad populum, ubi ait: *Feræ potiùs quàm homini iracundo cohabitandum est: hæc enim semel mansuefacta suam servat legem: illum etiam quoties mitigaveris, rursus efferatur*.

Vers. 5. NON COMMUNICES HOMINI INDOCTO (Grecè, *ne colludas*, id est, ne converseris, ne familiaris sis jocando & colludendo cum ἀπαιδεύτῳ, id est, indisciplinato, qui sub virtutis ferula, putà sub disciplina & castigatione præceptorum & morum non fuit, in eaque non didicit virtutem, ideoque practicè est indoctus, ut vertit Noster:) NE MALE DE PROGENIE TUA LOQUATUR] ne, si quid maculæ progenies tua occultum habet, ille proferat in lucem: solent enim tales esse libertini & arrogantes, ideoque sua magnificare & laudare, aliena parvi pendere & vituperare: quare effrænis iste colludendo effutiet id quod habet in pectore, teque & tuos parentes, vel de vilitate prosapiæ, vel de paupertate, vel de rusticitate, aliove vitio, vel scelere taxabit, itaque te vilipendet & infamabit, ac lites & jurgia concitabit. Græca habent, *ne infamentur*, vel *ignominia afficiantur progenitores tui*, scilicet, per imprudentiam & arrogantem loquacitatem indocti, qui jocorum jura nescit, uti explicat Noster. Alii tamen id accipiunt de affricatione vitiorum & morum: q. d. Ne communices cum indisciplinato; quia si communices, disces & indues perversos eius mores, atque ignominia afficies te & tuos parentes. Aliter hæc vertit Syrus, *ne litiges cum arrogantibus, ne probro te afficiant viri graves*: q. d. Ne arrogantibus communices, vel colludas, scilicet, in salsis jocis & irrisionibus, ut sit idem quod, *ne litiges*. Solent enim loquaces & dicaces jocosis salibus & scommatibus alios impetere, quibus dum alij paribus dicteriis respondent, jocus
A in litigium vertitur: nam omnia præcedentia hic spectant litigium. Sicut ergo jussit v. 1. 2. & 3. ne quis litiget cum potente, divite & linguato; sic hic jubet, ne litiget cum indisciplinato & arrogante. Et hic videtur esse germanus hujus loci sensus. Ex hoc enim litigio sequuntur probra mutua, quibus invicem obiiciunt & vilitatem & crimina prosapię & parentum, quæ meritò improbant & damnant viri graves. Sicut enim fragum ferit fragum; sic scomma ferit scomma, risus risum, contumelia contumeliam, lis litem. Sic ludere pro litigare, imò pro bellare & duellare sumitur, 2. Reg. 2. 14. *Surgant pueri & ludant*; id est, duellent, ut patet ex sequentibus. Sic Ismael lusit cum Isaac, eum ridendo, vexando & persequendo, uti explicat Paulus Galat. 4. 29. Sic denique canes ludunt cum leporibus, aucupes cum avibus, mures cum felibus.

Huius rei typus est sal, quod est symbolum sapientię: sicut enim sal non cummunicat cum igne, sed in eum iniectus obstrepit & crepitat, eò quòd in se contineat aquam salsam igni insulso contrariam: sic pariter sapiens non convenit cum insulso & insipienti, quia illius sapien-
B tia huius insipientię obstrepit & adversatur.

NE DESPICIAS HOMINEM AVERTENTEM SE Vers. 6.
A PECCATO, NEQUE IMPROPERES EI peccata commissa, de quibus jam pœnitet. Rationem subdit: MEMENTO, QUONIAM OMNES IN CORREPTIONE (perperam legunt multi, *in corruptione*) SUMUS] *In correptione*, id est, in peccato: ob peccatum enim digni sumus correptione & reprehensione. Est metonymia: ponitur enim effectus pro causa. Sensus est: q. d. Noli despicere peccatorem pœnitentem, eique exprobrare peccata præterita, quia & tu peccator es, adeoque omnes peccatores sumus, dignique reprehensione. Unde Syrus, *ne exprobres homini, qui pœnitet de peccatis suis: memento, quòd omnes nos peccavimus*; Tigurina, *homini à peccato recedenti probrum ne obiicias; sed memento nos omnes esse in crimine*; alii, *in culpa*: ut jugiter cum Sanctis humiliter confiteri & dicere debeamus, *mea culpa*. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria*, id est, gratia, *Dei*, Roman. 3. v. 23. Sicut ergo Christus suscepit benignè S. Magdalenam, S. Petrum, S. Paulum, S. Matthęum, Zachæum, ceterosque publicanos & peccatores; sic mul-
C tò magis nos, qui æquè vel magis sumus vel fuimus peccatores, eosdem benignè excipere, solari, fovere & juvare pro viribus debemus, juxta illud Pauli Galat. 6. 1. *Si praoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Vide ibi dicta. Siracides à litigio descendit ad contemptum: hi enim affectus vicini sunt. Sicut ergo docuit, cum quibus non sit litigandum: sic jam docet, qui non sint contemnendi, esto contemptibiles esse, aut contemptum mereri videantur, quales sunt peccatores, senes, inimici mortui.

Ita hunc locum explicat S. Basilius in psal. 14. v. 3. *Neque enim*, inquit, *qui peccat probris venit insectandus, ut scriptum est: Ne exprobres homini avertenti se à peccato* (qui locus est Nostri hoc cap. vers. 6.) *numquam enim ad delinquentium utilitatem novimus esse à quopiam assumptum: nam, cum Apostolus in suis ad Timotheum discipulum institutionibus, præmiserit redargutionem sive repre-*
hensionem simul, & increpationem; nusquam tamen assumit
D *opprobrium, quod fraternæ correctioni adversetur. Sanè reprehensio, sive redargutio videtur sibi finem præstituere emendationem peccantis; contra, opprobrium ejus magis qui peccavit, spectat confusionem*. E confusione autem nascitur, ut excandescens ira correctus in corrigentem insurgat.

Porrò, quia multi codices legunt, *quoniam omnes in corruptione sumus*; hinc istud appositè sic explicat Palacius: *Ut corpus nostrum*, inquit, *semper tendit ad corruptionem; est enim in eo materia, quæ semper machinatur maleficium: ita anima nostra sibi relicta tendit ad malum: quia cuncta cogitatio humani cordis intenta est ad malum, ut in Genesi dicitur. Hinc tria collige. Primum, tu qui improperas avertenti se à peccato, mereris propterea tibi relinqui: at relictus tuæ corruptioni, peccabis. Secundum, mirari minimè debes, si frater tuus corruptionem secum ferens labatur. Tertium, multum amare debes, si se à sua*

corru-

quasi aqua dilabimur in terram, qua non revertuntur, 2. Reg. 14. 14. Sapienter S. Hieron. vel potiùs S. Paulinus ad Celant. epist. 14. *Quasi*, inquit, *compendiosum quoddam commonitorium tibi Euangelii eligenda sententia est, & superscribenda cordi tuo, qua ad totius justitia breviarum Dominico ore profertur: Omnia quacumque vultis ut faciant vobis homines, hac vos facite illis: cujus pracepti vires exprimens jungit: Hac enim lex est & Propheta. Ad omnem actum, verbum, cogitatum hac sententia retractetur, qua tibi quasi speculum quoddam paratum, & ad manum semper positum, qualitatem tua voluntatis ostendat, ac etiam vel de injusto opere redarguat, vel de justo latificet.*

Alludit ad illud Salomonis Prov. 24. 17. *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum, ne fortè videat Dominus, & displiceat ei.* Et ad illud Job 31. 29. *Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat: & exultavi, quòd invenisset eum malum.* Hac de causa Deus minatur & intentat excidium Idumæis, eò quòd ipsi lætati essent in excidio Judæorum per Chaldæos. Ezech. 25. 15. *Sicut gavisus es*, inquit, *super hereditatem domus Israel, eò quòd esset dissipata, sic faciam tibi: dissipatus erit mons Seir & Idumaa omnis.* Et Jerem. Thren. 4. 21. *Gaude, ait, & latare, filia Edom: ad te quoque perveniet calix, inebriaberis atque nudaberis.* Et psal. 136. 7. *Memor esto, Domine, filiorum Edom in die* (excidii) *Jerusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.*

Sapienter Virgil. libr. 10. Æneid. cùm narrasset Turnum Pallanti à se occiso insultasse, ejusque baltheo ovantem se accinxisse, admonens subjicit:

Nescia mens hominum fati sortisque futura.
Et servare modum rebus sublata secundis;
Turno tempus erit, magno cùm optaverit emptum
Intactum Pallanta, & cum spolia ista diemque
Oderit.

Nā idcircò Turnus in duello occisus est ab Ænea eò quòd videret eum accinctum baltheo sui Pallantis. Sic enim Turno strato, & supplici insultat Æneas lib. 12. Æneid.

Tune hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, & pœnam scelerato ex sanguine sumit.

Præclarè S. Gregor. in locum jam citatum S. Jobi 22. Moral. cap. 6. *Sciendum*, inquit, *est, quia inimici dilectio tunc veraciter custoditur, cùm nec de profectu addicimur, nec de ruina illius latamur. Nam sape in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, seque hunc diligere astimat, si ejus vita contrarius non existat. Sed dilectionis vim occultè & veraciter, aut profectus inimici, aut casus interrogat. Hac etenim de re ad plenum semetipsam mens hominis nescit nisi eum, quem sibi adversarium credit, in defectu vel profectu mutasse modum sui status invenerit: si enim de prosperitate addicitur, & de calamitate se odientis latatur, constat, quia non amat, quem non vult esse meliorem: eumque etiam stantem voto persequitur, quem cecidisse gratulatur.* Subdit deinde casum, quo licet gaudere de casu inimici, scilicet, ob noxam, quam aliis injustè infert. Ait ergo: *Sed inter hac sciendum est, quia evenire plerumque solet, ut non amissa charitate, & inimici nos ruina latificet, & rursum ejus gloria sine invidia culpa contristet: cum & ruente eo, quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus. Qua in re mentem nostram, nec ejus jam defectus erigit, nec ejus profectus addicit, si recta nostra cogitatio non quid in ipso, sed quid de ipso circa alios agatur, attendit. Sed ad hac scrutanda valdè est necessarium subtilissima discretionis examen; ne cum nostra odia exequimur, fallamur sub specie utilitatis aliena.*

VERS. 9. NE DESPICIAS (alii, *ne negligas*) NARRATIONEM PRESBYTERORUM (id est, senum] SAPIENTUM, ET IN PROVERBIIS EORUM CONVERSARE] Est miosis: minus enim dicitur, & plus significatur: *non despicias*, id est, studiosè audias, haurias, & sequaris, *narrationem* senum; tum historiarum, & exemplorum præteriti ævi, quas ipsi, vel viderunt, vel à patribus audierunt; tum monitorum, consiliorum, documentorum, similiumque rerum, quæ te docebunt prudentiam: *& in proverbiis eorum conversare*, mente ea pertractando, ruminando, & meditando. *Proverbia*, vel, ut Græcè est, parœmiæ, Hebr. משלי *misle*, vocantur non solùm adagia, apologi, similitudines; sed & quælibet sententiæ acutæ, vel graviter dictæ, quæ moribus formandis, & componendis deserviunt, uti dixi initio libri. Unde Tigurina vertit, *in pronuntiatis eorum* Vatabl. *in sententiis*, vel *scitè dictis eorum versare*; Syrus, *ne derelinquas narrationes sapientum, & in parabolis eorum esto disputans* (ruminando eas tecum, vel cum aliis eorum vim disquirendo & perscrutando,) vel *calcans*, assiduè eas terendo, in iisque incedendo, & juxta eas vitam instituendo. Causam subdit:

AB IPSIS ENIM DISCES SAPIENTIAM ET DOCTRINAM INTELLECTUS; ET SERVIRE MAGNATIS SINE QUERELA] *Sapientiam* vocat cognitionem rerum multarum, & magnarum: *doctrinam intellectus* vocat Ethicam, sive prudentiam, qua quis intelligenter, id est, prudenter, cum quibuslibet versetur, & munia sua peragat. Græca de more concisa sic habent: *Ab illis enim disces* παιδείαν, id est, *disciplinam*, & εὐμαρῶς, id est, *faciliter*, & dextrè, *servire proceribus*, Syrus, *ab iis accipies doctrinam in tempore, quo steteris coram principibus.* Magna enim opus est prudentia, & dexteritate, ut quis ritè converſetur in aulis principum, vel reipubl. negotia tractet cum fide, & simul cum gratia VERS. 10.

B omnium, ne vel princeps, vel consiliarii, vel aulici, vel populus de eo queratur, aut queri possit: pauci enim à principe exaltati in aula consenescunt sine offensa, quin & plerique gratia principis, & gradu suo excidunt. qui ergo sapiunt, tempestivè ruinam prævident, & ex aula se subducunt.

Aulici ergo prudentes norunt faciuntque illud Taciti: *Quanto quisque promptior obsequio, tanto citiùs honoribus & opibus extollitur.* Et illud sapientis: *Invidiam supera modestia, & humilitate: injurias vince patientia. Omnibus omnia fias: qua tollere non potes, dissimula: scommata & probra hilaris absorbe.* Unde ille rogatus, quomodo præter aliorum morem in aula consenuisset, respondit: *Omnibus me substernendo, & accepta injuria gratias agendo.* Nebridium laudat S. Hieron. epist. ad Salvinam, ejus nuper uxorem jam viduam. *Nutritus, ait, in palatio, contubernalis & condiscipulus Augustorum, non est inflatus superbia, nec ceteros homines adducta fronte contempsit: sed cunctis amabilis, ipsos principes amabat ut fratres, venerabatur ut dominos. Ministros autem eorum, & universum ordinem palatii sic sibi charitate sociarat, ut qui merito*

In aulis quomodo versandum.

Exemplū Nebridii.

C *inferiores erant, officiis se pares arbitrarentur. Difficile factu est gloriam virtute superare, & ab his diligi quos pracedas.*

Qui hanc artem nesciunt, aulam experiuntur caulam, imò caulæ incolis miseriores evadunt. Nam, ut ait Plutarch. in Arato: *Amicitia regum, & tyrannorum ferventes, ac repentina, & ardore quodam amoris subito incenduntur: sed labefactari expugnarique facilè possunt, & veluti ventis invidia atque calumnia flatibus assiduè agitantur.* Appositè quoque Polyb. lib. 5. *Brevia monumenta plerumque extollunt homines, rursumque deprimunt; in primis vero eos, qui in aulis versantur: isti enim profectò similes sunt mensarum calculis, qui prout calculatori lubet, modò assem, modò talentum valent: ita aulici ad nutum principis modò beati, modò miseri fiunt.*

NON TE PRÆTEREAT NARRATIO SENIORUM: IPSI ENIM DIDICERUNT A PATRIBUS VERS. 11.

D SUIS] Græca, *ne discedas à narratione seniorum: ipsi enim à patribus suis nacti sunt eruditionem.* ita Complut. & Tigurina. At Syrus, *ne contristeris in narrationibus senum, qui audierunt a patribus suis.* q. d. Doctrina senum est sedata, & solida, quia traditione à patribus accepta, longoque usu & experientia confirmata: illam ergo sequere, non juvenum inventiones, & conceptus, qui uti præfervidi, & acuti sunt, ita sæpè instabiles, fallaces, difficultatibus, & erroribus, quos non prævidérunt, quique postea deprehenduntur, se suosque involuunt, & implicant.

Hoc est, quod toties inculcat Moses, & Prophetæ, ut filii doceantur à parentibus, juvenes à senibus: *Docebis*, inquit, *ea filios & nepotes tuos*, Deuter. 4. 9. & cap. 11. 19. Isaiæ 39. 21. psalm. 77. 3. Prudenter Plutarch. libr. An seni sit gerenda resp. *Sicut ibin ajunt* (inquit) *cum vetus est facta, exhalatis virosis ac turbidis partibus, odoratiorem habere aromaticam virtutem: sic decretum senile nullum tumultuosum habet consilium; sed gravia omnia, & firma. Quapropter juvenum gratia senibus est in republ. versandum, ut quomodo Plato de vino aqua diluto ait, insanum*

Ibis in senio odorata.

deum alio sobrio coerceri atque temperari: ita cautio senilis cum fervente in populo juvenum, ac bacchante gloria & bonorum studio commixta insaniam & nimiam vehementiam eorum reprimat.

Vers. 12. QUONIAM AB IPSIS DISCES INTELLECTUM (Græcè, σύνεσιν, id est, intelligentiam, prudentiam,) ET IN TEMPORE NECESSITATIS DARE RESPONSUM] ut respondeas aptè & congruè loco, tempori & personis, quando interrogatus de re gravi, dubia vel ancipiti, necesse tibi erit respondere appositè & prudenter, ne quem offendas & periculum incurras. Tigurina, *quapropter sapere disces ab eis, & opportuno tempore respondere*. Magnæ sapientiæ & prudentiæ est, posse ritè quibuslibet interrogantibus respondere; cùm enim vita nostra plena sit difficultatibus, dubiis, ignorantiis; difficile est omnibus verè & prudenter respondere, ac dare cuique sapiens consilium; hoc autem à senum prudentia, quasi à fonte affatim promemus. Huc facit illud Euripidis in Bellerophonte: *Tempus multam ac variam doctrinam parit*. Et illud illius apud Apulejum lib. 5. de Asino aureo: *Sum rusticanus & opilio, sed senectutis prolixæ beneficio multis experimentis instructus*. Hinc & illud vulgò tritum: *Vino veteri utere*. Et illud Plinii l. 22. cap. 25. *Vetus panis medetur oculis*. Denique Iob. c. 12. 12. *In antiquis, ait, est sapientia, & in multo tempore prudentia*. Festivè R. Iosi in *Pirke avoth*, id est, in Apophthegm. patrum: *Qui, inquit, à iunioribus discit, similis est ei, qui omphacium bibit, aut acerbam uvam, & vinum non satis excoctum: qui autem senes habet magistros, hic assimilatur bibenti vinum vetus, quod ut plurimum optimum est ac præcipuum, ac uvas comedit iam planè maturas*. In vestibus enim quæritur novitas, in vino vetustas.

Vers. 13. NON INCENDAS CARBONES PECCATORUM ARGUENS EOS: ET NE INCENDARIS FLAMMA IGNIS PECCATORUM ILLORUM] q. d. Ne peccatorem suis cupidinibus affixum & incorrigibilem arguas: alioqui ejus bile velut carbonibus accensis incenderis flamma peccatorum, id est, scelerum ejus. Hoc est, ne irites bilem scelerati, ne ejus flamma comburaris; ne, scilicet, ab illo irato & excandescente lædaris, vel ab eo ad similem iram, lites, rixas & cedes atque scelera provoceris. Cùm enim non est spes emendationis, nec aliud ex correptione speratur, quàm indignatio correpti, vel etiam corripientis, insipienter & cum periculo illa adhibetur. Græca, *ne accendas carbones peccatoris, ne incendaris in igne flammæ eius*; Syrus, *ne sis communicans cum impio consummato* (id est, perfecto, absoluto: hic enim vocatur peccator, à peccandi habitu & obstinatione, iuxta illud psal. 1. 1. *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum, & in via peccatorum non stetit*,) *& ne ardeas in flamma ignis eius*; Tigurina, *ne inflammes carbones scelerosi (reprehendendo) ut ne conflceris flammis ignis (peccatorum) eius*; alii, *ne incende carbones peccatoris, ne conflagres igne flammæ ipsius*. Pulchra est metaphora à carbonibus, q. d. Sicut carbones restincti non ardent; at, si folle vel flabello succendantur, non tantùm ardent, sed & urunt accendentem: ita qui iram & malitiam peccatoris sopitam excitat, ab ea sæpè corripitur & perditur. Non ergo sunt hic duo præcepta, ut volunt nonnulli, scilicet, Primum, ne suscites bilem peccatori; Secundum, ne simili bile corripitor: sed unicum, scilicet, ne suscita bilem peccatori; quia, si hoc feceris, eadem incenderis, id est, læderis, & malè mulctaberis, vel simili bile contendendo cum eo accenderis: utrumque enim significat *Tò incenderis*. Copula ergo &, copulat hic, non præceptum cum præcepto; sed fructum præcepti cum præcepto: unde idem valet quod, *ut*, uti vertit Tigurina: quare Greca non habent *Tò &*. Alio sensu ait Apostolus Roman. 12. 20. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum: si sitit potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius*: illi enim sunt carbones charitatis, qui charitatem inimici accendunt. Unde explicans subdit: *Noli vinci à malo; sed vince in bono malum*. Hi verò sunt carbones choleræ, qui choleram peccatoris inflammant. Nam, ut ait S. Basil. homil. de Ira: *Sicut canis latrans alterius canis tumultum provocat: sic & animum tuum quiescentem vox illius excitat, & facti estis inter vos latrantes. Dixit ille aliquid contumeliosum; tu verò insipientis imitatus stultitiam, maiori furore reddidisti*, &c. Et S. Greg. lib. 8. epist. 51. & 5. Moral. 31. *Fit plerumque*, ait, *ut ad manus ira prosiliat, & eo furor membra in actibus foris exerceat, quo intus ipsam membrorum dominam mentem captivā tenet*. Plura vide apud eumdē eodē lib. c. 51. 52. 53.

Congruo ordine Siracides à contemptu aliorum descendit ad increpationem: hæc enim duo sunt vicina, & quasi contigua. Sicut ergo à v. 6. huc usque docuit, qui non sint contemnendi: sic jam & deinceps docet, qui non sint increpandi & arguendi, nimirum, obstinati, contumeliosi, fortiores, judices, iracundi, audaces. Hac de causa Ezechias Rex vetuit populo, ne Rabsaci Assyrio blasphemanti responderet, ne, scilicet, responsione iritatus magis insolesceret & blasphemaret, Isaiæ 36. 21. In quem locum S. Hieron. lib. 11. in Isajam: *Iratus Ezechias*, inquit, *agens cuncta fideliter, universaque consilio, ideo jusserat blasphemanti Assyrio non responderi, ne eum ad majores blasphemias provocarent. Unde scriptum est: Ne succendas carbones peccatoris.*

Idem S. Hieron. vel potiùs Beda (commentarius enim in Proverb. non est S. Hieron. sed Bedæ) in cap. 19. Prov. *Subiectum*, inquit, *tibi quemlibet si errare conspicis, diligenter castigare curato: quod si curari renuit, ita circa illum circumspectè & temperanter age, ne quid omnino in tuis verbis vel actibus, unde amplius peccet, inveniat. Qui impatiens est, sustinebit damnum: si enim duritia contradicentis fratris, quem erudire cœpisti, provocatus ipse in impatientiæ vitium labaris, damnum profectò tuæ virtutis incurris: & cùm illi durius forte increpando, spem promerendæ salutis, agendæque pœnitentiæ, quam habuerat, rapueris, rationem pro eo quod fratrem scandalizasti, districto judici reddes.*

In ira nemo corrigendus.

Quocirca S. Basil. in Regul. brevior. interrog. 99. quærit, quo animi affectu quis alium corripere debeat? & respondet: *Quali uteretur pater & medicus, cum misericordia ac lenitate, si filium suum curaret*. Et S. Bernard. in tract. de Gradibus humilitatis: *Apostoli*, inquit, *præceptum est, ut mansueto, id est, eo spiritu fratri ægrotanti subvenias, quo tibi vis subveniri cum ægrotas*. At medici, quæ cruda sunt, nec concocta, moveri prohibent. Hinc Hippocr. Aphoris. 22. primæ partis jubet, *concocta medicari, & movere non cruda, neque in principiis*. Hippocratem de more secutus Galenus Aphorismo 11. primæ sect. *In exacerbationibus*, inquit, *& quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet*. Sicut ergo dum febris, similisve morbus incrudescit, abstinendum est pharmacis, ne morbus exacerbetur & increscat: sic pariter, dum peccator ira similive passione exacerbatur, est abstinendum correptione, & expectandum, dum passio detumuerit, ipseque menti redditus medicinam correctionis admittat. Hujus rei symbolum est avis dicta pelicanus, vel onocrotalus: hunc enim eumdem esse cum pelicano docet Aldrovandus tom. 3. Ornithol. lib. 19. c. 2. quia rudit & vociferatur instar asini: unde stoliditatis & imprudentiæ est symbolum, ait Horus Apollo. Cùm enim aucupes ejus nidum accendunt, ipsa advolat, & quassatione alarum ignem restinguere dum conatur, non tantùm eum velut flabello magis accendit, sed & alas suas amburit: quo fit, ut volare non possit, itaque ab aucupe capiatur, teste Pierio Hierogl. lib. 20. cap. 61. Sic pariter, qui peccatorem iratum corripiunt acrius, non eum corrigunt; sed magis inflammant, ut utrimque jurgari incipiant, ac subinde à verbis ad verbera transeatur. Quid hoc est aliud, quàm cum cane rixari, & latranti oblatrare, quàm contra furnum æstuantem hiare, quàm leonem minis velle cicurare? Quid enim est ira, nisi fera indomita, putà leo vel tigris, quæ furore, non ratione, agitur? Unde cap. 28. 13. ait Siracides: *Certamen festinatum incendit ignem, & lis festinans effundit sanguinem*, &c. *Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit; & si expueris super illam, extinguetur*. Sapienter Poeta,

Exemplū pelicani,

Dum furor in cursu, currenti cede furori.

Et R. Simeon in *Pirke avoth*, id est, in Apophthegm. patrum, c. 4. *Noli*, inquit, *frustra conari, ut eum blandis sermonibus lenias, in quo adhuc fervet iracundia spiritus: neque in vanum studeas amici tui mitigare dolorem, cum adhuc ei ante oculos extensus jacet mortuus: nec devoventi se præ ira de voti absolutione sermonem facias; nec denique videre eum aut consolari quæras in fervore calamitatis suæ*. Sed cum lugente luge, uti fecerunt amici Job c. 2. v. 13.

Deni-

Denique symbolum est Pythagoræ: *Ignem ferro ne cædito, id est, ne irrites furentem*. Et: *Gladium acutum sepone id est, vita iracundiam*. Simile est illud Euripidis:

Dicentibus duobus, irato altero,
Qui non repugnat dictis, est sapientior.

Vers. 14. NE CONTRA FACIEM STES CONTUMELIOSI, NE SEDEAT QUASI INSIDIATOR ORI TUO] q. d. Noli jurgari & rixari (unde Itali, *contrastare*, vocant litigare; contendere, rixari) cum contumelioso, quia ipse studiosè observabit omnia tua verba, ut ex iis te calumnietur, traducat, infamet & opprimat. Quocirca Græca habent, *ne assurgas* (ad verba acria & contentiosa (*propter contumeliosum, ne insideas velut insidiæ ori tuo*; Syrus, *ne consurgas à facie iniqui, ne fiat insidiæ coram te*; Tigurina, *ne inveharis in contumeliosum* (Vatabl. *ne commovearis à contumelioso*) *ut ne quasi subsessor ori tuo insidietur*. Varietas hæc versionum clarè mentem Siracidis explanat. Cui succinit adagium Arabicum centur. 1. num. 12. *Esto asinus silvestris, cui super veniunt viatores*; id est, quando superveniunt tibi rixæ, & rixosi, declina eas, fuge, nec consiste. Solet enim onager velocissimè abripi, ita ut ab instituto cursu revocari nequeat. Xenophon in Cyro Minore lib. 1. tantam ejus pernicitatem fuiße scribit, ut equos cursu longè superaret. Simili studio quoque rixosi & contumeliosi fugiendi sunt. Præclarè S. Gregor. Nazianz. epist. 62. ad Eustachium maledicum: *Eruditus sum*, inquit, *ut, cùm calvus essem, cum ariete obversa fronte ne congrederer, nec crabronem lacesserem & irritarem, hoc est, linguam ad maledicendum paratiorem*.

Vers. 15. NOLI FOENERARI FORTIORI TE; QUOD SI FOENERAVERIS, QUASI PERDITUM HABE] Græcè, *esto quasi qui perdidit*. Porrò *fœnerari*, id est, mutuum dare. Hebr. enim נשה *nasa*, æquè ac Græcum δανείζω, tam mutuo, quàm usuræ tribuitur, tamque mutuare quàm fœnerari, & ad usuram dare Sgnificat: unde δάνειον est mutuum, debitum, æs alienum, fœnus. Sic fœnerari pro mutuare capitur c. 29. v. 2. & 10. ubi pluribus hęc sententia, mutuique damna recensentur. Nam usura jure naturæ & divino est illicita: quare prohibita fuit, tam Judæis quàm Gentibus, etsi Judæi moderni censeant sibi licitum esse fœnerari Christianis, ceterisque Gentibus, modò non fœnerentur Judæis, idque censeant sibi indultum illis Deuter. 23. 19. verbis: *Non fœneraberis fratri tuo ad usuram, sed alieno*. Verùm perperam, uti ibidem ostendi.

Fortiorem hic, non viribus validum, sed elatione tumidum nuncupat, ait Rabanus: *quia superbo, id est hæretico, communicare iniuriæ magis est incrementum, quam quietis emolumentum. Et ideò in omni re magis devitandum est ejus consortium, quàm alicujus lucri aut eloquentiæ per eum appetendum adminiculum. Perdit enim fœnus, qui ingrato tribuit; & minuit substantiam, qui perverso communicat*. Syrus vertit, *ne mutuum dederis ei qui est fortior te, & si mutuum dederis, esto sicut amittens*; Tigurina, *ne quid mutuò dederis homini potentiori: quod si dederis, pro amisso habeas*: quia ille robore & potentia sua fretus non solvet, imò arrogans censebit mutuum suum esse, sibique debitum: nec tu audebis repetere: quòd si audeas, non poteris eum cogere; imò periculum est, ne pejus ab eo mulcteris. Videtur hæc sententia diversa planè & disparata à præcedentibus, quales in hoc opere, æquè ac in Proverbiis, sunt multæ. Veteres enim gnomologi non curant sententiarum ordinem, nec connexionem; potest tamen hæc præcedentibus sic aptè connecti, q. d. Noli fœnerari fortiori te: quia, cùm fœnus ab eo repetes, cogeris contrastare, ut præcessit, id est, litigare & rixari cum eo, ut sicut v. præcedenti dixit, non esse contendendum cum contumelioso, quasi cum cane latrante; sic hic dicat, non esse contendendum cum potente & robusto, quasi cum leone rugiente.

Vers. 16. NON SPONDEAS SUPER VIRTUTEM TUAM, (supra vires tuas: QUOD SI SPOPONDERIS, QUASI RESTITUENS COGITA] q. d. Cogita, qua ratione illud restituere & solvere poteris. Unde Græca habent, *ne fidejubeas super vires tuas: quòd si fidejusseris, esto sollicitus perinde ac soluturus*; Syrus, *ne fidejubeas ei qui fortior est te, & si fidejusseris, esto sicut solvens*. Qui enim fidejussor est pro debito alterius, sæpè eo deficiente, debitum ejus solvere cogitur. Unde illud: *Sponde, noxa præsto est*: quod inter tria præcipua Apollinis oracula

A erat tertium, teste Laertio. Pythagoræ vox est: *Age res præclaras, nihil magnifici interim promittens*. Theagenes verò ludibrium fuit sui ævi, quòd cùm pauper esset, multa tamen supra vires promitteret: unde vocatus est καπνὸς, id est, fumus, quòd fumos verborum venderet. Optimè Salomon: *Nubes & ventus*, ait, *& pluvia non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens*, Proverb. 25. 14. Minus rectè Palacius spondere accipit pro vovere: q. d. Noli Deo vovere quippiam, quod sit supra vires tuas, vel tibi valdè difficile: quia, quod vovisti, teneberis præstare, saltem partem quam potes, si totum non potes. Græcum enim ἐγγυᾶν, non vovere, sed fidejubere & spondere significat. Nam sicut v. præced. cautionem dedit de mutuo, sic hic dat de fidejussione. Potest tamen hęc sententia extendi ad quodvis promissum. Græcùm enim ἐγγυάω, non tantùm significat fidejubeo, sed & fidem do, sive promitto, ut sensus sit: q. d. Ne promittas quid supra vires, ne fidem tuam homini obliges ad præstandum aliquid, quod tuam facultatem superat; quia si fidem tuam obligaveris, cogeris eamdem re ipsa præstare. Hac ratione hæc sententia à pari vel potiori extendi vel aptari po-
B test ad votum, quod est promissio facta Deo: q. d. Ne voveas rem aliquam, v. g. religionem, cujus austeritatem & onera vires tuæ non ferant vel ægrè ferant. ita Rabanus, & noster Iacobus Alvarez de Paz de Exterm. mali, lib. 3. part. 1. c. 8. & alii. Hoc est, quod dicitur Eccles. 53. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, &c. Quodcumque voveris, redde; multòque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere*. Deuter. 23. 21. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis redderes; quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*.

Alludit ad Proverb. 6. 1. ubi Salomon graphicè arctam fidejussionis obligationem & periculum depingit: *Fili*, ait, *si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus es propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita animam tuam: ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu creditoris, (quasi venatoris) & quasi avis de manu aucupis*: q. d. Imitare damulas & aves, quæ omni studio
C retia vitant aut effugiunt. Damula est dorcas, vel caprea, quæ ægrè à venatore capitur, teste Plinio: tum, quia visu est acutissimo, indeque à δέρκω, id est, videndo, dicta est dorcas: videns ergo eminus venatores & retia, illicò diffugit: tum, quia velocissima est & agillima, adeò ut retia transiliat, & in montes ac rupium juga hominibus bestiisque impervia transcendat, & quasi transuolet. Simili modo & tu laqueos creditorum omni conatu effugito.

Tropol. S. Gregor. 3. parte Pastor. Admonit. 5. hæc rectè adaptat Præpositis & Pastoribus: hi enim spondent, seque obligant pro cura & salute subditorum, ac proinde pro ea jugiter solliciti esse & pervigilare debent, uti ait Paulus Hebr. 13. 18. *Spondere*, ait, *pro amico, est alienam animā in periculo suę conversationis & sollitudinis accipere, &c.* Vers. 17.

NON JUDICES CONTRA JUDICEM, QUONIAM SECUNDUM QUOD JUSTUM EST, JUDICAT] Pro *iudices*, Græcè est, δικάζε, quod verbum est forense, significatq; causam agere, litigare, æquè ac judicare. Pro *quod iustum est, iudicat*, videtur Noster in Græco legisse, κατὰ τὸ δίκαιον κρίνει. Jam legunt, κατὰ τὴν δόξαν αὐτοῦ κρι-
D νοῦσι αὐτόν, id est, *ne iudices*, vel *causam agas*, contra judicem, *quia secundum opinionem eius iudicabunt eum*: q. d. In dubio an judicatum sit benè, præsumptio erit pro judice: præsumitur enim judex à principe, vel republ. maturo consilio constitutus, esse æquus, sapiens, jurisperitus, causamque exactè examinasse; ac proinde dicent, eum justas habuisse causas ita judicandi, etiamsi illæ subinde alios lateant. Rursum judices alii ceteris paribus judicabunt pro judice, ejusque sententiam confirmabunt, quasi ejus in officio socii & symmystæ, ne & ipsorum sententia ab aliis iudicibus vicissim retractetur, & quasi iniusta damnetur. Porrò Græcum δόξα significat quoque dignitatem: unde aliqui vertunt, *nam secundum dignitatem ius ei reddunt*: q. d. Dicent judicem, utpote, in dignitate & officio constitutum, ius habere, & justè iudicasse: quare *sententia secundum ipsum pronuntiabitur*, ut vertit Tigurina.

Solent plebeij, cùm in lite causa ceciderunt, ex dolore & indignatione queri de judice, quasi ab eo sibi facta sit iniuria, eò quòd causa eorum in communi vel abstractò spectata, speciem quamdam ęquitatis habere videatur. qua in re graviter errant & peccant, quia non considerant circumstantias particulares facti, quæ sæpè speciem facti mutant, ut ex æquo fiat iniquum. Rursum ignorant jura positiva, sive divina, sive humana, putà Canonica & civilia, secundùm quæ judex judicavit. Monet ergo eos Siracides, ut à judicio hoc fallaci & temerario abstineant. Sicut enim philosopho in re philosophica, Theologo in re theologica, medico in re medica, fabro in re fabrili; ita iudici in re iudicata fides est adhibenda. *Unicuique enim in sua arte credendum est*, nisi manifestè appareat contrarium; scilicet, eum vel ob munera, vel ob gratiam divitum, vel per crassam ignorantiam iniquam tulisse sententiam. Adde, Deus cuique in officio adest, ut illo ritè perfungatur. Adest ergo iudici, ut rectè iudicet, iuxta illud: *Divinatio in ore regis: in judicio non errabit os ejus*, Proverb.16.v.10. Multò magis: *Divinatio in ore iudicis, in iudicio non errabit os eius*. Ad iudicem enim propriè iudicium spectat, potiùs quàm ad regem. Noli ergo temerè iudicem iudicare: tum, ne contra stimulum calcitres; iudicis enim iudicio stabitur, non tuo: tum, ut in iudice Deum, cuius vices gerit, honores. scriptum est enim psal.81.1. *Deus stetit in synagoga deorum* (Heb. elohim, id est, *iudicum*;) *in medio autem deos* (iudices) *diiudicat*: ubi Chald. vertit, *Deus, cuius maiestas commoratur in congregatione iustorum, qui potentes sunt in lege, in medio iudicum in veritate iudicat*. q. d. Deus assistit iudicibus, ut vice sua rectè iustèque iudicent. Et 2. Paral.19.6. *Non homini, sed Deo iudicatis, qui vobiscum est in verbo iudicii*. Deo ergo detrahit, qui detrahit iudici, ait Lyran. Huius rei symbolum fuit virga Mosis & Aaronis, quæ in se sicca, à Deo tamen electa fronduit, floruit, fructusque illico protulit, ac plagas Ægypto intulit, vindicans oppressionem Hebræorum. Virga enim symbolum est recti iudicii, quod exhibet iudex, cùm à Deo electus fuerit. Tunc enim à Deo quasi animatus & inspiratus, fructus veritatis, veras, inquam, sententias, profert & proloquitur.

Salomonem secutus Pythagoras, hoc statuit symbolum: *Stateram ne ingrediaris, id est, limites iudicii & iustitiæ ne excedas*. ita Plutarch. lib. de Liber. educ. Huc facit apophthegma Syrorum: *Libra ne opponas ferrum, id est, iudici, & iustitiæ ne ponas obstaculum, ut tuam duritiem, duramque cervicem illi opponas*. Syrus planè aliorsum abit: sic enim vertit, *ne sedeas cùm iudice iniquo in iudicio, ne secundùm voluntates eius iudices cum eo*.

VERS.18. CUM AUDACE, (Græcè, θρασέως, id est, temerario, audace, feroci) NON EAS IN VIA, NE FORTE GRAVET MALA SUA IN TE] ne, scilicet, mala sua in te exoneret, iisque te gravet: quia, cùm multa faciat ex audacia & temeritate, imprudenter & periculosè, eius periculorum eris particeps, quia consiliorum & actionum eius habeberis conscius & socius; quin & ipse te pertrahet, ut ei revera coopereris, sisque in audacia sodalis. Pro *gravet in te*. Grecè est, βαρυνθήσεται κατά σου. quod Complut. vertunt, *ne gravetur contra te*; alii, *ne tibi sit gravis*; Tigurina, *ne facias iter cum temerario, ne ingravescat adversum te*: q. d. Ne temerariè te invadat, spoliet, affligat, lędat vel occidat. Unde Syrus, *cum homine aspero ne incedes per viam, ne forte asperum faciat* (aggravet) *malum tuum*.

IPSE ENIM SECUNDUM VOLUNTATEM SUAM VADIT, ET SIMUL CUM STULTITIA ILLIUS PERIES] q.d. Ipse enim sequitur, non rationem ducem, sed suam temeritatem & cupiditatem, quæ eum, & te cum eo perdent. Grecè, *nam ipse, quod valuerit, faciet; & tu simul cum amentia illius peribis*; Syrus, *quoniam ille coram facie sua vadit, & tu in stultitiam eius peribis*. Hoc est, quod ait Salomon Proverb.18.2. *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde eius*. Porrò, *qui nihil omninò timet, sed omnia adit, audax efficitur*, ait Aristot. lib.2. Ethic.c.2. Idem lib.3.c.7. *Audaces, ait, præcipites sunt, voluntque ante ipsa pericula periclitari, in ipsis verò constituti absistunt: sed fortes, in operibus ipsis acres ac celeres, antea quieti sunt*. Unde sapienter Salomon Proverb.22.24. *Noli, ait, esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso:* (margin: *Audax vitandus cur?*)

A *ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ*.

Audax ergo similis est tauro, qui præit agmen armentorum, quem proinde omnia velut caput & ducem sequuntur. Rursum audax est velut flumen rapidum, quod omnia magno impetu convoluit, agitat & jactat, donec secum abripiat in mare: sic audax omnes secum rapit ad rapinas, stupra, cædes, ac tandem in gehennam. Sic Catilina nobilissimos Romanorum sua audacia pertraxit in coniurationem contra patriam ac bellum, quo omnes cum eo miserè trucidati sunt. Sic Lucifer audax rebellans Deo traxit secum tertiam partem stellarum, id est, angelorum. Idem *misit ex ore suo post mulierem aquam tamquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine*, Apoc.12.15. Idem faciunt audaces hæretici, qui in suas hæreses & scelera cetera, indeque in tartara omnes pertrahere satagunt, de quibus vide S. Gregor. lib.13. Moral. c.7. S. Hieron. in Jerem. 2. S. August. in psal. 88. Audacia enim facit animosos ad omne nefas, ut faciant quidquid libet, iuxta illud psal. 80. 13. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis*.

Tales ergo fugiendi sunt ut pestes quæ sui contagio omnes
B nes inficiunt & necant. Nam, ut ait S. Basil. Constit. Monast. cap.34. *Fit sæpè ut contagio ista latiùs serpens, eos etiam qui recto itinere sunt, aberrare faciat, distinctos à recta & iusta via: & cunctorum exitii ille pœnas luet, à quo peccandi causa profecta fuerit*. Et paulò pòst: *Quocirca non absurdè nos ratio impellit, ut qui spiritualem disciplinam violant, illos ab eorum qui ipsam conservant, congressione secludamus*. Vide eumdem in Reg. brevior. interrog. 53. & hom.9. *Quemadmodum*, inquit, *in pestilentibus locis sensim attractus aer, latentem corporibus morbum iniicit: sic identidem in mala consuetudine, maxima nobis mala hauriuntur*. Hinc Paulus 2. ad Thessal.3.6. *Denuntiamus autem vobis, fratres*, ait, *in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis*. Olim Gentiles iter facturi invocabant Herculem, ut eos suo robore contra omnes hostium incursus tutaretur: nunc fideles invocent S. Raphaelem, qui dux viæ fuit Tobię; & S. Joseph, qui Jesum & Mariam duxit in Ægyptum. Unde supplices dicant: *Angelus & Joseph, Jesus & Maria me deducant in via*.

C Huc pertinet apologus equi & muli, pulchris gnomis velut gemmis opere phrygio scitè acu pictus apud Cyrillum li.2. Apologorum moralium c.4. cui titulus: *Contra audaces. Loricatus equus*, inquit, *sub milite de longe prælium odoratus, mox gloria narium erectisque auribus cum arrogantia capillorum, audacitatis sua misit hinnitum. Cumque avida & instabili ungula se in cuneum hostium immittere anhelaret, illi mulus adstitit, qui & dixit: Pone frater lethalem audaciam, & pavescens fuge, quoniam diræ transeunt sagittæ, ac lanceæ penetrant, & recordare quia nudus & mollis subtus te est venter tuus. At ille flamma pectoris ad verbum illud indignatus, sociali malè gratus consilio, talia refudit: Benè apparet mule, quod sis asini filius, & ob hoc corde frigidus semper timidus fuisti atque tardus. Quære tu tibi latibulum, & te custodiant mus & lepus. Quibus dictis cùm rapido cursu mox se misisset in hostem, hinc inde diris vulneribus perforatus, fuso sanguine, soluto regimine, debilitate corporis se prostravit. Deinde cùm mulus semivivum hunc invenisset jacentem, derisit audacem, & subsannans arrogantem tot malis humiliatum, subiunxit: Ut quid te charissime Bucephalus genuit, postquam bulliente pectore* (margin: Apologus audacis equi.)
D *vitam cum sanguine perdidisti? nimirum benè scripsit Aristoteles, quod semper calidi, corde fatui, capite furiosi, & amatores sint vini. Inde furit ebria, estque spei dedita iuventus insana*. Deinde exemplis à natura situque cordis petitis ponendam docet audaciam, aitque, *Verùm ne cor in audaciorem dementiam bulliat, ipsum splene subter, capite desuper, & iecore lateraliter, ad calorem eius mitigandum, moderatrix natura vallavit. Apertis quidem oculis dormit lepus, quia qui corde est timidus, pro eius custodia semper vigilante prudentia, in acie alatus timore requiescit securus. Sic cor parvum virtute collecta magis est vigorosum, cor autem grande naturaliter minus viget. Audax nauta facit naufragium, timorosus vero salvus venit ad portum. Quamobrem* (Proverb. 24.14.) *beatus homo qui semper est pavidus, quoniam ad salutem timor rebus viventibus est provisus. Quo dicto equus audax toto fuso sanguine extinctus est*. (margin: Exempla)

CUM

Vers. 19. CUM IRACUNDO NON FACIES RIXAM, ET CUM AUDACE NON EAS IN DESERTUM] Græcè pro *iracundo* & *audace*, habent unam vocem, θυμώδης, id est, animosus, iracundus, & audax: iracundi enim solent esse audaces, & audaces iracundi: abundant enim sanguine, & bile, quæ generant iram, & audaciam: Audax enim dicitur, qui aliis facilè nocere audet, ait Palacius. Quare similis est sævo lupo, & tauro feroci, qui in omnes cornibus sævit instar furiæ. Tigurina, *ne committas pugnam cum iracundo, neve desertum cum eo perambules*; Syrus, *cum impio ne contendas contentione, & ne contendas cum eo in loco deserto*. Causam subdit:

QUONIAM QUASI NIHIL EST ANTE ILLUM SANGUIS: nihil æstimat effusionem sanguinis, cædem & homicidium: ET, id est, idcircò, UBI NON EST ADIUTORIUM (putà, in loco deserto) ELIDET TE] q. d. Duo solent absterrere à scelere, & cæde, scilicet, horror facinoris, quo caret audax; & homines qui prohibeant; quibus caret solitudo, locusque desertus: quare utroque hoc fræno carens audax, velut effrænis ruet in tuam necem. Unde Tigurina, *quoniam homicidium pro nihilo ducet, & ubi nihil est opis, prosternet te*, Syrus, *quoniam despicabilis est sanguis tuus in oculis ejus, & nisi habeas liberatorem occidet te*. Quàm hoc sit verum docuit parricidium Cain, qui Abelem fratrem duxit in agrum, ibique solus solum occidit. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 322. *Sicut*, inquit, *haud tutum est cum homine pugnaci desertum peragrare: eodem modo haud facile est cum homine indocto sermones ineruditos movere. Ut enim ille omnibus corporis viribus in solitudine utetur, si quid, quod ipsum offendat, dictum aut actum fuerit: sic iste, nisi omnia ad ipsius inscitiam dicta fuerint, omnes & philosophicos sermones, & probos viros, ac virtutis amantes ex orbe terrarum explodit & eliminat: solet enim ut plurimum speciem fortitudinis exhibere temeritas*. Unde concludens suadet: *Quamobrem fer animo forti stultum & inconsideratū hominem, quandoquidem libenter sustines insipientes, tu qui sapiens es in Domino.*

Ratio hujus sententiæ est, quòd ira sit quasi fera, quæ hominem in bestiam, v.g. in tigridem, transmutat: ira enim cùm sit accensio vel fervor sanguinis circa cor, perturbat judicium, mentem obnubilat, ratione excæcat, & hominem insanire facit, ait D. Thom. 1. 2. q. 48. art. 2. & 3. Hinc figuram humanam immutat, dum oculos facit scintillantes, vultum igneum, nares fumantes, os spumans, linguam balbutientem. Quocirca iracundus, ut aper, dentes ostentat; linguam, ut serpens, acuit; pedibus manibusque strepit, ut ursus; ut taurus, cornibus impetit; nulli, nec propinquo, nec amico, nec superiori parcit; &, ut Nysenus ait libr. de Beatitud. orat. 2. & 7. similis est energumeno, qui à dæmone agitatur, imò eo deterior est, quia motus hi irato voluntarii sunt, energumeno verò involuntarii & coacti. Siracidi consentit Salomon Proverb. 18. 14. *Spiritum*, ait, *ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* Et c. 21. 24. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso: ne fortè discas semitas ejus, & sumas scandalum* (Pagninus, *laqueum*) *animæ tuæ*. Nam, ut ait Seneca lib. 3. de Ira cap. 1. *Cætera vitia impellunt animum, ira præcipitat. Hæc non secùs quàm fulmina procellæque, & si qua alia irrevocabilia sunt, nec eunt, sed cadunt, vim suam magis ac magis tendit*. Vide S. Basil. homil. de Ira, S. Ambros. libr. 1. Offic. cap. 6. S. Gregor. 5. Moral. cap. 51. 52. 53. Salomonem secutus est Pythagoras, cujus hoc inter alia extat symbolum apud Plutarch. de Liber. educ. *Ignem igni ne addito*. Et: *Ignem gladio ne fodito, hoc est, iratos noli iritare, sed iis concede*. Vide dicta v. 13.

Huic gnomæ antistrophè respondent parabolæ & apologi c. 13. v. 1. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea: & qui communicaverit superbo, induet superbiam. Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat. Et ditiori te ne socius fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur*. Et v. 20. *Omnis caro ad similem sibi conjungetur, & omnis homo simili sui sociabitur. Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo. Quæ communicatio sancto homini ad canem? aut quæ pars divitis ad pauperem? venatio leonis onager in eremo; sic & pascua divitum sunt pauperes*.

Omnes hæ parabolæ & apologi eodem tendunt, idemque significant; quos proinde simili, eoque insignis vulpis simiam pro socio viæ eligentis, & cetera animalia re-
A spuentis, apologo graphicè depingit, & ad oculum repræsentat Cyrillus lib. 1. Apolog. moral. c. 24. cujus titulus: *Cum socio electo proficiscaris, aut converseris. Vulpes*, inquit, *ad declivem ætatem deducta, patrati reatus conscia, cùm ad satisfaciendum peregrinari vellet, mox ejus peregrinationis rumor increbuit, atque peregrinanti canis se in comitem dedit. Cui vetula dixit: Latratu & morsu soles injuriam provocare atque ideo non ibo tecum. Quo quidem repudiato, onager ajebat: Sequar te soror, cui illa: In sereno, inquit, dolens, & in tenebris gaudens lividus es, si mihi malum ingrueret, lætareris: si bonum contingeret, tristareris. Vade ergo, quia nolo in comitem luminis hostem. Quo rejecto, statim se ursus offerens advenit. Cui vulpes respondit, Nimis furiosi pectoris es, & paratam vindictæ ungulam habes: si fortassis in me, vel in alium ira desævires vel rueres, tunc aut confunderes sociam, aut ream hostiliter laniares. tecum ergo non pergam. Tunc leoni idipsum cùm peteret, Quæso, inquit, charissime ut mecum non venias, quoniam præcordialis validitate virtutis, multum es præsumptuosus & audax. tale quid fortè velles attentare, unde vix aut numquam pedem eriperem. Deinde dimisso leone, cùm pavo se*
B *illi socium offerret, ei dixit: Nimirum propter auream pennam desideraris, & pompa effunderis, tecum non pergam; quoniam nolo caudam perdere ob tuam pennam & pompam. Quo sic repudiato lupus se obtulit, & dixit, Quæso ut contritum recipias & pœnitentem. cui illa: Rogo ut dimittas facinora me lugentem: quippe cum fure nullatenus vadam, ne tuæ damnationis & criminis particeps fiam. Sed & porco mox ingerenti se dixit: Vade, quia nolo tua sordescere fœditate. Tandem asino multum se commendanti, respondit: Recede à me insensate: quoniam alicubi sine ratione clamares, & lupis accurrentibus unà tecum confunderer*, Omnibus ergo hisce rejectis, vide quos vulpes sibi socios asciverit. *Cunctis igitur his cum rationis judicio confutatis consurgens vulpes, secum hos in socios, eorum allecta precibus, duxit: pantheram; cujus os redolet: simiam, quæ in plenilunio gaudet: agnum mitem, leporem pusillanimem, erinaceum cutis spinosæ, bovem de labore viventem, arminium sordes vitantem, formicamque prudentem. Cum quibus hilariter cùm pergeret corvus obvius dixit: Quænam est hæc caterva? Cui illa: Electus, inquit, comitatus prudentis nam cum electo electus eris, & qui cum sapientibus graditur, sapiens erit.*
C *Tum ille, Rectè, inquit, judicasti. Sed doce, cum quibus conversando, quis prosperetur. Mox illa; Cum amatore, inquit, sapientiæ, & zelatore justitiæ, & cum amicitiæ fideli cultore. Quibus dictis ultrà processit.*

Apologus socii deligendi.

CUM FATUIS CONSILIUM NON HABEAS: NON ENIM POTERUNT DILIGERE (legit στέξαι, jam legunt στέξαι λόγον, id est, *tenere verbum*, hoc est, servare secretum) NISI QUÆ EIS PLACENT] scilicet, fatua, periculosa & damnosa. Græcè, *cum fatuo ne consulta: non enim poterit celare sermonem*; Tigurina, *ea quæ dicta sunt*; Syrus, *cum stulto ne conjungas* (velut visco glutinis) *secretum, quoniam non est potens ad cooperationem ejus*, ut illud tegat & celet, juxta Comicum dicentem: *Plenus rimarum sum, hac illacque perfluo*. Duplici ergo de causa vitandum est consilium stulti; prior, quia stultum, perinde ac ipse stultus est: posterior, quia ipse illud non servabit secretum. Nam *quæ eis placent*, sunt garrulitas & stultitia: adde proprias eorum cupidines & commoda: q. d. Fatui & perversi diligunt suadentque ea, quæ concupiscunt, quæque ipsis sunt commoda, non quæ tibi: propria enim commoda eis placent, non
D aliena. Huc facit proverbium Arabicum centur. 1. n. 26. *Ne aperi secretum tuum simiis*; id est, ne detege arcanum tuum derisoribus & fatuis. Sicut enim simiæ actiones gestusque hominum, quos vident, imitantur; sic derisores eorum, quos derident, dicta factaque iterant & repræsentant. Quocirca sapienter monuit filium Tobias c. 4. *Consilium semper à sapiente perquire*. Et Menander: *A viro prudente accipe consilium: prudens prudentium etenim est consilium*. Hinc illud invaluit. *Consilio & fortitudine chimæram superari*; quod extat inter Alciati emblemata. Apuleius lib. de Dæmonio Socratis ita scribit: *Nonne Ulysses cum Diomede deliguntur, veluti consilium, & auxilium; mens, & manus; animus, & gladius? Nihil egregium, nihilque magnificum perfici belle potest, in his potissimùm quæ bellica negotia respiciunt, nisi maturo consilio conjungantur corporis vires*.

Vers. 20

Porrò S. Bernard. epist. ad Henricum Senon. Archie-

pisc. *Ad consilia*, ait, *soli eligantur, qui prudentes esse videntur & benevoli. Vix in multitudine hominum unum reperias in utraque parte consummatum. Haud facilè siquidem, vel prudenti benevolentiam, vel fideli inesse sapientiam deprehendas; sine numero autem sunt, quos utriusque muneris expertes esse constiterit.*

Fatui etymon. Porrò *fatui* dicuntur simplices, insulsi, insipientes, ita dicti à sapore ciborum, qui cùm non sapiunt, *fatui* vocantur, juxta illud Martial. lib. 13. 13.

Ut sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ.

Aut à Fatua, de qua Justinus lib. 43. *Fauno*, ait, *fuit uxor nomine Fatua, quæ assiduè divino spiritu impleta, velut per furorem futura præmonebat: unde adhuc qui inspirari solent, fatuari dicuntur.* Fatui enim sæpè furore, quasi altiore spiritu aguntur, ut videantur enthusiastæ, vel Prophetæ. Quocirca Turcæ fatuos, quasi Dei enthusiasmo actos mirè venerantur, ut mihi narrarunt oculati testes, idque ad reverentiam & persuasionem sui Mahometis, qui, cùm laboraret epilepsia, & deliraret, fingebat se corripi à spiritu Dei.

VERS. 21. CORAM EXTRANEO NE FACIAS CONSILIUM (Græcè, κρυπτὸν, id est, secretum, vel occultandum. NESCIS ENIM, QUID PARIET] q. d. Nescis, quid ex visis vel auditis à te, tamquam ex concepto semine apud se machinabitur, & tandem suo tempore edet in tuam perniciem, vel ignominiam, ait Jausenius. Qui enim norunt secreta alterius consilia, facilè iis ad eum prodendum vel perdendum abuti possunt, præsertim extranei, quorum mens & fides incognita est, ac subinde dubia & suspecta. Græca, *nihil agas secreti cum alieno: nescis enim, quid pariet*. ita Tigurina. licèt Græcè ad verbum sit, *coram alieno*. q. d. In conspectu exteri, cujus mens & fides non satis tibi est perspecta, nihil agas, quod velis esse occultum; Græcè enim est κρυπτὸν, id est, occultandum: quia periculum est, ne ille illud evulget cum tuo damno & pernicie.

Anima consilii est secretum. Moraliter Nota, *consilium* hìc vocari secretum; quia nervus & vis, ac quasi anima consilii consistit in secreto: quod enim est anima latens in corpore, hoc est secretum latens in consilio. Id patet in bellis, ubi, si consilia invadendi hostem vel urbem sint secreta, milites imparatum hostem secretò adoriuntur, & superant: sin emanent, hostis se munit, & consilium eludit. Idem est in procuratione officiorum, beneficiorum, mercium, ceterarumque rerum: si enim tuum consilium celes, voto potieris; sin evulges, æmulos, plures, vel invidos concitabis, qui te impedient & frustrabuntur. Idem locum habet in rebus spiritualibus. Hinc S. Ignatius, teste S. Hieron. in cap. 1. S. Matth. dicebat, Christum conceptum, & natum ex Virgine, ut partus ejus celaretur diabolo: si enim ipse id rescivisset, omnibus nervis impedire sategisset.

Hinc, & viri pii ac solertes sua pia proposita, quoad possunt, celant, etiam diabolo: ac tacitè in mente cum Deo deliberant, illicoque, quod concluserunt, exequuntur, antequam diabolus id rescire vel impedire queat. Atque experientia docet illa optimè succedere: secùs autem, si, scilicet, diu deliberes, signis prodas, evulges, diabolo resistente, mille invenies contradictiones, mille obices & difficultates, quas vix superabis. Tanti est secretum ad rem, præsertim arduam, conficiendam. Hinc Festus consilium à sileo & silendo derivat, ut consilium idem sit, quod cum à silentio peragendum. Ita Metellus rogatus, quidnam facturus esset post domitos Macedones, respondit: *Tunicam meam exuerem*, imò exurerem, *si eam consilii mei consciam putarem.* ita Plutarch. in Apopht. Romanis. Et Antigonus Rex

Exempla rogatus à filio, quando castra esset moturus: *Quid*, inquit, *metuis, ne solus tu non audias tubam?* Vox utique rege digna: ei arcanum non credidit, cui post mortem crediturus erat regnum. ita Plutarch. lib. de Garrulit. Hujus rei symbolo Gentiles Palladem, quæ est dea sapientiæ, dicebant inimicissimam esse cornici, eamque cornices comprimere, ac cornices numquam ad ejus arcem advolare, ut significarent, sapientiam inimicissimam esse garrulitati, cujus symbolum est cornix, utpote loquax & garrula. ita Natalis Comes cap. 5. lib. 4. Mytholog. Sapienter Q. Curtius lib. 4. de Vita Alexandri: *Res*, inquit, *magnæ sustineri ab eo non possunt, cui tacere grave est.* Quin & Persarum consiliarii, teste Ammiano

A lib. 12. silentium, velut numen, colebant. Romani verò silentii senatusconsulti violatores morte plectebant. Quocirca Pompejus, ait Valer. Maxim. lib. 3. cap. 3. *dum legationis officio fungeretur, à Gentio rege interceptus, cùm senatus consilia prodere juberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit, eaque patientia regi simul, & desperationem tormentis quidquam ex se cognoscendi excussit, & expetendæ populi Romani amicitiæ magnam cupiditatem ingeneravit.*

Alludit ad Proverb. 25. 9. *Causam tuam tracta cum amico, & secretum extraneo non reveles, ne fortè insultet tibi, cùm audieris, & exprobrare non cesset. Extraneum*, Græcè ἀλλότριον, id est, alienum, abhorrentem, externum quemlibet accipe, sed maximè fide & religione à te, tuaque gente dissidentem, quales Judæis erant Gentiles: hi enim in Scriptura vocantur בני נכר *bene necbar*, id est, filii alieni in genitivo: *alieni*, scilicet, Dei, quia Deum alienum colunt, quos Septuag. vocant ἀλλοτρίους, vel ἀλλογενεῖς, id est, alienigenas, vel ἀλλοφύλους, id est, allophylos, hoc est, alienæ familiæ, putà, Gentilis, quales fuere Philisthæi, Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi,
B &c. Hi enim, utpote Gentiles, Judæi, quasi peregrini cultus & propriæ sectæ hominibus, erant infensi: Judæi vicissim eos quasi idololatras, suosque æmulos, & hostes aversabantur. Talibus ergo, tamque infensis non erat tutum revelare secreta sua consilia. Unde Rabanus mysticè per extraneos accipit hæreticos, quos Apostolus planè vitandos fidelibus esse monet ad Titum 3. 10.

NON OMNI HOMINI COR TUUM MANIFESTES: NE FORTE INFERAT (Tigurina, *referat*) TIBI GRATIAM FALSAM, ET CONVICIETUR TIBI] *Gratiam falsam* vocat benevolentiam fictam: q. d. Noli cuilibet candidè animum tuum aperire, ne fortè audiens candori huic tuo non respondeat; sed referat gratiam falsam, qua fingat se tibi fidum, & benevolum, ut plura tuæ mentis secreta expiscetur, è quibus tuas animi ægritudines ipse perspiciat, ob easque te rideat, tibique convicietur. Vel *gratiam falsam*, vocat malam: q. d. Pro bona gratia tua, qua ei fideliter, & fidenter aperis, credisque tua arcana rependet tibi malam gratiam, putà, convicium. Τὸ *falsam* jam non est in Græco, nec Syro: est tamen in Complut. Syrus sic habet, VERS. 22.
C *ne omni homini reveles, quod est in corde tuo, ne condemnet te gratia.* Gratia enim, si loqui posset, condemnaret te, quòd gratiam illam candidæ revelationis tuæ insulso & ingrato conviciatori præstiteris, itaque illam quasi dehonestaris, & velut virginem adultero prostitueris. Unde Græca habent, *& non referat tibi gratiam*, sed pro gratia reponat contumeliam. Huc facit proverbium Arabicum centuria 2. n. 54. *Arcanum tuum de sanguine tuo est: sæpè aperuisti illud, & est causa mortis tuæ.* Et centur. 1. n. 7. *Ne deambula nudus per plateas*, id est, ne aperias secretum tuum coram hominibus, ne subsannent te. *Verba fac noctè, ubi non est avis nocturna*, id est, occulta arcanum tuum, & dignitatem tuam à turba idiotarum, & stultorum. Et illud Epicharmi: *Sobrius esto, & memineris diffidere.* Nam, ut ait Theognis.

Fiso res periit, diffiso salva remansit:

Paucis è multis fidus adest animus.

Hoc est, quod audivimus cap. 6. 6. *Consiliarius sit tibi unus de mille.*

Moraliter hìc disce, quàm cautè servanda sunt cordis arcana, quamque turpe & periculosum sit ea expiscari. *Moral. de custodia secreti.*
D Hæc enim insignis est curiositas quæ curiosum in magnas redigit angustias. Facilius enim est compescere curiositatem expiscandi secretum, quàm ubi expiscatus fueris, illud tacendi. Imò, qui curiosi sunt ad expiscandum, curiosiores sunt ad propalandum: pruriunt enim ad revelandum secreta, quæ norunt, ut scientiam suam venditent. Adde, esto crimen proditionis, non tamen suspicionem evadent: si enim res emanet, vehemens erit suspicio, ipsos, utpote solos secreti conscios, illud evulgasse. Quocirca Philippiades poeta regi Lysimacho percharus, rogatus ab eo: *Quid vis tibi impertiam rerum mearum? Quodcumque voles*, inquit, *modò ne arcani quippiam.* Et Aristoteles rogatus, quis secretum cognitum servare posset? respondit: *Qui carbonem ignitum lingua continere poterit.* ita Antonius in Melissa, p. 1. serm. 72. Nam, ut dicitur Proverb. 16. 27. *In labiis ejus ignis ardescit;* Septuag. *ignem condit.* Sic Dalila expiscata secretum

tum fortitudinis Samsonis, illud prodidit, & maritum perdidit, Judic. 16. Gellius lib. 1. c. 23. memorat, Romanos senatores adeò celebrasse silentium Papyrii pueri qui secretum senatus matri, non tantùm verbis, sed & verberibus illud exigenti, prodere noluerat, ut ei inter pueros soli aditum in curiam concesserint, eique Prætextati cognomen honoris causa indiderint, ob tacendi loquendique in ætate prætextata prudentiam. Denique Plutarch. in Moral. hoc remedium exquirendi fidem alicujus in servando secreto, suggerit: *Ut vas*, inquit, *experiamur, non vinum infundimus, sed aquam: si enim depereat, parum refert. Sic frivolum quoddam committendum amicis, quo silentii fidem experiamur, ut si effutiant, nihil sit periculi.*

Sanè S. Ambrosius ita sanctè servabat secretum sibi cõmissum, ut illud ne quidem cum Satyro fratre sibi charissimo communicaret, uti ipse refert in ejus obitu, causamq; addit dicens: *Erat enim fidele indicium, extraneo non esse proditum, quod non esset cum fratre collatum*, Unde ipse in illud psal. 40. *Egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum. Aptus versiculus*, inquit, *adversus eos, qui secretũ alicujus produnt. Pulchrè ait: Egrediebatur foras. Foris enim lupi, foris prædones: intus Moyses in nube cum Jesu. Foris Judæi: intus Zacharias sacerdos in templo. Foris multitudo, intus Spiritus sanctus in cordibus nostris clamat, Abba pater. Foris adversarius noster, sicut leo per vigilat ad rapina. Foris infideles: intus fideles. Et ideò eos, qui foris sunt, judicabit Deus: eos autem, qui intus sunt, Christus absolvit. Egrediebatur igitur Judas, & loquebatur. Egrediebatur de fide, egrediebatur de concilio & numero Apostolorum. Egrediebatur de convivio Christi ad latrocinia diaboli. Egrediebatur de gratia sanctificationis ad laqueũ mortis, qui vana ad perfidos loquebatur. Egrediebatur foras, qui vitæ internæ mysteria relinquebat.*

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

AGit de iis, quæ vitanda sunt in feminis, ac de periculo, quod est in earum aspectu, colloquio & consortio, usque ad v. 14. Inde usque ad finem agit de iis, quæ vitanda sunt in viris, docetque vitandos esse amicos novos, homines potentes, qui habent jus necis & vitæ, injustos, linguosos & temerarios.

NOn zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinę nequam. 2. Non des mulieri pote-
statem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris. 3. Ne respicias mulierem multivo-
lam: ne fortè incidas in laqueos illius. 4. Cum saltatrice ne assiduus sis: nec audias illã, ne fortè pereas in effica-
cia illius. 5. Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius. 6. Ne des fornicariis animam tuam
in ullo, ne perdas te, & hereditatem tuam. 7. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis
illius. 8. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. 9. Propter speciem mu-
lieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. 10. Omnis mulier, quæ est fornicaria,
quasi stercus in via conculcabitur. 11. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium
enim illius quasi ignis exardescit. 12. Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cu-
bitum: 13. & non alterceris cum illa in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in per-
ditionem. 14. Ne derilinquas amicum antiquum: novus enim non erit similis illi. 15. Vinum novum, amicus
novus: veterascet, & cum suavitate bibes illud. 16. Non zeles gloriam & opes peccatoris: non enim scis quæ
futura sit illius subversio. 17. Non placeat tibi injuria injustorum, sciens quoniam usque ad inferos non pla-
cebit impius. 18. Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi, & non suspicaberis timorem mortis.
19. Et si accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne fortè auferat vitam tuam. 20. Communionem mortis
scito: quoniam in medio laqueorum ingredieris, & super dolentium arma ambulabis. 21. Secundum virtutem
tuam cave te à proximo tuo, & cum sapientibus & prudentibus tracta. 22. Viri justi sint tibi convivæ, & in
timore Dei sit tibi gloriatio. 23. Et in sensu sit tibi cogitatus Dei, & omnis enarratio tua in præceptis Altissi-
mi. 24. In manu artificum opera laudabuntur, & princeps populi in sapientia sermonis sui, in sensu verò Se-
niorum verbum. 25. Terribilis est in civitate sua homo linguosus: & temerarius in verbo suo odibilis erit.

VERS. 1. NON ZELES MULIEREM SINUS TUI] q. d. Ne sis zelotypus uxoris tuæ, quæ in sinu tuo requiescit, & malè de ea suspicans, quod, scilicet, alium virum amet magis quàm te, aut alius rivalis tuus eã amet & insequatur. Tigurina, *uxorem, quam complecteris, ne prosequaris zelotypia*. Zelotypia ingens est conjugii morbus & malum. *Zelotypia*, ait Cicero Tuscul. 4. *est ægritudo ex eo, quod alter quoque potiatur* (vel potiri putetur) *eo quod ipse concupiverit*; vel (ut Chrysippus) *est ægritudo animi ex eo proveniens, quòd timeat ne adsit alteri, quod enim nemine velit habere commune.* Quę inter conjuges suspicionum, rixarum, cædium, omniumque malorum est causa, uti docet Tiraquellus leg. 13. connubiali n. 28. & seq. & leg. 1. connub. c. 1. & seq. Quin & S. Hier. lib. 1. contra Jovin. *Quid, ait, prodest etiam diligens custodia, cùm uxor servari impudica non possit, pudica non debeat? Infida enim custos castitatis est necessitas, & illa verè pudica est, cui licuit peccare, si voluit.* Porrò *mulier sinus* vocatur, quę in sinu mariti cubat & requiescit, non tantùm cùm dormit, sive per diem, sive per noctem, in thalamo nuptiali, sed etiam cùm prandet & cęnat. Olim in mensa discumbebãt, id est, cubabant in thoris sive lectulis mensalibus, in singulis bini vel terni; ita ut in summo cubaret frater vel amicus, in medio maritus aut parens, in imò uxor & liberi, qui proinde recumbebant in mariti vel parentis sinu, ita Plutarch. lib. 1. Sympos. q. 3. *Locus*, inquit, *infra eum* (medium) *uxoris est aut liberorum: qui supra est, ut par est, tribuitur convivarum honoratissimo.* Quocirca T. Livius lib. 39. carpit T. Flaminium consulem, quòd meretricem in convivio in loco uxoris collocasset. Sic Deuter. 13. 6. dicitur: *Uxor, quæ est in sinu tuo.* Et c. 28. 54. *Invidebit uxori, quæ cubat in sinu suo.* Michææ 7. 5. *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* Igitur epithetum proprium uxoris est, requiescere in sinu mariti. ita Delrio adagio 125.

NE OSTENDAT SUPER TE MALITIAM DOCTRINÆ NEQUAM] ne, scilicet, te decipiat, veneno perimat, aliterve noceat, aut saltem odiat, vel minùs amet, & ad alios viros affectum transferat. Nam *doctrina nequam* sive perversa est, qua vetulæ perversæ, vel etiam veneficæ, docent uxores juvenculas improbas artes, quibus maritum zelotypum fallant aut perimant aliterve ei noceant. Unde Syrus, *ne doceas contra te astutiã malam*; Grecè est, *ne doceas in te doctrinam nequam*; Tigurina sive Vatabl. *ne eam malam in te artem doceas.* Primò, tua zelotypia impellendo ad malas artes jam dictas. Secundò, q. d. Ne tua zelotypia doceas eam simili modo esse zelotypam: zelotypia enim instar scabiei sese aliis affricat, & affricando contrahitur: cum enim uxor sentit se suspectam esse marito de adulterio, vicissim ipsum incipit habere suspectum, ne, scilicet, ipse ob suspicionem, quam contra se habet, ad alias declinet. Tertiò, planè & simpliciter, q. d. Noli nimis amare & zelari uxorem tuam, noli nimis arctè & anxiè eam custodire, ne doceas eam adulterari; ne, scilicet, ipsa adversum te faciat, quod videt te de se timere vel suspicari: tum, quia continua suspicio adulterii, continuam ejus imaginationem, indeque concupiscentiam, suscitat: tum quia quę nimis arctè videt se custodiri, ex impatientia foras erumpit,

pit, ut in libertatem se vindicet: tum, quia mulierum indoles est curiosa & pertinax, ac illud, quod sibi adeo vetari conspicit, maximè videre & experiri concupiscit, juxta illud:

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

Verè Seneca: *Quidam*, inquit, *fallere docuerunt, dum timent falli. & illius peccati suspicando occasionem præbuerunt*. Et disertè Ovid. lib. 3. de Art. eleg. 4.

Desine, crede mihi, vitia irritare vetando:
Obsequio vinces aptiùs ipse tuo.
Vidi ego nuper equum contra sua fræna tenacem,
Ore reluctanti fulminis ire modo:
Constitit, ut primum concessas sensit habenas,
Frænaque in effusas laxa jacere jubas.

Zelotypia cædes. Quocirca sapienter S. Ambros. lib. 1. de Abraham, cap. 4. *Disce*, inquit, *mulier, zelum deponere, qui sæpe mulieres in furorem incitat*. Mulier enim, quia minoris judicii, & cupida, magis suspicionibus & zelotypiæ est obnoxia, quæ nisi refrænentur, adeò increscunt, ut eas dementent, & in furorem agant. Prudenter & Seneca in Proverbiis: *Zelum*, inquit, *de Deo tantum habeas, non contra homines: zelari autem hominibus vitiosum est*.

Porrò quàm damnosa & funesta sit zelotypia, disce ab exemplis. Clytemnestra zelotypa fuit Agamemnonis regis sui mariti, suspicando eum adamare Chryseidem, ideoque ipsum occidit. Arsinoe occidit Demetrium, putans ab eo diligi Berenicem. Cleopatra occidit Nicatorem ob zelum Rhodogynæ, quæ erat soror Phraatis regis, ut tradit Appianus in Syriaco. Appollonius Rhodius lib. 1. Argonauticon scribit, Lemnias mulieres zelotypia incensas, quod mariti captivas mulieres adamarent, maritos suos omnes dormientes, & insuper universum genus masculinum obtruncasse. Medea suspicans virum suum alias adamare, ut se de eo ulcisceretur, proprias proles, quas ex eo susceperat occidit, de quo Ovidius lib. 1. de Art.

Nec dolor armasset contra sua viscera matrem,
Quæ socii damno sanguinis ulta virum est.

Zelotypiæ remedia. Sapiens zelotypiæ remedium dat Aristot. 1. Oeconom. c. 4. *Primum*, inquit, *leges sint viro ad uxorem, ut injuria cesset; sic nec ipse injuriam patietur*. Et lib. 2. c. 2. *Maximus honor*, ait, *est sobriæ mulieri, si cernat virum suum observantem sibi castitatem, nec de ulla muliere magis cogitantem, sed præ ceteris omnibus hanc & suam, & fidelem sibi existimantem. Tanto enim magis studebit mulier se talem præstare, quanto magis se cognoverit fideliter ac juste a viro diligi*. Et Lactant. lib. 6. de Vera relig. *exemplo continentiæ, ait, docenda est uxor, ut se caste gerat. Iniquum est enim, ut exigas, quod ipse præstare non possis*. Hoc est, quod ex S. August. dicitur c. *Si dicturi*, 32. q. 6. quales volumus uxores nostras invenire, tales & ipsæ nos inveniant. Frustra enim petit debitum, qui, quod debet, non impendit: qui non facit quod debet, non recipit quod oportet. Dicet enim uxor marito: Cur ego te colam ut maritum, cùm tu non me colas ut uxorem? juxta illud Domitii apud S. Hieron. ad Nepotian. *Cur ergo te habeam ut principem, cum tu me non habeas ut senatorem?* Et illud Ciceron. Philip. 2. *Non tractabo ut consulem, ne ille quidem me ut consularem*.

Denique Alfonsus Aragonum rex, teste Panormit. in ejus Vita zelotypiæ remedium ad vitam in conjugio tranquillè, transigendam hoc dabat: *Si uxor cæca, maritus autem surdus fiat*. Uxor enim oculata, videns maritum cum aliis feminis, etiam negotiorum causa agere, fit zelotypa, inde querimoniæ & rixæ. Rursum marito molesta est uxoris garrulitas, qua molestia carebit, si fiat surdus.

VERS. 2. NON DES MULIERI POTESTATEM ANIMÆ TUÆ, NE INGREDIATUR IN VIRTUTEM TUAM (ita Rom. non, *in virtute tua*, uti legunt alii,) ET CONFUNDARIS] Græcè, *non des mulieri animam tuam, ut ascendat ipsa super* ψυχήν, id est, *animam tuam*, ita Complut. sed Roman. legunt ἰσχύν, id est, *virtutem tuam*, hoc est, super vires tuas, vel super fortitudinem tuam, ut occupet arcem animæ tuæ. Est metaphora à militibus, qui ascendunt muros, itaque capiunt urbem, vel arcem, quam Itali vocant *la fortezza*. Sensus est: q. d. Ne permittas uxorem *potestatem*, id est, dominium, exercere, ut, scilicet, ipsa dominetur & imperet *animæ tuæ*, hoc est, tuæ voluntati, & tibi ipsi; *ne*

A *ipsa ingrediatur in virtutem tuam*; ut, scilicet, tuum jus, auctoritatem & imperium maritale sibi usurpet, teque sibi subjiciat, cui ipsa jure naturæ, divino & humano debet esse subdita: hoc enim tibi pudori erit, cùm audies effeminatus, æquè ac servituti & damno: mulier enim, cùm passionibus agatur, & impotentis sit animi, impotenter tibi dominabitur. Unde clarè vertit. Vatabl. *ne permittas animum tuum mulieri, adeo ut pessumdet potestatem tuam, tuque dedecus incurras*; alii, *ne dederis mulieri animam tuam, ut transcendat ipsa vires tuas*, ut fiat, te potentior & imperiosior; alii, *ne ascendat ipsa super animam tuam, seque sibi penitus subjiciat*; Syrus, *ne dederis mulieri animam tuam*, vel, *ne committas mulieri te ipsum* (hoc enim Syri vocant, *animam tuam*,) *ut dominetur ipsa supra omne quod habes*. Hæc viri permissio oritur vel ex animi pusillanimitate, vilitate & abjectione; vel ex nimio uxoris amore, quo omnia ei indulget, eique seipsum committit & permittit; vel quòd uxor viro sit nobilior, ditior, potentior. Audi S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. *Refert Seneca, cognovisse se quemdam ornatum hominem, qui exiturus in publicum fascia uxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præsentia ejus carere poterat, potionemque nullam nisi alterius tactam labris vir & uxor hauriebant, alia deinceps non minus inepta facientes, in qua improvida vis ardentis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest, quam ex honesta causa quis insaniat. Unde & Xystus in sententiis: Adulter est, inquit, in suam uxorem amator ardentior. In aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitum*. *Vir ne sinat uxorem dominari.*

B

Hæc Ethices naturalis naturalia sunt præcepta: unde eadem tradiderunt Gentium sapientes. Cato senior objurgans summam uxorum Romæ licentiam & potentiam: *Omnes*, inquit, *homines uxoribus dominantur, nos omnibus hominibus, nobis autem uxores*: hoc modo colligens uxores esse rerum omnium dominas, ita ex Plutarcho in Apophth. Antonius in Melissa, part. 2. serm. 34. Rursum Cato apud Livium lib. 34. monet viros, ne uxores sibi æquari sinant: *Extemplo enim*, inquit, *simul ac pares esse cœperint, superiores erunt. Proinde date* C *frænos impotenti naturæ, & indomito animali: desperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis*. Sic Salomon permittens mulieres sibi dominari, ab eis protractus est ad adorandum idola. Sic Adam se subdens Evæ, se & omnes posteros perdidit. Sic Hebræi fornicantes cum Madianitis, ab eis impulsi sunt ad colendum Beelphegor, Numer. 25. In quem locum Origen. *Captivantur*, inquit, *Israelitæ, non ferro, sed luxu; non virtute, sed libidine*. Ideoque vindicta divina in eos deseviit, uti ibidem narratur. *Gnomæ.*

Quocirca aptè Ægyptii, teste Horo Apoll. muliebris in virum dominatus dedecus & noxam repræsentarunt hieroglyphico viperæ: mas enim viperæ in congressu cum femina, caput in os ejus inserit: unde illa delectatione venerea acta in rabiem, caput maris demordet, eumque perimit, teste Plinio lib. 10. cap. 62. Æliano l. 9. cap. 31. & Galeno de Theriaca ad Pison. Simili enim modo vir uxori se subjiciens, sinit ab ea sibi caput, id est, dominium, ac non raro vitam abscindi. Mulieris ergo lacrymæ, quibus virum sibi subjicit, sunt *lacrymæ crocodrili*, quibus, scilicet, ipse cranium hominis emollit & D scidit, ut cerebrum ejus devoret: simili enim modo mulier suis lamentis cerebrum homini eripit, eumque sibi obiicit & dementat. Talis fuit Dalila Samsoni, Xantippe Socrati, Omphale Herculi. Pittaci Mitylenæi, qui unus fuit è septem Græciæ sapientibus, gnome extat: *Uxori dominare*. Corn. Tacitus lib. de Moribus Germanor. refert apud Sithones feminas dominari: in quo, ait, non modò à libertate, sed etiam à servitute degenerant. *A muliere dominari, summum est viro dedecus*, ait Philo apud Antonium in Melissa, tomo 1. serm. 34. quin & Isaias cap. 3. 12. ingenti probro Judæis vertit, *quod mulieres dominatæ sunt eis*. Plutarch. in præceptis connubi. cap. 5. *Qui malunt*, inquit *stolidis viris imperare, quam parere sapientibus, similes illis sunt, quæ ducere potius volunt cæcos, quam intelligentia visuque præditos sequi*. Ergo viri tales sunt despicabiles, uxores pariter contemptibiles. Vide Tiraquell. l. 1. connub. n. 19. & seq. unde nu. 26. ex Do-

ex Donato ait, uxorem dici ab ungendo, eò quòd olim maritum lavare, & ungere solerent, quasi viri famulæ, non dominæ.

Vers.3. NE RESPICIAS MULIEREM MULTIVOLAM, NE FORTE INCIDAS IN LAQUEOS ILLIUS] *Multivolam*, id est, meretricem, quæ multos vult amasios. Alii *multivolam* interpretantur, ad multorum concupiscentiam evolantem: hæc enim Græcè vocatur ἑταιριζομένη, quæ, scilicet, amat multos ἑταίρους, id est, socios, procos & amasios: ἑταίρα, enim est socia, amica, meretrix. Noster videtur legisse ἑτεριζομένη, per ε, non per αι, ab ἕτερος, q. d. Quæ alios & varios amat. quod eodem redit. Græca ergo sic habent, *ne occurras mulieri meretrici, ne forte incidas in laqueos illius*; clariùs Tigurina, *mulieri meretrici ne te des obviam*, &c. Syrus, *ne converseris cum meretrice, ne cadas in retia ejus*. Mulierem hanc multivolam, ejusque laqueos graphicè depingit Salomon Proverb. 7. v. 10. *Occurrit*, inquit, *illi* (juveni) *mulier ornatu meretricio præparata ad capiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians, apprehensumque deosculatur juvenem, & procaci vultu blanditur*, & quæ sequuntur.

Tropol. mulier multivola est concupiscentia: hæc enim instar mulieris, muliebria habet desideria, multaque vult & concupiscit, adeoque est insatiabilis, ac semper dicit: *Affer, affer*, Proverb. 30. 15. Quare ut eam effugias, noli in eam respicere: quia, sicut species mulieris, ita & concupiscentiæ est illecebrosa, mentemque infatuat & ad se rapit. Causas varias dedi Thren. 1. 8.

Rursum mulier multivola est hæresis, & hæreticorum synagoga, quæ per diversos errores volitat, ait Raban. & ex eo Glossa.

Vers.4. CUM SALTATRICE NE ASSIDUUS SIS: NEC AUDIAS ILLAM, NE FORTE PEREAS IN EFFICACIA illecebrosi saltus & cantus ILLIUS] Jansenius contendit legendum, *cum psaltrice*: Græca enim habent, μετὰ ψαλλούσης, id est, cum psallente, Alii, *cum fidicina*, id est, ea quæ ludit canitque fidibus. Unde Syrus, *cum cantatrice ne familiaris fias, ne perdat te fabulis suis*; Vatabl. *cantatricem mulierem ne frequentes, ne forte conatibus ejus capiaris*; alii, *cum fidicina ne assuesce, ne capiaris artibus ejus*. Verùm Biblia Romana, & cætera Latina æquè ac S. Cyprianus mox citandus constanter habent, *cum saltatrice*: unde videtur Interpres noster, qui antiquus est, in vetustis codicibus legisse, non ψαλλούσης, sed ἁλλούσης, vel ἁλλομένης, unde Latinum *saltantis*: aspiratio enim Græca in literam Latinam *s*, verti solet. Ratio est: nam feminæ doctæ ad numeros saltare, valdè virorum animos movent; & in sui amorem illiciunt suis tripudiis & choreis, uti filia Herodiadis rapuit Herodem, omnesque convivas, adeò ut pro mercede ei dimidium regni offerret, imò caput S. Joannis Baptistæ: olim enim ars saltandi fuit mirabilis, & mirè illecebrosa, adeò ut saltatrices admiratione, & amore, suos suspenderent spectatores, teste Rhodigino lib. 5. cap. 3. Adde, choreæ hæ fiunt ad numeros, & cantum tibiæ, citharæ, testudinis, clavicymbali, &c. quibus ad delicias musica vocum, & cantus adjungitur, ut numerosa sit harmonia: quin, & ipsæ saltatrices illecebrosæ saltando canere solent, ut tam cantu, quam saltu instar Sirenum dementent, & rapiant animos juvenum, juxta illud Virgil. 6. Æneid.

Saltatrices illecebrosæ.

Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.

Et Tibullus lib. 1.

Ille liquor docuit voces inflectere cantu:
Movit & ad certos nescia membra modos.

Et hoc est, quod subdit Siracides: *Ne audias illam, ne forte pereas in efficacia*; Græcè, ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασιν, id est, *in exercitiis*, vel *artibus*. ita Complut. aut, ut Tigurina, ἐπιχειρήμασιν, id est, *conatibus*; vel, ut Romana vertunt, *tentationibus ejus*. Porrò, quanta sit vis & tentatio cantus feminei, docet Claudian. lib. 1. de Raptu Proserp.

Ipsa domum tenero mulcens Proserpina cantu, &c.

Et Ovidius 14. Metamorph.

Unde canens dicta est sylvas & saxa movere;
Et mulcere feras, & flumina longa morari
Ore suo, volucresque vagas retinere solebat,
Quæ dum feminea modulatur carmina voce, &c.

Verè Seneca in Proverbiis: *Blanditia*, inquit, *non imperio, fit dulcis Venus*. Et: *Habet suum venenum blanda oratio*. Denique præclarè S. Cyprian. de Singul. Cleric. *Mulier*, inquit, *nunc detegit membra, nunc fatigata jactatur, aut in risum aliquando dissolvitur, nunc blanditias exhibet, & quod est venenosius super cuncta, psallere delectatur aut canere. Cujus cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. Contra quam Salomon sic nos cautos efficit: Cum saltatrice noli assiduus esse, nec audias eam, ne forte pereas in efficacia ejus*. Et rursum: *Avertite*, ait, *occasiones impudicas. Amputanda sunt omnia vobis, quæcumque igniferi fomitis sulphurantibus flammis candens fornax ebullientis carnis exæstuat, ne vel tenuis quidem scintilla majora conflet incendia. quod Salomon manifestat dicens: A scintilla una augetur ignis*. Periclitatur navis, si vel scintilla in vas pulveris tormentarii inciderit: & securum se censebit adolescens, qui inter ardentissimas gehennæ prunas, mulierum, scilicet, & libidinum iritamenta, discurrit? Ibidem Cyprian. hæc castitati dat attributa, vel elogia. *Castitas est munimen invictum sanctimoniæ, fortitudinis firmitas, animæ victoria, ubertas gloriarum, pax secura virtutum, debellatio inquieta bellorum, honestatis* B *portus, ignominiæ naufragalis locus, lorica pudoris, corruptionis exitium, dissolutionis occisor, armatura virium, acquisitio triumphorum, requies salutis, vita spiritus, status qualitatis angelicæ*. Nazianz. in Dimistichis: *Ignis stipulæ propinquus, parum tuta res: nihilo tutius, ò monache, tibi fuerit mulierem virginem contubernalem habere*.

VIRGINEM NE CONSPICIAS, NE FORTE SCANDALIZERIS (in ruinam luxuriæ traharis) IN DECORE ILLIUS] Romani ex Græco legunt, *in decoribus ejus*. Virginis enim multiplex est decor; Primus, ætatis florentis; Secundus, sexus feminei; Tertius, virginitatis; Quartus, elegantiæ vestium, & cultus. Vatabl. vertit, *ne contempleris virginem, ut ne noxam ex pretioso ejus cultu contrahas* alii, *ne quando impingas in concupiscentiis ejus*; Syrus, *virginem ne attentè inspicias, ne condemneris* (id est debitor, aut reus fias) *in dote ejus duplo*; ne, scilicet, si ex aspectu labaris in fornicationem cum ea, & pretium virginitatis ablatæ ei restituere, eamque uxorem ducere & dotare debeas, juxta legem Exodi 22. 16. & 17. & Deuter. 22. 29. Quocirca sapienter Job c. 31. *Pepigi*, ait, *fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*. Quin & Alexander Ma- C gnus noluit videre Darii filias jam à suis captas, dicens: *Non committam, ut cùm viros vicerim, à mulieribus vincar*. ita Plutarch. in Alexandro. Præclarè Nazianz. in Præceptis ad Virgines: Vers.5.

Virgo sis oculis, sis ore atque auribus ipsis.

Et inferiùs:

Christus amore tui flagrat: ne forma virilis
Te premat, & medio sedem sibi pectore figat.

Idem ad Seleucum Jambico 3.

Quodcumque labem visui accersit, fuge,
Oculos ut ipse virgines serves tuos.

Beda in Proverb. *Oculi petulantes*, ait, *cordis luxuriosi sunt proditores*. Rursum Nazianz. in Distichis: *Si procul à femina abfueris, manet scintilla: si autem vitæ commercium cum ea habeas, ex parvo vento magnum incendium excitabis*: Et paulò superiùs: *Virgo & oculis, & abditis corporis partibus virgo esto, nec marem ullum curatorem tibi adscifcas. Christum amicum habes, viros omnes aspernare. Quid tibi mortiferum toxicum intus habere opus est? Equidem in hac canitie corpus lanio, oculos premo, diurnis nocturnisque curis ter miseram animam conficio, ut eam à flamma extraham: ne sic* D *quidem tamen, nisi admodum ægre, corpus in potestate teneo. Quanam ergo fronte tu & ætate florens, & carnes elephante ipso latiores excitans, postea mihi delicias facis, perinde atque egregia quadam puritate præditus, atque amasiam tuam spirituali dumtaxat amore complectens? O aversandum amorem, quem Christus fastidit! Monachi, monasticam vitam ducite. Nam, si cum amasiis vitæ consuetudinem habeatis, non jam monachi estis. Virgo, Christum habes immortalem adamatorem, sponsum desiderabilem, erga cælestem formam tuam zelotypum*.

Porrò, nihil est, quod ita libidinem accendat, ac decor & forma. Ita Tert. de Cultu femin. sub initium: *Decorem*, inquit, *naturaliter invitatorem libidinis scimus*. Leucippus apud Anton. in Melissa, tom. 1. c. 60. *Pulchritudo*, ait, *acutius, aut, si malis, velocius vulnerat, quam sagitta, & per oculos in animum desluit*. Et Domitianus Imp. *Decore*, ait, *nihil gratius, nihil & brevius*. Quocirca Horatius lib. 4.

Forma libidinis illex.

Carm.

Carm. ode 13. pulchritudinem appellat facem, quòd ad amorem accendat. Imò Donatus S. Hieron. præceptor: *Veteres*, inquit, *ignem & calorem, quemdam quasi fervorem, dixerunt formam. Et hinc fornaces, forcipes, formam & formosos, ex quibus ignis amoris exoritur*. Et Festus Pompejus: Forma, ait, significat modò faciem cujusque rei, modò calidum, ut cùm exta, quæ dantur, deforma appellantur. Servius verò in lib. 8. Æneid. Forma, ait, dicitur à formo, quod calidum significat, quod & Nonius Marcellus antumat. Quocirca Theocritus apud Laertium in vita Aristotelis, formam vocat *eburneum detrimentum*, quòd grata sit aspectui, sed multorum incommodorum causa. Socrates verò ibidem, formam vocat *exigui temporis tyrannidem*. Idcircò sapienter Protagoras apud Antonium in Melissa, tom. 2. cap. 33. *Uxorem*, inquit, *temperantem quærito, non formosam. Ille enim est thesaurus, qui surripi non potest; hæc autem animi opinio, sive persuasio*. Igitur, sicut ignis adurit ligna, sic aspectus corda. Aspicit sol speculum politum, mox flamma, quæ res objectas exurat, surgit in speculo. Aspicit vir feminam pulchram, surgit illicò flamma amoris in viro. Unde Fotis meretrix apud Apul. lib. 2. *Discede*, ait, B *misselle, à foculo, discede: nam, si te vel modicè meus igniculus afflaverit, ureris intimè*.

Quocirca S. Basilius lib. de Virgin. docet, virgini summè custodiendos esse oculos, ne ullius viri, vel feminæ species menti infigatur; aut, si infixa sit, omni studio accersendo alias & contrarias species, omninò deleatur. Singularis in hac re fuit S. Hugo, Gratianopolis Episcopus per 52. annos, qui cùm crebrò primariarum feminarum confessiones exciperet, ita oculos ab eis avertebat, ut nullam de facie, si occurreret, cognosceret, uti habet ejus Vita.

Remediū amoris, absentia. Hinc, & Philosophi remedium amoris docent esse absentiam, ne videas amicam: sic enim ejus oblivisceris, eamque mente, & phantasia erades. Ita Propert. lib. 3. eleg. 20.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Ut me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim assiduè spectando cura puellæ,
Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.

Imò, ut ait Virgil. 3.

Uritque videndo Femina.

Instar speculi orbicularis, radiis solis accensi. Quocirca apposite ad culpam Zaleucus, Locrensium legislator, adulteris oculos erui sanxit, ait Plutarch. 5. Sympos. cumque ejus filius in adulterium incidisset, ut pœnam non mitigaret, sed divideret, unum oculum sibi, alterum filio erui jussit, oculi enim sunt in amore duces, &, ut ait S. Petrus epist. 2. cap. 2. 14. *pleni adulterii, & incessabilis delicti*. Oculos autem sequitur imaginatio, imaginationem cor & amor. Unde Job c. 31. 7. *Si secutum est*, inquit, *oculos meos* (Hebr. *si abiit post oculos*) *cor meum*, & Thren. 3. 51. *Oculus meus deprædatus est animam meam*. ubi plura hac de re dixi. Hinc Plato censuit visionem fieri, non recipiendo, sed emittendo spiritus visivos, illosque amorem accendere. Aristotel. verò licet censeat visionem fieri receptione specierum, non emissione, tamen notat oculis mulierum, quæ duplicem habent pupillam, inesse virus.

Vers. 6. Ne des fornicariis animam tuam in ullo] *Fornicariis*, id est, meretricibus Græcè enim est, *πόρναις*. *Dare animam* est animum adiicere, seipsum addicere, & quasi totum dedere: quò enim se adiicit anima, & voluntas eò adiicit se totus homo: animam enim sequitur corpus, & voluntatem sequuntur ceteræ potentiæ, sicut servus herum. Gaudet Siracides hac phrasi, ut patet v. 2. Dicit, *in ullo*, id est, in ulla re: quia qui in una re, v. g. in aspectu, adiicit, animum ad meretricem, mox adiicit & vocem & linguam & mentem, totamque animam: perinde ut scintilla corripiens stipulam unam mox proserpit, & ceteras omnes depascitur.

Ne perdas te: quia fornicatio enervat corpus, famam commaculat, conscientiam æternæ mortis ream efficit: et hereditatem tuam] quia meretrix est bonorum charybdis & vorago, quæ divitias, licet ingentes, absorbet, ut patet in filio prodigo, qui opes suas cum meretricibus absumpsit. Græca tantum habent, *ne des scortis animam tuam, ne perdas hereditatem tuam*; Tigur. id est, Vatabl. *ne appellas animum tuum ad meretrices, ne perdas possessionem tuam*; Syrus, *ne des meretrici animam tuam* (id est, teipsum) *ne possumdes hereditatem divitiarum tuarum, & ignominia afficiaris in plateis civitatis, & scribaris in offensa debitorum*. quæ ultima verba Græcus & Noster dirimunt, referuntque ad versum sequentem. Si ergo semel animum applicueris ad meretricem, illa dementabit te, ut non nisi de illa cogites, loquaris, somnies, ejusque fias servus & mancipium, ut illa dominetur tibi, tuisque opibus. Huc facit proverbium Hebræorum initio Gemaræ in Suta: *Quod eruca sesamis* (vel oleribus) *id meretrix est in domo*. Sicut enim eruca sesama vel olera, in quibus degit, vastat: sic meretrix domum, in qua habitat, consumit, ac miserum virum devorat, estque quasi teredo ossium ipsius.

Præclarè S. Basilius serm. 2. in divites avaros, *Nullus*, ait, *concupiscentiæ muliebri satis est thesaurus non si fluminibus fluxeris*. Lais Corinthia meretrix pro unius noctis usura decem millia drachmarum deposcebat, quod audiens Demosthenes: *Ego*, inquit, *tanti pœnitere non emo*, teste Gellio l. 1. c. 8. Flora quæstu corporis immanes opes congessit, quarum populum Romanum heredem scripsit: unde à Romanis inter deas relata, etiamnum forum, quod vulgò Floræ nuncupatur, obtinet. Vide S. August. lib. 2. de Civit. cap. 27. In dies videmus meretrices esse vortices patrimoniorum, Scyllas opum, charybdes fortunarum, ac ditissimos per eas exhauriri, fierique pauperimos, & ad indusium redigi.

Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius) Vers. 7. Quia hæc curiositas vagandi & circumspiciendi, vagi cordis est indicium, & libidinis incentivum: necessariò enim incurrit in species mulierum, quæ ejus oculos tenent, mentemque rapiunt. Sicut enim impudicus oculus, ait S. August. impudici cordis est nuntius: sic incustoditus oculus incustoditi cordis est nuntius. Vide apud eum plura libr. de Honestate mulier. tomo 9. & apud S. Basil. tract. de Virginitate, qui egregiè hanc rem pertractat. Docet ergo Siracides non vagis, sed directis ante se oculis esse incedendum, rectaque pergendum eò quò tendis. Hac de causa vitiata est Dina filia Jacob à Sichem, quòd curiosiùs per plateas urbis vagaretur, & circumspiceret, Genes. 34. 1. Græca pro *in plateis*, habent, C *in desertis*, vel in locis solitariis: ibi enim incentivum peccati est solitudo, cùm quis putat se à nemine videri, ideoque sine pudore & infamia posse explere suam cupiditatem. Unde Tigurina, *in vicis urbis ne circumspectes, nec in secretis ejus locis oberres*.

Symbolice. Quid plateis frequentibus cum solitudine infrequenti? Respondet Clemens Alexandr. lib. 3. Pædag. c. 4. *Est solitudo, etiamsi sit turba incontinentium, ubi non est homo pudicus*. Magis verò ad literam Beda in Proverbiis: *Non vivas aliter*, inquit, *in solitudine, aliter in foro*.

Averte faciem tuam a muliere compta; Græcè, *εὐμόρφου*, id est, formosa, ob formam tum Vers. 8. naturalem, tum ascitiam per ornatum comæ & vestium. Unde sequitur: et ne circumspicias speciem alienam] Tigurina, *ne contempleris pulchritudinem alienam*. S. Nazianz. orat. adversus mulieres ambitiosiùs se ornantes, docet eas quæ fuco gaudent, ut plurimum esse impudicas. *Ferunt*, inquit, *insolentem pavonem, cùm curvato collo, pennisque gemmantibus circulum efficit, feminas clangore suo ad venerem invitare*. D *Eodem modo admodum mirabor, si tu aliam ob causam formam pingas, quam ut nitidorum & salacium virorum oculos ad te convertas*. Mulier ergo fucata est idolum Veneris, & Venus colorata. Vide Tertull. lib. de Cultu femin. c. 12. ubi comptas vocat, *infelicissimas publicarum libidinum victimas*, quia *lenocinia formæ, numquam non prostituto corpori coniuncta & dedita*. Et S. Cypr. lib. de Habitu virginum: *Ornamentorum*, ait, *ac vestium insignia & lenocinia fucorum, non nisi prostitutis & impudicis feminis congruunt, & nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est*. Notat S. Chrysost. hom. 3. de verbis Isaiæ: *Non dixit*, inquit, *Ne videas: id enim nonnumquam fit ultrò: sed, μὴ περιβλέπου*, id est. *ne circumspicias illam, tollens ne studio animadvertamus; ne curiose intuearis, ne contemplationi immoreris*. Et D. Aug. in regul. 1. c. 21. ad finem primi tomi: *Oculi, inquit, vestri, etsi iaciuntur in aliquam feminarum, defigantur in nulla*. Et paulo pòst: *Quia sicut scriptum*

est:

est: *Abominatio est Domino defigens oculum*. Quamvis hic locus, neque in Vulgata reperiatur, neque unde desumptus sit ab Augustino explicetur. Huc facit Thren. 3. 51. *Oculus meus depradatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ*. Ubi profundè S. Hieron. vel potiùs Rabanus citans illud Job cap. 31. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*; rationem reddit: *Ne priùs*, inquit, *incautè aspiceret, quod postmodum invitus amaret. Nam semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni inflammis manu solvitur. Intueri non debet, quod non debet concupisci. Ut munda mens in cogitatione servetur, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam*. Hanc Jobi cautionem admiratus D. Chrysost. serm. de Joseph Patriarcha in 1. tom. *Job*, inquit, *diabolum quidem videns accedentem, non fugit: sed mansit, sicut leo, viribus fidens; virgine autem visa non stetit, neque moratus in contuenda pulchritudine, sed statim secessit*. Hanc quoque causam innuit Siracides, dum subdit:

VERS. 9. PROPTER SPECIEM MULIERIS MULTI PERIERUNT (Græcè, ἐπλανήθησαν, id est, erraverunt, seducti & decepti sunt) ET EX HOC CONCUPISCENTIA QUASI IGNIS EXARDESCIT] Amoris enim objectum est pulchrum. Sicut ergo bonum rapit voluntatem, verum rapit intellectum: sic pulchrum rapit amorem & affectum. Vide dicta v. 5. Siracidi succinit Ben-Sira alphabeto 2. liter. Beth. *Propter speciem pulchræ mulieris multi pessumdati fuerunt, & robusti omnes interfecti ab ea*. Et liter. Daleth: *Abstrahe carnem tuam à muliere gratiosa, tamquam à carne prunarum*: q. d. Caro mulieris gratiosæ, non tam caro esse videtur, quàm prunæ accensæ, quæ ignem concupiscentiæ in spectantibus accendunt. Et liter. He: *Absconde oculos tuos à muliere gratiosa, ne capiaris reti ejus*. Nam oculi sunt proxenetæ peccati. sicut enim proxeneta mediator est inter emptorem & venditorem ad incundum contractum: ita oculi mediatores sunt cordis & mulieris speciosæ, illudque cum hac conciliant & colligant. Rursum rete feminarum est forma, quo potentissimos & sapientissimos quoque capiunt, ut ceperunt Davidem, Salomonem, Samsonem. Quocirca Socrates virum bonum ajebat debere habere, non tantùm manus, sed & oculos, aures & linguas abstinentes. Sublimiùs S. Gregor. 21. Moral. 2. *Intueri non licet, quod non licet concupiscere*. Nam, ut ait S. Bernard. serm. 5. in festo omnium Sanct. *Quod non videt oculus, cor non dolet*.

Libido est ignis. Porrò concupiscentia & libido rectè comparatur igni exardescenti; tum, quia per eam physicè incalescit sanguis, spiritusque vitales & animales, qui generationi deserviunt; tum, quia per eam animus exardescit amore rei venereæ: unde Job cap. 31. 12. *Ignis est*, inquit, *usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina*. Idem docent Philosophi & Poetæ. Virgil. de Didone amante Æneam lib. 4. Æneid.

Ardet amans Dido, & cæco carpitur igni.

Horat. lib. 1. Carm. ode 27.

Quæ te cumque domat Venus,
Non erubescendis adurit ignibus.

Lucretius lib. 1.

Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens.

Ovid. 3. Fastor.

Arserat Æneæ Dido miserabilis igne.

Tibullus lib. 2. eleg. 4.

Uror, io remove sæva puella faces.

Hinc Cupido deus libidinis cum face pingitur, qua hominum animos inflammat.

VERS. 10. OMNIS MULIER, QUÆ EST FORNICARIA, QUASI STERCUS IN VIA AB OMNIBUS CONCULCABITUR] Hic versus & sequens jam desunt in Græco & Syro. Unde Jansenius censet eos ab Interprete, vel alio quopiam additos, ad explanationem versuum præcedentium. Verùm hoc parum est verisimile: sic enim non haberent auctoritatem canonicam S. Script. & quis tam temerarius, qui hosce versus suos S. Scripturæ, quæ est epistola Spiritus sancti, ut ait S. Gregor. inserere ausus fuisset? Dicendum ergo, Latinum Interpretem vetustum plenius & copiosius habuisse exemplar Græcum, quàm nunc extet. Porrò *fornicaria*, sive meretrix, rectè comparatur stercori. Primò, ob fœtorem, tum corporis, tum animæ; Secundò, ob fœditatem pariter utriusque; Tertiò, ob vilitatem; Quartò, ob abominationem. Meretrix enim omnibus passim se prostituit, & quasi stercus calcandam se permittit; unde honesti omnes eam despiciunt, abominantur & horrent; præsertim nunc, cùm morbum Gallicum, qui summum cruciatum & putorem parit, suis amasiis affiat. Denique meretrix est cloaca sordium & stercorum. Unde Ezech. 16. 25. *Abominabilem fecisti*, ait, *decorem tuum, & divisisti pedes tuos omni transeunti*. Et Jerem. cap. 2. 20. *Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix*. Et v. 36. *Quam vilis facta es, nimis iterans vias tuas*. Quocirca S. Chrysost. homil. 29. ad pop. *Fornicator*, ait, *numquam est ... seipso, sed in sepulcris versatur: sepulcra sunt meretricum diversoria, cùm multo fœtore, multa putredine sint repleta*. Et Plin. lib. 8. c. 17. & 27. *Panthera*, ait, *sic avida est excrementorum hominis, ut, si in vase suspendantur altius, quàm ut possit attingere, enecet sese defatigata porrectu corporis: ita nonnullis, quod fœdissimum, id dulcissimum est*.

SPECIEM MULIERIS ALIENÆ MULTI ADMIRATI, REPROBI FACTI SUNT] *Reprobi*, id est, VERS. 11.
B improbi, non reprobati à Deo, & damnati ad gehennam: multi enim post fornicationem pœnitent, fiuntque Sancti & electi Dei. ita Suarez & Vasquez 1. p. tom. 1. q. 23. disp. 95. c. 4. Sic 2. Timoth. 3. 8. hæretici vocantur *reprobi circa fidem*, quia, scilicet, veram fidem reprobant, abjiciunt, corrumpunt: hi enim Græcè vocantur ἀδόκιμοι; multi tamen ex illis meliùs edocti resipiscunt & salvantur. Secundò, propriè *reprobi*, quia multi, imò major pars mundi, ob fornicationem & libidinem, à Deo reprobatur & damnatur. Cùm enim libido frequentatur, ita animum tenet & possidet, ut evelli nequeat. Unde fornicarii fatentur sæpè cum lacrymis, se velle à fornicatione abstinere; sed non posse ob inveteratam consuetudinem in re tam lubrica & illecebrosa. Quocirca S. Remigius, Rhemensis Episcopus, *Demptis parvulis*, inquit, *ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur*: perinde ac ejus causa totus mundus periit diluvio; *quia omnis caro corruperat viam suam*, Gen. 6. 12. Quin & Seneca in Proverbiis: *Amor*, inquit, *arbitrio animi sumitur, non ponitur. Amans, quid cupiat, scit; quid sapiat, non*
C *videt. Amor extorqueri non potest, elabi potest. Amare, & sapere vix diis conceditur*. Hinc *Venus* ab ingeniosis nonnullis dicta putatur à *Ve*, id est, sine; & *nus*, id est, mente, quòd hominem execæcet, & mente privet. *Ve* enim priscis fuit particula privativa, ut vecors, id est, privatus corde; vesanus, id est, privatus sanitate mentis. licet Cicero Venerem à veniendo derivet, lib. 2. de Natura deorum: *Venus*, inquit, *dicta, quod ad res omnes veniret, atque ex ea potiùs venustas, quàm Venus ex venustate*.

COLLOQUIUM ENIM ILLIUS QUASI IGNIS EXARDESCIT] in actu perfecto, ita ut non tantùm in se ardeat, sed & audientes sui amore succendat, & ardere faciat. Unde Syrus, *& amor ejus sicut ignis exurit*. Est Hebraismus, quo *cal*, id est, neutrum, sumitur pro *hiphil*, id est, activo. Hoc est, quod ait Salomon Proverb. 5. *Favus distillans, labia meretricis: novissima autem ejus amara quasi absinthium*. Appositè Hugo Victor. lib. de Carnal. nuptiis vitandis: *In favo mellis*, inquit, *duo sunt, scilicet, mel & cera: in facie meretricis duo sunt, scilicet, decor & gratia, hoc est, pulchritudo* VERS. 12.
D *oris, & dulcedo sermonis. Cera succendit ignem, mel præbet dulcedinem. Sic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem, blandimento lenocinantis sermonis subvertit mentem. Stillat mel ex cera, dum meretrix verba sua mollit & facit dulcia*.

CUM ALIENA (Græcè, ὑπάνδρῳ, id est, conjugata, maritata, quæ aliena est, id est, alterius viri uxor) MULIERE NON SEDEAS OMNINO, NEC ACCUMBAS CUM EA SUPER CUBITUM] Docuit vitanda esse consortia virginis, viduæ, meretricis; nunc & conjugatæ vitanda esse docet; quia similis in ea est illecebra, ac majoris peccati, putà, adulterii, periculum. Græca hic variant: nonnulla enim delent *Τὸ nec accumbas super cubitum*; Complut. legunt, μὴ κατακλιθῇς ἐν ἀγκάλαις μετ' αὐτῆς, id est, *ne accubueris in ulnis cum ea*; Tigurina, *apud mulierem maritatam ne sedeas omninò, nec inter ulnas ejus recumbas*. Verùm Clemens Alex. 2. Pæd. cap. 7. legit ut Noster, μὴ ... ἐν' ἀγκάλαις μετ' αὐτῆς,

κύτῆς, id est, *nec accumbas cum ea super cubitum*: & Syrus, *cum domina domus ne innitaris cubito tuo*. Olim enim cœnaturi vel pransuri mensæ non assidebant in scamnis, sed accumbebant jacentes in thoris sive lectulis mensalibus, qui singuli tres convivas capiebant: ita ut cubito innixi dorsum reclinarent in sinum alterius, putà primus in sinum secundi, secundus in sinum tertij. Suadet ergo, ne vir assideat uxori alterius, præsertim in mensa in eodem lectulo recumbendo in sinu illius, aut vice versa; quia hic uxoris alienæ contactus indecens est & illecebrosus: corpus enim feminæ est quasi ignis urens animum viri. Vel ipse mulieris tactus, ait S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. quasi contagiosus & venenatus est viro fugiendus, non minùs quàm rabidissimi canis morsus. Multò magis contagiosum est assidere feminæ: præter enim contactum continuum, adest jugis ejus aspectus & colloquium. Unde Syrus paraphrasticè vertit, *ne multiplices vir cum muliere sermonem, & ne prolonges cum ea narrationes* vel *confabulationes tuas*. Quocirca olim apud Hebræos (ut indicat hic Siracides) Syros, ceterosque Orientales, præsertim Græcos & Persas, & etiamnum apud Italos, aliasque nonnullas gentes honestatis causa, in publicis conviviis feminæ separatæ à viris discumbunt, ut patet in convivio Assueri, Esther 1. v. 9. Apud nonnullas alias tamen gentes feminæ cum viris accumbebant, adeoque mulier in gremio viri, vir cubito innixus cœnabat, teste Rhodigino lib. 27. Antiq. c. 25. quod proinde carpit & dissuadet hic Siracides.

Præclarè S. Cyprian. de Singular. Cleric. *Numquam*, inquit, *securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec intra unam caveam habitans cum lupo tutus est agnus. Ipse se voluit, superari, qui hostem proprium in suas portas induxit; & intestinum gladium sibi ipse supposuit, qui locum habitationis suæ adversariis ingressibus reseravit*. Hæc ille: vir enim mulieri cohabitans alter alteri est latro, lupus, vipera, gladius & pestis. Addit S. Cyprian. *Qui fretus est conversari cum scandalo, sine causa dicit: Pacatus volo esse cum diabolo*, contra Apostolum dicentem: *Nolite locum dare diabolo*, Ephes. 4. quia, scilicet alter alteri est quasi diabolus ac gehenna: nam sibi invicem diabolicum & infernale suscitant incendium.

Vers. 13. Et non alterceris cum ea in vino] Græcè, συμβολοκοπήσης, quod Primò, accipi potest pro συμβολὰς ποιῆς, uti legit Clemens Alexandr. 2. Pædag. c. 7. id est, *symbola facias*: symbolum enim vocatur convivium vel symposium, quod ex collatione cujusque convivæ instruitur, ubi, scilicet, quisque sumptum pro rata soluit. symbolum enim dicitur à συμβάλλω, id est, conferre: unde illud: *ex symbolis convivium celebrare*, vel apparare, quod facere vetuit Concil. Laodicens. can. 54. vel, ut alii, 55. Quocirca Rom. vertunt, *neque agites cum illa convivia in vino*; Complut. *ne converseris cum ea in vino*; Syrus, *ne misceas cum ea vinum*; Tigurina, *ne committas cum ea compotandi gratia symbolum*; alii ad verbum, *ne symbolum conferas cum ea in vino*. Verùm Noster, συμβολοκοπήσης, quasi verbum à se novè compositum, derivavit, non à συμβάλλω, sed à σύμβολή, id est, congressio, conflictio, conflictus præliaris: & κοπιάω, id est, laboro. q. d. Ne labores in conflictatione; putà, ne contendas cum ea bibendo: ideoque vertit, *non alterceris*, scilicet, contendendo cum ea, ut tibi propinanti ad totidem vel ad æquales haustus integrè calices evacuando respondeat, aut contendendo cum ea dicteriis, jocis, tactibus, risibus. quę omnia concupiscentiæ sunt flabella. Gaudet Siracides compositione nova verbi κοπιάω. Sic enim superiùs dixit, φαντασιοκοπῶν, id est, qui laborat phantasia, phantasticus. Et cap. 35. v. 11. μὴ δυσκοπήσει. Sic & Salomon in Proverbiis, πορνοκόπον, vocat scortatorem. Porrò Siracides hoc verbum mutuatus videtur ex Septuag. Hi enim Deuter. 21. 20. habent: *Filius noster*, &c. συμβολοκοπῶν, id est, symbola confert, hoc est, *comessationibus vacat*, ut vertit Noster. Eamdem vocem eodem significato usurpant Aquila, Symmach. & Theodot. Proverb. 23. v. 20. & 21. De his symbolis plura dicam cap. 18. v. 32. & 33.

Ne forte declinet cor tuum in illam, quia tam assessio, quàm compotatio, putà vinum, suscitat libidinem: et sanguine tuo labaris in perditionem] Græca habent πνεύματι, id est, *ne spiritu tuo labaris in perditionem*; dum scilicet, spiritus tuus carnem & concupiscentiam sequens, labitur in adulterium, indeque in rixas & cædes. Unde Tigurina, *ne affectu tuo prolabaris in perniciem*, ut vel maritus adulteræ, vel judex te propter adulterium occidat. Verùm Noster pro πνεύματι, legit αἵματι, id est, *sanguine*. Sic etiam legit Clemens Alexandr. libr. 2. Pædag. cap. 7. & Syrus, qui vertit, *ne sanguine damnatus sis in inferno deorsum*. Sensus
ergo est, q. d. Noli conversari cum uxore alterius, ne
irites ejus maritum ad jurgium & pugnam, in qua effun-
datur sanguis tuus, vel mariti, vel utriusque, itaque
labaris in perditionem vitæ tuæ, vel alienæ, ac in
perditionem gehennæ æternam, uti vertit Syrus.
Hinc videas magis puram, vetustam & genuinam es-
se Uulgatam Latinam editionem, quàm sit textus Græ-
cus. Verè Apollonius è cupidine & amore mulieris im-
pudicæ omnia mala oriri docet, dum ita canit:

Supplicium crudele viris ac pœna cupido,
E te sunt rixæ, certamina, bella, querelæ.

Secundò, appositè noster Emm. Sà, *Sanguine*, inquit,
B id est, hepate, sive jecore. In eo enim est fons sangui-
nis, qui inde per venas in totum corpus derivatur, &
consequenter in eodem est sedes concupiscentiæ. Per
sanguinem ergo hepar & concupiscentiam accipe me-
tonymicè, ut sensus sit, q. d. *Ne sanguine*, id est
concupiscentia, quæ residet in hepate & sanguine,
labaris in perditionem, putà in adulterium. Jungit
cor hepati, quia cor trahit hepar, sanguinemque ad
amandum accendit. Per *cor* appetitum & volunta-
tem accipe, aut etiam sensum & sapientiam, juxta
illud vulgatum:

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel commovet iram.
Splen ridere facit, cogit amare iecur

Ne derelinquas amicum antiquum: Vers. 14.
novus enim non erit similis illi] Græ-
cè ἔφισος, id est, æqualis, par, ut vertit Tigurina; Sy-
rus, *novus non pertingit ad illum*; tum, quia vetus ma-
gis est cognitus & perspectus quàm novus; tum, quia *Amicus*
cum veteri assuevisti, eique te & tua accommodasti; *vetus no-*
cum novo autem mores multos novare & mutuare debe- *vo me-*
C bis, ut ei te accommodes; tum, quia vetus longo tem- *lior:*
pore probavit suam fidelitatem & constantiam. Sunt *Cur?*
nonnulli novarum rerum avidi, qui uti cetera, ita &
amicos crebrò mutant & innovant. Alii fastidiosi levi-
ter ab amico offensi, vel si quid sibi displicens in eo
animadverterint, ilicò eum derelinquunt, & novum
quærunt. Verùm in his nec stabilis amicitia esse potest,
nec prudens, quia in novo amico deprehendent pariter
similia, imò maiora & plura, quæ displiceant. Igitur
tales crebrò & continuò amicos mutant; nec advertunt
vitium non tam esse in amico, quàm in seipsis, putà no-
vitatis aviditatem, mentis nimis teneræ & delicatæ le-
vitatem & inconstantiam, quæ duo si resecent & morti-
ficent, amicus vetus non displicebit; & si quid in eo
displiceat, longo usu idipsum tolerare discent. Verè S.
Hieron. in cap. 7. Michææ: *Amicus*, inquit, *diu quæ-
ritur, vix invenitur, difficile servatur*. Et Ben-Sira al-
phabeto 1. litera *resch*: *Amicum veterem ne abnegato*
Idem docuere Gentiles. Cicero lib. de Amicitia, quæ-
rens, An novi amici veteribus sint præferendi, si-
cut equis vetulis juniores anteponimus? respondet:
D *Indigna homine dubitatio. Non enim debent amicitiarum
esse sicut aliarum rerum satietates: veterrimæ quæque
(ut ea vina quæ vetustatem ferunt) debent esse suavissi-
mæ, verumque est illud, quod vulgò dici solet: Multos mo-
dios salis simul edendos esse, ut munus amicitiæ expletum
sit*. Isocrates ad Demonicum: *Serò, ait, amicus fias; fa-
ctus autem persevera*.

Mysticè, verus amicus est Deus, qui nos amando præ-
venit, amavitque ab æterno, & amabit in æternum. Un-
de S. August. in Confess. *Serò te amavi, pulchritudo antiqua,
pulchritudo nova*: quia, licet antiqua, ita tamen diligen-
tem & contemplantem delectat, ut ei videatur semper es-
se nova. Idem lib. de Amicitia c. 10. *Fundamentum amici-
tiæ, Dei amor est, ad quem omnia, quæ vel amor suggerit
vel affectus, omnia, quæ occultè aliquis spiritus, vel
palam suadet amicus, referenda, & diligenter sunt inspicien-
da, ut quidquid astruitur, fundamento conveniat*. Et S. Hie-
ron.

ron. in c.7. Michææ: *Si vis*, ait, *vera amicitia delectari, esto amicus Dei, sicut Moses, qui loquebatur Deo quasi amicus ad amicum. Esto amicus, ut Apostoli, ad quos Salvator ait* Ioan.15. *Iam non dicam vos servos, quoniam servus nescit quid velit dominus: sed dicam vos amicos, quoniam perseverastis mecum in omnibus tentationibus meis.*

Vers.15. VINUM NOVUM, AMICUS NOVUS: VETERASCET (ita Roman. sed Rabanus, & alii legunt, *veterascat*) ET CUM SUAVITATE BIBES ILLUD] q. d. Sicut novum vinum, putà mustum, cùm ætate defæcatur, vim suam exserit, corroboratur, incalescit, fitque suave ad bibendum; sic planè & amicus novus: non ergo novus abijciendus est ex eo, quòd veterem illi præposuerim, sed sustinendus est ostendendo ei amorem & confidentiam, donec veterascat: tunc enim senties ex eius amicitia suavitatem, æquè ac utilitatem non modicam. Esto enim mustum dulce sit, & dulcius vino veteri; tamen, quia turbidum est & fœculentum, ac crudum & indigestum; hinc minùs sanum est, minusque generosum & gratum appetitui virili, ac propriam vini suavitatem, putà, vinosum saporem, non obtinet. Quocirca Christus Luc. 5.39. *Nemo*, ait, *bibens vetus* (vinum) *statim vult novum: dicit enim: Vetus melius est*. Hinc proverbium: *Vino vetere utere*, quod mysticè de sapientia intelligitur: hæc enim ab antiquis doctoribus meliùs discitur quàm à recentibus & novis. Ergo ò Christiane, illa fides, illa doctrina, illa religio, quæ à tempore Christi & Apostolorum in Ecclesia consenuit, bibenda est. Unde Græcè est: *Si inveteraverit*, vel, ut Tigurina, *inveteratum, demum bibes cum voluptate*; Syrus; *amicus novus, sicut vinum novum, & cum inveteraverit, potabis eum.*

Audi Macrobium & Plutarchum 3. Sympos. apud Rhodiginum lib. 28. cap. 37. *Vini infantia, quæ pradulcis sentitur, mox dum in pubertatem abit, suavitatis induit proprietatem*. Ergo vinum novum, cùm infans est, dulce quidem, at suave non est, quia vinosum saporem non habet. Unde Homerus dulcedinem melli, suavitatem vino tribuit. Et Aristotil. libr. 4. Meteor. *Vinum prædulce*, ait, *nomine quidem vinum est, re & opere non est: succus enim vinosus non est, ac propterea temulentiam minus affert*, putà, minùs inebriat, quàm vina vinosi saporis.

Aliud dulce aliud suave.

Vers.16. NON ZELES GLORIAM ET OPES PECCATORIS] *Zelus* multa significat, multosque actus complectitur: zelare enim Primò, est invidere; Secundò, dolere & indignari; Tertiò, vehementer amare; Quartò, æmulari & imitari. Unde Syrus, *ne æmuleris virum impium, quia nescis, quis sit finis eius*. Primò ergo, sensus esse potest: q. d. Ne invideas peccatori suas opes & gloriam, quia brevi hæc cum eo corruent & subvertentur. Secundò, q. d. Ne indigneris, quòd peccatores sint opulenti & gloriosi. Sic David ait psalm.72. *Zelavi super iniquos, pacem* (id est, prosperitatem) *peccatorum videns*. Unde hunc zelum & indignationem de felicitate impiorum, habuerunt multi Sancti veteris testamenti, qui de ea quasi expostulant cum Deo, ut Habacuc c.1.13. Ierem.12.1. Iob 21.7. Tertiò, q. d. Ne ames & concupiscas opes & gloriam peccatoris; Quartò, ne imiteris peccatorum actus & modos ad comparandum opes & gloriam, iuxta illud psal.36. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem*. Multi enim iusti pauperes, videntes impios prosperari & ditari, secuti sunt eorum semitas, factique sunt impij, ut similem prosperitatem & divitias consequerentur.

Rationem subdit: NON ENIM SCIS, QUÆ FUTURA SIT ILLIUS SUBVERSIO] Græcè, καταστροφή, id est finis, exitus, ut vertit Syrus, & Tigurina; item *subversio*, vastatio, interitus, mors. Unde ultima tragœdiæ pars desinens in mortem vel calamitatem, vocatur *catastrophe*: q. d. Nescis, aut non cogitas, nec consideras, quòd hæc peccatorum felicitas brevi subvertenda sit, & convertenda in magnam infelicitatem, paupertatem & ignominiam, perinde ac lætum tragœdiæ initium in tristem desinit catastrophen. Id enim sæpè fit in hac vita, & semper in futura.

Vers.17. NON PLACEAT TIBI INIURIA INIUSTORUM] Rabanus, & S. August. in Speculo legunt, *iniustorum*; sed eodem redit sensus: q. d. Non placeat tibi iniuria, quam iusti ab iniustis patiuntur. Græca habent, μὴ εὐδοκήσῃς ἐν εὐδοκίαις ἀσεβῶν, quod Complut. vertunt, *ne placeas tibi approbationibus impiorum*; Roman. *non benè sentias de beneplacito impiorum*; Tigurina, *quod placet impiis, tu non probes*; alij, *ne idem tibi placeat, quod impiis*; Syrus, *ne æmuleris iniquum, qui prosperatur*. Hæ versiones licet verbis differentes, eodem tendunt: sensus enim est: q. d. Impiis summè placet prosperitas, opes & gloria, cùm omnia illis ex sententia fluunt, illudque quasi summum bonum maximi æstimant, ideoque ut ea acquirant, iniuriam crebrò faciunt aliis, per rapinas, calumnias aliasque iniustitias: at tu qui sapis, noli illos æmulari, noli tale habere beneplacitum, ne magni facias laudes, vel appetas eorum prosperitatem:

QUONIAM USQUE AD INFEROS NON PLACEBIT IMPIUS.] Cui? Respondet Primò, Lyran. & Dionys. Deo, hoc sensu, q. d. Impius non placebit Deo in hac vita; at in altera placebit ei, cùm impietatis pœnas luet apud inferos: ibi enim placebit Deo & Sanctis in pœna, iustaque vindicta, qui hic displicuit in culpa. Secundò, meliùs Iansen. q. d. Impius adeò non placet Deo, ut eum brevi ad inferos sit præcipitaturus, iuxta illud psalm.48. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*: Tertiò, alii planiùs repetunt, *tibi*, quod præcessit, & per ellipsin supplent, *cùm descendet*, vel *descendens*: q.d. Quoniam descendens, vel cùm descendet usque ad inferos, non placebit impius. Sic Iob 24. 19. *Usque ad inferos*, inquit, *peccatum illius*, supple cum Chaldæo, *deducet eum*. Sic S. Ioannes epist.1. c.5. 16. vocat *peccatum ad mortem*, quod hominem ad mortem deducit. Sic Proverb. 2. 18. dicitur: *Et ad inferos semitæ ipsius*, supple, tendunt, vel descendunt. Sensus ergo est: q. d. Non placeat tibi iniuria impij, quia tibi non placebit eius pœna: nam impius ipse ob hanc iniuriam usque ad inferos deprimetur, ibique acerrimè punietur; sicut ergo tunc tibi non placebit impius in inferorum tormentis; sic nec nunc tibi placeat in suis prosperitatis blandimentis, quibus dominatur, aliisque iniquus est, & iniurias infert.

Unde Græca pro *non placebit*, habent, μὴ δικαιωθῶσι, id est, *non iustificabuntur impij usque ad inferos*. Quod Primò, explicari potest: q. d. Adeò non iustificabuntur impij, ut damnandi sint & relegandi usque ad inferos. Secundò. Tigurina vertit, *memento impios usque ad inferos nihil esse acturos*, (Vatabl. *nihil esse dicturos*) *quod iustum sit*. Tertiò, alij vertunt, *memento, quòd impii usque ad inferos non sint evasuri pœnas*, sed eas incursuri, ut τὸ μὴ δικαιωθῶσι, id est, *non iustificabuntur*, sit idem, quod iusti, insontes & immunes à pœna non declarabuntur: sic enim iustificare subinde idem est, quod iustum declarare, ut cùm dicitur: *In conspectu tuo non iustificabitur omnis vivens*. Rursum per miosin, *non iustificabuntur*, idem est quod damnabuntur. Sic insons, sive innocens, capitur pro impunito, 1. Reg. 26. 9. Proverb.11. 21. Exodi 20.7. ubi dicitur: *Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sua frustra*. *Insontem*, id est, impunitum, ut explicatur Deuter. 5. 10. q. d. Deus eum acriter puniet. Quartò, Delrio adagio 197. in digressione 2. loco 77. *Impij*, inquit, *usque ad inferos non iustificabuntur*, id est, iustam & condignam meritorum mercedem (putà, æterna supplicia) non percipient, donec ad infernum descendant, ubi nemini ampliùs poterunt nocere, & de ipsis fiet iustitia: ideò tunc demum placebunt Sanctis in pœna, quibus viventes displicuerunt in culpa, iuxta illud psalm. 57. 11. *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris*. Sic Itali, Galli, Germani, Hispani, Belgæ dicunt iustificari, vel iustitiari reum, cùm à iudice per carnificem occiditur; tunc enim reo ius suum, putà supplicium ei debitum, redditur. Quintò, Syrus vertit, *recordare, quòd usque ad mortem non vincit*: q. d. Impius in hac vita per potentiam vincit, ac per iniuriam opprimit iustos, sive in iudicio, sive extra illud; at non semper vincet & opprimet, adeòque tandem à morte vincetur, victusque trahetur ad inferos; solet enim Script. elidere & infringere prosperitatem & iniurias impiorum per commemorationem finis & pœnæ, quæ eos manet in morte, & in gehenna.

Noster pro εὐδοκήσῃς, videtur legisse εὐδοκήσει, id est, *placebit*. Siracides enim pulchrè lusisse videtur in hoc verbo: quasi dicat. Non placeat tibi iniuria impiorum, quia non placebit tibi vindicta & flamma inferorum, quæ

quæ iis à Deo præparata & destinata est ab æterno; non placeat tibi culpa, ne placere cogatur & pœna: non placeant tibi impii, ne placere cogantur & inferi.

Vers. 18. LONGE ABESTO AB HOMINE POTESTATEM HABENTE OCCIDENDI, ET NON SUSPICABERIS TIMOREM MORTIS] q. d. Non anxiaberis timore mortis, non suspicaberis timidè mortem; ut per enallagen nomen ponatur pro adverbio, putà *timorem*, pro, timidè; non laborabis, nec torquebis te suspicione timida & anxia mortis. Qui enim suspicantur se in periculo mortis versari, hac suspicione & timore jugiter se cruciant: unde minimos rumores & strepitus expavescunt, instar leporum omnia pavidi circumspiciunt, omnia suspecta habent. Tigurina, *procul absiste ab homine potestatem necis habente, nec timore mortis eris anxius*; Syrus, *elongare ab homine, qui habet potestatem occidendi, & ne timeas à timore mortis*. Noster pathetice vertit, *non suspicaberis timorem mortis*, quia suspicaces & timidi, præsertim in periculis constituti, pleni sunt suspicionibus & timoribus, ac timent ipsos timores, eosque ita vivè imaginantur, ut suspicentur se eos videre, quasi spectra quædam & larvas, umbrasque mortis: quæ suspiciones & timores continui, mortis, longè graviores sunt ipsa morte, imò multis mortibus, iuxta illud: *Peior est bello timor ipse belli*.

Palacius per *habentem potestatem occidendi* intelligit tyrannum; verùm pleniùs generatim accipias quemvis principem, qui ius habet vitæ & necis, præsertim infidelem, quales extra Iudæam erant omnes ævo Siracidis. Qui enim talem offendit, incurrit periculum vitæ, idque sæpè ob levem dumtaxat offensam. Principes enim potentia elati non rarò sua potestate utuntur, imò abutuntur ad libitum, ideoque ambitione, vel studio vindictæ excæcati, parva de causa hunc illumve capite mulctant, uti subinde vidimus, crebrò audivimus & legimus. Ita fecit Nero, cujus sententia, teste Suetonio, hæc erat: *Nemo principum ante me scivit quid & quantum sibi liceret*. Caligula verò Antoniæ aviæ pro sua auctoritate monenti, ut quædam secùs ageret, respondit: *Memento, mihi omnia in omnes licere*. Quocirca sapienter Philosophus dictitabat, ad regem accedendum esse quasi ad ignem; nec nimis propè, ne ab eo aduraris: nec nimis longè, ne non calefias ab eo. Æneas Sylvius, qui postea creatus Pontifex, dictus est Pius II. libr. 1. Comment. de gestis Alfonsi: *Illi*, inquit, *aulici plurimum sapiunt, qui accepto beneficio, vel mediocri, curiæ valedicunt. Ostendunt enim animum suum expletum esse, & periculo se subtrahunt quod aulicos sæpè corripit, qui velut sues, ubi saginati sunt, in cœnam domini mactantur*. Hinc patet, quàm vitrea & fragilis sit principum amicitia, quamque ipsi sint vitrei, dum tam facilè irritantur: & ex alia parte vitreus est subditus, ut facilè in offensam aliquam labatur, qua principis iram in se concitet. Jure ergo monet Siracides ab eo esse recedendum.

Ad principe accede quasi ad ignem.

Vers. 19. ET SI ACCESSERIS AD ILLUM, NOLI ALIQUID COMMITTERE, (Græcè, μὴ πλημμελήσῃς, id est, *non delinquas*,) NE FORTE AUFERAT VITAM TUAM] Græca addunt, παραχρῆμα, id est, continuò, protinus, ilicò; Syrus, *& si appropinquaveris, ne condemnes spiritum tuum*, id est, ne facias aliquid condemnatione dignum, vel ne des ei occasionem te condemnandi: q. d. Cautus esto, & cautè omnia circumspice, ne quid vel leve committas, ob quod ipse te condemnet, & morti adjudicet. Unde sequitur.

Vers. 20. COMMUNIONEM MORTIS SCITO] Hæc verba jam desunt in Græco & Syro. Sensus est primò, q. d. Scito & cogita, quàm apud principes mortes & extrema supplicia sint communia, multosque corripiant, quamque causæ mortis inferendæ apud eos sint variæ, communes & multiplices, eæque sæpè parvæ & exiguæ, ita Jansenius. Quare cave, ne te vel una earum involuat. Secundò, q. d. Habitare cum principe habente potestatem occidendi præsertim cum tyranno, perinde est ac habitare cum morte, communicare cum morte, quia facilè mortem, quam in cerebro & manu gerit, tibi communicabit & irrogabit. Scito ergo familiaritatem & communicationem cum principe esse communionem cum morte. ita Lyranus. Unde hisce rectè competit illud Apocal. 6. 8. *Ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen* A *illi mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas interficere gladio*. Simili, sed augustiori phrasi & sensu ait Paulus 1. Corinth. 10. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* q. d. Calix consecrationis, putà, Eucharisticus, quem in sacrificio Missæ ex Christi institutione consecramus, nonne ipsum Christi sanguinem nobis communicat?

Exemplum hujus communionis mortis est in Mezentio tyranno, amaro vitæ pariter ac mortis tortore, qui vivos colligabat mortuis, adversos adversis, scilicet, os ori, nares naribus, manus manibus, pedes pedibus adaptans, ut eorum fœtore tabescentes enecarentur, de quo Valer. lib. 9. c. 2. & Virgil. 8. Æneid.

Mortua quin etiam iungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus,) & sanie taboque fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.

Cujus meminit Clemens Alexand. in Protreptico. Porrò communionem hanc mortis explicat dum subdit;

QUONIAM IN MEDIO LAQUEORUM INGREDIERIS:] q. d. Si verseris in aula principis & tyranni, continuò incedes inter laqueos, id est, insidias & pericula mortis. ET SUPER DOLENTIUM ARMA AMBULABIS] Legit Interpres, ἐπ' ἀλγούντων πόλεμον, id est, B super iratorum & ira dolentium ac frementium, qui in cædes & strages ruunt, arma ambulabis: q. d. Ambulabis super arma, quibus tyrannus multos occidit, multosque vicissim facit dolentes, ac simili modo facilè te occidere, & dolentem efficere potest: q. d. Versaberis in certo periculo mortis, ut videaris eam semper præsentem habere & cernere. Addit Jansenius, per *dolentes* accipi posse vulneratos, & prostratos in prælio, jam dolentes & gementes, ac vicinam mortem expectantes. Hi enim cùm cadant armati, in arma sua procumbunt: q. d. Ambulas quasi super vulneratos & saucios ad mortem, hoc est, inter saucios & occisos à tyranno vitam agis morti proximam, ideoque periculosam, miseram & infelicem. Jam legunt, ἐπ' ἐπάλξεων πόλεων, id est, *super pinnacula civitatis*, putà, super loca periculosissima ambulabis; qui enim ambulat super pinnas urbis, exponit se evidenti periculo lapsus & necis; ne, scilicet, ex alto in præceps corruens, ad terram vel saxa allidatur. Similis ergo eris funambulo, qui in fune in aere tenso ambulans, singulis C momentis videtur ex alto in præceps ruiturus. Tigurina, *scito per medios laqueos transire te, & per urbium pinnas ingredi*; Syrus, *scito, quod inter laqueos incedis, & super retia ambulas*. Sicut ergo difficile est, & penè impossibile, ut undique ambulans inter laqueos, ita cautè ambulet, ut omnes omninò evadat: dum enim unum cavet, alterum vix potest cavere; & si tresquatuorve cavet, incidit in quintum: ita si in uno alterove principi places, vix cavere potes quin in aliquo alio displiceas, si pius es, Deoque servire & conscientiæ satisfacere satagis.

Mysticè in hac vita ambulamus in medio laqueorum, quos nobis tendunt mundus, caro & dæmon callidissimus, potentissimus & ferocissimus. Unde S. Antonius, teste S. Athanasio, vidit totum hunc mundum usque ad cœlos, plenum laqueis, ac ingemiscens rogansque: *Domine, quis evadet hos laqueos?* audivit, *humilitas*. Audi S. August. in psalm. 141. *Ignoras*, ait, *Quia in medio laqueorum ingrederis*, ait Script. *Quid est in medio laqueorum? In via* D *Christi, Et hinc laquei, & hinc laquei: laquei à dextris, laquei à sinistris; laquei à dextris prosperitas sæculi: laquei à sinistris, adversitas sæculi: laquei à dextris, promissiones; laquei à sinistris, terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, à via noli discedere, nec promissio te capiat, nec terror elidat*.

Mundus plenus laqueis.

Egregiè S. Chrysost. homil. 15. ad populum: *Agnosce*, inquit, *quod in medio laqueorum transis, & super propugnacula urbium ambulas*, ac ponderat το *ambulans*: q. d. Non pertransis & præteris; sed continuò & assiduè inter pericula multiplicia ambulas, eaque non patentia, sed occulta & insidiosa; hæc enim significat laqueus. *Obumbratus est*, inquit, *laqueus, quia non apertè apparet mors, neque manifesta clades; sed undique obtecta adiacet: sicut enim pueri terra laqueos*, quos avibus tendunt; *sic diabolus vitæ voluptatibus peccata circumtexit. Et si lucrum occurrerit, ne lucrum aspicias solum, sed scrutare diligenter, ne fortè mors*

-mos & peccatum intra lucrum sit absconditum; & si videris, refuge. Rursus, cùm delectatio & voluptas occurrerit, ne voluptatem solùm respicias; sed ne fortè iniquitas aliqua in voluptatis profundo obumbrata sit, diligenter considera: & si inveneris, resilito. Sive consulat quispiam, sive aduletur, sive obsequatur, sive honores polliceatur, sive quodcumque aliud, omnia cum diligentia examinemus: & undique consideremus, ne fortè damnum aliquod, ne forte periculum aliquod ex consilio, vel honore, vel obsequio nobis eveniat, & ne celeriter & inconsideratè accurramus. Et mox remedium evadendi hosce laqueos assignans: *Ne deorsum*, inquit, *volemus, sed superiora quæramus. Etenim volatilia, donec altum aerem secant, non facile capiuntur: ita tu donec ad superiora respexeris, neo laqueo, nec ullis facilè capieris insidiis. Venator est diabolus. Fias igitur ipsius lustris sublimior. In altum ascendens non amplius ullam rerum admirabitur humanarum. Sed, sicut, postquam in montium verticem ascenderimus, parva nobis & urbes & mœnia esse videntur, & formicarum more nobis viri super terram ire videntur: sic, postquam supra celsam philosophiæ cogitationem ascenderis, nihil te terrenorum percellere poterit; sed parva videbuntur omnia, & divitiæ, & gloria, & potentia, & honor, & si quid aliud hujusmodi, cum cælestia respicias: sicut scilicet & Paulo parva omnia videbantur, & mortuis viliora, quæ in præsenti vita sunt splendida. Propterea & clamabat dicens: Mihi mundus crucifixus est. Propterea & admonet dicens: Quæ sursum sunt, sapite. Propterea alæ sunt aviculis, ut effugiant laqueos: propterea ratiocinationes hominibus, ut peccata devitent.* Idem in psal. 141. *Diabolus*, inquit, *suas occultat insidias. quapropter magna nobis cautione & vigilantia opus est. Occultat enim laqueum in eleemosyna, nempe vanam gloriam, in jejunio arrogantiam, & in aliis alia, in ipsis viis, in quibus ambulamus.*

Vers. 21 SECUNDUM VIRTUTEM TUAM CAVE TE A PROXIMO TUO. q. d. Quantum vales & potes, cave tibi à proximo suo, ut, scilicet, cautè eum, ejusque actus & consilia explores, ne quid mali tibi machinetur, nec nisi benè explorato credas, ac te & tua committas. Unde pro *cave*, Græcè est, στόχασαι, quod significat intendere & intentissimè aspicere, uti facit sagittarius, dum in scopum jaculatur. Quo circa appositè subdit: ET CUM SAPIENTIBUS, ET PRUDENTIBUS TRACTA] q. d. Noli cuiquam consilia & secreta tua communicare, cum eoque tractare, nisi quem priùs bene exploraveris, ac cognoveris esse sapientem, fidum, & prudentem. Tigurina, *quàm potes, sedulò explores amicos* (Hebr. enim רעים *reim*, & amicos sive sodales, & proximos significat,) *& cum sapientibus consilia conferas*; alii, *pro virili conjecturam facito de proximis, & cum sapientibus consultato.* στοχάζομαι enim significat quoque colere, & nutus ejus observare, quem colere constituisti, indeque conjectare & conjecturam de eo facere. ita Complut. & Roman. Syrus generaliùs vertit, *juxta fortitudinem tuam conversare* (vel responde) *cum proximo tuo, & cum sapientibus esto communicans* (quasi nodo colligans) *secretum*. Græca, & Syrus hic intexunt aliam sententiam, qua carent Latina, scilicet, hanc: *Cum intelligentibus sit collocutio* (dissertatio, disquisitio, disputatio; hanc enim significat διαλογισμὸς) *tua, & omnis enarratio tua in lege Altissimi*; Tigurina, *colloquia tua cum cordatis habeas, & de lege Altissimi sit omnis tua disputatio*: Græcè enim est διήγησις; Syrus, *cum eo, qui timet Deum, sint rationes* (cogitationes, tractatus, Italicè, *li conti*) *tuæ, & omnes via tua in timore Domini.*

Vers. 22 VIRI JUSTI SINT TIBI CONVIVÆ] ut convivium tuum sit honestum & sobrium, ac conditum honestis piisque sermonibus: injusti enim ita vacant implendo ventri, ita linguam petulanter solvunt in verba scurrilia & obscœna, detractoria, maledica (quibus sanè validè à multis peccatur in conviviis,) ut ea peccatorum sint plenissima: ac proinde sapienter monet hic Siracides ea non nisi cum justis & timoratis institui. Quocirca S. Augustinus suæ mensæ hos versus inscripserat, ut à convivis assiduè legerentur:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Et ideò ait Posid. in Vita S. August. *Omnem convivam à superfluis & noxiis fabulis, & detractionibus, sese abstinere debere admonebat. Nam & quosdam suos familiarissimos Coepiscopos illius scripturæ oblitos, & contra eam loquentes, tam asperè aliquando reprehendit, ut diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum.* Ita Tobias cap. 2. v. 2. non nisi timentes Deum ad convivium vocari iussit. Unde sequitur:

ET IN TIMORE (Tigurina, *religione*) DEI, SIT TIBI GLORIATIO] q. d. Gloriare, quòd justos & timentes Deum, habeas familiares & convivas, potiùs quàm nobiles & divites; quia gloria vera est timor Dei, ac consequenter gloriosi sunt, non nobiles, sed timentes Deum, quos habes convivas. Rursum gloriare, quòd cum timentibus Deum epularis, cum iis Deum laudes & glorifices, quodque ab iis ad Dei laudem & glorificationem accendaris, & ipse pariter eos accendas. Syrus, *viri justi sint comedentes mensam tuam*, (epulas in mensa appositas,) *& in timore Domini sit laus tua.* Talia erant primorum Christianorum convivia, quæ à charitate, & amore, ac laude Dei vocabantur Agapæ, de quibus ita sancit S. Paulus Ephes. 5. v. 18. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & Patri.* Vide ibi dicta.

Porrò causa, cur justos & timentes Deum velit invitari ad convivium, potius quàm divites & nobiles, est quam subdit: *Et in sensu sit tibi cogitatus Dei, & omnis enarratio tua in lege Altissimi*, ut, scilicet, cum iustis & timentibus Deum tractes de Deo, ac loquaris de eius lege: impii enim hosce de Deo & pietate sermones non capiunt, nec sapiunt, sed spernunt & fastidiunt. Atque hac ratione hi duo versus aptè inter se cohærent & coniunguntur.

ET IN SENSU SIT TIBI COGITATUS DEI, ET OMNIS ENARRATIO TUA IN PRÆCEPTIS ALTISSIMI] Græca hoc versu carent; sed pro eo habent hunc: *Cum sapientibus* vel *intelligentibus sit collocutio*, vel disquisitio tua, *& omnis enarratio tua in lege Altissimi*; eumque præponunt versui præced. uti dixi in fine v. 21. Noster pro μετὰ συνετῶν, id est, *cum sapientibus* vel intelligentibus, videtur legisse, μετὰ συνέσεως, id est, *cum sensu*, id est, *sapientia, prudentia*, intelligentia, sit tibi διαλογισμός σου (iam legunt σου, id est, tua) id est, cogitatio & disquisitio Dei: q. d. Cogitatio tua de Deo non sit erronea, absona, absurda, Deoque indigna, ut de Deo cogites, vel more Gentilium, fingendo Deum esse corporeum, finitum, futurorum nescium, improvidum, &c. Vel more hæreticorum, fingendo unam personam dumtaxat in Deo, vel in tribus personis tres pariter essentias, &c. Vel more carnalium, fingendo Deum agi ira, amore, odio, concupiscentia instar hominum. Sed cogitatio & disquisitio tua de Deo sit digna, sapiens & sensata; putà, ut cogites Deum, Deique attributa talia, qualia depingit ea fides, sacræ Scripturæ & Patres. Rursùm, sicut cogitatio de Deo debet esse sensata in corde & mente: sic & in ore omnis *enarratio* & locutio tua debet esse in lege Altissimi, quantum, scilicet, per occupationes & infirmitatem humanam fieri potest: q. d. Quando non occuparis aliis negotiis, cogita de Deo, & loquere de eius lege, præsertim in conviviis, de quibus sermo præcessit, uti olim faciebant Christiani in Agape. Ita de S. Thoma Aquinate, & de S. Dominico legimus, quòd omnis eorum sermo erat cum Deo, vel de Deo. Hoc consilium est, non præceptum. Aut certè, *omnis enarratio tua sit in lege Altissimi*, id est, sit conformis legi Altissimi, ne contra eam pecces; sed iuxta eam dirigas omnes tuos sermones. Hoc est præceptum. Simili sensu ait Apostol. 1. Cor. 10. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Vers. 23.

Igitur τὸ *in sensu*, accipi potest dupliciter: Primò, *in sensu*, id est in mente, *sit tibi cogitatus Dei*, sicut in ore sit *enarratio* de lege Dei. Secundò, *in sensu*, id est, sensata et prudens sit cogitatio tua de Deo, uti paulò antè exposui. Id præstitit David dicens psalm. 15. *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* et Moses, qui *invisibilem tamquam videns sustinuit*, Hebr. 11. 27. & Elias dicens: *Vivit Dominus, in cuius conspectu sto*, 3. Reg. 18. Hæc por-

Moral. de jugi Dei memoria.

Digitized by Google

id est inchoatio quædam vitæ angelicæ & beatæ: Angeli enim semper vident faciem Patris, Matth. 18. Simile monitum filio dedit Tobias c. 4. 6. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum; & cave, ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri.* Et vers. 20. *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Vide Damascenum lib. 1. Parallel. cap. 8. ubi inter alia citat illud Nazianzeni: *Dei sæpius meminisse oportet, quam spiritum ducere*, ut dicas: *Quoties suspiro & respiro, ad te ô Deus meus, suspiro.* Et illud S. Basilii: *Dei inhabitatio in hoc sita est, ut quispiam Deum per recordationem in seipso fixum habeat.* Præclarè S. Chrysost. in psal. 140. *Omnis narratio tua sit in lege Altissimi. Si enim*, inquit, *didiceris nihil loqui supervacaneum, sed divinarum Scripturarum narratione mentem & os tuum perpetuò munias, erit custodia quovis adamante tutior. Per os enim sunt multæ viæ interitus, ut, quando quis obscœna, scurrilia, superba loquitur.* Nazianz. in Tetrastichis:

Deo & supernis rebus haud unquam satur
Esto: dat illis plura, qui sumpserint,
Sitiens sitiri, largus & cunctis fluens:
Vinci at molestè ne feras in ceteris.

Ita S. Ignatius damnatus Romæ ad bestias, prodiens in amphitheatrum, & spectantes salutans, *Huc*, inquit, *venio, ut pro Christo moriens illi uniar, quem insatiabiliter desidero.*

VERS. 24. IN MANU ARTIFICUM OPERA LAUDABUNTUR, ET PRINCEPS POPULI IN SAPIENTIA SERMONIS SUI: IN SENSU VERO SENIORUM VERUM] *In manu*, id est, propter, vel per industriam & artem manus artificum, *opera* eorum, quasi per eum affabrè, & artificiosè facta, *laudabuntur*. Manus enim artificiosa magni artificis, dat operi suo laudem: sic & *princeps populi* laudabitur *in sapientia*, id est, per sapientiam *sermonis sui*: sic & *verbum seniorum* laudabitur *in sensu*, id est, in prudentia, si, videlicet, prudens sit, grave & sensatum, quale decet senes. Græca sententia de more est concisa & bimembris: sic enim habet: *In manu artificum opus laudabitur, & princeps populi sapiens in sermone suo.* Vel, *de manu artificum laudatur opus, & ductor populi sapiens est de sermone suo.* q.d. Sicut ars manus laudabile facit opus artificis, sic sapiens sermo laudabiles facit principes: hoc enim est opus principis, nimirum, ut sapienti suo sermone persuadeat populo, quod rectum, utile & justum est, lites componat, tumultus & seditiones dissipet, unionem, pacem & concordiam stabiliat, quæ si præstet, utique magnus erit artifex; magnus, inquam, populi rector & gubernator, magnus Apollo. Unde Tigurina vertit, *de manu artificum* (verbi gratia, quòd hoc sit opus & pictura Apellis, Phidiæ, Polycleti, aliorumque celebrium artificum) *opus laudem inveniet: at de sermone suo dux populi sapiens; ipse verò sermo à senili prudentia*, repete, laudem inveniet. Paulò aliter Syrus, *in sapientia judicis possidebis civitatem; & princeps populi sui sapiens & intelligens.*

Transit Siracides à præceptis ethicis, quæ vitam cujusque ad normam legis & virtutis efformant, ad politica, quæ remp. componunt. Deinceps ergo usque ad cap. 11. v. 7. instruit principes & magistratus, docetque quæ in administratione fugere, quæ sectari debeant. Hic ergo versus & sequens pertinent ad caput proximum, adeoque illud hic inchoari posset.

VERS. 25. TERRIBILIS IN CIVITATE SUA HOMO LINGUOSUS: ET TEMERARIUS IN VERBO SUO, ODIBILIS ERIT] Est antithesis. Sapienti enim eloquio principis, quo civitatem totam componit, opponit linguosum & temerarium in loquendo, qui totam civitatem confundit & perturbat, ideoque procul ab ea arcendus & ablegandus est. Hic enim omnibus est terribilis, qui omnes, suis dicteriis instar tauri cornupetæ impetit, litesque & rixas concitat, ideoque cunctis est odibilis. Tigurina, *formidandus est in civitate sua vir linguax, & sermone suo temerarius* (Græcè προπετὴς, id est, præceps, effusus, temerarius, effrenis, petulans, procax, protervus, insolens, contumax) *meretur odium*; Syrus, *terribilis est in civitate vir contentiosus; & qui accipit in ore suo* (contentiones) *odiosus est.*

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet remp. optimè gubernari a principe prudente, qui in omnibus pendet & subiicit se Deo; unde v. 7. usque ad 23. novem rationibus demonstrat, quàm prava & noxia sit superbia. Denique v. 23. usque ad finem docet, verum honorem & gloriam hominis consistere, non in superbis opibus & dignitatibus, sed in timore & obsequio Dei.

Porrò novem rationes ad cavendam superbiam sunt hæ. Prima, v. 7. quia ipsa odibilis est Deo & hominibus. Secunda, v. 8. quia superbia est causa injustitiæ, rapinæ, contumeliæ & doli, ob quæ Deus transfert bona & regna gentium. Tertia, v. 9. quia homo, licet potens & rex, ex natura sua est vilissimus. Quid ergo superbit terra & cinis? *Quarta, v. 11. & 12. quia honor omnis, æquè ac vita, brevis est & vanus: nam* Rex hodie est, & cras morietur. *Quinta, v. 13. quia homo post mortem erit esca serpentium & vermium. Sexta, v. 14. quia superbia est apostasia à Deo. Septima, v. 15. quia* initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, implebitur maledictis. *Octava, v. 16. & sequent. quia Deus subvertit thronos, opes, pompas, & memoriam superborum; humilium verò elevat & firmat. Nona, v. 22. quia superbia est creatura, non Dei, sed diaboli.*

IUdex sapiens judicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit. 2. Secundùm judicem populi,
sic & ministri ejus: & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea. 3. Rex insipiens perdet po-
pulum suum: & civitates inhabitabuntur per sensum potentium. 4. In manu Dei potestas terræ: & utilem
rectorem suscitabit in tempus super illam. 5. In manu Dei prosperitas hominis, & super faciem scribæ im-
ponet honorem suum. 6. Omnis injuriæ proximi ne memineris: & nihil agas in operibus injuriæ. 7. Odibi-
lis coram Deo est & hominibus superbia: & execrabilis omnis iniquitas gentium. 8. Regnum à gente in gen-
tem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos. 9. Avaro autem nihil est
scelestius. Quid superbit terra & cinis? 10. Nihil est iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam
suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua 11. Omnis potentatus brevis vita. Languor
prolixior gravat medicum. 12. Brevem languorem præcidit medicus: sic & rex hodie est, & cras morie-
tur. 13. Cum enim morietur homo, hereditabit serpentes, & bestias, & vermes. 14. Initium superbiæ
hominis, apostatare à Deo. 15. Quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus: quoniam initium om-
nis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem. 16. Pro-
pterea exhonoravit Dominus conventus malorum, & destruxit eos usque in finem. 17. Sedes ducum super-
borum

borum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. 18. Radices gentium superbarum aresecit Deus, & plantavit humiles ex ipsis gentibus. 19. Terras gentium evertit Dominus, & perdidit eas usque ad fundamentum. 20. Arefecit ex ipsis, & disperdidit eos, & cessare fecit memoriam eorum à terra. 21. Memoriam superborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu. 22. Non est creata hominibus superbia, neque iracundia nationi mulierum. 23. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini. 24. In medio fratrum rector illorum in honore: & qui timent Dominum, erunt in oculis illius. 25. Gloria divitum, honoratorum; & pauperum, timor Dei est. 26. Noli despicere hominem justum pauperem, & noli magnificare virum peccatorem divitem. 27. Magnus, & judex & potens est in honore: & non est major illo, qui timet Deum. 28. Servo sensato liberi servient: & vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus, & inscius non honorabitur. 29. Noli extollere te in faciendo opere tuo, & noli cunctari in tempore angustiæ. 30. Melior est qui operatur, & abundat in omnibus, quàm qui gloriatur, & eget pane. 31. Fili in mansuetudine serva animam tuam; & da illi honorem secundùm meritum suum. 32. Peccantem in animam suam quis justificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam suam? 33. Pauper gloriatur per disciplinam & timorem suum: & est homo qui honorificatur propter substantiam suam. 34. Qui autem gloriatur in paupertate, quanto magis in substantia? & qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur.

VERS. 1. IUDEX SAPIENS JUDICABIT POPULUM SUUM, ET PRINCIPATUS SENSATI STABILIS ERIT] *Iudex*, id est, princeps: potissimum enim munus principis est judicium, & judicare, putà, in judicio & æquitate regere populum. ut exclusa injustitia & iniquitate servetur debitus justitię ordo, indeque pax & quies publica. Quę omnia breviter complexus est regius Propheta, pręnuntians regnum Salomonis, & in eo regnum Christi, psal. 71. dum ita canit: *Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio regis. Iudicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio. Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam. Iudicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Orietur, in diebus ejus justitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna*. Hinc principes vocantur judices: unde inscribitur liber Iudicum, id est, principum Israel: tales enim fuere Othoniel, Barac, Gedeon, Samson, Samuel, &c. quorum gesta in libro Iudicum describunt. Pro *judicabit*, Grecè est, παιδεύσει, id est, docebit, erudiet juxta leges justitię & Dei: Rabanus legit, *vindicabit*, scilicet, innocentes à nocentium injuriis.

Pro *stabilis*, Complut. legunt, τεταμένη, id est, *protensus*; Rom. τεταγμένη, id est, *ordinatus*, &, ut Tigurina, *compositus erit*. Complut. ergo sic habent, *judex sapiens erudiet populum suum, & principatus prudentis protensus erit*; putà, extendet se ad multas gentes, & ad multos annos; quia, ut Rom. *ordinatus erit*. Ordo enim facit pacem, pax utilitatem, stabilitas longævitatem & amplitudinem, juxta illud Proverb. 20. *Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum fundabitur*. Rursum Lyran. & Jansen. pro *stabilis*, legunt *terribilis*: q. d. Princeps sapiens terrori erit improbis, ut nemo audeat eum invadere, uti fuit Salomon: videtur enim alludere ad illud Cantic. 6. *Terribilis, ut castrorum acies ordinata*. Verùm Biblia Latina & Græca constanter habent, *stabilis*, vel *ordinatus*, non *terribilis*. Sic & Syrus, *judex sapiens*, inquit, *docebit populum suum, & princeps sapiens stabiliet civitatem suam*.

Præclarè Plinius in Panegyrico ad Trajanum: *Nullum*, ait, *est præstabilius & pulchrius Dei munus erga mortales, quàm castus, sanctus & Deo simillimus princeps*. Et Plutarch. in Numa: *Cùm reges*, inquit, *sapientes sunt, & sancti, tunc resp. maximum quoddam ac divinum donum à Deo se accepisse existimet*. Ratio à priori est, quòd tota rectè gubernandi ratio consistat in sapientia. Hac ergo pollens princeps sapiens, omnes & omnia sapienter moderatur, componit, dirigit, gubernat. Unde Cassiod. lib. 10. Var. epist. 3. agens de sapientia: *Ibi*, inquit, *prudens invenit, unde sapientior fiat: ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur: inde princeps accipit, quemadmodum subditos sub æqualitate disponat*.

Vis gubernandi sita in sapientia.

S. Thomas 3. p. q. 59. art. 1. docet, Christo homini appropriari judiciariam potestatem, quia hæc requirit tria, quæ planè competunt Christo. Primò enim, inquit, ad eam *requiritur potestas coercendi subditos. Secundo, zelus rectitudinis, ut non ex odio vel livore, sed amore justitiæ judicium proferat. Tertiò, sapientia, secundùm quam formatur judicium: unde dicitur Eccles. 10. Iudex sapiens judicabit populum suum. Prima autem duo præexiguntur ad judicium: sed propriè tertium est, secundùm quod accipitur forma judicii, quia ipsa ratio judicii, est lex sapientiæ vel veritatis, secundùm quam judicatur. Et quia Filius est sapientia genita, & veritas à Patre procedens, & ipsum perfectè repræsentans, ideò propriè judiciaria potestas attribuitur Filio Dei*.

Porrò judicare hic generatim sumitur pro regere & gubernare, quod proprium est munus sapientiæ: illud autem ipsa obit per beneficentiam, qua à subditis mala quælibet arcet, & bona cuncta sapienter & beneficè procurat, cuique pro gradu, statu & ordine suo. in ordine enim consistit pax & bonum reipubl. Qua de causa prudenter Justinianum Imperatorem ita ad beneficam sapientiam, & sapientem beneficentiam extimulat Agapetus Diacon. in Admonit. num. 60. *Vestimentum inveterabile est beneficentiæ amictus, & incorrupta stola est charitas erga pauperes. Eum igitur oportet, qui piè regnare vult, talium indumentorum pulchritudine animam exornare. Amoris enim in egenos qui indutus est purpuram, cælestis quoque regni compos efficitur*. Et num. 61. *Sceptrum imperii cùm à Deo susceperis, cogitato quibusnam modis placebis*

B *ei qui id tibi dedit; quoque omnibus hominibus ab eo sis prælatus, magis omnibus eum honestare festina. Porrò id ipse honestamentum arbitratur maximum, si quasi teipsum, subditos à se tuearis: atque ut debiti exolutionem, benefaciendi munus adimpleas*.

Sapientiam hanc regendi particulatim septem regulis, quas dictat septiformis Dei Spiritus, complectitur Ferrandus Diaconus Carthag. in Parænetico ad Reginum militiæ ducem (extat tomo 5. Biblioth. SS. Patrum: *Si enim*, inquit, *gratiam consitearis; requiescet super te Spiritus timoris Domini. Si vita tua speculum sit, ubi milites videant, quid agere debeant; requiescet super te Spiritus pietatis. Si non præesse desideres vel appetas sed prodesse; requiescet super te Spiritus scientiæ: ille enim scit præesse, qui vult prodesse. Si diligas rempublicam sicut te ipsum; requiescet super te Spiritus fortitudinis. Si humanis divina pręponas, requiescet super te Spiritus consilii. Si libenter audias, Noli esse multùm justus; requiescet super te Spiritus intellectus. Si memineris te esse Christianum; requiescet super te Spiritus sapientiæ, & per septiformis Spiritus abundantiam, misericors Deus*.

C Quæ deinde singula ordine fusè eleganter & sapienter prosequitur.

Basilius Imp. Exhort. ad Leonem filium, cap. 20. *Manus meæ*, inquit, *imposuerunt capiti tuo coronam imperii à Deo delatam tibi. Redde ergo donatori munus eo dignum. Honora Deum, qui te honoravit per honorem, quem patri tuo deferes: me autem honorabis, non eodem penitus modo quo subiecti faciunt, nempe, aut genuflectens, aut latus meum stipans, aut mihi bene precans: ista enim principe viro & rege non satis digna sunt: sed potius virtutem omnem exercens, temperantiam colens; mores tuos exornans, literarum studia capessens, qui animi juvenum excoli debent: & ut in summa dicam, ita te comparans, ut terreno hoc imperio dignus habeare, & imaginem regis cælorum in terris referas. Is enim solus meritò vocabitur imago Dei, à quo in regni solio collocatus es, qui omnimodam virtutem amplexatur. Isque optimo jure secundo loco post Deum à subiectis amabitur: & tamquam de se, deque suis optimè meritus, omni*

Digitized by Google

honore dignissimus habebitur. Hinc fit, ut principatus sen- A
sati stabilis sit; quia scilicet nititur et fundatur in sapientia, quę stabilis est, solida et ęterna. Unde Ægyptii pinxerunt sapientiam insistentem quadrato lapidi, fortunam verò rotundo, ut illius constantiam, huius inconstantiam et volubilitatem significarent, teste Pierio Hierogl. 39. Ita Christi, utpote sapientissimi principis, regnum erit ęternum, iuxta illud Lucę 1. 33. *Et regnabit in domo Jacob in æternum, & regni eius non erit finis*. Et illud Daniel. cap. 7. 14. *Omnes populi, tribus, & linguæ servient ei: potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum eius, quod non corrumpetur.*

Tropol. Principatus sensati, in quo dominatur animo suisque affectibus, stabilis est, quia hoc principatu reprimit omnes affectus sibi reluctantes: insensatus verò facit opus instabile, quia semper affectibus suis agitatus serviet, neque in libertate filiorum Dei, quam habere cęperat, permanebit. Sensati ergo sunt mystici cęli, qui sine ulla intermissione ordinatis motibus voluuntur, et in loco, in quo à Deo positi sunt, semper ad anteriora tendentes, eumdem vitę tenorem tenent, de quibus Job. 37. 18. *Tu forsitan fabricatus es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* B

Vers. 2. SECUNDUM JUDICEM (id est, principem) POPULI, SIC ET MINISTRI EJUS; ET QUALIS RECTOR EST CIVITATIS, TALES ET INHABITANTES IN EA] Gracè, *qualis est* ἡγεμὼν, id est, *gubernator* vel *princeps civitatis*; *tales & omnes eius incolæ*. ita Tigur. Syrus, *sicut index populi sic ministri ejus*; *& sicut princeps urbis, sic habitatores ejus*: q. d. Ad principis mores et vitam, quasi ad normam et exemplar, conformant se, primò ministri eius, deinde ceteri cives et subditi, iuxta illud Claudiani.

Regis ad exemplum totus componitur orbis,

Subditque;

---- Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis;
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Versu 1. assignavit duo commoda sapientis iudicis, putà principis. Primum est, quòd erudiat et iudicet, id est, justè gubernet, populum: secundum, quod faciat remp. ęquè ac principatum suum stabilem: tertium hoc v. 2. assignat, quòd suam sapientiam, justitiam et virtutem in C ministros ceterosque subditos influat et transfundat, perinde ac caput suos spiritus, motum et vitam transfundit in membra sibi subiecta. Sicut ergo sanitas capitis derivat sanitatem ad membra, et sicut sol toti orbi lucem communicat: ita bonus princeps suam bonitatem in populũ diffundit et effundit. Nam, ut ait Quintil. declamat. 8 *Hæc est conditio principum, ut quidquid faciant, præcipere videantur*. Et Cicero lib. 3. de Legibus, legem XII. tabularum enarrans, qua cavebatur, *ut magistratus vitio vacarent, atque ceteris specimen essent*; hæc verba adiecit: *Ut enim cupiditatibus principum & vitiis infici solet tota civitas: sic emendari & corrigi continentia*. Et paulò pòst: *Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, quales summi civitatis viri fuerunt, tales totam civitatem fuisse. Quæcumque mutatio morum in principibus extiterit, eamdem in populo secuturam*. Et apud Laertium Antigonus Macedonum rex, ad Zenonem scribens, cùm multa de doctrina & felicitate promisisset, hoc tandem in calce subiecit: *Cujusmodi fuerit dux, ut plurimum subditos fieri necesse est*. Agesilaus quoque ille magnus & ipse La- D
cedemoniorum rex, *interrogatus, quare vehementi hieme sine tunica ea ætate (is enim tum senex erat) circumiret?* respondit: *Quò juvenes imitentur, habentes ii quidem & senis & principis exemplum*, auctor Plutarchus in Apophthegmat. Laconicis. Sed & Herodianus libr. 4. *Solent*, inquit, *plerumque homines vitam principis æmulari*. Ita si princeps sit bellicosus, subditi spirant bellum, nec nisi arma tractant: si sit pacis amans, omnes pacem colunt, dant se literis, artibus, agriculturæ, &c. Si sit orthodoxus & zelans pro fide; zelum hunc imitantur, vel fingunt subiecti: si sit castus; omnes castitatem profitentur: sic ex adverso, si sit hæreticus, incestus, intemperans; ilicò multi fiunt hæretici, incesti, intemperantes.

Narrat Q. Curtius in vita Alexandri Magni, & Panormit. in Vita Alfonsi Aragon. regis, aulicos utriusque torto collo incessisse, eò quòd rex uterque obstipus esset, A & torto collo incederet. Rationem à priori dat Lactant. lib. 4. Divin. instit. *Quoniam*, inquit, *mores ac vitia regis imitari genus obsequii judicatur, abiecerunt omnes pietatem; ne exprobrasse scelus regi viderentur, si pie viverent*. Et Plinius in Panegyr. Traiani: *Vita*, inquit, *principis censura est, eaq; perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus est, quàm exemplo*. Et S. Hieron. ad Heliodor. *Domus*, inquit, *Episcopi & conversatio in speculo posita, magistra est publicæ disciplinæ: quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant*. Quocirca tam sedulò S. Paulus monet Titum c. 2. & Timotheum epist. 1. c. 4. dicens: *In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum*, id est, inquit S. Chrysost. *exemplar vitæ atque morum: ipse esto tamquam imago propositus, tamqua animata lex, velut regula ac norma bene recteque vivendi.*

REX INSIPIENS PERDET POPULUM SUUM, ET CIVITATES HABITABUNTUR PER SENSUM POTENTIUM] Aliqui legunt συνετῶν, id est, *prudentium*, intelligentium; verùm legendum δυναστῶν, id est, *potentium*, principum, dynastarum; Tigurina *rex imperitus perdet populum suum, at prudentia procerum urbs incolis frequentabitur*; Vers. 3.
B Syrus, *rex iniquus perdet populum suum, & habitabitur civitas in sapientia dominorum ejus*; q. d. Rex imprudens, indeque iniquus, partim pravo suo exemplo, partim pravo suo regimine & ignavia perdit *populum*, id est, populi opes, pacem, concordiam, robur, & ipsę vitam ac conscientiam; ideoque perdit, id est, exhaurit, populi frequentiam: tum, quia facit, ut multi fame, bello, rixis, seditionibus occidantur; tum, quia causa est, ut cives è civitate fugiant, & aliò, ubi imperat princeps sapiens, ideoque spes est pacis, opum, & ceterorum bonorum, commigrent. Ita populum perdiderunt Saul, Roboam, Jeroboam, ceterique reges Israel impii & idololatræ. Unde per antithesin subdit: *civitates habitabuntur*, id est, frequentabuntur, *per sensum potentium*. Sensus enim & prudentia principum facit, ut cives & civitas opibus, pace, numero, mercibus, rerumque omnium copia floreant, juxta illud Proverb. 29. *Rex justus erigit terram, vir avarus destruit eam*. Principes ergo crebrò legant, relegant & ruminent illam Sapientis cap. 6. 2. ad se concionem: *Audite reges, & intelligite: discite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui* C *continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam, cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & cito apparebit vobis; quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.*

Idem à Salomone & Hebræis didicit & censuit Plato, qui libr. 3. de Legibus: *Optimarum*, inquit, *reipubl. formarum optima est monarchia; quæ bonis legibus sancita est, & utitur: proximè enim ad patriam potestatem accedit. Regum tyrannis & injustum imperium popularem libertatem induxit, quod hujusmodi regum mores populus amplius pati non posset. Omnis resp. & illius forma a seipsa, propter suborsas in eamdem corruptelas, deletur & evertitur*. Et rursum: *Ignorantia, vel improbitas imperantium est politiæ pestis, & pernicies summa. Infinita potestas etiam in regibus ipsis, quæ sese legum vinculis coerceri non patitur, est certissima regni & reip. ruina, ac proximè occasura prognosticon.* D *Contra quod remedium est, ut leges observentur etiam ab ipso principe, idq; facere cogatur ab ordinibus regni, vel invitus*. Aristotel. quoque lib. 5. Politic. c. 8. *Rempubl.* inquit, *conservant, Primò, bonarum legum inviolabilis auctoritas; Secundò, magistratuum in munere obeundo prudentia, diligentia & alacritas; Tertio, populi erga magistratum obsequium; Quartò, civium inter se concordia & consensus; Quintò, magistratus erga populum paternus animus & cura*. Hisce artibus Romulus ædificavit Romam, Constantinus Constantinopolim, Antiochus Antiochiam, Alexander Alexandriam, Jerosolymam David, Salomon & Nehemias, ac præ omnibus Christus Ecclesiam toto orbe propagavit. Hoc est quod ait Sapiens cap. 6. 26. *Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum, & rex sapiens populi stabilimentum est*. Alludit ad etymon Hebræum & Græcum: hebraicè enim princeps & dominus vocatur *Adon*, vel *Adonai*, ab אדן *eden*, id est, fulcrum,

erum, basis: ac græcè rex vocatur, βασιλεὺς, quasi βάσις λαοῦ, A id est, basis populi. Sicut enim ad regem suum turmatim convolant apes: sic ad regem sapientem populi: apis enim, & præsertim rex apum, sapientiæ est symbolum. Denique quàm rex insipiens perdat se & populum, festivè docet apologus Æsopi (qui Siracidem ducentis annis antecessit) de vulpe & simio. *Quondam*, inquit, *in concilio irrationalium animalium salutavit simius, & approbatus, rex ab ipsis electus est. Vulpes autem ei invidens, ut in casse (reti) quodam carnem vidit, simium secum illuc duxit, dicens se invenisse thesaurum: se tamen eo uti nolle, sed eum regi cedere: quare eum hortata est, ut illum acciperet. At ille inconsideratè profectus, & captus à casse, quòd decepisset, accusabat vulpem. Illa autem ei: O simie*, inquit, *talem ut habens dementiam, brutis dominaberis?*

Apolog. simij & vulpis.

VERS. 4. IN MANU DEI POTESTAS TERRÆ, ET EXECRABILIS OMNIS INIQUITAS GENTIUM, ET UTILEM RECTOREM SUSCITABIT IN TEMPUS SUPER ILLAM] Ita legunt Rabanus, Lyranus & alii, quin & Marcellus Pontifex epist. 1. Verùm Græci B codices, æquè ac Latini Romæ correcti, delent τὸ *& execrabilis omnis iniquitas gentium*, sed illud idem legunt vers. 7. Græcus de more brevis & bimembris est: *Potestas terræ in manu Domini, qui in tempus*, id est, ut Vatabl. *opportunè, in ea suscitabit hominem utilem*; alii, *qui suo tempore quod expedit, excitat super eam. Magistratus* enim *virum ostendit*, ut ait Bias. Syrus, *in manibus Domini dominorum universum, eum, qui aptus est, in tempore constituet super illud* (universum.) Dicit hoc, ut reges & principes sciant se regnum & principatum primariò non à se, vel suis progenitoribus, aut à populo & republ. sed à Deo habere, ac proinde ab illo pendere, illique subditos esse, ideoque se suaque sceptra & coronas (uti faciunt sancti illi principes Apocal. 4. v. 10.) ante Dei pedes ponant, eique offerant, ac ea non nisi ex Dei voluntate & lege regant & administrent. Idem per umbram vidit Homerus: nam hymno in Musas & Apollinem: *Ex Musis*, inquit, *& procul mittente Apolline viri poetæ sunt in terra, & citharœdi; ex Iove autem reges*. Tertull. in Apologet. *Inde*, ait, *est Imperator, unde & homo, antequam Imperator: inde potestas illi, unde & spiritus*, iuxta illud Danielis cap. 5. 23. ad Baltasa- C rem: *Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti*. Et illud Sapientis cap. 6. 4. *Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam, cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis.*

Agnoscunt hoc reges Christiani, dum se Dei gratia regnum obtinere in suis edictis profitentur, ut, *Philippus Dei gratia Hispan. Rex*, &c. Sicut enim à Deo omnisciente, quasi fonte derivatur omnis scientia, ita ex eodem omnipotente derivatur omnis potestas: ipse ergo quasi summus mundi rector reges & principes, in hoc regimine, quasi suos vicarios sibi substituit & arrogavit, eisque potestatem dedit regendi, puniendi malos, præmiandi bonos leges condendi: hæc enim à prima & æterna lege, quæ est in mente Dei, quasi radij à sole, rivuli à fonte, derivantur; ac proinde *execrabilis est Deo omnis iniquitas gentium*, præsertim illa communis & capitalis, ac fons ce- D terarum, scilicet, idololatria, qua se suasque respubl. regna & principatus, non Deo vero, sed vel sibi; vel suis idolis accepta referunt: sed & hæc est in manu Dei, ut eam suo tempore, vel puniat & comprimat, vel tollat, & in bonum convertat, ita Lyran. Quocirca ipsis, tamquam summi terræ domini, clementiæ est suscitare in ea utilem principem, cùm ita ei placuerit: sicut ipsius iræ est suscitare in ea inutilem, cùm talem peccata subditorum merentur, juxta illud Job 34. v. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*. In primis verò ipse tempore opportuno à se præcognito & præfinito, utilem rectorem suscitabit super terram, Christum Dominum, qui abolita gentium idololatria, eas ad se convertet, ait Rabanus, Lyranus & alii: ac per eum suscitabit Christianos principes, qui sub Deo justè, fideliter & religiosè populum gubernent. Quare populi & respubl. continuè à Deo flagitent, ut sibi tales det reges & principes, aut jam datos tales efficiat. Unde Palacius: Christus, inquit, fuit utilis rector, quia se dedit in socium, cibum, pretium & præmium.

Secundò, Rabanus, & ex eo Glossa interlinearis: *Execrabilis*: inquit, id est, damnabilis, est omnis iniquitas gentium: quia disperdet Deus de civitate sua omnes qui operantur iniquitatem.

Tertiò, Jansenius hunc dat sensum: q. d. *Omnis iniquitas gentium*, quæ *execrabilis est*, id est, omnes gentes iniquæ & execrabiles, quia idololatræ, sunt in manu Dei, æquè ac reges ac principes: q. d. Deus dominatur universæ terræ, omnibusque regnis, tam infidelium, quàm fidelium, etsi infideles ipsum non agnoscant, ideoque corda infidelium habet in sua manu, ut ea ad se convertat, & fide sua imbuat, uti fecit per Christum.

Rursum perperam aliqui, teste Rabano, pro *execrabilis*, legunt, *exclamabilis est iniquitas gentium*, quod tamen sic explicat Rabanus: q. d. *Per prædicationem Apostolorum reprobata est infidelitas & error Gentilium, quos Salvator ad hæc misit in mundum, ut contumaces redarguerent, inscios docerent, & infirmos sanarent.*

Porrò τὸ *in tempus*, græcè εἰς καιρὸν, id est, *opportuno tempore*, ut vertit Tigurina, Syrus, & alii. Aliter Jansenius, *in tempus*, inquit, constituet, quia nulli umquam terræ datum est, ut in perpetuum haberet utilem rectorem; sed tantùm ad tempus, ut est hìc omnium rerum vicissitudo, quasi alludat ad quatuor monarchias sibi ex ordine succedentes, putà Assyriorum, Persarum, Græcorum & Romanorum, quas per symbola quatuor bestiarum describit Daniel cap. 7.

Verè S. Cyprianus orat. de idolorum vanitate; *Regna*, ait, *non merito accidunt, sed sorte variantur: & acceptum tempus certo fine custodiunt*. Et Philo libr. de Divina immutabilitate: *Totus orbis*, inquit, *habitabilis, more navis susque deque iactatæ alternis fluctibus, nunc secundis ventis, nunc adversis utitur. Nam Verbum divinum choreas in orbem ducit, quod vulgus hominum fortunam nominat. Et cùm perpetuo feratur per civitates, gentes regionesque, res aliorum alijs, omnium omnibus tribuit, subinde variantibus apud singulos temporibus, ut totus terrarum orbis tamquam una civitas, optimo reipublicæ genere administretur populari regimine.*

Chorea rerum & regnorū.

Quocirca sapienter Justinianum Imperat. in Admonit. (quod à Græcis vocatur *Scheda regia*; extat tomo 2. Biblioth. SS. Patrum,) numer. 1. monet Agapetus Diaconus: *Honore*, inquit, *quolibet sublimiorem quum habeas dignitatem, o Imperator, honora supra omnes, qui hoc te dignatus est Deum: quoniam iuxta similitudinem cœlestis regni tradidit tibi sceptrum terrenæ potestatis, ut homines doceres iusti custodiam, & eorum, qui adversus ipsum rabiunt, insectareris latratum, tum ipsius obtemperando legibus, tum subditos tibi regendo pro iure*. Et num. 5. *Scito, o pietatis divinitus fabricatum specimen, quia quantò maioribus dignus habitus es, tribuente Deo, muneribus; tantò maiori vicissim debito ei obstringeris. Ergo redde benefactori debitum gratitudinis, accepianti debitum ut meritum, & beneficio beneficium rependenti: ipse enim semper & beneficiis prior promeretur, & ut debitum beneficiis repensas. Gratitudinem autem exigit à nobis, non quæ verborum blandorum prolatione, sed quæ rerum piarum oblatione peragitur*. Et num. 7. *Terrenarum opum instabiles divitiæ, fluminalium undarum imitantur cursum. Modicum enim assistunt his, qui habere se eas arbitrantur; mox verò refluentes ad alios accedunt. Solus autem beneficentiæ thesaurus, stabilis est possidentibus eum: bonarum enim actionum meritum ad auctores retorquetur*. Et n. 9. *Sollicitam Imperatoris animam speculi in modum abstergi oportet, ut divinis splendoribus semper coruscet, rerumque distincta iudicia inde condiscat: nihil enim adeò facit, quæ peragenda sunt, conspicere, atque custodire eam perpetuò sinceram.*

Monita Agapeti data Iustiniano Imp.

S. Ludovicus inter aurea monita, quæ Philippo filio testamento reliquit, hoc primum assignat, *Fili mi, ante omnia in eam curam diligenter incumbe, ut diligas Deum. Nemo enim potest salvus esse, nisi Deum amet. Cave, ne umquam admittas peccatum mortiferum; sed omnia potius ferre velis tormentorum genera, quam aliquam talem perpetrare culpam. Crebro agas gratias Deo pro bonis omnibus tibi ab illo collatis, ut dignus fias potioribus eius beneficiis affici, & augeri. Non patiaris quemquam, te audiente, perversè de Deo aut Sanctis eius loqui: nec id finas impunè abire*. Basilius Imperator Exhortat. ad Leonem filium cap. 10. *Numinis*, ait, *beneficio regnum accepisti: sollicitè custodias illud quasi depositum fidei tuæ commissum, ut incolume*

volunte conserves. Cave autem, ne illius malus custos, degeneris aliquid atque indigni committas: sed, sicuti ceteris prælatus es, ut omnibus imperares; ita contende, ut virtute quoque ceteris antecellas: virtus enim omni principatu, omnique auctoritate præstantior est. Si ergo dignitate quidem reliquis præstas omnibus, virtute autem ab alio præcelleris, Imperator es in eo quod minoris excellentia est: in eo verò quod præclarius est, Imperator non es, imò alterius imperio subes. Ne sis ergo veluti supposititius atque adulterinus dominus, cùm te alius præstantior reperiatur: sed verus Imperator, cùm ceteris omnibus virtute antecedas.

VERS. 5. IN MANU DEI POTESTAS HOMINIS, ET SUPER FACIEM SCRIBÆ IMPONET HONOREM SUUM] Græcè δόξαν, id est, *gloriam suam*. Nota τὸ *potestas*: sic enim legunt passim Biblia Latina, Rabanus, Lyranus, Iansenius, & alij passim: quasi Interpres legerit hic æquè ac vers. præced. ἐξουσία, id est, potestas, auctoritas, imperium: q. d. Sicut in manu Dei est potestas terræ, ut illi eum det principem, quem voluerit, uti dixi vers. præced. sic & in manu Dei est potestas hominis; ut, scilicet, hunc hominem creet principem potiùs quàm alium, eumque à principatu deponat, cùm ei libuerit; ita ut omnium regum, principum & magistratuum potestas sit in manu Dei, tam quoad inchoationem, quàm quoad progressum & consummationem ac finem: Deus enim est, qui *super faciem*, id est, super personam (ex facie enim persona una ab alia discernitur & agnoscitur: unde & *facies*, hebr. אף *aph*, græcè πρόσωπον, subinde sumitur pro persona, uti alibi ostendi) *scribæ*, id est, viri literati & sapientis, *imponit honorem suum*, quando ei dat auctoritatem, non tantùm docendi, sed & regendi, legesque condendi; cùm, scilicet, eum ob sapientiam evehit, facitque principem vel consiliarium, præsidem vel gubernatorem. Huic sensui favet Syrus, dum vertit, *in manu Domini dominium, & timentibus se dabit gloriam suam*. Verùm pro *potestas*, corrigendum & legendum est, *prosperitas*: sic enim corrigunt Biblia Romana & Græca, quæ hic pro ἐξουσία, quod præcessit, legunt, εὐοδία, id est, *prosperitas*, felicitas: q. d. In manu Dei est prosperare hominem, ac facere ut omnes eius actiones & molimina prosperos habeant eventus, laudem, honorem & gloriam: præsertim verò Deus est, qui regi & principi dat prosperitatem, ut, scilicet, prosperè succedat eius regimen, utque utiliter & feliciter regat. Unde Tigurina vertit, *successus hominis est in manu Domini, idemque personæ scribæ*, vel *literati gloriam suam attribuit*; Vatabl. *illustrem facit*: Caietanus, *spectabilem*.

Monita Agapeti data Iust. Imp.

Hac de causa Agapetus Diaconus piè monet Iustinianum Imperat. ut à Deo supplex postulet crebrò auxilium ad sapienter & feliciter regendum: sic enim ait in Admon. numer. 62. *Recurrere ad supernum auxilium cùm homo quivis debet, salutem qui expectat: tum ante omnes Imperator, utpote qui pro omnibus sollicitus est: quum enim à Deo custodiatur, tam hostes generosa manu debellat, quam suos sedulo communit.* Et numer. 63. *Deus nulla re indiget, Imperator solo Deo. Imitare igitur nullius indigum, petentibusque fac uberem misericordia copiam, non exacta & ad vivum resecante rem, ratione impensarum tuum erga famulatum utens; sed omnium de sustinenda vita petitionibus satisfaciens. Longe enim satius est merito dignorum etiam indignis misereri, quam indignorum ratio dignos iis defraudare.* Et numer. 35. *Existima tunc demum te tuto regnare, cum volentibus imperas hominibus: quod enim invito animo subicitur, seditionibus fluctuat capta occasione; quod verò vinculis benevolentia regitur, stabilem servat erga rectorem obedientiam.* Basilius Imperator Exhortat. ad Leonem filium, cap. 11. *Concedet tibi Deus*, inquit, *victorias & triumphos adversus hostes, cum ipse adversus perturbatos animi motus tropbæa & titulos erexeris: qui enim invisibiles hostes devicit, eum visibiles etiam posse vincere necessario consequens est. Sed, quem voluptates superare, ut vile mancipium, & transversum ad se rapere valent, nunquam Deo lubebit cum victoriæ honore concordare: qui verò victoriam de libidinibus, & aliis animi perturbationibus partam voluntariis laboribus coronaverit, is in certum argumentum futuræ posteà retributionis æternorum bonorum etiam in hac vita de inimicis victoriam, à Deo quasi debitore concessam, iure suo referet.*

Nota Primò. *Scriba*, hebr. ספר *sopher*, græcè γραμματεύς, apud Iudæos vocabatur literatus, sapiens, doctor. Prisci enim Hebræi, quos nunc sapientes aut magistros dicimus, vocabant *sopherim*, id est, scribas, à *sepher*, id est, liber, literæ; græcè, γραμματεῖς, quòd γράμματα, id est, literas & libros, tractarent, ut dixi 1. Corinth. 1. 20. Sic Esdras cap. 7. 6. vocatur *scriba velox in nomine Domini*, id est, legis peritissimus & promptissimus in ea: scribarum enim erat sacras Literas incorruptas servare, correctæ earum descriptioni invigilare, illam interpretari, tum voce, tum scripto, teste Epiphan. hæresi 15. Adde, quòd Esdras sacros libros restaurarit, non quasi ij interciderint; sed errores, qui irrepserant, corrigendo, & aliis characteribus, quos ipse invenit, quibusque deinceps semper usi sunt Hebræi, eos describendo. De hisce doctoribus locum hunc accipe: q. d. Deus est, qui scribæ, id est, docto-

Scriba est doctor & princeps. Unde.

B ri, suam sapientiam indit & communicat, per quam à discipulis & populo quasi sapiens, & virtute docendi pollens honoretur; dum efficit, ut ea claritate & efficacia doceat, qua populo doctrinam suam persuadeat, ac populus ex ea in Dei & virtutis cognitione, amore & operatione proficiat: hoc enim est vera philosophia & sapientia practica: quod dum fit, ingens scribæ, id est doctori, accedit meritum, æquè ac honor & gloria.

Porrò notandum, quòd dicit, Deum suum honorem præ alijs imponere scribæ; quia propria dos, honor & gloria Dei consistit in sapientia practica: hæc enim prudentiam omnem, virtutem & sanctitatem includit, uti superiùs dixi. Rursum, quia sæpè Deus sapientes evehit ad principatum, facitque ut ipsi sint principes, vel certè consiliarij principum, legislatores, & gubernatores regnorum & rerumpubl. iuxta illud Platonis lib. 5. de Republic. *Felices erunt respubl. cùm philosophi eas gubernabunt, aut gubernatores earum philosophabuntur.* Honor enim & gloria Dei consistit in dominio, principatu, legislatione, regimine & imperio universi. Hinc scriba erat nomen di-

Deus doctori dat suum honorē quomodo?

C gnitatis: scribæ enim vocabantur tunc, qui nunc Cancellarij, qui erant proximi à rege, quorum erat nomine regis decreta concipere, scribere, promulgare, reservare. Sic Saraias fuit scriba, id est, cancellarius, Davidis, 2. Reg. 8. Sobna Ezechiæ, 4. Reg. 18.

Ita Deus Christo Domino, putà, Verbo incarnato, qui est scribarum & doctorum princeps, suum dedit honorem, cùm suam divinitatem, auctoritatem & imperium cum sapientia ei communicavit. Unde Palacius hunc locum propriè de Christo accipit, qui est legis novæ doctor, & scriba doctus in regno cœlorum, ac de thesauro sapientiæ suæ proferens nova & vetera, Matthæi 13. 52. ut sensus sit: q. d. In manu Dei est felicem & honoratum hominem facere. Talem in primis, & in speculum ceterorum fecit Christum, dans ei honorem suum: unde in facie Christi honor Dei positus fuit, cùm in transfiguratione resplenduit facies eius sicut sol, utpote quæ erat fa-

D cies Dei. Ad hunc doctorum honorem, & gloriam facit illud Daniel. 12. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Moraliter Nota hic, prosperitatem esse peculiare Dei donum; ideoque ab eo postulandum. Veteres putabant, Fortunam esse deam, quæ daret prosperitatem; unde eam studiosè colebant, uti dixi Isaiæ 65. v. 11. Verùm Christiani sciunt, hoc esse idolum & figmentum: norunt enim non alium quàm Deum esse Fortunam fortunantem, qui, scilicet, omnia suorum fortunet & prosperet, à quo omnis nostra fortuna fiat fortunata. Unde, licèt respectu causarum secundarum, quæ contingentes sunt, & contingenter ad eumdem effectum producendum concurrunt, ac respectu nostri, quibus hic causarum concursus videtur esse contingens & fortuitus, dentur effectus fortuiti, sitque reverà casus & fortuna; tamen respectu Dei, nihil est fortuitum, nulla sors, nullus casus; quia omnia à Deo præcognita, prævisa, provisa & ordinata sunt, *ut in regno providentiæ nihil liceat temeritati*, ait Boetius. Unde Sanctus Augustinus, *Nihil*, ait, *in hoc*

Prosperitas est donum Dei, non fortunæ.

inse-

inferiori mundo geritur, quod à summi illius Imperatoris aula non jubeatur aut permittatur. Ita Jacob prosperitatem nactus à Deo, eamdem secum intulit in domum Laban soceri sui, qui proinde eum retinere cupiens & deprecans, ait: *Inveniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te*, Genes. 30. 27. Vide ibi dicta. Sic videmus hodie homines alios esse felices, quibus omnia ex voto succedunt; alios infelices, quibus omnia contra votum eveniunt.

Quæritur, quæ sit hujus disparitatis causa. Respondet hic Siracides, esse Deum, qui felices prosperat, infelices non prosperat. Prosperitas enim est donum in manu Dei, quod ipse confert, quibus vult; negat, quibus vult: quare ipse, quos vult, facit felices; quos vult, infelices. Innuit autem hic Siracides, scribas quasi doctores præ ceteris esse prosperos & felices: sapientia enim est felicitas prima & maxima. Hinc sapientes & sancti, quotidie, dum domo exeunt, vel aliquid ordiuntur, orant ut Deus omnia eorum cogitata, dicta & facta dirigat. Ita David: *Dirige*, ait, *me in semitam rectam propter inimicos meos*, psalm. 26. v. 11. Et, *Sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige*, B psal. 89. v. 17. Tobias moriens ita filio præcepit cap. 4. 20. *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant*. Salomon Proverb. 3. 6. *In omnibus viis tuis*, inquit, *cogita illum, & ipse diriget gressus tuos*. Et cap. 16. 9. *Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est dirigere gressus*. Unde Sanctus Paulus 2. ad Thessal. 3. 5. orat, dicens: *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi*. Maximè autem Deus prosperat principes regesque sapientes & probos; quia ab his pendet resp. unde eos præ omnibus curæ & cordi habet. Sic Traianus cælesti voce à terræ motu omnia evertente servatus est, uti narrat Dio lib. 53. Vespasianus in bello Judaico densissima Judæorum tela evasit, uti refert Joseph. libr. 5. Belli, cap. 7. Julius Cæsar navarcho in tempestate trepidanti: *Quid times?* inquit, *Cæsarem, Cæsarisq. fortunam vehis*; teste Plutarcho in Sertorio. Idem dixit Carolus V. Imper. in simili procella Tunetum obsidens, qui & maximis periculis in assiduis præliis, quibus ipse interfuit, à Deo ereptus est.

Vers. 6. OMNIS INIURIÆ PROXIMI NE MEMINERIS, ET NIHIL AGAS IN OPERIBUS, id est, per opera, INJURIÆ] Græcè, *ἐπὶ παντὶ ἀδικήματι μὴ μηνιάσῃς τῷ πλησίον, καὶ μὴ πράσσε μηδὲν ἐν ἔργοις ὕβρεως*, id est, *in omni iniquitate ne irascaris proximo, & nihil agas in operibus contumeliæ*. Noster pro *μηνιάσῃς* legit *μνησθῇς*, id est, *memineris*; Tigurina, *ne succenseas proximo ob quamvis injuriam, nec quidquam per injuriam egeris*; alii, *ne ob ullam iniquitatem cum proximo simultatem exerce, & ne quidquam facito per contumeliam*. Recitat & refricat legem Levit. 19. 18. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*. Vide ibi dicta. Vetat ergo privatę injurię memoriam & ultionem, ne quis ei, qui se læsit, irroget ὕβριν, id est, injuriam, contumeliam, contemptum, insolentiam, eique insolenter & petulanter insultet: q. d. *Omnis injuriæ proximi ne memineris*, id est, nullius injuriæ proximi memineris, ita ut illam crebrò rumines, alta mente reponas, irascaris, indigneris, eamque vindicare velis, & par pari reddere. Hebræis enim τὸ *omnis non*, idem est quod *nullus* vel *nulla*: nam, ut ait S. August. epist. 54. ad Lucil. *Injuriarum remedium est oblivio*. Jansenius hæc accipit de solis principibus, non quasi illi hic moneantur nullam injuriam vindicare, sed non omnem, quia principibus multa dissimulanda sunt.

Injuriam oblivisci est heroicum.

Explã. Sic Cicero, ait S. August. epist. 5. ad Marcell. Julio Cæsari, *mores eius extollens, dicebat, quòd nihil oblivisci soleret, nisi injurias. Dicebat autem hoc tam magnus laudator, tam magnus adulator: sed si laudator, talem Cæsarem noverat; si autem adulator, talem esse debere principem ostendebat, qualem illum fallaciter prædicabat*. Et Seneca lib. de Ira laudat Catonem, qui balneo percussus, *postea satisfacienti: Non memini*, inquit, *percussum me: meliùs putavit non agnoscere, quam ignoscere. Nihil illi post tantam petulantiam mali factum, imò multum boni*. Aureliani Impr. symbolum erat, teste Vopisco, *Quo maior, eo placabilior*. Unde Bithynam capiens cæde abstinuit. Verè Menander: *Existimandus ille præstantissimus, A injurias qui ferre novit plurimas*. Exemplum dat regem apum Seneca libr. 1. de Clementia: *Noluit*, ait, *illum natura, nec sævum esse, nec ultionem magno constituram emere, telumque detraxit*, (rex apum enim caret aculeo,) *& iram eius inermem reliquit; exemplum hoc magnis regibus ingens est*. Denique adeò regium est ignoscere, ut Saul, hostis Davidis, ex eo, quòd sibi David in spelunca pepercerat, certum regni ejus omen acceperit: *Et nunc scio*, inquit, *quia certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel*, 1. Reg. 28. 21. Imò S. Chrysost. homil. 41. in Acta audet dicere: *Non ulcisci, Deo facit æqualem*.

Verùm esto principibus maximè, omnibus tamen indifferenter loquitur Siracides, vetatque omnibus ultionem injuriæ, quatenus ea privata est: nam, quatenus publica est, & rempubl. læsit, principes possunt, imò tenentur, eam vindicare, nisi majus malum timeatur. Sapientes ergo injuriam sibi factam scribunt in pulvere; quia illius statim obliviscuntur: gratiam verò scribunt in marmore; quia ejus jugiter recordantur, ut gratias agant: superbi verò & insipientes maleficia scribunt in marmore, beneficia in pulvere; quia illorum sunt memores, horum obliviosi. Unde Aristoteles rogatus, *quid cito senesceret?* respondit, *Gratia: quid tardè?* respondit, *Injuria*, teste Laertio lib. 1. cap. 3. Præclarè Beda in Proverbiis: *Gloriosius*, inquit, *est injuriam tacendo tolerare, quàm respondendo vindicare. Sagittas contumeliæ virtus repellit patientiæ. Qualis apud se quisque latet, illata contumelia probat. Infeliciores sunt, qui faciunt, quàm qui patiuntur injuriam. Melius est benè vinci, quam malè vincere*.

Iam Syrus ita vertit, nectitque sequentibus: *In omni vitio tuo ne lædas amicum tuum, & ne ambules in via delicatorum, vel superborum. Ab omnibus peccatis & mendacio elongare, & ne ambules in via superba, quia odibilis est coram Deo, & coram hominibus superbia: & adversus utrumque* (superbiam & mendacium, putà, fraudem & iniuriam) *rapina & fraus*.

Porrò hæc maximè spectant ad principes, de quibus sermo præcessit, & sequitur. Hi enim injuriarum privatarum debent esse immemores, nihilque per injuriam insolenter agere, ut propriæ cupiditati satisfaciant: hoc C enim est tyranni. Qua de re verè ex Salomone & Hebræis, Plato lib. 1. de Rep. *Tyrannicum*, ait, *est, illud omne dicere justum, quod ad potentioris utilitatem pertinet: item, subditos principis vel magistratus utilitati esse destinatos. Tyrannicum est, dicere principem legibus esse solutum: publica utilitas & salus debet esse scopus magistratus propositus*. Idem libr. 8. *Ex monarchia fit tyrannis, cùm rex contempta legum auctoritate, quibus agit pro animi sui libidine*. Et lib. 9. *Tyrannica ingenia semper improbissimis adulantur, alieni serviunt, inquieta vivunt, furiis & cruciatibus conscientiæ torquentur. Denique sunt prorsus infelicia ac misera, quamcumque vitæ lætitiam simulent, aut præ se ferant. Tyrannus quantumvis felix est, bono rege, quantumvis infelice, miserior septingentis viginti novem partibus, id est, infinitis modis*. Idem lib. 1. de Legibus: *Civile bellum* (quod ex injuriis, quæ civibus & subditis à principe inferuntur, conflatur) *peregrino est periculosius, ac proinde ad civile restinguendum bella externa suscipere expedit*. Et inferiùs: *Etiam victoriæ ipsæ sunt sæpe ipsis quoque victoribus funestæ & Cadmeæ. Itaque bella minimè optanda, vel ad eas respub. componenda*.

Tyrãnus propr.um commodu publicum quærit,

D Platoni magistro astipulatur discipulus Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 10. & 11. ac lib. 4. c. 10. *Tyrannus est*, inquit, *qui omnia ad suam utilitatem, vel libidinem, vindictamq; animi explendam refert. Reges à civibus custodiuntur, tyranni ab extraneis. Reges amant suos cives, & ab iis amantur: tyranni eos oderunt, imò ipsosmet suos satellites metuunt. Reges sublevant subditos tributis, quantum possunt: tyranni eos onerant, ut exhauriant & opprimant. Reges nobilitatem regni, & viros bonos alunt, fovent & conservant: tyranni & nobiles & bonos viros, vel vi, vel clam tollunt*. Sic & Isocrates ad Nicoclem: *Ama*, inquit, *eos quibus imperas, & effice, ut ab iis vicissim ameris. Amor populi diuturni imperii est fundamentum*. Plinius quoque in Panegyrico ad Trajanum: *Bonus princeps*, ait, *cum civibus, velut cum liberis suis versari debet. Affabilitas principis, virtus maxima. Principis fidelissima custodia est ipsius innocentia. Tyranni est, quidquid habet quisque* sub-

subditus amplum, egregium, pulchrum, occupare & sibi detinere. Diligi princeps, nisi ipse diligat, non potest. Seneca: *Nihil, ait, gloriosius principe impune laeso.* qui pluribus egregiè idipsum persequitur l. 1. de Clementia, c. 19. et 20. Meminerit princeps, quòd, cùm omnes apes aculeum habeant, solus rex earum, illo careat.

Vers. 7. ODIBILIS CORAM DEO EST ET HOMINIBUS SUPERBIA: ET EXECRABILIS OMNIS INIQUITAS (ἀδικία, id est. iniustitia) GENTIUM] Tangit hic radicem mali, putà, iniuriæ, nimirum, superbiam: ex superbia enim oritur iniuriæ ultio, iniustitia, contumelia, omnisque iniquitas: unde contra eam deinceps agit, eamque dissuadet novem rationibus, quas in Synopsi capitis recensui. Sensus ergo est, q.d. Ne memineris injuriæ proximi, nec eam per talionem simili injuria ulcisci velis: quia hæc memoria et ultionis appetitus oritur ex superbia, quæ exosa est Deo et hominibus, æquè ac *omnis iniquitas gentium*; quia, scilicet, gentes atheæ Deum vindicem non metuentes, superbè et acerbè iniurias sibi illatas ulcisci solent, imò ultrò iniuriis alios lacessere, conviciando, spoliando, rapiendo, occidendo; ideoque Deus regnum de gente in gentem

B

transfert propter iniustitias, ut sequitur.

Posterior versus pars in Græcis variat. Quidam enim legunt, ἐξ ἀμφοτέρων πλημμελήσει ἄδικα, id est, *ex utrisque delinquet iniusta*: q. d. Per utramque (iniuriam, scilicet, et superbiam) multa iniusta ab impiis committuntur. Alii καὶ ἐξ ἀμφοτέρων πλημμέλεια ἀδικίας, id est, *& ex utrisque delictum iniustitiæ*, ita Complut. quod licet eodem sensu iam dicto accipi possit, potest tamen & alio: q. d. Ex utrisque, scilicet, Deo et hominibus, putà, ex sensu et iudicio communi, tam Dei, quàm hominum, odibile (hoc enim repetendum est) pariter est peccatum iniustitiæ. Unde Tigurina vertit, *utrique facinus iniustum adversantur*. quæ versio cohæret et concordat cum Vulgata. Accedit et Syrus, qui vertit, *adversus utrumque rapina, & fraus*; & Arabicus, *quoniam odibilis est superbia apud Deum, & apud homines simul, & super his omnibus ira & crudelitas*, vel oppressio. q.d. Deus avaritiæ & superbiæ congruam apposuit & opposuit pœnam, rapinam & fraudes, ut sicut avari & superbi aliena rapuerunt & fraudarunt, sic & ipsi ab aliis diripiantur &

C

fraudentur.

Cur superbia exosa Deo, & hominibus? Ratio prima. Ratio, cur superbia, & ex ea prognata iniustitia & avaritia Deo & hominibus sit exosa, est, quòd hæc duo vitia turbent & evertant omnem remp. Unde sequitur: *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias*, &c. Aliam rationem dat S. Gregor. 34. Moral. c. 18. quòd

Secunda. omnes actus & gestus superbi sunt odibiles: *Cunctis namque*, inquit, *superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos verò alios importuna; ad ea quæ facere & debet & prævalet, ignava; ad ea autem quæ facere nec debet, nec prævalet parata.* Quàm verò sit odibilis hominibus, inquit Palacius, *docet humilitas ipsis gratissima, & illud:*

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Ut sit maximè mirandum, quòd adeò superbiam odiamus in omnibus, maximè tamen eam admittamus in nobis. Sed interim, quòd superbi sumus, inde maximè declaratur,

D

quia aliorum superbiam minimè ferimus, aliorum subiectionem maximè desideramus. Hæc igitur superbia nostra causa est, cur ita odiamus alienam: Deus verò odit superbiam, quia ipsa omnis peccati initium est. Rationem à priori dat S. Ambros. in psalm. 118. *Deus*, inquit, *tamquam suæ contumeliæ propulsator, quoddam veluti suscipit adversus superbiam speciale bellum, tamquam dicat: Meus iste adversarius est, qui me lacessit: mihi debetur ista congressio.* Et S. Hieron. epist. 45. ad Antonium: *Vide, frater, quale malum sit, quod adversarium habet Deum.* Superbus ergo quasi ad duellum provocat Deum; sed stultè: nam illicò à tanto duellatore sternitur, uti prostrati sunt Nabuchodonosor, Antiochus, Holofernes, Aman, Herodes, &c. Quin & Seneca in Hercule furente: *Sequitur*, inquit, *superbos ultor à tergo Deus*, ut inopinantes deiciat. Quocirca sapienter monet Pru-

A

dentius in Psychom. humilitatis & superbiæ:

Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum:
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur:
Disce supercilium deponere.

Meritò ergo exclamat S. Bernardus: *O doxa, ait, sapiens, in millibus mortalium nihil aliud quàm aurium inflatio vana: & tamen quantam putas infelicitatem hæc ipsa non tam felix vanitas, quàm vana felicitas parit? Hinc namque cæcitas cordis, sicut scriptum est: Popule meus, qui te beatificant, in errorem te inducunt. Hinc cervicosus furor animositatis, hinc suspicionis labor anxius, hinc livoris crudele tormentum, & cremantis invidiæ miserior quàm miserabilior cruciatus.*

Porrò superbia maximè insidiatur principibus, utpote, qui sublimi cæteris eminent gradu, & sæpe nullum nisi Deum superiorem agnoscunt. Quocirca Justinianum Imperatorem demissionis admonens Agapetus Diaconus in Admonitor. num. 19. *Si honore*, inquit, *qui ab omnibus proficiscitur, perfrui vis, præsta te communem omnium benefactorem: nihil enim adeo attrahit ad benevolentiam, ut beneficii gratia, quæ detur indigentibus: quod enim ob metum præstatur obsequium, fucata figurataque est adulatio, fictis honoris titulo fallens eos qui ipsi animum advertunt.* Et num. 21. *Essentia corporis æqualis est cuilibet Imperator, potestate autem dignitatis cunctorum præsidi Deo. non enim habet in terris se quemquam altiorem. Oportet igitur ipsum ut Deum non irasci, ut mortalem non efferri. Nam, etsi effigie divina honoratus est, at pulvere tamen terreno connexus est: quo educetur, ut erga omnes servet æqualitatem.* Et num. 23. *Talem te præsta tuos erga famulos, qualem optas erga te Dominum esse. Prout enim audimus, audiemur; & ut respicimus, respiciemur à divino, cunctaque obtuente conspectu. Priores igitur nos misericordia misericordiam conferamus, ut pari par recipiamus.* Et num. 71. *Fastuosus & superciliosus homo, ne ut taurus alticornis elevetur; sed animadvertens carnis subsistentiam, sedare debet cordis tumorem. Nam, etsi factus est princeps in terra; ne tamen ignoret sese ortum ex terra, quam ex pulvere ad solium conscendere, atque in pulverem tandem descendere possit.* Et n. 68. *Imperator ut est omnium dominus, ita cum omnibus Dei servus existit. Tum igitur demum vocabitur Dominus, cùm ipse sibi dominari, nec illicitis voluptatibus famulari patietur; cùm adiutricem piam rationem assumens, invictam, scilicet, imperatricem animi perturbationum rationis expertium, indomitas cupiditates armatura castimoniæ debellabit.*

Superbia insidiatur principibus Cur?

Basilius Imperator Exhort. ad Leonem filium, cap. 14. *In te propitium si Deum habere vis*, inquit, *ipse subiectis tuis esto propitius: nam, etsi aliorum dominus constitutus es; ipse tamen etiam servus es. Dominum enim habemus universi, eum, videlicet, qui rerum omnium dominationem manu tenet: totius autem humani generis unus & idem auctor & propagator est, nempe, limus terræ, etiamsi alius pulvis adversus alium intumescimus. Tu igitur, qui nunc sublime elatus pulvis es, memento, quantumcumque modò emineas, futurum aliquando ut ad terram deprimaris: ita numquam adversus humiliorem pulverem animo effereris. Recordare peccatorum, quæ adversus Deum commisisti; ita fiet, ut facilè obliviscaris peccatorum proximi adversum te.*

REGNUM A GENTE IN GENTEM TRANSFERTUR PROPTER INJUSTITIAS, ET INJURIAS, ET CONTUMELIAS, ET DIVERSOS DOLOS] Græcè, χρήματα δόλια, id est, *pecunias dolosas*, hoc est, dolo & fraude partas; item, quæ homines dolosos faciunt; sicut mors dicitur pallida, quia pallidos facit; & fossa cæca, quia inspicientium aciem sua profunditate & caligine hebetat, & quasi excæcat. Nonnulli tamen codices expungunt τὰ δόλια, id est, dolosas: sic & Syrus, *regnum*, inquit, *de populo ad populū mutatur propter peccata & superbiam, & divitias*, quibus hostes & vicini inhiant; Arabicus, *nam abstrahitur regnum de gente, ac traditur aliis propter peccata & elationem.* τὸ *nam* dat causam, vel potiùs indicium & effectum odii, quo Deus prosequitur superbiam, & superbos tyrannos, q.d. Deus eos odit; nam eos privat regno. Porro regna transferuntur *propter injurias & injustitias*; tum, quia illa propter has justè punit, & translatione mulctat Deus; tum, quia ipsæ gentes injuriis his affectæ eas ulturæ armant se, omnesque vicinos concitant ad arma communia tyrannis, qui omnibus adeò infesti & iniurii sunt, inferenda, uti Persæ injuriis affecti ab Assyriis, Vers. 8.

eos spoliarunt monarchia: sic & Persas Græci, & Græcos Romani.

Verè Plato lib. 1. de Republ. *Omnis*, inquit, *felicitatis fons est iustitia: infelicitatis autem mater iniustitia*. Idem lib. 10. *Deus humani generis curam gerit. Itaque iustos principes beat, tum in hac, tum in futura vita: iniustos autem utrobique punit.*

Porrò *iniustitia*, græcè ἀδικία, est, vis, qua aliena occupantur, aut retinentur contra ius & leges. *Iniuria*, græcè, ὕβρις, est procacitas, petulantia, insolentia. *Contumelia* est convicium vel probrum iactum in alium. *Doli* sunt fraudes. Igitur, cùm hæ quatuor iniquitates in aliqua republ. civitate, vel regno abundarint, scito, eam proximam esse ruinæ & translationi. Nam, ut canit Seneca in Thyeste;

Vbi non est pudor,
Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est.

Et Plutarch. lib. de Doctor. princip. *Scripserunt*, ait, *&* *docuerunt* (Philosophi) *absque iustitia principatum gerere, nec Iovem quidem ipsum posse*. Nimirum, *iustitia firmatur solium*, Proverb. 16. Et Valer. Max. initio lib. 4. *Ii demum* B *penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facilè steterit, ubi minimum virium Veneris pecuniæque cupido sibi vindicaverit*. Nam, ut ait Lactant. lib. 1. Divin. instit. cap. 4. *A quibus abest studium lucri, abest etiam voluntas peccandi, & causa fallendi.*

Audi S. August. lib. 5. de Civit. cap. 13. recensentem & laudantem verba Catonis, de modo quo crevit & decrevit Roman. imperium: *Nolite*, inquit, *existimare maiores nostros armis rempubl. ex parva magnam fecisse. Si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus: quippe sociorum atque civium, præterea armorum & equorum, maior copia nobis quàm illis est. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publicè egestatem, privatim opulentiam: laudamus divitias, sequimur inertiam: inter bonos & malos discrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum, ubi vos separatim sibi quisque consilia capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ aut gratiæ servitis. Eò fit ut impetus fiat in vacuam rempubl.*

Quamobrem ab iniuria dehortatur, ac ad iustitiam & C beneficentiam adhortatur Iustinianum Imper. Agapetus Diaconus num. 44. *Inexhaustæ*, ait, *sunt beneficentiæ opes. Nam largiendo acquiruntur, & dissipando colliguntur. Has tuo insitas animo habens, munificentissime Imperator, largire omnibus affatim petentibus abs te. Infiniticuplas enim pro tuis habebis remunerationes, cùm tempus reddendi vicem venerit*. Et num. 47. *Tutissimam arbitrare salutis tuæ custodiam, nulla quemquam ex subditis afficere iniuria: qui enim offendit neminem, suspicioni habet neminem: qui, si nulla quemquam afficere iniuria tutelam conciliat, longè beneficiis collatis magis id præstabit: nam, ut tutelam exhibet, ita charitatem non prodit.*

S. Ludovicus non tantùm per iudices à se constitutos, sed & per se bis publicè causas pauperum audiebat, easque illicò ex iustitia decidebat. Idem moriens Philippo filio inter alia, hoc monitum testamento reliquit: *In administranda iustitia sis rectus & severus, & ita ut leges præscribunt, eam exerceas erga subditos, neque ad dexteram, neque ad sinistram deflectens; pauperum querimonias non* D *reiicias, donec veritas innotescat. Si quis adversum te habet querelam vel controversiam, semper ab illo stes contra teipsum, donec rem certam comperias. Si quid possideas res alienæ, etiamsi id acceperis à maioribus tuis, incunctanter restituas iusto possessori, ubi certo tibi constiterit: sin autem dubia res est, cura ut viri sapientes accurate & sine mora inquirant. Bellum, præsertim adversus quemlibet Christianum, sine multo consilio vide ne suscipias. Si necessitas cogat suscipere, Ecclesias & insontes nullo patiaris damno affici.*

Basilius Imperat. Exhortat. ad Leonem filium, cap. 30. *Præstantissimus*, ait, *medicorum ille est, qui accommodatas cuique morborum generi novit adhibere curationes: & rex optimus, qui eos instituit magistratus, qui à suis subiectis omnem iniuriam arcere ac propulsare queant. Sicut enim equisonis virtus propria est, equi cuiusque nosse præstantiam & venatoris, intelligere, quantum quisque canum cursu valeat ad persequendas feras: ac Imperatoris, milites suos co-* A *gnoscere & quisque eorum qua fortitudine sit, perspectum habere, ut in instruenda acie intelligat, quo quemque loco debeat collocare: ita boni regis est, subditorum suorum mores, animos, actus & sententias perdiscere, ut de singulis edoctus, unumquemque sciat suo ordine disponere: ac pravos quidem & pestilentes homines à republica extorres eiicere: probos autem & veritatis amantes, honoribus & publicis muneribus præficere*. Idem cap. 62. *Lectissimam esse regni tui coronam statuito, innocentiam & bonam conscientiam, qua te magis meliusque exornabis, quàm sexcentis aliis ornamentis. Divitiæ, infida quædam res, & quæ facilè dilabitur: gloria transit; robur corporis flaccescit; voluptates diffluunt: sola innocentia & boni mores in multas ætates protenduntur, & memoriam hominis æternam transmittunt ad posteros, quibus virtutem tuam æmulandam, quasi pharmacum adversus mala omnia relinques, eosque & laudatores & imitatores tuæ administrationis efficies.*

AVARO AUTEM NIHIL EST SCELESTIUS] *Vers. 9.* Complut. φιλαργύρῳ γὰρ οὐδὲν ἀνομώτερον, id est, *auri cupido enim nihil iniquius*. Τὸ *enim* dat causam præcedentium: q. d. Ideò propter avaritiam, indeque natas rapinas & B iniustitias transferuntur regna, quia nihil avaritia est iniquius. Noster idem innuit per τὸ *autem*: q. d. Regna transferuntur, quia avara sunt & iniusta, æquè ac superba: avaritia autem nihil est scelestius. Igitur illa summè exosa est Deo & hominibus, qui proinde eam cum suis regibus & regnis puniunt & excindunt. Rursum transferuntur propter superbiam; quia superbia odibilis est Deo, & hominibus: *Quid enim superbit terra & cinis?* q. d. Ideò tam exosa est superbia, & superbus; quia planè indignum est, ut homo tam vilis, qui non est aliud quàm terra & cinis, velit se extollere, imò æquare Deo.

Quæres, quomodo avaro nihil sit scelestius, cùm alia peccata, ut homicidium, superbia, odium, hæresis, magia, sint scelestiora? Resp. Avaritia propriè est immoderatus amor pecuniæ: hunc enim significat græca vox φιλαργυρία. Hic autem, esto sit nimius, per se est peccatum veniale: mortale enim fit per aliud, si, videlicet, propter eum fiant rapinæ, usuræ, sacrilegia, omittatur Sacrum, aliudve præceptum violetur, ita ut lædatur religio, iustitia, aut etiam charitas; ut si neges pauperi in gravi necessitate eleemosynam, ut tuas opes conserves & augeas. Cùm ergo hìc dicitur, *avaritia nihil est scelestius*, C est hyperbole, significans avaritiam esse rem valdè scelestam. Sic per exaggerationem dicere solemus, Vino nihil est dulcius, Auro nihil fulgidius, Hoc homine nihil doctius; id est, vinum est valdè dulce, esto mel sit dulcius; aurum est valdè fulgidum, esto carbunculus sit fulgidior; Hic homo est valdè doctus, esto nonnulli sint doctiores. De sola tamen avaritia hic dicitur, quòd sit valdè scelesta, vel, ut græcè est, *iniqua*. Primò, quia *Avaritia* avaritia est iniuria Deo: nam ei præfert aurum adeoque *nihil scelestius.* illud suum facit idolum, unde avaritia ab Apostolo Ephes. 5. 5. vocatur idololatria, & avarus idololatra. *Primò.* Quid ergo ea scelestius? Huc facit, quòd Gentiles Iovem *Pecunia* vocarint pecuniam, quòd Iupiter pecuniæ, & per illam *est Iupiter.* rebus omnibus dominetur. *Sed nimirum*, inquit S. August. libr. 7. de Civitat. cap. 12. *hoc avaritia Iovi nomen imposuit, ut quisquis amat pecuniam, non quemlibet Deum, sed ipsum regem omnium sibi amare videatur*. Unde idipsum redarguens subdit: *Qualis ergo est ista Theologia, ubi rex deorum eius rei nomen accepit, quam ne-* D *mo sapiens concupivit? Quanto enim facilius, &c. Deus mundi rector non ab eis pecunia, sed sapientia vocaretur, cuius amor purgat à sordibus avaritiæ, hoc est, amore pecuniæ?*

Secundò, quia avaritia iniuria est reip. illam enim implet usuris, furtis, fraudibus, litibus, seditionibus, cædibus. *Secundò.* Quocirca Hebræorum discipulus Plato lib. 5. de Legibus: *Nimiæ opes*, inquit, *reip. noxiæ: ex illis enim insolentia, dissidia, & immanis voluptatum fœdissimarum usus & luxus oritur*. Unde idem lib. 4. *Mediocritas*, ait, *melius tuetur remp. quàm nimiæ opes*. Ac rationem subdit: *Divitiæ nimiæ socordem efficiunt rempubl. & superbam*. Unde Lycurgus prædixit tamdiu Spartam constituram incolumem, quamdiu cupido opum exularet: illa vero grassante evertendam. Et verus fuit vates.

Tertiò, avaritia iniuria est ipsi avaro, quia mentem *Tertiò.* eius creatam, ad fruendum Deo inficit, polluit & deprimit ad fruendum auro, imò deiicit ad tartara. Nam

ava-

avarus animam suam auro vendit diabolo & tartaro, uti dicetur vers. 10. Unde S. Thomas 2. 2. quæst. 118. artic. 5. Nihil, ait, est iniquius avaro, non ratione aversionis à Deo, uti est odium; sed ratione conversionis; quia, scilicet, convertitur ad pecuniam, illique se subiicit, quæ inter creaturas est ima & vilissima. Et Palacius: Avarus, inquit, non tantùm Deo & proximo, sed & sibi ipsi est nequam: quia se defraudat rebus ad victum & vitam necessariis, ut pecunias congerat: qui sibi autem est nequam, cui bonus? Avarus ergo dicere deberet cum S. Paulino: *Domine, non excrucier propter aurum & argentum: ubi enim omnia mea sint, tu scis*, & cum Psalte psalm. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.* Quocirca Ven. Beda in Sententiis aureas has de avaritia assignat gnomas: *Febris corporis calor; febris animi libido & avaritia.*

Imperat, aut servit collecta pecunia cuique.

Pecuniæ imperare oportet, non servire. Quis dives; qui nil cupit: & quis pauper? avarus. Avarus propriæ est causa miseriæ, ingerens sibi sitim avaritiæ. Avarus nihil rectè facit, nisi cùm moritur, ut pauperibus, vel liberalio- B ribus suas opes relinquat. *Avaritia semper odiosos, largitas claros facit. Avaritia desideratis opibus non extinguitur, sed augetur.*

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Egens æquè est is, qui non satis habet; & is, cui copia nulla sufficit.

Quartò. Quartò, avaritia iniuria est pauperibus, imò omnibus hominibus, quos defraudat, decipit, expilat; tum per usuras, fraudes & iniquos contractus; tum, quia frumentum, vinum, oleum, quæ creata sunt ad pauperum communemque hominum usum, ipse sibi appropriat & reservat. Verè S. Bernard. serm 31. in Cant. *Avarus terrena esurit, ut mendicus; fidelis contemnit, ut dominus: ille possidendo mendicat, iste contemnendo servat.* Nam, ut ait Arist. 5. Polit. *Amor divitiarum crescit in infinitum.*

Quintò. Quintò, avaritia iniuria est ipsi auro & frugibus. Bonum enim & quasi felicitas auri & frugum est, ut serviant communi hominum usui & necessitati: ad hoc enim creata sunt à Deo. Avarus autem hoc fine, usu & fructu ea C privat, dum ea in horreis & arcis recondit, ibique sinit putrescere, corrumpi, & à tineis vermibusque comedi: iuxta illud Jacobi 5. 2. *Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.* Vide quæ ibidem dixi. Quocirca S. Chrysost. hom. 37. ad populum: *Avarus*, inquit, *facto & reipsa dicit: Rodat tinea, & non comedat pauper: absumat vermis, & nudus non induatur: omnia tempore consumantur, & Christus non pascatur, licet esuriat.* Et S. Salvianus libr. 1. ad Eccles. *Avaro nihil est scelestius: quid enim peius*, inquit, *quam si quis præsentia bona in futura mala convertat?* Hoc facit avarus, dum per avaritiam, fraudes, iniurias, quibus sibi opes comparat, colligit sibi miser incendia gehennæ, quibus in æternum conflagrabit. Emit ergo sibi tot opibus, tot laboribus, tot iniuriis infernum, cùm longè faciliùs cælum emere potuisset.

Sextò. Sextò, avaritia iniuria est omnibus elementis, cœlis & creaturis: quia particulas terræ, quæ omnium elemen- D torum est ima & vilissima, præfert ceteris rebus omnibus, adeoque ipsi cęlo empyreo. Quid enim est aurum & argentum, nisi terra alba & rubra? ait S. Bernardus. Quid sunt vestes bombycinæ & sericæ, nisi vermium, putà bombycum, excrementa? Quid sunt uniones nisi concharum quisquiliæ? Quid sunt gemmæ, nisi terræ lapides, imò lapilli, quibus vana hominum æstimatio dat pretium? Quocirca Seneca in Proverbiis: *Monstro*, inquit, *similis est avaritia.* Et Cicero 1. Offic. *Nihil*, ait, *tam angusti animi tamquam pravi, quàm amare pecuniam. Avarus*, ait Rabanus, *extrema primis, & vilissima anteponit pretiosissimis.* Porrò aurum & opes dicuntur res vilissimæ, non præcisè, sed vulgari modo loquendi; quia sunt inter vilissimas. Nam alioqui pomum, v. g. vetitum, quod comedit Adam & Eva, ac se suosque perdidit, vilius est auro.

Septimò. Septimò, avaritia iniuria est omibus legibus (unde pro *scelestius*, græcè est, *ἀνομώτερον*, id est, *magis exlex, magis contra leges*,) & omnibus virtutibus, quia ipsa impellit ad A violandas quaslibet leges & virtutes, estque causa omnis iniustitiæ & peccati, iuxta illud 1. Timoth. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas.* ita Isidorus libr. 2. de Summo bono c. 41. Et hoc maximè hic spectat Siracides: dat enim causam, cur regnum à gente in gentem transferatur propter iniustitias: quia, inquit, avaritia nihil est scelestius, græcè, magis exlex & iniquius. Hinc Arabum extat proverbium cent. 1. nu. 89. *Non est iustitia cum avaritia*: quia difficile est justum simul, & avarum esse. Id maximè verum est in principibus, de quibus hoc loco agitur: hi enim, si avaritia laborent, totum regnum expilant & perdunt.

Præclarè S. Leo serm. 9. de Passione: *Videte*, ait, *quales fructus de avaritiæ radice nascuntur, quàm meritò Apostolus radicem omnium malorum esse definivit; quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, & omnis appetitus illicitus istius aviditatis est morbus. Amore pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit, nullumque est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum. Hoc perfidus Iudas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, pervenit ad laqueum, & tam stultè impius fuit, ut triginta argenteis, & Dominum venderet & magistrum.* Vide Cassian. l. 7. de Instit. renunt. c. 6. ubi avaritiam nuncupat receptaculum vitiorum, malorum omnium radicē, & inextricabilem nequitiæ fomitē.

Hanc gnomen illustri apologo corvi & vulpis elucidat Cyrillus lib. 3. Apologorum moralium cap. 1. Corvus enim optans ditari, modum quæsivit à vulpe. Cui illa: *Totum*, inquit, *officium ditescendi in tribus assiduis vitiis, & in uno continuo tormento consistit, videlicet in insatiabili cupiditate, in inquieta rapacitate, in illiberalitate continua, & in timore perpetuo.* *Avaritiæ munia.* *Hæc enim sunt instrumenta artis ditescendi, scilicet semper cupere: cùm enim cupiditas deerit, mundanæ divitiæ minorantur: sed ubi semper hæc aderit, augentur. Minorato siquidem appetitu, caro macrescit, & eo addito, mox resarcita pinguescit, nam ob hoc excessiva oneratur pinguedine porcus, quia inextinguibilem patitur appetitum.* *Primum.* *Alterum verò eius officium est, undecumque & quomodocumque rapere: propter hoc enim æstivo tempore cùm plurimi fluvij deficiant, Nilus auctus fines suos transgreditur: quoniam undecumque contingit humiditas, vi caloris rabientis hauritur.* *Secundū.* *Tertium est, nihil umquam donare. Ex quo namque sursum altissimæ arbores rapiuntur, nisi quia foris minimè in fructum effunduntur? atque ideo intestinum cavum semper est vacuū, eo quòd chili, mox cùm susceperit, fit effusivum.* *Tertium.* *Vltimum verò est, timore sollicito semper parta servare.* *Quartū.* *Plures etsi non datis, negligentia tamen perditis divitijs caruerunt. Audax enim pavo caudam auream perdidit, & pavidus lepus propriā pellem custodivit.* Unde concludens, paucis avaritiæ mala omnia oculis subijcit: *Hæc igitur, frater mi, oportet diligenter servare, si mundi huius divitias cupis acquirere. Scilicet ut sis semper cupidus illas affectando, violentus in rapiendo, avarus in tenendo, timidus in servando.* Ubi hæc corvus audivit, digestam sententiam protulit: *O certè infelicissimæ paupertatis fallaces divitias mundiales, & omni cum studio sapienti detestandas! utpote quarum dilectio cupiditas est, acquisitio rapacitas, possessio illiberalitas, & conservatio timiditas est horrenda. Sed quid cupiditate scelestius? quid rapacitate iniquius? quid illiberalitate deformius? & timiditate molestius? sperno de cetero immoderatas divitias Crœsi, & Assueri opum magnalia, & aurea scuta repudio Salomonis. Mea verò divitiæ sint, sine cupiditate quietum; sine rapacitate justum, sine illiberalitate benignum, absque timiditate securum me possidere.*

QUID SUPERBIT TERRA ET CINIS?] q.d. Intolerabilis est homuncio, qui superbit, cū sit terra & cinis; ac proinde non mirum, si ob avarā iniustitiam & superbiā regna transferantur, uti jam dixi. Hæc enim spectant ad v. 7. *Odibilis coram Deo & hominibus est superbia.* Palacius tamen hæc refert ad avaritiā, quæ proximè præcessit: hæc enim in principibus oritur ex superbia. Ideò enim congerunt immensam vim divitiarū, quia nihil suę magnitudini & celsitudini credunt esse satis: unde his sapienter opponit pulverem, ex quo factum est corpus, & per *cinerem* repræsentat avari peccatoris animam: sicut enim extincto igne manet cinis sine luce, splendore & vita præcedenti: ita extincta charitate manet anima, velut cinis, sine gratiæ vita & splendore. Hæc Palacius partim literaliter, partim mysticè. Sic & Lyranus. *Quid superbis ex tuis divitijs*, inquit, *pulvis & cinis?* id est, qui es citò in cinerem redigendus: literaliter enim pulvis & cinis ad corpus spectant,

sunt,

suntque idem, vel penè idem; sed iunguntur ad exaggerationem, & quia homo formatus est ex pulvere, desinit in cinerem. Cinis enim est residuum rei corruptæ, uti ligni combusti residuum est cinis. S. Hieron. lib. 13. in Isajæ cap. 48. pro *superbit*, legit, *gloriatur*. *Quid gloriatur*, inquit, *terra & cinis, & ignoras fragilitatem suam?* Idem in c. 2. Joelis: *Si eruca*, inquit, *parvusque vermiculus fortior est homine, quid gloriatur terra & cinis, & elata per superbiam* (cùm ex humo sit, à qua homo appellatur (*humana contemnit?*

Aliqui codices Græci hanc sententiam præponunt, sicque nectunt: *Propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & dolos, quid superbis terra & cinis?* Alii postponunt & iungunt versui 13. *Cùm enim morietur homo, hereditabit serpentes, & bestias, & vermes*. Et sanè cum illa rectè cohæret. Unde Syrus ita nectit & vertit, *quid superbis pulvis & cinis? in cuius vita vermes serpunt latera eius & intestina eius medicus scindit. Hodie ambulat, & cras moritur*. Sic & alias subinde sententias transponunt, alioque loco collocant Græcus, Syrus & Arabicus. Idem subinde contingit in Proverbiis Salomonis. Cùm enim sententiæ hæ ethicæ, utpote variæ, in variis schedis essent descriptæ, variè quoque à variis compilatæ, & in ordinem digestæ sunt.

Audi Isidorum Pelus. lib. 1. epist. 493. ad Cyrinum præfectura insolescentem, paraphrasticè hæc explicantem: *Quid superbis terra & cinis? Quid insolenter se geris labes & corruptela? Quid magnificè de se sentis, ac se effert umbra? Quid te imperii ac præfecturæ insomnium inflat? Quin tu eos cernis, qui turpiter ac fœdè diem vitæ extremum claudunt? Quin tu eorum æmulum te præbes, qui probè atque insigniter vixerunt? Verùm brevem principatum tamquam sempiternam potentiam arbitraris, ob quam temporis orbis conversus te curabit, præfecturam tuam ad finem impellens, atque æstui tuo terminum imponens*. Audi & S. Bernard. in Sententiis: *Tria hæc semper in mente habeto: Quid fuisti? Quid es? Quid eris? Quid fuisti? sperma fœtidum. Quid es? vas stercorum. Quid eris? esca vermium*. Idem in Meditat. c. 3. *Quantumcumque caro excolatur, semper caro est. Si diligenter consideres, quid per os & nares, cæterosque corporis meatus egrediatur, vilius sterquilinium numquam vidisti. Si singulas ejus miserias enumerare velis, quàm sit onerata peccatis, irretita vitiis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper in malum, & in omne vitium proclivis; plenam omni confusione & ignominia invenies. Quid ergo superbis, terra & cinis; cuius conceptus culpa, nasci pœna, labor vita, necesse mori? Cur carnem tuam pretiosis rebus impinguas & adornas, quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulcro? Animam verò tuam non adornas bonis operibus, quæ Deo ab angelis eius præsentanda est in cælis? Quare animam tuam vilipendis, & ei carnem præponis? Dominam ancillari, & ancillam dominari, magna abusio est. Totus quidem iste mundus ad unius animæ pretium æstimari non potest: non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quam pro anima humana dedit. Sublimius est ergo animæ pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit*.

Drogo Hostiens. Episcopus serm. 1. de Sacram. Dominicæ passionis ante medium tom. 2. Biblioth. SS. Patrum: *Quid superbis*, ait, *terra & cinis? subter te sternetur tinea, & operimentum tuum vermis est: hæc tua vestis est; illuserant tibi, qui chlamyde coccinea circumdederunt. Sic Antiochus & Domini natalis hostis Herodes alienis vestibus depositis, in suis vermibus expirarunt. Redi ad cor tuum tandem aliquando; reddi, vetus Adam: vide, ubi & quomodo te etiam vestierit novus Adam. Ostendam tibi in corpore eius ignominias animæ tuæ*.

Denique breviter, sed nervosè Origen. homil. 9. in Ezech. *Quid superbit*, inquit, *terra & cinis, ut homo arrogantia sublevetur, oblitus quid erit, & quam fragili vasculo contineatur, & quibus stercoribus immersus sit, & qualia semper purgamenta de sua carne proiiciat? quid enim ait Script. Quid superbit terra & cinis? & in vita eius proiecit interanea eius? Superbia peccatis omnibus maior est, & ipsius diaboli principale peccatum*. Quin & Seneca epist. 91. *Æquat*, inquit, *omnes cinis: impares nascimur, pares morimur*.

Mysticè, cinis in terra est prorsus inutilis; at si calidissimæ aquæ iniiciatur, sordes pannorum eluit, eosque dealbat. Cinis est memoria mortis: hæc si aquæ calidæ, id est, ardenti & lacrymosæ compunctioni, iniiciatur, eluit sordes animæ, præsertim superbiæ: ita remedium inde petendum, unde morbus est ortus, putà, remedium superbiæ hominis petendum est ex ipso homine, sicut caro viperæ in theriaca curat morsus viperæ.

Vers. 10.

NIHIL EST INIQUIUS, QUAM AMARE PECUNIAM. HIC ENIM (qui eam amat) ET ANIMAM SUAM VENALEM HABET; græcè, ποιεῖ, id est, facit, quia pro auro vendit animam suam diabolo, uti faciunt magi & sagæ. (Aliter & novè legit Tigurina, nimirum, *hic enim animam quoque cuiusvis exigit: animam*, id est, vitam: q. d. Avarus cogit multos mori fame,) QUONIAM IN VITA SUA PROJECIT INTIMA SUA] q. d. Avarus exuit omnem humanitatem, ac si à se viscera, in quibus est sedes misericordiæ, ob pecuniam abiecisset. Unde S. August. serm. 25. de Verbis Domini: *Quæ est*, ait, *ista aviditas concupiscentiæ? cùm ipsæ belluæ habeant modum; tunc enim rapiunt, quando esuriunt; parcunt verò prædæ, cùm senserint satietatem: inexplebilis est sola divitum avaritia, semper rapit, & numquam satiatur: nec timet Deum, nec hominem veretur: non parcit patri, non matrem agnoscit, non fratri obtemperat, nec amico fidem servat. Quæ est ista, rogo, animarum insania, amittere vitam, appetere mortem; acquirere aurum, perdere cælum?* Hujus rei symbolum & exemplum fuit Judas, qui vendendo Christum, vendidit animam suam dæmoni, *ideoq; suspensus crepuit medius, & diffusa sũt omnia viscera eius*, Actor. 1. 18.

Avarus proiicit intima sua. Quæ? Resp. Primò.

Secundò.

Secundò, D. Thom. 2. 2. qu. 118. art. 5. ad 1. & ex eo Palacius: *Nihil*, ait, *avaro iniquius, quia ipse non tantùm iniquus est in Deum & proximum, sed etiam in seipsum: habet enim animam suam venalem, id est, vitam suam exponit periculis pro pecunia; & ideò subdit: Quoniam in vita proiecit intima sua, ut, scilicet, pecuniam lucraretur*. Vendit ergo animam, id est, vitam, hoc est, vitæ suæ sustentationem, ne expendat pecuniam: itaque in vita sua abiicit intima sua, hoc est, in vita abiicit vitam: non parcit vitæ, & intimis suis, ut pecuniæ parcat. Res mira, nihil est intimius, quàm quòd homo carnem suam nutriat & foveat: atqui avarus hunc intimum affectum à se pecuniæ causa abjecit, multò magis abjecit affectum omnem erga proximos. Hæc Palacius.

Tertiò.

Tertiò, S. August. tract. 25. in Joannem hæc refert ad superbiam, & per *intima* intelligit interiora Christi, cui per humilitatem incorporamur, è quibus per superbiam eiicimur: q. d. Superbus proiicit à se viscera Christi, quibus per humilitatem incorporatus erat. Explicans enim illud Joan. 6. *Eum, qui venit ad me, non eiiciam foras*, subdit: *Quid superbit terra & cinis? dicat: quid superbit? Quoniam in vita sua proiecit intima sua? Quid est, proiecit, nisi porrò iecit? hoc est exire foras. Etenim intrare intrò, appetere intima est: proiicere intima, foras exire est. Intima proiicit superbus, intima appetit humilis: superbia eiicimur, humilitate regredimur. Caput omnium morborum superbia, quia caput omnium peccatorum superbia*. Et paulò pòst: *Ut ergo causa omnium morborum curaretur, id est, superbia, descendit & humilis factus est Filius Dei. Quid superbis, homo? Filius Dei propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum. Venit Filius Dei in homine, & humilis factus est. Præcipitur tibi ut sis humilis, non tibi præcipitur ut ex homine fias pecus. Ille Deus factus est homo, tu homo cognosce quia es homo. Tota humilitas tua est, ut cognoscas te. Ergo quia humilitatem docet Deus, dixit: Non veni facere voluntatem meam, sed eius voluntatem qui misit me: hæc enim commendatio humilitatis est. Superbia quippe facit voluntatem suam, humilitas facit voluntatem Dei. Ideo qui ad me venerit, non eiiciam foras. Quare? Quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Humilis veni, humilitatem docere veni. Qui ad me venit, incorporatur mihi: qui ad me venit, humilis fit: qui mihi adhæret, humilis erit; quia non facit voluntatem suam, sed Dei: & ideò non eiicietur foras, quia cùm superbus esset, ejectus est foras*. Idem lib. 6. de Musica c. 13. *Non potuit meliùs demonstrari quid sit superbia, quàm in eo quod dictum est: Quid superbis terra & cinis? Quoniam in vita sua proiecit intima sua. Cùm enim anima per seipsam nihil sit; non enim aliter esset commutabilis, & pateretur defectum ab essentia. Cùm ergo ipsa per se nihil sit, quidquid autem illi esse est, à Deo sit; in ordine suo manens ipsius Dei præsentia vegetatur in mente atque conscientia. Itaque hoc bonum habet intimum. Quando verò superbia intumescit, hoc illi est in extima progredi, &, ut ita dicam, inanescere, quod est minus minusque esse. Progredi autem in extima, quid est aliud, quàm intima proiicere, id est, longè à se facere Deum, non locorum spatio, sed mentis affectu?* Sic & Syrus hæc refert ad pœnam superbiæ, sed per intima accipit latera, quæ ob ulcera, aliosque morbos incidit medicus: sic enim

vertit, *quid superbit terra & cinis? in cuius vita vermes serpunt, latera eius & interiora eius medicus scindit*; & Arabic. *cinis, ex quo serpit vermis in vita eius, & proiicit medicus latus eius, & intestinum ipsius.*

Audi S. Chrysost. occasione Judæ in avaritiam detonantem, & hanc Siracidis sententiam explicantem homil. 81. in Matth. *Pessima omnium hæc passio* (avaritia) *est: hinc sepulchrorum violatores, hinc homicidæ, hinc bella, & pugnæ, hinc alia quàm plurima mala oriuntur. Ubique certè avarus inutilis est, nec ad imperandum exercitui, nec ut præsit populo, commodus. Cur dico in rebus publicis, cùm in privatis etiam inutilis sit? Si uxor ducenda est, non probam, sed impudentissimam omnium pro pecunia eliget. Si domus emenda, non eam, quæ homini libero conveniat, emet, sed quæ pluris posset locari. Si servi, & quid aliud comparandum est, vilissimum semper inquiret. Quid minora percurro? Si regnum orbis invaserit, ceteris omnibus miserior tamen est atque pauperior, terrarum pestis, urbium pernicies, singulorum calamitas: non enim quæ ceterorum sunt quasi sua tutatur; sed veluti unus ex multis omnia rapit, pauciora putans ceteris omnibus habere. Nam cùm cupiditati eorum quæ nondum possedit, ea quæ habet, confert; nihil ea quæ habet, præ illis esse opinatur.* Deinde citans hunc Siracidis locum, subdit: *Propterea quidam ait, nihil esse avaro iniquius. Qui avarus est, etiam seipsum perdit: avarus communis omnium hominum hostis: avarus non parum dolet, quia terra pro spicis aurum non producit, quia fontes non manant auro, quia montes loco lapidum aurum non habent. Avarus fertilitatem temporum molestè fert, & communi felicitate contrahitur, omnemque fastidit causam unde argentum colligere non potest; in regione verò cuncta subjert, unde vel duos solummodò capere obolos possit: omnes homines, tam pauperes, quàm divites odio prosequitur: pauperes, ne quid ab eo petant; divites, quia quæ illorum sunt, non possidet: universos enim simpliciter, quæ sua esse deberent, occupare putat, ac ideò quasi ab omnibus læsus, omnibus infensus est.*

Legit Interpres, ἔῤῥιψε, id est, *projecit*: & rectè. iam Græca variant: nam Romana legunt, ἔῤῥιψα, id est, *projeci. Quoniam in vita projeci intima eius*, quasi sint verba Dei qui dicat, se intima avari projecisse. Complut. & alii passim legunt, ἔῤῥιψαν, id est, *proiecerunt. Quoniam in vita sua proiecerunt intima* vel *intestina sua*, vel *eius*, scilicet, avari: αὐτοῦ enim est pronomen, tam reciprocum, quàm absolutum, tamque *sua* quàm *eius* significat. quod Primò, accipi potest: q. d. Avari proiecerunt sua viscera humanitatis, uti jam exposui, ut sit enallage numeri frequens Hebræis, qua de avaro nunc in singulari, nunc in plurali loquatur: sicque idem est sensus Græci, qui Latinæ Vulgatæ.

Secundò, alii exponunt: q. d. Usurarii & avari omnibus odio sunt, adeò ut homines cupiant illorum viventium intestina dissipare, uti nonnullos exactores grandium tributorum & onerum à plebe membratim dissectos & concisos audivimus & vidimus. Ita poetæ inducunt Jovem dicentem, quòd Juno tum demum saturatura sit odium suum in Trojanos, si Priamum vivum devoret.

Tertiò, Tigurina sic legit & vertit, *hic enim animam quoque cuiusvis exigit: nam pro vita ipsius eruere viscera sua quisque cogitur*: q. d. Avarus animam, id est vitam, pauperum exigit; quia pro vita ipsius, ut, scilicet, ipse diviter, lautè & splendidè vivat, coguntur pauperes eruere viscera sua per labores, ut, scilicet usuras ingentes, quas iniustè exigit avarus, ipsi persolvant.

Quartò, Vatabl. sic, q. d. *Hic enim etiam animam suam venalem habet, quia in vita sua viscera quoque sua eiicere paratus est*, scilicet lucri causa. Noctes enim & dies laborat avarus, ut pecunias congerat, ideoque currit ad Garamantas & Indos, fatigatur, sudat, adeoque se & viscera sua consumit.

OMNIS POTENTATUS (in genitivo casu: q. d. Om-
Vers. 11. nis imperii & regni est) BREVIS VITA] q. d. Omnis potestas brevem habet durationem & vitam. Aliqui legunt *via*: vita enim est via ad mortem, & per eam ad immortalitatem. Hæc verba jam desunt in Græco. *Potentatus* Primò, est principatus quilibet. Secundò, est tyrannis: *potentatus* enim significat regimen imperiosum & violentum, quia tyranni potenter, imò impotenter, superbè & avarè dominantur subditis. Porrò *potentatus* sivè potestates vocantur hic potestate & potentatu præditi, putà principes & tyranni: ponitur enim abstractum pro concreto, potentatus pro potente: q. d. Omnis potentis vita est brevis. Siracides enim toto hoc loco perstringit superbiam & avaritiam tyrannorum. Unde Tigurina, *omnis tyrannus brevem vitam sortitur*. Causam subdit: *Quia morbus pertinax medico gravis est. Tenacem morbum præcidit medicus: ita rex hodie vivunt, cras moritur.* Græca enim sic breviter de more habent, μακρὸν ἀῤῥώστημα κόπτει (Romana legunt σκώπτει, id est, *cavillatur*:) ἰατρὸς, καὶ βασιλεὺς σήμερον, καὶ αὔριον τελευτήσει, id est, *longum* vel *tenacem morbum incidit* vel *secat medicus: sic & rex hodie, & cras morietur.* Noster verò plenius & germanius habuit Græcum exemplar, ex quo sic transtulit: *Languor prolixior gravat medicum.*

BREVEM (pro μακρὸν enim videtur legisse μικρὸν) LANGUOREM PRÆCIDIT MEDICUS: SIC ET REX HODIE EST, ET CRAS MORIETUR] Arabicus, *hodie iam mortuus est, & cras iam mortuus est*; hoc est, hodie vel cras certò morietur: *Terra sors illius est.* Comparat enim tyrannidem morbo diuturno, qui gravat remp. ac Deum medico, qui ut remp. eo liberet, ilicò cum pharmacis profligat, quin & igni adurit, & ferro succidit: q. d. ait Lyranus & Jansenius: Sicut medicus brevem, id est, modicum, recentem & inchoantem, morbum ilicò adhibitis pharmacis & catapotiis, quin & igni ferroque, si opus sit, præcidit, ne, si inveterascat, ægrum diu affligat, & fiat pertinax, ac in totum corpus pervadat, ut fiat lethalis, & sanari non possit: sic & Deus regem tyrannicè imperantem, citò tollit, ne confirmet tyrannidem, eaque Deum & rempub. gravet; quin & eam suo scelere velut cancro serpente inficiat vel opprimat. Vide nostrum P. Menochium hunc locum graviter & eleganter pertractantem lib. 2. Hieropoliticor. cap. 8. num. 1. Vers. 12.

Paulò aliter hæc applicat & explicat Palacius: q. d. *Si medicus invenit languorem chronicum, non periculosum; solet eum sustinere, & per dies multos curare. at, si languor brevis est, qui citò videtur infirmum absumpturus, quique inducias non patitur; tunc medicus omnem adhibet diligentiam, quò eum præcidat & auferat. Ita facit Deus: si rex non est iniquus, sed aut negligens, aut alio minore vitio languens; eum sustinet, non subtrahit è medio, at, si rex iniquitate sua reipubl. pestis est, hunc præcidit, nec diu eum vivere patitur. Caveat igitur rex à potentatu tyrannico. Aliàs, hodie est, cras morietur.*

Tertiò, Rabanus: *Languor prolixior*, &c. *Hanc comparationem*, inquit, *ideò facit, ut ostendat, quòd avaritiæ pestis, si diu mentem possederit, difficile curabitur. Si autem statim in prima fronte à spiritus ratione illi resistitur, & per Dei timorem, ac pœnarum metum ei ingressus ex cogitatione noxia occluditur, facilius eius virtus extinguitur. Sed & hoc multum adiuvat ad resistendum avaritiæ, si brevitas transeuntis vitæ, & futura defectio in carne, ac gehennæ horror in anima commemoratur. Ideò subiungit: Sic & rex hodie est, & cras morietur: cùm enim morietur homo, hereditabit serpentes, & bestias, & vermes.*

Hæc ergo prima & potissima est causa, cur tyranni citò succidantur. Eamdem dat Salomon Proverb. 28. 16. *Dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam: qui autem odit avaritiam, longi fient dies eius.* Quo tacitè monet principes, ut erga subditos sint benevoli & liberales, si velint esse longævi. Altera est, quia res humanæ præsertim quæ excelsæ sunt, subiacent continuæ variationi & agitationi. Sicut enim culmina arborum maxime agitantur ventis: sic & culmina honorum turbinibus invidiæ, seditionis & bellorum iactantur, juxta illud: *Perflant altissima venti, Feriuntque summos fulmina montes.* Gentiles id significarunt per fortunam, quæ gaudet res celsas novare & variare. Tertia est, quòd regimen civitatis, multò magis provinciæ, regni vel totius imperii, tot afferat labores, curas, molestias, sollicitudines, angores, tristitias, & melancholias, ut iis rex sollicitus brevi exedatur & consumatur. Sanè Carolus V. cùm Bruxellæ in consessu Ordinum ditiones & regna transferret in filium Philippum II. illacrymans dixit: *Compatior tibi, fili mi, quia ingens onus humeris tuis impono. Ego enim omnibus hisce annis, quibus illud sustinui, numquam vel quadrantem unicum quietis & lætitiæ, quæ multis curis & fastidiis permista & falsa non esset, obtinere potui.* Quarta oritur ex ambitione multorum, qui ad regnum, vel alias dignitates, quas si alius princeps creetur obtenturos se sperant, aspirant: maximè verò oritur ex offensa multorum, qui insolentia tyranni oppressi, ejus iugum omnibus viribus excutere satagunt. Quocirca S. Cæcilia Almachio præfecto obiicienti suam Cæsarisque potentiam, sapien-

Tyranni brevis ævi: Cur? Causa prima. Secunda. Tertia. Quarta.

pienter & intrepidè respondit: *Potestas hominis sic est, quasi uter vento repletus, quem si una acus pupugeris, omnis vigor cervicis eius fatiscit*: alii legunt *mollescit*. Et S. Valerianus ejus sponsus ad eumdem: *Quid vos estis? aut quid principes vestri? Homunciones estis vestro tempore nati, tempore vestro expleto morituri, tantam Deo reddituri rationem, quantam summa vobis tribuit potestatis.*

Gnoma sapientum. Hasce causas dant politici, tam Christiani quàm Philosophi. Seneca orator in Proverbiis: *Errat*, inquit, *si quis existimat tutum diu esse regem. Nihil magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens.* Seneca tragœdus in Thyeste post actum 3.

Ima permutat brevis hora summis.
Ille qui donat diadema fronti,
Quem genu nixæ tremuere gentes, &c.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Idem in Agamemno.

Quidquid in altum fortuna tulit,
Ruitura levat: modicis rebus
Longius ævum est.

Idem in Medea:

Rapida fortuna ac levis,
Præcepsque regno eripuit, exilio dedit.

Ovid. 3. Tristium.

Nempe dat, & quodcumque libet fortuna rapitque
Irus & est subitò qui modò Crœsus erat.

Idem lib. 5.

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et tantùm constans in levitate sua est.

Silius lib. 4.

Pelle moras brevis est magni fortuna favoris.

Saturninus apud Vopiscum: *Nescitis*, inquit, *amici, quid mali sit imperare. Gladii & tela nostris cervicibus impendent, imminent hastæ undique, undique spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur. Non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio.*

Aureæ sunt gnomæ Publii in Mimis:

Fortuna cùm blanditur, captatum advenit,
Fortunam citiùs reperias, quàm retineas,
Fortuna nimiùm quem fovet, stultum facit.
Fortuna vitrea est, quæ cùm splendet, frangitur.
Levis est fortuna, citò reposcit quæ dedit.

Ergo sequamur sapiens consilium Senecæ in Thyeste:

Nemo confidat nimium secundis.
Nemo desperet meliora lapsus.

Expertus hæc Severinus Boetius consul Romanus & princeps senatus qui à Theodorico rege Gothorum in carcerem coniectus, ac tandem necatus, martyrium obiit: unde ipse in Consol. Philosoph. ita canit:

Quid me felicem toties iactastis, amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Cicero orat. in Vatinium, qui paucis diebus fuerat consul, eum irridens: *Magnum*, inquit, *prodigium, Quirites, Vatinio consule, non sensimus ver, non æstatem, non autumnum.* Idem in alium, qui paucis horis fuerat consul Romanus: *O sanctissime consul*, inquit, *sub quo nemo pransus est, nemo cœnavit, nemo dormivit.* De Marcello puero canit Virgil. 6. Æneid.

Ostendent terris hunc tantùm fata neque ultrà
Esse sinent.

Idem attributum nuper Marcello II. Pontifici miræ expe- D ctationis, qui vigesimo secundo pontificatus die rebus humanis exemptus est.

Exempla. Vis exempla illustria Christianorum? accipe tragica: Casimirus II. Poloniæ rex, instructo grandi convivio, proceribus exhilaratis, regisque res gestas & felicitatem celebrantibus, ipse nonnulla de immortalitate animi, & cælitùm beatitudine prolocutus, hausto mediocri poculo subitò concidit, & paucis horis animam exhalavit, teste Mart. Cromero lib. 6. histor.

Ladislaus Hungariæ & Boemiæ rex, regiæ pompæ nuptias cum Magdalena Caroli Galliæ regis filia adornans; auratas quadrigas, & dynastas ac nobiles septingentos, purpurà, auro gemmisque onustos, qui sponsam adducerent, Parisios misit: ecce autem eo die, quo Parisios legatio illa ingressa est, antequam consideret, de repentino Ladislai

A Pragæ mortui interitu à tabellario admonetur: ita nuptiæ in nænias versæ, uti narrat Anton. Bonfin. lib. 8. Hungar. decad. 3.

Quare olim, dum coronaretur Imperator, sepulcrorum constructores quatuor ad eum deferebant marmoris frusta varii coloris, inquirentes ex quo vellet sibi construi sepulcrum, itaque eum suæ mortalitatis admonebant, & ut prudenter imperaret. Testis est Leontius in Vita S. Joannis Eleemosynarii.

S. Bernard. ad Eugenium suum, iam Pontificem creatum, anno Domini 1145. scribens epist. 237. *In omnibus*, ait, *operibus memento te esse hominem, & timor eius qui aufert spiritum principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti?* (nemo Pontificum à S. Petro hucusque annos S. Petri, id est, 25. attigit: multi eodem anno, imò mense quo creati, extincti sunt.) *Ipsi te prædecessores tui, tuæ certissimæ & citissimæ decessionis admoneant, & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Jugi proinde meditatione inter hujus præsentis gloriæ blandimenta memorare novissima tua, quia quibus successisti in sedem, ipsos se-*
B *queris ad mortem.* Certè Stephanus II. Pontifex sedit dumtaxat dies 4. Cælestinus IV. dies 17. Bonifacius VI. dies 15. Sisinnius dies 20. Damasus II. dies 23. Pius III. dies 26. Marcellus II. dies 21. Urbanus VII. dies 7. Leo XI. dies 27. qui moriens: *Quàm melius*, inquit, *mihi foret, si monasterii, quàm si cæli claves tenuissem.*

Maximilianus primus hoc nomine Imperator, testamento cavit, ut exanimum corpus suum rudi linteo involutum, sine ulla exenteratione sarcophago, quem quadriennio ante mortem parari curarat, imponerent, naribus, ore auribusque viva calce oppletis, ut exedente ea calce citiùs consumerentur, & irent in terram suam. Cur? ut monumentum illud assiduè in oculis haberet, quod diceret: *Cogita mori, & brevi mori. Quid te dilatas & extendis? Quid multa possides, plura appetis? Quem tot provinciæ & regna non capiunt, loculus iste capiet.*

Carolus V. Maximiliani ex Philippo nepos, brevis ævi memor, ut ad mortem instantem se compararet, relictis tot regnis & imperio universo, secessit in monasterium S. Justi, ut Deo totus vacaret, nec se Cæsarem, sed Carolum vocari voluit. Imò hoc amplius: ferunt, diu ante imperium abdicatum, sarcophagum sibi construi iussisse, cum funebri
C supellectile deportandum, clanculum tamen, quocumque iret, quem paratum habuit apud se quinque annis ubicumque locorum esset, etiam dum Mediolanum contra Gallos proficisceretur, ut iugi eius intuitu citæ mortis admoneretur. Hæc referunt Petrus Gregor. lib. 6. de Republ. cap. 3. Justus Lipsius libr. 1. Monitor. & Exempl. c. 14. Laurent. Surius & alii.

Quocirca Joannes Aragonum rex, cùm anno Domini 1479. febri correptus, in deliquium incidisset, mox ad se reversus astantes intuens exclamavit: *O vanas hominum cogitationes! ò miseros homines, qui ad principatus aspirant; qui divitias, opes, & nimios honores affectant! O felicem pauperum conditionem, & securam illorum vitam atque beatam, qui panem comedunt cum sudore sui vultus, qui vivunt labore manuum suarum! Nam mihi misero quid regnum, quid honores, quid obsequia plurimorum contulerunt? Quid? labores, scilicet, magnos, & multa corporis & animæ pericula subivi, nec umquam ætate tam longa potui mihi dies aliquos videre bonos. O me miserum & infelicem, qui tam serò fallacem mundum cognosco! Qui vitam certè vixissem multò meliorem, si non rex, sed agricultor fuissem.* Conversus autem ad imaginem Christi crucifixi, defixis in cælum oculis: *O pientissime redemptor*, inquit, *parce mihi indignissimo servo tuo: miserere mei, clementissime Jesu.* Atque inter has voces & singultus animam Deo reddidit; ita Lucius Marinæus lib. 8. rerum Hispaniæ.

Hæc de regibus: de tyrannis similia, imò magis tragica, referam cap. sequenti v. 6. Quocirca sensatè Justiniano Imp. hanc rerum humanarum vicissitudinem obiicit Agapetus Diacon. in Admonit. num. 11. *Circulus*, ait, *quidam humanarum revolvitur rerum, qui modò sic, modò aliter agitat ipsas & circumfert: atque in his inæqualitas est, eò quòd nihil ex præsentibus in eodem statu maneat. Oportet igitur te, potentissime Imperator, in hac rerum versatili mutatione, immutabilem habere pietatis cognitionem.* Et num. 67. *Dignitatum splendores mors haud reformidat; omnibus enim vorates suos dentes infligit. Ergo ante illius ineluctabilem ad-* *Circulatio rerum, humanarum.*

ventum, opum copiam transportemus in cælum. Nemo enim, quæ colligit in mundo, illuc profectus abducit; sed omnibus in terra derelictis, nudus de vita sua reddit rationem. Et n. 90. *Navis per mare commeantis imitatur transitum compendiosa præsentis vitæ conditio, quæ sanè nos nautas fallens suos, & pedetentim cunctanti rapiens cursu, tandem ad suum cujusque exitum perducit. Si igitur hæc ita se habent, prætercurramus præcurrentia mundi negotia, adcurramusque his quæ ad sæcula sæculorum permanent.*

Basilius Imperator Exhort. ad Leonem filium, cap. 38. *Existima*, ait, *fili, vitam istam, nihil fixum, nihilque stabile aut perpetuum habere: nam subinde res aliter atque aliter variantur; & rota in morem quæ circumvolvitur, ea quæ sursum sunt, deorsum feruntur; & quæ deorsum jacent, sursum evehuntur. Quapropter neque secundis rebus extollere, neque adversis deiicere; sed utraque in fortuna constans esto & invariabilis, unum hoc tibi proponens semper, benefacere, cetera Deo committe: neque cùm secunda fortuna uteris, metu adversæ à superba elatione retrahere: neque etiam cùm adversa, spe melioris à præcipiti dejectione relevare. Hoc enim exigui animi est, & non regia virtute subnixi: & quod futurum est videri nequit. Neque ergo tristi ac abiecto, neque renidenti & protaci umquam vultu in publicum prodi: ita enim gravis & prudens existimaberis, & quæ utrimque imminens errata vitabis, neque curiosè maledicis ullam ansam præbebis obloquendi de iis quæ tibi acciderint.*

VERS. 13. CUM ENIM MORIETUR HOMO, HEREDITABIT SERPENTES ET BESTIAS, ET VERMES] Jansenius censet esse novam rationem, cur sit cavendum a superbia, scilicet, quòd superbus non tantùm sit moriturus, sed & vertendus in serpentes & vermes. Hinc Græci multi hæc jungunt cum τῷ *Quid superbit terra & cinis?* Unde Tigurina sic legit, & vertit, *quid tandem superbit terra & pulvis? Nam mortuum hominem serpentes, bestiæ & vermes excipient*; sic & Syrus, *quid superbit*, inquit, *pulvis & cinis, in cuius vita vermes serpunt, latera eius & intestina eius medicus scindit? Hodie ambulat, & cras moritur. In morte hominis tinea pars eius, & vermis eius coram eo serpit.* q.d. Quid superbit homo, qui est pulvis & cinis, quique tam in vita, quàm in morte comeditur à vermibus. Potest tamen quoque rectè cum proximè præcedentibus in Latina Vulgata aptari, quasi explicet τὸ *Omnis potentatus vita brevis.* Et: *Rex hodie est, & cras morietur.* Ne quis enim dicat, potentem & regem, licèt moriatur in hac vita, post illam tamen habiturum aliam, in qua æquè sit princeps & rex, uti Gentiles autumabant; respondet nil tale fore, sed potiùs regem, uti & ceteros homines, hereditaturum serpentes, bestias & vermes. Ita Lyranus. Cùm enim homo sepelitur, ilicò ex ejus carne, adipe & phlegmate nascuntur serpentes & bestiæ, id est, dracones & bufones, ac vermes, putà, lumbrici, scarabæi, aliique horridi vermes, qui omnes ejus carnes usque ad ossa *depascuntur*, ac eum depasti deficiente pabulo emoriuntur, & in pulverem vertuntur, itaque homo tandem redit in cinerem & pulverem, ex quo formatus est, juxta sententiam Dei in eum latam, Genes. 3. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Sensus ergo est, q.d. Quid superbit homo, licèt potens, princeps & tyrannus, cùm omnis ejus gloria, opes & luxus vertenda sunt in horridos serpentes & vermes? Hoc est, quod ait Job. 17. 14. *Putredini dixi: Pater meus es, Mater mea, & soror mea, vermibus.* Et Isaias de Balsasare monarcha Babylonis, c. 14. 11. *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Rursum non tantùm in sepulcro, sed & in inferno tyranni, ceterique impii hereditabunt serpentes & vermes; quia torquebuntur, non tantùm igne, sed & vermibus realibus, uti ostendi Isaiæ 66. 24. ac tradentur bestiis, id est dæmonibus, qui eos tamquam leones & tigrides excruciabunt. Unde orat Ecclesia pro defunctis: *Ne tradas bestiis animas confitentium tibi.* Hinc & dæmones horribiles, centaurorum & monstrorum formas assumunt, ut damnatos magis torqueant. Quocirca in Script. vocantur onocentauri, pilosi, lamiæ, uti dixi Isaiæ 34. 14.

Mystici tres heredes superbi & avari. Mysticè Lyranus, homo superbus & avarus, inquit, tria habet bona, scilicet, animam, corpus, & substantiam sive opes. Hæc moriens relinquet tribus heredibus nimirum animam serpentibus, id est, dæmonibus; corpus vermibus; substantiam bestiis, id est, amicis, qui instar bestiarum animaliter & carnaliter vivunt. *Humilia ergo valdè spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii ignis & vermis*, uti dixit cap. 7. v. 19. *Justum enim est, ut superbus, qui concupivit esse summus fiat imus*: ut qui voluit præesse ceteris, subsit igni: ut qui ambivit cum Lucifero esse æqualis Deo, sit socius & cibus vermium vilissimorum & putridorum.

S. Ephrem tract. de iis qui in Christo dormierunt: *Quid* inquit, *est homo? nihil. Quid homo? vermis. Quid homo? cinis ac pulvis. Quid homo? somnium. Quid homo? umbra. Ecce transivit, ecce cessavit. Finem accepit magnus ille & invictus leo, tyrannus fortis, potens atque elatus, qui cunctis formidabilis erat; nunc iacet quavis ove mitior: qui magnus videbatur super multos, factus est tamquam nullus: qui alios tenebat, detentus est: qui ligabat, vinculis constrictus est.* S. Basilius orat. de Morte: *Mortalem*, ait, *te recordare. Terra quippe es, & in terram rursus dissolveris. Circumspice illos, qui ante te similibus sesplendoribus efferebant. Ubinam sunt illi, qui civilibus dignitatibus ornati erant? ubi duces? ubi oratores? ubi principes? ubi potestates? ubi tyranni? Nonne omnia pulvis? nonne fabula? nonne in paucis ossibus memoria vitæ ipsorum conservatur?*

VERS. 14. INITIUM SUPERBIÆ HOMINIS, APOSTATARE A DEO (græcè, ex versione Romana, *initium superbiæ hominis, cùm apostatavit à Deo*) QUONIAM AB EO, QUI FECIT EUM, RECESSIT COR EJUS) Tigurina, *initium superbiæ est defectio hominis à Domino, & à creatore suo abductus animus*; Syrus; *fons peccati superbia, & prævaricatio* (id est, defectio à Deo, apostasia, transgressio legis divinæ) *fons utriusque illorum*; S. Cæsarius homil. 19. de cura animæ, legit, *initium apostatare à Deo omnis superbia*; S. Chrysost. homil. 15. in Joan. & in psalm. 115. v. 1. legit, *initium superbiæ est nescire Deum: descivit enim à factore cor eius. Superbi*, inquit, *Deum non cognoscunt; neque seipsos, quid sint, sciunt. Quo pacto enim, qui non antea cognovit opificem, agnoscit seipsum esse figmentum? quia enim nescitur Dominus, nascitur superbia. Id quod attestatur Scriptura dicens; Initium superbiæ est nescire Deum.*

Est nova ratio docens, quàm turpis, enormis, ideoque fugienda sit superbia, petita ab ejus origine, quæ turpissima & execranda est. Origo enim superbiæ est apostasia à Deo: Adam enim ideò superbivit, & superbia peccavit; quia apostatavit & descivit à Deo, à quo creatus erat, conservabatur, gubernabatur, & alebatur cum tanta suavitate, honore, & rerum omnium copia: descivit enim à Dei voluntate & lege, præferens ei pomum vetitum, & promissa falsa serpentis. Idem facit quivis alius superbus, imitans patrem suum superbum Adam. Porrò, *apostasia nulla maior est*, ait Rabanus, *quàm aversio creaturæ à creatore suo: & hæc meritò ascribitur superbiæ, quoniam superbia est, quòd mediocre bonum assimilare vel adæquare se vult summo bono. Hoc fuit initium diabolici casus, hoc & humanæ prævaricationis exordium.*

Secundò, S. Thom. 1. 2. q. 84. art. 2. ad 1. & ibidem Greg. de Valentia, & alii hanc sententiam explicant, non de solo Adamo: sed de quolibet homine: hic enim dum superbit, apostatat, id est, deficit à Deo. Apostasia ergo hoc modo accipitur pro conditione quadam communi omnium peccatorum. In omni enim peccato sicut est generalis quædam inobedientia, ingratitudo, odium, & contemptus Dei; sic est & quædam generalis apostasia, id est, defectio à Deo, eiusque lege & voluntate. Vel sensus est: q.d. Prima species superbiæ est peccatum apostasiæ à Deo. Ideò enim quis non vult subiici Deo (quod est à Deo apostatare) quia perversè expetit singularem quamdam excellentiam, quod est peccatum superbiæ. Græcum enim ἀρχὴ, tam principatum, quam principium significat: unde sic vertas, *principatum superbiæ tenet apostasia à Deo*, id est, primas in regno superbiæ occupat apostasia à Deo. Sic noster Interpres *principium* usurpat pro principatu psalm. 109. *Tecum principium*, id est principatus, *in die virtutis tuæ.* Et Proverb 8. 22. *Dominus possedit*, vel, *creavit, me in initio*, Hebr. *reseit.* Græcè, ἀρχὴν, id est, principium, vel principatum, *viarum suarum*, q.d. In viis, id est, operibus, Dei ego sapientia primas teneo, & principatum occupo. Sic cap. 1. 16. dicitur: *initium sapientiæ timor Domini*; græcè, ἀρχὴ, q.d. Sapientiæ primas & principatum tenet timor Domini. Vide ibi dicta.

Præclarè Cæsarius Arelat. homil. 23. *Quisquis superbus est*, inquit, *dæmone plenus est.* Audi Script. *immundus est ante Dominum omnis, qui se exaltat.* Et iterum: *Apostatare à Deo omnis superbia. Quid est apostatare, nisi à Deo discedere?*

& ubi-

& utique qui à Deo disjungitur, diabolo sociatur. Idem homil. 18. *Non discernuntur filii Dei, & filii diaboli, nisi humilitate atque superbia. Quemcumque superbum videris, diaboli esse filium non dubites: quemcumque humilem conspexeris, Dei esse filium confidenter credere debes. Et, ut hoc verum esse cognoscas, audi Scriptur. Initium, apostatare à Deo, omnis superbia: Et, Omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Nam quod diabolus per superbiam dejecit, Christus per humilitatem erexit: quia ad vulnus superbiæ, medicamentum humilitatis exhibuit.*

Vers. 15. QUONIAM INITIUM OMNIS PECCATI EST SUPERBIA] Sic & habent Græca Complut. Sed Romana invertunt, sicque legunt: *Quoniam principium superbiæ, peccatum.* Græca omnia delent τὸ *omnis*.

Quæres Primò, quomodo hic versus nectitur præcedenti, & cujus rei causam dat τὸ *quoniam*? Resp. τὸ *quoniam*, more Hebræo referri potest remotiùs ad v.7. ut sit hæc nova, eaque septima ratio, cur odibilis sit superbia, uti dixi in synopsi. Rursum τὸ quoniam, referri potest ad v.13. proximè præcedentem, idque Primò, hoc sensu, q. d. Causa, cur superbus apostatet à Deo, est ipsa superbia: hæc enim est causa omnis peccati, in quo sicut est generalis & implicita quædam superbia, sic & est generalis quædam apostasia à Deo: peccatum enim est aversio à Creatore, & conversio ad creaturam: peccator enim præponit voluntatem suam voluntati Dei, & amorem creaturæ amori Creatoris. ita Jansenius. Secundò, q. d. Superbia est initium omnis peccati, ergo & apostasiæ, adeoque dum quis incipit superbire, & peccare, incipit apostatare & recedere à Deo. Tertiò, nervosiùs ac pressius, q. d. Apostasia est ἀρχὴ, id est, principatus, & præcipua species superbiæ; quia superbia est ἀρχὴ, id est, principatus peccati, seu præcipuum peccatum est apostasia. Ergo apostasia est superbia, & principatus superbiæ, sive prima & maxima superbia, ideoque primum & maximum peccatum. Quartò, Hebr. כי *Ki*, id est, *quoniam*, sæpè non causam, sed effectum significat, imò sæpè encliticum est significans, *sanè, equidem, certè, verum enim verò*: q.d. Equidem, vel certè initium omnis peccati est superbia. Aut q.d. Initium superbiæ hominis fuit, quòd à Deo recesserit & apostatarit: unde evenit & secutum est, ut superbia facta sit initium omnis peccati. Nam ex apostasia à Deo sequuntur omnia peccata; tum, quia recedens à Deo, recedit à lege & virtute, abitque in vitia, tum, quia Deus deserentem se pariter deserit, privatque sua gratia; quo fit, ut in quælibet peccata ruat. Sic Adamo ob apostasiam ademit justitiam originalem, qua, velut fræno sublato, ilicò innata homini concupiscentia & superbia prosiliit, quæ eum & posteros in omnia peccata impulit. *Initium* enim hic non metaphysicè, (quomodo punctum dicitur initium lineæ, & unitas numeri;) sed physicè accipiendum est, ut sit idem quod origo, radix, causa; quomodo calor est initium calefactionis, aer rarefactionis, aqua refrigerationis, &c. superbia enim est initium, id est, origo, mater & causa omnis peccati.

Initiũ omnis peccati, superbia, quo sensu? Resp. Quæres Secundò, Quomodo superbia sit initium & causa omnis peccati, cùm multa peccata oriantur ex timore, acedia, pusillanimitate, quæ contraria sunt superbiæ? Primò, S. Prosper libr. 3. de Vita contempl. cap. 3. & 4. *Nullum*, ait, *peccatum fieri potest, potuit, aut poterit, sine superbia: siquidem nil aliud est omne peccatum, nisi contemptus Dei.* Loquitur de superbia generica, quæ est conditio inclusa in omni peccato. Sic & S. Bonavent. in 2. dist. 42. dub.4. & Jansenius hic, hunc locum explicant de superbia secundùm rationem communem, quatenus ea invenitur in omni peccato: in omni enim peccato invenitur aversio à Deo, quæ est superbia. Verùm alii passim hunc locum accipiunt de superbia, ut est vitium particulare oppositum humilitati. ita S. August. lib. 11. de Genesi cap. 15. S. Thom. 1.2. quæst. 84. art. 2. Cajetan. ibid. & alii.

Primò. De ea ergo Primò, sic legit & exponit Durand. in 2. dist. 42. quæst. 4. num. 7. & 10. Non dicitur, inquit, superbia initium omnis peccati, quia peccata carnalia, timiditatis & pusillanimitatis, non oriuntur ex superbia, sed initium peccati dicitur omnis superbia, omnis enim superbia est initium alterius peccati: vel certè, inquit, superbia hic non est vitium particulare, sed amor sui immoderatus, quem S. August. vocat amorem inflantem.

Secundò. Secundò, Gabr. Vasquez 2.2. qu. 84. disp. 136. cap. 2. exponit, q. d. Peccatum Adæ, quod fuit superbia, fuit initium omnis peccati: omnia enim peccata hominum ex illo prognata sunt, &, ut ait Tobias cap. 4. *in ipsa initium sumpsit omnis perditio.* Primum Adæ & Evæ peccatum fuisse superbiam, non infidelitatem, ut volunt hæretici, ostendi Genes. 3. vide S. Thom. opusc. 3. cap. 190. & Bellarm. li. 3. de gratia cap. 5. Eva enim & Adam audientes à serpente: *Eritis sicut dii*, appetierunt esse æquales Deo: quæ ingens fuit superbia, ideoque inobedientes Deo comederunt pomum vetitum, ac per hanc inobedientiam propriè transfuderunt in posteros peccatum originale, non per superbiam, uti docet Paulus Rom. 5. & 19.

Tertiò, alii accipiunt de peccato Luciferi & angelorum: hoc enim fuit primum mundi peccatum, ideoque initium cæterorum, quæ Adam & homines posteà commiserunt. Primum enim Luciferi peccatum fuisse superbiam, docent Patres & Scholastici. ita S. August. lib. 12. de Civit. cap. 6. & de Natura & gratia cap. 29. ac ex eo S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum, cap. 7. *Si initium*, ait, *peccati requiritur, nihil aliud nisi superbia invenitur. Dicit enim Scriptura, Initium omnis peccati superbia: quæ tunc initium sumpsit, cùm angelus adversus Deum elatus est.* S. Ambros. lib. 4. epist. 33. aliàs 84. ad Demetriad. *Sive in lapsu diaboli*, inquit, *sive in prævaricatione hominis, initium peccati superbia est.* Sic & Francisc. Suarez tract. de angelis libr. 7. cap. 9. num. 7. & 8. *Initium*, inquit, *omnis peccati superbia est; vel quia in humano genere primum Adæ peccatum fuit superbia, ut tradit S. August. lib. 14. de Civit. cap. 13. vel, quia primus angelus malus à superbia initium peccandi sumpsit, & ipse fuit omnium aliorum peccatorum causa vel occasio.* Ipse enim per serpentem induxit Adamum ad peccatum, ex quo omnia deinde Adæ & posterorum peccata prognata sunt. Sic & Gregor. de Valentia tract. de Angelis, qu. 13. punct. 3. sub initium: *Initium*, inquit, *omnis peccati est superbia, quia primum peccatum angelorum fuit superbia.* *Tertiò.*

Quartò, Vasquez loco jam citato. Superbia, inquit, est initium omnis peccati, id est, plerorumque peccatorum: non enim absolutè omnia, sed multa & pleraque oriuntur ex superbia, æquè ac ex cupiditate, ut ait Paulus 1. Timoth. 6. imò in nonnullis hominibus omnia oriuntur ex superbia: toti enim ea pleni sunt, nec aliud cogitant, dicunt aut agunt, quàm ut appareant magni, & aliis antecellant. *Quartò.*

Quintò, initium omnis peccati est superbia, non actu, sed aptitudine & proclivitate: quia omne peccatum actu non procedit à superbia, sed ab ea procedere potest, & natum est. ita D. Thom. 1. 2. qu. 84. artic. 4. ad 5. Joan. Salas, & Gregor. de Valentia, qui & hanc rationem à priori ex S. Thoma addit: Superbiæ peccatum, inquit, consistit in perverso appetitu excellentiæ & perfectionis alicujus: omne autem peccatum, quod circa bona temporalia committitur, tendit in aliquam perversam excellentiam, seu commoditatem & perfectionem hominis; ergo omne peccatum ordinatur per se in finem & scopum proprium superbiæ; ergo omne peccatum ex natura rei oriri potest ex superbia: & eatenus dicitur superbia esse initium & causa omnis peccati. Quocirca Syrus amplè & nervosè vertit, *initium delictorum hominum superbia eorum, & opera eorum insanire faciunt cor eorum, quia fons peccati superbia, & prævaricatio fons utriusque illorum*, putà, tam peccati, quàm superbiæ. *Quintò.*

Denique brevis, plana plenaque est expositio, *Initium omnis peccati est superbia*: tum, quia primum hominis, æquè ac angeli, peccatum fuit superbia, ex qua cetera prognata sunt; tum, quia ex ea omnia peccata oriri nata sunt; *omnia*, id est, omnis generis peccata: non enim omnia in individuo oriuntur ex superbia. Est distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum, uti loquuntur Logici. Eodem sensu ait Apostolus 1. Timoth. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas*; græcè, φιλαργυρία, id est, avaritia; quia, scilicet, nimius amor pecuniæ in omnia scelera, omnesque miserias avarum impellit. Vide ibi dicta. Constat enim, diabolum non peccasse avaritia, vel amore pecuniæ; sed superbia, & amore excellentiæ. Ita D. Thom. & Valentia locis jam citatis. Addit S. Thom. art. 2. superbiam esse causam omnium peccatorum ordine intentionis; avaritiam verò ordine executionis. Subtiliùs S. Ambros. lib. 4. epist. 33. & S. August. lib. 11. de Genesi ad liter. cap. 15. *Sextò.*

& tract. 10. in Joan. & ex eo Rabanus hic, Paulum cum Siracide conciliant, dicentes, superbiam esse avaritiam generalem, qua quis amplius appetit quàm oportet, propter excellentiam suam. *Quid avarius illo* (Adamo) *cui Deus sufficere non potuit?* ait S. August. Verùm græcè est, φιλαργυρία, quæ significat amorem pecuniæ, non excellentiæ, uti jam dixi.

Audi S. Gregor. lib. 34. Moral. c. 18. *Omnis peccati initium, superbia. Per hanc enim ipse* (Leviathan, id est, diabolus) *succubuit: per hanc se sequentem hominem stravit. Eo enim telo salutem nostræ immortalitatis impetivit, quo vitam suæ beatitudinis extinxit.* Et mox: *Sicut enim inferiùs radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecùs expanduntur: ita se superbia intrinsecùs celat; sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret.* Et inferiùs: *Alia quippe vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut, videlicet, ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnet: superbia autem* (quam vitiorum radicem diximus) *nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, ac quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit, ut, quidquid, illa invadente agitur, etiamsi esse virtus ostendatur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ serviatur. Quasi enim tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cùm mentem superbia irrumpit: & quo ditiorem quemque ceperit, eo in dominio durior exurgit: quia quo ampliùs res virtutis sine humilitate agitur, eo latiùs ista dominatur.*

S. Bernardus tract. de Interiori domo cap 41. *Superbia,* inquit, *sicut origo est omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum. Ipsa enim in peccato prima, ipsa in conflictu postrema. Ipsa aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut in fine de virtutibus deiicit.* Idem serm. 2. de S. Andrea: *Initium omnis peccati, & causa totius perditionis, superbia. Propterea quisquis es, qui salutem tuam operari studes, adversus hanc super caput tuum signum crucis habere memento, ut non eleveris in superbiam, ut non exaltetur cor tuum.* S. Fulgent. epist 3. ad Probam: *Superbia,* ait, *initium omnis peccati dicitur: ut omne peccatum de ipsa, tamquam de radice, pullulare monstretur, quæ multiplici modo miseris inferens mortem, publico certamine carnales deiicit: spirituales verò si quos incautos invenerit, occultiore conflictu prosternit.* Rursum S. Bernard. ser. 1. de Adventu: *Fugite,* inquit, *superbiam, fratres mei, quæso, multum fugite. Initium omnis peccati, superbia: quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clariùs micantem, æterna caligine obtenebravit Luciferum: quæ non modò angelum, sed angelorum primum in diabolum commutavit. Unde & protinus invidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem; suadens, ut lignum vetitum gustans, fieret sicut Deus sciens bonum & malum.* Idem in psalm. *Qui habitat. Ambitio,* ait, *subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. Quantos hæc pestis nequiter supplantatos turpiter deiicit, ut cæteri quoque quos latuit occultus effossor, subitò expavescerent ad ruinam? quantos nudi fecit in tenebras exteriores veste spolians nuptiali, & virtutum exercitio, & fructu pietatis evacuans?* Idem lib 3. de Consider. exclamat: *O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places! Nihil acerbiùs cruciat, nihil molestiùs inquinat, & nihil tamen apud miseros mortales maius est & celebrius.* S. Chrysost. homil 59. in Matth. *Nihil,* ait, *superbia peius, quæ mentis quoque vires à natura concessas ita deiicit, ut ex prudentibus stolidos & amentes efficiat. Nam, si quis cùm statura cubitum non superet, instar montium, imò altiorem se putet, ac ideò se quasi montes excelsiores erigat, utique insanus habebitur: sic pariter insanit, qui, cùm cæteris natura sit par, iis tamen maior esse & haberi contendit.* Unde subdit: *Certè quasi vile mancipium, & miserum captivum diabolus eum abducit, agitatque verberibus & mille contumeliis, quocumque velit.* Quocirca S. Gregor. 3. Moral. 18. *Vitiorum,* ait, *regina superbia, cùm devictum planè cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit.* Hinc superbia evidens est signum reproborum, uti humilitas electorum, sicut passim docent Patres: *O quàm excelsus es, Domine; sed humiles sunt domus tuæ!* ait S. August. lib. 1. Confess. c. 5.

Porrò Pelagiani ex hanc Siracidis sententia contendebant, omne peccatum esse superbiam: *Tam peccare,* inquie-

A bant, *superbire est, quàm superbire peccare. Nam omne peccatum, Dei contemptus est: & omnis Dei contemptus, superbia est. Quid enim tam superbum, quàm Deum contemnere? Omne ergo peccatum & superbia est, etiam Scriptura dicente; Initium omnis peccati, superbia est.* Verùm hos refellit S. August. lib. de Natura & gratia c. 29. Esto enim in omni peccato sit generalis, id est, implicita & interpretativa quædam superbia, non tamen in omni est explicita, formalis & specifica. Unde non dicit Siracides, omne peccatum esse superbiam; sed initium sive originem omnis peccati esse superbiam: distinguitur ergo superbia ab omni peccato, sicut causa distinguitur à suo effectu.

QUI TENUERIT ILLAM, ab eaque se agi regique permiserit, ADIMPLEBITUR MALEDICTIS] Complut. ἐξυβρίσει βδέλυγμα, id est, *iniurabit abominationem,* id est, iniurias abominandas effundet. Meliùs Rom. legunt, ἐξομβρήσει βδέλυγμα, id est, *inundabit abominationem,* id est, multas abominationes instar undarum effundet; Tigurina, *qui præditus est ea profundet execrabilia, donec tandem subvertatur;* alii, *effundet tamquam imbrem abominationem;* alii, *circumfluet abominatione.* B. Anthiochus homil. 44. legit, *abundabit in illum abominatio,* id est, *replebitur maledictis,* ut vertit Noster, *& abominationibus,* id est, abominandis peccatis & culpis; consequenter & horrendis ac abominandis pœnis & tor-
B mentis, adeò ut eum planè evertant. Unde addit:

ET SUBVERTET EUM IN FINEM] scilicet, superbia subvertet suum possessorem, putà, superbum, *in finem,* id est, tandem, ad extremum, vel finali & extrema subversione; idque in hac vita, vel certè in futura, putà in gehenna: nam, ut dicitur Proverb. 16. *Abominatio est Domino omnis arrogans.* Rursum superbus repletur maledictis; quia omnes eum vituperant, multique illi maledicunt: omnes enim ejus fastum & mores arrogantes aversantur. Præclarè S. Bernard. serm 17. in Cant. *Ergo,* ait, *in cælo concepit dolorem, & in paradiso peperit iniquitatem, prolem malitiæ, matrem mortis & ærumnarum omnium, prima parens superbia.* Cæterùm in homine misero damnabilior est superbia, quàm in nobili angelo: de quo idem serm. 54. *Si sic,* ait, *actum est cum angelo, quid de me fiet terra & cinere? Ille in cælo intumuit, ego in sterquilinio. Væ mihi, si tam durè in potente illo animadversum est pro eo quod elevatum est cor illius, nec ei profuit quòd cognata potentibus superbia esse cognoscitur, quid de me exigendum & misero & superbo?* Sed inquies: Ego sum rex, ego princeps, ego Episcopus, ego Doctor. Ornamenta hæc pulveris sunt.
C Quisquis hoc dicis, memento quia pulvis es & cinis; memento, quia es lutum inauratum auro regni, principatus, episcopatus, doctoratus.

Denique, sicut superbia fuit primum primi hominis & angeli peccatum, ex quo quasi fonte cetera promanarunt; sic ex adverso humilitas prima & propria est virtus Dei hominis, putà, Christi redemptoris, ex qua quasi fonte omnes virtutes & bona promanarunt & promanant. Unde S. Ambros. in psal. 118. serm. 18. *In paradiso,* ait, *defecit humilitas, & ideò venit è cælo. Humilitate Deus ipse factus homo, non modò nihil de dignitate sua dimisit, sed eam adeò conspicuam & præstabilem reddidit erga homines, ut eos Deus humilis & humilians suæ legi subiugaverit, & ad sui amorem & obedientiam converterit, quos Deus ipse de cælo fulgurans, & mundum maiestatis suæ magnitudine perterrefaciens, à dæmonum cultu ad sui obsequium numquam traduxit.*

PROPTEREA (propter superbiam) EXHONORAVIT DOMINUS CONVENTUS MALORUM, ET DESTRUXIT EOS USQUE IN FINEM] id est, in æternum; vel Vers. 16.
in finem, id est, usque ad finem & radicem, funditùs eos ex-
D scindendo.

Pro *exhonoravit,* græcè est, παρεδόξασε: quod & dehonestare, & admirabilem facere significat. Paradoxum enim, idem est quod admirabile, præter opinionem communem, novum, insolens, inauditum, incredibile: unde Romana vertunt, *propter hoc incredibiles fecit Dominus obductiones,* id est, calamitates; alii, *ideo Dominus graves illustresque;* (novas, insolitas, admirabiles, inauditas) *importat calamitates, & evertit eas in æternum.* Tigurina sequitur prius significatum, Nostroque consentiens vertit, *propterea Dominus agmina malorum afficit ignominia, & tales ad extremum subvertit;* Syrus, *propterea divisit,* vel *dispersit Deus percussiones* (vel perturbationes) *eorũ, & percussit illos plaga consummata,* id est, perfecta, & undequaque absoluta. Noster legit συναγωγὰς, id est, conventus; iam legunt, ἐπαγωγὰς, id est, inductio-

ductiones calamitatum & cladum, qua voce gaudet Siracides, uti dixi c. v. 2.

Perstringit priscas illustres clades superborum, eis a Deo ob superbiam inflictas, ut fabrorum Babel, quos Deus divisione linguarum mulctavit, & per totum orbem dispersit, Genes. 11. 8. item gigantum, quos Deus mersit diluvio, Genes. 6. vers. 4. & 17. item Sodomæ: nam, ut ait Ezechiel c. 16. 49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia.*

Vers. 17. SEDES DVCVM SVPERBORVM DESTRVXIT DEVS, ET SEDERE FECIT MITES PRO EIS] Græcè, *thronos* sive *solia principum detraxit Dominus, eorumque loco mansuetos constituit.* Mites opponit superbis: quia sub mitibus comprehendit & humiles: qui enim mitis est, est & humilis; sicut ex adverso, qui superbus est, est & asper. Unde Hebr. עני *ani*, vel *anaum*, & humilem, & mitem, & pauperem significat: hæc enim tria solent esse connexa. Quocirca Syrus vertit, *sedem superborum subvertit Dominus, & sedere fecit humiles loco eorum.* Ita superbos angelos detraxit è thronis cælestibus, in iisque collocavit Apostolos, aliosque homines mites & humiles. Sic superbo Balsatare è monarchia Assyriorum deiecto, surrogavit Darium & Cyrum, qui mites fuere erga Israelitas. Sic superbum Pharaonem demersit per mitem Moisem, Holofernem stravit per mitem Judith, Aman per Esther, Sennacherib per Ezechiam, Antiochum per Machabæos: denique Sauli inobedienti præposuit mitem David, iuxta illud psal. 131. 1. *Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis eius.*

Hinc discant principes, si velint in principatu esse longævi, illumque in posteros perpetuare, imperare mansuetè & humiliter: hoc enim conciliat Deum & homines, iuxta illud c. 3. 19. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligeris.* Vide ibi dicta. Huc allusit, imò hunc versum citavit B. Virgo canens hymnum: *Magnificat anima mea Dominum,* ait enim: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Ita Deus deposuit de solio Imperii, Diocletianum, & in eius locum exaltavit mitem Constantinum; ac arrogantem Eugenium, eique anteposuit humilem Theodosium, qui, ut canit Claudianus 4. Honorii Consul.

——Non insultare iacenti
Malebat, mitis precibus, pietatis abundans,
Pœna parcus erat: paci non intulit iram.
Post acies odiis idem, qui terminus armis.

Alexander Severus audiens a Mammæa matre: *Molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem imperii fecisti, tua lenitate & mansuetudine;* respondit: *Imò securiorem, & diuturniorem.*

Vers. 18. RADICES GENTIVM SVPERBARVM ARESECIT DEVS, ET PLANTAVIT HVMILES EX IPSIS GENTIBVS] Quod dixit v. præcedenti de principibus, nunc dicit de integris gentibus, eas scilicet, a superbia radicitùs esse euersas & evulsas, ac earum loco collocatas esse alias mites & humiles. Sicut enim, radice arboris euulsa, arescit & emoritur planta vel arbor: ita dum familiæ (hæ enim sunt gentium radices, è quibus filii, nepotes, & multiplicatio gentis, quasi rami è fibris radicis progerminant) intereunt, interit & gens ex iis conflata. Vnde pro *arefecit*, græcè, est ἐξέτιλε, vel ἔτιλε, id est, *euulsit.* ita Rom. Tigurina & alii. Syrus, *eradicavit*: licèt Complut. legant, ἐξῆρε, id est, *abstulit.* Rursum Complut. addunt, ἐν δόξῃ, id est, *in gloria:* sic enim habent, *Et plantavit pro illis in gloria* (in gloriosis regnis, thronis, urbibus & provinciis,) *humiles.* Ita septem Chananæorum gentes ob superbiam expulit ex terra sancta, quæ a Daniele cap. 8. v. 9. vocatur hebr. *tsebi*, id est, pulchritudo, decor, & gloria totius orbis, ac in ea pro illis collocauit Hebræos, qui inter gentes videbantur esse humillimi, imò fæces & quisquiliæ. Ita rursum Iudæos superbos humilem in Christum respuentes, in fide, gratia & gloria aresecit Deus, eisque surrogavit Gentiles humiliter se Christo subdentes.

Apologus humilitatis. Hujus sententiæ veritatem venustat apologus aeris & terræ apud Cyrillum lib. 2. Apolog. moral. cap. 1. cui titulus: *De bono humilitatis & malo superbiæ. Tumefactus aer,* inquit, *de latitudine corporali, & claritate substantiali, & sublimitate locali, spernendo terram eidem locutus est, dicens: Vt quid tu punctum opacum, semper deorsum manes: cur non interdum erigeris? quare non dilataris? At illa, in patientia firmamento humilitate fundata, patienter respondit: Ego quidem, quod asseris, fateor me esse punctum: sed hac tamen modicitate punctali corporis mundialis effecta medium, in sempiternum quiesco, cum tua tu semper magnitudine fluctues. Circa me totum cælum revoluitur, & vitalis eius influxus super mea stabilitate fundatur.* Deinde fusiùs humilitatis suæ fructus & dona recenset. *Quoniam opacum sum corpus, non sum effusa uti tu qui pervius es, imò virtutes cælestes retineo, pretiosissimis gemmis & metallis intrinsecùs ornata, vivis herbis, brutis, hominibus extrinsecùs sum decorata; utpote vita viventium, materque cunctorum, universa quæ in corpore vivunt diversorum bonorum planissimis uberibus alo. Verùm qui subtus omnia maneo, nulli umquam sum molesta, nisi cum à te mea viscera subintrante terræmotu concutior. Vt vitæ locus, quietis situs, & salutis portus, fixione perpetua gratis omnibus sum parata. Tu verò situs sursum. cum ad te confluentes vapores atque alta petentes suscipias, hinc densis nubibus dulci lumine viventia privas: hinc lethalia fulmina mandas, & coruscationum vegiferas emittis sagitas, & terribilia tonitrua fundis, & ventorum pondere rumpis, grandinis lapide conteris, procellarum turbine submergis: nimirum emissiones superbiæ tuæ gravissimæ sunt tempestates. Igitur melior est opaca humilitatis modicitas, quàm sublimitatis superbæ perspicuitas procellosa. Quibus dictis arrogantem confudit.* *Eius commoda.*

Mysticè, Deus in sanctis & religiosis viris, quos eximiè diligit, vitia quælibet, & vitiosos actus & habitus, qui ferè ex superbia oriuntur, & in seipsis superbi ac tumidi sunt, usque ad radicem consumit, dum eis gratiam efficacèm multiplicat, qua contrarias virtutes, quæ vitiis dominantur, inserit, corroborat & amplificat. Unde S. Gregor. 34. Moral. 18. *Vt Leviathan iste,* inquit, *in cunctis quæ superius dicta sunt caderet, sola se superbia percutit: neque enim putat illos vitiorum ramos arescere, nisi per hanc prius in radice putruisset.* Hoc est, quòd occinit Ezechiel c. 7. 10. *Ecce dies, ecce venit, egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia, iniquitas surrexit in virga, impietatis.* Vide ibi dicta. Vers. 19.

TERRAS GENTIUM EUERTIT DOMINUS, ET PERDIDIT EAS USQUE AD FUNDAMENTUM] A gentibus descendit ad terras quas incolebant, aitque eas pariter ob superbiam incolarum funditus esse eversas. Alludit ad conflagrationem Sodomæ & Pentapolis per ignem cælestem, quo regiones illæ antea fertilissimæ, factæ sunt sterilissimæ, imo conversæ in lacum Asphaltitem, ac proinde non tantum hominibus, sed & animalibus, piscibus, herbis, fructibus omnibus destitutæ & vacuæ, uti ostendi ex Iosepho & aliis Genes. 19 Tigurina. *Dominus evertit loca gentium, easque de terra funditus abolet.* Sed minùs rectè: non enim agitur de abolitione gentium, sed terrarum sive regionum. Unde græcè est femininum αὐτὰς, quod χώρας, id est, regiones, refert, non ἔθνη, id est gentes; ἔθνος enim græcè est generis neutri. Syrus tamen de gentibus quoque accipit, sed paraphrasticè potiùs vertit, quàm verbum verbo, & sententiam sententiæ reddit. Sic enim habet, *calcanea superborum subvertit Dominus, & perdidit de terra memoriam eorum.* Sic funditus eversæ sunt potentissimæ vrbes, Tyrus de qua Isaias cap. 23 Ninive, Babylon, Ecbatana, &c. adeò ut vix earum ruinæ supersint, ac dubitetur quo loco sitæ fuerint. Vers. 20

ARESECIT (ita Romana & alij, sed Complut. legunt ἐξῆρεν, id est, abstulit) DEUS EX IPSIS, ET DISPERDIDIT EOS, ET CESSARE FECIT MEMORIAM EORUM A TERRA] Iansenius sic explicat: Ex ipsis, inquit, terris, quas Deus evertit, exarescere fecit homines, ita ut omnes interirent. Verùm τὸ *arefecit* spectat potiùs terras, quàm homines: pertinet enim ad versum præced. *Terras gentium evertit Dominus,* &c. q. d. Ita terras gentium evertit Dominus, ut quasdam ex illis prorsus arefecerit, adeò ut nec hominem, nec vivens aliquod alant. Unde aliqui vertunt, *quasdam ex eis desolavit.* Grecum enim ξηραίνω, id est sicco, arefacio, ad terram pertinet: vnde ξηρὰ, vocatur terra arida. Nam alludit ad concremationem Sodomæ, quã ita Pentapolis arefacta est, ut videatur versa in cinerem & favillam, uti dixi Genes. 19 Unde de incolis subdit, *disperdidit eos;* grecè αὐτοὺς, masculinè, putà incolas: nam v. præced. cum de terris ageret dixit αὐτὰς, femininè. Sensus ergo est: q. d. Deus ex terris superborum nonnullas, vel Pentapolim, ita arefecit, ut incolas Pentapolitas cum omnibus animalibus & plantis ex ea disperdiderit, eorumque memoriam cessare fecerit, imò eorum memoriam converterit in æternam ignominiam & infamiam. Syrus, *perdidit eos, & eradicavit eos, & subvertit eos, & delevit ab hominibus memoriam eorum.*

Vers. 21. MEMORIAM SUPERBORUM PERDIDIT DEUS, ET RELI-

& tract. 10. in Joan. & ex eo Rabanus hic, Paulum cum Siracide conciliant, dicentes, superbiam esse avaritiam generalem, qua quis ampliùs appetit quàm oportet, propter excellentiam suam. *Quid avarius illo* (Adamo) *cui Deus sufficere non potuit?* ait S. August. Verùm græcè est, φιλαργυρία, quæ significat amorem pecuniæ, non excellentiæ, uti jam dixi.

Audi S. Gregor. lib. 34. Moral. c. 18. *Omnis peccati initium, superbia. Per hanc enim ipse* (Leviathan, id est, diabolus) *succubuit: per hanc se sequentem hominem stravit. Eo enim telo salutem nostræ immortalitatis impetivit, quo vitam suæ beatitudinis extinxit.* Et mox: *Sicut enim inferiùs radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecùs expanduntur: ita se superbia intrinsecùs celat; sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret.* Et inferiùs: *Alia quippe vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut, videlicet, ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnet: superbia autem* (*quam vitiorum radicem diximus*) *nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, ac quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit, ut, quidquid, illa invadente agitur, etiamsi esse virtus ostendatur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ serviatur. Quasi enim tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cùm mentem superbia irrumpit: & quo ditiorem quemque ceperit, eo in dominio durior exurgit: quia quo ampliùs res virtutis sine humilitate agitur, eo latiùs ista dominatur.*

S. Bernardus tract. de Interiori domo cap 41. *Superbia*, inquit, *sicut origo est omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum. Ipsa enim in peccato prima, ipsa in conflictu postrema. Ipsa aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut in fine de virtutibus deiicit.* Idem serm. 2. de S. Andrea: *Initium omnis peccati, & causa totius perditionis, superbia. Propterea quisquis es, qui salutem tuam operari studes, adversus hanc super caput tuum signum crucis habere memento, ut non eleveris in superbiam, ut non exaltetur cor tuum.* S. Fulgent. epist 3. ad Probam: *Superbia*, ait, *initium omnis peccati dicitur: ut omne peccatum de ipsa, tamquam de radice, pullulare monstretur, quæ multiplici modo miseris inferens mortem, publico certamine carnales deiicit: spirituales verò si quos incautos invenerit, occultiore conflictu prosternit.* Rursum S. Bernard. ser. 1. de Adventu: *Fugite*, inquit, *superbiam, fratres mei, quæso, multum fugite. Initium omnis peccati, superbia: quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clariùs micantem, æterna caligine obtenebravit Luciferum: quæ non modò angelum, sed angelorum primum in diabolum commutavit. Unde & protinus invidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem; suadens, ut lignum vetitum gustans, fieret sicut Deus sciens bonum & malum.* Idem in psalm. *Qui habitat. Ambitio*, ait, *subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. Quantos hæc pestis nequiter supplantatos turpiter deiecit, ut cæteri quoque quos latuit occultus effosor, subitò expavescerent ad ruinam? quantos nudi fecit in tenebras exteriores veste spolians nuptiali, & virtutum exercitio, & fructu pietatis evacuans?* Idem lib 3. de Consider. exclamat: *O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places! Nihil acerbiùs cruciat, nihil molestiùs inquietat, & nihil tamen apud miseros mortales maius est & celebrius.* S. Chrysost. homil 59. in Matth. *Nihil*, ait, *superbia peius, quæ mentis quoque vires à natura concessas ita deiicit, ut ex prudentibus stolidos & amentes efficiat. Nam, si quis cùm statura cubitum non superet, instar montium, imò altiorem se putet, ac ideò se quasi montes excelsiores erigat, utique insanus habebitur: sic pariter insanit, qui, cùm cæteris natura sit par, iis tamen maior esse & haberi contendit.* Unde subdit: *Certè quasi vile mancipium, & miserum captivum diabolus eum abducit, agitatque verberibus & mille contumeliis, quocumque velit.* Quocirca S. Gregor. 3. Moral. 18. *Vitiorum*, ait, *regina superbia, cùm devinctum planè cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit.* Hinc superbia evidens est signum reproborum, uti humilitas electorum, sicut passim docent Patres: *O quàm excelsus es, Domine; sed humiles sunt domus tuæ!* ait S. August. lib. 1. Confess. c. 5.

Porrò Pelagiani ex hanc Siracidis sententia contendebant, omne peccatum esse superbiam: *Tam peccare*, inquiebant, *superbire est, quàm superbire peccare. Nam omne peccatum, Dei contemptus est: & omnis Dei contemptus, superbia est. Quid enim tam superbum, quàm Deum contemnere? Omne ergo peccatum & superbia est, etiam Scriptura dicente: Initium omnis peccati superbia est.* Verùm hos refellit S. August. lib. de Natura & gratia c. 29. Esto enim in omni peccato sit generalis, id est, implicita & interpretativa quædam superbia, non tamen in omni est explicita, formalis & specifica. Unde non dicit Siracides, omne peccatum esse superbiam; sed initium sive originem omnis peccati esse superbiam: distinguitur ergo superbia ab omni peccato, sicut causa distinguitur à suo effectu.

QUI TENUERIT ILLAM, ab eaque se agi regique permiserit, ADIMPLEBITUR MALEDICTIS] Complut. ἐξυβρίσει βδέλυγμα, id est, *iniurabit abominationem*, id est, iniurias abominandas effundet. Meliùs Rom. legunt, ἐξομβρήσει βδέλυγμα, id est, *inundabit abominationem*, id est, multas abominationes instar undarum effundet; Tigurina, *qui præditus est ea profundet execrabilia, donec tandem subvertatur*; alii, *effundet tamquam imbrem abominationem*; alii, *circumfluet abominatione*. B. Anthiochus homil. 44. legit, *abundabit in illum abominatio*, id est, *replebitur maledictis*, ut vertit Noster, *& abominationibus*, id est, abominandis peccatis & culpis; consequenter & horrendis ac abominandis pœnis & tormentis, adeò ut eum planè evertant. Unde addit:

ET SUBVERTET EUM IN FINEM] scilicet, superbia subvertet suum possessorem, putà, superbum, *in finem*, id est, tandem, ad extremum, vel finali & extrema subversione; idque in hac vita, vel certè in futura, putà in gehenna: nam, ut dicitur Proverb. 16. *Abominatio est Domino omnis arrogans.* Rursum superbus repletur maledictis, quia omnes eum vituperant, multique illi maledicunt: omnes enim ejus fastum & mores arrogantes aversantur. Præclarè S. Bernard. serm. 17. in Cant. *Ergo*, ait, *in cælo concepit dolorem, & in paradiso peperit iniquitatem, prolem malitiæ, matrem mortis & ærumnarum omnium, prima parens superbia.* Cæterùm in homine misero damnabilior est superbia, quàm in nobili angelo: de quo idem serm. 54. *Si sic*, ait, *actum est cum angelo, quid de me fiet terra & cinere? Ille in cælo intumuit, ego in sterquilinio. Væ mihi, si tam durè in potente illo animadversum est pro eo quod elevatum est cor illius, nec ei profuit quòd cognata potentibus superbia esse cognoscitur, quid de me exigendum & misero & superbo?* Sed inquies: Ego sum rex, ego princeps, ego Episcopus, ego Doctor. Ornamenta hæc pulveris sunt. Quisquis hoc dicis, memento quia pulvis es & cinis; memento, quia es lutum inauratum auro regni, principatus, episcopatus, doctoratus.

Denique, sicut superbia fuit primum primi hominis & angeli peccatum, ex quo quasi fonte cetera promanarunt; sic ex adverso humilitas prima & propria est virtus Dei hominis, putà, Christi redemptoris, ex qua quasi fonte omnes virtutes & bona promanarunt & promanant. Unde S. Ambros. in psal. 118. serm. 18. *In paradiso*, ait, *defecit humilitas, & ideò venit è cælo. Humilitate Deus ipse factus homo, non modò nihil de dignitate sua dimisit, sed eam adeò conspicuam & præstabilem reddidit erga homines, ut eos Deus humilis & humiliatus suæ legi subiugaverit, & ad sui amorem & obedientiam converterit, quos Deus ipse de cælo fulgurans, & mundum maiestatis suæ magnitudine perterrefaciens, à dæmonum cultu ad sui obsequium numquam traduxit.*

PROPTEREA (propter superbiam) EXHONORAVIT DOMINUS CONVENTUS MALORUM, ET DESTRUXIT EOS USQUE IN FINEM] id est, in æternum; vel *in finem*, id est, usque ad finem & radicem, funditùs eos exscindendo. Vers. 16.

Pro *exhonoravit*, græcè est, παρεδόξασε: quod & dehonestare, & admirabilem facere significat. Paradoxum enim, idem est quod admirabile, præter opinionem communem, novum, insolens, inauditum, incredibile: unde Romana vertunt, *propter hoc incredibiles fecit Dominus obductiones*, id est, calamitates; alii, *ideo Dominus graves illustresque* (novas, insolitas, admirabiles, inauditas) *importat calamitates, & evertit eas in æternum.* Tigurina sequitur prius significatum, Nostroque consentiens vertit, *propterea Dominus agmina malorum afficit ignominia, & tales ad extremum subvertit*; Syrus, *propterea divisit*, vel *dispersit Deus percussiones* (vel perturbationes) *eorũ, & percussit illos plaga consummata*, id est, perfecta & undequaque absoluta. Noster legit συναγωγὰς, id est, conventus: iam legunt, ἐπαγωγάς, id est, inductio-

ductiones calamitatum & cladum, qua voce gaudet Siracides, uti dixi c. v. 2.

Perstringit priscas illustres clades superborum, eis a Deo ob superbiam inflictas, ut fabrorum Babel, quos Deus divisione linguarum mulctavit, & per totum orbem dispersit, Genes. 11. 8. item gigantum, quos Deus mersit diluvio, Genes. 6. vers. 4. & 17. item Sodomæ: nam, ut ait Ezechiel c. 16. 49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia.*

Vers. 17. SEDES DVCVM SVPERBORVM DESTRVXIT DEVS, ET SEDERE FECIT MITES PRO EIS] Græcè, *thronos sive solia principum detraxit Dominus, eorumque loco mansuetos constituit.* Mites opponit superbis: quia sub mitibus comprehendit & humiles: qui enim mitis est, est & humilis; sicut ex adverso, qui superbus est, est & asper. Unde Hebr. עני *ani*, vel *anauim*, & humilem, & mitem, & pauperem significat: hæc enim tria solent esse connexa. Quocirca Syrus vertit, *sedem superborum subvertit Dominus, & sedere fecit humiles loco eorum.* Ita superbos angelos detraxit è thronis cælestibus, in iisque collocavit Apostolos, aliosque homines mites & humiles. Sic superbo Balsatare è monarchia Assyriorum deiecto, surrogavit Darium & Cyrum, qui mites fuere erga Israelitas. Sic superbum Pharaonem demersit per mitem Moisem, Holofernem stravit per mitem Judith, Aman per Esther, Sennacherib per Ezechiam, Antiochum per Machabæos: denique Sauli inobedienti præposuit mitem David, iuxta illud psal. 131. 1. *Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis eius.*

Hinc discant principes, si velint in principatu esse longævi, illumque in posteros perpetuare, imperare mansuetè & humiliter: hoc enim conciliat Deum & homines, iuxta illud c. 3. 19. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligeris.* Vide ibi dicta. Huc allusit, imò hunc versum citavit B. Virgo canens hymnum: *Magnificat anima mea Dominum.* ait enim: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Ita Deus deposuit de solio Imperii Diocletianum, & in eius locum exaltavit mitem Constantinum; ac arrogantem Eugenium, eique anteposuit humilem Theodosium, qui, ut canit Claudianus 4. Honorii Consul.

——Non insultare iacenti
Malebat, mitis precibus, pietatis abundans,
Pœnæ parcus erat: paci non intulit iram.
Post acies odits idem, qui terminus armis.

Alexander Severus audiens a Mammæa matre: *Molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem imperii fecisti, tua lenitate & mansuetudine*; respondit: *Imò securiorem, & diuturniorem.*

Vers. 18. RADICES GENTIVM SVPERBARVM ARESECIT DEVS, ET PLANTAVIT HVMILES EX IPSIS GENTIBVS] Quod dixit v. præcedenti de principibus, nunc dicit de integris gentibus, eas scilicet, a superbia radicitùs esse euersas & evulsas, ac earum loco collocatas esse alias mites & humiles. Sicut enim, radice arboris euulsa, arescit & emoritur planta vel arbor: ita dum familiæ (hæ enim sunt gentium radices, è quibus filii, nepotes, & multiplicatio gentis, quasi rami è fibris radicis progerminant) intereunt, interit & gens ex iis conflata. Vnde pro *aresecit*, græcè, est ἐξέτιλε, vel ἔτιλε, id est, *euulsit*. ita Rom. Tigurina & alii. Syrus, *eradicavit*: licèt Complut. legant, ἀφεῖλε, id est, *abstulit*. Rursum Complut. addunt ἐν δόξῃ, id est, *in gloria*: sic enim habent, *Et plantavit pro illis in gloria* (in gloriosis regnis, thronis, urbibus & provinciis,) *humiles*. Ita septem Chananæorum gentes ob superbiam expulit ex terra sancta, quæ a Daniele cap. 8. v. 9. vocatur hebr. *tsebi*, id est, pulchritudo, decor, & gloria totius orbis, ac in ea pro illis collocauit Hebræos, qui inter gentes videbantur esse humillimi, imò fæces & quisquiliæ. Ita rursum Iudæos superbos humilem in Christum respuentes, in fide, gratia & gloria aresecit Deus, eisque surrogavit Gentiles humiliter se Christo subdentes.

Apologus humilitatis. Hujus sententiæ veritatem venustat apologus aeris & terræ apud Cyrillum lib. 2. Apolog. moral. cap. 1. cui titulus: *De bono humilitatis & malo superbiæ. Tumefactus aer*, inquit, *de latitudine corporali, & claritate substantiali, & sublimitate locali, spernendo terram eidem locutus est, dicens: Vt quid tu punctum opacum, semper deorsum manes: cur non interdum erigeris? quare non dilataris? At illa, in patientia firmamento humilitate fundata, patienter respondit: Ego quidem, quod asseris, fateor me esse punctum: sed hac tamen medicitate punctali corporis mundialis effecta medium, in sempiternum*

A *quiesco, cum tu a tu semper magnitudine fluctues. Circa me totum cælum revoluitur, & vitalis eius influxus super mea stabilitate fundatur.* Deinde fusiùs humilitatis suæ fructus & dona recensèt. Eius commoda. *Quoniam opacum sum corpus, non sum effusa uti tu qui pervius es, imò virtutes cælestes retineo, pretiosissimis gemmis & metallis intrinsecùs ornata, vivis herbis, brutis, hominibus extrinsecùs sum decorata; utpote vita viventium, materque cunctorum, universa quæ in corpore viuunt diversorum honorum plenissimis uberibus alo. Verùm qui subtus omnia maneo, nulli umquam sum molesta, nisi cum à te mea viscera subintrante terræmotu concutior. Vt vitæ locus, quietis sinus, & salutis portus, fixione perpetua gratis omnibus sum parata. Tu verò situs sursum. cum ad te confluentes vapores atque alta petentes suscipias, hinc densi nubibus dulci lumine viventia privas: hinc letalia fulmina mandas, & coruscationum vegiferas emittis sagittas, & terribilia tonitrua fundis, & ventorum pondere rumpis, grandinis lapide conteris, procellarum turbine submergis: nimirum emissiones superbiæ tuæ gravissimæ sunt tempestates. Igitur melior est opaca humilitatis mediocritas, quàm sublimitatis superbæ perspicuitas procellosa. Quibus dictis arrogantem confudit.*

B Mysticè, Deus in sanctis & religiosis viris, quos eximiè diligit, vitia quælibet, & vitiosos actus & habitus, qui ferè ex superbia oriuntur, & in seipsis superbi ac tumidi sunt, vsque ad radicem consumit, dum eis gratiam efficacèm multiplicat, qua contrarias virtutes, quæ vitiis dominantur, inserit, corroborat & amplificat. Unde S. Gregor. 34. Moral. 18. *Vt Leviathan iste*, inquit, *in cunctis quæ superius dicta sunt caderet, sola se superbia percutit: neque enim putas illos vitiorum ramos arescere, nisi per hanc prius in radice putruisset.* Hoc est, quòd occinit Ezechiel c. 7. 10. *Ecce dies, ecce venit, egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia, iniquitas surrexit in virga, impietatis.* Vide ibi dicta. Vers. 19.

TERRAS GENTIUM SUBVERTIT DOMINUS, ET PERDIDIT EAS USQUE AD FUNDAMENTUM] A gentibus descendit ad terras quas incolebant, aitque eas pariter ob superbiam incolarum funditus esse euersas. Alludit ad conflagrationem Sodomæ & Pentapolis per ignem cælestem, quo regiones illæ antea fertilissimæ, factæ sunt sterilissimæ, imo conversæ in lacum Asphaltitem, ac proinde non tantum hominibus, sed & animalibus, piscibus, herbis, fructibus omnibus destitutæ & vacuæ, uti

C ostendi ex Iosepho & aliis Genes. 19 Tigurina. *Dominus evertit loca gentium, easque de terra funditus abolet.* Sed minùs rectè: non enim agitur de abolitione gentium, sed terrarum sive regionum. Unde græcè est femininum αὐτάς, quod χώρας, id est, regiones, refert, non ἔθνη, id est gentes; ἔθνος enim græcè est generis neutri. Syrus tamen de gentibus quoque accipit, sed paraphrasticè potiùs vertit, quàm verbum verbo, & sententiam sententiæ reddit. Sic enim habet, *calcanea superborum subvertit Dominus, & perdidit de terra memoriam eorum.* Sic funditus eversæ sunt potentissimæ vrbes, Tyrus de qua Isaias cap. 23 Ninive, Babylon, Ecbatana, &c. adeò ut vix earum ruinæ supersint, ac dubitetur quo loco sitæ fuerint. Vers. 20

ARESECIT (ita Romana & alij, sed Complut. legunt ἐξῆρεν, id est, abstulit) DEUS EX IPSIS, ET DISPERDIDIT EOS, ET CESSARE FECIT MEMORIAM EORUM A TERRA] Iansenius sic explicat: Ex ipsis, inquit, terris, quas Deus evertit, exarescere fecit homines, ita ut omnes interirent. Verùm τὸ *aresecit* spectat potiùs terras, quàm homines: pertinet enim ad versum præced. *Terras gentium evertit Dominus*, &c. q. d. Ita terras gentium evertit Do-

D minus, ut quasdam ex illis prorsus aresecerit, adeò ut nec hominem, nec vivens aliquod alant. Unde aliqui vertunt, *quasdam ex eis desolavit.* Grecum enim ξηραίνω, id est sicco, arefacio, ad terram pertinet: vnde ξηρά, vocatur terra arida. Nam alludit ad concremationem Sodomæ, quâ ita Pentapolis arefacta est, ut videatur versa in cinerem & favillam, uti dixi Genes. 19 Unde de incolis subdit, *disperdidit eos*; grecè αὐτούς, masculinè, putà incolas: nam v. præced. cum de terris ageret dixit αὐτάς, femininè. Sensus ergo est: q. d. Deus ex terris superborum nonnullas, vti Pentapolim, ita aresecit, ut incolas Pentapolitas cum omnibus animalibus & plantis ex ea disperdiderit, eorumque memoriam cessare fecerit, imò eorum memoriam converterit in æternam ignominiam & infamiam. Syrus, *perdidit eos, & eradicavit eos, & subvertit eos, & delevit ab hominibus memoriam eorum.* Vers. 21.

MEMORIAM SUPERBORUM PERDIDIT DEUS, ET RELI-

RELIQUIT MEMORIAM HUMILIUM SENSU] *Sensu*, id est mente & spiritu, qui scilicet in mente humiliter de se sentiunt seque totos humiliant & prosternunt sub potenti manu Dei. *Memoriam* intellige cum honore & laude coniunctam, celebrem, illustrem; hanc enim soli consequuntur humiles & sancti: alioqui gigantes, Sodomitæ, aliique superbi sunt in memoria, sed ignominiosa & infami. Hic versus iam deest in Græco & Syro: olim tamen extitisse liquet ex S. Fabiano epist. 2. qui illum citat. Hoc est quod ait Psaltes psalm. 111. vers. 6. *In memoria æterna erit iustus*, uti videmus fieri in sanctis Apostolis, Confessoribus, Virginibus, Martyribus, quorum memoriam festo honoramus.

Humilitatis officia longævos faciunt reges.

Audi humilitatis officia, quæ reges & regna faciunt longæva & felicia, ex S. August. lib. 5. de Civit. cap. 24. *Felices*, inquit, *eos dicimus si iustè imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium, non extolluntur, sed se homines esse meminerunt: si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, maiestati eius famulam faciunt: si Deum timent, diligunt, colunt: si plus amant illud regnum ubi non timent habere consortes, ac se tardiùs vindicant, facilè ignoscunt: si eamdem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque reipubl. non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt: si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent: si quod asperè coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensant: si luxuria tantò eis est castigatior, quantò posset esse liberior: si malunt cupiditatibus priùs quàm quibuslibet gentibus imperare.*

Vers. 22. NON EST CREATA HOMINIBUS SUPERBIA] Error & excusatio superborum est, quòd censeant, dicantque, superbiam esse magnanimitatem concreatam homini, eique à natura insitam & ingenitam, tum, ut se contra invadentes defendat, tum, ut ad magna aspiret; ideoque humilitatem esse vitium naturæ tendens ad ejus depressionem noxam & interitum: quocirca humilitas apud Gentiles fuit in vitio & vituperio, ideoque exosa, imò incognita.

Refellit hoc Siracides, dicens, non esse creatam hominibus superbiam; quod Primò, sic accipi potest: q. d. Superbia non est hominibus concreata, & congenita, superbia non est hominibus à natura insita, vel à Deo creatore indita, sed aliunde, putà à dæmone, ascita, & per peccatum homini impressa: superbia ergo, non est homini naturalis, sed potiùs naturæ vitium: ortum enim habuit à natura, non sana & integra, sed per vitium corrupta: Deus enim creavit Adamum rectum & humilem. Ita Rabanus: *Vitia*, inquit, *non sunt creata in hominibus, sed perversa voluntate rationabilis animi reperta. Initium enim superbiæ hominis apostatare à Deo fecit: quoniam ab eo qui fecit eum, recessit cor eius.* Et S. Antiochus hom. 44. *Non est concreata*, inquit, *homini superbia; non enim naturalis est superbia, sed contumacissimi dæmonis simulacrum.* ita & Glossa, Hugo. Jansen. Dionys. Palacius, & alij.

Secundò, & magis appositè q. d. Superbia non est pro hominibus creata, sed pro feris & belluis. Natura enim inseuit leoni, tigridi, pardo, &c. animos ingentes & superbos, quia feræ sunt: at homini, qui homo & humanus est, insevit potiùs modestiam, æquitatem, mansuetudinem, & humilitatem. Unde Syrus vertit, *non est divisa* (id est, ut portio assignata) *superbia hominibus, & elatio cordis filiis mulierum*: q. d. Superbia non est pars & sors hominum, sed ferarum vel dæmonum, ut belluini sint qui eam assumunt: quod enim in belluis est natura, & cum natura inditum, hoc in hominibus est vitium, & peccati affectus. Hinc animalis pars hominis, in qua residet concupiscentia & superbia, nobis est cum feris & bestiis communis, imò genericè eadem; sed in homine parti rationali, quasi dominæ, subditur, qua carent bestiæ. Rursum in statu innocentiæ planè supprimebatur à justitia originali, quam per peccatum perdidimus: eaque perdita, ex parte animali recrevit concupiscentia & superbia: recrevit ergo ex peccato. Si tamen homo conditus fuisset in statu puræ naturæ, tunc concupiscentia superbiæ fuisset ei naturalis, non quidem ut bonum aliquod naturæ, sed ut defectus, & quasi morbus quidam naturæ, ex conditione materiæ consequens. Uide Bellarm. lib. 5. de Amissione gratiæ cap. 15. Audi & S. Augustinum, qui lib. 2. de Peccat. orig. cap. 4. loquens de concupiscentia, cujus reatum dicit esse originale peccatum, ut patet ex capitibus sex præce-

A dentibus, sic ait: *Comparatur homo pecoribus per vitium, non per naturam; non pecoris vitio, sed natura. Tanta namque excellentia est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis, natura sit pecoris.* Idem lib. 4. adversus Julian. cap. 5. *Hæc autem libido*, inquit, *ideò malum non est in belluis, quoniam non repugnat rationi, qua carent.* Et cap. 14. *Ideò*, inquit, *in pecoribus malum non est concupiscentia, quia non adversus spiritum concupiscit, sed eorum potiùs oblectat spiritum.* Et in psal. 103. concione 4. *Quod equo*, inquit, *natura est, homini crimen est.*

NEQUE IRACUNDIA (Græcè, *neque ira furoris*, id est, *ira furibunda*) NATIONI MULIERUM) Tigurina *progeniei mulierum*. Putant aliqui hæc dici de mulieribus: q. d. Sicut superbia est vitium virorum, ita iracundia mulierum; nam mulieres solent esse iracundæ: at hæc iracundia non est eis ingenita à natura, sed ex peccato & vitio naturæ ascita. Ita Palacius, qui & rationem addit: *Nam illi irasci convenit*, inquit, *cui convenit posse sumere de hoste vindictam: at id femina minimè potest. Nata est enim femina ut obediat, non ut ira excandescat. Mulier fortis fusum apprehendat, non arma. Molle corpus illi natura dedit, cur falsò vult sub molli corpore durum gerere cor? Verba illi natura* B *dedit suavia & blanda, quibus corda virorum demulceat, non quibus flammas evomat.*

Verùm potiùs hæc dicuntur de hominibus à muliere genitis: *natio* enim *mulierum*, Græcè γέννημα, sunt filii à mulieribus geniti, ut vertit Syrus, & alii: γέννημα enim est fœtus, germen, progenies, editum vel enatum, à γεννάω, id est, genero, gigno, produco. Adde, Græcè est γεννήμασι, in plurali, id est, *generationibus*, putà prolibus generatis à muliere. Jungit iracundiam superbiæ, quasi filiam matri: q. d. Superbia, & ex ea fluens iracundia, non est creata ex natura hominum, nec pro natura hominum, sed per dæmonem & peccatum inducta: homines enim cum ex muliere fragili & infirma gignantur, potiùs occasionem habent magnæ humilitatis & mansuetudinis, quàm iræ & superbiæ. Porrò Rabanus; *Bene dicitur*, inquit, *iracundiam nationi mulierum non esse creatam, quia per mollitiem animi, quam sexus muliebris denotat, iracundiæ vitium surgit; quod tamen per constantiæ virtutem superatur & opprimitur.* Mollities enim & infirmitas, quia ad tolerandum invalida, hinc cùm occurrunt adversa & tristia, ilicò fit C impatiens & irascitur. Constantia verò roburque animi, quia ad tolerandum valet, hinc in adversis patiens est, & placida. Uerùm cùm infirmitas, infirmaque mulier, & muliere natus, considerant penitus seipsos; ponunt iras & animas. Potentum enim est, irasci; infirmorum & miserorum, gemere & precari. Audi Job cap. 14. 1. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium?* q. d. Homo undique miseriis obrutus, est obiectum misericordiæ, non judicii & iræ: quare indignum est eum superbire & irasci, dignum verò misericordiam Dei & hominum implorare. Ex muliere enim, putà ex matre Eua, trahit hoc ærumnarum pelagus. Igitur sicut pauo caudam explicans, syrmaque suum tot plumis ocellatum pictumque intuens, turgescit; sed, dum oculos ad pedes deformes reflectit, detumescit, syrmaque contrahit: sic tu ò homo, qui dotibus animi & corporis superbis, intuere pedes tuæ vilitatis & miseriæ, ut ex illa discas D humiliari, ex hac gemere & obsecrare. Pavo caudam suam explicat & ostentat, cùm plurimos habet suæ pompæ spectatores, teste Plinio lib. 20. cap. 20. Tu Deum & Angelos universos tuæ vilitatis æquè ac humilitatis habes spectatores. Illis ergo gratum hoc spectaculum exhibe.

SEMEN HOMINUM HONORABITUR HOC, QUOD TIMET DEUM: SEMEN AUTEM HOC EXHONORABITUR (dehonestabitur) QUOD PRÆTERIT MANDATA DOMINI] Vers. 23. Congruè à superbia transit ad timorem Dei, huncque illi per antithesin opponit: sicut enim initium omnis peccati est superbia, sic timor Dei initium est sapientiæ, id est humilitatis, omnisque virtutis. Porrò superbi se per superbiam extollunt hoc fine, ut honorentur, ne, si se humilient, despiciantur. hæc est superbiæ radix. Hic ergo oppositum docet Siracides, itaque mali, putà superbiæ, radicem succidit: q. d. Verus honor apud Deum & homi-

mines consistit, non in fastu & ostentatione sui; sed in timore Dei: quare timens Deum honorabitur; qui autem non timent Deum, sed superbè transgrediuntur mandata Dei, hi despiciuntur & confunduntur, tum in hac vita, tum magis in futura: Deus enim superbos humiliat, humiles exaltat. Vera ergo gloria hominis est timor Dei, & humilitas, quia per hæc ex homine, imò fera vel dæmone, fit Angelus, homo divinus, & quasi Deus quidam terrestris similis Christo Dei filio, ideoque summè honorandus. Timor enim Dei dat homini esse divinum, quod longè superat omne esse naturale quocirca timens Deum nobilior & celsior est non tantùm quovis rege & principe, sed & quovis Angelo, si sola eius natura angelica spectatur. Timens enim Deum est filius & heres Dei, eoque fruetur in æternum.

Sententia hæc copiosior est in Græco: sic enim habent Græca Romana, *semen honoratum quale? semen hominis. Semen honoratum quale? ij qui timent Dominum. Semen inhonoratum quale? semen hominis. Semen inhonoratum quale? qui prætereunt mandata*; Complut. verò sic, *semen securitatis, qui timent Dominum: & honorata plantatio* (vel *pretiosa planta*) *qui diligunt illum. Semen ignominiæ, qui non attendunt legi: semen erroris, qui transgrediuntur mandata*; Tigur. *est semen honorificum, qui Dominum reverentur: est semen infame, qui præcepta violant. Semen stabile* (Vatabl. *fidum* vel *tutum*) *sunt qui reverentur Dominum, & honesta planta qui eumdem diligunt. Semen infame sunt qui legem negligunt, & semen fallax* (vel *vanum*) *qui præcepta violant*; Syrus, *semen pretiosum* (vel etiam *onerosum & grave*) *quod seminatum est homini. semen pretiosum ille qui timet Dominum. Semen pretiosum ille qui custodit mandatum. Semen contemptibile* (vel etiam *illecebrosum, voluptuosum*) *quod seminatum est homini. Semen contemptibile ille qui non facit mandatum*, quæ omnia magnifica sunt elogia timoris & timentis Deum. Ex dictis liquet verum hominis honorem, dignitatem & nobilitatem consistere in timore Dei, ut is sit dignior & nobilior in conspectu Dei & Angel. qui magis timet, colit, amat & reveretur Deum.

Vera nobilitas est timor Dei.

Hac nobilitate nobilis & illustris fuit Noë, quem proinde ita celebrat Script. Genes. 6. 9. *Hæ sunt generationes Noë: Noë vir iustus atque perfectus in generationibus suis.* Causam dat ibidem S. Ambros. lib. de Arca & Noë cap. 4. *Noe*, inquit, *non genere, sed iustitia laudatur: probati enim viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus homines; ita animarum genus, virtutes sunt.* Hinc & *cum Deo ambulavit*, quasi æqualis cum æquali, amicus cum amico. Quæ nobilitas posset esse maior? plura hac de re dixi Genes. 6. 9. Sic & Plato, Cicero, Aristot. veram nobilitatem constituerunt non in sanguine, sed in virtute, uti alibi ostendi. Hinc & Sancti in honore prælati fuere regibus. Sic Pharao supplex fuit Mosi, ut plagas Ægypti sisteret. Dixerat enim illi Deus: *Ecce constitui te Deum Phar.* Exod 7. 1. Sic Iosue c. 10. non tantùm regibus terræ, sed & cælis imperavit sistendo solem & lunam. Sic Achab reveritus est Eliam, Ioram Eliseum, Ieroboam Ahiam, Ezechias Isaiam, Nabuchodonosor Ieremiam, Darius Danielem, Alexander Iaddum pont. Antiochus Oniam, Constantinus Antonium, Valens Basilium, Arcadius Chrysostomum, Constantius Athanasium, &c. Et quis nescit sanctos Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines honore plusquam humano coli à regibus & Imperatoribus?

Vers. 24. In medio fratrum rector illorum in honore: et qui timent Dominum, erunt in oculis illius] non rectoris, q. d. Rector peculiarem curam habebit timentium Dominum; ut explicat Dionys. & Palacius: sed Domini. Rursum repetit τὸ *in honore*: q. d. Sicut in honore apud fratres est primogenitus, quasi caput & rector ceterorum; item sicut honoratur à cœtu vel congregatione vnanimiter instar fratrum viventium, Rector vel Præpositus, tamquam vicarius Dei, repræsentans divinam maiestatem mundi gubernatricem, iuxta illud: *Ego dixi, Dii estis*, psalm. 81. 2. sic pariter, imò magis, in honore sunt in oculis Dei, hoc est apud Deum, illi qui timent Dominum. Comparat enim timentes Dominum cum rectore, quòd sicut hic à subditis hominibus, sic ille à Deo honoretur. Quo significat, timorem Dei maiorem esse honorem, quàm sit rectoratus, quia timor hic magis honoratos efficit timentes Deum, quàm rectoratus. Summus enim honor est honorari apud Deum, imò à Deo. Hunc esse sensum patet ex sequentibus anthithesibus, quibus pari modo cum aliis rebus comparat, iisque præfert timorem Dei: & ex versione Syri, quæ sic habet, *inter fratres natu grandior honorabilis est, & qui timet Dominum honorabilis est præ illo*; & Tigurinæ, quæ sic habet, *inter fratres qui præest ipsis, honore excellit: at præ ipso qui reverentur Dominum.*

Audi quæ de rectore & rectrice sancit S. August. epist. 109. vbi sanctimonialibus regulam vitæ præscribit: *Præposita tamquam matri obediatur, honore servato, ne in illa offendatur Deus: multò magis presbytero qui omnium vestrum curam gerit.* Et mox: *Ipsa verò non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem. Honore coram hominibus prælata sit vobis, coram Deo substrata sit pedibus vestris. Circa omnes seipsam bonorum operum præbeat exemplum: corripiat inquietas, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmas, patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat, metuens imponat. Et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus à vobis amari appetat quàm timeri, semper cogitans Deo se pro vobis reddituram esse rationem. Unde magis obediendo non solùm vestri, verumetiam ipsius miseremini, quæ inter vos quanto in loco superiore, tanto in periculo maiori versatur.* Et paulò antè. *Quando autem necessitas disciplinæ minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur ut ab eis veniam postuletis, ne apud eas quas oportet esse subiectas, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas: sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eas quas plus iusto fortè corripitis, quanta benevolentia diligatis.*

Post hunc versum Complut. addunt alium, nimirum: προλήψεως ἀρχὴ φόβος κυρίου, ἐκβολὴ δὲ ἀρχῆς σκληρυσμὸς καὶ ὑπερηφανία, id est, *antesinem, initium, timor Domini: abiectio autem principatus, obduratio & superbia.* Vel, vt clariùs vertit Tigurina, quæ pro ἀρχὴ legit ἀρχῆς: *Ne deficiat imperium; obstat religio Domini: duritia verò & superbia imperium amittitur.* q. d. Principes pij sua pietate & religione confirmant & perpetuant imperium (vti promissum & præstitum Austriacæ domui conspicimus;) impij verò & superbi sua impietate & superbia illud abbreviant & disperdunt. Uiri docti probabiliter suspicantur vice προλήψεως legendum προσλήψεως; vnde sic vertunt, *amplificationis principium est timor Domini, eiectio autem principatus est obduratio & superbia*: q. d. Timor Domini est causa amplificationis principatus, ex adverso obduratio & superbia, est causa, cur princeps eiiciatur è principatu.

Vers. 25. Gloria divitum, honoratorum, et pauperum, timor Dei est] Pro *gloria* græcè est, καύχημα, id est gloriatio; sensus ergo est q. d. Gloriandum est tam diviti quàm pauperi, tam honorato quàm plebeio, non in divitiis, nec in arte qua quis excellit, sed in timore Dei: hic enim si adsit, supplet & præstat omnia: si desit, frustra adsunt cetera omnia. Unde Tigurina vertit, *tam divitis & honorati, quàm pauperis decus est, religio Domini*; Syrus, *peregrinus extraneus qui pauper est, & angustiatus sibi, gloria eius in timore Dei.* q. d. Peregrinus & pauper non deiiciat animum, nec angustietur ob suam paupertatem, & quod peregrè degat; sed potius glorietur quòd timeat Deum: timor enim Dei conciliabit ei Deum, qui opes sufficientes, custodiam & directionem per quaslibet gentes & vias ei præstabit. Alludit ad Ierem. 9. 23. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me.* Uide ibi dicta.

Vers. 26. Non despicere (corrige cum Romanis, *noli despicere*) hominem iustum pauperem, et noli magnificare virum peccatorem divitem] Græcè, *ut pauperem cordatum non est æquum ignominia afficere, ita virum divitem scelerosum honorari non convenit.* ita Tigurina. Syrus, *non est cur ignominia afficias pauperem iustum, neque cur honores divitem iniquum.* Educit hanc sententiam quasi conclusionem ex præcedenti: *Gloria divitum honoratorum & pauperum timor Dei*: inde enim sequitur eos qui præditi sunt timore Dei, ideoque sunt iusti, esse honorandos, licet sint pauperes; eos verò qui illo carent, non esse magnifaciendos, esto sint divites: sicut enim verò honore dignum non faciunt opes, sed iustitia & virtus; sic contemptu & dedecore dignum non facit paupertas, sed iniquitas. Huc alludens S. Iacobus cap. 2. vers. 3. graviter insectatur personarum acceptionem, quâ dives præponitur pauperi. Si enim diviti *dixeritis*, inquit: *Tu*

Moral. de honorando iusto paupere.

sede

sede hic bene, pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum; nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? Vide ibi dicta.

Præclarè S. Paulinus epist. ad Alethium, qui fuit maritus Ruffinæ, filiæ S. Paulæ, eaque defuncta opes mundumque contemnens se totum Deo dicavit: *Vide*, inquit, *rationem, facilè iudicabis parricidali crimine contemni pauperes nostro arbitrio, quos nullo videmus à nobis Dei opere discretos. Quomodo enim excludamus à nostris modicis habitationibus, quos Deus unà nobiscum istius mundi conclusit domo? quomodo dedignemur terrenæ possessionis usu facere participes, quos & in una divinæ originis unitate consortes habemus?* Et superiùs laudans voluntariam ejus paupertatem Evangelicam, quam & ipse Paulinus profitebatur: *Tibi*, inquit, *frater in Christo unanime, cui sub hac pæna metus, & cum illa sede communitas, cuius os benedictione plenum est, cuius divitiæ ubera pauperum sunt, cuius domus hospitium Christi est, qui non iacere mendicum ante januam tuam epulante te sustines, sed contrà tectis tuis latus inducis, aut tecum epulaturum, aut etiam ieiunante te saturandum. Tibi felix à peccatis egestas, & beatæ in virtutibus opes sunt. Tu & inter illos pauperes iure numeraberis, quorum est regnum cælorum; & inter illos divites, quorum possessio civitas firma est; quia spiritu Dei dives es, & tuo pauper.* Et S. Chrysost. homil. 18. in epist. ad Hebr. *Nihil*, ait, *opulentius eo qui paupertatem sponte diligit, & eam alacriter suscipit.* Fides enim & pietas opes fidelium sunt, uti docet S. August. lib. 1. de Civit. cap. 10.

Ex adverso Epictetus apud Stobæum serm. 2. *Sicut*, ait, *viperam aut aspidem in eburneo aureoque scrinio, inspiciens, non propter materiæ pretium ipsa diligis, aut magni facis tamquam felicia animalia, sed potiùs propter naturæ ipsarum exitialem vim abhorres ac detestaris: sic etiam in divitiis & fastu fortunæ malitiam videns inesse, non ad materiæ splendorem obstupesce, sed morum pravitatem contemne.*

Vers. 27. MAGNUS, ET IUDEX, ET POTENS EST IN HONORE: ET NON EST MAIOR ILLO QUI TIMET DEUM) &, id est, *ac, sed*, q. d. Magnates, judices, & potentes sunt in honore, & magni apud homines: at non sunt majores timente Deum; quia timor Dei super omnia se superposuit, ut audiemus cap 25. 14. Unde Græca habent μεγιστᾶνες, id est, *magnates, iudices, & dynastæ honorabuntur, & non est aliquis eorum major timente Dominum.* Aliqui legunt in singulari μεγιστὰν, quod noster Interpres vertere solet *magnas*. Unde Cardin. Sirletus, teste Francisco Luca in Notis ad hunc locum, censuit pro *magnus* legendum *magnas*. Porrò varia est hic codicum Latinorum lectio. Plerique enim legunt, *magnus est dives, & iudex, & potens in honore*: sed pro *est* legendum &, ita legunt Romani codices, idque exigunt Græci & Syri. Unde Tigurina vertit, *proceres, rectores & potentes florent honoribus: attamen nemo eorum reverente Dominum maior est.*

Vers. 28. SERUO SENSATO; græcè, σοφῷ, id est, prudenti, sapienti, intelligenti, LIBERI SERVIENT, ET VIR PRUDENS ET DISCIPLINATUS NON MURMURABIT CORREPTUS, ET INSCIUS NON HONORABITUR) Est sententia hæc in Latino trimembris, in Græco ex more bimembris: in eo enim tertium membrum deest, æquè ac Syro, qui sic habet, *servo sapienti liberi servient, & vir sapiens cum corripitur non fremet.* Quare Jansenius more suo censet, tertium membrum additum ab Interprete Latino explicationis gratia. Verùm sic non haberet auctoritatem canonicam S. Script. quod repugnat Concil. Trident. sess. 4. præsertim quia illud proprium habet sensum, imò antithesin cum duobus membris præcedentibus: quare explicationis gratia additum dici nequit. Sic ergo tria hæc membra inter se connecto, applico & explico. Sensus, id est, prudentia, & sapientia, adeò præstans est dos, ut etiam servos non tantùm liberos, sed & dominos ac rectores efficiat, adeò ut ἐλεύθεροι, id est, homines liberi, ei serviant, imò servire & obedire gaudeant: quocirca etiam cùm ab eo corripientur, non ægrè ferent: quia *vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus;* græcè παιδευόμενος, id est, cùm instruitur, eruditur, arguitur, corripitur, sed potiùs sensato se corripienti gratias aget, quòd maculam hanc & nævum non vesti, nec faciei, sed moribus & animæ inhærentem, eamque turbantem aperverit, correxerit, emacularit. Sequitur tertium membrum: *Et Inscius non honorabitur. Inscium* sive indoctum vocat imprudentem, indisciplinatum, insensatum*, qui indignus est honore, id est, functione honorata. Opponit enim eum servo sensato; cui liberi serviant: q. d. Sensatus, etsi servus sit, dignus est qui alios regat, & cui ceteri serviant: at insensatus, esto dives & nobilis, indignus est qui alios regat, cùm ipse potiùs quasi cæcus regi ducique debeat. ita Palacius. Vnde Tigurina vertit, *neque enim honoribus afficietur imperitus.* Secundò Lyran. tertium hoc membrum connectit cum secundo, quasi eius sit antithesis: q. d. Vir prudens, ideoque laude & honore dignus, est, qui correptus non murmurat, sed erratum corrigit: at inscius ac imprudens, qui non sustinet se, etiam dum malè agit, monere & corripi, indignus est honore: unde non honorari, sed ut insipiens & arrogans despici & contemni solet.

Primo membro alludit ad Proverb. 10. 14. *Filius eruditus sapiens erit, imprudente autem ministro utetur.* Hoc enim re idem est cum eo: *Servo sensato liberi* minùs sapientes, ideoque imprudentes, *servient.* Causam dat Seneca lib. 3. de beneficiis: *Si quis existimat*, inquit, *servitutem in totum hominem descendere, fallitur; pars eius melior est excepta; corpora obnoxia sunt, & ascripta dominis, mens quidem sui iuris est.* Rursum qui benè servit, dignus est qui regat: ideoque benè servire, egregia est dispositio ad benè regendum. Unde Plato, & ex eo Plutarch. in Reip. gerendæ præceptis: *Qui ante non servierunt*, inquit, *dominare recte non possunt.* & Aristot. lib. 7. Politic. *Necesse est*, ait, *futurum principem, subditum fuisse.* Nam, ut ait S. August. lib. 19. de Civit. cap. 15. *Sicut prodest humilitas servientibus; sic nocet superbia dominantibus.* Unde fidelibus & sanctis servitus est libera, imò libertas: nam, ut idem ait in psal. 99. *Libera servitus est apud Dominum, ubi non necessitas, sed charitas servit. Servum te charitas faciat, quia liberum te veritas fecit.* Sic & Ambrosiaster in illud 1. Corinth. 7. *Qui in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: ereptus enim à peccatis*, inquit, *qua verò servos probant, libertus fit. Hic enim omnino servus est, qui imprudenter agit: sicut & veteribus placuit, qui omnes sapientes liberos appellarunt, imprudentes servos. Unde Salomon: Servo*, inquit, *sapienti liberi servient.* Quocirca Diogenes, teste Laertio lib. 6. bello captus, & in servum venditus, cùm ab hero audiret: *Vide ut iussis meis obtemperes;* respondit ἄνω τὰ ποταμῶν, id est, *sursum flumina. Si medicum emisses æger, nonne illi obtemperares? multò magis decet herum animo ægrum, auscultare servo philosophiæ perito.* q. d. Virum sapientem, qualis ego sum, homini insipienti, qualis es tu, inservire, res est præpostera, & contra naturam, velut si quis contra cursum fluminis contendat. Idem Diogenes rogatus à præcone, quo titulo licitari vellet, respondit: *Novi hominibus liberis imperare;* quia, ut ait Siracides, *servo sensato liberi servient.* τὸ enim *liberi*, hic non significat filios, sed libertate gaudentes: hi enim græcè vocantur ἐλεύθεροι. Ita Iosepho à fratribus in servum vendito, ob sapientiam & futurorum prænotionem, servivit libera Ægyptus, Hinc & veteres, si quem servum nacti essent sapientia & prudentia pollentem, præficiebant filiis, totique familiæ, adeoque, si filii deessent, eum adoptabant, & hæredem instituebant. Quod etiamnum faciunt Turcæ, uti superiùs dixi, iuxta illud Prov. 17. v. 2. *Servus sapiens dominabitur filiis stultis, & inter fratres hereditatem divides.*

Sapiens esto, servias, est liber.

Ita Daniel ob sapientiam, captivus licet & servus, cum tribus sociis, Anania, Azaria & Misaele, à Dario & Nabuchodonosore præpositus fuit omnibus provinciis Babylonis, Daniel. 2. 49. Hic verum est illud Horatii l. 1. epist. 1.

Servi dominātes heris.

Ad summum, sapiens uno minor est Iove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Ita Servius Tullius è serva (unde & Servius appellatus) matre, putà Ocrisia, Tanaquilis reginæ, uxoris Tarquinii Prisci, ancilla natus, creatus est rex Romanorum, ac Tarquinio in regno successit, teste Plinio lib. 35. cap. 18. qui multos Romanorum servos libertate donatos recenset qui ad regimen magnasque dignitates evaserunt, ut Chrysogonum Syllæ, Amphionem Q. Catuli, Heronem L. Luculli; Demetrium Pompeij, Hipparchum M. Antonij. Talis quoque apud Claudium Imp. fuit Pallas, eiusque frater Felix ex servo creatus præses Syriæ, coram quo S. Paulus à Iudæis accusatus causam suam egit, Actor. 24. 3. In his locum habet proverbium, *De remo ad regnum, de coma* (servi enim comam alebant) *ad coronam, de furca ad sceptrum:* servi enim collo furcam gestabant; unde furciferi dicebantur. Diogenes teste Laertio libr. 6. cùm emptus à Xeniada, ei serviret, ac amici agerent de eo liberando: *Nequaquam,*

quam, inquit, *an nescitis leones non iis servire à quibus aluntur, sed altores potiùs servire leonibus? nam leo ubicumque est, semper leo est.*

Præclarè S. August. lib. 4. de Civit. c. 3. *Bonus*, inquit, *etiamsi serviat, liber est: malus autem etiamsi regnet, servus est, nec unius hominis, sed quod gravius est, tot dominorum, quot vitiorum.* Vide eumdem in psalm. 84. & 89. & S. Ambros. lib. 3. epist. 7 ad Semplic. *Ioseph*, inquit, *venditus in servitutem est, & electus est ad potestatem, ut suis emptoribus imperaret. Unde pulchre Psalmista ait psal. 104. In servum venundatus est Joseph, humiliaverunt in compedibus pedes eius, non animam eius. Quomodo enim humiliata est anima, de qua dicis, Ferrum pertransiit animam eius? nam cùm aliorum animas peccatum transeat (ferrum enim peccatum est, quod est penetrabile) sancti anima ita non patuit peccato, ut magis peccatum ipsa penetraret. In servum venumdatus est, non servus factus. Quomodo hic servus, qui erudivit principes populi in illa frumentaria dispensatione? aut quomodo servus, qui totam terram acquisivit, & universum populum Aegyptiorum in servitutem redegit? Denique famulo sapienti multi, ut scriptum est, serviunt liberi: & est servus intelligens, qui regat dominos stultos: Sola est sapientia libera, quæ divitibus pauperes præ-* B *ficit, & quæ servos propriis fœnerari dominis facit, fœnerari non pecuniam, sed intellectum.* Ratio ergo à priori cur *servo sensato serviant liberi*, est, quòd sensatorum & sapientum sit regere, insensatorum verò & insipientum sit, regi. Si ergo servus sit sensatus, herus insensatus; utique omnino congruum & æquum est illum regere, hunc regi.

Secundo membro significat, sapientis esse facilè & libenter admittere monitores, ac monitionem, instructionem, correctionem. Novit enim neminem tam esse sapientem, qui in omnibus sapiat, qui nusquam erret, qui cuncta sciat: ac præsertim novit quisque in rebus propriis ob philautiam facilè decipi & cecutire ac proinde melius judicare exteros de nobis ipsis. Unde Palacius: Si justè argueris, inquit, gratias agito: si injustè, bonum animum arguentis lauda; malum, aut ride, aut sustine. Ita S. Petrus, licet superior, correptus à S. Paulo, non obmurmuravit, sed modestè acquievit, uti ostendi Galat. 2. 11. Idem à Christo reprehensus vocatusque Satan, & insimulatus quòd esset modicæ fidei, humiliter sustinuit, Matth. 16. 23. & c. 13. 33. Alludit ad Proverb. 9. 8. *Noli arguere derisorem, ne oderit te: argue sapientem, & diliget te*; quia, ut ibidem ait Hugo, *in hoc est quilibet sapiens si* C *agnoscit suam insipientiam.* Unde S. Bernard. ait: *Domine tu scis insipientiam meam, quia scilicet in hoc sapiens sum, quòd & ipse ego eam scio.* Notanda est sententia Proverb. 15. 32. *Qui abiicit disciplinam, despicit animam suam; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.* Et c. 29. 1 *Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus.* Et v. 15 *Virga atque correptio tribuit sapientiam.*

Quocirca S. August. epist. 19. ad S. Hieronymum ita scribit: *Identidem rogo, ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus esse perspexeris. Quamquam enim episcopatus presbyterio* (erat enim S. Augustinus Episcopus, sed presbyter S. Hieronymus) *maior est; tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est: licèt etiam à minore quolibet non sit refugienda vel dedignanda correctio.* Qua in re memorabile exemplum dedit S. Carolus Borromæus, qui mirè expetebat ut quilibet eum de suis defectibus admoneret & corriperet, dictitans sibi id in optatis esse, seque à monitore ingens recipere beneficium. Qua de causa in familia duos alebat sacerdotes graves, quibus id officii dederat, ut in omnes actiones suas invigilarent, & sicubi erraret liberè & fideliter admonerent, ita habet Vita ejus lib. 8. c. 16. Celebre est illud Hesiodi:

Omnia qui per se prævidet, optimus est;
Proximus ille tamen, qui paret recta monenti:
Sed qui nec sapit ipse, nec audit recta monentem,
Invidia ei mentem misera natura negavit.

Et illud Philonis, juniores & inexpertos debere imitari cœlos. Sicut enim hi quia sunt rationis expertes, ab altante intelligentia reguntur, & ordinatissimè moventur: sic pariter illos à senibus & expertis regi ducique oportere.

Vers. 29. NOLI EXTOLLERE TE IN FACIENDO OPERE TUO, ET NOLI CUNCTARI IN TEMPORE ANGUSTIÆ] Græcè μὴ σοφίζου ποιῆσαι τὸ ἔργον σου, καὶ μὴ δοξάζου ἐν καιρῷ στενοχωρίας σου. Quod variè à variis vertitur. Primò Interpres Complut. sic, *ne velis videri sapiens in faciendo opus tuum, & ne extollas te in tempore angustiæ tuæ*; alii, *ne operis quod facis artem ostentato, neve in tempore angustiæ tuæ te* A *efferto, aut gloriosus esto.* Secundò, Vatabl. *ne vafrè aut fraudulenter opus tuum agas, nec tempore difficili affectes gloriam.* Tertiò, & magis genuinè Romana, *noli excusando cunctari in faciendo opere tuo, & noli te extollere in tempore angustiæ tuæ*; Syrus, *ne piger sis ad faciendum opus tuum, & ne fias molestus in tempore egestatis tuæ*: q. d. Esto sedulus in operando, ne, si sis piger, incidas in egestatem, & cogaris mendicare, aliisque esse molestus. Tigurina clarè & germanè, *ne causas nectas quo minùs agas opus tuum, nec te per superbiam pudeat ipsius tempore difficili.* Idem voluit noster Interpres, qui tamen priori loco legit δοξάζου, unde vertit *extollere*: posteriori σοφίζου, unde vertit *cunctari*: σοφίζεσθαι enim tria significat. Primò, sapere, & velle videri sapientem, ac sapientiam, artemve suam ostentare: quod secutus est Complut. Secundò, sophisticè, id est vafrè aut fraudulenter, agere: quod sequuntur Romana, Syrus & Tigur. Sensus ergo est, q. d. Noli extollere te ac gloriari de tua nobilitate, prosapia, dignitate, statu, quasi eo indignum sit laborare manibus, nec sophisticas has excusationes obtendas inertiæ tuæ, ut in die angustiæ & egestatis cuncteris, & tardus sis ad laborandùm, & tuæ tuorumque B necessitati providendum: quia gloriatio tua inanis est, nec ventrem tuum satiabit, sed mentem vanitate & superbia implebit. Unde sequitur: *Melior est enim*, &c. ut habent Græca.

Aliter Rabanus: *Prohibet*, inquit, *ne quis pro bona operatione se iactitet, quia omnis arrogantia abominatio est apud Deum, & ne quis in adversitatibus à bono opere cesset: quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem; spes autem non confundit.* Sic & Lyranus. *Noli, ait, te extollere, quia quidquid tibi est boni, totum est à Deo.*

Hanc gnomen apposito arundinis cum canna saccharacea contendentis apologo, repræsentat Cyrillus lib. 2. Apologorum c. 14. cui titulus: *Contra eos qui citò adepti raptam altitudinem, gloriantur spernentes humiles. Canna arundinea*, inquit, *iuxta cannam melleam oriens, eamdem brevi transcendens, altitudine tumens ait: Canna mellis quantum temporis habes? Cui illa respondit: Duos vitæ annos. Tunc ipsa velociùs altum rapuisse se gaudens, humilemque spernens, mox arrogantia magna dixit: Benè fit naturæ, quæ me in anno fecit te transcendere. Ad hæc canna mellis ostendens sa tuæ confusionem suam, dixit: Rectè es arundo, sensu arida, & omnis ventositatis impetu agitata. Non attendis quoniam ut citiùs cresceres, totum altitudini nihilque profunditati dedisti? Ex quo apparet quòd intus es vacua, & foris tumescis infructuose: nimirum sublimes arbores ut plurimum infructuosæ cernuntur; & quæ in granditate germinantur, citò desiccantur.* Deinde idipsum exemplo gallinæ, mellis, pulveris, montium & vallium evincit: *Gallina parvula omni die ovificat, at ingens struthio semel tantùm in anno. Me quidem humilitatis firmitas à ventorum tempestate tutatur, tua verò tibi est altitudo tempestas: omnis enim quanto sublimior, tanto ferè mutabilior est. Ut quid ergo de altitudine procellosa & vacua gloriaris? & stultè me plenam melle, & stabili brevitate fundatam confundis? Pulvis quippe quanto plus erigitur, tanto magis dispergitur; & fumus quo magis extollitur, ampliùs annullatur; vapor quoque altus ab æstu consumitur, & concretus in rorem dulcissimum condensatur. Montes aerei sæpè nubis caligine involvuntur, & terrenæ valles rivis inundantibus impinguantur. Igitur incomparabiliter melior est plena humilitatis parvitas, quàm velox sublimitas omni bono evacuata. Quibus auditis arundo erubuit.*

Apologus gloriosi.

Similia.

MELIOR EST (Græca addunt *enim*: datur enim hic causa præcedentis versiculi) QUI OPERATUR, ET ABUNDAT IN OMNIBUS, QUAM QUI GLORIATUR, Vers. 30.
D ET EGET PANE) Græca nonnulla significantiùs habent, *quàm gloriosus obambulans & egens pane.* Solent enim hi gloriosi, desides splendidè & magnificè obambulare, ut suum splendorem, imò fastum ostentent, cùm interim venter eorum fame latret. *Melior*, id est, potior, sapientior, ditior, ventre plenior, mente felicior. Syrus, *melior est vir qui operatur, & abundans est divitiis, eo qui gravem se facit & indiget cibo.* Huc facit illud Comici: *Præstat divitem esse & popularem, quàm nobilem & mendicum.*

Alludit, imò citat Proverb. 12. 9. *Melior est pauper & sufficiens sibi, quàm gloriosus & indigens pane*: quia pauper per humilitatem & laborem procurat sibi victum & vestitum, gloriosus autem per socordiam & superbiam utroque se fraudat, seque fame, mœrore & pudore confici permittit. Natus est homo ad laborem, ut ait Job. c. 5. 7. ne fugiat ergo sibi congenitum laborem. Beati sunt qui labores ma-

nuum

nuum suarum manducabunt, psalm. 127. 2. non qui desident otiosi. Hinc conclude, meliorem esse agricolam & mechanicum, qui labore suo facit ut non egeat, quàm nobilem & splendidum, cujus splendorem lurida fames obscurat. ita Palacius. Tropolog. Melior & sapientior est qui in hac vita laborat in bonis operibus: *unde certa illi restat spes remunerationis, quàm ut in vanitate dies suos consumat, & expers fiat panis illius qui de cœlo descendit, quem qui manducaverit, non morietur in æternum. Beatus est enim qui manducat panem in regno Dei.* ait Rabanus.

Vers. 31. FILI, IN MANSUETUDINE SERVA; Græcè est, δόξασον, id est, honora, glorifica, ANIMAM TUAM, ET DA ILLI HONOREM SECUNDUM MERITUM SUUM) q.d. Da illi honorem quem meretur. Græca, κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτῆς id est, *juxta dignitatem ejus*, vel *pro ejus dignitate*; Vatabl. *fili per mansuetudinem gloriam animæ tuæ concilia, & eam honore quem meretur affice*; Syrus, *fili mi, in religione honora animam tuam, & da illi suavitatem, juxta id quod necessarium est illi*. q.d. Suaviter & leniter tracta animam tuam, ita & apud te, & apud alios plus proficies. Vnde viri sapientes & pii docent, hominem non debere indignari animæ suæ, cùm in aliquos defectus labitur; sed leniter & suaviter eam corripere ac instruere potiùs, & dirigere, quàm reprehendere: hęc enim lenis correptio, magis quàm acris eam penetrabit & movebit ad emendationem.

Jam sententia hæc Siracidis Primò, planè & simpliciter, ut sonat, accipi potest: q.d. Stude mansuetudini; hæc enim honorem tibi conciliat, hæc est decus & gloria animæ tuæ, quia in ea consistit animæ pax & quies, æquè ac sanctitas. Hunc sensum in tres secat Palacius: Primus, inquit, convenit cum præcedentibus & sequentibus: q.d. *Fili si pauper fueris, serva te mansuetum, non iracundum aut blasphemum. Nam iracundia deiicit hominem gradu hominis: ne igitur tu te dejeceris; sed in hominis dignitate servabis. Quòd si ex ira non opereris, peccabis in animam tuam, eam necessariis defraudando. Quod malum si tu tibi intuleris, quis avertet? si tu te ita dedecore afficis, quis decorabit?* Secundus sensus: *Serva te, fili, tranquillum & imperturbatum. Cùm enim anima tua excelsior sit rebus aliis indignum est te ab eis turbari, aut pollui. Si verò tu te turbaveris aut pollueris, quis te instrumentum existimet?* Tertius est: *In patientia vestra possidebitis animas vestras. Igitur impatiens amittit se. Non ergo dat honorem animæ suæ. Quòd si tu tibi contumeliam irrogas, auferens te tibi, à quo vis honorari?* Hæc Palacius. Rursum honor animæ debitus est, ut illa quasi regina imperet corpori & sensibus, quasi subditis & ancillis. Nam, ut ait Aristot. 1. Politic. *Anima naturaliter dominatur corpori, sicut dominus servo; cùm autem hoc dominium stat, omnia bene.* Et Plato apud Stobæum serm. 21. *Quæ dominantur*, inquit, *præ illis quæ serviunt, semper sunt honoranda. Quapropter meritò post dominantes deos, & eos qui illos sequuntur, animum nostrum colendum, secundoque loco habendum jubeo. Nemo autem rectè animum suum honorat, nisi qui vitiis fugatis, pietatem & justitiam colit.* Qui enim vitiis servit, eam dehonestat, & similem brutis, imò dæmonibus, efficit.

Porrò S. Fabianus epist. 2 sic legit: *Fili in mansuetudine serva animam tuam, & da illi honorem, cui honor competit.* indeque probat honorandos esse præpositos, non autem reprehendendos à subditis: nam, ut ait S. Bernard. serm. 85. in Cant. *Modestia animi probat virum sapientem, constantia virum virtutis ostendit.*

Secundò Rabanus: *In mansuetudine*, ait, *animam servat, qui per humilitatem opera exercet pietatis: & dat illi honorem secundùm meritum suum, qui se spe futuræ mercedis pro studio consolatur justi laboris: quia Deus reddet singulis secundùm opera sua.* Et Lyran. *Serva*, ait, *in mansuetudine*, id est, *moderatione & securitate virtutum, animam tuam*, subiiciendo ei carnem & appetitum sensitivum.

Tertiò, solerter & appositè Jansenius hæc, ut cum præcedentibus & sequentibus connectat, pressiùs accipit, arctatq; ad studium laborandi, ut hoc labore quis sibi victum paret, quasi hic radicem inertiæ, scilicet, superbiam, & ex ea nascentem impatientiam, succidat per contrariam humilitatem, & ex ea nascentem mansuetudinem: q.d. Noli in laborando ob laboris molestiam & difficultatẽ fieri impatiens, ideoque piger & tardus, sed humiliter & mansuetè laborem omnem suscipe & capesse, quia per eum glorificabis animam tuam, dando illi honorem, id est, sustentationem & alimoniam, quæ ei pro sua dignitate debetur. *Honor* enim in Scriptura sæpè alimoniam significat; ut cùm dicitur: *Honora patrem & matrem: honora*, id est, cole, obedi, & ale si indigent. Et, *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore* (id est, duplici stipendio) *digni habeantur*, 1. Timoth. 5. 17. Multi enim nolunt laborare, eò quòd laborem se, suaque dignitate indignum putent. Hoc refellit Siracides, dicens, laborem esse honorem & gloriam animæ, ejusque dignitati congruum, imò debitum; quia per laborem sustentatur vita animæ in corpore, ut decenter vivere, vestiri & conversari possit: quæ omnia succiduntur per pigritiam, quæ facit hominem egere omnibus, & fame contabescere, ut anima in corpore pereat & intereat. quæ summa est animæ indignitas, æquè ac injuria, & calamitas.

PECCANTEM IN ANIMAM SUAM QUIS JUSTIFICABIT? ET QUIS HONORIFICABIT EXHONORANTEM ANIMAM SUAM?] Vers. 32. Græcè, ζωὴν αὐτοῦ, id est, *vitam suam*. Primò, juxta primum sensum præced. v. datum, sensus est: q.d. Serva animam tuam in mansuetudine, ut iræ cæterisque animi passionibus jam sedatis domineris, in quo, uti dixi, honor & decor animæ tuæ consistit. Nam si per superbiam, iram, invidiam, impatientiam, &c. pecces in animam tuam, *quis te justificare*, id est, justum pronuntiare, vel justè à culpa excusare poterit? rursus, quis te honore dignum censebit, cùm tu ita per vitia dehonestes & conspurces animam tuam? Vnde Tigurina vertit, *quis justum dicat eum qui peccat in animam suam? aut quis vitam suam infamantem honoret?* alii, *quis honorabit eum qui dedecorat vitam suam?* Quot enim peccata perpetrat, tot dedecora coniicit in animam vitamque suam. Syrus, *fili mi, eum qui condemnat animam suam, quis justificabit? aut quis honorat eum qui contemptibilem reddit animam suam, qui peccatis illam polluit: & quis justitiæ illi tribuit meritum, quem constat suæ salutis habere neglectum? Omnes enim nos oportet stare ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Secundò, juxta secundum sensum v. præced. datum: q.d. Piger & otiosus, qui laborando non vult sibi victum parare, peccat in animam suam, quia eam famis & mortis periculo exponit: quis ergo eum justificare aut excusare poterit? Rursus idem dehonestat animam sua acedia, otio & superbia; quis ergo eum honore dignum censebit? q. d. Superbus & gloriosus per superbum otium, quo laborem manuum quasi se indignũ detrectat, ambit honorem & gloriam. At errat: cùm enim ipse superbia & pigritia dehonestet animam suam, imò eam fame sinat contabescere, quis eum jure honorare, aut honore dignum censere poterit?

PAUPER GLORIATUR PER DISCIPLINAM ET TIMOREM SUUM: ET EST HOMO QUI HONORIFICATUR PROPTER SUBSTANTIAM SUAM] Vers. 33. Pro *gloriatur* & *honorificatur*, Græcè est idem verbum δοξάζεται, id est, honoratur, honore & gloria afficitur: q. d. Pauper honoratur ob morum disciplinam & timorem Dei, at dives honoratur propter opes & substantiam. Ergo potior est honor pauperis quàm divitis, idque tanto, quanto potior est timor Dei omnibus mundi opibus. Ne ergo pauper tristetur, quòd carens opibus, careat pariter honore mundano, quia honorem habet maiorem & altioris ordinis, putà divinum ex timore Dei: vicissim dives non superbiat quòd honoretur propter opes, quia exilis est hic honor, si ad honorem, quem parit timor Dei, comparetur. unde Tigurina, *propter scientiam suam* (practicam, quæ in bene operando & justè vivendo consistit) *& religionem, gloriam adipiscitur, & dives ob divitias suas in honore est*; Syrus, *est pauper qui honoratur propter sapientiam suam, & est dives qui in honore habetur propter divitias suas.*

Præclarè Nazianzen. in Tetrastichis: *Justa paupertas melior iniustis opibus*

Opibus carente nil viro securius:
Spes ille totas in Deo fixas tenet.
Melior egestas improbè partis bonis.
Vix unquam acerba sustulit quemquam fames,
At certa crimen improbis mors est viris.

Idem in carmine de Beatitud.

Felix qui Christum fortunis omnibus emit:
Felix qui pectus tradidit omne Deo.

Idem tract. de Vitæ itineribus:

Nil autem hic firmum, prævidit Christus, ut esset,
Quò tua firmorum pectora tangat amor.

Contrarium est judicium mundi, & mundanorum, qui felicitatem ponunt in rerum copia, infelicitatem in inopia; unde tanti quemque æstimant, quantas habet opes,

juxta

juxta adagium quod extat Sanct. August. lib. de Doctr. Christ. *Quantum habebis, tantus eris.* Et illud Juven. sat. 3.

Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet & fidei.

Et illud olim celebre: *χρήματ᾽ ἀνήρ, pecunia vir*,
Unde & Hort. lib. 2. Serm. satyra 3.

Omnis enim res
Divitiis paret, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam Rex,

Et Menander:

Epicharmus quidem deos esse dicit
Ventos, solem, terram, aquam, ignem, stellas:
Ego autem utiles deos esse arbitror.
Argentum nostrum & aurum.
Nam illos si collocaveris in domum,
Pete quid voles, assequeris omnia.

Verùm meliùs sapuere Philosophi, qui paupertatem divitiis æquarunt, imò antetulerunt, tamquam sapientiæ & virtutis instrumentum. Unde Crates abjecit aurum, ut securiùs philosopharetur. Archesilaus paupertatem ajebat esse matrem frugalitatis, continentiæ, modestiæ, adeoque omnis virtutis gymnasium. Diogenes dictitabat eamdem omnia decore, & virtutem esse quæ per se disceretur; cùm opulenti multis egeant præceptis, ut temperanter vivant, modestiam servent, corpus exerceant, &c. ita Stobæus serm. 95.

Vers. 34. QUI AUTEM GLORIATUR IN PAUPERTATE QUANTO MAGIS IN SUBSTANTIA? ET QUI GLORIATUR IN SUBSTANTIA, PAUPERTATEM VEREATUR] Hic versus rursus facit ad solandam pauperum depressionem animi, & ad retundendum divitum fastum: q. d. Pauperis honor est solidus, quia situs in solido timore Dei, ideoque facilè crescere & augeri potest additis ei divitiis. Sæpè enim Deus timentes se ditat: quare tunc duplici titulo accedet ei honor, scilicet, titulo timoris Dei, & titulo opum. Sicut enim imago pulchra, magis pulchrescit, si limbo aureo circumdetur, sic & virtus in se pulchra magis pulchrescit, si opibus honestetur: quare tunc quasi duplex viro accedit decor & honor; uti contigit Danieli, cùm is ob virtutem & sapientiam præpositus fuit Babyloni, honoratus à rege, omnibusque principibus, Dan. 2. 48. Dives verò carens timore Dei, imò fastui & luxui vacans, vero honore caret, & vano dumtaxat potitur, qui situs est in copia opum: vanum enim esse liquet ex eo, quòd dives facilè pauper effici possit, ut indies fieri videmus, quare tunc omni honore, etiam vano, qui situs erat in opibus, destituetur. Alludit ad illud Ecclesiastæ 7. 12. *Utilior est sapientia cum divitiis, & magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia sic protegit & pecunia. Hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quòd vitam tribuunt possessori suo.* Hunc sensum exigunt Græca, quæ sic habent, *qui verò pauper honoratus est; quanto dives esset idem honoratior? & qui infamis est in divitiis, quanto foret in paupertate magis?* ita Tigurina. Syrus, *qui honoratur in paupertate, in divitiis suis quanto magis? & qui contemptibilis* (vel illecebrosus & voluptuosus) *est in paupertate sua, in divitiis suis quanto magis?* Quæ verba alium innuunt sensum: q. d. Pauper si timeat Deum honoratur in paupertate sua: idem si fiat dives, honorabitur magis. At pauper qui non timet Deum, imò sua prodigit vacando veneri & ventri, inhonoratur in paupertate sua, & multò magis inhonorabitur si fiat dives, quia per divitias fiet intemperantior, insolentior, superbior: itaque majus odium & probrum sibi accerset. Complut. tantùm habent; *qui honoratur, vel glorificatur, in paupertate, quanto magis in substantia?*

Pauperes ergo solentur se his verbis, quibus Tobias solatus est se & filium, dicens cap. 4. v. 23. *Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Et illis S. Jacobi c. 2. 5. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, & heredes regni, quod repromisit diligentibus se?* Et illis Christi: *Pauperes evangelizantur.* Et: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 5. 3. Et illis Davidis de Christo: *Pauper sum ego & in laboribus à juventute mea*, psalm. 87. 16. *Vulpes enim foveas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Matth. 8. 20.

Præclarè S. Leo ser. 4. in Quadr. *Semper dives*, inquit, *est Christiana paupertas, quia plus est, quod habet, quàm quod non habet, nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est in omnium rerum Domino, omnia possidere.* Et Salvianus Massiliensis, *De illis*, inquit, *qui expediti ab omnibus sarcinis, Salvatoris viam sequuntur, & Dominum Jesum Christum, non sanctitate solum, sed etiam paupertate imitantur nihil est quod dici possit, nisi illud tantum, quod etiam Propheta dixit: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Vos autem non aliter quàm imitatores Christi honoro, non aliter quàm Dei imagines colo, non aliter quàm membra Christi suscipio.* Atque hi cùm possessione sint divites, voluntate pauperes, possunt gloriari, tam in substantia, quàm in paupertate, imò hæc est summa gloria, divitiis per contemptum dominari, uti fecit Alethius gener S. Paulæ, uti dixi v. 26. Item Pammachius ejusdem gener, cujus proinde gloriam ita celebrat S. Hieron. epist. 26. ad Pammach. *Non est parum, virum nobilem, disertum, locupletem, potentium in plateis vitare comitatum, miscere se turbis, adhærere pauperibus, rusticis copulari, de principe vulgum fieri: sed quanto humilior, tanto sublimior est: lucet margaritum in sordibus, & fulgor gemmæ purissimæ etiam in luto radiat.* Et mox: *Antequam Pammachius Christo tota mente serviret, notus erat in senatu: sed multi alii habebant infulas proconsulares, totus orbis hujuscemodi honoribus plenus est. Primus erat, sed inter primos, præcedebat alios dignitate, sed & alios sequebatur: quamvis clarus honor, vilescit in turba; & apud viros bonos indignior fit ipsa dignitas, quam multi indigni possident: at nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur, mirantur: miratur orbis pauperem, quem hucusque divitem nesciebat.* Mortua enim Paulina uxore, S. Paulæ filia, ex Consule Romæ fecit se monachum, æquè ac S. Paulinus, Alethius & alii isto ævo, quorum mater & antesignana fuit S. Paula, discipula S. Hieronymi. Unde de eodem paulo antè: *Nostris temporibus*, inquit, *Roma possidet, quod mundus antè nescivit. Tunc viri sapientes, nobiles, potentes Christiani: nunc multi monachi sapientes, potentes, nobiles: quibus cunctis Pammachius meus sapientior, potentior, nobilior magnus in magnis, primus in primis, ἀρχιστράτηγος monachorum.* Et post nonnulla: *Quis enim crederet, ut consulum pronepos, & Furiani germinis decus, inter purpuras senatorum, furva tunica pullatus incederet, & non erubesceret oculos sodalium, ut deridentes se derideret.*

Anagogicè Rabanus: *Pauper*, inquit, *est, qui in timore Domini, & observantia veræ religionis totam gloriam suam statuit; de quo Paulus: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Qui autem gloriatur in paupertate sua, quanto magis in substantia? Ille autem qui in tribulationibus gaudet, in necessitatibus, in angustiis nunc pro Christo: quanto magis gaudebit, quando pervenerit ad retributionem futuram, & ad divitias veras quæ electis Dei servantur in regno cælesti? Qui autem gloriatur in substantia, paupertatem vereatur. Hoc est, ille qui totam fiduciam suam ponit in terrenarum rerum abundantia, paupertatem futuram vereatur, memoretque semper illam Evangelicam parabolam de divite purpurato & paupere Lazaro: quomodo ille de gloria temporali in tormenta projectus est æterna; iste autem de miseria præsentis vitæ, ad gaudia conscendit sempiterna. De quo & per Jacobum dicitur: Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua: quia omnis qui adversa humiliter pro Domino suffert, sublimiter ab illo, regni præmia percipiet. E contrario autem dives in humilitate sua glorietur: quod per ironiam dicitur; quando gloriam suam, qua de divitiis superbiebat, & pauperes despiciebat, aut etiam opprimebat, perpetua pœna finitam esse, conspexerit.*

Mysticè, cùm totum hoc caput impetat & exagitet superbos & superbiam, hæc accipi possunt de paupere, sed humili; ac divite, sed superbo ob suas virtutes, bona opera & merita: q. d. Melior est peccator pœnitens qui pauper est meritis, sed dives humilitate: quàm justus dives meritis, sed iis superbiens. Hoc est quod vulgò dicitur. *Melior est peccator humilis, quàm justus superbus.* Nam ille humilitate in meritis crescet, hic superbia decrescet, imò à Deo desertus labetur in peccatum mortale, quo omnia merita perdet, fietque pauperrimus. Id ita liquet in parabola Publicani humilis & Pharisæi meritis superbi, quam recenset Chri-

ſtus Lucæ 18. 10. & ſequ. Publicanus enim confitens, dicenſque: *Deus propitius eſto mihi peccatori*, meruit audire à Christo: *Dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur*. De quo S. Gregor. 19. Moral. 17. *Phariſæus*; inquit, *gratias rectè egit, ſed perversè ſe ſuper Publicanum extulit: civitatem cordis ſui extollendo prodidit, quam abſtinendo & largiendo ſervavit*, Et paulò poſt: *Unde magnopere oportet, & bona ſemper agere & ab ipſis nos bonis operibus cautè in cogitatione cuſtodire, ne, ſi mentem elevent, bona non ſint, quæ non auctori militant, ſed elationi. Eleazar namque in prælio elephantem feriens ſtravit, ſed ſub ipſo, quem extinxit, occubuit, Quos ergo iſte ſignificat quem ſua victoria oppreſſit, niſi eos qui vitia ſuperant, ſed ſub ipſa quæ ſubjiciunt ſuperbiendo ſuccumbunt? Quaſi enim ſub hoſte quem proſternit moritur, qui de culpa quam ſuperat elevatur.*

Quocirca idem S. Gregor. 21. Moral, cap. 26. ſapienter docet eunti in cælum imitandos eſſe viatores, qui non quantum viæ confecerint, ſed quantum conficiendum reſtet ſemper conſiderant, & præ oculis habent. Hinc Chriſtus detonat in Angelum Laodiciæ: *Dicis quod dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*, Apocal. 3. 16. Audi S. Chryſoſt. homil. 5. de incomprehenſibili Dei natura: *Atque ut planiùs intelligas quàm ſit bonum nihil magnum de ſe opinari, finge animo bigam duplicem, quarum ſub altera virtus iuncta ſit cum ſuperbia, ſub altera peccatum cum humilitate. Videbis enim bigam illam peccati virtutem facilè anteire, palmamque decurſionis celerioris obtinere, non peccati pernicitate, ſed coniugatæ humilitatis facultate: contra bigam alteram virtutis retardari & vinci, non imbecillitate virtutis, ſed ſuperbiæ mole ac pondere. Vt enim humilitas præ ſumma ſua excellentia peccati ſuperat pondus, atque in cælum pervehit; ſic ſuperbia præ nimio ſuo pondere, ac intolerabili onere ſuæ molis prævalet, adeò ut etiam leviſſimam illam & ſupernam virtutem vincat, deorſumque verſus facilè detrahat*. Optatus Milevitan. lib. 2. contra Parmen. non longè à fine. *Publicanus*, ait, *humilis, hominem ſe eſſe cognoſcens, ſic rogavit dicens: Propitius eſto mihi peccatori; ſic iuſtificari meruit. Sic ſuperbia in Phariſeo magiſtro veſtro de templo damnata deſcendit. Meliora inventa ſunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum ſuperbia*. Quocirca prudenter S. Bernard. ſerm. 13. in Cantic. *Magna*, inquit, *& rara virtus profectò eſt, ut magna licet operantem, magnum te neſcias, & manifeſtam omnibus tuâ te ſolum latere ſanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare, hoc ego ipſis virtutibus mirabilius iudico.*

CAPUT VNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

CAp. præcedenti egit de ſuperbia, nunc hoc capite agit de oppoſita illi virtute, ſcilicet humilitate & modeſtia, Primò igitur, à v. 1. uſque ad 11. ſex modeſtiæ modos & ſpecies aſſignat. Nam docet ſapientem eſſe humilem & modeſtum in pulchritudine & ſtatura, in veſtitu, in honore, in iudicio in vituperio, in reſponſione & loquela, in multis negotiis & opibus. Secundò, à v. 11. uſque ad 31. duos ad eam dat ſtimulos, ſcilicet primum v. 10. & ſequ. quod omnia ſint Dei, qui cuique ſuam ſortem bonam vel malam, divitias vel paupertatem pro ſua ſapientia & beneplacito diſtribuit. Secundum, verſ. 20. & ſequ. quid cuique inſtet mors, in qua Deus cuique pro meritis præmium rependet. Docet ergo non tam à labore hominis, quàm à Dei manu & munere expectandas eſſe divitias, æquè ac paupertatem, ſapientiam, ſcientiam, dilectionem, ceteraque omnia, ac præſertim retributionem meritorum cuiuſque in hora mortis. Tertiò, à v. 31. uſque ad finem docet in domum non eſſe recipiendos hoſpites doloſos, ſuperbos, malitioſos & alienigenas. Recitat magnam huius capitis partem iuxta Latinam Vulgatam, penè ad verbum Lucius Papa & Martyr epiſt. 1. qui fuit coævus Origeni, vixitque ſub Gallo & Voluſiano Impp. anno Domini 254. Vnde colligas quàm antiqua & ſincera ſit Latina verſio Eccleſiaſtici. Extat inter Decretales Pont. tom. 1.

SApientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum conſedere illum faciet. 2. Non laudes virum in ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo. 3. Brevis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius. 4. In veſtitu ne glorieris umquam, nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera Altiſſimi ſolius, & glorioſa, & abſconſa, & inviſa opera illius. 5. Multi tyranni ſederunt in throno, & inſuſpicabilis portavit diadema. 6. Multi potentes oppreſſi ſunt validè, & glorioſi traditi ſunt in manus alterorum. 7. Priuſquam interroges, ne vituperes quemquam, & cùm interrogaveris, corripe juſtè. 8. Priuſquam audias, ne reſpondeas verbum, & in medio ſermonum ne adiicias loqui. 9. De ea re, quæ te non moleſtat, ne certeris: & in iudicio peccantium ne conſiſtas. 10. Fili ne in multis ſint actus tui: &, ſi dives fueris, non eris immunis à delicto, ſi enim ſecutus fueris, non apprehendes, & non effugies, ſi præcucurreris. 11. Eſt homo laborans, & feſtinans, & dolens impius, & tanto magis non abundabit. 12. Eſt homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate: 13. & oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltavit caput eius: & mirati ſunt in illo multi, & honoraverunt Deum. 14. Bona & mala vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt. 15. Sapientia & diſciplina, & ſcientia legis apud Deum, dilectio, & viæ bonorum apud ipſum. 16. Error & tenebræ peccatoribus concreata ſunt: qui autem exultant in malis, conſeneſcunt in malo. 17. Datio Dei permanet iuſtis, & profectus illius ſucceſſus habebit in æternum. 18. Eſt qui locupletatur parcè agendo, & hæc eſt pars mercedis illius, 19. In eo quòd dicit: Inveni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis ſolus: 20. Et neſcit quòd tempus præteriet, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis, & morietur. 21. Sta in teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veteraſce. 22. Ne manſeris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo, & mane in loco tuo. 23. Facile eſt enim in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem. 24. Benedictio Dei in mercedem juſti feſtinat, & in hora veloci proceſſus illius fructificat, 25. Ne dicas: Quid eſt mihi opus, & quæ erunt mihi ex hoc bona? 26. Ne dicas: Sufficiens mihi ſum, & quid ex hoc peſſimabor? 27. In die bonorum ne immemor ſis malorum, & in die malorum ne immemor ſis bonorum. 28. Quoniam facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundùm vias ſuas. 29. Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ, et in fine hominis denudatio operum illius.

30. An-

30. Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir. 31. Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi. 32. Sicut enim eructant præcordia fœtentium, & sicut perdix inducitur in caveam, et ut caprea in laqueum: sic et cor superborum, et sicut prospector videns casum proximi sui: 33. Bona enim in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam. 34. A scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis: homo verò peccator sanguini insidiatur. 35. Attende tibi à pestifero, fabricat enim mala: ne fortè inducat super te subsannationem in perpetuum, 36. Admitte ad te alienigenam, et subvertet te in turbine, et abalienabit te à tuis propriis.

VERS. 34. SAPIENTIA HUMILIATI EXALTABIT CAPUT ILLIUS, ET IN MEDIO MAGNATORUM CONSIDERE ILLUM FACIET] Pro *humiliati* Græcè est ταπεινῷ, id est, humilis: quod tripliciter accipi potest. Primò enim, humilis dicitur vilis & abjectus, qualis est pauper. ita Palacius. Secundò, qui ex virtute humilitatis se deprimit & humiliat. ita Lyran. & Hugo. Tertiò, qui ab iis humiliatur & deprimitur. ita Dionys. Quilibet ergo humilis si sapiens sit, ac sapienter id est, modestè & humiliter, sui abjectionem ferat, vel sponte capessat, certò speret sui exaltationem: nam *omnis qui se humiliat, exaltabitur*. Hæc enim est lex ab æterna Veritate sancita, tertiò à Christo repetita & stabilita, nimirum Matth. 23. 12. Lucæ 14. 11. Lucæ 18. 14. Undè clarè & breviter Tigurina vertit, *sapientia exaltat caput humilis, & eum inter proceres collocat*. Hoc non semper fit in hac vita, sed sæpè: uti videre est in electione Romanorum Pontificum, Episcoporum, Prælatorum &c. Ad hæc enim munia eligendi sunt, & eliguntur non nobiles, non divites, sed sapientes, esto humili genere nati. In altera autem vita fiet omnibus humilibus, & semper, imò in æternum. Sic S. Franciscus merito humilitatis evectus est in cælis ad summum angelorum ordinem, collocatusque inter Seraphinos, uti revelavit Deus, teste S. Bonavent. in Vita S. Francisci. Syrus, *sapientia pauperis exaltabit caput eius, & inter principes sedere faciet eum*. Ita sapientia exaltavit humiliatum in carcere Josephum, cùm eum ad principatum Ægypti evexit; Mosen profugum, cùm eum ducem & liberatorem populi constituit; Danielem, cùm eum è lacu leonum ereptum Babyloni præfecit. Humilitas ergo est scala per quam ad sublimitatem ascendere oportet, *quia hæc est via, & non est alia præter ipsam: qui aliter vadit, cadit potiùs quàm ascendit: quia sola est humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam*, ait S. Bernard. serm. 2. de Ascens.

Exemplum memorabile & appositum est in Vita B. Alcuini, sive Albini Flacci, præceptoris Caroli Magni, quæ operibus eiusdem præfigitur: Carolus Magnus, inquit, orationis gratia unaque desideratæ collocutionis mutuæ cum Albino, sepulchrum S. Martini suis cum filiis Carolo, Pipino ac Ludovico, visitare studuit, quo in loco tenens manum Albini, ait secretè: *Domine magister, quem de his filiis meis videtur tibi in isto honore, quem indigno quamquam, dedit mihi Deus, habere me successorem?* At ille vultum in Ludovicum dirigens, novissimum illorum, sed humilitate clarissimum, ob quam à multis despicabilis notabatur, ait: *Habebis Ludovicum humilem, successorem eximium*. Hoc tunc solus audivit Carolus; sed cùm eosdem reges erecta cervice, & Ludovicum humili orationis gratia in ecclesiam S. Stephani postea incedere cerneret, sedens in loco, quo sepeliri volebat, inquit sibi adsistentibus: *Cernitis Ludovicum fratribus suis humiliorem? Certè videbitis hunc patris celsissimum successorem*. Necnon cùm paulò post, communionem corporis Christi & sanguinis manu propria eis misceret; idem Ludovicus humilitate clarissimus, præ omnibus patri sancto inclinans, eius osculatus est manum. Tunc vir Domini adsistenti sibi ait Sigulfo, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur: certè istum post patrem Francia gaudebit habere Imperatorem*. Hoc nos jam factum & videmus & gaudemus. Depositi sunt qui videbantur cedri, & exaltata est oliva fructificans in domo Domini. hucusque auctor Vitæ.

Simile, sed terribile extat apud B. Petrum Damianum epist. 14. ad Desiderium Abbatem c. 6. ubi narrat, clericū blasphemum dicentem, in se falsam extitisse illam Christi sententiam: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur*. Nam si ego, inquit, me meis adversariis humiliter inclinassem, hodie tot possessionum & clientum copiam non haberem;

A clericum, inquam, hoc dicentem, in prælio cælitus ense fulgureo fuisse transfixum.

Alludit & quasi citat illud Salomonis: *Gloriam præcedit humilitas*, Proverb. 15. 33. Ratio est, quam idem dat *Sola hu-*
c. 11. 2. *Vbi fuerit superbia, ibi & contumelia; ubi autem* *militas*
humilitas, ibi & sapientia. Sapientia autem exaltat & *exaltat.*
glorificat. Unde idem c. 29. 23. *Superbiam*, inquit, *sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria*. Nam ut ait S. Chrysost. homil. 15. in Matth. *Sicut superbia omnium fons malorum est, ita humilitas cunctarum origo virtutum*.

Hanc gnomen appositè citavit R. Simeon: invitatus enim ab Alexandro rege Iudæorum ad convivium ab eoque collocatus inter se & reginam, cùm Rex ei diceret: *en quantum te Pharisæum honoro*; respondit, *iure & merito id facis: nam lex dicit: Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum considere faciet illum*. De quo plura in Additione ad Ben Sira in fine libri.

Idipsum à Salomone, Siracide & Hebræis didicerunt *Gnoma*
B Gentium sapientes. Arabum proverbium extat cent. 1. *sapientū.*
n. 30. *Esto in pueritia tua humilis, ut sis in senectute tua exaltatus*. E Græcis Plato lib. 5. de Republ. censuit, *reges non esse creandos, nisi philosophos*. putà ethicos & modestos. E Romanis Seneca in Proverbiis hæc habet, *Vis omnibus esse notus, prius effice ut neminem noveris. Vis habere magnum honorem, dabo tibi magnum imperium, impera tibi. Si vis beatus esse, cogita hoc, primum contemnere, & contemni*. Mysticè Rabanus: *Sapientia humiliati est fides Christi, quæ per dilectionem operatur. Hæc non philosophiam humanam, nec jactantiam vanam huius mundi sectatur: sed mansuetudinem & modestiam semper sui domini invitatur, qui dixit: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Vnde fiet quod subiungitur, Et invenietis requiem animabus vestris. Possessores enim suos in medio magnatorum consedere faciet, quando eos cum Patriarchis & Prophetis, cum Apostolis & Martyribus, & ceteris*
C *Sanctis regni cælestis tribuet esse participes*.

NON LAUDES VIRUM IN SPECIE (Græcè, κάλλει, id est, in forma & pulchritudine) *sua*, NEQUE SPERNAS HOMINEM IN VISU SUO] id est, *Vers. 2.*
ob aspectum suum, ob aspectabilem & despicabilem eius formam. si videlicet deformis sit, pusillus, contractus, gibbosus. Est Hebraismus, & Hebraica metonymia, ponitur enim potentia pro obiecto, putà visus vel aspectus pro re visa & aspectabili. Tigurina, *ne laudes virum de pulchritudine sua, nec quemquam ob formam suam vituperes*; Syrus, *ne laudaveris hominem qui speciosus est in aspectu suo, & ne contumelia efficias hominem qui vilis est in aspectu suo. Prohibet*, ait Rabanus, *ne quis iuxta speciem corporis æstimet qualitatem mentis, quia sicut diversa est natura animæ & corporis, ita & dignitas eorum est diversa: nec consequens est ut quantitatem staturæ sequatur modus sapientiæ*.

Causa est prima, quòd forma & pulchritudo sit quid *Causa*
femineum ac proinde viro sapienti spernendum. Unde *prima.*
D physici docent feminam & formam insignem produci, si viri semen in lævam, id est femineam, uteri muliebris partem inciderit; quòd si secùs contingat, marem produci. Notat Lactantius libr. de Opificio Dei c. 12. *illum aliquid in se habere femineum supra quàm decus virile patiatur, vel formam insignem, vel nimium candorem, vel corporis lævitatem, vel artus delicatos, vel staturam brevem, vel vocem gracilem, vel animum imbecillem, vel ex his plura*. Ac paulò pòst subdit de maribus qui minùs sunt pulchri quàm feminæ, *Sed plus roboris maribus attributum est. Vir itaque est nominatus, quòd maior in eo vis est quàm in femina, & hinc virtus nomen accepit. Item mulier, ut Varro interpretatur, à mollitie est dicta velut mollior*. Quærit S. Ambros. lib. de Institut. virginis c. 3. Cur, *cum Deus* Genes. 1. *omnia opera sua laudarit, cælum, terram ma-*

ria. noctem & diem, quòd ista proficerent ad usum laboris, illa ad fructum quietis; laudaverit & feras bestias, ubi ad hominem ventum est, solus non videtur esse laudatus, propter quem omnia generata sunt? Quæ igitur causa est, nisi fortè ea, quia alia in specie sunt, homo in occulto? Nihil in bestiis plus reperias, quam quod videtur: in homine nihil est inferius, quàm quod videtur: qui cùm ex animo constet & corpore, hoc utique in eo servit quod videtur, illud autem in eo regit, quod non videtur. Meritò ergo alia in exordio laudantur, istius laudatio non promitur, sed reservatur: quia aliorum gratia foris, hujus intus est: aliorum in nativitate, hujus in corde. Quid enim tam altum & tam profundum, quàm mens hominis, quæ quasi involucro quodam corporis tegitur & occultatur, ut eam haud facilè quisquam introspicere & speculari queat? Ideo ergo homo non antè laudatur: quia non in forensi pelle, sed interiore homine antè probandus, sic prædicandus est, quem præclarè definivit Apostolus Petrus, dicens, absconditum esse cordis hominem in incorruptione quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples. Et paulò inferius: *Quid autem locupletius quam quod ad imaginem Dei est, ac similitudinem? Ad imaginem autem interior est homo, non iste exterior: ille qui sensu æstimatur, non qui oculis comprehenditur. Ille ergo nobis spectandus est, qui serius investigatur. Ideo Deus non putavit hominis fabricam esse laudandam, quia major ejus virtute est portio. Præclara quidem species, & præstantior ceteris animantibus: sed irrationabilia specie corporis æstimentur; ea autem quæ rationis plena sunt, communem laudem sequestrent. Homo igitur mihi non tam vultu, quam affectu admirandus emineat atque excellat.*

Secunda.

Secunda, quòd Deus & natura ita partiantur sua dona, ut cui dant dotem unam, negent alteram; & cui negant unam, donent alteram. Unde feminis dedit pulchritudinem, negavit vigorem mentis & sapientiæ. quam dedit viris qui minùs habent pulchritudinis. Sic Cato ait:

Ingenio pollet cui vim natura negavit.

Moral. de vanitate pulchritudinis.

Cicero: *Valentissimo quisque corpore longissimè abest à sapientia.*

Forma ergo & pulchritudo est exile & femineum bonum, ideoque caducum & despiciendum. *Est nimirùm*, ait Tiraquellus l.2.connub. n. 19. *Forma res caduca, evanida, fugax, decidua, velox, fluxa, rapida, eodem penè momento virescens & arescens; non secus ac flosculi, quorum vita dialis qui matutino tempore pulcherrimi, ante vesperum evanescunt, magna* (ut scribit Plinius lib.21.c.1.) *hominum admonitione, quæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere: quasi intelligeret Plinius formam eo celeriùs ocyusve elabi, quo magis conspicua est. Galenus in Exhortatione ad bonas artes eos laudat, qui judicant formam vernis floribus esse similem, ut qui brevem voluptatem habent, simulque laudat Lesbiæ dictum: Nam qui formosus est, tantisper est, dum videtur. Fallax ait ille omnium sapientissimus Proverb. ult. gratia, & vana est pulchritudo.* Virgil. vel quisquis est auctor in carmine de Rosa, sic canit.

Collige virgo rosas, dum flos novus, & nova pubes:
Et memor esto ævum sic properare tuum.

Et Ovid. lib. 2. de Arte amand.

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos.
Fit minor, & spatio carpitur illa suo.
Nec semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissa spina relicta rosa.

Philo Judæus, qui in nostra & Græcorum philosophia facilè ceteros antecellit, in eo libro quem de Providentia scripsit: *Formositate*, inquit, *corporis se jactare mentis compos nemo poterit, quæ brevi adeò extinguitur tempore, ut, antequam florescat, defloruisse videatur.* Quod & usurpavit Eusebius lib. de Evang. præpar. 8. cap. 5. Crispus quoque Sallustius, Romana ille primus in historia, de bello Jugurthino, in eamdem ferè sententiam hæc prodidit. *Igitur præclara facies, magnæ divitiæ, visque corporis, & omnia alia hujuscemodi brevi dilabuntur.* Et alibi: *Dignitas formæ aut morbo, aut ætate deflorescit.* Et iterum in Catilinaria: *Forma*, inquit, *gloria fluxa atque fragilis est.* Plutarchus in lib. de Liberis educandis: *Forma præcipuum est quoddam bonum, at caducum, parùmque durans tempore.* Socrates autem apud Laertium in vita Aristotelis, *formam appellabat ὀλιγοχρόνιον τυραννίδα*, hoc est, *exigui temporis tyrannidem; quod scilicet ejus gratia mox deflorescerct.* Domitianus apud Svetonium dicebat, *nihil brevius esse decore.* Apulejus

A Platonicorum eruditissimus, &, ut censet S. Aug. eloquentissimus, in Deo Socratis, significare volens nihil esse brevius forma, scribit: *Formosus est, exspecta paulisper, & non erit.* Boetius libr. 3. de Consol. philosophiæ: *Formæ nitor rapidus & velox, & vernalium florum velocitate fugacior.* Sed Theophrastus, teste Laertio in vita Aristotel. aiebat, *formam esse silentem fraudem*; quòd sine verbis persuadeat res illicitas, & noxias. Et Carneades dicebat, *formam esse regnum sine satellitio*; quòd formosi sua vi impetrent quidquid volunt.

Tertia.

Tertia, quòd vis unita fortior sit se ipsa divisa: quocirca animam vim suam uniens in parvo corpore, vegetior & potentior est quàm in magno, ubi eam in vasta membra dividit & dispergit. Hinc videmus parvos esse magnanimos, acres, ingeniosos, juxta illud:

Major in exiguo regnavit corpore virtus.

Ex adverso de valdè magno subinde dicitur:

Nulla in tam vasto corpore mica salis.

Ita Clemens Alexandr. orat. ad Gentes Herculem fortissimum heroem asserit fuisse parvum. Sic enim eum depingit: *Hieronymus Philosophus, ipsius* (Herculis) *corpo-*

B *ris narrat habitum parvum, crispo capillo, bona firmaque valetudine. Dicæarchus autem gracilem, nervosum, nigrum, naso aquilino, oculis sublatis, fusco capillo:* Gellius tamen asserit Herculem corpore fuisse procero. Huc facit apologus culicis & leonis, apud Æsopum. Culex, inquit, ad leonem accedens ait, Neque timeo te, neque fortior es me. Nam quod tibi est robur, quòd laceras unguibus, & mordes dentibus, hoc & femina cum viro pugnans facit. Ego verò longè sum te fortior, si verò vis, veniamus ad pugnam: & cùm tuba cecinisset, culex inhæsit mordens circa nares ipsius læves genas: leo autem propriis unguibus dilaniavit seipsum, donec indignatus est. Culex autem victo leone, cùm sonuisset tuba, & epinicium cecinisset, evolavit: araneæ verò vinculo implicitus, cùm devoraretur, lamentabatur, quod cum maximis pugnans, à vili animali, aranea, occideretur. Affabulatio. Fabula dicitur in eos, qui prosternunt magnos, & à parvis prosternuntur. Hinc manavit proverbium Arabum cent. 2. n. 24. *Ne despicias debilem in conversatione ejus: nam culex fodit oculum leonis.* Sic enim leones in Mesopotamia mirè infestari à culicibus, testa-

Apologus culicis.

C tur Strabo lib. 16. & Marcellinus lib. 18.

Idipsum apologo leonis, & vulpis repræsentat Cyrillus libr. 1. Apolog. moral. capit. 18. cujus titulus: *Neminem spernas, sed unicuique debitum honorem exhibeas: Cùm leo*, inquit, *ac vulpes roboris ac fraudis inita societate ad quærendum pabulum exissent, mus ipsis occurrit; quem leo quidem facie curiali respiciens, cauda deposita humiliter salutavit, vulpes verò collo recto, & cauda sursum elata subsannando derisit. At masculus astutus honorem in honorantem gratus refundens, dissimulatione vultus, non immemor injuriæ, vulpem pertransiit. Postquam deinde illi gravi famis ardore pressi, hinc inde per saltus, pabulum quærentes oberrarent, accidit ut in laqueos absconditos pede minùs provido pariter inciderent. Hujus ergo rei eventum cùm mus intellexisset, statim accurrit, & leoninæ salutationis ac vulpinæ derisionis memor, laqueis leonis corrosis eum liberavit: at vulpi gestis humili, & contuitu deprecativo similem opem imploranti, subsannando respondit: Quid me aspicis, quam nuper despexisti inflata, & superbiens derisisti? Addiditque. O vulpes callida quidem es, sed prudentia cares, nesciebas, scilicet, rebus etiam minimi-*

Parvos non esse spernendos.

D *mis, vim aliquam à natura esse inditam. Quamobrem nihil est à sapiente spernendum, quoniam unaquæque res habet suum loco & tempore monumentum: neque tam attendendum est ad exiguitatem molis, quàm ad quantitatem virtutis. Plurima namque parvitate molis exigua, granditate virtutis sunt maxima.* Probat deinde idipsum inductione gemmarum, pupillæ, acus, araneæ, pulicis, dicens: *Sic ceteris virtuosiores sunt lapides minores, & rerum ingentium res parvæ sunt seminales. Quid in membris pupilla minus; quâ tamen nihil carius? & navis salus aliquando ab exiguo clavo dependet potiùs, quàm ab ingenti malo: quippe si pannus ex vellere adornatur, sine acu tamen non induitur. Quid plura? Aranea parva virum necat, & pulex infestissimus hunc tormentat. Neminem igitur spernas, quoniam unusquisque prodesse valet; neque parum est si non nocet.* Unde epimythyum, sive finem, & fructum fabulæ, assignans, concludit: *Suum cuilibet honorem impendas. Quid enim*

Exempla

Honor est actus omnium virtutum.

honor

honor aliud est, quam unicus actus omnium virtutum? Hic enim est prudentia, cùm attenditur, cui, quando, ubi, quomodo tribuatur; justitia verò, cùm non justo minùs impenditur, magnanimitas, cùm non debito amplius datur; temperantia, cum modestè defertur: nam extra modum honorare, illudere est. Quo dicto superbam irretitam demisit. Hinc & Cato in Distichis.

Corporis exigui, inquit, *vires contemnere noli:*
Ingenio pollet, cui vim natura negavit,

Denique Deus elegit parva & abjecta, *quia elegit infirma mundi, ut confundat fortia; & ignobilia, & contemptibilia mundi, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret, ut non glorietur in conspectu ejus omnis caro*, ait S. Paulus 1. Cor. 1. 28. Ita elegit pauperes, & rudes Apostolos, ita elegit Davidem minimum natu inter fratres ut esset Rex Israelis, abdicato magno Saule, de quo ait Deus ad Samuelem, qui volebat Eliab primogenitum Jesse in regem ungere: *Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus: quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor*, 1. Reg. 16. v. 7. Est hæc prima species sapientis modestiæ, & humilitatis, circa speciem, staturam & formam externam.

Mens formosa in deformi corpore.

Dices, Galenus lib. 2. de Temper. cap. 6. asserit naturam membra componere, prout moribus animæ convenit. Et Aspasius, Fieri, inquit, vix potest, ut omnino deformis, bonus sit. Nam ut ait S. Ambrosius lib. 2. de Virgin. *Species corporis simulacrum est mentis, figuraque probitatis.* Resp. S. Ambros. loquitur de honesta, modesta, & gravi compositione corporis, quæ à virtute procedit, non à naturali forma: hanc autem habere potest is qui corpore minùs est speciosus, & pulcher. Galenus generatim loquitur. Aspasius, & similes agunt de planè deformi, id est distorto, manco, mutilo, &c. In his enim subinde anima est distorta vel manca. Unde Martial. lib. 12.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Trita est vox, sed à vulgo: *Cave à signatis.* Et Pallados in claudum lib. 2.

Clauda tibi mens est ut pes, natura notasque
Exterior certas interioris habet.

Etsi enim hæc à Satyricis satyricè dicta sint, tamen reipsa subinde vera sunt, non tamen semper. At verò cùm rectum integrumque est corpus, parum ad sapientiam & virtutem facit ejus species, putà elegantia, color, venustas, proceritas, &c. Unde Euripides:

Animus spectandus est: nihil pulchritudo
Juvat, cum quis mentem non bonam habet.

Et alibi:

Deformis sim potius, quàm pulcher & malus.

Ita deformes fuere Æsopus, Hipponax, Socrates, Crates, Gellius, Agesilaus, Aristoteles parvus, gibbosus, deformis, balbutiensque, &c. qui tamen sapientia, & virtute excelluere. Ita S. Paulus, Sanctus Chrysostomus, S. Gregor. Nazianzenus, Sanctus Hieronymus statura fuere parvi, ut ostendi Zachar. 4. 10. & tamen lumina Ecclesiæ.

Siracides per *speciem* maximè accipit parvitatem vel proceritatem: ob illam enim neminem esse despiciendum, nec ob hanc suspiciendum: sed in procero corpore posse esse animos exiles, & in parvo sublimes, docet exemplo apis, quæ, ut ille ait, *cum sit minima corporis parvitate, ingentes animos angustos versat in pectore.* Et S. Chrysost. in psalm. 50. *Ape*, inquit, *quid abjectius, & quid pavone pulchrius? uter autem præstantior? Apis, an pavo? non dubium quin apis. Pavonem de medio tolle, & nihil detrimenti attuleris. Apem de medio tolle, ingens utilitas adempta erit.* Nam ut ait Varro lib. 3. de Re rustica cap. 16. ab apibus tria discimus. *Ab his*, inquit, *opus facere discunt, ab his ædificare, ab his cibaria condere. Tria enim harum, cibus, domus, opus; neque idem quod cibus cera, nec quod ea mel, nec quod mel domus.* Hinc apis Hebr. dicitur דבורה *debora*, vel à bombo quem edit, vel potiùs ab artificio & præstantia operis quod facit, putà à mellificio: דבר *dabar* enim & loqui, & metonymicè operari significat. De api ergo subiicit Siracides:

BREVIS IN VOLATILIBUS APIS, ET INITIUM DULCORIS HABET FRUCTUS ILLIUS.] *Brevis*, Græcè, μικρά, id est, *parva initium*, Græcè, ἀρχ Aid est, *principatus dulcorum*, ut vertit Complut. q. d. Parva est apis, & tamen fructus ejus, putà mel, quod conficit, principatum tenet dulcoris, primas obtinet in dulcedine. *Quid enim melle dulcius?* Judic. 14. Rursum est *initium*, id est fons, origo & causa dulcedinis. Saccharum enim dulce quidem est, sed mellis dulcedinem non vincit. Adde, saccharum esse arte factum, mel verò est naturale; natura autem arti & rebus arte factis præpollet. Sic *initium* vel *principium* sæpè sumitur pro præcipuo & principatu, imò origine & causa ceterorum, uti superiùs dixi, & Jacobi 1. 18.

Probat hominem sapientem non esse judicandum, & spernendum ex parvitate, difformitate, vilique forma, & specie externa, per exemplum, imò typum & figuram apis. Apis enim esto corpore sit parva, specie horrida, aculeo noxia, tamen volatilium, imò animalium est sapientissima, ac producit mel, quod primas tenet inter dulcia, adeoque quoslibet cibos licet amaros dulcorat, & sapidos efficit. Est enim mel succus dulcissimus, subtilissimus & saluberrimus, ait Plinius libr. 11. cap. 5. Unde mel est typus sapientiæ, quæ omnia dulcorat, & sapida efficit: ac proinde, sicut mel est in ape parva & vili, sic sapientia sæpè abscondita est in corpore parvo, deformi, & vili, uti accidit in Socrate, Diogene, Aristotele, aliisque jam recensitis. *Sicut apis*, inquit Rabanus, *aculeo pungit, & opera mellis conficit: sic & in brevi corpusculo sæpè ingeniosa inhabitat anima, quæ & acumine viget, & in doctrina sua novit proferre suavitatem sapientiæ.*

Hinc Syrus addit τὸ causale *quia*: *Ne*, inquit, *contumelia afficias hominem, qui vilis est in aspectu suo quia contemptibilis est in avibus apis, & superior bonitate ceterorum fructuum est fructus ejus*; Tigurina, *parva quidem inter volucres apis est, sed fructus ejus est origo dulcium.*

Apis symbolum sapientiæ ethicæ.

Moraliter, apis symbolum est sapientiæ & prudentiæ, tum ethicæ, tum œconomicæ, tum politicæ. Ethicæ, quia seipsam mira solertia, quin & aculeo tuetur; & quia mel, quod est suavissimum, conficit, eoque æquè ac thymo, & herbis ac floribus delicatissimis se pascit. Unde Virgil. l. 2. Georg. de apibus inter multa sic canit:

Aliæ purissima mella
Stipant, & liquido distendunt nectare cellas:
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

Apim ergo imitetur homo, ut non nisi rebus optimis & divinis mentem pascat, mentem, inquam, tum suam, tum proximorum: uti faciebat S. Cæcilia, de qua canit Ecclesia: *Cæcilia tibi Domine quasi apis argumentosa* (id est operosa, sedula, industria) *deservit*: quia maritum Valerianum, ejusque fratrem Tiburtium, ac insuper alios quadringentos suo zelo, & suaviloquentia ad Christum convertit. Ita Severus Sulpitius scribens ad S. August. (est epistola 37. inter epistolas S. August.) eum vocat apem, *O verè*, ait, *artificiosa apis, Dei construens favos, divini nectaris plenos, manantes misericordiam, & veritatem; per quos discurrens deliciatur anima mea, & vitali pastu quidquid in se minus invenit, aut imbecillum sentit, resarcire & suffulcire molitur.* Sic in S. Ambrosii, dum infans esset, ore insederunt apes, ut futuram ejus melleam eloquentiam portenderunt. Idem evenisse S. Dominico memorant nonnulli. Idem contigit Pindaro: Pindarus, ait Eusebius in Chron. & alii, floruit olympiade 76. sub tempora Xerxis, Lyricorum princeps: unde à Poetis Dercæus cygnus appellatus est. Pindaro, cùm infans esset in cunis, apis in ore ejus tamquam in alveari mella & favos deposuit, ut innueret ipsum fore portentum suaviloquentiæ. Nam mel, ait Plinius lib. 11. cap. 12. *Sive cæli est sudor, sive quædam siderum saliva, sive purgantis se aeris succus purus & liquidus*, &c. *magnam cælestis naturæ voluptatem affert.* Similiter apes, inquit Plinius cap. 17. *sedere in ore infantis Platonis, tum etiam suavitatem illius prædulcis eloquii portendentes.* Denique Sophocles poeta ob linguæ dulcedinem & sermonis vim dictus est *Apis Atheniensis*, ait ex Suidas Volaterranus lib. 19.

Apem ergo imitentur singuli, præsertim virgines. Audiant Sanctum Ambrosium lib. 1. de Virginib. *Favum*, inquit, *mellis tua opera componant. Digna enim virginitas quæ apibus comparetur: sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit. Ros quoque virgineus, est sermo divinus; quia sicut*

rur, verba Dei descendunt, pudor virginis est intemerata natura, partus virginis, fœtus labiorum, expers amaritudinis, fertilis suavitatis: in commune labor, communis est fructus. Quàm te velim filia imitatricem esse hujus apiculæ, cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore componitur! Hanc imitare, tu filia: verba tua nullum doli velamen obtendant, nullum habeant fraudis involucrum, & puritatem habeant, & gravitatis plena sint.

& œconomica, Oeconomicæ, quia apes mira industria suas cellas quasi domos conficiunt, melle & cera implent, conservant & regunt: unde apes agricolis præcipui sunt quæstus, ait Plinius lib. 11. cap. 5. Idem cap. 6. *Apes*, inquit, *primum favos construunt, ceram fingunt, id est, domos cellasque faciunt: deinde subolem, postea mella, ceram ex floribus, melliginem è lachrymis arborum quæ glutinum pariunt, salicis, ulmi, arundinis, succo gummi, resina. His primum alveum ipsum intus totum, ut quodam tectorio, illinunt, & aliis amarioribus succis contra aliarum bestiolarum aviditates: id se facturas consciæ, quod concupisci possit. His deinde fores quoque latiores circumstruuntur.* Porrò *sexangula omnes cellæ, à singulorum ea pedum opere*, ait idem cap. 11. Quocirca Aristot. lib. 2. Metaphys. *Apes & canes*, inquit, *sunt prudentiores ceteris animalibus brutis*. B Audi S. Chrysost. in psalm. 110. *Diligentiam*, ait, *& laborem disces a formica: ab ape autem honesti amorem, societatemque, & inter se communionem, sicut dicit proverbium: Vade ad formicam ò piger, & imitare vias ejus, & sis illa sapientior. Cum enim illi non sit ager quem colat, nec habeat qui eam cogat, nec sit in potestate domini, parat æstate alimentum, & in tempore messis magnum facit acervum. Vel vade ad apem, & disce quòd sit operaria, cujus labores reges & privati ad sanitatem afferunt. Atqui licet sit imbecilla viribus, & quæ sapientiam honorarit, provecta est; ipsa enim apis rursus tecum aget, ne quidquam pulchritudinem corporum admireris, quando non adsit virtus animæ: nec deformitatem vilipendas, quando fuerit pulchrè ornatus animus. Quod ipsum quoque significans dicebat Parœmiastes; Parva in volucribus apis, & dulcedinum principium fructus ejus.*

& politica. Politicæ, quia apes rempubl. habent mirè ordinatam, consilia, duces, leges, mores, ait Plinius lib. 11. c. 5. *Consumptis in proximo floribus speculatores ad pabula ulteriora mittunt. Noctu deprehensæ in expeditione, excubant supinæ, ut alas a rore protegant*, ait Plin. ibid. c. 8. C Idem c. 10. *Ratio operis*, ait, *mira: interdiu statio ad portas more castrorum, noctu quies in matutinum, donec una excitet gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo. Tunc universæ provolant, si dies mitis futurus est. Prædivinant enim ventos imbresque, & tunc se continent tectis. Itaque temperie cæli (& hoc inter præscita habent) cùm agmen ad opera processit, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttasque lanugine totius corporis: quibus est earum adolescentia, ad opera exeunt, & supradicta convehunt: seniores intus operantur. Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id natura scabra, pedes priores rostro: totaque onustæ remeant sarcina pandatæ. Excipiunt eas ternæ aut quaternæ, atque exonerant, sunt enim intus quoque officia divisa. Aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt, aliæ cibum comparant ex eo quod allatum est. Neque enim separatim vescuntur, ne inæqualitas operis & cibi fiat, & temporis. Struunt orsæ ea concameratione alvei, textumque vel usque ad summa tecta deducunt, limitibus binis circa singulos arcus, ut aliis intrent, aliis exeant.* D Subdit capit. 11. apes fucos, id est, apes pigras & otiosas, expellere ac trucidare. Additque capit. 17. *Rex apum vel non habet aculeum, vel si habet eo non utitur, majestate tantum armatus, mira plebeii circa eum obedientia.* Et cap. 10. *Mira observatio operis. Cessantium inertiam notant, castigant mox, & puniunt morte. Mira munditia: amoliuntur omnia è medio, nullaque inter opera spurcitia jacent. Qui & excrementa operantium intus, ne longiùs recedant, unum congesta in locum, turbidis diebus, & operis otio, egerunt. Cum advesperascit in alveo strepunt minus ac minùs, donec una circumvolet eodem, quo excitavit, bombo, ceu quietem capere imperans: & hoc castrorum more. Tunc repentè omnes conticescunt.* Rursum cap. 17. *Cum procedit* (Rex,) *una est totum examen, circaque eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore cum populus in labore est, ipse opera intus circuit, similis exhortanti, solus immunis. Circa eum satellites quidam lictoresque, assidui custodes auctoritatis. Procedit foras, non nisi migraturo examine. Id multo intelligitur ante, aliquot diebus murmure intus strepente, apparatus indice, diem tempestivum eligentium. Si quis alam ei detruncet, non fugiet examen. Cum processere, se quaque proximam illi cupit esse, & in officio conspici gaudet. Fessum humeris sublevant, validiùs fatigatum ex toto portant. Si qua lassata deficit, aut fortè aberravit, odore persequitur. Ubicumque ille consedit, ibi cunctarum castra sunt.* Et mox: *Duce prehenso, totum tenetur agmen: amisso dilabitur, migratque ad alios, esse utique sine rege non possunt: invitæ autem interimunt eos, cum plures fuere.* Denique asserit regem unius alvearis contra regem alterius, ubi de pascuis & floribus lis est, aciem instruere, ac ingenti rixa dimicare; *quæ dimicatio injectu pulveris aut fumo tota discutitur. Reconciliantur verò lacte vel aqua mulsa.* Tandem cap. 20. *Vita*, ait, *apibus longissima, septenis annis universæ.* Quocirca Virgil. & alij censent apibus vim quandam divinam, & quasi quid numinis inesse: sic enim canit Virgil. 4. Georg.

Esse apibus partem divinæ mentis, & haustus
Æthereos dixere.

Apes ergo imitentur universi homines, etiam principes, præsertim sapientes, & Religiosi. Unde rectè Abbas ille in Vitis Patrum: *Sicut*, inquit, *apis ubique mel operatur, sic monachus ubique bonum opus*. Et Abbas Ampo lib. 7. cap. 32. *Sicut apis*, inquit, *quocumque vadit mel operatur: ita & monachus quocumque pergit, si propter opus Dei perrexerit, dulcedinem bonorum actuum potest afferre.*

Ex ape ergo parva, & quoad speciem vili, docet Siracides, neminem ob parvitatem vel deformitatem debere contemni. Audi lepidam sed eruditam hac de re epistolam S. Gregorii Nazianzeni num. 155. ad Nicobulum, quæ eum redarguit, quòd Alypianam filiam S. Gorgoniæ sororis suæ, ipsius verò conjugem, ob parvitatem, & curvitatem despiceret: *Alypianam apud nos cavillis incessis ut parvam, ac tua proceritate indignam, ò magne; & vaste, ac gigantine tum forma, tum robore. Nunc demum intellexi, animum mensura subjici, & virtutem expendi, ac rupes margaritis præstantiores esse, corvosque luscinijs augustiores. Tu verò magnitudine tua, & cubitis fruere, nec Aloidis illi ullo modo inferiorem te præbe. Equum enim ducis, & hastam vibras, & feræ tibi curæ sunt, ipsa autem nil operis patrat, nec magni operis est radium ferre, & calum tenere, ac telæ assidere: id enim feminarum decus est. Quòd si hoc quoque adjicias, eam orationis causa humi curvam esse, ac per ingentes mentis agitationes perpetuam cum Deo consuetudinem habere; quid hic de tua sublimitate, corporisque mensura te jactabis? Vide tempestivum silentium: loquentem audi: quam incompta sit, animadverte, quam ut femina, fortis ac strenua, quas res domesticæ utilitates afferat, quam viri amans sit. Ac tum illud Laconis dices: Certè animus in mensuram minimè cadit, atque externum hominem oculos in internum conjectos habere oportet. Si hæc ad hunc modum consideres, vocari desines, eamque ut parvam deridere, tuumq; conjugium faustum ac felix indicabis.* Vide quæ de nomine, & forma S. Pauli, id est parvi, dixi Rom. 1. 1. & Zachariæ 4. 10. ad illa verba: *Quis enim despexit dies parvos?* & Deuter. 3. 11. de Og gigantis magnitudine. Vide & præfationem in Minores Prophetas. De symbolis & significatione apum vide Pierium Hieroglyphico 26.

Memorabile est quod in Vita S. Gregorii Turonensis Episcopi ad diem 17. Novemb. legimus eum visitantem limina Apostol. à S. Gregorio Magno tum Romano Pontif. introductum in basilicam Sancti Petri, ac Pontificem secretam Dei dispensationem admiratum fuisse, quòd in hominem adeo parvum brevisque staturæ tanta cælitus gratia profluxisset, quod cùm ille divinitus persensisset, placido vultu Pontificem respiciens: *Dominus*, inquit, *fecit nos, & non ipsi nos: idem in parvis, qui & in magnis.* Cumque id suæ cogitationi S. Pontifex responderi cognosceret, magis eum venerari cœpit, eumque aurea cathedra donavit, quæ etiamnum à Turonensibus religiosè asservatur. Idem nuper noster Bellarminus, & ipse parvus, sed bene auritus, cuidam id merenti respondit.

Huic de apibus simile est proverbium Arabum de culi-

cibus,

cibus, contra. cap. 24. *Ne despicias debilem in conversatione ejus: nam culex fodit oculum leonis:* quod petitum est ex historia. Nam à culicibus in Mesopotamia mirè infestari leones, è Marcellino lib. 18. & Strabone lib. 16. suprà ostendi. Et illud Hebræorum in *Gemara* c. 1. in Hagiga: *Granum piperis præstat canistro cucurbitarum*; quod Nathan Justus edisserit de quodam doctore, qui inter ceteros doctores minimus erat & acutissimus. Citat illud Angelus Caninius in lib. de Locis novi Testam. & sic explicat: *Pluris est unus sapiens, quam omnes stulti.* Et illud R. Jose Babylonii: *Ne specta cantharum, sed id quod in eo est: nam interdum cantharus novus refertus est vino vetere, interdum cantharus vetus ne novum quidem vinum continet*, q. d. Ne considera speciem, sed mentem; non staturam, sed sensum; non ætatem, sed sapientiam; ne specta hominem ex forma vel ætate, sed ex moribus, eruditione, industria. Sunt enim senes bis pueri: sunt rursum juvenes senili prudentia.

Symbolicè, *brevis in volatilibus*, id est, abjecta & humilis inter reginas & dominas, imò mulieres omnes, fuit apis, id est, virgo Deipara (apes enim sunt virgines, uti ostendi Isaiæ 7. 15.) quæ mel, id est, Christum, mundi delicias peperit: unde de eo cecinit Isaias c. 7. 17. *Butyrum & mel comedet*: mel enim de cælo labitur, sic & Verbum de cælo lapsum est in uterum Virginis. Mel ergo nostrum est parvulus. Emmanuel, de quo nomine multa dixi Isaiæ 7. 14.

Apis symbolū Christi & B. Virginis. Apis ergo mysticè symbolum est Christi, qui in ortu, veniens in mundum, dedit mel clementiæ, sed in cauda, rediens scilicet ad judicium, exeret aculeum justitiæ, dicens reprobis; *Ite maledicti in ignem æternum*. Item B. Virginis, ac S. Joannis Baptistæ, qui melle silvestri victitavit, ac melle cælestis doctrinæ nutrivit, & aculeo castigationis pupugit corda Judæorum. Insuper virginum, *Apis & prædicatoris analogia vigintinovem.* Religiosorum & prædicatorum. Nam, ut ait Hugo, apis Primò, est sedula: sic & prædicator ac Religiosus sit sedulus & fervens spiritu. Secundo, apis est parca sibi, larga aliis: talis sit & prædicator. Tertiò, apis brevis est, id est, parva: sic prædicator & Religiosus sit humilis. Quartò, apis vocem habet majorem corpore: sic & prædicator ita resonet, ut etiam audiatur à mortuis per peccatum, juxta illud Isaiæ 40. *Exalta in fortitudine vocem tuam tu qui evangelizas Sion.* Quintò, apis mel habet in ore: prædicator suavitatem habeat in prædicatione. Sextò, apis in grege similis est aliis: sic & prædicator non sit singularis, sed in conversatione ceteris se adæquet, & cum Paulo dicat: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes salvos facerem.* Septimò, apis sub rege est: sic prædicator licet regat alios, regatur à Christo, & à suo Prælato. Octavò, apis si ungatur oleo perit: sic prædicator si ungatur oleo adulationis, interit. Nonò, apis reviviscit aceto; sic prædicator recordatione passionis Christi vivit, & alios vivere facit. Decimò, apis crure secat: sic prædicator tam in se quàm in aliis resecet voluptatem, quæ crure & femore designatur. Undecimò, apis stimulum habet; sic prædicator extimulet pigros. Duodecimò, apis, cùm vulnerat, moritur; sic prædicator cùm nimis acriter corripit, scandalizat & peccat, juxta illud Prov. 30. 33. *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem*. Decimotertiò, apis casta manens prolem parit: sic prædicator castus filios parit Christo. Decimoquartò, apis pedes habet cassos: sic prædicator, propriam deponat voluntatem & sensum, ac S. Script. sensu, Deique voluntate regatur. Decimoquintò, apis flores pascit, non sordes; sic prædicator cælestibus pascatur, non terrestribus. Decimosextò, apis nascitur ex corio bovis: sic prædicator mactata in se superbia, qui fuit in sæculo taurus, in claustro fiat apis, uti de Saulo factus est Paulus. Decimoseptimò, apis cellas facit sexangulas: sic prædicatori locus orationis & studii sit solidus & varius. Decimooctavò, apis alteri api onus gestanti de via decedit; sic prædicator cedat & socio, juxta illud: *Alter alterius onera portate*, Galat. 6. Decimononò, apis colit palmam: sic prædicator crucem. Vigesimo, apis frigore putrescit: sic prædicator torpore. Vigesimoprimò, apis api pedibus nectitur: sic prædicator prædicatori amoris affectibus conglutinetur. Vigesimosecundo, apis cellam inhabitat: sic & Religiosus ac prædicator cellam S. Scripturæ incolat. Vigesimotertiò, apis quasi cincta est: sic prædicator fide pectus, & castitate renes cinctus est. Vigesimoquartò, melior in apibus fit Rex: sic in Religione meliores præsint & regant. Vigesimoquintò, apis calida est: sic prædicator ardeat igne charitatis, juxta illud Christi Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Vigesimosextò, apis fugit fumum, fœtorem, strepitum: sic & prædicator fugiat fumum elationis, fœtorem luxuriæ, & strepitum mundi. Vigesimoseptimò, apis fert lapillum ne vento auferatur: prædicator ferat lapidem compunctionis, quo tundat pectus, ne vento inanis gloriæ abripiatur. Vigesimooctavò, apes, defuncto rege, inter se pro novo depugnant: sic prædicator Prælato mortuo, pugnet ut probus eligatur. Vigesimononò, apis rapit mel; sic prædicator animas. Hæc omnia deinde Hugo hisce versibus complectitur.

Sedula, parca, brevis, vox major corpore, mel dat,
In grege sub rege est, perit uncta, revivit aceto.
Crure secat, stimulat, vitam cum vulnere ponit,
Casta facit prolem, pede cassa est, florida pascit,
Nascitur ex tauro, sexangula mœnia condit;
Fumos, fœtores, strepitum fugit, & lapides fert
In vento, pugnat defuncto rege, rapitque.
Cedit portanti, palmam colit, & pigra bruma:
Rex fit in examen qui prævalet, & calet omnis.

De ape plura vide apud Varronem, Columellam, Aristotel. Plinium locis citatis: ac de ea rursus dicendum Proverb. 6. *Vade ad formicam, ò piger*, ubi Septuag. addunt, *Vade ad apim*. Apis enim exemplar est laboris & industriæ.

Brevis ergo *in volatilibus apis*, est Christus infans, qui mellificat in animabus sanctis, & pascitur floribus inter lilia: vilis in pannis, dulcis in paleis: suavis in præsepio, suavissimus in cælo. A Christo idem participant Christiani, præsertim Religiosi & prædicatores, uti jam ostendi.

IN VESTITU, (Græcè, ἐν περιβολῇ ἱματίων, id est, *in circumjectione vestimentorum*, ut vertunt Romana) NE GLORIERIS UMQUAM, NEC IN DIE HONORIS TUI EXTOLLARIS] Græcè, *in amictu vestium ne gloriare, & quo tempore in gloria es, ne efferto te*: Syrus id per antithesin declarans, vertit, *cum qui indutus est indumentis vilibus ne irrideas, & ne contemnas hominem cujus amara sunt palata*, id est, hominem afflictum qui ægro est animo. Versu 2. & 3. elisit superbiam ob formam & pulchritudinem, hic elidit superbiam ob vestitum splendidum, ac ob dignitatem & honorem: qui enim est in dignitate, v. g. Rex, princeps & Prælatus, habet occasionem superbiendi, tum ob statum honorificum, quo ceteris eminens ab omnibus honoratur, tum ob splendorem vestium regalium, ut diadematis, sceptri, purpuræ, vel pontificalium, ut tiaræ, poderis, ephod, &c. Monet ergo Siracides, ut in illis principes & Prælati non superbiant, sed humiliter & modestè se gerent. Vers. 4

Explicat hunc locum S. Chrysost. homil. 2. in epist. 1. ad Timoth. in morali: *In amictu*, inquit, *vestium ne glorieris. Ista pridem prædicabantur infantibus: nempe enim & saltator, & scortum, & histrio, gratiora te & pretiosiora indumenta circumfert. Tineæ præterea ubi pretiosiora illa invaserint indumenta, hujus te gloriæ voluptate privabunt. Vides quam incerta, quamque instabilis sit via præsentis gloriæ? Gloriantur in re quam vermes & gignunt, & perdunt. feruntur enim quidam ex India vermiculi hujusmodi* [illegible] *vestes. Si vestem possidere cupis superne intextam, amictum omnino mirabilem atque clarissimum, indumentum penitus aureum acquirere stude. Nempe illud aurum non metallum est, cujusmodi damnatorum effoderunt manus, verum ex virtute generatur. Induamus nos stola illa quam non homines inopes aut servi conficiunt, sed ipse Dominus se diligentibus præparat. Quid, oro, vestimento huic insertum est, quod te facit illustrem? Aurum scilicet. Et hoc quid ad rem? Opificem enim mirantur omnes, non eum qui fuerit amictus: ille enim revera admiratione dignus est; quemadmodum & in simplicibus vestibus, non lignum in quo apud fullonem vestis tenditur, admiramur, sed opificem potius, licet ipsum lignum ferat.* Plura vide apud Tertull. li. de Habitu mulierum, & de Cultu feminarum, ac S. Cyprianum tract. de Habitu virginum.

Gloriatus est Herodes in veste regia, & acclamatione populi vociferantis: *Dei voces, & non hominis*; quare ilicò per-

percussus ab Angelo, consumptus à vermibus exspiravit, Actor. 12.23. Ex adverso Christus, cum triumpho quasi Messias ingrediens Jerusalem in die palmarum, acclamante turba, *Hosanna filio David*, non sese extulit, quia sciebat hunc honorem mox vertendum in contemptum, ac se quinto pòst die ab iisdem crucifigendum. Sic & Job cùm esset Rex, de regali honore non est elatus: prævidebat enim fieri posse, quod contigit, ut omnibus spoliatus sederet in sterquilinio, & testa pus è corpore abraderet.

Præclarè Clemens Alexandr. lib. 2. Pædag. cap. 12. *Sicut Evam*, inquit, *serpens decepit, ita etiam alias mulieres mundus muliebris aureus, esca utens serpentis figura, in probra impellit, nempe murænulas quasdam aureas & serpentes ad decorem effingens.* Et Seneca li. 2. epist. 47. *Stultus est qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum eius; sic stultissimus qui hominem ex veste æstimat*, præsertim cùm vestis sit stigma peccati, uti ostendi Genes. 3. v. 7. & 21. Plura de modestia vestitus, dixi 2. Petri 3. v. 3. & Isaiæ 3. sub finem cap.

Porrò *dies honoris* est dies, quo quis exaltatur & honoratur, v. g. dies victoriæ & triumphi, dies electionis vel coronationis, dies celebritatis & festi, &c. imò totum tempus quo quis in magistratu vel dignitate versatur. Monet ergo ut illo non infletur, nec animo extollatur. Sic Romani duci triumphanti in curru apponebant servum (Plinius lib. 28. cap. 4. vocat carnificem) qui ei crebrò insusurraret: *Respice post te, hominem te memento*, uti refert Tertull. Apolog. c. 33.

Porrò quod ad honorem & gloriam attinet, S. August. libr. 5. de Civit. c. 13. laudat Catonem, *qui quo minus petebat gloriam, eo magis illum gloria sequebatur. Quandoquidem gloria est, cuius illi cupiditate flagrabant, iudicium hominum bene de hominibus opinantium. Et ideo melior est virtus, quæ humano testimonio contenta non est, nisi conscientiæ suæ.* Est ergo hæc secunda species humilitatis & modestiæ, qua quis modestè se gerit in splendore vestium & dignitatum.

Apologus gloriosi.

Idipsum festivo hirci & ericii apologo docet Cyrill. l. 2. Apolog. moral. c. 3. *Hircus*, inquit, *ad fontem accedens, ut ardentia siti viscera refrigeraret, oculis in laticem nitore fulgentem coniectis, similitudinem vultus sui, quam in eum emiserat, reverberantibus rivi speculis, mox suscepit. Cumque videret caput altis cornibus ornatum, atque protensam faciem pendente barba insignem, corde hilari vocem exultationis emisit, atque se in maximis magnificare cœpit, dicens: Quàm decenter staret eminens in cornuto capite corona pannonica, & torquata cervix quàm convenienter descenderet facie subtus barbata. Hunc cùm audisset ericius, stans & ipse in fonte, derisit amentem, & dixit: O si post tergum oculos haberes, te de corona & torque nullo modo dignificares. Nimirum videres caudulam pudendam tuam, & mox humiliatus de fastuoso capite deponeres iactantiam. Ut quid dignificas te de maximis, & magnipendis miseriam tuam? Pone te in libra iustitiæ, tunc videbis qualis sis. Nempe pugillus es terræ, & quid te extendis in regna? o favilla ignis quare te erigis super stellas? Porrò si te magni æstimas cum sis parvi, tentabis maiora, & insufficientem mox te confundent maxima: sed si teipsum parvipendis, ubique tutus eris; quoniam humilitas parit timorem, & timor procurat securitatem, & hæc custodit salutem. Verum si teipsum in altis dignificas, iam teipsum extra mensuram indicas.* Deinde idipsum manifesta ratione evincit: *Quæso igitur, ut sequaris commune ius; hoc autem præcipit, ut in iudicio non credatur uni, nec alicui minus quam sibi, de bonis.* Ex quibus hoc epimythium sive ethicum dogma colligit: *Crede mihi, quia maximè se vilificat, qui se magis dignificat. Sicut qui se iudicat sapientem, fit amens. Lux quidem luce confunditur, & altitudo altitudine curvatur, sed altior stella mentitur aspectibus, & cunctis inferior luna super omnia decoratur. Ubi ergo est profunda humilitas, ibi excelsa est dignitas: & ubi ex temetipso est deiectio magna, ibi ex virtute tibi est dignificatio maxima. Nam dum mundanis honoribus nos iudicamus indignos, tum nos humilitas sempiternis atque cælestibus reddit dignos. Quibus auditis, hircus eruditus, quia se deificaverat, erubuit.*

Humilitas glorificat.

QUONIAM MIRABILIA OPERA ALTISSIMI SOLIUS, ET GLORIOSA, ET ABSCONSA, ET INVISA OPERA ILLIUS] Græca de more concisa sic habent, *nam mirabilia sunt opera Domini, & κρυπτὰ*, id est, *absconsa* vel *occulta* (quod Noster vertit, *invisa*) *opera ipsius hominibus;* Syrus, *quia dubia sunt arcana Dei, & abscondita ab hominibus opera eius.* Dat causam cur non sit gloriandum in vestitu splendido, neque in honore & dignitate, eamque duplicem. Prior est, quòd Deo soli competat gloria, illique soli liceat gloriari; quia uti ejus maiestas est gloriosissima, ita pariter & opera eius gloriosissima sunt. Ubi Adverte. In Deo sunt omnes virtutes nostræ, excepta humilitate. In Deo enim non est humilitas, sed majestas & gloria: Deus enim neminem habet superiorem, cui se humiliare & subiicere possit; sed est ipsa immensa majestas, cui iure suo competit omnis honor & gloria: quam si respueret, faceret contra dignitatem suæ maiestatis & divinitatis; eamque abiiceret, & deprimeret, quæ utique illius esset gravis iniuria. quod absit. Sicut ergo Deo competit gloria, sic homini competit humilitas, utpote qui in omnibus subiectus sit Deo, utpote à quo ipsam essentiam, dignitatem, honorem, vestitum omniaque dona tam naturæ quàm gratiæ, quæ habet, accepit. Porrò Deus, ut humiliaret se, & B sua humiliatione nos doceret humilitatem, quasi virtutem nobis congruam & propriam, sumpsit humanam naturam, in eaque humiliavit se infra creaturas, adeò ut diceret. *Ego sum vermis, & non homo opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Vide, quanti Deus faciat humilitatem, qui pro ea fasces & fastigium deitatis ad calces humanitatis nostræ infinito descensu inclinavit.

In Deo sunt omnes virtutes, excepta humilitate:

Posterior est, quòd Dei *opera* sint *abscondita & invisa*, id est, incognita hominibus, ita ut præter opinionem hominum sæpè secreto suo iudicio dignitatem & vestes gloriosas homini adimat, eumque redigat ad penuriam, squalorem & pauperiem: deponit enim potentes de sede, ut canit B. Virgo. Unde exclamat Apostolus Roman. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit*, Idipsum explicans Siracides subdit: *Multi tyranni*, &c. Porrò Lyran. & Hugo censent opera Dei dici *mirabilia*, eò quòd mirabiliter, præter exspectationem, sæpè hominum sortem & felicitatem im- C mutet, ut sublimes humiliet; humiles sublimet; pauperes ditet, divites depauperet. Hugo verò censet dici *mirabilia*, Primò, quia Deus subinde malos præficit, juxta illud Jobi: *Qui regnare facit hypocritam.* Secundò, quia homo dum honoratur, sæpè ignorat cur sibi honorem indulgeat. Tertiò, quia Deus efficit, ut mali regnum non evertant, nec universi ordinem perturbent, imò nec dehonestent; sed ex eorum malitia ingentia vel justitiæ vel clementiæ suę decora elicit. Sicut ergo in ludo scachorum [illegible]ex subinde deiicitur, ac veles in regnum extollitur: sic Deus subinde reges è solio deiicit, plebeios in regnum exaltat, nimirum,

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Unde sequitur:

MULTI TYRANNI SEDERUNT IN THRONO, ET INSUSPICABILIS PORTAVIT DIADEMA] Vers. 5.
Pro *in throno*, Græcè est, ἐν ἐδάφ[illegible], id est, in solo, humi, super pavimentum, ut sit antithesis: q. d. Deus suo iudicio facit, ut tyranni regno priventur, & ex solio deiiciantur in solum, ac ad humum affligantur: ex adverso facit ut vilis, de quo nemo suspicabatur, eveha- D tur ad regnum, & gestet diadema. Quocirca Tigurina vertit, *multi tyranni humi resederunt, & fuit qui diadema gestavit inexspectatus;* alii, *multi tyranni sederunt in pavimento, & is de quo minimè suspicio erat, gestavit diadema.* Unde S. Gregorius Nazianz. orat. 3. contra Julianum, in eum hæc intorquens ait: *Qui potentes de sedibus deponit, & insuspicabilem* (qualis fuit Valentinianus successor Juliani (*diademate ornat*. Hinc nonnulli opinantur nostrum Interpretem vertisse, *in solo*, sed sciolum aliquem pervertisse *in solio*, alium *ex solio* fecisse *throno.* Verùm τὸ *solio* characteribus penè omnibus differt à *throno*; & omnia Biblia Latina habent, *in throno;* sicque legit Rabanus, Lyran. Dion. Hugo, & ceteri: quin & Syrus vertit, *multi contemptibiles sederunt super sedem regni, & qui non ascendebant in cor* (id est, de quibus non cogitabatur) *induti sunt vestibus gloriæ;* uti multos Pontifices vidimus, & videmus creari ac gestare diadema,

imò

imò coronam triplicem, de quibus nemo opinabatur quòd ad summum hoc mortalitatis fastigium evehendi essent. Unde novis Pontificibus in coronatione accinitur: *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat*, 1. Reg. 2. v. 8. & psalmo 112. v. 7. Quare videtur

VERS. 12. Noster pro ἐπ' ἐδάφους, legisse ἐφ' ἕδρας, id est, in sella & solio, thronoque regali. Antithesim verò hujus versus continet versus sequens:

MULTI POTENTES (Græcè, *dynastæ*) OPPRESSI SUNT VALIDE, ET GLORIOSI TRADITI SUNT IN MANUS ALTERORUM] q. d. Sicut Deus mirâ sua providentia facit, ut tyranni per vim & tyrannidem, thronum regni occupent, iique de quibus nemo suspicabatur, portent diadema: ita vicissim ex adverso multos potentes de throno dejicit; validoque opprimit, ac gloriosos tradit in potestatem aliorum, qui eos regno, opibus, libertate & sæpè vita privant. Hoc in quibuslibet regibus & principibus, etiam legitimis, & legitimè imperantibus, sępè accidisse legimus; sed maximè in iis qui per fastum, vim vel dolum, imperium & remp. invaserunt; aut illud crudeliter, avarè, superbè administrarunt. Nam, ut ait Demosthen. Olynth. 2. *Regnum malis artibus comparatum, & in retentum, non potest diu durare*.

Quocirca Phalaris Agrigentinorum tyrannus epist. 34. ad Demosthenem: *Neque homo*, inquit, *si fieri posset, ut, antequam nasceretur, quænam mala passurus esset, audiret, nasci umquam voluisset: neque privatus qui tyrannidi studeret, si illius intelligeret calamitates, tyrannus potius quàm privatus esse vellet: sicque Demosthenes, non nasci, & privatum quàm tyrannum esse, utilius intelligo*. Cicero Tuscul. 5. narrat, Dionysium tyrannum Damocli, eum beatum prædicanti, mensam regiam instruxisse, ut hujus suæ beatitudinis foret particeps; sed simul è laqueari gladium suspendisse, qui beati illius capiti immineret. Quem intuens Damocles, nec comedere, nec bibere ausus, exoravit tyrannum ut abire liceret, quòd jam beatus esse nollet. Plura de his habet Petrus Gregor. lib. 6. de Republ. c. 19. Unde Tigurina vertit, *multi potentes magnam subierunt infamiam, & in manus aliorum traditi sunt magnifici*; Syrus, *multi reges ignominia affecti sunt, & multi gloriosi dejecti sunt de gloria sua*.

VERS. 7. PRIUSQUAM INTEROGES, NE VITUPERES QUEMQUAM: ET CUM INTERROGAVERIS, CORRIPE IUSTE] Græca significantius & pulchrius, πρὶν ἢ ἐξετάσῃς, μὴ μέμψῃ· νόησον πρῶτον, καὶ τότε ἐπιτίμα id est, *priusquam exquiras, ne accuses: intellige primùm, & tunc reprehende*; Tigurina, *ne quid reprehendas priusquam exploraris: fac cognoscas prius, & tum iure vituperes*; alii, *priusquam exploraveris, ne reprehendas: cognosce primùm, deinde objurgato*. Hæc sententia ęquè ac præcedentes ad humilitatem & modestiam pertinent, novumque ejus modum & speciem suggerit, ordine tertium. Multi enim ex superbia, & ex mentis levitate, putantes se omnia scire & intelligere, præcipitant judicium, ilicoque cùm sinistri aliquid audiunt, credunt. Alii suas primas impressiones tenaciter retinent, ex quadam naturæ & phantasiæ pertinacia; unde quod semel illi impresserunt, constanter tenent, nec dant locum defensioni & excusationi: imò si suas impressiones verè refelli & convinci audiunt, ægrè ferunt: multò minus inquirunt & explorant rei factive veritatem, sed mox quasi de illa certi, factum reprehendunt, vituperant, damnant. Quod sanè temerarium est judicium, & proximo iniurium, non tantùm cùm in publico tribunali à judice, vel coram judice id fit, sed etiam cùm privata vituperatione vel censura id agitur.

Monet ergo Siracides, ut in censurando prudentiam & modestiam adhibeamus, nec quippiam vituperemus, nisi priùs bene examinatum & discussum: quo facto, corripiamus, sed justè, quantum scilicet facti gravitas meretur, & proximi salus ac reip. incolumitas exigunt; ideoque *animo dilectionis, non animo ultionis; ne cum parcitur carni, anima pereat*, ait S. August. in psalm. 102. Qua de re vide ea quæ dixi Galat. 6. 1. & S. Bernard. serm. 44. in Cant. qui docet in correptione præmittendum oleum lenitatis: quod si non prosit, addendum vinum acrimoniæ, instar Samaritani, Lucæ 10. 30. Hinc judici accusationem audienti dicitur: *Audi & alteram*

Audi alteram partem Gnomæ.

A *partem*, unam aurem da accusatori, alteram servato reo se excusanti. Ita Constantinus Magnus Imp. Faustæ uxori accusanti Crispum filium de stupro leviter credidit. Crispumque innocentem occidit; cujus innocentia deinde cognita inconsolabilem egit luctum, ac Faustam pariter, quæ calumniam hanc Crispo struxerat, interemit. Sic & Theodosius sententiam mortis præcipitavit in Thessalonicenses, quòd imaginem suam deiecissent: qua de causa à S. Ambrosio reprehensus, publicam egit pœnitentiam, uti narrat ex Sozomeno & aliis Baron. *Nam sententia in sontem lata, sed dilata, revocari potest; vita verò innocenti ablata revocari non potest*, uti docet Seneca libr. de Ira, & libr. de Clementia. Hac de causa sapienter Festus præses Romanus rogatus à Iudæis, ut S. Paulum inauditum damnaret, respondit: *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina*. Actor. 15. 26. Et Menander: *Inexaminatum ne punias ullum*. Et

B Seneca tragœdus in Medea:

Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus erit.

Sapientius S. August. serm. 202. de Tempor. *Maxima pars generis humani*, ait, *indiscreto iudicio ad reprehendendum prompta & parata esse probatur; cùm tamen non ita se velit ab aliis judicari, quomodo vult alios iudicare. Propter hoc Scriptura divina admonet, dicens, Priusquam interroges, ne judices quemquam, & cùm interrogaveris, corripe iustè. Omnis homo prius se vult interrogari, & postea, si reus est, patienter tolerat reprehendi. Et quidquid nobis omnes volumus ab aliis fieri, iustum est ut hoc aliis studeamus implere. Prius cum patientia interrogemus, & solliciti simus, ut, cùm aliquid certius agnoverimus, tunc aut si mala sunt, reprehēdere, aut si bona, defensare valeamus*. Hac de causa Deus nobis binas dedit aures, ut utramq; partē audiamus; & in medio earum unam mentem quæ iudicet, & unâ linguam quæ judicatum eloquatur. Unde Hebr. aures in duali vocant אזנים *oznaim*, quasi מאזנים *mozenaim*,

C id est bilances. Sicut enim inter duas lances media est lingula, quę recto justoque pondere librat, examinat, & ostendit pondus utriusque lancis, utrum alteri præponderet: sic duas aures nobis dedit Deus, ut utrimque rationes audiamus, easque mente libremus, examinemus, & dijudicemus, ac quod justum judicaverimus, ore promamus. Quocirca S. Prosper epigram. 21. hæc de non temere credendo, & censendo, prudentiæ Christianæ dat documenta.

Culpare in quoquam quæ non sunt nota, malignum est;
Præsertim, quæ sunt cognita, si bona sunt.
Non pateant faciles sævis rumoribus aures:
Quæ nescire juvat, credere non libeat.
Linquantur secreta Deo, qui, si quid opertum est,
Inspicit, & nullis indiget judiciis.

PRIUSQUAM AUDIAS, NE RESPONDEAS VERBUM, ET IN MEDIO SERMONUM (malè Complut. legunt, *seniorum*; nam græcè est, λόγων, id est sermonum, ita Roman.) NE ADIICIAS LOQUI] Græcè, μὴ παρέμβαλλε ῥῆμα, id est, *ne interiicias verbum*; Rom. *ne interloquaris*, id est, *ne interrumpas loquentem*. Est VERS. 8.

D hæc quarta species modestiæ, & humilitatis, æquè ac prudentiæ, quæ jubet, ut non respondeas antequam plenè interrogationem vel quæstionem aure exceperis, & mente conceperis. Rursum ut quærentem vel narrantem quippiam non interrumpas. Respondere enim ante perceptam interrogationem, & loquentem interrumpere, est indicium & affectus, Primò, superbiæ, qua putas te tam solertem, ut conjectes quid alter velit interrogare, ut instar Prophetę divines, quid alter mente concipiat & intendat. Unde S. Bernar. de Gradibus humilitatis hunc nonum assignat: *Nonus*, ait, *humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat monachus, & taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur*. Secundò, levitatis, qua responsum præcipitas ante tempus oportunum. Tertiò, imprudentiæ, qua exponis te periculo, ut impertinenter & extra propositum respondeas: quia dum respondes de fabis, alter fortè interrogare volet de alliis, ut vulgò dicitur. Unde Proverb. 18. dicitur: *Qui prius respondeat quam audiat verbum, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum*. Et cap. 29. 20. *Vidisti hominem velocem ad loquendum; stultitia magis speranda est quam illius*

Quarta modestiæ species.

num suarum manducabunt, psalm. 127. 2. non qui desident otiosi. Hinc conclude, meliorem esse agricolam & mechanicum, qui labore suo facit ut non egeat, quàm nobilem & splendidum, cujus splendorem lurida fames obscurat. ita Palacius. Tropolog. Melior & sapientior est qui in hac vita laborat in bonis operibus: *unde certa illi restat spes remunerationis, quàm ut in vanitate dies suos consumat, & expers fiat panis illius qui de cælo descendit, quem qui manducaverit, non morietur in æternum. Beatus est enim qui manducat panem in regno Dei.* ait Rabanus.

Vers. 31. Fili, in mansuetudine serva; Græcè est, δόξασον, id est, honora, glorifica, animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum) q.d. Da illi honorem quem meretur. Græca, κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτῆς id est, *iuxta dignitatem eius*, vel *pro eius dignitate*; Vatabl. *fili per mansuetudinem gloriam animæ tuæ concilia, & eam honore quem meretur affice*; Syrus, *fili mi, in religione honora animam tuam, & da illi suavitatem, iuxta id quod necessarium est illi.* q.d. Suaviter & leniter tracta animam tuam, ita & apud te, & apud alios plus proficies. Vnde viri sapientes & pii docent, hominem non debere indignari animæ suæ, cùm in aliquos defectus labitur; sed leniter & suaviter eam corripere ac instruere potiùs, & dirigere, quàm reprehendere: hęc enim lenis correptio, magis quàm acris eam penetrabit & movebit ad emendationem.

Jam sententia hæc Siracidis Primò, planè & simpliciter, ut sonat, accipi potest: q.d. Stude mansuetudini; hæc enim honorem tibi conciliat, hæc est decus & gloria animæ tuæ, quia in ea consistit animæ pax & quies, æquè ac sanctitas. Hunc sensum in tres secat Palacius: Primus, inquit, convenit cum præcedentibus & sequentibus: q.d. *Fili si pauper fueris, serva te mansuetum, non iracundum aut blasphemum. Nam iracundia deiicit hominem gradu hominis ne igitur tu te dejeceris; sed in hominis dignitate servabis. Quòd si ex ira non opereris, peccabis in animam tuam, eam necessariis defraudando. Quod malum si tu tibi intuleris, quis avertet? si tu te ita dedecore afficis, quis decorabit?* Secundus sensus: *Serva te, fili, tranquillum & imperturbatum. Cùm enim anima tua excelsior sit rebus aliis indignum est te ab eis turbari, aut polluì. Si verò tu te turbaveris aut pollueris, quis te iustum existimet?* Tertius est: *In patientia vestra possidebitis animas vestras. Igitur impatiens amittis se. Non ergo dat honorem animæ suæ. Quòd si tu tibi contumeliam irrogas, auferens te tibi, à quo vis honorari?* Hæc Palacius. Rursum honor animæ debitus est, ut illa quasi regina imperet corpori & sensibus, quasi subditis & ancillis. Nam, ut ait Aristot. 1. Politic. *Anima naturaliter dominatur corpori, sicut dominus servo; cùm autem hoc dominium fiat, omnia bene.* Et Plato apud Stobæum serm. 21. *Quæ dominantur*, inquit, *præ illis quæ serviunt, semper sunt honoranda. Quapropter meritò post dominantes deos, & eos qui illos sequuntur, animum nostrum colendum, secundoque loco habendum iubeo. Nemo autem rectè animum suum honorat, nisi qui vitiis fugatis, pietatem & iustitiam colit.* Qui enim vitiis servit, eam dehonestat, & similem brutis, imò dæmonibus, efficit.

Porrò S. Fabianus epist. 2. sic legit: *Fili in mansuetudine serva animam tuam, & da illi honorem, cui honor competit.* indeque probat honorandos esse præpositos, non autem reprehendendos à subditis: nam, ut ait S. Bernard. serm. 85. in Cant. *Modestia animi probat virum sapientem, constantia virum virtutis ostendit.*

Secundò Rabanus: *In mansuetudine*, ait, *animam servat, qui per humilitatem opera exercet pietatis: & dat illi honorem secundùm meritum suum, qui se spe futuræ mercedis pro studio consolatur iusti laboris: quia Deus reddet singulis secundùm opera sua.* Et Lyran. *Serva*, ait, *in mansuetudine*, id est, *moderatione & securitate virtutum, animam tuam*, subiiciendo ei carnem & appetitum sensitivum.

Tertiò, solerter & appositè Jansenius hæc, ut cum præcedentibus & sequentibus connectat, pressiùs accipit, arctatq; ad studium laborandi, ut hoc labore quis sibi victum paret, quasi hic radicem inertiæ, scilicet, superbiam, & ex ea nascentem impatientiam, succidat per contrariam humilitatem, & ex ea nascentem mansuetudinem: q.d. Noli in laborando ob laboris molestiam & difficultatẽ fieri impatiens, ideoque piger & tardus, sed humiliter & mansuetè laborem omnem suscipe & capesse, quia per eum glorificabis animam tuam, dando illi honorem, id est, sustentationem & alimoniam, quæ ei pro sua dignitate debetur. *Honor* enim in Scriptura sæpè alimoniam significat; ut cùm dicitur: *Honora patrem & matrem*: *honora*, id est, cole, obedi, & ale si indigent. Et, *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore* (id est, duplici stipendio) *digni habeantur*, 1. Timoth. 5. 17. Multi enim nolunt laborare, eò quòd laborem se, suaque dignitate indignum putent. Hoc refellit Siracides, dicens, laborem esse honorem & gloriam animæ, ejusque dignitati congruum, imò debitum; quia per laborem sustentatur vita animæ in corpore, ut decenter vivere, vestiri & conversari possit: quæ omnia succiduntur per pigritiam, quæ facit hominem egere omnibus, & fame contabescere, ut anima in corpore pereat & intereat. quæ summa est animæ indignitas, æquè ac injuria & calamitas.

Peccantem in animam suam quis justificabit? et quis honorificabit exhonorantem animam suam?] Grecè, ζωὴν αὐτοῦ, id est, *vitam suam*. Primò, juxta primum sensum præced. v. datum, sensus est: q.d. Serva animam tuam in mansuetudine, ut iræ ceterisque animi passionibus jam sedatis domineris, in quo, uti dixi, honor & decor animæ tuæ consistit. Nam si per superbiam, iram, invidiam, impatientiam, &c. pecces in animam tuam, *quis te justificare*, id est, justum pronuntiare, vel justè à culpa excusare poterit? rursus, quis te honore dignum censebit, cùm tu ita per vitia dehonestes & conspurces animam tuam? Vnde Tigurina vertit, *quis iustum dicat eum qui peccat in animam suam? aut quis vitam suam infamantem honoret?* alii, *quis honorabit eum qui dedecorat vitam suam?* Quot enim peccata perpetrat, tot dedecora coniicit in animam vitamque suam. Syrus, *fili mi, eum qui condemnat animam suam, quis justificabit? aut quis honorat eum qui contemptibilem reddit animam suam, qui peccatis illam polluit: & quis iustitiæ illi tribuit meritum, quem constat suæ salutis habere neglectum? Omnes enim nos oportet stare ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Secundò, juxta secundum sensum v. præced. datum: q.d. Piger & otiosus, qui laborando non vult sibi victum parare, peccat in animam suam, quia eam famis & mortis periculo exponit quis ergo eum justificare aut excusare poterit? Rursus idem dehonestat animam sua acedia, otio & superbia; quis ergo eum honore dignum censebit? q. d. Superbus & gloriosus per superbum otium, quo laborem manuum quasi se indignũ detrectat, ambit honorem & gloriam. At errat: cùm enim ipse superbia & pigritia dehonestet animam suam, imò eam fame sinat contabescere, quis eum jure honorare, aut honore dignum censere poterit?

Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum: et est homo qui honorificatur propter substantiam suam] Pro *gloriatur* & *honorificatur*, Græcè est idem verbum δοξάζεται, id est, honoratur, honore & gloria afficitur: q. d. Pauper honoratur ob morum disciplinam & timorem Dei, at dives honoratur propter opes & substantiam. Ergo potior est honor pauperis quàm divitis, idque tanto, quanto potior est timor Dei omnibus mundi opibus. Ne ergo pauper tristetur, quòd carens opibus, careat pariter honore mundano, quia honorem habet maiorem & altioris ordinis, putà divinum ex timore Dei: vicissim dives non superbiat quòd honoretur propter opes, quia exilis est hic honor, si ad honorem, quem parit timor Dei, comparetur. unde Tigurina, *propter scientiam suam* (practicam, quæ in bene operando & justè vivendo consistit) *& religionem, gloriam adipiscitur, & dives ob divitias suas in honore est*; Syrus, *est pauper qui honoratur propter sapientiam suam, & est dives qui in honore habetur propter divitias suas.*

Vers. 33.

Præclarè Nazianzen. in Tetrastichis:

Opibus carente nil viro securius:
Spes ille totas in Deo fixas tenet.
Melior egestas improbè partis bonis.
Vix umquam acerba sustulit quemquam fames,
At certa crimen improbis mors est viris.

Iusta paupertas melior iniustis opibus.

Idem in carmine de Beatitud.

Felix qui Christum fortunis omnibus emit:
Felix qui pectus tradidit omne Deo.

Idem tract. de Vitæ itineribus:

Nil autem hic firmum, prævidit Christus, ut esset,
Quò tua firmorum pectora tangat amor.

Contrarium est judicium mundi, & mundanorum, qui felicitatem ponunt in rerum copia, infelicitatem in inopia; unde tanti quemque æstimant, quantas habet opes,

juxta

juxta adagium quod extat Sanct. August. lib. de Doctr. Christ. *Quantum habebis, tantus eris.* Et illud Juven. sat. 3.

Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet & fidei.

Et illud olim celebre: χρήματ' ἀνήρ, *pecunia vir*, Unde & Hort. lib. 2. Serm. satyra 3.

Omnis enim res
Divitiis paret, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam Rex,

Et Menander:

Epicharmus quidem deos esse dicit
Ventos, solem, terram, aquam, ignem, stellas:
Ego autem utiles deos esse arbitror.
Argentum nostrum & aurum.
Nam illos si collocaveris in domum,
Pete quid voles, assequeris omnia.

Verùm meliùs sapuere Philosophi, qui paupertatem divitiis æquarunt, imò antetulerunt, tamquam sapientiæ & virtutis instrumentum. Unde Crates abjecit aurum, ut securiùs philosopharetur. Archesilaus paupertatem ajebat esse matrem frugalitatis, continentiæ, modestiæ, adeoque omnis virtutis gymnasium. Diogenes dictitabat eamdem omnia decore, & virtutem esse quæ per se disceretur; cùm opulenti multis egeant præceptis, ut temperanter vivant, modestiam servent, corpus exerceant, &c. ita Stobæus serm. 95.

QUI AUTEM GLORIATUR IN PAUPERTATE QUANTO MAGIS IN SUBSTANTIA? ET QUI
Vers. 34. GLORIATUR IN SUBSTANTIA, PAUPERTATEM VEREATUR] Hic versus rursus facit ad solandam pauperum depressionem animi, & ad retundendum divitum fastum: q. d. Pauperis honor est solidus, quia situs in solido timore Dei, ideoque facilè crescere & augeri potest additis ei divitiis. Sæpè enim Deus timentes se ditat: quare tunc duplici titulo accedet ei honor, scilicet, titulo timoris Dei, & titulo opum. Sicut enim imago pulchra, magis pulchrescit, si limbo aureo circumdetur, sic & virtus in se pulchra magis pulchrescit, si opibus honestetur: quare tunc quasi duplex viro accedit decor & honor; uti contigit Danieli, cùm is ob virtutem & sapientiam præpositus fuit Babyloni, honoratus à rege, omnibusque principibus, Dan. 2. 48. Dives verò carens timore Dei, imò fastui & luxui vacans, vero honore caret, & vano dumtaxat potitur, qui situs est in copia opum: vanum enim esse liquet ex eo, quòd dives facilè pauper effici possit, ut indies fieri videmus, quare tunc omni honore, etiam vano, qui situs erat in opibus, destituetur. Alludit ad illud Ecclesiastæ 7. 12. *Utilior est sapientia cum divitiis, & magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia sic protegit & pecunia. Hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quòd vitam tribuunt possessori suo.* Hunc sensum exigunt Græca, quæ sic habent, *qui verò pauper honoratus est; quanto dives esset idem honoratior? & qui infamis est in divitiis, quanto foret in paupertate magis?* ita Tigurina. Syrus, *qui honoratur in paupertate, in divitiis suis quanto magis? & qui contemptibilis* (vel illecebrosus & voluptuosus) *est in paupertate sua, in divitiis suis quanto magis?* Quæ verba alium innuunt sensum: q. d. Pauper si timeat Deum honoratur in paupertate sua: idem si fiat dives, honorabitur magis. At pauper qui non timet Deum, imò sua prodigit vacando veneri & ventri, inhonoratur in paupertate sua, & multò magis inhonorabitur si fiat dives, quia per divitias fiet intemperantior, insolentior, superbior: itaque manus odium & probrum sibi accersct. Complut. tantum habent; *qui honoratur*, vel *glorificatur, in paupertate, quanto magis in substantia?*

Pauperes ergo solentur se his verbis, quibus Tobias solatus est se & filium, dicens cap. 4. v. 23. *Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Et illis S. Jacobi c. 2. 5. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, & heredes regni, quod repromisit diligentibus se?* Et illis Christi: *Pauperes evangelizantur.* Et: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 5. 3. Et illis Davidis de Christo: *Pauper sum ego & in laboribus à juventute mea*, psalm. 87. 16. *Vulpes enim foveas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Matth. 8. 20.

Præclarè S. Leo ser. 4. in Quadr. *Semper dives*, inquit, *est Christiana paupertas, quia plus est, quod habet, quàm quod non habet, nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est in omnium rerum Domino, omnia possidere.* Et Salvianus Massiliensis, *De illis*, inquit, *qui expediti ab omnibus sarcinis, Salvatoris viam sequuntur, & Dominum Jesum Christum, non sanctitate solùm, sed etiam paupertate imitantur nihil est quod dici possit, nisi illud tantùm, quod etiam Propheta dixit: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Vos autem non aliter quàm imitatores Christi honoro, non aliter quàm Dei imagines colo, non aliter quàm membra Christi suscipio.* Atque hi cùm possessione sint divites, voluntate pauperes, possunt gloriari, tam in substantia, quàm in paupertate, imò hæc est summa gloria, divitiis per contemptum dominari, uti fecit Alethius gener S. Paulæ, uti dixi v. 26. Item Pammachius ejusdem gener, cujus proinde gloriam ita celebrat S. Hieron. epist. 26. ad Pammach. *Non est parum, virum nobilem, disertum, locupletem, potentium in plateis vitare comitatum, miscere se turbis, adhærere pauperibus, rusticis copulari, de principe vulgum fieri: sed quanto humilior, tanto sublimior est: lucet margaritum in sordibus, & fulgor gemmæ purissimæ etiam in luto radiat.* Et mox: *Antequam Pammachius Christo tota mente serviret, notus erat in senatu: sed multi alii habebant insulas proconsulares, totus orbis hujuscemodi honoribus plenus est. Primus erat, sed inter primos, præcedebat alios dignitate, sed & alios sequebatur: quamvis clarus honor, vilescit in turba; & apud viros bonos indignior fit ipsa dignitas, quam multi indigni possident: at nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur, mirantur: miratur orbis pauperem, quem hucusque divitem nesciebat.* Mortua enim Paulina uxore, S. Paulæ filia, ex Consule Romæ fecit se monachum, æquè ac S. Paulinus, Alethius & alii isto ævo, quorum mater & antesignana fuit S. Paula, discipula S. Hieronymi. Unde de eodem paulo antè: *Nostris temporibus*, inquit, *Roma possidet, quod mundus antè nescivit. Tunc viri sapientes, nobiles, potentes Christiani: nunc multi monachi sapientes, potentes, nobiles: quibus cunctis Pammachius meus sapientior, potentior, nobilior magnus in magnis, primus in primis,* ἀρχιστράτηγος *monachorum.* Et post nonnulla: *Quis enim crederet, ut consulum pronepos, & Furiani germinis decus, inter purpuras senatorum, furva tunica pullatus incederet, & non erubesceret oculos sodalium, ut deridentes se derideret.*

Anagogicè Rabanus: *Pauper*, inquit, *est, qui in timore Domini, & observantia veræ religionis totam gloriam suam statuit; de quo Paulus: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Qui autem gloriatur in paupertate sua, quanto magis in substantia? Ille autem qui in tribulationibus gaudet, in necessitatibus, in angustiis nunc pro Christo: quanto magis gaudebit, quando pervenerit ad retributionem futuram, & ad divitias veras quæ electis Dei servantur in regno cælesti? Qui autem gloriatur in substantia, paupertatem vereatur. Hoc est, ille qui totam fiduciam suam ponit in terrenarum rerum abundantia, paupertatem futuram vereatur, memoretque semper illam Evangelicam parabolam de divite purpurato & paupere Lazaro: quomodo ille de gloria temporali in tormenta projectus est æterna; iste autem de miseria præsentis vitæ, ad gaudia conscendit sempiterna. De quo & per Jacobum dicitur: Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua: quia omnis qui adversa humiliter pro Domino suffert, sublimiter ab illo, regni præmia percipiet. E contrario autem dives in humilitate sua glorietur: quod per ironiam dicitur; quando gloriam suam, qua de divitiis superbiebat, & pauperes despiciebat, aut etiam opprimebat, perpetua pœna finitam esse, conspexerit.*

Mysticè, cùm totum hoc caput impetat & exagitet superbos & superbiam, hæc accipi possunt de paupere, sed humili; ac divite, sed superbo ob suas virtutes, bona opera & merita: q. d. Melior est peccator pœnitens qui pauper est meritis, sed dives humilitate: quàm justus dives meritis, sed iis superbiens. Hoc est quod vulgò dicitur. *Melior est peccator humilis, quàm justus superbus.* Nam ille humilitate in meritis crescet, hic superbia decrescet, imò à Deo desertus labetur in peccatum mortale, quo omnia merita perdet, fietque pauperrimus. Id ita liquet in parabola Publicani humilis & Pharisæi meritis superbi, quam recenset Chri-

stus Lucæ 18. 10. & sequ. Publicanus enim confitens, dicensque: *Deus propitius esto mihi peccatori*, meruit audire à Christo: *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* De quo S. Gregor. 19. Moral. 17. *Pharisæus;* inquit, *gratias rectè egit, sed perversè se super Publicanum extulit: civitatem cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo & largiendo servavit,* Et paulò post: *Unde magnopere oportet, & bona semper agere & ab ipsis nos bonis operibus cautè in cogitatione custodire, ne, si mentem elevent, bona non sint, quæ non auctori militant, sed elationi. Eleazar namque in prælio elephantem feriens stravit, sed sub ipso, quem extinxit, occubuit. Quos ergo iste significat quem sua victoria oppressit, nisi eos qui vitia superant, sed sub ipsa quæ subjiciunt superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste quem prosternit moritur, qui de culpa quam superat elevatur.*

Quocirca idem S. Gregor. 21. Moral, cap. 26. sapienter docet eunti in cælum imitandos esse viatores, qui non quantum viæ confecerint, sed quantum conficiendum restet semper considerant, & præ oculis habent. Hinc Christus detonat in Angelum Laodiciæ: *Dicis quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus,* Apocal. 3. 16. Audi S. Chrysost. homil. 5. de incomprehensibili Dei natura: *Atque ut planiùs intelligas quam sit bonum nihil magnum de se opinari, finge animo bigam duplicem, quarum sub altera virtus iuncta sit cum superbia, sub altera peccatum cum humilitate. Videbis enim bigam illam peccati virtutem facilè anteire, palmamque decursionis celerioris obtinere, non peccati pernicitate, sed coniugatæ humilitatis facultate: contrà bigam alteram virtutis retardari & vinci, non imbecillitate virtutis, sed superbiæ mole ac pondere. Vt enim humilitas præ summa sua excellentia peccati superat pondus, atque in cælum pervenit: sic superbia præ nimio suo pondere, ac intolerabili onere suæ molis prævalet, adeò ut etiam levissimam illam & supernam virtutem vincat, deorsumque versus facilè detrahat.* Optatus Milevitan. lib. 2. contra Parmen. non longè à fine. *Publicanus, ait, humilis, hominem se esse cognoscens, sic rogavit dicens:* Propitius esto mihi peccatori; *sic iustificari meruit. Sic superbia in Phariseo magistro vestro de templo damnata descendit. Meliora inventa sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia.* Quocirca prudenter S. Bernard. serm. 13. in Cantic. *Magna,* inquit, *& rara virtus profectò est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus tuã te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico,*

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

CAp. præcedenti egit de superbia, nunc hoc capite agit de opposita illi virtute, scilicet humilitate & modestia. Primò igitur, à v. 1. usque ad 11. sex modestiæ modos & species assignat. Nam docet sapientem esse humilem & modestum in pulchritudine & statura, in vestitu, in honore, in iudicio in vituperio, in responsione & loquela, in multis negotiis & opibus. Secundò, à v. 11. usque ad 31. duos ad eam dat stimulos, scilicet primum v. 10. & sequ. quod omnia sint Dei, qui cuique suam sortem bonam vel malam, divitias vel paupertatem pro sua sapientia & beneplacito distribuit. Secundum, vers. 20. & sequ. quid cuique instet mors, in qua Deus cuique pro meritis præmium rependet. Docet ergo non tam à labore hominis, quàm à Dei manu & munere expectandas esse divitias, æquè ac paupertatem, sapientiam, scientiam, dilectionem, ceteraque omnia, ac præsertim retributionem meritorum cuiusque in hora mortis. Tertiò, à v. 31. usque ad finem docet in domum non esse recipiendos hospites dolosos, superbos, malitiosos & alienigenas. Recitat magnam huius capitis partem iuxta Latinam Vulgatam, penè ad verbum Lucius Papa & Martyr epist. 1. qui fuit coævus Origeni, vixitque sub Gallo & Volusiano Impp. anno Domini 254. Vnde colligas quàm antiqua & sincera sit Latina versio Ecclesiastici. Extat inter Decretales Pont. tom. 1.

SApientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum consedere illum faciet. 2. Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo. 3. Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius. 4. In vestitu ne glorieris umquam, nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera Altissimi solius, & gloriosa, & absconsa, & invisa opera illius. 5. Multi tyranni sederunt in throno, & insuspicabilis portavit diadema. 6. Multi potentes oppressi sunt validè, & gloriosi traditi sunt in manus alterorum. 7. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, & cùm interrogaveris, corripe iustè. 8. Priusquam audias, ne respondeas verbum, & in medio sermonum ne adiicias loqui. 9. De ea re, quæ te non molestat, ne certeris: & in iudicio peccantium ne consistas. 10. Fili ne in multis sint actus tui: &, si dives fueris, non eris immunis à delicto, si enim secutus fueris, non apprehendes, & non effugies, si præcucurreris. 11. Est homo laborans, & festinans, & dolens impius, & tanto magis non abundabit. 12. Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate: 13. & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltavit caput eius: & mirati sunt in illo multi, & honoraverunt Deum. 14. Bona & mala vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. 15. Sapientia & disciplina, & scientia legis apud Deum, dilectio, & viæ bonorum apud ipsum. 16. Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt: qui autem exultant in malis, consenescunt in malo. 17. Datio Dei permanet iustis, & profectus illius successus habebit in æternum. 18. Est qui locupletatur parcè agendo, & hæc est pars mercedis illius, 19. In eo quòd dicit: Inveni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus: 20. Et nescit quòd tempus præteriet, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis, & morietur. 21. Sta in testamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veterasce. 22. Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo, & mane in loco tuo. 23. Facile est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem. 24. Benedictio Dei in mercedem iusti festinat, & in hora veloci processus illius fructificat, 25. Ne dicas: Quid est mihi opus, & quæ erunt mihi ex hoc bona? 26. Ne dicas: Sufficiens mihi sum, & quid ex hoc pessimabor? 27. In die bonorum ne immemor sis malorum, & in die malorum ne immemor sis bonorum. 28. Quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundùm vias suas. 29. Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ, et in fine hominis denudatio operum illius.

30. An-

30. Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir. 31. Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi. 32. Sicut enim eructant præcordia fœtentium, & sicut perdix inducitur in caveam, et ut caprea in laqueum: sic et cor superborum, et sicut prospector videns casum proximi sui: 33. Bona enim in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam. 34. A scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis: homo verò peccator sanguini insidiatur. 35. Attende tibi à pestifero, fabricat enim mala: ne fortè inducat super te subsannationem in perpetuum, 36. Admitte ad te alienigenam, et subvertet te in turbine, et abalienabit te à tuis propriis.

VERS. 34. SAPIENTIA HUMILIATI EXALTABIT CAPUT ILLIUS, ET IN MEDIO MAGNATORUM CONSIDERE ILLUM FACIET] Pro *humiliati* Græcè est ταπεινοῦ, id est, humilis: quod tripliciter accipi potest. Primò enim, humilis dicitur vilis & abjectus, qualis est pauper. ita Palacius. Secundò, qui ex virtute humilitatis se deprimit & humiliat. ita Lyran. & Hugo. Tertiò, qui ab iis humiliatur & deprimitur. ita Dionys. Quilibet ergo humilis si sapiens sit, ac sapienter id est, modestè & humiliter, sui abjectionem ferat, vel sponte capessat, certò speret sui exaltationem: nam *omnis qui se humiliat, exaltabitur*. Hæc enim est lex ab æterna Veritate sancita, tertiò à Christo repetita & stabilita, nimirum Matth. 23. 12. Lucę 14. 11. Lucæ 18. 14. Undè clarè & breviter Tigurina vertit, *sapientia exaltat caput humilis, & eum inter proceres collocat*. Hoc non semper fit in hac vita, sed sępè: uti videre est in electione Romanorum Pontificum, Episcoporum, Pręlatorum &c. Ad hæc enim munia eligendi sunt, & eliguntur non nobiles, non divites, sed sapientes, esto humili genere nati. In altera autem vita fiet omnibus humilibus, & semper, imò in æternum. Sic S. Franciscus merito humilitatis evectus est in cælis ad summum angelorum ordinem, collocatusque inter Seraphinos, uti revelavit Deus, teste S. Bonavent. in Vita S. Francisci. Syrus, *sapientia pauperis exaltabit caput eius, & inter principes sedere faciet eum*. Ita sapientia exaltavit humiliatum in carcere Josephum, cùm eum ad principatum Ægypti evexit; Mosen profugum, cùm eum ducem & liberatorem populi constituit; Danielem, cùm eum è lacu leonum ereptum Babyloni præfecit. Humilitas ergo est scala per quam ad sublimitatem ascendere oportet, *quia hæc est via, & non est alia præter ipsam: qui aliter vadit, cadit potiùs quàm ascendit: quia sola est humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam*, ait S. Bernard. serm. 2. de Ascens.

Exemplum memorabile & appositum est in Vita B. Alcuini, sive Albini Flacci, præceptoris Caroli Magni, quæ operibus eiusdem præfigitur: Carolus Magnus, inquit, orationis gratia unaque desideratæ collocutionis mutuæ cum Albino, sepulchrum S. Martini suis cum filiis Carolo, Pipino ac Ludovico, visitare studuit, quo in loco tenens manum Albini, ait secretè: *Domine magister, quem de his filiis meis videtur tibi in isto honore, quem indigno quamquam, dedit mihi Deus, habere me successorem?* At ille vultum in Ludovicum dirigens, novissimum illorum, sed humilitate clarissimum, ob quam à multis despicabilis notabatur, ait: *Habebis Ludovicum humilem, successorem eximium*. Hoc tunc solus audivit Carolus; sed cùm eosdem reges erecta cervice, & Ludovicum humili orationis gratia in ecclesiam S. Stephani postea incedere cerneret, sedens in loco, quo sepeliri volebat, inquit sibi adsistentibus: *Cernitis Ludovicum fratribus suis humiliorem? Certè videbitis hunc patris celsissimum successorem*. Necnon cùm paulò post, communionem corporis Christi & sanguinis manu propria eis misceret; idem Ludovicus humilitate clarissimus, præ omnibus patri sancto inclinans, eius osculatus est manum. Tunc vir Domini adsistenti sibi ait Sigulfo, *Omnis qui se exaltat; humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur: certè istum post patrem Francia gaudebit habere Imperatorem*. Hoc nos jam factum & videmus & gaudemus. Depositi sunt qui videbantur cedri, & exaltata est oliva fructificans in domo Domini. hucusque auctor Vitæ.

Simile, sed terribile extat apud B. Petrum Damianum epist. 14. ad Desiderium Abbatem c. 6. ubi narrat, clericú blasphemum dicentem, in se saltem extitisse illam Christi sententiam: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur*. Nam si ego, inquit, me meis adversariis humiliter inclinassem, hodie tot possessionum & clientum copiam non haberem; clericum, inquam, hoc dicentem, in prælio cælitus ense fulgureo fuisse transfixum.

Alludit & quasi citat illud Salomonis: *Gloriam præcedit humilitas*, Proverb. 15. 33. Ratio est, quam idem dat c. 11. 2. *Vbi fuerit superbia, ibi & contumelia; ubi autem humilitas, ibi & sapientia*. Sapientia autem exaltat & glorificat. Unde idem c. 29. 23. *Superbiam*, inquit, *sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria*. Nam ut ait S. Chrysost. homil. 15. in Matth. *Sicut superbia omnium fons malorum est, ita humilitas cunctarum origo virtutum*. *Sola humilitas exaltat.*

Hanc gnomen appositè citavit R. Simeon: invitatus enim ab Alexandro rege Iudæorum ad convivium ab eoque collocatus inter se & reginam, cùm Rex ei diceret: *en quantum te Pharisæum honoro;* respondit, *iure & meritò id facis: nam lex dicit: Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum considere faciet illum*. De quo plura in Additione ad Ben Sira in fine libri.

Idipsum à Salomone, Siracide & Hebræis didicerunt Gentium sapientes. Arabum proverbium extat cent. 1. n. 30. *Esto in pueritia tua humilis, ut sis in senectute tua exaltatus*. E Græcis Plato lib. 5. de Republ. censuit, *reges non esse creandos, nisi philosophos*. putà ethicos & modestos. E Romanis Seneca in Proverbiis hæc habet, *Vis omnibus esse notus, prius effice ut neminem noveris. Vis habere magnum honorem, dabo tibi magnum imperium, impera tibi. Si vis beatus esse, cogita hoc, primùm contemnere, & contemni*. Mysticè Rabanus: *Sapientia humiliati est fides Christi, quæ per dilectionem operatur. Hæc non philosophiam humanam, nec jactantiam vanam huius mundi sectatur: sed mansuetudinem & modestiam semper sui domini imitatur, qui dixit: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Vnde fiet quod subjungitur, Et invenietis requiem animabus vestris. Possessores enim suos in medio magnatorum considere faciet, quando eos cum Patriarchis & Prophetis, cum Apostolis & Martyribus, & ceteris Sanctis regni cælestis tribuet esse participes*. *Gnoma sapientū.*

VERS. 2. NON LAUDES VIRUM IN SPECIE (Græcè, κάλλει, id est, in forma & pulchritudine) *sua*, NEQUE SPERNAS HOMINEM IN VISU SUO] id est, ob aspectum suum, ob aspectabilem & despicabilem eius formam. si videlicet deformis sit, pusillus, contractus, gibbosus. Est Hebraismus, & Hebraica metonymia, ponitur enim potentia pro obiecto, putà visus vel aspectus pro re visa & aspectabili. Tigurina, *ne laudes virum de pulchritudine sua, nec quemquam ob formam suam vituperes;* Syrus, *ne laudaveris hominem qui speciosus est in aspectu suo, & ne contumelia efficias hominem qui vilis est in aspectu suo*. *Probibet*, ait Rabanus, *ne quis iuxta speciem corporis æstimet qualitatem mentis, quia sicut divisa est natura animæ & corporis, ita & dignitas eorum est diversa: nec consequens est ut quantitatem staturæ sequatur modus sapientiæ*.

Causa prima. Causa est prima, quòd forma & pulchritudo sit quid femineum ac proinde viro sapienti spernendum. Unde physici docent feminam & formam insignem produci, si viri semen in lævam, id est femineam, uteri muliebris partem inciderit; quòd si secùs contingat, marem produci. Notat Lactantius libr. de Opificio Dei c. 12. *illum aliquid in se habere femineum supra quam decus virile patiatur, vel formam insignem, vel nimium candorem, vel corporis lævitatem, vel artus delicatos, vel staturam brevem, vel vocem gracilem, vel animum imbecillem, vel ex his plura*. Ac paulò pòst subdit de maribus qui minùs sunt pulchri quàm feminę, *Sed plus roboris maribus attributum est. Vir itaque est nominatus, quod maior in eo vis est quàm in femina, & hinc virtus nomen accipit. Item mulier, ut Varro interpretatur, à mollitie est dicta velut mollior*. Quęrit S. Ambros. lib. de Institut. virginis c. 3. Cur, *cùm Deus* Genes. 1. *omnia opera sua laudarit, cælum, terram maria,*

ria. noctem & diem, quòd ista proficerent ad usum laboris, illa ad fructum quietis; laudaverit & feras bestias, ubi ad hominem ventum est, solus non videtur esse laudatus, propter quem omnia generata sunt? Quæ igitur causa est, nisi fortè ea, quia alia in specie sunt, homo in occulto? Nihil in bestiis plus reperias, quam quod videtur: in homine nihil est inferius, quam quod videtur: qui cùm ex animo constet & corpore, hoc utique in eo servit quod videtur, illud autem in eo regit, quod non videtur. Meritò ergo alia in exordio laudantur, istius laudatio non promitur, sed reservatur: quia aliorum gratia foris, hujus intus est: aliorum in nativitate, hujus in corde. Quid enim tam altum & tam profundum, quàm mens hominis, quæ quasi involucro quodam corporis tegitur & occultatur, ut eam haud facilè quisquam introspicere & speculari queat? Ideo ergo homo non antè laudatur: quia non in forensi pelle, sed interiore homine antè probandus, sic prædicandus est, quem præclarè definivit Apostolus Petrus, dicens, absconditum esse cordis hominem in incorruptione quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples. Et paulò inferius: *Quid autem locupletiùs quam quod ad imaginem Dei est, ac similitudinem? Ad imaginem autem interior est homo, non iste exterior: ille qui sensu æstimatur, non qui oculis comprehenditur. Ille ergo nobis spectandus est, qui seriùs investigatur. Ideo Deus non putavit hominis fabricam esse laudandam, quia major ejus virtute est portio. Præclara quidem species, & præstantior ceteris animantibus: sed irrationabilia specie corporis æstimentur; ea autem quæ rationis plena sunt, communem laudem sequestrent. Homo igitur mihi non tam vultu, quàm affectu admirandus emineat atque excellat.*

Secunda.

Secunda, quòd Deus & natura ita partiantur sua dona, ut cui dant dotem unam, negent alteram; & cui negant unam, donent alteram. Unde feminis dedit pulchritudinem, negavit vigorem mentis & sapientiæ, quam dedit viris qui minùs habent pulchritudinis. Sic Cato ait:

Ingenio pollet cui vim natura negavit.

Moral. de vanitate pulchritudinis.

Cicero: *Valentissimus quisque corpore longissimè abest à sapientia.*

Forma ergo & pulchritudo est exile & femineum bonum, ideoque caducum & despiciendum. *Est nimirùm*, ait Tiraquellus l.2.connub. n. 19. *Forma res caduca, evanida, fugax, decidua, velox, fluxa, rapida, eodem penè momento virescens & arescens; non secus ac flosculi, quorum vita dialis qui matutino tempore pulcherrimi, ante vesperum evanescunt, magna* (ut scribit Plinius lib.21.c.1.) *hominum admonitione, quæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere: quasi intelligeret Plinius formam eo celeriùs ocyùs ve elabi, quo magis conspicua est. Galenus in Exhortatione ad bonas artes eos laudat, qui judicant formam vernis floribus esse similem, ut qui brevem voluptatem habent, simulque laudat Lesbia dictum: Nam qui formosus est, tantisper est, dum videtur. Fallax ait ille omnium sapientissimus Proverb. ult. gratia, & vana est pulchritudo.* Virgil. vel quisquis est auctor in carmine de Rosa, sic canit.

Collige virgo rosas, dum flos novus, & nova pubes:
Et memor esto ævum sic properare tuum.

Et Ovid. lib.2. de Arte amand.

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos.
Fit minor, & spatio carpitur illa suo.
Nec semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissa spina relicta rosa.

Philo Judæus, qui in nostra & Græcorum philosophia facilè ceteros antecellit, in eo libro quem de Providentia scripsit: *Formositate*, inquit, *corporis se jactare mentis compos nemo poterit, quæ brevi adeò extinguitur tempore, ut, antequam florescat, defloruisse videatur.* Quod & usurpavit Eusebius lib. de Evang. præpar. 8. cap. 5. Crispus quoque Sallustius, Romanæ ille primus in historia, de bello Jugurthino, in eamdem ferè sententiam hæc prodidit. *Igitur præclara facies, magnæ divitiæ, visque corporis, & omnia alia hujuscemodi brevi dilabuntur.* Et alibi: *Dignitas formæ aut morbo, aut ætate deflorescit.* Et iterum in Catilinaria: *Formæ*, inquit, *gloria fluxa atque fragilis est.* Plutarchus in lib. de Liberis educandis: *Forma præcipuum est quoddam bonum, at caducum, parùmque durans tempore.* Socrates autem apud Laertium in vita Aristotelis, *formam appellabat ὀλιγοχρόνιον τυραννίδα*, hoc est, *exigui temporis tyrannidem, quod scilicet ejus gratia mox defloresceret.* Domitianus apud Suetonium dicebat, *nihil brevius esse decore.* Apulejus A Platonicorum eruditissimus, &, ut censet S. Aug. eloquentissimus, in Deo Socratis, significare volens nihil esse brevius forma, scribit: *Formosus est, exspecta paulisper, & non erit.* Boetius libr. 3. de Consol. philosophiæ: *Formæ nitor rapidus & velox, & vernalium florum velocitate fugacior.* Sed Theophrastus, teste Laertio in vita Aristotel. aiebat, *formam esse silentem fraudem*; quòd sine verbis persuadeat res illicitas, & noxias. Et Carneades dicebat, *formam esse regnum sine satellitio*; quòd formosi sua vi impetrent quidquid volunt.

Tertia.

Tertia, quòd vis unita fortior sit se ipsa divisa: quocirca animam vim suam uniens in parvo corpore, vegetior & potentior est quàm in magno, ubi eam in vasta membra dividit & dispergit. Hinc videmus parvos esse magnanimos, acres, ingeniosos, juxta illud:

Major in exiguo regnavit corpore virtus.

Ex adverso de valdè magno subinde dicitur:

Nulla in tam vasto corpore mica salis.

Ita Clemens Alexandr. orat. ad Gentes Herculem fortissimum heroem asserit fuisse parvum. Sic enim eum depingit: *Hieronymus Philosophus, ipsius* (Herculis) *corpo-* B *ris narrat habitum parvum, crispo capillo, bona firmaque valetudine. Dicæarchus autem gracilem, nervosum, nigrum, naso aquilino, oculis sublatis, fusco capillo:* Gellius tamen asserit Herculem corpore fuisse procero.

Apologus culicis.

Huc facit apologus culicis & leonis, apud Æsopum. Culex, inquit, ad leonem accedens ait, Neque timeo te, neque fortior es me. Nam quod tibi est robur, quòd laceras unguibus, & mordes dentibus, hoc & femina cum viro pugnans facit. Ego verò longè sum te fortior, si verò vis, veniamus ad pugnam: & cùm tuba cecinisset, culex inhæsit mordens circa nares ipsius læves genas: leo autem propriis unguibus dilaniavit seipsum, donec indignatus est. Culex autem victo leone, cùm sonuisset tuba, & epinicium cecinisset, evolavit: araneæ verò vinculo implicitus, cùm devoraretur, lamentabatur, quod cum maximis pugnans, à vili animali, aranea, occideretur. Affabulatio. Fabula dicitur in eos, qui prosternunt magnos, & à parvis prosternuntur. Hinc manavit proverbium Arabum cent.2. n. 24. *Ne despicias debilem in conversatione ejus: nam culex fodit oculum leonis.* Sic enim leones in Mesopotamia mirè infestari à culicibus, testa- C tur Strabo lib. 16. & Marcellinus lib. 18.

Parvos non esse spernendos.

Idipsum apologo leonis, & vulpis repræsentat Cyrillus libr. 1. Apolog. moral. capit. 18. cujus titulus: *Neminem spernas, sed unicuique debitum honorem exhibeas.* *Cùm leo*, inquit, *ac vulpes roboris ac fraudis inita societate ad quærendum pabulum exissent, mus ipsis occurrit; quem leo quidem facie curiali respiciens, cauda deposita humiliter salutavit, vulpes verò collo recto, & cauda sursum elata subsannando derisit. At masculus astutus honorem in honorantem gratus refundens, dissimulatione vultus, non immemor injuriæ, vulpem pertransiit. Postquam deinde illi gravi famis ardore pressi, hinc inde per saltus, pabulum quærentes oberrarent, accidit ut in laqueos absconditos pede minùs provido pariter inciderent. Hujus ergo rei eventum cùm mus intellexisset, statim accurrit, & leoninæ salutationis ac vulpinæ derisionis memor, laqueis leonis corrosis eum liberavit: at vulpi gestis humili, & contuitu deprecativo similem opem imploranti, subsannando respondit: Quid me aspicis, quam nuper despexisti inflata, & superbiens derisisti? Addiditque. O vulpes callida quidem es, sed prudentia cares, nesciebas, scilicet, rebus etiam minimi-* D *mis, vim aliquam à natura esse inditam. Quamobrem nihil est à sapiente spernendum, quoniam unaquæque res habet suum loco & tempore monumentum: neque tam attendendum est ad exiguitatem molis, quam ad quantitatem virtutis. Plurima namque parvitate molis exigua, granditate virtutis sunt maxima.*

Exempla

Probat deinde idipsum inductione gemmarum, pupillæ, acus, araneæ, pulicis, dicens: *Sic ceteris virtuosiores sunt lapides minores, & rerum ingentium res parvæ sunt seminales. Quid in membris pupilla minus; quæ tamen nihil carius? & navis salus aliquando ab exiguo clavo dependet potiùs, quam ab ingenti malo: quippe si pannus ex vellere adornatur, sine acu tamen non induitur. Quid plura? Aranea parva virum necat, & pulex infestissimus hunc tormentat. Neminem igitur spernas, quoniam unusquisque prodesse valet; neque parum est si non nocet.*

Honor est actus omnium virtutum.

Unde epimythyum, sive finem, & fructum fabulæ, assignans, concludit: *Suum cuilibet honorem impendas. Quid enim*

honor

honor aliud est, quam unicus actus omnium virtutum? Hic enim est prudentia, cùm attenditur, cui, quando, ubi, quomodo tribuatur; justitia verò, cùm non justo minus impenditur, magnanimitas, cùm non debito amplius datur; temperantia, cum modestè defertur: nam extra modum honorare, illudere est. Quo dicto superbam irretitam demisit. Hinc & Cato in Distichis.

Corporis exigui, inquit, *vires contemnere noli:*
Ingenio pollet, cui vim natura negavit,

Denique Deus elegit parva & abjecta, *quia elegit infirma mundi, ut confundat fortia; & ignobilia, & contemptibilia mundi, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret, ut non glorietur in conspectu ejus omnis caro*, ait S. Paulus 1. Cor. 1. 28. Ita elegit pauperes, & rudes Apostolos, ita elegit Davidem minimum natu inter fratres ut esset Rex Israelis, abdicato magno Saule, de quo ait Deus ad Samuelem, qui volebat Eliab primogenitum Jesse in regem ungere: *Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus: quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor*, 1. Reg. 16. v. 7. Est hæc prima species sapientis modestiæ, & humilitatis, circa speciem, staturam & formam externam.

Mens formosa in deformi corpore.

Dices, Galenus lib. 2. de Temper. cap. 6. asserit naturam membra componere, prout moribus animæ convenit. Et Aspasius, Fieri, inquit, vix potest, ut omnino deformis, bonus sit. Nam ut ait S. Ambrosius lib. 2. de Virgin. *Species corporis simulacrum est mentis, figuraque probitatis.* Resp. S. Ambros. loquitur de honesta, modesta, & gravi compositione corporis, quæ à virtute procedit, non à naturali forma: hanc autem habere potest is qui corpore minùs est speciosus, & pulcher. Galenus generatim loquitur. Aspasius, & similes agunt de planè deformi, id est distorto, manco, mutilo, &c. In his enim subinde anima est distorta vel manca. Unde Martial. lib. 12.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Trita est vox, sed à vulgo: *Cave à signatis.* Et Pallados in claudum lib. 2.

Clauda tibi mens est ut pes, natura notasque
Exterior certas interioris habet.

Etsi enim hæc à Satyricis satyricè dicta sint, tamen reipsa subinde vera sunt, non tamen semper. At verò cùm rectum integrumque est corpus, parum ad sapientiam & virtutem facit ejus species, putà elegantia, color, venustas, proceritas, &c. Unde Euripides:

Animus spectandus est: nihil pulchritudo
Juvat, cum quis mentem non bonam habet.

Et alibi:

Deformis sim potiùs, quàm pulcher & malus.

Ita deformes fuere Æsopus, Hipponax, Socrates, Crates, Gellius, Agesilaus, Aristoteles parvus, gibbosus, deformis, balbutiensque, &c. qui tamen sapientia, & virtute excelluere. Ita S. Paulus, Sanctus Chrysostomus, S. Gregor. Nazianzenus, Sanctus Hieronymus statura fuere parvi, ut ostendi Zachar. 4. 10. & tamen lumina Ecclesiæ.

Siracides per *speciem* maximè accipit parvitatem vel proceritatem: ob illam enim neminem esse despiciendum, nec ob hanc suspiciendum: sed in procero corpore posse esse animos exiles, & in parvo sublimes, docet exemplo apis, quæ, ut ille ait, *cum sit minima corporis parvitate, ingentes animos angustos versat in pectore.* Et S. Chrysost. in psalm. 50. *Ape*, inquit, *quid abjectius, & quid pavone pulchrius? uter autem præstantior? Apis, an pavo? non dubium quin apis. Pavonem de medio tolle, & nihil detrimenti attuleris. Apem de medio tolle, ingens utilitas adempta erit.* Nam ut ait Varro lib. 3. de Re rustica cap. 16. ab apibus tria discimus. *Ab his*, inquit, *opus facere discunt; ab his ædificare, ab his cibaria condere. Tria enim harum, cibus, domus, opus; neque idem quod cibus cera, nec quod ea mel, nec quod mel domus.* Hinc apis Hebr. dicitur דבורה *debora*, vel à bombo quem edit, vel potiùs ab artificio & præstantia operis quod facit, putà à mellificio: דבר *dabar* enim & loqui, & metonymicè operari significat. De api ergo subjicit Siracides:

BREVIS IN VOLATILIBUS APIS, ET INITIUM DULCORIS HABET FRUCTUS ILLIUS.] *Brevis*, Græcè, [illegible], id est, *parva initium*, Græcè, ἀρχ id est, *principatus dulcorum*, ut vertit Complut. q.d. Parva est apis, & tamen fructus ejus, putà mel, quod conficit, principatum tenet dulcoris, primas obtinet in dulcedine. *Quid enim melle dulcius?* Judic. 14. Rursum est *initium*, id est fons, origo & causa dulcedinis. Saccharum enim dulce quidem est, sed mellis dulcedinem non vincit. Adde, saccharum esse arte factum, mel verò est naturale; natura autem arti & rebus arte factis præpollet. Sic *initium* vel *principium* sæpè sumitur pro præcipuo & principatu, imò origine & causa ceterorum, uti superiùs dixi, & Jacobi 1. 18.

Probat hominem sapientem non esse judicandum, & spernendum ex parvitate, difformitate, vilique forma, & specie externa, per exemplum, imò typum & figuram apis. Apis enim esto corpore sit parva, specie horrida, aculeo noxia, tamen volatilium, imò animalium est sapientissima, ac producit mel, quod primas tenet inter dulcia, adeoque quoslibet cibos licet amaros dulcorat, & sapidos efficit. Est enim mel succus dulcissimus, subtilissimus & saluberrimus, ait Plinius libr. 11. cap. 5. Unde mel est typus sapientiæ, quæ omnia dulcorat, & sapida efficit: ac proinde, sicut mel est in ape parva & vili, sic sapientia sæpè abscondita est in corpore parvo, deformi, & vili, uti accidit in Socrate, Diogene, Aristotele, aliisque jam recensitis. *Sicut apis*, inquit Rabanus, *aculeo pungit, & opera mellis conficit: sic & in brevi corpusculo sæpè ingeniosa inhabitat anima, quæ & acumine viget, & in doctrina sua novit proferre suavitatem sapientiæ.*

Hinc Syrus addit τὸ causale *quia*: *Ne*, inquit, *contumelia afficias hominem, qui vilis est in aspectu suo quia contemptibilis est in avibus apis, & superior bonitate ceterorum fructuum est fructus ejus*; Tigurina, *parva quidem inter volucres apis est, sed fructus ejus est origo dulcium.*

Apis symbolum sapientiæ ethicæ.

Moraliter, apis symbolum est sapientiæ & prudentiæ, tum ethicæ, tum œconomicæ, tum politicæ. Ethicæ, quia seipsam mira solertia, quin & aculeo tuetur; & quia mel, quod est suavissimum, conficit, eoque æquè ac thymo, & herbis ac floribus delicatissimis se pascit. Unde Virgil. l. 4. Georg. de apibus inter multa sic canit:

Aliæ purissima mella
Stipant, & liquido distendunt nectare cellas:
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

Apim ergo imitetur homo, ut non nisi rebus optimis & divinis mentem pascat, mentem, inquam, tum suam, tum proximorum: uti faciebat S. Cæcilia, de qua canit Ecclesia: *Cæcilia tibi Domine quasi apis argumentosa* (id est operosa, sedula, industria) *deservit*: quia maritum Valerianum, ejusque fratrem Tiburtium, ac insuper alios quadringentos suo zelo, & suaviloquentia ad Christum convertit. Ita Severus Sulpitius scribens ad S. August. (est epistola 37. inter epistolas S. August.) eum vocat apem, *O vere*, ait, *artificiosa apis, Dei construens favos, divini nectaris plenos, manantes misericordiam, & veritatem; per quos discurrens deliciatur anima mea, & vitali pastu quidquid in se minus invenit, aut imbecillum sentit, resarcire & suffulcire molitur.* Sic in S. Ambrosii, dum infans esset, ore insederunt apes, ut futuram ejus melleam eloquentiam portenderunt. Idem evenisse S. Dominico memorant nonnulli. Idem contigit Pindaro: Pindarus, ait Eusebius in Chron. & alii, floruit olympiade 76. sub tempora Xerxis, Lyricorum princeps: unde à Poetis Dercæus cygnus appellatus est. Pindaro, cùm infans esset in cunis, apis in ore ejus tamquam in alveari mella & favos deposuit, ut innueret ipsum fore portentum suaviloquentiæ. Nam mel, ait Plinius lib. 11. cap. 12. *Sive cæli est sudor, sive quædam siderum saliva, sive purgantis se aeris succus purus & liquidus, &c. magnam cælestis naturæ voluptatem affert.* Similiter apes, inquit Plinius cap. 17. *sedere in ore infantis Platonis, tum etiam suavitatem illius prædulcis eloquii portendentes.* Denique Sophocles poeta ob linguæ dulcedinem & sermonis vim dictus est *Apis Athenensis*, ait ex Suidas Volaterranus lib. 19.

Apem ergo imitentur singuli, præsertim virgines. Audiant Sanctum Ambrosium lib. 1. de Virginib. *Favum*, inquit, *mellis tua opera componant. Digna enim virginitas quæ apibus comparetur: sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit. Ros quoque virgineus, est sermo divinus; quia sicut*

res, verba Dei defendunt, pudor virginis est intemerata naturæ, partus virginis, fœtus labiorum, expers amaritudinis, fertilis suavitatis: in commune labor, communis est fructus. Quam te velim filia imitatricem esse hujus apiculæ, cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore componitur! Hanc imitare, tu filia: verba tua nullum doli velamen obtendant, nullum habeant fraudis involucrum, & puritatem habeant, & gravitatis plena sint.

& œconomica,

Oeconomicæ, quia apes mira industria suas cellas quasi domos conficiunt, melle & cera implent, conservant & regunt: unde apes agricolis præcipui sunt questus, ait Plinius lib. 11. cap. 5. Idem cap. 6. *Apes*, inquit, *primum favos construunt, ceram fingunt, id est, domos cellasque faciunt: deinde sobolem, postea mella, ceram ex floribus, melliginem è lachrymis arborum quæ glutinum pariunt, salicis, ulmi, arundinis, succo gummi, resina. His primum alveum ipsum intus totum, ut quodam tectorio, illinunt, & aliis amarioribus succis contra aliarum bestiolarum aviditates; id se facturas consciæ, quod concupisci possit. His deinde fores quoque latiores circumstruuntur.* Porrò *sexangulæ omnes cellæ, à singulorum ea pedum opere*, ait idem cap. 11. Quocirca Aristot. lib. 2. Metaphys. *Apes & canes*, inquit, *sunt prudentiores cæteris animalibus brutis.* Audi S. Chrysost. in psalm. 110. *Diligentiam*, ait, *& laborem disces à formica: ab ape autem honesti amorem, societatemque, & inter se communionem, sicut dicit proverbium: Vade ad formicam ò piger, & imitare vias ejus, & sis illa sapientior. Cum enim illi non sit ager quem colat, nec habeat qui eam cogat, nec sit in potestate domini, parat æstate alimentum, & in tempore messis magnum facit acervum. Vel vade ad apem, & disce quòd sit operaria, cujus labores reges & privati ad sanitatem offerunt. Atqui licet sit imbecilla viribus, & quæ sapientiam honorarit, provecta est: ipsa enim apis rursus tecum aget, ne quidquam pulchritudinem corporum admireris, quando non adsit virtus animæ: nec deformitatem vilipendas, quando fuerit pulchrè ornatus animus. Quod ipsum quoque significans dicebat Parœmiastes; Parva in volucribus apis, & dulcedinum principium fructus ejus.*

& politica,

Politicæ, quia apes rempubl. habent mirè ordinatam, consilia, duces, leges, mores, ait Plinius lib. 11. c. 5. *Consumptis in proximo floribus speculatores ad pabula ulteriora mittunt. Noctu deprehensæ in expeditione, excubant supinæ, ut alas à rore protegant*, ait Plin. ibid. c. 8. Idem c. 10. *Ratio operis*, ait, *mira: interdiu statio ad portas more castrorum, noctu quies in matutinum, donec una excitet gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo. Tunc universæ provolant, si dies mitis futurus est. Prædivinant enim ventos imbresque, & tunc se continent tectis. Itaque temperie cæli (& hoc inter præscita habent) cum agmen ad opera processit, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttasque lanugine totius corporis: quibus est earum adolescentia, ad opera exeunt, & supradicta convehunt: seniores intus operantur. Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id natura scabra, pedes priores rostro: totæque onustæ remeant sarcina pandatæ. Excipiunt eas ternæ aut quaternæ, atque exonerant, sunt enim intus quoque officia divisa. Aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt, aliæ cibum comparant ex eo quod allatum est. Neque enim separatim vescuntur, ne inæqualitas operis & cibi fiat, & temporis. Struunt orsa à concameratione alvei, textumque vel usque ad summa tecta deducunt, limitibus binis circa singulos arcus, ut aliis intrent, aliis exeant.* Subdit capit. 11. apes fucos, id est, apes pigras & otiosas, expellere ac trucidare. Additque capit. 17. *Rex apum vel non habet aculeum, vel si habet eo non utitur, majestate tantum armatus, mira plebeis circa eum obedientia.* Et cap. 10. *Mira observatio operis. Cessantium inertiam notant, castigant mox, & puniunt morte. Mira munditia: amoliuntur omnia è medio, nullaque inter opera spurcitia jacent. Qui & excrementa operantium intus, ne longiùs recedant, unum congesta in locum, turbidis diebus, & operis otio, egerunt. Cum advesperascit in alveo strepunt minus ac minùs, donec una circumvolet eodem, quo excitavit, bombo, ceu quietem capere imperans: & hoc castrorum more. Tunc repentè omnes conticescunt.* Rursum cap. 17. *Cum procedit (Rex,) una est totum examen, circaque eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore cum populus in labore est, ipse opera intus circuit, similis exhortanti, solus immunis. Circa eum satellites quidam lictoresque, assidui custodes auctoritatis. Procedit foras, non nisi migraturo examine. Id multo intelligitur antè, aliquot diebus murmure intus strepente, apparatus indice, diem tempestivum eligentium. Si quis alam ei detruncet, non fugiet examen. Cum processere, se quæque proximam illi cupit esse, & in officio conspici gaudet. Fessum humeris sublevant, validiùs fatigatum ex toto portant. Si qua lassata deficit, aut fortè aberravit, odore persequitur. Ubicumque ille consedit, ibi cunctarum castra sunt.* Et mox: *Duce prehenso, totum tenetur agmen: amisso dilabitur, migratque ad alios, esse utique sine rege non possunt: invitæ autem interimunt eos, cum plures fuere.* Denique asserit regem unius alvearis contra regem alterius, ubi de pascuis & floribus lis est, aciem instruere, ac ingenti rixa dimicare; *quæ dimicatio injectu pulveris aut fumo tota discutitur. Reconciliantur verò lacte vel aqua mulsa.* Tandem cap. 20. *Vita*, ait, *apibus longissima, septenis annis universa.* Quocirca Virgil. & alii censent apibus vim quamdam divinam, & quasi quid numinis inesse: sic enim canit Virgil. 4. Georg.

B *Esse apibus partem divinæ mentis, & haustus*
Æthereos dixere.

Apes ergo imitentur universi homines, etiam principes, præsertim sapientes, & Religiosi. Unde rectè Abbas ille in Vitis Patrum: *Sicut*, inquit, *apis ubique mel operatur, sic monachus ubique bonum opus.* Et Abbas Ampo lib. 7. cap. 32. *Sicut apis*, inquit, *quocumque vadit mel operatur: ita & monachus quocumque pergit, si propter opus Dei perrexerit, dulcedinem bonorum actuum potest afferre.*

Ex ape ergo parva, & quoad speciem vili, docet Siracides, neminem ob parvitatem vel deformitatem debere contemni. Audi lepidam sed eruditam hac de re epistolam S. Gregorii Nazianzeni num. 155. ad Nicobulum, quæ eum redarguit, quòd Alypianam filiam S. Gorgoniæ sororis suæ, ipsius verò conjugem, ob parvitatem, & curuitatem despiceret: *Alypianam apud nos cavillis incessis ut parvam, ac tua proceritate indignam, ò magne; & vaste, ac gigantinæ tum forma, tum robore. Nunc demum intellexi, animum mensura subjici, & virtutem expendi, ac rupes margaritis præstantiores esse, corvosque luC-sciniis augustiores. Tu verò magnitudine tua, & cubitis fruere, nec Aloidis illi ullo modo inferiorem te præbe. Equum enim ducis, & hastam vibras, & feræ tibi curæ sunt, ipsa autem nil operis patrat, nec magni operis est radium ferre, & calum tenere, ac telæ assidere: id enim feminarum decus est. Quòd si hoc quoque adjicias, eam orationis causa humi curvam esse, ac per ingentes mentis agitationes perpetuam cum Deo consuetudinem habere; quid hic de tua sublimitate, corporisque mensura te jactabis? Vide tempestivum silentium: loquentem audi: quam incompta sit, animadverte, quam ut femina, fortis ac strenua, quas rei domesticæ utilitates afferas, quam viri amans sit. Ac tum illud Laconis dices: Certè animus in mensuram minimè cadit, atque externum hominem oculos in internum conjectos habere oportet. Si hæc ad hunc modum consideres, jocari desines, eamque ut parvam deridere, tuumq; conjugium faustum ac felix judicabis.* Vide quæ de nomine, & forma S. Pauli, id est parvi, dixi Rom. 1. 1. & Zachariæ 4. 10. ad illa verba: *Quis enim despexit dies parvos?* & Deuter. 3. 11. de Og gigantis magnitudine. Vide & præfationem in Minores Prophetas. De symbolis & significatione apum D vide Pierium Hieroglyphico 26.

Memorabile est quod in Vita S. Gregorii Turonensis Episcopi ad diem 17. Novemb. legimus eum visitantem limina Apostol. à S. Gregorio Magno tum Romano Pontif. introductum in basilicam Sancti Petri, ac Pontificem secretam Dei dispensationem admiratum fuisse, quòd in hominem adeo parvum brevisque staturæ tanta cælitus gratia profluxisset, quod cùm ille divinitus persensisset, placido vultu Pontificem respiciens: *Dominus*, inquit, *fecit nos, & non ipsi nos: idem in parvis, qui & in magnis.* Cumque id suæ cogitationi S. Pontifex responderi cognosceret, magis eum venerari cœpit, eumque aurea cathedra donavit, quæ etiamnum à Turonensibus religiosè asservatur. Idem nuper noster Bellarminus, & ipse parvus, sed bene auritus, cuidam id merenti respondit.

Huic de apibus, simile est proverbium Arabum de culicibus,

cibus, contur. vers. 24. *Ne despicias debilem in conversatione ejus: nam culex fodit oculum leonis:* quod petitum est ex historia. Nam à culicibus in Mesopotamia mirè infestari leones, è Marcellino lib. 18. & Strabone lib. 16. suprà ostendi. Et illud Hebræorum in *Gemara* c. 1. in Hagiga: *Granum piperis præstat canistro cucurbitarum*: quod Nathan Justus edisserit de quodam doctore, qui inter ceteros doctores minimus erat & acutissimus. Citat illud Angelus Caninius in lib. de Locis novi Testam. & sic explicat: *Pluris est unus sapiens, quam omnes stulti.* Et illud R. Josie Babylonii: *Ne specta cantharum, sed id quod in eo est: nam interdum cantharus novus refertus est vino veteri, interdum cantharus vetus ne novum quidem vinum continet*, q. d. Ne considera speciem, sed mentem; non staturam, sed sensum; non ætatem, sed sapientiam; ne specta hominem ex forma vel ætate, sed ex moribus, eruditione, industria. Sunt enim senes bis pueri: sunt rursum juvenes senili prudentia.

Symbolicè, *brevis in volatilibus*, id est, abiecta & humilis inter reginas & dominas, imò mulieres omnes, fuit apis, id est, virgo Deipara (apes enim sunt virgines, uti ostendi Isaiæ 7. 15.) quæ mel, id est, Christum, mun- B di delicias peperit: unde de eo cecinit Isaias c. 7. 17. *Butyrum & mel comedet*: mel enim de cælo labitur, sic & Verbum de cælo lapsum est in uterum Virginis. Mel ergo nostrum est parvulus Emmanuel, de quo nomine multa dixi Isaiæ 7. 14.

Apis symbolis Christi & B. Virginis.

Apis ergo mysticè symbolum est Christi, qui in ortu, veniens in mundum, dedit mel clementiæ, sed in cauda, rediens scilicet ad judicium, exeret aculeum justitiæ, dicens reprobis; *Ite maledicti in ignem æternum.* Item B. Virginis, ac S. Joannis Baptistæ, qui melle silvestri victitavit, ac melle cælestis doctrinæ nutrivit, & aculeo castigationis pupugit corda Judæorum. Insuper virginum, Religiosorum & prædicatorum. Nam, ut ait Hugo, apis Primò, est sedula: sic & prædicator ac Religiosus sit sedulus & fervens spiritu. Secundò, apis est parca sibi, larga aliis: talis sit & prædicator. Tertiò, apis brevis est, id est, parva: sic prædicator & Religiosus sit humilis. Quartò, apis vocem habet maiorem corpore: sic & prædicator ita resonet, ut etiam audiatur à mortuis per peccatum, juxta illud Isaiæ 40. *Exalta in fortitudine vocem tuam tu qui evangelizas Sion.* Quintò, apis mel habet in C ore: prædicator suavitatem habeat in prædicatione. Sextò, apis in grege similis est aliis: sic & prædicator non sit singularis, sed in conversatione ceteris se adæquet, & cum Paulo dicat: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes salvos facerem.* Septimò, apis sub rege est: sic prædicator licet regat alios, regatur à Christo, & à suo Prælato. Octavò, apis si ungatur oleo perit: sic prædicator si vngatur oleo adulationis, interit. Nonò, apis reviviscit aceto: sic prædicator recordatione passionis Christi vivit, & alios vivere facit. Decimò, apis crure secat: sic prædicator tam in se quàm in aliis resecet voluptatem, quæ crure & femore designatur. Undecimò, apis stimulum habet; sic prædicator extimulet pigros. Duodecimò, apis, cùm vulnerat, moritur: sic prædicator cùm nimis acriter corripit, scandalizat & peccat, juxta illud Prov. 30. 33. *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Decimotertiò, apis casta manens prolem parit: sic prædicator castus filios parit Christo. Decimoquartò, apis pedes habet cassos: sic prædicator, propriam deponat voluntatem & sensum, ac S. Script. sensu, Deique voluntate regatur. Decimoquintò, apis flores pascit, non sordes: sic prædicator cælestibus pascatur, non terrestribus. Decimosextò, apis nascitur ex corio bovis: sic prædicator mactata in se superbia, qui fuit in sæculo taurus, in claustro fiat apis, uti de Saulo factus est Paulus. Decimoseptimò, apis cellas facit sexangulas: sic prædicatori locus orationis & studii sit solidus & varius. Decimooctavò, apis alteri api onus gestanti de via decedit; sic prædicator cedat & socio, juxta illud: *Alter alterius onera portate*, Galat. 6. Decimononò, apis colit palmam: sic prædicator crucem. Vigesimo, apis frigore putrescit: sic prædicator torpore. Vigesimoprimò, apis api pedibus nectitur: sic prædicator prædicatori amoris affectibus conglutinetur. Vigesimosecundo, apis cellam inhabitat: sic & Religiosus ac prædicator cellam S. Scripturæ incolat. Vigesimotertiò, apis quasi cincta est: sic prædicator fide pectus, & castitate renes cinctus est. Vigesimoquartò, melior in apibus sit Rex: sic in Religione meliores præsint & regant. Vigesimoquintò, apis calida est: sic prædicator ardeat igne charitatis, iuxta illud Christi Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Vigesimosextò, apis fugit fumum, fœtorem, strepitum: sic & prædicator fugiat fumum elationis, fœtorem luxuriæ, & strepitum mundi. Vigesimoseptimò, apis fert lapillum ne vento auferatur: prædicator ferat lapidem compunctionis, quo tundat pectus, ne vento inanis gloriæ abripiatur. Vigesimooctavò, apes, defuncto rege, inter se pro novo depugnant: sic prædicator Prælato mortuo, pugnet ut probus eligatur. Vigesimononò, apis rapit mel: sic prædicator animas. Hæc omnia deinde Hugo hisce versibus complectitur.

Apis & prædicatoris analogia viginti novem.

Sedula, parca, brevis, vox maior corpore, mel dat,
In grege sub rege est, perit uncta, revivit aceto.
Crure secat, stimulat, vitam cum vulnere ponit,
Casta facit prolem, pede cassa est, florida pascit,
Nascitur ex tauro, sexangula mœnia condit;
Fumos, fœtores, strepitum fugit, & lapides fert
In vento, pugnat defuncto rege, rapitque.
Cedit portanti, palmam colit, & pigra bruma:
Rex fit in examen qui prævalet, & calet omnis.

De ape plura vide apud Varronem, Columellam, Aristotel. Plinium locis citatis: ac de ea rursus dicendum Proverb. 6. *Vade ad formicam, ò piger*, ubi Septuag. addunt, *Vade ad apim.* Apis enim exemplar est laboris & industriæ.

Brevis ergo *in volatilibus apis*, est Christus infans, qui mellificat in animabus sanctis, & pascitur floribus inter lilia: vilis in pannis, dulcis in paleis: suavis in præsepio, suavissimus in cælo. A Christo idem participant Christiani, præsertim Religiosi & prædicatores, uti iam ostendi.

IN VESTITU, (Græcè, ἐν περιβολῇ ἱματίων, id est, *in circumiectione vestimentorum*, ut vertunt Romana) NE Vers. 4.
GLORIERIS UMQUAM, NEC IN DIE HONORIS TUI EXTOLLARIS] Græcè, *in amictu vestium ne gloriare, & quo tempore in gloria es, ne efferto te*: Syrus id per antithesin declarans, vertit, *eum qui indutus est indumentis vilibus ne irrideas, & ne contemnas hominem* C *cujus amara sunt palata*, id est, hominem afflictum qui ægro est animo. Versu 2. & 3. elisit superbiam ob formam & pulchritudinem, hic elidit superbiam ob vestitum splendidum, ac ob dignitatem & honorem: qui enim est in dignitate, v. g. Rex, princeps & Prælatus, habet occasionem superbiendi, tum ob statum honorificum, quo ceteris eminens ab omnibus honoratur, tum ob splendorem vestium regalium, ut diadematis, sceptri, purpuræ, vel pontificalium, ut tiaræ, poderis, ephod, &c. Monet ergo Siracides, ut in illis principes & Prælati non superbiant, sed humiliter & modestè se gerent.

Explicat hunc locum S. Chrysost. homil. 2. in epist. 1. ad Timoth. in morali: *In amictu*, inquit, *vestium ne glorieris. Ista pridem prædicabantur infantibus: nempe enim & saltator, & scortum, & histrio, gratiora te & pretiosiora indumenta circumfert. Time præterea ubi pretiosiora illa invaserint indumenta, huius te gloriæ voluptate privabunt. Vides quam incerta, quamque instabilis sit via præsentis gloriæ? Gloriantur in re quam vermes & gignunt, & perdunt. feruntur enim quidam ex India vermiculi huiusmodi* D *conjicere vestes. Si vestem possidere cupis superne intextam, amictum omnino mirabilem atque clarissimum, indumentum penitus aureum acquirere stude. Nempe illud aurum non metallum est, cuiusmodi damnatorum effoderunt manus, verum ex virtute generatur. Induamus nos stola illa quam non homines inopes aut servi conficiunt, sed ipse Dominus se diligentibus præparat. Quid, oro, vestimento huic insertum est, quod te faciat illustrem? Aurum scilicet. Et hoc quid ad rem? Opificem enim mirantur omnes, non eum qui fuerit amictus: ille enim revera admiratione dignus est: quemadmodum & in simplicibus vestibus, non lignum in quo apud fullonem vestis tenditur, admiramur, sed opificem potius, licet ipsam lignum ferat.* Plura vide apud Tertull. li. de Habitu mulierum, & de Cultu feminarum, ac S. Cyprianum tract. de Habitu virginum.

Gloriatus est Herodes in veste regia, & acclamatione populi vociferantis: *Dei voces, & non hominis*; quare ilicò per-

percussus ab Angelo, consumptus à vermibus exspiravit, Actor. 12.23. Ex adverso Christus, cum triumpho quasi Messias ingrediens Jerusalem in die palmarum, acclamante turba, *Hosanna filio David*, non sese extulit, quia sciebat hunc honorem mox vertendum in contemptum, ac se quinto pòst die ab iisdem crucifigendum. Sic & Job cùm esset Rex, de regali honore non est elatus: prævidebat enim fieri posse, quod contigit, ut omnibus spoliatus sederet in sterquilinio, & testa pus è corpore abraderet.

Præclarè Clemens Alexandr. lib. 2. Pædag. cap. 12. *Sicut Evam*, inquit, *serpens decepit, ita etiam alias mulieres mundus muliebris aureus, esca utens serpentis figura, in probra impellit, nempe murænulas quasdam aureas & serpentes ad decorem effingens*. Et Seneca li. 2. epist. 47. *Stultus est qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum eius; sic stultissimus qui hominem ex veste æstimat*, præsertim cùm vestis sit stigma peccati, uti ostendi Genes. 3. v. 7. & 21. Plura de modestia vestitus, dixi 2. Petri 3. v. 3. & Isaiæ 3. sub finem cap.

Porrò *dies honoris* est dies, quo quis exaltatur & honoratur, v. g. dies victoriæ & triumphi, dies electionis vel coronationis, dies celebritatis & festi, &c. imò totum tempus quo quis in magistratu vel dignitate versatur. Monet ergo ut illo non infletur, nec animo extollatur. Sic Romani duci triumphanti in curru apponebant servum (Plinius lib. 28. cap. 4. vocat carnificem) qui ei crebrò insusurraret: *Respice post te, hominem te memento*, uti refert Tertull. Apolog. c. 33.

Porrò quod ad honorem & gloriam attinet, S. August. libr. 5. de Civit. c. 12. laudat Catonem, *qui quo minus petebat gloriam, eo magis illum gloria sequebatur. Quandoquidem gloria est, cuius illi cupiditate flagrabant, iudicium hominum bene de hominibus opinantium. Et ideo melior est virtus, quæ humano testimonio contenta non est, nisi conscientiæ suæ*. Est ergo hæc secunda species humilitatis & modestiæ, qua quis modestè se gerit in splendore vestium & dignitatum.

Apologus gloriosi. Idipsum festivo hirci & ericii apologo docet Cyrill. l. 2. Apolog. moral. c. 3. *Hircus*, inquit, *ad fontem accedens, ut ardentia siti viscera refrigeraret, oculis in laticem nitore fulgentem coniectis, similitudinem vultus sui, quam in eum emiserat, reverberantibus rivi speculis, mox suscepit. Cumque videret caput altis cornibus ornatum, atque protensam faciem pendente barba insignem, corde hilari vocem exultationis emisit, atque se in maximis magnificare cœpit, dicens: Quam decenter staret eminens in cornuto capite corona pæonica, & torquata cervix quàm convenienter descenderet facie subtus barbata. Hunc cùm audisset ericius, stans & ipse in fonte, derisit amentem, & dixit: O si post tergum oculos haberes, te de corona & torque nullo modo dignificares. Nimirum videres caudulam pudendam tuam, & mox humiliatus de fastuoso capite deponeres iactantiam. Ut quid dignificas te de maximis, & magnipendis miseriam tuam? Pone te in libra iustitiæ, tunc videbis qualis sis. Nempe pugillus es terræ, & quid te extendis in regna? o favilla ignis quare te erigis super stellas? Porrò si te magni æstimas cum sis parvi, tentabis maiora, & insufficientem mox te confundent maxima: sed si teipsum parvipendis, ubique tutus eris; quoniam humilitas parit timorem, & timor procurat securitatem, & hæc custodit salutem. Verùm si teipsum in altis dignificas, iam teipsum extra mensuram indicas*. Deinde idipsum manifesta ratione evincit: *Quæso igitur, ut*

Humilitas glorificat. *sequaris commune ius; hoc autem præcipit, ut in iudicio non credatur uni, nec alicui minus quam sibi, de bonis*. Ex quibus hoc epimythium sive ethicum dogma colligit: *Crede mihi, quia maximè se vilificat, qui se magis dignificat. Sicut qui se iudicat sapientem, fit amens. Lux quidem luce confunditur, & altitudo altitudine curvatur, sed altior stella mentitur aspectibus, & cunctis inferior luna super omnia decoratur. Ubi ergo est profunda humilitas, ibi excelsa est dignitas: & ubi ex temetipso est deiectio magna, ibi ex virtute tibi est dignificatio maxima. Nam dum mundanis honoribus nos iudicamus indignos, tum nos humilitas sempiternis atque cælestibus reddit dignos. Quibus auditis, hircus eruditus, quia se deificaverat, erubuit*.

QUONIAM MIRABILIA OPERA ALTISSIMI SOLIUS, ET GLORIOSA, ET ABSCONSA, ET INVISA OPERA ILLIUS] Græca de more concisa sic A habent, *nam mirabilia sunt opera Domini, & occulta*, id est, *absconsa* vel *occulta* (quod Noster vertit, *invisa*) *opera ipsius hominibus*; Syrus, *quia dubia sunt arcana Dei, & abscondita ab hominibus opera eius*. Dat causam cur non sit gloriandum in vestitu splendido, neque in honore & dignitate, eamque duplicem. Prior est, quòd Deo soli competat gloria, illique soli liceat gloriari; quia uti ejus maiestas est gloriosissima, ita pariter & opera eius gloriosissima sunt. Ubi Adverte. In Deo sunt omnes virtutes nostræ, excepta humilitate. In Deo enim non est humilitas, sed majestas & gloria: Deus enim neminem habet superiorem, cui se humiliare & subiicere possit; sed est ipsa immensa majestas, cui iure suo competit omnis honor & gloria: quam si respueret, faceret contra dignitatem suæ maiestatis & divinitatis; eamque abiiceret, & deprimeret, quæ utique illius esset gravis iniuria. quod absit. Sicut ergo Deo competit gloria, sic homini competit humilitas, utpote qui in omnibus subiectus sit Deo, utpote à quo ipsam essentiam, dignitatem, honorem, vestitum omniaque dona tam naturæ quàm gratiæ, quæ habet, accepit. Porrò Deus, ut humiliaret se, & B sua humiliatione nos doceret humilitatem, quasi virtutem nobis congruam & propriam, sumpsit humanam naturam, in eaque humiliavit se infra creaturas, adeò ut diceret. *Ego sum vermis, & non homo opprobrium hominum, & abiectio plebis*. Vide, quanti Deus faciat humilitatem, qui pro ea fasces & fastigium deitatis ad calces humanitatis nostræ infinito descensu inclinavit. *In Deo sunt omnes virtutes, excepta humilitate:*

Posterior est, quòd Dei *opera* sint *abscondita & invisa*, id est, incognita hominibus, ita ut præter opinionem hominum sæpè secreto suo iudicio dignitatem & vestes gloriosas homini adimat, eumque redigat ad penuriam, squalorem & pauperiem: deponit enim potentes de sede, ut canit B. Virgo. Unde exclamat Apostolus Roman. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit*, Idipsum explicans Siracides subdit: *Multi tyranni*, &c. Porrò Lyran. & Hugo censent opera Dei dici *mirabilia*, eò quòd mirabiliter, præter exspectationem, sæpè hominum sortem & felicitatem im- C mutet, ut sublimes humiliet; humiles sublimet; pauperes ditet, divites depauperet. Hugo verò censet dici *mirabilia*, Primò, quia Deus subinde malos præficit, juxta illud Jobi: *Qui regnare facit hypocritam*. Secundò, quia homo dum honoratur, sæpè ignorat cur sibi honorem indulgeat. Tertiò, quia Deus efficit, ut mali regnum non evertant, nec universi ordinem perturbent, imò nec dehonestent; sed ex eorum malitia ingentia vel justitiæ vel clementiæ suę decora elicit. Sicut ergo in ludo scachorum Rex subinde deiicitur, ac veles in regnum extollitur: sic Deus subinde reges è solio deiicit, plebeios in regnum exaltat, nimirum,

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Unde sequitur:

MULTI TYRANNI SEDERUNT IN THRONO, ET INSUSPICABILIS PORTAVIT DIADEMA] Vers. 5.
Pro *in throno*, Græcè est, ἐπ' ἐδάφους, id est, in solo, humi, super pavimentum, ut sit antithesis: q. d. Deus suo iudicio facit, ut tyranni regno priventur, & ex solio deiiciantur in solum, ac ad humum affligantur: ex adverso facit ut vilis, de quo nemo suspicabatur, eveha- D tur ad regnum, & gestet diadema. Quocirca Ligurinus vertit, *multi tyranni humi resederunt, & fuit qui diadema gestavit inexspectatus*; alii, *multi tyranni sederunt in pavimento, & is de quo minimè suspicio erat, gestavit diadema*. Unde S. Gregorius Nazianz. orat. 2. contra Julianum, in eum hæc intorquens ait: *Qui potentes de sedibus deponit, & insuspicabilem* (qualis fuit Valentinianus successor Juliani) (*diademate ornat*. Hinc nonnulli opinantur nostrum Interpretem vertisse, *in solo*, sed sciolum aliquem pervertisse *in solio*, alium *ex solio* fecisse *throno*. Verùm τὸ *solio* characteribus penè omnibus differt à *throno*; & omnia Biblia Latina habent, *in throno*; sicque legit Rabanus, Lyran. Dion. Hugo, & ceteri: quin & Syrus vertit, *multi contemptibiles sederunt super sedem regni, & qui non ascendebant in cor* (id est, de quibus non cogitabatur) *induti sunt vestibus gloriæ*; uti multos Pontifices vidimus, & videmus creari ac gestare diadema, imò

imò coronam triplicem, de quibus nemo opinabatur quòd ad summum hoc mortalitatis fastigium evehendi essent. Unde novis Pontificibus in coronatione accinitur: *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat*, 1. Reg. 2. v. 8. & psalmo 112. v. 7. Quare videtur

VERS. 12. Noster pro ἐπ' ἐδάφους, legisse ἐφ' ἕδρας, id est, in sella & solio, thronoque regali. Antithesim verò hujus versus continet versus sequens:

MULTI POTENTES (Græcè, *dynastæ*) OPPRESSI SUNT VALIDE, ET GLORIOSI TRADITI SUNT IN MANUS ALTERORUM] q. d. Sicut Deus mirâ sua providentia facit, ut tyranni per vim & tyrannidem, thronum regni occupent, iique de quibus nemo suspicabatur, portent diadema: ita vicissim ex adverso multos potentes de throno dejicit; valideque opprimit, ac gloriosos tradit in potestatem aliorum, qui eos regno, opibus, libertate & sæpè vita privant. Hoc in quibuslibet regibus & principibus, etiam legitimis, & legitimè imperantibus, sæpè accidisse legimus; sed maximè in iis qui per fastum, vim vel dolum, imperium & remp. invaserunt; aut illud crudeliter, avarè, superbè administrarunt. Nam, ut ait Demosthen. Olynth. 2. *Regnum malis artibus comparatum, & vi retentum, non potest diu durare*.

Quocirca Phalaris Agrigentinorum tyrannus epist. 34. ad Demosthenem: *Neque homo*, inquit, *si fieri posset, ut, antequam nasceretur, quænam mala passurus esset, audiret, nasci unquam voluisset: neque privatus qui tyrannidi studeret, si illius intelligeret calamitates, tyrannus potius quàm privatus esse vellet: sicque Demosthenes, non nasci, & privatum quàm tyrannum esse, utilius intelligo*. Cicero Tuscul. 5. narrat, Dionysium tyrannum Damocli, eum beatum prædicanti, mensam regiam instruxisse, ut hujus suæ beatitudinis foret particeps; sed simul è laqueari gladium suspendisse, qui beati illius capiti immineret. Quem intuens Damocles, nec comedere, nec bibere ausus, exoravit tyrannum ut abire liceret, quòd jam beatus esse nollet. Plura de his habet Petrus Gregor. lib. 6. de Republ. c. 19. Unde Tigurina vertit, *multi potentes magnam subierunt infamiam, & in manus aliorum traditi sunt magnifici*; Syrus, *multi reges ignominia affecti sunt, & multi gloriosi dejecti sunt de gloria sua*.

VERS. 7. PRIUSQUAM INTEROGES, NE VITUPERES QUEMQUAM: ET CUM INTERROGAVERIS, CORRIPE IUSTE] Græca significantius & pulchrius, πρὶν ἢ ἐξετάσῃς, μὴ μέμψῃ· νόησον πρῶτον, καὶ τότε ἐπιτίμα, id est, *priusquam exquiras, ne accuses: intellige primùm, & tunc reprehende*; Tigurina, *ne quid reprehendas priusquam exploraris: fac cognoscas prius, & tum iure vituperes*; alii, *priusquam exploraveris, ne reprehendas: cognosce primùm, deinde objurgato*. Hæc sententia æquè ac præcedentes ad humilitatem & modestiam pertinent, novumque ejus modum & speciem suggerit, ordine tertium. Multi enim ex superbia, & ex mentis levitate, putantes se omnia scire & intelligere, præcipitant judicium, ilicoque cùm sinistri aliquid audiunt, credunt. Alii suas primas impressiones tenaciter retinent, ex quadam naturæ & phantasiæ pertinacia; unde quod semel illi impresserunt, constanter tenent, nec dant locum defensioni & excusationi: imò si suas impressiones verè refelli & convinci audiunt, ægrè ferunt: multò minus inquirunt & explorant rei factive veritatem, sed mox quasi de illa certi, factum reprehendunt, vituperant, damnant. Quod sanè temerarium est judicium, & proximo iniurium, non tantùm cùm in publico tribunali à judice, vel coram judice id fit, sed etiam cùm privata vituperatione vel censura id agitur.

Monet ergo Siracides, ut in censurando prudentiam & modestiam adhibeamus, nec quippiam vituperemus, nisi priùs bene examinatum & discussum: quo facto, corripiamus, sed justè, quantum scilicet facti gravitas meretur, & proximi salus ac reip. incolumitas exigunt; ideoque *animo dilectionis, non animo ultionis; ne cum parcitur carni, anima pereat*, ait S. August. in psalm. 102. Qua de re vide ea quæ dixi Galat. 6. 1. & S. Bernard. serm. 44. in Cant. qui docet in correptione præmittendum oleum lenitatis: quod si non prosit, addendum vinum acrimoniæ, instar Samaritani, Lucæ 10. 30. Hinc judici accusationem audienti dicitur: *Audi & alteram partem*, unam aurem da accusatori, alteram servato reo se excusanti. Ita Constantinus Magnus Imp. Faustæ uxori accusanti Crispum filium de stupro leviter credidit. Crispumque innocentem occidit; cujus innocentia deinde cognita inconsolabilem egit luctum, ac Faustam pariter, quæ calumniam hanc Crispo struxerat, interemit. Sic & Theodosius sententiam mortis præcipitavit in Thessalonicenses, quòd imaginem suam dejecissent: qua de causa à S. Ambrosio reprehensus, publicam egit pœnitentiam, uti narrat ex Sozomeno & aliis Baron. *Nam sententia in sontem lata, sed dilata, revocari potest; vita verò innocenti ablata revocari non potest*. uti docet Seneca libr. de Ira, & libr. de Clementia. Hac de causa sapienter Festus præses Romanus rogatus à Iudæis, ut S. Paulum inauditum damnaret, respondit: *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina*. Actor. 25. 26. Et Menander: *Inexaminatum ne punias ullum*. Et

Audi alteram partem Gnoma.

B Seneca tragœdus in Medea:

Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus erit.

Sapientius S. August. serm. 202. de Tempor. *Maxima pars generis humani*, ait, *indiscreto iudicio ad reprehendendum prompta & parata esse probatur; cùm tamen non ita se velit ab aliis judicari, quomodo vult alios iudicare. Propter hoc Scriptura divina admonet, dicens, Priusquam interroges, ne judices quemquam, & cùm interrogaveris, corripe iustè. Omnis homo prius se vult interrogari, & postea, si reus est, patienter tolerat reprehendi. Et quidquid nobis omnes volumus ab aliis fieri, iustum est ut hoc aliis studeamus implere. Prius cum patientia interrogemus, & solliciti simus, ut, cùm aliquid certius agnoverimus, tunc aut si mala sunt, reprehēdere; aut si bona, defensare valeamus*. Hac de causa Deus nobis binas dedit aures, ut utramq; partē audiamus; & in medio earum unam mentem quæ judicet, & unā linguam quæ judicatum eloquatur. Unde Hebr. aures in duali vocant אזנים *oznaim*, quasi מאזנים *mozenaim*,

C id est bilances. Sicut enim inter duas lances media est lingula, quę rectò justoque pondere librat, examinat, & ostendit pondus utriusque lancis, utrum alteri præponderet: sic duas aures nobis dedit Deus, ut utrimque rationes audiamus, easque mente libremus, examinemus, & dijudicemus, ac quod justum judicaverimus, ore promamus. Quocirca S. Prosper epigram. 21. hæc de non temere credendo, & censendo, prudentiæ Christianæ dat documenta.

Culpare in quoquam quæ non sunt nota, malignum est;
Præsertim, quæ sunt cognita, si bona sunt.
Non pateant faciles sævis rumoribus aures:
Quæ nescire juvat, credere non libeat.
Linquantur secreta Deo, qui, si quid opertum est,
Inspicit, & nullis indiget judicibus.

PRIUSQUAM AUDIAS, NE RESPONDEAS VERBUM, ET IN MEDIO SERMONUM (malè Complut. legunt, *seniorum*; nam græcè est, λόγων, id est sermonum, ita Roman.) NE ADIICIAS LOQUI] Græcè, μὴ παρεμβάλλε λόγον, id est, *ne intericias verbum*; Rom. *ne interloquaris*, id est, *ne interrumpas loquentem*. Est VERS. 8.

D hæc quarta species modestiæ, & humilitatis, æquè ac prudentiæ, quæ jubet, ut non respondeas antequam plenè interrogationem vel quæstionem aure exceperis, & mente conceperis. Rursum ut quærentem vel narrantem quippiam non interrumpas. Respondere enim ante perceptam interrogationem, & loquentem interrumpere, est indicium & affectus, Primò, superbiæ, qua putas te tam solertem, ut conjectes quid alter velit interrogare, ut instar Prophetę divines, quid alter mente concipiat & intendat. Unde S. Bernar. de Gradibus humilitatis hunc nonum assignat: *Nonus*, ait, *humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat monachus, & taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur*. Secundò, levitatis, qua responsum præcipitas ante tempus oportunum. Tertio, imprudentiæ, qua exponis te periculo, ut impertinenter & extra propositum respondeas: quia dum respondes de fabis, alter fortè interrogare volet de alliis, ut vulgò dicitur. Unde Proverb. 18. dicitur: *Qui prius respondeat quam audiat verbum, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum*. Et cap. 29. 20. *Vidisti hominem velocem ad loquendum; stultitia magis speranda est quàm*

Quarta modestiæ species.

illius

illius correctio. Quartò, incivilitatis & rusticitatis: incivile enim & rusticum est, alium loquentem interrumpere, ac respondere antequam plenè ejus quæstionem audieris.

Porrò generalis est hæc sententia, unde variis aptari potest. Primò, doctori q. d. Antequam audiendo benè didiceris, noli alios idem docere: noli fieri magister antequam fueris discipulus. Ita Rabanus: *Qui priùs*, inquit, *doctor esse desiderat quam discat, stultitiæ noxam non declinat*. Vide Nazianzen. orat. 1. apologetica de fuga in Pontum, ubi inter alia ait: *Alios docere aggredi priusquam ipsi satis edocti simus, &*, ut vulgò dicitur, *in dolio discere figulinam*, id est, *in aliorum animabus pietatem meditari & exercere, valdè stultorum & temerariorum esse videtur*. Figuli enim non statim in dolio, sed in exiguis vasculis aut ollis figulinam addiscunt, in quibus si aberrent, ut opus reficere oporteat, parva est jactura, cùm in ingenti dolio sit magna.

Secundò, judici, q. d. Judex non proferat sententiam donec audiat litigantes: ex accusatione dumtaxat neminem condemnet; tam reum se defendentem, quàm actorem accusantem audiat. Ita Rabanus, *Qui judicare*, ait, *proximorum facta priusquam plenè causam utriusque partis dignoscat, inordinate festinat, & ille se confusione dignum demonstrat; quia magis pertinacem quam prudentem se esse probat*. Quare judices qui sapiunt, priùs omnes attente audiunt, quin & aliorum sententias & judicia exquirunt; omniaque circumlustrant, antequam suam sententiam pronuntient. Unde Potrarcha ait nos in loquendo & respondendo debere imitari citharœdos, qui antequam citharam pulsent, singulas chordas sonantes audiunt, ac inter se contemperant, ut congruum edant sonum & harmoniam. Ita hanc sententiam explicat Damasus Papa epist. 6. ut habetur 11. qu. 3. can. 76. *Eorum qui accusantur*, inquit, *causas discutere non licet priusquam canonice vocati ad Synodum veniant: & præsens per præsentem agnoscat veritatem, & intelligat quæ ei obiciuntur: quod & per sapientiam Salomonis* (multi enim Ecclesiasticum attribuunt Salomoni, uti dixi in proœmio) *dicitur*, *juxta Septuag. Antequam scruteris ne reprehendas: intellige prius, & tunc increpa. Antequam audias, non respondeas*. Alioquin dicetur tibi: *Sicut pravè intellexisti, sic pravè respondes*, ut habetur de consecr. dist. 2. c. 1. Et 15. q. 8. in fin. *Priusquam audias*, inquit, *ne judicaveris quemquam: atque ante probationem accusationis illatæ neminem à tua communione suspendas, quia non statim qui accusatur reus est, sed qui convincitur criminosus*.

Tertiò, consiliario, q. d. Consultus ne præcipitet consilium, donec plenè rem audiat, perspiciat, comprehendat.

Quartò, in familiari colloquio donec audieris dicentem, ne respondeas, nec ejus sermonem intercidas. Afficis enim eum iniuria & ignominia, si conceptum ab eo sermonem velut indignum impedis, ne prodeat in lucem: ac prodis tuam impatientiam, qua alium loquentem pati non potes; pariter & superbiam, quasi illo meliora dicturus sis. ita Palacius. Sapientia ergo & salus hominis est, libenter & multa audire, ac tardè & pauca loqui: sicut salus leporis est silentium atque auditus acredo & celeritas, quæ eum de canibus & venatoribus admonet, ut fuga sibi consulat. Unde Plutarch. in Symposiac. lib. 4. qu. 5. *Leporum*, ait, *oculi adeo sunt indefessi, ut etiam apertis iis dormiant. Celeritate autem exaudiendi videtur aliis anteire: cujus admiratione ducti Ægyptii, in suis sacris literis picto lepore auditum significant*.

Vers. 9. DE EA RE QUÆ TE NON MOLESTAT, NE CERTERIS (ita quoque legit S. Lucius Pontifex epist. 1. *Ne certeris*, id est ne certes, ne contendas: Interpres enim Ecclesiastici & Sapientiæ, *certari* usurpat pro *certare*, uti monui superiùs, & patet Sapient. 15. 9. & inferiùs cap. 38. 29. vide Francisc. Lucam in Notis hic:) ET IN JUDICIO PECCANTIUM NE CONSISTAS] *Admonet*, ait Rabanus, *ut in superfluis rebus non nimis simus curiosi, & peccantium pravitati non consentiamus. Nam digni sunt morte, non solùm qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*, ait Paulus Roman. 1. 32. Unde Psaltes psalm. 1. 1. *Beatus vir*, inquit, *qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit*. Græca habent, *de re quæ non est ad te, ne certes, & in judicio peccatorum ne consideas*. ita Complut. Sed Romana, Jansenius, & alii legentes, περὶ πράγματος οὗ οὐκ ἔστι σοι χρεία, vertunt, *de negotio vel re qua tibi non est opus, ne certes*, &c. Eodem tamen redit utraque lectio & versio, æquè ac nostra. Nota τὸ *quæ te non molestat*; nam res nobis commissæ sua cura & sollicitudine nos affligunt & molestant. Tigurina, *ne contendas de eo quod tua nihil interest, nec te judicem adiungas consessui scelerosorum*; Syrus, *si est in te vis, ne contendas; & in medio iniquitatis, ne multiplices fraudem*.

Est hæc quinta species modestiæ, aliena non curans. Sunt enim nonnulli immodesti, curiosi & superbi, qui omnia aliorum facta examinare, judicare & censere volunt, de iisque pariter inter se certant & contendunt, hi accusando, illi excusando. Jubet ergo Primò, ut ab hoc examine, disquisitione & certamine rerum ad nos non pertinentium abstineamus, ne nostram & aliorum pacem & concordiam turbemus sine ratione & causa. Secundò, ut à turba illorum qui temerariè alios judicant, vel approbando, vel condemnando, ideoque peccant, abstineamus & secedamus, ne eorum pravo judicio consentiamus, vel consentire videamur, itaque animam nostram & famam contaminemus. Huc facit vetus parœmia apud Adagiographum: *Ne edas allia & fabas*, hoc est, ne bellis & contentionibus, nève judiciis intersis. Nam in bellum inferebantur allia, velut commeatus militaris, quia frugalis & durabilis. Unde illud anonymi apud Svidam: *Perda allia in obsidione*. Allio quoque in escam dato, aves ad pugnam incitari, memorat Pierius Hieroglyph. 24. Est enim allium acre & mordax. Hinc illud Aristophanis in Equitibus: *Dum ais te diligere me, alliasti me*, hoc est, pupugisti me, & adegisti ad lachrymas: has enim excitat allii odor & esus. Fabas verò elitabant judices, ne obdormiscerent, ait Svidas; aut potiùs fabis dabant suffragia; hinc faba notat judicium, judicumque suffragium. Sunt & qui de alliis fabisque, id est, de quisquiliis, murmurant & lites movent, uti de alliis Ægypti sibi in deserto ademptis murmurabant Hebræi Numer. 11. 5.

Quinta species modestiæ.

Allia symbolum contentionis. cur?

Sapienter Cicero Tusculan. 2. *Et refellere sine iracundia*, inquit, *& refelli sine pertinacia parati simus*. Hac modestia discinditur omnis contentionum nodus; sed sunt nonnulli gallis gallinaceis iracundiores & pertinaciores, ideoque contentiosiores: hi elleboro indigent, ut iras litesque edormiant.

FILI NE IN MULTIS SINT ACTUS TUI: ET, SI DIVES FUERIS, NON ERIS IMMUNIS A DELICTO] Græca sic habent, τέκνον μὴ περὶ πολλὰ ἔστωσαν αἱ πράξεις σου· ἐὰν γὰρ πληθύνῃς οὐκ ἀθῳωθήσῃ, id est, *fili, ne circa multa sint actus tui: si enim multiplicaveris non eris innocens*, quia in tam multis variè & multipliciter peccare contingit. Vers. 10.

Ex Græco ergo hæc sententia Primò, generatim accipi potest, quasi dicta contra πολυπράγμονας, qui omnia agere, sibique arrogare volunt, itaque nihil bene agunt, vel certè non peragunt, nec ad finem perducunt: quod pariter est vitium præsumptionis & superbiæ, æquè ac imprudentiæ. Unde de talibus Afer dixit, *eos nil agere, sed satagere*. Sensus ergo est, q. d. Ne in multis, scilicet, negotiis & curis, sint actus tui: quia qui multa amplectitur, pauca stringit: pauca ergo amplectere, cura & stringe; alioqui non eris immunis à delicto, quia non poteris omnibus attendere, & satisfacere. Exemplum clarum est in nonnullis Advocatis & Procuratoribus, qui tot suscipiunt causas forenses, ut omnes fideliter & rectè agere nequeant, quo fit, ut eorum negligentia sæpè clientes condemnentur, & causas justas amittant: qui peccant iniustitia, ac ad restitutionem subinde tenentur.

Audi Rabanum, vel potiùs S. Gregor. 1. p. Pastor. c. 4. (ex eo transscripsit Rabanus.) Juxta *tropologiam*, inquit, *sæpè suscepta cura regiminis cor per diversa diverberat: & impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa. Unde hic consultè per sapientiam dicitur: Fili, ne in multis sint actus tui: quia videlicet nequaquam plenè in uniuscuiusque operis ratione colligitur, dum mens per diversa partitur. Cumque foras per insolentem curam trahitur, à timoris intimi soliditate vacuatur, fitque in exteriorum dispositione sollicita, & sui solummodo ignara; scit multa cogitare, se nesciens: nam cùm plus quam necesse est se exterioribus implicat, quasi occupata in itinere obliviscitur quo tendebat; ita ut ab studio suæ inquisitionis aliena,*

aliena, ne ipsa quidem quæ patitur damna consideret, & per quanta delinquat, ignoret.

Ratio à priori.

Ratio à priori est, quòd mens & attentio hominis sit finita, imò valdè exilis & limitata: quare in multa divisa, minuitur, deficit & evanescit: juxta illud: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*. Præstat autem pauca excellenter agere, quàm multa obiter & exiliter, juxta illud cap. 33. 29. *In omnibus operibus tuis præcellens esto*. Hinc Phocion apud Stobæum serm. de prudentia, ait, *difficile esse multas via vitas ingredi*. q. d. Difficile est ut multis intentus, quidpiam præcellens operetur. Et Artemidorus in Onirocriticis (id est, divinatione ex somniis) conjectat eum qui dormiens multos oculos se habere somniarat: planè cæcum fore; quòd scilicet multitudo oculorum cæcitatem notaret: quia qui multa confusè vident, nihil ritè peragunt. Et Thales Milesius ad suos dicere solebat: *Unum eligite præclarum, unum quiddam divinate præclarum*. ita Laert. lib. 1. cap. 1. Et Aristot. *In magnis*, inquit, *negotiis oportet unum negotiari ad unum opus: quia melior est cura intenta circa unum, quàm circa plura*. ita ipse libr. 4. Politic. Unde libr. 5. *Princeps*, inquit, *nullum virum totius sui dominii debet facere custodem*: B tum, quia hoc nimis vastum & multiplex est opus: tum, quia periculosum principi, ne scilicet custos principem principatu excludat, seque faciat principem, uti sæpiùs factum legimus & vidimus. Seneca epist. 121. *Magnam rem puta*, ait, *unum, hominem agere; præter sapientem autem nemo unum agit. Ceteri multiformes sumus.*

Juxta S. Gregor. & Rabanum ergo, & ex eo Glossam, hic locus intelligitur de multo regimine, ut Tò *in multis*, tam masculinè quàm neutrè accipiatur: q. d. Ne circa multa & multos regendos occuperis: paucos potiùs regendos suscipe, imò si potes, nullum, nisi teipsum. Attende tibi: si enim in die judicii vix poteris reddere rationem animæ tuæ, quomodo reddes tot centenarum vel millium animarum, quarum principatum, episcopatum, vel pastoratum, id est, regimen & curam, ambis? Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? ait æterna Veritas.

Quocirca S. August. quæst. 68. in Exod. Quàm sit, ait, observandum quid Script. dicit: *Fili, ne in multis sint actus tui*, patet in Mose, qui totius populi querelas & C lites cognoscere volens, audiit à Jethro: *Non bonam rem facis, stulto labore consumeris*, Exodi 18. Unde suasu ejus minores causas ad minores judices & officiales relegavit, majores dumtaxat ipse sibi reservavit. Idem imitentur Prælati & principes. Ita Joannes Fischerus Episcopus Roffensis & Cardinalis, quo nullum Britannia, sed nec fortè orbis Christianus tunc sanctiorem, doctiorem, aut vigilantiorem Præsulem habuit, ait Sanderus libr. 1. de Schismate Anglic. quique cum Thoma Moro ab Henrico VIII. occisus est, quòd incestis ejus cum Anna Bolena nuptiis suffragari nollet, cùm major & locupletior episcopatus illi ab eodem Henrico offerretur, eum recusavit, dictitans se perbeatum fore, si de hoc saltem minuto concredito sibi grege, deque non adeò magnis inde acceptis emolumentis in die Domini rectè respondere possit: cùm & de bene curatis animis, & de rectè expensis pecuniis, tunc reddenda sit ratio exactior, quàm mortales ferè putent aut curent: in quo genere quo quisque pauciores sibi commissos, vel homines, vel nummos haberet, eo futurus sit in altero sæculo securior: seque facilè sentire ex hoc tantilli pastoratus pondere, quantum futurum esset D majoris muneris onus. Scitè quoque vir sapiens hujus ævi dixit: *Nulli matri plus filiorum, quam lactis: nulli prudenti plus negotiorum, quam virium esse debet*. Hoc significat illud ænigma: *Oportet agrum imbecilliorem esse quam agricolam*. quod simili proverbio explicat Virgil. dicens: *Laudato ingentia rura, Exiguum colito*. Plus enim fructuum dabit exiguus ager diligenter, quàm ingens neglectim (ut fit) cultus. S. Basil. Constit. monast. cap. 3. *Convenit*, ait, *corpus in actione aliqua occupatum tenere, illudque providere, ne ipsum dum gravius quàm par est, premis, opprimat*. Gilbertus Abbas, qui supplevit sermones S. Bernardi in Cant. serm. 1. explicans illud: *Quæsivi in lectulo quem diligit anima mea*: *In lectulo*, ait, *id est, in quiete; quia cura implicat, quies explicat.*

Quocirca hæc sententia tropologicè ad multa aptari potest, ut ad literas, studia & scientias. q. d. Ne studeas A simul multis scientiis, sed uni dumtaxat, ita in iis dives & doctus evades. Sic fecit noster Franc. Suarez, idemque aliis consuluit, æquè ac P. Jacobus Laynes, qui S. Ignatio in generalatu Societatis Jesu successit, qui proinde non nisi unum librum in cubiculo habebat, & lectitabat à capite ad calcem, eoque absoluto, alium pari modo accipiebat. Quin & S. Thomas Aquinas rogatus qua ratione quis doctus evaderet? respondit: *Unum tantum lectitandum librum*. Rursum aptari potest virtutibus & vitiis: q. d. Si vis vitia extirpare, unum dumtaxat radicitus, è quo cetera oriuntur, totis viribus extirpandum capesse: eo enim extirpato, cetera sponte sua corruunt, sicut extirpata radice corruunt rami. Si vis virtutes consequi, omnibus quidem, sed uni præcipuè tibi maximè utili, vel necessariæ, intende: ea enim habita in heroico gradu, ceteræ velut filiæ matrem, aut quasi sorores sororem sequentur: ita docent Cassianus, & alii virtutum magistri. *Pluribus* enim *intentus minor est ad singula sensus*. Et, *Qui duos insectatur lepores, neutrum capit*. Simili modo aliis rebus aptari potest: unde Rabanus & ex eo Glossa, aptant compositioni librorum, q. d. Ne scribas multos libros, quibus non est finis, Eccles. 12. 12. Omnes autem libri divinæ Scripturæ unus liber sunt, juxta illud psal. 39. *In capite libri scriptum est de me*, quia unum Deum, ejusque unam legem spectant omnes.

Symbolicè, si vis esse perfectus, relinque multa, putà creaturas omnes: hæ enim mentem inquinant, juxta illud S. Leonis: *Necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere*. Quare uni creatori adhæreto, & cum Psalte dicito: *Mihi autem adhærere Deo bonum est*. Quocirca S. Ægidius socius S. Francisci rogatus, quænam esset ad sanctitatem via? respondit: *Una ad unum, una ad unum*: q. d. Una anima uni Deo detur, tota & in solidum. Unde huc respiciens Christus, & sortem Magdalenæ præferens sorti Marthæ, hoc est, vitam contemplativam activæ: *Martha, Martha*, inquit, *sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, Lucæ 10. 42. Ne ergo satagas multa agere, sed multùm. Multùm agit, qui unum quid perfectè & eximiè agit: multùm agit, qui multa charitate, & virtute cuncta peragit. Hoc age quod agis.

His tamen non obstat, quòd viri magnanimi, zelosi & Apostolici multis se occupent, catechizando, docendo, prædicando, confessiones audiendo. Hæc enim eis multa non sunt, tum, quia ad unum scopum, scilicet, Dei gloriam, & salutem animarum tendunt, & sibi invicem subordinantur; tum, quia viribus eorum sunt commensurata; tum, quia unius & ejusdem charitatis sunt actus. Excederent tamen, si multa inchoarent, nihil perficerent; si multa imperfectè, vel perperam facerent, nihil bene & plenè; si plura facerent quàm vires corporis & animæ ferant; si alienis occupati, seipsos negligerent, & spiritum orationis perderent, tumque dicerentur in multis esse actus eorum. Alioqui in multis fuere actus S. Petri, S. Pauli, ut patet 2. Corinth. 11. omniumque Apostolorum, qui multas gentes & totum penè mundum ad Christum converterunt: S. Francisci Xaverii qui toto Oriente prædicavit, S. Ignatii fundatoris Societatis Jesu, qui in ea multa literarum & pietatis officia instituit, Sociosque per totum orbem propagavit: quia hæc omnia unum sunt, unumque constant munus, & quasi corpus Apostolicum, atque unam Societatem, quæ multa per multos agit, operas per varios dispertiendo.

Secundò, pressiùs hæc sententia spectat ad divitias, vetatque cupiditatem, & studium multiplicandi eas: q. d. In multis, scilicet lucris & opibus coacervandis, non sint actus tui: ne agas & satagas multa congregare; multitudinem, id est, copiam, rerum parare, ut in rerum affluentia sis multus, id est, copiosus & dives. Hunc sensum poscit nostra versio, quæ τῷ πληθύνῃς, id est, *multiplicatus fueris*, vertit, *dives fueris*: *multus* enim sæpè idem est quod abundans, affluens & dives. Fortè enim pro πληθύνῃς Noster legit πλουτῇς, id est, *dives fias*. Rursum eumdem poscunt sequentia, quæ ad studium divitiarum pertinent. Et Syrus qui vertit, *fili mi ne augeas dominum tuum, & qui festinat ad incrementum eius, non justificatus est*; ac Tigurina, *fili ne labores multa colligere: si enim abundaris, non eris innocens.*

Ubi

Ubi Nota τὸ *&*, cùm dicitur, *& si dives fueris*, more Hebræo esse causale, significans *nam*, *enim*, ut vertit Syrus: q. d. Ne appetas multa congerere, & ditari, quia si diteris, non eris immunis à delicto. Ipsa enim nimia cupiditas opum, ac cura & sollicitudo ejus augendi & conservandi, est peccatum, saltem veniale, & non rarò mortale, quando scilicet id fit per usuras, illicitos contractus, fraudes, &c. Unde Proverb. 28. 22. dicitur: *Vir qui festinat ditari, & aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei.* ita Rabanus. Quocirca sapienter S. Bernard. *Noli*, ait, *concupiscere quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.* Disertè verò S. Paulus: *Qui*, inquit, *volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*, 1. Timoth. 6. 9. Denique S. Hieron. *Dives*, inquit, *aut injustus, aut injusti heres.*

Sexta species modestiæ. Est hæc sexta species modestiæ & humilitatis, quæ suadet ne quis nimis multa negotia, quibus opes & lucra captet, ambiat.

SI ENIM SECUTUS FUERIS, NON APPREHENDES; ET NON EFFUGIES, SI PRÆCUCURRERIS] Complut. *non effugies aufugiens*; alii, *neque si aufugies, effugies*; Tigurina sive Vatabl. *aut si quod persecutus fueris, non assequeris, nec tamen impunè abieris*, scilicet immunis à peccato, putà à culpa & pœna. Syrus ferè contrariè vertit, *fili mi si non cucurreris, non apprehendes: & si non quæsieris, non invenies.* Probavit non esse studendum divitiis, eò quòd dives non sit immunis à delicto, nunc idipsum alia ratione probat, scilicet, quòd si sequaris divitias, non assequeris. Sed quid sibi vult τὸ, *& non effugies, si præcucurreris?* Jansenius sic explicat: q. d. Non effugies paupertatem, etiamsi eam coneris præcurrere, si Deus eam velit tibi immittere. Verùm paupertatis nulla præcessit mentio: & per illam mutatur suppositum, scilicet *divitiæ*, cùm tamen unum & idem suppositum hic exigat comparatio duorum cursorum. Hinc enim exhibentur quasi in stadio duo cursores, unus velox, alter tardus: velocem si tardus sequatur, non apprehendet; si sequatur, non effugiet, quin ab eo, utpote velociore, comprehendatur. Duo hi cursores significant hominem, & divitias: velox cursor sunt divitiæ, tardus est homo; qui si eas sequatur, non apprehendet: si præcurrat, non effugit: ita Rabanus, Lyran. Palacius & alii. Meliùs ergo Tigurina & Emmanuel Sà suppositum dant *delictum*, quod præcessit: q. d. *Si præcucurreris*, id est, festinaris ad opes, non effugies delictum. Sed & hic mutatur suppositum, scilicet divitiæ in delictum.

Primò ergo Lyranus, idem retinens ferè suppositum, scilicet divitias, sic explicat: Si, inquit, secutus fueris divitias, immoderatè quærendo, non apprehendes, id est, non assequeris intentum, scilicet, habere sufficientiam, propter quam divitiæ quæruntur: quia per eas non satiatur cupido, sed magis acquiritur indigentia. Nam earum cupidus quanto plus acquirit, tanto plus habere sitit. *Et non effugies*, scilicet indulgentiam, *si præcucurreris*, accipiendo divitias à parentibus tuis. Nam si fueris cupidus, non eris contentus, sed ad habendum majora anxius: & si fueris prodigus, citò consumes, & indigens fies. Hæc Lyran.

Secundò, Palacius sic explicat: *Divitiæ currunt & fugiunt à te, si tu invalidus fueris: sequeris eas, sed non apprehendes. At si velut validus & potens præcurris eas, & fugientes tenes, non effugies delictum. Est hæc prosopopœja. Divitiæ fugiunt sequentem: at si contingat, ut sequens eas præcurrat, & illas teneat, tenent illæ eum, captivant, & iniquitatis servum efficiunt. Est enim dictum Pauli: Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli, &c. Ergo si cum bona conscientia eas sequaris, non apprehendes; si per malam eas præcurris, non effugies, quin te illæ mergant in interitum; & perditionem.* Hucusque Palacius.

Tertiò & genuinè, q. d. Noli studere multis opibus coacervandis: quia si eas sequaris, putans te tuis laboribus illas tibi paraturum, non apprehendes illas: sin verò eas non cures, negligas, spernas imò fugias & præcurras, illæ te ambient, sequentur & assequentur, si Deus eas tibi destinarit. Sicut enim honor sequitur fugientem, fugit sequentem, sic & opes. Hoc sæpè verum est in hac vita, semper in futura, de qua exponit Rabanus, sed Anagogicè. *Si*, inquit, *secutus fueris, non apprehendes:*

A *& non effugies, si præcucurreris: quia non est in potestate accipientis, sed dantis. Nam si per æstum avaritiæ incitatus exardescit divitias aggregare, veras divitias non appetit; & si fidei devotione præcurrat virtutum opera exercere, prosequentur eum in futura remuneratione opes supernæ.*

Vult enim docere Siracides, divitias non tam parari nimiis curis, & laboribus, quàm esse donum Dei, & à Deo dari, cui ipsi libuerit, ac proinde eum sæpè dare eas parum laborantibus, negare verò eas multùm laborantibus. Id enim significat comparatio festinantis ditari, sed frustra; ac marcidi, quem quasi otiosum ditat Deus: quam subnectit, & expandit per tres versus proximè sequentes. Deus ergo, ut doceat homines non sibi, nec suis laboribus opes arrogare, sed eas expectare & poscere à Deo, dat sæpè eas parum sollicitis, sed in se sperantibus; negat verò valdè sollicitis, quia suis laboribus præfidunt, & Deo diffidunt.

Alludit ad Proverb. 23. 4. *Noli laborare ut diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes,* B *quas non potes habere, quia facient sibi pennas sicut aquilæ, & volabunt in cœlum.*

Qua de re illustria exempla extant in Vitis Sanctorum. Illustre est quod legimus in Vita S. Isidori agricolæ Hispani à Gregorio XV. inter Sanctos relati, qui manè Sacris audiendis vacans, seriusque ad arationem veniens, tantum tamen & amplius agri per diem aratro subigebat, quantum ceteri qui neglecto Sacro à summo manè in vesperum aratrum duxerant: imò eo in templis orante, angeli visi sunt ejus loco terram aratro sulcare.

Rursum hujus sententiæ veritas maximè liquet in Religiosis novi testamenti paupertatem voventibus, quibus à Christo promissum, & datum est centuplum in hac vita, ac post eam vita æterna, Matth. 19. 29. qui proinde dicunt cum S. Paulo: *Sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes*, 2. Corinth. 10. ita Raban. cujus præclara verba mox recitabo.

EST HOMO MARCIDUS] Græcè νωθὴς, id est, languidus, torpidus, deses, ignavus, somnolentus, laborans veterno. Sic latinè *marcidus*, vocatur torpidus; C & marcere torpore, est ignavia & inertia teneri, ait Budæus. Sic Plinius in Panegyr. vocat *marcidum somno*: & Ovid. lib. 2. de Ponto elegia 9. *Otia marcescunt per inertes somnos.* & Claudian. 6. Paneg. 8. *Otia marcida luxu.* Quin & Livius libr. 8. belli Punic. ait, *equitem marcescere desidia.* & libr. 3. belli Maced. *Marcescere otio, situque civitatem.*

EGENS RECUPERATIONE, id est, reparatione VERS. 12.
seu restauratione familiæ & annonæ, PLUS DEFICIENS VIRTUTE, id est, multùm deficiens viribus & robore, ET ABUNDANS PAUPERTATE.

ET OCULUS DEI RESPEXIT ILLUM IN BONO; ut ei benedicat & benefaciat (unde græcè est, *ad* VERS. 13.
bona) ET EREXIT EUM AB HUMILITATE IPSIUS ET EXALTAVIT CAPUT EJUS; ET MIRATI SUNT IN ILLO (id est, illud, & illum) MULTI, ET HONORAVERUNT DEUM] Probat id quod dixit, scilicet laborantes, & sollicitos subinde per omnem suum laborem non ditari, sed depauperari; ex adverso non laborantes, à Deo ditari: ab exemplo, quia, inquit, sæpè homo laborat, festinat, laboribus, & curis D se excruciat, ut opes congerat; qui tamen non ditatur nec abundat, eò quòd Deus ejus, utpote impii, labores & curas non secundet, nec prosperet: imò idem facit aliquando piis, uti S. Job, ad probandam eorum patientiam, ad purganda peccata, ad perficiendam eorum sanctitatem, ad exemplum aliorum. Ex adverso videmus sæpè quòd homo marcidus, id est, languidus, tardus & torpidus, qui eget reparatione familiæ, & viribus deficit, ac abundat paupertate, ab oculo Dei benigno, & benefico clementer respiciatur, erigatur, ditetur, & ad magna exaltetur: quod proinde plerique mirantur, & glorificant Deum. Unde concludit, non tam labori hominum, quàm Dei munere obtingere divitias: Dei ergo gratiam cuique esse conciliandam, ab eoque sperandas, & petendas esse opes, non nimias, sed commodas pro cujusque statu, familia & gradu. Quare clariùs vertit Tigurina, *est qui laboret, moliatur, & satagat*, ut opes congerat, *qui tamen egeat, multo magis. Est rursum qui tardus & opis indigus, viribusque destitutus,*

tus; & abunde pauper, quem Dominus oculo favente respiciat, caputque ipsius conquassatum erigat, ut multis miraculo sit spectantibus, qui Deum prædicent: Syrus quoque, qui concisè quasi de uno & eodem, non de duobus, sic vertit, *est qui currit & fatigatur, & deficit corpus eius, & Dominus sublimavit illum, & admirabantur super eum multi.* Hoc est, quod duo reges sapientissimi & ditissimi docuerunt. David psal. 126. 1. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Vanum est vobis ante lucem surgere; surgite, postquam sederitis qui manducatis panem doloris.* Et Salomon orans Deum Proverb. 30. 8. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria.* Huc facit lemma horologii cuiusdam solaris: *Aspice & aspiciar*, q. d. Si tu, ô sol, me aspicis, aspiciar ab omnibus; sic si Deus nos aspicit, aspicimur & honoramur ab omnibus.

Respectus Dei ditat & beat.

Porrò præclarè Rabanus in hæc Siracidis verba: *Iste locus*, inquit, *Christiana magis exprimit tempora, in quibus illi qui paupertatem voluntariam sectantur, magis abundant omnibus bonis, quàm illi qui certant in acquirendis quotidie terrenis divitiis. Quod & Psalmista in uno versiculo breviter expressit, dicens: Divites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono. Terrarum siquidem divites, & pauperes Christi magnifica contrarietate distinxit; ait enim: Divites eguerunt, & esurierunt. Quando egent divites? quando fidem non habent rectam. Quando esuriunt? quando minimè pastu corporis Domini satiantur. Tales ergo divites egent, & saturati ventre, spiritu semper esuriunt. Quid enim habeant qui Deum requirunt; subsequitur: Inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono: quia nullo bono deficiunt, qui spiritali perfruuntur. Nam cùm diligimus Dominum, in ipso omnia reperimus. Unus est qui quæritur, sed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! ô compendium singulare! Cur nos per diversa fatigemus? ad ipsum ergo unanimiter festinemus, post quem cuncta bona ultrà non quærimus, sed tenemus; sicut Apostolus dicit: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Vers. 14. BONA ET MALA non culpæ, sed pœnæ: q. d. Læta & tristia, dulcia & amara, prospera & adversa, putà, VITA ET MORS, PAUPERTAS ET HONESTAS, (id est, opulentia, divitiæ: sic sæpe in Script. & apud profanos honesti vocantur divites) A DEO SUNT] Tigur. *à Domino proficiscuntur.* Est hæc conclusio educta ex præcedentibus, quasi præmissis, ac velut epiphonema, quo significat Deum cuique suam sortem, vel prosperam vel adversam, item tempus vitæ & mortis, denique paupertatem, vel divitias pro sua sapientia & beneplacito ab æterno decrevisse & prædestinasse, atque in tempore reipsa dare & exhibere, ac proinde neminem ea posse sibi, suoque labori & industriæ, multo minùs fortunæ, arrogare; sed Dei providentiæ ea assignare debere, ideoque humiliare se sub potenti manu Dei, ab eoque suam sortem expectare, ac petere ut vires & gratiam det, ad eam ritè sustinendam, vel certè ut eam in aliam meliorem commutet. Unde Syrus vertit, *bonum & malum, vita & mors, dives & pauper, coram Deo paria sunt. Paria*, quia pariter omnia sunt in manu & voluntate Dei, ut ad libitum ea mittat, revocet & commutet. Rursum *paria* sunt bonitate, tum entis, quia omnia sunt entia à Deo primo ente creata, ejusque esse participantia; tum moris, quia ad virtutem acuendam tam faciunt adversa quàm prospera, tam mors quàm vita, tam paupertas quàm opulentia, imò sæpè magis: multi enim per adversa, per pericula mortis, per paupertatem convertuntur ad Deum, qui ejus obliviscebantur in prosperis, in vita felici, in rerum abundantia. Quocirca Deus sæpè piis adversa & pauperiem, impiis verò prospera & opes immittit. Sicut ossa solent dari canibus, inquit Palacius, ut ea rodentes sanguinem è dentibus mittant, & meliore cibo fraudentur: hic enim melior cibus est virtus & gratia, quæ datur piis. Quare pii impiis hanc felicitatem invidere non debent, sed velut modicam despicere, ac sperare longè majorem & æternam in cælis, qua impii privabuntur; qui proinde magis compassione, quàm invidia sunt digni. Insuper quilibet hic tam se, quàm quoslibet alios divinæ providentiæ substernat, in eamque resignet. Is enim felix, sanus, dives erit, quem Deus felicem, sanum, divitem esse voluerit; is infelix, æger & pauper erit, quem Deus talem esse ordinarit: Dei autem voluntas est rectissima, Dei judicium æquissimum, Dei ordinatio sanctissima, etiamsi hominibus subinde id non appareat.

Præclarè Tertullianus libr. 2. contra Marcion. cap. 14. *Ad omnia*, inquit, *sibi occurrit Deus, idem percutiens, sed & sanans: mortificans, sed & vivificans: humilians, sed & sublimans: condens mala, sed & pacem faciens, ut etiam & hic respondeam hæreticis. Ecce enim, inquiunt, ipse se conditorem profitetur malorum, dicens: Ego sum qui condo mala: amplexi enim vocabuli communionem, duas malorum species in ambiguitate turbantem, quia mala dicuntur, & delicta, & supplicia; passim volunt eum conditorem intelligi malorum, ut & malitiæ iniustè auctor renuntietur. Nos autem adhibita distinctione utriusque formæ, separatis malis delicti, & malis supplicii; malis culpæ, & malis pœnæ, suum cuique parti definimus auctorem: malorum quidem peccati & culpæ, diabolum; malorum verò supplicii & pœnæ, Deum creatorem, ut illa pars malitiæ deputetur, ista iustitiæ, mala condentis iudicia adversus mala delicti.*

Denique cùm tam paupertas quam opulentia, tam morbi quam sanitas, tam adversa quam prospera, sint creaturæ Dei, peculiari Dei providentia & amore à Deo creatæ, & cuilibet justo immissæ, & admensæ ad ejus profectum & salutem; sequitur, quod tam in his, quam in illis amare debeamus Deum creatorem: ille enim in omnibus creaturis amandus est, & omnes in illo: idq; æqualiter, quia æqualiter omnes, sunt creaturæ & dona Dei, imò adversa sæpè majora sunt dona Dei, quàm prospera, quia magis salutifera, uti jam dixi. Rursum purior est Dei amor in adversis, quàm prosperis: puriùs enim amatur Deus in cruce & afflictione, quàm in deliciis & voluptate, quia in cruce nihil habet quod amet amor carnalis vel sensualis, uti habet in deliciis. Cùm ergo amatur Deus in cruce, spiritali & puro amore diligitur, quia nil in ea diligitur nisi Deus. Ex cruce verò, & puro amore Dei in cruce, discimus eumdem purum Dei amorem extendere ad opes, delicias, & prospera quæque, ut in illis nihil diligamus nisi Deum. Atque in hoc perfectio amoris & sanctitatis consistit, ut scilicet in omnibus creaturis nihil amemus nisi Deum creatorem, v. g. non amemus delicias quia gustui suaves sunt, non amemus dignitates quia honorificæ sunt, non amemus opes quia divitem & splendidum faciunt; sed tantùm propter Deum, nimirum quia Deus in iis latet, in iisque amandum se offert, ut per ea illi obsequi & servire valeamus.

Porrò signum hujus puri & perfecti amoris Dei est, si æqualiter in omnibus Deum amemus: tam enim Deus est in cruce, quàm in commoditate, perinde ac Christus æquè dilexit Deum in monte Calvariæ, ac in monte Tabor gloriosè transfiguratus; quia in sua transfiguratione non suam gloriam & commodum, sed Dei tantùm amavit: perinde ac in crucifixione non suam ignominiam, sed Dei tantùm voluntatem & gloriam dilexit: tam enim Deus & Dei gloria erat in cruce Calvariæ, quàm in gloria Tabor. Qua de re piè & eximiè tractat Francisc. de Sales Episc. Genevensis lib. 10. de Amore Dei c. 5. Hic amor Dei spoliat amantem omni alio amore, ut dicat cum sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia* (puri amoris,) *donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.*

Signum puri amoris Dei.

Quocirca piè S. Gregor. Nazianz. epist. 63. *Gratias ago*, ait, *ut in lætis rebus, ita etiam in acerbis: quia exploratum habeo, nihil rerum nostrarum apud summam rationem expers esse rationis.* Quin & Seneca lib. *Quare bonis*, &c. cap. 2. *Ego verò*, ait, *non miror, si quando voluptatem capiunt dii, cùm spectant magnos viros luctantes cum aliqua calamitate. Non video quid habeat Iupiter in terris pulchrius, quàm ut spectet Catonem iam partibus non semel fractis, stantem inter ruinas publicas rectum.* Igitur sicut in thermis ex uno latere videmus ebullire aquam calidissimam, ex alio frigidissimam, quæ in thermis commistæ temperatum & salutare efficiunt balneum: sic in hisce mundi thermis cernimus à Deo emanare bona & mala, læta & tristia, quasi ex duabus Dei mammis, misericordiæ & iustitiæ; quibus inter se contemperatis, salutare homini fit balneum, ne in adversis desperet, nec in prosperis intumescat. Quare dicat cum Psalte psalm. 33. 1. *Benedicam Dominum in omni tempore* (adverso æquè ac secundo,) *semper laus eius in ore meo.*

Mysticè, hæc sententia menti & spiritui aptari potest: eius enim ingenium, solertia, vigor, æquè ac stupiditas, tarditas & hebetudo, à Deo sunt: item *vita & mors*,

Mystica mors à Deo, Qual

qua quis moritur peccatis, acediæ & vitiis, ac vivit virtutibus, fervori, perfectioni: denique *paupertas & honestas*, qua nunc abundat gratia, lætitia & consolationibus, nunc iis destituitur, plenusque est ariditate, desolatione, tristitia, tentationibus. Tunc ergo dicat anima fidelis, humilis & patiens cum S. Paulo: *Scio abundare, scio & penuriam pati*, Philipp. 4. 12.

Rursum quòd aliqui, v. g. S. Paulus & Apostoli abundent sapientia, eloquentia, fortitudine spiritus, sanctis inspirationibus, omnique gratia tam gratum faciente quàm gratis data; aliis verò hæc omnia parcè dentur; pendet à Deo, qui sua dona distribuit prout vult, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 12. 4. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Vide sequentia.

Obicies, Sapient. 1. v. 13. dicitur: *Deus mortem non fecit*. Ergo mors non est à Deo. Respondeo, Deus mortem primitus non creavit, quia fecit hominem immortalem; at postquam peccavit, mortem quasi justam pœnam illi inflixit, Genes. 3. inde cuilibet tempus moriendi æquè ac vivendi præfixit. Ita S. August. in Sententiis collectis à S. Prospero tomo 3. sent. 303. *Justum*, ait, *Dei iudicium est, ut peccato suo quisque pereat, cùm Deus peccatum non faciat, sicut mortem non fecit: & tamen quem dignum morte sensit, occidit. Unde legitur: Mors & vita à Deo est. Quæ duo non esse contraria, profectò videt, quisquis ab operibus divinis iudicia divina discernit: quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud iudicando plectere peccatorem*. Idem in Quæst. veteris & novi testament. qu. 34. *Dum*, inquit, *unumquemque adiudicat quid mereatur, ab ipso est sive absolutio ad vitam, sive reatus ad mortem; non ergo inventor mortis est, sed iudex, quia mortis auctor peccatum est*, &c. Eadem ratione *paupertas & honestas à Deo sunt*: paupertas enim sæpè est pœna peccati, præsertim gulæ, prodigalitatis & accediæ: at non semper: nam S. Job innocenti immissa est ad probandam ejus virtutem: de quo plura v. 13.

Vers. 15. SAPIENTIA ET DISCIPLINA, ET SCIENTIA LEGIS APUD DEUM. DILECTIO, ET VIÆ BONORUM APUD IPSUM] Dixit bona corporis esse à Deo, nunc idem dicit de bonis animæ, tam intellectus, ut sunt *sapientia, disciplina & scientia*, sive cognitio, *legis*; quàm affectus & voluntatis, uti est *dilectio*, & *viæ bonorum*, id est, exercitia & actiones bonorum operum, ut habent Græca, quæ à dilectione manant. Nam, ut ait S. Dionys. Ecclesi. hierarch. c. 2. *Primus ad divina motus, Dei dilectio est. Porrò sacra dilectionis ad divina mandata facienda, principalis omnino progressus est secretissima illa & ineffabilis operatio, qua divinus in nobis status efficitur*. Hæc ergo omnia sunt *apud Deum*, id est, in Deo, quasi rerum omnium principio, à quo velut sole per radios in homines sparguntur. Unde græcè est, παρὰ κυρίου, id est, *à Domino*.

Porrò *sapientia* est rerum sublimium & divinarum cognitio; *disciplina*, græcè ἐπιστήμη, id est, *scientia*, est cognitio rerum humanarum, præsertim ad mores spectantium, qualis est lex: ita S. August. lib. 12. de Trinit. cap. 14. Unde Syrus vertit, *sapientia & continentia & scientia legis à Deo est, charitas & viæ bonorum operum ab ipso sunt*; Tigurina, *item sapientia ac scientia, legisque peritia, tum charitas & instituta bonorum operum ab eo oriuntur*. Ubi Nota *vias bonorum*, vocari Primò, proposita & instituta bonorum operum; Secundò, eorumdem actionem & executionem: per hanc enim quasi per viam ad eorum consummationem tenditur. Tertiò, modos rationes, occasiones & circumstantias, quæ quasi viæ ad bona opera iter aperiunt. Unde S. Paulus crebrò orat viam & ostium sibi aperiri Corinthi, Colossis, & aliis in locis ad prædicandum ibidem Evangelium, ut patet 1. Corinth. 16. 9. Colos. 4. 3. Apocal. 3. 8.

Idem cuilibet orandum, ut scilicet quotidie Deus vias bonorum operum nobis pandat, ideoque dicendum crebrò cum Psalte: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*, Psalm. 24. 40. Et: *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas!* psal. 118. 5. Hæ sunt viæ vitæ, quæ ducunt ad vitam gratiæ & gloriæ, de quibus psalm. 15. v. 11. *Notas mihi fecisti vias vitæ*. Errat ergo Seneca, dicens: *Deorum immortalium munus est quod vivimus: philosophiæ quòd bene vivimus*. Et ille loquens de Deo: *Det vitam, det opes, animum æquum mi ipse parabo*. Similia dixere alii superbi Philosophi, & inter Christianos Pelagiani. Sapientiùs alii sibi diffisi sunt. Unde viam ingressuri Herculi sacrificabant, ut ipse iter prosperaret, teste Festo Pompeio lib. 14. & Alexandro ab Alexand. lib. 3. cap. 22. Sed fidelibus nullus est Hercules nisi Deus.

ERROR, ET TENEBRÆ PECCATORIBUS CONCREATA SUNT: QUI AUTEM EXULTANT IN MALIS, CONSENESCUNT IN MALO] Vers. 16. Manuscripti codices habent, *qui autem exultant in malum, consenescunt in mala*. Hic versus & præcedens desunt in Græcis Romanis, & nonnullis Latinis, ut Rabano, Lyrano, Dionys. & aliis quos citat hic Franc. Lucas; habentur tamen in Græcis Complut. & ceteris, ubi posterior pars per elegantem paronomasiam sic habet: τοῖς δὲ γαυριῶσιν ἐπὶ κακῇ, συγγηρᾷ κακία, id est, *his verò qui exultant in malis, consenescit malitia*; & Syrus, *error & tenebræ peccatoribus creata sunt, & cum illis qui in malitia nutriti sunt malitia consenescit*. Dixit v. 14. bona & mala corporis à Deo creata esse, hisce adiunxit bona animi v. 15. nunc addit mala animi, putà errorem & tenebras. Hæc asserit non absolutè esse creata à Deo (uti voluere Manichæi) sicut dixit de malis corporis v. 14. sed esse *peccatoribus concreata*, scilicet propriè & directè ab ipso peccato & peccatore, impropriè verò & indirectè à Deo. Omne enim peccatum involuit & convictum habet aliquem errorem practicum, quo peccator, judicat sibi hic & nunc esse peccandum: unde ait Salomon Prov. 14. v. 22. *Errant qui operantur malum*. Rursum peccatum inducit caliginem menti, quasi effectum sibi proprium. Judicium enim erroneum actuale, quo judicat sibi hic & nunc esse peccandum, inducit & relinquit post se simile judicium erroneum habituale. Rursum actus peccati producit propensionem & habitum ad iterandum peccatum, quod errorem jam dictum includit. Ita olim Gentes ex iteratione fornicationis, ebrietatis, aliorumque scelerum æstimabant ea non esse, vel certè exigua esse peccata, uti docet Apostolus Ephes. 2. 3. & c. 5. v. 8. Idem etiam inter Christianos suis cupidinibus addictos fieri videmus. Hi ergo errores propriè causantur à peccato. Unde idipsum innuens subdit: *Qui autem exultant in malis, consenescunt in malo*: q. d. Qui persistunt in malis, in iisque se obdurant, imò exultant; hi sua pertinacia in malitia consenescunt, quia eam mordicus retinent, nec abdicare, aut de ea pœnitere & resipiscere volunt. Iidem tamen errores impropriè & indirectè causantur à Deo, quia scilicet Deus eos permittit, & quia peccatori velut indigno & ingrato aufert lumen inspirationis & gratiæ suæ, quo ablato peccator versatur in tenebris concupiscentiæ suæ; perinde ac qui noctu aufert candelam è cubiculo, tenebras in illud inducere dicitur. Vide dicta Exodi 7. 3. ubi recensui modos quibus Deus excæcat & indurat peccatores. Hoc est quod S. August. Deum alloquens ait: *Spargis pœnales cæcitates super illicitas cupiditates*. Denique Deus propriè creavit & præparavit peccatoribus tormenta & tenebras gehennæ, Matth. 8. 12. (quod innuit hic Syrus,) quæ damnatos inducunt in multos errores, blasphemias & desperationes.

Error ergo *& tenebræ peccatoribus concreata*, id est, congenita & cognata, *sunt*: quia peccator mox ut peccat, peccato suo sibi asciscit errorem & tenebras, quasi peccati cognatas. Est enim peccato sua generatio, prosapia & progenies: sicut enim virtus virtutem, sic vitium parit vitium. Sic congenita dicitur superbiæ invidia, crapulæ libido, avaritiæ fraus: quia superbia parit invidiam, crapula libidinem, avaritia fraudem. Rursum sicut virtus illuminat, gignit, augetque prudentiam in agendis: sic peccatum obtenebrat, gignit, augetque imprudentiam agendorum. Hinc S. Joannes epist. 1. crebrò ait, justos versari in luce, peccatores verò in tenebris, adeoque ipsæ virtutes quid sunt nisi lumina veritatis? & vitia quid sunt nisi tenebræ falsitatis? ait quidam Sanctorum. Hoc est quod ait Psaltes psal. 57. 4. *Alienati sunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero*. Petronius exemplum dat Quartillam, quam sic loquentem inducit: *Junonem meam iratam habeam, si me unquam meminerim virginem fuisse. Nam infans cum paribus inquinata sum* (notent hoc parentes, ut infantibus suis caveant) *& subinde prodeuntibus annis, maioribus me pueris applicavi, donec ad hanc ætatem perveni*.

Ex dictis liquet, propriè hic agi de errore qui sequitur peccata

cata actualia: non originale, licèt aliqui ad illud extendant. Illud enim omnium peccatorum & errorum fuit fons & origo. Nam ut ait S. August. libr. 22. de Civit. cap. 22. *Quid aliud indicat horrenda quadam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, timore, dolore non possit?* Idem libr. 1. de Peccat. mer. cap. 38. idem confirmat ex pullis animalium, quæ statim ut nati sunt matrem agnoscunt, eiusque ubera sugunt: *Contrà homini nato*, inquit, *nisi opere nutrientis admotis labris papillæ uberis ingerantur, nec ubi sint sentiunt, & iuxta se iacentibus mammis magis possunt esurientes flere, quàm sugere.*

Nota τὸ *consenescunt*, id est, usque ad senium perdurant, vitam finiunt, moriuntur, judicantur, damnantur. Hæc enim omnia per metalepsin significat τὸ *consenescunt*. Ex juventute ergo pendet senectus, ex senectute mors, ex morte judicium, ex judicio æternitas & gehenna. Nam ut docet S. August. qualiter quis vivit, taliter & moritur; ac sicut vixit juvenis, sic vivit & senex. Vis ergo bonum senium? bene fac, & bonis assuesce in juventute. Vis sanctam mortem? præmitte sanctam vitam. Hinc videmus juvenes addictos veneri & ventri, senes quoque libidinosos & gulosos permanere. Quocirca Venus Libitina, id est funeralis, cognominata est, quòd usque ad funus & mortem perseveret, imò & sæpè homini mortem afferat. Unde & in templo Libitinæ, quæ ad sepulturam spectabant venumdabantur, teste Plutarch. in Numa. Ægyptiis quoque Venus dicta est Nephte, id est, finis & mors, teste eodem lib. de Iside. Hoc est, quod ait Job. c. 20. 19. *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ suæ, & cum eo in pulvere dormient.* Quàm verò hoc sit turpe & infame, declarat S. Chrysost. homil. 1. in epist. ad Hebr. *Quomodo*, ait, *non est absurdum, & supra veniam quod fit, ut senex in taberna sedeat, senex ad circum festinet, senex ad theatrum ascendat, veluti pueri currentes cum plebe. Verè confusio est & irrisio, ut canitie quidem ornentur extrinsecus, intrinsecus autem intellectum habeat puerilem.* Et Seneca lib. 2. controv. 7. *Senex*, ait, *amens, senex ebrius, circumdatus sertis, delibutus unguentis, & in præteritos annos retrò se agens, & validus in voluptatibus quasi juvenis exultans, nonne portentum est? Luxuriosus adolescens peccat, senex autem luxuriosus insanit.* Nimirum:

Vitia iuvent. sutis in senium durant.

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Datio, id est, donum, Dei permanet iustis; græcè, εὐσεβέσι, id est, piis, religiosis: et profectus illius successus habebit in æternum] *Profectus* activè hic sumitur: q. d. Quod Deus vult proficere & promovere, hoc successus habebit: græcè enim est εὐδοκία, id est, beneplacitum Dei. Unde Palacius: Profectus, inquit, id est, quod à bona Dei voluntate profectum est: verùm vox *profectus* hoc sensu passivo non est in usu apud Latinos, ut significet donum profectum à Deo. Syrus, *donum Dei permanet timentibus eum, & voluntas eius in æternum firmabitur*; Tigurina, *donum Domini apud pios permanet, & favor ipsius procedit perpetuis successibus*; alii, *largitio Domini permanet piis, & benevolentia eius felicitas in æternum.* Mihi verisimile est nostrum Interpretem pro εὐδοκία, legisse εὐλογία, id est, benedictio: hanc enim vocem Noster v. 24. vertit, *processus*. Sed eodem res redit: εὐδοκία, enim, id est, beneplacitum Dei, parit in nobis εὐλογίαν, id est, benedictionem, & beneficentiam, omnemque felicitatem.

Vers. 17.

Dixit, omnia bona tam impiis quàm piis data, esse dona Dei; nunc inter illos & illa ponit discrimen: quòd scilicet dona à Deo data piis, iis permaneant, & prosperentur; impiis verò data, non permaneant, nec prosperentur, uti dicit v. sequ. quocirca illa ad modicum tempus eis à Deo data, & quasi commodata dumtaxat videntur, quia sæpè in vita post brevem eorum gustum, & semper in morte, omnia eis auferuntur.

Hæc sententia locum habet in bonis temporalibus, & magis in spiritualibus. *Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi priùs ab eis deseratur*, ut ex S. August. ait Concil. Trident. sess. 7. cap. 11. quin & Apostolus: *Sine pœnitentia*; græcè, ἀμεταμέλητα, id est, impœnitibilia; vel, ut alii legunt, ἀμετάβλητα, id est, immutabilia, *sunt dona, & vocatio Dei*, Rom. 11. 29.

Rursum gratiam quam dedit Deus justis solet promovere, augere, perficere; juxta illud, *Qui cœpit in vobis opus bo-*

A *num, perficiet usque in diem Christi Jesu*, Philip. 1. 6. Unde Concil. Trident. sess. 6. c. 13. *Deus enim*, inquit, *nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Quocirca Rabanus: *Solis ergo iustis*, inquit, *hoc est fidelibus, & timentibus Deum, donum perpetuæ lucis servatur, ut in profectu virtutum ambulantes multiplici mercede in æternum remunerentur.* Duo hic Nota, ait Palacius: *Prius est, Deum numquam auferre dona sua, nisi ea homo sibi auferat: itaque in datione prior est Deus, in ablatione posterior. Obiicies: Numquid non Deus lucem prophetiæ, revelationum & consolationum aliquando aufert à iustis? Vide sponsam, cui sine culpa fortè, est absens sponsus*, Cantic. 5. *Rursum nonne bona, & dona temporalia iustis persæpè auferuntur? Certè S. Job ablata fuere. Respond. hac sententia, & similes non significant quid semper, sed quid sæpe fiat.* Rursum *licet iam dicta videantur iustis quandoque auferri; manent tamen non in se, sed in re meliore: nam dat Deus patientiam, quæ melior multò est aut his, aut illis bonis. Posterius est, dona Dei otiosa non esse, sed suos successus & proventus habere.* Ad hoc enim dantur à Deo, ut homo per ea proficiat & crescat in gratia & gloria, non modico tempore, sed in æternum: sicut

B lux auroræ crescit usque ad meridiem; & sicut arbor crescit frondibus, floribus & fructibus: juxta illud, *Ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion*, psalm. 83. 8. Et illud: *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectam diem*, Proverb. 4. 18.

Est qui locupletatur parcè agendo) græcè, *ex attentione & parsimonia*, vel tenacitate; Syrus, *ex paupertate sua*, quia scilicet attentus ad rem parcè vivit) et hæc est pars mercedis illius] Tigurina, *& hunc solum consequitur fructum pro præmio suo*, suæ scilicet parsimoniæ & tenacitatis. Vers. 18.

In eo quod dicit: Inveni requiem, et nunc (Lucius Papa pro *nunc*, legit *non*, epist. 1.) manducabo de bonis meis solus] Græca pro *solus* habent διαπαντὸς, id est, indefinenter, assiduè. Vers. 19.

Et nescit quod tempus (græcè τίς καιρὸς, id est, quod vel quantum tempus) præteriet (Complut. addunt, *illum*) et mors appropinquet, et relinquat omnia aliis, et morietur] Alludit ad Ecclesi. 4. 8. *Unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem; & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius divitiis, nec recogitat dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.* Simile est ibidem c. 6. 2. Vers. 20.

C

Dixit dona Dei permanere justis, ut iis ipsi diu utantur & fruantur, eaque in suum & aliorum commodum expendant, ideoque prosperos habeant successus: nunc per antithesin ostendit contrarium evenire impiis, putà avaris & tenacibus, qui mentem terræ affixam, & cor in auro sepultum habent. His enim non permanent bona, triplici de causa. Prima est, quòd eis uti non audeant, sed avarè eas in cistis recondant: quare bona non manent ipsis, sed cistis. Unde Bion apud Laert. lib. 4. cap. 7. sordes avari taxans: *Hic*, inquit, *facultates suas non possidet, sed ipsum possident facultates.* Secunda, quòd sperent se iis assiduè usuros, cùm sitim avaritiæ expleverint, totque nummos congesserint, quot optant: hoc autem numquam fiet, quia *crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit*. quare non ex bonis, sed ex hac inani & fallaci spe vivunt, velut chamæleontes ex aere: hæcque spes facit, ut bonis uti non audeant, sed iis uti & frui semper differant, donec suam cupiditatem expleverint: quod cùm numquam futurum

Avarorum phrenesis triplex.

D sit, numquam quoque iis usuri sunt. Tertia, quia nescit *quod*, id est, quantum tempus, παρελεύσεται, id est, *præteribit ipsum*: q. d. Nescit quanto tempore victurus sit, nescit quot anni vitæ ipsi supersint, ut eos in bonorum coacervationem, & eorum usum fructumque partiri possit. Syrus, *nescit quis sit finis suus*. Unde Anacharsis apud Laert. lib. 1. c. 9. avaris maria pernavigantibus palmarem dumtaxat esse vitam asserebat, ac palmo tantùm distare ipsos à morte. Cùm enim quæsisset à mercatore navigante, quanta esset crassitudo navis? ac ille respondisset, quatuor digitorum, subintulit: *Tantumdem à morte absunt, qui avaritia & lucri cupiditate irritati navigant maria.*

Appositè dicit, tempus præterire avarum: quia tempus non consistit, sed continuò fluit & præterit, hocque suo fluxu, & præteritione omnia circumdat, omnia complectitur, omnia pertransit, omnia finit, occidit, sepelit,

& secum præterire facit. Unde, quantum temporis vivo, tantum temporis me vitamque meam præterit & pertransit. Rursum avarus nescit nec cogitat, *τὶς καιρὸς*, id est, *quod*, hoc est, quale tempus, qualis scilicet occasio & opportunitas lucrandi opes æternas prætereat. Si enim opes expenderet in pauperes, & res pias, emeret divitias maximas & æternas in cælis. At nunc hac occasione non utitur: sequetur brevi mors, quando serò dolebit se hoc tempus amisisse, & tanta lucra neglexisse, cùm in morte vel invitus suas opes relinquere debeat, sine merito & fructu. Porrò, avarus si sciret sibi decem, v. g. annos vitæ tantùm superesse, cogitaret, Ergo satis opum per triginta annos corradam, quod abundè sufficiet ad lautè vivendum per decem annos qui mihi supersunt. Quare cessabo à labore & angore congregandi, ac congregatis quietè & opiparè fruar & gaudebo. At hoc nescit, nec cogitat, imò ita corradit, ac si Nestoreos annos victurus esset: & interim supervenit mors, quæ illum omnibus tanto sudore coacervatis privat, eaque ad alios, sæpè externos, ingratos & inimicos, transscribit, juxta parabolam Evangelicam divitis, dicentis sibi: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Dixit autem illi Deus: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te, quæ autem parasti cujus erunt?* Lucæ 12. 20. Quæ verba urgens S. Basil. homil. in divitem avarum, exclamat: *O verba stultissima! ò dementiam singularem! nam si porcinam habuisses animam, quid aliud ipse annuntiare potuisses? ita pecuinus es, ita bonorum animæ ignarus, cum ut illectes carnalibus epulis, &, quæ alui secessus recipit, animæ destinas? Si quidem illa virtutem habet, si plena est bonis operibus, si Dei gratiam conciliavit ac familiariter ascivit; tunc sanè multa bona habet, tunc lætari poterit bona lætitia.* Et Origen. homil 12. in Jerem. *Habes bona multa. Frumentum,* inquit, *& terrenorum ubertatem fructuum esse arbitratus est bona, nesciens, quia vera bona non nascuntur in terra maledicta, sed in cælestibus regionibus.*

Porrò S. Ambros. libr. 1. Offic. cap 49. *Sæpè,* inquit, *quod avarus summa congesserat sollicitudine, præcipiti diffusione dilapidat heres luxuriosus: & diu quæsita, turpis helluo, præsentium cæcus, futuri improvidus quadam absorbet voragine. Sæpè etiam speratus successor invidiam partæ acquirit hereditatis, & celeri obitu extraneis adita successionis transferibis compendia.*

Denique sapienter S. August. in illud psalm. 38. *Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus? & substantia mea apud te est: Dominus,* inquit, *est exspectatio mea, qui dedit omnia ista, quæ contemnam: ipse mihi dabit & se, qui est super omnia, & per quem facta sunt omnia, & a quo factus sum inter omnia. Ipse est exspectatio mea Dominus.*

Id ipsum repræsentat Græcum *σφιγξις*, id est, tenacitas, parsimonia, constrictio, à *σφίγγω*, id est, stringo, astringo, constringo. Unde dicta est Sphinx, quam Poetæ fingunt esse monstrum habens faciem virginis, pennas avium, pedes leonis. Sphinx enim dicta est ab effectu, quòd homines suis quæstionibus ita stringeret, ut se expedire non possent; vel quòd omnium mentes suis propositionibus ligaret. Luctatius in 1. Thebaid. scribit, sphinga monstrum fuisse, alas & ungues habens, in similitudinem Harpyiarum (unde symbolum fuit avaritiæ & rapacitatis) quod insidens scopulo viæ imminenti insolubilia ænigmata prætereuntibus proponebat, quæ cùm solvere non possent, ex improviso veniens alis & unguibus ad se in rupem trahebat. Hoc autem ænigma præcipuè proponebat: Quodnam animal est manè quadrupes, meridie bipes, vespere tripes: Oedipus tandem id solvit, dicens, esse hominem, qui in infantia manibus & pedibus nitens, quadrupes est: factus vir graditur bipes: senex utens baculo, incedit tripes. At avari id solvere nequeunt, quia se semper bipedes fore sperant, nec de senio & morte cogitant. Porrò quod dixi, sphingem fuisse harpyiam, ideoque typum avari & rapacis, confirmat quod scribit Michael Byzantius, & ex eo Pierius Hierogl. lib. 1. cap. 21. meretrices quasdam ex Megara, sphinges fuisse appellatas, eò quòd humano capite mansuetudinem præ se ferrent, ceterùm corpore reliquo leonino rapacitatem & imperium, quod in amatores exercent, indicarent: unde Megaricæ sphinges vocantur meretrices. Rursum avaritia stringit mentem avari quasi sphinx, mille; curarũ & sollicitudinũ quæstiones molestissimas illi assiduè suggerit & proponit: ex quibus se extricare nõ potest. De

Sphinx quæ?

sphinge plura habet Natalis Comes l. 9. Mythologiæ c. 18.

Denique τὸ *& morietur*, Rabanus & alii nonnulli omittunt. Unde Franciscus Lucas opinatur illud in aliis codicibus irrepsisse. Nam τὸ *& morietur*, inquit, incommodè positum est post, *& relinquet omnia aliis*: priùs enim homo moritur quàm omnia aliis relinquat, imò ex eo quòd relinquat omnia aliis, satis intelligendum relinquitur, quòd morietur. Codex Cardin. Bessarionis legit contrariè, *non morietur*, scilicet quoad animam, quæ immortalis immortali judici sistetur, ut immortalem pro meritis accipiat sententiam. Verùm codices Romani, Complut. ceterique Græci & Latini legunt, *& morietur*: priùs enim ægri testamentum condunt, in quo sua aliis legando relinquunt, ac deinde moriuntur.

Sta in testamento tuo, et in illo (cum illo) colloquere, et in opere mandatorum tuorum veterasce] Pro *testamento*, græcè est, *διαθήκη*, quod Septuag. reddere solent pro Hebræo [illegible] *berith*, id est, pactum, fœdus: quo fit ut Græcum *διαθήκη*, & Latinum *testamentum*, sæpe quodlibet fœdus & pactum significet, uti ostendi 1. Corinth. 11. 25. & Hebr. 9 v. 20. Rursum pro *colloquere*, græcè est *ὁμίλει*, id est, conversare, consuetudinem habe, tracta, convive, colloquere: q. d. Assiduè cum illo age, meditare, pertracta; unde Tigurina vertit, *fac maneas in pacto tuo, in eoque sis assiduus, ac in officio tuo consenescas*; alii, *persiste in pacto tuo, & versare in eo, & in opere tuo consenesce*; Syrus, *sta super viam tuam, & illi innitere, & in operibus eius ambula, & veterasce*; Arabicus, *fili mi sta supra viam tuam, & persevera in ea, & inhære illi cum voces.* q. d. Persiste in statu tuo, & modo vivendi laudabili, quem amplexus es, ut servias Deo. Vers. 21.

Dixit avaros & impios corrogare divitias, & sæpè ditari per fas & nefas, innuens pios & timoratos depauperari: nunc ne quis piorum amore divitiarum impios æmuletur, ac opes per fas & nefas conquirat, monet & confirmat eos, ut in justitia & Dei timore persistant, eò quòd Deus, si non in hac vita, certè in altera mox obventura, eos æternis cæli divitiis ditabit. Ait ergo: *Sta in testamento*, in est pacto quod cum Deo inivisti, tum olim in circumcisione, tum nunc in baptismo, quo te Dei cultui addixisti, ejusque leges servaturum te spopondisti.

Hinc S. Gregor. Nazianz. orat. 40. asserit baptismum non esse aliud, *quam pactum quoddam, cum Deo initum secundæ vitæ & puritatis, ac præstantioris instituti; atque animas nostras accuratissima custodia servandas, ne falsam professionem edidisse videamur. Nam cùm ad munera hominum pacta firmanda Deus mediator adhiberi soleat, quanto periculosius est, magisque timendum, ne fœdera cum ipso Deo afflicta rupisse videamur.* Et S. Chrysost. homil. de Martyribus, quòd aut imitandi sunt, aut non laudandi, tomo 3. *Exsere vires,* inquit, *fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum, quod spopondisti: conditionem, qua accessisti: militiam, cui nomen dedisti.*

Juvenal. satyr. 14. avarorum phrenesin & furorem incusans, exclamat,

Sed quò divitias, hæc per tormenta coactas?
Cum furor haud dubius, cùm sit manifesta phrenesis,
Ut locuples moriaris, egenti vivere fato,

Et satyra 12.

Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed vitio cæci propter patrimonia vivunt.

Hinc avarum Poetæ repræsentant per Tantalum, qui apud inferos inter dulces cibos esurit, inter aquas & vina sitit, Unde Horat. lib. 1. Serm.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina; quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur.

Hinc Secundò, Lyran. & ex eo Palacius: *Sta in testamento*; hoc est, inquit, in lege Dei, quæ in Scriptura vocatur *testamentum*, sive pactum; quia conditio pacti, quod Deus nobiscum pepigit, est lex, ut scilicet ejus legem observemus. Sic dicitur cap. 44. 12. *In testamentis*, id est, in Dei legibus, *stetit semen eorum.* Unde addit, *in illo colloquere*: q. d. Legem intra te consule; cùm quid facturus es, legem adeas; cùm quid dubitas, ab ea pete responsum. Tertiò, particulariùs *sta in testamento*, id est, obligatione & pacto, quod inivisti cum Deo quando statum vitæ delegisti, ut cùm conjugio te mancipasti, cùm sacerdotio initiatus

tintus es, cùm in Religione quapiam professus vota solennia A Deo nuncupasti, cùm episcopatum, prælaturam, aut officium aliquod suscepisti. Tunc enim Deo te obligasti, & quasi cum eo pactus es, te illo statu & officio secundùm leges Dei & Ecclesiæ, ritè & sanctè perfuncturum usque ad ultimum vitæ spiritum. Vide ergo, ut in eo quod pactus es vel vovisti, sis constans, nec resilias vel apostates, ut, si Religioni obstrictus sis, velis eam deserere, & uxorem ducere, vel cælibem liberamque vitam agere.

Gnome ex distropha Siracidi.

Huc facit proverbium Ben Sira alphabeto 1. litera Gimel: *Os quod in sorte tua cecidit, illud rode*: quod eius interpres adaptat uxori: q.d. Uxorem quam nactus es, sive bona sive mala sit, non dimitte, sed retine: quia repudia licet lege veteri permissa, tamen multis displicuerunt. Nam qui priorem dimittit, sæpè in peiorem incidit: & qui prius coniugium soluit, rarò felix est in secundo, uti patuit in sex coniugiis Henrici regis Angliæ. Sic qui leviter ab uno Ordine ad alium transeunt, majores in eo experiuntur difficultates. Et illud Senecæ in Proverbiis: *Aberrare à fortuna tua non potes, obsidet te.* Spartam ergo quam nactus es, hanc exorna. Et illud Platonis in Phædone: *Nulli hominum fas est discedere ab eo* B *quod Deus ei imperavit.* Et illud Ciceronis: *Nulli fas est è statione abire, in qua à summo imperatore collocatus est.*

Audi Rabanum: *Stat*, inquit, *in testamento suo, & in illo colloquitur, qui in præcepto sibi divinitus commendato fideliter manet, & in illo assiduè meditatur. In opere mandatorum Dei veterascit, qui in bonis operibus usque ad finem perseverare studet, & à peccatis omnibus quantum possibile est, cavet. Qui enim fide stat, & castè vivere certat, benedictio Dei in æterna beatitudine illum remunerabit, & repletum fructu virtutum in superna arce collocabit.*

Porrò hac phrasi, *stare*, vel *esse, in testamento*, gaudet Siracides. Unde c. 44. 20. de Abraham dicit: *Fuit in testamento cum illo.* q.d. Abraham fœdus habuit cum Deo. Cap. 45. 8. de Aarone ait: *Statuit ei testamentum* (id est pactum) *æternum*, nimirum cùm *dedit illi sacerdotium gentis*. Et v. 30. de Phinees: *Statuit illi testamentum pacis*, &c. *ut sit illi & semini eius sacerdotii dignitas in æternum.* Cap. 47. 13. de David: *Dedit illi testamentum* id est promissum & pactum, *regni*. Cap. 28. 9. *Memorare testamentum Altissimi.*

Moral. disce hic, quanta & quàm necessaria sit homini constantia in sua vocatione, gradu, officio & virtute. Un- C de angelus ait Danieli c. 10. 11. *Sta in gradu tuo.* Humana enim infirmitas & mutabilitas est tanta, ut sine jugi & quotidiana Dei gratia, ac strenua hominis cooperatione, diu in eo quod rectè cœpit persistere nequeat, præsertim accedentibus in dies tot carnis mundique illecebris, ac assiduis dæmonum tentationibus. Quare constantiæ remedia efficacia undique conquirenda sunt, quibus se quisque contra tot hostium insultus obarmet, corroboret & confirmet. Nam ut ait Salomon Proverb. 27. 8. *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum.*

Constantiæ remedia. Primum.

Primum ergo ad constantiam medium est, humiliter agnoscere suam inconstantiam, & postulare à Deo gratiam, qua eam vincamus. Nam ut ait Job cap. 14. 2. *Homo*, &c. *numquam in eodem statu permanet. statu*, tum corporis, tum mentis & voluntatis: nam nunc hoc vult, nunc illud; nunc cupit unum, mox contrarium; nunc placet ei hoc exercitium, nunc displicet. Itaque inter vulnera per peccatum originale homini inflicta, unum è præcipuis est instabilitas & inconstantia, quam nostris viribus tollere non possumus, sed sola Dei gratia, quæ proinde D assiduè invocanda est: Deus enim per essentiam est stabilis, constans, idem, semperque sui similis. *Ego Dominus*, ait ipse Malach. c. 3. 6. *& non mutor.* Rursum crebra oratio unit nos Deo, hæcque unio facit nos constantes & immobiles. Sicut ergo naufragus qui fluctibus jactatur, scopulo vel petræ se affigit, itaque fixus manet & constans, nec ullis iactatur fluctibus aut ventis, ita & fidelis inter hujus mundi æstus & turbines, ut iis non jactetur, affigat se Deo, dicatque cum Psalte: *Mihi autem adhærere Deo bonum est. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, protector meus, & cornu salutis meæ*, psalm. 17. v. 2. Ita S. Gregor. in Moral. sæpè docet non esse aliam constantiæ & stabilitatis acquirendæ rationem, quàm si mens super tempora & terrena omnia erigatur, & in æternitate Deoq; æterno defigatur: in eo enim defixa nullis minis, illecebris, periculis, doloribus, terroribus movebitur, non concutietur. Ita orabat, seque Deo ushiebat Psaltes, dicens: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*, psalm. 67. 29. Et Judith c. 9. v. 14. occisura Holofernem: *Da mihi*, ait, *Domine in animo constantiam*, eamque à Deo impetravit. Unde c. 16. 12. dicitur: *Horruerunt Persæ, constantiam eius, & Medi audaciam eius.* Et S. Paulus: *Omnia possum in eo qui me confortat*, Philip. 4. 13. & S. Bernad. in psalm. 9P. serm. 8. *Tu*, ait, *ne putes flexibile quippiam invenies, dum in judicibus iunctis petra: qui adhæret Deo, Apostolus ait, unus spiritus est; & qui petræ iungitur, lapis unus. Quod sanè Propheta non immeritò suspirans: Mihi, inquit, adhærere Deo bonum est. O familiaritatis gratiam, ò honoris culmen ò fiduciæ privilegium, ò prærogativam securitatis perfectæ!* Hinc creaturæ Deo viciniores sunt constantiores, ut angeli, qui ubi semel aliquid eligunt, id ipsum constanter retinent. Unde per primum virtutis actum quo Deo adhæserunt, confirmati fuere in gratia, gloriamque beatam adepti sunt, ut docet D. Thom. 1. p. q. 62. art. 5. in corp. Cæli quoque constantes sunt, tum in natura, tum in ordine & motu, quem eumdem constanter servant.

Secundum medium est, mortificare curiositatem varia videndi & experiendi, quæ est mater inconstantiæ: & è contrario exercere se in actibus constantiæ. Si enim duremus in officio difficili vel tribulatione aliquantulum, Deus ilicò succurret, & difficultatem ac dolorem vel auferet, vel leniet, dabitque robur ad illud facilè tolerandum, juxta illud: *Constantes estote, & videbitis auxilium Dei super vos.* Et, *Exspecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum*, psalm. 26. v. 14. Ita Paulus vinctus corroboratus est à Deo, Actor. 23. v. 11. dum ab eo audiit *Constans esto.* & c. 18. 10. *Noli timere, sed loquere, & ne taceas: propter quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi ut noceat te.* Quocirca Paulus è vinculis liberè fidem Christi prædicavit, Festo præsidi & Agrippæ; adeò ut Agrippa diceret eum insanire, *Scit*, inquit Paulus, *de his rex* Agrippa, *ad quem & constanter loquor*, Act. 26. 26. Sicut ergo ut quis doctrinam acquirat, debet constanter studere & discere; ut fabrilem, architectonicam, pictoriam, medicam artem acquirat, debet assiduè fabricare, delineare, pingere & mederi: ita multò magis ut quis virtutem, v.g. humilitatem, charitatem, abstinentiam, patientiam, acquirat, debet in eis assiduè se exercere. Ita *Romani possederunt omnem locum consilio suo & patientia* (constantia,) 1. Machab. 8. v. 3. Vegetius de Re milit. *Urbis*, inquit, *quam capere conaris, obsidio constanter urgenda est, & acriter premenda.* Ergo si vitium aliquod expugnare cupis, debes illud constanter & acriter oppugnare. Virtus enim & perfectio acquiri nequit, nisi quis continuò eam ut leporem insequatur. Porrò nihil est tam difficile & arduum, quod non expugnet constantia, uti patet experientia in studiis, bellis, fabricis, &c. Ita Abbas ille in Vitis Patr. discipulum quemdam torpentem, eò quòd diceret se plurimis vitiis laborare, ideoque de iis eradicandis desperaret, excitavit & instruxit. Deduxit enim eum ad hortum carduis obsitum, jussitque ut secum eum expurgaret: fecit ille, ac primo die partem unam, sequenti alteram, tertio aliam, ac continuando tandem omnes partes totumque agrum expurgavit. Additque, Ita fac & tu in horto animæ tuæ, iam unum vitium extirpa, post illud aliud & aliud: quòd si in eo sis constans, tandem omnia eradicabis. Quid prodest Grammaticam, Philosophiam, Theologiam inchoare, si antequam perdiscas, deseras? utique ea quæ didicisti obliviisceris, perdesque oleum & operam quam impendisti. Quid prodest proficiscenti Romam, si pergat usque ad Alpes, si ibi victus montium asperitate subsistat? Ita non prodest inchoare studium virtutis, nisi constanter illud prosequaris, ut ad eius culmen pertingas: non prodest tendere in cælum, si in medio cursu subsistas. Saul, Salomon, Judas, Nicolaus Antiochenus, Tertullianus, Origenes benè cœperunt; sed inconstantes defecerunt, suaque cœpta perdiderunt. Angeli boni in testamento & pacto cum Deo steterunt, ideoque mox beati & gloriosi effecti sunt: Lucifer cum suis in gratia creatus benè cœpit, sed non perstitit, ideoque in diabolum versus corruit in tartara. Vnde de eo ait Christus Joan. 8. v. 44. *Ille in veritate non stetit.* Religiosi ergo & fideles qui in vocatione & statu suo persistunt, imitantur angelos fiuntque angelici: qui apostatant, imitantur dæmones, fiuntque diabolici.

Secundum

actum aliquem habitu intensiorem eliciat, uti aliqui opinati sunt; sed in eodem instanti quo actum elicit, illi à Deo dari & infundi. Hoc enim significat τὸ *festinat*. Vide Francisc. Suarez de Gratia p. 3. li. 9. c. 3. n. 25.

Anagog. *Festinat Dei benedictio in mercedem iusti*, quia post mortem ilicò eum ad gloriam & regnum cæleste transfert, ait Lyran.

Moral. *Benedictio Dei in mercedem iusti festinat*, cùm justus seriò & animosè resolvit vitia levia resecare, certas virtutes acquirere, studere perfectioni, assurgere ad magnam & heroicam sanctimoniam. Tunc enim Deus qui hac se mirè delectatur, imò hæc desideria ipsi indidit, eadem ad exitum perducit, & merita mercede compensat. Si ergo me ad capessendum virtutis culmen generosè animavero; non tardabit Deus quàm celeriter cœpta mea promovere & perficere; meque possessione sanctitatis quam ambio ditare. Magnanimo ergo ad magnam virtutem contendenti, magna animo destinanda sunt, magna tentanda & inchoanda. Metire te magna mensura Sanctorum, inquit ille, imitare facinora S. Pauli, S. Francisci, S. Magdalenæ, qui subitò per intensos & heroicos pœnitentiæ & charitatis actus, ad culmen sanctitatis evalere, quia validæ gratiæ Dei validè cooperati sunt.

NE DICAS: QUID EST MIHI OPUS? ET QUÆ
Vers. 25. ERUNT MIHI EX HOC BONA? NE DICAS: SUFFI-
Vers. 26. CIENS MIHI SUM, ET QUID EX HOC PESSIMA-
BOR?] Græcè κακωθήσομαι, id est, *mali sustinebo*.

Primò, Raban. Lyran. & Glossa censent hæc omnia esse voces superborum, qui in sua potentia & opibus confidunt, & præsentem tantùm vitam curant, vel non credunt futuram: q. d. Ne dicas: Quid mihi est opus confidere Deo, illi servire, illius leges observare? Unde Complut. legunt *quæ est mihi necessitas complacentiæ?* vel, *quid mihi est opus placere* (scilicet Deo?) aut quæ ex hoc mihi accedent bona post hanc vitam? q. d. Nulla. *Ne dicas: Sufficiens mihi sum* ad hanc vitam commodè & lautè transigendam, *& quid ex hoc*, post hanc vitam, *pessimabor?* id est, quæ mala sustinebo pro meis deliciis & peccatis? q. d. Nulla. Unde hoc refutans subdit: *In die bonorum*, id est, tempore prosperitatis in hac vita, *ne immemor sis malorum*, id est punitionis in alia vita. Hunc sensum videtur exposcere quod subdit: *Quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundùm vias suas*.

Secundò, meliùs Palacius & Jansenius censent, hic duas duorum contrariorum esse voces: priorem pauperis, ob suam pauperiem & ærumnas despondentis animum, & quasi desperantis; posteriorem divitis arrogantis, suisque opibus præfidentis. Prior, scilicet pauper, pusillanimis & deses, dicit: *Quid mihi est opus*, scilicet vivere? Unde ex Græco clariùs vertas, *quid mihi est opus?* quorsum vivo in hoc mundo? quæ utilitas quòd vivam? quæ ex hoc tempore deinceps bona mihi exspectanda sunt? q. d. Nulla; sed sicut hactenus vixi in pauperie, miseriis, sordibus & ærumnis plurimis, ita deinceps in iisdem vivam, aut potiùs infelicem animam traham. quid ergo vivo? quin potiùs vitam abrumpo? Unde Tigurina vertit, *ne dicas: Quis mihi* χρεία ἀρεσκείας, id est, placens, sive *iucundus usus est? aut quænam mihi bona posthac evenient?* Vatabl. pro τίς, id est, *quænam* legens τίνι, id est, *cui*, vertit, *cuinam à me bona evenient? quisnam iam hinc à me beneficia accipiet?* q. d. Deinceps mihi & aliis inutilis ero, imò onerosus; ero pondus inutile terræ, ut quid ergo vivo.

Posterior, scilicet dives præfidens & arrogans, dicit: *Sufficiens mihi sum, & quid ex hoc pessimabor?* q. d. Sufficiunt mihi opes, ad lautam, felicem & securam vitam; quid enim mihi tam opulento & potenti posthac mali evenire potest, quod non auro meo abigam & propulsem? Hæc ergo est vox bonæ fortunæ, putà divitis & fortunati. sicut prior vox fuit malæ fortunæ, putà pauperis & infortunati. Monet itaque Siracides utrumque æquanimitatis; scilicet pauperem, ne vocem hanc desperabundam emittat, sed patienter suam paupertatem sustineat, sperando meliorem sortem: ac divitem, ne vocem præsumptuosam iam dictam sibi arroget, sed in suis opibus moderationem animi conservet, timendo sortem adversam. Idcirco subdit:

Vers. 27. *In die bonorum memor est malorum.*

IN DIE BONORUM NE IMMEMOR SIS MALORUM: ET IN DIE MALORUM NE IMMEMOR SIS BONORUM] q. d. In paupertate spera opulentiam, & in miseria felicitatem; in opulentia autem verere paupertatem, & in felicitate miseriam, quæ tibi obvenire potest. τὸ enim *immemor*, hic tam futurum quàm præteritum spectat; q. d. In die bonorum memor esto malorum quæ sensisti, & quæ rursus fortè sensurus es: sic & in die malorum memor esto bonorum tam præteritorum quàm futurorum. Est hæc sententia prudentissima, æquè ac utilissima; suggerit enim remedium utriusque sortis & fortunæ, scilicet memoriam contrariæ. Hinc omnibus vitæ casibus aptari potest, ver. gr. Primò, opulentiæ & paupertati, juxta sensum jam datum. Secundò, lætitiæ & tristitiæ: q. d. In die tristitiæ ne cadas animo, sed memor esto lætitiæ quam aliquando habuisti, & rursum habiturus es; in die lætitiæ noli nimis exultare, sed moderare eam, cogitando tristitiam, quam aliquando expertus es, ad ostium stare, & mox fortè reversuram. Tertiò, desolationis & consolationis divinæ: q. d. Dum adest gratia, noli præfidere, quia illa se subtrahet: in die ergo consolationis memor esto desolationis, & in die desolationis spera consolationem. Nam post tenebras spero lucem: post nubila Phœbus, post hiemem æstas, post procellam redit serenitas, Ita S. Bernard. serm. 21. in Cant. *Curabis potiùs*, inquit, (*si sapis pro consilio sapientis*) *in die malorum non immemor esse bonorum, atque in die bonorum non immemor esse malorum. Ergo in die virtutis tuæ noli esse securus, sed clama ad Deum cum Propheta, & dic: Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Porrò tempore tentationis consolare, & dic cum sponsa: Trahe me post te, in odorem unguentorum tuorum curremus. Sic te non deseret spes in tempore malo, nec in bono providentia deerit, eritque inter adversa & prospera mutabilium temporum tenens quandam æternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem & inconcussam constantiæ animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore; proindeque vindicans tibi etiam in huius mutabundi sæculi dubiis eventibus certisque defectibus, perennis quodammodo incommutabilitatis statum; dum te cœperis renovare & reformare in insigne illud antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio: Quippe sicut ipse est, ita & tu eris in hoc mundo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus.* Quartò, honoris, & opprobrii: q. d. Dum es in honore & gloria, memor esto te ab eo posse excidere, imò posse opprobriis & contumeliis affici, uti contigit Aman, Holoferni, Antiocho, Nabuchodonosor, &c. Vicissim dum probris & contumeliis impeteris, memor esto te honoratum quandoque fuisse, ac rursum suo tempore honorandum. Quintò, pacis & belli: q. d. In die belli spera pacem, in die pacis para arma ad bellum: in die tentationis exspecta tranquillitatem, in die tranquillitatis præpara te ad tentationem. Causam dat S. Gregor. libr. 2. in Ezech. hom. 19. *Si enim*, inquit, *cùm bona habemus, malorum reminiscimur, quæ aut iam passi sumus, aut adhuc pati possumus; accepta bona mentem non elevant, quia eorum gaudium timor memoriæ malorum premit, & si, cùm mala habemus, bonorum reminiscimur, quæ aut iam accepimus, aut adhuc nos posse accipere speramus; malorum pondus animum in desperationem non deprimit, quia hunc ad spem memoria bonorum levat. Si itaque, fratres charissimi, si per præcepta Dominica, & per Sanctorum exempla gradimur, ut nos nec prosperitas elevet, nec adversitas frangat; habere nos ante omnipotentis Dei oculos palmas hinc & inde monstramus.* Ita faciebat S. Job qui bonis omnibus spoliatus, securus dicebat: *Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus;* In quæ verba idem Gregor. l. 3. Moral. c. 7. *Magna quippe*, ait, *consolatio tribulationis est, si, cùm adversa patimur, auctoris nostri ad memoriam dona revocemus. Nec frangit quod ex dolore obviat, si menti citiùs hoc quod ex munere sublevat, occurrat. Hinc namque scriptum est: In die bonorum ne immemor sis malorum, & in die malorum ne immemor sis bonorum. Quisquis enim dona percipit, sed donorum tempore nequaquam etiam flagella pertimescit, in elationem per lætitiam corruit. Quisquis autem flagellis atteritur, sed flagellorum tempore nequaquam se ex donis, quæ eum contigit accepisse, consolatur, à statu mentis omnimodo desperatione destruitur. Sic ergo utraque iungenda sunt, ut unum semper ex altero fulciatur; quatenus & flagelli pœnam memoria temperet doni, & doni lætitiam mordeat suspicio et formido flagelli.*

Hac de causa *misericors Deus*, ait S. Chrysost. hom. 8. in Matth. *Mœstis rebus quædam iucunda permiscuit. Quod certè in omnibus Sanctis fecit, quos neque tribulationes, neque iucunditates sinit habere perpetuas; sed tum ex adversis*,

tum

mortalem. Et alius: *Sciebam me filium in mortiferum bellum, non in epulas mittere. Nimirum*, inquit ibidem Cicero, *hæc est præstans & divina sapientia, perceptas penitus & pertractas humanas res habere: nihil admirari cùm acciderit; nihil antequam evenerit, non evenire posse arbitrari.* Ex quo est illud Terentii:

Quamobrem omnes, cùm secundæ res sunt maximè,
Meditari secum oportet quo pacto adversam ærumnā ferant.

Et illud Plutarchi 7. Moral. *Ut sapiens gubernator in tranquillitate tempestatem expectat, ita rebus tranquillis ad dolorem aliquem præparandus est animus.* Nam, ut ait S. Gregor. hom. 35. in Evangel. *jacula prævisa minùs feriunt*, & in sapientem non cadit τὸ *non putabam.* Et Cato lib. 2.

Prospice qui veniunt, hos casus esse ferendos:
Nam leviùs lædit, quidquid prævideris antè.

Posterius tristitiæ & acediæ remedium est: *In die malorum ne sis immemor bonorum.* nimirum avocanda est cogitatio à re molesta & tristi, ac convertenda ad bonam & lætam, quæ habetur vel speratur. Unde Cassianus lib. 9. de Institut. renunt. c. 13. *Hanc ergo*, inquit, *perniciosissimam passionem ita de nobis expellere poterimus, si mentem nostram spirituali meditatione jugiter occupatam, futuri spe, & contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus. Hoc enim modo universa tristitiarum genera, sive quæ ex præcedenti ira descendunt, sive quæ amissione lucri*, vel *detrimenti illatione nobis adveniunt, sive de irrogata generantur injuria, sive quæ de irrationabili mentis confusione procedunt, seu quæ lethalem desperationem nobis inducunt, valebimus superare; cùm æternarum rerum ac futurarum intuitu semper læti atque immobiles perdurantes, nec casibus dejecti præsentibus, nec prosperis fuerimus elati, utraq; velut caduca & mox transeuntia contemplantes.* Hinc de impio, qui sibi malè conscius non nisi mala expectat, ait Iob c. 15. 22. *Non credit quòd reverti possit de tenebris ad lucem*: de se autem bene sibi conscio c. 17. 12. *Et rursus*, inquit, *post tenebras spero lucem*: & c. 11. 17. *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: & cùm te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.*

Ita accidit S. Iobo, cui Deus post tribulationem felicitatem duplicavit. Idem cecinit Boetius de Consol. phil. dum à Theodorico rege Arriano carceri inclusus seipsum solatur spe melioris sortis, sicut Hesperus mutatur in Luciferum. Stella enim Veneris quæ solem occidentem sequitur, occidensque vocatur Hesperus, eadem manè oriens solemque præiens, vocatur Lucifer:

Et qui primo, inquit, *tempore noctis*
Agit algentes Hesperus horas,
Solitas iterum mutat habenas,
Phœbi pallens Lucifer ortu.

Quin & Theocritus in Batto ita canit:

Fidere Batte decet, meliùs cras forsan habebit:
Sperandum est vivis, non est spes ulla sepultis.
Nunc pluit, & claro nunc Iuppiter æthere fulget.

Denique hæc gnome Siracidis docet, moderandas esse animi passiones, nimirum amorem & timorem, lætitiam & tristitiam, ut neque in lætis nimis exultemus, neque in tristibus nimis doleamus; sed unum memoria vel spe alterius temperemus. Idcirco enim Deus læta tristibus permiscet, ut animam ducat ad passionum æquilibrium, in quo ejus virtus & perfectio consistit: uti pulchrè docet S. Bernard. serm. 6. inter parvos: *Istæ affectiones ordinatæ*, inquit, *virtutes sunt; inordinatæ perturbationes. Si timorem sequatur tristitia, desperationem generat; si amorem lætitia, dissolutionem. Sequatur ergo timorem lætitia, &c. comitetur lætitiam tristitia: quia moderatè læta amplectitur, qui tristia reminiscitur. Temperet ergo lætitiam tristitia; temperata lætitia nihil aliud quàm temperantia est.*

Vers. 28. QUONIAM FACILE EST CORAM DEO IN DIE OBITUS RETRIBUERE (perperam & subdolè Tigurina vertit, *referre gratiam*, ad elidendum merita bonorum operum) UNICUIQUE SECUNDUM VIAS SUAS] putà secundum actiones, opera & merita sua: hæ enim sunt viæ ethicæ sive morales, in quibus incedit & inambulat homo. Dat causam, cur in die malorum memores esse debeamus malorum, & vice versa; quia scilicet Deus cuique mercedem pro meritis retribuit, sæpè quidem in hac vita, sed semper in morte. Unde liquet sententiam jam dictam: *In die bonorum ne sis immemor malorum*, &c. maximè spectare ad bona & mala futuræ vitæ, uti superiùs ex Rabano dixi. Indicat enim hic Siracides, Deum in hac vita non rarò piis adversa, impiis prospera immittere, juxta illud Ecclesiastæ 8. 14. *Sunt justi quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum; & sunt impii qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant*: in morte autem certò pio cuique præmium, impio pœnam pro meritis assignare.

De impiis res clara est: hi enim in morte subeunt judiciū particulare, in quo accepta damnationis sententia ilicò rapiuntur in tartara. De piis res obscurior est, quia ævo Siracidis justi omnes descendebant in infernum ad limbum patrum: necdum enim cælum erat apertum, sed Christi morte reserandum. Quomodo ergo tum pii in die obitus mercedem recipiebant? Resp. Recipiebant eam, quia subibant judicium particulare, in quo accipiebant sententiam felicitatis & beatitudinis, eamque ilicò inchoabant. Nam introibant in sinum Abrahæ, sive in limbum patrum, ibique consummati in gratia, liberi omni metu & miseria, certique de gloria cælesti, fruebantur Dei contemplatione, & mutuo tot Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum & Sanctorum suavissimo aspectu ac colloquio, expectantes Christum, qui cælum eis reseraret, eosque Dei visione beatifica donaret. Ilicò ergo inchoabant suam felicitatem, sed post & per Christum, qui obicem cæli peracta mortis suæ satisfactione erat reseraturus, eamdem erant consummaturi. Jam autem post Christum obice hoc sublato, & satisfactione peracta, ilicò omnes animæ justæ plenè à peccatis purgatæ, evolant in cælum, & Dei visione beantur. Idque significat hic Siracides. Errat ergo Calvinus qui animas justas dormire censet, & quiescere sub altari usque ad diem judicii. Vide Bellarm. lib. 1. de SS. Beatitud. c. 2. & sequ. & Gabr. Vasquez loco mox citando, & Suarez 3. p. tom. 2. qu. 59. disp. 52.

Dices: Siracides non dicit Deum in die obitus actu retribuere cuique mercedem, sed tantùm facile esse Deo cuique retribuere. Respondet noster Gabr. Vasquez 1. 2. qu. 4. disp. 19. c. 2. *Vox facile est, non tantùm significat possibile esse Deo, sed Deum facili negotio, & absque labore in die obitus retribuere. Nam si solum denotaret possibile Deo esse, non exhortaretur ibidem nos Sapiens ad bona opera: namque ex possibilitate præmii debile sanè sumeretur incentivum laboris: at ex facilitate qua Deus retribuit, magnum certè ducitur argumentum exhortationis. Neque obstat quod tempore quo hæc scripta sunt, nemo admittebatur ad visionem claram Dei: nam Sapiens indefinitè loquitur, & intelligi debet secundùm temporum diversitatem; tunc enim cùm nondum Christus ingressus esset Cælum, mirum non est si retributio visionis differretur.*

Itaque in τῷ *facile est retribuere*, est miosis & charientismus, significans facillimè, certissimè & plenissimè Deum retribuere. Sed dicit, *facile est*, ad animandum justos pauperes & pusillanimes: sic enim ad animandum amicum afflictum partim urbanitatis, partim fiduciæ causa dicere solemus: fidas mihi, rem omnem mihi committe, facile est mihi te adjuvare, id est, ego omnino te adjuvabo. Sic Paulus ait 2. Corinth. 9. 8. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: potens est*, idest, potenter & certò abundare faciet, uti ibidem dixi.

MALITIA HORÆ OBLIVIONEM FACIT LUXURIÆ MAGNÆ] Probat alia ratione id quod dixit v. 27. Vers. 29.
In die bonorum ne sis immemor malorum. quia scilicet sæpè post diem bonorum sequuntur dies malorum; in qua *malitia* græcè κάκωσις id est, afflictio, *horæ*, hoc est, horaria & brevis, *oblivionem facit luxuriæ*, id est, luxus, &, ut græcè est, τρυφῆς, id est, deliciarum, & voluptatis, etiam maximæ. Unde S. Hieron. lib. 18. in Isaiam sic legit, *afflictio horæ oblivionem facit deliciarum*; Syrus, *malum diei inveniet bonum, & finis hominis erit super eum*; Tigurina, *difficultas temporis affert oblivionem deliciarum.* Nam v. g. ait Rabanus, *cùm febris valida, paupertas grandis, arripuerint hominem, omne tempus quod in sanitate & deliciis antè consumebat, in oblivionem tradet, & sola miseria vel ægritudo occupatum illum tenet, nec jam aliud cogitare permittit: vel, si aliquando & in circuitu constituto quiddam pristinæ felicitatis in memoriam venerit, nequaquam illi refrigerium præstat, sed pœnam accumulat.*

Porrò, hoc sæpè verum est in vita, sed semper in hora mortis, de qua hic sermo præcessit, & sequitur: hæc enim est hora ultima adeoque horizon temporum & æternitatis, adeoque vocatur *hora* antonomasticè. Mors enim adimit homini omnem sensum voluptatum præteritarum, ac cruciat sensu dolorum præsentium æquè ac futurorum, imò imminentium in Purgatorio vel Inferno. Ita dives

Epulo

Epulo in flammis gehennæ omnis suæ epulationis oblitus, non aliud cogitavit, aut dixit, quàm: *Crucior in hac flamma.* Idem faciunt damnati omnes, quos occupat oblivio, & quasi lethargus omnis sensus voluptatis; at non culpæ. Mirè enim cruciat eos dum cogitant, quòd sua culpa voluptati tam vili & modicæ indulgendo, tantas pœnas, easque æternas, sibi accersiverint, quas tam facilè abstinendo à voluptatibus, vitare potuissent, imò cælestia & æterna gaudia promereri, uti videbunt fecisse Sanctos omnes, ideòque inconsolabiliter lugebunt dicentque illud Sapient. 5. 8. *Quid nobis profuit superbia: aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra.* Id significarunt Poetæ, cùm apud inferos posuerunt Lethem fluvium, cujus potus oblivionem præteritorum induceret: λήθη enim est oblivio.

Pari modo Beati obliviscentur omnium tribulationum hujus vitæ, juxta illud Isaiæ 65. 16. *Oblivioni traditæ sunt angustiæ priores, & absconditæ sunt ab oculis meis;* Septuag. *non ascendent super cor eorum.* Ubi S. Hieron. *Causa*, ait, *lætitiæ & confessionis veri Dei est, quia æterna angustiarum priorum succedet oblivio. Obliviscentur enim pristina mala non oblivione memoriæ, sed bonorum successione, juxta illud: In die bona oblivio malorum.* Additque; *Licèt & possit hoc dici, quòd in Cælo novo, & in terra nova, omnis conversationis pristinæ memoria deleatur, ut hoc ipsum pars malorum sit, prioris angustiæ recordari.* Verùm contrarium est verius, uti dixi Isaiæ 65. scilicet Sanctos recordari præteritorum malorum ad majus eorum gaudium. Huc maximè respicit Siracides, unde & subdit:

ET IN FINE HOMINIS, DENUDATIO OPERUM ILLIUS] Et accipi potest ut causale more Hebræo, significans *quia*: q.d. Hora mortis inducit oblivionem deliciarum ejus vitæ: quia in illa anima separata à corpore subit judicium particulare, in quo omnia ejus opera à Christo judice ipsi denudantur, dum ab eo sententiam damnationis, vel salutis accipit, ilicoque vel ad Purgatorium, vel ad Infernum, vel ad Cælum ducitur: ubi ex quantitate pœnarum vel præmiorum ilicò omnibus beatis vel damnatis liquet, qualia, & quanta fuerint eorum opera bona, vel mala. Tunc enim Christus aperit cuique suam conscientiam, ut videat omne quod egit, cogitavit, dixit per omnem vitam, juxta illud Pauli 1. Corinth. 45. *Nolite ante tempus judicare* (multi enim hic videntur boni, qui in judicio apparebunt mali; & vice versa) *quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Unde Tigurina vertit, *acta hominis declarat ipsius exitus;* Syrus, *in ultimo sui laudatur homo.*

Porrò Noster legit, ἐν συντελείᾳ, id est, *in fine & consummatione*, itaque legunt multi. Verùm complutensia legunt, συντέλεια: unde sic vertunt, *consummationem hominis* facit *revelatio operum illius;* hæc enim in judicio particulari ei consummationem, id est, ultimum finem & terminum, vel gehennæ, vel cælestis gloriæ, adducit. Unde Vatablus vertit, *hominem consummat ipsius exitus.* Hinc patet, ilicò à morte cujusque fieri judicium ejus particulare; nec expectari judicium universale. Rursum animas in Purgatorio degentes certas esse de statu gratiæ, suaque salute: hujus enim sententiam acceperunt in judicio particulari: esto contrarium sentiant hæretici cum Luthero art. 38. & de Catholicis dubitent Dionys. Carth. de Quatuor noviss. a. 46. Roffensis a. 32. & Gerson lect. 1. de Vita spirit. vide Bellarm. lib. 2. de Purgat. c. 4.

Vers. 30. *Ante mortem nemo beatus.*

ANTE MORTEM NE LAUDES (tamquam felicem, & beatum; græcè enim est, μὴ μακάριζε, id est, *ne beatifices*, hoc est, ne *beatum judices* vel *dicas*. ut vertit S. Hieron. lib. 2. in Isaiam, & Thren. c. 1.) HOMINEM QUEMQUAM, QUONIAM IN FILIIS SUIS AGNOSCITUR VIR] S. Ephrem in serm. ascet. ad imitat. Proverb. legit, *ante obitum neminem prædicaveris beatum.* Additque antithesin: *& ante mortem ne disperaveris quemquam.* Hæc est conclusio ex præcedentibus quasi ex suis præmissis educta, & collecta: q.d. Ex eo quòd dixi, in fine & morte hominis fieri denudationem & judicium operum illius, sequitur, ante mortem neminem prædicandum esse beatum; tum, quia quamdiu vivit, potest mutari ex bono in malum, ex felice in infelicem; tum, quia multi hypocritæ videntur boni coram hominibus, qui in judicio à Christo declarabuntur esse improbi & reprobi; tum, quia in morte fit judicium, in quo Christus beatitudinem cuique pio decernet. Nos autem hoc Christi judicium præoccupare non debemus, nec possumus, utpote multorum, imò omnium occultorum ignari. Unde addit quartam causam: *Quoniam in filiis suis agnoscitur vir:* q. d. In filiis miseris vel felicibus, & maximè piis vel impiis cognoscitur institutio bona vel mala parentis, & per consequens ejus felicitas, tum mundana tum vera & divina. ita S. Ambros. de Bono mortis cap. 8. cujus verba mox recitabo. Et S. Hieron. epist. ad Lætam. laudans eam quod patrem infidelem ad Christi fidem convertisset: *Sancta*, inquit, *& fidelis domus virum sanctificat infidelem. Iam candidatus est fidei, quem filiorum & nepotum credens turba circumdat. Ego puto etiam ipsum Iovem, si habuisset talem cognationem, potuisse in Christum credere.* Unde Tigurina vertit, *ante obitum beatum ne quemquam dixeris: quippe vir è liberis demum pernoscitur.* quia quales filii, talis pater judicandus, bonorum bonus, malorum malus: id enim communiter accidit, licet non semper. Unde proverbium Hebræorum: *Sicut mater, ita & filia ejus*, quæ illam moribus æmulatur: *Peculiaris enim ratio est in filiabus, quia diutiùs; & crebriùs cum matre conversantur, quàm cum patre filii*, ait Procop. Et S. Ambrosius lib. 3. de Virginitate: *Quid potuit*, ait, *filia de adultera matre discere, nisi damnum pudoris?* S. Chrysost. quoque hom. 10. in ep. ad Coloss. sub finem, *Solent*, inquit, *plerumque filiolæ ad rationem educationis componi, & mores imitari maternos. Esto filiolæ tuæ castitatis & modestiæ exemplar. Ideo*, ait noster Delrio adagio 910. *Apud Senecam, cùm Clytæmnestra adultera diceret Electræ filiæ suæ: Quis esse credat virginem? respondit filia: Natam tuam? Et Peleus in Andromacha Euripidis: Imitantur enim materna probra. Et id videtur mihi, ò proci, Bona prognatas matre ut ducatis filias.* Juvenalis quoque:

Filia matris simia cur?

Scilicet expectas, ut tradat mater honestos,
Atque alios mores, quàm quos habet? Utile porrò
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.

Quocirca Palacius hunc locum sic explicat: *Gloria patris est filius probus; ut contra pars quadam infelicitatis est, filios habuisse perversos. Ergo donec videas filios esse bonos, nedum de patris perfecta felicitate constitue. Fateor, Iosiam fuisse sanctum, & Ezechiam, quin & Abraham, Isaac & Iacob, &c. quibus tamen quidam filii perversi successere. Ac ita fatendum est, ut nihil hos patrum suorum splendorem obscurasse. Ergo laudes parentes sanctos, sed, si illis filii mali contigere, id laudibus frænum erit. Cur igitur nos Christiani Christi gloriam obscurare contendimus?*

Agnoscitur ergo vir ex filiis tum propriis & carnalibus, tum potiùs mysticis & spiritualibus. Maximè enim patet virtus & sanctitas viri, cùm post se virtutis suæ hæredes multos relinquit discipulos à se edoctos & institutos, juxta illud Proverb. 13. v. 1. *Filius sapiens doctrina patris.* Unde S. Gregor. Nazianz. orat. 12. de Monachis loquens: *Horum* inquit, *opes sunt in paupertate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fecunditas in cælibatu. Siquidem præstantiores fœtus illi sunt qui secundùm Deum existunt, quàm qui in carne ortum ducunt: qui deliciis minimè studere, pro deliciis habent, qui regni cælestis causa humiles sunt, qui in mundo nihil habent, & supra mundum existunt, qui in carne extra carnem vivunt, qui pro portione Dominum habent, qui propter regnum inopia laborant, & propter inopiam regnant.*

Mysticè Rabanus per filios accipit bona opera, sed audi eum integrè: *Nimis absurdum est*, inquit, *militem adhuc in agone consistentem, quasi jam victorem laudare; cùm incertum sit, utrùm hostem vincat, aut ab eo vincatur; sed peracto bello, jam condigna palma consequitur triumphantem: ita & incertum est, cùm viderimus quemlibet bene agentem, & justè viventem, utrum in eo usque ad finem perseveret, an non. Si autem in recta fide & bonis operibus perseveraverit usq; ad finem vitæ, tunc jam laude dignus, & ab omnibus est prædicandus: quoniam in filiis vir agnoscitur, hoc est, ex bonis actibus hominis, meritum illius probatur.* Huc facit proverbium Arabicum cent. 2. n. 20. *Omnis ovis suspenditur è calcaneo suo*, scilicet, in macello: q.d. Omnis homo judicatur ex actionibus, fine vitæ suæ.

Hanc sententiam edidit Solon unus è septem Græciæ sapientibus, trecentis penè annis ante Siracidem: Solon enim vixit sub Cyro, Siracides sub Ptolemæo Philadelpho, qui post Ptolem. Lagi successit Alexandro Magno. Solon enim, ut refert Plutarch. in ejus Vita, Herodot. lib. 1.

Laert.

Laert. lib. 1. c. 1. *interrogatus à Crœso rege Lydorum ditissimo, num aliquem ipse feliciorem vidisset respondit, vidisse se Telum Atheniensem privatum hominem, sed qui relictis liberis ac nepotibus bene institutis, feliciter obiisset diem. Interrogatus deinde, cui post illum tribueret elogium felicitatis Cleobin & Biton Argivos fratres nominavit, qui cum summa pietatis laude defuncti fuerant. Indignatus rex, Nullo igitur, inquit, loco me ponis? Tum ille: Ego facilè confiteor te regem opibus & imperio florentem: beatum autem non appellarim priusquam hanc vitam feliciter absolueris. Itaque cùm à Cyro rege captus jussus esset ingenti pyræ imponi, ut vivus cremaretur, ter alta voce dicitur Solonem invocasse. Tum Cyri jussu interrogatus, quid ea vox ter repetita sibi vellet, exposuit quæ ille olim de fortunæ variatione, veraque felicitate à Solone viro sapientissimo audisset. Per quæ, humanæ imbecillitatis Cyrus admonitus, jussit Crœsum ab igne servari, fuitq; deinceps ipse apud Cyrum in summo honore: unica enim hæc sententia, & Crœsum morte liberavit, & Cyrum erudivit, sortisq; humanæ labilis admonuit.* Eamdem carmine expressit Ovidius lib. 3. Metamorph.

Ultima semper
Exspectanda dies homini est, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

Hæc isti Gentiles, spectantes tantam instabilitatem fortunæ & vitæ humanæ; at Siracides altiùs assurgit, & spectat *incerta exitus*, ut ait S. Ambros. in psal. 1. *Ergo dum in hac vita quisquam est, non potest definita prædicatione laudari, qui potest adhuc posse errori. Ille autem qui vitam sine offensione concluserit, jure beati appellatione censetur, quia utitur consortio beatorum.* Idem de Institut. virginis c. 3. *Laudatio hominis non in exordio, sed in fine est. Nemo enim nisi legitimè certaverit, coronabitur. Ideoq; Sapiens tibi dicit: Ante mortem non laudes hominem quemquam. Qua ratione hoc dixerit, superiùs docuit, dicens: Quia in fine hominis nudantur opera ejus.* Idem libro de Bono mortis cap. 8. *Ante mortem*, ait, *non laudaveris quemquam. Unusquisque enim in novissimis suis cognoscitur, & in filiis suis æstimatur, si benè filios suos instituit, & disciplinis competentibus erudivit. Siquidem ad negligentiam patris refertur dissolutio filiorum.* Deinde aliam dans causam, subdit: *Tum quia unusquisque quamdiu vivit, obnoxius est lapsui, nec senectus immunis à crimine. Ideò legis, quia Abraham mortuus est in senectute bona, eò quòd in bonitate propositi sui permansit. Mors igitur vitæ est testimonium. Nam si laudari ante gubernator non potest, quàm in portum navem deduxerit: quomodo laudabis hominem priùs quàm in stationem mortis successerit? Et ipse sui est gubernator, & ipse vitæ huius jactatur profundo: quamdiu in salo isto, tamdiu inter naufragia. Dux ipse nisi confecto prælio non sumit lauream: nec miles arma deponit, nec stipendii mercedem adipiscitur, nisi hoste superato. Mors igitur stipendiorum plenitudo, summa mercedis, gratia missionis est.* Idem alibi: *Lauda post vitam, magnifica post consummationem: tunc enim nec illi qui laudat nocere ulla poterit adulatio, neque etiam laudatum ulla tentare poterit elatio.*

Gnoma Patrum.

S. Hieron. lib. 2 in c. 3. Isaiæ: *Ille*, inquit, *est doctor Ecclesiasticus, qui lacrymas, non risum movit: qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem, nec prævenit sententiam judicis sui, dicente Scriptura sancta: Ne beatum dicas quemquam hominem ante mortem. Sed in alio loco legimus: Qui benedicit amico manè grandi voce, à maledicente nihil differt. Unde spernentes hominum judicia, nec laudibus eorum extollamur, nec obtrectationibus contristemur: sed ingrediamur rectam viam, & tritas à sanctis Prophetis semitas, audiamusque Jeremiam Prophetam dicentem: State in viis, & videte & interrogate semitas Domini sempiternas, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Cassianus collat. 6. cap. 16. *Quidquid*, ait, *per diligentiam vel acquiritur, vel tenetur, potest etiam per negligentiã deperire, ideoq; dicitur: Ne beatifices hominem ante exitum suum.*

Huc alludens S. Ephrem prologo de Timore Dei: *Ante obitum*, ait, *neminem prædicaveris beatum, & ante mortem ne desperaveris quemquam.* S. Bernard. serm. 5. in festo omnium Sanct. *Nos*, inquit, *in vita sua laudare hominem prohibemur. Quomodo namque secura laudatio, ubi nec ipsa vita secura? Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit (ait tuba illa cælestis,) & legem certaminis ab ore ipsius legislatoris ausculta: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Nescis quis sit perseveraturus, nescis quis sit legitimè certaturus, nescis quis sit coronam accepturus. Illorum lauda virtutem, quorum jam certa victoria est: illos devotis extolle præconiis, quorum securè potes adgaudere coronis.* Et interiùs: *Tota interim beatitudo nostra est timere Deum, dicente Scriptura: Beatus homo qui semper est pavidus. Et item Psalmista ait: Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.* Deinde verò beatos assignans, subjungit: *Cæterùm longè aliter beati, in quibus perfecta charitas foras misit timorem, nec jam timent ambulantes in viis ejus, sed laudant potiùs habitantes in domo, sicut idem ait: Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Nostra interim festivitas, in timore Dei: nam illorum magis in exultatione & laude versatur. Inde est quòd securè laudantur homines qui non sua iam vivunt vita, sed Dei: nam hominum utique vita tentatio est.* Idem epist. 23. ad Attonem: *Laudarem vos*, inquit, *& iure laudarem, si non me revocaret illa sententia: Neminem laudaveris in vita sua. Siquidem rem laude dignam egistis, sed laus adscribenda est à quo accepistis & velle & perficere, quod meritò laudaretur. Deum ergo per vos, & in vobis, operantem glorificamus, qui tamen ad hoc vobis voluit glorificari, ut & vos redderet gloriosos. Qui nimirum cùm sit mirabilis in majestate sua, etiã in sanctis suis gloriosus apparere dignatur, ne solus habeat gloriam. Ipse nempe licet sibi sufficiens ad omnem magnificentiam, quærit tamen gloriam & in sanctis, non ut augeat sibi sed ut suis communicet.* Et inferiùs: *Vana quidem laus & seductoria, qua laudatur peccator in desideriis animæ suæ, in quo qui me beatificat, in errorem inducit: sed non idcirco prædicanda & multùm commendanda erit illius vita, qui dicere potest: Vivo autem iam non ego, vivit, non ipse, sed Christus; non in sua laudatur, sed in Christi vita, ac per hoc non laudatur contra sententiam, quæ prohibet hominem laudari in vita sua.*

Hoc sapiebat S. Franciscus, qui, ut ait S. Bonavent. in ejus Vita c. 6. *Studebat bona Domini sui arcano pectoris condere, nolens patere gloriæ, quod posset occasio esse ruinæ. Nam sæpè cùm beatificaretur à pluribus, verbum hujusmodi proferebat: Filios & filias adhuc habere possum: nolite laudare ut securum. Nemo laudandus cujus incertus est exitus.*

NON OMNEM HOMINEM INDUCAS IN DOMUM TUAM: MULTÆ ENIM SUNT INSIDIÆ DOLOSI] Vers. 31.

Tigurina, *dolosorum*; Syrus, *fraudulenti*. Videtur legisse noster Interpres δόλου, id est, *dolosi*, ut habent nonnulli codices Græci: Jam Complut. & alii legunt διαβόλου, id est, calumniatoris, deceptoris, delatoris, diaboli: quamquam ferè eodem redeat sensus: suadet enim ne quemlibet in domum inducamus, nec in familiam & familiaritatem nostram admittamus, nisi antè bene probatum & exploratum, quia multi sunt dolosi, qui se insinuant in domos, ut eas earumque heros & incolas ac suppellectilem explorent, deprædentur, calumnientur, accusent, infament, imò perdant & interimant, uti Iudas inductus in domum & familiam Christi, eum dolosè prodidit & perdidit. Per *dolosum* maximè intelligi superbum, ut patet ex ratione quam subdit v. sequ. Superbus enim omnes modos & dolos quærit, quibus suum æmulum deprimat & perdat, seque super illum exaltet. Huc facit proverbium: *Hospes indigenam*, scilicet domo sua eiicit, ut cum servus adoptatus eiicit filium, aut miles ascititius eiicit colonos. Et: *Veniat qui proderit hospes*: q. d. Ille hospitio excipiatur, non qui incommodum, sed qui commodi aliquid allaturus est. Porrò quod ait: *Non omnem hominem inducas in domum tuam*, *intellige*, ait Palacius, *ut in ea familiariter & diu versetur. Nam recipere quemvis ad unius noctis hospitium, cum debita observatione & observatione domus, non est prohibendum. Nam Lot non examinabat quos hospites reciperet, & Christianos D. Hieronymus laudat, quod in foro transeuntes cogebant ad hospitium.* Imò ipse S. Hieron. Apolog. contra Ruffin. & alibi, profitetur se omnes advenas hospitio in Bethlehem excipere, præsertim cùm Romani Roma capta à Gothis, turmatim eò profugerunt. *Solos hæreticos*, inquit, *non recipimus, quos vos solos recipitis. Propositum quippe nobis est pedes lavare venientium, non merita discutere.* Et S. Ambros. in Lucam, *Non hæc*, ait, *cautio receptori datur, ne, dum hospes eligitur, hospitalitas minuatur.* Vide S. Chrysost. homil. de eleemos. & collat. quæ habetur in fine Comment. in epist. 1. ad Corinth.

Igitur Siracides hic prudenter monet, ne quis amicitiæ vel utilitatis suæ causa in domum inducat, vel in familiam recipiat ignotum, præsertim suspectum, dolosum & vafrum; non autem vetat hospitalitatem, præsertim pauperum, profugorum & miserorum: illam enim suadet, imò subinde imperat, egestas, necessitas, charitas. Sed tunc prudentia dictat, ut tibi tuisque rebus caveas quoad potes, ne inter tam varios & ignotos, è furto, aliove cuiuspiam scelere damnum patiare. Memini cùm ante 40. annos junior apud parentes rure agerem, in publica & communi Flandriæ fame, quoti-

die

diē greges pauperum & peregrinorum ſtipem petentium ad domum noſtram confluxiſſe, ac voluntate parentum me ſingulis eam erogaſſe, nullo prorſus præterito: quòd ſi nox ingruebat, etiam hoſpitio excipiebamus; ſed ea cautione, ut data cœna in horreum vicinum cubaturos deduceremus, tum ut tantæ turbæ ſatisfaceremus, tum ut domui & ſuppellectili noſtræ caveremus.

Myſticè, *ne quemlibet inducas in domum tuam: multæ enim ſunt inſidiæ diaboli*, ut habent Complut. Diabolus enim ſuggerit impiis, v.g. hæreticis, ſeditioſis, rixoſis, libidinoſis, ebrioſis, invidis, detractoribus, &c. ut in domos piorum ſe inſinuent, earumque incolas ſua hæreſi, ſeditione, rixa, libidine, gula, invidia, detractione inficiant, lites & ſchiſmata concitent, ac ad quælibet vitia impellant. Ita Euſebius Nicomedienſis Arrianus inſinuans ſe in aulam Conſtantini Magni, ipſum infenſum S. Athanaſio reddidit, ejuſq; aulam, & Conſtantium filium arrianiſmo imbuit. Sic Arriani irrepentes in aulam Valentis Imp. eum Arrianum. Eutychiani Juſtinianum Imp. Eutychianum, Iconomachi Leonem Imp. Iconomachum effecerunt. Idem hoc ſæculo in Saxonia, Anglia, Scotia, Dania, Suecia, Hungaria Calviniſtæ & Lutherani præſtiterunt.

Exempla.

Notum eſt exemplum diaboli, qui in ſpecie feminæ à via aberrantis noctu adiit domum Anachoretæ ſuam miſeriam deplorans, poſceníque opem: à quo ſuſcepta eum deinde ad libidinem pertraxit, ac mox irridens evanuit. Unde & audita eſt vox dæmonum ingenti clamore & cachinno exprobrantium: *O qui te uſque ad cælum extollebas, quomodo demerſus es uſque ad infernum!* Quare confuſus ille & deſperans ſæculum repetit, præda dæmonum factus. ita Vitæ Patr. lib. 2. in Vita Ioannis Abbatis. Deterior fuit alius Dæmon, qui feminam concitavit, ut ſimili modo errabunda auxilium peteret ab Eremita: à quo ſuſcepta in cellam, dum ei ille familiariùs ſervit, cum ea fornicatus, adeò deinde indoluit & indignatus eſt, ut ex dolore & pudore ad crimen celandum eam occiderit. Similis eſt hiſtoria & origo celebris templi B. Virginis Montis Serrati in Hiſpania, ut patet ex libro hac de re edito. Hic ergo verum eſt Iſaiæ 59. 5. *Ova aſpidum ruperunt, & quod confotum fuerit, erumpet in regulum.*

Notus eſt apologus gallinæ ſerpentis ovis incubantis, cui hirundo inſultavit: *Quid facis ô veſana? pullos excludes, qui cum adoleverint, à te primum iniuriam auſpicabuntur.* Sic Tiberius Imp. teſte Sueton in ejus Vita c. 11. de C. Caligula, ſucceſſore ſuo ajebat, *ſe natricem populo Romano, Phaethontem orbi terrarum educare*: natrix ſerpens eſt aquam venenans, ut quicumque ex ea biberit emoriatur: Phaethon fertur auriga currus ſolaris, quem cum regere neſciret, Solis radiis orbem exuſſit. Similis eſt apologus ovis lactantis catulum lupi, quem ita effert anonymus apud Adagiagraphum:

Lacte lupum uberibus propriis non ſponte, ſed horſum
Me demens adigit paſtor ut id faciam.
In me rurſus erit fera, poſtquam creverit ex me.
Natura haudquaquam vertitur officiis.

Hinc Theocritus in Hodœporis:
Paſce canes qui te lanient, catuloſq; luporum.

Et illud Varronis apud Nonium: *Crede mihi, plures dominos comedere ſervi, quàm canes.* Solus enim ferè Actæon à canibus legitur dilaceratus, cum multi domini à ſervis & domeſticis proditi, occiſi & perditi ſunt. Nota eſt hiſtoria equi Trojani, quem quia cives in urbem dirutis muris invexere, hinc à Græcis in eo latentibus dolo capta & everſa eſt Troja. Unde proverbium: *Dureus equus*, id eſt, ligneus: δοῦρ enim eſt lignum, ſcilicet ex ligno hunc equum fabricarat Epeus doli auctor.

VERS. 32. SICUT ENIM ERUCTANT PRÆCORDIA FOETENTIUM, ET SICUT PERDIX INDUCITUR IN CAVEAM, ET UT CAPREA IN LAQUEUM: SIC ET COR SUPERBORUM, ET SICUT PROSPECTOR VIDENS CASUM PROXIMI SUI REPENTE] Græcus de more conciſus, & bimembris eſt: ſic enim habet: *Perdix capta in cavea: ſic cor ſuperbi, & tamquam ſpeculator inſpicis* vel *obſervat caſum*: hoc enim eſt, ἐπιβλέπει πτῶσιν: pro quo Complut. legunt, ἐπιβὰς ἐπὶ πτῶσιν id eſt, *aſcendens ad caſum*; Syrus, *& ſicut ſpeculator intuens caſum.*

Dixit doloſum, qualis eſt ſuperbus, non eſſe inducendum in domum, nunc id probat quatuor ſimilitudinibus. Prima eſt: *Sicut enim eructant præcordia fœtentium*, fœtidos vapores & anhelitus: *ſic & cor ſuperborum*, ſubaudi, eructat fœtida, putà ſuperba, injurioſa, injuſta, maledica, &c. Lucius Papa epiſt. 1. Janſenius, & alii pro *fœtentium* legunt, *fœtantium*; ſed eodem ſenſu. Mulieres enim fœtantes, id eſt gravidæ & prægnantes, gravem habent anhelitum, & ructus crebros ex indigeſtis & crudis humoribus. Anima enim circa fœtum formandum, nutriendum & augendum occupata, minus habet caloris & virium quod impendat ſtomacho, & cibo concoquendo: unde naſcitur cruditas & indigeſtio, indeque ructus & fœtor. Igitur ſicut ſtomachus debilis, ideoque crudus, acidus & putidus, per os eructat ſuum acorem & putorem, in quem cibos etiam optimos vertit & corrumpit: ſic pariter doloſos, licet ei delicata candidæ amicitiæ fercula apponas, quia corruptum odio & dolo habet mentis ſtomachum, jugiter tibi putorem malitiæ, doli, nequitiæ & inſidiarum exhalabit. Hiſce competit illud Iob. 20. 14. *Panis eius in utero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus.* Nam, ut explicat Nicetas: *Ut aſpis imbuta veneno, è ventre illud evomit quando ei collibuerit: ſic etiam hoc genus hominum ex meditato fallendi artificio, malo ac fraudi ſunt ceteris.* Aſpis enim, teſte Æliano, & ex eo Gillio lib. 9. cap. 28, acerbam aſpirationem anhelat in obvios viatores, qua eos percellit, ſtupefacit, mancos & impotentes reddit. Sic doloſi dolos & nequitias quas mente gerunt, exhalant in aliorum perniciem. S. Auguſt. in Speculo legit *infantium*: infantes enim quia abundant pituita, quàm exilis eorum calor non poteſt conſumere; hinc crebros emittunt ructus & ventos. Verùm omnes Bibliorum codices legunt *fœtentium*, vel *fœtantium.*

Altera ſimilitudo, eaque duplex, eſt: *Sicut perdix inducitur in caveam, & caprea in laqueum, ſic & cor ſuperborum.* Quid agit, aut patitur? Deeſt enim verbum, quod proinde veſtigandum & ſupplendum eſt. Primò, aliqui ex Græco activè hæc accipiunt *Perdix venatrix* (Græcum enim, θηρευτρὶς quod Noſter & alii paſſivè accipiunt, pro *capta* vel *quæ capitur*, Romana & alii activè accipiunt, vertuntque *venatrix*) *in cavea: ita cor ſuperbi, qui ut ſpeculator obſervat caſum.* Aucupes enim ut capiant perdices, unam perdicem captam vel manſuefactam in cavea exponunt, quæ alias ſui ſimiles ad ſe pelliciat, & in caveam vel retia fraudulenter inducat. Sic columbarii habent columbas & anates paleutrias, quæ alias advocant, & in retia inducunt, uti ex S. Baſilio dixi Oſee 7. v. 11. Senſus ergo eſt: q. d. Sicut perdix venatrix venatur perdices, eaſque in ſuum rete vel caveam doloſè inducit: ſic & cor ſuperbi molitur dolos, omneſque modos obſervat & venatur, quibus te in caſum præcipitet. Verùm hic ſenſus Noſtræ verſioni, quæ habet *inducitur*, paſſivè; non *inducit*, activè, minus congruit.

Secundò ergo Tigurinus clarè tam Græca quàm Latina explicat & conciliat, dum ita vertit, *ut perdix in caveam agitur, aut caprea implicatur laqueo: ita cor hominis ſuperbi tamquam ſpeculator obſervat quo deiiciaris*: q. d. Sicut perdix à venatore agitur in caveam, ita & tu ageris à ſuperbo in ruinam. Et hoc modo prior expoſitio huic ſecundæ aptari poteſt: perdix enim venatrix agit alteram, quam venatur, in caveam, ac viciſſim altera à venatrice agitur in caveam.

Ubi Nota, appoſitè doloſum hoſpitem comparari perdici. Primò, quia perdix eſt avis valdè vafra & doloſa, quæ ſuis dolis deludit aucupes. Secundò, quia eadem eſt furax: furatur enim ova aliarum avium, unde perdix à perdendo dicitur, ait S. Ambroſ. epiſt. 48. Tertiò, quia libidinoſa eſt, hinc perdix capiens & vincens perdicem, victam & captam turpiter ſubigit, ait Ariſtot. lib. 9. Hiſtor. anim. c. 8. & Plinius lib. 10. c. 33. Notat ergo doloſos amicos, qui in domos amicorum ſe inſinuant, ut eorum uxores & filias vitient & corrumpant. Verùm quia Siracides jungit capturam perdicis capturæ capreæ, cui jam dicta non competunt; hinc

Tertiò, exponas planiſſimè: q. d. Sicut perdix in cavea, & caprea in laqueo, ſic eſt cor ſuperbi in domo aliena, præſertim æmuli. Sicut enim perdix in cavea eſt invita, omneſque modos quærit eam diffringendi, ut avolet, ideoque nil boni in ea facit, niſi quod eam fæcibus ſuis conſpurcet: ſic & cor ſuperbi, quod ſuper omnes & omnia ſe extollit, in domo aliena, videns illam, ſua magis inſtructam, ornatam, florentem, invidet & ringitur, omneſque modos cogitat, quibus eam ſupplantet & deprimat: unde nihil boni in ea facit, niſi quòd præſens ſua ſuperbia, crapula & inſolentia, ac abſens ſua detractione, dolis & fraudibus eam

eam conspurcet, infamet, deiiciat, & in calamitatem ruinamque præcipitet. ita Jansenius. Porrò Siracides associat perdicem capreæ, quia hæc animalia amica sunt & socialia. Perdix enim amat capream, & caprea perdicem: unde simul incedunt & pabulantur; quo fit ut ab aucupe simul capiantur. Auceps enim capreæ aut perdicis vocem imitans, invitat ad se capream vel perdicem, cumque caprea venit, accurrit & perdix ad eam quasi amicam & sociam, ac vice versa ad perdicem accurrit caprea, itaque unà cum ea ab aucupe illaqueatur & capitur ut docet Oppianus libr. 2. de Venat. Simili modo amicus amico doloso se associans, ab eodem in laqueum & exitium inducitur. De perdice plura dixi Jerem. 17.11.

Ultima similitudo est: *Sicut prospector*, græcè, κατάσκοπος, id est, *speculator*, q. d. Superbus & invidus est instar speculatoris, qui ex alto observat, procurat, videt & ridet calamitatem & casum sui proximi & æmuli. Tigurina, & alii hanc similitudinem nectunt cum secunda perdicis & capreæ uti paulò antè ostendi.

Symbola. Huc facit Pythagoræ symbolum. *Hirundinem sub eodem tecto ne habeas.* quod S. Hieron. secutus Aristotelem interpretatur, abstinendum à commercio garrulorum & susurronum. Hirundo enim est garrula, suaque garrulitate aures hospitum obtundit: insuper nullam hospiti affert utilitatem, nisi quòd fæcibus suis tecta conspurcet. Unde proverbium: *Hirundinum musæa*. Ad hæc, duo sunt animalia planè indocilia, quæ nulla arte cicurantur aut mansuescunt, scilicet musca & hirundo, utpote diffidens semper; semperque suspicans mali quippiam. Denique hirundo instabilis & infida est, ineunte enim vere advolat, hieme instante avolat. Hirundo ergo notat, hospites garrulos, dicaces, detractores, spurcos, ingratos, infidos, quales sunt superbi & dolosi, non esse in domo excipiendos.

Syrus aliam similitudinem canis addit, quæ non est in Græco, nec in latino: *Sicut*, inquit *canis qui in omnem domum ingreditur, & rapit: sic iniquus in omnem domum ingreditur & tumultuatur, & bona in mala convertit, & in vasis concupiscentiæ præbet offendiculum*. quæ ultima sic exprimit Noster:

Vers. 33. BONA ENIM IN MALA CONVERTENS INSIDIATUR, ET IN ELECTIS IMPONET MACULAM] Græcè μῶμον, id est, vituperium & reprehensionem. Unde Momus, judex & Deus censuræ apud Gentiles, qui omnia censet, carpit, redarguit: hinc & μῶμος significat maculam, ab Hebr. מום *mum*, id est, macula, quia macula vitii censuram & vituperium præit, ac macula infamiæ censuram sequitur. Unde Gyraldus de Diis Gentium syntag. 1. *Momus*, ait, *dicitur convicii maledicentiæ ac reprehensionis deus*, quem ex nocte natum dixit Hesiodus, qui tantæ libertatis fuit in reprehendendo, ut & sandalia & crepidas Veneris reprehenderit. Sensus est: q. d. Superbus etsi fingat se amicum, tamen ex superbia, ut se exaltet, teque deprimat, tua bene dicta vel facta calumniabitur, & in malè dicta vel facta convertet: itaque *in electis*; Græcè, τοῖς αἱρετοῖς, id est, eligibilibus & probandis, tam factis & rebus, quàm hominibus, *imponet* vitii & vituperii *maculam*. Unde Tigurina vertit, *nam bona male pervertendo insidiatur, & vitio dat laudabilia*. Aliqui legunt αἰνετοῖς, id est, *laudandis*; Complut. legunt ἐν τοῖς αἱρετικοῖς, in hæreticis, hoc est in iis qui ejusdem sunt hæresis, id est, sectæ & societatis: q. d. Superbus suos socios perfidè traducet & diffamabit. Sic Pharisæi miracula, vitam & doctrinam Christi vituperarunt, eumque vocarunt dæmoniacum, vini potorem, & amicum publicanorum. Sic Saul benefacta Davidis in malefacta convertit, eique insidiatus est usque ad necem. Sic Pharao Mosi & Hebræis, Aman Mardochæo, Babylonii Danieli per calumniam insidiati sunt, adeò ut eum jocundò in lacum leonum detruserint. Præclarè S. Isidorus l. 2. Sentent. cap. 32. *Nonnulli*, ait, *tantæ sunt pravitatis homines, qui dum ipsi à malo corrigi negligunt, correctorum vitam falsa criminatione detrectant, & ad sui sceleris solatium usurpant, si vel falsò compererint, quod ad infamiam bonorum obiiciant: sicut est illud ex Salomone* (multi enim Ecclesiasticum tribuerunt Salomoni, uti dixi in proœmio) *Bona in malum convertit impius, & in electis imponit maculam. Væ autem illi qui & suam renuit vitam corrigere, & bonorum non desinit detrectare.*

Porrò Palacius hunc versum cum præcedenti sic apposité connectit & explicat: *Cave* (inquit) *ne in domum tuam dolosum adducas, ut enim præcordia putria, quamvis odoratos cibos eis iniicias, putent semper tamen: ita licèt beneficiis dolosum afficias, machinabitur tibi tamen malum: & sicut perdix inducitur in caveam, ubi, licèt ibi delicatiùs alatur, machinatur tamen fugam è cavea; ac sicut caprea in laqueum conjecta, & ad delicias eam habentis educata, fugam cōtinenter meditatur: ita dolosum tu in tuam domum inducis, ubi deliciosè eum alis: at ille insidias tibi continenter parat, & est cor ejus, sicut prospector, qui attentè videt ubi cadas, id est, ubi te cadere faciat. Bona enim tua in malum interpretabitur & convertet; & quæ tu das illi electa, ille macula nigra notat & infamat. Planè ut pectus putre, ut perdix captiva, ut caprea illaqueata, bona quæ suscipiunt, convertunt in malum quod meditantur. Quam hæc in nos quadrant, qui tot tantaque à Deo suscepta, in ejus offensionem convertimus!* Ex hac sententia colligit Evaristus Papa, ut habetur 2. q. 7. cap. 1. laicos non esse audiendos in accusatione Episcopi: *Quia*, inquit, *pro meritis subditorum disponitur à Deo vita rectorum. Et quia insidiator bona sæpissimè solet convertere in malum, & in electis ponere maculam.*

A SCINTILLA UNA; Complut. μικρᾶς, id est parva, AUGETUR IGNIS, ET AB UNO DOLOSO AUGETUR SANGUIS (id est sanguinis effusio, cædes & homicidia:) HOMO VERÒ (ita Rom. & Lucius Papa epist. 1. sed Jansenius pro *verò* legit *enim*) PECCATOR SANGUINI INSIDIATUR) Græcus de more concisus, & bimembris, sic habet, *A scintilla parva exardescit focus, ita scelerosus homo insidiatur usque ad sanguinem*; Syrus, *ex pauca stupa accenditur ignis: sic homo iniquus effundit sanguinem, sicut aquam*. Vers. 34.

Est hæc nova ratio cur cavendum sit à doloso, & superbo, quia scilicet unus dolosus est instar scintillæ in palea vel stipula, quæ proserpendo per suas detractiones & susurros magnum litium, odiorum, rixarum & homicidiorum excitat incendium. Id sæpè fit præter mentem, & intentionem dolosi: at verò ubi dolosus fit *peccator*, id est, planè se peccatis & nequitiæ dedit tunc ex intentione *insidiatur sanguini*, ac flabello linguæ & fraudis suæ ex proposito pugnas, & cædes suscitat, & accendit.

Porrò S. Cyprian. libr. de Singularitate Clericorum, hanc sententiam applicat conversationi cum mulieribus: modica enim cum eis familiaritas instar scintillæ proserpens, magnum tandem libidinis ignem & fumum, id est incendium & infamiam, suscitat. Verùm Siracides ad literam agit de doloso, non de mulieroso.

Moral. disce hic, parva vitia non esse negligenda, sed extirpanda: sicut enim una scintilla injecta in pulverem tormentarium, turres & urbes evertit; sic unus defectus levis data magna occasione, gravem sui & aliorum ruinam causat. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, ait Paulus 1. Corinth. 5. 6. Dolosus ergo est parvus defectus, qui aditum ad sanguinem, id est ad majora peccata, aperit. Huic gnomæ similis est illa Sallustii in Catilinar. *Parva scintilla contempta magnum excitavit incendium*. Et illa Solonis: *Ex minimis principiis grandes nascuntur lites; ut ignis ex scintilla*; quod citat S. Hieron. in c. 1. ad Galat. & adaptat hæreticis. Sic Arrius fuit scintilla, quæ sua hæresi totum accendit orbem. Et S. Greg. Nazianz. de vitiis levibus, in Sententiis: *Ingentem flammam perexigua quoque scintilla excitat.* *Ex minimis maxima.*

ATTENDE TIBI A PESTIFERO, FABRICAT ENIM MALA; NE FORTE INDUCAT SUPER TE SUBSANNATIONEM (græcè, μῶμον, id est maculam, vituperium infamiam, quæ inducit hominum derisionem & subsannationem) IN PERPETUUM] *Planè enim dignus es, quem omnes subsannent, si non caves eum qui omnes lædit*, ait Palacius. Pro *pestifero* græcè est πανούργου, id est, vafri, malitiosi, qui studio & ex malitia satagit nocere: qui sanè pestilens est. A tali ergo cave, quia talis quasi faber mali, non nisi malum machinatur & fabricat, ut tibi maculam infamiæ perpetuam inurat. Tigur. *ab homine malefico & moliente mala cave, ne tibi notam inurat perpetuā*: Huc facit apologus cassitæ sive galeritæ (ita vocatur alauda, quòd in capite habeat galericum quasi cassidem) apud Æsopum. Cassita enim videns aucupem fabricantem laqueos & retia ad aucupiū, accedens rogavit quid moliretur? cui ille: *Verbum fabrico*. Retibus dispositis abiit auceps, Vers. 35. *Apologus cassitæ.*

ſeque inter arbuſta abdidit. Advolat caſſita, ut Neapolim, novam urbem, inquam, ſpeculetur, ilicoque reti illaqueata capitur ab aucupe. Ad quem illa jam mœrens: *Si talem*, inquit, *urbem fabricas, paucas eius habebis incolas*. Docet apologus, deleri deſtruique ædes & familias, in quibus aliis doli & fraudes ſtruuntur.

VERS. 36. ADMITTE AD TE (Græcè, ἐνοίκισον, id eſt inhabitare fac, miſerere domui tuæ, eique quaſi inocula) ALIENIGENAM, ET SUBVERTET TE IN TURBINE, ET ABALIENABIT TE A TUIS PROPRIIS] ſcilicet rebus & opibus. Perperam multi legunt *à viis propriis*, quod ſic explicat Palacius: *Cave*, inquit, *ne in tuam familiaritatem inducas virum à fide alienum: ne te à tua fide velut turbo deiiciat, & à viis propriis tuæ religionis abalienet. Vtinam hoc conſilium accepiſſet Salomon non fuiſſet à religione velut turbine deiectus: & Iudæi qui alienigenas ſuſceperunt, didicerunt mores eorum*. Perperam, inquam, legunt *viis* pro *tuis*: græcè enim eſt, τῶν ἰδίων, id eſt, *à propriis tibi*, vel tuis; & ita legit Lucius Papa epiſtola 1. Rurſum *in turbine*, id eſt, inſtar turbinis, vel cum turbine. Minùs rectè codex S. Auguſt. in Speculo habet *in torpore*: græcè enim ἐν ταραχαῖς, id eſt, *in turbis*, concitando ſcilicet contra te turbas & tumultus, quibus te involet, & à tuis bonis expellet. Tigurina, *alienum in domum tuam recipe, & cum perturbatione ſubvertet, exuetque te tuis poſſeſſionibus*: alii, *domo excipe alienum, & te turbis evertet, & abalienabit à te propria bona*: Syrus, *ne adhæreas iniquo, ne fortè pervertat viam tuam, & convertat te à ſtatu* (alius codex habet, *à conſpectu*) *tuo*. Eſt ironia, q. d. Suſcipe ſi libet, in domum extraneum quem non noſti, nec ſatis explorasti; ſed ſcito quòd gravi periculo te exponis, ne ille vaſrè te à tua domo bonitque excludat, eaque ſibi arroget & uſurpet, ut fecit Jugurtha, qui in regiam receptus à Maſiniſſa rege, eius filios & familiam evertit: unde ortum eſt Romanis bellum Jugurtinum, quod deſcribit Salluſtius. Et Herodes Aſcalonita aſcitus in familiam Hyrcani, omnem eius & Aſſamonæorum, ſive Machabæorum, ſtirpem extinxit, eiuſque regnum uſurpavit, ac Judææ ſe regem creavit, uti narrat Joſephus in eius Vita. Huic concinit adagium Græcorum, *Atticus advena*, quod citat Ariſtoteles 3. Rhetoric. dici ſolitum in advenas violentos, qui inquilinos ſedibus ſuis exturbant. Duris apud Zenodotum ait, ex Atticorum moribus natum; quòd olim finitimos è ſuis ſedibus exigere conſueverint. Craterus inde manaſſe putat, quòd Athenienſes (in Attica primi) qui in Samum miſſi fuerant, indigenas expulerint.

Vidi olim Lovanii catulum vulpeculæ recens natum, ex nido matris ſublatum inferi nido catulorum felis, ut ab ea lactaretur; ſed catulus vulpeculæ creſcens, poſt paucos dies, catulos felis occidit, ſibique ſoli nidum uſurpavit. Itidem fecerunt, & faciunt alienigenæ. Unde Chriſtus Herodem juniorem, Herodis jam dicti filium, vocavit vulpem: *Dicite*, inquit, *vulpi illi*, Lucæ 13. 32. Denique hæc ſententia ſæpè vera eſt, at non ſemper, ſignificat enim quod crebrò fiat ab advena avaro & ſuperbo. Sunt enim advenæ probi, qui hoſpites ſuos ditant & beant.

Tropol. Admitte alienigenam, id eſt, opus & occupationem quæ à tuo inſtituto & profeſſione aliena eſt; ac ſubvertet te in turbine, puta, cùm magna animi turbatione, & abalienabit te à tuis propriis ſanctitatis exercitiis, quia virtutum faciet pauperem, dum laxitatis faciet amatorem. Talibus dicat S. Baſilius, & ex eo Caſſianus lib. 7. de Inſtitut. renunt. cap. 19. *Senatorem perdidiſti, & monachum non feciſti*. Et illud S. Gregorij: *Appetens aliena, privatur ſuis*. Ita Clericus & Religioſus tractans ſæcularia, ſua ſpiritalium ſorte ſe fraudat, nec dicere poteſt: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei*, quia eius pars & ſors eſt ſæculum. His dicit Chriſtus gemens: *Extraneus* (S. Auguſt. legit, *alienatus*) *factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ*, pſalm. 68. 9. *Quid tibi cum mundo qui maior es mundo?* ait S. Cyprianus. Quocirca Salomon Prov. 27. 8. *Sicut avis*, inquit, *tranſmigrans de loco ſuo, ſic vir qui derelinquit locum ſuum*. Rurſum alienigena hic & peregrinus eſt concupiſcentia, quæ Davidem, cæteroſque probos expellit è ſede propria mentis ſuæ, ut vagentur per illecebras meretricum & epularum, uti docet S. Chryſoſt. in pſalm. 50. Anima enim quid externum amans, quaſi à ſe exit, & peregrinatur foris: quia anima magis eſt ubi amat, quàm ubi animat. Porrò id facit *in turbine*, turbando nimirum iudicium rationis, ne illecebrarum fraudem videat: ſicut piſcatores ſolent perticis turbare aquas ut expiſcentur anguillas, teſte Ariſt. lib. 8. Hiſtor. anim. c. 2. & Plinio lib. 9. c. 22. unde Ariſtophanes in Equitibus, eos qui in reip. perturbatione ſe ditant & extollunt, comparat piſcatoribus anguillarum. Unde & proverbium: *Piſcari in aqua turbida*.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit docere, à quibus cavendum ſit, nimirùm ab impijs & ab inimicis. Igitur v. 1. uſque ad 8. docet benefaciendum eſſe juſto, non impio. Inde v. 8. uſque ad finem docet inimico non eſſe fidendum, etiamſi amicitiam ſimulet.

SI benefeceris, ſcito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa. 2. Benefac juſto, & invenies retributionem magnam: & ſi non ab ipſo, certè à Domino. 3. Non eſt enim ei benè qui aſſiduus eſt in malis, & eleemoſynas non danti: quoniam & Altiſſimus odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentibus. 4. Da miſericordi, & ne ſuſcipias peccatorem: & impijs & peccatoribus reddet vindictam, cuſtodiens eos in diem vindictæ. Da bono, & non receperis peccatorem. 6. Benefac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dari, ne in ipſis potentior te ſit. 7. Nam duplicia mala invenies in omnibus bonis, quæcumque feceris illi: quoniam & Altiſſimus odio habet peccatores, & impiis reddet vindictam. 8. Non agnoſcetur in bonis amicus, & non abſcondetur in malis inimicus: 9. In bonis viri, inimici illius, in triſtitia: & in malitia illius, amicus agnitus eſt. 10. Non credas inimico tuo in æternum: ſicut enim æramentum, æruginat nequitia illius: 11. & ſi humiliatus vadat curvus, adijce animum tuum, & cuſtodi te ab illo. 12. Non ſtatuas illum penes te, nec ſedeat ad dexteram tuam, ne fortè converſus in locum tuum, inquirat cathedram tuam: & in noviſſimo agnoſcas verba mea, & in ſermonibus meis ſtimuleris. 13. Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, & omnibus qui appropiant beſtiis? & ſic qui comitatur cum viro iniquo, & obvolutus eſt in peccatis eius. 14. Una hora tecum permanebit: ſi autem declinaveris, non ſupportabit. 15. In labiis ſuis indulcat inimicus: et in corde ſuo inſidiatur ut ſubvertat te in foveam. 16. In oculis ſuis lacrymatur inimicus: et ſi invenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine: 17. et ſi incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem. 18. In oculis ſuis lacrymatur inimicus, et quaſi adiuvans ſuffodiet plantas tuas. 19. Caput ſuum movebit, et plaudet manu, et multa ſuſurrans commutabit vultum ſuum.

Vers.1. SI BENEFECERIS, SCITO CUI FECERIS, ET ERIT GRATIA IN BONIS TUIS MULTA] *si benefacias, scito cui facias, & erit gratia bonis tuis*; Syrus, *si beneficias malo, nihil facis, neque est gratia gratia tuæ*; Tigurina, *cùm benefacis, observa cui benefacias, ut beneficia tua mereatur gratiam plurimam*: S. Athanas. vel potiùs Anastasius in Quæst.84. ad Antiochum, *vide cui benefacias: hoc est*, inquit, *quid Deo facias. Si enim ad discernendos petentes id profertur, cur dicit Dominus: Da quicumque te rogaverit?* Lucæ 6. q. d. Cùm alicui benefacis, benefac propter Deum, putà propter amorem & honorem Dei; sic non tantùm homini, sed & Deo benefacies, ac proinde amplam ab eo gratiam & mercedem recipies. Sic & Rabanus: *Hortatur*, inquit, *ut simplici animo facias eleemosynam; quia ita solummodò misericordiæ opera apud Deum probantur, si simplici & munda intentione exhibeantur*. Verùm, hic sensus mysticus potiùs est, quàm literalis, agitur enim hic de homine cui bene fit, non de Deo, ut patet ex seq. *Da bono, & ne receperis peccatorem*.

Primò ergo, & genuinè, q.d. Cùm benefacis, vide ne benefacias ei qui beneficio tuo abutetur ad luxum, crapulam, libidinem, fastum, nequitiam, aut certè ad acediam & pigritiam. Multi enim pauperes robusti mendicant, quos satiùs esset laborare, & labore manuum victum sibi parare: qui ergo talibus benefacit, alit eorum inertiam & socordiam, ac vitia inde nasci solita. Unde contra hos extat tit. Iure *de validis mendicantibus*, ac in civitatibus bene ordinatis tales non permittuntur mendicare: tum, ne alantur in otio; tum, ne eleemosynas aliis laborare non valentibus præripiant; tum, ne civitati & civibus sint oneri & periculo.

Secundò, q.d. Cùm benefacis, vide ne beneficium vel officium conferas indigno, vel minùs digno, omisso digniore. Hoc enim est contra iustitiam distributivam, & sæpè commutativam. Vide Lessium tract. de Justitia & iure lib.2. c.34. dubit.12. & seq. Huic simile est illud Christi: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*. Matth.7.6.

Tertiò, q. d. Cùm benefacis, vide ne benefacias ingrato, doloso, invido, & superbo, qui beneficio tuo armatus, & potentior factus, contra te insurget, teque supplantabit. De tali enim præcessit sermo cap. præcedenti vers. ult. *Admitte ad te alienigenam, & subvertet te in turbine*. Sic se explicat Siracides v.6. & seq.

Quartò & optimè, vult Siracides ne beneficium indiscretè, cęcè & sine ratione proiiciatur in quemvis obuium, sed videatur cui conferatur, ut habeat gratiam. Gratia autem & decus beneficii in eo consistit, ut deceat donantem, æquè ac donatarium, id est, eum cui donatur; decet enim, beneficium beneficiato, & donum donatario esse proportionatum & commensum. Quod enim uni est nimis, alteri est parum: & quod uni est parum, alteri est nimis. Vult ergo in beneficio servari τὸ πρέπον, id est, decorum, ut ipsum pariter sit gratiosum & decorum. Quod enim nobili parum est, civi nimis est; quod parum indigenti nimis est, multùm indigenti parum est, quod docto parum est, indocto nimis est, &c. Rursum beneficium personæ congruum fit oportet. Puero poma dones, viro nummos, seni vina, rustico armenta, militi arma, studioso libros, doctori officium, nobili præfecturam (incongruum enim & inutile est, si rustico lanceam, militi ligonem porrigas,) sic enim δῶρον est δῶρον, non ἄδωρον; & χάρις est χάρις, non ἄχαρις. Sic, inquam, gratia habet gratiam, estque non ingrata, sed grata Deo & hominibus, qui proinde illi gratias referent, ac gratiam simili gratia compensabunt. Unde Syrus vertit, *erit gratia gratia tuæ*: q. d. Gratum & benè collocatum erit tuum beneficium, ac remuneratione dignum. Sin sine ratione profundas, ab illis nec gratiam, nec mercedem habebis. Gratia enim tam decus, quàm meritum gratiæ, putà gratiarum actionem, & mercedem significat: sic enim dum gratias agimus, dicimur habere vel referre gratiam. Maximè autem vult Siracides, ut beneficium detur pio, non impio, de quo versu sequenti.

Nota. Non est hic sermo de eleemosynis minutis, & quotidianis: *In his enim præstandis*, ait Palacius, *non est necesse considerare & nosse quis sit cui damus; sed sermo est de grandioribus beneficiis, quæ est necesse ut dignis dentur, ut sit gratia à Deo ei qui dat. Dices: Nonne Deus indignissimis nobis maxima beneficia præstat? Nonne solem suum* A *oriri facit super bonos & malos? Nonne Paulus jubet inimicum pascere, & carbones ignis super ejus caput congerere? Quid enim si dignis das, nonne & Ethnici hoc faciunt? Quid? num non & Seneca vult deorum exemplo, multa etiam ingratis dari? Respondetur, absque dubio verum dici ab Auctore: nam, ut Aristoteles ait, cùm liberalitas sit virtus, dabit quando, quomodo, ubi, & quibus oportet. Siquidem dare quibus non oportet, non dare, sed perdere est. Ac ideò qui eleemosynas tribuere vult, maximè domesticis fidei (ut ait Paulus) & piis (ut volebat Tobias) largietur. Ergo regulariter, & ut plurimum, qui benefacit, viro bono benefaciet, ut & beneficium (liceat ita loqui) oret pro beneficio, simul oret & beneficiarius, simulque gratum habeat Deus. Quod si Deus malos etiam beneficiis afficit, id, ut ait Seneca, facit propter bonos. Si enim malos malis afficeret, pertingeret hoc malum etiam ad bonos. Idem vult Paulus, cùm omnia dicit Deum facere propter electos. Jam si Paulus juxta Christi sententiam jubet beneficiis inimicum vincere; id sanè jubet, quia illi dando, Christo datur. Cui gratissimum feceris, si inimicum ea ratione ad meliorem mentem adducas. Demum non negamus nonnumquã* B *ingratis dandũ esse, ut grati fint. At, ut plurimũ, si benefeceris, viris bonis, & id promerẽtibus benefeceris.* Hæc Palacius.

Docent Hebræi in beneficio quatuor esse observanda. *Quatuor in beneficio observanda.* Primum, ut detur quoties alter eo indiget. Unde R. Aquila præceptor Aquilæ Pontici dicebat, *inopem qui manè nostram beneficentiam esset expertus, si vespere redeat, non esse dimittendum vacuum*. Ita S. Gregor. Angelo se naufragum simulanti, secundò & tertiò redeunti largam dedit eleemosynam, ideoque pontificatum meruit, ut habet ejus Vita. Secundum, ut eleemosyna detur clàm, & in occulto, non palàm, & in aperto aut publico: quod & docet Christus Matth. 6. 2. Tertium, ut detur vultu hilari. *Hilarem enim datorem diligit Deus*, ut ait Apostolus 2. Corinth. 9. 7. Quartum, ut eum cui damus blandis verbis alloquamur. Nam dono gratiam concilìat benevolus sermo, qui sæpè plus valet & potest, quàm ipsum donum.

Siracidi astipulantur, & quasi antistropha respondent axiomata Philosophorum. P. Mimi: *Gnome sapientũ.*

Beneficium dando accipit, qui digno dedit.

Ennij: C

Benefactà malè locata malefacta arbitror.

Democrati in temerè quibuslibet largientem: *Malè pereas, quia Gratias virgines meretrices effecisti*. ita Maxim. serm.6. Comici: *Thesaurus est pulcher benè locata gratia*. Archelaus cuidam postulanti poculum in convivio negavit, deditq; Euripidi, dicens: *Tu quidem dignus eras qui peteres, nec acciperes: Euripides verò dignus erat qui acciperet etiam non petens.* ita Plutarch. in Regum Apophteg.

Antigonus Macedoniæ Rex Thrasillo Cynico drachmam petenti: *Non est*, inquit, *munus regium*. Cynico subiicienti: *Talentum ergo da*; respondit: *Non est Cynicum tantum munus accipere*. Plutarch. ibidem.

Alfonsus Aragonum Rex, teste Panorm. lib. 2. de Gestis eius, dictitabat; *Ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satisfieri, ideoque plures quidem esse qui darent, sed qui dare scirent esse perpaucos. At non ob id pigriùs dandum esse & benefaciendum.*

Porrò indignis & ingratis quandoque benefaciendum est, cùm necessitas vel utilitas sive tua, sive aliena; sive privata, sive publica id exigit, presertim ut ipsi beneficiis victi, grati & digni fiant. *Indignis quando benefaciendum.* Ita Alexander Magnus *regium* D *esse affirmabat, in eos à quibus malè audias, bona conferre*. Alfonsus Aragonum Rex *oblatrantibus canibus & rebellantibus offulam obiiciendam* dictitabat. *Herculem etiam non rogatum laborantibus subvenire consuevisse*. S. Isidorus in Norma vivendi c. 16. *Non eligas*, ait, *cui miserearis, ne fortè prætereas illum qui meretur accipere. Omnibus da, ne fortè, cui non dederis, ipse sit Christus.* Alexander Severus Imp. rogatus: *Quis esset Rex optimus? Qui*, inquit, *amicos muneribus retinet, ac inimicos beneficiis ambit & reconciliat.* ita Maxim. serm. 9. Vespasianus Imp. monitus ut caveret à Pomposiano, fore enim ut aliquãdo regnaret, non solùm non cavit, sed & Consulem eum fecit, dicens: *Erit olim memor tanti beneficii*. Seneca lib. 6. de Beneficiis cap. 17. *Malo*, inquit, *beneficium proiiciam, bono reddam. Huic, quia debeo; illi, ne debeam.* Idem lib.7. c. ult. obiicit: *Ingratus est*; ac respondet: *Non mihi fecit iniuriam, sed sibi. Ego beneficio meo, cùm darem, usus sum: nec ideò pigriùs dabo, sed dili-*

seque inter arbusta abdidit. Advolat cassita, ut Neapolim, novam urbem, inquam, speculetur, ilicoque reti illaqueata capitur ab aucupe. Ad quem illa jam mœrens: *Si talem*, inquit, *urbem fabricas, paucas eius habebis incolas*. Docet apologus, deleri destruique ædes & familias, in quibus aliis doli & fraudes struuntur.

VERS. 36. ADMITTE AD TE (Græcè, *ἐνοίκισον*, id est inhabitare fac, inserere domui tuæ, eique quasi inocula) ALIENIGENAM, ET SUBVERTET TE IN TURBINE, ET ABALIENABIT TE A TUIS PROPRIIS] scilicet rebus & opibus. Perperam multi legunt *à viis propriis*, quod sic explicat Palacius: *Cave*, inquit, *ne in tuam familiaritatem inducas virum à fide alienum: ne te à tua fide velut turbo deiiciat, & à viis propriis tuæ religionis abalienet. Utinam hoc consilium accepisset Salomon non fuisset à religione velut turbine deiectus: & Iudæi qui alienigenas susceperunt, didicerunt mores eorum*. Perperam, inquam, legunt *viis* pro *tuis*: græcè enim est, *τῶν ἰδίων*, id est, *à propriis tibi*, vel tuis; & ita legit Lucius Papa epistola 1. Rursum *in turbine*, id est, instar turbinis, vel cum turbine. Minùs rectè codex S. August. in Speculo habet *in torpore*: græcè enim *ἐν ταραχαῖς*, id est, *in turbis*, concitando scilicet contra te turbas & tumultus, quibus te involet, & à tuis bonis expellet. Tigurina, *alienum in domum tuam recipe, & cum perturbatione subvertet, exuetque te tuis possessionibus*: alii, *domo excipe alienum, & te turbis evertet, & ab alienabit à te propria bona*: Syrus, *ne adhæreas iniquo, ne fortè pervertat viam tuam, & convertat te à statu* (alius codex habet, *à conspectu*) *tuo*. Est ironia, q. d. Suscipe si libet, in domum extraneum quem non nosti, nec satis explorasti; sed scito quòd gravi periculo te exponis, ne ille vafrè te à tua domo bonisque excludat, eaque sibi arroget & usurpet, ut fecit Jugurtha, qui in regiam receptus à Masinissa rege, eius filios & familiam evertit: unde ortum est Romanis bellum Jugurtinum, quod describit Sallustius. Et Herodes Ascalonita ascitus in familiam Hyrcani, omnem eius & Asamonæorum, sive Machabæorum, stirpem extinxit, eiusque regnum usurpavit, ac Judææ se regem creavit, uti narrat Josephus in eius Vita. Huic concinit adagium Græcorum, *Atticus advena*, quod citat Aristoteles 3. Rhetoric. dici solitum in advenas violentos, qui inquilinos sedibus suis exturbant. Duris apud Zenodotum ait, ex Atticorum moribus natum; quòd olim finitimos è suis sedibus exigere consueverint. Craterus inde manasse putat, quod Athenienses (in Attica primi) qui in Samum missi fuerant, indigenas expulerint.

Vidi olim Lovanii catulum vulpeculæ recens natum, ex nido matris sublatum inseri nido catulorum felis, ut ab ea lactaretur; sed catulus vulpeculæ crescens, post paucos dies, catulos felis occidit, sibique soli nidum usurpavit. Itidem fecerunt, & faciunt alienigenæ. Unde Christus Herodem juniorem, Herodis jam dicti filium, vocavit vulpem: *Dicite*, inquit, *vulpi illi*, Lucæ 13. 32. Denique hæc sententia sæpè vera est, at non semper, significat enim quod crebrò fiat ab advena avaro & superbo. Sunt enim advenæ probi, qui hospites suos ditant & beant.

Tropol. Admitte alienigenam, id est, opus & occupationem quæ à tuo instituto & professione aliena est; ac subvertet te in turbine, putà, cùm magna animi turbatione, & abalienabit te à tuis propriis sanctitatis exercitiis, quia virtutum faciet pauperem, dum laxitatis faciet amatorem. Talibus dicat S. Basilius, & ex eo Cassianus lib. 7. de Institut. renunt. cap. 19. *Senatorem perdidisti, & monachum non fecisti*. Et illud S. Gregorij: *Appetens aliena, privatur suis*. Ita Clericus & Religiosus tractans sæcularia, sua spiritalium sorte se fraudat, nec dicere potest: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei*, quia eius pars & sors est sæculum. His dicit Christus gemens: *Extraneus* (S. August. legit, *alienatus*) *factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ*, psalm. 68. 9. *Quid tibi cum mundo qui maior es mundo?* ait S. Cyprianus. Quocirca Salomon Prov. 27. 8. *Sicut avis*, inquit, *transmigrans de loco suo, sic vir qui derelinquit locum suum*. Rursum alienigena hic & peregrinus est concupiscentia, quæ Davidem, cæterosque probos expellit è sede propria mentis suæ, ut vagentur per illecebras meretricum & epularum, uti docet S. Chrysost. in psalm. 50. Anima enim quid externum amans, quasi à se exit, & peregrinatur foris: quia anima magis est ubi amat, quàm ubi animat. Porrò id facit *in turbine*, turbando nimirum iudicium rationis, ne illecebrarum fraudem videat: sicut piscatores solent perticis turbare aquas ut expiscentur anguillas, teste Arist. lib. 8. Histor. anim. c. 2. & Plinio lib. 9. c. 22. unde Aristophanes in Equitibus, eos qui in reip. perturbatione se ditant & extollunt, comparat piscatoribus anguillarum. Unde & proverbium: *Piscari in aqua turbida*.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit docere, à quibus cavendum sit, nimirùm ab impiis & ab inimicis. Igitur v. 1. usque ad 8. docet benefaciendum esse justo, non impio. Inde v. 8. usque ad finem docet inimico non esse fidendum, etiamsi amicitiam simulet.

SI benefeceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa. 2. Benefac justo, & invenies retributionem magnam: & si non ab ipso, certè à Domino. 3. Non est enim ei benè qui assiduus est in malis, & eleemosynas non danti: quoniam & Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus. 4. Da misericordi, & ne suscipias peccatorem: & impiis & peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in diem vindictæ. Da bono, & non receperis peccatorem. 6. Benefac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit. 7. Nam duplicia mala invenies in omnibus bonis, quæcumque feceris illi: quoniam & Altissimus odio habet peccatores, & impiis reddet vindictam. 8. Non agnoscetur in bonis amicus, & non abscondetur in malis inimicus: 9. In bonis viri, inimici illius, in tristitia: & in malitia illius, amicus agnitus est. 10. Non credas inimico tuo in æternum: sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius: 11. & si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, & custodi te ab illo. 12. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne fortè conversus in locum tuum, inquirat cathedram tuam: & in novissimo agnoscas verba mea, & in sermonibus meis stimuleris. 13. Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestiis? & sic qui comitatur cum viro iniquo, & obvolutus est in peccatis eius. 14. Una hora tecum permanebit: si autem declinaveris, non supportabit. 15. In labiis suis indulcat inimicus: et in corde suo insidiatur ut subvertat te in foveam. 16. In oculis suis lacrymatur inimicus: et si invenerit tempus, non satiabitur sanguine: 17. et si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem. 18. In oculis suis lacrymatur inimicus, et quasi adiuvans suffodiet plantas tuas. 19. Caput suum movebit, et plaudet manu, et multa susurrans commutabit vultum suum.

VERS. 1. SI BENEFECERIS, SCITO CUI FECERIS, ET ERIT GRATIA IN BONIS TUIS MULTA] *si benefacias, scito cui facias, & eris gratia bonis tuis*; Syrus, *si beneficias malo, nihil facis, neque est gratia gratia tua*; Tigurina, *cùm benefacis, observa cui benefacias, ut beneficia tua mereatur gratiam plurimam*: S. Athanas. vel potiùs Anastasius in Quæst. 84. ad Antiochum, *vide cui benefacias: hoc est*, inquit, *quid Deo facias. Si enim ad discernendos petentes id profertur, cur dicit Dominus: Da quicumque te rogaverit?* Lucæ 6. q. d. Cùm alicui benefacis, benefac propter Deum, putà propter amorem & honorem Dei; sic non tantùm homini, sed & Deo benefacies, ac proinde amplam ab eo gratiam & mercedem recipies. Sic & Rabanus: *Hortatur*, inquit, *ut simplici animo facias eleemosynam; quia ita solummodò misericordiæ opera apud Deum probantur, si simplici & munda intentione exhibeantur*. Verùm, hic sensus mysticus potiùs est, quàm literalis, agitur enim hìc de homine cui bene fit, non de Deo, ut patet ex seq. *Da bono, & ne receperis peccatorem*.

Primò ergo, & genuinè, q.d. Cùm benefacis, vide ne benefacias ei qui beneficio tuo abutetur ad luxum, crapulam, libidinem, fastum, nequitiam, aut certè ad acediam & pigritiam. B Multi enim pauperes robusti mendicant, quos satiùs esset laborare, & labore manuum victum sibi parare: qui ergo talibus benefacit, alit eorum inertiam & socordiam, ac vitia inde nasci solita. Unde contra hos extat tit. Jure *de validis mendicantibus*, ac in civitatibus bene ordinatis tales non permittuntur mendicare: tum, ne alantur in otio; tum, ne eleemosynas aliis laborare non valentibus præripiant; tum, ne civitati & civibus sint oneri & periculo.

Secundò, q.d. Cùm benefacis, vide ne beneficium vel officium conferas indigno, vel minùs digno, omisso digniore. Hoc enim est contra iustitiam distributivam, & sæpè commutativam. Vide Lessium tract. de Justitia & iure lib. 2. c. 34. dubit. 12. & seq. Huic simile est illud Christi: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*. Matth. 7. 6.

Tertiò, q. d. Cùm benefacis, vide ne benefacias ingrato, doloso, invido, & superbo, qui beneficio tuo armatus, & potentior factus, contra te insurget, teque supplantabit. De tali enim præcessit sermo cap. præcedenti vers. ult. *Admitte ad te alienigenam, & subvertet te in turbine*. C Sic se explicat Siracides v. 6. & seq.

Quartò & optimè, vult Siracides ne beneficium indiscretè, cæcè & sine ratione proiiciatur in quemvis obuium, sed videatur cui conferatur, ut habeat gratiam. Gratia autem & decus beneficii in eo consistit, ut deceat donantem, æquè ac donatarium, id est, eum cui donatur; decet enim, beneficium beneficiato, & donum donatario esse proportionatum & commensum. Quod enim uni est nimis, alteri est parum: & quod uni est parum, alteri est nimis. Vult ergo in beneficio servari τὸ πρέπον, id est, decorum, ut ipsum pariter sit gratiosum & decorum. Quod enim nobili parum est, civi nimis est; quod parum indigenti nimis est, multùm indigenti parum est, quod docto parum est, indocto nimis est, &c. Rursum beneficium personæ congruum sit oportet. Puero poma dones, viro nummos, seni vina, rustico armenta, militi arma, studioso libros, doctori officium, nobili præfecturam (incongruum enim & inutile est, si rustico lanceam, militi ligonem porrigas,) sic enim δῶρον est δῶρον, non ἄδωρον; & χάρις est εὔχαρις, non ἄχαρις. Sic, inquam, gratia habet gratiam, D estque non ingrata, sed grata Deo & hominibus, qui proinde illi gratias referent, ac gratiam simili gratia compensabunt. Unde Syrus vertit, *erit gratia gratia tua*: q. d. Gratum & benè collocatum erit tuum beneficium, ac remuneratione dignum. Sin sine ratione profundas, ab illis nec gratiam, nec mercedem habebis. Gratia enim tam decus, quàm meritum gratiæ, putà gratiarum actionem, & mercedem significat: sic enim dum gratias agimus, dicimur habere vel referre gratiam. Maximè autem vult Siracides, ut beneficium detur pio, non impio, de quo versu sequenti.

Nota. Non est hìc sermo de eleemosynis minutis, & quotidianis: *In his enim præstandis*, ait Palacius, *non est necesse considerare & nosse quis sit cui damus; sed sermo est de grandioribus beneficiis, quæ est necesse ut dignis dentur, ut sit gratia à Deo ei qui dat. Dices: Nonne Deus indignissimis nobis maxima beneficia præstat? Nonne solem suum oriri facit super bonos & malos? Nonne Paulus iubet inimicum pascere, & carbones ignis super ejus caput congerere? Quid enim si dignis das, nonne & Ethnici hoc faciunt? Quid? num non & Seneca vult deorum exemplo, multa etiam ingratis dari? Respondetur, absque dubio verum dici ab Auctore: nam, ut Aristoteles ait, cùm liberalitas sit virtus, dabit quando, quomodo, ubi, & quibus oportet. Siquidem dare quibus non oportet, non dare, sed perdere est. Ac ideò qui eleemosynas tribuere vult, maximè domesticis fidei (ut ait Paulus) & piis (ut volebat Tobias) largietur. Ergo regulariter, & ut plurimum, qui benefacit, viro bono benefaciet, ut & beneficium (liceat ita loqui) oret pro beneficio, simul oret & beneficiarius, simulque gratum habeat Deus. Quòd si Deus malos etiam beneficiis afficit, id, ut ait Seneca, facit propter bonos. Si enim malos malis afficeret, pertingeret hoc malum etiam ad bonos. Idem vult Paulus, cùm omnia dicit Deum facere propter electos. Jam si Paulus juxta Christi sententiam iubet beneficiis inimicum vincere; id sanè iubet, quia illis dando, Christo datur. Cui gratissimum feceris, si inimicum ea ratione ad meliorem mentem adducas. Demum non negamus nonnumquā* B *ingratis dandū esse, ut grati sint. At, ut plurimū, si benefeceris, viris bonis, & id promerētibus benefeceris.* Hęc Palacius.

Docent Hebræi in beneficio quatuor esse observanda. Primum, ut detur quoties alter eo indiget. Unde R. Aquila præceptor Aquilæ Pontici dicebat, *inopem qui manè nostram beneficentiam esset expertus, si vespere redeat, non esse dimittendum vacuum*. Ita S. Gregor. Angelo se naufragum simulanti, secundò & tertiò redeunti largam dedit eleemosynam, ideoque pontificatum meruit, ut habet ejus Vita. Secundum, ut eleemosyna detur clàm, & in occulto, non palàm, & in aperto aut publico: quod & docet Christus Matth. 6. 2. Tertium, ut detur vultu hilari. *Hilarem enim datorem diligit Deus*, ut ait Apostolus 2. Corinth. 9. 7. Quartum, ut eum cui damus blandis verbis alloquamur. Nam dono gratiam concilìat benevolus sermo, qui sæpè plus valet & potest, quàm ipsum donum. *Quatuor in beneficio observanda.*

Siracidi astipulantur, & quasi antistropha respondent axiomata Philosophorum. P. Mimi: *Gnoma sapientũ.*

Beneficium dando accipit, qui digno dedit.

C Ennij:

Benefacta malè locata malefacta arbitror.

Democrati in temerè quibuslibet largientem: *Malè pereas, quia Gratias virgines meretrices effecisti*. ita Maxim. serm. 6. Comici: *Thesaurus est pulcher benè locata gratia*. Archelaus cuidam postulanti poculum in convivio negavit, deditq; Euripidi, dicens: *Tu quidem dignus eras qui peteres, nec acciperes: Euripides vero dignus erat qui acciperet etiam non petens*. ita Plutarch. in Regum Apophteg.

Antigonus Macedoniæ Rex Thrasillo Cynico drachmam petenti: *Non est*, inquit, *munus regium*. Cynico subiicienti: *Talentum ergo da*; respondit: *Non est Cynicum tantum munus accipere*. Plutarch. ibidem.

Alfonsus Aragonum Rex, teste Panorm. lib. 2. de Gestis eius, dictitabat; *Ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satisfieri, ideoque plures quidem esse qui darent, sed qui dare scirent esse perpaucos. At non ob id pigriùs dandum esse & benefaciendum*.

Porrò indignis & ingratis quandoque benefaciendum est, cùm necessitas vel utilitas sive tua, sive aliena; sive privata, sive publica id exigit, pręsertim ut ipsi beneficiis victi, grati & digni fiant. Ita Alexander Magnus *regium* D *esse affirmabat, in eos à quibus malè audias, bona conferre*. Alfonsus Aragonum Rex *oblatrantibus canibus & rebellantibus offulam obiiciendam* dictitabat. *Herculem etiam non rogatum laborantibus subvenire consuevisse*. S. Isidorus in Norma vivendi c. 16. *Non eligas*, ait, *cui miserearis, ne fortè prætereas illum qui meretur accipere. Omnibus da, ne fortè, cui non dederis, ipse sit Christus*. Alexander Severus Imp. rogatus: *Quis esset Rex optimus? Qui*, inquit, *amicos muneribus retinet, ac inimicos beneficiis ambit & reconciliat*. ita Maxim. serm. 9. Vespasianus Imp. monitus ut caveret à Pomposiano, fore enim ut aliquādo regnaret, non solùm non cavit, sed & Consulem eum fecit, dicens: *Erit olim memor tanti beneficii*. Seneca lib. 6. de Beneficiis cap. 17. *Malo*, inquit, *beneficium proiiciam, bono reddam. Huic, quia debeo; illi, ne debeam*. Idem lib. 7. c. ult. obiicit: *Ingratus est*; ac respondet: *Non mihi fecit iniuriam, sed sibi. Ego beneficio meo, cùm darem, usus sum: nec ideo pigriùs dabo, sed di-* *Indignis quando benefaciendum.*

ligentius. Quod in hoc perdidi, ab aliis recipiam. Sed huic ipsi beneficium dabo iterum, &, tamquam bonus agricola, cura cultuque sterilitatem soli vincam. Non est magni animi, perdere, & dare: id est, dare illi quem ingratum es expertus: ille enim perdidit beneficium. B. Jordanus successor S. Dominici dans tunicam pauperi, ac deinde audiens pauperem tunicam vendidisse, & pretium epulando in taberna abliguriviſse: *Malo*, inquit, *Me amisisse tunicam quam pietatem*.

Charitũ trium symbola.

Denique quale debeat esse beneficium, repræsentarunt Poetæ per tres Charites, sive Gratias, quarum hæc sunt nomina, Aglaia, Thalia, Euphrosyne. Has enim pinxerunt quasi tres sorores, manibus implexis, ridentes, juvenes, virgines, soluta ac perlucida veste. Causam dat Seneca lib. 1. de Beneficiis cap. 3. Tres, inquit, sunt, quia una est, *quæ det beneficium, altera quæ accipiat, tertia quæ reddat. Quid ille consertis manibus in se redeuntium chorus? Ob hoc, quia ordo beneficii per manum transeuntis, nihilominus ad dantem revertitur; & totius speciem perdit, si interruptus est: pulcherrimus, si cohæsit, & vices servavit. Ideo ridentes, quia promerentium vultus hilares sunt, quales solent esse & qui dant, & qui accipiunt beneficia. Juvenes, quia non debet beneficiorum memoria senescere. Virgines, quia incorrupta sunt, & sincera, & omnibus sancta, in quibus nihil esse alligati decet, nec astricti. Solutis itaque tunicis utuntur, perlucidis autem, quia beneficia conspici volunt.*

BENEFAC JUSTO (Græcè, εὐσεβεῖ, id est, pio, religioso) ET INVENIES RETRIBUTIONEM MAGNAM: ET SI NON AB IPSO (quia pauper est, vel impotens retribuere) CERTE A DOMINO] *Retributionem*, Græcè ἀνταπόδομα, id est remunerationem, mercedem, præmium; Tigurina: *pretium*. Hic ostendit quibus sit conferendum beneficium, scilicet iustis, misericordibus, humilibus. Quod enim iusto confertur, Christo, qui in iusto per gratiam habitat, tribuitur, Christusque sibi tributum æstimat. Quòd ut reipsa ostenderet, ipse subinde in specie pauperis eleemosynam petiit & accepit, uti à S. Gregorio eum accepisse narrat Joannes Diaconus in ejus Vita. Idem S. Gregorius homil. 39. in Evangel. narrat Martyrium monachum in humeros suscepisse Christum in specie leprosi. Quod ergo iusto impenditur, Christo iustorum parenti confertur, ac proinde à Christo amplam recipiet remunerationem. Unde in die judicii dicet: *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, Matth. 25. v. 34. Causam subdit v. 40. *Amen dico vobis: quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Et cap. 10. v. 41. *Qui suscipit iustum in nomine iusti* (id est, hoc nomine, titulo & causa, quod justus sit) *mercedem iusti accipiet*. Et v. 40. *Qui recipit vos, me recipit; & qui recipit me, recipit eum qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.* q. d. Qui recipit Prophetam, id est, prædicatorem Evangelii, quia ejus prædicator est, hic mercedem prædicatoris accipiet, ita S. Chrysostomus, Theophylactus & Beda ibidem. Ratio est; quia talis cooperatur prædicatori, eumque suis eleemosynis & auxiliis iuvat ad prædicandum, ac proinde particeps est uti laboris & meriti, sic & præmii prædicatoribus assignati. Intellige, non æqualiter (plus enim recipiet prædicator) sed secundùm proportionem & mensuram cooperationis & charitatis, quia prædicatorem & prædicationem ejus iuvit & promovit. Sic enim jure communi, participes & receptatores furum, simili cum furibus pœna plectuntur. Simile dat S. Gregorius homil. 20. in Evangel. *Quia etsi ulmus*, inquit, *fructum non habet, vitem tamen cum fructibus portans, hæc ipsa sua efficit quæ bene sustentat aliena:* sic pariter qui iustum sustentat, sua efficit opera iustitiæ, quæ justus operatur, adeoque per iustum iusta operatur: & qui prædicatorem sustentat, per eum prædicat & prophetat.

Alens Apostolũ mercedẽ Apostoli recipit.

Unde ex hac Christi sententia rectè colligit S. Ignatius epist. ad Smyrnenses: *Nimirum*, inquit, *qui honorat vinctũ Jesu Christi, Martyrum accipiet mercedem:* Quia vinctum honorando, eum ad martyrium animat & roborat. Hinc multos fideles olim hoc nomine quòd Martyres animarent, alerent, servirent aut sepelirent, martyrium meritos & adeptos in Vitis Sanctorum legimus. Ex eadem pariter inferes, & colligas: ergo qui viros Religiosos, Doctores, Apostolicos recipit & alit, quia tales sunt, hic mercedem Religiosorum, Doctorum, & Apostolorum recipit.

Hinc disce Primò, ad insigne meritum oportere benefacere justo, non tantùm materialiter, putà huic homini qui justus est, sed & formaliter quia justus est, sive intuitu justitiæ. Rursum in hac beneficentia esse gradus. Nam quo justus est justior tum sibi, tum aliis, id est, quo plures ad justitiam erudit & impellit, eo magis crescit ejus meritum, æquè ac præmium. Vide Daniel. 12. v. 4.

NON EST ENIM EI BENE QUI ASSIDUUS EST Vers. 3.
IN MALIS, ET ELEEMOSYNAS NON DANTI: QUONIAM ET ALTISSIMUS ODIO HABET PECCATORES, ET MISERTUS EST POENITENTIBUS] Græca de more concisa, priorem tantùm sententiam habent, hoc modo: *Non est bene ei qui assiduus est in malis, & eleemosynam non danti.* S. Pacianus epist. 3. ad Sempronianum sub medium legit, *assidue peccanti non misereor*; Complut. *non erunt bona ei qui assuetus est ad mala, & eleemosynam non separanti.* Olim enim separabatur & seponebatur nummus, vel res danda in eleemosynam die Dominica in ecclesia & cœtu fidelium, ut patet 1. Corinth. 16. 1. Legunt Complut. χαριζομένῳ, id est, gratis danti: Unde Tigurina vertit, *assiduum in vitiis nil boni manet, nec item eum qui nihil erogat in pauperem.* Scriptum est enim: *Date, & dabitur vobis.* Hæ sunt quasi duæ sorores: si unam tollas, scilicet *date*, altera, scilicet *dabitur vobis*, pariter abibit. Sensus est: q. d. Benefac justo, non autem peccatori, quia *non bene*, id est, malè, imò pessimè, erit ei qui assiduè peccat, qui in peccatis assiduus & quasi affixus est, ideoq; non cogitat de pœnitentia & eleemosyna, quâ se ad pœnitentiam disponat, & peccata redimat: q. d. Peccatori pessimè erit si in peccatis hæreat, sordescat & obsurdescat, sitq; impœnitens & obduratus, ut quid ergo tali benefacias, qui sibi, aliis & Deo pessimè facit? ut quid des eleemosynam ei qui aliis eleemosynam negat, nec curat eleemosyna peccata sua expiare?

Syrus aliter habet: *Non est gratia ei qui honorat malum, & qui facit justo non perdit.* S. Hieron. epist. de septem ordinibus Ecclesiæ cap. 5. & refertur dist. 93. c. 22. *Diaconi sunt*, in fine, paraphrasticè sic hanc sententiam reddit: *Moderatio Dei, ac pietas solùm nostrum reditum quærit, ac nos cupit longa sua bonitate salvari. Si non convertimur, si duri corde sumus, si in peccatis usque ad mortem illicitè persistimus, assiduè peccantium, sicut scriptum est, non miseretur Deus.*

Noster Interpres addit: *Quoniam & Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus.* Quæ verba dant causam, cur benè non sit, nec erit peccatori, quia scilicet Deus odit peccatores: à Deo autem Deique amore omne bonum manat, sicut à Dei odio omne malum. Cùm ergo odio prosequatur peccatores, hi non nisi mala ab eo expectare debent; ut quid ergo ames eum quem odit Deus? ut quid benefacias ei cui mala omnia intentat Deus? Intellige si in peccato persistat: nam si ab eo resiliat & pœniteat, Deus eum in gratiam recipiet, imò in sortem bonam justorum & filiorum suorum trãsferet. Unde ait: *Et misertus est pœnitentibus.* Quæ verba per antithesin respondent ei, quod præcessit: *Non est bene eleemosynas non danti?* q. d. Sicut Deus malè facit impœnitentibus, ideoque per eleemosynas peccata non redimentibus: ita ex adverso miseretur, & benefacit *pœnitentibus*, ideoque per eleemosynas peccata redimentibus. Dicit tamen potiùs *pœnitentibus*, quàm *eleemosynam dantibus*, Primò, ut significet eleemosynam parum juvare, nisi dantem eas peccatorum pœniteat, imò nihil juvare si in peccatis persistere velit. Secundò, ut significet eleemosynam ad pœnitẽtiam tantùm disponere, pœnitentiam verò eleemosynam perficere, dum peccatorem pœnitentem justificat. Tertiò, ut innuat dantem eleemosynam solere à Deo per gratiam præveniri, impellique ad pœnitentiam, ut convertatur, & justificetur.

DA MISERICORDI (perperàm codex Complut. & Vers. 4.
S. August. lib. 3. de Doctr. Christ. c. 16. legunt *da misericordiam*, Græcè enim est εὐσεβεῖ, id est pio, misericordi) ET NE SUSCIPIAS, id est juves, foveas, protegas, PECCATOREM] Inter justos enim maximè digni sunt beneficentia, & misericordia illi, qui in alios sunt misericordes, ut scilicet inveniant apud nos misericordiam ii, apud quos alii invenerunt; & sicut præstiterunt recipiant,

piant, iuxta illud Christi; *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Matth. 5. Nota. Misericordi opponit peccatorem, quia peccatores solent esse immisericordes, ut iusti solent esse misericordes, iuxta illud; *Novit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia*, Proverb. 12. 10. Hinc in Scriptur. iustus vocatur חסיד *chasid*, id est, pius & misericors, & iustitia vocatur חסד *chesed*, id est, pietas & misericordia. Vide dicta Daniel. 4. v. 44. Ratio est, quòd charitas quæ constituit iustum, eumdem constituit, & misericordem; charitatis enim est omnes amare, omnibusque benefacere. Ex adverso peccator caret charitate, & plenus est concupiscentia & amore sui, qui omnia ad se rapere, nihil aliis dare satagit.

Et impiis et peccatoribus reddet vindictam] Hæc verba videntur esse transposita, ac præponenda ei quod dixit; *Da misericordi, & ne suscipias peccatorem*: nam si ei postponas, non rectè cum eo cohærent. Unde ut cohæreant, Rabanus & alii pro *reddet* legunt *redde*, q. d. *Tu ò homo misericors in pios, redde impiis vindictam*. Sed perperam: sequitur enim, *custodiens eos in diem vindictæ*: quod non ad hominem, sed ad Deum pertinet. Sanè Syrus, æquè ac Græcus, & S. Augustinus in Speculo, eos transferunt ad v. 7. ubi Noster pariter eadem iterat. Sic & superiùs monui, quædam alia hîc & in Proverbiis videri transposita, sive ab Interprete, sive errore scriptorum. Verùm quia Romani aliique codices vetusti ea hoc loco ponunt, dico τὸ *&* ex phrasi Hebræa accipiendum pro *quia*, & repetendum τὸ *Altissimus*, quod paulò antè præcessit, nimirum *reddet* ille cuius est reddere, & qui v. præced. nominatus est, scilicet, *Altissimus*. q. d. Da misericordi non peccatori, quia Altissimus impiis & peccatoribus reddet non misericordiam, sed vindictam. Cur enim dabis ei, qui in peccatis velut sus in cœno vult volutari, cui proinde Deus non gratiam, sed ultionem parat? Cur per eleemosynam servabis à morte, quem Deus velut ovem occisionis reservat ad pœnam & gehennam?

Quæres, quo sensu Siracides hoc v. & seq. prohibet beneficium conferri in peccatorem, cùm sæpè illi eleemosyna conferenda sit tum spiritalis, tum corporalis, idque ex præcepto, cùm scilicet ipse in gravi necessitate est constitutus?

Peccatori non dāda eleemosyna, quo sensu? Resp. Primo.

Resp. Primò, S. August. lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 16. hoc præceptum figuratè esse accipiendum. Hunc enim duplicem dat canonem quo cognoscamus an verba S. Script. sint propriè, an verò figuratè intelligenda: *Si*, inquit, *præceptiva locutio est, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est*. Posterioris hoc assignat exemplum: *Scriptum est, Da misericordiam* (eleemosynam) *& ne suscipias peccatorem. Posterior pars huius sententiæ videtur vetare beneficentiam. Ait enim: Ne suspicias peccatorem. Intelligas figuratè positum, pro peccato, peccatorem, ut peccatum eius non suscipias*. q. d. Ne consentias, iuves, foveas peccatorem ad perpetrandum peccatum: sic enim cooperaberis peccato eius, & cum peccante peccabis. S. Augustinum sequitur Greg. de Valentia 1. p. q. 1. puncto 5. disp. 1. q. 1. *Ne suscipias peccatorem*: figuratè, inquit, hoc accipe: q. d. Ne promoveas vel adiuves peccatum hominis, nam paulò antè præcepit beneficentiam. Accedit S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 9. ad 1. *Ne suscipias peccatorem*, scilicet, inquit, *quatenus peccator est, sicut neque ut talis est amandus; benè autem ut proximus*. Et art. 2. *In peccatore*, inquit, *duo sunt, scilicet, culpa & natura. Est igitur subveniendum peccatori, quantum ad sustentationem naturæ: non est autem ei subveniendum ad fomentum culpæ. Hoc enim non esset benefacere, sed potius, malefacere*. Et Greg. 3. p. Pastor. admonit. 21. *Panem suum*, inquit, *& vinum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia pro eo quòd iniqui sunt, impendit. Unde & nonnulli huius mundi divites, cùm fame crucientur Christi pauperes, effusis largitionibus nutriunt histriones*. Et S. Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 30. *Pulchrum*, inquit, *est eo largiri consilio, ut prosis, non ut noceas. Nam si luxurioso ad luxuriæ effusionem, adulteræ ad mercedem adulterii largiendum putes; non est beneficentia: officere enim istud est, non prodesse*. Et S. Gregorius Nazianz. epist. 54. ad Anysium: *Multa enim sunt*, inquit, *in quibus iis qui beneficium accipere putantur, iniuria inferetur*. Et Rabanus hîc: *Nonnulli divites, ait, cùm fame crucientur Christi pauperes effusis largitatibus nutriunt histriones*. Unde Bellarmin. lib. 3. de Bonis operib. in partic. c. 12. censet Siracidem hîc non loqui de eleemosyna, quæ datur pauperi, sed de beneficio quod in amicum vel cognatum confertur, esto non egeat. Quare eum prohibere, ne histrionibus, meretricibus, parasitis pecuniæ effundantur. Item ne nimis ditentur filii, nepotes, amici, iuvenes, qui inde accipient occasionem prodigalitatis, comessationum, luxuriæ, superbiæ, &c. iuxta illud: *Ne cultrum puero*. Qua in re peccant sæpè parentes, Prælati, principes, qui suos quos amant, officiis, censibus, opibus, beneficiis onerant, ut iis incrassentur sicut tauri, ac sua quasi pinguedine suffocentur iuxta illud psal. 16. 10. *Adipem suum concluserunt*; Chald. *opulentia eorum multiplicata est, adipe suo operti sunt*. psal. 72. 7. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis*; Chald. *mutata est ob pinguedinem similitudo vultuum eorum*. Hi similes sunt animalibus & resinosis arboribus, quæ nimis pinguedine & humore strangulantur & intereunt, de quibus Plin. lib. 17. 24. *Et cùm radices*, ait, *pinguescere cœperunt, intereunt, ut animalia nimio adipe*. Hoc sanè non est amare, sed odisse; non fovere, sed occidere. Hinc talibus beneficia sunt veneficia, opes sunt fomenta scelerum, ac consequenter fomenta gehennæ. Quare in die iudicii maledicent parentibus, Prælatis & principibus, qui eas sibi dederunt, quòd se impinguarint, ut validiùs arderent in gehenna. Accedit Lyran. *Ne alas peccatorem*, id est, *obstinatum*, inquit, *qui ex bonis tuis foveretur in peccatis*. Peccator enim est, qui habet habitum & studium peccandi, adeoque peccatis est affixus & immersus.

Secundò.

Secundò, Auctor imperfecti in S. Matth. apud S. Chrysost. hom. 26. respondet, magnam eleemosynam dandam esse pio, parvam impio; eò quòd illa magnam, hæc parvam habeat mercedem. Scriptum est, inquit, Galat. 6. *Operamini bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*. Qui dat infideli, modicam habet mercedem: qui autem fideli, duplicem habet mercedem: primam quidem, quia fidelis Dei creatura est: secundam, quia idem Dei servus est: infideli dans unam tantùm habet mercedem, scilicet, quòd infidelis Dei quidem creatura est, voluntate autem adversus Deum. Addit Auctor imperfecti, cùm dicitur: *Ne suscipias peccatorem*, intelligi publicum aut notum: nam S. Chrysost. serm. de eleemosyna & collatione in Sanctos, qui exstat in fine Comment. in epist. 1. ad Corinth. docet pauperes non esse curiosè scrutandos. Cùm enim dixisset, quòd dando eleemosynam, *non tam pauperibus, quam nobis prosumus, plura accipientes quàm dantes*, subiicit: *Sunt permulti qui nonnumquam curiosiùs rogant & inquirunt patriam & vitam, mores & artem, & corporis bonam valetudinem, & inde crimina intentant, & ob sanitatem de eis penas exposcunt. Hinc fit quòd multi etiam cecitatem corporis simulant, ut eius calamitatis actu, crudelitatem humanitatemque nostram inflectant*. Et inferiùs: *Quod si Deus ita diligenter nos scrutaretur, uti nos causam pauperum, nullam umquam misericordiam vel veniam assequeremur. In quo enim iudicio iudicatis, dicit, & vos iudicabimini. Esto igitur misericors & benignus conservo, dimittenturque tibi peccata multa: miserere, & eamdem sententiam invenies. Quid tibi ipsi negotia plectis? quid curiosus es?*

Tertiò, alii: Da misericordi, non peccatori: hoc est, inquiunt, da misericordi potiùs quàm peccatori, ut, si uterque concurrat, nec utrique dare possis, des potiùs iusto, eumque præferas impio. *Tertiò.* Hebræi enim, quia carent gradu comparativo, hinc eum exprimunt per negationem, scilicet affirmando maius, negando minus, ut, *Misericordiam volui, non sacrificium*, id est, misericordiam malo quàm sacrificium, misericordiam præfero sacrificio, Osee 6. 6. vide ibi dicta. Inter probos enim, & improbos in eleemosyna anteponendi sunt probi, tum quia sunt digniores, tum quia id utilius esse potest eleemosynarum largitoribus, ut docet Nazianz. orat. de pauperum cura, S. Hieron. contra Vigilant. & S. Chrysost. orat. de pauperibus non coriosè scrutandis. Improbis ergo, otiosis, inutilibus & pigris manus claudi debet, quò fit unde veris pauperibus benigniùs subveniatur. In quo imitandus est mos equisonum, inquiunt Hebræi qui equorum caudas abscindunt, quòd ob id equi certa contractioris alimenti ratione, & spinæ robore fortiores evadere existimantur.

Ita D. Thom. 2. 2. q. 63. & in Quodlib. q. 6. & 8. ubi docet, quemlibet in conscientia obligari, ad beneficia eligere meliorem & digniorem. Idem docet Richard. Major, D. Soto lib. 3. de Iustit. q. ult. art. 2. & alii. Quocirca S. August. lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 29. *Omnes*, inquit, *homines æquè diligendi sunt: sed cùm omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quasi quadam sorte iunguntur:* quare in beneficio præponendi sunt parentes cognatis, cives peregrinis, domestici exteris, grati ingratis, digni indignis, boni malis. Nam, ut ait Lucianus: *Malus vir dolium est perforatum, in quod omnes immittens gratias in vanum effudisti.* Et Sophocles in Oedipod. *Gratiam adfert gratia: beneficium semper beneficium parit*, si, scilicet, dignè collocetur. Esto ergo is qui beneficium dat, non debeat eo fine dare, ut remunerationem accipiat; tamen ut illud bene collocet, videat ne det ingrato & indigno. Unde illud Ciceronis: *Liberare est serere beneficium, ut metere possis fructum.* Sicut ergo præmiis scholasticis magis honorandi sunt discipuli magis studiosi, & militaribus milites magis strenui; sic & beneficiis ornandi boni præ malis: sic enim ornatur ipsa bonitas & virtus. Si enim secùs fiat, dicetur vetus illud. *Cæsar dum indignos ornavit, non tam ipsos honestavit, quàm ornamenta ipsa turpavit.* Denique hic est ordo honestatis & charitatis, quem ambiens sponsa ait Cant. 2. 4. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.*

Quartò. Quartò, per *peccatorem* hic accipe assiduum in malis, ut dixit v. præced. hoc est, impœnitentem & obstinatum, prælertim superbum, dolosum & insidiatorem, de quo multis egit in fine cap. præcedentis; & hic in Script. vocatur *peccator* per antonomasiam. Huic enim non est conferendum beneficium indebitum & liberale (de quo hic propriè agit, non de eleemosyna ob necessitatem debita) tum, ut humilietur, pœniteat & resipiscat; tum, ne illo potentior fiat, teque dolosè supplantet; tum, quia talis odibilis & execrabilis est Deo. Has causas assignat Siracides, dum mox subdit: *Ne in ipsis potentior te sit: nam duplicia mala invenies in omnibus bonis quæcumque feceris illi: quoniam & Altissimus odio habet peccatores, & impiis reddet vindictam.* Siracidi consonat Ben Sira alphabeto 1. littera Teth: *Bene malo ne facias*, inquit, *& malum non continget tibi.* Sæpè enim bonis nocuere beneficia in malos collata: sic & clementia multis principibus, qui ea usi fuerunt erga malos, exitio fuit. Exemplis plenæ sunt historiæ. Maximè verò improbis non sunt conferendi honores & dignitates: his enim ipsi abuti solent in bonorum omnium, & totius reipubl. perniciem, & his armati potentiùs in bonos grassantur. Caveant ergo aulici ne pro impiis apud principes intercedant, ut eis beneficia, officia & dignitates procurent; quia omnis eorum mala administratio, ac noxa Ecclesiæ & reipub. in commendantium & promoventium caput recidet, ab eisque severè exigetur in tribunali Christi.

Apologus lupi, & gruis. Huc facit apologus Phædri (qui fuit libertus Augusti Cæsaris) lib. 1. Fabul. c. 8. de lupo & grue; Lupus, inquit, petiit à grue ut os devoratum hærens faucibus longitudine colli eximeret. Exemit grus suo cum periculo; pro quo postulans præmium, hoc à lupo retulit:

Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput
Incolume abstuleris, & mercedem postulas.

Et ille Isocratis ad Demonicum: *Malis benefaciens*, inquit, *similia patietur alienos canes pascentibus: nam & illi exhibentes, ut obvios allatrent: & improbi, iuvantes se ut nocentes iniuria afficiunt.* Et Plutarch. in Moral. benefacere malo, ait esse idem quod nutrire serpentem, qui te æquè ac alios mordeat. Et Alexander Magnus *in eodem vitio ponendum esse* dicebat, *dare indignis, & dignis non dare*, ait Maxim. serm. 9.

Aliàs simplici peccatori egenti conferenda est eleemosyna ex obligatione charitatis & misericordiæ, Primò, quia peccator eiusdem nobiscum est naturæ, putà homo nobis congener. Unde Rabanus: *Qui indigenti*, inquit, *eleemosynam tribuerit, nec eum propter delictum aliquod commissum spreverit, benè misericordiam iure custodit: quia natura in eleemosynarum largitione consideranda est, non persona*, quòd scilicet sit peccator. Ita Aristoteles cùm beneficium præstitisset improbo, dicebat se homini dedisse: *Non mores*, inquit, *sed hominem commiseratus sum.* *Etiam improbis in necessitate succurrit vir bonus. Debetur enim hoc officium, si non meritis illius qui iuvatur, certè naturæ. Et bonus fieri potest qui malus est.* ita refert Laert. l. 5. c. 1. Et Seneca lib. 4. de Benef. c. 25. *Si deos*, inquit, *imitaris, da etiam ingratis: nam & sceleratis sol oritur, & piratis maria patent.* Idem lib. 1. c. 1. *Demus beneficia, non fœneremur. Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitavit cùm daret.* Narrat Victor. l. 16. c. 8. Alconem adeo sagittandi fuisse peritum, ut cùm filium videret serpente circumplexum, ita dextrè sagittam librarit, ut serpentem confixerit, nec filium læserit. Unde Virgil. eclog. 5.

Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.

Ita sapientes & iusti culpam à natura, ac peccatum ab homine secernunt: illud oderunt & necant, hunc amant & promovent. Denique S. Ambros. lib. 4. epist. 29. ad Florianum: *Omnibus te tribue*, inquit, *non eligas cui miserearis, ne fortè præferas illum qui meretur accipere. Incertum est enim pro quo magis placeas Deo.* Huc facit illud: *Bonus bonis & malis prodest: malus nec bonis nec malis.* Et illud: *Da cæcus, accipe oculatus*, nam

Sæpius insidiæ latitant, & plura reposcit
Pauper, cùm donat munera divitibus.

Ubi tamen Adverte, naturam humanam præcisè non esse obiectum charitatis, sed tantùm amoris naturalis: hic enim fertur in, & amat naturam sibi similem. Nam charitas cùm sit virtus supernaturalis & divina, exigit pariter obiectum supernaturale & divinum. Igitur ut homo vel peccator charitate ametur, debet considerari non tantùm qua homo, sed qua capax gratiæ & gloriæ, qua creatus ad æternam felicitatem, qua sanguine Christi redemptus, qua vocatus ad amicitiam, filiationem, & hereditatem Dei. Charitas enim est amicitia inter Deum & homines, quæ fundatur in communicatione bonorum divinorum putà beatitudinis divinæ, quam Deus hominibus communicat, ait D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 1. Vide eumdem q. 25. art. 6.

Hæc ergo secunda & potissima est ratio cur benefaciendum sit peccatori, ut scilicet per beneficia alliciamus eum ad amorem nostri & Dei, ad pœnitentiam, ad salutem; aut saltem ut impediamus vel minuamus eius lapsus in peccata, & consequenter minuamus eius pœnam & gehennam. Ita legimus Sanctos eleemosynis redemisse patrationem scelerum, uti fecit S. Vitalius, qui meretricibus ut qualibet nocte abstinerent à scelere, tantum pretii quotidie persolvebat, quantum illa nocte ex scelere acquirere potuissent, atque hac sua charitate æquè ac oratione, multas pudicas effecit, & ad pœnitentiam convertit. Ita habetur in Vita S. Joannis Eleemosynarii, cap. 35. Alii eleemosynam dant hac conditione & pacto, ut eam accipientes peccata confessione expient, ut Missam audiant, ut offensam & vindictam condonent. Quæ sanè duplex est eleemosyna, ac posterior, utpotè spiritalis, longè maior priore. Hic enim est *omnis fructus* eleemosynæ, totiusque laboris Christi, & nostri, *ut auferatur peccatum*, ait Isaias c. 27. v. 9. Peccatum enim est summa Dei iniuria, summum proximi & totius universi malum.

DA BONO, ET NE RECEPERIS (Græcè est idem verbum quod v. 4. ἀντιλάβῃ, id est, *suscipias*, hoc est, sublevès, adiuves, defendas) PECCATOREM; BENEFAC HUMILI, ET NON DEDERIS IMPIO] putà superbo & doloso uti iam dixi: hic enim opponitur humili; humilis enim dignus est eleemosyna, superbus verò indignus, imò dignus qui esuriat & egeat, ut discat se humiliare. Tigurina, *erga pium liberalis esto, scelerosi verò opem abnega: afflicto* (ταπεινὸς enim tum humilem, tum abiectum afflictumque significat) *benefacias, & nihil eroges in impium:* Syrus, *benefac bono, & prohibe à malo: da humili, & prohibe ab audace*, quales sunt nonnulli, qui ita audacter mendicant, ut videantur non eleemosynam, sed debitum petere, ac, si neges, minentur, imò vim afferant, qui sanè non panem sed fustem merentur. Vers. 5. Vers. 6.

PROHIBE PANES ILLI DARI (ita Romana; aliqui legunt *dare:* Græcè, *impedi panes illius*, vel, ut Complut. *tuos, & ne dederis ei*) NE IN IPSIS, id est, per ipsos, POTENTIOR TE SIT] ad nocendum tibi aliisque, & toti reipubl. q. d. Ne tuo beneficio & patrocinio fiat potentior, tuncque pro beneficio grave maleficium rependat, ut sequitur. Græcè est, ἵνα μὴ ἐν αὐτοῖς σε δυναστεύσῃ, id est, *ne in ipsis tibi dominetur*, te supprimat & opprimat. ita Rom. & Complut. Tigurina verò,

verò, *facetum cibis probibeas, nec suppedites ei, quibus te possit opprimere*; Syrus, *instrumenta armorum tuorum ne dederis ei, ne cum eis pugnet adversum te*. Hinc patet per *peccatorem* intelligi non quemlibet, sed superbum & dolosum, uti dixi. Causa enim cur vetet dari peccatori, est, ne is dono elatus donantem supprimat; quod non nisi in superbum & dolosum congruit.

NAM DUPLICIA MALA INVENIES IN OMNIBUS BONIS (beneficijs) QUÆCUMQUE FECERIS EI] *Duplicia*, id est, multiplicia, adeoque quo plus ei benefeceris, eo plus maleficij ab eo recipies. Syrus, *duplum enim malum invenis tibi in tempore necessitatis tua*. Duplum, quia & beneficium perdidisti, & per id hostem potentem effecisti, ut pro beneficio reddat maleficium. Hinc illud Socratis: *Malis faciens bene, nutrit lupos*, de quo plura v. 10. & seq.

VERS. 7. QUONIAM ET ALTISSIMUS ODIO HABET PECCATORES, ET IMPIIS REDDET VINDICATAM] Est hæc secunda ratio: q. d. Ut quid ames peccatores quos odit Deus? ut quid beneficentiam impendas hostibus Dei, quos Deus reservat ad acerrimam vindictam? Repetit & inculcat id quod dixit v. 3. Verè S. August. & habetur 5. q. 5. c. *Non omnis. Utilius*, inquit, *panis esurienti tollitur, si de cibo securus iustitiam negligit, quam esurienti panis frangitur, ut iniustitiæ seductus acquiescat*.

Mysticè, Rabanus, Glossa & Hugo per *peccatorem* accipiunt hæreticum. Hic enim peccator est per antonomasiam, ideoque in superlativo superbus & dolosus, ut potentior factus te sibi subiiciat, ac hæreticum efficiat, & in gehennam præcipitet. Hinc *duplicia* mala ab ipso recipies, quia dolosa, inquit Rabanus, quia duplici est corde ac duplici lingua. Rursum *duplicia*, inquit Lyranus, præterita nimirum quæ fecit, & quæ facturus est, sustentatus bonis tuis. Et, ut Hugo, *duplicia*, quia ipsum foves in errore suo, & ipse abutitur dono tuo, & utrumque danti adscribitur. Quare hoc perinde est, ac si aspidi panem tribuas; nam ipsum alis, qui potentior factus te invadet & perdet, iuxta illud Iob 20. 14. *Panis eius in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus*.

VERS. 8. NON AGNOSCETUR IN BONIS AMICUS, ET NON ABSCONDETUR IN MALIS INIMICUS] Pro *agnoscetur*, Græci multi legunt ἐκβληθήσεται, id est, *eiicietur*, id est, in apertum proferetur & declarabitur, ait Iansenius: sed hæc explicatio alienior videtur, & durior, æquè ac illa Vatabli: *Amicus rebus secundis non molestè se ingerit, nec se iactat*. Meliùs alii vertunt, *non eiiciet se*, id est, non recedet à te, sed bonis tuis gaudebit, tecumque epulabitur. Verùm corrige cum Græcis Romanis ἐκδικηθήσεται, id est, *indicabitur, arguetur, deprehendetur*. Alii legunt, ἐπιγνωσθήσεται, id est, *agnoscetur*. Unde Tigurina vertit, *amicus rebus secundis iudicari non potest, nec rebus adversis latebit inimicus*: Syrus, *non cognoscitur in bonis amicus, neque latet in malis inimicus*. Ratio prioris est, quia in rebus bonis & prosperis multi se simulant amicos, qui verè amici non sunt, ut tuam prosperitatem participent, suamque efficiant, iuxta illud Ovidij lib. 1. Tristium:

Cum fueris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Unde illud: *Multos amicos habet felicitas*. Posterioris ratio est, quòd in malis, id est, adversis, inimicus prodat se per gaudium, irrisionem, dicteria, &c. Sic prodidit suam malignitatem contra David Semeï maledicens illi cùm fugeret Absalon: & Achitophel, dans pessimum consilium Absaloni contra David, 2. Regum 16. & 17. & Ptolemæus filius Abobi, qui Simonem fratrem Iudæ Machabæi principem Iudæorum convivio excepit, in eoque ipsum cum filiis occidit, 1. Machab. ult. v. 16.

Transit à fuga peccatoris, id est, superbi & dolosi, congruè ad fugam & cautelam inimici: quia superbi & dolosi solent bonorum divitum & honoratorum esse inimici; invident enim aliis bona, opes & honores, illisque eos exuere, seque induere ambiunt. Ad hanc cautelam præmittit duas gnomas, è quibus, quasi ex lydio lapide, quilibet cognoscat quis sit verus amicus, quis fictus & inimicus, dicitque non in prosperis, sed in adversis se prodere tam amicitiam veram quàm falsam, æquè ac inimicitiam. Unde explicans subdit:

VERS. 9. IN BONIS VIRI, INIMICI ILLIUS IN TRISTITIA: ET IN MALITIA (id est, adversitate & afflictione; Græcè, ἐν κακοῖς, id est, in malis, id est, adversis & tristibus) ILLIUS, AMICUS AGNITUS EST] q. d. In prosperis tristantur inimici, saltem occultè, si palàm tristitiam ostendere non audeant; in adversis verò agnoscitur quis sit sincerus amicus. In adversis enim amicus verus amico afflicto adest, omni ope & opera, ut eum soletur, erigat & protegat. Græca posterius hemistichium aliter efferunt, sic enim habent, *in bonis viri, inimici illius in tristitia; & in malis illius, etiam amicus separabitur* vel *disiungetur*, Tigurina, *rebus hominis secundis dolent inimici eius, & rebus eiusdem adversis abscedit etiam amicus*. Verùm Stephanus Pontif. epist. 1. planè legit ut Noster. Estque pulchra antithesis, q. d. *In bonis viri, inimici illius agnoscuntur, scilicet invidendo, at in tristitia & miseria eius amicus agnoscitur compatiendo. In prosperitate viri crescit inimicitia inimici: in miseria eius crescit amor amici. Ergo verè Christus agnitus est amicus, quia in tristitia & afflictione, imò & in malitia nostra, nobis succurrit*, ita Palacius. Sic quoque legit Rabanus, licet paulò aliter distinguat; sic enim habet, *Agnitus est in bonis viri inimicus illius: in tristitia illius amicus*: q. d. In prosperis agnoscitur inimicus, utpotè dolens & invidēs; in adversis verò agnoscitur amicus, utpote condolens & compatiens. *Nec prosperitas*, inquit, *amicum indicat, nec adversitas inimicum celat: quia & ille sæpè prosperitatis nostræ reverentia tegitur, & iste ex confidentia adversitatis aperitur. Vir igitur iustus in flagellis positus dicat; Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit: quia nimirum qui ex adversitate proximum despicit, apertè convincitur quia hunc in prosperis non amavit*. Rursum Syrus planè vertit ut Noster; sic enim habet, *in bonis enim viri, inimici eius in mæstitia sunt: & in malis eius, discernitur amicus*. Unde liquet eos pro διαχωρισθήσεται, id est, *separabitur*, uti iam legitur, legisse ἐκδικηθήσεται, id est, *indicabitur*; vel ἐπιγνωσθήσεται, id est, *agnoscetur*, uti legitur v. præc. Eius enim rationem & confirmationem dat Auct. hoc v. Hoc est quod ait Salom. Prov. 17. 17. *Omni tēpore diligit qui amicus est, & frater in angustiis cōprobatur*.

Amicus in adversis agnoscitur.

Siracidi & Salomoni consonant gnomæ Philosophorum. Demetri Phalerei; *Veri amici in rebus lætis adsunt vocati, in adversis invocati* (non vocati) *& ultro*, ita Laert. lib. 5. cap. 5. Plauti; *Amicus est qui in re dubia iuvat*. Ennii; *Amicus certus in re incerta cernitur*. ita refert Cicero libr. de Amicitia. Chilonis; *Promptiùs ad amicorum adversam fortunam, quam ad res secundas accurrendum est*: nimirum rebus prosperis advolant quilibet etiam minùs amici; qui adsunt reflante fortuna, hi verè amici sunt. ita Laert. lib. 1. cap. 4. Namertes rogatus *qua ratione sincerum amicum probaret*, respondit, *Per adversam fortunam*. ita Plutarch. in Lacon. Tarquinius Superbus iam exul factus dixit, se tum demum cognovisse quos habuisset amicos fidos, quos infidos, cùm neutris gratiam referre posset. *Amicos* ergo *secunda res parant, adversa probant*, ait P. Syrus.

Gnomæ sapientum.

VERS. 10. NON CREDAS INIMICO TUO IN ÆTERNUM; SICUT ENIM ÆRAMENTUM, ÆRUGINAT NEQUITIA ILLIUS] Monet, inimico, etiamsi reconciliatus videatur, & amicitiam simulet, non facilè esse credendum, nec fidendum; quia sicut *æramentum*, id est, vas ex ære factum (æramenta enim sunt opera facta ex ære, sicut ferramenta ex ferro) Græcè χαλκὸς, id est, æs, vel vas æreum, licet positum sit & splendeat, facilè tamen rursus æruginem, id est virides sordes, contrahit, si videlicet aliquo humore imbuatur: ita inimicus, licet videatur reconciliatus, & splendenti amicitia fulgidus, facilè tamen ad odia & nequitias suas redit; residet enim in animo eius radix malitiæ, viror & virus malevolentiæ (quia manet alta mente repostum maleficium, quod sibi à te putat illatum,) quæ naturaliter in maledicentiam & maleficentiam solitam data occasione solet erumpere, & instar absinthij progerminare. Unde Tigurina vertit, *nam similis est æri ærugine obsito malitia illius*; quod Vatablus explicat, q. d. *Nam eius malitia simulatione tecta latet*; Syrus, *ne credas inimico tuo in æternum, quia sicut vas aneum est quod polluit socium suum*, id est, alteri vasi vel rei æruginem suam affricat; Arabicus, *ne te decipi sinas confidendo in inimico tuo, quoniam similis est æri, quod alia æruginat*. Hisce succinit Seneca in Proverb. *Iratum breviter vites, inimicum diu*. Rectè inimicitia comparatur æruginì. Primò, quia utraque est vitium, & corruptio rei cui inhæret; Secundò, utraque est mordax, & corrosiva; Tertiò, sicut

Inimicitia est ærugo ob septem analogias.

sicut ærugo est mali odoris, sic inimicitia malæ est famæ; Quartò, utraque est amara & viridis; Quintò, utraque est tenax & sæpè perpetua; Sextò, utraque est acida. Ærugo enim acerrima fit, cùm æs, vel æris scobs aut ramenta, aceto macerantur, eaque utuntur medici ad erodendos callos fistularum, & delacrymationes oculorum, uti docet Plin.l.34.c.11. Septimò, sicut ærugo ferrum aut æs erodit, sic livor hominem invidum & inimicum; & sicut ægro offuscat splendorem æris, sic livor alienæ famæ splendorem obscurat. Quocirca ærugo metaphoricè usurpatur pro linguæ mordacitate, malevolentia, maledicentia, livore & invidia, ut apud Martial.lib.2.

Uteris ore aliter, nimiaque ærugine captus,
Allatras nomen, quod tibi cumque datum est.

Horat.1.Serm.sat.4.

—— *Huic nigræ succus loliginis, hæc est Ærugo mera.*

Loligo piscis est nigrum humorem emittens, ut sepia; atramentum vocant. Succum ergo loliginis vocat obscurationem & maculam, sive denigrationem, alienæ famæ: eamdem vocat æruginem. Rursum Martial.l.10. epigr.33. ad Numatium Gallum:

Ut tu, si viridi tinctos ærugine versus
Forte malus livor dixerit esse meos:

ærugine, id est, livore & maledictis: Sic æruginavit malitia Absalomi, cùm post reconciliationem patrem regno & vita spoliare conatus est, 2. Reg.15. & Tryphonis, qui Jonatham post amicitiam redintegratam occidit, 1. Machab. 13. A Salomone idem didicit Seneca: *Numquam*, inquit, *fidelem credas eum tibi, quem ex inimico amicum habueris*. Et Comicus: *Inimici non credens, numquam utique damno afficieris*. Et Plutarch. de Educ. liber. hoc Pythagoræ symbolum affert, *Ne gustes quibus nigra est cauda*: inimici enim frontem candidam ostentant, sed caudam atram, finemque funestum. Hi ergo similes sunt hederæ quæ arbori sese associans & circumvolvens, omnem ejus humorem exsugit, eamque suffocat & strangulat, ait Plinius lib.16. 34. itaque illa exturbata ejus locum occupat. Rursum, ut ait Comicus: *Hi habent os in melle, cor in felle*. Insuper hi hamo escam prætendunt, ut aculeum tibi infigant, teque capiant, sicut piscatores aduncant pisces. Denique hos repræsentat gemma dicta chrysolampis, quasi aurea lux, de quo Plinius lib.37.c.10. *Chrysolampis*, inquit, *in Æthiopia nascitur, pallidi coloris die, & noctu ignei*. Sic enim hi palàm pallent & timent; at noctu ignes sui livoris ejaculantur, cùm scilicet in tenebris occulti latent.

Ne credas inimico.

Hanc parabolam apologo similem, pulchro vulpis & aspidis apologo illustrat Cyrillus lib. 1. Apolog. moralium c.23. cujus titulus: *Si quemquam offenderis, pavesce semper hujusmodi. Vulpes*, inquit, *valdè esuriens hinc inde pastum quærens, minùs providè calcavit aspidem occultis anfractibus gradientem. Mox illa maximo furore percitus, se calcantem momordit. At illa impatiens morsum refudit quantocyùs in mordentem, atque ita communis furoris venenositate in communem vindictam diffusa, divisi sunt statim, quærentes post vulnera medicinam. Deinde cùm post aliquod tempus sibi invicem iterum occurrissent, mox aspis antiquæ injuriæ recordata est, & nova iracundia cœpit ad novam aspirare vindictam. Palliata igitur cordis nequitia, læto vultu procedens, proditione plena salute præmissa, callidè callidam allocuta est, dicens: In veritate nunc te quærebam charissima, ut oris morsu perditam, oris osculo redderem pacem gratam. Quid enim vitali pace mortalibus charius, terrenis jucundius, cunctis amabilius graviusve? Nimirum pacis fœdere cuncta manent in tranquillitate, viventia vigent, ejusque lege atque ordine civilia florent. Commune pacis est bonum. Ac hæc illa callidior, mox ejus verbis providè sic respondit: Certè divinissimum bonum pax est, si vera est; sed si sophistica sit, lux est obnubilans, vita mortifera, & dulcedo venenosa*. Rationem à priori assignat, & acu rem tangit. *Nullum enim pejus malum est, quam inimicitia pace comparata. Igitur tecum sit charissima, tua pax, quoniam ubi est offensa memoria, ibi ira est; ira autem cupit vindictam, vindicta subornat fraudulentiam, quæ postmodum inferat pœnam. Cor tuum non video, sed ad rationem recurro, & ejus lumine sævum pectus tuum, licet abditum rimor. Vera namque pax numquam offensa reminiscitur, sed ficta, ejus oblivionem non patitur: infirma verò pax oblita interdum injuriæ recordatur. Quare timendus semper & cavendus offensus est, quoniam tenax injuria, levis ira, exspectata vindicta, tarda clementia. Sic fratres Joseph, quem offenderant adolescentes, timebant etiam senes. Quo dicto evitato hoste discessit.*

Apologus.

Ratio à priori.

Porrò, noster Salazar in Proverb.c.26.v.25. generalem hanc de inimicitia sententiam rectè appropriat invidentiæ & livori, ut sensus sit: *Adversario tuo nullo tempore confidas, quia sicut ferrum rubigine, & æs ærugine, sic animus illius ob tuam felicitatem invidia & livore carpitur & exeditur. Et sanè invidentiæ & rubiginis similitudo perquàm vulgata est. S. Basilius homil. de invidia, Quemadmodum, inquit, venenum ferrum, sic invidia eos qui eam possident, consumit ac vastat. Appellat autem rubiginem ferri venenum. Et Stobæus in sermone de invidia ex sententia Periandri: Sicut ærugo ferrum, sic invidia invidi animum conterit. Antisthenes etiam apud Laertium lib. 6. cap. 1. Sicut ferrum absumitur rubigine, ita invidi suo ipsorum vitio contabescunt. Ferrum enim etiamsi nemo lædat, ex se gignit unde corrumpatur. Plutarchus etiam apud Antonium Monachum in Melissa, Ut ferrum, inquit, ærugine consumitur, sic invidi suopte ingenio.*

Denique nonnulli per *æramentum*, sive vas æreum, accipiunt speculum, quod olim fiebat ex ære terso & polito,
B uti ex Plinio & aliis ostendi Exodi 38. 8. Speculum enim est imago amicitiæ: sicut enim imago in speculo apparens per omnia sese accommodat objecto, ut v.g. si intuens speculum rideat, moveat caput, torqueat oculos, frendeat; ilicò imago speculi pariter ridere, movere caput, torquere oculos, frendere, &c. videatur: sic pariter amicus amico per omnia sese accommodat, ut quod ille vult vel non vult, hic pariter velit vel nolit; quò ille propendet, hic pariter propendeat. Amicus enim se fingit ad nutum, & voluntatem amici. *Eadem velle, eadem nolle, ea demum firma amicitia est*, ait S.Hieron. epist.8. ad Demetriad. At si speculum fiat ex ære, repræsentat amicitiam vitiatam, & hypocrisi, dolo, inimicitia velatam, pictam & fictam. Sicut enim speculum æneum æruginì obnoxium est, & quantumvis ungatur, semper rursus æruginem evomit, imò, teste Plinio lib.34. cap. 9. *æra extersa celeriùs rubiginem trahunt, quàm neglecta, nisi oleo perungantur*: sic amicitia ficta, cùm scilicet quis exteriùs se gerit ut amicum, interiùs verò retinet fibras virulentæ invidiæ & inimicitiæ, semper
C virus hoc evomit, ut, cùm potest amico nocere, illi nocere non desistat.

Speculum est imago amicitiæ. Primò.

Secundò, sicut specula curva & concava magnas reddunt rerum imagines, quia curvæ superficiei centrum intus est, ait Scaliger de Subtilit. exercit.83. cap. 4. Eadem excipientia radios solares, ignem concipiunt, ac res vicinas inflammant, eò quòd radii solares in centro concavi speculi in unum collecti, vi caloris igniantur unianturque in flammam: sic pariter amici tegentes inimicitiam, curvant sese ut amicum honorent, sed sub curvitate hac, dolos abscondunt ac magnas spes quasi species, putà magna promissa, ostentant, sed interim colligunt ignem ardoremque nocendi, quo amicum exurant, & perdant.

Secundò.

Tertiò, Plinius lib.11. c. 37. *Hominum dentibus*, inquit, *quoddam inest virus. Namque & speculi nitorem ex adverso nudati hebetant, & columbarum fœtus implumes necant.* Sic pariter dens amici ficti, revera inimici, venenatus est, imò caninus. Ut canis enim secretò mordebit te, & canino dente famam tuam bonumque rodet.

Tertiò.

Quartò, speculum hebetatur menstruo mulierum. Illo enim, ait Plinius lib.7.c.15. *acescunt musta, sterilescunt tactæ*
D *fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina*, &c. *speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur*. Idem facit inimicitiæ virus, quod instar menstrui amicitiam hebetat, omnesque charitatis & virtutum vitalium actiones consumit & exurit. Denique Plin.lib.28. c.7. *Bythus Dyrrachinus*, inquit, *hebetata aspectu specula recipere nitorem tradit, iisdem aversa rursus contuentibus: omnemque vim talem resolvi, si nullum piscem secum habeant*. Fides sit penes auctorem. Sic pariter si adversum amicum adulantem intueris, decipiet te: sin aversum & obtrectantem, videbis ejus livorem, ab eoque cavebis, tibique consules.

Quartò.

Intellige jam dicta, nisi constet inimicum omnem omnino inimicitiam ex animo deposuisse, eamque in veram amicitiam convertisse, ac planè reconciliatum tecum in plenam gratiam rediisse, quod apud gentes candidas bonæque indolis, quales sunt Germani, Flandri, Hollandi, &c. facilè sæpeque fit. Accedit, quòd Siracides hæc scripserit Judæis duræ cervicis, & Gentibus fide & gratiæ Dei destitutis, quæ naturæ corruptæ ductu inimicitias fovebant

Inimico verè converso in amicum credendum est.

Probatur bant per omnem vitam. Jam autem post Christum, ejus exemplum & gratia dominatur naturæ; è Christo enim audimus & discimus Matth. 5. 44. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Ita Christi vocatio ex Saulo fecit Paulum: id est, ex inimico amicum, ex persecutore prædicatorem, qui proinde hac Christi doctrina & gratia imbutus, Judæos hostes suos juratos adeò dilexit, ut optaret pro eis fieri anathema. Judæi ergo fidere poterant & debebant se suamque salutem Paulo, quem tamen ipsi suum & Judaismi hostem internecinum æstimabant. Cui enim fidit & credit Christus Deus noster suam fidem, sanguinem, Ecclesiam, Sacramenta; cur non fidat homo? Hinc & Romanis ita scribit, ac de inimicis præscribit cap. 12. 20. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus.* Charitas Christi ergo adeò potens est, ut omnes inimicitiæ fibras ex animo evellat, & inimicum amico planè reconciliet, imò inimicum inimicitiam deponere, & amicum esse cogat. Charitas itaque est philtrum excantans B inimicitiam, & incantans amicitiam. Vis inimicum vincere, & facere amicum, vis inimicitiam occidere, & amicitiam vivificare? benefac inimico, nec cessa donec ejus hostilitatem incensa tua charitate incenderis & consumpseris. Præclarè S. Gregor. Nazianz. in Tetrastichis:

Hoste ab ipso commodum quoddam lego,
Hinc namque vivo cautiùs, ne me queat
Is criminari.
Sic hoc & illis munus abs te, quod nihil
Luant acerbi. Sic eos reddes bonos;
Est namque leni, munus amplum lenitas.

Denique sicut æs, licet natura sua semper æruginet, tamen si oleo perungatur, vi olei fit ut non æruginet, teste Plinio lib. 34. c. 9. sic pariter licet ex vitio naturæ corruptæ fiat, ut inimicitia semper amaros exhalet rancoris spiritus & motus instar æruginis: tamen per gratiam Dei, quæ instar olei mentem serenat, impinguat, exhilarat, idipsum impediri potest; præsertim cùm gratia Dei subinde omnem inimicitiam funditùs ex animo tollat. Quare tunc inimicitia, utpote jam stirpitùs eradicata, æruginare, & virus suæ aversionis suppullulare & progerminare nequit. Igitur cùm id constat tibi, inimicum scilicet omnem ex animo inimicitiam per gratiam Dei extirpasse, planeque tam tibi quàm Deo conciliatum, meritò ei fidere potes & debes. Ita David confisus fuit Amasæ duci exercitus Absalomi hostis sui, ac Abner duci exercitus Isboseth filii Saulis, hostis pariter sui, dum utrumque militiæ suæ præfecit, in ejusque manus & se, & tota Israelis castra collocavit, 2. Reg. 17. 25. collato cum c. 19. 13. & 2. Reg. 3. 13.

Quid amarius, quid salsius mari? & tamen hoc influentibus in se fluminibus dulcibus, dulcescit ad plura stadia: quid ni dulcescat in homine amarities inimicitiæ, influentibus in eum amoris beneficiis, & gratiæ divinæ dulcoribus? Quid homini inimicius serpente & aspide? & tamen hic amore & alimonia vincitur, fitque cicur & amicus. Narrat Albertus Magnus lib. 25. in aspide: In Ægypto, inquit, alebatur aspis, eratque cicur. Cùm autem catuli ejus, heri & altoris sui filium momordissent, & instillato veneno necassent; irata mater, aspis scilicet, catulos beneficii immemores, vel potiùs per teneram ætatem inscios & ignaros, omnes ad unum occidit.

Inimico animæ nō fidendum. Tropolog. non credas inimico animæ tuæ in æternum. Hic inimicus est dæmon, mundus & caro, sive concupiscentia; ne umquam credas diabolo, quia mendax est; nec mundo, quia fallax, nec carni, quia falax, si ei credis, hosti tuo credis. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem,* Galat. 4. v. 7. Quocirca caro instar æris semper æruginat, nequitiam, putà motus iræ, rixæ, cædis, gulæ, libidinis, &c. qui occidunt animam. Hæc est causa scelerum, quòd scilicet concupiscentiam, utpote nobis innatam, & ex anima nostra prodeuntem, censeamus esse amicam, cùm sit hostis capitalis: hinc passim homines eam, ut amicam sequuntur, ejusque motus & impulsus per omnia adimplent. Remedium est, ut internoscas motus rationis, & motus concupiscentiæ, licet in speciem blandos, certò scias tuos summos esse inimicos. Cùm ergo exurgit in te motus iræ, gulæ, &c. consule rationem; si illi adversantem videris, ilicò inimicum esse proclama,

Concupiscentia semper æruginat.

A contra eam te obarma, eique totis viribus resiste. Hoc est quod ait S. Petrus epist. 1. c. 2. v. 11. *Obsecro vos tamquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis; quæ militant adversus animam.* Quare castis assiduè studendum est carnis & corporis mortificationi: sicut enim æs politum facilè rursus æruginat: sic corpus licet purgatum facilè ad impura desideria redit. Quare licet inedia & assiduis vigiliis robur amiserit, semper suspectum habe, & custodi te ab illo: nam si ad dexteram tuam ut amicus sederit, & te sibi fidentem viderit, dum minimè putabis, incautum te ab illa castitatis & puritatis sublimitate deiiciet.

Rursum Rabanus hæc omnia adaptat hæresi & hæreticis. *Illi enim,* inquit, *veri sunt inimici, quorum doctrina plena est rubigine erroris & nequitiæ. Sermo enim eorum ut cancer serpit, & ideo non debet eis credi in æternum, etiamsi se humiliantes fingant esse fideles & Catholicos: quibus in nulla parte debemus consentire, nec potestatem in nobis tribuere, quam significat dextera; ne fortè nos à loco nostro, id est à statu rectæ fidei, amoveant. Inquirunt enim cathedram nostram, hoc est doctrinam sua malitia student subvertere.*

Porrò Siracidi concinit Ben Sira alphabeto 1. littera Mem: *Qui honorat,* inquit, *contemnentes se, similis est asino:* q. d. Qui honorat eos quibus despectui & ludibrio est, similiter facit ut asinus, qui inservit ei à quo cæditur. Et magis illud Hebræorum: *Qui honorat hostem suum, tandem moritur manu ipsius.* Exemplum dat Scholiastes Achab regem Israel, qui honorans Benadad regem Syriæ, ab eo postea interfectus fuit, 3. Reg. 20. 42. & c. 22. 34. & Saul, qui pepercit Agag regi Amalec, à quo postea, inquit, descendit Aman ille impius, qui Hebræum nomen delere studuit sub Assuero, sed prohibitus est ab uxore ejus Esther. Et illud Comici: *Qui amat cui odio ipsius est, bis facere stultè dico: Laborem inanem ipsus capit, & illi molestiam affert.* Cleomenes rogatus, quid oporteret bonum regem facere; respondit, *Amicis benefacere, inimicis verò malè.* Verùm corrigens illud Aristo, *At quanto,* inquit, *præstantius est amicis benefacere, & ex inimicis reddere amicos?* ita Plutarch. in Lacon. Utique hæc non Judaica, non Pagana, sed Christiana est vox. Similis Cleomenis fuit sententia Pompeii, quam sapientiùs, ut Aristo, correxit Julius Cæsar. Sic & Socrates Crœsum interrogavit, *quid esset maximum & pretiosissimum ex regno consecutus?* Cui Crœsus: *Ut hostes ulcisceretur, & amicos beneficio afficeret.* Verùm corrigens hoc Socrates: *Multò melius,* inquit, *fecisses, si & illos tibi amicos ascivisses.* ita refert Maximus serm. 6. Avorum memoria cùm Laurentius Hungariæ Palatinus diceret, imprudenter agere Sigismundum Imper. qui victis hostibus non solùm vitam & opes relinqueret, sed etiam inter amicos reciperet extolleretque: *Tibi,* inquit Sigismundus, *videtur utile inimicum occidere, neque enim mortuus bellum excitat. At ego inimicum occido dum parco, & amicum facio dum extollo.* ita Panormit. lib. 3. de Gestis Alfonsi, ubi & addit idem fecisse ipsummet Alfonsum.

Gnome sapientum.

ET SI HUMILIATUS VADAT CURVUS, quasi tibi supplex & venerandus (perperam pro *curvus* aliqui legunt *cervus*) ADIICE ANIMUM TUUM, ET CUSTODI TE AB ILLO) Pro *adiice* perperam Complut. legunt, *abiice:* Græcè enim est ἐπίστησον, id est, appone, adiice animum, hoc est, *adverte,* ut vertit Tigur. quod Itali dicunt, *sta in cervello.* Syrus, *etsi obedit tibi, & ambulat coram te curvus, da cor tuum ad timendum ab eo.* Causam subdunt Græca dum hunc versum addunt, quem non habent Latina. *Et eris ei tamquam qui absterseris speculum, & cognosces quòd non in finem deposuit æruginem.* q. d. Diligenter advertas, videbis temporaneam & fictam esse ejus humilitatem, quodque exterius tantùm nequitiam & malevolentiam deposuit, interiùs autem adhuc ejus reliquias & radices servet: perinde ac cùm abstergis speculum, exteriorem tantùm ejus superficiem abstergis, interiorem autem non abstergis, ex qua suo tempore solitam effundet æruginem: olim enim fiebant specula ex ære, quæ proinde æruginem contrahebant, ut dixi Exodi 38. v. 8. Syrus alia phrasi, sed eodem scopo & sensu vertit, *esto illi sicut revelans secretum, & cùm poterit ad demolitionem tuam, cognosces finem odii ejus,* quia demolietur te.

Vers. 11.

Alludit ad Proverb. 26. 25. *Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quia septem nequitiæ sunt in corde illius.* Simile est istud Senecæ in Proverb. *Inimicum quamvis humilem docti est metuere.*

Vers. 12. NON STATUAS ILLUM PENES TE, NEC SEDEAT AD DEXTERAM TUAM, NE CONVERSUS STET IN LOCO TUO, NE FORTE CONVERSUS IN LOCUM TUUM, INQUIRAT CATHEDRAM TUAM] Ita legit Jansen. & alii; sed cum Roman. dele τὸ *ne conversus stet in loco tuo*. Sin illud legas, est metathesis. Prior enim pars posterioris versus combinanda est cum priori parte prioris versus, posterior cum posteriore, quod sæpè fit in rhythmis. Græca enim & Syrus sic hæc combinant, *Ne statuas ipsū juxta te, nequando te subvertat, & in locum tuum subeat: ne colloces ipsum ad dexteram tuam, nequando quærat occupare sedem tuam.* Statuere aliquem penes se, est illi favere, illum protegere: collocare ad dexteram, est eum sui honoris participem facere. Sensus ergo Nostri est, q.d. Ne statuas illum penes te, ne conversus insurgat contra te, teque deiiciens, locum tuum occupet, in eoque consistat. Nec sedeat ad dexteram tuam, ne conversus in te cathedra tua te deturbet, ipseque in illam insiliat, eamque solus occupet: q.d. Noli inimicum, etsi se simulet amicum, facere consortem tui honoris & gradus, quia te excluso, illam invadet, solusque obtinebit. Unde subdit:

ET IN NOVISSIMO AGNOSCAS VERBA MEA, ET IN SERMONIBUS MEIS STIMULERIS] Græcè, κατανυγήσῃ, id est, pungaris, compungaris; Tigur. *discruciēris*; Syrus vertit, *mireris*. *Stimuleris* ergo, id est cruicieris mœrore & pœnitentia sera, quòd hæc præcepta mea, licet præmonitus, non servaris, quodque tibi ipsi tua nimia facilitate & credulitate hanc calamitatem accersiveris. Græci codices nonnulli hoc loco hunc interserunt versum: *Peccatum ne conduplices; nam in uno non eris innocens*. Verùm eum delent Græci Complut. Latini, & Syrus. De dexteræ symbolis plura dixi Colos. 3. 1. & plura dicam Proverb. 3. 13.

Vers. 13. QUIS MISEREBITUR (malè quidam legunt, *medebitur*; Græcè enim est ἐλεήσει, id est, ut Syrus, *miserebitur*) INCANTATORI A SERPENTE PERCUSSO, ET OMNIBUS QUI APPROPIANT BESTIIS? (Græcè, θηρίοις, id est *feris*) ET SIC QUI COMITATUR CUM VIRO INIQUO, ET OBVOLUTUS EST IN PECCATIS EIUS] malè aliqui legunt *suis*. repete *quis miserebitur?* q.d. Nemo: quia ipse sibi hoc malum per malorum consortium accersivit. Pro *obvolutus*, Græcè est συμφυρόμενον, id est, qui admiscetur, commiscetur peccatis αὐτοῦ, id est, *ejus*, putà iniqui: hoc est, qui ejus maleficiis & cædibus miscetur & conspergitur, ut inter alios ipse quoque ab eo cædatur. Sic Dioscorides l. 1. c. 25. vocat συμπεφυρμένον αἵματι, id est, gummi sanguine subactum, sanguine conspersum. Sensus est, q. d. Sicut commiseratione dignus non est incantator familiariter versans cum serpente, si ab eo mordeatur, quia scit, & scire ac cavere debet serpentis malignitatem & virulentiam, & tamen præscius veneni temerè ad eum accedit, quasi eum incantaturus. Rursum sicut commiseratione dignus non est, qui appropians feræ, v.g. urso vel leoni, ab eo læditur vel laniatur, quia præsciebat hanc ursi feritatem, unde ab eo cavere, nec ad eum propiùs accedere debebat; sic pariter commiseratione dignus non est, qui comes est iniqui, putà inimici, qui se simulat amicum, si peccatis ejus obvolvatur, id est, si per peccata ejus & maleficia, per nequitiam & dolos multis malis & ærumnis involvatur & implicetur, imò obvolvatur & obruatur. Unde Syrus vertit, *quis miserebitur incantatori quem mordet serpens, aut cuicumque qui appropiat bestiis? ita omnis qui communicat viro iniquo, non præteribit donec accendatur ex eo ignis*, odii & maleficentiæ, calumniæ vel cædis, quo communicans pariter conflagrabit & peribit.

Porrò qui versatur cum iniquo, non tantùm pœna, sed & culpa ejus sæpè involvitur. Nam ut dicitur 28. qu. 1. can. 12. *Sæpe malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quantò magis eos qui ad vitia proni sunt? Nulla igitur ultrà communicatio sit Hebræis ad fidem Christianam translatis, cum iis qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne fortè eorum participatione subvertantur.* Quare sicut incantator morsus à serpente vel fera, cum qua familiariùs agit, non est commiseratione dignus: sic nec qui in societatem malorum seipsum insinuat, & cum illis in peccatorum fœditate communicat. Hæc justa est pœna audacis & temerarii, qui in periculum se conjicit, ergo si pereat, sibi imputet. Quod enim de Deo dixit Psaltes, idem homini adaptes: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* Quoniam, ut ait S. Hieronymus epist. 7. ad Lætam: *Proclivis est malorum æmulatio, & quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia.* Unde Hugo de Instit. novit. c. 5. *Qui*, inquit, *cum pejoribus conversari appetit, satis se esse vita depravatum ostendit.* Quocirca S. Basil. Admon. ad filium spiritualem: *Perfectorum virorum*, inquit, *consortio fruere*, &c. *Verba enim vitæ sunt verba illorum, & incolumitas animæ iis qui ea libenter audiunt. Sicut enim sol oriens effugat caliginem, ita Sanctorum doctrina à sensib. tuis expellit tenebras.*

Appositè livorem & inimicitiam comparat serpenti & feris, quæ non nisi feritatem, fraudes, virulentiam spirant. Tritum est illud: *homo homini Deus, homo homini fera.*

Mysticè Palacius: Diabolus, inquit, est hostis noster, cùm amici Dei sumus: at nobis reconciliatur dum peccamus. Si ergo te sub specie boni adoritur, tunc cave, adverte & advigila, ne fortè te tuo loco, quem Deus tibi paravit in cœlo, deturbet: diabolus enim est serpens & draco antiquus, ac leo sævissimus, qui non nisi hominis perniciem sitit. Quare qui ad illum accedit, commiseratione non est dignus, quia sciens & prudens se exitio exponit.

Denique perperam Gratianus de pœnit. dist. 1. canone
B 58. *Importuna*, ex hoc loco probat quædam peccata esse irremissibilia, aut ex magnitudine peccati, aut ex gradu officii, quia, inquit, legitur: *Qui medebitur incantatori vulnerato à serpente?* perperam enim legit *medebitur*, pro *miserebitur*. Τὸ autem *quis miserebitur*, tantùm significat eum commiseratione non esse dignum: Deus autem sua infinita clementia etiam indignorum miseretur.

VNA HORA PERMANEBIT TECUM: SI AUTEM DECLINAUERIS, NON SUPPORTABIT] id est, non tolerabit te, tuam sortem, declinationem & adversitatem. Græce, μὴ καρτερήσει, id est, *non perseverabit*: q. d. Iniquus, putà falsus amicus, hora prosperitatis permanebit tecum: si autem à prosperitate declinaveris, & decideris in adversitatem, v. g. ex abundantia in inopiam, ex splendore in obscuritatem, ex gloria in ignominiam; in tua amicitia non perseverabit, sed te derelinquet instar hirundinum, quæ vere advolant, hieme avolant. Ver enim symbolum est prosperæ fortunæ, hiems adversæ. Unde Seneca: *Falsus*, ait, *amicus cum fortuna venit, cum fortuna recedit.* Græcus Complut. habet, *per horam permanebit tecum in statione justa: si autem declinaveris,*
C *non tolerabit*; Tigurina, *horæ spatio justa in statione permanebit apud te: nec si inclinent res tuæ, perdurabit.* Fortè alludit ad stationes & excubias militares. q.d. Sicut miles in statione castrensi excubat per horam, ea finita abit, & alteri cedit locum, quasi officio suo perfunctus: sic & falsus amicus, per horam prosperitatis manebit tecum, ea finita quasi statione sua perfunctus, abibit, teque deseret. Vocat *stationem justam*, id est, justè & æqualiter in quatuor horas sive vigilas distributam: quisque enim miles per horam primam vigilans, id quod sui juris & officii erat, præstabat, tantundem faciebat alter vigilans per horam secundam, & alter per tertiam, & alius per quartam: sicque erat æqua & justa temporis ad vigilandum inter milites distributio, nec quis queri poterat se plus aliis gravari, quia æquale vigilandi cuique erat tempus assignatum, putà hora: sic statio justa falsi amici est hora & tempus prosperitatis; ac proinde ea finita abit, finitque amicitiam. Syrus vertit, *quamdiu ingreditur tecum, non manifestat* se suamque infidelitatem: *& si cecideris, non supportabis eum*, putà eius impatientiam, querimonias, voluntatem abeundi, postulata impertinentia, &c.

D IN LABIIS SUIS INDULCAT INIMICUS: ET IN CORDE SUO INSIDIATUR, UT SUBVERTAT TE IN FOVEAM] q. d. Labiis suis dulcia loquitur inimicus, at in corde amaras coquit insidias, quibus te in foveam, id est, in ruinam & exitium, præcipitet. Græcè, *labiis suis blanditur hostis, & in corde suo consultabit de te in fossam evertendo*; Tigurina τὸ γλυκανεῖ, id est *indulcat*, per multa penè synonyma explicans, vertit, *labiis suaviloquentibus utetur inimicus, & assentabitur multa, bonisque verbis compellabit te, oculis quoque suis illacrymans, animo suo deliberat præcipitare te in foveam*; Syrus, *in labiis suis annuit inimicus, & in corde suo meditatur consilia profunda.* Sic Homerus ait de Nestore, quòd melle dulcior erat eius oratio. Diviniùs Psaltes psalm. 18. 11. *Eloquia* Dei pronuntiat *dulciora super mel & favum.* Et Salomon Prover. 5. v. 3. *Favus distillans*, ait, *labia meretricis, & nitidius* Vers. 15.

Google

dius oleo guttur ejus; novissima autem illius amara quasi A *absinthium*. Idem c.16.24. *Favus mellis*, ait, *composita verba*. Et sponsus ad sponsam Cant.4.10. *Favus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua*. Hinc Tropol. infert Palacius: *Si igitur caro nostra*, inquit, *inimicus noster est, etiamsi dulcia verba dicat, etiamsi lacrymas fundat, minimè ei est adhibenda fides: insidiatur enim, ut nos in sepulcrum inferni conjiciat. Quid de tentationibus diaboli dici poterit? nam homicida est qui non satiatur sanguine nostro.*

Vers.16. In oculis suis lacrymatur inimicus: et si invenerit tempus (Græcè, καιρὸν, id est, occasionem & oportunitatem) non satiabitur sanguine] q.d. Non tantùm fictis verbis, sed & oculis blanditur inimicus: iis enim illacrymat fingens se mirè dolere de inimicitia præterita aut de adversis tibi occurrentibus, sed data oportunitate nocendi in te hostiliter irruet, teque conficiet, adeò ut sanguine tuo quem sitivit, expleri & satiari nequeat, donec totum effuderit, teque interemerit: quin & post necem in tuum cadaver, sepulchrum, famam, sobolem, familiam sæviet, & velut leo grassabitur. Syrus *etiam ab oculis suis descendere facit lacrymas, si invenerit sibi locum, non sa-* B *tiabitur sanguine*. Magna vis fallendi est in fictis lacrymis: hæ enim solent veri doloris interni esse indices & testes: unde plerique vim sibi afferre nequeunt, ut lacrymas fundant, nisi ingens dolor eas excutiat. Violentæ ergo valdè sint oportet fallaces lacrymæ, præsertim in viris: nam feminæ lacrymas in manu habent. Sic impius Ismael ibat incedens & plorans, itaque decepit octoginta viros, quos ilicò obtruncavit, Jerem.41.6. Hic verum est vetus dictum: *Columba oculus in serpentino corde*.

Mysticè hanc sententiam nonnulli adaptant peccatoribus, qui quandoque à Deo per conciones & inspirationes excitati compunguntur & lacrymantur; sed mox dum redeunt ad socios, ludos, convivia, &c. relabuntur ad pristina vitia: q.d. Tu, ò peccator, tu, o inimice Dei, lacrymatus es, & deflesti miserum animæ tuæ statum; sed dum post fletum & pœnitentiam peccati oportunitatem reperiebas, iterum ei immergebaris, factus canis reversus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti; idque solito ardentiùs & petulantiùs, adeò ut ejus deliciis & illecebris te satiare non posses.

Vers.17. Et si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem] non ad fictè condolendum, ut Jansenius opinatur, sed ad verè nocendum tibi. Hæc enim cohærent cum eo quod præcessit, *non satiabitur sanguine*: q.d. Si in mala incideris, inimicus te præveniet, priorque illa suscitabit, vel suscitata augebit. Unde Græcè est, *si tibi mala acciderint, reperies eum ibi priorem te*; Syrus, *si occurrerit tibi malum, invenies eum tibi, tanquam hominem adjutorem*.

Vers.18. In oculis suis lacrymatur inimicus (Ita hæc verba posita v.16. hoc loco repetunt Romana, etsi Jansenius & alii ea hoc loco expungenda censeant) et quasi adjuvans suffodiet plantas tuas] q.d. Finget se velle te adjuvare, ideoque lacrymabitur quasi condolens tibi, sed occultè te ruere faciet & prosternet; perinde ac qui sub plantis alicujus terram suffodit facit ut ille corruat in fossam sibi suppositam. Noster legit, ὑποσκάψει, id est, *suffodiet*; jam legunt, ὑποσχάσει πτέρναν σου, id est, *subsecabit plantas tuas*. ita Rom. Alii, *occultè cædet*; alii, *pertundet plantas tuas*, id est, supplantabit & dejiciet te: σχάζω enim idem est quod scarifico, vel venam incido, item sisto, inhibeo, retraho, D supprimo. Unde Tigurina vertit, *per speciem hominis opitulaturi calcem tuum inhibebit*; Vatablus, *enervabit*; Syrus, *quæret subvertere calcaneos tuos*. Quid deinde sit facturus subdit, dicens: *Caput suum movebit*, &c. Tales sunt lacrymæ meretricum, quæ amicas se simulant, cùm sint inimicissimæ. Unde Ovidius de Remed. amor.

Neve puellarum lacrymis moveare, caveto;
Ut flerent, oculos erudiere suos.

Crocodili lacrymæ sunt meretricum? Verùm, ut vulgò dicitur: *Lacryma nil citiùs arescit*. Nimirum sunt hæ *lacrymæ* crocodili. Ferunt enim crocodilum conspecto procul homine lacrymas emittere, atque eundem mox devorare. Alii tradunt crocodilum devorato reliquo corpore, caput lacrymis effusis macerare, ut iis findat cranium, ac medullam cerebrumque pariter devoret, quo summè delectatur. Tales fuere lacrymæ Bassiano Imp. apud Ælium Spartianum: *Lacrymabatur*, inquit, *quoties aut mentio fieret, aut imagines videret Getæ fratris, quem occiderat*. Sic Ismael simulans se plorare ob urbis & templi cladem, occidit Judæos eamdem plorantes, Jerem.41.v.6. Sic multi præ se ferentes speciem pietatis, lacrymarum & devotionis, decipiunt simplices, eosque in errores, superstitiones, libidines, aliaque scelera inducunt. Tales sunt Hussitæ illi in Boemia, qui quoties suis occurrunt, lacrymantur: nimirum sunt hæretici flentes, sicut nonnulli sunt ridentes: olim fuere flagellantes, nunc potiùs sunt voluptuantes: omnes sunt insidiantes, quia hypocritæ.

Caput suum movebit, et plaudet manu, et multa susurrans commutabit vultum suum] q.d. Præ gaudio quòd te inimicum suum supplantarit, quod tantopere desiderabat, nictabit capite, manibus plaudet, & occultè multa immurmurans, quæ palàm proloqui non audet, vultum à ficta priùs tristitia in lætitiam commutabit, ac pro tristi lætum hilaremque ostendet. Nam, ut ait Quintil. lib.11.cap.3. *Præcipuum in actione, sicut in corpore ipso, caput est. Nam* B *& dejecto, humilitas; & supino, arrogantia; & in latus inclinato, languor; & prædurо ac rigente, barbaries quædam mentis ostenditur.* Vers.19.

Pro *susurrans*, Græcè est διαψιθυρίσει: quod aliqui vertunt, *garriet*; Tigurina, *motabit caput suum, plauditque manibus, & sparget rumores multos, vultumque suum immutabit*; Syrus, *capite suo motus* (nictus) *facit, & annuit manu, & valde mussitat, & invertit faciem suam*.

Tropolog. hæc obvenient peccatori in hora mortis & judicii. Tunc enim diabolus, qui in hac vita blanditur, ei insultabit, eumque accusabit, & à Christo damnatum lætus, plaudens, subsannans & cachinnans abripiet in tartara. Memorabile æquè ac horribile est, quod de plausu dæmonis, & planctu Udonis Præsulis Magdeburgensis scribunt anno Domini 940. Nauclerus volum. 3. gener. 43. Fulgos. lib. 9. cap. 12. Canisius lib. 5. Marial. c.10. Audiant eum & paveant peccatores. Cùm enim Udo impurè vivens, dæmonique obsequens cœlitus hac voce: *Udo, Udo, cessa à ludo, quia lusisti satis Udo*, admonitus, nihilominùs in impuritate persisteret, raptus est ad tribu- C nal Christi, eoque jubente à S. Mauritio capite plexus. Mox animam ad tartara rapuerunt dæmones, eamque ludibundi & exultantes obtulerunt suo principi Lucifero. Lucifer ei assurrexit, salutans eam verbis pacificis in dolo: *Bene*, inquit, *venisti, ò princeps, & fautor & dilatator regni nostri. Ecce parati sumus tibi & omnibus nostris fidelibus pro meritis vestris reddere talionem. Cumque Udo obmutesceret, Satan assistentibus ait; Fatigatus est ille noster dilectus huc veniendo; & ideo places ut consoletur: date ergo ei manducare. Illo autem renuente & caput avertente, crudeles ministri ejus bufones & serpentes violenter illi ingesserunt; & liquorem sulphureum postmodum infuderunt. Adhuc illo non loquente, Sathan præcepit dicens: Ad balneum deducatur, & post horam illicò reducatur. Et ecce non procul erat puteus cooperculum habens. Quo ablato flamma vorax usque ad cælum erumpebat, quæ non solum arbores, & montes, & lapides, sed etiam aquam juxta manantem, velut stipulam consumebat. In quem infelicem illam Udonis animam præcipitaverunt, & postmodum extrahētes in modum ferri candentis totam igneam suo principi detulerunt. Qui subridens: Nonne, inquit, balneum* D *suave habuisti ò princeps? Tunc Udo damnatum se omnino videns, cœpit blasphemare & dicere: Maledictus Satan, tu, & omnis familia tua, & omne imperium tuum. Maledictus Deus qui me creavit, maledicta terra quæ me portavit, maledicti parentes qui me genuerunt, & maledicta omnis creatura quæ in cælo & in terra. Tunc omnes dæmones una cum principe suo cœperunt manibus plaudere, & dicere: Vere dignus est iste manere nobiscum, quia peroptimè fecit officium nostrum. Mittatur ergo nunc ad principalem scholam damnatorum, ut videat, audiat, sentiat & discat amplius indeque non exeat in sæcula sæculorum. Vix verba finierat, & ecce unanimiter in odiosam illam creaturam irruerunt, eamq; tam impetuosè tartareum illud barathrum jaciādo immerserunt, ac si cælum & terra, & omnes montes mundi hujus ad invicem quaterentur.* Qui hæc legis, Udonis exemplo sape, & blandas dæmonis suggestiones, quasi capitalis hostis insidias cave.

Luciferi Udonem damnatum illudebria.

C A-

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docuit cap. 11. v. 31. & seqq. cavendum à doloso; inde c. 12. monuit beneficium conferendum pio, non impio, nec credendum inimico, etiamsi reconciliationem simulet: nunc idem argumentum prosequitur, docetque cavendum à consortio potentum & divitum, ideoque superborum: inde v. 12. dat monita, quomodo si quis ab eis vocetur, cum eis agere debeat. Denique v. 18. docet conversandum esse cum æqualibus; amicitiam enim & familiaritatem esse debere inter æquales & similes, tum moribus, tum opibus: tales autem non esse divites, & pauperes, quorum proinde dissimilem sortem, & mores per varias comparationes, & antitheses demonstrat. Summa, toto capite docet quam damnosa sint opulentorum & magnatum commercia.

1. QUi tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicaverit superbo, induet superbiam. 2. Pon-
dus super se tollet, qui honestiori se communicat. Et ditiori te ne socius fueris. 3. Quid commu-
nicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur. 4. Dives iniustè egit, & fremet:
pauper autem læsus tacebit. 5. Si largitus fueris, assumet te: & si non habueris, derelinquet te. 6. Si habes,
convivet tecum, & evacuabit te, & ipse non dolebit super te: 7. Si necessarius illi fueris, supplantabit te,
& subridens spem dabit, narrans tibi bona, & dicet: Quid opus est tibi? 8. Et confundet te in cibis suis, do-
nec te exinaniat bis, & ter: & in novissimo deridebit te: & posteà videns derelinquet te, & caput suum mo-
vebit ad te. 9. Humiliare Deo, & expecta manus eius. 10. Attende ne seductus in stultitiam humilieris.
2. 11. Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris. 12. Advocatus à potentiore
discede: ex hoc enim magis te advocabit. 13. Ne improbus sis, ne impingaris: & ne longè sis ab eo, ne eas
in oblivionem. 14. Ne retineas ex æquo loqui cum illo: ne credas multis verbis illius, ex multa enim lo-
quela tentabit te, & subridens interrogabit te absconditis tuis. 15. Immitis animus illius conservabit verba
tua: & non parcet de malitia, & de vinculis. 16. Cave tibi, & attende diligenter auditui tuo: quoniam
cum subversione tua ambulas. 17. Audiens verò illa quasi in somnis vide, & vigilabis. 18. Omni vita tua
dilige Deum, & invoca illum in salute tua. 19. Omne animal diligit simile sibi: sic & omnis homo pro-
ximum sibi. 20. Omnis caro ad similem sibi coniungetur, & omnis homo simili sui sociabitur. 21. Si
communicabit lupus agno aliquando, sic peccator iusto. 22. Quæ communicatio sancto homini ad canem?
aut quæ pars diviti ad pauperem? 23. Venatio leonis, onager in eremo: sic & pascua divitum sunt paupe-
res. 24. Et sicut abominatio est superbo humilitas: sic & execratio divitis pauper. 25. Dives commotus
confirmatur ab amicis suis: humilis autem cum ceciderit, expelletur & à notis. 26. Diviti decepto multi
recuperatores: locutus est superba, & iustificaverunt illum. 27. Humilis deceptus est, insuper & arguitur:
locutus est sensatè, & non est datus ei locus. 28. Dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius us-
que ad nubes perducent. 29. Pauper locutus est, & dicunt: Quis est hic? & si offenderit, subvertent illum.
30. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia: & nequissima paupertas in ore impii. 31. Cor
hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala. 32. Vestigium cordis boni, & faciem bonam diffi-
cilè invenies, & cum labore.

VERS. 1. QUI TETIGERIT PICEM, INQUINABITUR AB EA: ET QUI COMMUNICAVERIT SUPERBO, INDUET SUPERBIAM] &, id est, sic, vel simili modo. Et enim Hebræis est nota comparationis, quæ quia nectit similia, hinc idem valet quod *sic*, uti videre est passim in Proverbiis. Unde Græca pro *induet superbiam*, habent, ὁμοιωθήσεται αὐτῷ, id est, *assimilabitur*, vel *similis fiet ei*, putà superbus fiet cum superbo, & sic legit S. Athanasius tractat. de Virginit. Syrus, *qui accedit ad picem, ipsa adhæret manui eius; & qui communicat iniquo, induit mores eius.* q. d. Sicut pix contacta manui tangentis adhæret, eique partem sui applicat & agglutinat: sic & iniquitas, qualis maximè est superbia superbi, adhæret eam tangenti, cum eoque conversanti, illique partem sui applicat & agglutinat, atque per eam, velut picem, eum maculat & inquinat, tum in fama, tum in conscientia: famam enim infamia dedecorat, conscientiam peccato, eoque capitali & gravi conspurcat. Exemplum est in Lucifero, qui superbiam suam omnibus suis angelis affricuit: & in Adamo, qui eamdem in omnes posteros transfudit; hinc tanta ruina angelorum, æquè ac hominum.

Superbia & vitium est pix ob analogias quinque. Porrò apposité vitium, præsertim superbia, comparatur pici. Primò, quia utraque colore est nigro & atro. Secundò, utraque viscosa est seque aliis agglutinat & affricat. Tertiò, utraque gravis est odoris & fœtida. Quartò, pix ardens fumosa est, sic & superbia. Denique superbos manet ignis gehennæ ardens pice & sulphure, unde Isaias cap. 34. v. 9. *Convertentur*, inquit, *torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur: & erit terra eius in picem ardentem.* vide Apoc. 21. v. 8. Hinc & pix non est aliud quàm combustæ resinæ fluxus, ut ait Plinius l. 23. cap. 1. Causa cur præ ceteris vitiis superbia se affricet communicanti cum superbo, est tum proclivitas naturæ corruptæ in eam, ac innatus homini amor excellentiæ; tum, quia superbus tumet turgetque spiritu elationis, eumque ore & gestu, totoque corpore exhalat: itaque eumdem efficaciter aliis aspirat, perinde ac peste laborans, quia ardentem efflat spiritum, hinc eo statim vicinos inficit, pestemque suam aliis afflat, de quo mox plura. Adde, quòd superbus videatur esse generosus & magnanimus, itaque se vocet, & à suis vocetur; unde fastus eius amatur quasi virtus, non vitium: in gula verò, libidine, ira, &c. manifestè se prodit vitium, quod virtutis speciem sibi obtendere nequit: unde mox ut apparet, omnes illud horrent & fugiunt. *Causa.*

Antistrophæ Siracidi sunt gnomæ Philosophorum. Plutarchi libr. de Liberis educandis: *Si iuxta claudum habites, subclaudicare disces.* Hesiodi:

Vicini incincti, incincti venere propinqui. Ovidij:
Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi;
multaque corporibus transitione nocent.

Lippiente intuens lippit, cur? Quærit Arist. in Probl. sect. 7. q. 4. Cur lippientibus oculis unius, vicinorum oculi lippere incipiant? ac respondet: *Quoniam oculus pars nostri corporis nobilissima est, ceterarum maxime omnium rei sibi obiectæ similis reddi potest: quippe qui facilè moveatur ab eo qui moveat; itaque fit, ut, cum perturbatum aspicit oculum, facilè ipse etiam perturbetur.*

Simi-

Simili modo in homine mobilissimus est oculus celsitudinis & superbiæ, ut, si cujuspiam exemplum ipsum moveat, illicò sponte sua moveatur ad superbiam. Idem quæst. 2. quærit cur oscitante uno vicini illicò oscitent? ac respondet, quoniam oscitatio in illa parte fit, in qua residet memoria, cujus sensus tenerrimus est: quare cùm oscitantem aspicimus, illicò oscitandi imaginatio, & cupido excitatur, ut nec cogitantes oscitemus. Sic tenerrimus est in homine excellentiæ sensus, & memoriam superbiendi vellicat qui superbit: quare dum quem vana superbiæ aura oscitantem cernimus, illicò eadem oscitamus, & ipsi. Idem rursum quæst. 4. quærit, cur tabes, pestis, scabies appropinquantibus affricetur; non autem febris, hydropisis, stupor, &c. ac respondet, quòd scabies in extima corporis superficie oriatur, & glutinosa fit; quo fit ut tangentem statim inficiat, eique se affricet. Tabes autem, & pestis spiritum aeremque vitiant: *qui autem appropinquaris, talem profectò spiritum trahis, qualem æger ille reddidit. Ægrotat igitur, quia morbiferum est quod spiritu trahit.*

Sicut ergo morbi qui à spiritu corrupto nascuntur, ut pestis illicò vicinis sui contagium aspirant, eò quòd spiritus facilè ab uno in vicinum traiiciatur: sic pariter res sese habet in convictu, & conversatione superborum. Superbus enim in incessu, vestitu, verbis, non nisi fastum spirat, ideoque hunc spiritum efficaciter aliis qui secum versantur, afflat. *Morum* ergo *scabiem affricat convictor convictori*, &, *Balbutire discit quisquis assiduè cum balbo vivit*. Plutarch. tractatu de Discrim. amici, & adulatoris: Tanta, ait, est vis consuetudinis, ut imprudentes etiam imitemur vitia eorum quibuscum vivimus: sicut Platonis familiaris eius latitudinem humerorum imitabantur: Aristotelis amici eius balbutiem exprimebant: Alexandri Magni familiares cervicis inflexum, & vocis in dicendo asperitatem effingebant. Cautam dat Plato lib. 2. de Legibus: *Dum quis*, inquit, *cum pravis hominum improborum moribus conflictatur, non odit, sed gaudet magis approbans, quanquam velut per iocum reprehendit, somnians suam ipsius malitiam: tunc profectò necesse est, ut similis evadat, gaudens utriscumque gaudeat.*

Præclarè Seneca lib. 3. de Ira: *Sumuntur*, inquit, *à conversantibus mores. Et ut quædam in contractos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit: ebriosus convictores in amorem vini traxit: impudicorum cœtus fortem, & siliceum virum emollit: avaritia in proximos virus suum transtulit. Eadem è diverso ratio virtutum est, ut omne quod secum habet mitigent: nec tam valetudini profuit utilis regio, & salubrius cælum, quàm animis parum firmis in turba meliorum versari. Quæ res quantum possit, intelliges, si videris feras quoque convictu nostro mansuescere, nulliq; immani bestiæ vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est.* Sapientis huius ævi vera est gnome: *Tales nos, esse qualia sunt quotidiana colloquia: tales evadere, qualia frequenter audimus.* Idem judicium de lectione: quales libros legis, talis evades: si obscœnos, obscenus; si tumidos, tumidus; si spiritualis. Etenim lectio, colloquium quoddam esse videtur.

Moral. Moral. disce hic, quàm consortia malorum sint cavenda, quia sibi similes, putà malos, efficiunt. Sic qui in monasterio vel congregatione versatur cum imperfectis, & dyscolis, multas imperfectiones incurrit. Quare, si sapit, detractores, libertatis amantes, otiosos, tepidos fugiat ut pestes. *Proclivis est malorum imitatio, & quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia*, ait S. Hieron. epist. 7. & S. Cyprian. l. de Spectac. *Oculi nostri, & aures custodiendæ sunt, citò enim in hoc assuescimus, quod audimus, scolere. Etenim vitiorum exempla oppugnant animum, impellunt, immutant, transformant: miraculo erit inter incendia vel non consumi, vel certè non incalescere.* Idem rursum: *Deplorandus ille status est, ubi iam non vitiis excusatio, sed auctoritas: nullum enim malum difficiliùs extinguitur, quàm quod multitudinis consensu asseritur, & excusatione blanditur.* Verè enim Seneca: *Insanientium multitudo insaniæ est protectio.* Deniq; S. Isidor. epist. ad Claudium ducem, eum hortatur ne cum hæreticis colloquatur, etiam spe conversionis eorum: *Quia*, inquit, *qui tangit picem, inquinatur ab ea.* Et Nazianz. in Tetrastich.

Si frequens, ait, *sis cum malis, èris malus.*
Ne munus unquam sumas de manu mali:
Veniam suorum nam petit sic criminum.

Cupiditas est pix animæ. Porrò S. Bernardus serm. 82. in Cantic. hanc gnomen adaptat animæ, quæ ex se cælestis, per appetitum terrenorum facta est terrena & carnalis: *Cur non*, inquit, *quæ*

A *immortalis facta est, similia sibi immortalia appetit & æterna; ut quod est, appareat, & quod facta est, vivat; Cæterùm contraria sapit & quærit, & mortalibus sese degeneri conversatione conformans, immortalitatis candorem quodam mortiferæ consuetudinis pico colore denigrat. Quid ni mortalium appetitus immortalem mortali similem, immortali dissimilem faciat? Qui tangit picem (ait Sapiens) inquinatur ab ea: fruendo mortalibus mortalitate se induit, & vestem immortalitatis incidente mortis similitudine decoloravit, non exuit. Evam attende, quomodo eius anima immortalis, immortalitati suæ gloriæ fucum mortalitatis invexit, mortalia utique affectando. Ut quid enim cùm immortalis esset, mortalia non contempsit transitoria, contenta sibi similibus immortalibus & æternis? Vidit, inquit, lignum quòd esset pulchrum oculis, & aspectu delectabile, ac suave ad vescendum.* Hinc liquet, quòd, sicut corpus animæ est pix, affricans illi, quæ in se spiritalis est, omnes corporeas affectiones, cupiditates & miserias: sic pariter eidem animæ pix est honor, opes, deliciæ: hæc enim eam inquinant, faciuntque piceam, putà superbam, avaram, gulosam & luxuriosam.

Pondus super se tollet, qui honestiori VERS. 2.
B se communicat. *Honestiori*, id est, ditiori: honestas enim vocantur opes, quia faciunt hominem in victu, vestitu honestum: est metalepsis, & catachresis. Unde explicans subdit: Et ditiori te ne socius fueris) Græca addunt, & *fortiori*, & ita legendum censet Iansenius: sic enim habent Græca, *Pondus super te ne tollas; & fortiori te ac ditiori ne communica. Super te*, id est, supra vires tuas, superans te. Unde Tigurina vertit, *ne suscipias onus supra vires tuas, ac proinde ne te ipsum adiungas potentiori te, aut ditiori*; Syrus, *cum qui est honoratior te, ne quæras, & ei qui est ditior te, ne communices.* Multi ambiunt aulas, & auras magnatum, & divitum, ut eorum familiaritate honorati sint, ac dignitates, beneficia, officia & lucra captent. Verùm Siracides hic sapienter idipsum dissuadet, quasi afferens *pondus*, id est, gravamen multiplex, quod in sequentibus per species enarrat. Amicitia enim, & convictus ut sit facilis, & jucundus, debet esse inter pares. Unde illud Poetæ: *Si vis nubere, nube pari.* Præclarè Seneca in proverbiis: *Si in clientelam*, inquit, *felicis hominis potentisque perveneris, aut veritas aut amicitia perdenda est.* Martialis inter ea *quæ vitam faciunt beatiorem*, numerat *pares amicos*. Ubi enim sunt impares, su-
C perior vult dominari inferiori, illique multa imperat, quæ inferior præ metu, & pudore recusare non audet; quare potiùs servus est quàm amicus. Rursum ut in conviviis, congressibus, consessibus, &c. æquè & decenter cum magnate compareat, necesse est ut in victu, vestitu, famulis, equis, rhedis, sumptus supra opes suas faciat, easque transcendat, itaque se exhauriat, & depauperet. Hæc in sequentibus prosequitur Siracides.

Agendum cum pari. Gnoma.

Huc facit illud Senecæ in Troade: *Grave pondus illum*, inquit, *magna nobilitas premit.* Sic Euclio apud Plautum Megadoro diviti postulanti filiam suam tenuis fortunæ in conjugem, respondet nolle se, ut filia apud ipsum velut bovem, asinam agat. Sisyphus Iovis, & deorum amicitiam ambiens, fingitur à Poetis ab iratis diis damnatus ad saxum jugiter volvendum. Quo symbolicè significant, eos qui potentum amici esse cupiunt, gravia in se expensarum, opprobriorum, servitutum, &c. onera suscipere. Hinc illud: *Procul à Iove, procul à fulmine.* Et illud Horatii:

Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuet.

D Moral. Rabanus: *Hæc*, ait, *iuxta moralitatem nos instruunt, ut semper humilia sectemur, quæ superba sunt penitus fugiamus:* ideoque divitum ac potentum consortia abdicemus, nec eorum opes aut pompas miremur. Lacides Cyrenæus accersitus ab Attalo rege, respondit, *Imagines eminùs esse spectandas*: innuens arctam familiaritatem cum principibus minuere virtutis admirationem. Adde, & periculum non rarò creare. ita Laertius lib. 4. c. 8. Experiuntur id confessarii magnatum, principum & divitum, qui præter molestias illis obsequendi, non rarò conscientias suas æquè ac pœnitentium periculo æternæ salutis exponunt, dum vel ex metu displicendi eis, vel ex studio placendi, non audent eos monere, sed dissimulant quæ dissimulanda non sunt, & laxant non laxanda. Quanto feliciores sunt confessarii pauperum, qui eos liberè monent, facileque ad omnem sanctitatem promovent. Hi domini sunt, illi servi.

VERS. 3. QUID COMMUNICABIT CACABUS AD OLLAM? QUANDO ENIM SE COLLISERINT, CONFRINGETUR) q. d. Si cacabo æneo allidatur olla lutea sive fictilis, utique cacabus confringet ollam: ita pariter si dives se societ, & impingat in pauperem, utique eum collidet: si enim jurgentur, pauper opprimetur à divite. Cacabus ergo æneus repræsentat potentem, & divitem, olla fictilis plebeium, & pauperem, vel minùs divitem. Unde Græca distinctiùs habent, *quid communicet olla cum lebete? hic impinget, illa conteretur*; vel, ut Tigurina, *quid olla poterit esse rei cum lebete? ad quem si offenderit, illa confringetur*; Syrus, *quid communicabit olla figuli cacabo æneo? qui impingit in eam, & frangit eam*. Eodem cacabi, & ollæ apologo trecentis penè ante Siracidem annis usus est Æsopus (hic enim fuit coævus Soloni, Crœso, & Cyro; Siracides verò vixit sub Ptolemæo Lagi) producit enim fabulam duarum ollarum, unius æneæ, alterius fictilis, quæ cùm vi fluminis raperentur, & fictilis sibi ruinam metueret, dixit illi ænea: *Ne metuas; curabo enim ego ne tu allidaris aut collidaris*. Cui fictilis: *Sive*, inquit, *me tecum, sive te mecum fluvius colliserit, utrumque fine tuo, utrumque cum meo fiet periculo: quare decretum mihi est à te disiungi*. Idipsum reipsa expertus est Æsopus cum Solone. Solon enim, quia Crœso regi Lydorum beatum se putanti liberiùs dixerat, ante mortem neminem censendum esse beatum, à Crœso irato neglectus, & rejectus est. Doluit vicem Solonis Æsopus, qui tum Sardibus apud Crœsum in honore erat, eumque monuit: *Cum regibus, ò Solon*, inquit, *aut nequaquam, aut quàm iucundissimè agendum*. Cui Solon: *Minimè*, inquit, *imò nequaquam, aut quàm optimè*. At Crœsus postmodum captus à Cyro, cùm Solonem inclamaret, qui verè dixisset, ante mortem neminem esse beatum, sed posse fieri miserum, idque se suo exemplo discere, movit Cyrum, ut fortunæ humanæ tam volubilis memor, Crœsum dimitteret, & Solonem ob sapientiam per omnem vitam coleret, uti narrat Plutarch. in Solone.

Ita se res habet apud homines, secùs apud Deum. Deo igitur nostro benignissimo æquè ac ditissimo, & potentissimo æterna sit gloria, & gratiarum actio, qui nos homunciones vult sibi esse familiares, nec confringitur olla, sed potiùs æreus lebes; non enim in cruce nostra fragilitas, sed Christus, Patris opes, & fortitudo, fractus est, 1. Cor. 1. 23.

Ethica mythica, & Æsopi antiquitas.

Obiter adverte hic, quàm vetus olimque usitata fuerit Ethica mythica, quæ per fabulas, & apologos docet res morales, puta virtutes, & vitia, Ita apologo rhamni periculosum fore Abimelech tyranni regimen, docuit Judic. 9. Joatham filius Gedeonis, qui Salomonem ducentis, & viginti annis antecessit. Joatham post 78. annos secutus Samson, hoc mythicum ænigma proposuit Philisthæis: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo*, Judic. 14. v. 14. Hinc Baruch scriba Jeremiæ c. 3. 23. celebrat fabulatores Theman, qui scilicet per fabulas Ethicam tradiderunt. Quin, & Salomon ipse Proverb. 9. proponit apologum sapientiæ ædificantis sibi domum, excidentis columnas septem, convivium instruentis, omnesque ad illud invitantis. Pari modo mythica apud Gentiles à priscis sæculis usitata fuit. Fabulas enim, & apologos scripsit *Babrias*, seu *Gabrias* Platone antiquior, qui etiamnum extant; unde, & eos subinde cito. Item *Julius Hyginus* Augusti Imp. libertus: *Phædrus* deinde, libertus Tiberii, quem Notis eruditis donatum Nicolaus Rigaltius jam pridem vulgavit: *Festus Avienus*, sub Theodosio: *Porphyrius*, impius licet, scripsit sub Constantino Imp. opus de fabulis, quod laudat Georgius Pisides l. de Mundi fabrica: item *Maximus Planudes*, & *Antonius Liberalis*. Notæ sunt fabulæ Metamorphoseon *Ovidii* & *Poetarum*. Celebres pariter sunt mythi sive fabulæ *Aesopi*, qui mythologorum princeps floruit sub Cyro, & Crœso: huic enim fabulas suas dicavit. Dictus *Aesopus*, id est Æthiops, quia labris erat niger, ait Planudes in eius Vita. genere fuit Phryx. Ratio est, quòd fabulæ, & apologi præter novitatem, suos habeant sales, & lepores, sua acumina, suas gnomas facetas, sed prudentes, quibus mirè animum oblectant, & oblectando erudiunt. Quare Siracides subinde ad apologos suo ævo usitatos alludit, uti hoc loco alludit ad apologum ollæ, & cacabi.

VERS. 4. DIVES INIUSTE EGIT, ET FREMET: PAUPER AUTEM LÆSUS TACEBIT) Primus hic est modus quo olla à cacabo, id est, pauper à divite, & potente, affligitur, & confringitur, scilicet quòd dives injuria afficiet pauperem, & insuper in eum fremet: pauper autem iniuria affectus queri non audebit, sed tacebit, ne graviorem in se divitis iram, & noxam concitet. Græca efficaciùs pro *tacebit* habent *orabit*, supplicabit. q. d. Pauper licèt sit læsus à divite, ei tamen frementi supplex erit, ut eius indignationem leniat, & benevolentiam conservet. Alludit ad Prov. 18. 23. *Cum obsecrationibus loquetur pauper, & dives effabitur rigidè*. Græca hic variant: Romana enim habent ut Noster, nisi quòd pro *tacebit* legunt *orabit*. Sic, & alii vertunt, *dives iniuriam fecit, & insuper fremit: pauper passus est iniuriam, & insuper supplicat*; sed Complut. sic legunt, *Dives iniuriam fecit, & ipsum rogabunt: pauper* ἠδίκησε, id est, *iniuriam fecit, & ipse minas patietur*. Sic, & Syrus, *dives enim peccat, & dissimulatur: & pauper peccat, & animadvertitur*, juxta illud Juvenalis:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Verùm pro ἠδίκησε, id est *iniuriam fecit*, Noster, & alii meliùs, & nervosiùs passivè legunt ἠδίκηται, id est, *iniuria affectus est*, iniuriam passus est. Tigurina, ut utrumque complectatur, pro una sententia dat duas: ait enim, *si dives iniuriam intulit, insuper minabitur etiam: si pauper passus est iniuriam, oportet esse supplicem. Si dives fecit iniuriam, illi supplicandum est insuper: si cui verò pauper obtulit iniuriam, minas protinus audiet*. Dives ergo inter pauperes, est sicut leo inter animalia: sicut enim leo grassatur in quælibet, nullumque ei se audet opponere, sed omnes etiam feræ ei se submittunt, & permittunt: sic, & dives grassatur in pauperes, nemoque ei contradicere valet vel audet; sed omnes ei fiunt supplices, quia eius rugitum, & minas graviorum malorum formidant. Quocirca Diogenes asserebat divitias nihil aliud esse, quàm velamenta malitiæ: divites enim cùm nihilo sint, aliis meliores, omnia sibi licere putant. ita Laer. l. 6.

Potentiorum iniuria ferenda. Exempla.

Quocirca sapienter Seneca l. 2. de Ira c. 33. *Potentiorum iniuria*, inquit, *hilari vultu, non patienter tantùm ferendæ sunt. Notissima vox est eius, qui in cultu regum consenuerat. Cùm illum quidam interrogaret, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem: Iniurias, inquit, accipiendo, & gratias agendo*. Subdit exemplum Pastoris equitis Romani, qui dum pro filii vita apud Cajum Cæsarem supplicaret, Cæsar ilicò filium necari jussit, ac patrem ad cœnam invitavit: qui dolorem dissimulans, vinum bibebat perinde ac si filii sanguinem bibisset. Quæris, quare? Habebat alterum, quem timebat sibi pariter à Cæsare eripi, si mœstum ei vultum ostendisset. Unde infert c. 34. *Cum pare contendere, anceps est; cum superiore, furiosum; cum inferiore, sordidum*. Idem lib. 3. cap. 14. Præxaspes, inquit, Cambysi regi intimus, eum monuit ut moderatius biberet. Rex offensus ut ostenderet se mentis compotem, filium eius pro scopo statuit, eiusq; cor sagitta transfixit, ac patrem rogavit, an satis certam haberet mentem, & manum? At ille negavit Appollinem potuisse certiùs sagittam collineare. Et c. 15. *Harpagus*, inquit, *quoque tale aliquid regi suo Persarumq; suaserat; quo offensus, liberos illi epulandos apposuit, & subinde quæsiit, an placeret conditura? Cui ille Apud regem, inquit, omnis cœna iucunda est. Funeribus suis ut videndum est*. Ipsemet Seneca indignè tractatus à Nerone discipulo suo, ac tandem enecatus; tacuit, imò gratias egit. *Seneca*, ait Tacitus lib. 14. *qui finis omnium cum dominante, gratias agit*. Vide apologum leonis, asini, & vulpis, quem recitavi cap. 8. 1.

Porrò in die judicii Deus hasce divitis, & pauperis sortes commutabit: tunc enim dives tacebit, pauper fremet, & tonabit, idque merito suæ taciturnitatis, & patientiæ, quam habuit in hac vita. In illo enim die Apostoli ceterique Apostolicam paupertatem amplexi, divites impios condemnabunt: judicabunt enim cum Christo duodecim tribus Israel, omnesque gentes, Matth. 19. v. 28. Unde Christus Lucæ 16. v. 9. *Facite*, inquit, *vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Hisce soliis solentur se pauperes, eisque divites extimescant, ac in pauperes sint benevoli, & benefici, ut eorum quasi suorum judicium sibi favorem concilient.

SI LARGITUS FUERIS, ASSUMET TE ad suam amicitiam, & familiaritatem, ET SI NON HABUERIS, DERELINQUET TE) Secundus est hic modus quo cacabus ollam, id est, dives pauperem affligit, quòd scilicet opes, & crumenam eius emungat. Græca habent, *si utilis fueris*, vel *si utilitatem apportes, operatur in te*, vel *opus per te faciet: sin egebis*, καταλείψει, id est, *deseret te*; Complut. legunt, VERS. 5.

legunt, [illegible], id est *affliget te*, Tigurina, *si quis* A
usus tuus sit [illegible] *colant te; sin egeas, erunt qui te deserant*; Syrus [illegible] *s prosper, colet te; & si pauper evaseris, derelinquet te* [illegible] s enim uti superbi, ita avari sunt, & quo sunt ditiores, [illegible] plura desiderant, juxta illud: *Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Vermis divitiarum est superbia*, ait S. August.

Quocirca S. Ambros. & Beda, imò Spiritus S. divites avaros comparat hirudini, sive sanguisugæ, quia sicut illa sanguinem hominis, sic illi facultates pauperum exsugunt. Proverb. 30. 15. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes, Affer, affer.* Notat Plinius l. 8. c. 10. hirudinem elephanti, dum potat aquam, in ea se hauriendam præbere, ut sic viscera ingrediatur, eiusque sanguinem exsugat: ita divites se suaque offerunt pauperibus, ut eos sibi mancipent, exsugant, & exhauriant. Hinc illud Horatii.

Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Rursum similes sunt alteri animali sanguinis bibaci, quod ita depingit Plinius l. 11. c. 34. *Est animal infixo semper sanguini capite vivens, atque ita intumescens, unum animalium, cui cibi non sit exitus; dehiscitq; nimia satietate alimento ipso* B
immoriens. Ita divites avari expilationi pauperum jugiter inhiant, donec illi immoriantur, & à morte præsente transeant ad æternam.

VERS. 6. SI HABES (opes) CONVIVET (convivabitur) TECUM, ET EVACUABIT TE, ET IPSE NON DOLEBIT SUPER TE) à se evacuato, depauperato, & exhausto. Pro *dolebit*, græcè est πονέσει, id est, *laborabit*, quia labor est dolor, & qui laborat dolet. Verùm Tigurina propriè laborem accipit: vertit enim, *si quid habeas reperies convictorem, qui exinaniet te, nec ipse laboret*, vel *laborabit*: q. d. Ipse tuum, non suum, ideoque illaboratum, comedet panem: ipse tuo labore fruetur otiosus, & iners, nec tibi laboranti collaborabit, sed coget te laborare, ut ipse iners labores tuos comedat. Syrus, *si habueris, iucundas faciet confabulationes suas tecum, & exinaniet te, & ipsi non compatietur, donec faciat voluntatem suam tecum.* Tertius est hic modus, quo dives pauperem affligit, labores ejus devorando, eum evacuando, idque sine suo labore: laborem enim relinquit pauperi, fructum verò ejus sibi otiosus, & delicatus usurpat. Quocirca Solon dicebat opulentiam esse matrem saturitatis, saturitatem ferociæ, ac violentiæ. Divitias comi- C
tatur luxus, luxus exit in tyrannidem, dum fœnum migrat in cornua. ita Laertius lib. 1. c. 3.

Nota Tò *& ipse non dolebit super te*: hoc enim signum est amici ficti, & irrisoris. Verus enim amicus sicut bonis amici, congaudet, ita malis condolet, juxta illud: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*, Roman. 12. Unde Aristot. lib. 9. Ethic. cap. 3. *Amici*, ait, *officium est, condolere de malo amici sicut de proprio.* Et S. August. lib. 9. Civit. cap. 5. *Misericordia* (quæ maximè cernitur in amicitia) inquit, *est alienæ miseriæ in nostro corde compassio, qua utique si possumus, subvenire compellimur.*

VERS. 7. SI NECESSARIUS ILLI FUERIS, SUPPLANTABIT TE (græcè, ἀποδιθεύσει, id est, decipiet te dolosè, sicut qui pedem occultè pedi ambulantis interiicit, itaque eum cadere facit, & supplantat.) ET SUBRIDENS SPEM DABIT, NARRANS TIBI BONA, ET DICET: QUID OPUS EST TIBI?) Quartus est hic modus quo cacabus ollam, id est dives pauperem, confringit: q. d. Si dives tua opera indigeat, eam poscet; sed decipiet te, quia arri- D
dens spem dabit narrando bona quæ potest, & vult conferre tibi; & dicet: Qua re opus habes? dicito mihi: ergo possum, & volo te juvare, promovere, & ad magna evehere. Si eges nummis, edicito, habeo quos tibi mutuem, imò dem: si eges tritico, illo horrea mea plena sunt: si eges vestibus, habeo lanam, pannos, tunicas, quibus te vestiam. Quod ex his vis? quo tibi opus est? Ita magna promittens, vana spe te lactabit, donec operam tuam ei præstiteris: qua habita nihil eorum quæ promisit præstabit, nihil tuæ operæ retribuet. Syrus vertit, *placatus* (placidus) *erit tibi, donec faciat tibi quod desiderat, & decipiet te, & virum felicem vocabit te.* Magna hæc est deceptio divitis, & calamitas pauperis. Nimirum solent divites avari, & superbi magnis, sed vanis, spebus, & promissis lactare pauperes, donec opes, & operas eorum extorqueant, ac deinde calce eos albigent. Quæ sanè magna est ingratitudo, inhumanitas, & crudelitas, adeoque peccatum clamans in cælum, Exodi 3. 7. Hi sunt λογέμποροι, ait Cicero libr. 15. ad Attic. qui promissa, & verba inania pro mercibus venditant, &, ut ait Sallustius in Catilinar. maria montesque pollicentur, juxta illud vulgò tritum: *Sunt Hermodori verba mercimonium.* Et illud Ovidii lib. 1. de Art.

Pollicitis dives quilibet esse potest.

Sapienter, & cordatè Phocion apud Stobæum serm. 1. de Prudentia: *Ne magna promittas, sed magna præstes.* VERS. 8.

ET CONFUNDET TE IN CIBIS SUIS, DONEC TE EXINANIAT BIS ET TER; ET IN NOVISSIMO DERIDEBIT TE. q. d. Excipiet te opiparè, ut tu illum etiam opiparè reinuites, ac sic exinaniat, & derideat te. ET POSTEA VIDENS, DERELINQUET TE, ET CAPUT SUUM MOVEBIT AD TE) Quintus est hic modus quo dives affligit pauperem; nimirum quòd confundat eum in cibis, scilicet, invitando eum ad convivium, ut sic cogat eum ex decentia, & gratitudine vicissim invitare divitem, eique similia convivia, lauta, & splendida instruere, quibus ejus opes exinaniat *bis & ter*, id est, sæpiùs, ac tandem eum jam depauperatum, & exinanitum deridebit, quasi stultum, quòd ei se socium dare, & æquare in conuiviis præsumpserit, cùm sumptibus ferendis non esset par. Quare videns eum ad egestatem redactum, non compatietur, nec succurret, sed deridens & insultans movebit caput dicens: Ecce hunc stolidum, qui mecum in conuiviis instruendis magnificentia certare voluit. Ecce sua stoliditate, & fastu, redegit se ad teruncium, luat nunc pœnas per egestatem, & famem. Unde Tigurina vertit, *parasitando* (adulando) *adiget te ad ignominiam, donec te inanias iterum, & tertiò, & ad extremum etiam derideat. Postea conspicatus te deseret, & caput suum movebit adversum te*; Syrus, *confundet te placiditate sua, donec faciat voluntatem suam in te semel, & iterum: magnificabitur super te, & tunc videbit te, & abscondet se à te, & caput suum movebit contra te.*

Alludit Siracides ad illud Salomonis Proverb. 23. v. 1. *Quando sederis, ut comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.* Ubi Septuag. *& mitte manum tuam, sciens quòd oportet te talia præparare*, ut scilicet par pari reddas, ac simili magnificentia conuivium illi instruas, itaque opes tuas exhaurias, imò debita contrahas, teque, & tuam familiam perdas. Quocirca Aristophanes in Nebulis divites comparat nasturtio, quod ab herbis, & plantis vicinis omnem humorem exsugit, itaque eas arefacit, & enecat, teste Columella libr. 1. de Rerust. cap. 3. Simili enim modo dives exsugit opes pauperis, eumque exuccum, & exanguem reddit: sanguis enim hominis pecunia, ait Comicus. Hinc nasturtium dicitur quasi nasi tormentum, ait Plinius libr. 19. cap. 8. græcè κάρδαμον dicitur, quasi καρδιδάμον, id est sua acrimonia. Sic dives cor pauperum domat, naribusque, & cerebro eius est tormentum, dum illud sollicitum esse cogit, arteique, & modos invenire ad sumptus, quibus divitis magnificentiæ, & sumptibus respondeat, eosque quasi adæquet. Pauperibus ergo ambientibus divitum amicitias dicas illud Osee 7. *Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor*: quia sicut columbæ ita stolidè amant sua columbaria, & hominum amicitia, ut, licet indies videant ab eis ova, & pullos capi, occidi, vorari; tamen velint eis adhærere, cum eis versari, seque eis diripiendas præbere: sic pariter pauperes divites amicos quærentes, eis se spoliandos, & exhauriendos exhibent. Quare quid stolidius.

Aliter explicat Palacius: q. d. Parcissimè dives excipiet te in opere suo laborantem, viles tibi cibos, & parcos dabit: & quia mercede tua te frustrabitur, exinaniet te, ac novissimè irridebit te.

HUMILIARE DEO, ET EXSPECTA MANUS EJUS. VERS. 9.
ATTENDE NE SEDUCTUS IN STULTITIAM HU- VERS. 10.
MILIERIS, NOLI ESSE HUMILIS IN SAPIENTIA VERS. 11.
TUA, NE HUMILIATUS IN STULTITIAM SEDUCARIS) Græca pro his omnibus hæc tantùm habent, *cave ne seducaris mente, & humilieris in lætitia* (hoc est enim ἐυφροσύνῃ, pro quo Noster legit, ἀφροσύνῃ, id est, stultitia) *cordis tui*, Syrus verò, *cave ne tradaris in manus eius, & ne erres in defectu mentis eius.* Nostræ versionis sensus est: q. d. Noli ò pauper, dum eges, te diviti vana promittenti nimis humiliare, eique supplicare, sed Deo esto humilis, & supplex, qui verè præstat quod promisit, & neminem se invocantem deserit: quare *exspecta manus*, id est, auxilium, & beneficentiam, *eius*, non divitis avari, & fallacis. *Attende* & cave, *ne se-*

ne seductus speciosis, sed vanis promissis divitis, *in stultitiam*, id est, stultè, te ei humilies, falsò ab eo vitæ subsidium exspectando. *Noli esse humilis in sapientia tua*: q. d. Credes forsan sapientiam esse, diviti humiliare ad emendicandum victum: at cave, ne per hanc creditam, sed falsam & fallacem sapientiam ei humilieris, alioqui in ea, quam putas esse sapientiam, seduceris, deprehendesque tuo damno, eam non fuisse sapientiam, sed stultitiam. Non negat Siracides, quin pauper possit diviti humiliari, ab eoque opem petere; sed jubet ne ita ei humilietur, ut omnes spes suas in eo reponat, neglecto & posthabito Deo; ne ita totus confidat in homine, ut ab eo suspensus pendeat, oblitus Dei sui, sed potiùs Deo fisus, parui æstimet hominum subsidia. juxta illud: *Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus*, psalm. 117. 9. Et: *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus*, psalm. 145. 3. Et: *Beati omnes qui confidunt in eo*, psalm. 2. 12. Et: *Maledictus homo qui confidit in homine*, &c. Ierem. 17. 5.

Rursum vetat, ne humiliet se diviti seductori, qui pauperem vana spe exhauriat, & postea frustretur ac deludat, imò à se pauperatum irrideat, hæc est enim magna stultitia & seductio. Unde Nota. *Tò seducaris*, generale est, & multa complectitur, scilicet Primò, depauperationem pauperis ob spes illusorias divitis. Secundò, seductionem à fide, qua scilicet pauper à divite infideli vel hæretico cogitur fieri infidelis, vel hæreticus, si ab eo vitæ subsidia exspectare velit. Qua ratione hoc ævo multi pauperes à mercatoribus Calvinistis & Lutheranis in hæresim abducti sunt, dum eorum opera in texendo, farciendo, fabricando &c. uti noluerunt, nisi fidem, id est, perfidiam suam, amplecterentur. Ita Rabanus, qui legit, *ne in stultitiam*, id est, stultos errores, *seducaris* à vera fide. *Non humilitatis virtutem dissuadet*, inquit, *quæ in omnibus laudabilis est, sed auctoritatem firmam contra expugnatores veritatis tenere docet, quia nullo modo his est cedendum, sed fortiter resistendum*. Sicut S. Paulus se iis restitisse scribit Gal. 2. & 5. & 2. Corinth. 10. v. 4. & 5. Judas v. 22. Tertiò, seductionem à castitate, justitia & sancta vita. Sic enim hodie multi pauperes à divitibus aluntur, ut eorum libidini, fraudibus, sceleribus subserviant; quibus sanè nimis vili pretio castitatem, sanctitatem, & animam suam vendunt. Sensus ergo adæquatus est: *Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitia seducaris*. q. d. Noli putare, quòd sapientis sit, cuicumque te humiliare, & substernere, ne humiliatus, & deceptus, serò agnoscas, & deplores tuam stultitiam, id est, irritas spes tuas, errores, libidines, &c. ad quas te potens cui nimis humiliaris, deducet. *Noli esse humilis*, id est, pusillanimis, *in sapientia tua*, tibi à Deo data, *ne humiliatus*, id est, pusillanimis factus, *in stultitiam seducaris*, veritatem relinquens pro falsitate verbis compositis colorata, ait Lyran. ne facias per pusillanimitatem animi, contra id quod dictat sapientia, id est, stultum aliquid, iniquum, & impium. Sapientia enim, & virtus nulli, licet potentissimo, ad scelus subdi se patitur, sed omnibus heroicè, & generosè dominatur. Qui secùs facit, insipienter, & stultè facit, instar bruti cameli, qui poplites flectit, ut in dorsum onera, eaque ingentia suscipiat. Unde Etymologicum Græcum, & Evenus Parius apud Artemidorum in Onirocrit. libr. 1. c. 5. censent *camelum* dici quasi camerum, ἀπὸ τοῦ κάμπτειν τοὺς μηρούς hoc est, à curvando femur: *Quia animal dictum camelus*, inquit Evenus, *media femora curvat, ut puta juxta crurum altitudinem concisum ac decurtatum; unde etymon, & originatio eius Græcis κάμηλος quasi* [illegible], *hoc est curvans femora*. Idem docet Horus Apollo in Hieroglyph. Licet probabilius Cæl. Rhodig. lib. 7. c. 18. Varro lib. 4. de Lingua Latina dicant, *Camelus suo nomine Syriaco in Latinum venit*, Hebræi enim & Syri dicunt גמל *gamal*, unde Latinum, & Græcum *camelus*. Priori etymo simile dat Isidorus, & ex eo Aldrovandus in Camelo, *Camelis*, inquiunt, *nomen dedit causa, quòd quando onerantur, ut breviores & humiles fiant, procumbant, quia Græci χαμαὶ humile, & breve dicunt*. Sic stultè humiliant se mundani, dum ad bona terrena procumbunt, eaque in dorsum suscipiunt, neglecto Deo, & cælo. Unde his appositè dixit Christus Matth. 19. 24. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum*. Nam, ut ait S. Ambros. serm. 65. *Sicut illum* (camelum) *parvum foramen non capit oneratum mole membrorum: ita & hunc* (divitem) *introitus sanctus non suscipit gravatum cumulo delictorum. Uterque habet propriam sarcinam suam: ille oneratus est carnibus, iste peccatis: & sicut ille inhabilis est angustissimæ acus cavernæ, ita & hic inconveniens est beatissimo Dei regno: nisi quòd camelum corpore compositum natura; hunc autem pravum voluntas efficit.*

Cameli etymon & symbolum.

Huc facit apologus Æsopi de camelo: *Cùm primùm*, inquit, *visus est camelus, homines perterriti, & magnitudinem admirati fugiebant. Ubi verò progressu temporis cognoverunt ipsius mansuetudinem, confisi sunt eousque, ut ad eum accederent. At intellecto paulo post belluæ non inesse bilem, eò contemptus iere, ut & fræna ei imponerent, & pueris agendam traderent.* Sic infrænat homines viles dæmon, & mundus, cogitque suis cupiditatibus servire, omniaque mundi onera gestare, ut omnium fiat ludibrium. Huc quoque facit apologus formicæ, philomelæ, & apis, quem refert Cyrillus lib. 2. Apologorum moral. c. 13. cujus titulus: *Contra eos qui alta adepti magnipendunt magna, & alta. Cùm formica tranquilla æstate, acquisitis recens alis, de terra latibulis in liquidum aerem evolasset, in amœna densis frondibus arbore iubilantem philomelam invenit. Cui dixit: Tu quid es? At illa respondit: Sum animal volatile, sed quietè iubilo luce pacata fruens. Deinde cùm apem circumvolantem vidisset, sciscitata quò tenderet, mox audivit illam discurrere per flores ex quibus sibi pastum mellis colligeret. Quibus auditis magni pendens dominationem alarum gaudens, & grata naturæ dixit: Gratias tibi ò natura; quoniam simul de profunditate, & obscuritate terrena, atque de sollicitudine congregandi, & labore portandi me ereptam, in hoc loco lucis atque florum vernantium, & animalium quiescentium, ac favi stilla fruentium constituisti.* Sed audi celsitudinis pericula quæ subiicit. *Igitur cùm locus iste illam non modicum delectaret, nec ex toto eam propter alas providentia dimisisset, ab ape doceri petivit, si qua pericula ibi essent. Quæ dixit: Plura certè, nimirum desuper spiritus procellarum, lateraliter ventorum impetus, nunc frigus, nunc æstus: hinc ungula volucrum de rapina viventium, inde retia tensa lateraliter aranearum. Ad hoc illa respondit: Effugiam omnia iuvante providentia. Verùm postquam rapidissimo pede, tali æstate transacta, mellificis adultis deficientibus, gaudiosæ quieti hiemis tempestas successit; procella de sursum irruente atque eam cum vento pellente, nec non frigoris extrà, & famis intrà pernicie ipsam circumdante; mox ex alto formica descendens, solitum cœpit effugium in antiquo territorio requirere.* Vide hic superbientis depressionem, & calamitatem. *Cùm itaque necessitate cogente ad dimissum latibulum accurrisset, & clausum reperisset, pulsanti ab ostiaria responsum est, Unde venis, & quid portas? Cui illa, De aere, inquit, venio, & alas mecum porto. Mox illa: Nullum, inquit, hic alatum genus habitat; & qui non secum detulit fructum, inviolabili lege hinc excluditur. Tunc desperata formica locum aereum detestans, & primum laudans, exclamavit: Cognosco certè fallacem celsitudinem lucis huius mundi à sapientibus fugiendam, utpote quiete privatam, securitatis nesciam, hinc inde innumeris vallatam angustiis, & vitalis vacuam libertatis. Quàm felix sanè est illa fovea obscuritatis humilis, semper stabilis, undique tuta, dulcis amicarum sororum politia, honorumvitalium regio quietis plena! & sic in malis formica prudentia quidem reddita, vita tamen ejus per superbiam est interempta.*

Apologus superbi.

Præclarè S. Ambros. lib. de Iacob. c. 8. *Manet*, inquit, *semper inter adversa & delectabilia perfecta virtus, neque adversa de perfectione eius quidquam minuunt, neque delectabilia adiungunt perfectioni.* Et post nonnulla: *Perfecti enim viri est communitatem naturæ sustentare animi virtute, & ad meliora adducere, nec succumbere iis quæ plerisque terribilia & formidolosa videntur, sed quasi fortem militem gravissimorum casuum sustinere incursum, conflictus subire, & quasi providum gubernatorem navim in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus magis vitare naufragium sulcando undas, quàm declinando.* Huc facit apophthegma B. Laurentii Iustiniani: *Vera humilitas in secundis est modestia, & demissa, in adversis erecta, & magnanima*, ita habet Vita eius c. 9.

Sicut ergo est nimia justitia, de qua dicitur Eccles. 7. 17. *Noli esse iustus multùm* (ubi vide nostrum Pinedam septem modos seu species nimiæ justitiæ assignantem) sic est, & præpostera nimiaque humilitas. Alioqui quisque sapiens debet esse humilis in sapientia sua: scientia enim inflat: quare res mira, & rara est, vir sapiens, & humilis. Viri graves, teste Ribaden. in Vita S. Patris nostri Ignatii, in Societate Iesu admirati sunt tria, sive tres rerum dissimilium combinationes, scilicet Primò, tantam humilitatem coniunctam cum sapientia; Secundò, tantam obedientiam cum tanta prudentia; Tertiò, tantam castitatem cum tanta iuventute. Verùm sicut omnis virtus, utpote consistens in medio duorum extremorum vitiorum, suum habet excessum, & nimium, sic habet, & humilitas.

Sicut

Sicut ergo summum jus summa est injuria, & summa sapientia summa est insipientia; sic & summa humilitas summa est vilitas. Talis est, quando filius se humiliat, obeditque parenti præcipienti, ut furetur, quando servus nimis humiliter obedit hero jubenti violari præcepta Ecclesiæ, quando Religiosus viliter obedit Superiori mandanti illicita. Talis est quoque cùm Superior nimis se demittit, cum jactura auctoritatis, de qua S. August. in Regula c. 40. & habetur 86. dist. c. *Quando*, *Quando*, inquit, *necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos dura verba compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut à vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimiùm servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* Occasione ergo pauperum nimis se divitibus humiliantium, profertur hæc à Siracide sententia generalis, quæ tamen multis aliis in rebus locum habet.

Moral. de humilitate.

Moral. Nota, quod ait, *Humiliare Deo*, verissimum, justissimum, utilissimum, & sanctissimum esse. Tum, quia humilitas propriè est virtus divinæ debita majestati, ait S. Bernard. hæc enim majestas exigit, ut nos profundissimè sub ea demittendo, summè, & immensè, si fieri posset, eam colamus, & veneremur. Unde S. Petrus epist. 1. c. 5. 6. *Humiliamini*, ait, *sub potenti manu Dei*. vide quæ ibi dixi. Tum, quia Deus jam incarnatus humilitatem summam exemplo docuit magis quàm verbo, dicens: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*, Matth. 11. Unde S. Bernard. serm. 1. de Nativit. *Quid*, ait, *magis indignum, quid detestandum ampliùs? quid graviùs puniendum, quàm ut videns propter te Deum parvulum factum, ultrà apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentia est, ut ubi sese exinanivit maiestas, vermiculus infletur, & intumescat.* Et S. August. Soliloqu. c. 1. *Noverim me, noverim te, ut amem te, & contemnam me.* Porrò S. Anselm. libr. de Similit. c. 100. & sequ. septem recenset gradus humilitatis. Primus est, culpam non occultare, sed agnoscere: Secundus est, de ea dolere: Tertius, eam confiteri: Quartus, *ut hoc ipsum quod confitemur, ita esse persuadeamus: tunc enim pura est confessio, si eam sequitur voluntaria persuasio.* Quintus, ut talem se ab aliis judicari consentiat: Sextus, ut, cùm ei aliqua injuria fit, ita eam suscipiat sapienter, quasi commodum sibi magnum fieret: Septimus, non tantùm tunc non murmurare, sed & vindictam Dei amare, eique gratias agere. *Tunc enim Deo grata est satisfactio, cùm in eius mente qui satisfacit nulla manet murmuratio, sed pia iugiter fervet dilectio.*

Septe gradus humilitatis.

Porrò in omni occupatione, loco & tempore summè debemus Deo animam humiliare, sed maximè in oratione. Causam dat S. Bernard. serm. de Quatuor orandi modis. *Omnino oportet*, inquit, *orationis tempore curiam intrare calestem, illam utique curiam, in qua Rex regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili, & ineffabili beatorum spirituum exercitu. Unde & ipse qui viderat, quia majorem numerum non invenit: Millia, ait, millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet, à palude sua procedens, & repens, ranuncula vilis? Quàm tremebundus, & supplex, quàm denique humilis, & sollicitus, & toto intentus animo, maiestati gloria, in præsentia angelorum, in concilio justorum, & congregatione, assistere poterit miser homuncio? In cunctis igitur actionibus nostris multa opus est animi vigilantia, sed præcipuè in oratione. Nam licet omni hora, & omni loco, oculi Domini super nos speculentur, maximè tamen in oratione. Porrò quamvis ubique sit Deus, in cælo tamen orandus est, ibique orationis tempore cogitandus: ut mens nostra non oratorii tecto, non aeris spatio, non ipsa retardetur nubium densitate, juxta eam formam, quæ nobis à Christo tradita est, ubi ait: Sic orabitis, Pater noster qui es in cælis*, &c. Unde idem serm. 7. in Cant. docet angelos assistere orantibus. *Credimus*, inquit, *sanctos angelos astare orantibus, offerre Deo preces, & vota hominum, ubi tamen sine ira, & disceptatione levari puras manus perspexerint. Probat hoc angelus ita loquens ad Tobiam: Quando orabas cum lacrimis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino.*

Modi quatuor orandi.

VERS. 11. *Monita agendi cum principibus.* *Primum.*

ADVOCATUS A POTENTIORE DISCEDE: EX HOC ENIM MAGIS TE ADVOCABIT) Tigurina, *si te potens advocet, tu refugites, tantoque illa te vocabit magis, ac sæpiùs.* Hoc enim significat Græcum ὑποχώρει, quod habent Complut. Syrus, *accedente ad te divite, esto elongans ab eo.* Huic affine est illud Salomonis Proverb. 25. 17. *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne fortè satiatus oderit te. Docuit nos*, inquit Palacius, *ut principum aulas fugiamus, quantum scilicet est ex nostra voluntate. Quid si illi nos vocant? respondet: Discede. Ubi cave intelligas, non esse veniendum, imò parendum est eorum mandato: nec licet ab illo discedere. Sed sensus est, Ubi advocatus à potentiore, venisti, discede quàm primùm liceat ab aula: non placeat ibi consistere. Ea enim ratione magis te ille vocabit. Magis enim cupimus ea, quibus caremus, quàm quæ ad manum habemus: cupimus enim semper negata.* Hinc sponsa vocata à sponso dicente Cant. 5. 2. *Aperi mihi soror mea*, &c. *quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*, subduxit se, prætexens: *Expoliavi me tunica, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Verè Livius lib. 5. *Spreta*, inquit, *in tempore gloria, interdum cumulatior redit.* Et certum est quòd continuus aspectus magnos etiam viros, nimia satietate, minùs verendos facit, quia familiaritas parit contemptum. Et Euripides in Hippolyto.

Heu, heu modestia, quomodo ubique pulchrum quid,
Et gloriam bonam inter mortales affert?

Rursum, si peracto negotio cum principe, ob quod eò evocatus es, illicò discedas, ostendes; Primò, te non ambire aulas; Secundò, te revereri principem; Tertiò, te esse modestum; Quartò, te amare vitam privatam, & silentium. Quæ omnia cùm sint virtutes raræ majorem tui amorem, admirationem, & cupiditatem principi concitabunt, ut te rursus, & sæpiùs advocet: uti Saul Davidem ab aula in suam Bethlehem regressum ad se revocavit, & Cardinalis Ostiensis, ceterique crebrò ad se evocabant S. Franciscum ob ejus humilitatem, modestiam, & sanctimoniam. Mirè enim principibus placent humiles, & sancti. Idem videre, & fecere Philosophi. Lacides Cyrenæus accersitus ab Attalo rege, respondit, *imagines eminus esse spectandas*, innuens arctam, assiduamque familiaritatem sæpè minuere virtutis admirationem. ita Laert. lib. 4. c. 8. Diogenes Cynicus Alexandri Magni visitationem neglexit, imò despexit: paucis enim quæ natura dabat contentus, dicebat se Alexandri gratia, & donis non indigere. Quam animi celsitudinem admirans Alexander dixit: *Si non essem Alexander, vellem esse Diogenes.* ita Laert. Plutarc. & alii in Alexandri, & Diogenis vita. Longè celsior fuit Eliseus, qui 4. Reg. 3. 13. vocatus à Joram rege Israel idololatra: *Quid*, inquit, *mihi & tibi est? vade ad Prophetas patris tui*, &c. *Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quòd si non vultum Josaphat regis Juda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. Nunc autem adducite mihi psaltem*, &c. Sic S. Antonius parvi faciebat literas Constantini Magni ad se missas, ideoque magis ab eo colebatur. Idem fecit S. Hilarion, S. Simeon Stylites, S. Macarius, ceterique Ascetæ, & Anachoretæ. Scitè Plutarch. censuit *non secùs agendum cum rege, quàm cum rogo.* Sic salutariter virum clarissimum Hecdicium Apollinaris Sidonius hortabatur epist. 3. lib. 3. *Actutum in patriam receptus cavere festina, & assiduitatem tuam periculosæ regum familiaritati celer exime; quorum consuetudinem spectatissimus quisque flammarum naturæ benè comparat, quæ sicut paululùm à se remota illuminant, ita satis admota comburunt.*

Post recensita incommoda familiaritatis cum divite, & magnate, nunc docet qua ratione cum eis agendum, & versandum sit: qua de re utilia dat præcepta. Primum est hoc: *Advocatus à potentiore discede.* Sequitur secundum:

NE IMPROBUS SIS, NE IMPINGARIS: ET NE LONGE SIS AB EO, NE EAS IN OBLIVIONEM) q.d. VERS. 11. *Secundum.*
Ne improbè, id est, importunè (sic Virgil. 1. Georg. ait: *Labor omnia vincit improbus*, id est, assiduus, importunus, insatiabilis. Ibidem anser vocatur *improbus*, id est, importunus. Sic Quintil. lib. 11. cap. ult. ait: *Perfricare frontem, & quasi improbam*, id est, inverecundam, *facere.* Et Plautus: *Improbiorem non vidi faciem mulieris.*) te ingeras potentioribus, *ne impingaris*, id est, ne extrudaris, & ejiciaris: sed neque nimis te elonges ab eo, ne tui obliviscatur, ac favoris & beneficiorum eius quibus indiges, vel quandoque indigebis, sis expers. Græcè, μὴ ἔμπιπτε, quod Romana vertunt, *non intrudas te, ne expellaris; & ne longè distes, ne eas in oblivionem*; alii vertunt, *ne irrue, ne repellaris; & ne absistas, ne oblivioni deris*; Tigurina, *ne ingeras te, ut ne temere* (hoc enim est ἐμπίπτειν, id est, sine judicio, temere) *rejiciaris; nec rursum abscedas procul, ne oblivioni tradaris*; Syrus, *ne appropinques, ne abiiciaris & ne elongeris, ne odio habearis.* Ita Alex. Magnus rogatus, *quomodo ad principem sit accedendum?*

Improbus, id est importunus.

respondit. *Tamquam ad ignem, ut neque ad eum valdè propè accedas, ne comburaris: neque longè nimis abscedas, ne frigeas, & non calefias.* Secùs se res habet cum Deo: vult enim ipse utpote optimus, nos quàm proximè & frequentissimè ad se accedere, nihilque tam probum quàm in hoc accessu esse improbum & importunum. Ita fecit Psaltes psal. 72. *Ut iumentum*, inquit, *factus sum apud te, & ego semper tecum.* Et: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Vide parabolam amici ab amico media nocte postulantis panes, & ob improbitatem, id est, importunitatem, suam impetrantis, qua Christus Dominus significat nostros ad Deum preces debere esse continentes & importunas, Lucæ 11.8.

VERS. 14. NE RETINEAS ÆQUO LOQUI CUM ILLO) q. d. Ne sustineas loqui cum principe, quasi par cum pari, sed quasi inferior cum superiori. Legit Noster ἰσηγορεῖσθαι id est, *æquo loqui*: ἴσος enim est æqualis. Iam legunt ἐννηγορεῖσθαι id est, *alloqui*. Tertium hoc est documentum agendi cum principibus. Noster Emmanuel Sà putat esse hyperbaton, verba enim esse trajecta, sicque ordinanda: q. d. Retine, id est, contine te, ne ex æquo loquaris cum illo, quasi æqualis cum æquali. Verùm hæc dura, & obscura est trajectio. Dico ergo, *Ne retineas*, id est, ne te retentes, cùm potentem alloqueris, ne in alloquio ejus diu persistas: quod illi faciunt, qui sibi in dicendo placent, & protrahunt sermonem in longum, quamdiu eis libuerit. Unde Græcum μὴ ἔπεχε aliqui vertunt, *ne intende*, contende, protende, *sermonem*; Syrus verò vertit, *ne confidas colloqui cum illo*; Tigur. autem, *ne dubites colloqui cum illo*. Græcum enim ἐπέχω multa, & quasi contraria significat, scilicet retinere, sustinere, exspectare, cunctari, differre; item incumbere, immorari, applicare, admovere, obtinere, instare. Omnia hæc licet in speciem contraria inter se, rectè congruunt, huicque loco adaptari possunt: q. d. *Ne confidas*, id est, ne confidenter, liberè, audacter, inverecundè loquaris cum principe, quasi familiaris, & par cum pari; ideoque ne æquo loquacior retentes & prolonges sermonem cum eo: cum principibus enim adeò occupatis, qui tam multos audire debent, paucis, & bene præmeditatis, ac præconceptis verbis agendum est, ne cum tædio eorum auribus, & tempore quis abutatur: vicissim tamen non ita retentes sermonem, ut principem quasi numen aliquod inaffabile vereare, nec alloqui audeas, quin potiùs ne dubita cum eo loqui: esto enim sit princeps, est tamen & homo similis tui, atque ad hoc princeps constitutus est, ut te & cæterorum subditorum querelas & postulata audiat, eisque quoad potest satisfaciat. Exemplum sit Eumenes rex, qui fratribus suis crebrò dicere solebat: *Si me ut rege usi fueritis, vobis tamquam fratribus gratificabor: sin autem tamquam fratre, ego vobis ut rex.* ita Anton. in Melissa p. 2. serm. 1. Ita aquila gaudet aliarum avium comitatu, quæ illam sequuntur, ut prædæ eius sint participes: at si nimis propè accedant, indignans aquila eas invadit, & necat. Ita Alexander Magnus Callisthenem sibi intimum sustulit, eò quòd liberior esset, & loquacior, ait Dio libr. 59. Et Apollodorus architectus rogatus ab Adriano Imp. quid censeret de fabrica Fani Veneris, cùm ingenuè diceret, sibi videri minùs congruè fabricatum, ab eo enecatus est, ait idem Dio. Præclarè Plutarch. in Moral. *Sicut*, inquit, *in vulnere priùs apparet sanguis quàm plaga, & sicut priùs emicat fulgur, quàm tonitru audiatur; ita apud multos principes prius erumpit condemnatio quàm probatio, & perit delatus priusquam coarguatur.* Unde subdit Siracides.

Tertium.

Exempla.

NEC CREDAS MULTIS VERBIS ILLIUS(Est hoc quartum monitum agendi cum principe. Causam subdit: EX MULTA ENIM LOQUELA TENTABIT TE, ET SUBRIDENS INTERROGABIT TE DE ABSCONDITIS TUIS) Tigurina, *multis enim sermonibus pertentabit, & quasi per risum arcana tua rimabitur*; Syrus, *ne credas multitudini sermonum eius, quia multitudo sermonum eius tentationes, & vexat te, donec videat finem tuum.* Solent enim principes blandiri, multaque promittere ut secreta pernoscant, præsertim contra se tacta vel facta aut facienda, ideoque multis interrogationibus quasi per risum, & jocum pertentant suos. Hinc solent propinare vina, & inebriari, vel exhilarare eos, quorum secreta expiscari volunt: ebrie enim rogati quiduis edicunt. In vino enim veritas. Hoc est quod ait Horatius de Arte poetica:

Quartum.

Dicuntur reges magnis urgere culullis,
Et torquere mero quos perspexisse laborant.

Ita fecit Josephus scriptor Antiquit. Judaic. ut ipse de se refert in Vita sua. Rursum *ne credas multis verbis illius*, ut amittas reverentiam, induasque libertatem, & audaciam, qua ex æquo, & quasi par cum pari liberè loquaris. Alioqui ubi te audaciorem ipse viderit, texet tecum multa verba, per quæ tentet, & exploret te quasi per risum, familiariter & jocosè, ut sequitur.

IMMITIS ANIMUS ILLIUS CONSERVABIT VERBA TUA: ET NON PARCET DE MALITIA ET DE VINCULIS) Perperam quidam manuscripti verba transponunt, sicque legunt, *de absconditis tuis immitis animo illius, & conservabit* (alii, *non servabit*) *verba tua*. Vide Francisc. Lucam in Notis hic. Sensus est: q. d. Immitis enim animus verba tua perpendet, &, si ex illis cognoscat aut suspicetur te aliquod crimen commisisse, vel minùs ei amicum fidumque fuisse, aut aliquid contra eum machinari, non parcet te affligere, & vincire, sed tradet te vinculis & torturæ. *Malitia* enim, græcè κάκωσις, idem est quod maleficium, sive afflictio. Græca contrariè habent, *immisericors est, dicta non servaturus, nec affligere te, vincireque parsurus.* ita Tigurina, q. d. Promittet tibi impunitatem, imò præmia, ut liberè dicas si quid contra illum dixeris aut feceris, vel ab aliis dictum aut factum, vel faciendum scias: at ubi illa dixeris, & revelaris, promissa non servabit, sed te incarcerabit, & puniet acriter. Syrus, *sine misericordia reddetur retributio, & non parcet animabus* (vitæ) *multorum*: q. d. Multos quos prodideris ei adversarios, occidet, etiamsi contrarium promiserit, imò iurarit. VERS. 15

Moraliter Palacius: *Habent aulici*, inquit, *ex hoc textu primùm, principes id habere, quòd dissimulatores sint: ut enim explorent pectus tuum, mille verborum technis id committunt. Habent secundò, quòd sint animo immiti: nam mitis longè distat à superbo, quales solent principes esse. Habent tertiò quòd ut plurimùm offensi non parcunt, quin offendant, & lædant eum à quo se læsos arbitrantur. Interim non tales sunt omnes: sed Auctor videtur in durum principem incidisse.* hæc Palacius. Exemplum sit Thomas Morus Angliæ Cancellarius, Henrico VIII. intimus, quamdiu rex in fide, & castitate persitit; Exemplum Th. Mori.
ast ubi incestas Annæ Bolenæ nuptias ambivit, Thomam dissentientem sentiens carceri inclusit, ac tandem gladio peremit. Unde hunc aulæ ludum prævidens, imò pervidens, Morus ad amicum hisce versibus de eo lusit:

Sæpè mihi iactas faciles ut principis aures
Liber, & arbitrio ludis ut ipse tuo.
Sic inter domitos sine noxa sæpè leones
Luditur, at noxa non sine sæpè metu.
Infremit incerta crebra indignatio causa,
Et subitò mors est qui modò ludus erat.
Tuta tibi non est, ut sit secura voluptas,
Magna tibi est, mihi sit, dummodo certa, minor.

Huc facit apologus philomelæ & accipitris apud Hesiodum lib. 1. de Diebus & oper. Philomela enim capta ab accipitre rogabat ut sibi parceret, quòd parva esset, & canora, nec sufficiens ejus ventri implendo. Cœpit ergo suaviter canere, corde licet anxio. At accipiter: Prædam, inquit, certam habeo, illam pro incerta non dimittam. Philomelam ergo laceravit, & voravit. Ita subinde faciunt suis familiaribus principes, & tyranni.

Apologus philomelæ

CAVE TIBI, ET ATTENDE DILIGENTER AUDITUI TUO (quid audias, quid scilicet roget princeps). VERS. 16.
QUONIAM CUM SUBVERSIONE TUA id est, cum periculo subversionis tuæ, AMBULAS) Tigurina *fac tibi caveas, & auscultes perquam attentè, quia cum ruina tua ambulas.* q. d. Ut vincula, & mala iam dicta à principi tibi inferenda effugias, cave tibi, & dum quid te interrogat, noli præproperè respondere; sed priùs benè perpende quid ab eo audias, quid scilicet roget, & quo fine; quoniam agis cum eo qui te fortunis, statu & vita evertere potest: quare ita responsum tuum compone, & tempera, ne tibi vel aliis periculum crees. Unde explicans subdit:

AUDIENS VERO ILLA (quibus scilicet te tentat VERS. 17.
QUASI IN SOMNIS VIDE; ET VIGILABIS) *in somnis* ne referas ad *audiens*, q. d. Audito verba principis quasi in somnis, id est, æstima promissa ejus non esse veracia, sed fallacia quasi somnia. Sed refer ad *vide* & *vigilabis*, q. d. Cùm audis interrogata principis, noli dormitare, & oscitanter respondere, ne verbis tuis improvidè prolatis capiaris, & allaqueeris; sed esto similis ei qui in somnis videt aliquod grave malum vel periculum sibi imminens, ideoque illicò somnum discutit & evigilat, ut illud à se propulset: ita & tu omnes vires animi advoca, & vigilanter cogita quid

ta quid respondere debeas. Igitur quasi *in somnis*, id est quasi noctu vigil attentissimè, & secretissimè hoc ipsum considera, & præmeditare. Hunc sensum exigunt Græca, quæ sic habent, *cùm hæc audies in somno tuo, evigila*; Tigurina, *hæc audiens per somnum tuum vigila*; Syrus, *cave, & esto advertens, quia cum raptoribus ambulas*. Unde Palacius: Audiens, inquit, verba principis, videaris tibi tuam perditionem, velut per somnium aspicere, quæ res faciet te vigilantem, & attentum Aut: Ut qui somno pressus est, nulli alii rei attentus sit, nisi illi quam somniat, ita tu attentus esto principis verbo.

VERS. 18. OMNI VITA TUA DILIGE DEUM, ET INVOCA ILLUM IN SALUTE TUA) Græcè, *in* vel *ad salutem tuam*, ut scilicet te salvet à quovis periculo; Tigurina, *per omnem vitam tuam ama Dominum, & eum in salutem tuam invoca*. Appositè hanc sententiam præcedentibus subiungit, quia per eam periculi iam dicti remedium efficacissimum assignat, scilicet Dei amorem & invocationem: q. d. Ne periculum bonorum vel vitæ incurras, cùm examinaris & tentaris à principe per incautum aliquod responsum, cura ut per omnem vitam Deum diligas, eumque invoces: ipse enim se diligentes, & invocantes tuetur, & dirigit, ut salvi & incolumes per quævis pericula incedant; ipse linguam tuam frænabit, & moderabitur; ipse verba tua ita disponet, & componet, ut nullum tibi creent periculum, juxta illud: *Hominis est præparare animam, & Domini gubernare linguam*, Proverb. 16. 1. Aliter Palacius: *Nota Secundò*, inquit, *illud, in salute tua, quasi dicat, Indignissimum est, nec in salute, nec in infirmitate invocare: indignum est in sola infirmitate clamare: dignissimum, & in infirmitate & in salute ardenter invocare. Nec enim in salute innumera nos miseria premere cessant, ac ideò clamare constringunt. Nota Tertiò, plenum est periculo, Dei in salute oblivisci, iuxta tritum illud Augustini: Justè moriens obliviscitur sui, qui vivens oblitus est Dei*. Aptè dilectionem jungit invocationi, quia alterutra sola non sufficit: nec enim Deus te è periculo liberabit, licèt enim diligas, nisi & opem ejus invoces aut licèt eum invoces, si non & eumdem diligas. Voces enim & vota impiorum non audit Dominus, & *dona iniquorum non probat Altissimus*, uti dicit c. 34. 23. Hoc ergo est optimum in omni periculo, tentatione & tribulatione remedium, scilicet amare & invocare Deum, juxta illud psal. 144. *Propè est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate*.

Præclarè S. Bernard. serm. 3. inter parvos: *Sicut anima*, ait *vita est corporis, ita Deus vita est animæ: & sicut corpus mortuum est, quod per quinque sensus ab anima non vegetatur, ita anima mortua est, quæ per hæc Domino non humiliatur*. (Vita animæ est Deus.) Idem in Sententiis: *Est ergo vita animæ veritas, sensus charitas*. Et Rabanus: *Cæteris*, ait, *reprobatis quæ mutabilia & caduca sunt, hoc solum quod stabile & mansurum est, commendas. Hoc est, ut Deum diligas, & mandata eius conserves, & auxilium eius quotidie implores. Quoniam bonus est Dominus sperantibus in se, animæ quærenti illum*, Thren. 3. Quapropter causa cur vita diligendus sit, est, quòd Deus sit quasi anima, & vita animæ nostræ, Deuter. 30. 20. ac proinde æquum est ut quod corpus præstat animæ idipsum anima præstet Deo, & ob eius amorem cuncta faciamus. ita D. Thom. opusc. 61. de Dilect. Dei cap. 20. & S. August. in Meditat. c. 32. Sicut ergo corpus omnes vires, & nervos occupat in obsequium, & conservationem animæ, à qua se vitam, sensum, & motum habere non ambigit; & nihil aliud timet nisi ab anima separari, aut ab eius amplexibus avelli: itidem faciat anima Deo, illi omnes actiones, affectus, cogitationes offerat, & consecret, propter illum afflictiones, dolores, & tribulationes omnes sustineat: si orat, ut illi placeat, oret: si psallit, ut eum collaudet, psallat: quidquid agit, agat ut eum colat, & veneretur: nullam rem capessat vel inchoet, nisi eius amore, & reverentia. Quocirca S. Gregor. Nazianz. orat. de cura pauper. *Non tam sæpè*, ait, *respirare oportet quàm meminisse Dei*. Deus enim continuò, & continenter nobis benefacit, nobisque animam, & vitam jugiter inspirat & creat. Et Hugo Victor. l. 3. de Anima: *Sicut nullum est momentum, quò homo non utatur ac fruatur tua bonitate & misericordia, sic nullum debet esse momentum quo te præsentem non habeat in memoria*. Cingit enim nos Deus, & circumdat undique sua præsentia, operatione & essentia, velut aqua, aer, ignis, imò oceanus bonorum omnium. Unde S. August. in Confess. lib. 10. c. 27. suspirat & gemit: *Serò te cognovi pulchritudo tam antiqua, tam nova, serò te amavi. Væ tempori illi quando non amavi te. Væ mihi & iterum væ si quando non amaverim te. Utinam potiùs non essem, quàm essem aliquando absque te*.

Praxin piam hujus præcepti per modum jugis præsentiæ Dei, seraphicè docet Seraphicus S. Bonavent. in epistola sua, qua memorabilia 25. complectitur. (Praxis jugis præsentiæ Dei.) *Vigesimum secundum*, ait, *quòd Deum semper & ubique habeas in memoria, ut solutus ab omnibus creaturis, tanto mentis conatu desiderioque fervore circa tuum creatorem intendas, ut quasi omnium inferiorum oblitus, quidquid agas, & ubicumque steteris, & quibuscumque negotiis implicueris, die ac nocte, omni momento, & hora Deum semper habeas in memoria, credens & cogitans te esse verissimè coram eo, & ipsum cogitans undique te aspicere. Hæc autem cogita cum magna reverentia ac timore pariter & amore, & cum magna discretione; nunc ante pedes immensæ maiestatis eius prostratus, corde amarissimo peccatorum veniam postulando; nunc sacratissimæ passionis filii Dei gladio compassionis coram eius cruce vulneratus, cum eo lacrymosus & flebilis apparendo; nunc totius vitæ illius decursum, obliquitati tuæ velut rectitudinis lineam proponendo; nunc inenarrabilia & immensa beneficia Dei mente pertractans, gratiarum actionibus insistendo; nunc stimulis ipsius amoris ardentissimè punctus, ipsum in creaturis omnibus intuendo; nunc potentiam, nunc sapientiam, nunc bonitatem & clementiam eius attendens, eum devotissimè in suis operibus collaudando, nunc desiderio patriæ cælestis attractus, ad ipsum gemebundis suspiriis anhelando; nunc circa nos viscera inæstimabilis charitatis eius aspiciens, iucabunda quadam & excessiva admiratione corde & animo in ipso deficiendo; nunc te præcipitem, nunc te fugientem, nunc te ruentem; nunc Deum te tenentem, sublevantem, retinentem & attrahentem; nunc Deum te ingratum per omnia conversantem considerans, ineffabilibus divinæ misericordiæ visceribus tibi patefactis, nimio in ea charitatis ardore te constrictus, totum te fletibus resolvendo; nunc verò occultissima, profundissima & summè arcana, nimiumque stupenda iudicia iustitiæ eius diligenter attendens, eum in omnibus fidelis & constans cum summo amore, ingenti quoque timore ac tremore, districtus, supplex & humilis venerando: præ omnibus autem continuam, & vivam memoriam ipsius sacratissimæ passionis in animo & corde tuo ferens, ei quantum potes studeas conformari*.

VERS. 19. OMNE ANIMAL DILIGIT SIMILE SIBI: SIC ET OMNIS HOMO PROXIMUM SIBI. OMNIS CARO AD SIMILEM SUI CONIUNGETUR (Græcè συνάγεται id est, VERS. 20.
coniungitur, id est, coniungi solet: unde meliùs vertit Noster, *coniungetur*: Hebræi enim morem & consuetudinem solent exprimere per futurum.) ET (id est, *sic*, similiter, pariter) OMNIS HOMO SIMILI SIBI SOCIATUR.) Græcè, *omnis caro secundùm genus* (secundùm speciem; Hebr. למינו lemino Vide Genes. cap. 1. vers. 11. 12. 21. 24.) *congregatur, & vir*, id est, quisque homo, *simili sibi agglutinabitur*.

Redit ad thesin totius capitis, scilicet quemque cum æquali sibi conversari debere, non cum ditiori vel potentiori, idque probat ex simili cęterorum animalium. Omne, inquit, animal diligit & conversatur cum sibi simili, ut philomelæ cum philomelis, cygni cum cygnis, oves cum ovibus; sic & homo cum proximo suo, puta cum homine: homo enim familiaris est homini, non leoni, equo, alterive animali. Unde Syrus vertit, *ex omni carne, sibi & generi suo adhæret homo*. Sicut ergo *omnis caro*, id est omne animal, ad simile, sive congener sibi, *coniungetur*, id est coniungi solet; sic *omnis homo simili sibi*, tum in moribus, tum in opibus, *sociabitur*, putà justus cum justo, pauper cum paupere; non autem vice versa justus cum iniusto, pauper cum divite. (Simile gaudet simili.) Nam, ut ait Aristot. l. 8. & 9. Moral. *similitudo est causa amoris*. simile enim gaudet simili. Ex adverso *dispares mores*, inquit Cicero l. de Amicitia, *disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias: nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quòd tanta est inter eos, quanta maxima esse potest, morum studiorumque distantia*. Plutarh. tract. de Discrim. adulatoris & amici:

Seni, inquit, *senilis lingua iucundissima est,*
Puerque puer, & mulier apta feminæ:
Aegrotus itidem ægroto, & in malis situs
Exercito malis placet, atque congruit.

Laertius adducit & illud: *Canis cani videtur pulcherrimus, bovi bos, asino asinus, & sus sui*, Plato lib. 8. de Legibus: *Amicum*, inquit, *vocamus simile simili, quoad virtutem, & æquale æquali*, Huc facit illud Aristot. 8. Moral. *Semper graculus assidet graculo*. Unde *graculus* græcè vocatur

κολοιὸς

κολοιὸς à κολλῶ, id est conglutino. Et Varro graculos Latinis inde dictos vult, quòd gregatim volent: licet Quintilianus malit dictionem à graculorum voce confictam. Et illud Theocriti idyllio 9.

Formicæ grata est formica, cicada cicadæ:
Accipiter placet accipitri.

Idem potiori ratione accidit in hominibus. Vide S. Chrysost. homil. 34. in 1. ad Corinth. ubi ostendit primum caput, & fundamentum diligendi proximum, esse ipsum Adam, primum omnium parentem, & communem quam ex eo trahimus naturam humanam: licet Siracides hic similitudinem potiùs conditionis, & morum quàm naturæ spectet, eamque dicat conciliare amicitiam. Præclarè Nazianz. in Tetrastichis:

Benignitatis dogma quod contractius?
Quales apud te proximos esse expetis,
Sis talis ipsis.

Huc facit proverbium Hebræorum quod recitat R. Juda in lib. Musar: *Dixerunt*, inquit, *sapientes nostri fœlicis memoriæ, Omnis avis prope genus suum habitat, & omnis homo prope similem sibi*: ciconiæ enim habitant cum ciconiis, non cum aquilis; aquilæ cum aquilis, non cum ciconiis.

Ratio à priori.

Rationem à priori dat Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 11. & lib. 8. cap. 1. & seq. *Quoniam*, inquit, *quod secundùm naturam est, iucundum est, omniaque genera inter se coniuncta secundùm naturam coniuncta sunt; idcirco ut plurimum quæ similia sunt ac genere coniuncta, iucunda sunt, ut homo homini, equus equo*. Ratio ergo est, quòd qui amat simile, amat naturam suam, hoc est amat seipsum: v. g. homo amat hominem, quia amat suam naturam humanam, quam videt eamdem, non numero, sed specie in alio homine. Eadem enim specie humanitatis est in omnibus hominibus, sed in singulis per differentiam individualem contracta, factaque singularis, & propria. Cùm ergo quilibet homo amet humanitatem in semetipso, velut suam naturam, eamdem quoque amat in alio, utpote eamdem secum, saltem specie, & consequenter suam: quare hominem habentem humanitatem amat, tamquam habentem eamdem planè naturam quam ipse habet, hoc est, tamquam alterum se. Igitur eum amat, quia amat se, suamque essentiam, & naturam, cujus alter est compos, & particeps: amat enim suam naturam ubicumque illa sit.

Similitudo ergo hæc, est identitas naturæ, non numerica, sed specifica: de qua proinde rectè ait S. Ambros. *Nihil tam secundùm naturam, quàm amare naturæ consortem*. Idem est in similitudine qualitatis, v. g. sapientiæ, sanctitatis, &c. Hæc enim similitudo, est identitas qualitatis, non numerica, sed specifica. Sapiens ergo amat sapientem, justus justum, quia sibi similem; hoc est, quia eamdem specie habet dotem, & qualitatem sapientiæ, & virtutis, eamdem, inquam, specie, non numero. Accedit, quòd similia similibus nutriantur, conserventur, augeantur; dissimilibus verò, & contrariis interimantur. Hinc animalia similia simul vadunt pabulatum, fugiunt verò dissimilia. Unde Hippocrat. lib. de Ratione victus: *Dissimilia*, inquit, *in locis similibus consistere non possunt, sed non agnita vagantur; quæ verò se agnoscunt, commiscentur: siquidem concordia inter se conveniunt, discordia pugnant. Propterea hominis anima numquam nisi in homine augetur degitue, magnorum quoque animalium similiter*. Galen. etiam lib. de Inæqual. temper. de discrasia inæquali. *Non homo*, inquit, *hominem morsu perimit, neque vipera viperam, neque aspis aspidem; simile siquidem simili conveniens est atque amicum, contrarium inimicum atque molestum*. Idipsum ad ægros, & morbos extendit Hippocr. lib. 1. Aphoris. 1. & lib. 5. Disertè Avicen. lib. 1. c. 1. *Ægritudo*, inquit, *suo medicatur contrario, & conservatur sanitas suo simili*. Et Albert. Magnus lib. 7. cap. 2. *Omnis*, inquit, *natura desiderat simile sibi, nisi sit omnino destituta, & deducta ad inæqualitatem, & discrasiam: tunc enim desiderat contrarium; sicut febricitans febre calida, & sicca, desiderat frigidum & humidum, non quidem ut illo nutriatur; sed potiùs ut contrarii passionem facientis reducatur, & reprimatur excessus. Secundum igitur desiderium est ad simile complexioni, & connaturalem cibum*.

Idem locum habet in herbis, & plantis: palma enim gaudet palma, platanus platano, cypressus cypresso: unde ut ramus unius arboris alteri inseratur, debet illi esse similis. Audi Columellam lib. 5. de Re rustica cap. 11. *Omnis*, inquit, *surculus omni arbori inseri potest, si non est ei, cui inseritur, cortice dissimilis. Si verò etiam similem fructum, & eodem tempore affert, sine scrupulo egregiè inseritur*. Subdit deinde, *antiquos veluti pro lege sanxisse, eos tantum surculos posse coalescere, qui sunt cortice, & fructu consimiles iis arboribus, quibus inseruntur*.

Idem quoque verum est in loco, & re locata. Nam ut ait Aristot. l. 4. de Cælo textu 23. & 25, *Locus est conservativus rei locatæ, à virtute naturali quæ est in loco: unde ferri in proprium locum, est ferri ad simile, & ad perfectionem*. Denique rationem jam datam confirmat S. Thomas 1. 2. qu. 27. art. 3. ubi hunc locum Ecclesiastici citat, ut probet similitudinem esse causam amoris. *Ex hoc enim*, ait, *quòd aliqui duo sunt similes, quasi habentes unam formam, sunt quodammodo unum in forma illa: sicut duo homines sunt unum in specie humanitatis, & duo albi in albedine: & ideo affectus unius tendit in alterum, sicut in unum sibi, & vult ei bonum sicut & sibi*.

Porrò maximè amorem conciliat similitudo morum, amorum, & virtutum: vide Aristot. lib. 8. Ethic. cap. 8. ubi docet, amicitiam, & amicum magis consistere in eo ut amet, quàm ut ametur, esto redamationem requirat: *Æqualitas*, inquit, *& similitudo amicitia est, & præcipuè ea quæ est ex virtute similitudo: cùm enim stabiles per se ipsi sint, etiam inter se mutuò permanent*, &c. *bonorum siquidem est, neque ipsos peccare, neque amicis permittere: pravi autem firmitatem nullam habent*. Audi Rabanum: *Cùm multa sint genera amicitiarum, solummodò hoc unum est genus insolubile charitatis, quod nec commendationis gratia, nec officii, vel munerum magnitudo, contractùsve cuiusquam ratio, vel naturæ necessitas jungit; sed sola similitudo virtutum: hæc est, quæ nullis umquam casibus scinditur, quam non solùm dissociare vel dolore locorum vel temporum intervalla non prævalent, sed ne mors quidem ipsa devellit. Hæc est vera, & indisrupta dilectio, quæ gemina amicorum perfectione, ac virtute concrescit. Cuius semel initum fœdus, nulla adversitas mutare potest, nec desideriorum varietas violare. Cætera verò interrumpit frequenter ac dividit locorum discretio, & oblivio temporalis, & verbi, vel causæ, negotiorùmque contractus. Ut enim ex diversis, vel lucri, vel libidinis, vel consanguinitatis, ac necessitudinum variarum societatibus acquiri solent, ita intercedente qualibet diversitatis occasione solvuntur*.

Mor. de cõmuni vita sectanda.

Moral. similitudo, & parilitas actuum in congregationibus conciliat aliorum amorem, & benevolentiam, singularitas verò parit odium. Quare qui in monasterio, vel cœtu cupit amari, & pacificè cum ædificatione vitam degere, communem sequatur mensam, communem vestitum, communes occupationes, communia exercitia. Nam qui singulares esse, & videri cupiunt, & ab aliis se sequestrant, hi omnibus sunt odiosi, hos omnes notant, omnes judicant; & novæ eorum vivendi rationi detrahunt. Vide nostrum Alvarum de Pax de Spiritali vita lib. 5. c. 36. Hoc innuit Siracides dicens: *Omne animal diligit simile sibi, & omnis homo proximum sibi*.

Tropol. Sicut creatura gaudet sibi simili, sic & creator. Vis ergo placere Deo; stude indies magis, & magis ei assimilari, in ejus attributis divinis, sapientia, bonitate, justitia, puritate, integritate, sanctimonia. Qua de re vide S. Thomam opusc. 62. quod est de divinis moribus. Vis placere Christo? æmulare ejus humilitatem, patientiam, crucem, charitatem. Ipse enim ait: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, Matth. 11. 29. Et Apostolus Eph. 5. 1. *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis*. Hinc Secundò, adverte, ait Palacius: *Quid Deus, quia amavit hominem, homo factus est, ut verè amaret sibi similem, ut amaret proximum, & caro carni simili coniungeretur*. Tertiò, *Igitur si omne animal sibi simile amat, cur nos non amemus Christum nobis similem, & qui ideò similis nobis factus est, ut amaretur?* Quartò, *Quomodo, ò Rex altissime, voluisti nobis coniungi? famelus (liceat dicere) canibus: aut certè dives, & tam dives tam pauperibus?* hæc Palacius.

Paradigma charitatis est circulus.

Appositum dilectionis Dei, & proximi paradigma, Dorotheus doctrina 6. assignat circulum. Sicut enim, inquit ipse, lineæ totum circulum per medium secantes, quo magis à circumferentia elongantur, eo magis centro approximant, in eoque coeunt, & uniuntur: sic quo magis à mundo recedimus, eo magis accedimus ad Deum, qui est animæ nostræ centrum, in eoque magis colligimur, & unimur. *Quo enim*, inquit, *magis à Dei dilectione recedimus, eo magis & à pro-*

à proximi amore distamus. quantum verò Dei charitati adhæremus, tantum & proximi; quantumque proximo, tantum & Deo conjungimur. Eadem enim virtute charitatis, qua diligimus Deum, diligimus & proximum propter Deum: sicut eadem visione, qua videmus lumen, videmus & colorem per lumen revelatum.

VERS. 18. SI COMMUNICABIT LUPUS AGNO ALIQUANDO, SIC PECCATOR IUSTO) repete *communicabit* Pro *si*, aliqui legunt *sicut*: Græca habent, id est, *quid communicat lupus cum agno?* Exemplis firmat suam thesin; q. d. Nequit esse communio, & societas inter lupum & agnum, quia inter ea est naturalis antipathia, & perpetuum dissidium, adeò ut agnus viso lupo illicò fugiat, quia lupus eum persequitur, laniat & devorat: sic pariter nequit esse societas inter peccatorem, & justum, quia in illo dominatur peccatum, in hoc justitia, quæ toto cælo distant, imò sibi invicem extremè adversantur. Unde Tigur. vertit, *quale est lupo cum agno commercium, talis est ad pium scelerosi ratio*: quia sicut lupus agnum, sic impius pium odit, persequitur, detrahit, & sæpè mactat. Appositè impium comparat lupo, ob sævitiam, rapacitatem, voracitatem; justum & pium agno ob mansuetudinem, innocentiam, continentiam, & quia similis est Christo, qui ab Isaia, Jeremia, Davide, S. Joanne, & aliis passim repræsentatur per agnum. Causas dixi Apocal. 5. 6. Dicit itaque diviti pauperum vitam, labores & sanguinem non minùs dulcescere, quàm carnem agninam lupo. Tyrannus ergo lupus, & leo, & hyæna est. Porrò Agnus hic noster divinus tantæ potentiæ & virtutis est, ut faciat agnos tutò conversari cum lupis, imò lupos vertat in agnos, sicut Saulum mutavit in Paulum, de quo prædixerat Jacob: *Beniamin lupus rapax manè comedet prædam, & vespere dividet spolia* Genes. 49. 27. Hoc est portentum sæculorum omnium, quod aureo Christi ævo spectandum stupet Isaias c. 11. 6. *Habitabit*, inquit, *lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos*. Vide ibi dicta.

Apologus lupi & agni. Alludit ad apologum Gabriæ (qui, ut dixi v. 3. Platonem & Siracidem antecessit) illo ævo celebrem de lupo & agno, quem ita affert Phædrus libertus Augusti Cæsaris l. 1. Fabul. c. 1. Ad fontem levandæ sitis causa convenerant lupus & agnus. Lupus mox jurii causam intulit: *Cur*, inquit, *turbulentam mihi fecisti aquam?* Cui agnus: *Qui possim id facere lupe, cùm tu superiùs consistas, & aqua à te ad me profluat?* Repulsus veritate lupus: *Ante hos sex menses*, ait, *maledixisti mihi*; respondit agnus: *Equidem tunc necdum natus eram*. Instat lupus: *Pater tuus maledixit mihi*. Atque ita correptum lacerat iniusta nece. Affabulatio: *Sic potentes, dum nocere volunt fictis causis innocentes opprimunt*. Citat hanc lupi, ovem non ratione, sed potentia vincentis, fabulam S. Basilius epist. 80. ad Eustathium medicum quòd calumniantium ipse non ratione, sed potentia superetur, cùm ipse sit innocens ut agnus.

Lupus symbolum sævitiæ & gulæ. Symbolicè, lupus symbolum est cupiditatis, indeque noxæ & sævitiæ: lupus enim sævit in alia animalia, ut ea vorando suæ gulæ satisfaciat: agnus verò, utpote sola puraque herba victitans, symbolum est societatis, indeque puritatis & innocentiæ. *Primò.* Nam Primò, lupi tanta est ingluvies, ut, etiamsi satur sit, si præda occurrat, illicò quod comedit egerat vel evomat, ut prædam vorare possit. Sic gulonum mens non aliud sapit nisi escarum saporem, *quorum proinde non alia est occupatio*, ut ait S. Bernard. *quàm ingerere, digerere, egerere*, nimirum ingerunt ut digerant, digerunt ut egerant; comedunt ut vomant, vomunt ut comedant. An non asotia hæc porcina est & lupina? de hisce dicitur:

Sunt quibus in solo sapientia tota palato est.

Secundò. Secundò, lupi vis adeò maligna est, ut, si equus lupi vestigia calcet, obstupescat & obtorpescat. Audi Plinium lib. 28. 10. *Tanta vis est animalis* (lupi) *ut vestigia eius calcata equis afferant torporem*. Abortire etiam equam ferunt, si lupi vestigia contingat, teste Orof. Quocirca Ægyptii mulierem abortientem repræsentabant per equam lupi vestigia calcantem, ut refert Pierius lib. 11. quæ res significat lupi naturam planè feram, malignam & indomabilem, quæ cicurari nequeat. Sic prorsus fera & indomabilis est gula & cupiditas, quæ proinde hominem se sequentem & obsequentem obstupefacit, imò torpefacit, ut videatur mente captus; nec sapiat, nec capiat res divinas & salutiferas, sed videatur esse lupus & brutum.

Tertiò, remedium contra hanc lupi vim obstupefacientem sunt dentes ipsius lupi, ab ipso evulsi. Audi Plinium A lib. 28. cap. 19. *Dens lupi adalligatus infantium pavores prohibet, dentientesque morbos: quos & pellis lupina præstat. dentes quidem eorum maximi, equis quoque adalligati, infatigabilem cursum præstare dicuntur*. Et superiùs: *Lupi adeps illitus vulnus mollit, dolores etiam iecur. Carnes lupi edisse parituris prodest: aut si incipientibus parturire sit iuxtà qui ederit, adeò ut etiam contra illatas noxas valeat*. Ita in malo natura posuit remedium, uti, & fecit in vipera: ex carnibus enim viperæ fit theriaca, quæ curat viperarum aspidumque morsus, ac contra venena est antidotum. Similiter gulæ remedium est, dentes illi evellere, hoc est, eam mortificare, & resecare: guloso enim adimere delicias, & vina, perinde est, æquè durum, ac si illi dentes evellerentur. Mortificatio gulæ ergo tollit spiritalem animæ torporem, eamque facit agilem, & celerem ad omne bonum, præsertim ut multas animas lucretur, & pariat Christo. Hinc à lupis, & lupinis dentibus, fræna equorum asperrima dicta sunt lupi, & lu- B pata, quòd duritiem habeant lupinorum dentium; & quia inæqualia sunt æquè ac lupini dentes, ideoque morsus eorum fit asperrimus, ait Servius. Unde Ovidius:

Asper equus duris contunditur ora lupatis,
Dum placido duros accipit ore lupos.

Hi lupi, & lupati, hæc fræna gulæ, & cupiditatis, est ipsa ejusdem mortificatio, & continentia, qua quasi fræno omnes animi sensus corporisque membra cohibemus, frænamus, domamus, ut ad normam rationis, & virtutis incedant.

Nota. Tantum est dissidium odiumque lupi, & ovis, ut etiam post mortem perduret: *Nam mortua oves mortuum lupum timent*, ait Oppianus lib. 3. Cyneget. Argumento sit, quòd fides lupinæ, & ovinæ in cithara numquam consonant, sed semper dissonant. Adhæc, si pulsetur tympanum factum ex pelle ovina, licèt pulsetur, teste eodem, Oppiano, & Alberto Magno lib. 2. in lupo. Unde impius Ziscas dux C hæreticorum in Boemia, jussit ex corio suo post mortem tympanum fieri, ut eo pulsato Catholici metu correpti in prælio diffugerent, teste Krantzio in Vvandalia libr. 11. c. 9. Apposite: nam hoc ipso lupum imitatus, lupum gregis Dominici, hoc est, hæreticum, se esse professus est, juxta illud Christi: *Attende à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*, Matth. 7. 15. Lusit hoc elegantes Alciatus in emblemate, cui titulus, *Vel post mortem formidolosi*: *Ovis vel post mortem timet lupum.*

Cætera mutescunt, coriumque silebit ovillum,
Si confecta lupi tympana pelle sonent.
Hanc membrana ovium sic exhorrescit, ut hostem
Exanimis quamvis non ferat exanimem.
Sic cute detracta Ziscas in tympana versus,
Boemos potuit vincere Pontifices.

Similiter pauperem compares damæ timidæ, divitem superbum lupo vel leoni, juxta illud Martial.

D *Dente timetur aper, defendunt cornua cervum,*
Imbelles damæ quid nisi præda sumus?

Ex dictis collige quanta, quamque magnifica, & potens sit gratia Dei, & Christi nostri, quæ tam contraria inter se charitate jungit, & consociat, juxta illud Isaiæ 11. 6. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit*. Fecit hoc ad literam S. Franciscus, qui Eugubii lupum mirè noxium ita cicuravit, ut is innoxius quotidie per urbem ambularet, petens annonam sibi necessariam, quam illi à civibus dandam promiserat S. Franciscus, si noxa abstineret. Fecit & S. Gerasimus (malè aliqui hoc tribuunt S. Hieronymo) qui leonem docuit comitari, & custodire asinum, necessaria bajulantem ad cœnobium, uti habetur in Vitis Patr. Fecit, & S. Florentius qui ursum mansuefecit, oviumque custodiæ præfecit, uti refert S. Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 15. *Sancti cicurantes lupos.*

Spiritaliter idipsum quotidie facit, dum nobiles cum E plebeiis, divites cum pauperibus, principes cum subditis in eadem Ecclesia ac Eucharistiæ mensa conjungit, imò lupos in agnos transmutat, dum efferos, & barbaros Christi jugo subjiciat, humilesque, & mites quasi agnos efficit.

Memorabile est quod in Vita S. Andreæ Corsini Fæsulani Episcopi legimus. Mater enim ejus gravida sibi per somnium visa est parere lupum, qui ecclesiam ingressus, agnus evaderet. Quod paulò post rei declaravit, & comprobavit eventus. Nam cùm adolescens venationibus vitam ducere, arma tractare, rixas prosequi parentes negligere, aliaque hujusmodi agere cœpisset, eumque mater increpans, quòd illum à Deo precibus impetrasset, somnium *Mira mutatio S. Andreæ Corsini.*

prædi-

prædictum ei narrasset; valdè commotus, statim ecclesiam Carmelitarum ingressus, cùm preces fudisset, repentè quasi de lupo in agnum mutatus, in illorum Religiosorum familiam recipi humiliter petiit, & impetravit: in qua mira sanctitatis laude vixit, ac deinde creatus Episcopus Fæsulanus, sibi austerus, aliis beneficus, miraculis claruit. Hac de causa Christus dixit suis: *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, ut scilicet ex lupis faciatis agnos, Lucæ 10. 3.

Vers. 22. QUÆ COMMUNICATIO SANCTO HOMINI AD CANEM? AUT QUÆ PARS DIVITI AD PAUPEREM) Legit Interpres ἁγίῳ, id est, sancto, vel ὑγιεινῷ, id est, sano: iam Græca habent ὑαίνῃ, id est, *hyenæ*. Rursum pro *communicatio* & *pars* græcè est eadem vox εἰρήνη, id est, *pax*: unde pro *pars* Jansenius, & alii censent legendum *pax*. Sic ergo habent Græca, *quæ pax hyenæ cum cane, & quæ pax diviti cum egeno?* Tigurina, *quis consensus est inter hyenam, & canem, id est, inter divitem, & pauperem?* ita & Syrus, *quid concordiæ erit hyenæ cum cane, aut quam concordiam habebit dives cum paupere?* Hyæna est species lupi, vel lupo affinis, quæ capitales cum cane gerit inimicitias, quia insidiatur ovibus, quas protegunt canes, uti docet Ælian. lib. 7. Histor. animal c. 22. & Plinius lib. 8. c. 30. *Hyænis*, inquit, *utramque esse naturam, & alternis annis mares, alternis feminas fieri, parere sine mare, vulgus credit, Aristoteles negat. Collum, & iuba continuitate spinæ porrigitur, flectique nisi circumactu totius corporis nequit. Multa præterea mira traduntur; sed maximè sermonem humanum inter pastorum stabula assimulare, nomenque alicuius addiscere, quem evocatum foras laceret. Item vomitionem hominis imitari ad sollicitandos canes, quos invadat. Ab uno animali sepulchra erui, inquisitione corporum. Feminam rarò capi. Oculis mille esse varietates, colorumque mutationes. Præterea umbræ eius contactu canes obmutescere.* Sicut enim hyena insidiatur cani, eumque obmutescere, & obstupescere facit, opprimit, & devorat; sic, & dives pauperem. Plura de hyænis dixi Habacuc c. 1. v. 8. Jeremiæ 12. & alibi.

Nostræ Latinæ versionis hic est sensus: Quæ potest esse communicatio hominis sancti cum cane, id est, cum immundo, iniquo, & impio? sic & quæ *pars*, id est, participatio sive communio, potest esse divitis cum paupere? q. d. Nulla par, & æqua, sed omnis impar, & iniqua. Canis enim natura sua, utpote rixosus, gulosus, impudens, fœdus, & vomitum suum resorbens, nunc æquè ac lege veteri, immundum est animal, adeò ut nec pretium ejus offerre liceret Deo in templo, juxta legem Deut. 23. 18. Hinc Judæi Gentes, ob infidelitatem, & impuritatem vitæ, vocabant canes: unde Christus, *Nolite dare sanctum canibus*, Matth. 7. 6. Et: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*, ut scilicet miracula Judæis quasi filiis debita, faciam canibus, id est, Gentilibus, qualis erat Chananæa postulans filiam possessam à dæmone liberari, & sanari, Matth. 15. 26. Sic Diogenes vocatus est Canis & Cynicus, id est, caninus, ob caninam impuritatem, impudentiam, & mordacitatem. Vide de cane, & immundis S. Gregor. 20. Moral. c. 9. & S. Ambros. lib. 2. de Pœnit. c. 9. & S. Hieron. in c. 6. Matth. 5.

Audi Rabanum: *Sicut*, inquit, *rapacitas lupi cum agni innocentia non convenit, sic avari rabies, cum simplicis modestia nullo modo concordat. Quæ est enim communicatio sancto homini ad immundum pollutumque sordibus peccatorem? Quia sicut canis revertitur ad vomitum suum, ita qui iterat stultitiam suam. Itaque nulla paritas est superbi divitis, cum humilitate pauperis Christi. Ille enim ad prehendendum semper paratus est: iste ab omnibus sæculi illecebris se abstinet. Ille proximum per elationem mentis despicit: iste adversarium suum per humilitatem patientiæ sustinet. Sed ille imitator diaboli factus, de sublimi in tartarum decidit: iste verò vestigia Christi secutus, de terrenis ad cælestia regna conscendit.* Similibus luculenter probat Paulus, fidelibus non licere inire connubia cum infidelibus, 2. Corinth. 6. 14. *Nolite*, ait, *iugum* (conjugii) *ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi.* Quæ omnia à pari, imò majori, facilè adaptes fugæ peccatorum. Si enim justus debet adeò fugere commercium iniquorum, multò magis ipsius peccati: qui enim peccatum perpetrat, quantum in se est, jungit in eadem anima sua justitiam cum iniquitate, lucem cum tenebris, Christum cum dæmone, fidem cum infidelitate, templum Dei cum idolo diaboli. Simile est illud Jerem. c. 23. 28. *Quid paleis ad triticum*, ubi Chaldæus: *Sicut paleam à tritico*, inquit, *sic separo impios à iustis, dicit Dominus.* Similia plura acuta habent Philosophi, ut Athenæus lib. 5. *Quid scuto & sceptro?* Stratonicus: *Aliud sceptrum, aliud plectrum* Suidas: *Quæ specillo & gladio communio?* Item: *Quid lecytho, & strophio? quid cani & balneo?*

Nota. Probat Siracides pauperes non debere ambire societatem divitum tribus similitudinibus. Prima est: sicut hyenæ non convenit cum cane, sic nec diviti cum paupere. Secunda v. sequ. sicut leo venatur onagros ut devoret, sic & dives pauperem. Tertia v. 24. sicut superbus abominatur humilitatem, sic & dives pauperem. Rursus conjungit, & combinat duas hasce antitheses, scilicet, justi cum impio, & pauperis cum divite, quasi pauperes ferè sint justi, & divites impii: juxta illud: *Omnis dives, aut iniquus, aut iniqui heres.* Nescio enim, quæ sympathia, & mystica cognatio est virtuti, & pietati cum paupertate, & pauperibus: *Infirma* enim *mundi elegit Deus*, 1. Corinth. 1. 27. Et: *Pauperes evangelizantur*, Matth. 11. 5. Versa vice nescio quæ antipathia sit potentioribus, & ditioribus cum justis pauperibus, & humilibus, imò cum ipsa justitia, paupertate, humilitate, & pietate, ut in illud potissimùm incumbant, quomodo possint vexare, expilare, & opprimere mansuetos terræ. Vide Ezech. 22. 29. Hæc quoad naturam corruptam, quam multi domant, & superant per gratiam, & virtutem. — *Tres similitudines.*

VENATIO LEONIS, ONAGER IN EREMO: SIC ET PASCUA DIVITUM SUNT PAUPERES) q. d. Sicut leo venatur onagros in deserto, eosque occidit, & devorat; sic & dives pascitur substantia, & laboribus pauperum. Tigurina, *præda leonum onagri sunt in deserto, iidemque pascua divitum pauperes*; Syrus, *cibus leonis onagri qui in deserto, sic pascua divitis pauperes.*

Onager. Græca est vox ὄναγρος, significans asinum silvestrum: componitur ex ὄνος, id est, asinus, & ἄγριος, id est, silvestris. Porrò leones venantur onagros, eosque maximè appetunt ad cibum, tum quia leo, cùm sit ferus, ferinam carnem, qualis est onagri, appetit, eaque illius gustui optimè sapit præ ceteris feris; tum, quia onagri in desertis abundant; tum, quia onagri omnesque asini natura sunt frigidi, ideoque timidi, imbelles & debiles. Unde Virgil. 3. Georg. ait: *Timidos onagros agitare cursu.* Hac de causa natura onagris miram velocitatem, & pernicitatem ad fugiendum indidit. Unde Oppianus onagris tribuit *ungulas bonas, & robustas, & velocitatem vento comparandam.* Leo igitur quia audax, robustus, & pugnax, dominatur onagris quasi timidis: idem quia calidus, pascitur iisdem quasi frigidis. Appositè ergo pauper, quia tenuis, debilis & timidus, comparatur onagro: dives verò quia robustus, audax & pugnax, leoni. Accedit, quòd asinus servile sit animal, omniaque onera dorso excipiat: sic & pauper servit diviti, omniaque ejus onera humero suo excipit. Patheticè Salvianus libro 4. de Gubern. Dei: *Venatio leonis*, ait, *onager in eremo, sic pacua sunt divitum pauperes: quamvis tyrannidem hanc non pauperes tantùm, sed penè universitas patiatur generis humani. Quid enim aliud omnium dignitas sublimium, quàm proscriptio civitatum? aut quid aliud quorundam, quos taceo, præfectura, quàm præda? Nulla siquidem maior pauperculorum est depopulatio, quàm potestas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, ut cunctorum vastatione solvatur. Quo quid esse indignius, quid iniquius potest? Reddunt miseri dignitatum pretia, quas non emunt: commercium nesciunt, & solutionem sciunt. Ut pauci illustrentur, mũdus evertitur.* Huc facit quod Lucianus in Menippo lucianicè ait, apud inferos sancitum esse, ut animæ opulentorum ad nos rediture, in asinos vertantur, ut à pauperibus exagitarunt, sicut ipsi dum viverent, pauperes exagitarunt. Pauperes enim solent esse agasones, & asinos stimulare; nimirum, paupertas divitiis inhiantes, velut agaso asinum, insequitur & stimulat. Quocirca divitem avarum Hieroglyphici comparant gryphi, avi fortissimæ & rapacissimæ, de qua Solinus cap. 25. asserit, *in Asiatica Scythia terras esse locupletes, inhabitabiles tamen: nam cùm auro & gemmis affluant, gryphes tenere universa, alites ferocissimas, & ultra omnem rabiem sævientes, quarum immanitate obsistente, accessus advenis difficilis ac rarus sit.* Unde Nicol. Reusnerus lib. 2. emblem 35. — *Emblema*

Solus aves vincit cunctas qui naribus uncis,
Quem leo, quem tigris, quem pavet acer equus.

De gryphe multa fabulati sunt poetæ: sed quid vere sint gryphes, docui Levit. 11. v. 13. Hoc est quod ait Iob c. 24. 4

Subver-

Subverterunt pauperum viam, & oppresserunt pariter mansuetos terræ. Ita subinde miseri agricolæ sunt præda nobilium, & militum: miseri mechanici præda sunt causidicorum avarorum, ait Palacius. Hi enim insidiantur pauperi, ut leo in spelunca sua. psalm. 9.

Tropol. S. Ephrem in Parænesi 1. priorem *huius* versiculi partem sic adaptat monachis: *Sicut leo*, inquit, *formidabilis est onagris, ita monachus contrarius esse debet desideriis malis*. vel, ut alii legunt: *Leo formidabilis est onagris, & talem se monachus ostendat adversus desideria conscientiæ improbæ*.

Leoninum imperium quale?

Leo ergo symbolum est rapacis, violenti & tyranni. Audi S. Ambros. libr. 5. Hexam de leone: *Cuius voci tantus naturaliter inest terror, ut multa animantium, quæ per celeritatem possent impetum eius evadere, rugientis eius sonitum velut quadam vi attonita atque icta deficiant, atque ipsi in prædam cedant.* Similis est rugitus tyranni. Audi Phavorinum apud Stobæum ser. 48. *Tyranni*, inquit, *vultus semper ac vox minax: si leges denuntiet, graviores pœnas intentat quàm delicta promereantur: si adhortationes habeat, semper ad terrorem se componit, & nunquam sine minis loquitur, ut cives vel ea ratione exterriti acquiescant*. Audi & Senecam l. 1. de Clementia c. 26. *Quòd istud, dii boni, malum est, occidere, sævire, delectari sono catenarum, & civium capita decidere, quocumque ventum est multum sanguinis fundere, aspectu suo terrere ac fugare? quæ alia vita esset, si leones ursique regnarent? si serpentibus in nos, ac noxio cuique animanti daretur potestas? Illa rationis expertia, & à nobis immanitatis crimine damnata, abstinent suis, & tuta est etiam inter feras similitudo: apud homines tantum, nec à necessariis quidem rabies temperat sibi.*

VERS. 24. ET SICUT ABOMINATIO EST SUPERBO HUMILITAS: SIC ET EXECRATIO DIVITIS PAUPER) Quia sicut superbus odit humilitatem, sic dives odit paupertatem; hinc consequenter aversatur, & pauperem, quasi paupertate humilem, ideoque vilem, & despicabilem, ac proinde nequit esse societas inter pauperem, & divitem, sicut nec inter superbum, & humilem. Tigur. *humilitas superbo est execrabilis, & item pauper abominatur diviti. Sensus consequentiæ*, ait Palacius, *ita explicandus erat: ut est abominatio superbo humiliari: ita diviti depauperari, sive pauperem esse. At, quia Auctor maluit dicere, pauper, quàm paupertas, cogimur ita exponere: Abominandum est superbo in deiectionem incidere; & execrandum est diviti in pauperem incurrere, quem deglubere, & expilare non possit. Intellige de divite avaro esse mentionem, cui sterile pratum abominatio est.*

VERS. 25. DIVES COMMOTUS CONFIRMATUR AB AMICIS SUIS. HUMILIS AUTEM CUM CECIDERIT, EXPELLETUR ET A NOTIS) Probavit pauperi non esse familiariter versandum cum divite, tribus similitudinibus: nunc idem probat per varias dissimilitudines, quibus ostendit dissimilem, & disparem esse conditionem, sive sortem, pauperis, & divitis, ac proindè minùs inter se convenire, minusque rectè inter se componi, & sociari.

Sortis pauperum & divitum differentia prima.

Prima est: *Dives commotus*, græcè σαλευόμενος, id est, agitatus, conquassatus, fluctuans, nutans, illicò firmatur ab amicis, qui ei consilio, & auxilio omni ope, & opibus succurrunt, ut labantem erigant, & confirment: at verò *humilis*, græcè ταπεινὸς, id est, vilis & abjectus, qualis est pauper, si in litem, carcerem, spoliationem, aliamve ærumnam, vel periculum inciderit, propellitur etiam ab amicis & notis. Tigur. *dives conquassatus confirmatur ab amicis, at labefactatus humilis ab amicis etiam propellitur*. Syrus hic est diminutus: *Dives*, inquit, *cadit & impellitur in malum; & pauper cadet, & impelletur de malo in malum*. q.d. Dives si cadat, in simplex malum, quia illicò ad sunt ei amici, qui ulterius malum propulsent, imò malum præsens abigant: at pauper si cadat, in duplex, triplex, & quadruplex malum cadit, quia ab omnibus protruditur ulteriùs de uno in aliud, de minore in majus.

Ratio disparitatis est, quia à divite omnes sperant auxilii sui amplam mercedem, à paupere verò nullam, nisi ut cum eo malis omnibus involuantur. Id expertus Job queritur c. 19. 13. *Noti mei*, inquit, *quasi alieni recesserunt à me, dereliquerunt me propinqui mei: & qui me noverunt, obliti sunt mei*. Et David psal. 9. 19. *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem*. Et inferiùs v. 14. *Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor*. Et Christus psal. 22. 12. *Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuvet*. Verè Scholiastes Theocriti: *Ruente quiuis colligit ligna arbore*. Alludit ad Proverb. 19. v. 4. *Divitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem, & si quos habuit, separantur*. Et v. 7. *Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper & amici procul recesserunt ab eo*. Huc facit illud Comici:

Dominis amicos hominibus pecunia:
Habebo amicos, si habebo pecuniam.

VERS. 10. DIVITI DECEPTO MULTI RECUPERATORES: LOCUTUS EST SUPERBA, ET IUSTIFICAVERUNT ILLUM. HUMILIS DECEPTUS EST, INSUPER ET
VERS. 11. ARGUITUR: LOCUTUS EST SENSATE, ET NON EST DATUS EI LOCUS) Τὸ *decepto*, dupliciter accipi potest. Primò, de damno: q.d. Si dives fraude, dolo, aliave arte decipiatur, ut damnum opum vel famæ incurrat, multi sunt qui illud recuperent & sarciant: sin pauper decipiatur, nemo est qui damnum sarciat, imò verò ipse quasi imprudens, aut iners arguitur, velut qui sua inertia aut imprudentia damnum hoc incurrerit. Hunc sensum exigit Latina versio. Ita Palacius: *Dives*, inquit, *commovetur tribulationibus: non verò ad casum venit, quia firmatur ab amicis ope & consilio, ne cadat. At miser pauper, vix fortuna eum movet, cùm iam ecce ruit, notis etiam ad casum impellentibus. Secundò Nota, proprium divitum esse decipi, & superba loqui. Nam cùm teste Domino, divitiæ fallaces sint, nihil mirum si dives decipiatur. Pauper aliquando fallitur. sunt enim incertæ providentiæ nostræ: at multoties sensatè loquitur de divite, quem gestor negotiorum suorum aut alius decepit. Tunc enim alii adsunt, qui resarciant, si quam dives iacturam fecit*: hæc Palacius.

Secundò, de peccato, & offensa, q. d. Si dives deceptus in errorem vel peccatum aliquod, sive morale, sive civile, inciderit, ut aliquid faciat vel dicat contra legem Dei, Prælati, principis aut populi; multi sunt qui errorem & peccatum hoc corrigant, excusent, tegant, defendant, eumque in integrum restituant: sin pauper offenderit, ab omnibus arguitur. Unde Complut. vertunt, *Cùm dives offenderit, multi adiutores: locutus est* ἀπόῤῥητα, id est, *infanda*, sive *non dicenda, & iustificaverunt eum* (quasi qui rectè locutus sit.) *humilis offendit, & increpaverunt eum: locutus est intellectum, & non est datus ei locus*; alii, *collapsi divitis multi sunt sublevatores: locutus est nefanda, & iustificaverunt eum. Humilis labitur, & insuper obiurgant eum: loquitur doctè, nec datus ei locus*; Tigur. *diviti lapso multi sunt adiutores, & qui nefanda quoque loquentem iustū prædicent: humilem lapsum insuper etiam increpant; nec locus datur ei si cordatè locutus fuerit*; Syrus, *dives loquitur, & multi adiutores eius, & responsa eius odiosa pro elegantibus habentur: pauper loquitur, & dicunt ei gheck* (est interiectio contemnentis, & fastidientis,) *& si loquitur eleganter, non dant ei locum*. Hinc liquet offensam hic maximè locutionis & linguæ accipi, uti exponit Syrus, & patet ex eo quod sequitur, *Locutus est superba*. &c. Verè S. Gregor. lib. 4. Mor. c. 29. *Crescit, ait, culpa favoribus nutrita: curari vulnus negligitur, quod dignum laudis videtur: sic magis comprehenditur peccator, & illigatur suismet perversis consiliis*. Hoc est quod queritur Psaltes: *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur*, psal. 9. 24.

Uterque hinc sensus huic loco & Græcæ Latinæ versioni congruit. Græcum enim σφάλλω, (unde Latinum *fallo*, quod in multas deinde linguas transiit: inde enim *falen* Germanorum, *faillir*, Gallorum, *fallare* Italorum) multa significat, nimirum seduco, decipio, aberrare facio, subuerto, deiicio, noceo, supplanto, turbo, everto, pessumdo, perdo: unde σφάλμα, est error, lapsus, vitium, offensa, erratum, casus, iactura, clades, calamitas; & σφαλεὶς, dicitur qui accepit calamitatem, affectus clade, spe destitutus, deceptus, frustratus opinione, errore falsus; & σφαλερὸς, vocatur infidus, dubius, periculosus, perniciosus, lubricus, incertus, inconstans, noxius, item titubans, vacillans fallente vestigio.

Est hæc secunda antithesis sortis divitis & pauperis: pauperem enim vocat humilem, quia paupertas est occasio humilitatis, sicut opes superbiæ. *Secunda.*

LOCUTUS EST SENSATE, ET NON EST DATUS EI LOCUS) Contemnitur enim sermonis prudentia, propter personæ inopiam, ait Jansen. Quod inter ceteras mundi vanitates miratur Sapiens Eccles. 9. 16. *Quomodo*, inquit, *sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita?* Hinc rursum liquet *decepta* non tantùm de offensa & peccato, sed & quolibet damno, errore, deceptione accipiendum esse: q. d. Pauper errorem suum & deceptionem excusavit & purgavit loquendo sensatè; at non est ei datus locus, id est, non est auditus, nec receptus ejus sermo.

Notat

Notat S. Chrysost. pauperes sæpè esse prudentiores divitibus, vel ut humiles superbis, justos injustis: imò idem asserit Salomon. Proverb. 28. 11. *Sapiens*, inquit, *sibi videtur vir dives: pauper autem prudens scrutabitur*; Septuag. *condemnabit*; Chald. *contemnit eum*: in quem locum vide nostrum Salazar sextupliciter idipsum explicantem. Sed audi S. Chrysost. homil. in psalm. 4. *Quòd si Deus sinit aliquos degere in mendicitate & inopia, id facit ut animam illorum corrigat, & sapientiæ studiosiorem efficiat: scitis enim apertè, quod divitiæ quidem sunt vitiorum & errorum ministræ, paupertas autem mater philosophiæ. Idque res ipsa indicant quotidie, quòd pauperes sint divitibus prudentiores, & sapientiæ amantiores.* Idem homil. de divitiis & paupertate: *Dives*, ait, *sive bonus, sive malus, in pauperum conscientiis apparet. Talis eris, qualem te æstimant pauperum greges.* Nam divites non aliter justi & boni esse queunt, nisi in pauperes benefici sint: id autem experiuntur sciuntque pauperes. Ab iis ergo non à semetipsis, suæ virtutis æstimationem petant oportet.

VERS. 28. DIVES LOCUTUS EST, ET OMNES TACUERUNT, ET VERBUM EJUS USQUE AD NUBES PERDUCENT.

VERS. 29. PAUPER LOCUTUS EST, ET DICUNT: QUIS EST HIC? ET SI OFFENDERIT, SUBVERTENT ILLUM) Est hæc tertia antithesis sortis divitis & pauperis, quòd dives multos habeat adulatores, qui ejus dicta qualiacumque silentes audiant, mirentur, laudent, & usque ad sidera extollant. Pauper verò multos habeat contemptores & reprehensores, qui ejus dicta redarguant; aut, si id nequeant ea ob dicentis vilitatem aspernentur, dicentes: Quis est hic mendicus, qui in hoc tam nobili purpuratorum consessu loqui, imò docere audet? Sicut Christo docenti insultarunt Scribæ: *Nonne hic est filius fabri?* Matth. 13. 55. Quòd si in verbo quopiam lingua aut memoria lapsus erraverit, illicò eum evertere, & perdere satagunt. Unde Syrus, *dives*, inquit, *loquitur, & omnes auscultant & approbant, usque ad nubes evehunt illum, Pauper loquitur, & dicunt: Quid dicit? &, si impingat, deturbant illum.* Vis exempla? accipe. Herodi Agrippæ peroranti assentatores acclamarunt: *Dei hominis*; sed illicò cælitus percussus interiit, Actor. 12. Alexandes Magnus Hammonis templum ingrediens à sacerdote salutatus est: *Salve fili, & hanc salutationem à Deo habeas.* Cui Alexander: *Lubens, ò pater, excipiam eam salutationem, & post hac lubens tuus ero filius, si mihi totius orbis imperium concesseris.* ita Plutarch. in Vita Alexandri. Anaxarchus cùm Alexandrum se ob Cliti necem discruciantem videret; *Contigit justia*, inquit, *qua diis assidet*; persuadere cupiens quidquid à rege fieret, jus fasque esse: nam & Alexander pro Deo se haberi sustinebat. ita Plutarch. & Laer. libr. 9. c. 10. C. Caligula pariter ut Deus coli volebat: unde quæsivit à Vitellio, an non vidisset se cum luna congredi; Cui ille: *Solis*, inquit, *domine, vobis diis licet invicem videre.* ita Dio lib. 59. Stratocles: *Quidquid*, inquit, *rex* (Demetrius) *jubet, id erga deos sanctum, & erga homines justum est.* ita Plutarch. in Demetrio. Sapientiùs Sigismundus Imper. teste Ænea Sylvio, audiens adulantem: *Diis similis es, ò Imperator*; alapam ei impegit, dicentique: *Cur me cædis Imperator*; respondit: *Cur me mordes adulator?* Verè Juvenal. satyra 3.

Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet, & fidei.

Et Horatius lib. 2. Serm. satyr. 2. *Omnis enim res*
Divitiis paret, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens.

Ex adverso,

Haud pondus ullum pauperum verbis inest, ait Comicus.

Præclarè S. Hieron. in illud Eccles. c. 9. 17. *Verba sapientum audiuntur in silentio: Quemcumque*, inquit, *videris in ecclesia declamatorem, & cum quodam lenocinio ac venustate verborum excitare plausus, ac risus excutere, audientes in affectū lætitiæ concitare; scito signum esse insipientiæ, tam eius qui loquitur, quàm eius qui audit: verba enim sapientum in quiete, & moderato audiuntur silentio.* Pauper ergo vocem habet demissam, & paupertate interclusam: hinc & elinguis, & mutus habetur. Quòd si fortè hiscere audet, in eum linguas distringunt. Quis est hic? unde illi vox? unde lingua. Dives verò grandisonum intonat; bullata loquitur, & sesquipedalia; ei omnes applaudunt, & adulantur. Verè Q. Curtius lib. 8. de Vita Alexandri Magni: *Perniciosa adulatio*, inquit, *perpetuum regum malum est, quorum opes assentatio sæpiùs quàm hostis evertit.* Et Constantinus Magnus, teste Aurelio Victore in ejus Vita, *Adulator* inquit, *est sorex, & Artinea palatii.* Et S. Chrysost. homil. 17. in epist. ad Romanos, *Sicut pueri ludentes*, inquit, *ex fœno coronas invicem imponunt, coronatum autem sæpè ejus vestigiarum, post tergum irridant; ita sanè, & nunc qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculùm subsannant.*

VERS. 30. BONA EST SUBSTANTIA, CUI NON EST PECCATUM IN CONSCIENTIA, ET NEQUISSIMA PAUPERTAS IN ORE IMPII) Græca de more concisa hæc tantùm habent, *Bona est substantia cui non adest peccatum, & mala paupertas in ore impii.* Bonæ enim sunt divitiæ quibus nullum inest peccatum, & mala paupertas in ore impii: hunc enim significat Græcum ἀσεβοῦς, (licet Vatablus malit legere εὐσεβοῦς id est, *pii*:) q.d. Paupertas obstat, quo minùs audiantur pia piorum consilia. Syrus, *bona sunt divitiæ sine delictis, & mala est paupertas ad latus peccatorum*, [illegible] est, vicina & conjuncta peccatis. Est figura quæ à Rhetoribus vocatur correctio. Quia enim multa mala dixit de divitiis, & divitibus, ac ex adverso multa bona, & pia de paupertate, & pauperibus; hinc, ne quis putet divitias in se esse malas, ideoque efficere malos, paupertatem verò in se esse bonam, ideoque facere bonos: ac consequenter omnes divites esse malos, omnes verò pauperes bonos: idipsum corrigit, docetque tā divitias, quàm paupertatem in se esse adiaphora, id est, nec bona nec mala, sed bonas esse bonis, qui iis bene utuntur; malas verò malis, qui iis ad mala abutuntur.

Bona est substantia, cui non est peccatum.

Primò ergo Rabanus sic exponit: *Bona & utilis est substantia quæ per justitiam acquiritur, & non per fraudem vel avaritiam congregatur: quia hujusmodi possessoris conscientiam doli, vel malitiæ peccatum nonconturit. Conturbat autem domum suam qui sectatur avaritiam, quoniam abominatio est apud Deum.*

Primò

Secundò & generaliùs: *Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia*: q.d. Bonæ sunt opes bonis, qui in conscientia carent peccato: hi enim opibus quasi instrumentis utuntur ad multa bona opera eleemosynarum: ex adverso *paupertas nequissima est in ore impii*, quia impius ob paupertatem murmurat, blasphemat, maledicit Deo, mentitur, pejerat, fraudat, &c. Ergo conscientia bona vel mala, facit divitias, & paupertatem esse bonas vel malas: igitur ipsæ in se præcisè non sunt malæ, sed mala est iis utentis, imò abutentis, concupiscentia, avaritia, superbia, quæ eas, & earum usum facit malum: nec etiam in se bonæ sunt, sed bona est eleemosyna vel humilitas, & patientia justi, quæ utralibet bene uti novit.

Secundò

Pari modo deliciæ, honores, dignitates, sunt adiaphora, nec bona nec mala; sed gula, superbia, ambitio ea gulosis, superbis, ambitiosis efficit mala: temperantia verò, humilitas, modestia eadem temperantibus, humilibus, modestis efficit bona. *Igitur bona sunt divitiæ in homine pio*, ait Palacius: *ut in Abraham, Isaac, Iob: sed melior paupertas in eodem homine pio*, ut in Christo, & Apostolis. Paupertas verò non est mala in impio, licèt ipse de ea pessimè dicat. *Et quod Seneca epist. 88. docet, divitias non esse bonas, non admodum contradicit huic sententiæ. Vocat enim ille bonum, quod bonum habentem reddit: Auctor verò noster non dicit, divitias facere bonos, sed potiùs quòd sint bona bonis, & sanctis hominibus. Igitur divitiæ non dant, sed recipiunt bonitatem.* hæc Palacius.

Huc facit illud S. Ambros. lib. 8. in Lucam: *Divitiæ ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutis.* Et illud Aristonimi apud Maxim. serm. 12. *Sicut ex his qui idem vinum biberint, alii bacchantur, alii furunt, alii tamen mitiores redduntur; sic etiam qui pares habent divitias, non tamen pariter afficiuntur.* Et illud S. Bernardi lib. 4. de Consid. *Aurum & argentum, & cetera hujusmodi, quantum ad animi bonum spectant, nec bona sunt, nec mala; usus tamen horum bonus, abusio mala, sollicitudo peior, quæstus turpior.*

Tertiò, apposite sic exponas: *Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia*: q.d. Bona est substantia non magna, & opulenta, sed carens peccato, & sancta. Justus enim suis licet paucis contentus, ditior est injusto opulento, qui nullis opibus satiatur, juxta illud Pauli: *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia*, 1. Timoth. 6. 6. *At verò nequissima est paupertas in ore impii*: q.d. Impius detestatur paupertatem ut rem pessimam. Eadem ergo substantia, licèt tenuis, justo erit bona, quia sufficiens, & jucunda: impio verò qui tenuitatem odit, & vult luxuriari, erit pessima, & molestissima. Sic sæpè in Script. *bonum* vocatur id, quod gratum est, jucundum & delectabile, ut. *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum* psal. 132. 1.

Ex

Ex adverso *malum*, nequam & nequissimum vocatur id quod ingratum est, triste & molestum, ut, *Sufficit diei malitia*, id est, afflictio, *sua*, Matth. 6. Significat ergo Siracides veras & bonas, id est, jucundas, divitias sitas esse in bona conscientia: hæc enim semper læta est, suisque contenta. Veræ autem divitiæ sunt quæ animum satiant, eumque serenum, contentum, lætumque reddunt, juxta illud Poetæ.

Quis dives? qui nil cupit. Et quis pauper? avarus,

Pauper, est cupidus: dives suis contentus. qui omnia cupit, & nullis opibus saturatur: quare sicut veræ opes sitæ sunt in bona conscientia, ita vera paupertas sita est in mala conscientia, qualem habet avarus. Sic Democritus rogatus, *Quomodo quis dives fieri posset?* respondit: *Si cupiditatum pauper erit*: ac proinde, *beatus est, non dives sed divitiis bene utens*. Rursum: *Illi qui naturalibus divitiis contenti sunt, multò beatiores sunt iis,*

Gnoma. *qui, cùm multa possideant, plura tamen concupiscunt: illis enim nihil deest, his plura quàm possident.* ita Maximus serm. 12. Addit Stobæus Democritum dixisse: *Si divitias non expetes, pauca tibi multa videbuntur: parva enim appetentia ex inopia divites facit*. Epicurus ad Pythoclem: *Si vis*, ait, *te divitem facere, non pecunia adiciendum, sed cupiditatibus detrahendum.* Cleanthes pariter rogatus, *qua ratione quis locuples evaderet? Si cupiditatum*, inquit, *fuerit inops*. ita Stobæus serm. 92. Epictetus interrogatus, *quis inter homines esset dives?* respondit: *Cui satis est quod habet*. Socrates magnifaciendas esse divitias dixit, si lætitiam sibi conjunctam haberent. Idem rogatus, *quis esset ditissimus? Qui paucissimis*, inquit, *contentus est.* ita Antonius in Melissa p. 1. serm. 37. ubi & addit eum dixisse: *Satius est in paucis facultatibus continentem hilariter egere, quàm in magnis infeliciter.* Alcmenes objurgatus, quòd, cùm esset ditissimus, parcè tamen viveret: respondit: *Decet enim qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine, vivere*; judicans noxias esse opes, nisi adsit animus iis superior, qui possit earum usum, non ex copia, sed ex necessitate moderari. ita Plutarch. in Lacon.

Huic expositioni valdè congruit id quod sequitur: *Cor hominis*, &c.

Mysticè Lutherus, Calvinus, ceterique hæretici oderunt paupertatem Euangelicam, eamque velut superstitiosam condemnant, quia hæretici impiique sunt: cupiunt enim liberè vivere, ac ventri & veneri indulgere.

VERS. 13. COR HOMINIS IMMUTAT (Syrus, *alterat*) FACIEM ILLIUS, SIVE IN BONA, SIVE IN MALA] Putà, sive ad hilaritatem & lætitiam, sive ad tristitiam & mœstitiam. Quam paulò antè vocavit *conscientiam*, eamdem hic vocat *cor*: alludit enim ad physicam cordis in membra & faciem actionem & influxum: q. d. Cor bonum & sanum physicè facit faciem bonam, id est, succulentam, roseam, hilarem; ex adverso cor malum, & malè sanum, facit faciem malam, id est, macilentam, luridam, tristem: ita pariter, moraliter sive ethicè, cor bonum, id est, justum & sanctum, ideoque hilare, & jucundum, facit faciem bonam, id est, gravem, modestam, piam & sanctam, ideoque hilarem & jucundam. Ex adverso cor malum, id est, iniquum & impium, ideoque perturbatum, anxium & triste, facit faciem sibi similem, scilicet malam, id est, iniquam, incompositam, dissolutam, ideoque perturbatam, anxiam & tristem. Cor enim omnes suas passiones & affectiones transmittit in reliquum corpus, sed præsertim in faciem. Nam, ut ait Jansenius: Etsi vultus volui possit, varieque fingi; tamen plerumque est index animi, in quo expressa sunt signa iracundiæ, clementiæ, hilaritatis & tristitiæ: item, signa conscientiæ, ac timoris & verecundiæ.

Docet ergo Siracides, veras opes & paupertatem, non consistere in rerum copia vel inopia, quàm in cordis bonitate vel malitia, ut ille sit dives & fortunatus, qui bonum habet cor, & conscientiam, quæ totum corpus, ac præsertim faciem facit bonam, & hilarem, in eaque se ostendit, & ab omnibus cernitur: ille verò sit pauper & miser, qui malum habet cor & conscientiam, quæ se in totum corpus, sed præsertim in faciem diffundit, eamque efficit terram, confusam, turbidam, anxiam, tristem. *Igitur cor*, ait Palacius, *est, quod tristitiam aut lætitiam etiam usque ad faciem emittit. Cor pium lætitiam,*

Facies speculum mentis. *& velut pietatem in faciem transfundit: cor impium impietatem etiam in facie demonstrat. Si igitur vis esse felix, cordis sit tibi cura prima. Collige hinc faciem esse vestigium*

A *cordis, vehiculum animæ, lucem præcordiorum, & ut S. Hieronymus dixit, speculum mentis.* Unde illud Senecæ in Hercule Oetæo act. 2. *Gnoma.*

Licèt ipsa neges:
Vultus loquitur quodcumque tegis.

Et illud Ovidii 2. Metamorph.

Heu, quàm difficile est crimen non prodere vultu!

Hoc est quod ait Isajas cap. 3. 9. *Agnitio vultus eorum respondebit eis.*

Præclarè Cicero lib. 3. de Orat. *Omnis*, inquit, *motus animi suum quemdam a natura habet vultum, & sonum, & gestum animi. Imago vultus est, indices oculi; nam hæc est una pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes & commutationes possit efficere. Oculi enim sunt quorum tum intentione, tum conjectu, tum hilaritate motus animorum significemus. Nam oculos natura nobis, ut equo & leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit.* Et de Petit. consul. *Vultus*, inquit, *ac frons animi est janua, quæ significat voluntatem abditam ac retrusam.* Moral. quantum bonum, & quanta felicitas sit bonæ conscientiæ, ac quanta infelicitas malæ, &

B perversæ, multis ostendi 1. Joan. 1. vers. 4. & cap. 3. v. 21. Græca nonnulla, ut Complut. addunt, καὶ ἀγαθύνει πρόσωπον ἐν τέρψει καρδία θάλλουσα, id est, *& bonum reddit vultum in delectatione cor virens & vigens*; juxta illud Proverb. 17. *Spiritus tristis exiccat ossa: animus verò gaudens ætatem floridam facit.*

VESTIGIUM CORDIS BONI, ET FACIEM BONAM DIFFICILE INVENIES, ET CUM LABORE] VERS. 32. Græcè, *vestigium cordis in bonis* (alii vertunt, *in rebus secundis*) *est vultus hilaris; & inventio parabolarum, cogitatio*, vel, ut Romana, *cogitationes, cum labore*: q. d. Signum, quod cor sit in bonis, id est, in rebus prosperis, hilare & lætum, est vultus hilaris, uti jam dixi: signum verò cordis occupati, & molesta parabolarum scrutatione afflicti, est cogitatio laboriosa, quæ se vultu meditabundo, severo & tristi prodit. Unde & Latini nonnulli codices post *faciem bonam*, addunt, *& inventionem parabolarum*, itaque legendum censet Jansenius, ut Latinus respondeat Græco, sensumque esse: q. d. Invenies difficilè & cùm labore, vestigium cordis boni, hoc est, faciem bonam, & inventionem parabolarum, id est, ab-

C sconditarum sententiarum: quia utrumque non nisi exercitio virtutis & studii obtinetur, hoc est, nec virtus quę sola solidè lætificat, nec sapientia quæ mentem illuminat & exhilarat, sine labore paratur. Favet versio Tigurina, *vestigium cordis rebus secundis est vultus hilaris: alioqui recondita deprehendere laboriosæ cogitationis est*; aliter Syrus, *vestigium cordis boni facies clara* (lucida) *& pluralitas narrationum conscientia peccatorum*. q. d. Qui sibi conscius est peccati, multa fabulatur & narrat, ut peccatum tegat dissimuletque, libertatem verò præferat, & lætitiam bonæ conscientiæ simulet.

Nostræ Latinæ versionis hic est sensus: *vestigium cordis boni*, per appositionem vocat *faciem bonam*: ex hac enim quasi ex certo vestigio licet vestigare cordis bonitatem: quare copula *&* de more sumitur pro, *id est*, ut sensus sit, q. d. *Vestigium cordis boni*, id est, *faciem bonam*, quam jam commendavi, putà hominem, qui ex conscientiæ tranquillitate, patientia & lætitia semper sit bono, id est, placido, sereno, nitido & hilari vultu, difficile est invenire; tum, quia pauci sunt boni & sancti; tum, quia etiam sancti facilè incidunt in peccata venialia, & cor-

D dis perturbationes, ut impatientiam, iram, mœstitiam, quæ faciem malam, id est, iratam vel tristem, internæ iræ, vel tristitiæ indicem efficiunt: tum quia aliquando mali, qui malo sunt corde, præ se ferunt faciem bonam, & hilarem, ut internam cordis malitiam tegant, & dissimulent, uti Joab hilarem vultum ostendit Abner & Amasæ, cùm eos fraudulenter occidit 2. Reg. 3. 27. & c. 20. 9. Ex adverso Esther c. 13. præ se ferens hilarem vultum, texit & dissimulavit internum cordis dolorem, & pavorem. ita Rabanus.

Faciem ergo *bonam*, intellige constanter jugiterque bonam, id est, serenam & hilarem: hanc enim difficile est invenire. Exemplum est in S. Antonio, qui, ut scribit S. Athanas. jugiter erat vultu læto, adeò ut ex eo solo, unus ipse inter tot millia monachorum agnosceretur ab iis qui eum non norant, nec viderant.

CAPUT DECIMUMQVARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet quis sit beatus, nimirum eum qui cavet ne verbo aut facto labatur, quique sibi & aliis est beneficus; Unde multis insectatur sordes avaritiæ, Secundò, v. 12. ad hanc iustitiam & beneficentiam exstimulat per memoriam mortis instantis. Quare Tertiò v. 22. beatum ita definit & circumscribit: Beatus vir qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei.

Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, & non est stimulatus in tristitia delicti. 2. Felix, qui non habuit animi sui tristitiam, & non excidit a spe sua. 3. Viro cupido & tenaci sine ratione est substantia, & homini livido ad quid aurum? 4. Qui acervat ex animo suo iniustè, aliis congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. 5. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? & non iucundabitur in bonis suis. 6. Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, & hæc redditio est malitiæ illius: 7. & si bene fecerit, ignoranter, & non volens facit: & in novissimo manifestat malitiam suam. 8. Nequam est oculus lividi; & avertens faciem suam; & despiciens animam suam. 9. Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam. 10. Oculus malus ad mala: & non satiabitur pane, sed indigens & in tristitia erit super mensuram suam. 11. Fili si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. 12. Memor esto quoniam mors non tardat, & testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi: testamentum enim huius mundi, morte morietur. 13. Ante mortem benefac amico tuo, & secundùm vires tuas exporrigens da pauperi. 14. Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat. 15. Nonne aliis relinques dolores & labores tuos in divisione sortis? 16. Da, & accipe, & iustifica animam tuam. 17. Ante obitum tuum operare iustitiam: quoniam non est apud inferos invenire cibum. 18. Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi. 19. Alia generantur, & alia deiiciuntur: sic generatio carnis & sanguinis, alia finitur, & alia nascitur. 20. Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur, ibit cum illo. 21. Et omne opus electum iustificabitur; & qui operatur illud, honorabitur in illo. 22. Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei. 23. Qui excogitat vias illius in corde suo, & in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi investigator, & in viis illius consistens; 24. qui respicit per fenestras illius, & in ianuis illius audiens. 25. qui requiescit iuxta domum illius, & in parietibus illius figens palum, statuet casulam suam ad manus illius, & requiescent in casula illius bona per ævum: 26. statuet filios suos sub tegmine illius, & sub ramis eius morabitur, 27. protegetur sub tegmine illius à fervore, & in gloria eius requiescet.

VERS. I. BEATUS VIR, QUI NON EST LAPSUS VERBO EX ORE SUO, ET NON EST STIMULATUS, græcè κατανύγη, id est, pungitur, compungitur, IN TRISTITIA DELICTI] Docuit cap. preced. divitias & amicitiam divitum non beare pauperes; unde congruè hic subiungit quid verè hominem efficiat beatum, docetque tria esse quæ id prestent, nimirum, innocentiam, beneficentiam & iustitiam. Innocentiam, qua quis in omnibus dictis & factis ita est cautus & circumspectus, ut nusquam labatur: beneficentiam, qua quis suis opibus utitur ad suum & aliorum bonum: iustitiam, qua quis iustè vivit, & ius tam Deo quàm proximis debitum tribuit. Respicit ad v. 30. capitis preced. cum illo enim hic versus aptè cohæret, eumque explicat. Quod enim ibi dixit: *Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia*; hic clariùs explicat, dicens: *Beatus vir qui non est stimulatus in tristitia delicti*, id est, ob admissum delictum aliquod gravius, quo inquinatur & compungitur conscientia. Quod verò ibi dixit: *Et nequissima paupertas in ore impii*, quia scilicet ob paupertatem murmurat, hic idem clarè dicit: *Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo*, ut scilicet in paupertate existens, Deo aut divitibus obmurmurans, proferret verba impatientiæ, maledica, falsa, iracunda, &c. Igitur hęc sententia licet generalis sit, & omnia delicta verborum & operum spectet, profertur tamen occasione opum & paupertatis: q. d. Beatus vir qui non est lapsus verbo, ut ob paupertatem proferret verba murmuris, detractionis, blasphemiæ, &c. beatus item *qui non est stimulatus in tristitia delicti*, ut scilicet non commiserit delictum avaritiæ, quo opes malè pepererit, aut malè dispensarit, quod animum & conscientiam eius morderet, ac tristitia afficeret, stimularet & compungeret. De avaritia enim omnis sequens est sermo.

Tria hominem beant, innocentia, beneficētia, iustitia.

Nota. Pro λύπῃ, id est *tristitia*; Complut. legunt πλήθει, id est *multitudine* delicti: nam nemo est in hac vita, qui aliquando delictum aliquod non committat; sed beatus

A est ille qui pauca & parva dumtaxat admittit, miser verò qui multa & gravia.

Rursum *tristitia delicti* est duplex. Prior est pœnitentia & dolor de peccato præterito: hæc pia & sancta est, ideoque peccatorem facit iustum & beatum. Nam, ut ait Apostolus 2. Cor. 7. 10. *Quæ secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*. Altera tristitia est de peccato non præterito, sed præsenti, cùm scilicet peccator suis usuris & opibus, vel deliciis malè partis ita adhæret, iisque ita amore affixus est, ut nolit eas dimittere; tristatur tamen & dolet quòd in ea re animam suam lædat, eamque vindictæ ac gehennæ ream efficiat.

Utraque tristitia hic accipi potest: licet enim prior sancta & beata sit, tamen infelicitatem adiunctam habet, quia peccatum licet pœnitentia deletum sit quoad culpam, magnam tamen pœnarum catenam post se relinquit, ut infamiam, damna fortunarum, virtutum & gratiarum; denique ipsum peccasse aliquando, magna infelicitas est. Sensus ergo est q. d. Beatus est, qui nullius præsentis peccati, de quo tristetur, sibi est conscius: beatior verò est, qui nullius etiam præteriti gravioris de

B quo doleat, sibi est conscius: beatissimus denique est, qui ita sedulò etiam minima delicta cavet, ut nullius etiam venialis deliberatè admissi culpa eum remordeat. In prima classe sunt omnes iusti & sancti: in secunda repone S. Iob dicentem c. 27. 6. *Non me reprehendit cor meum in vita mea*; & Ezechiam dicentem, *Memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto & quod placitum est coram te, fecerim*. Quin & David antequam in crimina causa Bethsabee incidisset, dicebat fidens non semel: *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem iniustam*, &c. psal. 100. Et *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine: sine iniquitate cucurri & direxi*, psalm. 58. In tertia classe primas tenet B. Virgo; secundas uterque S. Ioannes Baptista & Evangelista, S. Ioseph & similes: imo S. Bonaventura adeo innocen-

nocentis fuit vitæ, ut de eo dixerit Alexander Alensis: *Hic est verus Israelita, in quo videtur Adam non peccasse.*

Quocirca Tigur. clarè & universaliter vertit, *beatus vir qui lapsus ore suo non est, nec mœrore peccati cruciatur*; alii, *nec compungitur dolore peccati*; Syrus, *beatus vir quem non pervertit cor ejus, & non est absconditum judicium ab oculis ejus*. Isidorus Pelus. l. 4. epist. 101. legit, *Beatus qui non est compunctus in conscientia delicti*, sicque explicat, non quòd numquam peccarit, omnes enim pœnis obnoxii sumus; aut quòd numquam tristatus sit, sed q.d. Beatus est, qui non est in stuporem datus à mœrore, neque suam salutem prodidit, id quod Judæ accidit, qui suspendio sibi vitam eripuit. Sic Deus dedit Judæis *spiritum compunctionis*, id est stuporis, insensibilitatis, obdurationis, pertinaciæ, de quo dixi Rom. 11. 8. ita Isidorus.

Mor. de lapsu linguæ.

Moral. Disce hic quàm facilis sit lapsus, & quanta lubricitas linguæ. Quocirca Abbas Sisois per triginta annos non aliud precabatur, quàm, *Domine Jesu Christe protege me à lingua mea. Et usque nunc*, inquit, *per singulos dies corruo per ipsam, & delinquo.* Addebatque: *Peregrinatio nostra est, ut teneat homo os suum*; Abbas verò Hiperichius: *Qui linguam non retinet*, inquit, *nec passionum retentor erit*. ita refertur in Vitis Patr. l. 5. libello 4. de Continentia n. 39. 44. & 49. Et num. 1. recensetur dictum Abbatis Antonii: *Linguam non continens, est stabulum sine janua*. Memorabilis fuit Abbas Pambo, qui moriens palàm professus est: *In hanc horam non me pœnitet alicujus sermonis quem dixerim: & sic ad Deum recedo, ut qui nec pius quidem ac religiosus esse cœperim*, ita Palladius in Lusiaca c. 10. Qui & de eo addit, *quod interrogatus de re aliqua numquam statim responderit, sed dixerit: Nondum inveni quod respondebam. Tam considerate ex Deo dabat responsa, ut a Deo cum omni metu omnes acciperent. Dicebatur etiam hanc virtutem super magnum etiam Antonium, & super omnes sanctos exercuisse, nempe ut esset in loquendo accuratus, & perfectus.* Porrò S. Jacobus in epist. c. 3. 2. *Si quis in verbo non offendit*, inquit, *hic perfectus est.* vide ibi dicta. Vice versa S. Petrus unum verbi lapsum: *Non novi hunc hominem*, putà Christum, à se prolatum doluit, luxit & flevit per omnem vitam. Audi Isidor. Pelus. l. 1. epist. 459. *Charitatis tuæ quæstio ad hunc modum explicari potest. Beatus vir, qui non est lapsus in lingua sua, hoc est: Beatus est ille, qui nec verborum obscœnitate ac turpitudine linguam suam commaculavit, nec cuiquam offensionis ansam per contumeliam præbuit. Et non est stimulatus in tristitia delicti, nimirum, vel pœnitentia ductus ob ea quæ inhoneste ac fœdè locutus est, vel quòd aliquem contumeliosis verbis offenderit, at propterea dolore atque animi compunctione opus habuerit. Optabilior est enim lapsus à pavimento quam à lingua. Multi quippe cum cecidissent resurrexerunt: ob prolatum autem sermonem interierunt.* Lyran. aliter accipit *tristitiam delicti*, scilicet pro tristitia nimiæ taciturnitatis, quæ est delictum: sicut enim priori hemistichio, inquit, taxavit nimiam loquacitatem, qua quis labitur verbo, sic hoc posteriore taxat vitiosam taciturnitatem, qua quis tacet illud quod dicere tenetur. Dicitur enim delictum quasi derelictum, per quod intelligitur peccatum omissionis, tacendo quod debet dici, de quo debet homo per pœnitentiam tristari. hæc Lyran. Verùm subtiliùs quàm solidiùs. Græcè enim est ἁμαρτιῶν, id est, *peccatorum*, quæ tam commissionis sunt, quàm omissionis.

VERS. 2. FELIX QUI NON HABUIT ANIMI SUI TRISTITIAM, ET NON EXCIDIT A SPE SUA] Primò; Raban. Lyran. Palacius & alii accipiunt hæc generatim de qualibet tristitia, hæc enim facit hominem melancholicum, mœstum & miserum. Unde Ecclesiastes c. 3. v. 2. quò hic alludit Ecclesiasticus: *Cognovi*, inquit, *quod non esset melius nisi lætari, & bene facere in vita sua*: q.d. Beatitudo hujus vitæ sita est in bene agendo, & lætando ac posterius sequitur ex priori: qui enim bene agit, semper est lætus. Unde Raban. sic explicat, *Felix*, inquit, *qui in præsentis vitæ adversitatibus non cōtristatur, sed agonem suum Domino commendat, sperans ab ipso in futura vita mercedem laboris sui.* Et Lyran. excludit, inquit, acediam, quæ est impedimentum virtutis & servitii divini, redditq; hominem tristem & ponderosum ad opera bona, per quæ quis ornatur ad Deum: q.d. Felix est qui non habuit animi sui tristitiam, scilicet in bonis operibus exequendis, & non excidit à spe sua, quæ est certa exspectatio beatitudinis, à qua spe facit acedia decidere.

Egregiè tristitiæ malum pingit S. Chrysost. epist. 7. ad Olympiad. *Tristitia*, inquit, *animarum crudele tormentum est, dolor quidam inexplicabilis, & judicium omni judicio vindictaque deterius: nam & vermi similis est venenato, non solùm carnem, sed & animam ipsam perimens, & tinea, non solùm ad ossa, sed ad corda pertingens; & perpetuus quidam carnifex, nō animam dilanians, sed vires animæ consumens; & jugis nox, & tenebræ profundæ, & tempestas, & turbo; febris non apparens, omni igne validiùs incendens; & pugna requiem non habens; & languor plurimos obscurans videntium; non enim noctis tenebræ tales sunt, qualis nox mœroris existit, non quidem veniens ex lege naturæ, sed ex cogitationum obscuritate collecta, faciem omni tyranno crudeliorem præferens, nulli facilè obtemperans eorum qui eam dissolvere moliuntur.*

Tristitiæ schema.

Secundò, alii per *tristitiam* accipiunt diffidentiam, spei, de qua sequitur, oppositam, sicque prius hemistichium posteriori planè congruit. Unde Tigurina vertit, *beatus qui non despondet animum, & spe sua in Domino sita non excidit*, & Glossa interlinealis, *Felix qui non habuit animi sui tristitiam*, id est, inquit, *qui in adversitate animo non frangitur, ut desperet; & non excidit à spe sua, id est, ab operibus bonis, pro quibus speranda sunt æterna præmia.*

Diffidentia.

Ratio à priori est, quòd tristitia sit causa diffidentiæ, diffidentia desperationis. Audi S. Gregor. 31. Moral. 17. *De tristitia*, inquit, *malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur.* Et D. Thom. 22. q. 20. art. 4. indagans causam desperationis: *Ad hoc*, inquit, *quòd aliquis bonum arduum non æstimet ut possibile sibi adipisci per se, vel per alium, perducitur ex nimia dejectione, quæ quando in affectu hominis dominatur, videtur ei quod numquam possit ad aliquod bonum relevari; & quia acedia est tristitia quædam dejectiva spiritus, ideo per hunc modum desperatio ex acedia generatur.* Hęc D. Thomas. Est enim tristitia velut pelagus quoddam, in quod si quis incidat, absorbetur, ita ut portum invenire desperet. sic S. Paulus 2. Cor. 2. 6. *Sufficit illi*, ait, *qui ejusmodi est, objurgatio hæc quæ fit à pluribus, ita ut è contrario magis donetis, & consolemini, ne fortè abundatiori tristitia absorbeatur.*

Tertiò, Græca sic habent: *Beatus quem non condemnavit anima sua, & qui non cecidit à spe sua, quæ est in Domino*; & Syrus, *beatus vir quem non condemnavit anima sua, & non irrita fuerunt omnia opera ejus*. Græco & Syro ergo adaptanda est nostra Latina versio, hoc modo: *Beatus, qui non habuit animi sui tristitiam*, scilicet *delicti*, vel de delicto, uti dixit v. 1. ad illum enim se refert. Repetit enim, & confirmat id quod ibidem dixit: quasi dicat. Beatus & felix, adeoque terque quaterque beatus est, quem non condemnat anima, nec de delicto aliquo graviore contristat, remordet, angit & affligit: ideoque *non excidit à spe sua* quam habet in Domino, quòd scilicet beatitudine, & gloria æterna eum donabit: hanc enim promisit iis qui se à delictis puros sanctosque conservant.

Ubi Nota. τὸ *non excidit à spe sua*, dupliciter accipi potest. Primò, ut sit effectus ejus quod præcessit: q. d. Beatus qui delicti sibi, ob quod tristetur, non est conscius: merces enim & effectus hujus suæ custodiæ, & innocentiæ erit, quòd non excidet à spe sua, sed gloriam speratam, & innocentibus promissam certò adipiscetur. Sic *spes* sumitur metonymicè pro re, & gloria sperata. Secundò, propriè: q. d. Beatus quem non condemnat anima de peccato, ideoque non excidit à spe, id est, non perdidit spem, non desperat de salute. Unde Lucius Papa epist. 1. pro *non excidit à spe*, legit, *non abscedit à spe*. Nam, ut ait S. August. præfat. in psal. 31. *Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe. Et erunt tria hæc, de quibus dixit Apost. 1. Cor. 13. Fides, spes, charitas. Et alio loco ipsa tria: Finis, inquit, præcepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: sed pro spe, conscientiam posuit. Ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit: quem verò pungit mala conscientia, retrahit à spe, & non sibi sperat nisi damnationem: ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam: & ut habeat bonam conscientiam, credat & operetur: quia quod credit fidei est; quod operatur, charitatis.*

Moraliter Nota, idem esse: *Felix qui non habuit animi sui tristitiam*; &: *Beatus quem non condemnat anima sua*; ut habet Græcus, quia scilicet ille solus veram habet tristitiā,

quem anima de peccato condemnat. Nam, ut docet A S. Chrysost. homil. 5. ad Popul. & Cassian. lib. 9. de Instit. renunt. c. 10. de nulla re alia tristandum est, nisi tantùm de peccato, & ob hoc abolendum dumtaxat à natura & Deo nobis inditus est tristitiæ affectus. Ceteræ enim res omnes bonæ sunt: peccatum verò purum putum malum est, quod omnium, & æternorum malorum est causa. Verba Sancti Chrysostomi & Cassiani recitavi 2. Cor. 7. v. 9. & 10.

Tristitiæ remediũ est bona conscientia.

Et hac ratione tres expositiones jam datæ eodem recidunt, significantque beatum esse qui non peccat: in hunc enim cadere nequit tristitia nec desperatio, ut à spe & lætitia excidat. Vis ergo semper gaudere? semper bene agito; vis semper esse in læta spe salutis? semper bonam habeto conscientiam, uti paulò antè dixi ex Ecclesiaste. Vide S. Bern. de Interiori domo cap. 45. *Vis*, inquit, *numquam esse tristis? Bene vive; Bona vita semper gaudium habet, conscientia rei semper in pœna est*. Hæ ergo sunt tres fidelium Charites, quæ quasi sorores ubique se comitantur, ut ubi una est, ibi sint & reliquæ duæ, nimirum innocentia sive sanctitas, lætitia, & spes; sicut ex adverso tres furiæ sunt, peccatum sive mala conscientia, tristitia, & desperatio, quæ se invicem comitantur, ut ubi est mala conscientia, ibi sit & tristitia ac desperatio. B

Rursum Nota beatum dici, qui non excidit à spe, id est, qui habet retinetque spem. Spes ergo est beatitudo hujus vitæ, tum quia in hac vita non habemus rem, puta gloriam, sed ejus spem: tum quia hæc spes ducit ad gloriam, unde ait Apost. *Spe salvi facti sumus*, Rom. 8. 24. Et Psaltes psal. 2. v. 13. *Beati omnes qui confidunt in eo*. Rursum Apost. Hebr. 10. 35. *Nolite*, inquit, *amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem*. Et Prover. 16. 20. *Qui sperat in Domino, beatus est*. Hoc est quod ait S. Joannes epist. 1. c. 3. 21. *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus*.

VERS. 3. VIRO CUPIDO ET TENACI SINE RATIONE EST SUBSTANTIA, ET HOMINI LIVIDO, AD QUID AURUM?] q. d. Avarus frustrà habet opes, cùm eis non utatur, & homo *lividus*, id est invidus, putà avarus, frustrà habet aurum, quia illud in arca recondit & sepelit. Avarum vocat invidum, quia ipse ut opes C integras, earumque dominium sibi conservet, earumdem usum, & fructum aliis invidet. Unde videmus avaros in mensa livore & dolore affici & affligi, si v. g. ex caseo rariore & pretiosiore conviva aliquis majorem, quàm ejus tenacitas patiatur partẽ præscindat. Ita enim hoc sentit & affligitur, ac si tantumdem ex corpore & carne ejus præscinderes, quia scilicet hoc præscindis ex ejus avaritia, illique hoc adimis, quam ita sibi incorporavit, ut ipsa videatur esse ejus anima & vita.

Appositè à beato qui spem reponit in Deo, per antithesin descendit ad avarum, qui spem reponit in mammona & avaro: q. d. Beatus qui cavens à peccato servit Deo, in eoque spem reponit: quare beatus non est avarus, qui servit speratque in auro, non in Deo. Totum enim hoc caput est avarorum & avaritiæ exagitatio. Græca majorem habent emphasin, Ἀνδρὶ μικρολόγῳ οὐ καλὸς ὁ πλοῦτος, καὶ ἀνδρὶ βασκάνῳ ἵνα τί χρήματα; id est, ut Romana, *Viro minute rationes subducenti* (parco, sordido) *non est pulchra substantia, & homini livido ad quid pecunia?* q. d. Parcum & avarum non decet, non congruit, non ornat substantia; quia nescit ea uti, nec tam illam possidet, quàm ab D illa possidetur: unde verè eam non habet, sed habet eam arca aut terra in quam eam defodit; & homini avaritia livido quo fine & fructu χρήματα, id est, opes? q. d. Nullo: χρήματα, enim græcè dicuntur à χράομαι, id est ab utendo, quòd eis ad suum aliorumve usum & commodum utendum sit; sicut opes latinè dicuntur ab ope & opitulando, quòd opitulentur, & opem ferant indigentiæ propriæ, & alienæ. Avaro ergo χρήματα non sunt χρήματα, sed ἄχρηστα, quia non sunt usui, sed otio & abusui: nec sunt opes, sed mentis inopia, quia eis ad suam aliorumque opem uti non audet: unde earum est inops, perinde ac si eas non haberet. Avaro enim tam deest quod habet, quàm quod non habet. Eidem substantia non est substantia, quia neminem subsistere facit, nullius vitam sustentat. Bonum est sui diffusivum. Si avarus opes non diffundit, facit ut bona quæ habet, bona non sint.

Opes ab ope quam afferunt.

Quocirca Tigurina vertit, *viro sordido non sunt ornamento divitiæ, & quorsum pecunia homini invido?* *Pecunia* enim dicitur à pecore, quòd ovis vel bovis imagine insculpta olim fuerit: pecus autem omne homini servit, vel pro eo arando, vel eum sua carne pascendo, vel sua lana & pelle vestiendo, &c. unde & *jumentum* dicitur, quod hominem juvet. Pecunia ergo avari frustra pecore insculpitur, cùm nullum juvet, ac proinde verè pecunia illi non est. Quocirca Comicus avaros vocat mulos, & asinos, qui aurum dorso gestant, eoque onerantur, sed eo non fruuntur. Alii, *virum sordidum non decent divitiæ, & homini avaro quorsum pecunia?* Syrus, *cordis parco non expediunt divitiæ, & viro cujus pravus est oculus, non expedit pecunia*.

Pecuniæ origo & etymon.

Antistropha hisce est sententia Senecæ in Proverbiis littera A. *Avarus nisi cùm moritur, nil rectè facit*: moriens enim relinquit opes aliis meliùs usuris. *Avarus ipse miseriæ causa est suæ*. *Avaro quid mali optes, nisi ut vivat diu?* Et littera P. *Pecunia imperare oportet, non servire*. *Pecunia, si uti scias, ancilla est; si nescias, domina est*. *Pecunia non satiat avarum, sed irritat*. *Quæ sunt maximæ divitiæ? non desiderare divitias*. *Quis plurimum habet? is qui minimum cupit*. *Inopiæ pauca desunt, avaritiæ omnia*. Et illa Biontis apud Laertium libr. 4. cap. 7. *Avarus facultates suas non possidet, sed ipsum possident facultates*. *Avarus suarum rerum curam habet, quasi essent propriæ: rursum ex iisdem nihil capit utilitatis, quasi essent alienæ*. Et illa Democriti: *Avarus non possidet, sed possidetur à divitiis, quarum non tantùm servus, sed & mancipium est*. ita Maximus serm. 12. Hæc enim sunt Ethicæ naturalis dogmata, quæ tum à lumine naturæ, tum à Salomone & Siracide didicerunt Plato, & Philosophi.

Gnome contra avaros.

Nota. Avarus rectè vocatur *lividus*, id est invidus, & avaritia invidia, quia ita avarum arctat curis, & dolore exedit ac emaciat, ut eum non tantùm animo, sed & corpore vultuque lividum, & pallidum efficiat, quin & livorem palloremque hunc auro, ut ita dicam, afflet. Unde Philosophus rogatus: *Cur aurum palleret?* respondit, *Præ metu, quia omnes ei insidiantur*. Avarus ergo pallet ex invidia, aurum ex metu; sed invidia avari hujus metus est causa. Livido ergo ad quid aurum? nisi ut illud sibi simile lividum, luridum pallidumque efficiat. Præclarè Martial. lib. 1.

Avarus est invidus. Cur?

Omnibus invideas, livide, nemo tibi.

Et:

Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues.

Et Ovidius lib. 3. de Ponto:

Livor, iners vitium, mores non exit in altos,
Utque latens ima vipera serpit humo.

Idem lib. 1. de Rem. amor.

Summa petit livor, perflant altissima venti,
Summa petunt dextra fulmina missa Jovis.

Moraliter est hic locus insignis de vanitate stulta avarorum, quam multis rationibus clarè depingit, & oculis spectandam subiicit Siracides. Prima, est hoc versu, quòd avari frustrà habeant aurum, cùm eo uti non audeant. Secunda, vers. sequ. quòd aliis dissipaturis illud magno labore, & angore congregent. Tertia, vers. 5. quòd sibi sint nequam, & injurii, dum non audent jucundari, & frui suis bonis. Quarta, vers. 7. quòd *si avarus benefecerit, ignoranter & non volens facit: & in novissimo manifestat malitiam suam*. Quinta, vers. 9. quòd avari cupiditas sit insatiabilis, nec expleatur *donec consumat arefaciens animam suam*. Sexta, vers. 10. quòd non satietur *pane, sed indigens, & in tristitia sit super mensam suam*. Septima, vers. 12. quòd citò morietur, cùm ipse congreget opes quasi semper victurus. Octava, vers. 17. quia se privat merito & mercede eleemosynæ, dum in morte invitus cogitur opes relinquere heredibus, sæpè obliviosis & ingratis. Nona, vers. 21. quòd privet se honore liberalitatis, & infamet se per probrum avaritiæ. Decima, vers. 25. quòd privet se Dei beneficentia, tum in hac vita, tum in futura per omnem æternitatem: Deus enim beneficis est beneficus, avaris verò & maleficis avarus & maleficus.

Decem stultitiæ avari. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava. Nona. Decima.

Quocirca avari typus est avis monedula, ita dicta quod monetam, putà nummos, furetur & abscondat. Unde Plinius lib. 10. 29. *Insubrium tractu*, inquit, *examina graculorum monedularumque, cui soli avi furacitas auri argentique*

Avarus similis monedulæ.

præ-

præcipuè mira est. Et Cicero pro Flacco: *Non plus aurum tibi, quàm monedulæ committebant*. Et Ovidius lib. 7. Metamorph. fingit Arnen conversam in monedulam, quòd auro corrupta Athenas hostibus prodidisset. Rursum avari sunt gryphes, qui, ut ait Cassiod. lib. 9. Variar. feruntur *aurum jugiter effodere, atque ejus inspectione gaudere*. Quocirca Dionysius Tyrannus, cum apud filium multa ex auro vasa invenisset, indignans: *In te*, inquit, *non est animus regius, qui his poculis, quæ à me tam multa accepisti, neminem tibi amicum feceris*. ita Plutarch. in Apophtheg. regum. Præclarè S. Chrysost. hom. 2. ad Popul. *Avarus*, inquit, *custos est, non dominus pecuniarum; servus, non possessor: faciliùs enim alicui de propriis carnibus, quàm ex defosso auro communicaret: à suis tamquam ab alienis abstinet; quippe sunt aliena: quæ enim aliis erogare numquam pateretur, neque in necessariis impendere, etiamsi infinitas sustineret pœnas, quomodo hæc esse propria putaret:* Idem homil. 50. *Nullum*, inquit, *inde emolumentum, nullas opes consequuntur, sed periculo magno atque detrimento suo aliis laborant, nihil prorsus de sudore, de labore, & morte, quam plerumque obeunt, ad fructum suum convertentes.*

VERS. 4. QUI ACERVAT EX ANIMO SUO (id est, qui subtrahit animo suo, id est, suo desiderio, suæ fami, putà sibi) INJUSTE ALIIS CONGREGAT, ET IN BONIS ILLIUS ALIUS LUXURIABITUR] Græcè τρυφήσουσι, id est, deliciabuntur, voluptuabuntur, luxu diffluent alii. Porrò *qui acervat ex animo*, vel, ut græcè est, *ex anima*, est qui animam suam & genium defraudat, parcè & sordidè vivendo, ut opes corradat: sic enim habent Græca, ὁ συνάγων ἀπὸ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ συνάγει ἄλλοις, id est *qui acervat ex anima sua, aliis acervat*, vel, *qui congregat ex anima sua* (id est, subtrahens animæ suæ) *aliis congregat*, Tigurina, *qui defraudando genio suo, comparcit aliis*, Syrus, *qui sibi ipsi subtrahit, congregat aliis, & in bonis ejus lætabitur extraneus*. Nota τὸ *injustè* non est in Græco nec Syro, sed appositè additur; significat enim avarum sibi esse injurium, dum corpus suo jure, id est, alimonia, rebusque ad vitam necessariis defraudat: quod subinde est peccatum, etiam mortale. Aliter explicat Palacius, q. d. Qui ex animo, id est, ex affectu, acervandi acervat injustè, hic justè à Deo punietur, ut non sibi sed aliis acervet.

Est hæc secunda vanitas & stultitia, adeoque congrua avarorum pœna, eaque triplex. Nam Primò, avarus usum opum subtrahit suæ animæ, itaque tortor & carnifex est animæ suæ, dum præ avaritia cogit eam sitire, esurire, frigere, æstuare, sudare: quòd si hæc Dei causa subiret, multùm utique apud eum mereretur; jam quia ob avaritiam ea subit, adeò non meretur, ut demereatur, ac novas hujus vitæ, & futuræ pœnas sibi accersat. Secundò, avarus vult sibi congregare: at revera non sibi, sed aliis thesaurizat. Tertiò, alii luxuriosè & prodigè opes tanto labore & angore ab eo partas consument & dilapidabunt. Quòd si id fiat eo vivente & vidente, uti non rarò fit, utique hæc ingens ei est crux & afflictio.

Quocirca Democritus, teste Maximo serm. 12. dicebat *avaros suarum opum non esse dominos, sed procuratores*, qui eas aliis usuris, imò abusuris, curant & procurant. Diogenes in Anaximenem: *An non pudet*, inquit, *eum tam multa habere, qui seipsum non habet?* Avarus enim quasi extra seipsum est, quia cor habet in auro, mentem in ære, non in æthere. ita Maximus ibidem. Additque Platonem dicere solitum: *Eos qui corpus curarent, non rem quidem suam, sed seipsos curare: qui autem pecunias, neq; seipsos neq; sua, sed quàm longissimè à suis abesse.* Addit idem, Demosthenem, cùm avarum vita functum ad sepulturam ferri videret, dixisse: *Iste cum vitam vitalem non vixerit, aliis vitam reliquit*. Lusit in voce Græca: βίος enim & vitam & victum significat. q. d. Hic avarus victu se fraudavit, ut heredibus ex victu vitam relinqueret.

Memorabile est quod scribit Hugo, Rhemis usurarium nummos suos anxiè numerantem, ut videret num omnes forent, ne quis quid ex eis decerpsisset, audisse vocem de nummis prodeuntem: *Omnes hic sumus, sed cum Gualtero Budello* (id est asinario: *baudet* enim Gallis asinum significat) *erimus*: ac paulò pòst defunctum, uxorem cum opibus reliquisse Gualthero, qui instar asini iisdem luxuriatus est.

A QUI SIBI NEQUAM EST, CUI ALII BONUS, (id est, commodus, utilis, beneficus) ERIT? ET NON JUCUNDABITUR IN BONIS SUIS] Græcè, ἐν χρήμασι, id est *in pecuniis suis*. Duplex hic est sensus. Prior, ait Palacius, q. d. *Qui sibi nequam, id est parcus, sordidus avarus, injurius, maleficus est, cùm non jucundetur, neque voluptatem capiat ex bonis suis, quomodo jucunditatem aliis dabit, quam scilicet sibi negat?* Posterior est: *Qui sibi parcus est, nulli largus erit, & in pœnam tantæ culpæ faciet Deus ne jucunditatem ille capiat ex bonis suis, ut scilicet aut ea amittat: aut, si non amiserit, habet in tormentum, & curam, non in voluptatem aut remedium.* Priori sensu favet versio Tigurina, *qui sibi malignus est, cui benignus sit, cùm nihil jucundi de bonis suis percipiat?* Posteriori favet Syriaca, *qui malus est animæ suæ* (id est sibi ipsi) *cui benefacit? & non possidebit bona sua.* VERS. 5.

Tertia est hæc vanitas & stultitia avarorum, quòd sibi ipsis sint maligni & malefici, ideoque incapaces se faciant, ut in alios sint benigni, & benefici: unde colligendum relinquit, quòd avarus nullum bonum, nec ho-
B nestum, nec utile, nec jucundum ex bonis suis percipiat, ac proinde frustra ea habeat, perinde ac si non haberet. Hoc verum est in bonis temporalibus, sed verius in spiritualibus, juxta illud Christi: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. 18. Quocirca sapienter S. Bernard. lib. 1. de Consider. monet Eugenium Pontificem, ut si alios curare velit, priùs se ipsum curet. *Si totus*, ait, *vis esse omnium instar illius, qui omnibus omnia factus est; laudo humanitatem; sed si plena sit, quomodo autem plena te excluso? & tu homo es. Colligat ergo intra sinum suum: alioquin quid tibi prodest, juxta verbum Domini, si universum mundum lucreris, anima verò tua detrimentum patiaris? Quamobrem cùm omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus unus. Usquequò vadens spiritus & non rediens sapientibus & insipientibus debitores, & solùm negas te tibi? stultus & sapiens, servus & liber, pauper & dives, senex & juvenis, vir & femina, clericus & laicus, justus, & impius, participant te: omnes de fonte publico bibunt pectore tuo & tu seorsum sitiens stabis? si maledictus qui partem suam facit deteriorem; quid ille qui se penitus reddit expertem? Sa-*
C *nè deriventur aquæ tuæ in plateas, homines & jumenta & pecora bibant ex eis, quin & camelis pueri Abrahæ potum tribuas, sed inter ceteros bibe, & tu de fonte putei tui. Alienus, inquit, non bibat ex eo. Numquid tu alienus? denique qui sibi nequam, cui bonus? Memento proinde, non dico semper, sed vel interdum, reddere te ipsum tibi.* *Qui se totum aliis dat, sibi est injuriis.*

QUI SIBI INVIDET, NIHIL EST ILLO NEQUIUS, ET HÆC REDDITIO EST MALITIÆ ILLIUS] q. d. Invidia omnis est mala, sed invidia qua quis propter avaritiam invidet sibi victum & vitam, & pessima, quia sibi ipsi necessaria vitæ subtrahit, ac proinde ipse sui lentus est homicida imò parricida: pejus enim est seipsum quàm alium, etiam fratrem vel cognatum, occidere: quisque enim ex charitate obligatur magis se, quàm alios diligere: ideoque magis suam quàm aliorum vitam conservare. Porrò hæc avara invidia non tantùm ingens est culpa, sed & pœna suiipsius. Hoc est quod ait; *Et hæc est redditio malitiæ illius*. q. d. Hæc est justa merces & castigatio avaritiæ, quæ sibi victum vitamque invidet & eripit, ut ipsa seipsam fame, siti, frigore conficiat & interimat, ac proinde ipsa suiipsius sit tortor & carnifex.
D Verè dixit Horatius 1. epist. VERS. 6.

Invidia Siculi non invenere tyranni
Tormentum majus.

Hoc maximè verum est in invidia avaritiæ, qua avarus seipsum torquet, cruciat & consumit. Unde Tigurina vertit, *invidente sibi ipsi nihil pejus est, hocque adeò ipsum est malignitatis ejus præmium*; Syrus, *eo qui nequam est animæ suæ, non est pejor, & ipse recipit retributionem malam.* Tales ergo similes sunt Timoni, qui adeò oderat homines, ut eorum morte & suspendio dum seipsos ex desperatione suspendebant, gauderet: unde & μισάνθρωπος, id est, osor hominum, est cognominatus, quasi monstrum, & probrum humani generis. Porrò ipse Timon censuit duo esse elementa malorum omnium, avaritiam scilicet, & ambitionem; quia sicut ex elementis omnia corpora, sic ex his duobus cetera vitia generantur. ita Stobæus serm. 8. de Injustitia.

Avarus similis Midæ.

Rursum tales similes sunt Midæ regi Phrygiæ, qui immensas opes congessit, teste Herodoto, & Justino lib. 11. unde fertur petiisse à Baccho, ut quidquid tangeret, verteretur in aurum, ita factum, sed in pœnam petentis avari: nam & cibi versi sunt in aurum, quòd cùm comedere nequiret, fame contabuit, ita Ovidius 9. Metamorph. Hanc miseram divitum vanitatem egregiè depingit Ecclesiastes c.6. v.3. & 4. *Si quispiam vixerit*, inquit, *multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat: de hoc ego pronuntio, quod melior sit illo abortivus. Frustra enim venit & pergit ad tenebras, & oblivione delebitur nomen eius.* Nempè *divitem avarum demonstrat, qui cùm stultissima se parcitate crucians aliis devoranda conservet, eiusque anima cupiditate & avaritia contabescat; multò deterioris conditionis sit abortivo illo, qui statim ut natus est, interiit. Ille enim nec mala nec bona vidit: iste verò cùm bona possederit, semper tristi cogitatione excruciatus est, & tamen ambo æquali fine rapientur*, ait Rabanus.

VERS. 7. ET SI BENEFECERIT, IGNORANTER ET NON VOLENS FACIT, ET IN NOVISSIMO MANIFESTAT MALITIAM SUAM] Est occupatio: nam contra id quod dixit, avaro nihil esse nequius quia non tantùm aliis, sed & sibi est iniurius, malignus & maleficus, obiicit: Ecce videmus avaros aliquando aliis benefacere. Respondet, id eos facere, vel ignoranter & imprudenter, ita ut ignorent & nesciant se benefacere; vel certè nolenter, & invitè ex pudore & timore, cum livore, & sordido animo id facere: unde livorem hunc & sordes tandem declarare, vel verbis malignis, vel rugata fronte, vel gestu tristi, vel alio signo prodentes suam avaritiam, seque invitè & coactè conferre vel contulisse beneficium. Unde Tigurina vertit, *quod si bene quid facit, imprudens & invitus id facit, & ad extremum suam prodit malitiam.* Pro *ignoranter* enim græcè est ἐν λήθῃ, id est, *in oblivione*, id est, ignoranter, imprudenter, inscius. ita Rom. Alii legunt, ἐν λύπῃ, id est, *in tristitia*, hoc est, tristis & invitus. Tigurina utrumque coniunxit: Complut. legunt, οὐχ ἑκών, id est, non volens. Noster legit hæc duo scilicet, ἐν λήθῃ καὶ οὐχ ἑκών, unde vertit, *ignoranter & non volens*; Syrus vertit, *si accidat quod benefecit, deceptione deceptus est.* Quocirca Isocrates ad Demonicum appositè de avaris dixit, eos τὰς χάριτας ἀχάριτας χαρίζεσθαι, id est, *gratias sine gratiis gratificari* & exhibere. Unde & Socrates censuit, *nec à mortuo petendum esse colloquium, nec ab avaro beneficium. Nam mortui, aut non respondent aut lædunt: ita avarus aut non dat quod rogatur, aut infeliciter cedit accipienti, quod datur animo invito & inimico.* Hinc ei dicas, quod de Polyphemo dixit Æschylus in Cyclope.

Vini liquorem perdidit infusa aqua.

Atque in eum extat proverbium, *Capta Scyria*: sicut enim hæc mulctrum, quod mulgendo lacte implevit, evertit; sic avari beneficium miscendo maleficio vitiant, & evertunt: nihil enim dant nisi cum onere, & spe lucri. Unde Aristot. lib. 2. Ethic. cap. 7. *Avarus*, inquit, *in accipiendo nimius est, in dando parcus.* Hinc avari symbolum est accipiter, cuius indoles est accipere, & rapere alias aves. Unde S. Chrysost. homil. 46. in Matth. Pharaonem avarè imperantem Hebræis, vocat accipitrem. Et Comicus rapaces causidicos vocat *accipitres pecuniæ.* Sic hodie videmus multos dare eleemosynam, non sponte & liberali animo, sed verecundia, aut metu, aut fraude, aut importunis pauperum precibus & clamoribus adactos. Qua de re illustre in Vita S. Joannis eleemosynarii extat exemplum Petri Publicani sive Telonarii, qui cùm avarus avarè proiecisset panem in caput pauperis importunè petentis eleemosynam, mox correptus morbo in exstasi raptus ad tribunal Christi, vidit se accusari à dæmonibus de multis delictis, & nihil habere meritorum quod iis opponeret nisi panem iam dictum; quare audisse ab angelis: *Recedens adde huic pani, & operare.* Quo viso mutatus in alium virum, ex avaro factus est liberalissimus, adeò ut omnia sua, & tandem seipsum, in pauperes expenderit. Simile accidisse Troilo Episcopo, qui per visionem cælestem ex avaro factus est eleemosynarius eximius, ibidem c. 26. narrat Leontius.

Visio Petri Telonarii.

VERS. 8. NEQUAM EST OCULUS LIVIDI, ET AVERTENS FACIEM (ab inope & indigo) ET DESPICIENS ANIMAM SUAM] q. d. Malignus est oculus lividi, id est, invidi, putà avari, ideoque avertit faciem & oculos, ne videat, vel alienam miseriam, cui cogatur succurrere, vel opes suas miseris dari, vel ab eis consumi: ne videat, inquam, pauperes ex pane & cibis suis comedentes: imò ipse despicit animam suam, quia, uti jam dictum est, non succurrit eius necessitati, sinitque eam fame confici, vel miseriis tabescere. Loquitur de oculo corporali, sed sub eo intelligit oculum mentis: uterque enim nequam & malignus est invido. Alludit ad etymon invidi. Dicitur enim invidus quasi non videns, vel invitè videns, eum, scilicet, cui invidet: idem hebr. vocatur רע עינים *ra enaim*, id est, malus oculis, quia scilicet lividos habet oculos, quibus torvè & malignè æmulum aspicit. Idem græcè vocatur βάσκανος, quasi τοῖς φάεσι καίνων, καὶ τοῖς βλέμμασι φθείρων, id est, oculis aspectuque fascinans, vexans, enecans. Invidia enim est quasi fascinatio, sive fascinum oculorum, quod sibi aliisque exitium affert.

Invidus, quasi invitè videns.

Invidiæ schema.

Porrò Ovidius lib. 2. Metam. graphicè invidum & invidiam pingit dicens:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies. Et post nonnulla:
Nec fruitur somno vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque & carpitur unà,
Suppliciumque suum est.

Invidi symbola. Primum, basiliscus.

Quocirca Ægyptii, aliique mythologi invidiam & invidum repræsentarunt. Primò, per basiliscum: basiliscus enim, ut est apud Solinum & Ælianum, & qui eos compilavit, Masolium, ad funera terrarum natus, serpens prorsus exitialis, solo aspectu auras inficit, plantas urit, necat animalia, saxa ipsa dissolvit. Quòd si se intueatur in speculo, repercusso in se halitu, propriis telis enecatur. Symbolum ergo est invidi & calumniatoris, qui cùm maledicta in puram animam eiaculatur, suis ipse sagittis conficitur:

In caput auctoris sic redit omne scelus.
Et cùm pestiferæ torques convitia linguæ
In puros proprio te iugulas gladio.

Secundum, sirenes.

Secundò, per sirenes: ferunt enim sirenes sæviente tempestate quàm suavissimè canere; contrà sereno cœlo, & tranquillo mari tristes obmutescere. Invidos pari modo alienorum res adversæ vehementer oblectant, prosperæ contristant & deiiciunt. Unde Prosper de Vita contemplat. lib. 3. c. 9. *De bonorum malis*, inquit, *gaudent, de profectibus lugent, de inimicitiis gratuitis ardent: deprehendi pectoris sui malitiam timent: semper amari, numquam certi: amici diaboli, inimici etiam sui: omnibus odiosi: ad gaudenda anxii, ad plangenda læti; utrobique perversi.*

Tertium, polypus.

Tertiò, per polypum: polypus enim cùm aliis cibis pascitur (est enim edacissimus, ad fraudem & insidias callidissimus) cum verò sua ipse membra conficit. Nam si venatio deficiat, brachia sua devorat, ac ventre sic saturato, inopiam venationis levat. Deinde renascitur ei quod deest, hoc tamquam promptum prandium ad famem restringendam comparante ipsi natura: ita Ælian. lib. 1. de Anim. cap. 17. Similiter invidus aliorum invidens vitæ & fortunis, ipse tabe conficitur, sui interfector. Unde Prosper libr. 3. de Vita contempl. cap. 5. *Invidi*, ait, *odia inter se abscondunt, & in suos cruciatus enutriunt.*

Quartum rana.

Quartò, per palmam ranis obsessam. Plutarch. enim in libello de Oraculorum silentio, perhibet inter templi cuiusdam à Cypselo consecrati donaria, extitisse palmam æneam, ad cuius radices insculptæ visebantur plurimæ ranæ, & natrices, quos hydros nominant. Sic virtus maledicorum infestis clamoribus lacessita, eos ex eminenti loco deridet, ad cælum velut palma luxuriosa ramorum propagine assurgens.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet.

Quintum bestiæ invidæ.

Quintò, per certas bestias & feras invidas, quæ docent invidiam non esse humanam, sed ferinam. Stellio enim, ut Theophrastus ait, simul atque senectutem, membranam hibernam exuit, eam vorans consumit, ob invidiam, ex qua laborat adversus hominem, quòd suam tunicularn planè scit contra comitiales morbos plurimum valere. Cervus item non inscius dextrum suum cornu magno usui hominibus esse, hoc ipsum, invidia flagrans, ne tanto bono homines fruantur, in terra occultat. Equa pariter non ignorat, se unà cum pullo amoris vene-

veneficia parere. Idcirco simul atque editus pullus est, id agit, ut carunculam in pulli fronte innatam, nuncupatam hippomanes, voret. Similiter lynx urinam occultat teste Æliano lib. 8. cap. 24. Invidi similiter commoda aliis invident, quibus ipsi non utuntur. Porrò Ælianus hæc omnia decerpsit ex Theophrasto in tractat. de Animalibus quæ dicuntur invidere. Adde ex eodem vitulum marinum, qui cùm captum se videt, coagulum evomit quod epilepticis auxiliatur: echinum quoque terrestrem, qui urina corrumpit corium. *Invidus*, ait Isidor. lib. 10. Etymol. *dictus ab invidendo felicitati alterius, invisus, odiosus, ab invidia & zelo dictus*.

Invidia remedium constãtia.

Porrò invidiæ remedium est animi constantia & celsitudo; ut omnem calumniam non tam dictis, quàm factis heroicis confutes. Quocirca hoc adversus viros sapientes & claros potest invidia, quod adversus solem nebula: brevissimo tempore nocet, & eadem dissipata clariores radios, sapientia & virtus exerit. Hoc est quod ait Valer. Flaccus Argon. lib. 4. *Iris contra nubila*.

Græca non habent τὸ *suam*, sed generatim sic, *Nequam oculus est invido, avertit vultum & despicit animas*, id est, homines hominumque vitas; Tigurina, *improbus aspectu est oculus invidi, avertit faciem, contemnit homines*. In oculis enim elucent passiones animi, præsertim ira, & invidia. Unde Plinius lib. 11. cap. 37. *Neque ulla, ait, ex parte majora animi indicia cunctis animalibus, sed homini maximè, id est, moderationis, clementiæ, misericordiæ, odii, amoris, tristitiæ, lætitiæ: contuitu quoque multiformes, truces, torvi, flagrantes, limi, submissi, blandi. Profectò in oculis animus inhabitat: ardent, intenduntur, humectant, connivent: hinc illæ misericordiæ lacrymæ. Hos cùm osculamur, animum ipsum videmur attingere*.

Hanc gnomen graphicè apologo onagri, & simiæ depingit Cyrillus lib. 2. Apologorum moral. cap. 29. cui titulus: *Contra invidos. Sereno cælo*, inquit, *ac lucido, cùm per solitudinem simia satis læta discurreret, tristem jacentem onagrum inveniens, dixit illi: Quid tibi est frater mi, quod tam lugubri contuitu ægroque vultu, livida facie & submisso capite tristis jaces? Indica mihi rogo te quia si quid languoris est in corpore, manu excipiam: si verò in corde, ratione seu compassione medelam exhibebo. Ad hæc quidem ille tanta humilitatis oleo emollitus, mox sui vulneris arcanum patefecit, ac dixit: Ex aeris quippe, soror tam pacata serenitate constringor: ejus enim serenitatis lucem oculis meis non serentibus, in tempestatem mihi tranquillitas vertitur, & in nubem serenitas commutatur; & è contra tempestas ipsius aeris in cordis pacem cedit, & obscuritas in serenum. Quibus cùm stupore auditis, notans simia livoris vitium ipsius esse tormentum, exhortationis suæ anathematizando ita cœpit officium*. Deinde eleganter invidiæ oculique invidi nequitiam pingens, ita eumdem infectatur: *Maledictus sit talis oculus, qui turbatur in lumine, & in turbine delectatur, qui cum noctua vitalem lucem videre non patitur, sed in caligine illustratur: cui gaudium luctus, lux nebula, bonum malum; cui infelix est felicitas, & calamitas felix: cui adversitas prospera, & prosperitas adversa: cui amica miseria, & ipsa bonitas inimica. O perhorrendum, pestiferum ac perversum malum! Tunc demum convertens eloquium ad onagrum, dixit: Profectò bene silvestris es asinus, qui tecum talem esse pateris oculum, qui tui cordis sit juge patibulum, & boni ac omnium inimicus. Nam cùm vita hujus decursus, nunc adversis, nunc prosperis rebus transigatur, si te quidem contra naturam res secundæ mœstificant, semper te præcinget tristitia, & calamitas non relinquet. Sic ergo livoris vitium, possessoris sui continuum est tormentum*.

Invidiæ nequitia.

Mox pluribus à priori rationibus idipsum nervosè clareque conficit dicens: *Verùm cùm odis invidentia quempiam propter bonum, jam principaliter ipsius hostis es boni; quoniam cujus gratia est unumquodque, et illud magis. Sed cùm ipsum bonum sit Deus, à quo tamquam à suo fonte bonitatis vena manans in omnia derivatur; hinc sanè convincitur, quòd tu hostis Dei & boni sis, & tui ipsius ac omnium inimicus. Ceterùm cùm malitia bonitati sit contraria, vide quanta te depravavit malignitas, cui tota bonitas est adversa. Cum autem naturaliter similia quæque similibus delectentur, vide cujusmodi sis qui tempestate ac tenebris gaudes. Nisi enim corde nubilus, & procellosus existeres, nequaquam te talia delectarent. Livor igitur interni turbinis gravis tempestas est mentis. Sed cùm absque tranquillitate & luce nullum putetur bonum, nec delectabile, hinc te agnosce jam omni bonitate & delectatione privatum, quia paci ac lumini tam hostiliter adversaris*. Denique loco epimythii sanum consilium suggerit: *Attamen si commune bonum intelligeres, & in unoquoque hoc ipsum benigniùs adamares, totum bonum tuum existeret, & tecum omnia possideres: quoniam dilectum bonum, quo gaudes, tuum est*.

Ratio à priori.

Gnome de invidia.

Moral. disce hìc, quàm nequam & maligna sit invidia. Verè Beda in Proverbiis. *Unde bonus proficit*, inquit, *inde invidus tabescit*. Seneca in Proverbiis: *Invidiam*, inquit, *ferre aut felix aut fortis potest. Scias eum multis virtutibus abundare, qui alienas amat. Si non invideas, major eris: nam qui invidet, minor est. Scis quid invidia est? dolor animi est ex alienis commodis. Scito enim illud, quia nulli invidetur nisi prædito bonitate. Invidia loquitur non quod est, sed quod subest*. Quocirca in Vita S. Paulæ de ea ait S. Hieron. quòd ipsa armatura Dei, putà sententiis S. Scripturæ, *instruebat se contra invidiam sævientem, & patiendo injurias furorem rabidi pectoris mitigabat.* B *Denique usque ad diem mortis, & hujus patientia, & aliorum zelus patuit, qui suum rodit auctorem, & dum æmulum lædere nititur, in semetipsum proprio furore bacchatur*.

Invidia quid?

Invidus est pusillanimis & ejus signa.

Porrò invidus est pusillanimis, & invidia est pusillanimitas, cujus signa physiognomica recenset Aristot. in Physiognom. cap. 9. *Qui*, inquit, *oculos parvos habent, sunt pusillanimes: qui concavos, malefici, reducuntur ad simiam: qui eminentes, fatui: qui parum concavos, magnanimi, referuntur ad leones*. Et cap. 6. *Avari signa sunt: facie remissus, nigri coloris, macer: quæ sunt circa faciem, quasi abrasa; facie rugosa, non carnosus, recti crines, & nigri*. Quocirca S. Bernard. de Inter. domo cap. 42. *Invidia*, ait, *est animi tinea: sensum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quasi quadam pestis depascit, & cuncta bona ardore pestifero devorat. Invidus alienum bonum, suum facit invidendo peccatum*. Idem epist. ad Adam monach. *O quisquis es qui saluti invides alienæ, parcito vel tuæ. Si enim ubi invidia ibi mors, profectò non potes simul & invidere, & vivere*.

Vers. 9.

INSATIABILIS OCULUS CUPIDI (avari qui omnia cupit) IN PARTE INIQUITATIS] Id est, insatiabilis est oculus avari in ea parte vel portione opum, C & rerum, quas iniquè & avarè cupit & appetit; vel, ut Lyranus, insatiabilis est ea parte quam injustè acquisivit. Unde Græca breviùs & clariùs habent. *Avari oculus non impletur parte*, id est, nulla opum parte satiatur; sed quo plures habet, eo plures habere appetit instar hydropici, qui quo plus bibit, eo plus sitit. Unde illud;

Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.

Avari sunt hydropici.

Quocirca appositè Diogenes Cynicus avaros comparabat hydropicis: sicut enim hi aqua, ita illi cupidine auri pleni distentique sunt: unde utrique amplius semper desiderant & sitiunt, sed in sui perniciem & exitium: ita Stobæus serm. 8. & Alii avarum comparant serpenti qui græcè dicitur dipsas, id est, sitiens, eò quod suo morsu tantam in homine sitim excitet, ut nullis aquis expleri possit, sed miserè in sua siti contabescat. *Dipsas*, inquit Isidor. lib. 12. c. 4. *latinè dicitur situla à siti: dipsades enim vocantur serpentes nocentissimi, eò quod morsi ab eis continuè inarescant*. Sic avarus inexplebiliter sitit opes, & sitiendo contabescit. Hinc Tigurina clarè vertit, *oculus avari nulla portione satiatur*: quia quidquid videt appetit, D cumque plura & plura semper videat, hinc pariter plura & plura semper appetit: quare etiamsi omnia quæ videt possideret, non tamen satiaretur. Qua de causa avaritia à S. Joanne vocatur *concupiscentia oculorum*, epist. 1. c. 2. 16. Hinc & Syrus vertit, *in oculis stulti* (qualis est avarus) *exigua est* (videtur) *pars sua*. Sequitur hujus insatiabilis avari & avaritiæ effectus, nimirum:

NON SATIABITUR DONEC CONSUMAT AREFACIENS ANIMAM SUAM] id est, vitam & corpus suum. Sic enim Num. 9. & 10. & alibi per *animam* metonymicè significatur corpus, quia corpus est quasi domus animæ, imò est ipsa materia, quam anima quasi forma informat. Animam ergo & corpus consumit avarus continuis curis, desideriis, sollicitudinibus, nimiisque cupidis, & anxiis cogitationibus, quibus extenuat, exsiccat & arefacit tam corpus, quàm mentem & spiritum, ut res spiritales ei non sapiant, imò nulla res eum delectet

nihil-

nihilque ei libeat. Rursum consumit *animam suam*, id est seipsum totum, per synecdochen, quæ frequens est Hebræis & Syris. Unde Syrus habet, *qui accipit id quod est proximi* (hæc est pars iniquitatis, quæ præcessit) *perdit animam suam*; Græca, *iniquitas maligna* (avari & cupidi) *desiccat animam*; Tigurina, *injustitia mali exhaurit vitam ejus*.

Avaritia est iniqua ob sex rationes.

Ubi Nota, avaritiam vocari ἀδικίαν, id est, iniquitatem & injustitiam. Primò, quia iniquum est, quòd homo tam nobilis adeò ardenter amet opes & res terrenas, eisque suam mentem, & cor affigat. Secundò, quia avaritia stimulat avarum ad fraudes, usuras, aliosque iniquos contractus, turpis lucri causa ineundos. Tertiò, quia Deus opes ut plurimum iniquis largitur, ut Mauris, Judæis, usurariis. Quartò, quia opes vix sine iniquitate parantur & servantur, præsertim in tanta turba indigentium, & pauperum. Quintò, quia Christus Lucæ 6. 24. divitibus væ intentat. *Væ*, inquit, *vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram*. Denique ad dexteram judicis Christi sunt mala temporalia, & bona spiritalia: ad sinistram verò, scilicet in parte iniquitatis, sunt mala spiritalia, & ut plurimum bona temporalia, Matth. 25.

Est hæc quinta avarorum vanitas, quòd seipsos sua avaritia arefaciant, exhauriant & consumant. O tormentum! exclamat Palacius. Sitis? aquam præsentem habes, & bibere non audes. Esuris? prandium habes, & te non pascis. Lætitiam habes in mensa præsentem, & inde tristitiam edis: ne detrahas pecuniæ, detrahis ventri, & animæ tuæ.

Tropologicè, Rabanus explicat sic, q.d. *Avarus sine fructu bonorum operum consumit vitam suam, & sterilem animam perpetuis ignibus gehennæ tradit excruciandam*. Nervosius Sanctus Augustinus in psalm. 128. docet avaritiam duriora imperare avaro quàm jubeat Deus. *Dura*, inquit, *jubet, levia jubeo* (ego Deus:) *onus ejus grave, sarcina mea levis est: jugum ejus asperum est, jugum meum leve est: noli velle ab avaritia possideri*. Et mox idipsum probans exemplis, *Jubet*, inquit, *avaritia ut mare transeas, & obtemperas; jubet ut te ventis procellisque committas: jubeo ego, ut ante ostium tuum ex eo quod habes des pauperi: piger es ad faciendum ante te opus bonum, & strenuus es ad transeundum mare: quia avaritia imperat, servis; quia Deus jubet, odisti*.

VERS. 10. OCULUS MALUS AD MALA, ET NON SATIABITUR PANE, SED INDIGENS, ET IN TRISTITIA ERIT SUPER MENSAM SUAM] q.d. Oculus malignus & lividus avari ad mala, & injusta intentus est, putà ad fraudes, usuras, ceterasque injustitias, & peccata, quibus opes suas augeat. Idem non audet ventrem satiare pane, id est, cibo suo, sed indigens, & tristis est etiam in mensa sua. Cùm enim alii in mensa omnes curas, & mœrores deponant, seque cibo, & vino recreantes sint læti & hilares; solus avarus in mensa sua indiget, & esurit, ideoque tristatur, & dolet; tum ob suam esuriem, tum eò quòd domestici, & convivæ ejus plus comedant, & consumant, quàm ejus avaritia patiatur. Græca de more breviùs sic habent, *Malignus oculus invidus est in pane, & deficiens in mensa sua*. Ubi Nota pro *deficiens*, Complut. legunt ἐλλιπὴς, id est, ut Noster vertit, *indigens*; alii legunt, ἐν λύπῃ vel ἐλλυπὴς, id est, *in tristitia*, vel *tristis*. Noster utrumque legit: unde vertit, *indigens, & in tristitia erit*. hæc enim duo sunt connexa, & indigentiam naturaliter tristitia consequitur. Tigurina vertit, *oculus malignus panem invidet* (sibi suisque domesticis, & conviviis) *& ad mensam suam laborat inopia*; aliter Syrus, *oculus malus*, inquit, *multiplicat panem, & siccum proiicit super mensam*: q. d. Avarus ut parcat carni, aliisque cibis pretiosis, siccos panes suis apponit, imò tetrice proiicit in mensam, sicut canibus proiiciuntur ossa. Vult ergo ventres suorum explere; & saturare pane, eoque vili, & atro, ne cibos majoris pretii comedant & consumant. Porrò oculo avari, ait Jansenius, tribuitur non satiari pane, esse indigum, & in tristitia; quia per concupiscentiam, & invidiam ex aspectu oculorum excitatam, hæc sunt in avaro. Igitur *oculus malus*, id est, malignus, & maleficus, avari totus fertur *ad mala*, id est, maligna avara, malefica, putà ad avaritiam; & malignam parsimoniam, qua se, & alios victu, & vestitu A congruo defraudat; ad avaras & malignas fraudes; dolos, contractus, &c.

Sexta est hæc vanitas, imò malignitas avaritiæ.

Tres notæ probi & improbi.

Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pirke avoth*, id est, in Sententiis patrum: *Tria hæc quæ sequuntur, hominem verum Abrahæ patris nostri discipulum ac sectatorem reddunt; Oculus benevolus, animus lenis ac mansuetus, parvo esse contentum: qui secus facit, imitatur ac dicitur filius atque discipulus impii Balaam & iniqui pseudoprophetæ, scilicet oculus malus aut invidus, animus altus & arrogans, & cor insatiabile: hæc sunt notæ discipulorum Balaam*.

VERS. 11. FILI SI HABES (græcè, καθὼς ἐὰν ἔχῃς, id est, *sicut habueris, quoad habueris*) BENE FAC TECUM (tibi,) ET DEO DIGNAS OBLATIONES OFFER] Tigurina, *pro eo quod habes, fili, bene de te merere, dignaque defer Domino donaria*; Syrus, *si habes, fili mi, ministra animæ tuæ* (tibi ipsi) *& si habes benefac tibi*. Est conclusio: ex dictis enim de avaritiæ damnis, colligit & concludit ut quisque opibus sibi à Deo datis utatur commodè, iisque sibi benefaciat honestè vivendo: deinde ut ex iisdem Deo B in laudem & gratiarum actionem dignas oblationes offerat, putà dando victimas Deo, ac decimas & primitias in alimoniam sacerdotum, ceterorumque Dei ministrorum. *Dignas* vocat meliores, & liberales, ac largas: tales enim debentur Deo creatori, & datori omnium. Unde tales lege veteri Judæis præscriptæ erant Num. 18. 29. *Omnia*, inquit, *quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt*.

Moral. dum vivis, benefac animæ tuæ coacervando bona opera, & merita, quibus vivas in æternum. Hoc autem facies, omnia opera tua, etiam indifferentia, referendo ad Dei gloriam, Deoque offerendo. Nam mors instat, post quam non poteris operari, nec mereri, juxta illud: *Miserere animæ tuæ placens Deo*, c. 30. 24. Et illud: Pauli: *Dum tempus habemus operemur bonũ ad omnes*, Galat. 6. 10.

Egregias hac de re parabolas duas recenset Damasc. in histor. Barlaam & Josaphat c. 13. & 14. Rationem dat Rabanus: *Quia breve*, inquit, *est hujus vitæ spatium, in quo licet operari. Finis autem universorum appropinquat, quando jam non est tempus operandi, sed singulos quosque juxta meritum suum remunerandi. Unde Christus: Operamini, dum* C *dies est: venit enim nox, quando jam non licet operari*, Joan. 9. 4. *Hic tempus est bene faciendi, illic autem mercedem accipiendi: hic tempus laboris, illic requiei: hic hora seminandi, illic fructus metendi. Unde & per Paulum dicitur: Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Et alibi: Qui parcè* (inquit) *seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, metet vitam æternam: hilarem enim datorem diligit Deus. Hinc & in Proverbiis Sapientia admonet dicens: Usquequo piger dormis? quando consurges a somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longè fugiet a te. Mundus enim transit, & concupiscentia ejus: Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum*.

Citat hanc gnomen Urbanus IV. Pontif. in psal. 50. (extat t. 1. Biblioth. SS. Patrum) ad illa: *Tunc acceptabis sacrificium oblationes*, id est, *eleemosynam*, inquit. Unde subdit: *Tu Deus non respicis in oblationibus iniquorum, sed illas oblationes dignas te reputas & acceptas, quæ fiunt de substantia illa bona, cujus non est peccatum in conscientia; & has a* D *me oblationes per Sapientem requiris dicens: Fili, si habes, benefac tecum, & Deo dignas offer oblationes, & holocausta: mea scilicet, hoc est non solum de meo, sed de me toto facta. Nam hæc illa esse intelligo holocausta, de quibus tu Domine mihi dicis: Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper*. Alludit ad holocaustum Christi in sacrificio Missæ.

VERS. 12. MEMOR ESTO QUONIAM MORS NON TARDAT ET TESTAMENTUM INFERORUM, QUIA (Jansen. Rabanus, & Dionys. legunt *quod*) DEMONSTRATUM EST TIBI: TESTAMENTUM ENIM HUJUS MUNDI, MORTE MORIETUR] Perperam aliqui apud Franc. Lucam legunt *mortem operatur*, hoc est, certò, omnino & citò morietur: hoc enim significat illa mortis iteratio: ita Lyranus. Probat quod dixit: *Fili si habes, benefac tecum* (tibi,) *& Deo dignas oblationes offer*, ex vicinia mortis instantis: q. d. Noli hic avarè coacervare divitias quasi perpetuò hic victurus, sed eis utere ad tuum usum &

Probatur.

Dei

Dei gloriam, quia mors & post eam descensus ad inferos tibi instat, in qua opes tanto labore coacervatas hic relinquere debebis, nec eis ampliùs uti, nullique ex eis benefacere poteris. Dum ergo breve hoc vitæ tempus tibi suppetit, eis utere, ut eis tibi aliisque benefacias, Deoque dignas oblationes offeras. Sic enim mereberis amplam mercedem & gloriam tam apud Deum, quàm apud homines. ita Raban. Lyran. Jansen. & alii.

Est ergo hæc septima ratio demonstrans insanam vanitatem avarorum, qui omnia coacervant, nec ulli, ne sibi quidem benefaciunt, cùm omnia brevi in morte ingratis & prodigis heredibus sint relicturi. Græca hæc tantùm habent: *Memor esto quoniam mors non tardat, & testamentum* (vel pactum) *inferorum non est ostensum tibi*. Quod clariùs explicat Tigurina, *Memento, mortem moram non facere, nec tibi fatum fati* (mortis tempus) *esse declaratum*: q. d. Memento mortem certam tibi imminere, sed ejus diem & horam tibi esse incertam. Igitur semper per bona opera ad eam te præpara & dispone, ne illa te imparatum inveniat & præoccupet. Syrus, *memento quod hactenus mortem non vidisti, & condemnatio ad inferos non est ostensa tibi*: q. d. Quia non vidisti mortem, nec inferos, hinc ea non apprehendis, non æstimas: at brevi ea videbis, tunc ea æstimabis; serioque, sed serò dolebis, quòd ad ea per eleemosynam, bona opera, & oblationes Deo factas te non comparaveris. Noster legit affirmativè sine negatione *non*, aut certè legit interrogativè, hoc modo, *& testamentum inferorum non*; vel *nonne ostensum est tibi?* q. d. Omnino tibi ostensum est; *testamentum enim hujus mundi est, morte morietur*: q. d. Certa tibi est mors, quia *testamentum*, id est, dispositio & decretum Dei de quolibet homine & vivente terreno est, quòd morte morietur q. d. Deus omnes addixit morti: ergo omnibus certò moriendum est; illudque tibi ostensum est, imò in dies oculis tuis ostenditur, dum quotidie vides nunc hunc, nunc illum mori, nemine excepto.

Testamentum inferorum quod.

Quæres, quodnam sit *testamentum inferorum*. Resp. Est decretum mortis & inferni, latum à Deo in Adam peccantem, omnesque ejus posteros, Genes. 2. 17. & c. 3. 19. Dicitur *inferorum*, quia tempore Siracidis ante Christum omnes, etiam Sancti, plenè à peccatis expiati, post mortem descendebant ad inferos & limbum patrum, expectantes Christum, qui pro peccatis satisfaciens cælum aperiret, eosque inde liberaret, & in cælum deduceret. *Testamentum* enim in Script. vocatur quodlibet pactum, decretum, dispositio, ordinatio. Græcum enim διαθήκη, derivatur à διατίθημι, id est, dispono, moderor, guberno, constituo. Unde Tigurina vertit v. 18. *Fatum ævi est, morte morieris*. Hoc ergo nobis est *fatum fati*, id est, mortis certum & irrevocabile decretum. Id ita esse patet ex ratione quam subdit: *Testamentum enim hujus mundi, morte morietur*, scilicet, omnis Adæ filius: q. d. *Testamentum inferorum*, id est, decretum Dei, ut omnes moriantur & descendant ad inferos, est ipsum testamentum sive decretum moriendi, omnibus impositum, juxta illud Hebr. 9. 27. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium*. Alludit, imò citat Genes. 2. 17. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Hoc testamentum & decretum moriendi & descendendi ad inferos, demonstratum est tibi, tum è Script. Genes. 2. & 5. tum ex sententiis Prophetarum & Sanctorum, tum ex communi experientia, quæ ostendit omnes mori. Sed audi nostrum Del Rio adag. 297. *Volunt quidam nihil aliud dici, quam unicuique moriendum, & cunctis mortis falcem imminere. Ad Arcton nata expositio, friget conglaciata. Præstat testamentum inferorum exponere legem a Domino latam mortalibus, ut ad Christi adventum usque, omnes ad inferos descenderent. Sic Rabanus & Carensis. Vocatur testamentum, quia hanc hereditariam successionem nobis protoplastus peccando commeritam moriendo delegavit. Mors invidia diaboli in orbem introivit: ideo necessitas illa mortuis imposita ad Plutonis regiam descendendi, rectè dicebatur inferni testamentum, hoc est, hereditas & successio lege delata, quam vellent nollent cernere & adire cogebantur. Miseram cretionem!*

Nota. Hæc verba, *Testamentum hujus mundi, morte morietur*, non sunt in Græco hoc loco, sed vers. 18. ubi pro *mundi* est αἰῶνος, id est, *sæculi*: q. d. Sæculare & perpetuum est hoc mortis testamentum, sicut non ad unam gentem, sed ad omnes; sic pariter non ad unum sæculum, sed ad omnia omnino se extendit.

Porrò certa unicuique est mors, sed incerta ejus dies & hora. Stimulus ergo ingens ad omnem virtutem est hic, quo olim se Ascetæ nonnulli, dum invicem occurrerent, consalutabant, ut jugem sibi mortis memoriam imprimerent: *Moriendum est, nescimus quando*. Nam, ut ait S. Chrysost. hom. 23. in Acta Apost. *Idcirco incertum voluit Deus esse quanto tempore duraturi simus, ut exspectatione incerta, virtutem amplexemur semper*. Et S. Ambros. in psal. 118. serm. 19. *Quid potest*, inquit, *habere laudis, si effœtum corpus voluptatibus, & jam senectutis gelu frigidum, ad sera devotionis officia, deposito jam viventis vigore, convertat?*

Cogita ergo, ò mortalis, hoc tuum esse testamentum, hanc tuam esse sententiam, hoc Dei de te decretum certum & immutabile: *Morte morietur Petrus*. Id liquet Genes. 5. ubi recensitis annis 900. vitæ Adæ, Seth, Lamech, Noe, &c. singulis subdit: *Et mortuus est*. Dicitur *testamentum mundi*, quia pertinet ad mundum hunc sublunarem, & omnia viventia, quæ in eo sunt: q. d. Hæc est dispositio Dei de mundo, & omnibus qui in eo vivunt: Moriatur homo, & omne vivens, quod in mundo vivit. Sicut ergo in communi reorum judicio; v. g. in tribunali sanctæ Inquisitionis, dicitur serturque sententia: Hic reus, v. g. Petrus, plectatur capite, Paulus suspendatur, Joannes comburatur, &c. ita hic datur testamentum, id est; decretum & sententia mortis in omnes omnino homines, dicendo: Morte moriatur; nec tantùm in omnes homines, sed & in omnia animalia, omneque vivens, imò in omnes res mundi: q.d. Testamentum mundi, id est, omnium mundanorum, putà hominum, ceterorumque viventium in mundo, est, *Morte morietur*, imò idem est & rerum inanimarum quæ in mundo sunt: his enim dicitur, Morte naturali moriatur, id est, intereat & desinat esse. Ex adverso testamentum cæli est: *Non morietur*, sed immortalis & beatus durabit in omnem æternitatem. Et testamentum inferni est: Non morietur damnatus in igne, *vermis enim eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, Isaiæ ult.

Testamentum cæli & inferni quod?

Perperam ergo aliqui sic exponunt: q. d. Omne testamentum quod in mundo ab hominibus morientibus conditur, omnisque hereditas per illud filiis posterisque relicta, morte morietur, hoc est, in morte deficiet, transibitque ad alios. Perperam quoque Palacius: Testamentum, inquit, inferorum est, quòd humana natura peccando in primo parente pepigit, atque promisit se morte morituram, ac ideò in infernum descensuram. Testamentum hujus mundi est, pactum quod cum mundo fecimus. Sicut enim Isaiæ 28. 15. impii percutiunt *fœdus cum* peccato *& morte*, quo promittunt illi servire, & eo frui: sic nos velut promittimus longa vita nostra, mundo frui, atque illi servire. At Auctor dicit, hoc testamentum non in æternum duraturum, sed citiùs quàm velint moriturum. Ergo benefac antequam finiatur. Hæc ille, mysticè potiùs quàm ad literam.

Gnome Hebr. de morte.

Siracidi succinunt sapientes omnes, Hebræi, Arabes, Græci, Latini, Persæ, Ægypti, Syri. Hebræi, ut Ben Sira: *Dies brevis*, inquit, *& opus multum*, q.d. Mors instat, & tamen grandis restat nobis via in cælum. Festinemus igitur progredi in via virtutis, & merita meritis accumulare. Similiter de arte medendi dixit Hippocrates: *Ars longa, vita brevis*. Sic in libro Avoth dicit R. Simon: *Dies brevis, & opus multum, & operarii pigri, & merces copiosa, & paterfamilias urget*.

Arabum.

Arabes Centuria 2. n. 13. *Opera & mundus*, inquiunt, *transibunt, & durabunt opera bona*. Et n. 16. *Mors consumpsit eum qui decessit, & mors consumet eum qui remanet*. Et n. 46. *Cogita ingressum tuum in hunc mundum, & egressum tuum ex ipso, quia tu de nihilo factus es homo, & momento fies tamquam non fueris. Item considera qui fuerint ante te, reges, perfecti & nobiles, considera quomodo migrarunt ex isto mundo, tu verò sicut illi migrabis*.

Græcorũ.

Græci. Sanct. Gregor. Nazianz. in Distichis: *Mortem*, inquit, *velut præsentem semper tibi ob oculos pone, ita enim fiet ut, cum ipsi occurrendum erit superior existas*. Idem Nazianz. in Monostichis suum Rectæ vitæ Alphabetum ita orditur:

Ἀρ

Ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποιοῦ Θεόν,
Agendorum principium & finem constitue Deum.
Ἔστω τὸ κέρδος, ἀποθνῄσκειν καθ' ἡμέραν,
Vitæ lucrum sit, quotidie vita excedere & mori.
Cognoscere hominum facta egregiorum stude.
Lucerna sit ratio vitæ tibi totius.
Quæcumque dat Deus, animo grato accipe.
Procella cursu timeri debet prospero.
Vir magnus esse potes frænans petulentiam.
Præstat animum quam cetera offerri Deo.

Idem in Distichis: *Ossa nuda spectata nos admonent, ne quid hujus vitæ nobis proprium ac certum esse credamus.* Et mox: *Rota est incerte fixa, brevis hæc & multiplex vita: sursum movetur, ac deorsum trahitur: fugiens tenetur, & manus effugit, saltat plerumque nec tamen fugere potest: stationem suam motu trahit ac retrahit: fumus est, insomnium & flos herbæ.* Plato in Phædone: *Philosophia, ait, est mortis cogitatio,* id est, ut sapientiæ studiosus animum à corporis sensibus revocet, & ab illius communione liberum immunemq; reddat, illius cupiditatibus repudiatis, quę nimirum est mortis definitio, solutio & separatio à corpore.

Latinorũ. Latini. Seneca in Proverb. *Homo,* inquit, *vitæ commodatus, non donatus est. Vita omnis brevis est, ideo immortalitas est mors honesta.* Cicero: *Exiguum nobis vitæ curriculũ natura circumscripsit, gloriæ immensum.* Virg. 10. Æneid.

Stat sua cuique dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Seneca in Herc. furent.

Certo veniunt ordine Parcæ:
Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.
Recipit populos urna citatos.

Et:

Prima quæ vitam dedit hora, carpsit.

Horat. lib. 2. Carm.

Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna, serius, ocyus
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

S. Hieron. epist. ad Cyprian. *Nihil,* inquit, *ita decipit humanum genus, quam quod dum ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi hujus possessionem repromittunt. Unde & illud egregie dictum est. Nullum tam senem esse, & sic decrepitæ ætatis, ut non se adhuc uno plus anno vivere suspicetur. Ad hunc sensum pertinet & illud quod dicitur: Memorare mortis tuæ, & non peccabis: qui enim se recordatur quotidie moriturũ, contẽnit præsentia, & ad futura festinat.*

Persæ. Nam, ut ait S. Hieron. epist. 3. ad Heliodor. in
Persarũ. Epitaphio Nepotiani: *Xerxes,* inquit, *ille rex potentissimus, qui subvertit montes, maria constravit, cum è sublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem vidisset exercitum, flevisse dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus* (addit Hieron.) *in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus! jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regnis regna collisa: & non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos.*

Ægyptii. Inter apophthegmata SS. Patrum Ægy-
Ægyptiorum. ptiorum, quæ habentur in fine Vitarum Patrum, recensentur hæc num. 94. *Homo habens mortem præ oculis, omni hora vincit pusillanimitatem.* Et num. 97. dixit senex: *Ego tres res timeo, id est, cùm anima egressura est de corpore, & cùm in præsentiam Dei venturus sum, & cum sententia contra me data fuerit.* Et in fine inter septem documenta Abbatis Moysis sextum recensetur: *Debet homo priusquam exeat de corpore, mundare seipsum ab omni inquinamento carnis & spiritus.* S. Antonius moriens suis præscripsit, ut manè quotidie cogitent illum diem fortè sibi fore ultimum, itaque omnes actus illo die quisque obeat atque si essent futuri ultimi, ipseque illo die certò esset moriturus. Simili modo è Societate nostra P. Joannes Maldonatus quotidie quinquies mortis memoriam, imò præsentiam, sibi ob oculos ponebat, indagabatque num quid esset in conscientia, quod in hora mortis eum angere vel affligere posset, &, si quid reperisset, ilicò per confessionem, vel eo modo quo conveniebat, illud tollebat: itaque stabat semper in procinctu singulis horis paratus ad mortem, juxta monitum Christi: *Vigilate & orate, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.*

Syri. Climacus: *Sanctus,* ait, *est, qui non timet mortem: perfectus, qui eam desiderat.* Illustris mortis apologus extat apud Damascenum in histor. Barlaam & Josaphat cap. 12. Rhinoceros, inquit, insequitur hominem fugit homo, & fugiens in scrobem labitur, labensque amplectitur arbusculam; sed hanc assiduè rodunt mures duo: albus unus, ater alter: subtus est ingens barathrum, in quo draco & serpentes fauces exerunt, ut hominem ab arbore pendulum corrosa arbore deglutiant. Homo videns mellis aliquid ex albore stillans melli incubat, periculorum omnium oblitus: interim corroditur arbor à muribus, ruit homo in barathrum, ibique à dracone devoratur. Rhinoceros est mors quæ hominem assiduè insequitur, fugit homo labiturque in scrobem, putà in mundum hunc, ubi arborem, id est, vitam præsentem, amplectitur, sed hanc jugiter duo mures, putà dies & nox, & corrodunt, infra eam est barathrum gehennæ in quo draco diabolus cum suis dæmonibus hominem exspectat, ille videns mel, id est voluptates hujus vitæ, illis inhiat securus, donec vità à revolutione dierum & noctium consumpta, homo per mortem labatur in gehennam, ibique præda fiat dæmonum. *Syrorum. Apologus mortis & vitæ.*

S. Ephrem Syrus tract. de Beatitud. *Beatus,* inquit, *qui assiduè animo suo versat diem ex hac vita discessus, studetque sedulò paratus & intrepidus hora illa inveniri. Beatus, quicumque in hora illa emigrationis, quando cum timore & dolore anima separabitur à corpore, fiduciam repererit. Beatus, qui præsentem hanc vitam odit ac deserit, & in solo Deo omnis meditatio vitæ suæ est.* Idem tract. de Morte: *Vita hæc nihil aliud est, quam perpetua quædam via ad mortem, & velut quoddam iter ætatibus, quasi stationibus quibusdam, interstinctum.* Et mox: *Viator ò homo es in hac vita: omnia præteris, omnia à tergo relinquis.*

Moral. disce hic quotidie memor esse mortis, & quotidie mori, ut ad eam te disponas & aptes. *Moral. de memoria mortis.*

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Fuit hic mos veterum. Damascenus in hist. Barlaam & Josaphat, testatur priscos Sanctorum reliquias religiosè in theca ex collo pendente gestasse, non tantùm venerationis, sed & memoriæ mortis causa. *S. Joannes Eleemosynarius,* ait Leontius in ejus Vita, *sepulcrum sibi effodit, ac quotidie à famulo moneri volebat de sepulchro, nempe parari illud, paulatimque perfici: ut hoc pacto per memoriam mortis, vitæ melioris desideria vir sanctissimus acueret.* Imò etiam de Philippo Macedonum rege refertur, *monitorem sibi in magna fortuna statuisse, qui quotidie manè sibi inclamaret, hominem eum esse, quo scilicet tumidiores animos comprimeret, & fortunæ inconstantiam ceterasque vitæ humanæ miserias animo quotidie præciperet, & ad eas se compararet. O quantum hic ruboris incutiet Christiano in die judicii! Quotidie ergo dum incumbis, cogita an paratus sis mori: lectus enim nos meritò commonet sepulchri, uti mortis imago somnus esse dicitur. Itaq; incumbe, tamquam si ad judicium ea nocte rapiendus fores, & saltem contritionem cum actu fidei, spei & charitatis, & gratiarum actionis excita: vota, si Religiosus sis, renova: atque ita in pace in idipsum dormias & requiescas,* ait noster Auctor Viæ vitæ. Quin & S. Ambros. lib. 4. epist. 29. ad Florianum: *Toto animo,* inquit, *odi & damna quæ diligit mundus. Tamquam mortuus, à labe & affectu illius te separa, sicut sepultus, nil habeas curam de sæculo: tamquam defunctus, omni terreno te abdica negotio. Contemne vivens quæ post mortem habere non poteris.*

Vide nostrum Alfonsum Rodriguez de Perfectione tomo 1. tract. 2. cap. 5. ubi docet efficax medium ad perfectionem esse, si quis ita vivat quasi quotidie moriturus, &, si ita exactè quodlibet opus faciat, ac si illud futurum sit vitæ suæ ultimum. Vide & Climacum gradu 6. ubi inter alia refert, Anachoretam quemdam à morte suscitatum cellæ se inclusisse, ac per annos duodecim nulli locutum fuisse, nec aliud quàm panem & aquam degustasse, sed quasi attonitum assiduè vim lacrymarum profudisse; ac sub mortem rogatum causam dixisse: *Nemo qui revera mortis memoriam agnoverit, peccare umquam poterit.* Memorat & alium qui dixit: *Non est præsentem diem*

sit

pit pertransire, nisi hanc esse ultimam vitæ nostræ existimemus.

VERS. 13. ANTE MORTEM BENEFAC AMICO TUO, ET SECUNDUM VIRES (græcè, ἰσχὺν, id est, virtutem, potestatem, facultates) TUAS EXPORRIGENS DA PAUPERI] Græca jam non habent τὸ *pauperi*: sic enim habent, *antequam moriaris benefac amico, & pro viribus tuis extende manum tuam, & da illi.* Sic & Syrus, *priusquam moriaris benefac amico tuo, quidquid petit à te, da illi;* Tigurina, *priusquam moriaris, in amicum esto beneficus, & pro eo quod potes, manum illi dando porrige.* Noster ergo antiquius & plenius habuit exemplar Græcum, in quo erat τὸ *pauperi*. Scriptura enim ubique commendat eleemosynam in pauperes, in eamque jubet expendi opes à Deo datas. Sensus ergo est: q. d. Ante mortem benefac amico, præsertim pauperi, in eumque liberaliter plenam manum exporrige, largas ei dando eleemosynas. Per *amicum* Lyran. accipit quemvis proximum: hic enim ex charitate amandus est; & sic accipitur amicus Levit. 19. 18.

Est hic tertius usus divitiarum: vers. enim 11. duos assignavit, dicendo scilicet, primum benefac tibi; secundum, offer Deo oblationes: hic tertium assignat, scilicet, ut & aliis amicis, præsertim pauperibus, benefaciamus. Huic consonat proverbium Arabicum centur. 1. n. 44. *Accende lucernam tuam ante tenebras*, id est, *illumina te operibus bonis antequam superveniat tibi mors.* Et centur. 2. n. 41. & 44. *Operare bona quotiescumque potes domesticis tuis & extraneis, & bona verba loquere, tam bonis quàm malis. Provide animæ tuæ bona in operibus bonis.*

Nota τὸ *ante mortem*, non vetat in morte, testamento relinqui legata in pios usus, & alimoniam pauperum. Hoc enim commendat pius Ecclesiarum, & fidelium omnium sæculorum usus, sed quòd præferenda sit beneficentia, & eleemosyna ante mortem facta ab homine vivo, & sano, idque multis de causis. Prima est, quòd quæ in morte relinquuntur, magis voluntaria sint, & libera. In vita enim relinquit homo ea quibus potest uti, in morte verò ea quibus ampliùs uti nequit. Secunda, quòd quæ in vita dat vivens, ea sibi subtrahit: quæ verò in morte, ea mors illi subtrahit: liberalior ergo est dans vivens, quàm moriens. Tertia, quòd eleemosyna data à vivente, ei pauperum Deique favorem conciliat, ut liberaliter in eum sua dona, & gratias effundat; secùs est in morte: post mortem enim homo novæ gratiæ est incapax, nec in ea & justitia crescere potest. Quocirca sapienter S. Lucia petiit à matre, ut sortem hereditatis obventuræ sibi assignaret in vita, quo eam illicò in pauperes erogaret: cumque mater se difficilem præberet, diceretque se post mortem suam ei sortem relicturam qua faceret quod liberet, subiunxit S. Lucia; *Melior est beneficentia in vita, quàm in morte, sicuti magis illuminat faces quæ præeunt incedentem, quàm quæ sequuntur.* quod eleganter dicunt Belgæ: *De beelse die voor gaet die licht best.* Quarta, quòd testamenta, & legata facta in morte multis litibus sint obnoxia, ac non rarò tardè vel numquam solvantur, imò ab heredibus evertantur: quæ verò in vita dantur, everti nequeunt. Audi hæc de re S. Chrys. hom. 18. in epist. ad Roman. *Licet*, inquit, *ut & ab ipso testamento commenderis, etsi non quemadmodum si, dum vivis, bene ageres; licet tamen. Quo pacto? si Christum in ipso cum heredibus conscripseris, partemque illi totius sortis tradideris. Non pavisti Christum dum viveres? saltem abiturus hinc, quando jam non amplius eorum quæ possidebas usum ac potestatem habes, tua illi contribue; non erit, quemadmodum benignus est, curiosus aut difficilis erga te. Majoris quidem amoris signum fuerit, majoremque dignum mercede, si Christum dum vivis paveris: si verò illud non fecisti, vel quod secundo loco licet, aggredere; nimirum, relinque illum filiis tuis coheredem.*

Eleemosyna in vita melior quàm in morte, ob quatuor causas.

Audi & S. Basilium homil. 7. contra divites avaros, tenacitatis eorum excusationem recensentem, & refellentem, *Nolo*, inquit, *vendere, nolo pauperibus dare, ob vitæ necessarios usus: ego quidem bonis dum vixero, frui volo, post mortem verò in testamento heredes facultatum mearum ac dominos pauperes ascribam. Heu miser! tunc benignus ac liberalis hominibus eris, cùm amplius inter homines non ages? cùm te cadaver aspiciam, tunc fratris amantem appellabo? magna dignus eris liberalitatis laude, magnus tibi honor debebitur aut gratia, si in sepulchro jacens, & in terram conversus, magnificus ac sumptuosus apparebis? si tempore, quod ad promerendum datur, in voluptatibus ac deliciis absumpto, pauperes nequaquam aspexisti, mortuus cujusnam actionis aut operis mercedem petiturus es? nullus enim post mercatum solutum negotiatur, neque demum post certamina accedens coronatur, nec post bellum fortia gerit; nec item post vitam pietatis laudem præmiumque capiet.*

VERS. 14. NON DEFRAUDERIS A DIE BONO, ET PARTICULA BONI DONI (aliqui legunt, *boni diei*) NON TE PRÆTEREAT] Redit Siracides ad illud v. 11. *Benefac tecum*, id est, tibi, illudque inculcat & exaggerat. *Diem bonum* vocat felicem, lætum, jucundum: q. d. Ne te defraudes felici & jucundo die, v. g. convivii aut festi, nec portione bonorum tibi à Deo donatorum te prives, sed ea fruaris jucundè, honestè tamen, & moderatè cum timore Dei, non prodigaliter ad luxum. Græca, *ne defraudes à die bono, & pars boni desiderii* (id est, boni desiderabilis) *non te prætereat*; alii, *& pars honestæ cupiditatis ne prætereat te*; Tigurina, *ne te defraudes jucundo die, nec te fructus bonæ cupiditatis prætereat*; Syrus verò, *ne prohibearis à bono diei, & concupiscentiam odibilem non concupiscas.* Videtur Syrus in Græco negationem non trajecisse, eamque combinasse cum *bonæ*, non cum *prætereat*, hoc modo: *Et fructus non bonæ* (id est, malæ, odibilis) *cupiditatis te prætereat.* Hoc enim in re idem est cum eo quod ipse vertit, *& concupiscentiam odibilem non concupiscas.* Siracidi antistropha est gnome Arabum centur. 1. n. 15. *Ne perdes margaritas in die festo, id est, ne contristeris, neque fleas in loco lætitiæ.*

Particula boni dona quæ?

Mysticè, q. d. Die festo cùm datur tibi facultas vacandi Deo, orandi, meditandi, communicandi, legendi pia & Vitas Sanctorum, ea utere, pasce mentem cum Magdalena epulis hisce divinis. Maria enim *optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea.* ita Lyran. Noster P. Balthasar Alvarez vir valdè spiritalis hoc appositè refert ad Eucharistiam: q. d. Post sacram Synaxin noli declinare ad res externas, sed versare cum Christo, illo fruere, illi tuas necessitates expone, gratias congruas efflagita, cum illo dissuaviare. Qua de re pulchra documenta vide in Vita ejus; quam scripsit Lud. de Ponte cap. 6. §. 2. pag. 74. Citavi ex eis nonnulla Zachar. 9. v. 17. pag. 246. col. 2. B.

Mysticè est Eucharistia & oratio;

Denique *particula bonæ diei non te prætereat*, quæ utique non est alia, quàm præstandæ alicujus bonæ actionis occasio: q. d. Nullam occasionem exercendæ virtutis omitte: ita virtutibus meritisque dives, in iisque perfectus efficere. Eam enim diei partem auspicatam, & felicem existimat liberalis, quam donando & benefaciendo exegit: eam verò nigro calculo assignat, in qua nihil doni aut beneficii ab ipso in alios profectum est. Sic Basilius Imperat. inter alia capita exhortationum ad filium Leonem dictata tom. 5. Biblioth. SS. Patrum: *Largire*, inquit, *misericordiæ stipem egentibus, ut ipse tibi misericordiam alicias à Rege universorum Deo. Nam in eo præcipuè versatur pietas, si tua non habentibus benignè impertiaris. Eum ergo diem tibi periisse existimato, in quo nemini benefeceris, pro beneficiis quæ à Deo illo die acceperis.* Titus Imp. cùm aliquem diem sine insigni in quempiam beneficio transmisisset, vespere suspirans, dicebat: *Amici diem perdidi.* Idem longè potiori ratione dicat Christianus, Sacerdos, Religiosus. Studiosè ergo captanda occasio benè agendi: abit enim & avolat illicò, nisi prehendatur, imò præoccupetur. Unde pro *non te prætereat*; græcè est μὴ σε παρελθέτω, id est, *non te præcurrat* aut fallat; quia occasio ocyus & quasi furtim elabitur.

& occasio bene agendi.

Hac de causa veteres, ait Seneca lib. 1. de Benef. cap. 3. aiebat Charites sive Gratias, & Horas (quæ occasionis sunt symbolum, imò locus & situs) iisdem parentibus esse prognatus, scilicet Jovis & Eurynomes esse filias Horas quidem seniores, Gratias verò juniores, ut significarent Gratias, Horis, id est, occasioni, quasi subesse, ab eaque pendere, adeò ut dilationem non ferant, sed horis opportunis præstari debeant. Hunc sensum innuit vox Græca μερὶς ἐπιθυμίας ἀγαθῆς, id est, *particula boni desiderii*, vel *bonæ cupiditatis*: q. d. In vita hac tam brevi qua curris in æternitatem, cave ne ulla verorum bonorum cupido tibi à Deo immissa, tuo vitio cadat irrita & cassa. Vide nostrum P. Menochium lib. 2. Hieropolit. cap. 25. n. 2. Sanè hoc grave & prudens est Sapientis consilium.

Charites & Horæ sunt sorores: cur?

NON-

Vers. 15. NONNE ALIIS RELINQUES DOLORES ET LABORES TUOS IN DIVISIONE SORTIS?] Dat stimulum ad beneficentiam, ut scilicet quis opibus suis sibi & aliis benefaciat; nimirum hunc, quòd illas licet multis doloribus & laboribus à se partas, cogetur brevi in morte aliis, ut filiis vel cognatis, relinquere, ut ipsi eas inter se sorte dividant. q. d. Quin ergo potiùs tu ipse opibus tuis, quæ tantis doloribus & laboribus tibi steterunt, frueris? cur aliis asininè laboras, & fatigas teipsum? Cur aliis tuos dolores devorandos & prodigendos relinquis? Unde Græca habent, *numquid alteri relinques labores tuos, & defatigationes tuas divisioni sortis?* vel *ad divisionem sortis*, ut scilicet ipsi eos sorte inter se dividant; Tigurina, *nonne labores tuos relinques alii, & quæ opera tua comparasti, dividenda heredibus?* Syrus, *alii enim relinques divitias tuas, & laborem tuum illis qui iaciunt sortes*. Ubi τὸ *iaciunt sortes* dupliciter accipi potest; Primò, q. d. Qui sorte divident tuas opes. Secundò, q. d. Qui lusu & iactu aleæ consument prodigentque opes tuas. Sic enim sæpè fit, ut avari opes tanto studio collectas relinquant heredibus prodigis, qui ludendo & symposia per sortes celebrando, eas abliguriant. Complut. Raban. Lyranus & alii τὸ *in divisione sortis* referunt ad vers. sequ. hoc modo; *In divisione sortis da & accipe*, idque vario sensu, uti mox ostendam. Verùm Græca passim & Romana, ceteraque Latina, idipsum referunt ad præcedentia; eo modo & sensu quo dixi. Nota. Rectè opes vocat *dolores*. Nam, ut ait Prosper lib. 2. de Vita contempl. cap. 13. *divitias qui habent, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt*.

Vers. 16. Vers. 17. DA ET ACCIPE, ET IUSTIFICA ANIMAM TUAM. ANTE OBITUM TUUM OPERARE IUSTITIAM; QUONIAM NON EST APUD INFEROS INVENIRE CIBUM] Græca sic tantùm habent; *Da & accipe, & sanctifica animam tuam; quoniam non est in inferno quærere cibum*. Græca Romana pro *sanctifica* legunt *falle animam tuam*, id est, consopi animæ tuæ curas & sollicitudines; & pro τροφὴν, id est, *cibum* legunt τρυφὴν, id est, *delicias*. Tigurina, *da & accipe, dum sanctam conserves animam tuam (& ante obitum tuum exerceas iustitiam,) quoniam non est quod quæras apud manes cibaria:* Syrus, *da & accipe, & alas animam tuam, & omne quod pulchrum est ad agendum coram Deo fac: quia omnes homines consumendo consumuntur, & generationes mundi moriendo moriuntur.*

Multiplex huius loci sensus. Jam τὸ, *da & accipe* variè exponitur.

Primus. Primò, Rabanus sic nectit & explicat: *In divisione sortis*, inquit, *dat & accipit, qui hic verbum doctrinæ proximis suis impendit, & bonorum actuum exempla relinquit, ut in futuro, pro hoc præmium æternæ vitæ accipiat. Iustificat ille animam suam, qui per confessionem, & pœnitentiam mundat mentem suam: & operatur iustitiam, qui mandatorum Dei diligentem habet custodiam: quoniam non est apud inferos invenire cibum, hoc est, pabulum vitæ. Quoniam non est* (inquit) *in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?* Verùm hic sensus tropologicus est & anagogicus.

Secundus. Secundò, Lyran. eodem modo nectens sic explicat: *In divisione sortis da & accipe. Ordinavit enim Deus quod aliqui sint pauperes, & aliqui divites, ut divites pauperibus dent temporalia, & pro eis recipiant æterna.*

Tertius. Tertiò, alii, q. d. *Da* aliis quod ipsorum est, *accipe* verò quod tuum est.

Quartus. Quartò, Palacius: *In divisione sortis da & accipe*, id est, inquit, *cùm testamentum condis, & in eo hereditatem tuam legas, ita heredibus dato, ut tibi etiam accipias, scilicet quæ pro anima tua leges. Accipe partem hereditatis, ut anima tua iustificetur. Memento Machabæorum, qui vim argenti pro mortuis Hierosolymam miserunt: ita & tu ex tuo accipe, quo anima tua è Purgatorio iusta discedat. Ergo hoc priore præcepto docet Auctor, ut tempore testamenti condendi ita relinquamus heredibus, ut accipiamus nobis quod in oblationibus & eleemosynis pro iustificatione animæ consumatur. Posteriore præcepto nos admonet, ne curam animæ nostræ heredibus relinquamus; sed, si quid debemus nos, ante obitum solvamus; si eleemosyna danda, si sacrificia litanda, id ante obitum curemus; quia apud inferos non est tempus inveniendi, seu merendi præmium æternum.*

Quintus. Quintò & genuinè: *Da*, id est, communica aliis: A *accipe*, scilicet tibi, hoc est utere, q. d. Labores id est, opes labore tuo partas, ita expendas, ut earum partem aliis quibus obligaris, præsertim indigentibus, impertias; partem aliam tibi usurpes, ex eaque & iucundè & commodè vivas, sicque *iustifica*: græcè, *sanctifica, animam tuam*. dum enim opes iustè, misericorditer & sanctè modo iam dicto expendis, per hanc iustitiam & eleemosynam sanctificas animam tuam. Dico iustitiam: nam ante omnem eleemosynam pars opum debita aliis, vel ex iustitia rigide, putà creditoribus, vel ex pietate, putà filiis & nepotibus, iis danda est: deinde quod superest dandum pauperibus. Hunc sensum exigunt præcedentia, quibus suasit ut quis opes non relinquat heredibus, sed expendat ad suum & aliorum usum. Unde Syrus vertit, *accipe, & alas animam tuam*. Avari enim nec dant, nec accipiunt: prodigi accipiunt, & non dant: liberales verò & dant, & accipiunt, ita Jansenius. Hinc & explicans subdit: *Ante obitum operare iustitiam*, tum propriè dictam: q. d. Præsta ius quod tum aliis, tum tibi ipsi debes, exhibe B id ad quod iure obligaris; tum metaphoricam, qualis est eleemosyna & beneficentia; hæc enim in Script. vocatur *iustitia*, quia iustorum & sanctorum propria est dos & virtus, uti dixi Daniel. 4. 24. tum genericam, quæ est complexio virtutum omnium, iuxta illud Aristot. 5. Ethic.

Iustitia in sese virtutem amplectitur omnem.

Unde Dionys. Carthus. *Operare*, inquit, *iustitiam, exsolvendo unicuique quod ei teneris: imprimis Deo obedientiam & honorem, per omnium mandatorum ad te pertinentium adimpletionem: Secundò, proximis, bonum exemplum, consilium atque auxilium: Tertiò, tibi ipsi iugem cordis custodiam: Quartò, Prælato subiectionem*. Jubet enim ut ante mortem operemur omne bonum, quo mereamur post mortem æterna præmia. Alludit enim, imò citat illud Eccles. 9. v. 10. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quò tu properas.*

Porrò Jansenius negat hìc agi de merito bonorum operum, sed tantùm significari, ut quis dum vivit, bonis suis fruatur, quia post mortem iis uti non licebit, nec necesse C erit, nec quidquam ab eis nobiscum efferre possumus. *Itaque extra propositum*, inquit, *auctores quidam hunc locum sic interpretantur, ut significetur post mortem non esse locum bonorum operum & meritorum colligendorum, quibus se homo tunc reficiat & pascat, & ideo ante mortem operandam iustitiam. Quamquam enim is intellectus verus sit, est tamen extra intentionem Sapientis, qui hanc causam non adducit in illius comprobationem: Ante mortem operare iustitiam; quia hoc non est in Græcis: sed in illis, Da & accipe*. Hæc Jansenius. Verùm hic sensus nimis ieiunus & humilis est; quare aliter sentiunt & explicant Rabanus, Lyranus, Palacius, & ceteri Interpretes. Agi enim hic de *Agi hic de merito operum, probatur. Primo.* merito bonorum operum, liquet ex eo quod ait Noster; *Ante obitum operare iustitiam*. q. d. Ante mortem operare opera iusta & sancta, quibus mercaris vitam æternam; licèt enim hæc verba modò desint in Græcis, tamen olim ea in illis lecta fuisse liquet ex nostro Interprete qui ea in Latinum transtulit, cui ex decreto Concil. Trident. sess. 4. magis standum est quàm Græcis mo- D dernis.

Secundò. Secundò, idem liquet ex eo quod præcessit. *Da, & accipe, & iustifica animam tuam*; quæ verba sunt in Græco. Ex illis enim patet id quod sequitur, *Quoniam non est apud inferos invenire cibum*: non intelligi de cibo corporeo, sed spiritali: putà de iustitia & merito bonorum operum. Sicut enim cibus corporis est panis, illeque corpus sustentat: sic cibus animæ sunt virtutes & bona opera, quibus illa pascitur, vegetatur & crescit in iustitia Deique gratia. Unde de hoc cibo ait Christus Joann. 6. 27. *Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis*: q. d. Contendite ut acquiratis opera bona fidei, spei, charitatis, quorum merces vobis maneat in vita æterna. Per cibum enim qui non perit, intelligi bona opera, significant Judæi, cùm ilicò interrogant: *Quid faciemus ut operemur opera Dei?* quibus respondet Christus: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Et Joan. 4. 34. ait Christus: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei qui in cælis est*. Obedientia ergo erat cibus & deliciæ, quibus pascebatur & deliciabatur Christus.

Ter-

Tertiò, idipsum liquet ex verbis Eccles. cap. 9. 10. jam citatis, quò alludit hic Siracides. Ecclesiastes enim cibum
Tertiò. hunc exponit, vocatque *opus*, *rationem* & *sapientiam*, quæ non est invenire apud inferos.

Quartò, idipsum significant Græca, quæ pro *invenire*,
Quartò. habent ζητῆσαι, id est, *quærere*, τροφὴν, id est, cibum, vel, ut Rom. τρυφὴν, id est, delicias: quærere autem cibum & delicias futuræ vitæ, est eas mereri. Significat ergo, in hac vita dumtaxat, non in futura, esse tempus inveniendi, id est, merendi, quo merito inveniatur & comparetur cibus æternus. Nam futurum sæculum suos habere cibos & delicias, liquet ex illo Christi Luc. 22. *Et ego dispono vobis regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam.* Et potum habebat in limbo Lazarus, ex quo dives optabat linguam humectare, Lucæ 16. Reficiebantur enim in limbo Patriarchæ & justi ante Christum sua sanctitate, amore & contemplatione Dei, mutuis piis colloquiis, & spe adventus Christi.

Ita hunc locum exponit S. August. in Quæst. Veteris Testam. qu. 22. ubi hanc Siracidis (quem ipse Salomonem vocat) gnomen conciliat cum illa psalm. 142. ver. 2. quæ in speciem videtur contraria: *Quid est*, inquit, *ut dicat Salomon: Justifica animam tuam ante obitum tuum*; & in psal. 5. 42. *Non justificabitur*, ait, *in conspectu tuo omnis vivens?* Ac respondet: *Hic justificat animam suam ante mortem, qui spe vitæ futuræ consequitur fidem, ne moriatur impius.* Sed Salomon de eo dicit: *Qui sub lege vivit, & non conversatur juste, hujusmodi ergo si corrigat animam, ut justitiæ vias ambulet, justificat animam suam ante mortem. Salomon enim propter judicium futurum consilium dedit, ne quis indiligens circa se in peccatis moriatur; David verò de perfectione justitiæ locutus est, quia nemo justificabitur apud Deum ut dignus promissione sit, nisi fuerit mortuus cum justitia: quamdiu enim vivit, futurorum meritum non habet adhuc plenum. Unde dicit Salvator* Matth. 10. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Siracidi concinit R. Tarpon, cuius aurea gnome extat in *PirKe avoth*, id est, in Apophthegm. patrum cap. 2. *Dies brevis est, & prolixum opus, operarii tardi & pigri, merces ampla, paterfamilias autem compellens ad finem operis instat & urget.* Ibidem quinque sapientum Hebræorum hæc tria extant documenta: *Æquè tibi carum sit ac pretiosum sodalis tui bonum nomen, ac tuum. Ne te corripi sinas præcipitis iracundiæ motu. Die uno ante obitum ad pœnitentiam te para.* Ibidem c. 3. R. Achabia filius Mahaleel: *Tria*, inquit, *tibi consideranda veniunt, quibus à peccato coercearis: quæ origo tuæ conditionis est, quis finis, & ante quem judicem ratio tibi reddenda est? Unde tibi origo est? è fœtido spermate. Quo tendis? ad vermes & tineas. Cui judici debes astare judicium excepturus? regi regum terribili, & ei qui aufert spiritum principum: terribili apud reges terræ, Deo sancto & benedicto.*

Denique perperam ex loco hoc, Purgatorium & suffragia pro animabus eò detentis convellere nituntur hæretici, dum sic explicant: Ante mortem operare justitiam, quia post mortem tibi prodesse non poterunt preces & pœnitentiæ, quas pro te subibunt vivi, ut inde reficiaris & pascaris. Nam Primò, *cibus* significat hic merita bonorum operum, quæ apud inferos in Purgatorio non est invenire; non satisfactiones & suffragia, quæ ibi est invenire, sed non nisi ab iis qui in hac vita operati sunt justitiam, ideoque meruerunt ut suffragiis piorum post mortem juvari possent. Secundò, græcè est: *Apud inferos non est quærere cibum.* q. d. Apud inferos non est locus merendi & comparandi merita; hæc enim sunt quasi cibus animæ, cùm satisfactiones sint quasi medicinæ, aut potiùs lytra eiusdem.

Mysticè, noster Alvares de Paz de Adeptione virtutum
Mysticè. lib. 3. p. 5. sect. 5. cap. 3. hunc locum accipit de innovandis actibus vitæ spiritalis: *Da, & accipe, & justifica animam tuam*: q. d. Accepisti à Deo auxilium ut bene opereris? da igitur illi bona opera, & cooperare gratiæ susceptæ, ut iterum novam accipias, & sic ad veram justitiam & sanctitatem pervenias. Ante obitum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire justitiæ & bonorum operum cibum. At si irrepserit lassitudo, & vigor intepuerit, teipsum iterum excita, ac ad fortiter & strenuè operandum coge; quia omne opus electum, id est, fervidè factum, justificabitur; & qui operatur illud, honorabitur in illo.

Moral. Ingens acerque est hic stimulus ad assiduum exer-
Moraliter. citium, & incrementum bonorum operum in hac vita, quòd

A scilicet post eam non sit tempus quærendi cibum, hoc est, merendi. Unde angelus Apocal. 10. 6. jurat per viventem in sæcula sæculorum, *Quia tempus non erit ampliùs.* Dum ergo manè evigilas, cogita hodiernum diem fortè tibi fore ultimum. Sicut ergo apes imminente pluvia & frigore ardenter mel accumulant: ita tu imminente mortis incertitudine opera bona accumula. Quod enim hic negligis, perdis per omnia sæcula, nec illud per totam æternitatem recuperare poteris. Cogita, si Judas & damnati apud inferos, vel horam pœnitendi & merendi haberent, quàm gauderent! quid non agerent! quas pœnitentias non ultrò subirent! Tu habes horam & diem, mensem & annum: vide ut illis bene utaris, quia postea frustra illa requires. Sapienter angelus apud Ven. Bedam lib. 3. Histor. cap. 19. mortalibus occinit: *Nullus labor durus, nullum tempus longum, quo gloria Æternitatis acquiritur.* VIVE ÆTERNITATI.

Quocirca S. Gregor. Nazianz. monuit vitam hanc esse mercatum & nundinas, in quibus cuilibet quidlibet virtutum, omnemque gratiam & gloriam emere liceat; sed iis expletis nihil iam emendum restet. sic enim ipse canit in Tetrastichis:

B *Hanc esse vitam nundinas credas velim.*
Negotiari si scias, lucrum feres,
Caduca mutans commodis perennibus:
Post tempus illud, alterum non suppetet.

Et Seneca in Hercule furente:

Properat cursu
Vita citato, volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni.
Duræ peragunt pensa sorores,
Nec sua retro fila revolvunt.

Quocirca sapienter monet Ptolemæus in Præfat. Almagesti: *Quanto plus fini appropinquas, tanto magis bonum cum augmento operare.* Vide ea quæ dixi Apocal. 10. v. 6. & cap. 14. 13. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, Amodo enim dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis: opera enim illorum*
C *sequuntur illos.* Et Proverb. 6. 6. *Vade ad formicam, ò piger*, &c. Dum ergo sumus in die sexta præsentis vitæ, colligamus manna & cibum, quo vivamus in sabbato futuræ quietis & gloriæ, ait Origen. homil. 3. in psal. 36.

OMNIS CARO SICUT FOENUM VETERASCET] Persistit in inculcatione mortis, & necessitatis moriendi, ut per eam incitet omnes ad beneficentiam, bonum- *VERS. 18.*
que usum divitiarum ad suum & proximorum commodum. Vitam ergo brevem, & mortem citam repræsentat per duas similitudines. Prior est *fœni*: per *fœnum* intellige gramen viride, quod dum metitur & siccatur, fit fœnum. Est metonymia. q. d. Sicut gramen ad modicum tempus viret & floret, ac mox demessum fit fœnum, arescit, senescit & emoritur: sic & omnis caro, id est, omnis homo, omneque vivens. Audi Rabanum: *Comparat humanam naturam secundùm carnis conditionem, ad fœni & folii similitudinem: quia sicut fœnum in terra, vel folium in arbore nascitur, crescit, virescit, exsiccatur & deiicitur: ita carnis nostræ natura nascitur ex progenie parentum, crescit in infantia atque pueritia, florescit in adolescentia, maturescit in juventute, arescit in senectute, & deiicitur in morte. Unde per Ecclesiasten dicitur: Generatio*
D *vadit, & generatio venit, terra in sæculum stat. Hinc & Isaias ait: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri; exsiccatum est fœnum, & cecidit flos: quia spiritus Dei sufflavit in eo:*

Omnis caro fœnum.

Profundiùs Clemens Alexandr. lib. 3. Pædag. cap. 10. *Agrum*, inquit, *esse hunc mundum, nos verò divina irrigatos gratia herbam esse: attonderi morte, sed tonsos rursus exoriri resurrectione. Fœnum verò allegoricè dici turbam promiscuam, quæ se ad momentaneam lætitiam applicat, quæ floret parvo tempore, quæ superflua ornamenta, quæ gloriam, quæ quidvis potiùs quàm veritatem sectatur, quæ non ad aliud est apta quàm ad ignis incendium.* Huius discipulus Origen. homil. 1. in psalm. 36. *Vis etiam*, ait, *per singula videre, quomodo flos fœni sit carnis gloria? Vide quis imperavit ante hos triginta annos, quomodo imperium eius effloruit, continuò autem sicut flos fœni emarcuit: tunc deinde alius post ipsum, deinde alius atque alius: qui deinde duces & principes: & omnis rerum gloria & honor, non solùm tamquam flos emarcuit, verùmetiam tamquam pulvis aridus, & à vento dispersus, ne vestigium quidem sui reliquit. Alii etiam divitiis elati, & honoribus tumidi, prudentes vel laudabiles habiti fuere per simulatam bonitatem, vel execrabiles per indomitam*

Gnomæ Patrum.

crudelitatem. Quorum si quis vana studia constituat æmulanda, eat nunc ad cadaverum eorum reliquias, si tamen vel ipsa inveniri queant; aliquantis enim ne hoc quidem concessum est: & tunc inveniet, quomodo omnis caro fœnum est, & omnis gloria eius ut flos fœni. Sic Origenes de divitiis, honoribus, imperiis, de amicis, gratia, viribus & forma.

Divinè S. Gregor. lib. 16. Moral. cap. 5. *Iniquorum*, inquit, *potentia fœni floribus comparatur; quia nimirum carnalis gloria dum nitet, cadit: dum apud se extollitur, repentino interrupta fine terminatur. Sic namque aurarum flatu in altum stipula rapitur, sed casu concito ad ima revocatur. Sic ad nubila fumus attollitur, sed repentè in nihilum tumescendo dissipatur. Sic ab infimis nebula descendendo se erigit, sed exortus hanc Solis radius, ac si non fuerit, abstergit. Sic in herbarum superficie nocturni roris humor aspergitur, sed diurni luminis subito calore siccatur. Sic spumosæ aquarum bullæ inchoantibus pluviis excitatæ, ab intimis certatim prodeunt; sed eo celeriùs dirruptæ depereunt, quo inflatæ citiùs extenduntur: cumque excrescunt ut appareant, crescendo peragunt ne subsistant.* S. Bernardus serm. 35. in Cant. docet, non propter naturam, sed propter vitium omnem carnem vocari *fœnum*. Rectè, quia vicissitudo ista, instabilitas & necessitas moriendi, consecuta fuit peccatum. S. Vincentius in Monitis:

Audi clamantem cum magna voce Prophetam,
Seu mandata legit pristina, sive nova:
Quæ laus in vultu est? fœnum omnem credite carnem;
Quippe ut flos fœni, gloria carnis erit.
Nam veluti flores illius metit, atterit æstus,
Confundunt imbres, fortior aura rapit:
Sic vultum quendoque places consumere tempus,
Et tumor, & livor despoliare potest.
Atque ipsam ut taceam quæ conterit omnia mortem,
Quanta licent morbis, febribus, ulceribus? &c.

Alludit Siracides ad psalm. 89. 6 *Manè sicut herba transeat, manè floreat & transeat, vespere decidat, induret & arescat.* Ad quod pariter alludens S. Hieron. epist. 139. ad Cyprianum: *Sicut enim*, inquit, *manè virens herba, & suis floribus vernans delectat oculos contemplantium, paulatimque inarescens amittit pulchritudinem, & in fœnum quod conterendum est, vertitur; ita omnis species hominum vernat in parvulis, floret in iuvenibus, viget in perfectæ ætatis viris, & repente dum nescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis priùs extenta contrahitur, ut extremo fine, quod hic dicitur vespere, id est, senectute, vix moveri queat, ita ut non cognoscatur quis prior fuerit, sed penè in alium commutetur.* Græca pro *fœnum* habent ἱμάτιον, id est, *vestimentum*. *Omnis caro*, inquit, *ut vestimentum veterascet: pactum enim αἰῶνος*, id est, *sæculi* (alii vertunt, *sempiternum*) *est, Morte morieris.* quæ ultima verba Noster posuit v. 12. Græcum secutus S. August. libr. 16. de Civit. cap. 27. ita hunc locum affert: *Omnis caro sicut vestis veterascet. Testamentum est à sæculo, morte mori eos qui transgrediuntur præcepta Dei*; Tigurina, *omne animans in modum vestimenti veterascet: hoc enim est ab ævo conditum pactum: Morte morieris*; Syrus, *omnes homines consumendo consumuntur, & generationes mundi moriendo moriuntur*.

Ubi Nota mortem vocari *testamentum mundi*, græcè αἰῶνος, id est, sæculi, triplici sensu: Primò, *sæculi*, quia à sæculo, putà ab ævo & æterno, conditum & decretum à Deo. Secundò, *sæculi*, quia ad omnia sæcula pertinet, omnesque omnium temporum homines complectitur. Tertiò, *sæculi*, id est, mundi, quia non unam gentem aut regionem, sed universum planè mundum stringit & obligat.

VERS. 19. ET SICUT FOLIUM FRUCTIFICANS (græcè, θάλλον, id est, *germinans*) IN ARBORE VIRIDI. ALIA GENERANTUR, ET ALIA DEIICIUNTUR: SIC GENERATIO CARNIS ET SANGUINIS (id est, generatio hominum: hi enim constant carne & sanguine) ALIA FINITUR, ET ALIA NASCITUR] Est syntaxis Hebraica, sic latinè ordinanda: *Et sicut folia quæ fructificant in arbore viridi, quorum alia generantur, & alia deiiciuntur; sic generatio carnis & sanguinis alia finitur, & alia nascitur.* Est hæc secunda similitudo celeris vitæ mortisque hominis q. d. Homines similes sunt foliis arborum, quorum alia nascuntur, alia deiiciuntur: nova enim quæ nascuntur, extrudunt & deiiciunt vetera: sic est & generatio hominum: alii enim nascuntur, alii moriuntur; iuvenes enim qui nascuntur, succedendo extrudunt senes. Unde Græcæ voces καταβάλλει καὶ φύει, tam activè pro *deiicit*, & *generat*, quàm passivè pro *deiiciuntur & generantur*, verti possunt. Activè vertunt Complut. & Roman. *Sicut*, inquiunt, *folium germinans in arbore densa alia quidem deiicit, alia autem generat; sic generatio carnis & sanguinis alia quidem finitur, alia verò nascitur.* Sic enim sensus planus est & plenus: nam si passivè vertas, hiulcus est & supplendus, uti supplet Syrus, qui sic vertit. *sicut folia arborum quorum hæc cadunt, & hæc germinantur: sic sunt generationes carnis & sanguinis: generatio moritur, & alia generatur*: q. d. Nata folia moriuntur, ut dent locum aliis quæ nascuntur: ita & tu tendis in mortem, ut tuis des heredibus locum. Si ergo tibi moriendum est, idque brevi, cur te bono die defraudas, & aliis tua relinquis? cur ex iis non operaris iustitiam, & tibi merita conquiris, quibus vivas & beeris per omnem æternitatem?

Appositè homines comparat foliis. Primò, quia sicut folium exile est & tenue, sic & homo ac hominis vita. Secundò, sicut folium quovis impulsu agitatur, sic & homo quolibet tentatione. Tertiò, sicut folia in vere & æstate virent, in autumno & hieme marcescunt: sic & homines in iuventute florent, in senectute arescunt & marcescunt, ac plerumque in autumno & hieme (tunc enim deficit in senibus & debilibus calor naturalis) emoriuntur. Quartò, sicut brevis est vita viror que folii, sic & hominis. Unde Homerus Iliade 5.

Homines sunt folia, Primò. Secundò. Tertiò. Quartò,

Quale foliorum genus, inquit, *tale & hominum.*
Folia quidem alia ventus humi fundit alia verò silva
Pullulans gignit, quando venit veris tempus:
Sic hominum genus aliud quidem nascitur, aliud autem moritur.

Quintò, sicut folium & frondes ventis sursum & deorsum iactantur: sic & homo flatibus fortunæ prosperæ & adversæ vel attollitur vel deprimitur. Frondes enim à ferendo dicuntur, quòd huc atque illuc à vento ferantur. Frondes, inquit Valla, arborum sunt tantum, folia autem arborum, herbarum & florum: unde folium dicitur à Græco φύλλον, ait Festus: simplici autem l ideò scribitur, quòd antiqui consonantes non geminabant. Hoc est quod ait gemitque Job c. 13. 25. *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris.* Sextò, sicut folia florum, v. g. rosarum, liliorum, tuliparum miro suo colore, odore, fulgore oculos recreant & rapiunt; sed ilico cùm marcescunt fastidio sunt, & everruntur in sterquilinium: sic prorsus accidit & iuventuti hominis, eiusque decori & gratiæ, quæ omnia in morte velut cadavera eiiciuntur in sepulchrum. Septimò, sicut folia carent fructu, sed ad hoc à natura data sunt arbori vel herbæ Primò, ut eam ornent, Secundò, ut eam eiusque fructum ab æstu & frigore tueantur & protegant: sic & iuventus, forma, opes, reliquæque dotes naturæ quasi folia sunt, quæ carent fructu, sed ad hoc data sunt à Deo, ut fructum virtutum & bonorum operum ornent, conservent & protegant. Octavò, sicut ex arbore oriuntur folia, sic ex homine dotes iam dictæ. Rursum sicut recens folium exoriens extrudit vetus: sic iuventus extrudit senectam & senes, ac in eorum locum, officia & gradus militiæ, mercaturæ, gubernationis subintrat. Nonò, sicut continua est successio foliorum, ut aliis decidentibus alia succrescant: sic est & continua generatio hominum, ut aliis deficientibus & morientibus alii subnascantur & succedant. Rursum, sicut ex eodem arboris trunco oriuntur successivè alia & alia folia, alii & alii surculi & rami: sic ex eadem humana natura alii oriuntur, alii occidunt. Decimò, sicut arbor valdè foliata parum est fructifera, quia dum totum succum in folia effundit, parum vel nihil sibi reservat, quod in fructus conferat: ita & homines qui externum tantùm decorem & pompam spectant, parum fructus gratiæ & bonorum operum proferunt. Dum enim folia sectantur, amittunt fructum, instar canis Æsopici, qui dum umbram carnis in flumine quasi maiorem invasit, carnem ipsam amisit, nec umbram acquisivit: tales sunt prædicatores, qui dum verborum ornatum quasi folia consectantur, spiritum & fructum concionis, putà motum & conversionem animarum deperdunt. Hi imitantur Adamum protoplastum, qui dum fructum ligni vitæ amisisset, foliis ficus quasi veste se contexit, Genes. 3. 7. Undecimò, cùm folium necdum protulit fructum, adhuc viret & splendet, sed simul ac edidit fructum, illi quasi cedens, languet, & vergit in occasum: ita & homines dum iuvenes sunt, vigent & valent: at ubi viri proles generant

Quintò. Sextò. Septimò. Octavò. Nonò. Decimò. Undecimò.

& sa-

& familiam instruunt; illis cedunt, languescere & senescere incipiunt, ac vergere ad mortem.

VERS. 20. OMNE OPUS CORRUPTIBILE IN FINE DEFICIET: ET QUI ILLUD OPERATUR, IBIT CUM ILLO] Dixit omnes homines morituros, jam pariter asserit eorum opera mundana intermoritura: q.d. Omnia palatia, omnes vineæ, omnes urbes, in quibus construendis desudat hominum labor & industria, cùm sint res corruptibiles & corruptioni obnoxiæ; tandem deficient: & qui illa construunt, ibunt cum illis in corruptionem & interitum: quare suadeo cunctis ut illis cor non affigant, sed potiùs ab illis avellant, & ad domos opesque cælestes numquam intermorituras, per beneficentiam, aliaque bona opera transferant. Græca habent, *omne opus σηπόμενον*, id est, *putrescens, deficit, & qui fecit illud abibit cum illo*; Tigurina, *omne opus marcori obnoxium deficit, & opifex eius æque atque ipsum interit*. Omnes enim res quia conflatæ sunt è quatuor elementis, quæ per qualitates contrarias assiduè inter se pugnant; hinc ex assidua hac pugna debilitantur, corrumpuntur & intereunt. Hac de causa omnes res ex se emittunt cariem, tabem, marcorem, adeò ut & æs quod ceteris est solidius, ex se emittat æruginem, quæ ipsum consumit. Dum ergo vides columnas, pyramides, trophæa, hortos, paradisos, &c. dicito: *Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur, ibit cum illo*. Id liquidò videmus Romæ, ubi magnifica illa tot veterum Imperatorum & principum palatia, circi, thermæ, mausolæa, &c. ita interierunt, ut vix sciatur eorum locus. Idem ceteris omnibus accidet. Verè Psaltes: *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis*, psalm. 118.

Omnis res suam habet cariem.

Moral. opus corruptibile & putrescens, imò putridum, est concupiscentia & peccatum, quod proinde interibit, imò igne conflagrationis mundi & igne inferni deflagrabit, æquè ac homo, qui illud est operatus, juxta illud S. Pauli: *Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem; & qui seminat in spiritu, de spiritu & metet vitam æternam*, Galat. 6. 8.

VERS. 21. ET OMNE OPUS ELECTUM JUSTIFICABITUR ET QUI OPERATUR ILLUD, HONORABITUR IN ILLO] *Opus electum* vocat justum & sanctum, quale est opus beneficentiæ & eleemosynæ, quam paulò antè commendavit, quod opponit operi corruptibili: q.d. In die judicii omne opus electum & sanctum justificabitur, id est, justum & sanctum declarabitur per Christi judicis sententiam, quia ille qui illud operatus est publicè coram toto mundo honorabitur, celebrabitur & regno cælesti adjudicabitur. Hoc est quod ait Paulus 1. Cor. 3. v. 12. *Si quis super ædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam; uniuscuiusque opus manifestum erit*, &c. *Si cuius opus manserit quod super ædificavit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

In Græcis iam hic versus deest: Tigurina tamen sic eum effert, *omne opus egregium iustum censebitur, & auctor ipsius laudem ex eo consequetur*. Syrus pro hoc versu & præced. hunc habet: *Generatio moritur, & alia generatur, & omnia opera eius manifestantur coram illa, & opus manuum eius sequitur eam.*

Nota τὸ *electum* monet & stimulat nos, ut opera bona non qualia qualia, sed electa, eximia & heroica faciamus. Regi nil nisi selectum & eximium offertur: quàm ergo purum & eximium sit oportet quod Deo offertur? ne oculus Dei lucidissimus in eo quid, non dicam vitii, sed imperfecti, vel certè minùs perfecti deprehendat: quàm electum sit oportet, quod celebrent angeli, Sanctique omnes, quod coram eis fulgeat & coruscet per omnem æternitatem? Quare Siracides noster cap. 33. 23. *In omnibus*, inquit, *operibus tuis præcellens esto*: opus enim vulgare excellenter factum, fit excellens & singulare, magisque coruscat quàm opus in se eximium, sed vulgariter factum.

VERS. 22. BEATUS VIR QUI IN SAPIENTIA MORABITUR, ET QUI IN JUSTITIA SUA (τὸ *sua* non legit Jansenius, sed Romana & Complut.) MEDITABITUR, ET IN SENSU COGITABIT CIRCUMSPECTIONEM DEI] ut scilicet ex ea discat, quomodo se in omnibus circumspectè habere debeat. Magna enim dos & virtus est circumspectio, de qua vide nostrum Alvarum de Paz de Adeptione virtutum l. 3. p. 2. cap. 6. §.

5. Est hæc capitis totius conclusio, qua ex dictis de vanitate opum, dignitate beneficentiæ, brevitate vitæ, & mortis vicinia, concludit beatum esse divitem non opibus & censu, sed sapientia & sensu: ut jugiter in ea meditando, loquendo, operando quasi commoretur & habitet, atque *in* id est, de, *justitia*, putà de operibus justis & sanctis exequendis assiduè meditetur, ut assiduè suam justitiam adaugeat, ideoque suo *sensu*, id est, sua mente, sapientia & prudentia, cogitet *circumspectionem*, id est, providentiam, *Dei*: quæ omnia circumspiciendo rectè disponit, ordinat & gubernat, ut ei se totum submittat & resignet, in eaque fidenter conquiescat. Rursum quæ omnia, etiam secreta & occultissima, circumspiciendo intuetur & lustrat, ut bona & bonos magnis præmiis, mala & malos magnis & æternis pœnis afficiat. Ideoque jugiter ita circumspectè, cautè, piè & sanctè agit & vivit, quasi qui in oculis Dei omnia circumspicientis, vindicantis & remunerantis consistat, abeoque interiùs & exteriùs, sursum & deorsum, antè & retrò circumspiciatur: quare summè cavet ne vel in minimo aspectum tantæ majestatis offendat. *Ita Moses*, ait Palacius, *invisibilem Deum, velut videns sustinebat*, Hebr. 11. Ita David psalm 15. dicebat: *Providebam Dominum in conspectu meo semper. Ita Elias iurabat: Vivit Dominus, in cuius conspectu sto*, 3. Regum 17. *Ita & Ecclesiasticus cap. 9. monebat, ut in sensu nostro sit semper cogitatus Dei. Is ergo qui Deum, Deique Filium & sapientiam continenter præ oculis animæ habet, in sapientia moratur, meditaturque quomodo coram illa iusta opera faciat, cogitans se à Deo circumspici, nihilque esse intus & extra quod celare culpam Deo possit, cùm ipse in circuitu totos nos videat. Is ergo qui ita Deum videt, beatus ab auctore pronuntiatur.* Hæc Palacius. Unde S. Hieron. in Ezech. lib. 7. ad cap. 22. *Memoria Dei*, inquit, *excludit omnia flagitia*. Et Clemens Alexandr. l. 3. Pædag. c. 5. *Hac solùm ratione fit*, ait, *ut quis numquam labatur, si semper Deum sibi ipsi adesse existimet.*

Græca habent, *beatus vir qui in sapientia meditabitur, & qui in sensu suo differet*. ita Romana: sed Complut. sic habent, *beatus vir qui in sapientia meditabitur bona, & qui in intellectu suo differet sancta*; alii, *excipiet sancta*; alii, *docte disputat sancta*; Tigurina, *beatus vir qui meditatur præclara per sapientiam, qui de iustitia commentatur, qui per prudentiam suam sancta loquitur*; Syrus, *beatus vir qui in sapientia erit meditans, & in intelligentia contemplabitur.*

Igitur beatum & excelsum faciunt hæc tria, scilicet sapientia, justitia & circumspectio Dei. Audi Rabanum: *Beatum*, inquit, *eum esse describit, qui in sapientia morabitur, hoc est, in meditatione sacrarum Scripturarum assiduus erit, & secundùm id quod ibi legit; rectè vivendo opera facit iustitiæ, & hoc agens, non humanum favorem, sed divinam quærit laudem, illi soli placere cupiens, qui inspector est cordis, & quem nemo fallere potest.* Huic affine est illud Senecæ ad Lucilium, *Bonus animus & rectus se facit parem Deo*; *parem*, scilicet analogicè & participatè, id est, similem. *Nemo est dignus Deo, nisi qui opus Dei implet. Nulla est maior victoria quàm vincere vitia.*

Nota τὸ *morabitur*; q.d. Assiduus, firmus & constans erit in studio sapientiæ usque ad mortem. Unde Græca Romana legunt *morietur*, juxta illud c. 27. v. 12. *Homo sanctus manet in sapientia sicut sol: nam stultus ut luna mutatur.* de quo ibidem plura. Rursum τὸ *morabitur*, significat sapientem in sapientia, quasi in domo, imò templo sancto Dei, commorari. Nam *sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem*, &c. Proverb. 9. 1.

Nota rursum τὸ *& in iustitia sua meditabitur*. Nam, ut solerter advertit Richardus de S. Victore lib. 1. de Contemplat. p. 1. c. 3. *Multum à se invicem hæc tria* (cogitatio, meditatio, contemplatio) *differunt, quamvis quandoque in materia conveniant. Cogitatio per devia quæque lento pede, sine respectu perventionis, passim huc illucque vagatur: meditatio per ardua sæpe & aspera, ad directionis finem, cum magna animi industria nititur: contemplatio libero volatu, quocumque eam fert impetus, mira agilitate circumfertur. Cogitatio serpit, meditatio incedit, & ut multum currit: contemplatio autem omnia circumvolat, & cùm voluerit, se in summis librat. Cogitatio est sine labore & fructu: in meditatione est labor cum fructu: contemplatio permanet sine labore cum fructu. In cogitatione evagatio, in meditatione investigatio, in contemplatione admiratio. Ex imaginatione cogitatio, ex ratione meditatio, ex intelligentia contemplatio. Intelligentia obtinet supremum locum, imaginatio infimū, ratio mediū.*

Cogitatio, meditatio, contemplatio, quomodo differat.

Tropologicè, S. Bernard. in Sententiis, sententia 7. hisce Siracidis verbis putat significari tria, quæ perfectum quoad omnes faciunt hominem, nimirum justitiam quoad proximum, circumspectionem quoad Deum, sapientiam sive judicium quoad seipsum. *Morantur siquidem*, inquit, *in sapientia, & sapiens est, qui semetipsum hic diiudicat, ut æternum Dei iudicium evadat.* Et sub initium: *Adam*, inquit, *in paradiso positus, Primò, perdidit circumspectionem Dei; Secundò, perdidit iustitiam, quando uxoris voci plus quàm divinæ obedivit. Iustitia enim est virtus, quæ suum cuique reddit; Tertiò, amisit iudicium, cùm post peccatum correctus, obliquè per mulierem retorsit propriam culpam in auctorem, dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Eisdem ergo virtutum gradibus redeundum est homini in exilio posito, quibus primus expelli meruit de paradiso. Primùm itaque faciendum est iudicium, deinde exercenda iustitia, tandem circumspectio adhibenda. Et iudicium quidem nobis, ut nosipsos iudicemus, & accusemus, iustitiam proximo, circumspectionem debemus Deo. Hanc redeundi viam ostendit nobis Michæas Propheta dicens: Indicabo tibi ò homo, quid sit bonum, & quid Deus requirat à te: utique facere iudicium, & diligere misericordiam, & ambulare sollicitè cum Deo tuo. Hanc salutis viam testatur Apostolus Christum docuisse, dicens: Apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo*, &c. *Sobriè scilicet quantum ad nos, iustè ad proximum, piè ad Deum.*

Rursum aliqui sic exponunt: In sapientia morari, est Dei opera in sapientia facta considerare. In justitia meditari, est opera nostra quomodo justè fiant perscrutari. Circumspectionem Dei cogitare, est illum ubique præsentem & quasi nos ambientem intueri. Rursum, in sapientia morari, est mente & cogitatione versari in Christo Salvatore nostro, qui factus est nobis à Deo sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio, 1. Corinth. 1. v. 30. Qui circa Dionys. Carthus. lib. de Inordin. corr. art. 29. hanc tamquam brevissimam perfectionis regulam tradit: *Intellectu & affectu te à terrenis abstrahe, & Deo iugiter inhærere contende*; ut sicut ait S. Ambros. in psalm. 76. v. 5. *Semper Christum annuntiemus, Christum rogemus, Christum cogitemus, Christum loquamur, in corde nostro semper, semper in ore sit Christus.*

Christus semper in corde & ore.

In sapientia moratur vacans contemplationi.

Anagogicè, in sapientia moratur qui vacat vitæ contemplativæ: hic enim cum sapientia moratur sicut Jacob cum Rachel, quæ typum gessit vitæ contemplativæ, uti dixi Genes. 29. v. 24 & seq. Unde S. Gregorius libr. 2. in Ezech. homil. 15. *Qui sunt*, inquit, *in Ecclesia sancta thalami, nisi eorum corda, in quibus animæ per amorem sponso invisibili iunguntur, ut eius desiderio mens ardeat, nulla quæ iam in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, & amoris amplexu in cælestis sponsi visione requiescere? mens itaque quæ iam talis est, nullam præsentis sæculi consolationem recipit, sed ad illam quam diligit, medullitus aspirat, fovet, anhelat, anxiatur.* Et S. Hieronymus lib. 1. Commentar. in Jeremiam: *Una est*, inquit, *& sola theorica*, id est, *contemplatio Dei, cui meritò omnia iustificationum merita, universa virtutum studia postponuntur: activa enim vita cum corpore deficit, contemplativa autem vita hic incipitur, ut in cælesti patria perficiatur: quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cùm ipsum quem amat, viderit, in amore eius ampliùs ignescit.* Et sponsa Cant. 2. v. 9. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* In quæ verba S. Bernar. *Prestò*, inquit, *est oculus, cui omnia patent, si non patet ipse, vereor aspectum exploratoris illius, qui post parietem stat, quem pro acumine visus, capreæ assimilavit Scriptura: hunc ego vereor occultum occultorum exploratorem.* Et S. Prosper de Vita contempl. cap. 4. *Vitæ*, inquit, *contemplativæ sectator ad conditorem suum corde illuminandus accedat, ipsi contemplando, atque insatiabiliter perfruendo vigilanter inserviat, ipsum iugiter concupiscat, præ amore eius omnia quibus inde potest averti, refugiat: omnes cogitationes suas, ac totam spem ex illius delectatione suspendat, literarum divinarum sacris meditationibus vacet, in his se divinitus illuminatus oblectet.*

VERS. 23. QUI EXCOGITAT VIAS ILLIUS IN CORDE SUO, ET IN ABSCONDITIS SUIS INTELLIGENS, VADENS POST ILLAM QUASI INVESTIGATOR, ET IN VIIS ILLIUS CONSISTENS] Explicat per varias metaphoras quomodo quis in sapientia moretur & in justitia meditetur, ac deinde v. 25. cur talis sit beatus. Dicit ergo, in sapientia & justitia meditari, non esse aliud, quàm excogitare vias ejus in corde suo, id est, sapientiæ rationes & modos corde suo ruminare & pertractare, itaque abscondita illius præcepta, consilia & dictamina intelligere per quæ quasi vestigia investiget ipsam sapientiam, ut illam cominus intueri, audire, eaque frui & beari queat. Sicut enim venatores cervos, damas & lepores vestigant & sequuntur per eorum vestigia, ut eos assequantur & capiant: sic & studiosus sapientiæ ipsam per ejus affectus, doctrinam, & opera quasi vestigia investigat, ut per ea ipsam assequatur & comprehendat. Ita Anagogicè, Sancti venantur Deum, qui est ipsa sapientia increata, per orationem & studium virtutum, euntes quotidie de virtute in virtutem, ut eum cominus videre in cælo, ejusque visione frui & beari valeant, juxta illud Pauli, *Sequor autem si quo modo comprehendam*, Philip. 3. v. 12.

Græca habent, *qui cogitat vias eius corde suo, & arcana eius perpendit. Egressus sequere eam ut vestigator, & viis eius ἐνέδρευε*, id est, *inside*, vel *insidiare*, uti venator insidiatur lepori. Tigur. *qui instituta sua* legit αὐτοῦ, alii meliùs legunt αὐτῆς, id est, *eius*, scilicet sapientiæ *perpendit animo, & arcana illius cognoscit*. q. d. Beatus est Christianus, sacerdos, Prælatus Religiosus, &c. qui suam vocationem & institutum accuratè perpendit ejusque arcana penetrat, admiratur ejusque observationi tota mente totisque viribus incumbit. Pergit Tigurina, *tamquam indagator prosequere eam, & viis eius inside.* Unde Syrus, *qui commutat super vias eius cor suum, & in semitis eius intelliget, & ad egrediendum post eam sicut investigator, & in semitis eius erit insidians*, id est, attentus ac vigil, non secùs ac ij qui in insidiis sedent.

Audi Rabanum: *Viæ sapientiæ*, inquit, *sunt præcepta divina, & absconsa illius cælestia sunt sacramenta. Hæc ergo qui diligenter discit, & studiosè meditando rimatur, hæc opere studens perficere quod sana intelligit fide; ipse sine dubio beatus erit: quia conditori suo veraciter placebit. Quod & Psalmista similiter comprobavit dicens: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati, qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.*

Tropolog. vestigia Dei sunt creaturæ, ex his enim vestigamus creatorem: juxta illud Roman. 1. *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & divinitas.* ita Lyranus. Sic Macedonius Anachoreta rogatus à venatore: quid ageret in solitudine, respondit: *Ego venor Deum meum* (sicut tu venaris feras,) *& eum capere cupio, & contemplari desidero: nec ab hac pulchra venatione cessabo*, ita Theodor. in Hist. Sanctor. cap. 3.

Vestigia Dei sunt creaturæ.

Quin & Orpheus: *Mundi machina*, inquit, *est musica & admirabilis consonantia, prædicans & laudans Deum.* Vide S. Augustinum in Soliloqu. c. 31. & S. Chrysostomum homil. 9. ad Populum. Porrò Richardus de S. Victore in Beniamin *minore* part. 1. c. 79. *Sine triplici studio*, inquit, *ad huius cognitionis celsitudinem non perducimur; per studium operis, per studium meditationis, per studium orationis; multa enim experimur operando, multa invenimus investigando, multa extorquemus orando; innumera quidem, quæ nec per experientiam operis, nec per investigationem meditationis, invenire valemus, per importunitatem orationis edoceri meremur.*

Mundus est Musica.

VERS. 24. QUI RESPICIT PER FENESTRAS ILLIUS, ET IN JANUIS ILLIUS AUDIENS] q. d. Sapientiæ investigator per ejus vestigia iam dicta sequitur eam donec per eam ad eius palatium & templum perveniat: quò dum venerit, cùm illud obseratum necdum ingredi liceat, prospiciet per fenestras, & ad januam auscultabit, ut ipsam sapientiam eminus saltem, & per umbram, videre & audire possit. Indicat nos hic, utpote corporis ærumnis circumdatos, non posse ipsam sapientiam, utpote quæ est Deus ipse, intueri cominus facie ad faciem (id enim fiet in cælo) sed tantùm eminus per speculum & ænigma, ut ait Apost. 1. Corinth. 13.

Porrò Jansenius per *fenestras* accipit sacras Scripturas, per *ianuas* Ecclesiam. Per fenestras, inquit, respicit in domum sapientiæ, qui per Scripturas sacras & spiritales illuminationes contemplatur cælestia intimiùs quàm ceteri. In januis audit sapientiam loquentem, qui in S. Ecclesia consistens, quasi in atrio domus Dei, jam sapientiæ vicinus, omnino est audiens in tranquillitate men-

eis

tis quid loquatur in ipso Dominus: quoniam loquetur pacem in plebem suam, psalm. 84. Sic & Lyranus, *Respicit*, inquit, *per fenestras illius, id est, per revelationes factas in novo ac veteri testamento: & in ianuis illius audit, id est, in Ecclesia militante, per quam ingressus est ad triumphantem.* Secundò, *fenestræ* sunt opera Dei: q. d. Beatus qui per opera Dei, quasi per fenestras introspicit ejus sapientiam, bonitatem, potentiam, ceterasque perfectiones, & quasi in januis ipsius, quid sibi faciendum sit, quidve fugiendum, audit.

Rabanus: *Fenestræ sapientiæ*, ait, *sunt testimonia S. Scripturarum: ianuæ sunt linguæ prædicatorum. In his qui assiduè discendo commoratur, oculumque mentis, & aurem obedientiæ exhibet; ille procul dubio claritatem superni luminis percipiet.*

Alludit enim ad Proverb. 8. v. 34. *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei.* Ubi Beda, Hugo, Cajetanus & Salazar postes ostiorum sapientiæ, asserunt esse doctores, qui proinde, ait Hugo, *similes sunt Mardochæo qui manebat ad ianuam regis*, Esther 2. doctores enim sunt clavigeri sapientiæ: ejus enim claves habent, ut eam discipulis reserent & patefaciant. Unde Christus ad Scribas: *Væ vobis legisperitis*, inquit, *quia tulistis clavem sapientiæ; ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis*, Lucæ 11. v. 52.

Doctores ergo sunt janitores, & quasi Jani sapientiæ: Janus enim dictus est à priscis quasi januarum Deus & præses, ad eas aperiendas vel claudendas: pari modo januas sapientiæ reserant & claudunt doctores. Et sicut Janus pingitur bifrons, ut una fronte priora, altera posteriora prospiciat: sic Doctorum est præterita evolvere, & præsentia ac futura prospicere, ac utraque suos docere. Hæ enim sunt partes & officia sapientiæ ac prudentiæ.

Sunt clavigeri sapientiæ.

Unde pro *respicit* græcè est, παρακύπτων, id est, qui studiosè, intentè, exerto capite, & quasi toto corpore incumbens, pronusque prospicit; uti dixi Jacobi 1. v. 25. ubi sic dicitur. *Qui autem perspexerit* (græcè, ὁ δὲ παρακύψας,) *in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit.* Quibus verbis S. Jacobus alludit ad hunc Siracidis locum, eumque explicat, ac per *fenestras sapientiæ* intelligit legem Dei, cujus assidua auditio, lectio, meditatio & exercitatio facit verè sapientem & beatum. Græca igitur hoc loco sic habent, *qui introspicit per fenestras eius, & ad fores eius auscultat*; Syrus, *prospiciet ad eam ex fenestris, & ad portas eius erit auscultans.* Mysticè, B. Virgo sicut est janua cæli, ita est & janua sapientiæ, eam omnibus se invocantibus reserans & pandens, uti Proverb. 8. 34. fusè ostendit noster Salazar.

Vers. 25. QUI REQUIESCIT (græcè, ὁ καταλύων, id est, diversatur) JUXTA DOMUM ILLIUS, ET IN PARIETIBUS ILLIUS FIGENS PALUM] Hic est altior gradus priori: q. d. Studiosus sapientiæ eam sequitur per vestigia usque ad domum ejus, ibique eam prospicit per fenestras, & ad fores auscultat: neque hoc contentus, *palum*, id est, tabernaculum, sibi figit juxta eam, ut prope eam commoretur & assiduè versetur. Alludit ad pauperes, qui juxta palatia vel templa (uti vidi in Belgio) tuguria & casulas ædificant, idque levi opere & appendice exigua, quia majorem casæ partem, totumque dorsum & antrum sæpè suggerit ipse templi paries, ejusque columnæ & anterides. Simili modo asserit studiosum sapientiæ & philotheum, *palum*, id est, tabernaculum, fixo palo innixum, constituere juxta templum sapientiæ, ut ejus doctrina, religione & sanctitate assiduè afficetur, totusque imbuatur. Quo significat eum specie, suavitate & dignitate sapientiæ ita capi & rapi, ut ceteris omnibus disciplinis rebusque terrenis valedicens, totum se det sapientiæ divinæ & cælesti cognoscendæ, meditandæ & contemplandæ, juxta illud psalmi 1. v. 2. *Beatus vir, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte*, &c. Nominat *palum* non domum, ut significet nos hic non esse cives, sed peregrinos, ideoque non habere domum, sed morari in tabernaculis, instar Hebræorum peregrinantium per desertum in terram promissam. Philotheus ergo figens palum, cui alliget tabernaculum peregrinationis suæ, in quo habitet, adhærens scilicet domui sapientiæ & cælo, eique firma spe & conversatione incumbens, dicat cum Paulo, *Nostra conversatio in cælis est*, Philipp. 3. ver. 20. Unde Syrus vertit, *& habitabit in circuitu domus eius, & in parietibus eius pulsabit fidibus suis*: q. d. Studiosus sapientiæ Deique philosophus, juxta cælum mente habitat, ac sapientiæ Deique est fidicen, quia assiduè Deum laudat, eique in hymnis & mentis gaudio exultat & jubilat, ideoque miram non tantùm sibi, sed & Deo, ac sanctis angelis delectationem & gaudium exhibet, sicut solent fidicines ante fores exhibere principibus, pulsando harmonicè suas fides, suamque chelym. Tales sunt hodie viri Religiosi, qui mundi vanitatem despicientes, totos se dant sapientiæ, rebus cælestibus & divinis, qui proinde quasi angeli terrestres, & homines cælestes in terris agunt vitam cælestem, adeoque in ipsis quasi cæli atriis & vestibulis, versantur, proximè expectantes ut in ipsa cæli penetralia à Christo, qui est Dei Sapientia, inducantur. Unde S. Ephrem. tractatu de Beatitudin. *Beatus*, inquit, *est qui quasi angelus, imò quasi Cherubim & Seraphim assiduè assistit Deo, eumque laudat & glorificat*, &c.

Symbolicè, noster Alvarus de Paz de Adeptione virtutum libr. 3. p. 4. cap. 10. Quid, ait, est juxta domum sapientiæ requiescere, nisi vitam agere sapientum vitæ similem, ac præceptis sapientiæ conformem? Quid autem est in parietibus domus sapientiæ paxillum figere, ex quo tabernaculum nos protegens dependeat, nisi nostrum refugium ac protectionem non in favore hominum, sed in bonis operibus collocare? Et quid est casulam aut humile tabernaculum in manibus sapientiæ ponere, nisi nos totos ejus gubernationi & directioni committere? Qui hæc præstiterit in corde suo, bona cælestia per omnem æternitatem possidebit.

Symbolicè.

STATUET CASULAM SUAM AD MANUS (græcè, *ad manum*, idem est quod, ad latus, q. d. Prope illam) ILLIUS, ET REQUIESCENT IN CASULA ILLIUS BONA PER ÆVUM] Idem dicit & exaggerat. Tabernaculum studiosi sapientiæ vocat *casulam* ob humilitatem, quia talis studet humilitati & paupertati: hæc est enim vera sapientia, quæ nos facit humiles & pauperes spiritu in terra, ut simus locupletes in cælo, putà in sensu, gustu, & spe rerum cælestium. Unde Chromatius in illud Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum; Hi*, ait, *pauperes sunt mundo, sed divites Deo: egentes sæculo, sed locupletes Christo.* Græca habent, *Statuet tabernaculum ad manum eius, & diversabitur in diversorio bonorum*; Tigurina, *qui ad latus illius tabernaculum collocarit, is aget in hospitio bonorum*; Syrus, *habitabis in habitatione bona.* Hæc omnia non aliud significant, quàm studiosum sapientiæ totum se dedere sapientiæ, eique appropinquare, quoad fieri potest, in hac vita: atque ex hac sapientiæ vicinia & contubernio percipere bona omnia per omne ævum, tum præsens, tum futurum, putà per omnem æternitatem.

Perperam Lyran. & Dionys. pro *per ævum*, legunt *per eum*, scilicet, Deum vel sapientem: q. d. Per studium & operam sapientis omnia bona requiescant in casa ejus. nam Romana, & ceteri codices legunt *per ævum*.

Bona hæc quæ sapienti confert sapientia, recenset Salomon Proverb. 3. ver. 2. 4. 8. 10. 14. 15. 16. ubi sic ait, *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius divitiæ & gloria*, &c. *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam beatus.* Et ver. 22. *Et erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. Tunc ambulabit fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget. Si dormieris non timebis: quiesces, & suavis erit somnus tuus.* Causam dat v. 26. *Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris.* Fusiùs & nervosiùs sapientiæ bona describit Sapient. cap. 7. v. 8. & seq. & toto cap. 8.

Per sapientiam, toto hoc libro, practicam, scilicet cum Dei timore & amore coniunctam, intelligit Siraciden. Sicut enim prudentia vera, licet propriè sit in intellectu, tamen ad affectum & voluntatem se extendit, facitque ut illa bonum honestum à se propositum amplectatur, uti docet Aristot. in Ethicis. Prudens enim est, non qui prudenter judicat quid faciendum sit, sed qui illud ipsum amplectitur & exequitur: quare prudentia vera sine virtutibus ceteris esse nequit. Ita pariter vera sapientia licet sit in intellectu, tamen ad voluntatem se extendit, eique persuadet Deum timere, amare, colere, obedire, &c.

Sapientiæ variæ definitiones ex S. August.

Quocirca S. August. sapientiam variè definit & circumscribit,

scribit, ut varia ejus officia, dona & bona repræsentet. Nam libr. 1. contra Academic. cap. 15. ita eam definit: *Sapientia est via recta, quæ ad veritatem ducit.* Et cap. 6. *Sapientia est rerum divinarum humanarumque scientia.* Et libro de Beata vita, sub finem: *Sapientia, ait, nihil est aliud quàm modus animi, hoc est, quo sese animus librat, ut neque excurrat in nimium, neque infra quàm plenum est coarctetur.* Idem Enchiridio ad Laurentium, cap. 1. *Hominis sapientia*, inquit, *est pietas*, juxta illud Job c. 28. *Ecce pietas ipsa est sapientia*; græcè, pro *pietas* est θεοσέβεια, id est, Dei cultus, quæ & εὐσέβεια, id est, bonus cultus dicitur, quo scilicet Deus colitur fide, spe, charitate. Hæc est vera sapientia. Auctor libri de Spiritu & anima, qui extat tomo 3. S. Augustini c. 11. *Mens*, ait, *ex eo dicta est, quòd emineat in anima, vel à Græco μήνη, id est, luna: quia, sicut luna crescit & deficit, sic mens nunc caput summis inserit, nunc decidit in infimis: modò ad corporalia regenda deflectitur, modò æternis rationibus inspiciendis vel consulendis adhærescit.* Et mox: *Sapientia est amor boni, sive sapor boni: a sapore siquidem dicitur. Mentis visio est intelligentia, gustus sapientia. Illa contemplatur, ista delectatur,* &c. *In summo est sapientia. Summa namque sapientia ipse Deus est. Sapientia hominis est pietas, id est, cultus Dei.* Et inferiùs: *Sapientia intendit ad superna & cælestia, prudentia ad transitoria & caduca. Nam dividit se ratio in duo, scilicet in sursum & deorsum; sursum in sapientiam, deorsum in prudentiam, quasi in virum & mulierem, ut vir sit superior & regat, mulier inferior & regatur.* Pulcherrimè verò & plenissimè eam definit S. Augustinus libr. 1. de Sermone Domini in monte cap. explicans illud Matth. 5. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Sapientia*, inquit, *est contemplatio veritatis, pacificans totum hominem* (non solùm sensum vel intellectum) *& suscipiens similitudinem Dei.* Facit enim, ut sapiens instar Dei sit excelsus, compositus, cælestis, imperturbatus tam in adversis quàm prosperis, adeoque quasi Deus quidam in terra obambulans.

Mysticè Rabanus, & ex eo Glossa: *Quid per casulam*, inquit, *nisi sacerdotis dignitas exprimitur? Ille enim casulam suam ad manus sapientiæ apponit, qui doctoris officium in Ecclesia gerens, sanæ doctrinæ opera justitiæ coniungit, ut auditores suos per rectam doctrinam simul instruat, & per bona exempla.*

STATUET FILIOS SUOS SUB TEGMINE IL-
Vers. 26. LIUS, ET SUB RAMIS EJUS MORABITUR. PRO-
Vers. 27. TEGETUR SUB TEGMINE ILLIUS A FERVORE, ET IN GLORIA EJUS REQUIESCET] Pergit explicare, quæ quantaque bona sapienti obveniant à sapientia, ob quæ beatus censendus est, per aliam metaphoram, scilicet arboris, quæ suis ramis eum, ejusque

A casam adumbrat; ita ut ipse cum filiis suaviter in umbra ejus requiescat, ac protegatur ab æstu omnique aeris injuria: denique arbor hæc suis frondibus, floribus & fructibus magnum ei decus, voluptatem & gloriam afferat. Simili enim modo sapientia protegit sapientem, ejusque familiam tum physicam, ut scilicet, filios & subditos juxta sapientiæ leges vivere doceat; tum mysticam, quæ conflatur ex omnibus animæ potentiis, sensibus & viribus, ita ut sub eius tegmine, id est, protectione, tutus sit ab omni incursu tentationum & hostium; ac in eius tutela securus, fidens, animosus & gloriosus conquiescat. Sapientia enim affert mentis tranquillitatem, lætitiam, constantiam, sublimitatem, ut in cælo Deoque defixus, omnia mundi prospera & adversa, omnesque turbines ex alto videat & rideat, despiciat & calcet. Quæ sanè ingens & heroica est virtus ac gloria; præsertim quia gloriam æternam in cælis ipsi apparat, illumque ad eam manuducit. Unde Tigurina vertit, *in tutelam tradet ipsi liberos suos, tum sub ramis ipsius morabitur, & ab æstu protegetur per eam, atque in gloria ipsius habitabit*; Syrus, *iaciet manus suas super ramos eius, & inter ramos eius erit habitans, & sedebit in umbra eius* (tutus) *ab æstu, & in cenaculis eius erit deambulans.*

B Alludit ad domos nobilium & divitum, qui juxta eas plantant palmas, cedros, cypressos, ut domos ornent, umbra sua protegant, frondibus recreent, fructibus pascant, ac nominatim alludit ad Isajæ 4. 6. *Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & in absconsionem à turbine & à pluvia.* Vide quæ ibidem annotavi.

Mysticè, sapiens, id est, sanctus, *filios*, id est, opera sua, *statuet* per intentionem rectissimam soli Deo placendi, *sub tegmine* ipsius Dei, ne umquam pereant: & sub *Mysticè.* ejus providentia, quasi *sub ramis* arboris pulcherrimæ *morabitur*, à quo & protectionem ab omni hostium incursu ac gloriam tum præsentem, tum æternam; tum terrenam, tum cælestem consequetur. Ita faciebat sponsa Cant. 2. 3. *Sub umbra*, inquit, *illius quem desideraveram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Quod Chaldæus explicans ait: *Tunc temporis*, inquiens, *in umbra maiestatis eius desideravi habitare, & verba legis eius dulcia fuerunt gutturi meo,*

C *& præmia præceptorum eius servantur mihi in sæculo venturo.* In quem locum scribens S. Gregorius: *Umbra*, inquit, *Christi protectio est Spiritus sancti: Spiritus quippe sanctus mentem quam replet, obumbrat, quia omnium tentationum fervorem temperat, & dum aura suæ inspirationis suaviter mentem tangit, quidquid noxii caloris sustinebat, expellit: &, quam iam forsitan nimius vitiorum æstus marcidam fecerat, umbra sancti Spiritus protegens recreat, ut, dum in eius inspiratione sedens pausat, vires colligat, quibus ad æternam vitam robustiùs currat.*

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IN fine capitis præcedentis ostendit, quanto studio studiosus sapientiæ sectetur sapientiam, ut illi appropinquet; nunc vicissim ostendit quanta benevolentia eidem sapientia occurrat, quantaque dona & gratias ei conferat. Inde v. 7. declarat, sapientiam fugere stultos, superbos, dolosos & mendaces: ambire verò sensatos, humiles, sinceros & veraces. Denique v. 11. docet sapientiam & Deum non esse auctorem peccati, utpote quod execratur, sed cuique dedisse liberum arbitrium, ut eligat bonum vel malum, vitam vel mortem. Igitur hic insignis est descriptio liberi arbitrii, in cuius potestate est eligere sapientiam vel stultitiam, id est, virtutem vel peccatum.

1. QUi timet Deum, faciet bona: & qui continens est justitiæ, apprehendet illam, 2. Et obviabit il-
li quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate suscipiet illum. 3. Cibabit illum pane
vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum: & firmabitur in illo, & non flecte-
tur: 4. & continebit illum, & non confundetur: exaltabit illum apud proximos suos, 5. & in medio
Ecclesiæ aperiet os eius, & adimplebit illum spiritu sapientiæ & intellectus, & stola gloriæ vestiet illum.
6. Jucunditatem & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno hereditabit illum. 7. Ho-
mines stulti non apprehendent illam, & homines sensati obviabunt illi, homines stulti non videbunt eam:
longè enim abest à superbia & dolo. 8. viri mendaces non erunt illius memores: & viri veraces inve-
nientur in illa, & successum habebunt usque ad inspectionem Dei. 9. Non est speciosa laus in ore pecca-
toris: 10. quoniam à Deo profecta est sapientia. sapientiæ enim Dei astabit laus, & in ore fideli abun-
dabit, & dominator dabit eam illi. 11. Non dixeris: Per Deum abest: quæ enim odit ne feceris. 12.
Non dicas: Ille me implanavit: non enim necessarii sunt ei homines impii. 13. Omne execramentum
erro-

erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum. 14. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. 15. Adiecit mandata & præcepta sua: 16. si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. 17. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. 18. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi: 19. Quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. 20. Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis. 21. Nemini mandavit impiè agere & nemini dedit spatium peccandi: 22. non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium & inutilium.

VERS. 1. QUI TIMET DEUM, FACIET BONA] jam dicta cap. præcedenti vers. 11. 17. 21. 23. & sequent. scilicet opera beneficientiæ, justitiæ, vestigationis sapientiæ, sed maximè dicta v. 22. ubi Complut. legunt, *beatus qui in sapientia meditabitur bona, & in intellectu suo differet sancta*. Eò enim alludit: hæc enim sunt bona quæ faciet is qui timet Deum: q. d. Timens Deum, quælibet opera bona & sancta faciet, ut iis placeat Deo, ejusque gratiam demereatur; nimirum, meditabitur justitiam, cogitabit circumspectionem Dei, respiciet per fenestras sapientiæ, figet palum in pariete domus sapientiæ, &c. Quocirca pro *bona* Græca habent αὐτὰ, (Noster legit ἀγαθὰ,) *ipsa*, scilicet quæ jam dixi. Est enim hic versus quasi anacephalæosis & summaria repetitio totius cap. præc. Unde aliqui Latini legunt, *faciet illud*, scilicet jam dictum.

ET QUI CONTINENS (id est, compos) EST JUSTITIÆ, APPREHENDET ILLAM] scilicet sapientiam, de qua toto cap. præcedenti fuit sermo. Ostendit quæ sint vestigia, per quæ vestigandum dixit sapientiam, docetque ea esse timorem Dei, & opera justitiæ; ideoque timentes Deum, & operantes justitiam, apprehendere sapientiam cum omnibus ejus bonis jam dictis, scilicet, ut per eam protecti, securi vivant vitam quietam, hilarem, sanctam, & bonis omnibus abundantem. Græca habent: *Qui timet Dominum, faciet illa, & qui compos est scientiæ legis* (non speculativæ, sed practicæ, putà justitiæ, ut vertit Noster) *comprehendet eam*; Tigur. *qui Dominum veneratur, faciet hæc; & cognitionem legis adeptus, hanc apprehendet*; Syrus, *qui timet Deum, faciet ita; & qui docet legem, ambulabit in ea*. Pro *continens* græcè est, ἐγκρατὴς, id est, compos, sive qui tenet justitiam. In uno vetusto codice est, [illegible], id est, *qui acceperit cognitionem legis, inveniet eam*, scilicet sapientiam Sensus est. q. d. Qui timet Deum, ejusque legem adimplet (quod est, facere justitiam, sive jus & justum à lege præscriptum) hic apprehendet sapientiam. Non enim sola speculatione & cognitione, sed praxi & operatione legis cognitæ, acquiritur sapientia hæc vera & practica. Repetit & inculcat id quod dixit c. 1. 33. *Concupiscens sapientiam, conserva justitiam, & Deus præbebit eam tibi*. Siracidi succinit Ananias in Pirke aboth, id est, in sententiis patrum cap. 3. *Omnis homo*, inquit, *qui plus habet operum quàm sapientiæ, eius sapientia permanet: qui autem è contrario plus habet sapientiæ quàm operum, eius sapientia diuturna & stabilis esse nequit*. Ibidem R. Eleazar. *Qui*, inquit, *sapientia plus quam bonis operibus abundat, cui similis est? Utique arbori multis frondibus luxurianti, paucis autem radicibus in terra fixæ. Adest ventus, repentino impetu illa concutitur, ac tandem funditus evertitur, sicut ait Ieremias* cap. 17. 6. *Erit quasi myrica in deserto, & non videbit cùm venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis. Qui autem operibus bonis supra sapientiam affluit, cui similis est? utique arbori paucis quidem onustæ ramis, sed multas ad terram radices mittenti. Nam etsi vis magna ventorum eam succusserit, nullatenus loco movebitur, juxta illud Ierem. ibidem: Erit tanquam lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas: & non timebit cùm venerit æstus: & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum*.

Timor Dei urget ad profectum virtutis.

Porrò, quo magis crescimus in justitia, eo magis apprehendimus sapientiam, magisque bonorum ejus participes efficimur. Tò ergo *apprehendet*, significat actum non solum inchoatum, sed & crescentem ac perfectum: quanto enim quis magis timet & reveretur Deum, eique per bona justitiæ opera placere satagit, tanto magis apprehendit sapientiam, fitque sapientior. Quod cuique summè conandum est, ut Christum ducem suum sequatur, de quo scribit S. Lucas cap. 2. 52. *Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines*. Ita Rabanus: *Quanto*, ait, *quis sollicitior est in custodia mandatorum Dei, & studiosior in justa conversatione, tanto largiùs gaudet in sapientiæ perceptione*. Horum omnium causa est timor Dei. *Qui enim*, ait noster Alvarez tract. de Timore, *in timore Domini fueris radicatus, te ab ipso timore sollicitabitur, ne otiosus & deses maneas, sed jugiter in sanctas actiones incumbas. Qui autem per exercitationem bonorum operum, justitiam ac virtutem apprehenderit, te sapientiam quoque, & Dei sapidam notitiam apprehendes. Quare timor ad omnia bona, quæ ad actionem & contemplationem pertinent, suam dominationem extendit*. Unde S. Bernardus serm. de Donis Spiritus sancti cap. 1. qui habetur pag. 101. *Prima*, inquit, *gratia est timor Domini. Qui hanc habet gratiam odit iniquitatem, juxta illud Psalmistæ: Iniquitatem odio habui & abominatus sum: & alio loco: Omnem viam iniquitatis odio habui. Scriptum namque est: Timor Domini odit malum. Et item: Time Deum, & recede à malo. Et de Iob dicitur: Vir timens Deum, & recedens à malo. Sine hac gratia, prima gratiarum, quæ totius religionis exordium est, nullum bonum pullulare vel manare potest. Sicut enim securitas vel desidia caussa est & mater omnium delictorum: sic timor Domini radix est & custos omnium bonorum*. Et S. Ephrem de Timore Dei tom. 1. *Qui timorem*, inquit, *Dei obtinet, huc illucq; non evagatur animo, sed Dominum suum expectat, ne fortè repentè veniat, ipsumq; negligentia torpentem & imparatum offendat, separetq; Qui Deum timet, non est expers curæ ac sollicitudinis: semper enim vigil est ac sobrius. Qui timet Dominum, immodico non est deditus somno: vigilat enim, & adventum Domini sui expectat. Cui timor Dei est, in nullo se negligentem præbet, ne Dominum suum offendat. In quo timor Dei est, inertiæ atque desidiæ non se tradit: semper enim sua diligenter curat, ne condemnetur a Domino. In quo est timor Dei, semper quæ Domino suo placere probat, eaq; amplectitur & perficit: ut, cùm Dominus eius venerit, in multis ab eo laudetur. Plurimorum enim bonorum caussa est timor Dei possidentibus illum*.

VERS. 2. ET OBVIABIT ILLI QUASI MATER HONORIFICATA, ET QUASI MULIER A VIRGINITATE SUSCIPIET ILLUM] quæ scilicet non à viduitate, sed *a virginitate*, id est, virgo, ducta est, factaque mulier, id est, uxor. Unde græcè est, ὡς γυνὴ παρθενίας, id est, *tanquam uxor virginitatis*, quæ scilicet in virginitate, id est, virgo, ei desponsata est, factaque conjux: ideoque mariti moribus obsequitur, seseque facilè conformat, & idcirco tenerè diligitur. Græca non habent τὸ *honorificata*; sed hæc tantùm: *Tanquam mater obviabit ei, & quasi uxor virginitatis excipiet eum*; Tigurina, *& eum tanquam uxor virgo ducta excipiet*: q. d. Quanto honore, amore, suavitate & gaudio virgo sponsa excipit suum sponsum, cui recens desponsata est, tanto pariter sapientia excipiet sui studiosum, qui ejus amplexus & connubium ambit. Syrus, *sicut mulier adolescentiæ*, quę ducitur in adolescentia, *appropinquabit illi*. Significat occursum sapientiæ, scilicet, sapientiam se quærentibus occurrere mira promptitudine & benevolentia per duas similitudines, matris scilicet honorabilis, & uxoris virginis; idque

Sapientia suis blanditur quasi mater & sponsa. Primò.

Primò, quia nulli sunt tam intensi amores in mundo quàm matris erga filium, & virginis sponsæ erga sponsum. Hosce, imò multò majores, sapientia divina suo hospiti demonstrabit, majores, inquam, tanto, quanto major est spiritus quàm caro, Deus quàm homo, cælum quàm terra. Hos amores sentiebat ille, qui dixit: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, psalm. 83. v. 7. Et: *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum*, psalm 41. v. 3.

Secundò.

Secundò, quia in utroque honor miscetur amori, ita ut nec amor minuat reverentiam, nec reverentia amorem. Mater enim honorata, v. g. regina, filiis suis occurrens, eos amanter amplectitur ut mater, honorificè ut regina. Similiter virgo sponsa occurrit sponso casto amore, ut sponsa, sed

sed & reverenter ac pudibunda quasi virgo. Itidem facit sapientia suis discipulis.

Tertiò. Tertiò, quia uterque amor continet amoris delicias, quæ mentem consolatione adimplent, & voluptate quasi exsaturant: mater enim materno amore filiis quasi visceribus suis occurrens, omnem suum affectum, ac seipsam quasi totam in eos effundit: itidem facit virgo sponsa erga sponsum. Idem facit Deus, Deique sapientia & gratia, juxta illud (quò alludit hic Siracides) Isaiæ 66. v. 13. *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos: videbitis, & gaudebit cor vestrum.* Et v. 11. *Ut sugatis & repleamini ab ubere consolationis eius: ut mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius,* &c. *ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Porrò tantus est amor Dei, ejusque sapientiæ & gratiæ erga homines, ut non solum se quærentibus occurrat, sed & non quærentes, imò fugientes & aversantes, insequatur, eosque ad se alliciat & invitet, imò cogat. Quàm ergo ingrati, inhumani, stolidi & barbari sunt, qui Deum adeò sui amantem negligunt, imò contemnunt & spernunt, adeoque contra eum pugnant!

Quartò. Rabanus: *Meritò*, ait, *sapientia mater nuncupatur propter gratiam nutrimenti, & virgo propter speciem pulchritudinis, & sanctitatem castitatis: quoniam nihil est in ea immundum, neque coinquinatum. Ipsa est enim candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius: & per ipsam sanati sunt quicumque Deo placuerunt à principio.* Hoc est quod ait Sapiens cap. 6. v. 13. *Clara est & quæ numquam marcescit sapientia: & facilè videtur ab his qui diligunt eam, & invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet.*

Ratio est, quia sapientia Dei est ejus bonitas: bonitas autem est se ultrò communicare; bonum enim est sui diffusivum: bonitas autem infinita infinitè desiderat se communicare & diffundere. Talis est bonitas Dei & sapientiæ increatæ: Sapientiam quasi matrem sequantur ejus filii, putà sapientes & doctores, ut, scilicet, facilè suam sapientiam, dona & gratias aliis communicent: ad hoc enim ea à Deo acceperunt, & per hoc magis ea augebunt: tum, quia qui docet alios, docet seipsum: tum, quia quo quis alacrius & diligentius docet alios, eo magis docetur à Deo: tum, quia Deus liberalitate se vinci non patitur, sed liberali liberaliùs erogat, ut liberalior in alios esse pergat.

Quintò. Quintò, eadem hic accipi potest *mater* & *mulier virginitatis*. Alludit enim ad occursum sponsi & sponsæ: *mater* ergo *honorificata* est sponsa præcipua, quæ erat materfamilias, ideoque in summo honore habebatur à tota familia. Non enim vult sapientia quasi ancilla & concubina, obviare quasi sponsa, illi qui aliam illi anteponit. Ubi nota, olim licitam fuisse polygamiam, ita ut viro liceret ducere plures uxores; sed una de his erat primaria, quæ proinde familiam regebat, & vocabatur materfamilias, quam proinde maritus manu apprehendens, sibi certa verborum forma despondebat, tuncque dicebatur illa in mariti manum venire, vel convenire, hoc est, cooptari in matremfamilias; ceteræ verò simpliciter ducebantur, & vocabantur concubinæ vel secundariæ uxores. Ita Cicero in topicis: *Si Fabiæ*, inquit, *pecunia legata est à viro, si ea uxor materfamilias esset, si ea in manum viri non convenerat, nihil debetur: genus enim est uxoris eius duæ formæ, una matrumfamilias, hæ sunt quæ in manum convenerunt; altera earum, quæ uxores tantùm habentur.* In quem locum scribens Severinus Boetius lib. 2. cum tribus modis uxorem duci dixisset, usu, farre, coemptione, explicatis primis duobus, *Coemptio*, inquit, *certis solemnitatibus peragebatur, & sese coemendo invicem interrogabant; vir ita: An sibi mulier materfamilias esse vellet; illa respondebat, velle. Mulier, an sibi paterfamilias esse vellet? ille, velle respondebat. Itaque mulier viri conveniebat in manum, & vocabantur hæ nuptiæ per coemptionem.* Unde noster Pineda in cap. 21. Iob v. 15. num. 9. sic explicat: *Qui continens est justitiæ, apprehendet illam, & obviabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate suscipiet illum. Id est, qui justitiam, qui sanctitatem, qui Deum quærit, non oportebit universum viæ laborem & lassitudinem suscipere, ut illam consequi possit. Nam sicut inter sponsos constitutum erat, ut venienti sponso occurreret sponsa, quæ etiam erat & dicebatur materfamilias (non enim hic de matre agitur respectu filii, sed respectu patrisfamilias;) ita Deo occurrimus venienti & quærenti eos qui se inquirunt. Sic occurrit miseris Deus, Iere. 15. 11. Si non occurri tibi in tempore afflictionis. Sic occurrit laboranti, præmium largiturus. Isaiæ 64. v. 5. Occurristi lætanti & facienti justitiam: in viis tuis (quasi dicat, in ipso medio itinere) recordabuntur (cùm te præsentem viderint, tua præsentia & occursu recreati) tui. Sed ita tamen occurrit Deus, ut non solùm partiri videatur nobiscum viam, & itineris molestiam; sed ferè totum quod itineris & laboris est, conficiat ipse, ac se nobis vix ex nostris finibus egressis in viam præbeat, ut expressum videas Matth. 15. in muliere illa Chananæa; nam vix à finibus Tyri & Sidonis egressa, Christum Iesum obviam habuit, qui primum ex Iudææ finibus egressus secesserat in partes Tyri & Sydonis. Ergo divina sapientia præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.* Hæc Pineda, cui favet Salazar quem mox citabo.

Nuptiarū ritus triplex.

Tropolog. quam Deū redamare debeamus.

Tropolog. Sicut Deus, Deique sapientia totum suum amorem in nos effundit, quasi mater in filios, & quasi virgo in sponsum: ita vicissim nos omnem affectum ei uni dedere, imò reddere par est, ut eum solùm amemus, & nil nisi propter ipsum. Hæc est enim puritas amoris, cui depurando indies magis magisque studere nos oportet, ut spoliantes nos omni amore rerum creatarum, eum totum conferamus in Deum, ut Deum in omnibus creaturis amemus, & omnes creaturas in Deo: ac mente abstrahamus ab amore nostro omne bonum creaturæ, ut is in solo creatore defigatur, & conquiescat. v. g. dum videmus quid pulchrum, audimus quid harmonicum, sapimus quid deliciosum, in omnibus mente & amore transeamus, & feramur in auctorem horum omnium, putà in Deum, qui est fons immensus omnis pulchritudinis, harmoniæ & deliciarum: in eo ergo quasi oceano nos totos per amorem immergamus & natemus, sicut pisces natant in aqua, & sicut aves volant in aere. Eum toto mentis sinu & affectu recipiamus, sicut aer recipit radios Solis, sicut speculum recipit speciem regis, ut in anima nostra quasi in speculo, non nisi divinæ virtutis & amoris imago resplendeat. Sensim verò adeò depuratur hic amor, ut viri eximiæ spiritales & sancti, ne gratiam quidem & gloriam ament in se, sed in iis solùm ament Deum, uti faciunt Beati in Cælo. Quare æqualiter Deum amant in quibuslibet creaturis, ac tam in adversis quàm in prosperis; quia in utrisque æque Deum quem solum amant, recipiunt, nimirum Christum dilectum suum tam inveniunt in monte Calvariæ, quàm Tabor. Sicut ergo in monte Calvariæ non amant Crucem, sed Christum crucifixum, sic & in Tabor non amant gloriam, sed Christum transfiguratum & gloriosum: perinde ac eum sem venerantur in imagine tam lutea, vel ænea, quàm aurea, quia non æs vel aurum, sed imaginem, imò Christum in imagine, venerantur. Et sicut Mathematicus triangulum considerat in se, abstrahendo ab eo quod sit ligneus, vel lapideus: ita Sanctus Deum considerat, & amat in creaturis, tam vilibus quàm pretiosis, abstrahendo ab eis, & purè contemplando & amando suum triangulum, putà SS. Trinitatem, cui dicit cum sponsa in Cant. toto corde, *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.* Et cum Paulo: *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Et: *Vivo ego, iam non ego, vivit verò in me Christus. Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Et cum Psalte: *Quid enim mihi est in Cælo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

B. Virgo nobis est mater honorificata.

Allegor. B. Virgo, æternæ sapientiæ, putà Christi Domini, genitrix, justis eam invocantibus occurrit quasi *mater honorificata*, ut eam appellat S. Ildefonsus serm. 1. de Assumpt. ac S. Bonavent. in Psalterio Virginis. Et rectè: nam *Primò.* Primò, ipsa est mater Dei, sive Deipara, qui post Deum summus est honoris titulus. *Secundò.* Secundò, quia eam honoravit Filius Deus, cum in terra se illi quasi matri subjecit: rursum in cælo honoravit eam, collocando à dextris suis. Cujus typus fuit in Salomone, qui simili modo honoravit Bethsabee matrem suam. 3. Regum 2. v. 19. *Surrexit*, inquit, *rex in occursum eius, adoravitque eam, & sedit super thronum suum, positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram eius.* Nam, ut ait Methodius orat. de Purificatione, *Qui dixit: Honora patrem & matrem, ut decretum à se promulgatum observaret, omnem gratiam matri & honorem impendit.* Tertiò, quia ipsa est mater omnium fidelium & Sanctorum. Unde à Patribus vocatur, *mater viventium*, sicut Eva vocatur

mater

mater morientium : quia, ut ait S. Epiphan. hæresi 78. *è Maria hæc vita mundo genita est, ut viventem gigneret, & fieret Maria mater viventium*. Et infrà : *Eva mortis causa facta est hominibus, per ipsam enim mors ingressa est in mundum : Maria verò causa vitæ, per quam genita est nobis vita, & per hanc Filius Dei advenit in mundum*. Rursum Christus moriens, nos omnes, id est, fratres suos, matri suæ commendavit & resignavit, dicens S. Ioanni : *Ecce mater tua* : S. Ioannes enim omnes nos repræsentabat. Unde Origenes præfatione in S. Ioannem : *Christus*, inquit, *dicens : Mulier ecce filius tuus, perinde est ac si dixisset : Ecce hic est Iesus quem genuisti. Nam quisquis perfectus est, amplius non vivit ipse, sed in ipso vivit Christus : cumque in eo vivat Christus, dicitur de eo Mariæ : Ecce filius tuus Christus*. Quocirca Albertus Magnus sermone super *Missus est*, asserit B. Virginem *curam gerere maternam omnium, cui proportione sua aptari possit illud quod de Sapientia dicitur : Ipsi cura est de omnibus*. S. Augustinus libr. de Virginitate cap 6. *Hæc*, inquit, *mater spiritu est membrorum Salvatoris, cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur*. S. Anselm. de Excellent. Virgin. cap. 11. *Beata Dei genitrix*, ait, *suis meritis cuncta reparando, mater est, & domina rerum*. S. Bernardinus tom. 3. serm. 6. a 2. cap. 2. *Virgo*, ait, *per consensum in incarnationem, omnium electorum salutem viscerosissime expetiit, & procuravit, & ex tunc in suis visceribus, omnes bajulavit, tamquam verissima mater filios suos*. Unde ipsa B. Virgo S. Brigittæ libr. 4. Revelat. cap. 138. revelavit *se non tantùm iustorum, sed etiam peccatorum qui ad bonam frugem recipere se volunt, matrem esse, eisque opem ferre*. Clamemus ergo cum tota Ecclesia : *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ : tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe*. Et in Litaniis : *Mater divinæ gratiæ, Ora pro nobis*. Denique ipsa est mater fidei, spei & charitatis, juxta illud cap. 24. *Ego mater pulchræ dilectionis, timoris & agnitionis, & sanctæ spei*. de quo plura ibidem.

Nota, τὸ *obviabit* optimè convenit B. Virgini : quia ipsa innumeris velut alis misericordiæ circumdata, ilicò advolat, ut miseris opituletur. Unde S. Anselmus libr. de Excellent. Virginis cap. 6. *Velocior*, inquit, *est nonnunquam salus, memorato nomine eius* (id est, Mariæ) *quàm invocato nomine Domini Iesu*. Et rationem reddit : quia ad Christum tamquam ad judicem pertinet etiam punire : ad Virginem tamquam ad patronam, non nisi misereri. Porrò B. Virgo propriè quasi mater occurrit B. Ioanni, utpote ei à Christo in cruce data in matrem. Quocirca Ecclesia in Festo S. Joannis, hæc legit loco Epistolæ. Et Albinus Flaccus, qui jussu Caroli Magni Imper. homilias Patrum collegit, hæc adaptat S. Joanni, ejusque Festo.

Jam reliqua quæ subnectit Siracides, *Cibabit illum pane vitæ & intellectus*, &c. facilè est B. Virgini adaptare, ac præsertim illud, *Mulier à virginitate* : ipsa enim in virginitate, & ob virginitatem facta est mulier & mater Dei, ut sibi sit virgo, Deo mater. Unde noster Salazar in Proverb. cap. 8. v. 18. num. 167. putat hic non duas, sed unam dari similitudinem. *Eadem enim*, ait, *est mater honorificata, quæ mulier à virginitate, græcè virginitatis, id est virgo. q. d. Sapientia occurret filio tamquam mater honorificata, id est, tamquam mater à virginitate sua, id est, tamquam mater simul & virgo. Id verò addit, ut significaret sapientiæ (de qua ibidem loquitur ad litteram) totius corruptelæ expertem sinceritatem, quæ quamvis mater appelletur, nihilominus virgo est. Neque lædit sententiam hæc interpretatio, sed potiùs illam exacuit. Sensus enim sic conformandus est : Occurret illi sicut mater honorificata & virgo, id est, tamquam mater quæ filium peperit virginitate incolumi, atque adeò sine dolore & pressura : quasi dicat, Sic excipiet illum veluti si foret mater aliqua, cui filius, quem virgo, atque adeò incorrupta, & sine doloribus peperit, honoris multum & obsequii deferret : hunc enim eò libentiùs amaret, quia voluptatem plurimam, nullum verò dolorem ipsi attulerat. Hæc verò ad B. Virginem accomodatè transferuntur, quæ verè parvulos illi honorem deferentes, tamquam virgo mater excepit ; à quibus cùm voluptatem experta sit, dolorem hactenus nullum excepit. Maiores enim natu quotquot ad ipsam accedunt, fere plurima iam admiserant peccata, quibus tantæ matri cruciatum & dolorem attulerunt : atque adeò tunc cum illos Deo parit, cum doloribus quodammodo enititur. Parvuli verò & infantes ad Mariam accedentes, atque illam honorantes, nullum dolorem vel cruciatum, sed voluptatem plurimam illi apportant. Ideò illos virgo parere iucundiùs, & gratiùs illos excipere dicitur, quia istos Deo pariendo (liceat sic dicere) partum Christi imitatur, quem virginitate incolumi sine dolore & cruciatu, edidit mundo*. Idem ibidem num. 451. explicans illud eodem pertinens, *Hauries salutem à Domino*, notat τὸ *potabit* significare, B. Virginem gratiam & honestatem non modo edendam præbere, in quo difficultatis aliquid est, sed etiam bibendam propinare, uti fecit suis dilectis, S. Bernardo, S. Anselmo, S. Damasceno, S. Bonaventuræ, & aliis, qui ita ad omnem honestatem & virtutem fuere prompti & proclives, ut eam non tam comedisse quàm bibisse videantur.

Exempla

Exemplum illustre & rarum est in Vita B. Hermanni Josephi Ordinis Præmonstratensis. Hic enim à puero B. Virgini apprimè devotus, eam per omnem vitam expertus est matrem honorificatam ; quæ proinde assiduò ei pecunias ad victum & vestitum procurabat, morbos sanabat, tentationes fugabat, ac in omnibus aderat, & de cunctis rebus ad salutem opportunis veluti pia & liberalis mater providebat : quin & eum in sponsum accepit, nomenque sponsi sui, scilicet Ioseph, ei indidit. Lege Vitam ejus, & miraberis tantam tantæ matris in suos clientes dignationem & pietatem. Extat Vita ejus apud Surium ad diem septimum Aprilis, in ultima (quæ valdè adaucta est à M. sandro) editione Coloniensi.

Vers. 3.

CIBABIT ILLUM PANE VITÆ ET INTELLECTUS, ET AQUA SAPIENTIÆ SALUTARIS POTABIT ILLUM] τὸ *vitæ* & *salutaris* desunt in Græco : sic enim habet, *Cibabit illum pane συνέσεως* (id est, *intelligentiæ*) *& aqua sapientiæ potabit eum*. Syrus, τὸ *intelligentiæ & sapientiæ* traiicit & commutat : sic enim habet, *cibabit illum pane sapientiæ, & aquis intelligentiæ potabit illum*. Dixit vers. præcedenti sapientiam sui studiosis occurrere amicissimè, quasi matrem & quasi sponsam, nunc hujus occursus effectus fructusque significat. Primus est, quod eum cibabit & potabit sicut mater cibat filios, præsertim infantes & parvulos, & sicut sponsa prandium mensamque instruit sponso. Pro *cibabit* enim græcè est ψωμίζω id est, in frusta concido & seco, pasco conciso cibo & particulatim in os indito, quod *ingurgitare in os indere*, dixit Cato de avibus. Sicut ergo matres & nutrices *pappare* id est, omnia minima mansa infantibus & pueris in os inserunt : sic & sapientia sua dogmata particulatim divisa auribus & mentibus suorum instillat, iisque quasi suos infantes adescat. Nam uti vinum in vas amplum per utrem exiguum sensim infunditur & instillatur, ne, si per angustum foramen amphora tota infundatur, angustiæ foraminis tantam copiam respuant, vinumque effundatur & pereat : sic & pueris qui angustam habent mentem, sensim instillanda est doctrina & sapientia, uti docet Quintilianus.

Fructus sapientiæ primus cibare.

Porrò, *intellectus*, sive intelligentia & sapientia idem sunt, licet etymo & connotato different, uti dixi in Procemio. In rebus enim spiritalibus, uti in mente, idem est cibus & potus : sicut idem est auditus, visus & gustus. Una enim eademque mens, sive intellectus, omnes sensus eminenter in se continet, omniumque vices & actus obit. Sensus ergo est : q. d. Sapientia mentes suorum cibat & potat, id est, pascit pane & potu spiritali, putà intelligentia & sapientia, hoc est, seipsa, suisque dogmatibus, institutis & præceptis, quæ salutem & vitam gratiæ & gloriæ ei conferunt.

Noster addit τὸ *vitæ*, quia alludit ad lignum sive arborem vitæ, quæ erat typus & symbolum sapientiæ in paradiso, Genes. 2. v. 9. Sicut enim illa, ejusque esus prorogasset homini vitam ad plurimos annos, donec Deus eum transtulisset in cælum, itaque eum fecisset immortalem : sic & sapientia cibat suos sua gratia & gloria, quæ vitam spiritualem, salutarem, beatam & æternam homini conferunt. Unde eam vocat *lignum vitæ* Salomon Proverb. 3. v. 18. *Lignum vitæ*, ait, *est his qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam beatus*. Et cap. 11. v. 30. *Fructus justi lignum vitæ*. Quare τὸ *vitæ* & *salutaris*, opponunt & præponunt hunc sapientiæ cibum non tantùm pani materiali, qui inanimis & insensilis est, nec mortem arcet, sed prorogat ; verùm etiam doctrinæ Philosophorum, quæ nec veram, nec vitalem, nec salutarem sapientiam afferebat : unde vi-

tam

tam & salutem æternam conferre non poterat. Item doctrinæ hæreticorum: hæc enim est panis mendacii, ait Rabanus, & comestoribus suis mortem infert perpetuam. Talis est & doctrina, putà dictamen & suggestio, concupiscentiæ, quæ errorem & mortem gustanti conciliat. Sapientiæ enim practicæ opponitur concupiscentia. Rursum τὸ *cibabit*, significat sapientiam ita pascere mentem, ut non tantùm omnem ejus famem & sitim satiet, sed & simul eam sensu rerum divinarum mirè oblectet, in virtutibus crescere faciat, iisque illam impinguet, & fœcundam bonorum operum efficiat. Hæc enim omnia cibus corporeus corporaliter præstat corpori. Denique hoc cibo satiati Sancti corporalem cibum fastidierunt, ut Moses Elias, Antonius, Hilarion, Pachomius, Franciscus, &c. Cibus enim deliciosissimus & potus, imò nectar, animæ sunt studia virtutum, quæ & eam recreant, & in vita spiritali promovent; ac præsertim talis est oratio, & contemplatio Dei & rerum cælestium. Huc facit gnome prisci Rabbini in *Pirke aboth*, id est, in Capitulis patrum: *Dicebat R. Meir: Omnis homo, qui diligenter ac studiose versatur circa legem intentione recta, is profectò magni meriti est, nec tantùm hoc, sed & de universo orbe bene meretur, dignusque invenitur, qui amicus & familiaris Dei & nuncupetur & sit. Amat Deum & etiam homines: gaudio Deum afficit ac homines quoque. Humilitatis enim atque timoris spiritu lex induit: illa, scilicet, quam tantopere colit, quam tanto studio observat: præparat eum ac disponit ad omne virtutum genus, justitiam scilicet & pietatem, atque ut rectus sit & fidelis: avertit eum ab omni peccato, & ex adverso proximum Deo facit. Unde fit, ut homines ad ejusmodi virum tamquam ad oraculum confugiant, ejus usuri consilio, scientia atque prudentia, juxta illud Proverb. 8. Meum est consilium ac imperium: ei ergo dominium dat in alios, sua insuper ei secreta revelans. Unde fit quasi fons indeficiens, aut quasi flumius jugiter fluens. Inde & bene compositus evadit & prudens, & ad irascendum tardissimus. Magnificat porrò eum illa, extollitque virtutem ejus super omnes res creatas.*

Eucharistia est panis vitæ.

Allegor. Christus, qui est Patris nostraque sapientia, seipso quasi pane divino nos realiter pascit in Eucharistia, itaque nos vivificat, & faciet resurgere ad vitam immortalem, juxta illud Joan. 6. v. 33. *Panis Dei est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.* Et v. 35. *Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet umquam.* Et v. 51. *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Rursum aqua sapientiæ salutaris est Spiritus sanctus, ejusque dona & gratiæ, de quo Christus Ioan. 4. v. 13. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Audi Palacium: *Ad verbum*, ait, *Dei patris refertur panis: nec enim in solo pane vivit homo, sed & in verbo, ad Spiritum Sanctum aqua, teste Ioanne, qui verbum Christi de aqua saliente in vitam æternam, ait intelligendum de Spiritu. Cùm jugiter potentiæ primæ in anima rationali sint intellectus & voluntas; si intellectui sapientia dat cognitionem divinam, dicitur eum cibare pane vitæ. At cùm voluntas liquatur in divina dulcedine, aqua sapientiæ potatur; non liquore alchymico, quem cælestem aquam, vel quintam essentiam nominant, sed liquore divino ignito animam liquante, transformante, & quid non efficiente?* Hunc panem maximè petimus, dum quotidie oramus: *Panem nostrum quotidianum* (vel, ut S. Matth. habet cap. 6. v. 11. ἐπιούσιον, quod Vulgatus Interpres vertit, *supersubstantialem*) *da nobis hodie.* Unde Tertullianus eum explicans libr. de Oratione: *Spiritualiter*, inquit, *potiùs intelligatur: Christus enim panis noster est, quia vita Christus, & vita panis.* Et paulò pòst: *Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, & individuitatem in corpore ejus.* S. Cyprianus quoque in Expositione orationis Domin. *Panis*, inquit, *vitæ, Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est, & quomodo dicimus, Pater noster; quia intelligentium & credentium pater est: sic & panem nostrum vocamus, quia Christus noster, qui corpus ejus contingimus, panis est.*

ET FIRMABITUR IN ILLO, ET NON FLECTETUR: ET CONTINEBIT ILLUM, ET NON CONFUNDETUR] Secundus est hic effectus & fructus sapientiæ suo discipulo occurrentis, scilicet, quòd pascat illum non per modum transeuntis, sed in eo se firmet & maneat; ipsumque confirmet in vero & bono, nec ad falsum & malum eum inflecti sinat: quare in virtute continet illum, ne cadat in vitium, itaque confundatur & pudefiat. Græca pro *illo* & *illum*, scilicet, studiosum sapientiæ, legunt femininè, *illa* & *illam*, scilicet sapientiam: sic enim habent, *firmabitur super eam, & non inclinabitur: & super eam innitetur, & non confundetur*; Tigurina, *firmatus hac, statu moveri non poterit: qui fuerit innixus huic, non afficietur ignominia*; Syrus, *innitetur super eam, & non cadet: & in ea confidet, & non confundetur.* Sed eodem redit sensus. Per hoc enim quod sapientia sedem suam firmet in anima justi, eumdem firmat, ut ipse sapientiæ innixus in eadem firmus consistat, nec ad stulta pravaque deflectat; sed contra omnia mundi tentamenta immotus consistens, dicat: *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.* Sapientia ergo mentem fulcit & firmat, sicut theriaca fulcit corpus, ut à peste grassante infici lædique nequeat; & sicut balsamum corpora mortua corroborat, ut ea corrumpi & tabescere non sinat, quia sua vi & vigore permeat per omnes eorum venas, partes & meatus, itaque ea sibi similia & incorrupta efficit. Simili modo sapientia, sua vi penetrans omnes animæ sinus, eos in bono integros & incorruptos conservat.

Ratio à priori. Prima.

Ratio à priori est. Prima, quòd sapientia menti, & per mentem voluntati, sapientes suggerat rationes & motiva ad constantiam & fortitudinem, ut, quòd non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam: quòd nobile sit pati pro virtute, & pro Deo: quòd Deus patientes pro se corroboret, præmiet & coronet. Secunda, quòd sapientia sit ipsa prudentia & virtus: virtus autem à viro dicitur quasi virilitas, ait Cicero 2. Tuscul. & propriè fortitudinem significat, quòd viro propria sit fortitudo. Unde Virgilius lib. 6. Æneid.

Secunda.

Tunc pudor incendit vires, & conscientia virtus.

Hinc nonnulli ex Cicerone virtutem sic definiunt: *Virtus est perferendorum malorum fortis atque invicta patientia.* Tertia, quod sapientia suggerat modum adipiscendi gratiam, quæ mentem corroboret per Sacramenta, præsertim panis Eucharistici, uti jam dixi. De hoc enim scriptum est: *Panem cæli dedit eis: panem angelorum manducavit homo*, psal. 77. 25. Et, *Panis cor hominis confirmet*, psalm. 103. vers. 16. Et, *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Zachar. 9. v. ult. ubi multa hac de re dixi. Sanè S. Catharina Senensis ex sacra Synaxi tantum robur mentis & corporis hausit, ut nulla re mundi turbaretur aut moveretur, imò ut sine cibo corporali viveret fortis & vegeta. Rursum Martires invictum in quibuslibet tormentis robur adepti sunt ex S. Eucharistia, quam proinde domum deferebant, & in periculo persecutionis sumebant, ut liquet ex Tertull. S. Cypriano, & aliis. Hujus rei figura fuit manna, quod aluit & corroboravit Hebreos ad omnes itineris & bellorum labores per 40. annos in deserto. Et panis subcinericius ab angelo datus Eliæ, cujus virtute Elias ambulavit per 40. dies & noctes usque ad montem Dei Horeb, ac animosè opposuit se impietati Jezabelis & Achab, quos antea timidus fugiebat 3. Reg. 19. v. 8 & sequent.

Tertia.

Moraliter, ait Palacius, *adverte hic Primò, τὸ pium hominem non flecti, non esse adscribendum ei, sed sapientiæ, quæ se in illo firmat. Nec enim quia nos in illa firmamur, perstamus recti: sed quia se in nobis illa firmat. Secundò, adverte, omnia temporalia flectere nos deorsum, ut flexa erat illa femina, quæ jam ab annis decem & octo cælum recta intueri nequibat, Lucæ 13. At sapientia reddit hominem rectum, ut ille olim creatus erat: & licet omnia temporalia contendant flectere quem sapientia erigit, non poterunt: nulla enim creatura valet separare nos à charitate Dei. Tertiò, Nota, hominem ex se continuò defluere & labi: sumus enim (ut illa dixit) aqua quæ dilabitur super terram*, 2. Regum 14. *Ac ideo Paulus rogat ne pereffluamus. Fluentem igitur animam sapientia continet, ne pereffluat & confundatur, O miseriam! anima per fenestras sensuum elabitur in mundi castra, nisi à sapientia contineatur. Quartò Nota, in tempore mortis, ut impius coram Deo, angelis & dæmonibus ignominia verecunda afficietur; ita pius ab ea verecundia (quæ incredibile malum erit) liberabitur.*

EXAL-

EXALTABIT ILLUM APUD PROXIMOS SUOS] Græcè, ὑπὲρ τοὺς πλησίον αὐτοῦ: quod alii vertunt, *supra proximos suos*; unde Tigurina, *hæc supra socios suos extollit illum*; & Syrus, *exaltabit illum supra omnes proximos suos*. Sapientia enim facit ut sapiens inter indoctos & insipientes emineat, velut sol inter planetas, qui ab illo lucem participant; velut oculus inter membra quæ illuminat; velut rex in populo, velut doctor inter discipulos. Ita sapientia exaltavit S. Petrum, ut à fidelibus coleretur quasi Dei interpres; & S. Paulum, ut à Lycaoniis adoraretur ut Deus, & vocaretur Mercurius, Actorum 14. ac ceteros Apostolos virosque Apostolicos, adeo ut reges & principes eos quasi homines cælestes venerarentur, juxta illud: *Erunt reges nutricii tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*, Isaiæ 49. v.23. Unde hoc explicans, modumque exaltationis assignans, subdit:

Vers. 5. ET IN MEDIO ECCLESIÆ APERIET OS EJUS] Tigurina, *& in media concione os eius aperiet*. Verùm id obscuriùs & arctiùs dicitur, esto latiniùs: clariùs enim & ampliùs cœtum fidelium significat *Ecclesia*, quam concio. Hæc est tertia dos & fructus sapientiæ, scilicet, quod sui studiosos non tantùm sapientes, sed & aliorum doctores constituat.

Tertius facere Doctores.

Audi Rabanum: *Eleganter*, inquit, *expressit formam Apostolorum & prædicatorum sancti Evangelii, quos divina Sapientia, Christus videlicet, qui est Dei virtus & sapientia, universæ præposuit Ecclesiæ, & præ ceteris fidelium turbis in arce dignitatis collocavit. Hunc ergo cœtum eximium Doctorum divina potentia intus spiritus sui gratia illuminavit, & foris copiam elocutionis administravit, ut bonum quod ipsi intelligebant mente, aliis facundo exponerent sermone*. Quocirca hæc Siracidis verba legit Ecclesia in officio divino S. Ioannis Apostoli, & in Introitu Missæ Doctorum. S. Ioannes enim recumbens in pectore Christi, inde hausit eximiam sapientiam, qua non tantum ceteros fideles, sed & Apostolos superavit: unde omnes Asiæ Ecclesias, quasi sol illuminavit, præsertim dum illud ter sacrum divinitatis & Trinitatis arcanum initio Evangelii intonuit: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*. Hinc & Apocalypsim conscripsit, *quæ tot habet sacramenta quot verba*, ait S. Hieron. Quamobrem meritò ipse unus præ aliis meruit cognomen Theologi.

Tropolog. discat hic fidelis doctor & prædicator, se non aperire os, sed illud sibi a sapientia, hoc est, à Deo & Christo, aperiri, ut loquatur ea quæ sunt salutis. Igitur ex se agnoscat suam infantiam, scilicet, se ex se esse elinguem & mutum, petatque sibi suggeri à Deo quæ auditoribus salutifera futura sunt. Hoc agnovere primi hujus Academiæ doctores, putà Christus, qui ait: *Doctrina mea non est mea, sed* Patris, Ioan. 7. 16. *Dominus*, ait, *dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est, verbo*, Isaiæ 50. v.4. Et spiritus sanctus, de quo ait Christus: *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur*, Ioan. 16. v.13. Inter mortales clarè hoc agnovit Moses, qui deprecans missionem ad Pharaonem: *Obsecro Domine*, inquit, *non sum eloquens*; ideoque ab eo meruit audire: *Perge, & ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris*, Exodi 4. v.10. & 12. Et Ieremias c. 1. v.6. *A, a, a*, inquit, *Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum*; ideoque audivit: *Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas*, &c. Et S. Paulus: *Orantes pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei*, Ephes. 6. v.19. Idem ergo nos humiliter agnoscere & confiteri oportet.

Sapientia est uxor sapientis. Nota. *Sapientia* est quasi sponsa & uxor sapientis, sed prorsus alia ratione quam sit uxor domestica. Nam *Primò.* Primò, hæc uxor regitur, maritus regit; at sapientia regit, sapiens regitur ab ea. *Secundò.* Secundò, uxor pascitur & vestitur à marito: at sapientia pascit & vestit sapientem. *Tertiò* Tertiò, maritus docet uxorem, ejusque os aperit: at sapientia docet sapientem, ejusque os pandit. *Quartò* Quartò, uxor custoditur & protegitur à marito: at sapientia custodit & protegit sapientem. *Quintò.* Quintò, uxor nomen & honorem sortitur à marito: at sapientia utrumque confert sapienti. *Sextò.* Sextò, uxor fulcitur & exaltatur à marito: at sapientia firmat & exaltat sapientem.

ET ADIMPLEBIT ILLUM SPIRITU SAPIENTIÆ ET INTELLECTUS, ET STOLA GLORIÆ VESTIET (ita Romana; alii legunt *induet*) ILLUM] Hic versus jam deest in Græco & Syro. Explicat quomodo sapientia sui discipuli aperiat os in Ecclesia, nimirum infundendo ei plenitudinem sapientiæ in corde, quam ore eructet. Sophistæ enim jactantes sapientiam, eam ore ostentant, quam in corde non habent: at sapientes plus sapientiæ habent in corde, quàm ore exprimant. Sophistæ ergo sunt similes canalibus, qui nihil aquæ retinent, sed totam quam receperunt, effundunt: sapientes verò similes sunt conchis quæ priùs sese implent, deinde quod reliquum est aquæ, aliò emittunt. Audi S. Bernardum serm. 18. in Cant. *Si sapis*, inquit, *concham te exhibebis, & non canalem. Hic siquidem pene simul & recipit, & refundit: illa verò donec impleatur, expectat, & sic quod superabundat, sine suo damno communicat, sciens maledictum qui partem suam facit deteriorem*, &c. *Verùm canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas verò perpaucas. Tantæ charitatis sunt per quos nobis fluenta cælestia emanant, ut ante effundere quam infundi velint, loqui quàm audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt, & aliis præesse gestientes qui seipsos regere nesciunt.*

Quartus dare stolā gloriæ. Nota. Hic Sapientia sui studiosos creat doctores, non eo modo quo Cancellarius eos creat in academia: hic enim solùm dat titulum Doctoris, doctrinam vero eis indere nequit. At Deus & sapientia cum creat doctorem, simul doctrinam ei indit, doctrinam, inquam, non vulgarem, quæ illi soli sufficiat, qualem habent discipuli; sed plenam & eximiam, qualem decet habere eum qui alios docet. Hoc est quod ait: *Et adimplebit eum spiritu sapientiæ & intellectus*; idcòque *stola gloriæ induet illum*, id est, ingentem ei quasi doctori eximio honorem & gloriam conciliabit, ideoque & pileo togaque doctorali, vel mitra episcopali, eum vestiet, vestitura eumdem in cælo stola gloriæ, Doctoribus & Episcopis propria, eisque promissa à Deo, Daniel 12. v.13. Quocirca *stola* hæc *gloriæ* symbolum est libertatis, nobilitatis, excellentiæ & principatus in sapiente. Sapiens enim est princeps sui, æquè ac mundi: celsior enim est mundo cujus mens est in cælo. Idipsum cognovere Philosophi & Poetæ unde Horatius lib. 1. epist. 1.

Ad summum, sapiens uno minor est Iove dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Quare Xenophon lib. 3. de Dictis & factis Socratis: *Non illos reges*, inquit, *& principes qui sceptra ferunt, dicebat Socrates; neque illos, qui aut à quocumque contigit, electi, aut sorte, aut violentia, aut deceptione assumpti fuerunt; sed qui regere sciant: omnia enim sapienti parent, & ipse omnium dominus est*. Præclariùs S. Ambrosius epist. 19. ad Constantium: *Sapienti*, ait, *nihil alienum, nisi quod virtuti incongruum. Quocumque accesserit, sua sunt omnia: totus mundus possessio eius est; quoniam toto eo quasi suo utitur.* Huc faciunt illa Senecæ paradoxa epistola nona. *Sapiens se contentus est; Sapiens nulla re indiget, stultus omnibus. Sapiens omnia sua secum portat. Sapiens se beatum putat. ideoque miser est, qui se non beatissimum iudicat, licet imperet mundo.* Porrò, *gloria est clara cum laude notitia*, ait S. Thomas. Quocirca *ex omnibus præmiis virtutis amplissimum est gloria*, ait Cicero pro Milone. Si tanti est gloria humana, quanti erit divina, quæ à Deo, angelis & Sanctis omnibus sapienti, id est, justo, tribuetur per omnem æternitatem? *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem*, ait ipse per Isaiam cap. 60. 15. Hæc est ergo quarta dos & fructus sapientiæ.

Moral. Moral. Nota hic, sapientiam & Deum, cùm quem vocat ad apostolatum, vel munus docendi, prædicandi, gubernandi, simul eidem gratiam illi muneri non tantùm necessariam vel utilem, sed & commodam & opportunam, eamque eximiam, immittere. *Deus vocationi dat gratiam congruam.* Patet id in Apostolis, qui sapientia & gratia præ ceteris omnibus donati sunt, cùm à Christo ad hoc munus vocati & missi sunt. Idem hodie videmus fieri non illis quos Deus vocat mittitque in Indiam, Angliam, Hollandiam. Numquam Xaverius fuisset Xaverius, id est, numquam tot gratias & dona incensæ charitatis, efficaciæ prædicandi, faciendi miracula, & suscitandi mortuos à Deo adeptus fuisset, si in Europa cum ceteris sociis resedisset, nec Indicam missionem à Deo per S. P. Ignatium ei oblatam capessivisset. Indiæ ergo Xaverium fecerunt Doctorem, Apostolum, Thaumaturgum.

Illum

Digitized by Google

illum & Apostolos imitentur, qui ad idem munus à Deo vocari se sentiunt, ac similes fidei & virtutis heroes evadent.

Anagogicè, Palacius, per *stolam gloriæ* accipit aureolam Doctoribus promissam & præparatam in cælis, ut ea per omnem æternitatem coronentur. Splendida ad stuporem intuentium fuit stola & vestis C. Caligulæ imp. de qua Suetonius in ejus Vita cap. 52. sic ait: *Sæpe depictas gemmatasque indutus penulas, manuleatus & armillatus in publicum processit, aliquando sericatus & cycladatus, &c. plerumque verò aurea barba fulmen tenens ac fuscinam, aut caduceum, Deorum insignia, atque etiam Veneris cultu conspectus est. Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem assiduè gestavit: interdum & Magni Alexandri thoracem repetitum è conditorio ejus.* At quid hæc ad stolas Beatorum, quas eis dabit sapientia? de quibus Proverb. 4. 8. *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.* Et Isaias cap. 61. v. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, &c. quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.*

VERS. 6. JUCUNDITATEM ET EXULTATIONEM THESAURIZABIT SUPER ILLUM, ET NOMINE ÆTERNO HEREDITABIT ILLUM] q. d. Copiosum gaudium instar thesauri coacervabit super illum, ac faciet ut nomen æternum, id est, fama & celebritas æterna, quasi hæreditas, tum in terra, tum in cælo ei obtingat; nimirum *Tibicen fortunæ est virtus.* Gaudet enim sapiens sua sapientia, velut thesauro pretiosissimo; gaudet & sua doctrina, qua discipulos erudit, sapientes sanctosque efficit. Græca significantiùs habent, *lætitiam & coronam exultationis, & nomen sempiternum hereditabit*, id est, hereditare faciet sapientem. Complut. post τὸ *exultationis*, addunt εὑρήσει, id est, *invenies*; sed illud delent Romana: sensum enim intercidit & obscurat. Tigurina, *hæc illi iucunditatem & coronam exultantiæ comparabit, & compotem nominis æterni efficiet*; Syrus, *lætitia & exultatione implebit eum, & nomen sæculi hereditare faciet eum.* Nam *in memoria æterna erit iustus.* psalm. 111. Alludit ad Isaiæ 56. v. 5. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.*

Ita S. Paulus Thessalonicenses vocat suam spem & gaudium: *Quæ est*, inquit, *nostra spes aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in adventu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium*, 1. Thessal. cap. 2. v. 19. Sic Philippenses cap. 4. v. 1. vocat suam coronam & gaudium. Et S. Ioannes epistola 3. v. 4. *Maiorem*, inquit, *horum non habeo gratiam, quàm ut audiam filios meos in veritate ambulare.* Sapientia ergo practica, id est, virtus & sanctitas, Sanctis conciliat tam gaudium, quàm nomen æternum, cùm videamus philosophos, reges & principes, per tot monumenta, libros, columnas, mausolæa, ambientes famam perennem, æterna oblivione, imò dedecore sepultos. Vide S. Hieron. in fine Epitaphii S. Paulæ. Est hæc quinta sapientiæ dos & fructus, quòd exhilaret sapientem, ejusque nomen æternet, juxta illud Sapient. 8. 13. *Habebo per hanc immortalitatem, & memoriam æternam.*

Quintus, exhilarare & æternare

Hasce dotes sapientiam suis communicasse, & etiamnum communicare, patet ex historiis & Vitis SS. Doctorum, uti S. Thomæ Aquinatis, de quo proinde meritò dixit scripsitque Clemens VI. Pontifex in sermone de eodem: *S. Thomas fuit exemplar virtutum omnium, earumque exempla erant membra eius singula: in oculis relucebat simplicitas, in vultu benignitas, in auribus humilitas, in gustu sobrietas, in lingua veritas, in odoratu suavitas, in actibus integritas, in manu liberalitas, in incessu gravitas, in forma honestas, in visceribus pietas, in intellectu claritas, in affectu bonitas, in mente sanctitas, in corde charitas. Sic ut species decorque corporis fuerit effigies animæ & imago virtutis.*

Clemens VI. laudat B. Thom. Aquin.

VERS. 7. HOMINES STULTI NON APPREHENDENT ILLAM, ET HOMINES SENSATI OBVIABUNT ILLI, HOMINES STULTI NON VIDEBUNT EAM: LONGE ENIM ABEST A SUPERBIA ET DOLO] Græca de more concisa hæc tantùm habent, *non comprehendent eam insipientes, & viri peccatores non videbunt eam. Procul abest à fastu.* Unde censet Jansenius, nostrum Interpretem reliqua addidisse de suo, quia tacitè continebantur in antithesi jam dicta. Verùm hoc parum est probabile. Unde, uti jam sæpiùs dixi, potiùs credendum est Nostrum habuisse vetustius & plenius exemplar Græcum. *Stultos* practicè vocat peccatores, qui stultè sequuntur suam concupiscentiam, ac mundanos honores, opes, delicias: hi veram sapientiam practicam *non apprehendunt*, quia hæc sita est in mundi contemptu, & concupiscentiæ mortificatione: ipsa enim docet amare spiritalia & cælestia, ac spernere carnalia & terrena. Quocirca *sensati*, [illegible] est, prudentes, qui idipsum intelligunt & sapiunt, *obviabunt illi: stulti* verò & insensati, sive imprudentes, adeò longè absunt ab illa, ut ne quidem illam videant: illa enim fugit superbiam & dolum, quæ sunt vitia stultorum mundi hujus sectatorum. Sic *stultos* explicat Syrus dum vertit, *non ambulabunt in ea peccatores, & non videbunt eam homines iniqui, longè est à rebellibus.* Causam dat S. Chrysost. homil. 40. in Joan. tom. 3. *Nihil*, inquit, *tam stultos homines facit sicut malitia, nihil sapientiores reddit quàm virtus: etenim graves, benignos, mites, humanos, mansuetos, lenes efficit. Quid ita affectis prudentius: fons, mater, radix sapientiæ, virtus, non secùs ac malitia omnis ex stultitia nascitur: siquidem superbus & iracundus, quoniam sapientia carent, his affectibus assumuntur. ideò Propheta ait psalm. 37. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie insipientiæ meæ; ut omne peccatum ex stultitia ortum habere demonstret: nam qui virtuti studet, qui Deum timet, is sapientissimus est.*

Virtus facit sapientes, vitium stultos.

Stultos ergo vocat peccatores, præsertim superbos & dolosos: subdit enim, *Longè enim abest à superbia & dolo.* Ambis igitur sapientiam? esto humilis & sincerus: dum enim studes humilitati, studes sapientiæ. Rursum humiles vocantur *sensati*, quia superbia hominem sensu evacuat, & quasi excerebrat, ait Palacius. Hoc est quod ait Salomon Sapient. 1. 4. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis: Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum*; Græcè, δόλον, id est, dolum, fictionem. Et Proverb. 8. 13. *Arrogantiam & superbiam, & os bilingue detestor.* Et Christus de Spiritu sancto, qui est spiritus sapientiæ & veritatis, ait, *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem* (ò sensati Apostoli) *cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit*, Joan. 14. 17. Et, *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus* (juxta carnem & mundum) *& revelasti ea parvulis*, Matth. 11. 25.

Ita revelavit ea S. Francisco parvulo & humili. Unde cùm F. Elias, aliique prudentes juxta sæculum ei obstreperent, ipse coram omnibus, ipsoque Cardinale Ostiensi (qui postea creatus Pontifex vocatus est Gregorius IX.) ardenter professus est: *Deus*, inquit, *vocavit me per viam simplicitatis & humilitatis, crucis sequar stultitiam. ipse mihi dixit: Francisce ego te volo esse novum fatuellum in mundo, qui operibus & verbis prædicet stultitiam crucis.* ita Wadingus in Annalibus Minorum anno Christi 1219. num. 24. Hoc est quod ait S. Jacob. cap. 3. 17. *Quæ desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.* Ubi novem præclaras sapientiæ dotes & conditiones assignat. Vide ibi dicta.

Audi Rabanum: *Homines sensati*, ait, *hoc est, Catholici & religiosi; hi obviant illi* (sapientiæ,) *quia cogitatione, sermone simul & opere divinæ decernunt obtemperare voluntati.* Dixit enim v. 1. *Qui continens est iustitiæ* (hoc est, sensatus & prudens,) *apprehendet eam, & obviabit illi quasi mater honorificata; ut intelligamus divinam pietatem semper esse pronam ad misericordiam, & sponte suam hominibus velle conferre gratiam, si ad eius perceptionem condignam eorum invenerit diligentiam. Dicit enim ipsa sapientia: Ego diligentes me diligam, & qui manè vigilaverint ad me, invenient me.* Porrò S. August. con. 2. in psalm. 90. huc refert illud Christi Matth. 8. *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos. Vulpes* enim notant dolum & dolos, *volucres* superbiam & superbos, quorum utrique longe absunt à sapientia & virtute. *Quidam*, inquit August. *de turba cùm vellet sequi Dominum, vidit illum Dominus superbum non quærere viam humilitatis, sed typum potentiæ, & ait: Vulpes foveas habent, volucres cæli nidos filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Vulpes dolus est, volucres cæli superbia est. Sicut enim volucres alta petunt,*

Vulpes sunt dolosi, volucres superbi.

petunt, sic superbi; & vulpes cavernas dolosus, ita omnes insidiatores. Quid ergo respondet Dominus? Potest in te habitare superbia, & dolus? Christus non habet, ubi in te habitet, ubi reclinet caput suum. Idem in psal. 126. *Si volumus*, inquit, *custodiri ab illo qui humiliatus est propter nos, & exaltatus est ad custodiendos, humiles simus. Nemo sibi arroget aliquid: qui autem sibi voluerit arrogare sapientiam, stultus est. Sit humilis, ut inveniat sapientiam, & illuminet illum.*

VERS. 8. VIRI MENDACES NON ERUNT ILLIUS (sapientiæ) MEMORES: ET VIRI VERACIS INVENIENTUR IN EA, ET SUCCESSUM HABEBUNT USQUE AD INSPECTIONEM DEI) Explicat quod dixit v. præced. sapientiam abesse à superbia, & dolo: superbos enim, & dolosos vocat *mendaces*: utrique enim multa mentiuntur: superbi quidem de sua excellentia, ut se extollant; dolosi verò de suis machinationibus, ut alios fallant. Dicit ergo *mendaces* non esse memores sapientiæ, qui eam non quærunt, imò fugiunt eius dictamina, utpote contraria suis mendaciis, & dolis: *veraces* autem, quales sunt humiles, & sinceri, inveniri in ea; quia hi student sapientiæ, quæ non est aliud quàm veritas practica, docens scilicet quid juxta Dei legem agere, quidq; loqui debeant. Unde his Deus dabit *successum*, eorumque acta, & dicta prosperabit usque ad judicium tum particulare, tum universale, quo eorum, uti & cæterorum, actiones omnes inspiciet, id est examinabit, judicabit, & præmiabit visione Dei, & gloria æterna, ut scilicet inspiciant Deum facie ad faciem, eaque beentur, juxta illud psal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Vide dicta c. 2. v. 21.

Græca moderna de more accisa sunt: sic enim tantum habent, *viri mendaces non erunt illius memores*; Tigurina, *nec viri mendaces illius mentionem facient* (Vatabl. *meminerint*) *viri veraces frequentabunt hanc, & usque ad inspectionem Dei proficient*; Syrus, *qui loquuntur malum, non recordabuntur eius.* Nam *mendacium* in Script. sæpè quodlibet malum, & vitium, sicut *veritas* quodlibet bonum, sive officium virtutis significat. Quare qui loquuntur obscæna, gulosa, iniqua, rixosa, detractoria, maledica, &c. loquuntur mendacium, nec memores sunt sapientiæ. Denique *mendaces* sunt qui aliud docent, aliud faciunt, scilicet quorum cum vita pugnat sermo, qui quod ore docent, hoc opere dedocent, & destruunt. Hi enim licet lingua sint memores, tamen reipsa sunt immemores sapientiæ, quia moribus eam convellunt, & refutant. Vide S. Chrysost. homil. 10. in Acta, S. Ambros. serm. 1. in psal. 1.

VERS. 9. NON EST SPECIOSA LAUS (sapientiæ, & consequenter Dei) IN ORE PECCATORIS (manentis in peccato: nam in ore pœnitentis, utilis est, si non speciosa:)

VERS. 10. QUONIAM NON EST A DOMINO MISSUS (scilicet, ad prædicandam sapientiam) QUONIA A DOMINO PROFECTA EST SAPIENTIA) Ita legunt Rabanus, Dionys. Glossa, & Jansen. sed cum Græcis, & Latinis Romanis, cæterisque impressis delendum est *Tò quoniam non est à Domino missus.* Jussit Deus Exodi 29. priùs offerri vitulum pro peccato, deinde arietes duos, unum in holocaustum, alterum in victimam pacificam. Cujus ordinis causam dans Tostatus ibidem: *Sacrificium*, inquit, *quod est pro peccato, est directè ad remissionem peccatorum; sacrificium holocausti, est ad laudem & honorem Dei; sacrificium pacificum est ad gratiarum actiones: sed non est speciosa laus in ore peccatoris; ut Deo accepta sint posteriora sacrificia, oportet ut illud primum præmittatur, tanquam dispositio ad alia.*

Est occupatio: Dicet enim quis, Mendaces, putà peccatores, subinde laudant, imò prædicant, docentque alios sapientiam (uti faciunt doctores, & prædicatores malæ vitæ, & improbi:) ergo falsum est quod dixisti: *Viri mendaces non erunt illius memores.* Resp. Mendaces, etsi illius sint memores in ore, & labris, non tamen in corde, & mente, quia eam oderunt: ideoq; illa in ore eorum laus sapientiæ non est speciosa, nec decens, sed indecens, & turpis, adeoque illi non tam laudant quàm dedecorant, & vituperant sapientiam, tum per improbam vitam, qua factis contrarium docent ei quod verbis prædicant; tum, quia prædicationi sapientiæ multa vel falsa, vel vana, & sapientiæ indigna admiscent, ut sibi nomen inanis sapientiæ, & eloquentiæ comparent. Quocirca psal. 49. *Peccatori*, inquit, *dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas?* Quæ verba recitans Origenes, jam lapsus in peccatum idololatriæ (cùm enim Gentiles eum cogerent thus adolere idolis, minantes, ni id faceret, se vitium castitati eius per Æthiopem illaturos, ipse hujus vitii metu thus adolevit;) cùm ab Episcopo Hierosolymitano rogaretur verba ad populum facere, confusus conticuit, ac complicatum librum deposuit, atque cum fletu, & lacrymis consedit, omnibus simul cum ipso plorantibus: inquit Epiphan. hæresi 64. licet Baron. tom. 2. anno Christi 253. hæc in dubium revocet, & S. Epiphanio assuta suspicetur, eò quòd nec S. Hieron. nec S. August. nec Vincentius Lirin. nec quis alius illius ævi, insectans Origenem, idololatriam ei impingat.

Origenis Lapsus.

Certius exemplum suggerit S. Hieron. in cap. 6. Isaiæ, ipsum Isajam dicentem, *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum*: q. d. *Quia tacui, & non auderem Oziam impium regem corripere: ideo labia mea immunda sunt, & laudes Domini cum Angelis cantare non audeo; ne mihi dicatur: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Non est enim pulchra laudatio in ore peccatoris. Hoc autem diximus, non quòd Isaiam talem fuisse doceamus; sed quòd ipse pro humilitate, & immundis tantùm labiis, indignum se Dei laude fateatur.* hæc S. Hieronymus.

Tales quoque fuere impii Levitæ, quibus Deus per Amos c. 5. 23. intonat. *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & carmina lyræ tuæ non audiam*: quia ut ibidem ait S. Hieron. *non est pulchra laudatio in ore peccatoris. Iudæorum enim, & hæreticorum composita laudatio tumultus est Domino, &, ut ita dicam, grunnitus suis, & clamor asinorum*, &c. *Carmina ergo si bonis operibus dirigamus, audiuntur à Domino: si malis, concludit aures suas, & impiorum cantica non dignatur audire.* S. Bernard. ser. in Vigil. S. Andreæ: *Si nec iustus*, inquit, *sine modestia, & verecundia quadam ad Sanctorum præsumit accedere laudes, quanto magis peccator, in cuius ore non est laus speciosa, timeat semper necesse est vocem illam: Quare tu enarras iustitias meas?* Idem serm. 45. inter Parvos: *Non est speciosa*, inquit, *laus in ore peccatoris. Etiam quæ est in ore peccatoris pœnitentia, non videtur speciosa: quia adhuc de peccati recordatione, & memoria confusionem patitur, & frequenter inde compungitur. Sed tamen in eo est utilis, & fructuosa confessio, etsi non speciosa decoraq; laudatio. Postquàm verò de beneficiis Dei proficiens adhæret divinæ laudi, & in ea assiduè delectatur, & proficit, ita ut nihil aliud placeat ei; tunc in ore eius est speciosa laus Dei: ad similitudinem agricolæ, qui dum stercorat agrum suum, totus in luto est, & stercoribus; non est pulcher labor eius, etsi sit fructuosus: sed quando colligit manipulos segetis, tunc labor est speciosus, & dulcis.*

NON EST SPECIOSA LAUS IN ORE PECCATORIS VERS. 11.
Nam ut ait S. Chrysost. homil. *cùm presbyter esset designatus*, tom. 5. *Sicut in coronis non satis est flores esse puros, nisi pura sit, & manus eos contexens: sic & sacris hymnis oportet non verba tantùm esse pia, sed, & animum hymnos concinentem.* Unde subdit, Davidem psalm. 148. omnes creaturas ad Dei laudem invitare, excepto solo peccatore: *Scorpii*, inquit, *serpentes, & dracones invitantur ad laudandum eum, à quo conditi sunt: solus peccator ab hoc sacro choro submotus est, idq; iure optimo. Sicut enim musicus à cithara bene modulata chordam dissonam resecat, ne reliquarum vocum harmonia vitietur: sic, & Propheta* (David) *peccatorem velut chordam dissonam, ac velut membrum ægrum ab universo creaturæ corpore resecat.* Additque se hac concione, quæ ab electione eius in presbyterum fuit prima, primitias eius voluisse dicare Deo, eum laudando, sed deterreri hac sententia Siracidis, utpote conscium, quòd ipse sit peccator, in cujus ore non est speciosa Dei laus, *Haud frustra*, inquit, *neque temerè dum hæc loquor intersilui. Quia, & mentis cogitatio mea confusa est, ad amaras usque lacrymas graviemq; eiulatum perducta.* Unde à Dei laude deflectit ad laudes Flaviani Episcopi Antiocheni; à quo ordinatus erat presbyter, quòd eius laus redundet in laudem Dei, nec tamen vetita sit hisce verbis Siracidis Habetur hæc S. Chrysost. homilia tom. 5. pag. 805. & proximè sequitur orationem habitam in Calendis.

Causam sui dicti subdit Siracides: *Quoniam à Domino profecta est sapientia.* q. d. Nemo rite potest aut debet laudare, & prædicare sapientiam, nisi missus, doctus, & inspiratus à Deo: Deus autem ordinariè non mittit nec docet peccatores. Ergo hi non debent eam prædicare, juxta illud Proverb. 26. 7. *Indecens est in ore stultorum parabola.* Et cap. 17. 7. *Non decent stultum verba composita.* Græca sic habent, *non est speciosa laus in ore improbi; quoniam à Domino non est missa* ad improbum; Tigurina, *neque enim à Domino proficiscitur*; Syrus, *non est decens ori iniquorum* (sapientiæ laus & prædicatio) *quia non fuit ab ante Dominum*) id est, à Domino *data illis.*

Nota. Non dicit laudem in ore peccatoris esse irritam vel illicitam, sed non esse speciosam. Quare perperam

hoc loco abutebantur Donatistæ, ut probarent, baptismum collatum ab hæreticis esse invalidum, ideoque iterandum: quibus respondet S. Augustinus libr. 3. contra epist. Parmen. cap. 12. *Cùm*, inquit, *prædicatio peccatoris ore procedit, quærendum est cuiusmodi peccatorem hoc loco Scriptura significare voluit. Nam & publicanus qui iustificatus est magis quàm ille Pharisæus, utique peccator erat. Si enim vera eius peccata non erant, falsa erat confessio peccatorum: si autem vera erat confessio, propter quam iustificari etiam meruit, proculdubio vera erant peccata. Hoc etiam de oratione sancti Danielis verissimè dixerim, qui profectò veraciter ait; Cùm orarem & confiterer peccata mea, & populi mei. In cuius ergo ore peccatoris laus speciosa non est, nisi maximè mendacis, & ficti: quem Spiritus sanctus disciplinæ fugit? Quem igitur fugit, cùm tamen loquitur veritatem non in eius ore speciosa est, quia non ei tribuitur, cuius particeps non est; sicut speciosa non erat prophetia in ore Caiphæ pontificis sacerdotum, qui nescivit, quod dixit, sed cùm esset pontifex prophetavit: sed tamen per ipsum speciosa laus est Dei in auribus audientium, & corde credentium.* Vide de laude Dei piè, & humiliter disserentem eumdem August. (vel quisquis est Auctor) lib. 1. Medit. c.33. & S. Chrysost. in psalm. 112. *Laudate pueri Dominum.*

VERS. 10. QUONIAM A DEO PROFECTA EST SAPIENTIA: SAPIENTIÆ ENIM DEI ASTABIT LAUS, ET IN ORE FIDELI ABUNDABIT, ET DOMINATOR DABIT EAM ILLI) Hic est discursus Siracidis: Probat non esse speciosam laudem in ore peccatoris, hoc syllogismo. Illa sola laus est speciosa, quæ proficiscitur à Deo: at laus peccatoris non proficiscitur à Deo: ergo laus peccatoris non est speciosa. Minorem probat: Sapientia in peccatorem non proficiscitur à Deo: at verò laus est individua comes, quæ jugiter assistit sapientiæ: ergo nec laus vera in peccatorem proficiscitur à Deo. Sensus ergo est; q. d. Sapientiæ soli competit vera laus, putà officium laudandi sua dogmata, sive dictamina sapientiæ: sapientum enim est ea prædicare, & celebrare uti verbo, ita, & exemplo. Quare hæc laus, & prædicatio abundabit in ore fidelis, & veracis, non mendacis, uti dixi v.8. & , id est, quia, *Dominator*, putà Deus, qui est fons omnis sapientiæ, & laudis, *dabit eam* (non sapientiam, sed laudem, id est, prædicationem) *illi*. Hunc esse sensum patet ex Græco, qui sic habet [illegible] id est, *In sapientia dicetur laus* vel *hymnus, & Dominus prosperabit eum*. Pronomen enim [illegible], cùm sit masculinum, refert [illegible], id est, laudem vel hymnum, non [illegible], id est, sapientiam, utpote feminini generis. Tigurina conditionatè vertit, *si laus à sapientia pronuntiatur, & abundet in ore fideli, tum Dominus illi aspiraverit*; Syrus, *in ore sapientum dicitur laus, & qui dominator est in illa, docebit eam*: q. d. Dei est docere laudem, id est, prædicationem sapientiæ, quia ipse eius dominus est, & dominatur in ea: juxta illud psalm. 67. *Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa*. Et psalm. 32. *Rectos decet collaudatio*.

Nota Tò *Dei* non est in Græco, ac potest referri vel ad Tò *sapientiæ*, vel ad Tò *laus*: laus enim sapientiæ est laus Dei, qui est ipsa increata Sapientia, à qua omnis creata velut radius à sole promanat, ac consequenter Deo astat laus, quæ est individua comes sapientiæ. Dei enim est tam per se, quàm per Angelos, & homines, putà Prophetas, Apostolos, & doctores, ac maximè per Christum, prædicare veram, & salutiferam sapientiam, quæ nos ad beatitudinem, id est, ad Deum, Deique visionem, fruitionem, & laudem perennem perducat. Laus enim Dei est beatarum mentium otiosum negotium, & negotiosum otium. Hæc enim iugis earum est vox: *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen*. Apoc. 7. 12. Unde.

Sapientum est jugiter laudare Deum.

Moral. Sapientum, id est, sanctorum, in hac vita est assiduè jubilare, & laudare Deum; sapientiæ enim adest laus, id est, pectus, in quo est divina sapientia, crebrò in Dei laudes quasi exhalando prorumpit: juxta illud, *Immola Deo sacrificium laudis*, psal. 49. Et: *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion*, psal. 147.1. Sancti enim sunt in Jerusalem terrestri, ut pergant ad cælestem, in qua est plena Jerusalem, id est, visio, & fruitio pacis: quocirca laude sua, & jubilo inchoant vitam Beatorum, & Angelorum. Vide dicta Apoc. 5.12. & c.7. 12. & Ephes. 5.19.

Nota Tò *in ore fideli abundabit: fideli*, id est, Primò, veraci; Secundò, habenti veram de Deo fidem, & cognitionem; Tertiò, qui fideliter Deum colit, eique servit, & obedit: in huius enim ore laus Dei copiosa est, & abundat. Unde Psaltes 134. 1. *Laudate*, ait, *nomen Domini, laudate servi Dominum*. Ubi S. August. *Psalmus iste*, inquit, *ut laudemus nomen Domini suadet, causamq; quare iustum sit illum laudare, subdit, cùm dicit, Laudate servi Dominum, quid iustius, quid dignius, quid gratius? Etenim si non laudaveritis servi Dominum, superbi, ingrati, irreligiosi eritis*. Et mox explicans qui servi laudare Deum debeant: *Qui statis in domo Domini: qui statis*, inquit, *non qui ruitis: illi autem stare dicuntur, qui in mandatis eius perseverant, qui in fide non ficta, & spe firma, & charitate sincera serviunt Deo*, hæc ille. Idem lib. 1. Confess. c.1. *Magnus*, ait, *es Domine, & laudabilis valdè: magna virtus tua, & sapientiæ tuæ non est numerus, & laudare te vult homo aliqua portio creaturæ tuæ*. Et paulò pòst: *Tu enim excitas ut laudare te delectet, quia fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

SS. Trinitas laudat seipsam immensa laude.

Porrò, sapientiæ Dei *astat laus Dei*, quia sapientiam Dei laudant non tantùm omnes Angeli & Beati, sed & ipse Deus, putà ipsa SS. Trinitas, in qua Pater immensa laude laudat, & glorificat Filium, & Spiritum sanctum: Filius similiter laudat Patrem, & Spiritum sanctum: Spiritus S. Patrem, & Filium. Deum enim videt quisque in eis deitatem, & divinam majestatem plenam infinitis dotibus, ideoque infinita laude, & gloria dignam; idcirco jugiter eos toto affectu laudat, & celebrat, idq; fecit ab æterno, & faciet in omnem æternitatem. Hæc laus nobis imitanda, & assumenda est, uti assumit Ecclesia, cùm in fine cujusque psalmi canit: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*: hac enim doxologia non tantùm creatam, & finitam dicit optatque SS. Trinitati gloriam, sed & increatam ac infinitam, idque magis propriè. Sequitur enim: *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen*. Certum autem est, *in principio*, id est, ab æterno, nullam creaturam (utpote quæ nulla tunc fuerit) dixisse: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, sed idipsum sola potuit dicere SS. Trinitas sibi ipsi. Atque hæc est summa laus, quam Deo dare possumus est enim immensa, ideoque Deo adæquata.

Hanc laudem usurpat Ecclesia.

Sextupliciter laudandus Deus.

Ubi Nota, nos posse laudare Deum, Primò, ore, & corde nostro, Secundò, invitando omnes creaturas ad Dei laudem, ac dicendo cum tribus pueris in igne tribulationis: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula*. Tertiò, induendo affectus omnium Sanctorum, Angelorum, & Beatorum, jugiter Deum laudantium, eosque Deo offerendo. Quartò, offerendo ipsi laudem B. Virginis, quæ laudes omnium hominum, & Angelorum tantum superat, quantum philomelæ concentus superat cantus avium omnium. Quintò, offerendo ipsi doxologiam Verbi incarnati, putà Christi: humanitas enim Christi jugiter glorificat SS. Trinitatem super omnes creaturarum, & B. Virginis doxologias, de quibus plura cap. 39. vult. Verùm hæ omnes laudes cùm sint creaturæ, sunt pariter finitæ. Restat ergo sexta, & summa Dei laus, quam Deo offeramus, ipsius scilicet Dei, & SS. Trinitatis, qua ipsa laudavit, laudat, & laudabit seipsam immensa laude in æternum, ideoque crebrò cum Ecclesia ipsi psallamus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen*: q. d. Opto in immensum, uti par est, glorificare SS. Trinitatem: quare opto illi non tantùm laudem meam, creaturarum, Sanctorum, Angelorum, B. Virginis, & Christi Domini, sed & increatam qua ipsa glorificet seipsam. Gloria ergo sit Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Gloriam, inquam, increata, & divina, qua Pater, & Filius, & Spiritus sanctus se invicem immenso jubilo glorificarunt in principio, id est, ab æterno, & nunc glorificant, & glorificabunt semper in sæcula sæculorum. Amen.

Hinc patet, primæ Sapientiæ, sive Deo, competere summam laudem, tum activam de qua hic agitur, tum passivam. Ipse enim summè laudat seipsum, ac vicissim ipse summè laudatur à seipso, & quantum fieri potest, ab Angelis; hominibus, omnibusque creaturis. Vide S. August. Soliloqu. c.10. Audi eumdem in Meditat. cap. 33. *Deus meus*, inquit, *vita mea, fortitudo mea, & laudatio mea, dignare me laudare te; da mihi lumen in corde, verbum in ore, ut cor meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea toto die cantet laudes tuas. Sed quia non est pulchra laus in ore peccatoris, & quia vir pollutis labiis ego sum, munda, obsecro, cor meum ab omni inquinamento, sanctifica me, sanctificator omnipotens; interius, & exterius, fac me dignum laudibus tuis.*

NON

VERS. 11. NON DIXERIS, PER DEUM ABEST: QUÆ ENIM ODIT NE FECERIS) Legit Interpres ἄπεστι, id est, *abest*. Est altera occupatio. Insipientes enim insipienter suæ insipientiæ causam adscribunt Deo, ut se excusent. Hos arguit: q.d. Ne dicas, Per Deum stat, quòd à me absit sapientia, id est, virtus, & sanctitas, quia jam dictum est, omnem sapientiam à Deo proficisci. Careo ergo illa, quia illam ipse mihi non concessit. Per ipsum ergo fit quòd sim insipiens, id est, vitiosus, & impius. Hoc inquam, ne dixeris. Causam subdit: *Quæ enim odit ne feceris*: q.d. Deus odit insipientiam, id est, vitium, & impietatem: ergo eius nequit esse auctor, vel causa: sed eius tu tibi ipsi es causa, qui scilicet illam amas, & facis, quam Deus odit, ideoque facere nequit. Si enim tu eam odisses uti odit Deus, utique eam non faceres sicut non facit Deus. Porrò, si non faceres illa quæ odit Deus, utique accederet ad te Deus, & sapientia, quæ omnibus se communicare gestit.

Jam legunt ἀπέστην, in aoristo, id est, *defeci*, ab ἀφίσταμαι, id est deficio: unde vertunt, *ne dixeris, Quoniam propter Dominum recessi à sapientia*, id est, à recto, æquo & honesto, incidique in vitia, & scelera: *quæ enim odit ne feceris*: q.d. Tu tibi ipse hujus defectus, & tuorum scelerum es causa, quia scilicet facis quæ Deus odit, punit, & ulciscitur, ac proinde non facit: nam ut ait S. Fulgent. ad Monim. *Deus malorum non est auctor, quorum est ultor*. Sic quoque legit S.August. de Gratia, & lib. arb. c. 2. *Ne dicas Propter Deum recessi*; Tigurina, *ne dicas, Defeci impulsu Domini: non enim debes quæ odit facere*. Clarè Syrus, *Ne dicas, Ab ante Dominum* (id est, à Domino, per Dominum) *impiè egi & peccavi, quia quod odit non facit*. Cùm ergo odiat peccata, & peccatores, utique ea, & eos non facit.

Didacticè hic disce, per Deum non stare quo minùs quis sit probus, & justus, quo minùs quis bene vivat, quo minùs quis salvetur; sed hæc omnia sibi suæq; culpæ tribuere debere impios. Deus enim ex parte sua vult omnes salvos fieri, ideoque pro omnibus Christum Salvatorem misit, ac per eum Sacramenta pro omnibus ad salutem oportuna instituit, omnibusq; gratiam suam offert; sed eam excludunt impii, dum illi resistunt, vel cooperari nolunt; perinde ac sol, utpote lucidissimus, non est causa tenebrarum in domo, sed eius incola qui fenestras Soli occludit. Hoc est quod ait Osee 13. 9. *Perditio tua* (id est, tibi imputanda) *Israel, tantummodo in me auxilium tuum*. Vide ibi dicta. Porrò alludit Siracides ad illud Proverb. 19. 3. juxta Septuag. *Insipientia hominis vastat vias eius, Deum autem accusat in corde suo*. Quam sententiam citat S. Augusti. lib. de Gratia, & lib. arb. cap. 2. sed pro *vastat* legit *violat*, pro *accusat* legit *causatur*. Noster vertit, *stultitia hominis supplantat gressus eius, & contra Deum fervet animo suo*. Quare perperàm argutuli quidam theologastri cùm imperata non faciunt, ut suam desidiam excusent, respondent, se non habuisse gratiam efficacem, de quibus plura v. 19.

VERS. 12. NON DICAS: ILLE (Deus) ME IMPLANAVIT) Græcizat Interpres: Græcè enim est ἐπλάνησεν, (vnus codex legit ἔπλασε, id est, finxit, formavit) id est, *ille me decepit*; Tigurina, *ipse me in errorem impulit*; S. Augusti. loco citato legit, *induxit*, sed in Speculo legit, *implanavit*: πλανάω enim est in errorem induco. Unde Planetæ vocantur stellæ errantes, non fixæ, uti fixæ sunt illæ in firmamento. Porrò *error* hic practicus intelligitur, putà peccatum, & impietas. Causam enim subdens, ait: *Non enim necessarii sunt ei homines impii*; Syrus, *ne dicas, Ipse offendiculum posuit mihi*. Hinc olim Latinis *planus* dicebatur deceptor, & sycophanta, teste Gellio libr. 16. cap. 7. Unde Budæus: *Impostores*, inquit, *à Græcis etiam plani dicuntur, sed certi cuiusdam generis impostores, insigni versutia præditi*. Et Cicero pro Cluentio, *Hic ille planus*, inquit, *improbissimus*, &c. *totus ex fraude, & mendacio factus*. Hinc *Planus* nomen erat hominis, qui solebat multos sic fallere, in quorum vehicula voluisset tolli, ut fingeret se crus fregisse: qui cùm posteà verè genu fregisset, & idem rogasset, non est ei creditum, uti describit Horat. lib. 1. epist. 18. Eustathius in Odysseam Homeri: Planus, ait, est, qui artem quandam profitetur imponendi etiam spectantibus, quales fuerunt Ciphissodorus, & Pantaleon, & Matreas apud Alexandriam, qui, ut auctor est Athenæus, hujusmodi ænigma proponebat: *Alere se feram quandam, quæ semetipsa esitaret*: ita ut nunc usque Matreæ fera inventa non sit. fortassis autem aut iram aut invidiam, aut animi ægritudinem significare voluit. Hujusmodi planos, & impostores olim in deliciis regnum fuisse, liquet ex Plinio lib. 35. c. 10.

Planus, id est impostor.

Porrò, hæc atrox est blasphemia, quæ Deum facit auctorem erroris, & peccati, uti facit Calvinus, & Melanchthon, dicens tam esse opus Dei proditionem Judæ, quàm vocationem Pauli. Quod proinde anathemate damnat Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. Minùs blasphemus, tamen blasphemus, fuit Manes (parens Manichæorum) qui ne Deo peccatum adscriberet, finxit alium quemdam Deum malum (quasi diabolum) qui omnis mali esset causa. Deus enim est prima, & summa veritas cui ex diametro repugnat omnis error, & falsitas: Deus est ipsa increata, & immensa claritas, cui infinitè repugnat omnis obscuritas, sicut Soli repugnat caligo: Deus est æterna sapientia, cui summè repugnat omnis insipientia: Deus est ipsa per essentiam puritas, sinceritas, integritas, sanctitas, cui essentialiter repugnat omnis impuritas, hypocrisis, mendacium, iniquitas: Deus odit, imò est ipsum odium, & abominatio peccati, quomodo ergo illud amare aut facere potest? Sola ergo voluntas sui peccati causa est, non Deus: omne enim peccatum ita essentialiter est voluntarium, ut, si non sit voluntarium, non sit peccatum, ait S. August. libr. de Vera religione cap. 14.

Blasphemia est peccatū summ in Deum retorquere, cum Calvino.

Hoc est quod ait S. Jacobus c. 1. v. 13. *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est*. Vide ibi dicta. Simili modo Nazianz. in Tetrastich. docet peccati culpam nobis adscribendam, non dæmoni. Sic enim canit:

Quid culpam in hostem semper ipsi vertimus,
Cùm nostra robur præstent ipsi crimina?
Te criminare prorsus, aut certè magis:
Ignis tuus nam, flamma verò dæmonis.

Huc facit illud Thren. 3. 65. *Dabis eis scutum cordis laborem tuum*. Quod explicans S. Hieron. (vel potiùs Rabanus: hic enim videtur esse Auctor.) *Scutum cordis*, inquit, *contra Dominum habuit primus ille peccator, qui requirenti Domino cur lignum vetitum contigisset, non ad se culpam reddidit, sed à muliere, quam ei dederat, se accepisse respondit*, Genes. 3. *ut quasi reatum suum obliquè in auctorem suum retorqueret, qui ei mulierem dederat, quæ talia persuaderet: hoc scutum etiam requisita mulier tenuit, quando neque ipsa ad se culpam retulit, sed serpentis illud persuasionibus applicavit, ut ipsa quoque obliquè reatum suum in Creatorem duceret, qui illuc intrare serpentem persuasurum talia permisisset: Unde nunc usque in usum peccantium trahitur, ut culpa cùm arguitur, defendatur, & unde finiri reatus debuit, inde cumuletur*. Quocirca S. August. censet hoc peccatum esse penè irremissibile. Explicans enim illud psal. 58. 6. *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem*, sic ait: *Est quædam iniquitas quam, qui operatur, non potest fieri ut misereatur ei Deus: ipsa est defensio peccatorum: quando quisque defendit peccata sua, magnam iniquitatem operatur, hoc defendit quod Deus odit: & videte quàm perversè, quam iniquè: si quid boni fecerit, sibi vult imputari, si quid mali, Deo: nam hoc modo defendunt homines peccata sua, ex Dei persona: quod peius est. Nemo est, qui audeat dicere, Bonum est adulterium, furtum, fraus, periurium; sed quomodo ea defendunt? si Deus noluisset, id non fecissem, quid vis faciam fato meo? Ergo ad hoc peccatum tuum defendis, ut Deum accuses, ideo excusatur reus, ut culpetur iudex, prorsus talem iniquitatem operantium non miseretur Deus*.

Huc pertinent Poetæ Gentilium, qui Jovi, & diis propria adscribunt adulteria, furta, ceteraque scelera: per hoc enim docent Jovem, & deos scelera probare, commendare, imò quasi deificare; quo quid potentius, ad homines incitandum ut eadem imitentur? Quocirca S. August. lib. 2. Civit. cap. 7. solerter advertit dæmonem suggessisse Poetis, ut illa scriberent, quò deorum exemplo homines ad omne nefas impellerentur. Sic enim adolescens ille Terentianus Jovis libidinibus se ad easdem incitatum, & penè adactum asserit. *Ab hoc*, inquit S. August. *tanta auctoritate adhibet patrocinium turpitudini suæ, cùm in eo se iactat imitari deum, ac quem deum?*

Qui templa cœli summo sonitu concutit.
Ego homuncio id non facerem? Ego verò illud
Feci, ac lubens.

Porrò, quo sensu in Script. dicatur Deus tradidisse in reprobum sensum, excecasse vel obdurasse Pharaonem, & similes, fusè explicui Exodi 7. 3.

NON ENIM NECESSARII SUNT EI HOMINES IMPII) Græcè, *non enim opus habet viro peccatore*; Tigur. *peccante*: & ita legit August. de Gratia, & liber. arbitr. cap. 2. Syrus, *non enim est ei utilitas in homine iniquo*. Sensùs est, q.d. Opus Dei, putà universum, totum à bono Deo conditum, est bo-

est bonum. Ad bonum autem opus non est malo, putà peccato, cùm hoc bonum interimat. Igitur Deus condens universum per omnia bonum, nullum condidit, aut condere potest, malum. Malum enim ad bonum nec necessarium est, nec utile, sed inutile & noxium prorsus. Quòd ergo Deus permittens peccata, iis uti norit bene, putà ad suam justitiam vindicativam, vel gratiam & misericordiam declarandam; id facit, non quòd peccatis opus habeat, iisque delectetur, sed ut suam infinitam sapientiam, quæ ex malis bona elicere novit, potentiam, æquitatem & clementiam demonstret. *Deus*, ait S. August. de Genesi ad litteram Imperf. cap. 5. *vitiorum nostrorum non est auctor, sed ordinator, cum eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur.* Verè Rabanus: *Non est*, inquit, *erroris nostri, & pravæ actionis, causa Deo deputanda: quia ruina nostra non est illi necessaria, sed magis ipse allevat omnes, qui ruunt, & erigit omnes elisos.* Homini opus est mactare oves, boves, porcos, aves, &c. quia horum carnes ei necessariæ sunt ad cibum, medicinam, aliosque usus. At Deo non est opus ruina hominis ad aliquem suum usum; tum, quia ipse nulla re indiget, quia omnia habet & potest; tum, qui ipse, cùm sit optimus, non vult nisi bonum, ad quod opus non est malo, vel peccato.

Dices, Deus vult esse peccatores & miseros, ut habeat in quos exerceat suam clementiam & misericordiam. Si enim non essent miseri, nullam posset Deus facere misericordiam.

Resp. Deus non vult, sed permittit peccatores & peccata, quæ plurima committit humana fragilitas, ut eorum misereatur. Jam enim per lapsum Adæ, omnes proni sumus in peccata.

Instabis: Cur Deus permisit lapsum Adæ? Videtur enim eum voluisse ad hoc, ut haberet occasionem miserendi ejus & posterorum.

Resp. Deum non voluisse positivè, sed permissivè, id est, permisisse lapsum Adæ, sed ad bonum finem, ut scilicet ejus misereretur. Adde, Deum misericordiam suam magis declarare in præservando hominem à peccato, quàm lapsum è peccato eripiendo; sicut major est misericordia & beneficentia præservare quempiam, ne labatur in foveam, omniaque membra conquasset, quàm lapsum & conquassatum eripere & sanare. Sic Deus majorem misericordiam præstitit B. Virgini, præservando illam à peccato originali, quod naturaliter contrahere debuisset, quàm si ab illo contracto eam purgasset. Audi S. August. lib. 3. Confess. cap. 2. *Hæc*, inquit, *verior misericordia, sed non in ea delectatur cor: nam etsi approbatur officio charitatis, qui dolet miserum, mallet tamen utique non esse quod doleret, qui germanitus misericors est. Si enim est malevola benevolentia (quod fieri non potest) ille, qui veraciter sinceriterq; miseretur, cupere esse miseros, ut misereatur.*

VERS. 13.

OMNE EXECRAMENTUM ERRORIS ODIT DOMINUS, ET NON ERIT AMABILE TIMENTIBUS EUM) Sic quoque legit S. August. in Speculo. *Execramentum*, Græcè, βδέλυγμα, id est, abominationem erroris, hoc est, abominabilem errorem, qualis practicè est peccatum. *Errant enim qui operantur malum.* Proverb. 14. 22. q. d. Cùm Deus peccatum oderit, ut rem execrabilem, quomodo illud efficiet? Rursum, cùm Deus illud execretur, par est ut omnes qui eum timent, & colunt, illud ipsum pariter execrentur. Græcè, *omnem abominationem* (id est, rem abominabilem: metonymicè enim ponitur actus pro objecto,) *odit Dominus, eaq; eum timentibus chara non est*; Tigurina, *omne nefas odit Dominus, nec probatur eiusdem cultoribus*; Syrus, *omnem malitiam, & impudentiam odit, & non dabit eas amicis suis.* Minùs rectè: nam nec suis inimicis dat eas.

Miosis.

Nota miosin: *Non amabile*, id est, odibile, execrabile. Sic Virg. de Cocyto fluvio inferni Æneid. 6. *Tristiq; palus inamabilis unda*, id est, horribilis, & execrabilis. Justi enim ut Deum patrem suum imitentur summè execrantur peccatum, eò quòd Deus illud execretur: sicut pulli aquilarum insectantur draconem, eò quòd aquila eum insectetur, teste Plinio lib. 10. cap. 4. Audi S. Hieron. epist. 1. ad Demetr. *Non est exhortatio*, ait, *vehementior, ne peccemus, quàm quâ nos Scriptura divina filios Dei vocat. Quis enim non erubescat, & metuat tanto patre agere aliquod indignum, ut, qui dicitur Dei filius, ipse efficiatur vitii servus? Unde Paulus ait: Sicut filii Dei immaculati, ut simus immaculati; neque enim convenit in filiis Dei, quia ipse est fons justitiæ, peccati maculam reperiri.* Et post nonnulla: *Non ob aliam causam magis nobis in Scripturis divinis tam frequenter filiorum Dei nomen imponitur, ut illud quod dicitur per Prophetam: Ego ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus. Et per Apostolum* Ephes. 7. *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi.* Et B. Joannes cap. 3. ait: *Charissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus; ut qui habet hanc spem in eo, sanctificet se, sicut & ille sanctus est. Vult nobis cælestis doctrina dignitatem quâ donati sumus, frequenter ingerere, & honorem nostrum peccandi pudorem facere.*

VERS. 14.

DEUS AB INITIO CONSTITUIT HOMINEM, ET RELIQUIT ILLUM IN MANU CONSILII SUI) q. d. Deus hominem ab initio fecit liberi arbitrii. Hic clare demonstrat quæ sit origo mali, scilicet voluntas hominis, quam Deus creavit liberam, ut possit eligere bonum vel malum, idque hoc fine ut meriti, & præmii sit capax. Græcè, *ipse (Deus) creavit hominem ab initio, & permisit eum arbitrio consilii sui*, Syrus, *ipse in principio creavit homines, & tradidit illos in manus appetitus eorum. Manus* enim in Script. significat arbitrium, libertatem, dominium, potestatem, imperium; quia quæ in manu, vel sub manu habemus, eis pro arbitrio liberè uti possumus, eisque pro potestate dominamur, & imperamus. Sic Deus dixit ad Satan de Job cap. 1. 12. *Ecce universa quæ habet, in manu*, id est, arbitrio, & potestate, *tua sunt*. Et cap. 2. 6. *Ecce in manu tua*, id est, arbitrio tuo, *est*, ut facias ei, quod tibi libuerit. Et Abraham ad Saram de Agar, *Ecce*, ait, *ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet*, Genes. 16. 6.

Origo libertatis est facultas consultandi.

Manus ergo *consilii*, est arbitrium, potestas, & libertas consilii. De iis enim tantùm consultamus, & consilium inimus, quæ sunt nostræ electionis, & arbitrii, ut ea pro libito faciamus. Atque hæc est origo libertatis, nimirum facultas consultandi. Intellectus enim, dum voluntati de agenda re quapiam dubia, & ancipiti, suo discursu, & consultatione proponit in utramque partem rationes probabiles, facit, ut voluntas utramlibet partem eligere, & capessere possit: quia in utralibet proponit illi rationes, quæ rem bonam, amabilem, & eligibilem efficiant, aut certè talem apparere faciant. Libertas ergo arbitrii radicaliter, est in intellectu, formaliter, in voluntate: ex eminenti enim discursu, & consultatione intellectus, oritur libertas voluntatis in homine. Quocirca bruta, quæ carent intellectu, carent, & libertate: appetitus enim eorum regitur phantasia, & quod phantasia apprehendit ut bonum, vel, si duo concurrant, ut majus bonum; id illicò appetitus eorum naturaliter, & necessariò appetit. Ita Aristot. lib. 3. Ethic. c. 2. *Non omne*, inquit, *spontaneum eligibile esse, sed id scilicet quod est præconsultatum: quippe cùm electio seu propositum cum ratione, ac cogitatione existat; id quod significare nomen etiam ipsum videtur; quasi id quod eligitur seu præponitur, ex aliis legatur, ponaturve ante alia.* Et cap. 3. *Consultamus*, ait, *de agendis rebus, atque iis quæ in nostra sitæ sunt potestate.* Additque causam, quia nemo nisi stolidus consultat de iis, quæ fiunt à natura, fortuna, & necessitate. Ac concludit: *Cùm igitur eligibile nihil aliud sit, quàm consultabile, & appetibile eorum quæ in nobis sunt; electio quoque eorum, quæ in nobis sunt, consultatrix appetitio erit: simul enim atque consultavimus, judicamus, atque inde secundùm consultationem appetimus.*

Ex hoc loco probari liberum arbitrium, demonstratur.

Ex hoc ergo loco liquet manifestè, hominem esse liberi arbitrii. Respondent hæretici, loqui Siracidem de prima creatione hominis, putà Adæ, qui creatus est liber, quia dotatus fuit justitia originali, quæ faciebat eum dominum passionum, & appetituum omnium: quando verò hanc per peccatum perdidit, perdidisse quoque liberum arbitrium, factumque esse servum suæ concupiscentiæ.

Primò.

Verùm errant manifestè. Primò, quia Siracides non loquitur Adæ, qui jam à tribus annorum millibus mortuus erat; sed Judæis tunc viventibus, increpatque eos qui dicebant: *Per Deum stat*, quo minùs sim sapiens, & bonus, *ipse me implanavit*. His enim opponit, dicens Deum creasse hominem liberùm ut eligat bonum, vel malum, ac proinde electionem liberam hominis eum formaliter facere bonum vel malum, non verò Deum. Sensus ergo est: q. d. Deus ab initio creavit hominem naturæ intelligentis, & liberæ, ita ut de ejus ratione, & essentia sit libertas arbitrii, quæ per peccatum vel aliud quodlibet accidens tolli nequit, adeò ut si ab homine tollas liberum arbitrium, tollas pariter naturam hominis, & ex homine facias brutum. Idem apertè significat dum subdit: *Apposuit* (perperam enim aliqui legunt *apposui*, quasi sint verba Dei

ad Adam: Græcè enim est παρέθηκε, id est, *apposuit*) *tibi*, scilicet, ò Judæe, & Gentilis. Porrò, quid sit esse *in manu consilii sui*, id est, liberi arbitrii, clarè explicat cùm subdit, hominem posse servare legem, si velit, & non servare si nolit. Et rursum, ex duobus contrariis posse alterutrum eligere, quod voluerit, scilicet aquam vel ignem, bonum vel malum, vitam vel mortem. Atque ita docet, in homine esse libertatem tam volendi, & non volendi, quæ est libertas contradictionis; quàm ex duobus contrariis unum eligendi, alterum refutandi, quæ est libertas contrarietatis.

Secundò. Secundò, quia alludit Siracides ad verba Mosis ad Judæos sui ævi, Deuter. 30. 15. *Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum: ut diligas Dominum Deum, & ambules in viis eius, & custodias mandata illius*, &c. *& vivas*. Ergo non loquitur Adæ innocenti, sed posteris eius post lapsum. Hi ergo habent etiamnum liberum suum arbitrium, licet debile, & infirmum.

Tertiò. Tertiò, Adam post lapsum mansit liberi arbitrii, utpote per quod pœnitentiam egit, & gratiam Dei habitualem (etsi non justitiam originalem) recuperavit, Sapient. 10. 2. Ergo, & posteri eius habent idem; præsertim quia Deus Adæ post lapsum statim promisit Christum, cujus gratia omnes homines restaurari, & salvari possent, si vellent, Genes. 3. 15. Sicut ergo Adam fuit liberi arbitrii, sed tamen eo uti non potuit ad opera salutis sine gratia Dei, sic & nos: & sicut illi gratia à Deo præparata fuit ad hoc, sic est, & nobis per merita Christi, eaque potentior, & efficacior quàm fuerit data Adæ, tum ut infirmitatem hominis post lapsum corroboret, tum ut concupiscentiæ fortiter oppugnanti, resistere, eamque reprimere valeat, uti docet S. August. de Corrept. & gratia cap. 13. Justitia ergo originalis non faciebat Adam liberum, ac consequenter per peccatum adempta non effecit servum; sed faciebat ut homo faciliùs, & efficaciùs naturali sua libertate ad bonum naturale, supernaturaliter verò ad supernaturale uteretur. Sed huic defectui jam succurrit vis, & efficacia gratiæ Christi, uti pulchrè docet hic Rabanus. hoc enim pertinet ad suavem Dei erga hominem providentiam. Quare sicut cùm posuit eum *in manu consilii sui*, hoc est, cùm fecit eum potentem ad liberè operandum, sive, cùm dedit ei potestatem liberi arbitrii, simul tacitè promisit ei suum cum ea in operando concursum (nam sine eo impotens esset ad operandum;) sic pariter tacitè promisit eidem auxilium necessarium ad benè operandum: nam sine eo benè operari non posset, ideoque ad hoc non esset liber, imò nec potens.

Quartò. Quartò, ita explicat S. August. de Gratia, & lib. arbit. c. 2. Nam citato toto hoc Ecclesiastici loco subdit: *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud, quòd tam multis locis omnia mandata sua custodiri, & fieri iubet Deus? Quomodo iubet si non est liberum arbitrium?* Et S. Athanasius, vel potiùs Anastasius Nicenus, qui floruit anno Domini 880. Quæst. in S. Script. q. 16. *Est enim*, inquit, *in nostra potestate, & libero nostro arbitrio salus nostra, & interitus, sicut scriptum est: Deus ab initio fecit hominem, & dimisit eum in manu consilii sui*. Idem ex hoc loco docet Damascenus lib. 2. Parallel. cap. 9. ac S. Basil. cuius verba mox recitabo.

Denique Deus hominem creavit ad imaginem, & similitudinem suam, ita, ut quam diu homo est homo, & creatura humana gerat in se hanc Dei creatoris sui imaginem. Hanc autem in libertate arbitrii collocat S. Ambros. Rabanus & alii. Vide dicta Genes. 2. 7. Audi Tertull. lib. 2. contra Marc. c. 5. Homo, ait, *in ea substantia quam à Deo traxit, animæ, ad formam Dei spondentis, & arbitrii sui libertate, & potestate signatus est. Hunc statum eius confirmavit etiam ipsa lex, tunc à Deo posita. Non enim poneretur lex ei qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate: nec rursus comminatio mortis transgressioni ascriberetur, si non, & contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Sic, & in posteris legibus Creatoris invenias proponentis ante hominem bonum, & malum, vitam & mortem: sed nec aliàs totum ordinem disciplinæ per præcepta dispositum, avocante Deo, & minante, exhortanteve, nisi & ad obsequium, & ad contemptum libero, & voluntario homine*. Idem Exhortat. ad castit. c. 2. *Sed quomodo vetat quædam, quibus etiam supplicium æternum comminatur? utique etiam quæ vetat, non vult, à quibus & offenditur: sic ut & quæ vult præcipit, & accipit, & æternitatis mercede dispungit. Itaque cum utrumque ex præceptis eius didicerimus, quid velit, & quid nolit, iam nobis est voluntas eligendi alterum, sicut scriptum est: Ecce posui ante te bonum & malum: gustasti enim de arbore agnitionis. Et ideo non debemus, quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem, quoi vult ipse & velle, qui malum non vult. Ita nostra est voluntas, cùm malum volumus adversus Dei voluntatem, qui bonum vult. Porrò si quæris, unde veniat ista voluntas, qua quid volumus adversus Dei voluntatem? Dicam: Ex nobis ipsis.*

ADIECIT MANDATA ET PRÆCEPTA SUA) Hæc verba jam desunt in Græco, & Syro: olim tamen fuisse colligere licet ex S. August. in Speculo ubi eadem legit. Sensus est: q. d. Deus condidit hominem liberum, & reliquit eum in manu consilii sui; at non ita, ut eum à se, & sua providentia eximeret, dimitteret, & quasi onagrum liberum ab omni lege, quò liberet abire, abire permitteret: sed quasi summus omnium gubernator, legislator, Rex, dominus, judex, & vindex, ei leges suas proposuit, putà naturalem, sive decalogum, Adæ, & posteris, cum mente, & ratione indidit: positivam verò, putà cæremonialem, & judicialem, per Mosen tradidit. Atque, ne leges hæ homini onerosæ, & graves acciderent, addidit, & obedientibus præmia, inobedientibus verò pœnas intentavit. Hæc ergo tria hoc ordine instituit Deus: primò, homini indidit liberum arbitrium; secundò, addidit præcepta; tertiò, adiecit præmia. VERS. 15.

SI VOLUERIS MANDATA SERVARE, CONSERVABUNT TE, ET IN PERPETUUM FIDEM PLACITAM FACERE) Græca concita sic habent, *si volueris conservabis mandata, & fidem facere beneplaciti*: q. d. In tua potestate, & arbitrio quod tibi Deus dedit, est, ut serves mandata, itaque facias fidem, id est, præstes fidelitatem beneplaciti, id est, Deo placitam, & gratam. *Tò enim fidem facere beneplaciti*, pendet à *Tò conservabis*, & explicat *Tò mandata*: q. d. Conservando mandata, conservabis facere, id est, perges præstare fidem Deo placitam & debitam. Hinc S. August. de Gratia, & lib. arbit. c. 2. legit, *si volueris conservabis mandata, & fidem bonam placiti*. Idem tamen in Speculo prorsus legit ut noster Interpres. *Sic* & Syrus, *Si voles*, inquit, *custodies præceptum eius, & si credideris in eum, etiam tu vives*. VERS. 16.

Nostra versio plenior, & nervosior, ideoque germanior est. Quare videtur habuisse Interpres noster plenius exemplar Græcum: aut certè vim vocis Græcæ profundiùs penetravit, & pleniùs expressit per elegantem paronomasiam elegans, & doctus Interpres. Græca enim ad verbum habent: *ἐὰν θέλῃς συντηρήσεις ἐντολάς, Si volueris, conservabis mandata*, scil. ita ut ipsa pariter conserventur. Vis enim est in præpositione, id est, cum, simul enim conservare, est simul cum alio servare: ut servans alium vicissim servetur ab eo: q. d. Si conserves mandata, ipsa vicissim conservabunt te: conservatio enim est mutua servatio, & conservator tam conservatoris, quàm conservati est conservator. hæc enim sunt correlativa. Vide hic quàm mandata eorumque custodia sint boni, non σωματοφύλακες, sed animæ custodes, adversus hostes etiam intimos; sicut & *regem custodiunt* magis *misericordia & veritas*, quàm milites, & satellites, *& roboratur clementia thronus eius*, Proverb. 20. 28. Quocirca Tigurina vertit, *si volueris, mandata servabis, ipsaq; te vicissim conservabunt*, tum in vita præsenti, & æterna, tum in Dei gratia, & gloria, idque Primò, quia Deus conservat conservantem sua mandata. Secundò, quia ipsum exercitium mandatorum auget virtutes in anima, quæ auctæ dant homini vires ad resistendum tentationi, & dæmoni. Tertiò, quia conservatio mandatorum minuit cupiditatem, quæ venenum est charitatis: crescente enim virtute, necesse, est ut vitium ei oppositum decrescat.

Nota. *Tò & in perpetuum fidem placitam facere*, id est, & in perpetuum fidelitatem Deo placitam præstare, pendet à verbis præcedentibus. Repete ergo ea. q. d. Si volueris perpetuò servare fidem Deo placitam (servando eius mandata) hæc fides, sive fidelitas tua vicissim perpetuò conservabit te: proliciet enim similem, imò majorem Dei fidelitatem erga te. q. d. Si tu Deo fidelitatem serves, Deus vicissim tibi fidelitatem servabit: si tu Deo sis fidelis, Deus tibi pariter fidelis, imò fidelior, & fidelissimus erit. Est enim quasi quoddam pactum inter Deum, & hominem, quo alter alteri fidelem se fore spondet, nimirum homo spondet se obediturum Deo,

eiusque mandata servaturum: Deus vicissim spondet se hominem sua gratia, protectione & gloria remuneraturum. Explicat enim quid sit *mandata servare*, nimirum, quòd hoc sit *fidem placitam facere*, Quare verba *si volueris* & *conservabunt*, quæ mandatis adaptauit, eadem fidei placitæ adaptanda relinquit: nec enim ea iterare cogatur, brevitatis & concinnitatis studio ea subticet. Vnde Complut. aliaque vetera Biblia legunt, *& fidem placita servare*. Hinc & Tigurina vertit, *si volueris, servabis mandata, ipsaq; te vicissim conservabunt, & fidem præstabis obsequiosam*. Adde, posse hic esse hysteron proteron, ac per illud præponenda esse hæc verba hoc modo: *Si volueris mandata servare, & fidem placitam facere, conservabunt te*, scilicet, hæc duo, mandata & fides, quæ reipsa sunt unum & idem. Sic enim subinde post absolutam sententiam, menti aliquid addendum vel interiiciendum occurrit, quod verbo uno alterove addimus, reliqua auditori supplenda & ordinanda relinquentes ex sententia jam dicta, ne eam totam ilicò iterare cogamur. Id ita esse patet ex Græco. in Græco enim plana est sententia pendens à *conservabis*, vti paulò antè dixi; ac non minùs planè quidam aliter dispungentes, ex Græco sic vertunt: *si voles, conservabis mandata, & fidem tenere* [illegible], id est *ut facias quæ vult*, putà beneplacita Dei: hæc enim sunt eius [illegible], quæ vicissim Dei in nos [illegible], id est, benevolentiam, gratiam, favorem & amorem proliciunt & provocant: magnes enim amoris est amor. Hoc est quod ait Christus qui est Patris Sapientia: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & ad eum veniemus; & mansionem apud eum faciemus*, Ioann. 14. Deus enim mansionem & hospitium, hospitemque suum tutatur & conseruat. Quis enim eum lacessere audeat, qui Dei vallatur præsidio? Vnde Eccles. 8. 5. dicitur: *Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali*. Et Christus Ioan. 8. *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum*.

Porrò, liberum arbitrium non excludit gratiam Dei, uti voluit Pelagius, sicut causa secunda non excludit concursum causæ primæ: illa enim huic subordinatur, ab eoque essentialiter pendet. Nihil enim potest (imò esse nequit) concursus causæ primæ. Idipsum ex versione Græca colligit S. August. libr. de Gratia & lib. arbitr. c. 15. *Ad hoc enim valet*, inquit, *quod scriptum est, Si volueris, conservabis mandata: ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiuvatur, ut faciat quod iubetur: tunc enim utile est velle, cùm possumus; & tunc utile est posse, cùm volumus: nam quid prodest, si quod non possumus, volumus?* Subdit deinde argumentum Pelagianorum, illudquè similibus S. Scripturæ phrasibus diluit, dicens: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, Non iuberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo iubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides quæ orando impetrat, quod lex imperat. Denique ipse qui dixit, Si volueris, conservabis mandata; in eodem libro* (Ecclesiastico) *aliquanto post dicit cap. 22. Quis dabit in ore meo custodiam, & super labia mea signaculum astutum, ne fortè cadam ab eo, & lingua mea perdat me? Iam certè mandata acceperat, Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum*, psalm. 33. *Cùm ergo verum sit quod dixit, Si volueris, conservabis mandata; quare quærit in ore suo dari custodiam, similis ei qui dicit in psalmo, Pone Domine custodiam ori meo?* psal. 140.

Liberum arbitr. non excludit Dei gratiam.

Symbolicè, Hugo, Dionys. & Palacius: Fidem inquiunt, placitam servare est; eam servare corde & opere, quia fides sine operibus mortua est, Iacob. 2. Igitur fides placita, est fides operans per dilectionem eiusque opera. Vnde Radulphus in Leuit. 26. 3 mysticè explicans illud. *Si in præceptis meis ambulaveritis*, &c. *apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit messem: Omnis bona actio*, inquit, *tam messis est, quàm semen; quia iucunditas, quam de transactis laboribus mens nostra concipit novorum germinat concupiscentiam, ut multiplicato semine actionis, multiplicetur & messis retributionis*.

VERS. 17. APPOSVIT TIBI IGNEM ET AQVAM: AD QVOD VOLVERIS, PORRIGE MANVM TVAM) Tigurina, *ignem, & aquam tibi proposuit, ad utrumuis manum tuam exporrigo*; Syrus, *relicta sunt coram te ignis & aqua: ad quod volueris, extende manum tuam*. Per *aquam*, & *ignem* quæ sunt elementa opposita, proverbialiter accipe quælibet contraria, & præsertim ea quæ sequuntur versu proximo, scilicet bonum, & malum, vitam, & mortem. Vnde Syrus idipsum significat per causale *enim*, dum subdit: *Data est enim hominibus vita, & mors*. Hinc Secundò, per *aquam* quæ refrigerat, accipe refrigerium gloriæ; per *ignem*, pœnam, & flammam gehennæ. q. d. Deus proposuit tibi bonum, eiusque præmium, scilicet, gloriam æternam: proposuit, & malum eiusque pœnam, scilicet ignem æternum: q. d. Proposuit tibi gloriam, & damnationem, cælum & gehennam, felicitatem, & miseriam, vitam & mortem: elige vtrumlibet, quod vis. Ita Rabanus: *In igne*, ait, *tribulatio, in aqua refrigerium exprimitur. Apposita ergo sunt coram nobis tribulatio, & prosperitas: si voluerimus opere exercere mandata Dei, habebimus consolationem vitæ æternæ: si autem contemptores fuerimus mandatorum ejus, sequetur nos in furore pœna gehennæ*. Sic & Lyran. Iansen. Palacius & alij. Per *ignem* enim aptè significatur ignis gehennæ, per *aquam* cœlum, quia cæli ex aquis facti sunt; unde, & aquæ sunt supra cœlos, uti dixi Genes. 1. v. 1. & 6. Igitur Deus hominis arbitrium suspendit quasi in æthere, inter duo extrema elementa: aquam, in symbolum refrigerij æternæ vitæ; ignem, in expressionem tormentorum apud inferos.

Quocirca Nazianz. orat. de Amore pauperum, docet hominem constare partim terra ima, partim cælo, putà partim concupiscentia, partim ratione, & mente, quæ viam iustitiæ in cœlum ostendat; idque factum asserit divino consilio, ut homo sciret se è cælesti simul, & tartarea quasi conflatum materia, ut quò velit propendeat liberè. Vt intelligamus, inquit, nos maximos simul, & abiectissimos esse, terrenos, & cælestes, temporaneos, & immortales, lucis ac ignes tenebrosi heredes, prout ad alterutrum nos propendere contigerit.

Ex dictis patet, liberum arbitrium esse instar libræ, cuius libripens est homo, bilances sunt ignis & aqua, bonum, & malum, præmium, & supplicium, ac in utrum libet propensio, vel utrulibet electio. Vnde Tertull. lib. 2. contra Marcion. c. 6. agens de homine libertate prædito: *Quasi libripens*, ait, *emancipati a Deo boni libertas, & potestas arbitrij*. Ac deinde invehitur in eos, qui cùm libero arbitrio dominentur ceteris mundi rebus, ipsum tamen faciunt servum concupiscentiæ, & peccati. *Aliàs*, inquit, *quale erat, ut totius mundi bona possidens homo, non in primis animi sui possessione regnaret, alienorum dominus, sui famulus?*

Minùs appositè, & genvinè aliqui, per *ignem*, & *aquam* accipiunt res quaslibet huius mundi, quarum usum Deus homini concessit. q. d. Deus omnium rerum homini usum concessit, ut iis pro sua libertate utatur: si benè, ad vitam; si malè, ad mortem. Et alii, qui censent hic alludi ad ritum Romanorum, quo sponsa marito se despondens tangebat ignem, & aquam: *Quia*, inquit Plutarch. in Quæst. Rom. qu. 5. *ignis lustrat, aqua purgat: debet autem quæ nubit, puritatem ac castimoniam conservare*. q. d. Simili modo Deus cuique apposuit ignem, & aquam, ut per tribulationes purgemur, & lustremur, itaque sponso Christo animas quasi sponsas, puras, & integras sistamus. Hæc, inquam, minùs genuina sunt: nam ex sequentibus patet opponi aquam, & ignem, quasi bonum, & malum, vitam & mortem, ut hominis sit unum sua libertate amplecti, alterum ei oppositum refutare; sapientis verò, eligere id quod bonum est.

ANTE HOMINEM VITA ET MORS, BONUM ET MALUM: QUOD PLACUERIT EI, DABITUR ILLI) VERS. 18.
Syrus, *data est enim hominibus vita, & mors, ut eligant vitam, & derelinquant mortem*. Alludit ad Deuter. 30. 15. *Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum. In liberam prædam*, ait S. Chrysost. *Quasi enim liberum quoddam voluit esse aucupium mortis ac vitæ, ut in alto velut suspensa animabus fidelium experirentur ad prædam*. Et v. 19. *Testes invoco hodie cælum, & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem & semen tuum: & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas. Ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum*.

Vide S. Basil. homil. in psal. 61. ad illud: *Veruntamen vani filii hominum, mendaces in stateris*: ubi docet hanc stateram esse liberi arbitrii, rationis, & consilii homini à Deo inditam: mendaces verò esse qui corruptam habent rationem, judicium, & consilium Sed audi ipsummet: *Quid igitur est quod dicit? Quoniam cuilibet nostrum intus statera quædam est à conditore omnium apparata, per quam rerum naturam possis probè discernere. Posuit inquit ante faciem tuam vitam, & mortem, bonum, & malum, duas inter se contrarias naturas: has tu apud*

tuum

tuum tribunal, & iudicium examina, ac diligenter expende quid utilius tibi sit. An momentaneam parumque duraturam eligere voluptatem, per quam mortem apprehendas æternam; an in virtutis exercitatione afflictionem malle, quæ perpetuas consequantur delicias? Mendaces ergo homines, corrupta habentes animi iudicia. Quos, & Propheta miseros prædicat, dicens: Væ dicentibus tenebras lucem, & lucem tenebras: amarum dulce, & dulce amarum. Mihi, inquis, præsentia dentur, quis novit futura? Malè librum expendis, mala pro bonis eligens, vana veris anteponens, momentanea perpetuis potiora ducens, transitoriam denique voluptatem pro lætitia numquam desitura ac perpeti præeligens. Mendaces ergo homines in stateris iniquitatis, iniuria afficiunt præcipuè quidem seipsos, deinde verò proximos. Nam cùm in propriis factis malè sibi consulant, malo sunt etiam proximis exemplo. Nec enim die illo iudicii tibi licuerit dicere, Quia nesciui quæ esset bonum. Tibi namque propriè datur libra, quæ sufficiens discrimen boni ac mali demonstrat. Corporea namque pondera in libra lancibus probamus: quæ verò ad instituendam vitam eligenda veniunt, per liberum arbitrium discernimus, quod & stateram nominavit, quod momentum æquale ad utramlibet possit capere.

Libra libertatis & rationis.

Clemens Alexand. lib. 5. Strom. c. 5. citans hunc locum Siracidis nomine Salomonis, sic citat, *Ecce do ante faciem tuam vitam, & mortem, diligere Dominum Deum, & ambulare in viis eius, & audire vocem eius, & credere vitæ.* Sed commiscet verba Ecclesiastici cum verbis Mosis iam citatis ex Deuteron. ut patet utraque conferenti; quin, & verba Mosis concidit, & in pauca contrahit. Similiter hunc locum explicat Origenes Clementis discipulus lib. 1. in epist. ad Roman. Et Gaudentius Brixianus Episcopus tract. 13. de Natiali Domini: *Vult*, inquit, *Dominus verè iustus iudex, ut mortis propriæ sibi sit causa unusquisque: vult, & iustum pro sola iustitia pasci, vult, & iniquum, si in malitia perduraverit, reum mortis proprio arbitrio iudicari. Figuravit enim Deus, &c. hominem, ut Scriptura testatur, ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, & dimisit eum in manu consilii sui, posuit ante eum ignem, & aquam, dicens: Ad quodcumque volueris, extende manum tuam. Posuit, inquit, ante homines Deus aquam, & ignem, id est, refrigerium, & pœnam, remissionem, & supplicium, vitam, & mortem. Quis, oro, non refugiat supplicium, pœnam, & mortem, & eligat refrigerium, remissionem ac vitam?*

Mysticè, Origen. per *vitam* accipit Christum, per *mortem* diabolum; sic enim ait lib. 1. in epist. ad Roman. *Ecce posui ante faciem tuam vitam, & mortem, & ignem, & aquam: vita ergo Christus est, & mors novissimus inimicus, qui est diabolus: quod si agnoscens anima Deum, Christum vitam suam amplexata non fuerit, derelinquetur sine dubio, & deseretur ab eis qui eam fervore suo, ut spiritui iungeretur, animabant.*

Dignitas liberi arbitrii sextuplex.

Moraliter vide hic, quanta hominis dos, & dignitas sit liberum arbitrium, quo dotatus est à Deo: quia per hoc Primò, similis est Deo, & angelis; Secundò, eminet ceteris creaturis; Tertiò, est dominus suiipsius, suarumque actionum; Quartò, capax est virtutis; Quintò, capax est meriti; Sextò, meretur vitam, & gloriam æternam. Unde S. Bernard. tract. de Diligendo Deo, post initium: *Dignitatem*, ait, *in homine liberum arbitrium dico: in quo ei nimirum datum est, ceteris non solùm præeminere, sed, & præsidere animantibus.* Idem serm. 81. in Cant. *Arbitrii libertas*, ait, *est planè divinum quoddam præfulgens in anima, tamquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter bonum, & malum, nec non inter vitam, & mortem, sed nihilominùs inter lucem, & tenebras, & cognitio iudicii & optio eligendi.* Quocirca summè conandum est homini, ut hac libertate arbitrii benè utatur ad bonum, ad quod ei à Deo data est, ut scilicet bona operando mereatur felicitatem æternam. Porrò ut id faciat, astringat illud Deo, eique illud offerat, & consecret per propositum efficax, crebroque iteratum, Deo in omnibus obsequendi; assiduè postulans ab eo, ut ipse illud quasi suum possideat, gratiaque sua regat, & dirigat ad omne bonum, adeoque ad portum salutis æternæ. Si enim possideatur à concupiscentia, peccato, & diabolo, agetur ad omne malum, indeque in gehennam. Unde S. August. Enchir. cap. 30. *Libero arbitrio*, inquit, *malè utens homo, & se perdidit, & ipsum.* Et mox: *Cùm libero peccaretur arbitrio, victore arbitrio amissum est liberum arbitrium:* non quoad libertatem propriè dictam, quæ adversatur coactioni; sed quoad libertatem à peccato, & pœna. Unde subdit S. August. *A quo enim quis devictus est, huic, & servus addictus est. Qualis, quæso, potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? liberaliter enim servit, qui sui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est.*

A Etc. 25. *Mortis supplicium Dominus homini comminatus fuerat, si peccaret; sic eum munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio.*

QUONIAM MULTA SAPIENTIA DEI, ET FORTIS IN POTENTIA, VIDENS OMNES SINE INTERMISSIONE) VERS. 14. q. d. Deus constituit hominem in manu consilii sui ex multa sapientia, ut scilicet homo liberè operando eligeret bonum vel malum, itaque mereretur præmium vel pœnam: ut in iis irrogandis, putà in hominum glorificatione vel damnatione, ostenderet fortissimam suam potentiam. Et ne quis putet se in tanto hominum numero posse latere, fallere vel evadere, addit: Et *videns omnes sine intermissione*. q. d. Dei oculus singulos, & singula etiam occultissima, inspicit, ut judicet, & præmiet, vel puniat. Græca habent, *quoniam multa sapientia Domini est, & potentia pollet, & omnia videt.* Nervosè Syrus, *quia fortis est sapientia Dei, & valens viribus giganteis ipse* (unde Syri Deum vocat *gigantem sæculorum*: quia omnia sæcula sua æternitate, immensitate, & potentia ambit, & complectitur) *& omnia oculi eius vident.*

B Palacius hæc refert ad vers. 11. nam censet ea dici contra Theologastres, qui argutè cavillantur impios malè agere, eò quòd desit eis gratia efficax ad bene agendum; sive ideo impios eligere mala, quia Deus efficaciter non dedit eis bona. Contra hos, inquit, Siracides adiecit, *Multa sapientia Dei, & fortis in potentia*: q. d. Adeò est sapiens Deus, ut, non nisi quibus voluit, gratiam dederit, & nihilominus iis quibus dare non voluit, omnem conquerendi occasionem amputarit. Nec enim eos in ignem coniiciet, quia eis gratiam non dedit; sed quia illi habentes bona coram se, & mala, ad mala extenderunt manum suam. Multa est igitur Dei sapientia, quæ improbis querelæ occasiones rescidit: fortis est divina potentia, quæ non nisi quæ voluit fecit. Rodat igitur reprobus hæc. Non damnabitur in igne perpetuo, propter negatam sibi gratiam; sed propter culpam admissam a se. Caveat ille, ut potest, malum, & cavebit etiam ignem. Id altissimè dixit Auctor illis verbis: *Quod placuerit ei, dabitur illi.* Ne igitur impiè credas, ali-
C ud tibi dari, quàm quod tu tibi delegisti, hæc Palacius.

Præclarè Boetius lib. 5. prosa 6. *Omne futurum*, inquit, *divinus præcurrit intellectus, & ad præsentiam propriæ cognitionis retorquet, & revocat: nec alternat, nunc hoc, nunc illud pernoscendi vices, sed uno ictu omnes mutationes manens prævenit.* Quibus adde, Deum impiis præparare, & dare (præsertim si humiliter eam postulent) gratiam sufficientem, cum qua possint, si velint, peccata vitare, & bona capessere. Ideo enim dicitur sufficiens: quare si cooperari velint, facient eam efficacem: efficax enim dicitur, quæ habet effectum. Etsi enim in nostra potestate non sit, ut Deus det nobis gratiam illam quam prævidet fore congrum, & efficacem, non aliam quam prævidet fore inefficacem, tamen Deus sponte, & ex sua liberalitate omnibus dat gratiam, cui si impii cooperari velint, reddent eam efficacem, æque ac faciunt pii: sed quia ipsi eidem liberè cooperari nolunt, idque prævidit Deus, ideo dicitur eis dedisse gratiam sufficientem quidem, & quam prævidebat fore inefficacem, & incongruam, eò quòd ipsi sua desidia vel malitia eam
D cassam, inefficacem reddant, cùm Deus velit, & omnino desideret, ut ipsi illi cooperentur, eamque fructuosam, & efficacem efficiant. Nec enim Deus studio, & ex proposito quærit aut seligit gratias inefficaces quas det impiis: sed ex parte, & intentione Dei omnis gratia est efficax in actu primo, hoc est, vim, & efficaciam habet, ut opus efficiat, si voluntas ei cooperari velit, idque intendit, & vult Deus: nam ideo datur à Deo, quod scilicet ipse sincerè, & ex animo intendat, & cupiat ut voluntas illi cooperetur, itaque per eam opus perficiat. Hoc enim fine dumtaxat eam dat: nec enim alius fingi potest, uti passim docent Theologi.

OCULI DOMINI AD TIMENTES EUM, ET IPSE AGNOSCIT OMNEM OPERAM HOMINIS) VERS. [illegible] Confirmat, & exaggerat id quod dixit, *Et videns omnes.* Ut enim animet pios ad eligendum, & faciendum bona, quæ mundani hac vita negligunt, imò parvipendunt, & spernunt; dicit Dei oculos jugiter contemplari timentes eum, & ipsum agnoscere, imò inspicere omnem operam; Græcè, πᾶν ἔργον, id est, omne opus, sive omnem operationem hominis, tam externam quàm internam. Unde Syrus vertit,

& novit

& novit omnes cogitationes hominum, ut scilicet eas judicet, & præmiet præmio præsenti, & æterno, aut puniat pœna præsenti vel æterna; Tigurina, *oculis suis reverenter ipsum aspicit, & omne opus hominis cognoscit*. iuxta illud Iob. 13. 4. *Nonne ipse* (Deus) *considerat vias meas, & omnes gressus meos dinumerat?* Inter alia autem præmia timentium Deum est hoc, quòd ipse peculiariter eos protegat, dirigat, & preces eorum exaudiat, juxta illud psalmi 32. 18. *Oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Et psalm. 144. 19. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudit, & salvos faciet eos*. Ex adverso de impiis Deum non timentibus dicitur Proverb. 28. 9. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem*, quia scilicet Deum non timet, *oratio eius erit execrabilis*.

Oculi symbola quinque. Nota. *Tò oculi Domini ad timentes eum*, Primò, significat Deum acutissimo mentis oculo omnes iustorum actiones, intentiones, vota, & desideria inspicere; Secundò, iis oblectari, & pasci; Tertiò, eos singulariter amare, curare, protegere, & de omni bono providere. *Oculi* enim, ait Aristot. lib. 1. Histor. animal. cap. 10. & 11. *in cerebrum finiunt*: in cerebro autem est prudentia, & providentia. Et cap. 16. *Meatus*, ait, *ab oculis terni ad cerebrum pertinent: ita ut maximi, & mediocres ad cerebellum tendant, minimi ipsum cerebrum adeant*. Hinc addit Aristoteles c. 10. in oculis exstare mentis animique indicia. *Notam*, inquit, *morum laudabilium habent, qui modiciter connivent. Reliquorum alteri impudentiæ, alteri inconstantiæ indices sunt*. Ita Deus timentes se habet in oculis, hoc est, in cerebro mentis, in cura, & amore, in eosque blandè, & benevolè intuendo connivet, optimeque affectum sese demonstrat. Quartò, timentes se à non timentibus secernere, dando eis gratiam, & gloriam. Unde Tertull. lib. 2. contra Marcion. c. 4. *Et dixit*, inquit, *Deus, Fiat, & factum est, & vidit Deus quia bonum* (Genes. 1.) *non quasi nesciens bonum, nisi videret; sed quia bonum ideo videns, honorans, & consignans, & dispungens bonitatem operum dignatione conspectus*. Quintò, Deum timentes se habere in summo pretio, utpote quos præ toto mundo habeat in oculis, qui, ut ait Plinius lib. 11. c. 37. *sunt pars corporis pretiosissima, & qui lucis usu vitam distinguunt à morte*. Unde ait: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*, Zachar. 2. 8. Vide ibi dicta, quia scilicet timentes Deum, Dei legem vicissim, quasi pupillam oculi sui custodiunt, ut dicitur Proverb. 7. 2.

VERS. 21. NEMINI MANDAVIT IMPIE AGERE, ET NEMINI DEDIT SPATIUM PECCANDI) Docuit v. 11. Deum non esse causam peccati physicam, hic docet nec esse moralem: talis enim est imperium, jussio, consensus: q. d. Deus sicut non facit peccatum, sic nec illud imperat, aut in illud consentit. Syrus, *non præcepit hominibus, ut peccent, & non dixit filiis carnis ut fontes fiant* (alius codex habet, *ut iniquè agant*) *& non miseretur facientibus mendacium*.

Prò *spatium* Græcè est ἄνεσιν, quod Primò, Complut. Tigurina, & alii vertunt, *licentiam*, libertatem, indulgentiam, *neque ulli*, inquiunt, *dedit licentiam peccandi*: permittit quidem Deus homines peccare, id est, non impedit, quia eos creavit liberos, ut liberè eligerent quod vellent, sed nulli dedit, vel dat facultatem, aut licentiam peccandi, ita ut licitè quis peccet. Sic enim peccatum non esset peccatum, sed res licita, utpote quæ fit ex concessione, & licentia Dei, quod implicat: imò verò Deus cum permittit peccata, minatur peccatoribus gehennam, ut ostendat quàm illa execretur.

Secundò, ἄνεσις significat impunitatem: q. d. Deus nulli peccato, vel peccatori dedit, dabitque impunitatem, neminem peccantem impunè abire sinet, sed quemlibet pro demeritis puniet. ita Rabanus. Fuerunt enim, & etiamnum sunt nonnulli Christiani, qui (ut dixi cap. 5. in fine) putant impunè sibi licere rapere aliena, & facere quidquid libet, modò dent eleemosynam, vel colant B. Virginem. Quem errorem refert, & refellit ex hoc loco S. August. Enchiridii cap. 70. *Sanè cavendum est*, inquit, *ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda, & eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miserando deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.*

Tertiò, ἄνεσις verti potest, *spatium, dilatio*. Multi enim putant licerè sibi uti flore juventutis ad omnem cupiditatem, Sapient. 2. 6. proponentes, se acturos pœnitentiam in senectute. Multi principes putant quidlibet sibi licere, dummodo in hora mortis resipiscant. Multi putant in bacchanalibus licere insanire, vacare veneri, & ventri, & facere quod lubet, dummodo in Quadragesima pœniteant. Vnde in Ephemeridibus nonnullis illi dies antecinerales vocantur dies stultorum, vel insanorum. Sed errant: Deus enim nulli, vel horam, vel momentum concessit ad peccatum: sed quodlibet peccatum æquè peccatum est, & æquè displicet Deo in iuventute atque in senectute, in principatu atque in privata vita, in bacchanalibus atque in Quadragesima. Hoc est quod ait Iob. cap. 24. 23. *Dedit illi Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam*. Eodem redit hic sensus cum priori: qui enim dat spatium peccandi, dat, & licentiam peccandi, saltem pro illo spatio, & tempore.

Porrò quomodo Deus præceperit Semei ut malediceret David 2. Reg. 16. 10. quomodo Assyrios tyrannos vocaverit suam virgam, qua castigavit Hebræos Isaiæ 10. 5. ibidem explicui. Nimirum mala impiorum voluntas, dicitur virga Dei, non quasi causæ efficientis, quòd eam fecerit; sed quasi jam facta, & ab homine posita utentis ad castigationem aliorum. Hic autem usus, & hæc ordinatio in Scriptura vocatur *præceptum*: omnis enim Dei dispositio, ordinatio, directio, gubernatio sive positiva, sive permissiva, vocatur *præceptum*. Sic Deus dicitur præcepisse corvis ut pascerent Eliam, 3. Reg. 17. 4. præcepisse, id est, ordinasse, & disposuisse: alioqui enim corvi cùm sint irrationales, præcepti, & mandati propriè dicti sunt incapaces. Et Matth. 19. v. 7. dicitur *Moses mandavit dare libellum repudii*. *Mandavit*, id est, ordinavit, & permisit, uti explicatur v. 8. Sic ergo Deus *præcepit*, id est, ex proposito permisit, Semei maledicere Davidi, ordinando hanc eius maledicentiam in pœnam homicidii Davidis; unde pro *præcepit*, Hebr. Chald. & Septuag. vertunt, *dixit*. Dices, S. August. de Gratia & liber. arbit. cap. 20. ait Deus Semei *voluntatem proprio vitio malam, in hoc peccatum suo iusto, & occulto iudicio inclinavit*. Resp. *inclinavit*, id est, inclinatam ad maledicendum impediunt ne in alium maledicta iaceret, ac dimisit ut ea iaceret, in Davidem: sicut qui leonem, quem ligatum manu tenet, obiectis variis canibus, cohibet ne in alios feratur, ac dimittit, & permittit eum ferri in canem sui inimici. Vnde subdit S. August. Dixit Deus Semei ut malediceret David, id est, cor eius malum misit, vel dimisit. Tantùm enim vult S. Austug. corda hominum etiam impiorum esse in manu Dei, ut aliò ferri nequeant quàm quò ipse voluerit permittere, & ordinare ad hos illosve puniendos.

VERS. 22. NON ENIM CONCUPISCIT MULTITUDINEM FILIORUM INFIDELIUM ET INUTILIUM) quales sunt peccatores, & impii. Dat causam cur Deus non mandet, nec det licentiam peccandi, quia scilicet non concupiscit, imò odit, & execratur impietatem, & impios. Est miosis: minus enim dicitur, & plus significatur: *non concupiscit*, id est, odit, & abominatur. Græcè est ἐπιθύμει, quod Noster accipit ut tertiam personam Indicativi, ideoque vertit *concupiscit*. Jam verò Complut. Tigurina, Syrus & alii accipiunt ut secundam personam Imperativi, vertuntque, *ne concupisce multitudinem filiorum inutilium*. Unde hæc jungunt cum sequentibus: *Ne iucunderis in filiis impiis*: atque hinc inchoant caput 16. *Apud homines*, inquit Philo de Migrat. *iniustos multitudo pluris quàm unus iustus æstimatur, apud Deum verò bonitas rara præfertur iniquis innumeris*. de quo plura c. sequenti v. 1. & 3.

Ratio à priori Porrò ratio, & quasi causa à priori, cur Deus non possit mandare alicui, ut impiè agat, nec ei dare spatium peccandi, neminem quoque implanare, est infinita eius sanctitas, bonitas, sapientia, & potentia. Qua ratione enim Deus, qui est summa sanctitas, amet impietatem, imò eam mandet? qua ratione summa sapientia aliquem implanet, & insipientem stultumque efficiat? qua ratione summa bonitas summum faciat malum? qua ratione summa potentia infirmitati peccandi, mentiendi, decipiendi subiaceat? Quare hæc ἀδυνατήματα, Deo pariter ἀδύνατα, & ἀνοίκεια sunt, utpote à deitate, Deique natura planè aliena. Impotentia enim impossibilium, summæ ac divinæ potentiæ est argumentum. Docet hoc pulchrè, & acutè Theodor. lib. 3. Contra hæreses: *Horum quidpiam non posse*, inquit, *infinita potentiæ signum est, non imbecillitatis indicium; posse verò, utique impotentiæ, non poten-*

potentię. Quomodo hoc dico? Quoniam unumquodque eorum Dei firmitatem immutabilitatemque depredicat. Bonum enim malum fieri non posse, supereminentiam denotat bonitatis; & iustum nunquam posse fieri iniustum, nec veracem mendacem, hoc in veritate atque iustitia stabilitatem soliditatemque demonstrat. Similiter lux vera non potest tenebrescere, nec is qui est non esse: sufficiens enim habet esse, atque immutabilis existit lux. Sic & alia cuncta perlustrans, illud Non posse, comperies summam potentiam significare. Probat idipsum ex S. Paulo. *Ita quoque in Deo talia non posse, divinus Apostolus & intellexit, & posuit; nonnunquam quidem dicens: Impossibile est mentiri Deum: non infirmum illud Impossibile, sed valdè potens ostendens. Alibi verò scribens: Negare seipsum non potest. Rursus ergo illud, Non potest, infinita est demonstrativum potentię. Tametsi enim, inquit, omnes homines ipsum negarent; ipse Deus est, & à propria non excedit natura, nam incorruptibile habet esse, ubi significat illud: Negare seipsum non potest. Redundantiam igitur indicat potentię, illa in deterius commutationis impotentia. Hoc modo multa Deo sunt impossibilia, & quidem tot tantaque, quanta sunt divinę naturę contraria. Illud ergo, Non est impossibile apud Deum omne verbum, intelligendum est de iis quę naturę divinę congruunt: horum enim nihil impossibile est Deo.*

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur materiam de odio Dei in peccata, & peccatores. Vnde parentes monet ut Deum imitentur, nec lętentur in filiorum copia vel elegantia, si sint impii. Inde v. 7. usque ad 24. resumit Dei vindictam in impios, ostenditque quàm acriter punierit gigantes per diluvium, Sodomitas per conflagrationem, Hebręos murmurantes per mortem in deserto. Denique v. 24. usque ad finem capitis disserit de Dei sapientia in creatione, & dispositione universi.

NE jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. 2. Non credas vitæ illorum, & ne respexeris in labores eorum. 3. Melior est enim unus timens Deum, quàm mille filii impii. 4. Et utile, est mori sine filiis, quàm relinquere filios impios. 5. Ab uno sensato inhabitabitur patria, tribus impiorum deseretur. 6. Multa talia vidit oculus meus, & fortiora horum audivit auris mea. 7. In synagoga peccantium exardescit ignis, & in gente incredibili exardescet ira. 8. Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti. 9. Et non pepercit peregrinationi Lot, & execratus est eos præ superbia verbi illorum. 10. Non misertus est illis gentem totam perdens, & extollentem se in peccatis suis. 11. Et sicut sexcenta millia peditum, qui congregati sunt in duritia cordis sui: & si unus fuisset cervicatus, mirum, si fuisset immunis. 12. Misericordia enim, & ira est cum illo. Potens exoratio, & effundens iram: 13. Secundùm misericordiam suam, sic correptio illius hominem secundùm opera sua judicat. 14. Non effugiet in rapina peccator, & non retardabit sufferentia misericordiam facientis. 15. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundùm meritum operum suorum, & secundùm intellectum peregrinationis ipsius. 16. Non dicas: A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? 17. In populo magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? 18. Ecce cælum, & cæli cælorum abyssus, & universa terra, & in quæ eis sunt, in conspectu illius commovebuntur. 19. Montes simul, & colles, & fundamenta terræ: cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur. 20. Et in omnibus his insensatum est cor: & omne cor intelligitur ab illo: 21. Et vias illius quis intelligit, & procellam, quam nec oculus videbit hominis? 22. Nam plurima illius opera sunt in absconsis: sed opera justitiæ ejus quis enuntiabit? aut quis sustinebit? Longè enim est testamentum à quibusdam, & interrogatio omnium in consummatione est. 23. Qui minoratur corde, cogitat inania? & vir imprudens, & errans, cogitat stulta. 24. Audi me fili, & disce disciplinam sensus, & in verbis meis attende in corde tuo, 25. & dicam in æquitate disciplinam, & scrutabor enarrare sapientiam: & in verbis meis attende in corde tuo, & dico in æquitate spiritus virtutes, quas posuit Deus in opera sua ab initio, & in veritate enuntio scientiam eius. 26. In iudicio Dei opera eius ab initio, & ab institutione ipsorum distinxit partes illorum, & initia eorum in gentibus suis. 27. Ornavit in æternum opera illorum, nec esurierunt, nec laboraverunt, & non destiterunt ab operibus suis. 28. Vnusquisque proximum sibi non angustiabit usque in æternum. 29. Non sis incredibilis verbo illius. 30. Post hæc Deus in terram respexit, & implevit illam bonis suis 31. Anima omnis vitalis denuntiavit ante faciem ipsius, & in ipsam iterum reversio illorum.

VERS. 1. NE IVCVNDERIS IN FILIIS IMPIIS, SI MVLTIPLICENTVR: NEC OBLECTERIS SVPER IPSIS, SI NON EST TIMOR DEI IN ILLIS) Solent parentes mundani lætari & gloriari in pulchritudine, robore, ingenio, dexteritate, multitudine filiorum, parum curantes an sint probi, an improbi: imò de improbis, ob eorum audaciam & facinora astuta vel animosa, licet impia vel obscœna, gloriantur. Hos redarguit hic Sapiens, docetque de talibus potiùs dolendum esse, & erubescendum: tum, quia filius improbus non decus, sed dedecus est parentum: tum, quia filios improbos manet confusio & gehenna æterna. De solis ergo piis esse gaudendum: pios autem esse si in eis sit timor Dei. Unde Tigurina vertit, *ne optes copiam inutilium liberorum*, vel *lateris de filiis impiis: ne delecteris abundantia eorum si eis religio Dei nulla est*, Syrus, *ne desideres multitudinem filiorum peccantium, & ne lateris in omnibus filiis mendacii: etiamsi multiplicati fuerint, ne lateris in eis, quia non sunt in timore Dei*. Qui enim tales generat vel alit, generat vel alit eos non Deo sed diabolo, non virtuti sed sceleri, non cælo sed inferno: facit enim eos folles & fomenta gehennæ. Idem dicas de multitudine impiorum civium in civitate, subditorum in republ. sociorum in congregatione, monasterio, aliove cœtu. Unde Rabanus: *Hæc sententia*, ait, *contra eos valet qui delectantur in multitudine obsequentium & in turbis discipulorum, nec curant utrùm secundùm timorem Dei conversentur, an sceleribus diversis impleantur.*

Exemplum naturale est in aquila, de qua ita scribit Aristot. libr. 6. Histor. anim. c. 6. *Aquilę ova pariunt terna, sed pullos binos excludunt, ut ex versu, quem ad Musæum refe-* *Aquila pullos mirè educat.*

referunt auctorem, constat: Excludit binos, edit terna, educat unum; Sed quamvis magna ex parte sic fiat, tamen & tres visi aliquando sunt pulli. Idem libr. 9. cap. 34. *Aqualia marina*, inquit, *clarissima accipitrum acie est, ac pullos implumes cogit adversos intueri solem, percutit eum qui recuset, & verti tad solem: tum cuius oculi priùs lacrymarint, hunc occidit, reliquum educat*. Sic parens magnificiat filium, qui irretortis mentis oculis Solem justitiæ, id est, Christum, intuetur, eique per omnia servit, & obedit; reliquos, Deum negligentes, Deoque exosos paruifaciat, utpote à quibus non nisi tædia, fastidia, & probra exspectet. Qua de causa Menander in Epicteto: *Aut oportet*, inquit, *vivere solum ac cælibem, aut natis iam liberis mori parentem, adeò omnis deinceps vita acerba est*. Unde S. Ambros. libr. 1. Offic. 17. *Est*, ait, *bonorum adolescentum timorem Dei habere, & deferre parentibus honorem*, &c. *Erat Isaac Deum timens, utpote Abrahæ indoles, honorem degerens patri usque eò, ut adversus paternam voluntatem nec mortem recusaret. Joseph quoque cùm somniasset, quòd sol, & luna, & stellæ adorarent eum, sedulum tamen obsequium deferebat patri*.

NON CREDAS VITÆ ILLORUM, ET NE RESPE-
VERS. 2. XERIS IN LABORES EORUM) Pro *labores* Complut. & Tigur. legunt πλῆθος, id est, *multitudinem* unde vertunt, *ne fidas vitæ eorum, nec innitaris* (vel magnificias) *multitudinem ipsorum*. Alii legunt, id est τόπον locum, dignitatem: ita Romana, q. d. *Ne respexeris* (græcè, ἐνέχῃ, id est, ne insistas, non moreris) *gradum dignitatis eorum*, hoc est, ne in eo magnum pondus esse putes, non magni æstimes. S. August. in Speculo, & Noster legunt πόνον, id est, laborem. Sensus ergo est, q. d. Ne confidas, eos, licèt vegetos, & robustos, diu, & feliciter victuros, ut tuum nomen & familiam propagent, & illustrent, etiamsi labores, & opera eorum ingentia conspicias. Deus enim omnia hæc inania, & cassa reddet, in fumum resolvet, ac in nihilum abire efficiet. Unde Syrus, *ne confidas in vita eorum, nec credas bonum finem manere illos*.

Aliter Lyran. q. d. Ne fidas filiorum laboribus, quasi ipsi iis te in senio sustentaturi sint, ut propterea non audeas vel omittas eos peccantes corrigere: vana enim est hæc tua spes, & fiducia; quia filii improbi, eò quòd neglexerint parentes eos castigare, solent parentes despicere, & negligere. Aliter, & Hugo q. d. Ne credas vitæ illorum, confidens quòd in senio improbam vitam mutabunt in probam: nam ut ait Salomon Proverb. 22. vers. 6. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea*.

VERS. 3. MELIOR EST ENIM UNUS TIMENS DEUM (Complut. δίκαιος, id est, *iustus*, & ita legit S. Chrysost. hom. 24. & 39. in Genesim) QUAM MILLE FILII IM-
VERS. 4. PII: ET VTILE (vtilius, satius) EST MORI SINE FILIIS, QUAM RELINQUERE FILIOS IMPIOS) Hi enim sunt probrum parentis, & odium Dei, quos proinde cum, id est, utilior parentibus, familiæ, & reip. alioqui non esset apta comparatio: impii enim cùm non sint boni, hinc cum timente Deum quasi cum melior rectè comparari nequent. Legit Interpres κρείσσων, per ω, id est melior. Sic & Syrus, *melior est unus qui facit voluntatem* (obediens) *quàm mille*. Iam legunt κρεῖσσον per ο, id est, melius, satius, potius. Unde Tigur. vertit. *pluris enim est iustus unus, quàm mille tales*; alii, *præstat enim unus quàm mille*; S. Chrysost. hom. 39. in Genes. legit, *melior est unus faciens voluntatem Domini, quàm decem mille peccatores*. Idem hom. 40. ad pop. exemplum dat Eliam; *Elias*, inquit, *unus erat, sed totus mundus non erat dignus qui rependeretur ei: & mundus quidem innumera millia sunt, sed non sunt millia, cùm nec ad unius mensuram perveniant*. Et inferiùs: *Non videtis quòd melius sit habere unum lapidem pretiosum, quàm mille obolos?* Justus autem est lapis pretiosus, impii sunt obolus. Et Philo l. de Decalogo, asserit *unumquemque dum Deo paret & legibus, æquari frequentissimo populo, vel potius omnibus gentibus, imò mundo universo*. Talis fuit Abraham, id est, pater excelsus, vel pater magnæ multitudinis, cui proinde ait Deus Genes. 17. 6. *Faciamque te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur*. E contrario, *multigena impiorum multitudo non erit utilis, & spuria vitulamina* (adulterinæ plantationes & propagines) *non dabunt radices altas*, Sapient. 4. v. 3. Sic impius Cham punitus est in filio infami Chanaan, eiusque posteris Chananæis Genes. 9. 18. vide S. Ambros. l. de Noe c. 28. Siracidi concinit Ben Sira alphabeto primo litera Beth: *Filium non filium*, inquit, *sine ut in aqua summo remiget vel natet*: Quod Uziel filius Ben Sira in Scholiis sic exponit: *Omni tempore castiga, & verbera filium tuum. Quòd si videris te verberibus nihil proficere, relinque illum. Si te persequitur, educ foras ut lapidetur. Quòd si impetrare non potes ut tamquam contumax iure puniatur, tum proiice in flumen, & ciba pisces*. Verùm quia hoc durum, & inumanum videtur, hinc illud ita emollit Joseph filius Uzielis: *Fierine potest*, inquit, *ut homo occidat filium suum? Quid igitur faciet? relinquet illum, ita quidem ut si in puteum inciderit, non inde extrahas*. Melius alii q. d. Filium non filium, id est, filium perditum, & profligatum, qui ad frugem revocari nequit, relega ad remos, sive ad ergastula nautica, ut remigando discat sapere: multos enim remus emendat, quos non potuit paterna castigatio: quod consilium hodie sequuntur multi, nec sine fructu.

Moraliter. Disce hic quanta sit virtutis, & sanctitatis dignitas, & pondus apud Deum: facit enim unum sanctum æquivalere, imò pluris valere mille, imò universis impiis. Hinc Paulus Hebr. 11. v. 37. de Elia, & sanctis Prophetis: *Circuierunt*, inquit, *in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus*, adeoque quorum meritis, & precibus stabat mundus, juxta illud Elisæi ad Eliam cùm raperetur in cælum: *Pater mi, currus Israel, & auriga eius*: q. d. Tu Elia quasi currus portas, & sustentas Israelem, & quasi auriga eumdem regis, & gubernas, 4. Regum 2. 12. *Quis dubitet mundum precibus stare Sanctorum?* inquit Ruffinus Præfat. in Vitas Patrum. Hac de causa Deus se propriè sanctorum Deum vocat, licet sit omnium: *Ego*, inquit, *sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*, Exodi 3. Quid, & cum eis quasi amicis familiarissimis fœdus init. Unde ad Abraham ait Genes. 17. v. 2. *Ponam fœdus meum inter me, & te, & multiplicabo te vehementer nimis*: in quem locum vide S. Chrysostomum hom. 39. in Justo ergo dicat civitas, quod Davidi dixit populus: *Non exibis, quia tu unus pro decem millibus computaris*, 2. Regum 18. v. 3. Imò S. Chrysost. hom. 27. in epist. ad Hebr. unum Josue toti mundo anteponit. Expendens enim quòd Josue stiterit solem Josue 10. 13. *Veniat*, inquit, *omnis mundus; magis autem duo, aut tres, aut quatuor, aut decem, & viginti mundi, dicant, & faciant hoc, sed non poterunt*. Et S. Greg. Nazianz. orat. 32. *An tu*, inquit, *universos Chananæos uni Abramo antepones? an Sodomitas uni Lot? an Madianitas Moysi? an illos trecentos viros, qui cum Gedeone lambuerunt, tot hominum millibus pedem referentibus, inferiores esse contendes?* Rursum S. Chrysost. hom. 8. in Acta: *Educite*, inquit, *in bellum centum myriades, & unum sanctum: scimus, quia hic plura operetur. Exiit Jesus Nave in bellum, & solus omnia operatus est strenuè; & ita alii nihil proficiunt. Multitudo, quando voluntatem Domini non facit, nihil differt ab his qui non sunt*.

AB UNO SENSATO INHABITABITUR PATRIA (fiet ut inhabitetur, & frequentetur: sic enim exponenda sunt Hebræa passiva in coniugatione *Hophal.*) TRIBUS VERS. 5.
IMPIORUM DESERETUR) Ita Romana, Græca, & Syrus. Perperam ergo multi codices legunt, *Et à tribus impiis deseretur*: quod variè exponunt Lyranus, Rabanus, Dionys. & alii; sed ad literam sic: q. d. *Propter trium impietatem deseretur*. Ita Palacius, qui rursum suspicatur legendum esse, *à tribubus impiis deseretur*. Sic unus Joseph inquit gentem servavit Judæorum; quo, scilicet Hemor, & Sichem, suæ patriæ fuerunt causa ruinæ, Gen. 34. Unus Samuel restituit patriam, quam duo, Ophni, & Phinees, sua iniquitate destruxerant, 1. Reg. c. 8. Quare Deus ad servandam patriam pio uno contentus est, porrò ad perdendam eam tres ut minimùm requirit: quos Teutones olim vocabant *Vandregisilos*. q. d. *Van die dryghesellen*, id est, unus è tribus illis sociis. Igitur fortassis si Lot non fuisset peregrinus, sed indigena, & civis Sodoma adhuc staret. hæc Palacius. Verùm legendum est eum Romanis, & Græcis, *Tribus impiorum deseretur*; sicut tribus Beniamin ob stuprum in uxorem Levitæ admissum, penè tota excisa fuit, Judic. 20. v. 46. Addunt aliqui codices, *Et unus iustus pro toto mundo*.

Probat id quod dixit, *Melior est unus timens Deum, quàm mille impii*, ex eo, quòd unus sensatus, id est, prudens, timens Deum, sua prudentia, & virtute alliciat ad se populos, itaque civitatem, & patriam repleat incolis; *tribus* autem, id est familia ampla & copiosa (qualem habuerunt duodecim tribus Israel) *impiorum deseratur*, id est desoletur, tum ob eorum imprudentiam, & nequitiam, tum ob

Dei,

Dei, eorum impietatem ulciscenteis, vindictam. Unde Græca habent, *ab uno intelligente frequentatur* (frequens redditur, incolis repletur) *civitas, impiorum verò tribus desolabitur*; græcè, ἐρημωθήσεται, id est, in eremum, & desertum vertetur, uti contigit Sodomæ, & Pentapoli, cuius exemplum subiicit vers. 9. Tigurina, *per unum cordatum frequens consedabit civitas, impiorum verò natio brevi desolabitur*. Sic, & Complut. addunt, ἐν τάχει, id est *brevis, cito*, quod in multis de est. Syrus, *ab uno enim qui timet Dominum replebitur tota civitas, & à multitudine hominum iniquorum desolabitur*; sicut tota terra desolata, & aquis diluvii obruta fuit ob scelera gigantum, de quo dicet vers. 8. Hoc est quod canit Psaltes psal. 106. 33. *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim. Terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea*. Ex adverso ob pios, *posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum. Et collocavit illic esurientes, & constituerunt civitatem habitationis*, habitatam, frequentem, populosam. Dei enim inventum est civitatum constructio; donum, earumdem conservatio, & multiplicatio, quod suis ipse fidelibus se timentibus concedit. Unde subdit Psaltes v. 38. *Et benedixit eis* (filiis Israel,) *& multiplicati sunt nimis: & iumenta eorum non minoravit*. Ita ex uno Abraham, Isaac, & Jacob prognatæ sunt duodecim tribus Israel, quæ copiosam remp. & regnum brevi effecerunt, idque frustra obnitentibus, prolesque eorum interimentibus Ægyptiis. Vide dicta Exodi 1. Vide, & Thomam Bozium de Signis Ecclesiæ to. 2. l. 20. signo 88. & l. 22. signo 93. c. 4. num. 44. & c. 6. Ubi inter alia docet viros sanctos, & Religiosos, ut S. Gallum, S. Bonifacium, S. Columbanum, & similes, construendo monasteria, occasionem dedisse construendi urbes, ideoque magnificentissimas Germaniæ, & Borealium civitates ædificatas esse prope monasteria.

Religiosi fundarunt urbes. Exempla.

Memorabile est quod legimus in Vita S. Jacobi Nisibitis Episcopi, nimirum Nisibin fuisse inexpugnabilem quamdiu S. Jacobi ossa in ea condita mansere; at ubi ea eximi iussit Julianus Apostata, mox urbs occupata fuit à Persis. Vide Baron. in gestis Juliani. Præclarè Philo libr. de Sacrif. Abel, & Cain; *Equidem*, ait, *quando aliquem bonum virum habitantem in aliqua domo aut urbe video, & domum, & urbem illam beatam prædico; ratus tum præsentem felicitatem ei mansuram perpetuò, tum absentem exspectandam cumulatiorem, Deo ultra modum, mensuramque divitias suas, in gratiam dignorum, etiam in indignos profundere solito*. Sic salus, & fulcrum Israelis fuit Moses, Josue, David, Josias, Isaias, Judas Machabæus, imò Judith, Esther, &c.

VERS. 6. MVLTA TALIA (perperam aliqui legunt, *allia*; græcè enim est τοιαῦτα, id est, *talia*) VIDIT OCVLVS MEUS; ET FORTIORA HORUM AUDIVIT AVRIS MEA) q. d. Vidi ego oculis meis multas civitates ob impietatem desertas, alias ob pietatem cultas, & habitatas, ac *fortiora*, id est, validiora, majora; Syrus, *graviora*, eiusdem rei exempla, quæ olim contigerunt, à patribus audivi auribus meis. Tigurina, *multa talia vidit oculus meus, aurisque mea his audivit vehementiora*. Nonnulla ex hisce exemplis subiicit, putà diluvium gigantibus inflictum, ignem cælitus in Sodomam immissum, totum Hebræorum exercitum ob murmur deletum in deserto.

VERS. 7. IN SYNAGOGA PECCANTIUM EXARDEBIT IGNIS, ET IN GENTE INCREDIBILI) incredula, inobediente, rebelli) EXARDESCET IRA) q. d. Hoc est quod assero, & prædico, nimirum Deum efficere, ut *in synagoga*, id est coetu, quantumuis magna, & copioso, peccantium, exardescat Dei ultio instar ignis, eumque comburat, & in gente incredula, & rebelli Dei ira, & vindicta, quæ eam consumat, & disperdat: nec enim Dei ira desæviens metuit aut refugit multitudinem impiorum; sicut unus lupus non metuit millia ovium, sed unus ipse omnes dissipat, & perdit. Judices enim, & principes sæpè ob multitudinem, & nobilitatem reorum, & complicum, non audent progredi in inquisitione, & vindicta criminis, v. g. magiæ, quia unus magus, vel una saga, accusat primores civitatis, eosque plurimos, de eodem crimine. At Deus nulla nobilitate vel multitudine percellitur, aut movetur, sed omnes noxios, etiamsi innumeri, & nobilissimi sint, quin, & innoxios subinde cum noxiis, castigat, & perdit. Pro *incredibile* græcè est ἀπειθεῖ, quod verti potest Primò, incredula; Secundò, diffidente; Tertiò, inobediente; Quartò, rebelli; Tigur. *contumaci*; Syrus, *in populo qui irritat* (provocat iram Dei) *dominatur ira, & vindicta Dei*. Alludit ad Core, Dathan, & Abiron, & eorum asseclas, ducentos quinquaginta viros, quæ vocatur congregatio Abiron: in hac enim synagoga propter tres illos duces Mosi rebellantes, exarsit ignis, juxta illud psal. 105. *Exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores*. Lege historiam Num. 16. Et *Stupa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis* Eccli. 21. 10.

NON EXORAVERUNT PRO PECCATIS SVIS ANTIQUI GIGANTES, QUI DESTRUCTI SUNT CONFIDENTES SVÆ VIRTUTI) Hoc est primum exemplum desolationes reip. ob incolarum impietatem, nimirum quòd tota terra ob tyrannidem, violentiam, libidinem, cædes, rapinas, & impietatem gigantum obruta fuerit diluvio, ita ut omnes homines, animalia, feræ, arbores, & herbæ, & plantæ fuerint submersæ, & eversæ. Vide dicta Genes. 6. VERS. 8.

Nota *non exoraverunt*, hoc est, non placarunt Deum. Est catachresis: orando enim placatur Deus: q. d. Gigantes, licèt numerosi, & robusti, tamen suo numero, & robore non potuerunt flectere, placare, & propitium reddere Deum, ut eis placeret, nec peccata eorum punire universali orbis cataclysmo; quia Deum non timentes, nec colentes, fidebant suæ virtuti, & robori, quasi nemo, ne Deus quidem, eos domare, & subiugare posset. Unde græcè est, *non est propitiatus priscis gigantibus, qui rebellarunt in fortitudine sua*. Complut. addunt, *in fortitudine stultitiæ vel amentiæ suæ*. clarè, & nervosè Tigurina, *implacabilis Deus priscis fuit gigantibus, qui ob potentiam suam stultam ab eo defecerunt*; Syrus, *non pepercit regibus antiquis, qui repleverunt mundum fortitudine sua*, vel *gigantitate sua*, id est, immanitate tum corporum, tum armorum, tum bellorum, tum latrociniorum, aliorumque scelerum suorum. q. d. Gigantes fidebant suis giganteis utribus, sed Deus longè major gigas paruulos hosce gigantes quasi pulices occidit, & aquis obruit, sicut major piscis devorat minorem, ac balena deglutit grandes quoslibet, quasi pisciculos. Hoc est quod ait Sapiens c. 14. 26. *Ab initio cùm perirent antiqui gigantes*; & Job c. 26. 8. *Ecce gigantes gemunt sub aquis*, uti exponunt passim interpretes, licet noster Pineda per *gigantes* accipiat cetos, & balenas, quæ dum parturiunt, sub aquis gemunt.

Potest Secundò, Τὸ *non exoraverunt* propriè sumi, quia licè gigantes tumidi, viribus suis fisi, Deum non timerent, nec orarent in vita, tamen in morte orasse videntur. Cùm enim viderent aquas diluvii intumescere, seque pis sensim mergi, nec esse humanam spem evadendi; viribus suis diffisi ad Deum confugerunt, cùmque orarunt, sed non exorarunt, quia aquis mersi sunt. Sic homines superbi, & effrænes, qui nec Deum timent nec homines, in naufragio cùm vident se fluctibus hauriri, necessitate coacti invocant Deum. Unde vulgò dicitur: *Qui nescit orare, eat ad mare*: tempestas enim, & pericula maris docent, imò cogunt, superbos, & indomitos orare.

Hæc omnia dicit Siracides, ut elidat stolidum sensum vulgi, quod dum peccat, se excusat, & tutatur multitudine, & potentia, idem peccatum perpetrantium: sed ignorat hæc neminem posse protegere à Dei ira, & gehenna. Qua de re audi memorabile exemplum. Radbodus rex Frisiæ invitatus ad baptismum à S. Vulfrano Episcopo, promittente ipsi regnum cæleste, &, ni baptizaretur, minanti infernum, quæsivit ab eo ubi esset major numerus regum, & principum, seu nobilium gentis Frisonum, in cælo, an inferno? Respondente S. Vulfrano: Prædecessores tui principes, qui sine baptismo decesserunt, descenderunt in infernum; Radbodus à fonte baptismi pedem retraxit, dicens se malle esse cum tot suis prædecessoribus principibus, quàm cum parvo numero residere in cælo. Quare sine baptismo defunctus, moriens anno Domini 719. ad suos in tartara descendit, ubi eum catena ignea religatum vidit S. VVillebrodus: ita Jonas in Vita S. Vulfrani, Sigebertus, Massæus, Naucletus, & alii, ac ex iis Baron. anno Christi 719.

Mysticè Rabanus: *Gigantes*, ait, *sunt qui certatis desideriis irretiti, & peccatorum sarcinis prægravati, cor indomabile gerunt, nec ad pœnitentiam illud flectere consentiunt; propterea misericordia Dei indigni, detrimentum suæ salutis patientes, in interitum æternum carruunt*. Additque tales maximè esse hæreticos, qui omnes, quasi gigantes, feri sunt, & tumidi; in tales enim Deus crudeliter, sed justè sævit, in eosque omnia sua tela, & fulmina è cælo indignans intorquet.

torquet. Hinc gigantes dicuntur quasi γηγενεῖς, in terra geniti, terræ filii, terræ moles, onera, & pondera. Hebr. vocantur *nephilim*, id est, cadentes, vel prosternentes, & *raphaim*, id est, dissolventes; quòd alios sua proceritate, atrocitate, robore, sævitia percellerent, & pessumdarent, uti fusiùs dixi Genes. 6. Sapient. 14. 6.

VERS. 9. ET NON PEPERCIT PEREGRINATIONI LOT (perperàm plerique codices Latini pro *Lot* legunt *illorum*; Complut. addunt, *Et percussit eos*; sed Romana idipsum delent.) *Peregrinationem* vocat locum peregrinationis, putà Sodomam, & Pentapolim, in qua peregrinatus, & quasi peregrinus commoratus est Lot: q. d. Deus non pepercit Sodomæ, & Pentapoli hominibus, & opibus luxurianti, sed omnes igne cælesti cremavit, & perdidit. A vindicta enim Dei quam publicè exercuit in impios gigantes per diluvium, eo mergendo totum orbem, transit ad publicam vindictam impiæ Pentapolis, qua Deus Sodomitas, & Pentapolitanos omnes ignè cælesti sideravit. Unde explicans subdit: ET EXECRATUS EST EOS PRÆ SUPERBIA VERBI ILLORUM) quia scilicet superba verba contra Deum, & Lot jactabant, blasphemantes Deum, & contemnentes ejus numen, providentiam, & vindictam. Solam enim luxuriam infandam non fuisse causam excidii Sodomæ, sed, & superbiam, docet Ezechiel. cap. 16. vers. 49. *Ecce*, ait, *hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius.* Superbum enim verbum fuit, quo Lot volenti hospites suos à turpi Sodomitarum iniuria, & vi protegere, ipsi insultarunt, dicentes: *Te ergo ipsum magis quàm hos affligemus*, Genes. 19. 9. Quod verbum superbum Deum commovit ad eorum excidium, ait Palacius.

Peregrinatio Lot quæ? Respondeo Primò. Nota Pro *peregrinationi* græcè est, οἱ τῆς παροικίας Λώτ. quod Primò, vertunt nonnulli, *iis qui erant ex incolatu Lot*. q. d. Non pepercit Sodomitis qui incolebant Sodomam, quam pariter Lot quasi peregrinus incolebat. sic enim Græci sumunt, Τὸ οἱ. Sic Paulus eos *qui sunt ex circumcisione*, vocat circumcisos, putà Judæos, uti dixi Rom. 2. 7. Igitur sic vertunt, *non pepercit iis apud quos commorabatur Lot, quos abominatus est propter superbiam ipsorum*. Unde, Syrus, *non pepercit*, inquit, *habitatoribus civitatis Lot, qui iniquè egerunt propter superbiam suam*.

Secundò. Secundò verti potest, *incolatui*, sive *hospitio*, *& loco, quem incolebat Lot*: unde Tigurina vertit, *ne hospitio quidem Lot pepercit, aut iis*, (Sodomitis) *quos propter ipsorum superbiam abominatus est*.

Tertiò. Tertiò, Romana propriè, & nervosè vertunt, *non pepercit pro incolatu Lot iis, quos execratus est pro superbia illorum*: q. d. Deus non pepercit Sodomitis, ne quidem propter merita sancti Lot, qui cum illis habitabat, quia ipse solus erat justus in Sodoma. Unde non potuit cohibere manum, & iram Dei, ne tam enormia omnium Sodomitarum scelera cælitus puniret, sed impetravit ut ipse cum suis euaderet dumtaxat. Nam, & Abraham pro eis orans, impetravit à Deo, ut, si inter eos invenirentur decem justi, parceret eis, Genes. 18. 32. Sed quia hi in eis inventi non sunt, hinc decreta Dei in eos ira desæviit. Simili modo ait Deus de impia Hierosolyma, jam à se destinata excidio Chaldæorum: *Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Job: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas*, &c. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt; sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur*. Ezech. 14. Vide quæ de Sodomæ incendio dixi Genes. 19. & 2. Petri 2. 6. & Sapientiæ 10. 6.

VERS. 10. NON MISERTUS EST ILLIS, GENTEM TOTAM PERDENS, ET EXTOLLENTEM SE IN PECCATIS SUIS) Ita Romana, & Complut. legunt Τὸ *&*: habet enim energiam, & significat causam perditionis (sic enim Hebræi suum *vau* copulatiuum, id est, *&*, sumunt pro *quia nam, enim*,) q. d. Ideo totam Sodomæ gentem perdidit Deus, quia extollebat se in peccatis suis, jactans se non timere Deum vindicem, eiusque vindictam. Græcè, *non est misertus gentis perditionis* (id est perditæ, ideoque perditioni suæ, & exitio à Deo addictæ) *extollentium se in peccatis suis*; Tigurina, *non est misertus gentis perditæ, utpote peccatis suis quæ committebat elatæ*; Complut. *non est misertus genti perditæ, qui egrediebantur in peccatis suis*: legunt enim τοὺς ἐξεγειρομένους, id est, *qui egrediebantur*. Alii passim cum Nostro legunt, ἐξηρμένους, id est, *extollentes* se in peccatis. Syrus, *non est misertus super populo anathematizato, & sententiam tulit contra eos, ad perdendum propter peccata eorum*. Quod licet rectè referri possit ad Sodomam, rectius tamen referas ad Jericho: Deus enim Jerichuntem eum incolis ob impietatem anathemate, id est plano plenoque excidio damnavit & addixit, Josue cap. 6. Jericho ergo propriè fuit urbs perditionis, & anathematis, quia à Deo anathematizata, & incendio devota; ut hic sit tertium exemplum vindictæ Dei, impias urbes, & gentes perdentis. Unde Josue cap. 6. 17. suis ex ore Dei edicit de Jericho: *Sitque civitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino*, ut scilicet tota Deo, & iustitiæ divinæ concremetur, ac quasi holocaustum offeratur. Favet, quòd mox subdit exemplum Hebræorum tempore Mosis, qui ob murmura à Deo perditi sunt in deserto: horum filii sub idem tempus duce Josue everterunt Jerichuntem. Unde Syrus subdit, *In illo tempore sexaginta millia peditum congregata sunt*. Atqui illo tempore Mosis, & Hebræorum, non contigit excidium Sodomæ, utpote jam ante quingentos annos peractum, sed Jerichuntis. Ergo de Jerichunt locum hunc intellexit Syrus.

Denique Palacius accipit hæc de Ægyptiis: Græca enim sic habent, *Non misertus est gentis perditionis, qui egrediebantur in peccatis suis*. q. d. Deus non pepercit Ægyptiis, quorum tota gens egressa est ad persequendum Hebræos abeuntes, extollens se in viribus, equitibus, curribus, & ducibus suis, sed Deus universos in mari rubro mersit, & suffocavit.

ET SICUT SEXCENTA MILLA PEDITUM QUI CONGREGATI SUNT IN DURITIA CORDIS SUI) VERS. 11.
Repete ex vers. præced. *perdidit*: illud enim latet in Τὸ *perdens*, q. d. Et sicut Deus sexcenta millia Hebræorum perdidit in deserto *in duritia*, id est, ob duritiem, contumaciam, & rebellionem eorum. Unde Syrus vertit, *propter murmurationem eorum*; sic pariter perdidit Sodomam, uti dixi vt præced. Ab illo enim pendet versus præsens. Unde nonnulli legunt, *& sic*: græcè enim est, id est, *sicut*, sed οὕτως, id est, *sic*: q. d. Sicut perdidit Sodomitas, sic pariter perdidit Hebræos. Nam ex sexcentis eorum millibus qui egressi sunt ex Ægypto, duo tantùm, scilicet Iosue, & Caleb, ingressi sunt in terram promissam, cæteri omnes ob murmur exploratorum morte à Deo puniti sunt, ac reipsa in deserto mortui, juxta sententiam Dei in eos latam Num. 14. 29.

Porrò Romana è Græco vertunt, *& sic sexcentis millibus peditum* (repete, *non est misertus*: licet enim græcè sint accusatiui *sexcenta millia*, quod imitatus est Latinus Vulgatus interpres; tamen hi accusatiui latinè vertendi sunt per dativum; Græcum enim ἐλεῶ construitur cum accusativò, cum Latinum *misereor* construatur cum dativo) *qui congregati insurrexerunt in duritia cordis sui*. Complut. verò, & nonnulli alii ex Græco, Τὸ *sexcenta millia*, additis verbis multis, explent hoc modo: *Atque ita millia peditum, qui congregata fuerunt in contumacia cordis illorum; flagellans, miserans, percutiens, sanans, Dominus misericordia, & castigatione conservavit*. quod Vatabl. exponit, *conservavit*, scilicet non ipsos, sed filio eorum, q. d. Dominus in conservandis suis partim ira, partim misericordia usus est. Verum hæc verba, *flagellans, miserans, percutiens, sanans*, &c. desunt in Latino, Syro, Græcis, Romanis, aliisque emendatis.

Denique Τὸ *congregati sunt* sic expone, q. d. Congregati sunt uti ad murmur, & culpam, sic quoque ad flagellum, & pœnam: congregati sunt uti ad rebellionem, ita, & ad mortem ac sepulchrum: Congregari enim, vel colligi, vel apponi ad patres, vel ingredi viam universæ carnis, apud Hebræos significat mori: mortui enim colliguntur in terra ex qua prodierunt, & in limbo patrum omnes olim justi colligebantur, qua de re plura dixi Osee 4. 3.

Hoc est ergo tertium, vel juxta Syrum, quartum, vindictæ Dei publicum in impios exemplum. *Exemplum vindictæ Dei in impios.*

ET SI UNUS FUISSET CERVICATUS, MIRUM, SI FUISSET IMMUNIS) Hinc patet Interpretem Ecclesiastici minùs fuisse Latinum, & fortè fuisse hominem Græcum, uti superiùs dixi. Nam *cervicatus* minùs latinè vertit, pro *cervicosus*, id est, duræ cervicis, qui cervicem ægrè flectit, & curuat, pertinax, inobediens, rebellis: hoc enim significat Græcum σκληροτράχηλος: qualem describit Iob cap. 41. 15. dicens: *Cor eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus*, vel, ut Septuag. *stetit autem velut incus immota*. Et Isaias cap. 48. 4. *Scivi enim, quia durus*

durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua aerea. Et Ezechiel c. 2. v. 4. & c. 3. v. 7. Sensus est Primò, q. d. Si illa sexcenta millia fuissent unus homo pervicax, & cervicosus, mirandum esset si divinam iram effugisset. Sicut enim est Deus infinitus in misericordia, ita est, & in ira, uti damnati suo malo in inferno experiuntur: ita Palacius: q. d. Deo perinde est, & aequè facile, plectere sexcenta millia, atque unum dumtaxat: quare dum sexcenta millia morte punivit, perinde illi fuit, ac si illa omnia unam cervicem habuissent, quam Deus unico ictu amputasset. Quomodo Caligula tyrannus potiùs quàm Imperator, teste Eutropio, optabat, & saepè exclamabat: *Utinam universus populus Romanus unicam cervicem haberet!* ut eam unico ictu resecare posset.

Secundò, & genuinè: q. d. Si Deus sexcentis millibus murmurantium non pepercit, mirum fuisset, si vel uni cervicoso, & murmuranti pepercit: pluris enim est totus populus, quàm unus è populo: quare si toti populo non pepercit, sed omnes ad unum occidit, utique nec pepercisset uni soli.

Noster haec aptè retulit v. praeced. & ad tempora Mosis, unde vertit, *fuisset*: jam Graeca referunt ad tempus praesens. Sic enim habent, *Quòd si unus fuerit cervicosus, mirum si erit innocens*, id est, impunitus, & immunis à poena. Tigurina clarè; *quare si contumax unus in populo fuerit, mirum est, si impunè abeat*; Syrus, *etiam unus si induraverit cervicem suam; mirum si ille justificabitur*. Alius codex habet, *mirum si ille vincat* Dei iram, & vindictam. Ex vindicta, sexcentorum millium colligit vindictam cujuslibet ceruicosi; quocirca copula initialis, & more Hebraeo est illativa, significans, *Unde, igitur, quare*, ut vertit Tigurina: q. d. Si Deus non permisit impunitos Haebreos tanto numero, scilicet ad sexcenta millia, quanto minùs permittet impunitum unum, qui cervicem suam contra Deum audet erigere? Dicit hoc contra aliquos praefidentes, qui sic cogitant: Esto puniatur tota multitudo, ego tamen cùm sim solus, elabi vel evadere potero, uti in praelio quo multi caeduntur, quisque sperat se elapsurum. Unde id enuntians v. 16. ait: *Non dicas: A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar: quae est enim anima mea in tam immensa creatura?*

Rursum in lite vel rixa, cervicosi, & cerebrosi, putant se sua importunitate, & pervicacia omnes, & omnia evicturos, quia nemo vult rem habere cum cerebroso. Idem cervicosi nonnulli persuadent sibi fore cum Deo. At errant: Deus enim si ullos, cerebros domat, & contundit: sicut ejus fulmen omnia dura quae resistunt confringit, mollia praeterit. Hoc est quod ait Siracides: Si Deus sexcenta millia pervicacium Hebraeorum contudit, & occidit; qua fronte cervicosus unus sibi persuadebit, se Dei vindicis manus impunè evasurum? Nam, vt ait Rabanus: *Censura divini judicii aequitatem servat in omnibus, & ideo nec uni, nec pluribus parcet, si se à peccatis non converterint: nullum enim peccatum impunitum dimittitur: quia aut homo ipse poenam peccati in semetipso exigit, aut districti judicii examinatione punietur.*

Huic sensui genuino nostra Latina versio adaptari potest, si Tò *fuisset* accipias ab Interprete minùs Latino positum pro *esset*. Sic enim etiamnum Angeli, Hiberni, aliaeque gentes haec ipsa praeterita, & tempora per enallagen commiscent, & commutant, unumque pro alio accipiunt. Quin, & Latinè rectè sic loquaris. *Si hoc aevo unus fuisset cervicosus, mirum si fuisset impunitus*; significare volens; *si hoc aevo unus esset cervicosus, mirum si esset impunitus*. Ex praeterito enim quod jungitur praesenti aevo vel tempori, rectè colligitur praesens, putà ex *fuisset* colligitur *esset*. Si enim hoc aevo nemo cervicosus fuit impunitus, cur alius in praesenti sit impunitus.

VERS. 12. MISERICORDIA ENIM ET IRA (Syrus, *fiunt*) EST CUM ILLO) Probat, Deum nullum cervicosum praeterire impunitum: ex eo quòd in Deo aequè sit ira qua impiis irascitur, eosque castigat, ac misericordia qua piorum, & obedientium miseretur: *ira* ergo, id est, justitia, & vindicta Dei, adaequat misericordiam, ac tanta est, quanta est misericordia: quare sicut misericordia eius ad omnes, & singulos pios se extendit, neminemque vel minimum praeterit; sic pariter ejus vindicta ad omnes, & singulos impios sese exserit, nec quemquam impunitum abire sinit. Vide dicta capit. 2. v. 23. Explicat idipsum aliis verbis subdens.

POTENS EXORATIO, ET EFFUNDENS IRAM) repete *cum illo*, Deo est: hoc est, potens est placatio apud Deum, sed ita ut pariter in noxio effundat iram: q. d. Deus poenitentibus, & supplicibus facilè exorari se sinit, & placari; at impoenitentibus, & cervicosis irascitur, juxta psalm. 129. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Utinam hanc Dei placabilitatem omnes imitemur! Graecè nervosius est, δυνάστης ἐξιλασμῶν, id est, *potens*, vel *dynasta*, & *princeps*, ut vertunt Romana, *placationum*: quia scilicet Deus est mare, & oceanus placationis, & clementiae. Sic *exorare* pro placare per catachresin accepit v. 8. dicens: *Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes.* Unde Syrus, *multus est ad parcendum, & etiam ad ulciscendum peccata*; Tigurina hunc versum, & sequentem ita connectit, & clarè effert: *Nam cùm misericordia simul, & ira impigrè proficiscantur ab eo, veniamque dare potens sit, & iram effundere, prout multa est misericordia ejus, ita multa quoque ipsius castigatio. Secundùm opera sua quemque judicat.* Addunt Jansenius, & Palacius, quòd Deus ipse dici possit *potens exoratio*, & *simul* tamen *effundens iram*, quia ipse copiosus est in exoratione vel placatione, sicut idem vocatur misericordia, vt, *Deus meus misericordia mea*, psalm. 58. 18. Sic Christus vocatur nostra propitiatio, & redemptio, 1. Corinth. 1. 30.

SECUNDUM MISERICORDIAM SUAM, SIC CORREPTIO ILLIUS HOMINEM SECUNDUM OPERA SUA JUDICAT) Aliis verbis inculcat quod dixit: VERS. 13.
q. d. Sicut multa est Dei misericordia quod qua miseretur piorum, & poenitentium, iisque benefacit, sic etiam ejus correptio, & castigatio multa est: quia quemque impium secundùm opera, & demerita sua judicat, & punit. Pro *correptio* graecè est ἔλεγχος, id est reprehensio, correptio, redargutio; Syrus, *sicut misericordiae ejus multae sunt, ita etiam ulciscitur peccata, & unumquemque secundùm opera sua judicat.* Nota. Miserendi causam sumit Deus ex seipso: miseretur enim non quia id meremur, sed quia ejus bonitas, amor, & pietas id suadent: & hoc significat Siracides, dicens simpliciter, *Secundùm misericordiam suam*, quia scilicet ipse, vel cum ipso, est *potens exoratio*; eò enim respicit: corripiendi verò, & iram effundendi causam sumit; non ex se, sed ex nobis, ideoque ait: *Correptio illius hominem secundùm opera judicat*: q. d. Deo proprium est misereri, & parcere, alienum verò ab eo opus est vindicare, & punire, ut ait Isaias cap. 28. v. 21. quia non nisi peccatis coactus id facit. Hinc Deus haec nomina miserationis sibi Exodi 34. indidit, iisque à Mose, & à nobis invocari voluit, & vult: *Dominator Dominus Deus, misericors, & clemens, & patiens, & multae miserationis*; hebr. רבחסד *rab chesed*, quod verti potest, *princeps miserationis, & pietatis*. Hinc à Paulo vocatur, *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*, 2. Corinth. 1. 3.

Aliter Tò *secundùm* explicant Hugo, Lyran. & Palacius, q. d. Secundùm praescriptum misericordiae, correptio Dei judicat, & castigat opera prava hominum. Deus enim iram, & flagella sua temperat misericordiae, adeoque ex praescripto, & dictamine misericordiae flagella circumscribit, & limitat, ita ut in justitia, & vindicta quasi praesideat misericordia, ipsaque quasi praeses, & arbitra modum puniendi definiat: mensura ergo misericordiae, est mensura vindictae Dei. Unde S. Anselmus in Prosologio Deum alloquens: *Nascitur*, inquit, *de justitia tua misericordia tua, quia justum est te sic esse bonum: at verò considerando justitiam, ut meritis praemia suppliciaque retribuit, prior est misericordia. Etenim movetur Deus ex seipso, & per previum voluntatis actum, ad miserendum.*

Haec expositio pia, sed prior magis est genuina. Solet enim Scriptura commendare justitiam, & misericordiam Dei, eaque inter se comparare, & aequare, quasi duas providentiae suae bases, & columnas. Unde Psaltes: *Misericordiam*, inquit, *& judicium cantabo tibi Domine*, psal. 100. v. 1. Et S. Basilius in psalm. 32. *Haec*, ait, *intra se conjugata sunt, misericordia, & judicium, ut neque misericordia sola securitatem inducat, nec judicium solum desperationem operetur.*

NON EFFUGIET IN RAPINA PECCATOR, ET NON RETARDABIT SUFFERENTIA MISERICORDIAM FACIENTIS) Complut. legunt ἀσεβὴς, id est, *impii*, sed ceteri legunt εὐσεβοῦς, id est, *pii*, *misericordis*, q. d. Sicut peccator, (v. g. raptor) in rapina) non effugiet celerem rapacitatis suae correptionem, & vindictam Dei; sic VERS. 14.

pariter *non retardabit sufferentia*, id est, merces sufferentiæ, id est, exspectationis, & spei eius qui facit misericordiam: q. d. Citò mercedem suæ misericordiæ, quam sperat, & exspectat, accipiet. Pro *sufferentia*, græcè est ὑπομονή, quæ significat Primò tolerantiam laborem, & dolorem; Secundò, longanimem exspectationem bonorum, uti mercedis. Hic potiùs secundo modo accipitur. unde Tigurina vertit, *non effugiet cum rapina scelerosus, nec spes pium frustrabitur*: hoc enim significat Græcum καθέξει; alii, *non frustra erit exspectatio pii*; Syrus, *non liberabit operantes mendacium, & defraudantes, & non frustrabitur spem iustorum in æternum*. Hoc est quod ait Apostolus Roman. 2. 6. *Reddet unicuique secundùm opera eius: iis quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, &c. ira, & indignatio*. Ubi, pro *patientia* idem est nomen Græcum quod hic, scilicet ὑπομονή. Aliter Hugo, q. d. *Non effugiet in rapina*, id est, peccator non eripiet se de manibus Dei, ut eius vindictam effugiat.

VERS. 15. OMNIS MISERICORDIA FACIT LOCUM UNICUIQUE SECUNDUM MERITUM OPERUM SUORUM, *locum* scilicet apud Deum in cælo, & cælesti eius remuneratione, juxta illud Pauli: *Qui parcè seminat, parcè, & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet*, 2. Cor. 9. Vide Matth. 25. v. 35. ubi Christus ob solam misericordiam electos cælo adiudicat. Hinc patet contra hæreticos, nomen, & veritas meriti bonorum operum. Respondent Calvinus, & Kemnitius, *Tò meritum* non esse in Græco, ideoque perperam additum ab Interprete Vulgato. Verùm errant: nam græcè est κατὰ ἔργα, quod significat *pro meritis operum*, uti omnes græcè periti norunt. Unde Syrus vertit *mercedem*. Addit Noster: ET SECUNDUM INTELLECTUM PEREGRINATIONIS IPSIUS) q. d. Secundùm prudentiam, & sapientiam ipsius, qua in hac vita, quasi in peregrinatione, bona sua per misericordiam sapienter præmittit in cælum, quasi in patriam, ut inde vivat beatè in æternum: q. d. Recipiet quisque mercedem in cælo, juxta vitam sapienter in hac peregrinatione peractam. Hebr. enim שכל *sachal*, id est intelligere, significat intelligenter agere, prudenter se gerere, sapienter operari: unde שכל *sechel*, id est, intellectus vocatur ipsa prudentia, ut psal. 77. 72. *Et in intellectibus manuum* (hoc est, ut vertit S. Hieron. Aquila, & Chald. in prudentia actionum) *suarum deduxit eos*. Similia sunt Proverb. 1. 4. psalm. 15. 7. Eccles. 1. 4. & alibi.

Codex unus pro *intellectum* legit *meritum*, & ita legendum censet Jansenius: quæ sanè lectio aptior, & clarior esset, si ei plures codices suffragarentur. Suffragari videtur Rabanus dum ait: *Quod autem dicit, misericordiam facere locum unicuique secundùm intellectum peregrinationis ipsius, ostendit quòd quicumque bonis operibus certat mandata Dei custodire in huius peregrinationis tempore, & pio labore studet cum lacrymis, & gemitu peccata sua emundare, æterna quiete merebitur consolari*. Verùm ex verbis Rabani liquet eum legisse *intellectum*; sed *intellectum* explicare per *meritum*, quod utique verum est. Ille enim in hac vita est intelligens, & sapiens, qui studet congregare merita bonorum operum, pro quibus amplas opes, & coronas se recepturum scit in cælo.

Græca de more concisa hæc tantùm habent *Omni eleemosynæ locum para* (aliqui pro ποίει, id est, *fac*, *para*, legunt ποιήσει, id est, *faciet*, *parabit*, locum, scilicet Deus:) *unusquisque secundùm opera sua inveniet*, ut pro merito operum mercedem recipiat. Tigurina, *omni beneficentiæ locum para: nam fructum pro ratione operum suorum, suæque peregrinationis intelligentia quisque consecuturus est*; Syrus, *omnis qui operatur iustitiam, habet mercedem, & unusquisque opera sua inveniet coram eo*.

Præclarè S. Gregorius libr. 4. Moral. cap. 42. *Quia*, inquit, *in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa* (futura) *procuidubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito superat, eo illic alius alium retributione transcendat*. Et S. Cyprian. tract. de Opere, & eleemosyna, *Præclara*, ait, *& divina res, fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei*. Vide insignem apologum, quo Barlaam docet Josaphat bona opera præmittenda esse, ut post mortem ex iis in cælo perpetim vivamus, apud Damascen. in Histor. cap. 14. Propriè verò de eleemosyna S. Chrysost. hom. 9. de pœnit. *Eleemosyna*, ait, *regina illa virtutum homines in ipsas cælorum arces celerrimè adducet, advocati optimi loco fungens. Magna res est eleemosyna, præcedit aerem, transit lunam, Solis radios excedit, ad ipsum venit cælorum culmen, ipsos pertransiens cælos, & angelorum populos decurrens, Archangelorum choros, & omnes superiores potestates, ipsi assistit regali throno*.

NON DICAS, A DEO ABSCONDAR, ET EX SUM- VERS. 16.
MO QUIS MEI MEMORABITUR? IN POPULO MA- VERS. 17.
GNO AGNOSCAR (Græca Rom. *non ero in memoria*; alii, *non eris in memoria*) QUÆ EST ENIM ANIMA MEA IN TAM IMMENSA CREATURA?) Tigurina, sive Vatabl. *non dicas, Latebo Dominum, ecquis ab alto curabit me? Præ copia populi nulla erit memoria mei: nam quantula sit mea in tam immensa natura rerum anima?* alii, *nam quæ est anima mea in immensitate rerum creatarum?* Syrus, *ne dicas, Ab ante Dominum abscondar, & in altitudine cælorum quis recordabitur mei? Et in populo multo non agnoscar, aut quæ* (vel *quid*) *est anima mea inter spiritus omnium hominum?* Est occupatio. Dixit Deum integras gentes, ut Sodomitas, Hebræos, imò totum orbem punivisse diluvio: nunc ne quis excipiat, dicatque, Deum quidem curare gentes amplas, at non singulos homines, itaque posse quem impium latere Dei cognitionem, eaque ratione eius vindictam evadere; idipsum præoccupat, & excludit, dicens: *Ne dicas, A Deo abscondar*.

Ubi Nota, tres hic ingeri rationes, ob quas impii stultè persuadent se posse Dei oculos, & manus evadere, quas omnes hic elidit. Prima est, quòd Deus sit Deus, id est, summa, & celsissima majestas, qua indignum videtur attendere, & curare singulos homines, qui coram eo quasi locustæ, & pulices sunt. Igitur Deum curare magna ut cælos, & cælestia, parva, & vilia despicere. Unde impii dicunt Job 22. *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & cardines cæli perambulat*. Sic enim rex ad singulos sui regni subditos attendere, & advigilare negligit, imò nequit. & *de minimis non curat prætor*, ut vulgò dicitur. Verùm huic respondet, quòd Deus sit Deus, id est, Numen, quod singulos æquè ac omnes intuetur, regit, curat, vindicat, præmiat. Providentia enim Dei cùm sit exactissima, & perfectissima, ad omnia, & singula, etiam minutissima, se extendit. Habet enim oculum immensum, quo omnes, & singulos videt facillimè, & distinctissimè, ac in infinitum plures, & plura videre potest. Unde S. Benedictus in raptu adhunc Dei oculum elevatus, sub eo vidit totum mundum, quasi globum exiguum sub Solis radiis constrictum, & collectum, uti refert S. Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 35. Igitur sicut sol omnia lustrat, sic multò magis Deus. Unde Hesiodus ait Deum esse solem qui omnia videt, & omnia audit: ἠέλιος, inquit, ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει. Et Sapiens cap. 1. 10. *Auris Zeli*, inquit, *audit omnia*. Et cautam dat v. 7. *Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc* (τὸ συνέχον, id est, hic spiritus) *quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium*.

Secunda causa cur impii putent se posse à Deo abscondi, est, quòd longissimè absint à Deo: Deus enim est in summo cælorum, ipsi sunt in imo terræ. Unde dicunt Ezech. 9. *Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt*. Verùm hoc pariter in ipsos retorquet Siracides: Deus enim è summo longissimè videt, quia habet visum acutissimum, & immensum. Sicut qui è monte conspicit, si oculos habeat acutos, & validos, homines à longè venientes prospicit. Rursum terra respectu cæli, & multò magis Dei, est instar puncti: igitur Deus omnes, & singulos acutè, & distinctè videt, sed exiguos instar puncti. Sicut ergo quis in cubiculo parvo videt omnia quæ in eo sunt, & geruntur: sic Deus omnia videt clarissimè quæ sunt fiuntque in terra, & toto mundo: hic enim respectu Dei est instar cubiculi. Hoc est quod ait Isajas cap. 40. 22. *Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ: qui extendit velut nihilum cælos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, iudices terræ velut inane fecit*. Denique Deus ita est in cælo, ut pariter sit in terra, omnibusque terræ locis, & angulis: cælum enim, & terram ipse implet sua essentia, præsentia, & potentia. Quare quæ quolibet loco fiunt, coram eo præsente, & spectante fiunt.

Tertia causa est, quia dicunt: *In populo magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura?* q. d. Infiniti

quasi

quasi sunt hominum milliones, inter tot unus ego latere potero. Sic enim discipuli in magna, & frequenti schola dum garriunt, & petulantias exercent, in turba sodalium abscondunt se, nec videntur à præceptore. Sic fures in cœtu cùm bursas absciderint, turbæ hominum se inserunt, ibique se abscondunt, nec dignosci possunt. Sic multi improbi abscondunt se in magnis urbibus, provinciis, & regnis: quia unus prætor, princeps, & rex in tanto subditorum numero singulos intueri, singulorumque mores, & gestus animaduertere nequit. Verùm errant: quia omnes homines, & creaturæ cùm sint numero finito, coram infinito Dei oculo sunt quasi unus atomus, quem quaquaversum circumlustrat, intuetur, & pervidet. Hoc est quod ait Isaias cap. 40. 15. *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus, &c. omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.* Hosce immensos, & lucidissimos æquè ac justissimos, & potentissimos vindices Dei oculos expavescens rex David psalm. 138. *Quò*, inquit, *ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Et mox: *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.* Quocirca quòd impii in die judicii abscondent se in speluncis, dicentque *montibus, & petris; Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni*, Apocal. 6. vers. 16. id dicent, non quòd optent abscondi, ne videantur à Deo, & Christo, (hoc enim sciunt esse impossibile;) sed ne ejus vultum iratum intueri cogantur: adeò enim ille eis erit horribilis, & formidabilis, ut malint abscondi in inferno, quàm eum aspicere.

Moral. de præsentia Dei.

Nota. Siracides identidem refricat, & inculcat memoriam præsentiæ Dei, omnia, & singula intuentis, judicantis, præmiantis, & vindicantis; quia nullus est efficacior stimulus ad homines cohibendos ab omni malo, & incitandos ad omne bonum. Unde cap. sequ. vers. 16. *Omnia opera eorum*, inquit, *velut sol in conspectu Dei: & oculi eius sine intermissione inspicientes in viis eorum.* Et cap. 23. 29. *Oculi Domini multò plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Hoc est quod intonat Boetius: *Magna nobis incumbit necessitas benè agendi, quia in conspectu judicis omnia cernentis cuncta agimus.* Piè verò S. August. in Meditat. cap. 10. *Sic certè*, inquit, *mihi videtur cùm eius miserationes circa me attendo, quòd, si fas est dicere, nil aliud agit Deus, nisi ut meæ saluti provideat: & totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, & mihi soli vacabit Deus, semper paratum offert: quocunque me verto, me non deserit: ubicumque fuero, non recedit: quidquid egero, pariter assistit, & tandem cunctis actionibus meis perpetuus inspector, & quantum ad bonitatem suam pertinet, quasi individuus cooperator assistit, ipse operis sui effectum patienter ostendit. Ex quo constat, quòd licet facies eius à nobis adhuc videri non possit, nunquam tamen possit eius præsentia vitari.* Et Tertull. lib. de Pœnit. cap. 6. *Nihil*, inquit, *occultum quod non revelетur: quantascumque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est; & illius oculi multò lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & corda hominum intuentes in absconditas partes.*

Complut. aliique Græci codices nonnulli, huic versui, vel versui 16. subnectunt hosce duos, qui desunt in Latino: *Dominus obduravit Pharaonem, ut ipsum non cognosceret: ut noscerentur operationes eius potentes, & efficaces* (hoc enim significat Græcum ἐνεργεῖ) *in ea quæ sub cælo sunt. Omni creaturæ misericordia eius: & lucem suam ac tenebras partitus est*, sive *divisit adamante*. q. d. Deus divisit lucem à tenebris prorsus, & perpetim, perinde ac si muro adamantino ea dispescuisset, & separasset, idque fecit tum in prima rerum creatione, & dispositione, quæ jugiter perseverat, Genes. 1. tum mysticè, facit in angelis bonis, & malis, æquè ac in omnibus, verb. grat. in Pharaone, & Mose: boni enim sunt lux, mali sunt tenebræ. Quare sicut in bonis ostendit misericordiam per gratiam, & gloriam, ita in malis ostendit judicium, & vindictam per derelictionem, gehennam, idque perpetim, quasi muro adamantino eos separasset: talis enim murus est inter cælum, & infernum. Unde Abraham ad Epulonem damnatum in inferno: *Inter nos, & vos*, inquit, *chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*, Lucæ 16. 26. Syrus quoque hos versus legit, sed eos ponit ante vers. 16. Sic autem habet: *Dominus induravit cor Pharaonis, ne cognosceret eum, ut apparerent opera eius sub cælo. Misericordia eius apparerent omnibus creaturis eius, & lucem suam, & tenebras suas divisit filiis hominum.* q. d. Proposui tibi vindictam Dei in impios, misericordiam in pios. Vis exempla? Vindictæ exemplum accipe Pharaonem, qui ob suam duritiem mersus est in mari rubro quoad corpus, ac quoad animam in rogo gehennæ: misericordiæ vero exempla suggerunt omnes creaturæ, utpote quæ ab ea conserventur, alantur, vegetentur, omnibusque bonis suis cumulentur.

ECCE CÆLUM, ET CÆLI CÆLORUM, ABYSSUS ET UNIVERSA TERRA, ET QUÆ IN EIS SUNT, IN CONSPECTU ILLIUS COMMOVEBUNTUR. MONTES SIMUL, ET COLLES, ET FUNDAMENTA TERRÆ, CUM CONSPEXERIT ILLA DEUS, TREMORE CONCUTIENTUR) VERS. 19. Tigurina, *ecce cælum, cælique cælorum Dei, profundum mare, simul, & terra, quæq; hic comprehenduntur omnia cùm inquirit in ea, commoventur; totus mundus creatus, & qui creatur* (creati potèst; vel *creatur*, id est conseruatur: conservatio enim Dei est quasi continua creatio) *pro voluntate ipsius, montesque simul ac fundamenta terræ, cùm Dominus in ea despicit, tremore concutientur*; Syrus, *ecce cæli cælorum, & abyssus, & terra in manifestatione eius quæ super eos stant, radices montium, & fundamenta orbis, cùm manifestatur super ea, commoventur.* Refutat id quod ex ore impiorum dixit: *A Deo abscondar*, &c. ex eo quòd Deus intueatur, & conspiciat omnes mundi partes, easque suo conspectu commoveat, & tremore concutiat: inde enim colligendum relinquit, Deum pariter conspicere omnia singulorum facta, ut ea judicet, ideoque omnes, & singulos hujus divini aspectus metu, & reverentia debere tremere, & horrore concuti. Per *cælum* enim accipit aerem, per *cælos cælorum* cælos sidereos & ceteros cum empyreo; per *abyssum* mare, quibus junge terram cum suis incolis; habebis omnia orbis elementa, & cælos, quæ totum mundum component, & coagmentant: *fundamenta terræ* accipit imas partes terræ, ejusque centrum, quibus quasi fundamentis terra inniti videtur.

Porrò hæc Deus commovet suo *conspectu*; græcè, ἐν ἐπισκοπῇ, id est, inspectione, & visitatione, quia cùm Deus vult ea visitare, in iisque ostendere suam præsentiam, & potentiam, ad hominum terrorem, ea loco movet commovet, & concutit, uti concussit totam terram in passione Christi; & montem Sina cùm in ea daret legem Mosi, psal. 67. 9. ac alias provincias, & insulas crebrò terræmotibus loco movit, & conquassavit: sed maximè id faciet in fine mundi sub diem judicii, ut patet Apocal. 6. 14. Hoc est quod ait Psaltes psal. 13. *Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.* Et Job. cap. 9. 5. *Qui transtulit montes, & nescierunt hi quos subvertit in furore suo.* Vide psal. 17. vers. 8. & sequ. Prodigiosa enim, horrifica, & divina, imò propria opera, quibus ipse suum in orbem imperium, & magnificentiam ostendit, sunt tonitrua, & fulmina, & terræ motus: hæc enim sunt portenta, & omina divinæ tum potentiæ, tum indignationis, & vindictæ, ut eius Numen velut terribile ac sacrosanctum metuamus, & veneremur. Hinc illud Job cap. 37. 4. *Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ, & non investigabitur, cùm audita fuerit vox eius.* Et cap. 38. 35. *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi: Adsumus?* Et cap. 9. 6. *Qui commovet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.*

Quocirca Philastrius libr. de Hæresibus, hæreticos appellat, & vanos philosophos illos, qui terræ motum rerum, & elementorum naturæ asscribunt, non Dei peculiari jussioni, & indignationi, qua peccatores commonet, ut convertantur. Hinc apud Gentiles prodigiosum semper extitit antiquitati, atque adeò divinum, *si tonuit, si fulguravit, si terra movit.* Vide Gellium lib. 2. c. 28. & Senecam lib. 2. & 6. Natur. quæst. Quare, & in terræ motibus libros Sibyllinos consulebant, teste Livio libr. 34. *Ioue tonante ac fulgurante comitia populi habere nefas* ait, Cicero lib. de Divinat. Hinc, & fulgurales, sive augurales libri, qui de auguriis ex fulguribus captandis tractabant, quorum meminit Cicero lib. 1. de Divinat.

Ratio est, quia Deus totum orbem pugillo concludit, unde eum facilè concutere potest, iuxta illud Isaiæ 40. 12. *Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera?* q. d. Quis, nisi solus Deus? Idem cecinere Poetæ. Virgil. 4. Æneid.

Restituere, colunt, & [illegible] qui [illegible] [illegible].

Seneca in Agamemnone.

[illegible] ac [illegible] fulmine [illegible],
Cuius [illegible] simul [illegible]
Tremuere poli.

Idem in Hercule furente.

O magni Olympi rector, & mundi arbiter,
[illegible] [illegible] [illegible], [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
Humana [illegible].

Aliter ait de Deo, quòd *Nutu [illegible] Olympum*. Aliter Palacius: Cæli, ait, terra, mare, & omnia, quæ in eis, commouentur coram Deo, id est, nullum magnum edunt, quin in promptu à Deo videantur: q. d. Ne tantillum quidem se mouere possunt, quin [illegible] ad omne à Deo conspiciantur. Sed audi mitam opus de fundamentis explicationem: In medio terræ, ait, est vastissima vorago ubi infernus est: est verò cauitas illa fornicata, lapideo arcu constructa. Fornix illa [illegible] est fundamentum terræ: ut enim ossa sunt animalium fundamenta; ita lapidea [illegible] ab illo fornice incipientes, ossa terræ, ut ubi eius fundamenta sunt. Qua de causa [illegible] subdit Author, quòd Deo hæc fundamenta respiciente, tremor terram quatit: quia ossibus animalis concussis, concutitur, & corpus [illegible] ita. Hæc Palacius.

Denique cùm horrendo fragore reboant tonitrua, & vibrantur fulmina, videtur cælum, maria, colles, totusque mundus quassari, & timore percelli, adeò ut etiam quæ difficulter pariunt, cùm [illegible], pauore nervis [illegible], pariunt, fœtumque emittunt, iuxta illud psal. 28. 9. *Vox Domini* (tonitrua) *præparantis ceruos*; S. Hieron. *obstetricantis ceruas*; alii, *commouentis vel parturire facit ceruas*. Quid ni ergo peccatores?

Dei aspectus [illegible] conclusionem [illegible] Consp[illegible] [illegible]. Moral. disce hic quàm potens, & efficax sit Dei conspectus, ut totum mundum conquasset, & è centro conuellat, si velit, ut proinde quàm eum [illegible], & [illegible] debeamus.

Ratio est prima quia conspectus Dei indiuisè iungitur voluntati Dei: voluntas autem Dei non est ut voluntas humana vel angelica, quæ vult damnatas, nec facit quod vult; sed volendo facit ideò, quod efficaciter vult. Dixit enim *Fiat lux*, & ideò facta est lux. Dixit, *Fiat firmamentum*, cæli, sol, luna, sidera, elementa, homines, aues, pisces, animantia; & ideò facta sunt, Genes. 1. *Nam omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo, & in terra*, psalm. 134. v. 6. quia voluntas Dei simul est potentia, imò omnipotentia Dei, eiusque actus, & executio.

Secunda. Secunda ratio est, quia conspectus hic Dei est instar Solis, qui radios suæ lucis diffundendo omnia illuminat, viuificat, fœcundat, alia maturat, alia liquat, alia indurat. Huiusce radios diuini communicauit humanitati Christi. Unde Christus respiciens Petrum lapsum, Matthæum, & Zachæum publicanos, ceterosque peccatores, ideò eos ad se, & ad pœnitentiam sanctitatemque conuertit. Si enim basiliscus oculis suis necat eos quos aspicit: si ipsa auis, quæ vernalis, & torquilla à colli [illegible] vocatur, teste Aristot. lib. 2. Animal. cap. 12. perhibetur suo aspectu homines in sui amorem rapere: si magnes oppositum ferrum, illud ad se rapit: quid mirum si oculi Christi, in quibus radiabat [illegible] diuinitatem, suo aspectu Apostolos ceterosque ad se rapuerint?

Tertia. Tertia, quia conspectus hic Dei prascientiæ est: est enim eius inspectio visitatio, & iudicium: iudicium autem Dei efficax est, quia eo plectit sontes, premitque infantes.

Mysticè Rabanus: Cæli, inquit, sunt angeli, qui cælum incolunt; abyssus sunt dæmones, qui incolunt abyssum gehennæ: hi omnes coram Deo contremiscunt iuxta illud Apostoli Philipp. 2. *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: per montes enim, & colles, potentium [illegible] [illegible]: & per fundamenta terræ, [illegible] [illegible] [illegible]: hæc ergo ad [illegible] sui [illegible] [illegible]: quia [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. In Scriptura quoque sacra sæpè [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. De quibus per Psalmistam dicitur: Suscipiant montes pacem populo tuo. Electi quippe prædicatores [illegible] [illegible], non immeritò montes vocantur: quia per vitæ suæ [illegible] [illegible], terrarum deserunt, & cœlo propinqui fiunt. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Dei [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]: sed [illegible] [illegible] [illegible], ipsi se gladio [illegible] [illegible]: [illegible] [illegible] [illegible], sed [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Vnde in Iob [illegible] [illegible]*

A [illegible] est: *Quis restitit ei, & pacem habuit? quia peruersa [illegible], unde se contra [illegible] [illegible], inde se in [illegible] confundit. Habere ergo pacem, resistens non potest quia dum [illegible] [illegible] [illegible], quod illud per culpam [illegible], hoc in [illegible] [illegible] [illegible].* Hæc ex S. Gregorio Rabanus. Rursum per *fundamenta terra*, Glossa accipit profunda consilia; Hugo, Cardinales: hi[illegible] enim quasi cardinibus, & fundamentis suis videtur Ecclesia. Hi quoque pauore concutientur, cùm Dominus ad iudicandum veniet; cui enim plus datum est, plus exigetur ab eo.

VERS. 21. ET IN OMNIBVS HIS INSENSATVM EST COR, ET OMNE COR INTELLIGITVR AB ILLO) q. d. Cor hominis non penetrat, nec pro dignitate æstimat, & ponderat ea quæ dixi de Dei efficaci omnium inspectione, iudicio, & vindicta. Unde ea, ut par est, non metuit, nec cius offensam, & peccatum ex[illegible], perinde ac si interitum esset: illud ipsum tamen cor planè intelligitur, & penetratur à Deo, qui omnes eius fines, intentiones, motiuaque ad fundum inspicit, & perspicit, ideoque est, & dicitur *[illegible]*, id est, cordium scrutator, & cognitor. Unde ipsum exaggerans subdit:

VERS. 22. ET VIAS ILLIVS QVIS INTELLIGIT. ET PROCELLAM, QVAM NEC OCVLVS VIDEBIT HOMINIS?) *Procella* propriè est vehementior venti impetus, ut mari potius quàm in terra: ita dicta ab eo quod omnia procellat, id est, moueat, & percutiat, iuxta illud Virgilii lib. 1. Æneid.

Vna Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis Africus.

Audi S. August. lib. 3. de Genes. ad lit. cap. 10. *Aer commotus*, inquit, *ventus, & aër vehementius commotus, ignis & tonitrua facit.* Et Plinium lib. 2. cap. 48. *Flatus vagi*, inquit, *& ruentes torrentium modo, tonitrua, & fulgura edunt: maiore verò illati pondere incursuque si [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], procellam gignunt, quæ vocatur à Græcis vertex*, quæ etiam turres, & domos rapit, & in alium locum transfert. Hinc metaphoricè *procella* vocatur vindicta acris, & sæva, instar procellæ omnia sternens, & vastans. Unde Ierem. c. 23. 19. *Ecce turbo*, inquit, *Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum veniet.* Et Isaias cap. 21. 1. *Sicut turbines*, inquit, *ab Africo veniunt, de deserto venit; Septuag. tempestas per desertum transiens de terra horribili. Visio dura nunciata est mihi.* Et c. 30. v. 33. loquens de Tophet, & gehenna: *Nutrimenta*, inquit, *ignis, & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.*

Sensus ergo Siracidis est, q. d. Quia porrò hominum acutissimorum vel angelorum, *vias*, id est, modos, & rationes quas Deus in agendo, & operando sequitur, plenè cognoscat, præsertim verò *procellam*, id est, procellosam illam vindictam, quam in impios detonabit, & fulminabit in magno illo iudicii die, quæ tanta erit, ut ante illam nullam ei similem viderunt sit oculus hominis? Tunc enim, ut ait Sapiens cap. 5. v. 18. *Accipiet armaturam zelus Dei*, &c. *acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum*, &c. *excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent durius. Contra illos stabit spiritus virtutis, & [illegible] [illegible] [illegible] illos.* Ita Rabanus. *Profundiorem*, ait, *[illegible] [illegible] & [illegible] iudicii, quæ procella nomine hic designatur, nemo penetrare poterit.* Et Hugo, *Procella*, ait, *est districtio diuini iudicii.* Aliter Palacius: Procellas, inquit, id est, tempestates omnes quæ in mari, & locis desertis fiunt, solus Deus conspicit: nam plurimas nec videre, nec videre possunt homines, vel quia absentes sunt, vel quia in hauriuntur, & submerguntur. Sic, & Dionys. *Procella*, inquit, *est [illegible] [illegible] [illegible], [illegible], quæ [illegible] in locis desertis, non [illegible].* Unde Iob c. 38. *Quis dedit*, ait, *vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui? ut plueret* super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur.

Moraliter idem: Terra, ait, conspectum Dei tremit, cor humana conspectum minimè tremit. Veretur quis conspectum hominum, ut ideo non peccat; non sic veretur conspectum Dei, ut non peccemus. Si nec nostros oculi abscondere potes ab oculis Dei, cur coram tanta maiestate audes illum offendere?

Græca concinè sic habent, *quæ omnia [illegible] [illegible], [illegible], & [illegible] [illegible] [illegible]? nam procella est [illegible] [illegible] [illegible];* Tigurina, *nec [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]*

futis intelligit, cùm ab ipso corda intelliguntur omnia: nam in. A *stitutа ipsius ut quo non visum homini vim* (vel *turbinem*) *quis animo comprehendat?* Syrus hæc omnia usque ad vers. 25. pro libito arctans, & paraphrasticè explicans, paucis ita perstringit: *Etiam ego non ponam in corde. In viis meis quis intelliget? si peccavero, non videbit me oculus: & si mentitus fuero in omni loco abscondito, quis sciet? Excordes dicent hæc, & vir iniquus ita meditabitur.*

VERS. 22. NAM PLVRIMA ILLIVS OPERA SVNT IN ABSCONSIS: SED OPERA IVSTITIÆ (justæ vindictæ) EJVS QVIS ENVNTIABIT, AVT QVIS SVSTINEBIT?) *Sustinebit*, id est, exspectabit vel feret, id est, ferre, & tolerare poterit. Utrumque enim significat Græcum ὑπομενεῖ q. d. Dixi de uno opere Dei, scilicet procella ignea judicii ipsius: nam plurima alia Dei opera sunt arcana, & nobis abscondita, sed opera justitiæ suæ, præsertim procellam judicii jam dictam, hominibus aliquatenus revelavit, ut ipsi ea, utpote se concernentia, expavescant, ac sanctè vivendo evitent, & caveant. Attamen hæc ipsa quis pro dignitate enuntiet? quis verò ea intrepidus futura exspectet, vel præsentia ferat, aut toleret? q. d. Nemo. Unde Tigurina, *nam maxima pars operum ipsius occulta est: quis* B *enarret exempla justitiæ ipsius, aut sustineat?* Si cupis scire quæ sint opera Dei in absconsis, putà thesauri, nivis, pluviæ, grandinis, roris, gelu, glaciei, &c. lege Job. cap. 3▪

LONGE ENIM EST TESTAMENTVM A QVIBVSDAM, ET INTERROGATIO OMNIVM IN CONSVMMATIONE EST) *Testamentum* vocat judicium Dei, quo cuique pro meritis præmia, vel pœnas præsentes, & æternas decernit. Dicitur *testamentum*, quia à Deo dispositum, & constitutum, ejusque quasi ultima voluntas est, & dispositio, ac proinde firmissimum erit, planeque effectum sortitur, longè certiùs quàm testamenta ab hominibus moribundis condita. Sensus ergo est: q. d. Testamentum, id est decretum, via, & ratio judiciorum Dei remota est à cogitatione, & cognitione hominum, quia homines ea non cogitant, non ponderant pro rei veritate, & gravitate; sed multi vivunt perinde ac si futurum non esset judicium, ac si non esset Numen, ac velut infernus fabula vana foret: & tamen *in consummatione*, & in fine mundi, certissimè fiet *omnium interrogatio*; græcè, ἐξέτασις, id est, examen, & inquisitio, eaque exacta, rigida, & severa, adeò ut nec minimæ culpæ injudicatæ, & impunitæ prætereant. Porrò Tigurina vertit, *longum enim fatum est, & omnium* C *inquisitio, deficit*: quod Vatabl. exponit, q. d. *Longa est fatorum series, quæ priusquam explorata sit, desinit omnium inquisitio.*

Aliter quoque alii: q. d. *Testamentum*, id est, pactum ab hominibus cum Deo initum de observatione mandatorum ejus, longè est à mente, & opere eorum, quia à multis parum cogitatur, & observatur. Ita Dionys. Emmanuel Sa, & Palacius, qui sic explicant: Cùm omnium hominum interrogatio, inquisitio, & examen futura sint in eorum consummatione, id est, in morte, quomodo patiuntur homines se longè esse à lege Dei sui? Sic in Scriptura sæpè *testamentum* vocatur pactum cum Deo initum, ipsaque Dei lex, quia lex est conditio pacti: hac enim conditione Deus iniit nobiscum pactum de danda sua hereditate, & gloria, si nimirum legem ejus observemus. Ut, *Non custodierunt testamentum Dei*: quod explicans subdit. *Et in lege ejus noluerunt ambulare*, psalm. 77. Et alibi sæpè. Unde vocatur arca testamenti, id est, fœderis, & legis, quia continebat legem, putà tabulas decalogi dati à Deo: lex enim erat conditio fœderis initi inter Hebræos, & Deum.

D Anagog. Testamentum Dei, & Christi est decretum, quo electos conscripsit suos heredes in regno cælorum, hoc longè abest ab improbis, & reprobis, quos diabolus conscripsit suos cives in gehenna: multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Sed horum omnium inquisitio, discretio, & separatio erit in fine mundi, putà in die judicii: ita Rabanus, & Hugo: Testamentum, ait, id est, promissio vitæ æternæ, longè abest à peccatoribus.

VERS. 23. QVI MINORATVR CORDE, (id est, stultus, insensatus, demens, cui deest sapientia, prudentia, mens, judicium (hunc enim Hebræi vocant חסר לב *chasar leb*, id est, deficientem corde.) Hic ergo quia inani est corde, hinc *cogitat* non vera, & solida, quæ dixi, de Dei judicio, & vindicta, sed *inania*, de nugis, & vanitatibus sæculi, putà de sectandis deliciis, opibus, honoribus, fabulis, ludis, &c. qualis enim quis est, talia, & cogitat: ET VIR IMPRUDENS ET ERRANS COGITAT STVLTA) putà vanitates, & cupiditates, (ut eas mox explicat,) quæ à Deo, & cælo ad dæmonem, & gehennam eum deducunt, ideoque sunt stulta, &, ut græcè est, μωρὰ, id est, fatua, imò insana, & delira: juxta illud psal. 39. 5. *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates, & insanias falsas.* Et psal. 4. *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Qui ergo non cogitant de futura felicitate, vel infelicitate, deque sua æternitate: hi sunt corde exiguo, imprudentes, & errantes, quia sola cogitant temporalia planè inania, & stulta.

Contrariè vertit Tigurina, *qui animo*, inquit, *submisso prædictus est, perpendit hæc; vir autem insipiens, & delirus stulta cogitat*: q. d. Humiles qui mentem Dei voluntati demissè substernunt, intelligent hæc, ideoque sapient; superbi verò ad stultos suos honorum fumos deflectentes, in iis stultescent, juxta illud Christi Matth. 11. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater; quoniam sic fuit placitum ante te.*

Moral. Hugo: Qui minoratur corde, inquit, id est, cordis magnanimitate per pusillanimitatem, vel cordis devotione per tepiditatem, vel cordis audacia per timiditatem, vel cordis tranquillitate per avaritiam, aut cordis munditia per luxuriam; hic cogitat inania, id est, vana, & falsa, juxta illud Osee 7. *Factus est Ephraim quasi columba, sed aut non habens cor.*

AVDI ME FILI, ET DISCE DISCIPLINAM SEN- VERS. 24.
SVS, ET IN VERBIS MEIS ATTENDE IN CORDE VERS. 25.
TVO, ET DICAM IN ÆQVITATE DISCIPLINAM, ET SCRVTABOR ENARRARE SAPIENTIAM: ET IN VERBIS MEIS ATTENDE IN CORDE TVO, ET DICO (id est, dicere propono, vel *dico*, id est, dicam) IN ÆQVITATE VIRTVTES, QVAS, POSVIT DEVS IN OPERA SVA AB INITIO, ET IN VERITATE ENVNTIO SCIENTIAM EIVS) Græcus de more hic concisus, & bimembris est, cùm Noster sit trimembris. Unde Iansenius censet tertium membrum, sive sententiam, hic æquè ac in aliis locis hujus libri, ex alia cujusdam versione esse assutam. Verùm ut alia superiùs dicta prætereаm, id hoc loco dici nequit. Nam τὸ tertii membri, *Et dico in æquitate spiritus virtutes, quas posuit Deus in opera sua ab initio*, in nullo Græco invenitur, ac consequenter nulla fuit versio, ex qua in nostrum textum traduci potuerit. Dicendum ergo, nostrum Interpretem olim plenius habuisse exemplar Græcum, in quo hæc continebantur. Pro *æquitate* græcè est [illegible], id est, *pondere* q. d. Dicam disciplinam ad æquum rationis pondus appensam, & matura consideratione libratam, & perpensam: nihil dicam nisi priùs justo judicii examine, & libramine discussum, & ponderatum, ut nihil falsum, nihil imprudens, nihil vanum, & inutile, nihil leve, & temerarium; sed omnia vera, prudentia, solida, utilia, gravia, matura proferam, & pronuntiem. Unde mox subdit, *Dico in æquitate spiritus*, id est, cum æquo, & justo mentis examine: q. d. Dico id quod priùs diligenter expendi, libravi, consideravi, di judicavi: dico, inquam, *virtutes quas posuit Deus in opera sua ab initio*, q. d. Enarro Dei heroicas virtutes, dotes, & attributa, putà sapientiam, potentiam, bonitatem, justitiam, &c. quas Deus ostendit in universi creatione, & dispositione. Rursum virtutes quas ipsis rebus initio creationis indidit, & communicavit; verbi gratia angelis, & hominibus potestatem ratiocinandi, animalibus potestatem sentiendi, plantis vegetandi, igni cal:faciendi, aquæ refrigerandi, & humectandi, &c. ita H ɩgo.

Græca sic habent, *audi fili mi, & disce scientiam, & in verbis meis attende corde tuo. Ostendo in pondere disciplinam, & in veritate*, vel potiùs *in exacta dili_entia* (hoc enim est ἀκριβείᾳ,) *annuntio scientiam*; Tigurina, *audi me fili, & scientiam amplectere, adque mea dicta adverte animum. Explicabo perpensam eruditionem, ac tanquam scientiam edissero*; Syrus, *audite me, & suscipite doctrinam meam, & omnibus verbis meis tradite cor vestrum. Dico in pondere* (cum statera, cum libramento) *verba mea, & cum sapientia manifesto doctrinam meam.*

Porrò Siracides more Rhetoris ante orationem conciliat sibi benevolentiam auditoris, blandè eum compellando filium; & attentionem, dicendo se dicturum res graves de Dei virtutibus; & docilitatem, dicendo se nihil dicturum nisi priùs longo examine discussum, & ordinatum. Nam, ut ait Boetius de Discipl. scholar. *Discipulus debet esse docilis, attentus, benevolus: docilis ingenio, attentus in exercitio, benevolus animo ad audiendum.* Siracidem ergo imitentur doctores, æquè ac discipuli; illi ex eo discant modum docendi, hi discendi.

Præclarè S. Gregor. hom. 13. in Evang. *Verba*, inquit, *Dei, quæ aure percepitis mente retinete: cibus enim mentis est sermo Dei, & quasi acceptus cibus in stomacho languente rejicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur: sed quisquis alimenta non retinet, hujus profectò vita desperatur. Æterna ergo mortis periculum formidate, si cibum quidem sanctæ exhortationis accipitis, sed verba vitæ, id est, alimenta justitiæ, in memoria non tenetis.* Hac de causa repetit, & inculcat *To attende in corde tuo.* Nam, ut ait Senec. epist. 108. *Quidam venimus*, inquit, *ut audiamus, non ut discamus: sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures, oratione, vel voce, vel fabulis ducimur. Magnā hanc partem auditorum videbis, cui philosophi schola diversorium otii sit; non id agunt, ut aliqua illic vitia deponant, ut aliquam legem vitæ accipiant, ad quam mores suos exigant: sed ut oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen, & cum pugillaribus veniunt, non ut res accipiant, sed ut verba, quæ tam sine profectu alieno dicunt, quàm sine suo audiunt.* Tales erant Judæi; de quibus Dominus ad Ezechiel. c. 33. 32. *Et eis*, ait, *quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Longè aliâ mente David à Deo doceri optat, dicens: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua*, &c. psal. 118. v. 34. & seq.

VERS. 26. IN JUDICIO DEI OPERA EJUS AB INITIO (q. d. Deus ab initio mundi creavit, & disposuit opera sua magno judicio; græcè κρίσει, id est, sapientia, prudentia, discretione, modo, & ordine, juxta illud Sap. 11. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.*) ET AB INSTITUTIONE; græcè, ποιήσει, id est, effectione, creatione, IPSORUM) Complut. legunt *impiorum hominum*; sed ceteri Græci, & Latini passim legunt *ipsorum*) DISTINXIT PARTES ILLORUM, ET INITIA EORUM IN GENTIBUS SUIS.

Initia mũdi quę? Resp. Primò. Quæres, quænam hæc *initia in gentibus*? Primò, Iansenius ex Græco germanè sic exponit: *initia*, græcè ἀρχαὶ, id est, *principatus*, sunt principes, & præcipuæ mundi partes, putà sol, astra, cæli, quæ principatum quemdam in inferiorem mundum, putà in terram, & aerem obtinent; nam de terra mox subdit v. 30. *Post hæc Deus in terram respexit.* Sensus ergo est, q. d. Deus mox ut creavit opera universi, ilicò distinxit partes eorum, dividendo aquas ab aquis, elementa à cælis, mare à terra, &c. distinxit quoque τὰς ἀρχὰς, id est, partes illas primas mundi, quibus totus orbis inferior regitur, *in suis gentibus*, id est, generibus, quia fecit, ut quodlibet astrum, & cælum, suum haberet genus, naturam, motum, proprietatem, diversa eis officia attribuens, verbi gratia: Soli ut illuminet diem, lunæ ut illuminet noctem, suoque cursu menses, & tempora dimetiatur, & distinguat. Hoc sensu *gentes* per catachresin vocantur *genera*; hæc enim significat Græcum γενεαί. Et sic *Gentes, id est genera.* Hebræi solem, astra, cælos, &c. vocant *gentes*, id est, milites, *Dei*, à quibus Deus vocatur *Deus sabaoth*, id est, Deus exercituum. Unde v. 28. ea inter se vocat *proximos*. Simili catachresi Sap. 1. 14. dicitur, *sanabiles*, id est, salutares, & salubres, *fecit nationes orbis terrarum: nationes*, græcè γενέσεις, id est, generationes, putà res genitas, & creatas à Deo. q. d. Deus fecit, ut res à se genitæ, & creatæ essent salutares, non lethales, & mortiferæ. Unde sequitur: *Et non est in illis medicamentum exterminii*, id est, ut Græca, *pharmacum exterminans*, & interimens; S. Hieron. *non est in eis venenum mortiferum.* Sic ibidem capit. 19. 10. vocat *nationem animalium.* Sic, & Festus bonum fœturæ proventum in pecoribus, vocat *bonam nationem.* Natio enim alludit ad etymon nasci, sicut ad γεννᾶσθαι. Sensum jam datum sequitur Syrus, dum vertit, *quando creavit Deus opera sua ab initio, cum creatione eorum distribuit leges eorum, & dedit usque in finem operationes eorum, & dominium eorum in omnes generationes sæculi.* Denique Latini nomen *gens*, deducunt à *genus*, u littera detracta; gens enim est quæ ab uno genus ducit, ut Romani à Romulo, Israelitæ ab Israele, id est Jacobo, Chananæi à Chanaan. Hinc gens dicitur genus, coetusque apum, ut Columella libr. 9. cap. 9. *Intestino*, ait, *bello totæ gentes* (apum examina) *consumuntur.* Sic etiam gens de piscibus dicitur apud Virgil. 4. Georg.

Cùm Proteus, consueta petens è fluctibus antra,
Ibat, eum vasti circùm gens humida ponti
Exultans, &c.

Non ergo mirum, nec illatinum, *gentem* significare genus.

Secundò, simpliciùs, & planiùs exponas, q. d. ἀρχὰς, id est principatus, hoc est, corpora cælestia, quæ primas mundi tenent, distinxit Deus suis gentibus, id est angelis, ut ipsi orbes cælestes regant, moveant, ordinent, iisque per omnia præsint. ita Lyran. Aut certè ἀρχὰς, vocat principatus angelicos: q. d. Deus creavit, & distinxit mundi partes, iisque præfecit angelos ex ordine Principatuum, & Potestatum, qui sunt ἀρχαὶ, id est, principes in gentibus suis, id est, inter angelos, & angelicos ordines inferiores, putà inter Virtutes, Archangelos, & Angelos, qui dumtaxat præsunt singulis provinciis, civitatibus, & hominibus. Unde Palacius sic explicat: Deus, inquit, addixit cuivis cælo suum initium, id est, principem, & ducem, quos Philosophi vocant intelligentias motrices, Theologi vocant virtutes cælorum. Addit idem: Fortè, inquit, gentes cælorum sunt stellæ, qui milites cælorum dicuntur, & vocati *dicunt, Adsumus*, Baruch. 3. q. d. Habent stellæ sua initia, id est, suos principes angelos sibi deputatos. Sic Moses (quò alludit Siracides) Deuter. 32. 8. juxta Septuag. ait: *Quando dividebat Altissimus gentes, &c. constituit terminos gentium juxta numerum angelorum Dei*: q. d. Ab initio constituit, & præfecit Deus singulis populis, & gentibus angelos custodes, & quasi præpositos. ita Origen. homil. 11. in Numer. S. Cyprian. S. Chrysost. & alii quos citavi Deuter. 32. Huic expositioni favent Græca, quæ statim post ἀρχὰς, subjungunt: *Non esurierunt, nec defatigati sunt, nec destiterunt ab opere suo?* quod rectiùs angelis competit, quàm cælis. Animatis enim, quales sunt angeli, competit esuries, non cælis inanimis, æquè ac defatigatio, & cessatio à motu, & rotatione orbium cælestium.

Tertiò, *initia* propriè accipias. Unde aliqui ex Græco vertunt, *in manus ejus* (hæc enim addunt Complut.) *principia eorum in omnes ætates*: q. d. Deus ab initio uti partes, ita, & principia mundi manu sua continens, constituit, & firmavit, ut durent per omnes sæculorum generationes: ita principium diei, lucis, solis, cælorum, ortus, & occasus astrorum ab initio mundi constituit, ut per suum calorem, & influxum continuò præsint generationi plantarum, frugum, fructuum, animalium, & hominum. Tolle enim solem, & astra, nulla erit generatio in terra. Favet versio Tigurina, *cum iudicio operatus est Dominus ab initio, & à prima rerum creatione partes eorum disposuit. Opera sua excoluit perpetuò, & initia eorum per sua sæcula generaque* (γενεὰ enim, & sæculum, & genus significat;) ac Complut. dum legunt, *in manu ejus principatus eorum*, εἰς γενεὰς γενεῶν, id est, *in sæcula sæculorum*; alii legunt, εἰς γενεὰς αὐτῶν, id est, *in genera* vel *generationes eorum*.

Quartò, Rabanus gentes propriè accipit, æquè ac initia: q. d. *Ex quo hominis propaginem dilatare Deus disposuit, singularum gentium originem per partes singulas mundi discrevit, ita ut unaquæque gens ex parentis sui vocabulo denominata, sedes proprias in singulis provinciis possideret. Mysticè autem divina Sapientia Ecclesiam suam instituens, per totius partes orbis illam dilatavit, atque in singulis gentibus collocavit. Unde est quod in Apocal. c. 1. 2. & 3. septem Ecclesiis, quæ fuerunt in Asia, sermo Dei directus est.*

Sic, & Hugo: *Initia*, inquit, id est, initiales possessiones suas, in gentibus Deus distinxit, tribus filiis Noe distribuendo tres partes mundi, nimirum ut Sem cum posteris incoleret Asiam, Cham Africam, Japhet Europam. Idem mysticè: Deus, inquit, initio Ecclesiæ distribuit provincias orbis Apostolis, ut Joannes converteret Asiam, Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam, &c. *Nec esurierunt*, id est, esuriem corporis Apostoli non reputaverunt. *Nec laboraverunt*, id est, corporis laborem nihil fecerunt,

runt, imò cum gaudio labores, dolores, contumelias, & injurias propter Christum susceperunt, Actor. 5. *Et non destiterunt ab operibus suis*, id est, à prædicatione Evangelii, etiamsi Scribæ, pontifices, philosophi, principes, & reges totis viribus obsisterent, quibus hoc unum regerebant: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*. *Unusquisque proximum sibi non angustiavit*, quia nec sese invicem, nec quemquam aliorum afflixerunt, sed potiùs omnes juverunt, & consolati sunt. *Post hæc Deus in terram respexit, & implevit illam bonis*, cumulando gentes omni gratia, & charismate cælesti. Hæc Hugo.

Sic, & Dionys. Deus, inquit, ab initio *distinxit partes illorum*, id est, dedit unicuique aptum, & proprium locum, & divisit illas ab invicem. Sicque piscibus deputavit aquam, avibus aerem, hominibus, & pecoribus terram. *Et initia ipsorum in gentibus suis*, id est, origines hominum ordinavit distinctè, secundùm gentium distinctiones, ut quælibet gens in terra sua habeat suam generationem, successionem, processum ac finem. Sicut Genes. 9. legitur terra distincta per filios Noe. Unde ait Paulus: *Deus fecit ex uno omne genus hominum habitare super universam terram, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum*, Act. 17. *Nec esurierunt, nec laboraverunt*; quia Deus; cuique copiosè de victu, & vitæ necessariis providit. *Unusquisque proximum sibi non angustiabit*, quia latissimum spatium habitandi in terra contulit eis, & jussit ut sine violentia mutuò conversarentur in charitate. *Anima autem vitalis denuntiavit ante faciem eius*, id est, omnis anima rationalis vivens per gratiam, coram Deo confessa est horum veritatem, & laudem eius, *& in ipsam iterum reversio illorum*, id est, reductio seu naturalis conversio creaturarum ad suum fontale principium, à quo conversantur, & ad quod omnia tendunt suo modo, secundùm quod effectus ad suam causam convertitur. Hæc, inquam, reductio pandit, ac nuntiat Deum habere providentiam universorum, & omnia sapientissimè ordinasse. ita Dionys.

ORNAVIT (minùs rectè aliqui legunt *ordinavit*: græcè enim est, ἐκόσμησε, id est, *ornavit* (IN ÆTERNUM OPERA ILLORUM) Græcè, αὐτοῦ, id est, sua: q. d. Deus ornavit sua opera prima, putà cælos luce, sole, luna, & tanta varietate siderum, quasi gemmarum fulgentium instar
VERS. 17. carbunculorum, iaspidum, smaragdorum, &c. juxta illud Job. 26. 13. *Spiritus eius ornavit cælos*. Noster legit αὐτῶν, id est, *illorum*, quod Primò, Jansenius de cælis explicans, Deus, inquit, *ornavit opera*, id est, operationes, motus, & influxus cælorum, & siderum, quia fecit eas, & stabiles esse, & indefatigabiles, & pulcherrimo ordine inter se consentientes. Nam, ut ait Plato dial. de Natura, *Fas non erat quidquam nisi pulcherrimum facere eum, qui est optimus*. Et Boetius lib. 3. de Consolat. metro 9.

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similiq; ab imagine formans,
Perfectasq; iubens perfectum absolvere partes, &c.

Loquitur Siracides de cælis, & stellis quasi hominibus, & militibus Dei, per prosopopoejam. Unde subdit:

NEC ESURIERUNT, NEC LABORAVERUNT, ET NON DESTITERUNT AB OPERIBUS SUIS) Syrus, *à fortitudine sua*; Tigurina, *non esurierunt, neque defessa sunt in suis operibus, nec ab officiis suis cessarunt*: q. d. Cæli, sol, & stellæ, etsi quasi milites Dei assiduè juxta præscriptum eius moveantur, idque celerrimè, (adeò ut sol qualibet hora conficiat millionem milliarium, & insuper 140. millia eorumdem: quod tantumdem est, ac si totum terræ globum circumcurreret quinquagies, uti ostendi Genes. 1. v. 16.) tamen numquam esuriunt, nec defatigantur, ut à labore suo, & Dei iussu exequendo desistant. Quod significat eos jugiter, sine defectu, fatigatione, & molestia, in obeundis muniis sibi à Deo injunctis strenuè persistere, & pergere, juxta illud psalmi 118. *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi*; hebr. *omnia sunt servi tui*.

Alludit ad opiniones Platonicorum (quos secutus est Philo, & Origen. 7. Peri archon, ac dubitat S. August. Enchir. cap. 18.) qui cælos putarunt esse animatos, juxta quos mirum erat cælos non esurire, nec fatigari. Ad hæc solem, lunam, & stellam censebant esse igneas, quas proinde vaporibus ali necesse sit: ignis enim eget suo pabulo, uti recenset Plinius lib. 2. c. 8. Cicero 2. de Natur. deor. Lactant. lib. 2. c. 6. Rursum juxta veram sententiam angeli, quasi intelligentiæ assistunt suis orbibus cælestibus, & quasi unum quid non compositum, sed aggregatim ex eis efficiunt. Hominibus autem vulgaribus mirum videtur, angelos in tanta occupatione, & motu non esurire, nec fatigari. Verè Tertull. in Apolog. c. 22. *Omnis spiritus*, inquit, *ales est: hoc est, angeli, & dæmones: igitur momento ubique sunt*. Et S. Greg. Nazianz. orat. 34. *Loca*, ait, *omnia peragunt, omnibusq; impigrè adsunt, tum ob ministerii promptitudinem, tum ob naturæ levitatem*. Certissimè, & clarissimè Psaltes, & ex eo Apost. Hebr. 1. 7. *Qui facit*, inquit, *angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*. Vide ibi dicta: ergo nec esuriunt, nec fatigantur. Dixit de perpetuitate cælestium operationum, subiicit etiam de concordia, dicens:

UNUSQUISQUE PROXIMUM SUUM NON ANGUSTIABIT (minùs rectè aliqui legunt, *angustiavit*, licèt VERS. 18.
græcè sit, ἔθλιψε, id est, afflixit, attrivit) USQUE IN ÆTERNUM) q. d. In tanta multitudine cælorum, siderum, & planetarum, esto moveantur Stratiis, & celerrimis motibus, sintque invicem contigui, & quasi continui, tantus tamen singolorum est ordo, tanta cujusque cum ceteris subordinatio, & concordia, ut unum non premat, arctet, atterat vel impediat aliud; sed quodque suo ordine illæsè, integrè, & constanter incedat, imò currat, perinde ac milites in acie ritè ordinata. Hanc cælorum concordiam admirans Job exclamat c. 35. 10. *Ubi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?* Luna enim, & stellæ noctu ordinatè incedentes, & lucentes, hymnos nocturnos Deo canunt, & hominibus materiam laudis divinæ suggerunt. Idem, & longè magis faciunt angeli, ait Olympiod. ibidem in Catena. Unde Chald. vertit, *ante cuius conspectum angeli excelsi ordinant laudem in nocte*. Et clariùs c. 38. 37. *Quis enarrabit cælorum* *Concentus cælorum qualis?*
rationem, & concentum cæli (hebr. *nabla*) *quis dormire faciet?* Unde Pythagoras docuit cælos musica ratione compositos concentum edere (vide Censorinum de Die natali c. 13.) sed homines ob assuetudinem ad hunc sonum obsurduisse, uti qui habitant ad Nili catadupa, aquarum ex alto ruentium fragorem non audiunt, ait Cicero in Somnio Scipionis. Quin, & S. August. epist. 28. ad S. Hieron. propriè in cælis sonorum concentum admittit. Sic, & Leo Castrius in Isajæ c. 40. v. 26. & Georg. Venetus in Harmon. Favet, & ratio, quia non tantùm ex confricatione aeris, sed, & omnis corporis resistentis sonus editur. Verùm Aristot. & Philosophi lib. 2. de Cælo, negant hunc cælorum concentum. Quare Job per *concentum* intelligit concordes, & ordinatissimos cælorum motus, & cursus, ac mysticè S. Gregor. *Concentus*, ait, *cælorum est concordia prædicantium, & consoni angelorum hymni*. Unde Plato in Timæo asserit, idcirco maximè oculos nobis à natura esse datos, ut circuitus ordinatissimos qui in cælo peraguntur, intuiti; eos ad vitæ disciplinam traduceremus, ac ad eorum ordinem, & stabilitatem, nostræ mentis vagos, & erraticos motus componeremus. Vide S. Gregor. Nazianz. orat. 26. ubi docet ordinem conservare cælos, elementa, & totum universum, ac consequenter ordinem hierarchicum conservare Ecclesiam. Unde inter cetera ait: *Ordine florente ac dominante est universum hoc, ac pulchritudo certa, & stabilis* (quare mundus græcè dicitur κόσμος, ab ornatu, & pulchritudine.) *Contrà autem perturbatio, & confusio in aere tonitrua, in terra motus, in mari naufragia, in urbibus domibusq; bella, & dissidia, in corporibus morbos, in animis peccata procreavit. Hæc enim omnia non pacis, nec ordinis, sed confusionis, & perturbationis nomina sunt*.

Denique addit Siracides: NON SIS INCREDIBILIS
VERBO ILLIUS) Jansenius hæc annectit præcedentibus: VERS. 19.
q. d. *Unusquisque proximum suum non angustiavit*, sed unusquisque alteri dicit, *Usque in æternum non sis incredibilis*, id est, inobediens, *verbo* Dei. Græca enim sic habent, *alter alterum non afflixit, & usque in æternum non detractabunt iussum eius*, vel, *non erunt inobedientes verbo eius*; Tigurina, *aliud alii non fuit molestum, nec umquam repugnabunt imperio eius*; Syrus, *alter alterum non oderunt, neque in sæculum transgredientur verbum eius*.

Secundò, Palacius cum Lyrano prosequens suam expositionem, qua hæc refert ad angelos: Dixerat, inquit, quòd constituerat Deus angelos, quorum operatio est cælos movere: addit nunc, quòd hæc angelorum opera Deus ornavit, scilicet lumine diei, tenebris noctis, influxu virtutis, quam superiora in inferiora demittunt, pluviis, grandini-

dinibus, &c. Secundò, dicit quòd angeli illi nec in perpetua illa motione sudant, esuriunt, aut laborant, nec per momentum cessarunt ab opere. Rem profectò admirandam. Tertiò, dicit, inter hos angelos, seu cælorum virtutes, summam esse concordiam: adeò ut numquam alius alii sit impedimento, nec superior premat inferiorem, nec inferior subsultet adversus superiorem. Quia verò hæ res sunt admirabiles, subdit Auctor: *Ne sis incredibilis verbo illius*: id est, quæ tibi dicò, verba Dei sunt, cave sis incredulus eis. Rursum, q.d. Imitare ergo cælos, ò homo, ut, sicut illi Deo per omnia obediunt, nec ad punctum quidem ab eius ordinatione discedunt, ita multò magis eidem obedias, & tu qui sensu, & ratione polles.

Tertiò, Hugo hæc refert ad homines, eorumque primam institutionem: q. d. Deus creavit hominem, eumque magnis naturæ, & gratiæ dotibus ornavit, collocavit in paradiso, fecitque ut manens in innocentia, in qua eum condiderat, non esuriret, non sitiret, non fatigaretur; sed cum voluptate coleret paradisum: ibi quoque nemo angustiasset proximum, iniuriam illi irrogando, vel bona eius auferendo, quia in eo statu omnia fuissent communia. Verùm hæc potiùs mystica, & symbolica, quàm litteralis est expositio. Tropologiam eiusdem, & Dionysii de Apostolorum prædicatione recensui v. 26.

Quibus adde ex Rabano: *Ornavit*, inquit, *in æternum opera illorum, nec esurierunt, nec laboraverunt, & non destiterunt ab operibus suis*. Præparavit enim Deus opera Ecclesiæ suæ, & charitatis splendore ipsam perpetualiter illustravit: propterea nullam virtutum patiuntur penuriam, nec pigritiæ lassitudine deficiunt: sed intenti bonis operibus semper insistunt. *Unusquisque proximum* sibi *non angustiabit* usque in ævum. Quia charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum. Unde præcepit Apostolus dicens: *Tamquam filiis dico, dilatamini, & vos, & nolite iugum ducere cum infidelibus*. Latitudo mandati charitas est: quia ubi charitas manet, non sunt angustiæ. In ipsa latitudine erat Apostolus cùm diceret: *Os nostrum patet ad vos ò Corinthii, cor nostrum dilatatum*
2. Cor. 6. 11. *est, non angustiamini in nobis*. Ideò enim alibi legitur: *Latum mandatum tuum valdè*. Quod est latum mandatum datum? *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis*. Charitas ergo non angustatur. Vis non angustati in terra? in lato habita: quidquid enim tibi fecerit homo, non te angustat; quia illud diligis, quod non nocet: homo Deum diligis, fraternitatem diligis, legem Dei diligis, Ecclesiam Dei diligis; sempiterna merces erit, laboras in terra, sed pervenies ad fructum promissum: quis tibi tollit, quod diligis? hæc Rabanus.

VERS. 30. POST HÆC DEUS IN TERRAM RESPEXIT, ET IMPLEVIT ILLAM BONIS SUIS) Hinc patet hucusque sermonem fuisse de cælis, & cælestibus. Refricat enim ordinem quem Deus in mundi creatione servavit Genes. 1. q. d. Deus primis duobus mundi diebus cælos instituit, ornavit, & ordinavit; deinde tertio die respexit in terram, illamque plantis, herbis; arboribus, metallis vestivit, ac mox animalibus, avibus, & homine implevit. Unde Syrus *post hæc in terram prospexit, benedixitq; eos* (homines, & terræ incolas) *in omnibus frugibus eius*, adeò ut terra sit mater bonorum omnium.

VERS. 31. ANIMA OMNIS VITALIS (omnis viventis) DENUNTIAVIT ANTE FACIEM IPSIUS, ET IN IPSAM ITERUM REVERSIO ILLORUM) q. d. *Anima omnis vitalis*, hoc est, omne animal, & omne vivens, *denuntiavit*, id est, apertè indicavit, & jugiter indicat id quod dixi, scilicet Deum implevisse terram bonis suis: indicat, inquam, *ante faciem ipsius*, scilicet non Dei, ut vult Rabanus, sed terræ (græcè enim est pronomen femininum αὐτῆς) id est, in conspectu terræ, vel in superficie terræ, quia scilicet omne vivens bonis terræ, in eius superficie nascentibus, vivit, & fruitur; & iterum dum moritur; in terram revertitur. Noster legit ἀνεκάλυψε, id est, revelavit, *denuntiavit*, &, ut aliqui legunt, *denudavit*. Jam legunt contrariè ἐκάλυψε, id est, texit, operuit. Sic enim habent Græca Complut. *animam omnis animalis abscondit vultus eius* (αὐτῇ, scilicet, terræ) *& in illam reversio illorum*: q. d. Terra tegit, contegit, & protegit omnia animalia, illaque rursum in terram è qua nata sunt, per mortem revertuntur. Romana mutato casu eumdem penè exhibent sensum: *Anima*, inquiunt, *omnis vitalis operuit faciem eius, & in ipsam reversio illorum*: q. d. Animalia dum vivunt, tegunt superficiem terræ: & rursum dum moriuntur, in illam revertuntur. Sic, & Tigurina, *vita animantium omnis generis operuit superficiem eius, & in eamdem unumquodque revertitur*. Sic, & Syrus, *anima omnium viventium replevit faciem eius, & collegit in medio eius omnia opera eorum*. Monet hominem suæ originis, suiq; finis: refricatque illam Dei in Adam sententiam: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es, & in pulverem reverteris*, Genes. 3. 19. ut eum ad humilitatem, æquè ac Dei timorem excitet, moneatque, ut habeat curam animæ suæ jugiter, vel in cælo felicissimè, vel in inferno miserrimè victuræ, cùm corpus brevi terræ sit reddendum. Est ergo terra quasi horreum, & thesaurus, ex quo largè omnia animalia aluntur, & vivunt: eadem est, & sepulchrum, in quod omnia tandem redeunt. Est verò utrumque admiratione dignum, quòd, cùm plurima, & quasi infinita sint animalia, singula tamen sufficientia, & congrua sibi in terra inveniant alimenta: & cùm tot tantaque sint, omnia in terram redeant, nec tamen terra crescat, vel intumescat, sicut omnia flumina intrant in mare, & tamen mare non redundat, Eccles. 1. 7. ita Palacius.

Porrò Rabanus, Dionys. & Lyran. hæc ad Deum referunt: q. d. *Anima omnis viventis denuntiat, id est, ipso facto ostendit, quòd propter eam erant illa bona à Deo producta, quia usa est ipsis. Et ipsa iterum reversio illorum: nam per animam rationalem ista reducuntur in Deum, ipsum de bonis suis laudando, & per animam sensitivam suo modo, quia est materia divinæ laudis*. Verùm Græca pronomina αὐτῆ & αὐτῆ, cùm sint feminina, non Deum, sed terram referunt, & respiciunt, ut dixi. Sapienter, & piè S. August. in illud psal. 26. 16. *Circuivi, & immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis*. *Circumeat*, inquit, *animus tuus per universam creaturam, undique tibi clamabit creatura: Deus me fecit. Quidquid te delectaverit in arte, artificem commendat magisq; si circumeas universa, consideratio concipit artificis laudem. Vides cælos? magna opera Dei sunt. Vides terram? Deus fecit semina innumera, diversitates germinum, multitudinem animalium. Circumi adhuc cælos usque ad terram, nihil relinquas; undique tibi omnia resonant creatorem, & ipsæ species creaturarum voces sunt quædam creatorem laudantium*.

CAPUT

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur operum, & magnalium Dei enarrationem, ut lectorem ad Dei obsequium, & venerationem impellat, estq; de utroque, hoc capite quasi perpetua concio. Igitur Primò, ex Genesi narrat creationem hominis ad imaginem Dei, dotesq; præsertim sapientiæ, & legis divinæ illi inditas, pactum à Deo cum eo initum, Deiq; intuitum in omnia hominum opera & peccata. Atque ex hisce omnibus v. 21. concludit incitatq; hominem, ut per pœnitentiam, vitæ emendationem, omnemq; sanctitatem ad Creatorem suum tam munificum convertatur, Deoq; suo cum omni reverentia, & devotione serviat.

DEus creavit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum. 2. Et iterum convertit illum in ipsam, & secundùm se vestituit illum virtute. 3. Numerum dierum, & tempus dedit illi, & dedit illi potestatem eorum quæ sunt super terram. 4. Posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum, & volatilium. 5. Creavit ex ipso adiutorium simile sibi: consilium, & linguam, & oculos, & aures, cor dedit illis excogitandi; & disciplina intellectus replevit illos. 6. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala & bona ostendit illis, 7. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operarum suorum. 8. Vt nomen sanctificationis collaudent; & gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum eius. 9. Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hereditavit illos. 10. Testamentum æternum constituit cum illis, & iustitiam & iudicia sua ostendit illis. 11. Et magnalia honoris eius vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum, & dixit illis: Attendite ab omni iniquo. 12. Et mandavit illis unicuique de proximo suo. 13. Viæ illorum coram ipso sunt semper, non sunt absconsæ ab oculis ipsius. 14. In unamquamque gentem præposuit rectorem: 15. & pars Dei Israel facta est manifesta. 16. Et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei: & oculi eius sine intermissione inspicientes in viis eorum. 17. Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum, & omnes iniquitates eorum in conspectu Dei. 18. Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit: 19. Et postea resurget, & retribuet illis retributionem, unicuique in caput ipsorum, & convertet in interiores partes terræ. 20. Pœnitentibus autem dedit viam iustitiæ, & confirmavit deficientes sustinere, & destinavit illis sortem veritatis. 21. Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua: 22. Precare ante faciem Domini, & minue offendicula. 23. Revertere ad Dominum, & averte ab iniustitia tua, & nimis odito execrationem: 24. Et cognosce iustitias & iudicia Dei, & sta in sorte propositionis, & orationis altissimi Dei. 25. In partes vade sæculi sancti, * cum vivis & dantibus confessionem Deo. 26. Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil, petit confessio. 27. Confiteberis vivens, vivus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius. 28. Quàm magna misericordia Domini, & propitiatio illius, conuertentibus ad se! 29. Nec enim omnia posunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, & in uanitate malitiæ placuerunt. 30. Quid lucidius sole? & hic deficiet. Aut quid nequius quám quod excogitauit caro & sanguis? & hoc arguetur. 31. Virtutem altitudinis cæli ipse conspicit: & omnes homines terra & cinis.

VERS. 1. DEUS CREAVIT DE TERRA HOMINEM; sicut figulus ex argilla format vasa figulina: hinc Deus dicitur fictor, nos figmentum: hinc rursum Adam dictus, est ab adama, quasi homo ab humo: & SECUNDUM IMAGINEM SUAM FECIT ILLUM) putà secundùm exemplar suum, ut scilicet homo Dei, quasi exemplaris sui, expressa esset imago. Imago naturalis Dei est in anima, quæ spiritus est, pollerque intellectu, libertate, domino in animalia, omnesque res creatas; ut Adam in hoc mundo dominans omnibus, esset quasi Deus quidam terrestris. Imago supernaturalis Dei est in gratia, putà fide, spe, charitate, ceterisque virtutibus quas Deus in creatione Adæ indidit: quam Adam peccando perdidit, sed Christus patiendo, & moriendo restauravit. Vide dicta Genes. 1. 26. Meminit *imaginis* Dei, tum, ut ostendat Dei in hominem munificentiam, qua hominem ad tantam dignitatem evexit, ut esset similis, imò imago Dei; tum ut moneat hominem gratitudinis, ut suo Creatori obsequatur, ac imaginem sibi ab eo inditam, velut monile pretiosissimum, integrum, & illæsum omni cura tueatur, expoliat, & peficiat, ac, si maculata vel abolita sit, omni studio reparet, & restauret, ut agat inter homines vitam divinam, imò vivat quasi obambulans in terra Deus, aut sanctus in carne angelus. Vide Rabanum.

Porrò Palacius sic exponit q. d. Deus formans Adamum, assumpsit formam humanam, ut significaret se aliquando eam hypostatice assumpturum ex virgine: & secundùm

A illam, quasi imaginem, creavit Adamum. Verùm hic sensus symbolicus est, non litteralis (uti ipse contendit) imò incertus, & fortè falsus. Cur enim Deus assumeret formam humanam, cùm necdum esset homo qui eam videre posset?

Præclarè S. Ambros. lib. 3. ad Virg. *Contemplationem*, inquit, *corporis velut navis saburram suscipe, ne in tantis mundi fluctibus inconstantia alicuius aura te circumferat.* Chrysol. serm. 148. *Fecit*, inquit, *esse de terra; ut esses tu dominus terrenorum, & esses ipsis in ipsius substantiæ communione communis: nec tamen te terrenum terrestribus sic equavit, ut non etiam cælestibus animarum te calitus exæquaret: & ut esset tibi cum Deo ratio communis, corpus commune cum iumentis, dedit tibi animam de cælo, dedit tibi corpus de terra, ut in te nexu cæli terraq; concordia servaretur.* Et de imagine Dei nonnullis interiectis: *Adhuc*, inquit, *quid adiiciat ad honorem tuum tuus creator excogitat, in te imaginem suam ponit, ut terris invisibilem conditorem visibilis imago præsentem poneret; & in terrenis dedit vices suas, ut non fraudaretur Domini vicario mundi tam larga possessio.* Unde infert: *Homo quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo? quare sic honoratus à Deo, B teipsum taliter inhonoras?* imò Deum ipsum. Qui enim imaginem Dei, qualis est anima cuiusque, inhonoras, Deum, cuius ipsa est imago, inhonoras. Unde S. Chrysost. hom. 3. ad Pop. ex supplicio eorum qui violarant imaginem Imp. v. g. Theodosii, colligit quàm à Deo puniendi sint qui violant eius imaginem, putà animam proximi. *Quæ*, ait,

ait, *Dei imagines non tantùm deiecerunt, sed & conculcaverunt: Cùm enim reum spoas, cùm dispolies, cùm trahas, cùm deiicias, Dei imaginem conculcas*.

VERS. 2. ET ITERUM CONVERTIT ILLUM IN IPSAM, ET SECUNDUM SE VESTIVIT ILLUM VIRTUTE) Syrus, *induit eum fortitudine*. Deus hominem creavit immortalem, ut, scilicet, quamdiu obediret Dei legi, mori non posset, sed homo per inobedientiam peccans, mortalem, mortisque reum se effecit: quare Deus secundùm corpus eum in terram convertit, ut qui Dei legi, & imagini præposuerat terram, & terrena, eam rursus converteretur ex qua formatus erat.

Mos de fabrica hominis.

ET SECUNDUM SE; græcè, κατ' ἑαυτὰς, id est, *secundum ipsos*, putà secundùm illorum naturam, & conditionem, VESTIVIT ILLUM VIRTUTE) Græcè, ἰσχύν, id est, fortitudine, & robore, tum corporis, tum animi: q.d. Deus dedit homini robur animi, & corporis, ipsius naturæ & conditioni conveniens, proportionatum, & congruum ad sua munia, tum mentalia, tum corporalia ritè obeunda. Aliud enim robur requirit bos, equus, leo, &c. aliud homo: nec enim homo requirit robur bovis, & equi, sed humanis officiis accomodatum. Secundò, τὸ καθ' ἑαυτοὺς, aliqui vertunt, *contra seipsos induit eos robore*, ut scilicet robustè dominentur sui ipsi, & passionibus. Tertiò, Tigurina legit καθ' αὑτόν, id est, *secundum se*; unde vertit, *induit ipsos virtute sua*. quod secutus Jansenius: Deus, inquit, secundùm se, putà secundùm Deum, vestituit illum virtute. Addit Palacius, id fecisse *secundùm ipsos*, in plurali; id est, juxta tres personas SS. Trinitatis, quarum homo est imago, quarumque virtutem roburque induit, & repræsentat. Sensus est, q. d. Deus fecit hominem ad suam imaginem, & similitudinem, adeoque similem sibi fortitudinem illi indidit, fecitque ut homo, & corpore esset robusto, & animum pariter haberet robustum, quo, & omnia perspicere posset, & multa potenter præstare: hac ergo sua fortitudine donavit, decoravit, & circumcirca vestivit hominem Deus, ut, scilicet, sicut de Deo ait Psaltes psalm. 92. 1. *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*, & psalm. 103. *Confessionem, & decorem induisti*: sic idem dicatur de homine, quòd ex communicatione & dono Dei, robore, & decore sit circumamictus, tum Adam ipse qui in perfecta ætate, robore, scientia, & sapientia creatus est; tum quilibet è posteris eius. Hoc robur per peccatum accisum est, mansit tamen potiori ex parte. Unde Adam post peccatum robustus, & vegetus, vixit annos 930. uti, & posteri eius omnes ante diluvium, Genes. 5. Igitur integra hæc Adæ virtus, & robur proveniebat ex iustitia originali; per hanc enim, ut ait S. Prosper lib. 2. de Vita contempl. c. 18. *Non inquietabat molesta sollicitudo quietum, non fatigabat labor anxius otiosum, non somnus opprimebat invitum, non amittendæ vitæ timor angebat de immortalitate securum. Habebat facilem victum, corpus ex omni parte sanum, tranquillum motum, cor mundum, ignarus peccalis mali, habitator paradisi, expers peccati, capax Dei, cui orbis erat subiectus, nullus infestus, liber animus, & visibilis Deus*.

Græca concisa hos duos versus coniungunt in unum, sic enim dumtaxat habent: *Dominus creavit è terra hominem, rursumq; redigit ipsum in eamdem*. Sic & Syrus, *Deus de terra creavit Adamum, & convertendo convertet eum ad medium eius*, id est, in ipsam. Est hebraismus, & syrismus, quo medium rei vocatur res ipsa. Cetera verò, scilicet quòd Deus creavit hominem ad similitudinem suam, & vestiverit eum virtute, postponunt & referunt ad versus sequentes, tam Græca, quàm Syrus.

VERS. 3. NUMERUM DIERUM ET TEMPUS DEDIT (Syrus, *assignavit*) ILLI) Tigurinæ, *attribuit dies numeratos, statumq; tempus hominibus*: quia Adam, & posteri eius in paradiso vixissent longam ætatem nobis incognitam, sed à Deo definitam; post peccatum verò accidit hanc ætatem, scilicet ad 900. annos ante diluvium, post diluvium verò ad 400. mox ad ducentos, denique ad centum, 80. & 70. in qua perseverat usque ad hæc tempora, juxta illud psalm. 89. 10. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: si autem in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum labor & dolor*. Rursum, in particulari cuique homini Deus definivit numerum annorum, & dierum vitæ, sed eum cuique voluit esse incognitum, ut semper in Dei mortisque metu vitam agat honestam, piam, & sanctam, iuxta illud Job 14. 5. *Breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt*.

ET DEDIT ILLI POTESTATEM EORUM QUÆ SUNT SUPER TERRAM) Syrus, *præfecit eos omnibus rebus sapientia sua*: q. d. Suum dominium Deus homini communicavit, ut, sicut Deus dominatur cælo, & terræ, ita homo dominetur animalibus, bestiis, avibus, piscibus, totique terræ, quasi Dei vicarius, & vice Rex, imò vice Deus. Unde explicans subdit, *Posuit illius terrorem super omnem carnem*. Eximiè S. Ambros. lib. 6. epist. 38. *Processit*, ait, *postremus creaturarum omnium homo, specie gratus, mente sublimis, ut omnis creatura esset miraculo, in quo ad similitudinem æterni Dei*, (id est, mens, animus) *esset æternus, humana specie amictus. Hinc est, animis vigor; principatum animæ quasi rector sibi vindicans; quem etiamsi non vident animalia cetera, tamen reformidant; sicut nos Deum, quem quia non videmus, timemus: & eo plus metuimus, quo non videmus*.

POSUIT TIMOREM ILLIUS SUPER OMNEM CARNEM, ET DOMINATUS EST BESTIARUM ET VOLATILIUM) Tigurina, *omni animato terrorem imposuit hominis, ut bestiis dominaretur ac volucribus*: Syrus, *& iniecit timorem eorum omni carni, animali, & volatili*: q. d. Quia Deus VERS. 4.
B dedit homini dominium in animalia, feras & aves, hinc vicissim iniecit animalibus, feris & avibus hominis reverentiam & timorem, ut scilicet hominem quasi dominum suum metuant, eique obediant. Per peccatum accisus est hic animalium timor, æquè ac dominium hominis in illa. Cùm enim homo inobediens fuit Deo, iusto Dei iudicio, & vindicta, inobedientia sibi sensit pariter animalia, quin & membra propria, propriosque appetitus. Non tamen prorsus interiit: iumenta enim sponte obediunt homini, feras homo cogit sibi obedire, easque venando capit. Rursum mansit in nonnullis Sanctis plenum & integrum, qui ad primævam innocentiam accesserunt, qualis fuit S. Paulus, S. Antonius, S. Franciscus, & similes. Unde sicut ante peccatum hoc dominium à Deo datum est homini, Genes. 1. 26. sic post peccatum eidem redditum, & confirmatum est Genes. 9. v. 2. Ad utrumque enim locum respicit, imò utrumque citat hic Siracides. Vide ibi dicta.

Quocirca etiamnum leones hominem verentur, &, si putant se ab hominibus conspici, in fugam se coniiciunt, quin & tempore cicurantur iuxta illud: *Longa dies homini docuit parere leones*. Unde & nonnullos Impp. triumphasse *Feræ domantur ab homine.*
C legimus curru triumphali à leonibus tracto. Pisces hominis umbras vereri & fugere, docet S. Basil. hom. 10. Hexam. Elephantes cicurari, hominique in præliis & vectatione servire docet experientia, Unde Martial.

Et molles dare iussa quòd choreas,
Nigro bellua nil negat magistro.

Æthiopes enim ferè præsunt Elephantis, eosque regunt, & ducunt quò volunt. Denique vocem hominis verentur equi, cervi, boves, ceteraque animalia: &, si domestica sunt, illi obsequuntur: sin fera, horrent, & aufugiunt. Cetus quoque subditur homini; licet id neget Theodor. q. 20. in Genes. Audi S. Basil. 10. Hexam. *Cetus tam immanis, & ferus, nullo propè negotio, per hamum tenuiùs inhærescentem captivus abducitur, hominis ingenio & industria domitus & expugnatus, prædaq; factus piscatori, exiguo ingens, immanis imbelli*.

Denique S. Gregor. lib. 21. Moral. 11. ex eo quod ait, *dedit illis* (scilicet animalibus, non hominibus) *terrorem*, colligit hominem licèt prælatum, homini subdito non terrori, sed amori esse debere. *Homo quippe*, inquit, *ani-*
D *mantibus, non autem hominibus natura prælatus est, & idcirco dictum est ut ab animalibus, non autem ab hominibus timeatur: contra naturam enim superbire est, & ab æqualibus velle timeri*. Tyranni ergo vox est: *Oderint dum metuant*.

CREAVIT EX IPSO ADIUTORIUM SIMILE SIBI; hoc est, ut Tigurina, *formavit ex eo adiutricem similem sibi*, scilicet Evam, quæ quasi uxor adiuvaret ipsum tum in procreandis prolibus, tum in regenda familia, reque familiari administranda. Unde apud Romanos prisca erat Romuli lex, teste Dionys. Halicarn. libr. 2. Roman. Antiquit. ita sanciens: *Mulier viro legitimè coniuncta, fortunarum & sacrorum illi socia esto; utq; domus ille dominus, ita hæc domina*. Sic & Græci aliique uxores vocabant dominas. Vide Aristot. 8. Ethic. cap. 10. & Tiraqu. in leg. connub. l. 5. num. 11. & sequent. Und. S. Ambros. l. 5. Hexam. c. 7. *Non est, ait, dominus, sed maritus: non ancillam sortitus es, sed uxorem: gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentem*. VERS. 5.

Mulieris fabrica.

tem. Redde studio vicem, redde amori gratiam. Vipera (cùm mas ad feminam accedit) *venenum suum fundit: tu non potes duritiam mentis deponere?* Hinc videas, & rideas fabulas Platonis in Convivio, dum ait: *Tunc temporis tria erant hominum genera: quoniam masculum, ipso rerum primordio, solis fœtus erat: femineum, telluris: utriusque verò sexus particeps, luna: utriusque enim luna est particeps. Orbiculari verò erant, & figura, & motu, quia parentum similia: maximis ideo erant, & corporis, & animi viribus. Diis igitur bellum inferre conati erant, & in cælum ascendere,* & cetera è quibus, fabellis fabellas attexens, nugarum catenam contexit.

Posthæc verba Complut. addunt: *Sextam autem mentem illis donavit dividens, & septimum sermonem* (qui est) *interpretatio operationum eius*; quasi numeret hic septem dotes homini à Deo inditas. Prima est, quòd creavit eum ad suam imaginem; Secunda, quòd vestivit eum virtute; Tertia, quòd numerum dierum dedit illi; Quarta, quòd dederit potestatem, & dominium omnium terrestrium; Quinta, quòd eius terrorem indiderit animalibus; Sexta, quòd dederit ei mentem; Septima, quòd dederit ei sermonem. Tigurina verò hæc verba postponunt, subiiciuntque versui sequenti, sic enim habent: *Judicium, linguam, oculos, aures, & cor dedit eis ad cogitandum, sexto quoque loco mentem donavit, impertiens, & septimò sermonem operibus suis explicandis*: q. d. Deus dedit homini septem dotes, Primò, rationem sive judicium; secundò, linguam; tertiò, oculos; quartò, aures; quintò, cor; sextò mentem; septimò, sermonem. Verùm hæc verba nec Græci codices Romæ emendati, & ceteri, nec Syrus, nec ulli Latini habent; unde ab aliquo inserta videntur explicationis gratia: nam sermo explicat linguam, mens explicat cor. Adde, dotes homini datas plures hic enarrari quàm septem, uti mox ostendam.

CONSILIUM, ET LINGUAM, ET OCULOS, ET AURES, ET COR DEDIT ILLIS EXCOGITANDI: ET DISCIPLINA INTELECTUS REPLEVIT ILLOS) *Consilium*, id est, vim, & facultatem consultandi, deliberandi, eligendi. Unde Tigurina vertit, *judicium* dedit illi: hæc enim vis insita est menti, & rationi hominis, qua carent cetera animalia. Secundò, dedit illi *linguam*, ut quod mens per consilium deliberavit, id lingua excipiat, proferat, aliisque communicet, & explicet, idque voce distincta, & articulata: quare sicut soli homini data est mens, & consilium, sive rationis judicium: sic, & soli data est lingua sermoque articulatus: bruta enim quia carent mente, hinc carent, & lingua voceque articulata, qua sua phantasmata promant: nullas enim habent ratiocinationes, nullos discursus, nulla consilia, quæ enuncient; sed tantùm conceptus phantasiæ, & affectus appetitus sensitivi, quos voce inarticulata rugiendo, hiniendo, mugiendo, latrando, satis significant. Loquela ergo in homine est actus effectusque rationis, & consilii, ideoque eiusdem index, & interpres.

Addit *oculos, & aures*, quia hi sunt sensus consilii, & disciplinæ. Unde sicut solus homo habet conceptus distinctos in mente, & voces articulatas in lingua: sic, & easdem solus percipit habetque in auribus, ac per eas disciplinas omnes percipit. Idem dico de oculis: iis enim legit voces articulatas scripto consignatas, quibus disciplina omnis in libris chartisque conscripta legitur.

Denique dedit homini soli *cor*, id est, intellectum, & ingenium *excogitandi* omnes artes, & disciplinas. Unde Syrus vertit, *creavit os, & linguam, oculos, & aures, & cor ad intelligendum*. Atque hac ratione *disciplina intellectus*, id est, ut alii vertunt, *scientia intelligentiæ*, qua scilicet res quaslibet intelligit, & intellectu comprehendit, *replevit illos*. Adde, Deum Adamo in creatione infudisse scientiam omnium rerum naturalium: ex hac enim Adam omnibus avibus, & animalibus congruas indidit nomina, quæ singulorum naturam exprimerent, uti dixi Genes. 2. v. 19. & 21.

Mira fabrica singulorum hominis membrorum.

Porrò mirum artificium, æquè ac beneficium Dei elucet in hisce membris: Lingua enim Primò, discernit sapores omnis generis, atque ex iis noxios cibos dignoscit, & respuit, commodos verò utilesque secernit, & accipit. Secundò, lingua curat vulnera, uti videmus canes linguendo suas hominumque plagas sanare. Tertiò, lingua vocem edit non tantùm confusam in brutis, sed & articulatam in hominibus. Unde Cicero lib. 2. de Natura deor. linguam vocat plectrum oris, chordas verò dentes. Et S. Ambros. libr. 6. Hexam. cap. 9. *Lingua*, ait, *non solùm in loquendo, sed etiam in edendo munus pretiosissimum est: ea enim velut plectrum loquentis, & quadam edentis est manus, quæ defluentem cibum dentibus suggerit ac ministrat.* Porrò in homine lingua est mollis, & versatilis, ideòque infinitas vocum varietates, tonos, & melodias edere potest. Unde subdit S. Ambros. *Soli homines ore exprimimus quæ corde sentimus; itaque cogitationes tacitæ mentis oris sermone signantur. Quid est igitur os hominis, nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis? Absolvimus velut quamdam humani cordis regiam, in qua licet sit quadam quantitas portionis, forma tamen universitatis est.* Et Cicero loco citato: *Hac, ait, cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos à timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates iracundiasq; restringimus: hæc nos iuris, legum, urbium societate devinxit: hæc à vita immani, & fera segregavit.* Oculi sunt in homine quod in cælo sol, & luna, quod in terra fontes. Unde Hebr. *ain*, & oculum, & fontem significat: quod enim in terra est fons, hoc in homine est oculus, ut instar fontis juges lacrimarum imbres ad Deum effundat. Porrò Deus *lubricos*, inquit Cicero loco citato, *oculos fecit: & mobiles, ut declinarent, si quid noceret, & aspectum què vellent facilè converterent*, eosdemque introrsum locavit, ut, & fronte ac superciliis ciliisque tegerentur, ne pulvere aliave re læderentur. Unde S. Ambros. loco citato: *Inter hæc*, ait, *medii sunt oculorum orbes, & tuti ad cavendum, & ad intuendum liberi, & decori ad gratiam, utpote in crystalli speciem refulgentes: in quorum medio pupillæ sunt, quæ videndi munus operantur*, &c. *Unde rursum auxilium postulans Propheta psalm. 16. ait: Custodi me Domine ut pupillam oculi, ut protectionis divinæ favor ei tam sollicita, & tam fida custodia, quàm pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est.* Quare oculos dici quasi occultos, quos scilicet Deus tot tegminibus occuluit, censet Varro apud Lactant. de Opif. Dei cap. 10. Aures omnes sonorum, etiam articulatorum, species, eorumque sensa, & significata percipiunt. unde in homine auditus est sensus disciplinæ. Vox autem per aures sinuatis meatibus progreditur ad auditum, *ut in earum sinibus*, ait ibidem S. Ambros. *repercussa, sive offensione interiores ingrediatur anfractus. Nam nisi ita esset, quis non ad omnem fortiorem vocis sonum attonitus redderetur?* &c. *Sinuatio autem interiorum aurium modulandi quemdam numerorum præstat, & disciplinam: siquidem per anfractus aurium quidam rhythmus efficitur, & modulis quibusdam ingressu sonus vocis exprimitur.* De hoc ceterisque hominis membris, miraque eorum fabrica, officiis, & usibus, vide ibidem S. Ambros. S. Basil. Ciceron. ac Galenum, & Aristot. de Partibus animal. Plinium libr. 11. cap. 37. Lactantium libr. de Opificio Dei cap. 8. & sequent. & alios.

Dotes hominis quatuordecim stimuli virtutis.

Nota. Siracides hic quatuordecim dotes à Deo homini inditas assignat, ut ex singulis peculiarem obligationem illiciat, quæ hominem exstimulet ad Dei cultum, & obsequium.

Prima v. 1. est, quòd Deus crearit hominem de terra: ergo homo ut creatura, totum quod est, debet suo creatori: illud igitur illi impendat, & offerat. Rursum memor suæ originis, & vilis materiæ, profundè se sub Deo humiliet. Ut quid enim superbit terra, & cinis? ut quid superbit nihilum? homo enim ex nihilo creatus est, ac ex se nihil est, & in nihilum quodlibet momento rediret, si Deus ab eo manum suam subduceret.

Secunda, quòd Deus crearit hominem ad suam imaginem & similitudinem. Jugiter ergo hanc imaginem intueatur, videatque cujus sit imago, ac consequenter Deum quasi exemplar suum semper respiciat: illi se moresque suos assimulare satagat, ut eius sanctitatem planè referat, Deusque in eius anima quasi in viva imagine resplendeat. *Animam nostram commendavit nobis Deus, servemus depositum quale accepimus*, ait S. Antonius apud S. Ahtanasium.

Tertia, v. 2. quòd Deus rursus convertet hominem in terram ex qua sumptus est: ergo homo terrena ut caduca contemnat, ac ad mortem brevi venturam sobriè, piè, & justè vivendo se præparet.

Quarta quòd suam virtutem, & robur Deus homini contulerit: utatur ergo homo robore corporis ad agriculturam, artes mechanicas, aliosque labores honestos: ac robore animi ad resistendum mundo, carni, & dæmoni.

Quinta,

torquet. Hinc gigantes dicuntur quasi *γηγενεῖς*, in terra geniti, terræ filii, terræ moles, onera, & pondera. Hebr. vocantur *nephilim*, id est, cadentes, vel prosternentes, & *raphaim*, id est, dissolventes; quòd alios sua proceritate, atrocitate, robore, sævitia percellerent, & pessumdarent, uti fusiùs dixi Genes. 6. Sapient. 14. 6.

VERS. 9. ET NON PEPERCIT PEREGRINATIONI LOT (perperàm plerique codices Latini pro *Lot* legunt *illorum*; Complut. addunt, *Et percussit eos*; sed Romana idipsum delent.) *Peregrinationem* vocat locum peregrinationis, putà Sodomam, & Pentapolim, in qua peregrinatus, & quasi peregrinus commoratus est Lot: q. d. Deus non pepercit Sodomæ, & Pentapoli hominibus, & opibus luxurianti, sed omnes igne cælesti cremavit, & perdidit. A vindicta enim Dei quam publicè exercuit in impios gigantes per diluvium, eo mergendo totum orbem, transit ad publicam vindictam impiæ Pentapolis, qua Deus Sodomitas, & Pentapolitanos omnes igne cælesti sideravit. Unde explicans subdit: ET EXECRATUS EST EOS PRÆ SUPERBIA VERBI ILLORUM) quia scilicet superba verba contra Deum, & Lot jactabant, blasphemantes Deum, & contemnentes ejus numen, providentiam, & vindictam. Solam enim luxuriam infandam non fuisse causam excidii Sodomæ, sed, & superbiam, docet Ezechiel. cap. 16. vers. 49. *Ecce*, ait, *hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius.* Superbum enim verbum fuit, quo Lot volenti hospites suos à turpi Sodomitarum iniuria, & vi protegere, ipsi insultarunt, dicentes: *Te ergo ipsum magis quàm hos affligemus*, Genes. 19. 9. Quod verbum superbum Deum commovit ad eorum excidium, ait Palacius.

Peregrinatio Lot quæ? Respondeo Primò.

Nota Pro *peregrinationi* græcè est, *ἐπὶ τῆς παροικίας Λώτ*. quod Primò, vertunt nonnulli, *iis qui erant ex incolatu Lot*. q. d. Non pepercit Sodomitis qui incolebant Sodomam, quam pariter Lot quasi peregrinus incolebat. sic enim Græci sumunt, Τὸ *ἐπὶ*. Sic Paulus eos *qui sunt ex circumcisione*, vocat circumcisos, putà Judæos, uti dixi Rom. 2. 7. Igitur sic vertunt, *non pepercit iis apud quos commorabatur Lot, quos abominatus est propter superbiam ipsorum*. Unde, Syrus, *non pepercit*, inquit, *habitatoribus civitatis Lot, qui iniquè egerunt propter superbiam suam*.

Secundò. Secundò verti potest, *incolatui*, sive *hospitio*, *& loco, quem incolebat Lot*: unde Tigurina vertit, *ne hospitio quidem Lot pepercit, aut iis*, (Sodomitis) *quos propter ipsorum superbiam abominatus est*.

Tertiò. Tertiò, Romana propriè, & nervosè vertunt; *non pepercit pro incolatu Lot iis, quos execratus est pro superbia illorum*: q. d. Deus non pepercit Sodomitis, ne quidem propter merita sancti Lot, qui cum illis habitabat, quia ipse solus erat justus in Sodoma. Unde non potuit cohibere manum, & iram Dei, ne tam enormia omnium Sodomitarum scelera cælitus puniret, sed impetravit ut ipse cum suis euaderet dumtaxat. Nam, & Abraham pro eis orans, impetravit à Deo, ut, si inter eos invenirentur decem justi, parceret eis, Genes. 18. 32. Sed quia hi in eis inventi non sunt, hinc decreta Dei in eos ira desæviit. Simili modo ait Deus de impia Hierosolyma, jam à se destinata excidio Chaldæorum: *Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Job: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas*, &c. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt; sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur*. Ezech. 14. Vide quæ de Sodomæ incendio dixi Genes. 19. & 2. Petri 2. 6. & Sapientiæ 10. 6.

VERS. 10. NON MISERTUS EST ILLIS, GENTEM TOTAM PERDENS, ET EXTOLLENTEM SE IN PECCATIS SUIS) Ita Romana, & Complut. legunt Τὸ *&*: habet enim energiam, & significat causam perditionis (sic enim Hebræi suum *vau* copulatiuum, id est, *&*, sumunt pro *quia, nam, enim*,) q. d. Ideo totam Sodomæ gentem perdidit Deus, quia extollebat se in peccatis suis, jactans se non timere Deum vindicem, eiusque vindictam. Græcè, *non est misertus gentis perditionis* (id est perditæ, ideoque perditioni suæ, & exitio à Deo addictæ) *extollentium se in peccatis suis*; Tigurina, *non est misertus gentis perditæ, utpote peccatis suis quæ committebat elatæ*; Complut. *non est misertus genti perditæ, qui egrediebantur in peccatis suis*: legunt enim *τοὺς ἐξηρμένους*, id est, *qui egrediebantur*. Alii passim cum Nostro legunt, *ἐξηρμένους*, id est, *extollentes* se in peccatis. Syrus, *non est misertus super populo anathematizato, & sententiam tulit contra eos, ad perdendum propter peccata eorum*. Quod licet rectè referri possit ad Sodomam, rectius tamen referas ad Jericho: Deus enim Jerichuntem cum incolis ob impietatem anathemate, id est plano plenoque excidio damnavit & addixit, Josue cap. 6. Jericho ergo propriè fuit urbs perditionis, & anathematis, quia à Deo anathematizata, & incendio devota; ut hic sit tertium exemplum vindictæ Dei, impias urbes, & gentes perdentis. Unde Josue cap. 6. 17. suis ex ore Dei edicit de Jericho: *Sitque civitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino*, ut scilicet tota Deo, & iustitiæ divinæ concremetur, ac quasi holocaustum offeratur. Favet, quòd mox subdit exemplum Hebræorum tempore Mosis, qui ob murmura à Deo perditi sunt in deserto: horum filii sub idem tempus duce Josue everterunt Jerichuntem. Unde Syrus subdit, *In illo tempore sexaginta millia peditum congregata sunt*. Atqui illo tempore Mosis, & Hebræorum, non contigit excidium Sodomæ, utpote jam ante quingentos annos peractum, sed Jerichuntis. Ergo de Jerichunt locum hunc intellexit Syrus.

Denique Palacius accipit hæc de Ægyptiis: Græca enim sic habent, *Non misertus est gentis perditionis, quæ egrediebantur in peccatis suis*. q. d. Deus non pepercit Ægyptiis, quorum tota gens egressa est ad persequendum Hebræos abeuntes, extollens se in viribus, equitibus, curribus, & diis suis, sed Deus universos in mari rubro mersit, & suffocavit.

ET SICUT SEXCENTA MILLA PEDITUM QUI CONGREGATI SUNT IN DURITIA CORDIS SUI) VERS. 11. Repete ex vers. præced. *perdidit*: illud enim latet in Τὸ *perdens*, q. d. Et sicut Deus sexcenta millia Hebræorum perdidit in deserto *in duritia*, id est, ob duritiem, contumaciam, & rebellionem eorum. Unde Syrus vertit, *propter murmurationem eorum*; sic pariter perdidit Sodomam, uti dixi vt præced. Ab illo enim pendet versus præsens. Unde nonnulli legunt, *& sic*: græcè enim est *ὡς*, id est, *sicut*, sed *οὕτως*, id est, *sic*: q. d. Sicut perdidit Sodomitas, sic pariter perdidit Hebræos. Nam ex sexcentis eorum millibus qui egressi sunt ex Ægypto, duo tantùm, scilicet Iosue, & Caleb, ingressi sunt in terram promissam, cæteri omnes ob murmur exploratorum morte à Deo puniti sunt, ac reipsa in deserto mortui, juxta sententiam Dei in eos latam Num. 14. 29.

Porrò Romana è Græco vertunt, *& sic sexcentis millibus peditum* (repete, *non est misertus*: licet enim græcè sint accusatiui *sexcenta millia*, quod imitatus est Latinus Vulgatus interpres; tamen hi accusatiui latinè vertendi sunt per dativum; Græcum enim *ἐλεῶ* construitur cum accusativò, cum Latinum *misereor* construatur cum dativo) *qui congregati insurrexerunt in duritia cordis sui*. Complut. verò, & nonnulli alii ex Græco, Τὸ *sexcenta millia*, additis verbis multis, explent hoc modo: *Atque ita millia peditum, quæ congregata fuerunt in contumacia cordis illorum; flagellans, miserans, percutiens, sanans, Dominus misericordia, & castigatione conservavit*. quod Vatabl. exponit, *conservavit*, scilicet non ipsos, sed filio eorum, q. d. Dominus in conservandis suis partim ira, partim misericordia usus est. Verum hæc verba, *flagellans, miserans, percutiens, sanans*, &c. desunt in Latino, Syro, Græcis, Romanis, aliisque emendatis.

Denique Τὸ *congregati sunt* sic expone, q. d. Congregati sunt uti ad murmur, & culpam, sic quoque ad flagellum, & pœnam: congregati sunt uti ad rebellionem, ita, & ad mortem ac sepulchrum: Congregari enim, vel colligi, vel apponi ad patres, vel ingredi viam universæ carnis, apud Hebræos significat mori: mortui enim colliguntur in terra ex qua prodierunt, & in limbo patrum omnes olim justi colligebantur, qua de replura dixi Osee 4. 3.

Hoc est ergo tertium, vel juxta Syrum, quartum, vindictæ Dei publicum in impios exemplum. *Exemplum vindictæ Dei in impios.*

ETSI UNUS FUISSET CERVICATUS, MIRUM, SI FUISSET IMMUNIS) Hinc patet Interpretem Ecclesiastici minùs fuisse Latinum, & fortè fuisse hominem Græcum, uti superiùs dixi. Nam *cervicatus* minùs latinè vertit, pro *cervicosus*, id est, duræ cervicis, qui cervicem ægrè flectit, & curuat, pertinax, inobediens, rebellis: hoc enim significat Græcum *σκληροτράχηλος*: qualem describit Iob cap. 41. 15. dicens: *Cor eius indurabitur tamquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus*, vel, ut Septuag. *steterit autem velut incus immota*. Et Isaias cap. 48. 4. *Sciui enim, quia*

durus

durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua aerea. A Et Ezechiel c. 2. v. 4. & c. 3. v. 7. Sensus est Primò, q. d. Si illa sexcenta millia fuissent unus homo pervicax, & cervicosus, mirandum esset si diuinam iram effugisset. Sicut enim est Deus infinitus in misericordia, ita est, & in ira, uti damnati suo malo in inferno experiuntur: ita Palacius: q. d. Deo perinde est, & æquè facile, plectere sexcenta millia, atque unum dumtaxat: quare dum sexcenta millia morte punivit, perinde illi fuit, ac si illa omnia unam cervicem habuissent, quam Deus unico ictu amputasset. Quomodo Caligula tyrannus potiùs quàm Imperator, teste Eutropio, optabat, & sæpè exclamabat: *Utinam universus populus Romanus unicam cervicem haberet!* ut eam unico ictu resecare posset.

Secundò, & genuinè: q. d. Si Deus sexcentis millibus murmurantium non pepercit, mirum fuisset, si vel uni cervicoso, & murmuranti pepercit: pluris enim est totus populus, quàm unus è populo: quare si toti populo non pepercit, sed omnes ad unum occidit, utique nec pepercisset uni soli.

Noster hæc aptè retulit v. præced. & ad tempora Mosis, unde vertit, *fuisset*: jam Greca referunt ad tempus præ- B sens. Sic enim habent, *Quòd si unus fuerit cervicosus, mirum si erit innocens*, id est, impunitus, & immunis à pœna. Tigurina clarè; *quare si contumax unus in populo fuerit, mirum est, si impunè abeat*; Syrus, *etiam unus si induraverit cervicem suam; mirum si ille justificabitur*. Alius codex habet, *mirum si ille vincat* Dei iram, & vindictam. Ex vindicta, sexcentorum millium colligit vindictam cujuslibet ceruicosi; quocirca copula initialis, & more Hebræo est illativa, significans, *Unde, igitur, quare*, ut vertit Tigurina: q. d. Si Deus non permisit impunitos Hæbreos tanto numero, scilicet ad sexcenta millia, quanto minùs permittet impunitum unum, qui cervicem suam contra Deum audet erigere? Dicit hoc contra aliquos præfidentes, qui sic cogitant: Esto puniatur tota multitudo, ego tamen cùm sim solus, elabi vel evadere potero, uti in prælio quo multi cæduntur, quisque sperat se elapsurum. Unde id enuntians v. 16. ait: *Non dicas: A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura?*

Rursum in lite vel rixa, cervicosi, & cerebrosi, putant se sua importunitate, & pervicacia omnes, & omnia evi- C cturos, quia nemo vult rem habere cum cerebroso. Idem cervicosi nonnulli persuadent sibi fore cum Deo. At errant: Deus enim si ullos, cerebros domat, & contundit: sicut ejus fulmen omnia dura quæ resistunt confringit, mollia præterit. Hoc est quod ait Siracides: Si Deus sexcenta millia pervicacium Hebræorum contudit, & occidit; qua fronte cervicosus unus sibi persuadebit, se Dei vindicis manus impunè evasurum? Nam, vt ait Rabanus: *Censura divini judicii æquitatem servat in omnibus, & ideo nec uni, nec pluribus parcet, si se à peccatis non converterint: nullum enim peccatum impunitum dimittitur: quia aut homo ipse pœnam peccati in semetipso exigit, aut districti judicii examinatione punietur.*

Huic sensui genuino nostra Latina versio adaptari potest, si *Tò fuisset* accipias ab Interprete minùs Latino positum pro *esset*. Sic enim etiamnum Angeli, Hiberni, aliæque gentes hæc ipsa præterita, & tempora per enallagen D commiscent, & commutant, unumque pro alio accipiunt. Quin, & Latinè rectè sic loquaris. *Si hoc ævo unus fuisset cervicosus, mirum si fuisset impunitus*; significare volens; *si hoc ævo unus esset cervicosus, mirum si esset impunitus*. Ex præterito enim quod jungitur præsenti ævo vel tempori, rectè colligitur præsens, putà ex *fuisset* colligitur *esset*. Si enim hoc ævo nemo cervicosus fuit impunitus, cur alius in præsenti sit impunitus.

MISERICORDIA ENIM ET IRA (*Syrus, furor*)
VERS. 12. EST CVM ILLO) Probat, Deum nullum cervicosum præterire impunitum: ex eo quòd in Deo æquè sit ira qua impiis irascitur, eosque castigat, ac misericordia qua piorum, & obedientium miseretur: *ira* ergo, id est, justitia, & vindicta Dei, adæquat misericordiam, ac tanta est, quanta est misericordia: quare sicut misericordia ejus ad omnes, & singulos pios se extendit, neminemque vel minimum præterit; sic pariter ejus vindicta ad omnes, & singulos impios sese exserit, nec quemquam impunitum abire sinit. Vide dicta capit. 2. v. 23. Explicat idipsum aliis verbis subdens.

POTENS EXORATIO, ET EFFVNDENS IRAM) repete *cum illo*, Deo est: hoc est, potens est placatio apud Deum, sed ita ut pariter in noxio effundat iram: q. d. Deus pœnitentibus, & supplicibus facilè exorari se sinit, & placari; at impœnitentibus, & cervicosis irascitur, juxta psalm. 129. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Utinam hanc Dei placabilitatem omnes imitemur! Græcè nervosius est, δυνάστης ἐξιλασμῶν, id est, *potens*, vel *dynasta*, & *princeps*, ut vertunt Romana, *placationum*: quia scilicet Deus est mare, & oceanus placationis, & clementiæ. Sic *exorare* pro placare per catachresin accepit v. 8. dicens: *Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes.* Unde Syrus, *multus est ad parcendum, & etiam ad ulciscendum peccata*; Tigurina hunc versum, & sequentem ita connectit, & clarè effert: *Nam cùm misericordia simul, & ira impigrè proficiscantur ab eo, veniamque dare potens sit, & iram effundere, prout multa est misericordia ejus, ita multa quoque ipsius castigatio. Secundùm opera sua quemque judicat.* Addunt Jansenius, & Palacius, quòd Deus ipse dici possit *potens exoratio, & simul* tamen *effundens iram*, quia ipse copiosus est in exoratione vel placatione, sicut idem vocatur misericordia, vt, *Deus meus misericordia mea*, psalm. 58. 18. Sic Christus vocatur nostra propitiatio, & redemptio, 1. Corinth. 1. 30.

SECVNDVM MISERICORDIAM SVAM, SIC VERS. 13.
CORREPTIO ILLIVS HOMINEM SECVNDVM OPERA SVA JVDICAT) Aliis verbis inculcat quod dixit: q. d. Sicut multa est Dei misericordia quod qua miseretur piorum, & pœnitentium, iisque benefacit, sic etiam ejus correptio, & castigatio multa est: quia quemque impium secundùm opera, & demerita sua judicat, & punit. Pro *correptio* græcè est ἔλεγχος, id est reprehensio, correptio, redargutio; Syrus, *sicut misericordia ejus multa sunt, ita etiam ulciscitur peccata, & unumquemque secundùm opera sua judicat.* Nota. Miserendi causam sumit Deus ex seipso: miseretur enim non quia id meremur, sed quia ejus bonitas, amor, & pietas id suadent: & hoc significat Siracides, dicens simpliciter, *Secundùm misericordiam suam*, quia scilicet ipse, vel cum ipso, est *potens exoratio*; eò enim respicit: corripiendi verò, & iram effundendi causam sumit; non ex se, sed ex nobis, ideoque ait: *Correptio illius hominem secundùm opera judicat*: q. d. Deo proprium est misereri, & parcere, alienum verò ab eo opus est vindicare, & punire, ut ait Isaias cap. 28. v. 21. quia non nisi peccatis coactus id facit. Hinc Deus hæc nomina miserationis sibi Exodi 34. indidit, iisque à Mose, & à nobis invocari voluit, & vult: *Dominator Dominus Deus, misericors, & clemens, & patiens, & multæ miserationis*; hebr. רבחסד *rab chesed*, quod verti potest, *princeps miserationis, & pietatis.* Hinc à Paulo vocatur, *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*, 2. Corinth. 1. 3.

Aliter *Tò secundùm* explicant Hugo, Lyran. & Palacius, q. d. Secundùm præscriptum misericordiæ, correptio Dei judicat, & castigat opera prava hominum. Deus enim iram, & flagella sua temperat misericordia, adeoque ex præscripto, & dictamine misericordiæ flagella circumscribit, & limitat, ita ut in justitia, & vindicta quasi præsideat misericordia, ipsaque quasi præses, & arbitra modum puniendi definiat: mensura ergo misericordiæ, est mensura vindictæ Dei. Unde S. Anselmus in Prosologio Deum alloquens: *Nascitur*, inquit, *de justitia tua misericordia tua, quia justum est te sic esse bonum: at verò considerando justitiam, ut meritis præmia suppliciaque retribuit, prior est misericordia. Etenim movetur Deus ex seipso, & per prævium voluntatis actum, ad miserendum.*

Hæc expositio pia, sed prior magis est genuina. Solet enim Scriptura commendare justitiam, & misericordiam Dei, eaque inter se comparare, & æquare, quasi duas providentiæ suæ bases, & columnas. Unde Psaltes: *Misericordiam*, inquit, *& judicium cantabo tibi Domine*, psal. 100. v. 1. Et S. Basilius in psalm. 32. *Hæc*, ait, *intra se conjuncta sunt, misericordia, & judicium, ut neque misericordia sola securitatem inducat, nec judicium solum desperationem operetur.*

NON EFFVGIET IN RAPINA PECCATOR, ET VERS. 14.
NON RETARDABIT SVFFERENTIA MISERICORDIAM FACIENTIS) Complut. legunt ἀσεβὴς, id est, *impii*, sed ceteri legunt εὐσεβοῦς, id est, *pii*, *misericordis*, q. d. Sicut peccator, (v. g. raptor) in rapina) non effugiet celerem rapacitatis suæ correptionem, & vindictam Dei; sic pa-

pariter *non retardabit sufferentia*, id est, merces sufferentiæ, id est, exspectationis, & spei eius qui facit misericordiam: q. d. Citò mercedem suæ misericordiæ, quam sperat, & exspectat, accipiet. Pro *sufferentia*, græcè est ὑπομονὴ, quæ significat Primò tolerantiam laborem, & dolorem; Secundò, longanimem exspectationem bonorum, uti mercedis. Hic potiùs secundo modo accipitur. unde Tigurina vertit, *non effugiet cum rapina scelerosus, nec spes pium frustrabitur*: hoc enim significat Græcum καθυστερήσει; alii, *non frustra erit exspectatio pii*; Syrus, *non liberabit operantes mendacium, & defraudantes, & non frustrabitur spem iustorum in æternum*. Hoc est quod ait Apostolus Roman. 2. 6. *Reddet unicuique secundùm opera eius: iis quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione*, &c. *ira, & indignatio*. Ubi, pro *patientia* idem est nomen Græcum quod hic, scilicet ὑπομονή. Aliter Hugo, q. d. *Non effugiet in rapina*, id est, peccator non eripiet se de manibus Dei, ut eius vindictam effugiat.

VERS. 15. OMNIS MISERICORDIA FACIT LOCUM UNICUIQUE SECUNDUM MERITUM OPERUM SUORUM, *locum* scilicet apud Deum in cælo, & cælesti eius remuneratione, juxta illud Pauli: *Qui parcè seminat, parcè, & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet*, 2. Cor. 9. Vide Matth. 25. v. 35. ubi Christus ob solam misericordiam electos cælo adiudicat. Hinc patet contra hæreticos, nomen, & veritas meriti bonorum operum. Respondent Calvinus, & Kemnitius, *Tò meritum* non esse in Græco, ideoque perperam additum ab Interprete Vulgato. Verùm errant: nam græcè est κατὰ ἔργα, quod significat *pro meritis operum*, uti omnes græcè periti norunt. Unde Syrus vertit *mercedem*. Addit Noster: ET SECUNDUM INTELLECTUM PEREGRINATIONIS IPSIUS) q. d. Secundùm prudentiam, & sapientiam ipsius, qua in hac vita, quasi in peregrinatione, bona sua per misericordiam sapienter præmittit in cælum, quasi in patriam, ut inde vivat beatè in æternum: q. d. Recipiet quisque mercedem in cælo, juxta vitam sapienter in hac peregrinatione peractam. Hebr. enim שכל *sachal*, id est intelligere, significat intelligenter agere, prudenter se gerere, sapienter operari: unde שכל *sechel*, id est, intellectus vocatur ipsa prudentia, ut psal. 77. 72. *Et in intellectibus manuum* (hoc est, ut vertit S. Hieron. Aquila, & Chald. in prudentia actionum) *suarum deduxit eos*. Similia sunt Proverb. 1. 4. psalm. 15. 7. Eccles. 1. 4. & alibi.

Codex unus pro *intellectum* legit *meritum*, & ita legendum censet Jansenius: quæ sanè lectio aptior, & clarior esset, si ei plures codices suffragarentur. Suffragari videtur Rabanus dum ait: *Quod autem dicit, misericordiam facere locum unicuique secundùm intellectum peregrinationis ipsius, ostendit quòd quicumq; bonis operibus certat mandata Dei custodire in huius peregrinationis tempore, & pio labore studet cum lacrymis, & gemitu peccata sua emendare, æterna quiete merebitur consolari*. Verùm ex verbis Rabani liquet eum legisse *intellectum*; sed *intellectum* explicare per *meritum*, quod utique verum est. Ille enim in hac vita est intelligens, & sapiens, qui studet congregare merita bonorum operum, pro quibus amplas opes, & coronas se recepturum scit in cælo.

Græca de more concisa hæc tantùm habent *Omni eleemosynæ locum para* (aliqui pro ποίησον, id est, *fac, para*, legunt ποιήσει, id est, *faciet, parabit*, locum, scilicet Deus:) *unusquisque secundùm opera sua inveniet*, ut pro merito operum mercedem recipiat. Tigurina, *omni beneficentiæ locum para: nam fructum pro ratione operum suorum, suæq; peregrinationis intelligentia quisque consecuturus est*; Syrus, *omnis qui operatur iustitiam, habet mercedem, & unusquisque opera sua inveniet coram eo*.

Præclarè S. Gregorius libr. 4. Moral. cap. 43. *Quia*, inquit, *in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa* (futura) *procuidubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito superat, eo illic alius alium retributione transcendat*. Et S. Cyprian. tract. de Opere, & eleemosyna, *Præclara*, ait, *& divina res, fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei*. Vide insignem apologum, quo Barlaam docet Josaphat bona opera præmittenda esse, ut post mortem ex iis in cælo perpetim vivamus, apud Damascen. in Histor. cap. 14. Propriè verò de eleemosyna S. Chrysost. hom. 9. de pœnit. *Eleemosyna*, ait, *regina illa virtutum homines in ipsas cælorum arces celerrimè adducet, advocati optimi loco fungens. Magna res est eleemosyna, præcedit aerem, transit lunam, Solis radios excedit, ad ipsum venit cælorum culmen, ipsos pertransiens cælos, & angelorum populos decurrens, Archangelorum choros, & omnes superiores potestates, ipsi assistit regali throno*.

NON DICAS, A DEO ABSCONDAR, ET EX SUMMO QUIS MEI MEMORABITUR? IN POPULO MAGNO AGNOSCAR (Græca Rom. *non ero in memoria*; alii, *non erit in memoria*) QUÆ EST ENIM ANIMA MEA IN TAM IMMENSA CREATURA?) VERS. 16. VERS. 17. Tigurina, sive Vatabl. *non dicas, Latebo Dominum, ecquis ab alto curabit me? Præ copia populi nulla erit memoria mei: nam quantula sit mea in tam immensa natura rerum anima?* alii, *nam quæ est anima mea in immensitate rerum creatarum?* Syrus, *ne dicas, Ab ante Dominum abscondar, & in altitudine cælorum quis recordabitur mei? Et in populo multo non agnoscar, aut quæ* (vel *quid*) *est anima mea inter spiritus omnium hominum?* Est occupatio. Dixit Deum integras gentes, ut Sodomitas, Hebræos, imò totum orbem punivisse diluvio: nunc ne quis excipiat, dicatque, Deum quidem curare gentes amplas, at non singulos homines, itaque posse quem impium latere Dei cognitionem, eaque ratione eius vindictam evadere; idipsum præoccupat, & excludit, dicens: *Ne dicas, A Deo abscondar*.

Ubi Nota, tres hic ingeri rationes, ob quas impii stultè persuadent se posse Dei oculos, & manus evadere, quas omnes hic elidit. Prima est, quòd Deus sit Deus, id est, summa, & celsissima majestas, qua indignum videtur attendere, & curare singulos homines, qui coram eo quasi locustæ, & pulices sunt. Igitur Deum curare magna ut cælos, & cælestia, parva, & vilia despicere. Unde impii dicunt Job 22. *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & cardines cæli perambulat*. Sic enim rex ad singulos sui regni subditos attendere, & advigilare negligit, imò nequit. & *de minimis non curat prætor*, ut vulgò dicitur. Verùm huic respondet, quòd Deus sit Deus, id est, Numen, quod singulos æquè ac omnes intuetur, regit, curat, vindicat, præmiat. Providentia enim Dei cùm sit exactissima, & perfectissima, ad omnia, & singula, etiam minutissima, se extendit. Habet enim oculum immensum, quo omnes, & singulos videt facillimè, & distinctissimè, ac in infinitum plures, & plura videre potest. Unde S. Benedictus in raptu ad hunc Dei oculum elevatus, sub eo vidit totum mundum, quasi globum exiguum sub Solis radiis constrictum, & collectum, uti refert S. Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 35. Igitur sicut sol omnia lustrat, sic multò magis Deus. Unde Hesiodus ait Deum esse solem qui omnia videt, & omnia audit: ἠέλιος, inquit, ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷ καὶ πάντ᾽ ἐπακούει. Et Sapiens cap. 1. 10. *Auris zeli*, inquit, *audit omnia*. Et causam dat v. 7. *Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc* (τοῦτο, id est, hic spiritus) *quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium*.

Secunda causa cur impii putent se posse à Deo abscondi, est, quòd longissimè absint à Deo: Deus enim est in summo cælorum, ipsi sunt in imo terræ. Unde dicunt Ezech. 9. *Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt*. Verùm hoc pariter in ipsos retorquet Siracides: Deus enim è summo longissimè videt, quia habet visum acutissimum, & immensum. Sicut qui è monte conspicit, si oculos habeat acutos, & validos, homines a longè venientes prospicit. Rursum terra respectu cæli, & multò magis Dei, est instar puncti: igitur Deus omnes, & singulos acutè, & distinctè videt, sed exiguos instar puncti. Sicut ergo quis in cubiculo parvo videt omnia quæ in eo sunt, & geruntur: sic Deus omnia videt clarissimè quæ sunt fiuntque in terra, & toto mundo: hic enim respectu Dei est instar cubiculi. Hoc est quod ait Isajas cap. 40. 22. *Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ: qui extendit velut nihilum cælos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, iudices terræ velut inane fecit*. Denique Deus ita est in cælo, ut pariter sit in terra, omnibusque terræ locis, & angulis: cælum enim, & terram ipse implet sua essentia, præsentia, & potentia. Quare quæ quolibet loco fiunt, coram eo præsente, & spectante fiunt.

Tertia causa est, quia dicunt: *In populo magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura?* q. d. Infiniti

quasi

quasi sunt hominum milliones, inter tot unus ego latere potero. Sic enim discipuli in magna, & frequenti schola dum garriunt, & petulantias exercent, in turba sodalium abscondunt se, nec videntur à præceptore. Sic fures in cœtu cùm bursas absciderint, turbæ hominum se inserunt, ibique se abscondunt, nec dignosci possunt. Sic multi improbi abscondunt se in magnis urbibus, provinciis, & regnis: quia unus prætor, princeps, & rex in tanto subditorum numero singulos intueri, singulorumque mores, & gestus animaduertere nequit. Verùm errant: quia omnes homines, & creaturæ cùm sint numero finito, coram infinito Dei oculo sunt quasi unus atomus, quem quaquaversum circumlustrat, intuetur, & pervidet. Hoc est quod ait Isaias cap. 40. 15. *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.* Hosce immensos, & lucidissimos æquè ac justissimos, & potentissimos vindicis Dei oculos expaveicerat rex David psalm. 138. *Quò*, inquit, *ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Et mox: *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.* Quocirca quòd impii in die judicii abscondent se in speluncis, dicentque *montibus, & petris; Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni*, Apocal. 6. vers. 16. id dicent, non quòd optent abscondi, ne videantur à Deo, & Christo, (hoc enim sciunt esse impossibile;) sed ne ejus vultum iratum intueri cogantur: adeò enim ille eis erit horribilis, & formidabilis, ut malint abscondi in inferno, quàm eum aspicere.

Moral. de præsentia Dei.

Nota. Siracides identidem refricat, & inculcat memoriam præsentiæ Dei, omnia, & singula intuentis, judicantis, præmiantis, & vindicantis; quia nullus est efficacior stimulus ad homines cohibendos ab omni malo, & incitandos ad omne bonum. Unde cap. sequ. vers. 16. *Omnia opera eorum*, inquit, *velut sol in conspectu Dei: & oculi eius sine intermissione inspicientes in viis eorum.* Et cap. 23. 29. *Oculi Domini multò plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Hoc est quod intonat Boetius: *Magna nobis incumbit necessitas benè agendi, quia in conspectu iudicis omnia cernentis cuncta agimus.* Piè verò S. August. in Meditat. cap. 10. *Sic certè*, inquit, *mihi videtur cùm eius miserationes circa me attendo, quòd, si fas est dicere, nil aliud agit Deus, nisi ut mea saluti provideat: & ita totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, & mihi soli vacet. Deus, semper paratum offert: quocunque me verto, me non deserit: ubicumque fuero, non recedit: quidquid egero, pariter assistit, & tandem cunctis actionibus meis perpetuus inspector, & quantum ad bonitatem suam pertinet, quasi individuus cooperator assistit; ipse operis sui effectum patienter ostendit. Ex quo constat, quòd licet facies eius à nobis adhuc videri non possit, nunquam tamen possit eius præsentia vitari.* Et Tertull. lib. de Pœnit. cap. 6. *Nihil*, inquit, *occultum quod non reveletur: quantascumque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est; & illius oculi multò lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & corda hominum intuentes in absconditas partes.*

Complut. aliique Græci codices nonnulli, huic versui, vel versui 16. subnectunt hosce duos, qui desunt in Latino: *Dominus obduravit Pharaonem, ut ipsum non cognosceret: ut noscerentur operationes eius potentes, & efficaces* (hoc enim significat Græcum ἐνεργῇ) *in ea quæ sub cælo sunt. Omni creaturæ misericordia eius: & lucem suam ac tenebras partitus est*, sive *divisit adamante*. q. d. Deus divisit lucem à tenebris prorsus, & perpetim, perinde ac si muro adamantino ea dispescuisset, & separasset, idque fecit tum in prima rerum creatione, & dispositione, quæ jugiter perseverat, Genes. 1. tum mysticè, facit in angelis bonis, & malis, æquè ac in omnibus, verb. grat. in Pharaone, & Mose: boni enim sunt lux, mali sunt tenebræ. Quare sicut in bonis ostendit misericordiam per gratiam, & gloriam, ita in malis ostendit judicium, & vindictam per derelictionem, gehennam, idque perpetim, quasi muro adamantino eos separasset: talis enim murus est inter cælum, & infernum. Unde Abraham ad Epulonem damnatum in inferno: *Inter nos, & vos*, inquit, *chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*, Lucæ 16. 26. Syrus quoque hos versus legit, sed eos ponit ante vers. 16. Sic autem habet: *Dominus induravit cor Pharaonis, ne cognosceret eum, ut apparerent opera eius sub cælo. Misericordia eius apparerent omnibus creaturis eius, & lucem suam, & tenebras suas divisit filiis hominum.* q. d. Proposui tibi vindictam Dei in impios, misericordiam in pios. Vis exempla? Vindictæ exemplum accipe Pharaonem, qui ob suam duritiem mersus est in mari rubro quoad corpus, ac quoad animam in rogo gehennæ: misericordiæ verò exempla suggerunt omnes creaturæ, utpote quæ ab ea conserventur, alantur, vegetentur, omnibusque bonis suis cumulentur.

ECCE CÆLUM, ET CÆLI CÆLORUM, ABYSSUS ET UNIVERSA TERRA, ET QUÆ IN EIS SUNT, IN CONSPECTU ILLIUS COMMOVEBUNTUR. MONTES SIMUL, ET COLLES, ET FUNDAMENTA TERRÆ, CUM CONSPEXERIT ILLA DEUS, TREMORE CONCUTIENTUR) VERS. 19. Tigurina, *ecce cælum, cælique cælorum Dei, profundum mare, simul, & terra, quæq; hic comprehenduntur omnia cùm inquirit in ea, commoventur; totus mundus creatus, & qui creatur* (creari potest; vel *creatur*, id est conservatur: conservatio enim Dei est quasi continua creatio) *pro voluntate ipsius, montesque simul ac fundamenta terræ, cùm Dominus in ea despicit, tremore concutiuntur*; Syrus, *ecce cæli cælorum, & abyssus, & terra in manifestatione eius quæ super eos stant, radices montium, & fundamenta orbis, cùm manifestatur super ea, commoventur.* Refutat id quod ex ore impiorum dixit: *A Deo abscondar*, &c. ex eo quòd Deus intueatur, & conspiciat omnes mundi partes, easque suo conspectu commoveat, & tremore concutiat: inde enim colligendum relinquit, Deum pariter conspicere omnia singulorum facta, ut ea judicet, ideoque omnes, & singulos hujus divini aspectus metu, & reverentia debere tremere, & horrore concuti. Per *cælum* enim accipit aerem, per *cælos cælorum* cælos sidereos & ceteros cum empyreo; per *abyssum* mare, quibus junge terram cum suis incolis; habebis omnia orbis elementa, & cælos, quæ totum mundum componunt, & coagmentant: *fundamenta terræ* accipit imas partes terræ, ejusque centrum, quibus quasi fundamentis terra inniti videtur.

Porrò hæc Deus commovet suo *conspectu*; græcè, ἐπισκοπῇ, id est, inspectione, & visitatione, quia cùm Deus vult ea visitare, in iisque ostendere suam præsentiam, & potentiam, ad hominum terrorem, ea loco movet commovet, & concutit, uti concussit totam terram in passione Christi; & montem Sina cùm in ea daret legem Mosi, psal. 67. 9. ac alias provincias, & insulas crebrò terræmotibus loco movit, & conquassavit: sed maximè id faciet in fine mundi sub diem judicii, ut patet Apocal. 6. 14. Hoc est quod ait Psaltes psal. 13. *Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.* Et Job. cap. 9. 5. *Qui transtulit montes, & nescierunt hi quos subvertit in furore suo.* Vide psal. 17. vers. 8. & sequ. Prodigiosa enim, horrifica, & divina, imò propria opera, quibus ipse suum in orbem imperium, & magnificentiam ostendit, sunt tonitrua, & fulmina, & terræ motus: hæc enim sunt portenta, & omina divinæ tum potentiæ, tum indignationis, & vindictæ, ut eius Numen velut terribile ac sacrosanctum metuamus, & veneremur. Hinc illud Job cap. 37. 4. *Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ, & non investigabitur, cùm audita fuerit vox eius.* Et cap. 38. 35. *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi: Adsumus?* Et cap. 9. 6. *Qui commovet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.*

Quocirca Philastrius libr. de Hæresibus, hæreticos appellat, & vanos philosophos illos, qui terræ motum rerum, & elementorum naturæ asscribunt, non Dei peculiari jussioni, & indignationi, qua peccatores commonet, ut convertantur. Hinc apud Gentiles prodigiosum semper extitit antiquitati, atque adeò divinum, *Si tonuit, si fulguravit, si terra movit.* Vide Gellium lib. 2. c. 28. & Senecam lib. 2. & 6. Natur. quæst. Quare, & in terræ motibus libros Sibyllinos consulebant, teste Livio libr. 34. *Ioue tonante ac fulgurante comitia populi habere nefas* ait, Cicero lib. de Divinat. Hinc, & fulgurales, sive augurales libri, qui de auguriis ex fulguribus captandis tractabant, quorum meminit Cicero lib. 1. de Divinat.

Ratio est, quia Deus totum orbem pugillo concludit, unde eum facilè concutere potest, iuxta illud Isaiæ 40. 12. *Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera?* q. d. Quis, nisi solus Deus? Idem cecinere Poetæ. Virgil. 4. Æneid.

Regnator, cælum, & terras qui numine torquet.

Seneca in Agamemn.

Pater ac rector fulmine pollens,
Cujus nutu simul extremi
Tremuere poli.

Idem in Hercule furente.

O magne Olympi rector, & mundi arbiter,
Prò numinum vis summa, pro cælestium
Rector parensque cujus excussis tremunt
Humana telis.

Alius ait de Deo, quòd *Nutu tremefacit Olympum*, Aliter Palacius: Cæli, ait, terra, mare, & omnia, quæ in eis, commoventur coram Deo, id est, nullum motum edunt, quin is protinus à Deo videatur; q. d. Ne tantillum quidem se movere possunt, quin ilicò id omne à Deo conspiciatur. Sed audi miram ejus de fundamentis explicationem: In medio terræ, ait, est vastissima vorago ubi infernus est: est verò cavitas illa fornicata, lapideo arcu constructa. Fornix illa saxea est fundamentum terræ: ut enim ossa sunt animalium fundamenta; ita lapideæ venæ ab illo fornice incipientes, ossa terræ, ac ideo ejus fundamenta sunt. Qua de causa meritissimè subdit Auctor, quòd Deo hæc fundamenta respiciente, tremor terram quatit: quia ossibus animalis concussis, concutitur, & corpus anima ita. Hæc Palacius.

Denique cùm horrendo fragore reboant tonitrua, & vibrantur fulmina, videtur cælum, montes, colles, totusque mundus quassari, & timore percelli, adeò ut cervæ quæ difficillimè pariunt, cùm tonat, pavore nervos laxante, pariant, fœtumque emittant, juxta illud psal. 28. 9. *Vox Domini* (tonantis) *præparantis cervos*; S. Hierom. *obstetricans cervos*; alii, *contremiscere vel parturire facit cervos*. Quid ni ergo peccatores?

Dei aspectus metuendus: cur? Causa prima. Moral. disce hic quàm potens, & efficax sit Dei conspectus, ut totum mundum conquasset, & è centro convellat, si velit, ac proinde quàm eum suspicere, & revereri debeamus.

Ratio est prima quia conspectus Dei indivisè jungitur voluntati Dei: voluntas autem Dei non est ut voluntas humana vel angelica, quæ vult dumtaxat, nec facit quod vult; sed volendo facit ilicò, quod efficaciter vult. Dixit enim *Fiat lux*, & ilicò facta est lux. Dixit, *Fiat firmamentum*, cæli, sol, luna, sidera, elementa, homines, aves, pisces, animantia; & ilicò facta sunt, Genes. 1. *Nam omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo, & in terra*, psalm. 134. v. 6. quia voluntas Dei simul est potentia, imò omnipotentia Dei, ejusque actus, & executio.

Secunda: Secunda ratio est, quia conspectus hic Dei est instar Solis, qui radios suæ lucis diffundendo omnia illuminat, vivificat, fœcundat; alia exurit, alia liquat, alia indurat. Hosce radios deitas communicavit humanitati Christi. Undè Christus respiciens Petrum lapsum, Matthæum, & Zachæum publicanos, ceterosque peccatores, ilicò eos ad se, & ad pœnitentiam sanctitatemque convertit, Si enim basiliscus oculis suis necat eos, quos aspicit: si iynx avis, quæ vertilla, & torquilla à colli versura vocatur, teste Aristot. libr. 2. Animal. cap. 12. perhibetur suo aspectu homines in sui amorem rapere: si magnes oppositus ferro, illud ad se rapit: quid mirum si oculi Christi, in quibus radiabat fulgor divinitatis, suo aspectu Apostolos ceterosque ad se rapuerint?

Tertia: Tertia, quia conspectus hic Dei practicus est: est enim ejus inspectio visitatio, & judicium: judicium autem Dei efficax est, quia eo plectit sontes, præmiat insontes.

Mysticè Rabanus: Cæli, inquit, sunt angeli, qui cælum incolunt: abyssus sunt dæmones, qui incolunt abyssum gehennæ; hi omnes coram Deo contremiscunt juxta illud Apostoli Philip. 2. *In nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: per montes enim, & colles, potentium persona demonstratur: & per fundamenta terræ, consilia mentium humanarum: hæc ergo ad intuitum Dei contremiscunt: quia ejus ditioni omnium subduntur. In Scriptura quoque sacra sæpè montium nomine prædicantium altitudo signatur. De quibus per Psalmistam dicitur: Suscipiant montes pacem populo tuo. Electi quippe prædicatores æternæ patriæ, non immeritò montes vocantur: quia per vitæ suæ celsitudinem ima terrarum deserunt, & cælo propinqui fiunt. Subiectis ergo divinæ voluntati electis Dei sola repugnat mens superborum: sed contraire illi satagens, ipso se gladio contradictionis frangit: ordini interno remittitur, sed suis vetita conatibus ligatur. Unde in Job ita scri-*
A *ptum est: Quis restitit ei, & pacem habuit? quia perversa mens, unde se contra auctorem erigit, inde se in semetipsa confundit. Habere ergo pacem, resistens non potest, quia dum superbiam confusio sequitur, quod stultè per culpam geritur, hoc in agentis pœna mirabiliter ordinatur.* Hæc ex S. Gregorio Rabanus. Rursum per *fundamenta terræ*, Glossa accipit profunda consilia; Hugo, Cardinales: hisce enim quasi cardinibus, & fundamentis inniti videtur Ecclesia. Hi quoque pavore concutientur, cùm Dominus ad judicandum venerit; cui enim plus datum est, plus exigetur ab eo.

ET IN OMNIBUS HIS INSENSATUM EST COR, ET OMNE COR INTELLIGITUR AB ILLO) q. d. Cor VERS. 20.
hominis non penetrat, nec pro dignitate æstimat, & ponderat ea quæ dixi de Dei efficaci omnium inspectione, judicio, & vindicta. Unde ea, ut par est, non metuit, nec ejus offensam, & peccatum exhorret, perinde ac si intentum esset: illud ipsum tamen cor plenè intelligitur, & penetratur à Deo, qui omnes ejus sinus, intentiones, verutias usque ad fundum intuetur, & pervidet, ideoque est, & dicitur καρδιογνώστης, id est, cordium scrutator, & cognitor. Unde idipsum exaggerans subdit:

ET VIAS ILLIUS QUIS INTELLIGIT, ET PROCELLAM, QUAM NEC OCULUS VIDEBIT HOMINIS?) VERS. 21.
Procella propriè est vehementior venti impetus, in mari potius quàm in terra: ita dicta ab eo quod omnia procellat, B id est, moveat, & percutiat, juxta illud Virgilii lib. 1. Æneid.

Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus.

Audi S. August. libr. 3. de Genes. ad lit. cap. 10. *Aer commotus*, inquit, *ventos, & ubi vehementius concitatus, ignes & tonitrua facit.* Et Plinium lib. 2. cap. 48. *Flatus venti*, inquit, *& rumores terrestrium modo, tonitrua, & fulgura edunt: maiore verò illati pondere incursuque si lata siccam ruperint nubem, procellam gignunt, quæ vocatur à Græcis ecnephias*, quæ etiam naves, & domos aufert, & in alium locum transfert, Hinc metaphoricè *procella* vocatur vindicta acris, & sæva, instar procellæ omnia sternens, & vastans. Unde Jerem. c. 23. 19. *Ecce turbo*, inquit, *Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum veniet.* Et Isaias cap. 21. 1. *Sicut turbines*, inquit, *ab Africo veniunt, de deserto venit*; Septuag. *tempestas per desertum transiens de terra horribili. Visio dura nuntiata est mihi.* Et c. 30. v. 33. loquens de Tophet, & gehenna: *Nutrimenta*, inquit, *ignis, &*
C *ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.*

Sensus ergo Siracidis est, q. d. Quis porrò hominum acutissimorum vel angelorum, *vias*, id est, modos, & rationes quas Deus in agendo, & operando sequitur, plenè cognoscat, præsertim verò *procellam*, id est, procellosam illam vindictam, quam in impios detonabit, & fulminabit in magno illo judicii die, quæ tanta erit, ut ante illam nullam ei similem visurus sit oculus hominis? Tunc enim, ut ait Sapiens cap. 5. v. 18. *Accipiet armaturam zelus Dei*, &c. *acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum*, &c. *excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, & tamquam turbo venti dividet illos.* Ita Rabanus, *Profunditatem*, ait, *consilii divini, & potentiam judicii, quæ procellæ nomine hic designatur, nemo penetrare poterit.* Et Hugo, *Procella*, ait, *est districtio divini judicii.* Aliter Palacius: Procellas, inquit, id est, tempestates omnes quæ in mari, & locis desertis
D fiunt, solus Deus conspicit: nam plurimas nec vident, nec videre possunt homines, vel quia absentes sunt, vel quia iis hauriuntur, & submerguntur. Sic, & Dionys. *Procella*, inquit, *est repentinus impetus venti, imbris, qui cùm fit in locis desertis, non latet.* Unde Job c. 38. *Quis dedit*, ait, *vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui?* ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur.

Moraliter idem: Terra, ait, conspectum Dei tremit, cor hominis conspectum minimè tremit, Veretur quivis conspectum proximi, at ideo non peccat; nos nil veremur conspectum Dei, ut non peccemus. Si nec nutum oculi abscondere potes ab oculis Dei, cur coram tanta maiestate audes illam offendere?

Græca concisè sic habent, *quæ omnia digne non cogitabit, cor, & vias ejus quis considerct? nam procella est quam nemo hominum conspicit*; Tigurina, *nec tamen hæc cor ullum satis intelli-*

fatis intelligit, cùm ab Ipso corde intelligantur omnia: nam in districta ipsius atque non visa ab homini vim (vel *turbinem*) *quis animo comprehendat?* Syrus hæc omnia usque ad vers. 25. pro libito arctans, & paraphrasticè explicans, paucis ita perstringit: *Etiam ego non ponam in corde. In viis meis quis intelliget? si peccavero, non videbit me oculus: & si mentitus fuero in omni loco abscondito, quis sciet? Excordes dicent hæc, & vir iniquus ita meditabitur.*

VERS. 22. NAM PLVRIMA ILLIVS OPERA SVNT IN ABSCONSIS: SED OPERA IVSTITIÆ (justæ vindictæ) EJUS QVIS ENVNTIABIT, AVT QVIS SVSTINEBIT?) *Sustinebit*, id est, exspectabit vel feret, id est, ferre, & tolerare poterit. Utrunque enim significat Græcum ὑπομενεῖ q. d. Dixi de uno opere Dei, scilicet procella ignea iudicii ipsius: nam plurima alia Dei opera sunt arcana, & nobis abscondita, sed opera justitiæ suæ, præsertim procellam judicii jam dictam, hominibus aliquatenus revelavit, ut ipsi ea, utpote se concernentia, expavescant, ac sanctè vivendo evitent, & caveant. Attamen hæc ipsa quis pro dignitate enuntiet? quis verò ea intrepidus futura exspectet, vel præsentia ferat, aut toleret? q. d. Nemo. Unde Tigurina, *nam maxima pars operum ipsius occulta est: quis enarret exempla iustitiæ ipsius, aut sustineat?* Si cupis scire quæ sint opera Dei in absconsis, putà thesauri, nivis, pluviæ, grandinis, roris, gelu, glaciei, &c. lege Job. cap. 38.

LONGE ENIM EST TESTAMENTVM A QVIBVSDAM, ET INTERROGATIO OMNIVM IN CONSVMMATIONE EST) *Testamentum* vocat iudicium Dei, quo cuique pro meritis præmia, vel poenas præsentes, & æternas decernit. Dicitur *testamentum*, quia à Deo dispositum, & constitutum, eiusque quasi ultima voluntas est, & dispositio, ac proinde firmissimum erit, planeque effectum sortitur, longè certiùs quàm testamenta ab hominibus moribundis condita. Sensus ergo est: q. d. Testamentum, id est decretum, via, & ratio judiciorum Dei remota est à cogitatione, & cognitione hominum, quia homines ea non cogitant, non ponderant pro rei veritate, & gravitate; sed multi vivunt perinde ac si futurum non esset judicium, ac si non esset Numen, ac velut infernus fabula vana foret: & tamen *in consummatione*, & in fine mundi, certissimè fiet *omnium interrogatio*; græcè, ἐξετασμός, id est, examen, & inquisitio, eaque exacta, rigida, & severa, adeò ut nec minimæ culpæ iniudicatæ, & impunitæ prætereant. Porrò Tigurina vertit, *longum enim fatum est, & omnium inquisitio, deficit*: quod Vatabl. exponit, q. d. *Longa est fatorum series, quæ priusquam explorata sit, deficit omnium inquisitio.*

Aliter quoque alii: q. d. *Testamentum*, id est, pactum ab hominibus cum Deo initum de observatione mandatorum ejus, longè est à mente, & opere eorum, quia à multis parum cogitatur, & observatur. Ita Dionys. Emmanuel Sa, & Palacius, qui sic explicant: Cùm omnium hominum interrogatio, inquisitio, & examen futura sint in eorum consummatione, id est, in morte, quomodo patiuntur homines se longè esse à lege Dei sui? Sic in Scriptura sæpè *testamentum* vocatur pactum cum Deo initum, ipsaque Dei lex, quia lex est conditio pacti: hac enim conditione Deus iniit nobiscum pactum de danda sua hereditate, & gloria, si nimirum legem ejus observemus. Ut, *Non custodierunt testamentum Dei*: quod explicans subdit. *Et in lege eius noluerunt ambulare*, psalm. 77. Et alibi sæpè. Unde vocatur arca testamenti, id est, foederis, & legis, quia continebat legem, putà tabulas decalogi dati à Deo: lex enim erat conditio foederis initi inter Hebræos, & Deum.

Anagog. Testamentum Dei, & Christi est decretum, quo electos conscripsit suos heredes in regno cælorum, hoc longè abest ab improbis, & reprobis, quos diabolus conscripsit suos ciues in gehenna: multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Sed horum omnium inquisitio, discretio, & separatio erit in fine mundi, putà in die iudicii: ita Rabanus, & Hugo: Testamentum, ait, id est, promissio vitæ æternæ, longè abest à peccatoribus.

VERS. 23. QVI MINORATVR CORDE, (id est, stultus, insensatus, demens, cui deest sapientia, prudentia, mens, judicium (hunc enim Hebræi vocant חסר לב *chasar leb*, id est, deficientem corde.) Hic ergo quia inani est corde, hinc *cogitat* non vera, & solida, quæ dixi, de Dei

judicio, & vindicta, sed *inania*, de nugis, & vanitatibus sæculi, putà de sectandis deliciis, opibus, honoribus, fabulis, ludis, &c. qualis enim quis est, talia, & cogitat: ET VIR IMPRUDENS ET ERRANS COGITAT STVLTA) putà vanitates, & cupiditates, (ut eas mox explicat,) quæ à Deo, & cælo ad dæmonem, & gehennam eum deducunt, ideoque sunt stulta, &, ut græcè est, μωρὰ, id est, fatua, imò insana, & delira: juxta illud psal. 39. 5. *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates, & insanias falsas.* Et psal. 4. *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Qui ergo non cogitant de futura felicitate, vel infelicitate, deque sua æternitate: hi sunt corde exiguo, imprudentes, & errantes, quia sola cogitant temporalia planè inania, & stulta.

Contrariè vertit Tigurina, *qui animo*, inquit, *submisso præditus est, perpendit hæc; vir autem insipiens, & delirus stulta cogitat*: q. d. Humiles qui mentem Dei voluntati demissè substernunt, intelligent hæc, ideoque sapient; superbi verò ad stultos suos honorum fumos deflectentes, in iis stultescent, juxta illud Christi Matth. 11. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater; quoniam sic fuit placitum ante te.*

Moral. Hugo: Qui minoratur corde, inquit, id est, cordis magnanimitate per pusillanimitatem, vel cordis devotione per tepiditatem, vel cordis audacia per timiditatem, vel cordis tranquillitate per avaritiam, aut cordis munditia per luxuriam; hic cogitat inania, id est, vana, & falsa, juxta illud Osee 7. *Factus est Ephraim quasi columba, sed avis non habens cor.*

AVDI ME FILI, ET DISCE DISCIPLINAM SENSVS, ET IN VERBIS MEIS ATTENDE IN CORDE VERS. 24.
TVO, ET DICAM IN ÆQVITATE DISCIPLINAM, ET VERS. 25.
SCRVTABOR ENARRARE SAPIENTIAM: ET IN VERBIS MEIS ATTENDE IN CORDE TVO, ET DICO (id est, dicere propono, vel *dico*, id est, dicam) IN ÆQVITATE VIRTVTES, QVAS POSVIT DEVS IN OPERA SVA AB INITIO, ET IN VERITATE ENVNTIO SCIENTIAM EIVS) Græcus de more hic concisus, & bimembris est, cùm Noster sit trimembris. Unde Iansenius censet tertium membrum, sive sententiam, hic æquè ac in aliis locis hujus libri, ex alia cujusdam versione esse assutam. Verùm ut alia superiùs dicta prætercam, id hoc loco dici nequit. Nam τὸ tertii membri, *Et dico in æquitate spiritus virtutes, quas posuit Deus in opera sua ab initio*, in nullo Græco invenitur, ac consequenter nulla fuit versio, ex qua in nostrum textum traduci potuerit. Dicendum ergo, nostrum Interpretem olim plenius habuisse exemplar Græcum, in quo hæc continebantur. Pro *æquitate* græcè est σταθμῷ, id est, *pondere* q. d. Dicam disciplinam ad æquum rationis pondus appensam, & matura consideratione libratam, & perpensam: nihil dicam nisi priùs justo judicii examine, & libramine discussum, & ponderatum, ut nihil falsum, nihil imprudens, nihil vanum, & inutile, nihil leve, & temerarium; sed omnia vera, prudentia, solida, utilia, gravia, matura proferam, & pronuntiem. Unde mox subdit, *Dico in æquitate spiritus*, id est, cum æquo, & justo mentis examine: q. d. Dico id quod priùs diligenter expendi, libravi, consideravi, dijudicavi: dico, inquam, *virtutes quas posuit Deus in opera sua ab initio*, q. d. Enarro Dei heroicas virtutes, dotes, & attributa, putà sapientiam, potentiam, bonitatem, justitiam, &c. quas Deus ostendit in universi creatione, & dispositione. Rursum virtutes quas ipsis rebus initio creationis indidit, & communicavit; verbi gratia angelis, & hominibus potestatem ratiocinandi, animalibus potestatem sentiendi, plantis vegetandi, igni calefaciendi, aquæ refrigerandi, & humectandi, &c. ita Hugo.

Græca sic habent, *audi fili mei, & disce scientiam, & in verbis meis attende corde tuo. Ostendo in pondere disciplinam, & in veritate*, vel potiùs *in exacta diligentia* (hoc enim est ἐν ἀκριβείᾳ,) *annuntio scientiam*; Tigurina, *audi me fili, & scientiam amplectere, atque mea dicta adverte animum. Explicabo perpensam eruditionem, ex tanquam scientiam edissero*; Syrus, *audite me, & suscipite doctrinam meam, & omnibus verbis meis tradite cor vestrum. Dico in pondere* (cum statera, cum libramento) *verba mea, & cum sapientia manifesto doctrinam meam.*

Porrò Siracides more Rhetoris ante orationem conciliat sibi benevolentiam auditoris, blandè eum compellando filium; & attentionem, dicendo se dicturum res graves de Dei virtutibus; & docilitatem, dicendo se nihil dicturum nisi priùs longo examine discussum, & ordinatum. Nam, ut ait Boetius de Discipl. scholar. *Discipulus debet esse docilis, attentus, benevolus: docilis ingenio, attentus in exercitio, benevolus animo ad audiendum.* Siracidem ergo imitentur doctores, æquè ac discipuli; illi ex eo discant modum docendi, hi discendi.

Præclarè S. Gregor. hom. 13. in Evang. *Verba*, inquit, *Dei, quæ aure percipitis mente retinete: cibus enim mentis est sermo Dei, & quasi acceptus cibus in stomacho languente reiicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur: sed quisquis alimenta non retinet, hujus profectò vita desperatur. Æternæ ergo mortis periculum formidate, si cibum quidem sanctæ exhortationis accipitis, sed verba vitæ, id est, alimenta justitiæ, in memoria non tenetis.* Hac de causa repetit, & inculcat *Tò attende in corde tuo.* Nam, ut ait Senec. epist. 108. *Quidam veniunt*, inquit, *ut audiant, nō ut discant: sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures, oratione, vel voce, vel fabulis ducimur. Magnā hanc partem auditorum videbis, cui philosophi schola deversorium otii sit; non id agunt, ut aliqua illis vitia deponant, ut aliquam legem vitæ accipiant, ad quam mores suos exigant: sed ut oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen, & cum pugillaribus veniunt, non ut res accipiant, sed ut verba, quæ tam sine profectu alieno dicunt, quàm sine suo audiunt.* Tales erant Judæi; de quibus Dominus ad Ezechiel. c. 33. 32. *Et eis*, ait, *quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Longè aliâ mente David à Deo doceri optat, dicens: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua*, &c. psal. 118. v. 14. & seq.

VERS. 26. IN JUDICIO DEI OPERA EJUS AB INITIO (q. d. Deus ab initio mundi creavit, & disposuit opera sua magno judicio; græcè κρίσει, id est, sapientia, prudentia, discretione, modo, & ordine, juxta illud Sap. 11. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.*) ET AB INSTITUTIONE; græcè, ποιήσει, id est, effectione, creatione, IPSORUM) Complut. legunt *operum hominum*; sed ceteri Græci, & Latini passim legunt *ipsorum*) DISTINXIT PARTES ILLORUM, ET INITIA EORUM IN GENTIBUS SUIS.

Initia mūdi quæ? Resp. Primò. Quæres, quænam hæc *initia in gentibus*? Primò, Iansenius ex Græco germanè sic exponit: *initia*, græcè ἀρχὰς, id est, *principatus*, sunt principes, & præcipuæ mundi partes, putà sol, astra, cæli, quæ principatum quemdam in inferiorem mundum, putà in terram, & aerem obtinent; nam de terra mox subdit v. 30. *Post hæc Deus in terram respexit.* Sensus ergo est, q. d. Deus mox ut creavit opera universi, illicò distinxit partes eorum, dividendo aquas ab aquis, elementa à cælis, mare à terra, &c. distinxit quoque τὰς ἀρχὰς, id est, partes illas primas mundi, quibus totus orbis inferior regitur, *in suis gentibus*, id est, generibus, quia fecit, ut quodlibet astrum, & cælum, suum haberet genus, naturam, motum, proprietatem, diversa eis officia attribuens, verbi gratia: Soli ut illuminet diem, lunæ ut illuminet noctem, suoque cursu menses, & tempora dimetiatur, & distinguat. Hoc sensu *gentes* per catachresin vocantur *genera*: hæc enim significat Græcum γενεὰ. Et sic

Gentes, id est genera. Hebræi solem, astra, cælos, &c. vocant *gentes*, id est, milites, *Dei*, à quibus Deus vocatur *Deus sabaoth*, id est, Deus exercituum. Unde v. 28. ea inter se vocat *proximos*. Simili catachresi Sap. 1. 14. dicitur, *sanabiles*, id est, salutares, & salubres, *fecit nationes orbis terrarum*: *nationes*, græcè γενέσεις, id est, generationes, putà res genitas, & creatas à Deo. q. d. Deus fecit, ut res à se genitæ, & creatæ essent salutares, non lethales, & mortiferæ. Unde sequitur: *Et non est in illis medicamentum exterminii*, id est, ut Græca, *pharmacum exterminans*, & interimens; S. Hieron. *non est in eis venenum mortiferum.* Sic ibidem capit. 19. 10. vocat *nationem animalium.* Sic, & Festus bonum fœturæ proventum in pecoribus, vocat *bonam nationem.* Natio enim alludit ad etymon nasci, sicut ad γεννᾶσθαι. Sensum jam datum sequitur Syrus, dum vertit, *quando creavit Deus opera sua ab initio, cum creatione eorum distribuit leges eorum, & dedit usque in finem operationes eorum, & dominium eorum in omnes generationes sæculi.* Denique Latini nomen *gens*, deducunt à *genus*, u littera detracta: gens enim est quæ ab uno genus ducit, ut Romani à Romulo, Israelitæ ab Israele, id est Jacobo, Chananæi à Chanaan. Hinc gens dicitur genus, cœtusque apum, ut Columella libr. 9. cap. 9. *Intestino*, ait, *bello totæ gentes* (apum examina) *consumuntur.* Sic etiam gens de piscibus dicitur apud Virgil. 4. Georg.

Cùm Proteus, consueta petens è fluctibus antra,
Ibat, eum vasti circùm gens humida ponti
Exultans, &c.

Non ergo mirum, nec illatinum, *gentem* significare genus.

Secundò, simpliciùs, & planiùs exponas, q. d. ἀρχὰς, id est principatus, hoc est, corpora cælestia, quæ primas mundi tenent, distinxit Deus suis gentibus, id est angelis, ut ipsi orbes cælestes regant, moveant, ordinent, iisque per omnia præsint. ita Lyran. Aut certè ἀρχὰς, vocat principatus angelicos: q. d. Deus creavit, & distinxit mundi partes, iisque præfecit angelos ex ordine Principatuum, & Potestatum, qui sunt ἀρχαὶ, id est, principes in gentibus suis, id est, inter angelos, & angelicos ordines inferiores, putà inter Virtutes, Archangelos, & Angelos, qui dumtaxat præsunt singulis provinciis, civitatibus, & hominibus. Unde Palacius sic explicat: Deus, inquit, addixit cuivis cælo suum initium, id est, principem, & ducem, quos Philosophi vocant intelligentias motrices, Theologi vocant virtutes cælorum. Addit idem: Fortè, inquit, gentes cælorum sunt stellæ, qui milites cælorum dicuntur, & vocati *dicunt, Adsumus*, Baruch. 3. q. d. Habent stellæ sua initia, id est, suos principes angelos sibi deputatos. Sic Moses (quò alludit Siracides) Deuter. 32. 8. juxta Septuag. ait: *Quando dividebat Altissimus gentes, &c. constituit terminos gentium juxta numerum angelorum Dei*: q. d. Ab initio constituit, & præfecit Deus singulis populis, & gentibus angelos custodes, & quasi præpositos. ita Origen. homil. 11. in Numer. S. Cyprian. S. Chrysost. & alii quos citavi Deuter. 32. Huic expositioni favent Græca, quæ statim post ἀρχὰς, subjungunt: *Non esurierunt, nec defatigati sunt, nec destiterunt ab opere suo?* quod rectiùs angelis competit, quàm cælis. Animatis enim, quales sunt angeli, competit esuries, non cælis inanimis, æquè ac defatigatio, & cessatio à motu, & rotatione orbium cælestium. — *Secundò.*

Tertiò, *initia* propriè accipias. Unde aliqui ex Græco vertunt, *in manus ejus* (hæc enim addunt Complut.) *principia eorum in omnes ætates*: q. d. Deus ab initio uti partes, ita, & principia mundi manu sua continens, constituit, & firmavit, ut durent per omnes sæculorum generationes: ita principium diei, lucis, solis, cælorum, ortus, & occasus astrorum ab initio mundi constituit, ut per suum calorem, & influxum continuò præsint generationi plantarum, frugum, fructuum, animalium, & hominum. Tolle enim solem, & astra, nulla erit generatio in terra. Favet versio Tigurina, *cum iudicio operatus est Dominus ab initio, & à prima rerum creatione partes eorum disposuit. Opera sua excoluit perpetuò, & initia eorum per sua sæcula generaque* (γενεὰ enim, & sæculum, & genus significat;) ac Complut. dum legunt, *in manu ejus principatus eorum*, εἰς γενεὰς γενεῶν, id est, *in sæcula sæculorum*; alii legunt, εἰς γενεὰς αὐτῶν, id est, *in genera* vel *generationes eorum.* — *Tertiò.*

Quartò, Rabanus gentes propriè accipit, æquè ac initia: q. d. *Ex quo hominis propaginem dilatare Deus disposuit, singularum gentium originem per partes singulas mundi discrevit, ita ut unaquaque gens ex parentis sui vocabulo denominata, sedes proprias in singulis provinciis possideret. Mysticè autem divina Sapientia Ecclesiam suam instituens, per totius partes orbis illam dilatavit, atque in singulis gentibus collocavit. Unde est quòd in Apocal. c. 1. 2. & 3. septem Ecclesiis, quæ fuerunt in Asia, sermo Dei directus est.* — *Quartò.* — *Mysticè.*

Sic, & Hugo: *Initia*, inquit, id est, initiales possessiones suas, in gentibus Deus distinxit, tribus filiis Noe distribuendo tres partes mundi, nimirum ut Sem cum posteris incoleret Asiam, Cham Africam, Japhet Europam. Idem mysticè: Deus, inquit, initio Ecclesiæ distribuit provincias orbis Apostolis, ut Joannes converteret Asiam, Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam, &c. *Nec esurierunt*, id est, esuriem corporis Apostoli non reputaverunt. *Nec laboraverunt*, id est, corporis laborem nihil fecerunt,

runt, imò cum gaudio labores, dolores, contumelias, & injurias propter Christum susceperunt, Actor. 5. *Et non destiterunt ab operibus suis*, id est, à prædicatione Evangelii, etiamsi Scribæ, pontifices, philosophi, principes, & reges totis viribus obsisterent, quibus hoc unum regerebant: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*. *Vnusquisque proximum sibi non angustiavit*, quia nec sese invicem, nec quemquam aliorum afflixerunt, sed potiùs omnes juverunt, & consolati sunt. *Post hæc Deus in terram respexit, & implevit illam bonis*, cumulando gentes omni gratia, & charismate cælesti. Hæc Hugo.

Sic, & Dionys. Deus, inquit, ab initio *distinxit partes illorum*, id est, dedit unicuique aptum, & proprium locum, & divisit illas ab invicem. Sicque piscibus deputavit aquam, avibus aerem, hominibus, & pecoribus terram. *Et initia ipsorum in gentibus suis*, id est, origines hominum ordinavit distinctè, secundùm gentium distinctiones, ut quælibet gens in terra sua habeat suam generationem, successionem, processum ac finem. Sicut Genes. 9. legitur terra distincta per filios Noe. Unde ait Paulus: *Deus fecit ex uno omne genus hominum habitare super universam terram, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum*, Act. B 17. *Nec esurierunt, nec laboraverunt*; quia Deus; cuique copiosè de victu, & vitæ necessariis providit. *Vnusquisque proximum sibi non angustiabit*, quia latissimum spatium habitandi in terra contulit eis, & jussit ut sine violentia mutuò conversarentur in charitate. *Anima autem vitalis denuntiavit ante faciem eius*, id est, omnis anima rationalis vivens per gratiam, coram Deo confessa est horum veritatem, & laudem eius, *& in ipsum iterum reversio illorum*, id est, reductio seu naturalis conversio creaturarum ad suum fontale principium, à quo conversantur, & ad quod omnia tendunt suo modo, secundùm quod effectus ad suam causam convertitur. Hæc, inquam, reductio pandit, ac nuntiat Deum habere providentiam universorum, & omnia sapientissimè ordinasse. ita Dionys.

ORNAVIT (minùs rectè aliqui legunt *ordinavit*: græcè enim est, ἐκόσμησε, id est, *ornavit* (IN ÆTERNUM OPERA ILLORUM) Græcè, αὐτοῦ, id est, sua: q.d. Deus ornavit sua opera prima, putà cælos luce, sole, luna, & tanta varietate siderum, quasi gemmarum fulgentium instar

VERS. 27. carbunculorum, iaspidum, smaragdorum, &c. juxta illud Job. 26. 13. *Spiritus eius ornavit cælos*. Noster legit αὐτῶν, id C est, *illorum*, quod Primò, Jansenius de cælis explicans, Deus, inquit, *ornavit opera*, id est, operationes, motus, & influxus cælorum, & siderum, quia fecit eas, & stabiles esse, & indefatigabiles, & pulcherrimo ordine inter se consentientes. Nam, ut ait Plato dial. de Natura, *Fas non erat quidquam nisi pulcherrimum facere eum, qui est optimus*. Et Boetius lib. 3. de Consolat. metro 9.

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similiq; ab imagine formans,
Perfectasq; iubens perfectum absolvere partes, &c.

Loquitur Siracides de cælis, & stellis quasi hominibus, & militibus Dei, per prosopopœjam. Unde subdit:

NEC ESURIERUNT, NEQ LABORAVERUNT, ET NON DESTITERUNT AB OPERIBUS SUIS) Syrus, *à fortitudine sua*; Tigurina, *non esurierunt, neque defessa sunt in suis operibus, nec ab officiis suis cessarunt*: q. d. Cæli, sol, & stellæ, etsi quasi milites Dei assiduè juxta præscriptum eius moveantur, idque celerrimè, (adeò ut sol D qualibet hora conficiat millionem milliarium, & insuper 140. millia eorumdem: quod tantumdem est, ac si totum terræ globum circumcurreret quinquagies, uti ostendi Genes. 1. v. 16.) tamen numquam esuriunt, nec defatigantur, ut à labore suo, & Dei iussu exequendo desistant. Quod significat eos jugiter, sine defectu, fatigatione, & molestia, in obeundis muniis sibi à Deo injunctis strenuè persistere, & pergere, juxta illud psalmi 118. *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi*; hebr. *omnia sunt servi tui*.

Alludit ad opiniones Platonicorum (quos secutus est Philo, & Origen. 7. Peri archon, ac dubitat S. August. Enchir. cap. 18.) qui cælos putarunt esse animatos, juxta quos mirum erat cælos non esurire, nec fatigari. Ad hæc solem, lunam, & stellam censebant esse igneas, quas proinde vaporibus ali necesse sit: ignis enim eget suo pabulo, uti A recenset Plinius lib. 2. c. 8. Cicero 2. de Natur. deor. Lactant. lib. 2. c. 6. Rursum juxta veram sententiam angeli, quasi intelligentiæ assistunt suis orbibus cælestibus, & quasi unum quid non compositum, sed aggregatim ex eis efficiunt. Hominibus autem vulgaribus mirum videtur, angelos in tanta occupatione, & motu non esurire, nec fatigari. Verè Tertull. in Apolog. c. 22. *Omnis spiritus*, inquit, *ales est: hoc est, angeli, & dæmones: igitur momento ubique sunt*. Et S. Greg. Nazianz. orat. 34. *Loca*, ait, *omnia peragunt, omnibusq; impigrè adsunt, tum ob ministerii promptitudinem, tum ob naturæ levitatem*. Certissimè, & clarissimè Psaltes, & ex eo Apost. Hebr. 1. 7. *Qui facit*, inquit, *angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*. Vide ibi dicta: ergo nec esuriunt, nec fatigantur. Dixit de perpetuitate cælestium operationum, subiicit etiam de concordia, dicens:

UNUSQUISQUE PROXIMUM SUUM NON ANGUSTIABIT (minùs rectè aliqui legunt, *angustiavit*, licèt VERS. 18. græcè sit, ἔθλιψε, id est, afflixit, attrivit) USQUE IN ÆTERNUM) q. d. In tanta multitudine cælorum, siderum, & planetarum, esto moveantur Strariis, & celerrimis motibus, sintque invicem contigui, & quasi continui, tantus tamen singolorum est ordo, tanta cujusque cum ceteris subordinatio, & concordia, ut unum non premat, arctet, atterat vel impediat aliud; sed quodque suo ordine illæsè, integrè, & constanter incedat, imò currat, perinde ac milites in acie ritè ordinata. Hanc cælorum concordiam admirans Job exclamat c. 35. 10. *Vbi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?* Luna enim, & stellæ noctu ordinatè incedentes, & lucentes, hymnos nocturnos Deo canunt, & hominibus materiam laudis divinæ suggerunt. Idem, & longè magis faciunt angeli, ait Olympiod. ibidem in Catena. Unde Chald. vertit, *ante cuius conspectum angeli excelsi ordinant laudem in nocte*. Et clariùs c. 38. 37. *Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli* (hebr. *nabla*) *quis dormire faciet?* Unde Pythagoras docuit cælos musica ratione compositos concentum edere (vide Censorinum de Die natali c. 13.) sed homines ob assuetudinem ad hunc sonum obsurduisse, uti qui habitant ad Nili catadupa, aquarum ex alto ruentium fragorem non audiunt, ait Cicero in Somnio Scipionis. Quin, & S. August. epist. 28. ad S. Hieron. propriè in cælis sonorum concentum admittit. Sic, & Leo Castrius in Isajæ c. 40. v. 26. & Georg. Venetus in Harmon. Favet, & ratio, quia non tantùm ex confricatione aeris, sed, & omnis corporis resistentis sonus editur. Verùm Aristot. & Philosophi lib. 2. de Cælo, negant hunc cælorum concentum. Quare Job per *concentum* intelligit concordes, & ordinatissimos cælorum motus, & cursus, ac mysticè S. Gregor. *Concentus*, ait, *cælorum est concordia prædicantium, & consoni angelorum hymni*. Unde Plato in Timæo asserit, idcirco maximè oculos nobis à natura esse datos, ut circuitus ordinatissimos qui in cælo peraguntur, intuiti; eos ad vitæ disciplinam traduceremus, ac ad eorum ordinem, & stabilitatem, nostræ mentis vagos, & erraticos motus componeremus. Vide S. Gregor. Nazianz. orat. 26. ubi docet ordinem conservare cælos, elementa, & totum universum, ac consequenter ordinem hierarchicum conservare Ecclesiam. Unde inter cetera ait: *Ordine florente ac dominante est universum hoc, ac pulchritudo certa, & stabilis* (quare mundus græcè dicitur κόσμος, ab ornatu, & pulchritudine.) *Contrà autem perturbatio, & confusio in aere tonitrua, in terra motus, in mari naufragia, in urbibus domibusq; bella, & dissidia, in corporibus morbos, in animis peccata procreavit. Hæc enim omnia non pacis, nec ordinis, sed confusionis, & perturbationis nomina sunt*.

Concentus cælorum qualis?

Denique addit Siracides: NON SIS INCREDIBILIS VERBO ILLIUS) Jansenius hæc annectit præcedentibus: VERS. 19. q. d. *Vnusquisque proximum suum non angustiavit*, sed unusquisque alteri dicit, *Usque in æternum non sis incredibilis*, id est, inobediens, *verbo* Dei. Græca enim sic habent, *alter alterum non afflixit, & usque in æternum non detractabunt iussum eius*, vel, *non erunt inobedientes verbo eius*; Tigurina, *aliud alii non fuit molestum, nec umquam repugnabunt imperio eius*; Syrus, *alter alterum non oderunt, neque in sæculum transgrediuntur verbum eius*.

Secundò, Palacius cum Lyrano prosequens suam expositionem, qua hæc refert ad angelos: Dixerat, inquit, quòd constituerat Deus angelos, quorum operatio est cælos movere: addit nunc, quòd hæc angelorum opera Deus ornavit, scilicet lumine diei, tenebris noctis, influxu virtutis, quam superiora in inferiora demittunt, pluviis, grandini-

dinibus, &c. Secundò, dicit quòd angeli illi nec in perpetua illa motione sudant, esuriunt, aut laborant, nec per momentum cessarunt ab opere. Rem profectò admirandam. Tertiò, dicit, inter hos angelos, seu cælorum virtutes, summam esse concordiam: adeò ut numquam alius alii sit impedimento, nec superior premat inferiorem, nec inferior subsultet adversus superiorem. Quia verò hæ res sunt admirabiles, subdit Auctor: *Ne sis incredibilis verbo illius*: id est, quæ tibi dicò, verba Dei sunt, cave sis incredulus eis. Rursum, q.d. Imitare ergo cælos, ô homo, ut, sicut illi Deo per omnia obediunt, nec ad punctum quidem ab eius ordinatione discedunt, ita multò magis eidem obedias, & tu qui sensu, & ratione polles.

Tertiò, Hugo hæc refert ad homines, eorumque primam institutionem: q. d. Deus creavit hominem, eumque magnis naturæ, & gratiæ dotibus ornavit, collocavit in paradiso, fecitque ut manens in innocentia, in qua eum condiderat, non esuriret, non sitiret, non fatigaretur; sed cum voluptate coleret paradisum: ibi quoque nemo angustiasset proximum, iniuriam illi irrogando, vel bona eius auferendo, quia in eo statu omnia fuissent communia. Verùm hæc potiùs mystica, & symbolica, quàm litteralis est expositio. Tropologiam eiusdem, & Dionysii de Apostolorum prædicatione recensui v. 26.

Quibus adde ex Rabano: *Ornavit*, inquit, *in æternum opera illorum, nec esurierunt, nec laboraverunt, & non destiterunt ab operibus suis*. Præparavit enim Deus opera Ecclesiæ suæ, & charitatis splendore ipsam perpetualiter illustravit: propterea nullam virtutum patiuntur penuriam, nec pigritiæ lassitudine deficiunt: sed intenti bonis operibus semper insistunt. *Unusquisque proximum* sibi *non angustiabit* usque in ævum. Quia charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum. Unde præcepit Apostolus dicens: *Tamquam filiis dico, dilatamini, & vos, & nolite iugum ducere cum infidelibus*. Latitudo mandati charitas est: quia ubi charitas manet, non sunt angustiæ. In ipsa latitudine erat Apostolus cùm diceret: *Os nostrum patet ad vos ò Corinthii, cor nostrum dilatatum*
2. Cor. 6. 11. *est, non angustiamini in nobis*. Ideò enim alibi legitur: *Latum mandatum tuum valdè*. Quod est latum mandatum datum? *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis*. Charitas ergo non angustatur. Vis non angustari in terra? in lato habita: quidquid enim tibi fecerit homo, non te angustat; quia illud diligis, quod non nocet: homo Deum diligis, fraternitatem diligis, legem Dei diligis, Ecclesiam Dei diligis; sempiterna merces erit, laboras in terra, sed pervenies ad fructum promissum: quis tibi tollit, quod diligis? hæc Rabanus.

VERS. 30. POST HÆC DEUS IN TERRAM RESPEXIT, ET IMPLEVIT ILLAM BONIS SUIS) Hinc patet hucusque sermonem fuisse de cælis, & cælestibus. Refricat enim ordinem quem Deus in mundi creatione servavit Genes. 1. q. d. Deus primis duobus mundi diebus cælos instituit, ornavit, & ordinavit; deinde tertio die respexit in terram, illamque plantis, herbis; arboribus, metallis vestivit, ac mox animalibus, avibus, & homine implevit. Unde Syrus *post hæc in terram prospexit, benedixitq; eos* (homines, & terræ incolas) *in omnibus frugibus eius*, adeò ut terra sit mater bonorum omnium.

VERS. 31. ANIMA OMNIS VITALIS (omnis viventis) DENUNTIAVIT ANTE FACIEM IPSIUS, ET IN IPSAM ITERUM REVERSIO ILLORUM) q. d. *Anima omnis*

A *vitalis*, hoc est, omne animal, & omne vivens, *denuntiavit*, id est, apertè indicavit, & jugiter indicat id quod dixi, scilicet Deum implevisse terram bonis suis: indicat, inquam, *ante faciem ipsius*, scilicet non Dei, ut vult Rabanus, sed terræ (græcè enim est pronomen femininum αὐτῆς) id est, in conspectu terræ, vel in superficie terræ, quia scilicet omne vivens bonis terræ, in eius superficie nascentibus, vivit, & fruitur; & iterum dum moritur; in terram revertitur. Noster legit ἀνεκάλυψε, id est, revelavit, *denuntiavit*, &, ut aliqui legunt, *denudavit*. Jam legunt contrariè ἐκάλυψε, id est, texit, operuit. Sic enim habent Græca Complut. *animam omnis animalis abscondit vultus eius* (αὐτῇ, scilicet, terræ) *& in illam reversio illorum*: q. d. Terra tegit, contegit, & protegit omnia animalia, illaque rursum in terram è qua nata sunt, per mortem revertuntur. Romana mutato casu eumdem penè exhibent sensum: *Anima*, inquiunt, *omnis vitalis operuit faciem eius, & in ipsam reversio illorum*: q. d. Animalia dum vivunt, tegunt superficiem terræ: & rursum dum moriuntur, in illam revertuntur. Sic, & Tigurina, *vita animantium omnis*
B *generis operuit superficiem eius, & in eamdem unumquodque revertitur*. Sic, & Syrus, *anima omnium viventium replevit faciem eius, & collegit in medio eius omnia opera eorum*. Monet hominem suæ originis, suiq; finis: refricatque illam Dei in Adam sententiam: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es, & in pulverem reverteris*, Genes. 3. 19. ut eum ad humilitatem, æquè ac Dei timorem excitet, moneatque, ut habeat curam animæ suæ jugiter, vel in cælo felicissimè, vel in inferno miserrimè victuræ, cùm corpus brevi terræ sit reddendum. Est ergo terra quasi horreum, & thesaurus, ex quo largè omnia animalia aluntur, & vivunt: eadem est, & sepulchrum, in quod omnia tandem redeunt. Est verò utrumque admiratione dignum, quòd, cùm plurima, & quasi infinita sint animalia, singula tamen sufficientia, & congrua sibi in terra inveniant alimenta: & cùm tot tantaque sint, omnia in terram redeant, nec tamen terra crescat, vel intumescat, sicut omnia flumina intrant in mare, & tamen mare non redundat, Eccles. 1. 7. ita Palacius.

Porrò Rabanus, Dionys. & Lyran. hæc ad Deum referunt: q. d. *Anima omnis viventis denuntiat, id est, ipso*
C *facto ostendit, quòd propter eam erant illa bona à Deo producta, quia usa est ipsis. Et ipsa iterum reversio illorum: nam per animam rationalem ista reducuntur in Deum, ipsum de bonis suis laudando, & per animam sensitivam suo modo, quia est materia divinæ laudis*. Verùm Græca pronomina αὐτῇ & αὐτῆ, cùm sint feminina, non Deum, sed terram referunt, & respiciunt, ut dixi. Sapienter, & piè S. August. in illud psal. 26. 16. *Circuivi, & immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis. Circumeat*, inquit, *animus tuus per universam creaturam, undique tibi clamabit creatura: Deus me fecit. Quidquid te delectaverit in arte, artificem commendas magisq; si circumeas universa, consideratio concipit artificis laudem. Vides cælos? magna opera Dei sunt. Vides terram? Deus fecit semina innumera, diversitates germinum, multitudinem animalium. Circumi adhuc cælos usque ad terram, nihil relinquas; undique tibi omnia resonant creatorem, & ipsa species creaturarum voces sunt quadam creatorem laudantium*.

CAPUT

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRosequitur operum, & magnalium Dei enarrationem, ut lectorem ad Dei obsequium, & venerationem impellat, estq; de utroque, hoc capite quasi perpetua concio. Igitur Primò, ex Genesi narrat creationem hominis ad imaginem Dei, dotesq; præsertim sapientiæ, & legis divinæ illi inditas, pactum à Deo cum eo initum, Deiq; intuitum in omnia hominum opera & peccata. Atque ex hisce omnibus v.21. concludit incitatq; hominem, ut per pœnitentiam, vitæ emendationem, omnemq; sanctitatem ad Creatorem suum tam munificum convertatur, Deoq; suo cum omni reverentia, & devotione serviat.

DEus creavit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum. 2. Et ite-
rum convertit illum in ipsam, & secundùm se vestituit illum virtute. 3. Numerum
dierum, & tempus dedit illi, & dedit illi potestatem eorum quæ sunt super terram. 4.
Posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum, & volatilium.
5. Creavit ex ipso adiutorium simile sibi: consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor de-
dit illis excogitandi: & disciplina intellectus replevit illos. 6. Creavit illis scientiam spiri-
tus, sensu implevit cor illorum, & mala & bona ostendit illis, 7. Posuit oculum suum super
corda illorum, ostendere illis magnalia operarum suorum. 8. Vt nomen sanctificationis
collaudent; & gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum eius. 9. Addi-
dit illis disciplinam, & legem vitæ hereditavit illos. 10. Testamentum æternum constituit
cum illis, & iustitiam & iudicia sua ostendit illis. 11. Et magnalia honoris eius vidit oculus
illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum, & dixit illis: Attendite ab omni iniquo.
12. Et mandavit illis unicuique de proximo suo. 13. Viæ illorum coram ipso sunt semper,
non sunt absconsæ ab oculis ipsius. 14. In unamquamque gentem præposuit rectorem: 15.
& pars Dei Israel facta est manifesta. 16. Et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei:
& oculi eius sine intermissione inspicientes in viis eorum. 17. Non sunt absconsa testamenta
per iniquitatem illorum, & omnes iniquitates eorum in conspectu Dei. 18. Eleemosyna vi-
ri quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit: 19. Et postea
resurget, & retribuet illis retributionem, unicuique in caput ipsorum, & convertet in inte-
riores partes terræ. 20. Pœnitentibus autem dedit viam iustitiæ, & confirmavit deficien-
tes sustinere, & destinavit illis sortem veritatis. 21. Convertere ad Dominum, & relinque
peccata tua: 22. Precare ante faciem Domini, & minue offendicula. 23. Revertere ad Do-
minum, & avertere ab iniustitia tua, & nimis odito execrationem: 24. Et cognosce iustitias
& iudicia Dei, & sta in sorte propositionis, & orationis altissimi Dei. 25. In partes vade sæ-
culi sancti, * cum vivis & dantibus confessionem Deo. 26. Non demoreris in errore impio-
rum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil, petit confessio. 27. Confiteberis vi-
vens, vivus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius.
28. Quàm magna misericordia Domini, & propitiatio illius, conuertentibus ad se! 29. Nec
enim omnia posunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, & in
uanitate malitiæ placuerunt. 30. Quid lucidius sole? & hic deficiet. Aut quid nequius
quám quod excogitauit caro & sanguis? & hoc arguetur. 31. Virtutem altitudinis cæli ipse
conspicit: & omnes homines terra & cinis.

VERS. 1. DEUS CREAVIT DE TERRA HOMINEM; sicut figulus ex argilla format vasa figulina: hinc Deus dicitur fictor, nos figmentum: hinc rursum Adam dictus, est ab adama, quasi homo ab humo: & SECUNDUM IMAGINEM SUAM FECIT ILLUM) putà secundùm exemplar suum, ut scilicet homo Dei, quasi exemplaris sui, expressa esset imago. Imago naturalis Dei est in anima, quæ spiritus est, polletque intellectu, libertate, domino in animalia, omnesque res creatas; ut Adam in hoc mundo dominans omnibus, esset quasi Deus quidam terrestris. Imago supernaturalis Dei est in gratia, putà fide, spe, charitate, ceterisque virtutibus quas Deus in creatione Adæ indidit: quam Adam peccando perdidit, sed Christus patiendo, & moriendo restauravit. Vide dicta Genes. 1. 26. Meminit *imaginis* Dei, tum, ut ostendat Dei in hominem munificentiam, qua hominem ad tantam dignitatem evexit, ut esset similis, imò imago Dei; tum ut moneat hominem gratitudinis, ut suo Creatori obsequatur, ac imaginem sibi ab eo inditam, velut monile pretiosissimum, integrum, & illæsum omni cura tueatur, expoliat, & peficiat, ac, si maculata vel abolita sit, omni studio reparet, & restauret, ut agat inter homines vitam divinam, imò vivat quasi obambulans in terra Deus, aut sanctus in carne angelus. Vide Rabanum.

Porrò Palacius sic exponit q. d. Deus formans Adamum, assumpsit formam humanam, ut significaret se aliquando eam hypostaticè assumpturum ex virgine: & secundùm

A illam, quasi imaginem, creavit Adamum. Verùm hic sensus symbolicus est, non litteralis (uti ipse contendit) imò incertus, & fortè falsus. Cur enim Deus assumeret formam humanam, cùm necdum esset homo qui eam videre posset?

Præclarè S. Ambros. lib. 3. ad Virg. *Contemplationem*, inquit, *corporis velut navis saburram suscipe, ne in tantis mundi fluctibus iactantia alicuius aura te circumferas.* Chrysol. serm. 148. *Fecit*, inquit, *esse de terra; ut esses tu dominus terrenorum, & esses ipsis in ipsius substantia communione communis: nec tamen te terrenum terrestribus sic æquavit, ut non etiam cælestibus animarum te calitus exæquaret: & ut esset tibi cum Deo ratio communis, corpus commune cum iumentis, dedit tibi animam de cælo, dedit tibi corpus de terra, ut in te nexu cæli terræq; concordia servaretur.* Et de imagine Dei nonnullis interiectis: *Adhuc*, inquit, *quid adiiciat ad honorem tuum tuus creator excogitat, in te imaginem suam ponit, ut terris invisibilem conditorem visibilis imago præsentem poneret; & in terrenis dedit vices suas, ut non fraudaretur Domini vicario mundi tam larga possessio.* Unde infert: *Homo quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo? quare sic honoratus à Deo,*
B *teipsum taliter inhonoras?* imò Deum ipsum. Qui enim imaginem Dei, qualis est anima cuiusque, inhonoras, Deum, cuius ipsa est imago, inhonoras. Unde S. Chrysost. hom. 3. ad Pop. ex supplicio eorum qui violarant imaginem Imp. v. g. Theodosii, colligit quàm à Deo puniendi sint qui violant eius imaginem, putà animam proximi. *Quæ*,

ait,

tem. Redde studio vicem, redde amori gratiam. Vipera (cùm mas ad feminam accedit) *venenum suum fundit: tu non potes duritiam mentis deponere?* Hinc videas, & rideas fabulas Platonis in Convivio, dum ait: *Tunc temporis tria erant hominum genera: quoniam masculum, ipso rerum primordio, solis foetus erat: femineum, telluris: utriusque verò sexus particeps, luna: utriusque enim luna est particeps. Orbiculari verò erant, & figura, & motu, quia parentum similia: maximis ideo erant, & corporis, & animi viribus. Diis igitur bellum inferre conati erant, & in caelum ascendere,* & cetera è quibus, fabellis fabellas attexens, nugarum catenam contexit.

Posthæc verba Complut. addunt: *Sextam autem mentem illis donavit dividens, & septimum sermonem* (qui est) *interpretatio operationum eius*; quasi numeret hic septem dotes homini à Deo inditas. Prima est, quòd creavit eum ad suam imaginem; Secunda, quòd vestivit eum virtute; Tertia, quòd numerum dierum dedit illi; Quarta, quòd dederit potestatem, & dominium omnium terrestrium; Quinta, quòd eius terrorem indiderit animalibus; Sexta, quòd dederit ei mentem; Septima, quòd dederit ei sermonem. Tigurina verò hæc verba postponunt, subiiciuntque versui sequenti, sic enim habent: *Judicium, linguam, oculos, aures, & cor dedit eis ad cogitandum, sexto quoque loco mentem donavit, impertiens, & septimò sermonem operibus suis explicandis*: q. d. Deus dedit homini septem dotes, Primò, rationem sive judicium; secundò, linguam; tertiò, oculos; quartò, aures; quintò, cor; sextò mentem; septimò, sermonem. Verùm hæc verba nec Græci codices Romæ emendati, & ceteri, nec Syrus, nec ulli Latini habent; unde ab aliquo inserta videntur explicationis gratia: nam sermo explicat linguam, mens explicat cor. Adde, dotes homini datas plures hic enarrari quàm septem, uti mox ostendam.

CONSILIUM, ET LINGUAM, ET OCULOS, ET AURES, ET COR DEDIT ILLIS EXCOGITANDI: ET DISCIPLINA INTELECTUS REPLEVIT ILLOS) *Consilium*, id est, vim, & facultatem consultandi, deliberandi, eligendi. Unde Tigurina vertit, *judicium* dedit illi: hæc enim vis insita est menti, & rationi hominis, qua carent cetera animalia. Secundò, dedit illi *linguam*, ut quod mens per consilium deliberavit, id lingua excipiat, proferat, aliisque communicet, & explicet, idque voce distincta, & articulata: quare sicut soli homini data est mens, & consilium, sive rationis judicium: sic, & soli data est lingua sermoque articulatus: bruta enim quia carent mente, hinc carent, & lingua voceque articulata, qua sua phantasmata promant: nullas enim habent ratiocinationes, nullos discursus, nulla consilia, quæ enuntient; sed tantùm conceptus phantasiæ, & affectus appetitus sensitivi, quos voce inarticulata rugiendo, hiniendo, mugiendo, latrando, satis significant. Loquela ergo in homine est actus effectusque rationis, & consilii, ideoque eiusdem index, & interpres.

Addit *oculos*, & *aures*, quia hi sunt sensus consilii, & disciplinæ. Unde sicut solus homo habet conceptus distinctos in mente, & voces articulatas in lingua: sic, & easdem solus percipit habetque in auribus, ac per eas disciplinas omnes percipit. Idem dico de oculis: iis enim legit voces articulatas scripto consignatas, quibus disciplina omnis in libris chartisque conscripta legitur.

Denique dedit homini soli *cor*, id est, intellectum, & ingenium *excogitandi* omnes artes, & disciplinas. Unde Syrus vertit, *creavit os, & linguam, oculos, & aures, & cor ad intelligendum*. Atque hac ratione *disciplina intellectus*, id est, ut alii vertunt, *scientia intelligentiæ*, qua scilicet res quaslibet intelligit, & intellectu comprehendit, *replevit illos*. Adde, Deum Adamo in creatione infudisse scientiam omnium rerum naturalium: ex hac enim Adam omnibus avibus, & animalibus congruas indidit nomina, quæ singulorum naturam exprimerent, uti dixi Genes. 2. v. 19. & 21.

[...]ira fabri-[...]a singulo-[...]rum homi-[...]is mem-[...]brorum.

Porrò mirum artificium, æquè ac beneficium Dei elucet in hisce membris: Lingua enim Primò, discernit sapores omnis generis, atque ex iis noxios cibos dignoscit, & respuit, commodos verò utilesque secernit, & accipit. Secundò, lingua curat vulnera, uti videmus canes linguendo suas hominumque plagas sanare. Tertiò, lingua vocem edit non tantùm confusam in brutis, sed & articulatam in hominibus. Unde Cicero lib. 2. de Natura deor. linguam vocat plectrum oris, chordas verò dentes. Et S. Ambros. libr. 6. Hexam. cap. 9. *Lingua*, ait, *non solùm in loquendo, sed etiam in edendo munus pretiosissimum est: ea enim velut plectrum loquentis, & quadam edentis est manus, quæ defluentem cibum dentibus suggerit ac ministrat.* Porrò in homine lingua est mollis, & versatilis, ideòque infinitas vocum varietates, tonos, & melodias edere potest. Unde subdit S. Ambros. *Soli homines ore exprimimus quæ corde sentimus; itaque cogitationes tacitæ mentis oris sermone signantur. Quid est igitur os hominis, nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis? Absolvimus velut quamdam humani cordis regiam, in qua licet sit quadam quantitas portionis, forma tamen universitatis est.* Et Cicero loco citato: *Hac*, ait, *cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos à timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates iracundiasq; restringimus: hæc nos iuris, legum, urbium societate devinxit: hæc à vita immani, & fera segregavit.* Oculi sunt in homine quod in cælo sol, & luna, quod in terra fontes. Unde Hebr. *ain*, & oculum, & fontem significat: quod enim in terra est fons, hoc in homine est oculus, ut instar fontis juges lacrimarum imbres ad Deum effundat. Porrò Deus *lubricos*, inquit Cicero loco citato, *oculos fecit: & mobiles, ut declinarent, si quid noceret, & aspectum quò vellent facilè converterent*, eosdemque introrsum locavit, ut, & fronte ac superciliis ciliisque tegerentur, ne pulvere aliave re læderentur. Unde S. Ambros. loco citato: *Inter hæc*, ait, *medii sunt oculorum orbes, & tuti ad cavendum, & ad intuendum liberi, & decori ad gratiam, utpote in crystalli speciem refulgentes: in quorum medio pupillæ sunt, quæ videndi munus operantur*, &c. *Unde tutum auxilium postulans Propheta psalm. 16. ait: Custodi me Domine ut pupillam oculi, ut protectionis divinæ fieret ei tam sollicita, & tam fida custodia, quàm pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est.* Quare oculos dici quasi occultos, quos scilicet Deus tot tegminibus occuluit, censet Varro apud Lactant. de Opif. Dei cap. 10. Aures omnes sonorum, etiam articulatorum, species, eorumque sensa, & significata percipiunt. unde in homine auditus est sensus disciplinæ. Vox autem per aures sinuatis meatibus progreditur ad auditum, *ut in earum finibus*, ait ibidem S. Ambros. *repercussa, sive offensione interiores ingrediatur anfractus. Nam nisi ita esset, quis non ad omnem fortioris vocis sonum attonitus redderetur?* &c. *Sinuatio autem interiorum aurium modulandi quemdam numerum præstat, & disciplinam: siquidem per anfractus aurium quidam rhythmus efficitur, & modulis quibusdam ingressæ sonus vocis exprimitur.* De hoc ceterisque hominis membris, miraque eorum fabrica, officiis, & usibus, vide ibidem S. Ambros. S. Basil. Ciceron. ac Galenum, & Aristot. de Patribus animal. Plinium libr. 11. cap. 37. Lactantium libr. de Opificio Dei cap. 8. & sequent. & alios.

Dotes hominis quatuordecim stimuli virtutis.

Nota. Siracides hic quatuordecim dotes à Deo homini inditas assignat, ut ex singulis peculiarem obligationem illiciat, quæ hominem extimulet ad Dei cultum, & obsequium.

Prima v. 1. est, quòd Deus crearit hominem de terra: ergo homo ut creatura, totum quod est, debet suo creatori: illud igitur illi impendat, & offerat. Rursum memor suæ originis, & vilis materiæ, profundè se sub Deo humiliet. Ut quid enim superbit terra, & cinis? ut quid superbit nihilum? homo enim ex nihilo creatus est, ac ex se nihil est, & in nihilum quodlibet momento rediret, si Deus ab eo manum suam subduceret.

Secunda, quòd Deus crearit hominem ad suam imaginem & similitudinem. Jugiter ergo hanc imaginem intueatur, videatque cujus sit imago, ac consequenter Deum quasi exemplar suum semper respiciat: illi se moresque suos assimulare satagat, ut eius sanctitatem planè referat, Deusque in eius anima quasi in viva imagine resplendeat. *Animam nostram commendavit nobis Deus, servemus depositum quale accepimus*, ait S. Antonius apud S. Ahtanasium.

Tertia, v. 2. quòd Deus rursus convertet hominem in terram ex qua sumptus est: ergo homo terrena ut caduca contemnat, ac ad mortem brevi venturam sobriè, piè, & justè vivendo se præparet.

Quarta quòd suam virtutem, & robur Deus homini contulerit: utatur ergo homo robore corporis ad agriculturam, artes mechanicas, aliosque labores honestos: ac robore animi ad resistendum mundo, carni, & dæmoni.

Quinta,

Quinta, v. 3. quòd numerum annorum, & dierum vitæ illi assignarit, eumque brevem, & exiguum: ergo homo singulos annos, dies, horas, imò momenta rectè expendat, ac merita bonorum operum acquirat, quia inde vivere debet per omnem æternitatem, præsertim quia hic numerus homini est incognitus. Dicat itaque sibi quotidie: Fortè hodie moriar: vivam ergo sanctè; & feruenter quasi hodie moriturus. *Cur non ad lucranda regna cælestia ultrò relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est? nihil eorum cura sit Christianis, quæ secum auferre non possunt*, ait S. Antonius.

Sexta, v. 3. quòd dederit illi dominium animalium, & terræ totius: eo ergo utatur juxta voluntatem Dei, qui hoc dominium illi contulit, ejusque administrati rationem exactam ab eo repetet.

Septima, v. 4. quòd animalibus, & avibus indiderit erga hominem reverentiam, & obedientiam: eamdem ergo præstet homo Deo ac Domino suo.

Octava, v. 5. quòd Adæ dederit sociam, scilicet uxorem Evam, copulando eos matrimonio. Homo ergo qui suis juris est, matrimonium cum ea quam volet ineat, illudque prout à Deo institutum ac sancitum est, sanctè, & inviolabiliter colat, nec ad scorta, aliasque vagas, & innaturales libidines declinet.

Nona, v. 5. quòd dederit homini consilium, linguam, oculos, aures, & cor: ergo utatur consilio, ut prudenter eligat quod eligendum contulit, suadetque recta ratio, & fides: utatur lingua, ad Dei laudem: oculis, ut videat creaturas, in iisque intueatur, & celebret creatorem: auribus, ut audiat verba Dei, & sanctorum: corde, ut amet Deum, illudeque integrum, & purum reddat factori suo.

Decima, v. 6. quòd dederit homini fidem, & scientiam: fide ergo credat in Deum, scientia contempletur opera ipsius, ut ex eis opificem agnoscat, laudet, celebret, glorificet. Unde S. Ambros. de Instit. virg. cap. 11. *Cur*, inquit, *sæculo potiùs laboramus, & fraudamus animam nostram tantæ bonitatis dispendio, qui nulli alii, nisi huic Domino servire deberemus?*

Undecima, v. 9. quòd dederit eis legem vitæ: legi ergo per omnia obediat, ut vitam præsentem, & æternam consequatur.

Duodecima, v. 10. quòd cum eis inierit pactum de danda eis hereditate sua, & regno cælesti, si voluntatem ejus adimpleant. Igitur voluntati Dei se super omnia conforment, ut ejus hæreditatem, & regnum adipiscantur.

Decimatertia, v. 14. quòd cuique genti præposuerit rectores, tum angelos, tum homines. Illorum ergo regimen ductumque sequantur, ut ab eis non castigari, sed honorari mereantur. Rursum quòd fideles, & Sanctos Deus ipse per se suamque gratiam regat. A Deo ergo possideri regique se sinant, imò assiduè orent, & ambiant, dicantque cum Psalte: *Ut jumentum factus sum apud te*. Præclarè S. Gregor. Nazianz. orat. 42. hominem hisce epithetis velut elogiis circumscribit: *Verbum artifex*, inquit, *hominem fabricatur velut alterum quemdam mundum, in parvo magnum; in terra collocat angelum alium, mixtum adoratorem, visibilis naturæ spectatorem, intellectualis mystem, eorum quæ in terra sunt regem, superis autem subditum, terrenum, & cælestem, caducum, & immortalem, visibilem, & intelligibilem, medium inter magnitudinem, & humilitatem, eumdem spiritum, & carnem*, &c. *animal animi ad Deum nutu, & propensione, divinitatem consequens.*

VERS. 6. *Sciẽtia spiritus quæ? Respondeo primò.*

CREAVIT ILLIS SCIENTIAM SPIRITUS, SENSU IMPLEVIT COR ILLORUM, ET MALA ET BONA OSTENDIT EIS) Quæres, quæres, quænam est *scientia spiritus* data homini à Deo? Primò, Lyran. *scientiam* propriè accipit pro cognitione conclusionum quæ è suis principiis demonstrantur; per *spiritum* accipit intellectum, qui est habitus principiorum, quo cognoscuntur ipsa principia scientiarum: *scientia* ergo *spiritus*, est scientia sive demonstratio, quæ è suis principiis per intellectum cognitis educitur, & clarè cognoscitur.

Secundò.

Secundò, Palacius per *disciplinam intellectus* quæ præcessit, accipit scientiam naturalem, per *scientiam spiritus* omnem Theologiam: q. d. Deus indidit Adæ fidem principiorum Theologiæ, & inde scientiam conclusionum: hæc enim est scientia spiritus. Fuit igitur Adam doctissimus philosophus, & absolutissimus Theologus. Rursum dedit ei *sensum*, id est, acumen, & profunditatem ingenii, quo omnia quæ illi infusa erant, profundissimè intelligebat. Denique *bona, & mala ostendit eis*, id est, ostendit illis splendorem boni, & fœditatem mali. Non uti nos, qui bona, & mala audimus, sed pulchritudinem illorum, & hororrem istorum ignoramus: at Adam, & Eua pondera illorum, & istorum cognoscentes, peccarunt. O ingentem miseriam! hæc Palacius. Vide D. Thomam, & Scotost. 1. p. q. 94. a. 3. & sequ. ubi docent quanta, & quam excellens fuerit scientia Adæ à Deo infusa.

Tertiò, Jansenius per *spiritum* accepit mentem: q. d. Dedit homini scientiam mentis, quia per infusum lumen naturale dedit ei cognitionem prudenter disponendi temporalia: & per impressam menti eorum legem naturalem, agnoscendi quid malum, & quid bonum esset. *Tertiò.*

Quartò, propriè, & genuinè *scientia spiritus* est scientia rerum spiritualium, putà cognitio Dei, angelorum, virtutum, gratiæ, gloriæ. Talis scientia est fides, sapientia, Theologia, ac præsertim sacra fidelium Ethica, quæ spiritum hominis docet, dirigitque ad Dei cultum, & ad beatitudinem cælestem. Hæc enim est *scientia spiritus*, id est spiritalis, quam distinguit à *disciplina intellectu*, id est, intelligentiæ naturalis. Unde, & subdit: Et *sensu*, id est, prudentia quà sapiant, & quasi sentiant res spiritales, *implevit cor illorum, & mala, & bona ostendit eis*: *mala*, scilicet; tam culpæ, quàm pœnæ, & gehennæ: *bona*, tam virtutis, & sanctitatis, quàm gloriæ, & felicitatis: q. d. Ostendit eis quanta mala maneant malè agentes, & quanta bona bene viventes. Et hoc sensu Christus, & Paulus accipiunt nomen *spiritus* pro fide, gratia, ceterisque rebus spiritualibus, ut Joan. 6. 64. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*. Galat. 5. 22. *Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax*, &c. Et v. 16. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis*. Rom. 8. 6. *Prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus vita, & pax.* *Quartò.*

Dicitur hæc *scientia spiritus* ob quatuor rationes, juxta quatuor genera causarum. Primò, à materia, & causa materiali; quia ejus objectum, & materia sunt res spiritales. Secunda, à causa efficienti; quia eam efficit, & inspirat Spiritus sanctus. Tertiò, à causa formali; quia ipsa in se spiritalis est, & divina, mentemque hominis spiritalem efficit, & divinam. Quartò, à causa finali; quia tendit ad finem spiritalem, putà ad consecutionem virtutum, gratiæ, & gloriæ, atque ad ipsam Dei visionem quasi ad suum finem, & beatitudinem æternam. Porrò hanc *scientiam spiritus* Deus inchoatè dat omnibus fidelibus, perfectè verò solis justis, & sanctis, qui orando eique cooperando illam totis viribus ambiunt. Hinc ait: *Creavit illis scientiam spiritus*. *Creavit*, id est, creando eis indidit. Rursum non è potentia subjecti, putà mentis, illam quasi generando, naturaliter eduxit, sed supernaturaliter quasi creando inspiriravit. Porrò Græca concisa hæc tantùm habent, *scientia intelligentiæ replevit eos, & bona malaque ostendit eis*; Tigurina, *replevit illos ingeniosa scientia, & eis bona simul, & mala indicavit*; Syrus, *sapientia, & consilio replevit cor eorum: bonum, & malum docuit eos.*

POSUIT OCULUM SUUM SUPER CORDA ILLORUM, OSTENDERE ILLIS MAGNALIA OPERUM SUORUM, UT NOMEN SANCTIFICATIONIS COLLAUDENT: ET GLORIARI IN MIRABILIBUS ILLIUS, UT MAGNALIA ENARRENT OPERUM EJUS) Raban. Lyran. & alii legunt, *posuit oculum ipsorum*, quod sic explicat Lyran. Dedit intellectui hominum virtutem super se reflectendi, ad ostendendum illis magnalia operum suorum. Per hoc enim quòd anima intellectiva est super se reflectiva, maxime proficit in scientia. Verùm legendum est cum Romanis, Græcis, & Syro, *posuit oculum suum*. Per *oculum* intelligit tum curam, & providentiam Dei, vti ostendit Jerem. 1. 11. tum ejusdem illuminationem: utriusque enim symbolum est oculus. Dei enim oculus, quia lucidissimus, & fulgidissimus, omnia illuminat, declarat, conspicua, & perspicua facit, juxta illud Proverb. 22. v. 12. *Oculi Domini custodiunt scientiam*. Et Eccli. 11. 13. *Oculi Dei respexit illum*. Eccli. 34. v. 19. *Oculi Domini super timentes*, &c. *exaltans animam, & illuminans oculos*. Psal. 66. 2. *Dominus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos*. Psal. 118. 135. *Faciem tuam illumina super servum tuum*. Psal. 31. *Firmabo super te oculos meos*. Hinc septem oculi, sunt septem angeli mundi directores, & gubernatores, Apoc. 5. 6. & Zachar. 40. 10. Sic Job c. 29. ait: *Oculus fui cæco, & pes claudo*. Et Salomon Proverb. 23. *Oculi tui vias meas custodiunt*. VERS. 7. & 8.

Sen-

Sensus est, q. d. Deus sua scientia, & gratia quasi oculo A fulgidissimo illustravit corda hominum, ut per eam ostenderet magnalia operum quæ fecit, tum in creatione, & gubernatione mundi, tum in singulari sua providentia quam exhibuit Abrahæ, Isaac, Jacob, Noe, Mosi, cæterisque Patriarchis, & Prophetis; tum in protectione vel punitione populi sui; v. g. miram suam potentiam, qua per tot plagas, & portenta eduxit Israelitas ex Ægypto sicco pede per mare rubrum, ibique per quadraginta annos deduxit per columnam ignis noctu, & nubis per diem, ac pavit eos manna, cibo cælesti, &c. Porrò hæc ostendit hominibus ad hoc, ut fideles ex illis *nomen sanctificationis*, id est, sacrosanctum Dei nomen, *collaudent*, & glorientur apud fideles Judæos, & apud Gentes infideles de hisce mirabilibus Dei sui prodigiis, & facinoribus, ut eorum *magnalia eis enarrent*, itaque eos ad Dei timorem, amorem, & cultum invitent, & pelliciant. Unde Tigurina vertit, *adiecit ad corda eorum oculum suum, ut edoceret eos operum suorum magnificentiam: dedit his gloriari miraculis suis perpetuò, ut prudenter enarrent opera ipsius, & electi nomen sanctum ejus collaudent*; Syrus, *cor ad intelligendum assignavit illi, ut* B *ostenderet ei præstantiam operum suorum, ut intelligeret prodigia sua, & essent narrantes in mundo timorem ejus, & nomen sanctitatis ejus essent glorificantes*.

Alludit ad pueros & servos qui jugiter intuentur oculum magistri & heri, eoque docentur, & diriguntur: quocumque enim vident ferri oculum magistri, & heri, eodem ipsi suos convertunt, illud legunt, discunt, faciunt, exequuntur. Quare oculus magistri regit puerum, oculus domini saginat equum. In oculis enim magistri videntur sibi videre & legere nutum, mentem, doctrinam, voluntatem, imperium, iram, favorem, vindictam ipsius. Oculus ergo magistri docet eos, quid ipse cogitet & velit.

Allegor. Palacius (licet ipse id putet esse litterale) per *magnalia* accipit Verbi incarnationem, putà Jesum Christum: magnalia enim exhibita Abrahæ, Isaac, Jacob, Noe, Mosi, &c. figuræ fuerunt repræsentantes magnalia Christi. Deus, inquit, ut ostenderet suum erga homines amorem, statuit ostendere illis magnalia operum C suorum. Et quia inter omnium operum magnalia maximum est opus Incarnationis Verbi; ideo hinc videtur probari, Adam novisse Filii Dei, incarnationem. Qua de causa dixit: *Relinquet homo patrem, & adhærebit uxori suæ*: inde enim erat Filius Dei carnem sumpturus, scilicet ex patribus, qui ex Eva erant nascituri. Porrò quod ait, *Ut nomen sanctificationis collaudent*, Hebræi referunt ad nomen Dei tetragrammaton, quod revelavit Deus Adæ. ita Reuchlinus. Sed meliùs diceretur, quòd Filius Dei revelavit suum nomen Jesus, in quo sanctificamur. Si enim incarnationem Deus revelavit, nonne facile erat & consequens nomen incarnati revelare? Subdit, *Et gloriari in mirabilibus*. Ita planè si Deus hominibus suam incarnationem revelavit, habent homines de planè quo gloriari possint. Quid enim gloriosius, quàm talem fratrem habere? Si gloriosum est ejus stigmata in corpore portare; nonne gloriosum, fratrem esse? Sed quia scriptum est: *Qui gloriatur in Domino glorietur*: ideò subdit, *Ut magnalia enarrent*: id est, D glorientur homines de Deo homine; sed eam gloriam in Deum tantarum rerum operatorem reiiciant. Et hactenus de hominis in lege naturæ institutione. Hæc Palacius.

VERS. 9. ADDIDIT ILLIS DISCIPLINAM, ET LEGEM VITÆ HEREDITAVIT (quasi hereditatem contulit, aut potiùs hereditare fecit) ILLOS: TESTAMENTUM
VERS. 10. ÆTERNUM CONSTITUIT CUM ILLIS, ET JUSTITIAM ET JUDICIA SUA OSTENDIT ILLIS] Undecimum est hoc Dei in homines beneficium, scilicet, quòd per Mosen dederit Israeli, & per eum ceteris gentibus legem, quam vocat *disciplinam*, græcè ἐπιστήμην, id est, scientiam: tum, quia lex homines quasi discipulos docet, qua ratione honestè vivere debeant; tum, quia eorum mores & passiones disciplina rectæ rationis coercet, format & componit; tum, quia instar disciplinæ castigat hominum vitia, eisque meritas pœnas intentat, ac metu earumdem à peccatis refrænat. Lex enim est disciplina homini, sicut frænum est disciplina equo, docens eum in quam partem progredi debeat.

Secundò, dicitur *lex vitæ*, quia præstat vitam præsentem felicem & longævam (hæc enim à Deo promissa erat Judæis legem servantibus) ac futuram beatam, & æternam.

Testamentum significat pactum, & fœdus, quod cum Hebræis per Mosen pepigit Deus de danda eis terra promissa, si eum colerent, ejusque legem servarent. Quare in testamento comprehenditur Dei latria, & cultus ab ipso præscriptus per leges ceremoniales de sacrificiis, lustrationibus, oblationibus, decimis, primitiis, votis, &c. sicut per *judicia* intelliguntur leges judiciales, quæ jus cujusque respectu proximi præscribebant: & sicut per *legem*, & *disciplinam* intelligitur lex naturalis, sive moralis Decalogi. Hic ergo denotat triplices leges veteris testamenti; scilicet morales, ceremoniales, & judiciales. *Pactum Dei cum homine.*

Dicitur *testamentum* hoc *æternum*, quia diu duraturum, scilicet toto tempore judaismi, sive legis veteris, usque ad Christum. Fuit ergo æternum non absolutè, sed respectu sui status, suæque legis cui semper adhæsit. Adde præcepta moralia decalogi esse æterna: unde etiamnum Christianos obligant. Cæremonialia verò & judicialia æterna sunt, non in se, sed in rebus novi testamenti, quas adumbrabant, & significabant. Vide dicta canone 4. in Pentateuchum. Hinc dicitur quòd Deus *hereditavit illos legem*, id est, ut complut. *per hereditatem dedit eis legem*, &, ut alii, *fecit Hebræos possidere legem quasi hereditatem eis propriam, & ad posteros transmittendam*; tum, quia dedit eis legem semper duraturam, quæ instar hereditatis à patribus ad filios, & ab iis ad nepotes, continua & perpetua successione transiret; tum, quia in lege habebant omnia bona: in lege enim eam servantibus promittebatur firma possessio terræ promissæ, abundantia frumenti, vini & olei, omnisque rerum copia. Unde Tigurina vertit, *scientiam addidit eis, legemque vitæ tradidit hereditatem, ut se mortales esse cognoscerent* (quæ verba habet quoque Complut. sed Noster ea delet) *pactum cum ipsis iniit æternum, & eos iura sua edocuit*; Syrus, *posuit coram eis pacta, & leges vitæ docuit eos: fœdus sæculi pepigit cum eis, & judicia sua ostendit eis*. Porrò quantum bonum & beneficium Dei sit lex, fusè docet Moses Deuter. 4. 7. & sequ. psalm. 18. vers. 8. sequ. Vide quoque quæ notavi Levit. 23. 17. Quocirca David hoc admirans & celebrans psal. 147. *Non fecit*, inquit, *taliter omni nationi, & judicia sua, non manifestavit eis*. Et Baruch. c. 4. v. 1. *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam in mortem*.

ET MAGNALIA HONORIS EJUS VIDIT OCULUS ILLORUM, ET HONOREM VOCIS AUDIERUNT AURES ILLORUM] q. d. Hebræi, cùm daretur eis lex in Sina, oculis suis viderunt honorificam & gloriosam Dei legislatoris magnificentiam, & honorem; id est, majestatem vocis divinæ auribus audierunt: videbant enim totum montem Sina fumantem, trementem, & ardentem; audiebant tonitrua, buccinam, & vocem tubalem Dei proclamantis decalogum, Exodi 19. & 20. Unde clarè Græca habent, *magnificentiam gloriæ viderunt oculi eorum, & gloriam vocis ejus* (malè aliqui legunt, *eorum*) *audivit auris illorum*; Syrus, *gloriam laudis ejus viderunt oculis suis, & honorem sermonis ejus audierunt auribus suis*. Nam, ut ait Palacius, opus datæ legis à Deo fuit summè honorificum & gloriosum: eo enim Dominus honorem & gloriam sibi conciliavit apud Judæos, ac vicissim quantum eos vellet honorare, demonstravit. VERS. 11.

ET DIXIT ILLIS: ATTENDITE AB OMNI INIQUO (græcè, ἀδίκου, id est, *injusto*, ET MANDAVIT ILLIS UNICUIQUE DE PROXIMO SUO] Hæc enim est summa & compendium secundæ tabulæ decalogi, quem Deus per angelum ex Sina proclamavit, nimirum nil injusti facere proximo, sed ei jus suum tribuere, putà debitum tam justitiæ, quàm charitatis. Secunda enim tabula decalogi septem continens præcepta, tota spectat ad proximum, vetatque ne quid injustitiæ bonis, famæ, uxore, & vita ei inferatur; sed omne eorum ius integrum illi inviolatumque conservetur. Primæ tabulæ præcepta de Deo colendo omittit, quia illa omnibus sunt nota, & quia illa satis insinuavit vers. 10. dicens: *Testamentum æternum constituit cum illis*; utique non de alio quàm de sui cultu, ut paulò antè VERS. 12.

dixi. Denique præcepta primæ tabulæ tacitè comprehenduntur in secunda: quia amor proximi in secunda præscriptus, manat ex amore Dei, qui prima præscribitur, eumque præsupponit. Hinc Apostolus totam legem ait contineri in dilectione proximi, Roman. 13.9. vide ibi dicta. Quocirca Vatabl. clarè vertit, *ab omni iniusto*, inquit, *abstinete, & de proximo mandata dedit singulis*; Syrus, *& dixit eis, Cavete, & ne mentiamini* (fallatis, fraudetis:) *& præcepit eis viro*, id est *cuique*, *super proximo suo*.

Vers. 13. VIÆ EORUM CORAM ILLO SUNT SEMPER, NON SUNT ABSCONSÆ AB OCULIS IPSIUS] Syrus, *viæ eorum coram eo manifestæ sunt, & non transeunt à conspectu faciei ejus.* q.d. Deus dedit Hebræis legem, non abstrahens se à cura illorum, quasi non curans an legem servent nec ne; sed jugiter attendit, advigilat, inspicit, an ei obsequantur, ut observantes præmiet, non observantes puniat. hoc enim est officium perfecti legislatoris. Reliquas gentes quibus legem non dedit, non adeò curat Deus, quomodo vivant. Unde de iis subdit: *in unamquamque gentem præposuit rectorem, & pars Dei Israel.* Hinc & patheticè suis legem suam prævaricantibus B insultat Jerem. 7. 11. dicens: *Ego, ego sum: ego vidi, dicit Dominus.*

Secundò tamen, hanc sententiam accipias de omnibus hominibus. Unde Tigurina vertit, *semper illi patent instituta hominum, nec oculos ipsius latuerint.* Sicut enim Deus generalem habet providentiam omnium hominum, sic & inspectionem; sed peculiarem Israelis, sive populi fidelis. Alludit ad Prover. 16. 2. *Omnes viæ hominis patent* (aliqui vertunt, *vitreæ sunt*, id est, pellucent instar vitri) *oculis ejus.* de quo plura ibidem.

Vers. 14. & 15. IN UNAMQUAMQUE GENTEM PRÆPOSUIT RECTOREM, ET (sed) PARS DEI ISRAEL FACTA EST MANIFESTA] q.d. Aliæ gentes homines habent rectores, at Israel regem habet Deum: Deus aliis gentibus præfecit reges & principes, qui eas suis legibus regant: at *Israel*, id est, populus Hebræus *facta est pars*, id est hereditas, *Dei manifesta*, quia Deus per se Israelem voluit regere, eique per se legem dare. Quare Israel est regnum resp. & populus peculiaris Dei. Unde Deus cum eo C habitabat, residens in propitiatorio super arcam, indeque edens oracula, ac inambulabat inter illum, ut meritò eos pudere debuerit coram Deo præsente peccare.

Addit τὸ *manifesta*: q.d. Manifestum est non soli Israeli, sed toti mundo, quòd Israel sit populus, pars & regnum Dei: quia omnes vident illum à Deo regi, amari, protegi, assiduis beneficiis, quin & oraculis ac miraculis ornari: omnes vident Deum Israelem à ceteris gentibus, per legem & religionem, suique cultum separasse illumque sibi selegisse & astrinxisse. Quare non est quod cum Jansenio contra omnium codicum fidem, τὸ *manifesta* referamus ad versum sequentem, hoc modò; *Manifesta omnia opera eorum velut sol in conspectu Dei.*

Secundò, Rabanus, Lyranus, & Glossa rectè (licet id neget Jansenius) per *rectores* intelligunt angelos: q.d. Deus ceteris gentibus præfecit angelos, qui eos regant, Israelem verò sibi regendum servavit, juxta illud Deuter. 32. vers. 8. secundum Septuag. *Statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei.* Unde & Daniel. 10. v. 21. princeps Persarum, & princeps Græcorum inter se confligere dicuntur.

Dices, Deus Israelem regit quoque per angelum ei præpositum, putà S. Michaelem: hic enim olim præpositus fuit Synagogæ, uti nunc est Ecclesiæ, Daniel. 10. 21.

Resp. S. Michael regebat Synagogam, & nunc regit Ecclesiam, quasi peculium sive regnum proprium & peculiare Dei: populus enim fidelis, qualis erat Hebræorum, Deo per fidem, legem & religionem obstrictus, est respub. propria Dei. Hunc ergo regit S. Michael quasi vicarius Dei, in regno Dei proprio & primo, quod est Ecclesia: ceteri verò angeli regunt suas gentes, utpote infideles, quasi regnum Dei spurium & rebelle, utpote ab eius lege, fide & cultu abhorrens. Sic Rex Hispaniarum propriè regit Hispanias per se suamque præsentiam subordinando sibi prætores, gubernatores, &c. Indias verò ceteraque regna regit per vicereges. Sic Pontifex regit Romam, quasi proprius huius urbis Episcopus: alias vero urbes, & provincias regit quasi Pontifex totius Ecclesiæ, per proprios Episcopos, quos eis præficit (: Infideles verò regit per viros Apostolicos, qui prædicent Euangelium, eosque ad Ecclesiam alliciant. Adde, Deus sæpè per se immediatè regit Ecclesiam, ut in Sacramentis quibuslibet: quoties enim Sacramentum aliquod confertur, Deus immediatè recipienti illud infundit gratiam: hanc enim infundere nequit angelus.

Rursum quoties suscitantur mortui, vel fiunt miracula, Deus per se illa operatur: illa enim operari nequit angelus. Miraculum enim est & dicitur opus, quod omnem vim naturalium agentium, etiam angelorum, excedit, ideoque vim divinam requirit; ac proinde est opus supernaturale & proprium Deo.

Hoc est quòd Moses ait Deuteron. 7. 6. *Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris, de cunctis populis qui sunt super terram.* Et cap. 32. 9. *Pars Domini populus ejus, Jacob funiculus hereditatis ejus.* Et Exodi 19. 5. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta*, ut ego sanctus, sim quasi proprius rex vester. Quocirca Samuel Hebræis postulantibus regem 1. Reg. 8. vers. 7. audit à Deo: *Non te abiecerunt*, inquit, *sed me, ne regnem super eos.* Unde Josephus lib. 2. contra Apion. cùm gentes regi vel monarchia vel aristocratia vel democratia docuisset, subdit Israelem regi theocratia, putà à Deo. *Noster*, inquit, *legislator in nulla harum administrationum intendens, theocratiam instituit, uni in primis Deo imperio atque potestate assignata.*

Porrò Complut. & Tigurina, nonnulla addunt, quibus caret Latina Vulgata: sic enim habent: *Omnis homo à juventute ad mala intentus est, nec potuit cor eorum è lapideo fieri carneum: nam in distribuendis totius terræ gentibus ducem cuique genti constituit, & Israelem sibi deligit peculiariter, quem ut primogenitum disciplina educat, & lumen charitatis impertiens non deserit*; Syrus verò Latino consentiens, vertit succinctè, *omnibus populis constituit præpositos, & pars Domini Israel*: *pars*, id est, portio hereditaria, sive hereditas.

Tropol. Rabanus: *Pars Dei Israel facta est manifesta, hoc est, congregatio sanctorum probata, quorum dogmata lucent sicut sol in conspectu Dei, & actiones Deo sunt placitæ. Oculi enim Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum: quoniam oculi eorum ad Dominum intendunt, & amor cordis eorum anhelat. Ex quorum persona Propheta loquitur dicens: Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Hi sunt Israel, quia dominantur vitiis, passionibus, sibi, indeque Deo. Sicut enim Jacob, id est, supplantator, scilicet Esau fratris sui, id est, carnis suæ, deinde dictus est Israel, id est, dominans Deo, quia in lucta prævaluit angelo Dei, Genes. 32. 28. Sic pariter Sancti post victoriam & dominium passionum, quasi dominantur ipsi Deo, ut ab eo impetrent quæcumque volunt. *Tropolog. pars Dei Israel, quæ?*

ET OMNIA OPERA ILLORUM VELUT SOL IN CONSPECTU DEI; ET OCULI EJUS SINE INTERMISSIONE INSPICIENTES IN VIIS EORUM] Inculcat id quod dixit v. 13. q. d. Omnia opera Israelis, putà Israelitarum singulorum, tam bona quibus servant legem Dei, de quibus dicet vers. 18. quàm mala quibus eam violant, de quibus dicet vers. sequ. clara sunt D & manifesta in conspectu Dei, sicut sol clarus & manifestus est toti mundo, idque non ex se, quasi hæc claritas eis sit intrinseca & connaturalis; sed ex Deo, quia scilicet illuminantur à claritate Dei, & ab oculis eius lucidissimis, qui jugiter illuminant & inspiciunt omnes vias, id est, actiones eorum: sicut terra & aer clara sunt, non ex se intrinsecus, sed quia extrinsecus illuminantur à sole. Vnde potiùs dicendum est, quòd Deus sit sol omnia illuminans & intuens, quàm quòd opera hominum sint lucida ut sol, uti audiemus cap. 23. v. 28. ita Lyranus & Jansenius hæc adaptant soli Israeli. Vers. 16.

Potest Secundò, hæc sententia accipi de Gentibus: quasi dicat. Esto Dei pars sit Israel, quem peculiari providentia inspicit, regit, & curat: tamen communi providentiæ oculo aspicit omnes gentes, eorumque tam mala quàm benefacta intuetur, ut illa puniat, hæc præmiet. Vnde Tigurina vertit, *quapropter omnia illarum* (gentium) *facta tamquam sol palam eo sunt, & instituta earum intuetur oculis assiduè*; Syrus vertit ut Noster

ster, omnia opera eorum sicut sol apparent in conspectu eius, & manifesta sunt ei omnia consilia eorum.

Tertiò, nonnulli hæc de bonis Israelis operibus accipientes explicant, q. d. Quia Deus Israelem sibi elegit in partem, sortem & here ditatem; hinc opera ejus, qua Israelis, id est, qua fidelis est & pius, tam libenter videt, quàm solem videmus: gratissimus ei illorum est aspectus. Sic de Salomone dicitur psalm. 88. 37. *Thronus eius sicut sol in conspectu meo*, ut in æternum coram me fulgens oculos meos oblectet. Et inferiùs c. 50. 7. de Simone: *Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in domo Dei*. Et c. 26. 11. *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius.*

VERS. 17. NON SUNT ABSCONSA TESTAMENTA PER (perperàm Complut. & multi pro *per* legunt *super*; alii, *propter*) INIQUITATEM ILLORUM, ET OMNES INIQUITATES EORUM IN CONSPECTU DEI] Ita Roman. Rabanus & alii: q. d. *Testamenta*, id est, pacta Dei inita cum Israele, non sunt irritata per iniquitatem Israelitarum, esto omnes eorum iniquitates sint in conspectu Dei, ut singulos suo tempore castiget & puniat. Hoc est quod ait Paulus Rom. 3. 3. *Numquid infidelitas hominum fidem Dei evacuavit? Absit*. Nam *est Deus verax, omnis autem homo mendax.*

Secundò, *testamenta*, id est, ordinationes & leges Dei non sunt absconsæ & abolitæ per peccata, quibus homines eas violarunt, quia manet vigilatque semper inconcussa Dei ordinatio & legum obligatio, juxta quam pœna legibus decreta peccatores exspectat: Deus enim eos eorumque peccata jugiter præ oculis habet, ut suo tempore ea judicet & vindicet.

Tertiò, Palacius pro *per* legens *super*, sic explicat: Non sunt absconsa pacta quæ impii ineunt super iniquitate, v. g. ad rebellandum regi vel Deo. Ergo licet illi super iniquitate occultissima sanciant fœdera, illa tamen ut sol clarissimè patent Deo. Verùm hæc expositio, æque ac lectio, arctior & alienior est.

Græca concisa hæc tantùm habent, *Non occultantur iniustitiæ ipsorum coram eo, omniaque peccata eorum coram Domino sunt*; Syrus, *non sunt abscondita delicta eorum à conspectu eius, & peccata omnium hominum scripta sunt in conspectu eius*: nimirum scripta sunt in mente & memoria Dei, ad ea judicandum & castigandum. Complut. & Tigurina plura addunt, *iniustè facta illarum* (gentium) *non latent ipsum, sed omnia peccata ipsarum ei perspecta sunt. Ipse autem cum benignus sit, & opificium* (græcè πλάσμα, id est, figmentum) *suum habeat cognitum, neque ablegat homines, neque deseruit, ut qui parcat ipsis.*

VERS. 18. ELEEMOSYNA VIRI QUASI SIGNACULUM CUM IPSO, ET GRATIAM HOMINIS QUASI PUPILLAM CONSERVABIT] Dixit opera mala esse in conspectu Dei: iam idem dicit de bonis, inter quæ præcipua est eleemosyna. Lyran. & alii pro *signaculum* legunt *sacculus*: q. d. Eleemosyna eleemosynario est quasi sacculus, id est, pera. Sicut enim in pera homo viaticum reponit, ad quod in necessitate recurrit; sic eleemosyna in morte homini subvenit. Unde S. August. *Sola misericordia*, inquit, *comes est defunctorum*; ut huc alludat Christus Lucæ 12. dicens: *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis.*

Verùm pro *sacculo* legendum est *signaculum*. ita Roman. Rabanus & alii: hoc enim significat Græcum σφραγίς. Eodem tamen redit sensus, sive legas *sacculus*, sive *signaculum*. Alludit enim ad pecuniarum sacculos, sive bursas veterum, qui sigillo muniebantur & obsignabantur, ne quis eas reserare auderet, utque, si perderentur, ex sigillo cognosceretur quis eas perdidisset. Id patet ex S. August. serm. 19. de Verbis Apostol. ubi narrat bursæ perditæ inventorem petiisse ab eo qui se eam perdidisse dicebat, signa & sigilla bursæ: *Quæsivit*, inquit, *signa, interrogavit sacculi qualitatem, sigillum, solidorum etiam numerum*. Et S. Hieron. epist. 47. de vitando suspecto contubern. *Dolet*, ait, *sibi prælatum iuvenem*, &c. *qui sacculum signet, textrinum teneat, pensa distribuat, regat familiam, emat quidquid de publico necessarium est.* Ut huc allusisse videatur Christus Lucæ 12. 33. dum ait: *Facite vobis sacculos qui non veterascunt*. In quæ verba B. Chrysologus serm. 25. *Sacculus*, inquit, *cur paratur? quid ibi claustra, ubi custos est innocentia? quid ibi signaculum, ubi fraudis suspicio non habetur?* Eleemosyna ergo hic A loco mercedis habitura dicitur *signaculum*, id est, sacculum nummis refertum, ideoque diligenter obsignatum, suisque claustris & sigillis obseratum, q. d. Eleemosyna dat opes securas & stabiles, quas nec tinea corrodit, nec fures furto subducunt, ut ait Christus. Verùm, quia vera lectio est *signaculum*, alios hic ejus sensus aggeramus.

Eleemosyna est signaculum Primò.

Primò, Rabanus & Jansenius sic explicant: Sicut sigillo vel signaculo solemus obsignare res caras & pretiosas; ita Deus obsignat eleemosynas cujusque in mente sua: q. d. Eleemosynæ piorum manent in mente & memoria Dei, quasi signaculo vel sigillo eius obsignatæ, ut fideliter ibi asserventur, ac suo tempore iustam eis mercedem retribuat. Multi enim dicunt se facere eleemosynas, & queruntur se statim earum mercedem non recipere. His respondet Siracides, Deum eas tenere obsignatas apud se, ut congruo tempore remuneretur: illud ergo tempus fidenter & longanimiter exspectent. Nota metonymiam: Eleemosyna vocatur *signaculum* vel *sigillum*, hoc est, res signata & sigillata (ut vertit Syrus)
B in mente Dei. Simili modo ait Deus Deuter. 32. 34. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Et Paulus de electis signatis per Dei præscientiam & prædestinationem: *Firmum fundamentum Dei stat*, inquit, *habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt eius, & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*. 2. Timoth. 2. 19.

Secundò.

Secundò, magis genuinè & nervosè: q. d. Ipsa eleemosyna est quasi signaculum, id est, annulus signatorius Dei, cui insculpta est imago eleemosynarii. Sicut enim annulus signatorius homini est charissimus, quem semper in manu & præ oculis habet: sic est & eleemosyna coram Deo, scilicet, ipsi in pretio & charissima, eiusque oculos semper verberans. Hinc aliqui vertunt, *misericordia est sicut signum annuli apud ipsum*: Simili modo Deus ait Zorobabeli: *Ponam te quasi signaculum*, Aggæi 2. 24. Vide quæ ibidem hac de re fusè dixi.

Addunt aliqui, eum qui eleemosynam erogat à Deo quasi sigillum accipere, ut scribat quidquid volet, quidquid optabit, sigilloque Dei diploma imprimat & obsignet: quo ante Dei tribunal præsentato, haud dubiè po-
C stulatum impetrabit, suique voti compos optatum recipiet. Qua phrasi & tropo significat, eleemosynarium omnia quæ petit à Deo obtinere. Verùm hoc sigillum esse apud Deum, non apud eleemosynarium, patet ex dictis. Unde hoc signaculum à similitudine pupillæ explicat Siracides, dum subdit: *Et gratiam hominis quasi pupillam conservabit*, non eleemosyna, sed ipse Deus, ait Jansenius: q. d. Deus in memoria quasi in libro rationum suarum, exactè & studiosè scribit & conservat gratiam, id est, misericordiam & beneficium alteri impensum, quasi pupillam oculi, putà ea cura & sollicitudine qua homo conservat pupillam oculi sui; imò eadem qua Deus conservat pupillam oculi sui, id est, aciem mentis suæ; iuxta illud de piis & misericordibus: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*, Zac. 2. 8. Aut potiùs *gratiam hominis* accipias eam, qua homo eleemosynarius est gratus & gratiosus in oculis Dei, æquè ac hominum: hanc enim significat Græcum χάρις & Hebr. חן *chen*. Unde tritum illud in Script. *Invenisti gratiam in oculis meis*:
D q. d. Sicut pupilla gratiosa est homini, & annulus signatorius gratiosus est principi, sic gratiosa est eleemosyna Deo.

Rursum sicut annulus signatorius conservat memoriam & gratiam amati in mente amici annulum gestantis (olim enim solebant effigiem eius quem valdè amabant, insculpere palæ annuli; ut amatum suum amans semper haberet in oculis, & quasi præsentem:) ita eleemosyna conservat jugiter memoriam & gratiam eleemosynarii in oculis & mente Dei: eleemosynarius enim in sua eleemosyna quasi in sua effigie, à se efformata, effigiatus & expressus cernitur. Facit ergo eleemosyna, ut eleemosynarii gratia semper apud Deum viva, & chara instar pupillæ conservetur. Τὸ ergo *conservat* potiùs ad eleemosynam refer, quàm ad Deum. Vult enim docere omnia opera nostra tam mala, quàm bona, qualis est eleemosyna, conspicua esse Deo, Deique oculos verberare. Unde Tigurina vertit, *benignitas* (Vatablus, *miseratio*: hanc enim si-

gnificat Hebr. חסד *chesed*) *hominis instar sigilli coram ipso (Deo) est, & beneficium cujusque conservat tamquam pupillam*. Vatabl. pro gratiam vertit *amorem*: hunc enim significat quoque Hebr. חן *chen*, q. d. Eleemosyna favorem, gratiam & amorem eleemosynarii apud Deum conservat, eumque gratum & delicatum reddit tamquam pupillam oculi; quia facit ut Deus illum amet, illique in omnibus faveat. Addunt Complut. & Tigurina: *distribuens vel concedens filiis ejus & filiabus pœnitentiam*: q. d. Eleemosyna sua gratia apud Deum impetrat eleemosynario pœnitentiam peccatorum, nec tantùm ipsi, sed & filiis & filiabus ejus. Unde Daniel ad Nabuchodonosor c. 4. 44. *Peccata tua*, inquit, *eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*. Syrus vertit, *justificatio* (vel *victoria*) *omnium hominum sigillata est, & posita apud eum, & gratia hominum sicut pupilla oculi custodita est coram eo*. *Iustificatio* sive *justitia* vocatur eleemosyna, ob analogias quas recensui Daniel. 4. 44. quæ versio magis favet priori expositioni Jansenii.

Porrò, Palacius hæc aliter explicat. audi eum: Eleemosyna, inquit, est velut sacculus pecuniæ cum ipso; Secundò, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit; Tertiò, & postea resurget; Quartò, retribuet illis retributionem unicuique in caput ipsorum; Quintò, convertet inferiores partes terræ. Prima ergo laus eleemosynæ, de qua tractat Author, ut de opere quo Deus magnopere colitur, est, quòd sit velut sacculus, scilicet pecuniæ, q. d. qui saccum pecuniæ secum defert, emit quod vult: ita qui eleemosynam dat, licet abiiciat pecuniam, affert tamen eam secum, qua favorem Dei contra mala, bonorum copiam in terra, & demum felicitatem sibi comparet in cælo. Græcis pro *sacculus* est sigillum, & est sensus: Ut Abraham accepit circumcisionem velut sigillum quo Deus testabatur eum esse justum: ita eleemosynam faciens, sigillo Dei munitus est, quo ostenditur esse justus, qui enim dat cibum famelicenti, potum sitienti, &c. justus habetur in die judicii. Et ut litteras sigillo munitas non temerè quivis audet violare: ita nec dæmones facilè violant eum qui ex misericordia eleemosynas largitur: siquidem in die mala liberabit eum Dominus. Secunda eleemosynæ laus est, quòd conservat diligenter & curiose gratiam. Præclarissimam planè laudem. Cùm enim gratia animæ nostræ adeò pateat invidiæ dæmonum, fragilitati carnis, cupiditati & impugnationibus mundi, eleemosyna est, quæ contra tot hostium furentium phalanges gratiam conservat & defendit, id est, Deum attentè in cælo precatur ut defendat, juxta illud: *Dominus conservet eum & vivificet* &c. hæc Palacius.

Eleemosyna est sacculus.

Nota, gratiam Dei rectè comparari pupillæ. Primò, quia sicut in pupilla apparet imago virunculi, unde Hebr. pupilla vocatur אישון *ison*, q. d. Virunculus: sic in gratia apparet imago Dei: gratia enim est summa participatio divinitatis, juxta illud 2. Petri 1. 4. *Ut efficiamini divinæ consortes naturæ*. Secundò, sicut pupilla est gratia, decor, & venustas faciei, sic gratia est decor, venustas & dignitas animæ, tolle pupillam, exoculas hominem: tolle gratiam, excæcas, imò occidis animam. Tolle è cœlo solem per diem, tolle per noctem stellas; cœlum non aliud erit nisi tenebræ & caligo: tolle gratiam, tollis solem & stellas mentis, quibus sublatis, nil remanet nisi nox & caligo. Hinc Tertiò, sicut pupilla homini, sic & gratia fideli summè debet esse curæ & cordi, ut eam conservet, augeat, perficiat. Vide ergo quantæ sit dignitatis eleemosyna, quæ hanc pupillam animæ, gratiam dico, conservat. Unde S. Chrysost. homil. de eleemosyna & collat. in sanctos, eleemosynæ gratiam æquat gratiæ miraculorum, qua mortui suscitantur, leprosi mundantur, dæmones fugantur. Additque: *Deus eleemosynam non ob hoc solùm constituit, ut pascantur indigi; sed etiam ut dantibus accrescerent beneficia, atque adeò magis propter dantes, quam propter accipientes. Et propterea vera eleemosyna est, sic dare, ut gaudeas te dare, putesque te accipere magis quam dare*. Denique eleemosyna gratiam invenit etiam apud hostes, sibique amicat non solùm amicos, sed inimicos: quin & gratiam præstat, ne dæmones, jurati hostes, nobis nocere queant. Audi S. Chrysost. hom. 33. ad popul. *Sunt & hic*, inquit, *castra pauperum, & bellum, in quo pro te pauperes pugnant; cùm enim stipendium acceperint, orantes tibi Deum faciunt propitium; propitium autem facientes, pro barbaris dæmonum insidias repellunt: neque sinunt vehementer infestum esse malignum, neque semper irruere, sed ipsius solvunt potentiam. Hos itaque conspiciens milites, quotidie pro te cum diabolo precibus & orationibus pugnantes, à temetipso istud tributum exige, illorum alimenta.*

Gratia similis pupillæ. Primò. Secundò, Tertiò,

Hanc gnomen & hoc ænigma, pulchro bombycis & hominis apologo repræsentat Cyrillus lib. 3. Apologorum moralium c. 20. Bombyx enim serico suo quod homini præbet, se involvens & abscondens, significat beneficum beneficium debere ostendere, seipsum verò abscondere. *Quare liberalis*, inquit, *abscondit faciem, fugit laudem; nullam repetit exteriorem mercedem. Numquam patens est natura gemmificans, nec auri liberalissima vena palàm se ostentat. Natura nempe & virtus non in faciem tribuunt, quia nec rem, nec laudem pro muneribus virtualiter effusis extrinsecus cupiverunt. Quibus auditis, vale addito quievit.*

Beneficus abscondat beneficiũ ut bõbyx sericum.

Vers. 19. Et postea resurget (exurget ad judicium non eleemosyna, sed Deus, cujus est judicare & cuique pro meritis retribuere) ET RETRIBUET ILLIS RETRIBUTIONEM, UNICUIQUE IN CAPUT IPSORUM, ET CONVERTET IN INTERIORES (aliqui legunt, *inferiores*] PARTES TERRÆ.]

Primò Jansenius, Lyran. Palacius, hæc referunt ad eleemosynam & eleemosynarios: q. d. Eleemosyna signata & custodita servatur apud Deum usque in diem judicii: tunc enim *resurget*, id est, exurget Deus ad judicium, & *retribuet unicuique* capiti pro meritis, & *convertet in inferiores partes terræ*, id est, in mortuos, tempore Siracidis in inferno, id est, limbo patrum degentes; tum, quia efficiet, ut ad eos perveniat vis eleemosynæ, dum propter eam illos resuscitabit ad gloriam; tum, quia efficiet, ut anima eleemosynarii, si in Purgatorium expianda mittatur, inde liberetur, vel certè pœna ejus mitigetur. ita Lyranus, Palacius, Jansenius, qui ex hoc loco contra hæreticos probant Purgatorium.

Perperam Præpositivus, quem citat & refutat Hugo hic, aliique nonnulli ex hoc loco & similibus censuere, eleemosynam prodesse quoque animabus damnatis in inferno, quòd per eas pœna illarum mitigetur ad tempus. Citant pro se S. August. Enchir. c. 110. ubi ait: *Quibus autem prosunt* (eleemosynæ & suffragia) *aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio*. Verùm S. August. loquitur de damnatione ad Purgatorium, non ad infernum: utrique enim sunt damnati ad eumdem ignem, sed ibi ignis temporarius, hic æternus. Id ita esse patet ex eo quod immediatè præmittit S. August. *Cùm ergo sacrificia sive altaria, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt, pro non valdè malis propitiationes sunt, pro valdè malis etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt*. Citant quoque pro se S. Chrysost. homil. 5. in epist. ad Philip. Innoc. III. cap. *Cùm Marthæ*, & alios. Sed ad omnes & omnia egregiè respondet Bellarm. lib. 2. de Purgat. c. 18.

Eleemosyna an prosit damnatis.

Porrò quanta sit ista retributio, docet Christus, qui pro calice aquæ frigidæ promittit regnum cœlorum, Matth. 10. 42. Unde S. Chrysost. hom. 5. de pœnit. *Negotiatori*, ait, *nulla alia est intentio, nisi parvo quidem emere, magno autem vendere*, &c. *Tales igitur Deus nobis nundinas proposuit: modico justitia emitur, tantùm pro panis fragmento, pro calice aquæ frigidæ*. Et Angelus ad Tobiam cap. 12. 9. *Qui faciunt*, ait, *eleemosynam & justitiam, saturabuntur vita*.

Secundò, aptiùs hæc referas ad iniquitates & iniquos, de quibus egit v. 16. & 17. q. d. Iniquitates & iniqui sunt in oculis Dei, ac servantur in mente & memoria Dei, usque ad diem judicii, tum particularis, tum universalis: tunc enim Deus vindex exurget ad judicium, atque impios, immisericordes & impœnitentes in iniquitate persistentes & morientes judicabit, ac retribuet illis meritas pœnas in caput ipsorum; quia *convertet* (aliqui legunt *conteret*) mittetque eos in infernum. De iniquis enim & impenitentibus hic agi, liquet ex antithesi sequenti. Hisce enim opponens pœnitentes v. seq. subdit: *Pœnitentibus autem dedit viam justitiæ*, &c. Idem satis significat, τὸ *Retribuet unicuique in caput ipsorum*. Impiis enim in caput, piis in sinum retribuere

buere dicitur Deus. Unde Syrus clarè vertit, *& post hæc revelabitur & retribuet eis, & peccata eorum in caput eorum dabit*. Denique si amplissimè hanc sententiam vis accipere, potes eam referre tam ad pios, quàm ad impios, itaque utramque expositionem jam datam jungere, & quasi unam complecti. Unde Tigurina vertit, *tandem verò exurgit, & suum singulis dat pretium, suamque cuique vicem in caput suum regerit*.

Vers. 20. POENITENTIBUS AUTEM DEDIT VIAM JUSTITIÆ, ET CONFIRMAVIT DEFICIENTES SUSTINERE, id est, ad sustinendum, ut sustineant tentationem, ET DESTINAVIT ILLIS SORTEM VERITATIS] Tò *pœnitentibus autem*, innuit hìc esse antithesim, ideoque præcedentia accipi de iniquis impœnitentibus, uti jam dixi: fortè etiam respicit ad id quod Græca Complut. addunt in fine vers. 18. *Filiis ejus* (eleemosynarii) *& filiabus locum concedens pœnitentiæ*. Dixit vers. 16. & 17. Deum intueri omnes omnium iniquitates, ut eas judicet, & vindicet, nunc, ne quis idcirco iniquitatum suarum veniam desperet, subdit remedium, scilicet pœnitentiam: q. d. Si peccasti, & naufragium innocentiæ justitiæque fecisti, superest post naufragium tabula qua te salves, scilicet pœnitentia, quam Deus tibi suggerit & offert: pœnitentibus enim dedit *viam justitiæ*, id est, ad justitiam, putà viam qua redeant ad justitiam: via hæc est pœnitentia. Unde Græca habent, *verumtamen pœnitentibus concedit reditum*, scilicet, ad se & ad justitiam; Tigurina, *attamen regressum concedit resipiscentibus*; Syrus, *verùm pœnitentibus dabit pœnitentiam*. Nec tantùm hoc, sed insuper *confirmavit deficientes*: q. d. Deus confirmat & corroborat pusillanimes, qui alioqui sibi relicti per infirmitatem humanam animo caderent & deficerent in tentatione, & tribulatione, laberenturque in consensum tentationis, impatientiam, desperationem, ceteraque peccata: confirmat, inquam, *deficientes sustinere*, id est, ad sustinendum: nam vi gratiæ suæ facit, ut omnem tribulationem fortiter tolerent, & sustineant. Porrò confirmat tum per lectionem S. Script. piorumque librorum, tum per concionatores, & consolatores, tum per exempla Sanctorum, tum maximè per internam gratiam, & robur, quod menti inspirat. Unde Græcè est παρεκάλεσε, quod vertas Primò, hortatus est: Secundò, consolatus est; Tertiò, advocavit, rogavit. Unde aliqui hìc legunt *conrogavit*, vel potiùs *corrogavit*; itaque vertisse nostrum Interpretem censet Jansenius, ac sic legit S. Ambros. vel potiùs Victor Cartennæ Episcopus libr. de Pœnitentia cap. 1. (exstat tom. 5. S. Ambros. edit Roman. p. 405.) ubi inter cetera ait, *Habet enim justitiæ partem* (pro *viam* enim ipse legit *partem*) *errati canta confessio; ut mulgeas misericordiam, exerce prior ipse in te censuram*. Quartò, excitavit, animavit, *confirmavit*, uti vertit Noster. Hinc idem Victor. ibidem sic pœnitentiam definit: *Pœnitentia est prioris ævi damnatio, & in futuro promissa correctio, & velut in aliam vitam ducitur usus vivendi, dum pia mens ea quæ sunt à tergo non respicit*.

Græca integrè sic habent: παρεκάλεσε ἐκλείποντας ὑπομονήν, ubi necessariò subintelligenda est aliqua præpositio. Tigurina subdit πρὸς, id est, *ad*: unde vertit, *labascentes hortatur ad patientiam*. Alii intelligunt κατὰ, id est, *secundum, juxta*, unde vertunt, *cohortatur deficientes secundùm patientiam*, id est, deficientes sive destitutos patientia; Complut. *confirmavit deficientes exspectatione*; Rom. *deficientes sustinentia*; Syrus abit alio, habet enim, *& disperdet omnes qui justos offendunt*.

ET DESTINAVIT ILLIS SORTEM VERITATIS] putà sortem pœnitentiæ & justitiæ debitam, scilicet vitam æternam. *Veritas* enim in Script. sæpè significat justitiam, omneque officium virtutis, sive id quod quis facere debet, ut dignè suo gradu, & statu vivat. Sic de diabolo dicitur Joan. 8. 44. *In veritate non stetit*, id est, non perseveravit in statu angelico, non fecit quod facere debebat Angelus, officium angelicum deseruit. Sensus ergo est, q. d. Iniqui de quibus egi v. 16. & 17. exspectant à Deo jugiter oculis totius iniquitates ipsorum intuente, sortem iniquitati debitam, putà infernum, uti dixit v. 19. at pœnitentes, si ab iniquitate seriò convertantur, exspectant à Deo sortem veritatis, & justitiæ, putà cælestem felicitatem: hanc enim Deus eis ab æterno destinavit Matth. 25.

A Significat duplicem esse sortem hominum. Alteram felicitatis terrenæ, quæ conceditur impiis, & hanc esse sortem vanitatis, somnii, mendacii & tenebrarum. Alteram felicitatis æternæ, & hanc esse sortem veritatis. Quod si intelligis, sat est, ait Palacius.

CONVERTERE; Græcè, ἐπίστρεφε, id est, redi, vertere, AD DOMINUM, ET RELINQUE PECCATA TUA: PRECARE ANTE FACIEM DOMINI, ET MINUE OFFENDICULA] Tigurina, *offensas*; Syrus, *revertimini ad Dominum, & revertimini a pereundo, revertimini a peccando, & ne iram provocetis*. *Quæ enim utilitas Deo est in omnibus qui pereunt in mundo, pro iis qui vivunt & dant ei gratiarum actionem?* Complut. addunt οὖν, id est, *igitur*. Infertur enim hæc secunda pars capitis de pœnitentia ex prima, putà ex dictis de beneficiis Dei in hominem collatis, deque inspectione eius, judicio & retributione, qua bonis æquè ac malis pro meritis retribuit: q. d. Cùm, o homo, tot nominibus & debitis obstrictus sis Deo, isque singulas tuas actiones, ac præsertim iniquitates omnes, intentè inspiciat, ut eas acerrimè in gehenna puniat; consequens est ut, si sapis, si animæ, si saluti, Vers. 21. Vers. 22.

B si æternitati tuæ consulere velis, convertaris ad Dominum. Convertere, ait Hugo, *& revertere velut ancilla ad dominam suam, juxta illud Genes. 16. Revertere Agar ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius. Revertere fili prodige ad patrem tuum, ac dicito: Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Peccavi. Revertere meretrix adultera ad sponsum tuum, juxta illud Jerem. 3. Fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere. Revertere æger ad medicum, juxta illud Oseæ 6. Venite, & revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, & sanabit nos*.

Nota Primò. Siracides ad conversionem & justificationem requirit duo: Primum, ut peccator ex toto corde convertatur ad Dominum; Secundum, ut relinquat peccata. Peccator enim dum peccat, relicto bono incommutabili convertit se ad bonum commutabile. Igitur ut convertatur & redeat ad pristinum justitiæ statum, oportet ut relicto bono commutabili redeat ad incommutabile, ac à creaturis convertatur ad Creatorem. Perinde enim ac lux excludit tenebras, & tenebræ lucem: sic vicissim amor Creatoris excludit amorem inordinatum creaturæ, & vice versa. Addit tertium, ut precetur

C *ante faciem Dei*, scilicet ut pœnitens prosternat se coram Deo, ab eoque suppliciter veniam postulet. Addit Quartum, ut minuat *offendicula*, scilicet, tum peccata, & offensas, quæ Deum offendunt, tum occasiones peccandi & Deum offendendi, tum conversationes suspectas, & quæcumque proximis præbent occasionem offendiculi, & scandali. Hæc enim omnia significat Græcum πρόσκομμα; eaque quoad potest minuere, & auferre debet, qui seriò vult ad Deum converti. Sic Manasses pœnitens abstulit offendicula, putà idola quæ priùs erexerat, 2. Paralip. 33. v. 15. Nota Secundò, Tò *precare ante faciem Domini*, hoc est, ante conspectum Domini, vel ante personam Domini, putà ante Dominum. Hebr. enim פנים *panim* & Græcum πρόσωπον, tam faciem, quàm personam, quæ ex facie à ceteris distinguitur, & dignoscitur, significat.

Ubi Nota, *panim* Hebræis esse numeri pluralis, & carere singulari, ut significet plures, putà tres in Deo esse personas. Unde Exodi 33. 20. ad illud, *Faciem meam videre non poteris*, notant Cabalistæ Hebr. פני *panai*, id est, *faciem meam*, esse triliterum, ac repræsentare tres perso-

D nas SS. Trinitatis: imò tres litteras quibus scribitur *panai*, esse signa trium hypostaseon. Nam prima littera est פ *pe*, quæ significat *os*, ex quo verbum procedit, quæ proinde appositè refert Deum Patrem. Secunda est נ *nun*, quæ disertè Filium significat, à rad. נין *nin*, à quo Arabes, & Hispani *ninos* vocant infantes, & filiolos. Tertia est י *iod*, id est, *manus*, quæ in Scriptura Spiritum sanctum significat, ut cùm ait David psalm. 110. vers. 10. *Quò ibo à spiritu tuo?* mox subdit: *Illuc manus tua deducet me*. Hæc omnia annotavit Raphael Aquilinus tract. 1. quem citat Anton. Ricciardus in Comm. Symbolicis. Sic veteres Hebræi & Latini dicebant in Deo esse tres facies, tres species, tres formas, id est tres personas. Audi Tertull. adversus Praxeam: *Tres sunt non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma: nec potestate, sed specie; unius autem status, unius substantiæ, unius potestatis: quia unus Deus ex quo gradus isti; & forma & species in nomine Patris,* Symbola SS. Trinitatis.

& Filii, & Spiritus sancti, deputantur. Gradus dixit A origines & processiones, uti rectè annotavit Pamelius. Hinc & Septuag. pro *facies* vertunt πρόσωπα, id est, personam. Veteres enim Philosophi ignorarunt distinctionem naturæ & personæ: unde Aristot. cùm ait, actiones esse suppositorum, per supposita non intellexit personas, sed substantias, uti rectè notavit Suarez in Metaphys. Quocirca Martialis poeta subsannans SS. Trinitatem quam colunt Christiani, eò quòd non caperet Trinitatem personarum in una eademque essentia: *Hermes*, ait, *omnia solus, & ter unus*; cui respondens Athenagoras, coævus penè S. Dionysio Areopagitæ in Apolog. pro Christianis ait, *Deum esse unum actu, tres vero virtute*, id est, unum esse in essentia, tres verò in personis. Needum enim nomen hypostasis usurpabatur pro persona, sed ex suo etymo significabat substantiam. Primus enim qui hypostasin ab οὐσία distinxit, ac personas vocavit hypostases, οὐσίαν verò earum essentiam, fuit Hosius Episcopus Cordubensis, ut confutaret Sabellium dicentem, in Deo unam esse hypostasin & personam, sicut est una natura, uti refert Socrates lib. 3. c. 4. & 5.

Igitur Dei facies quam adoramus, & cui supplicamus, B significat Primò, Dei essentiam; Secundò, Dei præsentiam, hujus enim index est facies; Tertiò, Dei personam: persona enim ex facie dignoscitur, & judicatur; Quartò, benevolentiam: hæc enim in facie benevola cernitur. Unde Deus dicitur avertere faciem suam ab eo cui irascitur, ostendere verò faciem illi quem benignè respicit, juxta illud psalm. 79. *Ostende faciem tuam, & salvi erimus*: pro quo S. August. legit, *illumina faciem tuam*, id est, lucidam, hilarem, benignam faciem nobis ostende.

Hinc & S. Gregor. exponens illud Iob 1. *Nisi in faciem benedixerit tibi*: *Nos nempe*, inquit, *quod amamus respicimus: quod verò aversari volumus, ab eo faciem declinamus. Quid itaque Dei facies, nisi respectus ejus gratiæ perhibetur intelligi? Ait ergo, Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Ac si aperte dicat: Ea quæ dedisti subtrahe. Nam si accepta perdiderit, respectum gratiæ tuæ ablatis rebus temporalibus non requirit. Si enim ea quibus delectatur, non habuerit, favorem* C *tuum, etiam maledicendo contemnet*. Hinc Siracides jubet orari coram facie Dei, ut orando illam nobis conciliemus, ac ex irata, severa, minaci, eam nobis propitiam, serenam, benevolam & beneficam reddamus.

Vers. 23. REVERTERE AD DOMINUM, ET AVERTERE AB INJUSTITIA, ET NIMIS ODITO EXECRATIONEM] putà peccatum quod Deus execratur & abominatur. Repetit & inculcat aliis verbis, quod dixit v. præced. *Nimis*, id est, valdè hoc enim est Hebræum מאד *meod*, sed dicit *nimis* potiùs quàm valdè, quia ingens & quasi immensum requirit peccati odium: peccatum enim est immensum malum, ideoque immensè abominandum: quare quantumcumque peccati sit odium, nequit esse nimium, imò Deus odio positivè infinito prosequitur & execratur peccatum. Quocirca sicut Deus amandus est super omne bonum amabile, sic peccatum execrandum est super omne malum odibile, quod ab homine vel Angelo odiri potest. Complut. & Tigurina quędam de luce, & tenebris interserunt. sic enim habent: *Contende ad Altissimum* (*is enim te è tenebris deducet ad lucem incolumitatis*) *& recede ab injustitia, atque quod abominandum est summo odio prosequere*; Syrus aliò rursum abit, *quàm multæ*, inquit, *sunt misericordiæ Dei! qui parcit iis qui revertuntur ad eum, quia non est hujusmodi in homine: neque consilium ejus est sicut consilia filiorum carnis*. D

Vers. 24. ET COGNOSCE JUSTITIAS ET JUDICIA (id est, mandata, quæ præscribunt quod justum est, unde secundùm ea judicandum est) DEI, ET STA IN SORTE PROPOSITIONIS ET ORATIONIS ALTISSIMI DEI] Hæc sententia, & sequens jam desunt in Græco, ac consequenter in Syro & Arabico: Tigurina tamen eas sic exprimit, *fac cognoscas justitiam & jura Dei, in sorte præscripta, & imploratione Altissimi persiste*: q.d. Non sufficit odire execrationem, id est, peccatum execrabile, sed insuper oportet cognoscere, scilicet practicè, id est, amare & facere justitias lege præscriptas, juxta illud psal. 33. *Declina à malo, & fac bonum*. Hæ enim sunt duæ partes integrantes veræ Sanctorum justitiæ.

Nota τὸ *sta* significat Primò, luctam & pugnam contra hostes. Secundò, in ea constantiam, & perseverantiam: q. d. Luctaris cum mundo, carne & dæmone, qui te à proposito virtutis avocare satagunt: sed *sta*, hoc est, eorum tentationibus generosè resiste, ne cedas, nec cadas, nec tergum vertas: sic enim certò vinces. Milites enim castrenses licet stent, & resistant, sæpè tamen ab hoste potentiore vincuntur & occiduntur: at miles Dei & pugil virtutis, si in ea immotus consistat, vincit: virtutem enim nemo nobis invitis adimere potest, sed sola voluntas propria. *Stare* enim est verbum militare: pugnaturi enim firmiter consistant oportet: unde qui id fecerant, olim donabantur torque & monilibus, teste Vegetio lib. 2. cap. 7. & Vopisco in Vita Probi. Quin & milites Romani sacramento, hoc est juramento militari, se astringebant, numquam se à Consulum obedientia recessuros, numquam se locum deserturos, teste Alexandr. ab Alexandro libr. 1. Genial. cap. 20. Sic milites Catilinæ occubuere in ipso vestigio quo consistebant, teste Sallustio. Quocirca huc alludens S. Paulus Ephes. 6. 12. cùm luctam fidelium cum dæmonibus descripsisset, eosque panoplia spiritali à capite ad talos obarmasset, subdit: *Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo*. Et mox: *State ergo succincti lumbos vestros, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis*. Ubi multa in hanc rem annotavi. Hos duces secutus S. Cyprianus libr. 1. epist. 5. *Hortamur*, inquit, *vos per communem fidem per pectoris nostri veram circa vos & simplicem charitatem, ut gloriam vestram forti & perseveranti virtute teneatis. Adhuc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti, de vita nostra quotidie dimicamus*. Idem laudans constantiam Martyrum in tormentis Exhortat. ad mart. *Steterunt*, ait, *torti torquentibus fortiores, & pulsantes ac laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sævientis diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera*. — *Τὸ sta notat constantiam militum & Martyrum.*

Quæres, quænam est *sors propositionis* in qua stare jubet. — *Sors propositionis, quæ?*

Resp. Primò. Resp. Primò, est sors judiciorum, id est, mandatorum Dei, ab eo cuique proposita, ut per eorum observationem salvetur & beetur: q.d. Cognosce judicia, id est, præcepta Dei, & in eorum sorte tibi à Deo proposita persiste.

Secundò. Secundò, Rabanus accipit sortem sanctitatis nobis propositam à Deo, ut per eam ipsius amici, & filii evadamus. *Hortatur*, inquit, *ut post lapsum peccati rursum convertatur ad factorem suum, & relinquat errorem, per quem semetipsum illudendo decepit: deprecetur Dominum assiduè pro offensionibus suis, atq; tota animi sui intentionem ad divinam confugiat pietatem: spernat idololatriam ac diabolicæ servitutis fallaciam, & discat mandatorum Dei normam rectissimam, ut in sorte sanctitatis, qua præcelsus est, permaneat, & in laudibus Altissimi perseveret*: De hac sorte ait Paulus Ephes. 1. 11. *In qua etiam sorte vocati sumus*. & Coloss. 1.12. *Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum*. & S. Petrus epist. 2. cap. 1. 1. *Qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia*. Huic opposita sors impiorum, sive sors dæmonis, de qua superiùs cap. 6.4. dictum est: *Deducet in sortem impiorum*. & cap. 25. 26. *Sors peccatorum cadat super illam*. Et S. Petrus ad Simonem Magum Actor. 8. vers. 21. *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto*. Hinc Anagog. per *sortem propositionis* accipias sortem prædestinationis, quæ est sors gloriæ, & felicitatis æternæ, de qua Angelus ad Danielem cap. 12. 13. *Tu autem* ait, *vade ad præfinitum: & requiesces, & stabis in sorte tua in finem dierum*, Unde & subdit Siracides: *Vade in partes sæculi sancti*, &c.

Tertiò. Tertiò, Lyran. *Sta in sorte propositionis*, hoc est, inquit, sta in bono proposito.

Quartò. Quartò, magis propriè & genuinè: *Sta in sorte propositionis*, id est, persevera constanter, & fortiter contra omnes suggestiones & tentationes mundi, carnis & diaboli in sorte tibi proposita, hoc est, in vocatione tua, tum novæ & sanctæ vitæ, qua à peccatis conversus es ad Dominum, de qua sermo præcessit; tum certus status honesti, & sancti, ut sacerdotii, Religionis, præfecturæ, & cujuslibet alterius, quem Deus tibi proposuit, & ad quem te vocavit, quemque ex ejus propositione, & vocatione tibi proposuisti, & elegisti, hæc enim est propositio

tio Altissimi. Similiter sta, & persiste in oratione Altissimi, ut, scilicet, Deum crebrò ores pro auxilio gratiæ, quò dignè tua sorte, tuaque vocatione tibi proposita vivas.

Alludit ad tabernaculum & templum Judæorum: in hoc enim erant panes propositionis, ita dicti quòd jugiter proponerentur & offerrentur Domino; atque altare thymiamatis, quod significabat orationem: huius enim symbolum est thymiama. q. d. Sicut panes illi iugiter per totam hebdomadam permanebant in sua propositione, id est, manebant in mensa propositi Domino residenti in Sancto sanctorum, ac eidem offerebatur thymiama in altari: ita pariter tu per totam vitam permane in tua vocatione tibi à Deo proposita, ut ei vicissim te tuasque actiones omnes iugiter proponas, offeras, dedices & consecres: ac, ut id facere queas, ei crebrò offeras thymiama orationis, id est, gratiarum actionis, laudis & invocationis. Unde S. Paulus Ephes. 6. cùm dixisset, *State ergo succincti lumbos:* subdit v. 18. *Per omnem orationem & obsecrationem orantes* (ut Deus vos sua gratia roboret ad standum) *omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia.* Nam, ut ait S. Chrysost. lib. 1. de Orando Deum, *Neque sola temperantia salvare potest hominem, neque cura pauperum, neque benignitas, &c. Sed oportet ut omnia simul concurrant in animas nostras: ceterum precatio ceu radix & basis omnibus substernitur.* Ad hanc sortem propositionis alludit S. Paulus, dum sæpè ait nos vocatos *secundum propositum*, id est, secundùm Dei voluntatem & benevolentiam. *Sicut elegit nos*, inquit, *in ipso* (Christo) *ante mundi constitutionem ut essemus sancti & immaculati, in conspectu eius in charitate, &c. secundum propositum voluntatis suæ, &c. quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo*, Ephes. 1. 4. & sequent.

Quintò.

Denique per *sortem* accipe quemlibet vitæ statum, quem sponte, esto temerè & imprudenter, elegisti, v.g. matrimonium cum uxore molesta: officium laboriosum, vel artem mechanicam, cui te addixisti. Hic enim si immobilis est, aut difficulter mobilis, tibi capessendus est, in eoque persistendum. Quare persuadere tibi debes, eum tibi à Deo ut immobilem iam proponi, ideoque Deum, si eum invoces, gratiam tibi daturum, ut eum sustinere, in eoque honestè & justè vivere possis, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 7. 20. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? non sit tibi curæ.* Huc facit proverbium Arabicum cent. 1. n. 96. *Quando non evenit tibi quod vis, velis quod evenit.* Et illud Terentij citatum à S. August. *Cum non potes quod velis, velis quod potes.* Nam ut ait Seneca in Proverb. *Aberrare à fortuna tua non potes, obsidet te: fortunam citius reperias quam retineas. Feras, non culpes, quod mutari non potest, Ita fortunæ tuæ eris faber & custos.*

Sua sorte contentus est felix.

Atque hac in re consistit felicitas huius vitæ, nimirum ut quis sorte sua contentus vivat: qui enim ea non est contentus, esto sit dives, sapiens, felix, reipsa est miser. Nam ut ait Seneca: *Beatus non est qui se beatissimum non existimat.* Et Aristot. lib. 7. Moral. Eodem, citat & laudat vetus dictum: *Amicitia est stabilium, felicitas temperantium*, hoc est, eorum qui sua sorte contenti sunt. Qui ergo suam fortunam boni consulit, esto pauper sit, æger, afflictus; felix est: uti Martyres in suis D tormentis felices fuere, quia ea pro Deo tolerare gaudebant. Et Euripides: *Spartam es nactus, eam dispone.* Et Plato in Gorgia: *Necessum est mihi, iuxta vetus adagium, quod adest boni consulere, & hoc accipere quod abs te datur.* Et Pindarus in Isthmiis hymno 3. *Seculum autem volvendis diebus nunc huc, nunc illuc sese flectit. Ceterum dii* (& homines divini, putà sapientes) *extra telorum iactum sunt.* Idem in Pythiis hymno 7. *Aiunt sanè sic viro stabilem florere felicitatem, si hæc & hæc ferat*, id est, si ferat tum prospera, tum adversa. Rationem dat Homerus Odyss. 10.

Gnoma.

Dolia namque Jovis duo sunt in limine posta.

q. d. Deus cuique suam admetitur prosperitatem, & adversitatem. Utramque ergo æquo animo à Deo suo quisque acceptet. Nam *ubi mel, ibi fel: ubi uber, ibi tuber*. Romani duas coluere deas, Angeroniam & Volupiam: alteram ab angoribus, alteram à voluptate dictam. Angeroniæ simulacrum erat in ora Volupiæ, ut significarent A quòd dolor comes sit voluptati, & voluptas dolori: habebat os obligatum & signatum, ut indicaret eos qui dolores & angores silenter ferunt, ac dissimulant patientiæ beneficio, ad maximam pervenire voluptatem. ita Macrob. lib. 1. in Somn. Scipionis. Igitur quisque si felix esse velit, sorte sua, non tantùm opum, conditionis & status, laborum & dolorum, sed & sapientiæ, virtutis & gratiæ, quam Deus illi admensus est, contentus esse debet. Hæc enim est felicitas Angelorum & Beatorum, in qua quisque sua sorte gratiæ & gloriæ contentus vivit. Angelus enim non optat esse Archangelus: hic non optat esse Principatus, nec hic esse ex Cherubim vel Seraphim; sed suo choro, gradu & loco, in quo à Deo collocatus est, quisque contentus vivit. Hos imitari nos decet. Sunt enim quidam, qui cùm vident aliquem se sapientiorem vel sanctiorem, sese discruciant, quòd illi pares esse nequeant. Estque hoc vitium humanis insitum ingeniis, ut ferè alienam sortem magis mirentur, suam contemnant & fastidiant; optent inexperta, experta damnent, juxta illud:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

B Hi sunt insipientes & infelices: nec enim omnes possunt esse Pauli Apostoli, Augustini, Athanasij: sufficit ut quisque gratiæ sibi à Deo datæ pro modulo suo cooperetur, eamque adaugeat quoad potest; sed ad gratiam B. Virginis vel S. Pauli stolidè aspirat: quia illa Dei dono omnes gratiarum mensuras, quas Deus omnibus Sanctis elargitur, longissimè superat & transcendit: unde homini impossibile est eam assequi. Sic in corpore pes non optat esse manus vel oculus, sed sua sorte, loco & gradu contentus est: quo exemplo utitur Apostolus 1. Corinth. 12. 14. Idem 1. Timoth. 6. 6. *Est* inquit, *quæstus magnus pietas cum sufficientia*: Græcè, αὐτάρκεια, id est, animo sibi sufficienti suisque contento. Vide utrobique dicta. Dicat ergo quisque Deo cum Psalte: *In manibus tuis sortes meæ*, psalm. 30. 16. Tu Domine es magnæ huius mundæ aulæ modimperator, tu absolutus omnium es dominus, tuum est de nobis creaturis tuis statuere quod libet, imò quod sapientissimus tuæ providentiæ ordo sanxit: illi ergo me totum resigno, in quacumque statione me quasi militem tuum collocaveris, illam libens & strenuus obibo, in illa conquiescam, dicamque; *In pace in* C *idipsum dormiam & requiescam.* Hæc est sanctitas, hæc veritas, hæc vera felicitas. Ita S. Hieron. epist. 25. consolatur S. Paulam lugentem mortem Blesillæ filiæ: *Qui se credere dicit in Christo*, inquit, *in omnibus Christi iudiciis gaudeat. Sanus sum, gratias refero creatori: langueo, & in hoc laudo Domini voluntatem.*

Apologus pavonis.

Exstat festivus hac de re apologus pavonis apud Phædrum lib. 3. c. 57. Pavo enim querebatur apud Junonem, se à philomela superari cantu, eumque sibi quasi digniori deposcebat. Respondit ei Juno: sua cuique à Deo tributa esse dona, pavoni speciem & syrma caudæ, philomelæ vocem, &c. quemque suo dono suaque sorte contentum esse debere. Sed audi Phædrum:

Pavo ad Junonem venit, indignè ferens
Cantus luscinii quòd sibi non tribuerit:
Illum esse cunctis avibus admirabilem,
Se devolui, simul ac vocem miserit.
Tunc consolandi gratia dixit dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine:
Nitor smaragdi collo præfulget tuo,
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
Quò mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono?
Fatorum arbitrio partes vobis sunt datæ:
Tibi forma, vires aquilæ, luscinio melos,
Augurium corvo, læva cornici omnia,
Omnes quæ propriis sunt contenta vocibus.

Affabulatio:

Noli affectare quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querelam recidat.

Idipsum vidit per umbram Plato, qui teste Plutarch. lib. de Tranquill. animi, id declarat exemplo aleæ, *in qua optimus quisque iactus aleatori maximè expetendus est: sed utcumque tamen evenerit, adhibenda cura, ut eo quod casus tulerit, ipse rectissime utatur.* Et Terent. in Adelphis simili exemplo usus hæc ait:

Ita vita hominum, quasi cùm ludas tesseris.
Si illud quod est maxime opus iactu, non cadit,
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas necesse est.

Ro-

Rogavit quidam S. Antonium: *Quid faciam ut Deo gratus efficiar?* Cui ille tria præscripsit: Primum, *Deum*, inquit, *semper præ oculis habe*. Secundum, *Quodcumque opus aggressus fueris, S. Scripturæ testimonio illud confirma*. Tertium, *Quocumque in loco consederis, non te citò inde moveris, sed in eo permane. Hæc tria serva, & vives.* Ita Apophthegm. SS. Patrum. S. Ephrem Adhortat. 4. *In quo vocatus es opere*, inquit, *firma anchoras ac funes, ne in pelagus navis tua paulatim impellatur: & tunc docebit te experientia: quali pace in portu constitutus frueris*. Plura hac de re dicam Proverb. 27. 8.

VERS. 26. IN PARTES VADE SÆCULI SANCTI, CUM VIVIS ET DANTIBUS CONFESSIONEM DEO] *Pars* in Script. vocatur sors cuiusque, iuxta illud Isaiæ 57. 6. *Pars tua, hæc est sors tua*. Itaque in re idem est dicere: *Sta in sorte propositionis & orationis Altissimi*, quod, *In partes vade sæculi sancti*. *Sæculum sanctum* vocat sæculum beatum & beatam æternitatem, quam Sancti agunt in cœlo, de quo ait Sapiens cap. 5. 6. *Et inter sanctos sors illorum est*. Et Daniel cap. 7. 27. *Regnum & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi; cuius regnum regnum sempiternum* B *est*. Et Isaiæ 9. 6. Christus vocatur *Pater futuri sæculi*: & c. 26. 4. *Speratis in Domino in sæculis æternis*.

Fusè hoc *sæculum sanctum* signatorum & electorum Dei describit Esdras (ad quem hic alludit Siracides) lib. 4. c. 2. 34. *Exspectate*, inquit, *pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis; quoniam in proximo est ille, qui in fine sæculi adveniet. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite umbram sæculi huius: accipite iucunditatem gloriæ vestræ, &c. gratias agentes ei qui vos ad cælestia regna vocavit. Surgite, & state, & videte numerum signatorum in convivio Domini*, &c. Esdram sequitur S. Ioannes Apoc. 7. Rursum Esdras cap. 7. 12. sæculum sanctum à præsenti maligno distinguens: *Facti sunt*, inquit, *introitus huius sæculi angusti & dolentes, & laboriosi; pauci autem & mali, & periculorum pleni: & labore magnopere fulti. Nam maioris sæculi introitus spatiosi & securi, & facientes immortalitatis fructum*. Nam sæculum nostrum quod in hac vita agimus, totum in maligno positum est.

Sensus ergo est, q. d. Tu iam à peccato, atque à vanitate & cupiditate sæculi huius ad Deum conversus, illo reli- C ctoto vade ad sæculum sanctum, nimirum per bona opera quotidie contende, profice & perge ad cælum, ut inter Beatorum partes, id est sortes, una pars sæculi sancti, id est, una sors beatæ æternitatis & futuræ gloriæ, tibi obtingat: vive sanctæ æternitati, adeòque illam hic inchoa per Dei confessionem, id est laudem, ut scilicet Deum assiduè laudes tam corde, quàm ore & opere cum iustis, qui adhuc vivunt, & dant laudem Deo: versare cum Angelis, iubila cum Beatis: cælitum enim & Beatorum vita non est aliud, quàm continua Dei laus, quàm perenne Halleluia. Unde psalm. 141. 6. & psalm. 41. 5. & 6. cœlum vocatur *terra viventium*, *locus tabernaculi admirabilis*, *domus Dei*, ubi est, *vox exultationis & confessionis, & sonus epulantis*. Vide dicta Apocal. 4. 8. & cap. 5. 9. & cap. 7. 10. ita Rabanus, Lyran. Hugo, Iansenius, Palacius, & alii. Audi Rabanum, *Sæculum sanctum*, inquit, *est quies æternæ vitæ, quæ alibi nuncupatur sæculum æternum & sæculum sæculi, seu sæcula sæculorum. Necessarium est ergo unicuique, ut, dum vivit & valet, locum sibi æternæ* D *beatitudinis rectè credendo, & bene operando præparet, quia post finem istius vitæ non est tempus operationis. Unde Christus suos admonuit: Ambulate dum lucem habetis, ne fortè tenebræ vos comprehendant*, Ioann. 12. & Paulus: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*, Galat. 6.

Ire in sæculū sanctum est imitari vitā Sanctorum.

Tropol. noster Iacobus Alvarez de Paz de Vita spirit. libr. 5. parte 2. cap. 23. In partes, inquit, sæculi sancti transire nihil aliud est, nisi Sanctorum, qui nos præcesserunt, virtutes addiscere: & cum vivis Deumque confitentibus commorari, est Sanctorum præsentium virtutes insequi, ut sic Christo sponso nostro poma nova & vetera, id est, virtutes præteritorum Sanctorum & præsentium, offeramus. Ita S. Antonius, teste S. Athanas. studebat singulorum virtutes imitari. Simili modo, Franciscanus proponat sibi exemplar vitæ S. Franciscum, S. Antonium Patavinum, S. Bernardinum: Dominicanus S. Dominicum, S. Thomam Aquinatem, & S. Hyacinthum: Societat. Iesu, S. Ignatium, S. Xaverium, B. Franc. de Borja, B. Aloisium, &c. Ita quisque ibit in partes sæculi sui sancti.

Huius sententiæ vice Complut. ceterique Græci hanc habent, *Altissimo quis laudem dicet in inferno, pro viventibus & dantibus confessionem*, id est, ut alii vertunt, *vice vivorum & gratias agentium?* Tigurina, *quis apud manes laudabit Altissimum, perinde atque vivi gratulationi dediti?* q.d. Inferiori non laudant Deum, sed superi, putà viventes super terram. Quare dum vivis, lauda Deum: nec enim eum apud inferos laudare poteris. Intellige eo modo quo explicabo v. seq. Igitur vadit in partes sæculi sancti, qui cum Angelis & Sanctis perpetim laudat Deum qui cum Noë & Henoch ambulat cum Deo hic fit divinus, & quasi Deus quidam terrestris. Unde S. August. tractat. 1. in epist. 1. S. Ioan. *Talis*, inquit, *est quisque qualis est eius dilectio. Terram diligis? terra eris. Deum diligis, quid dicam? Deus eris.* Quin & Aristot. lib. 1. Politic. *Homo solitarius*, inquit, *aut Deus est, aut bestia*, Deus, scilicet, si cum Deo iugiter versetur, in eumque totum cor, mentem & amorem transfundat, ut dicat cum S. Paulo: *Vivo autem, iam non ego, vivit verò in me Christus*, Galat. 2. 20. Hoc faciunt Ascetæ, quorum tota conversatio in cælis est cum Deo & Angelis, qui proinde in terra corpore dumtaxat degunt, sed animo terrena cuncta trascendunt, quasi soli cum solo Deo in mundo versarentur; quod Itali dicunt, *Dio & io, Dio amor mio*.

NON DEMORERIS IN ERRORE IMPIORUM: ANTE MORTEM CONFITERE. A MORTUO QUASI NIHIL, PERIT CONFESSIO] q.d. Noli morari in errore, quo impii dum vivunt, indulgentes suis voluptatibus & concupiscentiis, persuadent sibi, se in morte & in morbo lethali, vel post mortem conversuros ad Deum, eumque laudaturos, cùm anima soluta à corpore nihil terrenum ampliùs appetere poterit: sed *ante mortem confitere*. Causam subdit: *A mortuo* enim *quasi nihil, perit confessio*: q. d. A mortuo tamquam qui nihil est, id est, non existit, non est in rerum natura, perit confessio, hoc est, laus Dei utilis & meritoria, quæ scilicet, eum ducat in partes sæculi sancti: ut mereatur ibi eadem proficere, ac cum Angelis & Beatis iubilando Deum glorificare in æternum, uti præcessit: nullum enim meritum est post hanc vitam: imò tunc nemo laudabit Deum, qui eum in hac vita non laudarit: nam impii omnes, qui Deum in hac vita non laudarunt, sed vel voce vel vita blasphemarunt, in gehenna ab eo cruciati, longè magis eum blasphemabunt. Audi Rabanum. *Morari in errore impiorum, certa est perditio hominum: quia post finem præsentis vitæ in nihilum deputabitur omnis pompa humanæ gloriæ: qui autem spatium præsentis vitæ in divina consumit laude, & in ista, quamdiu vixerit, semper instat operatione, hic postmodum feliciter remuneratus, in æterna exultat beatitudine. Unde Ecclesiastes more suo nos admonens instruit* cap. 9. *ne perdamus otium concessi temporis; sed ad utilitatem nostram illud convertamus, ita dicens: Nemo est qui semper vivat, & qui huius rei habeat fiduciam. Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas.*

Alludit ad Baruch 2. 17. *Vide, quia non mortui qui sunt in inferno, dabunt honorem & iustificationem Deo, sed anima quæ tristis est*, &c. Unde ibi dicta: ubi hanc & similes Isaiæ cap. 38. 19. & psalm. 113. 26. sententias, fusè explicui.

Hinc patet, *confessionem* hìc propriè significare laudem & gratiarum actionem. Hebr. enim תודע *hoda*, id est confiteri, significat laudare, quia agnitio & confessio summæ maiestatis Dei, ac ex adverso imæ nostræ vilitatis, summa est Dei laus. Unde sacrificium תודע *thoda*, id est confessionis, erat illud quod offerebatur in laudem & gratiarum actionem Deo. Hæc tamen confessio & laus Dei involuit & præsupponit confessionem criminum, præsertim quia agit Siracides de peccatis, & peccatore ad Deum per pœnitentiam & confessionem converso, ideoque pro hoc remissionis peccatorum, & reconciliationis beneficio, Deum confitente & laudante: confessio enim peccatorum præcepta erat etiam lege veteri pœnitentibus, idque non tantùm ut fieret Deo, sed & sacerdoti, uti ostendi Levit. 5. 5. & alibi.

Quocirca hunc locum de confessione peccatorum explicat

plicat S. August. de Verbis Domini secundùm Matth. ser- A mon. 8. *Confitemur*, inquit, *sive laudantes Deum, sive accusantes nos ipsos. Pia est utraque confessio, sive cùm te reprehendis qui non es sine peccato, sive cùm illum laudas qui non potest habere peccatum. Si autem benè cogitemus, reprehensio tua laus ipsius est. Quare enim iam confiteris in accusatione ipsius tui? Quare confiteris, nisi quia ex mortuo vivus factus es? Script. quippe ait: A mortuo quasi qui non sit, perit confessio. Si perit à mortuo confessio, qui confitetur, vivit. Et si peccatum confitetur, utique à morte revixit: si peccati confessor revixit à morte, quis eum suscitavit?* utique nemo nisi Deus. Et inferiùs: *Sive ergo nos accusemus, sive Deum laudemus, tamquam eum qui sine peccato est prædicamus: Quando autem nos ipsos accusamus, ei per quem resurreximus, gloriam damus.* Sic & S. Ambros. (vel potiùs Victor Cartennæ Episcop.) libr. de Pœnit. cap. 28. tomo 5. pag. 421. *At cùm nobis*, inquit, *inopinatus sit exitus terminalis, & vita nostræ dubia sint ex mortis ignorantia curricula, quomodo sibi quisque superesse ad confitendum tempus existimat, qui temporis sui tempus ignorat? cum utique audiat dicentem Script. Vivens & sanus fateberis, & laudabis Deum, & in partem vade sæculi sancti cum vivis* B *& dantibus confessionem*, &c. Simili modo de confessione peccatorum hic locus explicatur de pœnitentia dist. 1. cap. 34. *Convertimini*, ubi ex hoc loco probat sine confessione neminem posse resurgere ad vitam gratiæ; sed omnes nolentes confiteri manere in morte peccati: quòd si incipiant os ad confessionem aperire, iam Deo donante aliquod initium vitæ participare, uti paulò antè docuit S. Augustinus.

Quocirca S. Hieron. epist. 30. ad Oceanum laudat Fabiolam, quòd publicè peccatum repudiati prioris mariti, novique superinducti, confessa sit & planxerit: *Quis hoc*, ait, *crederet, &c. ut saccum indueret, ut errorem publicè fateretur, & tota urbe spectante Romana, ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani staret in ordine pœnitentium, Episcopo, presbyteris & omni populo collacrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret?* Et inferiùs: *O felix pœnitentia, quæ ad se Dei traxit oculos, quæ furentem sententiam Dei confesso errore mutavit! Hoc idem & Manassen in Paralipomenon, & Niniven fecisse legimus in Propheta, publicanum quoque in Evangelio: è quibus primus non solùm indulgentiam,* C *sed & regnum cælorum recipere meruit: alter impendentem Dei fregit iram: tertius pectus verberans pugnis, oculos non levabat ad cælum; & multo iustificatior recessit publicanus confessione vitiorum, quam Pharisæus superba iactatione virtutum.* Et paucis interiectis: *Non est confusa Dominum in terris, & ille eam non confundet in cælo. Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit; ut, quam sacerdos eiecerat, ipse revocaret. Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, & discalceatis pedibus transivit fluenta lacrymarum. Sedit super carbones ignis: hi ei fuere in adiutorium. Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat: oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat, sic dolebat quasi adulterium commisisset, & multis impendiis medicaminum, unum vulnus sanare cupiebat.*

Publica confessio Fabiolæ.

Mysticè, *a mortuo*, id est, à manente in peccatis, qui D nihil est, id est, nullius emolumenti aut pretii apud Deum, *perit confessio*: quia qui peccatis suis adhæret, nec confiteri vult, nec valet. Ita S. August. in psalm. 68. conc. 1. in fine explicans illud vers. 16. *Neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum*: *Magnus*, inquit, *est puteus profunditas iniquitatis humanæ, &c. Peccator cum in profundum venerit malorum, contemnet: clausit super eum puteus os suum. Quare clausit os suum? Quia clausit os illius. Perdidit enim confessionem: verè mortuus est, impletumque est in eo quod alibi dicitur. A mortuo velut quod non sit, perit confessio. Metuenda ista res est vehementer, fratres. Si videris hominem fecisse iniquitatem, mersus est in puteum. Quando autem illi dixeris iniquitatem ipsius, & dixerit; Verè peccavi, fateor; non super eum clausit puteus os suum. Cùm autem videris eum dicere, Quid enim mali feci: factus est defensor peccati sui; clausit super eum puteus os suum, quà eruatur non habet. Amissa confessione, non erit locus misericordiæ. Tu factus es peccati tui defensor, quomodo erit Deus liberator? ut ergo sit ille liberator, tu esto accusator.*

Nota, τὸ *ante mortem confitere*, iam non est in Græco, nec in Latinis nonnullis, sed satis ex sequ. verbis, *A mortuo quasi nihil perit confessio*, intelligitur. Pro quo clariùs Græca habent: *A mortuo tamquam non existente*, putà qui non est, qui non existit, *perit confessio*. Hinc explicans subdit: *Vivus & sanus laudabit Dominum*. Unde Tigurina clarè vertit, *ne hæreas in errore impiorum. Fac Dominum ante mortem prædices. Mortuum non secùs ac si esse desierit, laudatio deficit: vivus autem & corde sanus laudabit Dominum, & de misericordia ipsius gloriabitur.* Vide Franc. Lucam in Notat. hic.

CONFITEBERIS VIVENS, VIVUS ET SANUS CONFITEBERIS, ET LAUDABIS DEUM, ET GLORIFICABERIS IN MISERATIONIBUS ILLIUS] quibus tibi pœnitenti, innumeris aliis præteritis, quos in sceleribus mori & damnari permisit, tot & tanta peccata condonavit, ut patet ex dictis. Complut. & Tigurina pro *sanus* legunt, *sanus corde*, qui scilicet cor à peccatis & concupiscentiis avellens, sanum habet, quia sanatum per Dei gratiam, charitatem & virtutes. Hic enim aptus, habilis & dispositus est ad laudandum, non verò ille qui sanus est corpore, sed æger, imò insanus est corde & mente, quia servit suis libidinibus. Verùm Noster & alii absolutè legunt, *sanus*: q. d. Dum vivis & viges tam corpore quàm mente, confitere, quia languore premente rara est huiusmodi vera confessio, & morte instante rarissima: meretur enim infirmus ut moriens obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei, ait ex S. Augustino Palacius. Alludit, imò citat verba Ezechiæ regis ægrotantis, ac Deum pro sanitate deprecantis, Isaiæ 38. 19. Vers. 27.

Audi consilium S. Basilii orat. 4. de Pœnit. *Quid facis*, inquit, *ò homo, cùm multùm valeas in agendo, iuventutem tuam in peccatis traducis: ubi verò in labore fracta fuerint instrumenta, tunc ipsa ad Deum adducis, cùm illorum nullus sit usus, sed necessariò labant ac torpent ob longi temporis tabem:* Et S. Ambros. *Quid potest*, inquit, *habere laudis, si effætum corpus voluptatibus, & iam senectutis gelu frigidum, ad sera devotionis officia, deposito iam senior vigore convertat?* Quin & Seneca lib. de Brevit. vitæ: *Non pudet*, ait, *te reliquias vitæ tibi reservare, & id solum tempus bonæ mentis destinare quod in nullam rem conferri possit? quàm serum est tunc vivere incipere, cùm desinendum est mori?* Denique S. August. lib. 50. homil. hom. 41. *Agens*, ait, *pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus.* Et infra occurrens tacitæ obiectioni: *Debeo*, inquit, *plenius exponere, ne me aliquis male intellexisse intelligat, numquid dico damnabitur? non dico; sed dico etiam, liberabitur? non. Sed quid dicis mihi? nescio, non præsumo, non promitto, nescio. Vis te dubio liberare? vis quod incertum est evadere? age pœnitentiam dum sanus es, quando peccare potuisti, &c. Si autem vis agere pœnitentiam tum quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa, &c. Sed unde scis, inquis, ne forte Deus dimittat mihi? verum dicis. Unde? nescio; illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do pœnitentiam, quia nescio: nam si scirem tibi nihil prodesse, non darem: item si scirem tibi nihil prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt, aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur: quid horum tibi futurum sit nescio: ergo tene certum, dimitte incertum.*

In e[illegible] iuventutē dant voluptati, seniū pœnitentiæ.

Tropol. sanus corde, id est, qui ex corde morbos vitiorum depulerit, & virtutes acquisierit, ut in iis, ac præsertim in humilitate, proficiat, ne confundatur aperire coram fratribus defectus & culpas suas. Nam & sic Deum laudat, ac quia se miserum sustinet, laudabilem prædicat, ideoque gloriabitur in miserationibus eius, quas ob humilem culparum confessionem accipiet. Quocirca S. Dorotheus doctrina 7. hanc potissimùm viam ad Deum assignat, ut homo seipsum in omnibus semper accuset. Et Abbas Pastor virtutes omnes aiebat ad unius domum commigrasse, quæ est ut seipsum homo accuset.

Trop. sui accusatio est via ad Deum.

QUAM MAGNA MISERICORDIA DOMINI, ET PROPITIATIO ILLIUS CONVERTENTIBUS AD SE!] Complut. addunt ὁσίως, id est, *sanctè*; Syrus, *quam multæ sunt misericordiæ Dei, qui parcit iis qui revertuntur ad eum! quia non est huiusmodi in homine, neque consilium eius est sicut consilia filiorum carnis*; Tigurina, Vers. 28.

quam

quàm ingens est misericordia Dei nostri, quamquam obvia sanctè conversis ad eum ipsius placabilitas! Palacius censet esse mimesin: Siracidem enim imitari verba confitentis, imò modum confitendi, id est, laudandi ei præscribere, nimirum ut remissionem à Deo consecutus, tantum Dei beneficium admirans, exclamet & dicat: *Quam magna misericordia, &c.*

Meliùs Jansenius censet esse verba Siracidis ad hoc ab eo prolata, ut peccatores ad pœnitentiam invitet, per commendationem misericordiæ Dei, quæ tanta est, ut ore exprimi, mente concipi nequeat: est enim immensa, incomprehensibilis & infinita. Vis scire quanta sit misericordia Dei in peccatorem, quem in gratiam recipit? Metire. Primò, quanta sunt inferni tormenta: horum enim mensura est mensura misericordiæ Dei: hæc enim ab illis peccatorem reum liberat. Metire Secundò, utilitatem & miserias hominis peccantis: has enim omnes sorbet misericordia Dei, sicut mare sorbet guttas pluviæ. Unde abyssus miseriæ nostræ invocat abyssum divinæ misericordiæ. Metire Tertiò, multitudinem & enormitatem peccatorum omnium: hæc enim cuncta in immensum transcendit Dei misericordia, præsertim quia non tantùm illa omnia, quantumvis multa & gravia, condonat & abolet quoad culpam & offensam, sed & pro iis substituit & surrogat Dei gratiam, amicitiam, filiationem, hereditatem & gloriam æternam. Adde, eamdem, abolere semper pœnitenti partem pœnæ, ac subinde totam pœnam, uti contigit Sanct. Magdalenæ, ait Lyranus. Verè ergo *superexaltat misericordia iudicium*, Jacobi 2. 13. Magna & incomprehensibilia sunt opera Domini, sed *miserationes eius super omnia opera eius*, psalmus 144.

Tres mēsuræ misericordiæ Dei.

Dicat ergo pœnitens Deo reconciliatus cum S. Magdalena, cum S. Pelagia, cum S. Maria Ægyptiaca, & similibus: *Misericordias Domini in æternum cantabo. Deus meus, misericordia mea. Nisi quia Dominus adiuvit me, paulo minùs habitasset in inferno anima mea*, psalm. 93. 17. *Quoniam secundùm altitudinem cæli à terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras*, psalm. 102. 11. Eleganter S. Chrysost. homil. 2. in psalm. 50. ad v. 1. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam:* eamdem exaggerans, exclamat: *O grandis misericordia Domini! Cum omnis mundus conclusus in peccatis esset, venit creator universitatis, & principia peccantum evacuavit, ut nullus postmodum desperaret de sua salute. Si impius es, cogita publicanum: si immundus es, attende meretricem: si homicida es, perspice latronem: si iniquus es, cogita blasphemum. Considera Paulum Apostolum, prius persecutorem, postea annuntiatorem: prius prævaricatorem, postea dispensatorem; ante hoc zizania, post hoc frumentum; antea lupum, postea pastorem: antea plumbum, postmodum aurum; antea piratam, postea gubernatorem.* Et inferiùs; *Quid enim est peccatum ad Dei misericordiam? Tela aranea, quæ vento stante nusquam comparet.*

Vers. 29. NEC ENIM OMNIA POSSUNT ESSE IN HOMINIBUS, QUONIAM NON EST IMMORTALIS FILIUS HOMINIS, ET IN VANITATE MALITIÆ PLACUERUNT] Tigurina, *& vitiorum vanitate delectamur*. Dat hic causam illius tantæ misericordiæ Dei, nimirum, magnam miseriam hominum, ut per eam rursum alliciat homines ad facilem peccatorum confessionem, & ad spem veniæ à Dei misericordia impetrandæ: q.d. Ne mireris tantam esse Dei misericordiam, quia scit Deus homines valdè esse fragiles & caducos: quare eorumdem dum in peccata labuntur, facilè miseretur cùm resipiscunt, iuxta illud psalm. 102. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.*

NEC ENIM OMNIA POSSUNT ESSE IN HOMINIBUS] q.d. Non est hominum omnimoda perfectio, quia miseri sunt, debiles & infirmi, ideo nequeunt in eis esse omnia, quæ iure inesse deberent, quæque ab eis desiderantur: quia qui ex homine mortali natus est, non est immortalis, immutabilis, & à corruptione liber, inquit Jansen. sed eo ipso quo ex homine natus, mortem secum trahit, & cum morte instabilitatem, huius vitæ fragilitatem, defectum, corruptionem, & ad vitia proclivitatem; ideoque crebrò peccat, & mala vanitate delectatur, ac concupiscentiæ vetitæ ei placent: *quia sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, Genes. 8. vers. 21. ita Rabanus, Lyranus, Jansenius.

QUID LUCIDIUS SOLE? ET HIC DEFICIET. AUT QUID NEQUIUS QUAM QUOD EXCOGITAVIT CARO ET SANGUIS? ET HOC ARGUETUR] Τὸ *aut* ponitur pro *&*; cuius phrasis similia exempla sunt Deuter. 27. v. 16. Proverb. 20. v. 20. Uti explicatur Matth. 15. 4. & alibi. Rursum τὸ *&* ponitur pro *sic*. Est enim nota comparationis: comparat enim defectum carnis cum defectu Solis. Unde Græca sic habent, *quid Solis luce splendidius? & hæc deficiet, &* (id est, *sic pariter*) *malum cogitabit caro & sanguis*. Cui lectioni nostram Latinam accommodandam esse censet Jansenius, sicque legendum: *Aut quid nequius excogitavit caro & sanguis:* uti nonnulli codices habent, atque hunc dat sensum, eumque varium, & multiplicem. *Cum lucidissimus, ait, omnium sol non sit sine defectu, quid caro & sanguis, hoc est, homo ex sese planè fragilis, cogitabit nequius, quàm scilicet ut nolit agnoscere suum defectum, suam fragilitatem & frequentes lapsus, sed superbè se efferat quasi sole superior? Id sanè si fecerit, graviter idipsum arguetur & vindicabitur. Nam etiam scripta quædam habent futurum, Excogitabit, ut habent Græca. Potest & hic esse sensus: Quid nequius, hoc est, quantum malum cogitabit caro & sanguis? ut comparativus, Nequius, accipiatur pro positivo, sicut positivum Græca habent, & Quid accipiatur admirativè. Aut certè sensus est: Quid nequius excogitabit caro & sanguis, quàm scilicet, assiduè cogitat? ut significetur corruptionem hominis omnium malorum causam esse, & pessima quæque excogitare.* Verùm hi sensus vti incerti & dubij sunt, ita multa supplent quæ non habentur in textu. Rursum codices Græci hic mirè variant, vt eis stare & fidere nequeamus. Romani enim Caraffæ legunt, *& malus excogitabit carnem & sanguinem*; Vaticanus, *& malum excogitabit caro & sanguis*; Complut. pro πονηρὸς, id est, *malum*, per diæresin legentes ἀιχ̓ès, vertunt, *& vir qui cogitabit carnem & sanguinem*, repete, deficiet à bono & peccabit.

Vers. 30.

Quare standum est Latinæ Vulgatæ versioni à Romanis emendatæ, quæ clara est & plena, sicque habet: *Quid lucidius sole? & hic deficiet; aut quid nequius quàm quod excogitavit caro & sanguis?* Probat id quod dixit v. præced. *Nec enim omnia possunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, & in vanitate malitiæ placuerunt*; hosce, inquam, duos hominis defectus, scilicet, naturalem per mortem, moralem per malitiam, probat ex simili defectu solis: q.d. Si sol qui lucidissimus est, deficit, Græcè εκλείπει, id est, eclipsin & defectum patitur, tum quando luna vel nubes se interponunt inter eum & terram, tum quando sol migrat ad Antipodes, itaque terræ pars inferior inter eum & nos se interiicit. Rursum sol defecit in passione Christi, & deficiet in fine mundi: quid ergo mirum si homo deficiat, & tenebras peccati, indeque mortis, patiatur? homo, inquam, qui constat carne & sanguine: quid enim nequius quàm quod excogitavit caro & sanguis? Sensus est: Quid nequius est peccatore, qui sequitur inventiones & suggestiones concupiscentiæ suæ, & vitiosæ naturæ? Est enim homo peccator pessimum omnium animalium, vt ait Aristot. 1. Politic. q.d. Ergo homo longè abest à perfectione & stabilitate. Si enim sol deficit, quid mirum deficere hominem, idque nequiter in peccata carnalia, ad quæ maximè propendet, cùm ex ipsa nequitia carnis & sanguinis consutus & compactus videatur? Vnde Tigurina vertit, *quid luce Solis splendidius? atqui hæc quoque deficit, non modo caro sanguisque malè cogitans in crimen incurret*; Syrus, *cùm transit sol à die, etiam ille habet tenebras: ita etiam homo subiugavit concupiscentiam suam, quia caro, & sanguis est.*

At cur deficit sol? Respondeo, quia est creatura, cuius proprium est posse deficere. Addit S. Chrysost. homil. 6. in Genes. ut ex defectu liqueat, solem non esse Deum, vti censuere Persæ aliæque gentes, deceptæ tanto Solis fulgore. *Ne te decipiat spectaculum*, ait S. Chrysost. *ne creatoris honor creaturæ deferatur*, ne tantum lumen putetur esse Numen. Vbi enim est defectus, ibi nequit esse diuinitas & Numen.

Obiicit

Objicit Jansenius: Dæmon est nequior carne & sanguine: ergo non rectè, nec verè dicitur: *Quid nequius quàm quod excogitavit caro & sanguis?* nam nequius est quod excogitavit dæmon: item quod excogitat non infirmitas carnis, sed mala voluntas, sive malitia hominis. Resp. *Quid nequius?* subaudi, in terra inter homines, qui sub sole degunt in orbe hoc elementari: dæmon autem fuit incola cæli, nunc est inferni. Adde, *per carnem & sanguinem* hic intelligi concupiscentiam, quæ tam in dæmone est, quam in homine concupiscentia autem nil est nequius.

Pro quo Nota. *Caro & sanguis* in Script. nunc significat hominem carne præditum, nunc carnis concupiscentiis deditum, nunc corruptionem carnis, nunc concupiscentiam, sive ea in carne, sive in mente resideat, uti sunt concupiscentia iræ, vindictæ, malitiæ, superbiæ, blasphemiæ, &c. Unde Apostolus hæc inter opera carnis recenset Galat. 5. 19. Causas varias hujus phrasis dedi can. 34. in S. Paulum. Vide eas, si lubet. Præcipua est, quia caro in homine est officina, imò figulina animæ: atque sicut anima carni suas passiones, sic vicissim caro animæ suas affectiones affricat & communicat. Unde in ira quæ est in mente, ebullit sanguis & bilis in carne: idem est de ceteris passionibus. Alludit ad Genes. 6. 5. *Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum*. Ubi Hebr. est יצר *ietser*, id est, figulina, in qua homo quasi figulus fingit, pingit & format suas imaginationes, concupiscentias & desideria. Sicut ergo caro quasi mutatur in spiritum, cùm ipsum sequitur: ita mens ac voluntas in carnem quasi transformantur, cùm ipsam sectantur. Hinc & diabolus omnes suas tentationes in homine per carnem & sanguinem, perq; concupiscentiã homini insidentẽ excogitat & suscitat. Cùm igitur homo secum jugiter afferat hãc carnis & concupiscentiæ sentinam, ac quasi cloacã fœtentium delictorum; quid mirum si aliquando delinquat?

Caro figulina animæ.

Dicit hoc Siracides tum ut hominem humiliet, & in sancto timore contineat, moneatque jugiter cum carne & sanguine dimicare, ejusque motus statim elidere; tum ut eum in spem erigat divinæ misericordiæ: hęc enim conscia hujus humanæ infirmitatis & miseriæ, prona est ut ejus misereatur, eique succurrat, imò idcirco Verbum caro factum est, ut per experientiam disceret *compati infirmitatibus nostris*, Hebr. 4. 15. & c. 2. 14. *Quia*, inquit, *pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui mortis habebat imperium*. Ita disertè se explicat Siracides c. seq. v. 7. 8. 9. 10.

Quocirca τὸ *nequius* Primò, propriè idem est quod pejus, sceleratius; Secundò, idem quod miserius, ærumnosius, q. d. Quid miserius quàm quòd excogitat caro & sanguis? excogitat enim delicias gulæ & veneris, quæ non nisi dolores creant, morbos & interitum, ut homo redeat in terram & cinerem. Sic enim τὸ *nequam* pro misero, & eo quod affligit, sumit Noster c. sequent. v. 7. 10. & alibi. Et sic ait Christus Matth. 6. *Sufficit diei malitia*, id est, miseria, afflictio, *sua*.

Alludit ad Job c. 25. 5. *Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. Quantò magis homo putredo & filius hominis vermis*, non est mundus à peccato in conspectu Dei? Et c. 15. 15. *Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu ejus. Quantò magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?*

Denique ex eo quod hic dicitur, *sol deficiet*, æquè ac Isaiæ 34. 4. & c. 65. 17. & Apocal. 21. 1. S. Chrysost. Theodor. Oecum. & alii putant in fine mundi solem, lunam, astra, cælos & elementa omnia substantialiter esse annihilanda, vel corrumpenda, ac alium solem, cælos & terram esse creanda. de qua re plura dixi Is. 34. & 2. Petri 3.

ET HOC ARGUETUR] Ita Roman. in judicio, scilicet, condemnabitur & punietur à Deo, ne putet homo se ob sequelam naturalis suæ concupiscentiæ, per propriam Dei misericordiam evasurum ejus judicium & ultionem. Quia, ut dictum est Caino, Gen. 4. *Subter te erit appetitus tuus*: quare si eum mala germinantem non coercueris, vapulabis.

Vers. 31. VIRTUTEM ALTITUDINIS CÆLI IPSE CONSPICIT: ET OMNES HOMINES TERRA ET CINIS] Tigur. *ille molem celsi cæli perlustrat, omnes autem homines terra pulvisque sunt. Ipse*, scilicet sol, qui A præcessit. *Virtutem*, Græcè δύναμιν, quod vim & potentiam, indeq; exercitum potentem significat: unde cùm Deus Hebr. vocatur *Adonai sabaot*, id est, Dominus exercituum, Septuag. vertunt κύριος δυνάμεων, id est, *Dominus virtutum*. Sensus ergo est, q. d. *Virtutem*, id est, exercitum altissimi cæli vel altissimorum cælorum, putà planetas & stellas, quarum dux quasi est sol, ipse sol tamquam imperator conspicit & perlustrat: homo verò terræ vermiculus est, ex terrę pulvere compactus, & iterum in terræ cinerem rediturus. Et tamen sol tam illustris deficit, paciturque eclipses: non mirum ergo homines tam miseros & fragiles deficere, labi ac peccare. *Terra* significat originem hominis, quia ex terra formatus est Adam: *cinis*, finem & interitum, quia moriens in cinerem vertitur. Rationem dat Jansenius. Cùm enim inquit, anima in homine sit velut ignis continuè movens & motus, corpus anima destitutum est velut carbo qui in cinerem resolvitur. Unde impii Sap. 2. 2. dicunt, *Fumus flatus est in naribus nostris, sermo scintilla ad commovenB dum cor nostrum: quia extincta, cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tamquam mollis aer*. q. d. Vita nostra non est aliud quàm vivax ignis in corde existens, qui ad motionem cordis nostris emittit de se scintillas, scilicet, sermonem & verba quæ loquimur, fumum, scilicet, halitum respirationis, sicut ignis cùm movetur, evomit scintillas & fumum.

Virtus triplex. Primò.

Secundò, Lyran. Dionys. & Palacius τὸ *ipse* referunt ad Deum, de quo v. 28. q. d. Adeò Deus magnus est, ut tota virtus à cælo ad terram ab ipso intimè conspiciatur: interim videt quòd virtus & robur hominis est terra & cinis. An non igitur miserebitur? Videt Deus vires Angelorum, cælorum, elementorum & omnium aliorum. Videt igitur vires hominis, quòd sint ex corpore, terra; ex anima, cinis: miseretur igitur tam languidæ rei. Sic & Rabanus: *In cæli nomine*, ita, *cælestem designat creaturam; in hominis verò, terrestrem: & hoc ostendere vult, quòd cælestis et terrestris creatura ejus æqualiter facturа est. Mysticè autẽ virtutem altitudinis cæli Deus conspicit, quando perfectionem sanctorum probando dinumerat. Hominis verò fraC gilitatem nihilominus novit, cùm peccatorum reprobando vitam despicit; quorum opera pulveri & cineri comparantur, quia examine venturi judicii omnino dissipabuntur, & ad nihilum redigentur*.

Secundò.

Tertiò, Syrus vertit, *virtutes cælorum judicat Deus, etiam filios hominum qui sunt pulvis & cinis*, q. d. Deus judicavit & damnavit Angelos, cùm ipsi facti sunt dæmones, quantò magis judicavit homines viles & miseros? Græcum enim ἐπισκέπτεται, idem est quod inspicit, visitat, judicat. Simili argumento concludit Apostolus dicens 1. Corint. 6. 3. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus? quantò magis sæcularia*.

Tertiò.

Denique noster Pineda in Job c. 38. v. 15. totum hunc locum à τῷ. *Quid lucidius sole?* usque ad finem capitis, appositè refert ad pœnam lapsus Adami, putà ad privationem lucis, tum vitæ & immortalitatis, tum felicitatis animæ & corporis, in qua à Deo conditus erat: proximè enim præcessit, *Quoniam non est immortalis filius hominis, & in vanitate malitiæ placuerunt*. Initio enim capitis recensuit creationem hominis, dotesque illi inditas, præsertim quòd Deus vestiverit eum virtute sua divina D deinde v. 10. ait: *Testamentum æternum constituit cum illis, & dixit, Attendite ab omni iniquo, ut scilicet, quasi ex pacto, fœdere pietatis & obedientiæ, felicissimo statu, tum corporis, tum animæ, & rerum omnium amplissima potestate potirentur: sin minus, lux illa felicissima illis auferetur, & in supplicium tum ærumnis aliis, tum incredibili corporis & animi infirmitate afficerentur*. Deinde, commemorato hominum lapsu & iniquitatibus, quibus pactum cum Deo initum violarunt, concludit: *Quid lucidius sole? & hic deficit. Aut quid nequius quàm quod excogitavit caro & sanguis? & hoc arguetur. Virtutem altitudinis cæli ipse conspicit, & omnes homines terra & cinis, id est, etiam sine ullo peccato aut culpa sua aufertur homini lux ista Solis, quam conspicimus, sive subeunte nocte, sive opposita umbra alterius astri: quanto igitur majori jure impius cogitationibus quæ carnis & sanguinis sunt, auferetur lux? Cælestis ille globus obscuratur, non obscurabitur qui ex terra factus est homo, & arguetur peccati, damnabiturque mortis, ut revertatur in terram et cinerem? Hac ipsa eadem profecto ratione ad pietatem, & jucundam ac tranquillam terræ*

æ lu-

ac luminis possessionem hortatur Baruch 3. 13. quasi cum Adamo locutus.

Porrò pendent hæc omnia à v. 28. ubi commendavit misericordiam Dei: q. d. Omnes creaturæ, adeoque sol ipse, patitur lucis defectum, ideoque ut eum instauret & conservet, eget misericordia, ope & influxu Dei: multò ergo magis eumdem patitur homo peccator, qui è palude terræ quasi ranunculus prodiit, & per mortem in tenebrosum atrumque cinerem est reversurus, ideoq; multò magis eget misericordia Dei, tum, ut à tenebris peccati redeat ad lucem gratiæ, tum, ut à tenebris mortis reviviscat ad lucem vitæ & gloriæ sempiternæ: peccatum enim est summus defectus, summa eclipsis animæ humanæ, quam nemo tollere & illuminare potest nisi æternus justitiæ sol Christus Dominus. Rursum pendent hæc à vers. 26. *A mortuo quasi nihil, perit confessio. Confiteberis vivens*: q. d. Sicut sol dum lucet vigetque, sua luce confitetur, id est, laudat & glorificat, Deum sui auctorem; at verò cum deficit, occidit, & quasi emoritur, deficit cum luce, & obtenebrescit pariter ejus confessio, laus & glorificatio Dei: ita similiter homo vivens, tum corpore, tum anima per gratiam & spiritum Dei, laudat Deum utriusque vitæ, naturalis scilicet & spiritalis, auctorem. At verò ubi emoritur vel naturaliter per mortem, vel moraliter per culpam, cum vita desinit pars ejus (corpus) laus, & glorificatio Dei. In culpam enim pronissimus est homo; quia ipse non est aliud quàm caro et sanguis.

Peccatū est summa eclipsis animæ.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit in laude magnalium Dei, celebratque eius potentiam & misericordiam erga miserum hominem, eamque nobis imitandam proponit usque ad v. 19. Inde ad finem varia affert documenta ethica, quæ omnia ferè tendunt ad memoriam diei iudicii, ut illud semper præ oculis habeamus, ad illudque nos comparemus per fugam concupiscentiarum, & studium virtutum.

QUi vivit in æternum, creavit omnia simul. Deus solus justificabitur & manet invictus Rex in æternum. 2. Quis sufficit enarrare opera illius? 3. Quis enim investigabit magnalia ejus? 4. Virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit? aut quis adjiciet enarrare misericordiam ejus? 5. Non est minuere, neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei. 6. Cùm consummaverit homo, tunc incipiet: & cùm quieverit, aporiabitur. 7. Quid est homo, & quæ est gratia illius? & quid est bonum, aut quid nequam illius? 8. Numerus dierum hominum ut multum centum anni: quasi gutta aquę maris deputati sunt: & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi. 9. Propter hoc patiens est Deus in illis, & effundit super eos misericordiam suam. 10. Vidit præsumptionem cordis eorum quoniam mala est, & cognovit subversionem illorum quoniam nequam est. 11. Ideo adimplevit propitiationem suam in illis, & ostendit eis viam æquitatis. 12. Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem. 13. Qui misericordiam habet, docet, & erudit quasi pastor gregem suum. 14. Miseretur excipientis doctrinam miserationis, & qui festinat in judiciis ejus. 15. Fili in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali. 16. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius quàm datum. 17. Nonne ecce verbum super datum bonum? sed utraque cum homine iustificato. 18. Stultus acriter improperabit: & datus indisciplinati tabescere facit oculos. 19. Ante judicium para justitiam tibi, & antequam loquaris, disce. 20. Ante languorem adhibe medicinam, & ante judicium interroga te ipsum, & in conspectu Dei invenies propitiationem. 21. Ante languorem humilia te, & in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam. 22. Non impediaris orare semper, & ne verearis usque ad mortem justificari: quoniam merces Dei manet in æternum. 23. Ante orationem præpara animam tuam: & noli esse quasi homo qui tentat Deum. 24. Memento iræ in die consummationis, & tempus retributionis in conversatione faciei. 25. Memento paupertatis in tempore abundantię, & necessitatum paupertatis in die divitiarum. 26. A manè usque ad vesperam immutabitur tempus, & hęc omnia citata in oculis Dei. 27. Homo sapiens in omnibus metuet, & in diebus delictorum attendet ab inertia. 28. Omnis astutus agnoscit sapientiam, & invenienti eam dabit confessionem. 29. Sensati in verbis & ipsi sapienter egerunt: & intellexerunt veritatem & justitiam, & impleverunt proverbia & iudicia. 30. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere. 31. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. 32. Ne oblecteris in turbis, nec in modicis, assidua enim est commissio illorum. 33. Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, & est tibi nihil in sacculo: eris enim invidus vitę tuę.

Vers. 1. QUI VIVIT IN AETERNUM, CREAVIT OMNIA SIMUL] Quæres, quomodo *simul*? nam Genes. 1. liquet ea esse successivè creata à Deo per sex primos mundi dies. S. August. & eum secutus Cajetanus, ex hoc loco contendit, ad literam omnia uno eodemque die simul à Deo esse creata: sex verò illos dies qui nominantur Genes. 1. vel significare ordinem creaturarum inter se, quæ scilicet, prima sit, quæ secunda, quæ tertia: vel mysticè esse accipiendos, tantumque significare varias angelorum cogitationes & considerationes circa res creatas, quarum una secundùm se poscebat priùs fieri quàm altera. ita ipse lib. 4. de Genes. ad liter. cap. 33. & 34. & lib. 5. cap. 24. & lib. 6. cap. 3. & Auctor de mirabili. S. Scriptur. lib. 1. cap. 1. qui exstat tom. 3. S. August. Sex, inquit, dies in Genesi, in angelorum diversa intelligentia sunt accipiendi. Verùm ad literam sex illos dies ut sonant, esse accipiendos, ut per eos successivè res sint creatæ, liquet ex simplici narratione Mosis, Genes. 1. vide ibi dicta.

Deus creavit omnia simul, quo sensu?

Primò ergo, meliùs alii respondent, omnia simul esse creata creatione propriè dicta. Creatio enim est & dicitur, cùm res producitur ex nihilo, sine ulla materia præjacente. Talis autem fuit dumtaxat primo die, imò primo instanti mundi: illo enim creavit Deus cælum, terram & abyssum ex nihilo: ex illis deinde cetera omnia sequentibus quinque diebus non tam creavit, quàm formavit & distinxit. Quare omne quod propriè creavit ex nihilo, hoc totum primo die creavit: primo enim die creavit omnem mundi materiam, ex qua ceteris diebus cuncta in suas species & formas affinxit, sicut figulus ex luto varias valorum formas effingit. ita Franciscus Suarez lib. 1. de Opere sex dierum c. 10. n. 22.

Respondeo Primò.

Hinc

Secundò. Hinc Secundò, *simul*, quia primo mundi die virtute omnia simul creata sunt: nam simul factę sunt principales mundi partes, scilicet cæli & elementa, in quibus alia virtute & quasi in semine continebantur, atque ex illis postea cetera omnia facta sunt: astra enim de cælo facta sunt; viventia verò ex aquis & terra. ita S. Gregor. 32. Mor. c. 9. & 10. D. Thom. 1.p. q.74. art.2. ad 2. Raban. Hugo, Dionys. Lyran. & alii hic.

Tertiò. Tertiò, *omnia* genericè, id est, tam corporalia quam spiritualia, putà tam cælum & elementa, quàm angelos, simul primo instanti creavit Deus. Ita Concil. Lateran. c. *Firmiter*, de summa Trinit. & fide Catthol. de Deo ait, *Qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam.* Ubi cùm post τὸ *simul* subiungat *deinde humanam*, indicat planè τὸ *simul* excludere successionem, & apponi ad *postea* sive *deinde*: q. d. Initio temporis & mundi creati sunt angeli & cæli, ac deinde homines. ita Suarez libr. 1. de Angelis cap. 3. num 9. & seq.

Quartò. Quartò, *simul*, quia sub idem tempus brevi temporis intertitio omnia condita sunt, putà in principio temporis, per sex primos mundi dies, inquit Ludou. Molina de Opere sex dierum. Sic Genes. 2. dicitur: *Hæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Deus cælum & terram: in die*, id est, in diebus, propter breve temporis intervallum. Et Marci 10. *Ab initio creaturæ masculum & feminam fecit eos*: & tamen id factum non primo, sed sexto mundi die. Et Joan. 8. *Ille homicida erat ab initio*, id est, paulò post initium: nam initio, id est, in primo instanti, dæmon creatus est integer & justus.

Quintò. Quintò, *simul*, græcè κοινῇ, id est, pariter, nulla re excepta: q.d. Omnia pariter à Deo sunt creata: nihil est quod ab eo non sit creatum. ita Iansenius & alii.

Sextò. Sextò, *creavit omnia simul*, non in propriis ipsorum naturis, sed in sua sapientia & idea: simul enim omnium ideam mente concepit, ut deinde quælibet suo tempore produceret. ita Rupert. l.2. in Genes. c.18. ut τὸ *creavit*, significet actum, non realem, sed mentalem: *creavit*, id est, creare destinavit, creatorum & creationis exemplar mente concepit. *Creavit*, inquit, *omnia simul in sua sapientia, ut unumquodque illorum in sua propria faceret essentia.* hæc Rupert.

Has tres ultimas expositiones afferet & sequitur Gabr. Vasquez 1.p. q.61. disput.224. cap.2. & Gregor. de Valentia 1.p. disp.5. q.2. punct.2. ad 1.

Septimò. Idem Valentia disp.4. quæst. 12. puncto 2. sub finem, Septimò, respondet, omnia *simul* esse creata, quia eadem fuit actio creativa omnium in Deo: hæc enim in Deo fuit una eademque simul, quæ in mundo per sex dies successivè varia, imò omnia & singula produxit & formavit. In Deo enim omnia sunt unum: ideoque in eo una est actio, qua omnia producit; idque simul, quia in eodem nunc æternitatis suæ, quod in eo unum idemque semper permanet.

Octavò. Octavò, Palacius τὸ *simul*, inquit, non significat unicum instans, sed rerum continuationem: q.d. Deus non intercidit suam operationem in creando universo, sed continenter per sex dies omnia quæ in eo sunt creavit, & sabbato requievit. Itaque sensim & continuè extendebat cælos ut pellem, psalm. 103. sensim & continuè faciebat arbores suos proferre fructus, mare pisces, terram animalia & plantas.

Nonò. Nono, τὸ κοινῇ, id est, *communiter*, aliqui in Græcis Rom. sic explicant: q.d. Deus creavit res omnes communes, id est profanas, si cum creatore conferantur qui solus usquequaq; justus est. Unde sequitur: *Dominus justus justificabitur.* Addunt Complut. *distinguens in eis sancta à profanis.*

Decimò. Decimò, S. Aguft. de Genesi ad liter. imperfect. cap.7. pro *creavit*, legit *complevit omnia simul*, quia scilicet Deus die septimo absoluit totum opus creationis. Omnes hæ expositiones sunt probabiles, præsertim primæ quinque. sed maximè genuina videtur quinta.

Genuina est quinta. Probatur Primò. Primò, quia hoc significat Græcum, κοινῇ, id est, communiter, pariter, nullo scilicet excepto: quod proinde referendum est non ad τὸ *creavit*, sed ad τὸ *omnia*: q. d. Omnia simul, id est, pariter, nullo excepto, creavit Deus, ita ut nullum sit ens quod Deo suum esse non debeat, seque ab eo creatum confiteri non cogatur.

Secundò. Secundò, quia idem significat alibi τὸ *simul*, ut psalm.13. *Omnes declinaverunt simul*, id est, communiter, nullo excepto. Psalm.48. 3. *Simul in unum dives & pauper*: & v.11. *Simul* (id est, pariter, non eodem tempore) *insipiens & stultus peribunt*. & sæpè alibi.

Tertiò. Tertiò, quia pro *simul* vertunt *communiter* Complut. Rom. Tigurina & ceteri.

Quartò. Quartò, idem patet ex præcedentibus & sequent. atque ex scopo Siracidis. Scopus enim ejus est docere, tam solem quàm hominem, ceteraque omnia, creata esse à Deo *simul*, id est, communiter, pariter, ac proinde omnia omnino arguere immensam Dei potentiam, bonitatem & misericordiam; eaque jugiter indigere, ut in sua natura quam à Deo acceperunt, conserventur, suosque defectus & eclipses suppleant & restaurent. Ad hoc autem impertinens est, quòd *simul*, id est, eodem instanti temporis, omnia sunt creata.

DEUS SOLUS IUSTIFICABITUR (nonnulli codices Greci legunt *justus est*) ET MANET INVICTUS REX IN ÆTERNUM] Hic versus pendet à præcedenti: ille enim ibi inchoatus hic expletur. Unde Tigurina vertit, *qui degit ævum* (inhabitator æternitatis) *cuncta creavit simul Dominus, qui solus est justus, nec præter eum est alius, & manet invictus rex in æternum*: q. d. Qui vivit in æternum, & creavit omnia simul, est dominus omnium, qui solus justificabitur, & manet invictus rex in æternum. Deum enim opponit Soli, homini & creaturis: quòd hæ omnes deficiant, peccent, mutentur, emoriantur; Deus autem perpetuò sine defectu maneat sibi similis, justus, perfectus, immortalis, immutabilis & dominans omnibus in æternum. Unde Syrus v.1. & 2. ita vertit, *quis potest manifestare opera eius, & quis metietur fortitudinem eius? Mundus totus simul explorat, & Dominus solus justus est* (immutabiliter & essentialiter) Deus enim sicut solus habet perfectionem essentiæ, adeoque ipse est suum & rerum omnium esse: sic & solus habet perfectionem justitiæ, potentiæ & imperii; à quo uti suum esse tenue & umbraticum, ita & exilem suam & umbraticam justitiam, potentiam & imperium emendicant omnes angeli & homines. Unde Complut. addunt, *Et non est alius præter eum gubernans* (vel condens, ædificans: hæc enim omnia significat οἰκίζων,) *mundum in palmo manus suæ. Ipse enim rex omnium in sua potentia, distinguens in ea sancta à profanis*; Tigurina, *ipse mundum disponit spithama manus suæ, cunctaque parent voluntati ipsius. Nam ipse potentia sua regit omnia, quæ in eis sancta sunt distinguens à profanis.*

Aliter explicat Palacius, nimirum τὸ *justificabitur* hic eo sensu accipi, quo sumitur à Davide psal. 50. dicente: *Dele iniquitatem meam, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.* id est, nisi miserearis pœnitentium, videberis injustus, & vinceris ab his qui te talem audent judicare. At cùm miserearis omnibus, solus justificaris, & invictus permanes ab his qui te judicare non verentur. Tu nota, juxta hunc sensum regis esse misereri, & invictum se servare ab his qui judicant eum esse crudelem. hæc Palacius.

Vers. 2. & 3. QUIS SUFFICIT ENARRARE OPERA ILLIUS? QUIS ENIM INVESTIGABIT MAGNALIA EIUS?] Græcè, ἐξιχνίασε, id est, scrutatus est, investigavit; in præterito: q. d. Nemo plenè ad fundum investigavit, aut investigare potuit vel potest, magnalia Dei; ergo nemo planè & plenè ea enarrare sufficit. Tigurina vertit, *cuinam explicandi facta sua facultatem dedit, aut quis egregia ipsius facinora investiges?* Simili modo stupens & admirabundus exclamat Apostolus: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Rom.11. 33.

Quocirca S. Isidorus lib. de Natura rerum c.44. *Quis*, ait, *investigabit magnalia eius? Ergo quod mortalium naturæ secretum est, hoc divinæ potentiæ relinquendum est.* Notent hoc hæretici, qui volunt scrutari mysterium Eucharistiæ, & quia illud non capiunt, negant, imperitè Dei omnipotentiam ad naturæ & ingenii sui vires arctantes.

Sancti sunt mirum Dei opus. Tropol. Cassianus Collat. 12. 12. pulchrè docet Sanctos in se mirari opus Dei, quo ex libidinosis facti sunt casti, de gulosis sobrii, ex feris mansueti. *Quis planè*, inquit, *non miretur opera Dei, ac toto proclamet affectu, Quia ego cognovi quòd magnus est Dominus; cùm vel se, vel alium quempiam ex*

Digitized by

rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum hirtumq; perspexerit, & egestate atque angustia præsentium rerum etiam voluntariè perfruentem? Ista sunt profectò mira opera Dei, quæ peculiariter anima Prophetæ, similiumq; eius mirificæ contemplationis intuitu stupefacta cognoscit. Ista sunt prodigia quæ posuit Dominus super terram, quæ idem Propheta considerans, ad admirationem eorum cunctos populos advocat, dicens: Venite & videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usq; ad fines terræ: arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. Subdit deinde, majus Dei opus in Apostolorum creatione: *Quod enim maius potest esse prodigium, quam sub momento brevissimo ex rapacissimis publicanis Apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis, Evangelii prædicatores patientissimos reddi, ita ut eam quam persequebantur fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarent?*

Vers. 4. VIRTUTEM AUTEM MAGNITUDINIS EIUS QUIS ENUNTIABIT? AUT QUIS ADIICIET ENARRARE MISERICORDIAM EIUS?) Græcè *κράτος*, id est, *vim*, *robur*: unde Complut. *fortitudinem magnificentiæ eius quis enumerabit? & quis adiiciet* vel *apponet*, scilicet animum, *ad enarrandum misericordias* vel *beneficia eius?* Tigurina, *quis vim magnificentiæ eius percenseat? aut quis conetur miserationes eius enarrare?* Syrus hæc omnia silentio præterit usque ad v. 6. Præclarè Jansenius: *Inter cetera Dei attributa*, ait, *quæ numquam satis prædicari possunt, sunt præcipuè duo in Deo stupenda & admiranda; virtus, scilicet, robur ac fortitudo magnificentiæ eius, & misericordia eius atque bonitas: quæ duo Deo tribuuntur cum dicitur optimus maximus. Fortitudini eius non est adiuncta (ut fere in hominibus) crudelitas, & misericordiæ eius non deest potentia succurrendi quibus miseretur. Fortitudo exigit, ut eum suspiciamus & timeamus; misericordia, ut amemus & diligamus.* Alludit ad psal. 105. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Verè Minutius Felix in Octavo: *Sibi solus*, inquit, *tantus quantus notus est.* Et S. August. libr. 4. de Genesi ad lit. c. 6. asserit *neq; ipsis angelis notam esse divinam substantiam, sicut ipsa est sibi.* Quocirca S. Dionys. de Divin. nomin. & de Cælest. hierarch. asserit Deum & divina casto potiùs honoranda silentio, quàm audaci temeranda eloquio, juxta illud psalm. 64. 1. *Te decet hymnus Deus in Sion.* ubi S. Hieron. vertit, *tibi silentium laus Deus in Sion;* silens enim & muta est omnis nostra Dei laus. Hinc olim foribus tẽpli inscriptũ erat *silentium*, teste S. Chrys. homil. 1. in 1. ad Timoth.

Vers. 5. NON EST MINUERE, NEQUE ADIICERE, NEC EST INVENIRE MAGNALIA DEI] q. d. *Magnalia* sive magnifica opera Dei adeò sunt perfecta, ut eis nihil addere liceat: eadem adeò sunt sublimia, ut eorum rationes & causas perscrutari & invenire sit impossibile. Græca habent, *non est minuere, neq; apponere, & non est investigare mirabilia Domini;* Tigurina, *nihil est quòd demas aut addas, nec quòd pervestiges miracula Domini.* Orationes Isocratis dicuntur adeò perfectæ, ut nihil eis addi, nihil demi possit. Et Quintil. Græcos oratores comparans Latinis, *Demostheni*, ait, *nihil demas, Ciceroni nihil addas.* Nonne hoc justius conveniat operibus Dei? Circulo, ut perfectissimo, nihil addi, nihil auferri potest: ita nec magnalibus Dei, utpote profectis à sapientissimo operatore. Quod si umquam humanum ingenium notam inurit magnalibus Dei, causa est, quia cùm sit finitum, nequit invenire rationem infiniti consilii divini. Quocirca Psaltes psalm. 144. *Exaltabo*, inquit, *te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi. Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non est finis*, &c. *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.* Vide dicta Genes. 1. & 2. ubi ostendi, quomodo noxia quoq; animalia, plura commoda afferant homini, totique universo.

Mysticè, magnalia Dei sunt perfectionis opera, quæ adeò pulchra & perfecta sunt, ut nec homo in illis defectum, nec excessum inveniat, nec eorum decorem & excellentiam comprehendat. In his operibus cum homo consummatus videtur, tunc, ne ab adepta virtute cadat, oportet ut quasi incipiens ad primum fervorem revertatur, & quasi novitius inchoet. Si verò omnino *quieverit*, & progredi ultra noluerit, tunc incipiet esse mendicus & pauper, & *aporiabitur*, id est, his quæ se habere putabat, bonis indigebit: nam impetu suorum affectuum impulsus, in pristina vitia relabetur.

Vers. 6. CUM CONSUMMAVERIT HOMO, TUNC IN-

A CIPIET: ET CUM QUIEVERIT OPERABITUR] Ita legunt plerique codices Rabani, Lyrani, Jansenii & aliorum. quod Jansenius sic explicat, q. d. *Significat eum qui magnitudinem Dei & operum eius vestigare & enarrare conatus fuerit, cùm omne studium eò contulerit, nihil tamen effecturum. Cùm*, inquit, *quisquam absoluisse se putaverit investigationem & enarrationem de Deo, tum demum inveniet tantum superesse, ut quasi de novo incipiendum sit; & cùm post longum laborem quiescendum sibi putaverit, quasi instituto suo benè perfecto, tum videbit sibi adhuc laborandum esse & operandum, ut quod conatur perficiat. Significat ergo, si quis hoc tentet, frustra laboraturum.* Verùm pro *operabitur*, corrige cum Rom. *aporiabitur*: hoc enim respondet *ἀπορηθήσεται*, id est, perplexus erit, dubius, anceps. Complut. & interpres S. Basilii in cap. 8. Isaiæ vertunt, *tunc indigebit*, novo scilicet examine & scrutinio; Rom. *tunc dubitabit;* Tigur. *incertus est:* q. d. Cum homo consummaverit scrutari magnalia Dei, & ulteriùs progredi non potens, à scrutando conquieverit; tunc hærebit dubius incertus, perplexus, quia videbit se multa non posse intelligere & penetrare. Syrus vertit, *in consummatione*
B *hominum ipsi incipiunt* (alius textus habet, *æquales fiunt*) *&, si revertantur, obstupescunt.* Quo enim plus penetras, inquit Palacius, plus reliquum est penetrandum. Alioqui Deus non esset, si à te comprehendi posset. Rectè igitur dictum est illud: *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est & non potero ad eam.* Ita Plato, *Deum*, ait, *invenire neq; facile, intelligere impossibile est.* Rex Hiero Simonidem philosophum rogavit, Quid esset Deus? Petiit ille duos dies ad respondendum; tum quatuor: ac ita semper multiplicatos. Id cum miraretur Hiero, ille respondit: *quo plus de Deo cogito, eo res mihi videtur obscurior.* Certè cùm hic consummare videbatur, tunc incipiebat.

Alludit ad Job 26. 14. *Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum eius: & cùm vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* S. August. epist. 3. ad Volus. hanc sententiam rectè accomodat studio & intellectui S. Script. quia hoc est unum è præcipuis Dei operibus inscrutabilibus. *Tanta est*, inquit, *Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliori ingenio conarer addiscere.*
C *Non quoad ea quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis pervenitur difficultate; sed cùm quisq; ibi fidem tenuerit, sine qua piè rectèq; non vivitur, tam multa, tamq; multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca, intelligenda proficientibus restant, tantaq; non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verùmetiam in rebus quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimisq; cupiditate discendi, hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Huc facit, illud Menedemi apud Plutarch. de Profectu. Qui Athenas, inquit, ventitant, principio sibi videntur sapientes, tum philosophi; at, cùm orbem scientiarum decucurrerint, omniaque consummarint, se nihil scire & omnia ignorare autumant, atq; tum primùm discere incipiunt.

Tropol. multi hanc sententiam accommodant profectui in virtute, sanctitate & perfectione. Hæc enim est opus gratiæ Dei, quod finem & fundum non habet: q. d. cùm consummaverit homo servare mandata Dei, cùm consummatus fuerit in humilitate, charitate, omnique virtute, tunc incipiet dicetque cum Psalte: *Dixi, Nunc cœpi.* ita Rabanus. Sic S. Antonius apud S. Athanasium, hoc suis *Tropol. semper inchoanda Dei servitus.*
D primum dat vitæ spiritalis documentum: *Cogitate vos quotidie incipere servire Deo.* Idem dedit Barlaam regi Josaphat apud Damascen. in Historia. Vide Auctorem de Salutar. documentis apud S. August. tom. 4. *Parvulis*, ait, *est ludere, perfectis autem viris est lugere.* Quocirca Lyranus sic exponit: *Cùm consummaverit homo* investigationem de Deo, *tunc incipiet*, id est, percipiet quòd est in principio: *& cùm quieverit, operabitur*, id est, cùm erit in senectute, quod tempus est quiescendi, ad bonum opus magis animabitur. Unde B. Franciscus sub finem vitæ dicebat suis: *Fratres incipiamus servire Domino: nam usq; nunc parum profecimus.* Et hæc est monitio Salvatoris Lucæ 17. *Cùm omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis dicite, Servi inutiles sumus:* non ergo in annis, sed in animis sita est perfectio. Is proficit & perficit se, qui semper inchoare se credit, qui ardenti incipiendi desiderio jugiter ad profectum se urget &

get & exstimulat. Vide S. Bernard. epist.253. ad Guarinum.

Allegor. & Anagog. Cùm consummaverit homo legem Mosis, incipiet sapere legem Christi: lex enim est initium & umbra Evangelii: cùm verò consummaverit Evangelium, incipiet videre Deum. lex enim ducit ad fidem, fides ad speciem & visionem, sive gratia ad gloriam, juxta illud Christi: *Qui minor est in regno cælorum, major est illo*, (Joanne Baptista) Matth. 11. Hugo verò de Christo explicat: q.d. Cùm Christus consummatus fuit per passionem mortis, incepit vivere per resurrectionem in gloria, tumque misit Spiritum sanctum, quo veniente Apostoli consummati jam in schola Christi, cœperunt sapere, & ardere zelo evangelizandi.

Vers. 7. QUID EST HOMO? q.d. Quàm abjectus & vilis est homo præ Dei majestate? ET QUÆ EST GRATIA; græcè, χρῆσις, id est, usus, utilitas, ILLIUS? q.d. Quid utilitatis homo vilis afferre potest Deo, qui nullo indiget, estque *saddai*, id est, abundantissimus & cornucopiæ? ET QUID EST BONUM, AUT QUID NEQUAM ILLIUS?] q.d. Quid potest homo Deo boni *aut nequam*, id est, mali, inferre? quid potest Deo aut bene aut malè facere? quid potest bono suo Deum juvare, aut malo suo lædere? Est antithesis, Dei enim magnitudini opponit exilitatem hominis, ut Deum extollat, hominem deprimat: q.d. Homo præ Deo quàm parvus vilisque est humuncio? quid commodi Deo afferre potest? quid Deo boni vel mali afferre? Nec enim virtutes nostræ Deo aliquid boni, putà laudis, lætitiæ, gloriæ; addere; nec peccata, ut blasphemiæ, doloris aliquid, infamiæ, aut alterius mali irrogare queunt. Rursum *quid*, id est, quantulum, quàm exiguum est *bonum*, vel *nequam*, id est, malum hominis! quàm exigua ejus virtus, sapientia, perfectio, sanctitas! quàm exigua ejus ira, minæ, blasphemiæ! Esto enim respectu hominis hæc gravia sint mala & peccata; tamen respectu Dei exigua sunt, imò nulla, quia nullam Deo maculam, læsionem aut dolorem afferre possunt: juxta illud Job 22.3. *Quid prodest Deo si iustus fueris, aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?* Unde Syrus vertit, *quid sunt homines, & quæ industria eorum, & quod lucrum eorum, & quæ gratia eorum, & quæ malitia eorum?* Tigurina, *quid est homo, aut quis est usus ipsius? quid in eo boni est, quidve mali.*

Patheticè S. August. 1. Confess. cap.5. *Quid tibi sum*, inquit, *ut amari te iubeas à me, & nisi faciam irascaris mihi, & mineris ingentes miserias?* Soli orienti & occidenti Æthiopes nonnulli diras imprecantur, ait Plin. lib.5. cap.8. at Soli nocere vel lucem adimere nequeunt: sic impiorum, qui atri sunt instar Æthiopum, maledicta non sentit Deus: juxta illud Amos cap.9. *Numquid non ut filii Æthiopum vos mihi estis?* Verè Dionys. Carthus. ex Hugone: *Mala mea*, inquit, *pura mala sunt, & mea sunt: bona autem mea nec pura sunt, nec mea sunt.*

Porrò τὸ *quid est bonum, aut quid nequam illius?* præter jam datum sensum variè varii explicant. Palacius Primò, q.d. Quid est bonum aut malum hominis, id est, quantum durat ejus felicitas aut miseria in hac vita? utique parvo tempore, imò momento uno. Nam, ut sequitur, centum anni vitæ ejus si comparentur cum æternitate, sunt sicut gutta ad mare, & sicut calculus arenæ ad totum arenæ cumulum. Sic & Rabanus.

Secundò, q.d. O quantum erit hominis bonum, & quantum ejus malum in futuro sæculo, cùm tamen ad hoc bonum & malum assequendum tam breve habeat vivendi spatium!

Tertiò, alii, q.d. Quàm pauca sunt hominis bona, & quàm multa ejus mala!

Quartò, q.d. Quantula, quàm modica sunt bona & mala, commoda & incommoda, prospera & adversa, jucunda & tristia hominis in hac vita! præsertim quia omnia non tantùm in se modica sunt, sed & modico tempore durant, ut sequitur. nil ergo magnum, nil bonum, nil malum, nisi æternum. Si ergo bonum verum ambis, æternum ambi: si malum verum metuis & fugis, æternum fuge & formida.

Quintò, q.d. Quantulum est bonum quod tibi amici conferre, quantulum malum quod tibi inimici inferre queunt! utique exile & exiguum. Neminem ergo illorum, sed unum Deum ama & time, qui potest corpus & animam vel beare vel perdere in gehennam, Matth. 10. 25. Hoc est quod ait Deus Isaiæ 51. 12. *Ego ego ipse consolabor vos: quis tu ut timeres ab homine mortali, & a filio hominis qui quasi fœnum ita arescet?*

Vers. 8. NUMERUS DIERUM HOMINUM UT MULTUM CENTUM ANNI QUASI GUTTA (ita Romana & Græca, ὡς σταγὼν, id est, *quasi gutta*; malè ergo multi legunt, *quasi guttæ* in plurali) AQUÆ MARIS DEPUTATI SUNT: ET SICUT CALCULUS ARENÆ, SIC EXIGUI ANNI IN DIE ÆVI] q.d. Vide quàm modicus sit homo, & omnes res humanæ, idque disce ex modico vitæ ejus tempore, quod ut summum est centum annorum (quod spatium, ait Varro lib.5. vocatur sæculum à senio, eò quòd longissimum spatium senescendorum hominum habeatur) ut si qui supersint anni, mortis sint potiùs quàm vitæ: hi autem comparati cum ævo, id est, æternitate, non plus sunt quàm gutta aquæ comparata cum vasto mari, & sicut lapillus arenæ comparatus cum toto arenæ cumulo, imò longè minùs sunt: nam inter guttam & mare, lapillum & arenam, est certa & definita proportio, cùm utraque finita sint: temporis verò centum annorum ad æternitatem, utpote finiti ad infinitum, nulla est proportio. Vide ergo quàm parum, imò nihil, sit ætas tua præ æternitate. Complut. *numerus dierum hominis multi anni centum, irrationabili autem cuique omnibus dormitio. Sicut gutta aquæ à mari, & sicut calculus arenæ, sic mille anni in diebus sæculi.* Romana legunt ὀλίγα, id est, *exigui* (pro quo Complut. legunt χίλια, id est, *mille*.) unde sic habent, *sicut gutta aquæ maris & calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi*; Tigurina clarè, sed liberè, *numerus dierum hominis centum anni, cùm plurimum, nec cuiusquam ex omnibus stata est obitus sui ratio. Quantula est aquæ gutta è mari sumpta, & ex arena calculus, tantillum sunt anni mille pro tempore æternitatis.* Græcum enim αἰών, & sæculum & ævum & æternitatem significat. Dicitur enim αἰὼν quasi ἀεὶ ὤν, id est, semper existens: talis autem est æternitas. Syrus, *numerus vitæ hominis, cùm multum vixerit, centum anni, sicut ad implendum utrem ex mari, & sicut granum arenæ: mille anni de mundo isto non sunt sicut unus dies in sæculo iustorum.*

Modus concipiendi æternitatis. Hinc ergo desumpta est communis illa similitudo maris & arenæ ad repræsentandam, & aliquo modo concipiendam (plenè enim ab homine concipi nequit, cùm sit infinita) æternitatem: nimirum ut eam concipias, cogita: si avicula singulis mille annis sorberet unam guttam è mari, & auferret unum arenæ granum ex toto arenæ cumulo, qui est in littore maris, totoque mundo, quando tandem, post quot millia, imò milliones annorum exsorberet totum mare, & auferret totam arenæ molem? utique auferret aliquando, sed post plurimos & homini innumerabiles annorum milliones. Gauderet Judas & damnati, si hæc conditio illis à Deo daretur, ut toto illo tempore gehennæ tormenta subirent, dummodò eo emenso illa finirentur. At verò illa tum necdum finientur, quia tunc non finietur æternitas, sed rursum incipiet, ut novum mare absorbendum, & nova arenæ moles auferenda sit, & post hanc alia & alia sine fine, quia immensa & interminα durabit semper in sæcula sæculorum. Quocirca æternitatem significarunt Ægyptii per basiliscum, quia hic solus inter serpentes vi interfici non potest, quinimò tanta huic uni vis inest, ut animalia reliqua solo sibilo fuget: quo audito ferunt omnes avium cantus coerceri, fruticesque & herbas non ullo morsu, sed olfactu aspectuque solo enecari. ita Pierius Hierogl. 14. pag.132. Basiliscus symbolum æternitatis, cur?

Moraliter Hugo: *Gutta aquæ maris*, inquit, notat tria, scilicet vitæ brevitatem, inconstantiam & amaritudinem: brevitatem notat τὸ *quasi gutta*; instabilitatem, τὸ *aqua*; amaritudinem, τὸ *maris*.

Nota præpositionem *in*, quæ est in Græco ἐν ἡμέραις αἰῶνος, *in diebus æternitatis*: q.d. Quod est gutta in mari, hoc sunt centum anni in æternitate: quod est lapillus unus inter innumeras maris arenulas, hoc sunt centum anni inter annos innumeros æternitatis. Si guttam inijcias in mare, illicò mare illam sorbet & absorbet, ut nusquam appareat, quasi ipsa jam non esset, essetque nihil; inijce pariter centum annos vitæ tuæ in æternitatem, æternitas illos sorbebit, illique videbuntur esse nihilum. Hoc est quod canit Psaltes psalm. 89. v.4. *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præteriit.* Et S. Petrus 2. epist. cap.3. 8. *Unus*

Digitized by Google

Unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus. Vide ibi dicta.

Hoc cogitabat Reverendissimus D. Godefridus nuper Episcopus Bambergensis, cujus hæc erat gnome, qua se quasi acri stimulo ad omnem virtutem pungebat: *Omni momento sto ad ostium æternitatis*. Omni ergo momento vivam æternitati. vide dicta in fine Levitici. Idem per umbram viderunt Philosophi. Unde Cicero Tuscul. 2. *Contemno*, inquit, *magnitudinem doloris, à quo me brevitas temporis vindicabit, ante penè quàm invenerit*. Idem Seneca lib. 6. Natural. quæst. cap. 32. *Omnia*, inquit, *feres constanter, si cogitaveris nihil interesse inter exiguum tempus, ac longum, quia finitum est*. Quod judicium omnium Philosophorum esse asseverat idem lib. 1. de Tranquill. cap. 10. *Sic olim*, inquit, *philosophi hæc omnia, quæ sub aspectum cadunt, sive bona, sive mala sint, propter brevitatem vel fortiter ferenda, vel facilè contemnenda decreverunt*. Simonides apud Plutarch. libr. de Consolat. *Mille*, inquit, *& centum annorum millia cum æternitate collata, sunt ut punctum temporis, imò ut puncti brevissima particula*.

Vers. 9. PROPTER HOC PATIENS EST DEUS IN ILLIS, ET EFFUNDIT SUPER EOS MISERICORDIAM SUAM] q. d. Quia tanta est hominis miseria, hinc sustinet eam, sublevatque immensa Dei misericordia: magna enim miseria illex est provocans magnam misericordiam. Brevitas ergo vitæ nostræ sicut nos ad humilitatem, ita Deum ad patientiam excitat, ne, si statim supplicia irroget, & vitam nostram breviorem reddat, & nos quos diligit, à se rejectos in perpetuum amittat. Pro *patiens est*, græcè est, *μακροθύμησε*, id est, *longanimis fuit*. ita Romana; sed Complut. legunt cum Nostro in præsenti *μακροθυμεῖ*, id est, *longanimus est*; sic & Syrus. Similiter pro *effundit*, Noster legit in Græco ἐκχέει. jam legunt in præterito ἐξέχεεν, id est, *effudit*. ita Romana. Complut. legunt in futuro *ἐκχεεῖ*, id est, effundet. Verùm more Hebræo per unum tempus sive præsens illud sit, sive præteritum, sive futurum, significantur cetera duo: effundit ergo tum in præsenti, tum in præterito, tum in futuro, id est, effundit, effudit & effundet. Significatur enim mos, consuetudo & indoles Dei semper miserentis. Unde Tigurina vertit, *propterea Deus patientia utitur in homines, & effundit in eos misericordiam suam*: q. d. Deus patiens est in tolerandis tot hominum criminibus, ne statim fulmine vindictæ in eos detonet: idem est longanimis in exspectando, ut resipiscant, ac misericors, dum eos sua gratia prævenit, incitatque ad pœnitentiam, ac pœnitentes in pristinam amicitiam recipit.

Vers. 10. VIDIT PRÆSUMPTIONEM CORDIS EORUM QUONIAM MALA EST, ET COGNOVIT SUBVERSIONEM ILLORUM QUONIAM NEQUAM EST] q. d. Vidit Deus homines à corrupta natura, & innato superbiæ vitio pronos ad præsumptionem, ut multa sibi assumant & præsumant, audeantque Dei legem & voluntatem transgredi & violare: *cognovit* pariter eorum *subversionem*, græcè *καταστροφὴν*, id est, perditionem, excidium interitum, lugubrem finem vitæ quasi tragœdiæ eorum (alludit enim ad tragœdias, quæ læta habent initia, sed in cædes & funera desinunt. unde tristis hic earum finis vocatur catastrophe.) *quoniam nequam*, id est, valdè misera, dolorosa & lugubris, *est*.

Nequam pro molesto. Nota. *nequam* sæpè usurpatur ab Ecclesiastico, non pro impio & scelerato, sed pro molesto, doloroso, afflictivo. Sic Plinius lib. 14. cap. 20. aceti nequitiam vocat acrimoniam & mordacitatem. *Aceti*, inquit, *nequitiæ inest virtus magnos ad usus*. Idem lib. 12. c. 25. *Nequissimè*, inquit, *gummi, quoniam ipsum quoque inhærescit*. Sic Festus ex Lucilio vocat aurum nequam auribus, quia scilicet lædit aures suo pondere, dum eas incidit ex eisque suspenditur. Sic nequam vitis vocatur à Columella lib. 3. cap. 10. & nequam liber ab Ovidio lib. 2. de Tristibus.

Præsumptionis schema. Porrò præsumptionem graphicè depingit S. Bernard. tr. de Grad. humilit. in 7. *Qui alios*, inquit, *se præcellere putas, quomodo non plus de se quàm de aliis præsumat? primus in conventibus residet, in consiliis primus respondet, non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta; quidquid ipse non fecerit aut ordinaverit, nec rectè factum, nec pulchrè existimat ordinatum: indicat indicantes, præindicat indicaturis*.

Vers. 11. IDEO ADIMPLEVIT PROPITIATIONEM SUAM IN ILLIS, q. d. Ob tantam eorum miseriam, putà pronitatem in malum, priusquam vitam finiant, tristemque catastrophen jam dictam sortiantur, si ad Deum redeant, ejusque gratiam implorent; plenam pœnitentibus exhibet propitiationem, ut eis peccata condonet, & insuper sua gratia & justitia eos donet, quin & idcircò OSTENDIT EIS VIAM ÆQUITATIS] per decalogum & legem in Script. traditam, perque lumen tum naturale rationis, tum supernaturale fidei & gratiæ menti eorum inditum. Ubi recordare, ait Palacius; quòd serpens proposuit homini cibum interdictum, promittens futurum ut essent dii. Irrepsit hæc divinitatis cupiditas in animos omnium: nemo enim ferè se natum ad obediendum legi divinæ meditatur. Hæc est hominum mala superbia. Inde in Adam facta subversio est. Quia ratiò quæ summum locum habere debuit, in imo jacet: contrà cupiditas quæ erat in imum dejecta, summum locum obtinuit. Ergo videns Deus superbiam hominis ex dæmone natam, vidensque subversum hominem, cupiditate in eo tyrannidem exercente, miseretur tantæ miseriæ. O summam Dei misericordiam! Gravissimæ injuriæ, quæ nos solent ad gravissimam iram provocare, hæ illum ad summam miserationem ferè compellunt.

Græca de more concisa duos hos Latinos versus coarctant in unum hunc: *Vidit & cognovit subversionem eorum, quoniam mala est, ideò multiplicavit misericordiam suam*; & Syrus, *quia cognovit quòd finis eorum malus est, propterea multiplicavit veniam eorum*; Tigurina verò planiùs, ut Noster, *vidit & cognovit malam esse eorum arrogantiam animi & eversionem, propterea placabilitatem suam ampliavit, & ostendit ipsis viam æquitatis*.

Præclarè Rabanus: *Quis suffert*, inquit, *fragilitatem nostram, nisi bonitas conditoris nostri, qui indignos fovet, ingratos pascit, contemptores tolerat, aversos revocat, & conversos ad pœnitentiam misericorditer suscipit, & omnium peccatorum largissimam veniam tribuit? Unde quid tantæ pietati condignum possumus rependere, aut quid retribuere Domino pro omnibus quæ retribuit nobis, nisi hoc quod Psalmista ait: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo? Dicamusque gratulando cum eodem Propheta: Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Misericors & miserator Dominus, patiens & multùm misericors. Suavis Dominus universis, & miserationes eius super omnia opera eius. Laudem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomen sanctum eius in æternum, & in sæculum sæculi*.

Vers. 12. MISERATIO HOMINIS CIRCA PROXIMUM SUUM: MISERICORDIA AUTEM DEI SUPER OMNEM CARNEM] Commendavit Dei misericordiam ex sua intrinseca bonitate & immensitate, nunc eamdem commendat comparando & præponendo eam misericordiæ hominis, idque per triplicem antithesin. Prima est, quòd *misericordia hominis* sit erga proximum sibi æqualem; *Dei autem* sit erga *omnem carnem*, quæ infinitè Deo est minor & vilior. Secunda, quòd *hominis misericordia* arctetur ad unum alterumve proximum, id est, aliqua ratione sibi conjunctum; *Dei* verò *misericordia* se dilatet ad *omnem carnem*, id est, ad omne animal, ac præsertim ad omnem hominem: nullum enim animal tantam experitur Dei in se clementiam & beneficentiam, quantam homo. Tertia, quòd homo misereatur *proximi*, id est, conjuncti & amici; Deus verò *omnis carnis*, id est, tam inimicorum quàm amicorum. Simul hac comparatione incitat hominem, ut in omnes dilatet viscera misericordiæ suæ, tum, ut Deum imitetur; tum, ut eius majorem in se misericordiam provocet & conciliet. Syrus vertit, *misericordia hominis erga cognatos suos, & misericordia Domini erga omnes facturas suas*.

Vers. 13. QUI MISERICORDIAM HABET, DOCET, ET ERUDIT QUASI PASTOR GREGEM SUUM] *Qui*, scilicet, non homo, (ut vult Lyran.) sed Deus, misericordiam habet: & suos docet & instruit, sicut pastor suum gregem curat, instruit, & pascit. Patet ex Græco, ex quo sic clarè, sed suo more liberè vertit Tigur. *misericordia hominis tendit in proximum ipsius, at misericordia Domini mortales omnes castigat, erudit, docet & reducit ut pastor gregem suum*; Syrus, *docet, erudit, instruit & convertit eas* (facturas suas) *sicut pastor bonus gregem suum*. Hoc est quod exultans agnoscit sibique gratulatur David psl. 22. 1. *Dominus regit me* (hebr. *pascit me*; S. Hier. *Dominus pastor meus*;) *& (idcircò) nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit*. Et psal. 74. 3. *Ut quid, Deus, repulisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ*, Et psl. 79. 2. *Qui regis Israel intende: qui deducis velut*

ovem

ovem Joseph. Et psal. 94. 7. *Quia ipse est Dominus Deus noster: & nos populus pascuæ eius, & oves manus eius.* Et psal. 118. 176. *Erravi sicut ovis quæ periit: quære servum tuum.*

Ovis errans non redit in viam nisi reducatur. sic & peccator.

Ubi Nota. Cetera animalia si à via aberrent, in eam redire possunt: at ovis ita simplex & stolida est, ut, si semel aberret, in viam non redeat, nisi in eam à pastore reducatur, ut docet Aristot. lib. 9. Histor. anim. c. 3. & S. Basil. in c. 13. Isaiæ. sic peccator aberrans à lege Dei, in eam redire nequit, nisi à pastore Deo reducatur per gratiam prævenientem & illuminantem, quæ ei viam ostendat & præmonstret. Quocirca Romæ in antiquissimis templorum imaginibus, Christus pingitur quasi pastor ovem perditam humero gestans, & ad gregem reducens. Idipsum in se agnoscens S. August. l. 10. Confess. c. 27. ingemiscens exclamat: *Serò te amavi pulchritudo tam antiqua & tam nova, serò te amavi,* &c. *Vocasti, & clamasti, & rupisti surditatem meam: coruscasti, splenduisti, & fugasti cæcitatem meam: flagrasti* (alii legunt *fragrasti*,) *& duxi spiritum, & anhelo tibi, Gustavi, & esurio, & sitio. Tetigisti me, & exarsi in pacem tuam.*

VERS. 14. MISERETUR EXCIPIENTIS DOCTRINAM (ita Rom. & Græca: perperam ergo Complut. legunt *miseratur*, vel, ut alii, *misereatur, excipiens doctrinam:* quod Lyran. exponit, q. d. Homo qui miseretur & docet, ut præcessit, misereatur in effectu; *excipiens doctrinam miserationis*, id est, confirmans doctrinam suam per exercitium operis: nam in moralibus magis movent facta quàm verba) MISERATIONIS, ET QUI FESTINAT IN JUDICIIS EJUS] q. d. Deus qui misericordiam habet, ut præcessit, miseretur eius qui excipit doctrinam suam, *miserationis*, id est, è miseratione profectam; vel *miserationis*, id est, quæ de miseratione, ut, scilicet proximorum misereamur, præcepta sancit, nimirum eius *qui festinat* ut ambulet *in iudiciis*, id est, præceptis & mandatis, *eius*. Hunc sensum clarè indicant Græca, quæ ita Tigur. vertit, *disciplinam admittentium miseretur, itemque iura sua studiose consectantium*; & Syrus, *beati qui annunciant misericordiam eius, & qui suscipiunt iudicia eius*. Hinc disce hoc dogma: ut elicias in te misericordiam Dei, obedias legi & voluntati Dei, & à peccato convertere ad Deum, ac præsertim miserere proximorum. nam *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, Matt. 5. Hæc enim si non æqua & condigna, certè congrua, est talionis divinæ lex. Unde misericordes in die judicii audient à Christo: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, Matth. 25. 4.

Nota. τὸ *doctrinam miserationis* tripliciter exponi potest: Primò, q. d. Doctrinam ex misericordia Dei manantem; Secundò, q. d. Doctrinam de miserendo aliis; Tertiò, q. d. Doctrinam qua Deus docet se velle misereri impiorum, ut ad se convertantur. Erat Augustinus perversus, erat & Saulus, inquit Palacius, Deus sua miseratione erudivit corda eorum doctrina conversionis, quæ est *doctrina miserationis*: Illi eam doctrinam exceperunt: ideo misertus est Dominus eorum, dans scilicet, eis gratiam & postea felicitatem.

Nota Secundò τὸ *festinat in iudiciis eius*, quia Deus gratiam suam non effundit in torpidos & lentos, sed in alacres & festinos, qui scilicet fervent in studio virtutum & cursu ad perfectionem. Unde sponsa audit sponsum se invitantem: *Surge, propera amica mea*, Cant. 2. 10. Festina igitur tuos defectus corrigere, festina te humiliare, & pati quælibet adversa, festina exercere opera charitatis; sic copiosam Dei gratiam elicies. *Deus enim præsentior est diligentibus, negligentibus abest*, ait S. Ambros. lib. 9. in Luc. cap. 10. Idem lib. 4. in cap. 4. Lucæ, loquens de Naaman à lepra curato ab Eliseo: *Nemo*, inquit, *sanatus ostenditur, & maculosi morbo corporis absolutus, nisi qui religioso officio studuit sanitati. Non enim dormientibus divina beneficia, sed observantibus deferuntur.*

VERS. 15. FILI IN BONIS NON DES QUERELAM, ET IN OMNI DATO (hoc enim est Græcum δόσει, pro quo tamen Complut. legunt δεήσει, id est, *inopia*, vel *precatione & postulatione*) NON DES TRISTITIAM VERBI MALI] Appositè misericordiæ Dei subjungit misericordiam hominum: Dei enim misericordiam imitari debet homo. Simul explicat hic *doctrinam miserationis*, de qua v. præced. scilicet, ut misereamur non tantùm facto, sed & verbo. Jam Primò, Syrus sic vertit, huncque dat sensum, *fili mi, eum qui benefacit proximo suo, ne prohibeas, & eum qui dat, ne lædat oculus tuus*. Secundò, alii, q. d. Actionibus bonis, putà virtutum, nullam addas circumstantiam vitiosam: hæc enim vitiat totam actionem. Bonum enim est ex integra causa, malum ex singulis defectibus, uti docet Philosophus. Tertiò, & genuinè, q. d. *In bonis*, id est, beneficiis præstandis non sis morosus, acerbus, onerosus, vitiosus, fraudulentus, aut talis ut jure quis de te queri, teque reprehendere possit. Pro *querelam* enim græcè est μῶμον, id est, reprehensionem, vituperium, maculam: hanc enim significat Hebræum מום mum; unde Græcum μῶμος: q. d. Ne des maculam in gloriam tuam, ne maculam iniicias in eleemosynam tuam. *Et in omni dato* (dono quod das) *non des tristitiam verbi mali*, quo, scilicet, eum cui das, contristes: vel quia ostendis te invitè & ægrè dare, vel quia eum cui das taxas, improperas, convitiis & probris incessis: q. d. Eleemosynam da, & confer beneficium, non ex tristitia, sed ostendendo hilaritatem vultu & verbis benevolis: nam *hilarem datorem diligit Deus*, 2. Corinth. 9. 7. Unde ex Græco sic clarè vertit Vatabl. *in rebus bonis, fili, ne adhibeas reprehensionem, nec ullo in bono verbi mali molestiam*; alii clariùs, *fili beneficiis ne addas reprehensionem, nec ulli dono molestiam verborum*. Hæc enim omnem beneficii gratiam tollit, inquit Jansenius: nam in beneficiis conferendis maximè spectatur animus benevolus, cujus index est sermo similis. Citat hunc locum Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 118. *Ecce*, inquit, *sermo melior est dono; utraque autem sunt penes virum qui pollet gratia.* Unde infert: *Non enim ab ipsa dationis magnitudine vel parvitate, sed ex animi proposito eleemosyna æstimatur; quandoquidem etiam sermo approbatione dignus censetur.* Sic & Salvianus lib. 1. ad Eccles. Cathol. *Oblata*, ait, *non pretio, sed affectu placent; nec enim animus dantis datis, sed animo commendantur data: nec pecunia fidem insinuat, sed pecuniam fides.*

Beneficentia sit hilaris.

Præclarè Seneca lib. 2. de Beneficiis cap. 3. cùm docuisset beneficium dandum esse lubenter, citò, indubitanter, addit: *Itaque lætus facit* (beneficus,) *& induit sibi animi sui vultum. Ingentia quorundam beneficia silentium, aut loquendi tarditas, imitata gravitatem & tristitiam, corrupit, cùm promitterent vultu negantium. Quanto melius, adiicere bona verba rebus boni, & prædicatione humana benignaque commendare quæ præstitus ille se castiget quòd tardior in rogando fuit. Adiicias licèt familiarem querelam: Irascor tibi, quòd, cùm aliquod desiderasses, non olim scire me voluisti, quòd tam diligenter rogasti, quòd quemquam adhibuisti. Ego verò gratulor mihi, quòd experiri animum meum libuit; postea quidquid desiderabis, tuo iure exiges: Semel rusticitati tuæ ignoscitur. Sic efficies, ut animum tuum pluris æstimet quàm illud quidquid est ad quod petendum venerat. Tunc est summa virtus tribuentis, tunc benignitas, ubi ille qui discessit, dicet sibi, Magnum hodie lucrum feci. Malo quòd illum talem inveni, quàm si multiplicatum hoc ad me alia via pervenisset. Huic enim animo numquam parem referam gratiam.*

Porrò beneficentia exigit vultus animique hilaritatem, verborumque benevolentiam, juxta illud: *Qui miseretur in hilaritate*, Rom. 12. 8. Rationem à priori dat S. Thomas 1. 2. qu. 32. art. 2. *Benefacere alteri*, inquit, *est delectabile per comparationem ad triplex principium. Quorum unum est facultas benefaciendi, & secundùm hoc benefacere alteri fit delectabile, in quantum per hoc fit homini quædam imaginatio abundantis boni in seipso existentis, ex quo possit aliis communicare: & ideò homines delectantur in filiis, & operibus propriis, sicut quibus communicant proprium bonum. Aliud principium est habitus inclinans, secundùm quem benefacere fit alicui connaturale: unde liberales delectabiliter dant aliis. Tertium principium est motivum, putà cùm aliquis movetur ab aliquo quē diligit, ad benefaciendū alicui: omnia enim quæ facimus, vel patimur propter amicū delectabilia sunt, quia amor præcipua causa delectationis est.*

Ratio à priori.

VERS. 16. NONNE ARDOREM REFRIGERABIT ROS; SIC ET VERBUM MELIUS QUAM DATUM] Græca, *nonne ros æstum sedat* vel *mitigat? sic & sermo potior est quàm donum.* Comparat sermonem benevolum rori: sicut enim ros leniter stillans calorem hominum, animalium & frugum temperat, sed ita ut nullam molestiam, sed magnam suavitatem afferat, sic & sermo jucundus miseriam, quæ afflictum quasi æstus cruciat & urit, sua suaviloquentia refrigerat & recreat, ita ut nullam molestiam, sed magnam consolationem & lætitiam afferat. Ex adverso sermo asper est instar grandinis & procellæ, quæ etsi æstum refrigeret, tamen suo impetu homines & fruges percutit, percellit & sternit. *Verbum* ergo bonum *melius quàm datum*, quia utilius & aptius ad tollendam miseriam & afflictionem inopis, quàm ipsum donum. *Nam ingratum faciunt bonum donum verba iniuriosa*, ait Rabanus.

Huic simile est, ut in eadem roris analogia persistam, quod tradit Plinius lib. 9. cap. 35. margaritas esse coagulum roris cælestis, ac proinde pro varietate cæli sereni vel turbidi candidas vel sordidas formari. *Has*, inquit, *ubi genitalis anni stimulaverit hora, pandentes sese quadam oscitatione, impleri roscido conceptu tradunt, gravidas postea eniti, partumque concharum esse margaritas pro qualitate roris accepti; si purus influxerit, candorem conspici; si verò turbidus, & fœtum sordescere: eumdem pallere, cælo minante conceptum; ex eo quippe constare, cælique eis maiorem societatem esse quàm maris; inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina serenum.* Beneficia enim & gratiæ sunt quasi margaritæ, rore beneficentiæ concretæ, quibus si vultus & verborum hilaritas addatur, hilarescunt; sin verò amaritudo & acerbitas, sordescunt & mœrorem afferunt. Quocirca sapienter S. Aug. in psalm. 103. conc. 1. *Supplicem*, inquit, *nullum spernas, & eum, cui dare non potes quod petierit, non spernas; si potes dare, da; si non potes, affabilem te præsta. Coronat intus Deus voluntatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat, Non habeo: charitas non de sacculo erogatur.*

Beneficia sunt quasi margaritæ. Cur?

Mysticè noster Jac. Alvarez de Paz de Exterm. mali l. 1. par. 2. c. 6. Datum, inquit, aliquod donum cæleste significat, B aut aliquem actum virtutis, utputa abstinentiæ aut humilitatis, quo Dominus animam justi multiplicat, & verbum internum sermonem designat, quo anima suas infirmitates in oratione pandit, aut certè quem ipsa in recessibus cordis è cælo demissum audit. Hoc verbum rori comparatur, quia sicut ros æstivum calorem temperat, & corpora calore fatigata recreat: ita oratio & mutua cum Domino collocutio, omnem æstum carnis refrigerat. *Incumbamus gemitibus assiduis*, inquit S. Cyprianus libr. 1. epist. 1. *& deprecationibus crebris. Hæc sunt enim nobis arma cælestia, quæ stare & perseverare fortiter faciunt. Hæc sunt munimenta spiritualia, & tela divina quæ protegunt.*

VERS. 17. NONNE ECCE VERBUM SUPER (id est, melius quàm) DATUM BONUM? SED UTRAQUE CUM HOMINE JUSTIFICATO] Græcè, κεχαριτωμένῳ, id est, gratioso vel gratia pleno, gratia, inquam apud Deum æquè ac homines, ideoque *iustificato*, quia gratia gratum faciens justificat, secumque adducit iustificationem. Complut. legunt κεχαριτωμένα, id est, gratiosa, q. d. Utraque apud hominem gratiosa, utraque homini gratiam conciliant; Tigurina, *nonne ecce munere præstantior est oratio? ceterùm in homine gratioso usus utriusque est*; alii, *nonne ecce sermo dono melior est? & ambo sunt apud hominem gratiosum*; Syrus, *est enim verbum bonum quod dono melius est, & utrumque super hominem* C *fortunatum*; q. d. Experientia docet, & quisque in aliis idipsum videt, imò in seipso sentit, nimirum magis leniri mentis afflictionem ex verbo blando, quàm ex dono: nam ingratum est donum quod datur verbis asperis: ex adverso verba blanda grata sunt, etiamsi desit donum. Verba ergo blanda condiunt donum, sicut sal omnem cibum condit & sapidum facit; adeò ut, si sal desit, cibus omnis licèt optimus, fit insulsus & insipidus, & sicut saccharum, quod omnem rei amaritiem dulcorat.

Porrò ne quis dives pauperi det solùm bona verba, nec eius inopiæ necessaria largiatur, dicatque illud: *Ite in pace, calefacimini & saturamini*, Jacob 2. subdit Sapiens: *Et utraque cum homine iustificato*; q. d. Gratiosus & iustus utrumque præstabit, scilicet tam datum, quàm verbum bonum: ita largietur verbum bonum, ut non omittat datum. Hoc est quod ait S. Joannes epist. 1. cap. 3. *Filioli mei non diligamus verbo nec lingua, sed opere & veritate.* Et S. Gregor. 21. Moral. cap. 14. *Dilectio nostra semper exhibenda est, & veneratione sermonis & ministerio largitatis.* Et S. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio ante finem: *Donum ipsum*, inquit, *donantis vultus gestusque conduplicat.* Idque probat ex hisce Siracidis verbis, quæ sic legit: *Nonne ros ardorem tollet? Sic verbum melius quàm datum. Ecce enim verbum supra dona ipsa excellens bonum, utrumque autem vir gratus præstat.* Idem in c. 18. Genes. homil. 41. *Idcirco*, ait, *& sapiens quidam dicebat: Melior sermo quàm munus. Sæpe enim sermonis obsequium magis recreat accipientem, quàm donum ipsum. Proinde scientes hæc, ne simus difficiles erga eos, qui ad nos accedunt. Quòd si poterimus eorum inopiam sublevare, hoc faciamus cum gaudio lætitiaque magna, non ut præbentes aliquid, sed ut ab eis accipientes. Quòd si non possumus, ne simus asperi in eos, sed vel verbis eorum curam agamus, & in mansuetudine respondeamus eis. Quare enim durè compelles eum? Num cogis? num vim facis?* A *orat, supplicat, obsecrat. Qui autem hæc facit, contumelia dignus non est. Quid dicis? orat & supplicat, innumera bona apprecatur: & hæc omnia facit pro uno obolo; & neque illum erogamus. Et quam assequemur veniam? quam habebimus defensionem.*

Dans eleemosyn accipit magis quàm dat.

STULTUS ACRITER IMPROPERABIT, ET DATUS INDISCIPLINATI TABESCERE FACIT OCULOS] Græca, *stultus odiosè exprobrat, invidique donum tabefacit oculos*; Syrus, *stultus improperat antequam faciat gratiam, donum impii connivere facit oculos.* q. d. Verè insipiens est & stultus qui χάριν, id est gratiam, facit ἀχαρίστως, ut habent Græca, id est, ingratè, infacetè & insipidè, quia Charites deformat, Gratiæque adimit gratiam, qui, scilicet, cùm quippiam donat pauperi vel afflicto, illi exprobrat inopiam, mendicitatem, inertiam, importunitatem, &c. hic enim *datus*, id est donum, *indisciplinati*, id est, hominis stulti aut rustici, græcè βασκάνου, id est, invidi (sic enim cap. 14. v. 6. avarum vocavit *invidum*, quia sibi & aliis usum opum invidet) *tabescere facit oculos pauperis*, dum eum contristat, affligit, pungit, cruciat suis improperiis, sua impudentia, duritie, asperitate. Nam ut sapienter ait S. Gregor. 21. Moral. c. 14. & ex eo Rabanus: *Sunt nonnulli, qui mox ut ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, pòst dona largituri in eos priùs contumeliosa verba iaculantur: qui ut rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt. ita ut plerumque videatur, quòd illatæ iam iniuriæ satisfactionem solvunt, cùm post contumelias dona largiuntur. Nec magni est operis quòd postulata tribuunt, quia ipso dationis suæ munere vix eumdem excessum sermonis tegunt, quibus bene hoc loco dicitur: In omni dato non des tristitiam verbi mali. Et paulò pòst: Ecce verbum super datum bonum, & utraque cum homine iustificato: videlicet, ut datum exhiberi debeat per pietatem, & bonum verbum tribui per humilitatem.* VERS. 18.

Quare qui eleemosynis suis miscent jurgia aut verba aspera, dant panem arena aut lapillis mistum, qui dentes lædit & palatum corrumpit. Aut potiùs una manu dant panem, altera alapam infligunt. Audi Senecam lib. 2. de Beneficiis cap. 7. *Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro asperè datum, Panem lapidosum vocabat, quem esurienti accipere necessarium sit, esse acerbum. Tiberius Cæsar rogatus à nepote M. Allio prætorio, ut æri alieno eius succurreret, edere illum sibi nomina creditorum iussit. Hoc non est donare, sed creditores convocare. Cùm edita essent, scripsit, Nepoti iussisse se pecuniam solvi; adiecta contumeliosa admonitione, effecit, ut nec æs alienum haberet, nec beneficium. Liberavit illum à creditoribus, sibi non obligavit.* Idem lib. 2. cap. 15. *Sæpè*, inquit, *nihil interest inter amicorum munera & hostium vota.* Quocirca Epaminondas sprevit munera Artaxerxis & Jasonis, Alcamenes Messeniorum, Phocion Mitilli & Alexandri, ait Plutarch. in Lacon. ac Socrates Alcibiadis, & Ephialtes amicorum, teste Æliano lib. 9. Rursum Seneca lib. 2. de Beneficiis cap. 4. *At plerique*, inquit, *sunt qui beneficia asperitate verborum & supercilio in odium adducunt, eo sermone usi, ea superbia, ut impetrasse pœniteat.* Et lib. 1. cap. 1. pleraque enumerat vitia, quæ nostra beneficia corrumpunt, atque inter alia sic disserit: *Quis non, cùm aliquid à se peti suspicatus est, frontem adduxit, vultum avertit, occupationes simulavit, longis sermonibus, & de industria non invenientibus exitum, occasionem petendi abstulit, & variis artibus properantes necessitates elusit? In angusto verò comprehensus, aut distulit, id est, timidè negavit; aut promisit, sed difficulter, sed subductis superciliis, sed malignè & vix exeuntibus verbis. Nemo autem libenter debet, quod non accepit, sed expressit. Gratus esse adversus eum quisquam potest, qui beneficium aut superbè iniecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, ut molestia careret, dedit?* Ac non longo verborum interstitio: *Utique non contumeliosè: nam cùm ita natura comparatum sit, ut altius iniuriæ quàm merita descendant, & illa citò defluant, has tenax memoria custodiat; quid exspectat qui offendit dum obligat? Satis adversus illum gratus est, si quis beneficio eius ignoscit.* Lege S. Chrysost. hom. 11. in epist. ad Hebræos, ubi multis suadet eleemosynam ita pauperibus erogandam, ut omnis absit contumelia & iniuria. Denique Cato in Distichis ita præcipit:

Qui dant inviti, dãt panem lapillis mistum.

Gratior officiis quæ fis, mage charior esto;
Ne nomen subeas, quod dicitur, officiperda.

ANTE JUDICIUM PARA JUSTITIAM TIBI, ET ANTEQUAM LOQUARIS, DISCE] A misericordia descendit Sapiens ad prudentiam sive providentiam, datque præcepta de iis, quæ ante opus prudenter præmittenda

sunt

sunt (unde posset hæc vocari lectio de Anterioribus) ut opus felicem sortiatur exitum, quæ omnia eò tendunt, ut doceat nos ante Dei judicium præmittere bona opera, ut illud felix faustumque experiamur. Unde sæpiùs ingeminat *Tò ante judicium* : q. d. Hæc πρόδικα hæc præjudicia anteceant judicium : hæc Antepraedicamenta judicii sunto. Ad litteram verba hæc cùm sint generalia, de quolibet judicio accipi possunt ; q. d. Compariturus in tribunali hominum, sed maximè Dei, priùs fac ut causa tua sit justa. Sic enim à justo judice non metues condemnationem, sed securus faustam sententiam expectabis. Similiter antequam alios doceas, prior ipse disce, ne asseras, neve loquaris quod nescis, quodque fortè falsum est; unde justè ut temerarius doctor vel assertor damneris: quamquam Græca hoc ad sequens referant, cum eoque combinent : hoc modo : *Antequam loquaris, disce, & ante languorem* vel *morbum sanare*. Porrò Palacius sic explicat: q d. Antequam loquaris, id est, respondeas Christo examinanti te in die judicii, nunc disce benefaciendo, quod tunc cum lætitia respondeas. Omnia enim hæc spectant præparationem ad judicium. Verùm aptiùs sic explices : Sicut locuturus priùs discit quid loquatur : sic tu locuturus & responsurus Christo judici te examinanti, priùs hic disce practicè bene vivendo quod tunc respondeas.

Ita judicii divini jugiter memor, ad illud assiduè se comparabat S. Julianus Anachoreta, de quo ita scribit S Ephrem, illi familiaris in ejus Vita : *Et quemadmodum qui carcerali detinentur custodia, dum coram tribunali judicii producendi sunt, præ timore & angore plorant : sic & beatus Julianus assidue tremendi tribunalis Christi recordabatur : quare & continenter flebat, judicium futurum cogitans. Ubi autem compunctio & lacryma & humilitas, ibi nequaquam instabilitas & quæcumque res perversa ac improba regnat : sed optimus ordo viget, ac disciplina, & omnes res bonæ. Ubi verò ista non adsunt, multum à scopo, qui quæritur, aberratur.*

Vers. 20. ANTE LANGUOREM ADHIBE MEDICINAM ET ANTE JUDICIUM INTERROGA TE IPSUM, ET IN CONSPECTU DEI INVENIES PROPITIATIONEM] Primò, q. d. Cùm ex inappetentia, dolore, lassitudine, aliisque indispositionibus quasi symptomatibus & signis præsentis, vel sentis, initia morbi, ilicò occurre & remedium adhibe, quo morbum avertas. Remedium est triplex : Primum est, abstinentia, jejunium, diæta; Secundum, exercitium corporis; Tertium, pilulæ, aliaque catapotia. Hæc enim tria humores superfluos & noxios, qui morbum causant, vel exhauriunt, vel consumunt : unde sunt multi qui semel vel bis quotannis, putà in vere & autumno, catapotiis corpus purgantes, vivunt vitam sanam & longævam. Alii idem faciunt per abstinentiam & exercitium. Unde Joannes Salisberiensis lib. 8. de Nugis curialium & vestigiis Philosophorum c. 6. *Ferunt*, ait, *Galenum semper decimæ diei abstinentiam, loco efficacissimæ & saluberrimæ medicinalis curæ indixisse : nec facile posse, nisi corruptioris naturæ fuerit morbis gravioribus subiacere, qui decima quaque die ab omni cibo abstinet, aut simplicissima diæta transigit vitam.* Et Cælius Rhodiginus lib. 30. Antiqu. lect. c. 12. *Memoriæ*, ait, *proditum est, Galenum centum & quadraginta annos vixisse, tantaq; in cibo & potu abstinentia usum, ut ad satietatem numquam comederit aut biberit, nec crudum quidquam umquam gustarit : unde sit factum, ut odorificum semper anhelitum spiraret, & citra ullam omnino affectionem sola deficeret senectute, hinc etiam adagio exorto, ut Galeni valetudinem dicamus, pro ea quæ ultra humanum captum nimis sit prospera, nimisq; inoffensa.* Suidas tamen Galeno tantùm dat annos 70. alius 87. floruit sub Antonino Pio Imp. Sunt & hodie Religiosi, virique sapientes & pii, qui sextam cujuslibet hebdomadæ feriam in jejunio sine cibo transigant, vel eo utantur parco & parvo, quod tam religioni (id enim faciunt in honorem passionis Christi) quàm incolumitati certissimè servit, uti experimur quotidie. Porrò tunc maximè jejunandum, cum corpus plethora, id est plenitudine, distenditur : nam hæc in paralysim & pessima morborum genera erumpit. Quocirca qui in conviviis bene pransi infartique sunt, si sanitati consultum velint, à cœna abstineant, vel modicum quid cœnent.

Abstinentia avertit morbos.

Exemplũ Galeni.

Certè novi permultos, qui omnes morbos curant & prævertunt jejunio, eoque sanitatem & vires licet modicas & debiles tuentur. Quin & Aristot. lib. 5. Ethic. *Abstinentia*

A *sibi*, inquit, *confert febricitanti sanitatem.* Tritum est illud Scholæ Salernitanæ :

Cum tibi defuerint medici, medici tibi fiant
Hæc tria, mens hilaris, requies facilis, moderata diæta ;

Vide dicta Daniel. 1. v. 8. & 15.

Simili modo *ante iudicium interroga te ipsum*. q d. Antequam judices alios, judica te ipsum, ut aliis compati discas, utq; priùs in te damnes & corrigas, quod damnare & corrigere vis in aliis.

Porrò appositè hoc subnectit *τῷ ante languorem adhibe medicinam*, quia correctio proprii languoris & vitii est optima dispositio & medicina ad curandum languorem & vitia aliorum. Unde SS. Anachoretæ in Vitis Patr. docent dicuntque ; Qui plenè vicit suam gulam, iram, superbiam, &c. potest dæmonem gulæ, iræ, superbiæ ex aliis depellere. Rursum Palacius ea sic connectit : q. d. Sicut ante languorem, quem credis instare, adhibes medicinam : sic ante judicium te ipsum examina, circumspice, interroga, ut in conspectu judicis invenias propitiationem.

B Secundò, subtimus sub languore corporali accipe spiritalem, putà passiones, concupiscentias & vitia : q. d. Cùm præsentis, vel sentis, initia alicujus tentationis, passionis & vitii ebullientis, ilicò illa amove & reseca : nam si ea crescere finas, difficilè superabis, juxta illud:

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.

Huic sensui magis cohæret id quod sequitur, *Et ante iudicium interroga te ipsum.* q.d. Antequam voceris ad Dei tribunal ut judiceris, explora & examina tuam conscientiam, ac si quid ibi vitii deprehenderis, expurga per pœnitentiam, perque serium propositum & studium melioris vitæ, & bonorum operum. Hæc enim est medicina efficax, ut in judicio languorem & mortem æternam evadas. De judicio enim Dei hic agi, patet ex eo quod sequitur, *Et in conspectu Dei*; græcè, *in die visitationis*, vel inquisitionis, id est, judicii, *invenies propitiationem.* ita Raban. & Palacius. Hinc Complut. sic legunt, *ante languorem θεράπευε*, id est, *curare*, fac cureris, & saneris; *ante iudicium para te καλλιεργεῖν*, id est, *ad benefaciendum* (aliqui legunt καλλιερεῖν, id est ad litandum, ad sacra faciendum, ad numen victimis propitiandum) *& in hora visitationis invenies propitiationem.*

Ubi nota. Complut. legere ἑτοίμαζε, idest, *para*, pro quo
C Noster & alii legunt ἐξέταζε, id est, explora, inquire, *interroga*; Tigurina, *ante ægritudinem admitte curationem, ante judicium explora te ipsum, ut tempore inquisitionis consequaris veniam ;* Syrus aliò abit, sic enim vertit, *antequam pugnes, quære tibi adiutorem ; & antequam infirmeris, quære tibi medicinam.*

Notanda est aurea gnome S. Dorothei doctrina 3. in fine: *Admonuere*, inquit, *crebrò maiores nostri, non debere pati monachum remorderi se aliquando à conscientia sua, ne una quidem re minima.* Et S. Chrysost. homil. 43. in Matth. *Sedeat*, inquit, *mens atque cogitatio tua judex in animam atque conscientiam tuam: adducas omnia delicta tua in medium, scrutare quæ animo commisisti, & pone dignas singulorum pœnas ; dicas secum assidue : Quare hoc aut illud ausus es? quare illud & illud perpetrasti? Quod si ab illis quidem sua conscientia refugit, aliena verò curiosè rimatur, dic ad ipsam : Non ego iudex in alios, nec tu alios defensura iudicium subiisti. Sic assiduè ipsam ad hunc errorem revoca ; deinde si causam dicere non possis, sed balbutiat atque stupescat, quasi superbam ancillam, & fornicatione corruptam cæde verberibus, ac flagellis dilania.* Et paulò post : *Non enim morietur percussa, sed mortem effugiet.*
D Plura de hoc conscientiæ suique scrutinio vespertino & matutino, dixi Deuteron. 6. 8. Thren. 3. 40. ad illud, *Scrutemur vias nostras;* Roman. 2. 15. & alibi.

Tribunal sibi statuat cõnscientia

ANTE LANGUOREM HUMILIA TE, ET IN TEMPORE INFIRMITATIS OSTENDE CONVERSATIONEM TUAM] Primò, q. d. Dum sanus es, dum vales & viges, noli superbire tua sanitate, robore & viribus, ne Deus superbiam tuam puniat, tibique auferat sanitatem & vires, in quibus superbis, ut humiliare te discas. Sponte ergo dum sanus es, te humilia, humiliterque Deo sanitatem acceptam feras, non tibi, vel tuæ ætati & industriæ, eumque precare ut eam tibi conservet. Unde Syrus vertit, *antequam apprehendat te angustia, ora, & in tempore angustiæ invenies eam, & respondebit tibi.* Vers. 21.

Secundò, Palacius explicat: q.d. Si vis tempore infirmitatis

tatis leniter & humiliter ferre languorẽ, ante eum lenis esto & humilis: nam qualem te exhibueris sanus, invenies infirmus. Igitur ante tempus judicii, in quo omnia trement, *humilia te*, præpara te: quietè & mansuetè judicem expectabis, si quietè & mansuetè vixeris. Rursum *humilia te*, scilicet *ἐγκρατείᾳ*, idest, per continentiam & abstinentiam, ut addunt Complut. hoc est, jejuna: q.d. Antequam ægrotes, jejuna, jejunio digere & consume humores superfluos, qui tibi febres, aliosque morbos creabunt: mater ergo sanitatis æquè ac sanctitatis, est sobrietas. Nota. Hebræum ענה *ana*, significat affligere & humiliare: afflictio autem Judæis præcepta & ordinaria erat jejunium. Itaque *humiliare se* idem est quod jejunare, præsertim quia humiliata, id est, afflicta carne per jejunium humiliatur & spiritus. Hinc illud frequens in Script. *Humiliate in ieiunio animas vestras*. Quocirca Tigurina vertit, *ante infirmitatem temperantia teipsum macera*.

ET IN TEMPORE INFIRMITATIS OSTENDE CONVERSATIONEM TUAM] Præscripsit quid ante infirmitatem sit faciendum, nunc præscribit quid in ipsa sit agendum, dicendo: *Ostende conversationem*, id est, patientiam, humilitatem, resignationem, pœnitentiam. Alii explicant: q.d. *Ostende conversationem tuam* præteritam Deo, & sacerdoti in lege nova per sinceram peccatorum confessionem.

Secundò & potiùs, *ostende conversationem*, id est, conversionem (& fortè ita vertit Noster) *tuam*. Sic Seneca ait epist. 75. *Sciatque illa ipsa, quibus lædi videtur, ad conversationem* (id est, conversionem) *universi pertinere, & ex iis quæ cursum mundi consummant*. Græcè enim est *ἐπιστροφήν*, id est, conversionem, regressionem; item considerationem, curam, animaduersionem, castigationem. Sensus ergo est, q.d. Dum ægrotas, convertere per orationem & pœnitentiam ad Deum; tum, ut ipse tibi sanitatem restituat; tum, ut animæ tuæ consulas, teque præpares ad instantem mortem, Deique judicium. Convertere, inquam, regrediendo per neglectam priùs viam, ideoque priorem tuam vitam recognosce, introspice, animaduerte, castiga, curaque summoperè, ut animæ tuæ ituræ ad mortem & ad tribunal Dei plenè consulas, ut æternitati beatæ, non miseræ, adjudicetur. In judicio enim de alterutra in te feretur sententia Dei. Ita Ezechias morbo afflictus conversus ad Deum, oransque cum lacrymis veniam & vitam impetravit, Isaiæ 38. Ita S. Teresia confessa est, ægritudines sibi fuisse initium sanctitatis & salutis. Idem omni sæculo factum legimus, & etiamnum fieri videmus.

Profectus sanitatis causa sanctitatis.

Rursum hic vers. æque ac præcedens, de morbo non tantùm corporali, sed & spiritali accipi potest. q.d. Antequam in aliquem animæ languorem, id est, vitium & peccatum, incidas, jejuna, carnem afflige, ac humilia te, ut humilitate, jejunio, humilique oratione & invocatione opis divinæ languorem & lapsum evadas: si verò jam in eum es prolapsus, ilicò per conversionem & pœnitentiam exurge. Unde pro *infirmitatis*, Noster Græcè legit *ἀρρωστημάτων*, id est, infirmitatum: jam legunt *ἁμαρτημάτων*, id est, peccatorum. Sic enim legunt *in tempore peccatorum ostende conversionem*: Tigurina, *tempore peccatorum ostende emendationem*; rus. *antequam impingas, ora & precare: antequam pecces, da eleemosynam*. Ita Rabanus, hæc omnia referens ad pœnitentiam, qua quis se præparet ad diem judicii, ideoq; omni nisu in servitio Dei usq; ad finẽ vitæ laborare contendat. *Ille discit*, ait, *atq; justitiam sibi præparat, qui quotidie rimatur quid de conversatione sua & actibus Deo placeat, quidue displiceat; & ita se per compunctionis lacrymas & castigationem corporis, studet à delictis mundare, ut non necesse sit pro pollutione peccatorum æternis cruciatibus in die vindictæ denuò illum subire. Illam enim horam languorem appellat, & tempus infirmitatis, quando justa retributio unicuique pro actibus propriis rependitur: nec iam licet cuiquam operari, sed fas est operum suorum mercedem unumquemque recipere.* Hic enim dies qualis sit, Sophonias Propheta c. 1. ostendit, dicens: *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis: dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris, super civitates munitas, & super angulos excelsos. Et tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt: & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora. Sed & argentum eorum & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: in igne zeli eius devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.* Et S. Cyprianus tract. de Passione: *Veniet*, inquit, *anima tua in manus iudicis quem condemnas, fractisq; tribunalibus tuis iudicaberis, & demergeris in profundum inferni: eruntq; tibi & Iudæ scelerato in tenebris & gehenalibus flammis, pœnæ irremediabiles, inconsumptibiles ignes, dolores perpetui, & tormenta æterna. Et quidem Filius hominis, sicut scriptum est de illo, vadit: qui damnatus est, ut liberaret damnatos: doluit, ut sanaret infirmos: timuit, ut faceret securos: opprobria pertulit, ut improperia detrahentium non moverent electos: deputatus inter impios, quorum alter assumptus, alter reprobatus est, ut daretur exemplum & forma indissolubilis, manans in posteros; quia nec in ultimis Dei clementia pœnitentes excludit; nec ulla hora sera est cui compunctio districta occurrit: nec eos, qui vitæ suæ quocumque articulo temporis veri sunt iudices, iterum iudicari. Quia cùm iudicis & tortoris vices non parcens peccator assumit, semetipsum persequens, dum confessionem confusione honorat, holocausti huius incensio in conspectu Dei veniam impetrat. Neque enim bis in idipsum iudicat Deus; sed impœnitentes ipse iudicat & damnat; pœnitentes verò, quia à seipsis suscipit iudicatos, absolvit: neque iudicio, quod pœnitentiæ humanæ severitas prævalis, aliquid iustitia cælestis apponit.*

Iudica te ne iudiceris à Deo.

NON IMPEDIARIS ORARE SEMPER, ET NE VEREARIS USQUE AD MORTEM JUSTIFICARI; QUONIAM MERCES DEI MANET IN ÆTERNUM] VERS. 22. q.d. Multa solent orationis impedimenta occurrere; hæc omnia amove quoad potes, ut vaces crebrò & assiduè orationi, nimirum occupationes ad te non pertinentes, vel minùs utiles, visitationes amicorum, convivia, ludos, studia nimia vel inutilia, somnum, otium, lites forenses, negotia sæcularia, &c. Hæc enim omnia quasi minùs utilia postponenda sunt orationi, utpote rei divinæ & utilissimæ, per quam Dei gratiam, omniaque bona à Deo impetramus. Quocirca Christus, *Oportet*, inquit, *semper orare & numquam deficere*. Lucæ 18. & Paulus: *Sine intermissione orate*, 1. Thessal. 5. Vide ibi dicta. Tota ergo Sanctorum vita est quasi jugis oratio, ut fuit vita S. Antonii, Simeonis Stylitæ, S. Magdalenæ, & Dauidis dicentis: *Septies in die laudem dixi tibi*, psal. 118. 164. Unde S. Gregor. in psal. 6. pœnit. *De profundis*, inquit, *clamavi ad te: non ait, Clamo, sed Clamavi: habes in hoc perseverantiæ documentum*, &c. *Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, caue ne ab oratione deficias.*

Pro, *non verearis*, aliqui cum Pagnino legunt *ne vetaris*: q.d. Nil vetet, nil impediat, uti assiduè orare, ita & assiduè facere opera justitiæ. Verum Romana & Concil. Trident. sess. 6. c. 10. quin & S. August. in Speculo legunt, *ne verearis*: q.d. Nullus hominum pudor, nullus timor te remoretur à profectu justitiæ, quo minùs assiduè satagas per opera justa & sancta crescere in justitia, gratia & sanctitate. Causam subdit: Quia per hæc augebis mercedem & coronam tuam æternam. Si enim mercator oblata occasione lucrandi centum pro uno, avidè illam arripit; utique & nos avidissimè arripere oportet occasionem augendi merita & coronas nostras, quæ in hac vita singulis momentis nobis offertur, ut quolibet instanti possimus lucrari mille, imò milliones pro uno. *Non enim sunt condignæ passiones* (actiones & labores) *huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, ut ait Paulus. Nota τὸ *quoniam merces Dei manet in æternum*: q. d. Ne verearis quotidie studere justitiæ, & nova merita accumulare, quia præmia Dei bene agentibus destinata exhaurire valeas: *merces* enim ejus *in æternum manet*, quia quantumvis pro Deo laboremus, & ei serviamus; semper supersunt manentq; ei præmia ingentia, quæ magis laborantibus dare possit.

Græca paulò aliter & breviùs habent, *noli impediri quominùs reddas votum tempestivè; & ne expectes* vel *differas usq; ad mortem iustus fieri*. Ubi Nota. Pro *votum*, græcè est *εὐχὴ* quæ vox, ait S. Hieron. ad Suniam, nunc orationem, nunc votum significat: sed hic *votum* significare liquet ex verbo *ἀποδοῦναι*, id est, reddere. Verùm Noster aliud verbum videtur legisse. Rursum τὸ *ne expectes* vel *differas usque ad mortem iustificari*, sivè *iustus fieri*, dupliciter accipi potest: Primò, de prima justificatione qua impius fit justus. q.d. Ne differas conversionem, ut peccatis inhærere velis usque ad mortem, & tunc agere de iis pœnitentiam, ut justitiam &

gratiam

gratiam Dei consequaris. Secundò, de secunda justificatione qua quis ex justo fit justior & sanctior, q.d. Ne expectes vel ad unum diem, quin quotidie usque ad mortem justificeris, id est, crescas in justitia, ejus opera assiduè exercendo. Et sic accipit Vulgatus Interpres Latinus, S. August. & alii. Contra hanc sententiam peccant, qui vota Deo nuncupata persolvere tardant, differuntque de die in diem, imò de anno in annum: & illi qui in juventute indulgent suis concupiscentiis, tempus pœnitentiæ & sanctitatis reiicientes in tempus senectutis & mortis, quando sæpè vel non possunt, vel nolunt converti; quia difficile est tanto tempore insolitas consuetudines & concupiscentias deponere: iis enim velut funibus colligati tenentur, imò seipsos colligarunt. Tigurina vertit, *ne dubites votum reddere in tempore, nec justum probare te usq; ad mortem differas.* quæ versio suspecta est: nam δικαιωθῆναι significat *justificari*; non, justum probari. Verè enim per opera bona justificamur, non autem justi probamur & ostendimur dumtaxat, uti volunt Calvinus & Lutherus. Syrus, *ne prohibearis ad transire faciendum delicta tua, & ne negligas quoadusq; angustiæ te apprehendant. Ne differas pœnitere à peccatis tuis, recordare quòd mors non cunctatur.*

Stimuli ad profectum virtutis. Moraliter, docet hic Sapiens, nos assiduè studere debere, tum orationi, tum profectui in justitia & sanctitate. Ad quæ acres ex hoc loco stimulos adhibet Faustus Rhegiensis Episcopus Instruct. ad monachos, quę habetur in Appendice Biblioth. SS. Patrum pag. 1569. *Nullum sibi finem proficiendi* inquit, *faciat, nullum terminum constituat acquirendi; cùm sibi dici audiat: Para in exitu opera tua. Et iterum: Non verearis usq; ad mortem justificari. Et iterum; Sapientia in exitu canitur. Quanto ergo plus proficimus, tanto plus humiliemur; quia quanto plus humiliati fuerimus, tanto ampliùs proficimus. Nullus illic senior tam indoctus appareat, ut putet quod eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit. Humilitas enim atq; obedientia junioribus adhuc necessitas, in senioribus iam dignitas est. Ille bene proficit, ille bene consummat, qui quotidie sic agit quasi semper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum incitamenta esse perfectorum, Scriptura pronuntiat.* Quocirca S. Gregor. explicans illud Iob. 31. v. 18. *De utero matris meæ egressa est mecum miseratio: Electis*, inquit, *cùm foris atas corporis, intus, si dici licet, crescit ætas virtutis.*

Vers. 23. Præparatio ad orationem quadruplex. Prima. ANTE ORATIONEM PRÆPARA ANIMAM TUAM: ET NOLI ESSE QUASI HOMO QUI TENTAT DEUM] *Præpara*, Primò, per animi avocationem ab omnibus curis & negotiis terrenis, ut eum totum ad orationem & Deum transferas. ita S. Chrysost. hom. 9. de diversis in Matth. locis: *Quid est*, ait, *Ante orationem præpara teipsum, nisi expolians cogitatione prava, sic accedas ad Dominicam orationem?* Quocirca hæc præparatio maximè requirit lectionem spiritalem, qua animus ad Deum erigatur, ac imbuatur cogitatione rerum divinarum, ait noster Suarez lib. 2. de Orat. mentali cap. 2. juxta illud S. Basilii dogma: *Lectioni succedat oratio, orationi lectio.* *Secunda.* Secundò, per contritionem de offensis in Deum admissis suppliciter veniam postulando, ac proponendo seriam emendationem. *Tertiò.* Tertiò, per considerationem divinæ majestatis, & tuæ vilitatis, dicendo cum S. Francisco: *Quis ego Domine? quis tu? Tu abyssus essentiæ, sapientiæ, bonitatis: ego abyssus nihili, ignorantiæ, malitiæ.* Et cum Abrahamo: *Loquar ad Dominum, cùm sim pulvis & cinis*, Genes. 18. 27. *Quartò.* Quartò, per præmeditationem eorum quæ quis petiturus est, ne petat injusta, iniqua, inutilia, vana, noxia; sed æqua, sancta; Deo digna & grata.

Verè S. Bernard. serm. 76. in Cant. *Qualem te*, inquit, *paraveris Deo, talis tibi apparebit Deus. Cum sancto* enim *sanctus eris, & cum innocente innocens eris*, psal. 17. 26. & cum sollicito sollicitus, cum recollecto recollectus, cum diligenti & liberali diligens & liberalis. *Et quantum apposuerimus ad diligentiam* (ait Eusebius Emissenus, vel potiùs Eucherius Lugdun. homil. 3. ad Religiosos) *tantū ille addet ad gratiam.* Propterea enim David dixit psal. 88. 20. *Posuit adiutorium super potente.* q.d. Adiuvat Deus adiuvantem se, recentesque vires & facultatem addit bene utenti ea quam priùs habebat. *O anima* (ait S. August. in Manuali c. 24.) *esto sollicita cum sollicito, cum mundo munda, cum sancto sancta, cum vacante vacans; qualis apparueris Deo, talis oportet ut appareat tibi Deus.* Et si valdè fueris diligens, te præparando, antequam ad ejus conspectum ingrediaris, admittet libenter te, & præmio afficiet tuam præparationem, explendo tua desideria. Quo similior fueris Deo, eo libentiùs te audiet, tibique respondebit Deus: amicus enim cum amico sibi simili libenter conversatur, & suaviter colloquitur.

Quare si orans imparatus accedat ad Deum per orationē non placat, sed tentat, id est irritat, & ad iram provocat Deum sua temeritate, audacia, irreverentia, imprudentia; præsertim si in peccato & ira Dei, ejusq; inimicus existens, eum quasi amicum sine contritione audeat interpellare. *Ille enim*, ait Rabanus, *Deum tentat, qui ita orat ut ipse docuit; & tamen non hoc agit, quod iussit. Cuius infructuosa est oratio, quia solummodò illi ab eo audiuntur, qui recta fide & bonis operibus levant orationes ad Deum.* Ante orationem ergo cogita quis sis, quia homo vilissimus, quia peccator ingratissimus, quia revera pulvis & cinis, stercus & fœtor: & hac cogitatione te ipsum humilia. Cogita deinde quem sis oraturus, quia Deum sapientissimum, optimum, potentissimum, angelicæ naturæ amatorem, humanæ reparatorem, omnium conditorem. Admirare divinam majestatem intimè præsentem, quæ te ante se sustinet: dilige immensam bonitatem, quæ prona est te exaudire, & benignè tibi favere: in spem erigere quòd è conspectu tanti regis nec vacuus, nec desolatus exibis. Cogita tandem quem boni affectum sis ex meditatione eliciturus, ut ad eum tuas considerationes dirigas, & quid sis petiturus, ut ita custodias illud Salomonis: *Ne temerè quid loquaris, neq; cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in Cælo, & tu super terram; idcircò sint pauci sermones tui*, Eccles. 5. v. 1. Si ille tanto intervallo cunctos homines superat, æquum est ut magno cum tremore illum alloquaris, & quid tibi dicendum sit perspectum habeas.

Optima præparatio est multiplex bona intentio. Denique præparatio insignis ad orationem est, si ante eam animo concipias Deoque offeras multas magnasque pię mentis intentiones, quę ut eam aggredereris, te pellexerunt. Sic oratio fluat ex motivis variarum virtutum, ab eisq; imperabitur. Sic pariter quis minore cum mentis evagatione cordisque ariditate, majori verò cum attentione & devotione orationes suas decurret; & consequenter ampliùs merebitur, fructumque uberiorem referet. Quare in hunc modum dicere poterit: Orationi vacare intendo, *Primò.* Primò, ut Deum colam, laudem & benedicam, nimirum ut coram angelis & hominibus, coram cælo & terra, profitear, Domine, ego tuus cliens, te supremam esse majestatem, infinitæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis & pulchritudinis, esseque te Deum meum & creatorem, meq; tuam esse creaturam; te meum regem supremumque dominum esse, me autem subditum ac servum tuum; te meum cælestem esse patrem, meq; tuum esse filium, licèt hoc nomine indignissimum; quia ad instar obedientis filii, patrisq; suo complacentis non me gessi, ut hac oblatione, quidquid boni in me est, à sua immensa misericordia & liberalitate emanare profitear. En tibi hic oratio imperata ab actu religionis. *Secundò.* Secundò, orare intendo, ut Deo placeam, gratumq; ei obsequium præstem, & hac ratione in ejus gratia & amicitia me conservem & promoveam: ut rem, qua Deum unicè oblectari scio, ei offeram. En ratio imperata ab actu charitatis. *Tertiò.* Tertiò, orare intendo, ut Deo gratias agam pro innumeris corporis & animi beneficiis, quæ à liberalissima ejus manu recepi. En actus gratitudinis. *Quartò.* Quartò, ut imiter Jesum Christum, B. Virginem, Sanctosq; omnes angelos & homines, quorum opus in cælo continuum est oratio, eorumque precibus & meritis meas uniam, itaque unitas iis, Deoque offeram. En hyperdulia & Sanctorum cultus. *Quintò.* Quintò, ut peccatorum meorum veniam deprecer, pro iisq; satisfaciam. En actus pœnitentiæ. *Sextò.* Sextò, ut animas è Purgatorio liberem, peccatoribus in hac vita penitententiam, justis justitię augmentum impetrem. En amor proximorum. *Septimò.* Septimò, ut gratiæ & gloriæ augmentum exorem, ut scilicet charitatis, humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, castitatis, sobrietatis, fortitudinis, constantiæ, perseverantiæ, zeli ac consequenter gloriæ in cælo illis respondentis incrementum efflagitem. En actus spei & creatarum virtutum. Eædem intentiones cuilibet operi bono, ut jejunio, eleemosinæ, concioni, pœnitentiæ, &c. præmitti possunt, ut opus ex omnibus hisce virtutibus prodeat & promanet, quasi lilium ποικιλόφυλλον, & variegatum ex multiplici & varia radice.

Græcè prò *orationem* rursum est εὔξασθαι, quod tam vovere, quàm orare significat. Unde juxta præced. versum, in quo significavit vovere, ita vertunt, *priusquam voveas præpara teipsum*, ad præstandum re ipsa quod vovere vis, *& ne esto ut homo tentans Dominum.* Quod quasi disparatum à priori præceptum accipi potest: q. d. Ne per orationem

aut

aut votum postules à Deo miraculum, aut ut rem, quam tuo labore & cooperatione tibi parare debes, solus per se tibi elargiatur. Hoc enim est tentare Dei potentiam & clementiam. Unde Syrus, *antequam voveas prapara votum tuum, & ne sis tamquam vir qui provocat Dominum suum*.

Eleemosyna est praparatio ad orationem. Moral. Auctor. Imperfecti apud S. Chrysost. hom. 15. in Matth. *Ille*, ait, *praparat animam suam ante orationem, qui faciens eleemosynam, venit ad orationem. Sicut enim oleum accendit lumen lucernæ, ita bona opera excitant fidem cordis, & dant confidentiam animæ apud Deum orandi. Ergo eleemosyna est praparatio orationis. Item jejunium est adiutorium orationis, quia oratio sine ieiunio est gracilis & infirma*. Et inferius: *Quare eleemosyna ante orationem pracedit? quia moderatrix est & praparatrix via ante faciem orationis, ut post eleemosynam sequens oratio, praparatum locum misericordia inveniat apud Deum*.

VERS. 24. MEMENTO IRÆ IN DIE CONSUMMATIONIS, ET TEMPUS RETRIBUTIONIS IN CONVERSATIONE FACIEI] Ita legendum cum Roman. & Græcis: perperam ergo Complut. & alii legunt, *in conversione facies*, vel *faciens*. Sensus est: q. d. Crebrò B renova tibi memoriam iræ & vindictæ, quam Deus exercebit in impios in die judicii, quo consummabitur vita hominum, & præsens mundi cursus, quoque Deus retribuet eis meritas gehennæ pœnas, ideoque faciem suam, quam in hac vita eis ostendit benevolam & beneficam, dando eis opes & felicitatem, convertet in trucem, minacem, indignabundam, spirantem ignes & flammas, adeò ut ejus terrore impii dicturi sunt montibus: *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis in throno, & ab ira Agni; quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?* Apocal 6. 16.

Hunc esse sensum docent Græca, quæ sic habent, *memento excandescentiæ ultimis diebus futuræ, & tempus ultionis in aversione vultus*; Tigurina, *memento iræ extremo die futuræ, & ultionis quo tempore avertetur facies*; Syrus, *memento quòd ira est in fine omnium peccatorum, & in tempore angustiæ non avertet* (ira Dei) *à te faciem*. Identidem Siracides inculcat memoriam & timorem novissimorum, præsertim iudicii & gehennæ; quia hic timor efficax est frænum ad cohibendum hominem à peccatis, eumque in C omnibus actionibus facit cautum, providum, modestum, sollicitum.

VERS. 25. MEMENTO PAUPERTATIS IN TEMPORE ABUNDANTIÆ ET NECESSITATUM, (ita Romana: malè alii legunt, *necessitatem*) PAUPERTATIS IN DIE DIVITIARUM] *Necessitatem* vocat angustias, quibus paupertas stringit & arctat pauperem, ut famem, sitim, frigus, multaque similia pati cogatur: q. d. Dum dives es & felix, metue inopiam & infelicitatem successuram: dum abundas, memor esto paupertatis tum præteritæ, tum futuræ, quæ scilicet tibi obvenire potest, quæque te arctabit, & in multas angustias rediget: sic enim fiet ut in abundantia non insolescas, utque provideas futuræ paupertati tibi obventuræ, vel hac in vita, vel in futura, dando scilicet eleemosynas per quas pauperes te recipiant in æterna tabernacula. Sic providit Joseph in annis fertilitatis sterilitati futuræ, Genes. 41. 47. Unde Rabanus: *Ne perdamus*, ait, *otium nobis concessum, quia veniet tempus quando iam non licet operari. Hoc enim hic tempus paupertatis, & diem necessitatis nominat*. Hinc & Græca ac Syrus sic habent, *memento temporis famis, in tempore sa- D turitatis; paupertatis & egestatis, in diebus divitiarum*. juxta illud c. 11. 27. *In die bonorum ne immemor sis malorum*. Vide ibi dicta. Huc facit illud Catonis in Distichis.

Tranquillis rebus, quæ sunt adversa caveto:
Rursus in adversis, melius sperare memento.

VERS. 26. A MANE USQUE AD VESPERAM IMMUTABITUR TEMPUS, ET HÆC OMNIA CITATA IN OCULIS DEI] q. d. ait Lyran. Aliquando inter manè & vesperam mutatur tempus à divitiis in paupertatem. Dat causam cur in tempore abundantiæ memor quis esse debeat paupertatis, quia scilicet subitò commutantur rerum vices & tempora, ut, sicut manè serenum sæpe desinit in vesperam caliginosam; sic qui manè est dives & felix, vespere fit inops & miser; imò qui manè est sanus & vivus, vespere fit æger & mortuus. Atque *hæc omnia ci-* A *tata*, id est, citò transeuntia, vel potiùs citò vicem commutantia, repentina & subita, sunt *in oculis Dei*, qui dum vult, ilicò sortes cujusque felices in infelices convertit, & vice versa. q. d. Ergo cuilibet mundi felicitati dum arridet, noli credere, nec affigere cor tuum, quia instabilis, infida, incerta est instar auræ; sed continuò expecta mutationem sortis & vitæ. Pro *citata* græcè est ταχινὰ, id est velocia, properantia, volucria, pernicia. Inde à celeri cursu ταχῖνοι vocatur lepus & cervus. Sic instar leporis & cervi transcurrit prosperitas hujus sæculi, eique succedit aduersitas. Syrus pro *citata* vertit, *pulchra*: *Omnia hæc*, inquit, *pulchra sunt coram Deo*: q. d. Deus delectatur hac sortium & rerum omnium volubilitate & vicissitudine, quia hæc rebus ipsis in terra creatis, utpote fragilibus, connaturalis, innata & concreata est. In mundo *Rota mūdi* enim hoc sublunari & volubili dominantur mors & sors, duo imperiosa numina, ait Tragicus, quæ nihil in sua quiete & statu relinquunt: ubi vices rerum & temporum, ortus & occasus, lux & tenebræ, caligo & serenitas, luctus & gaudia, metus & spes, somnus & vigilia, risus & lacrymæ, lamenta & jubilus, amor & odium, in perpetuo reciprocæ conversionis & confusionis gyro rotantur: ubi singula cadunt, surgunt, premuntur, infirmantur, convalescunt, tumultuaria quadam & necessaria vicissitudine, ut per hæc Deus hominem moneat, à mundo hoc elementari mentem avocare, & in cælestem sustollere, ubi est perennis rerum omnium stabilitas, felicitas, & æternitas.

Symbolicè, Rabanus: *A manè*, inquit, *hoc est, ab ortu nativitatis, usque ad vesperam senectutis mutabitur tempus ætatis hominis; quia repletus multis miseriis fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet. Vel aliter: à manè, hoc est, ab initio creationis mundanæ, usque ad vesperam sæculi, semper mutabuntur tempora; & ver, æstas, autumnus & hiems, dies & nox, numquam requiescunt: & tamen hæc omnia ad statum æternitatis comparata citò transire videntur, nec aliquid de corporalibus rebus perpetuum manet: sed omnia coram oculis Domini transeunt; & certo fine clauduntur. Ipse autem semper idem est, & anni eius non deficient*.

Huc facit illud Boetii lib. 2. de Consol. prosa 2. *Hæc nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus: rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus*. Et prosa 3. *An tu in hanc vitæ scenam nunc primùm subitus hospesq; venisti? ullamne humanis rebus inesse constantiam reris, cùm ipsum sæpè hominem velox hora dissolvat?* Et illud Senecæ in Thyeste:

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimiùm secundis,
Nemo desperet meliora lapsus.
Miscet hæc illis, prohibetq; Clotho
Stare fortunam, rotat omne fatum.
Nemo tam divos habuit faventes,
Crastinum ut possit sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

HOMO SAPIENS IN OMNIBUS METUET] VERS. 27. tum sortis vicissitudinem, temporisque mutationem, ut ex divite & felici fiat pauper & miser, de qua jam dictum est; tum, ne in ea peccet Deumque offendat, vel superbiendo in prosperis, vel desperando animumve deiiciendo in adversis, tum judicia divina, ait Lyranus, quæ ob peccata occulta, vel alias ob causas arcanas hominem deserunt, affligunt, castigant. Alludit ad Proverb. 28. 14. *Beatus homo qui semper est pavidus*. Sapienter Aristot. lib. Magnor. moral. *Timendum*, ait, *viro forti, sed audendum: si enim non timeas, nequiquam fortis, sed audax eris*.

ET IN DIEBUS DELICTORUM ATTENDET AB INERTIA] Græcè, ἀπὸ πλημμελείας, id est, à delicto: Verùm πλημμέλεια dicitur quasi πάλιν μέλειν, id est præter curam, idemq; est quod ἀμέλεια, id est, negligentia, inertia, incuria, ut acutè vidit vertitque Noster. Vide dicta Levit. 7. v. 1. Complut. *ab errore*. adduntque antithesim: *Et stultus non conservabit καιρόν*, id est, *occasionem* vel *tempus*; Tigurina, *insipiens autem non explorat tempora*, id est, temporum mutationem à me jam dictam: sed securus præsenti sorti, abundantiæ ac felicitati quasi semper duraturæ, stolidè inhiat & incubat. *Dies delictorum* vocantur, quibus est occasio, licentia, & subinde quasi necessitas peccandi,

peccandi, quibus impunè homines peccant, quibus passim omnes ruunt in peccata, quibus dominantur impii & impietas, ut tunc regnum peccati esse & imperare videatur. Tunc ergo maximè cavendum est *ab inertia*, id est, Primò, ab otio: otium enim facit ut homo spectet peccantes & peccata, cum iisque colloquatur, vertetur & agat, nec gratiam Dei invocet, itaque iis implicetur & consentiat. Secundò, à desidia, torpore & pusillanimitate, qua quis non audet officio suo fungi, ac peccantibus & sollicitantibus alios ad peccata sese opponere, sed iis cedit & succumbit: quales multi sunt qui peccantium exemplis vel imperiis non audent resistere, ideoque eos sequuntur. q. d. Homo sapiens eo tempore quo grassantur peccata, quoq; multæ peccandi occasiones se ingerunt, magis sibi cavebit, ac diligentior erit in officio & cura sui & suorum, ne peccet: quare tunc excutiet inertiam, induet magnanimitatem, ac generosè se peccantibus opponet, uti fecere Machabæi Antiocho, ceterique Martyres tyrannis.

Dies delictorum *quintuplices.* *Primò.*

Dies ergo *delictorum* Primò, sunt, quando afflante fortuna adsunt opes, prosperitas, abundantia, adulatores; quæ hominem ad gulam, libidinem, superbiam, aliaque peccata invitant, de quibus paulò antè dixit monuitque: *Memento paupertatis in tempore abundantiæ.* Quocirca Syrus vertit, *sapiens hæc omnia curabit, & in diebus impietatis non timebit à malo.* Felicitatem enim sequitur inertia, inertiam luxus & scelus, scelus miseria.

Secundò.

Secundò, *dies peccatorum* sunt dies quibus indulgetur genio, veneri & ventri, aliisve peccatis, quales sunt dies Bacchanalium, qui proinde in Calendariis nonnullis *dies stultorum* nuncupantur. Unde Tigurin. vertit, *homo sapiens semper metuet, & diebus peccato dicatis cavebit à delicto.*

Tertiò.

Tertiò, *dies peccatorum* sunt, quando reges & principes impii dominantur, qui populum ad idolatriam, hæresin, libidinem verbo & exemplo sollicitant, imò minis, edictis & suppliciis cogunt: tunc enim est diluvium peccatorum, uti fuit tempore Noe. Tales fuerunt paulò post Siracidem, sub Antiocho Epiphane, cujus impietatem hic propheticè præsignificare voluisse videtur Spiritus sanctus. Unde de iis ait Mathathias Judæ, aliisque filiis Machabæis: *Nunc confortata est superbia, & castigatio, & tempus eversionis, & ira indignationis. Nunc ergo, ò filii, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, & mementote operum patrum quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam & nomen æternum,* 1. Machab. 2. 49.

Quartò.

Quartò, *dies peccatorum* sunt dies præsentis temporis, quod delictis est plenum, ait Lyran. & Glossa. Unde Palacius sic explicat: q. d. O viri, si quando felicia vobis arriserint, sive temporalia, sive spiritualia, vereamini peccatum mortale, in quod incidere potestis; in quod si incideritis, verè in tempus necessitatis & paupertatis incidistis. Cùm igitur nemo sit securus ab eo, vir sapiens in tempore hujus vitæ, quod tempus est delictorum, cavebit ab inertia. Vel specialiùs: O vir pie, si quando in abundantia tua dixeris, *Non movebor in æternum;* memento ejus necessitatis & paupertatis, quam, si damnaris, in die judicii patieris cum impiis: & ejus rei memor in tempore hujus vitæ, cave ab inertia. Disce à formica, quæ tempore æstatis congregat, ne tempore hiemis indigeat. Disce à testudine, quantum periculi creet inertia. Nam ut ait Plinius lib. 9. cap. 10. *capiuntur testudines evectæ in summa pelagi antemeridiano tempore blandito, eminente toto dorso per tranquilla fluitantes: quæ voluptas liberè spirandi, in tantum fallit oblitas sui, ut Solis vapore siccato cortice, non queant mergi, invitæq; fluitent, opportuna venantium præda.* Sic iners liberè voluptati indulgens, oblitus sui, fit præda dæmonis, qui inerti quasi venator & piscator insidiatur.

Denique *dies peccatorum* sunt, cùm in republica, Ordine, monasterio, collegio, aliòve cœtu oritur rebellio, schisma, scandala, ruina, vel laxitas disciplinæ, &c. Tunc qui animæ suæ consultum cupit, ita prudenter & fortiter agat, ut peccatum omne declinet, & animam suam salvet. Ita Fr. Cæsarius Spirensis, S. Theol. Doctor, ac S. Francisci discipulus petiit ab eo, dixitque: *Unam à te, ò pater, postulo gratiam, ut, si diebus meis, fratres à pura regulæ tuæ observantia declinaverint (velut declinaturos prædixisti) possim cum tua licentia & benedictione, cum aliis sinceris professoribus regulæ à transgressoribus discedere, & separatim regulam observare.* Cui benedicens S. Franciscus: *A Christo*, ait, *& à me scias, fili mi, tibi esse concessum quod postulas:* ponensque manum super caput ejus, dixit ei: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Cæsarius ergo tandem Fr. Eliæ disciplinam laxanti resistens, ab ejus asseclis occisus, Gregorio IX. Pont. visus est ab angelis ferri in cælum. ita habent Annales P. Wadingi anno Christi 1239. num. 6.

OMNIS ASTUTUS (græcè, *συνετός*, id est, intelligens, prudens, cautus) AGNOSCIT SAPIENTIAM, ET INVENIENTI EAM DABIT CONFESSIONEM] id est, laudem. Quia Siracides res graves & difficiles dixit, quas multi, utpote mundi dictamina sequentes, non erant servaturi, addit, *Astutus*, id est, vir prudens, *agnoscet*, id est, approbabit, diliget, sequetur hanc sapientiam à me jam expositam, ac insuper *dabit confessionem*, id est, laudabit & prædicabit eos quicumque eam inveniunt, aliosque docent. Unde Tigurina vertit, *omnis cordatus agnoscit sapientiam, & eruditionem, & adepto eam laudem tribuit;* Syrus, *omni sapienti convenit docere sapientiam, & scientibus eam* (convenit) *dare confessionem*, vel *gratiarum actionem.* Nam ut ait Aristotel. 1. Metaphys. 1. *Sapientis proprium est alios docere.* VERS. 28.

Allegor. Rabanus: *Astutus*, ait, *hoc est, diligens & intentus meditator legis Dei, agnoscit sapientiam Dei esse Christum, & postquam invenerit eum, & corde credulo eius agnitionem perceperit, ipse dabit ei confessionem rectæ prædicationis, & studium condignæ operationis.*

SENSATI IN VERBIS ET IPSI SAPIENTER EGERUNT; ET INTELLEXERUNT VERITATEM ET JUSTITIAM, ET IMPLUERUNT PROVERBIA ET JUDICIA] Ita Romana & Græca: perperam ergo multi pro *impluerunt*, legunt *imploraverunt*: græcè enim est *ἀνώμβρησαν*, id est, tamquam imbrem effuderunt, impluerunt, instillarunt. Τὸ *in verbis* refer non ad *sensati*, sed ad *sapienter egerunt*: q. d. *Sensati* & prudentes non tantùm audiunt sapientiam, laudantque eos qui illam docent, sed etiam ipsi eamdem aliis enuntiant & communicant: unde *in verbis* suis ita *sapienter* agunt ac loquuntur, ut ostendant se intelligere *veritatem & justitiam*, utque *impluant*, id est, instillent, aliis *proverbia & judicia*, id est, sapientes sententias & præcepta, quæ doceant justitiam, virtutem & sanctitatem. Unde Tigurina vertit, *cordati ipsi quoque dictis proferunt sapientiam* (*veritatem intelligunt & justitiam*: quæ verba non sunt in Græco:) *& moderatione animi selecta in vitam responsa irrigant.* Potest tamen τὸ *in verbis* referri ad *sensati*. Unde aliqui clarè vertunt, *qui in verbis sensati & intelligentes sunt, & ipsi sapientiam profitentur, & exquisitas parœmias tamquam imbrem effundunt;* Syrus, *scientes doctrinam etiam ipsi sapientes fiunt, & scient usque in finem verba parabolarum, & verba sapientiæ, & doctrinam animæ.* VERS. 29.

Complut. & nonnulli alii hanc in Græco addunt sententiam: *κρείσσων παρρησία ἐν δεσπότῃ μόνῳ, ἢ νεκρᾷ καρδίᾳ νεκροῦ ἀντέχεσθαι*, id est, ut vertit interpres Complut. *melior fiducia in Domino solo, siquidem mortuum cor mortuo adhæret;* Tigurina, *optima loquendi auctoritas solius est Domini, siquidem mortali cor inhæret mortuum;* alii, *optima res est libertas in solo hero, siquidem cor mortuum mortuo adhæret.* Verùm hæc sententia hoc loco obscura & impertinens videtur: unde eam omittunt Latina omnia, Syrus, & Græca editio à Caraffa & Romanis emendata.

Hujus astutiæ, cautelæ & sapientiæ symbolum sunt grues. Primò enim, sicut grues volando suum sequuntur ducem: sic astutus suum sequitur doctorem. Secundò, sicut grues præsentiunt pluviam, eamque volantes vociferando prænuntiant: sic astutus præsentit sapientiam, ac denunt at ubi & a quibus ea hauriri debeat: Tertiò, laboriosæ sunt grues, volando tranantes maria, ut calorem victumque quærant; sic impensè studet & laborat cautus, ut sapientiam acquirat. Mirum est quod scribit Plinius lib. 30. cap. ult. *non lassescere in ullo labore qui nervos ex alis & cruribus gruis habent.* Quartò, grues timentes venatores noctu excubant: ita vir cautus timet insidias hominum & dæmonum, & contra eas pervigil excubat. Sed accipe de gruibus verba Plinii, quæ commutato nomine homini cauto adaptes. sic enim scribit lib. 10. c. 23. *Immensus est tractus, quo veniunt, si quis reputet à mari Eoo. Quando proficiscantur consentiunt: volant ad prospiciendum altè: ducem, quem sequantur, eligunt: in extremo agmine per vices, qui acclament, dispositos habent, & qui gregem voce contineant. Excubias habent nocturnis temporibus;*

Grues symbolum cautelæ. *Primò.* *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.*

bus, lapillum pede sustinentes: qui laxatus somno & decidens, indulgentiam coarguat (easque à somno suo sonitu excitet.) *Ceteræ dormiunt capite subter alam condito, alternis pedibus insistentes. Dux erecto providet collo, ac prædicit.* Eadem habet Aristot. lib. 9. Histor. anim. cap. 10. *Grues*, inquit, *prudenter multa faciunt: loca enim longinqua petunt, sui commodi gratia: & volant altè, ut procul prospicere possint: & si nubes tempestatemque viderint, conferunt se in terram, & humi quiescunt: ducem etiam habent*, &c.

VERS. 30. POST CONCUPISCENTIAS TUAS NON EAS, ET A VOLUNTATE (aliqui legunt *voluptate*) TUA AVERTERE] Græca huic sententiæ præmittunt titulum hunc: *Continentia animæ* vel animi. Pro *à voluntate tua*, græcè est, ἀπὸ τῶν ἐπιθυμιῶν σου, id est, *ab appetitibus* vel *desideriis tuis*; Syrus, *fili mi, post desideria animæ tuæ ne eas, & à concupiscentiis tuis prohibe eam*; Tigurina clarè, *ne sequaris cupiditates tuas, & appetitus tuos inhibe*; alii, *appetitiones tuas coerce*. Est hoc generale præceptum de continentia, ut per eam resistamus concupiscentiæ gulæ, libidinis superbiæ, iræ, acediæ & cujuslibet vitii: *concupiscentia* enim omnem passionem & vitium tam mentis & spiritus, quàm carnis & sensus complectitur. Sensus ergo est, q. d. Sentire motum concupiscentiæ non est peccatum, sed ei consentire. Sentire enim est naturale, necessarium & involuntarium: consentire verò est arbitrarium, liberum & voluntarium, uti ex hisce Siracidis verbis docet S. August. lib. 1. de Nupt. & concup. cap. 13. Si ergo sentis ebullire in te affectus iræ, odii, curiositatis, libidinis, noli eis assentiri, noli eos sequi: sed ilicò nega assensum, resiste, inhibe, coerce, reseca, abscinde, extirpa quoad potes. Unde sequitur, motus concupiscentiæ magnum esse malum, juxta Aristotel. axioma lib. 2. Topic. *Quorum corruptiones sunt bonæ, ipsa corrupta sunt mala.* Mundani & carnales nescientes quid sit concupiscentia, quid abnegatio, quid mortificatio, ilicò suos appetitus sequuntur & explent, velut animalia bruta: at fidelis & sensatus eis quasi hostibus suis reluctatur, sciens eos incitare ad peccatum, & ducere ad tartara.

Concupiscentia frænanda, cur? Causa Prima.

Causæ sunt multæ: Prima, quia *animal*, ait Aristot. 1. Politic. *constituitur ex anima & corpore, tamquam ex regente & recto. Anima est in corpore*, ait idem de Motibus natur. *sicut monarcha in civitate bene disposita.* Anima verò rationalis in homine est rectrix, & monarcha omnium, non tantùm membrorum, sed & sensuum, passionum, imaginationum, & desideriorum partis sensitivæ. Regat ergo ejus concupiscentias & appetitus, nec sinat se ab eis regi.

Secunda.

Secunda, quia concupiscentiæ ingens sunt hominis malum, imò pernicies & exitium. Ipsæ enim sunt similes equo indomito, cæco, fero & furioso, qui equitem sive sessorem præcipitem dabit in flammam, fossam, saxa, &c. nisi per frænum ab eo regatur & refrenetur. Voluntas ergo & mens, sive spiritus, quasi sessor insideat suæ concupiscentiæ, quasi equo, eamque fræno rationis inhibeat, ne ab illa in præceps agatur. Sicut ergo monstrum est, si equus regat sessorem; aut si homo capite deorsum, pedibus sursum insistat vel incedat: sic & monstrum est cùm ratio regitur à concupiscentia. Quocirca S. Basil. Ad filium spirit. *Corpus*, inquit, *rege ratione, uti auriga equum fræno.* Idem ad Chilonem: *Unam*, inquit, *voluptatem expugnato, ne, si omnes in te irritatæ coorientur, turbulentam accersant menti tuæ tentationum intemperiem. Corpus substerne laborum exercitio, animam tentationibus assuefacito æquanimiter tolerandis.* Successivè ergo vitia & concupiscentiæ expugnanda sunt. Idem in Constitut. monast. cap 3. *Affectiones corporis*, ait, *tunc sunt violentæ, cùm ratio cessat: easdem illa moderante, & imperium suum exercente, facillimè obtemperant.* Ratio ergo pervigil eas domat & regit. Sic S. Anselm. de Concept. Virg. cap. 5. concupiscentiam comparat feræ, quæ nisi ratione dometur & cicuretur, hominem secum in præceps egit.

Tertia.

Tertia, quia concupiscentiæ sunt sicut Sirenes, quæ blando cantu alliciunt ad se homines, ut allectos devorent, uti ab eis devorati fuerunt socii Ulyssis: Ulisses verò prudens aures suas obturavit, ne earum cantum audiret, eoque inescaretur, dementaretur & devoraretur, itaque unus ipse earum perniciem & mortem evasit. Ulisses est speculum viri sapientis & continentis. Hinc S. Bernard. serm. 44. in Cantic. loquens de filio prodigo, qui sua dissipavit deliciando cum meretricibus: *Quænam*, ait, *hæ meretrices? Carnales utique concupiscentiæ, de qui-*

A *bus Scriptura saluberrimè te admonet: Post concupiscentias tuas non eas.* Idem de Gradibus Humilitatis: *Cavendum est*, inquit, *ideò malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est. Unde Script. præcipit, dicens: Post concupiscentias tuas non eas.*

Quarta.

Quarta, quia homo quasi conflatus est ex angelo & bruto: mente enim & parte rationali similis est angelo, concupiscentia verò & parte animali similis est bruto. Angelica ergo portio imperet animali & brutæ, ut eam faciat sibi similem & angelicam, non verò sinat animalem sibi dominari, ut & ipsa fiat animalis ac bruta. Quare *adversus tumultuantes, & ad mala trahere nitentes animæ concupiscentias, exerceat gloriosa certamina, si vivis in gratia*, ait S. August. lib. 5. contra Julian. c. 3.

Quinta.

Quinta, quia concupiscentia repugnat legi naturali & divinæ. Lex naturalis statuit homini sequendum bonum honestum, non delectabile & concupiscibile, quod honesto repugnat. Illud ergo amplectatur, hoc aversetur & fugiat. Lex divina jubet nos sequi dictamina spiritus, non carnis. Illa ergo sequamur, hæc detestemur & abnegemus. Unde S. Leo epist. ad Anatolium, & habetur

B dist. 47. c. 6. *Virum Catholicum*, inquit, *& præcipuè Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari, dicente S. Scriptur. Post concupiscentias tuas ne eas. Mens enim potentiæ avida nec abstinere novit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum.*

Concupiscentia mentis æquè ac carnis frænanda.

Porrò concupiscentiæ non tantùm sensus, sed & mentis ac spiritus mortificandæ ac resecandæ sunt. Concupiscis nimiam scientiam, nimiam sapientiam, nimiam lectionem, nimium studium? concupiscentia est, excessus est cupiditatis. quod ergo in ea nimium & vitiosum est, abscinde. Scitum est illud: *Saturitas panis mala, studiorum autem pessima.* Incessit te cupido meditandi, orandi, contemplandi, cùm charitas vel obedientia poscit ut ægro servias, ut confitentibus aures præbeas, ut doceas, concioneris, &c. mortifica illam cupidinem, & velut dilectum tuum Isaac Deo in holocaustum immola. Vocatus es ad sortem Magdalenæ, malles agere Martham; aut vice versa, vocatus es ad vitam activam, desideras contemplativam: desiderium hoc irrationale mortifica, Deoque sacrifica.

C Quocirca hæc Siracidis sententia non tantùm in malis, sed etiam in bonis custodienda est, ut scilicet illud bonum suspectum habemus, quod non Dei beneplacitum, sed voluntas sola nostra dictaverit. Eo enim ipso quòd à sola nostra voluntate progreditur, & divinis Ecclesiæ jussis non probatur, à bonitate sua deficit, & aliqua malitiæ labe corrumpitur. Unde S. Leo serm. 8. de Jejunio septimi mensis sapienter ait: *Cùm sint in animis hominum multæ bonæ concupiscentiæ, & laudabiles voluntates, quid est quod jubetur ut nostris non consentiamus affectibus? nisi quòd ab illa concupiscentia prohibemur, & ab illa voluntate revocamur, cujus ortus ex nobis est, & ideò mala pronuntiatur. Ad distinctionem igitur concupiscentiarum quæ sunt ex Deo, bene homini dictum est: Post concupiscentias tuas non eas; ut quas cognoverit proprias, sciat esse vitandas.* Et S. August. serm. 45. de Tempore: *Noli*, inquit, *post eas ire. nolunt post te ire? noli post eas ire: si velint post te ire, non erunt; quia contra mentem tuam non rebellabunt, Rebellant? rebella. pugnant? pugna. expugnant? expugna. hoc solùm vide, ne vincant.* hæc ille. Minutiùs explicat Hugo hoc præire, aut sequi: *Quidam*, inquit, *præcedunt*

D *concupiscentias, ut illi qui provocant, & procurant; quidam comitantur, qui in cogitationibus illicitis commorantur; quidam sequuntur, qui consentiunt & cooperantur.* hæc Hugo, affertq; ad hoc illud 2. Reg. 3. *Phaltiel*, inquit, *sequebatur Michol plorans.* Denique concupiscentiæ symbolum est lupus. de quo plura dixi cap. 13. 21.

VERS. 31. SI PRÆSTES ANIMÆ TUÆ CONCUPISCENTIAS EJUS; FACIET TE IN GAUDIUM INIMICIS TUIS] *tibi invidentibus*: uti addunt Græca nonnulla, & ea secutus S. August. Ratio est, quia expletio concupiscentiæ consciscet tibi infamiam, morbos, pauperiem, & sæpè mortem, aliaque damna corporis & animæ, quæ facient te ludibrium inimicis tuis, tum hominibus, tum dæmonibus, uti Samson amans suam Dalilam, eique obsequens, à Philisthæis captus, illusus, excæcatus & enecatus est, Iudic. 16. Ita S. August. lib. 5. contra Julian. cap. 3. *Numquid*, ait, *iam iste reus est habendo tales animæ con-*

ma con-

ma concupiscentias, quas ei præstare non debet, ne in gaudium veniat diabolo & angelis ejus, qui sunt inimici atque invidi nostri? Unde Græca habent, *si præstiteris animæ tuæ beneplacitum concupiscentiæ, faciet te ἐπίχαρμα*, id est, *derisionem & gaudium inimicorum tuorum;* Tigurin. *si animo tuo indulgeas quamlibet concupiscentiam* (alii, *quod cupiditati lubitum est*) *efficiet quòd invidentes tibi inimici tui de te gaudeant;* Syrus nervosè, *si enim feceris voluntatem animæ tuæ, es sicut ille qui facit voluntatem inimici sui.* Cùm ergo stimulat te alicujus rei cupiditas, cogita illam non esse amicam, uti se simulat, sed inimicam tibi; quare totis viribus ei quasi inimico capitali resiste. Sicut ergo milites conspecto hoste illicò se armant, eique totis viribus sese præliando opponunt: ita & tu dum sentis te quippiam concupiscere, vel in te cupiditatem aliquam suboriri; illicò rationis, & resolutæ voluntatis ac gratiæ divinæ arma capesse, illique toto animi nisu obluctare, ac generosè præliare prælium Domini, ut victor evadas, & ab eo quasi agonotheta, in magno illo judicii die corona immortalitatis, & gloriæ doneris. omnia enim hæc spectant præparationem ad judicium.

Concupiscentiæ typus est limax. Hujus rei symbolum est limax sive cochlea. Unde illud psalm. 17. 9. *Sicut cera quæ fluit, auferetur:* quod S. August. & alii accipiunt de concupiscentiis, hominem tabefacientibus; Chaldæus vertit, *sicut limax tabefactus qui consumitur in itinere suo;* alii, *sicut limax* vel *cochlea, quæ liquescit, abeat.*

Primò. Primò enim, sicut limax dicitur à limo, cui semper adhæret, ait Festus & Varro: sic cupidus & carnalis adhæret suæ carni & concupiscentiæ.

Secundò. Secundò, sicut limax affigitur suæ cochleæ in eaque capitur; unde illud: *Implicitus concha limax, hirsutaque campe;* & Aristot. lib. 5. Histor. animal. cap. 32. *Limax*, inquit, *detracta testa hebetescit:* sic carnalis affigitur suæ domui, agris & fundis, in eisque capitur, & propter ea sæpè mortem incurrit tum præsentem, tum æternam.

Tertiò. Tertiò, sicut limax viscosus est, sic viscosa est concupiscentia, quæ proinde hominem deprimit, nec sinit caput in altum, putà mentem in cælum, levare.

Quartò. Quartò, Albertus libr. de Pisc. & aquat. tradit limaces, si sale perluantur, planè liquescere, & in aquam viscosam commutari: sua enim viscositate liquantur, & tabescunt. Unde & Plinius lib. 9. c. 51. *Quædam*, inquit, *tempore anni gignuntur, & in humore, & in terra. Vere pectines, limaces, hirundines; eodem tempore evanescunt.*

Quintò. Quintò, limaces carent oculis, sed eorum vice parva habent cornua. Unde Plinius lib. 9. cap. 32. *In eodem genere*, ait, *cochleæ aquatiles terrestresque, exertantes se domicilio, binaque ceu cornua protendentes contrahentesque: oculis carent: itaque corniculis prætentant iter.* Unde proverbialiter limax vocatur, qui exquirit ut aliquid auferat, juxta illud Plauti in Bacch. *Limaces viri*, quod atterant, & consumant. Sic concupiscentia menti adimit oculos, eamque exoculat & excæcat, ut non videat ejus malitiam æquè ac damna, putà perniciem & gehennam ex ea sibi imminentem; sed carneos tantùm & quasi corniculatos homini relinquit oculos, quibus terrena & carnalia intuendo prætentet & prægustet, itaque capiatur, calcetur & pereat, instar limacum, qui à porcis & perdicibus devorantur, juxta illud Aristot. lib. 9. Histor. anim. c. 37. *Ubi sit limax, neque sus est, neque perdix: omnes enim limaces ab his eduntur.* Vide quæ de concupiscentia ejusque mortificatione dixi Jacobi 1. 14.

VERS. 32. NE OBLECTERIS IN TURBIS, NEC IN MODICIS (Jansen. & alii legunt, *nec immodicis:*) ASSIDUA ENIM EST COMMISSIO ILLORUM. VERS. 33. NE FUERIS MEDIOCRIS IN CONTENTIONE EX FOENORE, ET EST (Jansen. & alii legunt, *non est*) TIBI NIHIL IN SACCULO: ERIS ENIM INVIDUS VITÆ TUÆ] Ita Romana: perperam ergo aliqui legunt, *in sæculo*. Græca moderna à Latina Vulgata hic valdè dissentiunt: sic enim habent, *ne delecteris deliciis, nec earum consortio* vel *symbolo alligeris*, vel *denuntieris* (græcè enim est συμβολῆς, licèt Complut. legunt συμβολῇ, vertuntque, *neque indigeas consilio eorum*) *non fias pauper de symbolis comessans ex fœnore: & nihil est tibi in sacculo.* Græcum enim συμβολὴ significat convivium in quo singuli suas symbolas, id est collationes sumptuum pro rata conferebant. συμβάλλειν enim est *committere*, & *conferre.* Unde συμβολοκοπῶν, idem est quod συμβολὰς κόπτων; id est, symbolum secans vel dividens, hoc est, convivium ex collatione instruens, *ex fœnore*, scilicet, ex pecunia ad fœnus accepta: quasi dicat. Ne delecteris conviviis & compotationibus, quia depauperabunt te, adeoque cogent ut ad eorum symbolum, & sumptum corrogandum, cogaris accipere pecuniam ad usuram, quam solvere non poteris, cùm nihil habeas in sacculo, itaque fies fabula, & probrum conviviis omnibus, quasi dicat. Ne des tesseram partemque tuam convivio, ne sumptu depauperatus cogaris tesseram nummariam dare creditori & fœneratori, qua te ei velut debitorem obliges. Unde Tigurina vertit, *cave pauper evadas concinnandis de mutuo conviviis, donec tibi nil sit in sacculo;* alii, *ne fias pauper symbolum dando, cùm tibi nil sit in marsupio.* Sic & Syrus, *ne læteris in multitudine deliciarum, ne fias duplo pauper: ne fias pauper & ebriosus & intemperans & verbosus, cùm nihil habeas in marsupio tuo.* Quæ lectiones connexæ sunt, & clarè recteque cohærent cum eo quod præcessit: *Post concupiscentias tuas non eas, &c. nam faciet te gaudium inimicis tuis.*

B Verùm Græca olim aliter habuisse liquet ex Latina Vulgata, & ex dissensione Græcorum codicum: Nam alii legunt ἐν τρυφῇ, id est, in deliciis; alii ἐν τύρβῃ, id est, in turba, & sic legit Noster. Rursum alii legunt συμβολῆς, alii, συμβολῇ, uti jam dixi.

Sensus ergo Latinæ versionis est, Primò, q. d. Ne immisceas te populari turbæ, *nec in modicis*, id est, nec inter homines modicæ sortis, putà plebeios, viles & leves, ubi multa est scurrilitas, & ineptia: nam in ea multa peccata committuntur. ita Rabanus. Quocirca Christus sæpè fugit turbas. Idem fecere Sancti, ut Moses, S. Basilius, S. Nazianzenus, Sanctus Antonius, idque ad hoc, ut in die judicii puram, & illibatam à sæculi vitiis animam sisterent Christo judici. ad judicium enim hæc omnia pertinent. Ad hanc enim puritatem mirè juvat secessus à turbis & solitudo. Unde de S. Joanne Baptista canit Ecclesia: *Fuge turbam.*

Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens petisti,
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posses.

C Cornelius Musius, nobilis Hollandiæ hoc ævo fidei pugil (pro ea enim dirè cruciatus, fortiter occubuit) in carm. de Laude vitæ solitariæ: *Cùm morti*, inquit, *propinquabis, serò provocabis ad beatas cellulas. O beata solitudo, ò sola beatitudo piis secessicolis.* Immisceri enim turbis, quid nisi turbas in nobis aut turbida proseminet? Ibi exempla pravitatis & morum corruptio, quæ etiam sanctos, eosque validos, seducunt & inquinant. Sicut enim botrus à proximo colorem trahit ac purpuram; ita qui mundus est, à malorum consortio vitium contrahit, affinitateque & congressu pravorum corrumpitur. Quis enim naufragium virtutum non patiatur & obruatur scelerum fluctibus, in patente illo turbidoque impuritatis oceano? Numquam bonus qui numquam solus: peccatum fugit qui occasiones peccandi putà turbas, fugit. Captivus servus est, qui agglutinatur multitudini: liber, qui ab ea semotus sui iuris est, sibique ac Deo vivit. Vide dicta Oseæ 2. 14.

Secundò, pressiùs & germaniùs: q. d. Ne oblecteris turbis, id est, hominum turbatione, tumultu, seditione, etiam modica, & in rebus modicis, quas Latini D turbellas vocant; quia multa est *commissio*, id est, conflictus, certamen, lites, rixæ, cædes & bella in illis. Sic enim dicimus committere prælium, & committere principes inter se, dum eos excitamus ad bellum contra se invicem. Notandum enim est, Græcum τύρβη, & Latinum *turba* significare non tantùm hominum multitudinem; sed propriè θόρυβον καὶ ταραχήν, id est, turbationem, perturbationem, commotionem, seditionem, quæ ferè oritur ex turba & multitudine ingeniorum, & voluntatum. Unde Ulpianus de vi bonorum, & de turba, l. *Prætor ait: Turbam appellatam esse Labeo contendit ex genere tumultus, idque verbum ex Græco tractum τύρβη. Si duo rixam commiserint, utique non accipimus in turba id factum, quia duo turba non propriè dicuntur. Si verò fuerint decem, aut quindecim homines, turba dicetur. Rectissimè Labeo inter turbam, & rixam multum interesse ait: nempe turbam multitudinis, hominum esse* *Turba etymon & significatum.*

esse turbationem & cœtum. Sic Terent. in Andria: *Quid turbæ apud forum?* Ovid. 3. Metam. *Ruit omnis in unum Turba furens*. Cicero act. 1. in Verrem: *Ecce autem nova turba atque rixa*. Idem Cæcinnæ lib. 6. epist. 6. *Exponerem quanta in turba, quantaque in confusione rerum omnium viveremus*. Hinc dicuntur seditiosi concire turbas, excitare turbas populares, &c. Idem libr. 1. de Natura Deorum, *Aristoteles*, ait, *multa turbat à magistro Platone dissentiens*. Hinc S. Bern. mirè laudat S. Malachiam, *quod sine turbatione inter turbas versaretur*. Hoc enim signum est animi celsi, & in cælo fixi: quia turba parit turbationes.

συμβολαί pro conflictu.

Rursum Græcum συμβολαί significat non tantùm collationem convivarum ad sumptum in communi convivio vel symposio, sed etiam commissionem, id est, congressum & conflictum belli. Unde vers. sequ. τῷ συμβολοκοπῶν, Noster vertit, *in contentione*. Sic ergo hos duos versus genuinè explices, & connectas: Noli delectari, nec te miscere hominum turbis, id est, tumultibus, quia multæ in illis rixæ, verbera, & cædes committuntur. *Ne fueris mediocris in contentione ex fænore*: quasi dicat, Ut turbas, & factiones quibus te miscuisti, vel quas concitasti, alas, multo opus est ære: quod cùm in arca non habeas, oportebit ut sumas ab usurario ad usuram: quare suadeo tibi ne vel mediocriter contentiones, & turbas hasce foveas; qui si id feceris, cogeris accipere multa ad fœnus, itaque tuas facultates exhauries, ut fœnori semper crescenti solvendo non sis, cùm tibi jam nihil reliquum sit *in sacculo*, id est, in marsupio: quare eris *invidus*, id est, iniquus & noxius, *vitæ tuæ*: videberis enim tibi invidere vitam quietam, honestam, lætam & lautam.

Porrò, aptè post vetitam concupiscentiam subdit vetatque turbas & rixas, quia hæc multorum est concupiscentia, nimirum ut in republica vel communitate concitent turbas & seditiones, idque vel quia novitatis sunt studiosi; vel quia pugnaces, & rixosi sunt, ideoque quietis impatientes factiones concitant aut fovent; vel quia per eas ad honores, & magistratus evadere, aut certè se ditare ex mercatorum divitumque rapinis, & spoliis satagunt.

Tertiò, si planè Latinam versionem Græcæ modernæ vis adaptare, sic explica: Ne oblecteris turbis convivantium & compotantium (symposia enim inter turbas plebejorum dominari solent, ideoque turbarum & cœtuum multis in locis videntur esse proprii & individui comites:) quia assidua est *commissio*, id est, collatio eorum ad symbolum, & epulum. Sicut enim dicimus committi ludos, sic & committi epulas, & symbola. *Commissio* ergo, est læta ex symbolis comessatio. Rursum *commissio*, est scelerum perpetratio; quia inter epulas, & symposia multæ capulæ, insolentiæ, detractiones, scurrilitates, lites & rixæ committuntur. Quare cave ne ex hac contentione compotandi, & convivandi fias *mediocris*, id est, pauper *ex fænore*, quod tibi sumendum est, ut sumptibus symposiorum par esse queas, cùm nihil habeas *in sacculo*, id est, in crumena: sic enim videberis *invidus*, & iniquus esse vitæ tuæ, dum depauperatus cogeris famere, miserè victitare, & erubescere apud homines.

Huic expositioni favet codex quidam manuscriptus, quem citat Jansenius, qui ad marginem ex alia versione sic clarè legit, *noli delectari in multa epulatione, ne egeas ex collatione, ne fias pauper collationem faciens ex mutuo*. Vetat ergo adiri epulas & prandia, ubi multi sunt convivæ, ac proinde multæ voces & clamores, ut non tam convivium, quàm (ut ille ait) convocium esse videatur. Ita Lucius Verus Imper. teste Capitolino, ajebat *septem convivium, novem convitium facere*, significans in convivium paucos adhibendos esse alioqui fore tumultuosum & insuave, juxta illud Horatii:

Locus est & pluribus umbris,
Sed nimis arcta premunt olida convivia capræ.

Varro apud Gellium lib. 13. cap. 11. censet convivas intra Gratiarum & Musarum numerum consistere oportere, ne aut plures sint novem, aut pauciores tribus. Plinius lib. 28. cap. 2. scribit Servium Sulpitium commentum fuisse causam, cur ominosum esset mensam relinquere, quòd illis temporibus nondum numerabantur plures convivæ quàm quinque.

Alludit ad illud Proverb. 23. v. 20. & 21. *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt*; ubi Aquila, Symmach. & Theodot. habent συμβολοκοπῶν, id est, *symbola conferens*; Septuag. μηδὲ ἐκτείνου συμβολαῖς, id est, *ne extendas te in symbola*, id est, in comessationes & symposia quæ instruuntur ex plurium collatione: quæ proinde velut gulæ, luxuriæ, aliorumque scelerum iritamenta, imò officinas, & armamenta vetat Concil. Laodicenum cap. 55. *Non oportet*, inquit, *ministros altaris, vel quoslibet Clericos, vel etiam laicos Christianos ex symbolis, quæ vulgus Comessalia appellat, convivia celebrare*. Eadem frequentia erant apud Gentiles. Unde Plautus in Sticho: *Eo*, inquit, *condictum symbolum ad cœnam, ac ejus conservum Sangarium Syrum*. Et in Curcul. *Symbolorum collatores apud forum piscarium*. Terent. in Andria: *Symbolum dedit, cœnavit*. Et in Eunucho. *Heri aliquot adolescentuli coivimus in Piræeo in hunc diem, ut de symbolis essemus*, (ederemus) *Chæream ei rei præfecimus*.

Aliter Jansenius: Ne oblecteris, inquit, in turbis, id est, in copia & multitudine ciborum. Sic Plinius libr. 15. c. 13. *turbam prunorum* vocat varia genera prunorum, & l. 11. 37. *turbam vulnerum* vocat multitudinem vulnerum: Ovid. 6. Metam. nuncupat *rotarum turbam*: Cicero de Claris orat. *turbam voluminum*. Verùm esto simili phrasi posset dici *turba ciborum*, pro eorum copia; tamen absolutè *turba* sine addito, id non significat.

Porrò Rabanus aliò prorsus abit: secundum enim versum explicat de studio beneficentiæ: q. d. *Ne sis mediocris in contentione ex fænore*, &c. hoc est, ne sis parcus, lentus & piger in contentione & studio fœnerandi, id est, benefaciendi & mutuandi aliis, quia si id feceris, non erit tibi nihil in sacculo: hoc est, semper aliquid habebis quo vivas, quodque eroges, non deerunt tibi solatia temporalia; si secus feceris, eris invidus animæ tuæ, quia ei malè consules: detrahes enim ei merita beneficentiæ, Deique dona & gratias, quibus ipse beneficos cumulare & compensare solet.

Denique pro *invidus* Græca habent ἐπίβουλος, id est, *insidiator*, adduntque λαλητὴς, id est, *loquela hominum obnoxius*. Vnde vertunt, *eris enim insidiator propriæ vitæ, incurrens in dicta hominum*; Tigurina, *alioqui insidiator vitæ tuæ famosus eris*: q. d. Alioqui male, imò pessimè, consules vitæ tuæ, vt ei videaris insidiari. S. Script. enim sæpè rem æstimat ex facto, non ex mente facientis: licèt ergo mens & intentio accipientis ad fœnus, non sit nocere vitæ suæ; tamen, quia de facto ei nocet, hinc dicitur ei inuidus & iniurius esse, scilicet materialiter, non formaliter, vti loquuntur Philosophi.

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recenset damna ebrietatis & fornicationis. Inde vers. 4. agit de moderamine linguæ, cavenda detractione, & celando secreto. Tertiò, vers. 13. de correptione fraterna. Quartò, vers. 22. de calliditate bona, æquè ac mala, sive hypocrisi. Hisce tamen de more nonnulla de sapientia & timore Dei dogmata inserit, & admiscet.

1. Operarius ebriosus non locupletabitur: & qui spernit modica, paulatim decidet. 2. Vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos: 3. Et qui se jungit fornicariis, erit nequam: putredo & vermes hereditabunt illum, extolletur in exemplum majus, & tolletur de numero anima ejus.

eius: 4. Qui credit citò, levis corde est, & minorabitur: & qui delinquit in animam suam, insuper habebitur. 5. Qui gaudet iniquitate, denotabitur: & qui odit correptionem, minuetur vita: & qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. 6. Qui peccat in animam suam, pœnitebit: & qui iucundatur in malitia, denotabitur. 7. Ne iteres verbum nequam & durum, & non minoraberis. 8. Amico & inimico noli narrare sensum tuum: & si est tibi delictum, noli denudare. 9. Audiet enim te, & quasi defendens peccatum odiet te, & sic aderit tibi semper. 10. Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet. 11. A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. 12. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti. 13. Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat: Non feci: aut, si fecerit, ne iterum addat facere. 14. Corripe proximum, ne fortè non dixerit, & si dixerit, ne fortè iteret. 15. Corripe amicum: sæpè enim fit commissio. 16. Et non omni verbo credas, est qui labitur lingua, sed non ex animo. 17. Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua? corripe proximum antequam commineris. 18. Et da locum timori Altissimi: quia omnis sapientia timor Dei, & in illa timere Deum, & in omni sapientia dispositio legis. 19. Et non est sapientia nequitiæ disciplina: & non est cogitatus peccatorum prudentia. 20. Est nequitia, & in ipsa execratio: & est insipiens qui minuitur sapientia, 21. Melior est homo, qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi. 22. Est solertia certa, & ipsa iniqua. 23. Est hæc qui emittit verbum certum enarrans veritatem. Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo: 24. Et est qui se nimium submittit à multa humilitate: & est qui inclinat faciem suam, & fingit se non videre quod ignoratum est: 25. Et si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet. 26. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. 27. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo. 28. Est correptio mendax in ira contumeliosi, & est iudicium, quod non probatur esse bonum, & est tacens & ipse est prudens.

VERS. 1. OPERARIUS EBRIOSUS NON LOCUPLETABITUR (sed depauperabitur. est enim: minùs enim dicitur, & plus significatur) ET QUI SPERNIT MODICA, PAULATIM DECIDET) Pro *modica* S. August. & alij legunt *minima*, quia minima sunt modica quàm maxime: & crebra est enallage graduum comparationis in Script. vt positivus vel comparativus ponatur pro superlativo, quia eo carent Hebræi: vt, *Maior horum est charitas: maior*, id est, maxima, 1. Corinth. 13. 13. *Qui autem minor* (id est minimus) *est in regno cælorum, maior est illo*, Matth. 11. 11. Hinc τὰ ὀλίγα, id est, parvum, modicum, Noster subinde vertit *minimum*, vt Actor. 15. 2. Actor. 19. v. 23. & 24.

Copula & partim comparativa est, partim causalis. Comparativa: q. d. Sicut operarius ebriosus non locupletabitur, & id est, sic, pariter, quivis alius spernens modica, non locupletabitur, sed paulatim à suo statu, opulentia & substantia decidet. Causalis: q. d. Operarius ebriosus non locupletabitur, &, id est, *quia, qui spernit modica, paulatim decidet*. Quia enim ebriosus negligit modica opera & lucra singulorum dierum, vt vacet compotationi; hac de causa iterando singulis diebus hunc lucri neglectum, suaque consumens in symposiis, sensim decidit & depauperatur: pauca enim quæ habet citò potando consumuntur, dum eis otiando nihil addit: qui è adverso, si sobriè viveret & strenuè laboraret, parvis suis quotidie parva lucra adiiciendo, tandem multa accumularet, divesque evaderet. Unde Tigurina vertit, *operarius ebriosus non ditescet, & paulatim succumbet qui spernit exigua*; Syrus, *operarius ebriosus non ditabitur, & qui amat carnem* (carnis gulam & crapulam) *hereditabit paupertatem*. Nam vt ait S. Basil. Ad filium spirit. *Ebriosus cum se putat bibere, bibitur: sicut piscis cum glutit escam, glutitur hamo*. Hic versus rectè cohæret cum lectione Græca versus vltimi, & penultimi capitis præcedentis: *Noli delectari in multa epulatione, ne egeas ex collatione*. Cohæret & rectè cum lectione Latina (quamquam hi versus sæpè inter se non sint connexi, vti dixi in proœmio) perstringens hic epulationi & compotationi, quæ in turba hominum plebeiorum (de quibus cap. præced. v. 32.) frequentes esse solet (ait Rabanus) damna assignare, eaque tria enumerat, scilicet paupertatem, libidinem, apostasiam.

Alludit ad Proverb. 23. 21. *Vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio*: hoc est, qui compotationes & cœnas symbolas frequentant, substantiam suam abligurriunt: & quia inde sequitur somnus ad vinum & crapulam digerendam, atque otium ex somno; hinc ad tantam inopiam rediguntur, vt vilibus laceris que pannis quasi pannosi mendici vestire se cogantur. Unde Hebr. habent, *bibax & edax pauper efficietur, & scissuras facere induere dormitatio*; Chald.

& *pannis raptis vestietur dormitatio*; Septuag. *omnis ebrius & scortator mendicabit, & induetur distractis laceris que omnis somnolentus*; S. Ambros. de Elia & ieiunio c. 9. *induet scissa vestimenta*; Clemens Alexandr. 2. Pædag. c. 2. *induetur laceris & pannosis omnis somnolentus: Somnolentus enim est*, inquit, *qui ad sapientiam non vigilat, sed ab ebrietate in somnum demergitur. Et laceris induetur ebriosus, & per ebrietatem pudore afficietur propter ea quæ aspiciuntur. Peccatoris enim foramina sunt ea, quæ ex veste carnali sunt lacerata, perforata libidinibus, per quæ dolorem intra animam ceruntur, nempe peccatum*.

Symbolicè, *operarius ebriosus est*, qui quæ per bonam operationem colligit, eadem per ebrietatem inanis gloriæ, aut alterius mali intentionis dissipat: quo fit, vt per illa nullas opes spirituales conquirat, sed omnibus iisdem privetur & depauperetur.

Nota. Hæc sententia, *Qui spernit modica, paulatim decidet*, hic applicatur operario ebrioso; sed in se generalis est, unde cuilibet rei aptari potest: ut studioso, qui parva negligit in scholis & studiis, paulatim decidet, nec scientiam acquiret, sed perdet: infirmo, qui morbos modicos negligit, incidet in maiores, militi & capitaneo, qui parva in bello negligit, paulatim decidet, seque & exercitum perdet: patrifamilias, qui parva familiæ damna negligit, decidet in magna: mercatori qui parva lucra spernit, amittet maiora. unde mercatorum dictitare satagentium hoc est axioma: *Nullum lucrum quantumvis exiguum negligere*. Idem sibi præfigat mercium spiritualium, puta virtutum, meritorum, & coronarum cœlestium, mercator, vt ne minimam quidem augendæ virtutis, meriti & coronæ occasionem amittat. Quocirca Patres passim hanc sententiam adaptant peccatis levibus: q. d. Qui spernit peccata levia & venialia, sensim deflectet, & tandem incidet in gravia & lethalia: unde seriò monent fideles omnes, vt studiosè defectus veniales etiam minimos caveant: hoc enim esse fundamentum securitatis conscientiæ & profectus in virtute.

Audi S. Gregor. 3. Pastor. admonit. 34. *Admonendi sunt*, inquit, *qui quamvis in minimis, sed tamen frequenter excedunt, ut nequaquam considerent qualia sed quanta committant. Facta enim sua si despiciunt timere cum pensant, debent formidare cum numerant. Altos quippe gurgites fluminum parvæ, sed innumeræ replent guttæ pluviarum. Et hoc agit sentina latenter excrescens, quod patenter procella sæviens. Et minuta sunt quæ erumpunt in membris per scabiem vulnera, sed cum multitudo eorum innumerabiliter occupat, sic vitam corporis, sicut unum grave inflictum pectori vulnus necat. Hinc videlicet scriptum est: Qui modica spernit, paulatim decidit. Qui enim peccata minima flere ac devitare negligit, a statu iustitiæ non quidem repente, sed partibus totus cadit*.

Basilio. S. Basilius in Asceticis, in Regula translata à Ruffino cap. 18. docet Superiorem debere castigare etiam parva subditorum delicta, cùm affirmaverit Dominus, quia *iota unum, aut unus apex non transiet à lege, donec omnia fiant*; & rursum definierit, quia *de omni sermone otioso quem locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii*: quare nihil oportet contemni tamquam parvum. *Qui autem modica spernit, paulatim defluit.* Auctor libri de Salutar. documentis apud S. August. tom. 4. cap. 34. monet elidendas esse parvas cogitationes, dum modicæ sunt & incipiunt, ne crescant & adolescant. *Ne quæso*, inquit, *permittamus in nobis cogitationes pravas, neque tamquam minima negligamus: quia qui minima spernit, paulatim defluit.*

S. Chrys. S. Chrysost. ser. de Pericul. levium peccat. recensita historia uxoris Lot, quæ, quia retrò ad Sodomam conflagrantem respexit, in statuam salis conversa est: *Neque*, inquit, *leve dicendum est, quod hominem contemnendo occidit, aut contemptorem transgrediendo decepit, cum scriptum sit: Qui modica spernit, paulatim decidit.*

S. Cyprian. (vel, ut alii malunt, Origenes) tract. de Singul. Cleric. docet Clericis vitanda esse omnia contubernia feminarum. *Omnes ergo rimæ*, inquit, *ne dicam portæ, claudendæ sunt, ne per unum foramen castra omnia penetrentur; & universa sunt componenda munimenta, ne per modicum non munitum tota civitas ruat, sicut Salomon repetit dicens: Qui spernit modica, paulatim cadet.*

S. Hieron. S. Hieron. sive Paulinus, instituens Celantiam matronam, ait: *Neque verò eorum te seducat error, qui ex arbitrio suo eligunt quæ potissimùm Dei mandata faciant, quæve quasi vilia & parva, despiciant: nec metuunt, ne secundum divinam sententiam minima contemnendo paulatim decidant.*

S. Aug. S. August. lib. 1. de Moribus Eccles. cap. 24. cùm dixisset: *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, subdit: *Quid autem proferri manifestius de veteri testamento contra istam dormitationem animi potest, per quam fit ut non sentiamus quasi minutatim serpentem perniciem, quàm illud quod à Propheta dictum est: Qui spernit modica, paulatim decidet? De qua sententia si opportunum esset festinantibus, copiosissime disputarem: atque id si à nobis nunc susceptum munus flagitaret, fortasse demonstraremus quam sint alta mysteria, quæ imperitissimi & sacrilegi homines deridendo, non illi quidem paulatim jam decidunt, sed magno lapsu præcipites eunt.*

S. Isidoro. S. Isidorus de Norma bene vivendi: *Qui*, ait, *verba mala non reprimit, ad noxia citò transit: & qui minima non respuit, in maxima valde prorumpit: minorum namque culpa majorem generat. Particulatim crescunt vitia, & dum parva non cavemus in magnis prolabimur. Minora itaque devita, & ad majora non devenies.*

Petro Damiani B. Petrus Damiani Apolog. cap. 7. taxans Religiosos qui quippiam pecuniæ apud se retinent, dicentes rem modicam esse: *Si tenuissima*, inquit, *veneni stilla pando oleris aheno diffunditur, nonne totum, esculentius licet, edulium prorsus abominabile judicatur? Si ergo perexigua mala, largissima sæpius bona corrumpunt; quo pacto te de lenocinante conscientia jactas, quia minimum est, quod contra professionis tuæ propositum privata proprietate possideas? Nam juxta Apostolum, Modicum fermentum totam massam corrumpit. Et alibi: Qui modica spernit, paulatim decidit.*

Rationes. Prima. Ratio à priori est. Prima, quia multa parva iterata faciunt quid magnum; sic multæ unitates iteratæ faciunt mille: multæ guttæ constant flumen & mare: multæ arenæ integrant cumulum. Sic multi actus humilitatis exigui, præter meritum, validum pariunt humilitatis habitum: multi actus vanæ gloriæ, habitum robustum vanitatis efficiunt. Quocirca S. Basilius in Ascet. *Nullum*, ait, *sit erratum quod parvi pendas, quamvis illud tenuissima bestiola minutius sit.* S. Hieron. ad Heliodor. *Mens*, ait, *Christo dedita & in majoribus, & in minoribus intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem.* S. August. serm. 44. de Temp. *Noli*, ait, *despicere peccata tua quia parva sunt: nam etiam pluviarum guttæ flumina complent, & moles trahunt, & arbores cum suis radicibus tollunt.* Et in illud psalm. 66. *Gentes in terra dirigit*, docet quotidie orationibus, & jejuniis exhauriendam esse aquam, quæ per rimulas intrat in sentinam animæ, ut navem obruat. Et in psal. 39. *Comprehenderunt me iniquitates*, &c. *multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. Si vitasti*, ait, *grandia, cave ne obruaris arena.* Idem tract. de Decem chordis cap. 11. *Noli*, ait, *ista contemnere, quia minora sunt, sed time, quia plura sunt. Attendite, fratres mei, minuta sunt, non sunt magna. Non est bestia quasi leo, ut uno morsu guttur frangat, sed bestiæ plerumque minutæ multæ necant. Si projiciatur quisque in locum pulicibus plenum, numquid non moritur ibi? Non sunt quidem majores, sed infirma est natura humana, quæ etiam minutissimis bestiis interimi potest. Sic & modica peccata attendite, quia modica sunt: & cavete, quia plura sunt. Quam minutissima sunt grana arenæ! si arena amplius in navi mittatur, mergit illam ut pereat. Quam minutæ sunt guttæ pluviæ! nonne flumina implent, & domos dejiciunt? Ergo ista nolite contemnere.* Nazianz. in Tetrastichis;

Scintilla magnas parva flammas excitat:
Ac vipetinum semen haud raro necat.
Ob idque noxam, quamlibet parvam, fuge:
Nam parva primùm sit licèt, crescit tamen.

B S. Gregor. 10. Moral. cap. 9. *Si*, inquit, *curare parva negligimus, insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus*, juxta illud Eccles. 11. 34. *A scintilla una augetur ignis, & ab uno doloso augetur sanguis.* Denique peccatum veniale iteratum potest fieri mortale, ut patet in eo qui per parva furta notabilem summam accumulat. Plures casus recenset Gabr. Vasquez 1. 2. disp. 246. n. 3. & sequ.

Secunda. Secunda, quia parva disponunt ad magna: qui furatus est hodie assem, cras furabitur duos, perendie tres, ac tandem aureum, imò aureos perplures: sic ex loquacitate facilis lapsus est in detractionem, ex nimia familiaritate in libidinem, ex ambitiuncula in fastum. Magna namque, & aperta peccata, eo iustis minùs periculosa sunt, quòd vel aspectum eorum satis enormem, & tetrum exhorrent; at minima eo ipso quòd minima periculosiora videntur, quia dissimulanter intrant, latenter cor possident, & abscondite ad miserabilem ruinam disponunt. Unde R. Ben Azai in *Pirke avoth*, sive in Sententiis patrum cap. 4. *Festina*, ait, *ut adimpleas mandatum, quantumvis leve; omni cura fuge peccatum.*
C *Sicut enim mandatum unum alterius mandati est sequela; sic & peccatum unum mox aliud post se trahit, eò quòd præmium unius præcepti sit aliud præceptum; sicut & peccati unius permissio fieri à Deo solet in pœnam alterius.* Et S. Bernard. tamquam expertus casuum aliorum bene ait: *Mens Deo dicata sic caveat minora vitia, ut majora: quia à minimis incipiunt, qui in maxima prorunnt.* ita ipse de Ordin. vitæ sub finem. Hoc est quod ait Eccles. cap. 10. *In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.* In quæ verba Cassianus collat. 6. cap. 17. *Eleganter*, inquit, *mentis incuriam domati comparavit, tectoque neglecto, per quam primò quidem velut minutissima quadam penetrant ad animam stillicidia passionum: quæ si velut parva ac levia negligantur, corrumpunt tigna virtutũ, & post hæc influunt imbres largissimi vitiorum, per quos in die hiemali, id est, in tempore tentationis, ingruente impugnatione diaboli expelletur mens de habitatione virtutum, in qua scilicet aliquando circumspectam diligentiam retinens, velut in domus propriæ possessione requieverat.* S. August. epist. 108. ad Seleuciam de venialibus peccatis agens: *Quæ*, inquit, *si collecta contra nos fue-*
D *rint, ita nos gravabunt & oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem atque submergat?* Neque enim id sanctissimus & sapientissimus Pater dixit, quia putaret multa levia peccata uno gravi coæquari; sed quia hæc si non navem nostri cordis operiunt, at aperiunt, ut magnum fluctum peccati gravis suscipiat. Levia enim peccata debilitant vires animi, & spiritus, ac passiones adaugent & roborant: quo fit ut irruente gravi tentatione homo debilis succumbat, & consentiat: juxta illud Cantic. 2. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Et psalm. 136. 9. *Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram.*

Tertia. Tertia, quia parva subinde multis magnum dant scandalum, faciuntque ut multi unius, utpote viri probi & sapien-

sapientis, imitentur exemplum, itaque disciplina Ecclesiæ vel Religionis labefactetur. *Ipsa enim*, ut ait S. Anselmus de Similitud. cap. 122. *est quasi quædam clausura, vel stagnum vivarii. Quoniam quidem sicut pisces decurrente aqua vivarii moriuntur, si clausura ipsius minutatim ac sæpè crepans, nec reficiuntur: ita omnis religio monastici Ordinis funditus perit, si custodia eius per modicarum contemptum culparum, paulatim à fervore suo tepescit.* A

Quarta. Quarta, quia parva peccata gratiam Dei imminuunt & avertunt. Deus enim peccatis venialibus offensus, non toties, nec tantas immittit illuminationes menti, nec tantas pias affectiones voluntati, uti solebat priùs: quo fit ut homo à gratia desertus, pronus sequatur suas passiones & concupiscentias, ac tandem in gravia peccata corruat. Stimulet illud Christi Matth. 25. 21. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui*. Præclarè Salvianus libr. 6. *Nihil*, ait, *leve æstimetur, quo læditur Deus*: omnia peccata offendunt læduntque Deum: omnia ergo, etiam minima, fugit qui Deum amat, nec vel minimùm eum offendere & lædere sustinet. B

Quinta. Quinta, quia dæmon per neglectum minorum fit audacior & robustior, ut tentet homines ad perpetrandum maiora. Qui ergo sapit, in minoribus detinet dæmonem, nec sinit eum progredi ad maiora. Notat hoc Eusebius Anachoreta, qui, ut scribit Theodor. in Histor. Patrum cap. 4. zona ferrea in collum iniecta curvus incedebat. Causam rogatus, hanc dedit: *Ne malignus dæmon de magnis bellum gerat, conans auferre temperantiam & iustitiam, & iram armans, & cupiditatem accendens, & ut fastu efferar, & superbia intumescam, efficiens, & quæcumque adversus meam machinatur animam; conor hostem ad hæc parva traducere: in quibus etiamsi vicerit, non magnum affert detrimentum: &, si victus fuerit, evadit magis ridiculus, ut qui ne in parvis quidem possit evadere superior. Quoniam ergo novi hoc bellum minus periculosum; valdè enim feritur, qui in his damni aliquid accipit (quod enim damnum est vel videre campum, vel in cælum oculos attollere?) ad hoc me genus pugnæ transtuli: in hac enim in me nec ferire potest, nec perimere. Non sunt enim hæc iacula letifera, ut quæ illis ferreis careant aculeis.* C

Magis vitāda parva peccata quàm magna cur? Porrò paradoxum videtur quod ait S. Chrysostom. homil. 88. in Matth. *Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnumquam non tanto studio magna videri peccata esse evitanda, quanto parva & vilia. Illa enim ut aversemur, ipsa natura peccati efficit: hæc autem hac ipsa re quia parva sunt, desides reddunt; & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Unde citò ex parvis magna fiunt negligentia nostra. Hoc ipsum corporibus quoque accidere videbis. Sic in Iuda maximum proditionis malum exortum est; nisi enim putasset parvum esse pecuniam inopum surripere, in tantam protervitatem non devenisset. Iudæi quoque nisi putassent inanis gloriæ delictum minimum esse, usque ad cædem Christi lapsi non fuissent. Hac via omnia scelera fieri videbis: nemo enim repente ad extremam improbitatem insilit. Habet quippe insitum quemdam anima pudorem atque innatum, quem subitò calcare atque proiicere non potest, sed sensim atque paulatim ex negligentia perit.*

Exēplum nivis. Huc facit mirum nivis exemplum, quod refert Olaus Magnus lib. 2. cap. 13. Parum nivis, inquit, pede commovit avicula quædam in summo Dofrinorum montium vertice: quod deorsum sensim descendens, & in pilæ formam sese revoluens & conglobans, semper auctum crevit in tantum amplitudinem, ut rotatum in imum montis vastissima sua mole oppida destruxerit, ita parvi defectus si negligantur, crescunt in immensum, & animam non unius, sed multorum sæpè millium perdunt. D

Ubi rigor, ibi rigor. Quocirca notanda est aurea sententia S. Anselmi epist. 6. ad Monach. Cisterc. *Certissimum*, ait, *signum est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus, quia in monasterio ubi minima districtè custodiuntur, ibi rigor monachorum inviolabilis manet: ibi pax inter Fratres, & in Capitulo proclamationes conquiescunt. Ubi verò minimi excessus negliguntur, ibi totus Ordo paulatim dissipatur & destruitur*. Idem per umbram videre & docuere Philosophi. Plutarchus de Profectu virtutum: *Non mediocre*, ait, *argumentum est nos in virtute progredi, si nullum iam peccatum leve & exiguum putemus, sed omnia studiosè vitemus atque observemus, &c. Talis enim ostendit se purum aliquid sibi iam comparasse, quod inquinari nullo modo velit.* Plinius lib. 11. c. 2. *Rerum natura*, ait, *nusquam magis quàm in minimis tota est.* Quocirca Tertullian. lib. 1. contra Marcion. c. 14. vetat in modicis despici Creatorem, qui maximus artifex *animalia minutoria de industria ingeniis & viribus ampliavit*. Plura vide apud nostrum Julium Nigronium Ascetico de Cura minimorum.

Vers. 2. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes à sapientia, putà à sua prudentia, dignitate, officio, virtute, ac tandem à fide, religione & Deo: et arguent sensatos] q. d. Ideoque vinum & mulieres redargutione & reprehensione dignos faciunt viros prudentes & sensatos, adeoque eos faciunt imprudentes & insensatos. ita Rabanus. Jungit vinum mulieribus, quia *ventri*, inquit S. Hieron. contra Jovin. *vicina sunt genitalia, & venter mero æstuans despumat in libidines*. Ecce hic gradationem vitiorum, quæ ostendit quàm paulatim decidat in abyssum is, qui modica spernit. Ex vino enim itur in crapulam, ex crapula in fornicationem, ex fornicatione in apostasiam. ita Rabanus. Sic vina & mulieres Salomonem regem sapientissimum infatuarunt, ut apostataret, fieretque idololatra. Eadem infatuarunt Calvinum, Lutherum, Bucerum, ceterosque nostri ævi Novatores, eosdemque Apostatas, imò hæreticos & hæresiarchas effecerunt, uti etiamnum multos efficiunt. Syrus vertit, *vinum & mulieres lascivire faciunt cor*; Tigurina, *vinum & mulieres etiam cordatos auferunt, suggillantque sapientes*. Alludit ad Osee cap. 4. 11. *Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor*, ubi multa hac de re dixi. Porrò Palacius τὸ *arguent sensatos*, aliter explicat: q. d. Mulieres arguunt & reprehendunt sensatos, quia cum illis corrixantur, quæ non modica est ipsorum pœna & stultitia. Porro S. Ambros. de Elia & ieiunio cap. 18. *Si vinum*, inquit, *& mulieres discedere à Deo faciunt, quod vel ebrietas, vel libido prævaricationis illecebræ sint; si singula ac separata hæc faciunt, quid facient unita?* Unde non immeritò ait Sapiens (Ecclesi. cap. 26.) *Mulier ebriosa, ira magna, & turpitudinem suam non celabit.*

Vers. 3. Et qui se iungit fornicariis, erit nequam] *Fornicariis*, id est, meretricibus: sic enim clarè habent Græca, ὁ κολλώμενος πόρναις, id est, *qui agglutinatur meretricibus*: τολμηρὸς, id est, *audax*, ita Complut. Sed Clemens Alexandr. 2. Pædag. cap. 10. & alii legunt, τολμηρότερος ἔσται, id est, *audacior erit*, ad alia graviora facinora & scelera perpetranda, quod Noster aliis verbis dicit, *erit nequam*. Fornicatio enim adimit homini frontem & pudorem, qui homines à sceleribus avocare solet; eumque facit impudentem & effrontem, ut quidvis audacter aggredi & designare audeat: qualis sanè est *nequam*, id est, malignus & perversus, qui non nisi nequitias cogitat & somniat. Unde Tigurina, *& qui consuescit meretricibus, evadet confidentior*: Syrus, *qui adhæret meretrici peribit*. Quid enim non potest iubere tuum quod perditè amas, scortum? quid tu ei adeò insanè adamatæ, adeoque tibi imperanti negare poteris? planè eris comessator, ebriosus, &c, si pecunia egeas, fur, ut veneri satisfacias; rixosus, & subinde homicida, magus, veneficus, ait Palacius, ac tandem hæreticus & atheus.

An Christianis permittēdum lupanar. Affirmāt aliqui. Disputant nonnulli, & inter eos Joannes Mariana libr. de Spectaculis c. 16. An expediat in urbe Christiana permittere meretrices & lupanar? Pro parte affirmante facit, quòd permittenda sint minora mala ut vitentur maiora. Per lupanar autem vitantur adulteria, incestus, sacrilegia, peccata contra naturam, &c. Favet S. August. lib. de Ordine c. 4. *Quid sordidius*, ait, *quid dedecoris & turpitudinis plenius meretricibus, lenonibus, ceterisque hoc genus pestibus dici potest? Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Augustinum secutus S. Thom. lib. 4. de Regim. princ. c. 14. ait tolerari meretrices, ut, sentinæ instar, in eas omnes sordes confluant. Sic & Lyran. in c. 19. Genes. & in c. 24. Deuter.

Negant alii probantque. Primò. In partem negantem facit, Primò, quòd Deus Iudæis olim vetuerit meretrices. Deuteron. 23. 17. *Non erit*, ait, *meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel*. Unde Ori-

Basilius. S. Basilius in Asceti. In Regula contracta à Ruffino cap. 18. docet Superiorem debere castigare etiam parva subditorum delicta, cum affirmaverit Dominus, quia iota unum, aut unus apex non transibit a lege, donec omnia fiant; & curiosum esse sciret, quia de omni sermone otioso quem locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicii: quare nihil oportet contemni tanquam parvum. *Qui autem modica spernit, paulatim decidet.* Auctor libri de Salutar. documentis apud S. August. tom. 4. cap. 24. monet elidendas esse parvas cogitationes, dum modicæ sunt & incipiunt, ne crescant & adolescant. *Ne quæso*, inquit, *permittamus in nobis cogitationes pravas, neque tamquam minima negligamus: quia qui minima spernit, paulatim decidit.*

S.Chrys. S. Chrysost. ser. de Pericul. levium peccat. recensita historia uxoris Lot, quæ, quia retro ad Sodomam conflagrantem respexit, in statuam salis conversa est: *Neque*, inquit, *leve dicendum est, quod hominem contemnendo occidit, aut contemptorem ex negligendo decepit, cum scriptum sit: Qui modica spernit, paulatim decidit.*

S. Cyprian. (vel, ut alii malunt, Origenes) tract. de Singul. Cleric. docet Clericis vitanda esse omnia contubernia feminarum. *Omnes exteriores*, inquit, *ne dicam portæ, claudendæ sunt, ne per unum foramen castra omnia penetrentur; & universæ licet compositæ munimenta, ne per modicum non munitum tota civitas ruat, sicut Salomon expressit dicens: Qui spernit modica, paulatim cadet.*

S.Hieron. S. Hieron. sive Paulinus, instituens Celantiam matronam, ait: *Neque vero eorum te similem esse velim, qui ex arbitrio suo eligunt quæ potissimum Dei mandata faciant, quæque quasi vilia & parva, despiciant: nec metuunt, ne secundum dictum sententiam etiam minima contemnendo paulatim decidant.*

S.Aug. S. August. lib. 1. de Moribus Eccles. cap. 24. cum dixisset: *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, subdit: *Quid autem proferri manifestius de veteri testamento contra istam sententiam animus potest, per quam fit ut non sentiamus quasi minutatim serpentem perniciem, quam illud quod a Propheta dictum est: Qui spernit modica, paulatim decidet? De qua sententia si opportunum esset fusius disputare, copiosissime disputarem: atque id si a nobis nunc susceptum munus flagitaret, fortasse demonstraremus quam sint alta mysteria, quæ imperitissimi & sacrilegi homines deridenda, non illi quidem paulatim jam deciderunt, sed magna ruina præcipites eunt.*

S.Isidor. S. Isidorus de Norma bene vivendi: *Qui*, ait, *verba mala non reponimus, ad mania opera transit: & qui minima non respuit, in maxima valde prorumpit: minorum namque culpa majorem generat. Particulatim crescunt vitia, & dum parva non cavemus in magnis prolabimur. Minora itaque devita, & ad majora non devenies.*

Petrus Damiani. B. Petrus Damiani Apolog. cap. 7. taxans Religiosos qui quippiam pecuniæ apud se retinent, dicentes rem modicam esse: *Sanctissime*, inquit, *cuncta stilla parvula etiam aliena distribuitur, nonne totum, quod habet, adulterium proprie abominabile judicatur? Si ergo percutitur mala, largissima famosa etiam corrumpunt; quo pacto de bona pecunia conscientia jactas, quod minimum est, quod contra professionis tuæ propositum privata proprietate possideas? Nam juxta Apostolum, Modicum fermentum totam massam corrumpit. Et addit: Qui modica spernit, paulatim decidit.*

Rationes. Prima. Ratio à priori est. Prima, quia multa parva iterata faciunt quid magnum; sic multæ unitates iteratæ faciunt mille: multæ guttæ conflant flumen & mare: multæ arenæ integrant cumulum. Sic multi actus humilitatis exigui, praeter meritum, validum pariunt humilitatis habitum: multi actus vanæ gloriæ, habitum robustum vanitatis efficiunt. Quocirca S. Basilius in Ascet. *Nullum*, ait, *sit erratum quod parvi pendas, quamvis illud tranquillissima assertio minutum sit.* S. Hieron. ad Heliodor. *Mitto*, ait, *Confido dedica & in majoribus, & in minoribus sincera est, sicut etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem.* S. August. serm. 44. de Temp. *Nolo*, ait, *despicere peccata tua quia parva sunt: nam etiam plenissimam gutta flumina complent, & moles trahunt, & arbores cum suis radicibus tollunt.* Et in illud psalm. 66. *Graves in terra degere*, docet quotidie orationibus, & jejuniis exhauriendam esse aquam, quæ per rimulas intrat in sentinam navi-

Amr, ut navem obruat. Et in psal. 39. *Comprehenderunt me iniquitates*, &c. *multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, de minutis*, ait, *grandis, cave ne obruaris arena.* Idem tract. de Decem chordis cap. 11. *Nolo*, ait, *ista contemnere, quia minora sunt, sed time, quia plura sunt. Attendite, fratres mei, minuta sunt, non sunt magna. Non est bestia quasi leo, ut uno morsu guttur frangat, sed bestiæ plerumque minutæ multæ necant. Si projiciatur quisque in locum pulicibus plenum, numquid non moritur ibi? Non sunt quidem majores, sed infirma est natura humana, quæ etiam minutissimis bestiis interimi potest. Sic & minuta peccata attendite, quia multa sunt: & cavete, quia plura sunt. Quam minutissima sunt grana arenæ! si arena amplius in navi mittatur, mergit illam ut pereat. Quam minutæ sunt guttæ pluviæ! nonne flumina implent, & domos deiiciunt? Ergo ista noli contemnere.* Nazianz. in Tetrastichis;

Scintilla magnas parva flammas excitat:
Ac saepenumero semen haud vero necat.
Obiique nunquam, quamlibet parvum, fuge:
Nam parva primum sic licet, crescit tamen.

B S. Gregor. 10. Moral. cap. 9. *Si*, inquit, *cavere parva negligimus, insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus*, juxta illud Eccles. 11. 34. *A scintilla una augetur ignis, & ab uno doloso augetur sanguis.* Denique peccatum veniale iteratum, posset fieri mortale, ut patet in eo qui per parva furta notabilem summam accumulat. Plures casus recenset Gabr. Vasquez 1. 2. disp. 142. c. 3. & sequ.

Secunda. Secunda, quia parva disponunt ad magna: qui furatus est hodie aliem, cras furabitur duos, perendie tres, ac tandem decem, imo aureos perplures: sic ex loquacitate facilis lapsus est in detractionem, ex nimia familiaritate in libidinem, ex ambitiuncula in fastum. Magna namque, & aperta peccata, eo ipso minus periculosa sunt, quod vel aspectum eorum facit enormem, & terrorem coherrent; at minima eo ipso quod minima periculosiora videntur, quia dissimulanter intrant, latenter corpus solidant, & abscondite ad mortiferum ruinam disponunt. Unde R. Ben Azai in *Pirke avoth*, sive in Sententiis patrum cap. 4. *Festina*, ait, *ut adimpleas mandatum, quantumvis leve; omni cura fuge peccatum.* C *Siquidem mandatum unum alterius mandati est sequela; sic & peccatum unum mox aliud post se trahit, eo quod præmium unius præcepti sit aliud præceptum; sicut & peccati unius permissio fieri a Deo solet in pœnam alterius.* Et S. Bernard. tanquam expertus casuum aliorum bene ait: *Meus Deo dicata se caveat minima vitia, ut majora; quia a minimis incipiunt, qui in maxima prorunnt*, ita ipse de Ordin. vitæ sub finem. Hoc est quod ait Eccles. cap. 10. *In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.* In quæ verba Cassianus collat. 6. cap. 17. *Eleganter*, inquit, *mentis incurium domate comparatur, scilicet neglecto, per quam primo quidem velut minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum, quæ si vetus parva ac levia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & post hæc infusum imbres largissimi vitiorum, per quos in die hiemali, id est, in tempore tentationis, ingruente impugnatione diaboli expellitur mens de habitatione virtutum, in qua stiterit aliquando conumpsecham diligentiam retinens, velut in domus propria possessione requieverat.* S. August. epist. 108. ad Seleucianum de venialibus peccatis agens: *Quæ*, inquit, *si collecta contra nos fuerint*, D *ita nos gravabunt & opprimunt, sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem atque submergat?* Neque enim id sanctissimus & sapientissimus Pater dixit, quia putaret multa levia peccata uno gravi coæquari; sed quia hæc leviora navem nostri cordis operiant, ut aperiunt, ut magnum illud peccati gravis suscipiat. Levia enim peccata debilitant vires animi, & spiritus, ac passiones adaugent & roborant: quo fit ut irruente gravi tentatione homo debilis succumbat, & consentiat: juxta illud Cantic. 2. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Et psalm. 136. 9. *Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram.*

Tertia. Tertia, quia parva scandala multis magnum dant scandalum, faciuntque ut multi mala, utpote viri probi & sapien-

sapientis, imitentur exemplum, itaque disciplina Ecclesiæ vel Religionis labefactetur. *Ipsa enim*, ut ait S. Anselmus de Similitud. cap. 122. *est quasi quædam clausura, vel stagnum vivarii. Quoniam quidem sicut pisces decurrente aqua vivarii moriuntur, si clausura ipsius minutatim ac sæpè crepant, nec reficiuntur: ita omnis religio monastici Ordinis funditus perit, si custodia eius per modicarum contemptum culparum, paulatim à fervore suo tepescit.*

Quarta. Quarta, quia parva peccata gratiam Dei imminuunt & avertunt. Deus enim peccatis venialibus offensus, non toties, nec tantas immittit illuminationes menti, nec tantas pias affectiones voluntati, uti solebat priùs: quo fit ut homo à gratia desertus, pronus sequatur suas passiones & concupiscentias, ac tandem in gravia peccata corruat. Stimulet illud Christi Matth. 25. 21. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.* Præclarè Salvianus libr. 6. *Nihil*, ait, *leve æstimetur, quo læditur Deus*: omnia peccata offendunt læduntque Deum: omnia ergo, etiam minima, fugit qui Deum amat, nec vel minimùm eum offendere & lædere sustinet.

Quinta. Quinta, quia dæmon per neglectum minorum fit audacior & robustior, ut tentet homines ad perpetrandum maiora. Qui ergo sapit, in minoribus detinet dæmonem, nec sinit eum progredi ad maiora. Notat hoc Eusebius Anachoreta, qui, ut scribit Theodor. in Histor. Patrum cap. 4. zona ferrea in collum iniecta curvus incedebat. Causam rogatus, hanc dedit: *Ne malignus dæmon de magnis bellum gerat, conans auferre temperantiam & iustitiam, & iram armans, & cupiditatem accendens, & ne fastu efferar, & superbia intumescam, efficiens, & quæcumque adversus meam machinatur animam; conor hostem ad hæc parva traducere: in quibus etiamsi vicerit, non magnum affert detrimentum: &, si victus fuerit, evadit magis ridiculus, ut qui ne in parvis quidem possit evadere superior. Quoniam ergo novi hoc bellum minus periculosum; valdè enim feritur, qui in his damni aliquid accipit (quod enim damnum est vel videre campum, vel in cælum oculos attollere?) ad hoc me genus pugnæ transtuli: in hac enim in me nec ferire potest, nec perimere. Non sunt enim hæc iacula lætifera, ut quæ illis ferreis careant aculeis.*

Magis vitanda parva peccata quam magna cur? Porrò paradoxum videtur quod ait S. Chrysostom. homil. 88. in Matth. *Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnumquam non tanto studio magna videri peccata esse evitanda, quanto parva & vilia, illa enim ut aversemur, ipsa natura peccati efficit: hæc autem hac ipsa re quia parva sunt, desides reddunt; & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Unde cito ex parvis magna fiunt negligentia nostra. Hoc ipsum corporibus quoque accidere videbis. Sic in Iuda maximum proditionis malum exortum est; nisi enim putasset parvum esse pecuniam inopum surripere, in tantam protervitatem non devenisset. Iudæi quoque nisi putassent inanis gloriæ delictum minimum esse, usque ad cædem Christi lapsi non fuissent. Hac via omnia scelera fieri videbis: nemo enim repente ad extremam improbitatem insilit. Habet quippe insitum quemdam anima pudorem atque innatum, quem subitò calcare atque proiicere non potest, sed sensim atque paulatim ex negligentia perit.*

Exemplum nivis. Huc facit mirum nivis exemplum, quod refert Olaus Magnus lib. 2. cap. 13. Parum nivis, inquit, pede commovit avicula quædam in summo Delrinorum montium vertice: quod deorsum sensim descendens, & in pilæ formam sese revoluens & conglobans, semper auctum crevit in tantam amplitudinem, ut rotatum in imum montis vastissima sua mole oppida destruxerit, ita parvi defectus si negligantur, crescunt in immensum, & animam non unius, sed multorum sæpè millium perdunt.

Ubi rigor, ibi rigor. Quocirca notanda est aurea sententia S. Anselmi epist. 6. ad Monach. Cisterc. *Certissimum*, ait, *signum est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus, quia in monasterio ubi minima districtè custodiuntur, ibi rigor monachorum inviolabilis manet: ibi pax inter Fratres, & in Capitulo proclamationes conquiescunt. Ubi verò minimi excessus negliguntur, ibi totus Ordo paulatim dissipatur & destruitur.* Idem per umbram videre & docuere Philosophi. Plutarchus de Profectu virtutum: *Non mediocre*, ait, *argumentum est nos in virtute progredi, si nullum iam peccatum leve & exiguum putemus, sed omnia studiosè vitemus atque observemus, &c. Talis enim ostendit se purum aliquid sibi iam comparasse, quod inquinari nullo modo velit.* Plinius lib. 11. c. 2. *Rerum natura*, ait, *nusquam magis quàm in minimis tota est.* Quocirca Tertullian. lib. 1. contra Marcion. c. 14. vetat in modicis despici Creatorem, qui maximus artifex *animalia minutoria de industria ingeniis & viribus ampliavit*. Plura vide apud nostrum Iulium Nigronium Ascetico de Cura minimorum.

Vers. 2. VINUM ET MULIERES APOSTATARE FACIUNT SAPIENTES à sapientia, putà à sua prudentia, dignitate, officio, virtute, ac tandem à fide, religione & Deo: ET ARGUENT SENSATOS] q. d. Ideoque vinum & mulieres redargutione & reprehensione dignos faciunt viros prudentes & sensatos, adeoque eos faciunt imprudentes & insensatos. ita Rabanus. Iungit vinum mulieribus, quia *ventri*, inquit S. Hieron. contra Iovin. *vicina sunt genitalia, & venter mero æstuans despumat in libidines*. Ecce hic gradationem vitiorum, quæ ostendit quàm paulatim decidat in abyssum is, qui modica spernit. Ex vino enim itur in crapulam, ex crapula in fornicationem, ex fornicatione in apostasiam. ita Rabanus. Sic vina & mulieres Salomonem regem sapientissimum infatuarunt, ut apostataret, fieretque idololatra. Eadem infatuarunt Calvinum, Lutherum, Bucerum, ceterosque nostri ævi Novatores, eosdemque Apostatas, imò hæreticos & hæresiarchas effecerunt, uti etiamnum multos efficiunt. Syrus vertit, *vinum & mulieres lascivire faciunt cor*; Tigurina, *vinum & mulieres etiam cordatos auferunt, suggillantque sapientes*. Alludit ad Oseæ cap. 4. 11. *Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor*, ubi multa hac de re dixi. Porrò Palacius τὸ *arguent sensatos*, aliter explicat: q. d. Mulieres arguunt & reprehendunt sensatos, quia cum illis corrixantur, quæ non modica est ipsorum pœna & stultitia. Porro S. Ambros. de Elia & ieiunio cap. 18. *Si vinum*, inquit, *& mulieres discedere à Deo faciunt, quod vel ebrietas, vel libido prævaricationis illecebræ sint; si singula ac separata hæc faciunt, quid facient unita?* Unde non immeritò ait Sapiens (Eccles. cap. 26.) *Mulier ebriosa, ira magna, & turpitudinem suam non celabit.*

Vers. 3. ET QUI SE IUNGIT FORNICARIIS, ERIT NEQUAM] *Fornicariis*, id est, meretricibus: sic enim clarè habent Græca, ὁ κολλώμενος πόρναις, id est, *qui agglutinatur meretricibus*: τολμηρὸς, id est, *audax*, ita Complut. Sed Clemens Alexandr. 2. Pædag. cap. 10. & alii legunt, τολμηρότερος ἔσται, id est, *audacior erit*, ad alia graviora facinora & scelera perpetranda, quod Noster aliis verbis dicit, *erit nequam*. Fornicatio enim adimit homini frontem & pudorem, qui homines à sceleribus avocare solet; eumque facit impudentem & effrontem, ut quidvis audacter aggredi & designare audeat: qualis sanè est *nequam*, id est, malignus & perversus, qui non nisi nequitias cogitat & somniat. Unde Tigurina, *& qui coniunxit se meretricibus, evadet confidentior*: Syrus, *qui adhæret meretrici peribit*. Quid enim non potest iubere tuum quod perditè amas, scortum? quid tu ei adeò insanè adamatæ, adeoque tibi imperanti negare poteris? planè eris comessator, ebriosus, &, si pecunia egeas, fur, ut veneri satisfacias; rixosus, & subinde homicida, magus, veneficus, ait Palacius, ac tandem hæreticus & atheus.

An Christianis permittendum lupanar. Affirmant aliqui. Disputant nonnulli, & inter eos Ioannes Mariana libr. de Spectaculis c. 16. An expediat in urbe Christiana permittere meretrices & lupanar? Pro parte affirmante facit, quòd permittenda sint minora mala ut vitentur maiora. Per lupanar autem vitantur adulteria, incestus, sacrilegia, peccata contra naturam, &c. Favet S. August. li. de Ordine c. 4. *Quid sordidius*, ait, *quid dedecoris & turpitudinis plenius meretricibus, lenonibus, ceterisque hoc genus pestibus dici potest? Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Augustinum secutus S. Thom. lib. 4. de Regim. princ. c. 14. ait tolerari meretrices, ut, sentinæ instar, in eas omnes sordes confluant. Sic & Lyran. in c. 19. Genes. & in c. 24. Deuter.

Negant alii probantque. Primò. In partem negantem facit. Primò, quòd Deus Iudæis olim vetuerit meretrices. Deuteron. 23. 17. *Non erit*, ait, *meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel.* Unde Ori-

Origen. lib. 4. contra Celsum: *Nulla*, inquit, *fuere meretrices inuentutis pestes in eorum republ.* Idem docet Clemens lib. 3. Strom. Et Philo lib. de Special. leg. ait, apud Iudæos capitale fuisse corpore quæstum facere. Quòd si sanctitas judaismi non patiebatur meretrices, multò minùs eas patietur sanctitas christianismi, præsertim cùm in eo majora suppetant gratiarum, Sacramentorum, concionum, exemplorum auxilia ad castè vivendum, quàm in judaismo.

Secundò. Secundò, quia per lupanaria non cavetur, sed augetur libido quælibet: etiam contra naturam, uti liquet in urbibus ubi ea permittuntur. Vna enim libido inflammat aliam: libido enim vaga quasi cancer serpit, & quia insaturabilis, alios & alios quærit & excogitat voluptatis modos & species, nec ullis finibus se continet; sed metu suppliciorum, & diligentia principum cohibetur maximè.

Tertiò. Tertiò, quia S. Hieron. ad Oceanum ait, *Cæsarem non Christum, Papinianum non Paulum viris impudicitiæ fræna laxare, & lupanaria permittere*. Lactant. lib. 6. c. 23. docet à dæmone lupanaria esse inuecta. *Ac ne quis esset*, ait, *qui penarum metu abstineret alieno, lupanaria quoque constituit, & pudorem infelicium mulierum publicavit, ut ludibrio haberet tam eos qui faciunt, quam quas pati necesse est*. Quin & S. August. ætate & vsu sapientior, videtur retractasse sententiam. Nam lib. 2. de Ciuit. c. 20. lupanaria numerat inter illicita & exitialia. Et lib. 14. c. 18. *Vsum scortorum*, ait, *terrena ciuitas licitam turpitudinem facit*, q. d. Jura Gentilium Rom. scorta permittunt, non jura Ecclesiæ.

Quartò. Quartò, S. Ludovicus tota Gallia meretrices publicas & lupanaria prohibuit, uti referunt Galliæ Annales Gaguinus & Æmilius libr. 7. Sic nuper Philippus IV. Hispan. Rex, tota Hispania lupas & lupanaria publica lege eiecit. Quidni ergo idem præstent aliæ provinciæ pari suo honore, & publico pudoris commodo?

Quintò. Quintò, lupanaria, æquè ac Bacchanalia, sunt reliquiæ gentilismi & probrum christianismi. Sanè Hussitæ Catholicos acriter accusant, quòd lupanaria tolerent, teste Ænea Syluio lib. 2. Histor. Bohem. cap. 50. Jam multis in locis viri Religiosi Bacchanalia verterunt in Christianalia, dieique pietatis: utinam idem facerent de lupanaribus. Sanè lupanar, in quod ducta fuit S. Agnes, sed protecta ab Angelo, Romæ in ecclesiam nomine S. Agnetis conversum intuemur. hæc ferè Mariana loco citato.

Sextò. Sextò, Navarrus in Manuali c. 17. n. 195. novem rationibus probat non esse permittenda lupanaria, inter quas sexta est, quòd videamus occasione lupanarium pueros vel sua sponte, vel aliorum invitatu ad ea accurrere, noxiaque libidine enervare vires, ac inflammata semel cupiditate in omne dedecus ruere. Omnino ubi lupanaria non sunt, multò continentiores sunt juuenes, pauciora adulteria existunt, castior est ciuitas: quia sicut nullum vitium ita accenditur occasione datâ, ac libido; sic pariter nullum ita reprimitur occasionum fuga, ac libido. *Fugite fornicationem*, ait S. Paulus. Ratio est clara, quia sicut flamma non extinguitur, sed accenditur flamma: ita libido accenditur libidine, perinde ut rixa accenditur rixa.

Septimò. Septimò, lupanaria seruiunt plebeiis duntaxat: honestiores enim honestas quærunt, iisque insidiantur. Accedit, quòd ex meretricibus flore ætatis transacto, fiunt lenæ, quæ mille nocendi artes norunt. Audi Nauarrum loco citato: *Finis per lupanaria prætensus, puta ne honestæ sollicitentur, non attingitur: viri enim prudentes aiunt eos, qui ad eas sollicitandas sunt apti, non adire meretrices, imò postquam eis malè sunt assueti, tanto magis honestas sollicitant, quo majore impetu naturæ & vitii feruntur.*

Octauò. Octauò, quòd mares majore vigore sunt ad resistendum libidini, quàm feminæ: cap. *indignantur*, 32. q. 6. feminis autem nusquam hac permissione succurritur.

Nonò. Nonò, quòd verum remedium contra libidinem est ardens amor castitatis, vitatio occasionis ejus perdendæ, vigilantia ad resistendum, abstinentia, labor assiduus, & super omnia gratia Dei; quorum omnium contraria, lupanaria requirunt. hucusque Nauarrus.

Denique hoc videtur significare hic Sapiens: *Qui se iungit fornicarijs, erit nequam*; græcè, *audax* ad omne facinus, ut & alios multos nequitiæ suæ complices efficiat. Sicut enim qui tangit picem inquinatur ab ea, sic necesse est ubi abundant fornicariæ & fornicarii, ijs eorumque machinationibus inquinari virgines, juvenes, nobiles, plebejos, omnemque ætatem & sexum.

Quare sicubi ob inveteratam consuetudinem lupanaria statim omnino tolli nequeunt, certè restringenda sunt, vt pauca sint, paucasque contineant, sintque à civium domibus separata. In hospitiis ergo lupæ non permittendæ: & quæ nocte concubia per plateas venali corpore discurrunt, quæque in privatis domibus habitant, supplicio sunt coercendæ. Multò minùs concubinatus iis qui coniugati non sunt, permittendus est. Audio in Hispania ne magnatibus quidem parci, sed eos in castrum aliquod amandari, concubinas verò in pistrinum, quod Hispani vocant triremes meretricum, detrudi. Ita sistitur libido; hisce patronis pudor & decus triumphant.

Memorabile est exemplum Pij V. qui Roma omnique Statu Ecclesiastico meretrices intra quindecim dies excedere jussit; paucas tantùm permisit, easque loco separato juxta mausolæum reclusit, sanxitque ne inde egrederentur, ac per urbem nocte vel die vagarentur: sacellum eis attribuit, in quo concionem audirent: quæcumque contrà facerent, acriter diuerberabantur. Obstitit initio Pontifici Conservator populi Rom. dictitans id cessurum in Romæ detrimentum, quæ cùm sit ciuitas libera, meretrices semper permisit, ideoque numero & gente accrevit. Respondit Pius, nosse se quanta hæc peccati sit illecebra, tum populo, tum Clero, ac quantum per hoc apud exteros probrum Romæ & Sedi Apostolicæ, putà Pontifici, qui ejus est princeps tum sæcularis, tum Ecclesiasticus, creetur. Hæreticos enim perpetim illud Romanis obiicere; ac proinde se in conscientia teneri hoc scandalum & probrum tollere. Vrgente Conservatore hanc fore ruinam Romæ, respondit: Si per hoc sum futurus ruina Romæ, ea excedam, & Sedem Apostolicam mecum in aliam urbem transferam, ac Romanis suas lupas relinquam. Cessit Conseruator: ac Pontifex rigidè sanctionem suam executioni mandans, Romam hoc scandalo, & probro liberavit. ita habet ejus Vita. *Exemplum Pij V.*

Pium V. æquè ac S. Ludovicum imitatus est recenter hoc anno 1624. inauguratus Lotharingiæ Dux, qui primordia Ducatus sui à Deo, Deique cultu auspicatus, legem tulit & severè sanxit, ut blasphemis lingua perforetur, lenones suspendantur, meretrices flagellentur & in exilium expellantur. Hoc sui regiminis pii sanctique præbens auspicium, dedit prælustre futuri specimen & omen. Felix tali Duce Lotharingia. Felix tanta religione & castimonia Dux. *& Ducis Lotharingiæ.*

PVTREDO ET VERMES HEREDITABVNT ILLVM, EXTOLLETVR IN EXEMPLVM MAIVS, ET TOLLETVR DE NVMERO ANIMA EIVS] Libido enim corrumpit humores, spiritus, sanguinem, totamque hominis complexionem, ideoque carnes putrescere facit, ut vermes ex eis ebulliant, ac jure dicat scortator: *Putredini dixi, Pater meus es: mater mea & soror mea, vermibus*, Job 17. Vbi jam venter phasianis & falernis odoratis saburratus? vbi maiestas frontis, & oculorum lucernæ? ubi suave vocis plectrum, & sonora aurium tympana? Omnia facta sunt lurida sordium congeries, bufonum crypta, & cloaca vermium ac serpentum. quare scortator *extollitur*, id est, citò aufertur ex hac vita, vt statuatur *in παράδειγμα*, id est, in *exemplum* insigne & *majus* ceterorum, uti statutus fuit Salomon, quem hic notare videtur Siracides: idque ad hoc, ut singuli talis vindictæ exemplo perculsi, sibi à scortatione caveant: *& tolletur de numero viventium*, tam hic quàm in cælis *anima ejus*. Scortatio enim, quia sanguinem, spiritus & succum exhaurit, corpusque exsiccat, enervat, infirmat; hinc abbreviat vitam hominis, mortemque accelerat. ita Raban. Lyran. Iansen. Palacius & alii. Vnde pro ἐπαρθήσεται, id est, *extolletur*; Complut. legunt ξηρανθήσεται, id est, *exsiccabitur*, arescet. Pro *putredo* Noster legit σήπη, & sic habet vetustus codex. Jam legunt σῆτες, id est *tinea*. Vnde Tigurina vertit, *caries & vermes occupabunt eum, & anima confidens*, (audax) *auferetur grauiq; supplicio contabescet*, Syrus pro his omnibus hoc tantùm habet, *anima impudens perdet Dominum suum*.

Porrò, *putredo*, *vermis* & tinea sunt symbola & periphrasis mortis, ut patet Job 13. 28. & c. 17. 11. Isaiæ 14. 14.

Nam

Nam quod putrescit, emoritur: fornicatores ergo corrumpentes corpus putrescunt sensim, corrodendi deinde à vermibus, qui ex putribus eorum cadaveribus creabuntur. Congrua & iusta est hæc fornicantium pœna, ut in quo peccaverunt, in eo & puniantur, ut carnis deliciis succedat putredo, voluptati dolor, lasciviæ mors, ac post mortem putredo, & vermes, qui eos corrodant. Quò enim delicatiùs caro nutritur, eò mortua magis putrescit & fœtet, eoque avidiùs eam depascuntur bufones & serpentes. Id hoc sæculo magis quàm prioribus experientia liquet, quo Deus ad castigandam fornicationem novum genus morbi in fornicarios immisit, putà morbum Gallicum, vel, ut alii vocant, Neapolitanum, qui eos ita fœdat & cruciat, ut seipsos ferre, & sustinere vix valeant. Multò magis fœtet eorum anima, ac cruciatur verme conscientiæ, ibitque in cruciatus gehennæ. Quocirca S. Hilarion, Sancta Catarina Senensis, aliique Sancti, dum cum quopiam scortatore occulto loquerentur, tantum ex eo sentiebant emanare fœtorem, ut nares comprimere, faciemque avertere cogerentur.

Libidinis damna & morb.

Porrò quot quantique morbi ex libidine, quasi turpissimæ voluptatis stipendia, promanent, recenset Aëtius B lib. 3. Atra bil. nimirum: *Exolutio virium, crudelitates, hebetudo sensuum, oblivio, tremor, articulorum dolor, renum & vesicæ morbi, oris graveolentia, dentium dolor, gurgulionis inflammatio, ulcera in membris, phthisis*. Denique mala omnia. Quod eleganter S. Chrysost. homil. *Quod nemo læditur nisi a seipso*, significavit: *Hi* (inquit) *qui in deliciis & luxuria vitam degunt, resoluta quidem corpora & omni cera molliora circumferunt, atque agmina quodam infirmitatum repleta: quibusque ad cumulum malorum podagræ tremor, & immatura senectus succedit, & est eis vita semper cum medicis, & medicamentis, sensus autem ipsi tardi, graves, obtusi, & quodammodo jam sepulti*. Idem homil. 56. ad Popul. Antiochen. ipsis primis verbis: *Non tam vehementer pluviatum aquarum cursus ipsas ripas corrodere solet, sicut delicia & luxus omnia valetudinis nostræ firmamenta facilè subruere.*

Qui citò credit, decipitur.

VERS. 4. QUI CREDIT CITO, LEVIS EST CORDE] qui scilicet credit cuilibet quidlibet sine justa ratione vel auctoritate asserenti. Unde Arabicus, *qui ducitur citò ad acceptionem verborum, est modicus mente*, id est, parvi C iudicii. Loquitur Siracides de credendo per fidem tum divinam (nemo enim potest credere fide divina quippiam, nisi habeat evidentia signa credibilitatis:) tum potiùs humanam, quà credimus alteri sua narranti, & maximè proximo suo detrahenti: tali enim citò credere levis est animi, non sedati, maturi & cordati. Hic enim scit homines sæpè decipi, & decipere, detractores invidia, & passione agi, ideoque rem exaggerare, & ex musca facere elephantum, multa pravè suspicari, multa malè interpretari, multa fingere, multa mentiri: ac proinde eis non facilè esse adhibendam fidem, sed ut minimum suspendendum esse iudicium, donec rei veritas examinetur, & probetur. Verè Comicus: *Vix hodie fidei fides fit sine fidei dispendio*. Quare *qui citò credit, minorabitur*, tum sapientia, tum fama, & nomine: habebitur enim levis, imprudens, & subinde insipiens, ac, ut Syrus vertit, *amens*: idcircò pœnitebit eum, præsertim ubi viderit se deceptum, & falsum. Unde Seneca in Proverbiis: *Ad pœnitendum properat*, inquit, *citò qui judicat*. Est hæc generalis sententia, quæ proinde in qualibet cita credulitate locum habet. Unde Sanctus D Ignatius epist. ad Heronem, monet eum, ne cuivis veram fidem profitenti vel simulanti credat: *Multi enim*, inquit, *ministri sunt satanæ: & qui citò credit, levis est corde*. Porrò Sanctus Bernardus epist. 190. ad Innocent. Pontific. taxat Petrum Abailardum, qui volebat mysteria fidei, ut SS. Trinitatis, mente & ratione comprehendere. *Denique*, ait, *exponere volens illud Sapientis: Qui credit citò, levis est corde. Citò credere est*, inquit, *adhibere fidem ante rationem, cùm hoc Salomon* (multi enim hunc librum Sirach vocant Salomonis: causas dedi in proœmio) *non de fide in Deum, sed de mutua inter nos dixerit credulitate: nam illam quæ in Deum est fidem, B. Papa Gregorius negat planè habere meritum, si ei humana ratio præbeat experimentum*. Insuper noster Pineda in Job cap. 30. vers. 2. hanc sententiam refert ad eos qui credunt deliciis, & vanis promissis carnis, & mundi, putà gulæ, & veneris: de his enim sermo præcessit. *Agit*, A inquit, *de his qui facilè rebus visibilibus sua desideria committunt, & promissis fallacibus hujus mundi citò ac leviter credunt: hujusmodi enim ambitiosus & cupidus semper minorabitur, id est, decrescet, & ibit in deterius facitque & delinquit contra animam suam, id est, contra vitæ suæ jucunditatem, & tranquillitatem: ac præterea insuper habebitur, id est, inutilis erit, &, quod vulgò dici solet impertinens.*

Exempla

Exempla sunt in Josue cap. 9. qui citò credens Gabaonitis deceptus fuit. In Constantino Magno, qui citò credens uxori suæ filium Crispum accusanti, quòd se ad incestum sollicitasset, eum licèt innocentem occidit. Hippolytus occisus est, quia novercæ creditum, teste Seneca. Illustre est quod refert Phædrus libertus Augusti Cæsaris lib. 3. Fabul. cap. 49. Libertus, inquit, ut heros perderet, & eorum heres fieret, apud herum accusavit uxorem de adulterio. Herus ut crimen deprehenderet, simulavit se proficisci foras: dein noctu domum subitò repetiit. Adiit cubile in tenebris, palpavit lectum: invenit in eo cubantem virum, quem suspicans adulterum, occidit. Lucerna allata aspicit esse filium: quare dolore percitus in pœnam tanti erroris eodem ferro, quo filium seipsum transfigit. Uxor Romam ad Centumviros rea duplicis parricidii, quòd scilicet tam filium quam maritum occidisset, pertrahitur. Augustus Cæsar re vestigata, & veritate cognita, hanc tulit sententiam: *Luat pœnas libertus, qui mali causa extitit. Namque uxorem orbatam filio simul & viro, miserandam potiùs quàm damnandam existimo*. Vnde hoc elicit dogma morale.

Nimis cita credulitatis facinus funestum.

Nil spernat auris, nec tamen credat statim;
Quando quidem & illi peccant, quos minimè putes:
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.

Sic per errorem nimis citæ credulitatis, S. Julianus Hospitator patrem ignorans occidit: unde miram deinde egit pœnitentiam. Idem fecit S. Vrsius, uti refert Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ad diem 3. Maii.

ET QUI DELINQUIT IN ANIMAM SUAM INSUPER HABEBITUR] Primò, Jansenius refert, & nectit hæc cum eo quod præcessit, quasi dicat: Qui citò credit, levis est corde, & qui hac levitate credendi detractoribus delinquit in animã suam; hic *insuper habebitur*, id est, talis reputabitur, putà levis, parvi iudicii & cerebri, qui scilicet peccet non tantùm in proximum suum malè de eo sentiendo, & mala audita leviter credendo, sed & *in animam suam*, quam hac levitate, & detractione commaculat, quamque leviter decipi permittit, & multorum malorum periculo exponit: animæ ergo suæ iniuriam facit, sibique ipsi injurius est. Vnde Tigurina hæc omnia connectens in unum, ita ex Græco vertit, *qui facilè credit, levis est animo, & peccando delinquit in animam suam*. Sic & Lyranus, *insuper habebitur*, inquit, *id est, exteriùs æstimabitur talis, qualis occulte interiùs est, scilicet quòd delinquat in animam suam*. Verùm Græcum πλημμελῶν, non significat, *talem reputari*, sed *peccare*. Vnde.

Secundò, alii, *insuper habebitur*, id est, inquiunt, pejus in dies habebit & habebitur. Aut *insuper habebitur*, id est, præterea capietur & tenebitur: q. d. Qui peccat, non tantùm in animam suam peccat; sed & *insuper* peccato suo *habebitur*, id est, capietur & tenebitur, eiusque vinculis constringetur.

Tertiò, Palacius: Græcè, inquit, est *inundabit*, id est, erit in modum undæ & fluitantis aquæ, quam scilicet levis aura movet. Talis est, qui ex levi rumore à bona amici opinione movetur. Verùm Græcum πλημμελῶν, non significat *inundabit*. Videtur ipse, vel eius Græcus anagnostes legisse πλημμυρῶν, id est, *inundabit*: πλημμυρὶς enim est inundatio, æstus maris. Vnde Virgil. 3. Æneid. *Plemyrium undosum*.

Insuper habere, quid?

Quartò, propriè & genuinè, q. d. Qui citò credit levis est corde; at qui peccat & delinquit in animam suam, hic *insuper*, id est, supra numerum *habebitur*, quasi qui frustra sit in orbe. ita Palacius & Pineda in Job 30. 2. q. Hic habebitur supernumerarius, supervacuus, frustraneus, otiosus, iners, inutilis, imò noxius, & pondus inutile terræ: juxta illud, *Nos numerus sumus, & fruges consumere nati*. Peccator enim inutilis est sibi, aliis, totique mundo: nulli enim quid boni facit, sed omnibus grave malum peccando creat. Talis prætertim est levis qui

qui citò credit, dicit, detrahit, de quo sermo præcessit, & sequitur. Hic enim nullius est frugis, nulli usui. Quis enim levi fidat? quis futili utatur? Qui enim animæ suæ, id est, sibi, æquè ac proximo iniurius est, cui bonus erit? Quare si de tali rogeris: Quis ille est? respondebis: Est unus *insuper*, est auctarium mensæ, est qui turbæ auget numerum, est ciphra, est umbra. Sicut enim umbra sequitur corpus, sic ille sequitur dicentem, & detrahentem, illi applaudit, & cum illo mutatur in omnem ventum. Unde Syrus vertit, *qui credit citò, amens est: qui peccare facit animam suam, quis iustificabit eum?* Id ita esse liquet ex Græco πλημμελήσει, quod alii vertunt, *errabit, peccabit*; Noster verò sagaciter ad verbum vertit, *incurius, deses, iners erit, & habebitur*. πλημμελεῖν enim dicitur quasi πλὴν μέλειν, id est, sine cura, ut idem sit quod ἀμελεῖν; aut à πάλιν μέλειν, videlicet quòd iniuria posteriore meliore cura, ut habet proverbium, sit sarcienda; veluti μεταμέλειν à μέλειν. Unde delictum per incogitantiam, incuriam & inertiam commissum, vocatur πλημμέλεια, uti dixi Levit. 7.1. Hinc & cap. præced. vers. 27. *Et in diebus delictorum*, inquit, *attende ab inertia*, græcè πλημμελείας. Fortè etiam Noster pro πλημμελήσει, legit πλεῖον ἔσται vel ἔξεται, id est, plus, ampliùs, insuper erit vel habebitur. Denique hoc sensu τὸ *insuper* usurpat Papinianus l. *Sunt personæ*, ff. de relig. & sump. fun. ubi cùm agit de sepultura in proprio fundo, cuius usus fructus alicuius esset, alteri danda, quod stricto iure non poterat, ait: *Propter publicam utilitatem, ne insepulta cadavera iacerent; strictam rationem insuper habendam*, (id est, contemnendam, & tamquam supervacaneam reiiciendam) *quæ nonnumquam in ambiguis religionum quæstionibus omitti solet*.

In hanc gnomen lepidum vulpis & corui apologum scripsit Cyrillus lib. 1. Apologorum moralium cap. 13. cuius titulus: *Sis ad audiendum velox, ad credendum tardior*. *Ad vulpem*, inquit, *absconditam famescentem, cùm amicus coruus non minùs sibi quàm illi compatiens, gallinas in securo manentes fraudis vi studeret adducere; ad eas se contulit, & salutatione proditionis proposita dixit: Assero vobis nuntium lætissimum, quoniam vulpes monialis facta est, & deposuit feritatem; venite de cetero securæ, & videte id quod est mirabile, quoniam oratorio velata vulpes cantat Horam devotis laudibus vespertinam. Mox illæ cordis levitate credentes, cùm pergerent, inventum gallum secum ducere conabantur. At ille mira dotatus intelligentia, quantocyùs verbi dolum percipiens, uxoribus suis dixit: Audite me insensatæ, & credulæ. Quò enim tenditis, nisi duce fraudis in mortem? Nempe si in coruo fore creditis veritatem, & speratis de vulpe bonitatem, lucem putatis esse tenebras, & in vitiis inesse virtutem. Sed hoc impossibile est, quoniam splendor solum de lumine rutilat, & virtutis stilla de vena bonitatis tantum distillat. Non audistis adhuc, ut video, sententias sapientum. Veloci siquidem aure audiendum est, & gravi corde credendum.* Deinde ostendit quæ, & quibus credere oporteat, quibus non.

Citò credens est levis. Apologus.

Revera, inquit, *minùs providè amico, & inimico pariter creditur, cum amore & odio lingua libra fallacis affectionis pondere in obliquum trahatur. Verùm nulli securius quam amico de malis, & inimico de bonis accommodatur auditus. De te verò numquam credas inimico tuo in æternum. Quia si bene dicit, sophista est, de bono tendens ad malum: si malè dicit, facit quod suum est.* Subdit deinde, non esse credendum multiloquo, delatori, mendaci & fallaci, nec iracundo, ac deinde subdit: *Nulli minùs quàm tibi de bonis credas; naturaliter enim laudem appetimus, & maiora de nobis communiter æstimamus, &c. tantùm credendum est quod fieri potest, atque conveniens est*. Vnde concludit, *quòd fallaci credere coruo stultum est, & omnino dementia vulpem deposita feritate cantare velatam. Hoc enim vulpinæ caudæ non convenit, & omninò veritas à circumstantiis ipsius dissentit. Quandoquidem igitur multa cautela in credendo adhibenda est, & rei veritas omni diligentia inquirenda; certè stultissimum est citò credere, & periculosum post levem credulitatem citiùs moveri. Quibus dictis, dimisso coruo, gallum gallinæ secutæ sunt*.

Quibus credendũ, quibus non.

Vers. 5. QUI GAUDET INIQUITATE, DENOTABITUR; ET QUI ODIT CORREPTIONEM, MINUETUR VITA: ET QUI ODIT LOQUACITATEM, EXTINGUIT MALITIAM] Pro *iniquitate* Complut. legunt κακίᾳ, id est, *malo habitu*, vel *mala actione*: unde A vertunt, *qui lætatur in malè agendo condemnabitur, at resistens voluptatibus coronat vitam suam*. Sic & Tigur. *qui gaudet mala habitudine* (Vatabl. *qui corpus supra modum macerat*) *meretur reprehensionem: qui verò voluptatibus resistit coronat vitam suam*. Romana verò legunt καρδίᾳ, vertuntque, *qui gaudet corde denotabitur: & qui odit loquacitatem, minuitur malitia*. Noster & alii legunt πονηρίᾳ, id est, *iniquitate*, malitia. Vides hic ut Græca evarient, ac proinde standum esse Latinæ Vulgatæ, in quam omnia exemplaria consentiunt. Sensus eius ergo est: *Qui gaudet iniquitate*, ac præsertim iniqua loquela & detractione, *denotabitur*, id est, vituperabitur & condemnabitur (hoc enim significat Græcum καταγνωσθήσεται. Vnde Syrus vertit, *qui lætatur de malo, erit confractio* vel *præda sui*) qui verò *odit loquacitatem*, ideoque impedit detractionem, *extinguit malitiam*, id est, sopit multa mala, putà lites, odia, rixas, cædes, quæ ex loquacitate, dicacitate, & maledicentia oriuntur: lingua enim est universitas iniquitatis, ait S. Jacobus c. 3. epist.

Quod verò in medio Noster intexit: *Et qui odit correptionem, minuetur vita*, significat eum qui ita amat iniquitatem & loquacitatem, ut nolit ab eo qui eam detestatur, corripi, brevis fore vitæ; quia Deus eum puniet im-B matura & cita morte: ideò enim odit correptionem, quia vult in sceleribus suis perseverare, in eisque obstinatus est. Deus autem obstinatos, ceu gigantes, siderare & fulminare solet. Id sæpè facit; at non semper, sed tum in futura vita acrius puniet. Adde, *iniquitas*, id est, iniuria quæ detrahendo vel lædendo proximo irrogatur, sæpè morte punitur & vindicatur, vel à iudice, vel à læso, vel ab eius cognatis, qui lædentem vel necant, vel in eas angustias redigunt, ut miseriis & mœrore contabescat. Vnde S. Athanas. Apolog. pro fuga, sic legit & citat: *Tollentur immaturè animæ impiorum*.

Jansenius pro *minuetur vita*, opinatur legendum *minuet vitia*, sicque exponit: *qui odit correptionem*, id est, detractionem, *hic minuet vitia*, quæ ex detractione nascuntur, ut idem sit cum eo quod sequitur: *Et qui odit loquacitatem, extinguit malitiam*: quasi ex alia versione hæ duæ partes coniunctæ, & in unum conflatæ sint. Verùm tam hæc lectio est contra communem codicum fidem, quàm eius expositio contra communem hominũ sensum. Quis enim per *correptionem* intelligat detractionem? Cõpl. & alii nonnulli addunt: *Qui continens est linguæ, convivet* C *difficili*, græcè ἀμάχῳ, Roman. *inexpugnabili*; Vatabl. *moroso*, importuno, pervicaci, alii legunt ἀμάχως, id est, *citra rixam* & pugnas, hoc est, pacificè cuivis convivet. Vnde Tigur. vertit, *qui linguæ temperat, etiam difficili convixerit*.

QUI PECCAT IN ANIMAM SUAM, POENITEBIT; ET QUI JUCUNDATUR IN MALITIA, DENOTABITUR] Hoc est, notam infamiæ & censurã iudicii subibit, id est, condemnabitur, ut paulò antè dixi. Vers. 5.

Hi ergo sunt tres peccati vermes, qui illi quasi pomo vetito innascuntur, scilicet pœnitentia, infamia, condemnatio. Idem penè dicit hic quod v. præced. unde hic versus in Græco & Syro iam deest. Nota τὸ *gaudet* & *iucundatur*. Justi enim aliquando ex fragilitate peccant, sed illicò dolent, & gemunt, suspirant; at verò improbi & reprobi peccant ex malitia, in eaque velut sues in luto volutantur & iucundantur, ideoque condemnabuntur. Magnum ergo prognosticum suæ reprobationis & damnationis futuræ habet, qui in suo scelere gaudet.

Tres peccati vermes.

NE ITERES VERBUM NEQUAM ET DURUM, D ET NON MINORABERIS] Primò, simpliciter, q.d. Si dixisti proximo *verbum nequam & durum*, putà iracundum, minax, mordax, detractorium, calumniosum; noli illud iterare, ac per hoc *non minoraberis*, nec in honore, nec in quiete, nec in amicitia, nec in ceteris bonis; sed potiùs hæc omnia tutaberis & augebis, si verbum nequam & durum à te prolatum revoces & retractes, aut excuses, mitiges & emollias vel verbis blandis, vel ipso silentio. Dum enim non repetis verbum durum, videris de eo pœnitere, illudque non ex animo, sed ex lapsu linguæ dixisse. Sin repetas, ex maligno animo id dixisse censeberis, ac proinde amicum amittes, & malignus iudicaberis. Secundò, & magis genuinè: q.d. Si audisti verbum *nequam & durum*, id est, iniuriosum proximo tuo; noli illud aliis narrando iterare, id est, referre, spargere & propalare: ac per hoc non minoraberis, sed accresces per opinionem prudentiæ, discretionis & charitatis. Vers. 7.

Hunc

Hunc sensum exigunt Græca, *Numquam iteraveris verbum, & nihil tibi erit in diminutione*, id est, ut Roman. *numquam iteres verbum, & nihil tibi minuetur*; Tigurina clarè, *ne quid tibi dictum effutias alteri, ut nequid detrimenti capias*, Syrus, *qui repetit verbum, amens est. In æternum non repetas verbum, & nemo tibi improperabit*, alii, *ne umquam sermonem iteres, & nihil tibi incommodabitur*.

Nota. *Iterare verbum*, hebr. idem est quod detrahere: quia qui detrahit, vitia alterius quæ audivit, iterum aliis & aliis narrat, spargit & propalat; quin & nonnulla amplificat, immutat & alterat, id est, aliter quàm audivit narrat. Sicut enim aqua dum per venas æris, vitrioli, ferri, transit, colorem & saporem mutat, ac sapit æs, vitriolum, ferrum: sic pariter idem verbum, eadem historia & narratio dum per varia corda & ora transit, suam formam & speciem mutat, ut videatur non esse eadem, sed alia; quia quisque pro suo conceptu & affectu eam dum enuntiat, efformat & immutat: Hebræum enim שנה *seana* significat iterare, mutare, variare, alterare. Sic proverb. 17. v. 9. (quò hic alludit Siracides) ait Salomon: *Qui celat delictum, quærit amicitias; qui altero sermone repetit*, (hebraicè, *iterans in verbo*; Chald. *qui repetit sermonem*; alii, *qui mutat verbum*; Pagninus, *qui improperat*) *separat fœderatos*. Et cap. 24. 21. *Cum detractoribus* (hebr. שונים, *seonim*, id est, *iteratoribus*; Caietan. *cum mutatoribus*) *non commiscearis*. Huc facit proverb. Arabicum centur. 2. nu. 3. *Qui denuntiat tibi diffamatoria super aliquo, ipse est diffamator*: q. d. Obtrectator est, non solùm qui motu proprio alicui detrahit, sed etiam qui alienis verbis aliquem defert, eaque iterat & propalat. Magnæ ergo sapientiæ est, audita non iterare, nec aliis enarrare: multa audire, pauca loqui: probra quæ quis audivit, in mente sua sepelire, ne foras prodeant, & magnum fœtorem damnaque concitent.

Tropolog. Rabanus; *Verbum nequam iterare*, inquit, *est post fletum committere quod rursum necesse sit flere. Iterat verbum nequam, & hoc defendere satagit quod malè locutus est, qui hoc quod malitiosa mente concepit, pessimo replicat facto: cuius est certa minoratio, quia post pravum commissum nulla eius patet emendatio. Unde Cain postquam iratus est contra fratrem suum, & eum occidere cogitavit, voce Dominica correptus est: sed quia se corrigere noluit, & verbum malitiosum quod cogitatu conceperat implevit facto, piaculi sui, Domino retribuente, iustam recepit vindictam*.

Vers. 8. AMICO ET INIMICO NOLI NARRARE SENSUM TUUM, ET SI EST TIBI DELICTUM, NOLI DENUDARE] Primò, q. d. Noli cuivis passim promiscuè & sine discrimine narrare arcanos animi tui sensus, conceptus, intentiones, proposita; quia si inimici tui sunt, iis abutentur, ut eos aliis prodant, itaque te perdant, vel in discrimen adducant; si amici hodie sunt, cras fieri possunt inimici: & inter amicos quoque rara est fides, rarior prudentia, rarissimum secretum. Vir ergo prudens dicat cum Isaia cap. 24. v. 16. *Secretum meum mihi*. Si enim tu tuum secretum tibi proprium & intimum tacere & celare nequivisti, quomodo speres alium de tuo, id est alieno, id facturum? quod ergo alios vis tacere, ipse prior taceto: silentium quod ab aliis exigis, tibi prior impera. Unde, *Si est tibi delictum, noli denudare*. q. d. Si quod delictum occultè perpetrasti, noli illud etiam amico denudare; quia ille illud aliis narrabit, itaque tibi periculum famæ, vel etiam vitæ, ut à iudice, vel à parte læsa morte plectaris, creabit. Præmittit hoc iis quæ dicet de cavenda detractione; quia qui propria delicta silere nequit, quomodo silebit aliena? ut ergo aliena sileat, discat primò silere propria. Præclarè Seneca in Proverbiis: *Quod tacitum esse vis*, inquit, *nemini dixeris: quia non poteris ab alio silentium exigere, si tibi ipse non præstas*.

Secundo, q. d. Noli cuilibet passim narrare sensus tuos, id est, quid in animo sentias de aliorum moribus, dictis, factis, scriptis, &c. & si in cognitione tua est aliquod alterius delictum, noli illud aliis denudare. Hunc sensum exigunt Græca Complut. *Amico & inimico* (id est, apud amicum & inimicum) *ne narres vitas alienas: & si non est tibi delictum* (id est, si sine delicto potes tacere, si scilicet non teneris ex officio aut charitate illud revelare) *non reveles*. Hinc & quidam Latini codices legunt, *si non est tibi delictum, noli denudare*, scilicet sensum tuum, sive quod scis & scientis de alieno proximi peccato; Tigurina clarè, *nec apud amicum, nec apud inimicum vitas alienas enumeres, & si non redundat in te peccatum* (Vatabl. *si potes absque peccato facere*) *ne detegas*; Syrus, *in amico & inimico ne mentiaris, & si habes peccata deprecare super ea, & in æternum non accusabis quempiam*.

Hanc gnomen eleganti columbæ & corvi apologo oculis subiicit Cyrillus lib. 1. Apologorum moralium cap. 20. cuius titulus: *Uni tantum dilectissimo, si necesse fuerit, pectus trade. Corvus*, inquit, *cum ruminaret intra se, cui sui cordis interdum posset communicare secretum; columba talia cogitantem aspiciens accessit ad eum, dicens: Quid est quod tanta meditatione cogitas frater mi? Cui ille, Meditor certè modo* (Eccles. 1. 15.) *quod stultorum infinitus est numerus, & sapientum valdè parvus. Quippe cogitatus ipsius cordis est intimus: nam qui revelat quod cogitat, is cor demonstrat. Quænam igitur es, ut dem & tradam tibi cor meum, charissimam vitam meam, occultissimam medullam, profundissimam radicem meam? Secretum meum mihi, quia cor meum mihi. Tunc columba, talibus auditis, adiunxit. Scio certè quod callidus es natura tua. Ob hoc ergo, frater, rogo me instruas, quibus si necesse fuerit, securè possim tradere cor meum. Mox ille libenter annuens: Aut uni, inquit, aut nulli. Electissima enim & rara fides est: ex hac autem fit cordi vas pretiosissimum, in quo salubriter conditur:* *Apologus secretorii.*

B *quia nec à seipso umquam dissolvitur, neque à ferro, vel alia re frangitur, nec mira eius soliditas à subtilissimo caloris aculeo pertransitur*. Idipsum deinde similitudine venæ, radicis & medullæ confirmat, dicens: *Quippe venam auream natura telluris in abditis condit, & radicem vivificam in terram profundiorem solida planta mittit, & medulla charissima in ossibus delitescit. Nimirum os sapientum in cordibus ipsorum. Quoniam hoc eis est charissimum, & ut sic celatum foret, & à corde possessum, in arca vitæ positum absconderunt. Sed cor stultorum in ore ipsorum: quia in eis os cordis tenet dominium, quoniam apertum pectus habentes & cor parvipendentes, sine cura hoc levius evomunt: quamobrem citissime pereunt, quia pro nihilo vitæ venam effundunt. Quibus diligenter notatis, illa sic docta discessit*. *Similia.*

AUDIET ENIM TE, ET CUSTODIET TE, ET QUASI DEFENDENS PECCATUM ODIET TE, ET SIC ADERIT TIBI SEMPER] Græca breviùs, *audivit enim te & observabit te, & in tempore odiet te*. Iuxta priorem expositionem priori versu datam sensus est. q. d. Amicus vel inimicus, cui narras tuos sensus & delicta, attentè *audiet te* quasi fideliter tibi consulturus, *& custodiet*, Vers. 9.

C id est, notabit & observabit *te*: ac tuos sensus & delicta simulabit se defendere & excusare; interiùs autem *odiet te & sic aderit tibi*: Raban. & Euseb. Pontif. epist. 2. legunt. *& sic semper adhærebit tibi*: q. d. Semper adhærebit tibi quasi amicus, revera autem inimicus, cùm opportunum erit, gravissimè nociturus tibi. Ita Palacius, Quotidiana, ait, experientia, glossa huius textus est: si criminis conscium habes, illum semper vereris, &, ne traducat, pertimescis. Huc spectat proverbium Arabicum centur. 1. num. 60. *Possidet animam suam* (vel dominatur animo suo) *qui occultat secretum suum ab amico suo*. Et n. 59. *Pectus tuum dilata secreto tuo*, hoc est, *ne detege id ulli*.

Iuxta secundam expositionem sensus erit similis: q. d. Si delicta alterius reveles alteri, ille libenter audiet te, & arridens observabit omnia tua dicta: ac videbitur tuum hoc detractionis & revelationis secreti peccatum defendere vel excusare, dicens te iustas revelandi causas habere, & se gaudere quòd illi hæc narres, quibus ipse ad

D suum & aliorum commodum usurus sit; revera te ut detractorem & secreti revelatorem odio prosequetur, & sic aderit tibi semper, simulans se amicum, sed revera inimicus, uti suo tempore declarabit. Quocirca verum est illud: *Detractor multos sui experitur detractores, & talione punitur*. Unde Syrus vertit, *non accusabis quemquam, ne qui te audit odio habeat te, & tamquam maleficum reputet te*; & Tigurina, *audiet enim ille, & aversabitur te, perquam occasionem suum in te odium ostendet*. Huic secundæ expositioni favet quoque id quod sequitur: *Audisti verbum*, &c. Posset quoque τὸ *defendens peccatum*, sic accipi: q. d. Audiens volet peccatum amici, quod tu detrahendo accusas, defendere, ideoque te eius accusatorem odiet, tibique iugiter obstrepet. Idque magis congruum videtur.

AUDISTI VERBUM ADVERSUS PROXIMUM TUUM? COMMORIATUR IN TE, FIDENS QUONIAM Vers. 10.

NIAM

NIAM NON TE DIRUMPET) Sunt nonnulli qui cùm quid mali, præsertim occulti, audierunt illudque mente gerunt, perinde ac venenum sumpsissent, non possunt illud apud se continere, quasi crepaturi: unde illud evomunt & in occurrentes narrando effundunt. Hi sunt similes Eliu dicenti Job. c. 32. 18. *Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.* Hos redarguit Siracides dicens: Audisti malum de proximo, retine illud, retine & sepeli in corde tuo. ita facies, ut ibi moriatur: quare non est quòd timeas illo te dirumpendum: verbum enim malum non est toxicum, quod faciat te crepare: aut si in te est toxicum, silendo & obliviscendo desinet esse toxicum. Sicut enim toxici vis & malignitas in aqua dissolvitur & emoritur, itaque ipsum quasi mortuum vires nocendi perdit ac nulli nocet: ita prorsus malum quod audisti, si in mente tua contines, ibi morietur, ac proinde nec tibi, nec cuipiam alteri noxam ullam inferet. Unde Syrus, *audisti verbum? moriatur in corde tuo, & non* (erit) *sicut sagitta quæ perforabit te & egredietur*; Tigur. *sermonem adversus alterum audisti? fac tecum commoriatur, & securus esto, ut qui non dirumpat te.* Huc facit Prou. Ararab. cent. 1. n. 13. *Ne iace lapidem in velificantē*, id est, *ne iace verbum in hominem absentem, quia Dominus eius audit illud*: q. d. Nemo potest maledicentia hominem absentem lædere, non magis quàm lapide ferire eum qui in medio mari velificat; tamen Deus malitiam linguæ maledicæ ulciscitur.

Moral. de malo detractionis. Moral. disce hic quàm prava, quamque vitanda & execranda sit detractio. *Non eris criminator, nec susurro in populo*, ait Dominus Levit. 19. v. 16. Et Paulus, *Susurrones & detractores Deo odibiles*, vocat Rom. 1. v. 29. Audi S. Hieronymum epist. 2. ad Nepotian. *Cave ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes! Parce à detractione linguæ; custodi sermones tuos, & scito quia per cuncta quæ de aliis loqueris, tua conscientia judicaris; & in his ipse deprehenderis, quæ in aliis arguebas*, Et S. Chrysostomum hom. 3. ad Popul. *Fugiamus, dilecti, fugiamus detractiones, docti quòd est totum sathanicum barathrum insidiarum ejus hæc infessio, ut enim nostra negligamus, & graviores nobis reatus constituamus, in hanc nos consuetudinem diabolus duxit.* Paucis autem interiectis: *Si quis* (inquit) *te prætereunte stercus commoveat; hoc facientem convitio afficis: hoc fac & erga detractores: non enim commotum stercus sic fœtore cartilaginem percellit, sicut aliena peccata prodita animos contristare & perturbare solent.* Eleganter verò S. Bernardus serm. 3. de Dedicat. Eccles. detractores proditoribus similes esse ait: *Proditores* (inquit) *fiunt, quicumque in hoc Domini castrum inimicos eius introducere moliuntur, quales sunt utique detractores Deo odibiles qui discordias seminant, & nutriunt scandala inter fratres, sicut enim in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum fieri diabolo manifestum est.* Est serm. 24. in Cantic. *Detrahentem* (inquit David) *secreto proximo suo, hunc persequebar: nec mirum, cùm id præcipuè vitium caritatem, quæ Deus est, & quidem ceteris acrius impugnare & persequi cognoscatur. Omnis enim qui detrahit, primum quidem seipsum prodit vacuum caritate. Deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi ut is cui detrahit, veniat in conceptum, vel odium ipsis apud quos detrahit?* Porrò, quàm hoc vitium sit atrox; eleganter ostendit S. Chrysost. suprà: *Detrahens* (inquit) *fraternas carnes comedisti, proximi carnem momordisti. Unde & Paulus terruit dicens: Si autem vos invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini. Non infixisti dentes carni, sed animi maledixisti, improbam suspicionem infixisti, vulnerasti, innumeris affecisti malis teipsum & alios plures.* Et inferius citans Siracidem: *Hoc verò* (ait) *magis ridiculum est, quod, cùm aliquid arcanum dixerint, rogant audientem & adiurant, ne cuiquam alteri amplius dicat, hinc declarantes quod rem reprehensione dignam commiserunt. Si enim illum ut nemini dicat rogas, multo magis te priorem huic dicere non oportebat. Sed, iucundum detrahere: imò, iucundum non detrahere. Detrahens enim continenter anxius est, suspicatur & timet, linguam suam mandit, tremens ne forte alius enuntiatum verbum magnum sibi periculum afferat. Audisti sermonem, ait Sapiens, adversus proximum tuum? commoriatur in te, confidens quoniam non te disrumpet. Quid est, Commoriatur in te? Extingue ipsum, defodito, ne exire permittas, oblivioni trade. Sed maximè stude nec alios quidem dicentes tolerare, quod si quando susceperis, infodito, interime dictum, oblivioni trade, ne his qui non audierint similis fias, & cùm multa pace & securitate præsentem transigas vitam.*

VERS. 12 A FACIE UERBI PARTURIT FATUUS, TAMQUAM GEMITUS (perperam aliqui legunt *genitus*) PARTUS INFANTIS] Græcè, *propter sermonem dolet stultus, ut propter infantem quæ parit*, & parturiendo cruciatur & gemit: q. d. Stultus mox ut quid novi & occulti mali de proximo audierit, videtur cruciari & parturire ut secretum quod audiuit, ceu fœtum qui ventrem ejus gravat, effundat; imò hoc studium ejus & labor enuntiandi, videtur esse quasi gemitus mulieris parturientis in dolore partus: q. d. Stultus ita sollicitus, ita anxius est, ita desiderat & gestit effundere secretum, sicut parturiens fœtum. Sicut enim hæc non quiescit à dolore & gemitu, donec pariat infantem: sic nec stultus pruriens se continere potest, donec occultum de proximo malum effutiat. Unde Tigurina, *præ sermo-*
B *ne parturiet stultus, ut præ fœtu gravida.* S. Chrysost. in psal. 140. *A facie verbi pariet stultus, ut à facie infantis puerpera*; Syrus, *a conspectu verbi parturiet stultus; sicut parturit parturiens a conspectu infantis*, id est propter infantem, ut eo se exoneret, eumque effundat & in lucem edat. Nota. Pro *parturit*, græcè est ὠδίνει, id est, dolet, gemit: pro quo Complut. legunt ὀνειδίσει, id est, improperabit; sed minùs aptè, ideoque minùs germanè.

Garrulus est quasi parturiens ob tres analogias. Appositè comparat stultum loquentem & pandentem secreta parturienti. Primò, quia secretum hoc, & sententia quælibet mente quasi alvo continetur; unde vocatur conceptus vel conceptio mentis: dum verò ore promitur, quasi proles paritur, & in lucem editur. Secundò, quia stultus sibi vim infert, ut secretum hoc quod tacere debebat, in lucem proferat; proferre autem auet, gliscit & ardet ex mentis levitate. Idem facit parturiens fœtum enitens. Tertiò, quia stultus importunè & ante tempus, suos hosce conceptus & secreta prodit & parturit, sapiens verò opportunè & congruo
C tempore. Hanc differentiam parturitionis, sive locutionis, stulti & sapientis assignat Clemens Alexandr. lib. 6. Strom. *Quidam*, inquit, *ante tempus informem & moriturum fœtum pariunt, alij expletis mensibus enituntur. Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi.* q. d. Stulti suum mentis conceptum præproperè effutiendo, non partu, sed abortu edunt; sapientes verò justo tempore expleto, integram vividamque proferunt mentis sententiam. Porrò, medici docent, mulieres minùs sapientes & stultas facilè pati abortum, eò quòd suis appetitibus agantur, eaque indiscretè comedant & faciant quæ abortum procurant, eò quòd ratione suos appetitus frænare nequeant. Similiter & stultus, quia suum loquendi pruritum regere nequit, hinc intempestiuè sua proloquitur, suasque sententias quasi imperfectos & immaturos fœtus per abortum edit, ideoque parturit: parturire enim est per violentiam, quæ maxima est in abortu, parere. Sapiens verò diu mente conceptam retinet sententiam, eamque lentè efformat & maturat, ut planè formatam & maturam op-
D portuno tempore in lucem edat. Stultus ergo secretum quasi prolem se discerpentem & sagittam ferientem existimat, quam nisi pariat, nisi è corde eximat, quiescere nequaquam potest. E contrà prudens animus quod secretum est continet, & ab amicissimis, imò & à fratribus sibi dilectis, abscondit. Sic faciebat S. Ambrosius, qui de se & de fratre suo Satyro loquens orat. de Obitu Satyri, hæc ait: *Cùm omnia nobis essent nostra communia, individuus spiritus, individuus affectus; solum tamen commune non erat secretum amicorum: non quòd conferendi periculum vereremur, sed ut tenendi servaremus fidem. Sanè si consilio pendenda res esset, erat semper commune consiliū, non semper commune secretū.*

SAGITTA INFIXA FEMORI CARNIS, (ita Romana; alij cum Rabano legunt, *canis*: sed eòdem redit sensus: canis enim quia acuti tactus, impatiens & biliosus, ilicò sagittam excutit:) SIC VERBUM IN CORDE STULTI] Stultum comparavit parturienti, hic comparat eum vulnerato: q. d. Sicut qui sagitta vulneratus est in femore, cuius caro est tenera, ideoq; valdè sensilis, ilicò sagittā euellit, nec quiescit donec eam excutiat: sic & stul-

tus

tus verbum quod audivit, perinde ac si sagitta esset quæ eum vulnerasset, illicò ex corde evellit, & ore effutit, nec quiescit donec illud propalet & in publicum efferat. Ita Syrus, *sicut sagitta quæ vulnerat coxam viri, sic verbum in visceribus stulti*; alii, *quale telum infixum in femore, talis est oratio in ventre stulti*; Tigurina, *quod telum agit defixum in femore corporis, hoc sermo in stulti pectore.* Unde Apulejus lib. de Dogmate Platonis: *Qui sunt leves,* ait, *futiles & importuni locutores, quique verbis humidis & lapsantibus defluunt, eorum orationem bene existimatum est in ore nasci, & non in pectore.* Id provenit ex debilitate cerebri & judicii, ac ex animo angusto & minuto, qui proximi defectum, etiam minimum, non fert, nec capit. Inde enim fit, ut stultus perpetuò secretum quod audivit phantasia verset & reverset, eaque versatione se affligat & cruciet: unde ut hac afflictione se liberet, illud effutit & enuntiat; perinde ac melancholici, dum quid tristi mente voluunt quod eos affligit, ut eò se liberent, illud amicis enuntiant. Idem faciunt scrupulosi, & quivis afflicti; sed hi, si sapiunt, non nisi viris discretis & secretis, qui mederi & consolari possunt, quales sunt confessarii, virique spiritales, illud communicant: stultus verò quibuslibet, ac præsertim sui similibus, indiscretis, loquacibus, & rimarum plenis, sua enuntiat. Unde Plutarch. in Moral. de revelatore secreti ait: *Totus translucet, totus effluit, & nullo cogente, veluti si quæstione (in eculeo & tortura) interrogatus esset, arcana omnia manifestat.* Apposité detractionem comparat sagittationi, ac rem detractione proditam sagittæ, manus, linguæ: quia, ut ait S. Bernardus serm. de triplici custodia, manus, linguæ & cordis: *Numquid non est vipera lingua detractoris? ferocissima plane, nimirum quæ lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua profectò & acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. Lingua, inquit, eorum gladius acutus: gladius equidem anceps, imo triplex est lingua detractoris.* Favet etymon sagittæ. *Sagitta* enim *dicitur à sagaci jactu, id est, veloci ictu: pennis enim fertur quasi avis, ut celeriter mors percurrat ad hominem,* ait S. Isidor. lib. 18. Origin. cap. 8. Talis est detractio & secreti proditio.

Vers. 13. CORRIPE AMICUM, NE FORTE NON INTELLEXERIT, ET DICAT: NON FECI: AUT, SI FECERIT, NE ITERUM ADDAT FACERE] Est occupatio. Ne quis enim ex eo quod dixit, silendum esse proximi peccatum quod quis audivit, inferat: ergo sinendus est proximus peccare, & peccatum impunè grassari permittendum; præoccupat: q.d. Ita serva secretum, ut aliis illud non enunties, ipsum tamen qui peccavit secretò corripe, tum, ut ejus saluti consulas; tum, ut Dei offensam & injuriam sarcias & impedias; tum, ut scandalum ex proximi peccato, si in eo pergat, nasciturum avertas: mali enim remedium non est detractio, sed correctio. Dicit ergo: Cùm quid mali audis spargi de amico, eum mone de sinistro rumore, qui de eo circumfertur, ne fortè ipse se excuset, & dicat se de hoc rumore nil intellexisse, addatque se nil tale fecisse, ac proinde se esse innocentem; ut innocentiam hanc suam probet, itaque famæ consulat, ac rumorem falsum de se sparsum, ac scandalum inde natum vel nasciturum sopiat, & extinguat. Sin peccatum de quo infamatur, revera fecerit, amicè à te correptus pœnitebit, illudque corriget & emendabit. Nominat *amicum*, quia apud inimicum, & incognitum parvus sæpè est fructus correptionis, & parva spes emendationis: imò inimicus monitus ab inimico exasperatur, & pejora perperat; quia suspicatur ex odio proficisci correptionem, utpote ab hoste prolatam, ac proinde eam non ut medicinam, sed ut vindictam accipit, quam novo scelere, quasi vindicta, ulcisci & compensare destinat.

Secundò, per *amicum* accipe quemvis proximum: hic enim hebr. vocatur רע *rea*, id est, amicus; quia nobis natura conjunctus, & unitus est in uno parente Adamo, & magis per gratiam unitus est in uno Salvatore Christo. Vide dicta Levit. 19. vers. 18. Unde quem hoc versu vocat amicum, vers. seq. & v. 17. vocat *proximum.* Græca concisiùs sic habent, *corripe* vel *argue amicum, ne fortè non fecerit: aut, si quid fecerit, ne iterum addat;* Tigur. *objurga amicum, si quid fortè minus faciat: sin fecerit, ne porrò pergat facere.* Porrò Eusebius Pontifex epist. 2. legit, *corripe amicum, ne fortè, cùm feceris*

A *injuriam, & non intellexerit, dicat, Non feci.* quod ego velut glossam nostri textus accipio, inquit Palacius: q.d. *Corripe*, id est, conveni amicum, quærens rationem ab eo cur te vel alios injuria affecerit. Nam ille, si non intellexit quòd te injuria lædebat, respondebit: Non feci tibi injuriam, non intellexi injuriam tibi fieri; ac ita satisfaciet animo tuo. Si verò intellexit, admonitus à te, non iterum eam admittet. Huic sensui accedit Syrus, *reprehende amicum tuum, ne faciat quod malum est, si fecerit, ne addat.*

Porrò, amicus amico jure amicitiæ debet correptionem. Nam ut ait Seneca in Proverb. *Amici vitia si feras, facis tua.* Rationem dat S. Gregor. Nazianz. in Tetrastichis.

Oculus, ait, *tuetur cetera, at se non videt:*
Ergo monitorem rebus in cunctis habe.
Manus requirit nam manum, pes pedem.

Quocirca S. Bernard. serm. de Nativit. S. Joannis: *Arguere,* ait, *& increpare interdum necesse est. Ferveat ergo in nobis amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo fratris vitia palpet, peccata dissimulet nemo: nemo dicat: Numquid ego sum*
B *custos fratris mei? Est enim consentire, silere rem cùm arguere possis; & scimus, quia similis pœna facientes manet & consentientes.*

Hinc patet, qualis debeat esse correptio proximi in peccatum lapsi. Correptio enim has conditiones & dotes habeat oportet. Primò, procedat ex amore, non ex odio; ex compassione, non ex ira & indignatione. Corripiens ergo non hostem induat, sed medicum agat, qui contra morbum pugnat, non contra infirmum, sed pro infirmo, ut eum morbo liberet. S. August. vel quisquis est Auctor libri de Amicitia cap. 27. *Quidquid suadendum est,* inquit, *ab amico faciliùs recipiatur, & faciliùs retineatur: cujus magna debet esse in suadendo auctoritas, cùm ne fides ei dubia, nec adulatio sit suspecta. Non solùm arguendi sunt amici, sed, si opus fuerit, objurgandi. Objurgandus est amicus si veritatem aspernatur, & obsequiis atque blanditiis in crimen appellatur. Sed monitio acerbitate, objurgatio contumelia careat.* Ambrosius: *Si quid vitii,* ait, *in amico deprehenderis, corripe occultè: si te non audierit, corripe palam. Sunt enim bonæ correptiones, & plerumq; meliores quàm tacita amicitia; & si lædi se putet amicus, tu tamen corripe.*
C *Tolerabiliora enim sunt amici vulnera, quàm adulantium oscula. Debet amicus amico compati & condescendere, vitium ejus suum putare, corripere humiliter, compatienter. Corripiat eum vultus tristior, & sermo dejectior. Intercipiant verba lacrymæ, ut non solùm videat, sed & sentiat correptionem ex amore, & non ex rancore procedere!*

Correptionis conditiones. Prima.

Secundò, sit lenis, & dulcedine vultus ac verborum condiatur, sicut pilulæ amaræ saccharo oblinuntur, juxta illud Pauli Galat. 6. *Corripite hujusmodi in spiritu lenitatis.* Vide ibi dicta. *Si enim,* ait, Rabanus, *disciplina adhibetur cum modestia, generat in eis* (qui corripiuntur) *de præteritis malis verecundiam atque pœnitentiam, de futuris verò exhibet diligentiam atque cautelam.* *Secunda.*

Tertiò, fiat tempestivè & opportunè, quando corripiendus ritè dispositus est ad correptionem amicè excipiendam; quare non fiat in flagrante delicto, & fervente ira: qui enim iratum corripit, similis est homini canem per aures tenenti. Sicut enim canis aures excutiens mordebit tenentem, ita iratus corripientē invadet verbis asperis, & subinde verberibus. Hoc est quod monet Salomon Proverb. 25. v. 11. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loqui-*
D *tur verbum in tempore suo. Inauris aurea & margaritum fulgens, qui arguit sapientem & aurem obedientem.* *Tertia.*

Porrò correptio est quasi pharmacum, quod hominem passione ebrium, & quasi dementatum deebriat, sibique & menti restituit. Quare sapiens qui corripitur, agnoscens suam esse culpam, in se convertet iram, cùm stultus eam convertat in corripientem: quinimò sapiens correptus, etsi initio dolorem sentiat, mox correptionis fructum agnoscens, corripienti gratias aget, juxta illud Proverb. 28. v. 23. *Qui corripit hominem, gratiam inveniet apud eum;* Septuag. *gratias reportabit.* Pulchra similitudine citharæ id declarat Ivo Carnotensis serm. 26. *Qui citharam,* inquit, *pulsat, certe singulas chordas intendendo cùm temperat, ingratum earum sonum audire solet; at postea cùm omnes tensæ & modulatæ sunt ad harmoniam, suavissimum concentum eidem reddunt. Ita etiam doctor aut Prælatus, cùm subditos suos vel auditores coercet, & quasi laxas citharæ cordas*

ad vir-

ad virtutis & honestatis observantiam intendit, absurda solet probra & convitia ab eisdem audire: & posteaquam omnes ad honestatem & charitatem modulati sunt, ejusdem aures laude & gratiarum actione demulcent, quas prius vituperando violaverant.

Vers. 14. CORRIPE PROXIMVM, NE FORTE NON DIXERIT, (quòd temerè, iracundè, odiosè & noxiè dixisse perhibetur:) ET SI DIXERIT, NE FORTE ITERET] Monuit corripiendum esse amicum qui opere peccavit: hic pari modo monet corripiendum esse eum qui verbo & sermone deliquit, sive in Deum, sive in proximum. *Ne fortè*, id est, *nequando*, ait Isidorus Pelusiot. libr. 2. epist. 270. ubi similia hujus phrasis dat exempla. Idem sanxere philosophi. Cicero libr. de Amicit. *Monendi*, ait, *amici sæpè sunt, & obiurgandi.* Et paulò pòst: *Monere & moneri proprium est veræ amicitiæ.* Quare Clemens Alexandr. in Pædagogo libr. 1. cap. 8. *Benevolentiæ*, inquit, *non odii signum est reprehendere.* S. Ambros. 3. de Offic. cap. 16. *Amicus*, inquit, *si quid in amico vitii cognoverit, debet corripere occulte: si non audierit, corripere palam.* Et S. Chrisostomus homil. de ferendis reprehension. tom. 3. *Gratiam habeo his qui me arguunt, amici enim sunt: sive justè, sive injustè arguant, non exprobrare volunt, sed emendare.* hæc ille. Rationem dat Salomon Prouerb. 15. 4. dicens: *Lingua placabilis lignum vitæ*; quia, sicut fructus arboris vitæ, hominem servasset incorruptum & immortalem: sic & correptio lenis & amica affert incorruptionem & vitam immortalem.

CORRIPE AMICVM: SÆPE ENIM FIT COMMISSIO] Id est, perpetratio peccati, tum ab amico, quæ ab altero amico corripienda est: tum ab obtrectatore, qui amico detrahit, & falsa affingit, sæpè fit perpetratio calumniæ, vt habet Græcus: q. d. Admone amicum ut se purget de infamia, quia sæpè committitur calumnia, quà falsò aliquis infamatur. Vnde sequitur: *Et non omni verbo credas*; Græca Complut. *corripe amicum: sæpe enim fit calumnia vana, & non omni sermoni credat cor tuum*; Tigur. *increpa, inquam, amicum: etenim existit sæpè calumnia: quare non cuivis sermoni fidem adhibeas*; Syrus, *corripe amicum, quia aliquoties est accusator vanus: & non omni verbo credat cor tuum.*

Fortè Noster pro διαβολή, id est, calumnia, legit συμβολή, id est, *commissio*, hoc est collatio. Sic enim cap. 18. vers. 32. συμβολή vertit, *commissio*. Sensus ergo erit: Corripe amicum, ut culpam de qua infamatur emendet, si eam admisit; purget, si non admisit: nam crebra est commissio, id est, symbolum & collatio tum epulationis, tum detractionis. In symposiis enim ceterisq; hominum congressibus, crebrò detrahitur famæ absentium: atque tunc quisque quasi in symbolo confert suum judicium & dicterium; in qua varietate multæ à multis committuntur calumniæ. Alij enim ioci causa fingunt crimina, alij lapsu linguæ & loquacitate, aut ex studio placendi, & timore displicendi socijs detrahentibus, ijs applaudunt, adduntque auctarium crescenti mendacio; alij malevolentiæ causa amplificant; alij addunt circumstantias, quæ rem probabilem faciant; alij similia dicta vel facta sinistrè interpretantes in eamdem rem detorquent. Hinc subdit: *Et non omni verbo credas.* Ita S. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 25. mysticè explicans illud Prouerb. 23. v. 21. *Quia vacantes potibus, & dantes symbola, consumentur: Potibus*, inquit, *vacant, qui de opprobrio alienæ vitæ sese inebriant. Symbolum vero dare est, sicut unusquisque solet pro arte sua cibos ad vescendum, ita confabulatione detractionis verba conferre.* Et paulò antè: *Carnes ad vescendum conferre, est in collocutione derogationis vicissim proximorum vitia dicere.* Ecce hoc est uti epulationis, ita detractionis symbolum: hæc obtrectationis *commissio*, id est, collatio & quasi commessatio. Vnde liquet hanc συμβολὴν reipsa esse διαβολὴν, scilicet, hanc commissionem & collationem reipsa esse calumniam.

Præclarè S. Gregorius Nazianzen. de suo quadragenarij iejunij silentio scribens: *Linguam*, inquit, *non homo, non nix, non torrens, non scopulus, non denique res ulla coercere potest, nihil est quod à lingua sagitta tutum atque immune sit: quam quisquis domuerit, is nimirum sapientiæ arcem & principatum tenet.* Uide S. August. libr. 10. Confess. cap. 37. & serm. 3. in Matth. *Domat*, inquit, *homo feram, non domat linguam; domat leonem, & non refrenat sermonem; domat ipse, & non domat seipsum; domat quod timebat, & ut se domet non timet quod timere debebat.*

Lingua indomabilis

EST QVI LABITVR LINGVA, SED NON EX ANIMO. QVIS EST ENIM QVI NON DELIQVERIT LINGVA SVA?] Dicit hoc partim ad ostendendum quàm facilè lapsu linguę peccetur, tum ab amico, ea de causa leniter corripiendo; tum à detractoribus, præsertim apud socios in symbolis, quibus proinde non facilè est credendum, vti iam dixit. Nam τὸ *non ex animo*, idem est quod non studiò, non ex proposito, non ex mente & intentione detrahendi, calumniandi, aut quomodolibet lædendi. Syrus posteriorem partem legit sine interrogatione, ideoque contrarium dat sensum, *Est enim*, inquit, *qui peccat, & non ex corde: & est qui offendit, & non in lingua sua.* Verùm Latina & Græca lectio uti communior, ita aptior est & verior, ad quam proinde allusit S. Jacobus cap. 3. 2. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*, &c. Uide ibi dicta. Vers. 16. Vers. 17.

CORRIPE PROXIMVM ANTEQVAM COMMINERIS. ET DA LOCVM TIMORI ALTISSIMI] Vers. 18.
Sunt qui accusato delicto, præsertim si contra se admissum sit, aut esse dicatur, ilicò excandescunt, fremunt, minantur, & in verba aspera, quin & verbera præcipiti ira prosiliunt, itaque ordinem prudentiæ & charitatis invertunt. Hos monet Siracides, vt priùs leniter corripiant proximum (sic enim ipse se probabiliter vel purgabit, vel emendabit) itaque in se dent *locum timori* Dei, qui hanc lenitatem in corripiendo proximo præcipit. Eius ergo timore, amore & reverentia leniter corripiamus, tum, vt à nobis spiritum iræ, impatientiæ & vindictæ excludamus; tum, ut proximum hac lenitate emendemus; tum, ut Dei lenitatem & beneuolentiam emereamur, ne ipse nostræ acerbitati & duritiæ offensus permittat nos in similia, imò grauiora labi, juxta illud Galat. 6. *Instrue hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris*; vt tuo lapsu discas tentatis compati. Unde Tigurina vertit, *amicum* (vel *proximum*) *tuum redargue priusquam mineris, itaque positâ da locum legi altissimi*; Syrus prorsus aliò abit, *corripe*, ait, *malum, quia multos fraudavit, & non ad omne verbum credas ei.*

Græci codices Complut. & ceteri multa hic addunt, nimirum; *Timor Domini initium assumptionis, sapientia autem ab eo dilectionem præstat* (vel acquirit) *cognitio mandatorum Domini, disciplina vitæ: qui autem faciunt, quæ placita sunt ei, immortalitatis arborem decerpunt*) vel arbore fruuntur.) quæ Tigurina ita clarè vertit, *religio Domini primus, quo ad eum recipiaris; gradus est: amorem vero demeretur sapientia. Cognitio præceptorum Domini, eruditio vitæ est, & qui morem gerunt, ipsi fructum carpent immortalitatis*; alii, *timor Domini principium est doctrinæ*, &c. & rectiùs, ut idem sit quod illud crebrò usurpatum in Scriptura à Siracide, Salomone & Davide: *Principium sapientiæ timor Domini.* Nam Hebr. *masia* græcè λῆμμα vel πρόληψις, latinè, *assumptio*, vocatur doctrina & prophetia; quia hanc discipulus vel Propheta assumit & accipit à magistro, vel Deo, uti dixi Isaiæ 13. 1. Verùm editio à Caraffa & Romanis emendata, hæc omnia præterit & omittit.

QUIA OMNIS SAPIENTIA TIMOR DOMINI ET IN ILLA TIMERE DEUM, ET IN OMNI SAPIENTIA DISPOSITIO LEGIS] Dat causam cur dandus sit locus timori & legi Altissimi, jubenti proximum corripi leniter, non minaciter; quia scilicet *timor* Dei est *omnis*, id est tota, plenaque & perfecta *sapientia*, practica scilicet; *& in illa* sapientia vicissim omne quod docetur, est *timere Deum*; quia omnis *sapientia* est *dispositio legis*, id est, disponit sapientem ad legem observandam, & ad ea faciendum quæ lex agenda disponit & ordinat. Unde græcè est, *in omni sapientia* ποίησις, id est, *factio* vel *effectio legis*: q. d. Omnis sapientia consistit in praxi, id est, in effectione legis, putà in executione eorum quæ lex jubet & sancit. Ex quo concludit, proximum corripiendum esse leniter in timore Dei, quia sine illo nihil sapienter & ritè fit, & quidquid sapienter fit, in timore Dei fiat oportet: quia sapientia & timor Dei ita connexa sunt, ut, ubi est sapientia, ibi sit & timor Dei, ac vice versa: unde qui caret uno, caret & altero, utpote ejus comite individuo. Minùs ergo genuinè aliqui sic exponunt: *In omni sapientia dispositio*

tio legis: q. d. Lex Dei disposita est in omni sapientia, id A est, sapientissimè.

Græci Complut. & ceteri rursum nonnulla addunt, sic enim habent: *Omnis sapientia timor Domini est, & in omni sapientia factio* vel *executio legis, & cognitio omnipotentiæ ipsius*. Syrus breviter & clarè vertit, *verba prophetiæ & omnis sapientia timor Domini, & timor Dei ipse est sapientia*; Tigurina, *religio Domini summa est sapientia, in omni sapientia præstatio legis, summaque ejus potentiæ cognitio*. Porrò Græci Complut. Tigurina, & ceteri post hunc versum istum subjungunt: *Si servus dicat domino suo: Quod tibi videtur* (vel placet) *non faciam; si idem postea faciat, offendit altorem suum*, vel nutrientem se. Verùm meritò eum delent codices Romæ emendati, æquè ac Syrus: videntur enim hoc loco impertinentia, ac proinde à sciolo aliquo infarta.

Siracides de more occasione data libens, imò studio, digreditur ad encomium timoris Dei: in eo enim sitam esse docet veram & perfectam sapientiam. Præclarè S. Gregor. Nazianz. in Distich. *Curabis*, inquit, *ut solas divinitatis opes tibi compares, mundumque universum aranearum telis similem semper arbitreris. Cetera omnia quæ* B *possident homines, aliena ab hac vita sunt. Nam si verè dicendum est, sola virtus vita dicenda est: Venite igitur* (*omnibus verbum inclamat*) *ad Trinitatis cognitionem, properate*.

VERS. 19. ET NON EST SAPIENTIA, NEQUITIÆ DISCIPLINA: ET NON EST COGITATUS PECCATORUM, PRUDENTIA] Vocula *&* est causalis, significans *quia*, more Hebræo. Probat enim quòd omnis sapientia sit timor Dei, & dispositio sive executio legis, à contrario: quia scilicet *nequitiæ disciplina*, id est, cognitio & ars nequitiam astutè & malignè exercendi, quam norunt & exercent politici & mundani, *non est vera prudentia*. Vnde concludendum relinquit, sapientiam dumtaxat esse justorum, qui timent Deum, ejusque legem exequuntur. Hunc esse sensum liquet ex Græco, *non est sapientia, nequitiæ scientia: & non est, ubi consilium peccatorum, prudentia*; Syrus, *non est sapiens qui malus, & non est consilium peccatorum quod prudens*. Minùs rectè ergo Lyran. & Dionys. legunt, *& non est cogitatus bonus peccatorum prudentia*, id tamen verum & congruum habet sensum: q. d. Peccatorum prudentia nil cogitat boni, ac proinde non est prudentia, sed im- C prudentia; nec bonitas, sed malitia.

VERS. 20. EST NEQUITIA, ET IN IPSA EXECRATIO. ET EST INSIPIENS QUI MINUITUR SAPIENTIA] Ita legendum cum Roman. Probat aut potiùs explicat, *nequitiæ disciplinam*, sive scientiam, non esse veram sapientiam: q. d. *Est*, inquam, *nequitia*, sive callida malitia! sed *in ipsa* est *execratio*; quia nequitia plena est rebus execrandis, ideoque omnes probi eam execrantur ob calliditatem malignitati sociatam: at vero non pari modo execrantur insipientiam, id est, ignorantiam & defectum sapientiæ. *Est* enim *insipiens qui minuitur sapientia*, cui scilicet deest prudentia: hic non errat ex nequitia & malitia, sed ex insipientia & ignorantia, ac proinde potiùs compassione & instructione, quàm execratione dignus censetur. Græca habent, *est* πονηρία (vnus codex habet πανουργία, id est, astutia, versutia) id est, *nequitia, & ipsa abominatio: & est insipiens qui minuitur sapientia*. Syrus, *est astutia quæ creat peccata, & est fatuus qui non habet peccata, est amens qui evadit peccata, & est prudentior qui peccat*. Porrò hunc versum & præcedentem connectit, clarèque vertit Tigurina, D hoc modo, *scientia malitiæ non est scientia, nec consilium scelerosorum cum prudentia coniunctum est; sed malitia est, atque adeò ipsa execratio, stultitiaque vacua sapientiæ*. Huic sententiæ Siracidis accinit illa Ben Sira alphabeto 2. litera *Zain*: *Ne esto ex iis qui raram aut densam barbam habent*: q. d. Noli esse ex eorum numero qui vel perversè callidi, vel apertè stulti sunt. nam rara barba, callidus est: densa barba, stultus, ait R. Aquila in Gemara. Sententiam hanc explicat Siracides, dum subdit:

VERS. 21. MELIOR EST HOMO, QUI MINUITUR SAPIENTIA, ET DEFICIENS SENSU IN TIMORE (græcè ἔμφοβος, id est, timoratus) QUAM QUI ABUNDAT SENSU, ET TRANSGREDITUR LEGEM ALTISSIMI] q. d. Melior est insipiens, non practicè, id est, improbus, sed speculativè, id est, simplex, rudis, indoctus, cui exigua est sapientia & sensus, id est, prudentia, sed tamen præditus est timore Dei, quàm qui abundat sensu, id est, sapientia & prudentia, sed violat legem Dei: q. d. Melior est indoctus sed probus, quàm doctus sed improbus. Prudentem ergo vocat peritum & scientem quoad intellectum, non quoad affectum, qui scilicet clarè intelligit quid bonum, quid malum, sed idipsum non amat, nec opere exequitur. Hic enim eo graviùs punietur, quo doctior fuerit; quia doctrina sua non est usus, sed abusus, juxta illud: *Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi*, Jacobi 4. 17. Quare melior & felicior, ideoque practicè sapientior, est rusticus indoctus, sed Dei legem servans, *Rusticus*
quàm Aristoteles, Plato, aut etiam Doctor Theologus, *probus sa-*
sed legem Dei violans: illi enim gloria cælestis, huic in- *pientior*
fernalis gehenna paratur. Hunc sensum clarè indicant *Aristotile*
Græca: *Melior est stupidus in intellectu cum timore, quàm abundans in prudentia & transgrediens legem*: Complut. enim legunt, ἡττώμενος, id est, *stupidus*; alii legunt ἐλαττούμενος, id est, *qui minuitur*. Vnde Tigurina vertit, *potior est religiosus cui deficit sapientia, quàm abundans prudentia violator legis Altissimi*.

EST SOLERTIA CERTA, ET IPSA INIQUA. VERS. 22. & 23.
ET EST QUI EMIT VERBUM CERTUM ENARRANS VERITATEM] q. d. Duplex est solertia: vna certa & exacta, sed iniqua: altera recta & æqua certam enarrans veritatem, & in bono consilia certa suggerens.

Pro, *solertia certa*, græcè est πανουργία ἀκριβής, id est, *πανουργία*
astutia vel calliditas diligens & exquisita, ideoque cer- *quid?*
ta, quia certis mediis, quæ diligenter exquisivit, subnixa. πανοῦργος enim propriè significat eum qui in omnibus rebus versatus est, à πᾶν & ἔργον, quasi ὁ πᾶσιν ἔργοις ἐπιβάλλων: sed quia tales solent esse solertes & callidi, hinc hi quoque vocantur πανοῦργοι. Distinguit ergo hic duplicem *solertiam*, id est, astutiam & prudentiam; unam iniquam, qualis est dolus malus, fraus, hypocrisis, simulatio, fictio, malitia, quam v. 19. vocavit *disciplinam nequitiæ*. Alteram æquam & justam, quæ post maturam rei indaginem sermone certo enarrat veritatem, tam juris quàm facti, tam consilij quàm judicii, tam mentis propriæ quàm alienæ. Ipsa enim verè & candidè enarrat quid jure faciendum sit, quid reipsa ab hoc illove sit factum gestumve, quid consultò agendum sit vel omittendum: ipsa sincerum de rebus & personis omnibus fert judicium: ipsa simpliciter profert sensa mentis suæ, quid scilicet in mente gerat, quid de se alijsque sciat & sentiat. Vnde Græca explicatiùs hanc utramque πανουργίαν, sive solertiam, ita describunt, *Est calliditas exquisita, eaque iniusta: & est qui evertat gratiam evertendo judicium: rursus est justè judicans sapiens*. q. d. Calliditas iniusta est, quæ pervertit judicium justum, iniquè litem vel causam adjudicando iniusto, & abdicando justo qualis est hominis perversi, qui hac ratione simul evertit gratiam tum Dei, tum hominum. Hi omnes enim eum ut iniquum judicem, vel censorem aversantur. Calliditas justa est, qua sapiens justum de rebus & personis fert judicium. Ita Tigurina, *est astutia exacta*, inquit, *& eadem iniusta: & est qui gratiam juris pronuntiandi pervertat; rursumque alius qui justè judicet sapiens*. Syrus unam tantùm astutiæ partem & speciem, scilicet iniquam, recenset: *Est*, inquit, *astutus, qui complacet in mentiendo, & pervertitur ad manifestandum judicium*. Porrò in judicio quidem maximè cernitur utraque hæc prudentia, sed tamen eadem cernitur quoque in vera & ficta humilitate, ut v. sequ. explicat, imò cernitur in rebus omnibus. Vnde S. Greg. aureo quasi penicillo utriusque rationes, modos & actus sigillatim depingens lib. 10. Moral. cap. 16. ita sapientiam Sanctorum à prudentia mundana discriminat: *Hæc* (prudentia mundana) *sibi obsequentibus præcipit bonorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere, cùm vires suppetunt nullis resistentibus cedere: cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare. At contra sapientia justorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare quam facere, nullam iniuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare*. Vtramque sapientiam ita quoque secernit S. Jacobus cap. 3. 15. Non

autem est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Etc. Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione. Vide ibidem.

EST QVI NEQVITER HVMILIAT SE, ET INTERIORA EIVS PLENA SVNT DOLO] Haec una est, eaque crebra & vitiata nequitia, id est calliditatis & prudentiae iniquae, species, de qua S. Bernard. lib. 4. de Consid. ad Eugenium Pont. cap. 4. *Versutiloquis*, inquit,

Ficta humilitatis schemata.

& dolosi proprium esse solet, tunc praetendere humilitatem, cum aliquid obtinere volunt, de qualibus dicit Scriptura: Est qui se humiliat nequiter, & interiora eius plena sunt dolo. De cuius ipsis sumere sententia huius evidens ac familiare exemplum. Quanquam, quos supplices admisistis, postmodum sublimes experti graves, insolentes, contumaces, rebelles? Idem in Vigil. Nativit. serm. 8. hanc sententiam adaptat hypocritis ficte Christum invocantibus: *Infelix*, inquit, *quisquis ficte prostratus corde rigido corpus humiliavit. Est enim qui humiliatur nequiter, interiora autem eius plena sunt dolo. Quisquis enim necessitatem suam minus considerat, minus sentit incommoda, minus pericula pavet, minus devote confugit ad remedia certae salutis, minus affectuose se subiicit Deo, minus fideliter psallit: Domine refugium factus es nobis. Huius adoratio minus accepta, huius prostratio minus verax, huius humiliatio minus habens huius etiam collectio minus, & minus viva est fides.* Huic explicationi favet versio Syri, *est qui apparet veluti humilis, & tamquam animo contritus, & interiora cordis eius plena sunt dolo.*

Ficta humilitas quae?

Sententia enim haec etiam ut generalis & proverbialis, explicita rebus & casibus aptari potest: Siracides tamen adaptat eam malitiosis, qui dolose se humiliant, ut dolo occasione gravius noceant, uti patebit v. sequ. Alii eam adaptant iis, qui se tanquam accusare, seque dicunt ignavos, inutiles, peccatores, ut eo magis ab aliis laudentur. Pensitat S. Bernard. serm. 18. in Cant. *Apparere de humilitate laudem humilitatis, non est virtus, sed subversio. Quid perversius, quidve indignius, ut inde velis videri melior, unde videris deterior?* Et S. Ambros. l. 7. epist. *multi eam foris praetendunt, & intus impugnant.* Exempla illustria fictae humilitatis, vide apud Cassian. Collat. 18. c. 11. Hinc infert S. Bernard. *Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat.* Porro verae humilitatis pulchram dat S. Hieron. epist. 27. *Mala humilitatis umbram*, inquit, *veritatem ponis sectantur. Auferantur omnia figmenta verborum, cessent simulati gestus, verum humilem patientia ostendit.* Nam ut ait S. August. lib. 3. Contra epist. Parmen. *Nec malam conscientiam sanat praeconium laudantis, nec bonam vulnerat conviciantis opprobrium.* Idem l. Contra Secundinum Manichaeum: *Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.*

VER. 24. ET EST QVI NIMIVM SVBMITTIT A MVLTA HVMILITATE: ET EST QVI INCLINAT FACIEM SVAM, ET FINGIT SE NON VIDERE QVOD

VER. 25. IGNORATVM EST: ET SI AB IMBECILLITATE VIRIVM VETETVR PECCARE, SI INVENERIT TEMPVS MALLIACIENDI (MALEFACIET.] Multi iustus pro & est, utrobique legunt & est iustus, idque accipiunt de vero iusto: putant enim hic vere iusto v. sequ. opponi hypocritam, qui se iustum simulat: q. d. Leest iustus nimis, id est, valde & profunde, se humiliat. Est alter qui se fingit iustum, hic inclinat *faciem suam* quasi avertens oculos a muliere pulchra, quam tamen ardenter concupiscit, sed hoc ab aliis ignoratur: hoc si non possit ea potiri, saltem eruerit *tempus malefaciendi malefaciet*, uti fecerunt senes, qui amantes Susannam, ab ea repulsi eam quasi adulteram accusarunt, Daniel. 13.

Verum ex Graecis liquet haec omnia iungenda esse cum v. praeced. & accipienda de uno & eodem, puta de hypocrita qui nequiter se humiliat, ut iustus & sanctus videatur. *Iustus* ergo utrobique hic vocatur is qui humiliando se iustum simulat, qui exterius se ut iustum gerit, qui apparet iustus. Scriptura enim saepe loquitur non ex rei veritate, sed ex apparentia, sive ex eo quod exterius apparet: ex hoc enim iudicant homines de personis & rebus: quia S. Script. accommodat se usui & communi modo loquendi hominum. Hinc quia homines ex specie externa talem iudicant vocantque iustum, Script. itaque hominibus se accommodans eundem vocat iustum, cum revera interius & in corde sit iniustus, hypocrita & impostor. Idque esse patet ex Graecis: nam in illis non est illud, quod in Latinis (excipio Romana) hic habetur, *& est iustus*: nec est τὸ *qui nimium se submittit a multa humilitate*; quod videtur additum ut explicet τὸ *qui nequiter humiliat se*. Quod addit *Qui inclinat faciem suam*, &c. assignat modum quo quis nequiter se humiliat, & nimium se submittit. Igitur de uno eodemque haec omnia accipienda sunt. Sensus ergo est, ut recte docet Iansenius: q. d. Est aliquando qui maligne se demittit coram alio, cum interiora eius plena sint dolo; nec alia ratione se demittit, quam ut eo minus suspectus magis nocere valeat. Est, inquam, qui iustus apparet, & talis haberi vult, ob id multa externa demissione submittit se valde apud aliquem: hoc est, contingit esse aliquem ficte iustum, qui inclinat faciem suam in terram, vultuque tristi incedit, & fingit se in aliena vitia non videre, quod ignoratum est ab aliis: fingit se non curiose observare, quod alii ignorari, vel quod ignoratum homines esse cupiunt, cum interim

B oculo acuti observet omnia, ut noceat. Quod si ob imbecillitatem virium & impotentiam fuerit nocere, & peccati virus quod mente gerit, exercere nequeat; mox ubi tempus, id est opportunitatem, malefaciendi invenerit, illam accipiens, virus suum exeret, malefaciet & nocebit, iuxta illud Aristot. 2. Rhetor. *Occasione damnum ac opus improbitatis*. Et illud Publii: *Malefacere qui vult, nusquam non causam invenit*. Quare ex Graeco sic clarè vertas hosce tres versus, puta 23. 24. 25. *est nequitia praeditus qui demisso capite palliatus (atratus) incedit, & interiora eius plena sunt dolo. Demittit vultum, & surdum se simulans: & ubi minime fuerit ignoratus, antecapiet te (nocendo & laedendo ex improviso:) quod si defectu virium peccare prohibeatur, si opportunitatem nactus fuerit, tum malefaciet;* Vigent. est qui prava malitia demissus incedit (Hebr. enim קדר kadar significat & nigrum esse sine palliatum, & tristem sine moestum: hic enim incedit atratus, ut patet in funere) cuius interiora dolo tota ardeant: vultum contrahens fundamque se simulans, ubi non suspiceris, occupabit te laedere. Quod si defectu virium peccare prohibeatur, malum dabit tibi

C nactus occasionem, Syrus, *est qui apparet velut humilis, & tamquam animo contritus, & interiora cordis eius plena sunt dolosi, qui inclinatam habet faciem, & capiat malum, & in locis ubi non cognoscunt eum, vocant eum iustum, & qui quia non potest, impeditur a peccando: ut si potest malefacere, malefaciet*. Ex quibus omnibus patet hos esse verius de uno eodemque loqui, puta de hypocrita, v. g. inimico, vel alio qui te odendit vel laesit, qui ficte se humiliat & dolose simulat, ut gratiam tuam recuperet, sed ubi poterit suam ultionem & odium, quod mente fovet & coquit, exprometque vel in corpore, vel in fama, vel in bonis affliget & lacdet. Tales multi sunt in aulis principum, ubi regnat ambitio, invidia & hypocrisis. Unde Palacius censet Siracidem haec scripsisse in aula Ptolemaei regis Aegypti, vel aliarum principis. In ea enim, inquit, solent esse hypocritae ostentantes exteriorem humilitatem, cum interius sint dolosi, & superbissimi.

Moraliter, hic Nota quales sit sancta, grata & amabilis humilitas, utpote quam eius adversarii, ut sancti habeantur, tanto studio induere & simulare procurant; quaquoque splendet, ut etiam ficta in pretio habeatur, & videntium oculos rapiat in sui admirationem. Porro signa quibus hanc hypocrisin detegas, & hypocritam agnoscas,

D subiicit dicens:

VER. 26. EX VISV COGNOSCITVR VIR, ET AB OCCVRSV FACIEI (id est, a facie occurrente, puta ex vultu qui in oculos incurrit) COGNOSCITVR SENSATVS] Sic de interiori animi sensibus & affectibus physiognomi, medici, iurisconsulti non absurde iudicant ex delineamentis corporis temperamentoque corporis, quam appellant physiognomiam. Scripsit Delrius 4. Disquisit. magic. cap. 4. q. 5. & 5. post Mich. Medinam 2. Parerg. (Chrisl. cap. 2. Coccatium Vvirpinum de Signis c. 8. 4. 10. 11. 12. Franc. Ualesium de Sacra Philosophia cap. 31. & alios, nec non Pineda in c. 24. Iob. v. 3. de arte ista coniecturali. Fundamenta prima artis esse solent ex quadam cum ceteris animalibus comparatione, vel ex moribus aliarum gentium, vel ex collatione sexus cum sexu, vel ex mota

tu membrorum & affectionibus corporis, vel ex composi-tione signi cum signo, ut passionis cum passione. Simia parvos habens oculos invida est: ergo, inquiunt conjectores isti, etiam homo cui oculi parvi, invidus est. Æthiops pertinax est & stupidus: talis igitur, quisquis nimiùm fuscus est: mulier mollem, & candidam ut plurimum cutem habet, estque pavida, & levis proinde vir quoque est ejusmodi, qui candidus ac mollis: iratus fixis, & immotis intuetur oculis, ideò non nictantes oculi sunt, uti Hippocrates dixit, iracundi. Invidus itaq; est iracundus, tristisque. Talia plura recenset Aristot. in physiognomicis.

Vers. 27. AMICTUS CORPORIS, ET RISUS DENTIUM, ET INGRESSUS HOMINIS, ENUNTIANT DE ILLO] Alii vertunt, *indicant mores eius*; Tigurina vertit, *ut aspectu quisque cognoscitur, ita ex vultus obiectu cordatus intelligitur: suus cujusque habitus, ac rictum deducens risio* (Vatabl. *dentium per risum nudatio*) *incessusque hominis, quomodo sit animatus, arguunt*. Paulò aliter Syrus, *est quem ab aspectu faciei discernit vir & è contrario cognoscit eum sapiens. Aspectus viri demonstrat opera ejus, & incessus hominis testificatur de eo*. Sensus est, q. d. Sicut ex visu & aspectu quisque dignoscitur & cognoscitur, sic pariter ex vultu animi arcana cognoscas. Esto enim hypocrita vultum aliquanto tempore fingat & componat, ut hypocrisin dissimulet, ac humilitatem, æquitatem & justitiam simulet; tamen vir prudens & cordatus, si attentius & diutiùs eum inspiciat, hypocrisin deprehendet. Vultus enim est imago cordis, oculi sunt speculum mentis, ac mens suos affectus, præsertim tumultuantes, & turbidos, diu celare nequit; quin etiam nescia & sui oblita, quasi ex improviso per vultum & oculos eos prodat. Sicut enim vultus, & oculi indicant mentis lætitiam vel tristitiam, amorem vel odium; sic & candorem, vel fictionem & hypocrisin.

Quatuor specula mentis. Siracides ergo dat hìc quatuor indicia, per quæ quasi per fenestras mentem cujusque introspicias, ac latentem virtutem vel vitium, simplicitatem vel hypocrisin deprehendas.

Primum est facies. Primum clarissimum est, facies & vultus, præsertim oculi: profert enim & prodit se natura per oculos. Cùm enim lucerna corporis sit oculus, quid mirum si lucerna quale sit corpus enuntiet? Sic vir trux primo suo occursu, oculisque trucibus videtur terrorem incutere: pius verò suo occursu exhilarat. Sicut enim sapientia & sanctitas lucet in vultu sapientis & sancti, Eccles. 8. v. 1. ita insipiëtia & nequitia caligat in vultu insipientis, & nequam.

Præclarè S. Ambrosius lib. de Elia c. 10. *Vultus*, inquit, *quidam cogitationis arbiter & tacitus cordis interpres: facies index plerumque est conscientiæ, & tacitus sermo mentis*. D. August. in Regul. ad servos Dei, quæ in fine 1. tomi habetur: *Nec dicatis*, inquit, *vos habere animos pudicos si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius*.

Sic physicè Aristot. in Physiognom. cap. 9. & 10. docet, complexionem, indolem, passiones & affectiones animi maximè cerni in vultu, naso, oculis & fronte: *Qui*, inquit, *nasum extremum crassum habent, insensibiles sunt; referuntur ad sues. Qui nasum extremum acutum habent sæpè irascibiles sunt; referuntur ad canes. Qui autem nasum habent rotundum et obtusum, magnanimi; referuntur ad leones. Qui verò nasum extremum subtilem habent, aviculares. Quibus incurvus à fronte mox deducitur, inverecundi sunt; referuntur ad corvos. Qui autem aquilum habent, articulatum à fronte, magnanimi; referuntur ad aquilam. Qui autem nasum cōcavum habent, & quæ ante frontem rotunda, circumferentiam autem superiorem erectam, luxuriosi; referuntur ad cervos. Quibus autem nares sunt apertæ, iracundi, referuntur ad passionem quæ fit in ira*. Post nasum subdit physiognomiam faciei, aitq;: *Qui faciem carnosam habent, segnes; referuntur ad boves. Qui faciem macilentam habent, accurati. Qui autem carnosam, timidi; referuntur ad asinos & cervos. Qui valdè parvam habent, pusillanimi; referuntur ad catum & ad simiam. Quibus facies magna, tardi; referuntur ad asinos & boves. Quoniam verò neque parvam, neque magnam oportet esse, medius habitus utique horum erit conveniens. Quibus autem facies videtur parum decens, illiberales sunt, referuntur ad apparentem convenientiam*. Et paulò inferius: *Qui frontem parvam habent, indisciplinabiles; referuntur ad sues. Qui autem magnam valde, tardi, referuntur ad boves. Qui verò rotundam habent, insensati; referuntur ad asinos. Qui autem minùs planam habent, sagaces; referuntur ad canes. Qui verò quadrangulum commensuratum fronti habent, magnanimi; referuntur ad leones. Qui autem collectam habent, adulatores: id autem in canibus videbit quispiam; quoniam canes cùm blandiuntur, contractam habent frontem. Qui autem nebulosam, audaces; referuntur ad taurum, & leonem: quoniam autem nebulosus habitus audaciam significat, tranquillus autem adulationem; medius habitus utique horum bene decenter se habet. Qui tristem habent frontem, mœsti; quoniam mœsti tristem habent faciem. Qui autem demissam, lamentabundi; quia lugentes demissæ sunt frontis. Qui habent magnum caput, sensati; referuntur ad canes. Qui verò parvum, insensati; referuntur ad asinos. Qui habent capita pineata, inverecundi; referuntur ad habentes ungues curvos*. Hæc signa sunt conjecturæ, ideoque non planè certæ, nec semper veræ. Vnde ferunt Socratem ex vultu visum impudicissimum & malè moratum; sed arte & virtute vicit ille naturam.

Secundū est, vestitus. Secundum est, amictus sive vestitus: superbus enim amictus internam superbiam, fictus fictionem, dissolutus dissolutionem, levis levitatem gravis gravitatem, luxuriosus luxuriam mentis indicat & repræsentat. Quare S. August. epist. 73. ad Possidium: *Verus*, ait, *ornatus, maximè Christianorum & Christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt*. Ita ex vultu, vestitu, habituque dissoluto Juliani Apostatæ, occultam ejus impietatem deprehendit S. Gregor. Nazianz. uti ipse refert orat. 2. in Julianum, his verbis: *Neque enim mihi boni quidquam significare atque minari videbantur, cervix non firma, humeri subsultantes, & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens & vagus furioseque intuens, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam & contemptum spirans, risus petulantes & effranati*. Et post alia id genus dissoluti animi argumenta: *Ut hæc*, inquit, *conspexi, statim prolocutus sum; Quale Romanorum terra nutrit!* Sic de Julio Cæsare adhuc puero dixere Syllani: *Cavete puerum malè præcinctum*. Et Augustinus Cæsar, teste Svetonio, *Vestitus*, inquit, *insignis ac mollis superbiæ vexillum est, nidusque luxuriæ*.

Tertium est, risus. Tertium est, risus: risus enim candidus, & planus; cor candidum, planum & apertum; risus verò contractus, contortus, sardonicus, dentatus, cor contractum, contortum, dolosum, dentatum & odio imbutum significat. Nam *per gestum corporis demonstratur qualitas voluntatis*, ait Rabanus. Vnde S. August. l. 1. Contra Academ. c. 5. *Ratio*, ait, *præveniat risum tuum: nihil enim est fœdius risu irrisione dignissimo*. Idem ser. 97. de Temp. *Risus*, ait, *frequens corrumpit mores, relaxata quoq; nervos rigoris abstrictos: severus autem vultus custos est disciplinæ*.

Quartum est incessus. Quartum est, incessus, celer enim & præceps præcipitationem, tardus tarditatem, levis levitatem, superbus superbiam, iratus iram, fictus fictionem mentis indicat. Nam, ut ait Beda in Proverbiis: *Gressu corporis habitus demonstratur mentis*. Et S. Bernard. de Modo bene vivendi c. 9. *Sit*, ait, *in ingressu tuo simplicitas, in incessu honestas. Nihil dedecoris, nihil lascivia, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil levitatis in incessu tuo appareat. Animus enim in gestu corporis apparet: gestus signum est mentis*. Quin & Aristot. in Physiogn. ca. 6. *Modesti*, ait, *signa sunt: in motibus tardus, & loquens tardè, vox tarda, & plena spiritu, ac mitis; oculus hilaris, neque valdè apertus, neque omnino clausus. Iracundi: in motibus præceps, rubens corpore, color sanguineus. Animosi: fronte ingens, in motibus tardus & remissus, non præceps. Tristis: figura humilis, & motibus remissus, rugosa facies, macri oculi. Cinædi: oculus confractus, motus manuum supini & dissoluti, ambulationes duplices, hac quidem circumclinantis, alia verò lumbos tenentis, & oculorum circumspectiones: qualis fuit Dionysius sophista*.

Gnoma. Audi S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 18. *Est*, ait, *in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus aut levior, aut jactantior, aut turbidior; aut contra gravior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus. Meministis, filii, quemdam amicum, cum sedulis se videretur commendare officiis; hoc solo tamen in clerum a me non receptum, quod gestus ejus plurimum dedeceret. Alterum quoque cùm in clero reperissem, jussisse me ne umquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Idq; dixi* cum

cùm redderetur post offensam muneri. Hoc sì ĩum excepi: nec fefellit sententia: uterque enim ab Ecclesia recessit: ut qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter Arrianæ infestationis tempore fidem deseruit, alter pecuniæ studio, ne judicium subiret, sacerdotem se nostrum negavit. Lucebat in illorum incessu imago levitatis, species quædam scurrarum percursantium. Et inferiùs: *Est etiam gressus probabilis in quo sit species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus ac simplex: nihil enim fucatum placet. motum natura informet. Si quid sane in natura vitii est, industria emendet: ut ars desit, non desit correctio.* Quin & Cicero l. 3. de Oratore: *Omnis motus animi, inquit, suum quemdam à natura habet vultum, et sonum, & gestum: animi imago vultus est. Nam hæc una pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes & communicationes possit efficere.*

Imperfecti igitur à perfectis modestia continua, & constanti discernuntur. Imperfecti enim etsi ad tempus mores componant, aut potiùs compositos fingant coram aliis; tamen cùm fuerint ineptæ curæ fingendi modestiam obliti, illicò ineptis corporis motibus, & animi perturbatione se produnt, instar simiæ, quæ doctâ saltare subsilit; sed si proiicias nuces, illicò omnis decori saltus oblita, ad cupitas nuces advolat. Perfecti autem sui ipsorum curam gerunt continuam, ac per eam modestiæ habitum, quasi vestem pulcherrimam induunt: quare hæc modestia, lenitas, ac membrorum compositio effectus est & signum internæ tranquillitatis & sanctitatis, per eamque interna animi virtus puritasque cernitur & dignoscitur; sicut ignem ex fumo, hominem ex loquela, & solem ex splendore cognoscimus.

Hanc gnomen apologo similem, festivo auris & oculi apologo illustrat Cyrillus lib. 1. Apologorum moralium, c. 25. cujus titulus, *In cunctis esto compositus. Audiens auris, inquit, quòd oculum palpebra tueretur, acuto puncta invidentiæ aculeo, naturæ dixit: Ut quid oculum tam volatilium palpebrarum munitione vallasti, me autem ita nudam undique reliquisti? Certè haud minori me in pretio habere debueras: quoniam si delectat lux, ampliùs tamen verbum, & si visus instruit, magis auditus. Cui illa utriusque arte sapientia fabricatrix, patienter respondit: Si videres situm membrorum, & luci rationis attenderes, magis me gratiarum actione quàm querelarum quæstione pulsares; nonne locata es in profundis, & osse, & cartilagine circumquaque munita? Foris tamen lucerna corporis est oculus, & ob hoc providè pellicula velocitatis armatur, & propter hoc ostiolo clauditur, ut etiam volenti, nihil indecens spargente radio præsentetur. Ad hæc auris adiunxit: Cur etiam mihi repulsionis januam non dedisti? an fortè minùs putasti noxiam esse corruptionem auriculæ, quàm pupillæ? Ad quod natura respondit. Non audisti quòd primum aditum morti, venenoso serpentis eloquio percepto, effrenatus mulieris auditus exhibuit? Directè siquidem usque ad cor penetrat verbum, quoniam aperta semita stillat ex aure in pectoris rimas. Tunc natura subiunxit: Nimirum sicut non est intuendum nisi quod licet, sic nec audiendum est nisi quod decet. Nonne te ad hoc in medio capite posui?* Vnde concludit, & quasi axioma præstantissimum assignat: *Omnis enim sapientis actus debet esse decenti regularitate compositus. Et quemadmodum in cælestibus sapientia gubernantis, nullus sine regula motus cernitur: ita & in membris animæ prudenti subiectis, nullus apparere debet actus inordinatus. Unde sapientis est incessus gravis, aspectus pudicus, auditus honestus, status recollectus, habitus aptus. Maximè tamen decor prudentiæ debet relucere in facie, quoniam cornu sapientia luminosum* (Exodi 3.29.) *glorificavit Mosaicum vultum. Igitur quia homo debet esse velox ad audiendum, tibi non addidi januam; nec tamen cùm necesse fuerit, opportuna deest rationis arte clausura. Quibus auditis mox placata auris quievit.*

Apologus oculi & auris.

Actus sit semper compositus.

VERS. 28. EST CORREPTIO MENDAX IN IRA CONTUMELIOSI: ET EST JUDICIUM, QUOD NON PROBATUR ESSE BONUM: ET EST TACENS, ET IPSE EST PROVIDENS] Redit ad doctrinam correptionis traditam v. 13. & seq. quia enim dixerat illam faciendam esse sapienter & sincerè; hinc ad sapientiam, sinceritatem & hypocrisin digressionem fecit v. 18. hucusque: nunc ergo ad institutam correptionem regreditur. Vnde Tigurina hæc connectit sequentibus, hincque inchoat cap. 20. nam cap. 20. cœptam hìc materiam prosequitur. Græca de more concisa sic habent, *est correptio quæ non est decora vel pulchra, & est tacens & ipse prudens*; Tigurina clarè, *est cùm minimè speciosa sit reprehensio, & est cùm quis sapienter taceat*; alii, *est reprehensio quæ indecora sit, & est qui taceat, idemque prudens sit*; Syrus aliò abit, *est paupertas*, inquit, *quæ non convenit, & est qui tacet, & ipse est sapiens*. S. Chrysost. in psal. 40. legit, *est reprehensio, & non est tempestiva; & est tacens aliquis, qui invenitur sapiens*. Noster modum & tempus addit, quo indecora sit reprehensio, nimirum quando procedit ex ira & animo conviciandi & exprobrandi; hæc enim ita facit, ut correptio sit iracunda, contumeliosa & mendax: ipsa enim efficit ut corripiens multa effutiat falsa, ac proinde mendacia per contumeliam impingat ei quem per iram corripit. Ira enim pervertit judicium, ut temerè ex levibus signis sinistrè judicet, arguatque & damnet factum proximi quasi pravum, cùm revera tale non sit. Hoc est quod subdit: *Et est judicium, quod non probatur esse bonum*, quia, scilicet, ex ira præcipitatum, ideoque temerarium, & sæpè falsum ac mendax est. Quare in ira silendum est, & omittenda correctio, donec ira deferveat, redeatque mentis pax & serenitas, indeque veritas, verumque de rebus judicium. Ergo qui in ira tacet, ipse est prudens.

Porrò, correptio ex ira, non tantùm indecora est audienti & excipienti; sed eadem indecora & impudenda est dicenti & corripienti: qua eum non ratione, sed ira agi, iræque mancipium esse ostendit, ideoque alios etiam subditos non emendat, sed inverecundiores & protervíores efficit. Scitum est illud Platonis ad servum delinquentem: *Castigarem te, nisi iratus essem*. Idem alio tempore servi castigationem amico demandavit, dicens: *Ego castigare nequeo, quia iratus sum*.

Rursum sicut bilis flava, id est ira, sic & bilis atra, putà melancholia, pervertit judicium, facitque ut non sit bonum, sincerum & verum; sed malum turbidum & falsum: per illam enim quasi per nubem atram res apparet & cernitur atra, obscurra, tetra; etsi in se sit candida, limpida, clara. Hinc melancholicis omnia videntur atra, tristia, sinistra, prava, periculosa, perdita: quare Arist. in Politicis, negat melancholicos adhibendos in consilium, aut eligendos in consiliarios. Melancholici ergo, quia nimis sunt pusillanimes, tristes & suspicaces, parum apti sunt ad correptionem: Sileant ergo, si sapiunt, & prudentes haberi volunt. Plura hac de re dixi capit. 8. vers. 13.

Denique prudens est tacens, qui, scilicet, tacet, cùm putat correptionem & locutionem fore inutilem & infructuosam. Ita senior ille apud Joannem Moschum in Prato spirit. cap. 156. à Philosophis rogatus, hoc vitæ sanctæ & sapientis dogma dedit: *Sit philosophia vestra opus semper meditari mortem silentioque & quieti vos assuefacere*. Alter rogatus: *Usquequo servandum est silentium?* respondit: *Usquequo interrogeris. In omni enim loco si taciturnus fueris, requiem possidebis.* Sapienter Æneas Sylvius (qui postea creatus Pontifex Pius II. nuncupatus est) libr. 1. de Gestis Alfonsi: *Sapientius, inquit, est agere, quàm fari. Numquam enim nisi cùm necessitas postulat sapiens loquitur: neque vana, nec nisi ponderata profert: stulto autem nullum est tempus sermoni clausum, facileque verba jactitat, qui sine consideratione profatur.* Acutè, & facetè S. Gregor. Nazianz. epist. 1. ad Celeusium, ejus silentium carpentem, respondit per apologum hirundinum garrularum, cycnos taciturnitatis accusantium. Cycni enim hirundinibus responderunt: *Si non multum, nec apud multos canimus; at illud certè in nobis pulcherrimum est, quòd modum in canendo tenemus, nec musicam tumultibus permiscemus. Vos autem, & in ædes admissas, homines fastidiunt, & canentes aversantur: idq; optimo jure, quippe quæ nec excisa quidem lingua silere queatis; verùm ipsæ amissam vocem & calamitatem vestram lugentes, quasi alia aut profusa lingua prædita, & canora, loquaciores sitis. Intellige quid loquar, ait Pindarus; ac si taciturnitatem meam tua loquitandi facilitate præstantiorem esse inveneris, silentium nostrum ineptè carpere atque insectari desine. Alioqui proverbium dicam, ut verissimum, ita etiam brevissimum: Tum cantabunt cycni, cùm graculi tacuerint.* Huc pertinent disticha Catonis, sive illius prisci Censorii, sive potiùs recentioris cujuspiam, qui Catonis nomen assumens, prisci illius mores & sensa carmina expresserit: hæc enim disticha

Moralis silentium.

...cha inter opera prisci non inveniuntur, ac simpliciori stylo conscripta sunt, nec latinitatem illustrant. Continent tamen elegantiæ inquantum. Disticha sic se habent:

Perspicito tecum tacitus, quid quisque loquatur.
Sermo hominum mores & celat & indicat idem.

Huc facit illud Senecæ in Proverbiis: *Libentius audias quàm loquaris. Tacere qui nescit, nescit loqui.* Et illud Pindari in Nemeis ode 5. *Non omnis veritas exacta patefaciens faciem utilis est, sed sæpe tacere est sæpè sapientissimum.*

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cap. præced. v. ult. tria dixit Primò, correptionem non esse faciendam in ira; Secundò, esse iudicium quod non probatur esse bonum; Tertiò, esse tacentem qui sit prudens. Hæc tria ordine hic prosequitur. Primum, v. 1. secundum v. 2. & 3. tertium v. 5. Vnde pergit agere de vitiis & virtutibus linguæ. Quocirca v. 9. & seq. agit de fatuis fatuorum sermonibus æquè ac donis, eisque opponit sapientibus sapientum dicta & facta. Denique v. 23. agit de nimia & noxia verecundia, dedecore mendacii, sapientia quæ sese promit & exhibit placendo magnatibus, idemque vitat in iudiciis xenia & dona.

QUàm bonum est arguere, quàm irasci, & confitentem in oratione non prohibere. 2. Concupiscentia spadonis devirginabit juvenculam: 3. Sic qui facit per vim judicium iniquum. 4. Quàm bonum est correptum manifestare pœnitentiam! sic enim effugies voluntarium peccatum. 5. Est tacens, qui invenitur sapiens: & est odibilis, qui procax est ad loquendum. 6. Est tacens non habens sensum loquelæ: & est tacens sciens tempus apti. 7. Homo sapiens tacebit usque ad tempus: lascivus autem & imprudens non servabunt tempus. 8. Qui multis utitur verbis, lædet animam suam: & qui potestatem sibi sumit injustè, odietur. 9. Est processio in malis viro indisciplinato, & est inventio in detrimentum. 10. Est datum quod non est utile: & est datum, cujus retributio duplex. 11. Est propter gloriam minoratio: & est qui ab humilitate levabit caput. 12. Est qui multa redimat modico pretio, & restituens ea in septuplum. 13. Sapiens in verbis seipsum amabilem facit: gratiæ autem fatuorum effundentur. 14. Datus insipientis non erit utilis tibi: oculi enim illius septemplices sunt. 15. Exigua dabit, & multa improperabit: & apertio oris illius inflammatio est. 16. Hodie fœneratur quis, & cras expetit: odibilis est homo hujusmodi. 17. Fatuo non erit amicus, & non erit gratia bonis illius. 18. Qui enim edunt panem illius, falsæ linguæ sunt. Quoties, & quanti irridebunt eum? 19. Neque enim quod habendum erat, directo sensu distribuit, similiter & quod non erat habendum. 20. Lapsus falsæ linguæ, quasi qui in pavimento cadens, sic casus malorum festinanter veniet. 21. Homo acharis quasi fabula vana, & in ore disciplinatorum assidua erit. 22. Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore suo. 23. Est qui vetatur peccare præ inopia, & in requie sua stimulabitur. 24. Est qui perdet animam suam præ confusione, & ab imprudenti persona perdet eam: personæ autem acceptione perdet se. 25. Est qui præ confusione promittit amico, & lucratus est eum inimicum gratis. 26. Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assiduè erit. 27. Potior fur quàm assiduitas viri mendacis, perditionem autem ambo hereditabunt. 28. Mores hominum mendacium sine honore: & confusio illorum cum ipsis sine intermissione. 29. Sapiens in verbis producet seipsum, & homo prudens placebit magnatis. 30. Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum: & qui operatur justitiam, ipse exaltabitur: qui verò placet magnatis, effugiet iniquitatem: 31. Xenia & dona excæcant oculos judicum, & quasi mutus in ore avertit correptiones eorum. 32. Sapientia absconsa & thesaurus invisus: quæ utilitas in utrisque? 33. Melior est qui celat insipientiam suam, quàm homo qui abscondit sapientiam suam.

VERS. 1. QUAM BONUM EST ARGUERE, QUAM IRASCI, ET CONFITENTEM IN ORATIONE NON PROHIBERE.] Prosequitur materiam de correptione, quam cœpit, vel potius cœptam v. 13. cap. præced. resumpsit ibidem v. ult. ubi dixit iratum non debere corripere, sed tacere. Unde hic infert, satius esse corripere prudenter & mansuetè eum qui se vel alios offendit, quàm ei irasci: sic enim correptus culpam agnoscet & confitebitur: itaque offensis satisfaciet, eumque confessione culpæ & petitione veniæ sibi reconciliabit. Dicit ergo: *Quam bonum*, &c. q. d. O quanto melius est corripere proximum vel iusè, vel in alios peccantem, quàm ei irasci occultè (ut habent Græca Complut.) & sic consequenter *confitentem* peccata sua *in oratione non prohibere*, sed potius ad id corripiendo inducere. Est enim liptote, quia minùs dicitur & plus significatur: scilicet, per *non prohibere*, significatur inducere & impellere, ita Lyranus. Qui enim ex charitate suaviter peccantem corripit, impellit eum ut peccatum suum confiteatur in oratione, id est, in confessione culpæ, & deprecatione veniæ, sive ea fiat homini offenso, sive Deo. Paulò aliter Jansenius: q. d. Bonum est corripienti, eum qui correptus confitetur peccatum suum simul cum oratione veniæ, non prohibere à se vel à venia, sed statim ad reconciliationem & veniam admittere. Sic enim cessabit corripientis ira, & correpti culpa; per cujus confessionem pariter cessabit utriusque offensio, imò vertetur in mutuam reconciliationem. Græca habent, *quam bonum est arguere, quàm irasci, & ὁ ἀνθομολογούμενος, perperam aliqui legunt contrario sensu* ἀνθομολογούμενος, id est, *qui vicissim confiteatur qui scilicet respondens correptioni fatetur culpam, prohibetur à diminutione* id est, ab imminente sibi damno. Unde clarè vertit Tigur. *quanto honestius est reprehendere quàm alere indignationem! nam qui fatetur quid, protegetur à detrimento*; Syrus prorsus abit alio, *non est gratia ei*, inquit, *qui corripit iniquum*, & *laudatur aliquis unde non convenit ei laudari*. Aliter quoque Rabanus: *Confitentem*, inquit, *in oratione noli prohibere, quia non est ille prohibendus qui confitetur Deo in oratione sua*, & *laudat ipsum in ore suo*; *sed instruendus ut rectè fidei & bonorum operum concordiam adhibeat, quia non est speciosa laus in ore peccatoris, sed corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Proinde Propheta dicit: Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini sancto ejus. Et alibi: Elevatio*, inquit, *manuum mearum sacrificium vespertinum.*

VERS. 2. & 3. CONCUPISCENTIA SPADONIS DEVIRGINABIT JUVENCULAM: SIC QUI FACIT PER VIM JUDICIUM INIQUUM.] Spectat hæc gnome id quod dixit cap. præced. v. ult. *Est iudicium quod non probatur esse bonum*, ac alludit ad spadones seu eunuchos, quibus, utpote natura vel arte excisis & impotentibus ad generationem, custodiendæ tradebantur virgines & conjuges: hi enim acti stimulis concupiscentiæ & libidinis, virginibus sux fidei commissis turpiter abutebantur, eisque florem virginitatis per stuprum adimebant. Dicit ergo

ergo: Uti spadones aliqui impuri, esto vi generandi A privati, non tamen omnino vi seminandi aut concupiscendi spoliati, virgines sibi concreditas vitiant: ita judices iniqui, sive privati, sive publici, justitiam, (quam veteres ut virginem pingebant) per injustas & violentas sententias vitiant & constuprant. Unde Tigur. vertit. *qualis est spadonis puellam vitiandi libido, talis est qui per vim exercet iudicia*; Syrus, *desiderat eunuchus concumbere cum virgine, ita qui facit iudicium per vim*. Multi enim spadones peccant per turpia desideria, cùm ad actum venereum omnino sint inhabiles & impotentes; sed nonnulli, ut dixi, ad eum aliqua ex parte habiles & potentes sunt.

Iustitia pingitur virgo cur? Nota. Veteres justitiam pingebant quasi virginem (quam Astræam, quasi Cælitem vocabant) libram manu una tenentem ad æquilibrium, altera gladium. Virginem, ut significarent eam debere esse integram & incorruptam. Libra significabant, eam debere jus utriusque partis exacto examine librare, & cuique juris æquilibrium assignare, ut bonis præmia pro meritis, malis pęnas pro demeritis geometrica proportione distribuat. Ense repræsentabant vindictam, quam justitia in reos B exercet. Addit Pierius Hierogl. 42. cap. 61. ei appinxisse duas mulieres, quæ captivæ ab ea traherentur: unam quæ fractum ensem manu prætendebat, alteram quæ conto innitebatur, ut duo vitia extrema à justitia domita repræsentarent, ac ex utriusque medio virtutem ipsam astruerent: per fractum scilicet ensem severitatem nimiam retusam cohibitamque intelligentes: per contum lentorem nimium abdicatum, quo judicia plus æquo producebantur. Inde enim dicta contatio, quæ retardationem significat. Lenti verò sunt, qui nullo quantumvis atroci scelere concitantur, neque publicis neque privatis injuriis commoventur. Vide Giraldum de Diis Gentium syntagm. 1. pag. 28.

Hinc & Chrysippus apud Gellium lib. 14. cap. 4. *Imaginem iustitiæ fieri solitam*, ait, *forma atque filo virginali, aspectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus neque humilem, neque atrocem, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitate. Ex imaginis autem istius significatione*, ait, Gellius, *intelligi voluit, judicem, qui justitiæ antistes est, oportere esse gravem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem: contraque improbos nocentesque* C *immitem atque inexorabilem, erectumque, & arduum ac potentem, vi & majestate æquitatis veritatisque terrificum*. Et Plato lib. 12. de Legibus cap. 34. *Cavere*, inquit, *pro viribus debet quisquis alium judicaturus est, ne sponte aut invitus supplicium mulctamve falso, & non meritò inferat, iudiciũ enim virgo quadã pudica esse dicitur. Pudori autem atque judicio secundum naturam odio mendacium est*.

Significat ergo Siracides violationem justitię, utpote virginis integerrimæ, symbolicum esse stuprum; quo & integritas justitiæ, & decor fidei sive fidelitatis turpi & infami scelere corrumpatur. Iudicibus enim commissa est tutela justitiæ, sicut eunuchis commissa est custodia virginis, ut eam integram & illabatam conservent. Quare quàm indignum contraque omne jus & fas est, à spadone inferi vim virgini sibi commissæ: tam indignum & infame nefas est à judice inferri vim justitiæ sibi concreditæ, ut nocentes absolvat, innocentes damnet & plectat. Quocirca Cic. l. 1. epist. ad Atticum, ait à Clodio iniu- D sto judice constupratum esse judicium. *Afflicta*, inquit, *resp. est empto construpratoque iudicio*. Porrò idipsum faciunt non tantùm judices in tribunali, sed & quique particulares, qui in symbolis & symposiis, aut seorsum cum sociis detrahentibus proximo, ejus acta & mores iniquè censent, judicant & damnant. Agitur enim hic de correptione. Detractio ergo est constupratio iustitiæ: calumnia est stuprum innocentiæ.

VERS. 4. QUAM BONUM EST CORREPTUM MANIFESTARE POENITENTIAM! SIC ENIM EFFUGIES VOLUNTARIUM PECCATUM] Præfixit leges corripienti, ut scilicet in veritate & lenitate corripiat, nunc sancit legem ei qui corripitur, videlicet, & non superbè se excuset, sed humiliter agnoscat culpam, de eaque doleat, ac se pęnitentem ostendat, nimirum ore confitendo *in oratione*, id est, in deprecatione veniæ, ut dixit v. 1. ac opere satisfaciendo iis quos offendit vel læsit. *Sic enim effugies voluntarium peccatum*. Per *pœnitentiã* enim ostendes te lapsum esse per ignorantiam, incogitantiam vel infirmitatem, ac proinde ex parte involuntarium fuisse lapsum: sin impœnitens peccatum tueare, facies illud planè voluntarium, quia ostendes animi obstinationem & destinatam malitiam. Secundò, *effugies voluntarium peccatum*, qui pęnitentiam à peccato voluntariè admisso liberabis, eiusque culpa & pęna tibi pęnitenti à Deo condonabitur. Hic versus iam deest in Græco & Syro: in Complut. tamen ponitur post. v. 8.

Verè Beda in Proverbiis: *Initium bonorum*, inquit, *est confessio malorum*. Quin & Seneca in Proverb. *Proximum*, inquit, *ad innocentiam locum tenet verecunda peccati confessio*. Nota hic vim pęnitentiæ: nullæ enim sunt tam ferreæ peccati compedes, quibus peccatum peccantem constringat, quas pœnitentia non frangat, & servum peccati non manumittat. Compunctio enim & dolor de peccato in Deum admisso, implicitè est summus Dei amor; ob Dei enim amorem dolet de Dei offensa. Amor ego Dei mensura est, ac modulus doloris, & quantum in uno, tantum in utroque est ponderis. Generant enim se mutuo: nam & ex amore dolor, & vicissim ex dolore nascitur amor. Alter alterius fomentum est & incendium, nutrix & parens: si crescit unus, uterque capit augmentum: si ardet alteruter, in ambobus flamma gliscit. Animus amore ebrius eructat dolorem: & dolor vicissim amorem acuit, urit & accendit. Vide de utilitate confessionis & pęnitentiæ S. Greg. lib. 18. Moral. cap. 11. S. August. & Ambros. lib. de Pęnitentia. Huc facit illud Hebræorum proverbium: *Negatio peccati duplex peccatum, negatio iniquitatis duplex iniquitas*, ad verbum, *duæ iniquitates sunt*. scilicet, una perpetrata, altera defensa. Dupliciter ergo peccat duplicatque crimen qui negat esse crimen quod commisit.

EST TACENS, QUI INVENITUR SAPIENS: ET EST ODIBILIS, QUI PROCAX EST AD LOQUENDUM] Respicit tertium è tribus quæ dixit cap. præced. v. ult. nimirum: *Est tacens, & ipse prudens*; illudque hic multis prosequitur, ac docet aliquando sapientis esse silere, insipientis verò loqui, aliquando verò silere signum esse insipientiæ. Vnde Græca breviter & clarè sic habent *est tacens, qui invenitur sapiens, & est odibilis ex multa loquacitate*; id est, ut Tigurina, *est qui tacendo se probet sapientem, & est qui crebra loquacitate fit odiosus*; alii paulo clariùs, *est qui tacendo sapiens esse deprehendatur, & est qui multa loquacitate odiosus sit*. S. Chrysost. in psal. 140. legit, *qui abundat in sermone, odio habebitur*, Vulgus enim homines loquaces, quasi disertos & facundos, æstimat sapientes; taciturnos verò, quasi indisertos & elingues, esse infantes & insipientes: At viri prudentes contrarium de utrisque ferunt judicium: eum enim qui opportunè tacet, censent esse sapientem: eum verò qui importunè garrit, censent esse insipientem. Nam, ut vertit Syrus, *est qui quando tacet, cogitat sapiens*: q. d. Est sapiens, qui dum tacet, cogitur sapienter quid agere, quid loqui, vel silere debeat quamquam pro *cogitat* videatur legendum *cogitatur*, sic enim habent Græca & Latinus, *& est qui odio habetur in multitudine sermonem suorum*.

Margin: VERS. 5. — Tacens est prudẽs

Huc spectant tria proverbia Arabica centuria 1. n. 98. 99. & 100. *Taciturnitas conciliat suis amorem. Pœnitentia super silentio, melior est pœnitentia super sermonem* (*nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum*, ait Cato.) *Taciturnitas sapientia est, sed rarus est agens eam*. Et centuria 2. n. 52. *Sæpè silentium est responsum. Dicitur id bonum qui solvit delictum suum, absque ut loquatur quidquam, & respondet omittendo responsum*. Sic Menander. πολλοῖς, inquit, ἀπόκρισιν ἡ σιωπὴ τυγχάνει. *Multis responsum est silentium*. Multorum accusationes & calumniæ manifestam sæpè habent falsitatem, nec responsum aut apologiam merentur, quare ad eorum criminationes silere, sufficienter respondere, & se purgare est. Ita Christus silentio respondit Iudæis, accusantibus se de affectato Iudææ regno apud Pilatum. Sic *Susanna* Daniel. 13. *plus egit tacendo quàm si esset locuta. Tacendo enim apud homines locuta est Deo, nec ullum maius indicium suæ castitatis invenit, quàm silentium. Conscientia loquebatur ubi vox non audiebatur nec quærebat pro se hominum iudicium, quæ Domini habebat testimonium. Ab illo igitur volebat absolui, quem sciebat nullo modo posse falli*, ait S. Ambros. l. 1. de Offic. c. 3. Deniq; *Gloriosius est iniuriam tacendo tolerare, quàm respondendo vindicare*, ait Beda in Proverb.

Margin: Gnome Arabum. — Grecorũ. — Hebreorum. — Latinorũ.

EST

EST TACENS, NON HABENS SENSUM LOQUELÆ: ET EST TACENS, SCIENS TEMPUS APTUM] scilicet, ad loquendum. Unde aliqui legunt, *sciens tempus apti sermonis*; alii, *apti temporis*: q.d. Duplex est tacens, unus qui tacet quia non habet sensum, id est, prudentiam loquendi, quia non habet quod sapienter loquatur, quia non est peritus loquendi. Alter qui tacet, quia exspectat tempus opportunum loquendi: ille tacens est prudens, hic prudentior. Explicat [illegible] quod dixit: *Est tacens qui invenitur sapiens*, Duos enim casus recenset quibus sapiens sapienter tacet: q. d. Dixi sapientem opportunè tacere. Id autem facit Primò, quando non habet quod prudenter loquatur. Secundò, quando loquendi non est tempus, & opportunitas. Unde Græca habent, *est tacens: non enim habet responsum: & est tacens sciens tempus*; Tigurina, *alius tacet non habens quod respondeat, & est qui tacet sciens* (peritus gnarus) *temporis* loquendi & tacendi. Huc pertinet illud: *Stultus si tacet sapit*: quod Cleanthi tribuit Maximus c. de silentio. Et illud Senecæ in Proverbiis: *Taciturnitas stulto homini pro sapientia est*. Præclariùs S. Chrysost. in psalm. 140. *Tunc*, ait, *solùm loquendum est, quando quæ dicuntur plus prosunt, quàm silentium*. Et S. Basil. Ad filium spiritalem: *Opportuna verba*, inquit, *à te procedant, ut dent gratiam audientibus*. Præclarè etiam Salomon Proverb. 25. 11. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*. Ubi Beda: *Hujusmodi verba*, inquit, *sunt mala, quia de arbore vitæ, hoc est, de Dei sapientia orta: aurea, quia charitatem menti audientium infundunt: in lectis argenteis, quia requiem præstant animabus audientium, & splendore fulgent veritatis*.

Silentium stulto est pro sapientia.

VERS. 7. HOMO SAPIENS TACEBIT USQUE AD TEMPUS: LASCIVUS AUTEM ET IMPRUDENS NON SERVABUNT TEMPUS] Magna sapientia est nosse tempus opportunum loquendi, quod est, cùm loqui expedit ædificationi proximorum, & gloriæ Dei; insipiens verò tempus opportunum non servat, sed loquitur quolibet tempore, licet importuno; quia quidquid in mentem venit, effutit. Unde Græca habent, *transgreditur tempus*; Tigurina, *homo sapiens tacebit donec opportunum fuerit, nugator autem et insipiens præteribit opportunitatem*; Syrus, *est qui loquitur ubi non convenit ei loqui, & vir sapiens observat tempus, & vir iniquus & arrogans non observat tempus*. Arab. alia similitudine idipsum significat, sic enim habet: *Sicut adeps non comeditur* (comedi nequit) *absque sale, sic verbum si extra tempus proferatur*: q. d. Sicut adeps sine sale insulsus est, gravatque & laxat stomachum; sic verbum intempestivè prolatum insulsum est, grave, molestum & nocivum. Unde Apostolus ait: *Sermo vester, semper in gratia sale sit conditus*.

Tempus tacendi & loquendi quando?

Præclarè S. Gregor. 3. p. Pastor. admon. 15. *Sapiens*, inquit, *tacebit usque ad tempus; ut nimirum cùm opportunum considerat, postposita censura silentii, loquendo quæ congruunt, in usum se utilitatis impendat. Et rursum scriptũ est: Tempus tacendi, & tempus loquendi. Discretè quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut, cùm restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat; aut, cùm loqui utiliter potest, semetipsam pigrè restringat. Quod bene Psalmista considerans dicit: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Non enim poni ori suo parietem, sed ostium petit, quod videlicet aperitur, & clauditur. Unde & nobis cautè discendum est, quatenus os discretum, & congruo tempore vox aperiat, & rursum congruo taciturnitas claudat*. Et S. Ambros. lib. 1. de Officiis capite 2. *Quid autem præ ceteris*, ait, *debemus discere quàm tacere, ut possimus loqui, ne prius me vox condemnet mea, quam absolvat aliena? Scriptum est enim: Ex verbis tuis condemnaberis. Quid opus est igitur ut properes periculum suscipere condemnationis loquendo, cùm tacendo possis esse tutior? Complures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo: ideoque tacere nosse quam loqui difficilius est. Scio namque loqui plerosque, cùm tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cùm sibi loqui nihil prosit. Sapiens est ergo qui novit tacere. Denique sapientia Dei dixit: Dominus dedit mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oporteat sermonem dicere. Meritò ergo sapiens, qui à Domino accipit, quo tempore sibi loquendum sit. Unde bene ait Scriptura: Homo sapiens tacebit usque ad tempus. Ideo Sancti Domini, qui sciebant quia vox hominis plerumque peccato adjuncta est, & initium erroris humani sermo est hominis, amabant tacere*, Idem cap. 10. *Scio loqui plerosque cùm tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam cum sibi non prosit loqui: sapiens ut loquatur multa priùs considerat quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore. Est ergo & loquendi modus: est etiam in factis modus. Pulchrum est igitur tenere mensuram officii*.

Perfectionis officia.

Sapienter S. Basil. serm. de Ascensi. hanc tacendi, & vivendi normam viris perfectionis studiosis præscribit. *Monachum*, ait, *decet multa intelligere, pauca loqui: oculos habere ad terram dejectos, animum ad cælum erectum: in tribulatione patientiam habere, spe gaudere, continenter orare, in omnibus gratias agere: non facilè credere quæ de altero secùs dicantur, nulla prava cupiditate vinctum detineri, injuriæ non meminisse, non malum pro malo reddere, injuriam accipere potius quam facere: non tædio affici in suo instituto, sed dicere: Providebam Dominum in conspectu meo semper: spiritu fervere, Deum toto corde diligere, omnia jussa exequi, & se inutilem appellare: nil agere causa gloriæ, sed Dei causa dumtaxat, ut placeat Deo*. Quocirca eleganter & appositè quidam vir sapiens Religiosum Deo per tria vota desponsum, ejusque officia & mores per avium emblema depingit.

Religiosus sit {
Turtur in oratorio, ut jugiter gemat,
Philomela in choro, ut devotè canat.
Pelicanus in Capitulo, ut seipsum rostro lædat.
Pavo in dormitorio, ut quietè incedat.
Grus in locutione, ut dicenda expendat.
Aquila in schola, & studio, ut oculos mentis intendat.
Columba in itinere, ut lecta meditetur.
Accipiter in prædicatione, ut Christo prædam rapiat.
Passer in refectorio, ut communia comedat.
}

VERS. 8. QUI MULTIS UTITUR VERBIS, LÆDET ANIMAM SUAM: ET QUI POTESTATEM SIBI SUMIT INJUSTE, ODIETUR] Explicata priore parte versus 4. nunc explicat posteriorem: *Et est odibilis qui procax est ad loquendum*. Hujus ergo procacitatis duas species & modos recenset. Prior est, cùm quis *multis utitur verbis*. Hic *lædet animam suam*, Græcè βδελυχθήσεται, id est, *abominabilis erit*, tum Deo, tum hominibus. Syrus, *est qui odio habetur in multitudine sermonum suorum*. Verisimile est Nostrum aliter legisse in Græco: nam ei astipulatur Clemens Alexand. l. 2. Pædag. c. 6. ubi sic legit, βδελύττεται τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, id est, *abominabilem facit animam suam*. Posterior est, cùm quis *potestatem sibi sumit injustè*, cùm, scilicet, sibi quis superbè arrogat præeminentiam, & jus in alios non sibi subditos, ut velit loquendo, docendo, imperando eis dominari. Hic enim ob fastum, injustitiam, & tyrannidem *odietur*. Unde Syrus vertit, *& qui superbit, odio habebitur vita ejus*. Tales sæpè sunt verbosi & multiloqui, qui soli loqui volunt, nec aliis suas interloquendi dant vices, quasi ipsi soli sapiant, velintque omnes docere. ita Rabanus & ex eo Glossa Interlin. qui per *potestatem* accipiunt *magisterii dignitatem*.

Multiloquus peccat multa: cur? Causa Prima.

Alludit ad Proverb. 10. 19. *In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est*; Hebr. *in multitudine verborum non cessabit prævaricatio*. Causæ sunt. Prima, quia nihil tam fluxum & labile est, quàm lingua & sermo. Quare ex verbis necessariis multiplicatis labitur ad superflua, ex utilibus ad otiosa, ex veris ad falsa, ex benevolis ad malevola, ex suavibus ad iracunda & rixosa.

Secunda.

Secunda, *quia in multiloquio nequaquam qui exit, sermo trutinatur, hinc imprudenter labitur*, ait S. Ambros. lib. 1. de Cain & Abel cap. 9.

Tertia.

Tertia. quia in multiloquio mens dissipatur in varia, quibus illicitur & inficitur; unde sui sermonisque curam quam deberet, habere nequit, vel negligit. Hanc dat S. Gregor. p. 3. Pastor. admonit. 15. *Admonendi sunt*, inquit, *multiloquio vacantes, ut vigilanter aspiciant à quanto rectitudinis statu depereant, dum per multiplicia verba dilabuntur. Humana etenim mens aquæ more & circumclusa ad superiora colligitur, quia illud repetit unde descendit; & relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim supervacuis verbis à silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Unde & redire interiùs ad sui cognitionem non sufficit: quia per multiloquium sparsa, à secreto se intimæ considerationis excludit*.

Quarta. Quarta est, quam subdit ibid. S. Gregor. *Totam verò se insidiantis hostis vulneribus detegit, quia nulla munitione custodiæ circumcludit. Unde scriptum est: Sicut urbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Quia enim murum silentii non habet, patet inimici jaculo civitas mentis: &, cum se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit, quam tanto ille sine labore superat, quanto & ipsa quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat. Plerumque autem, quia per quosdam gradus desidiosa mens in lapsum casus impellitur, dum otiosa cavere verba negligimus, ad noxia pervenimus; ut plus loqui aliena libeat, postmodum detractionibus eorum vitam de quibus loquitur mordeat, ad extremum verò usque ad apertas linguæ contumelias erumpat. Hinc seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax extinguitur cordium. Unde bene per Salomonem dicitur: Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum. Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxum eloquii relaxare.*

Quinta. Quinta, est quam dat S. Doroth. doctrina 24. de Compunctione, quia multiloquium extinguit compunctionem & devotionem: *A multiloquio*, inquit, *abstine: hoc enim extinguit cordi advenientes cogitationes rationales & cælestes.* Exhalant enim illæ ex corde, & per os apertum evanescunt, sicut calor hypocausti vel furni exhalat & evanescit per ostium apertum. Unde S. Antiochus homil. 102. de silentio: *Immoderata*, inquit, *& effrenis verborum prolatio, qua periclitatur mentis tranquillitas, non solum circa operationem spiritualem lentescere facit eam ac desidere, sed & molestissimo dæmoni acediæ mancipat illam ac dedit. Et quemadmodum exæstuantis balnei fores continenter apertæ si sint, intimum calorem ocyùs efflant & expellunt in ea quæ sunt extrinsecus, ita etiam anima*, &c. Quocirca sapienter monet S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 3. *Alliga*, inquit, *sermonem tuum ne luxuriet, ne lasciviat, & multiloquio peccata sibi colligat. Sic restrictior, & ripis suis coerceatur. Citò lutum colligit amnis exundans.*

Vers. 9. ET PROGRESSIO IN MALIS VIRO INDISCIPLINATO, ET EST INVENTIO IN DETRIMENTUM] *Processio* est processus, profectus, successus, prosperitas; *in malis*; id est, ad mala vergens; q. d. Subinde contigit peccatorem & nequam prosperari, ut omnia ei ex voto fluant, sed hæc ei tandem cedet in *malis*, id est, ad mala & noxia. Est hebraismus & græcismus. Hebræi enim dicunt ברע *bera*, id est, *in malis*, pro לרע *lara*, id est, *ad malum*; Græci ἐν pronunt pro εἰς, *in malis*, pro *in mala*, ad mala: simili modo subinde *inventio*, id est, res inventa, affert *detrimentum*: q. d. Prosperitas affluens quæ videtur esse felicitas, revera non semper est talis, sed ad gravia mala & damna deducit. Hunc esse sensum patet ex Græco; qui sic habet: Est εὐοδία (minùs rectè Complut. legunt, εὐδοκία, id est, beneplacitum) id est, *prosperitas in malis viro peccatori, & est inventio in diminutionem*, id est, res inventa quæ opes non augeat, sed diminuat; alii, *est lucrum tendens ad egestatem*. Sic prosperitas & evectio Aman cessit ei in malum, quia fuit ei gradus ad furcam & patibulum, Esther 7. 10. Sic prosperitas Jeroboam, Jehu, Achab, omniumque regum Israel, qui ex humili loco evecti sunt ad regnum, cessit eis in malum, quia omnes miserè cum tota sobole trucidati sunt, ut patet lib. 4. Reg. Sic *inventio*, id est, inventi thesauri inventoribus sæpè cesserunt *in detrimentum*, quia propter eos à furibus, vel æmulis & avaris occisi sunt; alii verò cessere in damnum spiritale, quia propter eos animam & salutem æternam perdiderunt. Unde Palacius sic explicat: *Processio*, inquit, vocatur augmentum in opibus aut honoribus, ut illud Genes. 26. 13. *Ibat Isaac proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est.* Est igitur sensus: Opum augmentum viro indisciplinato non est censendum in bonis, sed in malis: non enim in bonum ejus est, sed in majoris damnationis cumulum. Et similiter inventio ejus qua temporalia invenit bona, non est in profectum eius, sed in detrimentum. Quo enim ille plus invenit, & diutiùs in malo perseverat, eo inventio acriùs eum in inferno cremabit.

Secundò, τὸ *in malis* accipi potest propriè, ut sit idem quod *in malitia*, in scelere. Unde Tigurina vertit, *est cùm quis scelerosus in malis rebus successum consequitur, & est cùm res inventa detrimentum afferat.* Hinc Lyran. hæc connectens cum præcedentibus, referensque ad eum qui potestatem sibi assumit iniustè, sic explicat: *Est processio in malis*, qua quis de malo procedit in pejus, sicut ex aduerso justus it de virtute in virtutem, illaque est *viro in disciplinato*: hic enim priùs vult esse magister quàm discipulus, priùs docere quàm discere. *Et est inventio*, quia talis nititur invenire nova in detrimentum sui & aliorum: quia communiter sunt erronea quæ invenit. hæc Lyran.

Hæc sententia & sequentes pertinent ad varium & contrarium vnius ejusdemque rei successum, ac præsertim ad prosperitatem insipientium, id est, pravorum, desinentem in adversitatem & infelicitaten. Vnde v. sequ. idem ostendit in donis & beneficiis, v. 11. in honore & gloria, v. 12. in rerum opumque comparatione, v. 13. in gratia verborum & factorum. Quod deinde fusiùs prosequitur.

Vers. 10. EST DATVM, QVOD NON EST VTILE: ET EST DATVM CVIVS RETRIBVTIO DVPLEX] q. d. Beneficium alteri præstitum aliquando est inutile, aliquando verò utile, utpote duplicem retributionem recipiens. Inutile est apud homines, cùm ingrato confertur; utile cùm grato, qui subinde illud non simpliciter, sed duplici retributione compensat. Inutile est apud Deum, cùm malo animo & pravo fine pravisque circumstantiis confertur; utile, cùm bono animo, debito fine & circumstantiis impenditur: tunc enim Deus illud *duplici*, id est multiplici, *retributione* remuneratur. Rursum *duplici*, quia in præsenti dat augmentum gratiæ, & donum gloriæ in futuro, ait Raban. & Lyran. Vnde Tigurina vertit, *est munus quod tibi non prosit, & est munus cujus dupla sit compensatio.*

Aliter Palacius: *Datum*, inquit, id est opes, honores & deliciæ, quas Deus dat impio, non sunt ei vtiles; siquidem in majorem illi pœnam valebunt. *Datum* verò *cuius retributio duplex*, est datum pro quo Deus dans duplicem requirit compensationem. Cùm enim Deus hominem dono aliquo egregio afficit, duo petit ab eo, nimirum gratiarum actionem, & commissi peccati pœnitentiam; si utrumque ei donatarius non præstet, duplici pœna castigabitur, & ingratitudinis, & doni malè collocati.

Vers. 11. EST PROPTER GLORIAM MINORATIO: ET EST QVI AB HVMILITATE LEVABIT CAPVT] Quod dixit de bono utili, jam dicit de honesto, putà de honore & gloria. Pro *minoratio* Græcè est ἐλάττωσις, id est, diminutio: q. d. Est qui propter gloriam & dignitatem, quam ambitiosè assecutus est, vel tyrannicè, imperiosè, invidiosè administravit, minuatur, id est, privetur dignitate, opibus, & subinde vitâ. Minorari ergo est damnum pati, & *minoratio* est damni passio. Et vicissim *est qui ab humilitate*, id est, ab humili sorte, loco & gradu ob modestiam, humilitatem & virtutes ceteras *levat caput*, & elevatur ad thronum regium, judiciarium, Episcopalem, ac ad alias dignitates. Breviter: q. d. Subinde gloriosi minorantur & humiliantur, ac è contrario humiles exaltantur, juxta illud Deiparæ: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Lucæ 1. 52. Et illud Psaltis psal. 112. 7. *Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem*, uti corporaliter erexit Joseph, Saulem, Davidem, &c. spiritaliter S. Antonium, S. Hilarionem, S. Franciscum, &c. ac præ omnibus Virginem Deiparam, atque post eam humilem Michaelem, qui superbum Luciferum sede sua dejecit, eamque Dei dono occupavit. ita Rabanus. Sic Jobi minoratio & humilitas fuit in duplicatos honores; sed maximè id verum in Christo, qui eò quòd *de torrente in via bibit, propterea exaltavit caput*, psalm. 109.

Humilitas exaltat, ambitio deprimit.

Secundò, Tigurina vertit, *est qui se submittat causa gloriæ* (humiles enim qui se submittunt, ab omnibus amantur, laudantur & exaltantur) *rursumque qui ab humilitate erigat caput.* Vis ergo esse gloriosus? submitte & humilia te: humilitas enim eriget caput tuum, parietque gloriam præsentem & æternam.

Vers. 12. EST QVI REDIMAT MVLTA MODICO PRETIO, ET RESTITVENS (Græcè, ἀποτίνων, id est, exsoluens) EA IN SEPTVPLVM] q. d. Auarus subinde multa parvo pretio & justo minore emit, at postea septuplò plus amittit, sive Deo vindicante hanc ejus avaritiam

ritiam & iniustitiam, sive hominibus rapientibus (omnes enim oderunt avarum, eumque opibus avarè reconditis privare student) sive iudicibus in pœnam peccati ad id condemnantibus. *Septuplo*, id est, multò ampliùs: septenarius enim est symbolum multitudinis, plenitudinis & universitatis, uti dixi c.7. 3. & Genes. 4. v.15. & 24. Græcè, *est qui multa parvo emat, eademque septuplo persolvat*: uti sæpè fit cùm de re empta moventur lites graves & longæ, quæ longè pluris stant quàm res empta. Item, cùm res empta ab hoste vel tyranno invasa, est redimenda: cùm ob eluvionem aquis est eximenda, & aggeribus vallanda, cum publica aliqua clade vastatur vel interit. Unde Tigurina, *est qui multa parvo emat, cui septies tantò amplius sit reddendum*. Syrus loco huius sententiæ hanc habet, *Est qui multa mutuo accepit tamquam pauca, & reddet illi* (à quo mutuum ad usuram accipit) *septuplum*. Usurarii enim per usuras iteratas, triplicatas, & septuplicitas ab accipiente extorquent septuplum.

Mysticè Rabanus: *Multa*, inquit, *redimit modico pretio, qui per confessionem humilitatis ab omni meretur resolvi delicto: & restituit ea septuplum, quando in vitiorum locum copiosum inferit virtutum numerum. Nam, ut ait Apostolus: Ubi abundavit delictum, superabundat & gratia; ut, sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum*, Roman.5.20. Sic & Lyran. Verùm hic sensus non congruit litteræ, sed potiùs ei contrariatur, ac proindè verè mysticus sensus esse nequit. Ut enim sit mysticus, debet litterali iusta proportione respondere, imò ei inhærere, incumbere, & quasi inædificari, sicut parietes & domus inædificantur fundamentis.

Vers.13. SAPIENS IN VERBIS SEIPSUM AMABILEM FACIT: GRATIÆ AUTEM FATUORUM EFFUNDENTUR] *Gratiæ*, id est, verba gratiosa, facetiæ, lepores, quibus aliorum gratiam captant. Secundò, *gratiæ*, id est, beneficia quæ gratis conferunt aliis, ut eorum gratiam sibi concilient; de iis enim in sequent. versu est sermo: q.d. Fatui gratiam omnem tam in dictis quàm in factis faciunt ἀχαρίτως, id est, insulsè & ingratè, ideoque eam temerè instar aquæ effundunt, eiiciunt & dissipant; perinde ac qui balsamum, oleum aut vinum pretiosum effundit in flumen, aut coram porcis. Unde Tigurina vertit, *lepores stultorum fluxi sunt*; Syrus verò, *sicut si proiicias lapidem in avem, avolare facies eam: sic perdes dilectionem amici tui veri, & non invenies eam*. Stulti enim suis leporibus admiscent dicteria, & probra quasi lapides, quibus amicos offendunt, omnemque gratiam in odium convertunt.

Sapiens in loquendo gratiosus. Præclarè S. Chrysost. in psalm.140. *Non solùm*, inquit, *oportet tacere, & loqui opportunè, sed etiam cum magna gratia. Quocirca dicebat Paulus* Coloss.4. v.6. *Sermo vester sit semper in gratia sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos in unoquoque respondere*. Causam, quasi stimulum subdit is, dicens: *Cogita hoc esse membrum, per quod cum Deo colloquimur. Hoc est membrum, per quod in primis reverendum, & summa veneratione dignum sacrificium suscipimus*: lingua enim excipimus sacram Synaxim. Adde, linguæ membrum esse quasi fecialem, qui pacem inter omnes constituat, omnes amore conglutinet, omnes gratia & dulcedine divina imbuat. Hebræorum est proverbium: *Qui infrà diligitur, suprà diligitur. Si vis amari à Deo in cælo, præsta te amabilem hominibus in terra. Super quemcumque enim spiritus hominum requiescit, super eum etiam quiescit Spiritus Dei*. Quocirca Dei donum est, gratia & amabilitas loquendi & persuadendi. Ita S. Mechtildis loquebatur quasi Angelus. Porrò amabilitatis huius fons & origo est, amor & suavitas interna, de qua verè Beda in Proverbiis: *Sicut*, inquit, *plurimi cibi nihil prosunt sine sale: sic omnes virtutes sine charitate*. Charitas enim facit homines benevolos, & amabiles in verbis & factis. Id videre est in sanctis & fervidis concionatoribus, ait Palacius, qui concionibus suis amorem populi & venerationem extorquent: cùm ex adverso qui impii esse sciuntur, nihil aliud sua eloquentia efficiant, quàm verba profundere.

Qua de causa divinè S. August. de Vita Christiana tom. 9. c.9. *Tales*, ait, *convenit esse Dei cultores & servos, mansuetos, graves, prudentes, pios, irreprehensibiles, immaculatos, ut quisquis viderit eos, stupeat & dicat: Hi omnes*

A *sunt dii, quorum talis est conversatio. Ita se homo Dei exhibere debet & agere, ut nemo sit qui eum videre non velit, qui eum non audire desideret; nemo eum cùm viderit, non Dei esse filium credat, ut verè in eo propheticum illud impleatur: Fauces plenæ dulcedinis, & totus desiderabilis.* Et c.6. *Christianus est, qui non nomine tantùm, sed & opere in omnibus Christum imitatur, qui sanctus, innocens, incontaminatus, intactus, cuius in pectore malitia non habet locum, cuius in pectore sola pietas consistit & bonitas, qui neminem novit lædere & nocere, sed omnibus opem ferre.*

DATUS INSIPIENTIS NON ERIT UTILIS TIBI: OCULI ENIM EIUS SEPTEMPLICES SUNT] Vers.14. q. d. Oculi eius pro uno dato respiciunt, & reposcunt septem, vel dona, vel obsequia, quæ sibi rependi vult.

EXIGUA DABIT, ET MULTA IMPROPERABIT: ET APERTIO ORIS ILLIUS INFLAMMATIO EST] Vers.15. Explicat quod dixit: *Gratiæ autem fatuorum effundentur*; quia, scilicet, eius *datus*, id est, datum sive donum, non erit utilis accipienti, sed onerosus. Primò, quia oculi eius *septemplices*, id est, ut Græcè, *multiplices*, sunt: q.d. Multis oculorum iactibus, nictibus, aliisque B modis ostendet se intentum ad lucrum, ut multò plus recipiat quàm dederit. Loquitur enim de avaro qui unum dat ut septem, id est plura, recipiat. Secundò, quia *multa improperabit*, scilicet, se tibi non merenti, vel ingrato, contulisse tot & tanta munera: *& apertio oris illius inflammatio*, id est, ardens cholera, *est*: q. d. Aperiendo os durè, asperè, cholericè & iracundè loquetur, quasi efflans fumos & flammas choleræ & arrogantiæ, quibus te uret, & cruciabit, ac ad similem choleram iramque accendet. Aliter Jansenius: q. d. Avarus dum aperit os suum, velut flammam emittit, quia longè latèque spargit & prædicat beneficia à se collata, sicuti se flamma longè latèque spargit & diffundit. Unde Græca habent, *aperit os suum velut præco*. Significat ergo à tali non esse accipiendum beneficium cùm potiùs sit maleficium. Hunc sensum indicant Græca Complut. *donum insipientis non erit utile tibi accipienti, similiter autem & invidi* (id est, avari, qui sibi & aliis usum opum invidet) *propter necessitatem eius datum: nam oculi eius pro uno ad recipiendum multi sunt. Pauca dabit, & multa exprobrabit, & aperiet tamquam præco os suum*; Tigurina, *munus insipientis* C *tibi non proderit acceptum, nec item propter ipsius importunitatem, &c.* Syrus, *donum stulti non est conforme illi; quia oculi eius positi sunt ad septuplum retributionis. Parum dat, & multum exprobrat, & aperit os suum, & loquitur quod malum est, & blaterat.*

HODIE FOENERATUR QUIS, ET CRAS EXPETIT: ODIBILIS EST HOMO HUIUSMODI] Vers.16. Quod dixit de dono, nunc dicit de mutuo: q. d. Sicut insipiens avarus est & sordidus in dando, sic & in fœnerando, id est, mutuando: quia hodie dabit mutuum, *& cras*, id est, ilicò, illud repetet cum tua ignominia, molestia & damno: avaritia enim non sinit eum diu re sua carere. Quare ut ei dominanti satisfaciat, nec tuam egestatem, nec honestatem, nec amicitiam curabit; sed opportunè importunè id quod mutuò dedit reposcet, ideoque Deo & hominibus erit odibilis. Unde Tigurina, *mutuum dabit hodie quod cras repetat: invisus Deo simul & hominibus talis est*; & Syrus, *hodie commodat, & cras repetit, & exactio eius exactio retributionis est: qui tales sunt Deo & homi-* D *nibus odibiles sunt.*

Usura ex etymo est partus & morsus. Nota Hebr. נשה *nasa* significat mutuare, sive liberaliter, sive cum onere & fœnore, putà usura; id est, mutuare simpliciter & fœnerari, vel dare ad usuram. Quare *fœnerari* in Script. subinde non significat dare ad usuram, sed mutuare simpliciter, ut dixi c.8. 15. Deut.15. 6. & alibi. Hinc & Græcum δανείζειν, (quo hic utitur Siracides) ambiguum est: nam significat ex æquo, & qui citra usuram dat mutuo, & qui ad usuram.

Sed avarus dat ad usuram, quia ubique lucrum captat; unde per eam opes pauperis exsugit velut sanguisuga, donec eum exhauriat & fame enecet. Hinc *fœnus* dicitur Latinis quasi fœtus pecuniæ ex se sterilis; veriùs quasi funus & interitus pauperum. Græcis dicitur τόκος, id est, partus: quia fœnus est quasi pecuniæ partus, sed innaturalis & monstrosus: pecunia enim ex se infrugifera est, nec parere potest fructus, uti parit ager. Hebr. dicitur נשך *nesech*, id est, morsus, corrosio quòd silenter censum & substantiam hominis mordeat & corrodat,

alij

alij per metathesin à נחש *nachas*, id est serpens, derivant, quòd clanculum viscera hominis penetret, illaque erodat: *usura enim non sentitur, donec ita augeatur, ut totam substantiam alicui exhauriat*, ait R. Salomon. Quocirca verè S. Chrysost. homil. 5. in Matth. *Pecunia usurarii*, ait, *similis est morsui aspidis: percussus enim ab aspide, quasi delectatus, vadit in somnum, & per suavitatem soporis moritur: quia tunc venenum per omnia membra latenter decurrit: sic qui pecuniam sub usura accipit, eo tempore quasi beneficium sentit; sed usura per omnes eius facultates decurrit, & totum convertit in debitum, id est, hominem devorat.*

VERS. 17. FATUO NON ERIT AMICUS, ET NON ERIT
VERS. 18. GRATIA IN BONIS ILLIUS. QUI ENIM EDUNT PANEM ILLIUS, FALSÆ LINGUÆ SUNT. QUOTIES ET QUANTI IRRIDEBUNT EUM?] Dixit de fatuo avaro, nunc loquitur de fatuo prodigo: utrique enim extremo vitio opponitur media sapientis virtus liberalitatis. *Fatuus* enim hic practicè intelligitur, putà vitiosus & sceleratus, qualis in dando tam prodigus est quàm avarus, præsertim quia insipientes nunc avari sunt, nunc prodigi: iuxta illud: *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.* Et sæpè qui in pauperes sunt avari, in suos adulatores sunt prodigi. Dicit ergo: Qui fatuè sua prodigit per symposia & convivia in gnathones & adulatores, huic non erit verus amicus qui ei gratiam referet, quia sua profundit in parasitos, qui non sunt amici sed adulatores. Hi ergo qui *panem illius comedunt, sunt falsæ linguæ*, id est, coram & in facie fictè & dolosè ei blandiuntur, eumque tamquam liberalem, splendidum, magnificum impensè laudant, & ad sidera tollunt; sed post tergum irrident eum tamquam fatuum & prodigum. Quare sicut avarus pro gratia odium, sic prodigus pro gratia non gratiam sed irrisionem reportat: quis enim non rideat eius fatuitatem & fatuam prodigalitatem?

Græca hæc habent in prima persona: inducunt enim fatuum prodigum loquentem, sed eodem sensu, *Dicit stultus* (id est, ut Tigurina, *meritò dicat stultus*) *Amicus mihi nullus est, nec gratiam è bonis meis colligo: qui vescuntur pane meo linguæ falsæ sunt. Quot irridebunt hunc & quoties!* Tandem enim prodigi sentiunt se à suis convivis & mensæ asseclis irrideri, ac proinde eos non esse amicos, sed gnathones & assentatores, qui pro gratia irrisionem rependant. Sic & Syrus, *stultus dicit: Non habeo amicum, & non est gratia gratiæ meæ: comedentes panem meum tamquam saxum durissimum sunt, sed sicut ipse, irridebunt eum.* Causam subdit:

VERS. 19. NEQUE ENIM QUOD HABENDUM ERAT DIRECTO SENSU DISTRIBUIT: SIMILITER ET QUOD NON ERAT HABENDUM] q. d. Causa profusionis & irrisionis prodigi est, quòd non *directo sensu*, id est, non recta prudentia, iudicio & discretione; sed perperam, imprudenter & indiscretè distribuat & profundat in adulatores, id quod ei habendum & retinendum erat, ad honestam familiæ sustentationem & ad futuras necessitates; quodque simili modo non rectè distribuat id *quod non habendum erat*, quod, scilicet, licitè retinere non poterat, quia iniustè per usuras, dolos vel contractus illicitos partum, ideoque restitutioni obnoxium: illud enim quod suis dominis restituendum erat, prodigus iniustè retinet, & prodigè consumit. Similiter superflua quæ danda erant pauperibus, ipse in parasitos effundit. Igitur perperam distribuit tam habenda, quàm non habenda.

Græca pleraque hunc versum non habent Complut. tamen habent, sed hoc modo, *neque enim ipsum habere in recto sensu accipit, & ipsum non habere similiter indifferens est illi.* Quod Jansenius sic explicat: Significatur, inquit, prodigum non recto iudicio accipere id quod ipsum habere contingit, & bonorum suorum possessionem, quia non accipit ad eum usum ad quem habet: & proinde non habere est illi idem atque habere, hoc est, indifferens est illi sive habeat, sive non habeat: nec magis prodest illi quod habet, quàm quod non habet. Juxta quem sensum quod Noster vertit, *non recto sensu distribuit*; videtur accipiendum, non de distributione quæ aliis fit per bonorum erogationem, sed de ea quæ animo fit, & iudicio sensus discernente apud se quomodo habitis sit utendum, ut *distribuere* positum sit pro discernere & diiudicare. Id enim fit *recto sensu*, aut, ut Græcè est, ἐν ὀρθῷ: quæ dictio non prudentiam significat, sed vim illam sentiendi, qua de diversis rebus aliter sentimus, ut visu discernimus colores & distribuimus. Itaque quod habendum erat, non recto sensu distribuit, quia non discernit apud se quomodo & ubi illud sit expendendum, aut quid habendum sit. Et similiter quod non erat habendum, etiam non recto sensu distribuit, quia nec rectè iudicat, nec discernit quid non sit habendum, solicitus frequenter pro his quæ habere non oportet, negligens in his quæ habenda essent: Hæc Jansenius.

Huic sensui favet versio Tigurina, *neque enim quid habet opinione recta complectitur, & perinde refert ac si nihil haberet.* Verùm noster Interpres Græcum εἴληφε, id est *accepit*, vertit, *distribuit*, dedit: sic enim sæpè Hebræum לקח *lacach*, id est *accepit*, per metalepsin significat *dedit*, uti ostendi Ephes. 4. v. 8. unde vertit, *neque enim quod habendum erat directo sensu distribuit: similiter & quod non erat habendum.* Quod idem est cum eo quod habet Græcus, *& ipsum non habere similiter indifferens est illi*: hæc enim verba significant prodigo esse indifferens habere & non habere, hoc est, perinde illi esse quod habet ac quod non habet; quia utroque abutitur, utrumque temerè profundit. Quod Noster significat, dicens prodigum abuti tam eo quod habendum & retinendum erat, quàm eo quod non habendum & restituendum erat. Unde ex Græco sic aliqui clarè vertunt, *nam quod habet, non recta ratione distribuit.* Adde, Nostrum in Græco non legisse τὸ ἀδιάφορον, id est, *indifferens*. Hic sensus plenior est: includit enim priorem Jansenii. Qui enim malè, prodigè & temerè sua distribuit; hic utique priùs in mente eadem ita distribuere statuit & decrevit. Sensus ergo plenus est, q. d. Prodigus non recto sensu & discretione, in mente sua secernit quid habendum & retinendum, quidque non habendum sed erogandum sit: ac sicuti in mente sua sine iudicio & temerè id secernit, sic & temerè idem exteriùs distribuit & dissipat.

Habere pro dare.

VERS. 20. LAPSUS FALSÆ LINGUÆ, QUASI QUI IN PAVIMENTO CADENS: SIC CASUS MALORUM FESTINANTER VENIET] Quia vers. 18. meminit falsæ linguæ, hinc obiter eius pœnam & ruinam hîc assignat. *Linguam falsam* vocat mendacem & fallacem, qualis est calumniatorum & assentatorum, de quibus egit v. 18. Assentatores enim unius, solent esse calumniatores alterius, qui prioris inimicus est vel æmulus. Ut enim adulentur uni, à quo convivia & symposia, aliave lucra sperant, detrahunt alteri, quem sciunt ei cui adulantur exosum esse, vel minùs gratum. Jam Primò, Jansenius hunc dat sensum: q. d. Lapsus qui provenit ex fallaci lingua, est quasi qui cadit in pavimento aliquo lapidibus strato. Sicut enim in tali pavimento quis prӕter exspectationem cadit, ubi non sunt offendicula ulla, & sicut talis ob duritiem pavimenti graviter se lædit: ita & fallaces homines, dum non putant, graviter cadent, atque lædentur. Unde sequitur: *Sic casus malorum festinanter veniet*; hoc est, sic continget malos subitò, & præter eorum exspectationem ruere in multa incommoda. Sic & Palacius: Si vides, inquit, hominem in pavimento plano (ubi non erat offendiculum) cadere, an non miraberis? ita mirere, quòd minister meus labatur lingua sua me accusans, cùm ego eum benè pascam & meis bonis afficiam. Dic, serve nequam, quæ te ratio, quod offendiculum in bono invenisti, cuius causa me accusasti? Nonne me vituperans cadis in plano? nam bona quæ tibi confero, non merentur eam accusationem, sed potiùs aut admonitionem, aut certè silentium.

Verùm, quia lapsus in pavimento, utpote strato & æquali, ita ut nulli lapides exstent, in quo quis impingat & cadat, rarus est, nec graviter hominem labentem lædit: tantùm enim hominem stantem ad pavimentum, in quo stant, pronum vel supinum deiicit; hinc Secundò & magis genuinè sic exponas: q. d. Lapsus linguæ falsæ, id est lapsus fallacis adulatoris & calumniatoris, quo scilicet ipse ob linguam fallacem corruit in graves ærumnas & calamitates, similis est lapsui quo quis ex alto in pavimentum præceps ruit: uterque enim est improvisus, subditus, hominemque totum collidit & conquassat irreparabiliter. Unde sicut lapsus ex alto in imum citò subitoque fit: sic & *casus malorum*, putà impiorum, adulatorum & calumniatorum, *festinanter veniet*. Hunc sensum exigunt Græca: ὀλίσθημα

ἀπὸ ἐδάφους ἢ ἀπὸ γλώσσης, οὕτω πτῶσις κακῶν κατὰ σπουδὴν ἥξει, id est, *lapsus à pavimento potiùs quàm à lingua, sic casus malorum festinanter veniet*. Hoc est, ut nonnulli clarè vertunt, *lapsus de tecto tolerabilior est quàm linguæ, adeò ruina malorum celeriter advenit*. Tectum enim vocat *pavimentum*, quia in Palæstina tecta erant non acuminata (uti apud nos) sed plana, adeoque erant pavimenta, ut in ipsis ambulare, cœnare, imò & per æstatem dormire solerent. Sensus ergo est: Sicut qui labitur à pavimento summo tecti in pavimentum imum domus vel areæ, toto corpore colliditur: sic & lapsus linguæ sæpè totum hominem collidit, & evertit: q. d. Adulator, mendax & calumniator subitò, & durè direque corruet, cùm minimè putat.

Paulò aliter Tigurina: vertit enim, *casus è lacunari dicto* (Hebr. enim מלשון millascon, id est à lingua, idem est quod præ lingua, præ sermone & dicto) *citior est; ita malorum ruina repentina aderit.*

VERS. 21. HOMO ACHARIS (Euseb. Papa in epist. superiùs citata, pro *acharis* legit, *ingratus*: hinc utrumque legit Rabanus hoc modo, *homo ingratus quasi acharis*) QUASI FABULA VANA, IN ORE INDISCIPLINATORUM ASSIDUA ERIT] Alii, *assiduè erit*. *Acharis* Græca est vox (unde Interpres græcizat, & fortè fuit Græcus, uti dixi in proœmio) idem significans quod ingratus, sine gratia, injucundus, insuavis, insulsus, molestus. Respicit ad id quod dixit v. 13. *Sapiens in verbis seipsum amabilem facit, gratiæ autem fatuorum effundentur*. Gratias enim, sive Charites, effundit acharis. In Græco pulchra est paronomasia: ἄνθρωπος ἄχαρις μῦθος ἄκαιρος, quæ Latinè plenè reddi non potest: q. d. Homo importunus est fabula importuna. ἄχαρις enim est ἄκαιρος, hoc est, homo sine gratia est intempestivus & importunus. Sensus est, q. d. *Homo* sine gratia insipidus & insipiens, est *quasi fabula vana*, id est, quasi fabulator (abstractum enim ponitur pro concreto ad emphasin, quasi dicat: Homo acharis adeò fabulatione & fabulis pascitur, ut ex iis consutus, adeoque mera fabula esse videatur: sic hominem sceleratum vocamus *scelus*) vanus, qui non nisi fabulatur, ac fabulas inanes, & futiles continuò eructat, quibus auditoribus tædium, indeque sibi odium creat, ut ab omnibus cordatis, & prudentibus reiiciatur, & explodatur. *Fabula* enim, sive fabulatio jam dicta, non nisi *in ore indisciplinatorum*, id est, insipientium & imprudentium, putà nugatorum & fabulonum, grata & jucunda, ideoque *assidua* & frequens est. Unde Tigurina vertit, *homo illepidus quasi importuna fabula est, cùm ore imperito frequentatur*; alii, *homo insulsus narratio intempestiva, ore indoctorum continuatur*. Hoc enim significat Græcum ἐνδελεχισθήσεται. Unde ἐνδελέχεια vocatur continuatio, assiduitas, perpetuitas, perennitas; & ἐνδελεχὴς vocatur continua mobilitas, qualis in anima cognoscitur, quare animæ quasi genus tribuitur ab Aristot. lib. 1. de Anima, ubi animam definit *esse actum* (Græcè, ἐντελέχεια) *corporis organici*.

Acharis quis & qualis.

Aliter Lyranus, q. d. Homo acharis & insulsus est quasi fabula, quia in omnium est ore, omnesque de eo quasi insulso fabulantur: insulsi quidem, & insipientes insulsè eum laudando; sapientes verò sapienter eum velut insulsum ridendo & redarguendo.

Tertiò, clarè sic vertas & explices, *homo acharis*, id est hominis acharitis & insulsi, *fabula intempestiva in ore indisciplinatorum assidua erit*. q. d. Indisciplinati assiduè ad iocum & risum, recordabuntur repetentque fabulam insulsam ab homine insulso prolatam, ut sit antiptosis Hebræa. Hebræi enim casum unum pro alio, putà nominativum pro genitivo ponunt, eò quòd careant declinatione, & casibus: quare idem nomen inflexum, & declinatum pro quolibet casu usurpant. Sic Apostolus 2. Corinth. 8. 23. ait: *Sive pro Tito, &c. sive fratres nostri Apostoli*, pro, sive pro fratribus nostris Apostolis. Similia plura sæpiùs notavi aliis in locis. Verùm quia sic perit elegans paronomasia inter ἄχαρις, & ἄκαιρος, quàm spectasse videtur Siracides; & quia Noster addit τὸ *quasi*, & quia omnes Interpretes vertunt in nominativo *homo acharis*; hinc ille potiùs, quàm eius fabula hic intelligenda videtur. Vnde ex Græco Complut. vertas masculinè, *homo acharis quasi fabula vana, in ore indisciplinatorum assiduus erit*. Quare duo priores sensus veriores sunt, eosque sic connectas, & in unum redigas, quasi dicat: Homo acharis ob sua insipida, & insulsa dicta, & facta, est quasi fabula vana. & insulsa, quæ omnium indoctorum, & insulsorum ore assiduè teritur. Insulsi enim gaudent insulsis, fabulones fabulis, & fabulonibus, utpote sui similibus. *Acharis* ergo, & insulsus est *fabula* insulsa, tum metonymicè, quia fabulas insulsas narrat; tum, quia propter eas ipse propriè fit fabula & dicterium hominum, quod ore suo assiduè iactant indocti, & insulsi, uti dixit Lyranus. Vtrumque significat Græcum μῦθος, id est fabula, apologus. Vnde Æsopus aliique fabularum & apologorum scriptores vocantur *mythologi*. Sic ergo omnes sensus iam dati eodem redeunt, & in unum conspirant.

EX ORE FATUI REPROBABITUR PARABOLA: NON ENIM DICIT ILLAM IN TEMPORE SUO] *Parabolam* vocat gnomen sive sententiam gravem seriam, acutam, & sapientem. Occurrit obiectioni, Dicet enim quis: Aliquando fatuus loquitur sententias admodum graves, & prudentes: ergo tunc non erit fabula vana, id est fabulator vanus, sed sapientiæ antistes vel oraculum. Respondet, nihilominus eum esse fabulatorem: quia suo tempore illas non profert: unde intempestiva, importuna & ingrata est eius narratio, esto aureas sententias narret, & proferat. Quare perinde est ac si sus ore sordido gestet, vel effundat auream armillam; hanc enim non ornat, sed dedecorat, & conspurcat: est enim porca, id est spurca. Hinc Tigurina vertit, *pronuntiatum ex ore stulti gratiam amittit, quia non profertur in tempore*; Syrus, *in ore stulti impingit verbum, quia non dicit illud in tempore suo*. Alludit ad Proverb. 26. vers. 7. *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola*: quasi dicat: Sicut claudo pulchræ tibiæ deformes sunt, quia inæquales eum claudicare faciunt, ideoque eum risui intuentium exponunt: sic pulchra oratio in ore stulti deformis est, quia inæqualis est, & claudicat: ipse enim nescit eam aptare, & æquare tempori, loco, rebus, & personis. Et vers. 9. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum*. Quia parabolæ stultorum quasi spina non tantùm dedecorat, sed & lædit ac cruentat, tam dicentes quàm audientes, dum eos per dicteria, scommata & convitia, quæ parabolæ imprudenter & temerè quasi ebrii admiscent, in lites, rixas, pugnas & cædes impellunt. VERS. 22.

EST QUI VETATUR PECCARE PRÆ INOPIA, ET IN REQUIE SUA STIMULABITUR] VERS. 23. *In requie*, id est, cessatione à peccato, *stimulabitur*, id est, cruciabitur, eò quòd malam suam voluntatem præ inopia exequi non possit, quasi dicat: Inopia adimit homini facultatem peccandi, at non voluntatem, imò eam magis accendit, quia nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. Talis est qui vellet indulgere gulæ, & libidini, sed non habet nummos quibus id procuret. Josephus libr. 12. Antiqu. capit. 13. & nonnulli Rabbini censuerunt internam voluntatem peccandi, verbi gratia inebriandi, fornicandi, occidendi, non esse peccatum, nisi in actum externum exeat, ut re ipsa homo se inebriet, fornicetur, & occidat. Refellit id Siracides, *ac vituperat intentionem voluntatis perversæ*, ait Rabanus, quòd scilicet se cruciet in requie, & cessatione à peccato. Vide dicta Roman. 7. 8. & Deuteronom. 5. 21. Vnde Tigurina vertit, *est qui peccare impediatur præ inopia, qui seorsim apud se discrucietur*. Hinc vulgare proverbium: *Improbitati nihil deest nisi facultas*.

Græca Complut. & Romana contrariè legunt Γ οὐ κατανυγήσεται, id est, *non stimulabitur*, non compungetur, quasi dicat: Est qui vellet peccare, sed prohibetur per inopiam, & tamen de hac mala voluntate peccandi non dolet, nec compungitur. Aut potiùs, quasi dicat: Est qui à peccato prohibetur per inopiam; qui proinde non stimulatur remorsu conscientiæ de peccato admisso, quasi dicat: Felix est inopia quæ hominem liberat à peccato, & consequenter à remorsu conscientiæ ob peccatum admissum, quia facit eum impotentem ad peccandum: infelix verò est opulentia, quæ facit hominem potentem ad peccandum, quia dat ei facultatem exequendi malam voluntatem. Sic Plato asserebat divitem esse infeliciorem paupere, quòd pauper solùm voluntatem habeat peccandi, dives etiam facultatem. Huic lectioni & sen-

sensui favet Syrus: vertit enim, *est qui evadit à peccatis propter egestatem suam: quis est qui fuit iustus, & in opibus suis requiescit?* q. d. Pauper per pauperiem evadit peccata in quæ incurrit dives; difficile est enim esse iustum simul & divitem: iustus enim in Deo, dives in opibus spes & res suas reponit. Verùm tollenda est negatio, & affirmativè legendum, *stimulabitur*, compungetur, uti legit Noster, cui consentit Tigurina.

VERS. 24. EST QUI PERDET ANIMAM SUAM PRÆ CONFUSIONE, ET AB IMPRUDENTI PERSONA PERDET EAM: PERSONÆ AUTEM ACCEPTIONE PERDET SE] Gnome hæc taxat nimium & noxium pudorem. q. d. Est qui peccat, ideoque *perdet animam suam*, propter nimiam alicuius reverentiam & verecundiam, idque *ab imprudenti persona*, id est, ob imprudentem personam, quia scilicet imprudens, imò demens persona, quam ob potentiam vel auctoritatem reveretur, petit ab eo aliquid illicitum, scilicet aliquid turpe, vel iniustum: ne ergo eam offendat, peccat, & offendit Deum. Igitur *acceptione personæ perdit se*, quia scilicet personam potentis accipit, & reveretur magis quàm Deum. Tales sunt qui in iudicio, in persecutione, in lite, &c. non audent confiteri veritatem, aut ferre æquam sententiam, ne divites & principes offendant. De qualibus ait Christus: *Qui erubuerit me & meos sermones; hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum*, Lucæ 9. 26. Græcus de more hic concisus & bimembris est, *Est qui perdet animam suam, & ab acceptione personæ perdet eam*. Vel, ut Complut. legit, *ab imprudenti persona perdet eam*. Quod signum est olim utrumque in Græco fuisse, ideoque nostrum Interpretem ex eo utrumque transtulisse. Nec enim inter ἀφρονος, id est, *imprudenti*, & λήψεως, id est, *acceptione*, est litterarum affinitas ulla, ut pro uno irrepsisse alterum dici possit. Accedit, quòd Latina lectio plenior sit, ideoque verior: planè enim sententiam absolvit & explet. Græcum tamen de more sequitur Syrus, imò eo concisiùs vertit, *est qui perdet animam suam verecundia sua, & præ erubescentia perditum it*.

VERS. 25. EST QUI PRÆ CONFUSIONE PROMITTIT AMICO, ET LUCRATUS EST EUM INIMICUM GRATIS] id est, temerè: q. d. Qui præ pudore (quia scilicet nihil ei negare audet) *promittit* aliquid *amico*, quod reipsa præstare non potest, vel non vult; hic temerarius & imprudens est, quia ex amico facit inimicum, cùm promissa non solvit. Quare nihil lucratur, nisi amici inimicitiam: qui si non promisisset, & rem suam, & amici amicitiam retinuisset. Tigurina, *est qui causa pudoris promittat amico, & eum ultro sibi inimicum suscipiat*; Syrus, *est qui verecundia sua pollicetur proximo suo, & acquirit sibi inimicum gratis*. Quocirca sapienter Phocion Atheniensis dicere solebat: *Non magna quidem hominibus promittenda, sed magna facienda esse*. Verùm eius dictum invertunt hodie, qui aureos montes ac Crœsi opes pollicentur hominibus; cùm ne gri quidem præstent. Phocionis dictum exstat apud Stob. serm. 1. de Prudentia. Rursum cùm Leosthenes civitatem Atheniensium ad bellum perpulisset, magnificis spebus ad nomen libertatis ac principatus erectam; Phocion illius verba dicebat esse cupressis similia, quæ sublimes cùm sint ac pulchræ, fructum non habent. Nihil potuit dici accommodatius in sermonem splendidè magnificèque pollicentem, sed infrugiferum: quemadmodum cupressus arbor sublimi compositoque in conum vertice, procul egregium quiddam polliceri videtur, at vix ulla est sterilior. ita Plutarch. in Græcor. apophthegm.

Multa pollicens, pauca dās similis est cupresso. cur?

Hic est secundus effectus nimiæ & præposteræ verecundiæ, quòd scilicet per eam quis vel rogatus, vel ultrò, promittat quid amico quod præstare nequeat, eaque ratione amicum offendat, perdatque eius amicitiam. Priorem enim assignavit v. præced. scilicet, quòd perdat animam per offensam Dei, q. d. Nimia verecundia offendit Deum pariter & homines, perdit gratiam & amicitiam tam Dei, quàm hominum.

VERS. 26. OPPROBRIUM NEQUAM IN HOMINE MENDACIUM, ET IN ORE INDISCIPLINATORUM ASSIDUE ERIT] A violatione promissi ascendit ad mendacium, quasi à specie ad genus. Docet igitur quantum malum & probrum, quamque infame sit mendacium. Dicit ergo *opprobrium nequam*, id est, probrum malum, imò pessimum, in homine esse mendacium; & tamen homines *indisciplinatos*, id est, malè institutos, incompositos & dissolutos, illud *assiduè in ore* habere, quia probrum hoc vel non considerant, vel non æstimant. Græcè, μῶμος πονηρὸς ἐν ἀνθρώπῳ ψεῦδος, id est, *macula* (vituperium, probrum) *pessima est mendacium in homine, ore indoctorum continuatur*; Tigurina, *perquam malo crimini est homini mendacium, at id ore imperito frequentatur*; Syrus, *malum quodpiam in homine mendacium, & in ore stulti frequens est*.

Hac de causa Aristot. in Ethicis, mendacium servorum esse vitium dixit, ac proinde homine libero & ingenuo esse indignum. Præclarè S. Thomas opusc. de Eruditione princip. mendacium comparat falsæ monetæ, putà denario adulterino, quem omnes aspernantur. Additque: *Qui loquitur mendacium, diaboli figuram gerit, & imaginem, hic enim mendax est ab initio. Aliquando ergo auditurus est princeps mendax, qui denarius falsus est, verba illa: Cuius est imago hæc & subscriptio? & cùm responsum fuerit, Diaboli: dicetur statim: Reddite ergo quæ sunt diabolo*. Quocirca Basilius Imper. Leoni filio ita præscribit cap. 16. *Dicere oportebit ea quæ planè scies, aut quæ temporis ratio postulabit: de ceteris omnibus silere satius erit, quàm eloqui: nam principem non nisi vera, & opportuna, & magni momenti verba proloqui decet*. S. Basil. in Regul. brevior. quæst. 76. *Præcisè*, inquit, *dictum est, mendacium ex diabolo esse, neque mendacii ulla omnino distinctio adhibita*. Et epist. 75. *mendacium* ait, *esse diaboli fœtum*. Et B. Cæsarius homil. 16. *Quòd omnis*, inquit, *mendax sine maligno spiritu esse non possit, Scriptura testis est: Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Adeò autem Deus mendacium execratus est, ut noluerit imagines fingi pingique, Exodi 20. 4. Rationem reddit Philo libr. de Gigant. *Laudatas*, inquit, *elegantesque artes, picturam atque statuariam, à sua rep. reiecit Moyses, quòd veritatem mendaciis vitient, illudentes per oculos animabus facilibus*.

Mendax similis diabolo.

VERS. 27. POTIOR FUR QUAM ASSIDUITAS VIRI MENDACIS (Tigurina, *quàm qui frequentat mendacium:*) PERDITIONEM AUTEM HEREDITABUNT] *Potior*, id est, melior, non positivè, sed comparativè & negativè: q. d. Minùs malus, minùs noxius est fur, quàm qui assiduè mentitur. Unde pœna tam mendacis quàm furis erit *perditio*, id est, interitus & mors, tam præsens quàm æterna: licet enim mendacium otiosum & iocosum non sit peccatum mortale, ac proinde non inducat reatum mortis præsentis, & æternæ; tamen ex assiduitate mentiendi otiosè & iocosè, facilè quis labitur in mendacium perniciosum, quo proximo vel famam, vel opes, vel vitam adimit. Quod proinde mortem utramque meretur, iuxta illud Apoc. 21. 8. *Idololatris, & mendacibus: pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda*. Hinc pro *potior*, Græcè est αἱρετώτερον, id est, *eligibilius*. Unde Tigurina vertit, *tolerabilior est fur, quàm qui frequentat mendacium: ceterum perniciem uterque contrahit*; alii, *eligibilior est fur, quàm qui mendacio assuescit: ambo autem heredes erunt exitii*.

Nota. Congruè mendacium comparat furto, tum quia hæc duo iungi solent. Unde illud: *Ostende mihi mendacem, ostendam tibi furem*: tum, quia mendacium est quoddam furtum: furatur enim hominibus veritatem, famam, concordiam, imò opes sæpè & vitam: tum, quia utrumque ignominiosum est & infame.

Porrò mendax peior est fure. Primò, quia fur opes, mendax verò famam, & subinde vitam homini eripit: fama autem præstat opibus. Secundò, quia fur ex egestate & fame furatur, Proverb. 6. 30. mendax autem mentitur ex petulantia & protervia. Tertiò, quia mendacium turbat integras familias, urbes, resp. ac inter eas rixas, cædes & bella internecina & immortalia concitat. quod non facit furtum. Quartò, quia esto furtum unum sit peius mendacio; uno tamen furto peior est assiduitas mentiendi, & hoc tantùm ait Siracides: hæc enim assiduitas multas parit culpas & noxas furto graviores. Quintò, furto sæpè additur mendacium, ut furtum tueatur: hoc ergo, utpote duplex peccatum, solo furto est gravius. Unde Syrus vertit, *desiderat* (stultus) *furari & mentiri: & utraque illa via eius ignominiam comparant*. Sextò, furi præter opes cetera fidere potes, mendaci nihil. Sicut enim à verace omnia sunt tuta: ita à mendace nihil, non opes,

Mendax peior fure. Primò. Secundò. Tertiò.

pes, non honor, non amicitia, non aliud quippiam. Equidem ego faciliùs feram famulum qui semel furatur, quàm qui semper mentitur, ait Palacius.

Vers. 28. MORES HOMINUM MENDACIUM SINE HONORE: ET CONFUSIO ILLORUM CUM IPSIS SINE INTERMISSIONE] q. d. Mos mentiendi facit, ut omnes *mores* & actus mendacis sint *sine honore*, viles & contemptibiles.

Pro *mores*, græcè in singulari est ἦθος, id est, mos, vultus, indoles, natura: ἦθος, ait Quintil. lib. 6. *uno verbo latinè dici non potest: hoc enim omnes mentis habitus continentur.*

Pro *sine honore*, græcè est ἀτιμία, id est, inhonoratio, infamia, ignominia. Unde Complut. vertunt, *mos hominis mendacis ignominia, & confusio ejus cùm eo sine intermissione.* Quid enim probrosius quàm mendacem haberi?

Rursum ἦθος Aristot. initio lib. 2. Ethic. deducit ab ἔθος, ac significat id quod homini familiare, proprium, consuetum est; item domicilium, locum consuetum, natale solum, sedem. Unde Tigurina vertit, *familiaris homini mendaci est ignominia, suumq; dedecus comitatur eum assiduè;* alii, *proprium hominis mendacis est infamem esse, & pudor ejus illi adest assiduè;* alii, *sedes & natale solum mendacis est infamia;* Syrus, *finis hominis mendacis maledictio, & ignominia cum ipso peribit.*

Porrò mendaces semel cogniti, inter alias ignominias hanc maximè sibi congruam, meritam & debitam sustinent, ut semper audientibus suspecti sint, &, etiamsi vera dicant, eis tamen fides non habeatur, quia mentiendo sibi fidem abrogarunt. Rursum mendacibus evenit, quòd mendacium omnes eorum *mores* (ut vertit noster) decoloret, dehonestet & infamet. Sensus enim ejus est, q. d. Sæpè fit, ut quis mores habeat honestos, dignosque honore, & laudabiles, ac laudetur quòd sit justus, prudens, temperans, liberalis, &c. attamen hi mores & virtutes insignes penitus jacent, & debito honore carent, si, qui illis præditus est, mendax jurè appellari possit: mendaces enim mentiendo offuscant omnes bonos mores & virtutes. Quocirca Indi, ei qui ter mentitus esset, perpetuum indicebant silentium, uti refert Diodor. libr. 3. Biblioth. c. 10. & Arrian. lib. 3. de Gestis Alex. Addit Philostratus lib. 2. de Vita Apollonii, tales magistratu exclusos in perpetuum. Eadem ferè de Persis memorat Xenophon in Cyro lib. 3. & Herodot. lib. 1. Plura de turpitudine & probro mendacii, vide apud S. August. libr. Contra mendacium, Climacum gradu. 12. Dorotheum doctr. 9. S. Bernard. serm. 31.

Mendax infamis

Vers. 29. SAPIENS IN VERBIS PRODUCET SEIPSUM, ET HOMO PRUDENS PLACEBIT MAGNATIS] Huic versui Græci præmittunt hunc titulum: *Verba parabolarum.* Imitatur enim Siracides Salomonem, qui c. 10. 7. & alibi eumdem titulum suis parabolis sive proverbiis præfigit. Opponit stulto mendaci sapientem veracem, qui suo sermone vero & prudenti seipsum promovet, ut placeat magnatibus, ab eisque ad honores & regimem exaltetur, uti contigit Josepho, Danieli, Mardocheo, Esdræ, Nehemiæ & aliis. *Producet*, id est, porrò ducet, putà ulteriùs ad majores honores & dignitates: græcè enim est προάξει, id est, promovebit, provehet. Unde Tigurina vertit, *sapiens se ipsum dictis provehet, & vir prudens placebit proceribus.*

Modum & causam promovendi se subjungit dicens, *Et*, id est quia, *homo prudens placebit magnatis*, qui utique agnita ejus sapientia eum promovebunt, ac præficient gubernaculis reipub. Paulò aliter Syrus, *plenus proverbiis sapientiæ*, inquit, *tamquam parvum monstrat seipsum* (qui enim verè sapiens est, idem in oculis suis parvus est & humilis, ac apud alios parvum & humilem se ostendit) *& servus sapiens dominabitur magnatibus.*

Vers. 30. QUI OPERATUR TERRAM SUAM INALTABIT (altum faciet) ACERVUM FRUGUM, ET QUI OPERATUR JUSTITIAM, IPSE EXALTABITUR: QUI VERO PLACET MAGNATIS, EFFUGIET INIQUITATEM] q. d. Sicut agricola strenuè colens terram, magnam colligit messem, altumque frugum acervum attollit: sic qui excolit animam suam per opera justa virtutum, magnum colliget meritorum & gloriæ acervum & cumulum, per quem & apud Deum & apud homines exaltabitur: quocirca qui placere cupit magnatis, ac ab eis exaltari, is omnem injustitiam & iniquitatem fugiat oportet, ac præsertim caveat ne dona accipiat, quibus excæcatus justitiam rectumque judicium pervertat: quia *xenia & dona ex-* A *cæcant oculos judicum*, ut sequitur. Græcus de more concisus & bimembris sic habet, *qui operatur terram, altum faciet acervum suum: & qui placet magnatis*, ἐξιλάσεται ἀδικίαν, id est, *placabit* vel *expiabit injustitiam*. Complut. addunt *suam*, sed alii delent τὸ *suam*. Sensus est, q. d. Sicut qui colit terram, altum colligit frugum acervum: sic qui colit principes, altum apud eos colligit gratiæ & benevolentiæ acervum, quo suas & aliorum in eos offensas placare, illosque principibus reconciliare valet.

Moralit. monemur hic seminando bona opera, accumulare altos meritorum acervos, ut per eos acquiramus altos gloriæ thesauros in cælis: quanti enim erunt isti, tanti erunt & hi. Altitudo enim gloriæ altitudini gratiæ & meritorum respondebit & adæquabitur, juxta illud: *Quæ* (quanta) *seminaverit homo, hæc* (tanta) *& metet*. Gal 6. 8. Et illud de Apostolis: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*, psalm. 125. 7.

XENIA ET DONA EXCÆCANT OCULOS JUDICUM, ET QUASI MUTUS IN ORE AVERTIT CORREPTIONES EORUM] Explicat quod dixit, B *Qui operatur justitiam, ipse exaltabitur*: q. d. Ut opereris justitiam, maximè caveas munera, quia hæc judicium rationis & sententiam judicum ad se inflectunt, itaque à recto detorquent & corrumpunt. Citat Exodi 23. 8. *Nec accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum*. Vide ibi dicta. Vers. 31.

Pro *mutus*, græcè est φιμὸς, quod tam frænum, quàm obturationem oris, quæ hominem facit elinguem & mutum, significat. *Mutus in ore* ergo, est frænum in ore, vel obturatio oris: hæc enim facit hominem mutum. Est hebraismus: ponitur enim *cal* pro *hiphil*, *mutus* pro *mutum faciens*, obturans os: hoc enim significat φιμὸς, à φιμόω, id est, os obturo. Porrò *mutus* à mussando dicitur, quòd hic non amplius quàm mus dicat. Muti ergo videntur habere murem, quasi frœnum, in ore, qui facit eos mutire & mussitare. Quod Latini simili proverbio dicunt: *Bos in lingua*, olim enim Græci pecuniam bovis simulacro signabant, unde illa vocabatur Bos. Et: *Argentanginam patitur*, quod Demostheni objectum est, cùm diceret se anginam pati, nec posse contra Philippum perorare, quasi argento à Philippo fuisset corruptus. Quocirca aliqui legunt, C *& quasi frænum in ore*: rursum *avertit*, id est, *avertunt*. Unde S. Hieron. in c. 3. Michææ sic legit: *Munera excæcant oculos etiam sapientum, & quasi frænum in ore avertunt increpationes*. Est hebraismus; Hebræi enim verbum concordant sæpè cum substantivo proximiori, etiamsi ad remotius referendum sit: sic hìc *avertit* concordat cum *mutus*, etsi respiciat *xenia & dona*. Sensus est: Xenia & dona sunt quasi fræna, quæ faciunt judices cæcos & mutos, ut non audeant corripere & castigare delinquentes, qui ea dederunt. Unde Tigurina vertit, *xenia muneraq; occæcant oculos sapientum, & tamquam oris obstructio reprehensiones inhibent;* Syrus, *largitio & donum offuscant oculos, & obturant os, & cessare faciunt increpationem*: juxta illud, *Injice offam in os canis ne latret*.

Aliter Dionys. & Lyran. *mutus*, inquiunt, vocatur species ranæ, quæ à Græcis calamita dicitur, & in os canis latrantis injecta adimit latrandi potentiam, uti docet Strabo, & ex eo S. Isidorus libr. 12. Origin. c. 6. Vincentius Belluac. Natur. hist. lib 20. c. 60. Albertus Magnus lib. 26. de Animal. in Rana, qui & addit, si ranæ officulus in vas aqua fervens injiciatur, defervescet aqua, nec amplius bul- D liet: ita quantumcumque ferveat amore justitiæ justæque vindictæ judex, si aurum capiat, defervescet omnis ejus amor & zelus, ac instar calamitæ obmutescet. Alii censent Siracidem alludere ad ranas Seriphias, ab insula Seripho, ubi ranæ mutæ inveniri perhibentur: quasi hi judices ora muneribus obstructo, tamquam ranæ Seriphiæ obmutescant. Et sicut illæ ranæ monstrosæ sunt, quia ut ceteræ non coaxant, sed silent; sic pariter hi judices sunt quasi monstra, quia cùm dicendo juri vacare debeant, tamen reticendo potiùs incumbunt. Id quod dixi de ranis Seriphiis, asserit Plinius l. 8. c. 58. Hinc & proverbium apud Suidam, Didymum, & alios, *Rana Seriphia*, id est, silens & mutus. Verùm φιμὸς non significat calamitam vel ranam; sed frænum, capistrum, camum, quo ferarum canumque ora obligantur ne mordeant: fiscellis etiam capistrantur jumenta ne segetes depascantur, quod Græci

Mutus simile ranæ: cur?

vocant φιμοῦσθαι. Unde Plinius l. 18. c. 19. *Fiscellis*, inquit, *capistrari boves oportet, ne g[e]rminum tenera praecerpant.* Ergo judices dona accipientes, inquit Palacius, sunt sicut equus & mulus, quorum maxillas munera velut camo & fræno constringunt.

De cavendis muneribus. Moral. disce hic quàm judici cavenda sint munera. Quocirca Justinianus Imp. §. *Oportet.* de Mandatis princ. Auth. collat. 3. & novell. 25. omne omnino ei vetat munus. *Oportet*, inquit, *te pure sumentem administrationem, & sine omni suffragio, & præ omnibus aliis mundas servare manus Deo, nobisque & legibus, & nullum contingere lucrum, neque maius, neque minus.* Nam ut ait S. Nazianz. in Distichis: *Munera faciunt ut sapientes quoque viri hallucinentur: atque ut aves laqueo, sic homines auro capiuntur.* Et inferiùs: *Auro loquente iners est omnis oratio: persuadet enim illud, etiamsi nullam vocem edat.* S. Chrysost. homil. 64. in Joannem: *Gravis*, ait, *morbus est avaritia, oculos cæcat, & aures obstruit, & quavis bellua sæviores reddit.* Idem censuere Gentiles. Plutarchus libr. de Iside: *Thebis*, ait, *Iudicum imagines visuntur absque manibus, & summi iudicis oculi connivent, eò quòd iustitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur.* Rectè Cajetan. & ex eo Delrio adagio 86. Munera affectum mutant, inquit, & sic efficiunt, ut, si non speculativè, saltem practicè videatur accipienti fovenda, vel excusanda, vel toleranda pars à qua munera accipit. Unde Moses Deuter. 16. vers. 19. *Non accipies*, ait, *personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum*, nimirum quantumvis oculatus fueris ut aquila, ut serpens, oculi tui muneribus eruentur. Donum enim tacitè eblanditur & elucratur affectum ejus qui illud recipit, ac quasi cor illius non cogitantis suffuratur, illudque donanti alligat & astringit ut non possit non eum amare, non illi favere, & vicem rependere.

Quocirca Basilius Imper. Constantinopol. Exhort. ad Leonem filium, cognomento Philosophum; ita de muneribus sancit cap. 43. *Auro & muneribus venales honores & dignitates cave ne habeas, sed eas dignis largire gratis: qui enim magistratum pretio emit, subiectos illi magistatui multò magis emit, ut muneribus quæ dedit fretus, ipse audaciùs munera capiat. Proba ergo atque explora priùs diligenter, atque ita demum ad honores proveh[e] eos qui sine muneribus ambiunt, si vis à republica omnem sordium & concussionis labem exulare. Nam qui dat ut magistratum capiat, quæstum sibi à magistratu captat: dat enim ut ius capiendi habeat contra leges, hoc agens, ut nullis legibus teneatur. Qui enim magistratum mercari didicerit, is numquam munera capere dediscet, & sine muneribus aliquid facere numquam volet: te autem concussionis & sordium habebit magistrum, quem debuerat habere vindicem: neque ipse solùm munera capiet, sed eos etiam qui sub ipso erunt, munera capere coget.* Breviter sed nervosè, Demosthenes: *Dona principum*, inquit, *sunt auctoramentum servitutis*: quos enim donis afficiunt, hos quasi servos sibi mancipant.

SAPIENTIA ABSCONSA, ET THESAURUS
VERS. 32. INVISUS (Syrus, *occultus*: hic enim non videtur;) QUÆ UTILITAS IN UTRISQUE?] S. Hieron. in cap. 2. Sophon. legit, *sapientia abscondita, & thesaurus non comparens, quæ utilitas in ambobus?* Ἀφανὴς enim est non comparens, non visus, latens, occultus, obscurus, incognitus.

Respicit ad id quod dixit v. 29. *Sapiens in verbis producet seipsum, & homo prudens placebit magnatis.* Ne enim quis otii & quietis amantior, suam sapientiam celet, eaque alios defraudet, addit: *Sapientia absconsa*, &c. Tigurina, *cùm sapientia occulitur, aut thesaurus abditur, quid est in utrovis utilitatis?* Sicut enim thesaurus, licet in se pretiosus, nulli tamen est usui, si sit abditus: ita & sapientia, licèt maxima, frustra est, nullumque habet usum, si abscondatur. Quare, sicut thesaurus à natura & Deo datur ad usum, ideoque publicandus & erogandus est, sic & sapientia. Idem docet Christus in parabola talentorum, qua docet Deum exactam exigere rationem talenti bene & cum lucro expensi, ideoque damnare eum qui talentum defodit, vel in sudario ligavit, Matth. 25. Nam, ut rectè ait S. Gregor. 1. p. Pastor. cap. 9. *Pecuniam in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti corporis abscondere.* Si ergo litteratus es, sed solitarius & absconditus, quem doces? si prædicator, quem ad bonam frugem convertis? si sapiens, cui consilium præbes? si sacerdos, cui Sacramenta ministras? si sanctus, quem ædificas? si robustus, si cujus utilitatem laboras? Quocirca Eremitæ in solitudine suos docebant discipulos & advenas, eosque ad sanctitatem efformabant. Item scribebant epistolas & libros, ut iis suam sapientiam proximis communicarent.

Egregiè hoc argumentum tractat S. Greg. 3. p. Pastor. admon 26. *Admonendi sunt*, inquit, *qui cùm prædicare utiliter possunt, immoderata tamen humilitate refugiunt; ut ex minori consideratione colligant, quantum in maioribus rebus delinquant. Si enim indigentibus proximis ipsi quas habent pecunias absconderent, adiutores proculdubio calamitatis extitissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui, dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt. Unde & bene quidam sapiens dicit: Sapientia abscondita & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Probat idipsum per tres similitudines, dum subdit: *Si populum fames attereret, & occulta frumenta ipsi servarent, auctores proculdubio mortis existerent. Qua itaque plectendi sint pœna considerent, qui, cùm fame verbi animæ pereant, ipsi panem percepta gratiæ non ministrant. Unde & bene per Salomonem dicitur: Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Frumenta quippe abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicitur: quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Si medicinalis artis minimè ignari secandum vulnus cernerent, & tamen secare recusarent; profectò peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa involvantur aspiciant, qui, dum cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt sectione verborum. Unde & bene per Prophetam dicitur: Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Gladium quippe à sanguine prohibere, est prædicationis verbum à carnalis vitæ interfectione retinere.* Et paulò inferiùs: *Audiant, quòd talentum qui erogare noluit, cum sententia damnationis amisit. Audiant, quòd Paulus eo se à proximorum sanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitiis non pepercit, dicens: Contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium: non enim subterfugi, quo minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis. Audiant, quòd voce angelica Joannes admonetur, cùm dicitur? Qui audit, dicat, Veni: ut nimirum cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quò ipse rapitur, trahat: ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. Audiant, quòd Isaias, quia à verbi ministerio tacuit, illustratus superno lumine, magna voce pœnitentiæ se ipse reprehendit, dicens: Væ mihi quia tacui. Audiant, quòd per Salomonem in illum prædicationis scientia multiplicari promittitur, qui in hoc quod iam obtinuit, torporis vitio non tenetur: ait namque, Anima quæ benedicit impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui enim exteriùs prædicando benedicit, interioris augmenti pinguedinem recipit: & dum vino eloquii auditorum mentem debriare non desinit, potu multiplicati muneris debriatus excrescit. Audiant, quòd David hoc Deo in munere obtulit, quòd prædicationis gratiam quam acceperat non abscondit, dicens: Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu cognovisti: iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Audiant, quòd sponsi colloquio ad sponsam dicitur: Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam*, Cantic. 8. Hac sententia Zozimas persuasit S. Mariæ Ægyptiacæ (ut habet ejus Vita anno Christi 630.) ut angelicam vitam, quam in eremo per 47. annos nulli hominum, sed soli Deo & angelis visa, sanctè peregerat, ad aliorum exemplum panderet: *Omnia*, inquiebat, *quæ circa te sunt edicito, ut Deo magnalia facias manifesta: Sapientia enim abscondita & thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque?* Cui sententiæ ipsa obsecuta, omnem vitam suam Zozimæ enarravit, qui deinde eam scripto posteris mandavit: qua proinde tum alii, tum S. Joannes Columbinus Ordinis Jesuatorum institutor, ad Deum conversi sunt.

In eos qui refugiunt onus prædicandi.

Prover. 11. — *Jerem. 48.* — *Matth. 25.* — *Actor. 20.* — *Apoc. 22. 17.* — *Isaiæ 6.* — *Prov. 11.* — *Psal. 39.*

MELIOR EST QUI CELAT INSIPIENTIAM, VERS. 33.
(Syrus, *stultitiam*) SUAM, QUAM HOMO QUI ABSCONDIT SAPIENTIAM SUAM] Tigurina clarè, *potior est homo celans inscitiam suam, quam qui sapientiam suam supprimit.* Insipientia enim sapienter celatur, ne sibi aliisve noceat; sapientia autem sapienter promitur & evulgatur ad aliorum utilitatem & instructionem.

Porrò malum est abscondere sapientiam, ait Palacius, *quando Deus aut Superior iubent eam in lucem proferre, aut quando necesse est eam manifestare. Alioqui consultissimè sanctissimi illi Eremitæ Dei sapientia pleni, in abditissimas solitudines se*

conii-

conjiciebant. Et planè, si sapientia mea utilis futura est Christiana reipublicæ, curam Deus habet eam in lucem proferendi. Hoc demum non est silentio prætereundum: hæc verba, (ut arbitror) prorsus esse dicendorum, quasi vellet Author dicere: Sapientiam meam vobis scribo in sequentibus capitibus, quorsum enim absconderem? cùm sapientia absconsa inutilis sit. Hæc Palacius.

Complut. hanc sententiam addunt: *Melior est suspectatio inevitabilis in inquisitione Domini, quàm carens Domino auriga* A *propria vitæ*, id est, ut clarè Tigurina; *pluris est inevitabilis* (vel necessaria) *sequenti Dominum patientia, quàm vitæ propriæ gubernator absque Domino*. Quæ sanè in praxi aurea est sententia. Alii, *potior est patientia quæ recusari non potest, ab eo qui quærit Dominum, quàm agitator vitæ propriæ sine Domino*. Verùm Græca à Romanis correcta, Latina, & Syra eam omittunt; unde non habet auctoritatem Scripturæ Canonicæ.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet summè cavendum ab omni peccato, & præsertim à superbia. Secundò, v. 14. depingit mores stulti, eisque opponit mores sapientis. Tertiò, v. 23. describit stulti immodestiam in risu, visu, auditu, voce, & sermone.

1 Fili peccasti? non adiicias iterum: sed & de pristinis deprecare ut tibi dimittantur. 2. Quasi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te. 3. Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum. 4. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. 5. Objurgatio & injuriæ annullabunt substantiam: & domus quæ nimis locuples est, annullabitur superbia: sic substantia superbi eradicabitur. 6. Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus perveniet, & judicium festinatò adveniet illi. 7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris: & qui timet Deum, convertetur ad cor suum. 8. Notus à longè potens lingua audaci: & sensatus scit labi se ab ipso. 9. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme. 10. Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis. 11. Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. 12. Qui custodit justitiam, continebit sensum ejus. 13. Consummatio timoris Dei, sapientia & sensus. 14. Non erudietur, qui non est sapiens in bono. 15. Est autem sapientia, quæ abundat in malo: & non est sensus ubi est amaritudo. 16. Scientia sapientis tamquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons vitæ permanet. 17. Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. 18. Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit, & ad se adiiciet: audivit luxuriosus, & displicebit illi, & proiiciet illud post dorsum suum. 19. Narratio fatui quasi sarcina in via: nam in labiis sensati invenietur gratia. 20. Os prudentis quæritur in ecclesia, & verba illius cogitabunt in cordibus suis. 21. Tamquam domus exterminata, sic fatuo sapientia: & scientia insensati inenarrabilia verba. 22. Compedes in pedibus, stulto doctrina, & quasi vincula manuum super manum dextram. 23. Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit. 24. Ornamentum aureum prudenti doctrina, & quasi brachiale in brachio dextro. 25. Pes fatui facilis in domum proximi: & homo peritus confundetur à persona potentis. 26. Stultus à fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit. 27. Stultitia hominis auscultare per ostium: & prudens gravabitur contumelia. 28. Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium, statera ponderabuntur. 29. In ore fatuorum cor illorum: & in corde sapientium os illorum. 30. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. 31. Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur: & qui cum eo manserit, odiosus erit: tacitus & sensatus honorabitur.

VERS. 1. FILI PECCASTI? NON ADIICIAS ITERUM; SED ET DE PRISTINIS DEPRECARE UT TIBI DIMITTANTUR.] Tigurina, *si peccasti fili, ne pergas peccare, sed anteacta depreceris*. Dicit, *si peccasti*, quia, ut A habet Arabicum proverbium cent. 2. n. 57. *Omissio peccati rectior est, quàm executio pœnitentiæ*: q. d. Melius est non peccare, quàm post peccatum pœnitere: melior est innocentia, quàm pœnitentia: satius est non habere occasiones pœnitendi, quàm pœnitere: Jam sensus est: q. d. Post peccatum admissum quasi post vulnus letale acceptum, duo tibi ad salutem necessaria remedia suggero. Prius, ne iteres peccatum. *Sunt enim multi, qui cùm peccatum unum admiserint, quasi jam perdita innocentià & gratia desperantes, proni in omne scelus ruunt, & quasi sues in cœno voluptatum voluntantur*, uti faciunt meretrices & fornicatores. Hisce ait *Fili peccasti? ne adiicias iterum*, tum quia iteratio peccati novum est peccatum, novumque animæ vulnus. *Sicut ergo qui unum vulnus accepit, cavet ne accipiat secundum; ita & qui unum peccatum admisit, caveat ne admittat secundum*: tum, quia faciliùs curatur unum peccatum quàm duo, tria & plura; sicut faciliùs curatur unum vulnus quàm multa: tum, quia in iteratione peccati est animi protervia, & libido, quæ graviter Deum offendit, facitque ut difficilis sit lapsi curatio & culpæ condonatio. Huc facit Hebræorum proverbium: *Præceptum trahit præceptum, & peccatum trahit peccatum*: q. d. Una observatio legis, una virtus trahit aliam, sic unum peccatum trahit allicitque ad aliud.

Posterius: *Sed & de pristinis deprecare ut tibi dimittantur*: q. d. Non sufficit ad veniam peccati, illud non iterare, vel vitam corrigere, quasi pœnitentia non sit aliud quàm resipiscentia, ut fingit Calvinus & Lutherus; sed insuper opus est dolere de peccato commisso, ejusque veniam humiliter & dolenter deprecari. ita S. August. l. 1. de Nup. & concup. cap. 26. Ubi ex hoc loco docet, actum peccati transeuntem post se relinquere reatum, sive maculam permanentem in anima, per quam homo censeatur & sit peccator, ac iræ Dei & gehennæ sit obstrictus & reus. *Nam si à peccando desistere*, inquit, *hoc esset, non habere peccatum, sufficeret ut hoc nos moneret Script. Fili peccasti? non adiicias iterum. Non autem sufficit; sed addidit: Et de pristinis deprecare, ut tibi remittantur. Manent ergo, nisi remittantur. Sed quomodo manent, si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, manent reatu?* hæc S. August.

Mysticè, S. Gregor. 4. Moral. c. 19. *Peccatum* inquit, *peccato adiicit, qui malè gesta etiam defendit; & noctem illam solitariam non relinquit, qui culpæ suæ tenebris etiam patrocinia defensionis adiungit*, ut fecit Adam suum peccatum excusans, imò retorquens in Deum: *Mulier quam dedisti*, inquit, *mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*, Genes. 3. 12. q. d. *Tu occasionem delinquendi præbuisti, qui mulierem dedisti*. hæc S. Gregor. *Moraliter citò peccatori pœnitendum.*

Moraliter hìc disce, post peccatum citò agendam esse

ergo: Uti spadones aliqui impuri, esto vi generandi privati, non tamen omnino vi seminandi aut concupiscendi spoliati, virgines sibi concreditas vitiant: ita judices iniqui, sive privati, sive publici, justitiam, (quam veteres ut virginem pingebant) per injustas & violentas sententias vitiant & constuprant. Unde Tigur. vertit. *qualis est spadonis puellam vitiandi libido, talis est qui per vim exercet iudicia*; Syrus, *desiderat eunuchus concumbere cum virgine, ita qui facit iudicium per vim*. Multi enim spadones peccant per turpia desideria, cùm ad actum venereum omnino sint inhabiles & impotentes; sed nonnulli, ut dixi, ad eum aliqua ex parte habiles & potentes sunt.

Iustitia pingitur virgo cur? Nota. Veteres justitiam pingebant quasi virginem (quam Astræam, quasi Cælitem vocabant) libram manu una tenentem ad æquilibrium, altera gladium. Virginem, ut significarent eam debere esse integram & incorruptam. Libra significabant, eam debere jus utriusque partis exacto examine librare, & cuique juris æquilibrium assignare, ut bonis præmia pro meritis, malis pœnas pro demeritis geometrica proportione distribuat. Ense repræsentabant vindictam, quam justitia in reos exercet. Addit Pierius Hierogl. 42. cap. 61. ei appinxisse duas mulieres, quæ captivæ ab ea traherentur: unam quæ fractum ensem manu prætendebat, alteram quæ conto innitebatur, ut duo vitia extrema à justitia domita repræsentarent, ac ex utriusque medio virtutem ipsam astruerent: per fractum scilicet ensem severitatem nimiam retusam cohibitamque intelligentes: per contum lentorem nimium abdicatum, quo judicia plus æquo producebantur. Inde enim dicta contatio, quæ retardationem significat. Lenti verò sunt, qui nullo quantumvis atroci scelere concitantur, neque publicis neque privatis injuriis commoventur. Vide Giraldum de Diis Gentium syntagm. 1. pag. 28.

Hinc & Chrysippus apud Gellium lib. 14. cap. 4. *Imaginem iustitiæ fieri solitam*, ait, *forma atque filo virginali, aspectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus neque humilem, neque atrocem, sed reverendæ cuiusdam tristitiæ dignitate. Ex imaginis autem istius significatione*, ait, Gellius, *intelligi voluit, judicem, qui justitiæ antistes est, oportere esse gravem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem: contraque improbos nocentesque immitem atque inexorabilem, erectumque, & arduum ac potentem, vi & majestate æquitatis veritatisque terrificum*. Et Plato lib. 12. de Legibus cap. 34. *Cavere*, inquit, *pro viribus debet quisquis alium iudicaturus est, ne sponte aut invitus supplicium mulctamve falsò, & non meritò inferat, iudiciũ enim virgo quadã pudica esse dicitur. Pudori autem atque iudicio secundum naturam odio mendacium est*.

Significat ergo Siracides violationem justitiæ, utpote virginis integerrimæ, symbolicum esse stuprum; quo & integritas justitiæ, & decor fidei sive fidelitatis turpi & infami scelere corrumpatur. Iudicibus enim commissa est tutela justitiæ, sicut eunuchis commissa est custodia virginis, ut eam integram & illabatam conservent. Quare quàm indignum contraque omne jus & fas est, à spadone inferri vim virgini sibi commissæ: tam indignum & infame nefas est à judice inferri vim justitiæ sibi concreditæ, ut nocentes absolvat, innocentes damnet & plectat. Quocirca Cic. l. 1. epist. ad Atticum, ait à Clodio iniusto judice constupratum esse judicium. *Afflicta*, inquit, *resp. est empto construpratoque iudicio*. Porrò idipsum faciunt non tantùm judices in tribunali, sed & quique particulares, qui in symbolis & symposiis, aut seorsum cum sociis detrahentibus proximo, ejus acta & mores iniquè censent, judicant & damnant. Agitur enim hic de correptione. Detractio ergo est constupratio justitiæ: calumnia est stuprum innocentiæ.

Vers. 4. QUAM BONUM EST CORREPTUM MANIFESTARE POENITENTIAM! SIC ENIM EFFUGIES VOLUNTARIUM PECCATUM] Præfixit leges corripienti, ut scilicet in veritate & lenitate corripiat, nunc sancit legem ei qui corripitur, videlicet, & non superbè se excuset, sed humiliter agnoscat culpam, de eaque doleat, ac se pœnitentem ostendat, nimirum ore confitendo *in oratione*, id est, in deprecatione veniæ, ut dixit v. 1. ac opere satisfaciendo iis quos offendit vel læsit. *Sic enim effugies voluntarium peccatum.* Per pœnitentiã enim ostendes te lapsum esse per ignorantiam, incogitantiam vel infirmitatem, ac proinde ex parte involuntarium fuisse lapsum: sin impœnitens peccatum tueare, facies illud planè voluntarium, quia ostendes animi obstinationem & destinatam malitiam. Secundò, *effugies voluntarium peccatum*, qui pœnitentiam à peccato voluntariè admisso liberabis, eiusque culpa & pœna tibi pœnitenti à Deo condonabitur. Hic versus iam deest in Græco & Syro: in Complut. tamen ponitur post. v. 8.

Verè Beda in Proverbiis: *Initium bonorum*, inquit, *est confessio malorum*. Quin & Seneca in Proverb. *Proximum*, inquit, *ad innocentiam locum tenet verecunda peccati confessio*. Nota hic vim pœnitentiæ: nullæ enim sunt tam ferreæ peccati compedes, quibus peccatum peccantem constringat, quas pœnitentia non frangat, & servum peccati non manumittat. Compunctio enim & dolor de peccato in Deum admisso, implicitè est summus Dei amor; ob Dei enim amorem dolet de Dei offensa. Amor ego Dei mensura est, ac modulus doloris, & quantum in uno, tantum in utroque est ponderis. Generant enim se mutuo: nam & ex amore dolor, & vicissim ex dolore nascitur amor. Alter alterius fomentum est & incendium, nutrix & parens: si crescit unus, uterque capit augmentum: si ardet alteruter, in ambobus flamma gliscit. Animus amore ebrius eructat dolorem: & dolor vicissim amorem acuit, urit & accendit. Vide de utilitate confessionis & pœnitentiæ S. Greg. lib. 18. Moral. cap. 11. S. August. & Ambros. lib. de Pœnitentia. Huc facit illud Hebræorum proverbium: *Negatio peccati duplex peccatum, negatio iniquitatis duplex iniquitas*, ad verbum, *duæ iniquitates sunt*. scilicet, una perpetrata, altera defensa. Dupliciter ergo peccat duplicatque crimen qui negat esse crimen quod commisit.

EST TACENS, QUI INVENITUR SAPIENS: ET EST ODIBILIS, QUI PROCAX EST AD LOQUENDUM] Respicit tertium è tribus quæ dixit cap. præced. v. ult. nimirum: *Est tacens, & ipse prudens*; illudque hic multis prosequitur, ac docet aliquando sapientis esse silere, insipientis verò loqui, aliquando verò silere signum esse insipientiæ. Vnde Græca breviter & clarè sic habent *est tacens, qui invenitur sapiens, & est odibilis ex multa loquacitate*; id est, ut Tigurina, *est qui tacendo se probet sapientem, & est qui crebra loquacitate fit odiosus*; alii paulo clariùs, *est qui tacendo sapiens esse deprehendatur, & est qui multa loquacitate odiosus sit*. S. Chrysost. in psal. 140. legit, *qui abundat in sermone, odio habebitur*, Vulgus enim homines loquaces, quasi disertos & facundos, æstimat sapientes; taciturnos verò, quasi indisertos & elingues, esse infantes & insipientes: At viri prudentes contrarium de utrisque ferunt judicium: eum enim qui opportunè tacet, censent esse sapientem: eum verò qui importunè garrit, censent esse insipientem. Nam, ut vertit Syrus, *est qui quando tacet, cogitat sapiens*: q. d. Est sapiens, qui dum tacet, cogitur sapienter quid agere, quid loqui, vel silere debeat quamquam pro *cogitat* videatur legendum *cogitatur*, sic enim habent Græca & Latinus, *& est qui odio habetur in multitudine sermonem suorum*.

Huc spectant tria proverbia Arabica centuria 1. n. 98. 99. & 100. *Taciturnitas conciliat suis amorem*. *Pœnitentia super silentio, melior est pœnitentia super sermonem* (*nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum*, ait Cato.) *Taciturnitas sapientia est, sed rarus est agens eam*. Et centuria 2. n. 52. *Sæpè silentium est responsum. Dicitur id bonum qui solvit delictum suum, absque ut loquatur quidquam, & respondet omittendo responsum*. Sic Menander. πολλοῖς, inquit, ἀπόκρισις ἐστὶ σιγή. *Multis responsum est silentium*. Multorum accusationes & calumniæ manifestam sæpè habent falsitatem, nec responsum aut apologiam merentur, quare ad eorum criminationes silere, sufficienter respondere, & se purgare est. Ita Christus silentio respondit Iudæis, accusantibus se de affectato Iudææ regno apud Pilatum. Sic *Susanna* Daniel. 13. *plus egit tacendo quàm si esset locuta. Tacendo enim apud homines locuta est Deo, nec ullum maius indicium suæ castitatis invenit, quàm silentiùm. Conscientia loquebatur ubi vox non audiebatur nec quærebat pro se hominum indicium, quæ Domini habebat testimonium. Ab illo igitur volebat absolui, quem sciebat nullo modo posse falli*, ait S. Ambros. l. 1. de Offic. c. 3. Deniq; *Gloriosius est iniuriam tacendo tolerare, quàm respondendo vindicare*, ait Beda in Proverb.

Vers. 5. — *Tacens est prudẽs* — *Gnome Arabum* — *Gregorii* — *Hebreorum* — *Latinorũ*

EST

EST TACENS, NON HABENS SENSUM LOQUELÆ: ET EST TACENS, SCIENS TEMPUS APTUM] scilicet, ad loquendum. Unde aliqui legunt, *Sciens tempus apti sermonis*; alii, *apti temporis*: q.d. Duplex est tacens, unus qui tacet quia non habet sensum, id est, prudentiam loquendi, quia non habet quod sapienter loquatur, quia non est peritus loquendi. Alter qui tacet, quia exspectat tempus opportunum loquendi: ille tacens est prudens, hic prudentior. Explicat id quod dixit: *Est tacens qui invenitur sapiens*, Duos enim casus recenset quibus sapiens sapienter tacet: q. d. Dixi sapientem opportunè tacere. Id autem facit Primò, quando non habet quod prudenter loquatur. Secundò, quando loquendi non est tempus, & opportunitas. Unde Græca habent, *est tacens: non enim habet responsum: & est tacens sciens tempus*; Tigurina, *alius tacet non habens quod respondeat, & est qui tacet sciens* (peritus gnarus) *temporis* loquendi & tacendi. Huc pertinet illud: *Stultus si tacet sapit*: quod Cleanthi tribuit Maximus c. de silentio. Et illud Senecæ in Proverbiis: *Taciturnitas stulto homini pro sapientia est*. Præclariùs S. Chrysost. in psalm. 140. *Tunc*, ait, *solùm loquendum est, quando quæ dicuntur plus prosunt, quàm silentium*. Et S. Basil. Ad filium spiritalem: *Opportuna verba*, inquit, *à te procedant, ut dent gratiam audientibus*. Præclarè etiam Salomon Proverb. 25. 11. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*. Ubi Beda: *Hujusmodi verba*, inquit, *sunt mala, quia de arbore vitæ, hoc est, de Dei sapientia orta: aurea, quia charitatem menti audientium infundunt: in lectis argenteis, quia requiem præstant animabus audientium, & splendore fulgent veritatis*.

Silentium stulto est pro sapientia.

VERS. 7. HOMO SAPIENS TACEBIT USQUE AD TEMPUS: LASCIVUS AUTEM ET IMPRUDENS NON SERVABUNT TEMPUS] Magna sapientia est nosse tempus opportunum loquendi, quod est, cùm loqui expedit ædificationi proximorum, & gloriæ Dei; insipiens verò tempus opportunum non servat, sed loquitur quolibet tempore, licet importuno; quia quidquid in mentem venit, effutit. Unde Græca habent, *transgreditur tempus*; Tigurina, *homo sapiens tacebit donec opportunum fuerit, nugator autem et insipiens præteribit opportunitatem*; Syrus, *est qui loquitur ubi non convenit ei loqui, & vir sapiens observat tempus, & vir iniquus & arrogans non observat tempus*. Arab. alia similitudine idipsum significat, sic enim habet: *Sicut adeps non comeditur* (comedi nequit) *absque sale, sic verbum si extra tempus proferatur*: q. d. Sicut adeps sine sale insulsus est, gravatque & laxat stomachum; sic verbum intempestivè prolatum insulsum est, grave, molestum & nocivum. Unde Apostolus ait: *Sermo vester, semper in gratia sale sit conditus*.

Tempus tacendi & loquendi quando?

Præclarè S. Gregor. 3. p. Pastor. admon. 15. *Sapiens*, inquit, *tacebit usque ad tempus; ut nimirum cùm opportunum consideras, postposita censura silentii, loquendo quæ congruunt, in usum se utilitatis impendat. Et rursum scriptũ est: Tempus tacendi, & tempus loquendi. Discretè quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut, cùm restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat; aut, cùm loqui utiliter potest, semetipsam pigrè restringat. Quod benè Psalmista considerans dicit: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Non enim poni ori suo parietem, sed ostium petit, quod videlicet aperitur, & clauditur. Unde & nobis cautè discendum est, quatenus os discretum, & congruo tempore vox aperiat, & rursum congruo taciturnitas claudat*. Et S. Ambros. lib. 1. de Officiis capite 2. *Quid* D *autem præ cæteris, ait, debemus discere quàm tacere, ut possimus loqui, ne priùs me vox condemnet mea, quàm absolvat aliena? Scriptum est enim: Ex verbis tuis condemnaberis. Quid opus est igitur ut properes periculum suscipere condemnationis loquendo, cùm tacendo possis esse tutior? Complures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo: ideoque tacere nosse quàm loqui difficilius est. Scio namque loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cùm sibi loqui nihil prosit. Sapiens est ergo qui novit tacere. Denique sapientia Dei dixit: Dominus dedit mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oportet sermonem dicere. Meritò ergo sapiens, qui à Domino accipit, quo tempore sibi loquendum sit. Unde bene ait Scriptura: Homo sapiens tacebit usque ad tempus. Ideo Sancti Domini, qui sciebant quia vox hominis plerumque peccati nuncia est, & initium erroris humani sermo est hominis,* A *amabant tacere*, Idem cap. 10. *Scio loqui plerosque cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam cum sibi non prosit loqui: sapiens ut loquatur multa priùs considerat quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore. Est ergo & loquendi modus: est etiam in factis modus. Pulchrum est igitur tenere mensuram officii*.

Perfectionis officia.

Sapienter S. Basil. serm. de Ascensi. hanc tacendi, & vivendi normam viris perfectionis studiosis præscribit. *Monachum*, ait, *decet multa intelligere, pauca loqui: oculos habere ad terram dejectos, animum ad cælum erectum: in tribulatione patientiam habere, spe gaudere, continenter orare, in omnibus gratias agere: non facilè credere quæ de altero secùs dicantur, nulla prava cupiditate vinctum detineri, injuriæ non meminisse, non malum pro malo reddere, injuriam accipere potius quàm facere: non tædio affici in suo instituto, sed dicere: Providebam Dominum in conspectu meo semper: spiritu fervere, Deum toto corde diligere, omnia jussa exequi, & se inutilem appellare: nil agere causa gloriæ, sed Dei causâ dumtaxat, ut placeat Deo*. Quocirca eleganter & appositè quidam vir sapiens Religiosum Deo per tria vota desponsum, ejusque officia & mores per B avium emblema depingit.

Religiosus sit

Turtur in oratorio, ut jugiter gemat.
Philomela in choro, ut devotè canat.
Pelicanus in Capitulo, ut seipsum rostro lædat.
Pavo in dormitorio, ut quietè incedat.
Grus in locutione, ut dicenda expendat.
Aquila in schola, & studio, ut oculos mentis intendat.
Columba in itinere, ut lecta meditetur.
Accipiter in prædicatione, ut Christo prædam rapiat.
Passer in refectorio, ut communia comedat.

QUI MULTIS UTITUR VERBIS, LÆDET ANIMAM SUAM: ET QUI POTESTATEM SIBI SUMIT INJUSTE, ODIETUR] Explicata priore parte versus 4. nunc explicat posteriorem: *Et est odibilis qui procax est ad loquendum*. Hujus ergo procacitatis duas species & modos recenset. Prior est, cùm quis *multis utitur verbis*: Hic *lædet animam suam*, Græcè βδελυχθήσεται, id est, *abominabilis erit*, tum Deo, tum hominibus. Syrus, *est qui odio* C *habetur in multitudine sermonum suorum*. Verisimile est Nostrum aliter legisse in Græco: nam ei astipulatur Clemens Alexand. l. 2. Pædag. c. 6. ubi sic legit, βδελύττεται τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, id est, *abominabilem facit animam suam*. Posterior est, cùm quis *potestatem sibi sumit injustè*, cùm, scilicet, sibi quis superbè arrogat præeminentiam, & jus in alios non sibi subditos, ut velit loquendo, docendo, imperando eis dominari. Hic enim ob fastum, injustitiam, & tyrannidem *odietur*. Unde Syrus vertit, *& qui superbit, odio habebitur vita ejus*. Tales sæpè sunt verbosi & multiloqui, qui soli loqui volunt, nec aliis suas interloquendi dant vices, quasi ipsi soli sapiant, velintque omnes docere. ita Rabanus & ex eo Glossa Interlin. qui per *potestatem* accipiunt *magisterii dignitatem*.

VERS. 8.

Multiloquus peccat multa: cur? Causa Prima.

Alludit ad Proverb. 10. 19. *In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est*, Hebr. *in multitudine verborum non cessabit prævaricatio*. Causæ sunt. Prima, quia nihil tam fluxum & labile est, quàm lingua & sermo. Quare ex verbis necessariis multiplicatis labitur ad superflua, ex utilibus ad otiosa, ex veris ad falsa, ex benevolis ad malevola, ex suavibus ad iracunda & rixosa.

Secunda.

Secunda, *quia in multiloquio nequaquam qui exit, sermo trutinatur, hinc imprudenter labitur*, ait S. Ambros. lib. 1. de Cain & Abel cap. 9.

Tertia.

Tertia, quia in multiloquio mens dissipatur in varia, quibus illicitur & inficitur; unde sui sermonisque curam quam deberet, habere nequit, vel negligit. Hanc dat S. Gregor. p. 3. Pastor. admonit. 15. *Admonendi sunt*, inquit, *multiloquio vacantes, ut vigilanter aspiciant à quanto rectitudinis statu depereant, dum per multiplicia verba dilabuntur. Humana etenim mens aquæ more & circumclusa ad superiora colligitur, quia illud repetit unde descendit; & relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim supervacuis verbis à silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Unde & redire interiùs ad sui cognitionem non sufficit: quia per multiloquium sparsa, à secreto se intimæ considerationis excludit*.

Quar-

Quarta. Quarta est, quam subdit ibid. S. Gregor. *Totam verò se insidiantis hostis vulneribus detegit, quia nulla munitione custodia circumcludit. Unde scriptum est: Sicut urbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Quia enim murum silentii non habet, patet inimici jaculo civitas mentis: &, cum se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit, quam tanto ille sine labore superat, quanto & ipsa quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat. Plerumque autem, quia per quosdam gradus desidiosa mens in lapsum casus impellitur, dum otiosa cavere verba negligimus, ad noxia pervenimus; ut plus loqui aliena libeat, postmodum detractionibus eorum vitam de quibus loquitur mordeat, ad extremum verò usque ad apertas linguæ contumelias erumpat. Hinc seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax extinguitur cordium. Unde bene per Salomonem dicitur: Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum. Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxum eloquii relaxare.*

Quinta. Quinta, est quam dat S. Doroth. doctrina 24. de Compunctione, quia multiloquium extinguit compunctionem & devotionem: *A multiloquio*, inquit, *abstine: hoc enim extinguit cordi advenientes cogitationes rationales & cælestes.* Exhalant enim illæ ex corde, & per os apertum evanescunt, sicut calor hypocausti vel furni exhalat & evanescit per ostium apertum. Unde S. Antiochus homil. 102. de silentio: *Immoderata*, inquit, *& effrenis verborum prolatio, qua periclitatur mentis tranquillitas, non solum circa operationem spiritualem lentescere facit eam ac desidere, sed & molestissimo dæmoni acediæ mancipat illam ac dedit. Et quemadmodum exæstuantis balnei fores continenter apertæ si sint, intimum calorem ocyùs efflant & expellunt in ea quæ sunt extrinsecus, ita etiam anima*, &c. Quocirca sapienter monet S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 3. *Alliga*, inquit, *sermonem tuum ne luxuriet, ne lasciviat, & multiloquio peccata sibi colligat. Sic restrictior, & ripis suis coerceatur. Citò lutum colligit amnis exundans.*

VERS. 9. ET PROGRESSIO IN MALIS VIRO INDISCIPLINATO, ET EST INVENTIO IN DETRIMENTUM] *Processio* est processus, profectus, successus, prosperitas; *in malis*, id est, ad mala vergens; q. d. Subinde contigit peccatorem & nequam prosperari, ut omnia ei ex voto fluant, sed hæc ei tandem cedet in *malis*, id est, ad mala & noxia. Est hebraismus & græcismus. Hebræi enim dicunt ברע *bera*, id est, *in malis*, pro לרע *lara*, id est, *ad malum*; Græci et pronunt pro *εἰς*, *in malis*, pro *in mala*, ad mala: simili modo subinde *inventio*, id est, res inventa, affert *detrimentum*: q. d. Prosperitas affluens quæ videtur esse felicitas, revera non semper est talis, sed ad gravia mala & damna deducit. Hunc esse sensum patet ex Græco; qui sic habet: Est *εὐοδία* (minùs rectè Complut. legunt, *εὐδοκία*, id est, beneplacitum) id est, *prosperitas in malis viro peccatori, & est inventio in diminutionem*, id est, res inventa quæ opes non augeat, sed diminuat; alii, *est lucrum tendens ad egestatem*. Sic prosperitas & evectio Aman cessit ei in malum, quia fuit ei gradus ad furcam & patibulum, Esther 7. 10. Sic prosperitas Jeroboam, Jehu, Achab, omniumque regum Israel, qui ex humili loco evecti sunt ad regnum, cessit eis in malum, quia omnes miserè cum tota sobole trucidati sunt, ut patet lib. 4. Reg. Sic *inventio*, id est, inventi thesauri inventoribus sæpè cesserunt *in detrimentum*, quia propter eos à furibus, vel æmulis & avaris occisi sunt; alii verò cessere in damnum spiritale, quia propter eos animam & salutem æternam perdiderunt. Unde Palacius sic explicat: *Processio*, inquit, vocatur augmentum in opibus aut honoribus, ut illud Genes. 26. 13. *Ibat Isaac proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est*. Est igitur sensus: Opum augmentum viro indisciplinato non est censendum in bonis, sed in malis: non enim in bonum ejus est, sed in majoris damnationis cumulum. Et similiter inventio ejus qua temporalia invenit bona, non est in profectum eius, sed in detrimentum. Quo enim ille plus invenit, & diutiùs in malo perseverat, eo inventio acriùs eum in inferno cremabit.

Secundò, τὸ *in malis* accipi potest propriè, ut sit idem quod *in malitia*, in scelere. Unde Tigurina vertit, *est cùm quis scelerosus in malis rebus successum consequitur,*

A *& est cùm res inventa detrimentum afferat*. Hinc Lyran. hæc connectens cum præcedentibus, referensque ad eum qui potestatem sibi assumit injustè, sic explicat: *Est processio in malis*, qua quis de malo procedit in pejus, sicut ex aduerso justus it de virtute in virtutem, illaque est *viro in disciplinato*: hic enim priùs vult esse magister quàm discipulus, priùs docere quàm discere. *Et est inventio*, quia talis nititur invenire nova in detrimentum sui & aliorum: quia communiter sunt erronea quæ invenit. hæc Lyran.

Hæc sententia & sequentes pertinent ad varium & contrarium vnius ejusdemque rei successum, ac præsertim ad prosperitatem insipientium, id est, pravorum, desinentem in adversitatem & infelicitaten. Vnde v. sequ. idem ostendit in donis & beneficiis, v. 11. in honore & gloria, v. 12. in rerum opumque comparatione, v. 13. in gratia verborum & factorum. Quod deinde fusiùs prosequitur.

EST DATVM, QVOD NON EST VTILE: ET EST DATVM CVIVS RETRIBVTIO DVPLEX] q. d. VERS. 10.
Beneficium alteri præstitum aliquando est inutile, aliB quando verò utile, utpote duplicem retributionem recipiens. Inutile est apud homines, cùm ingrato confertur; utile cùm grato, qui subinde illud non simpliciter, sed duplici retributione compensat. Inutile est apud Deum, cùm malo animo & pravo fine pravisque circumstantiis confertur; utile, cùm bono animo, debito fine & circumstantiis impenditur: tunc enim Deus illud *duplici*, id est multiplici, *retributione* remuneratur. Rursum *duplici*, quia in præsenti dat augmentum gratiæ, & donum gloriæ in futuro, ait Raban. & Lyran. Vnde Tigurina vertit, *est munus quod tibi non prosit, & est munus cujus dupla sit compensatio.*

Aliter Palacius: *Datum*, inquit, id est opes, honores & deliciæ, quas Deus dat impio, non sunt ei vtiles; siquidem in majorem illi pœnam valebunt. *Datum* verò *cuius retributio duplex*, est datum pro quo Deus dans duplicem requirit compensationem. Cùm enim Deus hominem dono aliquo egregio afficit, duo petit ab eo, nimirum gratiarum actionem, & commissi peccati pœnitentiam; si utrumque ei donatarius non præstet, duplici C pœna castigabitur, & ingratitudinis, & doni malè collocati.

EST PROPTER GLORIAM MINORATIO: ET EST QVI AB HVMILITATE LEVABIT CAPVT] VERS. 11.
Quod dixit de bono utili, jam dicit de honesto, putà de honore & gloria. Pro *minoratio* Græcè est *ἐλάττωσις*, id est, diminutio: q. d. Est qui propter gloriam & dignitatem, quam ambitiosè assecutus est, vel tyrannicè, imperiosè, invidiosè administravit, minuatur, id est, privetur dignitate, opibus, & subinde vitâ. Minorari ergo est damnum pati, & *minoratio* est damni passio. Et vicissim *est qui ab humilitate*, id est, ab humili sorte, loco & gradu ob modestiam, humilitatem & virtutes ceteras *levat caput*, & elevatur ad thronum regium, judiciarium, Episcopalem, ac ad alias dignitates. Breviter: q. d. Subinde gloriosi minorantur & humiliantur, ac è contrario humiles exaltantur, juxta illud Deiparæ: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*. Lucæ 1. 52. Et illud Psaltis psal. 112. 7. *Suscitans à terra inopem, & de stercore* D *erigens pauperem*, uti corporaliter erexit Joseph, Saulem, Davidem, &c. spiritaliter S. Antonium, S. Hilarionem, S. Franciscum, &c. ac præ omnibus Virginem Deiparam, atque post eam humilem Michaelem, qui superbum Luciferum sede sua dejecit, eamque Dei dono occupavit. ita Rabanus. Sic Jobi minoratio & humilitas fuit in duplicatos honores; sed maximè id verum in Christo, qui eò quòd *de torrente in via bibit, propterea exaltavit caput*, psalm. 109.

Humilitas exaltat, ambitio deprimit.

Secundò, Tigurina vertit, *est qui se submittat causa gloriæ* (humiles enim qui se submittunt, ab omnibus amantur, laudantur & exaltantur) *rursumque qui ab humilitate erigat caput*. Vis ergo esse gloriosus? submitte & humilia te: humilitas enim eriget caput tuum, parietque gloriam præsentem & æternam.

EST QVI REDIMAT MVLTA MODICO PRETIO, ET RESTITVENS (Græcè, *ἀποτιννύων*, id est, exsoluens) EA IN SEPTVPLVM] q. d. Auarus subinde multa parvo pretio & justo minore emit, at postea septuplo plus amittit, sive Deo vindicante hanc ejus avaritiam VERS. 12.

ritiam & iniustitiam, sive hominibus rapientibus (omnes enim oderunt avarum, eumque opibus avarè reconditis privare student) sive iudicibus in pœnam peccati ad id condemnantibus. *Septuplo*, id est, multò ampliùs: septenarius enim est symbolum multitudinis, plenitudinis & universitatis, uti dixi c.7. 3. & Genes. 4. v.15. & 24. Græcè, *est qui multa parvo emat, eademque septuplo persolvat*: uti sæpè fit cùm de re empta moventur lites graves & longæ, quæ longè pluris stant quàm res empta. Item, cùm res empta ab hoste vel tyranno invasa, est redimenda: cùm ob eluvionem aquis est eximenda, & aggeribus vallanda, cum publica aliqua clade vastatur vel interit. Unde Tigurina, *est qui multa parvo emat, cui septies tantò amplius sit reddendum*. Syrus loco huius sententiæ hanc habet, *Est qui multa mutuo accepit tamquam pauca, & reddet illi* (à quo mutuum ad usuram accipit) *septuplum*. Usurarii enim per usuras iteratas, triplicatas, & septuplicitas ab accipiente extorquent septuplum.

Mysticè Rabanus: *Multa*, inquit, *redimit modico pretio, qui per confessionem humilitatis ab omni meretur resolvi delicto: & restituit ea septuplum, quando in vitiorum locum copiosum inserit virtutum numerum. Nam, ut ait Apostolus: Ubi abundavit delictum, superabundat & gratia; ut, sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum*, Roman.5.20. Sic & Lyran. Verùm hic sensus non congruit litteræ, sed potiùs ei contrariatur, ac proindè verè mysticus sensus esse nequit. Ut enim sit mysticus, debet litterali iusta proportione respondere, imò ei inhærere, incumbere, & quasi inædificari, sicut parietes & domus inædificantur fundamentis.

Vers.13. SAPIENS IN VERBIS SEIPSUM AMABILEM FACIT: GRATIÆ AUTEM FATUORUM EFFUNDENTUR] *Gratiæ*, id est, verba gratiosa, facetiæ, lepores, quibus aliorum gratiam captant. Secundò, *gratiæ*, id est, beneficia quæ gratis conferunt aliis, ut eorum gratiam sibi concilient; de iis enim in sequent. versu est sermo: q.d. Fatui gratiam omnem tam in dictis quàm in factis faciunt ἀχαρίστως, id est, insulsè & ingratè, ideoque eam temerè instar aquæ effundunt, eiiciunt & dissipant; perinde ac qui balsamum, oleum aut vinum pretiosum effundit in flumen, aut coram porcis. Unde Tigurina C vertit, *lepores stultorum fluxi sunt*; Syrus verò, *sicut si proiicias lapidem in avem, avolare facies eam: sic perdes dilectionem amici tui veri, & non invenies eam*. Stulti enim suis leporibus admiscent dicteria, & probra quasi lapides, quibus amicos offendunt, omnemque gratiam in odium convertunt.

Sapiens in loquendo gratiosus. Præclarè S. Chrysost. in psalm.140. *Non solùm*, inquit, *oportet tacere, & loqui opportunè, sed etiam cum magna gratia. Quocirca dicebat Paulus* Coloss.4. v.6. *Sermo vester sit semper in gratia sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos in unoquoque respondere*. Causam, quasi stimulum subdit is, dicens: *Cogita hoc esse membrum, per quod cum Deo colloquimur. Hoc est membrum, per quod in primis reverendum, & summa veneratione dignum sacrificium suscipimus*: lingua enim excipimus sacram Synaxim. Adde, linguæ membrum esse quasi fecialem, qui pacem inter omnes constituat, omnes amore conglutinet, omnes gratia & dulcedine divina imbuat. Hebræorum est proverbium: *Qui infrà diligitur, suprà diligitur. Si vis amari à Deo in cælo, præsta te amabilem hominibus in terra. Super quemcumque enim spiritus hominum requiescit, super eum etiam quiescit Spiritus Dei*. Quocirca Dei donum est, gratia & amabilitas loquendi & persuadendi. Ita S. Mechtildis loquebatur quasi Angelus. Porrò amabilitatis huius fons & origo est, amor & suavitas interna, de qua verè Beda in Proverbiis: *Sicut*, inquit, *plurima tibi nihil prosunt sine sale: sic omnes virtutes sine charitate*. Charitas enim facit homines benevolos, & amabiles in verbis & factis. Id videre est in sanctis & fervidis concionatoribus, ait Palacius, qui concionibus suis amorem populi & venerationem extorquent: cùm ex adverso qui impii esse sciuntur, nihil aliud sua eloquentia efficiant, quàm verba profundere.

Qua de causa divinè S. August. de Vita Christiana tom. 9. c.9. *Tales*, ait, *convenit esse Dei cultores & servos, mansuetos, graves, prudentes, pios, irreprehensibiles, immaculatos, ut quisquis viderit eos, stupeat & dicat: Hi omnes* A *sunt dii, quorum talis est conversatio. Ita se homo Dei exhibere debet & agere, ut nemo sit qui eum videre non velit, qui eum non audire desideret; nemo eum cùm viderit, non Dei esse filium credat, ut verè in eo propheticum illud impleatur: Fauces plenæ dulcedinis, & totus desiderabilis*. Et c.6. *Christianus est, qui non nomine tantùm, sed & opere in omnibus Christum imitatur, qui sanctus, innocens, incontaminatus, intactus, cuius in pectore malitia non habet locum, cuius in pectore sola pietas consistit & bonitas, qui neminem novit lædere & nocere, sed omnibus opem ferre*.

DATUS INSIPIENTIS NON ERIT UTILIS TIBI: OCULI ENIM EIUS SEPTEMPLICES SUNT] Vers.14. q.d. Oculi eius pro uno dato respiciunt, & reposcunt septem, vel dona, vel obsequia, quæ sibi rependi vult.

EXIGUA DABIT, ET MULTA IMPROPERABIT: ET APERTIO ORIS ILLIUS INFLAMMATIO EST] Vers.15. Explicat quod dixit: *Gratiæ autem fatuorum effundentur*; quia, scilicet, eius *datus*, id est, datum sive donum, non erit utilis accipienti, sed onerosus. Primò, quia oculi eius *septemplices*, id est, ut Græcè, *multiplices*, sunt: q.d. Multis oculorum iactibus, nictibus, aliisque B modis ostendet se intentum ad lucrum, ut multò plus recipiat quàm dederit. Loquitur enim de avaro qui unum dat ut septem, id est plura, recipiat. Secundò, quia *multa improperabit*, scilicet, se tibi non merenti, vel ingrato, contulisse tot & tanta munera: *& apertio oris illius inflammatio*, id est, ardens cholera, *est*: q.d. Aperiendo os durè, asperè, cholericè & iracundè loquetur, quasi efflans fumos & flammas choleræ & arrogantiæ, quibus te uret, & cruciabit, ac ad similem choleram iramque accendet. Aliter Iansenius: q.d. Avarus dum aperit os suum, velut flammam emittit, quia longè latèque spargit & prædicat beneficia à se collata, sicuti se flamma longè latèque spargit & diffundit. Unde Græca habent, *aperit os suum velut præco*. Significat ergo à tali non esse accipiendum beneficium cùm potiùs sit maleficium. Hunc sensum indicant Græca Complut. *donum insipientis non erit utile tibi accipienti, similiter autem & invidi* (id est, avari, qui sibi & aliis usum opum invidet) *propter necessitatem eius datum: nam oculi eius pro uno ad recipiendum multi sunt. Pauca dabit, & multa exprobrabit, & aperiet tamquam præcos os suum*; Tigurina, *munus insipientis* C *tibi non proderit acceptum, nec item propter ipsius importunitatem, &c*. Syrus, *donum stulti non est conforme illi; quia oculi eius positi sunt ad septuplum retributionis. Parum dat, & multum exprobrat, & aperit os suum, & loquitur quod malum est, & blaterat*.

HODIE FOENERATUR QUIS, ET CRAS EXPETIT: ODIBILIS EST HOMO HUIUSMODI] Vers.16. Quod dixit de dono, nunc dicit de mutuo: q.d. Sicut insipiens avarus est & sordidus in dando, sic & in fœnerando, id est, mutuando: quia hodie dabit mutuum, *& cras*, id est, ilicò, illud repetet cum tua ignominia, molestia & damno: avaritia enim non sinit eum diu re sua carere. Quare ut ei dominanti satisfaciat, nec tuam egestatem, nec honestatem, nec amicitiam curabit; sed opportunè importunè id quod mutuò dedit reposcet, ideoque Deo & hominibus erit odibilis. Unde Tigurina, *mutuum dabit hodie quod cras repetat: invisus Deo simul & hominibus talis est*; & Syrus, *hodie commodat, & cras repetit, & exactio eius exactio retributionis est: qui tales sunt Deo & homi*-D*nibus odibiles sunt*.

Nota Hebr. נשא *nasa* significat mutuare, sive liberaliter, sive cum onere & fœnore, putà usura; id est, mutuare simpliciter & fœnerari, vel dare ad usuram. Quare *fœnerari* in Script. subinde non significat dare ad usuram, sed mutuare simpliciter, ut dixi c.8. 15. Deut.15. 6. & alibi. Hinc & Græcum δανείζειν, (quo hic utitur Siracides) ambiguum est: nam significat ex æquo, & qui citra usuram dat mutuo, & qui ad usuram. *Usura ex etymo est partus & morsus.*

Sed avarus dat ad usuram, quia ubique lucrum captat; unde per eam opes pauperis exsugit velut sanguisuga, donec eum exhauriat & fame enecet. Hinc *fœnus* dicitur Latinis quasi fœtus pecuniæ ex se sterilis; veriùs quasi funus & interitus pauperum. Græcis dicitur τόκος, id est, partus: quia fœnus est quasi pecuniæ partus, sed innaturalis & monstrosus: pecunia enim ex se infrugifera est, nec parere potest fructus, uti parit ager. Hebr. dicitur נשך *neschech*, id est, morsus, corrosio quòd silenter censum & substantiam hominis mordeat & corrodat, alii

alij per metathesin à נחש nachas, id est serpens, derivant, quòd clanculum viscera hominis penetret, illaque erodat: *usura enim non sentitur, donec ita augeatur, ut totam substantiam alienis exhauriat*, ait R. Salomon. Quocirca verè S. Chrysost. homil. 5. in Matth. *Pecunia usurarii*, ait, *similis est morsui aspidis: percussus enim ab aspide, quasi delectatus, vadit in somnum, & per suavitatem soporis moritur: quia tunc venenum per omnia membra latenter decurrit: sic qui pecuniam sub usura accipit, eo tempore quasi beneficium sentit; sed usura per omnes eius facultates decurrit, & totum convertit in debitum, id est, hominem devorat*.

Vers. 17. Fatuo non erit amicus, et non erit
Vers. 18. gratia in bonis illius. Qui enim edunt panem illius, falsæ linguæ sunt. Quoties et quanti irridebunt eum?] Dixit de fatuo avaro, nunc loquitur de fatuo prodigo: utrique enim extremo vitio opponitur media sapientis virtus liberalitatis. *Fatuus* enim hic practicè intelligitur, putà vitiosus & sceleratus, qualis in dando tam prodigus est quàm avarus, præsertim quia insipientes nunc avari sunt, nunc prodigi: iuxta illud: *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt*. Et sæpè qui in pauperes sunt avari, in suos adulatores sunt prodigi. Dicit ergo: Qui fatuè sua prodigit per sympofia & convivia in gnathones & adulatores, huic non erit verus amicus qui ei gratiam referet, quia sua profundit in parasitos, qui non sunt amici sed adulatores. Hi ergo qui *panem illius comedunt, sunt falsæ linguæ*, id est, coram & in facie fictè & dolosè ei blandiuntur, eumque tamquam liberalem, splendidum, magnificum impensè laudant, & ad sidera tollunt; sed post tergum irrident eum tamquam fatuum & prodigum. Quare sicut avarus pro gratia odium, sic prodigus pro gratia non gratiam sed irrisionem reportat: quis enim non rideat eius fatuitatem & fatuam prodigalitatem?

Græca hæc habent in prima persona: inducunt enim fatuum prodigum loquentem, sed eodem sensu, *Dicit stultus* (id est, ut Tigurina, *meritò dicat stultus*) *Amicus mihi nullus est, nec gratiam è bonis meis colligo: qui vescuntur pane meo lingua falsa sunt. Quot irridebunt hunc & quoties!* Tandem enim prodigi sentiunt se à suis convivis & mensæ assectis irrideri, ac proinde eos non esse amicos, sed gnathones & assentatores, qui pro gratia irrisionem rependant. Sic & Syrus, *stultus dicit: Non habeo amicum, & non est gratia gratia mea: comedentes panem meum tamquam saxum durissimum sunt, sed sicut ipse, irridebunt eum*. Causam subdit:

Vers. 19. Neque enim quod habendum erat directo sensu distribuit: similiter et quod non erat habendum] q. d. Causa profusionis & irrisionis prodigi est, quòd non *directo sensu*, id est, non recta prudentia, iudicio & discretione; sed perperam, imprudenter & indiscretè distribuat & profundat in adulatores, id quod ei habendum & retinendum erat, ad honestam familiæ sustentationem & ad futuras necessitates; quodque simili modo non rectè distribuat id *quod non habendum erat*, quod, scilicet, licitè retinere non poterat, quia iniustè per usuras, dolos vel contractus illicitos partum, ideoque restitutioni obnoxium: illud enim quod suis dominis restituendum erat, prodigus iniustè retinet, & prodigè consumit. Similiter superflua quæ danda erant pauperibus, ipse in parasitos effundit. Igitur perperam distribuit tam habenda, quàm non habenda.

Græca pleraque hunc versum non habent Complut. tamen habent, sed hoc modo, *neque enim ipsum habere in recto sensu accipit, & ipsum non habere similiter indifferens est illi*. Quod Jansenius sic explicat: Significatur, inquit, prodigum non recto iudicio accipere id quod ipsum habere contingit, & bonorum suorum possessionem, quia non accipit ad eum usum ad quem habet: & proinde non habere est illi idem atque habere, hoc est, indifferens est illi sive habeat, sive non habeat: nec magis prodest illi quod habet, quàm quod non habet. Juxta quem sensum quod Noster vertit, *non recto sensu distribuit*; videtur accipiendum, non de distributione quæ aliis fit per bonorum erogationem, sed de ea quæ animo fit, & iudicio sensus discernente apud se quomodo habitis sit utendum, ut *distribuere* positum sit pro discernere & djiudicare. Id enim sit *recto sensu*, aut, ut Græcè est, ἐν αἰσθήσει: quæ dictio non prudentiam significat, sed vim illam sentiendi, qua de diversis rebus aliter sentimus, ut visu discernimus colores & distribuimus. Itaque quod habendum erat, non recto sensu distribuit, quia non discernit apud se quomodo & ubi illud sit expendendum, aut quid habendum sit. Et similiter quod non erat habendum, etiam non recto sensu distribuit, quia nec rectè iudicat, nec discernit quid non sit habendum, solicitus frequenter pro his quæ habere non oportet, negligens in his quæ habenda essent: Hæc Jansenius.

Huic sensui favet versio Tigurina, *neque enim quid habet opinione recta complectitur, & perinde refert ac si nihil haberet*. Verùm noster Interpres Græcum εἰληφε, id est *accepit*, vertit, *distribuit*, dedit: sic enim sæpè Hebræum לקח lacach, id est *accepit*, per metalepsin significat *dedit*, uti ostendi Ephes. 4. v. 8. unde vertit, *neque enim quod habendum erat directo sensu distribuit: similiter & quod non erat habendum*. Quod idem est cum eo quod habet Græcus, *& ipsum non habere similiter indifferens est illi*: hæc enim verba significant prodigo esse indifferens habere & non habere, hoc est, perinde illi esse quod habet ac quod non habet; quia utroque abutitur, utrumque temerè profundit. Quod Noster significat, dicens prodigum abuti tam eo quod habendum & retinendum erat, quàm eo quod non habendum & restituendum erat. Unde ex Græco sic aliqui clarè vertunt, *nam quod habet, non recta ratione distribuit*. Adde, Nostrum in Græco non legisse τὸ ἀδιάφορον, id est, *indifferens*. Hic sensus plenior est: includit enim priorem Jansenii. Qui enim malè, prodigè & temerè sua distribuit; hic utique priùs in mente eadem ita distribuere statuit & decrevit. Sensus ergo plenus est, q. d. Prodigus non recto sensu & discretione, in mente sua secernit quid habendum & retinendum, quidque non habendum sed erogandum sit: ac sicuti in mente sua sine judicio & temerè id secernit, sic & temerè idem exteriùs distribuit & dissipat.

Habere pro dare.

Vers. 20. Lapsus falsæ linguæ, quasi qui in pavimento cadens: sic casus malorum festinanter veniet] Quia vers. 18. meminit falsæ linguæ, hinc obiter eius pœnam & ruinam hic assignat. *Linguam falsam* vocat mendacem & fallacem, qualis est calumniatorum & assentatorum, de quibus egit v. 18. Assentatores enim unius, solent esse calumniatores alterius, qui prioris inimicus est vel æmulus. Ut enim adulentur uni, à quo convivia & sympofia, aliave lucra sperant, detrahunt alteri, quem sciunt ei cui adulantur exosum esse, vel minùs gratum. Jam Primò, Jansenius hunc dat sensum: q. d. Lapsus qui provenit ex fallaci lingua, est quasi qui cadit in pavimento aliquo lapidibus strato. Sicut enim in tali pavimento quis præter exspectationem cadit, ubi non sunt offendicula ulla, & sicut talis ob duritiem pavimenti graviter se lædit: ita & fallaces homines, dum non putant, graviter cadent, atque lædentur. Unde sequitur: *Sic casus malorum festinanter veniet*; hoc est, sic continget malos subitò, & præter eorum exspectationem ruere in multa incommoda. Sic & Palacius: Si vides, inquit, hominem in pavimento plano (ubi non erat offendiculum) cadere, an non miraberis? ita mirere, quòd minister meus labatur lingua sua me accusans, cùm ego eum benè pascam & meis bonis afficiam. Dic, serve nequam, quæ te ratio, quod offendiculum in bono invenisti, cuius causa me accusasti? Nonne me vituperans cadis in plano? nam bona quæ tibi confero, non merentur eam accusationem, sed potiùs aut admonitionem, aut certè silentium.

Verùm, quia lapsus in pavimento, utpote strato & æquali, ita ut nulli lapides exstent, in quo quis impingat & cadat, rarus est, nec graviter hominem labentem lædit: tantùm enim hominem stantem ad pavimentum, in quo stant, pronum vel supinum deiicit; hinc Secundò & magis genuinè sic exponas: q. d. Lapsus linguæ falsæ, id est lapsus fallacis adulatoris & calumniatoris, quo scilicet ipse ob linguam fallacem corruit in graves ærumnas & calamitates, similis est lapsui quo quis ex alto in pavimentum præceps ruit: uterque enim est improvisus, subditus, hominemque totum collidit & conquassat irreparabiliter. Unde sicut lapsus ex alto in imum citò subitoque fit: sic & *casus malorum*, putà impiorum, adulatorum & calumniatorum, *festinanter veniet*. Hunc sensum exigunt Græca: ὀλίσθημα

ἀπὸ ἐδάφους μᾶλλον ἢ ἀπὸ γλώσσης, οὕτω πτῶσις κακῶν κατὰ σπουδὴν ἥξει, id est, *lapsus à pavimento potiùs quàm à lingua, sic casus malorum festinanter veniet*. Hoc est, ut nonnulli clarè vertunt, *lapsus de tecto tolerabilior est quàm linguæ, adeò ruina malorum celeriter advenit*. Tectum enim vocat *pavimentum*, quia in Palæstina tecta erant non acuminata (uti apud nos) sed plana, adeoque erant pavimenta, ut in ipsis ambulare, cœnare, imò & per æstatem dormire solerent. Sensus ergo est: Sicut qui labitur à pavimento summo tecti in pavimentum imum domus vel areæ, toto corpore colliditur: sic & lapsus linguæ sæpè totum hominem collidit, & evertit: q. d. Adulator, mendax & calumniator subitò, & durè direque corruet, cùm minimè putat.

Paulò aliter Tigurina: vertit enim, *casus è lacunari dicto* (Hebr. enim מלשון *millascon*, id est à lingua, idem est quod præ lingua, præ sermone & dicto) *citior est; ita malorum ruina repentina aderit*.

VERS. 21. HOMO ACHARIS (Euseb. Papa in epist. superiùs citata, pro *acharis* legit, *ingratus*: hinc utrumque legit Rabanus hoc modo, *homo ingratus quasi acharis*) QUASI FABULA VANA, IN ORE INDISCIPLINATORUM ASSIDUA ERIT] Alii, *assiduè erit*. *Acharis* Græca est vox (unde Interpres græcizat, & fortè fuit Græcus, uti dixi in prooemio) idem significans quod ingratus, sine gratia, injucundus, insuavis, insulsus, molestus. Respicit ad id quod dixit v. 13. *Sapiens in verbis seipsum amabilem facit, gratiæ autem fatuorum effundentur*. Gratias enim, sive Charites, effundit acharis. In Græco pulchra est paronomasia: ἄνθρωπος ἄχαρις μῦθος ἄκαιρος, quæ Latinè plenè reddi non potest: q. d. Homo importunus est fabula importuna. ἄχαρις enim est ἄκαιρος, hoc est, homo sine gratia est intempestivus & importunus. Sensus est, q. d. *Homo* sine gratia insipidus & insipiens, est *quasi fabula vana*, id est, quasi fabulator (abstractum enim ponitur pro concreto ad emphasin, quasi dicat: Homo acharis adeò fabulatione & fabulis pascitur, ut ex iis consutus, adeoque mera fabula esse videatur: sic hominem sceleratum vocamus *scelus*) vanus, qui non nisi fabulatur, ac fabulas inanes, & futiles continuò eructat, quibus auditoribus tædium, indeque sibi odium creat, ut ab omnibus cordatis, & prudentibus reiiciatur, & explodatur. *Fabula* enim, sive fabulatio jam dicta, non nisi *in ore indisciplinatorum*, id est, insipientium & imprudentium, putà nugatorum & fabulonum, grata & jucunda, ideoque *assidua* & frequens est. Unde Tigurina vertit, *homo illepidus quasi importuna fabula est, cùm ore imperito frequentatur*; alii, *homo insulsus narratio intempestiva, ore indoctorum continuatur*. Hoc enim significat Græcum ἐνδελεχισθήσεται. Unde ἐνδελέχεια vocatur continuatio, assiduitas, perpetuitas, perennitas; & ἐνδελεχισμὸς vocatur continua mobilitas, qualis in anima cognoscitur, quare animæ quasi genus tribuitur ab Aristot. lib. 1. de Anima, ubi animam definit *esse actum* (Græcè, ἐνδελέχειαν) *corporis organici*.

Acharis *quis & qualis*.

Aliter Lyranus, q.d. Homo acharis & insulsus est quasi fabula, quia in omnium est ore, omnesque de eo quasi insulso fabulantur: insulsi quidem, & insipientes insulse eum laudando; sapientes verò sapienter eum velut insulsum ridendo & redarguendo.

Tertiò, clarè sic vertas & explices, *homo acharis*, id est hominis acharitis & insulsi, *fabula intempestiva in ore indisciplinatorum assidua erit*. q. d. Indisciplinati assiduè ad iocum & risum, recordabuntur repetentque fabulam insulsam ab homine insulso prolatam, ut sit antiptosis Hebræa. Hebræi enim casum unum pro alio, putà nominativum pro genitivo ponunt, eò quòd careant declinatione, & casibus: quare idem nomen inflexum, & declinatum pro quolibet casu usurpant. Sic Apostolus 2. Corinth. 8. 23. ait: *Sive pro Tito, &c. sive fratres nostri Apostoli*, pro, sive pro fratribus nostris Apostolis. Similia plura sæpiùs notavi aliis in locis. Verùm quia sic perit elegans paronomasia inter ἄχαρις, & ἄκαιρος, quàm spectasse videtur Siracides; & quia Noster addit τὸ *quasi*, & quia omnes Interpretes vertunt in nominativo *homo acharis*; hinc ille potiùs, quàm eius fabula hic intelligenda videtur. Vnde ex Græco Complut. vertas masculinè, *homo acharis quasi fabula vana, in ore indisciplinatorum assiduus erit*. Quare duo priores sensus veriores sunt, eosque sic connectas, & in unum redigas, quasi dicat: Homo acharis ob sua insipida, & insulsa dicta, & facta, est quasi fabula vana, & insulsa, quæ omnium indoctorum, & insulsorum ore assiduè teritur. Insulsi enim gaudent insulsis, fabulones fabulis, & fabulonibus, utpote sui similibus. *Acharis* ergo, & insulsus est *fabula* insulsa, tum metonymicè, quia fabulas insulsas narrat; tum, quia propter eas ipse propriè fit fabula & dicterium hominum, quod ore suo assiduè iactant indocti, & insulsi, uti dixit Lyranus. Vtrumque significat Græcum μῦθος, id est fabula, apologus. Vnde Æsopus aliique fabularum & apologorum scriptores vocantur *mythologi*. Sic ergo omnes sensus jam dati eodem redunt, & in unum conspirant.

EX ORE FATUI REPROBABITUR PARABOLA: NON ENIM DICIT ILLAM IN TEMPORE SUO] *Parabolam* vocat gnomen sive sententiam gravem seriam, acutam, & sapientem. Occurrit obiectioni, Dicet enim quis: Aliquando fatuus loquitur sententias admodum graves, & prudentes: ergo tunc non erit fabula vana, id est fabulator vanus, sed sapientiæ antistes vel oraculum. Respondet, nihilominus eum esse fabulatorem: quia suo tempore illas non profert: unde intempestiva, importuna & ingrata est eius narratio, esto aureas sententias narret, & proferat. Quare perinde est ac si sus ore sordido gestet, vel effundat auream armillam; hanc enim non ornat, sed dedecorat, & conspurcat: est enim porca, id est spurca. Hinc Tigurina vertit, *pronuntiatum ex ore stulti gratiam amittit, quia non profertur in tempore*; Syrus, *in ore stulti impingit verbum, quia non dicit illud in tempore suo*. Alludit ad Proverb. 26. vers. 7. *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola*: quasi dicat: Sicut claudo pulchræ tibiæ deformes sunt, quia inæquales eum claudicare faciunt, ideoque eum risui intuentium exponunt: sic pulchra oratio in ore stulti deformis est, quia inæqualis est, & claudicat: ipse enim nescit eam aptare, & æquare tempori, loco, rebus, & personis. Et vers. 9. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum*. Quia parabola stultorum quasi spina non tantùm dedecorat, sed & lædit ac cruentat, tam dicentes quàm audientes, dum eos per dicteria, scommata & convitia, quæ parabolæ imprudenter & temerè quasi ebrii admiscent, in lites, rixas, pugnas & cædes impellunt.

VERS. 22.

EST QUI VETATUR PECCARE PRÆ INOPIA, ET IN REQUIE SUA STIMULABITUR] *In requie*, id est, cessatione à peccato, *stimulabitur*, id est, cruciabitur, eò quòd malam suam voluntatem præ inopia exequi non possit, quasi dicat: Inopia adimit homini facultatem peccandi, at non voluntatem, imò eam magis accendit, quia nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. Talis est qui vellet indulgere gulæ, & libidini, sed non habet nummos quibus id procuret. Josephus libr. 12. Antiqu. capit. 13. & nonnulli Rabbini censuerunt internam voluntatem peccandi, verbi gratia inebriandi, fornicandi, occidendi, non esse peccatum, nisi in actum externum exeat, ut re ipsa homo se inebriet, fornicetur, & occidat. Refellit id Siracides, *ac vituperat intentionem voluntatis perversæ*, ait Rabanus, quòd scilicet se cruciet in requie, & cessatione à peccato. Vide dicta Roman. 7. 8. & Deuteronom. 5. 21. Vnde Tigurina vertit, *est qui peccare impediatur præ inopia, qui seorsum apud se discruciatur*. Hinc vulgare proverbium: *Improbitati nihil deest nisi facultas*.

VERS. 23.

Græca Complut. & Romana contrariè legunt οὐ κατανυγήσεται, id est, *non stimulabitur*, non compungetur, quasi dicat: Est qui vellet peccare, sed prohibetur per inopiam, & tamen de hac mala voluntate peccandi non dolet, nec compungitur. Aut potiùs, quasi dicat: Est qui à peccato prohibetur per inopiam; qui proinde non stimulatur remorsu conscientiæ de peccato admisso, quasi dicat: Felix est inopia quæ hominem liberat à peccato, & consequenter à remorsu conscientiæ ob peccatum admissum, quia facit eum impotentem ad peccandum: infelix verò est opulentia, quæ facit hominem potentem ad peccandum, quia dat ei facultatem exequendi malam voluntatem. Sic Plato asserebat divitem esse infeliciorem paupere, quòd pauper solùm voluntatem habeat peccandi, dives etiam facultatem. Huic lectioni & sen-

sensui favet Syrus: vertit enim, *est qui evadit à peccatis propter egestatem suam: quis est qui fuit iustus, & in opibus suis requiescit?* q. d. Pauper per pauperiem evadit peccata in quæ incurrit dives; difficile est enim esse iustum simul & divitem: iustus enim in Deo, dives in opibus spes & res suas reponit. Verùm tollenda est negatio, & affirmativè legendum, *stimulabitur*, compungetur, uti legit Noster, cui consentit Tigurina.

Vers.24. Est qui perdet animam suam præ confusione, et ab imprudenti persona perdet eam: personæ autem acceptione perdet se] Gnome hæc taxat nimium & noxium pudorem. q. d. Est qui peccat, ideoque *perdet animam suam*, propter nimiam alicuius reverentiam & verecundiam, idque *ab imprudenti persona*, id est, ob imprudentem personam, quia scilicet imprudens, imò demens persona, quam ob potentiam vel auctoritatem reveretur, petit ab eo aliquid illicitum, scilicet aliquid turpe, vel iniustum: ne ergo eam offendat, peccat, & offendit Deum. Igitur *acceptione personæ perdit se*, quia scilicet personam potentis accipit, & reveretur magis quàm Deum. Tales sunt qui in iudicio, in persecutione, in lite, &c. non audent B confiteri veritatem, aut ferre æquam sententiam, ne divites & principes offendant. De qualibus ait Christus: *Qui erubuerit me & meos sermones; hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum*, Lucæ 9. 26. Græcus de more hic concisus & bimembris est, *Est qui perdet animam suam, & ab acceptione personæ perdet eam*. Vel, ut Complut. legit, *ab imprudenti persona perdet eam*. Quod signum est olim utrumque in Græco fuisse, ideoque nostrum Interpretem ex eo utrumque transtulisse. Nec enim inter ἄφρονος, id est, *imprudenti*, & λήψεως, id est, *acceptione*, est litterarum affinitas ulla, ut pro uno irrepsisse alterum dici possit. Accedit, quòd Latina lectio plenior sit, ideoque verior: planè enim sententiam absolvit & explet. Græcum tamen de more sequitur Syrus, imò eo concisiùs vertit, *est qui perdet animam suam verecundia sua, & præ erubescentia perditum it*.

Vers.25. Est qui præ confusione promittit amico, et lucratus est eum inimicum gratis] id est, temerè: q. d. Qui præ pudore (quia scilicet nihil ei negare audet) *promittit* aliquid *amico*, quod reipsa præstare non potest, vel non vult; hic temerarius & imprudens est, quia ex amico facit inimicum, cùm promissa non solvit. Quare nihil lucratur, nisi amici inimicitiam: qui si non promisisset, & rem suam, & amici amicitiam retinuisset. Tigurina, *est qui causa pudoris promittat amico, & eum ultro sibi inimicum suscipiat*; Syrus, *est qui verecundia sua pollicetur proximo suo, & acquirit sibi inimicum gratis*. Quocirca sapienter Phocion Atheniensis dicere solebat: *Non magna quidem hominibus promittenda, sed magna facienda esse*. Verùm eius dictum invertunt hodie, qui aureos montes ac Crœsi opes pollicentur hominibus; cùm ne gri quidem præstent. Phocionis dictum exstat apud Stob. serm. 1. de Prudentia. Rursum cùm Leosthenes civitatem Atheniensium ad bellum perpulisset, magnificis spebus ad nomen libertatis ac principatus erectam; Phocion illius verba dicebat esse cupressis similia, quæ sublimes cùm sint ac pulchræ, fructum non habent. Nihil potuit dici accommodatius in sermonem splendidè magnificèque pollicentem, sed infrugiferum: quemadmodum cupressus arbor sublimi compositoque in conum vertice, procul egregium quiddam polliceri videtur, at vix ulla est sterilior. ita Plutarch. in Græcor. apophthegm.

Multa pollicens, pauca dãs similis est cupresso. cur?

Hic est secundus effectus nimiæ & præposteræ verecundiæ, quòd scilicet per eam quis vel rogatus, vel ultrò, promittat quid amico quod præstare nequeat, eaque ratione amicum offendat, perdatque eius amicitiam. Priorem enim assignavit v. præced. scilicet, quòd perdat animam per offensam Dei, q. d. Nimia verecundia offendit Deum pariter & homines, perdit gratiam & amicitiam tam Dei, quàm hominum.

Vers.26. Opprobrium nequam in homine mendacium, et in ore indisciplinatorum assidue erit] A violatione promissi ascendit ad mendacium, quasi à specie ad genus. Docet igitur quantum malum & probrum, quamque infame sit mendacium. Dicit ergo *opprobrium nequam*, id est, probrum malum, A imò pessimum, in homine esse mendacium; & tamen homines *indisciplinatos*, id est, malè institutos, incompositos & dissolutos, illud *assiduè in ore* habere, quia probrum hoc vel non considerant, vel non æstimant. Græcè, μῶμος πονηρὸς ἐν ἀνθρώπῳ ψεῦδος, id est, *macula* (vituperium, probrum) *pessima est mendacium in homine, ore indoctorum continuatur*; Tigurina, *perquam malo crimini est homini mendacium, at id ore imperito frequentatur*; Syrus, *malum quodpiam in homine mendacium, & in ore stulti frequens est*.

Hac de causa Aristot. in Ethicis, mendacium servorum esse vitium dixit, ac proinde homine libero & ingenuo esse indignum. Præclarè S. Thomas opusc. de Eruditione princip. mendacium comparat falsæ monetæ, putà denario adulterino, quem omnes aspernantur. Additque: *Qui loquitur mendacium, diaboli figuram gerit, & imaginem, hic enim mendax est ab initio. Aliquando ergo auditurus est princeps mendax, qui denarius falsus est, verba illa: Cuius est imago hæc & subscriptio? & cùm responsum fuerit, Diaboli: dicetur statim: Reddite ergo quæ sunt diabolo*. Quocirca Basilius Imper. Leoni filio ita præscribit cap. 16. *Dicere oportebit ea quæ planè scies, aut quæ temporis ratio postulabit: de ceteris omnibus silere satius erit, quàm eloqui: nam principem non nisi vera, & opportuna, & magni momenti verba proloqui decet*. S. Basil. in Regul. brevior. quæst. 76. *Præcisè*, inquit, *dictum est, mendacium ex diabolo esse, neque mendacii ulla omnino distinctio adhibita*. Et epist. 75. *mendacium* ait, *esse diaboli fœtum*. Et B. Cæsarius homil. 16. *Quòd omnis*, inquit, *mendax sine maligno spiritu esse non possit, Scriptura testis est: Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Adeò autem Deus mendacium execratus est, ut noluerit imagines fingi pingique, Exodi 20. 4. Rationem reddit Philo libr. de Gigant. *Laudatas*, inquit, *elegantesque artes, picturam atque statuariam, à sua rep. reiicit Moyses, quod veritatem mendaciis vitient, illudentes per oculos animabus facilibus*.

Mendax similis diabolo.

Vers.27. Potior fur quàm assiduitas viri mendacis (Tigurina, *quàm qui frequentat mendacium*:) perditionem autem hereditabunt] C *Potior*, id est, melior, non positivè, sed comparativè & negativè: q. d. Minùs malus, minùs noxius est fur, quàm qui assiduè mentitur. Unde pœna tam mendacis quàm furis erit *perditio*, id est, interitus & mors, tam præsens quàm æterna: licet enim mendacium otiosum & iocosum non sit peccatum mortale, ac proinde non inducat reatum mortis præsentis, & æternæ; tamen ex assiduitate mentiendi otiosè & iocosè, facilè quis labitur in mendacium perniciosum, quo proximo vel famam, vel opes, vel vitam adimit. Quod proinde mortem utramque meretur, iuxta illud Apoc. 21. 8. *Idololatris, & mendacibus: pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda*. Hinc pro *potior*, Græcè est αἱρετώτερον, id est, *eligibilius*. Unde Tigurina vertit, *tolerabilior est fur, quàm qui frequentat mendacium: ceterùm perniciem uterque contrahit*; alii, *eligibilior est fur, quàm qui mendacio assuescit: ambo autem heredes erunt exitii*.

Nota. Congruè mendacium comparat furto, tum quia hæc duo iungi solent. Unde illud: *Ostende mihi mendacem, ostendam tibi furem*: tum, quia mendacium est quoddam D furtum: furatur enim hominibus veritatem, famam, concordiam, imò opes sæpè & vitam: tum, quia utrumque ignominiosum est & infame.

Porrò mendax peior est fure. Primò, quia fur opes, mendax verò famam, & subinde vitam homini eripit: fama autem præstat opibus. Secundò, quia fur ex egestate & fame furatur, Proverb. 6. 30. mendax autem mentitur ex petulantia & protervia. Tertiò, quia mendacium turbat integras familias, urbes, resp. ac inter eas rixas, cædes & bella internecina & immortalia concitat. quod non facit furtum. Quartò, quia esto furtum unum sit peius mendacio; uno tamen furto peior est assiduitas mentiendi, & hoc tantùm ait Siracides: hæc enim assiduitas multas parit culpas & noxas furto graviores. Quintò, furto sæpè additur mendacium, ut furtum tueatur: hoc ergo, utpote duplex peccatum, solo furto est gravius. Unde Syrus vertit, *desiderat* (stultus) *furari & mentiri: & utraque illa via eius ignominiam comparant*. Sextò, furi præter opes cetera fidere potes, mendaci nihil. Sicut enim à verace omnia sunt tuta: ita à mendace nihil, non opes,

Mendax peior fure. Primò. Secundò. Tertiò.

pes, non honor, non amicitia, non aliud quippiam. Equidem ego facilius feram famulum qui semel furatur, quàm qui semper mentitur, ait Palacius.

Vers. 28. MORES HOMINUM MENDACIUM SINE HONORE: ET CONFUSIO ILLORUM CUM IPSIS SINE INTERMISSIONE] q.d. Mos mentiendi facit, ut omnes *mores* & actus mendacis sint *sine honore*, viles & contemptibiles.

Pro *mores*, græcè in singulari est ἦθος, id est, mos, vultus, indoles, natura: ἦθος, ait Quintil. lib. 6. *uno verbo latinè dici non potest: hoc enim omnes mentis habitus continentur*.

Pro *sine honore*, græcè est ἀτιμία, id est, inhonoratio, infamia, ignominia. Unde Complut. vertunt. *mos hominis mendacis ignominia, & confusio ejus cùm eo sine intermissione*. Quid enim probrosius quàm mendacem haberi?

Rursum ἦθος Aristot. initio lib. 2. Ethic. deducit ab ἔθος, ac significat id quod homini familiare, proprium, consuetum est; item domicilium, locum consuetum, natale solum, sedem. Unde Tigurina vertit, *familiaris homini mendaci est ignominia, summumq; dedecus comitatur eum assiduè*; alii, *proprium hominis mendacis est infamem esse, & pudor ejus illi adest assiduè*; alii, *sedes & natale solum mendacis est infamia*; Syrus, *finis hominis mendacis maledictio, & ignominia cum ipso peribit*.

Porrò mendaces semel cogniti, inter alias ignominias hanc maximè sibi congruam, meritam & debitam sustinent, ut semper audientibus suspecti sint, &, etiamsi vera dicant, eis tamen fides non habeatur, quia mentiendo sibi fidem abrogarunt. Rursum mendacibus evenit, quòd mendacium omnes eorum *mores* (ut vertit noster) decoloret, dehonestet & infamet. Sensus enim ejus est, q.d. Sæpè fit, ut quis mores habeat honestos, dignosque honore, & laudabiles, ac laudetur quòd sit justus, prudens, temperans, liberalis, &c. attamen hi mores & virtutes insignes penitus jacent, & debito honore carent, si, qui illis præditus est, mendax jure appellari possit: mendaces enim

Mendax infamis. mentiendo offuscant omnes bonos mores & virtutes. Quocirca Indi, ei qui ter mentitus esset, perpetuum indicebant silentium, uti refert Diodor. libr. 3. Biblioth. c. 10. & Arrian. lib. 3. de Gestis Alex. Addit Philostratus lib. 2. de Vita Apollonii, tales magistratu exclusos in perpetuum. Eadem ferè de Persis memorat Xenophon in Cyro lib. 3. & Herodot. lib. 1. Plura de turpitudine & probro mendacii, vide apud S. August. libr. Contra mendacium, Climacum gradu. 12. Dorotheum doctr. 9. S. Bernard. ferm. 31.

Vers. 29. SAPIENS IN VERBIS PRODUCET SEIPSUM, ET HOMO PRUDENS PLACEBIT MAGNATIS] Huic versui Græci præmittunt hunc titulum: *Verba parabolarum*. Imitatur enim Siracides Salomonem, qui c. 10. 7. & alibi eumdem titulum suis parabolis sive proverbiis præfigit. Opponit stulto mendaci sapientem veracem, qui suo sermone vero & prudenti seipsum promovet, ut placeat magnatibus, ab eisque ad honores & regimem exaltetur, uti contigit Josepho, Danieli, Mardocheo, Esdræ, Nehemiæ & aliis. *Producet*, id est, porrò ducet, putà ulteriùs ad majores honores & dignitates: græcè enim est προάξει, id est, promovebit, provehet. Unde Tigurina vertit, *sapiens seipsum dictis provehet, & vir prudens placebit proceribus*.

Modum & causam promovendi se subjungit dicens, *Et*, id est quia, *homo prudens placebit magnatis*, qui utique agnita ejus sapientia eum promovebunt, ac præficient gubernaculis reipub. Paulò aliter Syrus, *plenus proverbiis sapientia*, inquit, *tamquam parvum monstrat seipsum* (qui enim verè sapiens est, idem in oculis suis parvus est & humilis, ac apud alios parvum & humilem se ostendit) *& servus sapiens dominabitur magnatibus*.

Vers. 30. QUI OPERATUR TERRAM SUAM INALTABIT (altum faciet) ACERUUM FRUGUM, ET QUI OPERATUR JUSTITIAM, IPSE EXALTABITUR: QUI VERO PLACET MAGNATIS, EFFUGIET INIQUITATEM] q.d. Sicut agricola strenuè colens terram, magnam colligit messem, altumque frugum acervum attollit: sic qui excolit animam suam per opera justa virtutum, magnum colliget meritorum & gloriæ acervum & cumulum, per quem & apud Deum & apud homines exaltabitur: quocirca qui placere cupit magnatis, ac ab eis exaltari, is omnem injustitiam & iniquitatem fugiat oportet, ac præsertim caveat ne dona accipiat, quibus excæcatus justitiam rectumque judicium pervertat: quia *xenia & dona excæcant oculos judicum*, ut sequitur. Græcus de more concisus & bimembris sic habet, *qui operatur terram, altum faciet acervum suum: & qui placet magnatis, ἐξιλάσεται ἀδικίαν*, id est, *placabit* vel *expiabit injustitiam*. Complut addunt *suam*, sed alii delent τὸ *suam*. Sensus est, q.d. Sicut qui colit terram, altum colligit frugum acervum: sic qui colit principes, altum apud eos colligit gratiæ & benevolentiæ acervum, quo suas & aliorum in eos offensas placare, illosque principibus reconciliare valet.

Moralit. monemur hìc seminando bona opera, accumulare altos meritorum acervos, ut per eos acquiramus altos gloriæ thesauros in cælis: quanti enim erunt isti, tanti erunt & hi. Altitudo enim gloriæ altitudini gratiæ & meritorum respondebit & adæquabitur, juxta illud: *Quæ* (quanta) *seminaverit homo, hæc* (tanta) *& metet*. Gal 6. 8. Et illud de Apostolis: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*, psalm. 125. 7.

XENIA ET DONA EXCÆCANT OCULOS JUDICUM, ET QUASI MUTUS IN ORE AVERTIT CORREPTIONES EORUM] Explicat quod dixit, *Qui operatur justitiam, ipse exaltabitur*: q.d. Ut opereris justitiam, maximè caveas munera, quia hæc judicium rationis [illegible] sententiam judicum ad se inflectunt, itaque à recto detorquent & corrumpunt. Citat Exodi 23. 8. *Nec accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum*. Vide ibi dicta. Vers. 31.

Pro *mutus*, græcè est φιμὸς, quod tam frænum, quàm obturationem oris, quæ hominem facit elinguem & mutum, significat. *Mutus in ore* ergo, est frænum in ore, vel obturatio oris: hæc enim facit hominem mutum. Est hebraismus: ponitur enim *cal* pro *hiphil*, *mutus* pro *mutum faciens*, obturans os: hoc enim significat φιμὸς, à φιμόω, id est, os obturo. Porrò *mutus* à mussando dicitur, quòd hic non amplius quàm mus dicat. Muti ergo videntur habere murem, quasi frœnum, in ore, qui facit eos mutire & mussitare. Quod Latini simili proverbio dicunt: *Bos in lingua*. olim enim Græci pecuniam bovis simulacro signabant, unde illa vocabatur Bos. Et: *Argentanginam patitur*, quod Demostheni objectum est, cùm diceret se anginam pati, nec posse contra Philippum perorare, quasi argento à Philippo fuisset corruptus. Quocirca aliqui legunt, *& quasi frænum in ore*: rursum *avertit*, id est, *avertunt*. Unde S. Hieron. in c. 3. Michææ sic legit: *Munera excæcant oculos etiam sapientum, & quasi frænum in ore avertunt increpationes*. Est hebraismus; Hebræi enim verbum concordant sæpè cum substantivo proximiori, etiamsi ad remotius referendum sit; sic hìc *avertit* concordat cum *mutus*, etsi respiciat *xenia & dona*. Sensus est: Xenia & dona sunt quasi fræna, quæ faciunt judices cæcos & mutos, ut non audeant corripere & castigare delinquentes, qui ea dederunt. Unde Tigurina vertit, *xenia muneraq; excæcant oculos sapientum, & tamquam oris obstructio reprehensiones inhibent*; Syrus, *largitio & donum offuscant oculos, & obturant os, & cessare faciunt increpationem*: juxta illud, *Injice offam in os canis ne latret*.

Aliter Dionys. & Lyran. *mutus*, inquiunt, vocatur species ranæ, quæ à Græcis calamita dicitur, & in os canis latrantis injecta adimit latrandi potentiam, uti docet Strabo, & ex eo S. Isidorus libr. 12. Origin. c. 6. Vincentius Belluac. Natur. hist. lib 20. c. 60. Albertus Magnus lib. 26. de Animal. in Rana, qui & addit, si ranæ ossiculus in vas aqua fervens injiciatur, defervescet aqua, nec amplius bulliet: ita quantumcumque ferveat amore justitiæ justæque vindictæ judex, si aurum capiat, defervescet omnis ejus amor & zelus, ac instar calamitæ obmutescet. Alii censent Siracidem alludere ad ranas Seriphias, ab insula Seripho, ubi ranæ mutæ inveniri perhibentur: quasi hi judices ora muneribus obstructo, tamquam ranæ Seriphiæ obmutescant. Et sicut illæ ranæ monstrosæ sunt, quia ut ceteræ non coaxant, sed silent; sic pariter hi judices sunt quasi monstra, quia cùm dicendo juri vacare debeant, tamen reticendo potiùs incumbunt. Id quod dixi de ranis Seriphiis, asserit Plinius l. 8. c. 58. Hinc & proverbium apud Suidam, Didymum, & alios, *Rana Seriphia*, id est, silens & mutus. Verùm φιμὸς non significat calamitam vel ranam; sed frænum, capistrum, camum, quo ferarum canumque ora obligantur ne mordeant: fiscellis etiam capistrantur jumenta ne segetes depascantur, quod Græci vocant

Mutus simile ranæ: cur?

vocant φιμῶσθαι. Unde Plinius l. 18. c. 19. *Fiscellis*, inquit, *capistrari boves oportet, ne germinum tenera praecerpant*. Ergo judices dona accipientes, inquit Palacius, sunt sicut equus & mulus, quorum maxillas munera velut camo & fræno constringunt.

De cavendis muneribus.

Moral. disce hic quàm judici cavenda sint munera. Quocirca Justinianus Imp. §. *Oportet* de Mandatis princ. Auth. collat. 3. & novell. 25. omne omnino ei vetat munus. *Oportet*, inquit, *te pure sumentem administrationem, & sine omni suffragio, & præ omnibus aliis mundas servare manus Deo, nobisque & legibus, & nullum contingere lucrum, neque majus, neque minus*. Nam ut ait S. Nazianz. in Distichis: *Munera faciunt ut sapientes quoque viri hallucinentur: atque ut aves laqueo, sic homines auro capiuntur*. Et inferiùs: *Auro loquente iners est omnis oratio: persuadet enim illud, etiamsi nullam vocem edat*. S. Chrysost. homil. 64. in Joannem: *Gravis*, ait, *morbus est avaritia, oculos cæcat, & aures obstruit, & quavis bellua sæviores reddit*. Idem censuere Gentiles. Plutarchus libr. de Iside: *Thebis*, ait, *judicum imagines visuntur absque manibus, & summi judicis oculi connivent, eò quòd justitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur*. Rectè Cajetan. & ex eo Delrio adagio 86. Munera affectum mutant, inquit, & sic efficiunt, ut, si non speculativè, saltem practicè videatur accipienti fovenda, vel excusanda, vel toleranda pars à qua munera accipit. Unde Moses Deuter. 16. vers. 19. *Non accipies*, ait, *personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum*, nimirum quantumvis oculatus fueris ut aquila, ut serpens, oculi tui muneribus eruentur. Donum enim tacitè eblanditur & elucratur affectum ejus qui illud recipit, ac quasi cor illius non cogitantis suffuratur, illudque donanti alligat & astringit ut non possit non eum amare, non illi favere, & vicem rependere.

Quocirca Basilius Imper. Constantinopol. Exhort. ad Leonem filium, cognomento Philosophum; ita de muneribus sancit cap. 43. *Auro & muneribus venales honores & dignitates cave ne habeas, sed eas dignis largire gratis: qui enim magistratum pretio emit, subjectos illi magistatui multò magis emit, ut muneribus quæ dedit fretus, ipse audaciùs munera capiat. Proba ergo atque explora priùs diligenter, atque ita demum ad honores provehe eos qui sine muneribus ambibunt, si vis à republica omnem sordium & concussionis labem exulare. Nam qui dat ut magistratum capiat, quæstum sibi à magistratu captat: dat enim ut jus capiendi habeat contra leges, hoc agens, ut nullis legibus teneatur. Qui enim magistratum mercari didicerit, is numquam munera capere dediscet, & sine muneribus aliquid facere numquam volet: te autem concussionis & sordium habebis magistrum, quem debuerat habere vindicem: neque ipse solùm munera capiet, sed eos etiam qui sub ipso erunt, munera capere coget*. Breviter sed nervosè, Demosthenes: *Dona principum*, inquit, *sunt auctoramentum servitutis*: quos enim donis afficiunt, hos quasi servos sibi mancipant.

VERS. 32. SAPIENTIA ABSCONSA, ET THESAURUS INVISUS (Syrus, *occultus*: hic enim non videtur;) QUÆ UTILITAS IN UTRISQUE?] S. Hieron. in cap. 2. Sophon. legit, *sapientia abscondita, & thesaurus non comparens, quæ utilitas in ambobus?* Ἀ'φανὴς enim est non comparens, non visus, latens, occultus, obscurus, incognitus.

Respicit ad id quod dixit v. 29. *Sapiens in verbis producet seipsum, & homo prudens placebit magnatis*. Ne enim quis otii & quietis amantior, suam sapientiam celet, eaque alios defraudet, addit: *Sapientia absconsa*, &c. Tigurina, *cùm sapientia occulitur, aut thesaurus abditur, quid est in utrovis utilitatis?* Sicut enim thesaurus, licet in se pretiosus, nulli tamen est usui, si sit abditus: ita & sapientia, licèt maxima, frustra est, nullumque habet usum, si abscondatur. Quare, sicut thesaurus à natura & Deo datur ad usum, ideoque publicandus & erogandus est, sic & sapientia. Idem docet Christus in parabola talentorum, qua docet Deum exactam exigere rationem talenti bene & cum lucro expensi, ideoque damnare eum qui talentum defodit, vel in sudario ligavit, Matth. 25. Nam, ut rectè ait S. Gregor. 1. p. Pastor. cap. 9. *Pecuniam in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere*. Si ergo litteratus es, sed solitarius & absconditus, quem doces? si prædicator, quem ad bonam frugem convertis? si sapiens, cui consilium præbes? si sacerdos, cui Sacramenta ministras? si sanctus, quem ædificas? si robustus, si cujus utilitatem laboras? Quocirca Eremitæ in solitudine suos docebant

A discipulos & advenas, eosque ad sanctitatem efformabant. Item scribebant epistolas & libros, ut iis suam sapientiam proximis communicarent.

In eos qui refugiunt onus prædicandi.

Egregiè hoc argumentum tractat S. Greg. 3. p. Pastor. admon. 26. *Admonendi sunt*, inquit, *qui cùm prædicare utiliter possunt, immoderata tamen humilitate refugiunt; ut ex minori consideratione colligant, quantum in majoribus rebus delinquant. Si enim indigentibus proximis ipsi quas habent pecunias absconderent, adjutores proculdubio calamitatis extitissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui, dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt. Unde & bene quidam sapiens dicit: Sapientia abscondita & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Probat idipsum per tres similitudines, dum subdit: *Si populum fames attereret, & occulta frumenta ipsi servarent, auctores proculdubio mortis existerent. Qua itaque plectendi sint pœna considerent, qui, cùm fame verbi animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant. Unde & bene per Salomonem dicitur: Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Frumenta quippe abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis* (Prover. 11.) B *autem talis quisque maledicitur: quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Si medicinalis artis minimè ignari secandum vulnus cernerent, & tamen secare recusarent; profectò peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa involvantur aspiciant, qui, dum cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt sectione verborum. Unde & bene per Prophetam dicitur: Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine* (Jerem. 38.). *Gladium quippe à sanguine prohibere, est prædicationis verbum à carnalis vitæ interfectione retinere*. Et paulò inferiùs: *Audiant, quòd talentum qui erogare noluit, cum sententia damnationis amisit* (Matth. 25.). *Audiant, quòd Paulus eo se a proximorum sanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitiis non pepercit, dicens: Contestor vos hodierna die, quia mundus sum* (Actor. 20.) *a sanguine omnium: non enim subterfugi, quo minùs annunciarem omne consilium Dei vobis. Audiant, quòd voce angelica Joannes admonetur, cùm dicitur: Qui audit, dicat, Veni* (Apoc. 22. 17.)*: ut nimirum cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quò ipse rapitur, trahat: ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. Audiant, quòd Isaias, quia à verbi ministerio tacuit,* C *illustratus superno lumine, magna voce pœnitentiæ se ipse reprehendit, dicens: Væ mihi quia tacui* (Isaiæ 6.). *Audiant, quòd per Salomonem in illum prædicationis scientia multiplicari promittitur, qui in hoc quod jam obtinuit, torporis vitio non tenetur: ait namque, Anima quæ benedicit impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur* (Prov. 11.). *Qui enim exteriùs prædicando benedicit, interioris augmenti pinguedinem recipit: & dum vino eloquii auditorum mentem debriare non desinit, potu multiplicati muneris debriatus excrescit. Audiant, quòd David hoc Deo in munere obtulit, quòd prædicationis gratiam quam acceperat non abscondit, dicens: Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu cognovisti: justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi* (Psal. 39.). *Audiant, quòd sponsi colloquio ad sponsam dicitur: Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam*, Cantic. 8. Hac sententia Zozimas persuasit S. Mariæ Ægyptiacæ (ut habet ejus Vita anno Christi 630.) ut angelicam vitam, quam in eremo per 47. annos nulli hominum, sed soli Deo & angelis visa, sanctè peregerat, ad aliorum exemplum panderet: *Omnia*, inquiebat, *quæ circa te sunt* D *edicito, ut Deo magnalia facias manifesta: Sapientia enim abscondita & thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque?* Cui sententiæ ipsa obsecuta, omnem vitam suam Zozimæ enarravit, qui deinde eam scripto posteris mandavit: qua proinde tum alii, tum S. Joannes Columbinus Ordinis Jesuatorum institutor, ad Deum conversi sunt.

MELIOR EST QUI CELAT INSIPIENTIAM, (Syrus, *stultitiam*) SUAM, QUAM HOMO QUI ABSCONDIT SAPIENTIAM SUAM] Tigurina clarè, *potior est homo celans inscitiam suam, quam qui sapientiam suam supprimit*. Insipientia enim sapienter celatur, ne sibi aliisve noceat; sapientia autem sapienter promitur & evulgatur ad aliorum utilitatem & instructionem. VERS. 33.

Porrò malum est abscondere sapientiam, ait Palacius, *quando Deus aut Superior jubent eam in lucem proferre, aut quando necesse est eam manifestare. Alioqui consultissimè sanctissimi illi Eremitæ Dei sapientia pleni, in abditissimas solitudines se*

conji-

conijciebant. Et planè, si sapientia mea utilis futura est Christiana reipublicæ, curam Deus habet eam in lucem proferendi. Hoc demum non est silentio prætereundum: hæc verba, (ut arbitror) proœmium esse dicendorum, quasi vellet Author dicere: Sapientiam meam vobis scribo in sequentibus capitibus, quorsum enim abscondam? cùm sapientia absconsa inutilis sit. Hæc Palacius.

Complut. hanc sententiam addunt: *Melior est exspectatio inevitabilis in inquisitione Domini, quàm carens Domino auriga* A *propria vitæ*, id est, ut clarè Tigurina; *pluris est inevitabilis* (vel necessaria) *sequenti Dominum patientia, quàm vitæ propriæ gubernator absque Domino*. Quæ sanè in praxi aurea est sententia. Alii, *potior est patientia quæ recusari non potest, ab eo qui quærit Dominum, quàm agitator vitæ propriæ sine Domino*. Verùm Græca à Romanis correcta, Latina, & Syra eam omittunt; unde non habet auctoritatem Scripturæ Canonicæ.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet summè cavendum ab omni peccato, & præsertim à superbia. Secundò, v. 14. depingit mores stulti, eisque opponit mores sapientis. Tertiò, v. 23. describit stulti immodestiam in risu, visu, auditu, voce, & sermone.

1 Filli peccasti? non adiicias iterum: sed & de pristinis deprecare ut tibi dimittantur. 2. Quasi à
facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te. 3. Dentes leonis, dentes ejus,
interficientes animas hominum. 4. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sani-
tas. 5. Objurgatio & injuriæ annullabunt substantiam: & domus quæ nimis locuples est, annullabitur
superbia: sic substantia superbi eradicabitur. 6. Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus per-
veniet, & judicium festinatò adveniet illi. 7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris: & qui
timet Deum, convertetur ad cor suum. 8. Notus à longè potens lingua audaci: & sensatus scit labi se
ab ipso. 9. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme.
10. Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis. 11. Via peccantium
complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. 12. Qui custodit justitiam, con-
tinebit sensum ejus. 13. Consummatio timoris Dei, sapientia & sensus. 14. Non erudietur, qui non
est sapiens in bono. 15. Est autem sapientia, quæ abundat in malo: & non est sensus ubi est amaritu-
do. 16. Scientia sapientis tamquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons vitæ permanet.
17. Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. 18. Verbum sapiens quodcum-
que audierit scius, laudabit, & ad se adiiciet: audivit luxuriosus, & displicebit illi, & proiiciet illud
post dorsum suum. 19. Narratio fatui quasi sarcina in via: nam in labiis sensati invenietur gratia.
20. Os prudentis quæritur in ecclesia, & verba illius cogitabunt in cordibus suis. 21. Tamquam do-
mus exterminata, sic fatuo sapientia: & scientia insensati inenarrabilia verba. 22. Compedes in pe-
dibus, stulto doctrina, & quasi vincula manuum super manum dextram. 23. Fatuus in risu exal-
tat vocem suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit. 24. Ornamentum aureum prudenti doctrina,
& quasi brachiale in brachio dextro. 25. Pes fatui facilis in domum proximi: & homo peritus con-
fundetur à persona potentis. 26. Stultus à fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris sta-
bit. 27. Stultitia hominis auscultare per ostium: & prudens gravabitur contumelia. 28. Labia im-
prudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium, statera ponderabuntur. 29. In ore fatuorum
cor illorum: & in corde sapientium os illorum. 30. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ip-
se animam suam. 31. Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur: & qui cum eo man-
serit, odiosus erit: tacitus & sensatus honorabitur.

VERS. 1. FILI PECCASTI? NON ADIICIAS ITERUM: SED ET DE PRISTINIS DEPRECARE UT TIBI DIMITTANTUR] Tigurina, *ô peccasti fili, ne pergas peccare, sed anteacta depreceris*. Dicit, *si peccasti*, quia, ut A habet Arabicum proverbium cent. 2. n. 57. *Omissio peccati facilior est, quàm executio pœnitentiæ*: q. d. Melius est non peccare, quàm post peccatum pœnitere: melior est innocentia, quàm pœnitentia: satius est non habere occasiones pœnitendi, quàm pœnitere: Jam sensus est: q. d. Post peccatum admissum quasi post vulnus letale acceptum, duo tibi ad salutem necessaria remedia suggero. Prius, ne iteres peccatum. Sunt enim multi, qui cùm peccatum unum admiserint, quasi jam perdita innocentià & gratia desperantes, proni in omne scelus ruunt, & quasi sues in cœno voluptatum voluntantur, uti faciunt meretrices & fornicatores. Hisce ait *Fili peccasti? ne adiicias iterum*, tum quia iteratio peccati novum est peccatum, novumque animæ vulnus. Sicut ergo qui unum vulnus accepit, cavet ne accipiat secundum, ita & qui unum peccatum admisit, caveat ne admittat secundum: tum, quia faciliùs curatur unum peccatum quàm duo, tria & plura; sicut faciliùs curatur unum vulnus quàm multa: tum, quia in iteratione peccati est animi protervia, & libido, quæ graviter Deum offendit, facitque ut difficilis sit lapsi curatio & culpæ condonatio. Huc facit Hebræorum proverbium: *Præceptum trahit præceptum, & peccatum trahit peccatum*: q. d. Una observatio legis, una virtus trahit aliam, sic unum peccatum trahit allicitque ad aliud.

Posterius: *Sed & de pristinis deprecare ut tibi dimittantur*: q. d. Non sufficit ad veniam peccati, illud non iterare, vel vitam corrigere, quasi pœnitentia non sit aliud quàm resipiscentia, ut fingit Calvinus & Lutherus; sed insuper opus est dolere de peccato commisso, ejusque veniam humiliter & dolenter deprecari. ita S. August. l. 1. de Nup. & concup. cap. 26. Ubi ex hoc loco docet, actum peccati transeuntem post se relinquere reatum, sive maculam permanentem in anima, per quam homo censeatur & sit peccator, ac iræ Dei & gehennæ sit obstrictus & reus. *Nam si à peccando desistere*, inquit, *hoc esset, non habere peccatum, sufficeret ut hoc nos moneret Script. Fili peccasti? non adiicias iterum. Non autem sufficit; sed addidit: Et de pristinis deprecare, ut tibi remittantur. Manent ergo, nisi remittantur. Sed quomodo manent, si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, manent reatu?* hæc S. August.

Mysticè, S. Gregor. 4. Moral. c. 19. *Peccatum* inquit, *peccato adiicit, qui malè gesta etiam defendit; & noctem illam solitariam non relinquit, qui culpæ suæ tenebris etiam patrocinia defensionis adiungit*, ut fecit Adam suum peccatum excusans, imò retorquens in Deum: *Mulier quam dedisti*, inquit, *mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*, Genes. 3. 12. q. d. *Tu occasionem delinquendi præbuisti, qui mulierem dedisti*. hæc S. Gregor. *Moral. citò peccatori pœnitendum.*

Moraliter hìc disce, post peccatum citò agendam esse pœni-

poenitentiam, & post eam cavendum à relapsu, ac constanter persistendum in justitia Deique gratia. Audi S. Gregor. 3. p. Pastor. admonit. 31. *Admonendi*, inquit, *qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut considerare solicitè sciant, quia flendo inaniter mundant, qui vivendo se nequiter inquinant: cùm idcircò se lacrymis lavent, ut mundi ad sordes redeant.* Et paulò post: *Sus in volutabro luti cùm lavatur, sordidior redditur: & qui admissum plangit, nec tamen deserit, penè graviori culpa se subiicit, qui & ipsam, quam flendo potuit impetrare veniam, contemnit, & quasi in lutosa aqua semetipsum volvit: quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lacrymas facit.* Quocirca languido a se sanato hoc monitum dat Christus Joan. 5. 14. *Ecce sanus factus es: noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* De quo S. Cyprianus libro de disciplina & habitu virg. *Sospitantis*, inquit, *Domini verba sunt & docentis, curantis pariter & monentis: Ecce*, inquit, *sanus factus es &c. dat vivendi morem, dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem, nec habenis liberis & solutis vagari postmodum patitur: sed ipsis potiùs, quibus sanatus fuerat, mancipato, graviùs comminatur: quòd sit, scilicet, minor culpa deliquisse antè, cùm necdum nosses disciplinam Dei; nulla sit venia ultrà delinquere, postquam Deum nosse cœpisti.* Simile appositum affert San. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 3. *Nullus*, inquit, *hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutiùs remanere peccatis, cùm etiam in ipso corpore nemo velit suo spe futuræ salutis diutiùs ægrotare: tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt & sibi de eo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant.*

Vers. 2. *Fuge peccatum quasi colubrū.* QUASI A FACIE COLUBRI FUGE PECCATA: ET (id est, *quia*: dat enim causam fugæ peccati) SI ACCESSERIS AD ILLA, SUSCIPIENT TE] Legit Interpres δέξεται, id est, *suscipient*: sic quoque legit S. August. in Speculo: iam legunt δήξεται, id est, *mordebit*: δάκνειν enim significat mordere, δέχεσθαι, suscipere. Sed eodem redit sensus: q. d. Peccata suscipient te quasi colubri & serpentes suis spiris, ut te mordeant, suumque virus tibi instillent, quo ita lædent animam tuam, ut naturaliter sanari nequeas per te, sed ut saneris opus habeas gratia Dei supernaturali. Tigurina, *tamquam à conspectu serpentis fuge peccatum*; alij, *tamquam serpentem fuge peccatum: nam si accesseris, mordebit te.* Elegante S. Paulinus
C natali 10. S. Felicis:

Ut faciem colubri Salomon peccata timeri
Horrerique monet, dicens armata leonis
Dentibus: & verè, quoniam velut ore ferino
Sæva vorant animam, quam vicerit ægra voluptas.

Alludit ad serpentem, per quem diabolus Evam ad peccatum pertraxit. Peccatum ergo est quasi serpens & basiliscus, qui solo visu quos aspicit necat: imò serpente ipsoque diabolo est nocentius, adeoque peccatum ex angelo pulcherrimo & felicissimo fecit teterrimum & miserrimum diabolum. Unde Rabanus: *A facie colubri* exponit *à facie diaboli. Coluber enim ille antiquus*, inquit, *qui semper colit umbras peccatorum, & regnat in filiis tenebrarum, interitum nostrum sine cessatione desiderat, ideoque nobis suggerit opera facinorosa.* Syrus, *fili mi, multùm fuisti fugiens à peccato: si appropinques ad illud, mordebit te.* Per *morsum* hunc intellige omnem noxam, quam animæ infert peccatum, ac præsertim remorsum conscientiæ, juxta illud Dei ad Cain, Genes. 4. 7. *Sin autem male (egeris,) statim in foribus peccatum aderit?* Hebr. *accubabit: Videlicet more serpentis &*
D *canis morosi*, inquit noster Delrio adagio 9. *qui nec egredi, nec ingredi hominem tranquillè sinat, sed importuno latratu semper inquietet, hoc sensu perpetuo tibi tuum peccatum ante pedes, ante oculos obversabitur & adversabitur: ut te Deus ad tempus sinat impunitum, ipse peccati morsus, angues, furiæ acriter urgebunt, agitabunt, persequentur: quòcumque perges, peccatum te comitabitur, conscientia tua se ingeret & ingeret, irrequietum malum te conquiescere animo non permittet.*

Huc facit proverbium Hebraicum: *Cogitationes peccati* (de peccato admisso) *graviores sunt quàm peccatum*: quia cogitationes remordentes conscientiam ob peccatum perpetratum graviùs eam affligunt & cruciant, quàm ipsum peccatum.

Porrò S. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Rom. notat τὸ *si accesseris. Non enim*, inquit, *peccatum ad nos accedit, verùm nos ad illud transfugimus.* Additque diabolum inter nos
A habitare *quasi latronem quemdam & tyrannum, qui nisi quem apprehenderit inermem ac solitarium, in suas speluncas descendentem, accedere sanè non sustinet.* Subdit eum similem esse serpenti. Primò, quia deorsum ad terram, & terrena nos trahere satagit. Secundò, quia sicut serpens in spinis, sic dæmon in divitiis latitat & se occultat: qui, si spinas incideris, ilicò aufugiet. Tertiò, sicut serpens incantatur carmine, sic diabolus exorcizatur & fugatur per invocationem nominis Christi, & crucis potentiam. Rursum notant nonnulli τὸ *à facie colubri*. Qui enim sapiens est, non tantùm serpentem & colubrum fugit, sed etiam *faciem colubri*, id est occasionem peccati, & omnem ejus ingressum perhorrescit: qui enim ad occasionem & illecebram peccati accedit, ab ea suscipitur, implicatur & dementatur.

DENTES LEONIS, DENTES EJUS, INTERFICIENTES ANIMAS HOMINUM] Tigur. *dentes leonini sunt dentes ipsius animis hominum exitiales*; Syrus, *sicut dentes leonis est mendacium* (omne enim peccatum vocatur in Script. & est *mendacium* practicum, quia contrarium veritati, veroque dictamini rationis, legis Vers. 3. *Et quasi leonem.*
B & virtutis) *& corrumpit animas hominum*. Comparavit peccatum serpenti ob virulentiam, & clandestinum morsum letiferum: nunc idem comparat leoni, ob sævitiam & ferociam, qua crudeliter animam laniat & occidit, tum adimendo gratiam, tum adigendo ad gehennam.

QUASI RHOMPHÆA BIS ACUTA OMNIS INIQUITAS, PLAGÆ ILLIUS NON EST SANITAS] Vers. 4. *Et quasi rhompheæ.* Græcè ἴασις id est, sanatio, vel remedium & curatio. Pro *bis acuta* græcè est δίστομος id est, anceps, biceps, utrimque scilicet acutus, sive duas habens acies quasi ora, quibus peccatorem secet, mordeat & devoret. Comparavit peccatum leoni & serpenti, nunc comparat rhomphææ, sive gladio utrimque scindenti, q. d. Peccatum est quasi gladius acutissimus, qui ipsa ossa dissecat & discindit: sic enim peccatum intima animæ dissecat, ipsamque animam necat & occidit. Tigurina, *instar ancipitis gladii nefas omne est, in plaga illius nulla est sanitas*; vel *contra plagam illius nullum est remedium*; Syrus, *gladius anceps os meretricis, & plaga illius non est sanatio.* Meretricium enim crebrum est & commune peccatum, adeoque omne peccatum mystica est fornicatio, quia per illud anima desponsata Deo, eo spreto, fornicatur cum creaturis.

Moral. disce hic quanta sit noxa peccati. ipsum enim magis nocet animæ quàm basiliscus, quàm leo, quàm gladius anceps: quia quasi ex duabus partibus scindens animam simul & corpus perforat, occidit, & ad gehennam transmittit. ita Rabanus. Vide Bellarm. de gemitu columbæ sub initium lib. 2 ubi piè & eruditè ostendit peccatum summum esse malum, summèque injurium & noxium tum Deo, tum homini, tum creaturis ceteris, tum ipsi etiam inferno & damnatis; quia videlicet eorum pœnam adauget: unus enim damnatus affligit & cruciat alium, ideòque dives Epulo rogabat Abraham ut mitteret Lazarum ad fratres suos, ne si & illi damnarentur, per eos augeretur pœnà ipsius. Dixit enim petiitque hoc non ex charitate eorum, utpote quam non habebat, sed ex amore suiipsius. Sic & S. Anselmus lib. de Similitud. cap. 101. *Peccando*, inquit, *non solùm iram Dei promeruimus, sed etiam totam creaturam adversum nos excitavimus. Potest ergo nobis justa consideratione terra dicere: Non debeo vos sustinere, sed potiùs absorbere: quoniam à creatore meo non timuistis peccando recedere, & inimico ejus, diabolo scilicet, adhærere. Potest etiam cibus dicere & potus. Non meruistis ut vos pascere debeamus; imò potiùs ut confusionem vobis præparemus: ab illo enim peccando recessistis, per quem nos alere esuriret. Sol quoque: Vobis ad salutem non debeo lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis & fons luminum, penitus, coercere. Sic etiam singula quæque creatura contra nos possunt surgere irrefragabili ratione.* *Peccatum nocet toti mundo.*

Denique peccatum petit jugulum Dei & Christi, adeoque si cor Dei telo quopiam transfigi posset, non alio quàm peccato transfigeretur. Peccatum ergo, quantum in se est, Deum è medio tollit. Peccatum est christicidium, imò deicidium. Quocirca tanta est vel unius peccati mortiferi malignitas, tanta in majestatem illam infinitam injuria, ut omnibus Sanctorum, Angelorum & hominum obsequiis, laudibus, cultibus, precibus, humiliationibus, pœnitentiis, afflictionibus ex æquo, & *Peccatum est quasi deicidium.*

ut ita

ut ita dicam; ad æquilibrium, justamque æqualitatem nequeat compensari. Cùm igitur nullum remedium nec in terra, nec in cælo malis nostris medendis, & bonis amissis recuperandis appareret, nec ullus angelus, aut ulla mens creata quidquam congrui auxilij posset invenire; misericordia divina inauditum, admirabile, ineffabile, incomprehensibile, omnibus sæculis, omnibus angelis & hominibus obstupescendum excogitavit consilium; nimirum ut Filius Dei, Sapientia genita, per quam facta sunt omnia, naturam nostram sibi copularet, & in ea, ac per eam totum genus humanum repararet.

Audite mortales, audite peccatores, S. August. serm. 114. de Tempore: *Agnosce homo*, inquit, *quantum valeas, & quantum debeas, & dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur iustitia pro iniquo, misericordia affligitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Expavit scelus hominum natura rerum, & quem creatura rebellis non agnoscit; eum mundi dominum tremens terra testatur, & cæli regem sol fugiens confitetur.*

Vers. 5. OBIURGATIO ET INJURIÆ ANNULLABUNT SUBSTANTIAM: DOMUS, QUÆ NIMIS (valdè) LOCUPLES EST ANNULLABITUR SUPERBIA (per superbiam, in pœnam superbiæ, superbæque discordiæ & injuriarum:) SIC SUBSTANTIA SUPERBI ERADICABITUR] A genere descendit ad speciem, putà à peccato ad superbiam, quia hæc peccatorum est regina, imò mater, fons & radix. Pro *obiurgatio*, græcè est κατάπληξις. Unde Rabanus & alij Græcam vocem latinitate donantes, legunt *cataplectatio*. κατάπληξις autem est objurgatio superba, severa & acris, horribilis & formidabilis, quæ animos subditorum & servorum concutit, percellit, sternit & stupefacit, redditque quasi attonitos & apoplecticos. καταπλήττω enim est perterreo, iniicio pavorem, percello: inde καταπλαγείς vocatur timore perculsus, stolidus, stupefactus, attonitus; & κατάπληξις vocatur pavor, confusio, stupor; vnde Lucretius, *Magna*, inquit, *atque immanis cataplexis, velut quæ quasi numen attonitos stupentesq; efficiat granditate sua*. Pro *iniuria* græcè est ὕβρις, id est, superba violentia, immanior improbitas, contumelia, sævitia, ferocia, procacitas, petulantia; fastus, insolentia, protervia: ὑβρίζω enim est iniurius sum, iniuriam facio, contumeliosè tracto, insolens sum, insulto, abutor, vim infero, stupro, contamino: inde ὑβριστὴς vocatur iniurius, convitiator, stuprator, corruptor, flagitiosus, impotens, insolescens ob copias & potentiam, oppressor violentus. Sensus ergo est: q. d. Herus vel dominus, qui superbè obiurgat, iniurias infert, & tyrannicè tractat suos servos, subditos, ceterosque qui in sua familia vel dominio degunt; hic attenuabit & ad nihilum rediget suam *substantiam* & opes; quia ob nimiam asperitatem, fastum & injurias, servos & ministros faciet fugitivos, vel fures. Sic Roboam ob superbum & asperum responsum datum decem tribubus Israel, eas à se alienavit, regnumque perdidit, 3. Reg. 12. Id fit justo Dei judicio, qui superbiam & superbos justè opibus, regno & dominio privat & punit. Græcus hic de more brevis & bimembris sic habet, *Vehemens objurgatio & contumelia annullabunt substantiam, sic domus superbi annullabitur*; Tigurina, *concertationes & injuria opes dissipant, similiterq; domus superbi desolabitur*; alij, *insultatio & contumelia desolant opes, sic & domus superbi ad eremum* vel *desertum redigetur*: hoc enim est Græcum ἐρημωθήσεται. Syrus, *à manè usque ad vesperam vastat cœnacula, & palatia multa subvertit* vel *eradicat et evellit*: Græcis adaptanda esse Latina censet Jansenius & Franc. Lucas in Notis hic, ac proinde delendum esse τὸ *sic substantia superbi eradicabitur*. Verùm Romani codices & ceteri plerique constanter id legunt, sensumque per hoc faciunt uberiorem & clariorem.

Vers. 6. DEPRECATIO PAUPERIS EX ORE USQUE AD AURES EJUS PERVENIET, ET JUDICIUM FESTINATO ADVENIET ILLI] *Eius*, scilicet Dei (ut habeant nonnulli codices) cujus proprium est deprecationes pauperum audire & exaudire. Dat causam cur substantia superborum & violentorum annulletur, quia scilicet, subditi & pauperes ab eis oppressi clamant ad Deum, Deus autem eos exaudit: unde quasi justus vindex suum in eos iu-

A dicium citò profert, oppressores puniendo, oppressos liberando. Nota τὸ *ex ore usque ad aures*: q. d. Os pauperum oppressorum quasi vicinum est auribus Dei, ita ut deprecatio ore eorum prolata mox tangat & feriat aures Dei. Oppressio enim pauperum est peccatum clamans in cælum, quod ilicò vindictam Dei ciet & extorquet. Unde Tigurina vertit, *ab ore pauperis* vel *afflicti exauditur precatio*: q. d. Mox ut oratio ore afflictorum prolata fuerit, audietur à Deo: unde subdit, *Iudiciumq; illius festinatò veniet*. Syrus eleganter, *oratio pauperis tamquam ab ore suo ad aurem suam, et ante iudicem sæculorum ascendit*. q. d. Os pauperis est os Dei, & vicissim auris Dei est auris pauperum. Quàm facilè ergo sermo ex ore pauperis ad aures ejusdem ascendit, tam facilè quoque & citò ab ore ejus ascendit ad aures Dei, quia Deus ori eorum vicinus est, imò ori eorum insidet, in eoque format precationem qua opem suam invocent, ut invocatus ilicò eam præstet. Hoc est quod ait Psaltes psal. 9. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*. Non enim exspectat Deus pauperem oppressum ad se clamantem, ut eum audiat, sed clamorem ejus prævenit, & merum desiderium audit, & exaudit.

B QUI ODIT CORREPTIONEM, VESTIGIUM EST PECCATORIS: ET QUI TIMET DEUM, CONVERTETUR AD COR SUUM] Prosequitur materiam de superbia & peccato, fugaque peccati: magna enim superbia, magnumque peccatum est, odio prosequi corripientem se de peccato. Hoc enim odium signum est animum in peccato esse obfirmatum & obduratum, ut monitiones & monitores non admittat, sed quasi inimicos odiat, respuat & execretur. Unde græcè est, *qui odit reprehensionem, in vestigio est peccatoris*: q. d. Inhæret viis & vestigiis peccati & peccatoris, per easque constanter & irrevocabiliter incedit & ingreditur. Tigurina. *qui odit castigationem, in vestigio scelerosi consistit*; Syrus, *qui odit correptionem, vir iniquus*. Noster pro *in vestigio* legit *vestigium*, alia significatione, sed eodem sensu. Vers. 7.

Pro quo Notandum, quòd *vestigium* propriè fit pedis impressio, id est, signum & figura quæ in terra à pede relinquitur, juxta illud Virgil. lib. 3. Georgic. *Vestigium tria significat.*

Et gradiens ima verrit vestigia cauda.

Et Plautus in Cistellar. *Video vestigium in pulvere*. Hinc C Secundò, *vestigium* metonymicè, vocatur ipsa ima pars pedis, quæ vestigium terræ imprimit. Sic Cicero 4. Academ. ait: *Adversis vestigiis contra nostra vestigia stant Antipodes*. Tertiò, *vestigium* sumitur pro reliquiis, monumento, indicio; quia vestigium est indicium, & quasi reliquiæ pedis impressi, ex quo vestigamus & conniicimus quis, qualis, & quantus fuerit pes & homo qui illud efformavit. Sic Cicero ait Act. 7. in Verrem: *Cuius rei neque index, neque vestigium aliquod*. & Virgil. 4. Æneid.

Agnosco veteris vestigia flammæ.

Sic ergo *vestigium* vocatur inditium & nota, quæ rei formam & qualitatem ostendit: & *vestigare* est quærere diligenter, quasi per vestigium indagare: quod à vestigiis, quasi indiciis dictum.

Græcus ergo cùm ait: *Qui odit correptionem, in vestigio est peccatoris*; sumit *vestigium* propriè in primo significato iam assignato; Noster verò cùm vertit, *vestigium est peccatoris*, sumit in tertio significato: q. d. Cùm quis odit correptionem, idipsum *vestigium*, id est, certum indicium & signum, *est peccatoris*, putà hominis animique planè suis cupidinibus & peccatis affixi, *Peccator* enim signi- D ficat eum qui habet habitum peccandi, ut peccatis assuetus, iis constanter & pertinaciter adhæreat. Ex adverso; *Qui timet Deum, convertetur ad cor suum*; Tigurina, *at qui reveretur Dominum, resipiscet ex animo*; Syrus, *& qui timet Dominum, penitet ex corde suo*: q. d. Peccator correptus odit correptionem: at verò qui timet Deum, si de quopiam delicto corripiatur, ad cor redit, culpam agnoscit, pœnitet, vitamque mutat & corrigit. Igitur *vestigium*, id est, argumentum absoluti & consummati *peccatoris*, est odisse correptionem: nam qui timet Deum, ut corripitur, ad cor suum redit, ut se emendet. Ergo sunt gradus in hac re: Est enim amare correptionem, est pati, est odisse. Primum, est signum prædestinationis, ut ultimum reprobationis. Nota phrasim Hebræam. *Converti ad cor*, est pium esse: ut enim peccando, relicto Deo, qui habitabat in corde, egreditur peccator è corde ad temporalia: ita in justitia vivendo, è temporalibus regredi-

mur ad cor, ubi habitat Deus: ut simus homines interiores, juxta S. Paulum, & ut *omnis decor* noster sit *ab intus*, juxta Davidem psalm. 44. 14. ita Palacius. Porrò Rabanus per *peccatorem* accipit diabolum: q. d. *Qui non vult se corrigere à peccatis, & odit correptionem admonitoris; ipse indicium præbet in se nequitiæ sui seductoris, quoniam malignus induravit cor eius, ne cederet & obaudiret veritati.*

Nec tantùm veritati, sed & charitati? nam correptio est instar speculi, quod nobis ostendit maculas, quæ nos deturpant & infamant, ut eas eluamus. Unde Clemens Alexandr. lib. 1. Pædagog. c. 9. *Quemadmodum*, inquit, *speculum non est malum deformi, eò quòd ipsum ostendat qualis sit: ita nec is qui reprehendit, ei malè vult qui laborat animo: nec enim ei delicta adiungit, sed ea quæ adsunt peccata, ostendit.* Rursum *correptio* est pharmacum eluens maculas & sanans animæ morbos: qui ergo eam odit, suam sanitatem odit. Unde exclamat S. Bernard. serm. 42. in Cantic. *Mira perversitas: medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti.* Quin & Psaltes, *Consumetur*, inquit, *nequitia peccatorum, & diriges justum*, psal. 7. v. 10. Ubi D. Chrysost. *Infer*, inquit, *supplicium, & cessare facies à vitio: quemadmodum enim putrefactiones cedunt ustuis & sectionibus: ita & à supplicio arcetur improbitas. Qui scinditur & uritur, ita ad sanitatem ingreditur.* Unde Clemens Alexandr. ibid. c. 8. *Est*, inquit, *reprehensio, veluti quædam chirurgia affectionum animæ; medicamentum autem est, probri insimulatio: quæ resolvit affectiones quæ iam occalluerunt, impudicæq; ac libidinosæ vitæ sordes expurgat, fastusq; ac superbiæ carnes, quæ excreverunt, exæquat. Iam verò admonitio, est veluti quædam diæta ægrotantis animæ; quæ sunt sumenda, consulit; & quæ non sunt, prohibet.* Et paulò pòst: *Benevolentiæ*, inquit, *non odii, signum est reprehendere: ambo enim probrum obiiciunt & amicus & inimicus, sed inimicus quidem irridens, amicus verò benevolens.*

Odiens correptionem odit medicinam.

Sancti crebrò redeunt ad cor.

Moraliter, disce hic proprium timentis Deum esse crebò introverti, & à rebus externis converti ad cor, ut ibi internum animæ suæ statum, sensusque & affectus omnes examinet corrigat & componat ad legem & voluntatem Dei. Quocirca virum bonum & sapientem ita pingit Ausonius S. Paulini magister Idyllio 16.

Vir bonus & sapiens (qualem vix repperit unum
Millibus è multis hominum consultus Apollo)
Iudex ipse sui, totum se explorat ad unguem.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi,
Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus:
Externæ ne quid labis per levia sidat,
Cogitat, & iusto trutinæ se examine pensat,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coeat, nil ut deliret amussis.

Et mox:

Non priùs in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longi reputaverit acta diei.
Quæ prætergressus, quid gestum in tempore, quid non:
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi:
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem, &c.

VERS. 8. NOTUS A LONGE POTENS LINGUA AUDACI: ET SENSATUS SCIT LABI SE AB IPSO] q. d. Qui *potens* est *lingua audaci*, id est, qui pollet audacia dicendi, hic *longè* lateque *notus* est, celebris & famosus: plebs enim & rude vulgus miratur ejus in dicendo audaciam & facundiam; at vir prudens & *sensatus* deprehendit, scitque ipsum multa falsa & temeraria audacter effutire, *seque*, si ei credat & adhæreat, *ab ipso labi*, id est, falli & decipi, ac ruere in multa incommoda & pericula, v. g. litium, rixarum, seditionum, carcerum, ut bonorum & vitæ discrimen incurrat: quare ei non credit, ac sibi ab ejus consortio cavet. Hæc quoque spectant ad superbos & superbiam: ipsa enim est mater audaciæ, facitque linguam audacem & effrænem.

Græca de more concisa sic habent, *notus à longè potens in lingua: sensatus autem novit cùm ille labitur*; Tigurina, *potens procul ex sermone notus est: at qui sapit, caducum* (qui facilè in errorem labatur & cadat) *esse meminit*; Syrus verò de sensato tantùm sic habet, *sapiens è regione* (ex intuitu & aspectu) *oculorum suorum dignoscitur, & scrutatur in momento iniquum*. Hinc disce, audaces & effrænes in loquendo esse insipientes, sapientes verò esse modestos & cautos, ideoque facilè audacium insipientiam & falsitatem deprehendere & arguere.

Aliter Palacius, qui *τὸ scit labi* accipit pro *novit elabi*, ideoque sic explicat: q. d. Qui linguam audacem habet, sit tibi non propè, sed à longè notus, & si tibi appropiaverit, si sensatus es, elabere ab illo: cùm enim ille linguam ardentem habeat, aduret te, nisi elabaris: & cùm linguam venenatam afferat, effundet in te virus suum: cùm linguam peste infectam adducat, pestis contagio te inficiet. Tu ergo cordatè effugies illum, non eum offendendo, ne in te virus evomat; sed causas afferendo idoneas, cur ab eo maturè discedas. Verùm priorem sensum exposcunt Græca, & *τὸ scit se labi*, sic enim habet Latina versio, non autem *scit labi*, id est, elabi.

QUI ÆDIFICAT DOMUM SUAM IMPENDIIS ALIENIS, QUASI QUI COLLIGIT LAPIDES SUOS IN HIEME] Ex prima specie peccati, putà superbia, descendit ad secundam ex illa manantem, putà injustitiam. Solent enim divites superbi per injustas angarias, exactiones & oppressiones pauperum augere suas opes & domos: q. d. *Qui ædificat domum suam*, non suo sumptu, sed alieno, putà injustè per vim, fraudem, aliam ve iniustitiam ab aliis extorto vel rapto; hic similis est homini, qui ædificaturus colligit lapides ad fabricandum in hieme: græcè, *εἰς χειμῶνα*, id est, in hiemem, vel ad hiemem: ut scilicet in hieme ædificet, tempore nimirum importuno. In hieme enim ob frigus calx conglaciatur, aut ob humorem dissolvitur; quo fit, ut lateres & lapides inter se non satis firmiter conglutinet: qua de causa hiemalia ædificia rimas agunt, & facilè corruunt, nec diu durant. Simili enim modo facultates alienæ numquam inter se cohærent, & in vnam rem coeunt; sed solutæ & dissectæ rouunt. Quare qui ex alieno vel rapto ædificat domum, illà diu non fruetur; sed vel ipse citò morietur, vel domus corruet, aut ad alium transferetur, ulciscente sic Numine ejus injustitiam, ut in domo quam fabricando peccavit, in eadem & puniatur, hæc enim est congrua talionis pœna. Complut. pro *εἰς χειμῶνα*, habent *εἰς χῶμα ταφῆς αὐτοῦ*, id est, *in tumulum sepulturæ suæ*: q. d. Qui ex alieno ædificat domum, non tam domum quàm tumulum & sepulcrum sibi ædificat: quia in illa brevi morietur & sepelietur. Sic & Tigur. *qui ære alieno domum suam ædificat, congerenti lapides in tumulum sepulturæ suæ similis est*; & Syrus, *qui ædificat domum suam facultatibus sociorum, congregat lapides tumulo suo*; ut facultates hæ quasi lapides in tumulum coacervati, mole sua ipsum opprimant & sepeliant; quia, scilicet, domino suo interitus sunt causa, & celeriorem mortem ipsi conciliant.

Alludit, imò citat illud Ierem. 22. 13. de Ioakim rege impio, *Væ, qui ædificat domum suam in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem eius non reddet ei.* Unde pœnam sepulcri iam dicti ipsi intentat v. 19. dicens: *Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* Jeremiam secutus Habacuc c. 2. v. 7. *Væ*, inquit, *qui congregat avaritiam malam domui suæ*, &c. *Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.* Vide utrobique dicta.

Aliter Palacius: Tempore hiemali, inquit, non sunt lapides colligendi, sed ligna contra frigus. Si igitur in hieme colligas lapides, stultus eris; qui non ligna quibus calescas, sed lapides sine utilitate collegisti: ita si ære alieno domum ædificas in qua habites, stultus eris: non enim in ea habitabis, sed potiùs à creditoribus inde expelleris. Verùm priorem sensum exposcunt Græca.

Mysticè idem Palacius: Cùm Domino dicente, temporalia nostra planè non sint, sed aliena, (*si in alieno*, inquit Dominus Lucæ 16. *fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?*) qui ex temporalibus domum suæ conversationis ædificat in terris, planè stultus est. Cùm enim habitare hic voluerit, inde pelletur.

STUPPA COLLECTA SYNAGOGA PECCANTIUM, ET CONSUMATIO ILLORUM FLAMMA IGNIS] Complut. addunt *in perditionem*. Culpæ assignat pœnam: q. d. Putant potentes & superbi se esse insuperabiles, invictos & quasi omnipotentes; at revera omnis eorum *synagoga*, id est, cœtus & multitudo, fragilis est, instar stuppæ collectæ. Sicut enim stuppa ilicò ab igne vicino corripitur conflagratque, & quo major est stuppa, eo faciliùs magisque ignis inflammatur: ita pariter ignis vindictæ divinæ facillimè corripiet & consumet omnes peccantes, eoque faciliùs & ardentiùs, quo major fuerit eorum synagoga & multitudo. Hæc enim VERS. 10.

non

non est aliud quàm *stuppa collecta*, id est, fomentum & pabulum iræ & indignationis divinæ, æquè ac ignis conflagrationis orbis in fine mundi, ac judicii divini & gehennæ, juxta illud Malach. 4. *Et erunt omnes superbi, et omnes operantes iniquitatem stipula, et inflammabit eos dies veniens.* Unde in Græco est elegans paronomasia inter συνηγμένον, id est, collecta, in unum coacta; & συναγωγὴ, id est, synagoga, cœtus, congregatio: q. d. Impiorum synagoga, non est aliud nisi stuppa coacta ad ignem, nisi synagoga id est congregatio, ignis.

Nota. *Consummatio* Primò, idem est quod *consumptio*: q. d. *Consumptio illorum* erit *flamma ignis*, hoc est flamma ignis consumet eos; Secundò, *consummatio*, id est finis, *illorum* erit *flamma ignis*: hoc innuit Græcum συντέλεια: nam τέλος est finis. Porrò, ignis hic consumens impios est quintuplex. Primò, ignis indignationis Dei; Secundò, vindictæ, qua Deus impios igne, id est, peste, fame, gladio (*ignis* enim significat omnem acrem vindictam, omneque ejus instrumentum) perdit in hac vita. Tertiò, ignis conflagrationis mundi: hic enim superbos cum eorum domibus & opibus comburet. Quartò, ignis acerrimi judicii divini, quo Christus scrutabitur, damnabit & percellet improbos in ultimo die mundi, de quo ait Daniel 7. 10. *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus.* Quintò, erit ignis gehennæ, de quo v. sequ. Unde Complut. addunt, *in perditionem*; & Tigurina, *stuppa collecta cœtus est nefariorum, flammaque ignis exitialis eorum exitus*. Ex quo infert Palacius, impios in gehenna non esse solutos, ut liberè vagentur, sed esse colligatos in fascem, ut ait Isajas cap. 24. 22. Hoc enim significat *stuppa collecta*, scilicet, eos collectos, vinctos jacere, & velut stuppam constipatam comburi, juxta parabolam zizaniorum, de quibus ait Christus: *Alligate ea in fasciculos ad comburendum*, Matth. 13. 30. Denique hæc erit impiorum *consummatio*, id est, finis, sed sine fine. Eorum enim finis erit perpetuum incendium, & perennis flamma ignis, quæ ex eorum corporibus velut titionibus sursum ascendet, ait Palacius.

Ignis impiorum quintuplex.

Impii colligati in gehenna.

Moral. discant hìc peccatores, evanidas esse suas vires, opes, conspirationes, fœdera, quibus fidem vel justitiam opprimere satagunt, adeoque ea non esse aliud quàm stuppam collectam ad ingens incendium. Ex adverso justi & pii qui ab eis vexantur vel opprimuntur, nil eos formident, certique sint eos brevi, ut stuppam, igne vindictæ divinæ conflagrandos. Unde Rabanus, *Comparat*, inquit, *rei fragili peccatorum synagogam, ut ostendat ejus vilitatem & velocissimum interitum: quia sicut stuppa collectio igne adhibito facilè conflagrat, ita peccatorum cœtus in futura vindicta sine mora disperiet.*

VERS. 11. VIA PECCANTIUM COMPLANATA LAPIDIBUS, ET IN FINE ILLORUM INFERI, ET TENEBRÆ ET POENÆ.] Græcè, *in fine illorum fovea inferni*: q. d. Via concupiscentiæ per quam incedunt peccatores, initio videtur concinna, pulchra, amœna & jucunda, perinde si lapidibus planis esset strata & complanata; at postmodùm apparet aspera, tristis & horrida: nam finis ejus deducit & desinit in infernum, ubi sunt tenebræ densissimæ & pœnæ atrocissimæ. Sicut ex adverso via virtutis per quam incedunt justi, initio est aspera & stricta; sed progredientibus in ea paulatim fit laxior, facilior & amœnior, ac tandem eos deducit ad beatitudinem & gloriam æternam. Alludit ad Proverb. 14. *Est via quæ videtur homini recta, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Hoc est quod ait Christus Matth. 7. *Spatiosa est via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam: quàm angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam!* Idem repræsentabat Pythagoras per suum Ypsilon, de quo exstat elegans epigramma Virgilii:

Symbolum Pythagoræ de via virtutis & vitii.

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primùm spectantibus offert:
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata, sed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.

Syrus hunc versum & præced. hoc uno exprimit, *Sicut ascensus arenæ pedibus viri senis* (alia lectio habet *duri, asperi*) *ita robur iniquorum juxta ignem, & semita impii offendiculum est illi: quia finis ejus fovea profunda est*: q. d. Sicut ascensus arenæ initio mollis & facilis est, sed quo altiùs per eam ascendit senex, eo fit ei difficilior, quia arena in cumulum assurgens ascendenti fit profundior, ita ut tandem non tantùm pedem, sed & reliquum corpus sorbeat, & in voraginem sive abyssum arenæ demergat: & planè via impiorum initio facilis, sensim fit difficilior, ac tandem in abyssum ignis æterni eos demergit: quare semita impii fit ei offendiculum, quia finis ejus est fovea inferni.

QUI CUSTODIT JUSTITIAM, CONTINEBIT SENSUM EJUS. CONSUMMATIO TIMORIS DEI, SAPIENTIA ET SENSUS] Complut. *sapientiæ assumptio*. *Justitiam* vocat observationem legis, hæc enim facit hominem justum: *sensum* vocat mentem & sententiam. Unde Græca habent, *qui custodit legem, tenet* ἐννόημα, id est, *cogitationem, motionem, intellectum, sensum ejus*: q. d. Qui observat legem, hic assequitur legis intelligentiam, hic percipit ac perspicit legis mentem & sensum, ut videat quid lex jubeat & velit, ejusque finem & causam, æquè ac sapientiam & ordinem, scilicet, quàm id quod Deus lege sua præcipit & sanxit, sit æquum, justum, sanctum; quàm sapienter ordinatum ad suum finem, quàm justa de causa sancitum. Lex enim Dei non tam speculando, quàm practicando discitur & intelligitur, uti docet S. Bernard. epist. 108. *Quam utique scientiam*, inquit, *haud facilè nisi qui mundo crucifixus erit, apprehendit. Falleris, fili, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros, quam soli Christi discipuli, id est, mundi contemptores, Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed unctio: non littera, sed spiritus: non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. Seminate, inquit, vobis ad justitiam, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ. Vides, quia non rectè proditur ad lumen scientiæ, nisi justitiæ germen præcedat ad animam: ex quo formetur granum vitæ, & non palea gloriæ.*

VERS. 12. & 13.

Osee 10. 12.

Ex quo rectè infert Siracides, *Consummatio timoris Dei sapientia & sensus*: q. d. Perfectio timoris Dei, quæ consistit in perfecta observatione legis Dei, parit veram sapientiam & intelligentiam, adeoque ipsa est vera sapientia & intelligentia. Verè enim sapiens & intelligens est, non qui alta speculatur, sed qui timet Deum, ejusque mandata opere exequitur. Unde Tigurina vertit, *finis religionis Domini est accessio sapientiæ*, id est, ad sapientiam; Syrus, *qui timet Deum, nullius rei indigebit*. Quare sapientis & sapientiæ est timere Deum, ut nulla re indigeat, sed Deus ei de omnibus abundè provideat. Rursum *sensus justitiæ*, inquit Palacius, est quædam lux intellectualis à Deo homini pio infusa, qua acutè, intimè, affectuosè & amanter divinam legem intelligit, Deique justitiam penetrat & amat. Ait ergo Auctor: Qui custodit justitiam, assequitur illum sensum ejus, quo viri docti & pii non destituuntur. Unde egregiè infert: Perfectus & consummatus timor Dei socios habet *sapientiam*, id est, divinam in affectu dilectionem: & *sensum*, id est, divinam in intellectu lucem. Hanc lucem, hunc sensum, hanc Spiritus sancti doctrinam non accipiet qui non est sapiens in bono. Beatus enim ille est, quem tu erudieris Domine: is non est sapiens in malo, sed sapiens in bono.

Nota. Pro *continebit sensum ejus*, græcè est κατέχει (vel, ut alii legunt, κατακρατήσει) τὸ ἐννόημα αὐτοῦ ubi si per spiritum lenem legas αὐτοῦ, significat *ejus*; sin per asperum αὑτοῦ, significat *suum*, itaque legunt plerique. Unde Complut. vertunt, *qui custodit legem Domini, dominatur cogitationi suæ*; Rom. *continet sensum suum*; Tigurina, *qui servat legem Domini, cogitationibus suis imperat*; Syrus, *qui custodit legem, subigit* (vel affligit) *appetitum suum*. Lex enim refrænat motus inordinatos appetitus & concupiscentiæ, eosque ordinat & componit. Quare qui legem Dei observare satagit, appetitus suos domet, legique Dei subiiciat.

NON ERUDIETUR QUI NON EST SAPIENS IN BONO. EST AUTEM SAPIENTIA (ita Rom. & Græca: perperàm ergo aliqui contrariè legunt, *insipientia*) QUÆ ABUNDAT IN MALO: ET NON EST SENSUS UBI EST AMARITUDO] Græcus de more brevis & bimembris sic habet, *non erudietur qui non est astutus: est enim astutia multiplicans acerbitatem*, putà malitiam; Tigurina, *qui non est callidus non patietur erudiri se: est autem cùm et calliditas amaritudinem multiplicat.* Distinguit duplicem πανουργίαν, id est, astutiam, calliditatem

VERS. 14. & 15.

Sapientia vera & falsa quæ.

tem & sapientiam: Unam in bono quæ vera est, alteram in malo quæ adumbrata, ficta & falsa est: q. d. Astutia & sapientia vera consistit in observatione legis Dei, uti dixi v. præced. Quocirca ea *non erudietur*, nec ejus est capax *qui non est* πανοῦργος, id est, astutus & *sapiens in bono*, qui scilicet non sapit, non amat, non operatur bonum. *Est* enim quædam πανουργία, id est, astutia & *sapientia*, *quæ abundat in malo*, ut scilicet mala multa astutè moliatur & perpetret, juxta illud Jerem. 4. *Sapientes sunt ut faciant malo, bene autem agere nescierunt*. Hæc non est vera sapientia, nec verus sensus, veraque prudentia; &, id est quia, *non est* verus *sensus*, id est, vera sapientia, intelligentia & prudentia, *ubi est amaritudo*; græcè, πικρία, id est, malitia quæ amaricat animum, eumque facit acerbum tum sibi, tum Deo, tum proximis. Idque Primò, quia *amaritudo*, id est ira & rancor, offuscat judicium, illudque facit amarum, indignans & rancidum. Secundò, quia Deus sua luce cælesti, sensuque divino non donat, nec dignatur eos, in quibus est hæc amaritudo. Unde S. Jacobus c. 3. 14. *Si zelum*, inquit, *amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris; non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica*.

Amaritudo tollit sapientiam duabus de causis.

Porrò πικρία, id est, *amaritudo*, est animi ægritudo & morositas. Unde Cicero ad Atticum, *Amariorem me senectus facit, stomachor omnia*; sed maximè, πικρία est acerbitas animi ultionem expetentis. Unde πικροί, dicuntur amari & amarulenti, teste Gellio, qui exasperantur odio tendente ad vindictam, qui scilicet iram odiumque non deponunt, nec condonant, sed diu reservant. Sic Theocritus Pana vocat πικρὸν, id est, amarum: causamque addit, *Quia illi bilis acris semper naribus insidet*. Quocirca S. Paulus Ephes. 4. 31. monet dicens: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia*. Et Hebr. 12. 15. *Ne qua radix amaritudinis*, inquit, *sursum germinans impediat*. Alludit ad Deuter. 29. 18. *Ne fortè*, &c. *sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem*. Ubi ostendi omnem malitiam, omneque peccatum vocari *fel* & *amaritudinem*, causamque assignavi.

Vers. 16. SCIENTIA SAPIENTIS TAMQUAM INUNDATIO græcè, κατακλυσμὸς, id est eluvio, diluvium) ABUNDABIT, ET CONSILIUM ILLIUS SICUT FONS (Complut. addunt, *purus*) VITÆ PERMANET] q. d. Sicut crescente luna crescit mare, adeò ut luna plena exundet, camposque vicinos irriget & fœcundet: sic crescente Dei illuminatione & gratia crescit *scientia sapientis*, adeò ut in alios exundet, eisque se communicans, illos pariter efficiat scientes & sapientes. Quo fit, ut *consilium* & doctrina sapientis sit quasi *fons vitæ*, qui jugiter manat aquas vitales sapientiæ, quibus alios assiduè riget, ut vivant vitam gratiæ in terra, victuri vitam gloriæ in cælo.

Sapiens est quasi fons sapientiæ.

Nota. Sapientiam nunc vocat *scientiam*, nunc *consilium*, nunc *eruditionem*, nunc *intellectum*, nunc *sensum*, nunc *disciplinam*. Causam dedi in Procemio. Unde Tigurina vertit, *scientia sapientis exuberabit tamquam inundatio vitæ, ac veluti fons vitæ purus ejusdem consilium*; Syrus, *mens sapientis sicut fons aquarum abundabit, & cogitatio ejus sicut aqua viva*. Alludit ad Proverb. 16. 22. *Fons vitæ eruditio possidentis*. Et c. 18. 4. *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ*. Ad quæ loca alludens Christus: *Qui biberit*, inquit, *ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, Joan. 4. 14. & c. 7. 38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*.

Moral. disce hic, doctorem semper debere manare sanam sanctamque doctrinam, sive pauci sint auditores, sive multi: sive pauperes, sive divites: sive benevoli, sive malevoli: sic enim fons omnibus & singulis perennes fundit aquas. Ita fecit Christus unam Samaritanam docens, Joan. 4. ac pauperes piscatores in Apostolos efformans. Christum secutus Paulus ait Roman. 1. 14. *Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum*. Ubi S. Chrysost. *Sicut cælum*, ait, *stella, sol non uni tantùm genti: sic D. Paulus, sic omnes qui Deo militant, non uni sed omnibus per doctrinarum exempla lucere debent; nec, si desint qui illis utantur, desistere debent. Aquarum enim*, ut inquit hom. 1. de Lazaro & divite, *venæ, etiam si nullus veniat aquatum, manant tamen; & fontes, quamvis hauriat nemo, scatebras emittunt*. Plura de hoc fonte dicam Proverb. 16. 22.

COR FATUI QUASI VAS CONFRACTUM, ET OMNEM SAPIENTIAM NON TENEBIT] Opponit stultum sapienti: q. d. Mens sapientis est quasi fons vitæ, jugiter emanans aquas doctrinæ salutaris, & vivificæ; at mens stulti est quasi lagena confracta & idcircò nullam sapientiam quam legit vel audit, retinebit; sed illa ex ea effluet, sicut effluit aqua ex lagena fracta vel pertusa. Nota. *non omnem*, Hebræis idem est quod *nullam*. Pro *cor* græcè est ἔγκατα, id est *interiora*, putà viscera, inter quæ primum & præcipuum est cor. Unde Tigurin. *viscera stulti instar vasis confracti sunt, ut qui nullam in vita sua scientiam contineat*; alii, *intestina stulti tamquam vas confractum, nullam continent scientiam*; Syrus, *cor impii sicut cisterna disrupta, & omnibus diebus vitæ suæ sapientiam non discet*. Præclarè S. Antonius in Melissa p. 1. serm. 48. *Sicut*, inquit, *vas fictile sono & tinnitu, sic homo sermone probatur*. Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pirke avoth*, id est, in Sententiis patrum: *Quatuor hominum differentiæ sunt coram sapientibus astantium. Alii sunt quasi spongia, quæ humorem undequaque sugit ac trahit: alii quasi dolium pertusum, quod aquam hauriens una ex parte, ex alia effluit, & quidquid accepit evacuat: alii quasi cuppa, quæ cùm vinum effluere sinat, faces retinet: nonnulli denique adinstar cribri seplasiarii vel pigmentarii, quod & fursur retinet, sed distinctis cellulis; in superiore siquidem fursur, in inferiore verò farinam servat*.

Quatuor studiosorum differentiæ.

Vers. 18. VERBUM SAPIENS QUODCUMQUE AUDIERIT SCIUS (græcè ἐπιστήμων, id est, sciens, prudens, sensatus) LAUDABIT, ET AD SE ADIICIET: id est, sibi applicabit, ut illud in arca memoriæ recondat, & in actus moresque conferat. Aliter Jansenius: *Adiiciet*, inquit, id est, auctius illud reddet. Sed priorem sensum exigit τὸ *ad se*, & antithesis quam subdit, dicens: AUDIVIT LUXURIOSUS (verbum sapiens) ET DISPLICEBIT ILLI, ET PROIICIET ILLUD POST DORSUM SUUM] q. d. Sapiens omnem sapientiam, quam audit vel legit, instar ovis ruminat, & in viscera transfert, ut inde crescat & pinguescat: at stultus qui suas facultates præfert sapientiæ, qualis inprimis est luxuriosus; hic aversatur eam, ideoque ab oculis abiicit post tergum, ne cogatur eam aspicere, indeque vel mutare vitam, vel assiduè corripi, castigari & verberari.

Nota. Pro *luxuriosus*, Noster legit cùm multis σπαταλῶν, id est, delicians, luxurians, luxui vacans; sed Complut. & alij legunt ἀσύνετος, id est, insipiens Rursum pro *ad se adiiciet*, græcè est, ἐπ' αὐτὸν προσθήσει: ubi Noster αὑτὸν, legit spiritu aspero, ut significet *se*; iam legunt spiritu leni, αὐτὸν, id est, *ipsum*; unde vertunt, *& ad ipsum adiiciet*. ita Tigur. *si peritus*, inquit, *audierit dictum sapientis, laudabit illud, reddetque auctiùs: quòd si audierit imperitus improbabit idem, & post tergum suum abiiciet*; & Syrus, *verbum sapiens, & laudat illud, & super illud addit: & audit stultus, & de eo ridet, & proiicit illud ad unum ex lateribus suis*, id est, in angulum retrudit. Nimirum sicut lyræ aut citharæ similes, & simili modo temporatæ & modulatæ, invicem sibi respondent, adeò ut una pulsata alteram per quamdam sympathiam, & occultam obsequentiam ex adverso accinere, & similiter sonare compertum sit: sic etiam sapiens sapienti acquiescit accinitque, eiusque dicta, velut stuppæ flammam, eminus odoratur, haurit & concipit. Idem facit stultus stulto & vitiosus vitioso. Unde illud: Fur furem agnoscit, mœchus mœchum, latro latronem. Tanta est vis similitudinis, similisque in corde affectionis & dispositionis: hæc enim per motus & gestus similes foris se prodit, ex eisque à simili & conscio agnoscitur. Quin & sicut chordæ factæ ex nervis lupinis dissonant, & quasi obstrepunt, chordis quæ factæ sunt ex nervis ovinis per naturalem antipathiam: sic stultus dissonat & obstrepit dictis sapientis; & vice versa.

Ut lyra lyræ sic sapiens sapienti consonat.

Vers. 19. NARRATIO FATUI QUASI SARCINA IN VIA: NAM IN LABIIS SENSATI INVENIETUR GRATIA] Tigur. *lepor*. Dixit, quale quamque differens & diversum sit cor stulti à corde sapientis, nunc idem dicit de ore: os enim sequitur cor & mentem: qualis enim est cogitatio cordis, talis est & sermocinatio oris. Dicit ergo, *narrationem fatui esse quasi sarcinam in via*, quia sicut hæc onerosa est & molesta, gravatque & impedit viatores, ne facilè & expeditè in via progredi queant: ita pariter illa narratio stulti molesta est, gravatque auditores, tum, quia importuna est; tum quia multiloqua; tum quia insulsa. At verò *in labiis sensati invenitur gratia*: quia, sicut gratiosa, id est, discreta, prudens, concinna, suavis,

utilis

utilis & salubris, est eorum cogitatio, ita est & eorum oratio & narratio: quocirca auditores non gravat, sed delectat, ut cupiant eam crebrò audire, ut sequitur. Unde Syrus vertit, *narrationes impii sicut sarcina gravis in via* (quia narrat sibi similia impia & turpia; aut, si pia & sancta narret, narrat ea modo ingrato & insipido) *& omne verbum justi gratia*. Audi S. Ambros. lib. 1. de Interpell. Job c. 3. *Narratio fatui sarcina in via. Quid enim aliud est peccatum nisi sarcina? quæ hujus sæculi onerat viatorem gravi depressum fasce delicti? qui si nollet oneri subjacere, debuit audire dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, Matth. 11.

Vers. 20. OS PRUDENTIS QUÆRITUR IN ECCLESIA, ET VERBA ILLIUS COGITABUNT (Syrus, *ponent*, scilicet auditores; Græca Roman. *cogitabit*, scilicet Ecclesia) IN CORDIBUS SUIS] *Ecclesia* significat congregationem vel cœtum quemlibet hominum: q. d. In cœtu homines quærunt audire sapientem & prudentem, ut ejus doctrina instruantur, castigatione corrigantur, consiliis dirigantur, ideoque verba illius in corde suo appendent & ruminabunt. Unde Tigurina, *os sapientis in cœtu consulitur, & quisque dicta ipsius perpendit animo*. Contrarium facit stultus. Unde subdit:

Vers. 21. TAMQUAM DOMUS EXTERMINATA SIC FATUO SAPIENTIA: ET SCIENTIA INSENSATI INENARRABILIA VERBA] Græca, *tamquam domus destructa sic fatuo sapientia, & cognitio imprudentis investigabilia verba*. *Τὸ sic fatuo sapientia*, duplicem habet sensum. Prior est, q. d. Sapientia prudentis, quæ quasi grata quæritur & perpenditur in Ecclesia, ingrata & contemptibilis est fatuo: ipse enim eam nihili æstimat, imò odit & aversatur tamquam insipientiæ suæ contrariam. Sicut qui amat & quærit domum ritè ædificatam, odit domum destructam & eversam, suisque ruinis obrutam & sepultam. Huic sensui favet Tigurina, *instar domus eversa est stulto sapientia, & scientia imperiti sermones inconsulti sunt*; & Syrus, *sicut carcer est sapientia stulto; & intellectus insano sicut carbones ignis*, quibus se & alios comburat.

Posterior & germanior est, q. d. Sapientia quæ in fatuo est, quam scilicet à sapiente audivit aut legit, ab ipsomet fatuo inconditè, ineptè, inordinatè, inconnexè, inconcinnè, confusè, imò contrariè & contradictoriè proposita, est quasi domus eversa. Sicut enim fatuus sua fatuitate domum destruit & evertit: sic idem evertit sapientiam quam protulit, dum ei immiscet vel subjungit sententias stultas, imò contrarias & contradictorias, quæ sapientiam ab ipso prolatam evertant. Sermo enim sapientis ordinatus, verax, compositus, connexus, pulcher, similis est fabricæ domus pulchræ, in qua una pars alteri recto ordine inædificatur, cohæret, compaginatur, ut omnes junctæ elegantem orationem quasi domum construant. At stultus sapientiæ, quam ædificare cœpit, admiscet & quasi inædificat fatua, insulsa, contraria, quæ sapientiæ fabricam evertant & destruant. Unde subdit: *Et scientia insensati inenarrabilia verba*: q. d. Insensatus & stultus scientiam suam profert & eloquitur incompositè, inordinatè, inintelligibiliter, ut ejus scopus & connexio, imò & summa sententiaque, mente comprehendi & voce enarrari nequeat; adeò ut si rogeris, Quid dixit ille fatuus? responsurus sis, Nescio: neque animi ejus sensa possis mente complecti, multò minùs verbis enarrare. Unde nonnulli vertunt, *fatui* in genitivo, hoc modo: *Quod eversa domus, id est fatui sapientia, & scientia insipientis, res quæ perscrutari nequeunt*. Sicut enim in domo eversa omnia sunt confusa, incomposita, perturbata, eversa, sic & sunt in sapientia & sermone stulti. Hic verum est illud Nazianz. in Carm. ad Nicobulum: *Simia est simia etiamsi purpura vestiatur. Asinus etiam auro onustus, propterea rudere non desinit*.

Parabolam hanc festivo galli & vulpis apologo illustrat Cyrillus lib. 2. Apolog. moral. cap. 15. cui titulus: *Contra tumentes ex scientia. Gallus*, inquit, *intelligens dispositionem mutabilitatis cælestis, mox de sua scientia tumidus, in arboris ramunculum ascendit, & vecto collo alta voce cantavit. Quem cùm vulpes audisset, ad ejus cantum quàm citissimè accurrit, & stans deorsum ipsum salutavit & dixit: Frater mi, audivi vocem exultationis tuæ, quæso, cantationis causam indica mihi. At ille protinus inquit, Nimirum intelligentia supernæ dispositionis ditatus, eam cùm sentio, statim voce cantabili nulls in*

Apologus galli jactantis cantum

vidus pango: Tunc vulpes subridens ait: Ergo plenus es scientia, quæ est divinorum sublimium disciplina. Quo audito gallus plus intumescens cantavit, moxque vulpes saltavit. Cui ille desuper, Ut quid saltasti? Ipsa respondit, Quia tu priùs exultasti. Gaudere nam que cum gaudenti ut li et. Dolositatis deinde rete expanens, verbis callidis adjunxit: O galle tu es gloria nostra, tu es bestiarum lætitia. Te nunc quæso porrige, si dignaris, ut osculer mirum intelligentia tua caput. Sed vide stolidam superbi de scientia sibi blandientis inscitiam & amentiam. *At ille adulationis dolosa mellea lingua emollitus, statim vitale caput improvidus ori famelico porrexit. Quod avida vulpes stringens, deorsum miserum traxit, & subjunxit: Galle, galle, ubi est sapientia tua? concepisti superbiam, & perdidisti prudentiam, & dedisti pro nihilo vitam tuam. Cui gallus. Quid gloriaris in malitia. At illa respondit: Non est malitia humiliare superbiam, sed ars vera*. Denique idipsum exemplo stellæ & oculi constabilit. *Sidus namque quanto splendidius, tanto demissius est; & quanto sublimius, tanto apparet minus. Parvus oculus rimatur acutiùs, & in cauda vermiculi lucis clarissima fulget decus Porrò quod scivisti, si te ignorasti? aut si novisti, quomodò superbisti, pulvis & cinis? Quid plura? Nulla major dementia est, quàm per scientiam cùm inflaris, perdere sapientiam. Quo dicto, statim famelica suum ventri ex præda officium dedit*.

Similia.

Vers. 22. COMPEDES IN PEDIBUS, STULTO (græcè, ἀνοήτῳ, id est, *stultis*) DOCTRINA, ET QUASI VINCULA MANUUM SUPER MANUM DEXTRAM] Tigurina, *disciplina compedes sunt pedibus stultorum, & instar manicarum in manu dextra*; alii, *pedicæ in pedibus sunt amentibus disciplina, & ut manicæ super manu dextera*; Syrus, *sicut compes est doctrina in pedibus stulti, & sicut vinculum in dextera ejus*. Dat causam cur stulti oderint sapientiam, quia, scilicet, ipsa est quasi compes vinciens & stringens eorum pedes, ne ad fatua exercenda progrediantur. Eadem est quasi manica stringens *manum dextram*, ne quid fatui operetur: q. d. Sapientia, quia sua disciplina restringit, & coercet disciplinatos stultorum affectus, gressus & actiones, hinc eis est exosa. Unde ipsi ut suas cupiditates sequantur, liberè incedant, agantque quod lubet, vincula hæc sapientiæ excutiunt dicuntque: *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum*, Psalm. 2.

Vers. 23. FATUUS IN RISU EXALTAT VOCEM SUAM: VIR AUTEM SAPIENS VIX TACITE RIDEBIT] Distinxit fatuum à sapiente in cogitatione & sermone, nunc eumdem distinguit in risu: quòd scilicet fatuus ad quamlibet occasionem, imò nulla de causa, temerè solvatur in risum, rideatque effusè, latè diducto ore, ac insulsè, ad ea ob quæ potiùs lugere & flere deberet, quodque in risu *vocem exaltet*, cachinnetur & perstrepat. Cujus risus causa est animi levitas, mobilitas, lascivia & stoliditas. *Sapiens* verò rarò & modicè rideat, nec tam rideat quàm subrideat, & labia instar ridentis diducat; quia sapiens sapienti, id est, gravi, maturo & constanti, æquè ac modesto & verecundo est animo, scitque se in hoc mundo pleno ærumnis & periculis, quasi in valle lacrymarum versari, ideoque potiùs lugere quàm ridere debere, juxta illud: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, Matth. 5. Unde Græca habent, *stultus in risu attollet vocem suam, vir autem callidus vix placidè subridet*; Tigurina, *stultus per risum sustollit cachinnum, at vir sapiens subridet tacitè*; Syrus, *cum quiete ridet*: vel potiùs subridet: hoc enim significat Græcum ἡσυχῇ μειδιάσει. Alludit ad Ecclesiastæ c. 7. 5. *Cor sapientium ubi tristitia est, & cor stultorum ubi lætitia*, &c. *quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti*.

Ita Christus Dominus sæpiùs flevisse, numquam risisse legitur, ut Christianos doceret hìc flendi, in cœlo ridendi fore tempus. ita S. Basil. Reg. 17. fusiùs disput. Idem Ad filium spirit. Ita ei præscribit: *Noli dissolutis labiis risum proferre: amentia namque est cum strepitu ridere; sed subridendo tantummodò mentis lætitiam indica. Nec in modum parvuli velis jocari assiduè: quia non convenit ei qui ad perfectionem nititur, jocari ut parvulus. Esto in malitia parvulus, & vir perfectus in sensu. Nullum enim habet accessum cordis compunctio, ubi fuerit immoderatus risus ac jocus. Ubi verò fuerint lacrimæ, ibi spiritalis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat, & vitia cuncta exurit. Tunc aviditate cælesti anima flagrans, Christi amori copulatur, cum in terris degens de cælestibus jugiter meditatur, calcat sæculi voluptates, nec ulla sæculi cura eam segregat ab amore Christi; sed ut figura quædam inter homines versari videtur*,

Gnome Patrum.

videtur, & tota ejus conversatio in cælis est. Mors illi præsens, tamquam vita ipsa, est dulcis. Cupit dissolvi & esse cum Christo, quem in carne vivens intra suum portaverit templum. S. Basilio succinit ejus summyster S. Gregor. Nazianzen. in Tetrastichis.

Risum, inquit, *meretur quilibet risus procax*,
Fletum immodestum haud levem risus parit.
Tristem esse præstat, quam solutis moribus.
Firmum caduca nulla res tangit virum.

Idem orat. 11. de Gorgonia sorore sua ita scribit: *Quanam oculos ita frænavit? quanam risum ita irrisit? adeò ut vel leniter subrisisse, nimium penè ipsi videretur.* Vide S. Ephrem to. 1. tract. 44. cujus hic est titulus: *Non esse ridendum, sed lugendum & plorandum.* S. Bernard. tract. de Natura divini amoris cap. 3. *Amplectatur*, ait, amans Deum *cordis puritatem, corporis munditiam: silentium, vel verbum ordinatum: oculos stabiles, & non sublimes: aures non prurientes: victum & vestitum sobrium, & qui faciat, non impediat, boni operis diætam: manus continentes; gressum mitem, non ridendo cordis prodere lasciviam, sed leviter subridendo gratiam.* Idem in sermone de S. Malachia, Archiepiscopo Hiberniæ, modestum ejus risum ita dilaudat: *Risus aut indicans charitatis*, B *aut provocans, rarus tamen & ipse. Equidem interdum eductus, excussus numquam: qui ita nuntiaret cordis lætitiam, ut oris gratiam non minuerit, sed augeret. Tam modestus, ut levitatis non posset esse suspectus: tantillus tamen, ut vultum hilarem ab omni tristitia nævo vel nubilo vindicare sufficeret.* Sic de nostro R. P. Petro Canisio scribit P. Sacchinus lib. 3. Vitæ ejus, pag. 328. *Risus ei perrarus, idemque non nisi humanitatis & charitatis in tempore condimentum. Lingua sancta, nescia nugarum, in mediis aulis religiosa, ubique cælestia divinarum laudum mella manans.*

ἀγέλαστοι qui. Sic inter Gentiles ἀγέλαστοι, id est, risus expertes, Cognominati sunt & celebrati, Hieraclitus, Anaxagoras, Aristoxenus, Phocion, M. Crassus, Licinius, M. Cato, Nerva. Bessarion Cardin. libr. 4. Apologiæ Platonis c. 1. scribit Platonem adeò fuisse modestum & gravem, ut rarò subriserit, riserit numquam. Risus enim nimius ridiculum facit, vel indicat: quare insipientem decet, non sapientem juxta illud vulgò tritum:

Per risum multum poteris cognoscere stultum.

Quocirca Seneca in Proverb. litter. M. *Morbum* ait, *esse scias, non hilaritatem, semper arridere videntibus, &* C *ad omnium æstimationem ipsum: quoque os diducere.* Denique Beda in Proverbiis: *Præceps ad risum, præceps quoque fertur ad iram.* Et Dacrianus in Speculo Monach. *Cachinnum*, inquit, *tamquam altum animæ præcipitium fuge, sciens quia risus excussus indisciplinatusq; claustra pudoris violat.* Plura de risu dicam Ecclesiast. 2. 2.

Vers. 24. ORNAMENTUM AUREUM PRUDENTI DOCTRINA, ET QUASI BRACHIALE IN BRACHIO DEXTRO] Est antithesis: nam v. 22. dixit fatuo doctrinam esse quasi compedes pedum, & manicas manuum, hic ei opponit sapientem: huic enim doctrina & sapientia est instar ornamenti aurei, v. g. instar monilis & torquis aurei: quia similiter eum ornat in se, magisque eum ornabit, si quasi doctor eam aliis communicet & doceat: quare est ei instar armillæ & brachialis, quod manus & brachia decoret & exornet. Unde Tigurina, *veluti ornamentum aureum est eruditio sapienti, & instar armillæ brachio dextro:* Syrus, *sicut monile aureum sapientia intelligenti, & sicut gemma annuli super manu ejus dextra.* Sicut ergo annulus aureus & gemmeus ornat dexteram, sic sapientia ornat sapientem. Hujus rei symbolo Doctores dum creantur, torque aurea & D annullo aureo donari & insigniri solent, uti dixi cap. 6. 25.

Vers. 25. PES FATUI FACILIS IN DOMUM PROXIMI: ET HOMO PERITUS CONFUNDETUR A PERSONA POTENTIS] Distinxit sapientem à stulto, in corde, ore & risu nunc distinguit in incessu: q. d. Fatuus,

Fatuus est curiosus & impudens.

quia curiosus & impudens, facilè ingreditur *domum proximi*, ut curiosè & impudenter scrutetur & audiat quid in ea agatur: at *homo peritus*, Græcè λύχνειος, id est, multa expertus indeque prudens, qui scilicet experientia didicit quàm ingrata sit hominibus curiosa perscrutatio domus propriæ, nimiaque libertas in eam ingrediendi; hic *confundetur*, Græcè αἰσχυνθήσεται, id est, erubescet, verecundabitur, reverebitur *personam*; &, ut Græcè est, vultum hominis *potentis*: q. d. Sapiens est verecundus & reverens, adeò ut & vultum potentis fixiùs inspicere erubescat: at fatuus est inverecundus & irreverens, adeò ut non solùm A vultum potentium intueri; sed & domum eorum sine causa, nec vocatus, ingredi, inspicere & perscrutari audeat. Unde S. Ambros. ad Virgin. sic legit *pes fatui facilis in domum proximi: qui autem sapiens est, verecundatur*; Tigurina, *pes stulti in domum alterius proclivis est; at peritus homo reformidat vel inspectionem;* alii, *pes stulti festinus est ad domum, homo autem expertus erubescit ad aspectum;* Syrus, *pedes stulti ingrediuntur citò intra domum, & vir sapiens inclinat faciem suam*, quasi erubescens curiosè eam inspicere, ideoq; oculos deprimens, ne videat quæ in domo sunt vel fiunt: q. d. Prudens verecundè, nec nisi invitatus vel coactus, ingreditur domum potentis: ejus enim faciem erubescit. Hoc vitio notatus fuit Crates Thebanus, qui idcircò vulgò dictus est θυρεπανοίκτης, id est, ostiorum apertor, quòd in omnes domos irrumperet, &, si quid displicuisset, reprehenderet Cynica libertate, teste Laert. l. 6. c. 5. Quocirca Socrates, ut suos auditores à curiositate rerum alienarum avocaret, crebrò usurpabat illud Homeri:

Ædibus in nostris quæ prava aut recta geruntur.

STULTUS A FENESTRA RESPICIET IN DOMUM: VIR AUTEM ERUDITUS FORIS STABIT] Vers. 26.
B Secundus est hic gestus stulti: q. d. Fatuus, si nequeat ingredi domum alterius, quia fores sunt occlusæ, aut obsidentur ab aliis, similive de causa, tunc per rimas ostii aut fenestræ, rusticè & curiosè quasi stultus prospiciet in domum, præsertim si quem ex domo convenire vel alloqui desideret: at *vir* bene institutus & moratus, *foris stabit* pulsans ostium, ut evocet eum quem conventum cupit; vel, si Prælatus aut vir primarius sit, exspectabit donec ab eo evocetur, aut donec is domo egrediatur, itàque ei occurrat, seseque insinuet. Unde Græca habent, *insipiens per januam introspicit in domum: vir autem bene institutus foris stat;* Tigurina, *insipiens ab janua domum introspicit: at vir eruditus foris consistit;* Syrus, *stultus ex janua introspicit in domum: & boni viri est ut stet foris & loquatur.* Ita Xenocrates (ait Laert. l. 4. c. 2.) nihil referre dicebat, utrùm pedes an oculos inferas in alienas ædes, imò ab oculis magis metuunt incolæ, quàm à pedibus.

Præclarè Hugo Victor. de Institut. novit. cap. 12. *Gestus hominis*, inquit, *in omni actu debet esse gratiosus sine mollitie, quietus sine dissolutione, gravis sine tarditate, alacer sine inquie-* C *tudine, maturus sine protervia, & sine turbulentia severus.* Huc facit apophthegma R. Judæ in *Pirke avoth*, id est in Sententiis patrum: *Procacis ac inverecundi hominis habitatio est infernus: sicut è contrà modesti & verecundi, paradisus. Placuit tibi Domine Deus noster, præcipuam nostram sortem in legis tuæ studio constituere.*

STULTITIA HOMINIS AUSCULTARE PER OSTIUM: ET PRUDENS GRAVABITUR CONTUMELIA] Vers. 27. Tertius hic est gestus stulti, qui si nequeat ingredi domum, nec in eam per januam vel fenestram introspicere, invercundè & imprudenter aures applicat ad ostium, ut audiat quid in domo dicatur, aut geratur: & vir prudens grave sibi reputat hanc incivilitatem, immodestiam & inverecundiam committere; quia eam æstimat ingens esse suum, æquè ac domus incolarum probrum, dedecus & contumeliam. *Prudens* ergo *gravatur contumelia*; q. d. Primò, gravem dicit hanc infamiam & contumeliam. Secundò, q. d. Prudens putat sibi à fatuo gravem fieri injuriam & contumeliam, dum is curiosè & inverecundè ad ostium suum auscultat, ut secreta audiat. Unde Syrus vertit, *stulti est hominis auscultare ad januam, & sapienti gravis* D *est contumelia ejus.* Summa horum omnium est, stultum rerum suarum esse incurium, alienarum verò esse curiosum, ideòque immodestè & inverecundè eas scrutari: sapientem verò alienarum rerum esse incurium, suarum verò curiosum, ideòquè sua attentè introspicere & circumlustrare, aliena verò negligere & præterire: quia eorum curam aliis ad quos pertinet relinquit, eam verò arrogare sibi, incivile, rusticum & ignominiosum dicit.

Pro *stultitia* Græcè est ἀπαιδευσία, id est imperitia, rusticitas, incivilitas, ineptia, insolentia, insulsitas. Unde Tigur. vertit, *ad ostium auscultare quempiam, inscitia est qui sapit, hoc dedecus gravatim suscipit;* alii, *inscitia hominis est auscultare ad januam: prudens verò graviter fert infamiam.* q. d. Auscultare ducit esse infame.

LABIA IMPRUDENTIUM STULTA NARRABUNT: VERBA AUTEM PRUDENTIUM STATERA PONDERABUNTUR] Vers. 28. tum statera rationis à prudentibus

dentibus antequam ea proferant, tum statera auctoritatis ab iis qui ea audiunt. Hi enim ea quasi præmeditatè, graviter & sapienter prolata, magni æstimabunt, verbisque & factis ostendent ea apud se magnum auctoritatis momentum & pondus habere, ut ea crebrò ruminent, meditentur, mente expendant, librent & ponderent, eaque in opus conferant, ac juxta ea mores suos conforment, vitamque instituant. Septuplicem stateram, qua singula verba æquè ac opera libranda, sunt recensebo Proverb. 11. v. 1. Græca habent, *labia loquacium ea quæ non sunt sua narrabunt, verba autem prudentium in statera librabuntur*; Tigurina, *labia loquacium narrant absurda: sapientes autem quæ dicunt statera ponderant*; alii, *labia multiloquorum aliena narrant: sermones autem prudentium statera ponderantur*; Syrus, *os impii in corpore* (in corpus) *sui ipsius* (idest contra seipsum) *loquitur: & cum pondere loquitur sapiens*. Græca verò Romæ correcta aliter habent, nimirum hoc modo, *labia aliorum in his gravabuntur: verba autem prudentium statera ponderabuntur*. Huc facit dogma S. Bernardi: *Verba tua prius veniant bis ad limam, quàm semel ad linguam*. Lima verborum est mens, est ratio, est prudentia, est consideratio. Unde sequitur: *In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum*. Huc etiam facit proverbium Arabicum cent. 1. n. 16 *Esto cum paliuro olina*, id est, esto cum stulto sapiens, & cum insano polylogo mentis compos & micrologus.

Præclarè B. Petrus Damiani epist. 10. ad Petrum Cerebrosum: *Qui dicaciam*, ait, *eloquentiam putat, rerum similitudine ductus aberrat. Sicut enim vir sapiens dicit: Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur. Planè sicut equus effrænis per anfractus & invia, plana vel ardua, quaque trasmittit: sic lingua stultorum recta vel frivola, ut qualibet suppetunt, indifferenter ac leviter effluit. Prudens autem quæ dicenda sunt ponderat, & tamquam cautus viator solerter attendit, ubi linguæ suæ vestigium figat. Ille quidquid occultum est, per impatientiam fundi producit in medium; iste, si dictet utilitas, sub clave silentii servat arcanum. Unde & idem Sapiens. In ore*, inquit, *fatuorum cor eorum, & in corde sapientum os illorum*.

Septem discrimina sapientis & stulti in loquendo.

Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pirke avoth*, id est, in Capitulis patrum: *Septem dicuntur de stulto, & totidem de sensato ac sapiente: Vir sensatus tacet & obmutescit coram seniore aut sapientiore se: loquentem non interpellat, importunè aliquid effutiens & extra tempus, in medio, videlicet, sermonis interserens: vix respondet interrogatus, interrogat autem ipse ad rem appositè, respondetq; etiam aptissimè ad quæsita: quæ primo loco proposita sunt, de iis agit primùm & ante omnia; posteriùs autem ad ea descendit agitanda quæ posteriore loco sunt oblata disceptanda: si quæ autem sint quæ fortè non intellexit, ingenuè admonet & dicit, Hæc & hæc capere non potui, hæc autem intellexi. Tandem cognita perspectaq; veritate, dat manus & ulterò cedit. Contrario prorsus modo de stulto ratiocinandum est.*

Vers. 29. Stulti habent cor in ore, sapientes os in corde. Primò.

IN ORE FATUORUM COR ILLORUM: ET IN CORDE SAPIENTIUM OS ILLORUM] q.d. Fatui quidquid habent in corde, id ore effutiunt: nesciunt enim sensa sua celare: hinc videntur *cor* non habere intra viscera reconditum, sed in *ore* repositum, omnibusque patulum & expositum: ex adverso sapientes ore nihil proferunt, nisi quod priùs in corde bene expenderunt: quare quæ celanda sunt celant, nihilque dicunt nisi quod hoc loco, tempore, coram talibus, &c. dicendum est: quare videntur os non habere in vultu patulum omnibus, sed reconditum *in corde*: quia cor dirigit & moderatur os eorum, ut non tam os quàm cor eorum loqui ac vicissim tam os quàm cor eorum sapere videatur. Unde Tigurina, *ab ore stultorum pendet cor eorum: at in corde sapientum os eorum situm est*: quia scilicet sapientes os & verba cordis discretione reprimunt, & mensurant. In stultis ergo dominatur os, id est, garrulitas & protervia loquendi, adeoque os regit cor ipsorum. In prudentibus verò dominatur cor, illudque regit os eorum, juxta illud Proverb 16. *Cor sapientis erudiet os eius*. Et illud Psaltis psalm. 36. 30. *Os justi meditabitur*, id est, meditatò vel meditatam proferet, *sapientiam*, quia, scilicet, justus os habet in corde: cordis enim est meditari, oris verò meditatū eloqui. Unde Syrus nervosè, *os stulti ipsum est cor eius, & os sapientis in corde suo*. Sapienter Gellius lib. 1. 15. scribit garrulorum orationem in ore nasci, non in pectore. Ex adverso Homerus Ulyssem virum sapientem aut vocem mittere non ex ore, sed ex pectore. Hinc & dicitur psalm. 51.

A v. 2. *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua*. Ubi rectè Origenes apud Agellium: *Cor*, ait, *fatuorum in superficie situm est, non in profundo, ad labia exilit*. Sic olim dictum est, Græcis sermonem à labiis & ore, Romanis è mente & corde proficisci. Huc pertinet illud Themistoclis: *οὐκ ἔνεστι τῷ λόγῳ*, id est, *sermoni inest os* & vigor, dictum de oratione non inani & fatua, sed gravi & sapienti solidas habente sententias. Sic Quintilianus rerum inventionem appellat *orationis ossa*, sumpta similitudine ab animantium corporibus quæ ossibus sustinentur, colligantur nervis, vestiuntur carnibus & pelle, cohærent anima, moventur actu.

Secundò, cor symbolum est secreti, os verò revelationis secreti. Cor enim in abscessu pectoris latitat, & intra præcordia se reducit. Sapientibus ergo *os est in corde*, id est, in abdito profundoque mentis recessu, ut silere & celare norint, quod alii ore produnt. Fatuis verò *cor est in ore*, id est, secretum in lingua, quia omnibus illud propalant. Ita S. Gregor. Nazianz. epist. 1. ad Celeusium silentii se arguentem, scribit apologum hirundinum & cycnorum, hirundines enim habent cor in ore, cycni verò habent os in corde. *Melius est*, inquit, *silentium cycnorum, quàm garritus hirundinum*. q. d. Melius est silentium sapientum, quàm loquacitas insipientium. tandemque alio proverbio conclu- *Secundò.*

B dit: *Tum cantabunt cycni, cùm graculi tacuerint*. Idem de Diversis vitæ generibus:

> *Non ego*, inquit, *cum gruibus, non anseribusque sedebo In synodis, quæ se Marte furente petunt.*

Synodos anserum & gruum vocat illa concilia, in quibus nil rectè & ordine gerebatur, sed confusis pugnantium inter se hominum clamoribus omnia perstrepebant, quales erant Synodi Arrianorum ad evertendum Concilium Nicenum.

Tertiò, Pineda libr. 3. de Rebus Salomon. c. 12. n. 4. *In corde*, inquit, *sapientum os illorum, & in ore fatuorum cor illorum*: q. d. Stultorum vana est eloquentia, at sapientum solida, ut quæ non solum verbis constet, sed & cordata sit, & gravibus sententiis polleat. Quod Salomon Sap. 7. v. 15. ait: *Mihi dedit Deus dicere ex sententia*, id est, ex anima & corde sententiosè, cum sensu quodam & quasi sapore eorum quæ dicuntur. *Tertiò.*

Quartò, Rabanus: *In ore fatuorum*, inquit, *cor illorum est, quando hæreticorum & schismaticorum stulta intentio verborum intendit ornatui: in corde autem sapientum os illorum, quando* *Quartò.*

C *electorum studet eloquium, veræ sapientiæ fideliter exprimere sensum*. q. d. Stulti solam eloquentiam, prudentes magis sapientiam aucupantur, eamque verbis ostentant. Stulti ergo cor in ore, id est sapientiam in loquacitate, collocant, sapientes verò os in corde, id est, eloquentiam in sapientia reponunt, censentque se eloquenter dicere, si sapienter dicant. Huc facit illud vulgò tritum: *Stulta est egena sapientiæ eloquentia*: sapiens verò est sapientia, etiam carens eloquentia.

Denique cor symbolum est prudentiæ, magnanimitatis, consilii: os verò, id est garrulitas, imprudentiæ, levitatis, insipientiæ. Cor enim est animæ receptaculum, voluntatis fons, consilii & rerum agendarum radix. Unde Beda in Proverbiis: *Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde*. Nam ut ait Aristot. lib. de Sensu & sensibili: *Anima est in corde, sicut aranea in sua tela*, tum physicè, tum ethicè. Physicè quia in corde quasi arce habitat anima, indeque per spiritus vitales vivificat totum corpus. Unde cor est principium vitæ & sensus, præsertim tactus, quem acutissimum habet aranea, juxta illud: *Quintò.*

D *Lynx visu, sus auditu, præcellit aranea tactu*. Quia, ut ait Aristot. l. 2. de Anima: *Animal est animal propter sensum tactus*. Omne enim animal habet tactum; & quidquid habet sensum tactus, est animal, esto careat visu, auditu, aliisque sensibus. Ethicè, quia anima per cor, id est mentem & rationem, loquitur, & agit omnia. Stulti ergo cor, id est sapientiam & virtutem, in ore, id est in sua insipientia, reponunt: sapientes verò suum os, id est levitatem & insipientiam, in corde abscondunt & celant. Planè, inquit Palacius, stultus homo exterior est, idcirco cor habet exteriùs in lingua: at prudens interior homo est, linguam igitur revocat ad cor.

DUM MALEDICIT IMPIUS DIABOLUM; MALEDICIT IPSE ANIMAM SUAM] *Maledicit*, id est, Primò, execratur, ut vertit Tigurina: q.d. Dum impius execratur diabolum, execratur seipsum; quia ipse similis est diabolo: est enim impius ut ipse. Fatuè ergo fatuus *Vers. 30.*

vocant φιμῶσαι. Unde Plinius l. 18. c. 19. *Fiscellis*, inquit, *capistrari boves oportet, ne germinum tenera praecerpant*. Ergo judices dona accipientes, inquit Palacius, sunt sicut equus & mulus, quorum maxillas munera velut camo & fraeno constringunt.

De cavendis muneribus. Moral. disce hic quàm judici cavenda sint munera. Quocirca Justinianus Imp. §. *Oportet* de Mandatis princ. Auth. collat. 5. & novell. 25. omne omnino ei vetat munus. *Oportet*, inquit, *te pure sumentem administrationem, & sine omni suffragio, & prae omnibus aliis mundas servare manus Deo, nobisque & legibus, & nullum contingere lucrum, neque maius, neque minus*. Nam ut ait S. Nazianz. in Distichis: *Munera faciunt ut sapientes quoque viri hallucinentur: atque ut aves laqueo, sic homines auro capiuntur*. Et inferiùs: *Auro loquente iners est omnis oratio: persuadet enim illud, etiamsi nullam vocem edat*. S. Chrysost. homil. 64. in Joannem: *Gravis*, ait, *morbus est avaritia, oculos caecat, & aures obstruit, & quavis bellua saeviores reddit*. Idem censuere Gentiles. Plutarchus libr. de Iside: *Thebis*, ait, *judicum imagines visuntur absque manibus, & summi judicis oculi connivent, eò quòd justitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur*. Rectè Cajetan. & ex eo Delrio adagio 86. Munera affectum mutant, B inquit, & sic efficiunt, ut, si non speculativè, saltem practicè videatur accipienti fovenda, vel excusanda, vel toleranda pars à qua munera accipit. Unde Moses Deuter. 16. vers. 19. *Non accipies*, ait, *personam, nec munera: quia munera excaecant oculos sapientum, & mutant verba justorum*, nimirum quantumvis oculatus fueris ut aquila, ut serpens, oculi tui muneribus eruentur. Donum enim tacitè eblanditur & elucratur affectum ejus qui illud recipit, ac quasi cor illius non cogitantis sufuratur, illudque donanti alligat & astringit ut non possit non eum amare, non illi favere, & vicem rependere.

Quocirca Basilius Imper. Constantinopol. Exhort. ad Leonem filium, cognomento Philosophum; ita de muneribus sancit cap. 43. *Auro & muneribus venales honores & dignitates cave ne habeas, sed eas dignis largire gratis: qui enim magistratum pretio emit, subiectos illi magistatui multò magis emit, ut muneribus quae dedit fretus, ipse audaciùs munera capiat. Proba ergo atque explora priùs diligenter, atque ita demum ad honores proveh̃e eos qui sine muneribus ambibunt, si vis à republica omnem sordium & concussionis labem exulare.* C *Nam qui dat ut magistratum capiat, quaestum sibi à magistratu captat: dat enim ut jus capiendi habeat contra leges, hoc agens, ut nullis legibus teneatur. Qui enim magistratum mercari didicerit, is numquam munera capere dedíscet, & sine muneribus aliquid facere numquam volet: te autem concussionis & sordium habebit magistrum, quem debuerat habere vindicem: neque ipse solùm munera capiet, sed eos etiam qui sub ipso erunt, munera capere coget.* Breviter sed nervosè, Demosthenes: *Dona principum*, inquit, *sunt auctoramentum servitutis*: quos enim donis afficiunt, hos quasi servos sibi mancipant.

Vers. 32. SAPIENTIA ABSCONSA, ET THESAURUS INVISUS (Syrus, *occultus*: hic enim non videtur;) QUAE UTILITAS IN UTRISQUE?] S. Hieron. in cap. 2. Sophon. legit, *sapientia abscondita, & thesaurus non comparens, quae utilitas in ambobus?* Ἀ´φανὴς enim est non comparens, non visus, latens, occultus, obscurus, incognitus.

Respicit ad id quod dixit v. 29. *Sapiens in verbis producet seipsum, & homo prudens placebit magnatis*. Ne enim quis otii & quietis amantior, suam sapientiam celet, eaque alios defraudet, addit: *Sapientia absconsa*, &c. Tigurina, *cùm sapientia occulitur, aut thesaurus abditur, quid est in utrovis* D *utilitatis?* Sicut enim thesaurus, licet in se pretiosus, nulli tamen est usui, si sit abditus: ita & sapientia, licèt maxima, frustra est, nullumque habet usum, si abscondatur. Quare, sicut thesaurus à natura & Deo datur ad usum, ideoque publicandus & erogandus est, sic & sapientia. Idem docet Christus in parabola talentorum, qua docet Deum exactam exigere rationem talenti bene & cum lucro expensi, ideoque damnare eum qui talentum defodit, vel in sudario ligavit, Matth. 25. Nam, ut rectè ait S. Gregor. 1. p. Pastor. cap. 9. *Pecuniam in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere*. Si ergo litteratus es, sed solitarius & absconditus, quem doces? si praedicator, quem ad bonam frugem convertis? si sapiens, cui consilium praebes? si sacerdos, cui Sacramenta ministras? si sanctus, quem aedificas? si robustus, si cujus utilitatem laboras? Quocirca Eremitae in solitudine suos docebant A discipulos & advenas, eosque ad sanctitatem efformabant. Item scribebant epistolas & libros, ut iis suam sapientiam proximis communicarent.

In eos qui refugiunt onus praedicandi. Egregiè hoc argumentum tractat S. Greg. 3. p. Pastor. admon. 26. *Admonendi sunt*, inquit, *qui cùm praedicare utiliter possunt, immoderata tamen humilitate refugiunt; ut ex minori consideratione colligant, quantum in maioribus rebus delinquant. Si enim indigentibus proximis ipsi quas habent pecunias absconderent, adjutores proculdubio calamitatis extitissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui, dum peccantibus fratribus verbum praedicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitae remedia abscondunt. Unde & bene quidam sapiens dicit: Sapientia abscondita & thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque?* Probat idipsum per tres similitudines, dum subdit: *Si populum fames attereret, & occulta frumenta ipsi servarent, auctores proculdubio mortis existerent. Qua itaque plectendi sint poena considerent, qui, cùm fame verbi animae pereant, ipsi panem percepta gratiae non ministrant. Unde & bene per Salomonem dicitur: Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Frumenta quippe abscondere, est praedicationis sancta apud se verba retinere. In po-* Prover. 11. B *pulis autem talis quisque maledicitur: quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere potuit, poena damnatur. Si medicinalis artis minimè ignari secandum vulnus cernerent, & tamen secare recusarent; profectò peccatum fraternae mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa involvantur aspiciant, qui, dum cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt sectione verborum. Unde & bene per Prophetam dicitur: Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Gla-* Jerem. 38. *dium quippe à sanguine prohibere, est praedicationis verbum à carnalis vitae interfectione retinere.* Et paulò inferiùs: *Audiant, quòd talentum qui erogare noluit, cum sententia dam-* Matth. 25. *nationis amisit. Audiant, quòd Paulus eo se a proximorum sanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitiis non pepercit, dicens: Contestor vos hodierna die, quia mundus sum* Actor. 20. *a sanguine omnium: non enim subterfugi, quo minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis. Audiant, quòd voce angelica Joannes admonetur, cùm dicitur? Qui audit, dicat, Veni: ut nimirum cui se vox interna insinuat, illuc etiam* Apoc. 22. *clamando alios, quò ipse rapitur, trahat: ne clausas fores* 17. *etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. Au-* C *diant, quòd Isaias, quia à verbi ministerio tacuit, illustratus superno lumine, magna voce poenitentiae se ipse reprehendit, dicens: Vae mihi quia tacui. Audiant, quòd per Salo-* Isaiae 6. *monem in illum praedicationis scientia multiplicari promittitur, qui in hoc quod jam obtinuit, torporis vitio non tenetur: ait namque, Anima quae benedicit impinguabitur: & qui ine-* Prov. 11. *briat, ipse quoque inebriabitur. Qui enim exteriùs praedicando benedicit, interioris augmenti pinguedinem recipit: & dum vino eloquii auditorum mentem deebriare non desinit, potu multiplicati muneris debriatus excrescit. Audiant, quòd David hoc Deo in munere obtulit, quòd praedicationis gratiam quam acceperat non abscondit, dicens: Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu cognovisti: justitiam tuam non abscon-* Psal. 39. *di in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Audiant, quòd sponsi colloquio ad sponsam dicitur: Quae habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam*, Cantic. 8. Hac sententia Zozimas persuasit S. Mariae Aegyptiacae (ut habet ejus Vita anno Christi 630.) ut angelicam vitam, quam in eremo per 47. annos nulli hominum, sed soli Deo & angelis visa, sanctè peregerat, ad aliorum exemplum panderet: *Omnia*, inquiebat, *quae circa te sunt* D *edicito, ut Deo magnalia facias manifesta: Sapientia enim abscondita & thesaurus occultus, quae utilitas in utrisque?* Cui sententiae ipsa obsecuta, omnem vitam suam Zozimae enarravit, qui deinde eam scripto posteris mandavit: qua proinde tum alii, tum S. Joannes Columbinus Ordinis Jesuatorum institutor, ad Deum conversi sunt.

MELIOR EST QUI CELAT INSIPIENTIAM, Vers. 33. (Syrus, *stultitiam*) SUAM, QUAM HOMO QUI ABSCONDIT SAPIENTIAM SUAM] Tigurina clarè, *potior est homo celans stultitiam suam, quam qui sapientiam suam supprimit*. Insipientia enim sapienter celatur, ne sibi aliisve noceat; sapientia autem sapienter promitur & evulgatur ad aliorum utilitatem & instructionem.

Porrò malum est abscondere sapientiam, ait Palacius, *quando Deus aut Superior iubent eam in lucem proferre, aut quando necesse est eam manifestare. Alioqui consultissimè sanctissimi illi Eremitae Dei sapientia pleni, in abditissimas solitudines se*

conii-

conjiciebant. Et planè, ſi ſapientia mea utilis futura eſt Chriſtianæ reipublicæ, curam Deus habet eam in lucem proferendi. Hoc demum non eſt ſilentio prætereundum: hæc verba, (ut arbitror) proœmium eſſe dicendorum, quaſi vellet Author dicere: Sapientiam meam vobis ſcribo in ſequentibus capitibus, quorſum enim abſcondam? cùm ſapientia abſconſa inutilis ſit. Hæc Palacius.

Complut. hanc ſententiam addunt: *Melior eſt exſpectatio invitabilis in inquiſitione Domini, quàm carens Domino auriga propriæ vitæ*, id eſt, ut clarè Tigurina; *pluris eſt inevitabilis* (vel neceſſaria) *ſequenti Dominum patientia, quàm vitæ propriæ gubernator abſque Domino*. Quæ ſanè in praxi aurea eſt ſententia. Alii, *potior eſt patientia quæ recuſari non poteſt, ab eo qui quærit Dominum, quàm agitator vitæ propriæ ſine Domino*. Verùm Græca à Romanis correcta, Latina, & Syra eam omittunt; unde non habet auctoritatem Scripturæ Canonicæ.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet ſummè cavendum ab omni peccato, & præſertim à ſuperbia. Secundò, v. 14. depingit mores ſtulti, eiſque opponit mores ſapientis. Tertiò, v. 23. deſcribit ſtulti immodeſtiam in riſu, viſu, auditu, voce, & ſermone.

1 Filli peccaſti? non adiicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare ut tibi dimittantur. 2. Quaſi à
facie colubri fuge peccata: & ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te. 3. Dentes leonis, dentes ejus,
interficientes animas hominum. 4. Quaſi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non eſt ſani-
tas. 5. Objurgatio & injuriæ annullabunt ſubſtantiam: & domus quæ nimis locuples eſt, annullabitur
ſuperbia: ſic ſubſtantia ſuperbi eradicabitur. 6. Deprecatio pauperis ex ore uſque ad aures ejus per-
veniet, & judicium feſtinatò adveniet illi. 7. Qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris: & qui
timet Deum, convertetur ad cor ſuum. 8. Notus à longè potens lingua audaci: & ſenſatus ſcit labi ſe
ab ipſo. 9. Qui ædificat domum ſuam impendiis alienis, quaſi qui colligit lapides ſuos in hieme.
10. Stuppa collecta ſynagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis. 11. Via peccantium
complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. 12. Qui cuſtodit juſtitiam, con-
tinebit ſenſum ejus. 13. Conſummatio timoris Dei, ſapientia & ſenſus. 14. Non erudietur, qui non
eſt ſapiens in bono. 15. Eſt autem ſapientia, quæ abundat in malo: & non eſt ſenſus ubi eſt amaritu-
do. 16. Scientia ſapientis tamquam inundatio abundabit, & conſilium illius ſicut fons vitæ permanet.
17. Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit. 18. Verbum ſapiens quodcum-
que audierit ſcius, laudabit, & ad ſe adiiciet: audivit luxurioſus, & diſplicebit illi, & proiiciet illud
poſt dorſum ſuum. 19. Narratio fatui quaſi ſarcina in via: nam in labiis ſenſati invenietur gratia.
20. Os prudentis quæritur in eccleſia, & verba illius cogitabunt in cordibus ſuis. 21. Tamquam do-
mus exterminata, ſic fatuo ſapientia: & ſcientia inſenſati inenarrabilia verba. 22. Compedes in pe-
dibus, ſtulto doctrina, & quaſi vincula manuum ſuper manum dextram. 23. Fatuus in riſu exal-
tat vocem ſuam: vir autem ſapiens vix tacitè ridebit. 24. Ornamentum aureum prudenti doctrina,
& quaſi brachiale in brachio dextro. 25. Pes fatui facilis in domum proximi: & homo peritus con-
fundetur à perſona potentis. 26. Stultus à feneſtra reſpiciet in domum: vir autem eruditus foris ſta-
bit. 27. Stultitia hominis auſcultare per oſtium: & prudens gravabitur contumelia. 28. Labia im-
prudentium ſtulta narrabunt: verba autem prudentium, ſtatera ponderabuntur. 29. In ore fatuorum
cor illorum: & in corde ſapientium os illorum. 30. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ip-
ſe animam ſuam. 31. Suſurro coinquinabit animam ſuam, & in omnibus odietur: & qui cum eo man-
ſerit, odioſus erit: tacitus & ſenſatus honorabitur.

VERS. 1. FILI PECCASTI? NON ADIICIAS ITERUM, SED ET DE PRISTINIS DEPRECARE UT TIBI DIMITTANTUR] Tigurina, *ſi peccaſti fili, ne pergas peccare, ſed anteacta depreceris*. Dicit, *ſi peccaſti*, quia, ut habet Arabicum proverbium cent. 1. n. 57. *Omniſſio peccati mollior eſt, quàm executio pœnitentiæ*: q. d. Melius eſt non peccare, quàm poſt peccatum pœnitere: melior eſt innocentia, quàm pœnitentia: ſatius eſt non habere occaſiones pœnitendi, quàm pœnitere: Jam ſenſus eſt: q. d. Poſt peccatum admiſſum quaſi poſt vulnus letale acceptum, duo tibi ad ſalutem neceſſaria remedia ſuggero. Prius, ne iteres peccatum. Sunt enim multi, qui cùm peccatum unum admiſerint, quaſi jam perdita innocentià & gratia deſperantes, proni in omne ſcelus ruunt, & quaſi ſues in cœno voluptatum voluntantur, uti faciunt meretrices & fornicatores. Hiſce ait *Fili peccaſti? ne adiicias iterum*, tum quia iteratio peccati novum eſt peccatum, novumque animæ vulnus. Sicut ergo qui unum vulnus accepit, cavet ne accipiat ſecundum, ita & qui unum peccatum admiſit, caveat ne admittat ſecundum: tum, quia faciliùs curatur unum peccatum quàm duo, tria & plura, ſicut faciliùs curatur unum vulnus quàm multa: tum, quia in iteratione peccati eſt animi protervia, & libido, quæ graviter Deum offendit, facitque ut difficilis ſit lapſi curatio & culpæ condonatio. Huc facit Hebræorum proverbium: *Præceptum trahit præceptum, & peccatum trahit peccatum*: q. d. Una obſervatio legis, una virtus trahit aliam, ſic unum peccatum trahit allicitque ad aliud.

Poſterius: *Sed & de priſtinis deprecare ut tibi dimittantur*: q. d. Non ſufficit ad veniam peccati, illud non iterare, vel vitam corrigere, quaſi pœnitentia non ſit aliud quàm reſipiſcentia, ut fingit Calvinus & Lutherus; ſed inſuper opus eſt dolere de peccato commiſſo, ejuſque veniam humiliter & dolenter deprecari. ita S. Auguſt. l. 1. de Nup. & concup. cap. 26. Ubi ex hoc loco docet, actum peccati tranſeuntem poſt ſe relinquere reatum, ſive maculam permanentem in anima, per quam homo cenſeatur & ſit peccator, ac iræ Dei & gehennæ ſit obſtrictus & reus. *Nam ſi à peccando deſiſtere*, inquit, *hoc eſſet, non habere peccatum, ſufficeret ut hoc nos moneret Scrip. Fili peccaſti? non adiicias iterum. Non autem ſufficit; ſed addidit: Et de priſtinis deprecare, ut tibi remittantur. Manent ergo, niſi remittantur. Sed quomodo manent, ſi præterita ſunt, niſi quia præterierunt actu, manent reatu?* hæc S. Auguſt.

Moral. citò peccatori pœnitendum.

Myſticè, S. Gregor. 4. Moral. c. 19. *Peccatum* inquit, *peccato adiicit, qui malè geſta etiam defendit; & nuditatem illam ſolitariam non relinquit, qui culpæ ſuæ tenebris etiam patrocinia defenſionis adiungit*, ut fecit Adam ſuum peccatum excuſans, imò retorquens in Deum: *Mulier quam dediſti*, inquit, *mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi*, Geneſ. 3. 12. q. d. *Tu occaſionem delinquendi præbuiſti, qui mulierem dediſti*. hæc S. Gregor.

Moraliter hìc diſce, poſt peccatum citò agendam eſſe

pœnitentiam, & post eam cavendum à relapsu, ac constanter persistendum in justitia Deique gratia. Audi S. Gregor. 3. p. Pastor. admonit. 31. *Admonendi*, inquit, *qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut considerare solicitè sciant, quia flendo inaniter mundant, qui vivendo se nequiter inquinant: cùm idcircò se lacrymis lavent, ut mundi ad sordes redeant.* Et paulò post: *Sus in volutabro luti cùm lavatur, sordidior redditur: & qui admissum plangit, nec tamen deserit, penè graviori culpa se subiicit, qui & ipsam, quam flendo potuit impetrare veniam, contemnit, & quasi in lutosa aqua semetipsum volvit: quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lacrymas facit.* Quocirca languido a se sanato hoc monitum dat Christus Joan. 5. 14. *Ecce sanus factus est: noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* De quo S. Cyprianus libro de disciplina & habitu virg. *Sospitantis*, inquit, *Domini verba sunt & docentis, curantis pariter & monentis: Ecce*, inquit, *sanus factus es &c. dat vivendi morem, dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem, nec habenis liberis & solutis vagari postmodum patitur: sed ipsis potiùs, quibus sanatus fuerat, mancipato, graviùs comminatur: quòd sit, scilicet, minor culpa deliquisse antè, cùm necdum nosses disciplinam Dei; nulla sit venia ultrà delinquere, postquam Deum nosse cœpisti.* Simile appositum affert San. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 3. *Nullus*, inquit, *hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutiùs remanere peccatis, cùm etiam in ipso corpore nemo velit suo spe futuræ salutis diutiùs ægrotare: tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt & sibi de ea indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant.*

VERS. 2. *Fuge peccatum quasi colubrū.*

QUASI A FACIE COLUBRI FUGE PECCATA: ET (id est, *quia*: dat enim causam fugæ peccati) SI ACCESSERIS AD ILLA, SUSCIPIENT TE] Legit Interpres δέξεται, id est, *suscipient*: sic quoque legit S. August. in Speculo: iam legunt δήξεται, id est, *mordebit*: δάκνειν enim significat mordere, δέχεσθαι, suscipere. Sed eodem redit sensus: q. d. Peccata suscipient te quasi colubri & serpentes suis spiris, ut te mordeant, suumque virus tibi instillent, quo ita lædent animam tuam, ut naturaliter sanari nequeas per te, sed ut saneris opus habeas gratia Dei supernaturali. Tigurina, *tamquam à conspectu serpentis fuge peccatum*; alij, *tamquam serpentem fuge peccatum: nam si accesseris, mordebit te.* Eleganter S. Paulinus natali 10. S. Felicis:

Vt faciem colubri Salomon peccata timeri
Horrerique monet, dicens armata leonis
Dentibus: & verè, quoniam velut ore ferino
Sæva vorant animam, quam vicerit ægra voluptas.

Alludit ad serpentem, per quem diabolus Evam ad peccatum pertraxit. Peccatum ergo est quasi serpens & basiliscus, qui solo visu quos aspicit necat: imò serpente ipsoque diabolo est nocentius, adeoque peccatum ex angelo pulcherrimo & felicissimo fecit teterrimum & miserrimum diabolum. Unde Rabanus: *A facie colubri* exponit *à facie diaboli. Coluber enim ille antiquus*, inquit, *qui semper colit umbras peccatorum, & regnat in filiis tenebrarum, interitum nostrum sine cessatione desiderat, ideoq; nobis suggerit opera facinorosa.* Syrus, *fili mi, multum fuisti fugiens à peccato: si appropinquas ad illud, mordebit te.* Per *morsum* hunc intellige omnem noxam, quam animæ infert peccatum, ac præsertim remorsum conscientiæ, juxta illud Dei ad Cain, Genes. 4. 7. *Sin autem male (egeris,) statim in foribus peccatum aderit?* Hebr. *accubabit: Videlicet more serpentis & canis morosi*, inquit noster Delrio adagio 9. *qui nec egredi, nec ingredi hominem tranquillè sinat, sed importuno latratu semper inquietet, hoc sensu perpetuo tibi tuum peccatum ante pedes, ante oculos obversabitur & adversabitur: ut te Deus ad tempus sinat impunitum, ipse peccati morsus, angues, furiæ acriter urgebunt, agitabunt, persequentur: quòcumque perges, peccatum te comitabitur, conscientia tua se ogger et & ingeret, irrequietum malum te conquiescere animo non permittet.*

Huc facit proverbium Hebraicum: *Cogitationes peccati* (de peccato admisso) *graviores sunt quàm peccatum*: quia cogitationes remordentes conscientiam ob peccatum perpetratum graviùs eam affligunt & cruciant, quam ipsum peccatum.

Porrò S. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Rom. notat τὸ *si accesseris. Non enim*, inquit, *peccatum ad nos accedit, verùm nos ad illud transfugimus.* Additque diabolum inter nos

A habitare *quasi latronem quemdam & tyrannum, qui nisi quem apprehenderis inermem ac solitarium, in suas speluncas descendentem, accedere penè non sustinet.* Subdit eum similem esse serpenti, Primò, quia deorsum ad terram, & terrena nos trahere satagit. Secundò, quia sicut serpens in spinis, sic dæmon in divitiis latitat & se occultat: qui, si in spinas incideris, ilicò aufugiet. Tertiò, sicut serpens incantatur carmine, sic diabolus exorcizatur & fugatur per invocationem nominis Christi, & crucis potentiam. Rursum notant nonnulli τὸ *à facie colubri*. Qui enim sapiens est, non tantùm serpentem & colubrum fugit, sed etiam *faciem colubri*, id est occasionem peccati, & omnem ejus ingressum perhorrescit: qui enim ad occasionem & illecebram peccati accedit, ab ea suscipitur, implicatur & dementatur.

VERS. 3. *Et quasi leonem.*

DENTES LEONIS, DENTES EJUS, INTERFICIENTES ANIMAS HOMINUM] Tigur. *dentes leonini sunt dentes ipsius animis hominum exitiales*; Syrus, *sicut dentes leonis est mendacium* (omne enim peccatum vocatur in Script. & est *mendacium* practicum, quia contrarium veritati, veroque dictamini rationis, legis
B & virtutis) *& corrumpit animas hominum*. Comparavit peccatum serpenti ob virulentiam, & clandestinum morsum letiferum: nunc idem comparat leoni, ob sævitiam & ferociam, qua crudeliter animam laniat & occidit, tum adimendo gratiam, tum adigendo ad gehennam.

VERS. 4. *Et quasi rhomphæa.*

QUASI RHOMPHÆA BIS ACUTA OMNIS INIQUITAS, PLAGÆ ILLIUS NON EST SANITAS] Græcè ἴασις id est, sanatio, vel remedium & curatio. Pro *bis acuta* græcè est δίστομος id est, anceps, biceps, utrimque scilicet acutus, sive duas habens acies quasi ora, quibus peccatorem secet, mordeat & devoret. Comparavit peccatum leoni & serpenti, nunc comparat rhomphææ, sive gladio utrimque scindenti, q. d. Peccatum est quasi gladius acutissimus, qui ipsa ossa dissecat & discindit: sic enim peccatum intima animæ dissecat, ipsamque animam necat & occidit. Tigurina, *instar ancipitis gladii nefas omne est, in plaga illius nulla est sanitas*; vel *contra plagam illius nullum est remedium*; Syrus, *gladius anceps os meretricis, & plaga illius non est sanatio.* Meretricium enim crebrum est & commune peccatum, adeo-
C que omne peccatum mystica est fornicatio, quia per illud anima desponsata Deo, eo spreto, fornicatur cum creaturis.

Peccatum nocet toti mundo.

Moral. disce hic quanta sit noxa peccati. ipsum enim magis nocet animæ quàm basiliscus, quàm leo, quàm gladius anceps: quia quasi ex duabus partibus scindens animam simul & corpus perforat, occidit, & ad gehennam transmittit. ita Rabanus. Vide Bellarm. de gemitu columbæ sub initium lib. 2 ubi piè & eruditè ostendit peccatum summum esse malum, summèque injurium & noxium tum Deo, tum homini, tum creaturis ceteris, tum ipsi etiam inferno & damnatis; quia videlicet eorum pœnam adauget: unus enim damnatus affligit & cruciat alium, ideòque dives Epulo rogabat Abraham ut mitteret Lazarum ad fratres suos, ne si & illi damnarentur, per eos augeretur pœnà ipsius. Dixit enim petiitque hoc non ex charitate eorum, utpote quam non habebat, sed ex amore suiipsius. Sic & S. Anselmus lib. de Similitud. cap. 101. *Peccando*, inquit, *non solùm iram Dei promeruimus, sed etiam totam creaturam adversum nos excitavimus. Potest ergo nobis justa consideratione terra dicere: Non debeo vos sustinere, sed potiùs absorbere: quoniam à crea-*
D *tore meo non timuistis peccando recedere, & inimico ejus, diabolo scilicet, adhærere. Potest etiam cibus dicere & potus. Non meruistis ut vos pascere debeamus; imò potiùs ut confusionem vobis præparemus: ab illo enim peccando recessistis, per quem nos alere sumus. Sol quoque: Vobis ad salutem non debeo lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis & fons luminum, penitus, coercere. Sic etiam singula quæque creatura contra nos possunt surgere irrefragabili ratione.*

Peccatum est quasi deicidium.

Denique peccatum petit jugulum Dei & Christi, adeoque si cor Dei telo quopiam transfigi posset, non alio quàm peccato transfigeretur. Peccatum ergo, quantum in se est, Deum è medio tollit. Peccatum est christicidium, imò deicidium. Quocirca tanta est vel unius peccati mortiferi malignitas, tanta in majestatem illam infinitam injuria, ut omnibus Sanctorum, Angelorum & hominum obsequiis, laudibus, cultibus, precibus, humiliationibus, pœnitentiis, afflictionibus ex æquo, &

ut ita

ut ita dicam, ad æquilibrium, justamque æqualitatem nequeat compensari, Cùm igitur nullum remedium nec in terra, nec in cælo malis nostris medendis, & bonis amissis recuperandis appareret, nec ullus angelus, aut ulla mens creata quidquam congrui auxilij posset invenire; misericordia divina inauditum, admirabile, ineffabile, incomprehensibile, omnibus sæculis, omnibus angelis & hominibus obstupescendum excogitavit consilium; nimirum ut Filius Dei, Sapientia genita, per quam facta sunt omnia, naturam nostram sibi copularet, & in ea, ac per eam totum genus humanum repararet.

Audite mortales, audite peccatores, S. August. serm. 114. de Tempore: *Agnosce homo*, inquit, *quantum valeas, & quantum debeas, & dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur iustitia pro iniquo, misericordia affligitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Expavit scelus hominum natura rerum, & quem creatura rebellis non agnoscit; eum mundi dominum tremens terra testatur, & cœli regem sol fugiens confitetur.*

Vers. 5. Obiurgatio et injuriæ annullabunt substantiam: domus, quæ nimis (valdè) locuples est annullabitur superbia (per superbiam, in pœnam superbiæ, superbæque discordiæ & injuriarum:) sic substantia superbi eradicabitur] A genere descendit ad speciem, putà à peccato ad superbiam, quia hæc peccatorum est regina, imò mater, fons & radix. Pro *obiurgatio*, græcè est καταπληγμὸς. Unde Rabanus & alij Græcam vocem latinitate donantes, legunt *cataplectatio*. καταπληγμὸς autem est objurgatio superba, severa & acris, horribilis & formidabilis, quæ animos subditorum & servorum concutit, percellit, sternit & stupefacit, redditque quasi attonitos & apoplecticos. καταπλήττω enim est perterreo, iniicio pavorem, percello: inde καταπλὴξ vocatur timore perculsus, stolidus, stupefactus, attonitus; & κατάπληξις vocatur pavor, confusio, stupor; vnde Lucretius, *Magna*, inquit, *atque immanis κατάπληξις, velut quæ quasi numem attonitos stupentesq; efficiat granditate sua.* Pro *iniuria* græcè est ὕβριν, id est, superba violentia, immanior improbitas, contumelia, sævitia, ferocia, procacitas, petulantia; fastus, insolentia, protervia: ὑβρίζω enim est iniurius sum, iniuriam facio, contumeliosè tracto, insolens sum, insulto, abutor, vim infero, stupro, contamino: inde ὑβριστὴς vocatur iniurius, convitiator, stuprator, corruptor, flagitiosus, impotens, insolescens ob copias & potentiam, oppressor violentus. Sensus ergo est: q. d. Herus vel dominus, qui superbè obiurgat, iniurias infert, & tyrannicè tractat suos servos, subditos, ceterosque qui in sua familia vel dominio degunt; hic attenuabit & ad nihilum rediget suam *substantiam* & opes; quia ob nimiam asperitatem, fastum & injurias, servos & ministros faciet fugitivos, vel fures. Sic Roboam ob superbum & asperum responsum datum decem tribubus Israel, eas à se alienavit, regnumque perdidit, 3. Reg. 12. Id fit justo Dei judicio, qui superbiam & superbos justè opibus, regno & dominio privat & punit. Græcus hic de more brevis & bimembris sic habet, *Vehemens objurgatio & contumelia annullabunt substantiam, sic domus superbi annullabitur*; Tigurina, *concertationes & injuria opes dissipant, similiterq; domus superbi desolabitur*; alij, *insultatio & contumelia desolant opes, sic & domus superbi ad eremum* vel *desertum redigetur*: hoc enim est Græcum ἐξερημωθήσεται. Syrus, *à manè usque ad vesperam vastat cœnacula, & palatia multa subvertit* vel *eradicat et evellit*. Græcis adaptanda esse Latina censet Jansenius & Franc. Lucas in Notis hic, ac proinde delendum esse τὸ *sic substantia superbi eradicabitur*. Verùm Romani codices & ceteri plerique constanter id legunt, sensumque per hoc faciunt uberiorem & clariorem.

Vers. 6. Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus perveniet, et judicium festinato adveniet illi] *Eius*, scilicet Dei (ut habeat nonnulli codices) cujus proprium est deprecationes pauperum audire & exaudire. Dat causam cur substantia superborum & violentorum annulletur, quia scilicet, subditi & pauperes ab eis oppressi clamant ad Deum, Deus autem eos exaudit: unde quasi justus vindex suum in eos judicium citò profert, oppressores puniendo, oppressos liberando. Nota τὸ *ex ore usque ad aures*: q. d. Os pauperum oppressorum quasi vicinum est auribus Dei, ita ut deprecatio ore eorum prolata mox tangat & feriat aures Dei. Oppressio enim pauperum est peccatum clamans in celum, quod ilicò vindictam Dei ciet & extorquet. Unde Tigurina vertit, *ab ore pauperis* vel *afflicti exaudietur precatio*: q. d. Mox ut oratio ore afflictorum prolata fuerit, audietur à Deo: unde subdit, *Iudiciumq; illius festinatò veniet*. Syrus eleganter, *oratio pauperis tamquam ab ore suo ad aurem suam, et ante iudicem sæculorum ascendit*. q. d. Os pauperis est os Dei, & vicissim auris Dei est auris pauperum. Quàm facilè ergo sermo ex ore pauperis ad aures ejusdem ascendit, tam facilè quoque & citò ab ore ejus ascendit ad aures Dei, quia Deus ori eorum vicinus est, imò ori eorum insidet, in eoque format precationem qua opem suam invocent, ut invocatus ilicò eam præstet. Hoc est quod ait Psaltes psal. 9. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*. Non enim exspectat Deus pauperem oppressum ad se clamantem, ut eum audiat, sed clamorem ejus prævenit, & merum desiderium audit, & exaudit.

Vers. 7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris: et qui timet Deum, convertetur ad cor suum] Prosequitur materiam de superbia & peccato, fugaque peccati: magna enim superbia, magnumque peccatum est, odio prosequi corripientem se de peccato. Hoc enim odium signum est animum in peccato esse obfirmatum & obduratum, ut monitiones & monitores non admittat, sed quasi inimicos odiat, respuat & execretur. Unde græcè est, *qui odit reprehensionem, in vestigio est peccatoris*: q. d. Inhæret viis & vestigiis peccati & peccatoris, per easque constanter & irrevocabiliter incedit & ingreditur. Tigurina. *qui odit castigationem, in vestigio scelerosi constitit*; Syrus, *qui odit correptionem, vir iniquus*. Noster pro *in vestigio* legit *vestigium*, alia significatione, sed eodem sensu.

Pro quo Notandum, quòd *vestigium* propriè fit pedis impressio, id est, signum & figura quæ in terra à pede relinquitur, juxta illud Virgil. lib. 3. Georgic. *Vestigium tria significat.*

Et gradiens ima vertit vestigia cauda.

Et Plautus in Cistellar. *Video vestigium in pulvere.* Hinc Secundò, *vestigium* metonymicè, vocatur ipsa ima pars pedis, quæ vestigium terræ imprimit. Sic Cicero 4. Academ. ait: *Adversis vestigiis contra nostra vestigia stant Antipodes.* Tertiò, *vestigium* sumitur pro reliquiis, monumento, indicio; quia vestigium est indicium, & quasi reliquiæ pedis impressi, ex quo vestigamus & conniicimus quis, qualis, & quantus fuerit pes & homo qui illud efformavit. Sic Cicero ait Act. 7. in Verrem: *Cuius rei neque index, neque vestigium aliquod.* & Virgil. 4. Æneid.

Agnosco veteris vestigia flammæ.

Sic ergo *vestigium* vocatur inditium & nota, quæ rei formam & qualitatem ostendit: & *vestigare* est quærere diligenter, quasi per vestigium indagare: quod à vestigiis, quasi indiciis dictum.

Græcus ergo cùm ait: *Qui odit correptionem, in vestigio est peccatoris*; sumit *vestigium* propriè in primo significato iam assignato; Noster verò cùm vertit, *vestigium est peccatoris*, sumit in tertio significato: q. d. Cùm quis odit correptionem, idipsum *vestigium*, id est, certum indicium & signum, *est peccatoris*, putà hominis animique planè suis cupidinibus & peccatis affixi, *Peccator* enim significat eum qui habet habitum peccandi, ut peccatis assuetus, iis constanter & pertinaciter adhæreat. Ex adverso; *Qui timet Deum, convertetur ad cor suum*; Tigurina, *at qui reveretur Dominum, resipiscet ex animo*; Syrus, *& qui timet Dominum, pœnitet ex corde suo*: q. d. Peccator correptus odit correptionem: at verò qui timet Deum, si de quopiam delicto corripiatur, ad cor redit, culpam agnoscit, pœnitet, vitamque mutat & corrigit. Igitur *vestigium*, id est, argumentum absoluti & consummati *peccatoris*, est odisse correptionem; nam qui timet Deum, ut corripitur, ad cor suum redit, ut se emendet. Ergo sunt gradus in hac re: Est enim amare correptionem, est pati, est odisse. Primum, est signum prædestinationis, ut ultimum reprobationis. Nota phrasim Hebræam. *Converti ad cor*, est pium esse: ut enim peccando, relicto Deo, qui habitabat in corde, egreditur peccator è corde ad temporalia: ita in justitia vivendo, è temporalibus regredimur

mur ad cor, ubi habitat Deus: ut simus homines interiores, juxta S. Paulum, & ut *omnis decor* noster sit *ab intus*, juxta Davidem psalm. 44. 14. ita Palacius. Porrò Rabanus per *peccatorem* accipit diabolum: q. d. *Qui non vult se corrigere à peccatis, & odit correptionem admonitoris; ipse indicium prabet in se nequitia sui seductoris, quoniam malignus induravit cor eius, ne cederet & obaudiret veritati.*

Nec tantùm veritati, sed & charitati? nam correptio est instar speculi, quod nobis ostendit maculas, quæ nos deturpant & infamant, ut eas eluamus. Unde Clemens Alexandr. lib. 1. Pædagog. c. 9. *Quemadmodum*, inquit, *speculum non est malum deformi, eò quòd ipsum ostendat qualis sit: ita nec is qui reprehendit, ei malè vult qui laborat animo: nec enim ei delicta adiungit, sed ea qua adsunt peccata, ostendit.* Rursum *correptio* est pharmacum eluens maculas & sanans animæ morbos: qui ergo eam odit, suam sanitatem odit. Unde exclamat S. Bernard. serm. 42. in Cantic. *Mira perversitas: medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti.* Quin & Psaltes, *Consumetur*, inquit, *nequitia peccatorum, & diriges justum*, psal. 7. v. 10. Ubi D. Chrysost. *Infer*, inquit, *supplicium, & cessare facies à vitio: quemadmodum enim putrefactiones cedunt usturis & sectionibus: ita & à supplicio arcetur improbitas. Qui scinditur & uritur, ita ad sanitatem ingreditur.* Unde Clemens Alexandr. ibid c. 8. *Est*, inquit, *reprehensio, veluti quadam chirurgia affectionum animæ; medicamentum autem est, probri insimulatio: qua resolvit affectiones qua iam occalluerunt, impudicaq; ac libidinosa vita sordes expurgat, fastusq; ac superbia carnes, qua excreverunt, exaquat. Iam verò admonitio, est veluti quadam diata agrotantis anima; qua sunt sumenda, consulit; & qua non sunt, prohibet.* Et paulò pòst: *Benevolentia*, inquit, *non odij, signum est reprehendere: ambo enim probrum obiiciunt & amicus & inimicus, sed inimicus quidem irridens, amicus verò benevolens.*

Odiens correptionem odit medicinam.

Sancti crebrò redeunt ad cor.

Moraliter, disce hic proprium timentis Deum esse crebrò introverti, & à rebus externis converti ad cor, ut ibi internum animæ suæ statum, sensusque & affectus omnes examinet corrigat & componat ad legem & voluntatem Dei. Quocirca virum bonum & sapientem ita pingit Ausonius S. Paulini magister Idyllio 16.

Vir bonus & sapiens (qualem vix repperit unum
Millibus è multis hominum consultus Apollo)
Iudex ipse sui, totum se explorat ad unguem.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi,
Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus:
Externa ne quid labis per levia sidat,
Cogitat, & iusto trutina se examine pensat,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coeat, nil ut deliret amussis.

Et mox:

Non priùs in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longi reputaverit acta diei.
Qua prætergressus, quid gestum in tempore, quid non:
Cur isti facto decus absuit, aut ratio illi:
Cur aliquem fracta persensit mente dolorem, &c.

Vers. 8. NOTUS A LONGE POTENS LINGUA AUDACI: ET SENSATUS SCIT LABI SE AB IPSO] q. d. Qui *potens* est *lingua audaci*, id est, qui pollet audacia dicendi, hic *longè* lateque *notus* est, celebris & famosus: plebs enim & rude vulgus miratur ejus in dicendo audaciam & facundiam; at vir prudens & *sensatus* deprehendit, scitque ipsum multa falsa & temeraria audacter effutire, *seque*, si ei credat & adhæreat, *ab ipso labi*, id est, falli & decipi, ac ruere in multa incommoda & pericula, v. g. litium, rixarum, seditionum, carcerum, ut bonorum & vitæ discrimen incurrat: quare ei non credit, ac sibi ab ejus consortio cavet. Hæc quoque spectant ad superbos & superbiam: ipsa enim est mater audaciæ, facitque linguam audacem & effrænem.

Græca de more concisa sic habent, *notus a longè potens in lingua: sensatus autem novit cùm ille labitur;* Tigurina, *potens procul ex sermone notus est: at qui sapit, caducum* (qui facilè in errorem labatur & cadat) *esse meminit;* Syrus verò de sensato tantùm sic habet, *sapiens è regione* (ex intuitu & aspectu) *oculorum suorum dignoscitur, & scrutatur in momento iniquum.* Hinc disce, audaces & effrænes in loquendo esse insipientes, sapientes verò esse modestos & cautos, ideoque facilè audacium insipientiam & falsitatem deprehendere & arguere.

Aliter Palacius, qui *τὸ scit labi* accipit pro *novit elabi*, ideoque sic explicat: q. d. Qui linguam audacem habet, sit tibi non propè, sed à longè notus, & si tibi appropiaverit, si sensatus es, elabere ab illo: cùm enim ille linguam ardentem habeat, aduret te, nisi elabaris: & cùm linguam venenatam afferat, effundet in te virus suum: cùm linguam peste infectam adducat, pestis contagio te inficiet. Tu ergo cordatè effugies illum, non eum offendendo, ne in te virus evomat; sed causas afferendo idoneas, cur ab eo maturè discedas. Verùm priorem sensum exposcunt Græca, & *τὸ scit se labi*, sic enim habet Latina versio, non autem *scit labi*, id est, elabi.

QUI ÆDIFICAT DOMUM SUAM IMPENDIIS ALIENIS, QUASI QUI COLLIGIT LAPIDES SUOS IN HIEME] Ex prima specie peccati, putà superbia, descendit ad secundam ex illa manantem, putà injustitiam. Solent enim divites superbi per injustas angarias, exactiones & oppressiones pauperum augere suas opes & domos: q. d. *Qui ædificat domum suam*, non suo sumptu, sed alieno, putà injustè per vim, fraudem, aliam ve injustitiam ab aliis extorto vel rapto; hic similis est homini, qui ædificaturus colligit lapides ad fabricandum in hieme: græcè, *εἰς χειμῶνα*, id est, in hiemem, vel ad hiemem: ut scilicet in hieme ædificet, tempore nimirum importuno. In hieme enim ob frigus calx conglaciatur, aut ob humorem dissolvitur; quo fit, ut lateres & lapides inter se non satis firmiter conglutinet: qua de causa hiemalia ædificia rimas agunt, & facilè corruunt, nec diu durant. Simili enim modo facultates alienæ numquam inter se cohærent, & in vnam rem coeunt; sed solutæ & dissectæ ruunt. Quare qui ex alieno vel rapto ædificat domum, illâ diu non fruetur; sed vel ipse citò morietur, vel domus corruet, aut ad alium transferetur, ulciscente sic Numine ejus injustitiam, ut in domo quam fabricando peccavit, in eadem & puniatur, hæc enim est congrua talionis pœna. Complut. pro *εἰς χειμῶνα*, habent *εἰς χῶμα ταφῆς αὐτοῦ*, id est, *in tumulum sepultura sua*: q. d. Qui ex alieno ædificat domum, non tam domum quàm tumulum & sepulcrum sibi ædificat: quia in illa brevi morietur & sepelietur. Sic & Tigur. *qui ære alieno domum suam ædificat; congerenti lapides in tumulum sepultura sua similis est;* & Syrus, *qui ædificat domum suam facultatibus sociorum, congregat lapides tumulo suo;* ut facultates hæ quasi lapides in tumulum coacervati, mole sua ipsum opprimant & sepeliant; quia, scilicet, domino suo interitus sunt causa, & celeriorem mortem ipsi conciliant.

Alludit, imò citat illud Ierem. 23. 13. de Ioakim rege impio, *Væ, qui ædificat domum suam in iniustitia, & cænacula sua non in iudicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem eius non reddet ei.* Unde pœnam sepulcri iam dicti ipsi intentat v. 19. dicens: *Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* Jeremiam secutus Habacuc c. 2. v. 7. *Væ*, inquit, *qui congregat avaritiam malam domui suæ*, &c. *Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.* Vide utrobique dicta.

Aliter Palacius: Tempore hiemali, inquit, non sunt lapides colligendi, sed ligna contra frigus. Si igitur in hieme colligas lapides, stultus eris; qui non ligna quibus calescas, sed lapides sine utilitate collegisti: ita si ære alieno domum ædificas in qua habites, stultus eris: non enim in ea habitabis, sed potiùs à creditoribus inde expelleris. Verùm priorem sensum exposcunt Græca.

Mysticè idem Palacius: Cùm Domino dicente, temporalia nostra planè non sint, sed aliena, (*si in alieno*, inquit Dominus Lucæ 16. *fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?*) qui ex temporalibus domum suæ conversationis ædificat in terris, planè stultus est. Cùm enim habitare hic voluerit, inde pelletur.

STUPPA COLLECTA SYNAGOGA PECCANTIUM, ET CONSUMATIO ILLORUM FLAMMA IGNIS] Complut. addunt *in perditionem*. Culpæ assignat pœnam: q. d. Putant potentes & superbi se esse insuperabiles, invictos & quasi omnipotentes; at revera omnis eorum *synagoga*, id est, cœtus & multitudo, fragilis est, instar stuppæ collectæ. Sicut enim stuppa ilicò ab igne vicino corripitur conflagratque, & quo major est stuppa, eo faciliùs magisque ignis inflammatur: ita pariter ignis vindictæ divinæ facillimè corripiet & consumet omnes peccantes, eoque faciliùs & ardentiùs, quo major fuerit eorum synagoga & multitudo. Hæc enim

Vers. 9.

Vers. 10.

non

non est aliud quàm *stuppa collecta*, id est, fomentum & pabulum iræ & indignationis divinæ, æquè ac ignis conflagrationis orbis in fine mundi, ac judicii divini & gehennæ, juxta illud Malach. 4. *Et erunt omnes superbi, et omnes operantes iniquitatem stipula, et inflammabit eos dies veniens.* Unde in Græco est elegans paronomasia inter συνηγμένον, id est, collecta, in unum coacta; & συναγωγή, id est, synagoga, cœtus, congregatio: q.d. Impiorum synagoga, non est aliud nisi stuppa coacta ad ignem, nisi synagoga id est congregatio, ignis.

Nota. *Consummatio* Primò, idem est quod *consumptio*: q. d. *Consumptio illorum* erit *flamma ignis*, hoc est flamma ignis consumet eos; Secundò, *consummatio*, id est finis, *illorum* erit *flamma ignis*: hoc innuit Græcum συντέλεια: nam τέλος est finis. Porrò, ignis hic consumens impios est quintuplex. Primò, ignis indignationis Dei; Secundò, vindictæ, qua Deus impios igne, id est, peste, fame, gladio (*ignis* enim significat omnem acrem vindictam, omneque ejus instrumentum) perdit in hac vita. Tertiò, ignis conflagrationis mundi: hic enim superbos cum eorum domibus & opibus comburet. Quartò, ignis acerrimi judicii divini, quo Christus scrutabitur, damnabit & percellet improbos in ultimo die mundi, de quo ait Daniel 7. 10. *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus.* Quintò, erit ignis gehennæ, de quo v. sequ. Unde Compiut. addunt, *in perditionem*; & Tigurina, *stuppa collecta cœtus est nefariorum, flammaque ignis exitialis eorum exitus*. Ex quo infert Palacius, impios in gehenna non esse solutos, ut liberè vagentur, sed esse colligatos in fascem, ut ait Isajas cap. 24. 22. Hoc enim significat *stuppa collecta*, scilicet, eos collectos, vinctos jacere, & velut stuppam constipatam comburi, juxta parabolam zizaniorum, de quibus ait Christus: *Alligate ea in fasciculos ad comburendum*, Matth. 13. 30. Denique hæc erit impiorum *consummatio*, id est, finis, sed sine fine. Eorum enim finis erit perpetuum incendium, & perennis flamma ignis, quæ ex eorum corporibus velut titionibus sursum ascendet, ait Palacius.

Ignis impiorum quintuplex.

Impii colligati in gehenna.

Moral. discant hic peccatores, evanidas esse suas vires, opes, conspirationes, fœdera, quibus fidem vel justitiam opprimere satagunt, adeoque ea non esse aliud quàm stuppam collectam ad ingens incendium. Ex adverso justi & pii qui ab eis vexantur vel opprimuntur, nil eos formident, certique sint eos brevi, ut stuppam, igne vindictæ divinæ conflagrandos. Unde Rabanus, *Comparat*, inquit, *rei fragili peccatorum synagogam, ut ostendat ejus vilitatem & velocissimum interitum: quia sicut stuppa collectio igne adhibito facilè conflagrat, ita peccatorum cœtus in futura vindicta sine mora disperiet.*

VERS. 11. VIA PECCANTIUM COMPLANATA LAPIDIBUS, ET IN FINE ILLORUM INFERI, ET TENEBRÆ ET POENÆ] Græcè, *in fine illorum fovea inferni*: q. d. Via concupiscentiæ per quam incedunt peccatores, initio videtur concinna, pulchra, amœna & jucunda, perinde si lapidibus planis esset strata & complanata; at postmodùm apparet aspera, tristis & horrida: nam finis ejus deducit & desinit in infernum, ubi sunt tenebræ densissimæ & pœnæ atrocissimæ. Sicut ex adverso via virtutis per quam incedunt justi, initio est aspera & stricta; sed progredientibus in ea paulatim fit laxior, facilior & amœnior, ac tandem eos deducit ad beatitudinem & gloriam æternam. Alludit ad Proverb. 14. *Est via quæ videtur homini recta, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Hoc est quod ait Christus Matth. 7. *Spatiosa est via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam: quàm angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam!* Idem repræsentabat Pythagoras per suum Ypsilon, de quo exstat elegans epigramma Virgilii:

Symbolum Pythagoræ de via virtutis & vitii.

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primùm spectantibus offert:
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata, sed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.

Syrus hunc versum & præced. hoc uno exprimit, *Sicut ascensus arenæ pedibus viri senis* (alia lectio habet *duri, aspri*) *ita robur iniquorum juxta ignem, & semita impii offendiculum est illi: quia finis ejus fovea profunda est*: q. d. Sicut ascensus arenæ initio mollis & facilis est, sed quo altiùs per eam ascendit senex, eo fit ei difficilior, quia arena in cumulum assurgens ascendenti fit profundior, ita ut tandem non tantùm pedem, sed & reliquum corpus sorbeat, & in voraginem sive abyssum arenæ demergat: & planè via impiorum initio facilis, sensim fit difficilior, ac tandem in abyssum ignis æterni eos demergit: quare semita impii fit ei offendiculum, quia finis ejus est fovea inferni.

QUI CUSTODIT JUSTITIAM, CONTINEBIT SENSUM EJUS. CONSUMMATIO TIMORIS DEI, SAPIENTIA ET SENSUS] Complut. *sapientiæ assumptio*. *Justitiam* vocat observationem legis, hæc enim facit hominem justum: *sensum* vocat mentem & sententiam. Unde Græca habent, *qui custodit legem, tenet* ἔννοιαν, id est, *cogitationem, motionem, intellectum, sensum ejus*: q.d. Qui observat legem, hic assequitur legis intelligentiam, hic percipit ac perspicit legis mentem & sensum, ut videat quid lex jubeat & velit, ejusque finem & causam, æquè ac sapientiam & ordinem, scilicet, quàm id quod Deus lege sua præcipit & sanxit, sit æquum, justum, sanctum; quàm sapienter ordinatum ad suum finem, quàm justa de causa sancitum. Lex enim Dei non tam speculando, quàm practicando discitur & intelligitur, uti docet S. Bernard. epist. 108. *Quam utique scientiam*, inquit, *haud facilè nisi qui mundo crucifixus erit, apprehendit. Falleris, fili, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros, quam soli Christi discipuli, id est, mundi contemptores, Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed unctio: non littera, sed spiritus: non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. Seminate, inquit, vobis ad justitiam, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ. Vides, quia non rectè proditur ad lumen scientiæ, nisi justitiæ germen præcedat ad animam: ex quo formetur granum vitæ, & non palea gloriæ.*

VERS. 12. & 13.

Osee 10.12.

Ex quo rectè infert Siracides, *Consummatio timoris Dei sapientia & sensus*: q. d. Perfectio timoris Dei, quæ consistit in perfecta observatione legis Dei, parit veram sapientiam & intelligentiam, adeoque ipsa est vera sapientia & intelligentia. Verè enim sapiens & intelligens est, non qui alta speculatur, sed qui timet Deum, ejusque mandata opere exequitur. Unde Tigurina vertit, *finis religionis Domini est accessio sapientiæ*, id est, ad sapientiam; Syrus, *qui timet Deum, nullius rei indigebit*. Quare sapientis & sapientiæ est timere Deum, ut nulla re indigeat, sed Deus ei de omnibus abundè provideat. Rursum *sensus justitiæ*, inquit Palacius, est quædam lux intellectualis à Deo homini pio infusa, qua acutè, intimè, affectuosè & amanter divinam legem intelligit, Deique justitiam penetrat & amat. Ait ergo Auctor: Qui custodit justitiam, assequitur illum sensum ejus, quo viri docti & pii non destituuntur. Unde egregiè infert: Perfectus & consummatus timor Dei socios habet *sapientiam*, id est, divinam in affectu dilectionem: & *sensum*, id est, divinam in intellectu lucem. Hanc lucem, hunc sensum, hanc Spiritus sancti doctrinam non accipiet qui non est sapiens in bono. Beatus enim ille est, quem tu erudieris Domine: is non est sapiens in malo, sed sapiens in bono.

Nota. Pro *continebit sensum ejus*, græcè est κρατεῖ (vel, ut alii legunt, κατακρατήσει) τοῦ ἐννοήματος αὐτοῦ ubi si per spiritum lenem legas αὐτοῦ, significat *ejus*; sin per asperum αὑτοῦ, significat *suum*, itaque legunt plerique. Unde Complut. vertunt, *qui custodit legem Domini, dominatur cogitationi suæ*; Rom. *continet sensum suum*; Tigurina, *qui servat legem Domini, cogitationibus suis imperat*; Syrus, *qui custodit legem, subigit* (vel affligit) *appetitum suum*. Lex enim refrænat motus inordinatos appetitus & concupiscentiæ, eosque ordinat & componit. Quare qui legem Dei observare satagit, appetitus suos domet, legique Dei subiiciat.

NON ERUDIETUR QUI NON EST SAPIENS IN BONO. EST AUTEM SAPIENTIA (ita Rom. & Græca: perperàm ergo aliqui contrariè legunt, *insipientia*) QUÆ ABUNDAT IN MALO: ET NON EST SENSUS UBI EST AMARITUDO] Græcus de more brevis & bimembris sic habet, *non erudietur qui non est astutus: est enim astutia multiplicans acerbitatem*, putà malitiam; Tigurina, *qui non est callidus non patietur erudiri se: est autem cùm et calliditas amaritudinem multiplicat*. Distinguit duplicem πανουργίαν, id est, astutiam, calliditatem

VERS. 14. & 15.

Sapientia vera & falsa quæ.

tem & sapientiam: Unam in bono quæ vera est, alteram in malo quæ adumbrata, ficta & falsa est: q. d. Astutia & sapientia vera consistit in observatione legis Dei, uti dixi v. præced. Quocirca ea *non erudietur*, nec ejus est capax *qui non est* πανοῦργος, id est, astutus & *sapiens in bono*, qui scilicet non sapit, non amat, non operatur bonum. *Est enim quædam* πανουργία, id est, astutia & *sapientia, quæ abundat in malo*, ut scilicet mala multa astutè moliatur & perpetret, juxta illud Jerem. 4. *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem agere nescierunt.* Hæc non est vera sapientia, nec verus sensus, veraque prudentia; *&*, id est quia, *non est* verus *sensus*, id est, vera sapientia, intelligentia & prudentia, *ubi est amaritudo*; græcè, πικρία, id est, malitia quæ amaricat animum, eumque facit acerbum tum sibi, tum Deo, tum proximis. Idque Primò, quia *amaritudo*, id est ira & rancor, offuscat judicium, illudque facit amarum, indignans & rancidum. Secundò, quia Deus sua luce cælesti, sensuque divino non donat, nec dignatur eos, in quibus est hæc amaritudo. Unde S. Jacobus c. 3. 14. *Si zelum*, inquit, *amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris; non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.*

Amaritudo tollit sapientiam duabus de causis.

Porrò πικρία, id est, *amaritudo*, est animi ægritudo & morositas. Unde Cicero ad Atticum, *Amariorem me senectus facit, stomachor omnia*: sed maximè, πικρία est acerbitas animi ultionem expetentis. Unde πικροὶ, dicuntur amari & amarulenti, teste Gellio, qui exasperantur odio tendente ad vindictam, qui scilicet iram odiumque non deponunt, nec condonant, sed diu reservant. Sic Theocritus Pana vocat πικρὸν, id est, amarum: causamque addit, *Quia illi bilis acris semper naribus insidet.* Quocirca S. Paulus Ephes. 4. 31. monet dicens: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.* Et Hebr. 12. 15. *Ne qua radix amaritudinis*, inquit, *sursum germinans impediat.* Alludit ad Deuter. 29. 18. *Ne fortè*, &c. *sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem.* Ubi ostendi omnem malitiam, omneque peccatum vocari *fel & amaritudinem*, causamque assignavi.

VERS. 16. SCIENTIA SAPIENTIS TAMQUAM INUNDATIO græcè, κατακλυσμὸς, id est eluvio, diluvium) ABUNDABIT, ET CONSILIUM ILLIUS SICUT FONS (Complut. addunt, *purus*) VITÆ PERMANET] q. d. Sicut crescente luna crescit mare, adeò ut luna plena exundet, camposque vicinos irriget & fœcundet: sic crescente Dei illuminatione & gratia crescit *scientia sapientis*, adeò ut in alios exundet, eisque se communicans, illos pariter efficiat scientes & sapientes. Quo fit, ut *consilium* & doctrina sapientis sit quasi *fons* vitæ, qui jugiter manat aquas vitales sapientiæ, quibus alios assiduè riget, ut vivant vitam gratiæ in terra, victuri vitam gloriæ in cælo.

Sapiens est quasi fons sapientiæ.

Nota. Sapientiam nunc vocat *scientiam*, nunc *consilium*, nunc *eruditionem*, nunc *intellectum*, nunc *sensum*, nunc *disciplinam*. Causam dedi in Procemio. Unde Tigurina vertit, *scientia sapientis exuberabit tamquam inundatio vitæ, ac veluti fons vitæ purus ejusdem consilium*; Syrus, *mens sapientis sicut fons aquarum abundabit, & cogitatio ejus sicut aqua viva.* Alludit ad Proverb. 16. 22. *Fons vitæ eruditio possidentis.* Et c. 18. 4. *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ.* Ad quæ loca alludens Christus: *Qui biberit*, inquit, *ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, Joan. 4. 14. & c. 7. 38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

Moral. disce hic, doctorem semper debere manare sanam sanctamque doctrinam, sive pauci sint auditores, sive multi: sive pauperes, sive divites: sive benevoli, sive malevoli: sic enim fons omnibus & singulis perennes fundit aquas. Ita fecit Christus unam Samaritanam docens, Joan. 4. ac pauperes piscatores in Apostolos efformans. Christum secutus Paulus ait Roman. 1. 14. *Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* Ubi S. Chrysost. *Sicut cælum*, ait, *stella, sol non uni tantùm genti: sic D. Paulus, sic omnes qui Deo militant, non uni sed omnibus per doctrinarum exempla lucere debent; nec, si desint qui illis utantur, desistere debent. Aquarum enim*, ut inquit hom. 1. de Lazaro & divite, *venæ, etiam si nullus veniat aquatum, manant tamen; & fontes, quamvis hauriat nemo, scatebras emittunt.* Plura de hoc fonte dicam Proverb. 16. 22.

COR FATUI QUASI VAS CONFRACTUM, ET OMNEM SAPIENTIAM NON TENEBIT] Opponit stultum sapienti: q. d. Mens sapientis est quasi fons vitæ, jugiter emanans aquas doctrinæ salutaris, & vivificæ; at mens stulti est quasi lagena confracta & idcircò nullam sapientiam quam legit vel audit, retinebit; sed illa ex ea effluet, sicut effluit aqua ex lagena fracta vel pertusa. Nota. *non omnem*, Hebræis idem est quod *nullam*. Pro *cor* græcè est ἔγκατα, id est *interiora*, putà viscera, inter quæ primum & præcipuum est cor. Unde Tigurin. *viscera stulti instar vasis confracti sunt, ut qui nullam in vita sua scientiam contineat*; alii, *intestina stulti tamquam vas confractum, nullam continent scientiam*; Syrus, *cor impii sicut cisterna disrupta, & omnibus diebus vitæ suæ sapientiam non discet.* Præclarè S. Antonius in Melissa p. 1. serm. 48. *Sicut*, inquit, *vas fictile sono & tinnitu, sic homo sermone probatur.* Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pirke avoth*, id est, in Sententiis patrum: *Quatuor hominum differentiæ sunt coram sapientibus astantium. Alii sunt quasi spongia, quæ humorem undequaque sugit ac trahit: alii quasi dolium pertusum, quod aquam hauriens una ex parte, ex alia effluit, & quidquid accepit evacuat: alii quasi cuppa, quæ cùm vinum effluere sinat, faces retinet: nonnulli denique adinstar cribri seplasiarii vel pigmentarii, quod & fursur retinet, sed distinctis cellulis; in superiore siquidem fursur, in inferiore verò farinam servat.*

Quatuor studiosorum differentiæ.

VERS. 18. VERBUM SAPIENS QUODCUMQUE AUDIERIT SCIUS (græcè ἐπιστήμων, id est, sciens, prudens, sensatus) LAUDABIT, ET AD SE ADIICIET: id est, sibi applicabit, ut illud in arca memoriæ recondat, & in actus moresque conferat. Aliter Jansenius: *Adiiciet*, inquit, id est, auctius illud reddet. Sed priorem sensum exigit τὸ *ad se*, & antithesis quam subdit, dicens: AUDIVIT LUXURIOSUS (verbum sapiens) ET DISPLICEBIT ILLI, ET PROIICIET ILLUD POST DORSUM SUUM] q. d. Sapiens omnem sapientiam, quam audit vel legit, instar ovis ruminat, & in viscera transfert, ut inde crescat & pinguescat: at stultus qui suas facultates præfert sapientiæ, qualis inprimis est luxuriosus; hic aversatur eam, ideoque ab oculis abiicit post tergum, ne cogatur eam aspicere, indeque vel mutare vitam, vel assiduè corripi, castigari & verberari.

Nota. Pro *luxuriosus*, Noster legit cùm multis στρηνιῶν, id est, delicians, luxurians, luxui vacans; sed Complut. & alij legunt ἀσύνετος, id est, insipiens. Rursum pro *ad se adiiciet*, græcè est, ἐπ' αὐτῷ προσθήσει: ubi Noster αὑτῷ, legit spiritu aspero, ut significet *se*; iam legunt spiritu leni, αὐτῷ, id est, *ipsum*; unde vertunt, *& ad ipsum adiiciet.* ita Tigur. *si peritus*, inquit, *audierit dictum sapientis, laudabit illud, reddetque auctiùs: quòd si audierit imperitus improbabit idem, & post tergum suum abiiciet*; & Syrus, *verbum sapiens, & laudat illud, & super illud addit: & audit stultus, & de eo ridet, & proiicit illud ad unum ex lateribus suis*, id est, in angulum retrudit. Nimirum sicut lyræ aut citharæ similes, & simili modo temporatæ & modulatæ, invicem sibi respondent, adeò ut una pulsata alteram per quamdam sympathiam, & occultam obsequentiam ex adverso accinere, & similiter sonare compertum sit; sic etiam sapiens sapienti acquiescit accinitque, eiusque dicta, velut stuppæ flammam, eminus odoratur, haurit & concipit. Idem facit stultus stulto & vitiosus vitioso. Unde illud: Fur furem agnoscit, mœchus mœchum, latro latronem. Tanta est vis similitudinis, similisque in corde affectionis & dispositionis: hæc enim per motus & gestus similes foris se prodit, ex eisque à simili & conscio agnoscitur. Quin & sicut chordæ factæ ex nervis lupinis dissonant, & quasi obstrepunt, chordis quæ factæ sunt ex nervis ovinis per naturalem antipathiam: sic stultus dissonat & obstrepit dictis sapientis; & vice versa.

Vt lyra lyræ sic sapiens sapienti consonat.

VERS. 19. NARRATIO FATUI QUASI SARCINA IN VIA: NAM IN LABIIS SENSATI INVENIETUR GRATIA] Tigur. *leper.* Dixit, quale quamque differens & diversum sit cor stulti à corde sapientis, nunc idem dicit de ore: os enim sequitur cor & mentem: qualis enim est cogitatio cordis, talis est & sermocinatio oris. Dicit ergo, *narrationem fatui esse quasi sarcinam in via*, quia sicut hæc onerosa est & molesta, gravatque & impedit viatores, ne facilè & expeditè in via progredi queant: ita pariter illa narratio stulti molesta est, gravatque auditores, tum, quia importuna est; tum quia multiloqua; tum quia insulsa. At verò *in labiis sensati invenitur gratia*: quia, sicut gratiosa, id est, discreta, prudens, concinna, suavis,

utilis

utilis & salubris, est eorum cogitatio, ita est & eorum oratio & narratio: quocirca auditores non gravat, sed delectat, ut cupiant eam crebrò audire, ut sequitur. Unde Syrus vertit, *narrationes impii sicut sarcina gravis in via* (quia narrat sibi similia impia & turpia; aut, si pia & sancta narret, narrat ea modo ingrato & insipido) *& omne verbum justi gratia*. Audi S. Ambros. lib. 1. de Interpell. Job c. 3. *Narratio fatui sarcina in via. Quid enim aliud est peccatum nisi sarcina? quæ hujus sæculi onerat viatorem gravi depressum fasce delicti? qui si nollet oneri subjacere, debuit audire dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, Matth 11.

Vers. 20. OS PRUDENTIS QUÆRITUR IN ECCLESIA, ET VERBA ILLIUS COGITABUNT (Syrus, *ponent*, scilicet auditores; Græca Roman. *cogitabit*, scilicet Ecclesia) IN CORDIBUS SUIS] *Ecclesia* significat congregationem vel cœtum quemlibet hominum: q.d. In cœtu homines quærunt audire sapientem & prudentem, ut ejus doctrina instruantur, castigatione corrigantur, consiliis dirigantur, ideoque verba illius in corde suo appendent & ruminabunt. Unde Tigurina, *os sapientis in cœtu consulitur, & quisque dicta ipsius perpendit animo*. Contrarium facit stultus. Unde subdit:

Vers. 21. TANQUAM DOMUS EXTERMINATA SIC FATUO SAPIENTIA: ET SCIENTIA INSENSATI INENARRABILIA VERBA] Græca, *tamquam domus destructa sic fatuo sapientia, & cognitio imprudentis investigabilia verba. Tò sic fatuo sapientia*, duplicem habet sensum. Prior est, q. d. Sapientia prudentis, quæ quasi grata quæritur & perpenditur in Ecclesia, ingrata & contemptibilis est fatuo: ipse enim eam nihili æstimat, imò odit & aversatur tamquam insipientiæ suæ contrariam. Sicut qui amat & quærit domum ritè ædificatam, odit domum destructam & eversam, suisque ruinis obrutam & sepultam. Huic sensui favet Tigurina, *instar domus eversa est stulto sapientia, & scientia imperiti sermones inconsulti sunt*; & Syrus, *sicut carcer est sapientia stulto; & intellectus insano sicut carbones ignis*, quibus se & alios comburat.

Posterior & germanior est, q. d. Sapientia quæ in fatuo est, quam scilicet à sapiente audivit aut legit, ab ipsomet fatuo inconditè, ineptè, inordinatè, inconnexè, inconcinnè, confusè, imò contrariè & contradictoriè proposita, est quasi domus eversa. Sicut enim fatuus sua fatuitate domum destruit & evertit: sic idem evertit sapientiam quam protulit, dum ei immiscet vel subjungit sententias stultas, imò contrarias & contradictorias, quæ sapientiam ab ipso prolatam evertant. Sermo enim sapientis ordinatus, verax, compositus, connexus, pulcher, similis est fabricæ domus pulchræ, in qua una pars alteri recto ordine inædificatur, cohæret, compaginatur, ut omnes junctæ elegantem orationem quasi domum construant. At stultus sapientiæ, quam ædificare cœpit, admiscet & quasi inædificat fatua, insulsa, contraria, quæ sapientiæ fabricam evertant & destruant. Unde subdit: *Et scientia insensati inenarrabilia verba*: q. d. Insensatus & stultus scientiam suam profert & eloquitur incompositè, inordinatè, inintelligibiliter, ut ejus scopus & connexio, imò & summa sententiaque, mente comprehendi & voce enarrari nequeat; adeò ut si rogeris, Quid dixit ille fatuus? responsurus sis, Nescio: neque animi ejus sensa possis mente complecti, multò minùs verbis enarrare. Unde nonnulli vertunt, *fatui* in genitivo, hoc modo: *Quod eversa domus, id est fatui sapientia, & scientia insipientis, res quæ perscrutari nequeunt*. Sicut enim in domo eversa omnia sunt confusa, incomposita, perturbata, eversa, sic & sunt in sapientia & sermone stulti. Hic verum est illud Nazianz. in Carm. ad Nicobulum: *Simia est simia etiamsi purpura vestiatur. Asinus etiam auro onustus, propterea rudere non desinit.*

Parabolam hanc festivo galli & vulpis apologo illustrat Cyrillus lib. 2. Apolog. moral. cap. 15. cui titulus: *Contra tumentes ex scientia. Gallus*, inquit, *intelligens dispositionem mutabilitatis cælestis, mox de sua scientia tumidus, in arboris ramusculum ascendit, & vosto collo alta voce cantavit. Quem cùm vulpes audisset, ad ejus cantum quàm citissimè accurrit, & stans deorsum ipsum salutavit & dixit: Frater mi, audivi vocem exultationis tuæ, quæso, cantationis causam indica mihi. At ille protinus inquit, Nimirum intelligentia supernæ dispositionis ditatus, eam cùm sentio, statim voce cantabili nulla in* *Apologus galli jactantis cantum*

vidus pango: Tunc vulpes subridens ait: Ergo plenus es scientia, quæ est divinorum sublimium disciplina. Quo audito gallus plus intumescens cantavit, moxque vulpes saltavit. Cui ille desuper, Ut quid saltasti? Ipsa respondit, Quia tu priùs exultasti. Gaudere nam que cum gaudentibus licet. Dolositatis deinde rete exponens, verbis callidis adjunxit: O galle tu es gloria nostra, tu es bestiarum lætitia. Te nunc quæso porrige, si dignaris, ut osculer mirum intelligentiæ tuæ caput. Sed vide stolidam superbi de scientia sibi blandientis inscitiam & amentiam. *At ille adulationis dolosæ mellea lingua emollitus, statim vitale caput improvidus ori famelico porrexit. Quod avida vulpes stringens, deorsum miserum traxit, & subjunxit: Galle, galle, ubi est sapientia tua? concepisti superbiam, & perdidisti prudentiam, & dedisti pro nihilo vitam tuam. Cui gallus. Quid gloriaris in malitia. At illa respondit: Non est malitia humiliare superbiam, sed ars vera.* Denique idipsum exemplo stellæ & oculi constabilit. *Sidus namque quanto splendidius, tanto demissius est; & quanto sublimius, tanto apparet minus. Parvus oculus rimatur acutiùs, & in cauda vermiculi lucis clarissima fulget decus. Porrò quid scivisti, si te ignorasti? aut si novisti, quomodo superbisti, pulvis & cinis? Quid plura? Nulla major dementia est, quam per scientiam cùm inflaris, perdere sapientiam. Quo dicto, statim famelica suum oriri ex præda officium dedit.* *Similia.*

COMPEDES IN PEDIBUS, STULTO (græcè, ἀνοήτοις, id est, *stultis*) DOCTRINA, ET QUASI VINCULA MANUUM SUPER MANUM DEXTRAM] Tigurina, *disciplina compedes sunt pedibus stultorum, & instar manicarum in manu dextera*; alii, *pedicæ in pedibus sunt amentibus disciplina, & ut manicæ super manu dextera*; Syrus, *sicut compes est doctrina in pedibus stulti, & sicut vinculum in dextera ejus*. Dat causam cur stulti oderint sapientiam, quia, scilicet, ipsa est quasi compes vinciens & stringens eorum pedes, ne ad fatua exercenda progrediantur. Eadem est quasi manica stringens *manum dextram*, ne quid fatui operetur: q. d. Sapientia, quia sua disciplina restringit, & coercet disciplinatos stultorum affectus, gressus & actiones, hinc eis est exosa. Unde ipsi ut suas cupiditates sequantur, liberè incedant, agantque quod lubet, vincula hæc sapientiæ excutiunt dicuntque: *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum*, Psalm. 2. Vers. 22.

FATUUS IN RISU EXALTAT VOCEM SUAM: VIR AUTEM SAPIENS VIX TACITE RIDEBIT] Vers. 23.
Distinxit fatuum à sapiente in cogitatione & sermone, nunc eumdem distinguit in risu: quòd scilicet fatuus ad quamlibet occasionem, imò nulla de causa, temerè solvatur in risum, rideatque effusè, latè diducto ore, ac insulsè, ad ea ob quæ potiùs lugere & flere deberet, quodque in risu *vocem exaltet*, cachinnetur & perstrepat. Cujus risus causa est animi levitas, mobilitas, lascivia & stoliditas. *Sapiens* verò rarò & modicè rideat, nec tam rideat quàm subrideat, & labia instar ridentis diducat; quia sapiens sapienti, id est, gravi, maturo & constanti, æquè ac modesto & verecundo est animo, scitque se in hoc mundo pleno ærumnis & periculis, quasi in valle lacrymarum versari, ideoque potiùs lugere quàm ridere debere, juxta illud: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, Matth. 5. Unde Græca habent, *stultus in risu attollet vocem suam, vir autem callidus vix placidè subridet*; Tigurina, *stultus per risum sustollit cachinnum, at vir sapiens subridet tacitè*; Syrus, *cum quiete ridet*: vel potiùs subridet: hoc enim significat Græcum ἡσυχῇ μειδιάσει. Alludit ad Ecclesiastæ c. 7. 5. *Cor sapientium ubi tristitia est, & cor stultorum ubi lætitia*, &c. *quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.*

Ita Christus Dominus sæpiùs flevisse, numquam risisse legitur, ut Christianos doceret hìc flendi, in cœlo ridendi fore tempus. ita S. Basil. Reg. 17. fusiùs disput. Idem Ad filium spirit. ita ei præscribit: *Noli dissolutis labiis risum proferre: amentia namque est cum strepitu ridere; sed subridendo tantummodò mentis lætitiam indica. Nec in modum parvuli velis jocari assiduè: quia non convenit ei qui ad perfectionem nititur, jocari ut parvulus. Esto in malitia parvulus, & vir perfectus in sensu. Nullum enim habet accessum cordis compunctio, ubi fuerit immoderatus risus ac jocus. Ubi verò fuerint lacrymæ, ibi spiritalis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat, & vitia cuncta exurit. Tunc aviditate cœlesti anima flagrans, Christi amori copulatur, cum in terris degens de cælestibus jugiter meditatur, calcat sæculi voluptates, nec ulla sæculi cura eam segregat ab amore Christi: sed ut figura quædam inter homines versari videtur,* *Gnoma Patrum.*

videtur, & tota ejus conversatio in cælis est. Mors illi præsens, tamquam vita ipsa, est dulcis. Cupit dissolvi & esse cum Christo, quem in carne vivens intra suum portaverit templum. S. Basilio succinit ejus summyster S. Gregor. Nazianzen. in Tetrastichis.

> *Risum*, inquit, *meretur quilibet risus procax,*
> *Fletum immodestum haud levem risus parit.*
> *Tristem esse præstat, quam solutis moribus.*
> *Firmum caduca nulla res tangit virum.*

Idem orat. 11. de Gorgonia sorore sua ita scribit: *Quænam oculos ita frænavit? quænam risum ita irrisit? adeò ut vel leniter subrisisse, nimiùm penè ipsi videretur.* Vide S. Ephrem to. 1. tract. 44. cujus hic est titulus: *Non esse ridendum, sed lugendum & plorandum.* S. Bernard. tract. de Natura divini amoris cap 3. *Amplectatur*, ait, amans Deum *cordis puritatem, corporis munditiam: silentium, vel verbum ordinatum: oculos stabiles, & non sublimes: aures non prurientes: victum & vestitum sobrium, & qui faciat, non impediat, boni operis diætam: manus continentes; gressum mitem, non ridendo cordis prodere lasciviam, sed leviter subridendo gratiam.* Idem in sermone de S. Malachia, Archiepiscopo Hiberniæ, modestum ejus risum ita dilaudat: *Risus aut indicans charitatis, aut provocans, rarus tamen & ipse. Equidem interdum eductus, excussus numquam; qui ita nuntiaret cordis lætitiam, ut oris gratiam non minueret, sed augeret. Tam modestus, ut levitatis non posset esse suspectus: tantillus tamen, ut vultum hilarem ab omni tristitiæ nævo vel nubilo vindicare sufficeret.* Sic de nostro R. P. Petro Canisio scribit P. Sacchinus lib. 3. Vitæ ejus, pag. 328. *Risus ei perrarus, idemque non nisi humanitatis & charitatis in tempore condimentum. Lingua sancta, nescia nugarum, in mediis aulis religiosa, ubique cælestia divinarum laudum mella manans.*

Ἀγέλαστοι qui. Sic inter Gentiles ἀγέλαστοι, id est, risus expertes, Cognominati sunt & celebrati, Heraclitus, Anaxagoras, Aristoxenus, Phocion, M. Crassus, Licinius, M. Cato, Nerva. Bessarion Cardin. libr. 4. Apologiæ Platonis c. 1. scribit Platonem adeò fuisse modestum & gravem, ut rarò subriserit, riserit numquam. Risus enim nimius ridiculum facit, vel indicat: quare insipientem decet, non sapientem juxta illud vulgò tritum:

> *Per risum multum poteris cognoscere stultum.*

Quocirca Seneca in Proverb. litter. M. *Morbum* ait, *esse scias, non hilaritatem, semper arridere ridentibus, & ad omnium æstimationem ipsum: quoque os diducere.* Denique Beda in Proverbiis: *Præceps ad risum, præceps quoque fertur ad iram.* Et Dacrianus in Speculo Monach. *Cachinnum*, inquit, *tamquam altum animæ præcipitium fuge, sciens quia risus excussus indisciplinatusq; claustra pudoris violat.* Plura de risu dicam Ecclesiast. 2. 2.

VERS. 24. ORNAMENTUM AUREUM PRUDENTI DOCTRINA, ET QUASI BRACHIALE IN BRACHIO DEXTRO] Est antithesis: nam v. 22. dixit fatuo doctrinam esse quasi compedes pedum, & manicas manuum, hìc ei opponit sapientem: huic enim doctrina & sapientia est instar ornamenti aurei, v. g. instar monilis & torquis aurei: quia similiter eum ornat in se, magisque eum ornabit, si quasi doctor eam aliis communicet & doceat: quare est ei instar armillæ & brachialis, quod manus & brachia decoret & exornet. Unde Tigurina, *veluti ornamentum aureum est eruditio sapienti, & instar armillæ brachio dextro:* Syrus, *sicut monile aureum sapientia intelligenti, & sicut gemma annuli super manu ejus dextra.* Sicut ergo annulus aureus & gemmeus ornat dexteram, sic sapientia ornat sapientem. Hujus rei symbolo Doctores dum creantur, torque aurea & annullo aureo donari & insigniri solent, uti dixi cap. 6. 25.

VERS. 25. PES FATUI FACILIS IN DOMUM PROXIMI: ET HOMO PERITUS CONFUNDETUR A PERSONA POTENTIS] Distinxit sapientem à stulto, in corde, ore & risu nunc distinguit in incessu: q. d. Fatuus, quia curiosus & impudens, facilè ingreditur *domum proximi*, ut curiosè & impudenter scrutetur & audiat quid in ea agatur: at *homo peritus*, Græcè πολύπειρος, id est, multa expertus indeque prudens, qui scilicet experientia didicit quàm ingrata sit hominibus curiosa perscrutatio domus propriæ, nimiaque libertas in eam ingrediendi; hic *confundetur*, Græcè αἰσχυνθήσεται, id est, erubescet, verecundabitur, reverebitur *personam*; &, ut Græcè est, vultum hominis *potentis*: q. d. Sapiens est verecundus & reverens, adeò ut & vultum potentis fixiùs inspicere erubescat: at fatuus est inverecundus & irreverens, adeò ut non solùm

Fatuus est curiosus & impudens.

vultum potentium intueri; sed & domum eorum sine causa, nec vocatus, ingredi, inspicere & perscrutari audeat. Unde S. Ambros. ad Virgin. sic legit *pes fatui facilis in domum proximi: qui autem sapiens est, verecundatur;* Tigurina, *pes stulti in domum alterius proclivis est; at peritus homo reformidat vel inspectionem;* alii, *pes stulti festinus est ad domum, homo autem expertus erubescit ad aspectum;* Syrus, *pedes stulti ingrediuntur citò intra domum, & vir sapiens inclinat faciem suam*, quasi erubescens curiosè eam inspicere, ideoq; oculos deprimens, ne videat quæ in domo sunt vel fiunt: q. d. Prudens verecundè, nec nisi invitatus vel coactus, ingreditur domum potentis: ejus enim faciem erubescit. Hoc vitio notatus fuit Crates Thebanus, qui idcircò vulgò dictus est θυρεπανοίκτης, id est, ostiorum apertor, quòd in omnes domos irrumperet, &, si quid displicuisset, reprehenderet Cynica libertate, teste Laert. l. 6. c. 5. Quocirca Socrates, ut suos auditores à curiositate rerum alienarum avocaret, crebrò usurpabat illud Homeri:

> *Aedibus in nostris quæ prava aut recta geruntur.*

STULTUS A FENESTRA RESPICIET IN DOMUM: VIR AUTEM ERUDITUS FORIS STABIT] Secundus est hic gestus stulti: q. d. Fatuus, si nequeat ingredi domum alterius, quia fores sunt occlusæ, aut obsidentur ab aliis, similive de causa, tunc per rimas ostii aut fenestræ, rusticè & curiosè quasi stultus prospiciet in domum, præsertim si quem ex domo convenire vel alloqui desideret: at vir bene institutus & moratus, *foris stabit* pulsans ostium, ut evocet eum quem conventum cupit; vel, si Prælatus aut vir primarius sit, exspectabit donec ab eo evocetur, aut donec is domo egrediatur, itàque ei occurrat. seseque insinuet. Unde Græca habent, *insipiens per januam introspicit in domum: vir autem bene institutus foris stat;* Tigurina, *insipiens ab janua domum introspicit: at vir eruditus foris consistit;* Syrus, *stultus ex janua introspicit in domum: & honor viri est ut stet foris & loquatur.* Ita Xenocrates (ait Laert. l. 4. c. 2.) nihil referre dicebat, utrùm pedes an oculos inferas in alienas ædes, imò ab oculis magis metuunt incolæ, quàm à pedibus. VERS. 26.

Præclarè Hugo Victor. de Institut. novit. cap 12. *Gestus hominis*, inquit, *in omni actu debet esse gratiosus sine mollitie, quietus sine dissolutione, gravis sine tarditate, alacer sine inquietudine, maturus sine protervia, & sine turbulentia severus.* Huc facit apophthegma R. Judæ in *Pirke avoth*, id est in Sententiis patrum: *Procacis ac inverecundi hominis habitatio est infernus: sicut è contrà modesti & verecundi, paradisus. Placuit tibi Domine Deus noster, præcipuam nostram sortem in legis tuæ studio constituere.*

STULTITIA HOMINIS AUSCULTARE PER OSTIUM: ET PRUDENS GRAVABITUR CONTUMELIA] Tertius hic est gestus stulti, qui si nequeat ingredi domum, nec in eam per januam vel fenestram introspicere, invercundè & imprudenter aures applicat ad ostium, ut audiat quid in domo dicatur, aut geratur: & vir prudens grave sibi reputat hanc incivilitatem, immodestiam & inverecundiam committere; quia eam æstimat ingens esse suum, æquè ac domus incolarum probrum, dedecus & contumeliam. *Prudens* ergo *gravatur contumelia;* q. d. Primò, gravem dicit hanc infamiam & contumeliam. Secundò, q. d. Prudens putat sibi à fatuo gravem fieri injuriam & contumeliam, dum is curiosè & inverecundè ad ostium suum auscultat, ut secreta audiat. Unde Syrus vertit, *stulti est hominis auscultare ad januam; & sapienti gravis est contumelia ejus.* Summa horum omnium est, stultum rerum suarum esse incurium, alienarum verò esse curiosum, ideòque immodestè & inverecundè eas scrutari: sapientem verò alienarum rerum esse incurium, suarum verò curiosum, ideoquè sua attentè introspicere & circumlustrare, aliena verò negligere & præterire: quia eorum curam aliis ad quos pertinet relinquit, eam verò arrogare sibi, incivile, rusticum & ignominiosum dicit. VERS. 27.

Pro *stultitia* Græcè est ἀπαιδευσία, id est imperitia, rusticitas, incivilitas, ineptia, insolentia, insulsitas. Unde Tigur. vertit, *ad ostium auscultare quemquam, inscitia est qui sapit, hoc dedecus gravatim suscipit;* alii, *inscitia hominis est auscultare ad januam: prudens verò graviter fert infamiam.* q. d. Auscultare ducit esse infame.

VERS. 28. LABIA IMPRUDENTIUM STULTA NARRABUNT: VERBA AUTEM PRUDENTIUM STATERA PONDERABUNTUR] tum statera rationis à prudentibus

dentibus antequam ea proferant, tum statera auctoritatis ab iis qui ea audiunt. Hi enim ea quasi præmeditatè, graviter & sapienter prolata, magni æstimabunt, verbisque & factis ostendent ea apud se magnum auctoritatis momentum & pondus habere, ut ea crebrò ruminent, meditentur, mente expendant, librent & ponderent, eaque in opus conferant, ac juxta ea mores suos conforment, vitamque instituant. Septuplicem stateram, qua singula verba æquè ac opera libranda, sunt recensebo Proverb. 11. v. 1. Græca habent, *labia loquacium ea quæ non sunt sua narrabunt, verba autem prudentium in statera librabuntur*; Tigurina, *labia loquacium narrant absurda: sapientes autem quæ dicunt statera ponderant*; alii, *labia multiloquorum aliena narrant: sermones autem prudentium statera ponderantur*; Syrus, *os impii in corpore* (in corpus) *sui ipsius* (idest contra seipsum) *loquetur: & cum pondere loquitur sapiens*. Græca verò Romæ correcta aliter habent, nimirum hoc modo, *labia aliorum in his gravabuntur: verba autem prudentium statera ponderabuntur*. Huc facit dogma S. Bernardi: *Verba tua prius veniant bis ad limam, quàm semel ad linguam*. Lima verborum est mens, est ratio, est prudentia, est consideratio. Unde sequitur: *In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum*. Huc etiam B facit proverbium Arabicum cent. 1. n. 16 *Esto cum palinro olina*, id est, esto cum stulto sapiens, & cum insano polylogo mentis compos & micrologus.

Præclarè B. Petrus Damiani epist. 10. ad Petrum Cerebrosum: *Qui dicaciam, ait, eloquentiam putat, rerum similitudine ductus aberrat. Sicut enim vir sapiens dicit: Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur. Planè sicut equus effrænis per anfractus & invia, plana vel ardua, quæque trasmittit: sic lingua stultorum recta vel frivola, ut qualibet suppetunt, indifferenter ac leviter effluit. Prudens autem quæ dicenda sunt ponderat, & tamquam cautus viator solerter attendit, ubi lingua sua vestigium figat. Ille quidquid occultum est, per impatientiam fandi producit in medium; iste, si dictet utilitas, sub clave silentii servat arcanum. Unde & idem Sapiens. In ore, inquit, fatuorum cor eorum, & in corde sapientum os illorum.*

Septem discrimina sapientis & stulti in loquendo.

Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pirke avoth*, id est, in Capitulis patrum: *Septem dicuntur de stulto, & totidem de sensato ac sapiente: Vir sensatus tacet & obmutescit coram seniore aut sapientiore se: loquentem non interpellat, importunè aliquid effutiens & extra tempus, in medio, videlicet, sermonis interserens: vix respondet interrogatus, interrogat autem ipse ad rem apposite, respondetq; etiam aptissimè ad quæsita: quæ primo loco proposita sunt, de iis agit primùm & ante omnia; posteriùs autem ad ea descendit agitanda quæ posteriore loco sunt oblata discutienda: si quæ autem sint quæ fortè non intellexit, ingenuè admonet, & dicit, Hæc & hæc capere non potui, hæc autem intellexi. Tandem cognita perspectaq; veritate, dat manus & ultrò cedit. Contrario prorsus modo de stulto ratiocinandum est.*

VERS. 29. *Stulti habent cor in ore, sapientes os in corde. Primò.*

IN ORE FATUORUM COR ILLORUM: ET IN CORDE SAPIENTIUM OS ILLORUM] q.d. Fatui quidquid habent in corde, id ore effutiunt: nesciunt enim sensa sua celare: hinc videntur *cor* non habere intra viscera reconditum, sed in *ore* repositum, omnibusque patulum & expositum: ex adverso sapientes ore nihil proferunt, nisi quod priùs in corde bene expenderunt: quare quæ celanda sunt celant, nihilque dicunt nisi quod hoc loco, tempore, coram talibus, &c. dicendum est: quare videntur os non habere in vultu patulum omnibus, sed reconditum *in corde*: quia cor dirigit & moderatur os eorum, ut non tam os quàm cor eorum loqui ac vicissim tam os quàm cor eorum sapere videatur. Unde Tigurina, *ab ore stultorum pendet cor eorum: at in corde sapientum os eorum situm est*: quia scilicet sapientes os & verba cordis discretione reprimunt, & mensurant. In stultis ergo dominatur os, id est, garrulitas & protervia loquendi, adeoque os regit cor ipsorum. In prudentibus verò dominatur cor, illudque regit os eorum, juxta illud Proverb. 16. *Cor sapientis erudiet os eius*. Et illud Psaltis psalm. 36. 30. *Os justi meditabitur*, id est, meditatò vel meditatam proferet, *sapientiam*, quia, scilicet, justus os habet in corde: cordis enim est meditari, oris verò meditatū eloqui. Unde Syrus nervosè, *os stulti ipsum est cor eius, & os sapientis in corde suo*. Sapienter Gellius lib. 1. 15. scribit garrulorum orationem in ore nasci, non in pectore. Ex adverso Homerus Ulyssem virum sapientem aut vocem mittere non ex ore, sed ex pectore. Hinc & dicitur psalm. 51.

A v. 2. *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua*. Ubi rectè Origenes apud Agellium: *Cor, ait, fatuorum in superficie situm est, non in profundo, ad labia exilit*. Sic olim dictum est, Græcis sermonem è labiis & ore, Romanis è mente & corde proficisci. Huc pertinet illud Themistoclis: ἐστὶ ἔνεστι τῷ λόγῳ, id est, *sermoni inest os* & vigor, dictum de oratione non inani & fatua, sed gravi & sapienti solidas habente sententias. Sic Quintilianus rerum inventionem appellat *orationis ossa*, sumpta similitudine ab animantium corporibus quæ ossibus sustinentur, colligantur nervis, vestiuntur carnibus & pelle, cohærent anima, moventur actu.

Secundò.

Secundò, cor symbolum est secreti, os verò revelationis secreti. Cor enim in abscessu pectoris latitat, & intra præcordia se reducit. Sapientibus ergo *os est in corde*, id est, in abdito profundoque mentis recessu, ut silere & celare norint, quod alii ore produnt. Fatuis verò *cor est in ore*, id est, secretum in lingua, quia omnibus illud propalant. Ita S. Gregor. Nazianz. epist. 1. ad Celeusium silentii se arguentem, scribit apologum hirundinum & cycnorum, hirundines enim habent cor in ore, cycni verò habent os in corde. *Melius est*, inquit, *silentium cycnorum, quàm garri*B*tus hirundinum*. q. d. Melius est silentium sapientum, quàm loquacitas insipientium, tandemque alio proverbio conclusit: *Tum cantabunt cycni, cùm graculi tacuerint*. Idem de Diversis vitæ generibus:

> *Non ego*, inquit, *cum gruibus, non anseribusque sedebo*
> *In synodis, quæ se Marte furente petunt.*

Synodos anserum & gruum vocat illa concilia, in quibus nil rectè & ordine gerebatur, sed confusis pugnantium inter se hominum clamoribus omnia perstrepebant, quales erant Synodi Arrianorum ad evertendum Concilium Nicenum.

Tertiò.

Tertiò, Pineda libr. 3. de Rebus Salomon. c. 12. n. 4. *In corde*, inquit, *sapientum os illorum, & in ore fatuorum cor illorum*: q. d. Stultorum vana est eloquentia, at sapientum solida, ut quæ non solum verbis constet, sed & cordata sit, & gravibus sententiis polleat. Quod Salomon Sap. 7. v. 15. ait: *Mihi dedit Deus dicere ex sententia*, id est, ex anima & corde sententiosè, cum sensu quodam & quasi sapore eorum quæ dicuntur.

Quartò.

Quartò, Rabanus: *In ore fatuorum*, inquit, *cor illorum est, quando hæreticorum & schismaticorum stulta intentio verborum intendit ornatui: in corde autem sapientum os illorum, quando* C *electorum studet eloquium, veræ sapientiæ fideliter exprimere sensum*. q. d. Stulti solam eloquentiam, prudentes magis sapientiam aucupantur, eamque verbis ostentant. Stulti ergo cor in ore, id est sapientiam in loquacitate, collocant, sapientes verò os in corde, id est, eloquentiam in sapientia reponunt, censentque se eloquenter dicere, si sapienter dicant. Huc facit illud vulgò tritum: *Stulta est egena sapientiæ eloquentia*: sapiens verò est sapientia, etiam carens eloquentia.

Quintò.

Denique cor symbolum est prudentiæ, magnanimitatis, consilii: os verò, id est garrulitas, imprudentiæ, levitatis, insipientiæ. Cor enim est animæ receptaculum, voluntatis fons, consilii & rerum agendarum radix. Unde Beda in Proverbiis: *Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde*. Nam ut ait Aristot. lib. de Sensu & sensibili: *Anima est in corde, sicut aranea in sua tela*, tum physicè, tum ethicè. Physicè quia in corde quasi arce habitat anima, indeque per spiritus vitales vivificat totum corpus. Unde cor est principium vitæ & sensus, præsertim tactus, quem acutissimum habet aranea, juxta illud: D *Lynx visu, sus auditu, præcellit aranea tactu*. Quia, ut ait Aristot. l. 2. de Anima: *Animal est animal propter sensum tactus*. Omne enim animal habet tactum; & quidquid habet sensum tactus, est animal, esto careat visu, auditu, aliisque sensibus. Ethicè, quia anima per cor, id est mentem & rationem, loquitur, & agit omnia. Stulti ergo cor, id est sapientiam & virtutem, in ore, id est in sua insipientia, reponunt: sapientes verò suum os, id est levitatem & insipientiam, in corde abscondunt & celant. Planè, inquit Palacius, stultus homo exterior est, idcircò cor habet exteriùs in lingua: at prudens interior homo est, linguam igitur revocat ad cor.

DUM MALEDICIT IMPIUS DIABOLUM; MALEDICIT IPSE ANIMAM SUAM] *Maledicit*, id est, Primò, execratur, ut vertit Tigurina: q.d. Dum impius execratur diabolum, execratur seipsum; quia ipse similis est diabolo: est enim impius ut ipse. Fatuè ergo VERS. 30.

fatuus

Impius est quasi diabolus. fatuus execratur diabolum, cùm non desinat eum imitari, imò eum venerari & colere, dum ejus suggestionibus obedit, ejusque inspirationes præfert inspirationibus Dei: quocirca ipse est servus & filius diaboli: fatuum autem & indignum est ut servus hero, filius patri maledicat.

Ubi Nota, quàm turpe sit peccatum, quod Angelum pulcherrimum fecit teterrimum diabolum, & hominem facit similem diabolo, imò diabolum, juxta illud Christi de Juda: *Nonne ego vos duodecim elegi? & ex vobis unus diabolus est?* Joan. 6. 71. Et c. 8. 44. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Sic ebrius vel cholericus dum furit, videtur esse diabolus incarnatus, inquit S. Chrysost. & S. Gregor. Nazianz.

Secundò, q. d. Dum impius malè precatur diabolo, malè precatur sibi ipsi, quia eamdem pœnam ob eamdem impietatem meretur, quam diabolus. Unde eamdem sortem & gehennam recipiet, quam diabolus, juxta illud Christi in judicio: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus*, Matth. 25. v. 41.

Tertiò, Palacius: Simplicissimus, ait, sensus erit, si *diabolum* sumas pro adversario, ut sit sensus: Si maledicis adversario, maledixisti tibi: quia eum provocas, ut statim maledictum in te regerat. At si *diabolum* propriè sumas, ita explicatur: Diabolus ex se malus non erat malitia eum malum & diabolum fecit, ac ideò quia malus est, malè ei dicimus. Cùm igitur tu etiam malus sis, malè de malò dicens malè de te dicis: imò si malè imprecaris illi, quia malus, imprecaris & tibi, utpote malo. Ut enim qui jurat in altari, jurat per Deum qui est in altari: ita qui malè precatur diabolo, malè præcatur malitiæ quæ est in eo, & cùm ea malitia sit in te, malè etiam precaris tibi.

Dicit hoc Siracides, ut explicet quod dixit v. 28. *Labia imprudentium stulta narrabunt.* Et illud v. 29. *In ore fatuorum cor illorum*: q. d. Imprudentes & fatui, id est, impii, assiduè habent diabolum in ore, quia eum semper habent in corde. Unde tertio quoque verbo eum nominant, & cùm quid sinistri malive eis accidit, id fatuè imputant diabolo, eique maledicunt, dicendo Diabolus hoc malum mihi intulit; sit ergo maledictus, eat in malam crucem, in gehennam. At sapientes & pii non diabolum, sed Deum habent jugiter in ore, quia eum jugiter habent in corde. Unde in adversis æquè ac prosperis dicunt cum S. Job c. 1. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.*

Porrò Syrus sic vertit, *cùm stultus maledicit ei qui non peccavit illi, ipse maledicit seipsum*, vel *maledictionem inducit animæ suæ. Tristis est anima sapientis propter stultum, quia nescit quid dicat illi.*

VERS. 31. SUSSURRO COINQUINABIT ANIMAM SUAM, ET IN OMNIBUS ODIETUR: ET QUI CUM EO MANSERIT, (sic legendum cum Roman. non, *qui permanserit;* nec *cui manserit*, id est, cui cohabitarit vel adhæserit, ut vult Jansenius) ODIOSUS ERIT: TACITUS ET SENSATUS HONORABITUR] Inter stulta quæ narrare solent stulti & impii, uti dixi v. 28. unum valdè frequens est, nimirum susurri, id est, occultæ detractiones, quibus absentis famam clàm proscindunt, eumque audienti invisum reddunt, itaque amicitiam utrimque dissociant. Quod proinde hic taxat Siracides: q. d. Sussurro & detractor Primò, inquinat animam suam, culpa & vitio detractionis. Secundò, in omnibus locis æquè ac actibus odietur. Tertiò, non tantùm ipse, sed & qui se illi sociarit, exosus erit. At verò tacitus & sensatus, qui vitia proximi, quæ vidit, vel audivit, silentio premit, honorabitur ob prudens amicumq; & justum silentium. Græcus de more brevis & bimembris clarè sic habet, *maculat suam ipsius animam susurro, & ubicumq; commorabitur odio erit;* Tigurina, *obtrectator polluit animam suam, & quocumq; commearit, odiosus erit: homo verò tacitus & cordatus, honorem consequetur.* Paulò aliter Palacius: *Sicut*, inquit, *maledicens diabolo maledicit sibi, ita susurro detrahens honori aliorum, & culpans alios, cùm eadem frequenter in eo culpa inveniatur, planè sui susurro est, se accusat, & de se maledicit. Tam grandem sibi maculam irrogat: quod enim vilius probrum, quàm susurro vocari? Is etiam odiosus omnibus est, & qui cum eo perseverat, ei scilicet familiaris, similiter odiosus erit. Contrà, quàm honorandus erit qui tacet, nec vitia aliorum ut sensatus, traducit!* hæc Palacius.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet quàm viles, contemptibiles, probrosi, incorrigibiles & insupportabiles sint stulti & insensati, usque ad v. 24. Inde usque ad finem recenset nonnulla quæ violant amicitiam, eaque cavenda monet.

IN lapide luteo lapidatus est piger, & omnes loquentur super aspernationem illius. 2. De stercore boum lapidatus est piger: & omnis, qui tetigerit eum, excutiet manus. 3. Confusio patris est de filio indisciplinato: filia autem in deminoratione fiet. 4. Filia prudens hereditas viro suo. nam quæ confundit in contumeliam fit genitoris. 5. Patrem & virum confundit audax, & ab impiis non minorabitur: ab utrisque autem inhonorabitur. 6. Musica in luctu importuna narratio: flagella & doctrina in omni tempore sapientia. 7. Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. 8. Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno. 9. Cum dormiente loquitur qui enarrat stulto sapientiam: & in fine narrationis dicit: Quis est hic? 10. * Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus: & supra fatuum plora, defecit enim sensus. 11. Modicum plora supra mortuum, quoniam requievit. 12. Nequissimi enim nequissima vita super mortem fatui. 13. * Luctus mortui septem dies; fatui autem & impii, omnes dies vitæ illorum. 14. Cum stulto ne multum loquaris, & cum insensato ne abieris. 15. Serva te ab illo, ut non molestiam habeas, & non coinquinaberis peccato illius. 16. Deflecte ab illo, & invenies requiem, & non acediaberis in stultitia illius. 17. Super plumbum quid gravabitur? & quod illi aliud nomen quàm fatuus? 18. * Arenam, & salem, & massam ferri facilius est ferre, quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium. 19. Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificii non dissolvetur: sic & cor confirmatum in cogitatione consilii. 20. Cogitatus sensati in omni tempore, metu non depravabitur. 21. Sicut pali in excelsis, & cæmenta sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt: 22. Sic & cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet. 23. Sicut cor trepidum in cogitatione fatui, omni tempore non metuet, sic & qui in præceptis Dei permanet semper. 24. Pungens oculum deducit lacrymas: & qui pungit cor, profert sensum. 25. Mittens lapidem in volatilia, deiiciet illa: sic & qui convitiatur amico, dissolvit amicitiam. 26. Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes, est enim regressus. Ad amicum 27. Si aperueris os triste, non timeas: est enim concordatio: excepto convitio, & improperio, & superbia, & misterii revelatione, & plaga dolosa: in his omnibus effugiet amicus. 28. Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut et in bonis illius læteris. 29. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut et in hæreditate illius coheres sis. 30. Ante ignem camini vapor, & fumus ignis inaltatur: sic et ante sanguinem maledicta, et contumeliæ, et minæ. 31. Amicum salutare non confundar, à facie illius non me abscondam: et si mala mihi evenerint per illum, sustinebo. 32. Omnis qui audiet, cavebit se ab eo.

Quis

33. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?

Vers. 1. IN LAPIDE LVTEO LAPIDATUS EST PIGER, ET OMNES LOQVENTVR SVPER ASPERNATIONEM ILLIUS. DE STERCORE BOVM LAPI-
Vers. 2. DATVS EST PIGER; ET OMNIS, QUI TETIGERIT EUM, EXCVTIET MANVS] *Lapidem luteum* vocat non laterem ex luto plasmatum, sed lapidem luto conspurcatum & sordentem: hinc enim significat Græcum ἠρδαλωμένῳ. *Lapidatus est*, id est lapidarij solet: sic enim Hebræi per unum tempus significant cetera. Rursum per metalepsin *Lapide luteo lapidatus est*, id est, lapidando luto conspurcatus est: q. d. Piger adeò vilis, contemptibilis & exosus est, vt eum homines dignum censeant qui impetatur lapidibus sordidis, & stercore boum: omnes enim eum quasi torpidum & sordidum aspernantur, ita ut eum tangere, cum eoque conversari nolint; sed omnes eum refugiant & aversentur, perinde ut qui tangit lapidem sordidum, vel stercus, ilicò illud manibus excutit. Stultorum & stultitiæ speciem vnam persequitur, scilicet acediam & pigritiam: hæc enim facit hominem non tantùm otiosum, sibique & aliis inutilem, sed & noxium multisque vitijs commaculat: otium enim & pigritia est causa omnis mali. Noster legit κατεβλήθη, id est, telis vel lapidibus impetitus est, aut ἐλιθάσθη, id est, lapidatus est à λιθάζω, id est, lapido: q. d. Piger adeò omnibus est vilis, ut eum quasi commune naturæ probrum lapidibus infestentur, in eumque jaciant lapides luto immersos, sordes & stercora. Jam legunt συνεβλήθη, id est, *comparatus est*. Vnde Greca sic habent, *lapidi inquinato* vel *polluto assimilatus est piger, & omnes sibilant ad ejus infamiam, ac stercori fimentorum comparatur piger: & omnis qui tollit eum, excutiet manus*; Complut. & Roman. *lapidi conspurcato comparatus est piger, & omnis exultabit in ignominiam ejus, stercori boum de sterquilinijs comparatus est piger: omnis qui tollit illud, excutiet manum*; Tigurina, *lapidi conspurcato comparandus est piger, quem ignominiæ causa omnes irrideant: piger conferendus est stercori sterquilinij; quod quicumque contigerit, manus suas excutiat*; Syrus, *sicut lapis sordidus qui projectus est in platea, & vnusquisque fugit ab odore ejus, ita & stultus; & unusquisque recedet ab eo. Dum exit quispiam foras in plateam, conviciatur ipsi, & omnis qui videt eum, complodit manibus suis*, Arab. breviter rem acu tangit, *insipiens jam sibi acquisivit contumeliam & malum*. Porrò Isidor. libr. 10. Origin. Piger, inquit, *dicitur quasi pedibus æger*. Idem de Differentiis verborum n. 46. *Inter tardum*, inquit, *pigrum, inertem & segnem hoc interest, quod tardus dicitur qui trahit tempus; iners sine arte, nullius officij capax; piger per omnia ægro similis; segnis semotus est à calore & igne.*

Piger quasi pedibus æger.

Appositè pigro pœnam assignat *stercus boum* potiùs, quàm equorum vel aliorum animalium, quia bos utpote gravis, lentus est & tardus, sybolum & figura est pigri. Vnde illud:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Ita Palacius: Piger, inquit, *comparatur lapidi conspurcato, & stercori boum. Vt enim qui lapidem ita sordidum, aut stercus boum inopinatè tangit, statim utrumque è manibus excutit: ita qui ministrum habet pigritantem, excutit & repellit à se. Ita enim ministros pigros fugimus vt stercus, vt lutatos lapides. Ex hac Græca litteræ explicatione habemus sensum Latinæ, qui est hic: Talis est piger, ac si cum lapidassemus lapidibus luto sordentibus, aut stercoribus boum: ita enim sordet ille in oculis hominum, ac si rebus sordidis conspurcatus esset, ac ideo omnes loquentur super ejus aspernatione, dicentes quàm sit ille spernendus, imò & excutiendus & repellendus. Si piger contemnitur à dominis temporalibus, si ab eis excutitur & repellitur, quam spernetur & repelletur à Deo! Nam quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo; & quia opus Dei facis desidiosè, maledictus eris. O quantum est à Deo maledici & repelli, scilicet in ignem æternum!* Apocal. 3. 16. Jerem. 48. 10. Matth. 25. 41. Adde, bovem, etsi lentum, tamen laboriosum esse: quare significat, pigrum suum lentorem & pigritiam vincere debere labore ad bovis imitationem. Hinc monetæ, putà didrachmis, olim imprimebatur figura bovis, ut ait Pollux lib. 9. quòd labor pariat nummos & opes, pigritia verò inopiam & famem. Appositè ergo in pigri opprobrium & castigationem à bovis stercus assumitur, ut bove se deteriorem & pigriorem agnoscat, & à bove suam tarditatem labore vincere discat. Accedit, quòd stercus boum servit stercorandis agris, ut iniecto semine copiosam ferant segetem. Ager hic est piger: stercoratur ergo stercore boum, ut iniecto diligentiæ semine copiosos illius proferat fructus.

Anagogicè, S. Gregor. 15. Moral. cap. 3. explicans illud Job cap. 20. de impio & hypocrita: *Quasi sterquilinium in fimo perdetur: Quia*, inquit, *in morte sua, cum ad tormenta ducitur stercoribus vitiorum plenus, à malignis spiritibus conculcatur. Gaudia etenim vitæ præsentis, quæ iniusti æstimant magna bona, justi stercora deputant. Vnde scriptum est: De stercore boum lapidatus est piger. Is ergo qui Deum sequi noluerit, ab amore æternæ vitæ pigrescit: & quoties rerum temporalium damno percutitur, ex his nimirum affligitur, quæ justi viri velut stercora contemnunt. Qui ergo ex terrenarum rerum percussione atteritur, quid aliud quàm de boum stercore lapidatur? Et rectè hypocrita sterquilinio similis dicitur: quia dum temporalem gloriam habere appetit, modò per cogitationem apud semetipsum tumet, modò eamdem gloriam alijs invidet, eamque alios veraciter*
B *habentes irridet. Quot ergo vitiis plenus est, quasi tot stercoribus in conspectu æterni judicis illius pectus fœtet.*

Tropolog. Rabanus per *lapidem luteum* accipit increpationem S. Script. per *stercus boum* increpationem prædicatorum: hi enim sunt boves mystici excolentes agrum Ecclesiæ. *In lapide luteo*, inquit, *lapidatur piger, quando peccatori duris Scrip. sententiis fœditas scelerum suorum exprobratur, omnesque loquuntur super aspernatione illius, quia omnes boni detestantur & despiciunt sordes operum ipsius. Lapidatur piger de stercore boum, quando pigritia malorum in bono opere torpentium, per aptam stultitiæ suæ orationem à sanctis prædicatoribus illis improperatur: ita ut omnes qui aliquo modo communicaverint negligentia eorum, manus operum à squalore fœditatis illorum excutiant, & ad observantiam mandatorum Dei utili exercitio recurrant.* Tropol.

Sic ferè & S. Bernard. serm. 2. de SS. Petro & Paulo: *Itaque arguere, & increpare*, inquit; *interdum necesse est: nec ignoro fimum esse verbum increpatorium, verbum improperij; & quod si non excuset necessitas, ipsum quoque minus deceat proferentem. Sed quid agimus, quod*
C *hoc fimo etsi aliquos impinguari, sed alios planè lapidari & indurari videmus? Hinc namque scriptum est: De stercore boum lapidabitur piger. An non impinguatur, qui increpatus benignè accipit, mansuetè respondet, libenter emendare conatur? Hæc planè salubris & fœcunda impinguatio est, vt corripiat me justus in misericordia, & increpet: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Et mox: *Quid autem faciamus tibi ò piger, qui ad hanc misericordiam irritaris magis & exasperaris? Nonne bonum fimum sparsi in agro tuo? vnde ergo lapides habet? Sed tu inimice homo, (quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam) tu, inquam, inimice homo, hoc fecisti, qui desidiam tuam non excutere, sed excusare pergens, fimum tibi pervertis in lapides; & vnde impinguari debueras, lapidaris.*

Huic apologo similis est apologus bovis & lupi, acutus & argutus, apud Cyrillum libr. 1. Apolog. moral. cap. 14. cujus titulus: *Quietem mentis dilige, & otium fuge. Hora vespertina*, inquit, *bovem iugo oneratum otiosus vagusque lupus reperiens, quasi compatiens illi, dixit: Quandonam solutus beata libertate vagaberis, & fatigatus grata quiete refo-* Apologus pigritiæ.
D *cillaberis otiosus? cui ille respondit: Nimirum quando sapientia relinquet naturam. Labores enim quamdiu sustinebit membrorum societas, numquam me rapiet vagationis captiva libertas, aut otiositas cordis fluctuans tempestatibus. Nam vagatio quædam mentis est alienatio, & otium tempestas est cordis. Siquidem alienatus à virtute sensus, mox sicut Cain* (Genes. 4.) *profugus vagusque diffunditur; & veluti David* (2. Regum cap. 11.) *statim procella vitiositatis involvitur animus otiosus. Ad hæc lupus adiunxit: Numquam ergo quiescit sapiens? Respondit bos: Imò possidet eum secura quies. Nonne attendisti quod superior mandibula licet non moveatur, minimè sit otiosa? sic utique sapiens etiam numquam otiosus, continuè aut mente exercitatur aut corpore.* Otij deinde proprietates & damna recenset. *Quid*

pœnitentiam, & post eam cavendum à relapsu, ac constanter persistendum in justitia Deique gratia. Audi S. Gregor. 3. p. Pastor. admonit. 31. *Admonendi*, inquit, *qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut considerare solicitè sciant, quia flendo inaniter mundant, qui vivendo se nequiter inquinant: cùm idcircò se lacrymis lavent, ut mundi ad sordes redeant*. Et paulò post: *Sus in volutabro luti cùm lavatur, sordidior redditur: & qui admissum plangit, nec tamen deserit, pœnâ graviori culpa se subiicit, qui & ipsam, quam flendo potuit impetrare veniam, contemnit, & quasi in lutosa aqua semetipsum volvit: quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lacrymas facit*. Quocirca languido a se sanato hoc monitum dat Christus Joan. 5. 14. *Ecce sanus factus es: noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. De quo S. Cyprianus libro de disciplina & habitu virg. *Sospitantis*, inquit, *Domini verba sunt & docentis, curantis pariter & monentis: Ecce*, inquit, *sanus factus es &c. dat vivendi morem, dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem, nec habenis liberis & solutis vagari postmodum patitur: sed ipsis potiùs, quibus sanatus fuerat, mancipato, graviùs comminatur: quòd sit, scilicet, minor culpa deliquisse antè, cùm necdum nosses disciplinam Dei; nulla sit venia ultrà delinquere, postquam Deum nosse capisti*. Simile appositum affert San. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 3. *Nullus*, inquit, *hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutiùs remanere peccatis, cùm etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutiùs ægrotare: tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt & sibi de eo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniunt ut repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant*.

Vers. 2. *Fuge peccatum quasi colubrum.* QUASI A FACIE COLUBRI FUGE PECCATA: ET (id est, *quia*: dat enim causam fugæ peccati) SI ACCESSERIS AD ILLA, SUSCIPIENT TE] Legit Interpres δέξονται, id est, *suscipient*: sic quoque legit S. August. in Speculo: iam legunt δήξεται, id est, *mordebit*: δάκνειν enim significat mordere, δέχεσθαι, suscipere. Sed eodem redit sensus: q. d. Peccata suscipient te quasi colubri & serpentes suis spiris, ut te mordeant, suumque virus tibi instillent, quo ita lædent animam tuam, ut naturaliter sanari nequeas per te, sed ut saneris opus habeas gratia Dei supernaturali. Tigurina, *tamquam à conspectu serpentis fuge peccatum*; alij, *tamquam serpentem fuge peccatum: nam si accesseris, mordebit te*. Eleganter S. Paulinus natali 10. S. Felicis:

Vt faciem colubri Salomon peccata timeri
Horrerìq; monet, dicens armata leonis
Dentibus: & verè, quoniam velut ore ferino
Sæva vorant animam, quam vicerit ægra voluptas.

Alludit ad serpentem, per quem diabolus Evam ad peccatum pertraxit. Peccatum ergo est quasi serpens & basiliscus, qui solo visu quos aspicit necat: imò serpente ipsoque diabolo est nocentius, adeoque peccatum ex angelo pulcherrimo & felicissimo fecit teterrimum & miserrimum diabolum. Unde Rabanus: *A facie colubri* exponit *à facie diaboli. Coluber enim ille antiquus*, inquit, *qui semper colit umbras peccatorum, & regnat in filiis tenebrarum, interitum nostrum sine cessatione desiderat, ideoq; nobis suggerit opera facinerosa*. Syrus, *fili mi, multùm fuisti fugiens à peccato: si appropinques ad illud, mordebit te*. Per *morsum* hunc intellige omnem noxam, quam animæ infert peccatum, ac præsertim remorsum conscientiæ, juxta illud Dei ad Cain, Genes. 4. 7. *Sin autem male (egeris,) statim in foribus peccatum aderit?* Hebr. *accubabit: Videlicet more serpentis & canis morosi*, inquit noster Delrio adagio 9. *qui nec egredi, nec ingredi hominem tranquille sinat, sed importuno latratu semper inquietet, hoc sensu perpetuo tibi tuum peccatum ante pedes, ante oculos oberrsabitur & adversabitur: ut te Deus ad tempus sinat impunitum; ipsi peccati morsus, angues, furiæ acriter urgebunt, agitabunt, persequentur: quòcumque perges, peccatum te comitabitur, conscientia tua se ingeret & ingeret, irrequietum malum te conquiescere animo non permittet*.

Huc facit proverbium Hebraicum: *Cogitationes peccati* (de peccato admisso) *graviores sunt quàm peccatum*: quia cogitationes remordentes conscientiam ob peccatum perpetratum graviùs eam affligunt & cruciant, quàm ipsum peccatum.

Porrò S. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Rom. notat τὸ *si accesseris. Non enim*, inquit, *peccatum ad nos accedit, verùm nos ad illud transfugimus*. Additque diabolum inter nos habitare *quasi latronem quemdam & tyrannum, qui nisi quem apprehenderit inermem ac solitarium, in suas speluncas descendentem, accedere sanè non sustinet*. Subdit eum similem esse serpenti, Primò, quia deorsum ad terram, & terrena nos trahere satagit. Secundò, quia sicut serpens in spinis, sic dæmon in divitiis latitat & se occultat: qui, si spinas incideris, ilicò aufugiet. Tertiò, sicut serpens incantatur carmine, sic diabolus exorcizatur & fugatur per invocationem nominis Christi, & crucis potentiam. Rursum notant nonnulli τὸ *à facie colubri*. Qui enim sapiens est, non tantùm serpentem & colubrum fugit, sed etiam *faciem colubri*, id est occasionem peccati, & omnem ejus ingressum perhorrescit: qui enim ad occasionem & illecebram peccati accedit, ab ea suscipitur, implicatur & dementatur.

DENTES LEONIS, DENTES EJUS, INTERFICIENTES ANIMAS HOMINUM] Tigur. *dentes leonini sunt dentes ipsius animis hominum exitiales*; Syrus, *sicut dentes leonis est mendacium* (omne enim peccatum vocatur in Script. & est *mendacium* practicum, quia contrarium veritati, veroque dictamini rationis, legis & virtutis) *& corrumpit animas hominum*. Comparavit peccatum serpenti ob virulentiam, & clandestinum morsum letiferum: nunc idem comparat leoni, ob sævitiam & ferociam, qua crudeliter animam laniat & occidit, tum adimendo gratiam, tum adigendo ad gehennam. Vers. 3. *Et quasi leonem.*

QUASI RHOMPHÆA BIS ACUTA OMNIS INIQUITAS, PLAGÆ ILLIUS NON EST SANITAS] Vers. 4. *Et quasi rhomphæa.*
Græcè ἴασις id est, sanatio, vel remedium & curatio. Pro *bis acuta* græcè est δίστομος id est, anceps, biceps, utrimque scilicet acutus, sive duas habens acies quasi ora, quibus peccatorem secet, mordeat & devoret. Comparavit peccatum leoni & serpenti, nunc comparat rhomphææ, sive gladio utrimque scindenti, q. d. Peccatum est quasi gladius acutissimus, qui ipsa ossa dissecat & discindit: sic enim peccatum intima animæ dissecat, ipsamque animam necat & occidit. Tigurina, *instar ancipitis gladii nefas omne est, in plaga illius nulla est sanitas*; vel *contra plagam illius nullum est remedium*; Syrus, *gladius anceps os meretricis, & plaga illius non est sanatio*. Meretricium enim crebrum est & commune peccatum, adeoque omne peccatum mystica est fornicatio, quia per illud anima desponsata Deo, eo spreto, fornicatur cum creaturis.

Moral. disce hic quanta sit noxa peccati. ipsum enim magis nocet animæ quàm basiliscus, quàm leo, quàm gladius anceps: quia quasi ex duabus partibus scindens animam simul & corpus perforat, occidit, & ad gehennam transmittit. ita Rabanus. Vide Bellarm. de gemitu columbæ sub initium lib. 2 ubi piè & eruditè ostendit peccatum summum esse malum, summèque injurium *Peccatum nocet toti mundo.*
& noxium tum Deo, tum homini, tum creaturis ceteris, tum ipsi etiam inferno & damnatis; quia videlicet eorum pœnam adauget: unus enim damnatus affligit & cruciat alium, ideòque dives Epulo rogabat Abraham ut mitteret Lazarum ad fratres suos, ne si & illi damnarentur, per eos augeretur pœnà ipsius. Dixit enim petiitque hoc non ex charitate eorum, utpote quam non habebat, sed ex amore suiipsius. Sic & S. Anselmus lib. de Similitud. cap. 101. *Peccando*, inquit, *non solùm iram Dei promeruimus, sed etiam totam creaturam adversum nos excitavimus. Potest ergo nobis justa consideratione terra dicere: Non debeo vos sustinere, sed potiùs absorbere: quoniam à creatore meo non timuistis peccando recedere, & inimico ejus, diabolo scilicet, adhærere. Potest etiam cibus dicere & potus. Non meruistis ut vos pascere debeamus; imò potiùs ut confusionem vobis præparemus: ab illo enim peccando recessistis, per quem nos ales esurit. Sol quoque: Vobis ad salutem non debeo lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis & fons luminum, penitus, coercere. Sic etiam singula quæque creatura contra nos possunt surgere irrefragabili ratione*.

Denique peccatum petit jugulum Dei & Christi, adeoque si cor Dei telo quopiam transfigi posset, non alio *Peccatum est quasi deicidium.*
quàm peccato transfigeretur. Peccatum ergo, quantum in te est, Deum è medio tollit. Peccatum est christicidium, imò deicidium. Quocirca tanta est vel unius peccati mortiferi malignitas, tanta in majestatem illam infinitam injuria, ut omnibus Sanctorum, Angelorum & hominum obsequiis, laudibus, cultibus, precibus, humiliationibus, pœnitentiis, afflictionibus ex æquo, & ut ita

ut ita dicam; ad æquilibrium, justamque æqualitatem nequeat compensari. Cùm igitur nullum remedium nec in terra, nec in cælo malis nostris medendis, & bonis amissis recuperandis appareret, nec ullus angelus, aut ulla mens creata quidquam congrui auxilij posset invenire; misericordia divina inauditum, admirabile, ineffabile, incomprehensibile, omnibus sæculis, omnibus angelis & hominibus obstupescendum excogitavit consilium; nimirum ut Filius Dei, Sapientia genita, per quam facta sunt omnia, naturam nostram sibi copularet, & in ea, ac per eam totum genus humanum repararet.

Audite mortales, audite peccatores, S. August. serm. 114. de Tempore: *Agnosce homo*, inquit, *quantum valeas, & quantum debeas, & dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur iustitia pro iniquo, misericordia affigitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Expavit scelus hominum natura rerum, & quem creatura rebellis non agnoscit; eum mundi dominum tremens terra testatur, & cæli regem sol fugiens confitetur.*

Vers. 5. OBIURGATIO ET INJURIÆ ANNULLABUNT SUBSTANTIAM: DOMUS, QUÆ NIMIS (valdè) LOCUPLES EST ANNULLABITUR SUPERBIA (per superbiam, in pœnam superbiæ, superbæque discordiæ & injuriarum:) SIC SUBSTANTIA SUPERBI ERADICABITUR] A genere descendit ad speciem, putà à peccato ad superbiam, quia hæc peccatorum est regina, imò mater, fons & radix. Pro *obiurgatio*, græcè est καταπληγμός. Unde Rabanus & alij Græcam vocem latinitate donantes, legunt *cataplectatio*. καταπληγμὸς autem est objurgatio superba, severa & acris, horribilis & formidabilis, quæ animos subditorum & servorum concutit, percellit, sternit & stupefacit, redditque quasi attonitos & apoplecticos. καταπλήττω enim est perterreo, iniicio pavorem, percello: inde καταπλαγὴς vocatur timore perculsus, stolidus, stupefactus, attonitus; & κατάπληξις vocatur pavor, confusio, stupor; unde Lucretius, *Magna*, inquit, *atque immanis κατάπληξις, velut quæ quasi mentem attonitos stupentesq; efficiat granditate sua*. Pro *iniuria* græcè est ὕβρις, id est, superba violentia, immanior improbitas, contumelia, sævitia, ferocia, procacitas, petulantia; fastus, insolentia, protervia: ὑβρίζω enim est iniurius sum, iniuriam facio, contumeliosè tracto, insolens sum, insulto, abutor, vim infero, stupro, contamino: inde ὑβριστὴς vocatur iniurius, convitiator, stuprator, corruptor, flagitiosus, impotens, insolescens ob copias & potentiam, oppressor violentus. Sensus ergo est: q. d. Herus vel dominus, qui superbè obiurgat, iniurias infert, & tyrannicè tractat suos servos, subditos, ceterosque qui in sua familia vel dominio degunt; hic attenuabit & ad nihilum rediget suam *substantiam* & opes; quia ob nimiam asperitatem, fastum & injurias, servos & ministros faciet fugitivos, vel fures. Sic Roboam ob superbum & asperum responsum datum decem tribubus Israel, eas à se alienavit, regnumque perdidit, 3. Reg. 12. Id fit justo Dei judicio, qui superbiam & superbos justè opibus, regno & dominio privat & punit. Græcus hic de more brevis & bimembris sic habet, *Vehemens objurgatio & contumelia annullabunt substantiam, sic domus superbi annullabitur*; Tigurina, *concertationes & injuriæ opes dissipant, similiterq; domus superbi desolabitur*; alij, *insultatio & contumelia desolant opes, sic & domus superbi ad eremum* vel *desertum redigetur*: hoc enim est Græcum ἐρημωθήσεται. Syrus, *à manè usque ad vesperam vastat cœnacula, & palatia multa subvertit* vel *eradicat et evellit*. Græcis adaptanda esse Latina censet Jansenius & Franc. Lucas in Notis hic, ac proinde delendum esse τὸ *sic substantia superbi eradicabitur*. Verùm Romani codices & ceteri plerique constanter id legunt, sensumque per hoc faciunt uberiorem & clariorem.

Vers. 6. DEPRECATIO PAUPERIS EX ORE USQUE AD AURES EJUS PERVENIET, ET JUDICIUM FESTINATO ADVENIET ILLI] *Eius*, scilicet Dei (ut habeat nonnulli codices) cujus proprium est deprecationes pauperum audire & exaudire. Dat causam cur substantia superborum & violentorum annulletur, quia scilicet, subditi & pauperes ab eis oppressi clamant ad Deum, Deus autem eos exaudit: unde quasi justus vindex suum in eos judicium citò profert, oppressores puniendo, oppressos liberando. Nota τὸ *ex ore usque ad aures*: q. d. Os pauperum oppressorum quasi vicinum est auribus Dei, ita ut deprecatio ore eorum prolata mox tangat & feriat aures Dei. Oppressio enim pauperum est peccatum clamans in celum, quod ilicò vindictam Dei ciet & extorquet. Unde Tigurina vertit, *ab ore pauperis* vel *afflicti exauditur precatio*: q. d. Mox ut oratio ore afflictorum prolata fuerit, audietur à Deo: unde subdit, *Iudiciumq; illius festinatò veniet*. Syrus eleganter, *oratio pauperis tamquam ab ore suo ad aurem suam, et ante iudicem sæculorum ascendit*. q. d. Os pauperis est os Dei, & vicissim auris Dei est auris pauperum. Quàm facilè ergo sermo ex ore pauperis ad aures ejusdem ascendit, tam facilè quoque & citò ab ore ejus ascendit ad aures Dei, quia Deus ori eorum vicinus est, imò ori eorum insidet, in eoque format precationem qua opem suam invocent, ut invocatus ilicò eam præstet. Hoc est quod ait Psaltes psal. 9. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*. Non enim exspectat Deus pauperem oppressum ad se clamantem, ut eum audiat, sed clamorem ejus prævenit, & merum desiderium audit, & exaudit.

QUI ODIT CORREPTIONEM, VESTIGIUM EST PECCATORIS: ET QUI TIMET DEUM, CONVERTETUR AD COR SUUM] Prosequitur materiam de superbia & peccato, fugaque peccati: magna enim superbia, magnumque peccatum est, odio prosequi corripientem se de peccato. Hoc enim odium signum est animum in peccato esse obfirmatum & obduratum, ut monitiones & monitores non admittat, sed quasi inimicos odiat, respuat & execretur. Unde græcè est, *qui odit reprehensionem, in vestigio est peccatoris*: q. d. Inhæret viis & vestigiis peccati & peccatoris, per easque constanter & irrevocabiliter incedit & ingreditur. Tigurina. *qui odit castigationem, in vestigio scelerosi consistit*; Syrus, *qui odit correptionem, vir iniquus*. Noster pro *in vestigio* legit *vestigium*, alia significatione, sed eodem sensu. Vers. 7.

Pro quo Notandum, quòd *vestigium* propriè sit pedis impressio, id est, signum & figura quæ in terra à pede relinquitur, juxta illud Virgil. lib. 3. Georgic.

Et gradiens ima vertit vestigia cauda.

Vestigium tria significat.

Et Plautus in Cistellar. *Video vestigium in pulvere.* Hinc Secundò, *vestigium* metonymicè, vocatur ipsa ima pars pedis, quæ vestigium terræ imprimit. Sic Cicero 4. Academ. ait: *Adversis vestigiis contra nostra vestigia stant Antipodes.* Tertiò, *vestigium* sumitur pro reliquiis, monumento, indicio; quia vestigium est indicium, & quasi reliquiæ pedis impressi, ex quo vestigamus & conijcimus quis, qualis, & quantus fuerit pes & homo qui illud efformavit. Sic Cicero ait Act. 7. in Verrem: *Cuius rei neque index, neque vestigium aliquod*. & Virgil. 4. Æneid.

Agnosco veteris vestigia flammæ.

Sic ergo *vestigium* vocatur inditium & nota, quæ rei formam & qualitatem ostendit: & *vestigare* est quærere diligenter, quasi per vestigium indagare: quod à vestigiis, quasi indiciis dictum.

Græcus ergo cùm ait: *Qui odit correptionem, in vestigio est peccatoris*; sumit *vestigium* propriè in primo significato iam assignato; Noster verò cùm vertit, *vestigium est peccatoris*, sumit in tertio significato: q. d. Cùm quis odit correptionem, idipsum *vestigium*, id est, certum indicium & signum, *est peccatoris*, putà hominis animique planè suis cupidinibus & peccatis affixi, *Peccator* enim significat eum qui habet habitum peccandi, ut peccatis assuetus, iis constanter & pertinaciter adhæreat. Ex adverso; *Qui timet Deum, convertetur ad cor suum*; Tigurina, *at qui reveretur Dominum, resipiscet ex animo*; Syrus, *& qui timet Dominum, pœnitet ex corde suo*: q. d. Peccator correptus odit correptionem: at verò qui timet Deum, si de quopiam delicto corripiatur, ad cor redit, culpam agnoscit, pœnitet, vitamque mutat & corrigit. Igitur *vestigium*, id est, argumentum absoluti & consummati *peccatoris*, est odisse correptionem: nam qui timet Deum, ut corripitur, ad cor suum redit, ut se emendet. Ergo sunt gradus in hac re: Est enim amare correptionem, est pati, est odisse. Primum, est signum prædestinationis, ut ultimum reprobationis. Nota phrasim Hebræam. *Converti ad cor*, est pium esse: ut enim peccando, relicto Deo, qui habitabat in corde, egreditur peccator è corde ad temporalia: ita in justitia vivendo, è temporalibus regredimur

mur ad cor, ubi habitat Deus: ut simus homines interiores, juxta S. Paulum, & ut *omnis decor* noster sit *ab intus*, juxta Davidem psalm. 44. 14. ita Palacius. Porrò Rabanus per *peccatorem* accipit diabolum: q. d. *Qui non vult se corrigere à peccatis, & odit correptionem admonitoris; ipse indicium præbet in se nequitiæ sui seductoris, quoniam malignus induravit cor eius, ne cederet & obaudiret veritati.*

Nec tantùm veritati, sed & charitati? nam correptio est instar speculi, quod nobis ostendit maculas, quæ nos deturpant & infamant, ut eas eluamus. Unde Clemens Alexandr. lib. 1. Pædagog. c. 9. *Quemadmodum*, inquit, *speculum non est malum desormi, eò quòd ipsum ostendat qualis sit: ita nec is qui reprehendit, ei malè vult qui laborat animo: nec enim ei delicta adiungit, sed ea quæ adsunt peccata, ostendit.* Rursum *correptio* est pharmacum eluens maculas & sanans animæ morbos: qui ergo eam odit, suam sanitatem odit. Unde exclamat S. Bernard. serm. 42. in Cantic. *Mira perversitas: medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti.* Quin & Psaltes, *Consumetur*, inquit, *nequitia peccatorum, & diriges justum*, psal. 7. v. 10. Ubi D. Chrysost. *Infer*, inquit, *supplicium, & cessare facies à vitio: quemadmodum enim putrefactiones cedunt ustuis & sectionibus: ita & à supplicio arcetur improbitas. Qui scinditur & uritur, ita ad sanitatem ingreditur.* Unde Clemens Alexandr. ibid. c. 8. *Est*, inquit, *reprehensio, veluti quædam chirurgia affectionum animæ; medicamentum autem est, probri insimulatio; quæ resolvit affectiones quæ iam occalluerunt, impudicaq; ac libidinosæ vitæ sordes expurgat, fastusq; ac superbiæ carnes, quæ excreverunt, exæquat. Iam verò admonitio, est veluti quædam diæta ægrotantis animæ; quæ sunt sumenda, consulit; & quæ non sunt, prohibet.* Et paulò pòst: *Benevolentiæ*, inquit, *non odii, signum est reprehendere: ambo enim probrum obiiciunt & amicus & inimicus, sed inimicus quidem irridens, amicus verò benevolens.*

Odiens correptionem odit medicinam.

Sancti crebrò redeunt ad cor.

Moraliter, disce hic proprium timentis Deum esse crebrò introverti, & à rebus externis converti ad cor, ut ibi internum animæ suæ statum, sensusque & affectus omnes examinet corrigat & componat ad legem & voluntatem Dei. Quocirca virum bonum & sapientem ita pingit Ausonius S. Paulini magister Idyllio 16.

Vir bonus & sapiens (qualem vix repperit unum
Millibus è multis hominum consultus Apollo)
Iudex ipse sui, totum se explorat ad unguem.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi,
Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus:
Externæ ne quid labis per levia sidat,
Cogitat, & iusto trutinæ se examine pensat,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coeat, nil ut deliret amussis.

Et mox:

Non priùs in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longi reputaverit acta diei.
Quæ prætergressus, quid gestum in tempore, quid non:
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi:
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem, &c.

VERS. 8. NOTUS A LONGE POTENS LINGUA AUDACI: ET SENSATUS SCIT LABI SE AB IPSO] q. d. Qui *potens* est *lingua audaci*, id est, qui pollet audacia dicendi, hic *longè* lateque *notus* est, celebris & famosus: plebs enim & rude vulgus miratur ejus in dicendo audaciam & facundiam; at vir prudens & *sensatus* deprehendit, scitque ipsum multa falsa & temeraria audacter effutire, *seque*, si ei credat & adhæreat, *ab ipso labi*, id est, falli & decipi, ac ruere in multa incommoda & pericula, v. g. litium, rixarum, seditionum, carcerum, ut bonorum & vitæ discrimen incurrat: quare ei non credit, ac sibi ab ejus consortio cavet. Hæc quoque spectant ad superbos & superbiam: ipsa enim est mater audaciæ, facitque linguam audacem & effrænem.

Græca de more concisa sic habent, *notus a longè potens in lingua: sensatus autem novit cùm ille labitur;* Tigurina, *potens procul ex sermone notus est: at qui sapit, caducum* (qui facilè in errorem labatur & cadat) *esse meminit;* Syrus verò de sensato tantùm sic habet, *sapiens è regione* (ex intuitu & aspectu) *oculorum suorum dignoscitur, & scrutatur in momento iniquum.* Hinc disce, audaces & effrænes in loquendo esse insipientes, sapientes verò esse modestos & cautos, ideoque facilè audacium insipientiam & falsitatem deprehendere & arguere.

Aliter Palacius, qui τὸ *scit labi* accipit pro *novit elabi*, ideoque sic explicat: q. d. Qui linguam audacem habet, sit tibi non propè, sed à longè notus, & si tibi appropiaverit, si sensatus es, elabere ab illo: cùm enim ille linguam ardentem habeat, aduret te, nisi elabaris: & cùm linguam venenatam afferat, effundet in te virus suum: cùm linguam peste infectam adducat, pestis contagio te inficiet. Tu ergo cordatè effugies illum, non eum offendendo, ne in te virus evomat; sed causas afferendo idoneas, cur ab eo maturè discedas. Verùm priorem sensum exposcunt Græca, & τὸ *scit se labi*, sic enim habet Latina versio, non autem *scit labi*, id est, elabi.

QUI ÆDIFICAT DOMUM SUAM IMPENDIIS ALIENIS, QUASI QUI COLLIGIT LAPIDES SUOS IN HIEME] VERS. 9. Ex prima specie peccati, putà superbia, descendit ad secundam ex illa manantem, putà injustitiam. Solent enim divites superbi per injustas angarias, exactiones & oppressiones pauperum augere suas opes & domos: q. d. *Qui ædificat domum suam*, non suo sumptu, sed alieno, putà injustè per vim, fraudem, aliam ve iniustitiam ab aliis extorto vel rapto; hic similis est homini, qui ædificaturus colligit lapides ad fabricandum in hieme: græcè, εἰς χειμῶνα, id est, in hiemem, vel ad hiemem: ut scilicet in hieme ædificet, tempore nimirum importuno. In hieme enim ob frigus calx conglaciatur, aut ob humorem dissolvitur; quo fit, ut lateres & lapides inter se non satis firmiter conglutinet: qua de causa hiemalia ædificia rimas agunt, & facilè corruunt, nec diu durant. Simili enim modo facultates alienæ numquam inter se cohærent, & in vnam rem coeunt; sed solutæ & dissectæ ruunt. Quare qui ex alieno vel rapto ædificat domum, illà diu non fruetur; sed vel ipse citò morietur, vel domus corruet, aut ad alium transferetur, ulciscente sic Numine ejus injustitiam, ut in domo quam fabricando peccavit, in eadem & puniatur, hæc enim est congrua talionis pœna. Complut. pro εἰς χειμῶνα, habent εἰς χῶμα ταφῆς αὐτοῦ, id est, *in tumulum sepulturæ suæ:* q. d. Qui ex alieno ædificat domum, non tam domum quàm tumulum & sepulcrum sibi ædificat: quia in illa brevi morietur & sepelietur. Sic & Tigur. *qui ære alieno domum suam ædificat; congerenti lapides in tumulum sepulturæ suæ similis est;* & Syrus, *qui ædificat domum suam facultatibus sociorum, congregat lapides tumulo suo;* ut facultates hæ quasi lapides in tumulum coacervati, mole sua ipsum opprimant & sepeliant; quia, scilicet, domino suo interitus sunt causa, & celeriorem mortem ipsi conciliant.

Alludit, imò citat illud Ierem. 23. 13. de Ioakim rege impio, *Væ, qui ædificat domum suam in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem eius non reddet ei.* Unde pœnam sepulcri iam dicti ipsi intentat v. 19. dicens: *Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* Jeremiam secutus Habacuc c. 2. v. 7. *Væ*, inquit, *qui congregat avaritiam malam domui suæ*, &c. *Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.* Vide utrobique dicta.

Aliter Palacius: Tempore hiemali, inquit, non sunt lapides colligendi, sed ligna contra frigus. Si igitur in hieme colligas lapides, stultus eris; qui non ligna quibus calescas, sed lapides sine utilitate collegisti: ita si ære alieno domum ædificas in qua habites, stultus eris: non enim in ea habitabis, sed potiùs à creditoribus inde expelleris. Verùm priorem sensum exposcunt Græca.

Mysticè idem Palacius: Cùm Domino dicente, temporalia nostra planè non sint, sed aliena, (*si in alieno*, inquit Dominus Lucæ 16. *fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?*) qui ex temporalibus domum suæ conversationis ædificat in terris, planè stultus est. Cùm enim habitare hic voluerit, inde pelletur.

STUPPA COLLECTA SYNAGOGA PECCANTIUM, ET CONSUMATIO ILLORUM FLAMMA IGNIS] VERS. 10. Complut. addunt *in perditionem*. Culpæ assignat pœnam: q. d. Putant potentes & superbi se esse insuperabiles, invictos & quasi omnipotentes; at revera omnis eorum *synagoga*, id est, cœtus & multitudo, fragilis est, instar stuppæ collectæ. Sicut enim stuppa ilicò ab igne vicino corripitur conflagratque, & quo major est stuppa, eo faciliùs magisque ignis inflammatur: ita pariter ignis vindictæ divinæ facillimè corripiet & consumet omnes peccantes, eoque faciliùs & ardentiùs, quo major fuerit eorum synagoga & multitudo. Hæc enim

non

non est aliud quàm *stuppa collecta*, id est, fomentum & pabulum iræ & indignationis divinæ, æquè ac ignis conflagrationis orbis in fine mundi, ac judicii divini & gehennæ, juxta illud Malach. 4. *Et erunt omnes superbi, et omnes operantes iniquitatem stipula, et inflammabit eos dies veniens.* Unde in Græco est elegans paronomasia inter συνηγμένον, id est, collecta, in unum coacta; & συναγωγὴ, id est, synagoga, cœtus, congregatio: q. d. Impiorum synagoga, non est aliud nisi stuppa coacta ad ignem, nisi synagoga id est congregatio, ignis.

Ignis impiorū quintuplex.

Nota. *Consummatio* Primò, idem est quod *consumptio*: q. d. *Consumptio illorum* erit *flamma ignis*, hoc est flamma ignis consumet eos; Secundò, *consummatio*, id est finis, *illorum* erit *flamma ignis*: hoc innuit Græcum συντέλεια; nam τέλος est finis. Porrò, ignis hic consumens impios est quintuplex. Primò, ignis indignationis Dei; Secundò, vindictæ, qua Deus impios igne, id est, peste, fame, gladio (*ignis* enim significat omnem acrem vindictam, omneque ejus instrumentum) perdit in hac vita. Tertiò, ignis conflagrationis mundi: hic enim superbos cum eorum domibus & opibus comburet. Quartò, ignis acerrimi judicii divini, quo Christus scrutabitur, damnabit & percellet improbos in ultimo die mundi, de quo ait Daniel 7. 10. *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus.* Quintò, erit ignis gehennæ, de quo v. sequ. Unde Compiut. addunt, *in perditionem*; & Tigurina, *stuppa collecta cœtus est nefariorum, flammaque ignis exitialis eorum exitus.* Ex quo infert Palacius, impios in gehenna non esse solutos, ut liberè vagentur, sed esse colligatos in fascem, ut ait Isajas cap. 24. 22. Hoc enim significat *stuppa collecta*, scilicet, eos collectos, vinctos jacere, & velut stuppam constipatam comburi, juxta parabolam zizaniorum, de quibus ait Christus: *Alligate ea in fasciculos ad comburendum*, Matth. 13. 30. Denique hæc erit impiorum *consummatio*, id est, finis, sed sine fine. Eorum enim finis erit perpetuum incendium, & perennis flamma ignis, quæ ex eorum corporibus velut titionibus sursum ascendet, ait Palacius.

Impii colligati in gehenna.

Moral. discant hic peccatores, evanidas esse suas vires, opes, conspirationes, fœdera, quibus fidem vel justitiam opprimere satagunt, adeoque ea non esse aliud quàm stuppam collectam ad ingens incendium. Ex adverso justi & pii qui ab eis vexantur vel opprimuntur, nil eos formident, certique sint eos brevi, ut stuppam, igne vindictæ divinæ conflagrandos. Unde Rabanus, *Comparat*, inquit, *rei fragili peccatorum synagogam, ut ostendat ejus vilitatem & velocissimum interitum: quia sicut stuppa collectio igne adhibito facilè conflagrat, ita peccatorum cœtus in futura vindicta sine mora disperiet.*

VERS. 11. VIA PECCANTIUM COMPLANATA LAPIDIBUS, ET IN FINE ILLORUM INFERI, ET TENEBRÆ ET POENÆ.] Græcè, *in fine illorum fovea inferni*: q. d. Via concupiscentiæ per quam incedunt peccatores, initio videtur concinna, pulchra, amœna & jucunda, perinde si lapidibus planis esset strata & complanata; at postmodùm apparet aspera, tristis & horrida: nam finis ejus deducit & desinit in infernum, ubi sunt tenebræ densissimæ & pœnæ atrocissimæ. Sicut ex adverso via virtutis per quam incedunt justi, initio est aspera & stricta; sed progredientibus in ea paulatim fit laxior, facilior & amœnior, ac tandem eos deducit ad beatitudinem & gloriam æternam. Alludit ad Proverb. 14. *Est via quæ videtur homini recta, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Hoc est quod ait Christus Matth. 7. *Spatiosa est via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam: quàm angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam!* Idem repræsentabat Pythagoras per suum Ypsilon, de quo exstat elegans epigramma Virgilii:

Symbolum Pythagoræ de via virtutis & vitii.

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primùm spectantibus offert:
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata, sed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.

Syrus hunc versum & præced. hoc uno exprimit, *Sicut ascensus arenæ pedibus viri senis* (alia lectio habet *duri*, *asperi*) *ita robur iniquorum juxta ignem, & semita impii offendiculum est illi: quia finis ejus fovea profunda est*: q. d. Sicut ascensus

A arenæ initio mollis & facilis est, sed quo altiùs per eam ascendit senex, eo fit ei difficilior, quia arena in cumulum assurgens ascendenti fit profundior, ita ut tandem non tantùm pedem, sed & reliquum corpus sorbeat, & in voraginem sive abyssum arenæ demergat: & planè via impiorum initio facilis, sensim fit difficilior, ac tandem in abyssum ignis æterni eos demergit: quare semita impii fit ei offendiculum, quia finis ejus est fovea inferni.

QUI CUSTODIT JUSTITIAM, CONTINEBIT SENSUM EJUS. CONSUMMATIO TIMORIS DEI, SAPIENTIA ET SENSUS] Complut. *sapientiæ assumptio*. *Iustitiam* vocat observationem legis, hæc enim facit hominem justum: *sensum* vocat mentem & sententiam. Unde Græca habent, *qui custodit legem, tenet* ἔννοιαν, id est, *cogitationem, motionem, intellectum, sensum ejus*: q. d. Qui observat legem, hic assequitur legis intelligentiam, hic percipit ac perspicit legis mentem & sensum, ut videat quid lex jubeat & velit, ejusque finem & causam, æquè ac sapientiam & ordinem, scilicet, quàm id quod Deus lege sua præcipit & sanxit, sit æquum, justum, sanctum; quàm sapienter ordinatum ad suum finem, B quàm justa de causa sancitum. Lex enim Dei non tam speculando, quàm practicando discitur & intelligitur, uti docet S. Bernard. epist. 108. *Quam utique scientiam*, inquit, *haud facilè nisi qui mundo crucifixus erit, apprehendit. Falleris, fili, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros, quam soli Christi discipuli, id est, mundi contemptores, Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed unctio: non littera, sed spiritus: non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. Seminate, inquit, vobis ad justitiam, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ. Vides, quia non rectè proditur ad lumen scientiæ, nisi justitiæ germen præcedat ad animam: ex quo formetur granum vitæ, & non palea gloriæ.*

VERS. 12. & 13.

Osee 10. 12.

Ex quo rectè infert Siracides, *Consummatio timoris Dei sapientia & sensus*: q. d. Perfectio timoris Dei, quæ consistit in perfecta observatione legis Dei, parit veram sapientiam & intelligentiam, adeoque ipsa est vera sapientia & intelligentia. Verè enim sapiens & intelligens est, non qui alta speculatur, sed qui timet Deum, ejusque mandata opere exequitur. Unde Tigurina vertit, *finis religionis Domini* C *est accessio sapientiæ*, id est, ad sapientiam; Syrus, *qui timet Deum, nullius rei indigebit*. Quare sapientis & sapientiæ est timere Deum, ut nulla re indigeat, sed Deus ei de omnibus abundè provideat. Rursum *sensus justitiæ*, inquit Palacius, est quædam lux intellectualis à Deo homini pio infusa, qua acutè, intimè, affectuosè & amanter divinam legem intelligit, Deique justitiam penetrat & amat. Ait ergo Auctor: Qui custodit justitiam, assequitur illum sensum ejus, quo viri docti & pii non destituuntur. Unde egregiè infert: Perfectus & consummatus timor Dei socios habet *sapientiam*, id est, divinam in affectu dilectionem: & *sensum*, id est, divinam in intellectu lucem. Hanc lucem, hunc sensum, hanc Spiritus sancti doctrinam non accipiet qui non est sapiens in bono. Beatus enim ille est, quem tu erudieris Domine: is non est sapiens in malo, sed sapiens in bono.

Nota. Pro *continebit sensum ejus*, græcè est κρατεῖ (vel, ut alii legunt, κατακρατήσει) τοῦ ἐννοήματος αὐτοῦ ubi si per spiritum lenem legas αὐτοῦ, significat *ejus*; sin per asperum αὑτοῦ, significat *suum*, itaque legunt plerique. Unde Complut. vertunt, *qui custodit legem Domini, dominatur co-* D *gitationi suæ*; Rom. *continet sensum suum*; Tigurina, *qui servat legem Domini, cogitationibus suis imperat*; Syrus, *qui custodit legem, subigit* (vel affligit) *appetitum suum*. Lex enim refrænat motus inordinatos appetitus & concupiscentiæ, eosque ordinat & componit. Quare qui legem Dei observare satagit, appetitus suos domet, legique Dei subjiciat.

NON ERUDIETUR QUI NON EST SAPIENS IN BONO. EST AUTEM SAPIENTIA (ita Rom. & Græca: perperàm ergo aliqui contrariè legunt, *insipientia*) QUÆ ABUNDAT IN MALO: ET NON EST SENSUS UBI EST AMARITUDO] Græcus de more brevis & bimembris sic habet, *non erudietur qui non est astutus: est enim astutia multiplicans acerbitatem*, putà malitiam; Tigurina, *qui non est callidus non patietur erudiri se: est autem cùm et calliditas amaritudinem multiplicat*. Distinguit duplicem πανουργίαν, id est, astutiam, calliditatem

VERS. 14. & 15.

Sapientia vera & falsa qua. tem & sapientiam: Unam in bono quæ vera est, alteram in malo quæ adumbrata, ficta & falsa est: q. d. Astutia & sapientia vera consistit in observatione legis Dei, uti dixi v. præced. Quocirca ea *non eruditur*, nec ejus est capax *qui non est* πανοῦργος, id est, astutus & *sapiens in bono*, qui scilicet non sapit, non amat, non operatur bonum. *Est enim quædam* πανουργία, id est, astutia & *sapientia, quæ abundat in malo*, ut scilicet mala multa astutè moliatur & perpetret, juxta illud Jerem. 4. *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem agere nescierunt*. Hæc non est vera sapientia, nec verus sensus, veraque prudentia; *&*, id est quia, *non est* verus *sensus*, id est, vera sapientia, intelligentia & prudentia, *ubi est amaritudo*; græcè, πικρία, id est, malitia quæ amaricat animum, eumque facit acerbum tum sibi,

Amaritudo tollit sapientiam duabus de causis. tum Deo, tum proximis. Idque Primò, quia *amaritudo*, id est ira & rancor, offuscat judicium, illudque facit amarum, indignans & rancidum. Secundò, quia Deus sua luce cælesti, sensuque divino non donat, nec dignatur eos, in quibus est hæc amaritudo. Unde S. Jacobus c. 3. 14. *Si zelum*, inquit, *amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris; non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica*.

Porrò πικρία, id est, *amaritudo*, est animi ægritudo & morositas. Unde Cicero ad Atticum, *Amariorem me senectus facit, stomachor omnia*: sed maximè, πικρία est acerbitas animi ultionem expetentis. Unde πικροὶ, dicuntur amari & amarulenti, teste Gellio, qui exasperantur odio tendente ad vindictam, qui scilicet iram odiumque non deponunt, nec condonant, sed diu reservant. Sic Theocritus Pana vocat πικρὸν, id est, amarum: causamque addit, *Quia illi bilis acris semper naribus insidet*. Quocirca S. Paulus Ephes. 4. 31. monet dicens: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia*. Et Hebr. 12. 15. *Ne qua radix amaritudinis*, inquit, *sursum germinans impediat*. Alludit ad Deuter. 29. 18. *Ne fortè*, &c. *sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem*. Ubi ostendi omnem malitiam, omneque peccatum vocari *fel & amaritudinem*, causamque assignavi.

Vers. 16. SCIENTIA SAPIENTIS TAMQUAM INUNDATIO græcè, κατακλυσμὸς, id est eluvio, diluvium) ABUNDABIT, ET CONSILIUM ILLIUS SICUT FONS (Complut. addunt, *purus*) VITÆ PERMANET] q. d. Sicut crescente luna crescit mare, adeò ut luna plena exundet, camposque vicinos irriget & fœcundet: sic cre-

Sapiens est quasi fons sapientia. scente Dei illuminatione & gratia crescit *scientia sapientis*, adeò ut in alios exundet, eisque se communicans, illos pariter efficiat scientes & sapientes. Quo fit, ut *consilium* & doctrina sapientis sit quasi *fons* vitæ, qui jugiter manat aquas vitales sapientiæ, quibus alios assiduè riget, ut vivant vitam gratiæ in terra, victuri vitam gloriæ in cælo.

Nota. Sapientiam nunc vocat *scientiam*, nunc *consilium*, nunc *eruditionem*, nunc *intellectum*, nunc *sensum*, nunc *disciplinam*. Causam dedi in Prooemio. Unde Tigurina vertit, *scientia sapientis exuberabit tamquam inundatio vitæ, ac veluti fons vitæ purus ejusdem consilium*; Syrus, *mens sapientis sicut fons aquarum abundabit, & cogitatio ejus sicut aqua viva*. Alludit ad Proverb. 16. 22. *Fons vitæ eruditio possidentis*. Et c. 18. 4. *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ*. Ad quæ loca alludens Christus: *Qui biberit*, inquit, *ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, Joan. 4. 14. & c. 7. 38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

Moral. disce hic, doctorem semper debere manare sanam sanctamque doctrinam, sive pauci sint auditores, sive multi: sive pauperes, sive divites: sive benevoli, sive malevoli: sic enim fons omnibus & singulis perennes fundit aquas. Ita fecit Christus unam Samaritanam docens, Joan. 4. ac pauperes piscatores in Apostolos efformans. Christum secutus Paulus ait Roman. 1. 14. *Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum*. Ubi S. Chrysost. *Sicut cælum*, ait, *stella, sol non uni tantùm genti: sic D. Paulus, sic omnes qui Deo militant, non uni, sed omnibus per doctrinarum exempla lucere debent; nec, si desint qui illis utantur, desistere debent*. *Aquarum enim*, ut inquit hom. 1. de Lazaro & divite, *venæ, etiam si nullus veniat aquatum, manant tamen; & fontes, quamvis hauriat nemo, scatebras emittunt*. Plura de hoc fonte dicam Proverb. 16. 22.

COR FATUI QUASI VAS CONFRACTUM, ET OMNEM SAPIENTIAM NON TENEBIT]

A Opponit stultum sapienti: q. d. Mens sapientis est quasi fons vitæ, jugiter emanans aquas doctrinæ salutaris, & vivificæ; at mens stulti est quasi lagena confracta & idcircò nullam sapientiam quam legit vel audit, retinebit; sed illa ex ea effluet, sicut effluit aqua ex lagena fracta vel pertusa. Nota. *non omnem*, Hebræis idem est quod *nullam*. Pro *cor* græcè est ἔγκατα, id est *interiora*, putà viscera, inter quæ primum & præcipuum est cor. Unde Tigurin. *viscera stulti instar vasis confracti sunt, ut qui nullam in vita sua scientiam contineat*; alii, *intestina stulti tamquam vas confractum, nullam continent scientiam*; Syrus, *cor impii sicut cisterna disrupta, & omnibus diebus vitæ suæ sapientiam non discet*. Præclarè S. Antonius in Melissa p. 1. serm. 48. *Sicut*, inquit, *vas fictile sono & tinnitu, sic homo sermone probatur*. Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pirke avoth*, id est, in Sententiis pa-

trum: *Quatuor hominum differentiæ sunt coram sapientibus astantium. Alii sunt quasi spongia, quæ humorem undequaque sugit ac trahit: alii quasi dolium pertusum, quod aquam hauriens una ex parte, ex alia effluit, & quidquid accepit evacuat: alii quasi cuppa, quæ cùm vinum effluere sinat, faces retinet: nonnulli denique adinstar cribri seplasiarii vel pigmentarii, quod* *Quatuor studiosorū differentia.*

B *& furfur retinet, sed distinctis cellulis; in superiore siquidem furfur, in inferiore verò farinam servat*.

VERBUM SAPIENS QUODCUMQUE AUDIERIT SCIUS (græcè ἐπιστήμων, id est, sciens, prudens, Vers. 18.
sensatus) LAUDABIT, ET AD SE ADIICIET: id est, sibi applicabit, ut illud in arca memoriæ recondat, & in actus moresque conferat. Aliter Jansenius: *Adiiciet*, inquit, id est, auctius illud reddet. Sed priorem sensum exigit τὸ *ad se*, & antithesis quam subdit, dicens: AUDIVIT LUXURIOSUS (verbum sapiens) ET DISPLICEBIT ILLI, ET PROIICIET ILLUD POST DORSUM SUUM] q. d. Sapiens omnem sapientiam, quam audit vel legit, instar ovis ruminat, & in viscera transfert, ut inde crescat & pinguescat: at stultus qui suas facultates præfert sapientiæ, qualis inprimus est luxuriosus; hic aversatur eam, ideoque ab oculis abiicit post tergum, ne cogatur eam aspicere, indeque vel mutare vitam, vel assiduè corripi, castigari & verberari.

Nota. Pro *luxuriosus*, Noster legit cùm multis σπαταλῶν, id est, delicians, luxurians, luxui vacans; sed Complut.
C & alij legunt ἀσύνετος, id est, insipiens Rursum pro *ad se adiiciet*, græcè est, ἐπ' αὑτὸν προσθήσει: ubi Noster αὑτὸν, legit spiritu aspero, ut significet *se*; iam legunt spiritu leni, αὐτὸν, id est, *ipsum*; unde vertunt, *& ad ipsum adiiciet*. ita Tigur. *si peritus*, inquit, *audierit dictum sapientis, laudabit illud, redderq; auctius: quòd si audierit imperitus improbabit idem, & post tergum suum abiiciet*; & Syrus, *verbum sapiens, & laudat illud, & super illud addit: & audit stultus, & de eo ridet, & proiicit illud ad unum ex lateribus suis*, id est, in angulum retrudit. Nimirum sicut lyræ aut citharæ similes, & simili modo temporatæ & modulatæ, invicem sibi respondent, adeò ut una pulsata alteram per quamdam sympathiam, & occultam obsequentiam ex adverso accinere, & similiter sonare compertum sit; sic etiam sapiens sapienti acquiescit accinitque, eiusque dicta, velut stuppæ flammam, eminus odoratur, haurit & concipit. Idem facit stultus stulto & vitiosus vitioso. Unde illud: Fur furem agnoscit, mœchus mœchum, latro latronem. Tanta est vis similitudinis, similisque in corde affectionis & dispositionis: hæc enim per motus & gestus similes foris se prodit, ex eisque à simili & conscio *Vt lyra lyræ sic sapiens sapienti consonat.*

D agnoscitur. Quin & sicut chordæ factæ ex nervis lupinis dissonant, & quasi obstrepunt, chordis quæ factæ sunt ex nervis ovinis per naturalem antipathiam: sic stultus dissonat & obstrepit dictis sapientis; & vice versa.

NARRATIO FATUI QUASI SARCINA IN Vers. 19.
VIA: NAM IN LABIIS SENSATI INVENIETUR GRATIA] Tigur. *lepor*. Dixit, quale quamque differens & diversum sit cor stulti à corde sapientis, nunc idem dicit de ore: os enim sequitur cor & mentem: qualis enim est cogitatio cordis, talis est & sermocinatio oris. Dicit ergo, *narrationem fatui* esse *quasi sarcinam in via*, quia sicut hæc onerosa est & molesta, gravatque & impedit viatores, ne facilè & expeditè in via progredi queant: ita pariter illa narratio stulti molesta est, gravatque auditores, tum, quia importuna est; tum quia multiloqua; tum quia insulsa. At verò *in labiis sensati invenitur gratia*: quia, sicut gratiosa, id est, discreta, prudens, concinna, suavis,

utilis

utilis & salubris, est eorum cogitatio, ita est & eorum oratio & narratio: quocirca auditores non gravat, sed delectat, ut cupiant eam crebrò audire, ut sequitur. Unde Syrus vertit, *narrationes impii sicut sarcina gravis in via* (quia narrat sibi similia impia & turpia; aut, si pia & sancta narret, narrat ea modo ingrato & insipido) *& omne verbum justi gratia*. Audi S. Ambros. lib. 1. de Interpell. Job c. 3. *Narratio fatui sarcina in via. Quid enim aliud est peccatum nisi sarcina? quæ hujus sæculi onerat viatorem gravi depressum fasce de isto? qui si nollet oneri subjacere, debuit audire dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, Matth. 11.

Vers. 20. Os prudentis quæritur in Ecclesia, et verba illius cogitabunt (Syrus, *ponent*, scilicet auditores; Græca Roman. *cogitabit*, scilicet Ecclesia) in cordibus suis] *Ecclesia* significat congregationem vel cœtum quemlibet hominum: q. d. In cœtu homines quærunt audire sapientem & prudentem, ut ejus doctrina instruantur, castigatione corrigantur, consiliis dirigantur, ideoque verba illius in corde suo appendent & ruminabunt. Unde Tigurina, *os sapientis in cœtu consulitur, & quisque dicta ipsius perpendit animo*. Contrarium facit stultus. Unde subdit:

Vers. 21. Tamquam domus exterminata sic fatuo sapientia: et scientia insensati inenarrabilia verba] Græca, *tamquam domus destructa sic fatuo sapientia, & cognitio imprudentis investigabilia verba*. *Τὸ sic fatuo sapientia*, duplicem habet sensum. Prior est, q. d. Sapientia prudentis, quæ quasi grata quæritur & perpenditur in Ecclesia, ingrata & contemptibilis est fatuo: ipse enim eam nihili æstimat, imò odit & aversatur tamquam insipientiæ suæ contrariam. Sicut qui amat & quærit domum ritè ædificatam, odit domum destructam & eversam, suisque ruinis obrutam & sepultam. Huic sensui favet Tigurina, *instar domus eversa est stulto sapientia, & scientia imperiti sermones inconsulti sunt*; & Syrus, *sicut carcer est sapientia stulto; & intellectus insano sicut carbones ignis*, quibus se & alios comburat.

Posterior & germanior est, q. d. Sapientia quæ in fatuo est, quam scilicet à sapiente audivit aut legit, ab ipsomet fatuo inconditè, ineptè, inordinatè, inconnexè, inconcinnè, confusè, imò contrariè & contradictoriè proposita, est quasi domus eversa. Sicut enim fatuus sua fatuitate domum destruit & evertit: sic idem evertit sapientiam quam protulit, dum ei immiscet vel subjungit sententias stultas, imò contrarias & contradictorias, quæ sapientiam ab ipso prolatam evertant. Sermo enim sapientis ordinatus, verax, compositus, connexus, pulcher, similis est fabricæ domus pulchræ, in qua una pars alteri recto ordine inædificatur, cohæret, compaginatur, ut omnes junctæ elegantem orationem quasi domum construant. At stultus sapientiæ, quam ædificare cœpit, admiscet & quasi inædificat fatua, insulsa, contraria, quæ sapientiæ fabricam evertant & destruant. Unde subdit: *Et scientia insensati inenarrabilia verba*: q. d. Insensatus & stultus scientiam suam profert & eloquitur incompositè, inordinatè, inintelligibiliter, ut ejus scopus & connexio, imò & summa sententiaque, mente comprehendi & voce enarrari nequeat; adeò ut si rogeris, Quid dixit ille fatuus? responsurus sis, Nescio: neque animi ejus sensa possis mente complecti, multò minùs verbis enarrare. Unde nonnulli vertunt, *fatui* in genitivo, hoc modo: *Quod eversa domus, id est fatui sapientia, & scientia insipientis, res quæ perscrutari nequeunt*. Sicut enim in domo eversa omnia sunt confusa, incomposita, perturbata, eversa, sic & sunt in sapientia & sermone stulti. Hic verum est illud Nazianz. in Carm. ad Nicobulum: *Simia est simia etiamsi purpura vestiatur. Asinus etiam auro onustus, propterea rudere non desinit.*

Parabolam hanc festivo galli & vulpis apologo illustrat

Apologus galli jactantis cantum Cyrillus lib. 2. Apolog. moral. cap. 15. cui titulus: *Contra tumentes ex scientia. Gallus*, inquit, *intelligens dispositionem mutabilitatis cælestis, mox de sua scientia tumidus, in arboris ramunculum ascendit, & recto collo alta voce cantavit. Quem cùm vulpes audisset, ad ejus cantum quàm citissimè accurrit, & stans deorsum ipsum salutavit & dixit: Frater mi, audivi vocem exultationis tuæ, quæso, cantationis causam indica mihi. At ille protinus inquit, Nimirum intelligentia supernæ dispositionis dotatus, eam cùm sentio, statim voce cantabili nullo in-*
vidus pango: Tunc vulpes subridens ait: Ergo plenus es scientia, quæ est divinorum sublimium disciplina. Quo audito gallus plus intumescens cantavit, moxque vulpes saltavit. Cui ille desuper, Ut quid saltasti? Ipsa respondit, Quia tu priùs exultasti. Gaudere namque cum gaudentibus licet. Dolositatis deinde rete expanens, verbis callidis adjunxit: O galle tu es gloria nostra, tu es bestiarum lætitia. Te nunc quæso porrige, si dignaris, ut osculer mirum intelligentia tua caput. Sed vide stolidam superbi de scientia sibi blandientis inscitiam & amentiam. *At ille adulationis dolosa mellea lingua emollitus, statim vitale caput improvidus ori famelico porrexit. Quod avida vulpes stringens, deorsum miserum traxit, & subjunxit: Galle, galle, ubi est sapientia tua? concepisti superbiam, & perdidisti prudentiam, & dedisti pro nihilo vitam tuam. Cui gallus. Quid gloriaris in malitia. At illa respondit: Non est malitia humiliare superbiam, sed ars vera*. Denique idipsum exemplo stellæ & oculi constabilit. *Sidus namque quanto splendidius, tanto demissius est; & quanto sublimius, tanto apparet minus. Parvus oculus cernatur acutiùs, & in cauda vermiculi lucis clarissima fulget decus. Porrò quid scivisti, si te ignorasti? aut si novisti, quomodo superbisti, pulvis & cinis? Quid plura? Nulla major dementia est, quàm per scientiam cùm inflaris, perdere sapientiam. Quo dicto, statim famelica suum oriri ex præda officium dedit.* *Similia.*

Vers. 22. Compedes in pedibus, stulto (græcè, ἀνοήτοις, id est, *stultis*) doctrina, et quasi vincula manuum super manum dextram] Tigurina, *disciplina compedes sunt pedibus stultorum, & instar manicarum in manu dextera*; alii, *pedicæ in pedibus sunt amentibus disciplina, & ut manicæ super manu dextera*; Syrus, *sicut compes est doctrina in pedibus stulti, & sicut vinculum in dextera ejus*. Dat causam cur stulti oderint sapientiam, quia, scilicet, ipsa est quasi compes vinciens & stringens eorum pedes, ne ad fatua exercenda progrediantur. Eadem est quasi manica stringens *manum dextram*, ne quid fatui operetur: q. d. Sapientia, quia sua disciplina restringit, & coercet disciplinatos stultorum affectus, gressus & actiones, hinc eis est exosa. Unde ipsi ut suas cupiditates sequantur, liberè incedant, agantque quod lubet, vincula hæc sapientiæ excutiunt dicuntque: *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum*, Psalm. 2.

Vers. 23. Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacite ridebit] Distinxit fatuum à sapiente in cogitatione & sermone, nunc eumdem distinguit in risu: quòd scilicet fatuus ad quamlibet occasionem, imò nulla de causa, temerè solvatur in risum, rideatque effusè, latè diducto ore, ac insulsè, ad ea ob quæ potiùs lugere & flere deberet, quodque in risu *vocem exaltet*, cachinnetur & perstrepat. Cujus risus causa est animi levitas, mobilitas, lascivia & stoliditas. *Sapiens* verò rarò & modicè rideat, nec tam rideat quàm subrideat, & labia instar ridentis diducat; quia sapiens sapienti, id est, gravi, maturo & constanti, æquè ac modesto & verecundo est animo, scitque se in hoc mundo pleno ærumnis & periculis, quasi in valle lacrymarum versari, ideoque potiùs lugere quàm ridere debere, juxta illud: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, Matth. 5. Unde Græca habent, *stultus in risu attollet vocem suam, vir autem callidus vix placidè subridet*; Tigurina, *stultus per risum sustollit cachinnum, at vir sapiens subridet tacitè*; Syrus, *cum quiete ridet*: vel potiùs subridet: hoc enim significat Græcum ἡσυχῆ μειδιάσει. Alludit ad Ecclesiastæ c. 7. 5. *Cor sapientium ubi tristitia est, & cor stultorum ubi lætitia*, &c. *quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.*

Ita Christus Dominus sæpiùs flevisse, numquam risisse legitur, ut Christianos doceret hìc flendi, in cœlo ridendi fore tempus. ita S. Basil. Reg. 17. fusiùs disput. Idem Ad filium spirit. ita ei præscribit: *Noli dissolutis labiis risum proferre: amentia namque est cum strepitu ridere; sed subridendo tantummodò mentis lætitiam indica. Nec in modum parvuli velis jocari assiduè: quia non convenit ei qui ad perfectionem nititur, jocari ut parvulus. Esto in malitia parvulus, & vir perfectus in sensu. Nullum enim habet accessum cordis compunctio, ubi fuerit immoderatus risus ac jocus. Ubi verò fuerint lacrimæ, ibi spiritalis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat, & vitia cuncta exurit. Tunc aviditate cælesti anima flagrans, Christi amori copulatur, cum in terris degens de cælestibus jugiter meditatur, calcat sæculi voluptates, nec ulla sæculi cura eam segregat ab amore Christi; sed ut figura quædam inter homines versari videtur,* *Gnome Patrum.*

videtur, & tota ejus conversatio in cælis est. Mors illi præsens, tamquam vita ipsa, est dulcis. Cupit dissolvi & esse cum Christo, quem in carne vivens intra suum portaverit templum. S. Basilio succinit ejus summyster S. Gregor. Nazianzen. in Tetrastichis.

Risum, inquit, *meretur quilibet risus procax,*
Fletum immodestum haud levem risus parit.
Tristem esse præstat, quam solutis moribus.
Firmum caduca nulla res tangit virum.

Idem orat. 11. de Gorgonia sorore sua ita scribit: *Quanam oculos ita frænavit? quanam risum ita irrisit? adeò ut vel leniter subrisisse, nimium penè ipsi videretur.* Vide S. Ephrem to. 1. tract. 44. cujus hic est titulus: *Non esse ridendum, sed lugendum & plorandum.* S. Bernard. tract. de Natura divini amoris cap. 3. *Amplectatur,* ait, amans Deum *cordis puritatem, corporis munditiam: silentium, vel verbum ordinatum: oculos stabiles, & non sublimes: aures non prurientes: victum & vestitum sobrium, & qui faciat, non impediat, boni operis diætam: manus continentes: gressum mitem, non ridendo cordis prodere lasciviam, sed leviter subridendo gratiam.* Idem in sermone de S. Malachia, Archiepiscopo Hiberniæ, modestum ejus risum ita dilaudat: *Risus aut indicans charitatis, aut provocans, rarus tamen & ipse. Equidem interdum eductus, excussus numquam: qui ita nuntiaret cordis lætitiam, ut oris gratiam non minueret, sed augeret. Tam modestus, ut levitatis non posset esse suspectus: tantillus tamen, ut vultum hilarem ab omni tristitiæ nævo vel nubilo vindicare sufficeret.* Sic de nostro R.P. Petro Canisio scribit P. Sacchinus lib. 3. Vitæ ejus, pag. 328. *Risus ei perrarus, idemque non nisi humanitatis & charitatis in tempore condimentum. Lingua sancta, nescia nugarum, in mediis aulis religiosa, ubique cælestia divinarum laudum mella manans.*

ἀγέλαστοι qui. Sic inter Gentiles ἀγέλαστοι, id est, risus expertes, Cognominati sunt & celebrati, Hieraclitus, Anaxagoras, Aristoxenus, Phocion, M. Crassus, Licinius, M. Cato, Nerva. Bessarion Cardin. libr. 4. Apologiæ Platonis c. 1. scribit Platonem adeò fuisse modestum & gravem, ut rarò subriserit, riserit numquam. Risus enim nimius ridiculum facit, vel indicat: quare insipientem decet, non sapientem juxta illud vulgò tritum:

Per risum multum poteris cognoscere stultum.

Quocirca Seneca in Proverb. litter. M. *Morbum* ait, *esse scias, non hilaritatem, semper arridere videntibus, & ad omnium æstimationem ipsum: quoque os diducere.* Denique Beda in Proverbiis: *Praceps ad risum, præceps quoque fertur ad iram.* Et Dacrianus in Speculo Monach. *Cachinnum,* inquit, *tamquam altum animæ præcipitium fuge, sciens quia risus excussus indisciplinatusq; claustra pudoris violat.* Plura de risu dicam Ecclesiast. 2. 2.

Vers. 24. ORNAMENTUM AUREUM PRUDENTI DOCTRINA, ET QUASI BRACHIALE IN BRACHIO DEXTRO] Est antithesis: nam v. 22. dixit fatuo doctrinam esse quasi compedes pedum, & manicas manuum, hic ei opponit sapientem: huic enim doctrina & sapientia est instar ornamenti aurei, v. g. instar monilis & torquis aurei: quia similiter eum ornat in se, magisque eum ornabit, si quasi doctor eam aliis communicet & doceat: quare est ei instar armillæ & brachialis, quod manus & brachia decoret & exornet. Unde Tigurina, *veluti ornamentum aureum est eruditio sapienti, & instar armillæ brachio dextro:* Syrus, *sicut monile aureum sapientia intelligenti, & sicut gemma annuli super manu ejus dextra.* Sicut ergo annulus aureus & gemmeus ornat dexteram, sic sapientia ornat sapientem. Hujus rei symbolo Doctores dum creantur, torque aurea & annullo aureo donari & insigniri solent, uti dixi cap. 6. 25.

Vers. 25. PES FATUI FACILIS IN DOMUM PROXIMI: ET HOMO PERITUS CONFUNDETUR A PERSONA POTENTIS] Distinxit sapientem à stulto, in corde, ore & risu nunc distinguit in incessu: q. d. Fatuus, quia curiosus & impudens, facilè ingreditur *domum proximi,* ut curiosè & impudenter scrutetur & audiat quid in ea agatur: at *homo peritus,* Græcè πολύπειρος, id est, multa expertus indeque prudens, qui scilicet experientia didicit quàm ingrata sit hominibus curiosa perscrutatio domus propriæ, nimiaque libertas in eam ingrediendi; hic *confundetur,* Græcè αἰσχυνθήσεται, id est, erubescet, verecundabitur, reverebitur *personam;* &, ut Græcè est, vultum hominis *potentis:* q. d. Sapiens est verecundus & reverens, adeò ut & vultum potentis fixiùs inspicere erubescat: at fatuus est inverecundus & irreverens, adeò ut non solùm

Fatuus est curiosus & impudens.

A vultum potentium intueri; sed & domum eorum sine causa, nec vocatus, ingredi, inspicere & perscrutari audeat. Unde S. Ambros. ad Virgin. sic legit *pes fatui facilis in domum proximi: qui autem sapiens est, verecundatur;* Tigurina, *pes stulti in domum alterius proclivis est; at peritus homo reformidat vel inspectionem;* alii, *pes stulti festinus est ad domum, homo autem expertus erubescit ad aspectum;* Syrus, *pedes stulti ingrediuntur citò intra domum, & vir sapiens inclinat faciem suam,* quasi erubescens curiosè eam inspicere, ideoq; oculos deprimens, ne videat quæ in domo sunt vel fiunt: q. d. Prudens verecundè, nec nisi invitatus vel coactus, ingreditur domum potentis: ejus enim faciem erubescit. Hoc vitio notatus fuit Crates Thebanus, qui idcircò vulgò dictus est θυρεπανοίκτης, id est, ostiorum apertor, quòd in omnes domos irrumperet, &, si quid displicuisset, reprehenderet Cynica libertate, teste Laert. l. 6. c. 5. Quocirca Socrates, ut suos auditores à curiositate rerum alienarum avocaret, crebrò usurpabat illud Homeri:

Ædibus in nostris quæ prava aut recta geruntur.

STULTUS A FENESTRA RESPICIET IN DOMUM: VIR AUTEM ERUDITUS FORIS STABIT] Vers. 26.
B Secundus est hic gestus stulti: q. d. Fatuus, si nequeat ingredi domum alterius, quia fores sunt occlusæ, aut obsidentur ab aliis, similive de causa, tunc per rimas ostii aut fenestræ, rusticè & curiosè quasi stultus prospiciet in domum, præsertim si quem ex domo convenire vel alloqui desideret: at *vir* bene institutus & moratus, *foris stabit* pulsans ostium, ut evocet eum quem conventum cupit; vel, si Prælatus aut vir primarius sit, exspectabit donec ab eo evocetur, aut donec is domo egrediatur, itàque ei occurrat, seseque insinuet. Unde Græca habent, *insipiens per januam introspicit in domum: vir autem bene institutus foris stat;* Tigurina, *insipiens ab janua domum introspicit: at vir eruditus foris consistit;* Syrus, *stultus ex janua introspicit in domum: & honor viri est ut stet foris & loquatur.* Ita Xenocrates (ait Laert. l. 4. c. 2.) nihil referre dicebat, utrùm pedes an oculos inferas in alienas ædes, imò ab oculis magis metuunt incolæ, quàm à pedibus.

Præclarè Hugo Victor. de Institut. novit. cap 12. *Gestus hominis,* inquit, *in omni actu debet esse gratiosus sine mollitie, quietus sine dissolutione, gravis sine tarditate, alacer sine inquietudine, maturus sine protervia, & sine turbulentia severus.*
C Huc facit apophthegma R. Judæ in *Pirke avoth,* id est in Sententiis patrum: *Procacis ac inverecundi hominis habitatio est infernus: sicut è contrà modesti & verecundi, paradisus. Placuit tibi Domine Deus noster, præcipuam nostram sortem in legis tuæ studio constituere.*

STULTITIA HOMINIS AUSCULTARE PER OSTIUM: ET PRUDENS GRAVABITUR CONTUMELIA] Vers. 27. Tertius hic est gestus stulti, qui si nequeat ingredi domum, nec in eam per januam vel fenestram introspicere, invercundè & imprudenter aures applicat ad ostium, ut audiat quid in domo dicatur, aut geratur: & vir prudens grave sibi reputat hanc incivilitatem, immodestiam & inverecundiam committere; quia eam æstimat ingens esse suum, æquè ac domus incolarum probrum, dedecus & contumeliam. *Prudens* ergo *gravatur contumelia;* q.d. Primò, gravem dicit hanc infamiam & contumeliam. Secundò, q. d. Prudens putat sibi à fatuo gravem fieri injuriam & contumeliam, dum is curiosè & inverecundè ad ostium suum auscultat, ut secreta audiat. Unde Syrus vertit, *stulti est hominis auscultare ad januam, & sapienti gravis*
D *est contumelia ejus.* Summa horum omnium est, stultum rerum suarum esse incurium, alienarum verò esse curiosum, ideòque immodestè & inverecundè eas scrutari: sapientem verò alienarum rerum esse incurium, suarum verò curiosum, ideoquè sua attentè introspicere & circumlustrare, aliena verò negligere & præterire: quia eorum curam aliis ad quos pertinet relinquit, eam verò arrogare sibi, incivile, rusticum & ignominiosum dicit.

Pro *stultitia* Græcè est ἀπαιδευσία, id est imperitia, rusticitas, incivilitas, ineptia, insolentia, insulsitas. Unde Tigur. vertit, *ad ostium auscultare quemquam, inscitia est qui sapit, hoc dedecus gravatim suscipit;* alii, *inscitia hominis est auscultare ad januam: prudens verò graviter fert infamiam.* q. d. Auscultare ducit esse infame.

LABIA IMPRUDENTIUM STULTA NARRABUNT: VERBA AUTEM PRUDENTIUM STATERA PONDERABUNTUR] Vers. 28. tum statera rationis à prudentibus

dentibus antequam ea proferant, tum statera auctoritatis ab iis qui ea audiunt. Hi enim ea quasi præmeditatè, graviter & sapienter prolata, magni æstimabunt, verbisque & factis ostendent ea apud se magnum auctoritatis momentum & pondus habere, ut ea crebrò ruminent, meditentur, mente expendant, librent & ponderent, eaque in opus conferant, ac juxta ea mores suos conforment, vitamque instituant. Septuplicem stateram, qua singula verba æquè ac opera libranda, sunt recensebo Proverb. 11. v. 1. Græca habent, *labia loquacium ea quæ non sunt sua narrabunt, verba autem prudentium in statera librabuntur*; Tigurina, *labia loquacium narrant absurda: sapientes autem quæ dicunt statera ponderant*; alii, *labia multiloquorum aliena narrant: sermones autem prudentium statera ponderantur*; Syrus, *os impii in corpore* (in corpus) *sui ipsius*, idest contra seipsum) *loquetur: & cum pondere loquitur sapiens*. Græca verò Romæ correcta aliter habent, nimirum hoc modo, *labia aliorum in his gravabuntur: verba autem prudentium statera ponderabuntur*. Huc facit dogma S. Bernardi: *Verba tua priùs veniant bis ad limam, quàm semel ad linguam*. Lima verborum est mens, est ratio, est prudentia, est consideratio. Unde sequitur: *In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum*. Huc etiam facit proverbium Arabicum cent. 1. n. 16 *Esto cum palinro elina*, id est, esto cum stulto sapiens, & cum insano polylogo mentis compos & micrologus.

Præclarè B. Petrus Damiani epist. 10. ad Petrum Cerebrosum: *Qui dicaciam*, ait, *eloquentiam putat, verum similitudine ductus aberrat. Sicut enim vir sapiens dicit: Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur. Planè sicut equus effrænis per anfractus & invia, plana vel ardua, quæque trasmittit: sic lingua stultorum recta vel frivola, ut quælibet suppetunt, indifferenter ac leviter effluit. Prudens autem quæ dicenda sunt ponderat, & tamquam cautus viator solerter attendit, ubi lingua sua vestigium figat. Ille quidquid occultum est, per impatientiam fandi producit in medium; iste, si dictet utilitas, sub clave silentii servat arcanum. Unde & idem Sapiens. In ore, inquit, fatuorum cor eorum, & in corde sapientum os illorum*.

Septem discrimina sapientis & stulti in loquendo. Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pirke avoth*, id est, in Capitulis patrum: *Septem dicuntur de stulto, & totidem de sensato ac sapiente: Vir sensatus tacet & obmutescit coram seniore aut sapientiore se: loquentem non interpellat, importunè aliquid effutiens & extra tempus, in medio, videlicet, sermonis interserens: vix respondet interrogatus, interrogat autem ipse ad rem apposite, respondetq; etiam aptissimè ad quæsita: quæ primo loco proposita sunt, de iis agit primùm & ante omnia; posteriùs autem ad ea descendit agitanda quæ posteriore loco sunt oblata discutienda: si quæ autem sint quæ fortè non intellexit, ingenuè admonet & dicit, Hæc & hæc capere non potui, hæc autem intellexi. Tandem cognita perspectaq; veritate, dat manus & ultrò cedit. Contrario prorsus modo de stulto ratiocinandum est*.

VERS. 29. *Stulti habent cor in ore, sapientes os in corde. Primò.* IN ORE FATUORUM COR ILLORUM: ET IN CORDE SAPIENTIUM OS ILLORUM] q.d. Fatui quidquid habent in corde, id ore effutiunt: nesciunt enim sensa sua celare: hinc videntur *cor* non habere intra viscera reconditum, sed in *ore* repositum, omnibusque patulum & expositum: ex adverso sapientes ore nihil proferunt, nisi quod priùs in corde bene expenderunt: quare quæ celanda sunt celant, nihilque dicunt nisi quod hoc loco, tempore, coram talibus, &c. dicendum est: quare videntur os non habere in vultu patulum omnibus, sed reconditum *in corde*: quia cor dirigit & moderatur os eorum, ut non tam os quàm cor eorum loqui ac vicissim tam os quàm cor eorum sapere videatur. Unde Tigurina, *ab ore stultorum pendet cor eorum: at in corde sapientum os eorum situm est*: quia scilicet sapientes os & verba cordis discretione reprimunt, & mensurant. In stultis ergo dominatur os, id est, garrulitas & protervia loquendi, adeoque os regit cor ipsorum. In prudentibus verò dominatur cor, illudque regit os eorum, juxta illud Proverb 16. *Cor sapientis erudiet os eius*. Et illud Psaltis psalm. 36. 30. *Os justi meditabitur*, id est, meditatò vel meditatam proferet, *sapientiam*, quia, scilicet, justus os habet in corde: cordis enim est meditari, oris verò meditatū eloqui. Unde Syrus nervosè, *os stulti ipsum est cor eius, & os sapientis in corde suo*. Sapienter Gellius lib. 1. 15. scribit garrulorum orationem in ore nasci, non in pectore. Ex adverso Homerus Ulyssem virum sapientem aut vocem mittere non ex ore, sed ex pectore. Hinc & dicitur psalm. 51.

A v. 2. *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua*. Ubi rectè Origenes apud Agellium: *Cor*, ait, *fatuorum in superficie situm est, non in profundo, ad labia exilit*. Sic olim dictum est, Græcis sermonem è labiis & ore, Romanis è mente & corde proficisci. Huc pertinet illud Themistoclis: ἰσὺς ἔνεστι τῷ λόγῳ, id est, *sermoni inest os & vigor*, dictum de oratione non inani & fatua, sed gravi & sapienti solidas habente sententias. Sic Quintilianus rerum inventionem appellat *orationis ossa*, sumpta similitudine ab animantium corporibus quæ ossibus sustinentur, colligantur nervis, vestiuntur carnibus & pelle, cohærent anima, moventur actu.

Secundò, cor symbolum est secreti, os verò revelationis secreti. Cor enim in abscessu pectoris latitat, & intra præcordia se reducit. Sapientibus ergo *os est in corde*, id est, in abdito profundoque mentis recessu, ut silere & celare norint, quod alii ore produnt. Fatuis verò *cor est in ore*, id est, secretum in lingua, quia omnibus illud propalant. Ita S. Gregor. Nazianz. epist. 1. ad Celeusium silentii se arguentem, scribit apologum hirundinum & cycnorum, hirundines enim habent cor in ore, cycni verò habent os in corde. *Melius est*, inquit, *silentium cycnorum, quàm garritus hirundinum*. q. d. Melius est silentium sapientum, quàm B loquacitas insipientium, tandemque alio proverbio conclu dit: *Tum canebunt cycni, cùm graculi tacuerint*. Idem de Diversis vitæ generibus: *Secundò.*

Non ego, inquit, *cum gruibus, non anseribusque sedebo*
In synodis, quæ se Marte furente petunt.

Synodos anserum & gruum vocat illa concilia, in quibus nil rectè & ordine gerebatur, sed confusis pugnantium inter se hominum clamoribus omnia perstrepebant, quales erant Synodi Arrianorum ad evertendum Concilium Nicenum.

Tertiò. Tertiò, Pineda libr. 3. de Rebus Salomon. c. 12. n. 4. *In corde*, inquit, *sapientum os illorum, & in ore fatuorum cor illorum*: q. d. Stultorum vana est eloquentia, at sapientum solida, ut quæ non solum verbis constet, sed & cordata sit, & gravibus sententiis polleat. Quod Salomon Sap. 7. v. 15. ait: *Mihi dedit Deus dicere ex sententia*, id est, ex anima & corde sententiosè, cum sensu quodam & quasi sapore eorum quæ dicuntur.

Quartò. Quartò, Rabanus: *In ore fatuorum*, inquit, *cor illorum est, quando hæreticorum & schismaticorum stulta intentio verborum intendit ornatus: in corde autem sapientum os illorum, quando C electorum studet eloquium, vera sapientia fideliter exprimere sensum*. q. d. Stulti solam eloquentiam, prudentes magis sapientiam aucupantur, eamque verbis ostentant. Stulti ergo cor in ore, id est sapientiam in loquacitate, collocant, sapientes verò os in corde, id est, eloquentiam in sapientia reponunt, censentque se eloquenter dicere, si sapienter dicant. Huc facit illud vulgò tritum: *Stulta est egena sapientia eloquentia*: sapiens verò est sapientia, etiam carens eloquentia.

Quintò. Denique cor symbolum est prudentiæ, magnanimitatis, consilii: os verò, id est garrulitas, imprudentiæ, levitatis, insipientiæ. Cor enim est animæ receptaculum, voluntatis fons, consilii & rerum agendarum radix. Unde Beda in Proverbiis: *Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde*. Nam ut ait Aristot. lib. de Sensu & sensibili: *Anima est in corde, sicut aranea in sua tela*, tum physicè, tum ethicè. Physicè quia in corde quasi arce habitat anima, indeque per spiritus vitales vivificat totum corpus. Unde cor est principium vitæ & sensus, præsertim tactus, quem acutissimum habet aranea, juxta illud: D *Lynx visu, sus auditu, præcellit aranea tactu*. Quia, ut ait Aristot. l. 2. de Anima: *Animal est animal propter sensum tactus*. Omne enim animal habet tactum; & quidquid habet sensum tactus, est animal, esto careat visu, auditu, aliisque sensibus. Ethicè, quia anima per cor, id est mentem & rationem, loquitur, & agit omnia. Stulti ergo cor, id est sapientiam & virtutem, in ore, id est in sua insipientia, reponunt: sapientes verò suum os, id est levitatem & insipientiam, in corde abscondunt & celant. Planè, inquit Palacius, stultus homo exterior est, idcircò cor habet exteriùs in lingua: at prudens interior homo est, linguam igitur revocat ad cor.

DUM MALEDICIT IMPIUS DIABOLUM; MALEDICIT IPSE ANIMAM SUAM] *Maledicit*, id est, Primò, execratur, ut vertit Tigurina: q-d. Dum impius execratur diabolum, execratur seipsum; quia ipse similis est diabolo: est enim impius ut ipse. Fatuè ergo **VERS. 30.**

fatuus

33. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?

Vers. 1. IN LAPIDE LVTEO LAPIDATUS EST PIGER, ET OMNES LOQVENTVR SVPER ASPERNATIONEM ILLIUS. DE STERCORE BOVM LAPI-
Vers. 2. DATVS EST PIGER; ET OMNIS, QVI TETIGERIT EUM, EXCVTIET MANVS] *Lapidem luteum* vocat non laterem ex luto plasmatum, sed lapidem luto conspurcatum & sordentem: hinc enim significat Græcum ἠρδαλωμένῳ. *Lapidatus est*, id est lapidarij solet: sic enim Hebræi per unum tempus significant cetera. Rursum per metalepsin *Lapide luteo lapidatus est*, id est, lapidando luto conspurcatus est: q. d. Piger adeò vilis, contemptibilis & exosus est, vt eum homines dignum censeant qui impetatur lapidibus sordidis, & stercore boum: omnes enim eum quasi torpidum & sordidum aspernantur, ita ut eum tangere, cum eoque conversari nolint; sed omnes eum refugiant & aversentur, perinde ut qui tangit lapidem sordidum, vel stercus, ilicò illud manibus excutit. Stultorum & stultitiæ speciem vnam persequitur, scilicet acediam & pigritiam: hæc enim facit hominem non tantùm otiosum, sibique & aliis inutilem, sed & noxium multisque vitijs commaculat: otium enim & pigritia est causa omnis mali. Noster legit κατεβλήθη, id est, telis vel lapidibus impetitus est, aut συνελιθάσθη, id est, lapidatus est à λιθάζω, id est, lapido: q. d. Piger adeò omnibus est vilis, ut eum quasi commune naturæ probrum lapidibus infestentur, in eumque jaciant lapides luto immersos, sordes & stercora. Jam legunt συνεβλήθη, id est, *comparatus est*. Vnde Græca sic habent, *lapidi inquinato* vel *polluto assimilatus est piger, & omnes sibilant ad ejus infamiam, ac stercori fimentorum comparatur piger: & omnis qui tollit eum, excutiet manus*; Complut. & Roman. *lapidi conspurcato comparatus est piger, & omnis exultabit in ignominiam ejus, stercori boum de sterquiliniis comparatus est piger: omnis qui tollit illud, excutiet manum*; Tigurina, *lapidi conspurcato comparandus est piger, quem ignominiæ causa omnes irrideant: piger conferendus est stercori sterquilinij; quod quicumque contigerit, manus suas excutiat*; Syrus, *sicut lapis sordidus qui projectus est in platea, & vnusquisque fugit ab odore ejus, ita & stultus; & unusquisque recedet ab eo. Dum exit quispiam foras in plateam, conviciatur ipsi, & omnis qui videt eum, complodit manibus suis*. Arab. breviter rem acu tangit, *insipiens jam sibi acquisivit contumeliam & malum*. Porrò Isidor. libr. 10. Origin. *Piger*, inquit, *dicitur quasi pedibus æger*. Idem de Differentiis verborum n. 46. *Inter tardum*, inquit, *pigrum, inertem & segnem hoc interest, quod tardus dicitur qui trahit tempus; iners sine arte, nullius officij capax; piger per omnia ægro similis; segnis semotus est à calore & igne*.

Piger quasi pedibus æger.

Appositè pigro pœnam assignat *stercus boum* potiùs, quàm equorum vel aliorum animalium, quia bos utpote gravis, lentus est & tardus, symbolum & figura est pigri. Vnde illud:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Ita Palacius: *Piger*, inquit, *comparatur lapidi conspurcato, & stercori boum. Vt enim qui lapidem ita sordidum, aut stercus boum inopinatè tangit, statim utrumque è manibus excutit: ita qui ministrum habet pigritantem, excutit & repellit à se. Ita enim ministros pigros fugimus ut stercus, ut lutatos lapides. Ex hac Græca litteræ explicatione habemus sensum Latinæ, qui est hic: Talis est piger, ac si eum lapidassemus lapidibus luto sordentibus, aut stercoribus boum: ita enim sordet ille in oculis hominum, ac si rebus sordidis conspurcatus esset, ac ideò omnes loquentur super ejus aspernatione, dicentes quàm sit ille spernendus, imò & excutiendus & repellendus. Si piger contemnitur à dominis temporalibus, si ab eis excutitur & repellitur, quàm spernetur & repelletur à Deo! Nam quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo; &, quia opus Dei facis desidiosè, maledictus eris. O quantum est à Deo maledici & repelli, scilicet in ignem æternum!* Apocal. 3. 16. Jerem. 48. 10. Matth. 25. 41. Adde, bovem, etsi lentum, tamen laboriosum esse: quare significat, pigrum suum lentorem & pigritiam vincere debere labore ad bovis imitationem. Hinc monetæ, putà didrachmis, olim imprimebatur figura bovis, ut ait Pollux lib. 9. quod labor pariat nummos & opes, pigritia verò inopiam & famem. Appositè ergo in pigri opprobrium & castigationem à bovis stercus assumitur, ut bove se deteriorem & pigriorem agnoscat, & à bove suam tarditatem labore vincere discat. Accedit, quòd stercus boum servit stercorandis agris, ut iniecto semine copiosam ferant segetem. Ager hic est piger: stercoratur ergo stercore boum, ut iniecto diligentiæ semine copiosos illius proferat fructus.

Anagogicè, S. Gregor. 15. Moral. cap. 3. explicans illud Job cap. 20. de impio & hypocrita: *Quasi sterquilinium in fimo perdetur: Quia*, inquit, *in morte sua, cum ad tormenta ducitur stercoribus vitiorum plenus, à malignis spiritibus conculcatur. Gaudia etenim vitæ præsentis, quæ iniusti æstimant magna bona, justi stercora deputant. Vnde scriptum est: De stercore boum lapidatus est piger. Is ergo qui Deum sequi noluerit, ab amore æternæ vitæ pigrescit: & quoties rerum temporalium damno percutitur, ex his nimirum affligitur, quæ justi viri velut stercora contemnunt. Qui ergo ex terrenarum rerum percussione atteritur, quid aliud quàm de boum stercore lapidatur? Et rectè hypocrita sterquilinio similis dicitur: quia dum temporalem gloriam habere appetit, modò per cogitationem apud semetipsum tumet, modò eamdem gloriam alijs invidet, eamque alios veraciter habentes irridet. Quot ergo vitiis plenus est, quasi tot stercoribus in conspectu æterni judicis illius pectus fœtet.*

Tropolog. Rabanus per *lapidem luteum* accipit increpationem S. Script. per *stercus boum* increpationem prædicatorum: hi enim sunt boves mystici excolentes agrum Ecclesiæ. *In lapide luteo*, inquit, *lapidatur piger, quando peccatori duris Scrip. sententiis fœditas scelerum suorum exprobratur, omnesque loquuntur super aspernatione illius, quia omnes boni detestantur & despiciunt sordes operum ipsius. Lapidatur piger de stercore boum, quando pigritia malorum in bono opere torpentium, per aptam stultitiæ suæ orationem à sanctis prædicatoribus illis improperatur: ita ut omnes qui aliquo modo communicaverint negligentiæ eorum, manus operum à squalore fœditatis illorum excutiant, & ad observantiam mandatorum Dei utili exercitio recurrant.* — Tropolog.

Sic ferè & S. Bernard. serm. 2. de SS. Petro & Paulo: *Itaque arguere, & increpare*, inquit; *interdum necesse est: nec ignoro fimum esse verbum increpatorium, verbum improperij; & quod si non excuset necessitas, ipsum quoque minus deceat proferentem. Sed quid agimus, quòd hoc fimo etsi aliquos impinguari, sed alios planè lapidari & indurari videmus? Hinc namque scriptum est: De stercore boum lapidabitur piger. An non impinguatur, qui increpatus benignè accipit, mansuetè respondet, libenter emendare conatur? Hæc planè salubris & fœcunda impinguatio est, ut corripiat me justus in misericordia, & increpet: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Et mox: *Quid autem faciamus tibi ò piger, qui ad hanc misericordiam irritaris magis & exasperaris? Nonne bonum fimum sparsi in agro tuo? unde ergo lapides habet? Sed tu inimice homo, (quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam) tu, inquam, inimice homo, hoc fecisti, qui desidiam tuam non excutere, sed excusare pergens, fimum tibi pervertis in lapides; & unde impinguari debueras, lapidaris.*

Huic apologo similis est apologus bovis & lupi, acutus & argutus, apud Cyrillum libr. 1. Apolog. moral. cap. 14. cujus titulus: *Quietem mentis dilige, & otium fuge. Hora vespertina*, inquit, *bovem iugo oneratum otiosus vagusque lupus reperiens, quasi compatiens illi, dixit: Quandonam solutus beata libertate vagaberis, & fatigatus grata quiete resocillaberis otiosus? cui ille respondit: Nimirum quando sapientia relinquet naturam. Labores enim quamdiu sustinebit membrorum societas, numquam me rapiet vagationis captiva libertas, aut otiositas cordis fluctuans tempestatibus. Nam vagatio quædam mentis est alienatio, & otium tempestas est cordis. Siquidem alienatus à virtute sensus, mox sicut Cain* (Genes. 4.) *profugus vagusque diffunditur; & veluti David* (2. Regum cap. 11.) *statim procella vitiositatis involvitur animus otiosus. Ad hæc lupus adiunxit: Numquam ergo quiescit sapiens? Respondit bos: Imò possidet eum secura quies. Nonne attendisti quòd superior mandibula licet non moveatur, minimè fit otiosa? sic utique sapiens etiam numquam otiosus, continuè aut mente exercitatur aut corpore.* Otij deinde proprietates & damna recenset. [Quid — Apologus pigritiæ.

vocant φιμῶσαι. Unde Plinius l. 18. c. 19. *Fiscellis*, inquit, A *capistrari boves oportet, ne g[er]minum tenera praecerpant.* Ergo judices dona accipientes, inquit Palacius, sunt sicut equus & mulus, quorum maxillas munera velut camo & fraeno constringunt.

Moral. disce hic quàm judici cavenda sint munera. Quocirca Justinianus Imp. §. *Oportet.* de Mandatis princ. Auth. collat. 3. & novell. 25. omne omnino ei vetat munus. *Oportet*, inquit, *te pure sumentem administrationem, & sine omni suffragio, & prae omnibus aliis mundas servare manus Deo, nobisque & legibus, & nullum contingere lucrum, neque maius, neque minus.* Nam ut ait S. Nazianz. in Distichis: *Munera faciunt ut sapientes quoque viri hallucinentur: atque ut aves laqueo, sic homines auro capiuntur.* Et inferiùs: *Auro loquente iners est omnis oratio: persuadet enim illud, etiamsi nullam vocem edat.* S. Chrysost. homil. 64. in Joannem: *Gravis*, ait, *morbus est avaritia, oculos caecat, & aures obstruit, & quavis bellua saeviores reddit.* Idem censuere Gentiles. Plutarchus libr. de Iside: *Thebis*, ait, *judicum imagines visuntur absque manibus, & summi judicis oculi connivent, eò quòd justitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur.* Rectè Cajetan. & ex eo Delrio adagio 86. Munera affectum mutant, B inquit, & sic efficiunt, ut, si non speculativè, saltem practicè videatur accipienti fovenda, vel excusanda, vel toleranda pars à qua munera accipit. Unde Moses Deuter. 16. vers. 19. *Non accipies*, ait, *personam, nec munera: quia munera excaecant oculos sapientum, & mutant verba justorum*, nimirum quantumvis oculatus fueris ut aquila, ut serpens, oculi tui muneribus eruentur. Donum enim tacitè eblanditur & elucratur affectum ejus qui illud recipit, ac quasi cor illius non cogitantis suffuratur, illudque donanti alligat & astringit ut non possit non eum amare, non illi favere, & vicem rependere.

De cavendis muneribus.

Quocirca Basilius Imper. Constantinopol. Exhort. ad Leonem filium, cognomento Philosophum; ita de muneribus sancit cap. 43. *Auro & muneribus venales honores & dignitates cave ne habeas, sed eas dignis largire gratis: qui enim magistratum pretio emit, subiectos illi magistratui multò magis emit, ut muneribus quae dedit fretus, ipse audaciùs munera capiat. Proba ergo atque explora priùs diligenter, atque ita demum ad honores provehe eos qui sine muneribus ambiunt, si vis à republica omnem sordium & concussionis labem exulare.* C *Nam qui dat ut magistratum capiat, quaestum sibi à magistratu captat: dat enim ut jus capiendi habeat contra leges, hoc agens, ut nullis legibus teneatur. Qui enim magistratum mercari didicerit, is numquam munera capere dediscet, & sine muneribus aliquid facere numquam volet: te autem concussionis & sordium habebit magistrum, quem debuerat habere vindicem: neque ipse solùm munera capiet, sed eos etiam qui sub ipso erunt, munera capere coget.* Breviter sed nervosè, Demosthenes: *Dona principum*, inquit, *sunt auctoramentum servitutis*: quos enim donis afficiunt, hos quasi servos sibi mancipant.

VERS. 32. SAPIENTIA ABSCONSA, ET THESAURUS INVISUS (Syrus, *occultus*: hic enim non videtur;) QUAE UTILITAS IN UTRISQUE?] S. Hieron. in cap. 2. Sophon. legit, *sapientia abscondita, & thesaurus non comparens, quae utilitas in ambobus?* Ἀφανὴς enim est non comparens, non visus, latens, occultus, obscurus, incognitus.

Respicit ad id quod dixit v. 29. *Sapiens in verbis producet seipsum, & homo prudens placebit magnatis.* Ne enim quis otii & quietis amantior, suam sapientiam celet, eaque alios defraudet, addit: *Sapientia absconsa*, &c. Tigurina, *cùm sapientia occulitur, aut thesaurus abditur, quid est in utrovis* D *utilitatis?* Sicut enim thesaurus, licet in se pretiosus, nulli tamen est usui, si sit abditus: ita & sapientia, licèt maxima, frustra est, nullumque habet usum, si abscondatur. Quare, sicut thesaurus à natura & Deo datur ad usum, ideoque publicandus & erogandus est, sic & sapientia. Idem docet Christus in parabola talentorum, qua docet Deum exactam exigere rationem talenti bene & cum lucro expensi, ideoque damnare eum qui talentum defodit, vel in sudario ligavit, Matth. 25. Nam, ut rectè ait S. Gregor. 1. p. Pastor. cap. 9. *Pecuniam in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere.* Si ergo litteratus es, sed solitarius & absconditus, quem doces? si praedicator, quem ad bonam frugem convertis? si sapiens, cui consilium praebes? si sacerdos, cui Sacramenta ministras? si sanctus, quem aedificas? si robustus, si cujus utilitatem laboras? Quocirca Eremitae in solitudine suos docebant discipulos & advenas, eosque ad sanctitatem efformabant. Item scribebant epistolas & libros, ut iis suam sapientiam proximis communicarent.

Egregiè hoc argumentum tractat S. Greg. 3. p. Pastor. admon. 16. *Admonendi sunt*, inquit, *qui cùm praedicare utiliter possunt, immoderata tamen humilitate refugiunt; ut ex minori consideratione colligant, quantum in maioribus rebus delinquant. Si enim indigentibus proximis ipsi quas habent pecunias absconderent, adiutores proculdubio calamitatis exstitissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui, dum peccantibus fratribus verbum praedicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitae remedia abscondunt. Unde & bene quidam sapiens dicit: Sapientia abscondita & thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque?* Probat idipsum per tres similitudines, dum subdit: *Si populum fames attereret, & occulta frumenta ipsi servarent, auctores proculdubio mortis existerent. Qua itaque plectendi sint poena considerent, qui, cùm fame verbi animae pereant, ipsi panem perceptae gratiae non ministrant. Unde & bene per Salomonem dicitur: Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Frumenta quippe abscondere, est praedicationis sancta apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicitur: quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere potuit, poena damnatur. Si medicinalis artis minimè ignari secandum vulnus cernerent, & tamen secare recusarent; profectò peccatum fraternae mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa involvantur aspiciant, qui, dum cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt sectione verborum. Unde & bene per Prophetam dicitur: Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Gladium quippe à sanguine prohibere, est praedicationis verbum à carnalis vitae interfectione retinere.* Et paulò inferiùs: *Audiant, quòd talentum qui erogare noluit, cum sententia damnationis amisit. Audiant, quòd Paulus eo se a proximorum sanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitiis non pepercit, dicens: Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium: non enim subterfugi, quo minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis. Audiant, quòd voce angelica Joannes admonetur, cùm dicitur? Qui audit, dicat, Veni: ut nimirum cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quò ipse rapitur, trahat: ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. Audiant, quòd Isaias, quia à verbi ministerio tacuit, illustratus superno lumine, magna voce poenitentia se ipse reprehendit, dicens: Vae mihi quia tacui. Audiant, quòd per Salomonem in illum praedicationis scientia multiplicari promittitur, qui in hoc quod iam obtinuit, torporis vitio non tenetur: ait namque, Anima quae benedicit impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui enim exteriùs praedicando benedicit, interioris augmenti pinguedinem recipit; & dum vino eloquii auditorum mentem debriare non desinit, potu multiplicati muneris debriatus excrescit. Audiant, quòd David hoc Deo in munere obtulit, quòd praedicationis gratiam quam acceperat non abscondit, dicens: Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu cognovisti: justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Audiant, quòd sponsi colloquio ad sponsam dicitur: Quae habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam*, Cantic. 8. Hac sententia Zozimas persuasit S. Mariae Aegyptiacae (ut habet ejus Vita anno Christi 630.) ut angelicam vitam, quam in eremo per 47. annos nulli hominum, sed soli Deo & angelis visa, sanctè peregerat, ad aliorum exemplum panderet: *Omnia*, inquiebat, *quae circa te sunt edicito, ut Deo magnalia facias manifesta: Sapientia enim abscondita & thesaurus occultus, quae utilitas in utrisque?* Cui sententiae ipsa obsecuta, omnem vitam suam Zozimae enarravit, qui deinde eam scripto posteris mandavit: qua proinde tum alii, tum S. Joannes Columbinus Ordinis Jesuatorum institutor, ad Deum conversi sunt.

In eos qui refugiunt onus praedicandi. — *Prover. 11.* — *Jerem. 38.* — *Matth. 25.* — *Actor. 20.* — *Apoc. 22. 17.* — *Isaiae 6.* — *Prov. 11.* — *Psal. 39.*

MELIOR EST QUI CELAT INSIPIENTIAM, VERS. 33. (Syrus, *stultitiam*) SUAM, QUAM HOMO QUI ABSCONDIT SAPIENTIAM SUAM] Tigurina clarè, *potior est homo celans insititiam suam, quam qui sapientiam suam supprimit.* Insipientia enim sapienter celatur, ne sibi aliisve noceat; sapientia autem sapienter promitur & evulgatur ad aliorum utilitatem & instructionem.

Porrò malum est abscondere sapientiam, ait Palacius, *quando Deus aut Superior iubent eam in lucem proferre, aut quando necesse est eam manifestare. Alioqui consultissimè sanctissimi illi Eremitae Dei sapientia pleni, in abditissimas solitudines se*

conii-

coniiciebant. Et planè, si sapientia non utilis futura est Christiana reipublicæ, curam Deus habet eam in lucem proferendi. Hoc demum non est silentio prætereundum: hæc verba, (ut arbitror) proœmium esse dicendorum, quasi vellet Author dicere: Sapientiam meam vobis scribo in sequentibus capitibus, quorsum enim absconderem? cùm sapientia absconsa inutilis sit. Hæc Palacius.

Complut. hanc sententiam addunt: *Melior est exspoliatio inevitabilis in inquisitione Domini, quàm carens Domino auriga* A *propria vitæ*, id est, ut clarè Tigurina, *potior est inevitabilis* (vel necessaria) *sequenti Dominum patientia, quàm vitæ propriæ gubernator absque Domino.* Quæ sanè in praxi aurea est sententia. Alii, *potior est patientia quæ recusari non potest, ab eo qui quærit Dominum, quàm agitator vitæ propriæ sine Domino.* Verùm Græca à Romanis correcta, Latina, & Syra eam omittunt; unde non habet auctoritatem Scripturæ Canonicæ.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet summè cavendum ab omni peccato, & præsertim à superbia. Secundò, v. 14. depingit mores stulti, eisque opponit mores sapientis. Tertiò, v. 23. describit stulti immodestiam in risu, visu, auditu, voce, & sermone.

1 Fili peccasti? non adiicias iterum: sed & de pristinis deprecare ut tibi dimittantur. 2. Quasi à
facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te. 3. Dentes leonis, dentes ejus,
interficientes animas hominum. 4. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sani-
tas. 5. Objurgatio & injuriæ annullabunt substantiam: & domus quæ nimis locuples est, annullabitur
superbia: sic substantia superbi eradicabitur. 6. Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus per-
veniet, & judicium festinatò adveniet illi. 7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris: & qui
timet Deum, convertetur ad cor suum. 8. Notus à longè potens lingua audaci: & sensatus scit labi se
ab ipso. 9. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme.
10. Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis. 11. Via peccantium
complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. 12. Qui custodit justitiam, con-
tinebit sensum ejus. 13. Consummatio timoris Dei, sapientia & sensus. 14. Non erudietur, qui non
est sapiens in bono. 15. Est autem sapientia, quæ abundat in malo: & non est sensus ubi est amaritu-
do. 16. Scientia sapientis tamquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons vitæ permanet.
17. Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. 18. Verbum sapiens quodcum-
que audierit scius, laudabit, & ad se adiiciet: audivit luxuriosus, & displicebit illi, & proiiciet illud
post dorsum suum. 19. Narratio fatui quasi sarcina in via: nam in labiis sensati invenietur gratia.
20. Os prudentis quæritur in ecclesia, & verba illius cogitabunt in cordibus suis. 21. Tamquam do-
mus exterminata, sic fatuo sapientia: & scientia insensati inenarrabilia verba. 22. Compedes in pe-
dibus, stulto doctrina, & quasi vincula manuum super manum dextram. 23. Fatuus in risu exal-
tat vocem suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit. 24. Ornamentum aureum prudenti doctrina,
& quasi brachiale in brachio dextro. 25. Pes fatui facilis in domum proximi: & homo peritus con-
fundetur à persona potentis. 26. Stultus à fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris sta-
bit. 27. Stultitia hominis auscultare per ostium: & prudens gravabitur contumelia. 28. Labia im-
prudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium, statera ponderabuntur. 29. In ore fatuorum
cor illorum: & in corde sapientium os illorum. 30. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ip-
se animam suam. 31. Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur: & qui cum eo man-
serit, odiosus erit: tacitus & sensatus honorabitur.

VERS. 1. FILI PECCASTI? NON ADIICIAS ITERUM; SED ET DE PRISTINIS DEPRECARE UT TIBI DIMITTANTUR] Tigurina, *si peccasti fili, ne pergas peccare, sed anteacta depreceris.* Dicit, *si peccasti*, quia, ut A habet Arabicum proverbium cent. 2. n. 57. *Omissio peccati facilior est, quàm executio pœnitentiæ*: q. d. Melius est non peccare, quàm post peccatum pœnitere: melior est innocentia, quàm pœnitentia: satius est non habere occasiones pœnitendi, quàm pœnitere: Jam sensus est: q. d. Post peccatum admissum quasi post vulnus letale acceptum, duo tibi ad salutem necessaria remedia suggero. Prius, ne iteres peccatum. Sunt enim multi, qui cùm peccatum unum admiserint, quasi jam perdita innocentià & gratia desperantes, proni in omne scelus ruunt, & quasi sues in cœno voluptatum voluntantur, uti faciunt meretrices & fornicatores. Hisce ait *Fili peccasti? ne adiicias iterum*, tum quia iteratio peccati novum est peccatum, novumque animæ vulnus. Sicut ergo qui unum vulnus accepit, cavet ne accipiat secundum; ita & qui unum peccatum admisit, caveat ne admittat secundum: tum, quia faciliùs curatur unum peccatum quàm duo, tria & plura; sicut faciliùs curatur unum vulnus quàm multa: tum, quia in iteratione peccati est animi protervia, & libido, quæ graviter Deum offendit, facitque ut difficilis sit lapsi curatio & culpæ condonatio. Huc facit Hebræorum proverbium: *Præceptum trahit præceptum, & peccatum trahit peccatum*: q. d. Una observatio legis, una virtus trahit aliam, sic unum peccatum trahit allicitque ad aliud.

Posterius: *Sed & de pristinis deprecare ut tibi dimittantur*: q. d. Non sufficit ad veniam peccati, illud non iterare, vel vitam corrigere, quasi pœnitentia non sit aliud quàm resipiscentia, ut fingit Calvinus & Lutherus; sed insuper opus est dolere de peccato commisso, ejusque veniam humiliter & dolenter deprecari. ita S. August. l. 1. de Nup. & concup. cap. 26. Ubi ex hoc loco docet, actum peccati transeuntem post se relinquere reatum, sive maculam permanentem in anima, per quam homo censeatur & sit peccator, ac iræ Dei & gehennæ sit obstrictus & reus. *Nam si à peccando desistere*, inquit, *hoc esset, non habere peccatum, sufficeret ut hoc nos moneret Script. Fili peccasti? non adiicias iterum. Non autem sufficit; sed addidit: Et de pristinis deprecare, ut tibi remittantur. Manent ergo, nisi remittantur. Sed quomodo manent, si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, manent reatu?* hæc S. August.

Mysticè, S. Gregor. 4. Moral. c. 19. *Peccatum* inquit, *peccato adiicit, qui malè gesta etiam defendit; & noctem illam solitariam non relinquit, qui culpæ suæ tenebris etiam patrocinia defensionis adiungit*, ut fecit Adam suum peccatum excusans, imò retorquens in Deum: *Mulier quam dedisti*, inquit, *mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*, Genes. 3. 12. q. d. *Tu occasionem delinquendi præbuisti, qui mulierem dedisti.* hæc S. Gregor. *Moral. citò peccatori pœnitendum.*

Moraliter hìc disce, post peccatum citò agendam esse pœni-

pœnitentiam, & post eam cavendum à relapsu, ac constanter persistendum in justitia Deique gratia. Audi S. Gregor. 3. p. Pastor. admonit. 31. *Admonendi*, inquit, *qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut considerare solicitè sciant, quia flendo inaniter mundant, qui vivendo se nequiter inquinant: cùm idcircò se lacrymis lavent, ut mundi ad sordes redeant*. Et paulò post: *Sus in volutabro luti cùm lavatur, sordidior redditur: & qui admissum plangit, nec tamen deserit, penè graviori culpa se subiicit, qui & ipsam, quam flendo potuit impetrare veniam, contemnit, & quasi in lutosa aqua semetipsum volvit: quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lacrymas facit*. Quocirca languido a se sanato hoc monitum dat Christus Joan. 5. 14. *Ecce sanus factus es: noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. De quo S. Cyprianus libro de disciplina & habitu virg. *Sospitantis*, inquit, *Domini verba sunt & docentis, curantis pariter & monentis: Ecce*, inquit, *sanus factus es* &c. *dat vivendi morem, dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem, nec habenis liberis & solutis vagari postmodum patitur: sed ipsis potiùs, quibus sanatus fuerat, mancipato, graviùs comminatur: quòd sit, scilicet, minor culpa deliquisse antè, cùm necdum nosses disciplinam Dei; nulla sit venia ultrà delinquere, postquam Deum nosse cœpisti*. Simile appositum affert San. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 3. *Nullus*, inquit, *hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutiùs remanere peccatis, cùm etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutiùs ægrotare: tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt & sibi de eo indulgentiam repromittunt, nonnumquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant*.

VERS. 2. *Fuge peccatum quasi colubrū.*

QUASI A FACIE COLUBRI FUGE PECCATA: ET (id est, *quia*: dat enim causam fugæ peccati) SI ACCESSERIS AD ILLA, SUSCIPIENT TE] Legit Interpres δέξονται, id est, *suscipient*: sic quoque legit S. August. in Speculo: iam legunt δήξονται, id est, *mordebit*: δάκνειν enim significat mordere, δέχεσθαι, suscipere. Sed eodem redit sensus: q. d. Peccata suscipient te quasi colubri & serpentes suis spiris, ut te mordeant, suumque virus tibi instillent, quo ita lædent animam tuam, ut naturaliter sanari nequeas per te, sed ut saneris opus habeas gratia Dei supernaturali. Tigurina, *tamquam à conspectu serpentis fuge peccatum*; alij, *tamquam serpentem fuge peccatum: nam si accesseris, mordebit te*. C Eleganter S. Paulinus natali 10. S. Felicis:

Vt faciem colubri Salomon peccata timeri
Horrerique monet, dicens armata leonis
Dentibus: & verè, quoniam velut ore ferino
Sæva vorant animam, quam vicerit ægra voluptas:

Alludit ad serpentem, per quem diabolus Evam ad peccatum pertraxit. Peccatum ergo est quasi serpens & basiliscus, qui solo visu quos aspicit necat: imò serpente ipsoque diabolo est nocentius, adeoque peccatum ex angelo pulcherrimo & felicissimo fecit teterrimum & miserrimum diabolum. Unde Rabanus: *A facie colubri* exponit *à facie diaboli*. *Coluber enim ille antiquus*, inquit, *qui semper colit umbras peccatorum, & regnat in filiis tenebrarum, interitum nostrum sine cessatione desiderat, ideoq; nobis suggerit opera facinorosa*. Syrus, *fili mi, multùm fuisti fugiens à peccato: si appropinques ad illud, mordebit te*. Per *morsum* hunc intellige omnem noxam, quam animæ infert peccatum, ac præsertim remorsum conscientiæ, juxta illud Dei ad Cain, Genes. 4. 7. *Sin autem male (egeris,) statim in foribus peccatum aderit?* Hebr. *accubabit: Videlicet more serpentis &* D *canis morosi*, inquit noster Delrio adagio 9. *qui nec egredi, nec ingredi hominem tranquille sinat, sed importuno latratu semper inquietet, hoc sensu perpetuo tibi suum peccatum ante pedes, ante oculos obversabitur & adversabitur: ut te Deus ad tempus sinat impunitum, ipsi peccati morsus, angues, furiæ acriter urgebunt, agitabunt, persequentur: quòcumque perges, peccatum te comitabitur, conscientiæ tuæ se oggeret & ingeret, irrequietum malum te conquiescere animo non permittet*.

Huc facit proverbium Hebraicum: *Cogitationes peccati* (de peccato admisso) *graviores sunt quàm peccatum*: quia cogitationes remordentes conscientiam ob peccatum perpetratum graviùs eam affligunt & cruciant, quàm ipsum peccatum.

Porrò S. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Rom. notat τὸ *si accesseris*. *Non enim*, inquit, *peccatum ad nos accedit, verùm nos ad illud transfugimus*. Additque diabolum inter nos A habitare *quasi latronem quemdam & tyrannum, qui nisi quem apprehenderit inermem ac solitarium, in suas speluncas descendentem, accedere sanè non sustinet*. Subdit eum similem esse serpenti, Primò, quia deorsum ad terram, & terrena nos trahere satagit. Secundò, quia sicut serpens in spinis, sic dæmon in divitiis latitat & se occultat: qui, si spinas incideris, ilicò aufugiet. Tertiò, sicut serpens incantatur carmine, sic diabolus exorcizatur & fugatur per invocationem nominis Christi, & crucis potentiam. Rursum notant nonnulli τὸ *à facie colubri*. Qui enim sapiens est, non tantùm serpentem & colubrum fugit, sed etiam *faciem colubri*, id est occasionem peccati, & omnem ejus ingressum perhorrescit: qui enim ad occasionem & illecebram peccati accedit, ab ea suscipitur, implicatur & dementatur.

VERS. 3. *Et quasi leonem.*

DENTES LEONIS, DENTES EJUS, INTERFICIENTES ANIMAS HOMINUM] Tigur. *dentes leonini sunt dentes ipsius animis hominum exitiales*; Syrus, *sicut dentes leonis est mendacium* (omne enim peccatum vocatur in Script. & est *mendacium* practicum, quia contrarium veritati, veroque dictamini rationis, legis B & virtutis) *& corrumpit animas hominum*. Comparavit peccatum serpenti ob virulentiam, & clandestinum morsum letiferum: nunc idem comparat leoni, ob sævitiam & ferociam, qua crudeliter animam laniat & occidit, tum adimendo gratiam, tum adigendo ad gehennam.

VERS. 4. *Et quasi rhomphea.*

QUASI RHOMPHÆA BIS ACUTA OMNIS INIQUITAS, PLAGÆ ILLIUS NON EST SANITAS] Græcè ἴασις id est, sanatio, vel remedium & curatio. Pro *bis acuta* græcè est δίστομος id est, anceps, biceps, utrimque scilicet acutus, sive duas habens acies quasi ora, quibus peccatorem secet, mordeat & devoret. Comparavit peccatum leoni & serpenti, nunc comparat rhomphææ, sive gladio utrimque scindenti, q. d. Peccatum est quasi gladius acutissimus, qui ipsa ossa dissecat & discindit: sic enim peccatum intima animæ dissecat, ipsamque animam necat & occidit. Tigurina, *instar ancipitis gladii nefas omne est, in plaga illius nulla est sanitas*; vel *contra plagam illius nullum est remedium*; Syrus, *gladius anceps os meretricis, & plaga illius non est sanatio*. Meretricium enim crebrum est & commune peccatum, adeoque C omne peccatum mystica est fornicatio, quia per illud anima desponsata Deo, eo spreto, fornicatur cum creaturis.

Moral. disce hic quanta sit noxa peccati. ipsum enim magis nocet animæ quàm basiliscus, quàm leo, quàm gladius anceps: quia quasi ex duabus partibus scindens animam simul & corpus perforat, occidit, & ad gehennam transmittit. ita Rabanus. Vide Bellarm. de gemitu columbæ sub initium lib. 2 ubi piè & eruditè ostendit peccatum summum esse malum, summèque injurium & noxium tum Deo, tum homini, tum creaturis ceteris, tum ipsi etiam inferno & damnatis; quia videlicet eorum pœnam adauget: unus enim damnatus affligit & cruciat alium, ideòque dives Epulo rogabat Abraham ut mitteret Lazarum ad fratres suos, ne si & illi damnarentur, per eos augeretur pœnà ipsius. Dixit enim petiitque hoc non ex charitate eorum, utpote quam non habebat, sed ex amore suipsius. Sic & S. Anselmus lib. de Similitud. cap. 101. *Peccando*, inquit, *non solùm iram Dei promeruimus, sed etiam totam creaturam adversum nos excitavimus. Potest ergo nobis justa consideratione terra dicere: Non debeo vos sustinere, sed potiùs absorbere: quoniam à creatore* D *meo non timuistis peccando recedere, & inimico ejus, diabolo scilicet, adhærere. Potest etiam cibus dicere & potus. Non meruistis ut vos pascere debeamus; imò potiùs ut confusionem vobis præparemus: ab illo enim peccando recessistis, per quem nos alere fuerat. Sol quoque: Vobis ad salutem non debeo lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis & fons luminum, penitus, coercere. Sic etiam singula quæque creaturæ contra nos possunt surgere irrefragabili ratione*.

Peccatum nocet toti mundo.

Denique peccatum petit jugulum Dei & Christi, adeoque si cor Dei telo quopiam transfigi posset, non alio quàm peccato transfigeretur. Peccatum ergo, quantum in se est, Deum è medio tollit. Peccatum est christicidium, imò deicidium. Quocirca tanta est vel unius peccati mortiferi malignitas, tanta in majestatem illam infinitam injuria, ut omnibus Sanctorum, Angelorum & hominum obsequiis, laudibus, cultibus, precibus, humiliationibus, pœnitentiis, afflictionibus ex æquo, &

Peccatum est quasi deicidium.

ut ita

ut ita dicam; ad æquilibrium, justamque æqualitatem nequeat compensari, Cùm igitur nullum remedium nec in terra, nec in cælo malis nostris medendis, & bonis amissis recuperandis appareret, nec ullus angelus, aut ulla mens creata quidquam congrui auxilij posset invenire; misericordia divina inauditum, admirabile, ineffabile, incomprehensibile, omnibus sæculis, omnibus angelis & hominibus obstupescendum excogitavit consilium; nimirum ut Filius Dei, Sapientia genita, per quam facta sunt omnia, naturam nostram sibi copularet, & in ea, ac per eam totum genus humanum repararet.

Audite mortales, audite peccatores, S. August. serm. 114. de Tempore: *Agnosce homo*, inquit, *quantum valeas, & quantum debeas, & dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur iustitia pro iniquo, misericordia affligitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Expavit scelus hominum natura rerum, & quem creatura rebellis non agnoscit; eum mundi dominum tremens terra testatur, & cæli regem sol fugiens confitetur.*

Vers. 5. OBIURGATIO ET INJURIÆ ANNULLABUNT SUBSTANTIAM: DOMUS, QUÆ NIMIS (valdè) LOCUPLES EST ANNULLABITUR SUPERBIA (per superbiam, in pœnam superbiæ, superbæque discordiæ & injuriarum:) SIC SUBSTANTIA SUPERBI ERADICABITUR] A genere descendit ad speciem, putà à peccato ad superbiam, quia hæc peccatorum est regina, imò mater, fons & radix. Pro *obiurgatio*, græcè est καταπληγμός. Unde Rabanus & alij Græcam vocem latinitate donantes, legunt *cataplectatio*. καταπληγμὸς autem est objurgatio superba, severa & acris, horribilis & formidabilis, quæ animos subditorum & servorum concutit, percellit, sternit & stupefacit, redditque quasi attonitos & apoplecticos. καταπλήττω enim est perterreo, iniicio pavorem, percello: inde κατάπληξ vocatur timore perculsus, stolidus, stupefactus, attonitus; & κατάπληξις vocatur pavor, confusio, stupor; vnde Lucretius, *Magna*, inquit, *atque immanis κατάπληξις, volat quæ quasi mentem attonitos stupentesq; efficiat grandetate sua*. Pro *iniuria* græcè est ὕβρις, id est, superba violentia, immanior improbitas, contumelia, sævitia, ferocia, procacitas, petulantia; fastus, insolentia, protervia: ὑβρίζω enim est iniurius sum, iniuriam facio, contumeliosè tracto, insolens sum, insulto, abutor, vim infero, stupro, contamino: inde ὑβριστὴς vocatur iniurius, convitiator, stuprator, corruptor, flagitiosus, impotens, insolescens ob copias & potentiam, oppressor violentus. Sensus ergo est: q. d. Herus vel dominus, qui superbè obiurgat, iniurias infert, & tyrannicè tractat suos servos, subditos, ceterosque qui in sua familia vel dominio degunt; hic attenuabit & ad nihilum rediget suam *substantiam* & opes; quia ob nimiam asperitatem, fastum & injurias, servos & ministros faciet fugitivos, vel fures. Sic Roboam ob superbum & asperum responsum datum decem tribubus Israel, eas à se alienavit, regnumque perdidit, 3. Reg. 12. Id fit justo Dei judicio, qui superbiam & superbos justè opibus, regno & dominio privat & punit. Græcus hic de more brevis & bimembris sic habet, *Vehemens objurgatio & contumelia annullabunt substantiam, sic domus superbi annullabitur*; Tigurina, *concertationes & injuriæ opes dissipant, similiterq; domus superbi desolabitur*; alij, *insultatio & contumelia desolant opes, sic & domus superbi ad eremum* vel *desertum redigetur*: hoc enim est Græcum ἐξερημωθήσεται. Syrus, *à manè usque ad vesperam vastat cœnacula, & palatia multa subvertit* vel *eradicat et evellit*. Græcis adaptanda esse Latina censet Jansenius & Franc. Lucas in Notis hic, ac proinde delendum esse τὸ *sic substantia superbi eradicabitur*. Verùm Romani codices & ceteri plerique constanter id legunt, sensumque per hoc faciunt uberiorem & clariorem.

Vers. 6. DEPRECATIO PAUPERIS EX ORE USQUE AD AURES EJUS PERVENIET, ET JUDICIUM FESTINATO ADVENIET ILLI] *Eius*, scilicet Dei (ut habeat nonnulli codices) cujus proprium est deprecationes pauperum audire & exaudire. Dat causam cur substantia superborum & violentorum annulletur, quia scilicet, subditi & pauperes ab eis oppressi clamant ad Deum, Deus autem eos exaudit: unde quasi justus vindex suum in eos iu-

A dicium citò profert, oppressores puniendo, oppressos liberando. Nota τὸ *ex ore usque ad aures*: q. d. Os pauperum oppressorum quasi vicinum est auribus Dei, ita ut deprecatio ore eorum prolata mox tangat & feriat aures Dei. Oppressio enim pauperum est peccatum clamans in celum, quod ilicò vindictam Dei ciet & extorquet. Unde Tigurina vertit, *ab ore pauperis* vel *afflicti exauditur precatio*: q. d. Mox ut oratio ore afflictorum prolata fuerit, audietur à Deo: unde subdit, *Iudiciumq; illius festinatò veniet*. Syrus eleganter, *oratio pauperis tamquam ab ore suo ad aurem suam, et ante iudicem sæculorum ascendit*. q. d. Os pauperis est os Dei, & vicissim auris Dei est auris pauperum. Quàm facilè ergo sermo ex ore pauperis ad aures ejusdem ascendit, tam facilè quoque & citò ab ore ejus ascendit ad aures Dei, quia Deus ori eorum vicinus est, imò ori eorum insidet, in eoque format precationem qua opem suam invocent, ut invocatus ilicò eam præstet. Hoc est quod ait Psaltes psal. 9. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Non enim exspectat Deus pauperem oppressum ad se clamantem, ut eum audiat, sed clamorem ejus prævenit, & merum desiderium audit, & exaudit.

B QUI ODIT CORREPTIONEM, VESTIGIUM EST PECCATORIS: ET QUI TIMET DEUM, CONVERTETUR AD COR SUUM] Prosequitur materiam de superbia & peccato, fugaque peccati: magna enim superbia, magnumque peccatum est, odio prosequi corripientem se de peccato. Hoc enim odium signum est animum in peccato esse obfirmatum & obduratum, ut monitiones & monitores non admittat, sed quasi inimicos odiat, respuat & execretur. Unde græcè est, *qui odit reprehensionem, in vestigio est peccatoris*: q. d. Inhæret viis & vestigiis peccati & peccatoris, per easque constanter & irrevocabiliter incedit & ingreditur. Tigurina, *qui odit castigationem, in vestigio sceleris consistit*; Syrus, *qui odit correptionem, vir iniquus*. Noster pro *in vestigio* legit *vestigium*, alia significatione, sed eodem sensu. — Vers. 7.

Pro quo Notandum, quòd *vestigium* propriè sit pedis impressio, id est, signum & figura quæ in terra à pede relinquitur, juxta illud Virgil. lib. 3. Georgic. — *Vestigium tria significat.*

Et gradiens ima verrit vestigia cauda.

Et Plautus in Cistellar. *Video vestigium in pulvere*. Hinc C Secundò, *vestigium* metonymicè, vocatur ipsa ima pars pedis, quæ vestigium terræ imprimit. Sic Cicero 4. Academ. ait: *Adversis vestigiis contra nostra vestigia stant Antipodes*. Tertiò, *vestigium* sumitur pro reliquiis, monumento, indicio; quia vestigium est indicium, & quasi reliquiæ pedis impressi, ex quo vestigamus & conniicimus quis, qualis, & quantus fuerit pes & homo qui illud efformavit. Sic Cicero ait Act. 7. in Verrem: *Cuius rei neque index, neque vestigium aliquod*. & Virgil. 4. Æneid.

Agnosco veteris vestigia flammæ.

Sic ergo *vestigium* vocatur inditium & nota, quæ rei formam & qualitatem ostendit: & *vestigare* est quærere diligenter, quasi per vestigium indagare: quod à vestigiis, quasi indiciis dictum.

Græcus ergo cùm ait: *Qui odit correptionem, in vestigio est peccatoris*; sumit *vestigium* propriè in primo significato iam assignato; Noster verò cùm vertit, *vestigium est peccatoris*, sumit in tertio significato: q. d. Cùm quis odit correptionem, idipsum *vestigium*, id est, certum indicium & signum, *est peccatoris*, putà hominis animique planè suis cupidinibus & peccatis affixi, *Peccator* enim significat D eum qui habet habitum peccandi, ut peccatis assuetus, iis constanter & pertinaciter adhæreat. Ex adverso; *Qui timet Deum, convertetur ad cor suum*; Tigurina, *at qui reveretur Dominum, resipiscet ex animo*; Syrus, *& qui timet Dominum, pœnitet ex corde suo*: q. d. Peccator correptus odit correptionem: at verò qui timet Deum, si de quopiam delicto corripiatur, ad cor redit, culpam agnoscit, pœnitet, vitamque mutat & corrigit. Igitur *vestigium*, id est, argumentum absoluti & consummati *peccatoris*, est odisse correptionem: nam qui timet Deum, ut corripitur, ad cor suum redit, ut se emendet. Ergo sunt gradus in hac re: Est enim amare correptionem, est pati, est odisse. Primum, est signum prædestinationis, ut ultimum reprobationis. Nota phrasim Hebræam. *Converti ad cor*, est pium esse: ut enim peccando, relicto Deo, qui habitabat in corde, egreditur peccator è corde ad temporalia: ita in justitia vivendo, è temporalibus regredimur

mur ad cor, ubi habitat Deus: ut simus homines interiores, juxta S. Paulum, & ut *omnis decor* noster sit *ab intus*, juxta Davidem psalm. 44. 14. ita Palacius. Porrò Rabanus per *peccatorem* accipit diabolum: q. d. *Qui non vult se corrigere à peccatis, & odit correptionem admonitoris; ipse indicium prabet in se nequitia sui seductoris, quoniam malignus induravit cor eius, ne cederet & obaudiret veritati.*

Nec tantùm veritati, sed & charitati? nam correptio est instar speculi, quod nobis ostendit maculas, quæ nos deturpant & infamant, ut eas eluamus. Unde Clemens Alexandr. lib. 1. Pædagog. c. 9. *Quemadmodum*, inquit, *speculum non est malum deformi, eò quòd ipsum ostendat qualis sit: ita nec is qui reprehendit, ei malè vult qui laborat animo: nec enim ei delicta adiungit, sed ea qua adsunt peccata, ostendit.* Rursum *correptio* est pharmacum eluens maculas & sanans animæ morbos: qui ergo eam odit, suam sanitatem odit. Unde exclamat S. Bernard. serm. 42. in Cantic. *Mira perversitas: medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti.* Quin & Psaltes, *Consumetur*, inquit, *nequitia peccatorum, & diriges justum*, psal. 7. v. 10. Ubi D. Chrysost. *Infer*, inquit, *supplicium, & cessare facies à vitio: quemadmodum enim putrefactiones cedunt ustiones & sectionibus: ita & à supplicio arcetur improbitas. Qui scinditur & uritur, ita ad sanitatem ingreditur.* Unde Clemens Alexandr. ibid. c. 8. *Est*, inquit, *reprehensio, veluti quadam chirurgia affectionum anima; medicamentum autem est, probri insimulatio: qua resolvit affectiones qua iam occalluerunt, impudicaq; ac libidinosa vita sordes expurgat, fastusq; ac superbia carnes, qua excreverunt, exaquat. Iam verò admonitio, est veluti quadam diata agrotantis anima; qua sunt sumenda, consulit; & qua non sunt, prohibet.* Et paulò pòst: *Benevolentia*, inquit, *non odii, signum est reprehendere: ambo enim probrum obiiciunt & amicus & inimicus, sed inimicus quidem irridens, amicus verò benevolens.*

Odiens correptionem odit medicinam.

Sancti crebrò redeunt ad cor.

Moraliter, disce hic proprium timentis Deum esse crebrò introverti, & à rebus externis converti ad cor, ut ibi internum animæ suæ statum, sensusque & affectus omnes examinet corrigat & componat ad legem & voluntatem Dei. Quocirca virum bonum & sapientem ita pingit Ausonius S. Paulini magister Idyllio 16.

Vir bonus & sapiens (qualem vix repperit unum
Millibus è multis hominum consultus Apollo)
Iudex ipse sui, totum se explorat ad unguem.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi,
Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus:
Externa ne quid labis per levia sidat,
Cogitat, & justo trutina se examine pensat,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus aquis
Partibus ut coeat, nil ut deliret amussis.

Et mox:

Non priùs in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longi reputaverit acta diei.
Qua prætergressus, quid gestum in tempore, quid non:
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi:
Cur aliquem fracta persensit mente dolorem, &c.

VERS. 8. NOTUS A LONGE POTENS LINGUA AUDACI: ET SENSATUS SCIT LABI SE AB IPSO] q. d. Qui *potens* est *lingua audaci*, id est, qui pollet audacia dicendi, hic *longè* lateque *notus* est, celebris & famosus: plebs enim & rude vulgus miratur ejus in dicendo audaciam & facundiam; at vir prudens & *sensatus* deprehendit, scitque ipsum multa falsa & temeraria audacter effutire, *seque*, si ei credat & adhæreat, *ab ipso labi*, id est, falli & decipi, ac ruere in multa incommoda & pericula, v. g. litium, rixarum, seditionum, carcerum, ut bonorum & vitæ discrimen incurrat: quare ei non credit, ac sibi ab ejus consortio cavet. Hæc quoque spectant ad superbos & superbiam: ipsa enim est mater audaciæ, facitque linguam audacem & effrænem.

Græca de more concisa sic habent, *notus à longè potens in lingua: sensatus autem novit cùm ille labitur;* Tigurina, *potens procul ex sermone notus est: at qui sapit, caducum* (qui facilè in errorem labatur & cadat) *esse meminit;* Syrus verò de sensato tantùm sic habet, *sapiens è regione* (ex intuitu & aspectu) *oculorum suorum dignoscitur, & scrutatur in momento iniquum.* Hinc disce, audaces & effrænes in loquendo esse insipientes, sapientes verò esse modestos & cautos, ideoque facilè audacium insipientiam & falsitatem deprehendere & arguere.

Aliter Palacius, qui *τὸ scit labi* accipit pro *novit elabi*, **A** ideoque sic explicat: q. d. Qui linguam audacem habet, sit tibi non propè, sed à longè notus, & si tibi appropiaverit, si sensatus es, elabere ab illo: cùm enim ille linguam ardentem habeat, aduret te, nisi elabaris: & cùm linguam venenatam afferat, effundet in te virus suum: cùm linguam peste infectam adducat, pestis contagio te inficiet. Tu ergo cordatè effugies illum, non eum offendendo, ne in te virus evomat; sed causas afferendo idoneas, cur ab eo maturè discedas. Verùm priorem sensum exposcunt Græca, & *τὸ scit se labi*, sic enim habet Latina versio, non autem *scit labi*, id est, elabi.

QUI ÆDIFICAT DOMUM SUAM IMPENDIIS ALIENIS, QUASI QUI COLLIGIT LAPIDES SUOS IN HIEME] Ex prima specie peccati, putà superbia, descendit ad secundam ex illa manantem, putà injustitiam. Solent enim divites superbi per injustas angarias, exactiones & oppressiones pauperum augere suas opes & domos: q. d. *Qui ædificat domum suam*, non suo sumptu, sed alieno, putà injustè per vim, fraudem, aliam ve injustitiam ab aliis extorto vel rapto; hic similis est homini, qui ædificaturus colligit lapides ad fabricandum in **B** hieme: græcè, *εἰς χειμῶνα*, id est, in hiemem, vel ad hiemem: ut scilicet in hieme ædificet, tempore nimirum importuno. In hieme enim ob frigus calx conglaciatur, aut ob humorem dissolvitur; quo fit, ut lateres & lapides inter se non satis firmiter conglutinet: qua de causa hiemalia ædificia rimas agunt, & facilè corruunt, nec diu durant. Simili enim modo facultates alienæ numquam inter se cohærent, & in vnam rem coeunt; sed solutæ & dissectæ ruunt. Quare qui ex alieno vel rapto ædificat domum, illâ diu non fruetur; sed vel ipse citò morietur, vel domus corruet, aut ad alium transferetur, ulciscente sic Numine ejus injustitiam, ut in domo quam fabricando peccavit, in eadem & puniatur, hæc enim est congrua talionis pœna. Complut. pro *εἰς χειμῶνα*, habent *εἰς χῶμα ταφῆς αὐτοῦ*, id est, *in tumulum sepultura sua*: q. d. Qui ex alieno ædificat domum, non tam domum quàm tumulum & sepulcrum sibi ædificat: quia in illa brevi morietur & sepelietur. Sic & Tigur. *qui are alieno domum suam adificat; congerenti lapides in tumulum sepultura sua similis est;* & Syrus, *qui adificat domum suam facultatibus sociorum, congregat* **C** *lapides tumulo suo*; ut facultates hæ quasi lapides in tumulum coacervati, mole sua ipsum opprimant & sepeliant; quia, scilicet, domino suo interitus sunt causa, & celeriorem mortem ipsi conciliant.

VERS. 9.

Alludit, imò citat illud Ierem. 23. 13. de Ioakim rege impio, *Va, qui adificat domum suam in iniustia, & cœnacula sua non in iudicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem eius non reddet ei.* Unde pœnam sepulcri iam dicti ipsi intentat v. 19. dicens: *Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* Jeremiam secutus Habacuc c. 2. v. 7. *Va*, inquit, *qui congregat avaritiam malam domui sua*, &c. *Va qui adificat civitatem in sanguinibus, & praparat urbem in iniquitate.* Vide utrobique dicta.

Aliter Palacius: Tempore hiemali, inquit, non sunt lapides colligendi, sed ligna contra frigus. Si igitur in hieme colligas lapides, stultus eris; qui non ligna quibus calescas, sed lapides sine utilitate collegisti: ita si ære alieno domum ædificas in qua habites, stultus eris: non enim in ea habitabis, sed potiùs à creditoribus inde expelleris. Verùm priorem sensum exposcunt Græca.

Mysticè idem Palacius: Cùm Domino dicente, tempo- **D** ralia nostra planè non sint, sed aliena, (*si in alieno*, inquit Dominus Lucæ 16. *fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?*) qui ex temporalibus domum suæ conversationis ædificat in terris, planè stultus est. Cùm enim habitare hic voluerit, inde pelletur.

STUPPA COLLECTA SYNAGOGA PECCANTIUM, ET CONSUMATIO ILLORUM FLAMMA IGNIS] Complut. addunt *in perditionem*. Culpæ assignat pœnam: q. d. Putant potentes & superbi se esse insuperabiles, invictos & quasi omnipotentes; at revera omnis eorum *synagoga*, id est, cœtus & multitudo, fragilis est, instar stuppæ collectæ. Sicut enim stuppa ilicò ab igne vicino corripitur conflagratque, & quo major est stuppa, eo faciliùs magisque ignis inflammatur: ita pariter ignis vindictæ divinæ facillimè corripiet & consumet omnes peccantes, eoque faciliùs & ardentiùs, quo major fuerit eorum synagoga & multitudo. Hæc enim

VERS. 10.

non

non est aliud quàm *stuppa collecta*, id est, fomentum & pabulum iræ & indignationis divinæ, æquè ac ignis conflagrationis orbis in fine mundi, ac judicii divini & gehennæ, juxta illud Malach. 4. *Et erunt omnes superbi, et omnes operantes iniquitatem stipula, et inflammabit eos dies veniens.* Unde in Græco est elegans paronomasia inter συνηγμένον, id est, collecta, in unum coacta; & συναγωγὴ, id est, synagoga, cœtus, congregatio: q. d. Impiorum synagoga, non est aliud nisi stuppa coacta ad ignem, nisi synagoga id est congregatio, ignis.

Nota. *Consummatio* Primò, idem est quod *consumptio*: q. d. *Consumptio illorum* erit *flamma ignis*, hoc est flamma ignis consumet eos; Secundò, *consummatio*, id est finis, *illorum* erit *flamma ignis*: hoc innuit Græcum συντέλεια: nam τέλος est finis. Porrò, ignis hic consumens impios est quintuplex. Primò, ignis indignationis Dei; Secundò, vindictæ, qua Deus impios igne, id est, peste, fame, gladio (*ignis* enim significat omnem acrem vindictam, omneque ejus instrumentum) perdit in hac vita. Tertiò, ignis conflagrationis mundi: hic enim superbos cum eorum domibus & opibus comburet. Quartò, ignis acerrimi judicii divini, quo Christus scrutabitur, damnabit & percellet improbos in ultimo die mundi, de quo ait Daniel 7. 10. *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus.* Quintò, erit ignis gehennæ, de quo v. sequ. Unde Complut. addunt, *in perditionem*; & Tigurina, *stuppa collecta cœtus est nefariorum, flammaque ignis exitialis eorum exitus.* Ex quo infert Palacius, impios in gehenna non esse solutos, ut liberè vagentur, sed esse colligatos in fascem, ut ait Isajas cap. 24. 22. Hoc enim significat *stuppa collecta*, scilicet, eos collectos, vinctos jacere, & velut stuppam constipatam comburi, juxta parabolam zizaniorum, de quibus ait Christus: *Alligate ea in fasciculos ad comburendum*, Matth. 13. 30. Denique hæc erit impiorum *consummatio*, id est, finis, sed sine fine. Eorum enim finis erit perpetuum incendium, & perennis flamma ignis, quæ ex eorum corporibus velut titionibus sursum ascendet, ait Palacius.

Ignis impiorum quintuplex.

Impii colligati in gehenna.

Moral. discant hic peccatores, evanidas esse suas vires, opes, conspirationes, fœdera, quibus fidem vel justitiam opprimere satagunt, adeoque ea non esse aliud quàm stuppam collectam ad ingens incendium. Ex adverso justi & pii qui ab eis vexantur vel opprimuntur, nil eos formident, certique sint eos brevi, ut stuppam, igne vindictæ divinæ conflagrandos. Unde Rabanus, *Comparat*, inquit, *rei fragili peccatorum synagogam, ut ostendat ejus vilitatem & velocissimum interitum: quia sicut stuppa collectio igne adhibito facilè conflagrat, ita peccatorum cætus in futura vindicta sine mora disperiet.*

VERS. 11. VIA PECCANTIUM COMPLANATA LAPIDIBUS, ET IN FINE ILLORUM INFERI, ET TENEBRÆ ET POENÆ.] Græcè, *in fine illorum fovea inferni*: q. d. Via concupiscentiæ per quam incedunt peccatores, initio videtur concinna, pulchra, amœna & jucunda, perinde si lapidibus planis esset strata & complanata; at postmodùm apparet aspera, tristis & horrida: nam finis ejus deducit & desinit in infernum, ubi sunt tenebræ densissimæ & pœnæ atrocissimæ. Sicut ex adverso via virtutis per quam incedunt justi, initio est aspera & stricta; sed progredientibus in ea paulatim fit laxior, facilior & amœnior, ac tandem eos deducit ad beatitudinem & gloriam æternam. Alludit ad Proverb. 14. *Est via quæ videtur homini recta, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Hoc est quod ait Christus Matth. 7. *Spatiosa est via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam: quàm angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam!* Idem repræsentabat Pythagoras per suum Ypsilon, de quo exstat elegans epigramma Virgilii:

Symbolum Pythagoræ de via virtutis & vitii.

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primùm spectantibus offert:
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata, sed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.

Syrus hunc versum & præced. hoc uno exprimit, *Sicut ascensus arenæ pedibus viri senis* (alia lectio habet *duri, asperi*) *ita robur iniquorum juxta ignem, & semita impii offendiculum est illi: quia finis ejus fovea profunda est*: q. d. Sicut ascensus arenæ initio mollis & facilis est, sed quo altiùs per eam ascendit senex, eo fit ei difficilior, quia arena in cumulum assurgens ascendenti fit profundior, ita ut tandem non tantùm pedem, sed & reliquum corpus sorbeat, & in voraginem sive abyssum arenæ demergat: & planè via impiorum initio facilis, sensim fit difficilior, ac tandem in abyssum ignis æterni eos demergit: quare semita impii fit ei offendiculum, quia finis ejus est fovea inferni.

QUI CUSTODIT JUSTITIAM, CONTINEBIT SENSUM EJUS. CONSUMMATIO TIMORIS DEI, SAPIENTIA ET SENSUS] Complut. *sapientiæ assumptio*. *Justitiam* vocat observationem legis, hæc enim facit hominem justum: *sensum* vocat mentem & sententiam. Unde Græca habent, *qui custodit legem, tenet* ἐννόημα, id est, *cogitationem, notionem, intellectum, sensum ejus*: q. d. Qui observat legem, hic assequitur legis intelligentiam, hic percipit ac perspicit legis mentem & sensum, ut videat quid lex jubeat & velit, ejusque finem & causam, æquè ac sapientiam & ordinem, scilicet, quàm id quod Deus lege sua præcipit & sanxit, sit æquum, justum, sanctum; quàm sapienter ordinatum ad suum finem, quàm justa de causa sancitum. Lex enim Dei non tam speculando, quàm practicando discitur & intelligitur, uti docet S. Bernard. epist. 108. *Quam utique scientiam*, inquit, *haud facilè nisi qui mundo crucifixus erit, apprehendit. Falleris, fili, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros, quam soli Christi discipuli, id est, mundi contemptores, Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed unctio: non littera, sed spiritus: non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. Seminate, inquit, vobis ad justitiam, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ. Vides, quia non rectè proditur ad lumen scientiæ, nisi justitiæ germen præcedat ad animam: ex quo formetur granum vitæ, & non palea gloriæ.*

VERS. 12. & 13.

Osee 10. 12.

Ex quo rectè infert Siracides, *Consummatio timoris Dei sapientia & sensus*: q. d. Perfectio timoris Dei, quæ consistit in perfecta observatione legis Dei, parit veram sapientiam & intelligentiam, adeoque ipsa est vera sapientia & intelligentia. Verè enim sapiens & intelligens est, non qui alta speculatur, sed qui timet Deum, ejusque mandata opere exequitur. Unde Tigurina vertit, *finis religionis Domini est accessio sapientiæ*, id est, ad sapientiam; Syrus, *qui timet Deum, nullius rei indigebit*. Quare sapientis & sapientiæ est timere Deum, ut nulla re indigeat, sed Deus ei de omnibus abundè provideat. Rursum *sensus justitiæ*, inquit Palacius, est quædam lux intellectualis à Deo homini pio infusa, qua acutè, intimè, affectuosè & amanter divinam legem intelligit, Deique justitiam penetrat & amat. Ait ergo Auctor: Qui custodit justitiam, assequitur illum sensum ejus, quo viri docti & pii non destituuntur. Unde egregiè infert: Perfectus & consummatus timor Dei socios habet *sapientiam*, id est, divinam in affectu dilectionem: & *sensum*, id est, divinam in intellectu lucem. Hanc lucem, hunc sensum, hanc Spiritus sancti doctrinam non accipiet qui non est sapiens in bono. Beatus enim ille est, quem tu erudieris Domine: is non est sapiens in malo, sed sapiens in bono.

Nota. Pro *continebit sensum ejus*, græcè est κατισχύσει (vel, ut alii legunt, καταπονήσει) τὸ ἐννόημα αὐτοῦ ubi si per spiritum lenem legas αὐτοῦ, significat *ejus*; sin per asperum αὑτοῦ, significat *suum*, itaque legunt plerique. Unde Complut. vertunt, *qui custodit legem Domini, dominatur cogitationi suæ*; Rom. *continet sensum suum*; Tigurina, *qui servat legem Domini, cogitationibus suis imperat*; Syrus, *qui custodit legem, subigit* (vel affligit) *appetitum suum*. Lex enim refrænat motus inordinatos appetitus & concupiscentiæ, eosque ordinat & componit. Quare qui legem Dei observare satagit, appetitus suos domet, legique Dei subjiciat.

NON ERUDIETUR QUI NON EST SAPIENS IN BONO. EST AUTEM SAPIENTIA (ita Rom. & Græca: perperàm ergo aliqui contrariè legunt, *insipientia*) QUÆ ABUNDAT IN MALO: ET NON EST SENSUS UBI EST AMARITUDO] Græcus de more brevis & bimembris sic habet, *non erudietur qui non est astutus: est enim astutia multiplicans acerbitatem*, putà malitiam; Tigurina, *qui non est callidus non patietur erudiri se: est autem cùm et calliditas amaritudinem multiplicat.* Distinguit duplicem πανουργίαν, id est, astutiam, calliditatem

VERS. 14. & 15.

tem

Sapientia vera & falsa quæ,

tem & sapientiam. Unam in bono quæ vera est, alteram in malo quæ adumbrata, ficta & falsa est: q. d. Astutia & sapientia vera consistit in observatione legis Dei, uti dixi v. præced. Quocirca ea *non erudietur*, nec ejus est capax *qui non est* πανοῦργος, id est, astutus & *sapiens in bono*, qui scilicet non sapit, non amat, non operatur bonum. *Est* enim quædam πανουργία, id est, astutia & *sapientia, quæ abundat in malo*, ut scilicet mala multa astutè moliatur & perpetret, juxta illud Jerem. 4. *Sapientes sunt ut faciant malo, bene autem agere nescierunt*. Hæc non est vera sapientia, nec verus sensus, veraque prudentia; *&*, id est quia, *non est* verus *sensus*, id est, vera sapientia, intelligentia & prudentia, *ubi est amaritudo*; græcè, πικρία, id est, malitia quæ amaricat animum, eumque facit acerbum tum sibi, tum Deo, tum proximis. Idque Primò, quia *amaritudo*, id est ira & rancor, offuscat judicium, illudque facit amarum, indignans & rancidum. Secundò, quia Deus sua luce cælesti, sensuque divino non donat, nec dignatur eos, in quibus est hæc amaritudo. Unde S. Jacobus c. 3. 14. *Si zelum*, inquit, *amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris; non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.*

Amaritudo tollit sapientiam duabus de causis.

Porrò πικρία, id est, *amaritudo*, est animi ægritudo & morositas. Unde Cicero ad Atticum, *Amariorem me senectus facit, stomachor omnia*: sed maximè, πικρία est acerbitas animi ultionem expetentis. Unde πικροὶ, dicuntur amari & amarulenti, teste Gellio, qui exasperantur odio tendente ad vindictam, qui scilicet iram odiumque non deponunt, nec condonant, sed diu reservant. Sic Theocritus Pana vocat πικρὸν, id est, amarum: causamque addit, *Quia illi bilis acris semper naribus insidet*. Quocirca S. Paulus Ephes. 4. 31. monet dicens: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.* Et Hebr. 12. 15. *Ne qua radix amaritudinis*, inquit, *sursum germinans impediat*. Alludit ad Deuter. 29. 18. *Ne fortè*, &c. *sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem.* Ubi ostendi omnem malitiam, omneque peccatum vocari *fel* & *amaritudinem*, causamque assignavi.

Vers. 16. SCIENTIA SAPIENTIS TAMQUAM INUNDATIO græcè, κατακλυσμὸς, id est eluvio, diluvium) ABUNDABIT, ET CONSILIUM ILLIUS SICUT FONS (Complut. addunt, *purus*) VITÆ PERMANET] q. d. Sicut crescente luna crescit mare, adeò ut luna plena exundet, camposque vicinos irriget & fœcundet: sic crescente Dei illuminatione & gratia crescit *scientia sapientis*, adeò ut in alios exundet, eisque se communicans, illos pariter efficiat scientes & sapientes. Quo fit, ut *consilium* & doctrina sapientis sit quasi *fons* vitæ, qui jugiter manat aquas vitales sapientiæ, quibus alios assiduè riget, ut vivant vitam gratiæ in terra, victuri vitam gloriæ in cælo.

Sapiens est quasi fons sapientiæ.

Nota. Sapientiam nunc vocat *scientiam*, nunc *consilium*, nunc *eruditionem*, nunc *intellectum*, nunc *sensum*, nunc *disciplinam*. Causam dedi in Prooemio. Unde Tigurina vertit, *scientia sapientis exuberabit tamquam inundatio vitæ, ac veluti fons vitæ purus ejusdem consilium*; Syrus, *mens sapientis sicut fons aquarum abundabit, & cogitatio ejus sicut aqua viva.* Alludit ad Proverb. 16. 22. *Fons vitæ eruditio possidentis*. Et c. 18. 4. *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ*. Ad quæ loca alludens Christus: *Qui biberit*, inquit, *ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, Joan. 4. 14. & c. 7. 38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

Moral. disce hic, doctorem semper debere manare sanam sanctamque doctrinam, sive pauci sint auditores, sive multi: sive pauperes, sive divites: sive benevoli, sive malevoli: sic enim fons omnibus & singulis perennes fundit aquas. Ita fecit Christus unam Samaritanam docens, Joan. 4. ac pauperes piscatores in Apostolos efformans. Christum secutus Paulus ait Roman. 1. 14. *Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum*. Ubi S. Chrysost. *Sicut cælum*, ait, *stella, sol non uni tantùm genti: sic D. Paulus, sic omnes qui Deo militant, non uni sed omnibus per doctrinarum exempla lucere debent; nec, si desint qui illis utantur, desistere debent. Aquarum enim*, ut inquit hom. 1. de Lazaro & divite, *venæ, etiam si nullus veniat aquatum, manant tamen; & fontes, quamvis hauriat nemo, scatebras emittunt.* Plura de hoc fonte dicam Proverb. 16. 22.

COR FATUI QUASI VAS CONFRACTUM, ET OMNEM SAPIENTIAM NON TENEBIT]

A Opponit stultum sapienti: q. d. Mens sapientis est quasi fons vitæ, jugiter emanans aquas doctrinæ salutaris, & vivificæ; at mens stulti est quasi lagena confracta & idcircò nullam sapientiam quam legit vel audit, retinebit; sed illa ex ea effluet, sicut effluit aqua ex lagena fracta vel pertusa. Nota. *non omnem*, Hebræis idem est quod *nullam*. Pro *cor* græcè est ἔγκατα, id est *interiora*, putà viscera, inter quæ primum & præcipuum est cor. Unde Tigurin. *viscera stulti instar vasis confracti sunt, ut qui nullam in vita sua scientiam contineat*; alii, *intestina stulti tamquam vas confractum, nullam continent scientiam*; Syrus, *cor impii sicut cisterna disrupta, & omnibus diebus vitæ suæ sapientiam non discet*. Præclarè S. Antonius in Melissa p. 1. serm. 48. *Sicut*, inquit, *vas fictile sono & tinnitu, sic homo sermone probatur*. Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pirke avoth*, id est, in Sententiis patrum: *Quatuor hominum differentiæ sunt coram sapientibus astantium. Alii sunt quasi spongia, quæ humorem undequaque sugit ac trahit: alii quasi dolium pertusum, quod aquam hauriens una ex parte, ex alia effluit, & quidquid accepit evacuat: alii quasi cuppa, quæ cùm vinum effluere sinat, faces retinet: nonnulli denique adinstar cribri seplasiarii vel pigmentarii, quod*

Quatuor studiosorum differentiæ

B *& furfur retinet, sed distinctis cellulis; in superiore siquidem furfur, in inferiore verò farinam servat.*

VERBUM SAPIENS QUODCUMQUE AUDIERIT SCIUS (græcè ἐπιστήμων, id est, sciens, prudens, sensatus) LAUDABIT, ET AD SE ADIICIET: id est, sibi applicabit, ut illud in arca memoriæ recondat, & in actus moresque conferat. Aliter Jansenius: *Adiiciet*, inquit, id est, auctius illud reddet. Sed priorem sensum exigit τὸ *ad se*, & antithesis quam subdit, dicens: AUDIVIT LUXURIOSUS (verbum sapiens) ET DISPLICEBIT ILLI, ET PROIICIET ILLUD POST DORSUM SUUM] q. d. Sapiens omnem sapientiam, quam audit vel legit, instar ovis ruminat, & in viscera transfert, ut inde crescat & pinguescat: at stultus qui suas facultates præfert sapientiæ, qualis inprimis est luxuriosus; hic aversatur eam, ideoque ab oculis abiicit post tergum, ne cogatur eam aspicere, indeque vel mutare vitam, vel assiduè corripi, castigari & verberari. Vers. 18.

Nota. Pro *luxuriosus*, Noster legit cùm multis σπαταλῶν, id est, delicians, luxurians, luxui vacans; sed Complut. C & alij legunt ἀσύνετος, id est, insipiens Rursum pro *ad se adiiciet*, græcè est, ἐπ' αὐτῷ προσθήσει: ubi Noster αὑτῷ, legit spiritu aspero, ut significet *se*; iam legunt spiritu leni, αὐτῷ, id est, *ipsum*; unde vertunt, *& ad ipsum adiiciet*. ita Tigur. *si peritus*, inquit, *audierit dictum sapientis, laudabit illud, reddetq; auctiùs: quòd si audierit imperitus improbabit idem, & post tergum suum abiiciet*; & Syrus, *verbum sapiens, & laudat illud, & super illud addit: & audit stultus, & de eo ridet, & proiicit illud ad unum ex lateribus suis*, id est, in angulum retrudit. Nimirum sicut lyræ aut citharæ similes, & simili modo temporatæ & modulatæ, invicem sibi respondent, adeò ut una pulsata alteram per quamdam sympathiam, & occultam obsequentiam ex adverso accinere, & similiter sonare compertum sit; sic etiam sapiens sapienti acquiescit accinitque, eiusque dicta, velut stuppæ flammam, eminus odoratur, haurit & concipit. Idem facit stultus stulto & vitiosus vitioso. Unde illud: Fur furem agnoscit, mœchus mœchum, latro latronem. Tanta est vis similitudinis, similisque in corde affectionis & dispositionis: hæc enim per motus & gestus similes foris se prodit, ex eisque à simili & conscio D agnoscitur. Quin & sicut chordæ factæ ex nervis lupinis dissonant, & quasi obstrepunt, chordis quæ factæ sunt ex nervis ovinis per naturalem antipathiam: sic stultus dissonat & obstrepit dictis sapientis; & vice versa.

Ut lyra lyræ sic sapiens sapienti consonat.

NARRATIO FATUI QUASI SARCINA IN VIA: NAM IN LABIIS SENSATI INVENIETUR GRATIA] Tigur. *lepor*. Dixit, quale quamque differens & diversum sit cor stulti à corde sapientis, nunc idem dicit de ore: os enim sequitur cor & mentem: qualis enim est cogitatio cordis, talis est & sermocinatio oris. Dicit ergo, *narrationem fatui esse quasi sarcinam in via*, quia sicut hæc onerosa est & molesta, gravatque & impedit viatores, ne facilè & expeditè in via progredi queant: ita pariter illa narratio stulti molesta est, gravatque auditores, tum, quia importuna est; tum quia multiloqua; tum quia insulsa. At verò *in labiis sensati invenitur gratia*: quia, sicut gratiosa, id est, discreta, prudens, concinna, suavis, Vers. 19.

utilis

utilis & salubris, est eorum cogitatio, ita est & eorum A oratio & narratio: quocirca auditores non gravat, sed delectat, ut cupiant eam crebrò audire, ut sequitur. Unde Syrus vertit, *narrationes impii sicut sarcina gravis in via* (quia narrat sibi similia impia & turpia; aut, si pia & sancta narret, narrat ea modo ingrato & insipido) *& omne verbum justi gratia*. Audi S. Ambros. lib. 1. de Interpell. Job c. 3. *Narratio fatui sarcina in via. Quid enim aliud est peccatum nisi sarcina? quæ hujus sæculi onerat viatorem gravi depressum fasce delicti? qui si nollet oneri subjacere, debuit audire dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, Matth 11.

Vers. 20. OS PRUDENTIS QUÆRITUR IN ECCLESIA, ET VERBA ILLIUS COGITABUNT (Syrus, *ponent*, scilicet auditores; Græca Roman. *cogitabit*, scilicet Ecclesia) IN CORDIBUS SUIS] *Ecclesia* significat congregationem vel cœtum quemlibet hominum: q. d. In cœtu homines quærunt audire sapientem & prudentem, ut ejus doctrina instruantur, castigatione corrigantur, consiliis dirigantur, ideoque verba illius in corde suo appendent & ruminabunt. Unde Tigurina, *os sapientis in cœtu consulitur, & quisque dicta ipsius perpendit animo*. Contra- B rium facit stultus. Unde subdit:

Vers. 21. TAMQUAM DOMUS EXTERMINATA SIC FATUO SAPIENTIA: ET SCIENTIA INSENSATI INENARRABILIA VERBA] Græca, *tamquam domus destructa sic fatuo sapientia, & cognitio imprudentis investigabilia verba. Τὸ sic fatuo sapientia*, duplicem habet sensum. Prior est, q. d. Sapientia prudentis, quæ quasi grata quæritur & perpenditur in Ecclesia, ingrata & contemptibilis est fatuo: ipse enim eam nihili æstimat, imò odit & aversatur tamquam insipientiæ suæ contrariam. Sicut qui amat & quærit domum ritè ædificatam, odit domum destructam & eversam, suisque ruinis obrutam & sepultam. Huic sensui favet Tigurina, *instar domus eversa est stulto sapientia, & scientia imperiti sermones inconsulti sunt*; & Syrus, *sicut carcer est sapientia stulto; & intellectus insano sicut carbones ignis*, quibus se & alios comburat.

Posterior & germanior est, q. d. Sapientia quæ in fatuo est, quam scilicet à sapiente audivit aut legit, ab ipsomet fatuo inconditè, ineptè, inordinatè, inconnexè, inconcinnè, confusè, imò contrariè & contradictoriè proposita, C est quasi domus eversa. *Sicut* enim fatuus sua fatuitate domum destruit & evertit: sic idem evertit sapientiam quam protulit, dum ei immiscet vel subjungit sententias stultas, imò contrarias & contradictorias, quæ sapientiam ab ipso prolatam evertant. *Sermo* enim sapientis ordinatus, verax, compositus, connexus, pulcher, similis est fabricæ domus pulchræ, in qua una pars alteri recto ordine inædificatur, cohæret, compaginatur, ut omnes junctæ elegantem orationem quasi domum construant. At stultus sapientiæ, quam ædificare cœpit, admiscet & quasi inædificat fatua, insulsa, contraria, quæ sapientiæ fabricam evertant & destruant. Unde subdit: *Et scientia insensati inenarrabilia verba*: q. d. Insensatus & stultus scientiam suam profert & eloquitur incompositè, inordinatè, inintelligibiliter, ut ejus scopus & connexio, imò & summa sententiaque, mente comprehendi & voce enarrari nequeat; adeò ut si rogeris, Quid dixit ille fatuus? responsurus sis, Nescio: neque animi ejus sensa possis mente complecti, multò minùs verbis enarrare. Unde nonnulli vertunt, *fatui* in genitivo, hoc modo: *Quod eversa domus, id est fatui sapientia, & scientia insipientis, verba quæ perscrutari nequeunt*. Sicut enim in domo eversa omnia D sunt confusa, incomposita, perturbata, eversa, sic & sunt in sapientia & sermone stulti. Hic verum est illud Nazianz. in Carm. ad Nicobulum: *Simia est simia etiamsi purpura vestiatur. Asinus etiam auro onustus, propterea rudere non desinit.*

Parabolam hanc festivo galli & vulpis apologo illustrat Cyrillus lib. 2. Apolog. moral. cap. 15. cui titulus: *Contra tumentes ex scientia. Gallus*, inquit, *intelligens dispositionem mutabilitatis cælestis, mox de sua scientia tumidus, in arboris ramunculum ascendit, & recto collo alta voce cantavit. Quem cùm vulpes audisset, ad ejus cantum quàm citissimè accurrit, & stans deorsum ipsum salutavit & dixit: Frater mi, audivi vocem exultationis tuæ, quæso, cantationis causam indica mibi. At ille protinus inquit, Nimirum intelligentia supernæ dispositionis ditatus, eam cùm sentio, statim voce cantabili nulli in*

Apologus galli jactantis cantum

A *viduus pango: Tunc vulpes subridens ait: Ergo plenus es scientia, quæ est divinorum sublimium disciplina. Quo audito gallus plus intumescens cantavit, moxque vulpes saltavit. Cui ille desuper, Ut quid saltasti? Ipsa respondit, Quia tu priùs exultasti. Gaudere namque cum gaudentibus licet. Dolositatis deinde rete expenens, verbis callidis adjunxit: O galle tu es gloria nostra, tu es bestiarum lætitia. Te nunc quæso porrige, si dignaris, ut osculer mirum intelligentiæ tuæ caput.* Sed vide stolidam superbi de scientia sibi blandientis inscitiam & amentiam. *At ille adulationis dolosa mollea lingua emollitus, statim vitale caput improvidus ori famelico porrexit. Quod avida vulpes stringens, deorsum miserum traxit, & subjunxit: Galle, galle, ubi est sapientia tua? concepisti superbiam, & perdidisti prudentiam, & dedisti pro nihilo vitam tuam. Cui gallus. Quid gloriaris in malitia. At illa respondit: Non est malitia humiliare superbiam, sed ars vera.* Denique idipsum exemplo stellæ & oculi constabilit. *Sidus namque quanto splendidius, tanto demissius est; & quanto sublimius, tanto apparet minus. Parvus oculus rimatur acutiùs, & in cauda vermiculi lucis clarissima fulget decus Porrò quid scivisti, si te ignorasti? aut si novisti, quomodo superbisti, pulvis & cinis? Quid plura? Nulla major demen-* B *tia est, quam per scientiam cùm inflaris, perdere sapientiam. Quo dicto, statim famelica suum oriri ex præda officium dedit.*

Similia.

COMPEDES IN PEDIBUS, STULTO (græcè, ἀνοήτοις, id est, *stultis*) DOCTRINA, ET QUASI VINCULA MANUUM SUPER MANUM DEXTRAM] Tigurina, *disciplina compedes sunt pedibus stultorum, & instar manicarum in manu dextra*; alii, *pedica in pedibus sunt amentibus disciplina, & ut manica super manu dextera*; Syrus, *sicut compes est doctrina in pedibus stulti, & sicut vinculum in dextera ejus*. Dat causam cur stulti oderint sapientiam, quia, scilicet, ipsa est quasi compes vinciens & stringens eorum pedes, ne ad fatua exercenda progrediantur. Eadem est quasi manica stringens *manum dextram*, ne quid fatui operetur: q. d. Sapientia, quia sua disciplina restringit, & coercet disciplinatos stultorum affectus, gressus & actiones, hinc eis est exosa. Unde ipsi ut suas cupiditates sequantur, liberè incedant, agantque quod lubet, vincula hæc sapientiæ excutiunt dicuntque: *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum*, Psalm. 2. Vers. 22.

C FATUUS IN RISU EXALTAT VOCEM SUAM: VIR AUTEM SAPIENS VIX TACITE RIDEBIT] Vers. 23. Distinxit fatuum à sapiente in cogitatione & sermone, nunc eumdem distinguit in risu: quòd scilicet fatuus ad quamlibet occasionem, imò nulla de causa, temerè solvatur in risum, rideatque effusè, latè diducto ore, ac insulsè, ad ea ob quæ potiùs lugere & flere deberet, quodque in risu *vocem exaltet*, cachinnetur & perstrepat. Cujus risus causa est animi levitas, mobilitas, lascivia & stoliditas. *Sapiens* verò rarò & modicè rideat, nec tam rideat quàm subrideat, & labia instar ridentis diducat; quia sapiens sapienti, id est, gravi, maturo & constanti, æquè ac modesto & verecundo est animo, scitque se in hoc mundo pleno ærumnis & periculis, quasi in valle lacrymarum versari, ideoque potiùs lugere quàm ridere debere, juxta illud: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, Matth. 5. Unde Græca habent, *stultus in risu attollet vocem suam, vir autem callidus vix placidè subridet*; Tigurina, *stultus per risum sustollit cachinnum, at vir sapiens subridet tacitè*; Syrus, *cum quiete ridet*; vel potiùs subridet: hoc enim significat Græcum ἡσυχῇ μειδιάσει. Alludit ad Ecclesiastæ c. 7. 5. *Cor sapientium ubi tristitia est,* D *& cor stultorum ubi lætitia*, &c. *quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.*

Ita Christus Dominus sæpiùs flevisse, numquam risisse legitur, ut Christianos doceret hìc flendi, in cœlo ridendi fore tempus. ita S. Basil. Reg. 17. fusiùs disput. Idem Ad filium spirit. ita ei præscribit: *Noli dissolutis labiis risum proferre: amentia namque est cum strepitu ridere; sed subridendo tantummodò mentis lætitiam indica. Nec in modum parvuli velis jocari assiduè: quia non convenit ei qui ad perfectionem nititur, jocari ut parvulus. Esto in malitia parvulus, & vir perfectus in sensu. Nullum enim habet accessum cordis compunctio, ubi fuerit immoderatus risus ac jocus. Ubi verò fuerint lacrimæ, ibi spiritalis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat, & vitia cuncta exurit. Tunc aviditate cælesti anima flagrans, Christi amori copulatur, cum in terris degens de cælestibus jugiter meditatur, calcat sæculi voluptates, nec ulla sæculi cura eum segregat ab amore Christi; sed ut figura quadam inter homines versari videtur,*

Gnome Patrum

videtur, & tota ejus conversatio in cælis est. Mors illi præsens, tamquam vita ipsa, est dulcis. Cupit dissolvi & esse cum Christo, quem in carne vivens intra suum portaverit templum. S. Basilio succinit ejus summyster S. Gregor. Nazianzen. in Tetrastichis.

> *Risum*, inquit, *meretur quilibet risus procax,*
> *Fletum immodestum haud levem risus parit.*
> *Tristem esse præstat, quam solutis moribus.*
> *Firmum caduca nulla res tangit virum.*

Idem orat. 11. de Gorgonia sorore sua ita scribit: *Quænam oculos ita frænavit? quænam risum ita irrisit? adeò ut vel leniter subrisisse, nimium penè ipsi videretur.* Vide S. Ephrem to. 1. tract. 44. cujus hic est titulus: *Non esse ridendum, sed lugendum & plorandum.* S. Bernard. tract. de Natura divini amoris cap 3. *Amplectatur*, ait, amans Deum *cordis puritatem, corporis munditiam: silentium, vel verbum ordinatum: oculos stabiles, & non sublimes: aures non prurientes: victum & vestitum sobrium, & qui faciat, non impediat, boni operis diætam: manus continentes: gressum mitem, non ridendo cordis prodere lasciviam, sed leviter subridendo gratiam.* Idem in sermone de S. Malachia, Archiepiscopo Hiberniæ, modestum ejus risum ita dilaudat: *Risus aut indicans charitatis, aut provocans, rarus tamen & ipse. Equidem interdum edullus, excussus numquam: qui ita nuntiaret cordis lætitiam, ut ori gratiam non minuerit, sed augeret. Tam modestus, ut levitatis non posset esse suspectus: tantillus tamen, ut vultum hilarem ab omni tristitiæ nævo vel nubilo vindicare sufficeret.* Sic de nostro R.P. Petro Canisio scribit P. Sacchinus lib. 3. Vitæ ejus, pag. 328. *Risus ei perrarus, idemque non nisi humanitatis & charitatis in tempore condimentum. Lingua sancta, nescia nugarum, in mediis aulis religiosa, ubique cælestia divinarum laudum mella manans.*

Ἀγέλαστοι qui. Sic inter Gentiles ἀγέλαστοι, id est, risus expertes, Cognominati sunt & celebrati, Hieraclitus, Anaxagoras, Aristoxenus, Phocion, M. Crassus, Licinius, M. Cato, Nerva. Bessarion Cardin. libr. 4. Apologiæ Platonis c. 1. scribit Platonem adeò fuisse modestum & gravem, ut rarò subriserit, riserit numquam. Risus enim nimius ridiculum facit, vel indicat: quare insipientem decet, non sapientem juxta illud vulgò tritum:

> *Per risum multum poteris cognoscere stultum.*

Quocirca Seneca in Proverb. litter. M. *Morbum* sit, *esse scias, non hilaritatem, semper arridere ridentibus, & ad omnium æstimationem ipsum: quoque os diducere.* Denique Beda in Proverbiis: *Præceps ad risum, præceps quoque fertur ad iram.* Et Dacrianus in Speculo Monach. *Cachinnum*, inquit, *tamquam altum animæ præcipitium fuge, sciens quia risus excussus indisciplinatusq; claustra pudoris violat.* Plura de risu dicam Ecclesiast. 2. 2.

Vers. 24. ORNAMENTUM AUREUM PRUDENTI DOCTRINA, ET QUASI BRACHIALE IN BRACHIO DEXTRO] Est antithesis: nam v. 22. dixit fatuo doctrinam esse quasi compedes pedum, & manicas manuum, hìc ei opponit sapientem: huic enim doctrina & sapientia est instar ornamenti aurei, v. g. instar monilis & torquis aurei: quia similiter eum ornat in se, magisque eum ornabit, si quasi doctor eam aliis communicet & doceat: quare est ei instar armillæ & brachialis, quod manus & brachia decoret & exornet. Unde Tigurina, *veluti ornamentum aureum est eruditio sapienti, & instar armillæ brachio dextro:* Syrus, *sicut monile aureum sapientia intelligenti, & sicut gemma annuli super manu ejus dextra.* Sicut ergo annulus aureus & gemmeus ornat dexteram, sic sapientia ornat sapientem. Hujus rei symbolo Doctores dum creantur, torque aurea & annullo aureo donari & insigniri solent, uti dixi cap. 6. 25.

Vers. 25. PES FATUI FACILIS IN DOMUM PROXIMI; ET HOMO PERITUS CONFUNDETUR A PERSONA POTENTIS] Distinxit sapientem à stulto, in corde, ore & risu nunc distinguit in incessu: q. d. Fatuus, quia curiosus & impudens, facilè ingreditur *domum proximi*, ut curiosè & impudenter scrutetur & audiat quid in ea agatur: at *homo peritus*, Græcè πολύπειρος, id est, multa expertus indeque prudens, qui scilicet experientia didicit quàm ingrata sit hominibus curiosa perscrutatio domus propriæ, nimiaque libertas in eam ingrediendi; hic *confundetur*, Græcè αἰσχυνθήσεται, id est, erubescet, verecundabitur, reverebitur *personam*; &, ut Græcè est, vultum hominis *potentis*: q. d. Sapiens est verecundus & reverens, adeò ut & vultum potentis fixiùs inspicere erubescat: at fatuus est inverecundus & irreverens, adeò ut non solùm

Fatuus est curiosus & impudens.

A vultum potentium intueri; sed & domum eorum sine causa, nec vocatus, ingredi, inspicere & perscrutari audeat. Unde S. Ambros. ad Virgin. sic legit *pes fatui facilis in domum proximi: qui autem sapiens est, verecundatur;* Tigurina, *pes stulti in domum alterius proclivis est; at peritus homo reformidat vel inspectionem;* alii, *pes stulti festinus est ad domum, homo autem expertus erubescit ad aspectum;* Syrus, *pedes stulti ingrediuntur citò intra domum, & vir sapiens inclinat faciem suam*, quasi erubescens curiosè eam inspicere, ideoq; oculos deprimens, ne videat quæ in domo sunt vel fiunt: q. d. Prudens verecundè, nec nisi invitatus vel coactus, ingreditur domum potentis: ejus enim faciem erubescit. Hoc vitio notatus fuit Crates Thebanus, qui idcircò vulgò dictus est θυρεπανοίκτης, id est, ostiorum apertor, quòd in omnes domos irrumperet, &, si quid displicuisset, reprehenderet Cynica libertate, teste Laert. l. 6. c. 5. Quocirca Socrates, ut suos auditores à curiositate rerum alienarum avocaret, crebrò usurpabat illud Homeri:

> *Ædibus in nostris quæ prava aut recta geruntur.*

STULTUS A FENESTRA RESPICIET IN DOMUM: VIR AUTEM ERUDITUS FORIS STABIT] Vers. 26.
B Secundus est hic gestus stulti: q. d. Fatuus, si nequeat ingredi domum alterius, quia fores sunt occlusæ, aut obsidentur ab aliis, similive de causa, tunc per rimas ostii aut fenestræ, rusticè & curiosè quasi stultus prospiciet in domum, præsertim si quem ex domo convenire vel alloqui desideret: at *vir* bene institutus & moratus, *foris stabit* pulsans ostium, ut evocet eum quem conventum cupit; vel, si Prælatus aut vir primarius sit, exspectabit donec ab eo evocetur, aut donec is domo egrediatur, itàque ei occurrat, sesque insinuet. Unde Græca habent, *insipiens per januam introspicit in domum: vir autem bene institutus foris stat;* Tigurina, *insipiens ab janua domum introspicit: at vir eruditus foris consistit;* Syrus, *stultus ex janua introspicit in domum: & honor viri est ut stet foris & loquatur.* Ita Xenocrates (ait Laert. l. 4. c. 2.) nihil referre dicebat, utrùm pedes an oculos inferas in alienas ædes, imò ab oculis magis metuunt incolæ, quàm à pedibus.

Præclarè Hugo Victor. de Institut. novit. cap 12. *Gestus hominis*, inquit, *in omni actu debet esse gratiosus sine mollitie, quietus sine dissolutione, gravis sine tarditate, alacer sine inquietudine, maturus sine protervia, & sine turbulentia severus.*
C Huc facit apophthegma R. Judæ in *Pirke avoth*, id est in Sententiis patrum: *Procacis ac inverecundi hominis habitatio est infernus: sicut è contrà modesti & verecundi, paradisus. Placuit tibi Domine Deus noster, præcipuam nostram sortem in legis tuæ studio constituere.*

STULTITIA HOMINIS AUSCULTARE PER OSTIUM: ET PRUDENS GRAVABITUR CONTUMELIA] Tertius hic est gestus stulti, qui si nequeat ingredi domum, nec in eam per januam vel fenestram introspicere, invercundè & imprudenter aures applicat ad ostium, ut audiat quid in domo dicatur, aut geratur: & vir prudens grave sibi reputat hanc incivilitatem, immodestiam & inverecundiam committere; quia eam æstimat ingens esse suum, æquè ac domus incolarum probrum, dedecus & contumeliam. *Prudens* ergo *gravatur contumelia;* q.d. Primò, gravem dicit hanc infamiam & contumeliam. Secundò, q. d. Prudens putat sibi à fatuo gravem fieri injuriam & contumeliam, dum is curiosè & inverecundè ad ostium suum auscultat, ut secreta audiat. Unde Syrus vertit, *stulti est hominis auscultare ad januam, & sapienti gravis*
D *est contumelia ejus.* Summa horum omnium est, stultum rerum suarum esse incurium, alienarum verò esse curiosum, ideòque immodestè & inverecundè eas scrutari: sapientem verò alienarum rerum esse incurium, suarum verò curiosum, ideoquè sua attentè introspicere & circumlustrare, aliena verò negligere & præterire: quia eorum curam aliis ad quos pertinet relinquit, eam verò arrogare sibi, incivile, rusticum & ignominiosum dicit.

Vers. 27.

Pro *stultitia* Græcè est ἀπαιδευσία, id est imperitia, rusticitas, incivilitas, ineptia, insolentia, insulsitas. Unde Tigur. vertit, *ad ostium auscultare quempiam, inscitia est qui sapit, hoc dedecus gravatim suscipit;* alii, *inscitia hominis est auscultare ad januam: prudens verò graviter fert infamiam.* q. d. Auscultare ducit esse infame.

LABIA IMPRUDENTIUM STULTA NARRABUNT: VERBA AUTEM PRUDENTIUM STATERA PONDERABUNTUR] tum statera rationis à prudentibus Vers. 28.

dentibus antequam ea proferant, tum statera auctoritatis ab iis qui ea audiunt. Hi enim ea quasi præmeditatè, graviter & sapienter prolata, magni æstimabunt, verbisque & factis ostendent ea apud se magnum auctoritatis momentum & pondus habere, ut ea crebrò ruminent, meditentur, mente expendant, librent & ponderent, eaque in opus conferant, ac juxta ea mores suos conforment, vitamque instituant. Septuplicem stateram, qua singula verba æquè ac opera libranda, sunt recensebo Proverb. 11. v. 1. Græca habent, *labia loquacium ea quæ non sunt sua narrabunt, verba autem prudentium in statera librabuntur;* Tigurina, *labia loquacium narrant absurda: sapientes autem quæ dicunt statera ponderant;* alii, *labia multiloquorum aliena narrant: sermones autem prudentium statera ponderantur;* Syrus, *os impii in corpore* (in corpus) *sui ipsius* (idest contra seipsum) *loquetur: & cum pondere loquitur sapiens.* Græca verò Romæ correcta aliter habent, nimirum hoc modo, *labia aliorum in his gravabuntur: verba autem prudentium statera ponderabuntur.* Huc facit dogma S. Bernardi: *Verba sua priùs veniant bis ad limam, quàm semel ad linguam.* Lima verborum est mens, est ratio, est prudentia, est consideratio. Unde sequitur: *In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum.* Huc etiam facit proverbium Arabicum cent. 1. n. 16. *Esto cum palinro olina*, id est, esto cum stulto sapiens, & cum insano polylogo mentis compos & micrologus.

Præclarè B. Petrus Damiani epist. 10. ad Petrum Cerebrosum: *Qui dicaciam, ait, eloquentiam putat, verum similitudine ductus aberrat. Sicut enim vir sapiens dicit: Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur. Planè sicut equus effrænis per anfractus & invia, plana vel ardua, quaque trasmittit: sic lingua stultorum recta vel frivola, ut qualibet suppetunt, indifferenter ac leviter effluit. Prudens autem quæ dicenda sunt ponderat, & tamquam cautus viator solerter attendit, ubi linguæ suæ vestigium figat. Ille quidquid occultum est, per impatientiam fandi producit in medium, iste, si dictet utilitas, sub clave silentii servat arcanum. Unde & idem Sapiens. In ore, inquit, fatuorum cor eorum, & in corde sapientum os illorum.*

Septem discrimina sapientis & stulti in loquendo. Huc facit apophthegma Hebræorum in *Pirke avoth*, id est, in Capitulis patrum: *Septem dicuntur de stulto, & totidem de sensato ac sapiente: Vir sensatus tacet & obmutescit coram seniore aut sapientiore se: loquentem non interpellat, importunè aliquid effutiens & extra tempus, in medio, videlicet, sermonis interserens: vix respondet interroganti, interrogat autem ipse ad rem apposite, respondetq; etiam aptissimè ad quæsita: quæ primo loco proposita sunt, de iis agit primùm & ante omnia; posteriùs autem ad ea descendit agitanda quæ posteriore loco sunt oblata discutienda: si quæ autem sint quæ fortè non intellexit, ingenuè admonet, & dicit, Hæc & hæc capere non potui, hæc autem intellexi. Tandem cognita perspectaq; veritate, dat manus & ultrò cedit. Contrario prorsus modo de stulto ratiocinandum est.*

Vers. 19. *Stulti habent cor in ore, sapientes os in corde. Primò.* In ore fatuorum cor illorum: et in corde sapientium os illorum] q. d. Fatui quidquid habent in corde, id ore effutiunt: nesciunt enim sensa sua celare: hinc videntur *cor* non habere intra viscera reconditum, sed in *ore* repositum, omnibusque patulum & expositum: ex adverso sapientes ore nihil proferunt, nisi quod priùs in corde bene expenderunt: quare quæ celanda sunt celant, nihilque dicunt nisi quod hoc loco, tempore, coram talibus, &c. dicendum est: quare videntur os non habere in vultu patulum omnibus, sed reconditum *in corde*: quia cor dirigit & moderatur os eorum, ut non tam os quàm cor eorum loqui ac vicissim tam os quàm cor eorum sapere videatur. Unde Tigurina, *ab ore stultorum pendet cor eorum: at in corde sapientum os eorum situm est*: quia scilicet sapientes os & verba cordis discretione reprimunt, & mensurant. In stultis ergo dominatur os, id est, garrulitas & protervia loquendi, adeoque os regit cor ipsorum. In prudentibus verò dominatur cor, illudque regit os eorum, juxta illud Proverb 16. *Cor sapientis erudiet os eius.* Et illud Psaltis psalm. 36. 30. *Os justi meditabitur*, id est, meditatò vel meditatam proferet, *sapientiam*, quia, scilicet, justus os habet in corde: cordis enim est meditari, oris verò meditatũ eloqui. Unde Syrus nervosè, *os stulti ipsum est cor eius, & os sapientis in corde suo.* Sapienter Gellius lib. 1. 15. scribit garrulorum orationem in ore nasci, non in pectore. Ex adverso Homerus Ulyssem virum sapientem aut vocem mittere non ex ore, sed ex pectore. Hinc & dicitur psalm. 51.

A v. 2. *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua.* Ubi rectè Origenes apud Agellium: *Cor, ait, fatuorum in superficie situm est, non in profundo, ad labia exilit.* Sic olim dictum est, Græcis sermonem è labiis & ore, Romanis è mente & corde proficisci. Huc pertinet illud Themistoclis: *ὀστοῦν ἔνεστι τῷ λόγῳ*, id est, *sermoni inest os* & vigor, dictum de oratione non inani & fatua, sed gravi & sapienti solidas habente sententias. Sic Quintilianus rerum inventionem appellat *orationis ossa*, sumpta similitudine ab animantium corporibus quæ ossibus sustinentur, colligantur nervis, vestiuntur carnibus & pelle, cohærent anima, moventur actu.

Secundò, cor symbolum est secreti, os verò revelationis secreti. Cor enim in abscessu pectoris latitat, & intra præcordia se reducit. Sapientibus ergo *os est in corde*, id est, in abdito profundoque mentis recessu, ut silere & celare norint, quod alii ore produnt. Fatuis verò *cor est in ore*, id est, secretum in lingua, quia omnibus illud propalant. Ita S. Gregor. Nazianz. epist. 1. ad Celeusium silentii se arguentem, scribit apologum hirundinum & cycnorum, hirundines enim habent cor in ore, cycni verò habent os in corde. *Melius est*, inquit, *silentium cycnorum, quàm garri-* B *tus hirundinum.* q. d. Melius est silentium sapientum, quàm loquacitas insipientium, tandemque alio proverbio conclu-dit: *Tum cantabunt cycni, cùm graculi tacuerint.* Idem de Diversis vitæ generibus: *Secundò.*

Non ego, inquit, *cum gruibus, non anseribusque sedebo*
In synodis, quæ se Marte furente petunt.

Synodos anserum & gruum vocat illa concilia, in quibus nil rectè & ordine gerebatur, sed confusis pugnantium inter se hominum clamoribus omnia perstrepebant, quales erant Synodi Arrianorum ad evertendum Concilium Nicenum.

Tertiò, Pineda libr. 3. de Rebus Salomon. c. 12. n. 4. *In corde*, inquit, *sapientum os illorum, & in ore fatuorum cor illorum:* q. d. Stultorum vana est eloquentia, at sapientum solida, ut quæ non solum verbis constet, sed & cordata sit, & gravibus sententiis polleat. Quod Salomon Sap. 7. v. 15. ait: *Mihi dedit Deus dicere ex sententia*, id est, ex anima & corde sententiosè, cum sensu quodam & quasi sapore eorum quæ dicuntur. *Tertiò.*

Quartò, Rabanus: *In ore fatuorum*, inquit, *cor illorum est, quando hæreticorum & schismaticorum stulta intentio verborum intendit ornatui: in corde autem sapientum os illorum, quando* C *electorum studet eloquium, veræ sapientiæ fideliter exprimere sensum.* q. d. Stulti solam eloquentiam, prudentes magis sapientiam aucupantur, eamque verbis ostentant. Stulti ergo cor in ore, id est sapientiam in loquacitate, collocant, sapientes verò os in corde, id est, eloquentiam in sapientia reponunt, censentque se eloquenter dicere, si sapienter dicant. Huc facit illud vulgò tritum: *Stulta est egena sapientiæ eloquentia*: sapiens verò est sapientia, etiam carens eloquentia. *Quartò.*

Denique cor symbolum est prudentiæ, magnanimitatis, consilii: os verò, id est garrulitas, imprudentiæ, levitatis, insipientiæ. Cor enim est animæ receptaculum, voluntatis fons, consilii & rerum agendarum radix. Unde Beda in Proverbiis: *Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde.* Nam ut ait Aristot. lib. de Sensu & sensibili: *Anima est in corde, sicut aranea in sua tela*, tum physicè, tum ethicè. Physicè quia in corde quasi arce habitat anima, indeque per spiritus vitales vivificat totum corpus. Unde cor est principium vitæ & sensus, præsertim tactus, quem acutissimum habet aranea, juxta illud: D *Lynx visu, sus auditu, præcellit aranea tactu.* Quia, ut ait Aristot. l. 2. de Anima: *Animal est animal propter sensum tactus.* Omne enim animal habet tactum; & quidquid habet sensum tactus, est animal, esto careat visu, auditu, aliisque sensibus. Ethicè, quia anima per cor, id est mentem & rationem, loquitur, & agit omnia. Stulti ergo cor, id est sapientiam & virtutem, in ore, id est in sua insipientia, reponunt: sapientes verò suum os, id est levitatem & insipientiam, in corde abscondunt & celant. Planè, inquit Palacius, stultus homo exterior est, idcircò cor habet exteriùs in lingua: at prudens interior homo est, linguam igitur revocat ad cor. *Quintò.*

Dum maledicit impius diabolum; maledicit ipse animam suam] *Maledicit*, id est, Primò, execratur, ut vertit Tigurina: q. d. Dum impius execratur diabolum, execratur seipsum; quia ipse similis est diabolo: est enim impius ut ipse. Fatuè ergo **Vers. 30.**

fatuus

33. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?

Vers. 1. IN LAPIDE LVTEO LAPIDATUS EST PIGER, ET OMNES LOQVENTVR SVPER ASPERNATIONEM ILLIUS. DE STERCORE BOVM LAPI-
Vers. 2. DATVS EST PIGER; ET OMNIS, QUI TETIGERIT EUM, EXCVTIET MANVS] *Lapidem luteum* vocat non laterem ex luto plasmatum, sed lapidem luto conspurcatum & sordentem: hinc enim significat Græcum ἠρδαλωμένῳ. *Lapidatus est*, id est lapidarij solet: sic enim Hebræi per unum tempus significant cetera. Rursum per metalepsin *Lapide luteo lapidatus est*, id est, lapidando luto conspurcatus est: q. d. Piger adeò vilis, contemptibilis & exosus est, vt eum homines dignum censeant qui impetatur lapidibus sordidis, & stercore boum: omnes enim eum quasi torpidum & sordidum aspernantur, ita ut eum tangere, cum eoque conversari nolint; sed omnes eum refugiant & aversentur, perinde ut qui tangit lapidem sordidum, vel stercus, ilicò illud manibus excutit. Stultorum & stultitiæ speciem vnam persequitur, scilicet acediam & pigritiam: hæc enim facit hominem non tantùm otiosum, sibique & aliis inutilem, sed & noxium multisque vitijs commaculat: otium enim & pigritia est causa omnis mali. Noster legit κατεβλήθη, id est, telis vel lapidibus impetitus est, aut συνελιθώθη, id est, lapidatus est à λιθάζω, id est, lapido: q. d. Piger adeò omnibus est vilis, ut eum quasi commune naturæ probrum lapidibus infestentur, in eumque jaciant lapides luto immersos, sordes & stercora. Jam legunt συνεβλήθη, id est, *comparatus est*. Vnde Greca sic habent, *lapidi inquinato* vel *polluto assimilatus est piger, & omnes sibilant ad ejus infamiam, ac stercori simentorum comparatur piger: & omnis qui tollit eum, excutiet manus*; Complut. & Roman. *lapidi conspurcato comparatus est piger, & omnis exultabit in ignominiam ejus, stercori boum de sterquiliniis comparatus est piger. omnis qui tollit illud, excutiet manum*; Tigurina, *lapidi conspurcato comparandus est piger, quem ignominiæ causa omnes irrideant: piger conferendus est stercori sterquilinij; quod quicumque contigerit, manus suas excutiat*; Syrus,
Piger quasi pedibus æger. *sicut lapis sordidus qui projectus est in platea, & vnusquisque fugit ab odore ejus, ita & stultus; & unusquisque recedet ab eo. Dum exit quispiam foras in plateam, conviciatur ipsi, & omnis qui videt eum, complodit manibus suis*; Arab. breviter rem acu tangit, *insipiens jam sibi acquisivit contumeliam & malum*. Porrò Isidor. libr. 10. Origin. *Piger*, inquit, *dicitur quasi pedibus æger*. Idem de Differentiis verborum n. 46. *Inter tardum*, inquit, *pigrum, inertem & segnem hoc interest, quòd tardus dicitur qui trahit tempus; iners sine arte, nullius officij capax; piger per omnia ægro similis; segnis semotus est a calore & igne*.

Apposité pigro pœnam assignat *stercus boum* potiùs, quàm equorum vel aliorum animalium, quia bos utpote gravis, lentus est & tardus, sybolum & figura est pigri. Vnde illud:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Ita Palacius: Piger, inquit, *comparatur lapidi conspurcato, & stercori boum. Vt enim qui lapidem ita sordidum, aut stercus boum inopinatè tangit, statim utrumque è manibus excutit: ita qui ministrum habet pigritantem, excutit & repellit à se. Ita enim ministros pigros fugimus vt stercus, vt lutatos lapides. Ex hac Græcæ litteræ explicatione habemus sensum Latinæ, qui est hic: Talis est piger, ac si eum lapidassemus lapidibus luto sordentibus, aut stercoribus boum: ita enim sordet ille in oculis hominum, ac si rebus sordidis conspurcatus esset, ac ideo omnes loquentur super ejus aspernatione, dicentes quàm sit ille spernendus, imò & excutiendus & repellendus. Si piger contemnitur a dominis temporalibus, si ab eis excutitur & repellitur, quàm spernetur & repelletur à Deo! Nam quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo; &, quia opus Dei facis desidiosè, maledictus eris. O quantum est à Deo maledici & repelli, scilicet in ignem æternum!* Apocal. 3. 16. Jerem. 48. 10. Matth. 25. 41. Adde, bovem, etsi lentum, tamen laboriosum esse: quare significat, pigrum suum lentorem & pigritiam vincere debere labore ad bovis imitationem. Hinc monetæ, putà didrachmis, olim imprimebatur figura bovis, ut ait Pollux lib. 9. quòd labor pariat nummos & opes, pigritia verò inopiam & famem. Apposité ergo in pigri opprobrium & castigationem à bovis stercus assumitur, ut bove se deteriorem & pigriorem agnoscat, & à bove suam tarditatem labore vincere discat. Accedit, quòd stercus boum servit stercorandis agris, ut iniecto semine copiosam ferant segetem. Ager hic est piger: stercoratur ergo stercore boum, ut iniecto diligentiæ semine copiosos illius proferat fructus.

Anagogicè, S. Gregor. 15. Moral. cap. 3. explicans illud Job cap. 20. de impio & hypocrita: *Quasi sterquilinium in fimo perdetur: Quia*, inquit, *in morte sua, cum ad tormenta ducitur stercoribus vitiorum plenus, à malignis spiritibus conculcatur. Gaudia etenim vitæ præsentis, quæ iniusti æstimant magna bona, iusti stercora deputant. Vnde scriptum est: De stercore boum lapidatus est piger. Is ergo qui Deum sequi noluerit, ab amore æternæ vitæ pigrescit: & quoties rerum temporalium damno percutitur, ex his nimirum affligitur, quæ iusti viri velut stercora contemnunt. Qui ergo ex terrenarum rerum percussione atteritur, quid aliud quàm de boum stercore lapidatur? Et rectè hypocrita sterquilinio similis dicitur: quia dum temporalem gloriam habere appetit, modò per cogitationem apud semetipsum tumet, modò eamdem gloriam alijs invidet, eamque alios veraciter*
B *habentes irridet. Quot ergo vitiis plenus est, quasi tot stercoribus in conspectu æterni judicis illius pectus fœtet.*

Tropolog. Rabanus per *lapidem luteum* accipit increpationem S. Script. per *stercus boum* increpationem prædicatorum: hi enim sunt boves mystici excolentes agrum Ecclesiæ. *In lapide luteo*, inquit, *lapidatur piger, quando peccatori duris Scrip. sententiis fœditas scelerum suorum exprobratur, omnesque loquuntur super aspernatione illius, quia omnes boni detestantur & despiciunt sordes operum ipsius. Lapidatur piger de stercore boum, quando pigritia malorum in bono opere torpentium, per aptam stultitiæ suæ orationem à sanctis prædicatoribus illis improperatur: ita ut omnes qui aliquo modo communicaverint negligentia eorum, manus operum à squalore fœditatis illorum excutiant, & ad observantiam mandatorum Dei vtili exercitio recurrant.* Tropolog.

Sic ferè & S. Bernard. serm. 2. de SS. Petro & Paulo: *Itaque arguere, & increpare*, inquit; *interdum necesse est: nec ignoro fimum esse verbum increpatorium, verbum improperij; & quod si non excuset necessitas, ipsum quoque minus deceat proferentem. Sed quid agimus, quod*
C *hoc fimo etsi aliquos impinguari, sed alios planè lapidari & indurari videmus? Hinc namque scriptum est: De stercore boum lapidabitur piger. An non impinguatur, qui increpatus benignè accipit, mansuetè respondet, libenter emendare conatur? Hæc planè salubris & fœcunda impinguatio est, vt corripiat me justus in misericordia, & increpet: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Et mox: *Quid autem faciamus tibi ò piger, qui ad hanc misericordiam irritaris magis & exasperaris? Nonne bonum fimum sparsi in agro tuo? vnde ergo lapides habet? Sed tu inimice homo, (quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam) tu, inquam, inimice homo, hoc fecisti, qui desidiam tuam non excutere, sed excusare pergens, fimum tibi pervertis in lapides: & vnde impinguari debueras, lapidaris.*

Huic apologo similis est apologus bovis & lupi, acutus & argutus, apud Cyrillum libr. 1. Apolog. moral. cap. 14. cujus titulus: *Quietem mentis dilige, & otium fuge. Hora vespertina*, inquit, *bovem iugo oneratum otiosus vagusque* Apologus pigritiæ.
lupus reperiens, quasi compatiens illi, dixit: Quandonam solutus beata libertate vagaberis, & fatigatus grata quiete refo-
D *cillaberis otiosus? cui ille respondit: Nimirum quando sapientia relinquet naturam. Labores enim quamdiu sustinebit membrorum societas, numquam me rapiet vagationis captiva libertas, aut otiositas cordis fluctuans tempestatibus. Nam vagatio quædam mentis est alienatio, & otium tempestas est cordis. Siquidem alienatus à virtute sensus, mox sicut Cain* (Genes. 4.) *profugus vagusque diffunditur; & veluti David* (2. Regum cap. 11.) *statim procella vitiositatis involuitur animus otiosus. Ad hæc lupus adiunxit: Numquam ergo quiescit sapiens? Respondit bos: Imo possidet eum secura quies. Nonne attendisti quod superior mandibula licet non moveatur, minimè sit otiosa? sic vtique sapiens etiam numquam otiosus. continuè aut mente exercitatur aut corpore.* Otij deinde proprietates & damna recenset. (*Quid*

enim est otium, nisi perditio irrevocabilis horæ? effusio vitæ? retrogradatio proficienti? Hinc gignit carnis desidiam, parit superbiam, accendit luxuriam, solvit linguam, nutrit indigentiam, & introducit rapinam. Egestatem namque operatur remissa manus (Proverb. 10. 4.) & qui sectatur otium, est stultissimus. Etenim sabbatizante Israele (Exodi 16. vers. 30.) cælum non pluebat manna. Quin & aqua putrescit immobilis, & immotus ensis rubigine mox sordescit, pes quietus obstupescit, & vestem depositam dirus tineæ dens corrodit. E contra cælum continuo currit, cor dum vivit numquam quiescit, naturalis virtus non dormit; & regina mundi prudentia semper agit. Propter hoc charissime ego otium vitans semper aut aro, aut comedo, aut rumino, aut ligatis nubecula sensibus cibum digerens requiesco, & dormio. Quibus auditis lupus otiosus vagusque mox abiit confusus.

Vers. 3. CONFUSIO PATRIS EST DE FILIO INDISCIPLINATO: FILIA AUTEM (indisciplinata, & fatua, ut habent Latina Complut.) IN DEMINORATIONE FIET] A probro pigri descendit ad probrum filiorum; quod malè morati sibi suisque parentibus conciliant: q. d. Confunditur, & ignominia pudoreque B afficitur pater, si habeat filium malè institutum & dissolutum: filia autem similis, putà malè morata & dissoluta, *in deminoratione fiet*, id est, minoris fiet, eritque contemptibilis, ut nemo eam velit habere uxorem: rursum *deminorationem*, id est, damnum sibi suisque afferet. Siracides enim Græcum ἐλάττωσι, id est, *minoratio*, usurpat pro damno, ut superiùs ostendi. Unde v. seq. per antithesin opponit ei filiam prudentem, & bene moratam, quæ viro suo commoda, imò hereditatem adducit. Ita Syrus, *confractio*, inquit, *patri est filius stultus, & femina in defectum* vel *in detrimentum generatur*; Græca Compl. *pudor patris in generatione indisciplinati, filia autem in diminutione fit*; Tigurina, *ignomia patris filius ignavus est, filiaque* (ignava) *minoris venit æstimanda*; alii, *dedecus patri ex procreatione ineruditi: filia verò* (inerudita) *nascitur ad detrimentum*, tum famæ, tum substantiæ & opum, quin subinde & vitæ. Filia enim dissoluta infamat se & patrem, dotemque suam & opes patris dilapidat, ac non rarò mœroris & mortis ei est causa.

Aliter Palacius: *Filia fatua*, inquit, *in deminoratione fiet*, quia minor confusio & ignominia est filia fatua quàm filius. Nativum enim & ferè commune id vitium feminis est, ideoque minoris est ignominiæ, quàm in masculis.

Vers. 4. FILIA PRUDENS HEREDITAS VIRO SUO: NAM QUÆ CONFUNDIT, IN CONTUMELIAM FIT GENITORIS] q. d. Optima filiæ hereditas, & dos est prudentia; eaque magis viro optanda & ambienda est, quàm opima opum dos & hereditas; quia per prudentiam prudentemque conjugem opes quælibet conservantur, & augentur. Græca habent, θυγάτηρ φρόνιμος κληρονομήσει ἄνδρα αὐτῆς, quod Complut. vertunt, *filia prudens heres erit viri sui*: quia solent viri uxoribus suis, si prudentes & obsequentes sint, sua credere, easque heredes instituere. Alii pro ἀνδρὸς, id est viri, legentes ἄνδρα, id est, *virum*, vertunt, *hereditabit virum suum*, id est, virum suum possidebit, quasi hereditatem, ut eum regat & dirigat instar familiæ. Aut potiùs: q. d. Hereditate bona, scilicet, sua prudentia & sapientia, eum donabit, ut ejus domum, & substantiam prudenter administret, eique suam prudentiam communicet & doceat. Prudenti opponit imprudentem, & fatuam, dum subdit: *Nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris*: q. d. Quæ autem dedecus & probrum affert sua levitate, dissolutione, imprudentia, stultitia; hæc contumeliam parit suo parenti & genitori generique æquè ac marito, qui apud parentem sæpè de ejus mala institutione queritur & expostulat. Græca habent, *pudenda* vel *probrosa tristitiam affert genitori*. tristatur enim parens de pudendis & probrosis filiæ moribus. Unde Tigur. vertit, *filia prudens viro est vice hereditatis, ac turpiter vivens mœstitiam affert genitori*; Syrus verò, *patrem suum & matrem suam confusione afficiet stulta, & ab utrisque ipsa contumelia afficietur*.

Mysticè & Tropolog. Rabanus: Filia prudens, inquit, id est, *anima, quæ prudenter & devotè Christi servitium agit, ad hereditatem ejus pertinebit: quæ autem confusione res dignas gerit, contumeliam genitori spiritali facit, qui eam per Spiritus sancti gratiam in baptismate regeneravit*, A *& sibi filiam adoptavit*. Et Palacius: Ita planè, inquit, anima sancta multas Deo lucratur; at miseræ animæ nostræ contumelia sunt Creatoris.

Vers. 5. PATREM ET VIRUM CONFUNDIT AUDAX (femina & filia: Græcè enim est ἡ θρασεῖα,]ET AB IMPIIS NON MINORABITUR: AB UTRISQUE AUTEM INHONORABITUR] q.d. Filia audax & inverecunda pudore & ignominia afficiet patrem æquè ac maritum; quia in superbia, luxuria, gula, ebrietate, ceterisque vitiis non erit minor, nec cedet viris impiis. Unde ab utrisque putà à patre, & viro, inhonorabitur. Græcus de more bimembris sic habet, *patrem & virum pudore afficit quæ audax est, & ab utroque infamia afficietur*; Tigurina, *impudens patrem & matrem afficit ignominia* (*& impiis nihilo est inferior*) *quare ab utroque vituperabitur*.

Porrò, causa audaciæ est cupiditas & aviditas: quia enim femina avida plena est cupidinibus, hinc ut eas expleat, iisque potiatur, ducem assumit audaciam, fitque audax. Unde Festus censet audaciam dictam ab avidè, id est cupidè, agendo. Et Cicero lib. 2. Offic. *Animus*, inquit, *paratus ad periculum si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habeat quàm fortitudinis*. Et Aristot. libr. 3. Ethic. capit. 8. asserit adulteros esse audaces propter libidinem. Audacia enim vitium est oppositum ignaviæ & timiditati: in medio enim utriusque consistit virtus, quæ fortitudo dicitur. Unde Aristot. lib. 2. Ethic. cap. 2. *Qui*, inquit, *omnia fugit & timet, neque quidquam sustinet, ignavus, qui contrà nihil animo timet, sed omnia adit, audax efficitur*. Qui autem timet timenda, & non timet non timenda, fortis est. Vide eumdem libr. 3. Ethic. cap. 7. ubi docet, ignavum esse desperabundum, audacem nimis confidentem, fortem autem nec desperare, nec nimis confidere, sed mediocriter se gerere. Unde *audaces*, inquit, *præcipites sunt, voluntque ante ipsa pericula periclitari, in ipsis verò constituti absistunt* (juxta illud: *In pace leones, in prælio cervi*;) *sed fortes in operibus ipsis acres ac celeres, antea quieti sunt*. Adde, ætas filiæ, putà juventus, causa est audaciæ, sicut senectus causa est timiditatis. Ratio physica est, quod juventus abundet spiritibus, calore & sanguine, quæ causant audaciam & C animositatem: senes verò iis destituti abundent phlegmate & frigore, quæ causant timiditatem. Ethica est, quòd juvenes sint imperiti & inexperti, unde imperitia rerum in illis confidentiam & audaciam parit: in senibus verò multorum experientia malorum parit timorem & cunctationem. Hinc illud: *Dulce bellum inexpertis, Expertus metuit*. Unde Vegetius libr. 3. de Re milit. cap. 13. *Ne confidas*, inquit, *si tiro prælium cupit: inexpertis enim dulcis est pugna*. Sic filia amat speciosos juvenes: quia nondum sensit, quantum amori insit amari.

Causa audaciæ aviditas.

Juvenes audaces, senes timidi. Causa.

Mysticè, Rabanus: *Pater*, inquit, *animæ Christianæ Deus est, vir autem ejus Christus: hæc ergo si ad apostasiam venerit, & hæreticum errorem procaciter defenderit, inhonorat patrem suum spiritalem & virum: sed licet ab impiis, & sui erroris participibus, præsentialiter non vituperetur; ab utrisque tamen, hoc est, patre & viro, de quibus superius dixit, in futuro judicio confundetur, & damnatione merita perpetuis pœnis subjicietur*.

Vers. 6. MUSICA IN LUCTU IMPORTUNA [S. Hieron. epist. 33. legit, *intempestiva*] NARRATIO: FLAGELLA, ET DOCTRINA IN OMNI TEMPORE D SAPIENTIA] Complut. *in tempore sapientia*; Roman. *in omni tempore sapientia*. Alludit ad Proverb. 25. 20. *Acetum in nitro qui cantat carmina cordi pessimo*, id est, tristissimo, ut vertit Symmach. q.d. Sicut acetum, acuit & exasperat nitrum, sic cantus exasperat tristitiam mœsti. Ex adverso Nazian. apud Antonium in Melissa: *Magnum*, inquit, *remedium tristitiæ affertur à condolentibus: nam qui æquali afflictione laborant, plus solatii patientibus exhibent; cum inter dolendum causas lætitiæ inveniunt aut afferunt*.

Hæc sententia videtur hic incongruè interseri iis quæ dicuntur de filia, & filio dissoluto: at si quis penitiùs introspiciat, congruam & opportunam hoc loco censebit. Dat enim causam dissolutionis filiorum, & filiarum, nimirum quòd vacent conviviis, & symposiis [hisce enim prisci interebant musicos & musicam, ad oblectandum convivas;] cùm potiùs deberent vacare disciplinæ, abstinentiæ, & luctui: flagella

gella enim, luctus & disciplina docent doceantque sapientiam; ioci verò, convivia, cantus & recreationes dissolvunt sapientiam, docentque insipientiam, ac faciunt insipientes & improbos. Parentes ergo qui filios non castigant; sed sinunt indulgere suis cupiditatibus, causa sunt eorum dissolutionis & insipientiæ, ideoque iustè ab eis probro & tristitia afficiuntur.

Sensus ergo est: q. d. Sicut *musica in luctu* est *importuna narratio*, quia lugentes, dum lugent, non delectantur musica, sed ea magis contristantur, luctumque quasi per antiperistasin adaugent: ita ex adverso in *sapientia*, id est, ad addiscendam sapientiam opportuna sunt *flagella, & doctrina*, Græcè παιδεία, id est, disciplina: q. d. Ut filios & filias doceas sapientiam, lascivos eorum mores coerce, & corrige per flagella & disciplinam: arce verò ab eis nimias recreationes, ludos, musicam & cantus: quia hæc importuna sunt luctui, id est sapientiæ. Sapientia enim omnibus, sed maximè iuvenibus cupiditate plenis, gravis est & lugubris potiùs, quàm levis & dissoluta; præsertim quia ipsa docet monetque assiduè, hanc vitam esse tempus lugendi & flendi, in cælo verò fore tempus gaudendi & ridendi. ita Rabanus. Igitur *flagella, &* B *doctrina*, id est, disciplina, *in omni tempore sapientia*, scilicet, sunt; hoc est, semper & opportuna sunt sapientiæ, semper accommoda ad discendam sapientiam. Unde Græca habent, *flagella & disciplinæ*, scilicet sunt adhibenda, *in tempore sapientiæ*, quando nimirum filii & filiæ instruendi & docendi sunt sapientiam. Unde exclamat Palacius: *O miseram carnem nostram, quæ omni tempore requirit flagella! o insipientem animam nostram, quæ omni tempore eget doctrina! Non ergo miremur, si nos Deus flagellis frequentius verberet. Nec enim est pater, qui non assiduat filio flagellum; & qui parcit virgæ, odit filium suum*, Hebr. 12. Proverb. 13.

Hunc sensum indicat Syrus, dum vertit, *sicut musica inter luctum narratio importuna, &* (id est, sic) *correptio & doctrina in omni tempore sapientia est*, id est, sapientiam parit. Priorem partem citat, suique silentii dat causam ob vastatam à Gothis Romam, S. Hieron. præfat. in Ezech. *Postquam*, inquit, *clarissimum terrarum omnium lumen extinctum est, imo Romani imperii truncatum caput, &, ut veriùs dicam, in una urbe totus orbis interiit, obmutui*, &c. *Musica in luctu importuna narratio*. Idem C epist. 34. ad Iulianum, lugentem mortem filiarum & uxoris: *Musica in luctu*, inquit, *intempestiva narratio. Unde & nos leporem artis rhetoricæ contemnentes, & pueriles atque plausibiles eloquii venustatem, ad S. Scriptur. gravitatem confugimus, ubi vera vulnerum medicina est, ubi dolorum certa remedia*. Aliter Lyran. Flagella, inquit, & doctrina in omni tempore est sapientiæ, hoc est, debet fieri sapienter & prudenter.

Moral. Solentur se discipuli, subditi, cives, omnesque homines cùm aut à magistris, Superioribus, Prælatis, aut à Deo flagellantur & affliguntur, cogitantes se per hæc flagella deduci ad sapientiam, id est, virtutem & perfectionem. *Patientia* enim *opus perfectum habet*, Iacob. 1. 4.

Secundò, Iansen. per metathesin sententiam invertit, sicque exponit: q. d. Importuna narratio est, sicut musica in luctu, scilicet, intempestiva, & illo tempore incongrua. Unde Tigurina vertit, *intempestiva narratio velut in luctu musica est: flagella verò & castigatio semper opportuna sunt sapientiæ*, Verùm, quid hæc ad filiam, vel D filium disciplinatum? quid flagellis sapientiæ, cum intempestiva narratione? Nisi dicas hanc esse importunam, flagella verò opportuna ad sapientiam. Sed & hoc alienius & frigidius est. Quid enim flagellis cum narratione? Nisi rursum dicas, flagella esse disciplinæ, narrationem verò intempestivam esse indisciplinati & insipientiæ. q. d. Narratio intempestiva parit insipientiam, flagella verò disciplinæ pariunt sapientiam. Qui sensus filio indisciplinato aptari potest, hic enim narrando lepida & insulsa, solet parentum aures oblectare, sibique devincire, ne licentiosam eius vitam disciplina severiore castigent & flagellent.

Tropolog. in concionatores qui quærũt plausum, non planctum.

Tropolog. Rabanus hæc exponit de concionatoribus, qui populi plausum, non planctum quærunt, quorum proinde conciones sunt quasi carmen musicum mulcens aures, non feriens cor, ut ait Ezechiel c. 33. 32. *Contra eos facit*, inquit Rabanus, *qui operatione sua in Ecclesia* A *plausum populi & favorem quærunt, & non ad hoc tendunt ut magis compunctionem lacrymarum in auditoribus suis excitent; cùm Ecclesia panis non panis sit ridentium, sed lugentium. Ideò dicit, Flagella & doctrina in omni tempore sapientia: quia in omni tempore convenit ut ad præsentium rerum despectum, & ad futurorum appetitum, per doctores suos populus provocetur: ut sciat nunc tempus esse lugendi, tunc autem ridendi; nunc tempus belli, tunc autem pacis. Unde ipsa Veritas in Evangelio ait: Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur. E contrà alibi mundi amatoribus, qui præsentis vitæ consolationem quærunt, comminatur dicens: Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis. Hinc & Salomon ait: Cor sapientium in domo luctus, & cor insipientium in domo lætitiæ: id est, in domo talis viri qui se corripiat delinquentem, & adducat ad lacrymas: non in domo lætitiæ, ubi doctor decipit & decipitur, quando non conversionem audientium; sed plausus quærit & laudem.*

Post hunc versum Græca addunt hos duos: *Filii in bona vita artem* (Complut. *escam* vel *alimentum*) *habentes, propriorum parentum abscondent ignobilitatem. Filii in contemptu & vacuitate eruditionis*, id est, in insipientia, *gloriantes*, B *cognationis suæ maculant nobilitatem*; Tigurina, *liberi si cum proba vita alimenta habeant, parentum suorum ignobilitatem oblitterabunt. Liberi si cum contumacia imperitiaque fastosi fuerint, fœdant nobilitatem suæ cognationis*. Verùm Græca à Romanis correcta, æquè ac Syrus, & Latina omnia hosce versus omittunt.

QUI DOCET FATUUM, QUASI QUI CONGLUTINAT TESTAM] q. d. *Qui docet fatuum*, inutiliter & frustra laborat, agitque rem difficilem vel impossibilem, perinde ac qui *testam* confractam conglutinare conatur. Fatui enim cerebrum & caput est quasi testa confracta; tum, quia phantasiam & sensum communem habet quasi distractum & diffractum; tum, quia vires mentis & animi habet dispersas & quasi divulsas; adeò ut anima eius confracta videatur, & divisa in duas partes, scilicet, in concupiscibilem & rationalem, ita ut concupiscibilis rationali, prout debet, subesse & connecti nolit; tum, quia conceptus, cogitationes & volitiones habet disparatas, imò sæpè contrarias; quas inter se combinare, & connectere nequit, sicut testa diffracta nequit conglutinari, ut C firmiter cohæret sicut priùs, cùm esset integra. Denique sicut testa confracta liquorem, puta vinum vel oleum, continere non potest, sic nec caput stulti sapientiam. Vers. 7.

Fatuus incapax disciplinæ quis?

Fatuum intelligit non physicè, sed moraliter putà peccatorem concupiscentiis deditum & affixum, qui suos appetitus regere nequit, sed suas voluptates rationi, suas cupiditates legi Dei, bona terrena cœlestibus, caduca æternis anteponit. hæc enim ingens est stultitia & fatuitas. Fatuus ergo est superbus, avarus, invidus, ebriosus, luxuriosus, &c. hic est quasi testa confracta, quia rationes terrenas & temporales nescit combinare, & subordinare rationibus & legibus æternis: æternas enim tantùm speculativè cognoscit, temporales verò practicè. Unde dicit: *Video meliora proboque; Deteriora sequor*. Sic Arist. 1. Polit. ait servos integrum non habere arbitrium, sed quasi dimidium mentis: & nonnulli Indi dicuntur dimidiatam habere animam, ob exile ingenium, & tenue iudicium, præsertim in rebus fidei & divinis. Undè cap. 8. D ait: *Servus omnino non habet deliberandi arbitrium, mulier verò habet quidem, sed invalidum; puer autem habet, sed imperfectum*. Extat imago stulto-sapientum, in qua Deus stultorum capita quasi testas confractas refingit & conglutinat, efficitque sapientia; quia hoc est opus proprium, imò miraculum Dei, ac nullus figulus, nisi Deus, id efficere potest. Porrò hunc locum ita citat Zacharias Pontif. qui floruit anno Domini 740. epist. 11. *Docuisti*, inquit, *eos, & non susceperunt, & factum est illis sicut scriptum est: Sapientiam qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam, arenam & salem: Operam ergo, ò concionator, perdis*, ait Palacius, *si sola tua narratione eum velis glutinare, cum his quæ diximus bonis. Manus Dei potens requiritur, ut iis iterum glutinetur. Christi vox requiritur, ut Lazarum quatriduano somno depressum vigilãtem efficiat. Dormiens hic mortuus est: dicat igitur Christus: Surge qui dormis, exsurge a mortuis. Plus igitur concionator orationi nitatur, quam verbo.*

Huc spectant duo symbola Pythagoræ. Prius: *Apud quadrupedem poema ne canito; hoc est, apud ignaros & stupidos seria ne proferas.* Posterius: *In nive ne scribito: hoc est, incapacibus et mollibus animis dogmata tua ne committas.*

Vers. 8. QUI NARRAT VERBUM NON AUDIENTI, QUASI QUI EXCITAT DORMIENTEM DE GRAVI SOMNO] Comparavit fatuum teste confractæ, nunc eum comparat dormienti. Unde Græca hæc ita combinant: *Testam conglutinat qui stultum docet, & dormientem ex profundo somno excitare laborat.* Ita Tigur. q.d. Frustra narres sapientiæ dictamina stulto, quia is suis cupiditatibus indormit: quare quasi dormiens non audiet quid narres; aut, si subinde semiexperrectus aliquid subaudiat, leviter, & quasi dimidius, id faciet, moxq; iterum in somnum suarum voluptatum relabetur: ijs enim incumbens & intentus, non attendit, nec percipit, imò avertit mentem à monitis sapientis; quia hæc contraria sunt ijs quæ adeò adamat, quæque nullo modo vult dimittere. Alludit ad Proverb. 23. *In auribus insipientium ne loquaris.* Et: *Ubi non est auditus, non effundas sermonem.* Idipsum luculentiùs explicat v. seq. Huc facit proverbium Arabicum cent. 1. n. 43. *Ne admitte ad volatum accipitrem tuum in terra pulverulenta,* id est, *ne projicias sapientiam coram stultis & impijs.* Constat enim in terra pulverulenta malè succedere aucupia, eò quòd cursu aucupum pulvis excitatus adimat aspectum accipitris & prædæ.

Vers. 9. CUM DORMIENTE (Græcè νυστάζοντι, id est dormitante, dormituriente, somnolento) LOQUITUR QUI ENARRAT STULTO SAPIENTIAM: ET IN FINE NARRATIONIS DICIT: QUIS EST HIC?] Græcè, *quid est?* q. d. Sicut dormiens audiens se excitantem & loquentem, dicit: Quis est qui me excitat, quid loquitur, quid vult? ac mox rursum somnolentus indormit: ita & fatuus audiens sapientiam à sapiente, quasi cupidinibus suis indormiens dicit. *Quis est hic*, qui mihi molestus est? quid dicit? cur me à somno deliciarum mearum avocat? non audio, non attendo, non capio; quia non gusto, non delector sapientia & virtute, sed omnis meus gustus & delectatio est in voluptate, putà in ambitione, gula ventre & venere. Syrus addit aliam similitudinem comedentis sine fame, ideoq; nauseantis. sic enim nauseat stultus mente versans, & quasi comedens cibum sapientiæ: *Sicut*, inquit, *qui excitat dormientem de somno profundo & sicut qui comedit panem cùm non esuriet, ita qui docet stultum: &, cum completa fuerint verba tua, dicit: Quid dixisti?*

Peccator similis dormienti ob quinque analogias:

Appositè stultum, putà peccatorem, comparat dormienti. Primò, quia uti hic somno; ita ille peccato, id est voluptati, suaviter & deliciosè indormit. Secundò, sicut in dormiente ligatur mens & ratio; sic in fatuo funibus concupiscentiæ ligata est ratio & prudentia. Tertiò, sicut dormiens vivit vitam animalem, non rationalem; sic & peccator. Quartò, sicut dormiens varijs luditur & illuditur somnijs & phantasmatibus: sic & peccator luditur specie creaturarum, quasi amasiarum, juxta illud: *Et amantes sibi somnia fingunt. Quid enim sunt omnes hujus vitæ illecebræ? Quid sunt omnes res & spes mortalium, nisi somnia vigilantium?* ut ajebat Plato. Denique sicut pueri altùm dormitantes, flagellis & verberibus à somno excitandi sunt: sic & stulti, putà impij, à veterno peccatorum plagis evellendi sunt. Huc facit proverbium Ben Sira alphabeto 1. littera *Lamed: Sapietem nutu, & stultum fuste*, scilicet, corrige & emenda. Sapiens enim verbo monitus præstat officium, quòd stultus non facit, nisi verberum ictibus coactus. Sic Pharao non nisi decem plagis coactus cessit Deo, dimisitque Hebræos.

Vers. 10. SUPRA MORTUUM PLORA, DEFECIT ENIM LUX EJUS (S. August. in Speculo legit *et*:) ET SUPRA FATUUM PLORA, DEFECIT ENIM SENSUS] Græcè, *defecit enim σύνεσις*, id est *intellectus*: unde Rabanus legit, *defecit enim sensus ejus*; alij legunt, ἐξέλιπε; unde vertunt, *reliquit enim intelligentiam.* ἐξέλιπεν enim tam activè accipi potest, ut significet *reliquit*, quàm neutrè ut significet *defecit*, eclipsin passus est instar lunæ.

Comparavit fatuum testæ confractæ, deinde dormienti, nunc eum insuper comparat mortuo. Dormiens enim, speciem habet mortui, juxta illud:

Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?

& mortuo.

& multi dormientes in somno catarrho suffocantur, aut apoplexia aliove symptomate enecantur. Sensus ergo est: q.d. Stultus, putà peccator, non tantùm est dormiens sed & mortuus per peccatum, cui affixus adhæret. Quare sicut ploras mortem amici mortui, quia *defecit* ejus *lux*, id est vita; qua videbat & fruebatur luce solari in hoc mundo: & (id est, sic, vel similiter: est enim τὸ & Hebræis nota similitudinis & comparationis, uti sæpiùs monui) luge & *plora fatuum*, quia *defecit sensus*, id est prudentia & sapientia, quæ est quasi vita & anima animæ. Rursum *defecit sensus*, quia nullum habet sensum suæ salutis & rerum divinarum, perinde ac si ijs esset mortuus. Unde Tigurina vertit, *mortuum lamentaris quòd sit luce privatus: nec minus deplores stultum, quòd sensum,* (alij, *intelligentiam*) *amiserit.* Syrus. *Super mortuum æquum est plorare, quia privatus est luce, & super stultum, quia privatus est sapientia.* Sic Christus ploravit mortem Lazari, & plorando eum resuscitavit, ut hoc symbolo ostenderet, quàm deplorandus sit peccator (cujus typum gerebat Lazarus defunctus) quantisque Sanctorum & Ecclesiæ lacrymis sit revocandus ad vitam gratiæ. Sic S. Monica plorabat inconsolabiliter filium Augustinum, hæresi & libidine mortuum: unde à quodam Episcopo audivit: *Fieri nequit ut filius tot lacrymarum pereat.* Verus hic fuit vates; nam ipsa jugibus lacrymis impetravit ei veniam & vitam à Deo.

Porrò, maximè plorandi sunt fatui, id est, peccatores qui in peccato moriuntur: hi enim utramque mortem, & naturalem, & spiritalem obeunt, ac ad mortem secundam, putà ad gehennam ignis, transeunt, nec ab ea revocari possunt, sed per omnem æternitatem in ea cruciabuntur. Quare de his hunc locum accipit Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 334. *Non vetat*, inquit, *plorari omnes è vivis excedentes, sed eum qui improbis actionibus extinctus est, nec veram vitæ rationem consectatus est, ut qui à futura luce* (gloriæ cælestis) *exciderit.* Damnati non sunt lugendi, tum, quia desperati & perditi; tum, quia à charitate & societate fidelium prorsus exclusi, & in æternum à Deo, cælo, vita, omnique bono privati, reprobati & excommunicati. Quocirca Synodus Alexandr. quæ exstat apud S. Athanas. Apolog. 2. contra Arrianos sic legit: *ne fleas mortuum, neque lugeas, sed complora comploratione egredientem, quia non ampliùs revertetur.* q.d. Ne lugeas damnatum quasi mortuum resuscitandum in fine mundi; sed plora, imò omnes Sancti, omnesque homines complorate comploratione & complosione manuum pedumque, quasi perditum, desperatum & condemnatum irrevocabiliter. Summum enim malorum summè deplorandum est: huncque ploratum naturaliter ciet movetque plorantium fidelium non charitas, sed communis natura, & damnatorum extrema calamitas: charitas enim damnatis succurrere nec vult, nec valet.

MODICUM PLORA SUPRA MORTUUM, QUONIAM REQUIEVIT (à laboribus, doloribus & miseriis innumeris hujus vitæ) NEQUISSIMI ENIM NEQUISSIMA VITA SUPER MORTEM FATUI.] q.d. *Modicum plora mortuum*, quia mors ipsi est quies à labore & dolore: at *plurimum plora super vitam fatui* (uti addunt quædam manuscripta) *novissimi enim nequissima vita super mortem fatui*: hoc est, quia fatui, id est impij & nequissimi, vita est nequissima, ideoque nequior, id est deterior, pejor, miserior, adeoque magis deploranda quàm ipsa mors naturalis ejusdem fatui: vivit enim in peccato, id est, in hostilitate Dei, ac proinde continuò auget sibi incendia æterna gehennæ, quæ augere cessat dum moritur. Hunc sensum exigunt Græca: ἥδιον, id est, *dulciùs, jucundiùs, mitiùs plora supra mortuum, quoniam requievit: τοῦ γὰρ μωροῦ ὑπὲρ θάνατον ἡ ζωή*, id est, *nam fatui super mortem vita*, intellige ex præcedenti, *est deploranda; aut super mortem*, id est morte pejor & deterior, est *vita fatui*. Unde Tigurina, *mortuum tamen leviùs defleas; utpote quiescentem, vita verò stulti morte pejor est*; alij, *mitiùs defle mortuum, eò quòd requiescat; stulti autem vita morte deterior est*: quia numquam requiescit à peccato, ac consequenter nec à labore & dolore, tum præsenti, tum æterno. Syrus, *non est plorandum super mortuo qui requiescit: pejor enim morte est vita prava.*

Vers. 11. & 12.

Quocirca Sancta Blancha hoc aureum dogma dabat filio Sancto Ludovico IX. Regi Franciæ: *Fili super omnia fuge peccatum. Mallem enim te videre, ò fili, mortuum, quam peccatum mortale committentem.* Ampliùs dico: Vita in peccato præcisè & formaliter est pejor morte,

Peccatũ pejus gehenna. morte; quam subeunt damnati in inferno. Peccatum enim est pejus gehenna: quia peccatum est culpa, gehenna est pena: culpa autem altioris est ordinis, longèque gravior quàm quævis pœna. Ita S. Anselmus, ut habet ejus Vita, dictitabat, hocque quasi præmeditatum fixumque habebat: *Si hinc inferni ardorem, inde peccati horrorem cernerem, ac necessariò alterutrum mihi eligendum foret; mallem in infernum insilire, quàm peccatum committere.* Peccatum enim est offensa Dei, eaque summa & gravissima, adeoque peccatum est christicidium & deicidium, ut alibi explicui.

Aliter Palacius, q. d. *Nequissimi fatui nequissima est vita super mortem*, id est, nequius est eum vivere, quàm mori: nam quamdiu vivit, auget peccata, indeque suam damnationem. At moriendo peccare cessat, ideoque augere damnationem tam suam quàm aliorum desistit. Ipse enim nulli est bonus & commodus, sed sibi & aliis nequam & noxius. Lege epist. 25. S. Hieron. qua S. Paulæ ingentem luctum ob mortem filiæ Blesillæ moderatur, ac inter cetera ait: *Lugeatur mortuus, sed ille, quem gehenna suscipit, quem tartarus devorat, in cujus pœnam æternus ignis æstuat.* *Mor. de luctu defunctorum moderando* *Nos quorum exitum Angelorum turba comitatur, quibus obviam Christus occurrit, gravemur* B *magis, si diutiùs in tabernaculo isto mortis habitemus. Quia quamdiu hic moramur peregrinamur à Domino. Illa nos cupido teneat: Hei mihi! quia peregrinatio mea prolongata est, habitavi cum habitantibus Cedar multùm peregrinata est anima mea.* Et inferiùs S. Melaniæ exemplum proponens: *Sancta Melania*, inquit, *nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, cum qua tibi Dominus mihiq; concedat in die sua habere partem, calente adhuc mariti corpusculo duos simul perdidit filios*, &c. *Lacryma gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes advoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit: Expeditius, inquit, tibi servitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti.*

VERS. 13. LUCTUS MORTUI SEPTEM DIES, FATUI AUTEM ET (*&* significat, *id est*) IMPII, OMNES DIES VITÆ ILLORUM] scilicet lugendi & plangendi sunt. Dat causam, cur magis lugendus sit fatuus quàm mortuus: q. d. Sufficiunt *septem dies* ad lugendum mortuum, at *fatui*, id est, impii, *dies omnes vitæ* lugendi sunt; quia hi non tam vitæ, quàm mortis continuæ sunt dies. Hanc causam indicat Syrus, addens *enim*: *Luctus enim*, inquit, *mortui septem dies: & luctus stulti omnes dies vitæ.*

Olim lugebãt per septẽ dies. Non negat quin pluribus diebus quàm septem liceat lugere mortuos: nam Mosen planxerunt Hebræi per triginta dies, Deuter. 34. Jacobum per septuaginta, Genes. 50. sed quòd septem dies satis sint, ideòque apud Hebræos, quos postea secuti sunt Christiani, septenarius hic luctus funeris fuerit usu receptus: septenarius enim numerus est plenitudinis & revolutionis: post hebdomadam enim septem dierum, iidem dies revolvuntur, & in orbem redeunt. Unde Tigurina, *defunctus septenis diebus est lamentabilis: stultus autem & impius diebus vitæ suæ omnibus*; alii, *luctus mortui septem dierum est: stulti autem & impii omnium dierum vitæ ipsius.* Adde, die septima finiri luctum; quia octava symbolum est resurrectionis, lætitiæ & felicitatis. Unde S. August. serm. 13. de Sanctis, ex nuper inventis ad fin. 10. tomi, expendens citatum Ecclesiastici locum, ostendensque sicut homo moritur, recedente anima, ita anima recedente Deo; subdit: *An verò*, inquit, *non in te sunt viscera Christiana miserationis, ut plangas corpus, à quo discessit anima; & non plangas animam, à qua recessit Deus?* Quasi nihil magis præposterum ac perversum esse possit.

Per *luctum* intellige ploratum & planctum (hic enim durabat per septem dies) in quo ejulabant; saccum sive cilicium induebant, caput cinere adspergebant, publico abstinebant. Adhibebant quoque tibicines & præficas, id est mulieres lamentatrices, quæ passis crinibus manus complodentes, pectora tundentes, & næniam lugubri voce modulantes, omnes excitabant ad planctum. Unde illud Poetæ:

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Ritus lugẽdi mortuos olim Addebant Gentiles, præsertim Romani, lacerationes genarum, maledicta in deos, laniationem comarum, lacertorum & pectorum. Unde Virgil. lib. 4. Æneid. de Anna Didonis mortem deplorante:

Unguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis.

Post hunc tamen planctum, sive luctum sepulchralem A & vehementem septem dierum; alium addebant leniorem qui durabat per annum integrum. In hoc luctu funebri apud Romanos erat iustitium: consules sedebant vulgari sede in curia: fasces præferebantur inversi: læta omnia vitabant: abstinebant publico: fugiebant convivia: focum non instruebant: uxoribus jam marito mortuo viduis, aliud inire matrimonium non licebat; tum, ut maritum honestè lugerent; tum, ut ejus manes placarent (quæ erat Gentilium superstitio:) tum, ut ait Ulpianus lib. 8. ad Edit. *Propter turbationem sanguinis*, ne, si fortè prægnans à defuncto marito relicta esset uxor, & illa intra legitimum tempus alteri nuberet, dubitari posset cujus esset proles. Ita Romulus luctus tempus decem mensium spatio (totidem enim mensibus annum ipse definivit, teste Macrobio l. 1. c. 12. cui postea Julius Cæsar duos addidit, fecitque ut essent duodecim menses in anno) circumscripsit, ut tanto tempore lugeretur hominis occasus, quanto fit ejus ortus. Novem enim vel decem mensibus homo formatur in utero matris. Unde Ovidius lib. 1. Fastorum:

Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses à funere conjugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Idem docet Cicero orat. pro Cluentio. Et Seneca epist. 63. *Annum*, inquit, *feminis ad lugendum constituere majores, non ut tam diu lugerent, sed ne diutiùs: viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum.* Sic de Junio Bruto consule Roman. ait Livius lib. 2. *Matronæ annum ut parentem eum* luxerunt, quòd tam acer *vltor violatæ pudicitiæ fuisset.* Sic & Gratianus, Valentinianus ac Theodosius Imper. annum lugendo marito præscripserunt, ut patet l. 2. Cod. Theodos.

CUM STULTO NE MULTUM LOQUARIS, ET CUM INSENSATO NE ABIERIS] Est dictorum conclusio, q. d. Cùm stulti, id est impii, suis peccatis affixi, sint incorrigibiles, ut moneri nolint, imò monita non audiant quasi dormientes & mortui; hinc infero & suadeo ut ab eorum consortio caveas, nec cum eis multùm loquaris, incedas aut converseris; tum, ne eorum insulsos improbosque sermones & mores audire & tolerare cogaris; tum, ne ipsi suam stultitiam & improbitatem tibi C afflent: qui enim versatur cum superbo, esto sit humilis, sensim ejus superbiam induit; qui cum avaro, ejus avaritiam; qui cum guloso, ejus gulam; qui cum luxurioso, ex eius obscœnis verbis & actibus quos quotidie aspicit, obscœnitatem etiam nescius & invitus imbibit. Unde Salomon Proverb. 13. v. 20. *Qui cum sapientibus graditur*, inquit, *sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur*: tum, ne stulti & impii suum malum nomen & infamiam tibi affricent. Qui enim cum improbis versantur, censentur improbi & malæ famæ: tum denique, quia cum eis, utpote desperatis, perdis oleum & operam. Unde Græca Complut. addunt, *Non sentiens* (non audiens, nolens attendere & advertere tua monita) *enim spernet omnia tua*; Tigurina vertit, *ne verba multa facias cum insipiente, nec ad excordem accesseris*; alii, *cum amente ne multiplices sermonem, & ad insipientem ne accedito*; Syrus, *cum stulto ne complaceas in sermonibus, & cum sue*, (impio & carnali, qui loquitur & vivit sordidè, ut sus & porcus) *ne incedas per viam.* Hoc est quod ait Salomon Proverb. 23. 9. D *In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui.* Et c. 9. 8. *Noli arguere derisorem ne oderit te. Argue sapientem, & diliget te.* VERS. 14.

SERVA TE AB ILLO, UT NON MOLESTIAM HABEAS, ET NON COINQUINABERIS PECCATO ILLIUS] Solent enim impii suis sceleribus sibi familiares & amicos in periculum litium, rixarum, carceris, privationis bonorum, infamiæ, mortis, peccati & gehennæ adducere. Græcè pro *peccato* est, ἐν τῷ ἐντιναγμῷ αὐτοῦ, id est, *in concussione illius.* Unde Tigurina, *nec labem ex conquassatione* (Vatabl. *ex interitu*; vel *dum quid eiaculatur*) *ipsius contrahas*, alii, *ne contamineris iis quæ excusserit*, Syrus, *recede ab illo ne contristet te, & ne conspurcet, cùm ipse excusserit se*, cùm, scilicet, impia sua verba & opera protulerit: sicut mendicus cùm suum centonem excutit, vicinos implet sordibus & vermibus. Unde Noster aptè vertit, *& non coinquinaberis peccato illius.* Huc facit proverbium Hebræorum: *Væ improbo, & væ vicino eius*; &, *Qui cum improbo habitat,* VERS. 15.

tat, cum eo vapulat. Et: *Propter folium vapulat caulis*, hoc est, propter impios pii eis familiares vituperantur.

Consortia pravorũ pestifera. Moraliter, disce hic quàm noxia sit societas stultorum, id est perversorum, qui non ratione, sed stultitia, id est, concupiscentia & imprudentia, aguntur. Horum enim consilia, colloquia, risus, actiones, &c. sunt pestifera, ac instar pestis contagium & virus suum aliis afflant. *Neque enim*, inquit Nazianzen. orat. 21. *vel pannis tincturam ita facilè concipit, vel is qui fœtido aut suavi odori propiùs se adiunxit, ejus particeps fit; vel vapor quidam morbidus, & noxius pari facilitate in aerem diffunditur, ac per aerem animantibus impertitur, quam nos verò nomine pestem dicimus: ut subditi præfectorum vitio celerimè imbui atque impleri solent, & quidem multò faciliùs quam virtute*. Porrò longè magis noxia est societas malorum, quàm salutifera sit societas bonorum, tum, quia ad malum procliviores sumus quàm ad bonum; tum, quia bonum est difficile & arduum, malum verò facile & in promptu. Audi S. August. lib. contra Fulgent. Donat. cap. 16. *Faciliùs*, inquit, *sanctus qui junctus fuerit genti huic pessimæ, pessimatur; quam gens ista in melius commutetur; quia procliviùs ad imitationem malorum curritur, quam ad virtutes bonorum animus excitatur: Sicut mellis plurimo parum absinthii iniectum, velocem amaritudinem trahit; mellis vero etiamsi duplum injiciatur, non poterit ejus obtinere dulcedo*. Eadem autem mellis & absinthii similitudine utitur Nazianz. ad idem, aliaque affert non reticendas: *Citiùs*, inquit, *exiguum vitium uberrimè largissimeque cuipiam impertiri queat, quàm vel copiosissima virtus parcè communicari: nam & exiguum absinthium amarorem suum melli celerrimè impertiverit; mel contrà ne duplo quidem majus, dulcedinem suam absinthio infuderit: ac parvo quidem lapide summoto, flumē totum in pronum trahitur: ejusdem autem impetus firmissimo etiam aggere cohiberi reprimiq; vix potest*. Hujus reisymbolū erat apud Judæos, quòd caro immunda & polluta suo contactu polluebat omnia quæ tangebat, caro verò sancta Deoq; oblata non sanctificabat tangentes vel comedentes eam, uti docet Aggæus c. 2. 12. Vide ibi dicta.

VERS. 16. DEFLECTE AB ILLO, ET INVENIES REQUIEM, ET NON ACIDIABERIS (tædio afficieris) IN STULTITIA ILLIUS] Alii, *in amentia illius*: unde Tigurina, *nec ab amentia ejus mœrorem accipias*; Complut. in *otiositate illius*. Græce enim est ἐν ἀπονοίᾳ αὐτοῦ. Ἀπονοια autem Primò, dicitur quasi ἄπονος, id est, sine labore, putà otium, segnities, socordia. Secundò, ἀπόνοια est ἄνοια: nam deducitur à νόος, id est, mens, cum ἀπὸ, id est, sine: & sic ἀπόνοια idem est quod sine mente, vecordia, amentia, vita flagitiosa & contaminata: item astus, superbia, arrogantia, contumacia, desperatio. Syrus, *recede ab illo, & invenies requiem, & non fatigabit te multitudine narrationum suarum*. Quocirca sapienter P. Syrus Mimus in Sent. *Amicitia firmamentum, ait, est sapientia*.

VERS. 17. SUPER PLUMBUM QUID GRAVABITUR? ET QUOD ILLI ALIUD NOMEN, QUAM FATUUS?] Corruptè Complut. legunt, *quam plumbum*. Sensus est q. d. Gravissimum inter metalla resque omnes est plumbum; at illo gravior, onerosior & molestior est stultus, id est, impius, præsertim quia in graves ærumnas, adeoque in gehennæ periculum se suosq; coniiciat, deprimit & demergit: q. d. Impius est plumbeus, imò plumbum & plumbo onerosior. Tigur. *quid nomines aliud quod gravius sit plumbo, quàm stultum?* Syrus, *plumbo enim valdè gravior est: & quod nomen ejus nisi stultus*. Alludit ad Prov. 27. *Grave est saxum, & onerosa arena; sed ira stulti utroq; gravior*. Verè S. Bern. tract. de Vita solit. *Malus homo, ait, nunquam tutè secum habitat, quia cum malo homine habitat: & nemo ei molestior est, quàm ipse sibi*; si sibi, ergo & aliis.

VERS. 18. ARENAM, ET SALEM, ET MASSAM FERRI FACILIUS EST FERRE, QUAM HOMINEM IMPRUDENTEM, ET FATUUM, ET IMPIUM] id est, quàm impium, qui est imprudens & fatuus, quia imprudenter & fatuè anteponit terram cælo, tēpus æternitati gehennam gloriæ, rogum regno, venerem Deo. Non enim hi sunt tres distincti, sed unus, & idem tria habens nomina quasi epitheta. Idem enim *imprudens est scientia, fatuus doctrina, impius vita*, ait Rabanus. Semper enim hoc libro per *fatuum insipientem*, & *imprudentem* intelligit impium. Unde Græca pro hisce tribus habent unum, scilicet ἀσύνετον, id est, imprudentem. Quem v. præced. comparavit plumbo ponderosissimo, hic tribus aliis valdè ponderosis pari modo comparat, nimirum, arenæ, sali & massæ ferri: hisce enim ponderosior est stultus & stultitia. Illa enim, ait Jansenius, corpus dumtaxat gravant, hæc verò animum: illa facilè excutiuntur, hęc ægrè & raro: illa arte allevari possunt, putà curru, equo, mulo vectari queunt; hujus pondus nulla re naturali (sed sola Dei illuminatione & gratia) non dico tolli, sed nec minui potest: præsertim quia fatuus putat se esse sapientem, imò sapientibus omnibus sapientiorem: quare à nemine doceri aut moveri se patitur, sed ipse omnes vult docere, & arguere, nihilque rectum putat nisi quod ipse dixerit aut gesserit. Quod sanè ei qui cum eo versatur, ingens est onus & molestia. Unde Syrus, *arenam, & salem, & pondus ferri facilius est ferre, quam habitare cum viro stulto*; Tigurina, *cum excorde. Igitur gravissima*, ait Palacius, *in mundo sunt plumbum, arena, sal, & ferrum. At his gravior est stultus. Si enim deorsum ferri, gravitatis est signum: fatuus in infernum descendit, quò plumbum & alia gravissima descendere nequeunt. Et quidem fert Deus omnia, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et fert omnia verbo virtutis suæ: fatuum tamen non sustinet. Ait enim: Laboravi sustinens; & tandem pondus in infernum excutiet*, Isaiæ 1. 14.

Quocirca Boetius lib. 4. de Consolat. docet, stultos, id est, impios, non tam esse homines quàm bestias. *Evenit igitur*, inquit, *ut quem transformatum vitiis videas, hominem existimare non possis. Avaritia fervet alienarum opum violentus ereptor? similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigiis exercet? cani comparabis. Insidiator occultis surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur. Ira intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? cervis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? asinum vivit. Levis ac inconstans studia permutat? nihil ab avibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit, ut qui, probitate deserta, homo esse desierit, cùm, in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam*. Hinc diducit hęc paradoxa, sed reipsa verissima. *Impii sūt quasi bruta.* Primum: *Sicut igitur probis probitas ipsa fit præmium, ita improbis nequitia ipsa supplicium est*. *Quinque corollaria. Primum.* Secundum: *Cùm ipsum bonum beatitudo sit, bonos omnes eo ipso quòd boni sunt fieri beatos liquet: sed qui beati sunt, deos esse convenit*. *Secūdum.* Tertium: *Infeliciores esse necesse est malos, cùm cupita perfecerint, quàm si ea quæ cupiunt, implere non possint. Nam si miserum est voluisse prava, potuisse miserius est, sine quo voluntatis misera langueret effectus. Itaque cùm sua singulis miseria sit, triplici infortunio necesse est ut urgeantur, quos videas scelus velle, posse, perficere*. *Tertium.* Quartum: *Feliciores esse improbos supplicia luentes, quàm si eos nulla iustitiæ pœna coerceat*. *Quartum.* Rationem subdit quòd ipsa peccandi impunitas magnum sit malum & infelicitas; ex adverso pœna castigans culpam magnum sit justitiæ bonum, quo carent improbi, dum manent impuniti. feliciores ergo sunt puniti quàm impuniti. Quintum *Veram illam Platonis esse sententiam liquet, solos, quod desiderent, facere posse sapientes: improbos verò exercere quidem quod libeat; quod verò desiderent, explere non posse. Faciunt enim quelibet, dum per ea quibus delectantur, ad bonum quod desiderant, se adepturos putant; sed minimè adipiscantur, quoniam ad beatitudinem probra non veniunt*, nec cupiditatem explent, nec mentem satiant. *Quintum.*

VERS. 19. LORAMENTUM (malè nonnulli legunt, *ornamentum*; alii, *levamentum*, pro *ligamentum*) LIGNEUM COLLIGATUM IN FUNDAMENTO ÆDIFICII NON DISSOLVETUR: SIC ET COR CONFIRMATUM IN COGITATIONE CONSILII. VERS. 20. COGITATUS SENSATI IN OMNI TEMPORE, METU NON DEPRAVABITUR] *Loramentum* propriè est lorum, quo quasi retinaculo constringuntur & retinentur canes, boves, ceteraq; jumenta, quales sunt habenę equorum. Hinc per catachresin *loramentum* significat quodvis vinculum & ligamentum, sive illud ex loris, sive ex catenis, sive ex lignis, sive ex alia materia sit factum. Hic ergo significat vinculum ligneum, sive aptam lignorum inter se connexionem, & contignationem, quę fit per clavos ligneos. Idem significat Gręcum ἱμάντωσις, id est, colligatio, conjunctio: ἱμὰς enim est lorum vel corrigia qua res colligantur; item feramentum rotę. Rursum ἱμάντωσις est lignum, quod ad continendos parietes in medio structurę ponitur, ait S. Hieronymus & Suidas.

Syrus

Syrus pro *ἱμάντωσις*, legit *ἱματισμὸς*, id est, vestimentum. Vnde vertit, *sicut vestis ex lino aut lana alba* (ξύλινον enim & ligneum significat, & lineum vel laneum, putà gossipinum. ξύλον enim est gossipium siue bombax aut bombasium) *coram tempestate non consistit; ita & cor stulti in visceribus ejus contritum est, & coram tribulatione non potest consistere.*

Græca addunt *ἐν συσσεισμῷ*, id est, in concussione. Sensus ergo est: q. d. Sicut *loramentum*, id est alligamentum vel connexio trabium ædificij, quæ lignis, & ligneis clavis quasi loris firmissimè colligantur, non facilè dissolvitur, nec vi ventorum concutitur: sic nec prudens & firmum sapientis consilium facilè dissolvitur, aut vi tentationum, adversitatum, persecutionum infringitur vel concutitur: validis enim rationibus quasi clavis connexum & compactum est: quo fit ut sapientis animus non facilè à suo proposito, priùs benè expenso & consultato abducatur: cogitatus ergo sensati & prudentis, metu potentum, & quarumvis difficultatum, non flectitur, non concutitur, ut ejus propositum evertatur aut depravetur. metum enim assimilat concussioni. Vnde ex Græco sic vertunt Complut. *connexio lignea ligata in*
B *ædificium, in concussione non dissolvuntur: sic cor firmatum in cogitatione consilij, in omni tempore non timebit;* Tigur. *vt compages & ligamenta lignea ædificio indita concussu non dissolvuntur: sic animus firmatus perpenso consilio nullo tempore pertimescet.* Vatablus pro *compages*, vertit, *subscudes. Subscudes sunt tabellæ*, inquit Festus, *quibus tabulæ inter se configuntur: sic dictæ, quia quà immittuntur, succiduntur.* Rursum subscudes sunt lignea retinacula, quæ etiam securiculæ à forma vocantur, quasi securiculæ, quibus duo tigna tenacissimè inter se vinciuntur. Galli hirundinum caudas appellant. Sic Vitruvius lib. 10. c. 10. vocat subscudem, molle ferrum molendini, quod molam continet. Et Pacuvius: *Nec ulla subscus continet compagem.* Alij vertunt, *compages lignea in ædificatione connexa commotione non dissolvitur, sic cor deliberato consilio firmatum, nullo tempore pertimescet;* Syrus, *sicut structura lignorum colligata in parietibus angulorum domus, sic cor intelligens in consilio mentis suæ, & omnis timor non dimovebit illud.* Hoc est quod canit Psaltes psal. 111. *Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus, non commovebitur.*

Causa est, quòd prudens prudenter omnia prævideat, examinet, disponat & connectat, contraque omnes tentationes & difficultates se præmuniat & obarmet. Imitatur enim Deum, cujus providentia, & provida dispositio certa & inconcussa persistit, attingens à fine vsque
C ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter; quia rerum omnium series & ordines adeò sapienter rationibus inter se connexuit, vt nulla hominum vel dæmonum vi everti possint. Hanc sapientiam inconcussam & inviolabilem justis, quasi suis amicis & filijs, per gratiam aspirat Deus: quo fit ut ipsorum consilia quasi divina, contra omnes dæmonum hominumque vires & fraudes inconcussa consistant. Sic de Fabricio dicebant Romani: *Facilius est solem à suo cursu, quàm Fabricium à suo proposito deducere.* Talis fuit S. Athanasius, qui nullis Imperatorum, Episcoporum, totiusque orbis persecutionibus per 46. annos à proposito tuendi homousii contra Arrianos deduci potuit. Tales fuere S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Nazianzenus, ceterique heroes Ecclesiæ. Tales fuere Martyres, de quibus canit Ecclesia:

Hi pro te furias atque ferocia
Calcarunt hominum, sævaque verbera.
Cessit his lacerans fortiter ungula,
Nec carpsit penetralia.

D Moral. disce hìc per Dei gratiam & consilium firmare cor tuum in proposito serviendi Deo, ut firmiter decernas nullo metu, pretio vel præmio à Dei cultu resilire. Hoc enim propositum dum perseverat, nullo temporis lapsu senescit, nullo tyrannorum metu evertitur. Si ædificium sanctitatis dirui debet, priùs hoc propositum à corde auferatur oportet. Ita David psalm. 118. *Iuravi*, inquit, *& statui custodire judicia justitiæ tuæ.* A bonis ergo firmisque propositis crebrò iteratis & confirmatis, pendet constantia virtutis, bonorum operum, sanctitatis & salutis.

Mysticè, Rabanus, *Loramentum*, inquit, *ligneum colligatum fundamento ædificij non dissolvitur, quoniam*
A *fides passionis Christi in cordibus credentium adjuncta doctrina Apostolorum, indissolubile ædificium Ecclesiæ facit, vtraque charitatis glutino fortiter connexum, nec persecutorum minis & flagellis, nec hæreticorum insidiis vnquam destrui permittit: firmum enim stat Domini fundamentum, & cor fidelis viri in hujusmodi dogmatibus confirmatum, aliqua adversitate infirmari non potest; sed summi artificis manu corroboratum, illæsum permanet in perpetuum.*

SICUT ORNATUS ARENOSUS IN PARIETE LIMPIDO] Dele hæc verba cum Romanis, licèt enim habeantur in Græco; tamen Noster Latinus ea expressit verbis sequentibus, scilicet *cæmenta sine impensa posita:* hæc enim sunt *ornatus arenosus* parietis, putà crusta ex calce & arena, quæ parieti superinducitur. Verùm, quia id sciolus quispiam non advertit, hinc quod in Græco invenit, sic ad verbum expressit: *Sicut ornatus*, &c. Porrò Græca hæc jungunt versui præced. hoc modo: *Cor firmum in mente intellectus* vel *consilii, sicut ornatus arenosus in pariete raso*, id est, terso. q. d. *Sicut ornatus arenosus*, id est, calx mista arenæ, putà cæmentum, parietem incrustat, firmat & ornat: sic & consi-
B lium viri prudentis cor firmat & ornat: prudentia enim & solertia deliberandi, & dijudicandi, animo sapientis ingens est monimentum, æquè ac ornamentum. Vnde Syrus, *cor sincerum in cogitatione mentis suæ, sicut ornamentum statua in parietibus ornatis;* Tigurina, *animus sententia cordata mixus, est velut in polito pariete arenarum tectorium.* Græca tamen Romę emendata hęc verba jungunt sequentibus, uti faciunt Latina: unde sic habent, *sicut ornatus arenosus parietis limpidi, pali in excelso contra faciem venti positi non permanebunt: sic cor timidum in cogitatione stulti contra omnem timorem non resistet.*

SICVT PALI (minùs rectè nonnulli legunt, *paleæ*, græcè enim est *χάρακες*, id est vali, id est, firmiores pali cui vitis alligatur: pedamentum dicunt Latini & statumen) IN EXCELSIS, ET CÆMENTA SINE IMPENSA POSITA CONTRA FACIEM VENTI NON PERMANEBVNT: SIC ET COR TIMIDVM IN COGITATIONE STVLTI CONTRA IMPETVM TIMORIS NON RESISTET] Cordi sapientis firmo, quod nullo metu concutitur, eò quòd in omnibus se dirigat su-
C o consilio & prudentia, opponit *cor timidum* stulti, quod quia consilio & prudentia destituitur, timore occurrentium difficultatum agitatur, sicut vento agitantur cannæ & *pali in excelso* collocati, & sicut *cæmenta sine impensa*, id est, leviter & temerè (quia scilicet parcitum est calci, ut nimium sit arenæ, quæ tam exigua calce imbui & conglutinari nequeat; vel, quia calx negligenter fuit præparata, ut parceretur impensæ) præparata, iniecta parieti, facilè à vento, velut decidua, discutiuntur, vel pluvia diluuntur. Eodem enim modo & cor fatui, ait Jansenius, quod sibi non est bene conscium, & in bono firmatum non est, nec habet suarum actionum solidas rationes, mox, cùm tempestas aliqua malorum ingruerit, timorem incutiens, non persistit; sed deijcitur & turbatur, animi consiliique inops, nihil firmum sequitur, sed fluctuat, dilabitur, & in omnem se mutat occasionem. Vnde Græca Complut. habent, *sustentacula in alto posita contra ventum non permanebunt: sic cor timidum in cogitatione fatui contra omnem timorem non resistet;* Tigurina, *vt positi in excelso valli ventum non sustinent: sic animus meticulosus in consultatione stulti, contra*
D *nullum metum subsisterit;* alij, *ridica in sublime posita adversus ventum non permanent: ita cor pavidum in cogitatione stulti adversus nullum metum subsistit.* Metus ergo discriminat cor sapiens & stultum: nam vincit cor stulti, vincitur verò à corde sapientis. *Ridica* est pedamentum vinearum, quod è quercu & junipero solet fieri, & subinde olea. Ridicæ ergo sunt pali quernei, aut juniperini, vel oleagini, aut sambucini, &c. qui vites sustentant: quod Romæ faciunt cannæ, sive calami arundinum. Porrò codices Græci & Latini hìc mirè variant.; Vide Franc. Lucam hìc: sed sequenda nobis est Latina Vulgata Romæ emendata. Syrus, *ligamen parvum super lapide elevato, & qui parum bonus est coram vento non poterit stare.* Siracidi attestatur Christus Matth. 7. 24. *Omnis*, inquit, *qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum*

VERS. 21.

VERS. 22.

Insipiens pavidus, sapiens impavidus.

Google

domum illam; & non cecidit: fundata enim erat super petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.

Ratio à priori. Ratio à priori hujus sententiæ est. Prima, quòd sapientia, id est virtus, natura sua sit fortis & constans, vitium verò & vitiosa conscientia sit pavida, levis & inconstans. de quo plura Sapient. 17. 3. & seq. Secunda, quòd sapiens, id est prudens, nihil aggrediatur nisi priùs bene libratum & discussum; quare omnia agit ex præscripto prudentiæ, & ex sapientum consilio: consilium autem firmat hominē, & communit contra omnes incidentes casus, pericula & timores, ut in omnibus impavidus consistat. Imprudens verò & stultus, quia temerè sua agit, sine præmeditatione & consilio, hinc, cùm in rei executione occurrunt difficultates & pericula, iis se expedire nequit: quare trepidat angitur, & variis timoribus discruciatur. Igitur stultus similis est cervo ubique timido, quia innata est ei timiditas & pavor. de quo extat apologus apud Gabr. Faernum.

Apologus. *Hinnulum cum cervo sic locutum aliquando ferunt. Mi pater, cùm multo sis major canibus, & pedum bis celeritate præstes, præterea cùm tibi sint ardua cornua, quibus à te vim propulsare facilè possis; qui fit, ut canes tantopere metuas? Ibi cervus ridens: Mi nate, vera, inquit, memoras: Mihi tamen, nescio quo pacto, semper accidit, ut audita canum voce, in fugam statim convertar.* Affabulatio.

Timidi & fugacis ingenii qui sunt, eos
Nulla arma, nulla texerint sat mœnia.

Talis fuit Pisander, qui anxiè metuebat ne suam ipsius animam alicubi videret, quæ se vivum dereliquisset. Unde proverbium: *Pisandro timidior*. Ita extimuit cor Adæ post comestum pomum vetitum: *Vocem*, inquit, *tuam audivi in paradiso, & timui eò quod nudus essem, & abscondi me*, Genes. 3. 10. Ita pavidum fuit cor Caini post parricidium Abelis, unde ait: *A facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui invenerit me, occidet me*, Genes. 4. 14. Ita trepidarunt Ægyptii ad plagas Mosis, quorum pavorem graphicè depingit Sapient. c. 17. 3. Porrò pavor hic ingens est malum & tormentum, juxta illud Arabum adagium: *Accidens* (infortunium) *patienti unum est, paventi autem geminum*. Et illud: *Pejor est bello timor ipse belli*.

Vers. 23. SICUT COR TREPIDUM IN COGITATIONE FATUI, OMNI TEMPORE NON METUET, SIC ET QUI IN PRÆCEPTIS DEI PERMANET SEMPER] Jansenius & Franc. Lucas censent hunc versum irrepsisse ex varia translatione v. præced. tum, quia hic versus deest in Græco, eumq; omittit Raban. tum, quia incongruum videtur habere sensum; tum, quia in speciem repugnat versui præcedenti. Verùm, quia Biblia Latina pleraque, etiam à Romanis correcta, eum constanter legunt, Primò, Jansenius eum sic nectit & exponit: *Omni tempore non metuet sic*, scilicet, sicut stultus, &, id est etiam, *ille qui in præceptis Dei permanet semper*. q. d. Stultus metuet, at non etiam id faciet sapiens & justus. Unde Biblia Bessarionis, Brugensia, & Attebatensia, quæ citat Franc. Lucas, omittunt τὸ *sicut cor trepidum in cogitatione fatui*, sicque legunt quod sequitur: *Et in omni tempore non metuet qui in præceptis Dei permanet semper*, quę sanè lectio plena & apta est hoc loco.

Secundò, sequendo editionem & distinctionem Romanam, hic erit sensus: q. d. Sicut cor fatui trepidum ad terricula humana, numquam metuit minas & terriculamenta divina, putà non timet Deum, non judicium, non dæmonem, non infernum: sic ex adverso sapiens, qui permanet in præceptis Dei, non metuit terriculamenta humana, sed divina. Aut potiùs, ut aptiùs cohæreat præcedentibus: q. d. Fatuus *non metuit omni tempore*, sed aliquo tantùm, nimirum tempore timoris, uti præcessit, quando, scilicet, timor paupertatis, infamiæ, adversitatis, aut cladis eum invaserit. At verè sapiens, qui in præceptis Dei permanet, semper non metuet, semper erit metus & timoris expers, unde Raban. pro *sic & qui*, legit, *sed qui*, ut vis antitheseos consistat in τῷ *non omni tempore*, & *semper*: q. d. Stultus omni tempore non metuet, sed aliquo; at sapiens semper non metuet, id est, numquam metuet; nimirum, non metuet paupertatem, non persecutionem, non mortem, non dæmones, non gehennam: quia *perfecta charitas foras mittit timorem*, 1. Joan. 4. 18. vide ibi dicta. Hinc justus confidit ut leo, imò morti insultat, uti fecit S. Andreas, S. Ignatius, S. Polycarpus, S. Laurentius, S. Vincentius, &c. Metus ergo spoliationis, infamiæ, incarcerationis, mortis, est lapis lydius quo discriminantur stulti à sapientibus & cordatis: stulti enim metui cedunt, cordati constanter & fortiter resistunt, ut sapientiam, & justitiam conservent. Exempla.

Præclarè S. Gregor. Nazian. in Distichis: *Ut incus maxima*, inquit, *ictus non pertimescit: sic mens sapiens omne detrimentum extrudit. Ut foliorum strepitus exterrent lepores: ita rerum umbra timidos homines atq; ignavos.* Sapiens ergo audet ut leo, insipiens pavet ut lepus: illius cor leoninum est, hujus leporinum. Hinc S. Pancratius Martyr ad Diocletianum: *Noli*, inquit, *Imperator frustra decipi quod me puerum vides, Nam Dominus Jesus Christus eam mihi mentem infudit, ut nullos terrores principum aut judicum reformidem*. Et S. Achatius centurio & Martyr: *En*, inquit, *corpus ad flagella paratissimum, utere eo ut libet; animi verò mei propositum nec Imperator, nec omnis dæmonum malitia evertere poterit*. Gnoma!

PUNGENS OCULUM DEDUCIT LACRYMAS: ET QUI PUNGIT COR, PROFERT SENSUM] Raban. hęc jungit pręcedentibus, sicque legit: *Sed qui in præceptis Dei permanet, semper pungens oculos deducet lacrymas*. Verum Gręca & ceteri Latini legunt & dispungunt eo modo, quo Vulgatus Interpres. Sensum jam dabo.

PUNGENS OCULUM DEDUCIT LACRYMAS: ET (id est *sic*, similiter, simili modo) QUI PUNGIT COR, PROFERT SENSUM] Pro *sensum*, gręcè non est σύνεσιν, id est sapientiam, prudentiam, αἴσθησιν, id est, sensationem, qua sentitur ipsa punctio & punctura. q. d. Sicut oculus dum pungitur, ostendit se hanc puncturam sentire & dolere, huncque suum sensum & dolorem testatur per lacrymas, quas velut sui indices emittit, & profundit: ita similiter, *qui pungit cor*, id est mentem, minando, laudando, terrendo, interrogando, agitando, vexando, objecta amoris vel odii proponendo, &c. hic *profert sensum*, id est, affectus irę, lętitię, timoris proritat & prodi facit, ut illi se has minas, laudes, terrores, vexationes sentire per signa externa significent. Unde Tigurina, *qui pungit oculum*, inquit, *elicit lacrymam: qui cor stimulat, affectus proritat*; alii, *patefacit sensum*. Vers. 24.

Analogię cordis & oculi quinque. Appositè cor comparat oculo. Primò, quia utrumque est pręstantissimum hominis membrum, ęquè ac tenerrimum. Secundò, utrumque valdè est sensibile. Unde sicut oculus est sedes lacrymarum, ita cor est sedes passionum & affectionum animi. Tertiò, quia sympathia est inter cor & oculum: cor enim suos affectus amoris, odii, irę, lętitię, tristitię, pavoris, solicitudinis maximè ostendit per oculos. Quartò, quia quod oculus est in capite, hoc est cor in pectore: sicut enim pręcipuus sensus externus, putà visus, quo homo percipit sentitque res omnes, est in capite: sic pręcipuus sensus internus, quo omnes animę affectiones circa res quaslibet sentiuntur ab homine, est in corde. Quare sicut oculus est quasi cor capitis & sensuum exteriorum: sic vicissim cor est quasi oculus pectoris & sensuum interiorum. Quintò, sicut oculus, quia tener, illicò in punctura suum dolorem per lacrymas significat: ita cor suam in punctura sensationem, per affectus internos & externos manifestat.

Porrò sententia hęc, quia generalis, cuilibet punctioni cordis, & cuilibet ejus tentationi aptari potest: propriè tamen Siracides respicit ad puncturam, qua lęditur amicus & amicitia: de qua enim agit in sequentibus: q. d. Sicut qui oculum alterius pungit, cum dolore afficit, facitque ut ipse dolorem suum indicet per lacrymas: sic qui pungit amici cor verbis mordacibus & aculeatis, aut factis injuriosis, hic illud dolore afficit, facitq; ut ipsum hunc sui doloris, sensum per gemitus, fremitus, suspiria, verbaq; dolentia significet: cùm enim sedes tristitię cor sit, cor punctum contumelia, gemitu & lacrymis ubertim manet, quę ingētis mœroris testes sunt. ita Syrus, *plaga* (vel percussio) *oculi*, inquit, *descendere facit lacrymas, & plaga cordis aufert amicitiam*. Tacitè ergo admonet, ut caveamus ab omni injuria & mordacitate, ne illa amicum offendamus, & amicitiam evertamus. Idem clariùs significat sequ. versu, alia avium similitudine. Unde Palacius sic explicat: *Vis*, inquit, *cognoscere, quali sensu quilibet est? Punge cor ejus, illi aliquo verbo exstimula, aliqua injuria vel molestia affice.*

Ut

Ut enim naturale est oculo puncto lacrymas proferre: ita cordi puncto, sui specimen & indicium producere. Facilè abscondas cor tuum, si tibi detur cogitandi locus: at, si subito pungaris, subito proferes quis sis, scilicet mansuetus, patiens, humilis, aut contra.

Vers. 25. MITTENS LAPIDEM IN VOLATILIA, DEIICIET (græcè, ἀποσοβεῖ, id est, abigit, repellit, excutit, alienat) ILLA: SIC ET QUI CONVITIATUR AMICO, DISSOLVIT AMICITIAM] q. d. Sicut jaciens lapidem in aves, deiicit & depellit illas ex arbore in qua resident, illasque abigit & avolare facit: ita *qui convitiatur amico*, depellit abigitque illum, ejusque *amicitiam* alienat, & *dissolvit*. Monet ergo in amicitia summè cavendum à convitio, utpote quod sit quasi telum jactum in amicum, eum fugans & offendens. Amici enim ab amicis non ferunt probra, sed ab eis coli & honorari volunt. Hanc autem amicitiæ legem transgreditur, qui hostis ingenium induens, dedecore afficit amicum, ejusque vitia in publicum prodit, percutiens eum mucrone convitij. Agit enim hic de convitio non levi & familiari, sed gravi, quod amici famam adimit, aut valdè lædit. Unde Syrus, *qui projicit lapidem in avem, avolare facit eam; & qui fraudat socium suum, tollit* (alia lectio habet *perdit*) *amicitiam ejus*; Tigurina, *qui volucres lapide petierit, abiget eas: qui probrum obiicit amico, dirimit amicitiam*. Addit Syrus, *Erga amicum tuum ne muteris, & si mutatus fueris, ne speres futuram tibi cum illo amicitiam*. Huc facit gnome P. Syri: *Amicum lædere ne ioco quidem licet*. Et: *Amicum perdere est damnorum maximum. Tanti homo est absque amico, quanti corpus sine spiritu*. Nimirum *amicus est fidus solatij portus. Pessima promptius cum amicis, quam solus optima perferas.*

AD AMICUM ETSI PRODUXERIS GLADIUM,
Vers. 26. NON DESPERES: EST ENIM REGRESSUS.

AD AMICUM SI APERUERIS OS TRISTE,
Vers. 27. NON TIMEAS: EST ENIM CONCORDATIO; EXCEPTO CONVITIO, ET IMPROPERIO, ET SUPERBIA, ET MYSTERII REVELATIONE, ET PLAGA DOLOSA: IN HIS OMNIBUS EFFUGIET AMICUS] *Os triste*, id est, os iratum, ut iracunda, morosa, acerba minacia verba protulerit. Sic *tristis* pro irato, sævo & minaci sumitur, cùm dicitur: *Acheron tristis, bellum triste, arma tristia*, quia tristitia in fronte hominis crudelitatis, iræ, minarum indicium est. Virgil. Æneid. 2.

Quò tristis Erinnys, Quò fremitus vocat.

Ibidem:

Illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

Ibidem:

Isque adytis hæc tristia dicta reportat.

tristia, id est minacia. Et Lucilius: *Timeo certè ne mihi sit tristior*, id est iratior. Tristitia enim & ira sese invicem comitantur: irascimur enim malo de quo tristamur, ac vicissim tristamur de malo cui irascimur. Hinc Virgil. ecloga 2. vocat *tristes iras*, quia tristes faciunt. Et,

Corque meum penitus turgescit tristibus iris.

Quod citat Cicero Tuscul. 3.

Ostendit quàm convitium sit noxium amicitiæ ex comparatione aliarum iniuriarum: q. d. Etiamsi ex subita ira & cholera strinxeris gladium in amicum, ne desperes de amicitia: facilè enim licebit per submissionem & pœnitentiam cum eo in gratiam redire. Multò magis si ex mentis præcipitatione, passione, & perturbatione aperueris os triste, ut amarulentius verbum in amicum jeceris, eumque contristaveris, non timeas eum amicitiæ renunciaturum: est enim modus & locus reconciliationi. Excipe tamen convitium destinatum, superbiam, secreti revelationem, & plagam dolosam: in his enim læditur cor amicitiæ. Quocirca amicus si iis impetatur, quasi lethalibus telis confixus, irrevocabiliter aufugiet, eritque irreconciliabilis. Unde Tigurina, sive Vatablus, *si gladium strinxeris in amicum, spem ne abiicias: est enim in gratiam reditio. Si verbis invectus fueris in amicum, ne metuas: locus enim reconciliationi superest; dummodò convitium, aut superbia, aut arcani patefactio, aut ictus insidiosus absfuerit: his enim omnis amicus fugabitur*; Syrus, *erga amicum tuum etiamsi eduxeris gladium, ne despondeas animo: est enim illi regressus. Et si adversus amicum aperueris os, ne timeas: quia est illi reconciliatio. Filius ignominia est ille, qui revelat secretum: plaga destructionis* (vel *fraudulenta*) *aufert amicitiam*. Igitur docet hic Siracides reconciliabiles esse iniurias in amicum, vel verbis vel factis editas, quæ ex subita passione committuntur; ac proinde honorem & famam amico non auferunt: irreconciliabiles verò esse eas quæ destinatò & meditatò perpetrantur, ideoque judices sunt non subitæ iræ, sed permanentis odij, aut quæ honorem & famam amico adimunt. Talem esse docet Primò, *convitium*, id est, probrum destinatum vel deliberatum, iactum in bonum nomen & dignitatem amici, eamque lædens vel auferens.

Quinque vitia abrumpunt amicitiā. Primum.

Secundò, talem esse ait *improperium*, id est, beneficij collati exprobrationem, quà quis improperat amico ipsum beneficio esse ingratum & indignum, ac pro beneficiis rependisse maleficia. *Secundū.*

Tertiò, talem esse asserit *superbiam*, quà quis arroganter se super amicum extollit, eumque despicit & deprimit. Amicus enim amico cupit esse par & æqualis: & amicitia est quædam paritas & æqualitas. Quare *amicitia omnis expers est superbiæ*, ut habet vulgare proverbium, & S. Ambros. loco mox citando. *Tertium.*

Quartum est *mysterij*, id est, arcani sive secreti, quod amicus amico credidit, *revelatio*. hanc enim omnes indignè ferunt, censentque insignem esse infidelitatem & iniuriam. Secretum enim suum quisque amat, ut cor proprium, illudque nemini credit, nisi sibi & amico, qui est alter ego. Quare qui secretum prodit, cor quasi amici prodit & aufert. Huc facit gnome P. Syri: *Amicitiæ coagulum unicum est fides.* *Quartū.*

Quintum est, *plaga dolosa*, cùm quis scilicet ex insidiis & fraudulenter amicum lædit, aut officio, gradu vel dignitate deiicit & deturbat. Quocirca Salomon Proverb. 25. 16. *Iaculum*, inquit, *& gladius & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium*. Unde S. Ambros. lib. 3. Offic. c. 16. *In his rebus, ait, requirenda est veritas testimonij, ne amicus appetatur amici perfidia, cuius fide absolvi debebat. Amicus itaque neque noxio gratificari debet, neque innocenti insidiari.* Hæc quinque igitur petunt jugulum amicitiæ, amicosque adeò alienant & offendunt, ut tesseram diffringant sine spe redintegrationis & reconciliationis. *Quintū.*

Id ita fit sæpè & communiter, si naturam & gratiam ordinariam spectes: at non semper. Omnia enim superat insignis Dei gratia, ac perfecta charitas hæc & plura exsorbet, nec ullà re violari se sinit, quin potiùs quibuslibet offensis quasi flabellis, ejus flamma magis accenditur & inardescit. Unde S. Ambros. lib. 2. de Interpellatione Job. c. 2. explicans illud Job c. 19. v. 7. juxta Septuag. *Ecce rideo opprobrio, & non loquar*, ait Job præ gaudio ridere in contumeliis. In conviciorum verò tolerantia tres gradus assignat, nimirum *tacere, ridere, benedicere*. In primo collocat Davidem, qui cùm esset rex & petulanter à vili Semei malediceretur, tacitus, gemens & orans probra ejus excipiebat. In secundo, altiori utique & perfectiori, reponit Job, qui in contumeliis ridebat quasi Evangelicæ perfectionis æmulator, & illius beatitudinis particeps, quam Christus octavo loco, quasi summo, tamquam perfectionis culmen constituit, dicens: *Beati estis cum maledixerint vobis homines: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*; Matth. 5. 11. In tertio denique, Evangelij athlotam Paulum, Judæis maledicentibus benedicentem, primipilum ponit. *Et si servus*, inquit, *protervus, &, si pauper convitiatur, tacet justus; &, si peccator opprobria jacit, justus ridet; &, si infirmus maledicit, justus benedicit. Tacebat David cum Semei malediceret, Job ridebat, Paulus benedicebat, sicut ipse ait: Maledicimur & benedicimus.* 1. Corinth. 4. Quocirca meritò exclamat Palacius: *O Christo gratia, cum quo reconciliatio patet, etiamsi his omnibus eum læserimus. Eidem sit etiam gratia, qui iussit, ut etiam his omnibus læsi, proximo reconciliemur. Si enim non dimittimus ex cordibus nostris, nec dimittetur nobis. Ergo tempora illa veteris legis non ita exigebant amicitiam nostram, ut Evangelica tempora. Tunc enim dicebatur: Odio habebis inimicum tuum; nunc autem: Diligite inimicos vestros.* *Tres gradus patientiæ.*

FIDEM POSSIDE CUM PROXIMO IN PAUPERTATE ILLIUS, UT ET IN BONIS ILLIUS LÆTERIS] Legit εὐφρανθῇς, id est, *læteris*: & ita legunt Complut. Verùm Romana, & alij legunt ἐμπλησθῇς, id est, *simul impleaaris*. Unde Tigurina, *præbe te fidum amico* Vers. 28.

pauperi, ut unà læteris rebus ejus felicibus; alii, *ut bonis ejus unà fruaris*; Syrus, *sustenta proximum tuum in paupertate sua, ut etiam in bonis ejus communices*. Monet in egestate & adversis fidem & opem præstandam amico, in eoque discerni verum amicum à ficto & ollari, ac mercedem & fructum assignat: nimirum hac ratione eum prosperitatis, afflante fortuna, amico rediturae participem fore. Horum enim eum consortem faciet amicus, ut gratias ei referat, & fidem fidei rependat. Huc facit gnome P. Syri:

Amicum, an nomen habens, aperit calamitas.
Amico ea exhibeto, quæ velis tibi.

Et illa vulgata: *Amicitiam retinet fides & veritas. Amicus amici actu lætatur uti suo. Amicitia ollaris ferves, quàdiu olla fervida est*. Exemplum illustre est in Christo & Apostolis, quibus proinde ait Christus: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et* (idcircò) *ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel*, Lucæ 22.28

Vers. 29. IN TEMPORE TRIBULATIONIS ILLIUS PERMANE ILLI FIDELIS, UT ET IN HEREDITATE ILLIUS COHERES SIS] Quod dixit de paupertate, nunc de quavis tribulatione dicit, scilicet, in omni fidem amico servandam. Mercedem assignat hereditatis participium, nimirum, cùm amicus hereditatem patris, avunculi, aut cognati nactus fuerit, ejus participem facturum amicum, qui in tribulatione, ac præsertim in exspectatione & lite hereditatis, illi fideliter opibus, ope, & opera astiterit, imò subinde eum heredem instituturum.

Ubi Nota, Moris olim fuisse amicis partem aliquam hereditatis testamento relinquere, ut in historiis Romanis videre est. Sic enim Mæcenas Augustum Cæsarem, quasi amicum ex asse heredem instituit. Vnde Tigur. vertit, *fidem ei serves tempore calamitatis, ut unà cum eo venias in possessionem ipsius*; alii, *tempore adverso permane apud ipsum ut patrimonii ejus heres fias*; Syrus, *in tempore angustiæ esto illi socius, ut etiam in hereditate ejus heredites*.

Hinc moraliter infert Palacius: Ergo cùm Christus in membris suis, putà in pauperibus & afflictis paupertatem patiatur & tribulationem (ait enim ipse Saulo Actor. 9. *Saule Saule, quid me persequeris?*) simus illi fideles; communicando minimis ejus opem, opesque nostras, *ut deinde ipse nobis communicet suas longè ditiores & copiosiores.*

Græca Complut. & alia hoc loco hunc versum subnectunt quasi causam præcedentis: *Non despicienda enim semper circumscriptio*, id est res circumscripta & arcta, *neque mirabilis dives mentem non habens*; vel ut clariùs vertit Tigurina, *non enim spernenda semper angusta res est, nec dives mentis inops admirandus*. Verùm Codices Græci Romæ correcti, Syri & Latini omnes illum omittunt.

Vers. 30. ANTE IGNEM CAMINI VAPOR, ET FUMUS IGNIS INALTATUR: SIC ET ANTE SANGUINEM MALEDICTA, ET CONTUMELIÆ, ET MINÆ] Hæc more Hebræo ad versum non proximum, sed remotiorem sunt referenda: pertinent enim ad convitia, à quibus abstinendum monuit v. 25. & 27. Hic enim conviciorum terminum & damnum assignat, scilicet, cædes & vulnera. Sensus ergo est, q. d. Abstine à convitiis, maledictis & rixis: quia sicut ex fumo naturaliter sequitur ignis, id est, flamma omnia comburens; sic ex convitiis, maledictis, & rixis sequitur effusio sanguinis, & cædes omnia vastans. Verissimum enim est illud Mimi: *Ab altero exspectes, alteri quod feceris. Litem lis parit, noxa noxam.*

Appositè comparat convitio fumo, cædem flammæ. Primò, quia sicut ex igne latente exsurgit fumus: sic ex ira & excandescentia animi, prodeunt convitia & jurgia. Secundò, sicut ignis latens fumum conglomerat in altum; sic ira multiplicat convitia & rixas, ac à levibus sensim ascendit ad graves, graviores & gravissimas.

Convitii & fumi quatuor analogiæ.

Tertiò, sicut fumus obnubilat oculos corporis, ut nec flammam, nec rem quæ flamma aduritur, nec incolas, nec quid aliud videant: sic iræ & rixæ obnubilant oculos mentis, ut irati nec suam iram, nec damna ex illa sibi aliisque obventura videant.

Quartò, sicut fumus vertitur in flammam maximam, quæ omnia populatur: sic rixæ utrimque rixantium animos accendunt, ut in mutua verbera & cædes grassentur. Græca de more breviter sic habent, *ante ignem vapor camini & fumus, sic ante cruores convitia*; Tigurina, *vapor camini fumusque præcedit ignem, ità convitia, contumeliæ atque minæ præcurrunt effusionem sanguinis*; Syrus, *coram igne fumat fumus, & coram effundente sanguinem contumelia*. Vnde, sicut fumus elicit, protrudit & convoluit fumum, ac vicissim ab alio sequente elicitur, protruditur & convolvitur: sic & convitium unius elicit, protrudit & convoluit convitium alterius in quem jactum est, ac vicissim ab altero par pari referente dicitur & protruditur: quare fumi vicaria successio, exaltatio & convolutio expressa est species & imago rixæ, pugnæ & duelli.

Mysticè Palacius: Antequam in inferno, inquit, accendatur ignis in titionibus damnatorum, præcessit fumus peccatorum nostrorum: & ante sanguinem quem Dei gladius educet ex miseris, præcesserunt ejus minæ, & maledicta contra peccata, & nostræ contra eum contumeliæ.

AMICUM SALUTARE NON CONFUNDATUR (alii legunt, *non confundaris*) A FACIE ILLIUS NON ME ABSCONDAM) alii legunt, *non abscondaris*. Vnde Syrus, *si pauper factus fuerit amicus tuus, ne rubore afficias eum, & à conspectu ejus non abscondaris*. Siracidi succinit R. Matthias in *Pirke avoth*, id est in Apophthegm. patrum: *Præveni*, inquit, *salutatione quoslibet tibi obvios. Meliùs est tibi caudam esse leonibus, quàm vulpeculis caput*: sive, *plus expedit ultimum esse in numero bonorum quàm caput & primipilum malorum*. Vers. 31.

ET SI MALA MIHI EVENERINT PER ILLUM, SUSTINEBO. OMNIS QUI AUDIET, CAVEBIT SE AB EO] q. d. Amicum, quamvis in paupertatem, tribulationem, periculum fortuna eum dejecerit, salutare, & officiis amici prosequi non verecundabor, nec ab eo me abscondam: quòd si, (quæ humana ingratitudo est) per amicum postea aliquod mihi malum contigerit, ictum illum pro amicitia & officio meo patienter & fortiter sustinebo. At qui me læsum ab illo, audierit, illum, scilicet, violasse amicitiam, & amico nocuisse, hic utique detestabitur eum, & cavebit ab eo, tamquam ab infido, & ingrato proditore. Aut potiùs cum Glossa, & Lyrano, imò S. Ambros. (cujus locum & verba mox citabo) q. d. Tanti sunt amici fructus, ut etiamsi per illum, id est, propter illum, illius causa, mihi mala evenerint, sustinenda sint. *Omnis* autem *qui audiet hoc*, id est quia superiùs dixi, scilicet, quanta sint bona & commoda veri amici, veræque amicitiæ; ille totis viribus cavebit ab illo, scilicet, amico lædendo; nimirum omni studio cavebit ne injuria, convitio, perfidia, &c. amicum offendat, alienet & amittat. Huc faciunt duo paradoxa, & in speciem contraria P. Syri: *Amici vitia nisi feras* per compassionem, *facis tua* per impatientiam. *Amici vitia si feras* per conniventiam, *facis tua* per tacitum consensum: dum enim ea non corrigis cùm potes, videris eis consentire. Porrò Syrus aliò abit, dum pro secundo versu hunc substituit, *Si revelat tibi proximus tuus secretum suum, ne palam facias illud, ne quicumque audierit, se caveat à te. & tamquam virum damnosum reputet te.*

Vers. 32. *Amici est salutare amicum.*

Nota. Pro *salutare* Jansenius opinatur legendum *salvare*. Nam græcè est σκεπάσαι, id est, tueri, protegere, defendere. Verùm Noster legit ἀσπάσαι, id est *salutare*, (amici enim est amicum benevolè salutare, imò prævenire salutando; *Nam amicitias plures rumpit silentium* (& ita legit S. Ambros. lib. 3. Offic. cap. 7. *Amicum*, inquit, *salutare non erubescam, & à facie illius non me abscondam: siquidem vitæ & immortalitatis medicamentum eum esse Ecclesiast. cap. 6. testatur. Et summum in charitate præsidium nemo dubitaverit, cùm Apostolus dicat: Omnia suffert, omnia sperat, omnia credit, omnia sustinet, 1. Corinth. 13. Et c. 8. Quòd si eum inveneris, qui vivacitate ingenii, mentis vigore atque auctoritate præstet, & accedat eò, ut exemplo & usu paratior sit, præsentia solvat pericula, prospiciat futura, denuntiet imminentia, argumenta expediat, remedium ferat in tempore, paratus sit non solùm ad consulendum, sed etiam ad subveniendum: huic ita fides habetur, ut dicas qui consilium petit: Et si mala mihi evenerint, per illum sustineo. Hujusmodi igitur viro salutem nostram, & existimationem committimus, qui sit (ut supra diximus) justus & prudens. Facit enim justitia, ut nullus sit fraudis metus: facit etiam prudentia, ut nulla sit erroris suspi-*

Officia amici ex S. Ambr.

ſuſpicio. Et cap. 16. *Defer amico ut æquali, nec te pudeat ut prævenias amicum officio. Amicitia enim neſcit ſuperbiam. Ideò Sapiens dicit: Amicum ſalutare non erubeſcas. Nec deſeras amicum in neceſſitate, nec derelinquas eum, neque deſtituas, quoniam amicitia vitæ adiumentum eſt. Ideò in ea onera noſtra portemus, ſicut Apoſtolus docuit. Dicit enim his, quos eadem complexa eſt charitas: Etenim ſi amicitiæ fœcundè res amicos adiuvant, cur non & in adverſis amici rebus amicorum adiumentum ſuppetat) Iuvemus conſilio, conferamus ſtudio, compatiamur affectu. Si neceſſe eſt, toleremus propter amicum etiam aſpera. Plerumque inimicitiæ ſubeundæ ſunt propter amici innocentiam, ſæpè obtrectationes, ſi reſtiteris vel reſponderis, cùm amicus arguitur & accuſatur: nec te pœniteant eiuſmodi offenſiones. Iuſti enim vox eſt: Et ſi mala mihi evenerint propter amicum, ſuſtineo. In adverſis enim amicus probatur: nam in proſperis amici omnes videntur. Sed ut in adverſis amici patientia et tolerantia neceſſaria: ſic in proſperis auctoritas congrua eſt, ut inſolentiam extollentis ſe amici reprimas & redarguat.* Probat id ipſum exemplis S. Job & Davidis, ac deinde ſubjicit: *Quid eſt enim amicus niſi conſors amoris, ad quem animum tuum adiungas atque applices, & ita miſceas, ut unum velis fieri ex duobus, cui te tamquam alteri tibi committas, à quo nihil timeas, nihil ipſe, commodi ſui cauſa inhoneſtum petas? Non enim veſtigalis amicitia eſt, ſed plena decoris, plena gratiæ. Virtus eſt enim amicitia, non quæſtus: quia non pecunia quæritur, ſed gratia, nec licitatione pretiorum, ſed concertatione benevolentiæ. Denique meliores amicitiæ ſunt inopum plerumque, quàm divitum, & frequenter divites ſine amici ſunt, quibus abundant pauperes, non eſt enim vera amicitia ubi eſt fallax adulatio. Divitibus itaque plerique aſſentatorie gratificantur. Erga pauperem nemo aſſentator eſt. Verum eſt quidquid defertur pauperi, huius amicitia invidia vacat. Quod amicitia pretioſius, quæ angelis communis & hominibus eſt? unde & Dominus Jeſus dicit: Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui recipiant vos in æterna tabernacula.*

VERS. 33. QUIS DABIT ORI MEO CUSTODIAM, ET SUPER LABIA MEA SIGNACULUM CERTUM, UT NON CADAM AB IPSIS (per ipſa) ET LINGUA MEA PERDAT ME?) Poſtquam oſtendit quanta ex convitiis & vitiis linguæ damna inter amicos ſequantur, exclamat: *Quis dabit*, &c. q. d. O utinam mihi aliquis det cuſtodiam ori meo, quà quaſi ſigillo certo, id eſt, fido & ſecuro, obſignentur labia mea, ne per illa cadam in damna jam recenſita, ac lingua mea perdat me. Alludit ad pſal. 140. *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis*, id eſt, oſtium circumſtans, claudens, cuſtodiens labia mea. Unde S. Auguſt. legit, *oſtium continentiæ labiis meis*; Theodor. & Aquila, *ſuper labia mea*. q. d. Sicut civitas cuſtoditur cuſtodia militari, ita os meum cuſtodias, ò Domine, per gratiam tuam, ne quid effutiam per impatientiam, & deſperationem in hiſce malis contra hoſtes meos. ita Theodor. ibidem. Rurſum, ſicut domus cuſtoditur oſtio, ut nihil quod obeſſe poſſit, exeat aut introeat in domum, ſic pariter gratia tua cuſtodiat labia mea, ne per ea quid exeat impurum aut vitioſum. Aut generaliùs: *Pone oſtium circumſtantiæ*, id eſt, murum toti domui, id eſt, labiis & corpori meo, qui omnes meas feneſtras, id eſt quinque ſenſus cuſtodiat, ait S. Hieron. ibidem. Ubi ſagaciter notat S. Auguſt. dici *oſtium*, non *clauſtrum*, quia os quaſi oſtium aperiri debet ad confeſſionem peccati, & Dei laudem, ſed claudi ad opus peccati, eiuſque excuſationem.

Nota. Pro *ſignaculum certum*, uti legit Noſter & S. Auguſt. in Speculo, & lib. de Gratia & libero arbitr. c. 16. Græca legunt σφραγῖδα πανοῦργον, id eſt, ſigillum aſtutum, cautum, prudens, ut, ſcilicet, cautus & prudens ſim, in hoc ſigillo continendo & reſignando, ne incautè & imprudenter illud vel obſignem & claudam, vel reſignem &

A aperiam. S. Chriſ. hom. 4. ad baptizandos, legit πανουργίας id eſt, *aſtutiæ*, hoc eſt, ut Tigurin. vertit, *ſigillum ſapientiæ*. Sic etiam legit S. Ephrem de Timore Dei, ubi Interpres vertit, *ſignaculum verſutum*; Syrus vertit, *ſignaculum honoris, ne loquar in eis fraudem, & lingua mea ne perdat me.* Porrò S. Ambr. pſal. 38. ad illud: *In increpationibus ſuper iniquitatem corripuiſti hominem.* pro φυλακὴν, id eſt, cuſtodiam, legens [illegible], id eſt, flagellum, aut potiùs miſcens quædam ex cap. ſeq. v. 2. ſic legit & explicat: *Quis mihi imponet cogitationem mearum flagella? & quis dabit mihi labiorum meorum ſignaculum ut cor ſuum ipſe ſuis cogitationibus flagellaret, & ſignaret labia ſua, quo & vetera peccata minueret, nec alia loquendo renovaret: quo propriis cogitationibus eruditus, exercitia virtutis indueret.*

Signaculum ergo certum eſt ſignaculum cautum & prudens, quod certis ſolidiſque rationibus, quas dictat prudentia, nititur, indeque fidum & ſecurum. Signaculum hoc igitur, & cuſtodia oris, eſt prudens & cauta circumſpectio & præmeditatio, quid, quantum, quo modo, quem hic & nunc loqui conveniat; quam Deus ponit, ſine quo ſunt incertæ providentiæ noſtræ, eamdem ponit & homo, quia ipſe ori ſuo invigilare, illudque diligenter obſerare debet. Ita S. Chryſoſt. in pſal. 140. ad illud: *Pone Domine cuſtodiam ori meo*, duplicem oris cuſtodiam duplexque ſigillum aſſignat, unum Dei, ſcilicet, gratiæ divinæ auxilium; alterum, noſtrum, ſcilicet, rationem & & continentiam. *Os ergo noſtrum*, inquit, *perpetuò cuſtodiamus, ei rationem tamquam clavem adhibentes. Non ut perpetuò claudatur, ſed ut convenienti tempore reſeretur. Nonnumquam enim ſilentium eſt loquela utilius, ſicut loquela quoque ſilentio. Et ideò dicebat ille ſapientiſſimus Eccleſ. 3. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Si enim oporteret ora perpetuò patere, non factæ eſſent portæ; ſi autem perpetuò clauſa eſſe, non eſſet opus cuſtodia. Quod enim clauſum eſt, cur quis cuſtodierit? ſed propterea ſunt porta & cuſtodia, ut faciamus ſingula tempore convenienti.* De hoc linguæ ſigillo plura dicam c. 28. v. 28. & 29.

Signaculi labiorū eſt circumſpectio et præmeditatio dicendorū.

C Tradunt Anatomici linguam duas habere venas, quarum una tendit ad cor, altera ad cerebrum; quo ſignificat natura, linguam nil debere eloqui, eſto cor id appetat, niſi cerebrum, id eſt, mens & ratio conſentit, & idipſum ut rectum probet. Cor enim debet ſubſervire cerebro, hoc eſt, appetitus rationi, hæc in homine eſt præſes & princeps, regens appetitum.

Didacticè S. Auguſt. de Gratia & lib. arbitr. c. 16. ex hoc loco contra Pelagianos docet neceſſitatem gratię Dei, ac nominatim nos ſine ea non poſſe moderari linguam, nam, ut ait Salomon Prov. 16. 1. *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam*, quocirca hoc gratiæ auxilium bene vivere & loqui volenti, aſſiduè eſſe implorandum, uti implorat Siracides c. ſequ. Et Eſther c. 14. 13. *Tribue*, inquit, *ſermonem compoſitum in ore meo, in conſpectu leonis, & transfer cor illius in odium hoſtis noſtri.* Igitur cùm aliquid grave locuturus aut tractaturus es, precare ut Deus componat verba in corde & ore tuo, eo modo ut feriant corda audientium, eiſque perſuadeant quod dicturus es, ideoque dicito cum Pſalte. *Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.*

D Symbolicè, *ſignaculum aſtutum* eſt quod occultas habet ſeras, quæ non niſi certis ſignis reſerari poſſunt, qualia ſunt quę ex circulis variis coaleſcunt, cuique autem circulo ſua inſculpta eſt litera, quare eouſque rotandi ſunt circuli, donec certam dictionem, v. g: *Joannes*, reddant. Ita os noſtrum ſeras ſuas habeat, cùm occurrit vanitas, detractio, murmur, ira, &c. ſolùm autem reſeretur cum honeſta & ſancta dicenda ſunt, iuxta illud S. Ambroſ. *Signaculum oris tui Chriſtus ſit Verbum Dei.* Chriſtus ergo reſeret os noſtrum.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dogmata sapientiæ de bene agendo, & loquendo hucusque tradita concludit oratione, qua precatur Deum pro gratia qua ea opere adimpleat, frenetque concupiscentiam cordis & oris, ut, scilicet, Deus dirigat omnes eius cogitationes, affectiones, sermones, ne qua exorbitent. Hanc orationem nobis imitandam & crebrò usurpandam proponit. Idem orat Salomon Sapient. cap. 9. Inde v. 7. prosequitur materiam de moderanda lingua, & vitando iuramento. Denique v. 21. à vitiis & intemperantia linguæ transit ad vitia & intemperantiam operum & vitæ, ac cæcitatem fœditatemque fornicariorum adulterorumque multis exaggerat.

Domine pater, & dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum, nec sinas me cadere in illis. 2. Quis superponet in cogitatu meo, flagella, & in corde meo doctrinam sapientiæ. ut ignorationibus eorum non parcant mihi, & non appareant delicta eorum, 3. Et ne adincrescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent, & incidam in conspectu adversariorum meorum, & gaudeat super me inimicus meus? 4. Domine pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum. 5. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne desiderium averte à me. 6. Aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, & animæ irreverenti & infrunitæ ne tradas me. 7. Doctrinam oris audite filii: & qui custodierit illam, non periet labiis, nec scandalizabitur in operibus nequissimis. 8. In vanitate sua apprehenditur peccator, & superbus, & maledicus scandalizabitur in illis. 9. Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. 10. Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis: quoniam non eris immunis ab eis: 11. Sicut enim servus interrogatus assiduè, à livore non minuitur: sic omnis jurans, & nominans, in toto à peccato non purgabitur. 12. Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga. 13. Et si frustraverit, delictum illius super ipsum erit: & si dissimulaverit, delinquit dupliciter: 14. Et si in vacuum juraverit, non justificabitur: replebitur enim retributione domus illius. 15. Est & alia loquela contraria morti, non inveniatur in hereditate Jacob. 16. Etenim à misericordibus omnia hæc auferentur, & in delictis non volutabuntur. 17. Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati. 18. Memento patris & matris tuæ, in medio enim magnatorum consistis: 19. Ne fortè obliviscatur te Deus in conspectu illorum, & assiduitate tua infatuatus, improperium patiaris, & maluisses non nasci, & diem nativitatis tuæ maledicas. 20. Homo assuetus in verbis improperii, in omnibus diebus suis non erudietur. 21. Duo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram & perditionem. 22. Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat: 23. Et homo nequam in ore carnis suæ, non desinet donec incendat ignem. 24. Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens usque ad finem. 25. Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, & dicens: Quis me videt? 26. Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. 27. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei hujusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum: 28. Et non cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. 29. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia. 30. Hic in plateis civitatis vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur: & ubi non speravit, apprehendetur. 31. Et erit dedecus omnibus, eò quòd non intellexerit timorem Domini. 32. Sic & mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hereditatem ex alieno matrimonio: 33. Primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit: secundò in virum suum deliquit: tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi. 34. Hæc in ecclesiam adducetur, & in filios eius respicietur. 35. Non tradent filii eius radices, & rami eius non dabunt fructum. 36. Derelinquet in maledictum memoriam eius, & dedecus illius non delebitur. 37. Et agnoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est quàm timor Dei. & nihil dulcius, quàm respicere in mandatis domini. 38. Gloria magna est sequi dominum, longitudo enim dierum assumetur ab eo.

VERS. 1. DOMINE PATER, ET DOMINATOR VITÆ MEÆ, NE DERELINQUAS ME IN CONSILIO EORUM NEC SINAS ME CADERE IN ILLIS] *Eorum*, scilicet, fatuorum, id est, impiorum, de quibus multus sermo præcessit. Aut potiùs *eorum*, scilicet, labiorum loquacium & intemperantium: de his enim egit v. præcedenti, q. d. Domine qui dominaris universo, dominare labiis meis: qui dominaris vitę meæ. dominare linguæ meæ. Nam *mors & vita in manu linguæ* Prover. 18. 21. Rursum lingua est *universitas iniquitatis*, Jac. 3. 6. Moderatorem ergo requirit dominatorem universi: Deum vocat *dominatorem vitæ*, tum, quia ipse est creator & dominus animæ quæ causat vitam; tum, quia ipse officia, status actusque omnes vitæ nostræ regit & moderatur; tum, quia vita nostra durat quamdiu ipse vult. Hæc vera sunt tam in vita supernaturali gratiæ, quàm naturali animæ.

Porrò *consilium labiorum*, id quod loquacitas labiorum dicendum suggerit, putà importunitatem, temeritatem, intemperantiam, & pruritum loquendi quidlibet quod in buccam venit. Itaque *consilium labiorum* est effrænata libertas dicendi quidquid libet. Nam *cor stultorum in ore ipsorum*, uti superiùs dixit. Unde subdit: *Nec sinas me cadere in illis*: aliqui legunt, *nec sinas me cadere in illa exprobratione*, vel *in illam exprobrationem*, ut scilicet, intemperantia linguæ mihi exprobretur, ac præsertim quòd in amicum probrum aliquod conieceerim, aut vitium aliquod exprobrarim. De convitio enim amicorum egit cap. preced. Unde Tigurina vertit, *Domine pater, totiusque vitæ meæ dominator, ne me permittas consilio illorum, nec sinas me per ea corruere*; Syrus; *Deus pater mi & domine vitæ meæ, ne offendere facias* (permittas) *me propter ea*.

QUIS SUPERPONET (ita Roman. hoc enim est Græ-

Græcum *ἐπιστῆσαι*, malè ergo nonnulli legunt *suppones*) IN COGITATU MEO FLAGELLA, ET IN CORDE MEO DOCTRINAM SAPIENTIÆ, UT IGNORATIONIBUS EORUM NON PARCANT MIHI, ET NON APPAREANT DELICTA EORUM??] Oravit pro fræno linguæ; nunc orat pro fræno cogitationum & cordis, id est, appetituum. Hi enim omnis boni vel mali sunt duo fontes. Duplicem ergo hic Dei gratiam deposcit.

Poscit illuminationes & impulsus cælestes.

Primò, illuminationis, quæ cogitationes intellectus & phantasiæ vagas, animales & erroneas illustret, cohibeat, corrigat, dirigat, faciatque spiritales, cælestes & divinas. Alteram impulsus, quæ cordis, id est, voluntatis & concupiscentiæ, affectiones & desideria noxia per dictamina sapientiæ & prudentiæ, quasi per flagella castiget, emendet, purificet & sanctificet: idque ad hoc, ut in *ignorationibus eorum*, putà in erronea cogitatione & appetitione cogitatus & cordis, id est, intellectus & voluntatis, dum scilicet aliqua ignoranter, id est, imprudenter & erroneè, intellectu cogito, vel voluntate appeto, *non parcant mihi flagella*, id est, castigationes sapientiæ, itaque *non appareant* (ne sint) delicta *eorum*. Ita S. Ambros. cujus verba in fine c. præced. citavi. Et S. Chrysost. in psalm. 140. *Non oportet*, inquit, *os solùm obstruere, sed mentem etiam ante os. Quocirca pulchrè dixit quidam sapiens: Quis dabit in cogitatione vel mente mea flagella, ut ignorantiis meis non parcant?* Unde fusiùs id explicans & exaggerans Siracides subdit:

Vers. 3. ET NE ADINCRESCANT IGNORANTIÆ MEÆ, ET MULTIPLICENTUR DELICTA MEA (ignorantia enim in mente & intellectu practico, quo imprudenter præfero bonum concupiscibile bono honesto, parit & multiplicat delicta in voluntate & appetitu: hic enim sequitur judicium practicum, appetitque & eligit quod ille appetendum & eligendum dictat) ET PECCATA MEA ABUNDENT, ET INCIDAM IN CONSPECTU ADVERSARIORUM MEORUM, ET GAUDEAT SUPER ME INIMICUS MEUS] q. d. Ne per ignorantias & peccata incidam in damna fortunarum, famæ, vitæ & animæ, itaque fiam ludibrium dæmonum & hominum mihi inimicorum, ut illi in mea pernicie exultent, meque rideant & subsannent. Porrò Complut. nonnulla hic interserunt, scilicet hæc: *Ne parcas eis Domine, & iniurias eorum, qui in professione sunt peccatores, ne prætereas.* Unde Tigurina hæc omnia clarè exprimens vertit, *quis menti meæ flagella adhibeat, & cordi meo sapientem institutionem, ut ne parcant inscitiæ meæ, nec illorum peccata prætereant? ne, inquam, inscitia mea multiplicetur, neve peccata mea perniciosam accessionem faciant, & corruam coram adversariis meis, gaudeantque de me inimici mei, quorum spes procul abest abs tua misericordia;* Syrus verò, *quis autem constituit super mentem meam flagellum, & super cor meum virgam doctrinæ, ut ipse Dominus indulgeat delicta mea, ne in congregatione eorum hæreditent, neque ament corrumpere, ut non multiplicentur delicta mea, neque invalescant peccata mea, & revelent me coram inimicis meis, & lætetur de me inimicus?* Sicut ergo puerorum & stultorum levitates, distractiones, petulantiæ & stultitiæ flagello & virga parentum vel præceptorum flagellantur, castigantur & cohibentur: sic pariter phantasiæ & concupiscentiæ pueriles, stultæque cogitationes & appetitiones illicitæ noxiæque, flagello & virga disciplinæ, hoc est, tim[illegible]is Dei, castigandæ & compescendę sunt, ne nos ducant in ruinam & gehennam. Verè enim ait Beda in Proverbiis: *Reprobi & in sæculo fatigantur desideriis* (concupiscentiæ) *& in futuro tormentis* gehennæ. Appetitus enim & concupiscentia index est carentiæ, ait Aristot. lib. 5. Physic. Nemo enim appetit & concupiscit nisi id quo caret, & de cujus carentia tristatur & dolet.

Vers. 4. DOMINE PATER ET DEUS VITÆ MEÆ, NE DERELINQUAS ME IN COGITATU ILLORUM] Hunc versum non habent Græca. Jam Primò, eum sic explicat Jansenius: *Τὸ illorum*, inquit, vel potest referri ad adversarios & inimicos, de quibus dictum est in superiore sententia, ut sit sensus: *Ne derelinquas me*, ut in me hostes mei perficiant quod cogitant, aut in me videant fieri quod cupiunt, quodque eventurum cogitant. Aut, *ne derelinquas me*, ut talia cogitem qualia illi, nempe mala. Vel potest potiùs relativum *illorum* referri ad cogitatum & cor; ut, sicut superiùs oravit ne relinqueretur in consilio labiorum, nunc oret ne relinquatur *in cogitatu* animi & cordis sui, ita scilicet, ut sibi relictus ea cogitet & faciat quæ intellectus & voluntas hominis, cùm Dei gratia destituuntur, homini ex seipsis suggerunt, qualia sunt quæ sequuntur.

Verùm minùs congruè *illorum* refert *cogitatum*. Nam non rectè dicitur: *Ne derelinquas me in cogitatu cogitatus, & cordis.* Igitur pronomen *illorum* respicit delicta & peccata, de quibus v. præced. dixit: *Ne adincrescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea.* Unde ea explicans subdit: *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi*, &c. *Aufer à me ventris concupiscentias*, &c. Hæc enim sunt capitalia peccata, ex quibus cetera oriuntur. Orat ergo: *Ne derelinquas me in cogitatu illorum*, scilicet peccatorum, putà superbiæ, gulæ & libidinis: quia hæc oriuntur ex eorum cogitatu, imaginatione & cogitatione. Cogitatio enim diutina peccatorum morosam efficit delectationem, quæ est peccatum mortale: hæc deinde in actum externum sese exerit, peccatumque consummat, uti docet S. Jacobus c. 1. vers. 15. Hunc sensum indicat Syrus, *Deus pater mi, & Domine vitæ meæ, ne abiiciat me in errorem eorum*, putà in ignorantias peccatorum: *Errant* enim *qui operantur malum*, Proverb. 14. 22.

Vers. 5. EXTOLLENTIAM OCULORUM MEORUM NE DEDERIS MIHI, ET OMNE DESIDERIUM (id est, concupiscentiam: hanc enim Hebræi vocant: חמדה *chemda*, id est desiderium. *Desiderium* ergo vocat impatientem & impotentem erga voluptatem quamlibet affectum, earumque ardentem cupidinem & sitim) AVERTE A ME] *Ne dederis*, id est, ne dari sinas, ob mea priora crimina & demerita. Deus enim cùm sit sanctissimus, non potest esse auctor peccati & concupiscentiæ: Deus enim *intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*, Jacob. 1. 13. potest tamen permittere dæmonibus, hominibus & concupiscentiæ, ut nos tentent ad superbiam, gulam, libidinem, &c. Unde contra hoc orandum cum Siracide ex præscripto Christi: *Et ne nos inducas* (id est, induci permittas) *in tentationem, sed libera nos à malo*, Matth 6. v. 13. Porrò sæpè id permittit Deus in pœnam præcedentium peccatorum, & tunc propriè dicitur dare vel tradere homines suæ concupiscentiæ, tentationi & dæmoni tentanti. Hebræi enim verba activa primæ coniugationis *Cal*, sæpè pro neutris usurpant. Vide dicta Exodi 7. 3. & Rom. 1. 24.

Extollentiam vocat *elationem*, uti legit S. Aug. de Gratia & liber. arbitr. c. 16. Addit *oculorum*: licèt enim elatio & superbia sit propriè in animo, maximè tamen se prodit per oculos elatos & fastosos. Unde Syrus, *oculum superbum ne dederis mihi*. Et psalm. 100. 5. *Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam.* Et Salomon Proverb 6. 17. inter septem quæ Deus detestatur, primo loco ponit *oculos sublimes*. Et cap. 30. 13. *Generatio*, inquit, *cuius excelsi sunt oculi, & palpebrę eius in alta surrectæ.* Quocirca Græca Complut. Tigurina & alii hoc loco addunt, *γιγαντώδη ψυχὴν*, id est, *giganteam animam*: sic enim habent: *Domine pater, Deusque vitæ meæ, ne mihi tribuas oculos elatos, sed giganteum animum à servis tuis semper prohibeas. Giganteus animus* est excelsus, tumidus, se supra omnes erigens, ceterosque despiciens, eisque dominans. Talis enim fuit gigantum, qui uti corpus, ita & animum habebant giganteum, Genes. 6. 4.

Per *desiderium* aliqui repetentes *τὸ oculorum*, quod præcessit, intelligunt avaritiam: verùm meliùs alii accipiunt *concupiscentiam*. Sic enim legit S. August. de Gratia & liber. arbitr. c. 16. *Elationem oculorum*, inquit, *ne dederis mihi, & concupiscentiam averte à me.* Sic etiam legunt Græca Romana. Unde concupiscentiam hanc in duas species v. sequ. partitur. Porrò ex peccatis nominat tantùm duo, scilicet extollentiam oculorum, id est superbiam, & concupiscentiam, quia ex his quasi primis fontibus cetera omnia oriuntur. Ex superbia enim oritur avaritia, ira, invidia: ex concupiscentia oritur gula, libido, acedia.

Apologus ambitiosi Primus.

Ingenioso lepidoque ursi, cervæ & vulpis apologo idipsum ostendit S. Cyrillus lib. 2. Apolog moral. c. 11. cui titulus: *Contra appetitum dignitatis. Latitanti urso famelico ut prædam aliquam deglutiret, magistra fallaciæ vulpes, pia impio subvenire cupiens, ad eum cervam solivagam arte doli sui adducere conabatur, sic eam affata: Quàm vultu placidam, cervice altam, pelle politam, pede validam, proportione perfecta decoram parens te natura formavit! unum certè tantùm perfectæ tuæ venustati deest, quod cornibus careas; neque profectò sexui etiam infirmo, tam superba & tuta debuit armatura deesse, maximè cùm ea concessa sit vaccæ. An fortè livoris nescia, quædam imperfecta reliquit in arte natura? simia quidem*

supple-

suppletiva arte induitur, & magisterio aurum & argentum politur. Si vis ergo perfici cornu, audi monitum meum, & sequere ductum, quoniam ad magistrum te dirigam in hac arte expertum. At illa non tam mobilitate feminea, quàm cornu appetens sequebatur mendacem. Verùm pia sorte dolo capta fuit obvius cervus, qui sociam miratus dixit: Quò vulpinam sequeris caudam? Cui cerva: Quippe tanto duce ad ursum tendo, ut sicut & tu cornibus gaudeam. An solus vis apparere superbia masculina? Ad hoc ille astutus, utriusque sentiens fastum & dolum, errori amicæ compatiens, sic illam exhortatus est: Nempe propter cornua ursus dedit virtutis auriculam, cave tu ne amittas simul pellem & vitam.

Secundus, Responsum hoc obscurum sequenti apologo declarat: *Ursus namque interrogatus à lupo, ut quid faciem pronam ferret, respondit; Quia habeo debile caput. Cui lupus ait: Muni ipsum cornibus. His enim caput armavit natura bovinum: vade igitur ad hominem arte doctum, & ea tibi ponet. Ivit ergo ad magistrum petens cornu sibi poni: pro labore autem, inquit, solvere tibi volo hoc, quod dare non noceat. Cui Magister: Si à te unum denarium vel assem peterem, non dares mihi? Da mihi ergo aures, & nihil tibi nocebit. Quo consentiente scidit eas, & ferens malleum ut perforaret cranium ejus, audivit ab urso, Fatuusne sum, ut perfores mihi caput? qui ait, Aliter cornua non ponuntur. Tunc ursus abbreviatis auribus, Bene factum est, inquit, qui cornua petit. Perdis enim, ut video, caput discretionis, & aures quietæ virtutis. Et sic abscissis auribus, sine cornibus abiit illusus.*

Tertius, Denique idipsum aliis parabolis lunæ, vaccæ & cervi commonstrat. *An ignoras, quòd luna dum emittit cornua, lumine fit vacua, &* (Exodi 34. 20.) *cornua Mosi facies divini contuitus dulcedine & velamento est privata? Illaqueatur autem vacca per cornua, per quæ etiam sub duro jugo aratri servus bos assiduè duci solet. Non attendis quantum nos cornu pondere aggravamur, & serpentis haustu combureret intestina, ut possim vetustatis onus cornu deponere? Quid plura? bestialitatis commune signum ostenditur aut cornu, aut cauda. Pone igitur fastum & fuge cornu, ne dira te ursi ungula dilaniet. Quibus intellectis, mox dimissa vulpe humiliter secuta est cervum.*

Vers. 6. AUFER A ME VENTRIS CONCUPISCENTIAS, ET CONCUBITUS CONCUPISCENTIÆ NE APPREHENDANT ME] *Concupiscentia ventris* est gula, *concupiscentia concubitus* est libido. Atque prior causa est posterioris; *venter enim mero æstuans despumat in libidines*, ait S. Hieron. Complut. Tigurina, multique alii rursum hic multa addunt: sic enim habent, *averte à me spes vanas & concupiscentias, tibique continuò servire cupientem retineas in officio; ne me comprehendant* (vel occupent & dominentur: hoc est enim Græcum καταλαβέτωσαν. Noster vertit, *apprehendant*) *appetentia ventris & concubitus*. Verùm Græca à Romanis correcta ea omittunt, & consentiunt Latinæ Vulgatæ; Syrus verò, *cor impudicum*, ait, *longè fac à me. Id quod bonum est ne effugiat me, & lascivia carnis ne lascivire faciat me.*

Porrò S. August. (vel quisquis est Auctor) Soliloquior. cap. 12. putat hic notari triplicem concupiscentiam, nimirum concupiscentiam oculorum, id est avaritiam; concupiscentiam carnis, & superbiam vitæ, quæ omnis mali in mundo tres perennes sunt fontes, uti docet S. Joannes epist. 1. c. 2. 16. Nam *extollentiam oculorum* confert & adæquat cum concupiscentia oculorum, concupiscentiam carnis cum *concupiscentia ventris & concubitus*, superbiam vitæ cum *anima irreverenti & infrunita*.

Emblema concupiscentiæ. Ipsa est prurigo. Exstat hac de re emblema pruriginis, quæ symbolum est concupiscentiæ (hæc enim semper prurit, estque vera animæ prurigo:) estque tale:

Agrum caveto carneum ne vomere
Arare pergas corneo: pro mellea
Semente, mox reponet urens tibi piper.
Cupido eamdem dulcamarus (γλυκύπικρος) *vim tenet,*
Pro melle felleum propinans poculum.
Fœdare tristis unguibus cutem cave,
Assiduus est pruriginis comes dolor.

ET ANIMÆ IRREVERENTI ET INFRUNITÆ NE TRADAS ME] Nonulli sic exponunt: q.d. Ne tradas & subdas me animo impudenti & stolido, ne permittas mihi dominari hominem impudentem & stultum. Verùm loquitur Siracides de anima propria, non aliena: agit enim de extollentia oculorum, & concupiscentia propria, non aliena. Unde τὸ *animæ irreverenti*, pertinet ad extollentiam oculorum sive superbiam: hæc enim conjuncta est cum irreverentia, id est, inverecundia & impudentia: hanc enim

A significat Græcum ἀναιδεῖ. Nam superbi sunt inverecundi, audaces & impudentes, qualis fuit judex ille impius, qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur, Lucæ 18. 2. Dei enim & hominum reverentia unicum est peccatorum frænum, quo amisso vel rupto, peccator velut equus effrænis in omnes voluptates & scelera ruit. Τὸ verò *infrunitæ* pertinet ad concupiscentiam ventris & concubitus; hæc enim est infrunita & inexplebilis. Sensus ergo est, q. d. Ne permittas ut anima impudens & infrunita, hoc est, ut impudentia & insatiabilis concupiscentia animæ meæ, mihi dominetur. Ubi enim hæ passiones regunt & dominantur, ibi tyranni dominantur, quibus homo servire cogitur.

Nota. *Infrunitus* idem est quod imprudens, insipiens, stolidus, indeq; impudens, petulans, intemperans, inexplebilis & insatiabilis, qualis est gulosus & libidinosus, ipsaq; ejus gula & libido; huic enim nullæ deliciæ, nulla voluptas sufficit, sed semper dicunt, *Affer, affer*, Proverb. 30. 15. Unde Noster c. 31. 23. pro ἀπλήστῳ, id est, inexplebili, vertit *infrunito*. *Infrunitus quis?* Porrò Lexicographi nonnulli *infrunitum* deducunt à Græco ἄφρονα, id est, insipientem, ideoq; legendum censent *infronitum*: Lyran. deducit à *frumen*, quod signi-

B ficat summam partem gutturis, qua sapor sentitur, cibusq; in ventrem lingua demittitur, ut *infrunitus* sit idem quod sine frumine, id est, gutture & sapore, putà insipiens, indiscretus, qui caret sapore sapientiæ. Melius alii *infrunitum* dici censent quasi qui suis frunisci, id est frui, nesciat uti decet. veteres enim dicebant *frunisco* pro fruor. Ita Cato apud Festum, frunitum vocat prudentem (græcè φρόνιμον) quasi quo perfrui liceret, & qui suis ritè & decenter frui nosset. Et Seneca lib. 3. de Beneficiis c. 16. ac Hermolaus *infrunitum* vocant stolidum & insipientem qui nulli est usui. Gellius lib. 2. c. 40. *Unguentum in lenticula*, inquit, *proverbium est in eos jactari solitum, qui nullo rerum discrimine quas agunt aut dicunt, pari nixu cuncta moliuntur, quos (ut est quod Senecam & Gellium) infrunitos appellamus*, græcè ἀπειροκάλους, καὶ ἀκαιροκάλους. Seneca lib. de Vita beata *infrunitum* usurpat pro stolide jactabundo: *Alterum*, inquit, *infruniti est animi, alterum timidi ac pusilli.*

Infruniti ergo sunt gulosi, qui escis frui nesciunt, sed eas ilicò glutiunt, ita ut saporis suavitatem vix sentiant, ideoq; similes lupis. Lupus enim, ait Aristot. in Histor. animal.

C quia gulosus, comedit non masticando cibum, sed devorando & glutiendo; unde tantum vorat uno tempore, quantum ei ad tres dies sufficiat. Sic infruniti sunt luxuriosi, avari, ambitiosi, qui suis uxoribus, opibus, honoribus gaudere & frui nesciunt, quia in eas tam intemperanter & impotenter se effundunt, ut sensum voluptatis obtundant & hebetent, dum in iis vires omnes exhauriunt, potentias animæ affligunt, totamq; naturam lædunt. Igitur infrunitus est brutus, hoc est, ut ait S. Isidor. lib. 10. Origin. obrutus, quia sensu caret. Unde Junius, primus Romæ consul, cognominatus est Brutus, quia coram Tarquinio Superbo, avunculo suo, simulavit se stultum. hæc Isidor.

Orat ergo Siracides liberari à concupiscentia ventris & veneris, ne per eam tradatur animæ irreverenti & infrunitæ, ut scilicet ei dominetur animæ impudentia & insolentia; hæc enim utraque ex gula & libidine nasci solet: quo enim plus eis indulges, eo magis eas accendis, ut fiant impudentes, insolentes & insatiabiles, ideoque tibi tyrannicè dominentur. Igitur spiritus luxuriæ, æquè ac gulæ, est quasi tyrannus quidam, & miles irreverentissimus, inverecundissimus & contumeliosissimus, imò quasi arpya rapacissima,

D cujus tyrannidem egregiè depingit Seneca epist. 39. *Quis hostis*, inquit, *in quempiam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ sunt? quorum impotentiæ atq; insanæ libidini ob hoc possis ignoscere, quòd quæ fecere patiuntur. Vivunt itaq; voluptatibus suis, non fruuntur; & mala sua, quod malorum ultimum est amant. Tunc autem consummata est infelicitas, ubi turpia non solùm delectant, sed etiam placent: & desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores sunt.*

Moral. hic disce quantum malum sit impudentia: hæc enim aufert pudorem, qui est frænum omnis mali, quo *Moral. de impudentia.* rupto homo impudenter quasi equus, ruit in omnes cupiditates & scelera. Quare semper pudere nos debet mali. Ex adverso pudere nos non debet boni: boni ergo impudentia sancta est. Audi S. August. in illud psal. 68. 8. *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio* (S. August. legit *irreverentia*) *faciem meam. Irreverentia quid est? non confundi, non erubescere. Ergo irreverentia quasi impudentia*

dentia est. Oportet ut habeat Christianus irreverentiam istam, quando venerit inter homines, quibus displicet Christus. Sententiam quippe ipsius vide, qui neminem fallit: Qui me erubuerit coram hominibus, & ego erubescam eum coram angelis Dei. Observa igitur tu, si sit in te irreverentia. Frontosus esto, quando audis opprobrium de Christo, prorsus esto frontosus. Quid times fronti tuæ, quam signo crucis Christi armasti? Hoc est enim, Propter te sustinui exprobrationem. Et quia non de te erubui, quando mihi propter te insultabatur, operuit irreverentia faciem meam. Hanc sanctam irreverentiam habuit S. Magdalena, quando, ut ait S. August. homil. 23. inter 50. *non invitata irruit convivio, ubi suus medicus recumbebat, & quæsivit pia impudentia sanitatem, irruens quasi importuna convivio, opportuna beneficio.* Vide dicta Ezech. 3. v. 7. & 8.

VERS. 7. DOCTRINAM ORIS AUDITE FILII: ET QUI CUSTODIERIT ILLAM, NON PERIET (peribit) LABIIS, NEC SCANDALIZABITUR IN OPERIBUS NEQUISSIMIS] *Doctrinam oris* vocat non quam ore suo dicturus est, sed quam de ore & labiis moderandis dicturus est. Unde Græca hunc titulum hic persigunt, *disciplina oris*. Rursum τὸ nec *scandalizabitur*, idem est quod non offendet, non impinget: non enim agitur hic de scandalo propriè dicto, quo quis scandalizatur, id est, ex dicto vel facto alterius in peccatum inducitur. Unde Græca tantùm habent: *Non capitur labiis suis*. Sensus est, q. d. O filii, ò discipuli, audite doctrinam, quam de ore gubernando traditurus sum: qui enim illam custodierit, *non peribit* per labia sua, nec offendet, aut in ruinam incurret per opera nequissima oris, qualia sunt periurium, calumnia, rixæ, maledicta, &c. Unde Tigurina clarè vertit, *institutionem oris* (aliqui addunt ἀληθινῦ [illegible], id est, *veri*) *audite liberi: quam qui servat labiis suis non capitur, nec ex malefactis suscipiet offensionem*; Syrus breviter, *doctrinam oris mei audite filii, & qui cautus est non afficietur ignominia*.

VERS. 8. IN VANITATE SUA APPREHENDITUR (comprehenditur) PECCATOR, ET SUPERBUS ET MALEDICUS SCANDALIZABITUR IN ILLIS] Probat quod dixit v. preced. eum qui audit doctrinam hanc de ore moderando, non periturum, nec in offendiculum aliquod incursurum, per antithesin, sive à contrario, quia scilicet peccator qui negligit oris & labiorum custodiam, apprehendetur & capietur *in vanitate*; græcè, *in stultitia*, id est, stultiloquio suo: *& superbus & maledicus scandalizabitur*, & impinget, offendet, & in periculum incurret, *in illis*, id est, per illa, putà labia sua. Dum enim intemperanter labiis utitur, iisque detrahit, convitiatur, jurgatur, &c. sibi periculum carceris, verberum, famæ, & non rarò vitæ accersit & creat. Refert enim se ad id quod v. præced. dixit per antithesin de sapiente: *Non peries labiis*: q. d. Fatuus verò & peccator peribit labiis suis; aut potiùs, *scandalizabitur in illis*, scilicet, operibus nequissimis, in quibus non scandalizandum sapientem dixit v. præced. q. d. Superbus & maledicus offendet & impinget in opera nequissima periurii, blasphemiæ, rixarum, cædium, &c. à quibus cavebit prudens, quia labia sua continet, ritèque moderatur. Unde Tigurina vertit, *scelerosus labiis suis capietur, & malediens ac superbus offendet in illis*; Syrus, *in sermone enim suo deprehenditur iniquus, & stultus in ore suo offendit* Hinc observat Palacius, causam cur multi labantur in periuria; blasphemias, rixas & cædes, esse, quia superbi & maledici sunt. Hoc enim est justum Dei judicium, qui superbiam profunda ruina deprimit, castigat & sternit.

VERS. 9. IURATIONI NON ASSUESCAT OS TUUM, MULTI ENIM CASUS (Tigurina, *lapsus*) IN ILLA] Facilè enim ex assuetudine jurandi fit, ut crebrò quis juret temerè frustraque, & aliquando id quod falsum est, itaque committat periurium. Ita Auctor Imperfecti in Matth. apud S. Chrysost. hom. 12. *Nisi*, inquit, *iuramentum* (crebrum vel temerarium) *interdicatur, non possunt amputari periuria: ex iuramento enim periurium generatur. Nemo est enim qui frequenter iurat, & non aliquando periuret. Propter hoc admonet Salomon* (Ecclesiasticus enim à priscis inscribitur Salomoni, ob causas quas in Proœmio recensui:) *Non assuescas iuramento os tuum: multus enim casus in illo. Sicut enim qui facit consuetudinem multa loqui, necesse est ut aliquando & importuna loquatur: & qui facit consuetudinem manu sua frequenter percutere, necesse est ut aliquando & iniustè percutiat: sic qui facit consuetudinem iurare in rebus idoneis frequenter, & in rebus superfluis etiam nolens consuetudine trahente periurat. Nam omnium rerum consuetudinem quando voluerimus quidem, tunc facimus; sed non quando volumus, tunc repellimus eam.* Et inferiùs: *Cesset ignis, & incendium non fit: subtrahe gladium, & homicidium non committitur: sic tolle iuramentum, & periurium non fit.*

Quocirca sapienter S. August. serm. 28. de Verbis Apostoli: *Falsa iuratio exitiosa est*, inquit, *vera iuratio periculosa est, nulla iuratio secura est.* Vide quæ de juramento annotavi Jac. 5. 12. vide & S. Chrysost. hom. ad Popul. 5. 6. 7. & sequ. usque ad 16. in quibus omnibus acriter insectatur jurandi consuetudinem illo ævo grassantem, ac in 15. docet pejus esse jurare quàm occidere. *Non ita pungit ensis*, inquit, *sicut iuramenti natura: non sic occidit gladius sicut iuramenti plaga.* Peius iurare quàm occidere. Idque probat ex falce, quam à Deo immitti in domos jurantium vidit Zacharias cap. 5.

VERS. 10. NOMINATIO VERÒ DEI NON SIT ASSIDUA IN ORE TUO, ET NOMINIBUS SANCTORUM NON ADMISCEARIS; QUONIAM NON ERIS IMMUNIS AB EIS] Vetuit juramentum, nunc vetat quamlibet Dei & Sanctorum levem & irreverentem nominationem: sunt enim nonnulli qui tertio quolibet verbo, Deum, Christum, Sacramenta, &c. temerè nominant. Quæ sanè non parva Dei & Sanctorum est irreverentia. Græca hanc sententiam sic breviter afferunt: *Nominationi τοῦ ἁγίου*, id est, *sancti, ne consuescas*: ubi τὸ *sancti* partim masculinè, q. d. Dei sancti, partim neutrè accipitur, ut *sancti* idem sit quod rei cujuslibet sanctæ, sive sit animata, uti sunt angeli & homines sancti in cælo; sive inanimata, uti sunt templa, altaria, Sacramenta, &c. Noster legit in plurali τῶν ἁγίων, id est *sanctorum*, eodem sensu: *sanctorum* enim masculinè, idem est quod angelorum & hominum sanctorum: neutrè verò idem est quod rerum sanctarum. Vetat ergo hæc temerè & irreverenter nominari, sive id fiat in juramento, sive extra juramentum, juxta secundum decalogi præceptum: *Non assumes nomen Domini Dei tui* (& rerum divinarum, putà sanctarum: hæ enim Deum attingunt, unde qui illas temerè nominando violat, violat & Deum) *in vanum*, Exodi 20. 7. *Nomen* enim *Dei* est res sacratissima, omnem sanctitatem exsuperans; ergo indignum est ut illud vano & profano ore calcetur. Secùs est si illud crebrò, sed ex ingenti amore & reverentia, in ore habeas. Sic enim S. Paulus identidem nominat Deum & Jesum Christum, adeò ut in paucis parvisque Epistolis Christum nominet quadringenties, Jesum ducenties & ampliùs. Causam subdit: *Quoniam non eris immunis ab eis*, non sanctis, sed nominibus Sanctorum: q. d. Abstine à vanis & irreverentibus nominationibus Sanctorum, quia *ab eis*, id est per eas, propter eas (hoc enim significat Hebr. [Hebrew] *mehem*, id est, *ab eis*) non eris immunis, scilicet à peccato, putà à culpa & pœna. Tigurina, *quia non impune feres*; Syrus, *qui frequens est ad iurandum, à delictis, & à plaga non iustificatur.* Alludit, imò citat Exodi 20. 7. *Non enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Deus enim sui nominis & honoris est zelotes: quocirca eos qui nomen suum irreverenter usurpant & temerant, acriter castigat, tum in hac vita, tum in futura.

VERS. 11. SICUT ENIM SERVUS INTERROGATUS ASSIDUE, A LIVORE NON MINUITUR: SIC OMNIS JURANS ET NOMINANS (temerè Deum & Sanctos, vel res sanctas) IN TOTO A PECCATO NON PURGABITUR] *Interrogatus*, id est, tortus: solent enim servi in tortura examinari de crimine admisso, unde tortura vocatur quæstio, & in Martyrum passionibus, *interrogatio* subinde ponitur pro flagellis & tormentis, ait Rabanus, q. d. *Sicut servus interrogatus* per quæstiones, flagella & tormenta, verberibus & vibicibus impletur; ita quoque crebrò jurans, crebra peccatorum verbera animæ suæ infligit. Unde Tigur. vertit, *sicut enim servus crebrò vapulans non levatur vibicibus: ita qui deierat, & nomen Dei assiduè usurpat, culpa non vacabit.* Aptè jurantem comparat servo, iuramentum quæstioni & torturæ, juramenti damna vibicibus. Nam ut ait Plutarc. in Problemat. *Juramentum homini libero pro tormento est. Unde Romani à servis veritatem per tormenta extorquebant, à cive iuramento, à sacerdote solo verbo.* Juramentum enim torquet animam, tum, quia eam metu Numinis percellit, anxiamque reddit & sollicitam, ne illicitè jurando ejus indignationem incurrat; tum, quia eam reipsa divinæ vindictæ exponit. Nam

qui pejerat jurando juramento execratorio, v. g. dicendo, Si mentior, Deus me puniat; expresse sibi Dei ultionem imprecatur, si mentiatur. Idem implicitè facit, sibique imprecatur jurans juramento assertorio. Porrò Rabanus sic explicat: q. d. *Sicut servus assidue corruptus à livoris crimine non abstrahitur, sed magis ad odium provocatur: sic omnis jurans, & nominans sæpe nomen Dei Sanctorumque ejus, inde à peccatis non purgabitur, sed magis polluitur.* Verùm livor hic non crimen, putà iram & invidiam animi, sed corporis livorem & vibicem significat: hunc enim denotat Græcum μώλωψ.

Vers. 12. VIR MULTUM JURANS IMPLEBITUR INIQUITATE (putà perjuriis, blasphemiis, injustitiis, &c.) ET NON DISCEDET A DOMO ILLIUS PLAGA] Tigurina, *vir crebrò jurans replebitur scelere, nec flagellum abscedet à domo ipsius*; Syrus, *vir jurator acquirit delicta, & non auferetur à domo ejus seditio & colaphizatio.* Exemplum est in Saule, qui proclivis ad jurandum, multa jurando deliquit, ideoque plagas Dei graves sibi suisque posteris accersivit, ut patet 2. Reg. 21. v. 1. & sequ.

ET SI FRUSTRAVERIT (si juramentum non impleverit)
Vers. 13. DELICTUM ILLIUS SUPER IPSUM ERIT: ET SI DISSIMULAVERIT, DELINQUET DUPLICITER] q. d. Si frustra jurarit, ita ut quod juravit reipsa non præstiterit, hic reus erit delicti, ejusque pœnam sustinebit: si insuper illud corrigere & expiare neglexerit & dissimularit; græcè ὑπερίδῃ, id est, *despexerit*; *dupliciter* peccabit, scilicet primò, fallendo & juramentum non implendo; secundò, peccatum hoc, putà perjurium, non expiando, juxta legem. Alludit enim, imò citat legem Levit. 5. 4. *Anima quæ juraverit & protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret, vel bene; & idipsum juramento & sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum; agat pœnitentiam pro peccato, & offerat de gregibus agnam sive capram, orabitque pro ea sacerdos, & pro peccato ejus.* Vide ibi dicta. ita Tigurina, *cùm commiseris*, inquit, *peccatum, ipse culpam suam sustinebit: quam si non agnoscat, eamdem conduplicaverit.*

Vers. 14. ET SI IN VACUUM JURAVERIT, NON JUSTIFICABITUR: REPLEBITUR ENIM RETRIBUTIONE DOMUS ILLIUS] Ne quis putet eum solùm qui frustrat juramentum, non præstando id quod juravit, peccare, ideoque puniendum à Deo; addit, quòd is quoque qui *in vacuum*, id est temerè, inaniter, leviterque, ubi non est necessitas vel justa utilitas, jurat, etsi sine mendacio vel proximi damno; *non justificabitur* in hoc facto, id est, non censebitur justè ritèque egisse, non declarabitur justus; sed potiùs ut malè agens corripietur & punietur, si non ab hominibus, certè à Deo: à Deo enim *replebitur retributione domus illius*: q. d. Deus illi ejusque domui id est, familiæ & posteris, pro temerariis hisce juramentis debitam retributionem, id est, vindictam, pœnam & supplicia retribuet. Notent hoc qui jurandi habent consuetudinem, & leviter tertio quoque verbo jurant. Unde Tigurina vertit, *ac ne temerè quidem usus juramento insons judicabitur: nam domus ejus crebris appetetur insultibus*; alii, *quòd si inaniter juravit, non evadet pœnam: replebitur enim domus ejus calamitatibus.* has enim significat Græcum ἐπαγωγῶν, ut superiùs dixi. Sic crebrò jurantes, crebrò in domibus suis vident infortunia, ut faciant jacturam mercium, famulorum, filiorum, &c. ac causam non advertunt, nimirum irreverentiam in Deum, ac temerarium juramentum, quo sanctum Dei nomen profanant.

Aliter hunc versum & præced. explicat Palacius: *Tres*, inquit, *male jurandi modos affert. Primus, fratrem frustando & tunc, si quid frater frustratus propterea deliquerit, hoc delictum gravat jurantem, ut qui ejus delicti causam dederit. Ergo si frater frustratus nocuerit ei qui fidem violavit, ejus criminis culpa in perjurum recidit. Secundus modus est, dissimulando veritatem coram judice, & qui ita veritatem dissimulat, dupliciter delinquit: nam delinquit contra Deum, & contra judicem, cui simpliciter ad ejus mentem respondendum est, si modò juridicè interroget. Tertius modus est, jurando quidem verè, sed absque necessitate aut utilitate, & tunc non evadit culpam: replebitur enim domus ejus retributione, ut, sicut jurans caret reverentia erga Deum, ita mala careant reverentia erga dominum, sed irreverenter & temerè dominum jurent, ut temerè Deum ille jurabat.* Verùm hæc expositio nimis frigida, grammatica & jejuna videtur.

EST ET ALIA LOQUELA CONTRARIA MORTI, NON INVENIATUR IN HEREDITATE JACOB] Ita Romani & ceteri correcti codices. Malè ergo Lyran. legit, *contraria in mortem*; & alii, *è contrario in mortem.* Græca jam habent, ἀντιπεριβεβλημένη, id est vestita, amicta, induta. Unde sic habent, *est loquela induta vel amicta morte*, &c. Tigur. *est sermo morte obvolutus, absit in possessione Jacob inveniatur*; alii, *est oratio circumsepta undique morte.* *Vers. 15.*

Noster legit ἀντιβεβλημένη, id est opposita, contraria, aut potiùs ἀντιπαραβεβλημένη, ut etiamnum legunt nonnulli codices, id est opposita, collata, comparata. Nam ἀντιπαραβάλλω, idem est quod oppono, confero, committo, comparo. Unde ἀντιπαραβολή est mutua collatio. *Contraria morti* igitur idem est quod altera ex parte respondens, & quæ conferri ac comparari queat cum morte, morti opposita, objecta, vicina, è regione mortis posita. Unde Syrus omittens τὸ *morti* sic vertit, *& etiam si est aliquid aliud quod comparetur illi* (juramento,) *non invenietur in hereditate Jacob.* Sic Christus ait Matt. 21. *Ite in castellum quod contra vos est*, id est, quod è regione vestri est, in prospectu vestro, vobisque vicinum. Et Virgil. 6. Æneid.

Contrà elata mari respondet Gnosia tellus.

contrà, id est, è regione, è vicino.

Minus rectè ergo Jansenius τὸ *morti* construit non cum *contraria*, sed cum *est.* q. d. Est alia loquela prædictæ contraria, quæ est in mortem, hoc est, quæ mortem mox adfert, vel, ut Lyran. *morti*, subintellige, obligata vel destinata. Porrò blasphemia dicitur contraria juramento, quia juramentum videtur habere Dei honorationem, ut qui in testem tamquam veracissimus adhibeatur, at blasphemia apertam habet Dei inhonorationem. Hæc Jansenius subtiliùs quàm solidiùs.

Quæres, quænam est hæc *loquela contraria*, id est opposita & comparata, *morti*: Aliqui censent esse perjurium: Græci enim non habent τὸ *alia.* Verùm Latini habent τὸ *alia*: ergo non agitur hic de perjurio: de eo enim paulò antè egit v. 13. nec legimus perjurium apud Judæos solitum puniri morte, ut cum ea hic comparetur & æquetur. Alii intelligunt contumelias, rixas, jurgia, quæ communiter suscitant pugnas, ex quibus sequuntur vulnera, mors & cædes multorum, ut ea vestiri illique comparari & æquari videantur. Verùm de his quoque egit superiùs, eaque clarè exprimere & nominare solet. *Loquela contraria morti quæ*

Primò igitur, Rabanus, Lyran. Jansen. & Palacius per *loquelam* hanc accipiunt blasphemiam: hæc enim Judæis adeò erat exosa & horribilis, ut nec eam nominare auderet, sed per antiphrasin eam significarent, vocantes eam benedictionem, ut, *Benedic*, id est, maledic, *Deo, & morere*, Job 2. 9. *Benedixit*, id est maledixit, *Naboth Deum & regem*, 3. Reg. 21. 13. *Resp. Primò.*

Porrò blasphemia dicitur comparata vel vestita morte, quia mortem tum animæ, tum corpori affert. Unde mortis sententiam in blasphemum protulit Deus, Levit. 24. v. 14. & 23. Aliter Palacius: *Hæc loquela blasphemia*, inquit, *quam benedictionem vocabant, erat contraria morti, quia benedicere Deum erat contrarium morti: est enim benedicere, vivere, non mori: ergo blasphemia, ut per antiphrasin & per contrarium vocatur benedicere; ita per contrarium vocatur contraria morti, cùm tamen sit penitus mortifera. Certè benedictio Dei est contraria morti; ut ergo blasphemia vocata est benedictio, ita vocatur contraria morti. Aut certè erat contraria morti, id est maledictioni, quæ mors erat. Ait igitur Auctor: Est alia loquela, scilicet benedicendi Deum, quæ contraria est maledictioni mortis, cum sit tamen blasphemia.* *Secundò.*

Secundò, accipi potest loquela qua quis docet aut suadet apostasiam à Deo fide & religione, hæresim vel idolatriam. Talem enim, etiamsi esset filius, morte mulctari jussit Deus Deut. 13. v. 1. & 6. utpote qui mortem animæ inferat, & ad mortem secundam in gehennam suos sequaces deducat. Unde S. Joannes Apoc. 6. 8. describens tentationem & persecutionem Ecclesiæ & fidelium futuram per Mahometanos & Saracenos, eos repræsentat per equum pallidum cui insidet mors, *Et infernus*, inquit, *sequebatur eum.* *Tertiò.*

Tertiò, loquela hæc accipi potest murmur, rebellio, seditio. Sic enim Core excitans suos contribules ad murmur & rebellionem contra Mosen, morte punitus, vivusque à terra absorptus est. Simili modo ceteros murmurantes sæpiùs in deserto, semper morte vel plaga horribili castigavit Deus, cùm cetera populi peccata dissimularet,

ret, uti ostendi Exodi 16. 7. Unde optat eam, utpote execrandam, non inveniri *in hereditate Jacob*, id est, in populo Israelitico: hic enim est posteritas & hereditas Jacobi patriarchæ, qui alio nomine dictus est Israel. Nam, ut ait S. Gregor. in psalm. 7. Pœnitent. v. 2. qui murmurat, cum Deo contendit. *Qui*, inquit, *contra conditoris flagella murmurat, quasi cum eo in iudicium intrat: Dei namque accusat iudicium, qui se æstimat iniustè percussum. Et quasi cum Deo in iudicio contendit, qui inter flagella innocentem se ostendit.*

Vers. 16. ETENIM MISERICORDIBUS; græcè, [illegible], id est, piis, religiosis, colentibus Deum (quales erant verè Israelitæ, posterique & sequaces Jacobi Patriarchæ, de quibus v. præced.) OMNIA HÆC AUFERENTUR, ET IN DELICTIS NON VOLUTABUNTUR] Ita Romana & Græca: malè ergo Lyran. & nonnulli legunt, *non voluptabunt*, id est, non delectabuntur. Malè etiam alii legunt, *non volutabunt*. Sensus est: q. d. Periuria, blasphemiæ, ceteraque lethifera linguæ vitia, Deus per gratiam & custodiam suam auferet à viris piis se colentibus; aut, si quando aliquem in illa cadere permittat, non sinet eum in illis volutari & perseverare, sed ilicò illi suum scelus & periculum ostendet, eumque impellet, ut ab illo se eximat. Unde Tigurina vertit, *sanè à piis aberunt hæc omnia: neque enim peccatis involuentur;* paulò aliter Syrus, *& etiam*, inquit, *qui continet animam suam ab huiusmodi, vivet, & in peccatis non commiscebitur.*

Moral. notat Palacius blasphemiam puniri aliis sceleribus: ob illam enim Deus permittit ut in hisce volutetur.

Vers. 17. INDISCIPLINATÆ LOQUELÆ (S. August. in Speculo legit, *indisciplinationi*) NON ASSUESCAT OS TUUM: EST ENIM IN ILLA VERBUM PECCATI] Græcè, [illegible], (pro quo Complut. legunt [illegible], id est, *intemperantiæ iuramenti*, qua qui laborant, intemperanter tertio quolibet verbo jurant) id est, *ineruditioni molestæ, indisciplinationi temerariæ*, per quam cum Lyrano & Jansenio intellige rusticitatem & irreverentiam loquendi, qua rustici ceterique homines viles & effrænes malè instituti, irreverenter, rusticè, durè, probrosè loquuntur etiam maioribus & superioribus, sine respectu personæ & dignitatis; quos proinde offendunt, & ad puniendam hanc libertatem excitant. Unde Tigurina, *os tuum imperitæ temeritati ne assuescas: nam sunt, in ea res flagitiosæ;* alii, *est enim in ea res peccati. Verbum* enim *peccati* est sermo peccans, vel res peccati, putà peccatum ipsum. Sæpè enim *verbum* metonymicè sumitur pro re per verbum significata.

Secundò, Syrus per *indisciplinatam loquelam* accipit stultiloquium. Unde vertit, *fatuitati ne assuescat os tuum, quia etiam in illa sunt verba mendacii.*

Tertiò, Palacius accipit inconsiderationem, dissolutionem & incontinentiam loquendi: q. d. Ne assuescas loqui quod velis, quod libet, quod in buccam venerit: habeto disciplinam in ore, loquere quod æquum est. Alioqui si loquaris temerè, aderit statim peccatum: ex hac enim temeritate prorumpes in convitia, maledicta, blasphemias, periuria, rixas, pugnas & cædes. Hic sensus maximè videtur genuinus, eumque sequitur Rabanus: hoc enim propriè significat *indisciplinatus*, nimirum eum qui non adhibet disciplinam & moderationem debitam in loquendo.

Vers. 18. MEMENTO PATRIS ET MATRIS TUÆ: IN MEDIO ENIM MAGNATORUM CONSISTIS] τὸ *enim* respondet Hebræo *Ki*, id est, *nam* vel *cùm*; hic pro *cùm* accipitur, ait Vatabl. Lyran. & Palacius: q. d. Cùm inter magnates versaris, aut ad eorum gradum elevaris & extolleris, memento tamen patris & matris, id est, tuæ familiæ & prosapiæ, si illa humilior & vilior sit, ut te in humilitate contineas, nec inter magnates tui generis oblitus fastu intumescas; sin prosapia tua sit honestior, memento honestæ tuæ educationis, quam à patre & matre accepisti, ut inter magnates honestè & modestè loquaris & agas: ac proinde abstineas à periuriis, juramentis, blasphemiis, irreverentia, fatuitate, ceterisque linguæ vitiis, de quibus hucusque egi. Hinc Tigurina vertit, *memento patris & matris tuæ, cùm resides inter proceres.* Unde sequitur:

Vers. 19. NEQUANDO OBLIVISCATUR TE DEUS IN CONSPECTU ILLORUM, ET ASSIDUITATE TUA (id est, cùm assiduè conversando cum magnatibus disces ambire magna, & superbire) INFATUATUS, IMPROPERIUM PATIARIS: ET MALVISSES

A NON NASCI, ET DIEM NATIVITATIS TUÆ MALEDICAS] q. d. Vide, o fili, ne obliviscaris paternæ tuæ prosapiæ, vel honestæ institutionis parentum, ut inter magnates, magnos & superbos induas spiritus, magna ambias & audeas; quia si id feceris, obliviscetur tui Deus, sinetque te cadere, tuaque gratia, honore & statu excidere in conspectu magnatum; atque quia ob assiduam cum magnatibus conversationem *infatuatus* superbivisti, deiiciet te, ut deiectus *improperium patiaris*, adeò ut optes te non natum, & nativitati tuæ maledicas. Unde Græca sic habent, *ne quando in oblivionem coram illis* (parentibus vel potiùs magnatibus) *venias, & consuetudine tua infatueris*, (hoc enim significat [illegible], pro quo Complut. legunt [illegible], id est, *marcescas*: continua enim & nimis libera conversatio & familiaritas cum magnatibus parit fastidium, indeque contemptum.) *& velles te non esse natum, & diem partus tui execrere;* Tigurina, *ne tu quoque ab ipsis tradaris oblivioni, assiduitateque tua stultitiam contrahas; quamobrem te velis non esse natum, & natalem tuum diem execreris.* Ita Palacius: *Præceptum, hoc*, inquit, *non ad omnes, sed ad eum qui in curia inter magnates versatur, referri debet. Ait enim: In medio magnatorum consistis!*
B *Tum referri omnino debet ad eum qui magnatorum favorem habet, ac ideò cum eis versatur assiduè; dicit enim, Assiduitate tua,* &c. *Ergo quia favor magnatorum quosdam degeneres elatos facit, adeò ut pudeat eos de suis parentibus loqui; ideò præcipit Auctor istis, ut mentionem faciant parentum suorum: tum, quia in medio magnatorum ambulamus, qui vehementer delectantur, cùm audiunt nos de parentibus etiam vilibus loqui; tum, quia si parentum obliviscimur, curabit Deus ut magnates illi obliviscantur nostri: tum tertiò, quia nos infatuati ex favore & assidua magnatorum familiaritate, aliquando ab eis improperium patiemur; dicent enim indignissimos nos esse qui parentes nostros dedignemur. Tunc planè optassemus nos non fuisse natos, & diei natali maledicemus. Hæc Auctoris institutio quotidianæ in curiis experientia comprobatur; quotidie enim audimus quosdam, qui suos etiam rusticos parentes honorarunt, à regibus magnoperè honoratos; alios verò qui parentes dedignati sunt, regibus magnoperè displicuisse, ac ideò ab eorum favore deiectos.* Hæc Palacius.

Secundò, Syrus censet hic stimulum dari filio ad bene loquendum & vivendum, ex verecundia & reverentia parentum. Sic enim vertit,
C *recordare quòd habes patrem & matrem, & æquali timore liberaberis, ne offendas coram eis, & in doctrina tua ignominia afficiaris, & dicas, Utinam creatus non fuissem; & diem in quo genitus es maledicas.*

Rursum pro [illegible], id est, consides, consistis, præsides; Complut. legunt [illegible], in futuro; unde vertunt, *memento patris & matris tuæ, in medio enim magnatum præsidebis:* q. d. Si honores patrem & matrem, eorumque instituta & documenta reipsa expleas, honorabit te Deus, facietque te magnis & magnatibus præsidere.

Tertiò, Jansenius τὸ *enim* propriè accipiens, & per *magnatos*, id est magnates, intelligens viros sanctos & angelos, piè sic explicat: Ut rusticitati & irreverentiæ non assuescas, memor esto institutionis & præceptorum, quæ à parentibus accepisti. Memento item, ex qualibus sis ortus parentibus sanctis scilicet & Deum verum colentibus: consistis enim & conversaris inter magnatos, nempe cultores Dei, sanctos homines sanctosque angelos Dei, qui sunt in medio populi Dei, & contemplantur singulorum mores: unde meritò tibi cavendum est, ne coram talibus indecorè te geras, aut assuescas, ineptè & inhonestè loqui: ne aliquando eveniat, ut, sicut tu
D noluisti meminisse præceptorum & reverentiæ, quam te docuerunt tui parentes, originis item tuæ; ita etiam vicissim eveniat, ut Deus obliviscatur tui in bonum, ad honorandum, scilicet, te in conspectu illorum magnatorum, in quorum oculis & auribus indecorè te hic gessisti. Atque tunc tu, qui iam mala loquendi assuetudine & assiduitate infatuatus es, improperium patiaris & ignominiam, quando ex eorum consortio, cum quibus jam in populo Dei censeris, turpiter eiicieris, & tuæ irreverentiæ & inobedientiæ justas dabis pœnas. Ex quo & hoc consequetur, ut qui, si voluisses, in parentibus tuis gloriari poteras, ob ignominiæ & pœnarum magnitudinem malis non fuisse natus, & maledicas diem nativitatis tuæ; sive in hoc sæculo, sive in futuro. Docet ergo reverentiam & honestatem verborum, juxta parentum monita, & sanctam originem servandum, vel ob honorem qui debetur cœtui sanctorum, sicut & Paulus monet mulieres in Ecclesia, habere ve-

Digitized by Google

Jamen super caput suum; vel propter angelos. Et Tobias consideratione parentum à quibus nati erant, suam coniugem monet honestatis & temperantiæ, dicens: *Filii quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut Gentes qui ignorant Deum*, Tobiæ 8. Et diligenter observandum est, quòd illi *Memento patris*, opponatur *Ne obliviscatur te Deus*; & honori quem quisque ex Sanctorum cœtu obtinet, opponitur improperium & dedecus quod irreverens incurrit, sive hic, sive postea, in conspectu sanctorum & hominum & angelorum.

Vers. 20. HOMO ASSUETUS IN VERBIS IMPROPERII, IN OMNIBUS DIEBUS SUIS NON ERUDIETUR] q. d. Qui consuevit in alios convitia & probra jacere, hic eruditionis, institutionis & correctionis est incapax, tum, quia talis est impudens, procax & pervicax, in eoque callum per consuetudinem obduxit; tum, quia sicut in alios innoxios insurgit, ita multò magis in monitores suos, à quibus corripitur, contumeliosus erit, in eosque plaustra contumeliarum & maledictorum coniiciet. Unde Vatabl. vertit, *homo verbis probrosis assuetus, disciplinam per omnem vitam suam non admittet*; Syrus pro probrosis ponit otiosa: *Vir*, inquit, *qui discit verba otiosa, omnibus diebus vitæ suæ sapientiam non discet*.

Duas alias explicationes affert Palacius. Prior est, q. d. *Cave ne lingua assuescas iacere in alios contumelias: nam id signum æternæ reprobationis est; non enim tales homines à Deo erudiuntur. At verò, ut beatus est, quem tu erudieris Domine; ita reprobus, ac ideò omni infelicitate infelicior, quem tu non erudieris. Alium sensum mihi usus ostendit; is est: Ne credant domini, ministros suos improperiis emendandos, imò verò minister his improperiis assuetus, nunquam erudietur. Igitur non solùm non assequitur herus suis convitiis ministri emendationem, sed potiùs eum facit contumacem, ut de eo desperetur.*

Vers. 21. DUO GENERA ABUNDANT IN PECCATIS (græcè, *multiplicant peccata*) ET TERTIUM ADDUCIT IRAM ET PERDITIONEM] Post vitia linguæ pergit ad vitia operum, inquit Jansenius, sicut & in principio capitis postquam precatus est linguæ continentiam, mox precatur vitæ totius temperantiam. Sensus est, q. d. Duo genera vitiorum & vitiosorum hominum sunt, quæ peccata peccatis accumulant; tertium verò hæc duo superans, acrem Dei iram, vindictam & perditionem provocat. Simile est Prov. 6. 16. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius*: septimum est susurratio & susurro, *qui seminat inter fratres discordias*. Unde Syrus hoc loco vertit, *duos modos odit anima mea, & tertius ascendere facit iram*; Tigur. *duo genera peccatis abundant, & tertium meretur supplicium*, scilicet singulare & acre. Inter hæc tria primum est *anima calida*, putà anima æstuans ira & cholera. Secundum est, *nequam in ore carnis suæ*, id est, nequam in appetitu carnis, id est veneris, putà luxuriosus. Tertium est v. 25. *qui*

Vers. 22. *transgreditur lectum suum*, id est adulter.

ANIMA CALIDA QUASI IGNIS ARDENS, NON EXTINGUETUR DONEC ALIQUID GLUTIAT] Tigur. *animus æstuans tanquam ardens ignis, qui non exstinguitur donec absumatur.*

Anima calida quæ? Respondeo Primò. Quæres, quænam hæc *anima calida*? Primò, Rabanus, Jansen. Palacius & Lyran accipiunt animam avaram: hæc enim ardet avaritia & cupiditate, quasi igne. Unde non desistit donec proximorum bona per fas & nefas glutiat, & in stomachum avaritiæ suæ ita sitibundum traiiciat. Unde Boetius lib 2. de Consol. metro 5. *Sævior ignibus Ætnæ*, inquit, *ardet amor habendi*. Audi Rabanum: *Anima calida quasi ignis ardens est mens avari, quæ ardet in concupiscentia terrenarum rerum: cuius ardoris flamma non mitigatur, donec lucro terreno repleatur: sed quia avaritia pestis morbo hydropiæ est similis, quo qui laborat, quanto plus bibit, tanto plus sitit: sic & anima avari, quantò plura in pecuniarum quæstu acquirit, tantò plus in eorum ardet ambitione. Idcircò dum dicitur, Non extinguetur, donec aliquid glutiat; non eius morbi in eo exprimitur curatio, sed perversi usus denotatur multiplicatio, ut, dum appetitum lucrum acquirit, inde quasi iam absolutus, ad alia appetenda paratior reddatur.* Et S. Ambros. lib. de Cain & Abel, avaritiam vocat *æris libidinem, quæ quo plura abstulerit, eo magis inopem esse se credit. Omnibus invida, sibi vilis, affectu extenuat quod censu abundat. Nullus rapiendi modus, ubi nulla mensura capiendi. Sic inflammat, sic igne suo pascit animum, ut hoc solo à luxuria distet, quòd hæc formarum adultera sit, avaritia terrarum.*

Secundò, potiùs & aptiùs, *anima calida* est anima bile & ira æstuans. Ira enim est effervescentia sanguinis circa cor, quæ proinde hominem ita succendit, ut naribus fumos, ore & oculis ignes spirare videatur: hæc non extinguitur donec aliquid, putà famam, sanguinem, vel vitam ejus, cui irascitur, glutiat, donec scilicet aliquem infamet, vulneret, mutilet, vel occidat. Græca jam habent passivè καταποθῇ, id est *donec glutiatur*, id est, donec absumatur bilis & ira, vel ipse iratus. Irati enim in rixas & enses quasi furibundi ruunt, ideoque sæpè feriuntur & occiduntur. *Secundò.*

Tertiò, valdè concinnè *anima calida* potest accipi anima æstuans libidine. Unde Syrus vertit, *anima quæ luxuriatur cum ignominia carnis suæ*. Hanc enim v. sequ. dicit fornicando accendere ignem, atq; omnia sequentia spectant ad eam, & ad adulterium. Videtur enim per tria quæ nominavit v. 21. intelligere tres gradus libidinis, ut Primus sit interna concupiscentia, quæ non extinguitur donec aliquid externæ voluptatis per pollutionem, oscula, tactus impudicos, &c. glutiat & hauriat: Secundus sit, fornicatio: Tertius, adulterium. Aut certè intelligit tria genera luxuriosorum; primum est *anima calida*, id est, anima æstuans libidine & fornicatione, secundum est adulter, tertium est adultera de qua v. 25. Adultera enim sæpè nocentior est adultero, quia adducit iras & cædes, ac perditionem integrarum familiarum. Unde Syrus & Complut. hunc versum jungunt cum seq. quasi *anima calida* sit anima fornicarii. Sic enim habent Complut. *anima calida quasi ignis ardens non extinguitur, donec deglutiatur homo fornicarius in corpore carnis suæ; non desinet donec accendat ignem.* Licèt Græca à Romanis emendata hæc separent, uti facit noster Latinus Interpres, ac proinde ante τὸ *homo fornicarius*, ponunt hypocolon, quasi alterum & diversum ab anima calida, ideoque secundum è tribus peccatis, de quibus v. 21. membrum sit *homo fornicarius*. *Tertiò.*

Exemplum singulare, sed multiplex hujus ignis & animæ calidæ, extat in Maria filia regis Aragonum, uxore Ottonis III. Imp. apud Crantzium in Saxon. lib. 4. cap. 26. & ex eo Baron. anno Christi 998. *Hæc enim femina procax*, inquit, *oculos coniecit in Comitem quemdam virum integerrimum, forma pulcherrimum: quæ à viro castissimo passa repulsam, illum de pertentata pudicitia calumniose accusavit apud Imperatorem: qui facile nimis adhibens fidem ipsi, Comitem morte damnavit. Quem cùm capite amputatum audisset eius uxor; magna audacia, quam pudoris nescius dolor ministravit abunde, Ottonem convenit pro tribunali sedentem, clamans de nece justissimi viri vindictam, proiectoque capite viri in medium, ipsum Imperatorem reum sanguinis innocentissimi apud ipsum iura reddentem accusat. Probationem per contrectationem ferri candentis veritatis indicem offert. Consentit ille, paratur ignis, ferrum candens exhibetur; mulier conscia innocentiæ viri sui, arripit illud illæsa, contrectat iniusta, quia iusta: stringit ut flores ignitum metallum, quo solùm exuruntur præcordia ipsius Imperatoris. Cui tunc insultans victrix femina, vindictam in Imperatorem à gladio exigit imperantis. Fatetur ille culpam, nec refugit pœnam, spondens iugulum, sed poscit inducias. Interim proceres accurrunt, pro vita feminam exorant Imperatoris. Sed frustra diu laboratum: at tandem ea est conditione transactum, ut auctrix sceleris Augusta, ex qua causa processerat viri necis, flammis comburenda daretur. Quo facto, suam redemit vitam iustissimus Imperator, qui eamdem donatam tribus castris, solutus ipse ac liber subeundi supplicii, eam abire rogavit.* Ecce quantas tragœdias anima feminæ, calida amore, dein furore, excitavit; sed catastrophe in ipsammet revoluta, æstum amoris & furoris luit ignis ardore. *Exemplū uxoris Ottonis Imp.*

Denique *anima calida*, generatim potest accipi ea, quæ quovis affectu pravo, v. g. superbiæ, ambitionis, invidiæ, gulæ, &c. ardet: hæc enim non satiatur donec rem adeò concupitam glutiat, eaque per fas & nefas potiatur. Quocirca de talibus ait Isajas cap. 57. 20. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest*. Et Osee c. 7. 4. insaniam Israelitarum & ardorem colendi idola sub Jehu rege, quasi mysticam fornicationem & adulterium inculcans; *Omnes adulterantes*, ait, *quasi clibanus succensus à coquente*, &c. *Quia applicuerunt quasi clibanum cor suum cùm insidiaretur eis: tota nocte dormivit coquens eos, manè ipse succensus quasi ignis flamma. Omnes calefacti sunt quasi clibanus, & devoraverunt iudices suos.* Vide ibi dicta. Ita noster Pineda in Job cap. 20. v. 12. *Duo genera*, inquit, *abundant in peccatis*, (*id est*, *multo-*

multorum peccatorum fons & origo sunt :) Anima calida (ventriculus, stomachi appetentia) *quasi ignis non extinguetur, donec aliquid glutiat. stomachus, videlicet, non minus famescens, & ardens fame, quàm ignis, qui nisi devoret & depascatur multam materiam, continuò extinguitur, & tunc demum videtur contentus, cùm multa illi nutrimenta subministraveris. En animam, aut stomachum impii æstuantem atque ardentem cupiditatibus, & non quiescentem donec desideratis potiatur.* Et inferiùs: *Exprimitur enim quanta sit impiorum in peccando fames, quanta voracitas. In universos enim illud quadrat: Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. Nam cùm omnes unicam voluptatem, atque peccatorum dulcedinem appetant, gurgites sunt & belluones spurcissimi voluptatum, nati abdomini suo, non vera laudi, non gloria, non fruendo Deo.*

Tropolog. Tropolog. *anima calida*, id est, æstuans ira, libidine, aliave cupiditate, parat & succendit sibi ignem multarum pœnarum & calamitatum, ac tandem ignem gehennæ, juxta illud Isaiæ 50. v. ult. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis.* Vide quæ ibidem notavi.

Vers. 23. ET HOMO NEQUAM IN ORE CARNIS SUÆ, NON DESINET DONEC INCENDAT IGNEM] Hoc est secundum genus eorum qui abundant in peccatis, nimirum fornicariorum: hi enim libidines multiplicant, quia iis non satiantur. Est enim libido insatiabilis, suique flammas majores semper suscitat & accendit: unde *abundat in peccatis*. Noster pro πόρνος, id est fornicarius, legit πονηρὸς, id est *nequam*. Unde aliqui hæc accipiunt de guloso, qui non satiatur ore carnis suæ, putà sua gula & ingluvie, nec quiescit donec in se accendat ignem libidinis. Verùm ex Græco & Syro liquet hic notari fornicarium. Unde Tigur. vertit, *deinde scortator homo qui corpore carnis suæ non conquiescit, donec ignem succenderit;* Syrus, *vir qui luxuriatur cum ignominia carnis suæ*, (alii, *membri sui*) *non conquiescet donec accendatur in eo ignis*. Sensus est: *homo nequam in ore carnis suæ*, hoc est, nequam in explendo appetitu carnis, id est concupiscentiæ, & libidinis suæ, putà luxuriosus & fornicator; *non desinet donec ignem* libidinis suæ, quo ardet interiùs, exteriùs *accendat* & expleat, donec scilicet amasias suas eodem igne succenderit, cum eisq; se libidine contaminarit & concremarit.

Est metonymia, qua os quasi instrumentum ponitur pro appetitu cibi. Rursum est catachresis, qua appetitus cibi ponitur pro appetitu rei venereæ. Unde sequitur: *Homini fornicario omnis panis dulcis.* Dicitur ergo *nequam in ore carnis suæ* fornicator, qui explet omnia quæ appetit caro sua, sive quidquid carni libet, quique ore suo postulat & sollicitat amasias, ad explendum suum hunc brutalem appetitum. Simili phrasi Script. tribuit gladio os, cùm dicit, *Percussit eos in ore gladii*, id est, in acie gladii. Rursum *in ore*, id est, in appetitu gladii: q. d. Percussit eos ad satietatem quantum libuit gladio, id est, quantum appetit furens miles & gladiator. Noster legit στόματι, id est, *ore*, jam legunt σώματι, id est, *corpore*.

Porrò, ignis hic libidinis concipitur ex forma & pulchritudine, quæ oculis hauritur, ac per eos in reliqua membra proserpit, eaque accendit. De quo eleganter S. Chrysost. hom 4. de verbis Isaiæ, *Vidi Dominum: Ut ignis*, inquit, *ubi fœnum aliquod aut culmum arripuerit, nihil moratur, sed simul lucidam accendit flammam: itidem & ignis concupiscentiæ, qui est in nobis, simul atque per oculorum intuitum elegantem ac venustam attigerit formam, protinus exurit animam.* Quocirca ut ab igne hoc immunem te serves, omni studio custodiendi sunt oculi. Vide S. Basilium tract. de Virgin. *Est sane iniquum & indignum*, inquit, *præterquàm quòd ad visum per oculos vehitur, virginem, quæ manu contrectare non audes, ea jactu oculorum indifferenter attingere. Quæ igitur non evitavit luminum jactum quantum in se est, ne manus quidem tactum vitavit. Sicut enim cùm ignem tangimus, ignis indicia per impressas nobis adustiones excipimus: ita possibile non est, eum quem ignis amoris attigit, ejusmodi tactum innocentem inviolatumq; præferre.*

Vers. 24. HOMINI FORNICARIO OMNIS PANIS DULCIS, NON FATIGABITUR TRASGREDIENS USQUE AD FINEM] Sicut v. præced. appetitum fornicationis vocavit *os carnis*; ita persistens in eodem tropo, *panem* quo hoc *os*, id est, appetitus venereus, impletur, vocat feminam: q. d. Homo assuetus fornicationi irruit in quaslibet mulieres: omnis femina sive pulchra sit, sive turpis; sive pauper, sive dives; sive juvenis, sive senex, ei videtur dulcis; sicut famelico dulcis videtur & sapidus quilibet panis etiam ater & durus. Qualibet ergo femina, quasi pane os, id est, appetitum luxuriæ suæ, implet & saturat: unde *non fatigatur transgrediens* (legem Dei per continuas fornicationes) *usque ad finem*, scilicet vitæ; Tigurina, *donec intereat*. tenacissima enim est libido, & consuetudo fornicandi, adeò ut cum senectute non consenescat, sed vivat & vigeat, imò ardeat usque ad mortem, nec nisi cum ea moriatur. Simili tropo de meretricibus clanculariis ait Salomon Prouerb. 9. 17. *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.* Ita Syrus, *carni*, inquit, *viri luxuriosi omnis caro suavis est, & non continebit donec peccet.* Sunt enim turpissimi scortatores, qui vaga libidine delectantur, nullo delectu, qui non nisi libidinari cupiunt, &, ut ait Plato in convivio, *verè non amant, sed ad explendum tantùm desideria inhiant, & quodcumque fors obtulerit, exequuntur.*

Porrò noster Pineda lib 5. de Rebus Salom. c. 4. n. 13. censet hic alludi ad panem mellitum, qui in nuptiis dabatur sponsis, ac deinde convivis: ex quo nuptiæ dicebantur contrahi *confarreatione*, quia panis ille erat farraceus, aut far, teste Athenæo lib. 7. Alexandro ab Alexand. lib. 2. c. 5. & Cælio Rhodigino libr. 24. c. 15. Unde sponsus invitans sponsam ad hanc placentam mellitam Cant. 5. 1. *Comedi*, inquit, *favum cum melle meo.* Ubi Septuag. *comedi panem meum cum melle meo*; ut sensus sit, q. d. Scortator projectissimus est ad omnem cujuslibet feminæ voluptatem, neque minùs ardet quavis occasione oblata, quàm si primas nuptias celebraturus esset, ac mellitam placentam nuptialem degustaturus.

Vers. 25. OMNIS HOMO QUI TRANSGREDITUR LECTUM SUUM, CONTEMNENS IN ANIMAM SUAM, ET DICENS: QUIS ME VIDET?] Adde, *hic in plateis vindicabitur*, uti dicetur v. 30. Ibi enim sententia hic inchoata absolvitur. Sensus est: q. d. Tertius, qui abundat peccatis, & adducit iram & perditionem, uti dixi v. 21. est adulter, qui thorum & lectum conjugalem violat, alteriusque coniugem aut certè fornicariam invadit, itaque contemnit *animam suam*, tum, quia vitam suam periculo mortis obiicit, ne videlicet cognati coniugis, aut maritus adulteræ cum qua peccat, eum ob injuriam & infamiam tam conjugi quàm adulteræ, indeque sibi illatam, occidant; tum, quia animam suam Dei vindictæ, judicio & damnationi exponit. Sed hæc omnia contemnit cæcus amor adulteri, quia clanculum adulterans, putat se latere hominum oculos dicitque: *Quis me videt?* Unde Tigur. vertit, *homo denique* (est tertius & ultimus abundans peccatis) *temerator tori sui, sic animo secum cogitans: Quis me videt?* Syrus, *vir qui prævaricatur super lectum strati sui, & dicit in anima sua: Quis videt me?* Ideoque non cogitat illud Senecæ Gentilis, cùm ipse sit fidelis: *Etiamsi scirem homines ignoraturos, & Deum ignoscíturum, tamen peccare nollem, ob peccati turpitudinem.*

Vers. 26. TENEBRÆ CIRCUMDANT ME, ET PARIETES COOPERIUNT ME, ET NEMO CIRCUMSPICIT ME: QUEM VEREOR? DELICTORUM MEORUM NON MEMORABITUR ALTISSIMUS] q. d. Nec homines vereor, utpote qui me tenebris & cubiculo clausum non vident; nec Deum, utpote quem non credo videre aut curare res mortalium, ut castos præmiet, adulteros puniat; nimirum: *Nubes cœli latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat*, ut ajunt impii, Job 22. 14. Libido enim ducit homines ad atheismum, ut negent Dei providentiam, omneque numen. Quocirca qui firmus in fide persistere cupit, sit castus: castitas enim est custos veræ fidei & religionis: hanc enim evertit intemperantia & libido. Hac de causa S. Petrus, S. Paulus, S. Ioannes, S. Matthæus, S. Clemens, ceterique Apostoli, virique Apostolici, eximii præcones fuere castitatis, æquè ac fidei, adeoque pro castitate Martyres occubuerunt. (*Castitas custos fidei.*) Sciebant enim sanctitatem Christianæ fidei & religionis esse tantam, ut non nisi à castis capi & conservari possit. Syrus vertit, *ecce parietes domus meæ tegunt me, & tectum domus meæ superiacet mihi, & non est qui videat me, quis prohibebit me ne peccem?* Tigurina, *tenebris circumseptus sum, & parietes mihi præbent latebram, nec quisquam videt me, quidnam metuam? peccata mea non curat Altissimus.*

Sapien-

Tenebrae peccatoris discutit lux Dei omnia videntis

Sapienter S. Chrysost. homil. 11. in 1. ad Cor. *Noli*, inquit, *dicere: In tenebris sum; pariete claudor, quis me videt? Qui enim omnia nostra corda effinxit, ipse omnia novit. Quoniam tenebrae apud eum nihil obscurius reddunt. Recte autem inquit peccator: Tenebrae circumdant me, & parietes: nisi enim in tenebris animus esset, non sanè Dei timore abiecto, tanta duceretur licentia. Nam si priùs rationalis pars caligaret, non tam licenter peccata in nos impetum facere potuissent. Quamobrem ne dicas, Nemo me videt: est namque qui ad animam usq; & spiritum, articulos & medullas penetrat. Te autem ipsum non vides, neque potes nebulas expellere: sed tamquam muro undique circumdaris, & sic nequis cælum suspicere.* Docet deinde in omni peccato esse tenebras mentis, & rationis lumen extingui. *Nam quemadmodum*, inquit, *latrones, & parietum professores, cùm quid pretiosum rapere volunt, extincto lumine id aggrediuntur: sic in peccatoribus corrupta ratio. Etenim in nobis rationis lumen est semper ardens; quod si spiritus iniquitatis vehementiori impetu aggressus extinxerit, quamprimùm animam obscuravit, expugnavitq; & quidquid in ea conditum est, compilavit.*

VERS. 27. ET NON INTELLIGIT (non credit; vel, si credit, non cogitat, non considerat) QUONIAM OMNIA VIDET OCULUS ILLIUS (Dei: Dei enim nomen est *ille*, scilicet *qui est*, Exodi 3.14.) QUONIAM EXPELLIT A SE TIMOREM DEI, (ut liberiùs sine metu vindicis & vindictæ adulteretur & peccet) HUIUSMODI HOMINIS TIMOR, quo adulter timet videri ab hominibus, non à Deo, ideoq; noctem & latebras quærit. q. d. Hic timor quo adulter tantùm hominem, & ab homine videri timet, expellit timorem Dei; ET OCULI HOMINUM TIMENTES ILLUM] Idem dicit & inculcat: q. d. Et oculi adulteri, qui sunt *oculi hominum*, id est, quibus videri metuit ab hominibus, ideoque oculis suis circumspicit, num quis hominum eum videat: *oculi* ergo *hominum* sunt metus & timor hominum; hi oculi sunt *timentes illum*, supple, hominem, qui præcessit. q. d. Oculi adulteri solùm timent hominem, ideoque expellunt timorem Dei, uti jam dixit: hoc enim ex prædictis hic subaudiendum & repetendum relinquit. Unde Græca pro his omnibus hoc tantùm habent: *Et oculi hominum timor ipsius*, id est, ut Tigurina, *sanè huic oculi tantùm hominum timori sunt*: q. d. Talis tantùm timet aspici ab hominibus. Unde S. Ephrem in Apophtheg. legit, *at contrà oculos hominis timet*; Syrus hæc omnia præterit & omittit. Nonnulli codices aliter dispungunt sensumque dant faciliorem hoc modo: *Expellit à se timorem Dei*, scilicet adulter, deinde ponunt colon, ac quasi epiphonema subiungunt: *Huiusmodi* (est) *hominis timor, & oculi hominum timentes illum*. q.d. Talis est timor hominis, & tales sunt oculi hominum, qui solùm timent hominem, qui scilicet dumtaxat timent videri ab homine quem metuunt, non à Deo quem non metuunt. Nimirum hi sunt humani & carnei oculi, qui non nisi hominem timent. Insanit ergo adulter dum oculos Dei fallere vel fugere se posse putat. Audi Rabanum: *Qui enim castitatis virtutem perdit, & impudentiæ se vitio tradit, cùm ipse tenebrosæ sit mentis, tenebrarum opera sine conscientia alterius æstimat se agere; & quia Dei timorem à se expellit, in eo maximè deluditur quòd occultorum omnium conditorem se fallere posse arbitratur; cùm Propheta testante didicimus, quòd vultus domini sit super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum; & Dominus interrogat iustum & impium; qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam: coram sole iustitiæ nihil latere potest: omnes enim viæ hominum patent oculis Dei: cælorum ipse continet thronum, & abyssum intuetur, cælum palmo metitur, & terram pugillo concludit, ipse novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt, & singulorum cogitationes intelligit à longè; homo enim videt in facie, Deus autem intuetur cor.*

Ex S. Amb. Audi & S. Ambros. hunc locum expendentem lib. 1. Offic. c. 14. *Nolunt* (adulteri & impii) *supra se esse iudicem, quem nihil fallat: nolunt ei dare occultorum scientiam, qui metuunt occulta sua prodi: sed etiam Dominus sciens opera eorum, tradidit eos in tenebras. In nocte, inquit, erit fur: & oculus adulteri servabit tenebras, dicens: Non considerabit me oculus, & latibulum personæ opposuit suæ. Omnis enim qui malè agit, lucem fugit, diligit tenebras, studens latere, cùm Deum latere non possit, qui intrat profundum abyssi, & intra hominum mentes non solùm tractata, sed etiam volvenda cognoscit. Denique & ille qui dicit in Ecclesiastico: Quis videt me? & tenebræ cooperiunt me & parietes, quem vereor? quamvis in lecto positus hæc cogitet, ubi non putaverit, comprehenditur. Et erit*, inquit, *dedecus, quòd non intellexerit timorem Dei. Quid autem tam stolidum, quàm putare quòd Deum quidquam prætereat; cùm sol qui minister luminis est, etiam abdita penetret, & in fundamenta domus, vel secreta conclavia vis caloris eius irrumpat?* Et paulò post: *Si igitur radius Solis fundit lumen suum super omnem terram, & in ea quæ clausa sunt se inserit, nec vectibus ferreis, aut gravium valvarum obicibus, quo minùs penetret, impeditur; quomodo non potest intelligibilis Dei splendor in cogitationes hominum & corda, quæ ipse creavit, semet inserere? sed ea quæ ipse fecit, non videt, & fecit ut meliora sint quæ facta sunt, & potentiora, quàm ipse est qui ea fecit, ut possint, quando volunt, cognitionem sui operatoris latere? Tantam ergo virtutem & potestatem inservit mentibus nostris, ut eam comprehendere cùm velit, non possit.*

Vide hic & admirare, quanta sit hominum, Dei oculos velare conantium, stupiditas, vel rusticitas, vel cæcitas, vel ignorantia, vel oblivio, quam sæpè miraculis coarguit Deus. Ut alia taceam, mirabile & memorabile est, quod scribit B. Petrus Damiani S. R. E. Cardin. & Episc. Ostiensis, suoq; ævo sapientiæ sol. Sic enim ait lib. 5. epist. 16. ad Landulphum: *Quidam alienam suem furtivè surripuit, & caveæ clandestinus inclusit; vir tamen ille pietatis operibus intentus esse consueverat. Interea adest dives Iesus in effigie pauperis, & tamquam prolixo iam crine deformis egebat arte tonsoris. Ille protinus reverenter assurgens, inter cetera officiosa humanitatis impendia, cœpit illum forcipibus attondere: sed dum tornat, ac satagit, ecce reperit duos in occipitio sub crinibus oculos latitantes. Expavit homo, stupensq; contremuit, & quid vellet esse quod cerneret, pavidus inquisivit. Cui mox ille: Ego, inquit, Iesus vocor, qui undique cuncta contemplor; & isti sunt oculi quibus etiam suem vidi, quam nuper in cavea conclusisti. Moxq; disparuit. Ille protinus ad cor rediens, & divinam circa se clementiam recognovit, & quod iniquè præsumpserat, satisfactione purgavit.* *Mirum exemplum ex Damiano.*

Huc pertinet Apophthegma prisci Rabbini in *Pirke aboth*, id est, in Apophth. patrum Hebr. *Tria tibi servanda sunt, ut numquam in peccatum labaris.* Primum, *ut attendas oculum omnia videntem.* Secundum, *ut aurem, cui nec ipsum tacet silentium, in omni loco reverearis.* Tertium, *ut cogites omnia & singula opera tua in libro scientiæ illius esse exarata.*

ET NON COGNOVIT, QUONIAM OCULI DOMINI MULTÒ PLUS LUCIDIORES SUNT SUPER SOLEM, CIRCUMSPICIENTES OMNES VIAS HOMINUM, ET PROFUNDUM ABYSSI, ET HOMINUM CORDA INTUENTES IN ABSCONDITAS PARTES] Græca, *nec intelligit oculos Domini millies sole splendidiores esse, qui intuentur omnes vias hominum, & contemplantur in partes abstrusas*; Syrus verò, *& nescit quia oculi Dei magni, majores sunt decies millies sole, & videt vias omnium hominum, & intelligit in tenebris faciem operum eorum.* Sol centies & sexagies major est globo terræ, ideoque in se contineret centum & sexaginta terræ globos, si existerent: cogita ergo quàm magnus sit Dei oculus, ac quoties major sit tota terra? Quid ergo eum latere queat, quod non videat? Unde Tigurina, *nec intelligit oculos Domini sole infinitis partibus perspicaciores, vias hominum omnes ac profundum maris inspicere, atque abstrusissima quæque perlustrare.* VERS. 28.

Appositè oculum, id est, aciem mentis qua omnia inspicit Deus, comparat Soli; Deus enim, ut ait Poeta, est ἠέλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει, id est, *sol qui omnia videt, & omnia audit*. Vide dicta Isaiæ 45. v. 1. ubi octodecim analogias inter regem & solem recensui: Deus enim est Rex regum. Igitur sicut sol ex alto cælorum vertice, luce sua quasi oculo terram inspicit, imò illustrat, ut omnia faciat visibilia cuivis homini & animali: ita Deus acie perspicacissima & immensa mentis suæ, totum mundum inspicit, circumspicit, introspicit, & ad fundum quaquaversum perspicit & comprehendit, imò omnia in lucem profert, & omnia facta hominum proferet in die judicii. Unde eleganter Philo lib. de Victimas offerentibus: *Deus*, inquit, *est ipsius Solis sol, illustrans sensibilem intelligibilis.* Sicut enim sol res sublunares conspicit, & conspicuas facit: ita Deus res omnes creatas, & inter illas ipsum solem, clarissimè videt, & visibilem efficit.

Verùm Dei oculus in multis superat solem. Sol enim *Dei oculus*

non

Insidior sol. Primò. non circumspicit omnes vias, id est, mores, & actus etiam internos hominum: hos tamen circumspicit Deus.

Secundò. Secundò, sol non penetrat profundum abyssi, id est, maris: mare enim multis in locis ad duo vel tria milliaria profundum est, quò non pertingunt Solis radii: ut plurimùm tamen maris profunditas non excedit dimidium miliarii, uti testantur nautæ qui maris altitudinem demissa bolide explorarunt. Adde, nonnulla maria ita profunda esse, ut eorum profunditas necdum reperta sit, qualia sunt Svecica littora, ubi non anchoris, sed ferreis annulis naves cohibentur, & in Ponto, de quibus Plinius lib. 2. cap. 102. *In Ponto*, inquit, *ex adverso Coraxorum (vocant Bathea,* id est, profunda, *Ponti) trecentis fere à continenti stadiis immensam altitudinem maris tradunt, vadis numquam repertis.* Vide Picolomineum lib. de Quantit. terræ & aquæ, & Conimbric. lib. 3. de Cælo c. 5. q. 3. art. 2.

Tertiò. Tertiò, Deus est cardiognostes, & hominum corda introspicit. Id facere nequit sol. Quocirca à Sophocle in Oedipo Colon. epithetum Deo proprium datur *παντόπτης*, id est, omnia intuens; quod nihil eum lateat, nullum cordis arcanum ejus aspectum fugiat.

Quartò. Quartò, absconditas mundi partes, putà terræ viscera & centrum, locaque inferni, ac tot milliones dæmonum & hominum damnatorum ibi degentium clarè intuetur Deus; rursum omnes mundi angulos, cubicula, lectos, stragula, antra, cavernas, latibula, fossas, hiatus pervidet. Id non facit sol. Oculi ergo Dei multò lucidiores sunt sole, præsertim circa actus hominum bonos vel malos: hos enim acerrima acie intuetur Deus, ut suo tempore æternis poenis vel præmiis eos puniat, aut remuneret. Quocirca S. Joannes Apoc. 1. 14. Christi gloriam describens: *Oculi ejus tamquam flamma ignis.* Et Daniel cap. 10. 6. Angelum Dei, & in eo Deum pingens: *Facies ejus*, inquit, *velut species fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens.* Et Ezechiel Cherubinos stemmata Dei gerentes describens cap. 18. *Totum corpus*, inquit, *oculis plenum in circuitu;* quomodo Poetæ finxerunt Argum pastorem Jonis circumcirca esse centum oculis oculatum. Quin & Plinius lib. 2. c. 7. *Deus*, inquit, *totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui.*

Præclarè S. August. in Speculo cap. 4. ita Deum definit, aut potiùs peraphrasticè describit: *Immutabilis mutans omnia, invisibilis videns omnia, immortalis, illocalis, interminatus, incircumscriptus, nusquam finitus, ineffabilis, inexstimabilis, indicibilis, inscrutabilis, immotus, tangens omnia, investigabilis, metuendus atque terribilis, venerandus atque verendus, honorandus atque horrendus, numquam novus, numquam vetus, omnia innovans; in vetustatem perducens superbos, & nescientes; semper agens, semper quietus; colligens, & non egens; omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione, omnia creans & protegens, nutriens & perficiens. Quærens, cùm nihil desit tibi; amans, nec æstuas; zelans, & securus es; pœnitet te, & non doles; irasceris, & tranquillus es; opera mutas, sed consilium numquam recipis.* Et paulò inferiùs: *Qui es ubique totus, qui sentiri potes, & videri non potes; qui nusquam dees, & ab iniquorum cogitationibus longè es. Qui nec ibi dees ubi longè es: quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui omnia tangis, nec tamen æqualiter omnia tangis. Quædam enim tangis ut sint, nec tamen ut vivant & sentiant: quædam tangis ut sint, vivant & sentiant, nec tamen ut discernant: quædam tangis ut sint, vivant, sentiant atque discernant. Et cùm tibimetipsi numquam dissimilis sis, dissimiliter tangis dissimilia. Qui ubique præsens es, & inveniri vix potes: quem stantem sequimur, & apprehendere non valemus. Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcellis omnia, sustines omnia.*

Mor. de Dei præsentia. Item in Soliloq. cap. 14. *Gressus meos semitasque consideras, & die noctuque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans: speculator perpetuus, velut si totius creaturæ tuæ cæli & terræ oblitus, tantùm me solum consideres, & nihil sit tibi curæ de aliis. Neque enim tibi crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantùm unum aspicias; neque minuitur, si innumera videas & diversa. Quia sicut uno totum simul perfectè consideras, sic singula quælibet, licet diversa, perfectè simul, totaque totus conspicit visus tuus. Sed sicut omnia, sic unum, & sicut unum, sic singula, totus simul, sine divisione, vel commutatione, vel diminutione consideras. Itaque totus tu in toto tempore sine tempore, totum me simul semperque consideras, ac si nihil aliud considerare habeas. Sic igitur super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, & mihi soli intendere velis. Semper quippe te præsentem exhibes, semper te paratum offers, si me paratum invenis. Quocumque iero, tu me Domine non deseris, nisi prior ego te deseram. Ubicumque fuero, non recedis, quoniam ubique es, ut quocumque iero, inveniam te per quem possim esse, ne peream sine te, cùm sine te esse non possim. Fateor quidem, quia quidquid facio, & quæcumque facio, ante te facio: & illud quidquid est quod facio, meliùs tu vides quàm ego qui facio. Quidquid enim semper operor, tu pariter semper præsens ades, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, & operationum mearum.* Et mox: *Cumque hæc diligenter considero, Domine Deus meus, terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor: quoniam nobis magna indita est necessitas justè rectèque vivendi, quia cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis.* Quocirca Psaltes psal. 122. *Sicut oculi servorum*, inquit, *in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Et psal. 15. 8. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.* Et sponsus sponsæ Cantic. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum ut signaculum super brachium tuum.* Hinc S. Basil. ad filium spiritualem, hoc inter alia ei præscribit: *Memento te sub Domini conspectibus stare, qui occulta cordis prospicit, & abdita mentium novit. In omni opere quod cogitas facere, priùs examina si secundum Dominum est quod cogitas, & si rectum est coram Domino, perfice: si verò adversum fuerit repertum, amputa illud ab anima tua.* Hæc S. Basil. quem S. Gregor. Nazianz. epist. 26. ad eumdem S. Basil. non adulatoriè, sed jure & meritò vocat oculum orbis, magnificam vocem ac tubam, regiumque dicendi splendorem. S. Bernard. in formula honestæ vitæ, ad eam duo requirit. *Primum est*, inquit, *ut subtrahas te ab omnibus transitoriis rebus, ut nihil de eis cures ac si non essent. Secundum, ut ita te des Deo, ut nihil dicas & agas, nisi quod credideris firmiter placere Deo.* Idem in Meditat. cap. 6. ex S. Aug. *Sicut*, inquit, *nullum est momentum, quo homo non fruatur Dei bonitate & misericordia: sic nullum debet esse momentum quo eum præsentem non habeat in memoria. Quocumque loco consistis, cogitationes tuas jacta in Deum, aut aliquid salutare in animo tuo versa. Omnis siquidem locus ad meditandum congruus est.*

Denique sicut sol Zodiacum duodecim signis distinctum assiduè perambulat, imò percurrit: sic Deus mentem fidelem duodecim primariis virtutibus ornatam perambulant, ut eam in illis illuminet, inflammet, roboret, perficiat. Unde Isaias cap. 60. 19. Deum vocat Ecclesiæ & fidelium lucem & solem; & Malachias cap. 4. 2. Christum vocat *solem justitiæ;* & illud Cant. 5. 14. *Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris;* alii vertunt, *sicut circulus medius, in quo sunt similitudines siderum.* Christus ergo Zodiacum siderum, id est virtutum, pingit in mente fideli & sancta.

DOMINO ENIM DEO ANTEQUAM CREARENTUR, OMNIA SUNT AGNITA: SIC ET POST PERFECTUM RESPICIT OMNIA] Probat oculos Dei sole lucidiores omnia intueri, ex eo quod ipse omnium sit creator, conservator & gubernator: sicut ergo antequam crearet ea cognovit per ideam, quam in mente habuit: juxta eam enim ea creavit; sic quoque postquam ea creavit & perfecit, respicit & intuetur omnia, ut creata à se conservet & gubernet. Unde Græca clarè habent, *antequam crearentur omnia sunt ei agnita, sic & postquam consummata sunt;* Syrus verò, *quia antequam fiat quidquam, manifestum est coram eo, & etiam post consummationem mundi ipse judicat illum:* q. d. Deus facta hominum prænovit & prævidit, antequam ea faceret homo, imò antequam mundus existeret: unde idem postquam facta sunt, postquam scilicet ea fecit homo, *in consummatione*, id est, in fine mundi, judicabit illum, qui ea fecit & patravit. *Vers. 29.*

Deus ergo actiones omnium, tam bonas quàm malas, prævidit ante mundum, videt in mundo, judicabit post mundum. Audi Rabanum: *Notum est Deo ab initio opus ejus, nec aliquid novum ei accidere potest, quia ante omnia præsciebat tempora, quæ in tempore voluit facere opera, & post perfectum opus nihil illi defuit aut præteriit, quia neque præteritum, neque futurum aliquid illi est, sed omnia præsentialiter coram eo sunt. In omnipotente enim Deo ea quæ secutura sunt tempora, præsentia semper consistunt: cui nec futura veniunt, nec præterita discedunt, sed cuncta simul ante ejus oculos assistunt: fuisse, vel futurum esse, æternitas non habet; cui nimirum nec præterita transeunt, neque futura superveniunt, quæ cuncta præsens videt.*

HIC

Tenebrae peccatoris diffindit lux Dei omnia videntis

Sapienter S. Chrysost. homil. 11. in 1. ad Cor. *Noli*, inquit, *dicere: In tenebris sum; parietes claudor, quis me videt? Qui enim omnia nostra corda effinxit, ipse omnia novit. Quoniam tenebrae apud eum nihil obscurius reddunt. Recte autem inquit peccator: Tenebrae circumdant me, & parietes: nisi enim in tenebris animus esset, non sanè Dei timore abiecto, tanta duceretur licentia. Nam si prius rationalis pars caligaret, non tam licenter peccata in nos impetum facere potuissent. Quamobrem ne dicas, Nemo me videt: est namque qui ad animam usq; & spiritum, articulos & medullas penetrat. Te autem ipsum non vides, neque potes nebulas expellere: sed tamquam muro undique circumdaris, & sic nequis caelum suspicere.* Docet deinde in omni peccato esse tenebras mentis, & rationis lumen extingui. *Nam quemadmodum*, inquit, *latrones, & parietum professores, cùm quid pretiosum rapere volunt, extincto lumine id aggrediuntur: sic in peccatoribus corrupta ratio. Etenim in nobis rationis lumen est semper ardens; quod si spiritus iniquitatis vehementiori impetu aggressus extinxerit, quamprimùm animam obscuravit, expugnavitq; & quidquid in ea conditum est, compilavit.*

VERS. 27. ET NON INTELLIGIT (non credit; vel, si credit, non cogitat, non considerat) QUONIAM OMNIA VIDET OCULUS ILLIUS (Dei: Dei enim nomen est *ille*, scilicet *qui est*, Exodi 3. 14.) QUONIAM EXPELLIT A SE TIMOREM DEI, (ut liberiùs sine metu vindicis & vindictae adulteretur & peccet) HUIUSMODI HOMINIS TIMOR, quo adulter timet videri ab hominibus, non à Deo, ideoq; noctem & latebras quaerit. q. d. Hic timor quo adulter tantùm hominem, & ab homine videri timet, expellit timorem Dei; ET OCULI HOMINUM TIMENTES ILLUM] Idem dicit & inculcat: q. d. Et oculi adulteri, qui sunt *oculi hominum*, id est, quibus videri metuit ab hominibus, ideoque oculis suis circumspicit, num quis hominum eum videat: *oculi* ergo *hominum* sunt metus & timor hominum; hi oculi sunt *timentes illum*, supple, hominem, qui praecessit. q. d. Oculi adulteri solùm timent hominem, ideoque expellunt timorem Dei, uti jam dixit: hoc enim ex praedictis hic subaudiendum & repetendum relinquit. Unde Graeca pro his omnibus hoc tantùm habent: *Et oculi hominum timor ipsius*, id est, ut Tigurina, *sanè huic oculi tantùm hominum timori sunt*: q. d. Talis tantùm timet aspici ab hominibus. Unde S. Ephrem in Apophtheg. legit, *at contrà oculos hominis timet*; Syrus haec omnia praeterit & omittit. Nonnulli codices aliter dispungunt sensumque dant faciliorem hoc modo: *Expellit à se timorem Dei*, scilicet adulter, deinde ponunt colon, ac quasi epiphonema subiungunt: *Huiusmodi* (est) *hominis timor, & oculi hominum timentes illum*. q. d. Talis est timor hominis, & tales sunt oculi hominum, qui solùm timent hominem, qui scilicet dumtaxat timent videri ab homine quem metuunt, non à Deo quem non metuunt. Nimirum hi sunt humani & carnei oculi, qui non nisi hominem timent. Insanit ergo adulter dum oculos Dei fallere vel fugere se posse putat. Audi Rabanum: *Qui enim castitatis virtutem perdit, & impudentiae se vitio tradit, cùm ipse tenebrosae sit mentis, tenebrarum opera sine conscientia alterius aestimat se agere; & quia Dei timorem à se expellit, in eo maximè deluditur quòd occultorum omnium conditorem se fallere posse arbitratur; cùm Propheta testante didicimus, quòd vultus domini sit super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum; & Dominus interrogat iustum & impium; qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam: coram sole iustitiae nihil latere potest: omnes enim viae hominum patent oculis Dei: caelorum ipse continet thronum, & abyssum intuetur, caelum palmo metitur, & terram pugillo concludit, ipse novit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt, & singulorum cogitationes intelligit à longè: homo enim videt in facie, Deus autem intuetur cor.*

Ex S. Amb. Audi & S. Ambros. hunc locum expendentem lib. 1. Offic. c. 14. *Nolunt* (adulteri & impii) *supra se esse iudicem, quem nihil fallat: nolunt ei dare occultorum scientiam, qui metuunt occulta sua prodi: sed etiam Dominus sciens opera eorum, tradidit eos in tenebras. In nocte, inquit, erit fur: & oculus adulteri servabit tenebras, dicens: Non considerabit me oculus, & latibulum personae opposuit suae. Omnis enim qui male agit, lucem fugit, diligit tenebras, studens latere, cùm Deum latere non possit, qui intrat profundum abyssi, & intra hominum mentes non solùm tractata, sed etiam voluenda cognoscit. Denique & ille qui dicit in Ecclesiastico: Quis videt me? & tenebrae cooperiunt me & parietes, quem vereor? quamvis in lecto positus haec cogitet, ubi non putaverit, comprehenditur. Et erit*, inquit, *dedecus, quòd non intellexerit timorem Dei. Quid autem tam stolidum, quàm putare quòd Deum quidquam praetereat; cùm sol qui minister luminis est, etiam abdita penetret, & in fundamenta domus, vel secreta conclavia vis caloris eius irrumpat?* Et paulò post: *Si igitur radius Solis fundit lumen suum super omnem terram, & in ea quae clausa sunt se inserit, nec vectibus ferreis, aut gravium valvarum obicibus, quo minùs penetret, impeditur; quomodo non potest intelligibilis Dei splendor in cogitationes hominum & corda, quae ipse creavit, semet inserere? sed ea quae ipse fecit, non videt, & fecit ut meliora sint quae facta sunt, & potentiora, quàm ipse est qui ea fecit, ut possint, quando volunt, cognitionem sui operatoris latere? Tantam ergo virtutem & potestatem inservit mentibus nostris, ut eam comprehendere cùm velit, non possit.*

Vide hic & admirare, quanta sit hominum, Dei oculos velare conantium, stupiditas, vel rusticitas, vel caecitas, vel ignorantia, vel oblivio, quam saepè miraculis coarguit Deus. Ut alia taceam, mirabile & memorabile est, quod scribit B. Petrus Damiani S. R. E. Cardin. & Episc. Ostiensis, suoq; aevo sapientiae sol. Sic enim ait lib. 5. epist. 16. ad Landulphum: *Quidam alienam suem furtivè surripuit, & cavea clandestinus inclusit; vir tamen ille pietatis operibus intentus esse consueverat. Interea adest dives Iesus in effigie pauperis, & tamquam prolixo iam crine deformis egebat arte tonsoris. Ille protinus reverenter assurgens, inter cetera officiosae humanitatis impendia, coepit illum forcipibus attondere: sed dum tornat, et satagit, ecce reperit duos in occipitio sub crinibus oculos latitantes. Expavit homo, stupensq; contremuit, & quid vellet esse quod cerneret, pavidus inquisivit. Cui mox ille: Ego, inquit, Iesus vocor, qui undique cuncta contemplor: & isti sunt oculi quibus etiam suem vidi, quam nuper in cavea conclusisti. Moxq; disparuit. Ille protinus ad cor rediens, & divinam circa se clementiam recognovit, & quod iniquè praesumpserat, satisfactione purgavit.*

Mirum exemplum ex Damiano.

Huc pertinet Apophthegma prisci Rabbini in *Pirke avoth*, id est, in Apophth. patrum Hebr. *Tria tibi servanda sunt, ut numquam in peccatum labaris.* Primum, *ut attendas oculum omnia videntem.* Secundum, *ut aurem, cui nec ipsum tacet silentium, in omni loco reverearis.* Tertium, *ut cogites omnia & singula opera tua in libro scientiae illius esse exarata.*

ET NON COGNOVIT, QUONIAM OCULI DOMINI MULTÒ PLUS LUCIDIORES SUNT SUPER SOLEM, CIRCUMSPICIENTES OMNES VIAS HOMINUM, ET PROFUNDUM ABYSSI, ET HOMINUM CORDA INTUENTES IN ABSCONDITAS PARTES] Graeca, *nec intelligis oculos Domini millies sole splendidiores esse, qui intuentur omnes vias hominum, & contemplantur in partes abstrusas*; Syrus verò, *& nescit quia oculi Dei magni, majores sunt decies millies sole, & videt vias omnium hominum, & intelligit in tenebris faciem operum eorum.* Sol centies & sexagies major est globo terrae, ideoque in se contineret centum & sexaginta terrae globos, si existerent: cogita ergo quàm magnus sit Dei oculus, ac quoties major sit tota terra? Quid ergo eum latere queat, quod non videat? Unde Tigurina, *nec intelligit oculos Domini sole infinitis partibus perspicaciores, vias hominum omnes ac profundum maris inspicere, atque abstrusissima quaque perlustrare.* VERS. 28.

Appositè oculum, id est, aciem mentis qua omnia inspicit Deus, comparat Soli; Deus enim, ut ait Poeta, est ἠέλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει, id est, *sol qui omnia videt, & omnia audit.* Vide dicta Isaiae 45. v. 1. ubi octodecim analogias inter regem & solem recensui: Deus enim est Rex regum. Igitur sicut sol ex alto caelorum vertice, luce sua quasi oculo terram inspicit, imò illustrat, ut omnia faciat visibilia cuivis homini & animali: ita Deus acie perspicacissima & immensa mentis suae, totum mundum inspicit, circumspicit, introspicit, & ad fundum quaquaversum perspicit & comprehendit, imò omnia in lucem profert, & omnia facta hominum proferet in die judicii. Unde eleganter Philo lib. de Victimas offerentibus: *Deus*, inquit, *est ipsius Solis sol, illustrans sensibilem intelligibilis.* Sicut enim sol res sublunares conspicit, & conspicuas facit: ita Deus res omnes creatas, & inter illas ipsum solem, clarissimè videt, & visibilem efficit.

Dei oculus

Verùm Dei oculus in multis superat solem. Sol enim

non

Insidior sole. Primò. non circumspicit omnes vias, id est, mores, & actus etiam A internos hominum: hos tamen circumspicit Deus.

Secundò. Secundò, sol non penetrat profundum abyssi, id est, maris: mare enim multis in locis ad duo vel tria milliaria profundum est, quò non pertingunt Solis radii: ut plurimùm tamen maris profunditas non excedit dimidium milliarii, uti testantur nautæ qui maris altitudinem demissa bolide explorarunt. Adde, nonnulla maria ita profunda esse, ut eorum profunditas necdum reperta sit, qualia sunt Svecica littora, ubi non anchoris, sed ferreis annulis naves cohibentur, & in Ponto, de quibus Plinius lib. 2. cap. 102. *In Ponto*, inquit, *ex adverso Coraxorum (vocant Bathea*, id est, profunda, *Ponti) trecentis ferè à continenti stadiis immensam altitudinem maris tradunt, vadis numquam repertis.* Vide Picolomineum lib. de Quantit. terræ & aquæ, & Conimbric. lib. 3. de Cælo c. 5. q. 3. art. 2.

Tertiò. Tertiò, Deus est cardiognostes, & hominum corda introspicit. Id facere nequit sol. Quocirca à Sophocle in Oedipo Colon. epithetum Deo proprium datur παντόπτης, id est, omnia intuens; quod nihil eum lateat, nullum cordis arcanum ejus aspectum fugiat.

Quartò. Quartò, absconditas mundi partes, putà terræ viscera B & centrum, locaque inferni, ac tot milliones dæmonum & hominum damnatorum ibi degentium clarè intuetur Deus; rursum omnes mundi angulos, cubicula, lectos, stragula, antra, cavernas, latibula, fossas, hiatus pervidet. Id non facit sol. Oculi ergo Dei multò lucidiores sunt sole, præsertim circa actus hominum bonos vel malos: hos enim acerrima acie intuetur Deus, ut suo tempore æternis pœnis vel præmiis eos puniat, aut remuneret. Quocirca S. Joannes Apoc. 1. 14. Christi gloriam describens: *Oculi ejus tamquam flamma ignis.* Et Daniel cap. 10. 6. Angelum Dei, & in eo Deum pingens: *Facies ejus*, inquit, *velut species fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens.* Et Ezechiel Cherubinos stemmata Dei gerentes describens cap. 18. *Totum corpus*, inquit, *oculis plenum in circuitu*; quomodo Poëtæ finxerunt Argum pastorem Jonis circumcirca esse centum oculis oculatum. Quin & Plinius lib. 2. c. 7. *Deus*, inquit, *totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui.*

Præclarè S. August. in Speculo cap. 4. ita Deum definit, aut potiùs peraphrasticè describit: *Immutabilis mutans omnia, invisibilis videns omnia, immortalis, illocalis, interminatus, incircumscriptus, nusquam finitus, ineffabilis, inexstimabilis,* C *indicibilis, inscrutabilis, immotus, tangens omnia, investigabilis, metuendus atque terribilis, venerandus atque verendus, honorandus atque horrendus, numquam novus, numquam vetus, omnia innovans; in vetustatem perducens superbos, & nesciunt; semper agens, semper quietus; colligens, & non egens; omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione, omnia creans & protegens, nutriens & perficiens. Quærens, cùm nihil desit tibi; amans, nec æstuas; zelans, & securus es; pœnitet te, & non doles; irasceris, & tranquillus es; opera mutas, sed consilium numquam recipis.* Et paulò inferiùs: *Qui es ubique totus, qui sentiri potes, & videri non potes; qui nusquam dees, & ab iniquorum cogitationibus longè es. Qui nec ibi dees ubi longè es: quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui omnia tangis, nec tamen æqualiter omnia tangis. Quædam enim tangis ut sint, nec tamen ut vivant & sentiant: quædam tangis ut sint, vivant & sentiant, nec tamen ut discernant: quædam tangis ut sint, vivant, sentiant atque discernant. Et cùm tibimetipsi numquam dissimilis sis, dissimiliter tangis dissimilia. Qui ubique præsens es, & inveniri vix potes: quem stantem sequimur, & apprehendere non valemus. Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcellis omnia, sustines omnia.* D

Mor. de Dei præsentia. Item in Soliloq. cap. 14. *Gressus meos semitasque consideras, & die noctuque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans: speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ cæli & terræ oblitus, tantùm me solum consideres, & nihil sit tibi cura de aliis. Neque enim tibi crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantùm unum aspicias; neque minuitur, si innumera videas & diversa. Quia sicut unum totum simul perfectè consideras, sic singula quælibet, licet diversa, perfectè simul, totaque totus conspicit visus tuus. Sed sicut omnia, sic unum, & sicut unum, sic singula, totus simul, sine divisione, vel commutatione, vel diminutione consideras. Itaque totus tu in toto tempore sine tempore, totum me simul semperque consideras, ac si nihil aliud considerare habeas. Sic igitur super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, & mihi soli intendere velis.* A *Semper quippe te præsentem exhibes, semper te paratum offers, si me paratum invenis. Quòcumque iero, tu me Domine non deseris, nisi prior ego te deseram. Ubicumque fuero, non recedis, quoniam ubique es, ut quocumque iero, inveniam te per quem possim esse, ne peream sine te, cùm sine te esse non possim. Fateor quidem, quia quidquid facio, & quacumque facio, ante te facio: & illud quidquid est quod facio, meliùs tu vides quàm ego qui facio. Quidquid enim semper operor, tu pariter semper præsens ades, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, & operationum mearum.* Et mox: *Cumque hæc diligenter considero, Domine Deus meus, terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor: quoniam nobis magna indita est necessitas justè recteque vivendi, quia cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis.* Quocirca Psaltes psal. 122. *Sicut oculi servorum*, inquit, *in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Et psal. 15. 8. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.* Et sponsus sponsæ Cantic. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum ut signaculum super brachium tuum.* Hinc S. Basil. ad filium spiritualem, hoc inter B alia ei præscribit: *Memento te sub Domini conspectibus stare, qui occulta cordis prospicit, & abdita mentium novit. In omni opere quod cogitas facere, priùs examina si secundùm Dominum est quod cogitas, & si rectum est coram Domino, perfice: si verò adversum fuerit repertum, amputa illud ab anima tua.* Hæc S. Basil. quem S. Gregor. Nazianz. epist. 26. ad eumdem S. Basil. non adulatoriè, sed jure & meritò vocat oculum orbis, magnificam vocem ac tubam, regiumque dicendi splendorem. S. Bernard. in formula honestæ vitæ, ad eam duo requirit. *Primum est*, inquit, *ut subtrahas te ab omnibus transitoriis rebus, ut nihil de eis cures ac si non essent. Secundum, ut ita te des Deo, ut nihil dicas & agas, nisi quod credideris firmiter placere Deo.* Idem in Meditat. cap. 6. ex S. Aug. *Sicut*, inquit, *nullum est momentum, quo homo non fruatur Dei bonitate & misericordia: sic nullum debet esse momentum quo eum præsentem non habeat in memoria. Quocumque loco consistis, cogitationes tuas jacta in Deum, aut aliquid salutare in animo tuo versa. Omnis siquidem locus ad meditandum congruus est.*

Denique sicut sol Zodiacum duodecim signis distinctum assiduè perambulat, imò percurrit: sic Deus mentem fidelem duodecim primariis virtutibus ornatam perambulans, C ut eam in illis illuminet, inflammet, roboret, perficiat. Unde Isaias cap. 60. 19. Deum vocat Ecclesiæ & fidelium lucem & solem; & Malachias cap. 4. 2. Christum vocat *solem justitiæ*; & illud Cant. 5. 14. *Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris*; alii vertunt, *sicut circulus medius, in quo sunt similitudines siderum.* Christus ergo Zodiacum siderum, id est virtutum, pingit in mente fideli & sancta.

DOMINO ENIM DEO ANTEQUAM CREARENTUR, OMNIA SUNT AGNITA: SIC ET POST PERFECTUM RESPICIT OMNIA] Probat oculos Dei sole lucidiores omnia intueri, ex eo quod ipse omnium sit creator, conservator & gubernator: sicut ergo antequam crearet ea cognovit per ideam, quam in mente habuit: juxta eam enim ea creavit; sic quoque postquam ea creavit & perfecit, respicit & intuetur omnia, ut creata à se conservet & gubernet. Unde Græca clarè habent, *antequam crearentur omnia sunt ei agnita, sic & postquam consummata sunt*; Syrus verò, *quia antequam fiat quidquam, manifestum est coram te, & etiam post consummationem mundi ipse judicat illum*: q. d. Deus facta hominum præ novit & prævidit, antequam ea faceret homo, imò antequam mun- D dus existeret: unde idem postquam facta sunt, postquam scilicet ea fecit homo, *in consummatione*, id est, in fine mundi, judicabit illum, qui ea fecit & patravit. *Vers. 29.*

Deus ergo actiones omnium, tam bonas quàm malas, prævidit ante mundum, videt in mundo, judicabit post mundum. Audi Rabanum: *Notum est Deo ab initio opus ejus, nec aliquid novum ei accidere potest, quia ante omnia præsciebat tempora, quæ in tempore voluit facere opera, & post perfectum opus nihil illi defuit aut præteriit, quia neque præteritum, neque futurum aliquid illi est, sed omnia præsentialiter coram eo sunt. In omnipotente enim Deo ea quæ secutura sunt tempora, præsentia semper consistunt: cui nec futura veniunt, nec præterita discedunt, sed cuncta simul ante ejus oculos adsistunt: fuisse, vel futurum esse, æternitas non habet; cui nimirum nec præterita transeunt, neque futura superveniunt, quæ cuncta præsens vides.*

HIC

VERS. 30. HIC IN PLATEIS CIVITATIS VINDICABITUR, ET QUASI PULLUS EQUINUS FUGABITUR: ET UBI NON SPERAVIT (id est, non timuit, nō putavit; græcè enim est οὐχ ὑπονοεῖ, id est, non suspicatus est, sic Poeta ait, *At sperate*, id est, timete, *deos memores fandi atq; nefandi*) APPREHENDETUR] *Hic*, scilicet adulter, *qui transgreditur lectum suum*, de quo egit v. 21. ibi enim sententia inchoata, & per plures versus suspensa, hic demum expletur. Unde Tigur. vertit, *quamobrem ille in plateis urbis condemnabitur*; Vatabl. *pœnas dabit*: utrumque enim significat Græcum ἐκδικηθήσεται, Syrus, *& id in quo non putat homo, qui apprehenditur in plateis civitatis detegetur.* Cetera enim de pullo equino desunt in Græco & Syro. Sensus est: q. d. Adulter peccavit in secreto & tenebris, at Deus publicè eum puniet, tum aliàs, tum cùm juxta legem veterem eum in foro & platea per judicem morte puniet. Quare ubi ipse de judicis adventu & inquisitione audierit, fugiet ut *pullus equinus*; sed Deo vindice *ubi non* putat *apprehendetur*.

Hic est timor & pavor qui persequitur adulteros, quem ipsi quasi umbram mortis exhorrent, ut ait Job c. 24. 17. Est enim mirabilis pulli equini, ait ibidem noster Pineda, metus appropinquante homine: fugit enim quaquaversus, nullo recto cursu aut itinere, atque semper ad conspectum viatorum commovetur, metuit, diffugit, multoque velociùs atque perturbatiùs cùm capere illum conantur. Denique vel repentino laquei injectu, aut alia ratione à tergo improvisò capitur. Sic sanè adulter imitatus equum petulantissimum hinnientem ad uxorem proximi sui; at in timore, & perturbatione animi, in fugiendo, & timendo lucem, pullum equinum imitatur. Ita Deus vindicavit adulterium Davidis, cùm eum trepidum cogeret fugere à facie Absalom filii sui. Audi sententiam Dei in Davidem 2. Reg. 12. 11. *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus. Tu enim fecisti absconditè: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis.* Sic quoque Deus punivit adulterium non perpetratum, sed destinatum Abimelech cum Sara uxore Abrahæ, etsi materiale dumtaxat & inculpabile, eò quòd Sara dixisset se sororem Abrahæ, non uxorem. Unde ex eo graviter S. Ambros. l. 1. de Abraham c. 2. conjuges fidei conjugalis admonens: *Adest*, inquit, *præsul conjugii Deus, quem nihil lateat, nullus evadat, nemo irrideat: vicem absentis mariti tuetur, servat excubias, imò sine excubiis deprehendit reū, antequam faciat quod paraverat: in animis singulorum, in mentibus universorum crimen agnoscit. Etsi maritum adulter fefelleris, non falles Deum: etsi maritum evaseris, etsi judicem fori luseris, non evades judicem totius mundi. Ille graviùs ulciscitur injuriam inopis, contumeliam imprudentis mariti. Major enim injuria, auctorem quàm custodem thalami spretum esse nec consideratum.*

Eidem conjugii docet pisces. Hujus fidei idem Ambros. lib. 5. Hexam. cap. 3. exemplum dat pisces. *Nullus*, inquit, *alteri, sed generi suo miscetur: thymalus thymalo, lupus lupo. Scorpæna quoque castitatem immaculati connubii generi suo servat. Itaque habet pudicitiam generis sui, sed venenum generis sui non habet; non enim percutit scorpæna, sed reficit. Nesciunt igitur alienigena pisces aut adulterina contagia, sicut sunt ea quæ coeunte asinorum equarumq; inter se genere magna cura hominum perpetrantur, vel rursus cùm equus asinæ miscetur: quæ sunt vera adulteria naturæ. Nam utique majus est, quod in naturæ colluvionem committitur, quam quod in personæ injuriam.* Idem c. 7. adulteros comparat viperæ, quæ cum muræna copulatur: *Grave*, inquit, *est adulterium, & naturæ injuria. Duos primùm Deus fecit, Adam & Evam; hoc est virum & uxorem: & uxorem de viro, hoc est, de costa Adam: & jussit ambos esse in uno corpore, & in uno spiritu. Quod unum separas corpus, unum dividis spiritum: naturæ adulterium est: sed hoc docet murænæ & viperæ, non jure generis, sed ardore libidinis expetitus amplexus.*

palumbes. Porrò Ælianus exemplum fidei conjugalis dat palumbes lib. 3. de Animal. cap. 44. *Ex avibus*, ait, *castissimi ab omni stupro palumbes: ut enim mas & femina tamquam nuptiis alligati sunt, adeò ad stabile & certum connubium adhærescunt per summam castimoniam, ut neuter alienum cubile attingat. Si qui ad alienam oculos adjecerint, eos reliqui circumsedentes marem quidem mares discerpunt, feminas verò feminæ.* *& turtures* Idem ait de mari turturum & columbarum albarum, sed feminæ ignosci. Idem rem miram refert lib. 7. cap. 25. de canicula Siculae, quæ adulterum in domo absconditum prodidit. Idem lib. 8. c. 20. narrat ciconiam heram adulterantem excæcasse. Adulteros etiam legitur occidisse elephas. Sed omnia superat avis dicta prophyrio, de qua ita scribit Ælianus lib. 3. cap. 4. *Acerrima rivalitate ardet, & mulieres quæ sunt sine viro, observat: quòd si cum matrefamilias stuprum fieri cognoverit, se strangulat*; tum ex dolore, tum ut crimen prodat.

Apologus noctuæ & lucis. Hoc festivo noctuæ & lucis apologo repræsentat Cyrillus l. 3. Apolog. moral. c. 17. cui titulus: *Contra fures, qui ibi sæpiùs deprehenduntur, ubi latere crediderunt. Cùm multum*, inquit, *de nocte noctua in furti facinore desudasset, radio diei præventa, minùs intuens, sed plus timens, cœpit de luce conqueri, & maledicere diei, dicens: O caliginosam lucem! o obscuram diem acceleratione apertam, dubitatione lethiferam! ut quid prævenisti me? cur tam citò venisti? ecce jam non video ubi condar. Siquidem visa ab inimicantibus avibus confundar. Cui mox adversatrix lux ita respondit: Certe quòd tibi nequam odiosa sim, gaudeo, sed magis quod caliginosa sim jubilo: sed maximè quòd tibi damnosa sim exulto. In nocte enim vides, ut noceas, ceteris quiescentibus, inquietaris ut rapias: universis dormientibus vigilas, ut occidas. Inquietasti noctem, sprevisti diem, odisti lucem, pervertisti ordinem naturalem.* Deinde exemplo reliquarum avium eamdem confutat: *Revera ceteræ aves, cùm surgo, surgunt; cùm advenio, jucundantur; cùm appareo, ad inveniendam pascua pacifica ventilantur. Tu verò surgente die, quiescis ut lateas; apparente die, dispares ne pereas: ac quando alii vigilant, tu dormis, ut per noctem malefaciendo discurras. Quare cùm illuminatrix sim cunctorum cunctis gratissima, tibi sum tenebra odiosa, & cùm omnibus sim secura, tibi soli timorifera. Cùm oculus tuus nequam sit, cor malevolum, conscientia scelerosa, non miror si contuitus tuus frangat sapphirum, qui attactus fugat venenum; quoniam in æternum habes spiritum venenosum, qui impugnat virtutem, fugis lucem, & odit splendorem. Quòd autem mansuetæ aves tibi adversentur, evidens argumentum est, tuæ malitiæ, contra quam non omnis dumtaxat lex armatur, sed tota etiam natura æquitatis amica insurgit. Quibus dictis adversus eam statim insurgentibus avibus, mox dilaniata est mansuetudinis inimica.*

ET ERIT DEDECUS OMNIBUS, EO QUOD NON INTELLEXERIT TIMOREM DOMINI] VERS. 31. q. d. Adulter suum adulterium voluit celare tenebris noctis, & secreto conclavis; at Deus ejus scelus & dedecus toti orbi deteget, cùm illud morte per judicem, vel alia publica pœna & clade puniet, idq; condignè & meritò, eò quòd adulter practicè *non intellexerit*, id est, non cogitarit, *timorem Domini*, ut ejus timore ab adulterio se cohiberet: q. d. Eò quòd non timuerit Dominum, sed suas libidines Deo Deiq; amori prætulerit. Unde Tigurina, putà Vatabl. *erit*, inquit, *omnibus dedecori, eò quòd animo religionem Domini non coluerit.* Græca Complut. Romana, ceteraque, ac Syrus hunc versum non habent.

Nota. *Intelligere* hic & in Proverbiis ceterisque libris ethicis, idem est quod sapere & prudenter agere, atq; *intellectus* vocatur ipsa sapientia, prudentia & virtus. Sic psalm. 40. 2. dicitur: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*, qui scilicet practicè intelligit quantæ virtutis & meriti sit misereri pauperis, ideoque ei miseretur & succurrit. Unde Chald. vertit, *beatus qui cogitat, ut ægro & pauperi prospiciat*; intelligens, scilicet, Dei consilio id fieri, tum, ut pauperem per paupertatem probet & exerceat; tum, ut divitum misericordiam exploret & extimulet, ait ibidem Eusebius; tum, ut cogitet dives sibi idem accidere posse. Sic & psalm. 118. 95. *Testimonia tua intellexi*, id est, cognovi & practicavi. Et. v. 100. *Super Senes intellexi.* Et v. 104. *A mandatis tuis intellexi.*

SIC ET MULIER OMNIS RELINQUENS VIRUM SUUM, ET STATUENS HEREDITATEM EX ALIENO MATRIMONIO] VERS. 32. Hæc sententia suspensa expletur v. 34. *Hæc in Ecclesiam adducetur.* Quod enim dixit de adultero, ejus occultum facinus fore publicandum, publicaq; ignominia & supplicio castigandum, idem nunc dicit de adultera. q. d. Adultero similis & in scelere par est adultera, ideoq; simili infamia & morte, putà lapidatione juxta legem Mosis, punietur. Porrò adultera *statuit hereditatem ex alieno matrimonio*, id est, hereditatem statuit & & consignat spurio, quem concipit ex marito alterius matrimonii, puta ex adultero: q. d. Adultera heredem mariti sui efficit spurium filium adulteri, quæ ingens est fraus & injustitia. Unde Tigurina vertit, *idem accidet mulieri virum*

suum

suum deserenti, & heredem paranti ex alieno; Syrus, *& etiam mulier quæ offendit maritum suum, & supponit heredem ex alio.* Porrò antequam sententiam absoluet & pœnam exprimat, quanta sit hujus sceleris gravitas & injuria ex triplici capite demonstrat, dum subdit:

VERS. 33. PRIMO ENIM IN LEGE ALTISSIMI INCREDIBILIS FUIT: SECUNDO IN VIRUM SUUM DELIQUIT: TERTIO IN ADULTERIO FORNICATA EST (græcè, *in fornicatione mœchata est*) ET EX ALIO VIRO FILIOS STATUIT SIBI] *Incredibilis*, id est incredula, idest infida fuit, fidem Deo datam non servavit: hoc enim significat Græcum ἠπείθησε. Triplicem enim adulteræ injuriam recenset. Prima est in Deum, cujus auctoritatem violavit, dum ejus legi fidem & obedientiam, quam in circumcisione vel baptismo promisit, non præstitit. Secunda in maritum, cui fidelitatem in contractu matrimonii stipulatam violavit. Tertia in matrimonium, cujus jura & sanctitatem per adulterium fornicando læsit. Accedit quarta injuria in filios legitimos, quorum hereditas ad nothos & adulterinos vel in totum, vel ex parte transfertur. Et quinta, quòd corpus suum (æquè ac animam) quod erat, vel esse debebat, templum Spiritus sancti, adulterio profanavit & polluit, juxta illud Apostoli: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi*, 2.Cor.6.15. Et v.19. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri?* Unde Tigurina vertit, *primùm enim legi non obtemperavit*, (alii, *in Dei legem contumax fuit*) *deinde peccavit in virum suum: tertiò autem adulterio constuprata est, & liberos ex alieno viro peperit;* Syrus, *primò quia ementita est legem Dei, & secundò maritum adolescentiæ suæ, & tertiò fornicationem adulterii, quia extraneo supposuit filium.* *Ementita est*, id est, mendaciter fraudavit, infideliter fefellit, fidem datam violavit. Porrò adultera peccat in Deum, maritum, filios, & seipsam; esto maritus vel filij dent ei facultatem adulterandi: nam eam dare nequeunt, nec jure suo cedere possunt. Quare semper adulterium est eis injurium: quia crimen violati thori essentialiter in se continet injuriam Dei, viri, uxoris & filiorum. ita Palacius.

Quintuplex culpa adulteræ.

HÆC IN ECCLESIAM ADDUCETUR, ET IN
VERS. 34. FILIOS EJUS RESPICIETUR. NON TRADENT
VERS. 35. FILII EJUS RADICES ET RAMI EJUS NON
DABUNT FRUCTUM. DERELINQUET IN MA-
VERS. 36. LEDICTUM MEMORIAM EJUS, ET DEDECUS
EJUS NON DELEBITUR] Quintuplici injuriæ ab adultera commissæ, quintuplicem pariter ejus pœnam assignat. Prima est, quòd *in Ecclesiam*, id est, in cœtum populi, publicè *adducetur*, quasi infamis & rea, ut de adulterio convicta damnetur & lapidetur, uti adducta à Pharisæis fuit adultera coram Christo, Joan.8.

Quintuplex eiusdẽ pœna.

Secunda, quòd non tantùm in se, sed & in filiis suis punietur. Nam *in filios eius respicietur*, id est, inquiretur, ut spurii à legitimis verisq; heredibus secernantur, infamia notentur, & hereditate excludantur: hoc enim significat Græcum ἐπισκοπὴ ἔσται, id est, inspectio & visitatio erit. Unde Tigur. vertit, *ipsa producetur in concionem, & in liberos eius inquiretur;* alii, *animadvertetur;* Syrus, *ipsa quoque de Ecclesia egredietur.* (q.d. Eiicietur ex Ecclesia & cœtu fidelium, imò viventium omnium per lapidationem & mortem) *& super filios eius* (alia lectio habet, *super pectus eius*, juxta ritum in exploratione adulterii à Deo præscriptum Numer.5. v.18. & 22.) *peccata eius in memoriam revocabuntur.*

Tertia, quòd *non tradunt* (Syrus, *non iacent;* Tigur. *non agent*) *filii eius radices.* q.d. Filii ejus non erunt longævi, nec radicabitur eorum familia & prosapia, sed citò eradicabitur & exterminabitur progenies adulterina, juxta illud Sapient. 4. v.3. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.* Unde Græca Romana sic legunt, *non diffundentur filii eius in radicem*, id est, non diffundent radices.

Quarta, *rami eius non dabunt* (Syrus, *non facient;* Tigurina, *non afferent;* alii, *non edent*) *fructum:* q.d. Filii ejus non progignent liberos, sed erunt steriles vel illiberes, ut infame adulterii semen & propago extirpetur. Hac pœna sæpè, licèt non semper, adulteros & adulteras punit Deus. Rursum spurii in vita non edent fructus illustrium operum, ait Palacius: ac sæpè matribus sunt similes, quia earum levitatem & petulantiam ex ipsis in conceptu, lactatione & educatione hauriunt & induunt.

Quinta, *derelinquet* (adultera) *in maledictum memoriam eius*, id est, *suam;* ita Rom. hoc est, ut alii legunt, *relinquetur in maledictum memoria eius, & dedecus eius non delebitur.* q.d. Memoria ejus non erit in benedictione, sed in maledictione: omnes qui eam nominari audient, illi maledicent. Erit ipsa ergo maledictum & probrum omnium, non tantùm hominum, sed & sæculorum. Unde Tigur. *memoriam sui relinquet in execratione, nec probrum eius abolebitur;* alii, *relinquet execrabilem sui memoriam, & dedecus eius non emaculabitur;* Syrus, *relinquetur in maledictionem memoria eius, non delebuntur.*

Tropol. adultera est anima hæretici, & cujusvis peccatoris, ait Rabanus: *Unde dicit primò*, inquit, *illam deliquisse, eò quòd legi Altissimi incredibilis fuit, quando sanctorum patrum fidem & traditionem in sacris Scripturis sequi noluit. Secundò, virum suum dereliquit, quia charitatem Dei & proximi habere despexit. Tertiò, in adulterio fornicata est, quando fœdere turpissimo per errorem associata est diabolo: à quo filios ignobiles accepit, quando prava dogmata & perversa opera eius maligno instinctu generavit: hæc in Ecclesiam adducetur, & in filios eius respicietur, cùm eius perversitas ubique in conventu fidelium per sanctorum Doctorum solertiam declaratur, & doctrina eius ubiq; damnatur; nec secta illius, quæ fundamentum veritatis non habet, perseverantem bonorum operum fructum gignere prævalet; sed ignominiosam memoriam post se relinquens confusione perpetua confundetur. Unde & fideles quique eius damnationem futuram agnoscentes, spernunt eius societatem, & eligunt Catholicæ fidei tenore in omnibus firmitatem.*

Tropolog. adulterium est quodvis peccatum.

ET AGNOSCENT QUI DERELICTI SUNT, VERS. 37.
QUONIAM NIHIL MELIUS EST QUAM TIMOR DEI; ET NIHIL DULCIUS QUAM RESPICERE IN MANDATIS DOMINI] *In mandatis*, id est, in mandata: Hebræi enim verba contactus, sive corporalis, sive mentalis, quale est respicere, videre, &c. construunt cũ ב, id est, *in*. Sensus est, q.d. Ex probro & pœna adulterorum & impiorum, qui Deum non timuerunt, per antithesin contrarii colligent mortales, *nihil* esse *melius*, id est, honestius & utilius, *timore Dei, & nihil dulcius*, quàm attendere, obedire, & obsequi *mandatis Domini*. Timor enim Dei est observatio & obedientia mandatorum ejus. In hoc ergo omne hominis bonum consistit, putà omnis honestas, omnis utilitas, omnis suavitas & voluptas humana. Hæc enim sunt tres boni species: omne enim bonum vel honestum est, vel utile, vel suave & delectabile: perfectum autem est, quod hæc tria in se continet & comprehendit. Unde Tigurina vertit, *ut superstites cognoscant nihil esse religione Domini potius, nec quidquam suavius quàm mandatis ipsius attendere;* Syrus, *& cognoscent omnes habitatores terræ, & omnes qui supersunt in orbe, quia non est quidquam melius timore Dei, & non est quidquam iucundius quàm custodire præcepta eius.* Licèt enim lex & virtus peccatori initio conversionis sit dura & aspera; tamen sensim per gratiam Dei dulcescit, eoq; magis quo magis ei assuescit, præsertim, dum per eam credit & sperat se assecuturum vitam & gloriam æternam. Hoc est quod ait Sapiens Eccles.12.13. *Deum time, & mandata eius observa. Hoc est enim omnis homo.* q.d. Hoc est, omne bonum, omnis perfectio, omnis felicitas hominis. Et Psaltes psal.33. *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* Et psal.18. *Iudicia Domini dulciora super mel & favum.* Habet planè mel, & deliciæ humanæ suum saporem, sed quantum vincunt divina, res temporales, tantum sapor divinorum transcendit sapores terrenos, ait Palacius. Idipsum fusè & operosè toto cap. seq. Siracides ostendet.

VERS. 38. GLORIA MAGNA EST SEQUI DOMINUM: LONGITUDO ENIM DIERUM ASSUMETUR AB EO] Dedecori, quod adulterum & adulteram sibi suisque prolibus consciscere dixit v.31. opponit decus & gloriam timentis Deum: q.d. Adulter sequitur suas amasias, concupiscentias & libidines; ideoq; sibi suisque parit æternum dedecus, & indelebile probrum: at verò timens Deum, adeoq; Dei legem & timorem, sequitur paritq; sibi suisq; æternum decus & gloriam. Quia *gloria magna est sequi Dominum:* nam servire Deo regnare est: Primò, quia nobile est servire Deo nobilissimo, qui est summa & divina majestas. Secundò, quia hæc servitus facit nos similes Deo. Ita Clemens Alexand. lib.7. Stromat. versus finem docet, quòd, sicut illi qui studendo sequuntur Ciceronem, Platonem, Aristotelem, fiunt Ciceroniani, Platoniani, Aristotelici; imò novi quasi Cicerones, Platones, & Aristoteles; sic & illi qui Deum sequun-

Deum sequentes fiũt diviní

quuntur, voluntati legique ejus obediendo, fiunt divini & quasi dii quidam terrestres. Sic enim ait: *Quemadmodum si quis in Ischomacho studium posuerit, eum faciet agricolam; & si Lampidi, nautam; & Charidemo, imperatorem, & Simoni, equitandi gnarum; & Perdici, cauponem; & Crobylo, obsoniorum conditorem; & Archelao, saltatorem; & Homero, poetam; & Pyrrhoni, contentiosum; & Demostheni oratorem; & Chrysippo, dialecticum; & Aristoteli, physicum; & Platoni, philosophum: ita qui paret Domino, & per eum datam sequitur prophetiam, efficitur ad magistri imaginem, Deus qui in carne versatur.* Subdit deinde: *Hanc ergo altitudinem minimè assequuntur, qui non sequuntur Deum eos ducentem: ducit autem per Scripturas divinitus inspiratas.* Tertiò, quia Deus sibi servientes remunerat gloria regni cælestis, eosque facit reges universi: juxta illud Apocal. 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram.* Unde causam subdens, ait: *Longitudo enim dierum assumetur ab eo.* Ubi τὸ *eo* tam referre potest Dominum, quàm sequentem Dominum: q.d. Sequens Dominum assumet & accipiet longævitatem, tum hujus vitæ (hanc enim Deus promisit & præstitit piis in veteri testamento, ut Abrahæ, Isaac, Jacob, B Joseph, Mosi, Tobiæ;) tum futuræ, putà beatam æternitatem assumet à Domino, qui sui sequelam amplissimo hoc præmio remunerabitur. Græca habent, *longitudo dierum suscipi te ab eo;* Tigurina, *gloria ingens est sequi Dominum, & ab eodem recipi, vitæ longinquitas.* Unde Jansenius suspicatur Nostrum primitus vertisse, *longitudo enim dierum assumi te ab eo;* ut sit sensus, *longitudo dierum*, id est vita æterna, obtinetur per hoc, quòd Dominus assumit te ad se.

Casti præ aliis sequuntur Deum. Cur?

Nota. Licèt omnes timentes Deum, putà omnes humiles, omnes obedientes, omnes patientes, omnes religiosi, (& ceteri) sequantur Deum; tamen id propriè hic tribuitur castis & virginibus: hos enim opponit adulteris. Ratio est, quòd Deo mirificè placeat castitas, eò quòd ipse sit purissimus spiritus, adeoque sit ipsa increata puritas & castitas, atque in hac puritate ejus sanctitas consistit, ut docet S. Dionysius de Divin. nomin. Hinc S. Ioannes Apoc. c. 14. 4. vidit virgines sequi agnum quòcumque jerit. Nam, ut ait Paulus 1. Corinth. 6. 16. Sicut *qui adhæret meretrici, unum* cum ea *corpus efficitur*, sic qui adhæret Domino per mentis corporisque castitatem, *unus spiritus est cum eo*.

Mer. de sequela Dei.

C Præclarè hanc sententiam pertractat S. Cyprianus tract. de Habitu virgin. *Qui*, inquit, *fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quo modo & Deus manet in æternum. Æterna igitur & divina sectanda sunt, & omnia Dei voluntate facienda sunt, ut Domini nostri vestigia & magisteria sectemur, qui monuit & dixit:* Non descendi de cælo ut faciam voluntatem *meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Quòd si non est major domino suo servus, & liberatori debet obsequium liberatus, qui esse cupimus Christiani, debemus quod Christus fecit, imitari. Scriptum est, & legitur, & auditur, & in exemplum nostri Ecclesiæ ore celebratur: Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare. Ambulandum est igitur vestigiis paribus, æmula ingressione nitendum est. Tunc respondet ad fidem nominis sectatio veritatis, & credenti præmium datur, si quod creditur & geratur.* Idem tract. de Zelo & livore: *Quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo est, portemus & imaginem ejus qui de cælo est. Imaginem autem cælestem portare non possumus, nisi in eo quod esse nunc cœpimus, Christi similitudinem præbeamus: hoc est enim mutasse quod fueras, & cœpisse esse quod non eras, ut in te divina nativitas luceat, ut ad patrem Deum deifica disciplina respondeat, ut* D *honore & laude vivendi Deus in homine clarescat, ipso exhortante & monente, & eis qui se clarificant, vicem mutuam pollicente: Eos, inquit, qui clarificant me, clarificabo, & qui spernit me spernetur.* Subjicit deinde exemplum, nimirum nos debere imitari Deum in dilectione inimicorum: Deus enim peccatores hostes suos diligit, donisque & gratia sua prævenit. Ac subdit: *Si hominibus lætum est & gloriosum, filios habere consimiles, & tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles subsiciva respondeat: quanto major in Deo patre lætitia est, cùm sic spiritaliter nascitur, ut in actibus ejus & laudibus divina generositas prædicetur! Quæ justitiæ palma est, quæ corona, esse te talem de quo Deus non dicat: Filios genu-*

Joan. 6.

1. Joan. 2. 6.

Joan. 12.

A *ravi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me! collaudet te potiùs Christus, & invitet ad præmium, dicens: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* *Isaiæ 1.* Idem de Oratione Dominica: *Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus & bonitatis ubertas, qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei, ut Deum* *Matth. 25.* *Patrem vocemus, &, ut est Christus Dei Filius, sic & nos filios nuncupemus! Quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare. Meminisse itaque, fratres dilectissimi, & scire debemus, quia quando patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus, ut, quo modo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat & ille de nobis. Conversemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare. Nec sit degener actus noster à spiritu, ut qui cælestes & spiritales esse cœpimus, non nisi spiritalia & cælestia cogitemus & agamus; quia & ipse Dominus Deus dixit: Eos qui clarificant me, clarificabo: qui me spernit, spernetur. Beatus quoque Apostolus in epistola sua posuit: Non estis vestri; empti enim estis pretio magno: clarificate & portate Deum in corpore vestro,* 1. Corinth. 6.

Sic Abraham secutus est Deum, Genes. 22. 4. ubi S. Ambros. lib. 1. de Abraham c. 2. *Sapientis* (Biantis) inquit, *vox fuit, Sequere Deum. Prævenit Abraham dicta factaque sapientum, & secutus Deum exivit de terra sua.* Quin & Cicero lib. 3. de Finib. memorat inter alia sapientum præcepta: *Qui jubeat*, inquit, *sequi Deum, & se noscere.* Ejusdem meminit Plutarch. lib. de Audiendo. Celebre est illud Homeri, *καὶ τὰ θεὸς ἡγεμόνευε*, id est, *& Deus aliquis ductor fuit.* Et illud Platonis in Critone: *Sine*, ait, *ò Crito, & hoc pacto agamus, quando quidem hac nos ducit Deus.*

Vide hic quanta sit militiæ nostræ præstantia & gloria, quòd Deum habeamus ducem: quanta item securitas: tanto enim duce quis timeat? *Nolite recedere*, ait Samuel 1. Reg. 12. 20. *à tergo Domini & nolite timere.* Quare ex adverso magnum probrum, magna inertia, magna pusillanimitas nolle sequi quò Deus dux noster præcedit, nosq; ducit. Herodotus lib. 4. narrat Darium regem Persarum proficiscentem contra Scythas, cùm Oeobazus Persa nobilis ex tribus quos habebat filiis, duos tantùm qui eum in bellum sequerentur obtulisset, sibiq; tertium reservaret, valde indignatum jussisse omnes tres occidi, patriq; relinqui, ut ostenderet quàm indignum esset, quantumq; nefas nolle quempiam regem in C aciem euntem sequi. Simile narrat de Xerxe Darii filio: cui in Græcos castra moventi, cùm Pythius Lydiæ rex comites daret & asseclas quatuor filios, quintum verò utpote primogenitum apud se detineret, ilicò Xerses eum per medium secari jussit, perq; media illius membra exercitum ire. Si id fecere Darius & Xerses reges terreni, & homines ut ceteri, quid faciet Deus Rex regum & Dominus dominantium?

Porrò, ne quis se excuset, dicatq; difficile, imò impossibile esse, ut homo debilis Deum omnipotentem quaquaversum sequatur; hac de causa Deus humanitatem induit, Christusq; factus est homo, ut homo hominibus agendo & patiendo viam præiret per labores, dolores & opera quæcumq; in cælum. Audi S. Ambrosium in psal. 118. octonario 5. explicantem illud: *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Quis*, inquit, *hoc dicit, nisi qui sequitur Christum? Non potest alius hoc dicere, nisi qui illud exequitur quod scriptum est: Post Dominum Deum tuum ambulabis, & ipsi adhærebis, quia ipse te deducit. Quomodo deducat, audi: Nisi quis tulerit crucem suam, & post me secutus fuerit, non est me dignus. Præcedit ergo Christus ut nos sequamur, præcedit Verbum. Principium Christus est, ideò Sapientia dicit: Dominus creavit* D *me principium viarum suarum. Advertimus quòd & principium Christus, & finis viarum sit.* Et paulò post: *Est natus ex virgine; creatus est ut redimeret creaturas, homo factus est ut homines à morte perpetua liberaret. Creatus est, ut vias mihi demonstraret æternas quibus homo redire possit ad Dei regnum. Ergo quia principium est viarum Dei, hoc principium sequamur. Primus viam novi ingressus est testamenti, ut viam devotionis sterneret nobis. Si jejunamus, ante nos ille jejunavit: si pro nomine ejus sustinemus injurias, priùs ille sustinuit pro nostra redemptione: cervices suas posuit in flagella, maxillas suas in palmas: ascendit crucem, ut doceret mortem non esse metuendam. Deniq; quasi præcedens ait Petro: Tu me sequere. Et ideò Petrus cursum consummavit, quia secutus est Christum*, Joan. 21.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ENCOMIUM SAPIENTIÆ.

Huncenim titulum habent Biblia Græca Romæ emendata.

Q*Vod in fine capitis præcedentis dixit*: Quoniam nihil melius est quàm timor Dei, & nihil dulcius quàm respicere in mandatis. Gloria magna est sequi Dominum, longitudo enim dierum assumetur ab eo: *idipsum toto hoc capite prosequitur. Igitur sapientia hic loquitur, seq; dilaudat & commendat hominibus, ab origine, officiis, domo, pulchritudine & fructibus. Primò, itaque ostendit, originem & genus se ducere à Deo. Secundò, v. 6. docet se cælos, mare, terram, omniaque quæ iis continentur, creasse, dirigere, & gubernare sapientissimè. Tertiò, v. 12. asserit, se domum & sedem fixisse in Sion, & populo Israel. Quartò, v. 17. sui pulchritudinem demonstrat, comparans se arboribus pulcherrimis, putà cedro, palmæ, olivæ, cinnamomo, balsamo myrrhæ, terebintho, viti. Quintò, v. 24. suos fructus enarrat, nimirum, dilectionem, timorem, agnitionem, sanctam spem, omnemque veritatem, vitam & virtutem. Sextò, v. 32. docet se contineri in lege Moysi, & Prophetis, ab eisque requirendam, sed maximè à Christo, cujus plenam sapientiam ac doctrinæ abundantiam & fœcunditatem comparat fluviis Phison, Tigri, Euphrati, Jordani, imò mari. Porrò, Siracides de more imitatur Salomonem, qui Proverb. 8. pari modo sapientiam se laudantem omnibusque commendantem inducit.*

SApientia laudabit animam suam, & in Deo honorabitur, & in medio populi sui gloriabitur. 2. Et in
ecclesiis Altissimi aperiet os suum, & in conspectu virtutis illius gloriabitur, 3. Et in medio populi sui
exaltabitur: et in plenitudine sancta admirabitur. 4. Et in multitudine electorum habebit laudem, &
inter benedictos benedicetur, dicens: 5. Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creatu-
ram. 6. Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram: 7. Ego in al-
tissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis. 8. Gyrum cæli circuivi sola, & profundum abyssi pe-
netravi, in fluctibus maris ambulavi, 9. Et in omni terra steti, et in omni populo, 10. Et in omni
gente primatum habui: 11. Et omnium excellentium & humilium corda virtute calcavi: & in his om-
nibus requiem quæsivi, & in hereditate Domini morabor. 12 Tunc præcepit, & dixit mihi Creator om-
nium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, 13. Et dixit mihi: In Jacob inhabita, & in Israel
hereditare, & in electis meis mitte radices. 14. Ab initio, & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum
sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi. 15. Et sic in Sion firmata sum, & in ci-
vitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea. 16. Et radicavi in populo honorificato, &
in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea. 17. Quasi cedrus exaltata sum in
Libano, & quasi cypressus in monte Sion: 18. Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in
Jericho: 19. Quasi oliva speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. 20. Sicut
cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. 21. Et
quasi storax & galbanus, & ungula, & gutta, & quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, &
quasi balsamum non mistum odor meus. 22. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei hono-
ris & gratiæ. 23. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honestatis.
24. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. 25. In me gratia omnis viæ &
veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. 26. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generatio-
nibus meis implemini: 27. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum: 28.
Memoria mea in generationes sæculorum. 29. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc
sitient. 30. Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt. 31. Qui elucidant
me, vitam æternam habebunt. 32. Hæc omnia liber vitæ, & testamentum Altissimi, & agnitio veritatis.
33. Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, & hereditatem domui Jacob & Israel promissiones.
34. Posuit David puero suo excitare regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem in sempi-
ternum. 35. Qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus novorum. 36. Qui adimplet quasi
Euphrates sensum, qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis. 37. Qui mittit disciplinam sicut lu-
cem, & assistens quasi Gehon in die vindemiæ. 38. Qui perficit primus scire ipsam, & infirmior non inve-
stigabit eam. 39. A mari enim abundavit cogitatio ejus, & consilium illius ab abysso magna. 40. Ego sa-
pientia effudi flumina. 41. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio, ego quasi fluvii Dioryx, & sicut
aquæductus exivi de paradiso. 42. Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fru-
ctum. 43. Et ecce factus est mihi trames abundans, & fluvius meus appropinquavit ad mare: 44. Quoniam do-
ctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum. 45. Penetrabo om-
nes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino. 46.
Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, et relinquam illam quærentibus sapientiam, et non desinam
in progenies illorum usque in ævum sanctum, 47. Videte quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus ex-
quirentibus veritatem.

Vers. 1. SAPIENTIA LAUDABIT ANIMAM SUAM, ET IN DEO HONORABITUR, ET IN MEDIO POPULI SUI GLORIABITUR? ET IN ECCLESIIS ALTISSIMI APERIET OS SUUM, ET IN CONSPECTU VIRTUTIS ILLIUS GLORIABITUR] Est prosopopœja: inducitur enim hic sapientia quasi persona & regina sapientissima, sanctissima pulcherrima, ditissima, gloriosissima, quæ quasi magistra omnes erudit, omnesque ad sui disciplinam, studium, imitationem, obsequium & cultum invitat. Porrò *sapientia* hic generaliter, ampléque accipitur, ut tam physicam, qua Deus omnia creat & gubernat; quàm moralem, quà omnia justè sanctèque efficit, tam creatam, quàm increatam sive essentialem, quæ communis est toti Sanctissimæ Trinitati, sive personalem, quæ propria est Filio, complectatur. Unde nonnulla quæ hic dicuntur de sapientia, magis cõveniunt essentiali, alia magis personali, alia magis creatæ. Filius enim, putà Christus quà Verbum æternũ Dei Patris est Sapientia increata & hypostatica, sive personalis à Deo Patre genita; idem, quà homo, est Sapientia in utero B. Virginis incarnata, ut fusiùs dixi cap. 1. 1. Unde Rabanus, Lyranus & Palacius totam hanc sapientiæ panegyrim, ad litteram soli Christo incarnato assignant. Ecclesiasticus, inquit Palacius, accepit per revelationem, futurum ut sapientia genita, seu Filius Dei, coram Deo, coram omnibus hierarchiis angelorum (omnibus angelis advocatis è mundo in cælum) hanc luculentissimam orationem in sui laudem habitura esset. Et ego probabilissimè opinor eam orationem habuisse, quo die incarnari voluit. Quo die coram Deo, & tota curia cælesti eam habuit; & postquam habuit magnum audientium applausum sibi conciliavit. Ita ipse rectè, sed nimis arctè. Favet, quod dicit, v. 2. *Et in conspectu virtutis illius*, id est coram militia cælesti, *gloriabitur*; quodque ait Paulus Hebr. 1. 6. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

Sensus ergo est, q. d. Hucusque ergo Siracides, quasi encomiastes sapientiæ, multa sparsim dixi de ejus laudibus; nunc illam ipsam loquentem introducam, ut ex ore ejus hæc & plura meliùs, clariùs, efficaciùs intelligatis, itaque eius amore exardescatis, & in ejus admirationem studiumque rapiamini. *Et in Deo honorabitur*, id est, sapientia honorabit & laudabit seipsam; sed *in Deo*, id est, ad Domini Dei auctoris sui honorem & laudem, non ad vanam sui gloriam. Porrò id faciet *in ecclesiis Altissimi*; id est, in cœtibus fidelium: hi enim soli capaces sunt sapientiæ veræ & practicæ, putà, prudentiæ, virtutis & sanctitatis. Unde hos solos sibi erudiendos sumit sapientia, in iisque gloriosa sua Deique opera & virtutes celebrat & deprædicat. Quocirca subdit: *Et in conspectu virtutis illius*, (græcè, δυνάμεως αὐτοῦ id est, exercitus, vel exercituum Dei; putà, in conspectu omnium angelorum, & hominum fidelium) *gloriabitur*, id est, gloriosas suas Deique virtutes & facinora commemorabit & celebrabit. Hinc enim dicitur *Deus sabaoth*, id est, exercituum; quia angelos omnes hominesque ad manum habet quasi legiones validissimas, quibus hostes suos debellat. Ubi Nota. Populum Dei fidelem nominat primò, *ecclesiam*, ob conventus ad sacra peragenda, quæ pacis sunt: *exercitum* verò ad bella, Deo duce, contra vitia & vitiosos peragenda. Unde Syrus vertit, *sapientia laudabit animam suam*, id est, *seipsam, & in medio populi Dei honorabitur, In ecclesia Dei aperiet os suum, & in medio exercituum eius gloriabitur*, Tigurina verò, *sapientia commendat seipsam, & in medio populo suo gloriatur. Os suum aperit in concilio Altissimi, & coram potentia eius se prædicat*, q. d. Sapientia coram Deo potentissimo, Deique summa potestate & majestate laudabit seipsam; ut ostendat hasce laudes audiri debere magna cum humilitate, reverentia attentione, desiderio, studio & obedientia; utpote quæ coram Deo judice & vindice id faciat, qui hæc sapientiæ elogia aspernentes potentissimè, severissimè & acerrimè puniet.

Mysticè hæc omnia tribuas B. Virg. cur? Causa prima.

Mysticè, aptè Ecclesia in Officiis divinis B. Virginis hæc omnia (quidquid frustrà obstrepat Lutherus, & & occlament hæretici) accipit de B. Virgine, idque justissimis & gravissimis de causis. Prima est quia Beata Virgo inter puras creaturas Christus enim matrem superans non est pura creatura, sed mixtum quid ex creatore & creatura: qua Deus enim est creator; qua homo, creatura est opus Dei sapientissimum: in cuius, scilicet conceptione, nativitate, generatione; æquè ac sanctificatione & glorificatione Deus summam ostendit sapientiam; nimirum, longè majorem quàm ostenderit in creatione cæli & terræ, ac totius universi, imò omnium angelorum & hominum. Hæc enim omnia sua dignitate, putà, maternitate, gratia & gloria longè superat Beata Virgo: Deus enim in ea, velut prima & nobilissima creatura, se suaque omnia quasi in speculo perfecto expressit, ut in ea ab omnibus semper laudetur & glorificetur.

Secunda.

Secunda, quia Deus B. Virgini in ejus conceptione, majorem quàm ulli angelo vel homini indidit sapientiam virtutem & sanctitatem, quam deinde ipsa singulis momentis augendo & duplicando continuè, per annos 72. quibus vixit, mirè auxit, adeò ut ipsa sit idea omnis sapientiæ & sanctitatis hominum & angelorum. Tota enim hæc panegyris potest accipi de sapientia creata: hæc autem in B. Virgine fuit perfectissima; quia ipsa perfectissimè post Christum participavit sapientiam Dei, eiusque quasi exemplar nobis à Deo est proposita.

Tertia.

Tertia, quia ipsa est mater æternæ sapientiæ in se incarnatę. Sicut ergo filius eius est Sapientia genita & incarnata: sic ipsa est sapientia illum gignens & incarnans. Adde, ipsa Christi, qui est æterna Sapientia, illustrissimum est membrum. Quare, cùm hic laudatur Sapientia Dei, putà, Christus, utique laudatur & B. Virgo ejus mater, laus enim filii est laus matris. Quare, sicut Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ*: sic & B. Virgo dicitur primogenita omnis creaturæ, quia prædestinata fuit à Deo, ante ceteras omnes creaturas: sicut enim Christus prædestinatorum est primus, ut docet Script. & Theologi, sic & B. Virgo. Cùm enim prædestinatus est Christus, Christique incarnatio; simul prędestinata est ejus conceptio & nativitas ex B. Virgine: non enim decebat, nisi ex illa, ipsum carnem assumere.

Quarta.

Quarta, quia ipsa nobis est mater & causa omnis sapientiæ, id est, prudentiæ & sanctitatis, hanc enim per ipsam nos accipere vult Christus, qui non per aliam quàm ipsam, naturam nostram induere elegit. Quare, sicut de Christo incarnato ait S. Paulus 1. Corinth. 1. 30. quòd factus sit nobis sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio: sic Christus idem analogicè concessit suæ matri, ut causaliter fieret nobis sapientia, iustitia & sanctificatio: quia per illam nos suæ gratiæ, sapientiæ, iustitiæ & redemptionis voluit fieri participes & compotes. Deus ergo illam nobis æque ac sibi, statuit matrem, ac ad eam, quasi matrem in omni tentatione, difficultate, defectu virium & gratiæ nos voluit recurrere, ac per eam omne bonum, omnemque gratiam impetrare, itaq; in ea iugiter laudare Deum.

Dices, Quomodo cum veritate aptari possunt Beatæ Virgini illa, quæ sapientia dicit de se v. 6. *Ego feci, ut in cælo oriretur lumen indeficiens*. vers. 40. *Ego effudi flumina*? Resp. Primò, mysticè, q. d. Ego feci, ut in cælis, id est Ecclesiis, oriretur Christus qui est sol iustitiæ, feci ut in iis oriretur lux fidei. Rursum, ipsa, quasi mare gratiarum, earum flumina in Ecclesiam & fideles effundit. Secundò, ad litteram hoc sensu, q. d. Ego fui causa, cur Deus crearit lucem, cælos, mare, flumina, totumque universum. Hujus enim creatio ordinata fuit ad justificationem & glorificationem Sanctorum, factam à Christo per Beata Virginem, tamquam ad suum finem: ordo enim naturæ creatus & institutus est propter ordinem gratiæ. Quia ergo Beata Virgo fuit mater Christi, ac consequenter fuit medium nostræ redemptionis, ac totius ordinis gratiarum à Christo instituti: hinc pariter fuit causa finalis creationis universi: universi enim finis est Christus, ejusque mater & Sancti: ut scilicet, Sancti in universo hoc per Christum & B. Virginem, gratia & gloria donentur. Quare creationis universi causa finalis fuit prædestinatio Christi, B. Virginis & Sancto-

Sanctorum: Licet enim universi partes quædam sint A Christus & B. Virgo, ideoque eo posteriores in genere causæ materialis; tamen in genere causæ finalis sunt priores. Quare inter creationem universi, & nativitatem Christi ac B. Virginis, est mutua quædam contradependentia: nec enim Deus nasci voluit Christum & B. Virginem, nisi in universo hoc; nec vicissim voluit, universum hoc existere sine Christo & Beata Virgine; imò propter illos illud creavit. Totum enim universum ad Christum, & B. Virginem, ordinemque gratiarum, velut ad sui complementum, & finem referri, & ordinari voluit. Vide nostrum Suar., Vasques, Ualent. 3. p. q. 1. ac P. Canisium lib. 5. Marial. c. 6. & lib. 1. cap. 12. Christus ergo, & B. Virgo sunt causa finalis, ob quam creatum est universum, ac proinde eiusdem sunt causa formalis, putà exemplaris, scilicet, idea. Ordo enim gratiarum, in quo primus est Christus & B. Virgo, est idea & exemplar, iuxta quod Deus creavit & disposuit ordinem naturæ, totiusque universi. Vide Dionys. Carthus. qui omnia quæ hoc capite dicuntur, sigillatim B. Virgini accommodat.

Finis mundi est Christus & Maria.

VERS. 3. ET IN MEDIO POPULI SUI EXALTABITUR, ET IN PLENITUDINE SANCTA ADMIRABITUR (id est admirationi erit:)

VERS. 4. ET IN MULTITUDINE ELECTORUM HABEBIT LAUDEM, ET INTER BENEDICTOS BENEDICETUR, DICENS] q.d. Populus fidelis audiens hæc præconia sapientiæ, eamdem exaltabit: & plenitudo, id est, multitudo, amplus plenusque cœtus Sanctorum, eam admirabitur, (sic sumitur *plenitudo*, pro multitudine v. 16. & alibi:) & multitudo electorum, ac qui à Deo sunt benedicti, eam laudabunt & benedicent. Hic versus iam deest in Græco & Syro, eumque omittit S. Ambros. lib. 4. de Fide c. 4. olim fuisse in Græco, liquet ex nostro Interprete, & ex S. Cypriano li. 2. Testimon. Tigurina vertit, *in medio populi sui se geret magnifice, & in sancta multitudine miraculo est. In cœtu electorum laudem habet, & se beatam inter beatos prædicat, & ait.*

VERS. 5. EGO EX ORE ALTISSIMI PRODIVI, PRIMOGENITA ANTE OMNEM CREATURAM] Hæc verba propriè competunt Sapientiæ increatæ, tum essentiali, tum personali, putà, Verbo æterno, & Filio Dei: suo ta- C men modo competunt quoque sapientiæ creatæ, uti ostendi cap. 1. v. 1.

Quæres, quodnam *os* Dei, ex quo prodiit sapientia? Resp. Anthropopathos, id est, humano more, tribuitur Deo os, cùm ipse sit purissimus spiritus, carens ore & corpore. Primò ergo S. Ambros. lib. de Fide contra Arrian. cap. 2. per *os* accipit iussionem Dei, qua initio Genesis dixit: *Fiat lux, fiant luminaria, fiat firmamentum*, & sic quoque omnia facta sunt. Tunc ergo ex ore Dei prodiit sapientia, cùm ex sapientia sapientissimè dixit: *Fiat cælum & terra*; itaque sapientiam ipsam opere quasi enixus est, & in lucem edidit. Sic & Jansenius: Significat, inquit, iuxta litteralem sensum, sapientiam Dei verbo editam esse in mundo, cùm Dei verbo omnia creata sunt, in quibus Dei sapientia (quæ ante mundi creationem velut latebat in corde Dei) mirè declarata est, & hominibus exhibita.

Secundò, simpliciùs, generaliùs & germaniùs *os* hic metaphoricè significat mentem & intellectum Dei; sicut enim ex ore formatur & prodit verbum oris vocale, sic ex mente formatur & prodit verbum mentis, sive mentale. D Quod enim est os capiti, hoc est mens animæ. Unde Lyranus, *Os altissimi* inquit, *dicitur potentia generativa Patris, qua producitur verbum spiritale, sicut ore producitur verbum sensibile*. Quare sicut verbum oris nostri exprimit totum conceptum mentis nostræ; sic Pater æternus uno hoc Verbo mentis dicit & exprimit omne quod sapit, omne quod comprehendit, imò omne quod est, omne quod habet, omne quod potest, ac consequenter omnes creaturas possibiles. Unde in hoc Verbo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ divinæ absconditi.

Os Dei est mens.

Dicit ergo: *Ego ex ore Altissimi prodivi*; id est, ego ex mente Dei, velut verbum mentis prodii, aut, mente Dei concepta sum, mentis Dei partus sum & proles. Est catachresis. Sicut enim ore dicimus verbum sensibile, ita Deus mente dicit & concipit Verbum divinum intelligibile; tum essentiale, quod commune est toti SS. Trinitati; tum notionale & personale, quod proprium est Filio, cui propriè hæc competunt, teste S. Ambros. lib. 1. de Fide A cap. 7. & lib. de Filii divinitate c. 12. unde aliqui pro *ore*, legunt, *corde*. Ita Agnellus Episcop. Ravennas epist. ad Arminium, quæ extat tom. 3. Biblioth. SS. Patrum, Arrianis quærentibus, An Filius, cùm venit in mundum, formam servi accipiens, deseruerit Patrem? Respondit: *Sit verbum, quod exierit de ore meo, & introierit in aurem tuam, & per aurem tuam in corde tuo cœperit manere, dic mihi; numquid, quia in pectore tuo manet, iam in meo pectore non est? Si ergo sensus per os meum egressus, in tuam mentem ingressus, meam non deserit animam, quanto magis ex Deo Patre egressus sermo, pectus Patris deserere non potuit? Nam ipse Filius dicit: Ego ex corde Patris prodii*, Ecclesiast. 24. *& Pater dicit: Eructavit cor meum Verbum bonum*, psal. 44. Porrò S. Ambros. lib. 4. de Fide c. 4. *Dicimus*, inquit, *potestatis esse, quod nos filios Dei fecit; proprietatis autem generationem esse oracula divina declarant. Dicit enim Sapientia Dei: Ego ex ore Altissimi prodivi; hoc est, non coacta, sed libera: non potestati obnoxia, sed nata, generationis arcano, privilegio dominationis, & iure pote-* B *statis*. Unde sequitur, *primogenita*, id est, primò elicita & concepta, *ante omnem creaturam*. Licèt enim sapientia hic generatim capiatur, ut communis est creatæ & increatæ, non quomodolibet; sed quatenus ipsa est idea & causa creaturarum, ut sequitur: tamen propriè hæc verba competunt Filio, qui à Patre procedit ut Verbum & idea Patris, iuxta quam omnia dixit & creavit. Unde Syrus vertit, *ego ex ore Altissimi processi*; Tigurina, *ego prodivi ex ore Altissimi; ante omnem rerum naturam primogenita*; alii, *ego ex ore Altissimi exivi*: hoc enim significat Græcum ἐξῆλθον. Quocirca solus Filius propriè est primogenitus Patris, idque ab æterno ante omnem creationem, & creaturam: quare à S. Paulo vocatur *primogenitus omnis creaturæ*, Coloss. 1. 15. Hinc patet pluralitas personarum in SS. Trinitate: genitus enim à gignente sive genitore distinguitur: nemo enim potest gignere seipsum. Judæi id pertinaciter negant, dicuntque, in Deo unam esse personam, sicut est una essentia. Quare hunc locum accipiunt de lege data Mosi, quam ipsi fingunt creatam fuisse à Deo ante mundum, per duo millia annorum, quæ sanè insulsa est fabula. Ita Lyran.

Ex hoc loco Theologi docent, Filium procedere & gigni immediatè, non à natura divina; sed ab ore, id est, ab intellectu divino Patris: ipse enim est Verbum mentis paternæ: ac refutant Durandum in 1. dist. 6. q. 2. qui opinatus est, processiones Filii & Spiritus sancti in divinis esse immediatè per naturam, & non per intellectum, vel voluntatem. Uide Suarez lib. 1. de Trinit. c. 5. n. 5.

Porrò Jansenius, qui hæc omnia accipit de Sapientia Dei essentiali, censet eam primogenitam dici ante omnem creaturam, quòd ante omnia in Deo substiterit, numquam quidem in eo incipiens; sed cum eo semper permanens. Verùm hoc propriè non est esse primogenitum; sed esse ingenitum & permanens. Quare hoc epithetum propriè competit soli Sapientiæ notionali, putà, Filio; sapientiæ verò essentiali & increatæ, abusivè dumtaxat per catachresin, quia *primogenita* idem est, quod primò mente concepta. Unde Sixtus Papa epist. 1. hæc verba Ecclesiastici producit ad probandum, Filium esse Patri coæternum & consubstantialem.

Prima est hæc laus sapientiæ, quia ipsa se laudat ab origine nobilissima: originem enim & genus ducit à Deo, idque ab æterno. Unde in sequentibus docet, eam à Deo prodeuntem exstitisse ideam, & causam cæli & terræ, omniumque rerum creatarum; sed tandem propriè se ostendisse, & fixisse sedem in populo fideli, putà, in Israelitis, posteris Abrahæ & Jacob.

Perperam Arriani ex τῷ *primogenita*, inferebant, Christum esse creaturam; sed primam. Τὸ enim *primò*, inquiebant, dicit respectum ad secundum: q.d. Christus est primogenitus Dei; quia secundogeniti sunt angeli, ceteræque creaturæ. Perperam, inquam: nam Filius est genitus, non creatus: creaturæ verò sunt creatæ, non genitæ à Deo. Igitur τὸ *primo* respicit quidem creaturas; sed in alio ordine productionis: q. d. Filius est priùs genitus, quàm creaturæ sint creatæ: nam Filius ita est primogenitus, ut idem sit pariter unigenitus, ut ait S. Ioannes c. 1. 18.

Moraliter hæc verba Siracidis legens & ruminans B. Henricus Suso, in sapientiæ amorem totus exarsit, uti refert Auctor Vitæ ejus cap. 4. unde ipsemet Suso in Dialog. c. 7. ita sapientiam loquentem, & homines ad se invi-

Visio sapientiæ.

invitantem, introducit: *Ego præcelso edita sum genere, & clarissimis orta natalibus. Ego amantissimum sum paterni cordis Verbum, & secundum suavissimam abyssum naturalis generationis meæ ex purissima ac nuda Patris substantia mirificè placeo blandissimis oculis eius, in mellitissima ac flagrantissima sancti Spiritus charitate. Ego thronus felicitatis, ego animarum corona sum: oculi mei lucidissimi, os delicatissimum, gena rubicunda & candida, totaque habitudo & species mea tanti decoris & gratiæ, tamque absoluta elegantiæ, ut etiamsi quis eo nomine ad extremum usque iudicii diem, in fornace ardenti iacere deberet, quò vel unico mei posset conspectu perfrui, nec sic adhuc pro dignitate meritus id esset. Ego lana candidissima tam præclarè ornata sum vestibus picturatis, variis intextis floribus (puta, rubentibus rosis, albicantibus liliis, purpureis, violis, aliisque quibuslibet) tam delicatè circumdata sum, ut quatumvis amœni ac vernantis Maii flores omnes, pratorum omnium, quamvis apricorum, virentes frutices & virgulta, deniq; camporum quorumlibet pulcherrimi flosculi, si cum mea venustate conferantur, non aliud sint, quam horridi tribuli.* Unde concludens subdit: *Ego in divinitate ludum ludo iucundissimum; unde in beatos angelicos spiritus tanta redundat copia gaudiorum, ut mille anni vix brevissima eis horula videantur. Totus cæli exercitus, præ insolita admiratione, in me suos intendunt obtutus, meque observant. O terque quaterque beatum illum, cui hunc amoris ludum, isthæc iucunda tripudia in cælestibus gaudiis ad latus meum, delicatas tenenti manus meas, felicissima securitate in omnem æternitatem celebrare dabitur. Non nisi unicum ex ore meo blanditer proficiscens verbum, omnem instrumentorum musicorum harmoniam, omnes angelorum omnium melodias superat. Tam sum amabilis & suavis animæ puræ & amanti, ut præ mei desiderio meritò rumpi deberent corda omnium.* Hæc Suso.

Mysticè de B. Virgine. Mysticè hæc verba Siracidis adaptes B. Virgini: ipsa enim non solùm excelluit sapientia & gratia omnes angelos & omnes homines; sed & velut caput eamdem in omnes Adæ posteros se invocantes transfundit. Audi S. Hier. vel potius Sophron. serm. de Assumpt. *Dei Genitrix*, ait, *electa & prælecta, verè ab angelo salutatur & prædicatur gratia plena, per quam largo Spiritus sancti imbre superfusa est omnis creatura.* Et B. Petrus Chrysol. ser. 142. *Beata*, inquit, *quæ sola inter homines audire meruit præ omnibus: Invenisti gratiam apud Dominum. Quantam? quantam superius dixerat, plenam; & verè plenam, quæ largo imbre totam funderet & infunderet creaturam. Invenisti enim gratiam apud Deum. Hæc cùm dicit, & ipse angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam.* Rursum Sophronius: *Talibus*, inquit, *decebat Virginem oppignerari muneribus, ut esset gratia plena, quæ dedit cælis gloriam, terris Deum pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, ordinem vitæ, ac moribus disciplinam.* Et rursus: *Quid nimirum, si lætitiam & gloriam plenam & superplenam habet in exilio? Quid certè mirum, si tam in cælo, quam in terra eius plenitudo super omnem creaturam sit, de cuius plenitudine omnis natura virescit?* Utrumque locum citat S. Bonav. in Speculo c. 7. quibus attexit hæc S. Anselmi verba: *O femina plena & superplena gratia; de cuius plenitudinis abundantia respersa reviviscit omnis creatura!*

Ad id spectant etiam illa S. Bernardi serm. de Aquæductu: *Petit*, inquit, *supereffluentiam ad salutem universitatis: Spiritus sanctus*, ait, *superveniet in te, & copiosum illud balsamum tanta plenitudine influet, ut copiosissimè effluat circumquaque.* Et alibi: *Plena*, inquit, *sibi, superflua nobis.* Concludit S. Bernard. ser. citato de Aquæductu: *Deus totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Hortus planè deliciarum, quem non modò afflaverit veniens, sed & perflaverit superveniens Auster ille divinus, ut undique fluant & defluant aromata eius, charismata, scilicet, gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam hanc, maris stellam, maris utique magni & spatiosi, quid nisi caligo involvens, & umbra mortis, & densissimæ tenebræ relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas eius qui totum nos habere voluit per Mariam.* Accedit Richardus Victor. in Cant. c. 28. *Omnium*, inquit, *salutem desideravit, quæsivit, obtinuit; imò salus omnium per ipsam effecta est.*

VERS. 6. EGO FECI IN CÆLIS UT ORIRETUR LUMEN INDEFICIENS] Tigurina, *indefessum.* Lux enim, initio mundi per sapientiam Dei in cælis creata, semper in iis mansit, & luxit, imò aucta est quarta die mundi, cùm ex ea factus est sol, luna & stellæ, uti declaravi Genes. 1. 14. Hæc est secunda laus sapientiæ ab effectu, quòd, scilicet, ipsa sit causa rerum, ac præsertim lucis, quæ est quasi oculus, anima & vita mundi: cùm enim ipsa sit lux, hinc præ aliis creatis meminit lucis à se factæ: dumque eam vocat indeficientem, significat etiam post diem judicii lucem non defuturam. Hæc verba jam desunt in Græco & Syro; sed legit ea S. Maximus homil. 2. de festo Paschæ: *Ipse est Dei filius*, inquit, *cui Pater dies divinitatis suæ eructat arcanum* (juxta illud psalm. 18. 3. *Dies diei eructat verbum.*) *Ipse, inquam, est dies, qui ait per Salomonem: Ego feci, ut oriretur in cælo lumen indeficiens.*

Quocirca D. Ludov. Blosius in Aspirat. aptè & piè ad Sapientiam anhelus ita suspirat: *O Sapientia æterna, lumen tuum mihi præbe; Illucesce mihi, ò lux fulgida & gratiosa, ut in meridiem clarissimam vertantur tenebræ cæcitatis meæ. Exorna, ò bone Iesu, animam meam illo charitatis decore, quem diligis: impingua eam illo amoris adipe, quo delectaris: aufer ab ea quidquid oculis tuis minùs placet, & eam redde tibi per omnia placentem. O ardor suavissime, vora, & feliciter consume pulvisculum substantiæ meæ. Transfer me in te, ut ego indissolubili amoris glutino tibi adhærens vivam ex te, & tamquam lilium effloream coram te. O venustissime atque vernantissime flos, Jesu, ò vita perennis; vita, per quam vivo, sine qua morior; vita, per quam gaudeo, sine qua mœreo; vita dulcis & amabilis; concede, ut tibi iungar, te amplectar, & suavi charitate soporatus in te, qui es pax gratissima, sanctè obdormiam.*

Notat Lyran. Describitur hic, inquit, generatio sapientiæ genitæ, putà, Christi, primò æterna, v. 1. deinde temporalis ex Virgine descendente ex David, v. 34. mox, post generationem Verbi, describitur hoc v. 6. creatio mundi. Similem ordinem servat S. Joannes Evang. c. 1. ubi v. 1. assignat emanationem Verbi divini à Patre, dicens: *In principio erat Verbum*; Secundò, mundi creationem, dicens. *Omnia per ipsum facta sunt*; Tertiò, Verbi incarnationem, cùm subdit, *Et Verbum caro factum est.*

Mysticè de B. Virgine. Mysticè hæc verba, *Ego feci, in cælis ut oriretur lumen indeficiens*, adaptes B. Virgini. Unde B. Petrus Damiani ser. de Assumpt. *Electa ut sol. Electa*, inquit, *sed prælecta, ut sol: quia sicut sol solus orbe illuminat; sic hæc sola solidiori lumine & angelos & homines illustrat.* Et post nonnulla: *Nihil habuit Spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet: multò enim altius aliquid habuit claritas Solis, quam lunæ: quia etsi illa minores stellas obscurat; non tamen penitus occultat: hæc verò lucidius incandescens, ita sibi siderum & lunæ rapit positionem, ut sint quasi non sint & videri non possint. Similiter & virga Jesse veri prævia luminis, in illa inaccessibili luce præfulgens, sic utrorumque spirituum habebat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.* Et inferiùs: *Considera*, inquit, *quam stellaris, & serena obumbratio, quam luminosius fulgor circularem orbem tanti sideris superfundat, & aliorum luminum claritatem non mediocriter offuscet: sic & Virgo inter animas Sanctorum, & inter angelos evecta, merita singulorum & omnium titulos antecedit. Quamlibet stellæ reluceant, luna tamen, & magnitudine præeminet, & splendore: sic utramq; naturam Virgo singularis superat, & immensitate gratiæ, & fulgore virtutum.* Et: Richard. Victor. ad illa Cant. 4. *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli, &c. His hinnulis*, inquit, *dicta B. Mariæ ubera comparantur; quia, cùm tam angeli, quam Sancti pro peccatoribus solliciti sint, & eis tam meritis, quam intercessione subveniant; credendum est, B. Virginem tantum in hoc posse, quantum utraq; simul creatura: imò utraque potentior indicatur, quia utraque per hanc reparatur, & angelorum ruina per hanc restaurata est, & humana natura reconciliata.* Rursum S. Anselm. apud S. Bonav. in Specul. c. 7. *Tibi solum*, inquit, *loquor, Domina, beneficiis tuis plenum esse mundum: inferna penetravit, cælos superavit: per plenitudinem enim gratiæ tuæ, quæ in inferno erant, se lætantur liberata; & quæ supra mundum sunt, se lætantur restaurata.* Ipse etiam Bonav. c. 5. sic ait: *O quam latè, & quam longè arbor illa magna beata virgo Maria ramos suos extendit; quam latè ad homines, quam longè ad angelos, quam altè ad Deum!*

Nebula texit terra Quæ? ET SICUT NEBULA TEXI OMNEM TERRAM] Syrus, *sicut nebula cooperui terram*; Tigurina, *in mundum*

dum nebula terram omnem obtexi. Significat tenebras primigenias, de quibus dicitur Genf.1. 2. *Tenebræ erant super faciem abyssi*. q. d. Ego sapientia tenebris, quasi nebula primitùs texi terram, utpote rudem & deformem, ne ejus deformitas appareret; sicut homo nudus tegit suam nuditatem tenebris & latebris: ut τὸ *nebula*, sit ablativi casus. Sensus ergo est: sicut nebula solet tegere terram; sic sapientia per tenebras primigenias, quasi sui nubem & nebulam, texit terram, juxta illud Job 38. 9. *Cùm ponerem nubem, vestimentum ejus* (maris & terræ,) *& caligine illud quasi pannis infantiæ obvoluerem*. q. d. Sicut infans nudis fasciis obvoluitur & vestitur; sic ego nuditatem primigeniam terræ tenebris, quasi pannis infantiæ fasciisque vestivi & obvolui. *Resp. Primo.*

Addit noster Gregor. de Ualentia, de Opere sex dierum, in opere secundæ diei. *Quasi nebula*, inquit, obtexit sapientia terram, quia aer initio mundi creatus non fuit purus, sed immixta ei fuit nebula, quæ proximè texit terram, & aspectum prohibuit (etiam ortâ luce) ejus spatij patientis, quod nunc ex terra cernimus usque ad ipsa corpora cælestia, quousque pertingere potest acies oculorum.

Secundò. Hinc Secundò, exponi potest; q. d. Ego terram texi nebula, id est, continua successione tenebrarum & noctis, post creationem lucis & Solis, cujus lumen indeficiens immediatè antè descripsit: illi enim hanc nebulam opponit: nebula enim est symbolum tenebrarum & noctis. Unde nebulæ ænigma apud Symposium hoc exstat:

Ænigma nebulæ.

Nox ego sum facie; sed non sum nigra colore;
Inque die media tenebras tamen affero mecum:
Nec mihi dant stellæ lucem, nec Cynthia lumen.

Tertiò. Tertiò, nonnulli, cum Lyrano, appositè per nebulam metonymicè accipiunt aquas nebulosas & caliginosas, quæ in genesi mundi totam terram, aerem & ætherem usque ad cælum empyreum repleverunt: ex quibus Deus deinde formavit omnes cælos, elementum ignis & aeris; quæque Genes. 1. vocatur *abyssus*: *Tenebræ*, inquit, *erant super faciem abyssi*. Sapientia ergo hic suam potentiam, providentiam & fœcunditatem significat; nimirum, quòd aquis nebulosis operuerit terram, ut illam irrigaret & fœcundaret ad producendum ex ea herbas, arbores & plantas; homines item & animalia, ceteraq; omnia. Huc facit illud psalm. 147. 5. *Qui dat nivem, sicut lanam; nebulam, sicut cinerem spargit*. q. d. Deus solus eloquio, id est, verbo suo, dat nivem, quæ candore, levitate, mollitie, ait Theodor. densitate & calore similis est lanæ: nam nix quasi lana terram tegit ad eam fovendam, calefaciendam & fœcundandam, dum halitus & expirationes calidas terræ cohibet; & intra terram repellit, ut earum calore semina iacta altiores & latiores agant radices, itaque uberem dent messem. *Et nebulam*; hebr. pruinam *sicut cinerem spargit*. Pruina enim similis est cineri colore, copia, calore & virtute: nam instar cineris exurit & consumit nimium humorem terræ, itaque eam calefacit, temperat & fœcundat. Unde Sextus Pompejus: *Pruina*, inquit, *dicitur quasi perurens*. Deus ergo sicut in æstate terram pluviis & ventis eventilat & refrigerat, ne æstu lædatur: ita in hieme, ne lædatur frigore, eam nive quasi lanâ fovet, pruina quasi igne calefacit, crystallo vel grandine quasi pane & cibo alit: grandines enim quasi grana sacchari terram edulcorant, humectant & nutriunt. Hoc est quod subdit Psaltes: *Mittis crystallum* (id est grandinem) *suam, sicut buccellas*.

Quartò. Quartò, sic exponas: Sicut nebula tegit terram; ita ego sapientia texi tegoque terram, non nebula, sed gloria mea, & pulchritudine varia creaturarum. Unde Arabicus nudè vertit, *exivi namque de ore Altissimi, & operui terram*. Porrò, aptè gloria comparatur nebulæ, quia olim gloriam suam & splendorem majestatis suæ, quam oculus humanus ferre non potuisset, infringere & obvelare Deus solet nebula. Unde per nebulam Dei gloria repræsentabatur in tabernaculo Mosis, Exodi. 33. 9. & in templo Salomonis, 3. Reg. 8. 10. ac Isaiæ cap. 6. 4. Unde Suarez libr. 2. de Opere sex dierum, cap. 5. num. 6. tertiam & quartam expositionem coniungens: Sapientia, ait, terram texit aqua, perinde ac solet terra tegi nebula: vel potiùs, *sicut nebula*, quia majestate sua & præsentia terram implebat ad eum modum, quo de divino Spiritu dicitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*; quia scilicet, fovebat illas præsentia & virtute sua.

Mysticè, B. Uirgo, æternæ Sapientiæ mater, tegit terram quasi nebula. Primò, quia hominum miseriam & nuditatem tegit sua misericordia & gratia. Secundò, quia eorum humorem & phlegma, id est, acediam & torporem, desiccat & calefacit, eosque efficit fervidos & fœcundos bonorum operum. Tertiò, sicut nebula, flante Austro, adveniens solvit glaciem & rigorem ab Aquilone inductum, terramque humectat: ita Uirginis intercessione, per Spiritus sancti gratiam, solvitur gelu & obduratio cordis à diabolo inducta, ac virentes virtutum actus producuntur. Quare Sanctus Bernardinus to. 3. serm. 11. a. 11. verba illa Eccli. 43. *Medicina omnium in festinatione nebulæ*, adaptat B. Uirgini: ait enim, medicinam omnium hominum esse in festiva Assumptione Uirginis: *Quia omnes*, inquit, *qui volunt, participes fiunt gratiæ suæ*. ac citat S. Bernardum dicentem, Deiparam copiosissima charitate sua omnibus sapientibus & insipientibus fecisse se debitricem; & misericordiæ sinum aperire, ac de plenitudine ejus accipere universos. *B. Virgo est nebula. Primò. Secundò. Tertiò.*

Vers. 7. EGO IN ALTISSIMIS HABITAVI] disponendo cælum empyreum, ait Lyrannus, illudque mox ut à me creatum est, replendo innumeris angelorum myriadibus. Licèt enim Sapientia divina, putà, Deus, Deique Filius, sint per essentiam, præsentiam & potentiam in toto mundo juxta illud Jerem. 23. *Cælum & terram ego impleo*; tamen habitatio, id est, domus & templum, in quo habitare dicitur Deus, est cælum, præsertim empyreum; quia in eo suam potentiam, magnificentiam, opes & gloriam ostendit sanctis angelis & hominibus. Unde ait Isaiæ 66. *Cælum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum*. Porrò per cælum, maximè quidem empyreum, generatim tamen quodvis accipe, non tantùm sidereum & æthereum, sed & aerium. Unde de eo subdit:

Nubes thronus Dei quatuor de causis. ET THRONUS MEUS IN COLUMNA NUBIS] Nota. In Script. Deus, Deique majestas dicitur habitare in nubibus, juxta illud: *Qui ponis nubem ascensum tuum*. Idque multis de causis. Prima, quia nubes à terra sunt elevatæ & altæ: alta autem & excelsa sedes debetur Deo altissimo. Secunda, quia nubibus velatur & tegitur Dei majestas & gloria. Tertia, quia in nubibus ostendit suam potentiam: in iis enim, & ex iis mirabiliter tonitrua, ventos, imbrem, quo terram fœcundat, grandinem, fulgura & fulmina vibrat. Quarta, quia alludit ad columnam ignis & nubis, in qua residebat, suamque gloriam ostendebat Deus Hebræis, eosque, præeundo, & dando manna, pascendoque per quadraginta annos, deduxit in terram promissam, Exodi 31. 21. Vide ibi dicta. Unde Syrus vertit, *ego in excelsis superorum tabernaculum meum posui* (alij. *fixi*.) *& sedes mea in columnis nubium*. juxta illud psal. 18. 6. *In sole posuit tabernaculum suum; & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo*. Et psal. 17. 11. *Volavit super pennas ventorum, Et posuit tenebras latibulum suum: in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebrosa aqua in nubibus aeris*. Tigurina vertit, *ego in sublimi sedem cepi, & solium meum super columnam nubis collocavi*. Porrò thronus hic sapientiæ, non est aliud, quàm cathedra Dei docentis, simul & judicantis tribunal, juxta illud psalm. 98. 7. *In columna nubis loquebatur ad eos*, tamquam ex tribunali regio & cathedra jus dicens, piis favens, noxios damnans, docens, instruens, dirigens viam monstrans in terram promissam.

Anagogicè, Christus, qui est Sapientia Patris, thronum habebit in nube gloriosa, cùm venerit judicare orbem in die judicii, Matth. 24. 30.

Allegor. Rabanus: Thronus, inquit, Filii Dei fuit in columna nubis, id est, in humanitate excelsa, omnibusque virtutibus dotata, quæ quasi nubes gloriosa velavit & decoravit ejus deitatem, juxta illud Isaiæ 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem*.

Mysticè, Sapientia incarnata, putà, Christus, Dei Filius, novem mensibus habitavit in utero B. Virginis, quasi in cælo animato, & in columna nubis. Quocirca multi Patres B. Uirginem vocant nubem, eò quod ipsa Solis, id est divinæ vindictæ, ardorem temperet, animamque irroret & fœcundet. Ita Chrysippus homil. 2. de Deipar. *Ave, inquit, nubes pluviæ potum animis Sanctorum exhibentis*. Et Hesychius hom. 2. de Deipar. *Nubem* eam dicit, *pluvias incorruptas continentē*. S. Epiphanius serm. de laud. Uirg. *Ave*, inquit, *gratia plena, nubes columnæ similis*, *B. Virgo est nubes. Cur?*

quæ Deum habes, qui populum deduxit per desertum. Et iterum: *O B. Virgo, nubes,* inquit, *es lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum: nubes cælestis, quæ tonitruum Spiritus sancti in te ipsa reconditum deduxit in mundum, & imbrem Spiritus sancti in universam terram, ad producendum fidei fructum, cum impetu demisit.* Proclus Episcopus Constantinop. de Deipara: *Hæc,* inquit, *verè levis nubes, quæ super Cherubim sedentem in corpore suo gestavit.* S. Hieron. in psalm. 77. 14. *Certè,* inquit, *nubem levem debemus sanctam Mariam accipere. Pulchrè dixit, In nube diei: nubes enim illa non fuit in tenebris; sed semper in luce.* Andreas Cretensis orat. 2. de Deipara: *O columna,* inquit, *non carnalem per lucem deducens Israelem, qui fugatur; sed spiritualem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, divinis illuminans facibus. O nubes tota lucida, & mons umbrosus, non adumbrans ingratum populum Judæorum, sed dilectum Dei populum, gentem sanctam, maternis tuis tædis illustratam.* S. Bonaventura in Specul. B. Virgin. cap. 3. ait, *Maria, est nobis columna nubis, juxta illud psalmi, Deduxit eos in nube: quia tamquam nubes protegit ab æstu divinæ indignationis, & ab æstu diabolicæ tentationis, sicut dicitur in psalmo, Expandit nubem, &c. Maria quoque est columna ignis in nocte sæculi hujus illuminans mundum.* Citatque illud Bernardi: *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens, umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur?* Hæc ex Bonaventura de Virgine, quæ dicitur columna nubis & ignis. Sicut enim de columna hac dicitur Exodi 14. *In vigilia matutina respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum, & subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* Ita Deus per Deiparam tamquam per fenestram cæli, & per mysticam columnam ignis & nubis respiciens, dæmonis vires & potentiam penitus evertit.

Quod si deniq; dicas, in Dei sede plerumq, Dei majestatem auctoritatemq, significari, hoc quidem negari non potest: attamen in nulla pura creatura ita relucet Dei gloria atq; majestas divina, item attributa, præsertim potentiæ, sapientiæ & bonitatis, sicut in Virgine Deipara. Ut propterea S. Bernardinus tom. 1. concion. 61. art. 6. c. 4. dicat, Deiparam appellari, psalm. 8. Dei magnificentiam.

Symbolicè, nubes, in qua quasi in throno residet Deus, est divina caligo, de qua doctè disserit S. Dionys. epist. 5. Deus enim *lucem inhabitat inaccessibilem,* 1. Timoth. 6. 16. In hac caligine residet SS. Trinitas, putà, tres divinæ personæ, ac primò in ea thronum suum habet Pater, deinde Filius, mox Spiritus sanctus.

Tres quasi throni & adorationes SS. Trinitatis.

Dices, Una est essentia, majestas, adoratio & thronus (uti ait hîc Siracides, & Isajas cap. 6. & S. Joan. Apocal. cap. 4. & 5.) SS. Trinitatis; quomodo ergo insinuas thronum Filii esse medium inter thronum Patris, & thronum Spiritus sancti? Resp. Throni tribuuntur SS. Trinitati figuratè, & antropopathôs: constat enim illam, utpote spiritum, propriè nec egere, nec habere thronum. Throni ergo significant ipsam trium personarum hypostasin sive subsistentiam, ejusque dignitatem & excellentiam: in hac enim subsistunt, & quasi in throno gloriæ suæ resident. Nam, ut ait D. Thom. 1. p. q. 29. art. 3. in corp. persona significat id, *quod perfectissimum est in tota natura, subsistens in natura rationali, atque idipsum excellentiori modo convenit personis divinis, quam creatis.* Et ad 2. *Quia,* inquit, *magnæ dignitatis est in rationali natura subsistere, ideo omne individuum rationalis naturæ dicitur persona: sed dignitas divinæ naturæ excedit omnem dignitatem, & secundum hoc maximè competit Deo nomen personæ.* Si persona, dignitas est; habet ergo suæ dignitatis statum quasi thronum. Ratio est,

Probatur

quia paternitas in Patre magna, imò infinita est dignitas, ex qua, ut ait Apostol. *Omnis paternitas in cælo & in terra nominatur.* Æqualis dignitas est filiatio in Filio, & spiratio in Spiritu sancto, quas proinde adoratione latriæ colimus & veneramur. Hoc est, quod ait Damasc. lib. 1. de Fide cap. 11. *Patrem & Filium distingui perfectionibus personalibus.* Atque tres relationes in personis esse tres eximias perfectiones, validis rationibus docet Suarez l. 3. de Trinit. cap. 9. ac Gregor. da Valentia in citatum S. Thomæ locum. Unus igitur est Deus, sive unum Numen, unicuique deitatis est thronus, una pariter essentialis adoratio: at personæ sunt tres, æquè eximiæ et in-

Primò.

finitæ, ideoque singulæ latria colendæ: illæ ergo triplicem habent personalem subsistentiam, &, ut ita dicam, thronum, consequenter & adorationem. Patrem enim quà Pater est, adoramus ut generantem Filium: Filium adoramus ut à Patre genitum: Spiritum sanctum ut procedentem ab utroque. Igitur, esto adoratio essentialis Dei, quà Deus est, sit una; tamen personalis est triplex: nam adoratione personali, quæ propria est Patri quà Pater est, non licet adorare Filium quà Filius est, nec Spiritum sanctum quà Spiritus sanctus est; & vice versa: hoc enim esset cum Sabellio confundere tres personas divinas, cùm illæ realiter à se invicem distinguantur, sintque tres reales hypostases & subsistentiæ. Sic Ecclesia in festo Pentecostes invocat Spiritum sanctum, ut personam distinctam à Patre & Filio: in festo SS. Trinitatis sigillatim tres personas, ut personæ distinctæ sunt, invocat & adorat. Sicut ergo deitas unius una est essentialis & tribus personis communis adoratio; sic Santissimæ Trinitatis trina trium personarum, ac cuilibet sua propria personalis est adoratio, juxta id quod canit Ecclesia in Præfatione Missæ SS. Trinitatis, *Ut in personis proprietas, & in essentia unitas, & in majestate adoretur æqualitas.* Tam ergo proprietas in personis adoranda est, quàm in essentia unitas. Hæc autem proprietas triplex est: ergo triplici personali adoratione adoranda. Rursum in Officio ad *Magnificat,* in secundis Vesp. *Te Deum,* inquit, *Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum Paracletum, &c. laudamus atque benedicimus.* Pater ergo adoratur ut ingenitus, Filius non ut ingenitus, sed ut unigenitus. Hos thronos notasse videtur Daniel cap. 7. dicens: *Aspiciebam, donec throni positi sunt.* Nam hos thronos fuisse Dei & SS. Trinitatis, patet ex eo quod subdit: *Et antiquus dierum sedit,* &c. cujus deinde majestatem describit, nulla facta angelorum vel Sanctorum mentione; imò de angelis primis & summis dicit: *Decies millies centena millia assistebant* (non assidebant) *ei.* Hoc enim decorum & dignitas divinæ majestatis exigit, ut angeli illi, non sedendo assidere, sed stando assistere dicantur. Secùs est de Christo judice, cui quasi homini homines, putà, Apostoli, in judicio assidebunt, Matth. 19. Igitur, ut fusiùs dicta in synopsi contraham, Tres personæ divinæ sunt tres reales hypostases: anthropopathôs ergo eis tres tribuimus thronos, quia cuique suus debetur honor & adoratio. Unde Ecclesia in Latinis seorsim singulas personas adorat & invocat, dicens: *Pater de cælis, Deus, miserere nobis. Fili redemptor mundi, Deus, misere nobis,* &c.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

Rursum tres in tribus personis sunt relativæ proprietates excellentissimæ, ideoque in suo statu, quasi throno, honorandæ & adorandæ: nam cuique personæ sua est propria, putà, paternitas, filiatio, spiratio. Pater enim per paternitatem generat Filium sibi coæqualem: Filius per filiationem nascitur, ut imago Patris, splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus: Spiritus sanctus procedit ut amor notionalis Patris, & filii immensus. Pater ergo adoratur, ut genitor, Filius ut genitus, Spiritus sanctus, ut amor notionalis utriusque Summæ, Deitatis unus est thronus essentialis; Sanctissimæ verò Trinitatis, triplex personalis.

Quintò.

GYRUM CÆLI CIRCUIVI SOLA, ET PROFUN- Vers. 8.
DUM ABYSSI (græcè, *abyssorum,* id est, profundissimarum aquarum & voraginum, quæ fundo carere videntur,
quia eum explorare nequeunt homines) PENETRAVI
IN FLUCTIBUS MARIS AMBULAVI; ET IN OM-
NI TERRA STETI: ET IN OMNI POPULO, ET IN Vers. 9.
OMNI GENTE PRIMATUM HABUI: ET OMNIUM Vers. 10.
EXCELLENTIUM ET HUMILIUM CORDA VIR- Vers. 11.
TUTE CALCAVI] Tigur. *orbem* (alii, *ambitum*) *cæli circuivi sola, vadaq; profundi perambulavi. Omnes fluctus maris, & terram omnem, nec non cunctos populos gentesq; possedi, & tam excellentium, quam humilium corda calcavi omnium:* Syrus, *in cælo una cum eo* (Deo) *simul habitavi, & in fundamentis abyssorum ego ambulavi, in fontibus aquarum, & in fundamentis orbis, & in omnibus gentibus & populis dominata sum.* Dicit in præterito, *habitavi, circuivi, penetravi, ambulavi, steti, primatum habui, calcavi,* ut significet suam antiquitatem & æternitatem, antiquumq; & æternũ jus & dominiũ: alioqui hæc præterita, more Hebræo, quãlibet temporis, etiam præsentis & futuri, differentia significant: *circuivi* ergo, id est, circuivi, circumeo, & circumibo: *calcavi,* id est, calcavi, calco, & calcabo; & ita de ceteris.

Hisce

Hisce omnibus demonstrat sapientia amplum & universale suum herile jus, dominium & fortitudinem, ait Rabanus, æquè ac scientiam & providentiam circa omnia, quæ cæli & terræ ambitu continentur; se, nimirum, omnia perspicere, pervidere, providere, ordinare, disponere, seque omnibus dominari & præsidere, omniaque continere & complecti. Secundò, se in omnium rerum creatione legem perpetuò servandam singulis indidisse, obedientesque suæ voluntati & legi cunctas effecisse, quod proprium est sapientiæ munus. Tertiò, se omnibus gentibus Dei cognitionem, metum & cultum, unà cum ratione inseruisse. Primum enim excellentissimumque in omni republ. semper habitum fuit, Numinis reverentia, cultus & religio.

Nota. Cùm ait sapientia: *Gyrum cæli circuivi sola*; si per sapientiam accipias increatam & personalem, putà, Filium Dei, τὸ *sola*, non excludit Patrem & Spiritum sanctum. Nam, ut ait Evaristus Papa epist. 1. sicut nihil nocet Filio, quòd solus Pater habitet lucem inaccessibilem; ita nihil nocet Patri, quòd ejus sapientia sola cęli gyrum circumierit: nam utrobique τὸ *solus* excludit cæteras non personas divinas, sed naturas creatas; putà, omnes homines & angelos, uti docent Scholastici.

Unde Lyran. hæc de Filio Dei sic particulatim exponit: *Gyrum cæli*, id est, cœlum sidereum, inquit luminaribus & stellis ornatum, *circuivi sola*, disponendo motum orbium. *Et profundum abyssi penetravi*; præparando concavitates in terra, ut ibi congregatis aquis appareret arida, quæ congregatio vocatur Oceanus vel abyssus. *Et in fluctibus maris ambulavi*, salvando Noe, & eos qui cum eo erant in arca inter aquas diluvii: *Et in omni terra steti*, stabilitatem ei dando undique circa centrum mundi. *Et in omni populo, & in omni gente primatum habui*: nam omni potestas hominum à Deo est. *Et omnium excelsorum & sublimium corda virtute calcavi*: nam omnes, tam magni, quàm parvi, Filio Dei sunt subjecti; quia toti Trinitati. Hucusque Lyranus.

ET IN HIS OMNIBUS REQUIEM QUÆSIVI, ET IN HEREDITATE DOMINI MORABOR] q. d. In omnibus populis & gentibus, in quibus me jam dixi primatum tenere & dominari, quæsivi locum & populum, in quo propriè requiescerem per amorem & gratiam, meque oblectarem quasi in populo mei cultore, sapiente, pio & sancto; dixique: *In hereditate Domini*, id est, in populo fideli, qui est peculium, hereditas & Ecclesia Domini, *morabor*, id est, morari desidero, gestio & destino. Nolo enim morari in populo infideli & Gentibus idololatris: hi enim sunt hereditas, id est, cœtus & ecclesia diaboli: ac proinde hi sunt stulti, incapaces, imò hostes mei: ipsi enim sunt inimici veræ sapientiæ, id est, veræ fidei & pietatis. Unde Græca & Syrus, pro *Domini* habent τίνος, id est, *cujus*; sicque clarè enuntiant: *Cum his omnibus requiem quæsivi, & cujus in hereditate morarer*, vel *figerem domicilium*, repete, *quæsivi*. Syrus, *in qua hereditate quiescam?*

Anagog. Sapientia & sapiens quærit requiem in hereditate Dei cælesti: nec enim alibi est vera requies, juxta illud Apocal. 14. *Amodo iam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos*. Et illud psalm. 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam*. Vide S. Bernard. serm. 2. in festo omnium Sanctorum.

TUNC PRÆCEPIT, ET DIXIT MIHI CREATOR OMNIUM: ET QUI CREAVIT ME, REQUIEVIT IN TABERNACULO MEO] Hucusque sapientia descripsit sui originem, nimirum, quòd à Deo processerit. quia eius primogenita: suamque operationem & efficientiam, nimirum, quòd cælum & terram formarit, illustrarit, gubernarit: nunc describit suum officium, & legationem in terras ad homines erudiendos. Itaque poeticè loquitur de se, quasi de persona distincta à Deo, cùm tamen ipsa reipsa sit Deus. Quare propriè hæc competunt sapientiæ communi, quæ est attributum proprium Deo. Hæc enim hic personam induit, ac per prosopopœiam facit se velut ministram Dei, ut eius iussa exequatur, eique ministret in erudiendis hominibus, ac illis se communicet per sapientiam à se communicatam & creatam. Simili prosopopœia misericordia & iustitia dicuntur astare Deo, ab eoque mitti, quasi legati & iudices, ad exercendum opera misericordiæ & vindictæ ipsius. Psal. 56. 4. *Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam*. Psal. 77. 49. *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem*.

Secundò, tamen possunt hæc quoque adaptari Sapientiæ personali, putà, Verbo & Filio Dei. Huic enim appropriatur sapientia & doctrina, sicut Patri appropriatur potentia & creatio, Spiritui sancto bonitas & sanctificatio hominum. Nam licèt Filius in se maiestate & dignitate, æquè ac natura & deitate par & coæqualis sit Patri; tamen quoad officium legationis, quod hic assumit, ex humana hominum æstimatione videtur Patre esse minor, eique ministrare: mittitur enim hic quasi legatus, ut Patris præcepta exequatur, eaque hominibus promulget: unde legati personam, quæ regis Deique persona minor hominibus videtur, induit. Loquitur ergo anthropopathῶς, sive humano more: sic enim rex, licèt dignior sit republ. & regno suo; tamen si ipse à republ. mittatur ad Imperatorem, quoad hoc officium missionis & legationis, censetur minor & inferior esse republ. & Episcopus, si à sua Ecclesia mittatur ad Pontificem, uti missus est S. Athanasius, S. Epiphanius, S. Paulinus, & hodie multi mittuntur; licèt maior & dignior sit Ecclesia; tamen quatenus ab ea mittitur, censetur ea esse minor. Sic quoque Filius Dei, quatenus à Patre hic mittitur, eiusque sit legatus & doctor hominum, anthropopathῶς, sive apud homines, & ex hominum more & æstimatione, videtur Patre esse inferior; licèt in se planè sit par & æqualis. Inducitur ergo hìc Filius ante incarnationem, quasi legatus à Patre proficisci ad Judæos & Israelitas, posteros Abrahæ & Jacobi, ut eos per Mosem doceat legem, fidem & cultum Dei, veramque sapientiam, qua fideles, sancti & beati evadant. ita Lyranus. Missio, inquit, Sapientiæ genitæ (putà, Verbi, sive Filii in mundum) vocatur præceptum. Porrò, quomodo Filius dicatur mitti à Patre, quia ab eo procedit: & Spiritus sanctus à Patre & Filio, à quibus procedit; Pater verò non dicatur mitti à Filio & Spiritu sancto, utpote qui à neutro procedat: vide S. Thomam & Scholasticos edisserentes 1. part. q. 43. Aliter Palacius: Non dicit, inquit, *Tunc præcepit mihi*: sed solùm, *Tunc præcepit*, id est, præcepit intra se, decrevit, & animo firmavit. Sic & Jansenius.

Filius præcepta Patris exequitur:

Rursum & potiùs id præstitit Filius per incarnationem, quando ex posteris Abrahæ, putà, ex B. Virgine incarnatus est, eosque verbo & exemplo docuit viam virtutis & salutis. Tunc enim reipsa Filius ex immensa sua dignatione & gratia *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, ut ait Apostolus Philipp. 2. Nam ipsa divinitas Filii se demisit, & quasi depressit ad imum carnis & humanitatis nostræ, ut ex omni fieret quasi inane & nihil, putà, creatura & homo creatus: hoc enim significat τὸ *exinanivit*. Porrò Filius factus homo, quà homo, minor fuit Patre, & seipso, quà Deus est, uti omnibus clarum est. Sicut ergo Filius ante incarnationem fixit suam sapientiæ & doctrinæ cathedram apud Judæos, docendo eos per Mosem, Pontifices, Scribas & Pharisæos: sic & post incarnationem eamdem ipse personaliter apud eos fixit, & usurpavit, ore proprio evangelizans & prædicans arcana Patris, & abscondita à constitutione mundi. Et hæc omnia significat hic Siracides, imò ipsa sapientia, quæ hìc loquitur.

Hinc factus est homo.

Dicit ergo: *Tunc præcepit*, &c. q. d. Cùm tam aviditè & sollicitè populum & sedem, putà, hereditatem Domini, in qua requiescerem, quærerem; ecce tibi Deus votis meis obsecundans, populum, locum domumque mihi assignavit in Jacob, id est, in posteritate & populo Israel: hunc enim elegit ipse in hereditatem, id est, in suam possessionem, populum & Ecclesiam, in qua ego tabernaculum meum figere desiderabam & destinabam. Præcepit ergo mihi Creator omnium, dixitque: *in Jacob inhabita*. Igitur, *qui creavit me, requievit*, id est, requiescere me fecit, *in tabernaculo meo*, id est, mihi à Deo attributo, putà, *in Jacob*, id est, in Israel. Hunc sensum exigunt præcedentia & sequentia, ac Græca, quæ habent: κατέπαυσε τὴν σκηνήν μου, id est, *quiescere fecit*, fixit, collocavit, *tabernaculum meum*,

Requievit, *pro, requiescere me fecit.*

& per

& per consequens me in eo. Sic Virgil. in Pharmaceutria ait:

Et mutata suos requierunt, (id est, quiescere fecerunt, collocarunt) *flumina cursus*.

Et Plautus in Mostellar. *Quiesce* (id est) quiescere fac, seda, *tumultum hunc, qui est ante ostium*. Est hebraismus: Hebræi enim sæpè *cal* usurpant pro *hiphil*, id est, verbum neutrum pro activo. Sic Paulus ait Rom. 8. 26. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: postulat*, id est, postulare facit; nec enim Spiritus sanctus postulare potest gemitibus; quia gemere nequit, ait S. Augustinus.

Unde Tigurina totam hanc sententiam à v. 11. usque ad v. 14. ita planè clarèque connectit, vertitque, *post hæc omnia quæsivi quietem, & in alicujus possessione domicilium. Tum conditor universorum mandata mihi dedit, & creator meus fixit mihi tabernaculum meum, & ait: In Jacob habita, & inter Israelitas accipe possessionem*. Alij ad Græca pressiùs clariusque, *in Jacob figito tabernaculum, & in Israel hereditatem adito*. Græcum enim κατασκήνωσον, idem est quod, *Figito tabernaculum*. quod respondet ei, quod præcessit, κατέπαυσε τὴν σκηνήν μου, id est, *requiescere fecit*, fixit, locavit, *tabernaculum meum*. Sic & Syrus, *in omnibus his requiem quæsivi mihi: quia in qua hereditate requiescam? Tunc præcepit mihi Dominus universorum, & qui fecit me, & collocavit tabernaculum meum dixit mihi: In Jacob habita, & stabilire in Israel.*

Si quis tamen malit, τὸ *& qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*, propriè, ut sonat, accipere; sic exponat & adaptet, q. d. Creator omnium, qui creavit me, quique requievit in tabernaculo meo, præcepit & dixit mihi: *In Jacob inhabita*. Deus enim dicitur habitare in tabernaculo sapientiæ, id est, Primò, in ipsa sapientia: ipsa enim sibi domus est & tabernaculum. Quo schemate & prosopopœia significatur, sapientiam Deo esse domesticam, familiarem & intimam adeò, ut in ea Deus habitare videatur. Sic Deus dicitur habitare in throno misericordiæ & justitiæ. Psal. 88. 15. *Justitia & judicium præparatio sedis tuæ*. Psal. 9. 9. *Paravit in judicio thronum suum, & ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia*. Proverb. 20. 28. *Roboratur clementia thronus ejus*. Proverb. 25. 8. *Firmabitur justitia thronus ejus*.

Deus habitat in tabernaculo sapientiæ. Primò.

Secundò. Secundò, Deus pater habitat in Filio, qui est sapientia genita, per περιχώρησιν, id est, circumincessionem divinam, qua una persona est in alia quavis, nimirum, Pater est in Filio & Spiritu sancto; Filius est in Patre & Spiritu sancto; sanctus Spiritus est in Patre & Filio, juxta illud Christi: *Non creditis, quia ego in Pater, & Pater in me est?* Joan. 14. 10. Et v. 20. *In illo die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo*: Unde Evaristus Papa epist. 1. & Joannes II. Pontifex anno Christi 532. epist. ad Valerium sic legunt: *Qui genuit me, requievit in tabernaculo meo*.

Tertiò. Tertiò, Deus, præsertim Filius, est in carne & humanitate, quam assumpsit, quasi in tabernaculo suo: in ea enim *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, Coloss. 2. v. 9. Humanitas ergo Christi, quæ est tabernaculum sapientiæ creatæ & incarnatæ, eadem est tabernaculum Dei, & Filij Dei: in ea enim ipse hypostaticè, essentialiter & personaliter inhabitat.

Quartò. Quartò, tabernaculum sapientiæ, id est, veræ fidei, religionis, pietatis & sanctitatis, est Ecclesia, in qua quasi in tentorio & templo suo requiescit Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus.

Tropolog. Tropolog. Nazianz. in Distichis: *Perpetuum tibi sit hoc studium*, inquit, *ut mentem tuam templum Deo exstruas. Hinc enim assequeris, ut eum pro spirituali statua in intimo cordis habeas. Nosce te ipsum, hoc est, unde originē duxeris, & qua dignitate præditus sis: sic enim facilè primarium illud pulchritudinis exemplar consequeris*. Sic & S. Bernar. in Meditat. c. 1. *Nihil, ait, tam simile est illi summæ sapientiæ, quam mens rationalis, quæ per memoriam, intelligentiam & voluntatem in illa Trinitate ineffabili consistit. Cōsistere autem in illa non potest, nisi ejus meminerit, eamq; intelligat, ac diligat. Meminerit itaque Dei sui, ad cujus imaginem facta est, eumq; intelligat, diligat atque colat, cum quo potest semper esse beata. Beata anima, apud quam Deus requiem invenit, & in cujus tabernaculo requiescit. Beata, quæ dicere potest: Et qui creavit me requievit in tabernaculo meo. Negare siquidem requiem cæli ei non poterit. Cur ergo nos deserimus, & in his exterioribus Deum quærimus, qui apud nos est, si nos velimus esse apud eum?*

Tabernaculum Dei est B. Virgo.

Mysticè, tabernaculum, in quo Deus recondidit summam sapientiam creatam, imò & Sapientiam increatam & incarnatam, est B. Virgo, in qua Dei Filius, dum conciperetur, novem mensibus habitavit & requievit. Atque hinc ipsa omnem suam dignitatem accepit: accipit enim maternitatem Dei, quæ est dignitas tanta, ut ab hominibus & angelis comprehendi nequeat; sed omnem omnium captum superet. Nam, ut rectè docet noster Christoph. à Castro de Deipara cap. 5. virginem Mariam esse matrem Dei, est excellentia quasi infinita: quia non potest esse mater filij excellentioris, quàm Dei; sicut, proportione servata, humanam Christi naturam unitam esse Filio Dei hypostaticè, est dignitas infinita, quia uniri non potest excellentiori supposito, quàm divino. Hinc Petrus Damianus sermone de nativitate S. Mariæ dixit, *Deum tribus modis esse in creaturis; quarto verò per identitatem in virgine: quia idem est quod ipsa*, eo modo, quo mater & filius sunt una caro, & quasi una persona civilis; multò magis quàm B sint uxor & maritus, de quibus dicitur Genes. 2. 24. *Erunt duo in carne una*. Et S. Anselmus lib. de Excellentia B. Virginis c. 2. *Quamvis*, ait, *hoc solum de sancta Virgine prædicari, quòd Dei mater sit, excedat omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel cogitari potest*.

Ex hoc principio deducitur alterum: ut, quemadmodum ex unione humanitatis Christi cum Verbo, colligimus naturali quadam consecutione, datam esse illi infinitam gratiam capitis, & impeccabilitatem, & omnem rationem merendi & satisfaciendi pro hominibus, tamquam mediatori & redemptori; & ad omnem scientiam & cognitionem eorum, usque ad cogitationes; denique omnia chrarismata, tanto uberiùs & excellentiùs quàm aliis, quantò excellentius nomen capitis hereditavit quàm membra, & nomen filij, quàm ministri ejus angeli vel homines: sic etiam fateamur quasi naturali quadam consecutione, ex matris dignitate debitam illi immensam quamdam gratiam, qua facta est Dei gratia impeccabilis, davocata, mediatrix & redemptrix omnium hominum, & indita est illi cognitio eorum omnium requisita, & C tam copiosa affluentia charismatum & donorum supernaturalium, quantò excellentior est mater servis, & propinquior Verbo, quàm cæteri, tam angeli, quàm homines. Juxta hoc rectè Methodius oratione de purificatione: *Euge*, ait, *euge quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur: Deo enim universi debemus; tibi autem etiam ille debet. Proinde, qui dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut is decretum à se promulgatum observet, & alios excedat, omnem matri & gratiam & honorem impendit*. S. Cyprianus quoque sermone de nativitate Christi: *Matri*, ait, *plenitudo gratiæ debebatur*.

Maria etymon.

Atque hac de causa vocata est, Maria, id est, excelsa, sublimis, eminens, à radice רם *ram*, id est, excelsus fuit: vel Maria, id est, domina, magistra & princeps. מורה *more* enim est dominus, magister, princeps à radice ירה *iara*, id est, docuit, direxit: licèt alij Maria idem esse velint, quod myrrha vel amaritudo passionis, à radice מרר *marar*, id est, amarus fuit. Accedit, quòd D B. Virgo sit mater Dei sine patre: ipsa enim supplevit vicem patris & matris. Quare magis est mater Dei, quàm sint matres hominum; hæ enim non dant totam substantiam filio, sed partem unam dumtaxat; nam alteram, eamque præcipuam, dat pater. Christus ergo totam humanitatem accepit à matre, omniaque sua, quà homo est, debet matri. Quocirca Christus Deus & homo per hanc suam à Virgine conceptionem & nativitatem, factus est B. Virgini debitor, eique quasi matri & patri obligatur, suaque accepta ferre debet magis, quàm alij filij debitores sint suis parentibus, iisque suum esse acceptum referre teneantur. Quæ sanè magna est Deiparæ dignitas, magna Filij Dei dignatio.

Porrò, quòd Sapientia ait, se creatam, dicens: *Et qui creavit me*, intellige accommodè: *creavit*, id est, quomodolibet fecit, ut vertit Syrus. Hebr. enim ברא *bara*, id est, creavit, amplissimæ est significationis. Quare Primò, de Sapientia increata & essentiali sic expones: q. d. Creator omnium creavit me, id est, elicuit me, concepit me:

me: ipsa enim est conceptus mentis divinæ, Verbumque Dei essentiale. Secundò, de Sapientia personali, putà, de Filio, q. d. *Creator creavit me*, id est, genitor genuit me. Tertiò, de Sapientia incarnata, putà de Christo homine, ac de sapientia creata, quam Deus angelis, hominibus, ceterisque creaturis communicat propriè, q. d. Creator creavit, id est, ex nihilo produxit me. Vide dicta cap. 1. 4.

Vers.13. ET DIXIT MIHI: IN JACOB INHABITA, ET IN ISRAEL HEREDITARE (hereditatem adito, Israel sit hereditas, portio & possessio tua:) ET IN ELECTIS MEIS MITTE RADICES] q. d. Deus sapientiæ populum, locum & domum assignavit posteros Jacobi Patriarchæ, qui alio nomine dictus est Israel, putà, Israelitas. Hi enim fuerunt Ecclesia, id est, populus fidelis à Deo electus, ut eum sua sapientia, id est, fide, cultu, religione, præ ceteris gentibus imbueret. In eo ergo dicitur quasi in hereditate sua habitasse, & misisse radices, id est, firmiter radicata fuisse sapientia Dei. Primò, quia illum solum vera puraque Dei cognitione imbuit, juxta illud: *Notus in Judæa Deus: in Israel magnum nomen ejus*, psal. 75. 1. Secundò, quia ei soli dedit legem, ritus & cæremonias, quibus purè coleret Deum, juxta illud: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*, psal. 147. 9. Tertiò, quia ei dedit Pontifices, Scribas & Pharisæos, sibi invicem per singulas ætates succedentes, qui hanc Dei cognitionem, legem & cultum, apud posteros conservarent & propagarent. Quartò, qui solis Judæis familiariter oracula & responsa dabat ex propitiatorio; item per urim & tummim, quæ erant in Rationali pontificis. Quintò, quia his solis dedit vicissim Prophetas, ac tandem Christum à Prophetis prædictum, qui in Judæa incarnari & habitare voluit, ut eos doceret veram sapientiam. Denique Deus Judæos tot miraculis, & beneficiis, tantaque & tam peculiari providentia continuò prosecutus est, ut propriè eorum videretur esse Deus, pater, custos, tutor, provisor, juxta illud: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*, Exodi 3. 16.

Dei sapientia radices misit in Israel. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò. Quintò. Sexto.

ET IN ELECTIS MEIS, id, est, in Israelitis, quos mihi in populum elegi, MITTE RADICES] id est radicare, sedemque tuam firma. Aliter Lyran. Radices, inquit, sunt præcepta Decalogi, & alia cæremonialia & judicialia, quæ Deus Hebræis dedit, ut per eorum observantiam radicarentur in sapientia divina.

Allegor. Allegoricè sapientia, & Christus habitant in Jacob & Israel, id est, in Ecclesia, cœtuque fidelium & Christianorum. Hi enim sunt filij Abrahæ & Jacobi, non secundum carnem, sed secundùm sapientiam, id est, fidem, spiritum & gratiam, uti docet Apost. Rom. 9. 8.

Tropolog. Tropolog. sapientia, & Christus inhabitant in Jacob, id est, in supplantatore (hoc enim hebr. significat Jacob) vitiorum & passionum. Unde Jacob repræsentat Sanctos & electos; Esau verò impios & reprobos, juxta illud Malachiæ 3. 2. quod citat Apost. Rom. 9. 13. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Jidem in Israel hereditant, id est, in viro orationi & contemplationi dedito, qui magna fiducia orans dominatur quasi Deo, ab eoque impetrat quidquid vult, uti fecit Jacob luctans cum angelo Deum repræsentante, ideoque vocatus est Israel, id est, *dominus Deo*, aut, ut alij, *vir videns Deum*, Genes. 32. 26. Nimirum verè sapientem & sanctum efficiunt hæ duæ virtutes, oratio & mortificatio.

Mysticè, B. Virgo æternæ Sapientiæ mater habitavit in Jacob; quia ex Judæis nata inter Judæos habitavit, ibique genuit Christum, & Christianos: in his ergo quasi electis à Deo, misit primas radices Ecclesiæ Christianæ. Hæc enim cœpit in Sion & Sionidis, id est, Judæis ad Christum conversis, opera B. Virginis & Apostolorum. Rursum B. Virgo electorum est dux, mater, magistra & custos. Unde graves Theologi docent, signum prædestinationis & electionis divinæ esse, cultum & devotionem assiduam erga B. Virginem, juxta illud, quod ei mysticè attribuit Ecclesia: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino* Proverb. 8. Unde Germanus Patriarcha Constantin. orat. de Deipara: *Sicut*, inquit, *continua respiratio non solum est signum vitæ, sed etiam causa: sic S. Mariæ nomen, quod in Dei servorum ore assiduè versatur, simul argumentum est, quod verè vivat; simul etiam hanc ipsam vitam efficit & conservat, omnemque eis lætitiam & opem ad omnia impertitur*.

Vers.14. AB INITIO, ET ANTE SÆCULA CREATA SUM] Laudavit se sapientia vers. 5. à sui origine divina, quòd, scilicet, à Deo quasi primogenita Dei filia prognata sit: nunc laudat se à sui antiquitate & æternitate. Quia enim paulò antè dixit, se in Jacob habitasse, ne quis putet, eam tempore Jacob & Mosis incepisse, subjicit, *Ab initio, & ante sæcula creata sum*, q. d. Ab æterno, ante omnia sæcula & tempora, tum realia, tum imaginaria, creata, id est, producta vel concepta sum. Concipe, fingeque animo ante mundum centum annorum millia, milliones annorum, mille myriades myriadum annorum; ante hos, & quosvis alios, quos mente concipere potes, exstiti, eosq; omnes in infinitum antecessi; quia ab æterno exstiti, Deoque coæterna fui. Æternitas autem omnia tempora realia & imaginaria in infinitum antecedit. Unde Græca habent, *ante sæculum* (id est, ante tempus, & mundum) *Ab initio creavit me, & usque ad sæcula non deficiam*; Tigur. *ante ævum conditum ab initio condidit me, & in æternum non deficiam. Ab initio* ergo, id est, ab æterno: unde sequitur, *Et ante sæcula*. Appellat enim Script. initium id, quod erat ante tempora: hoc autem erat æternitas. Unde Proverb. 8. dicit eadem sapientia de se: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret*. Et Michæas c. 5. *Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis*. ita Gabriel Vasquez 1. p. q. 33. disp. 139. c. 1. in fine.

B

Igitur hisce verbis sapientia significat, Primò, se esse intemporalem, ideoque increatam & divinam, imò Deum: æternitas enim separat eam, æquè ac Deum, ab omni re humana & creata. Nam, ut ait Natianz. orat. 5. de Theolog. *Temporis interstitio à Deo scindimur & dividimur*. Deus enim æternus est; nos verò subdimur tempori, æquè ac ceteræ res creatæ. Unde de Jesu Filio Dei, ait B. Petrus Damiani lib. 2. epist. 5. *Ipse nobis & intemporale tempus & illocalis est locus*. Secundò, significat sapientia, se vicissitudinis expertem; ac casibus omnibus, quos variatio temporis parit, superiorem: q. d. Temporarias mutationes transcendo, constans sum, & ad omnes casus invicta, perinde ac si cum Deo de æternitate & immutabilitatem certarem.

Æternitas separat Deum ab omni re creata.

C

Nota. Alludit Siracides ad illud Salomonis Proverb. 8. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*: ubi pro *in initio*. hebr. est ראשית *reseit*, quod Noster accepit pro בראשית *beresit*, id est, *in principio*. Septuag. autem nudè acceperunt *reseit*, pro principio, unde verterunt, *Dominus creavit me initium* vel *principium viarum suarum in opera sua*. Quare verisimile est Siracidem seniorem, qui hebraicè hunc librum conscripsit, Salomonem imitatum, in Hebræo hoc loco scripsisse *reseit*, id est, *principium*: Siracidem verò juniorem, qui seniorem in Græcum transtulit, *reseit* accepisse *pro beresit*, id est, *ab initio*, è principio, uti accepit noster Proverb. 8. Quare, si cum Septuag. *reseit* undè accipias pro ἀρχῇ, id est, principio, hoc quoque loco cum eis vertas, *principium creata sum*; idque Primò, q. d. Dominus fecit me principium operum suorum, ut ergo sapientia essem prima, primoque concepta ante omnia Dei opera. Secundò, q. d. Deus fecit, ut essem principium & causa omnium operum ipsius; quia per me, quasi ideam, omnia architectatus est. Tertiò, ἀρχὴ, non tantùm principium, sed & principatum significat: unde illud psal. 109. *Tecum principium*, id est, principatus (græcè enim est ἀρχὴ; Hebr. נדבות *nedabot*, id est, principatus) *in die virtutis tuæ*. Sic sensus erit, q. d. Ego sapientia creata sum, ut essem principatus Dei, facta sum princeps omnium operum Dei. Quartò, ἀρχὴ, significat primas & primitias: q. d. Ego sapientia creata sum ἀρχὴ, id est, ut primitiæ operum Dei, ut primas inter opera Dei tenerem, juxta illud cap. 1. 4. *Prior omnium creata est sapientia*.

Sapientia est principium quadrupliciter.

Mysticè hæc omnia facilè adaptes B. Virgini, uti fusiùs ostendam Prov. 8. 22. interim vide ibidem nostrum Salazar eruditè & piè hæc pertractantem. Nam B. Virgo ab æterno prædestinata fuit, ut esset principium operum Dei, putà, omnium purarum creaturarum. Secundò, ut esset idea sanctitatis, juxta quam sanctos angelos, Apostolos, Martyres, Virgines, Confessores, Religiosos exornaret. Cùm ergo Deus B. Virginem mente con-

Sic & B. Virgo.

concepit & prædestinavit, hos omnes, adeoque fideles omnes prædestinavit. Tertiò, principatum gratiæ & gloriæ ei decrevit, principatum sanctitatis, æquè ac dominii addixit destinavit enim eam, ut esset omnium creaturarum princeps, regina & domina. Quartò, Deus eam fecit primitias operum suorum. Solebant Deo offerri primitiæ frugum, ut per eas ceteræ fruges censerentur Deo oblatæ & sanctificatæ: ita mundus obtulit Deo B. Virginem, quasi primitias naturæ humanæ, per quam omnes homines, totaque natura censeretur ei oblata, purificata & sanctificata.

Quocirca pulchrè Rupert. in c. 2. Cant. B. Virginem ita de se loquentem inducit: *Priusquam nascerer, Deo præsens aderam; antequam fierem, benè illi cognita fueram. Elegit me ante mundi constitutionem, ut essem sancta & immaculata in conspectu ejus in charitate. Et si deliciæ ejus esse cum filiis hominum, quantò magis deliciabatur cum ista ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum hominum?* hæc Rupert. Qua de causa Damasc. serm. 1. de Nativit. B. Virg. eam vocat *miraculorum abyssum, miraculorum officinam*.

Anagog. hęc adapta hereditati Jerusalem cælestis, in qua quasi regina regnat & triumphat B. Virgo. Unde hęc ei adaptat Ecclesia in festo Assumptionis ejusdem.

ET USQUE AD FUTURUM SÆCULUM NON DESINAM] q. d. Sicut ęterna sum à patre anteriori, ita & à patre posteriori, quia, *usque ad sæcula*, ut habent Gręca, id est per omnia futura sęcula, in ęternum persistam. ita Lyran. Syrus, *ante sæcula creata sum, & in sæcula sæculorum non desinet memoria mea.*

ET IN HABITATIONE SANCTA CORAM IPSO MINISTRAVI] q. d. In tabernaculo & templo Judaico in quo habitavi, sacra ministeria per meos ministros Levitas & sacerdotes obivi, Deoque vera sacrificia obtuli: hoc enim significat Græcum ἐλειτούργησα: unde Gręca & Syrus sic clarè habent; *in tabernaculo sancto coram ipso sacrum ministerium obivi*. Hinc Sapientia vocatur μύστης, id est sacerdos & mystes, qui arcana Dei servat, eique sanctus sacrificat victimas, uti superiùs dixi.

Sapientia est sacerdos Dei.

Mysticè, B. Virgo ministravit Deo in templo, cùm in eo fuit præsentata triennis, imò ultrò præsentavit seipsam. Unde Ecclesia hæc pro Epistola legit in festo Præsentationis ejusdem. Ipsa enim ab anno ætatis tertio usq; ad 14. quo fuit desponsata Joseph, &, nuntiante angelo, concepit Christum, continuò Dei ministravit in templo, vacans perpetuis orationibus, meditationibus, piis lectionibus, concionibus, ac operi manuali ad ministeria templi, ut se aptaret & disponeret ad conceptionem Verbi. Vide nostrum Canisium in Mariali, & Christoph. à Castro de Vita Deiparæ.

VERS. 15. ET SIC IN SION FIRMATA SUM, ET IN CIVITATE SANCTIFICATA SIMILITER REQUIEVI, ET IN JERUSALEM POTESTAS MEA] q. d. Ego sapientia per meum tabernaculum, & templum, quod in monte Sion per Davidem & Salomonem ædificavi, firmiterque collocavi, cùm priùs per mobile tabernaculum moverer, & vagarer per varias Judææ urbes in Sion firmata firmiterque locata sum. Unde in civitate per templum cultumque meum sanctificata, putà in Sion & Jerusalem firmiter requievi: in arca enim & propitiatorio templi residere & requiescere dicebatur Deus, præsertim quia ex eo loquebatur dabatque oracula. Unde non tantùm dignitatem Ecclesiasticam, sed & sæcularem regiamque potestatem in eadem collocavi: David enim regium thronum fixit in Sion & Jerusalem, eumque secuti sunt omnes ejus posteri. Unde Græca, Romæ emendata, habent, *in Sion firmata sum in civitate dilecta* (legunt ἠγαπημένῃ, id est *dilecta*, cùm Complut. & Noster legant ἡγιασμένῃ, id est *sanctificata*) *similiter quiescere me fecit, & in Jerusalem potestas mea*; Tigur. *& in Sion confirmata sum: tum etiã in chara civitate quietẽ mihi dedit, et Hierosolymis adepta sum potestatẽ*; Syrus, *& rursus in Sion steti, in civitate quæ est dilecta illi, sicut ego requievi, & in Jerusalem imperium meum fuit*, putà regia sedes regumque thronus.

Mysticè hæc omnia adaptes B. Virgini. Illi ergo veriùs acclames id, quod Israelitæ acclamarunt victrici Judith ob cæsum Holofernem: *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Judith. 15. 10.

VERS. 16. ET RADICAVI IN POPULO HONORIFICATO, ET IN PARTE (ita Rom. & Græca malè ergo aliqui legunt, *partes*) DEI MEI HEREDITAS ILLIUS ET

A IN PLENITUDINE SANCTORUM DETENTIO MEA] Quod dixit de loco, nunc dicit de populo. q. d. Sicut in Sion habito, & radicata sum, sic pariter in Sionidis, id est inter Israelitas, habito & radicata sum: hi enim soli cognoscunt coluntque verum Deum. Quare hi soli sunt populus honorificatus, & pars Dei ac hereditas illius, sive, ut Græca habent, *pars Domini hereditatis illius*, id est, pars hereditaria, & hereditas Domini, putà peculium, & sors Domini, Quare τὸ *illius*, non tam refert populum honorificatum, ut vult Palacius, q. d. Pars Dei est hereditas populi honorificati; quàm Deum, q. d. Pars Dei mei, in qua radicavi, est hereditas illius, scilicet Dei. Hos denique vocat *plenitudinem Sanctorum*, id est plenum totumque fidelium & Sanctorum cœtum, sive Ecclesiam. *Radicavi* ergo in Israele quasi *in populo honorificato*, & quasi *in parte* & sorte *Dei mei*, quæ pars & sors est *hereditas illius*, scilicet Dei. Denique, in

B pleno Sanctorum hujus populi cœtu, est *detentio* & habitatio *mea*. Unde Tigur. clarè vertit, *in illustri populo sum radicata, & in ea quæ Domino cesserit possessione*; Syrus, *educata fui in populo honorificato, in parte Domini, & in medio hereditatis Israel*. Vox enim *radicavi*, significat educationem & enutritionẽ: unde *radix in plantis similis est ori in animalibus*, ait Aristotel. lib. 2. de Anima: quia sicut hęc ore sumunt cibum, ita plantæ per radicem sugunt succum ad alimentum.

Quare symbolicè, τὸ *radicavi in populo honorificato*, denotat sapientiæ genitæ, putà Christi Domini, incarnationem, conversationem, passionem, quà totum populum fidelem insolubili amoris debito sibi obstrinxit. De quo pulchrè S. Bernard. serm. de Quadruplici debito: *Christo Jesu*, ait, *debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro vita tua: & cruciatus amaros sustinuit, ne & tu perpetuos sustineres. Quid tibi dirum vel durum esse poterit, cùm recordatus fueris, quia ille in forma Dei in die æternitatis suæ, in splendoribus sanctorum ante Luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (ut dicitur) usque ad cubitos in limo*

Christus homo amore homines sibi obstrinxit.

C *profundi; Quid non suave tibi, cùm tibi collegeris omnes amaritudines Domini, & rememoraveris primùm quidem infantilium necessitatum; deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, insidiarum in colloquendo; postremò periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumq; similium, quæ in salutem nostri generis, triginta & tribus annis operatus & passus est in medio terræ? O quàm indebita miseratio, quàm gratuita & sic probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm stupenda dulcedo, quàm invicta mansuetudo, regem gloriæ pro despicatissimo vernaculo, imò vermiculo crucifigi! Quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic simile?* Et mox: *Cùm ergo ei donavero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud sic est sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, imò minutissima, corpus & animam: vel potiùs unum minutum, voluntatem meam; & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficijs prævenit: qui totum me comparavit? Alioqui si illam*

D *retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera misericordiæ Dei nostri: & audeo perfodere illud fortissimum propugnaculum, quod custodit Israel: & illius sanguinis non guttas, sed undas a quinque partibus corporis in meum pretium detorquere?*

Allegor. Sapientia & Christus constanter & perenniter habitant, & habitabunt in æternum; in Ecclesia Christiana, & cœtu Christianorum. Hi enim magis quàm Judæi, sunt *Sion*, id est, specula; quia speculantur Deum hic per fidem, in cælo speculaturi per gloriam; & *Jerusalem*, id est visio pacis, quia pace præsenti & æternà fruentur & fruuntur. Hi quoque sunt populus honorificatus, pars & sors Dei, ac plenitudo plenaque congregatio sanctorum. Ita Raban. *In populo honorificato*, inquit, *id est in populo Christiano, qui nominis ejus insigni præconio meruit honorari*, (ut à Christo dicatur Christianus) *qui pars ejus & hereditas dicitur, quia ad sortem ejus, inter omnes nationes mundi, ipse solus pertinet: & in plenitudine Sanctorum detentio ejus, quonia illi membra sunt corporis ejus: ipse sit omnia in omnibus.* Christianũ enim populũ honoravit Cristus, dum propter eum homo

Allegor. Christo.

ceteris

ceteris similis fieri, pro eoque mortem & crucem pati, A eumque se ipso in Eucharistia pascere dignatus est, ut eum ad cælum sublimaret, imò ad nobiles Martyrum, Virginum, Doctorum, &c. palmas & coronas eveheret. Unde Palacius legens, *in partes Dei mei hereditas illius*, sic explicat. q. d. Ego radices amoris egi in populo honorificato: amat enim ille me. Nec frustra tamen; nam ideò in partibus & divitiis Dei hereditatem habet populus ille qui me amat. Vel clariùs: hereditas populi illius honorati est in partibus & hereditate Dei. O populum honoratum & fortunatum!

B. Virgo est in plenitudine sanctorū. Primò.

Mysticè, B. Virgo rectè de se dicit: *In plenitudine sanctorum detentio mea*. Primò, quia, ut ait S. Bernard. in hæc ipsa Ecclesiastici verba: *Meritò in plenitudine sanctorum detentio ejus, cui nec fides defuit Patriarcharum, nec spiritus Prophetarum, nec zelus Apostolorum, nec constantia Martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec castitas Virginum, nec fœcunditas conjugatorum, nec puritas Angelorum*. q. d. Omnes dotes & gratias omnium & singulorum Sanctorum in se quasi in mari collectas, à Deo infusas accepit B. Virgo. Unde passim docent Theologi, *quidquid alicui Sanctorum à Deo fuit indultum, id B. Virgini*, B *utpote matri Dei, non fuisse negatum, imò pleniùs quàm ulli concessum*: ceteris enim per partes, Mariæ autem se totam infudit gratiæ plenitudo, teste Sophronio serm. de Assumpt. & Chrysologo serm. 143. juxta illud Prover. 31. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*. Unde S. Bernard. serm. 174. *Quod itaque*, inquit, *vel paucis mortalium, constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini esse negatum, per quam mortalitas emersit ad vitam*. Et S. Thomas 3. p. q. 27. art. 5. in corp. *Beata*, inquit, *virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam; & ideò præ ceteris majorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere*. Et quæst. 7. art. 10. ad 1. explicat plenitudinem gratiæ Virginis fuisse, quia, scilicet, habebat gratiam sufficientem ad illum statum ad quem erat elevata à Deo ut esset mater Unigeniti ejus. Quare S. Cyprianus. serm. de Nativit. Christi: *Ut matri*, inquit, *plenitudo gratiæ; ut virgini, abundantior gratia debebatur*. Et S. Epiphan. serm. de laud. Deiparæ: *Quomodo*, inquit, *Virgo invenitur esse cælestis sponsa & mater, quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum sanctum accepit: dotis verò gratia, cælum unà cum paradiso*. Quocirca S. Ephrem. orat. de B. Virgine, eam nuncupat *reginam omnium*: & iterum, *dominam, principem atque reginam præstantissimam, & per quam benedictam, dominarum dominam purissimam*: & mox, *reginam ac dominam cunctis sublimiorem*. Sic & *reginam supernorum civium, & dominam Angelorum*, eam appellat S. Athanas. serm. de B. Virg. *Quia ipse Christus*, inquit, *Rex est & dominus, mater quæ eum genuit, & regina & domina verè censetur*.

Secundò.

Secundò, quia B. Virgo, sicut habuit plenitudinem gratiæ, ita habuit, & plenitudinem gloriæ omnium Sanctorum. Ita S. Bernardinus tom. 3. serm. 11. a. 2. *In hac Assumptione Virginis impletum est*, inquit, *quod 2. Reg. 6. de David dictum est, quod deduxit arcam Domini, & erant cum David septem chori, scilicet beatorum spirituum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, qui jam transierunt, Martyrum, Confessorum atque Virginum, ut impleatur in Virgine quod Eccles. 24. scriptum est: In plenitudine sanctorum detentio mea*. Et mox hanc Virginis gloriam figuratam vult. 3. Reg. 2. cùm Salomon matris thronum ad dexteram suam collocavit: *Ubi contemplare*, inquit, *altissimam matris sublimationem, & immediatissimam conjunctionem, quia positus est thronus matri, & sedet ad dexteram filii*.

Tertiò.

Tertiò, quia, ut ait S. Bonav. in Speculo B. Virg. c. 7. *B. Virgo, non solum in plenitudine sanctorum detinetur, sed etiam in plenitudine Sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuatur: detinet nimirum virtutes, ne fugiant: detinet merita, ne pereant: detinet dæmones, ne noceant: detinet filium, ne peccatores percutiat. Ante Mariam non fuit qui sic detinere Dominum auderet, teste Isaia cap. 64. 7. qui dixit: Non est qui invocet nomen tuum, & teneat te*. Et infrà, ad hoc idem propositum citat S. Ansel. *Et ideo*, inquit, *bene sic ait Anselmus: Tibi soli loquor domina, beneficiis tuis plenum esse mundum; inferna penetrarunt, cælos superarunt; per plenitudinem enim gratiæ tuæ, quæ in inferno erant, se lætantur liberata; & quæ supra mundum sunt, se gaudent restaurata*.

Quocirca in mystico hoc S. Ecclesiæ corpore cujus caput est Christus; ipsa collum, quod ceteris membris eminet, & per quod omnis à capite virtus derivatur in membra, appellatur, ut jure optimo Apoc. 12. quemadmodum ait S. Bernardus, sub ejus tamquam mediatricis pedibus luna, quæ nonnumquam propter susceptum à sole splendorem, Ecclesiam hujus temporis à Christo, sole justitiæ, suis radiis illustratam significat, constituta legatur. Quod idem animadvertit S. Antoninus 4. part. tit. 5. cap. 20. §. 2. ubi de Virgine explicat illud Eccli. 24. *In Jerusalem potestas mea*, hoc est, in Ecclesia: *Quoniam Ecclesia*, inquit, *iure sub pedibus est Virginis, quia non tantùm sub ejus patrocinio, verùm etiam sub ejus est dominatione ac potestate. Ergo, cùm sit pars secundum Christum omnium nobilissima, per quam Deus suam providentiam, & in homines misericordiam peculiari ratione exercet præcipuè commemoranda videbatur*.

B. Virgo sanctitatis omnis thesaurus.

Quare Petrus Damianus serm. de Assumpt. *Sanctam Sanctarum* illam vocat: & Andreas Cretensis de Dorm. Virg. *O Sancta*, inquit, *& Sanctis sanctior & omnis sanctitatis sanctissime thesaure*. Damascenus orat. 2. de dor. B *Cernere*, inquit, *mihi videor hanc Sanctis sanctiorem, & sacris sacratiorem, piisque pietate præstantiorem*, &c. S. Bernardus serm. de Aquæductu, ut probet magnam vim & efficacitatem precum Virginis, citat illud: *Oratio justi penetrat cælos*. & subdit: *Et quis justus, si non Maria justa, de qua Sol justitiæ ortus est nobis?* S. Bernardinus tom. 3. serm. 11. art. 3. cap. 1. *Sicut*, inquit, *filius Mariæ est Sanctus Sanctorum: ita constat quòd mater, quæ ipsum portavit, est Sancta Sanctarum, in qua erat ille pretiosus thesaurus, tabernaculum Dei, thronus Dei atque thalamus Dei. Ubi ergo est summa plenitudo sanctitatis humanæ et angelicæ, ibi semper virgo Dei mater prima suæ sanctitatis jecit fundamenta, ibi detinuit gradum, et plantam fixit virgineā*.

Deniq; noster Sebast. Barradius in Cant. Mosis l. 3. sect. 8. annot. 16. n. 243. *B. Virginis laus*, inquit, *plenitudinem, in qua gradum figat, non habet, nisi dicamus, ultra Sanctorum omnium merita concessam illi fuisse ab originali peccato immunitatem. In hac assertione sita est Sanctorum plenitudo, in qua detinetur: In plenitudine Sanctorum detentio mea*.

Nota. Sapientia hucusque se dilaudavit à dotibus intrinsecis, nunc se dilaudat ab extrinsecis analogiis & com- C parationibus. Ut enim sui pulchritudinem, præstantiam, utilitatem ostendat, comparat se arboribus, aromatibus, fluminibus, quæ ceteris antecellunt; iisque sacris, ut significet se sacram esse, adeoque esse ipsam sanctitatem increatam, quæ homines ad sanctitatem creatam erudit, dirigit, & deducit. Quocirca Isidorus lib. 4. epist. 228. *Salomon, ait, sapientiam quasi personam repræsentans, cùm non inveniret quo pacto per unum aliquod exemplum, aut unam plantam, ipsius pulchritudinem, sublimitatem & suavitatem exhiberet; vagatus per omnia gignentia, & ab unoquoque colligens id quod maximè conveniens & decorum erat, ad eam repræsentandam, ita eam hominibus adumbravit, ut ab hac quidem planta pulchritudinem, ab alia sublimitatem, ab alia odoris suavitatem ac frangrantiam mutuatus, occasionem præberet aliquid cogitandi quod sapientia dignum est*.

Igitur Primò, primis versibus comparat se quatuor arboribus præstantibus æquè ac sacris, putà, cedro, cupressio, palmæ & oleæ. Sacris dico, quia ex his fabricatum est templum, ejusque vasa, ut patet 3. Reg. 5. 6. Cant. 1. 16. & 3. Reg. 6. 18. 29. 32. Unde & ex his compacta dicitur crux Christi, ut inferiùs ostendam, quam proinde hic ænigmaticè adumbrat Siracides.

Secundò, vers. 21. comparat sapientia seipsam quatuor aromatibus sacris, putà, galbano, myrrhæ, stactę & thuri, ex quibus fiebat thymiama sacrum, quod quotidie tam manè quàm vespere adolebatur Deo in altari thymiamatis, quodque repræsentabat ardorem devotionis & charitatis, quo se Christus Deo in cruce obtulit, quasi incensum & thymiama in odorem suavitatis.

Tertiò, v. 35. comparat se quatuor fluminibus quasi sacris, putà, Euphrati, Tigri, Phison & Geon; sacris dico, tum quia hi quatuor fluvii sunt vicini terræ sanctę, putà, Palæstinæ, ejusque sunt limites & termini; unde & crebrò nominantur in sacra Scriptu. tum quia hi erant quatuor fluvii paradisi, qui erat locus innocentiæ & sanctitatis, in quo scilicet vixit Adam quamdiu mansit sanctus; sed dum peccavit, illicò eo expulsus est: quia hic locus à

Deo

Deo destinatus erat innocentiæ, innocentibus & sanctis: erat enim ipse symbolum & inchoatio paradisi & felicitatis cælestis. Sapientia ergo hoc versu & sequentibus, ut sui elegantiam, dotesque & virtutes miras declaret, doceatque se perfectissimè habere omnes perfectiones rerum perfectissimarum, comparat se arboribus pulcherrimis, præstantissimis & pretiosissimis, quæ in Israele, putà, in Judæa, ac præsertim in monte Libano Judææ vicino, eminebant. Nam ut ait S. Hieron. in c. 14. Osee: *Arbores Libani quantum in auras consurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt: ut nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant. Harum arborum rami huc illucque tenduntur: ut veniant volatilia cæli, & habitent in eis. Crebræ hic crescunt cedri enodes, & imputribiles, miraque proceritate* (*quibus idcirco in sacra Scriptura superbi comparantur*) *sublimes. Recta quoque & electa abietes, odoriferæ cupressi seu cyparissi, pingues olivæ, pini, buxi, diversæque arbores thuriferæ; quarum gummi electum olibanum a medicis nuncupatur.*

Quia igitur arbores Judææ & Libani ceteris præstant, hinc iis se comparat sapientia, ac præsertim cedro, cupresso, palmæ, platano, oleæ & rosæ, quæ ibidem excellunt & eminent. Cedro convenit immortalitas, inquit Palacius; cupresso rectitudo, palmæ victoria, platano jucunditas umbræ, olivæ pretium olei, rosæ odoris gratia. Hæc igitur universa sibi adscribit sapientia, scilicet, quòd, cùm sit rerum omnium celsissima, sibi convenit melior immortalitas quàm cedro, melior rectitudo quàm cupresso, melior vincendi potestas quàm palma, melior umbra (id est, protectio, favor & auxilium) quàm platano, odor jucundior quàm rosæ, majus misericordiæ suæ pretium quàm olivæ. Et quia Christus quod habet dat, ideo immortalitatem dat suis, rectitudinem justis, victoriam pugnantibus, afflictis sole tentationum, umbram suæ protectionis, devotis æternitatis odorem:) nam dictum est: *In odorem unguentorum tuorum curremus*) demum omnibus suæ misericordiæ oleum largitur: ideo enim Christus, id est, unctus, dicitur, scilicet oleo exultationis præ consortibus suis.

VERS. 17. QUASI CEDRUS EXALTATA SUM IN LIBANO] Tigur. *instar cedri in Libano excrevi*; Syrus, *nutrita sui*. Itaque hi τὸ *in Libano*, referunt ad τὸ *quasi cedrus*: potest & referri ad τὸ *exaltata sum*. q. d. Ego sapientia exaltata sum in Libano, id est, in Jerusalem & templo, quod constructum erat è lignis Libani (ideoque vocatur Libanus Ezech. 17. 3.) sicut cedrus exaltatur inter arbores Libani. Ante omnia sapientia comparat se cedro, quia cedrus inter arbores eminet; Primò, altitudine, quæ tanta est, ut Plin. 16. 40. dicat: *In Cypro traditur ad undeciremem Demetrii succisa* (cedrus) *centum triginta pedum, crassitudinis verò ad trium hominum complexum.* Adde, cedrus amat montes: pari modo altissima est sapientia, quia ad cælos & Deum pertingit: docet enim cælestem & divinam doctrinam, quæ homines faciat Angelos & Deos quosdam terrestres, imò eos ad cælum evehat, ibiq; faciat reges & heredes regni Dei. Porrò ita exaltata est in Libano, id est in Judæa, & Ecclesia populoque Dei: hic enim est Libanus, id est, albus puritate, & odoratus sanctitate famaque virtutum.

Sapientia similis cedro. Primò.

Secundò. Secundò, rectitudine: cedrus enim enodis & rectissima pariter est sapientia: quia nihil dat favori, gratiæ, timori, respectui humano; sed rectissimè ad æternam veritatem, legem, voluntatem Dei, quæ omnis rectitudinis est forma, se adaptat & conformat.

Tertiò. Tertiò, soliditate: cedrus enim solidissima est & quasi ossea: sic & sapientia solida est, quia docet sequi rationes stabiles & æternas, non temporales & caducas. Insuper, cedrus folia non abiicit, sed perpetua coma viret: medulla rubet & odorata est: ita viret jugiter, & suavissimè fragrat sapientia: corque sapientis, & sancti, quia sanguine Christi respersum, rubet & ardet.

Quartò. Quartò, incorruptione: cedrus enim cariem, tineam & vetustatem non sentit; imò, res aliæ perunctæ oleo cedrino, cariem aut tineam non sentiunt, ait Plinius. Idem lib. 24. c. 5. *Defuncta*, ait, *corpora incorrupta ævis servat, viventia corrumpit; mira differentia, cum vitam auferat spirantibus, defunctis pro vita sit.*

Quintò. Quinto, duratione: cedrus enim diutissimè durat; unde æterna indigetatur: hinc & *digna cedro* vocantur, quæ æternitatem merentur. Audi Plinium lib. 13. c. 5. *Materiæ ipsi æternitas. Itaque & simulacra deorum ex ea factitaverunt. Cedrinus est Romanæ in delubro Apollo Sosianus.* Et lib. 16. 40. *Memorabile*, ait, *est Uticæ templum Apollinis, ubi Numidicarum cedrorum trabes durant à prima urbis ejus origine, annis 1188.* Additque tectum templi Dianæ Ephesiæ fuisse è trabibus cedrinis. Porrò Salomon non tantùm suum palatium, sed & templum, quod fuit orbis miraculum, ædificavit ex lignis cedrinis. 3. Reg. cap. 7. 2. et sequ. et c. 9. 11. Æterna pariter est sapientia, suique studiosos æternat, imò donat gloria & regno æterno.

Sextò, fructu. *Fructum ferunt* (cedri, ait Plinius lib. 13. c. 5.) *myrti magnitudine, dulci sapore. Et majoris cedri duo genera: quæ floret, fructum non fert: fructifera non floret, & in ea antecedentem fructum occupat novus.* Vidi Romæ fructum cedri: nux erat ingens instar nucis pineæ. Fructus pariter sapientiæ et disciplinæ, licet initio amarus et asper videatur, mox tamen dulcescit, ac tandem dulcissimus evadit. *Omnis disciplina*, ait Apost. Hebr. 12. 11. *in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mæroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.* *Sextò.*

B Septimò, odore: odorata enim est cedrus, ideoque incorrupta et æterna. Hinc cedrus suo odore fugat et occidit serpentes, eaque de causa in domibus et villis accendi solebat. ita Raban. qui id probat ex illo Virg. 3. Georg. *Septimò.*

Disce & odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.

ubi Servius: *Chelydri*, inquit, *sunt serpentes, ita dicti, quasi chersydri, quia in aquis & in terris morantur. Nam* χέρσον *dicimus terram,* ὕδωρ *autem aquam*. Sic & Plinius lib. 24. cap. 5. *Cedri scobe serpentes fugari*, inquit, *certum est: item baccis tritis cum oleo, siquidem perungantur.* Hinc quoque libros perungebant oleo cedrino, quos proinde cedratos vocat Plinius, qui à tineis illæsi integrique durabant per multa sæcula. Tales fuisse libros Pythagoricos, qui, defossi in terra, post 535. annos, integri reperti sunt, eò quòd cedrati essent, tradit Plinius lib. 13. c. 13. Odorata pariter est sapientia: odor sapientiæ est fama & celebritas, juxta illud Pauli, *Christi bonus odor sumus*, 2. Cor. 2. 15. ita Rabanus.

Octavò, medicina & vi medicandi: cedrus enim resinam habet laudatissimam, quæ variis morborum generi- *Octavò.*
C bus medetur. *Cedrus magnam*, ait Plinius l. 24. c. 5. *dat picem, quæ cedria vocatur, dentium doloribus utilissimam.* Et interius: *Cedrides, hoc est fructus cedri, tussim sanant, urinam cient, alvum sistunt, utiles ruptis, convulsis, spasticis, stranguriæ, vulvis, admoti.* Pari modo sapientia omnibus animi ægritudinibus medetur, easque vel sanat, vel lenit.

Tropolog. et mysticè sapientia omnes has suas dotes sapientibus sui studiosis, putà B. Virgini, et Sanctis, præsertim doctoribus, communicat. Hos enim facit Primò, altos et excelsos, ut cum Paulo dicant: *Nostra conversatio in cælis est*, Philipp. 3. 20. Secundò, justos & rectos, ut à linea justitiæ et honestatis, nullius metu aut gratia, vel ad punctum deflectant; Tertiò, solidos, ut nulla adversitate frangantur; Quartò, incorruptos, ut nulla voluptate, adulatione, blanditiis enerventur; Quintò, æternos, & *æternitatis satores, incorruptionem omnibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes, qui verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ Christi familiæ dispensant*, ait S. Hilar. can. 27. in Matth. Sextò, dulces in sermone et consolatione, juxta illud cap. 20. 13. *Sapiens in verbis seipsum amabilem facit.* Septimò, odoratos, ob virtutis *Sancti doctores sunt cedri ob octo analogias.*
D et sapientiæ famam; Octavò, medicos, quia erroribus, passionibus et vitiis hominum medentur, tartareos serpentes expellunt, et à peccati putredine se invocantes tuentur. Audi Rabanum: *Sapientiæ doctores*, inquit, *virtute verbi cælestis, solent venenata hæreticorum dogmata repellere, eosque a simplicium seductione fugare. Hoc quoque, quod ejus resina, quæ cedria dicitur, in conservandis libris adeò est utilis, ut perliniti ex ea, nec tineas patiantur, nec tempore consenescant, quis non videat quantum eisdem prædicatoribus sanctis conveniat? quorum sensu spiritali Scriptura sancta confecta est, quæ nulla hæreticorum astutia corrumpi, nulla potest sæculis labentis ætate consumi: adeò ut donec transeat cælum, & terra, iota unum aut unus apex non prætereat a lege, donec omnia fiant: quod cum dixerit Dominus de lege, quanto magis de Evangelio intelligendum reliquit?*

Ita S. Ildephonsus, serm. 1. de Assumpt. loquens de

De-

Deipara: *Hac est*, inquit, *qua, ut cedrus Libani quotidie in terris multiplicabitur, dilatabiturque ramis; & in cælo radicibus, ut crescat ampliùs, solidatur.*

ET QUASI CYPRESSUS IN MONTE SION) Græca *in monte Hiermon*. *Sion* ergo est Hermon. Duplex enim fuit mons Sion, unus in Jerusalem; hic scribitur Hebraicè in initio per litteram *tsade*, alter, qui alio nomine dictus est Hermon; hic scribitur per *sebin*. Id patet Deuter. 4. 48. *Usque ad montem Sion*, inquit, *qui est, & Hermon*. Et psal. 132. *Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion*, quasi fuerit Hermonis. Et Deuter. 3. v. 8. *Usque ad montem Hermon, Sanir quem Sidonii Sarion vocant, & Amorrhæi*. Unde Syrus hoc loco vertit, *& sicut arbor olei in Sanir monte nivis*. Audi Adrichomium in Theatro terræ sanctæ pag. 89. *Hermon mons qui ab Hebræis Chermon, à S. Hieron. Aermon, ab Amorrhæis Sanir, & Sinir, à Sidoniis Sarion, & Sirion, à Phœnicibus Sanior, in Deuter. etiam Sion, aliàs Seon vocatur, Straboni Irachon, aliis Irachonus, Ptolemæo Alsadamus appellari videtur situs est ultra Jordanem è regione civitatis Paneadis*, &c. *Mons iste excelsæ altitudinis est, ideoque perpetuò in eo inveniuntur nives, quas S. Hieron. in Locis Hebr. in Aermon, suo ævo Tyrum ob delicias deferri solitas scribit, ut nempe æstatis tempore æstiva pocula temperarent.*

Sapientia similis cypresso. Primò. Sapientia hic comparat se cupresso, qui & cypressus, & cyparissus dicitur. Primò, pulchritudine: cupressus enim est arbor pulcherrimè comata: eius enim coma rotunda in conum altissimè assurgit, unde vocatur conifera. Qua de causa Romæ, & per totam Italiam, cypressi sunt decus, & pulchritudo hortorum, & vinearum: ita pulcherrima est sapientia, & altissimè sublimata in Sion, id est, in Ecclesia, & populo Dei, quæ conum, id est, aciem, & intentionem mentis, in altum, id est, in cælum ad Deum, dirigit. Rursum, cupressus pro foliis frondes habet capillatas, æquè ac pinus, easque densas, & in modum comæ in conum assurgentes, quæ magnam ei elegantiam conciliant: ita sapientia non latis verborum foliis quasi phylacteriis luxuriat, sed stricta, & quasi capillata rerum copia auditorem instruit, ac in omnibus sapientem efficit.

Secundò. Secundò, utilitate. Nam ex cupresso fiebant perticæ, & asseres pretiosi, de quibus Plinius lib. 16. cap. 33. *Utraque* (cupressus scilicet, mas, & femina) *immittitur in perticas asseresue amputatione ramorum, qui decimotertio anno denariis singulis veneunt. Quæstuosissima in satus ratione silva: vulgoque dotem filiarum antiqui plantaria appellabant.* Pari modo quid utilius. quid quæstuosius sapientia? Vide eius opes, & lucra descripta Sap. 7. v. 8. & sequ. Prov. 8. 15. Job 28. v. 15. & sequent.

Tertiò. Tertiò, duratione. Nam cupressus semper viret, nec temerè rimam aperit, ullave parte fatiscit. Unde Plinius lib. 16. 40. *Cariem*, ait, *vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus, ebenus, lotos, buxus, taxus, iuniperus, oleaster, & olea*. Et inferiùs, agens de templo Dianæ Ephesiæ: *Valvæ*, inquit, *è cupresso, quoniam præter cætera uno in genere materiæ nitror maximè valens æternus. Nonne simulacrum Jovis in arce è cupresso durat à condita Urbe 551. anno dicatum?* è per ducentos scilicet annos: tot enim fluxerunt ab anno 551. conditæ Urbis usque ad ætatem Plinii. Pari modo sapientiæ nitor, gratia, & decus perennat, imò in Sanctis per dies singulos magnis virtutum, & heroicorum facinorum incrementis, quasi novis ornamentis accrescit.

Quartò. Quartò, vi medica. Plinius lib. 24. cap. 5. *Cupressi*, ait, *folia trita serpentium ictibus imponuntur, & capiti, cum polenta, si à sole doleat: item ramuli, qua de causa, & bibuntur. Eadem trita*, &c. *pedum ac nervorum dolores sedant. Pilulæ adversus serpentium ictus.* Sic sapientia omnibus animæ, corporisque morbis medetur.

Quintò. Quintò, cupressus succisa non recrescit. Quocirca priscis erat symbolum mortis, & funeris, indeque vocatur feralis: unde Horatius ait, arborem nullam sequi homines ad inferos nisi cupressum. Hinc Gentiles eam Diti deo inferorum dicarunt. Quocirca Suetonius in Vespasiano c. 5. hoc ei omen præsagum imperii obtigisse narrat: *Arbor*, inquit, *cupressus in agro avito sine ulla vi tempestatis evulsa radicitus atque prostrata, insequenti die viridior ac firmior resurrexit. Hoc enim*, inquit Tacitus, *præsagium fuit grande prosperumq; assensu aruspicum, & summa claritas iuveni admodum Vespasiano promissa.* Ex adverso Severus Imper. teste Pierio Hierogl. 52. cap. 5. mortis indicium accepit, cùm Æthiops quidam cum corona è cupresso facta illi obviam factus, edixit: *Totum fuisti, totum vicisti: iam Deus esto victor.* Paucis verò post diebus Severus vita functus est. Ita sapientia docet hominem memorem esse mortis, ac post mortem non esse reditum ad vitam, sed transitum in æternitatem. Quare illud assiduè singulis inclamat: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*, Eccl. 7. 40. quod fit ut sapientes, & Sancti ex hac mortalitatis palæstra sine laurea abeant, sed ipsa eis cupressus in lauream abeat, di est, dignissimam corona vitam mors honestissima, & sanctissima claudendo coronet.

Sextò. Sextò, deorum simulacra, & heorum sarcophagi fiebant è cupresso, ob eius perpetuitatem, & suaveolentiam. Ita Junonis reginæ simulacrum factum erat è cupresso, teste Plinio lib. 52. cap. 7. Rursum Thucydides lib. 2. refert Spartanos, qui in bello Peloponnesiaco pro patria occubuerant, quasi heroes in arca cupressina esse repositos. Ita sapientia divina est, imo ipse Deus, Deique Filius, qui suos asseclas fortes efficit athletas, & heroes cælestes. Hinc, & crux Christi dicitur compacta fuisse ex cupresso, cedro, palma, olea. Unde carmen:

Ligna crucis palma, cedrus, cupressus, oliva:

Quod citat Glossa in Clement. 1. de summa Trinitate. Et, *Corpus tenet alta cupressus*. Et, *Pars est oliva suprema*. Vide nostrum Gretserum lib. 1. de Cruce cap. 5. ex S. Chrysost. In cruce enim Christus quasi cedrus exaltatus fuit, quasi cupressus comata pulchruit, quasi oliva gratiæ oleum fudit, quasi palma victrix de morte triumphavit.

Septimò. Septimò, cupressus amara fugat blattas, & tineas: ita sapientia severa est, fugitque, & fugat adulatores, quos rectè Seneca non arrisores, sed arrorores nuncupandos esse censet. Audi Catonem Severum (cupressum severè pingentem) apud Plinium lib. 16 c. 33. Cupressus *natu morosa, fructu supervacua, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratiosa, materia rara, ut penè fruticosi generis, Diti sacra, & ideò funebri signo ad domos posita.*

VERS. 18. QUASI PALMA EXALTATA SUM IN CADES) Judæa abundat palmis, & palmetis: unde Vespasianus de ea victa triumphans, nummum excudit, in quo Judæa capta sedens, mœrensque, & manus complodens; ipse verò astans iuxta palmam, pingebatur. Hinc, & Palmira urbs à Salomone ædificata in tribu Manasse, Hebr. dicta est *Thamar*, id est palma, unde Palmira, teste S. Hieron. in cap. 47. & 48. Ezech. Sic, & alia Judææ urbs, scilicet Engaddi, à copia palmarum priùs dicta est Asasonthamar, id est urbs palmarum, eò quòd floreret palmis, & balsamo, quod olim ferè iuxta eam dumtaxat, ac vix in alio Judææ vel orbis totius loco, reperiebatur. In deserto tamen Sin, quod alio nomine dictum est Cades, excellebant palmeta, & palmæ, atque in eo palma una ceteris insignior, & celebrior fuit, quæ nomen loco dedit, ut vocaretur Palma Cades, uti hic vocat Siracides. Testis est Adrichomius in Theatro terræ sanctæ pag. 118. & in tabula chorographica ei annexa.

Palmæ etymon. Porrò S. Isidorus lib. 17. Origin. c. 7. *Palma*, inquit, *dicta, quia manus* (palmæ) *victricis ornatus est: vel, quia oppansis est ramis, in modum palmæ hominis. Est enim arbor insigne victoriæ, proceroque ac decoro virgulto, diuturnisque frondibus vestita, & folia sua sine ulla successione conservans. Hanc Græci φοίνικα dicunt, quòd diu duret, ex nomine avis illius Arabiæ* (Phœnicis) *quæ diu vivere perhibetur.*

Pro *Cades* Græca Complut. habent *in Gaddi*, vel *Engaddi*, quia Engaddi situm est iuxta Cades, ibique abundant palmæ, & balsamum, uti paulò antè dixi ex Adrichomio: sed veriùs est, corruptè in Græcis legi *Gaddi* pro *Cades*: unde Græca variant. Nam ea quæ Romæ sunt emendata pro ἐν Ἐγγαδδὶ, id est *in Gaddi*, legunt ἐν αἰγιαλοῖς, id est *in littoribus*: unde Tigurina, *quasi palma circum littora verticem extuli*: Syrus verò, *quasi palma nutrita sum in Engaddi*. Nota. Pro *palma* Græcè est φοῖνιξ, quæ vox tam Phœnicem avem, sive veram, sive potiùs hieroglyphicam, uti ostendi Genes. 7. 2. quàm palmam significat utraque enim longæva est, ideoque æternitatis symbolum. *Sapientia est phœnix longævitate.* Unde Job ait c. 29. 18. *Dixi, In nidulo meo moriar, & sicut palma* (Græcè φοῖνιξ) *multiplicabo dies*. Hinc dicta est Phœnicia, cui adiacet Judæa, quòd abundet palmis, inquit Jansen. Licet alii, ut Stephanus lib. de Urbibus, à Phœnice conditore, Neptuni, & Libyes filio, dictam velint Phœniciam: unde Silius lib. 1.

Et qui longa dedit terris cognomina Phœnix.

Porrò, palma excellit robore, coma, duratione, nisu in superna, æqualitate, fructu; unde Anachoretæ longævi vivebant dactylis, qui sunt fructus palmæ, & etiamnum Afri nonnulli non nisi dactylis vivunt: dactyli enim uti gustu-

sunt suaves, ita usu sunt sani, & salubres. Talis est, & sapientia, scilicet robusta, comata, æterna, sursum vergens, ac contra omnia adversa in cælum enitens, & eluctans, justa, frugifera.

Palma est B. Virgo, & Sancti. Quocirca mysticè palma (æquè ac phœnix: feminarum enim, imò, & virorum, quin, & Angelorum, phœnix fuit B. Virgo) repræsentat B. Virginem, Ecclesiam, & Sanctos, uti per multas analogias, & parallela ostendit Auctor anonymus Hierogl. l. 3. pag. 89. Primò, Judæa, inquit, inclyta est palmis, teste Plinio lib. 13. c. 4. Sic Ecclesia Catholica amœnissimum Jesu Christi palmetum est, quod passim in orbe terrarum plantatum est illius manu.

Primò.

Secundò. Secundò, palma Hebræis *Thamar*, Græcis φοῖνιξ, salsum solum diligit: ergo ubi non est tale, saltem aspergunt, non radicibus, sed paulò longius amandando, ut ex Theophrasto annotauit Ruellius de Natura stirpium libr. 1. cap. 108. Homo autem justus sapientiæ sale respersus dictis, & factis id profitetur, eò quòd sibi hæc dicta voluit: nam *omnis homo igne salietur, & omnis oblatio sale salietur. Bonum est sal: quòd si sal insulsum fuerit, in quo condietis? Habete in vobis salem, & pacem habete inter vos mutuò*, Marci 9. 49. 50. Item Coloss. 4. 6. *Sermo vester cum gratia sit sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.*

Tertiò. Tertiò, à fimo palmam magnopere abhorrere quidam perhibent. Spiritualis palma pari modo, videlicet sancta Ecclesia, peccatorum sordibus, ceu teterrimo fimo, gravissimè offenditur. Novit enim sibi præceptum: *Purgemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem cum timore Dei*, 2. Cor. 7. Item Apocal. 22. 11. *Qui nocet, noceat adhuc: & qui sordidus est, sordescat adhuc: & qui justus, justificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc.*

Quartò. Quartò, comam palma habet in cacumine circumtensam, ramos in digitorum morem protensos, ac ejus fructus, quòd digitis similes sint, palmulæ seu dactyli dicuntur. Homo justus pariter, puras supplicesque palmas ad Deum tendens, preces per fidem concipit, & in Spiritu ac veritate Deum Patrem adorat, non ignarus sententiæ distichi Gregorii Nazianz.

Non opus est manuum melius, quàm tendere cælo
Castas, & toto jungere corde preces.

putà, eas legibus divinis præstandis promptè, & dextrè adhibere.

Quintò. Quintò, ex urbano genere (ait Ruellius, veterum physiologorum sententias repetens) perpetua fronde pubent olea, palma, laurus, myrtus, &c. Idem, & de justis hominibus, qui constanti honore virent, dicitur, ut testantur hæc dicta: *Ego autem sicut oliva fructifera* (S. Hieron. *virens*: hoc enim significat Hebr. *raanan*) *in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, & in sæculum sæculi*, psal. 51. 10.

Sextò. Sextò, palma gaudet riguis, totoque anno bibere quum amet, anno sitienti squalidoque letior est. Justus pariter gaudet ea rigatione de qua dicitur: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit*, 1. Cor. 3. 6. & Isaiæ 58. 11. *Requiem dabit tibi Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Alii vertunt, *deducet te Dominus semper, & saturabit in siccitatibus animam tuam, ossaque tua impinguabit: & eris velut hortus irriguus, ac veluti scaturigo aquarum, cuius aquæ non deficiunt.* Idem in medio afflictionum æstu spe gaudet, & gloriatur in oppressionibus, Rom. 5. 3. ac cum Apostolo 2. Corinth. 4. 8. ait: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; deiicimur, sed non perimus.*

Septimò. Septimò, folia, & fructuum germina propemodum cacumine gestat palma, cùm vis tota genitalis in ejus vertice resideat: quare decacuminata moritur, nec (tamquam esset adusta) germinat. Pius pariter in Christo Jesu, capite suo, summū decus obtinet, & fructus bonorum operum profert: sine Christo nihil potest facere, Joan 15. 5. Bene autem habet, quòd unum cum Christo Jesu factus, numquam (nisi velit) ab eodem sejungi potest, Rom. 8. v. 38 39.

Octavò. Octavò, Aristotele, & Theophrasto attestantibus, palma victoriæ symbolum est, nec cedit oneri, quamlibet ingenti, nec inflectitur, sed contra pondus resurgit: quin, & folia palmæ dura, & acuta sunt instar gladii: quare ipsa quot foliis, tot gladiis armatur: ideoque ferè in coronariis certaminibus aliud præmium quàm palma non dabatur. Sic de justis dicitur: *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria, quæ vincit mundum*, nempe, *fides nostra*, 1. Joan. 5. 4. nimirum:

Pressa sub ingenti ceu pondere palma virescit,
Sub cruce sic florent dedita corda Deo.

Nonò, palmæ translatu gaudent; quamquam in Græcia, loci mutatione, sterilescant. Justi itidem lætantur se translatos esse ex morte ad vitam, 1. Joan. 3. 14. numquam usquam gentiū sunt infrugiferi: quia Christi consortes facti à Spiritu ejus reguntur, & ad omne opus bonum instructi sunt. *Nonò.*

Decimo, *Palma*, ait Plinius, *est solis amantissima*. Ita ipse lib. 17. c. 44. & l. 13. c. 4. asserit *nullam palmam esse frugiferam, nisi in terra, & solo fervido*: hinc semper sitit, magisque gaudet aquis scaturientibus quàm pluviis, ait Theophrastus lib. 2. de Plantis c. 4. Et Palladius, scribens rem rusticam in Octobri, tract. 12. *Palma*, inquit, *circumfodiatur assiduè, ut irrigatione continua æstatis vincat ardores*. Sic, & justus est amantissimus Solis justitiæ, putà Christi: hinc perpetuò vivas ejus sitit aquas gratiæ salientes in vitam æternam, Joan. 4. 14. *Decimò.*

Undecimò, palma in sublime assurgit, sed dactylos in humum inclinat. Sic B. Virgo in cælo meritorum verticem ad solium deitatis erexit, ait S. Gregor. eadem tamen fructus suæ clementiæ in terram inclinat, dum velut mater invocantibus se opitulatur, & succurrit. Id significavit Spiritus S. Cantic. 7. sponsam, quæ typus fuit B. Virginis, dilaudans. *Quàm pulchra es, inquit, & decora, charissima in deliciis! Statura tua assimilata est palmæ, & ubera tua botris.* Theodoret. legit, *quàm decora, & quàm iucunda es charitas in deliciis tuis!* Explicat verò hanc pulchritudinem, has delicias charitatis, in hunc modum: *Cùm enim excelsa sis adeò, ut cæli fastigium attingas, attamen submittis te infirmis, qui ubera præbes doctrinæ tuæ. Palma enim fructus pendentes deorsum habet.* Egregium sane charitatis symbolum palma, in sublime assurgens, deorsum tamen dactylis pendentibus onusta; ut quæ Deum intimè complectitur, ad utilitatem tamen proximorum sese demittit. Id fecit, & facit præ omnibus Sanctis B. Virgo; quia præ omnibus Angelis, & hominibus charitate excellit, & flagrat. *Undecimò.*

Hanc parabolam, siue apologum, simili palmæ, olivæ, lauri, mali aurei, & ficus apologo, pulchris ex Ethica gnomis, velut corona rosis, intertexto repræsentat Cyrillus libr. 1. Apol. moral. c. ult. *Inter laurum, inquit, olivam, malum aureum atque palmam ficus exorta, cùm succedente hieme, illis solida viriditate vigentibus, suis ipsa foliis velut arida nudaretur, non minùs mox confusa quàm livida, vicinis tetro vultu querulā proposuit quæstionem: Ut quid semper virida folia retinetis, & transacto fructu frondes inutiles jam fovetis. Num fortè umbratilis apparētia complacet? & spreta substantia cortex mulcet? At illa pruritum invidentiæ sentientes, spinam verbi, risu patientiæ confregerunt. Tantum igitur ad virtutem loquentibus illis, prima respondit laurus; Ego quippe naturali complexione concalui, & idcirco frigiditate repulsa, in me folium semper vivit. Tunc oliva subiunxit: Nimirum in me humor pinguedinis supercrescit, quo exundans radix, suas in perpetuum frondes nutrit. Mox malum aureum aiebat: Solidior substantia me componit, unde in me constans viriditas numquam perit. Sic, & palma tandem addidit: in me folium numquam exaruit, quoniam moderatum illud germinavi. Denique laurus vice omnium eloquens dixit: Non audistis quare sapiens numquam patiatur clari nominis vetustatem? Nimirum quia claritate prudentiæ, pinguedine iustitiæ, soliditate constantiæ, paritate modestiæ semper viget. Seipsum enim dirigit per prudentiam, nullum lædit per justitiam, in adversis non deficit per constantiam, & in prosperis non mollescit per temperantiam. Igitur his virtutum quatuor anchoris in portu sapientiæ ratem figit. Quamobrem numquam eum mundialis fluctus tempestatis eludit. Quo dicto quieverunt.* *Apologus palmæ, & ficus.*

ET QUASI PLANTATIO (Græcè, φυτὰ, id est, *plantæ rosarum*, ut vertit Tigur. alii, *stirpes rosarum*,) ROSÆ IN JERICHO) Rosa est regina florum, & veris purpura: candidat enim ut adamas, rubet ut pyropus. Adhæc odoris est suavissimi, & in cibis ac medicinis sana, æquè ac sapida, tam sapore quàm vigore ceteris floribus antecellit: unde ex rosis distillatur aqua rosacea, quæ aciem oculorum clarificat, & dolores mitigat. Quocirca rosa scarabæum è stercore cui incubat sordentem, & fœtentem, odore suo necat. Hinc, & rosa Græcè dicitur ῥόδος à ῥέω, id est fluere, quòd odoris redundantia diffluat, ait Plutarch. Talis est, & sapientia, nimirum purissima, odoratissima, & sapidissima. Porrò Eucherius in Form. allegor. ait, rosas esse hieroglyphicum martyrii, Martyresque coronari rosis, ob ruborem sanguinis pro Christo effusi. Rursum, rosa symbolum, & corona est virginitatis, & virginum; uti dixi Actor. 12. 13. Audi rosæ encomia ex Josepho Stephano in Defensione

Rosa-

Rosa encomia.
S. Hieron. to. 1. ep. 26.

Rosarii B. Virginis cap. 3. Rosa apud veteres lætitiæ, & pulchritudinis est signum, cùm inter flores omnes sola purpureo conspicua colore resplendeat, & toto rubentium rutilantiumque foliorum orbe pandatur. Sappho (apud Achillem Tacium) eam florum reginam, terræ ornamentum, plantarum decus, oculum florum, prati ruborem, pulchritudinem coruscantem, terræ risum appellavit. Rosa verò Musas coronari solitas eadem Sappho cecinit, ut libr. 2. Pædagogi c. 8. Clemens Alexandr. est auctor. Anacreon verus poeta, qui in rosæ encomiis maximam operam, & studium contulit, ita eam laudibus prosecutus est.

Libr. 1. de Leucippe & Clitophonte:

Foliis rosa decoris,
Rosa singularis, ô flos,
Rosa prima cura veris,
Rosa cœlitum voluptas,
Chariton choros frequentans,

Et paulò post;

Cum vere patre florum.
Socianda laus rosarum.
Rosa flos, odorque divum.
Rosa hominum voluptas,
Decus illa Gratiarum.

Olim enim Gratiis sacram fuisse rosam, ob insignem floris elegantiam, auctor est Pausanias libr. 6. cùm ejus venustas, & ἀγλαόφυλλον, (ut loquitur Anacreon,) id est foliorum decor, & ornatus, ipsammet vivam imaginem pulchritudinis exprimat. Aurora quoque, quæ aureo vultu splendentem Solis faciem reducit, quæ mundum novo pingit lumine, & rutilanti lucis flore spargit omnia, ab antiquis auctoribus Dea rosea, ab Anacreonte ῥοδοδάκτυλος, id est roseis digitis decora, nuncupatur. Præterea veteres Poetæ quamprimùm Minervam è capite Jovis prodiisse fingunt, statim nobilem rosarum stirpem editam, matrisque sinu exceptam fabulantur. Constantinus Cæsar. libr. 11. de Agricultura cap. 18. ut rosæ suavitatem exprimeret, è divino nectare in terram effuso eam emanasse testatur. Hæc Josephus Stephanus. Pierius verò Hierogl. 58. capit. 1. Flos, inquit, hic tam venustus, tam suaveolens, tam pulcher visu, tam suavi odore delectabilis, humanæ fit imbecillitatis hieroglyphycum, ac boni momentanei signum: tam brevis illi vita, tam caducus decor, ut quo die florens vigenśq; enituerit, eodem ipso defloreat, & elanguescat. Hinc elegantissimus poeta, quicumque ille fuit, qui rosam, quæ Maroni adscribitur, celebravit, vel deploravit potiùs, repentinam hanc jucunditatis rapinam ita lamentatur;

Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam,
Et, dum nascuntur, consenuisse rosas.

Quantum verò illud habet invidiæ, & acerbæ in rerum naturam querimoniæ!

Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum,
Quas pubescentes juncta senecta premit.

Et inferiùs: Illud etiam memoratu dignum, quòd rosæ simulacrum, bonum significat, quod undique circumseptum sit malis, ac proinde voluptates nostras amaritudinis, & asperitatis plenas. Nam, ut S. Ambros. in Hexamero philosophatur, rosam spina sepsit, tamquam humanæ vitæ speculum ostentaret, & quod esse potuit suavitatis, finitimis curarum stimulis sæpè compunctum, amarescere videatur: vallata enim est elegantia vitæ nostræ, & quibusdam sollicitudinibus obsepta, ut tristitia semper adjuncta sit hilaritati. Quare non illepide Catullus Venerem, quæ jucunditatis, hilaritatisque auctor præcipuus habetur, spinosas, ait, in pectore curas serere. Quòd autem rosa, & rubet, & pungit, affectus amatorii signum esse Placiades affirmat, utpote qui sine verecundiæ rubore, & facinorosi criminis exulceratione esse non possit.

Rosam primitus spinis caruisse S. Basilius tradit, postea verò pulchritudini floris additos esse aculeos, ut quod ex voluptate oblectamentum perceperimus, propinquo inde dolore exulcerati, qui ex delicti recordatione emergit, statim amittamus. Cujus rei monumentum spinas, tribulosque tellus ipsa nobis passim ostendat. Insuper, sicut spina rosam tuetur, sic mortificatio castitatem conservat. Qua de causa S. Benedictus sentiens tentationem carnis, in spinis se volutavit, illoque dolore noxiam voluptatem extinxit. Dumetum hoc spinarum visitans S. Franciscus anno Domini 1222. spinasque exosculans, eisque signum crucis imprimens, miraculo dumetum in rosetum pulcherrimarum rosarum ferax convertit, quæ etiamnum perdurant, multisque ægris sanitatem attulerunt. de quo acutè Poeta:

S. Franciscus spinas vertit in rosas.

Virgineum sæpis florem Benedictus acutis.
Vepribus, & proprii rore cruoris alit.
Hinc dumeta novas tanto fœcunda liquore,
Francisci quæ manu culta tulere rosas.
Falsa quidem roseo cecinere è germine Vates.
Sed latuit falso carmine vera fides.
Scire cupis rosei flos exeat unde pudoris?
Sola rosas potuit gignere puncta Venus.

Ita Vvaddingus in Annal. Minorum, anno Christi 1222. n. 5.

Jam, quòd comparat sapientiam rosæ *in Jericho*, significat Jerichuntis rosas fuisse excellentiores cæteris sive specie, & rubore, sive odore, (*Jericho* enim Hebr. odorem, vel potiùs exspirationem odoris notat; unde ab ea dicta videtur urbs Jericho) sive magnitudine, sive altitudine; nimirum roseta ibidem excrevisse in arbores, vel certè in arbusta. Rosam enim hic collocat Siracides inter cedrum, cypressum, palmam, & oleam, quæ omnes sunt arbores. Fortè etiam rosæ Jerichuntis alterius ab aliis fuere speciei, & generis. Certè Salignìacus, tomo 9. cap. 6. scribit prope fontem Jericho, quem ex salso dulcem reddit Eliseus 4. Reg. 2. in spinosis arboribus pulcherrimos nasci flores, quas rosas Jerichuntinas vocant, illasque id habere gratiæ, ut nocte Natalis Domini sese aperiant, postea se concludant, licet siccæ sint, & aridæ, in testimonium Virginei partus, ut credere licet, ait Adrichomius in Descript. Terræ sanctæ, in Fonte Elisei.

Rosa Chinensis mira.

Sic rosa Chinensis arbor, vel potiùs arbustum est, foliis similis ficui, carens spinis, quæ rosam profert similem nostræ colore; sed ita ut primùm albescat, deinde sensim totam in rubrum sese convertat. Vidimus eam è China Romam translatam, ibidem hoc anno jubilei 1625. in Decembri sub Natalem Domini cum stupore intuentium florentem, rosasque proferentem primò candidas, mox rubeas, & purpureas. Mirum est quod de ea hoc anno in lucem édidit noster P. Joannes Baptista Ferrarius Senensis, Hebraicæ linguæ in Collegio Romano Professor, qui primus semen ejus è China acceptum, Romæ sevit, educavit, arborescens, florensque hoc anno effecit, uti oculatus sum testis: illam enim cubiculo meo oppositam, imò appositam quotidie specto. Sic ergo ipse in oration. 25. cujus titulus, *Ætas florea*, rosam Chinensem pingit: *Videas frondibus, magnitudine, ac forma pampinos imitantibus convestitam, è smaragdino dehiscentis calicis conclavi, multiplici foliorum syrmate regaliter explicato, in publicam lucem prodire, lucis ipsius formosa discrimina quotidie sic æmulante, ut initio quidem candidam, deinde ex candida rubentem, postremò saturo colore purpuream, hoc est simul aliam, simul eamdem admireris, & quotidiani miraculi novitate fateri cogaris, ad florum reginam, quæ tamquam sol alter, varia fuco lucis diem coloret, colorum principes vicissim accedere tributarios.*

Rosa Jericho an amomum?

Porrò errant qui rosam Jericho censent esse amomi speciem, quos recenset, & confutat Matthiolus in Dioscor. lib. 1. c. 14. *Omnino*, ait, *explodendi sunt, qui pro certo asserere non verentur, eam stirpem esse amomum, quam Jerichuntam, à Jericho Palæstinæ oppido, appellant. Plantam hanc plerumque ad nos è Jericho deferunt ii, qui ad sanctissimum Redemptoris nostri sepulcrum peregrè proficiscuntur. Ea enim est quam nostrates mulieres rosam divæ Mariæ vocant. Constat hanc amomum non esse, quòd folia albæ vitis non proferat, nec ullo spiret odore. Legitimum enim valdè odoratum est, adeò ut nares feriat primo statim occursu, organumque recipiat. Cordus libello de Conficiendis pharmacis, satis inconstanter de amomo disseruit: quippe in compositione aureæ Alexandrinæ pro certo asserit, amomum verum esse rosam Jerichuntis: in compositione vero theriacæ, sui ipsius oblitus, habere nos amomum negat. Utuntur Jerichunta nostrates mulieres tempore partus, ad investigandum pariendi horam; quandoquidem (ut ipsæ fatentur) in aquam demissa, non priùs patescit, quàm fœtus nasci incipiat. Tanta inter Christicolas irrepsit superstitio.* De rosa Jerichuntica scripsit insignem librum D. Joannes Sturmius, philosophiæ, ac medicinæ in Academia Lovan. Doctor.

Buphthalmus quis?

Pro *plantatio rosæ*, Syrus vertit שרבוורדא *arbat vardo*: quam vocem si dividas, idem est, quod plantata vel plantatio rosæ, uti habet Noster, & Græcus: sin conjunctim legas, & quasi unam dictionem accipias, significat buphthalmum: itaque Syri legunt, unde vertunt, *& sicut buphthalmus in Jericho*, adduntque: Buphthalmus est planta quædam quæ germinat secus decursus aquarum, & habet flores sicut rosa, (idem apparet in icone buphthalmi quam exibet Clusius lib. 3. Histor. plant. c. 30.) & appellatur vulgariter apud

Arabes, *arbor Mariæ*. Dicitur buphthalmus per crasin quasi βοὸς ὀφθαλμός; id est bovis oculus, quòd illi sit similis; sicut *buglossa* dicitur quasi βοὸς γλῶσσα, id est bovis lingua, quòd illi herba hæc assimiletur. Unde Plinius lib. 25. c. 8. *Est & buphthalmos*, inquit, *similis boum oculo, folia fœniculi, circa oppida nascens, fruticosa caulibus, qui & manduntur decocti. Quidã cachlam vocant. Hæc cum cera scirrhomata discutit.*

Mysticè, rosa in Jericho est B. Virgo in sublunari hoc orbe (*Jericho* enim Hebr. lunam vel odorem notat:) omnia enim encomia rosæ jam data, multò aptiùs conveniunt B. Virgini, quæ ornatissima sua pulchritudine & dignitate omnem mundi splendorem vincit. Ipsa enim est aurora rosea, virtutum gratia simul pulcherrima & uberrima, æquè ac splendidissima ac fulgentissima, quæ umbris depulsis novum lumen edidit mundo, Cantic. 6. 9. Ipsa est, quæ post longam peccati, tristitiæ & desolationis hiemem enata, novum ver gratiæ, lucis & consolationis mundo attulit. Quocirca in Dominica *lætare*, quæ sub festum Annuntiationis B. Virginis occurrere solet, rosa à Pontifice Romano benedicitur, tanquam lætitiæ gaudiique prænuntia (ut ait Innocent. III. sermone hac de re edito) ut inde omnes agnoscant novam prolem, & propagationis spiritalis sobolem editam in Ecclesia, cùm scilicet ipsa purissima Virgo lætitiæ & exultationis florem, ornamentum humani generis, & totius orbis auctorem in se concepit, & corporavit. Insuper, rosa verecundiæ & virginitatis insigne, quam nisi Virginem virginum denotat? Sanè Columel. l. 10. rosam florem pudicitiæ plenum nuncupat. Ad hæc, odorata est rosa, & odore diffluit. Quis verò in Maria virtutum omnium quasi odoramentorum fluxum non sentit? quis eo non trahitur, & suavitate non allicitur? quis in illius unguentorum odorem non currit? Etenim per eam maximum odorem notitiæ suæ Christus manifestat in omni loco (ut ait Paulus 2. ad Corinth. 2.) divinitatis thymiama, amomum, muscum & omnem pigmentorum exquisitam elegantiam effundit & efflat, & quasi balsamum aromatizans odorem suavitatis emittit, floribusque paradisi (ut ait S. Epiphanius) totum mundum exornat: adeò ut meritò rosa Jericho fuerit appellata.

Quare B. Cyrillus Allexand. orat. contra Nestorium: *Hæc est Virgo*, inquit, *per quam sancta Trinitas in universo orbe glorificatur, & adoratur, per quam cælum exultat, per quam Angeli & Archangeli lætantur, per quam dæmones fugantur, per quam tentator diabolus cælo decidit, per quam prolapsum plasma in cælum denuo subvehitur; per quam universa creatura, idolorum vesania detenta, ad veritatis cognitionem perducta est; per quam sanctum baptisma obtigit credentibus, per quam exultationis oleum consecratur, per quam toto terrarum orbe fundatæ sunt Ecclesiæ, per quam gentes adducuntur ad pœnitentiam; per quam, ut paucis absolvam, unigenitus Dei Filius iis qui in tenebris & umbra mortis sedebant, lux resplenduit; per quam Prophetæ futura prænuntiarunt, per quam Apostoli salutem gentibus prædicarunt, per quam mortui exsuscitantur, per quam reges in sancta Trinitate regnant.* Unde eleganter Sedulius lib. 2. Carm. alludens ad rosam, quam S. Basilius & S. Ambrosius in Hexam. censent initio mundi creatam sine spinis, post peccatum verò spinas induisse, ita canit:

Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremq; obscurat honore;
Sic Evæ de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus nova virgo piavit:
Sicut spina rosam, genuit Iudæa Mariam.

Hinc B. Hermanus Joseph, mirè B. Virgini devotus, & familiaris, eam nuncupare solebat rosam suam, nec sine causa. Nam quadam vice ab illa visitatus, & cælesti consolatione perfusus, vidit ab ea per cubiculum suum spargi perplures fragrantissimi odoris rosas, quas ipse reverenter colligens pretioso in calice collocavit. Unde ipsa crebrò eum visitans, consolans, & familiariter colloquens, ipsum suum fidelem amicum, sacellanum, quin & sponsum appellare solebat. Quadam enim nocte apparens eidem specie pulcherrima, comitata Angelis, Angelorum unus dexteram Hermanni apprehendens & manui B. Virginis copulans, his verbis eam illi despondit: *Hanc ergo virginem tibi trado sponsam, sicut fuit olim desponsata Ioseph, ut nomen sponsi pariter cum sponsa accipias, & de cætero Ioseph voceris.* Hoc & plura exstant in Vita eius apud Surium die 7. Aprilis, quam eius familiaris amicus, vir gravis conscripsit.

B. Hermanus desponsatus B. Virgini.

Rosa igitur B. Virginis venustatem, dignitatis item & gratiæ suaveolentiam, cum puritate vitæ, charitatis ardore, morumq; suavitate coniunctam, nobis exhibet. Unde Damasc. orat. 1. de Nativit. *O rosa*, inquit, *quæ ex spinis, id est Iudæis, orta es, ac divina fragrantia omnia perfudisti.* Atque hac de causa B. Virginem quasi rosam cælestem, fideles rosario (cujus auctor & propagator fuit S. Dominicus) sive corona, centies & quinquagies iterando Salutationem angelicam, honorant.

Similes rosæ mysticæ sunt virgines Dei amore flagrantes, quæ magnæ Dei matris asseclæ, eam salutationum & laudum suarum rosariis coronant. Talis Siculæ Jerichuntis rosa emicuit B. Rosalia virgo, cuius sacras corporis exuvias Deus optimus maximus hisce diebus, quibus hæc scribo, post quingentorum ferè annorum latebras, miraculorum multitudine & gloria coruscantes ad salutem Siciliæ totiusque Italiæ, mirè patefecit, dum per easdem communem pestis luem omnis populantem sistit, & sustulit. Quocirca Illustriss. Dom. Archiepiscopus, ac senatus populusque Panormitanus illas publicis colendas honoribus exposuit, anno jubilei 1625. Inventum fuit virginis corpus in Erctæ montis specu, lapideo cortice circumseptum. Humor enim frigidi loci nativus depositum Rosaliæ corpus circumfluens, ac temporis diuturnitate conglaciatus, crystallinam velut arculam, pellucidumque velut sarcophagum eidem conformaverat. Perinde quasi satis patrio monti non fuerit se totum ad civem atque alumnam suam tumulandam addicere, nisi suas etiam lacrymas, è supercilio jugi guttatim expressas, ac rigido penè dolore gemmantes, instillasset ad eamdem tumulo illustriore condendam, imò pandendam; ut non tam in sepulchro jacens Rosalia videretur, quam lucens in crystallo rosa. Nata est B. Rosalia ex illustri stirpe, quæ cum regibus Siciliæ è manu Maurorum liberatoribus affinitatem contraxerat, Panormi, in urbe prænobili, quæ tota portus est, ut notatur ex nomine (ὅρμος enim Græcè portus est & monile, quale portus hic inter alia dedit beatam Rosaliam.) Parentem habuit Quisquinæ & Rosarum (est regio Siciliæ ita dicta, quòd quovis anni tempore rosis vernet) Principem Sinibaldum. Neque enim alibi nasci cælestis hæc rosa debuit, quàm in terrestrum principatu rosarum. A teneris se Deo dedit, ac velut rosa calyculum mentis ad radios Solis divini exorientis explicuit. Vix aulam aspexit, cùm eam, exaggerata voluntate, despexit. Rosæ videlicet, ut imitabatur nomen, sic admonebatur exemplo. Rosa enim veram dat tragœdiam mundi vanitatum indicem, cùm unius diei spatio flos regius & foliorum syrmate purpurascens, mox iis languidis & concidentibus ad terram prostratus, miserè devolvatur, floris cadaver, ventorum ludibrium, calcantium pedum opprobrium. Hoc meditans B. Rosalia, mundi pompas, & regales nuptias aspernata, paternam & regiam deserens domum, in maximè desertam ditionis suæ partem iter sola suscepit; sed viæ comites habuit Angelos. In monte specum sibi virgo delegit, & quasi speculam, è qua continenter ad tutelam virginitatis excubaret; utque ipsos lapides haberet officii monitores, in eadem spelunca susceptæ vitæ propositum lapidi inscripsit, his verbis: EGO ROSALIA, SINIBALDI QVISQUINÆ, ET ROSARUM DOMINI FILIA AM ORE DOMINI MEI JESU CHRISTI, IN HOC ANTRO HABITARE DECREVI. Hic herbarum radicibus & rore cælesti victitans, totam se dedit orationi, lectioni, meditationi, jejunio, pœnitentiæ, flagellis, ciliciis, ac crucem, & Christum crucifixum semper in oculis, semper in mente habebat; cujus in aspectu Rosaliæ transfigebatur cor, ut amoris jaculo sauciata, sanguinem cordis, lacrymas per oculos, amoris vulnera, profunderet. Hic Rosalia instar rosæ purpuream se Christo suo pinxit, flagello usa pro penicillo, cruore pro colore. Hic ab Angelo modum orandi edocta, rosarium precum ad numerum globulorum decurrens, tot rosas quot preces, per Angelum ad Christum, & Virginem Deiparam coronandos, in calathis transmisit. Post mortem inventi sunt globuli precarii circa pectus, & inter ipsius digitos, quibus coronam laudum magnæ Dei Matri supplex offerebat. Quare vicissim varia ab Angelis obsequia, & florum munera recepit. Ac tandem sub mortem à Christo Domino in gremio matris, quasi in thalamo regali considente, & blandiente, modulantibus Angelis, corona ex auro, & rosis coronata, assistentibus SS. Ecclesiæ principibus, Petro, & Paulo, quasi ad cælestes Agni nuptias invitata, dormientis in morem componens sese, sola in antro peregrini montis.

B. Rosaliæ elogia.

Siciliam peste liberat:

eius nobilitas,

secedit in solitudinem:

piis eius exercitiis:

ab Angelis edocta:

montis, Angelis notissimo, hominibus inaccesso, roseam, & virgineam in manus Christi Domini efflavit animam: atque Angelo duce, rosis etiam redimito, ad cælestem sponsi thalamum deducta, in æternum regnat, & triumphat. Constans est fama, corpus eius instar S. Catharinæ, angelico ministerio sepultum; quod, & immane integrumq; saxum, cui undique inclusum, conclusum, & occlusum fuit (omnem naturæ hominumque vim, & artem superans) reipsa proclamat. Exstant hæc omnia in tabulis, & picturis Siciliæ pervetustis, atque exinde in iconibus Romæ approbatis, & in ære incisis affabrè exsculpta, indeque impressa anno elapso, qui fuit à partu Virginis 1627. Saxo ergo eius sepulchrali hoc epitaphium inscribas, quòd Martialis api inscripsit lib. 1. epigramm. 95.

ab iisdem sepulta.

Et latet & lucet Phaethontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum:
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

VERS. 19. QUASI OLIVA SPECIOSA (Græcè, *εὐπρεπὴς*, id est decora) IN CAMPIS) Syrus, *sicut oliva nutrita fui in campo*; Vatablus, *ut elegans oliva, & ut platanus ab aquis excellui*. Oliva speciosa est tum caudice, tum fronde semper virenti, tum maximè fructu, ex quo exprimitur oleum, quod, ut ait S. Bernard. in illud Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum; lucet, pascit, & ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: lux, cibus, medicina. Vide idem & nunc de sponsi* (Christi) *nomine. Lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit & ungit*. Quæ sigillatim deinde explicat, & fusè prosequitur serm. 15. in Cant.

Sapientia similis olivæ ob novem analogias.

Rectè ergo sapientia comparatur olivæ, & oleo, quia oliva symbolum est Primò, misericordiæ; Secundò, pacis; Tertiò, victoriæ; Quartò, mansuetudinis: nihil enim lenius, & tranquillius oleo. Unde Joannes Sinæ monachus, *velut uter oleo repletus, fluctuum rabiem in serenitatis tranquillitatem commutabat*. Quintò, hilaritatis & lætitiæ; Sextò, spei; Septimò, nitoris; Octavò, pinguedinis; Nonò, æternitatis. Vide plures analogias inter oleam, & sapientiam, interque oleum, & sapientes Sanctosque, quas recensui Genes. 8. 11. Zachar. 4. 11. & Apocal. 11. 4. Hinc celebris illa corona nobilis, quam hoc carmine expressit Poeta:

E lauro, quercu, ac olea duce digna corona,
Prudentem, fortem pacificumq; docet.

Sic & B. Virgo.

Hæc omnia mysticè adaptes B. Virgini, quæ rectè dicitur oliva speciosa, idque in campis: tum quia omni tempore, & loco, ac pro omni morborum genere, quasi mater misericordiæ, omnibus eam invocare volentibus, ad opitulandum est exposita: tum quia nobis viatoribus tentationum æstu, tamquam Solis ardore afflictis, in campis apertis, ubi similes arbores desunt, optatum suo umbraculo præbet refrigerium: tum quia Deipara est veluti campus absque colono, quia sine viri opera Christum genuit, eumque omnibus accedentibus exposuit. Unde ipse ait Cant. 2. *Ego flos campi*. Tum denique, quia ipsa B. Virgo campus est virginitatis, omnibus ad eam necessitatum suarum causa recurrentibus patens, & apertus, æquè ac frugifer, & salutifer.

Olea typus virginitatis.

Denique olea est sapientiæ, & castitatis symbolum: unde olea Palladi sive Minervæ erat sacra: vera autem Pallas est B. Virgo. Audi Pierium hierogl. 53. c. 16. *Quod verò pertinet ad Minervam, quæ innupta, quæ virgo perhibetur, meritò ea sibi oleam asciscit, cùm puritate pudicitiaq; non minùs olea, quàm Minerva delectetur. Græci enim, ut Rutilius Taurus ait, iubent olivam, cùm plantatur & legitur, à mundis pueris atque virginibus operandam; credo, inquit, recordati, arbori huic esse præsidem castitatem. Florentinus quoque libro de Re rustica, adeò puram esse oleam tradit, ut collectores etiam non nisi puros amet, qui cùm ad olivarium accedunt, iurant, se non aliunde quàm ab uxore sua venire: ita fieri ut anno insequenti uberiorem proventum exhibeant. Præcipuè verò aiunt Anazarbi, quæ Ciliciæ est civitas, oleas esse fæcundissimas, quoniam à castis tantummodo pueris colantur*. Hæc Pierius: quæ tamen cum grano salis accipienda sunt, ut à superstitione Gentilium caveamus.

Memorabile est, quod scribit auctor Histor. plantarum in olea, glycyrizam (vulgò regalizia, sive lignum dulce,) si oleæ adhærescat, & circa eius stipitem radices agat, oleam sensim emori, & enecari: sic si castitas versetur in deliciis, ab eis enecatur, & suffocatur. Rursum, olea ex se insipida, & agrestis, fit sapida, & edulis, si sale, & aceto maceretur: ita sapida fit stabilisque castitas, quæ sale, & aceto mortificationis perfricatur, & maceratur. Denique oleæ ut fundant oleum, multis pistilli ictibus contundi debent: sic carnem jejuniis aliisque austeritatis modis contundas oportet, si ex ea oleum puritatis, & virginitatis, Deo, & Angelis gratæ, exprimere destinas. Hæc ergo tua sit Carthusia, uti fuit S. Pauli 1. Cor. 9. v. ult. *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in servitutem redigo*, vide ibi dicta.

Sapientia similis platano: cur?

ET QUASI PLATANUS EXALTATA SUM JUXTA AQUAS IN PLATEIS) Syrus, *nutrita fui sicut platanus super aquas*; Græca, *ut platanus ab aqua evecta*, vel *exaltata sum. Platanus* à *πλάτος*, id est, latitudine, dicitur, eò quòd latè ramos, & folia expandat, quibus umbram in æstu Solis viatoribus, & advenis præbet gratissimam: adeò *ut gentes vectigal pro umbra pendant*, ait Plin. lib. 12. c. 1. hinc aquas adamat, quia ad tot tantosque ramos, & folia alenda, multo humore indiget. Rursum, platani folia arcent vespertiliones, ait Pierius hierogl. 25. Insuper iisdem nido impositis, ciconiæ ab ovis pariter, & pullis arcent noctuas iis noxias, & exitiales, nimirum arbor genialis opponit se aliti lethali: noctuæ enim foliorum platani contactum non ferunt, sed ex eo ilicò in torporem illabuntur, & quasi obstupescunt, ait ex Æliano Pierius hierogl. 17. c. 7. Vide quæ de platano dixi Ezech. 31. 8.

Similem umbram, refugium, & refrigerium in omni ardore persecutionis, tribulationis, tentationis, æquè ac iræ, & vindictæ divinæ, ad se confugientibus præbet sapientia, & Christus, juxta illud: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi*, Cant. 2. 3. &, *Sub umbra alarum tuarum protege me*, psal. 16. 8. &, *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum. Scapulis suis obumbrabit tibi*, psalm. 90. v. 1. Idque facit *in plateis*, id est, in viis latis hujus mundi, putà, in conversatione cum tam vario, tamque dissoluto, & difficili hominum genere, ubi major est umbræ, & refrigerii necessitas.

Sic & B. Virgo.

Rursum, platanus repræsentat B. Virginem. Nam platanus patulis diffunditur ramis, habet folia instar scutorum, & peltarum: sic B. Virgo est quasi platanus, patulis diffusa ramis, quibus universos homines abscondit, & protegit: perfugium est, protectio, scutum & asylum omnium ad se confugientium. Nulla est tentatio, nulla calamitas, nullus labor, nullum periculum, nullus hostis, contra quem B. Virgo validissima scuta peltasque, opem suam implorantibus, non suggerat, & suppeditet.

Porrò, perperam nonnulli hæc aliter dispungunt, ac *Tò in plateis* referunt ad sequens, *cinnamomum, & balsamum*, dum sic legunt: *In plateis sicut cinnamomum, & balsamum odorem dedi*. Nec enim cinnama, & balsama in plateis, sed in hortis nascuntur.

SICUT CINNAMOMUM ET BALSAMUM AROMATIZANS ODOREM DEDI) VERS. 20.
Pro *balsamum aromatizans*, Complut. legunt *ὡς μάλαθος*, id est sicut pila vel massa aromatum; alii *ὡς παλάθη*, id est sicut massa carycarum vel ficuum aridarum. ita Vatabl. Meliùs Romana, & cetera Græca legunt, *ἀσπάλαθος ἀρωμάτων*, id est, *aspalathus aromatum*, id est aromaticus, quia pro *ὡς παλάθος*, per diastolen duarum vocum, legunt per systolen, unica voce, *ἀσπάλαθος*. Unde Tigurina, *in modum cinnamomi & aspalathi odorem spiravi aromaticum*; Syrus, *sicut cinnamomum & thymiama, & myrrha electa suavem reddidi odorem meum*. Quo circa, pro *balsamum*, hic in Latino legendum esse *aspalathus* vel *aspalathum*, censent nonnulli: tum quia ita legunt Græca, & nonnulla Biblia Latina manu scripta, ac disertè Rabanus, Jansenius & Lyranus, qui legit *aspalathum*. Quod non intelligentes ii qui Biblia olim descripserunt, pro *aspalathum*, videntur scripsisse *balsamum*: tum quia balsami mox mentionem faciet Siracides versu sequenti.

Aspalathus qui

Porrò, *aspalathus* arbor parva, vel potiùs arbustum est, redolens, præsertim apparente iride, uti tradit Plinius lib. 12. c. 24. (cujus verba ex Rabano mox recitabo) & Aristot. in Problem. sect. 12. nu. 3. ubi & hujus rei causam indagat. Quod aptè congruit ad litteram sapientiæ, ac mysticè B. Virgini, & Sanctis. Iris enim symbolum est misericordiæ, & gratiæ Dei, à quo omnis sapientiæ decor odorque dimanat. Rursum, iris symbolum est incarnationis Christi: hæc enim est quasi arcus cælestis habens duo cornua, id est, duas naturas, divinitatem scilicet, & humanitatem; uti septem analogiis ostendi Genes. 9. 13. Ab incarnatione autem Christi omnis B. Virginis nostraque sapientia, & sanctitas derivatur. Quare licet illa ante Verbi conceptionem, & incarnationem plena esset gratia, uti salutata est ab Angelo; tamen mox ubi Verbum in se concepit, & corporavit,

quasi plena Deo mirabiles sapientiæ, & sanctitatis odores, & ardores in Judæa, ac deinde per universum orbem sparsit.

Secundò, Dioscorides aspalatho has dat virtutes lib. 1. c. 19. *Aspalathus*, inquit, *multis spinis horrens, vim calefaciendi cum astrictione obtinet. Unde decoctum cum vino ad tetra oris ulcera colluenda convenit, ad nomas genitalium, & sordida ulcera infunditur: subiectum in pesso, partum extrahit. Alvum sistit eius decoctum, & sanguinis reiectionem potu cohibet: urinæ difficultatem inflationesque discutit.* Galenus lib. 6. Simplic. medic. *Aspalathus*, ait, *gustu quidem acris, simul, & astringens est: facultate verò ex dissimilibus constat, nempe partibus sui acribus excalefaciens, partibus verò aliis, austeris scilicet, refrigerans. Itaque utriusque ratione desiccat, & proinde ad putredines, & fluxiones est utilis.* Insuper pharmacopœi aspalatho utuntur ad theriacam, ut eorum peritissimi Romæ mihi asserverunt, ac ipsum aspalathi lignum mihi exhibuerunt; quod sanè odorem habere gratum, sed masculum deprehendi. Simili modo sapientiam omnes fluxos concupiscentiæ motus, omnesque animæ putredines desiccat, contraque omnes venenatas diaboli suggestiones theriacam, & antidotum dat præsentissimum.

eius virtutes.

Sed audi Rabanum, hunc locum egregiè, tam litteraliter, quàm tropologicè, explicantem: *Sicut cinnamomum*, inquit, *& aspalathum aromatizans odorem dedi: Cinnamomum, & aspalathum aromaticæ arbores sunt. Nam cinnamomum dictum, quòd cortex eius in modum cannæ sit rotundus, & gracilis: gignitur in India, & Aethiopia regionibus, frutice brevi, duorum tantùm cubitorum, colore subnigro vel cinereo tenuissimarum virgarum. Nam quod in crassitudinem extenditur, despectui est: quod verò gracilius provenerit, eximium; quod cùm frangitur, visibile spiramentum emittit ad imaginem nebulæ seu pulveris.* De aspalatho verò Plinius Secundus ita refert: *In eodem tractu aspalathos nascitur, spina candida, magnitudine arboris modicæ, flore roseo, radix eius unguentis expetitur. Tradunt in quocumque frutice curvetur arcus cælestis, eamdem, quæ sit aspalatho, suavitatem odoris existere, sed in aspalatho inenarrabilem quamdam, quidam eum Erysisceptrum vocant, alii sceptrum. Eius probatio est in colore rufo vel igneo, tactuque spisso, & odore castorei. Permutatur in libras quindecim.*

B

Subiicit Rabanus tropologiam, dicens: *Hæc ergo duo arbusta, pro sui brevitate à quibusdam inter herbas deputantur odoriferas: quæ rectè, pro ipsa brevitate, humiles spiritu, quorum est regnum cælorum, significant: qui, quasi purpureo vestiti colore semper Dominicæ suæ passionis memores, semper ipsi ad patiendum pro Domino parati, qualis erat qui ait: Quoniam propter te morte afficimur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Nam, & hæc est virtus, quæ maximè inter nos animorum motus ac lascivias, quasi viscerum dolores castigare ac tollere consuevit. Cùm recogitantes, quid pro nobis passus est Deus, minùs nos pati quam meremur cognoscamus. Bene ergo iunguntur cinnamomum, & aspalathum; quia Dominicæ passionis sacramento, nostræ conversationis conformari debet status; ut iuxta Joannis sententiam, sicut ille pro nobis animam suam posuit, ita, & nos discamus pro fratribus animas nostras ponere. Nam quòd cinnamomum coloris subnigri vel cinerei esse perhibetur, animis congruit humilium: qui fragilitatis propriæ conscii, quotidianis in precibus Deo dicere norunt: Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis, & cinis. Et iterum: Ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere. Quòd autem aspalathum spina candida similitudinem habet flore roseo, significat quòd dolorem passionis Dominicæ in nostræ conversationis angustia quotidie debemus imitari: iuxta illud Evangelicum: Qui vult (inquit) venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Quod autem radix eius unguentis expetitur, significat humilitatem Christi, omnium virtutum odorem commendare, & ad suavitatem æternæ dulcedinis electis Dei redundare.*

applicantur humilitati & patientiæ.

C

Genes. 18.
Iob 42.
Lucæ 9.

Porrò, moderni medici, & physici de aspalatho dissident. Aliquid enim censent aspalathum esse sandalium rubrum, quos refellit Matthiolus in locum citatum Dioscoridis. Ibidem Amatus, & Ruellius censent aspalathum esse lignum Rhodium, ex quo globuli precatorii conficiuntur: Matthiolo, & Cornario planta est ignota. Verùm, quia Biblia omnia impressa, etiam à Romanis emendata, constanter legunt, *Sicut cinnamomum, & balsamum*, non, *aspalathum*; itaque pariter legit Ecclesia in Officio Ecclesiastico B. Virginis, omnesque ceteri Doctores, & interpretes; hinc hanc quoque lectionem explicandam, imò retinendam censeo. Igitur, postquam Siracides comparavit sapientiam tribus arboribus maioribus, odoratis, & præstantibus, scilicet, cedro, cupresso, palmæ, nunc eamdem comparat tribus minoribus arbustis, sed magis odoratis, & præstantibus, quorum quodque est *aromatizans* id est, aromaticum odorem, quin, & ipsum aroma ex se diffundens. Frutex enim cinnamomi fundit aroma cinnamomi, frutex balsami fundit opobalsamum (cùm aspalathus nullam det resinam vel aroma) frutex myrrhæ stillat myrrham.

D

Porrò, cinnamomum inter aromata delicatissima numeratur, adeò ut veteres finxerint illud in nido phœnicis nasci, teste Plinio libr. 12. capit. 19. Odorem habet suavem, sed pariter delicatum, & subtilem: quocirca aliis aromatibus, ut nardo, myrrhæ, &c. misceri solebat. Unde Martial. lib. 4. epigr. 15.

Cinnamomum quale?

Jam bene rara suo miscentur cinnama nardo.

& Ovidius Metamorph. 15.

Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha.

Insuper Galenus libr. de Antidotis: *Optimum*, inquit, *cinnamomum dignosces, si sit odoratissimum, & indicibilem quamdam odoris gratiam super alia aromata referat.*

Cinnamomum dicitur quasi canna amomi: cannæ enim, vel calami, speciem habet: unde Hebr. vocatur קנמון *Kinnamon*, à קנה *cane*, id est canna. Ab Hebræo autem *Kinnamon* Græci, Latini, ceterique vocarunt *cinnamomum*. Quare minùs verè Garcias ab Horto libr. 1. Aromatum historiæ c. 15. *cinnamomum* censet dici quasi *Chinensium amomum*, eò quòd mercatores Chinenses ex Zeilano insula (ea enim optimum fert cinnamomum) illud in alias oras deveherent, & venderent: unde Persæ illud vocant *Darchini*, id est lignum Chinense.

Balsamum verò inter aromata excellit: unde vocatur *aromatizans*; Tigurin. *aromaticum*, id est, fragrans, non tantùm odore, sed, & aromate ex eo stillante: stillat enim opobalsamum; ὀπὸς enim succum significat, q. d. Succum balsami. Audi Plinium lib. 12. cap. 25. *Omnibus odoribus præfertur balsamum, uni terræ Judææ concessum, quondam in duobus tantùm hortis, utroque regio, &c. viti similior est quàm myrto: folium proximum rutæ, perpetua coma. Inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis: succus è plaga manat, quem opobalsamum vocant, eximiæ suavitatis, sed tenui gutta.*

Balsamum quale?

Audi, & Brocardum, Saligniacum, Bredenbachium, & ex iis Adrichomium, in voce *Engaddi*, ubi nascitur balsamum: *Sunt*, inquit, *balsama arbuscula, uni omnium terrarum Judææ quondam concessa, quas vineas Engaddi Salomon in Canticis nominat: quarum frutices si acuto vitro, lapide, osseisve cultellis incidantur, stillant succum pretiosissimum, eximiæ suavitatis, quem opobalsamum vocant, præferturque omnibus odoribus. Hunc hortum, seu vineas balsami, tempore Herodis magni, Cleopatra Ægypti regina, concedente Antonio, vel amatore, vel marito, invidens tantam felicitatem Herodi, transtulit in Ægyptum: ubi irrigatur à fonte parvo, uberrimè tamen fluente, in quo fama est sæpè lotum à B. Virgine puerum Jesum, adeoque ex eo potum sibi, & sponso suo sanctum Joseph paravisse, cùm in Ægypto esset; atque ideò ab incolis in veneratione, & cultu haberi maximo. Sunt tamen adhuc surculi quidam balsamorum in monte Engaddi sed nullius cultus, nullius proventus: videlicet, hoc est iustitia Dei iustissimum iudicium, quæ sese ulciscitur de peccatoribus, & persequentibus nomen suum, ut, quoniam Herodes, olim balsami possessor, puerum Jesum persequebatur, Jesus fugiens in Ægyptum, post se traxerit balsami hortum.* Et inferiùs: *Messis balsami talis est: Decerpitur folium ex stipite contra solem, moxque gutta lucida, & mirè fragrans scaturit ex ruptura: & hic balsami pretiosissimus liquor vitreis vasis colligitur, minimè fluxurus, nisi ad ortũ Solis fiat ruptura. Fonticulus autem Jesu parvulus est, non sufficiens irrigationi totius horti: quare Saraceni alium foderunt juxta illum puteum, ex quo quatuor boves aquam protrahunt per rotam, sperantes ex vicinitate fontis Jesu aquam fore salubrem: at longè aliter res evenit, donec, missis canalibus, aquam puteí ducerent in fontem Jesu. Quo facto largiter, & salubriter ex aquis mixtis rigatur balsami hortus. Mirum dictu. Verumtamen à meridie sabbathi usque ad auroram diei Lunæ, boves nullo verbere impelli possunt, ut in protrahenda aqua laborent: quod est fidei nostræ testimonium celebre. Sed, & Saraceni hic se, & pueros suos lavant, non ut baptizentur, sed ut corporum suorum fœtorem naturalem evadant.* Hæc Adrichomius.

Hinc patet, quàm rectè sapientia, sapientes, & Sancti, ac in primis B. Virgo, comparetur cinnamomo, & balsamo. Nam Primò, balsamum proprium fuit Judææ, sed inde delatum, & celebratum per totum orbem: sic, & B. Virgo nata, educata, vivens, & defuncta in Judæa, sui odorem, & famam sparsit per totum mundum. Eadem, sicut ex Judæa fugiens Herodem, balsamum secum traxit in Ægyptum; ita, & veram Dei cognitionem, cultumque, putà, christianismum, ipsa à perfidis Judæis transtulit ad Ægyptios, ceterasque gentes.

B. Virgo similis balsamo. Primò.

Secundò, balsami odor virtutem habet masculam, & *Secundò.*

fortem:

fortem: quocirca balſamum velut virile, & generoſum reliquiſque unguentis præcellens, viris adhiberi ſolebat, cùm feminis daretur amomum Aſſyrium, aliaque id genus delicata unguenta, iuxta illud Martial. lib. 14. epigram. 54.

Balſama me capiunt, hæc ſunt unguenta virorum:
Delicias Nini vos redolete nurus.

Hinc Sacramenti Confirmationis, quo perfectè Chriſtiani efficimur, ungimurque quaſi milites, & athletæ Chriſti ad pugnam contra diabolum, carnem, & mundum, materia eſt chriſma, quod fit ex oleo, & balſamo: ut ſcilicet Chriſtiani confirmati, memores iucundi odoris, qui è balſamo efflatur, vitæ ſanctitate, morumque ſuavitate ceteros omnes ad vitam Chriſtianam, virtutiſque ſtudium pellicere ſatagant.

Rurſum Chriſti caro in Euchariſtia eſt quaſi balſamum, balſamans (ut ita dicam) corpora noſtra, ut reſurgant ad vitam immortalem: de qua re vide S. Ioan. cap. 6. verſ. 50. 55. 58. Simili modo virtutum Deiparæ fragrantia nil habuit molle vel effeminatum, ſed virilis fuit, & maſcula. Ipſa enim fuit virgo, imò virago, quæ non tantùm feminas, ſed & viros fideles in ſui admirationem, & imitationem rapuit, ut dicerent: *In odorem unguentum tuorum curremus*, Cant. 1.

Tertiò. Tertiò, quòd balſami arbor (ut rectè annotavit noſter B Spinellus de Deipara cap. 21.) non cultro ferreo, ſed oſſeo ac lapideo, & vitro incidatur, & (ut quidam dicunt,) ea parte quæ reſpicit ſolem; inde verò fluat balſamum candidum, quod deinde rubeſcit, & dureſcit. Hoc etiam Deiparæ aptari poteſt, quæ Chriſtum, ſolem iuſtitiæ, aſpiciens, eumque penitus in ſe excipiens, non ferri materialis ſectione, ſed filii compaſſione, qui lapis eſt angularis, & ſpeculum ſine macula vitreum, veriſque oſſibus conſtabat; transfigebatur, mittebatque non ſanguinem, ſed lacrymas, & affectus candentes puritate, rubentes verò charitate: quorum meritum lucidiſſimum nullo umquam tempore mollitie evaneſcet, ſed durum ac firmum ſtabit.

Quartò. Quartò, balſamum Deiparæ nulla admixtione olei vel mellis eſt vitiatum. Quod hoc capite v. 21. ex perſona eius dicitur, illis verbis: *Et quaſi balſamum non mixtum odor meus.* Hoc autem S. Bonaventura in Speculo B. Virgin. cap. 5. eleganter explicat: *Balſamum*, inquit, *miſceri ſolet, & vitiari melle vel oleo; ſed certè balſamum Spiritus ſancti in Maria non fuit mixtum, quia nec melle carnalitatis, & mundanæ conſolationis, nec oleo vanæ laudis, & adulationis fuit vitiatum; ſed vera, & pura Mariæ gratia fuit.*

Quintò. Quintò, Pauſanias in Bœoticis lib. 9. ſcribit, in Arabia plurimas viperas ſub balſami arboribus latitare, eaſque ſub illis commorantes balſami paſtu venenum amittere, ipſarum item morſus ob id eſſe innoxios. At verò, præſidio Dei paræ, quæ eſt myſticè balſami arbor, dæmonibus, per ſerpentes ſignificatis, venenum adimitur, ne eorum morſus, & nefariæ, quas immittunt, ſuggeſtiones, Deiparæ devotis noceant.

Quocirca S. Bonaventura in Speculo B. Virg. c. 7. *Odor*, inquit, *Mariæ fuit ſicut cinnamomum in cortice converſationis, ſicut balſamum interius in unctione devotionis, ſicut myrrha in amaritudine caſtigationis: fuit quoque odor Mariæ ſicut cinnamomum in actione, ſicut balſamum in contemplatione, ſicut myrrha in paſſione. O verè diva, quæ repleta fuit odorifero Spiritus ſancti balſamo! ut ait S. Bernardus ſuper illud, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te.* Idem ibidem c. 5. *Balſamum*, inquit, *Mariæ, eſt unctio gratiæ, quæ Mariæ copioſiſſimè eſt infuſa: unde S. Bernardus loquens de Verbo illo, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, ait, Pretioſum illud balſamum tanta tibi copia, tantaque plenitudine influet, ut copioſiſſimè effluat circumquaque.*

QUASI MYRRHA ELECTA DEDI SUAVITATEM D ODORIS) Tigur. *ut præſtantiſſima myrrha ſuaviter redolevi*; Syrus, *ſicut myrrha electa ſuavem reddidi odorem meum*. Plinius lib. 12. c. 15. ſcribit myrrham eſſe arborem, id eſt, arbuſtum altum quinque cubitos, ſpinoſum, caudice duro, & intorto, craſſiore quàm thuris, cortice levi, folio olivæ, ſed criſpiori, & aculato, iuba oluſatri: quæ bis per annum inciditur, ut reſina, putà, liquor myrrhæ, defluat. Sudat autem, inquit, ſponte priùs quàm incidatur, quæ vocatur ſtacte ſive lacryma myrrhæ, eaque myrrha eſt præſtantiſſima: ſicut inter aliarum arborum reſinas, lacryma quæ ſponte fluit, eſt optima; ac inter vina, lacryma, quæ ex uvis maturrimis ſponte diſtillat, eſt ſapidiſſima. **Myrrha ſapientia.** Myrrha notat ſapientis mortificationem, quæ parit in anima miram Dei conſolationem, & ſuavitatem, quaſi aroma myrrhæ ſuaviſſimi odoris: hæc animam à putredine vitiorum ſervat incorruptam, ſicut myrrha corpora defunctorum ſervat incorrupta. ita Rabanus. Rurſum, myrrha eſt compunctio ſuaveolens Deo, & lacrymæ cordis compuncti: unde myrrhæ hoc exſtat ænigma, & hieroglyphicum:

Dat lacrymis, & pro lacrymis mea cœpit origo.
Ex oculis fluxi, ſed nunc ex arbore naſcor:
Lætus honor frondis, triſtis ſed imago doloris.

Myrrha B. Virginis. Myrrha hac excelluit B. Virgo; unde de ea dicitur Cant. 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii?* In thure enim oratio ſurſum aſcendens, ſicuti in myrrha amara carnis mortificatio, inſuavis illa quidem, ſed contra vitiorum putredinem apprimè utilis, quæ orationem, ut ſit efficacior comitari debet, adumbrantur. In reliquo verò pulvere pigmentario, non modò virtutum omnium univerſitas, quæ in Virgine erant, deſignatur: verùm etiam ne minutiſſimos quidem virtutum actus in Virgine deſideratos oſtendit; cùm eos is qui in ſpiritualibus diteſcere ſatagit, negligere non debeat. Hæc porrò virgula in cælum rectà aſcendebat, quia in Deum Virgo ſanctiſſima ſemper erat intenta; virtutibus quoque redolens, tamquam aromatibus in pulverem redactis, & in charitatis igne poſitis, circumſtantes mira odoris ſuavitate replevit.

Ita Sophronius ſerm. de Aſſumptione: *Dicta ſanè*, inquit, *quaſi virgula fumi, quia gracilis, & delicata; quia divinis extenuata diſciplinis, & concremata intus in holocauſtum incendii pii amoris, & deſiderio charitatis. Ut virgula fumi ex aromatibus; nimirum, quia multis repleta eſt virtutum odoribus; manans ex ea fragrabat ſuaviſſimus odor, etiam angelicis ſpiritibus.* Sic, & Petrus Damianus ſerm. de Aſſumpt. *In myrrha*, ait, *continentiam, in thure devotionem intellige*. Et mox: *Hæc ſunt duo quæ virginalem ſubſtantiam totam circumdedere virtute, continentia ſcilicet, & devotio; quorum alterum carnem, alterum mentem ita poſſedit, ut caro mundiſſima, mens puriſſima genitricem Domini ſingularius conſecrarent*: Et infrà: *Univerſus pulvis pigmentarius in Virgine coniectus eſt, quia in ea virtutum coniectus reverendum ſibi thalamum conſecravit: &, ſi ceteris per partes ſpiritus affuit, Mariæ tamen tota pulchritudo gratiæ ſupervenit. Hæc integra fuerunt in ea ſpecies, ſcilicet pigmentariorum aromatum, ſed in ſubtiliſſimum pulverem comminuta: quia ipſa eſt quæ, fortioribus tribulantium malleis ſuppreſſa, videt ſuum, & Dei filium affigi cruci, militari lancea perforari, inter duos latrones poſitum exſpirare.*

C Porrò myrrhæ, id eſt mortificationi, fuiſſe addictam B. Virginem patet, tum ex eo quod aſtare voluit Chriſto filio ſuo cruci affixo, ut mortis, & mortificationis eius eſſet ſocia, & conſors; tum ex nomine: Maria enim, ut multi volunt, dicta eſt à מרר *marar*, id eſt amarus fuit, tum ex eo quòd ſcribit S. Bonaven. in Meditat. vitæ Chriſti c. 3, B. Virginem cuidam perſonæ ſibi devotæ (quam ipſe putat fuiſſe S. Eliſabetham) hæc verba dixiſſe: **Nota.** *Filia dico tibi, quòd nullum donum, gratiam vel virtutem habui à Deo ſine magno labore, continua oratione, ardenti deſiderio, profunda devotione, multis lacrymis, & multa afflictione; dicendo cogitandoque ſemper placita ſibi, ſicut ſciebam, & poteram, excepta ſanctificationis gratia, qua ſanctificata fui in utero matris.* Addiditque: **Gratia non venit niſi per orationem, & mortificationem.** *Pro certo ſcias, quòd nulla gratia deſcendit in animam, niſi per orationem, & corporis afflictionem.* Idem ſibi revelatum aſſerit S. Brigida in ſuis Revelat.

VERS. 21. ET QUASI STORAX, ET GALBANUM, ET UNGULA, ET GUTTA QUASI LIBANUS NON INCISUS VAPORAVI HABITATIONEM MEAM) Græca breviter ſic habent, *ut galbanum, & onyx, & ſtacte, atque thuris vapor in tabernaculo*; Tigurin. *redolui ut galbanum, ut onyx, ut ſtacte* D *thuriſque odor in tabernaculo.* *Storax* eſt lacryma ſive reſina, & ſuccus odoratus arboris quæ ſtyrax dicitur, de quo Dioſcor. l. 1. c. 78. & Plinius l. 12. c. 17. & 25. ex eo fit unguentum ſtyracinum, quod capillos non tantùm bono odore, ſed & flavo colore imbuit, & inſuccat. *Galbanum* eſt lacryma vel reſina fruticis, quæ in Syria ferula dicitur, de qua Plinius lib. 12. c. 25. *Ungula*, græcè ὄνυξ, id eſt onycha, id eſt unguis odoratus, eſt aroma colore unguis humani. *Gutta* eſt ſtacte ſive lacryma myrrhæ: στάζειν enim eſt diſtillare. Hæc tria ſunt aromata odorata, ex quibus, mixto thure, fiebat thymiama. Thymiama enim, quod quotidie manè, & veſpere Deo offerebatur in altari thymiamatis, componebatur ex galbano, onycha, ſtacte, & thure lucidiſſimo, ut patet Exodi 30. 34. vide ibi dicta. Igitur ſignificatur hic, ſapientiam odoratam eſſe inſtar thymiamatis, adeoque ipſam eſſe thymiama Deo & hominibus acceptiſſimum.

Notat

adaptat Rabanus. Sapientiæ autem rami, id est, propagines sunt *honor*, græcè, δόξης id est gloriæ; & *gratia*, quia illi eiusque asseclis conciliant gratiam, honorem, & gloriam, tam apud homines, quàm apud Deum, & angelos. Sicut enim arboris honor, & decor sunt folia, & multò magis flores, & fructus, juxta illud Virgil. Georgi 2.

Et iam olim seras posuit cùm vinea frondes,
Frigidus, & silvis Aquilo decussit honorem,

id est folia: sic sapientiæ honor, & decor sunt eius rami, id est propagines, quibus se per omnes fideles, doctores, & Ecclesias extendit, & propagat: quibus totidem quasi comata est gratiis, & honoribus, quot foliis rami in viridi qualibet ac frondosa arbore, præsertim terebintho, comati, & coronati sunt. Simile est Ezech. 31. 3.

Rhododaphne quæ?

Syrus pro *terebintho* vertit *rhododaphnen*: *Ego*, inquit, *sicut rhododaphne tetendi radices meas, & rami mei rami laudis & honoris.* Rhododaphne frutex est, ita dictus à flore roseo & folio laureo: ῥόδον enim est rosa, δάφνη laurus: vocatur, & rhododendros, quasi rosa arborescens, aut nerium, *sempiternum fronde*, inquit Plinius lib. 16. cap. 20. *rosæ similitudine, caulibus fruticosum, jumentis caprisque, & ovibus venenum est. Idem homini contra serpentium venena remedio.* Sicut ergo rhododaphne jumentis est noxia, hominibus salutaris: sic quod stultis periculum affert, ut adversitas, rerum copia, scientia; hoc ipsum sapientia, & sapiens vertit in suum bonum, & salutem.

Verùm Græca, & Latina constanter habent *terebinthus*. Alludit ad terebinthum sub qua Jacob idola defodit, & obruit Genes. 35. quæ figurabat Christum: Christus enim idola, & idololatriam sepelivit, & sustulit; ex cuius corpore terebinthina, resina pretiosissima, defluxit: quando ab eo Sacramenta legis novæ instituta, & copiosa illis indita fuit gratia, quæ manare non cessat nobis ea quæ ad salutem sunt necessaria.

VERS. 23. EGO QUASI VITIS FRUCTIFICAVI (id est, GERMINAVI, ut habent Græca) SUAVITATEM ODORIS, ET FLORES MEI FRUCTUS HONORIS ET HONESTATIS) Pro *honestatis*, Græcè est πλούτου, id est, divitiarum; sic passim hoc libro *honestatem* vocat divitias, uti vulgò honestos vocamus divites, & opulentos. Græca Romana sic habent, *ego similis sum viti germinanti gratiam, & flores mei fructus sunt gloriæ, & divitiarum*; Compl. pro χάριν, id est *gratiam*, legunt εὐωδίαν, id est suavem odorem, quomodo legit Noster Latinus. Tigur. *ego quasi vitis odoram emisi gratiam, & flores mei fructus gloriæ sunt, & divitiarũ*; Syrus, *ego sicut vitis decorata pulchritudine, & frondes mei frondes splendoris, & decoris.*

Sapientia similis viti. Primò.

Sapientia viti se assimilat, Primò, in εὐωδίᾳ, id est in flore, & suavitate odoris. Vitis enim dum floret suavem expirat odorem: sic & sapientia se omnibus gratam, amabilem, iucundam & delectabilem præstat; atque hac ratione omnes delectat, recreat, & ad se allicit.

Secundò.

Secundò, in fructu, quòd scilicet sicut flores vitis mox producunt fructum, putà, uvam, quæ præ ceteris honoratus, & nobilissimus est fructus, æquè ac honestissimus, & ditissimus: ex uva enim exprimitur vinum suave, copiosum, & generosum, quod magni est pretii: unde illud Alcæi monitum, *Nullam aliam arborem severis priùs vite*, quod citat Athenæus; & illud Poetæ:

Vinea terrarum pars optima, rurisocellus,
Ausoniæ prima es gloria, primus honor.
Cælum tedicam; nam quot cælo astra refulgent,
Tot nitidis astris æmula poma tenes.

Sic, & sapientia fructus nobilissimos affert, nimirum honorem, gloriam & opes, tum spiritales, tum corporales, quas explicat dum subdit: *Ego mater pulchræ dilectionis*, &c. Porrò iidem sunt sapientiæ fructus, & flores, quia idem in ea est sapidum, & floridum, utile, & pulchrum. Audi Rabanum: *Quid*, inquit, *per hanc vitem, nisi ipse exprimitur, qui in*

Joan. 15.

Evangelio discipulis suis ait: Ego sum vitis vera, & vos palmites? cuius vitis liquor lætificat cor hominum, quando bibendo sanguinem eius, gaudentes laudant redemptionis suæ venerabile Sacramentum: hæc vitis fructificat suavitatem odoris, quando per totum orbem fama spargitur Evangelicæ prædicationis, floresque ipsius fructus sunt honoris, & honestatis; quia iucunditas, & decor omnium virtutum quotidie eius dono florescit, atque clarescit in credentium turbis. Vide quæ de vite, eiusque analogiis cum sapientia, & sanctitate, dixi Ezech. 15. 2: Hac de causa S. Ephrem Syro, coævo S. Basilii, per visum apparuit vitis fructifera, denotans eius sapientiam, copiam, & suavitatem dicendi scribendique, uti habet eius Vita initio operum ipsius.

Vitis Deipara.

Mysticè, vitis est Deipara, quæ uvam pretiosissimam protulit, putà Christum, ex quo, in torculari crucis presso, expressum est vinum rubrum, quod inebriat omnes fideles. Ita Damascenus orat. 1. de Nativitate: *Vinea*, inquit, *uberrima* (Deipara) *ex Anna pullulavit, atque uvam suavissimam protulit, nectar mortalibus fundentem in vitam æternam.* Et S. Ildephonsus serm. 1. de Assumpt. *Mater Domini*, inquit, *quasi vitis fructificavit suavitatem odoris, & protulit cunctis gentibus fructus honestatis, & gratiæ.* Ipsa ergo quasi vitis protulit uvam, & vinum, putà Christum, quod Deum lætificat, & homines, Judic. 9. Unde S. Bernard. serm. 4. super *Salve regina*, sic Deiparam alloquitur: *Defecit vinum in cadis nostris, vinum scilicet lætificans cor hominis, de quo Propheta, quod germinat virgines; huius pincerna tu, vexillifera tu: vexilla Regis prodeunt in nobis, te agente pro nobis: calix in manu tua vini meri, in manu tua, in potestate tua, vini meri amoris divini. Calix huius vini inebrians quàm præclarus est! inebrias, ad contemptum mundi; calefacis, quia ferventes facis; acuis, quia erudis; audaces facis contra adversa, fortes, & invincibiles à carne, mundo, & dæmonibus; obliviosos, eorum scilicet quæ retrò sunt, & in futura extensos; discretos, quia erudis ad iustitiam; somnolentos ad temporalia & tædiosos; ad invisibilia verò contemplanda pronos, & promptos. Per te panem speramus, qui cor hominis confirmat, de quo Scriptura: Panem Angelorum manducavit homo.* Hucusque S. Bernardus, agens de vino amoris divini, quem mater pulchræ dilectionis filiis suis impetrat.

Zachar. 9.

Psal. 77.

Flores huius vitis sunt *fructus honoris, & honestatis*: quia B. Mariæ virginitas, & humilitas, quasi flores, protulerunt fructum infiniti honoris, scilicet Deum hominem, qui in Eucharistia est *frumentum electorum, & vinum germinans virgines*, Zachar. 9. Rursum, cùm de hac vite dicitur, *Et flores mei fructus honoris, & honestatis*, his verbis significatur Deiparæ illibata simul, & fœcunda virginitas. Hæc enim adeò honestate delectatur, ut carnis voluptates non tantùm rationi dissonas, quas reiicere castitatis est munus, aversetur; sed ne licitas quidem in usu coniugii admittat. Quocirca hæc summa virginitatis honestas honori meritò coniungitur, quòd homines adeò honore dignos efficiat, ut eos Angelis ipsis perquam similes reddat. Deinde, quia flos symbolum est virginitatis, sicut, & fructus symbolum esse potest fœcunditatis. Cùm ergo *flores* Deiparæ, *fructus honoris* dicantur & *honestatis*, his verbis virginitas eius fœcunda, & fœcunditas virginea omni honore prosequenda, omnique honestate conspicua ostenditur. Etenim in arboribus flores simul cum fructibus, qui ex iisdem emanant, & in quos ipsimet flores transeunt, existere nequaquam possunt; sed erumpente fructu, decidit flos; quamdiu autem flores vigent, fructus nondum advenere: ita & in ceteris mulieribus virginitas cum fœcunditate eodem tempore esse nequit. At verò in sola Deipara, super omnem naturæ cursum, hæc duo coniuncta reperiuntur. Quocirca ipsa una meritò dicere potest flores suos esse pariter, & fructus: nam eleganter quidam cecinit:

VERS 19.

Partus, & integritas discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Hoc est quod stupens S. Bernard. intonat homil. 2. super *Missus est*: *Deum huiusmodi decebat nativitas, qua non nisi de virgine nasceretur: talis congruebat virgini partus, ut non pareret nisi Deum.* Quocirca exclamat S. August. serm. 2. de Natali Domini, qui est 13. de Tempore: *O miracula, ò prodigia! naturæ iura mutantur, in homine Deus nascitur: virgo sine viro gravidatur, viri nesciam sermo Dei maritat: simul facta est mater & virgo: mater facta, sed incorrupta: virgo habens filium, nesciens virum: semper clausa, sed non infœcunda. Solus enim sine peccato Deus natus, quem sine virili complexu non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis.*

VERS. 24. EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS, ET TIMORIS, ET AGNITIONIS, ET SANCTÆ SPEI) Pro *agnitionis*, codex manuscriptus montis Amiati legit, *magnitudinis*; & sic legitur in Officio parvo B. Virginis, in capitulo ad Completorium. Fortè scriptor quispiã pro *agnitionis*, scripserit abbreviatè *agnitis*: quod alius describens, nec intelligens, putarit errore omissam litteram, inscripseritque *magnitudinis*: scioli enim plura talia depravarunt. Nam vera lectio est *agnitionis*: sic enim cõstãter legunt ceteri codices Græci & Latini, manuscripti & typis excusi, atque Rabanus Lyr. Hugo, Dion. Jans. aliiq; Interpretes. Tig. vertit, *ego pulchræ charitatis, ego religionis, & cognitionis, speique sanctæ mater sum.*

Quatuor fructus sapientiæ:

Sapientia hic fructus suos, quos in suis discipulis producit explicat, eosq; quatuor assignat. Primus est dilectio pulchra

est enim

re mira Spiritus sancti effluentia, de quo in omnem Ecclesiam mira fit influentia, ut beatus Evangelista Ioannes dicat: De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Cùm ergo de isto flore tanta gratia redundet in totum hortum, quantò magis in ipsam huius floris virgam, in ipsam Mariam. Dicat ergo Maria securè: In me omnis gratia vitæ, & veritatis. hæc Bonaventura.

B. Virgo ergo est nostra Pandora, id est, omnis doni alma parens, de qua Tertul. lib. de Corona militis: *Si fuerit*, inquit, *aliqua Pandora (quam primam fœminarum memorat Hesiodus) hoc primum caput coronatum est à Charitibus, cùm ab omnibus muneratur, unde Pandora.* Meminit etiam Pandoræ S. Irenæus adversus hæreses: *Quòd autem*, inquit, *Salvatorem ex omnibus Æonibus factum esse dicunt, omnibus in eum deponentibus florem suum, non extra Hesiodi Pandoram novum aliquod afferunt.* Meminit etiam huius Fulgentius in Mythologia. Hæc ergo gratiarum omnium corona Pandoræ Christianæ, putà, B. Virgini, omni jure debetur. Quocirca à S. Ephrem orat. de laudibus Virginis, ipsa vocatur *spes desperantium, peccantium adiutrix, mundi solatium, porta cælorum.*

Græca, & Syrus hunc versum omittunt, sed pro eo Complut. & alii nonnulli habent hunc, *Do autem, cum omnibus meis natis, sempiternas* (laudes) *iis, quæ ab eo dicuntur*; Tigur. *do autem æterna* (vel æternos fructus) *liberis meis, quibus Deus iussit simul omnibus.*

VERS. 26. TRANSITE AD ME OMNES QVI CONCVPISCITIS ME, ET A GENERATIONIBVS MEIS INPLEMINI) Est epilogus. Sapientia enim, post recensita sui commoda, & fructus, concludit ut ad se accedant, itaque eorum fiant compotes: *generatione* enim vocat fructus à se genitos. hi enim græcè vocantur γέννημα, hebr. תבואה *tebua*. q. d. Vos omnes, quos ex Dei munere mei amor tetigit, transite ad me: fructibus meis dulcissimis vos exsatiate: alibi enim satietatem nullam reperietis, juxta illud Christi ad Samaritanam Joan. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Unde Tig. *accedite ad me omnes cupidi mei, & facite ut fructibus meis impleamini.* Nota Τὸ *implemini*, q. d. Fructus parci, quos dat mundus, non satiant, non implent appetitum, sed magis excitant, & irritant: at fructus mei largi, & ampli, utpote divini (solus enim Deus implet animam) implent, & satiant quamuis orexin, & appetitum. Unde Syrus, *declinate ad me omnes, qui concupiscitis me, & de fructibus meis optimis voluptatem capietis.* Audi Rabanum: *Materno affectu admonet sapientia filios suos, ut ad ipsam concurrant, eius munere ditentur, ac ope reficiantur. Tale est, & illud Evangelii testimonium, quo Salvator misericorditer laborantes hortatur ad se venire: Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. & item: Qui sitit, veniat ad me, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Sic S. Ephrem tract. de Timore Domini tract.

Matth. 11. Joan. 7.

1. pag. 69. narrat sibi per visum apparuisse sapientiam, putà, Christum, in gloria, seque invitasse, ut relicta mundi vanitate totum se ei traderet.

Mysticè, pari modo B. Virgo revelavit S. Brigidæ, uti ipsa refert lib. 6. Revelat. cap. 10. dixitque: *Ego sum regina cæli, ego mater misericordiæ, ego iustorum gaudium, & aditus peccatorum ad Deum: nulla etiam pœna est in purgatorij igne, quæ propter me non remissior erit, & lenior ad ferendum, quàm aliter esset. Nullus est adeo maledictus, qui, quamdiu vivit, careat misericordia mea, quia propter me levius tentatur à dæmonibus, quàm aliter tentaretur: nullus est ita alienatus à Deo, nisi omnino fuerit maledictus, qui si me invocaverit, non revertatur ad Deum, & habeat misericordiam.* Idem revelavit Deus S. Catharinæ Senensi *Maria*, inquit, *unigeniti filij mei gloriosæ genitrici à bonitate mea concessum est, propter incarnati Verbi reverentiam, ut quicumque etiam peccator ad eam cum devota veneratione recurrit, nullo modo decipiatur à dæmone infernali: hæc enim est à me electa, parata, & posita tamquam esca dulcissima ad capiendos homines, & præcipuè animas peccatorum.*

B. Virgo de se multa revelat S. Brigidæ.

Unde S. Ephrem de laudibus B. Virg. sic eam salutat: *Spes desperantium; per te reconciliati sumus Christo, Deo meo, filio tuo: tu peccatorum, & auxilio destitutorum unica advocata es atque adiutrix: tu portus naufragantium tutissimus, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix celeberrima: tu orphanorum susceptio: tu captivorum redemptio: tu ægrotantium exultatio, & omnium salus: tu monachorum, & solitariorum stabilimentum, & spes sæcularium: tu virginum gloria, corona, & gaudium: tu mundi lætitia* & iterum: *Tu enim noster es portus, & præses, pia auxiliatrix.* Et infra: *Ave periclitantium auxiliatrix, & iucunda libertas, fons gratiæ, & consolationis: ave peccatorum refugium atque diversorium: ave laborantium propitiatorium: ave spes omnium proborum adversis casibus afflictorum, dulce conversorum solamen atque præsidium: ave virorum pariter atque mulierum regina, & patrona: nostra consolatrix, quæ mœrores sedasti, & oppressorum molestias leniisti, cunctasque oppressiones sustulisti: ave clavis regni cælestis: ave portus tutissime in hac vita navigantium: ave firma salus universorum Christianorum ad te sincerè ac verè recurrentium: ave nostra omnium protectio insignis, & gloria.*

S. Ephrem elogia B. Virginis

Sapienter S. August. lib. de Catechiz. rudibus. *Tantum*, inquit, *valet animus erga auditorem benevolus, ut nobis loquentibus, & illis discentibus, habitemus invicem; atque ita illi, & quod audiunt quasi loquantur in nobis, & nos in illis discamus quodammodo quæ docemus. Nonne accidere hoc solet, cùm loca quædam ampla, & pulchra, vel urbium vel agrorum, quæ nos sæpè videndo sine aliqua voluptate præteribamus, ostendimus eis qui antea numquam viderant, ut nostra delectatio in eorum novitatis delectatione renovetur, & cognitio perficiatur, quanto magis nos*, &c.

Porrò, S. Chrysost. homil. 3. in Genes. *Divina eloquia fonti similia sunt largis perennibusque fluentis scaturienti; etiam qui ante nos fuere, pro viribus suis aquas inde hauserunt, & similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt, neque sic totum evacuare poterunt; sed magis interim augentur flumina, & increscunt. Hæc enim spiritualium fluentorum natura est, ut hoc magis scaturiat spiritualis gratia, quo magis inde hauritur.* Rursum idem S. Chrysost. homil. 55. ad popul. *Has opes*, inquit, *& ipsi Sancti imitantes, sacrorum voluminum floridos saltus circumvolitant, & inde quidquid suave, & mellitum est decerpunt. Et, si vis experire illorum ora, videbis quidem talia eructantes, omnia mitia, & iucunda, & spiritualis odoris suavitate plena. Nullum turpe verbum illa possunt ora emittere, nihil scurrile, nihil asperum, & amarum; sed omnia ipsis cælis digna.*

Doctor est ut fons effluens, & affluens.

Denique Petrus Cellensis tractatu de Conscientia, pulchrè docet sapientiam esse quasi venam sanguinis, quæ subinde aperienda sit, ut sanguis effluat, & affluat: *Scapello*, inquit, *instantia eorum qui me rogant, & à me edoceri volunt, vena cordis incisa, undecumque vocavi vivum sanguinem venarum totius meditationis, ut de sanguine defæcatæ eruditionis commodaret seu emitteret cor, quod sufficeret dicenti, & sibi retineret unde viveret. Tunc enim utiliter, aut dicitur, aut scribitur, cùm de tractatu suo, & vita propria emendatur, & aliena conscientia nihil minùs instruitur. Nec credendum quòd semper vena cordis evacuetur perniciose quoties inciditur, quin potiùs de effusione charitatis commodiùs fluit ac liberiùs.*

SPIRITVS ENIM MEVS SVPER MEL DVLCIS, ET VERS. 27.
HEREDITAS MEA SVPER MEL ET FAVVM: MEMO- VERS. 28.
RIA MEA IN GENERATIONE SÆCVLORVM) Ita Romana: minùs rectè alii legunt, *in generatione sæculorum*. Pro *spiritus* græcè est μνημόσυνον, id est, memoria, vel potiùs memoriale. Unde Græca sic habent, *memoriale enim meum super mel dulce, & hereditas mea super mellis favum*; Tigur. *nam memoria mei melle dulcior est, possessioque mea favo mellito iucundior.* Jam per *memoriam*, vel *memoriale*, Syrus accipit doctrinam: sic enim vertit, *quia doctrina mea præ melle dulcis est, & iis qui hereditant me præ favo.*

Secundò, Jansenius accipit legem dictatam à sapientia: μνημόσυνον enim significat memoriale, & pignus, quod ad conservationem memoriæ relictum sit. Tale autem memoriale est lex, à sapientia Dei fidelibus relicta in hereditatem, id est, in perpetuam possessionem. Itaque idem dicitur hic quod psal. 118. 103. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Et psal. 18. 11. *Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & favum.*

Tertiò, planiùs, & sublimiùs Rabanus, & ex eo Glossa: *Memoria sapientiæ Dei*, inquit, *in generationem omnium sæculorum permanebit, quia ipsam laudant angeli, collaudant Archangeli, vaticinantur Prophetæ, prædicant Apostoli, omnisq; militia cælestium virtutum, & infinita multitudo sanctarum animarum adorant, & glorificant in æternum*: Atque hanc memoriam æternam suis asseclis communicat sapientia, dum eos æternitate nominis, & famæ donat, iuxta illud, *In memoria æterna erit iustus*, psal. 111. 7. Unde Palacius sic explicat, q. d. Nullum erit sæculum, in quo inter homines pios non fuerit memoria mei. Ab Adam usque in finem sæculi habuit, & *Isaiæ 26. 8.*
habebit suos divina Sapientia amatores, qui dicant: *Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ.* Nam sanctis illis patribus sapientia apparebat in specie humana, Christianis apparuit in vera carne, ideo & hi, & illi Christi memoriam habent in desiderio animæ:

Spiritus sapientiæ quid? Resp. Primò.

Porrò, *Spiritus* sapientiæ Primò, à Rabano accipitur Spiritus sanctus, qui à Sapientia genita, putà à Filio æquè

ac à

ac à Patre, procedit, q. d. Spiritus sanctus, quem Christus mittet in mundũ, super mel dulcis est; quia charitas Dei quæ per ipsum infunditur in cordibus electorum, incomparabilis est dulcedinis. *Secundò.* Secundò, Glossa: Spiritus, inquit, id est, degustatio meæ bonitatis; super mel dulcis est, quia ipsam non adæquat aliqua delectatio corporalis. *Tertiò.* Tertiò, alii. q. d. Spiritus, quem sapientia aspirat suis asseclis, non est austerus, & durus, sed benignus, suavis, & dulcis super mel: unde sapientes, id est Sancti, sunt mansueti, benigni, affabiles, suaves in verbis, omnique conversatione.

Quartò, & genuinè, Quartò, & genuinè Jansenius; *Sapientia*, inquit, *tribuit sibi spiritum, sicut suprà tributa est ei anima. Significat autem nomine spiritus, suam naturam, de se per legis doctrinam, & opera mirabilia, spirantem suavem apud homines odorem. Quomodo, & Sapientiæ 12. dicitur: O quàm bonus, & suavis est, Domine, spiritus tuus! quod non tantùm de Spiritu sancto est accipiendum, cùm etiam ipsi Spiritui sancto dici possit: O Domine quàm suavis est spiritus tuus!* Hoc est quod huc alludens Christus, qui est Sapientia incarnata, ait Matth. 11. 29. *Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meũ suave est, & onus meum leve.*

Christus ergo, & Deus per se, & natura sua est mel; sed nos peccatis nostris eum amaricantes cogimus nobis esse venenum, & fel, juxta illud Oseę 14. 1. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum.* Ubi S. Hieron. ex Symmacho, *pœnitebit eam*, inquit, *quòd dulcissimum Deum in amaritudinem verterit*; scilicet, de patre in judicem, de benefactore in flagellatorem.

Denique *hereditas*, id est, possessio, & peculium sapientiæ, quam ipsa suis asseclis communicat, est gratia, & gloria, sive sanctitas, & felicitas: hæc dulcior est favo, quia sanctitas quietat totaliter appetitum, ait Glossa; felicitas verò æterna dulcissima est. *Hereditas enim superna*, ait Rabanus, *quæ in agnitione, & dilectione Dei tribuetur sanctis, quando eum videbunt facie ad faciem, & delectabuntur in dextera ejus usque ad finem, est inenarrabilis, & inæstimabilis, quia scriptum est: Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum*, 1. Corinth. 2. Igitur caussas, & illecebras suæ invitationis dat sapientia, quòd ipsius spiritus sit dulcissimus, hereditas pariter, & possessio dulcissima, ac memoria sit æterna. S. Bernard. serm. 2. de S. Andrea, ipsum statuit in exemplum, cui hic spritus Jesu *crucem, & mortem*, *Sapientiæ, quanta dulcedo?* inquit, *facit non solùm non molestam, sed etiam desiderabilem, atque omnino delectabilem esse. Spiritus enim meus* (ait Dominus) *super mel dulcis; ita ut ne ipsa quidem dulcedini ejus prævalere queat, amarissima licèt, mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit esse dulcissimam? Quæ resistere possit asperitas unctioni illi, quæ mortem quoq; facit suavissimam? Cùm dederit* (ait) *dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini. Quàm molestiam non expellit gaudium illud, quod mortem quoque ipsam facit esse lætissimam? Quæramus hunc spiritum, fratres, tota sollicitudine operam demus, ut mereamur habere hunc spiritum, imò, ut quem jam habemus, abundantiùs habeamus. Quicumque enim spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*

Hujus rei symbolum fuit ænigma Samsonis: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo*, cùm, scilicet, ipse in ore leonis à se occisi invenit mel, Judic. 14. 14. Græci habent, *de tristi*, vel tristitia, & labore *egressa est dulcedo*. Sic spinę rosas proferunt, sentes uvas, tribuli ficus. Nimirum, *Vincenti datur manna absconditum: & quod fuit durum pati, meminisse dulce est.*

& Jesu. Dulcissimus ergo est spiritus, dulcissimum, & nomen Jesu, qui est sapientia nostra, & hæc tria nobis præstat. Audi S. Bernard. in sententiis: *Et quid tam cordium vita, quàm Deus meus Jesus? Is verè est amans, & amabilis, & totum quod de ipso est, verè est, quando ipse est non aliud sanè, quàm ipsa veritas. Quis fidus verusve animæ amor, nisi utiq; is, quo veritas adamatur? Rationis sum compos, veritatis capax: sed utinam non forem, si amor mihi defuerit! non sum securus à fecuri, si absque eo inveniar. Valdè omninò mihi amandus est, per quem sum, vivo, sapio; si non ingratus sum, & indignus. Dignus planè est morte, qui tibi, Domine Iesu, vivere recusat, & mortuus est: & qui tibi non sapit, desipit: & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Propter temetipsum, Deus, fecisti omnia: & qui esse vult sibi, & non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Pro his ergo ita sum amans te, quantum possum: sed est quod me plus movet, plus urget, plus accendit; super omnia, inquã, reddis amabilem te mihi, Jesu bone, calix quẽ bibisti; opus nostræ redemptionis. Hoc omninò amorem nostrũ facilè vindicat totum sibi: hoc est quod nostram devotionem, & blandiùs allicit, & justiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs.*

Anagog. S. Bern. tract. de Diligendo Deo, post initium: *Memoria mea*, inquit, *in generatione sæculorum: hoc dicit, quia quamdiu stare præsens cernitur sæculum, in quo generatio advenit, & generatio præterit, non deerit electis consolatio de memoria, quibus nondum de præsentia plena refectio indulgetur. Unde scriptum est: Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt;* *Psal. 144.* *haud dubium quin hi quos paulo superiùs dixerat: Generatio, & generatio laudabit opera tua. Memoria ergo in generatione sæculorum, præsentia in regno cœlorum. Ex ista glorificatur jam assumpta electio, de illa interim peregrinans generatio consolatur.* Deinde subiicit, qui hujus boni sint capaces, qui non. *Sed interest*, inquit, *quænam generatio ex Dei capiat recordatione solamen. Non enim generatio prava, & exasperans, cui dicitur, Væ vobis divites, qui habetis consolationem vestram; sed, quæ dicere veraciter potest:* *Lucæ 6.* *Renuit consolari anima mea: Hinc planè, & credimus, si secuta adiecerit: Memor fui Dei, & delectatus sum. Justum quippe est, ut quos præsentia non delectant, præstò eis sit memoria futurorum;* *Psal. 76.* *& qui de rerum fluentium qualibet affluentia despiciunt consolari, recordatio illos delectet æternitatis. Et hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium non quæ sua sunt, sed faciem Dei Jacob. Dei ergo quærentibus, & suspirantibus præsentiam, præstò interim, & dulcis memoria est, non tamen quâ satientur, sed quâ magis* *Psal. 16.* *esuriant, unde satientur. Hoc ipsum de se cibus ipse testatur, ita dicens: Qui edit me, adhuc esuriet: & qui eo cibatus est, Satiabor, inquit, cùm apparuerit gloria tua. Beati tamen iam nunc, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam quandoq; ipsi, & nõ alii, saturabuntur. Væ tibi generatio prava atq; perversa, væ tibi popule stulte, & insipiens, qui, & memoriã fastidis, & præsentiã expavescis.*

Mysticè, spiritus B. Virginis dulcissimus est. Unde Ecclesia eam invocat: *Salve regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra, salve.* Audi S. Bern. serm. 4. de Assumpt. *Quis*, *B. Virgo dulcissima est.* inquit, *misericordiæ tuæ, ò benedicta, longitudinem, sublimitatem, & profundum queat investigare? Nam longitudo eius usque in diem novissimum, invocantibus eam subvenit universis. Latitudo eius replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic, & sublimitas eius civitatis supernæ invenit restaurationem; & profundum eius sedentibus in tenebris, & umbra mortis obtinuit redemptionem.* Et superiùs idem S. Bernard. dixerat: *Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui invocatam te in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse. Nos quidem, servuli tui, cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hoc potiùs nobis ipsis: laudamus virginitatem, humilitatem miramur; sed misericordia miseris sapit dulciùs, misericordiam amplectimur clariùs, recordamur, sæpiùs, crebriùs invocamus.* Idem S. Bernard. serm. in illud, *signum magnum*, ait peccatorem vereri posse accedere ad Deum, qui ignis consumens est; ne, quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei. Et mox: *Quid*, inquit, *ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile: tota suavis est, omnibus offerens lac, & lanam.* Et infrà: *Quæ ad eam pertinent, plena omnia pietatis, & gratiæ: plena sunt mansuetudinis, & misericordiæ. Denique omnia omnibus facta est, sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit: omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi.* Rursum Damasc. orat. 2. de Assumpt. Virg. *Dei mater*, inquit, *est inexhaustum pelagus gaudii, unica mœroris obliteratio, pharmacum ex omni pectore dolorem propulsans.* Si ergo tristaris, invoca B. Virginem, ipsa tibi sua gaudia communicabit.

Quocirca S. Agnes S. Brigidæ (ut habetur lib. 4. Revelat. *Id S. Agnes revelat S. Brigidæ.* cap. 11.) apparens, eique laudes Deiparæ narrans, hanc conclusionem eliciendam relinquit: *Sicut sole illuminantur, & inflammantur cælestia, & terrestria, sic ex dulcedine Mariæ nullus est qui non per eam, si petitur, sentiat pietatem.* In ea ergo impletur illud Prov. 31. *Lex clementiæ in lingua ejus.* Vnde S. Ambr. S. Mariam vocat manna: sic enim ait in psal. 21. in fine: *Quin potiùs*, inquit, *ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis, & splẽdida, suavis, & virgo, quæ velut cælitus veniens, cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle destuxit: quẽ, qui edere, aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait: Nisi quis manducaverit carnem meam*, &c.

Denique, memoria B. Virginis est in generationes sæculorum, quia durat per omnia sæcula, non tantùm apud Christianos, sed, & apud infideles, & Saracenos. In Alcorano enim eorum multa ei præclara dantur elogia, ac inter alia, quòd ipsa sit virgo, & mater Christi, summi, & sapientissimi Prophetæ, quodque angeli salutarint eam dicentes: *O Maria præ cunctis mulieribus Deus elegit te, & Verbum Dei concipies, tu es mundissima virgo*, &c.

QVI EDVNT ME, ADHVC ESVRIENT; ET QVI BIBVNT ME, ADHVC SITIENT) Ostendit sapientia se *VERS. 29.*

dul-

dulciorem esse melle, & favo, quia dulcedo mellis, si multùm comedatur, parit fastidium, & nauseam. At verò dulcedo sapientiæ quò magis gustatur, eò magis appetitur, & esuritur; &, quod mirum est, satiat, impletque mentem, & tamen mens satiata ulteriùs ea satiari, & impleri desiderat. Unde Tigurina vertit, *qui me comederint, esurient amplius; & qui me biberint, adhuc sitient*; Syrus, *sitient me*.

Nota Primò. Sapientia, inquit Palacius, vocat se cibum, & potum. Planè, quia ipsa est eminenter omnia: & vir pius credat hoc loco sapientiam meminisse de se, ut futura erat in Eucharistia, in qua ipsa est verè cibus, verè potus. Nota Secundò. Si est verè cibus, & potus, non est quod ultra eam requiras: in his enim vita nostra continetur. Nota Tertiò rem miram. Sapientia ipsa est cibus, ipsa est esuries: nam qui eam comedit, eam esurit. Ut enim Deus simul est unus, & trinus, misericors, & justus: ita sapientia simul satiat animam, ut nihil ultra eam quærat; ita verò satiat, ut simul desiderium sui, ac esuriem accendat. Non igitur erit umquam in cælo fastidium.

Virtus, quo plus gustatur, eo plus appetitur.

Luculenter, & piè hanc sententiam explicat B. Macarius Ægyptius, S. Antonii discipulus, qui floruit anno Christi 370. tota homilia 10. loquens de viris eximiè sanctis: *Animæ*, inquit, *Dei ac veritatis amantes, quæ Christum in fide ac spe summa induere perfectè desiderant, aliorum admonitione non multùm indigent, nec desiderio cælesti, aut erga Dominum amore, in quo aliquatenus imminui patienter ferunt: sed totæ penitus cruci Christi affixæ, spiritalem promotionem erga sponsum spiritalem in seipsis quotidie sentiunt, & agnoscunt. Et cùm desiderio cælesti vulneratæ sint, & justitiam virtutum esuriant, illustrationem Spiritus sancti summa, ac inexplebili aviditate expetunt.* Subdit deinde, originem hujus aviditatis esse lumen celeste. *Quòd si fortè beneficio fidei sua notitiâ mysteriorum divinorū adipisci merentur, aut lætitiæ gratiæ cælestis participes fiunt, non confidunt in seipsis, arbitrantes se aliquid esse: sed quanto magis abundant donis spiritalibus, tanto vehementiùs, & sine satietate desiderii cælestis inquirunt: quantoque magis spiritalem profectum in se senserint, tanto plus esuriunt ac sitiunt participationem, & augmentum gratiæ: & quanto spiritaliter locupletiores sunt, tanto se pauperiores existimant: & absque satietate spiritali desiderio feruntur erga sponsum cælestem, ut ait Scriptura: Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* Denique earum ingentia lucra, a& præmia addit: *Hujusmodi animæ, quæ tam ardenti, & insatiabili dilectione flagrant erga Dominum, dignæ sunt vita æterna: quare merentur ab affectionibus redimi, accipiuntque perfectam illuminationem, & participationem sancti, & arcani spiritus, ac mysticæ societatis, in plenitudine gratiæ. At verò socordes, ac minimè viriles animæ, quæ talia non exquirunt, intus revera vivunt in carne*, &c.

Causa est, præstantia sapientiæ, quæ ita plena est sapore, & dulcedine, ut numquam plenè degustari possit, quin ulteriùs gustari desideretur. Audi S. Gregor. homil. 36. in Evangel. *Hoc distare*, inquit, *fratres charissimi, inter delicias corporis, & cordis solet, quod corporales deliciæ, cùm non habentur, grave in se desiderium accendunt; cum verò avidè eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contrà, spiritales deliciæ, cùm non habentur, in fastidio sunt; cùm verò habentur, in desiderio: tantoque ampliùs à comedente esuriuntur, quanto, & ab esuriente ampliùs comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet: in istis appetitus vilis est, & experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat: in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spiritales deliciæ appetitum in mente dum satiant; quia quanto magis earum sapor percipitur, eo ampliùs cognoscitur quòd avidiùs ametur. Et ideò non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Proinde Psalmista nos admonet, dicens psal. 33. Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus. q. d. Suavitatem ejus non cognoscitis, si hanc minimè gustatis: sed cibum vitæ ex palato cordis tangite, ut probantes ejus dulcedinem amare valeatis.*

Deliciæ spiritales gustatæ acuūt esuriem.

Esuries ergo est optima dispositio, & præparatio ad comparandam sapientiam. Id ipsa sapientia docuit D. Henricum Susonem, uti ipse refert in Dialog. c. 23. *Spiritalis*, inquit, *esuries, & præsens sive actualis (ut vocant) devotio potiùs te ad me percipiendam, quàm sola consuetudo movebunt. Anima in cælesti abstractæ vitæ domicilio, vel inclusorio, intimè sentire, ac dulciter perfrui me cupiens, vitiis oportet ut sit antè nudata, ac expoliata, ornata virtutibus, libera ab occupationibus supervacaneis, rosis purpureis flagrantissimæ charitatis consita, suavè fragrantibus humilis abjectionis violis, & albicantibus inviolatæ puritatis, ac castimoniæ liliis stipata. Lectulum mibi vel thalamum efficias in vera cordis pace; si quidem in pace factus est locus meus: suis me stringat ulnis, omnem excludendo amorem alienum, & extraneum: utpote quem haud seciùs ipse fugere consueverim, quàm solent milvum aviculæ devitare. Cantet mihi cantica Sion, id est, ardentissimi amoris, cum attentissima ac devotissima laude. Tum verò ipse quoq; vicissim amplexabor illam; & meo innixam pectori, tranquillā faciā experiri requiē, perspicuā ac manifestam cōtemplationē, inexpertam fruitionem, quamdam sempiternæ suavitatis degustationem, & perennis beatitudinis experimentū. Quæ quidem ipsa soli sibi servare debebis, dicens cum Propheta: Secretum meum mihi, secretum meū mihi. Alieni enim ista non sentiunt, nec percipiunt. Dicet ergo cum intimo cordis suspirio: Verè tu es Deus absconditus: tu es bonū illud occultum, quod nemo novit nisi qui accipit.*

Esuries dispositio ad sapiētiam.

Tropolog. hic disce certum signum, & effectum sapientiæ, virtutis, & profectus esse, magis semper eam esurire, & sitire; quia sapientia, & virtus sui acuit desiderium; eoque magis, quo ipsa crescit. Acres ad idipsum, ex hisce Ecclesiastici verbis, stimulos studioso sapientiæ, & virtutis adhibet Faustus Rhegiensis Episcopus, Instruct. ad Monachos in fine, quæ exstat in Appendice Biblioth. SS. Patrum, pag. 1566. *Simus*, inquit, *in opere Dei indeficientes propter æternam retributionem, & quotidie ad meliora tendamus. Ipsa enim apprehendendi aviditas, ipsa consuetudo proficiendi, semper nos ad majora provocet: & ubi viderit Deus devotionem animæ, ardentiorem insinuabit affectum; & quātò nos arserimus ad studium, tanto ille addet ad gloriam. Qui habet, dabitur illi, & superabundabit. Et alio loco dicit: Posui adjutorium super potentem. Gratia enim de gratia nascitur, & profectus profectibus serviunt, lucra lucris, & merita meritis locum faciunt, ut, quanto plus quis acquirere cœperit, tanto plus acquirere conetur; & quantò avidiùs de sapientia bonis hauserit, tanto plus haurire desideret: sicut ipsa de se loquitur Sapientia: Qui edunt me, adhuc esurient. Urgeamus cursum nostrum, ut crescat in novissimo vita nostra. Quæramus usque in finem, unde sine fine gaudere mereamur. Sed esto, non possimus exercere corporis labores, conferamus nos ad spiritualium bonorum desiderium, ad compunctionis, & charitatis augmentum. Si quotidie in cordibus nostris disponamus ascensus, nulla infirmitate, nulla ætate lassari possunt mentes, ut spiritualibus quibusdam gradibus ascendere mereamur ad promissa Domini nostri Jesu Christi.* Plura vide apud nostrum Alvarez de Paz de Natura perfectionis lib. 3. parte 2. c. 14. & 15. fructu 6.

Signum profectus in virtute quod?

Porrò, S. August. l. 15. de Trinit. c. 2. *Qui me manducant*, inquit, *adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Manducant, & bibunt, quia inveniunt: & quia esuriunt ac sitiunt, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus invenit: propter quod ait Propheta* Isaia c. 7. *Nisi credideritis, non intelligetis. Et rursus: Intellectus eum quem invenit, adhuc quærit. Deus enim respexit super filios hominū, ut videat si est intelligens aut requirens Deū.*

Mystice B. Virgo, quo magis à fidelibus amatur, desideratur, & colitur, eo majorem in eis sui amoris, desiderii; & cultus esuriem, sitimq; excitat quia eo magis suā charitatē, potentiam, opem ostendit. *Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra*, inquit S. Bernar. homil. 4. super *Missus est*. Idem ser. in Visitat. *Omnibus*, inquit, *omnia facta est* (S. Maria,) *sapientibus & insipiētibus copiosissima charitate debitricē se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore ejus.*

Mysticè de cultu B. Virginis.

Denique, piè, æquè ac germanè idem S. Bernardus in Jubilo, hæc attribuit Jesu Christo:

Qui te gustant, inquit, *esuriunt;*
Qui bibunt adhuc sitiunt;
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem diligunt.

Id particulatim explicat, dum subdit:

Jesu decus angelicum,
In aure dulce canticum.
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.

Unde ad eum anhelans concludit:

Desidero te millies,
Mi Jesu, quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties?

Porro, sicut *Tò, Qui edunt me, adhuc esurient*, ad literam verùm est de Christo, quem edimus in Eucharistia, & tamen eumdem esurimus, iterumque edere gestimus: sic idem pariter ad literam verè dici potest de B. Virgine. Mirùm

In Eucharistia edimus carnem B. Virginis: quomodo?

hoc, sed verum. Quoties enim comedimus carnem Christi A in Eucharistia, toties in eadem comedimus realiter carnem B. Virginis: quia caro Christi, est caro B. Virginis: imò ipsissima caro Christi, antequam in incarnatione à B. Virginis carne decideretur, & daretur Christo, fuit propria caro B. Virginis, ejusque anima informabatur, & animabatur. Sicut ergo quotidie esurimus carnem Christi in Eucharistia; sic, & esurimus in eadem carnem B. Virginis, ut virgineas ejus dotes, & mores imbibamus, nobisque incorporemus. Idque faciunt non soli sacerdotes, & Religiosi, sed omnes Christiani: omnes enim sua, æquè ac Christi carne pascit B. Virgo in Eucharistia. Atque hinc ille virginitatis, & angelicæ puritatis amor in dignè, & frequenter communicantibus. *Hinc puritatis amor,* Sanè fideles omnes hac de causa uti Christum, sic B. Virginem assiduè cordè, ore, & opere gestare deberent; imò in B. Virginem quasi transire, & transmutari, sicut ferrum igne candens transit in ignem, & sicut panis fermento conditus in fermentum quasi immigrat, & transit. Unde Christus se, suaque comparat fermento, Matth. 13. 33. Atque hac de causa Christus suam carnem reliquit in Eucharistia, optante & fortè orante id B. Virgine, ut sese intimè fideli cuique per omnia temporum sæcula uniret, & incorporaret. Vide hic eximiam charitatem Christi, & B. Virginis in nos, ut nos vicissim in eum cor totum defigamus, imò in eum quasi transeamus, ac dicamus cum S. Paulo: *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum quia neque mors, neq; vita,* &c. Ro. 8.

VERS. 30. QUI AUDIT ME, NON CONFUNDETUR: ET QUI OPERANTUR IN ME (id est, qui mihi navant operam) NON PECCABUNT) Tigurina, *qui me audit, in nullam prorsus ignominiam incidet; & qui navant operam, non peccabunt;* Syrus, *qui audit me, non cadet, & omnia opera eius corruptelam non patientur.* Duplicem hic fructum promittit sapientia sui studiosis; scilicet quòd duplex evadent malum, nimirum confusionem, & peccatum. *Qui,* inquit, *audit me,* id est, qui mihi auscultat, qui mihi obedit, numquam pudore suffundetur; quia nihil aget, cujus eum pudere possit; sed omnia perficiet sapienter, ut de iis lætari, & gloriari queat: quare æternam reproborum confusionem evadet, nec spe sua potiendi gloria cælesti frustrabitur, sed eam certò assequetur. *Et qui operantur in me,* id est, ait Jansenius, qui sua per me obeunt negotia, *non peccabunt* in eis; sed sua omnia uti prudenter, ita, & feliciter peragent. In priori ergo membro εὐτυχίαν, id est, felicitatem promittit: in secundo εὐπραξίαν, id est, bonam operationem.

Mysticè. Mysticè, utrumque sui cultoribus, sibique devotis præstat B. Virgo, uti ex omni sæculorum omnium historia liquet: quare si quis à peccato, & pudore immunis vivere velit, si quis gratiam, & salutem sibi assecurare, si quis magnum perseverantiæ donum nancisci cupiat, illud identidem à Deo per intercessionem B. Virginis efflagitet. *Modus obtinendi donum perseverantiæ.* Perire enim, & damnari nequit, qui tantam apud Deum patronam habet; nisi quis ultrò se in scelera, & gehennam præcipitet, uti faciunt nonnulli stolidi, qui impunè in suas cupiditates ruunt, præsumptuosè præsisi de ope B. Virginis, cui se devotos dicunt, eò quòd in ejus honorem Sabbatho jejunent, rosarium recitent, vel similem ei cultum exhibeant. Qui sanè in B. Virginem injurii sunt, tum quòd de ejus misericordia impiè præsumant, tum quòd cultum ejus tot criminibus inquinent, dedecorent, & infament, ideoque duplici damnatione digni sunt. D

Tropolog. S. Bernardus serm. de septem donis, *Operemur,* inquit, *in Sapientia, quæ dicit: Qui operantur in me, non peccabunt; ager enim est mundus, ait Veritas. Fodiamus in eo, thesaurus absconditus latet, effodiamus eum: ipsa est enim sapientia, quæ trahitur de occultis; omnes eam quærimus, omnes concupiscimus eam; sed frustra quæris, qui in lectulo tuo quæris, neque in terra suaviter viventium invenitur. Lectulus est, & ibi gigantem quæris; tuus est, & ibi speras invenire, qui diversoria semper ignoras. Si quæritis,* inquit, *quærite, convertimini, & venite. Quæris, unde? à lectulo tuo. Quæris, unde convertaris; à voluptatibus,* inquit, *tuis quærere.*

VERS. 31. QUI ELUCIDANT ME, VITAM ÆTERNAM HABEBUNT (Tigur. *interpretes mei vitam æternam consequentur;* nisi sapientiam, quam verbis elucidant, factis pravis obscurent. Equidem videtur difficile, & rarum, ut tam rebelli sit animo S. Scripturæ interpres, ut resistat veritati quam jugiter interpretatur, maximè cùm sapientia adeò benigna sit, ut contineantur ferè suos elucidatores vocet ad se, ait Palacius. Sententia hæc jam deest in Græco, & Syro. Sapientia recensuit, promisitque præmia discipulo qui audit sapientiam, v. præcedenti; nunc præmium assignat doctori, & interpreti, qui scilicet non seipsum, suamque gloriam, sed sapientiæ, Deique laudem aucupatur, & celebrat. Præmium est vita, & gloria æterna; quia, ut ait Daniel c. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt ut splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Nam, ut ait S. Bernard. serm. 39. in Cant. *Benignus est spiritus sapientiæ, & placet illi doctor benignus, & diligens, qui ita cupiat satisfacere studiosis, ut morem gerere tardioribus non recuset. Denique, qui elucidant me, vitam æternam habebunt, ait ipsa Sapientia. Quo quidem præmio ego fraudari noluerim.*

HÆC OMNIA LIBER VITÆ, ET TESTAMENTUM ALTISSIMI, ET AGNITIO VERITATIS. LEGEM MANDAVIT MOYSES IN PRÆCEPTIS JUSTITIARUM, ET HEREDITATEM DOMUI JACOB, ET ISRAEL PROMISSIONES) Hæc, & sequentia censet Jansenius esse verba non sapientiæ, sed Siracidis, qui hic interloquatur, explicetque, & confirmet verba sapientiæ; sed nihil obstat, VERS. 32. VERS. 33.
B quo minùs accipiamus ea ut verba sapientiæ, quæ hic pergat loqui, ostendatque ubi, & quibus in libris ipsa tradita sit, ideoque in iisdem legenda, & perquirenda. Nam inferiùs v. 40. pergit loqui sapientia, dicitque: *Ego sapientia effudi flumina.* Sensus ergo est, q. d. Hæc omnia quæ hactenus in meam laudem à me dicta audistis, subaudi, continet, tradit, & præstat *liber vitæ,* id est liber legis (Pentateuchus Mosis) & Prophetarum, qui dicitur *liber vitæ;* quia si eum observes, pertinges ad vitam æternam. Idem dicitur *testamentum* Dei, quia continet extremam, & summam ejus voluntatem, & pactum cum hominibus, estque ipsa *agnitio veritatis,* putà, veri Dei, veræ fidei, & religionis, veræ salutis, veræ virtutis, quæ una est via ad salutem assequendam: liber, inquam, legis, quem *mandavit Moyses,* dando *præcepta iustitiarum,* id est, justa, imò justissima, quæ essent quasi hæreditas perpetua Israeli, eique promitterent, & præstarent hæreditatem fertilem, stabilemque possessionem Judææ in hac vita, & in futura æternam paradisi cælestis, regnique Dei. Unde Græca breviter sic habent, *Hæc omnia* (subaudi, *continet,* vel *sunt*) *liber fœderis Dei altissimi; lex quam præcepit nobis Moyses, ac dedit nobis hæreditatem* (hæreditario scilicet
C jure possidendam) *in Synagogis Jacob.* Ubi Nota. Si intelligas verbum, *sunt,* significatur quòd sapientia sit liber vitæ, testamentum Altissimi, agnitio veritatis, lex quam mandavit Dominus. Unde Tigur. *hæc omnia ipse liber vitæ; & pacti Dei celsissimi sunt, veritatis scientia, & lex quam Moyses præceptis iustissimis tulit populis Jacob hæreditariam, unà cum promissionibus ad Israelitas pertinentibus.*

Alii verò subaudiunt verbum non, *sunt,* sed *continet,* eodem ferè sensu. Unde Syrus, *universa hæc,* inquit, *in libro testamenti Domini scripta sunt, lex quam mandavit mihi Moyses, hæreditas est congregationi Jacob.* Unde Illud regii Psaltis psal. 118. *Portio mea* (hæreditaria) *Domine, dixi, custodire legem tuam.*

Post hunc versum Græca Complut. & Tigurina hunc addunt: *Ne elanguescite, quo minus fortes sitis in Domino* (Tigur. *ne elassescatis cum Domino fortiter agere*) *ut ipse vicissim confirmet vos. Adhærescite ei, Dominus omnipotens solus Deus est, & non est alius præter ipsum servator.* Verùm Græca Romæ emendata, Syrus, & Latini omnes hæc omittunt.

POSUIS DAVID PUERO SUO EXCITARE REGEM EX IPSO FORTISSIMUM, ET IN THRONO HONORIS SEDENTEM IN SEMPITERNUM. QUI IMPLET QUASI PHISON SAPIENTIAM, ET SICUT TIGRIS IN DIEBUS NOVORUM) A Moyse quasi typo, transit ad Christū quasi antitypum. Quia enim dixit, sapientiā in lege Moysis, & Prophetis descriptam contineri, ne quis in iis quasi fine, & termino, plenaq; sapientia sistendum putet; subiicit, per Moysen, & Prophetas tendendum esse ad Christum, qui est finis legis, & Prophetarū: Christus enim solus plenā perfectamq; sapientiam, adumbratam tantùm per Moysen, & Prophetas, mundo attulit, & docuit, juxta illud Joan. 1. 17. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Jesum Christum facta est. Deū nemo vidit unquā: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Prior versus deest jam in Greco, & Syro, sed olim in Græco extitisse liquet ex nostro Interprete, qui illud in suo exemplari legit, uti hoc loco fatetur Jansenius. Neq; enim probabile est, inquit, illum de suo tam multa addidisse, quibus nihil tale in suo exēplari correspōdisset. *Posuit* ergo, scilicet Deus, qui David fecit *regem,* eiq; promisit filium eo potentiorem, putà, Messiam sive Christum. Hebræi enim sæpè suppositum ex VERS. 34. VERS. 35.

cir-

circumstantiis vel antecedentibus quasi notum, & cuivis A obvium, subaudiendum relinquunt. Sic hic sapientia, quia Deo est familiarissima & intima, Deum suum, quasi omnibus notum, subticet, & subaudit: præsertim quia eum hoc capite sæpius, ac paulò ante v. 32. nomine *Altissimi* nominavit: perinde ac S. Magdalena ait hortulano: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam,* quem? utique Christum, quo plena erat S. Magdalena, amore eius ebria, putabatque hortulanum & alios eundem cogitare, quem ipsa cogitabat & ardebat, Joan. 20. 15.

Sensus ergo est q. d. Deus altissimus, qui vetus testamentum & legem dedit per Moysen, *posuit*, id est, statuit & sanxit, ex Davidis semine excitare Messiam *regem fortissimum*, & sempiternum legislatorem novi testamenti, novæque legis, & doctorem novæ sapientiæ: *qui*, scilicet, Christus, *implet*; græcè est, *implens*, id est implebit, hoc est, plenè effundet, faciet abundare, *sapientiam*, perinde ac *Phison*, & *Tigris* abundant aquis *in diebus novorum*, id est novarum frugum prodeuntium & maturescentium, putà, tempore veris: (tempore æstatis etiam exundasse Jordanem, patet Josue 3. 15. & v. seq. hic.) eamque plenam perfectamque tradet Ecclesiæ & Christianis, per quam efficiet præstantissimos Doctores, Theologos, Confessores, Pontifices, Mar- B tyres, Virgines, ac fideles, in omni sapientia, id est, virtute & sanctitate, præstantes & perfectos. Unde Tigurina vertit, *Davidi constituit se regem potentissimum creaturum ex eo, qui in solio majestatis sedeat in æternum. Qui quasi Phison omnia replet sua sapientia, & ut Tigris novarum frugum temporibus;* Syrus, *quia plena est sicut fluvius Phison sapientia, & sicut Tigris in diebus frugum suarum*. ita Lyran. Hinc patet hæc verba non convenire Salomoni, sed Christo: etsi enim Salomon mortalium fuerit sapientissimus, tamen præ Christo fuit insipiens. Unde & regnum eius non fuit æternum, sed modici temporis & caducum, Christi verò regnum est æternum, uti hic dicitur. ita Rabanus & Lyran. Notat Palacius, propriè hæc convenire Pentecostæ: in ea enim Christus misit Spiritum sanctum in Apostolos, ut in eos suam sapientiam & Spiritum copiosè instar fluminis effunderet; imò eos faceret quasi flumina sapientiæ, quæ totum orbem inundarent. Unde apparuit eis in specie linguarum ignearum, Actor. 2. Alludit ad etymol. Phison. *Phison* enim hebraicè idem est, quod multitudo, copia, exuberantia, à C radice פוש *pus*, id est luxuriari, multiplicari, exuberare, ita Josephus 1. Antiqu. c. 1. & Isidorus lib. 13. Etymol. c. 21.

Aliter Jansenius: censet enim *Tò, qui implet quasi Phison*, non referri ad Christum, sed ad Deum, esseque suppositum versus præcedentis, q. d. Deus altissimus, qui implet quasi Phison, sapientiam, hic Davidi puero suo constituit excitare regem Messiam fortissimum. Verùm Messias hic non tam à fortitudine, quàm à sapientia laudandus venit: ergo *Tò, qui implet quasi Phison sapientiam*, ad Messiæ sapientiam declarandam referendum est; alioqui tenuis & planè frustranea Messiæ hic mentio induceretur.

Nec obstat Græcum, ὁ πιμπλῶν, id est *implens*, scilicet Deus: nam si regem Christum referret, dicendum fuisset πιμπλῶντα, id est *implentem*, ut obiicit ipse Jansenius: quia articulus ὁ, sumitur pro relativo ὃς, id est, *qui*; & fortè sic legit Noster, unde vertit, *qui implet*: *qui*, scilicet rex Christus; hic enim præcessit, non Deus. Hebræi enim par- D ticipio utuntur pro indicativo, quia eo carent. Adde, antiptosin crebram esse Hebræis, ut nominativum usurpent pro accusativo; quia Hebræi casibus carent. Denique, iidem sæpè subaudiunt relativum, אשר *ascer*, id est *qui*, præsertim in epiphonemate, quale hic est, q. d. Deus excitabit regem Messiam, qui erit ὁ πιμπλῶν, id est, ille cælestis doctor implens omnem sapientiam.

Sapientia similis quatuor fluviis paradisi. Nota Primò. Sapientia hucusque se comparavit pulcherrimis arboribus, resinis, aromatibus & floribus: nunc se in Verbo incarnato, putà, Christo, qui est Sapientia Patris, tam genita, quam incarnata, comparat præstantissimis sacrisque fluminibus, scilicet quatuor paradisi, per quos mysticè repræsentabatur; sicut enim illa exuberant aqua, ita Christus gratia: & sicut illa irrigat & fœcundat paradisum, ita Christus irrigat & fœcundat Ecclesiam. Rursum, sicut illa ad quatuor orbis partes tendunt, ita Christi sapientia quatuor orbis plagas pervasit & adaquavit. Tertio, quatuor flumina, ait Ambros. lib. de Paradiso, & S. August. 13. de Civit. c. 21. ac Rabanus & Lyran. repræsentant quatuor Evangelia, quibus conscripta est sapientia Christi, quæ quatuor mundi regiones occuparunt. Igitur sapientia increata & genita hic descendit ad Sapientiam incarnatam, putà, ad Christum, qui non tantùm fuit redemptor hominum, sed & sapientiæ doctor; ac ex ea v. 40. descendit ad sapientiam creatam & communicatam creaturis.

Nota Secundò. *Implere sapientiam*, est, plenam continere sapientiam; item plenam dare, docere & effundere instar Phison, qui ita plenus est aquis, ut plenitudine sua exundet, eamque effundat in campos vicinos. Est hebraismus: miscetur enim *cal* cum *hiphil*, id est, significatio neutra cum activa: *implere* enim est plenum continere, & plenum effundere.

Tertiò. Tigris impletur aquis *in diebus novorum*, id est, dum novæ fruges adolescunt, hoc est, in Martio & vere: quia tum nives hieme constrictæ liquantur, & in Tigrim influunt. Eadem de causa multa alia flumina in Martio crescunt & intumescunt: idque fit sapientia & sapienti consilio Dei, ut scilicet fruges crescentes & maturescentes, à crescente & exundante flumine majus sugant alimentum. Audi Plinium lib. 18. cap. 18. *Excellentius Thebaidos regioni frumentum, quoniam palustris Ægyptus: similis ratio, sed major felicitas Babyloni ac Seleuciæ, Euphrate atque Tigri restagnantibus* (exundantibus) *quoniam ibi rigandi modus manu temperatur*.

Quartò, qui sint Tigris & Euphrates, constat, de Phison & Gehon dubium est. S. Hieron. Joseph. Epiphan. S. August. S. Ambros. Isidorus, Rabanus, Glossa, & passim alii, censent Phison esse Gangem, qui *circuit terram Evilath*, ut dicitur Genes. 2. 11. id est Indiam, quæ est intra Gangem: *ubi nascitur aurum* optimum, imò ipse Ganges, teste Plinio aurifer est & gemmifer: & Gangem exundare æquè, ac Nilum, docet Plinius loco jam citato. Ganges etiam rectè vocatur *Phison*, id est multitudo, quia in Gangem decem magna flumina aquas suas exonerant. Verùm, quia difficile est creditu, paradisum, qui hebr. vocatur *gan*, id est hortus voluptatis, tot tamque vastas regiones, quot inter Euphratem, Gangem, & Nilum interiacent, complexum esse; hinc Pererius, Oleaster. Eugubinus, Vatabl. & alii probabiliter opinantur, Phison & Gehon esse duos fluvios, qui ex confluxu Euphratis & Tigris, cùm rursus se dividunt, & diffluunt, nascuntur, ac post varios anfractus labuntur in sinum Persicum. Unde Q. Curtius lib. 5. & Plinius lib. 6. cap. 27. unum horum vocat Phasitigrim, qui videtur esse Phison. Vide quæ de hac quæstione dixi Genes. 2. 8 — *Phison an Ganges?*

QUI ADIMPLET QUASI EUPHRATES SENSUM, QUI MULTIPLICAT QUASI JORDANIS IN TEMPORE MESSIS) — VERS. 35. q. d. Christus adimplet, id est, plenum perfectumque promit profertque sensum; græcè σύνεσιν, id est intelligentiam, sicut Euphrates plenas promit funditque aquas, unde Tigurina, *in modum Euphratis fœcundas ingenium* Christus. Idem *multiplicat*, id est multum docendo effundit sensum & sapientiam, sicut *Jordanis in tempore messis* aquis exundat. Jordanem adiungit quatuor sacris fluminibus paradisi, quia & ipse sacer est ex terra sancta, quam interluit, & ex miraculoso transitu Hebræorum per illum sicco pede, duce Josue, *Jos.* c. 3. item ex habitatione Eliæ, Elisei & Prophetarum, ac S. Joannis Baptistæ, qui in Jordane baptizavit Judæos, adeoque ipsum Christum. Porrò, Jordanis eadem de causa, qua Tigris, exundat tempore messis scilicet, eò quòd in vicinis montibus liquatæ per æstum nives, aquæ copiam in Jordanem immittant, uti docet Abulensis, Andr. Masius & Arias Montanus in Josue c. 3. *Tempus* enim *messis* vocat Martium & ver. In Nisan enim, id est, Martio, in Judæa, utpote regione calida, primæ fruges maturescunt, ut patet ex eo quòd in Paschate primæ fruges hordeaceæ Deo ex lege offerebantur: qua de causa Nisan, id est Martium, Script. vocat *mensem novarum frugum*, vel, *primum verni temporis*. Deuter. 16. 1. uti ostendit Exodi 13. 4. unde Syrus hic expressè vertit, *supernatat sicut Euphrates intelligentia, & sicut Jordanis in diebus Nisan*, id est in Martio.

Symbol. Jordanis typus est baptismi, quo illuminamur, ac fide & sapientia Christi donamur. Ita Rabanus.

QUI MITTIT DISCIPLINAM SICUT LUCEM, ET ASSISTENS QUASI GEHON IN DIE VINDEMIÆ) — VERS. 37. Tigurina, *disciplinam profert ut lucem, inundat sicut Gehon tempore vindemiæ;* Syrus, *effundit sicut fluvius doctrinam, & sicut Gehon in diebus vindemiæ*. Miscet fluminibus solem, & lu-

cem, quia quod sol est in cælo, hoc est flumen in terra, scilicet terræ oculus: sicut enim sol spargit lucem, quæ terram illuminet, calefaciat, & fœcundet: sic, & fluvius spargit rivos aquarum, qui terram irrigent, inebrient, & fœcundent. Unde Hebræi hæc duo per unum idemque verbum significant: נהר *nahar* enim significat, & illuminare, & confluere; hinc *nahar* est fluvius in quem confluunt aquæ: *nahar* rursum alludit ad שמנר *ner*, id est lucerna, & ad נר *or*, id est lux, quia fluvius est quasi lucerna, & lux terræ.

Fluvius est quasi lucerna terræ.

Porrò, aptissimè Christi sapientia comparatur luci, & soli: quia ipse est sol sapientiæ, gratiæ, & justitiæ, qui ejus radios mittit in omnes homines. Vide Iacobi dicta 1. v. 17. & Malachiæ 4. 2.

ET ASSISTENS QUASI GEHON) *Tò assistens*, jam non est in Græco, & Syro; Iansenius illud accipit activè q. d. Sapientia sistit lucem, id est eam præsentem exhibet: verùm Latinè nemo dicitur lucem assistere, pro eam præsentem exhibere. *Assistens* ergo propriè significat, Christum nobis assistere cum copia suæ sapientiæ, & gratiæ, paratum ut eam in nos effundat, si vas capax, puta, cor rebus aliis vacuum, ei exhibuerimus: sicut Gehon intumescens, cum aquarum copia assistit agris, ut eam in illos effundat, nisi quis murus vel alius obex obsistat.

Quæres, quis, & qualis fluvius est Gehon. S. Epiphanius, S. August. Ambros. Hieron. Thodor. Joseph. Damasc. Isidor. Raban. Eucher. Rupert. Glossa in Gen. 3. & alii veteres communiter, quos citant, & sequuntur Conimbric. in Meteora tract. 9. c. 10. & Ribera in Amos c. 6. n. 44. imò & Septuag. Jeremiæ 2. v. 17. conferendo cum Hebræo, docent Gehon esse Nilum: Nilus enim est qui circuit terram Æthiopiæ, ubi regnat Prete Joannes, quod de Gehon dicitur Genes. 2. 13. Item Nili exundatio celeberrima est, uti de Gehon hic dicitur. Nilus ergo è terrestri paradiso oritur, sed subterraneis cuniculis absconditur Dei consilio ad occultandum paradisum, donec perveniat ad regnum Congi, ubi è quodam lacu Nilum primùm nasci observarunt ii, qui hoc sæculo ea loca lustrarunt. Hinc veteribus Nili origo incognita: Pausanias tamen in Corinthiacis ait, non deesse qui ex Euphrate, terra condito, ac postea supra Æthiopiam prodeunte, Nilum effici putant. Quod respondet S. Scripturæ, quæ Genes. 2. quatuor illa flumina paradisi, inter quæ est Euphrates, ex uno oriri, vel in unum confluere docet. Nec mirum, Nilum ita condi, & tam remotè exoriri: nam flumina remotissima à mari, hoc modo è mari oriuntur, ut ait Ecclesiastes c. 1. v. 7. Porrò patet Nilum exundare in æstate post messem, quæ in Ægypto fit in Majo, putà, sub solstitium æstivale, sub quod tempus ibidem fit vindemia: & tum partim exundando, partim oblimando, stercorare, & fœcundare Ægyptum. Causam exundationis variam dant Solin. Plutarc. Diodor. Mela, Plinius & alii, ut notavi Exodi c. 9. Vera est, quam dat Aristoteles in Meteor. & quam recentiores experientia didicerunt, scilicet, pluviæ quæ in superioribus partibus, in quibus eo tempore hiems est, quo in Ægypto est æstas, tum ob hiemem, tum ex peculiari cæli, & sideris alicujus influxu, stato tempore abundant, & in Nilum cum nivibus à se in aquam resolutis defluunt. Quæ etiam causa est communis inundationis aliorum fluminum. Ita Conimbric. superiùs citati. Verum quia incredibile videtur, Nilum, & Gangen tanto, & tam vasto terrarum spatio sub terra se condere, & fluere, putà, per 4300. milliarium; hinc Pererius, Oleaster Bugutinus, & alii probabiliter censent, Gehon æquè ac Phison esse illa duo flumina, quæ post confluxum Tigris & Euphratis rursum se in duo secant, & dividunt. Qua de re fusi Gen. 2. 8.

Gehon è Nilus.

Porrò, appositè sapientia comparat se Nilo. Ægyptus enim omnem suam fertilitatem, & felicitatem haurit à Nilo, sic homines à sapientia. *Nilus ibi coloni vice fungitur*, ait Plinius lib. 18. ca. 18. exundatione sua enim oblimat, impinguat, & fœcundat agros: quin, & subinde semina aliunde allata in agri sinus iacit, ut coloni provenientes fruges metant, quas non seminarunt. Sic, influente in nos sapientia, velut Nilo, cælestium donorum, & seminum, nec aratam nec seminatam virtutum messem provenire cernimus, ut impleatur illud Christi: *Alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis*, Joan. 4. 37.

Sapientia similis Nilo: cur?

Tropol. Paradisus voluptatis, est anima sapiens, & sancta, quæ quatuor rigatur fluviis; Gange, id est, prudentia; Nilo, id est, temperantia; Tigri, id est, fortitudine; Euphrate, id est justitià. Ita S. Ambros. lib. de Paradiso. Vide dicta Genes. 2.

QUI PERFICIT PRIMUS SCIRE IPSAM, ET INFIRMIOR NON INVESTIGABIT EAM) *Perficit scire*, id est, perfectè scit: est græcismus. Sensus est, Christus solus perfectè novit sapientiam; & quicumque Christo minor, & infirmior est, hic numquàm plenè eam investigabit. Unde Græca pro *os*, id est, *qui*, legendo iam *os*, id est *non*, sic habent, *neque primus perfectè novit eam, neque similiter ultimus pervestigabit*. q. d. Nec primus hominum qui studuit sapientiæ, nec ultimus qui eidem studuit vel studebit, eamdem plenè penetravit aut penetrabit. Unde Tigur. *primus eam non pernovit exactè, nec item pervestigavit ultimus*; clarè Syrus, *non absolverunt antiquiores sapientiam, nec posteriores comprehendent eam*. Hoc est quod ait Baruch. c. 3. 31. *Non est qui possit scire vias eius* (sapientiæ,) *neque qui exquirat semitas eius; sed, qui scit universa, novit eam*, &c. *Post hac in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*, homo factus, ut homines doceret sapientiam. VERS. 38.

B Audi Rabanum. *Verè enim Dominus noster Jesus, auctor est scientiæ spiritalis, & salubris doctrinæ: quia ipse per Moysen primùm condidit legem: ipse inspiravit Prophetas, ipse docuit Apostolos, ipse ordinavit Evangelistas, & prædicatores novi testamenti: nec alius est plenus, & perfectus investigator, & agnitor sapientiæ Dei, nisi is, qui cum Patre, & Spiritu sancto unus est Deus; de quo scriptum est: Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Quod autem dicitur A mari abundavit cogitatio illius, & consilium ipsius ab abysso magna; ostendit profunditatem sapientiæ divinæ inæstimabilem, & incomprehensibilem esse: quia nemo secreta illius per omnia penetrare potest, nisi ipse unus, & solus Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, qui semetipsum per omnia novit, & consilii sui verus agnitor est. Dat creaturæ suæ tantum de se nosse, quantum novit illi expedire; & doctrina sua fidelibus suis secundùm modum dispensationis suæ tribuit intellectum.*

A MARI ENIM ABUNDAVIT COGITATIO EJUS ET CONSILIUM ILLIUS AB (ita legendum cum Rom. & Græcis, non *in*) ABYSSO MAGNA) Dat causam, cur nemo, nisi Christus plenè possit pernoscere sapientiam; quia scilicet *à mari*, id est, præ mari, plusquam mare, abundat, & profunda est *cogitatio* sapientiæ, & *consilium* eius præ *abysso*, id est, aquarum voragine, & copia, quæ fundo caret, id est carere hominibus videtur, profundum est, & inscrutabile, juxta illud Roman. 11. O *altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius!* Est hebraismus: Hebræum enim מן *min*, id est, *à, ex, de*, sæpè significat *præ, plusquam*. Hoc imitatur subinde Latinus Interpres; unde *à*, vel *è*, sumit pro *præ*. Exempla sunt Ezech. 16. 52. Lucæ 18. 14. 3. Reg. 14. 21. Psalm. 137. v. 5. & alibi. VERS. 39.

C

Quocirca Tigurina vertit, *nam abundantior mari est intellectus eius, & consilium eius profundo immensius*; Syrus, *quia præ mari magno multiplicata est sapientia, & cogitatio præ abysso magna*; alii, *supra mare multa est cogitatio eius, & consilium eius supra abyssum ingentem*. Aliter Palacius, *à mari divinitatis*, inquit, *ortum habet sapientia Evangelica, & ideò eius consilium est in* (sic enim ipse legit pro *ab*) *eadem divinitatis abysso. Quis igitur nisi Deus eam cognoscet.*

EGO SAPIENTIA EFFUDI FLUMINA) Tigur. *ego sapientia tota effundo flumina*. Ne quis enim miretur, dicatque: Cur te, ò sapientia, comparasti cum Euphrate, Tigri, Jordane, &c. quid tibi, quæ lux es spiritalis, cognationis aut rei est cum fluminibus? Respondet, magnam sibi cum eis cognationem esse; se enim esse matrem fluminum, se e suis visceribus quasi effudisse flumina. Adde, VERS. 40.

D magnam esse analogiam fluminis, & aquæ cum sapientia: utraque enim refrigerat, rigat, fœcundat sitim sedat: denique qualis est fluxus fluminis à fonte, talis est fluxus luminis à sole, putà, sapientiæ à Deo: imò hic illo longè est celerior, sublimior, divinior. Vide Hydragiologiã M. Antonii Marsilii Columnæ Archiepisc. Salernit. in qua ostendit aquæ & fluminum præstantiam, ideoque crebrum aquæ usum esse in Sacramentis, & rebus sacris. Unde Thales, & Philosophi, *aquam principem rebus creandis* dixere, inquit Auso. in Ludo sapient.

Analogia aquæ & sapientiæ.

Dicit ergo: Ego sapientia me ipsam in Christo (qui est Sapientia æterna Patris) comparavi fluminibus; quia ego quasi fons effudi flumina tum corporalia; & propriè dicta: (Deus enim per me quasi ideam, & sapientiam ordinatè, & sapienter creavit omnia, ac proinde tam flumina quam cælum, & terram, juxta illud Proverb. 8. 27.

Quando

Quando praeparabat caelos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, &c. cum eo eram cuncta componens:) tum potiùs spiritalia, & metaphorica: ego enim effudi flumina, id est abundantiam sapientiæ, & gratiarum in fideles, & Ecclesiam quovis mundi ævo. Unde de iis subjungit: *Rigabo hortum meum, quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino.* Ita Rabanus: *Christus:* inquit, *est sapientia. & effudit in mundum flumina doctrinæ Evangelicæ, quæ abundantissimè reficiunt, & satiant avidas mentes electorum.* Porrò, hæc sententia jam deest in Græco, & Syro.

VERS. 41. EGO QVASI TRAMES AQUÆ IMMENSÆ DE FLUVIO: EGO QUASI FLUVII DIORYX, ET SICUT AQVÆDVCTVS EXIVI DE PARADISO) Dat causam ejus quod dixit: *Ego effudi flumina*, quia scilicet ego ipsa sum flumen primigenium, & trames aquæ immensæ de fluvio: per me ergo cetera omnia tam flumina, quàm creata quælibet à Deo creatore profluxerunt.

Nota. Pro *ego quasi fluvii dioryx*, quæ est vera lectio, quam habent Rom. & Græca, scriptores non intelligentes Τὸ *dioryx*, perperam varia substituerunt, quisque quod sibi affine, & commodum videbatur. Unde alii legunt, *ego quasi fluvius vorax*; alii, *ego quasi fluvius Dorix*; alii *dorax*. Vide Franc. Lucam hic annot. 272. alii, *ego quasi fluvius Dioryx*, putantes Dioryx esse nomen proprium fluvii, putà esse Araxim, qui Armeniam interluit, de quo proinde hunc versum sic tam ad litteram, quàm mysticè explicat Rabanus: *Hunc fluvium*, inquit, *quidam historialiter Araxim amnem Armeniæ esse putant, qui ab uno monte cum Euphrate diversa specie oritur. Dictus autem, quòd rapacitate cuncta prosternat: unde, & cùm Alexander eum transgredi vellet ponte fabricato, tanta vi inundavit, ut pontem dirueret: hic brevibus intervallis ab Euphratis ortu caput tollit, ac deinde Caspium fertur in mare. Doricum autem à Græcis hunc æstimant nuncupatum. Est autem pars Græciæ gentis Doris nuncupata, ex qua tertia lingua Græcorum Dorica appellata est. Mysticè autem sapientia comparat se fluvio rapidissimo, & aquæ egredienti de paradiso: quia doctrina Salvatoris de cælesti prodiens thesauro, omnia obstacula errorum, atq; persecutionum suo velocitate atq; fortitudine disrumpit ac frangit; ita ut per ora prædicatorum in totum orbem longissimè atque latissimè diffluat; unde scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Psal. 18.

Dioryx an Araxes?

Verùm vera lectio, ut dixi, est: *Ego quasi fluvii dioryx. Dioryx* enim Græca vox est, significans alueum, riuum, fossam in quam fluvius derivatur, ab ὀρύττω, id est fodio. Est ergo nomen appellativum, non proprium.

Porrò, Τὸ *ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio*, idem est cum eo quod sequitur, *Ego quasi fluvii dioryx*. Prius enim explicat posterius. Unde Græca posterius tantùm habent, sic enim legunt: ἐγὼ δ' σοφία ὡς διῶρυξ ἀπὸ ποταμοῦ, καὶ ὡς ὑδραγωγὸς ἐξῆλθον εἰς παράδεισον, id est, *ego sapientia quasi dioryx de fluvio, & quasi aquæductus exivi in paradisum*. Quare Franc. Lucas, & Jansenius censent, in Latina Vulgata junctas esse duas ejusdem Græcæ sententiæ translationes, quas non est verisimile ab eodem nostro Interprete simul profectas; sed alteram ex alterius versione additam. Nostrum itaque vertisse, *ego quasi trames aquæ immensæ:* sic enim vertit διῶρυξ, v. 43. Alterum addidisse: *Ego quasi fluvii dioryx*. Quare hæc tria, *trames, dioryx, aquæductus*, unum, & idem, aut penè idem sunt. Trames enim aquæ, non est aliud quàm διῶρυξ, id est, fossa è fluvio deducta ad transferendam aquam. Unde Tigurina vertit, *ego quasi fossa è flumine ducta, atque ut aquæductus in paradisum pertineo*; Syrus, *ego sicut fluvius qui irrigat, & sicut dioryx aquarum quæ descendit in hortos*. Sensus est q. d. Ego sapientia flumina doctrinæ salutiferæ effudi in terras: quia ego sum quasi trames aquæ immensæ de fluvio, id est quasi fossilis aliquis fluvius, aut fossa aliqua in quam derivantur aquæ immensi fluvii, putà, immensa sapientia Dei q. d. Non à me hæc habeo, sed à Deo, quare sum quasi fluvii dioryx, id est quasi fossa à fluvio illo magno diuino deducta, & sicut aquæductus exivi de paradiso cælesti, & diuino, ex quo omnia flumina oriuntur (à Deo enim cæli domino oriuntur omnia) sicut è paradiso terrestri oriebantur quatuor illa celeberrima flumina jam dicta, nimirum Phison, Gehon, Tigris, & Euphrates. Græca pro *è paradiso* habent *in paradisum*, eo sensu qui explicabitur v. sequenti, ubi dicitur: *Rigabo hortum meum*: hic enim hortus est paradisus, ubi fons est sapientiæ, & voluptatis.

Porrò, hæc sententia accipi potest Primò, de sapientia increata essentiali, quæ communis est Patri, Filio, & Spiritui sancto. Hæc enim, licet sit idem cum Deo, tamen nostro modo concipiendi manat à Deo, id est Dei essentia, sicut ab essentia creata manant ejus accidentia, qualia sunt sapientia, bonitas, perspicacitas, &c. perinde ac à fonte oritur riuus, & aquæductus.

Secundò, hæc sententia accipi potest de Sapientia increata notionali, quæ propria est Filio: Filius enim à Patre procedit quasi verbum ab ore, uti dixit v. 5. quasi lumen de luce, quasi fluvius à fonte, qui totam fontis aquam in se recipit, & capit, ideoque ei adæquatur. Sic enim Filius recipit à Patre totam ejus essentiam, & sapientiam, eique per omnia est par, & æqualis. Ita Rabanus, *Ipse*, inquit, *est trames aquæ immensæ de fluvio: quia sicut Deus de Deo, lumen de lumine, ita ipse aqua immensa de fonte Patre, sive fluvio, tropicè dici potest; quoniam Pater origo est divinitatis, quando sicut de Patre genitus est Filius, ita, & Spiritus sanctus procedit à Patre; quem in Evangelio aquæ nomine Dominus nuncupavit, dicens: Qui biberit aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, Joan. 4. *Item: Qui sitit, veniat ad me, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ vivæ*, Joan. 7. *Et rursum: Aqua sapientiæ salutaris potavit eum*, Eccl. 15.

Sic, & Palacius: *Pater*, inquit, *hoc loco vocatur fluvius, unde omne Esse in universo fluit: ex hoc fluvio primus trames fluens est Filius, in quem ex Patre universa divinitas derivatur: unde ipse est trames aquæ immensæ, & non mensuratæ, nec mensurabilis.* Rursum: *Pater est paradisus: aquæductus, id est, fluvius inde egrediens, est Filius, seu Sapientia: egreditur verò non velut primarius fluvius, is enim est Pater: sed velut aquæductus, seu trames, seu fossa iuxta illud: Verbum erat apud Deum, id est, Sapientia apud Patrem; non Pater, sed ex Patre; & iuxta illud: Ego ex ore Altissimi prodivi.*

Denique noster Gregor. de Valentia 1. part. disput. 7. q. 6. de paradiso, punct. 1. sic explicat: *Ego quasi aquæductus exivi de paradiso*, id est, ego Filius qui sum Sapientia genita, processi de substantia Patris, in qua est tamquam uberrimus torrens voluptatis. *Paradisus* enim metaphoricè significat omnem rem vel locum amoenum instar horti. Multis exemplis idipsum ibidem demonstrat Valentia. Deus enim est paradisus, imò oceanus deliciarum, & bonorum omnium.

Tertiò, accipi potest de Sapientia incarnata, putà, de Christo homine: hic enim fuit quasi dioryx, & aquæductus divinitatis: ab ea enim hausit omnem suam sapientiam, gratiam, & virtutem, ut eam quasi aquæductus in homines, & Ecclesiam transfunderet.

Quarto, valdè appositè accipi potest de sapientia creata, & communicata creaturis, præsertim fidelibus. Hæc enim est dioryx, & aquæductus Sapientiæ increatæ, exitque de paradiso cælesti in terras, ut eas irriget, sicut quatuor flumina exibant è paradiso, ut orbem irrigarent: q. d. ait Jansenius: Ego sapientia effudi in mundo per legem, & sapientum doctrinam, ac per internam inspirationem, flumina, hoc est, copiosam mundo exhibui doctrinam, quam tamen non ex meipsa accepi, sed sum quasi effossa aliqua via immensæ aquæ, de fluvio aliquo magno deducta, hoc est, sum quasi uvius fossilis, & sicut aquæductus exivi in mundum ad homines de paradiso cælesti, ubi fons est omnis sapientiæ, & verus locus voluptatis. Significat ergo legis doctrinam, per quam sapientia hominibus est communicata, originem suam habere à Deo: nec tamen omnem Dei sapientiam ad nos plenè derivatam, sed partem tantùm, quæ nobis, & conveniebat, & necessaria fuit.

Porrò, sicut dioryx est multiplex, sic, & sapientia. Richardus de S. Victore decem modos recenset, quibus aqua ad homines transfunditur, scilicet efficiendo puteum, fontem, torrentem, riuum, cisternam, fluvium, stagnum, lacum, abyssum, diluvium. Totidem, & pluribus modis ad homines dimanat sapientia. Hæc autem ortum suum in mundo habuit ex plenitudine cælestis sapientiæ, quæ in Deo à Beatis pleniùs hauritur, & percipitur.

Mysticè dioryx est B. Virgo.

Mysticè, trames, dioryx, & aquæductus fluvii divini est B. Virgo, & Sancti B. Virgo enim quasi aquæductus excepit sapientiam divinam, ipsamque personam Verbi, ut eam pareret, & in homines transfunderet. Audi in primis nostrum Salazar in Proverb. c. 31. n. 135. Mariæ, inquit, virginis exitus primus, & prima in lucem editio celebratur his verbis: Et jam tunc in immensum effusam gratiarum suarum affluentiam aperiens, *Ego*, inquit, *quasi trames aquæ immensæ de fluvio*. Et subdit: *Ego quasi fluvius dioryx*. Ex vetustis exemplaribus aliqua sic habent: *Ego quasi fluvius*

vorax: & in Virginem aptissimè quadrat, quæ gratiarum omnium fluenta, ut ita dicam, hausit ac perbibit. Accipe Bonavent. in Speculo c. 3. *Omnia*, inquit, *charismata intrant in Mariam, flumen enim gratia Angelorum intrat in Mariam, flumen gratia Patriarcharũ, & Prophetarum intrat in Mariam, flumen gratia Apostolorum intrat in Mariam, flumen gratia Martyrum, Confessorum, Virginum, Doctorum intrat in Mariam: omnia denique flumina intrant in Mariam. Sed quid mirum si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit?* Est ergo Maria flumen immensum omnium fluminum vorax. Quin, & Mahomet in Alcorano, de familia Adamar hæc elogia dat B. Virgini: *Dixit*, inquit, *Angelus Gabriel ad Mariam: O Maria, Deus te elegit, & decuit gratiam, & prælegit super omnes mulieres omnium sæculorum, & posuit te quasi novum medium, dividens inter homines terrenos, & Angelos Dei in paradiso deliciarum.* Nec multùm abit illud nomen *dioryx* aut *duarix*, cujus hic meminit Ecclesiasticus, à nomine Durii nostri. Rabanus existimat nomine Dioryx Araxem, totius Persiæ maximum fluvium, notari, qui tanto volvitur impetu per declivia, ut præceps ejus lapsus omnia secum auferat, pontes, impedimenta, &c. Huc spectat illud Poetarum principis; — *Mahometis elogia de B. Virg.*

Pontem indignatus Araxes.

Ergo ad rem nostram, Maria cum fluvio Araxe aptissimè comparatur, quia collectis undiq; gratiarum omnium rivis, in quamdam immensam evasit gratiarum vim: ex hac verò tanta in pietatem, & honestatem propensio nata est, tamque rapidus, præcepsq; in bonum omne cursus, ut omnes peccatorum illecebras, occasiones, tentamenta, & motus pravos alvei istius vis magna devolveret ac demergeret. hæc Salazar.

Audi, & S. Bernard. serm. in Nativit. B. Mariæ, quem inscribit de Aquæductu, explicantem, quomodo dioryx, & aquæductus gratiarum nobis facta sit B. Virgo. *Altiùs intuemini quanto devotionis affectu a nobis Mariam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Hortus planè deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, sed, & perflaverit superveniens Auster ille Dominus; ut undique fluant, & effluant aromata eius, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris utique magni, & spatiosi, quid nisi caligo involvens, & umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Et paulò superiùs. *Plenus equidem*, inquit, *aquæductus, ut accipiant cæteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam. Nostis enim cui dictum est: Ave gratia plena.* Et interiùs: *Ascendit planè supra omne humanum genus, ascendit usq; ad Angelos, sed, & ipsos quoq; transcendit, & cælestem omnem supergreditur creaturam. Nimirum super Angelos hauriat necesse est, quam refundat hominibus aquam vivam.* Unde concludens ait: *Cæterùm, quidquid illud est quod offerre paras, Mariæ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quò influxit. Neque enim impotens erat Deus, & sine hoc aquæductu infundere gratiam prout vellet; sed tibi vehiculum voluit providere. Fortè enim manus tuæ, aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti; ideoque modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quædam lilia sunt, nec causabitur ille liliorum amator inter lilia non inventum, quidquid illud sit quod inter Mariæ manus invenerit.* Maria ergo est trames, id est, via in invio peccatorum, ipsa via in bivio deviantium, ipsa via in trivio dubitantium, & securè ad patriam in cælum redeuntium: manat ex fluvio, id est, ex Spiritu sancto, vel ex Christo, cujus aqua immensa est, immensa ejus redemptio, & gratiarum copia ex ea profluens.

VERS. 42. DIXI: RIGABO HORTUM MEUM PLANTATIONUM, ET INEBRIABO PRATI MEI FRUCTUM) Ita legendum, *prati*, scilicet, non *partus* vel *pratus*: sic enim legunt Romana, & Græcum πρασιᾶς significat areolam horti in qua seruntur olera, sive viridaria. Unde Columella, *Figuræ*, inquit, *ad olerum consitionem quadratæ dispositiones, quæ πρασιαὶ dicuntur, in laterculi formam.* Hinc, & πράσινος vocatur color viridis, qui conflatur ex fulvo, & nigro, teste Platone in Timæo. Sic ergo habent Græca; μεθύσω μου τὴν πρασιάν το δίκαιον, id est, *irrigabo areolam meam iustam*. q.d. Ego sapientia rigabo mea lege, & doctrina Ecclesiam, sive cœtum fidelium, quem quasi areolam, & hortum populi justi, & sancti, mihi è toto mundo colendum delegi, & suscepi, ut in ea plantem omnia virtutum genera, omnesque justorum status, & gradus, qui varios sapientiæ, & sanctitatis fructus proferant. Quod ut faciant, indigent assidua irrigatione sapientiæ, id est, illuminationis, impulsus, & gratiæ Dei; sine hac enim exucci, aridi, & steriles ex seipsis remanerent: ut verò id abundè, & copiosè faciant, ego non tantùm irrigabo, sed, & inebriabo eos mea sapientia, & gratia.

Pro *plantationum*, Complut. habent ἀρίστον, id est, *optimum*; alii, *egregium*. Unde sic habent, *potum dabo horto meo optimo, & inebriabo meam viriditatem iustam*, id est, justè, & adæquatè dimensam, & circumscriptam, uti in hortis areolæ florum solent latè in circulos, vel quadratæ efformari, & laterculis circumscribi, ut justa omnium sit proportio, & adæquatio. Talis enim areola, per omnia justè adæquata, & conformata, est Ecclesia, quoad omnes sui partes, putà, quoad Ecclesias quaslibet particulares, quoad varios fidelium status, & gradus, ac præsertim quoad Clerum benè ordinatum, & sibi invicem subordinatum. Unde Tigurina vertit, *horto meo eximio potum dabo, iustamque meam areolam irrigabo*; Syrus, *dixi, Rigabo hortum meum, & inebriabo cubilia mea*, puta, areolas meas: has enim hortulani vocant lectulos, sive cubilia florum, & aromatum. Ita Rabanus, & Palacius. Quem audi: Quia, inquit, sapientia dixit se esse tramitem aquæ immensæ, manifestat nobis decretum suum esse, ut, sicut divinitas ex Patre fluxit in Filium, ita ex Filio fluat suo modo in Ecclesiam. Hoc ait: Rigabo hortum, scilicet Ecclesiam: hæc vocatur hortus plantationum; quia in eo plantantur fideles, qui sunt velut plantæ, de quibus habes in Canticis, habes, & in Psalm. cùm dicitur: *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.*
Et rursum: *Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Quod Secundò dicit: *Inebriabo*, notat Primùm, aquam Spiritus sancti, & gratiæ, qua sapientia rigat Ecclesiam (quæ pratum est) aquam esse ad rigandum, & vinum ad inebriandum. Quod autem dicit: *Inebriabo fructum*, notat plantas Ecclesiæ non esse ficus, sola folia habentes, ut erant olim Pharisæi; sed esse fructiferas, fructus spiritus ferentes, quos Paulus ennumerat. Notat Tertiò, tunc maximè pios à multo Spiritus inebriari, cùm fructus ferunt; ideò inquit, *Inebriabo fructum*. Si vis videre ebrietatem hanc, Martyrum fervorem considera. — *Psal. 91. 14* — *Psal. 1. 3.* — *Galat. 5.*

Mysticè hæc adaptes B. Virgini; unde Rupertus Abbas lib. 4. in Cantica: *Hortus conclusus*, inquit, *soror mea, sponsa, Dei genitrix. Ecce novus paradisus, nova plantationes, quas plantavit unus idemq; antiqui paradisi plantator, Dominus Deus. Ille est paradisus antiquus, paradisus terrenus: iste est paradisus novus, paradisus cælestis: utriusq; plantator est unus, idemq; Dominus Deus: in illo posuit hominem, quem formaverat, in isto formavit hominem, qui apud ipsum in principio erat. De illa humo produxit omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio paradisi: istam humum, istam terram suam benedixit, & ex ea cunctarum germina gratiarum, & cunctarum exemplaria virtutum produxit, ipsum quoq; lignum vitæ, Christum Deum, & hominem, Dominum paradisi cælestis. De illo voluptatis loco egrediebatur fluvius ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita: de isto paradiso ille fluvius, sive istud flumen egressum est, de quo Psalmista dicit: Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, qui inde dividitur in quatuor Evangelia.* Meritò ergo B. Virgo, à S. Hieronymo, Petro Damiano, & aliis, imò ab Ecclesia, vocatur, & invocatur *Paradisus voluptatis, quem Deus omnibus gratiæ divitiis cumulavit: ac hortus deliciarum, in quo condita sunt omnia florum genera, & omnia ornamenta virtutum.* Atq; à S. Ignatio ep. 1. ad S. Joannem, vocatur *cæleste prodigium, & sacratissimum spectaculũ, in quo humana natura naturæ sanctitatis angelicæ sociatur.*

ET ECCE FACTUS EST MIHI TRAMES ABUNDANS, ET FLUVIUS MEUS APPROPINQUAVIT AD MARE) Pro *trames*, Græcè est διῶρυξ, q.d. Fossa illa, vel aquæductus, de quo dixi v. 39. cùm initio esset arctus, & exiguus, sensim ita crevit, ut fossa facta sit flumen abundans, imò videatur esse mare. Hoc maximè factum est cùm Dei sapientia, id est lex, fides, & religio, quæ initio sola Judæa concludebatur, tempore Christi per Apostolorum prædicationem effudit se in omnes Gentes, easq; fecit Christianas. Unde Tigurina, *aquæductus ecce meus evasit flumen, & flumen meum in mare excrevit*; Syrus, *& ecce etiam fuit mihi torrens, & fluvius meus pertingit usq; ad mare*; Arabicus, *& habebam vadum, & pervenit ad mare: fluvium meum in mare inundare facio manè, faciamq; illum* — VERS. 41.

etiam

etiam in generationes plurimas; alii, *& ecce fossa illa facta est fluvius, & fluvius meus evasit in mare*. O rem ineffabilem! exclamat Palacius, fluebat doctrina Evangelica, & in ea quodammodo Spiritus, & Christus: obstabant huic fluxui omnes dæmonum, Imperatorum, militum, & totius orbis vires extentæ: at, his omnibus invitis, ut mare totam vallat, & circumdat terram; ita vita Christiana, & ipse Christus totum circumdedit orbem: si quidem *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, psal. 18.

Maria gratiarum mare.

Mysticè, gratia, quam B. Virgo in primo instanti conceptionis accepit, per 72. annos, quibus per continuos, & gratiæ adæquatos actus jugiter eam auxit, & assiduè conduplicavit, excrevit quasi in immensum, ut verè Maria dici posset, essetque mare gratiarum: unde à Damasceno orat. 2. de Assumpt. vocatur *gratiæ abyssus*. Et S. Epiphan. orat. de laud. Virg. *Gratia*, inquit, *S. Virginis est immensa*. Et inferiùs eam vocat, *mare spirituale, cui prædicando, neque hominum, neque Angelorum lingua sufficit*. S. Ildephonsus serm. 2. de Assumpt. *Sicut*, inquit, *est incomparabile quod gessit, & ineffabile quod percepit, ita est incomprehensibile præmium gloriæ, quod meruit*. S. Anselm. de Excellentia Virg. c. 8. *Quid amplius*, ait, *dicere possum, Domina? Immensitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ considerare incipienti, & sensus deficit, & lingua fatiscit*. Atque ut alios omnes prætercam, Andreas Cretensis serm. de dormit. Deiparæ, sic eam compellat: *O sancta, & Sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctissime thesaure*. Eodem modo crevit, & crescit indies sanctitas Apostolorum, Martyrum, Virginum, Confessorum, Sanctorumque omnium, quam eis, utpote sibi devotis, suisque clientibus aspirat B. Virgo.

VERS. 44. QUONIAM DOCTRINAM QUASI ANTELUCANUM ILLUMINO OMNIBUS, ET ENARRABO ILLAM USQUE AD LONGINQUUM) Pro *antelucanum*, Græcè est ὄρθρον, id est diluculum, q. d. Sicut lux diluculi, sive auroræ, post noctis tenebras initio modica est, sed sensim crescit usque ad meridiem, & lucem clarissimam: ita & ego sapientia sensim omnibus *illumino*, id est, lucem meam profero, meque diffundo magis, & magis, donec etiam in longinquum, id est, remotissimas gentes, me effundam, easque illuminem: uti hoc sæculo factum videmus, ac quotidie fieri in Sina, Japone, totaque India Orientali & Occidentali. Unde Græca habent, *nam disciplinam ut diluculum illustro, & ostendo eam usque in longinquum*; Tigur. *quoniam disciplinam illumino ut diluculum, & in multum tempus illustro eam*; Syrus, *rursum doctrinam meam manè dico, & relinquam eam in generationes multas*, vel *potabo ea generationes multas*. Notat Palacius, doctrinam Evangelicam vocari auroram, non meridiem, tum, quia obscura est: fide enim creditur, non videtur oculis: tum, quia admiscetur tenebris persecutionum, & tribulationum: tum, quia sensim crescit ut aurora.

VERS. 45. PENETRABO OMNES INFERIORES PARTES TERRÆ, ET INSPICIAM OMNES DORMIENTES, ET ILLUMINABO OMNES SPERANTES IN DOMINO) Tigur. *imas omnes terræ partes penetro, dormientes video quoscumque, & spem in Domino ponentes omnes illumino*. Hic versus jam deest in Græco, & Syro. Sunt verba sapientiæ, q. d. Adeò dioryx, & aquæductus meus crevit in flumen, imò in mare: adeò lux auroræ meæ crevit in meridiem, ut non tantùm illuminem omnes gentes in superficie terræ degentes, sed, & penetrem imas terræ partes, ibique inspiciam, & visitem omnes dormientes, id est defunctos; ac damnatos quidem inspiciam terribili vultu, metuque percellam, & damnationem eorum confirmabo: pios verò sperantes in Domino illuminabo, id est, luce meæ cognitionis, putà revelatione Christi nati, passi, & resurgentis, indeque consolatione redemptionis, & salutis per eum factæ perfundam. Consolabor ergo, & beabo omnes patres in limbo degentes, sperantes in Domino, & avidissimè Christum redemptorem exspectantes. Itaque sæpiùs quidem per Angelos Deus illuminavit patres in limbo, sed perfectissimè hæc sententia impleta est, cùm Christus, qui est Sapientia Patris incarnata, in cruce moriens, descendit ad limbum, ac patres sui cognitione, imò conspectu tam humanitatis, quàm divinitatis suæ donavit; itaque eos consolatus est, imò beatos reddidit, secumque tertio die in terram, ac quadragesimo die, ascendens in cælum, in triumphum duxit. Ita hunc locum de descensu Christi ad inferos interpretatur S. Isidorus libr. de Resurrect. Domini ca. 51. & alii passim, ac noster Salazar in cap. 29. Proverb. num. 59. ubi τὸ *illuminabo*, exponit, *visitabo, & perscrutabor*.

Idem implebitur in resurrectione: tunc enim Deus inspiciet, & visitabit corpora Sanctorum latentia in sepulcro, eaque animabus uniet, vivificabit, & glorificabit.

Porrò ex eo quod ait: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ*, Bellarm. lib. 4. de anima Christi c. 16. & alii opinantur, Christum post mortem descendisse ad omnia loca inferni, adeoque ad ipsum infernum damnatorum, tamquam omnium dominatorem. Ita videtur sentire Cyril. Hierosol. catechesi 14. Athanas. serm. 4. contra Arrian. S. August. epist. 99. Fulgent. l. 3. ad Thrasimund. c. 30. Nyssen. orat. 1. de resurr. Damasc. l. 3. c. 129. Sed probabilius est Christum substantialiter tantùm descendisse ad limbum, *ut quos ipse per gratiam visitabat interiùs secundùm divinitatem, eos etiam secundùm animam visitaret, & loco*, ait S. Thom. 3. p. q. 52. art. 2. virtualiter verò, & effective, sive quoad efficaciam, descendisse ad locum puerorum, & damnatorum, confutando scilicet, & damnando illorum peccatum, sive originale solùm, sive etiam actuale in adultis. *Penetrabo* ergo *omnes inferiores partes terræ*, quia scilicet unam substantialiter, ceteras virtualiter penetrabo. Ita Valentia in locum D. Thom. jam citatum, nec aliud volunt Patres pro priori sententia citat. Ita, & Bonav. Richar. Gabriel. Palud. Marsil. & alii in 3. dist. 22. ac Franc. Suarez 3. p. q. 52. art. 8. Penetrabo, ait, Primò, quoad divinitatem; Secundò, quoad humanitatem, ad omnes partes terræ: quia non solùm ad superficiem terræ descendit, sed etiam usque ad infimum terræ locum penetravit, etiamsi non ad omnes ejus sinus.

Christus personaliter non descendit ad infernum damnatorum.

Rursum, ex eo quod ait: *Illuminabo omnes sperantes in Domino*; multi probabiliter censent, Christum omnibus animabus in Purgatorio existentibus suo ad eos descensu dedisse primum plenumque jubileum, omnesque à pœnis liberasse, & secum ad cælum in triumphum duxisse. Ita S. Bonavent. in dist. 22. qu. 5. Thomas Argentin. ead. dist. qu. unica art. 4. Gabriel eadem dist. q. unica art. 3. dub. 3. Sotus in 4. dist. 45. qu. 1. art. 3. in fine. Illud certum est, Christum tum animas patrum plenè expiatas illuminasse lumine gloriæ, eisque suam divinitatem conspiciendam obtulisse, itaque eas beasse, ac æterna felicitate donasse.

dedit in Purgatorio jubileum.

Tropolog. Rabanus: Sapientia, putà, Christus, *inspicit inferiores partes terræ*, inquit, *quoniam carnalium corda, cogitationes scrutatur: inspicit omnes dormientes, qui vel ignorantiæ somno, vel torpore negligentiæ dormitant: & illuminat recta fide, & agnitione sperantes in Deo; quoniam qui sperat in Deo laudatus est. Beneplacitum enim est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant in misericordia ejus*, psalm. 146.

VERS. 46. ADHUC DOCTRINAM QUASI PROPHETIAM EFFUNDAM, ET RELINQUAM ILLAM QUÆRENTIBUS SAPIENTIAM: ET NON DESINAM IN PROGENIES ILLORUM USQUE IN ÆVUM SANCTUM) Hic versus potest accipi tam ut dictus à sapientia, quàm à Siracide. A sapientia, quasi illa pergat hic loqui, explicetque illud v. 44. *Enarrabo illam in longinquum*; cui immediatè Græca hunc versum subjungunt. Favent Complut. quæ pro ἔτι, id est, *adhuc*, legunt, ὅτι, id est, *quoniam*. q. d. Enarrabo sapientiam in longinquum, quoniam doctrinam effundam usque in ævum sanctum. Et Syrus, qui cùm pro v. 44. vertisset, *rursus doctrinam meam manè dico, & relinquam eam in generationes multas*; quæ constat esse verba sapientiæ, quasi ea explicans, hunc versum subdit; *Rursus doctrinam meam in prophetia dico, & extremitas eius usque in longinquum*. Cùm ergo prior versus sit sapientiæ, ejusdem quoque videtur esse posterior, utpote illi respondens, illumque explicans. Unde Rabanus sic explicat: *Non cessat*, inquit, *S. Scriptura ab ævo usque in ævum docere genus humanum, quatenus intelligat ex præceptis Dei quid vitare debeat, quidue agere; ut nemo sit qui ritè se possit excusare, quasi nesciens quid præceptum sit in lege divina, cùm sapientia viam veritatis, & normam justitiæ palam omnibus demonstret*. Et Palacius: *Videor*, inquit, *mihi audire Christum dicentem: Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Non igitur cessabit unquam prædicatio Evangelii exterius, & prædicatio Christi interiùs, usque ad ævum sanctum, id est, æternitatem. Nota, doctrinam Evangelicam paris esse authoritatis cum prophetia; ideò ait, doctrinam quasi propheticam: utramque enim à*

Spi-

Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, 2. Petri 1. 21.

Rursum hæc verba accipi possunt quasi dicta à Siracide. Ipse enim, post interlocutionem sapientiæ hucusque à se inductam, videtur resumere sermonem, ac sternere viam ad nova sapientiæ dogmata, quæ tradet cap. proximo, & seqq. Nam versum sequ. usurpat Siracides quasi suum cap. 35. 18. Unde Græca de more breviter sic habent, *adhuc doctrinam ut prophetiam effundam, & relinquam ipsam in generationes sæculorum*; & Tigurina, *etiamnum effundo doctrinam ut oraculum, perq; sæculorum ætates emitto eam quærentibus*. Quare Lyran. hæc ita cum v. præcedenti connectit: *Quia*, inquit, *scriptor hujus libri immediatè locutus est de judicio finali, posset quis dubitans quærere: Intendis tu hic librum tuum finire? Ad quod respondet, dicens: Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam*. Sic & Jansenius, qui sigillatim singula de Siracide sic explicat: *Dum dicit*, inquit, *se prolaturum doctrinam sicut prophetiam, significat se divinam doctrinam traditurum, quæ certa sit & solida, quæq; non humano ingenio sit excogitata, sed divinitus revelata; sicut Prophetæ Spiritu sancto inspirati locuti sunt. Dum se dicit eam relicturum in generationes sæculorum, significat se eam scripto relicturum posteris, ut in* **B** *perpetuum ab eis legi & audiri possit, qui studiosi sunt sapientiæ. Et non desinam, inquit, hoc est, perseverabo semper per scripturam, à me doctrinam, in progenies illorum qui quærunt sapientiam, usque in ævum sanctum, hoc est, usque in sæculum futurum, ubi humana amplius doctrina opus non erit; sed implebitur illud, quod per Jeremiam dictum est: Non docebit ultrà vir proximum suum, Omnes enim cognoscent me à majore usque ad minimũ eorũ*, Jer. 31

Nota, *ævum sanctum* vocari sæculum futurum: præsens enim non est sanctum, quia *totus mundus in maligno positus est*, 1. Joan. 5. At æternitas beata, in quam nihil coinquinatum ingreditur, ævum sanctum est. Meminerint ergo doctores, & scriptores se docere, & scribere non tempori, sed æter- **A** nitati: seque in suis laboribus solentur, quòd illis non sibi tantùm, sed & discipulis, & lectoribus, eorum scripta usque ad finem mundi lecturis, accerlant ævum sanctum, scilicet beatam æternitatem: ad hanc enim se, suosque lectores informant, & dirigunt. Unde subdit & concludit.

VIDETE QUONIAM NON SOLI MIHI LABORAVI SED OMNIBUS EXQUIRENTIBUS VERITATEM q. d. Videte ex his, quæ hactenus tam prolixè dixi, & scripsi, ac deinceps dicturus, & scripturus sum, me non mihi soli studuisse & vacasse, sed & aliis laborasse & consuluisse, ut meo exemplo idem faciant alii sapientes, nec satis putent si ipsi sapiant, sed & sapientiam suam aliis docendo & scribendo communicent, Unde Rabanus: *Doctor Ecclesiasticus*, inquit, *verba Dei scribendo, & docendo non solùm sibi laborat, sed & aliis: quia sibi laborat pro æterna mercede & quiete: aliis autem pro vera salute, ac perpetua requie: unde in Daniele cap. 12. scriptum est: Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Hinc & Iacobus ait: Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. De quo & Paulus ad Timotheum scribens ait: Attende tibi, & doctrinæ sanæ, insta in illis: hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt. Hinc & ipsa Veritas in Evangelio ait: Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*. Et item: *Vos*, inquit, *estis lux mundi: sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*.

Porrò Palacius, hæc accipiens ut dicta à sapientia, putà, Christo, sic explicat: *Nullum grandius*, inquit, *epiphonema ferè potuit à sapientia dici. O mortales, veni in mundum, & quàm in eo laboravi: laboravi porrò in gloriam Patris, & in commodum vestrum, si veritatem inquiratis: ne committatis ergo, ut ego frustrer proposito meo, & vos tanto commodo vestro*.

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Post encomium sapientiæ, pergit alia eius tradere dogmata. Unde v. 1. recenset tria quæ placent sapientiæ; & v. 3. totidem quæ ei displicent. Inde v. 9. usque ad 17. enarrat decem beatitudines, putà, res decem quæ hominem faciunt beatum. Denique à v. 17. usque ad finem capitis agit de nequitia mulierum, eamq; multis exaggerat.

IN tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: 2. Con-
cordia fratrum, & amor proximorum, & vir, & mulier bene sibi consentientes. 3. Tres
species odivit anima mea, & aggravor valdè animæ illorum: 4. Pauperem superbum: di-
vitem mendacem: senem fatuum & insensatum. 5. Quæ in iuventute tua non congrega-
sti, quomodo in senectute tua invenies? 6. Quàm speciosum caniciei iudicium, & presby-
teris cognoscere consilium! 7. Quàm speciosa veteranis sapientia, & gloriosus intellectus,
& consilium! 8. Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei. 9. Novem
insuspicabilia cordis magnificavi, & decimum dicam in lingua hominibus: 10. Homo,
qui iucundatur in filiis, vivens, & videns subversionem inimicorum suorum. 11. Beatus
qui habitat cum muliere sensata, & qui lingua sua non est lapsus, & qui non servivit in-
dignis se. 12. Beatus, qui invenit amicum verum, & qui enarrat iustitiam auri audienti.
13. Quàm magnus, qui invenit sapientiam, & scientiam! sed non est super timentem Do-
minum. 14. timor Dei super omnia se superposuit: 15. beatus homo, cui donatum est ha-
bere timorem Dei: qui tenet illum, cui assimilabitur? 16. Timor Dei initium dilectionis
eius: fidei autem initium agglutinandum est ei. 17. Omnis plaga, tristitia cordis est: & om-
nis malitia, nequitia mulieris. 18. Et omnem plagam, & non plagam videbit cordis: 19.
& omnem nequitiam, & non nequitiam mulieris: 20. & omnem obductum, & non obdu-
ctum odientium: 21. & omnem vindictam, & non vindictam inimicorum. 22. Non est
caput nequius super caput colubri: 23. & non est ira super iram mulieris. Commorari
leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. 24. Nequitia mulieris
immutat faciem eius: & obcæcat vultum suum tamquam ursus, & quasi saccum ostendit
in medio proximorum eius. 25. Ingemuit vir eius, & audiens suspiravit modicum. 26.
Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super illam. 27. Si-
cut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto. 28. Ne re-
spicias in mulieris speciem, & non concupiscas mulierem in specie. 29. Mulieris ira, &
irreverentia, & confusio magna. 30. Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo.
31. Cor humile, & facies tristis, & plaga cordis, mulier nequam. 32. Manus debiles, & ge-
nua

nua dissoluta, mulier quæ non beatificat virum suum. 33. A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. 34. Non des aquætuæ exitum, nec modicum, nec mulieri nequam veniam prodeundi. 35. Si non ambulaverit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum. 36. A carnibus tuis abscinde illam, ne semper te abutatur.

VERS. 1. IN TRIBVS PLACITVM EST SPIRITVI MEO, QVÆ SVNT PROBATA CORAM DEO ET HOMINIBVS; CONCORDIA FRATRVM, ET AMOR PROXIMORVM ET VIR ET MVLIER SIBI BENE CONSENTIENTES) Loquitur ipsa sapientia, vel certè Siracides sapiens, ex persona, & mente sapientiæ, quod in idem redit. Sapientiam enim hic loqui docet Rabanus, & evincunt Græca, quæ sic habent: ἐν τρισὶν ὡραΐσθην καὶ ἀνέστην ὡραία ἔναντι κυρίου καὶ ἀνθρώπων, id est, *in tribus pulchra facta sum, & surrexi decora coram Deo, & hominibus*. Noster pro ἀνέστην legit ἀνέστην ὡραία, id est, *sum speciosa, grata, probata*.

Nota. Siracides hic ternarios virtutum & vitiorum subiicit, more veterum qui sua præcepta ad numeros redigebant, ut faciliùs capi & memoria retineri possent. Qua in re imitatur Salomonem, qui idem facit Proverb. c. 30. v. 18. & sequent.

Primum ergo sapientiæ hoc est præceptum, de concordia & charitate: hæc enim prima & princeps est virtus, quæ Dei & hominum gratiam conciliat. Ea autem maximè in triplici hominum genere requiritur. Primò, inter fratres, vel germanos, vel consobrinos, vel quomodolibet cognatos, & consanguineos; hi enim omnes ab Hebræis vocantur fratres. Alludit ad psal. 132. v. 1. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in unum!* Secundò, inter proximos, id est, eos qui in eadem domo, collegio, vicinia, officio, arte, negotio, aliove modo invicem devincti & quasi colligati sunt: horum enim omnium vinculum est amor, & concordia. Tertiò, inter virum, & mulierem: hi enim ita coniuncti sunt, habitatione, thoro, mensa, rebusque omnibus, ut una caro, id est unus homo civilis, & una persona politica, censeantur; unde & coniuges vocantur. Quare si inter se concordes vivant, vitam agent jucundissimam & sanctissimam; sin discordes sint, molestissimam & diabolicam. Quocirca pro *si benè consentientes*, Græcè est, ἑαυταῖς συμπεριφερόμενοι, id est, *mutuò una circumferentes*, vel *mutuò una circumlati*: hæc enim vox Græca magnam habet emphasin, significatque summum inter coniuges consensum, quando alter alterius mores, infirmitates, & vitia tolerat, eique in omnibus se accommodat, perinde ac fit in rota: dum enim eius pars una voluitur, & gyratur, pars altera ei connexa eodem voluatur, & gyretur oportet: talis enim rota est coniugium. Aut, sicut duo boves vel equi, æquè idem jugum subeunt, trahuntque: inde enim dictum est coniugium. Sensus ergo est, q. d. Vir & uxor ita consentire debent, ut quòcumque fertur unus, vel voluntate propria, vel infirmitate, vel necessitate ingruente, eodem sponte inclinet ac feratur & alter: vult maritus hanc artem exercere, eamdem exerceat, vel exercenti obsecundet uxor: maritum excipit morbus, paupertas, jactura, persecutio, carcer; maritum eodem sequatur, imò ultrò comitetur uxor, ut eum soletur, patienti compatiatur & serviat, eumque omnibus officiis modisque adiuvet. Denique quicumque fortunæ flatus: virum impulerit, eodem impelli se sinat uxor: ac vice versa, quocumque impulsa fuerit uxor, eodem sequatur, & maritus.

Primum sapientiæ præceptum, de concordia.

Porrò, hujus consensionis radix & causa est amor reciprocus. Unde S. Augustin. in Sententiis num. 163. *Pax domestica*, inquit, *est ordinata cohabitantium imperandi obediendiq; concordia. Imperant enim qui consulunt, sicut vir uxori, parentes filiis, domini servis. Obediunt autem quibus consulitur, sicut mulieres maritis, filii parentibus, servi dominis. Sed in Domino iustè viventes ex fide, & ab illa adhuc civitate peregrinantes, etiam qui imperant serviunt eis, quibus videntur imperare: quia non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed providendi beneficio.*

Causa concordiæ est amor mutuus

Nota Secundò. Pro *beneplacitum est spiritui meo*, Græcè est, ὡραΐσθην, id est, *decora* vel *pulchra facta sum*. q. d. Hæc tria ita mihi placent, ut iis pulchrescam, ut iis mihi pulchra & speciosa esse videar, ut iis me decorari sentiam, aveam & & gaudeam. Unde Tigurina vertit, *tria me exhilarant, & coram Domino simul & hominibus condecorant*; alii, *tribus sum exornata, & surgo speciosa coram Deo & hominibus*; Syrus, *tria desideravit anima mea, & ea decent coram Deo & hominibus: fraternitas fratrum, amicitia amicorum, & vir & uxor eius quando sunt concordes*. Simili phrasi ait Apostolus Hebr. 13. 16. *Beneficentia & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus*; Græcè, εὐαρεστεῖται, id est, conciliatur, placatur, sibi complacet; Syrus *pulchrescit*, hilarescit, & gloriatur. Itidem facit de concordia nostra: quia in hac sita est salus domorum, urbium & regnorum.

Audi hanc sententiam explicantem, bonaque pacis & concordiæ enarrantem S. Aug. serm. 169. de Tempore: *Pax*, inquit, *concordia fratrum, sicut scriptum est: In tribus placuit spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & vir & mulier consentientes sibi. Concordia ergo fratrum, voluntas Dei est, iucunditas Christi, perfectio sanctitatis, iustitiæ regula, magistra doctrinæ, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina. Pax, suffragio precum & supplicationum, facilis atque impetrabilis; quia desideriorum omnium competens est plenitudo, sicut scriptum est in Apostolo. Pax conversationis amabilem Deo facit in fratribus: quæ charitatis indicat testimonium. Pax ergo dilectionis mater est, concordiæ vinculum, ac puræ mentis indicium manifestum: quia sibi exigit de Deo quod volet, quidquid voluerit petit, & quidquid voluerit sumit. Pax præceptis regalibus conservanda est, Domino Christo dicente: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. In pace vos dimitto, in pace vos dimisi, in pace vos inveniam. Proficiscens voluit dare, quod desiderabat rediens in omnibus invenire*, quodque à singulis severè exiget & repetet in die judicii.

Moral. de pace.

Joan. 14.

Præclarè S. Gregor. Nazianz. orat. 12. de pace, docet universi statum deculque consistere in concordia elementorum licet discordium, & contrariis qualitatibus inter se pugnantium; cælorum, & mixtorum omnium. *Mundus*, inquit, *celebre Dei elementum, quamdiu secum pacatus & tranquillus est seq; naturæ suæ finibus coercet, nec quidquam adversus alterum insurgit, neque ex iis benevolentiæ vinculis, quibus ab artifice verbo rerum universitas constricta est, excedit; mundus verè est, ut appellatur* (mundus enim Græcè dicitur κόσμος, id est ornatus,) *& incomparabilis pulchritudo. At simulatq; pacatus & quietus esse desiit, mundus quoque esse desinit*. Idem planè dicas de microcosmo, sive parvo mundo, qui est homo, eiusque coniugio & familia, scilicet, omne eius decus & bonum consistere in pace & concordia; ac vice versa, omne eius dedecus & malum stare in discordia. Porrò, rectè eadem orat. addit Nazianz. *Melior est contentio pietatis causa suscepta, quàm vitiosa concordia.*

Universi status consistit in concordia cor?

Ratio à priori est, quòd Deus sit ipsa prima, increata, summa & perfectissima concordia: quare summè amat concordes, utpote sibi simillimos, imò ut opus suum proprium, & perfectum. Nam, & SS. Trinitas, putà, Pater, Filius & Spiritus sanctus summè sunt concordes, non accidentaliter, sed essentialiter: quia unam eamdemque numero ac individuam habent essentiam, consequenter & mentem ac voluntatem concordiamque: quare quod unus, verbi gratia, Pater vult, hoc essentialiter volunt ceteri duo, putà Filius & Spiritus sanctus; quocirca ipsa SS. Trinitas hanc sui concordiam cælis, elementis, rebusque omnibus communicavit, & impressit. Atque hic est cælorum concentus in dissonanti tot orbium, motuum, stellarum, &c. consonantia, & discordi concordia, quam admirans Baldad apud Job cap. 25. 2. *Qui facit*, inquit, *concordiam in sublimibus suis*. Et ipse Job cap. 38. 37. *Quis ennarrabit*, inquit, *cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?* Hinc Deus suam triadem cum unitate singulis rebus à se conditis participativè indidit. Nam omnia *in mensura numero & pondere* disposuit, Sapient. 11. 21. Eamdem suo modo impertivit matrimonio, domui & familiæ cuilibet, in qua pater quasi repræsentat Deum Patrem, filius Deum Filium, uxor Spiritum sanctum. Id maximè verum fuit in cælesti & divina familia Verbi incarnati, quæ tribus constabat personis sanctissimis, putà Josepho patre, B. Virgine matre, & filio Jesu: in qua proinde summa fuit concordia, summus amor, summa erga se mutuò reverentia, summa sanctitas: quam sanè omnes coniuges & familias assiduè inspicere & imitari operæ pretium est. Hoc est quod ait Psaltes psal. 67. 7. *Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.*

Concordia fons SS. Trinitas.

Quin

Quin, & Christus Matth. 18. 19. *Si duo ex vobis*, inquit, *consenserint super terram, de omni re quacumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Ubi ergo concordia est, ibi Christus est, ibi Deus est, ibi tota SS. Trinitas est, faciens triadem, & monadem, putà, unionem sanctamque concordiam mentium, animorum, & actionum. Quid mirabilius in cælo, quid divinius, quàm quòd tria sint unum, & unum sint tria, putà, tres personæ sint unus Deus, & unus Deus sit tres personæ? hoc tamen efficit summa trium concordia, & unio. Quid mirabilius in terra, quàm in una domo, familia, collegio, civitate, regno, esse decem, centum, mille, imò milliones hominum; hos tamen omnes conspirare in unam remp. in unam Ecclesiam, in unum commune bonum? hoc tamen facit amor, & concordia, quæ facit ut eis sit cor unum, & anima una. Concordia enim à congruente corde dicitur. Illa ergo res cælestis, & divina sit oportet, utpote à Deo intime manans. Ex adverso, discordia, quæ etiam paucos dissociat, divellit, dissipat, ut inter se dimicent, & confligant usque ad necem, infernalis est, & diabolica, utpote manans à Lucifero, qui primus discordiam inter Angelos fecit in cælo, ideoque instar fulguris præcipitatus est in tartara. Discordia ergo fecit infernum, concordia cælum, & paradisum: discordia fecit dæmones, concordia Angelos: discordia fecit homines reprobos, concordia sanctos, & electos. Denique, tritum est illud Sallustii in Catil. *Cōcordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur*.

Discordia pater Lucifer.

Porrò, discordiæ fons, & origo est cupiditas, & avaritia, putà, hæc duo pronomina, *meum*, & *tuum*: quæ, ut ait S. Chrysost. totum mundum scindunt, & turbant: concordiæ vero mater est charitas, comitas, & liberalitas. Unde S. Ambros. 5. Hexam. 14 docet aves rapaces non convenire, sed mansuetas. *Est etiam*, inquit, *diversitas copularum; quarum gratia carent, qui intendunt rapinis. Nam propter aviditatem prædandi, vel propter insidias explorandi, nec ipsis inter se convenit, & ideò declinant sui copulam. Refugit enim avaritia consortium plurimorum. Deinde, consuetudo facile ipsa se proderet. His ergo quibus nihil est copulatorium præter iugale consortium. Ergo Aquilis accipitribusque hic usus est vitæ. Contra verò palumbes, grues, sturni, corvi atque cornices, etiam turdi, gaudent connexione*.

ac meum, & tuum.

Jam verò quanta sit concordiæ vis, & robur docent grues, quæ, ut ait S. Basilius homil. 8. Hexam. gregatim pascuntur, & volant, ut ab aquilis, & venatoribus se tueantur, ideoque vicissim per noctem excubias agunt. Pluribus id ostendit Plinius lib. 10. c. 23. qui & libr. 30. in fine rem miram affert, scilicet, *non lassescere in ullo labore, qui nervos ex alis, & cruribus gruum habeant*. Fides sit penes auctorem. Adde, grues simul volant forma trianguli, non rectilinei, sed acuti, ut facilius aerem findant. Invadente autem eas aquila, omnes in orbem consistunt, & acie velut ordinata speciem prælii exhibent, quam extimescens aquila retrocedit. Rursum S. Basil. loco citato vim concordiæ ostendit in locustis, quæ cùm sint vilia, & infirma animalcula, tamen conglobata agros, & provincias vastant, uti vastarunt Ægyptum, Exodi 10. 15. adeo ut nulla vis eis resistere queat. *Quoniam pacto*, ait S. Basil. *tibi militiam exercitusque locustæ terribiles enarravero, quæ, velut agmine facto, sub una tessera in sublime universæ simul elatæ, castris toto latè positis agro, non antea sanè fructus depascitur, quàm ipsi sit à Deo concessum atque mandatum?* His adde boves, qui, cùm lupum vident, in orbem coeunt, junctisque simul viribus, cornibus hostem exspectant, & fugant. Equi quoque in circulum coguntur, cùm hostem timent, istiusque circuli centrum capitibus quisque suis efficit; atque sic singuli calces, & soleas ferreas, arma scilicet sua, advenienti hosti obiiciunt atque ostentant. Quin, & porci aliàs stupidi, & de glandibus inter se morsu certantes, ubi tamen lupum vel hostem vident, ilicò in triangulum se disponunt, ac robustioribus in prima acie collocatis cuivis invadenti sunt formidabiles.

Grues vivunt concordes;

& locustæ,

& boves, equi, & porci.

Deniq; R. Simeon in *Dir Ke aboth*, id est in capitulis sive proverbiis patrum Hebræorū c. 1. *Tribus*, inquit, *rebus mundus hic subsistit, ratione, veritate, & pace. Hunc enim ordinem statuit S. Scriptura dicens: Veritatem, & iudicium pacis iudicate in portis vestris*. Ibidem R. Hiellel, socius R. Samai: *Exibes*, inquit, *vos tamquam filios Aaron, qui pacem omni curà studiosè quærebat, ac hominum amator, omnes ad legis observantiam adducere satagebat*. Addebat illud: *Qui honorem avidiùs quærit, honoris iacturam facit*. Ambitio enim honoris, & præcellentiæ turbat pacem, & concordiam.

Mysticè Rabanus, & ex eo Glossa: *Mulier, & maritus*, inquit, *sibi bene consentientes sunt ratio inferior, & superior, sive anima, & spiritus, appetitus, & mens*, concupiscentia, & ratio: cùm enim hæc rationi consentit, tunc mirè placet Deo totus homo: sic concordia fratrum est concordia rationis, & voluntatis: voluntas enim, quasi frater junior, consentire debet rationi quasi fratri seniori, ut placeat Patri cælesti. Sic amor proximorum est, cùm quisque sensus, potentia, & appetitus, non privatum suum bonum, quod concupiscit, sed commune cœterorum totiusque hominis, putà sapientiam, & virtutem, appetit, & prosequitur, atque in hac harmonia, & concordia membrorum, viriumque hominis mirè sibi complacet Deus.

TRES SPECIES ODIVIT ANIMA MEA, ET AGGRAVOR VALDE ANIMÆ ILLORUM) *Animæ*, id est animali cupiditati, indoli, & vitæ, hoc est moribus, modoque vivendi *illorum*. q. d. *Aggravor*, id est graviter fero illorum indolem, & mores. Unde Græca habent, προσώχθισα τῇ ζωῇ αὐτῶν, id est, *offendor, stomachor, indignor vita ipsorum*; Tigurina, *eorumque vitam perquam iniquè fero*. Quia sicut monstra naturæ communiter brevis sunt vitæ, ita hæc monstra in genere moris, brevis ævi esse deberent, ait Palacius. Syrus, *affligor valdè super vita illorum*: *super vita*, id est, super modo vivendi, & inconcinnis moribus eorum. Recensuit tria hominum genera quæ sibi placere dixit, eo quòd vivant decenter, & congruè suo statui, nimirum quòd sint concordes in eadem familia, congregatione vel connubio. Congregationi enim nihil ita congruit, ac concordia; hanc enim sibi deposcit ipsa congregationis natura, quæ in unione, & concordia consistit: atque hæc est ratio à priori, cur concordia adeò Deo, & hominibus sit grata, tamque arctè, & graviter ab eo sancita. Nunc totidem genera hominum recenset, quæ sibi, putà, sapientiæ, & sapienti Siracidi mirè displicent, eò quòd vivant incongruè, & difformiter suo gradui, & statui, adeoque pugnent cum natura suæ conditionis, & vocationis. Tria hæc nominat subdens. VERS. 3.

PAUPEREM SUPERBUM: DIVITEM MENDACEM: SENEM FATUUM ET INSENSATUM) Status enim, & conditio pauperis, utpote abjecta, quasi naturaliter poscit animi demissionem, & humilitatem: non enim habet pauper opes quibus superbiat; si ergo superbit, reipsa quasi pugnat cum humili paupertatis suæ statu. Sic, & conditio divitis pugnat cum mendacio; tum, quia dives non habet necessitatem mentiendi, quam habent pauperes, ut suæ inopiæ succurrant; tum, quia divites in rep. sunt honorati, & senatores, quos planè dedecet mendacium, eò quòd in iis valde noxium sit reipub. Denique conditio senectutis repugnat fatuitati: senectus enim, tum ob sedatas passiones, tum ob experientiam, affert sapientiam: quare res probrosa, & monstrosa est senex insipiens, & fatuus, juxta illud Isaiæ 65. 20. *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit*. Per puerum enim insipientem, & fatuum intelligitur peccator: hic enim licet ætate sit senex, moribus tamen, & vitiis est puer insipiens. Unde Græca pro *senem fatuum, & insensatum*, habent, *senem adulterum, & deficientem intelligentia*, id est prudentia; Tigur. *senem adulterum, utpote mentis impotem*. In juvenibus enim, ob exuberantiam caloris, & sanguinis, aliquatenus tolerari, & excusari potest libido: at non in senibus, in quibus friget sanguis, & concupiscentia, vigetque mens, & ratio. Unde illud Ovidii: VERS. 4.

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Noster pro μοιχὸν, id est mœchum, sive adulterum, legit μωρὸν, id est fatuum, vel stultum: ita legit quoque Syrus, unde vertit, *pauper superbus, & dives mendax, & senex fatuus, & amens*.

Mysticè Primò, Rabanus, & ex eo Glossa explicat q. d. Odi diabolum ob tria, scilicet, Primò, quòd ipse, cum gratia sit pauperrimus, sit tamen superbissimus; Secundò, quòd, cùm in donis naturæ sit ditissimus, simul tamen sit mendacissimus, adeoque pater mendacii, ut ait Christus Joan. 8. Rursum, ipse est dives in promissione, sed mendax in solutione, ait Hugo. Tertiò, quòd cùm sit senex, adeoque coævus mundo, sit tamen stultissimus, & imprudentissimus; quia omnis honestatis, & virtutis est hostis.

Mysticè. Primò.

Secundò, apud idem Rabanus, & Jansenius, *Pauper superbus*, inquit, *est est, qui, cùm virtutis, & sapientiæ sit inops, de virtutibus tamen, & scientia gloriatur. Dives mendax est, qui cùm in S. Scriptura multùm sit versatus, errorum tamen magister efficitur*.

Secundò.

efficitur. Senex fatuus est, qui cùm longo priùs tempore probè vixerit, in senectute tamen vanitates carnis & mundi sectatur, uti fecit Salomon.

Tertiò. Tertio, valdè ingeniosè, & appositè vir eruditus hæc explicat de tribus sapientiæ, & sapientum, id est sanctorum, hostibus, qui sunt dæmon, caro, & mundus, quos odisse, quibusque tentantibus jugiter resistere jubemur. Pauper superbus ergo est diabolus: hic enim est pauper, quia miser & imbecilis, utpote privatus omnibus gratiæ donis, ac sua potentia & viribus spoliatus à Christo; idem tamen superbissimus est. Dives mendax est caro, quia hæc mentitur se non posse subire labores virtutis, cùm eos, si velit, capessere possit; v. g. cùm dicit se non posse jejunare ob defectum virium, mentitur: nam habet vires ad fornicandum; cur ergo non habeat vires ad jejunandum? habet vires, ut serviat mundo, multosque, & magnos pro eo labores toleret; cur non habeat vires, ut serviat Deo: Senex fatuus est mundus. Hic enim est senex, quia stetit penè sex millibus annorum; sed fatuus, quia contraria dictat Deo, qui est prima veritas & sapientia. Dictat enim v. g. ulciscendam esse injuriam, odio habendos esse inimicos, beatos esse divites, miseros esse pauperes, ostentandas esse vires, nemini esse cedendum, supprimendos esse æquales, &c. quæ omnia in schola Christi falsa & fatua sunt. Sic in Religione senes fatui sunt, qui ob senium laxant disciplinam Religiosam, nolunt obedire, nolunt servare regulas, quærunt ubique exemptiones, adeoque vivunt ut sæculares, & libertini. Quæ sana magna est insipientia, eoque major, quo junioribus magno sunt scandalo, eosque ad similia verbo, & exemplo invitant. Aliter Hugo, *Pauper superbus*, inquit, *est caro lasciviens, indigens alimentis, indumentis, elementis: dives mendax est mundus; senex fatuus est diabolus.*

Quartò. Quartò, hæc tria adaptes triplici concupiscentiæ, quam explicat S. Joannes epist. 1. c. 2. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt*, &c. *Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Nam *superbia vitæ* congruit cum paupere superbo: superbus enim superbit, cùm sit pauper: superbire enim est super se ire, putà, ambire plus quàm vires, & opes ferant. *Concupiscentia oculorum*, putà avaritia, congruit cum divite mendace: avarus enim est dives, sed mendax: cùm enim divitiis uti non audeat, verè non est dives, sed mendaciter se divitem æstimat, cùm reipsa sit pauper; nec enim divitiis magis gaudet, quàm pauper, qui iis caret: unde perinde illi sunt opes, ac si eas non haberet. Quare ei congruit illud Apocal. 3. 17. *Dicis, quòd dives sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Concupiscentia carnis*, putà gula, & libido, congruit cum sene fatuo: libido enim senex est, quia ab Adamo peccante concepta est, singulisque posteris ingenita: eadem fatua est, &, ut Græca habent, adultera, tum, quia carnem ipsam necat & corrumpit; tum, quia modicam, turpemque voluptatem anteponit cælesti & æternæ, adeoque meretricem præfert ipsi Deo & Christo, qui est verus animæ sponsus. Quod sanè spiritale, sed enorme est adulterium.

Denique Hugo hæc tria adaptat hypocrisi & hypocritæ. Hic enim est pauper in veritate, dives in ostensione, senex in exteriori conversatione; superbus mente; mendax ficta simulatione; fatuus & insensatus sui & aliorum deceptione.

VERS. 5. QUÆ IN IUVENTUTE TUA NON CONGREGASTI, QUOMODO IN SENECTUTE TUA INVENIES? Ex tribus, quæ se odisse dixit, tertium prosequitur, scilicet senem fatuum: unde hic indicat causam fatuitatis in senibus, nimirum quòd in iuventute non studuerint, nec congregarint sapientiam: quæ enim iuvenis non didicisti, quomodo senex addisces, imò invenies? Ad sapientiam enim propriè pertinet hæc sententia, licet & ad alia quælibet, etiam opes temporales, extendi possit. Unde in sequentibus docet quàm senes deceat sapientia, ut hac ratione iuvenes excitet ad eam comparandam; utpote quâ in senio fruituri sunt, æquè ac decorandi. Græca, omisso *Te quæ*, sic naturaliter & pathetice sententiam efferunt: *In iuventute tua non congregasti, & quomodo in senectute tua poteris invenire?* Tigur. *si nihil in iuventute congessisti, quomodo rem facias in senectute?* Syrus clarè, *in adolescentia tua non congregasti sapientiam, & quomodo reperies eam in senectute?* Sicut ergo formicæ congregant grana in æstate, quæ comedant in hieme; sic tu, ò juvenis, *Mysticè.* congrega sapientiam, merita, & virtutes in ætate florida, quibus fruaris, honoreris & exultes in senio.

Iuventus enim suos mores sive probos, sive improbos transmittit, & transcribit in senium. Hinc illa justa in senem improbum exprobatio apud Gracchum, quam recitat S. Isidor. lib. 2. Origin. c. 21. *Pueritia tua adolescentiæ tuæ inhonestamentum fuit, adolescentia senectutis dedecoramentum, senectus reip. flagitium.* Præclarè Cassianus Collat. 2. cap. 13. *Divitiæ senum*, ait, *non sunt canities capitis, sed industria iuventutis, ac præteritorum laborum stipendiis metienda. Quæ enim non congregasti in iuventute, quomodo invenies in senectute?* Tacitè ergo hic reprehenditur multorum juvenum error & sensus, qui dicunt, Juventutem dabo voluptati, senectam pœnitentiæ: juventutem otio, & vitio, senectam labori, & virtuti: juventutem diabolo, senectam Deo. Quid turpius, quàm florem ætatis dare diabolo, fæces Deo? quid stultius, quàm juventam aptam labori dare otio; & senectam natam ad quietem, cogere ad laborem insuetum? quid periculosius, quàm se dare vitiis sub inani & incerta spe longævæ vitæ & seræ pœnitentiæ? Sed de hoc plura inferiùs. Denique sapienter S. August. in psalm. 112. *Virtus*, inquit, *exigit ut sit senectus nostra puerilis, & sit pueritia senilis.*

Iuventus suos mores transmittit in senium.

Antistrophæ Siracidi sunt hæ Philosophorum gnomæ. Ennii:

Sicut fortis equus, spatio qui fortè supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.

Senecæ:

Iuveni parandum, seni utendum.

Portii Latronis, insignis oratoris: *Quære adolescens, utere senex.* Exstat hac de re emblema, in quo hinc pingitur adolescens expeditis lacertis, nudo capite, ligone terram proscindens: illinc senex toga pellita suffultus, in solio accumbens ad genialem mensam epulis, scyphisque instructam.

QUAM SPECIOSUM CANITIEI JUDICIUM, ET PRESBYTERIS COGNOSCERE CONSILIUM!) Duo dicit, ait Jansenius, speciosa esse, & decora canis & presbyteris, hoc est, senibus, nempe, & benè posse judicare, & sanum posse suggerere consilium; quorum utrumque & prudentiam, & authoritatem requirit. Quæ senibus maximè propria sunt, quibus experientia & anni prudentiam adferunt, canities authoritatem. Vires enim sunt juvenilis ætatis: at prudentia, consilium, sententia, & auctoritas senectutis. Itaque apud Lacedæmonios summum consilium γερουσία, conventus, cœtusque senum dicebatur: quemadmodum Romæ senatus est appellatus, quòd ex senibus constaret. VERS. 6.

Per *iudicium* ergo hic tam privatum & domesticum, quàm publicum & civile accipe: iudices enim solent deligi grandævi, & senes, tum ob auctoritatem, tum ob prudentiam, tum ob sedatas animi passiones. Unde Tigurina vertit, *quanto est ornamento canitiei iurisdictio, & cognitio consilii senibus!* Syrus, *quàm decet senes iudicium, & provectos ætate intelligentia!* Huc facit celebris illa sapiensq; Græcorum gnome: ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων, id est, *opera sunt iuvenum, bella virorum, at consilia sunt senum.*

Opera sunt iuvenum, bella virorum, consilia senum.

QVAM SPECIOSA VETERANIS SAPIENTIA, ET GLORIOSIS INTELLECTVS ET CONSILIVM. VERS. 7.
Veteranis, Græcè, γέρουσι, id est *senibus: gloriosis*, Græcè, δεδοξασμένοις, id est *honoratis*. Idem penè dicit, quod dixit v. præced. ut inculcet, & urgeat iuvenes ad comparandam, senes ad conservandam, & promendam sapientiam. Illam enim nunc vocat *intellectum*, nunc *consilium*, nunc *iudicium* quia sapientia optimè res intelligit, optimum in dubiis dat consilium, optimè in re ancipiti iudicat. Unde Syrus vertit, *quàm decet magnates sapientia, & graves sensus, & consilium!* Tigurina, *quàm decora senibus est sapientia, & intelligentia, consiliumq; honoratis!* Pro *intellectus*, ἔννοια, quod alii vertunt, *cogitatio*. Honoratorum enim, & magnatum est multa cogitare, pauca loqui; hæc enim cogitatio matura, & prævia, mater est parensque consilii, & judicii. Unde homines cogitabundi, & taciturni solent esse prudentes, & sapientes.

Senum est sapientia.

Præclarè S. Hieron. epist. 2. ad Nepotianum: *Senectus*, inquit, *eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit. Unde & sapiens ille vir Græciæ Themistocles, cum expletis centum, & septem annis se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere, quòd tunc egrederetur è vita, quando*

sapere

sapere cœpisset. Plato octogesimo primo anno scribens, mortuus est: Isocrates nonaginta novem annos in docendi scribendiq; labore complevit. Cicero lib. de Senect. celebrat Solonem, qui solus restitit Pisistrato remp. per tyrannidem invadenti, cumque ille rogaret, *qua re fretus hoc auderes?* respondit, *Senectute.* Alios senectus reddit formidolosiores, illi conciliavit audaciam, quòd parum vitæ superesset, etiamsi nullus occideret. Hinc illud Homeri Odyssea 8. de heroe quodam Ægyptio: *Qui iam senecta incurvus erat, & multa rerum experientia sapiens.* Causam dat Aristot. in Problem. sect. 30. num. 4. *Quia natura,* inquit, *duo instrumenta nobis inservit: manum, inquam, corpori dedit, animo mentem. Uti ergo procedente ætate manus suum opus maximè efficere potest, ita etiam mens non protinus, sed in senectute maximè nobis contingit, atque tunc potissimùm consummatur, & absolvitur.* Consonat Plato in Timæo: Anima, inquit, ab initio amens fit: at, postquam nutritionis, & augmenti rivus leniùs, minusque fluit, animæque circuitus tranquilliore motu iter suum peragunt, processuque temporis sedatiores fiunt, & in figuram naturæ suæ congruam restituuntur; tunc singulorum circulorum directæ conversiones eiusdem, & alterius naturæ probè discernunt, hominemque sic institutum prudentem efficiunt. Hinc olim iussu Dei, septuaginta senes erant judices Israelis, ut patet Num. 11. 16. vide, & Deut. 21. 6. & Daniel. 13. 5. Sic, & apud Romanos non nisi senex fiebat senator: unde Senatus dictus, quasi concilium senum. Ita Cicero de Senect. Livius lib. 7. Justin. lib. 43. Audi Ovidium lib. 5. Fastorum:

Cur?

Senatus à senibus dictus.

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen, & ætatis mite Senatus habet,
Iura dabat populo senior, finitaq; certis
Legibus est ætas unde petatur honos.

Idem faciebant Spartani, teste Livio lib. 4. belli Macedon. & Persæ, teste Xenophonte in Cyri pædia. In Taprobane insula non nisi senex tam annis, quàm moribus, in regem eligebatur, teste Plinio, lib. 6. c. 22. Idem fiebat in Arabia, teste Diodoro lib. 3.

CORONA SENUM MULTA PERITIA, ET GLORIA ILLORUM TIMOR DEI) Est hendyadis, *corona, & gloria,* id est, corona gloriosa, vel gloria coronata. q. d., id est multarum rerum experientia, & peritia, ornat senes instar coronæ; at hæc corona gloriosa efficitur, & nova miraque gloria decoratur, si ad πολυπειρίαν accedat *timor Dei:* qua occasione in sequentibus de more effundit se Siracides in laudes, & præconia timoris Dei, eumque ceteris rebus omnibus, quæ hominem beare, & felicem efficere videntur, præfert, & anteponit. Verùm meliùs *gloriam* hic accipias pro gloriatione, hanc enim significat Græcum καύχημα. q. d. Nulla est res de qua magis gloriari possint senes, quàm timor Domini, si eo præditi sunt. Unde Tigurina, *multiplex peritia corona senum est, & gloriatio eorundem religio Domini;* Syrus, *honor senum est multitudo consilii, & timor Dei laus eorum.* Ubi enim consilio deest timor Dei, & adest impietas, ingens est malum, & probrum: impietas enim armata consilio, sæpè insuperabilis est. Tale fuit consilium impium, quod Achitophel dedit Absaloni rebellanti contra Davidem patrem, 2. Reg. 15. Tale quoque fuit consilium, quod Balaam dedit Balac regi Moab ad perdendum Hebræos, Numer. 24.

Quocirca sapienter senes monet Nazianz. in Tetrastichis:

Senes parent se ad exitum.

Semper saluti tu quidem stude tuæ.
Doctissimum autem sub diem vitæ ultimum,
Venit senectus: exitum præco canit;
Paremur omnes: imminet iudex Deus.

Caput calvum domus divinitatis.

Denique Synesius tract. de Laude calvitii, caput calvum vocat *prudentiæ domicilium, divinitatis templum.* Alludit ad Proverb. 16. 31. *Corona dignitatis senectus,* ubi senes septuplici corona donabo. Porrò, cordatè Seneca lib. 1. de Tranquill. vitæ cap. 3. *Nihil turpius,* inquit, *est quàm grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, præter ætatem;* cùm alia multò clariora habere debuisset, nempe experientiam, & sapientiam, quæ seris ab annis colliguntur. Nam ut ait S. Hieron. epist. 2. ad Nepotianum: *Omnes penè virtutes corporis mutantur in senibus; & crescente sola sapientia, decrescunt cetera virtutes.* Quò pertinet illud Socratis in Symposio Platonis: *Tunc,* inquit, *mentis oculus acutè incipit cernere, cùm primùm corporis oculus deflorescit.* Quare Tullius in Catone: *Temeritas,* inquit, *est florescentis ætatis, prudentia senectutis.* Ob quam prudentiam, Quintilianus, in quadam declamatione: *Militem,* inquit, *eligimus iuvenem; imperatorem, facimus senem.* In hujus rei typum David, postquam senuit, uxorem duxit Abisag Sunamitidem, 3. Reg. 1. 3. quæ sapientiam senilis ætatis propriam repræsentat. Nam Abisag, interprete D. Hieronymo proximè citato, idem est quod *abundans,* & quod *rugitus. In senibus autem,* inquit, *abundantissimum, & ultra humanam vocem divini sermonis tonitruum commoratur.* Plura hac de re dicam proximè Prov. 20. 29. ad illud: *Dignitas senum canities.*

NOVEM INSUSPICABILIA CORDIS MAGNIFICAVI, ET DECIMUM DICAM IN LINGUA HOMINIBUS) Græca habent, ἐννέα ὑπονοήματα ἐμακάρισα ἐν καρδίᾳ μου, καὶ τὸ δέκατον ἐρῶ ἐπὶ γλώσσης μου. Quod Complut. vertunt, *novem suspiciones beatas dixi in corde meo, & decimum dicam in lingua;* alii, *novem concepta corde prædico beata, & decimum dicam lingua.* Hoc novenario, & denario beatitudinum, Siracides imitatur ternarios, & quaternarios Salomonis, Proverb. 30. v. 18. & sequ. *VERS. 9.*

Nota. ὑπονοήματα vocantur cogitata, suspicata, & mente concepta: thema enim est, id est, cogito, mente concipio, suspicor. Unde videri posset pro *insuspicabilia,* in Latina Vulgata, legendum esse *suspicabilia;* aut certè Interpretem minùs Latinum, *insuspicari,* accepisse pro *suspicari, & insuspicabilia* pro *suspicabilia,* quasi *insuspicabile* idem sit quod in suspicionem veniens, id est suspicabile: sicut *investigabile,* est idem, quod in vestigio perscrutabile, hoc est vestigabile; & *insuccare,* idem est, quod succo imbuere, hoc est succare; *insufflare,* est sufflare in aliquem; *inebriare,* est ebrium efficere. Verùm Jansenius opinatur, quòd Interpres noster pro ὑπονοήματα, id est *suspicabilia,* legerit ἀνυπονόητα, id est *in suspicabilia:* *insuspicabilia* ergo *cordis* vocari ea, de quibus nemo malè in corde suo suspicatur, aut cogitat. Ita Rabanus, Glossa, Jansenius, Dionys. Palacius, & Hugo, *Insuspicabilia,* inquit, *sunt quæ ab omni suspicione falsitatis sunt aliena.* Tertiò, valdè appositè *insuspicabilia* explices ea, de quibus nemo facilè suspicetur, illa esse tanta, tamque magna, ut ea adeò magnificanda sint, in eisque beatitudo constituenda, uti constituit hic Siracides. q. d. Hæ novem beatitudines sunt suspicabiles, & probabiles animo meo, at aliis sunt insuspicabiles, & parum probabiles: præsertim si novem hæc non sigillatim, sed collectim sumantur. Si quis enim roget; Quæ sunt novem beatitudines? nemini in mentem veniet id, quod mihi; nemo hasce novem beatitudines animo concipiet, quas ego concipio; nemo eas præcisè assignabit, quas ego assigno. Eadem ergo, sunt suspicabilia, & insuspicabilia. Siracidi enim erant suspicabilia, cæteris insuspicabilia: sic enim suspiciones, & opiniones probabiles videntur, propriæque sunt certis personis, cùm in ceterorum mentem non cadant, eisque sæpè sint improbabiles: unde vocat eas *insuspicabilia cordis,* quæ scilicet non facilè cor cuiuspiam alterius suspicetur esse tanta, ut hominem beatum efficiant: atque ea opponit decimo, quod se ait dicturum in lingua hominibus. q. d. Novem res in corde meo suspicatus sum, & æstimavi esse adeò magnas, ut beatum, id est civiliter felicem efficiant eum qui illorum est compos. Dico, Suspicatus sum ego, quia alii idem non facilè suspicabuntur vel coniectabunt, at decimum (putà timor Dei) tale est, ut nemo non sit cogitaturus, & concessurus, quin illud hominem beet: quare illud *dicam in lingua hominibus,* id est illud contenta voce palam omnibus enuntiabo, ac quantum potero commendabo, & celebrabo.

Insuspicabilia quæ? Resp. Primò

Secundò.

Tertiò.

Huic interpretationi favet Tigurina, dum vertit, *novem coniecturas animo meo beatas iudico, linguaq; mea pronuntiabo decimam,* & alii qui vertunt, *novem concepta corde prædico beata, & decimum dicam lingua mea.* Porrò Syrus, *insuspicabilia* accipit ipsi etiam Siracidi: sic enim vertit, *novem, quæ non ingrediuntur cor meum* (quæ scilicet non satis capio, non satis intelligo) *laudavi, & decimum quod non locutus sum.* Unde, & Hugo: *Insuspicabilia cordis,* inquit, *vocat, quæ cor non potest suspicari:* hoc enim, non aliud, propriè hæ voces Latinè significant. Favet, & Græca vox: nam, vel significat propriam cuiusq; suspicionem, & opinionem, quæ ab aliorum sententia sæpè dissidet, & discrepat. Unde loqui quis dicitur, cùm aliud loquitur, quàm audiens exspectabat; quod Noster hic rectè vocat *insuspicabile.* Sic Demosthenes verbum acerbum, quod rectà ferebatur in Athenienses, ipse in adversarium detorsit: *Quis,* inquit, *non despuisset in caput tuum? Absit enim ut id in civitatem, vel in me, ominari mihi contingat.* Hinc rursum vocatur sensus reconditus, de quo nemo facilè suspicatur, uti ex Pla-

Platone, & Plutarcho probat Budæus in Comment. linguæ Græcæ pag. 913. Hoc sensu solerter Latinus noster Interpres accepit τὸ ὑπονόημα, ideoque vertit, *insuspicabilia*, quia vidit addi τῷ *cordis*. q.d. Ego in corde meo suspicatus, & opinatus sum hæc novem facere hominem beatum: et nolui hactenus illa lingua eloqui & asseverare, quia aliis fortè aliter videbitur, qui suspicabuntur, & opinabuntur alia novem, quæ hisce meis novem anteponent, quasi illa magis hominem beent.

Porrò, novem hæc ὑπονόηματα sive insuspicabilia, quæ beant hominem, putà, novem beatitudines, recenset, subdens: Primum, *Homo qui jucundatur in filiis*, Secundum, *Vivens & videns subversionem inimicorum suorum*; Tertium, *Beatus qui habitat cum muliere sensata*; Quartum, *Qui lingua sua non est lapsus*; Quintum, *Qui non servivit indignis se*; Sextum, *Beatus qui invenit amicum verum*; Septimum, *Qui enarrat justitiam auri audienti*; Octavum, *Quàm magnus est, qui invenit sapientiam!* Nonum, *Et scientiam*. Verùm pro *scientiam*, Græca habent φρόνησιν, id est, *prudentiam*. Et pro eo quòd Noster habet, *Beatus qui invenit amicum verum*, Græca habent, *Beatus qui invenit prudentiam*. Pro *& scientiam*, Syrus vertit, *beatus vir quem non fregit paupertas, & non fregit eum inopia*. Hæc enim est magna scientia & prudentia, patienter & fortiter ferre paupertatem, quę sæpè viris sapientibus & sanctis obvenit: & qui illam æquanimiter tolerant, magni & beati sunt: Ita hæc novem computat Rabanus, Palacius & Hugo: Per sapientiam, inquit, accepit cognitionem & contemplationem divinorum: per scientiam verò, cognitionem rectè operandi, putà, prudentiam rectè conversandi in hoc mundo, scilicet in medio nationis pravæ. Octavum ergo & nonum sunt, sapientia contemplationis & scientia operationis. hæc Hugo. Decimum, *Timor Dei super omnia se superposuit: beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei*.

Novem beatitudines hujus vitæ.

Mysticè. Mysticè Hugo: *Primum insuspicabile*, inquit; *est pietas, quæ facit lætanter operari bonum*. Opera enim bona sunt quasi proles pietatis, & pię voluntatis. Unde psal. 111. dicitur: *Jucundus homo, qui miseretur & commodat*. Secundum, est zelus, quo fit victoria vitiorum: Tertium, est castigatio carnis, quæ pacem facit inter rationem & sensualitatem, quæ jugem habent discordiam. Galat. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*. Sed debet caro castigari, ut subiiciatur spiritui, & fiat pax. Unde Genes. 3. dicit Dominus mulieri: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*. Quartum, est modestia sermonis: Quintum, est magnanimitas, qua quis magna facere vel pati audet, ut non serviat diabolo vel peccato: Sextum, est fidelis amicitia, quæ in solo amore consistit. Septimum, est prudentia, sive discretio doctrinæ, qua quis considerat & attendit quid, & cui loquatur: Octavum, est sapientia contemplandi: Nonum, est scientia operandi. Hæc sunt novem insuspicabilia, id est, ab omni mala suspicione aliena. Decimum autem quod in lingua dicetur, est timor Dei, qui decimum dicitur, id est, perfectio aliorum. Novenarius enim imperfectus numerus est, donec ad denarium venerit; unde, sicut unitas addita novenario, perficit ipsum, ut fiat denarius: sic timor, additus prædictis novem insuspicabilibus, perficit ipsa, & custodit, & promovet. Nunc sigillatim explicemus singula.

Vers. 10. HOMO, QUI JUCUNDATUR IN FILIIS, VIVENS ET VIDENS SUBVERSIONEM INIMICORUM SUORUM) E novem beatitudinibus & beatis duos hic assignat. Primus ergo magnus, &, ut græcè est, *felix & beatus, est homo, qui jucundatur in filiis*, qui scilicet habet filios egregios, eosque probos & morigeros: hi enim patri ingens decus ęquè ac gaudium afferunt; sicut ex adverso filii improbi & immorigeri patri dedecus, & tristitiam, adeoque morbum & mortem subinde conciliant. Vnde Tigurina vertit, *beatus homo cui vivo liberi jucunditatem afferunt*; alii, *homo voluptatem capiens ex filiis*. Fili enim sunt quasi pars & caro parentum: quare de eorum bono vel malo, quasi de suo, gaudent vel dolent parentes, præsertim quia eos post se superstites relinquunt. Vnde post mortem in filiis vivere videntur, in eisque esse felices & honorati, vel infelices, & infames: unde Syrus vertit, *homo qui lætatur in novissimo suo*. Idem censuit David psal. 127. 3. ubi inter alia præmia timentis Deum ideoque beati, hoc primum recenset: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum, &c. Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel*. Et psal. 126. 4. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini, filii: merces, fructus ventris. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum*; id est, juvenum validorum & fortium. Vnde Aquila, Symmachus & Theodotion vertunt, *sicut filii juventutis*: juvenes enim hebraicè vocantur excussi, quia expediti ab omni impedimento, & accincti ad prælium, ait S. Hieron. epist. ad Marcellam; unde de filiis hisce excussis, id est juvenibus validis, subdit Psaltes: *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis*.

Secundus magnus & beatus est, *vivens & videns subversionem inimicorum suorum*; Tigurina, *qui videt casum inimicorum suorum*. Innatus est homini appetitus vindictæ, ut doleat de prosperitate, & gaudeat de adversitate inimicorum. Vnde Aristoteles libr. 4. Ethic. c. 5. Philosophi censuerunt ingens homini esse bonum & gaudium, si justam iram & vindictam suam explere possit. Verùm hic sensus est naturę peccato corruptę & vitiatę, non sanę & integrę: quem proinde correxit Christus, dum jubet inimicos ęquè ac amicos diligi, ac proinde iis malefacere prohibet, benefacere verò mandat, Matth. 5. 44. Charitas enim Dei & Christi amplo suę benevolentię sinu tam inimicos quàm amicos complectitur. Judaicum ergo est & Ethnicum, odisse inimicos, deque eorum clade gaudere. Judęis enim duris dictum erat: *Odio habebis inimicum tuum*; quod corrigit Christus Matth. 5. Quare hic locus, & similes accipi debent de inimicis, qui sunt infideles vel impii, ideoque hostes Dei, Ecclesię, & fidelium, quales Judęis, tempore Siracidis, erant omnes ferè gentes. De horum enim ruina gaudere licet, tum ex zelo justitię & justę vindictę, ut infidelitas & impietas eorum justa pœna puniatur; tum ex zelo charitatis, ut scilicet ipsi Deo, Ecclesię & fidelibus injurii esse, eosque persequi, & vexare desinant. Qua ratione nunc fideles gaudent, cùm audiunt victorias principum Catholicorum, quas referunt de hostibus Ecclesię, cum ingenti hęreticorum, et Turcarum strage ac ruina. Ita gavisi sunt Prophetę in strage Babyloniorum, Philistinorum, Moabitarum, aliorumque Synagogę hostium, ut Isajas cap. 14. 4. Jeremias 51. 48. Ezechiel cap. 26. 27. Vnde illud Davidis insultantis Babyloni excindendę: *Filia Babylonis misera: Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram*, psalm. 136. 9. Fidelis enim & justus neminem ęstimat suum inimicum, nisi qui pariter inimicus sit Dei et Ecclesię: quicumque enim amicus est Dei, et Ecclesię, hic pariter amicus est fidelis, et justi, et ab eo ut amicus amatur. Posset tamen hæc beatitudo extendi ad privatam vindictam: fidelis enim & sanctus, sancto gaudio gaudere potest de ruina hostium, qui eum à fide & sanctitate avertere, aut eam impedire & interturbare conantur, quatenus scilicet gaudet eos, ut sanctitatis suæ impedimenta, auferri & interire; non autem gaudet, eò quòd eis ut hominibus privatis hostibusque suis hoc malum accidat. A quo tamen gaudio, ob periculum privatæ vindictæ, in quam natura corrupta propendet, abstinendum est, nisi quis planè mortificatos habeat affectus, sitque sanctus, qualis fuit Jeremias, qui proinde securè orat c. 11. 20. *Videam ultionem tuam ex eis*; scilicet inimicis.

Mysticè Rabanus & Hugo: Beatus est inquiunt, Primò, *qui jucundatur in filiis*, id est, in bonis operibus: hæc enim, uti supra dictum, sunt quasi proles, quas parit bona voluntas, quasi mater per gratiam Dei, quasi per semen cæleste, Patris æterni. Rursum, *in filiis*, id est, in proximis, quos ad Deum convertimus: hi enim sunt filii spiritales, qui suos parentes lætificant. Secundò, *Qui videt subversionem inimicorum suorum*, putà, dæmonum & vitiorum. Mirè enim gaudet anima sancta, dum ruinam vitiorum in se æquè ac in aliis conspicit. Tertiò, *Qui habitat cum muliere sensata*. Hæc tertia beatitudo est castigatio carnis, quæ pacem efficit inter rationem & sensualitatem, inter quæ jugis est discordia, juxta illud Galat. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*. Debet ergo caro castigari, ut subiiciatur spiritui, ut hac ratione fiat sensata, ac pacem colat cum ratione, cui quasi marito subesse oportet, *Mysticè.*

perinde ac Deus Evæ uxori Adæ dixit & sanxit, Genes. 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*

VERS. 11. BEATUS QUI HABITAT CUM MULIERE SENSATA, ET QUI LINGUA SUA NON EST LAPSUS ET QUI NON SERVIVIT INDIGNIS SE] Hic versus tres obtinet beatitudines. Igitur tertius *beatus est, qui habitat cum muliere sensata*; Tigurina, *beatus qui habet uxorem cordatam*; alii, *beatus qui degit cum uxore intelligente*, id est, prudente; hoc enim significat Græcum συνετῆ: uxor enim prudens mariti malis omnibus medetur, vel ea sua providentia præveniens discutit & avertit, bonaque omnia accersit: quare Salomon asserit, peculiare Dei donum esse uxorem prudentem, Proverb. 19. 14. qualis Davidi fuit Abigail. Syrus, *beatus est vir uxoris bonæ, quia non arat in bove & in asino simul*, id est, non impar, sed æquale ducit jugum conjugii: vir enim bonus & uxor bona sunt quasi duo jugales pares, qui pari animo subeunt facilèque portant onus conjugii: cum verò vir bonus est, sed uxor mala; aut uxor bona, sed vir malus; tunc jugales sunt impares, unde impariter trahunt B currum conjugii, ejusque onus totum ferè illi, qui bonus est, incumbit, qui plus æquo gravatur: sicut cùm aratrum trahunt bos & asinus, impares sunt jugales, & plus æquo gravatur asinus, utpote qui viribus impar est bovi. Rursum asinus, utpote salax & luxuriosus, symbolum est libidinis & adulterii à cujus suspicione immunis & liber est vir uxoris bonæ & castæ. Alludit symbolicè ad legem Deut. 22. 10. *Non arabis in bove simul & asino*. Vide ibi dicta.

Quartus beatus est, *qui lingua sua non est lapsus* in peccatum, vel in aliquod periculum & damnum; Syrus, *beatus est, quem lingua sua non pervertit*. Facilis enim, multiplex & periculosus est lapsus linguæ; qui multos infelices & miseros efficit, quemque pauci, nec nisi per singularem Dei opem & gratiam, evadunt. Unde S. Jacobus c. 3. v. 2. *Si quis*, inquit, *in verbo non offendit, hic perfectus est vir*, &c. Vide ibi dicta.

Quintus beatus est, *Qui non servivit indignis se*; Syrus, *qui non servit viliori se*. Magna enim indignitas, ideoque infelicitas est, cùm quis honestus vel nobilis & C princeps cogitur servire homini vili, v. g. subdito vel famulo, qui sæpè caret discretione, & judicio, agiturque passione & improbitate, quique per potestatem superbè insolescens, imperiosè, protervè & tyrannicè dominatur suis heris, virisque ingenuis & honoratis; juxta illud Salomonis Proverb. 30. 21. *Per tria movetur*, id est commovetur, conturbatur, *terra, & quartum non potest sustinere; per servum, cùm regnaverit: per stultum, cùm saturatus fuerit cibo: per odiosam mulierem, cùm in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam, cùm fuerit heres dominæ suæ.*

Eutropii eunuchi potentia. Quàm servi exaltati regimen sit superbum & intolerabile, exemplo Eutropii ostendit Baronius anno Christi 399. initio. Eutropius enim conditione servus, sexu eunuchus, fide Ethnicus, moribus perditus, tutor Arcadii Imp. tanto potentiæ splendore eminuit, ut in eum potiùs quàm in Arcadium conversi essent omnium simul cum oculis animi bonorum cupidi. Idem potentiæ miscens sævitiam, totum planè Orientale pessumdedit Imperium. Vnde Claudianus, de eo jam creato Consule Romano indignans, ita exclamat lib. 1. in Eutropium.

Omnia cesserunt eunucho consule monstra.
Heu cæli terræque pudor! Trabeata per urbes
Ostentatur anus, titulumque effeminat anni:

annus enim Christi 399. inscriptus est titulo consulatus Eutropii eunuchi. Et inferiùs ostendens impotens, & insolens ejus regimen.

Asperius nihil est humili cùm surgit in altum;
Cuncta ferit, dum cuncta timet: desævit in omnes,
Ut se posse putent: nec bellua tetrior ulla est,
Quàm servi rabies in libera colla furentis.

Quocirca Eutropius à Gaina & populo furente postulatus ad necem, confugere coactus ad ecclesiam, quasi ad asilum (quod ipse paulo antè lege lata sustulerat) ibi à furore populi defensus fuit aurea oratione S. Chrysostomi, cujus hoc est exordium æquè ac titulus: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Sic Maximianus Imper. volens acriter punire SS. Sergium & Bacchum Martyres primicerios suos, eos judicandos & puniendos misit ad Antiochum ducem Orientis, qui S. Sergii fuerat servus, ejusq; intercessione hunc ducatum adeptus. Quæ sanè ingens fuit ignominia, æquè ac crudelitas: Antiochus enim homo crudelissimus & ingratissimus, in eos, licet heros suos, immanissimè desævit, uti habent eorum acta apud Surium die 7. Octobris.

Hinc ad miserrimam servitutem damnatus censetur Cham, cùm de illo dicitur à parente: *Servus servorum erit fratribus suis*, Genes. 9. v. 25. Vbi Rupertus lib. 4. in Genes. cap. 37. *Non dixit*, inquit, *solum, Servus erit (quo nomine interdum etiam bona vel voluntaria servitus solet significari) sed, Servus servorum: quo additamento servitus extrema, imò servilis nequitia, solet exprimi: nisi cùm per egregiam humilitatem seipsum profitetur quis servum servorum Dei*. Idem contigit Joseph de quo dicitur: *In servum venumdatus est Joseph*, psalm. 104. v. 17. De qua re D. Ambros. serm. 12. in psalm. 118. *Quæ potuit*, inquit, *nobilis prosapiæ puero gravior esse tentatio, quàm ut tanto familiæ splendore deiectus serviret apud Ægyptios? Est consolabilis servitus servire vel iustis: æquitate Domini levatur iniuria servitutis.*

Mysticè, miserrimum est servire peccato & diabolo, quia hic vilissimus æquè ac crudelissimus est subditorum sibi tyrannus & carnifex. ita Rabanus & Palacius. Hinc pariter miserrimum & periculosissimum est servire indignis, id est, improbis: hi enim sibi similia improba, hoc est, planè indigna & impia imperant: aguntur enim à diabolo quasi eius filii, imò mancipia.

BEATUS QUI INVENIT AMICUM VERUM] VERS. 12. qui scilicet tam in adversis, quàm prosperis amico fideliter adsit & opituletur. Amicus enim fidelis est protectio fortis, ac medicamentum vitæ & immortalitatis, ut dixit cap. 6. 13. & seq. Vide ibi dicta. Hic Sextus est beatus. Græca pro *amicum*, habent φρόνησιν, id est, *prudentiam*. Vnde Tigurina, *beatus, qui prudentiam assecutus est*; Syrus, *beatus qui invenit misericordiam*. Potest etiam legi *amicum*: utrumque enim vox Syra רחמא significat. si enim legas puncto patach רחמא *rachma*, significat misericordiam: sin puncto chateph-camets רחמא *rochma*, significat amicum, dilectum. Causa huius beatitudinis est, quam dat Salomon Proverb. 18. 24. *Vir amabilis*, inquit, *ad societatem magis amicus erit quàm frater.* Pietas ergo & amicitia fraternizant, quia fraterna quasi cognatione connexæ sunt. Vnde S. Hieron. scribens ad S. August. ait: *Cum amico, quasi cum altero se esse loquendum*. Et S. Thomas disputans de ordine charitatis 2. 2. q. 27. asserit coniunctos sanguine in his dumtaxat quæ ipsam concernunt, amicis anteponendos, in ceteris postponendos. Idem opusc. de Dilect. Dei & proximi, simpliciter asseverat, amicitiam consanguinitati præponderare. *Amicus præstat consanguineo.* Idem censuere Philosophi, ut Solon, teste Plutarch. in eius Vita, Cicero l. de Amicit. ubi & causam: *Quia*, inquit, *ex propinquitate benevolentia tolli potest (nam, ut ait Poeta, fratrum quoque gratia rara est) ex amicitia non potest: sublata enim benevolentia, amicitiæ nomen tollitur, propinquitatis remanet.* Et Valer. Maxim. l. 4. c. 7. *Contempletur*, inquit, *nunc amicitiæ vinculum potens et prævalidum, neq; ulla ex parte sanguinis viribus inferius: hoc etiam certius & exploratius, quia illud nascendi sors fortuitum opus, hoc uniuscuiusq; solido iudicio incoacta voluntas contrahit. Itaq; celerius sine reprehensione propinquum aversere, quàm amicum: quia altera diremptio iniquitatis, altera utiq; levitatis* D *crimini subiecta est. Cùm enim deserta sit futura vita hominis nullius amicitiæ cincta præsidio, tam necessarium subsidium temere assumi non debet; semel autem rectum apprehensum, sperni non convenit: sinceræ verò fidei amici præcipuè in adversis rebus cognoscuntur: in quibus quidquid præstatur totum à constanti benevolentia proficiscitur.*

ET QUI ENARRAT JUSTITIAM AURI AUDIENTI] id est, docili, intelligenti & obedienti Rabanus legit, *in aure audientis*, id est, inquit, *devotè Verbum Dei percipientis, rectè intelligentis, & bene operantis*. Hic septimus est beatus, qui scilicet cùm docet, dociles & obsequentes nanciscitur auditores & discipulos. Horum enim docilitas, obedientia, fructus & profectus magnam doctori affert voluptatem consolationem & utilitatem: ex adverso valdè affligitur magister, si docendi laborem subeat, eumque frustraneum, imò noxium sibi esse sentiat, eo quòd discipuli eam negligant, spernant, obstrepant. Quocirca illustre fuit martyrium S. Cassiani, qui, ut habemus in Breviario Romano die 13. Augusti, vinctis post terga manibus, puerorum perversorum, quos

quos erudiebat, ferreis stylis configendus excarnificandusque traditus, mundo probrosam & acerbam, sed Deo & Ecclesiæ gloriosam mortem oppetiit.

Porrò, S. Hieron: in Ecclesiastæ cap. 10. sic legit: *Beatus ille est qui in aurem loquitur sapientium*. Nam, ut ibidem ait: *Præcipitatur vir sapiens quando in aurem loquitur imprudentis, & verba ejus in profundo (ut ita dicam) gurgite pereunt*: Idem in Michææ c. 7. *Si*, inquit, *beatus est qui in aures loquitur audientis, & auris auditoris desiderium sapientis est, lætusque dicentis auditor intelligens: è contrario luctus doctoris est malus discipulus: Jeremiæ quoque verbis huic querelæ congruentibus: Non profui, neque profuit mihi quisquam. Sunt qui ex persona Salvatoris hoc dici putent, causantis, quod in tanta credentium multitudine, & in toto orbe generis humani, vix suo sanguine digna opera reperiat: qui & in 24. psal. ait, Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?*

VERS. 13. QUAM MAGNUS EST, QUI INVENIT SAPIENTIAM, ET SCIENTIAM! SED NON EST SUPER TIMENTEM DOMINUM] Tres ultimi magni & beati hoc versu enarrantur. Octavus ergo magnus & beatus est, *qui invenit sapientiam*: Nonus, *qui invenit scientiam*: Decimus, omnes superans, est, qui timet Dominum. Sapientiam enim hic à scientia distinguit; ac *sapientiam* vocat insignem Dei, rerumque divinarum cognitionem; *scientiam* verò notitiam rerum naturalium, qualis est Physica; aut potiùs moralium, qualis est Ethica. Unde Græca pro *scientiam*, v. 12. habent φρόνησιν, id est, *prudentiam*. ita Palacius. Paulò aliter Rabanus: Sapientiæ, ait, est bonum facere, scientiæ verò malum cavere, juxta illud: *Ecce timor Dei ipse est sapientia, & recedere à malo intelligentia*, Job. 28. Simili modo Apostolus sapientiam à scientia distinguit, dicens: *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ*, 1. Cor. 12. 8. Vbi varij variè hæc distinguunt. Ambrosiaster: *Sapientia*, ait, *significat cor prudens, ut discernat quæ vitanda sunt; at scientia divinarum tantum rerum cognitionem importat*. S. Hieronymus: *Sapientia loqui, discere ac docere potest, scientia legis mysteria explanat*. Ansel. *Sapientia*, inquit, *ad vitam, scientia pertinet ad doctrinam*. D. Thom. 2. 2. q. 177. *Sapientia docet & persuadet, scientia delectat & movet*. S. August. 12. de Trinit. c. 14. *Ad contemplationem sapientiam, ad actionem scientiam pertinere* asserit: at lib. 13. de Trinit. c. 19. *Sapientia*, inquit, *divinis, scientia humanis attributa est*. Eadem repetit lib. 14. cap. 1.

Sapientiæ & scientiæ varia discrimina.

Sensus est ergo q. d. Magnus & suo modo beatus est, qui adeptus est sapientiam, qua Deum, resque divinas ac S. Scripturam penetret & contempletur, ut & alios eadem docere, eosque sapientes efficere queat. Magnus item, qui habet scientiam, id est, prudentiam agendorum, ut tam se, quàm alios prudenter in rebus omnibus dirigere, ac in rebus perplexis arduisque prudens consilium dare valeat: at neuter superat timentem Dominum. Hic enim omnibus major & beatior est; tum, quia per gratiam est Dei amicus & filius, tum, quia certò exspectat gloriam à Deo amicis & filijs promissam. Unde in sequentibus Siracides de more in laudes & præconia timoris Dei excurrit. Quocirca Syrus vertit, *beatus vir quem non fregit paupertas, & non fregit eum inopia*, (hic enim est sapiens & sciens, id est, prudens:) *timor Dei super hæc omnia exaltatus est*. Unde Rabanus: *Novem*, inquit, *speciebus virtutum superadditur timor Dei, quoniam sicut novenarius numerus imperfectus est, quousque denario suppleatur: ita omnis operatio virtutum mediocris est sine timoris Dei perfectione. Timor enim Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi, ipse est fidei fundamentum, ipse charitatis origo, per ipsum operamur bonum, per ipsum pervenitur ad præmium*. Timor Dei ergo est quasi aquila, ceteris donis quasi avibus altiùs volitans, ac vicinissimè ad Deum accedens.

VERS. 14. TIMOR DEI SUPER OMNIA SE SUPERPOSUIT] Ita Romana, Latina & Græca: minùs rectè nonnulli delent τὸ *se*. quod secutus Dionys. Carth. sic exponit, q. d. Timor Dei super omnia superposuit hominem timentem Deum. Verùm meliùs addas τὸ *se*: comparat enim timorem Dei cum novem rebus quæ hominem magnum & felicem efficiunt, asseritque eum hæc omnia transcendere. Unde S. Hieron. in c. 50. Isaiæ legit, *Timor Dei omnia superat*. Porrò, *timor Dei* intelligitur non servilis, sed filialis, qui includit Dei amorem & cultum. Unde Complut. A pro *timor Dei*, legunt ἀγάπησις δὲ κυρίου, id est, *dilectio autem Domini super omnia supergressa est in claritatem*. q. d. Dilectio Dei ceteris donis omnibus clarior & gloriosior est. Tigur. *religio Domini claritate superat omnia*; Syrus; *timor Dei super omnia exaltatus est*. Hinc & mox sequitur: *Timor Dei initium dilectionis*.

Moraliter. *Timor Dei* superponit se sapientiæ, scientiæ, reliquisque novem beatitudinibus jam recensitis, adeoque omnibus virtutibus & donis Dei, quia illis insistens illa ipsa, quasi pondus quoddam grave deorsum cuncta premit, ne scilicet efferantur, intumescant & superbiant. Nihil enim est quod arrogantiam magis premat, quàm timor. Unde Clemens Alexand. lib. 2. Stromatum, pro eo quod Prov. 37. legimus φοβοῦ τὸν Θεόν, id est, *time Deum*, legit ὑπερφοβοῦ, id est *supertime*. q. d. Super te timorem excipe, inquit noster Salazar ibidem; Primò, tamquam equus sessorem. Unde S. Chrysost. hom. 5. de verbis Isaiæ: *Talis*, inquit, *est anima in superbiam elata: semel enim desperata salute, nequaquam desinit furere: verùm habenas laxans irrationabilibus cupiditatibus, quovis rapitur, nec aliter quàm equus ferociens, qui ubi frænum ore, sessorem tergo excussit, fertur quovis vento velocior, omnibus alijs intolerabilis, fugientibus cunctis, neque quoquam audente eum cohibere. Sic anima quæ Dei timorem ipsam refrænantem excussit, ad quævis malitiæ loca decurrit, donec ad exitij barathrum delata, præcipitas suam ipsius salutem*. Quid illustrius? Secundò, tamquam navis nauclerum, qui puppi assidens eam gubernat, & in portum regit. Idem Chrysost. homil. de fide Annæ, expendens feminæ, vel potiùs heroinæ illius robur animique magnitudinem, quæ tanto tempore æmulæ probra convitiaque sustinuit, sic addit: *Siquidem Dei timor tamquam nauclerus gubernaculis assidens persuasit eam tempestatem æquo animo esse ferendam, nec prius destitit mentem illius gubernare, donec in tranquillum adduceret portum onere plenam, hoc est, uterum pretioso thesauro onustum*. Tertiò, sicut turris prealtæ excubitorem, vigilem atque custodem, qui prævidens mala antequam eveniant, omnes animi vires excitat ad repugnandum. Ita S. August. serm. 18. de verbis Apostoli, timorem Dei animi excubiam, custodem & speculatorem appellat. Et quidem quemadmodum speculator eminus igne vel fumo significat hostes adesse, atque bellandi tempus instare: sic timor Dei, ignes seu ardores sempiternos, & caliginosos Averni fumos, obijciens menti, animi vires omnes ad prælium comparat. Ergo *supertime Deum*, perinde est atque timorem Dei super te excipe. Nimirum tamquam equus sessorem, tamquam navis nauclerum, tamquam specula excubitorem. *Et recede à malo*, id est, timor hic te ab omni malo recedere faciet, nimirùm, sicut sessor equum à præcipitio avertens, sicut nauclerus navim à syrtibus vel scopulo in diversum agens, sicut speculator urbem ab omni hostili eruptione defendens.

Timor, Dei Primò est quasi auriga animæ.

Secundò, quasi nauclerus.

Tertiò, quasi speculator.

Id ipsum Gentiles repræsentarunt per Chironem hippocentaurum, quem, teste Hyginio ceterisque mythologis, optimum filij, adeoque Achillis, pædagogum esse censuerunt. Hic autem pædagogus est timor Dei: Chironem enim pinxerunt terrificum & manu arcum tenentem, quia pueri timore, metu & minis à malo coercendi sunt. Rursum, Chironem dixere sibi commissos nutrire medullis leonum, æquè ac cervorum. Denique, Chironem dixere medicum, adeoque inventorem herbariæ & medicinæ: item astrologum, musicum, immortalem, translatum in cælum, in zodiaco collocatum, dictumque Sagittarium. ita Plinius lib. 17. c. 56. Hyginius libr. de stellis, Natalis Comes libr. 4. Mythologiæ c. 12. Porrò Chironi dederunt figuram hippocentauri, ut scilicet infernè similis esset equo, supernè homini: nam duplex forma equi & hominis, timoris illius qui superinducta charitate, quæ biformis est, similitudinem refert; quà equus, timoris ignobilem affectum; quà homo, generosam charitatis formam adumbrat. Rursus timor, quasi pædagogus terrificus, medullis leonum nutrit, id est vim quamdam leonibus similem illis addit: & ut leonum illam ad audendum projectam confidentiam temperet, medullas quoque præbet cervorum, qui pavidi sunt atque pavoris symbolum: ut fortitudo adsit, metus non desit: ut audacia sit leonis, pavor cervi: hic erga Deum, illa verò ad evadenda omnia mala. Hæc noster Salazar, quæ valdè hunc Siracidis locum elucidant.

Igitur timor Dei est gemma pretiosissima, quia ipse est decor & pulchritudo, æquè ac culmen sapientiæ, scientiæ ac virtutum omnium. Hicce enim omnibus superponitur, sicut operculum vasi, sicut corona capiti, & sicut caput corpori, quasi omnium complementum, ornamentum, fulcimentum, imò omnium auriga, navarchus, director, rex & princeps; sine quo illas errare, desipere, & in vitia declinare necessum est.

Beatus timens Deum, cur?

VERS. 15. BEATUS HOMO, CUI DONATUM EST HABERE TIMOREM DEI) Tigurina, *beatus homo, cui contigit religio Domini*. Causam dat S. Ambros. vel potiùs S. Prosper l. 2. de Vocatione Gentium c. 10. scilicet quòd ad conversionem, salutem & felicitatem requirantur duo, nimirum, gratia quasi domina subiugans sibi voluntatem, & voluntas quasi famula gratiæ obsequens: gratiam autem incipere à timore. *Gratia quidem Dei*, inquit, *in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis; dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, ut divino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium: de sua habens mutabilitate, si deficit; de gratiæ opitulatione, si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur. Et quòd à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ: quòd autem à multis suscipitur, & gratiæ est divinæ, & voluntatis humanæ. Nam virtus nolentium nulla est, nec potest asseri, vel fidem, vel spem, vel charitatem eis inesse, quorum ab his bonis consensus alienus est.* Deinde gratiam hunc consensum operari incutiendo timorem, ita docet: *Hunc autem consensum non solùm cohortatio prædicantium, & incitamenta doctrinæ, sed & metus gignit, propter quod scriptum est: Principium sapientiæ timor Domini. Qui quantislibet terroribus inferatur, non aliud agit, quàm ut quem fecerit timentem, faciat & volentem, nec solùm volentem, sed etiam sapientem. Unde & illud scriptum est: Beatus cui donatum est habere timorem Dei. Quid enim tam beatificum, quàm hic timor, qui genitor eruditorque sapientiæ est? In cujus utique devotione devota est & voluntas, quæ auctore gratia eodem proficit timore, quo cœpit. Cùm ergo hic timor etiam per quamdam vim magni terroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur, sed illa potiùs, quæ mentem premebat, caligo discutitur, ut voluntas depravata prius atque captiva, recta efficiatur & libera.*

QUEM TENET ILLUM (timorem Dei) CUI ASSIMILABITUR?) q. d. Timens Deum nó tam homo terrestris, quàm angelus quidem cælestis, & è cœlo in terram lapsus. Tigur. *qui præditus est illa* (religione, id est, reverētia, timore & cultu Domini) *cuinam comparari poterit?*

VERS. 16. TIMOR DEI INITIUM DILECTIONIS EJUS: FIDEI AUTEM INITIUM AGGLUTINANDUM EST EI) Ita Romana. Aliqui legunt, *agglutinatum est ei.* Græca Romana hunc versum delent, eum tamen legunt Complut. & Tigur. quæ sic vertit, *religio Domini amoris ipsius est initium: fides autem origo conjunctionis cum ipso*; alii, *timor Domini initium dilectionis eius: fides autem principium adhæsionis ejus*, Syrus, *initium timoris Domini diligere eum; & initium fidei ire post eum. Apprehende eum, sitis mi, & ne dimittas eum, quia non est sicut ipse.* Sensus est, q. d. A timore & cum timore Dei incipit dilectio Dei, augetur etiam & perficitur: quantum enim crescit timor filialis Dei, tantum crescit & Dei amor; adeoque perfectus timor Dei, perfectus est amor Dei. Eodem sensu dixit cap. 1. v. 16. *Initium sapientiæ timor Domini.* Sapientiam enim practicam intelligit, quæ includit amorem Dei Vide ibi dicta.

Timor causat amorem, & amor timorem.

Quærit Palacius, quomodo timor causet amorem, cùm amor causet timorem; amor enim est affectuum omnium primus? Ac respondet, timorem causare amorem, ac vicissim ab eo causari & produci. *Sicut vapor*, inquit, *est causa pluviæ, & vicissim pluvia est causa vaporis: ita amor Dei causat timorem eum offendendi, ac vicissim timor, & reverentia Dei causat ejusdem amorem.* Timor enim hic filialis intelligitur, uti parit amorem & vicissim ab eo paritur: hi enim duo affectus conjuncti sunt: quem enim amamus, eumdem offendere timemus & reveremur, ac vice versa. Unde Cajet. in 2. 2. qu. 22. art. 2. asserit tibi timorem filialem in se complecti amorem & reverentiam. Ipse ergo est *initium*, hebr. ראשית *resit*, id est, summa comprehendens amorem. Vide dicta c. 1. v. 16. & seq.

Secundò, Jansenius hunc locum explicat de dilectione non nostra, sed Dei, qua scilicet Deus timentes se diligit. q. d. Deus incipit eos quasi amicos suos diligere, quos videt se metuere, sibique fidere, juxta illud: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit: & Pater meus diliget eum, et ad eū veniemus, & mansionē apud eum faciemus*, Joan. 14.

Porrò, quod sequitur, *Fidei autem initium agglutinandum est ei*; sic intellige, fides, quasi initium, jungenda est timori, ut ipsi queat esse initium dilectionis. q. d. Primum donorum & bonorum omnium initium est fides: ex hac enim concipitur timor, qui est causa dilectionis: quia sine lumine fidei Deus cognosci, ac consequenter timeri & amari nequit uti debet. Unde Græca habent, *fides autem initium est agglutinationis ejus*, uti scilicet per timorem, & amorem adhæreamus, & arctissimè agglutinemur Deo: qui enim *adhæret Domino, unus cum eo spiritus est*, 1. Corinth. 6. 17.

Huc facit illud Apostoli 11. 1. *Fides est substantia rerum*
B *sperandarum*, (& timendarum;) *argumentum non apparentium*. Fides efficit, ut res absentes, quas speramus & timemus, menti quasi præsentes sistantur, eamque moveant ad sui timorem & amorem. Vide ibi dicta. Atque hac de causa Siracides hìc mentionem injicit fidei, quia viva fides vivum elicit acuitq; timorem & amorem Dei. Vis ergo timere & amare Deum in dies magis & magis, vivaciùs in dies considera per fidem, quanta sit Dei majestas, ira, misericordia, vindicta; quantæ pœnæ, quas impiis infe, et; quanta gloria, quam timentibus & amantibus se præparavit; quàm longa sit utrarumque æternitas: atque ingentes tibi stimulos ad Deum timendum & amandum addi senties. Ex adverso, quòd multi non satis timeant, nec ament Deum, causa est fides languida, ac quasi sopita & mortua; quod non satis vivè apprehendant Dei justitiam & misericordiam, gehennam, paradisum, &c. Hicce orandum assiduè cum Apostolis: *Domine adauge nobis fidem*, Lucæ 17. 5. Præclarè S. Chrysost. homil. 72. ad Popul. *Illum*, ait, *insopitum* (Dei) *oculum nihil, quod a nobis geratur, est quod lateat. Et hoc cogitantes oportet tanta vitam nostram dispensare diligentia,*
C *quasi paulo post verborum, & actionum, ipsarum quoque cogitationum rationem reddituros.* Unde infert: *Virtus est humana omnia despicere, & per omnes horas futura cogitare, nulli inhærere præsentium; sed scire, quòd omnia humana umbra sunt & somnium: virtus quasi mortuum ad hujus vitæ res efficit, ad spiritalia verò sola, vivere & operari. Sicut & Paulus dicebat: Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus.*

Occasione tertiæ beatitudinis jam recensitæ v. 11. qua dixit: *Beatus qui habitat cum muliere sensata*, ut eam illustret, & demonstret à contrario, transit ad malitiam mulieris insensatæ, indeque colligendum relinquit, quàm infelix sit maritus malæ & insensatæ, felix verò bonæ & sensatæ: quamquam non sit hìc curiosè quærenda sententiarum & materiarum connexio: transit enim Siracides ab una ad aliam pro libito, more veterum Ethicorum & gnomologorum; uti dixi in proœmio.

OMNIS PLAGA, TRISTITIA CORDIS EST: ET OMNIS MALITIA, NEQUITIA MULIERIS) Hic versus jam deest in Græco, sed olim in eo exstitisse liquet ex sequentibus, atque ex Nostro, æquè ac Syro, qui sic VERS. 17.
D vertit, *omnis plaga non est sicut plaga cordis & omnes malitia non sunt sicut malitia mulieris.* Τὸ *&*, idem est quod *sic*: est enim nota comparationis, & combinat duo similia. Idem crebro facit in Proverbiis. *Omnis*, id est, summa, maxima, acerbissima. Est enallage & catachresis: ponitur enim totum universale pro toto quanto, sive perfecto & superlativo: hic enim gradus, cùm sit summus, reliquos comparationis gradus in se vel formaliter, vel virtute continet. Sic summus dolor continet ceteros dolores minores, & summa malitia continet ceteras malitias minores. Sensus ergo est, q. d. Sicut summa plaga, summum vulnus, summus dolor est tristitia cordis: sic pariter summa malitia est nequitia mulieris. Vel, sicut omnem plagam feras faciliùs, quàm tristitiam cordis: sic & omne malum potiùs feras, quàm malitiam mulieris. Tristitia cordis est plaga, & miseria universalis, claudens in se & superans omnem tristitiam: ita & malitia mulieris

omnem

omnem & claudit & superat malitiam. Si enim semel se mulier nequitiæ tradidit & prostravit, nullam non malitiam admittit; ut verbi gratia, si adultera est, ab ea exspectato veneficia, furta, homicidia. Sic dicitur Proverb. 4. 23. *Omni custodia serva cor tuum: omni*, id est præcipua, exacta, summa: nam alioqui etiam oculis & sensibus sua adhibenda est custodia. Et 1. Esdræ 5. 7. *Dario regi pax omnis*, id est, plena & plurima,

Hunc esse sensum patet ex sequentibus. Rectè comparat malitiam mulieris cum tristitia: tum, quia utraque summa est; tum quia malitia mulieris summam viro affert tristitiam & dolorem. Unde Tigurina clarè vertit, *summa plaga est mœror animi: summaq; malitia mulieris*. Ratio prioris est: Prima, quòd mœror immediatè totus sit in animo, qui maximè est sensitivus; ceteri enim dolores, ut verbera, vulnera, adustiones, &c. sunt in corpore; & per corpus quod in se vim sentiendi non habet, quasi refracti, retusi & imminuti, transeunt ad animum, ubi est sedes doloris & sensus. Quare animi cruciatus, qualis est tristitia & mœror, longè acerbior est omni cruciatu corporis, ut patet in damnatis & dæmonibus: horum enim pœna est acerbissima; illa autem est tristitia animi: cùm enim corpore careant, corporeos dolores sentire nequeunt. Secunda, quòd nobilissima pars hominis & animę sit voluntas: hæc enim quasi regina ceteris potentiis, membris, sensibus præest & imperat. Tristitia autem voluntatem immediatè affligit, exedit, cruciat, sibique subiugat, ac per voluntatem ceteras omnes hominis vires, utpote voluntati subiectas, affligit, sibique subiugat. Quare in corpus ipsum suam vim exerit, illudque cruciat, exedit & consumit, juxta illud: *Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa*, Proverb. 17. 22.

Summa plaga est tristitia: cur?

Summa malitia mulieris, cur?

Posterioris ratio est; quòd mulier minus habeat rationis & judicij quàm vir, qui ratione quasi fræno à scelere inhibetur: vnde subinde tota agitur passione & concupiscentia, putà libidine, superbia, ira, imprudentia, fraude, ut videatur esse furia infernalis. Loquor de muliere, quæ vel natura, vel suo arbitrio & nequicia corrupta est, & perversa: nam quæ natura vel exertitio pia est & sancta, sæpè viros superat, tum ob teneriores affectus, quos habet mulier quàm vir, tum ob pronitatem in devotionem & pietatem; tum quòd infirma mundi eligat Deus, ut confundat fortia. Qua de causa S. Agnes, S. Cæcilia, S. Catharina, ceteræque virgines viros superarunt, tum castitate, tum fortitudine, tum charitate, tum martyrio.

Moral. de malitia mulieris.

Moral. disce hic, quantum malum sit mala mulier, quamque viris cavenda. Tertull. lib. de Habitu muliebri post princ. de muliere loquens: *Tu es*, ait, *diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix, tu es divinæ legis desertrix, tu es quæ ei persuasisti quem diabolus aggredi non valuit*. Origenes in ea homil. quam in Evangelium Chananeæ conscripsit: *Mulier*, inquit, *caput peccati, arma diaboli, expulsio paradisi, delicti mater, corruptio legis*. Idem in 2. tractatu suorum Commentariorum in Job, dum enarrat illud: *Plurimo autem tempore interposito dixit ad eum uxor ejus*, &c. & initio tertij tractatus venustè multa mulierum vitia describit, sicut etiam facit S. Cyprianus in lib. de Singularitate Clericorum. S. quoque Chrysostomus in Matth. c. 19. homil. 32. in enarratione illius loci, *Non expedit nubere: Quid*, ait, *aliud est mulier quàm amicitiæ amica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum*, (aut, ut alij legunt. *detestabile*,) *mali natura boni colore depicta*? Secundus item Philosophus interrogatus, quid esset mulier? respondit: *Viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, conviva fera, solicitudo confidens, leæna complectens, exornata scylla, animal malitiosum, necessarium malum*.

Omitto, quasi falsum & erroneum, ideoque hoc loco indignum, Severianos Archonticosque hæreticos adeò mulieres exhorruisse, ut eas opus sathanæ esse dicerent, uti testatur S. Epiphan. lib. 1. hæres. tom. 3. sect. 45. in eorum hæresi. Vide S. Chrysost. homil. in decollatione S. Ioannis Baptistæ, ubi, occasione Herodiadis, mirè feminas exagitat. Quocirca idem rectè docet tribus modis uxorem malè moratam castigandam esse: Primum, docendo secundum Deum: si autem timorem Dei non sentit, improperando, vel ut homines erubescat: si nec pudorem sentit frequenter confusa, faciat quod præcipit Salomon, duram baculo percute. Ergo primùm admone, quia multùm proficit doctrina justitiæ. Deinde confunde, quia frequenter pudor frænum est vitiorum Tertiò, justum est ut castigetur quasi ancilla, quæ erubescere nescit ut libera.

Tiraquellus verò lege 9. connub. censet malas mulieres potiùs castigandas esse à maritis, exemplo virtutis & prudentiæ: sæpè enim *peccata mulierum virorum imperitia contrahuntur*, ait Sextus Pythagoric. ac lenitate, cui misceatur severitas: sicut leones, quos cicurare volunt homines nec verberibus sunt cædendi; nam verberibus recrudescunt: nec rursus blanditiis nimiùm leniendi, ne nimis superbi evadant, teste Philostrato B libr. 7. sed blanditiæ minis permixtæ illas faciliùs ad optatos mores perducunt. Unde Antonius Monac. in Melissa libr. 2. cap. 34. ex S. Chrysost. ait: *Ferrum coquere faciliùs, est, quàm mulierem castigare*.

Mysticè.

Mysticè, mulier bona est fides, mulier nequam est hæresis & infidelitas. Rursum, mulier bona est charitas, mulier nequam est concupiscentia, ac præsertim propria voluntas: hac enim nulla mulier est nequior; hæc enim est causa omnis peccati, ut ait S. Jacobus cap. 1. 14. ideoque illa nihil est nequius. Unde sicut mulier nequam est superba, garrula, impudens, ebriosa, rixosa, lasciva, desidiosa, &c. sic prorsus est & concupiscentia. Ita Rabanus: *Sicut maior*, ait, *gratia alia non est, quàm charitas vera in lætitia bonæ mentis: ita maior plaga non est quàm tristitia dolosi cordis in idololatria, seu errore hæreticæ pravitatis. In ejus enim nequitia omnis est malitia*. Quare quæcumque de muliere mala dicta sunt, & dicenda sunt usque ad finem capitis; hæc omnia mutato tantùm nomine attribue hæresi, concupiscentiæ, C ac præsertim propriæ voluntati; de qua mysticè Esdras libr. 1. cap. 10. 2. *Si est pœnitentia*, ait, *in Israel super hoc, percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, ut projiciamus universas uxores, & eos qui de his nati sunt, juxta voluntatem Domini*. Dominus enim sanxit ne faciamus voluntates nostras in die sancto Domini, id est, in tempore nobis ad sanctè in hoc mundo vivendum concesso. Vnusquisque igitur suam uxorem, id est propriam voluntatem, abjiciat, quam adversus legem faciens in conjugium admisit; & filios ex ea susceptos, id est vana & inutilia desideria relinquat, non ut solus aut sterilis maneat, sed ut divinæ copuletur voluntati, ex qua filios amabilissimos, nempe vitæ æternæ merita suscipiat. Ita noster Alvarez de Mortificatione hominis interioris lib. 2. part. 3. cap. 7.

ET OMNEM PLAGAM, ET NON PLAGAM VI-
DEBIT CORDIS: ET OMNEM NEQVITIAM, ET Vers. 18.
NON NEQVITIAM MVLIERIS: ET OMNEM OB- Vers. 19.
DVCTVM, ET NON OBDVCTVM ODIENTIVM: Vers. 20.
ET OMNEM VINDICTAM, ET NON VINDI-
CTAM INIMICORVM] Comparat malitiam mulie-
ris cum qualibet plaga. *Videbit*, id est sentiet, tolera- Vers. 21.
D bit, patietur. Est catachresis: visus enim, quia nobilissimus, hinc pro quolibet sensu sumitur: *videre* ergo idē est quod sentire & tolerare. Pro *obductū*, græcè est ἐπαγωγὴ id est, obductio, afflictio, calamitas, qua homo totus quasi obducitur, id est obvelatur, obtenebratur, obvoluitur, uti dixi c. 2. v. 2. Sensus ergo est, q. d. Quamvis plagam videbit & tolerabit homo; at plagam cordis, putà tristitiam, non videbit, id est minimè tolerabit: ita pariter patietur quamvis nequitiam, at non nequitiam mulierum; & quamvis afflictionem, at non afflictionem odientium; & quamvis vindictam, at non vindictam inimicorum. Nam reliquę plagæ exteriores sunt, & cùm ad cor non penetrent, ferri possunt: at nequitia uxoris, æquè ac tristitia, & afflictio odientium, & vindicta inimicorum, interius malum est & ad cor penetrat; ideoque videtur quasi exorbitans & intolerabilis. Quis ferat Claudij Imper. uxorem Messallinam? Certè Cæsar suam Pompeiam minimè tulit, ait Palacius. Unde clarè vertit Tigurina, *cedo quamvis plagam, modò non plagam animi: & quamvis malitiam, modò ne malitiam mulieris: cedo*

do quemvis impetum, modò ne impetum odio flagrantium: & ultionem undecumque, modò ne ab inimicis; & Syrus, *omnis plaga non est sicut plaga cordis, & omnes malitiæ non sunt sicut malitia mulieris, & omnes tribulationes non sunt sicut tribulatio odientis, & omnes vindictæ non sunt sicut vindicta inimici.* quia cùm odientes & inimici sine miseratione affligant & vindicent, inquit Jansenius, nec modum aliquem ponant illati mali aut ultionis; intolerabilis est calamitas & ultio, quæ ab illis irrogatur, & omnibus modis deprecanda. Inter calamitatem autem vel obductionem odientium, & vindictam inimicorum hoc interest, quòd illa infertur præter meritum, hæc supra meritum. Nam qui oderunt aliquem, etiam non læsi, nocere illi laborant: & qui inimici sunt, parum læsi, graviùs quàm oportet sese ulcisci student. Hæc ergo sententia continet malarum quarumdam rerum & incommodarum comparationem, ostenditque quid in quoque malorum genere sit extremum & maximè detestandum. Præcipuè autem hæc omnia videntur dicta esse ad mulierum malitiam exaggerrandam, ac significari illam cordis adferre tristitiam, ipsumque cor vulnerare dolore gravissimo; eamdem quoque & obductione obdientium & vindicta hostium esse graviorem, aut cum eis comparandam, tamquam similiter intolerabilem.

Vers. 22. Vers. 23. NON EST CAPUT NEQUIUS SUPER CAPUT COLUBRI, ET NON EST IRA SUPER IRAM MULIERIS] Quia sicut coluber sive serpens (hunc enim significat Græcum ὄφις) venenum gerit in capite, quod in hominem astutè & virulenter evomens vel exspirans, eum lædit & interimit: sic mulier nequam capite gestat iram venenatam, quam data occasione in eum, cui irascitur, evomit, nec cessat donec eum lædat & interimat, idque astutè per mille artes & fraudes. Græca pro *mulieris* habent ἐχθροῦ, id est *inimici*, quasi prosequatur id quod paulò antè dixit, *Omnem vindictam, & non vindictam inimicorum.* Unde Tigurina, *ut nullum caput est capite serpentis nocentius, ita non est ira ira inimici pestilentior.* Verùm de nequitia mulieris hic agitur, non inimici: vnde de ea & Syrus sic vertit, *non est caput venenosius capite serpentis, & non est inimicitia amarior ea quæ mulieris est.* Sic & S. Chrysost. loco mox citando. Palacius per colubrum intelligit serpentem qui Evam, & per eam Adamum decepit, eosque à paradiso eiecit: aut certè caput basilisci, qui videndo occidit. Hugo verò: *Coluber*, inquit, *est diabolus, quasi colens umbras*, id est peccatores. Job c. 40. *Sub umbra dormit.* Caput colubri est prava suggestio dæmonis, Genes. 3. *Ponam inimicitias inter te & mulierem, ipsa conteret caput tuum.* Mulier hìc est sensualitas sive caro; ira mulieris, concupiscentia carnis. Nequam est suggestio dæmonis: sed nequior est concupiscentia carnis, quia corpus & animam polluit, 1. Cor. 6. *Omne peccatum quodcumq; fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.*

Coluber quasi colens umbras, est diabolus.

Rursum per *iram* accipe iram non subitam, sed continuam mulieris, quæ se malitiæ dedit: talis fuit Athalia, Iezabel, Herodias. Nam hæc & sequentia, ut rectè advertit Jansenius, non ob id à Siracide dicuntur, quòd propositum ei sit sexum femineum exagitare, in eumque invectivam texere, cùm sexus ille à Deo institutus sit, ideoque bonus & laudandus, uti ostendit S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. Sed perversarum mulierum pravam indolem, vitiaque acri oratione perstringere voluit; ut juvenes instrueret, moneretque Primò, cum quanta discretione & judicio uxor sit deligenda; Secundò, quanta prudentia agendum sit cum mulieribus, ne temerè irritentur; Tertiò, cavendum esse, ne illarum amori etiam in coniugio quisquam nimis indulgeat, easque perditè amet, ne ab eis perdatur, multò magis extra conjugium. Illustre est illud Simonidis carm. de vituperio mulierum, asserentis mulieres alias formatas ex vulpe, scilicet astutas & dolosas: alias ex cane; scilicet mordaces & rixosas, maritis oblatrantes: alias ex asina, otiosas & desides: alias ex equa, petulcas & lascivas: alias ex simia, philocosmas & fuci amantes alias & optimas, ex ape, industrias, sedulas, operosas, prudentes, hasque à Jove dari maritis ei placentibus.

Porro, appositè mulier mala comparatur colubro, ob magnam utriusque affinitatem in concinnandis dolis, A mendaciis, litibus, rixis, cædibus: adeò ut mulier nequam videatur esse serpentina imò serpens, unde Plinius lib. 7. c. 3. scribit, mulieres aliquando serpentes peperisse. Huc facit quod S. Epiphan. lib. 2. contra hæres. sub finem, in Brevi Cathol. fidei expositione n. 20. docet Evam significare feminam, Hevam verò cum aspiratione significare serpentem. *Sunt*, inquit, *Dionysiaci, qui Curetum sacris & carnium divisioni initiare solent, coronati serpentibus, evantes, & eva eva vociferantes, hoc est, Evam illam quam serpens decepit, invocantes, sive aspirata voce serpentem Hebraica lingua ad fraudem & errorem vocantes. Nam Eva si tenui spiritu pronuntietur, feminam significat: sin aspiretur, Hebræi hoc vocabulo Heua serpentem intelligunt*; Hoc intellige ex appropriatione & usu loquendi Hebræorum, posteriorum, qui fortè Hevam vocarunt serpentem, eò quòd Heva à serpente seducta, ejusque halitu quasi afflata serpentinos mores) quos in multis Evis, id est feminis, hodie videmus) induerit. Hinc & Syri חויא *chevia*, vocant serpentem, fortè à radice חוי *chavi*, id est ostendit, judicavit, eò quòd serpens pomum vetitum ostenderit Evæ, Eva Adamo. Alioqui B *Heva*, vel, ut Hebræi dicunt, *Chaffa*, ex primigenio etymo Hebræo idem est, quod mater viuentium, sive vivipara, uti ostendi Genes. 3. 20. Idem tradit Eusebius lib. 2. de Præpar. Evangel. cap. 5. *Quid dicam*, inquit, *de Dionysio, quem Menolem græcè, id est, latinè totum furentem, appellant, cui Bacchæ orgia celebrant, & crudas carnes comedentes sacro furore initiantur, Evan, Evan cõclamantes? quæ vox aspirata secundùm exquisitam Hebræorum linguã feminei sexus serpentem* (putà serpentem feminam) *significat.* Ex Eusebio ergo id ipsum accepit & transscripsit Epiphanius. Hebræorum linguam intellige posteriorem, putà Syriacam: syriacè enim serpens vocatur חויא *chevua*, vel *chevia*, ob orationem paulò antè dictam; aut potius à radice חיה *chaia*, id est, vixit, quòd serpens agilis sit & vivax. Vnde חיה *chaia* vocatur animal ferum, quale in primis est serpens. ita Lexica Syriaca. Porrò mulieris uti acerba est ira, sic & invidia serpentina, unde illud: *Mulieris livor omnem incedit domum.* Et illud Homeri Odyss. 11. *Non gravius & caninius aliud muliere.* Canis enim est symbolum & speculum iræ ac invidiæ.

Heva Syriacè vocatur serpens.

Audi S. Chrysost. homil. 15. ex variis in Matth. C locis, quæ est de decollatione S. Joannis Baptistæ, & ex eo Damascenum parallelo 1. cap. 76. hunc locum insigniter pertractantem: *Nulla*, inquit, *malitia æmulari potest mulierem malam. Attestatur huic verbo meo sapientissimus Salomon* (hic enim liber Siracidis à veteribus vocatur Salomonis, ob causas quas in procemio recensui.) *Quia non est caput super caput serpentis, & non est malitia super malitiam mulieris. O malum summum, & acutissimum diaboli telum mulier! Per mulierem Adam in paradiso prostravit, & de paradiso exterminavit. Per mulierem mitissimum illum David, ut necem militis sui innocentis Vriæ Hethæi in epistola dolo mandaret, armavit. Per mulierem sapientissimum Salomonem in prævaricationis sacrilegium præcipitavit. Per mulierem fortissimum Samson rasum cæcavit: ut virtute crinis & decoris oculis spoliatus, ludibrio foret hostibus, quibus fuerat ante terrori: cum his captivus moleret, quibus dominabatur invictus. Per mulierem castissimum Joseph vinculis alligatum detrusit in carcerem. Per mulierem illum totius mundi lucernam Joannem* D *capite trũcavit. Et quid dicam de hominibus? Per mulierem angelos è cælo deposuit, id est, homines sanctos, qui ad cælum pergebant: per mulierem cuncta omnino prosternit & jugulat, omnes interficit, omnes elidit, repletos ignominia et honore vacuatos. Mulier enim impudens nemini parcit, nõ Levitam honorat, non sacerdotem reveretur, non Prophetæ defert.* Quocirca mali magnitudinẽ admirans exclamat: *O malum, omni malo peius! mulier mala, sive illa pauper sit, sive dives, duplex malum est. Si habeat facultates malitiæ suæ cooperantes, duplex malum, intolerabilis vipera, immedicabile venenum: scio ego & aspides blandimentis incantantium mitigari, et leones, et tigres, & pardos domita feritate mansuescere. Mulier mala, et si injuriam patitur, etsi honorem accipiat, extollitur: væ, si potentis alicujus uxor sit, non cessat die ac nocte virum suum callidis stimulare sermonibus, blanda nequiter, & importuna violenter, donec mentem extrudat, ut similem sibi faciat maritum: improbis male suadet consiliis, sicut Herodias fecit Herodi.* Et inferiùs citans Dalilam, quæ Samsonem maritum suum prodidit, & Phi-

S. Chrysost. de malitia lierum.

& Philisthæis interimendum tradidit: *Dic*, inquit, *mihi quæ bestia contra masculum suum talia aliquando meditata est? Quæ dracæna vult masculum perdere? vel quæ leæna marem suum jugulandum tradidit? Vides ergo quia*
Eccli. 25. *aptè dixit Sapientia: Quoniam non est caput serpentis, & non est malitia super malitiam mulieris. Et ideo quisquis habet mulierem malam, cognoscat, quoniam iniquitatum suarum portat mercedem: non caret testimonio veritatis.*
Ibidem. *Audi denuo Sapientiam dicentem: Mulieris mala & iniqua portio dabitur pro operibus malis.*

Vers. 23. COMMORARI LEONI ET DRACONI PLACEBIT (suppole, magis, vel potiùs mihi: hoc enim est εὐδοκῶ, id est, approbo, velim, malim) QUAM HABITARE CUM MULIERE NEQUAM] Tigurina, *apud leonem & draconem commorari præoptarim potius, quam habitare cum muliere improba*; Syrus, *præstat habitare apud leonem & apud draconem, quam habitare cum muliere mala in domo*: tum, quia leo & draco arte cicurantur, ac humilitate & beneficiis deliniuntur, uti patet de leone Androdi, qui ob exemptam ab eo è pede suo spinam, eum à morte liberavit, teste Gellio lib. 5. cap. 14. Item vincuntur innocentia & sanctitate; uti patet in Saba, cui B leo ultrò speluncam suam concessit, eaque cedens excessit; & de leone S. Hieronymi, aut potiùs Gerasimi, qui ei quasi asinus serviebat, ac morienti ex dolore commortuus est, uti refert Joannes Moschus in Prato spirit. cap. 107. Mulieris autem nequam nequitia est incurabilis, adeoque si te coram ea humilies, magis insolescet, &, si benevolus beneficusque in eam sis, magis exasperatur: tum quia leones & dracones caveis aut septis includi possunt, ut nocere nequeant; mulier autem nequam includi se non patitur: tum, quia satius est subitò à leone vel dracone occidi, quàm lenta longaque morte per nequitiam perversæ uxoris cruciari & confici. Alludit ad Proverb. 21. 19. *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda*. Audi S. Chrysost. homil. 15. ex variis in Matth. locis, & ex eo Damascenum Parall. 1. cap. 76. *Nulla*, ait, *in hoc mundo bestia similis est mulieri malæ: quid inter quadrupedia animalia leone sævius? sed nihil ad hanc: aut in serpentibus quid dracone atrocius? sed ne hoc quidem juxta mulierem malam & linguosam conferri potest; nam & leo & draco in malo inferiores sunt. Testificatur huic sermoni meo sapientissimus Salomon* C *dicens: Cohabitare leoni & draconi melius est, quàm cum muliere mala & linguosa. Et ne putes Prophetam in ironia hoc dixisse, ex ipsis rebus disce manifestius. Danielem leones in lacu reveriti sunt: justum vero illum Nabuthem Jezabel interfecit. Cetus Jonam in ventre custodivit: Dalila autem Samson circumventum illecebris, raso etiam capite deformatum, alienigenis tradidit. Dracones & aspides cernuta Joannem Baptistam in deserto viventem subdita feritate tremuerunt: Herodias vero eidem caput abscidit, & tanti viri mortem in pretium saltationis accepit. Eliam corvi in morte paverunt, & Jezabel eum post illam redditam per ipsum terris pluviæ gratiam persequebatur, ut pœnam mortis ei redderet, cujus orationibus depulsa generis humani fame, & ipsa, licèt indigna, vivebat.* Unde post multa concludit: *Mulier jumentum malum, vermis repens, atque in Momo domicilium habens, mendacii filia, paradisi custodia, Adami expultrix, hostis perniciosa, pacis inimica.* Hæc omnia hoc versu, & præced. ex S. Chrysostm. recitata, penè ad verbum habet S. Ephrem. tract. Adversus improbas mulieres tomo 1. Ex hoc loco suum distichum sumpsit S. Gregor. Nazianz. in Sententiis:

Mala res est dracones, malefica res & aspides:
Duplex malitia mulieris inter feras.

Et idem clariùs in Distichis: *Horrendi sunt dracones, subdola aspides: utriusque fera vim mulier complexa est.* & Græci suum illud: *Venenum naturaliter est aspidis mala mulier; feris omnibus immitior mulier mala.* Unde Diogenes conspicatus duas feminas clam inter se conferentes sermonem: *Sumit*, inquit, *venenum à vipera aspis mutuo*, uti refert Antonius monachus in Melissa libr. 2. cap. 34. Denique Hugo omnes mulieris noxas hoc Distichο complectitur.

Femina corpus, opes, animam, vim, lumina, vocem,
Polluit, annihilat, necat, eripit, orbat, acerbat.

Idem mysticè: Leo, inquit, est princeps crudelis, qui palàm nocet: draco est hæreticus, qui occultè grassatur: utroque nocentior est nequitia mulieris. In *Pirke Avoth*, id est, in Capitulis sive Proverbiis patrum Hebræorum cap. 1. dicitur: *Sapientes pronuntiarunt, hominem quoties diutiùs cum muliere sermocinatur, primò, nocere sibiipsi; secundò, à verbo legis discedere; tertiò, inferni se carceribus ex tunc adducere.*

NEQUITIA MULIERIS IMMUTAT FACIEM EJUS: ET OBCÆCAT VULTUM SUUM TAMQUAM URSUS: ET QUASI SACCUM OSTENDIT] Græca Complut. tantùm habent, ὡς ἄρκτος, id est, *tamquam ursus*; Rom. tantùm ὡς σάκκον, id est, *quasi saccum*. Noster utrumque legit. Sensus est, q. d. Mala mulier sua malitia & nequitia mutat & obcæcat; græcè, σκοτοῖ, id est, obscurat & infuscat vultum suum, aliàs hilarem & lucidum; ut scilicet instar torvi ursi, ac nigricantis, & horridi sacci torva, tetrica, nigricans & horrida marito aliisque appareat, illumque contristet & percellat, ut videatur esse una Erinnys, vel Alecto. Unde Tigurina vertit, *mulieris malitia deformat vultum ipsius, & tamquam ursi faciem ejus infuscat*; ursi enim fusca, & torva sunt facie. Alii pro πρόσωπον, id est, vultum, legentes ὅρασιν, id est, aspectum, vertunt, *nequitia mulieris immutat aspectum ejus, & obscurat vultum ejus, ut saccum ejus*, scilicet mulieris: græcè enim est femininum αὐτῆς: Syrus tamen hæc accipit de marito; unde videtur legisse masculinè αὐτοῦ, vertit enim, *malitia mulieris malæ decolorabit ipsam faciem mariti sui, & nigram eam faciet, sicut color cilicii*. Utrumque verum: ira enim & tristitia vultus mulieris, maritum pariter efficit iracundum aut melancholicum, ut vultu expallescat, iramque, & tristitiam facie pallida, lurida, & nigricante præferat.

Nota τὸ *obcæcat*: nam, ut ait Plinius lib. 8. cap. 36. *Oculi ursorum hebetantur crebrò: qua maximè causa favos expetunt, ut convulneratum ab apibus os, levet sanguine gravedinem illam.* Causam subdit: *Invalidissimum urso caput, quod leoni fortissimum: ideò urgente vi, præcipitaturi se ex aliqua rupe, manibus eo operto jaciuntur: ac sæpe in arena colapho infracto exanimantur.* Addit Lyran. ursum, si laminam splendentem aspiciat, obcæcari. Ita invidia, cujus symbolum est mulier maligna fulgore prosperitatis viri oculis dolet, hebetatur & excæcatur: inde invidia dicitur, quasi non videns, pingiturque cæca, quin & alios subinde excæcat, juxta illud vulgò tritum, *Da obolum Belisario, quem extulit virtus, cæcavit invidia*. Ursæ ergo occæcatio, symbolicè notat occæcationem invidi & invidiæ. *Ursi occæcantur. Unde?*

Aliter Hugo, q. d. Ex nequitia mulier scit immutare faciem suam unguentis, fuco & cultu vano, ut videatur pulchra, cùm sit turpissima. Unde Ovid. de Remed. amor.

Auferimur cultu, gemmis auroque teguntur
Omnia, pars minima est ipsa puella sui.

IN MEDIO PROXIMORUM EJUS (id est, suorum: Hebrei enim idem pronomen habent absolutum, & reciprocum; quod significat tam *ejus*, quàm *suum*) INGEMUIT VIR EJUS, ET AUDIENS SUSPIRAVIT MODICUM] q. d. Maritus audiens alios queri de uxoris suæ morositate & torua facie, verbisque & gestibus asperis, ingemiscit & suspirat: sed modicùm & tacitè; quia præ pudore & ignominia, quòd tam malam habeat uxorem, multum gemere non audet, nec plenè suum cordolium aperire, juxta illud: Vers. 25.

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

D Unde pro μικρὰ, id est, modicum, ut legit Noster, Græca jam legunt, πικρὰ, id est, amarè, acerbè. Hinc Tigur. vertit, *sedens inter vicinos suos vir ejus, propter ipsam invitus etiam ingemiscit graviter*; alii, *inter proximos suos discumbit* (græcè, ἀναπεσεῖται, quod Compl. vertunt, *decidet*, Roman. *concidet*) *vir ejus, & audiens* (hæc) *ingemiscit acerbè*, Syrus, *in medio proximorum suorum sedet vir stulta, & contra voluntatem suam ingemiscit*.

BREVIS OMNIS MALITIA SUPER MALITIAM MULIERIS, SORS PECCATORUM CADAT SUPER ILLAM] *Brevis*, græcè, μικρὰ, id est parva. Sic c. 11. 3. dixit, *Brevis*, id est *parva*, *in volatilibus apis*. *Super malitiam*; græcè, πρὸς κακίαν, id est, *præ malitia, ad malitiam*. Unde Syrus, *multa est malitia, & non est sicut pravitas malitiæ mulieris*. Vers. 26.

SORS PECCATORUM CADAT SUPER ILLAM] Primò, Palacius & Jansenius hoc explicant, q. d. Obtingat

hæc

hæc mala sors, putà mulier mala, homini peccatori, non sancto: peccatores pro sua sorte & punitione sortiantur eam, ipsi soli cogantur perferre malitiam vxoris nequam. Hoc enim coniugium est par, dum improbus cum improba coniugatur. Absit tam misera sors à iustis, contingat illa peccatoribus; quia nihil eis pejus in vita contingere potest, quàm mulier nequam & rixosa. Ita Carolus V. dicebat: Nihil pejus quem hosti suo imprecari posse, quàm vxorem imperiosam. Huc facit illud S. Chrysost. apud Anton. in Melissa lib. 2. c. 34. *Qui habet vxorem malam, suorum se peccatorum mercedem accepisse intelligat.* Secundò, *sors peccatorum* est pœna & gehenna, q. d. Puniatur improba mulier pœna condigna vel hîc, vel in gehenna. Unde Tigur. vertit, *sors sceleratorum eam opprimat*; & Syrus, *sors delictorum cadat super eam.* Tertiò & genuinè, q. d. Mulier nequam sortiatur maritum, qui eam pro meritis castiget, affligat, contundat: hæc enim sors inducitur hîc quasi pœna improbæ mulieris, ad malitiam ejus castigandam & edomandam, vel potiùs contundendam. Unde græcè est, *sors peccatoris* ἐπιπέσοι αὐτῇ, id est, *incidat illi*, incumbat in illam, opprimat illam, ut vertit Tigur. Idem docet Salomon Proverb. c. 5. 4. & Eccles. 7. 27. Idem à Salomone & Siracide didicerunt Plato & Philosophi. Unde Menander: *Thesaurus*, ait, *malorum est mulier mala*: *Ignis, & mare, & femina sunt tria mala: Vbicumque mulieres sunt, ibi mala sunt omnia.* Homerus Odyss. 11.

Gnomæ de malitia mulieris.

Nihil femina gravius, nihil peius.

Terentius in Hecyra:

In eodem omnes mihi videntur ludo docta ad malitiam.

Philemon apud Stobæum, serm. 66.

Immortale est malum necessarium, vxor.

Euripides lib. 1. Epigramm. Græcor.

Furore multos sævit iratum mare,
Pronique fluuii, & ignis acris impetus,
Inopia acerba, acerba alia quàm plurima:
Sed nihil ita acerbum & noxium, ut mulier mala.

Antonius monachus (non ille magnus S. Athanasii coævus, ut vult Trithemius de Scriptor. Eccles. sed alius eo inferior & posterior: citat enim Chrysost. Basilium, Nyssenum, Photium, Nilum & Damascenum) in Melissa lib. 2. cap. 33. citat Aristippum, qui mulierem parvam sed formosam conspicatus, dixit: μικρὸν μὲν καλὸν, μέγα δὲ κακόν, id est, *parvum quidem pulchrum, sed magnum malum.* Et. c. 34. citat Protagoram, qui rogatus cur inimico filiam nuptui dedisset, respondit: *Quia nihil ei poteram dare deterius.*

Vers. 27. SICVT ASCENSVS ARENOSVS IN PEDIBVS VETERANI, SIC MVLIER LINGVATA HOMINI QVIETO] Tigurina *sedato*, q. d. Sicut ascensus in arenæ, utpote fluidæ, instabilis & lapidosæ, inquit Rabanus, cumulum, vel in collem arenosum, modestus est pedibus senis debilibus & infirmis: sic pariter vxor loquax, garrula & dicax, molesta est homini tranquillo, silenti & pacifico: illi enim occlamat, obstrepit, obmurmurat, oggannit, itaq; ejus quietem turbat, eumque ad jurgia, lites, rixas & pugnas provocat. Rursum sicut difficillimè senex ascendet per clivum arenosum, (quia enim senex est, in arena figere pedes nequit:) ita vir quietus difficillimè linguacem vxorem ferat: quomodo enim querelas tam multas audiet eorum, quos uxoris lingua vulneravit? Syrus vertit, *sicut ascensus arena in pedibus senis, ita est mulier cuius lingua longa est adversus virum mansuetum.* De ascensu arenæ dixi cap. 18. 8. Huc facit illud Menandri:

Tempestas in domibus est viris mulier.

Et illud Ovidii 2. de Arte aman.

Dos est vxoria, lites.

Et Juuen. satyr. 6.

Nulla ferè causa est, in qua non femina litem
Moverit, &c.
Semper habet lites alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet.

S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. *Qui non litigat*, ait, *calebs est.* Xystus Pythagor. in Enchiridio citatus à S. Hieron. *Nubere*, ait, *& filios procreare possumus; scias utrumque. Si autem, tamquam prælium sciens, tamen pugnare vis, A & uxorem duc, & filios procrea.* Denique Salomon: *Tecta perstillantia*, inquit, *mulier litigiosa.* Prover. 19. 13.

NE RESPICIAS (legit προσίδῃς, iam legunt ἐμπέσῃς, id est, *incidas*, *impingas*) IN MVLIERIS SPECIEM, ET NON CONCVPISCAS MVLIEREM IN SPECIE] id est, ob speciem, putà ob formam & pulchritudinem. *Propter speciem* enim *mulieris multi perierunt*, uti dixit c. 9. 9. Vers. 28.

Primò, hæc sententia accipi potest de muliere extra coniugium. q. d. Noli aspicere mulierem pulchram; ne pulchritudine ejus illicitus, eam concupiscas, & cum ea forniceris: oculi enim sunt in amore duces. Unde Tigurina vertit, *ne offendas in pulchritudinem mulieris, nec mulierem libidinosè concupiscas.*

Secundò, accipi potest de muliere, quæ quæritur ad coniugium, ut in vxorem ducatur. q. d. Cùm quæris uxorem, noli primariò respicere ad illius pulchritudinem, sed ad mores: quia pulchritudo citò deflorescit; unde tunc erit tibi tædio & tormento: & quia pulchræ solent suâ pulchritudine superbire, esseque imperiosæ, ac maritis dominari. Denique pulchræ à multis ambiuntur, B ideoque adulterii vel crimen, vel suspicionem incurrunt, juxta illud:

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

itaque maritis zelotypiæ, infamiæ, odiorum, & sæpè mortis sunt occasio. Hinc Maximus serm. 39. Solon, inquit; rogatus an expediret vxorem ducere, negavit: *Quia*, inquit, *si duxeris formosam, habebis* κοινήν, id est communem; *sin autem deformem, habebis* ποινήν, id est pœnam. Idem Aristoppo tribuit Antonius in Melissa lib. 2. cap. 34. Quocirca viri prudentes moderatæ potiùs formæ, quàm eximiæ & excessivæ sponsas quærunt. Hunc sensum sequitur Syrus, cuius verba mox recitabo.

Tertiò, accipi potest de muliere, quæ jam facta est uxor. q. d. Si habes uxorem, noli continuò respicere ad ejus pulchritudinem, ut propterea immodicè utaris ipsa ad explendam libidinem potiùs, quàm prolium causa. hoc enim inordinatum, ideoque peccatum est. Unde Græca Complut. habent μὴ προσπέσῃς εἰς κάλλος γυναικὸς καὶ γυναῖκα μὴ ἐπιποθήσῃς εἰς τρυφήν, quod si vertas, *ne impingas in pulchritudinem uxoris, & uxorem ne concupiscas ad delicias*: γυνὴ enim & vxorem & mulierem significat.

Moral. disce hîc quàm illecebrosa, vana & fallax, ideoque cavenda sit species mulierum. *Quid est pulchritudo?* respondet Socrates: *Est modici temporis tyrannis.* C Theophrastus: *Est tacita deceptio.* Euripides in Helena: *Est res infelix.* Petrarcha libro 1. de Remediis utriusque fortunæ: *Est velum oculis, laqueus pedibus, viscus alis, ut non facilè vera discernas, nec virtutem sequatur, nec in altum aerem evolet: est hostis domesticus, raptor quietis, materia laboris; tormentum libidinis.* S. Hieronym. *Est oblivio rationis.* Proclus libr. de Anima, *Animæ*, ait, *deceptæ, propter veræ pulchritudinis ignorantiam, corporeas formas admirantur & depereunt.* S. Chrysost. ad Theodorum lapsum: *Est gypsum sepulcbro inductum, est phlegma sanguine mistum, pulchrè per pellem pellucens:* detrahe pellem, vide quàm putida caro, quale sterquilinium in ventre, quale phlegma per os & nares distillet. Quocirca senex ille apud Joannem Moschum in Prato spirit. cap. 217. dicebat: *Sal, cùm ex aqua fiat, si aquam tangat, in aquam resolvitur: sic monachus, cùm ex muliere sit genitus, si mulieri appropinquet, solvitur, atque in id desinit, ut jam monachus non sit.* Maximus verò homil. 39. *Pythagoras*, inquit, *in ignem & in mulierem incidere, æquale esse dicebat.* Sicut enim ignis calore, sic mulier sua forma & colore virum adurit, juxta illud: *Vritque videndo femina.* D

Pulchritudinis descriptio.

Præclariùs Sanct. Gregorius Nazianz. orat. adversus mulieres se ornantes: *Pandoram*, inquit, *ajunt, cum ignis à Prometheo furtim sublatus fuisset, vindicandi hujus sceleris causa, mortalibus advexisse, pro bono videlicet atque utili igne, ignem alium malum ac pestiferum: quoque ardentius hominum animos inflammaret, omni eam pulchritudinis genere à diis instructum & exornatum fuisse. Ita cùm suum quisque illecebræ ac fraudis genus in unum contulisset, tum verò consertam & cumulatam imposturam hominibus invectam esse; versutam nempe mulierculam, impudentem, dicendi suavitate*

vitate preditam ; perniciosum oblectamentum , facem perpetuò ardentem . Pandoræ filiæ sunt procaces omnes mulierculæ , perfrictæque frontis . At tu , Christi imago , da operam , ut pudicitia prudentiaque clareas . Et inferiùs : *Ab eo tempore , ò filia mea , tibi paterna lege cautum est , ne pulchritudini tuæ unquam confidas . Omnem formæ elegantiam mihi breve ver affert , eamque hiemis asperitas protinus extinguit . Aut enim eam præmaturè morbus frangit ac debilitat , aut ipsa certè senectus delet atque obliterat . Hoc verò magis adhuc ridiculum , videas enim mulierem in deformitatis suæ conscientia adeò insolentem , ut turpitudine sua glorietur . Danaenque præ se contemnat .* Pandoram hanc graphicè depingit Salomon Proverb. 7. Et paulò pòst , quanta sit formæ & pulchritudini ad illicium vis, declarans : *Quidam olim inquit , ut Poetæ fingunt , inanis & informis Echus amore captus , per montes ac scopulos oberrat . Alius formam suam deperiens , ad amplexandum pulchritudinis exitiosæ simulacrum in fontem insiliit . Alius rursus perdito quodam atque insano fluminis cujuspiam amore flagrabat , nec pedem unquam ab adamata ripa referebat : aquam lambebat , manibus hauriebat , spumam arripiebat : nec tamen undis ullis amoris ardor extingui poterat . Tam cæca & præpostera res est amor .*

S. Gregorio Nazianzeno de more astipulatur S. Basil. lib. de Virginit. *Dux* , inquit , *prævius & pronubus oculorum jactus , est ejus , cujus manus ministra sunt , tactus .* Hinc à Sanct. Petro 2. epist. 2. 14. oculi vocantur *pleni adulterii & incessabilis delicti* ; & à Sanct. Bernard. *Occasio peccati , indicium commissæ culpæ , causa committendæ* . Quin & Senecha lib. de Remediis fortunæ : *Oculi* , ait , *irritamenta sunt vitiorum , ducesque scelerum* , maximè luxuriæ. Virg. ecloga 8.

Gnoma. Illecebra oculorum.

Ut vidi , ut perii , ut me malus abstulit error .

& Propert.

Si nescis , oculi sunt in amore duces .

Idem lib. 1. eleg. 1.

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis ,
Contactum nullis ante cupidinibus .

Qui ergo animæ & castitati consultum vult , oculos compescat avertatque à feminis , imò procul ab eis quasi basiliscis , qui visu necant , aufugiat , juxta illud Apostoli . *Fugite fornicationem* .

VERS. 29 MULIERIS IRA , ET IRREVERENTIA , ET CONFUSIO MAGNA] Varia hic lectio varium dat sensum .

Primò , Rabanus hæc jungit cum Tò *in specie* , quod præcessit , quasi dicat . *In specie* , id est , ex specie & forma , mulieris oritur ira , irreverentia & confusio magna .

Secundò , alii delent secundùm *&* , sicque legunt & intelligunt : *Mulieris ira & irreverentia* (est) *confusio magna* , id est , magnam marito , sibique , & suis affert ignominiam .

Tertiò , alii delentes primum *&* , sic explicant : *Mulieris ira* est *irreverentia & confusio magna* .

Quartò , Græca & Latina Romana utrumque *&* legunt : *Mulieris ira & irreverentia & confusio magna* ; ut τò *magna* referatur ad tria , quæ præcedunt quasi dicat . Mulieris ira æquè ac irreverentia , id est , inverecundia , & confusio , id est , ignominia quam marito sibique & suis affert , non est levis & exigua , sed magna & gravis . Si enim mulier sit iracunda & rixosa , irreverenter loquetur , agetque cum marito , eumque indignè tractabit , & magno pudore afficiet : maritum enim tractabit quasi famulum , cùm sit ejus herus & dominus , juxta illud Dei mandatum datum Evæ & mulieribus : *Sub viri potestate eris* , Genes. 3. Quocirca Græca Complut. & Romana hunc versum connectunt cum sequenti , uti mox ostendam. Syrus verò connectit cum præcedenti , sic enim habet , *ne commovearis erga speciem mulieris malæ , & etiamsi habuerit divitias , ne concupiscas eam , quia servitus gravis & ignominia , prava mulier , quæ intumescit* (vel *rebellis est*) *adversus maritum suum* .

Porrò , mulieris vitium est ira , indeque impatien-

A tia , præcipitatio & furor . Iracundia enim præcipites feruntur in jurgia , verba & verbera , & ferrum , & necem , tam suam , quàm suorum , Unde Juvenal. satyra 6,

Quoties , ait , facit ira nocentem
Hunc sexum , rabie jecur incendente , feruntur
Præcipites , ut saxa jugis abrupta .

Unde & S. Chrysost. homil. de decollat. Sanct. Joannis : *Mulier , ait , cum injuriis afficitur , insanit* . R. Moyses Ægyptius in libr. Perplexorum 3. cap. 49. idem dicit , idque tribuit debilitati sensus muliebris . Idemque propemodum tradit Plutarchus in lib. περὶ ἀοργησίας id est. de cohibenda ira . *Sicut* , ait , *tumor accidit ex magna plaga in carne , ita in mollissimis animis si quis se præbeat dolori , hoc ipso quod major est imbecillitas , majorem elicit iracundiam , hacque de causa mulieres iracundiores sunt viris , ægrotisanis , senes juvenibus , infelices felicibus* . Abdicatus item ille medicus apud Lucia-
B num in Dialogo , cui & ipse titulum fecit , asserit faciliùs feminas , quàm viros , in insaniam prolabi , difficiliusque hujus morbi curationem recipere ; ea potissimùm ratione , quòd multum habeant iracundiæ ac levitatis , facileque commoveantur , sintque illis vires corporis exiguæ . Seneca libro 1. de Ira , iram vocat vitium muliebre . Tritum est illud Telemachi libr. 1. Epigramm.

Omnis mulier ira : habet autem bonas horas duas ,
Unam in thalamo , unam in morte .

Menander : *Plus est , periculi anum lacessere ; quàm canem* . Hebræorum sententia est , nullam iram atrociorem esse ira muliebri : *Iritabile enim & vindex mulierum genus* ; partim ob rationis inopiam , partim ob animi humilitatem . Nam veræ magnitudinis est injurias negligere , nec quolvis homines dignari ira sua , juxta illud : *Non est dignus Cæsaris ira* . Denique verè S. Clemens libro 2. Constitut. cap. 37. *Ubi est ira* , ait , *ibi non est Dominus ; sed amica satana* .

Causam physicam iræ & furoris mulierum , Lævinus
C Lemnius medicus libr. 4. de Occultis naturæ miraculis cap. 13. asserit esse earum menstrua . Ego , inquit , hujus rei nullam causam propriorem excogitari posse video , quàm humorum virus ac colluviem , quam mulier singulis mensibus ex lunæ decursu congerit atque expurgat . Ubi enim illam irritari contingit , ut levissimè assolet , tota illa humorum sentina agitata effumat , ac per corpus diffunditur , sic ut cor & cerebrum hujus fuligine ac favillis affici contingat , ac spiritus tum vitales , tum animales , qui iis partibus deserviunt , inflammari ; eoque fit , ut mulieres iratæ , juniores præsertim (nam aniculæ effœtæ , pacatiores sunt ob menses resides) rabiosæ latrent ac vociferentur , complosisque manibus indecoros gestus ac fremitus proferant ; & , cùm ratio in iis minùs vigeat , judicium debile sit & exile , mens invalida acriùs efferantur , nec prorsus impetus animi cohiberi possint . Et quo quæque in eo sexu vilior est , eo magis tumultuatur , atque effervescit ira implacabili . Hinc plebeiis & prostitutis (nam patriciæ aliquando
D decoro inserviunt , tametsi plerumque corrugatis naribus obmutescant , nec viros responso dignentur , *pronken* Belgæ vocant quoniam corpus ferè obtinent vitiosis humoribus contaminatum , summa impudentia pari malitiæ conjuncta est , ita ut velut furiis agitatæ , nec consilio , ratione , pudore , monitis , blandimentis , quibus etiam feræ mitescunt , coerceri possunt , quo minùs fremant , atque ab insanis clamoribus desistant , adeò

Cur mulieres iracundæ?

Neque jus , neque bonum , aut æquum sciunt ,
Melius , pejus ; prosit , obsit ; nihil vident

Nisi quod libido suggerit , ait Terent. Heautont. scen. 1. act. 4. Sic sui oblitæ fidem , decus , pudorem , famam , probitatem , pudicitiam , existimationem vilem habent , ac periclitari patiuntur . Hæc Lemnius .

Mu-

VERS. 30. MULIER SI PRIMATUM HABEAT, CONTRARIA EST VIRO SUO] Syrus, *intumescit adversus maritum suum, & cor quod secum est* (vel *populi sui, vel gratiæ suæ*) *abscondit*. Sensus est quasi dicat. Si uxor ex opibus, & nobilitate, quia scilicet viro ditior, & nobilior, aut alia de causa primatum, & dominium super virum usurpet, & obtineat, non erit viro conformis, sed adversa & rebellis, eique contraria volet, & imperabit: tum ut ostendat suam præcellentiam & primatum, quia superba est: tum, quia appetitus viri, & feminæ diversi, & contrarii sunt, perinde ac appetitus animalis sæpè contrarius est rationali, juxta illud Comici: *Novi ingenium mulierum. Nolunt, ubi velis: ubi non velis, cupiunt ultrò*. Mulier enim agitur passione, vir ratione & judicio: passio autem contraria est rationi, & dictamini prudentiæ. Qui ergo sapit, quærat uxorem sibi opibus & nobilitate parem, vel inferiorem, non superiorem; ne pro uxore dominam eamque imperiosam accipiat. Unde illud: *Si vis nubere, nube pari*. Græca hæc jungunt versui præcedenti, eumque cum præsenti in unum conflant, hoc modo: *Ira & irreverentia, & confusio magna mulier, si subministret viro suo, hoc est*, ut Tigurina, *iracunda, impudens, & perquam probrosa est mulier, quæ viro suo sumptum suppeditat*, Vatabl. *quæ viro suo præit*, vel *sibi vendicat imperium*; quod Noster vertit, *si primatum habeat*: utrumque enim significat Græcum ἐπιχορηγῇ: χορηγεῖν enim est, suppedito expensas, suggero, erogo, confero, præbeo, propriè choris sumptum præbeo, ludos publicè exhibeo, ludos edo, ideoque in eis chorum duco, primus & princeps sum. unde χορηγὸς est choragus sive princeps choreæ, qui choreis præest, suppeditator expensarum & instrumenti ludicri: & χορηγοὶ sive choragi vocantur chororum societatumque duces, tenentesque primatum, de quibus Aristot. libr. 4. Politic. Huc facit illud Philonis apud Antonium in Melissa libr. 2. capit. 34. *Mulieri parere, contumelia est suprema*. Qui enim feminæ se subdit, effeminatur, lunamque colit, & ab ea fit lunaticus: Unde Spartianus in Caracalla, narrat olim in Carrhis (quæ in Script. vocatur *Haran*) urbe Mesopotamiæ, lunæ mascula & feminæ unicum simulacrum extitisse: qui Lunum coluissent, imperium in uxores impetrabant; qui verò lunam adorassent, uxoribus se obnoxios volebant.

Mulier imperiosa viro contraria.

Luna & Lunus qui?

Ita olim, imperabant feminæ apud Ægyptios Lyciosque, teste Herodoto: Sauromatæ in universum mulieribus parent. Divites feminæ principatum in domo sibi arrogant. Unde Satyricus:

Intolerabilius nihil est quàm femina dives.
Malo Venusinam, quàm te Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.

Porrò, cur indignum, & contra naturam, Deique ordinationem sit, ut mulier viro præsit, rationem dat Rabanus. *Quia*, inquit, *infirmior sexus fortiori sexui subiici debet, non præponi. Unde in initio mulieri peccanti, & virum seducenti, Dominus dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos; in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Hinc & Apostolus ad Timotheum scribens ait: Mulier in silentio discat cum omni subiectione; docere autem mulierem non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Et cur hoc iusserit, mox causam reddidit, dicens: Adam enim primus formatus est deinde Eva: & Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.*

Genes. 3. 16.

1. Timot. 2. 11.

Iam occasio & stimulus ad primatum uxori, est nobilitas & opes, si scilicet ipsa viro sit nobilior aut ditior. Pauper enim ducens divitem *dat seipsum, non illam ducit*, ait Menander: *Et non uxorem, sed dominam habet, cujus est famulus & servus*, ait Anaxandrites apud Stob. serm. 66. unde Martial. lib. 8. ad Priscum.

Opulentæ dominantur viris.

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.

Clarè Aristotel. 8. Ethic. cap. 10. *Dominantur uxores*, inquit, *propter amplitudinem matrimonii*. Et Comicus: *Argentum dote accepi, imperium vendidi*. Unde Antoninus Imper. passus est adulteria Faustinæ uxoris: *Quia*, inquit, *si hanc dimitto, dos reddenda est*: pro dote enim acceperat Imperium. Quare sapienter S. Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 2. *Qui suavitatem quærit coniugii*, inquit, *non tam superiorem censu ambiat, non monilibus ornatam, sed moribus: Offendit plerumque virum, si se uxor nobiliorem noverit. Hæc proxima superbia est. Sara non facultatibus ditior, non genere splendidior erat: ideò virum imparem non putabat, ideò quasi parem gratia diligebat, ideò non censu est retenta, non parentibus, non propinquis, sed virum proprium quocumque pergeret sequebatur: externa adiit, sororem se ejus asseruit*. Omnium ergo sapientum consilium est, ducendam esse parem, non superiorem. Citat eos Tiraquellus lib. 5. connubiali, num. 16.

VERS. 31. COR HUMILE, ET FACIES TRISTIS, ET PLAGA CORDIS (perperàm Jansenius, & alii legunt, *mortis*) MULIER NEQUAM] quasi dicat. Hæc tria mala irrogat viro suo mulier nequam; scilicet, cor ejus facit humile, id est, deiicit, sternit, affligit, faciem ejus efficit tristem; ut dejecto, & mœsto incedat vultu: quale enim est cor, talis est, & facies: cor enim suos affectus per faciem prodit, & enuntiat. Denique *plagam* & quasi vulnus letale cordi ejus infligit, dum illud tanto dolore, & tristitia sauciat, ut non raro viro mortis sit causa. Vnde Tigurina, *cor afflictum & vultum tetricum, crucemque animi creat mulier improba*; Syrus, *tenebræ & plaga cordis mulier*.

VERS. 32. MANUS DEBILES ET GENUA DISSOLUTA MULIER, QUÆ NON BEATIFICAT VIRUM SUUM] quasi dicat. Mulier improba, quæ sua modestia, & probitate non beat, sed sua insolentia, & nequitia infelicem efficit virum; hæc vires viri enervat, omne virile robur uti cordis, ita & corporis ei eripit, ut nec manibus operari, nec genibus incedere ei libeat; sed animum despondens, chiragricus & podagricus, imò stupidus, & quasi apoplecticus evadat. Robur enim operandi est in manibus, ambulandi in genibus: unde ait Isaias cap. 35. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate*. Et ex eo Paulus Hebr. 12. *Remissas manus, & genua debilia roborate*. Vide Utrobique dicta. Tigurina paulò aliter legit, *mulier improba creat manus remissas, & genua resoluta, nec virum suum beabit*. Rursum τὸ *beatificabit*, exponi potest, honorabit, beatum prædicabit. Vnde Syrus vertit, *dissolutio manuum & fractio genuum mulier, quæ non exhibet honorem & reverentiam marito suo*.

Denique pro οὐ μακαριεῖ, id est non beabit, vel beatificabit, nonnulli legunt, οὐ παρακαλέσει τὸν ἄνδρα αὐτῆς ἐν στενῷ, id est, *non consolabitur virum suum in angustia*.

Sapienter S. Chrysost. homil. 27. ex variis in S. Matth. locis, & Auctor imperfecti homil. 22. in Matth. *Uxor*, inquiunt, *neminem debet sapientiorem, fortiorem, formosiorem reputare, quam virum suum: etsi sit alter sapientior, fortior, formosior; tamen coram oculis ejus talis apparere non debet. Perfectum enim odium, & perfectus amor judicium rerum non cognoscit*: sed quæ amat, judicat optima; quæ odit, pessima. *Sic & omnis anima Christiana, quæ sponsa est Christi, ita diligere debet Deum, ut nihil sit in mundo, quod amplius amet, quam eum, aut in tantum. Pro quanta autem parte plus aliquid amaverit, pro tanta parte minus amat Deum.*

Uxor virum suum ceteris anteferat.

Mysticè, uxor cujusque est ejus professio, Religio, ars, status, officium. Quare cuique Religioso sua Religio, præ ceteris omnibus videri debet optima, sibique congruentissima: grammatico sua grammatica, rhetori sua rhetorica, philosopho sua philosophia, fabro sua fabrilis, agricolæ sua agricultura, &c. videri debet optima, suæque indoli & moribus convenientissima: juxta illud c. 40. 18. *Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur, & in ea invenies thesaurum*. Et illud S. Pauli 1. Corint. 7. 20. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*. Isocrates apud Maximum ser. 13. rogatus *quis in hominibus esset dives?* respondit: *Qui sua sorte contentus est*. Nam ut ait S. Chrysost. apud Anton. in Melissa part. 1. serm. 36. *Qui se superiores respicit, numquam videre potest quam dives sit. Verum oportet sua sorte* con-

Mysticè.

contentum esse, & Deo gratias agere. Sic Martha sua for-A te contenta sit, & Magdalena sua.

VERS. 33: A MULIERE INITIUM FACTUM EST PECCATI, ET PER ILLAM OMNES MORIMUR] Quia Eva seducta à serpente prima peccavit deinde Adamū seduxit, itaque omnes posteros eodem peccato inquinavit, illudque, ac consequenter ejus pœnam, putà mortem præsentem & æternam, reipsa in posteros per propaginem & generationem transmisit. Siracides, ut ostendat quàm antiquum & grande malum sit mulier, producit Evam matrem omnium, q. d. Olitanum & cum mundo natum est hoc mulieris malum: Evam enim matrem sequuntur ejus filiæ. Vide dicta Genes. 3.

Secundò, q. d. Ex Evæ peccato, putà ex peccato originali & concupiscentia, cujus initium & causa fuit Eva omnia reliqua peccata prognata sunt, prognascuntur, & prognascentur usque ad finem mundi, imò omnia quæ per totam æternitatem committuntur à damnatis in gehenna. Ita Syrus, *à muliere*, inquit, *inceperunt peccata, & per eam omnes nos morimur*.

Tertiò, *Tò per illam omnes morimur*, si formaliter & præcisè, ut sonat, accipias, significat propter Evæ pec-B catum præcisè, omnes posteros ejus contrahere peccatum originale, indeque mortis fieri reos. Quare probabiliter hinc colligunt nonnulli Theologi, ex Eva sola peccante, etiamsi Adam non peccasset, omnes tamen posteros contracturos fuisse peccatum originale; licèt alii contrarium sentiant cum S. Thoma 1. 2. q. 81. art. 5. Vide ibidem Scholasticos. Quocirca Sanct. August. lib. 1. de Peccat. merit. cap. 16. & alii ex hoc loco contra Pelag. probant traducem peccati originalis. *In Ecclesiastico, inquit, scriptum est: A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. Sive autem a muliere, sive ab Adam dicatur, utrumque ad primum hominem pertinet: quoniam mulier ex viro est, & utriusque caro una est: unde scriptum est: Et erunt duo in carne una. Igitur jam non duo, inquit Dominus, sed una sunt caro*, Matth. 19. v. 5. & 6.

An Eva sola peccatus. filios infecisset peccato originali?

Moraliter, hic docet Siracides, quàm cavendum sit à muliere, utpote quæ tot millionum hominum, totiusque generis humani ruina exstitit. Vnde S. Cyprianus de Singular. Cleric. *Separamini, ait, à contagione pestifera, &c. Aculeus peccati facta est forma feminea, & mortis con-*C*ditio non aliunde surrexit nisi de muliebri substantia. Quod Salomon ad nostram sollicitudinem memorat dicens: A muliere factum est initium peccati, & propter hanc omnes moriuntur. Inde mortales tenemur, nec teneri timemus*.

NON DES AQUAE TUAE EXITUM, NEC MODICUM, NEC MULIERI NEQUAM VENIAM PRO-
VERS. 34. DEUNDI] Hæc sententia, & similes multæ in Proverbiis, proverbialiter per comparationem accipiendæ sunt, q. d. sicut non expedit aquæ in vase conclusæ vel modicum dare aut permittere exitum per rimam aliquam; quia alioqui sensim tota effluit, sic pariter non expedit nequam mulieri, putà uxori, filiæ ancillæ, &c. vel in modico indulgere, ut ei veniam des prodeundi quò ei libuerit, sic enim sensim omne tuum maritale, vel paternum aut herile jus & dominium excutiet, ut se in libertatem vindicet, ac deinceps se cohiberi & ad officium suum reduci non patietur. Nam nulla penè alia re magis gaudent mulieres quàm libertate; &, ut ait Cato Censorius apud Livium lib. 34. *omnium rerum libertatem, imo licentiam desiderant*. Quin & Sanct. Chrysost. libr. 3. de Sacerdotio, asserit viduas tum paupertatis, tum ætatis, tum sexus nomine, immodicam sibi libertatem usurpare. Græca breviter & generaliter habent, *ne des aquæ exitum, nec mulieri potestatem*; Complut. [illegible], id est, *ne des transitum aquæ, neque mulieri malæ libertatem exitus*. Est proverbium cum sua explicatione. Unde Tigurina, *cave aquam vel minimum sinas erumpere, id est, improbæ mulieri ne patefacias viam licentiæ*; Syrus, *ne des aquis exitum, neque mulieri faciem & dominium, vel potestatem & imperium* (*Dare faciem*, Syrus est corridere, hilarem & blandum se alicui ostendere) *sicut enim rimula aqua quæ abit & multiplicatur, ita mulier mala incedit & peccat*.

Porrò, hanc sententiam Palacius præcedenti rectè connectit, q. d. Si Eva fuit seminarium malorum in orbe omnium, quia non fuit à viro cohibita, erit pariter uxor tua in domo tua malorum omnium causa: tantum in malo mulier potest. Cohibe igitur & contine uxorem in officio, quod si nequam illa est, nulla ratione permittas eam domo exire. Vt enim cisterna aqua plena, si vel modicum ei foramen feceris, universa tibi prodit & perit: ita peribit tibi mulier nequam, si facultatem exeundi illi concesseris. Impudicarum enim est vagari & circumcurfare, iuxta illud de meretrice: *Garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis*, Proverb. 7. 11. De pudica verò ait David psalm. 127. 3. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*. Galenus 11. de Usu partium, docet naturam pilos viro contra frigus addidisse, feminæ negasse, quòd domi se continere debeat. Præclarè S. Gregor. Nazianz. in suo illo Monitorio mulierem alloquens:

Impudica est vaga.

Non multum extra vestibula mitte pedem, neque ad delectationem,
Nec ad popularem immodestam turbam, hæc enim pudorem
Aufert & prudentibus, oculos verò oculis miscet:
Pudor enim abiens, omnium genitor malorum est.

Et in Elegiis quas contra ornatas mulieres dictavit:

Mos est mulieribus (res pretiosa) domi manere
Plurimum, & divinis alloqui sermonibus.

Hoc idem mulieribus sancit S. Chrysost. hom. 60. in Joan. & homil. 10. in Epist. S. Pauli ad Timoth. & lib. de Sacerdotio 3: *Virginem*, inquit, *oportet undecumque tamquam muro circumseptam esse, & toto anno perraro domo egredi, idque demum cum inexcusabiles ac necessariæ causæ urgebunt*.

SI NON AMBULAVERIT AD MANUM TUAM, id est, si ductum manus tuæ, id est, directionem, jussum & imperium tuum sequi nolit, (*manus* enim significat potestatem, ducatum, auctoritatem) CONFUNDET TE IN CONSPECTU INIMICORUM) per suam obstreperam contumaciam, audaciam, rebellionem, improbosque mores, quibus te faciet ludibrium hostibus & æmulis tuis; præsertim quando te inscio deflectet ad alios, cum iisque fornicabitur & adulterabitur, huc enim ducet eam libertas, mobilitas animi & curiositas. Nam, ut ait Plutarch. lib. de Curiositate. *Adulterium est curiositas alienæ voluptatis*. Græca hanc sententiam cum sequenti truncantes, in unam contrahunt hoc modo: *Si non procedit tibi ad manum, reseca eam à carnibus tuis*. Honestæ enim & morigeræ uxores solent cum viris ad manum collaterales procedere quæ id non faciunt superbæ, immorigeræ vel inhonestæ sunt. Complut. addunt, *Da & dimitte*, id est, da ei libellum repudii. Sic & Syrus, *nisi ipsa sit veniens post te, carnem tuam* uxorem, quæ est caro tua *abscinde, da & dimitte è domo tua*. Hinc & Rabanus addens copulam *&*, hunc versum cum sequenti ita combinat: *Si non ambulaverit ad manum tuam, & confundet te in conspectu inimicorum, à carnibus tuis abscinde illam*, etc. quæ lectio magis quàm nostra placet Iansenio. Verùm Nostram confirmant cetera biblia, et stabiliunt Romæ correcta. VERS. 35.

Laus mulieris, viro obsequi

Præclarè S. Ambros. lib. 3. epist. 25. ad Eccles. Vercell. *Mulier*, inquit, *viro deferat, non serviat: regendam se præbeat; non coercendam. Indigna est coniugio, quæ digna est iurgio. Vir quoque uxorem tamquam gubernator dirigat, tamquam consortem vitæ, honoret, participes ut coheredi gratiæ*. Quin & Plutarch. in Moral. *Vt Philosophi*, inquit, *colentes principem, se reddunt nobiliores, non illum: sic uxores subdentes se viro, laudem consequuntur, conantes autem imperare, deterius audiunt, quàm quæ subiiciuntur*. Et rursum: *Vt Geometræ negant moveri lineas & superficies sine corpore, sed una cum corporibus moveri, sic uxor et in seriis & ludicris, in fletu & risu, in lætis & tristibus, accommodet se marito*. Et Stobæus serm. 70. *Sicut*, inquit, *speculi ex auro gemmisque constructi nulla fuerit utilitas, nisi formam sibi obiectam repræsentet: ita neque divitis uxoris fructus ullus est, nisi vitam exhibeat marito similem, & ingenium concors*.

A CARNIBUS TUIS ABSCINDE ILLAM, NE SEMPER TE ABUTATUR) q. d. Si uxor sit obstrepera, immorigera, vaga ad libitum, *à carnibus*, id est, à corpore tuo, scilicet à thoro maritali, abiice eam, ne semper tuo affectu, modestia, licentia, patientia abutatur. Vnde Compl. & Syrus habent: *Da, & dimitte illam*, q. d. Da illi libellum, ut eam ableges. Tigurina, & Vatab. VERS. 36.

sac

fac eam abscindas à corpore tuo; *da* (libellum repudii) *&* *eam repudia*.

Nota. olim apud Judæos licebat maritis dare libellum repudii uxoribus, aliamque ducere; per libellum enim repudii solvebatur vinculum matrimonii (unde Græca habent διάλυσιν, id est, *dissolutio*) uti ostendi Deuter. 24. 1. Libellum autem hunc dare poterant ob improbos mores uxoris; si scilicet esset rebellis, contumax, incorregibilis: Christus autem hunc libellum sustulit. Matth. 19. initio, tantumque viris permittit divortium thori pucà, uxores dimittere è domo idque ob solam fornicationem, ut, ea dimissa, aliam ducere non liceat.

Porrò, Siracidi contrarium consilium dedisse videtur Ben Sira. Rogatus enim de mala uxore dimittenda, respondit: *Os, quod cecidit in sorte tua rode*: quare alius est Ben Sira à Siracide, uti in Prologo ostendi. Quamquam hac in re conciliari possint, ut non sint contrarii, nimirum: *Os fortis tuæ rode*, si illud rodere queas; sin autem, abjice illud; nimirum si uxor corrigi aut tolerari possit, retine eam; sin autem incorrigibilis & intolerabilis evadat, dimitte illam.

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit agere de mulieribus, quare per antitheses multas ostendit, quanta sit bonitas mulieris probæ & sensatæ, ac quanta malitia improbæ & insensatæ.

MUlieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. 2. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit. 3. Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis: 4. Divitis autem, & pauperis cor bonum, in omni tempore vultus illorum hilaris. 5. A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit: 6. Delaturam civitatis, & collectionem populi, 7. Calumniam mendacem, super mortem omnia gravia: 8. Dolor cordis & luctus, mulier zelotypa. 9. In muliere zelotypa, flagellum linguæ, omnibus communicans. 10. Sicut boum jugum quod movetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. 11. Mulier ebriosa ira magna, & contumelia, & turpitudo illius non tegetur. 12. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscetur. 13. In filia non avertente se, firma custodiam, ne inventa occasione utatur se. 14. Ab omni irreverentia oculis cave, & ne mireris si te neglexerit: 15. Sicut viator sitiens ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum sedebit, & contra omnem sagittam aperiet pharetram, donec deficiat. 16. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit. 17. Disciplina illius datum Dei est. 18. Mulier sensata & tacita, non est immutatio eruditæ animæ. 19. Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. 20. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. 21. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus. 22. Lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super ætatem stabilem. 23. Columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris. 24. Fundamenta æterna supra petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ. 25. In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi advenit: 26. Vir bellator deficiens per inopiam, & vir sensatus contemptus: 27. Et qui transgreditur à justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad rhomphæam. 28. Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt: difficilè exuitur negotians à negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum.

VERS. 1. *Mulier bona beat-virum: car?*

MULIERIS BONAE BEATUS VIR: NUMERUS ENIM ANNORUM ILLIUS DUPLEX] *Illius*, scilicet viri. Ita Græca, Romana & Syrus. Aliqui legunt *illorum*, scilicet, viri & mulieris sive uxoris. Ita Palacius. Viri enim bonæ uxoris anni sunt duplices; tum, quia diutiùs, & duplo ampliùs vivet ob bonitatem uxoris, ut scilicet vivat 70. vel 80. annos qui aliàs tantùm vixisset triginta vel quadraginta; mulier enim nequam tot molestias & mœrores parit marito, ut iis citò consumatur & contabescat: tum, quia lætiùs & jucundiùs vivet; nam vita tristis potiùs mors est, quàm vita, adeoque dimidiata est mors, & dimidiata vita. Tristis enim & mœrens vivit vita naturali per respirationem, sensum & motum; sed moritur vita morali per ærumnas, dolores, angores & mœrores. Nam ut ait Martialis: *Non est vivere, sed valere* & vigere, *vita*. Ita Tigurina, *beatus*, inquit, *est vir probæ mulieris*: *nam numerus dierum ipsius conduplicabitur*; Syrus, *mulier bona*) id est, *mulieris bonæ*: est syrismus & hebraismus) *beatus est vir ejus*; *quia dies vitæ ejus duplicati sunt*. Duplices hi anni viri qui habet uxorem bonam, accipiendi sunt respectu viri qui habet uxorem malam; hujus enim anni sunt simplices, quia dimidii & pauci. Palacius tamen accipit duplices respectu naturæ & naturalis complexionis. Annos enim, quos natura cuique præscripsit, sicut ars, ita multò magis Deus augere & duplicare potest. Sicut enim *viri sanguinum non dimidiabunt dies suos*, psalm. 54. Deo minuente numerum annorum, quos sanguinariis natura taxaverat, ita bonis coniugibus anni sunt duplices, Deo duplicante annos illos, quos natura dimidios decreverat: ut enim illos dimidiat, quia eos abhorret; ita hos duplicat, quia gaudet in eis. Hoc subinde verum, sed rarum est. Crebriùs id accidebat bonis & piis in veteri Testamento, quibus felicitas terrena à Deo promissa erat, in novo verò illa compensatur majore felicitate spiritali & cælesti.

Tropolog. Uxor bona vitam duplicem largitur marito; quia ei causa est, tum verbo & exemplo, tum sua concordia & pietate, ut vivat hic vita gratiæ, & in futuro vita gloriæ, mala verò malum dans marito exemplum, eumque provocans ad impatientiam, lites, desperationem, aliaque scelera, est ei causa, ut moriatur hic anima ejus morte peccati, in futuro verò morte gehennæ & æterna. Ita S. Cæcilia maritum Valerianum sanctum & Martyrem effecit, & Clotildis Clodovæum, & S. Elisabeth suum Lantgravium. Unde Hugo per *mulierem bonam* accipit B. Virginem, quæ fuit optima; quia summè pia, casta, benigna & modesta. Pia in opere benigna in corde, modesta in sermone, casta in corpore & in mente, fortis in laborum & tribulationum firma perpessione. De qua Prov. 11. *Mulier gratiosa inveniet gloriã.* Hæc sine dubio virum suum Joseph & beatificavit & lætificavit. Prov. 12. *Mulier sapiens corona est viro suo.* Rursum, inquit, mulier bona & fortis est parochia tua, vel Religio tua. Prov. 5. *Lætare juvenis cum muliere adolescentiæ tuæ.* Sed dicit Salomon contra mutatores Ecclesiarum, vel desertores pro præbendis opimioribus: *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum*, Prover. 18. 22. *Tropolog.*

My-

Mysticè. Mysticè, Rabanus, *Mulier bona*, ait, *aut specialiter justi ac boni hominis est anima, aut generaliter tota electorum Ecclesia, cujus vir beatus esse describitur: quia Christus (qui ejus est) vir est beatitas & celsitudo in universo mundo prædicatur: numerus enim annorum illorum duplex, quia hic vivit Ecclesia sub custodia mandatorum Dei cum honestate virtutum, & in futuro veraciter gaudebit in perceptione cœlestium præmiorum.*

VERS. 2. MULIER FORTIS OBLECTAT VIRUM SUUM, ET ANNOS VITÆ ILLIUS IN PACE IMPLEBIT] *mulier fortis*, græcè ἀνδρεία Hebr. אשת חיל *escet chail*, id est mulier virtutis, sive virago, vocatur mulier strenua, operosa, sedula, quæ judicio & consilio pollet, ac instar apis jugiter sollicita est, ut sua industria & labore familiam ritè administret, filios ritè educet, servis & ancillis de victu, vestitu & rebus omnibus provideat, rem familiarem augeat; denique viro, filiis, sibique opes, honorem & gloriam conciliet: qualem describit Salomon toto cap. 31. Proverb. Hæc sanè sua industria, labore, opibus oblectat virum suum, ideoque annos illius non in mœrore & labore, sed in pace & gaudio adimplet: facit enim ut ad plenam longamque ætatem cum quiete & B lætitia perveniat, moriaturque cum Abraham, Isaac & Jacob in senectute bona. Rursum, *in pace*, id est, in rerum omnium abundantia, quam parit sua strenuitate: hanc enim significat Hebræis שלום *sealon*, id est pax. Unde Tigurina vertit, *mulier strenua virum suum exhilarat, facitque ut amos vitæ suæ exigat per tranquillitatem*; Vatabl. *annos vitæ ipsius replet tranquillitate*; Syrus, *mulier fortis oblectabit virum suum, & annos vitæ suæ in lætitia complebit*, scilicet ipse vir, sive maritus. Alia est ergo uxor bona à forti: bona enim est benigna, facilis, morigera, amans mariti & filiorum, item pia in Deum: fortis verò est prudens, virilis, industria, strenua. Quæ utrumque habet, perfecta est & heroina. Mulieres enim partim ex complexione phlegmatica, partim ex usu & otio, desidiosæ sunt, segnes & pigræ. Unde Hippocrates lib. de Natura sive morbis virginum scribit, muliebrem naturam esse ignaviorem, ob idque plures feminas quàm viros incidere in terrores illos punicos & imaginosos, qui tam vehementer territant homines, ut desipiant, sibique larvas & dæmones spectare videantur, quo multæ exagitatæ se suspendunt vel enecant. Et Galenus libr. 2. Temperamentorum, scribit mulieres viris pinguiores, eo quòd sint vitæ magis desidiosæ: &, cùm tarditas sit comes acediæ, hinc feminas tardas & cunctatrices esse videmus. Unde Plaut. in Milite.

Mulieres segnes: cur?

Mulier, inquit, *nata est ipsa mora:*
Nam quævis alia, quæ mora est æquè, mora
Minor ea videtur, quæ propter mulierem est.

Et illud: *Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.*
Quæ ergo hanc desidiam superant strenuitate, viragines sunt.

VERS. 3. PARS BONA, MULIER BONA, IN PARTE TIMENTIUM DEUM DABITUR VIRO PRO FACTIS BONIS] *Pars* idem est quod sors. q. d. Sors bona est mulier bona: quocirca Deus, qui quasi modimperator, cuilibet suam sortem pro suo beneplacito & hominum merito admetiri & elargiri solet, bonam mulierem dabit viro bono pro mercede bonorum operum ipsius. Illa ergo probis dabitur *in parte*, id est, tamquam pars & sors debita & propria timentium Deum. Hebr. enim ב *beth*. id est *in*, sæpè sumitur pro כ *caph* similitudinis, vel potiùs mensuræ, id est *sicut*, tamquam, quasi mensura mercedis adæquata merito. Unde Græca concisè sic habent, *mulier bona portio est bona, in parte timentium Dominum datur*; Tigurina, *uxor bona bona est obventio, pro præmio obtinget Dominum reverentibus*; Syrus, *mulier bona dabitur viro, qui timet Dominum propter opera ejus bona*. Alludit ad Proverb. 19. 14. *Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens.* Ubi Nota τὸ *propriè*. q. d. Licèt domus & divitiæ à Deo dentur, tamen hæc sæpè filiis à parentibus hereditate relinquuntur, & hæreditario jure obveniunt; at verò uxor commoda, *proprium*, id est, peculiare & eximium est Dei donum: licet enim talis à volente inire conjugium studiosè & sollicitè sit inquirenda; non tamen tam humana sollicitudine quàm divina providentia à Deo ipso spe-A cialiter procuratur, ideoque ab eo precibus postulanda est. Id patet in Rebecca, Rachel, Sara, quas Deus propriè uxores procuravit Isaco, Jacobo & Tobiæ. Deus enim, licèt sua providentia omnia curet, magis tamen curat & procurat majora & magis necessaria: talis autem est uxor prudens, commodis moribus, & viri ingenio congruens; quia inde pendet quies, pax, sanctitas, salus & prædestinatio viri, filiorum & totius familiæ. Simile est in vocatione ad Religionem, in qua hæc potiùs Religio quàm illa, huic homini congruit, & à Deo præparatur, si Deum vocantem consulere, audire & sequi velit. Sensus ergo est, q. d. Qui à Deo vocatur ad matrimonium, in deligenda uxore non tam suæ aut parentum, sive phantasiæ, sive industriæ, debet inniti & fidere, quàm Deo, ab eoque assiduè flagitare, ut sibi commodam uxorem dirigat. Simili sensu linguæ custodia & directio tribuitur Deo potiùs quàm homini. Proverb. 16. 1. *Hominis*, inquit, *est animam præparare, & Domini gubernare linguam*. Et sortium distributio, ibidem v. 33. *Sortes*, inquit, *mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*. Unde Palacius censet, bonam uxorem signum esse prædestinationis viri & filiorum, ac proinde eam dari à Deo prædestinatis: cetera verò bona dari tam reprobis quàm prædestinatis.

Uxor commoda, est peculiare Dei donum.

Multo magis status cõmodus.

Aliter paulò Jansenius: Mulier bona, inquit, est bona portio, & bona sors, quæ dabitur viro in sorte & portione timentium Deum: quia in ea sorte quam Deus promisit, & dare solet timentibus se, etiam includitur uxor bona.

Plura de hac gnome dicam in Salomonide: quod Deo dante erit proximum opus, Proverb. 16. 14. inde enim eam mutuatus est Siracides.

VERS. 4. DIVITIS AUTEM ET PAUPERIS COR BONUM, IN OMNI TEMPORE VULTUS ILLORUM HILARIS] q. d. Quando hominis sive divitis, sive pauperis, *cor bonum*, id est, tranquillum, serenum, jucondum, lætum est, ob uxorem scilicet bonam & strenuam, tunc pariter in omni tempore vultus illorum erit hilaris, serenus & lætus; quia hilaritas cordis in hilaritatem C oris & vultus se exerit. Hæc sententia spectat ad v. 2. Unde Syrus transponens versum secundum in tertium, illum cum hoc quarto sic immediatè connectit: *Mulier fortis oblectabit maritum suum, & annos vitæ suæ in lætitia complebit* (maritus) *sive dives sit, sive pauper, cor ejus bonum est semper, & facies hilaris*; Tigurina, *uxor bona*, &c. *tam divitis cor erga Dominum* (legit enim πρὸς κύριον, pro quo Noster & alii legunt, ἐν παντὶ καιρῷ, id est, *in omni tempore*) *quàm pauperis lætificat, ut omni tempore sint hilares*. Sensus est, q. d. Nec opes, nec honores, nec epulæ, nec quid aliud faciunt maritum felicem, sicut nec pauperies, ignobilitas, fames, sitis; infelicem: sed lætitia vel mœstitia cordis & vultus, quam affert uxor bona vel mala: bona enim cor vultumque mariti serenat & exhilarat, mala verò confundit, contristat & contabescere facit. Sic *bonum* sumitur pro læto & jucundo, psalm. 132. 1. *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum!* Ex adverso, Matth. 6 ait Christus, *Sufficit diei malitia*, id est, mœstitia & D afflictio, *sua*.

VERS. 5. A TRIBUS TIMUIT COR MEUM, ET IN QUARTO FACIES MEA METUIT] legit Interpres cum Complut. ἐπτοήθη, id est, *metuit*, pro quo Romana legunt ἐδεήθην; unde vertunt, *& in quarto facie mea supplicavi*, vel *deprecatus sum*. Ut ostendat quantum malum, quamque hominem conturbans, ejusque cor & faciem immutans, sit mulier mala; comparat & anteponit eam tribus valdè noxiis, quæ mirè hominem affligunt, ideoque ab omnibus studiosè vitantur. Sensus ergo est, q. d. Tria velut valdè accerba timuit (græcè εὐλαβήθη, id est, reveritum est) cor meum: at in quarto, id est, quartum (est enim Hebræum *beth* contactus) ita corde extimui, ut & facies mea expavesceret & expallesceret. Est hebraismus, qualis est apud Amos c. 1. v. 3. 9. & 11. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quartum non convertam eum*. q. d. Tria scelera commiserunt Damasceni, sed quartum adeò enorme est, ut vindictam mihi extorqueat. Vide ibi dicta. Unde Tigurina vertit, *tria expavescit cor meum, quartumque facies mea exhorrescit*; Syrus, *à tribus commotum est cor meum, & à quatuor* (id est,

(id est, à quarto: ponitur enim numerus cardinalis pro ordinali) *valdè timui*. Porrò, quatuor hæc enumerat dicens:

Vers. 6. Vers. 7.

Tria extimescenda.

DELATURAM CIVITATIS, ET COLLECTIONEM POPULI, CALUMNIAM MENDACEM, SUPER MORTEM OMNIA GRAVIA] q. d. Tria à quibus timuit cor meum, sunt, Primum, *delatura*, id est proditio, *civitatis*, ut vertit Tigurina. q. d. Esse in civitate, quæ hosti proditur, ejusque expilationi, quassationi, cædi & furiis exponi, grave est malum. ita Lyran. Palacius verò pro *delaturam*, vertit *adversationem*, qua tota civitas alicui fit adversa & contraria. Verùm græcè διαβολὴν, id est, calumniam, criminationem, qua scilicet civitas, id est, cives plerique ex rumore sinistro criminantur aliquem, illique aliquod crimen impingunt. Hoc enim grave est malum; tum quia per hoc reus infamiam publicam, æquè ac odium civium omnium incurrit; tum, quia per hoc non ab uno, sed ab omnibus civibus sibi metuere & cavere debet, ne morti, exilio aut carceri addicatur. Unde Syrus vertit, *oblocutionem congregationis in multitudine populi:* διαβολὴ enim est calumnia, suspicio, invidia, obtrectatio, indignatio, ignominia, infamia, crimen, delatio: unde διάβολος est calumniator, diabolus. Radix enim διαβάλλω significat criminari, notam infamiæ afferre, damnare, injuria afficere, suspectum reddere, & invisum accusare, infamare, calumniari, decipere, traducere, obtrectare, crimen deferre. Hoc est quod ait Ecclesiastes cap. 7. 8. *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.* ubi plura hac de re dicam.

Secundum est, *collectio populi;* græcè, ἐκκλησία ὄχλου, id est, congregatio turbæ, putà, populi turbati & tumultuantis, id est, seditio, ut vertit Tigur. qua populus in aliquem resurgit, eumque deposcit ad necem: qualem passus fuit Ephesi S. Paulus, suscitatam à Demetrio & aurificibus Dianæ, Actor. 19.

Tertium est, *calumnia mendax*, qua scilicet quis falsò per accusatorem & testes accusatur, agiturque reus mortis, similisve mali. Inter hæc tria est gradatio. Primò enim, malum est, in civitate sinistra fama laborare, & civibus esse suspectum. Secundò, pejus est, cùm hæc fama & suspicio adeò crescit, ut contra eum coeat populus, ejusque caput petat. Tertiò, pessimum est, cum ex coitione furentis populi instruitur processus juridicus, quo per calumniam falsosque testes juridicè & certò damnetur ad mortem, uti factum est Susanæ, Daniel. 13. & Naboth. 3 Reg. 21. Quocirca ab eo liberari se instanter obsecrat Psaltes psal. 118. *Feci*, inquit, *judicium & justitiam, non tradas me calumniantibus me. Suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi.* Huc facit symbolum Pythagoræ: *Mustela è transverso offensa retrocede, id est, homines delatores fuge:* nam mustelam ore parere affirmant.

Porrò, hæc tria dicit esse gravia super mortem, id est morte graviora & acerbiora: tum, quia morte naturali gravior & acerbior est mors violenta, illata per judicem injustè, ob calumniam accusatorum testiumque falsorum; tum, quia magis diutiusque per multos annos, & subinde per totam vitam cruciant, quàm ipsa mors, quæ in ictu dumtaxat sentitur, ilicoque transit, ac hominem omni dolore & cruciatu eximit. Unde illud: *Melior est mors quàm vita amara.*

Perfecti gaudent in calumniis.

Nota. Hæc tria valdè gravia & molesta sunt viris etiam probis; qui tamen valdè patientes, & in virtute provecti perfectique sunt, facilè ea superant, sicut & mortem ipsam superant: præsertim si pro Deo, justitia, sanctitate, castitate vel virtute alia ista patiantur: imò in illis exultant & triumphant; sicut S. Paulus exultat in suis persecutionibus, calumniis, seditionibus, carceribus, plagis & verberibus, 2. Corinth. 11. Quia solet Deus iis qui calumnias & injurias patienter tolerant, magnas immitere illuminationes, vires, animos & consolationes spiritales, ut propter eas in calumniis mirè gaudeant, nolintque illis carere.

Exempla.

Narrat Climacus gradu 4. de obedientia, Abbacyrum in monasterio à fratribus quotidie asperis verbis & verberibus excipi solitum, atque omnia humiliter atque constanter tolerasse usque ad mortem, sibi persuadendo hæc sibi fieri non ex odio, sed probationis & virtutis augendæ studio. unde moriturus exultans dixit: *Gratias ago Domino Jesu Christo & vobis, quia propter id quod me tentastis in salutem, ecce decem & septem annis permansi immunis à tentatione dæmonis.* Ibidem narrat Macedonium Diaconum, sine culpa, à suo Superiore probationis ergò, suo ordine dejectum, & pœnitentiæ mancipatum, sine tristitia omnia tolerasse, quasi non ipse, sed alius fuisset increpitus, imò cùm ordini suo à Superiore restitutus esset, rogasse eumdem ut ad pristinam degradationem & ingnominiam relegaretur, ac Superiorem conscium virtutis ejus id ei indulsisse: qui deinde ipsi Climaco miranti ejus inter novitios humilitatem & pænitentiam, causamque quærenti confessus est, dixitque: *Numquam sicut nunc evacuationem omnis prælii, & luminis divini dulcedinem in me ipso perspexi.* Hinc S. Franciscus ajebat: *Perfecta lætitia est, cùm quis libenter amore Christi injurias & opprobria sustinet.* Talis enim cum S. Paulo dicit: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Et noster S. Ignatius Fundator Societatis Jesu, ob pietatis ministeria mille calumnias passus; ac sæpiùs in carcerem conjectus, gaudebat & exultabat in spiritu, dictitans hoc esse summum fidelium bonum & gaudium in hac vita, atque hanc unicam & compendiariam ad culmen virtutis & perfectionis esse crucis viam. Hoc est quod ait S. Jacob. c. 1. *Omne gaudium existimate, fratres, cùm in varias tentationes incideritis.* Ubi plura hac de re dixi.

Vers. 8. Vers. 9.

DOLOR CORDIS ET LUCTUS, MULIER ZELOTYPA. IN MULIERE ZELOTYPA FLAGELLUM LINGUÆ, OMNIBUS COMMUNICANS] Qartum est hoc malum pessimum, tria jam dicta longè supernas, nimirum mulier zelotypa, quæ scilicet suspicatur maritum aliam mulierem præ se diligere sibique anteferre, ideoque ei diffidit. Unde Rabanus legit, *Mulier infidelis*, id est, diffidens; græcè, ἀντιζήλου γυναικὶ, id est, rivalis mulieris, æmulæ æmula, zelotypa in zelotipam, qualis fuit Anna Phenennæ, 1. Reg. 1. Saræ Agar, Genes. 16. Rachel Liæ, Genes. 30. v. 1. & 15. Olim enim Judæis licita erat polygamia, id est, pluralitas uxorum: in qua facilè oriebatur zelotypia, ut una suspicaretur, doleret & quereretur se minùs à marito diligi, aliamque sibi anteferri, meliùs vestiri, tractari, honorari, &c. suspicax enim est sexus ille infirmior, minorisque animi & judicii. Atque ob hanc causam inter alias, sublata est à Christo polygamia.

Zelotypia malum in femina.

Sensus ergo est, q. d. Mulier zelotypa, & rivalis suæ æmula, marito & familię non consolationem & gaudium quod sperabatur, sed cordis dolorem & luctum affert. Rationem subdit: *In muliere zelotypa flagellum linguæ.* q. d. Quia mulier zelotypa lingua sua assiduè flagellat maritum suis querelis, suspiriis, indignationibus, expostulationibus, litibus, rixi, jurgiis, conviciis, maledictis. Porrò, hoc *linguæ flagellum* non est domesticum tantùm, id est, privatum, secretum & inter domus parietes conclusum; sed *omnibus communicans*, quia zelotypa suam zelotypiam, indignationem, amaritudinem celare nequit, sed omnibus cognatis, amicis, vicinis, imò quibusvis obviis, eam communicat & exponit, conquerendo de marito, quòd aliam plus amet, sibi infidus sit, se indignè tractet, &c. Unde Græca sic habent, *dolor cordis & luctus mulier zelotypa in mulierem zelotypam, & flagellum linguæ communicans;* Tigurina, *dolor animi luctusque est mulier æmulans mulierem, & flagellum linguæ cum quibusvis communicans;* alii, *quæ omnibus communis est;* Syrus, *& plagam linguæ omnia simul.* Aliter Palacius: *Omnibus communicans*, inquit, quia ex omni re occasionem conquerendi de marito, lamentandi & expostulandi accipit, imò quærit & captat. Quocirca rectè Sanctus Chrysostom. homil. 55. in Genes. *Grave*, inquit, *malum est zelotypia, & desinit in insipientiam.*

Ejus origo.

Porrò, zelotypia maximè laborant mulieres, cujus ratio & origo est, quòd laborant φιλαυτίᾳ, sui sint amantiores, sibique nimis placeant. Ita Philo apud Eusebium lib. 8. Præpar. cap. 4. *Mulier*, inquit, *nimium seipsam amat, &c. & zelotypia maximè mordetur.* Et Plutarch. lib. de Tranquill. inter proprias mulierum passiones ponit zelotypiam. Hinc & Poeta:

Incendit omnem feminæ zelus domum.

Exemplum.

Audi exemplum mirabile & miserabile. Mulier ex marito

to filium susceperat: marito defuncto alium duxit, ex qua pariter filium genuit. Hic secundus maritus una cum hoc filio suo priorem filium, putà privignum, quem illa de priore marito susceperat, clanculùm interemerunt, ut soli mulieris essent heredes. Mulier, imò mater, id resciens, in zelum, imò furorem acta, tam maritum quàm filium interemit. Rea viricidii & filiicidii ob casus implexi novitatem delata fuit ad Areopagitas. Illi hinc videntes reatum criminis, inde dolorem justum, qui ream ad talionem vindictæ impulerat, causa indecisa hanc protulere sententiam: *Rea, & læsi, post centum annos nostro tribunali sistantur.*

Æsopi præcepta vitæ.

Audi aliud mirabile, sed memorabile & imitabile. Æsopus Mythologorum princeps Enno filio suo hæc præcepta vitæ dedit: *Fili ante omnia time Deum. Regem honora. Inimicis tuis terribilem teipsum præbe, ne te contemnant: amicis facilem & communicabilẽ, quo longè benevolentiores tibi sint. Semper uxori tuæ bene adhære; ne alterius viri periculum facere velit: leve enim mulierum est genus; ac adulatum, minùs malum cogitat. Linguæ continens esto. Bene agentibus ne invide, sed congratulare: invidens enim teipsum magis offendes, Domesticorum tuorum satage, ut te non solùm ut dominum timeant, sed etiam ut benefactorem venerentur. Ne pudeat discere semper meliora. Mulieri numquam credas secreta: nam semper armatur, quomodo tibi dominetur. Salutato facilè qui tibi occurrunt, sciens & catulo caudam panem comparare. Bonum esse ne pœniteat. Susurronem ejice domo tua. Nam quæ à te dicuntur ac fiunt, aliis communicabit. Fac quæ te non mæstificent. Contingentibus ne tristare. Neque prava consulas umquam, neque mores malorum imiteris.* Ita Planudes in Vita Æsopi.

VERS. 10 SICUT BOUM JUGUM QUOD MOVETUR, σαλευόμενον, id est motum, agitatum, concussum (ITA ET MULIER NEQUAM: QUI TENET ILLAM, QUASI QUI APPREHENDIT SCORPIONEM] Nequitiam mulieris repræsentat per duas similitudines; unam jugi agitati, alteram scorpionis. Prior huic loco apposita est à jugo enim dictum est conjugium: conjuges enim sunt quasi duo boves jugales, qui in eodem jugo copulati currum trahunt, vel aratro terram sulcant. Sicut ergo jugum si agitetur, sive quia nimis est laxum, sive, quia alter bos jugi impatiens illud concutit, ut excutiat, sive, quia auriga vel quis alius illud agitat, illique vim infert: Si, inquam, jugum agitetur, impedit boves, ut currum vel aratrum vix trahere queant, quin & boves ipsos offendit & lædit: ita pariter mulier nequam suis litigiis & nequitia totum conjugium concutit, virumque & familiam offendit & lædit. Unde Tigurina, *similis jugo boum laxitate inquieto est mala mulier: qui eam sibi adsciscit, perinde facit, ac qui apprehendit scorpionem* Nam, ut explicat Palacius, ut in jugo boum unus inquietùs turbat alterum, quamvis quietissimum: ita in jugo matrimonii uxor zelotypa inquietissimum virum reddit, quamvis sit ille quietissimus; & sicut qui tenet diu scorpionem, non evadet quin pungatur ab eo: ita qui uxorem tenet nequam, maximè zelotypam, mortiferè pungetur ab ea: solent enim hujusmodi viri aut uxorem occidere, aut in desperationem incidere, aut certè cura rei familiaris abjecta patriam etiam relinquere. Hic verum est vetus dictum: *Serò detrectat jugum, qui subiit.* Priùs inquire in mores uxoris, antequam eam ducas: nam ubi duxeris, jugum illius & mores tibi ferendi sunt nec illos excutere poteris.

Scorpionis & mulieris octo analogia.

Prima.

Nota. Nequam mulier comparatur scorpioni: Primò, quia *solus inter insecta scorpio longo spiculo armatur, & brachia quinque bisulcis dentata forcipibus habet*, ait Aristot. l. 4. de Histor. Animal. c. 7. Ita mulier nequam virulentæ linguæ spiculo armatur, brachiaque habet dentata, quibus maritum apprehendat, lacessat, vexet, Secundò, scorpio pestilentissimus est & exitialis: nam ut ait Plinius l. 11. cap. 25. *Scorpio est pestis importuna veneni serpentium, nisi quòd graviore supplicio lenta per triduum morte conficiunt*: ita nequam mulier assiduè virum cruciat, & lenta eum tabe conficit.

Secunda.

Tertia.

Tertiò, scorpio cauda arcuato ictu dolosè eum, quem cornibus tenet, ferit: quia ei, ait Plinius, *semper cauda in ictu est, nulloq; momento meditari cessat, ne quando desit occasioni. Ferit & obliquo ictu & inflexo.* ita nequam mulier, esto blandiatur, in cauda, id est, in fine, aculeum dolosè exerit, omnique occasioni, A qua nocere possit, intendit & invigilat.

Quarta.

Quartò, venenum scorpionibus, ait Plinius, est *medio die, cùm incanduere solis ardoribus: itemq; cùm sitiunt, inexplebiles potu*: ita & mulier nequam, cùm vino æstuque incaluit, venena sua ejaculatur: eadem bibax est & mero inexplebilis.

Quinta.

Quintò, scorpiones non nocent iis, quibus non est sanguis, ait Plinius: ita mulier nequam non nocet viris mortificatis, in quibus non est cupiditas (hujus enim sedes & symbolum est sanguis:) sed eis potiùs virtutis & victoriæ est materia. Rursum, mulier nequam & rixosa, æquè ac diabolus, tabidis peccatoribus non insidiatur, sed bonis & probis, quibus est succus & sanguis virtutum: ita & maledicus eosdem impetit. Nam ut in eumdem ait Martial. in Xeniis.

Quid dentem dente juvabit
Rodere? carne opus est, si satur esse velis.

Sexta.

Sextò, *Quidam*, ait Plinius, *à scorpionibus fœtum devorari arbitrantur: unum modò relinqui solertissimum, & qui se ipsius matris clunibus imponendo, tutus & à cauda, & à morsu loco fiat. Hunc esse reliquorum ultorem, qui postremò* B *genitores supernè conficiat. Pariuntur autem undeni.* Ita mulier nequam suas proles non raro sua molestia conficit, aut nequitia enecat: unde & ab iis vicissim è medio tollitur.

Septima.

Septimò, morsus scorpii remedium est, *ipsius cinis potus in vino*, ait Plinius, ita mulieris nequam remedium est, ipsius interitus, quo in cinerem convertetur. Dum enim cogitat maritus illa se brevi per mortem liberandum, solatur suos, quos ab illa patitur, dolores & ærumnas. Potissimùm verò scorpio cornibus stringens, sed cauda pungens, notat mulierum nequitiam & dolum, maximè quo nocent, dum amorem simulant. Unde Antonius in Melissa libr. 2. cap. 34. ex Socrate ait: *Cùm te amare atque appetere se dicit mulier, ab ea magis tibi metuendum est quàm cùm maledicit.* Hinc Euripides mulieres vocat *fucatum malum*. Unde idem in Hippolyto.

Odi mulieres, te verò precipuè;
Quæ cùm malè egeris, blandè loqueris.

Et P. Syrus in Mimo: *Apertè*, ait *cùm mala est mulier,* C *tum demum est bona.* Nam, ut ille de eadem loquens, ait; *Nota res mala, optima est.* Unde Josephus libr. 5. Antiq. cap. 17. scribit Samsonem, cùm suum ænigma de leone & ape, Philisthæis à sua Dalila proditum cognovisset, exclamasse: *Nihil est dolosius femina.*

Et Poeta:

Sidera non tot habet cælum, nec flumina pisces,
Quot scelerata gerit femina mente dolos.

Et alter.

At crudele genus, nec fidum femina nomen.

Octava.

Denique ex cancro nasci scorpium tradunt Physici. Audi Plinium lib. 9. cap. 31. *Sole cancri signum transeunte, & ipsorum* (cancrorum) *cùm exanimati sunt corpus transfigurari in scorpione narratur in sicco.* Ovidius verò nullum tempus designans, absolutè idem asserit:

Concava, inquit, *littoreo si demas brachia cancro,*
Cetera supponas terræ, de parte sepulta
Scorpius exibit, caudaque minabitur unca.

Ita mulier, quæ cancri more incedit retrorsum, semper D adversa marito, illi renitens, obluctans, obtrectans, tandem vertitur in scorpium, certumque marito parat virus & exitium, sicut enim sensim increscit virus serpentum, sic & malitia mulierum. Unde, sicut serpentes tandem crescunt in dracones, omnibus animalibus formidabiles & exitiales: sic & mulieres crescentes in improbitate, tandem evadunt furiæ infernales.

Mysticè. hæc omnia adaptes propriæ voluntati.

Mysticè, uxor nequam est propria voluntas, cui dum animalis homo velut malæ conjugi fœderatur, peccatorum & imperfectionum innumerabilium onere premitur, agitatur & cruciatur assiduè, Nam propria voluntas totam interiorem domum turbat, hominibus & Deo repugnat, & eam amplectentem quasi veneno contaminat. Hæc quæ primò aspectu libertatem sapit, & hominem videtur facere sui juris, si intimiùs inspiciatur, magis premit jugo importabili, quod, qui non vult perire, debet excutere. Optimè namque dixit S. Bernardus tract. de Diligendo Deo, sub finem: *Tunc dixerim quemque sibi fecisse suam legem, quando communi & æternę legi propriam prætulit voluntatem, perversè utique volens suum imitari Creatorem, ut, sicut ipse sibi lex suiq; juris est, ita is quoque*

seipsum regeret, & legem sibi suam faceret voluntatem: grave utique & importabile jugum super omnes filios Adam, heu! inclinans & incurvans cervices nostras; adeò ut vita nostra inferno appropinquaret. hæc ille. Qui & addit, de hoc jugo *Job 7. 2.* sanctum Job fuisse locutum, cùm dixit: *Et factus sum mihimetipsi gravis.* Ille enim seipsum gravat, qui jugum propriæ voluntatis excutere & ablegare non curat. Vide Cassian. lib. 4. de Instit. renunt. c. 8. ubi docet, impossibile esse mortificare voluptates & desideria concupiscentiæ, nisi quis priùs didicerit mortificare propriam voluntatem; & cap. 24. docet propriam voluntatem crucifigendam, crucique Christi affigendam esse.

VERS. 11 MULIER EBRIOSA, IRA MAGNA: ET CONTUMELIA, ET TURPITUDO ILLIUS NON TEGETUR] q. d. Mulier ebriosa, iracunda est & contumeliosa: cùm enim incaluit mero, rixatur & plaustra convitiorum in maritum, ceterosque domesticos evomit: quare eadem marito magnam affert iram & contumeliam. Irascitur enim maritus ob ejus ebrietatem moresque ebriosos, qui ei sunt probro & dedecori. Licèt enim ipsa subinde suam turpitudinem, putà ebrietatem moresque ebriosos, tegere & celare velit; tamen ipsi seipsos ipsamque produnt, juxta illud: *Vinum, nummi & amor, dissimulari non possunt.* Unde Græca habent: *Et turpitudinem suam non teget.* q. d. Ipsa suam ebrietatem, indeq; garrulitatem, petulantiam, inverecundiam & libidinem verbis gestibusque patefaciet. Et Tigurina, *noxa magna est mulier ebria & indomita* (Græca enim nonnulla addunt καὶ ῥέμβος) *ut quæ non celet suam turpitudinem.* Viri enim, cùm fortius habeant cerebrum, majorique polleant ratione & judicio, suam ebrietatem, animique secreta celare possunt. Unde in his non adeò probrosa est ebrietas: at mulieres, cùm debili sint cerebro, ratione & judicio, id facere nequeunt; unde ebriæ produnt internam concupiscentiam & vitia: quocirca in illis dedecorosa est ebrietas, præsertim quia ebrietas laxat fræna pudori, qui custos est pudicitiæ, indeque fiunt impudentes & impudicæ. Syrus, *furor magnus mulier ebriosa* (hæc enim quasi furia furibunda in omnes bacchatur & furit) *& insana, quia ipsa ignominiam suam non celabit.*

Nota. Complut. Tigur. & alii addunt καὶ ῥεμβὸς, quod Complut. vertunt, *mente aliena* (unde Gallicum *resver* & *resveriæ*) Roman. *vaga*; Tigur. *indomita*; alii, *inconstans*. Nam ῥεμβασμὸς ἐπιθυμίας, vocatur inconstantia concupiscentiæ, Sapient. 4. ῥέμβω enim est circumverto, circumvolvo, irrito: ῥεμβεύω est circumeo, vagor, fluctuo, uti facit mulier ebria.

Mulier vinosa quantum malum? Porrò, monet hoc Siracides, eò quòd mulieres malæ, bibaces & vinosæ sunt: exemplo sit Cleo illa mulier adeò bibax, ut nullus eam vincere aut tentaverit, aut potuerit, ut indicat illud epigramma Phalæci apud Athenæum lib. 10. cap. 12. in fine:

Auratam vestem & croceam succincta Lyæo
Ista dedit patri munera magna Cleo.
Symposiis quoniam præstabat: quam bibere æquè
Nullus tentavit vincere, vel potuit.

Ut non sine causa D. Paulus 1. Timoth. 22. mulieres sobrias esse præceperit: & Tit. cap. 2. ne anus multo vino serviant. Quem locum interpretans D. Chrysost. *Idem*, ait, *mulierum & senectutis vitium est: nam quòd ætate frigescant, magno potationis inserviunt studio. Quocirca eas hinc maximè admonet, ut omnibus ex partibus ebrietatis vitium amputent, eas ab hoc morbo remotissimas esse cupiens, atque irrisionem, quæ hinc exurgit, effugere; sciens scilicet eas huic vitio esse addictas.* Huc spectat, quòd in festo Bacchi femina potiùs quàm vir populo liba suppeditabat: quoniam feminarum greges, quas Mænadas vocabant, Bacchum ipsum sequebantur, veluti vinosiores quàm viri, & anus præsertim. Ex quo Ovid. lib. 3. Fastor. ait:

Femina cur præstet, non est rationis opertæ
Femineos thyrso concitat ille choros.
Cur anus hæc faciat, quæris? vinosior ætas
Hæc erat, & gravidæ munera vitis amans.

Juvenalis autem sat. 6. de muliebri vini bibacitate ita scribit:

Tanquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit & vomit.

Serpens vini avidus. Nam & Plinius lib. 10. c. 72 & iterum lib. 21. c. 23 tradit, serpentes præcipuè vinum appetere, tamquam scilicet illud invideant serpentes mulieribus, earum hostes perpetui à Deo opt. max. Gen. cap. 3. destinati, ne scilicet in ea re ab illis vincantur. ita Tiraquellus lege 9. connub. num. 203.

Quocirca S. Chrysost. hom. 71. ad popul. graviter pronuntiavit, nihil esse turpius ebriosa muliere. Et in Acta Apostolorum, homil. 28. *Nihil*, ait, *fœdius muliere ebria: obscuratur ei visus, turbatur serenitas & puritas oculorum, quasi nube quadam radiis solaribus succedente. opus illiberale & servile, & omni ignobilitate plenum. Quàm insuavis est mulier vinum spirans!* &c. Et Paulo post: *Da formosam puellam, turbulentam, loquacem, convitiatricem, ebriam & sumptuosam: nonne quavis re fœda ac turpi deformior est?* Et S. Hieronymus, aut quisquis est Auctor in Regula sanctimonialium ad Eustochium cap. 36. asserit sacrilegium esse ebrietatem in femina. Denique Clemens Alex. lib. 2. Pædag. cap. 2. citans hunc Siracidis locum, ex eo ostendit, ebrietatem in femina admodum esse turpem. Hac de causa veteres mulieribus vinum interdicebant. Extat Romuli lex: *Si vinum biberit* (uxor) *domi, uti adulteram puniunto:* ex ebrietate enim facilis in adulterium est prolapsus. Plinius lib. 14. cap. 13. scribit Mecennii uxorem, quòd vinum bibisset, interfectam à marito, eumque cædis à Romulo absolutum. Idem testatur Valerius Maximus lib 6 cap. 3. ubi Mecennium vocat Metellum. Eadem de causa Fatuam Fauni regis Latii uxorem, à marito virgis cæsam usque ad mortem, narrat Arnobius lib. 5. contra Gentes. Vide Tiraquel. supr. num. 206 & seqq. Denique S. Chrysostomus, vel potiùs Auctor Imperfecti in Matth ca. 1. *Omnis*, ait, *mulier, quæ vinolenta & comessatrix est, eadem quoque meretrix est.* Et S. Ambros. lib. de Elia & jejunio c. 18. *Vinum*, ait, *nobis tantarum animarum damna intulit. Etenim si vinum & mulieres discedere à Deo faciunt, quòd vel ebrietas, vel libido prævaricationis illecebræ sint: si singula ac separata hæc faciunt, quid facient unita? unde non immeritò ait Sapiens: Mulier ebriosa, ira magna; turpitudinem suam non celabit.*

FORNICATIO MULIERIS IN EXTOLLENTIA OCULORUM (cernitur,) ET IN PALPEBRIS ILLIUS AGNOSCITUR] q. d. Impudicitia cordis mulieris fornicariæ se prodit oculis, palpebris & vultu, si eos attollat, iisque inverecundè circumspiciat & vagetur, tum, quia elati oculi signum sunt elati, ideoque impudici cordis: superbia enim est mater impudicitiæ, sicut humilitas pudicitiæ: tum, quia vagi oculi significant vagos amores & concupiscentias mentis; tum, quia nutus nictusque oculorum nuntii sunt luxuriæ internæ; juxta illud S. August. *Impudicus oculus impudici cordis est nuntius.* Unde Tigurina, *impudicitia mulieris elucet in elatis ipsius oculis, & è palpebris suis* (nutantibus & nictantibus, quibus viris, quos amant, annuunt, & quasi lynces ad se alliciunt) *cognoscitur;* Syrus, *fornicatio mulieris in extollentia oculorum ejus, & ex superciliis suis dignoscitur.* Id est, inquit Palacius, Fornicaria mulier indicatur per oculos impudicè elatos, & palpebras sublatas. Nam honesta mulier oculos gerit demissos & verecundos, qui non facilè vagantur. Nam quæ fixit suum amorem in viro suo, fixit etiam oculos, ne videat alienos: quæ verò à viro submovit amorem, per oculos alienum quærit. Siracidem secutus R. Akiba in *Pirke avoth*, id est in Sententiis patrum: *Risus*, inquit, *& jactatio capitis, hominem assuefaciunt adulterio.* VERS. 12

Oculi quales, qualia significent vitia. Porrò, quomodo ex physiognomia oculorum cognosci possint affectus animæ, quæve in oculis sint signa physiognomica superbiæ, iræ, inverecundiæ, luxuriæ, &c. docet Aristot. in Physiognom. c. 10. *Iracundi*, inquit, *rubescunt oculis: quibus autem oculi valdè nigri, timidi: niger enim color valdè videtur timiditatem significare: quibus autem vino colore sunt similes, stolidi sunt: referuntur ad capras, quibus ignei sunt: inverecundi, referuntur ad canes: qui autem oculos habent discoloratos & turbatos, timidi: quicumque oculos lucentes habent, luxuriosi; referuntur ad gallos & corvos.* Et c. 5. *Inverecundi*, ait, *signa sunt, oculus apertus & splendidus, palpebræ sanguineæ & crassæ: humeri sursum elevati: figura non rectus, sed parùm pronus: in motibus præceps, ruber corpore: color sanguineus, facies rotunda, pectus sursum contractum.* Et c. 6. *Luxuriosus est, qui est albi coloris & hirsutus: rectis capillis & crassis, & nigris: Tempora hirsuta: oculus pinguis & lascivus.*

Pro

Pro *in extollentia oculorum*, græcè est ἐν μετεωρισμοῖς, id est, in sublimitatibus, summitatibus, volatibus, factibus oculorum; μετέωρος enim est sublimis, elatus, tumidus, suspensus, erectus animo, id est, nondum fixo; sed ex eventu consulturus, pensilis: μετεωρίζομαι est volito, sublimis efferor, me effero, jacto, sum suspensus.

Audi S. Basilium in illud Isaiæ cap. 3. 16. *Elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant. Quæ in animo constituit captare mulos, ac venari laqueo suæ elegantis formæ, collo incedit in sublime porrecto: & in nutibus item oculorum probatio redditur mulieris fornicariæ & procacis, ad opera ipsa anhelantis fascino ac noxio aspectu. Ipso enim intuitu, obscœnam demonstrat animæ impuritatem. Dum enim suaviter & blandis arridet ocellis, prolicit ad explendam libidinem: jactu enim oculorum sagittam planè exitialem emittit, cujusmodi tandem obtinet rumor de basilisci natura, quem dicunt solo aspectu corrumpere suos spectatores.*

VERS. 13 IN FILIA NON AVERTENTE SE, FIRMA CUSTODIAM: NE INVENTA OCCASIONE UTATUR SE] Id est, ut Compl. *abutatur se*: sic enim subinde *uti* sumitur pro abuti, & *usus* pro abusu, quasi simplex pro composito per catachresin. Sensus est, q. d. Si habes filiam non se avertentem ab intuitu & conservatione juvenum, sed omnes liberè intuentem, omnia petulanter circum spectantem, omnia inverecundè lustrantem; observa & custodi eam, ne data occasione utatur se, id est, abutatur sua libertate, lascivia, incontinentia, seque permittat dedatque suæ libidini. Perperam, pro *non avertente*, id est, non verecunda (sic enim sæpè accipitur ἐντρέπομαι) Complut. legunt, *avertente*: Græca Complut. legunt, ἀδιατρέπτῳ, id est *invertibili*, quæ à sua curiositate, libertate, lascivia compesci & averti nequit. In aliquot libris est ἀδιατρέπτως, ut conjungatur cum στήριγμα. q. d. Sine intermissione, numquam avertens oculos, firma custodiam super filiam. Tigurina, *filiæ inverecundæ custodiam adhibe, ne nacta licentiam, se permittat suæ libidinis*; Syrus, *super inverecunda multiplica custodes, quia non est illi quies nisi furtivè egerit*. *Non avertente* ergo, id est inverecunda. S. August. in Speculo legit, *non advertente*, id est, quæ sibi non attendit, quæ non advertit suæ pudicitiæ pericula, quæ incustodita est oculis, lingua, auribus; quales sunt inverecundæ. Nam solet femina, viro conspecto, se à fenestra vel janua subtrahere; si non subtrahit nec avertit, impudens est: ac ideò custodienda diligentiùs est, ne fornicandi occasionem inveniat. Ut enim natura leporibus & cervis timorem dedit, quò suæ vitæ per fugam prospiciant; ita dedit feminis fugam & pudorem, quò suæ consulant integritati, quæ manifesto periculo objecta est, si pudoris custodia destituatur. ita Palacius.

VERS. 14 AB OMNI IRREVERENTIA OCULORUM EIUS CAVE, ET NE MIRERIS SI TE NEGLEXERIT] q. d. Cohibe & refræna inverecundos filiæ tuæ aspectus, &, si in iis inverecunda sit, non mireris, si tua monita, correptionem & disciplinam contemnat. Aut, ut Palacius, q. d. Quamcumque impudentiam in filia tua repereris, adhibe illi custodiam; nec mireris, si correctiones tuas neglexerit; id tua in eam indulgentiore educatione promerente, & ejus exæstuante libidine ad id impellente. Ut enim sitiens, etiam turbidam, bibit aquam; ita illa quemlibet amabit, etiam vilem. Unde Tigurina vertit *oculum impudentem asserva, aut, ne mireris, si in te deliquerit*; Syrus, *inverecundam oculis sectare, & ne cuncteris, ne fortè mentiatur tibi*. Levitas enim & fragilitas feminæ est tanta, ut in

Mulier quasi mollier. scelus facilè ruat. Unde mulier Latinis à mollitie dicitur, quasi mollier, ait Varro, & ex eo Lactant. & S. Augustinus serm. 243. de Temp. cùm vir à vi & virtute dicatur. Hebraicè verò feminæ vocantur נשים *nascim*, quòd fragiles sint & ad omnia vitia proclives, ait R. David in rad. אנש *anasch*, id est, debilis fuit, infirmatus est: inde enim homo vocatur אנוש *enosch*, id est infirmus, caducus & morti destinatus. Unde ænigma Hebraicum: *Vidi quinque viros equitantes, cecidit unus, & cæteri omnes facti sunt feminæ*: אנשים *anasim* enim quinque literarum significat viros, tolle primam *aleph*, remanebit נשים *nasim*, id est feminæ. Quocirca Plato, qui Græcis est Moses Atticus, dubitare videtur, an mulieres in genere rationalium, an irrationalium & brutorum sint reponendæ, ait Tiraquel. l. 1. connub. num 69. Unde & Poeta,

Ut corpus, teneris sic mens infirma puellis.

Ratio hujus moniti est, quia mulieres, præsertim filiæ inverecundæ & procaces, sunt salaces, & in venerem proclives, uti subdit Siracides. Unde Propertius lib. 3. *Mulier salax.*

Hic genus infidum nuptarum, hic nulla puella est,
Nec fida Evadne, nec pia Penelope.

Et Ovidius lib. 1. eleg.

Casta est, quam nemo rogavit.

Et Martialis lib. 4 ad Sophronium:

Casta igitur nulla est? castæ sunt mille: quid ergo
Casta facit? non dat, non tamen illa negat.

Æschines omnes feminas Jonicas ausus est appellare adulteras. In quam sententiam refert Diodorus lib. 2. & ante illum Herodotus lib. 2. quod, cùm Pheron Sesostris filius, rex Ægyptiorum, oculis captus fuisset, ideoque ad deorum auxilium confugiens, peractis multis variisque sacris, ei responsum fuisset, ut placato deo qui in Heliopoli coleretur, faciem mulieris inspiceret, quæ nullum nisi proprium virum novisset; ab uxore propria incipiens, multas expertus est, nullam tamen reperit incorruptam, præter hortulani cujusdam, quam restituto visu uxorem cepit, reliquas omnes vivas combussit. Josephus lib. Belli Judaici l. 2. c. 7. scribit Esseos, (alii vocant Essenos,) Judeorum philosophos, uxores non ducere: non quia matrimonia contemnunt, sed quoniam cavendam esse putant feminarum intemperantiam; nullam earum uni viro fidem servare credentes. Quamquam & ipse aliam ejus rei rationem reddit lib. Antiq. Judaicarum 18. cap. 2. Hippocr. in quadam ad Dionysium epistola scribit, feminam semper egere oculo alterius, sese in continentia & pudicitia continentis. Suapte namque natura libidines venereas insitas habere, quas nisi quis in dies comprimat, tamquam arbores in materiæ multæ effusionem exuberant.

Quocirca Plutarch. in Præceptis connubial. *Lucerna*, ait, *sublata omnis mulier eadem est*. q. d. Omnis est impudica, modò detur facultas peccandi absque arbitris. Hinc & inter omnia animantia, sola mulier & equa post conceptum venerem appetunt & patiuntur, ut scribit Aristot. libr. 7. Histor. Animal. cap. 4. & Lactantius libr. de Vero cultu c. 23. ubi & duas hujus rei rationes morales affert. Clarè S. Chrysost. *Propria*, inquit, *mulieris passio est luxuria*. Vide eumdem homil. 40. in Matth. ubi explicans illud: *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei: Ex persona*, inquit, *omnium mulierum peccantium meretrices ponuntur: quoniam, quamvis sint multa peccata in mulieribus, tamen in illis præcipuè fornicatio abundat.* Cujus rei rationem tradit, quia videlicet hoc vitium facilè ex otio nascitur. *ob otium:* Nam qui sollicitudinibus habet animum occupatum, non facilè fornicationi operam dat: quia definitio amoris hæc est, *Animi cura vacantis passio*. Unde Diogenes Sinopeus apud Laertium ait amorem vacantium, id est otiosorum, esse occupationem. Et Poeta:

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.
Quæritur Ægisthus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

Alias rationes dant Hippocrates, Galenus & medici, scilicet, quod feminæ abundent humore, quòd debili sint *& levitatem.* ratione, quòd vagæ sint, leves, voluptatum avidæ, quòd affectibus agantur, quòd sexu sint imperfectæ, ideoque virum appetant, sicut materia appetit formam, ut perficiatur, &c. Unde Eleazarus apud Aristæam lib. de LXXII. Interpret. *Est*, inquit *mulierum genus suorum affectuum sequax, atque in lapsum proclive, propter impudentiam & ejus naturam imbecillem.* Denique Salomon Proverb. 30 inter quatuor insaturabilia, os vulvæ annumerat, & Siracides cap. 38. *Omnem* inquit, *masculum excipiet mulier*. Plura vide apud Tiraquel. lib. 9. connub nu. 79. & sequ.

Amor facit impudētes. Apologus. Hinc disce amantes & amasias, esse impudentes: amor enim pellit pudorem. Extat de hac re insignis apologus Æsopi: *Jupiter*, inquit, *formatis hominibus, omnes illis affectus indidit, solum indere pudorem oblitus est. Quapropter non habens undenam ipsum introduceret, per turbam ingredi eum jussit. Hic verò primùm contradicebat, quòd indignè ferret. Vehementius verò eo instante, ait: Sed ego sanè hic*

ingredior pactis; si amor non ingrediatur. Si ingrediatur, ipse exibo quamprimùm. Ex hoc sanè evenit, omnia scorta inverecunda esse. Affabulatio. Fabula significat, captos amore inverecundos esse.

SICUT VIATOR SITIENS AD FONTEM OS APERIET, ET AB OMNI AQUA PROXIMA BIBET, ET CONTRA OMNEM PALUM SEDEBIT, ET CONTRA OMNEM SAGITTAM APERIET PHARETRAM DONEC DEFICIAT] Tribus similitudinibus honestè & verecundè repræsentat salaciam filiæ inverecundæ & impudicæ, eamque per tres quasi periphrases obscurè circumscribit. q.d. Sicut viator sitiens anhelat ad fontem, & ex prima aqua, quam invenit, esto turbida & cœnosa, sitim restinguit: sic & filia inverecunda sitim libidinis ex obvio quoque, licet vili & fœdo, restinguet. Eadem prostituet se ad omnem palum & angulum, ut amasios alliciat, eosque avidè excipiet, sicut pharetra excipit sagittas; donec deficiat & omnino delassetur, juxta illud Ezec. 16. *Divisisti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti omnes fornicationes tuas.* Unde Tigurina vertit, *tamquam viator sitiens reperto fonte os aperiet, & bibet de proxima quavis aqua: ad omnem palum desidebit, & obviam cuivis telo pharetram (donec deficiat) aperiet;* Syrus, *sicut sitiens qui ingreditur ex via, & os ejus apertum est ad aquas frigidas, & ex omni aqua bibit, & super quocumque ligno discubit, & coram omni sagitta aperta est pharetra ejus: ita & mulier adultera, cujus vulva unicuique aperta est;* Arabicus, *veluti qui siti ardet de via adveniens, & exoptat potum frigidum: bibet namque de omni, & cum gustu, & labia illius adaperta sunt ad receptionem omnis damni: sic mulier meretrix commutat gremium suum omni à se exigenti.* Sic & Lyran. Palacius, Jansenius, & alii. Paulò antè de hac re plura dixi: plura non addam in materia adeò spurca, ne castas aures offendam.

Hinc concors est philosophorum & medicorum sententia, feminas viris esse petulantiores & salaciores, idque tum propter levitatem naturæ, tum propter copiam humoris, tum propter carnium mollitiem, tum propter curiositatem qua se poliunt & ornant, ut videantur & videant; tum propter gulositatem, otium & inertiam, quæ luxuriæ fomenta sunt. Ita docet Aristot. lib. 2. de Part. Animal. c. 2. Galen. lib. 11. de Utilit. part. Albertus Magnus lib. 8. de Animal. c. 1. Hinc Salomon Proverb. c. 30. 16. ait insatiabile esse os vulvæ.

VERS. 16 *Gratia mulieris sedula virũ impinguat.*

GRATIA MULIERIS SEDULAE DELECTABIT VIRUM SUUM, ET OSSA ILLIUS IMPINGUABIT] Ita Romana & Complut. Verùm Jansenius & alii quædam addunt, sicque legunt: *& ossa illius impinguabit disciplina illius.* Sic & dispungunt Græca Romæ correcta, & Tigurina, dum vertit, *comitas uxoris delectat virum suum, & ossa ipsius pinguefacit ejusdem peritia*, vel scientia, vel disciplina: hæc enim omnia significat Græcum παιδεία. Græca enim non habent τὸ *sedulæ*. Unde χάρις, id est *gratia*, significat gratam ejus comitatem, morumque suavitatem. Verùm quia Noster legit, τὸ *sedulæ*, hinc *gratia* non solùm comitatem, sed & sedulitatem diligentiamque significat: gratia enim mulieris sedulæ, est grata ejus sedulitas & strenuitas in laborando & gubernando familiam, ut marito, filiis, ancillis, famulis de rebus omnibus ad victum & vestitum necessariis provideat. Hæc enim delectat virum, ideoque ossa illius impinguat, id est, medullis irrigat, eumque fortem, alacrem validumque efficit: lætitia enim mentis redundat in corpus, illudque vegetum, vividum validumque efficit. Nam ossa sunt quasi fulcra, & columnæ nostri corporis & microcosmi. Ossium autem sanitas medullæ pinguedine irrigatur, fovetur & impinguatur, eaque deficiente arescunt; unde sequitur tabes & corruptio hominis. Sic Proverb. 3. 8. dicitur *Time Deum & recede à malo: sanitas quippe erit umbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum.* q. d. Totum corpus tuum, cujus partes præcipuæ sunt umbilicus & ossa, sanum erit & vegetum: sana enim mens sanum efficit corpus.

Ratio à priori est vis gratiæ.

Vis rationem à priori? accipe. Gratiæ sunt deliciæ, laquei, sagittæ & faces, quibus intimæ deliciantur, feriuntur, pascuntur, vulnerantur & incenduntur corda animi. Unde Homerus illas inter vincula numeravit, quibus pulchritudo animas illigat. Illæ enim sunt dulcissimi escarum laquei, qui tam suaviter devinciunt, ut etiam à vinctis diligantur & expetantur, ut summè cupiant iis arctiùs ligari. Hinc gratiæ dicuntur ridere hilares, omniaque exhilarare. Porrò, gratia maximè se exserit in oculis & ore, sive sermone & cantu, qui mirè audientes devincit, passionesque animi ciet & componit. Hinc veteres Mercurium eloquentiæ Deum gratiarum ducem asseverunt. Gratia ex ore prodiens est potentior, virilior & divinior: prodiens verò ex oculis, lascivior & effeminatior. Prodiens ex ore, est spiritalior: ex oculis, materiata magis. Percipitur gratia visu & auditu, qui sunt principes ministri rationis; per alios sensus solùm adumbratè, & ex eventu; intrinsecus autem per rationem exactissimè dignoscitur. In femina refulget magis gratia materiata, corporea, & externa: in viro virilis, spiritalior & interna. Præstantissima est gratia animæ, quæ oculos Dei & angelorum pascit & oblectat, æquè ac hominum, dum per gratiosos actus externos loquendi, agendi, incedendi, &c. emicat & effulgurat. Quare dum mulier gratiosa eos ostentat, Dei & hominum gratiam sibi conciliat, ac præsertim maritum exhilarat, pascit, impinguat, vivificat. Gratia enim est benevolentiæ illex, amoris jynx, voluntatum arbitra, animorum imperatrix, cordium dulcis fur, nexilis aureaque mentium catena, dissidentium magnes, consentientium adamas: denique vera sanctaque cœli venus, omnigenæ venustatis parens, est Dei gratia, virtus & sanctitas. Transit Siracides à muliere nequam ad probam & sanctam, ut per antithesin illius nequitiam, hujus bonitatem demonstret. Contraria enim juxta se posita, magis elucescunt.

Tropol. Rabanus: *Gratia*, inquit, *bonæ devotionis & obedientiæ, quam habet quælibet sancta anima, vel generaliter tota electorum Ecclesia, jucundat boni doctoris animum, vel potiùs Christi Domini nostri, qui verus sponsus est Ecclesiæ; cui qui devota humilitate obedit, præcepta ipsius custodiendo, pinguedinem charitatis ejus in medulla cordis se habere ostendit. Unde etiam amorem ejus ipse impetrabit, sicut ipsa Veritas in Evangelio ait: Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifesto ei meipsum.* Deinde subdit: *Sed quia nemo priùs eum diligit, quàm ejus gratia ad sui amorem illum provocaverit, sequens sententia declarat: Disciplina illius datum Dei est. Omne quippe bonum Ecclesiæ, donum est Dei: quia omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum: apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* Jacob. 1.

DISCIPLINA ILLIUS DATUM DEI EST] Ita dispungunt & combinant Biblia Romana & Complut. q. d. Uxor disciplinata & sapiens, ideoque sedula, ingens est donum Dei. Etiam *mala est donum Dei*, ait Menander, *sed irati*. Sensus est, q. d. Maritus non suæ industriæ, nec suis meritis, sed Dei gratiæ & dono adscribat, si ei obtigerit uxor prudens & sedula. VERS. 17

MULIER SENSATA ET TACITA, NON EST IMMUTATIO ERUDITAE ANIMAE] q. d. Mulier mente sensata & prudens, indeq; ore taciturna & pauciloqua, tanti est pretii, ut non sit *immutatio*, id est, commutatio vel permutatio; græcè, ἀντάλλαγμα, hoc est, pretium, quo appendas eruditam; græcè, πεπαιδευμένην id est, disciplinatam, compositam & sapientem ejus animam. q. d. Nullo pretio permutari, nulla re æstimari potest; quia omne pretium, omnem æstimationem superat. Ita Tigurina, *uxor*, inquit, *taciturna & cordata donum Dei est, nec est quo pretio permutes eruditam animam*: hæc enim docet mentem sapere, linguam tacere; sicut ex adverso inerudita, id est, imprudens, anima facit mentem desipere, indeque linguam garrire & ineptire. Syrus. *donum Dei mulier bona & non est pretium sobrietati.* Pro *sensata* græcè est εὔνους, id est, bonæ mentis hoc est, prudens; item benevola, studiosa, bene cupiens, bene consulens: εὔνοια enim est benevolentia, favor, amicitia. Multa in laudem cordatarum mulierum congessit S. Chrisost. hom. de Decollat. S Joannis, & S. Hieron. psalm. 44. ad Principiam, & proœmio in Sophoniam, & lib. 1. contra Jovin. Scripsit & Plutarch. librum, cui titulus, *Mulierum virtutes*; ac antiquior Hesiodus lib. eodem argumento, in quo mulieres Heroides celebrat. Scripsit & Hispanus quidam insigne opus hoc titulo, *Honor Dominarum*: ac Christiana Pisana, mulier egregiè docta, elegantem feminarum Apologiam VERS. 18

logiam dicam, an encomium? contexuit. Galfridus Chancerus Anglus duos scripsit libros; priorem indigitat *Laudes bonarum mulierum*; posteriorem, *Feminarum encomium*. Novissimè Joannes Textor tractatum edidit de Claris mulieribus. Vide & Cælium Rhodiginum lib. 13. c. 33. & l. 14. cap 1. ac Tiraquellum l. 11. connub. n. 30. ubi feminarum sapientum, quæ viros doctrina æquarunt, vel superarunt, ingentem catalogum ordine alphabetico pertexit:

VERS. 19 GRATIA SUPER GRATIAM, MULIER SANCTA ET PUDORATA] Pro *sancta* græcè est [illegible] id est, fidelis, quæ scilicet fidem Deo æquè ac marito servat, id est, casta & proba. Sic Apostolus fideles vocat *sanctos*; quia fides charitate formata, qualis erat primorum fidelium, efficit sanctos, uti dixi initio epist. 1. ad Corinth. Tigurina, *gratia alia super aliam est uxor pudens*, (alii, *pudica*: pudor enim est comes & velum pudicitiæ) & *fidelis*.

Gratia quadruplex. *Gratia*, id est res gratissima & acceptissima, summum donum & beneficium. Hinc Secundò, *gratia*, id est, B felicitas, q. d. Ille felix & beatus est in hac vita, cui obtigit mulier sancta. Tertiò, *gratia*, id est, pulchritudo, decor, ornamentum, & quasi monile aureum gemmeumque viro, est mulier pudorata. Quartò, *gratia*, quia omni Dei gratia, virtute & sanctitate cumulatur vir per uxorem sanctam. Ratio à priori est hæc. Gratia est decor, venustas & lepor, ac quasi spiritus & vita pulchritudinis. Gratia ergo perinde ut pulchritudo competit

Gratia est vita pulchritudinis. Deo per originem & causam, menti per formam, animæ per rationem, naturæ per semina, materiei per umbras & participationem; adeò ut gratia & pulchritudo sint tamquam radii & splendores divini Solis, in rebus variis vario modo effulgentes. Unde dictitabat Plato: *Quicumque gratiosum & pulchrum aliquid admiratur & diligit, non id, sed, Deum in eo fulgentem colit*; uti S. Antonius, S. August. & similes in pulchritudine creaturarum & mundi, intuiti & admirati sunt pulchritudinem Dei creato-

Gratia quid? ris. Poetæ & Philosophi dixerunt Gratias esse ancillas & pedissequas Veneris. Alii censuerunt gratiam esse quid divini, quod occulta cœli virtute in uno magis fulget quam C in alio: gratia enim solis viventibus, imò soli homini competit. Veriùs alii gratiam sic definiunt: *Gratia est externus quidam rationis fulgor, congruensque dexteritas in obeundis munerum functionibus ex recta animi & corporis constitutione consurgens perfectamque pulchritudinem insequens* gratia enim in gentibus, motibus, incessu, actionibus, sermonibus refulget.

Porrò, τὸ *gratia super gratiam*, Primò idem est ac si dicat, Duplex, imò multiplex est gratia. q. d. Simplex gratia, species & decor, est mulier pulchra & modesta: at duplex, imò multiplex, est gratia & decor, mulier quæ pudicitiæ sanctitatem sanctosque mores adjungit. Alludit ad Proverb. 18. 22. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum*; Septuag. *invenit* [illegible] id est *gratias & Charites*. Quam vocem illustrans noster Salazar: Plutarchus, inquit, docet illas felices esse feminarum nuptias, à quibus Charites non exulant: sanè illius mens hæc est, totam nuptiarum felicitatem in conjugum mutua gratia & amore sitam esse qui per Charites adumbratur.

D Quapropter, si tres Charites triplicis temporis gratiam significare dixeris, præteriti, præsentis & futuri, ut multi tradunt, qui propterea eas horarum sorores fingi dicunt; utique constantem quamdam gratiam & amorem notabunt, qui nullo tempore dissolvatur. Ergo cùm Salomon ait: *Qui invenit mulierem bonam, invenit Charites*; sensus erit, Tres gratias in conjugium suum adducit, hoc est amorem quemdam omnis temporis differentias amplectentem. Multi enim amorem præmittunt conjugiis, quia nubunt, ut ajunt, per amores; sed vixdum nuptiis copulatæ sunt, cum amor intepescit: his una tantummodò ex Charitibus præfuit. Alii rursus non solùm nuptias ex amore susceperunt, sed etiam aliquamdiu post nuptias in eisdem amor viguit; postea tamen decursu temporis deferbuit: his duæ Charites interfuerunt. Illis ergo trium Charitum in unum conspirantium favor adfuit, quorum amor & conjugalis gratia ante nuptias, in nuptiis, ac deinceps toto vitæ tempore, constans fuit. Hæc autem felicitas ejus est tantùm, qui bonam planè atque adeò amabilem uxorem nactus est.

A Jam si omnes viri felices sunt, quibus obtigit mulier sancta & pudorata, quasi gratia super gratiam, quàm felix fuit S. Joseph, cui à Deo obtigit sponsa sanctissima, imò virginum & Sanctorum omnium Regina, B. Virgo Maria, quæ *gratia plena* salutata est ab angelo, & gratiam hanc suam Josepho vultu, voce, vita & continua conversatione per tot annos afflavit? Unde Hugo, B. Virgo, inquit, comparatur hisce quatuor, scilicet soli, lucernæ, columnæ, fundamento: soli comparatur; quia sicut sol toti mundo lumen præstat, ita B. Virgo toti Ecclesiæ gratiam præstat & imperat. Tollatur sol, est miserabilis mundus; tollatur B. Virgo, est miserabilis Ecclesia. Cant 6. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* Quasi aurora fuit in nativitate sua, ut luna in conceptione Domini, ut sol in nativitate Domini; *terribilis ut castrorum acies ordinata* in purificatione. Comparatur lucernæ: quia sicut lucerna lucem habet in testa: ita B. Virgo lucem veram habet intra sua viscera; at non abscondit eam, sed in aperto posuit, ut ab omnibus videretur. Luc. 11. *Nemo accendit lucernam & in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant*. Columnæ aureæ comparatur propter rectitudinem, propter stabilitatem, propter fundamentum Ecclesiæ. Fundamento comparatur propter humilitatem, propter compassionem, propter secreti sive solitudinis amorem.

Mira B. Virginis gratia.

Nota. Mulier *sancta* generaliter, id est, pia, religiosa, quæ Deum sanctè colit & reveretur, quomodo vulgò vocamus hominem sanctum: propriè tamen *sancta*, id est, pura, casta; sequitur enim & *pudorata*, id est verecunda, quæ scilicet pudorem & verecundiam, quæ comes & index est castitatis, vultu, oculis, silentio, modestia, totoque habitu præferat: sicut ex adverso mulier incesta & adultera, est impudens & inverecunda. Unde & subdit: *Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ*. Sanctitas enim conjugii & uxoris, qua uxor est, consistit in castitate, qua fidem Deo, Ecclesiæ & marito datam, sanctè servat. Sic Apostolus de virgine ait: *Ut sit sancta corpore & spiritu*, 1. Corinth. 7. 34. *Sancta*, id est pura, casta, intemerata. *Sanctitas* enim, ut ait S Dionys. de Divin. nomin. *est ab omni inquinamento libera, incontaminatissima & perfectissima puritas.* Et 1. Tessal. 4. 4. *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra: ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas* (id est uxorem) *suum possidere in sanctificatione & honore, non in possessione desiderii*. Vide ibi dicta. Ac Poeta: *Et tu sanctissima conjunx: sanctissima*, id est castissima.

Sancta, id est, casta.

Moral. hic disce proprium mulierum & virginum monile esse, pudorem & verecundiam: hic enim index est custosque pudicitiæ. Nam ut ait Poeta: *Non veniunt in idem pudor atque amor*. Unde vocatur pudor virgineus, juxta illud:

Verecundiæ feminarum elogia.

Virgineus teneras stat pudor ante genas. Et:
Olim hic virginei custos monitorque pudoris.

Quocirca S. Gorgoniam sororem suam ab hoc pudore laudat Nazianz. orat. de laudib. Gorgon. *Cùm multos*, inquit, *& varios mulierum externos nosset ornatus, nullum tamen moribus suis, splendoreque intus recondito præstantiorem cognoscebat. Unus illi rubor placebat, quem gignit pudor: unus candor, quem parit abstinentia*. Unde & Tertull. lib. de Veland. virgin. c. 2. *Virginibus*, inquit, *præter quod à Deo, non ab hominibus, captanda gloria est, etiam ipsum bonum suum erubescendum est*. Et inferiùs: *Ejusdem libidinis est videri, & videre. Tam sancti viri est subfundi si virginem viderit; quàm sanctæ virginis, si à viro visa sit*. Et S. Bernard. sermon. 4. in Cant. *Verecundiam intellige*, inquit, *tamquam colorem in facie: quod hæc potissimùm virtus & venustatem ingerat & augeat gratiam*. Et serm. 86. *Rubor ille genarum, quem forte invexerit pudor, quantum gratiæ & decoris suffuso afferre vultui solet?* Denique S. Ambros. 1. Offic. c. 18. *Verecundia*, ait, *pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior est: bonus enim regendæ castitatis pudor est comes*. Et c. 43. *Verecundia ab omni aliena luxu, sobrietatem diligit, honestatem fovet*. Et S. Chrysost. hom. 26. in Matth. *Pudor, ait, frequenter est frænum vitiorum*. Hinc Cantic. 4. 3. dicitur: *Sicut fragmen mali punici, ita & genæ tuæ*. Nam, ut ait S. Bernard. serm. 40. in Cant. *pudoris sedes in genis est*.

Ex adverso mulierum infamia est impudentia; hæc enim

enim mater est impudicitiæ: impudentes enim sunt similes canibus impudentibus & impudicis. Unde S. Hieron. in c. 66. Isaiæ *Pulchrè*, ait, *canis & meretrix copulantur, quia utrumque animal pronum est ad libidinem*.

VERS.20 OMNIS AUTEM PONDERATIO NON EST DIGNA CONTINENTIS ANIMAE] Pro *ponderatio*, Græcè est σταθμὸς id est pondus, q.d. Nullum est auri, argenti, vel rei alterius pondus, quamtumvis ingens, quod æquivaleat continenti, id est, castæ, modestæ & sanctæ uxori. Syrus, *gratia super gratiam mulier pudorata; & non est pondus* (id est, pretium condignum) *taciturnitati*. Pudoris enim comes est taciturnitas, & pudentes sunt taciturnæ, sicut impudentes sunt loquaces & garrulæ. Tigurina, *nec tanti pondus est ullum, ut eo rependas animi ipsius modestiam*, q.d. Maritus pluris æstimare debet uxoris modestiam & continentiam, quàm multa auri talenta; quia nihil est in opibus & thesauris hujus mundi, quod cum anima casta & pura valeat comparari: nam non tam abundantes thesauri domos divitum replent, quàm merita castitatis, corpora & animas continentium totasque domos exornant: ut meritò dicant illud, *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, Sap. 7. 11. quoniam castitas ipsis castis & puritatem mentis, & munditiam corporis affert; & sensibus ordinem, & motibus modum secundùm modestiam confert: ipsis verò maritis, totique familiæ mirum decorem, puritatem, sanctitatem, pacem & exultationem afflat & aspirat. Rectè Plutarch. in Moral. uxorem comparat speculo: speculum autem bonum censemus, non quod auro & gemmis vestitum, sed quod purum, tersum, pellucidum, nihil habens depressi vel prominentis: sic pariter uxor non auro dives sed continens, casta, modesta, obsequens, censenda est optima.

Uxor similis speculo.

Ex hac sententia, *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*, colligit Albertus Magnus Pontificem non posse dispensare in voto solemni castitatis, ut scilicet Religiosa castitatem professa societur conjugio. Sed hæc gnome id non evincit: tum, quia τὸ *continentis* significat non tantùm cælibem, qualis est Religiosa, sed & uxorem castam: agitur enim hic de uxore proba: tum, quia τὸ *ponderatio* significat pretium auri & argenti, non autem bonum publicum, v.g. ut totum regnum convertatur, vel conservetur in vera fide, pietate, justitia. Hoc enim bonum majus est quàm castitas Religiosa unius personæ: unde propter hoc potest Pontifex cum illa dispensare ut conjugio copuletur, uti cum pluribus dispensavit. Denique hæc gnome tam intelligitur de castitate privata & simplici, quàm publica & solemni: & tamen omnes fatentur in simplici posse Pontificem dispensare. Vide Bellarm. Sanchez, Lessium, & alios in tract. de Voto.

VERS.21 SICUT SOL ORIENS MUNDO IN ALTISSIMIS DEI, SIC MULIERIS BONAE SPECIES IN ORNAMENTUM DOMUS EIUS] *Species*, id est, pulchritudo tum corporis, tum potiùs animæ, quæ est pulchritudo virtutis, putà castitatis, modestiæ, &c. utrumque enim comparat Soli, q. d. Sicut sol, cùm post noctis tenebras manè oritur in altissimis, scilicet cælis & habitaculis Domini Dei, tam cælos quàm elementa, totumque orbem nova, gratia, roseaque luce illuminat, exhilarat, condecorat, vegetat, vivificat; sic & uxoris bonæ pulchritudo corporis, & magis animi, suæ virtutis fulgore pellit omnes mariti domusque molestias & mœrores, totamque domum irradiat, lætificat, exornat, vivificat, ac ad Dei cognitionem, amorem & cultum accendit. Unde Tigurina, *quod est in supremis Domini sol oriens, hoc ornatu domus suæ pulchritudo bonæ mulieris*. q. d. Sol & uxor proba paria sunt: sicut enim sol cælum, ita uxor domum illustrat. Syrus, *sicut sol qui oritur in firmamento cæli, ita pulchritudo mulieris bonæ in habitatione domus ejus*. Sic S. Pulcheria in aula Theodosii patris, & Marciani mariti Impp. quasi sol effulsit: & S. Cunegundis in aula Henrici Imper. S Elisabeth in aula Lantgravii. Simili modo Debora & Barach in epinicio, benedicentes Deum diligentibus, orant, ut rutilent *sicut sol in ortu suo splendet*. Et de sponsa dicitur Cant. 6. 9. *Electa ut sol*. Item de Onia inferiùs ca. 50. 7. *Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in domo Dei*. Denique Christus vocatur *Sol justitiæ*, Malach. 4. 2. atque ex eo *fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum*, Matth. 13. 43. Vide nostrum Delrio adagio 155.

Tres reginarum soles.

Tales reginarum soles tres; sive parelii, extitere sub A annum Domini 600. quo tempore Ecclesiæ præerat S. Gregorius. Prima fuit Ingundis, quæ S. Hermenigildum maritum ab arrianismo ad fidem orthodoxam, & consequenter totam Hispaniam convertit. Secunda fuit Clothildis, quæ Clodovæum, & per eum Franciam, ad Christum traduxit. Tertia fuit Theodolinda decus Bavariæ, quæ Agilulphum regem maritum, ceterosque Longobardos ad fidem Catholicam pellexit, teste Paulo Diacono lib. 4. c. 2 qui & cap. 15. & 22. multis ejus pietatem celebrat. Similes Gentilium reginarum soles fuere: Prima, Semiramis, qua inconsulta nihil faciebat Menon maritus, teste Diodoro lib. 3. c. 2. & sequ. Secunda, Aspasia, quæ Cyro fuit instar domestici oraculi, de qua Ælian. lib. 12. Variæ historiæ. Tertia, fuit Livia rectrix Augusti Cæsaris. Quarta, Pompeja Plotina, cujus consilia sequebatur Trajanus Imp. maritus, de qua Aurelius Victor in Juliana. Hæ ergo reginæ, sua sapientia & virtute quasi soles præfulserunt regibus & regnis. Igitur sicut sol totum orbem non solùm clarificat, sed & fœcun- B dat, bonisque omnibus ditat; sic & uxor præstans fulgore suæ sapientiæ & virtutis non solùm illustrat, sed & fœcundat tum multa probaque prole, tum rerum copia, tum virtutum exercitatione totam domum, imò subinde totam urbem, provinciam & regnum. Vide Solis dotes quas recensui Isaiæ 45. 1. easque applica uxori & reginæ.

VERS.22 LUCERNA SPLENDENS SUPER CANDELABRUM SANCTUM, ET (id est *sic*; est enim & nota similitudinis, quia connectit similia) SPECIES FACIEI SUPER AETATEM STABILEM] Comparavit speciem mulieris Soli illuminanti mundum, nunc per gradationem ulteriùs ascendit, eamque comparat lucernæ & candelabro sancto, quod positum erat in templo, putà in Sancto, ut illud illuminaret, & prælucerent facemque præferret Deo residenti in Sancto sanctorum. q. d. Sicut lucerna imposita candelabro sancto in templo, illud illuminat (uti ostendi Exodi 25 31.) sic & pulchritudo faciei mulieris, faciei, inquam, tam animæ quàm corporis, imposita ætati ejus stabili, Græcè στερεᾷ id est constanti C & validæ, qua possit filios educare, famulos regere, & familiam gubernare; totam domum illustrat, & velut sancta lucerna omnibus præfulget, imò totam familiam sanctam efficit, totamque domum quasi sanctam Ecclesiam templumque Deo consecrat. Ita Tigurina, *lucerna splendens*, ait *in sancto candelabro venusta faciens in ætate constanti est*: Syrus, *sicut lucerna, quæ illuminat super candelabrum sanctum, pulchritudo mulieris in habitatione domus ejus*. Ad hoc significandum, lampades, sive tedæ, quæ *jugales* & *geniales* dicebantur, sponsis in nuptiis præferebantur, ut patet Matth. 25. 1. Vide nostrum Martin. de Roa lib. 2. Singular. c. 21.

Nota *Species*, id est pulchritudo, *faciei*, non tantùm corporalis intelligenda est; (nam de ea, si sola sit, ait Salomon Prov. 11. *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua*:) sed & moralis ac spiritalis, putà pulchritudo animæ per decorem virtutum: hæc enim mulierem pulchram, pulcherrimam efficit, juxta illud:

Gratior est pulchro veniens de corpore virtus.

D Modestia enim, verecundia, gravitas, ceteræque virtutes animum exornantes, relucent in facie, totoque corporis habitu illamque magis quàm stibium colorant, exornant, ac speciosam Deo & hominibus efficiunt. Simili modo *ætas stabilis*, sive constans, tam animæ quàm corporis intelligitur, putà, animi in virtute solidati constantia, gravitas & maturitas: hæc enim ætatem florentem vegetamque uxoris perficit & condecorat. Sicut ergo pulchritudo corporis in ætate florenti & constanti, est quasi lucerna in candelabro sancto: sic multò magis pulchritudo animæ in constanti virtute, est lucerna in candelabro, sua sanctitate illuminans totam familiam, illamq; verbo & exemplo sanctificans, ac sanctum in ea Deo templum constituens. Idem dicas de persona qualibet sancta, quæ totam familiam, collegium, monasterium exemplo sanctitatis illustrat & sanctificat. Sic S. Dominicus fuit facula & lucerna sui Ordinis, totiusque orbis, æquè ac S. Franciscus Xaverius fuit lucerna & sanctitas Societatis Jesu. Et talis deberet esse quisque sacerdos, Religiosus, imò quilibet Christianus, nimirum sanctitas suæ Ecclesiæ, Ordinis vel domus.

Sanctus totam familiam sanctificat.

Porrò, sanctitas hæc multa complectitur, quæ paucis ita

sta perstringit S. Ambrosius lib. 3. epist. 25 ad Eccles. Vercell. *Sit*, inquit, *in vobis vitæ hujus delectatio in bona conscientia, patientia mortis cum spe immortalitatis, confirmatio resurrectionis cum Christi gratia, veritas cum simplicitate, fides cum confidentia, abstinentia cum sanctitate, industria cum sobrietate, conversatio cum modestia, eruditio sine vanitate, sobrietas doctrinæ fidelis sine hæresis temulentia.* Hasce ergo virtutes magis exemplo quàm verbo doceat maritus uxorem, præceptor discipulum, princeps subditos, pastor populum. Scitum est illud Aristot. in Oeconom. *Si mulier cognoverit sibi castum & fidum virum, ipsa etiam fida & casta erit.* Et illud Plutarchi in Lycurgo: *Ut populus dicto sit audiens, hoc discit à principe. Nam qui bonum præbet ducem, is facit ut alii benè sequantur.* Juxta illud vulgatum: *Bonus dux bonum reddit comitem.* In principe ergo situm est, ut sit bene morata civitas, si modò ipse bonus sit imperator. In Episcopo positum, ut piam efficiat plebem, si ipse piam & integram agat vitam. Probus & incorruptus magistratus probos & integros facit cives. Frugi maritus uxorem & familiam in suos mores trahit. Doctus ac diligens magister doctum facit discipulum.

Mysticè, uxor proba est voluntas sancta.

Mystice, sicut hominis uxor improba, est concupiscentia & voluntas propria: sic ejusdem uxor proba, est voluntas sancta, Deo subdita, Dei gratia & charitate imbuta, adeoque est ipsa sapientia, ait Rabanus, gratia & charitas. Hæc enim quasi lucerna & sol illustrat totam animæ domum, eamque sanctum Deo templum efficit, quin & totam familiam, urbem, provinciam, & subinde totum orbem radiis suæ virtutis & sapientiæ collustrat. Vide dicta Exodi 25. 31. Unde hoc solius Dei est opus, & conjugium. Audi S. Ambrosium l. 8. in cap. 16. S. Lucæ: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus qui misit me, attraxerit eum. Ille enim solus potuit has nuptias copulare. Et ideò mysticè Salomon dixit Prov. 19. A Deo præparatur viro uxor. Vir Christus, uxor Ecclesia est. Charitate uxor, integritate virgo. Ergo quem Deus traxit ad Filium, non separet persecutio, non avertat luxuria, non philosophia deprædetur, non Manichæus contaminet, &c. Mens quæ credidisse Deo, esto fortis mulier, qualis illa vel anima, vel Ecclesia, de qua dicit Salomon Proverb. 31. Mulierem fortem quis inveniet? pretiosior autem est lapidibus pretiosis.*

VERS. 23 COLUMNAE AUREAE SUPER BASES ARGENTEAS, ET (id est, *sic*) PEDES FIRMI SUPER PLANTAS STABILES MULIERIS] q. d. Sicut pretiosæ & pulchræ sunt columnæ aureæ innixæ basibus argenteis; sic & pedes stabiles mulieris super plantas stabiles, ut scilicet tam pedum quàm plantarum ejus gravis sit incessus, rarus & necessarius, pretiosi sunt & pulchri. Incessus enim hic gravis index est animi gravis, constantis & maturi: sicut ex adverso incessus vagus, levis, præceps, inconstans, index est animi vagi, levis, præcipitis, inconstantis. Legit Interpres πτέρνας, id est plantas: jam Græca habent στήθους, id est pectus. Rursum, pro *firmi*, legunt ὡραῖοι, id est speciosi, unde sic habent: *Columnæ aureæ in basi argentea, & pedes speciosi* (conjuncti) *cum pectore stabili*; Complut. *& pedes formosi super pavimenta stabilia*; Syrus, *sicut ornamenta aurea super columnas argenteas*, (sic) *congruunt plantæ ejus juxta ambitum domus ejus*; Tigur. *instar collumnarum aurearum super basi argentea, sic crura formosa cum pectore stabili.* Comparat pedes uxoris gravis (quæ per plateas non discurrit, sed domi se continet eam gubernans) columnis aureis, plantas basibus argenteis, quando scilicet (uti Græca exprimunt) nituntur pectore, id est, animo stabili, gravi & maturo: ut scilicet, is sit quasi basis & fundamentum externi incessus & firmitatis, qui proinde illi non tantùm elegantiam, sed & dignitatem conciliat. Significat ergo Siracides (ut rectè advertit Jansen.) quòd, sicut columnæ aureæ super bases argenteas constitutæ, præter firmitatem quam habent, etiam concinnitatem habent & pretium; sic & pedes mulieris firmi super plantas stabiles, præter firmitatem etiam pretium habeant, & concinnitatem, pulchramque congruentiam, dum gressuum actuumque exterior maturitas pulchrè respondet interiori stabilitati mentis & animi, ex qua promanat.

Hoc est quod in sponsa suspiciens sponsus celebrat, Cant. 7. v. 2. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis! Juncturæ femorum tuorum sicut monilia, quæ*

A *fabricata sunt manu artificis.* Unde & v. 1. eam comparat choris castrorum; *Quid videbis*, inquit, *in Sulamite nisi choros?* Huc facit proverbium Hispanorum: *Mulier & gallina fords prodeundo se perdunt*, ait Palacius.

Mysticè Rabanus: *Columnæ aureæ sunt doctores sancti, luce sapientiæ præclari, qui super bases argenteas collocantur, cum eloquiis Scripturarum sacrarum prædicatione sua innituntur. Columnis enim meritò Apostoli & Apostolici viri comparantur, quia terrena vitia in imo deprimunt, & supernas virtutes ad gratiam Regis cælestis extollunt. Horum pedes firmi super plantas mulieris stabiliti sunt: quia incessus prædicationis eorum, quo per totum orbem verbum Dei disseminaverunt (In omnem enim terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum) super Catholicæ fidei stabilitatem firmiter consistit.* Horum ergo pedes sunt *columnæ aureæ super bases argenteas*, qui videlicet ab argento niveum candorem, ab auro virtutum pretium, à basibus & columnis robur & firmitatem, ad sustinendos quoslibet pro Ecclesia labores, mutuantur. *Mysticè.*

B FUNDAMENTA AETERNA SUPER PETRAM SOLIDAM, & (id est, *sic*) MANDATA DEI IN CORDE MULIERIS SANCTAE] supple, æterna & perpetua sunt. Hic versus jam deest in Græco & Syro; sed Tigur. sic eum exprimit: *Ut æternum est super petram firmam fundamentum, ita mandata Dei in animo sanctæ mulieris.* Sensus est, q. d. Sicut fundamenta domorum, columnarum, &c firmissima & quasi æterna (more loquendi hominum, qui longæva vocant *æterna* per hyperbolen) sunt, quæ fundata sunt super solidam petram; quia petra firmiter ea sustinet, tuetur & conservat, ut nulla ventorum vel procellarum vi concuti vel convelli valeant: sic pariter mandata Dei, in corde mulieris sanctæ, firmissima & æterna sunt; quia ab illo firmiter continentur & conservantur, ut ab eis nulla tentationum, persecutionum vel adversitatum vi se avelli sinat, quamdiu, scilicet, sancta persistit. Si enim sanctitatem abiiciat, omne robur, omne fulcrum, omnem constantiam suam abiicit. Significat ergo, cor sanctum & in sanctitate stabilitum, esse immobile instar VERS. 24
C petræ & rupis, ut dicat cum Paulo: *Quis nos separabit à charitate Christi: Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas*, &c. *Certus sum quia neque mors, neque vita*, &c. Huc alludit Christus Matth. 7 dicens: *Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam; & non cecidit: fundata enim erat supra petram.* Præclarè Nazianz. in distichis: *Ut incus maxima*, inquit, *ictus non pertimescit; sic mens sapiens omne detrimentum extrudit.*

Græca Complut. Syrus, Tigur. & alii hic subnectunt undecim sententias de feminis graves & appositas. Eæ sic habent: *Fili, florem ætatis tuæ conserva sanum, & ne dederis alienis robur tuum. Cùm requisieris omnis campi fertilem sortem, semina propria semina, fretus nobilitate tua. Sic progenies tuæ superstites, & fidentiam nobilitatis habentes, magnificabuntur. Mulier mercenaria æqualis porco reputabitur: conjugata autem turris mortis utentibus reputabitur. Mulier impia iniquo pars dabitur: pia autem datur timenti Dominum. Mulier turpis infamiam conteret: filia autem honesta etiam*
D *virum. Mulier impudens sicut canis reputabitur: quæ autem habet verecundiam, Dominum timebit. Mulier virum proprium honorans, sapiens omnibus videbitur: inhonorans autem, impia in superbia omnibus cognoscetur. Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex erit. Mulier clamosa & linguosa in hostium fugationem considerabitur. Hominis autem cujusque animus similibus moratus moribus, belli seditionibus vitam transiget.* Duos ultimos versus clarius sic effert Tigur. *Clamosa mulier & linguax, ad hostes fugandos exquiretur. Omnis verò hominis animus his moribus similis* (hoc enim est ὁμότροπος pro quo Vatabl. legit ὁμότροφος, id est convivens illi, vel convictu ejus utens) *versabitur inter tumultus bellicos*; Syrus, *mulier verbosa & contentiosa sicut cornu* (tuba cornea, quali olim in præliis utebantur) *concitans ad pugnam reputabitur. Anima autem omnis hominis, qui habet omnia hæc, coniicietur in tumultum bellicum*, vel assimilabitur, tumultui bellico) *vita in tribulatione transfigetur.*

Verùm hæc omnia non sunt Scriptura Canonica, quia ea omittit editio Latina Vulgata, quam pro authentica Script. habendam definivit Concil. Trident. sess. 4. Imò

editio

editio Græca correcta à Romanis eadem omittit. Adde, multas ex hisce sententiis in capitibus præcedentibus traditas esse vel in se, vel in sui simili: quare eæ hic ascititiæ videntur, uti rectè advertit Jansenius. A

Vers. 25 IN DUOBUS CONTRISTATUM EST COR MEUM, ET IN TERTIO IRACUNDIA MIHI ADVENIT: VIR
Vers. 26 BELLATOR DEFICIENS PER INOPIAM: ET VIR SENSATUS CONTEMPTUS: ET QUI TRANSGRE-
Vers. 27 DITUR A JUSTITIA AD PECCATUM: DEUS PARAVIT EUM AD RHOMPHAEAM.

Tria contristãtia.

Hoc loco transit Siracides à mulieribus, ad alia sapientiæ dogmata. Quare hinc novum caput, putà 27. inchoat Glossa: Sensus est, q. d. Duo sunt miserabilia, tertium verò indignum: quæ duo proinde mihi commiserationem, tertium verò iram & indignationem commovet; quia scilicet summum omnium malorum est, quod homo sponte sibi accersit, cùm nimirum justitiam deserit & peccat. Primum est, bellator laborans inopia; qui scilicet pugnavit pro patria, vitamque pro bonis civium exposuit, ac pro iis graves & continuos labores, ærumnas, B pericula sustinuit, ideoque dignus est qui sumptu publico alatur, uti olim milites senes & emeriti publicis stipendiis alebantur Romæ in taberna, quæ inde meritoria est cognominata, ex qua tempore nativitatis Christi miraculosè profluit oleum: unde postea à Callisto I. Pontifice conversa est in Ecclesiam B. Virginis Transtiberinam.

Secundum est, vir sensatus & prudens, qui scilicet sua prudentia posset regere domum, collegium, remp. ideoque ad quoslibet honorum gradus in ea evehi meretur, contemptus & neglectus, quòd amicos non habeat qui eum commendent & promoveant. Græcè est, ἄνδρες συνετοὶ σκυβαλισθῶσιν, id est, *viri prudentes, si contemnatur*; alii, *si pro rejectamentis habeantur viri intelligentes*; Tigurina, *viri cordati indigna patientes*; Syrus, *super viris famosis qui imminuti sunt ab honore suo*: σκύβαλα enim sunt retrimenta, quisquiliæ, rejicula, stercora, excrementa, quæ canibus projiciuntur, quasi κυσίβαλα, uti dixi Philip. 3. 8.

Tertium est, justus à justitia prolabens in peccatum: C hæc enim summa est insipientia & stoliditas, qua sanctus summum bonum, puta justitiam, gratiam, Deum, & cœlum, ultrò pro vili voluptate vel honore prodegit, seque in summam miseriam, putà in peccatum, Dei iram, reatum gehennæ ac damnationem æternam præcipitat: quare huic non tam commisereor, quàm irascor & indignor, quòd sua libertate, liberaque voluntate & electione tantum bonum deserat, & tantum malum sibi accersat, ac ultrò quasi è cœlo in infernum præceps ruat. Quocirca *Deus paravit* & destinavit *eum ad romphæam*, id est, ad gladium, hoc est; ad pœnam & mortem præsentem & æternam. Ita Tigurina, *duo*, inquit, *cor meum contristant, & tertium mihi movet indignationem: vir bellicosus* (Vatabl. *fortis*) *laborans egestate: viri cordati indigna patientes: & qui se à justitia transfert ad peccatum: Dominus eum cædi destinabit*; Syrus, *super duabus rebus obstupuit cor meum, & super tribus* (id est, super tertio) *valdè displicuit mihi: super viro ingenuo, qui pauper evasit & inops effectus est: & super viris famosis qui imminuti sunt ab honore suo: & super eo qui convertitur à timore Dei ad opus iniquitatis. Trade eum diei occisionis.* Jure ergo meritoque Siracides irascitur justo in peccatum declinanti. At S. August. non irascitur peccanti, sed miseretur, asserens eum omni lacrymarum fonte deflendum. Jeremias verò cap. 2. 12. jubet cœlos obstupescere, quia relicto fonte aquarum viventium, putà Deo, populus cisternas quærit dissipatas. Ipse autem Deus tactus dolore cordis intrinsecus parat ob crimina, non unum hominem, sed omnes, totumque mundum, mergere & perdere diluvio, Genes. 6. 6. Igitur miserandum est, quòd tam facilè committimus ea, quæ Deus tam durè parat ad romphæam, ait Palacius.

Mysticè.

Mysticè Rabanus: *Vir bellator*, inquit, *deficit per inopiam, cùm is qui multos labores in agone istius mundi sustinuit pro Christo, novissimè aliqua adversitate fractus, perdit laborem per inconstantiam mentis.*

DUAE SPECIES DIFFICILES ET PERICULOSAE MIHI APPARUERUNT: DIFFICILE EXUITUR NEGOTIANS A NEGLIGENTIA, ET NON JUSTIFICABITUR CAUPO A PECCATIS LABIORUM] Vers. 28

Duo difficilia.

q. d. Duo genera officiorum, licet ex natura sua non mala, imò necessaria reip. difficilia tamen ad evadendum peccata, ideoque animæ periculosa mihi videntur.

Primum est negotiatio & mercatura: nam ἔμπορος, id est, negotiator & mercator, difficilè exuitur à negligentia; quia facilè ob lucrum negligit fidem datam, justitiam, pietatem, cultum Dei, v. g. Sacrum die festo, concionem, confessionem, communionem, &c. Mercatura enim totum hominem sibi vendicat, totam mentem occupat; unde nihil ferè relinquit cogitationis vel temporis ad animam excolendam.

Secundum est cauponariæ sive tabernæ: caupo enim non justificabitur, id est, non erit justus, hoc est, insons & immunis à peccatis labiorum; quia ut hospites ad se alliciat, ab iisque lucrum captet, multa mentitur, v. g. vinum suum esse Creticum vel Rhenanum, cùm sit Cyprium vel Mosellanum: esculenta sua esse talis generis, cùm sint alterius: lectos & linteamina esse lota & munda, cùm sint illota & immunda, &c. Videre est in Italia caupones obviàm prodeuntes viatoribus, iisque sua hospitia mirè deprædicantes; quæ cùm ingressi sunt, verba sibi data non rarò experiuntur. Porrò, elegantiæ causa duo hæc officia dividit, & cuique sui vitii periculum assignat. Alioqui sicut officium, sic & vitium & periculum utrumque, utrique est commune. Nam & caupo est negotiator: vendit enim sua vina, cibos & cœnas: ac proinde à negligentiæ vitio illi est periculum, æquè ac negotiatori à peccatis labiorum. Sed, ut dixi, elegantiæ & rhythmi causa hæc dispertit, & suum cuique magis proclive & familiare attribuit. Hæc dicit, ut doceat mercatoriam & cauponariam esse artes periculosas, ideoque non facilè capessendas, sed cautè & cum magna animi in pietate, virtute & veritate obfirmatione: unde & Ecclesia utramque Ecclesiasticis prohibuit.

Nota. τὸ *labiorum*, non est in Græco: rursum, pro *negligentia*, Græcè est πλημμέλεια, quod Noster in Levitico vertit *delictum*: pro peccatis, Græcè est ἁμαρτία, quod Noster vertit *peccatum*: delictum autem est peccatum omissionis; peccatum verò est commissionis, juxta S. August. quæst. 20. in Levit. & S. Gregorius homil. 21. in Ezech. *Hoc*, ait, *inter peccatum & delictum distat, quòd peccatum est, mala facere; delictum verò est, bona derelinquere, quæ summoperè tenenda sunt.* Sic ea hic accipit & distinguit Siracides (licet aliter ea accipiat Moses, uti dixi Levit. 7. ✝ 1.) q. d. Tam mercator quàm caupo difficulter evadit peccata commissionis, & delicta omissionis; quia ob lucrum multas fraudes, mendacia, injustitias committit, quæ omittere deberet; ac vicissim multa officia divina, restitutiones, solutionem promissorum & debitorum, ac eleemosynas omittit, quæ committere & exercere deberet. D Unde Tigurina vertit, *duo genera difficilia mihi & periculosa videntur: mercator vix evitabit delictum, & caupo culpa non vacaverit*; Syrus, *cum difficultate magna liberatur negotiator à peccatis; si non in hoc, sed in hoc offendit: caupo autem non justificatur à peccatis.*

Porrò, Palacius negligentiam mercatoris aliter explicat: licet mercator, inquit, sit diligentissimus, difficilè tamen evadit aliquam in mercando negligentiam. Aliquando enim ob multitudinem & varietatem mercium, non meminit quanti hæc aut illa merx constiterit, quantique vendenda sit. Aliquando obliviscitur ponderis, aliquando debitorum, aliquando creditorum.

CAPUT VIGESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sermonem in fine capitis inchoatum de mercatura prosequitur, docent, lucri cupiditatem esse causam peccatorum. Mox v. 5. tractat varia, præsertim de loquela, probatione, & linguæ moderatione: ac v. 17. usque ad v. 25. multis ostendit, quàm turpe sit revelare secretum. Inde ad finem docet, quàm detestabilis sit dolus & dolosi, ideoque malum quod aliis parant, in ipsosmet revolvendum, ut in suos auctores relabatur & recidat.

1 PRopter inopiam multi deliquerunt: & qui quærit locupletari, avertit oculum suum. 2. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium venditionis & emptionis angustiatur peccatum. 3. Conteretur cum delinquente delictum. 4. Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua. 5. Sicut in percussura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius. 6. Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. 7. Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis. 8. Ante sermonem non laudes virum: hæc enim tentatio est hominum. 9. Si sequaris justitiam, apprehendes illam; & indues quasi poderem honoris, & inhabitabis cum ea, & proteget te in sempiternum, & in die agnitionis invenies firmamentum. 10. Volatilia ad sibi similia conveniunt: & veritas ad eos, qui operantur illam, revertetur. 11. Leo venationi insidiatur semper; sic peccata operantibus iniquitates. 12. Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur. 13. In medio insensatorum serva verbum tempori: in medio autem cogitantium assiduus esto. 14. Narratio peccantium odiosa, & risus illorum in deliciis peccati. 15. Loquela multum jurans, horripilationem capiti statuet: & irreverentia ipsius obturatio aurium. 16. Effusio sanguinis in rixa superborum; & maledictio illorum auditus gravis. 17. Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non invenit amicum ad animum suum. 18. Dilige proximum, & conjungere fide cum illo. 19. Quòd si denudaveris absconsa illius, non persequeris post eum. 20. Sicut enim homo, qui perdit amicum suum, sic & qui perdit amicitiam proximi sui. 21. Et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic dereliquisti proximum tuum, & non eum capies. 22. Non illum sequaris, quoniam longè abest: effugit enim quasi caprea de laqueo: quoniam vulnerata est anima ejus. 23. Ultrà eum non poteris colligare. Et maledicti est concordatio: 24. Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. 25. Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abiiciet. 26. In conspectu oculorum tuorum conculcabit os suum, & super sermones tuos admirabitur: novissimè autem pervertet os suum, & in verbis tuis dabit scandalum. 27. Multa odivi, & non coæquavi ei, & Dominus odiet illum. 28. Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet: & plaga dolosa, dolosi dividet vulnera. 29. Et qui foveam fodit, incidet in eam: & qui statuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueum alii ponit, peribit in illo. 30. Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, & non agnoscet unde adveniat illi. 31. Illusio, & improperium superborum, & vindicta sicut leo insidiabitur illi. 32. Laqueo peribunt qui oblectantur casu justorum: dolor autem consumet illos antequam moriantur. 33. Ira & furor, utraque execrabilia sunt, & vir peccator continens erit illorum.

VERS. 1. PROPTER INOPIAM MULTI DELIQUERUNT: ET QUI QUÆRIT LOCUPLETARI AVERTIT OCULUM SUUM] à justitia & recto, à Deo, Deique lege. Explicat quod dixit in fine cap. præcedentis, difficilè exuitur negotians avarus à neglectu rerum æternarum; quia ab eis ad lucrum oculos avertit. Sensus ergo est, q. d. Duo sunt scopuli in mari hujus sæculi, ad quorum alterutrum communiter allidunt & impingunt homines, ruuntque in peccatum & ruinam, scilicet opes & inopia. Inopes enim, ut inopiam præsentem vel imminentem fugiant, multas injustitias, artes, fraudes, mendacia, &c. concinnant; fœminæ etiam ob paupertiem pudorem & corpus prostituunt: opulenti verò vel in re, vel in spe & voto, ut opes acquirant, conservent, augeant, Dei, conscientiæ, justitiæ, pietatis obliviscuntur, ab iisque avertunt oculum; quia eum convertunt ad lucrum qualibet ratione per fas, & nefas captandum. Quocirca id prævidens Salomon, Deum obsecrat, dicens: *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria: ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei*, Proverb. 30. 8. Hinc Silius lib. 13. *Sceleri*, inquit, *proclivis egestas*. Et Philemon apud Stobæum serm. 94. *Inopia*, ait, *prompta est in perpetrandis malis*. Quocirca cùm Serm. Sulpicius Galba & Aurelius in senatu ambirent missionem in Hispaniam contra Viriatum; Scipio, rogatus sententiam, dixit: *Neutrum mihi mitti placet, quia alter nihil habet, alteri nihil satis est*. Ita Valer. Max. lib. 6. cap. 4. Et Cicero: *Duæ*, inquit, *res sunt, quæ homines ad turpe compendium movent, inopia & avaritia*. Suetonius scribit, Domitianus Imper. per inopiam effectum rapacem. Sallustius in Catilinar. *Omnes*, inquit, *quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Catilinæ proximi & familiares erant*. Lactant. lib. de Ira Dei c. 20. *Multa sunt*, inquit, *quæ ad peccandum invitant, ætas, violentia, egestas*. Rursum Sallust. in Jugurtha: *gentissimo*, inquit, *omnia cum pretio honesta videntur*.

Paupertas causa scelerum.

Gnome.

Nobler legit, χάριν ἀδιάφορου id est, *propter inopiam*; jam legunt, χάριν ἀδιαφόρου, id est, *propter indifferens*, hoc est, *propter opes, multi deliquerunt*: nam ut sequitur, *qui quærit locupletari, avertit oculum suum* à lege & virtute. Opes enim sunt res indifferentes, & τὰ τυχηρὰ, id est fortunæ bona, non virtutis, quibus proindè vel benè, vel malè, pro libero voluntatis arbitrio uti possumus. Unde ex Græco sic vertas, *propter bona fortunæ multi peccant, & qui quærit abundare, avertit oculum*; Tigurina, *pervertit oculum suum* (*id est judicium & cogitationem*, ait Vatablus;) Syrus, *multi peccaverunt, quia non est in eis timor* Dei sed amor lucri, *& qui vult multiplicare peccata, avertit oculos suos* à Deo, cœlo & gehenna: uti fecerunt senes illi impudici insidiantes Susannæ, de quibus dicitur Daniel. 13. 9. *Everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum*. Omnis enim qui fornicari, rapere, occidere, aliterve peccare destinat, avertit oculos mentis suæ à Deo, cœlo, gehenna, æternitate: quia si hæc attentè consideraret, eorum metu & timore adeò percel-

percelleretur, ut impossibile foret eum peccare. Eodem redit utraque lectio: quia fuga inopiæ fit propter amorem opum: quicumque ergo peccant propter inopiam, peccant pariter propter opes: ideò enim fraudant, pejerant, usuras exercent, &c. ut fugiant inopiam, & opes assequantur.

Avaritia est inopia mentis: cur? Rursum, cupido opum, sive avaritia magna, est inopia mentis. Avarus enim esto sit dives, tamen se inopem putat, ideoque plura & plura semper desiderat. Talis erat Achab Rex Israel, qui postulans à Naboth vineam, ait: *Da mihi vineam tuam, & erit mihi in hortum olerum.* In quæ verba S. Ambros. lib. de Naboth. c. 2. *O dives*, inquit, *nescis quàm pauper sis; & quàm inops tibi ipsi videaris, qui te divitem dicis? Quanto plus habueris, plus requiris: & quamquam acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro avaritia, non restinguitur.* Et inferiùs id probat ex ipsius petitione: *Da mihi*, inquit: *Quæ alia vox egentis est? quæ vox alia stipem publicè postulantis, nisi, Da mihi? hoc est: Da mihi, quia egeo. Da mihi, quia aliud vitæ subsidium habere non possum. Da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia. Da mihi, quia tibi Dominus dedit unde largiri debeas; mihi non dedit. Da mihi: nisi tu dederis, habere non potero. Da mihi, quia scriptum est: Date eleemosynam. Hæc quàm abjecta, quàm vilia! non enim habent humilitatis affectum, sed cupiditatis incendium.* Unde Aristides diviti cuidam paupertatem sibi obiicienti: *Mihi quidem*, inquit, *nihil mali paupertas affert, tibi verò divitiæ non paucas perturbationes.* Ita Anton. in Melissa p. 1. c. 33. Et Diogenes pauperiem sibi exprobranti: *Infelix*, ait, *quid ais? at ego neminem vidi tyrannidem gerere propter paupertatem, omnes verò propter divitias.* Ita Stobæus serm. 95.

Mysticè. Hinc Mysticè Rabanus: *Multi*, inquit, *per inopiam delinquunt, sed magis propter inopiam cordis* (mentis & voluntatis constantis) *quàm corporis: quia multos viros sanctos pauperes rebus in hoc mundo legimus, divites autem in fide & virtutibus.*

VERS. 2. SICUT IN MEDIO COMPAGINIS LAPIDUM PALUS FIGITUR, SIC ET INTER MEDIUM VENDITIONIS ET EMPTIONIS ANGUSTIABITUR PECCATUM. (Ita Græca & Latina Romana: undè perperàm Rabanus, Lyranus & Jansenius legunt, *peccatis*; & alii perperàm, pro *peccatum*, legunt, *pretium*.)

VERS. 3. CONTERETUR CUM DELINQUENTE DELICTUM] Ita Romana; alii, ut Jansenius, pro *delictum* legunt *peccatum*. Sensus est, q. d. Sicut palus, id est stipes vel baculus, inter medios lapides invicem conjunctos & compaginatos infixus, ab iis circumquaque quasi premitur & angustiatur: sic & peccatum quasi premitur & angustiatur inter vendentem & ementem, dum uterque alterum vult decipere, ac vendens mercem suam pluris vendere, emens verò minoris emere satagit: ideoque ille rem plus justò æstimat & laudat, hic deprimat & vituperat. Qua in re multa mendacia, fraudes, doli, perjuria, &c. committuntur: quare hac ratione inter hos duos peccatum & delictum quasi comprimitur & conteritur cum ipso peccante & delinquente. Ita Græca, quæ de more concisa sic habent, *inter compages lapidum figitur palus, & inter venditionem & emptionem conteritur peccatum*; Syrus, *inter petram & petram ingreditur palus, & in medio ementis & vendentis fortificantur peccata.* q. d. Sicut palus undique lapidibus cinctus licet pressus, ab iis tamen roboratur & fortificatur: pari modo roborantur, augentur & multiplicantur peccata inter avaros ementes & vendentes. Tigurina, *ut fixus inter compages lapidum paxillus, peccatum inter venditionem urgetur & emptionem, delictumque cum delinquente consumetur.* Significatur ergo, quod inter avaros ementes & vendentes pro

Inter ementes & vendentes arctatur peccatū. avaritia sua certantes, peccatum ita angustietur, stringatur & concludatur, ut evadere non possit, quin ab utroque capiatur, occupetur & committatur: sicut ex adverso inter eosdem ita premitur veritas & justitia, ut comprimatur & opprimatur: perinde ac lepus undique canibus cinctus, ab iis premitur, capitur & devoratur. Quocirca justo Dei judicio *conteretur cum delinquente delictum*; vel à judice, qui damnum illatum à lædente resarciri jubebit; vel ab ipso emente vel vendente læso, qui dum fraudem sentit & damnum, illud sibi reparari curabit; vel ab ipso Deo, qui omnis injustitiæ & doli justus est vindex. Dum igitur contendit mercator dolos inserere inter emptionem, &

A venditionem, contendit pariter Deus eum cum suis dolis conterere. Quod ità esse docet experientia. Ita Palacius, sic & Lyran. Nam in morte, inquit, conteritur peccator, & actus peccandi terminatur; quia tunc cessat tempus merendi & demerendi.

Hoc est quod Tyro, emporio mercatorum celeberrimo, obiicit Ezechiel c. 28. 16. *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti*; Hebr. *multitudine negotiationis tuæ repleverunt cor tuum iniquitate.* Nonnulli probabiliter censent hic alludi ad palum, in quem quasi scopum sagittarii sagittas & tela sua collimant, ut eum configant. Sic enim olim Romani milites & tirones, cùm ad pugnam exercebantur, palum figebant, in eumque hastas & jacula facto impetu faciebant; itaque discebant directè jaculari, pugnare & configere, teste Vegetio lib. 2. c. 23. & lib. 1. c. 11. ac Polybio lib. 17. Sicut enim hic palus, utpote inter lapides fixus, evadere nequit, quin à jaculatoribus multis jaculis configatur, adeò ut iis oppletus vix locum liberum habeat, quo plura recipiat: sic pariter ementes & vendentes tot mendacibus & fraudulentis contra-B ctibus, promissis, assertionibus, quasi jaculis configunt palum peccati, studio lucri, ut iis vix quidquam addi queat.

Alii per *palum* accipiunt paxillum, ex quo situlæ, lebetes, cacabi, ceteraque vasa suspenduntur, Isaiæ 22. 23. q. d. Contractus ementium & vendentium quasi palus inter utrosque medius, tot oneratur peccatis, ut angustus appareat, utpote è quo tot scelerum quasi vasa dependeant.

Tropol. Palus est cupiditas ditescendi. In hanc enim, putà in animum lucro inhiantem, dæmones toto agmine incurrunt, totque eum peccatorum jaculis configunt, ut oppleant & obruant. Ita Anacharsis apud Laertium ait, *Forum venalitium esse locum impostorum*, utpote destinatum *ad fallendum invicem.* Quocirca Athenienses lege caverunt, *ut in foro rerum venalium mendacium omne abesset*, nimirum ἀψευδεῖν ἀγορᾶ, teste Theophrasto lib. de Legibus. Hinc Philosophi & Patres toties taxant mercaturam, hoc est vitia fraudesque mercatorum. Vide S. Ambrosium 1. Offic. c. 49. S. August. in psal. 18 & 70. S. Chrysost. lib. 2. de Compunct. Platonem lib. de Legib. Aristot.
C 3. Polit. cap. 3. & lib. 7. cap. 9. Valer. Max. lib. 3. c. 3. Philostr. lib. 4. & 8.

Hic ergo verum est illud Jeremiæ Thren. 3. 12. *Posuit me quasi signum ad sagittam: misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* Ideò enim Christus in Cruce fuit quasi scopus, in quem Judæi omne suum verberum & verborum virus ejaculati sunt; quia peccatores, præsertim mercatores tot scelerum jaculis animas suas confixerant: hæc enim in se luenda & expianda suscepit Christus.

Huc facit quod ait Hugo Victor. lib. 2. Erudit. didascal. cap. 24. Mercatoribus *eloquentia maximè necessaria est. Unde & is qui facundiæ præest, dicitur Mercurius, quasi mercatorum κύριος, id est dominus*; licet alii aliud aptius Mercurii dent etymon.

Mimi lepos. Hanc sententiam illustret factum & dictum mimi, quod recenset S. Augustin. lib. 13. de Trinit. cap. 3. *Unde*, inquit, *illa cujusdam mimi facetissima prædicatur urbanitas; qui cùm se promisisset in theatro quid in animo haberent, & quid vellent omnes, aliis ludis esse dicturum, atq; ad diem con-D stitutum ingenti exspectatione major multitudo confluxisset, suspensis & silentibus omnibus dixisse perhibetur: Vili vultis emere, & carò vendere. In quo dicto levissimi scenici omnes tamen conscientias invenerunt suas, eique verè ante oculos omnium constituta, & tamen improvisa, dicenti admirabili favore plauserunt.* Idem tamen ab hac universali sententia nonnullos excipit: *Nam scio*, inquit, *hominem, cùm venalis codex ei fuisset oblatus, pretiique ejus ignarum, & ideò quiddam exiguum poscentem cerneret venditorem, justum pretium, quod multo amplius erat, nec opinanti dedisse.*

Mercatura habet pericula salutis. Deniq; audi hanc sententiam Siracidis pertractantem Auctorem imperfecti apud S. Chrysost. hom. 38. in illud S. Matth. c. 21. *Eiiciebat vendentes & ementes de templo. Significat*, inquit, *quia homo mercator vix aut numquam potest Deo placere. Et ideò nullus Christianus debet esse mercator: aut si voluerit esse, proiiciatur de Ecclesia Dei, dicente Propheta: Quia non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini. Quemadmodum enim qui ambulat inter duos inimicos, ambobus placere volens & se commendare, sine maliloquio non potest esse: necesse est enim ut & isti malè loquatur de illo, & illi malè loquatur de isto. Sic qui emit & vendit,*

vendit, sine mendacio & perjurio esse non potest: necesse est enim ut de negotiatoribus hic juret, quia non tantum valet res, quantum comparat eam; & ille juret, quia plus valet res quàm vendit. Sed nec est stabilis substantia eorum. Talium enim substantia aut ipsis viventibus peritura est, aut à malis heredibus dissipanda est, aut ad extraneos & inimicos hereditas ipsorum ventura est. Non potest ad bonum proficere, quod congregatur de malo. Quemadmodum si triticum, aut aliquam bladi speciem, cernas in cribro, dum huc illucque jactas eam, grana omnia paulatim deorsum cadunt, & in fine in cribro nihil remanet, nisi stercus solum: sic & substantia negotiatorum dum vadunt, & veniunt, inter emptionem & venditionem minuitur, & in novissimo nihil illis remanet, nisi solum peccatum.

Ubi Adverte, in Auctore Imperfecti nonnullos contineri errores. Talis est, quòd initio dicit mercatorem vix aut numquam posse Deo placere, & ideò Christianum nullum debere esse mercatorem: licet S. Thom. 2. 2. quæst. 77. art. 4. eum excuset dicendo, quòd loquatur de eo qui finem ultimum in lucro constituit, paratus pejerare, fraudare, usuras exercere, &c. ut lucretur: sic & eum excusat noster Lessius libr. 2. de Justitia cap. 21. dub. 1. num. 4. Rursum Nota. Pro eo quod psal. 70. 16. legimus, *Quoniam non cognovi* γραμματείαν, id est, *litteraturam, introibo in potentias Domini*; S. Chrysost. S. August. Arnobius, Cassiodor. & alii legunt πραγματείαν, id est *negotiationem*; ac Hebr. ספרות *sephorot* significat non tantùm litteras, sed & numerationem ac computum, qualis est mercatorum, q. d. David: Quoniam non cognovi negotiationem, vel etiam negotia hujus sæculi, quæ mentem à Deo distrahunt, & terræ lucroque affigunt, idcircò accedam ad celebrandam Dei potentiam & misericordiam erga me. Quare isto loco non damnatur mercatura, sed vitia mercaturæ, qualia sunt eorum qui plus mercem quàm fidem diligunt. Quod mercatorum, non mercaturæ est vitium, ut ibidem docet S. August. Aut potiùs non damnatur mercatura & negotium, sed illi sanctum piumque orandi, Deumque laudandi præfertur otium. Sic & Cassiodorus in psal. 70. *Negotiatores*, inquit, *illi abominabiles existimantur, qui justitiam Dei minimè considerantes, per immoderatum pecuniæ ambitum polluunt merces suas plus perjuriis, quam pretiis. Tales ejecit Dominus de templo, dicens: Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.*

Vers. 4. SI NON IN TIMORE DOMINI TENUERIS TE INSTANTER, CITO SUBVERTETUR DOMUS TUA] Hæc sententia generalis ubique locum habet; hic tamen spectat ad avaros ementes & vendentes. q. d. Hi avari si in emptionibus & venditionibus timorem Dei non servaverint, eoque avaritiam suam refrænarint, citò videbunt subverti suam domum, familiam & substantiam, quam suis dolis ædificarunt. Igitur avaritia est quæ hominem avarum in ruinam & exitium agit: hujus remedium est timor Dei, qui avarum se præcipitantem à præcipitio cohibet & refrænat. Unde Græca habent, *nisi quis in timore Domini se continuerit studiosè, citò subvertetur ejus domus*; Tigurina, *nisi quis religionem Domini studiosè tenuerit, brevi evertetur domus ejus*; Syrus, *fili mi, si contra timorem Dei prævaricatus fueris paululùm, tempore multo deficies*. Unde Gabriel Vasquez 1. 2. tom. 2. disp. 196. c. 4. *Hac sententia*, inquit, *monet Siracides mercatores, ut cum timore Dei negotientur, emant & vendant.*

Tropolog. Lyran. Si, inquit, non tenueris te in timore Dei instanter, citò subvertetur ædificium virtutum propter pronitatem ad malum, juxta illud Genes. 8. *Sensus & cogitatio humani cordis prona sunt ad malum ab adolescentia sua.* Est enim homo sicut navis in flumine deorsum currente; quæ nisi fortiter sursum impellatur, seu detineatur, statim descendit per impetum fluminis: sic homo facilè labitur ad vitia, nisi fortiter per timorem Dei, quasi funem vel remulcum, se teneat contra impulsum fomitis. hucusque Lyran. Et S. Bernard. serm. 2. de donis Spiritus sancti c. 1. *Omne namque*, inquit, *virtutum ædificium illicò vergit in præcipitium, si hujus gratiæ amiserit præsidium.* Quin & Comicus: *Animus*, inquit, *qui veretur, scit tutò ingredi.* Et Plinius lib. 7. epist. 17. *Timor est emendator acerrimus*: Et alius: *Quem non corrigit pudor, emendat timor.*

Vers. 5. SICUT IN PERCUSSURA (S. August. in Speculo legit, *in pertusura*, id est, in foraminibus pertusis, sive in ocellis) CRIBRI REMANEBIT PULVIS, SIC APORIA HOMINIS IN COGITATU ILLIUS] Primò, Palacius hanc sententiam refert ad præcedentem, quasi eam explicet, hoc sensu, q. d. Femina concutiens cribrum, invenit post concussionem furfures & quisquilias: ita vir, si cogitaverit se, si excusserit se, post examen hoc inveniet miseriam & egestatem, imò quid non mali reperiet? Si tu tibi places, si nimis te æstimas, id facis quia te non concussisti, non examinasti: excute te, & farina bonorum tuorum cadente, nihil nisi furfures & miseriam invenies: est enim universa vanitas omnis homo vivens, est omnis caro fœnum: pulvis est, & in pulverem revertetur.

Secundò, Rabanus, Convenienti, inquit, exemplo ostendit timorem Dei purgare animam hominis. Sicut enim cribrum purgamenta colligit, & grana à paleis secernit: ita timor Dei per *aporiam*, id est curam & angorem animi, omnes sordidas cogitationes à corde expellit.

Tertiò, meliùs alii censent hic disparatam & novam esse sententiam de ærumnis, quæ hominis mentem & cogitationem affligunt. q. d. Sicut dum percutitur, agitatur & concutitur cribrum, farina per foramina delabitur; in cribro verò remanet pulvis, putà furfures & sordes: sic cùm mens hominis agitatur & concutitur variis cogitationibus, instar cribri (hinc *cribrum* dicitur quasi *currifrugum*, quòd in eo currat frumentum, ait S. Isidorus lib. 20. Originum c. 8.) præsertim dum est in afflictione & tribulatione; sæpè bonæ & lætæ cogitationes dilabuntur, ac post omnem mentis agitationem in ea nil remanet nisi aporia, id est animi perplexitas, anxietas & mœstitia: q. d. Hæc est naturalis hominis & mentis infirmitas, ut bona & læta dimittat, mala & tristia retineat: cùm potiùs, ex adverso, oporteret dimittere furfures, id est, abjicere tristia, ac retinere farinam, id est, mentem occupare cogitationibus rebusque lætis, quæ præcesserunt, vel sequentur. Verè Plutarch. lib. de Tranquillitate animi: *Sicut*, inquit, *cucurbitæ medicinales teterrimum sanguinem ex carne eliciunt: sic tu pessima quæq;* (cum ærumnoso & afflicto loquitur) *tuorum in te congeris, nihilo illo Chio negotiatore melior, qui cùm vinum optimum venderet, ipse sibi acidum comparabat.* Solent enim melancholici, pusillanimes, tristes, afflicti mentem affigere cogitationibus suis similibus, scilicet mœstis, timidis, funestis, diffidentibus, quas suggerit tristitia, qua pleni sunt, ac lætas bonæque spei plenas dimittere, imò repellere quasi à se alienas, sibique incongruas & invisas.

Nota. Pro *pulvis*, Græcè est κοπρία, id est fimus, stercus, fæces, sordes. Rursum, pro *aporia* Complut. habent σκῦλα, id est spolia: unde vertunt, *in concussione cribri permanent stercora: sic spolia hominis in cogitatione illius*. Romana verò legunt σκύβαλα, id est rejectamenta, sordes, quisquiliæ; uti dixi c. præced. v. 26. unde vertunt, *in percussura cribri remanet fimus, sic quisquiliæ hominis in cogitatione ejus*; Tigurina, *ut sordes in excusso cribro remanent, ita spurcitias hominis discernit ratio*, vel *cogitatio*. Noster videtur inversè legisse, scilicet priore loco σκῦλα, id est, spolia, id est, pulvis & furfures, quibus in cribri agitatione expoliatur triticum & farina: posteriore vero loco pro κοπρία, (uti jam legunt) legisse ἀπορία. Quæ sanè lectio commodior & concinnior est, ut patet intuenti. ἀπορία autem Græcis duo significat: Primò, inopiam, penuriam, indigentiam: Secundò, ambiguitatem, difficultatem, anxietatem, diffidentiam, perplexitatem, desperationem, quæ est mentis, consilii & spei inopia: ἀπορέω enim est ambigo, dubito, hæreo, animi pendeo, consilii inops sum, deficio, angor, perplexus sum. Sic Apostolus ait 2. Cor. 4. 8. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur*, (id est, perplexi sumus) *sed non destituimur.* Utroque modo hic *aporia* accipi potest, sed magis posteriore. Syrus, pro cribri pulvere aliam similitudinem fumi ignis substituens, sic vertit, *sicut multus fumus supra ignem, ita narrationes hominum supra cogitationem*. q. d. Sicut ignis ollam sibi suppositam agitans & calefaciens, multos excitat vapores & fumos: sic mens hominis multa audita, visa, cogitata mente & cogitatione versans, multa cogitat & comminiscitur; quæ aliis deinde enarrans, vanas narrationes & rumores spargit in vulgus. *Ἀπορία quid?*

Tropol. Lyran. Sicut in cribro, inquit, remanent festucæ, lapilli, quisquiliæ, aliæq; res inutiles: sic post actum peccati remanet in cogitatione peccatoris aporia, id est angustia & remorsus peccati, qui dicitur vermis conscientiæ, qui jugiter peccatorem cruciat, mordet & torquet.

Vers. 6. VASA FIGULI PROBAT FORNAX, ET HO-

MINES JUSTOS TENTATIO TRIBULATIONIS.] *& homines justos*, jam non est in Græco. Rursum, pro *tribulationis*, Græcè est διαλογισμῷ, id est disputatio, disceptatio, ratiocinatio, sermocinatio, collocutio, consultatio: item cogitatio, conceptus, sensus, animi propositum, voluntas. Unde Complut. vertunt, *vasa figuli probat fornax, & tentatio hominis in cogitatione illius*. q. d. Sicut fornax probat vasa figuli; sic cogitatio probat qualis sit homo: doctus enim cogitat docta, sanctus sancta, castus casta, cælestis cælestia, carnalis carnalia, stultus stulta, spurcus spurca, superbus superba, &c. Vis ergo scire qualis sis, ubi sit amor tuus, quid ames? vide quid crebrò cogites: hoc ipsum enim amas; ubi enim est amor, ibi est & mens, æquè ac oculus. Romana vertunt, *vasa figuli probat fornax, & tentatio* (id est, ut alii vertunt, *probatio, & exploratio*) *hominis in sermocinatione ejus*, q. d. Sicut fornax probat vas; sic sermo probat, explorat & ostendit, quale sit cor hominis. Ex corde enim sermo promanat, sicut radius à sole. Hæc versio congruit cum versu sequ. Tigurina vertit, *fornax exercet vasa figuli, sed hominem probat ratio*, vel *cogitatio hominis*. q. d. Rationalem probat ratio, cogitantem cogitatio. Vis ergo cognoscere, qualis in hoc homine sit anima rationalis, qualis mens? explora qualis sit ejus ratio, cogitatio, discursus. Hi enim quatuor versus in Græco singuli habent λογισμὸν, vel διαλογισμὸν, id est rationem, & sermonem, eumque cordis probationem indicemque constituunt.

Noster, pro διαλογισμῷ, videtur legisse θλίψεως, id est tribulationis. Itaque legit S. August. in Speculo, S. Hieron. lib. 2. contra Jovin. cujus verba recitantur de pœnitent. dist. 2. cap. *si enim*, §. *liberi arbitrii*. Sensus ergo est, q. d. Sicut ignis in fornace coquens & consolidans vasa testea à figulo effecta, probat ea, & ostendit an rectè ab eo effecta sint, necne: nam quæ rectè temperata & conglutinata sunt, in igne perdurant, eoque consolidantur; quæ verò secùs, rumpuntur & dissiliunt: sic pariter tentatio & tribulatio probat & ostendit, qualis sit justus. Qui enim in tentatione constantes perdurant, ostendunt se in justitia esse fundatos & firmatos: qui verò in ea animo cadunt, ostendunt se in justitia non esse stabiles, sed leves & inconstantes; quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, ait Christus Lucæ 8. Significat hæc sententia nos luteos esse, & quasi lutum in manu figuli, putà Dei; ideoque instar valorum luteorum ab eo igne tribulationis excoqui, ut eo tum purgemur, tum probemur, tum in virtute solidemur, sicut vas luteum ab igne soliditatem accipit. Alludit ad Sapient. 3. 6. *Tamquam aurum in fornace probavit illos*. Et Malach. 3. *Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum*. Et psal. 16. 3. *Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas*. Nam, ut ait Paulus Rom. 5. 3. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem*.

Tribulatio est probatio.

Hinc disce tribulationem & tentationem non aliud esse quàm πειρασμὸν, id est, probationem & experimentum, qua Deus cujusque fidem, & constantiam, virtutem probat, experitur & explorat, juxta illud Mosis: *Tentat vos Dominus, ut palàm fiat, utrùm diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima vestra*, Deut. 13. 3. Audi S. Bernard. tract. de Gradibus humilitatis, in nono: *Vasa figuli*, inquit, *probat fornax, & tribulatio verò pœnitentes discernit. Qui enim veraciter pœnitent, laborem pœnitentiæ non abhorret: sed quidquid sibi pro culpa, quam odit, injungitur, tacita conscientia patienter amplectitur. In ipsa quoque obedientia duris, ac contrariis rebus obortis, quibuslibet irrogatis injuriis, sustinens non lacessitur, ut in quarto gradu se stare indicet humilitatis. Cujus verò simulata confessio est, una vel levi contumelia, aut exigua pœna interrogatus, jam humilitatem simulare, jam simulationem dissimulare non potest. Murmurat, fremdet, irascitur, nec in quarto stare humilitatis, sed in nonum superbiæ gradum corruisse probatur: quæ secundùm quod descriptum est, rectè simulata confessio appellari potest. Quanta putas tunc confusio sit in corde superbi, cùm fraus decipitur, pax amittitur, laus minuitur, nec culpa diluitur? Tandem notatur ab omnibus, judicatur ab omnibus, eoque vehementiùs omnes indignantur, quo falsum conspiciunt, quidquid de eo priùs opinabantur. Tunc opus est Prælato, ut eò minùs illi parcendum putet, quo magis omnes offenderet, si uni parceret.*

Nota. Tribulatio sicut est fornax crucians, probans, A & purgans animas à Deo electas; sic est & annulus, quo easdem velut sponsas Christus despondet. Hoc annulo Christus tangens oculum S. Gertrudis, perpetuum dolorem illi infixit: unde didicit, quòd, sicut annulus signum est conjugii, sic adversitas certum sit signum & arrha divinæ electionis, ut per eam anima quasi conjugium ineat cum Christo, adeò ut quisque tribulatus & afflictus possit dicere cum S. Agnete: *Annulo suo subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus, & tamquam sponsam decoravit me corona*. Hæc ad verbum habet Vita S. Gertrudis lib. 3. c. 2. Ad hanc gnomen spectat illa S. Ephrem tract. de Timore Dei: *Multi habitu monachi, at pauci certatores: tempore autem tentationi monachis probatio apparet*.

Plura de hac tentatione & probatione tribulationis dixi cap. 2. v. 8. Hinc collige tentationem tribulationis non esse fugiendam, sed potiùs ambiendam justo. Nonne vasa figuli benè temperata, si sentire, concupiscere & loqui possent, dicerent, se ignem fornacis expetere, ut eo coquerentur & solidarentur? Ita & justi, Dei gratia suffulti, flammam tribulationis expetunt, quæ in eis quidquid impurum est excoquat, eosque in virtute solidet & perficiat. B Id sciebat David; unde orat psal. 26. *Proba me Domine & tenta me, ure renes meos & cor meum*. Præclarè S. Gregor. Nazianz. orat. 23. *Philosophicus*, inquit, *animus ex eo quod passus est, generosior redditur; atque ut candens ferrum frigida aspersione, ita periculis obdurescit*, ut de illo illud Horatianum rectè usurpes:

Patientia adversis roboratur.

Durit, ut ilex tonsa bipennibus,
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

Et S. Basil. orat. 11. de patientia & tolerantia: *Ut gubernatorem navis*, inquit, *tempestas, athletam stadium, militem acies, magnanimum calamitas, sic Christianum hominem tentatio probat. Et sicut athletas certaminum labores coronis ad se alliciunt; ita etiam homines Christianos probatio, quæ ex tentationibus descendit, ad perfectionem ducit, si modò cum decenti tolerantia, ac omni gratiarum actione ea quæ à Domino ordinantur, susceperimus*. Quin & Plinius Trajan. Consul. c. 31. *Adversa*, inquit, *magnos, læta felices probant*.

Exemplo.

Exemplum illustre est in Vita S. Litifredi Episcopi Ti- C cinensis sub annum Domini 850. qui singulari patientia enituit. Nam, ut scribit Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ in ejus Vita, etiamsi illatas injurias absque charitatis detrimento ulcisci potuisset; nolebat tamen; illud Apostoli usurpans: *Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones*. Quin etiam contumelias à vilibus personis æquo animo tolerabat, & familiari suo, verba indigna à quodam in eum prolata indignè ferenti, &, ut injuriam pro officii sui dignitate vindicaret, suadenti, quòd boni malis justa animadversione correptis quietiores degunt; S. Episcopus respondit, *Præstare, ut boni à malis exerceantur; nec malorum mortem à bonis optandam esse. Ut enim aurum igne probatur, sic boni ex malorum persecutione perfectiores evadunt*. Quare miraculis clarus effulsit, quæ ex Historia Papiensi & aliis idem Ferrarius recenset.

Exempla è S. Script. dat S. August. ser. 82. de Tempore Jacob & Joseph Patriarchas. Quærens enim cur Deus Jacob per 30. annos, quibus Joseph fuit in vicina Ægypto, ejus rei ignoratione torqueri permiserit (putabat enim eum esse mortuum) respondet: *Quia ergo sine istis minutis peccatis Jacob esse non potuit, volens Deus ipsa parva peccata in hoc sæculo tribu-* D *lationis igne consumere, implet in eo quod ipse per Spiritum sanctum dixit, Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. Et illud: Flagellat Deus omnem filium quem recipit. Et illud: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Ut ergo S. Jacob Deus noster, velut aurum purgatum in futuro judicio præsentaret, priùs ab illo omnes maculas peccatorum abstersit, ut in eo ignis ille arbiter quod exureret, invenire non posset*. Adducit deinde ipsummet Joseph, causamq; ejus biennalis carceris hâc assignat; quòd scilicet magis in homine quàm in Deo speraverit, dum à principe pincernarum petiit, ut à Pharaone sui liberationem impetraret. *Tamquam diceret ei Deus*, inquit: *Ego tibi ostendo, ut magis à me quàm ab homine debeas auxilium postulare. Sine ulla enim dubitatione credendũ est, quòd pro castigatione S. Joseph non permisit Deus magistrum pincernarum, ut in mente haberet, quod ei S. Joseph, quando de carcere dimissus est, supplicaverat. Et quia etiam & ipse Joseph, quamvis sanctus tunc, sine peccato esse non poterat, ideo tanto tempore fuit in carcere clausus,*

Joseph in carcere mansit; quia speravit in pincerna.

ut eu

ut in eo impleretur quod scriptum est: Ego quos amo, arguo; & quos diligo, castigo.

VERS. 7. SICUT RUSTICATIO DE LIGNO OSTENDIT FRUCTUM ILLIUS, SIC VERBUM EXCOGITATU CORDIS HOMINIS] Ita Romana & Complut. Latina, licet S. August. in Speculo legat, *ex cogitatu hominis cordis*, id est cordati, alii legunt, *sic verbum excogitatum hominis cor*, scilicet, ostendit. Ita Rabanus. Sic & Græca Romæ correcta, *culturam ligni*, inquiunt, *ostendit fructus ipsius; sic verbum cogitatum cor hominis*; Græca verò Complut. *culturam ligni*, inquiunt, *ostendit fructus illius; sic locutio cogitationis in corde hominis*; alii, *sic sermo cogitationis cordis hominis*, id est, sermo manans ex cogitatione cordis hominis; Tigur. *ut cultura arboris fructus eius indicat; ita corda hominum* (indicat) *meditata ratio*, vel cogitatio. Græcè enim legitur λόγος, id est, ratio aut sermo, vel λογισμὸς, id est cogitatio, ratiocinatio; Syrus, *sicut cultura arboris facit fructus eius; ita cogitationes hominum super meditationes eorum.*

Omnes hæ lectiones & versiones eodem redeunt. Sensus enim est, q.d. Sicut rusticatio, id est rustica agricolatio & cultura arboris, ostendit fructum arboris, & ex fructu consequenter qualis sit arbor: ita pariter verbum prolatum ex cogitatu & meditatione cordis hominis, ostendit fructum cordis, & per consequens, quale sit cor. Porrò, sicut fructus non tantùm ostendit, qualis sit arbor, sed & qualiter à rustico fuerit exculta; ita pariter verbum & sermo non tantùm ostendit, quale sit cor, sed & qualiter sit excultum. Hoc enim significant Græca jam citata, & sic Latinam versionem intelligit Hugo per hypallagen. q.d. Rusticationem de ligno, id est ligni, ostendit fructus illius. Idipsum est quod ait Christus Matth. 12. 33. *Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum; siquidem ex fructu arbor agnoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de thesauro profert bona, & malus homo de thesauro* (cordis sui) *profert mala.* Ita Rabanus & Palacius: Bona, inquit, & diligens arboris cultura in lucem profert bonum eius fructum: ita bona & diligens cogitationis cordis nostri cultura bonum verbum profert: ut contrà, arbor neglecta profert sterilem fructum; & cogitatio neglecta, verba aut mala, aut stulta: est enim cordis & oris consensus. Per os pronuntiabis de corde.

Dicit, *ex cogitatu*, quia sermo prolatus ex prævia cogitatione & premeditatione indicat cordis statum & habitum, non autem sermo impræmeditatus, qui ex subita cholera, tristitia, aliave passione profertur: illum enim extorquet passio, non autem è thesauro suo promit elicitum cor. Unde aliqui ex Græco vertunt, *sicut culturam ligni ostendit fructus illius, ita animum hominis meditatus sermo declarat.* Et codex Latinus Leodiensis, citatus à Franc. Luca, sic legit, *sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius; sic verbum excogitatus* (id est cogitationis & meditationis) *cordis hominis*, scilicet illud ipsum cor ostendit & pandit: quamvis non rarò verba subita, si crebra sint, indicent habitum mentis etiam sopitæ, alienatæ aut dormientis. Sic enim S. Franciscus Xaverius etiam dormiens, aut phrenesi correptus, eructabat pia cum Christo colloquia, dicendo: *Mi Jesu, bone Jesu, Jesu amor mi*; quia cor ejus plenum erat, imò ardebat amore Jesu: unde & de eo somnians loquebatur, ac delirans non aliud corde & ore eructabat.

Moral. Hinc disce cor nostrum egere cultura, ut eget ager. Rursum, primum cordis fructum esse cogitationem, secundum sermonem. Ut ergo cor recta, casta & sancta loquatur, eadem crebrò cogitet & meditetur; ut illa crebrò cogitet, cor castitate & sanctitate planè imbuat: sicut enim corpus balsamo imbutum, spirat balsamum; ita cor sanctitate imbutum Deoque plenum, non nisi sanctitatem & Deum spirat: perinde ac vasa vino referta, non nisi odorem vini exhalant: & stomachus succum cibi delicati, quo plenus est, eructat. Vox ergo est interpres mentis, & index personæ: unde Isaac Jacobum filium ex sola voce agnovit, & ab Esau discrevit. Idipsum docet Christus verbis paulò antè citatis. Quin & Philosophi. Chrysippus rogatus: *Quid esset mens hominis: sermonis fontem esse*, respondit: *Sicut enim rivuli ex fonte fluunt; sic sermo ex corde & mente hominis procedit.* Ita Stobæus serm. 1. Alius: *Ex voce agnoscimus hominem facie non conspecta, nam sua cuique vox: ita ex ea oratione licet mentem & vitam hominis conjectare.* Et, sicut Protogenes pictor Apellem ex unica linea cognovit, numquam alioqui visum; *ita ex unico responso ingenium & prudentiam viri deprehendes qui sit ipse sapiens.* Plures recitabo v. seq.

Sermo est index mentis.

VERS. 8. ANTE SERMONEM NON LAUDES VIRUM: HÆC ENIM TENTATIO EST HOMINUM] *Tentatio*, Græcè πειρασμὸς, id est, probatio & exploratio hominum. q. d. Vera ratio explorandi mentem, ingenium & indolem hominis, est loquela, antequam ergo quem loquentem audieris, noli de eo eiusque indole ferre judicium. Nam ut cote exploratur aurum; ita sermone vir, præsertim familiari & crebro, vel assiduo. Multi enim ad horam sermonem fingunt vel componunt, ut indolem præclaram simulent, ac pravam dissimulent. Pro *sermonem*, Græcè est λογισμὸς, id est, consideratio, cogitatio, ratio, intellectus: unde Tigurina vertit, *ne laudes quemquam ante rationem initam* (Vatabl. *ante perpensam cogitationem*) *hæc enim hominum probatio est*: q. d. Ne laudes quemquam antequam eum consideres, eiusque sermones, vultum & mores tecum exactè perpendas: quia hæc consideratio homini data est pro examine & trutina, qua homines resque omnes probet, examinet & exploret. Verùm Siracides λογισμὸν sumit pro λόγῳ, id est, sermone, uti vertunt Complut. Romana & ceteri: aut certè pro διαλογισμῷ, id est, ratiocinatione, disputatione, discursu. Ex discursu enim optimè mens cuiusque cognoscitur: vultus enim sæpè mendax est, æquè ac statura & forma corporis. Multi enim vultu, statura & forma sunt insigni, qui ingenium habent obtusum, judicium exiguum, mentem depressam. Ex adverso, multi staturam habent exiguam, vultum obscurum, formam deformem; qui tamen animos habent magnos, ingenium acre, prudentiam eximiam; qualem fuisse Socratem narrat Laertius. Sermo autem animi est index: os enim cordis est fibula, imò janua: cor enim per os suos affectus enuntiat, prodit & pandit. Os ergo est imago & speculum cordis: sicut enim verbum mentis est imago & speculum mentis; (unde Dei Filius, qui est Verbum mentis Patris, vocatur *Patris imago*, Coloss. 1. v. 15.) sic pariter verbum oris est speculum & imago verbi mentis. In eo ergo velut in speculo intuere mentem, & sensum mentis cujusque.

Multis veterum gnomis id probat Maximus serm. 15. Solon, inquit, dicebat *sermonem esse operum simulacrum gnomæ*, (sic & Democritus λόγον vocabat εἴδωλον τῶν ἔργων.) Romulus ajebat, *vasa fictilia sono & percussu, hominem verò sermone explorandum esse.* Cenopidas asserebat, qualis cujusque esset natura, talem quoque esse orationem. Demonax dicere solebat, *In speculis vultus figuram, in colloquiis autem naturam & mentis imaginem cerni posse. Sermonem enim esse quasi figulum hominis, qui animi formam effingat & proferat. Nullo enim in speculo meliùs expressiùsque veluti figura corporis, quàm in oratione pectoris imago repræsentatur.* Hæc maximus. Socratis, teste Cicerone Tuscul. 5. axioma erat: *Qualis homo est, talis etiam erit eius oratio, orationi autem facta simillima, facta vitam.* Idem, cùm dives quidam filium ad se misisset, ut indolem eius inspiceret, ac pædagogus diceret: *Pater ad te, ô Socrates, misit filium, ut eum videres*; tum Socrates ad puerum: *Loquere igitur, adolescens, ut te videamus.* Significans ingenium hominis non tam in vultu relucere, quàm in oratione; quòd hæc sit certissimum, minimèque mendax animi speculum.

Veterum gnomæ, quòd os sit speculum cordis.

SI SEQUARIS JUSTITIAM, APPREHENDES ILLAM; ET INDUES QUASI PODEREM (perperam in Speculo S. Augustin. legitur *puderem*) HONORIS, ET INHABITABIS CUM EA, ET PROTEGIT TE IN SEMPITERNUM, ET IN DIE AGNITIONIS INVENIES FIRMAMENTUM] Græca, de more concisa, hæc tantùm habent: *Si sequaris justitiam, apprehendes ipsam, & indues eam, ut talarem tunicam gloriæ*; Syrus, *si quæsieris veritatem, invenies eam, & indues eam sicut vestem gloriæ*; Tigurina, *si secteris justitiam, assequeris eam, & tamquam togam honorificam indues.* Deinde ex Latina Vulgata addit: *Cum hac habitabis, quæ te protegat in æternum, ut tempore inquisitionis invenias firmamentum.* Pro *sequaris*, Græcè est διώκῃς, id est, persequaris, eo scilicet studio, velocitate, conatu, contentione, constantia, quo canis insequitur leporem, nec cessat, donec eum capiat & comprehendat. Simili enim modo sequi & persequi debemus justitiam, ac dicere cum Apo-

Apostolo: *Unum autem, quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu*, Philip. 3. 14.

Pro *justitiam*, Græcè est, τὸ δίκαιον, id est justum, puta opera justa & sancta, quæ te justum sanctumque efficiant, ac justitia habituali vestiant & ornent. *Justitia* ergo hic generalis intelligitur, quæ est complexio virtutum omnium, in qua fidelium sanctitas & perfectio consistit. *Poderis* est tunica talaris; ita dicta, quòd à collo usque ad πόδας, id est, pedes & talos, sit demissa, quæ proinde totum hominis corpus ambit, vestit, protegit, ornat & decorat. Unde talari vestiuntur doctores, senatores, magistratus, ac præ omnibus sacerdotes. Poderis enim erat vestis Aaronis & pontificum, de qua dicitur Sap 18. v. 24. *In veste poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta*. Vide ea, quæ dixi Exodi 28. 6. Igitur significat, quòd justitia sit quasi sacra poderis ornans justum, eumque quasi consecrans sacerdotem, juxta illud S Petri epist. 1. cap. 2. 9. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*. Justitia ergo est poderis, justum efficiens, creansque doctorem, senatorem, sacerdotem & pontificé curię cęlestis.

Porrò, *justitia* duplici podere nos vestit & ornat: Primo, podere gratiæ in hac vita: gratia enim est lux cælestis animam splendentem & gratiosam in oculis Dei & Angelorum efficiens. Secundò, podere gloriæ in cælo: ibi enim perficitur omnis nostra justitia & gratia, ibique gloria divina pro meritis operum justitiæ donabitur & beabitur. Ibi ergo justitia propriè amicietur podere gloriæ, ut habent Græca & Syriaca. Alludit ad Isaiæ 61. v. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis*. Vide ibi dicta. Hinc tres effectus fructusque huius poderis vestisque justitię subjungit Siracides, dicens Primò: *Et inhabitabis cum ea*. q. d. Habitabis cum justitia quasi cum veste, imò virgine cælesti, adeoque habitabis cum sanctitate divina, Deoque ipso: huius enim participatio est justitia & sanctitas creata, & a Deo sanctis infusa mentibus. Secundò, *Proteget te in sempiternum* contra omnes tentationes concupiscentiæ, contra omnes dæmonis insultus, contra omnes mundi fallacias, blanditias, terrores, pericula imò contra Dei ipsius fulmina & fulgura, quæ in impios, præsertim in die judicii, vibrabit, quando horrendam damnationis sententiam in eos detonabit, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius*, Matth. 25. Unde Tertiò, *In die agnitionis*, id est, in die judicii & examinis divini, quo Christus cognoscet de omnibus hominum factis, *invenies firmamentum*: justitia enim erit tibi quasi lorica firmans tuum pectus, ut in illo terribili die, quo ceteri omnes pavebunt à facie Christi irati, dicentque *Montibus, Cadite super nos; & collibus, Operite nos*, Apocal. 6 firmus & inconcussus consistas, imò plenus bona spe, lætus & alacer exspectes illam beatitudinis sententiam: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*, Matth. 25.

Tres effectus justitiæ.

Allegor. & tropolog. Palacius per *justitiam* accipit Christum, Christique gratias & virtutes. Si Pauli verbum, inquit, præ oculis habeas, *Induimini Dominum nostrum Jesum Christum*; intelliges, Christum esse justitiam, quam qui votis, precibus & bonis operibus quærit, apprehendet. Intelliges etiam eumdem esse poderem honoris, id est polymitam & talarem vestem, qua Joseph Genes 37. 3. induebatur. Intelliges item esse dominum domus, qui nos secum habitare faciet: esse etiam protectorem sempiternum; feret enim nos in cęlum, ubi abscondet nos in abscondito tabernaculi sui. Demum erit firmamentum, cui in die judicii nitemur. Vocatur dies judicii, *dies agnitionis*: agnoscet enim tunc se quisque, & agnoscetur ab omnibus. Tunc erit Christus firmamentum, cui nitemur omnes, quotquot peccavimus, justificati verò fuimus per redemptionem quæ est in Christo. Perspice Christianum Christo vestitum exteriùs, qui Christum habitatorem habeat interiùs; qui Christum habeat perpetuum protectorem, & columnam, cui nitatur; maximè in die judicii. Quàm longè ab his distant mores nostri! nihil enim minùs in quovis nostrum perspicitur, quàm Christus. Hucusque Palacius.

Christus est justitia.

Anagogicè Rabanus: *Poderis*, inquit, *est tunica usque ad talos pertinens. Quid est ergo talaris tunica, nisi actio consummata? quasi enim protensa tunica talum corporis cooperit, cùm bona actio ante Dei oculos usque ad vitæ nos terminum tegit. Unde & per Moysen cauda hostiæ in altari offerri præcipitur; ut videlicet omne bonum, quod incipimus, etiam perseveranti fine compleamus. Quisquis ergo usque ad finem vitæ perseverat in bona actione, proteget eum Dominus in sempiternum, & in die agnitionis, hoc est, in die iudicii, quando veniens Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, tunc invenies firmamentum: quia tunc justitiæ suæ verum & firmum percipiet præmium.*

Poderis est perseverantia.

VERS. 10. VOLATILIA AD SIBI SIMILIA CONVENIUNT (Græcè, κατάλύσει, id est, divertunt;) ET VERITAS AD EOS, QUI OPERANTUR ILLAM, REVERTETUR] *Veritas* tum speculativa: hæc enim operantibus, id est studentibus, laborantibus & speculantibus, advenit; tum potiùs moralis & practica, qualis est in intellectu practico ethica & prudentia, in appetitu & voluntate justitia & virtus putà executio ethices, & operatio recta juxta dictamen prudentiæ. Prior veritas est mentis & speculationis: posterior voluntatis & operationis. Dicitur *veritas*, quia inclinat & operatur verum morale, quod est bonum honestum: hoc enim est verum, quia conforme & commensum suæ regulæ, putà, legi & voluntati Dei. Ex adverso vitium vocatur mendax & mendacium, quia disforme & dissonans à recta ratione suaque lege & regula. Unde crebrò in Script. impii dicuntur sequi vanitatem & mendacium. Explicat quod dixit, *Si sequaris justitiam, apprehendes illam*, per appositam similitudinem avium. Sensus ergo est, q. d. Sicut aves congeneres & concolores simul congregantur, simulque pascuntur, habitant & volitant, ac, si paululùm avolent, statim ad socias revolant; ut videmus grues volare & pasci cum gruibus, anseres cum anseribus, picas cum picis, &, ut vulgò dicitur, graculum graculo assidere: ita pariter veritas, id est prudentia, justitia & virtutes fugiunt improbos, iterque reflectunt ad probos quasi sibi similes, saltem voto & affectu: quia scilicet probi eas amant, ambiunt, operantur: & quia probi cum probis, sicut improbi cum improbis, quasi sui similibus, congregantur. Probi autem secum adducunt suam probitatem & virtutem, quam aliis affricant, perinde ac improbi suam improbitatem & vitia. Huc facit illud Claudiani, in Nuptiis Honorii Imp. & Mariæ:

Simile gaudet simili.

Nutant ad mutua palmæ
Fœdera, populeo suspirat populus ictu,
Et platani platanis alnoque assibilat alnus.

q. d. Palma congaudet & condolet palmæ, populus populo, platanus, platano, alnus alno, velut simile simili; quanto magis homine sibi simili gaudeat homo, eique afflicto condoleat? Significat ergo quòd, sicut aves congeneres conveniunt ad sibi similes, seque invicem recreant, exhilarant, amplexantur, adjuvant: ita pariter veritas & virtus cum sui studiosis familiariter agat, cum eis jucundè vivat, eos recreet, amplexetur, pascat, & in omni bono promoveat, ac tandem æterno gaudio & felicitate beet in cælo. Ibi enim ad eos quasi postliminio *revertetur*, quæ in hujus vitæ ærumnis, ac virtutis laboribus se suamque jucunditatem quasi abscondit, ut a justis abiens esse, seque elongare videatur. Ita Tigurina, *Volucres*, inquit, *adjungunt se sui similibus, itemque veritas accedit ad eos, qui ipsi dant operam*; Syrus, *volatile cæli apud genus suum habitat, & veritas ad facientes eam vadit*.

Appositè, veritas & virtutes comparantur avibus; quia utræque sunt leves, agiles, elevatæ à terra, canorę, elatæ, cælestes: Deo enim perennes canunt laudes, aliisque præpetibus in cælum evolant. Sic sapientia & castitas, teste Ruffino, quasi aves & virgines cælestes, advolarunt ad S. Gregor. Nazianz. in somnis, eique dixerunt: *Amicæ tuæ sumus, quia iucundum nobis in anima tua præparasti habitaculum*. Sic eleemosyna quasi avis divina advolavit ad S. Joannem Eleemosynarium, eumque ad sui amorem invitavit, teste Leontio in eius Vita. Sic tres virgines, putà paupertas, castitas, obedientia, advolarunt ad S. Franciscum, teste S. Bonavent. in ejus Vita. Unde mysticè Rabanus per volatilia accipit *sanctas electorum animas, quæ pennis virtutum semetipsas à terrestrium & carnalium societate sublevant, & sanctis Angelis in cælesti gaudio associari appetunt, quibus etiam in futura vita coniunguntur*. Rursum sicut aves à sui dissimilibus & discoloribus repulsæ, redeunt ad sui similes & concolores;

Virtutes sunt quasi aves: cur?

ita

ita veritas & sanctitas ab impiis repulsa, nec apud eos inveniens locum, ubi suum collocet pedem, instar columbæ Noe, revertitur ad pios sui studiosos. Causam à priori dedi c. 13. v. 19.

Secundò, cum Jansenio *veritas* hic accipi potest increata, putà æquitas & justitia, quæ est in Deo. Ad illam enim accedunt justitiæ studiosi, ipsaque vicissim eos remunerat: quare ad eos reverti dicitur, cùm reddit eis justitiæ præmia, quæ illam operantes in hac vita promeriti sunt, juxta illud Christi: *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*, Joan. 8. Deus enim & Christus est veritas ipsa rerum, putà, vera sapientia, veræ deliciæ, veræ divitiæ, verus honor, verum gaudium, vera felicitas: cetera omnia vanitas sunt & mendacium, imò, ut ait Ecclesiastes cap. 11. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Moraliter notat Palacius, veritatem & sanctitatem dici reverti ad pios, cùm eis opera vera, id est pia & sancta, exercendi offert occasionem. Subinde enim ea exercendi non datur occasio, tumque veritas à sui studioso fugere videtur; sed mox illi rursum præsentem se exhibet, cùm novam benè agendi opportunitatem suggerit. Quo significat captandam esse occasionem benè operandi, dum eam Deus offert: nam, ut ait Poeta:

Fronte capillata, post est occasio calva.

Vers. 11. LEO VENATIONI INSIDIATUR SEMPER: SIC PECCATA OPERANTIBUS INIQUITATES] Probat quod dixit, veritatem ad sui studiosos & operatores reverti, per antithesin contrarii, scilicet peccati & iniquitatis. *Venationi*, id est, animalibus & feris, quas venatur. Sic ergo ex Græco clarè vertas cum Vatablo, *ut leo feræ insidiatur, ita peccatum injusta patrantibus*; Syrus, *leo confractioni* (id est bestiis quas confringat, laceret & devoret) *insidiatur: sic iniquitas facientibus peccata.* Appositè, sicut veritatem & virtutes comparavit avibus, sic hic mendacium & peccatum comparat leoni sævo & crudeli: peccatores verò feris, quibus leo insidiatur. Hæc ergo antithesis est inter virtutem & peccatum, eaque non una, sed multiplex: scilicet Prima, quòd virtus sit avis gratiosa, quæ cum sui similibus, putà, virtute præditis, jucundè versatur, eosque lætificat, recreat & beat: peccatum verò sit quasi leo sævissimus, qui nullius amicitiam aut convictum familiarem admittit; sed in omnes feras, quas venatur, cæde & laniena grassatur. Esto enim ipse sit fera, ceteras tamen feras devorat: sic enim peccatum peccatori exitiale est, nihilq; boni, sed omne malum creat, perinde, ac si illi non esset congener & simile, sed planè degener & dissimile, imò ex diametro oppositum & contrarium.

Antithesis virtutis & vitii.

Prima.

Secunda. Secundò, sicut leo insidiatur, & ex insidiis aggreditur bestias & homines, sic & peccatum insidiatur peccatori. Offert enim illi escam voluptatis, ut illa eum capiat & enecet, sicut piscator esca piscem capit & enecat, juxta illud Proverb. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.*

Tertia. Tertiò, sicut leo feras, quas venatur, occidit & devorat: sic peccatum peccatorem occidit, eumque facit pabulum mortis præsentis & æternæ, ut semper ardeat in gehenna.

Moraliter Palacius, Ut leo, inquit, qui in insidiis est ad venandum, offert se etiam nihil tale metuenti: ita peccatum se offert peccatori, etiam peccatum non cogitanti. Ubique enim se exhibet peccatori peccandi materia. Ita vicissim viro operanti veritatem, veritas ipsa ubilibet se exercendam offert: & si aliquando veritatis exercendæ occasio fugit, statim revertitur. Adeò Deus bona ubilibet parat bonis, & diabolus indesinenter parat mala malis. Sed hoc discrimine, quòd peccatum leo sit, devorans peccatorem: veritas omne bonum est, beans veritatis operatorem.

Est prosopopœia. Peccatum enim hic inducitur quasi persona, imò quasi fera & leo insidians peccatori. *Peccatum* hic amplè & generatim accipe: unde sub eo particulatim descendas, ut Primò, per *peccatum* accipias habituale, putà habitum peccandi: hoc enim insidiatur homini, dum secretò & clanculùm eum inclinat ad iterandos actus peccati. Ebriosus enim, v. g. ex crebra ebrietate contraxit habitum, per quem valdè propendet ad semper potandum: hic ergo habitus eum etiam non cogitantem & quasi nescientem, insidiosè inclinat, ut adeat popinas & potet.

Peccatum quintupliciter sumitur.

Primò.

Secundò. Secundò, *peccatum* accipias actuale, putà actum peccati:

A hic enim inclinat hominem ad sui iterationem. Experientia enim voluptatis, quæ est præsente peccato, eum allicit ad illud iterandum, ut per illud iteretur voluptas, quam in præsenti experitur, & in præterito expertus est.

Tertiò, per *peccatum* accipias concupiscentiam. Hæc enim metonymicè ab Apostolo Rom. 7. à S. August. & Doctoribus sæpè vocatur *peccatum*: quia est effectus æquè ac causa peccati. Concupiscentia enim hominem secretò titillat, & furtim sollicitat, ut eam opere expleat. Hinc fit ut homo rationis judicio postposito, eam sequatur, eaque se pascat & oblectet, etiam incogitans & quasi nescius: quia concupiscentia quasi mentem homini surripit, itaque quasi per insidias eum capit & dementat. *Tertiò.*

Quartò, per *peccatum* accipias objectum peccati, putà illecebras & species illecebrosas rerum delectabilium, quæ hominem illiciunt ad peccandum. Tales sunt formulæ mulierum, quæ rapiunt intuentes ad luxuriam: fulgor vini & mensæ opiparæ, quæ rapiunt gulosum, ut iis gulam expleat: splendor auri, qui rapit avarum, ut illi per fas & nefas inhiet: honoris pompa, quæ rapit superbum, ut eam ambiat. Hic est fraus, hic sunt insidiæ, dum socii vel concupiscentia suggerunt homini dicuntque: Vide quàm formosa est illa & ista, nolo ut pecces, sed tantùm ut spectes ejus pulchritudinem: gusta hoc vinum, ut videas, quàm sit suave, nolo tamen ut potes, gusta dumtaxat: & ita de ceteris: à gustu enim unius scyphi gula trahente venitur ad secundum, tertium, quartum, & tandem ad plenam compotationem. Idem fit in introitu mulierum ceterisque objectis illecebrosis. *Quartò.*

B

Quintò, per *peccatum* accipias pœnam peccati: hæc enim peccanti quasi ex insidiis astat, sicut prætor clanculùm astat furi, ut eum furantem capiat & plectat, juxta illud Dei ad Cain, quò hic alludit Siracides: *Nonne si benè egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit*, quasi canis & Cerberus te allatrans, teque dilanians, Genes. 4. 7. Vide ibi dicta. Sic c. 27. 31. ait Siracides: *Illusio & improperium superborum, & vindicta sicut leo insidiabitur illi.* *Quintò.*

Denique, per *peccatum* accipi potest dæmon auctor peccati: hic enim insidiatur peccatori, ut eum in peccatum, & per illud in gehennam protrahat: unde *tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, 1. Petr. 5. 8. Simili modo per *peccatum* accipias peccatores, uti pravos socios, qui insidiantur socio etiam pœnitenti, ut eum ad peccatum suamque societatem retrahant, ideoque mille ei technas & insidias struunt, uti quotidiana patet experientia. Ab illis ergo quasi à leonibus crudelissimis cavendum est ei, qui animam servare velit. Simili modo lenæ & meretrices insidiantur adolescentibus. *Sextò.*

C

Ubi Nota. Sicut leonum tota vis est in oculis, sic peccati tota vis est in aspectu, putà in videre & videri. Hæc enim est occasio & janua omnis peccati; hanc claude, & evasisti peccati insidias. Audi Plinium lib. 8. cap. 16. docentem, qua ratione leo vinci, capi & domari possit. *Principatu Claudii*, inquit, *casus rationem docuit, pudendam penè talis feræ nomine, pastorem Getulum sago contra ingruentis impetum objecto: quod spectaculum in arenam protinus translatum est, vix credibili modo torpescente tanta illa feritate, quamvis levi injectu operto capite, ita ut devinciatur non repugnans, videlicet omnis vis constat in oculis.* Et anteriùs: *Cùm pro Catulis feta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expavescat.* Atque paulò ante modum venandi leonis insinuat dicens: *Dum sequitur, insilit saltu:* sic peccatum & dæmon repentino saltu irruit in hominem, ut eum percellat & sternat. Rursum Aristot. libr. 9. Histor. animal. cap. 44. & ex eo Plinius: *In venatu*, inquit, *dum cernitur (leo,) numquam fugit aut metuit, sed etiamsi venantium multitudine cedere cogitur, sensim peditimq; descendit, crebrò subsistens atque respectans: nactus verò opaca, fuga, qua maximè potest, veloci se subtrahit, donec in aperta devenias; tum rursus lentè incedit.* Idem prorsus facit dæmon & pravi socii.

D

Vers. 12. HOMO SANCTUS IN SAPIENTIA MANET SICUT SOL (constanter eodem fulgore semper lucens) NAM STULTUS UT LUNA MUTATUR] Pro *sanctus*, uti legunt Romana & Græca, aliqui legunt, *sensatus*; hic enim opponitur stulto: sed idem in hoc libro, æquè ac Proverbiis, est sensatus & sanctus: verus enim sensus, veraque prudentia non est alia, quàm virtus & sanctitas.

tas. *Tanquam sol*, jam non est in Græco, nec in Syro; idipsum tamen legit S. August. epist. 119. cap. 5. unde colligas olim in Græco id extitisse. Sic ergo habent Græca Romæ emendata, *narratio pii semper sapientia, at stultus sicut luna* ἀλλοιοῦται, id est, *alteratur*; Tigurina, *narratio pii ut sol perpetua est sapientia, stultus autem more lunæ variatur*; Syrus, *narrationes sapientum in sapientia sunt semper, & stultus sicut luna mutatur*. Sic quoque legit S. Ambros. locis mox citandis: ex quibus patet, tam Græca quam Syrum hæc arctare ad sermones sapientum & stultorum: q. d. Sapiens semper loquitur sapientia, putà honesta & sancta: at stultus nunc sapientia & sancta, nunc insipientia, id est, inhonesta & impia, eructat. Accommodat enim se occasioni & sociis: quare cum castis castè, cum incestis incestè, cum humilibus humiliter, cum superbis superbè, cùm maledicentibus maledicendo sermocinatur. Sapiens verò uti mentem habet sanctam semper, sic & linguam; quare non nisi castè, humiliter, benevolè, laudando & benedicendo tam Deum quàm proximum, eloquitur. Noster verò ampliorem facit hanc sententiam: q. d. Sapiens, id est sanctus, quamdiu talis est, manet in sapientia, id est sanctitate, sicut sol, ut internam sapientiam & sanctitatem nullo metu, nullis blanditiis, nullis præmiis propositis deserat, eamq; externis verbis & factis constanter profiteatur: at stultus, id est, inconstans & impius, instar polypi & lunæ, mutat mentem, & cum mente linguam, ut nunc sapientia & sancta cogitet, proponat, agat & loquatur: nunc verò stulta & impia machinetur, agat, dicat & doceat.

Causam dat Palacius: Inter multa, inquit, quæ Domino Deo conveniunt, id ferè præcipuum est, quòd immutabilis sit, idemque omnino sine ulla mutatione perseveret. Hanc maximam prærogativam Dominus concedit (suo tamen modo) Sanctis suis, ut ferè non mutentur. *Non enim*

Prover. 12. *justum contristabit, quidquid illi acciderit*, &c. *Qui confidunt*

Psal. 124. *in Domino, sicut mons Sion non commovebitur in æternum*, &c. *Pax multa diligentibus legem tuam*, &c. Nam ut S. Joannes

Psal. 118. ait, *Omnis qui natus est ex Deo peccare non potest*. At qui non

1. Joan. 3. 9. peccat, non mutatur. Id est, quod Auctor dicit, sanctus homo immobilis est, minimè peccat, minimè sanctitati suæ maculæ notam imponit.

Dices: Nonne Samson, David & Salomon peccarunt? Planè: ideò auctor addidit, *Sanctus in sapientia sua*, id est, dum in sapientia manet, *manet sicut sol*: si à sapientia & charitate decidat, cecidit certè è cælo Lucifer. Ut etiam

Isa. 14. 12. S. Joannes intelligendus est, scilicet quòd *natus ex Deo*, dum semen Dei conservat, *peccare non potest*. Jam verò ut sancto viro Deus communicat suam (suo modo) immutabilitatem: ita stultis non communicata hac immobilitate, necesse est, ut subinde varientur ut luna. Patet hinc, justum non solùm per annum posse sine mortali crimine perseverare, ut dixit Scotus; sed & per plurimos annos: manet enim sicut sol. Porrò, vocatur hoc loco *sapientia* sanctitas vitæ, quia vera sapientia est; cui Christus verus justitiæ sol semper adest. Talis porrò habitator talem immobilitatem hospiti suo largitur: largitur etiam ei, ut sit quidam sol; ut hic habemus: nam alibi dixit, *Vos estis lux mundi*: at clarum est, lucem mundi solem esse. Sol ergo Deum, Deique justitiam ab eo justis communicatam repræsentat. Quocirca S. Dionys. de Divin. nom. c. 4. asserit, solem esse *significativam, expressam & evidentem divinæ bonitatis imaginem*. Et Christus innuit solem esse divinitatis symbolum, cùm ait Matth. 5. 45. *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos*; quia sui imaginem.

Analogia stulti & lunæ. Prima. Luna verò, quia suum lumen mutuatur à sole, & quia citima terris, in suo orbe exiguo citiùs eum decurrit, ideoq; variè solem respicit; hinc suas variat luminis vices, ut nunc semiplena, nunc plena appareat. Hinc luna dicta est, quòd *luce luceat aliena*, ajunt Etymologici. Talis apparet & stultus. Huc facit illud Cleobuli apud Plutarchum in Convivio: *Lex*, inquit, *sapientibus mensuram præscribit. Incipis fabulam narrabo, quam mater mea fratri objecit. Ajebat enim, lunam à matre petiisse, ut sibi tuniculam congruentem texeret; at matrem respondisse: Qua ratione id possim, cùm te jam plenam, mox in cornua attenuatam, rursum dimidio orbe videam? Sic etiam, mi Chersia, homini fatuo & vitioso nulla mensura opum est*. Sic lunaticus, hoc est epilepticus, ac varius & inconstans fuit Mahomet

Secunda. pseudopropheta, qui proinde in Alcorano fabulatur, se lunæ partem cælo deciduam, lunæ & cælo restituisse. Rursum luna, cùm apud nos lucet, cælo & cælitibus non lucet; quia ex superiori parte non illuminatur, sed ex inferiori. Et ut ait S. Greg. Nyssenus lib. de Anima & resurr. atque ex eo noster Pineda in Job 25. v. 5. n. 4. luna nunc radios Solis à tergo recipit, nunc à fronte & facie ad nos conversis. Sic sanè quæ pulcherrima nobis videntur, in supremi luminis conspectu obscura sunt & non illuminata; & qui hominum judicio sanctissimi habentur, interdum coram Deo impuri sunt. Quare & cum luna Sapiens comparat stultum, qui sicut luna mutatur. Nam cum apud homines lucere & splendere quærit stultus, lumen ex superiori parte coram Dei conspectu amittit. Atq; illud etiam, quòd tunc luna maximè nobis splendet; cùm maximè distat à sole; obscuratur autem, cum ei appropinquat, ut philosophi & astrologi tradunt: sic profectò, quo ad divinam lucem aliquid magis accesserit, minùs lucidum parebit, atque adeò si ab illo recesserit, minus utique luminis habebit, quamvis apud homines multùm fulgere

Tertia. videatur. Tertiò, luna signum est amatorium, atque ab amantibus invocatur, eò quod præsit nocti & tenebris, atque iis voluptatibus quas stulti & carnales in tenebris quærunt & exercent. Quartò, luna ad oculos nostros augetur,

Quarta. cùm à sole recedit; iis verò minui videtur, cùm ad solem alia ex parte propinquat: sic & stultus carnalisque tunc in terra splendet & celebratur, cùm instar lunæ facie ad terram conversà, à Deo recedens terrenos honores & pompam sectatur; cùm verò illos aspernatur, Deo appropinquat. Ita S. August. epist. 119. cujus verba mox recitabo.

Quinta. Quintò, luna, teste Hippocrate, lib. de Indiciis infirmitatum, & Galeno initio dierum criticorum, quia crebras mutationes & eclipses patitur, facit homines instabiles, in proposito inconstantes, variis studiis gaudentes, luminibus varios, & vitiatos, vel strabos, motu ac mutatione celeres: sic & eos, in quibus dominatur, luna stultitiæ & amoris carnalis, facit leves, versatiles, inconstantes, lunaticos. Illi ergo similes sunt gemmæ quæ Selenites dicitur à σελήνη, quasi lunaris à luna; quæ, ut ait Plinius lib. 36. c. 10. *Ex candido translucet melleo fulgore, imaginem lunæ continens, redditque eam in dies singulos crescentis minuentisque numero*. Simili enim modo lunatici Lunæ varietates imitantur & induunt. Quare humana gaudia & festa carnalium, non aliud sunt, quàm festa Neomeniæ, novæ scilicet lunæ, crescentis celeriter, sed paulò pòst senescentis. Quod ut sibi ob oculos ponerent Romanorum nobilissimi & sapientissimi, lunæ imaginem gestabant in calceis, ut illo symbolo, nobilitatis & excellentiæ inconstantis, & semper ad finem cum deteriore mutatione properantis, eos memores redderet, teste Plutarcho quæst. Rom. 76. & Rhodigino lib. 20. c. 28.

Probatur ex S. Amb. Quocirca S. Ambros. 4. Hexam. c. 8. *Stultus*, ait, *ut luna mutatur. Et ideò sapiens non cum luna mutatur, sed permanebit cum sole. Unde non luna est particeps stultitiæ, quia non luna mutatur ut stultus* (leviter, temerè, & sine causa,) *sed stultus ut luna*. q. d. Luna non est similis stulto, nec stulta, sed sapiens, quia cum ratione & causa mutatur: at stultus stultè imitatur lunam; quia sine causa, leviter & stultè mutatur ut luna, quæ tamen non nisi magna ratione ac prudenter, juxta motus & leges sibi à Deo & natura præscriptas mutatur. Unde explicans subdit: *Denique semen justi, sicut luna perfecta, in æternum manet, & testis in cælo fidelis. Aliud est enim fungi ministerio, aliud circumferri ingenio, & sensus infirmitate fixam non habere sententiam* (uti non habet stultus,) *Luna pro te laborat, & propter voluntatem Dei subdita est. Vanitati enim creatura subjecta est, non sponte, sed propter eum qui subjecit eam in spe. Illa ergo non sponte mutatur; tu sponte mutaris. Illa congemiscit & compatitur in sua mutatione: tu non intelligis, & gratularis frequenter. Illa tuam redemptionem expectat, ut à communi totius creaturæ servitio liberetur: tu & tua redemptioni, & illius libertati affers impedimentum. Tua ergo, non sua, stultitia est, quòd, dum tu expectaris & nec serò converteris, adhuc & illa mutatur. Noli ergo lunam oculo tui corporis æstimare, sed mentis vivacitate. Minuitur luna, ut elementa repleat.*

Psalm. 88. Rom. 8.

Deinde mysticè mutationem lunæ applicans Christo, Ecclesiæ & Sanctis, qui sapientissimi sunt, *Hoc, ait, est vere grande mysterium. Donavit hoc ei qui omnibus donavit gratiã. Exinanivit eam, ut repleat, qui etiam se exinanivit, ut omnes repleret. Exinanivit enim se, ut descenderet nobis; descendit nobis,*

Ephes. 4. *bis, ut ascenderet omnibus. Ascendit enim, inquit, super omnes cælos, ut impleret omnia. Itaque qui exinanitus advenerat, de plenitudine sua Apostolos adimplevit. Unde unus ex his dicit:* *Ioan. 1.* *Nam de plenitudine eius omnes nos accepimus. Ergo annuntiavit luna mysterium Christi. Non mediocris, in qua signum posuit suum: non mediocris, quæ typum dilectæ habet Ecclesiæ. quod significat Propheta dicens:* *Psalm. 71* *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec extollatur luna. Et in Canticis, Dominus de sua sponsa ait:* *Cant. 6.* *Quænam est hæc prospiciens tamquam diluculum, speciosa sicut luna, electa ut sol? Et meritò speciosa sicut luna Ecclesia, quæ toto mundo refulsit, & tenebras sæculi huius illuminans dicit:* *Rom. 13.* *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Pulchre ait, Prospiciens, quasi suos de superiore prospectans, sicut habes, Dominus de cælo prospexit super filios hominum. Prospiciens ergo Ecclesia sicut luna, defectus habet & ortus frequentes: sed defectibus suis crevit, & his meruit ampliari, dum persecutionibus minuitur, & Confessorum martyriis coronatur. Hæc est vera luna, quæ de fratris sui luce perpetua lumen sibi immortalitatis & gratiæ mutuatur. Fulget enim Ecclesia non suo, sed Christi lumine, & splendorem sibi arcessit de Sole iustitiæ, ut dicat: Vivo autem, iam non ego, vivit autem in me Christus. Beata planè quæ tantum insigne meruisti. Unde te* B *non tuis neomeniis, sed typo Ecclesiæ beatam dixerim: in illis enim servis, in hac diligeris.* Idem S. Ambros. in psal. 36. ad illud: *Os iusti meditabitur sapientiam: Narratio iusti,* ait, *semper in sapientia: stultus autem sicut luna mutatur, id est quòd sæpe varietur, nec in sua perseveret sententia, & tamquam in tenebris lumen videatur effundere, nec tenere.* Idem serm. 4. obiurgans populi superstitionem, qua censebat lunam deficientem laborare & periclitari, ne à cælo caderet, ideoque vociferando eam animare & adjuvare satagebat. *Apud vos,* inquit, *vespertinis tantùm horis laborare consuevit, quando copiosa cœna venter distenditur, quando majoribus poculis caput movetur. Tunc igitur apud vos laborat luna, quando laborat & vinum. Tunc, inquam, apud vos turbatur carminibus globus lunæ, quando calicibus turbantur & oculi. Quomodo igitur ebrius videre potes circa lunam quid agatur in cælo, qui circa te non vides quid agatur in terra? Hoc est planè quod ait sanctus Salomon dicens: Stultus sicut luna mutatur. Mutaris enim sicut luna, dum stultus & insipiens ad motum eius, qui Christianus fueras, incipis esse sacrilegus: sacrilegium enim Creatori committitur, dum imbecillitas adscribitur creaturæ. Mutaris ergo* C *sicut luna, ut qui paulò ante fidei devotione fulgebas, postea perfidiæ infirmitate deficias. Mutaris sicut luna, dum cerebrum tuum ita exinanitur sapientia, sicut luna obscuritas: ut verò teterrimæ tenebræ mentis invadunt. Atq; utinam, ò stulte, sicut luna muteris. Illa enim citò ad plenitudinem suam redit, tu ad sapientiam nec serò converteris. Illa velociter colligit, quod amiserat lumen; tu nec tarde fidem recipis, quam negasti. Gravior ergo tua quàm lunæ, mutatio est. Luna defectum luminis patitur; tu salutis. Quàm bene igitur scriptum est de sapiente: Et permanebit cum sole. Permanet enim sapiens cum sole, cùm constantia fidei permaneat cum Salvatore.* Et inferiùs: *ergo luna à statu suo non sponte mutatur, tu de sensu tuo sponte mutaris. Illa in diminutionem sui conditione deducitur, tu in detrimentum tui voluntate pertraheris. Nolo igitur frater ita sis sicut luna cùm deficit; sed esto sicut quando est plena atque perfecta. Scriptum est enim de justo: Sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.*

Analogia Solis & iusti. Ex adverso, sapiens & sanctus fulget constatque ut sol. Accipe analogias Solis & sapientis, Solis & sanctitatis, Solis & charitatis.

Prima. Primò, sol eadem semper est facie, luce, motu, colore, D tenore: ita & justus.

Secunda. Secundò, sol non offuscatur fumo, nebulis: ita nec justus metu, cupiditate, aliisq; passionibus.

Tertia. Tertiò, sol longè super terram eminet: sic & justus terrena despicit, mente in cælo fixus.

Quarta. Quartò, sol æqualiter spargit radios in omnes bonos & malos: sic & justus omnibus benefacit, amicis & inimicis.

Quinta. Quintò, sol ad omnem Dei nutum movetur, gyrat & regyrat: sic & justus.

Sexta. Sexto, sol centies & sexagies major & amplior est tota terra: ita justus ampla est charitate, ut ejus sinu totum orbem amplectatur.

Septima. Septimò, sol major est stellis: ita sanctus fulgore suæ sanctitatis cæteris præcellit.

Octava. Octavò, sol velocissimus est, quia qualibet hora conficit unum millionem & centum quadraginta millia milliarium, A uti ostendi Genes. 1. 14. Sic & justus ad omne Dei obsequiū celer est & agilissimus. Ita S. Antonius apud S. Athanasium vultu radiabat quasi sol, ut ex hac serenitate & luce vultus ab omnibus, etiam qui eum non noverant, agnosceretur: & hic vultus ei erat idem, & constabat tam in adversis quàm in prosperis, tam coram inimicis quàm amicis. Talis fit sapiens & sanctus: quidquid alii ei obstrepant, detrahant, laudent, rideant, &c. ipse sibi constet, & persistet ut sol: huncq; Solis vultum omnibus etiam calumniantibus ostendat, eosque radiis suæ lucis & charitatis aspergat, ut ex inimicis faciat amicos.

Christus Sol iustitiæ. Vis exempla prototypa sapientis constanter lucentis ut sol? Accipe. Primum assignat S. August. epist. 119. cap. 5. ubi solem ait esse Christum, lunam verò esse Adamum ejusq; asseclas: *Sapiens,* inquit, *sicut sol permanet; stultus autem sicut luna mutatur. Et quis est sapiens, qui permanet, nisi Sol ille Iustitiæ, de quo dicitur: Ortus est mihi sol iustitiæ; & quem sibi non fuisse ortum in die novissima plangentes impii dicturi sunt: Et iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol iustitiæ non ortus est nobis?* *Sap. 5.* *Nam istum carnis oculis visibilem solem oriri facit super bonos & malos Deus, qui etiam pluit super iustos & iniustos.* B *Ducuntur autem semper ex rebus visibilibus invisibilium congruæ similitudines. Quis est ergo ille stultus, qui tamquam luna mutatur, nisi Adam, in quo omnes peccaverunt? Anima quippe humana recedens à sole iustitiæ, ab illa scilicet interna contemplatione incommutabilis veritatis, omnes vires suas in terrena convertit, & eo magis magisq; obscuratur in interioribus ac superioribus suis: sed cùm redire cœperit ad illam incommutabilem sapientiam, quanto magis ei appropinquat affectu pietatis, tanto magis exterior homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem, omnisq; lux illa ingenii, quæ ad inferiora vergebat, ad superiora convertitur, & à terrenis quodammodo aufertur, ut magis magisq; huic sæculo moriatur, & vita eius abscondatur cum Christo in Deo.* *Coloss. 3.* *Mutatur ergo in deterius ad exteriora progrediens, & in vita sua proiiciens intima sua: & hoc terræ, id est eis, qui terrena sapiunt, melius videtur, cùm laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniquè se gerit, benedicitur.* *Psalm. 9.* *Mutatur autem in melius, cùm intentionem suam & gloriam à terrenis, quæ in hoc sæculo apparent, paulatim avertit, & ad superiora ab inferioribus convertit; & hoc terræ, id est eis, qui terrena sapiunt, deterius videtur.*

Et B. Virgo C Secundū exemplum sapientis radiantis ut sol, est B. Virgo, de qua audi S. Bernard. serm. in illud Apocal. 12. *Signū magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius. Nimirum,* inquit, *ea est, quæ velut alterum solem induit sibi.* Et paulò pòst: *Solet luna non modò defectum corruptionis, sed & stultitiam mentis, nonnumquam verò Ecclesiam huius temporis designare: illam quidem propter mutabilitatem, hanc sanè propter susceptum aliunde splendorem. Utraq; verò (ut ita dixerim) luna sub Mariæ pedibus congrue satis ponitur, alio tamen atq; alio modo. Siquidem stultus ut luna mutatur; sapiens autem permanet ut sol. In sole nimirum & fervor & splendor stabilis, in luna solus splendor, atq; is omnino mutabilis & incertus, qui numquam in eodem statu permaneat. Iure ergo Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ Sapientiæ ultra quàm credi valeat, penetravit abyssum: ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longe verò aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis undiq; & circumfundi, & tamquam ipso igne concludi. Candidissimus sanè, sed & calidissimus huius mulieris amictus: cu-* D *ius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minùs lucidum; sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum liceat suspicari. Insipientia verò omnis longè sub pedibus eius est, ut penitus absit hæc ab insipientium mulierum numero, & collegio virginum fatuarum. Imò verò & unicus ille stultus, & totius stultitiæ princeps, qui verè mutatus ut luna, sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus & contritus, miseram patitur servitutem.*

Et S. Ioannes Baptista. Tertium exemplum Sancti fulgentis ut sol, est S. Joannes Baptista, de quo audi eumdem S. Berard. serm. in Nativit. ejusdem. *Ille erat lucerna ardens & lucens. Magnum testimonium, fratres mei: magnus enim est cui perhibetur, sed maior est ipse qui perhibet. Ille (inquit) erat lucerna ardens & lucens. Est enim tantùm lucere vanum, tantum ardere parum; ardere & lucere, perfectum. Audi quid dicat Scriptura: Sapiens permanet ut sol, stultus autem ut luna mutatur. Quia enim splendet*

luna

luna sine fervore; modò plena, modò exigua, modò nulla videtur. Mutuatum siquidem lumen numquam in eodem permanet statu; sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitus non comparet: sic qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modò magni, modò parvi sunt, modò nulli, secundùm quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare. At verò solis splendor igneus est, & cùm fervet acriùs, etiam oculis lucidior exhibetur: sic sapientis ardor internus foris lucet; &, si non ei datur utrumque, curat semper ardere magis; ut pater suus, qui videt in abscondito, reddat ei. Væ nobis fratres, si luxerimus tantùm.

Lunatici cum luna delirant. Porrò, physicè & medicè hæc verba: *Stultus ut luna mutatur*, sic explicat Franc. Valesius de Sacra Philos. cap. 71. q. d. Insensati & stulti, qui non sunt sana mente & cerebro, per vicissitudines & mutationes lunæ pejùs habent, indeq; vocantur lunatici, id est melancholici, maniaci, epileptici. Unde hi in plenilunio, alii in novilunio magis agitantur, insaniunt & delirant. Luna enim ob vim humectandi valdè talium cerebrum alterat & immutat; quare malum cerebri cum crescente luna pariter accrescit. Huc alludit Siracides: sed per hoc aliud ad literam significare intendit, nimirum stultum in volendo, agendo & loquendo esse varium, & inconstantem instar lunæ. Nam numquam luna est eodem vultu, quia modò apparet corniculata, modò gibbosa, modò dividua, modò plena: inde græcè μὴν, dicitur per antiphrasim ἀπὸ τοῦ μένειν, id est à manendo, quòd numquam maneat sui similis. Sic & stultus. Contrà, homo sanctus in sapientia manet sicut sol. Unde Aristot. lib. 7. de Moribus: Vir bonus, ait, semper sui est similis, neq; mutat mores suos: at vitiosus & insipiens non videtur esse idem manè, qui vesperi. Et Seneca epist. 47. *Boni mores placent sibi & permanent: levis est malitia, sæpè mutatur, non in melius, sed in aliud.* S. Ambros. cap. 12. de Arca Noe, *Valida*, ait, *sapientia & fixa sententia est: insipientis, consilio nutat incerto, nunc odio inflexa, nunc quæstu versicolor, & humorum varietate difformis, instar leprosi corporis maculans animam, & salubres cogitationes noxiis sæpè permiscens.* Verba S. Ambr. in pauca contraxi.

Anagog. Symbolicè & anagogicè S. Cæsarius frater S. Gregor. Nazianz. Dialogo 1. in fine, pulchrè ostendit lunam esse speculum & imaginem hominis, qui nunc crescit, nunc decrescit, nunc vivit, nunc moritur, nunc resurgit. *Luna*, inquit, *est evidens imago nostræ naturæ nascens, crescens, plena, decrescens, imminuta, occidens, non tamen prorsus intercidens. Consimiliter & nos nascimur, crescimus ad plenitudinem, evadimus in senectutem: ita deinde deficimus vigore faciei, decrescimus elegantia coloris, & gratia floris in vultu, rubori pallorem inducentes. Imminuimur corporis robore, incipientes incedere curvi, & inniti baculo, ad terram inclinati, & ipso habitu ipsam obtestantes: Ecce adsum. Morimur, & in ipsam desinimus corpore; non tamen intercidentes spiritu, sed paulò post deposito carnis pallio, rursus anima vestitur. Non enim ego sum corpus, sed ego quidem anima, meum autem hoc corpus, & quæcumq; ex terra nascuntur; unde & hoc rursus post interitum nascitur, ut luna, quæ veluti reviviscens sub aspectum omnibus venit. Quandoquidem & nos in sepulchro intereuntes rursum resurgemus, quasi renati secundùm verbum illud divinum: Quando venerit filius hominis in regeneratione: quo nostræ resurrectionis tempus significatur.*

Tropolog. Tropol. Hac sententia monemur in sapientia & virtute perseverare, esseque constantes: hoc enim signum est virtutis veræ & solidæ, sicut ex adverso ingruente tentatione deficere à sanctitate, signum est illam non fuisse veram, id est solidam & fundatam. Sanctus ergo in sanctitate constans est quasi sol, imò quasi angelus, & Deus quidam terrestris, &, ut ait ille, *quasi quidam obambulans in terra Deus, & sanctus in carne angelus.* Deus enim est sol increatus & pater luminum, *apud quem non est trasmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, Jacob. 1. Vide ergo ut angeli in carne assumpta conversentur, nec à carne mutentur, sed ut angeli in angelica puritate, sapientia, constantia permaneant; & eos imitare: quoad animam enim angelus es. Vide ut Deus incarnatus, putà Christus, inter homines versatus sit, ut ab hominibus nil vitii, nil mutabilitatis contraheret: sed in sua substantia permanserit Deus, naturà incorruptibilis, qualitate immutabilis; & eum imitare.

Justus crescit ut sol-cur? Rursum sicut sol constanter ascendit usque ad lucem plenam & meridianam: ita & justus in sapientia & veritate, juxta illud Proverb. 4. 18. *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usq; ad perfectam diem.* Ratio est, tum quia virtus indies exercitio fit ei facilior & jucundior; tum, quia

A actus unus virtutis invitat & elicit alium & alium; tum, quia vires tum animi, tum corporis exercitio augentur & crescunt. Ita Milo Crotoniates vires corporis exercendo auxit; ut enim in publico agone fortitudinis palmam ferret, primò portavit vitulum; deinde eum quotidie portando, crescente vitulo, creverunt & vires ejus; adeò ut vitulo tandem excrescente in bovem, eumdem jam bovem tulerit. Ita S. Dominicus Loricatus mirè austeram egit vitam, in jejuniis, lorica ferrea, quam continuò ad nudam carnem gestavit, disciplinis acribus & prolixis. Rogatus, quomodo tanta ferre posset? Respondit: *A parvis cœpi, & constanter gradatim ad maiora perrexi: quæ mihi iam tam facilia sunt, quàm olim erant parva; labor enim laborem adescat*, inquit, *vigilias vigiliæ pariunt, & corpus, in quo sensim enutritur, in eo & roboratur.* Ita Simeon Stylites gradatim ascendit, ut tandem in columna steterit sub dio perdius & pernox per annos 50. vel, ut Baron. 80. perpetim orans, aut instruens hortansque alios ad virtutem, vix comedens, vix dormiens.

Ad hanc constantiam consistendi & proficiendi in sapientia & virtute, stimulus est, Primò, mentem defigere in Deo. Hic enim est primus constantiæ & perseverantiæ B actus, ex quo cetera bona sequuntur. Qui enim mente defixus est in Deo, nullis illecebris flectitur, nullis minis & terroribus concutitur. *Qui adhæret Deo, spiritus unus est: qui petra, lapis unus*, ait S. Benard. serm. 8. in psalm. *Qui habitat.* *Stimuli ad constantiam. Primus.*

Secundus est, amor ingens Dei. Hic enim excitat amantem ad constanter laborandum, & patiendum quidlibet pro ejus obsequio. Charitate enim obarmatus Paulus fidenter exclamabat: *Quis nos separabit à charitate Dei? An tribulatio, an angustia, an fames?* &c. *Certus sum, quia neque mors, neque vita*, &c. Rom. 8. *Secundus.*

Tertius est, magnum desiderium proficiendi in virtute. *Cave*, ait Nazianz. in Distichis *ne umquam in via virtutis subsistas. Tibi enim, qui à vitiosa excessisti, perinde puto esse consistere, ac si in imum vitii gurgitem laberetis.* *Tertius.*

Quartus, cogitare, quanta, & quàm magna opera facta sint, & fiant etiamnum, per constantiam. Considera Paulum, qui omnes penè gentes docuit & convertit, ideoq; Doctor Gentium appellatur. Quia ratione id fecit? labore & constantia. Unde captus Hierosolymis à Deo audivit: *Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet* C *& Romæ testificari*, Actor. 23. 11. Et prædicans Corinthi ab eodem audivit: *Noli timere, sed loquere, & ne taceas: propter quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi ut noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac civitate*, Actor. 18. 10. Considera S. Athanasium, qui pondus Ecclesiæ & furias Arrianorum, adeoq; insultus totius quasi orbis, sustinuit per 46. annos, eaq; ratione & fidem Homousii, & Ecclesiæ integritatem conservavit. Qua ratione? adamantina constantia. Considera Simeonem Stylitem jam nominatum, qui stans in columna jugiter, typus & imago fuit constantiæ: quid non hic vir effecit suis orationibus, miraculis, consiliis, exemplo? Lege ejus Vitam apud Theodor. & alios, & obstupesces. *Quartus.*

Quintus est, cogitare brevem esse omnem laborem & dolorem nostrum. *Momentaneum enim & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Corinth. 4. Hac consideratione S. Antonius suos ad constantiam in rigore vitæ tam austeræ hortabatur, teste S. Athanasio in ejus Vita. Eadem Barlaam apud Damasc. in Historia, hortatur Josaphat ad constantiam vitæ religiosæ, & contra tentationem longitudinis vitæ & pœnitentiæ obarmat, dicens: D *Cogita te hodie cœpisse servire Deo, te hodie finiturum.* S. Athanasius, cùm S. Julianus Apostata capesseret imperium, ideoque percellerentur omnes Christiani, exclamavit: *Bono animo estote, nubecula tantùm est, quæ mox evanescet splendente sole.* ita Sozomen. lib. 6. cap. 26. S. Polycarpus Herodi proconsuli ignem minitanti, ni à Christo descisceret: *Ignem*, inquit, *minaris hunc qui ad momentum incenditur, & paulò post extinguitur: verùm ignoras futuri iudicii ignem æternum fore, qui ad perpetuas pœnas præparatus est.* ita Euseb. lib. 14. hist. cap. 5. *Quintus.*

Sextus est, invocare angelum constantiæ, putà S. Gabrielem, qui interpretatur fortitudo Dei, vel fortis Deus: tum quia hic constantissimus est; unde Daniel ita eum pingit cap. 10. 5. *Vir unus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo: & corpus eius quasi chrysolitus, & facies eius velut species fulguris, & oculi eius ut lampas ardens: & brachia eius,* *Sextus.*

ejus, & quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis: tum, quia à Deo datus est nobis præses fortitudinis & constantiæ, ut nostram infirmitatem & inconstantiam confirmet, uti confirmavit Danielis, dicens v. 19. *Noli timere vir desideriorum: pax tibi, confortare, & esto robustus.* Idem, ut videtur, confirmavit Judam Machabæum cum paucis sociis, ut contra castra Lysiæ, scilicet contra 80. millia peditum, & ingentem equitatum, dimicarent & vincerent. *Apparuit*, inquit, *præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, & convaluerunt animis; non solum homines, sed & bestias ferocissimas, & muros ferreos parati penetrare. Ibant igitur prompti de cælo habentes adjutorem, & miserantem super eos Dominum. Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum & equitum mille sexcentos: universos autem in fugam verterunt.* 2. Mach. 11. 8.

Septimus. Denique, efficax ad constantiam stimulus est cogitare, quod ait hic Sapiens, scilicet justum & sapientem permanere in sua sapientia quasi solem; inconstantem verò esse stultum & lunaticum, qui cum luna & instar lunæ mutatur. Id per umbram videre Gentilium sapientes, qui censuerunt viri cordati esse constantiam; feminæ, inconstantiam. Ita Zeno, Stoicorum parens, dicebat, facilius esse utrem inflatum mergere, quàm virum probum invitum ad aliquid agendum cogere. Nam invictus animus rationis rectæ placitis confirmatus, cedit nemini. ita Philo lib. *Quod omnis probus sit liber.*

Exempla Gentilium. Anaxarchus philosophus, cùm à Nicocreonte Cypri tyranno in saxo concavo tunderetur; animo infractus, *Tunde*, inquit, *tunde Anaxarchi vasculum, Anaxarchi constantiam non teres.*

Socrates semper erat eodem vultu; cùm alii in prosperis gestiant, in adversis deficiantur. Unde S. Hieron. robur Socraticum commendat.

Agesilaus monenti, ut aliquid de vitæ rigore remitteret; *At ego*, inquit, *me consuefacio, ut quæcumque inciderit fortunæ mutatio, non quæram ipse mutationem.* Mira animi constantia, quæ nec in austeriore vita delicias requireret, nec inter delicias agens, ab illis corrumpi posset. ita Plutarch. in Lacon.

Manlius electus in consulem Romanum, instantibus cunctis, ut eum acceptaret, immobili animo ac vultu respondit: *Alium, Quirites, quærite, ad quem hunc transferatis honorem: nam nec ego vestros mores ferre possum, nec vos meum imperium perpeti poteritis.* ita Livius lib. 6. decade 1. & Plinius Junior de Viris illustr. cap. 28.

Cato, cùm, perditis jam rebus, eum amici hortarentur, ut ad Cæsaris clementiam confugeret, respondit, *Victorum esse, & eorum qui deliquissent, supplicare: Catonem nec victum, nec captum esse, qui se per omnem vitam invictum præstitisset, ac Cæsarem honestate justitiaque longe superasset: Cæsarem potiùs victum captumque esse, qui bellum, quod diu negasset se moliri adversus patriam, nunc id egisse convictus esset. Proinde, pro se Cæsarem orarent qui vellent pro Catone neminem orare debere.* ita Plutarch. in Catone.

C. Mævius, Augusti centurio, captus, & ad Antonium perductus, cùm interrogaretur: Quid de se statui juberet? *Jugulari*, inquit, *me jube, quia non salutis beneficio, nec mortis supplicio adduci possum, ut aut Cæsaris miles esse desinam, aut tuus esse incipiam.*

Gentilibus constantiores fuere Christiani.

Christianorum. Ludovicus Bavariæ Dux captus ab Alberto Marchione Brandemburgensi, qui multa cum minis ab eo petebat, ait: *Quæ poteris ex me libero impetrare, eadem modò ex capto petito: si quid amplius voles, corpus meum in tua potestate; animum mihi, non tibi obnoxium invenies.* ita Æneas Sylvius lib. 3. de Rebus Alfonsi.

Victor proconsul Carthaginis sollicitatus ad arrianismum: *Dicite*, ait, *regi vestrò, ut ignibus me subiiciat, adigat bestiis, excruciet omni genere tormentorum: si consentio, frustra sum in Ecclesia baptizatus Catholica. Nam si hæc vita præsens sola fuisset, & aliam, quæ verè est, non speraremus æternam, nec ita fecissem ad modicum, atq; temporaliter gloriarer.* ita Victor lib. 3. Wandalic.

S. Basilius præfecto Valentis Imper. minitanti mortem, nisi Valenti Arriano pareret, tranquillè & intrepidè respondit: *Atque utinam aliquid mihi esset digni muneris, quod offerrem huic qui maturius Basilium de nodo hujus follis absolveret.* A Cumque daretur ei nox sequens ad deliberandum: *Ego*, ait, *cras idem ero, qui nunc: tu utinam te non mutares.* ita Eccles. Histor. lib. 11. c. 9.

S. Basilii socius S. Gregor. Nazianz. in Distichis: *Quisquis*, inquit, *venientibus vicissimque abeuntibus rebus confidit, ille utique fluvio perenni labenti confidit. Dies ad diem se transmittit, levissimeque volvitur: at constantis hominis sententia sempiternum diem habet.* Et mox: *Id demum mihi placet, quod altissimas in animo radices egit.* Hi nimirum sunt heroes, cælo, quasi civitate fortium, digni: de quibus Isaias c. 61. *Vocabuntur in ea*, ait, *fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.*

Hanc parabolam apologo similem festivo galaxiæ, asbesti, synochitis & carbunculi apologo honestat Cyrillus lib. 1. Apolog. moral. cap. 26. cujus titulus: *In bonis constantia te confirmet.* *Apologus constantiæ.* *Galaxias*, inquit, *asbestos, & synochites gemmæ tres simul congregatæ, de suis virtutibus cœperunt disceptare primaque dixit galaxias: Ego quidem licet adamantino robore non polleam, ipsum tamen excedo, quòd tenacissimæ proprietatis vigore, ab igne minimè calesco. Mox asbestos illi se præferens inferebat: Utique nobiliore ego præditus sum qualitate, quòd* B *inseparabiliter unctuosum humorem continendo, semel accensus vix aut numquam extinguor. Quibus synochites adjunxit: Vosmetipsos, ut video, de contraria vestra immutabilitate iactatis; attamen ego me haud minùs admirabilem esse puto, quoniam varietate mirabili cum luna quotidie cresco & decresco. Verùm cùm qui seipsum commendat, non ille probatus fit: idcirco ipsi non immeritò placuit carbunculi audire sententiam radiantis, qui prædoctus de causa, æquo rationis libramine, mox disceptantium litem sententialiter definivit, dixitq;: Cùm contrariorum habituale sit præstantius privativo, utique calefieri est ad melius immutari, infrigidari verò in deterius converti: in continuo autem fluxu esse, nihil est esse; nam secundum hoc, non est esse. unde res omnis quantum habet de mutatione, tantum habet de non esse. Dico igitur numquam promoveri ad melius, dura nequitia est; sicut nec umquam in deterius converti, constantia; semper autem mutari, imbecillitatis est atq; clementiæ.* Deinde idipsum exemplo cannæ, chamæleontis, cæli & melodiæ confirmans adjicit: *Cannam siquidem vacuam, exhalationis semper influxus hinc inde mobilitat, & cum vento confluctans, continue fluida spargitur maris unda. Non audisti quid sagax vulpes semel responderit chamæleonti, de coloris aurei adeptione* C *glorianti? Quippe ubi non est stabilitas, umbralis est entitas, & gloriositas non est vera. Nonne quantum de stabilitate, tantum de nobilitate tenent omnia; & in unoquòque genere firmiter stabilita, sunt prima principia? Porrò natura quæ sapientiæ ordine regitur, in necessariis conditionibus stabilitatis amatrix, non sine firmamento uniformitatis mutatur. Nam cælum semper regulariter volvitur, ac temporum vicissitudines & ætates uniformiter se sequuntur. Quin melodiæ concentus, & facundiæ fluxus, licet demulceant, tamen sine decentis stabilitatis correspondentia, sensum animæ constantis non delectant. Sicut igitur nihil est sapiente mobilius in malis, sic nihil constabilius est in bonis. Quibus lis fuit terminata.* *Similia.*

IN MEDIO INSENSATORUM SERVA VERBUM TEMPORI: IN MEDIO AUTEM COGITANTIUM ASSIDUUS ESTO] *Vers. 13.* Aliqui legunt, *cogitantium legem Dei*: sed, τὸ *legem Dei*, delent Romana & Græca. Jam *cogitantium*, id est meditabundorum, hoc est prudentium: cogitatio enim & meditatio parit prudentiam.

Dixit v. præced. narrationem sancti semper esse in sapientia: nunc, ne quis inde colligat, sanctum ubique debere D promere suam sapientiam, illud hic limitat, docetque ubi eam promere debeat, ubi verò reticere. q. d. Dum inter tentatos & insipientes verlaris, noli proferre verba sapientiæ; &, ut ait Christus, Noli sanctum dare canibus, & margaritas projicere ante porcos: sed serva illa tempori, ut opportunè ea proferas, cùm scilicet proderit ea dixisse. Cura interim consortia & familiaritatem virorum prudentium & gravium, qui non nisi seria, priùs diu multumque cogitata benèque expensa, loquuntur: hi enim doctrinam sapientiæ tuæ avidè excipient, ac tu vicissim multa ab iis proficua audies & disces. Hoc est quod ait Salomon Eccles. 3. *Tempus loquendi, & tempus tacendi.* quod sit illud tempus, explicat hic Siracides, nimirum, tacendi tempus esse, cùm inter stultos verlaris: loquendi verò, cùm inter sapientes. Unde Tigurina vertit, *insipientibus interventurus observes opportunitatem* (qua scilicet data commoda occasione, apposite & cum gratia eis ostendas & corrigas eorum insipientiam)

tiam) *at cœtum cordatorum frequens adeas;* Vatablus, *inter insipientes tempori servias, at inter cordatos crebrò loquere;* Syrus, *inter stultos opus est observare tempus, & inter sapientes loqui semper.*

Vers. 14. Narratio peccantium odiosa, et risus illorum in deliciis (ita Rom. & Græca: perperam ergo Jansenius & alii passim legunt *delictis*) peccati] *Peccantium*, id est, peccatis deditorum, qui crebrò solent peccare, qui peccata frequentant, iisque delectantur & exultant. Græcè est μωρῶν, id est, *stultorum*. Peccator enim, dum peccat, stultissimus est, & peccatum est summa stultitia; quia Creatori creaturam, cælo terram, paradiso gehennam anteponit & prælegit. Pro *odiosa*, græcè est προσόχθισμα, id est offensio, offendiculum, molestia, tædium, odium, execratio. Unde Complut. vertunt, *narratio fatuorum onerositas, & risus eorum in cibo peccati;* Tigurina *narratio stultorum offensionem habet, & risus eorum scelerosam voluptatem;* Syrus, *narrationes stultorum odibiles sunt, & risus eorum amaritudo* (vel impudentia) *est*. Sensus est, q. d. Sapientibus, putà justis, *narratio peccatorum est odiosa* molestaque, *&*, id est, quia, *risus illorum est in deliciis peccati:* quia scilicet cum risu & gaudio narrant suas libidines, aliasque fœdas peccatorum delicias, in iisque exultant, quas justi exhorrent. Ex abundantia enim cordis os loquitur, juxta illud Proverb. 2. *Lætantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Jam quid gravius viro casto, & sancto, quàm incesta, blasphema, impia, adeoq; non nisi Dei offensiones audire? Unde David psalm. 118. *Vidi*, inquit, *prævaricantes; & tabescebam:* &, *Tabescere me fecit zelus meus.* Impii enim aguntur spiritu non Dei, sed diaboli, luxuriæ, superbiæ, &c. hic enim eis dominatur; hic per os eorum loquitur superba, luxuriosa, diabolica; hic per manus & membra eorum similia exercet & operatur.

Vers. 15. Loquela multum jurans, horripilationem capiti statuet: et irreverentia ipsius obturatio aurium] Exemplo docet, quàm narratio peccantium sit odiosa; quia scilicet inter alia peccata, quæ ipsi committunt, unum est, quòd crebrò, imò tertio quoque verbo, jurent & dejerent, idque sæpè per vulnera Christi resque sanctissimas. Quæ juramenta & execrationes, aliaque similia, quæ irreverenter & impudenter proferunt, justis audientibus horrorem incutiunt: adeò ut subinde ex pudore & horrore aures suas obturent, ne tam infandis sermonibus feriantur & polluantur. Pro *irreverentia*, S. August. per diæresim legit, *in reverentia*, id est, præ pudore & verecundia: hanc enim sæpè in Script. significat *reverentia*. Græcè est μάχη, id est jurgium, rixa, contentio, pugna. Unde Complut. vertunt, *loquela multùm jurantis eriget capillos, & rixa* (Roman. *iurgium*) *eorum obturatio aurium;* Tigur. *sermo crebro iurantis horrorem incutit, & aures obtundit contentio talium.* Alludit ad morem Judæorum, qui audita blasphemia, vel vera, vel apprehensa, aures obturabant, ut ostenderent se eam execrari, ut patet Actor. 7. 56. Unde Palacius per *irreverentiam* accipit blasphemiam. Blasphemiam enim adeò horrebant Judæi, ut ne quidem ejus nomen proferre auderent, sed illud alio honestiori designarent, aut per periphrasim circumscriberent.

Vers. 16. Effusio sanguinis in rixa superborum, et maledictio illorum auditus gravis] Alio exemplo ostendit, quàm narratio peccantium sit odiosa, q. d. Stulti loquendo concitant rixas & jurgia, ex quibus sequuntur pugnæ, duella & cædes. *& maledictio;* græcè, διαλοιδόρησις, id est, continuatio, *illorum, auditus gravis*, hoc est, auditu est gravis & molesta; græcè, μοχθηρά, id est, nequam, prava, flagitiosa, improba, importuna, tetra, laboriosa, molesta, ærumnosa. Tigurina, *concertatio superborum sanguinis effusio est, & convitia eorum auditu gravia.* Syrus, pro hoc versu & præced. hos substituit: *Domum impii arrigere facit pilos capillorum, & qui effundit sanguinem auscultabis verba impii. Inter impios ne sedeas, & cum ridente obtura aures tuas.*

Vers. 17. Qui denudat arcana amici, fidem perdit, et non inveniet amicum ad animum suum] *Fidem*, id est fidelitatem, tum realem in se, tum æstimatam in amico ceterisque. q. d. Qui revelat secreta amici, perdit fidelitatem, quia desinit esse amico fidelis, & incipit esse infidus ac perfidus: quare vicissim *fidem*, id est opinionem, creditum, & nomen fidelitatis perdet apud amicum, ut ille deinceps ei fidem non habeat, nec ei credat; sed eum aspernetur ut perfidum & proditorem, ideoq; amicitiam ejus abrumpet, & ex amico fiet hostis & inimicus. Amicitiæ enim fundamentum est fides, sive fidelitas: eam si evertas, evertis omnem amicitiam: *& non invenies amicum ad animum tuum;* id est, pro tuo voto & desiderio, pro animi tui sententia. Nemo enim cordatus eum volet amicum, quem aliquando expertus sit vel audierit amico fuisse infidum, ejusq; arcana revelasse. ita Tigur. *enunciator*, inquit, *arcanorum fidem perdit, nec amicum pro animi voto inveniet:* Syrus, *qui revelat secretum, perdet fidem suam, & non inveniet sibi amicum secundùm animum suum;* imò justo Dei judicio reddetur ei talio, ut, sicut ipse fidem non servavit, amico, sic nec amicus ullus eam illi servet. Alludit ad Proverb. 11. 13. *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis est animi, amici celat commissum.* Et cap. 25. 9. *Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reveles.* Gnoma. Nam, ut ait S. August. vel quisquis est Auctor lib. de Amicitia cap. 13. *Secretorum revelatione inter amicos nihil turpius, nihil execrabilius, nihil amoris vel gratiæ relinquens inter amicos; sed omnia replens amaritudine indignationis, & odii atque doloris felle cuncta aspergens. Unde Salomon: Qui denudat arcana amici, perdit fidem. Quid enim infelicius illo, qui perdit fidem, & desperatione languescit? Unde denudare amici arcana, desperatio est animæ infelicis.* Quin & Isocrates ad Demonicum, *diligentiùs*, inquit, *tuenda sunt deposita verborum, quàm pecuniarum.* Quam sententiam Anaxander Comicus Græcus sic effert:

> *Commissa cui sunt verba, cui depositum;*
> *Si retegit, est iniquus, aut est garrulus;*
> *Si spe lucri, est iniquus hic, sive garrulus.*
> *Censendus autem uterque pariter improbus.*

Hinc Ægyptii, ut scribit Diodorus Siculus lib. 2. c. 2. linguam abscindi jubebant illi, qui secreta revelasset: Romani autem hujusmodi hominem aut vivum comburendum, aut furca suspendendum existimabant. ita Paulus l. *Si quis. ff.* de pœnis.

Vers. 18. Vers. 19. Dilige proximum, et conjungere fide cum illo. Quod si nudaveris absconsa illius, non persequeris post eum] Ita Romana legunt, *persequeris*, non *persequaris*, ut alii; esto, utriusq; lectionis idem sit sensus, q. d. Si diligis proximum, græcè φίλον, id est amicum, jungere illi per fidem, ut scilicet fidem illi serves, & fideliter secreta ejus reticeas, eaq; apud te serves: nam si ea nudaveris & revelaveris, fugiet te, tuamque amicitiam certò & irrevocabiliter: quare frustra persequeris eum, ut ad amicitiam revoces: manebit enim ille à te aversus & inexorabilis. Tigurina, *fac ames amicum, & te fidum illi præbeas* (alii, *fidem cum eo firma*) *quòd si arcana eius effutias, non assequaris eum postea;* Syrus verò sententiam sic invertit, *proba socium tuum, & fide illi; si autem revelet secretum fidei, ne incedas post eum.* Alludit ad illud Proverb. 20. 19. *Ei qui revelat mysteria* (arcana,) *& ambulat, fraudulenter, & dilatat labia, ne commiscearis.* In quæ verba S. Hieron. vel quisquis est Auctor lib. 2. in Proverb. c. 20. *Si quis*, inquit, *volueris tuis misceri amicitiis, & hunc videris prioris amici secreta pendentem, hunc velut perfidum cave.*

Ratio à priori est, quòd celare secreta proximorum, sit res necessaria ad hoc, ut homines in pace & tranquillitate vivant, utq; mutua hominum conversatio tuta servetur. Si enim homines hominum secreta detegerent, maxima inde perturbatio, imò societatis humanæ eversio sequeretur. Ergo præceptum naturale est, ut homines hominum vicissim secreta custodiant. Ergo fides secretorum juris est naturalis, divini & humani. Igitur qui data fide recipit arcanum amici, tenetur illud secretum servare ex justitia, perinde vt tenetur servare depositum: pluris enim est secretum, quàm depositum pecuniæ. Atq; adeò qui per injuriam extorsit ab alio secretum suum, tenetur illud servare, sicut fur tenetur restituere furtum: ut, si quis litteras alienas aperuit, præterquam quòd graviter peccavit, obnoxius est secreti servandi.

Hæc in genere de fide secreti. Nam in particulari sunt nonnullæ secreti revelationes, in quibus præter infidelitatem, accumulantur circumstantiæ aliorum peccatorum. Ut patefacere latronibus ubi latitet thesaurus proximi, præter infidelitatem, genus est furti; ac prodere latentem hominem hostibus occidendum, genus est homicidii. Ita Socrates dictitabat colendam fidem potiùs in arcanis, quàm in creditis pecuniis. Et Cato hoc nomine maxi-

maximè celebratur, quòd amicorum arcana ſanctè celaret. Et Simonides, homines infimæ notæ cenſebat eos, qui ſecreta continere non poſſent, ac ſimiles ſervo illi apud Comicum, qui rimarum plenus effundebat arcana.

Apud Chriſtianos verò ſanctior eſt fides ſecreti, adeò ut ſacerdos ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum occulto peccatori miniſtrare debeat, ne ejus crimen manifeſtet, etiamſi illud extra confeſſionem ſecretò noverit, uti docet S. Auguſt. hom. 50. de Pœnit. & refertur 2. q. 1. cap. *Multi*. Confeſſionis verò Sacramentalis tam religioſa eſt fides ſecreti, ut confeſſarius mille potiùs mortes ſubire debeat, quàm vel minimum pœnitentis peccatum revelare; ſi ſecus faxit, grave ſacrilegium admittit. Et in hoc ſecreto nec Summus Pontifex, nec tota Eccleſia diſpenſare poteſt. Hæc & plura docet Domin. Soto Relect. de tegendo ſecreto.

Vers. 20. SICUT ENIM HOMO, QUI PERDIT AMICUM SUUM, SIC ET QUI PERDIT AMICITIAM PROXIMI SUI] Ita Romana & S. Auguſt. in Speculo, q. d. Sicut perdis amicum per mortem: cùm enim ipſe moritur, moritur pariter amicitia quam cum illo habebas: idque irreparabiliter, quia à morte non datur reditus ad vitam, nec mortuus reviviſcere poteſt: ita quoq; perdis amicum, ejuſque amicitiam per revelationem ſecreti, cùm ejus arcana evulges, idque irrevocabiliter, quia fidem tollis, quæ eſt quaſi anima & vita amicitiæ. Secundò, Palacius: Amicus, inquit, & amicitia pari gradu currunt: ac ideò ſi amicitiam leviter violaſti, violaſti & amicum leviter: ſed ſi ictu lethali (qualis eſt revelatio ſecreti) amicitiam læſiſti; crede omnino amicum amiſſum, ſicut amittitur avis, cùm è manu evolavit, & caprea cùm è laqueo fugit. Græca, pro *amicum*, contrariè legentes ἐχθρὸν, id eſt *inimicum*, ſic habent: *ſicut enim aliquis perdidit inimicum ſuum, ſic perdidiſti amicitiam proximi tui*, id eſt, ut vertit Tigur. *ut enim quiſpiam inimicum ſuum interemerit, ita benevolentiam perdiderit amici*. τὸ enim *perdidit*, activè ſumitur pro occidere. q. d. Sicut occidens inimicum, perdit ejus vitam; ſic revelans ſecretum amici, perdit & occidit quaſi ejus amicitiam. Syrus verò, *ſicut enim qui perdit partem ſuam, ita perdidiſti amicitiam amici tui*. Aliter. Græca explicat Janſenius. q. d. Sicut ſine ſpe amicitiæ obtinendæ homo amittit inimicum ſuum, ſcilicet quoad amicitiam ipſius: verus enim inimicus numquam erit verus amicus: ſic etiam ſe habet homo, qui ſua perfidia, aut ſutili ſecretorum ſibi commiſſorum denudatione perdit amicitiam proximi, id eſt, amici ſui; nimirum perdit eam irrecuperabiliter, nec tentet illum magis ſibi benevolum quàm hoſtem ſuum.

Vers. 21. ET SICUT QUI DIMITTIT AVEM DE MANU SUA, SIC DERELIQUISTI PROXIMUM TUUM, ET NON EUM CAPIES. NON ILLUM SEQUARIS,

Vers. 22. QUONIAM LONGE ABEST: EFFUGIT ENIM QUASI CAPREA DE LAQUEO] Probat duabus ſimilitudinibus, avis & capreæ, irrevocabilem eſſe amicitiam ejus, qui perfidè ſecretum amici revelavit. q. d. Sicut avis manu aucupis dimiſſa ilicò avolat in arbores & ſilvas, gaudetque ſe manibus aucupis liberatam, ac libertate ſua gaudens, ab eo procul aufugit, ita ut, licèt auceps eam perſequatur ut recipiat, numquam tamen eam conſequi poſſit: ſic pariter amicus perfidè ab amico revelante ejus ſecreta læſus, ab eo aufugit, gaudetque ſe ejus perfidia liberatum, nec umquam ad ejus amicitiam redit, etſi ab eo rogetur & ſollicitetur. Rurſum ſicut caprea è laqueo ſe extricans gaudet ſe laqueo liberatam, fugitque in petras & rupes, ac planè cavet à laqueo: ſic & amicus proditus ab amico, ab eo planè avertitur, & longiſſimè recedit, gaudetque ſe laqueo perfidi amici liberatum, & ſemper ab eo quaſi à laqueo ſibi cavet. Tigurina, *quaſi qui avem manu emiſeris, ita amiſeris amicum, quem nullo venatu recuperes. ne ſecteris eum, quoniam procul abſceſſit, & quaſi caprea* (græcè, *dorcas*) *effugiet eum*; Syrus, *ſicut avem è manibus tuis avolare feciſti eum, & non venaberis eum, & non ſequeris eum, quoniam effugit tamquam caprea ille rete, & ſicut avis de laqueo*. Deſperanda enim eſt utiuſque recuperatio. Chriſto gratia, qui adeò graviter à nobis læſus, & adeò graviter pro nobis vulneratus, non rejicit amicitiam noſtram, imò certa ſpes eſt, tam futurum nobis pœnitentibus amicum, quàm ſi non peccaſſemus.

Similis, iſque inſignis extat apologus apud Damaſcenum in Hiſtor. Barlaam, cap. 10. quem, quia hunc Siracidis locum explicat, ſubtexam: Philomela, inquit, capta

Apologus philomelæ.

A ab aucupe, ab eoque neci deſtinata, ut eam evaderet, hac arte & ſermone ad eum uſa eſt: *Quidnam, ò homo, ex mea nece ad te utilitatis rediturum eſt? Neque enim per me ventrem tuum explere poteris. At, ſi me vinculis liberaveris, tria præcepta tibi tradam, quibus ſi parueris, magnis per omnem vitam commodis afficieris. Ille autem ex ipſius ſermone admiratione commotus, ſeſe facturum recepit, ut, ſi novum aliquid ab ea audiret, ſtatim eam libertate donaret, ac miſſam faceret. Converſa itaque luſcinia homini ait: Numquam rem quam conſequi nequeas, aggredere: Numquam rei præteritæ te pœniteat: Rei incredibili numquam fidem adhibe. Hæc tria mandata ſerva, & præclarè tecum agetur. Ille autem horum verborum ſagacitatem, ac prudentiam admiratus, eam vinculis ſolvit. Luſcinia itaque periculum facere cupiens, an ille verborum illorum, quæ audierat, vim intellexiſſet, atq; aliquam ex ipſis utilitatem percepiſſet, per aerem volitans ad eum dixit: Prò quàm nihil eſt in te conſilii, ò homo! qualem theſaurum hodie amiſiſti! Eſt ſiquidem in meis viſceribus unio, ſtruthionis ovum magnitudine excedens. Quæ ut ille audivit, mœrore conturbatus eſt: eumq; pœnituit quòd luſcinia ex ipſius manibus effugiſſet. Atque eam rurſus arripere tentans, dixit: Veni quæſo in ædes meas: atq; ubi præclarè & humaniter à me accepta* **B** *fueris, honorificè te dimittam. Luſcinia autem ipſi dixit: Nunc planè te ſtolidum ac vecordem eſſe ſcio. Nam poſteaquam ea quæ ad te dicta ſunt prompto animo excepiſti, ac libenter audiſti, nihil ex ais emolumenti conſecutus es. Admonui enim te, ne ob rem præteritam pœnitentia ducereris: & ecce mœrore conturbatus es; propterea quòd è manibus tuis fuga me ſubduxerim, pœnitentia videlicet ob rem præteritam affectus: Præcepi tibi ne ea quæ aſſequi non poſſes, aggredereris: & tamen arripere me conaris, cùm iter meum aſſequi nequeas. Adhæc id quoque tibi edixi, ne incredibili ſermoni fidem arrogares: & tamen in viſceribus meis unionem ſtaturæ meæ modum excedentem, ineſſe credidiſti. neque tantillum tibi prudentiæ fuit, ut intelligeres me totam ad ovi ſtruthionis magnitudinem minimè accedere: quonam itaque pacto tantum unionem corpuſculum iſtud caperet?* Quæ deinde ipſe infidelibus idololatris adaptat, nos perfidis amicis ſecreta revelantibus accommodare poſſemus. Hi enim rem, quam per revelationem ſecreti aſſequi cupiunt, putà amicitiam tertii, cui ea revelant, reipſa non conſequuntur, quia ab eo æſtimantur & fugiuntur quaſi perfidi: unde eos præteritæ revelationis pœnitet; cumque ad priorem amicum redire, eique ſe reconciliare cogitant & tentant, credunt & tentant rem **C** incredibilem & impoſſibilem, ipſe enim ſemel ab amico infido deceptus, ampliùs ei non credet, nec ſecundò ab eo decipi ſe patietur; unde huic deceptionis periculo ampliùs ſe non exponet; ideoque ſecreta ſua illi non patefaciet.

QUONIAM VULNERATA EST ANIMA EJUS, ULTRA EUM NON POTERIS COLLIGARE] Alludit ad dorcadem, ſive capream laqueo & venabulo captam, teliſque confixam. q. d. Sicut caprea telis confixa & vulnerata à venatoribus, longiſſimè ab iis aufugit in rupes: ſic & amicus ab amico revelante ejus ſecreta perfidè proditus, longiſſimè ab eo aufugiet; quia anima ejus hoc perfidiæ telo intimè vulnerata, adeò dolore eſt ſaucia, ut hoc ejus vulnus non poſſis colligare, ſed illud planè fit incurabile, & immedicabile, quia intima animæ & cordis pervadit. Græca conciſa hunc verſum cum ſequenti conjungunt, uti mox patebit. Vers. 23.

Vers. 24. ET MALEDICTI EST CONCORDATIO.] (ita Romana & Græca: perperàm ergo aliqui legunt *recordatio*:) DENUDARE AUTEM AMICI MYSTERIA (arcana, ſecreta) DESPERATIO EST ANIMÆ INFELICIS] q. d. **D** Si maledictum, id eſt, convitium, in aliquem conjeceris, locus eſt & modus, quo injuriam hanc ſarcire, eique reconciliare poſſis: ſed ſi quis ſecreta ſibi bona fide ab amico concredita revelet, hujus anima eſt infelix, ac planè deſperare debet concordationem, id eſt reconciliationem cum amico perfidè à ſe læſo. Quocirca ſapienter Solon apud Auſonium: *Clàm*, inquit, *coarguas propinquum, ſed publicè laudaveris*. Et P. Syrus: *Secretò admone amicos, palàm lauda*. Græca hunc verſum cum præced. jungunt, ſicque habent: *Nam vulnus obligari licet, & de convitio eſt reconciliatio: ſed qui arcana detexit, deſperat*. ita Romana, quæ legunt ἀπήλπισε, id eſt deſperavit, hoc eſt, deſperat reconciliationem, pro quo Complut. legunt ἀπώλεσε πίστιν, id eſt, perdidit fidem; quia nemo ampliùs ei quaſi perfido fidem habebit, ut ſe ſuaque ſecreta ei credat, Romanis conſentit. Tigur. *nam vulnus quidem alligari poteſt, & à convitiis*

locus

locus est reconciliationi: sed arcani proditor (infelicis animæ) spem amisit; & Syrus, *quia vulneribus est medela, & jurgio est reconciliatio: revelationi autem secreti desperatio.*

Hinc patet in amicitia gravissimum esse crimen, prodere amicorum arcana (præsertim si magni momenti, & amico cordi sint) facit enim animam infelicem, violat amicitiam lethaliter, amittit amicum (qui est dimidium animæ) irreconciliabiliter. ait Palacius: quin & eum, cui revelavit, in suspicionem fraudis & periculum adducit. Unde Hieron. ait Maximus serm 20. dicebat, arcana enuntiantes, injuriam facere eis etiam quibus enuntiarent. Odimus enim non solùm eos qui effutierint, verùm etiam eos qui, quæ nolumus, audierint. Quocirca S. Ambrosius ita erat tenax secreti amicorum, ut ne quidem Satyro fratri suo sibi intimo, illud revelaret, uti ipse refert in obitu ejusdem.

Vers. 25. ANNUENS OCULO FABRICAT INIQUA, ET NEMO EUM ABIICIET] Perperam in Speculo S. August. Parisiis impresso legitur, *adiiciet*. Transit ab amico perfido ad fictum & hypocritam, qui amicum se simulat, cùm sit inimicus, & occultè machinetur ei malum & perniciem. q. d. Amicus fictus, sive adulator & hypocrita amico annuit oculo, quasi blandiens, & secretam cum eo amicitiam simulans, cùm corde foveat odium: *& nemo eum abiiciet*; quia videns ejus nutus benevolos, censebit esse verum amicum, eò quòd non videat ejus subdolum cor. Interpres legit, οὐδεὶς, id est, *nemo*; jam legunt, εἰδὼς, idest, *sciens*: unde vertunt, *qui novit eum* (ejus hypocrisin) *discedet ab eo*. Ita Complut. Romana verò, *nemo ipsum removebit ab ipso*. q. d. Nemo hominum faciet illum desciscere à sua hypocrisi, ut exuat suam improbitatem & odium, quod corde gerit. Tigurina, *mala molitur nictans oculis: qui noverit eum, missum faciet*; Syrus verò, *qui elatus est supercilio* (unius tamen literæ exigua denotatione significat, *qui annuit oculo suo*) *fiet sibi contritio*. Nota. In Script. annuere oculo, est fingere, vel machinari dolum; quia hic gestus est ficti, callidi & fraudulenti. Unde Proverb. 6. 13. perversus ita pingitur. *Homo apostata vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat*, Similia sunt c. 10. & psal. 34. 13.

Vers. 26. IN CONSPECTU OCULORUM TUORUM CONCULCABIT OS SUUM Græca Romana legunt, *os tuum*, q. d. Dulcia & mellea verba ingereret in tuum os & aures) ET SUPER SERMONES TUOS ADMIRABITUR: NOVISSIME AUTEM PERVERTET OS SUUM, ET IN VERBIS TUIS DABIT SCANDALUM] Hi sunt gestus & actus amici ficti & fraudulenti. q. d. in tua præsentia tuisque oculis componet os vultumque ad blanditias, & verba dulcia concinnabit, quibus te inescet, & in sui amorem rapiat, ideoque & finget se tuos sermones, quasi doctos & prudentes, suscipere & admirari: at tandem, in tua absentia, *pervertet*, id est mutabit, *os suum*, ut ex dulci asperum, pravum, & perversum id efficiat, te vituperando, taxando & calumniando, adeò ut in verbis tuis det scandalum. q. d. Ex verbis tuis struet tibi perniciem: ea enim immutando & sinistrè interpretando, faciet ut ridearis, odio habearis, ac periculum bonorum, famæ vel vitæ incurras. Tigurina, *in conspectu tuo loquetur suavia, dictaque tua mirabitur: postea verò pervertet os suum, dictaque tua vocabit in invidiam*. De tali dicitur psal. 40. 7. *Ingrediebatur ut videret, vana loquebatur: cor ejus congregavit iniquitatem sibi*. In quæ verba S. Ambros. *Aptus*, inquit, *versiculus adversum eos qui secretum produnt*: datque exemplum Judam. *Ingrediebatur*, inquit, *Judas, quærens prodere Servatorem, ut videret quid ageret, quidve loqueretur, ut eum caperet in sermone; & Judæis annuntiaret*. Et inferiùs: *Egrediebatur de convivio Christi ad latrocinium diaboli: egrediebatur de gratia sanctificationis ad laqueum mortis*. Similes videre est in aulis principum, ubi aulici ambitiosi suos æmulos fallere & supplantare adulando satagunt, ac principem decipiunt, & sæpè in ruinam sui & reip. agunt. Videtur igitur Siracides in aula Ptolemæi vel similis regis aut principis versatus, ubi princeps adulatorum causa erat reip. pestis, ait Palacius. Quàm verò hoc sit detestabile subjicit dicens:

Vers. 27. MULTA ODIVI (ita Romana & Græca: perperàm ergo aliqui cum Speculo S. August. legunt, *audivi*) ET NON COÆQUAVI EI, ET DOMINUS ODIET ILLUM] q. d. Multa scelera odivi, sed nihil ita abomi-

A natus sum ac perfidiam amicitiæ, & proditionem amici: quare talem Deus odio prosequetur, & acriter puniet. Unde Tigurina, *odio permulta prosequor, sed nihil æquè atque talem, odiq; adeò eum etiam Dominus*; Syrus, *multa odio habui, & non sicut hominem hujusmodi, & etiam Deum odio habebit eum, & maledicet ei*.

QUI IN ALTUM MITTIT LAPIDEM, SUPER CAPUT EJUS CADET, ET PLAGA DOLOSA, DOLOSI (ita lege cum Rom. Græca tamen habent *dolosa*) DIVIDET VULNERA] Ostendit hucusque quanta sit perversitas perfidi & dolosi amici, nunc congruam ejus pœnam assignat, scilicet quòd doli, quos aliis machinatus est, justo Dei judicio in ipsum recident. Id ostendit quatuor similitudinibus proverbialibus. Prima est hæc, q. d. Sicut lapis jactus in altum, sæpè supra jacientis, utpote vicini, imò suppositi, caput recidit: ita plaga dolosa ipsum dolosum dividet & vulnerabit, hoc est, malum, quod alteri machinaris, in te revolvetur. Græca significatiùs sic habent, *qui in altum mittit lapidem, super caput suum mittit, &* (id est, sic) *plaga dolosa dividet vulnera*; Syrus, *qui projicit petram, contra eum convertetur; & qui percutit in occulto, perditioni tradetur*; Tigur. *qui lapidem in altum mittit in caput suum miserit; & ictus clandestinus vulnus infligit*. Qui enim clandestinè alium ferire satagit, ut manum ictumque abscondat, gladium vel telum apud se stringat oportet; quo fit, ut facilè seipsum improvidè in brachio, femore, aliave parte lædat. Porrò, S. Aug. vel Auctor lib. de Amicitia c. 13. *Plaga dolosa, ait, est occulta detractio, plaga serpentis & aspidis est mortifera, de qua Salomon Eccles. 10. Si mordeat serpēs in silētio, nihil illo minus habet qui occultè detrahit*. Huc facit illud Plutarchi in Moral. *Iaculū, si in solidū aliquid inciderit, nonnunquam in mittentem retorquetur: ita convitium in fortem & constantem virum tortum, recidit in convitiū facientem*.

Vers. 28. (Vers. 29.) *Malum recidit in auctorem.* Sequitur secunda similitudo sive parœmia, idem significans: ET QUI FOVEAM FODIT, INCIDET IN EAM. Tertia: ET QUI STATUIT LAPIDEM PROXIMO, OFFENDET IN EO. Quarta: ET QUI LAQUEUM ALII PONIT, PERIBIT IN ILLO] Ratio physica est, quia fodiens foveam, ea effossa, circa ejus oram obambulat & laborat, ut eam concinet vel tegat: quo fit, ut pede fallente, vel terra ruente, ex ora, sive ex imo margine, ubi consistit, facilè ex improviso in profundum fossæ prolabatur. Idem est de lapide & laqueo. Alludit ad C venatores, qui in semitis ferarum foveas & scrobes effodiunt, quas deinde affabrè contegunt, ut feræ gradientes incautè in illas decidant & capiantur. q. d. Qui instar venatorum alteri foveam dolumque struit, ipse in similem, imò in eundem incidet, ipse suo dolo capietur, ipse malum quod aliis paravit, sibi consciscit.

Ratio Theologica. Ratio Theologica est, quòd Deus dolosos perniciem aliis machinantes oderit & abominetur, quasi suæ veritatis, sinceritatis, fidei, justitiæ & bonitatis hostes. Quare contra eos indignans exurgit, illaqueat & perdit, uti crebrò in Psalmis canit David. Rursum, quòd Deus reum in reatu suo, putà dolosum in dolo, capiat & plectat, ut in eodem, & puniatur. Quare dolosis se quasi dolosum exhibet Deus, juxta illud: *Cum electo electus eris, & cum perverso perverteris*: hoc est, non candidè & benignè, sed pravè & perversè, id est severè & vafrè ages, quia ipse ab eo qui esse deberet, candidus scilicet & fidelis, inversus & perversus est, psal. 17. 27.

Ethica. Ratio ethica & politica est, quòd dolosus mereatur dolo suo capi. Lex enim talionis est: *Dolum fecit, dolum patiatur*, Et: *Frangenti fidem fides frangatur eidem*. Quocirca solent hoD mines cum dolosis dolo certare, eosq; tamquam simplicitatis & conversationis humanæ jura violantes ad exitium persequi, ut ex proverbiis & exemplis mox citandis patebit. Huc facit apologus cancri & serpentis apud Æsopum. *Serpens*, inquit, *unà cum cancro vivebat, inita cum eo societate. Itaq; cancer simplex moribus, ut & ille mutaret astutiam, admonebat. Hic autem minimè obediebat. Cùm observasset igitur cancer ipsum dormientem, & pro viribus compressisset, occidit. At serpente post mortem extenso, ille ait: Sic oportebat antehac justum & simplicem esse, neque enim hanc pœnam dedisses. Fabula significat, qui cum dolo amicos adeunt, ipsos offendi potiùs*.

Porrò significat hæc gnome non quid semper; sed quid sæpè fiat, uti initio in Canonibus monui. Subinde enim dolosis doli feliciter succedunt, & impii prosperantur in hac vita, piisque dominantur & insultant. Sed prosperitatem hanc & dolos eo acriùs luent in Purgatorio vel gehen-

gehennã, quo in hac vita fuerint in dolis suis feliciores, tantò verius infeliciores. Adde, quòd, etsi dolus maneat subinde in hac vita ad tempus impunitus, tandem tamen meritas det pœnas, præsertim in morte, uti patet in Jeroboam, Sellum, Phacee, Zambri, Osee, ceterisque regibus Israel, qui vi vel fraude regnum invaserunt, ac vicissim sibi invicem fuere carnifices, uti patet ex lib. 4. Regum, præsertim c. 15. & seq.

Denique Nota. Fovea cum labore foditur, sed sine labore fodiens in illam labitur: & jaciens lapidem in altum, cum violentia jacit, at lapis jactus suo pondere in caput jacientis relabitur: sic pariter injuriæ & fraudes cum difficultate inferuntur, sed sine difficultate in caput inferentis recidunt & revoluuntur.

Strictiùs aliqui per *foveam* accipiunt sepulchrum q. d. Qui alteri parat necem & sepulchrum, sibi ipsi parat. Græca omissa secunda parœmia lapidis, tantùm habent primam foveæ, & tertiam laquei, hoc modo, *qui foveam effodit, in eamdem incidet: & qui ponit laqueum, eodem capietur*. Deinde eas applicant doloso, dum subdunt: *Qui mala molitur, ea in ipsum devolventur: neque sciet unde veniant sibi*; Syrus verò, *qui fodit foveam, statura sua* (stãs in fovea, dum eam effodit) *implebit eam: & qui tendit laqueos, iis capietur: & qui machinatur malum, cadet in illud, & nesciet unde veniat super eum malum*. Quare quod Noster subdit: (*Facienti nequissimum consilium super ipsum devolvetur, & non agnoscet unde adveniat illi*) non est nova & disparata sententia, sed est apodosis sive redditio parœmiarum jam dictarum, earumque ad dolosum & perversum applicatio. q. d. Sicut qui fodit foveam in eam cadit, & tendens laqueum eo capitur: sic *facienti* (id est, in damnum, noxam & cladem facientis. Est enim dativus damni, ut vocant syntaxistæ) *nequissimum consilium* (græcè, *mala*, scilicet ei consulta, quæ scilicet ipse sibi, vel alii ipsi consuluerunt) *super ipsum devolvetur*, scilicet, *nequissimum consilium*, putà dolus, & pernicies, quam aliis machinatus est. Unde clarè Tigurina, *qui molitur mala, malis involvetur* (legit cum Romanis κυλισθήσεται, pro quo Complut. legunt αὐλισθήσεται, id est, *morabuntur super ipsum*) *nec sciet, unde sibi ingruant*. Quocirca *facere nequissimum consilium*, hoc loco non est dare vel suggerere alteri consilium nequam, sed est pravum consilium contra aliquem inire, machinari alteri malum, illudque exequi: talis enim sæpè malum, quod alteri parat, sibi accersit præter exspectationem: uti Aman in patibulo, quod Mardochæo struxerat, suspensus est.

Alludit, imò citat Proverb. 26. 27. *Qui fodit foveam, incidet in eam: & qui volvit lapidem, revertetur ad eum*; ubi Chaldæus, *qui volvit*, ait, *lapidem super seipsum volvit*. Et psalm. 9. *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum; cognoscitur Dominus judicia faciens*. Ergo cùm doloso & mala alteri machinanti malum obvenit ex insperato, ea ex parte, qua non putabat, sciat causam esse Deum, qui ut justus judex judicia facit, & ex insidiis insidiantem congrua sibi pœna afficit et prosternit. Et Eccles. 10. 8. *Qui fodit foveam, incidet in eam: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Qui transfert lapides, affligetur in eis: & qui scindit ligna; vulnerabitur ab eis*. Et psalm. 7. 6. *Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit. Convertetur dolor ejus in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet*. Et Job cap. 18. 7. *Præcipitabit eum consilium suum*. Et v. 9: *Tenebitur planta illius laqueo, etc. Abscondita est in terra pedica ejus, & decipula illius super semitam*. Exemplum est in Herode, qui volens decipere tres Magos inquirentes Christum, ab iis deceptus est. Idem volens interficere Christum, interfecit omnes infantes, ac inter eos proprium filium: Christo ergo illæso, læsit se in filio. Quod audiens Augustus Cæsar, dixit, teste Macrobio in Saturn. *Mallem Herodis porcus esse quam filius*; quia judæi porcos non mactabant, quòd porcinæ eius eis lege esset vetitus. Unde B. Petrus Chrys. serm. 152. *Fremit*, inquit, *dolositas se deceptam, & in se fraus reversa colliditur. Herodes stridet, cadens ipsum in laqueum quem tetendit*. Et post nonnulla: *In altum tendens, cadit ab alto; & cælum pulsãs, intrat profundũ; in se vadit, qui vadit in Deum*.

Gnomæ Hebræorum. Antistrophæ hisce parœmiis sunt illæ similes Hebræorum: *Sagittarius ea ipsa sagitta occisus est, quam ipse manu sua confecit. Faber in cippo sedet, quem sua manu fabricatus est. In cochleari, quod artifex exsculpsit, urit sinapi os ipsius. Ex ipsa & in ipsam silvam intrat securis*.

Græcorum. Et illæ Græcorum: *Hanc technam in teipsum struxisti: hoc commentum in tuum ipsius exitium reperisti*. quod Lucianus usurpat de heredipeta, qui, cùm divitem ex asse scripsisset heredem, ac testamentum protulisset, quò divitem ad idem faciendum provocaret; tecti ruina subitò oppressus est, ac sua reliquit illi cujus facultatibus dolosè inhiarat. Item: *Turdus ipse sibi malum creat*: quia agerit viscum, quo non tantùm aliæ aves, sed & ipse capitur. Nam viscus, teste Plinio, non provenit nisi maturatum in ventre, ac redditum per aluum avium maximè palumbium ac turdorum. Item: *Tela à nobis sumpta adversus nos jacularis*. Tradit Plutarchus Brasidam ducem, educto è corpore telo, confodisse eum qui miserat. Item: *Ipse sibi mali fontem reperit*: quod usurpat Æschylus in Persis. Sunt enim permulti fontes, quorum aqua gustata mortem aut insaniam affert, quos præstiterat non reperisse.

Latinorũ. Et ille Latinorum: *Suo sibi hunc jugulo gladio, suo telo*. quod ita versu reddidit Ovidius in Epist. Heroidum:

B

Remigiumq; dedi, quo me fugiturus abires:
Heu patior telis vulnera facta meis.

Et Cicero: *In tuum*, inquit, *ipse mucronem incurras necesse est*. Et Livius lib. 2. belli Punici: *Sentiebat Hannibal suis se artibus peti*. Trebellius Pollio narrat Marium unum è triginta tyrannis, gladio confossum à milite dicente: *Hic est gladius quem ipse fecisti*. Nam Marius ante imperium faber ferrarius fuerat, & ejus militis opera in fabrili officina usus. Item: *Ovis cultrum præbet, capra gladium reperit*, quo scilicet juguletur. Olim enim cùm Corinthii Junoni Acrææ capram immolare vellent, obliti cultri, capra ipsa defossum sub terra cultrum pedibus exscalpens eum eruit, eoque jugulata est. Item: *Cornix scorpium*, supple, rapuit: cornix enim correpto scorpio ab arcuata illius cauda lethale vulnus accepit, periitque. Item: *Noli irritare crabrones. Malum conditum ne moveris. Noli ignem suscitare sopitum. Noli octipedem* (scorpium: hic enim octo habet pedes) *excitare*. *Ne agites Camarinam*. Item: *Capra contra seipsam cornua*. Apologus enim habet capram jaculo vulneratam circumspectantem, undenam id sibi mali evenisset, arcum contemplantem caprinis cornibus compactum, dixisse: *In meam ipsius perniciem produxi cornua*. Item: *Leonem immittis: Leonem stimulas*. Narrat Aristoph. in Ranis, & Valer. maxim. lib. 7. cap. de sapienter dictis, Megarenses, cùm caperentur à Caleno, caveis effractis leones in hostes immisisse, putantes se obicem lascivienti jam in civium capita mucroni objecturos: sed miserè ab iisdem tristi, & vel ipsis hostibus miserabili spectaculo sunt lacerati & devorati. Ita sanè insidiæ revoluuntur in caput auctoris, & ut ait Attalus: *Malitia maximam sui partem bibit*. Et ut ait S. August. serm. 13. de verbis Domini secundùm Matth. *Unicuique sua cupiditas, tempestas est*.

C

Exempla. Exemplum est Busiris tyrannus, qui, ut ait idem S. August. lib. 18. Civit. c. 12. suis diis suos hospites immolabat, cumque & Herculem vellet immolare, ab eodem occisus & immolatus est. Item Phalaris, cujus meminit idem S. August. epist. 52. ad Macedonium: Phalaris enim Agrigentinorum in Sicilia tyrannus tauro æneo, quo alios cremare solebat, à suis inclusus & crematus est. Porrò tauri & tormenti hujus inventor fuit Perillus, ut Phalaridem crudelissimum oblectaret reorum tauro inclusorum vocibus, dum pro hominum voce tauri mugitum ederent; sed ille ipse à tyranno, tormentum & mugitum hunc in ipso auctore experiri volente, eidem tauro inclusus & exustus, mugitu suo Phalaridem oblectavit, de quo Ovidius de Arte Amand.

D

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit: infelix imbuit auctor opus.

Divinius exemplum est in Eugenio tyranno, cujus contra Theodos. pium Imp. pugnantis sagittas & tela Deus per ventum repulit, & retorsit in ipsum jacientem ejusq; milites: de quo Claudianus in Panegyr. Theodosii.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hiemes, revolutaq; tela
Vertit in auctores, & turbine reppulit hastas.

Simili modo sagitta si in petram chalybemve mittatur, repercussa in mittentem resilit, & vulnerat vulnerantem.

Ita non rarò detractio, calumnia, falsa accusatio in detractorem, calumniatorem, & accusatorem resilit, ipsumque infamat, & subinde interimit.

Tropolog. S. Chrysost. de Incompreh. Dei natura homil. 3. hæc adaptat blasphemiæ & blasphemis: *Qui blasphemant, inquit, & pro nihilo ducunt, ipsi lædunt salutem & perimunt. Verissimaque illius sententia est, qui blasphemis ait hominibus, Lapidem qui sursum jaciunt in excelsum, in ipsorum caput iaciunt. Sicut enim qui lapidem illo iaculatur, corpus cæleste non attingere; nedum lacerare potest, plagam autem suo capite excipit, cùm lapis eodem unde jaculatus, redeat: ita qui beatam illam blasphemat substantiam, ut numquam offendere eam potest, cum longè potior & excelsior sit, quam ut affici aliquo possit detrimento, sic ferrum adversus animam suam jacit & parat, cùm se ingratum Domino bene merenti exhibet.* S. Hieron. verò in Sophoniam sub finem, hanc parœmiam adaptat iis, qui rident, & subsannant viros religiosos, & mundi contemptores: hi enim ridebuntur à Deo, imò ridebunt seipsos in die judicii, Sapient. 5. 4. S. August. verò epist. 68. ad Januarium, eamdem adaptat Circumcellionibus hæreticis, qui volentes Imperatorem concitare contra Catholicos, eumdem contra se concitarunt.

Vers. 31. ILLVSIO, ET IMPROPERIUM SUPERBORUM, ET UINDICTA SICUT LEO INSIDIABITUR ILLI] Ita Romana. Jam Primò, Jansenius sic explicat: Quoniam, inquit, constanter libri habent singulariter pronomen *illi*, quomodo & habet Græcum exemplar Germanicum; ideò hæc sententia referenda est ad eum, de quo agit superior sententia, ut tres illi nominativi, *illusio*, & *improperium*, & *vindicta*, referantur ad verbum *insidiabitur*, & sit sensus: Illusio & improperium superborum, hoc est, quod à superbis irrogatur humilibus, & vindicta, quam alijs inferre conatur talis; ea ipsa, inquam, mala insidiabuntur illi, sicut leo, hoc est, inexspectatò, subitò atque potenter eum invadent opportunitate oblata, nec illa effugere aut superare poterit: quomodo leonis insidiantis vim feræ, quas captat vincere non possunt.

Secundò & genuinè, q. d. Illusio & improperium est conditio & vitium proprium superborum: superbi enim, quia alios despiciunt & deprimunt, ut se exaltent; hinc eos illudunt, risui exponunt, eisque detrectant, & multa improperant: quocirca dabitur eis talio & vindicta, sicut leo insidiabitur illi, id est, cuique illorum, ut eum ex insidiis repentè & violenter occupet & perdat. Solent enim Hebræi uti enallage numeri, & à plurali transire ad singularem per syllepsin, ut significent, quod pluribus comminantur vel promittunt, id se singulis comminari vel promittere: unde Græca Complut. & cetera pleraque pro *illi* habent *illis* in plurali. Ex quibus sic vertas, *illusio & contumelia superborum est, & ultio tamquam leo insidiatur eis.* Ita Palacius: Solent, inquit, superbi illusione & improperio alios afficere, sed ei illusioni & improperio parata vindicta est, ut leo in insidiis paratur venationi, & ut leo prodit unde fera, quam venatur, nesciebat: ita & vindicta à Deo prodibit, unde illusor ignorabat. Exemplo sit illusio & improperium Judæorum contra Christum, quibus ex insidiis prodiit Titus & Vespasianus, omnes ut leo comminuens. Ubi notanda est mira Dei in Judæos vindictæ portio & proportio: nam iisdem prorsus illusionibus & probris, quibus ipsi illuserunt Christum, paulò pòst affectus est eorum Rex Agrippa ab Alexandrinis, ut fusè narrat Philo in Flacc. & ex eo Baronius anno Christi 40. cap: 2. & 3.

Apologus leonis, asini & vulpis Nota, *Tò sicut leo*. Alludere enim videtur ad apologum Æsopi de leone, asino & vulpe, illo ævo vulgatum: Æsopus enim ducentis & amplius annis Siracidem antecessit: floruit enim sub Cyro & Crœso, cùm Siracides floruerit sub Ptolemæo Lagi & Philadelpho, qui Alexandro Magno successerunt. Apologus sic sese habet: *Asinus & vulpes, inita inter se societate, exiverunt ad venationem. Leo verò cùm occurrisset ipsis, vulpes imminens periculum videns, profecta ad leonem, traditurum ei asinū pollicita est, si sibi impunitatem promiserit. Quæ cùm dimissurum eam dixisset, illa adducto asino in casses quosdam ut incideret, fecit. Sed leo videns illum fugere minimè posse, primam vulpem comprehendit, deinde sic ad asinum versus est.* Affabulatio: *Fabula significat, eos qui sociis insidiantur, sæpè & seipsos nescios perdere.* Similis est apologus leonis, lupi & vulpis, quem mox recitabo.

Vis exempla? accipe. Simili modo Babylonii principes superbi insidiantes & illudentes Danieli, eiq; Dei unius cultum improperantes, ac subdolè cogentes Darium ut eum in lacum leonum injiceret; eo illæso, ipsimet in eumdem jussu Darii injecti, ilicò à leonibus devorati sunt Daniel. 6. 24. Sic fratres Joseph affligentes, vicissim ab eo, licet incognito, afflicti sunt: unde memores injuriæ illi ante 22. annos irrogatæ, ilicò dixerunt: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* *Genes. 42. 21.* Sic & senes impudici insidiantes pudicitiæ & vitæ Susannæ, populi lapidationem, quam ipsi adornarant, ipsimet, Dei vindicta eos perurgente, subierunt, Daniel. 13. Recentius & mirabilius est exemplum in Vita S. Elisabethæ reginæ Portugalliæ, quam hoc anno 1625. jubileo Urbanus VIII. in Sanctorum catalogum retulit. *Rarum S. Elisabetha exēplum.* Cùm enim illa ab aulico quodam, invidente alteri gratiam reginæ, apud maritum Dionysium regem accusata esset adulterii; rex excandescens ilicò jussit alterum de adulterio cum regina commisso accusatum occidi. Dedit enim in mandatis fornariis succendentibus fornacem, ut in eam conjicerent illum, quem ipse postridie primum summo manè ad eos esset missurus. Misit ergo alterum de adulterio suspectum. Ille missus in itinere audiit pulsari ad Sacrum: more ergo suo illud audit, & aliquot sequentia. Interim rex putans eum jam in fornacem injectum & crematum, submisit accusatorem ad furnarios interrogatum, an mandata explessent? Illi igitur eum quasi primum à rege ad se missum in fornacem conjiciunt & concremant, uti jusserat rex. Ita illusor illusus est.

Tertiò, sic quoq; exponere licet, q.d. Illusio & improperium sunt hominum superborum, hoc est, eis jure debentur, eoq; comitantur, ut, sicut ipsi alios arroganter præ se despiciunt, eosque illudunt & probris afficiant; sic quoq; alii vicissim ipsos despiciant, illudant & probris afficiant. Hæc enim est justa Dei vindicta, quæ eis insidiatur, uti leo insidiatur prædæ suæ, putà onagris aliisque feris. Huic sensui favet Tigurina, *Illusio*, inquit, *probrumq; comitatur superbos, & ultio eis more leonis insidiabitur.*

Mysticè. Mysticè Lyranus, *Illusio*, inquit, *& improperium superborum*, id est, quæ à superbis humilibus & pauperibus inferuntur in verbis, *& vindicta* in factis, *sicut leo insidiabitur illi* ad pœnam gehennæ, ut occultè quasi ex insidiis illum in ea pertrahat.

Apologus lupi & vulpis. Huc facit apologus lupi & vulpis; Leo, inquiunt, æger decumbebat: officii causa viserunt eum cetera animalia, excepta vulpe. Lupus ergo vulpem apud leonem accusavit. Cui vulpes: Ego, inquit, ò leo, pro te circumcirca cursitavi sola, ut malo tuo à medicis remedium quærerem, illudque reperi. Cumque leo protinus edixisset, ut remedium aperiret. Si vivum, inquit, lupum excories, & illius pellem induas. Leo credulus continuò lupum invasit & interemit. Quo extincto risit astuta vulpes calumniatoris calumniam in ipsius recidisse caput. Unde carmen Plutarchi:

Damna parans aliis proprio parat hepati damna.

Vers. 32. LAQUEO PERIBUNT, QUI OBLECTANTUR CASU IUSTORUM: DOLOR AUTEM CONSUMET ILLOS ANTEQUAM MORIANTUR) Per *laqueum* synecdochicè intellige subitum & inopinatum casum & ruinam, in quam ruunt impii, qui eam justis fabricarunt. Græcè, *laqueo capientur, qui delectantur casu piorum, & dolor conficiet eos ante mortem*; Tigurina, *ante mortem dolore conficientur*, q.d. Longo dolore contabescent ante mortem, ita ut vita sit eis dura & longa mors, cui deinde succedet mors præsens, & æterna in gehenna. Syrus, *laquei & retia ipsa scientibus ea, & ipsa comitabuntur eos usque ad diem mortis eorum.*

Vexantes iustos male pereūt. Exempla Exemplum est in Antiocho, qui cùm vexasset populum fidelem, putà Judæos, à Deo percussus diro dolore viscerum ac fœtore gravi, itaut de corpore ejus vermes scaturirent, nec ipse jam fœtorem suum ferre posset, suis æquè ac sibi invisus, longo cruciatu enectus, infelicem animam exhalavit, 2. Machab. 9. Et in Herode, qui infantes occidit ut Christum perderet, qui quinto die post patratum infanticidium febri, tussi, dysenteria, podagra, phthiriasi sive morbo pediculari, putredine verendorum, asthmate & fœtore diu cruciatus, adeò ut seipsum occidere conatus fuerit, scelestam ani-

animam efflavit, uti narrat Josephus 17. Antiqu. c. 10. & lib. 1. Belli cap. 21. Et in Adriano Imper. qui Traiano succedens, Christi & Christianorum nomen abolere satagens, in Calvariæ monte, ubi Christus crucifixus est, Jovis simulacrum consecravit; & Bethlehem, ubi natus Adonidis Veneris amasii fano profanavit; tandem à Deo percussus, fluxu sanguinis, phthisi & hydrope, vivendi tædio affectus, conatus seipsum occidere, subtracto pugione, sævior factus petiit & venenum à medico, qui se ipse, ne daret, occidit. Tandem cibo & potu abstinens, inedia se confecit, anno Christi 140 imperii sui 21. ut narravit Dio & Spartianus in Adriano.

Huc facit apologus pantheræ, quem recitat Phædrus libertus Augusti Cæsaris lib. 3. Fabul. cap. 41. Pantheræ enim in fossam lapsæ insultabant pastores, hi lapidando illi sordes iniiciendo, isti sagittando, at alii cautiores compatiendo escam illi subministrabant. Redeuntibus domum cunctis quasi fera iam perdita & sepulta, panthera è fossa exiliit, secumque socias adducens invasit eos qui sibi insultarant. Ego, inquit, novi & notavi eos qui me læserunt, pariter illos qui me iuverunt & aluerunt, illos ergo laceravit, his quasi gratias agens applausit. Ita iusti in hac vita, velut fossa, humiliantur, imò humiliant se: affligunt & calcant eos impii; pii verò eis compatiuntur. Quare dum in die iudicii iusti ex hac fossa educentur & exaltabuntur ad thronos, ut iudicent cum Christo orbem terrarum, condemnabunt impios, qui in suo casu exultarunt, glorificabunt vero pios, qui sibi compassi sunt, iuxta illud: *Lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*, psal. 57. 11.

VERS. 33. IRA ET FUROR, UTRAQUE EXECRABILIA SUNT, ET VIR PECCATOR CONTINENS ERIT ILLORUM) Transit à perfidia, illusione & superbia, ad vicinam ei iram & furorem, itaque sternit viam ad ea, quæ dicet cap. seq. de iniuria & vindicta condonanda, q. d. Sicut execrabilem esse dixi perfidiam & superbiam, sic pariter execrabilis est ira & furor. *Ira* differt à furore, sicut genus à specie, & sicut imperfectum à perfecto. *Ira* enim est communis excandescentia & cupido vindictæ: *furor* verò est vehemens ardensque ira, qua homo velut furia agitatus, rapitur in gravissimas strages. Nam ut ait S. Basil. apud Anton. in Melissa p. 2. c. 53. *Ira excitat rixam, rixa parit convitia, convitia ictus, ictus vulnera, & sæpe vulnera mors consequitur.*

Porrò τὸ *& vir peccator continens erit illorum*, tripliciter exponi potest, quasi dicat. Erit *continens*; Græcè, ἐγκρατὴς, id est compos, particeps, obnoxius illorum, scilicet iræ & furoris: hoc est, peccator proclivis erit in iram & furorem, ut ob levem voluptatem sibi negatam fiat iracundus & furiosus. Peccatum enim est velut furia, quæ aliam furiam, scilicet iram & furorem, quasi sororem allicit & advocat. Unde Tigur. vertit *& ira & furor execrabilia sunt, & vir scelerosus bis est obnoxius*; *alii, iracundia & ira, ipsa sunt execrabilia, & vir peccator continebit ea*. Verè Seneca in Proverbiis: *Fulmen est ubi cum potestate habitat iracundia. Iracundiam qui vicit, hostem vicit maximum. Iratus, etiam facinus consilium putat.* Excipe vitia, vitiis enim irascendum est: *Non irasci in quibus oportet, insipientis est*, ait Aristot. 4. Ethic. Vitiis ergo irasci, sancti & sapientis est.

Secundò, Rabanus, q. d. Vir peccator *continens*, id est tenax, erit iræ & furoris, ut scilicet ea mente & memoria diu firmiterque retineat, ad se suo tempore vindicandum, cùm ex adverso iustus, dum iræ motum sentit, eum reprimat per timorem & amorem Dei; aut si quid iratus dixit, *cito ad cor redit & compungitur*, psal 4. 5.

Tertio, Syrus hæc accipit de ira & furore Dei, q. d. Peccator aliis irascens, in eosque furens, pari ratione erit *continens*, id est, reus & obnoxius iræ & furori divino, ut Deus iratus in eum quasi furens sæviat, & iram ira, furorem furore puniat. Sic enim vertit, *odium & ira inquinamenta sunt, & vir fraudulentus perdet viam suam & retributionem à Domino inveniet, quia omnia peccata illius observando observata sunt illi*, ut suo tempore pro meritis vindicentur & puniantur. Huic sensui favet quod subiungit Siracides. *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam*. Estque hic sensus plenior, & priores duos complectitur.

CAPUT VIGESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur sermonem cœptum in fine capitis præcedentis de ira & vindicta. Unde septem rationibus docet iniuriam non esse ulciscendam, sed condonandam, ac planè oblivioni tradendam, usque ad v. 15. Inde usque ad finem capitis multis ostendit, quàm lingua prava detractorum & susurronum sit pestifera, unde eam confert & in noxa præfert illis rebus nocentissimis, scilicet flagello, gladio, iugo ferreo, morti, inferno, flammæ, leoni & pardo.

Porrò rationes quibus iniuriæ condonationem suadet & persuadet, sunt hæ: Prima v. 1. usque ad 5. quia si tuam iniuriam vindices, Deus pariter suam iniuriam sibi à te per peccata illatam vindicabit: sin tu remittas iniurianti, Deus tuam quoque tibi remittet. Secunda v. 5. quia indignum est ut caro, id est, homo carneus, vilis & fragilis, homini carneo iram servet ob carneas & leves offensas, atque interim à Deo gravissimarum offensarum veniam postulet, aut ut alius pro earum condonatione obsecret 3. v. 6. Memento, *ait*, novissimorum & desine inimicari. *Quarta, v. 8.* Memorare, *ait*, timorem Dei, & non irascaris proximo: *timor enim Dei cohibet iram, utpote Deo ingratam & invisam. Quinta v. 9. quia lex Dei naturalis, divina & humana vetat vindictam. Sexta v. 10. quia iniuria vindicta multa accumulat peccata, quæ omnia per patientiam & taciturnitatem evitantur. Septima v. 11. usque ad 15. quia ira turbat iratum, totamque domum, imò totam viciniam, civitatem, & sæpe totam remp. ira verò remissio & patientia pacem tam inter amicos quàm inimicos conciliat & redintegrat.*

QUi vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit. 2. Relinque
proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata solventur. 3. Homo homini reservat iram, & à
Deo quærit medelam? 4. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?
5. Ipse cum caro sit, reservat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius?
6. Memento novissimorum, & desine inimicari: 7. Tabitudo enim & mors imminent in mandatis ejus.
8. Memorare timorem Dei, & non irascaris proximo. 9. Memorare testamentum Altissimi, & despice
ignorantiam proximi. 10. Abstine te à lite, & minues peccata: 11. Homo enim iracundus incendit litem,
& vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam. 12. Secundùm
enim ligna silvæ, sic ignis exardescit: & secundum virtutem hominis, sic iracundia illius erit, & secundùm substantiam suam exaltabit iram suam. 13. Certamen festinatum incendit ignem: & lis festinans ef-

fundit sanguinem; & lingua testificans adducit mortem. 14. Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit, & si espueris super illam, extinguetur: utraque ex ore proficiscuntur. 15. Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes. 16. Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem. 17. Civitates muratas divitum destruxit, & domos magnatorum effodit. 18. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissolvit. 19. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, & privavit illas laboribus suis. 20. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat. 21. Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa. 22. Multi ceciderunt in ore gladii; sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. 23. Beatus qui tectus est à lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, & qui non attraxit jugum illius, & in vinculis ejus non est ligatus: 24. Jugum enim illius, jugum ferreum est, & vinculum illius, vinculum æreum est. 25. Mors illius, mors nequissima: & utilis potiùs infernus quàm illa. 26. Perseverantia illius non permanebit: sed obtinebit vias injustorum, & in flamma sua non comburet justos. 27. Qui relinquunt Deum, incident in illam, & exardebit in illis, & non extinguetur, & immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos. 28. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras. 29. Aurum tuum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos: 30. Et attende ne fortè labaris & in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.

Vers. 1. QUI VINDICARI VULT, A DOMINO INVENIET VINDICTAM, ET PECCATA ILLIUS SERVANS SERVABIT) scilicet Dominus. Aliqui sic exponunt, q. d. Qui vindicari vult, non se ipse vindicet, sed Domino vindictam relinquat, qui dixit: *Mihi vindictam, & ego retribuam*, Hebr. 10. Et: *Mea est ultio, & ego retribuam*, Deutr. 32. Non quasi vindictam à Deo postulare liceat, sed quòd ipsi Deo ea committenda sit omni cura deposita. Verùm huic sensui repugnant Græca quæ habent: *Qui vindicat, à Deo inveniet vindictam*, qui, ut sequitur: *peccata* vindicantis *servans servabit*. Igitur *vindicari*, id est vindicare: sic enim Siracides subinde verba terminatione passiva usurpat pro deponentibus, quæ significatione activa sunt, ut patet ex dictis in procemio. Unde Græca habent, *qui vindicat à Domino inveniet vindictam*. Pro *servans servabit*, Græcè est διατηρῶν διατηρήσει, id est, observans observabit, vel asservans asservabit, id est, studiosè & constanter ea tùm oculis mentis suæ observabit & annotabit, tum asservabit in memoria ut puniat. Aliqui legunt διαστηρίζων διαστηρίξει, id est, *confirmans confirmabit*; Tigurina, *cupidum ultionis ultio manet à Domino, qui peccata eius sedulò conservabit*; Syrus, *retributionem à Domino inveniet* (odium & ira) *quia omnia peccata illius observando observata sunt illi*. Ratio est, talio. Lex enim talionis habet: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, Matth. 7. v. 2. Si ergo proximo in te peccanti non exhibes condonando clementiam, sed indignando paras vindictam; par est & justum, ut & Deus tibi peccanti offensas gravissimas in se admissas non condonet per clementiam, sed acerrimè puniat per vindictam. Quare cùm Deus immensa sua clementia pœnitenti peccata remmittat, eorumque obliviscatur; vindicanti tamen, ideoque impœnitenti, peccata omnia servans servabit, id est, diligentissimè ea observabit, & constantissimè in mente asservabit, ut acerrimè castiget & vindicet. Hoc est quod Christus fusè docet in parabola talentorum, in qua servo nolenti dimittere conservo supplici centum denarios, revocavit debitum centum millium talentorum jam remissum & condonatum, omnia ab eo rigidè exigens usque ad novissimum quadrantem, Matth. 18. 32. Idcircò jussit nos quotidie orare: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, Matth. 6. 12. ut volentes petentesque nobis condonari nostra, condonemus & ipsi aliena, hanc enim conditionem statuit, & à nobis exegit Deus. Et meritò: quia hominis in hominem, qui non nisi vanitas est, offensa levis est; tum, quia in parem, parvum & abjectum; tum; quia parvi omnia sunt parva: quare quidquid per injuriam aufers vel infers, parvum est. Hominis verò in Deum offensa infinita est; quia contra Deum infinitum, peccato enim offenditur infinita majestas, eaque divina, imò tota sancta Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ergo si, quantus est offensus, tanta est ejus offensio, cùm
Coloss. 2. Deus sit immensus, ejus quoque offensio erit immensa, homo verò cum sit pusillus & quasi nihil, ejus quoque offensa erit pusilla & quasi nihil. Igitur quis non stupeat, ait Palacius, si videat Deum donantem nobis in Christo omnia delicta gravissima, & delentem quod contra nos erat chirographum condemnationis? quis audeat injurias suas pusillas servare vel vindicare, sciens se hac ratione Dei in se vindictam gravissimam, utpote gravissimorum peccatorum, provocare? quis non omnia ultrò condonet, ut à Deo tantorum condonationem recipiat? si quis ita in ira sit pertinax, ut nolit homini offendenti in ejus gratiam condonare injuriam, condonet eam saltem in gratiam sui, imò in gratiam Dei & Christi, ideoque condonet Deo & Christo. Ipse enim sibi eam præstitam æstimat, qui dicit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Matth. 25.

Hæc omnia intellige de vindicta privata: nam publica quæ fit à magistratu, ad puniendos sontes, qui pacem reip. turbant, est sancta & præcepta à Deo, Rom. 13. & alibi: est enim actus justitiæ. Justitia enim alia est commutativa, alia distributiva, alia vindicativa.

Præclarè Sanct. Augustinus serm. 4. de S. Stephano: *Judex dicit*, inquit, *Occide, & tortor occidit, & tu quando dicis, Occide inimicum meum, te facis judicem, & Deum quæris esse tortorem. Respondet tibi Deus: Non ero prorsus, non ero peccatoris tortor, sed liberator; quia nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, nam si voluntatem tuam haberem, te priùs occiderem, antequam invitatus venires, nonne me blasphemasti? nonne me in tuis malis operibus irritasti? nonne nomen meum de terra delere voluisti? nonne me in præceptis vel in servis meis contempsistis? Si tunc te occidissem inimicum, quem modò facerem amicum? quid ergo malè orando doces me, quod non feci in te? Imò ergo dicis tibi Deus, Doceam te, ut imiteris me; in cruce pendens dixi: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: docui hoc milites meos, docui Martyres: priùs esto & tu Martyr meus, tiro meus adversus diabolum; aliter invictè nullo modo pugnabis, nisi pro tuis inimicis oraveris*. Et serm. 5. *Per amorem hominis inimici efficeris amicus Dei, imò filius*. Idem in psal. 30. sub finem: *Vindicari, inquit, vis Christiane, nondum vindicatus est Christus*. Idem tract. 7. in epist. 1. S. Joann. *Quisquis*, inquit, *violas charitatem* (per cupidinem vindictæ) *vita ipsius negat Christum in carne venisse, & iste est Antichristus*.

Celebre est exemplum S. Nicephori, qui injuriam condonans palmam martyrii obtinuit, à qua excidit Sapricius, qui eam jam in manibus habebat, eò quòd injuriam condonare nollet. Exstat rei gestæ historia in Vita S. Nicephori apud Surium die 9. Februarii. Quare præclarè S. Gregor. Nazianz. in Tetrastichis:

Pœnæ; ais, si nihil vindici debes Deo,
Nec debitori lenis ipse sis tuo.
Debere sin te non negas, ignoscito:
Veniam rependit nam Deus clementiæ.
Deum æmularis proximos juvans tuos.
Et concedamus quippiam, ut quod majus est
Recipiamus, nimirum concordia. Cedamus,
Ut vincamus: ignoscamus, ut ignoscatur nobis:
Remittamus, ut remitti nobis postulemus:
Dimitte tu cui dimissum est. Misericordia
Benignitatem, dum licet, tibi compara.

Hæc & plura citat Damasc. lib. 1. Parall. cap. 1.

Huc

Huc facit apologus Gabrie, qui Platonem & Siracidem antecessit, de equo & apro: Equus, inquit, pugnabat cum ferocissimo apro. Impetum verò feræ equus cùm punitus, non sustineret, advocavit venatorem jugulandæ feræ peritum. At ille: Sine, inquit, in dorsum tuum inscendam, ut celeriter à te invectus in improbum hostem tuum, eum hasta conficiam. Suscepit equus virum, atque ex illo tempore sessorem & servitutem patitur. Affabulatio: Nonnulli ob inimicitias in servitutem sese dedunt, ac dum suas injurias ulcisci volunt, novas & majores sibi accersunt. Ita multi principes & populi Christiani, dum acriùs inimicitias mutuas persecuti sunt, ideoque Turcam in auxilium vocarunt, ejus jugum subiere, sub quo nunc miserè gemunt, serò suam vesaniam incusantes. Sic qui iniuriam suam ulciscitur, dæmonem tacitè vocat in auxilium, ideoque ei se subdit & mancipat. Unde Sophronius, vel potius Joannes Moschus, in Prato spirit. c. 161. Isaac Abbati, inquit, apparuit dæmon in figura adolescentis, dicens: *Ego sum qui præsum iræ & memoriæ injuriarum, ideoque tu meus es.* Roganti, *quare?* respondit dæmon: *Quia tres dies Dominicos communicans egisti, & inimicus es vicini tui: nam propter lenticulam iratus es illi.* B Antonius in Melissa p. 2. c. 54. citat illud Martini Anachoretæ: *Qui memor est injuriæ dæmonum, non meminit injuriæ hominum: & pacem cum dæmonibus agit, qui fratri irascitur. Crœsus filii sui interfectori, qui se ad supplicium offerebat, dedisse veniam dicitur: hinc pariter huic ipsi Crœso magnus ille Cyrus* (qui eum bello vicit & cepit) *post victoriam amicus factus esse fertur.* Quare prudenter Sapiens: *Iniuria*, inquit, *oblivione ulciscenda*: oblivio enim delet & abolet injuriam: summa ergo ejus est ultio, utpote quæ eam perimat.

VERS. 2. RELINQUE PROXIMO TUO NOCENTI TE (*tibi*, simili syntaxi dicitur: *Nihil illum* (pro *illi*) *nocuit*, Lucæ 4. 35.) ET TUNC DEPRECANTI TIBI PECCATA SOLVENTUR] *Relinque*, Græcè, ἄφες, id est, remitte injuriam proximo, qui tibi nocuit; Syrus, *dimitte id, quod in corde tuo est, & pro te ora, & omnia peccata tua dimittentur tibi*. Hoc est quod ait & promittit Christus: *Dimitte, & demittemini.* Et, *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater cælestis delicta vestra*, Matth. 6. 14. Nota, τὸ *solventur*, significat peccata esse funes quosdam spiritales, qui animam ream C colligant & constringunt, juxta illud: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*, Proverb. 5. 22. Funes hi sunt, reatus culpæ, & reatus pœnæ, sive obligatio qua anima quæ peccavit, obstringitur Deo ad satisfaciendum ei pro iniuria per peccatum illata, indeque nascens obligatio ad pœnam tum præsentem, tum æternam in gehenna.

Denique τὸ *proximo* dat stimulum ad condonandam ei iniuriam. Proximus enim est amicus nobis vicinissimus & coniunctissimus: amicis autem ob amicitiam multa condonanda sunt. *Charitas* enim *operit multitudinem peccatorum*, 1. Petri 4. Si quis ergo te offendit, cogita quòd proximus, id est, tibi intimus est, & in Christo frater, particeps eiusdem fidei, gratiæ & gloriæ. Illi ergo leviculas offensas condona: omnes enim leviculæ sunt, si cum Dei filiatione ac fraternitate gratiæ & gloriæ comparentur. Mensuram igitur remissionis nobis statuit Deus nos ipsos. Sicut enim nos gerimus cum proximo, sic se Deus gerit nobiscum: si proximo remittamus debita sua, Deus remittet nobis nostra. Imò quisque sibi hanc mensuram statuit, dum quotidie orans dicit: D *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Quare si nolit proximo dimittere, hisce verbis implicitè significat, & dicit: Domine oro te ut mihi mea peccata non dimittas, sicut ego nolo proximo sua dimittere.

Convitians beneficium præstat. Accedit, quod inimicus convitium in nos iacens, sæpè verum iacit: occultum enim vitium pandit; quo fit ut illud (quod priùs philautia excæcati non videbamus) advertamus, & emendemus. Quod sanè reipsa beneficium est potiùs quàm maleficium. Simile est quod scribit Plinius lib. 7. c. 50. de Phalereo, qui ab hoste apostema secante sanitati restitutus est. *Phalereus*, inquit, *deploratus à medicis vomicæ morbo, cum mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam invenit ex hoste*. Sic multi vitii remedium accipiunt ab æmuli convitio. Exemplum est in S. Monica, quæ ab ancilla irata convitio Ameribulæ icta, vinolentiam prorsus abdicavit. *Nonne*, ait S. August. l. 9. Confess. c. 8. Deum alloquens, *protulisti durum & acutum de altera anima convitium tamquam medicinale ferrum ex occultis provisionibus tuis, & uno ictu putredinem illam præcidisti?* Vide Plutarch. lib. de Utilit. ab inimicis capienda.

Porrò, vindictæ cupido oritur ex animi pusillanimitate, quę non potest unum verbum durius aut verber decoquere. Hinc animalia magnanima injurias dissimulant, ut leo prosternenti se ignoscit, & parcit. Sic luna non movetur latratu canum, sic nimbos excedit Olympus. Vide Senecam in Sapiente, lib. de Ira, & lib. de Clementia. Quare ut quis vincat iram, & vindictam, magnanimus sit oportet. Talis fuit Julius Cæsar, qui audiens Catonem sibi mortem conscivisse, ne in Cæsaris manus veniret: *Invidit*, inquit, *gloriæ meæ, quam illi parcendo peperissem*. Nam ut ait S. Ambros. lib. 4. epist. 29. ad Florianum: *Magna gloria est, si, cui potuisti nocere, parcas*. Et M. Antonius Imp. l. 6. de Vita sua: *Ulciscendi*, inquit, *optima ratio est, ne similis fias ei qui injuriam fecit*. Et l. 1. sic orditur: *Ab avo meo verò didici placidis esse moribus, & ira abstinens*. *Vindicare est pusillanimis, parcere magnanimi.*

HOMO HOMINI RESERVAT; Græcè, συντηρεῖ, id est, conservat, IRAM, ET A DEO QUÆRIT MEDELAM] Græcè, ἴασιν, id est, *sanitatem*. q. d. Homo homini VERS. 3. sibi æquali iniuriam reservat ad vindictam: qua fronte ergo, qua impudentia iniuriæ à se Deo illatæ quærit medelam & veniam? Rursum τὸ *homini* alium dat stimulum ad condonandum illi, q. d. Qui te offendit, homo est, non Angelus. Quid verò, ab homine, qui fragilis est & mendax, nisi lapsus, errata & mendacia speres? Mirandum est si homo benè agat: condonandum ejus fragilitati si peccet. Tigurina, *anne homo iram alat adversus hominem & à Domino salutem postulet?* Syrus, *homo homini servat iram, à Domino cur quærit sanitatem* animæ? putà sanctitatem. Hinc è contrario colligas, viam ad magnam gratiam & sanctitatem esse, iniuriarum condonationem.

Hoc sciebat S. Alexander Patriarcha Alexandr. qui cùm notarius suus furatus esset aurum, ac metu fugiens incidisset in latrones, iniuriam novo beneficio pensans, eum redemit 85. nummis. Alias à Diacono iniuria affectus, prostratus humi veniam ab eo petiit, dicens: *Ignosce mihi domine frater*, uti refert Joannes Moschus in Prato spir. c. 34. S. Antonius audiens monachum quemdam laudari quasi sanctum, rogavit num esset patiens iniuriarum; cumque illi negarent, dixit ei: *Similis est domui, quæ exterius quidem ornata est, interius verò à latronibus despoliata*. Ita Ruffin. lib. 3. in Vitis Patrum 88. Igitur verus est monachus & perfectus, qui iniurias tolerat, & injurianti benè precatur, estque instar idoli, putà statuæ lapideæ, quæ iniuriis & verberibus lacessita non irascitur, imò non sentit. Simili enim modo vir perfectus nec laude, nec iniuria movetur, ut habetur in Vitis Patrum lib. 3. n. 199.

IN HOMINEM SIMILEM SIBI NON HABET MISERICORDIAM, ET DE PECCATIS SUIS DEPRECATUR?] Indignitatem iræ, & vindictæ exaggerat, aliosque ad condonandum adhibet stimulos: Primò, q. d. Cogita quòd ille qui te offendit, tibi similis est, ac vicissim tu illi similis es, non tantùm quoad naturam, sed etiam quoad fragilitatem & lapsus humanos: quare si ille peccator est, tu quoque peccator es: si ille te offendit, tu quoque eumdem vel alios sæpè offendisti, & offendis. Ignosce ergo illi, sicut tibi cupis ignosci. Secundò, alium stimulum dat τὸ *non habet misericordiam*. VERS. 4. q. d. Qua audacia, qua præsumptione homo immisericors, & in similem sibi crudelis, poscet à Deo misericordiam, eamque non de uno, sed de multis eisque gravissimis peccatis? Quòd si Filium Dei, ait Palacius, ea causa movit ad hominum peccata condonanda, quòd homo erat eis similis, ac ideò sibi ipsi videbatur fecisse, quod hominibus faciebat, cur non & tu, ò homo, homini tibi simili noxam condones? Nam dum odis congenerem, & similem tibi, teipsum odisse videris. Quare ut Deum, ut Christum imiteris oportet ut omnimodè, & ex intimo corde iniuriam condones. *Sunt* enim *aliqui*, ait S. Bernard. serm. de septem panibus, *qui donantes iniuriam, ut non ulciscantur, sæpius tamen improperent. Sunt & alii, qui sileant licet manet tamen alta mente reposta, & rancorem tenent in animo. Quorum utique neutra plena indulgentia est. Longè his hominibus benignissima est divinitatis*

tatis natura: libenter agit, ignoscit plenariè: ita ut propter fiduciam peccatorum (sed pœnitentium) ubi abundavit delictum, soleat & gratia abundare. Testis est Paulus Gentium doctor, qui plus omnibus cum divina gratia laboravit. Testis est Matthæus de telonio electus in Apostolum, cui etiam novi Testamenti primum scriptorem esse donatum est. Testis est Petrus, cui post trinam negationem, totius Ecclesiæ pastoralis cura commissa est. Testis denique etiam famosissima illa peccatrix, cui in ipso conversionis initio tanta multitudo dilectionis concessa est, tanta postmodum indulta gratia familiaritatis. Quis accusavit Mariam, & pro se eam oportuit respondere? si Pharisæus murmurat, si Martha conqueritur, si scandalizantur Apostoli; Maria tacet, Christus excusat, etiam & laudat tacentem, &c. Mirum hac in re exemplum dedit S. Leo III. Pontifex, qui Hadriano I. successit anno Domini 799. ac Carolum Magnum Imp. Augustum in basilica S. Petri declaratum coronavit. Huic enim Leoni ab invidis oculi eruti sunt, & lingua radicitùs præcisa; quin & eumdem in ecclesia raptatum, juxtaque confessionem semivivum relictum, in suo sanguine volutatum, in arctissimam compegere custodiam. Verùm noctu Sanctus Petrus per visum illi oculorum lumen & linguam restituit. Cumque Carolus Magnus paulò pòst Romam adveniens, carnifices hos pœna capitis damnasset; S. Leo pro ipsis intercessit, vitamque iis qui suæ insidiabantur, impetravit. Ita Platina, Baron. & alii. Præclarè Sidonius Apollinaris lib. 9. epist. 4. ad Græcum Papam, id est Episcopum: *Velis nolis*, inquit, *quisquis contempsit Mediatoris consequitur regnum, sequitur exemplum. Quantaslibet nobis anxietatum pateras vitæ præsentis propinet afflictio, parva toleramus, si recordamur, quid biberit ad patibulum qui invitat ad regnum.*

Rarum Leonis III. exemplum.

Vers. 5. IPSE CUM CARO SIT, RESERVAT IRAM, ET PROPITIATIONEM PETIT A DEO, QUIS EXORABIT PRO PECCATIS ILLIUS?] q.d. Indignum & intolerabile est ut homo carneus, id est vilis, fragilis, mortalis, homini carneo, qui per carnis fragilitatem sæpè labitur, ideoque miseratione dignus est, non ira, reservet iram; & interim suorum criminum contra Deum admissorum ab eo petat propitiationem. Quis ergo audebit pro peccatis illius deprecari? Figurina, *quòd si mortalis ipse fovet iram, & veniam petit à Deo, quis peccata ejus expiet?* Syrus, *qui homo est, non vult parcere ei, quis dimittet peccata sua?* Syrus enim & Græca iam non habent τὸ *& propitiationem petit à Deo*.

Præclarè Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 211. ait, *Inimicitiam in aqua scribere oportet, ut quam primum obliteretur; amicitiam autem in æs incidere, ut perpetuò firma & immota conservetur.* Et Beda in Proverbiis: *Tantum quisque proximum portat, quantum amat.* Abbas Pimenius apud Ruffinum lib. 3. in Vitis SS. Patrum num. 201. rogatus, Quomodo quis possit animam pro fratribus ponere, ut jussit Christus Joan. 15. respondit: *Si quis audit verbum malum à proximo suo, & cum possit similia respondere, pugnat tamen in corde suo portare laborem, & vim facit ne respondeat malum, ut contristet illum. Talis animam suam ponit pro amico suo.* Abbas Agathon dixit: *Si habitas cum proximo, esto sicut columna lapidea: quæ si injuriatur, non irascitur: si glorificatur, non extollitur.* Ita Vitæ SS. Patrum lib. 7. c. 42. n. 2.

Gentilium error de vindictæ laude.

Vide hic ut fides transcendat naturam corruptam, & lumen fidei corrigat lumen rationis. Gentiles enim Philosophi lumine naturæ ducti, censuerunt amicis & beneficis esse benefaciendum, inimicis verò, & maleficis malefaciendum. Rursum, tolerare injuriam esse pusillanimis, vindicare verò magnanimi: quod & hodie inter Catholicos multi perperàm censent, ideoque duella capessunt, injuriam sibi illatam ulciscuntur, ignominiam non solùm talione, sed & gladio vindicant. Quæ sanè omnia gentilitia sunt, ac corruptæ, & superbæ naturæ dictamina, quæ proinde confutat, & corrigit hîc Siracides, ac Christus Matth. 5. 44. & Paulus Roman. 12. 20. Audi inter ceteros Senecam in Proverbiis, cujus hæ gentiles, nec Christianæ, sed Ante-christianæ de vindicta sunt sententiæ: *Contumeliam nec facere fortis potest, nec ingenuus pati. Inimicum ulcisci, vitam accipere est alteram. Vires tuas amici beneficiis, inimici injuriis sentiant.* Sapientiùs & christianiùs idem: *Magni animi est pretium esse tranquillum, injurias atque offensiones semper*

A *despicere. Quàm magnarum virium est negligere lædentem! Qui enim vindicat, sentit. Quàm inimicum est nocuisse; vel quia oderis, lædere! Optimum est semper ignoscere, tamquam si ipse pecces quotidie. Si quis irascitur, pœnas ab alio expetit, à se exigit: severissimè enim nos adversum peccantes gerimus, & ipsi eadem committimus. Sicut formosa pictura est, cujus nulla pars errat: sic formosus homo, in quo nulla peccati macula est. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc omni vitæ genere teneamus, ut nobis inexorabiles simus, exorabiles illis qui non nisi sibi dare veniam nesciunt.* Pientius & divinius S. Basil. epist. ad Canonicam: *Debet*, ait, *quisque adniti, ut, si aliquem sibi infensum habeat, ejus animum mitiget quantum possit.* Et S. Chrysost. l. 1. de Compunctione docet, non sufficere nihil mali facere inimicis, & iis qui nos læserunt, si intra nos retineamus insanabile vulnus offensæ. Nam *Christus*, inquit, *non solùm vult nos ignoscere delinquentibus, sed ut etiam amemus eos, & oremus pro ipsis. Nam si dumtaxat non lædas eum, qui te læsit; avertas te tamen ab eo, nec libenter eum videas, manet sine dubio vulnus in pectore, & dolor angescit in corde. Quòd si ita est, nondum utique quod Christus mandavit, impletur.* B *Numquid tu ita vis tibi propitium fieri Deum, ut non quidem te lædat, avertat se tamen abs te, & peccatorum tuorum memoriam gerat, & te videre nolit? Igitur qualem vis erga te esse Deum, cum delictorum veniam poscis, talem te exhibere debes his qui deliquerunt in te, sicut & quidam sapientum scribit dicens: Homo homini tenet iram, & à Deo quærit sanitatem? Et si erga hominem similem sibi non habet misericordiam, quomodo pro peccatis suis exorat Deum, cùm ipse caro sit, & teneat iracundiam? Quis propitiabitur peccatis ejus?* Vide eumdem S. Chrysost. homil. 27. in epist. ad Roman.

MEMENTO NOVISSIMORUM, ET DESINE INIMICARI: TABITUDO ENIM ET MORS IMMINENT IN MANDATIS EJUS] Perperàm pro *tabitudo* aliqui legunt *beatitudo*; Græcè est καταφθορὰ, id est, corruptio, tabes, interitus. Dat tertium stimulum, eoque pungit offensum, ut deponat iram & inimicitiam. q.d. Cùm irasceris, memento novissimorum, putà mortis, judicii & gehennæ: ex horum enim memoria, & consideratione facilè depones iram & inimicitiam: quia *tabitudo*, id est, corruptio, mors & interitus imminent, id est, in- C sunt & proponuntur in mandatis ejus, scilicet Dei, universalis legislatoris: hæc enim Dei mandata prævaricantibus, quales sunt iracundi, qui odia fovent, mortem præsentem & æternam comminantur. Ut ergo hanc Dei ultionem effugias, iram depone, & ultionem privatam condona. Unde S. Ambros. l. 4. epist. 29. ad Florianum: *Peccanti in te*, inquit, *non retribuas secundum culpam, sciens quòd in te venturum est judicium. Nam non habebis indulgentiam, nisi alteri donaveris. Odium enim hominem separat à regno, à cælo subtrahit, à paradiso deiicit.* Græca Complut. habent, *memento novissimorum, & desine inimicari: & ne memineris proximo perniciem & mortem, & acquiesce præceptis*; Græca verò Romana sic, *memento novissimorum, & desine inimicari: tabitudinis, & mortis* (repete τὸ *memento*,) *& permane in mandatis*; Tigurina, *memento extremorum, & depone inimicitias: exitium aut mortem alteri ne molire per iram, sed persiste in mandatis*; Syrus, *memento mortis, & transire fac inimicitiam, & infernum, & perditionem, & contine te à peccatis.* Nomine ergo *novissimorum* intelliguntur maximè judicium & gehenna, quæ Deus in novissimo mundi D die omnibus impiis, quales sunt vindictæ cupidi, intentabit: possunt tamen quælibet accipi, etiam mors & cælestis gloria. Nimirum qui cogitat se per vindictam amissurum æternam felicitatem, per condonationem eam adepturum, facilè eamdem condonabit, &, ut vulgò dicitur, obolo emet talentum. Planè deponet furorem, qui furorem Dei in morte, judicio, & inferno novit explicandum, & in non remittentem effundendum. Planè mors attentiùs considerata, mortem affert affectionibus nostris, quantumvis vivæ & vigentes fuerint. Qui intelligit sibi præcindi vitam, non velut leo irascitur; sed sicut pullus hirundinis clamat, meditatur ut columba, uti fecit Ezechias Rex moribundus Isaiæ 38. Porrò id quod sequitur: *Tabitudo enim, & mors imminent in mandatis ejus*, hoc est, inquit Palacius, putredo corporis & mors animæ, impendent, et imminent violationi mandatorum Dei. Ille jubet ita: *Mihi vindictam*, cave ne

Vers. 6. Vers. 7.

hoc

hoc mandatum violes. Ita enim cogita: divina mandata esse velut nubes jam jam in pluviam impendentes, ut pluant super bonos innumera bona, super malos verò corruptionem corporis & mortem animæ. Siquidem in inferno corpus damnati putre erit, scilicet pascentur illud vermes, & animam mortem secundam (quæ vera mors est) patietur.

Porta cæli injuria perpessio.

Hoc sciebant sancti Ascetæ, quorum hoc erat axioma mundo paradoxum: *Porta cæli est injuriarum perpessio.* Qua de causa injurias mercede emebant, ut patet l. 6. Vitar. SS. Pat. l. 4. n. 12. Alter petens à seniore: *Da mihi pater viam, per quam salver,* ab eo audivit: *Si potueris injuriari, & affici convitiis, & portare, ac tacere.* Ibidem l. 5. n. 85. *Angelorum est nulli irasci, sed esse in pace perpetua, dæmonum autem, irrevocabiles per omnem vitam exercere inimicitias:* hominum verò sapientum, breviter quidem fortasse irasci, citò autem reconciliari; ait quidam Sanctorum.

Gnome B. Bernardi.

B. Bernardus de Quinta-Valle primus S. Francisci socius, moriens hoc solo gloriabatur, quòd inimicos post offensam magis dilexisset quàm antè. Hæc enim fuit ultima morientis vox & oratio: *Fratres charissimi; considerate, quòd statum, quem ego habui, & vos habetis: & quem ego nunc habeo, vos habituri estis: invenio autem in anima mea, quòd pro mille mundis isti æqualibus nollem non servisse Domino Jesu Christo.* Et mox in terram provolutus: *De omnibus,* inquit, *offensis, quas feci Salvatori meo Domino Jesu Christo & vobis, me accuso, & dico gravissimam culpam meam: quoniam non fui verus frater Minor, nisi in tentationibus, in quibus semper me tenuit Dominus. Et in uno alio solo extitisse fratrem Minorem me reperio, videlicet quòd plus dilexi fratrem post offensam, quàm ante. Rogo autem ut pro me devotè oretis: sed magis hoc oro ut vos invicem diligatis, quemadmodum exemplum dedi vobis.* Ita habent Annales Minorum P. Lucæ Vvaddingi, anno Christi 1241. num. 9.

Mysticè.

Mysticè noster Alvarez de Paz. lib. 1. de Extinct. vitior. parte 2. c. 13. *Tabitudo & mors,* inquit, *imminent in mandatis ejus.* Quoniam mandata neglecta hanc acediæ mortem & tabem afferunt, ut homo ad universa bona se non solùm tardum, sed quasi impotentem inveniat. Hæc verò secunda est velut somnus, non jam sensus corporis, sed animæ vires illigans, ne valeant actiones virtutum præstare. Unde Paulus Rom. 3. 11. ait: *Hora est jam nos de somno surgere,* id est, ut interpretatur S. Gregorius lib. 5. Mor. c. 22. *de statu teporis.* Et Salomon Proverb. 19. v. 15. *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.* Ac sanctus David psal. 118. 28. *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. Propriè satis,* ait Cassianus lib. 10. c. 4. *non corpus dixit, sed animam dormitasse. Verè enim ab omni contemplatione virtutum & intuitu spiritualium sensuum dormitat anima, quæ perturbationis hujus telo fuerit sauciata.*

VERS. 8.

MEMORARE TIMOREM DEI, ET NON IRASCARIS PROXIMO] Græca pro *timorem* jam habent ἐντολῶν, id est *mandata*: quia mandata Dei incutiunt nobis reverentiam & timorem, dum sui prævaricationibus mortem pœnasque graves intentant. Unde Tigurina vertit, *perpende mandata, nec irascaris alteri*: quamquam Noster pro ἐντολῶν videatur legisse φόβον, id est *timorem*. Hic ergo Dei timor refrænat iram: nam qui timet Deum, expellit peccatum: ac ideò etiam iram. Qui timet Deum, continens est justitiæ: ac ideò etiam mansuetudinis. Demum qui timet Deum, cavet iram contra proximum, ne fortè hac ira Deum provocet ad iram: & talem inveniat Deum, qualis invenitur à proximo: Deo enim fit, quod minimo fit. Ita Palacius. Per timorem enim hic, quemlibet, etiam servilem, sed maximè filialem intellige. Filialis autem includit amorem Dei, imo ipse est amor Dei. Atque hic quartus est stimulus, isque nobilissimus & efficacissimus, ad frænandam iram, & condonandam injuriam, nimirum si cogites Deo gratum & charum esse ut condones: Deum id velle, & à te poscere ut sui amore eam remittas. Hic stimulus jam longè efficacior est, quando Christi habemus exemplum, documentum & præceptum, æquè ac gratiam ad condonandum: Christus enim in cruce sui crucifixoribus condonavit, pro eisque Patrem orauit, dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Hoc exemplum omnes Christianos imitari voluit.

A Quocirca S. Joannes Gualbertus fundator Ordinis Vallis-umbrosæ, cùm armatus in propinqui sui interfectorem incidisset, isque humi prostratus veniam Christi crucifixi amore flagitaret, eidem cædem condonavit.

Exempla S. Ioannis Gualberti

Ingressus deinde Florentiam in ecclesiam S. Miniati coram crucifixo orans, vidit Christi è cruce pendentis caput ad se inclinari, tamquam ipsi gratias agentis, quòd pro ejus amore hosti capitali pepercisset. Hodieque, hoc est post quingentos annos, pia illi Christi crucifixi caput adhuc è cruce exerentis effigies visitur & colitur.

B. Iuniperi.

B. Juniperus socius Sancti Francisci, magnus sui contemptor, tamque avidus vituperii quàm ceteri sunt honoris, & laudis, cùm à quopiam afficeretur opprobriis, fimbrias pauperis lacernæ expandens, *Amice,* inquit, *proiicias huc liberaliter, imple gremium istud lapidibus istis pretiosis* (probra enim vocabat pretia, & lapides pretiosos,) *imple ne timeas.* Unde Sanctus Franciscus de eo dicebat: *Utinam de hujusmodi Juniperis integram silvam haberemus!* ita Annales jam citati anno Christi 1210. n. 35.

S. Elisabethæ.

Elisabeth Hungariæ regis filia, quadam vice orans Deum, ut singulos, qui eam B injuria affecissent, singulari quopiam beneficio afficeret, ut injuriæ beneficium responderet, Dei responsum audivit: numquam orationibus suis Deo sic placuisse ac tunc, pro eaque oratione universorum peccatorum remissionem ei concedi. Id inter alios refert Avila epist. 6.

Remedium iræ est memoria Dei.

Moral. Disce hic efficacem stimulum ad cohibendam iram, & quamlibet concupiscentiam esse vivam memoriam Dei, qui omne vitium vetuit sub interminatione mortis, & gehennæ, ac omni virtuti statuit bravium coronæ cælestis. Ipse enim quasi agonotheta nos in palæstra hac luctantes intuetur, ut vincentes coronet, victos plectat. Quocirca Basilius Imp. Constant. Exhort. ad Leonem filium (exstat tomo 5. Biblioth. SS. Patrum) ita eamdem filio commendat capit. 42. *Conscientiam tuam si pro lege habueris, & quæ pati ipse nolis, numquam alios pati permiseris; nullius umquam peccati reprehensionem sustinebis, &, si Deum in omni actione inspectorem & cognitorem sicut est, esse tibi persuaseris, numquam neque palam, neq; clam peccabis. Nam etsi alios latere videberis quæ secretò facies: at conscientiam certè, & C Deum ipsum, qui usque in abditos animi sinus ac recessus intuetur, revereberis: homines enim ea quæ corporis sunt vident; at ea quæ in fundo animi latent, solus Dei oculus, quem nihil latet, penetrat. Sicut enim cùm sol lucet, sub dio nihil occultum esse potest; ita inspiciente Deo, nullæ actiones occultæ & secretæ esse possunt.* Adde, quòd Dei clementissimi, patientissimi, imperturbabilis & tranquillissimi consideratio, ingens est stimulus ut iram refrænemus: nihil enim nos Deo ita similes facit ac patientia. Unde B. Ælredus in Speculo charitatis cap. 7. *Quid,* ait, *divinæ tranquillitati tam proximum, quam illatis contumeliis non nocere, nullo supplicio, nullave persecutione terreri, unam mentis & in prosperis & in adversis habere constantiam, inimicum & amicum eodem oculo intueri.*

VERS. 9.

MEMORARE TESTAMENTUM ALTISSIMI, ET DESPICE IGNORANTIAM PROXIMI] *Despice,* id est, parvi pende, dissimula, parce, remitte *ignorantiam,* id est, peccatum & offensam, quam contra te admisit proximus. Omne enim peccatum mixtam habet ignorantiam, id est, imprudentiam & inconsiderationem quampiam. Si enim peccans prudenter considera- D ret, quantum malum sit quod facit, utique illud non faceret. Peccatum vocat *ignorantiam* per miosin, ut offensę gravitatem per ignorantiam extenuet, ideoque venia dignam ostendat, ac despiciendam potiùs esse quàm æstimandam & vindicandam. Per *testamentum* Primò, accipe legem Dei naturalem & divinam: hæc enim sæpè in Script. vocatur Hebr. ברית *berit,* Græcè διαθήκη, Latinè *testamentum,* id est fœdus & pactum, quia conditio pacti, quod nobiscum pepigit Deus ut simus ejus populus, & ipse sit nobis Deus, est hæc: ut servemus ejus legem. Sensus ergo est, q. d. Memorare legis Dei, quæ vetat vindictam, & præcepit injuriæ condonationem inimicique dilectionem, illamque menti tuæ incorpora; ita fiet ut legis metu, reverentia, & amore despicias, & parvipendas omnem offensam, quam proximus ignoranter in te commisit. Lex enim Dei inter alia ita sancit: *Non quæras ultionem, nec memor eris*

injuriæ

iniuria civium tuorum. Levit. 19. 18. Unde Syrus vertit, *recordare praecepti, & in vitio babueris proximum tuum coram Deo, & da illi id quo indiget.* Severiorem contra iram & vindictam Christus sancit legem. Matth. 5. 22. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Raca, reus erit concilio: qui autem dixerit, Fatue, reus erit gebennae ignis.* Cujus sane timor & memoria, omnes ab ira & vindicta revocare deberet.

Secundò, per *testamentum* propriè accipe pactum, quo Deus omnes homines, praesertim fideles, in unam Ecclesiam vocavit & cooptavit, ut omnes essent sui filii, invicemque fratres per gratiam, ac heredes per gloriam. Hoc enim pacto sanxit Deus amorem fraternum, ut omnes invicem diligant quasi fratres: quare vetuit eis irasci, eos laedere & vindicare: ex adverso praecepit, ut si quis à quopiam sit offensus, ei quasi fratri fragili & ignoranti condonet.

Rursum pactum, hoc accipi potest, quo Deus pepigit & promisit nobis petentibus peccata condonaturum, hac conditione & lege, si peccata in nos admissa proximis condonemus; uti dixi v. 1. q.d. Memento pacti Dei, scilicet quòd Deus tibi offensas remittet, si tu remiseris proximo; B
retinebit verò, & acriter vindicabit, si tu eas retineas & conserves. Quare ut tuorum veniam merearis, veniam da proximo ignoranti. Unde Palacius: Testamentum; inquit, seu foedus iniit tunc Deus cum Judaeis, nunc verò cum Christianis, quòd ipse esset illis & his Deus, sors, hereditas: hi verò essent Deo gens sancta, regale sacerdotium, populus acquisitionis. Ergo si inimicitias cum fratribus alis, intellige te eas cum regibus, sacerdotibus, genteque sancta nutrire. Demum si cum fratre bellum gerere placet, cum Deo intelligas te bellum gerere. Sapienter S. Basil. Admon. ad filium spiritalem: *Qualem*, ait, *cupis erga te esse Dominum, talis esto ipse erga conservum tuum.* Regaliter verò Agapetus Diaconus Admon. ad Justinianum Imper. n. 23. ita eum instruit: *Talem te praesta tuos erga famulos, qualem optas erga te Dominum esse. Prout enim audimus, audiemur; & ut respicimus, respiciemur à divino cunctaque obtuente aspectu. Priores igitur nos misericordiam conferamus, ut pari par recipiamus.* Causam subdit: *Sicut exquisita specula tales monstrant vultuum apparentias, qualia ipsa sunt archetypa, nitidas videlicet nitentium, tristes autem tristantium:* C *eodem pacto iustum Dei iudicium nostris actionibus assimilatur. Qualia enim sunt quae à nobis praestantur, talia ipse nobis par pari referens exhibet.*

Vers. 10. Vers. 11. ABSTINE TE A LITE, ET MINUES PECCATA: HOMO ENIM IRACUNDUS INCENDIT LITEM, ET VIR PECCATOR TURBABIT AMICOS, ET IN MEDIO PACEM HABENTIUM IMMITTET INIMICITIAM.] Per *litem* aliqui accipiunt forensem, qua actor litigat cum reo coram judice in tribunali. Hae enim lites forenses multarum fraudium, odiorum, detractionum, aliorumque peccatorum sunt causa. Meliùs tamen per *litem* accipias litigium & jurgium cum proximo; Graecè enim est μάχη, id est lis, iurgium, contentio, rixa, pugna. Haec enim multarum contumeliarum, minarum, maledicentiarum, verberum & caedium est causa; quae omnia vitat, qui abstinet à lite. Litem iungit vindictae quasi sororem sorori, quia utraque ex eadem matre, scilicet ira & odio, nascitur; aut quasi filiam matri: vindicta enim quasi mater parit lites & iurgia; ac multi ut iniurias suas ulciscantur, litigant & iurgantur cum eo, qui D
illas intulit. Probat quod dixit à contrario, dum subdit: *Homo enim iracundus incendit litem*, &c. q. d. Abstine à lite, & contine te in mansuetudine, ut minuas peccata. Nam si irae fraena laxes, incendes ingentem litium pyram, imò multas pyras & ignes, ac consequenter multa earum peccata. Lis enim una serit aliam, sicut fragum unum serit multa; gliscit enim lis à duobus ad multos utriusque partis cognatos, amicos, vicinos: adeoque subinde totam urbem & provinciam in factiones & rixas discindit & accendit, uti patuit in Italia in factione Alborum & Nigrorum; item Guelphorum & Gibellinorum, quae totam Italiam turbarunt, rixisque & caedibus impleverunt. Est verò diaboli munus pacem urbium & reipubl. turbare, sicut Dei turbatam sedare, ait Palacius. Unde Tigurina vertit, *abstine rixis* (alii, *à iurgio*) *peccataque minues; nam iracundus*

Lis fugiēda.

A *homo pugnam accendet. Vir scelerosus committit amicos, pacemque babentibus calumniam inicit;* Syrus, *elongare à rixa & elongabuntur à te peccata. Homo enim iniquus, qui amat litem, inimicitiam iacit inter fratres.* Igitur sicut cos virtutis est pati, iuxta illud: *In silentio & in spe erit fortitudo vestra*, Isaiae 30. 15. ita ex adverso cos vitii est nolle pati, ideoque litigare & rixari. Idipsum probat Siracides per appositam similitudinem ignis silvam accendentis dicens: *Secundùm ligna silvae*, &c.

Exemplū caprarum

Memorabile est quod scribit Plinius lib. 8. c. 50. de capris. *Solertiam*, inquit, *eius animalis Mutianus sibi visam prodidit in ponte praetenui, duabus obviis è diverso: cùm circumactum angustia non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitate caeca, torrente rapido minaciter subterfluente, alteram decubuisse, atque ita alteram proculcatae supergressam;* ita decumbens & suae, & alterius obviae saluti consuluit. Disce, ò homo, à capra, in lite nonnihil de jure tuo decedere; ita tibi & proximo consules, litem vitabis, pace frueris. Quocirca S. Ignatius fundator Societatis Jesu suis hos dogma reliquit:

Nulli vel minimo quavis ratione repugnes,
Cedere te potiùs quam superare juvet.

Subdit Plinius: capras *auribus spirare, non naribus, nec umquam febri carere, Archelaus auctor est: ideoque fortassis, quod anima bis quam ovibus ardentior.* Disce, ò homo, à capra, spiritus iracundos ab ore & naribus relegare ad aures & dorsum, ut iratus os claudas, aures aperias, ut mollia aliorum monita, quae iram litemque sedent, excipias. Denique *tradunt*, ait Plinius, *capras noctu non minùs cernere quam interdiu: ideò si caprinum iecur vescantur, restitui vespertinam aciem his quos nyctalopos* (luciolos) *vocant.* Disce, ò homo, à capra, acuere aciem mentis, ut videas quàm lites sint molestae & noxiae, itaque sapientiam sedandi lites nyctalopos, id est, prae avaritia & ira caecutientes, ideoque litigantes doceas.

Est hic septimus stimulus ad remittendam iram & vindictam, quod scilicet per hanc remissionem innumera peccata ex ira & rixa nasci solita vitentur. Nam ut praeclarè scribit Laurent. Justinian. lib. de Disciplina & con. mon. c. 13. *Contentio est ignita diaboli sagitta ad perdendas animas. O quanta iurgia, quanta odia ex contentiosis oriuntur sermonibus! O quoties veritas occultatur, & falsum pro vero defenditur timore confusionis! Pessimum namque malum est contentioni vacare, per quam amicitiarum compago dissolvitur, & animorum dulce vinculum dissipatur. Qui contentiosus existit, antiqui bostis in se immissiones admittit, diaboli ministerium operatur, dirumpit pacem, rixas concitat, parit odium, furorem nutrit, denigrat bonestatem, sapientiam perdit, rationem confundit, oculum mentis obnubilat, gratiae lumen repellit, fraternam dilectionem frangit, & ipsam caelestem in se occidit charitatem.*

Quocirca S. Gregor. Nazianz. epist. 63. (aliàs 56.) ad Eustachium sophistam, seipsum temeritatis incusat, quòd cum redarguens, eius in se convitia concivisset: *Quale illud est*, inquit, *quod ignorasti? quam stultum & ineptum! Virum sophistam castigare instituì. O singularem audaciam! ac ne à vulgari quidem proverbio eruditus sum, ut, cum calvus essem, cum ariete adversa fronte ne congrederer, nec crabronem lacesserem & irritarem, boc est, linguam ad maledicendum paratiorem.*

S. Gregor. Nazian.

Solus sciebat David, qui proinde exemplar fuit clementiae in condonandis iniuriis tum Absalomo regnum
D invadenti, tum toti regno rebellanti, tum Semei sibi maledicenti. *Dimitte*, inquit, *eum ut maledicat iuxta praeceptum Domini: si fortè respiciat Dominus afflictionem meam: & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione bac bodierna*, 2. Reg. 16. Nimirum *expetebat maledici sibi, quia maledicto illo divinam exquirebat misericordiam*, ait S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 48. Et hac tam admirabili patientia meruit proculdubio, ut facilè proditoris exercitum profligaret, & in suum regni solium cum triumpho reduceretur. Colligit ergo id patientiae documentum idem S. Ambros. *Docuit, iniuriarum & periculorum tempora, tentationum certamina, examina probationum esse: & ideò non sine divino ea irrogari solere iudicio. Exercetur bonus athleta convitiis, exercetur laboribus & periculis, ut dignus sit cui conferatur corona iustitiae.* Ita ille Apolog. c. 6. Admirandus certè ut in ceteris, ita in hac patientia maximè David extitit. Beneque proinde idem Ambros. exclamat:

O altitu-

O altitudo prudentiæ! ò insigne patientiæ! ò devoranda contumeliæ grande inventum! Dominus, inquit, præcepit ut maledicat. Non accusat Dominum quasi auctorem injuriæ, sed magis laudat, quod patiatur nos minora perpeti, ut majorum peccatorum veniam adipiscamur.

VERS. 12. SECUNDUM ENIM LIGNA SILVÆ, SIC IGNIS EXARDESCIT; ET SECUNDUM VIRTUTEM HOMINIS, SIC IRACUNDIA ILLIUS ERIT, ET SECUNDUM SUBSTANTIAM SUAM EXALTABIT IRAM SUAM] Vox *enim*, licet non sit in Græco, appositè tamen additur: dat enim causam ejus, quod dixit: *Homo enim iracundus incendit litem*. Ubi pro *iracundus* Græcè est θυμώδης, id est, animosus, audax, iracundus: animositas enim & audacia, quam suggerunt vires & opes, facit iracundos. q. d. Sicut secundùm quantitatem & qualitatem lignorum ignis magis vel minùs exardescit: (si enim multa sint ligna, eaque arida, ingens excitabitur ignis; sin pauca & humida, exiguus:) sic pariter *secundum virtutem*, id est, secundùm vires, robur & potentiam, exardescit θυμὸς, id est, animositas & iracundia, indeque lis & rixa. Debiles enim & infirmi, quia invalidi, ideoq; timidi, leviter irascuntur (nam vana est sine viribus ira:) robusti verò & potentes, quia validi & audaces, graves concipiunt iras: robur enim addit animos & audaciam, indeq; iram. Ergo homo robustus & θυμώδης, id est, animosus, indeque iracundus, incedit; præsertim si robori & potentiæ accedat substantia, id est, opes & divitiæ: hæ enim addunt animos, indeque acuunt iras. Vires ergo & opes sunt iræ & litis fomites, sicut ligna sunt fomites ignis. Unde Tigurina clarè vertit, *proportione silvæ inflammatur ignis, id est, pro viribus hominis invalescit furor ejus, proque divitiis ejus ira intumescit, & ardor augescit pro rixæ vehementia*; Complut. verò sic, *secundum materiam ignis sic incendetur, secundum firmamentum rixæ, ignis augebitur: secundùm robur hominis ira ejus erit, & secundùm divitias exaltat iram suam*. Hoc est, quod ait Salomon Proverb. 19. v. 12. *Sicut fremitus leonis, ita & ira regis*. Ubi Chaldæus, *Fremit*, inquit, *sicut leo ira regis*. Tales sunt vires, opes & iræ hominum, at non Dei: Deus enim, licet sit robustissimus, potentissimus & opulentissimus; idem tamen est iræ facillimæ, & maximè placabilis. Deo gratias ergo, ait Palacius, quem opes, & potentia non reddidere iracundum, & turbulentum, sed mansuetissimum, & tranquillissimum. Deum igitur, non bilem suam, sequantur viri potentes, & principes. Hæc enim est vera magnanimitas, veraque animi magni celsitudo, iræ dominari, offensam remittere, parcere: pusilli enim animi est parvis rebus offendi, offensam servare, ab ira vinci, vindictæ se subdere, odii se facere servum, imò mancipium. Unde Poeta. *Excelsus est iræ dominus.*

Quo quisque est major, magis est placabilis ira;
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.

Et Manilius:

Diis proximus ille est
Quem ratio, non ira, regit.
Servat inoffensam divina modestia vocem,
Et placidus delicta domat.

Et Ovidius de Augusto Cæsare lib. 5. Trist. eleg. 2.

Cæsare nil ingens mitius orbis habet.

Et alibi:

Qui vincit semper, victis ut parcere possit.

VERS. 13. CERTAMEN FESTINATUM INCENDIT IGNEM: ET LIS FESTINANS EFFUNDIT SANGUINEM: ET LINGUA TESTIFICANS ADDUCIT MORTEM] Omnia hæc probant & persuadent id, quod monuit v. 10. *Abstine te a lite, & minues peccata*. Pro certamen Græcè est ἔρις, id est contentio, lis, rixa. Pro *lis* est μάχη, id est pugna, quæ ex rixa sequi solet: rixantes enim post acria verba veniunt ad pugnas et verbera. Sensus ergo est, q. d. Contentio et rixa præcipitanter ab iracundis concitata, accendit ignem bilis et choleræ: indeque pugnarum et verberum, quæ effundunt sanguinem, vulnerumque, et cædis multorum sunt causa. Vnde Tigur. vertit, *rixa concitata ignem accendit, acrisque pugna effundit sanguinem*; alii, *lis accelerata succendit ignem, & pugna festinata effundit cruorem*; Syrus, *terebinthus & granum cupressinum accendunt ignem, & lites multæ effundunt sanguinem*. Tertia enim pars, de lingua testificante, jam non est in Græco. Jansenius per *linguam testificantem*, intelligit linguam denuntiantem & comminantem alicui interitum, quæ cædium solet esse causa. Sic enim *testificari* in Script. subinde idem est, quod denuntiare, & profiteri; ut, *Testificor omni homini circumcidenti se*, Galat. 5. Simpliciùs, Lyran. & Dionysius *linguam testificantem* accipiunt linguam testis, qui duobus inter se litigantibus alteri eorum temerè vel procaciter testimonio suo contra alterum suffragatur. Hi enim alterum tam contra socium, cum quo litigat quàm contra se magis iritat, itaque rixam accendit, ex qua sequuntur pugnæ & cædes. Paulò aliter Palacius hæc tria explicat & connectit. q. d. Si verbis concitatus contra proximum certaveris, inde ignis iræ accendetur: &, si cum eo concitatus pugnaveris, ejus sanguinem fundes: et adducentur testes, qui eum à te fusum testificentur, inducesque tibi mortem, quam scilicet judex tibi quasi homicidæ justè irrogabit.

SI SUFFLAVERIS IN SCINTILLAM (ita Rom. et Græca: perperam ergo Jansen. et alii omittunt τὸ *in scintillam*) QUASI IGNIS EXARDEBIT: ET SI EXPUERIS SUPER ILLAM, EXTINGUETUR: UTRAQUE EX ORE PROFICISCUNTUR] Tigurina, *scintilla, si afflaveris, exardescet: sin expueris in eam, extinguetur: attamen utrumque ex ore proficiscitur*; Syrus, *si exsufflaveris in ignem, accendetur; & si asperseris eum aqua, extinguitur: & utraq; à te sunt*. Comparat litem scintillæ, rixam et pugnam igni: quorum utraque eodem ore accenduntur et extinguuntur. Sicut enim si ore sufflas in scintillam, accendis ignem; sin verò in eam eodem ore expuas, eumdem extinguis: sic pariter et lis ore accenditur, si eodem litigare, contendere, rixari, aut aliorum lites et rixas tua incitatione vel testimonio iritare pergas: eodem verò ore extinguitur, si mansuetè, & humiliter respondeas, aut taceas et cedas, aut causam rixæ extenues et mitiges, juxta illud, *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem*, Proverb. 15. 1. *Hæc sunt arma justi, ut cedendo vincat, sicut periti jaculandi cedentes solent vincere, & fugientes gravioribus sequentem vulnerare ictibus*, ait S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 5. Quare *utraque*, scilicet tam accensio quàm extinctio ignis et litis, ex eodem *ore proficiscuntur*. q. d. Ex eodem ore prodit lis et pax, discordia et concordia, adeoque mors, et vita: nam, ut ait S. Jacobus c. 3. 10. *Ex ipso ore procedit benedictio & maledictio*. Vide quæ ibidem annotavi. VERS. 14. *Lis similis scintillæ cur?*

Alludit Siracides ad Proverb. 26. 21. *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas*; Septuag. *craticula carbonibus, & ligna igni: vir autem maledictus ad tumultum rixæ*. Vulgatam fortasse respexit S. Chrys. in hom. 3. de non adeund. spectac. *Quemadmodum*, inquit, *si insles in scintillam ignis, excitas incendium: contra vero si inspuas, extinguis; & utrumque tibi in manu est: sic si inflatos & vecordes ingeras sermones, excitas ignem iracundi hominis: sin mites ac moderatos admoveas, priusquam excandescat, iram omnem extinxeris*. Sic ira igni comparatur à Chrysost. hom. 30. ad pop. *Ignis est*, inquit, *vehemens ira, omnia devorans: nam & corpus perdit, & animam corrumpit*. Quare Aristot. 1. de Anima iram dixit esse accensionem sanguinis circa cor. Huc facit illud vulgò tritum, *Ignem gladio ne fodito*, id est, ne iratum lacessas vel concites: quo utitur S. Basil. epist. ad Nepot. Et Plato lib. de Legibus: *Ignem*, ait, *igni ne addas*. Narrat enim Diogenianus, quòd, cùm carbonarius in fornace ignem igni aggereret, suo igne concrematum moriendo exclamasse, *Ignem igni ne addas*. *Ira est ignis.* *Gnoma.*

Porrò incensa ira parit furorem, et insaniam Vnde istud: *Ira furor brevis est*. Et Seneca epist. 18. *Immodica ira, ait, gignit insaniam*. Quin et David psal. 36. 8. *Desine*, inquit, *ab ira, & derelinque furorem*. Quis ergo cum irato, id est furioso et insano tricari et rixari velit? utiq; non alius quàm pari modo insipiens et vesanus. *Ira*, ait Aristot. apud Stobæum serm. 20. *est perturbatio ferina, dura & violenta potentia, cædium causa, calamitatis socia, jacturæ, dedecorisq; concitatrix, pecuniarum pernicies, & perditionis origo*. Audi S. Ambros. in psal. 36. *Ira*, inquit, *gravis passio est: plerumque accendit invitum, & volentem mitius vindicare, in furorem rapit, ut perimat, quem putaverat coercendum. Commotus gladio sæpè transverberat innocentem, amicos & fratres: per indignationem plurimi perierunt. Ideo Sapiens dicit, Ira perdit etiam sapientem*. Ad-

stipu-

stipulatur S. Basil. hom. 10. de ira. *Ob iram*, inquit, *ensis acuitur, mors homini ex homine venit. Non eis senectus venerabilis, non vitæ virtus, non generis propinquitas, non parentes: quin & maximum se in malum sæpius conjiciunt, & studio vindicandi se ipsos negligunt; nam & omnes feræ venenatæ impudentius ruunt, nec prius desistunt, quam magno & intolerabili malo animum exsaturarunt.* Denique dæmonis ab ore, quippe qui iræ audaciæque parens, ignis procedit, Job 41. 10. *De ore ejus lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ*; Hebr. *lampades ibunt, scintillæ ignis egredientur, de naribus ejus procedit fumus; sicut ollæ succensæ atque ferventis*; Septuag. *de naribus ejus egredietur fumus camini accensi igne carbonum*. Iracundus igitur & audax, non secus ac dæmon, igne ardens furensque, in cædes & damna ruit. Plura hic afferri possent de rixæ noxis, sed illa ad alios spectant, qui centones locorum communium consarcinant. Interpretem ago, non rhapsodum.

SUSURRO ET BILINGUIS MALEDICTUS:
VERS. 15. MULTOS ENIM TURBABIT PACEM HABENTES] Græcè, *susurronem & bilinguem maledicite: multos enim pacem habentes perdiderunt*. Ita Complut. Sed
B Græca Romæ correcta pro *maledicite* legunt *maledicere*, scilicet, oportet; Tigur. & alii, *delatorem execreris & bilinguem: multos enim pacem colentes perdiderunt*; Syrus nervosiùs *lingua triplex* (id est detractrix, uti mox explicabo) *maledicta erit, quia homicida multa inicit*. *Susurro* est qui secretò detrahit alteri, itaque illi amicum offensum reddit, ac ex amicis efficit inimicos. Idem est *bilinguis*, quia præsens alterum adulando laudat, absens invidendo vituperat & calumniatur. Vide dicta cap. 5. v. 16. Transit Siracides ab ira & lite, ad vicinum ei vitium susurrationis & detractionis, q. d. Susurro, qui clanculùm proximi famam rodit, deeoque mala insusurrat auribus alterius; item bilinguis, qui duplici quasi lingua contraria loquitur (coràm enim laudat, sed à tergo vituperat;) uterque inquam, imò sæpe unus idemque, est maledictus, id est, dignus maledictione, quem scilicet Deus, Angeli & homines abominentur & execrentur; quia *multos pacem habentes* turbat seminando discordias, aversiones & odia. Ideoque amicitias dissociat, ac pro eis inducit inimicitias, rixas, bella, cædes & strages hominum, populorum, urbium & re-
C gnorum.

Apologus apri. Porrò, bilinguis ingenium & scopum graphicè apologo aquilæ, felis & apri depingit Phædrus libertus Augusti Imp. in suis Mythis quos edidit Pithœus: Aquila, inquit, in arbore nidificans pullos excluserat: ad radices arboris aper suos in antro fovebat catulos: inter utrumque felis suos alebat fœtus. Illa sibi suisque tam ab aquila quàm ab apro metuens, aquilam adit, indicat hostem subesse aprum, ab eo sibi suisque caveat. Adit deindè aprum, idem illi de aquila intentans: Cave, inquit, ne aquila antro tuo supernè incubans catulos tuos rapiat. Ita aquila timens aprum, & aper timens aquilam, uterque nido se continuit: quo factum ut uterque cum fœtibus fame conficeretur. Feli ergo uterque in pabulum cessit. Ita bilingues duos inter se committunt, ut se mutuò conficiant, interim ipsi amborum exitio se locupletant.

VERS. 16. LINGUA TERTIA MULTOS COMMOVIT, ET DISPERSIT ILLOS DE GENTE IN GENTEM] Arabicus, *homo oris eduxit multos homines in captivitatem, & dispersit eos de gente in gentem*. Est arabismus: Syrus
D enim & Arabes hominem oris vocant loquacem, dicacem, detractorem, &c.

Hanc gnomen insigni columbæ & luti apologo explicat Cyrillus lib. 2. Apolog. moral. cap. ult. cui titulus: *Contra infamatores*. *Columba*, inquit, *pennali bysso, seu rutilantia Veneris operta per totum, sparsis sursum pennis, gemmantibus oculis, incessu gravi, pede simplici, alisque collectis ad aquarum ibat. Sed cum cænosum lutum intus latitans aridæ faciem mentiretur, in ipsum impegit. Cujus spurcitia mox respersa, nitidum corpusculum defœdavit. Tum lutum hujus rei eventu risum extollens, quippe gaudens quod male fecisset: Quomodo, inquit, fœdata est pulchritudo tanta? At illa respondit, Nimirum quia in te impegi. Quidnam es tu? Cui illud: Cænum & lutum. Mox columba subjunxit: Certè verum est: quia si cænum non fuisses, nequaquam a te maculam contraxissem. Attamen nitor meus in sub-*

Apologus detractoris.

A stantia mea existens à me non recessit, fœtor autem tuus in te manet. Quod enim fœdum quidem nunc apparet in colore meo, id substantialiter est in tuo. Quamobrem derisisti te ipsum, ac contaminatu tuo me fœdando, me clarissimam ostendisti. Deinde aliis parabolis canis, aspidis, spinæ & piscis idipsum confirmat. *Canis namque lacerans, noxius est ex dentibus; & os aspidis inficit, ipsum prius venenositate infectum; spina pungit, quoniam habet aculeum; & piscis denigrans mare, suum in se evomit nigrum. Sic omnis nocentia, prius in suo auctore existit. Quid plura? Ego certè pergens ad lavacrum emundabor, tu verò semper maculatum eris, quia lutum esse dignosceris: nam fœda detractio est, quæ ab innocentia raditur; sed ejus infectio numquam ab infamia detractionis purgatur. Quibus dictis ad lavacrum pervenit.* *Similia.*

CIVITATES MURATAS DIVITUM DESTRUXIT, ET DOMOS MAGNATORUM EFFODIT. VERS. 17.
VIRTUTES POPULORUM CONCIDIT, ET GENTES FORTES DISSOLVIT] Hic tertius versus deest in Græco. *Lingua tertia* est lingua susurronis & detractoris. Dicitur *tertia*, quia inter duos tertia intervenit, eos- VERS. 18.
B que dissociat, dum inter eos seminat discordias, & utrique apud alterum clanculùm detrahit & obloquitur. Unde Chaldæus in Proverbiis pro detractore & susurrone solet vertere, *linguam tertiam*. Unde docet Lexicon Chald. Eliæ Germani in voce תליתי *telat*. Græca quoque Rom. hic legunt γλῶσσα τρίτη, id est, lingua tertia. Complut. tamen & alii legunt διπλῆ, id est, lingua duplex: quod eodem redit. Dicitur enim *duplex*, quia aliud ore profert, aliud corde cogitat. Rursum aliud coràm, aliud a tergo effutit. Unde in margine codicis Vaticani *lingua tertia* vocatur lingua perforata. Eadem est ergo *lingua tertia*, quæ *duplex*, putà lingua bilinguis & susurronis: hæc multos commovit & turbavit, dum eis non tantùm pacem, sed & patriam eripuit, eosque coegit exulare, ac de gente in gentem vagari: nec tantùm homines privatos singulosque, sed & integras civitates easque muratas & firmas destruxit, adeoque domos, & familias magnatorum, regum & principum suffodit & evertit, concitando duella, rixas & bella internecina inter reges & populos amplos & potentes. Quin & *virtutes*, id est vires, populorum *magnorum* concidit, *& gentes fortes dis-*
C *solvit*. Quare lingua nequam est *universitas iniquitatis*, quæ totum orbem inflammat, Jacob 3. vide ibi dicta. Tigurina vertit, *lingua duplex* (Vatabl. *triplex*, quia tripliciter, id est multipliciter, & valdè contrariè loquitur. Unde triplices, id est, multiplices, noxas & damna infert) *exagitavit multos, & eos ex alia in aliam gentem transtulit, urbes diruit validas, potentumq; domos evertit. Confecit vires populorum, gentesque potentes dissipavit*; Syrus, *lingua triplex multos in captivitatem exire fecit, & dispersit eos de populo in populum, & viros graves de domibus eorum ejecit, & domos regum vastando vastavit*.

Lingua triplex detractoris: cur? Symbolicè, lingua detractoris est תליתי, id est triplex, quia uno ictu tres vulnerat et conficit, scilicet, eum cui detrahit, ei famam adimendo: et eum apud quem detrahit, ejus mentem calumnia et odio proximi imbuendo: et seipsum in lethali livoris et detractionis peccato sauciando. Ita S. Bernard. serm. de Triplici custodia, manus, linguæ et cordis. *Lingua maledica*, inquit, *quod in se est, & illius percutiens conscientiam, & istius vulnerans charitatem, secum pariter utrumque perimit. Numquid non vipera est lingua ista? Ferocissima planè, nimirum*
D *quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua? profectò & acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. Lingua*, inquit psalm. 56. *eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, imò triceps, est lingua detractoris*: illius enim lingua est serpentina; serpentibus autem lingua est trisulca, teste Plinio libr. 11. cap. 37.

S. Chrysost. verò non tres dumtaxat, sed perplures uno linguæ ictu confici censet: sic enim scribit homil. 3. ad popul. *Non infixisti dentes carni, sed animæ maledictum, improbam suspicionem infixisti, vulnerasti, innumeris affecisti malis, & teipsum, & alios plures*, etc. *insuper communem Ecclesiæ statum læsisti*, etc. *ad hæc Dei gloriam blasphemari fecisti: sicut enim nomen Dei nobis laudabiliter viventibus glorificatur, sic peccantibus blasphematur. Quartum malum: audientem confudisti, & sic impudentiorem reddidisti, inimicum eum reddens. Quin-*
tum;

tum, teipsum pœnæ reum fecisti, negotia ad te nihil attinentia texens. Et S. Gregor. Nazianz. de ieiunii silentio: *Lingua*, inquit, *in propinquo est, sagittarii sagitta in arcu est, nervi ipsi quam maximè intensi: protinus ut mens tela emiserit, statim provolant, omniaque feriunt, cælicos, terrestres; viventes, posteros; non minus eos qui ab hujusmodi sagittis sibi cavent, easque sedulò observant, quam qui nihil mali suspicantur, non minus bonos, quam malos; non minus amicos, quam hostes; non minus exteros longeque dissitos, quam propinquos*. Huc facit symbolum Pythagoræ: *Hominis vestigia ne ferro configas*, hoc est, hominis memoriam famamque lingua maledica ne lacera.

Vers. 19. Lingua tertia mulieres viratas eiecit, et privavit illas laboribus suis] Quod dixit de viris, nunc dicit de mulieribus. Græcizat Interpres: sicut enim Græci ab ἀνὴρ vocant ἀνδρείας, ita Interpres à viro vocat *viratas*, vel, ut manuscripti codices habent, *viritas*, id est viriles sive viragines. Unde ex adverso eviratæ & evirati vocantur effeminati, putà eunuchi, quibus adempta est virilitas: evirare enim apud Varronem, Senecam & alios est virilitatem auferre & effeminare. *Lacessere virtutem, bonæ spei eviratio est*, ait Seneca de Vita beata. Sensus ergo, est q. d. Lingua detractoris mulieres viriles, & strenuas domo, connubio & thalamo suo *eiecit*, dum eas exosas fecit maritis, ut eas domo expellerent: ac consequenter *privavit eas laboribus*, id est opibus & rebus, quas suo labore & industria pepererant. Tigurina, *lingua duplex* (Vatabl. *triplex*) *profligavit strenuas mulieres, suisque defraudavit laboribus*.

Sic lingua nequam accusans matrem septem Machabæorum judaismi apud Antiochum, eam cum septem filiis, bonis, patria & vita privavit, 2. Machab. 7. Idem fecit S. Symphorosæ & S. Felicitati cum totidem filiis: quos proinde Ecclesia velut fidei athletas & heroinas, ut Martyres colit & veneratur.

Hinc patet perperàm Lyranum pro *viratas* legere *veritas*, id est honestas, verecundas. Dicitur enim veritus, ita, itum, à vereor, vereris, quasi timens verecundiam. Alii libri, inquit, legunt *viratas*, id est habentes viros. q. d. Lingua tertia, putà lingua vetulæ mediatricis adulterorum, ejus, ejecit mulieres conjugatas & honestas, ac separavit eas à conjugibus suis, dum eas adulteris coniunxit, aut in adulterii suspicionem adduxit. Hæc Lyran. sed perperàm, ut dixi.

Vers. 20. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat] Ita Romana. Græcè est, *qui attendit ei, non habebit requiem, nec habitabit cum quiete*. Syrus hunc versum, ut & alios plures omittit; Tigur. *qui deditus est illi, non consequetur tranquillitatem, nec habitabit quietus*. q. d. Qui aures patulas præbet linguæ detractoris, ejusque susurris fidem adhibet, implebitur suspicionibus, timoribus, diffidentia, odio, ceterisque passionibus, quæ animi ejus, ac consequenter domus, quietem & pacem perturbabunt: quare nullus eum amicum, familiarem aut domesticum volet; nec ipse ulli amicorum se suaque confidet, ut cum eo & in eo requiescat.

Vers. 21. *Plaga linguæ comminuit ossa, quæ?* Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa] *Plaga* Græcè πληγὴ, propriè non vulnus, sed percussionem & verber significat, à πλήσσω, id est, percutio, verbero: consequenter tamen significat vulnus, livorem, & dolorem, à verbere inflicta. Componit, imò opponit & anteponit, verber linguæ verberi flagelli: q. d. Flagelli verber leve est, tantumque cutem perstringit, eamque lividam efficit: at verò verber linguæ est quasi verber baculi, quod ipsa contundit & comminuit ossa; hoc est, longè fortiùs & intimiùs lædit, hominique vires, vigorem & animum eripit, juxta illud Proverb. 17. *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perveniunt ad interiora ventris*; tum, quia verber linguæ homini adimit bonum nomen & famam, quæ opibus est præstantior, eumque aspergit infamia quæ turpissima est nota: tum, quia clades gravissimas affert, hominesque opibus, libertate & vita spoliat. Unde Tigur. *ictus flagelli vibices excitat ictus verò linguæ comminuit* (alii, *frangit*) *ossa*; Syrus, *percussio baculi facit vulnus, & plaga linguæ confringit ossa*. Est catachresis: per comminutionem enim ossium significat intimum dolorem & cruciatum, qui robur (hujus enim sedes & symbolum sunt ossa) homini adimat. Similis catachresis est Proverb. 3. 8. *Time*, inquit, *Deum*, &c. *sanitas quippe erit umbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum*. Et Eccli. 40. 10. *Ne corrideas illi* (filio) *ne doleas & in novissimo obstupescant dentes tui*. Et sæpè alibi. Quocirca Abbas Hyperichius apud Ruffin. l. 3. Vit. SS. Patr. n. 134. *Melius est*, inquit, *comedere carnes & vinum bibere, quàm comedere in vituperatione carnes fratrum. Sicut enim susurrans serpens Evam de paradiso excussit, ita qui de fratre suo detrahit, non suam solùm, sed & audientis animam perdit*.

Mysticè. Mysticè & Tropologicè *ossa*, significant virtutes, ait S. Gregor. in psalm. 1. Pœnit. quas lingua maledici non tantùm in proximo elevat, sed & in semetipso consumit: sicut enim corpus ossibus firmatur & consistit, sic anima virtutibus. Unde B. Petrus Damiani ser. de vitio linguæ: *Ecce lingua*, ait, *ossa non habet, & ossa comminuit: quia, cùm per ipsa ventosa verba leviter effluit, fortia atque robusta virtutis nostræ facta corrumpit*. Unde suos monachos adhortans: *Portatis vobiscum*, ait, *clavem cellulæ, portate clavem linguæ: opponitis ostio pessulum, adhibete retinacula ori vestro*.

Vers. 22. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam] Ita Roman. *Ore*, id est acie: quod enim homini est os, hoc gladio est acies. Sicut enim homo ore devorat cibum, sic gladius acie occidit & consumit homines. Unde Tigur. *acie gladii multi occubuere, non tamen prout qui per linguam interierunt*; Syrus, *multi occisi sunt gladio, sed non quot occisi sunt à lingua*: plures enim occidit lingua quàm gladius; sicut plures occidit crapula (quæ est vitium ejusdem linguæ) quàm gladius. Occidit, inquã, morte tum corporali, tum spiritali, uti patet in iis qui disseminant hæreses, quique alios incitant ad libidines, usuras, cædes, aliaque scelera. ita Rabanus. Nam τὸ *quasi*, innuit interitum hic quemlibet accipi, tum naturalem per mortem; tum civilem per servitutem, infamiam, pauperiem; tum mysticam per peccatum.

Noster addit τὸ *suam*, quod deest in Græco, Latinis manuscriptis, Rabano, & Syro. Additum tamen sensu jam dicto accipi potest, q. d. Per gladium pauciores perierunt, plures per linguam suam: *suam*, inquam, id est, se impetentem, sibi detrahentem, sibi insidiantem, & machinantem necem, sui æmulam, & agonistam, putà invidam, maledicam, & maleficam. Propriè tamen τὸ *suam*, significat plures periisse incauta, garrula, præcipiti, superba, iracunda loquela sua, quàm gladio. Quod licet paradoxum videatur; reipsa tamen verum esse constat tum ratione, tum experientia. Nam, ut ait S. Jacobus cap. 3. 8. *Linguam nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero*. Vide ibi dicta. Et Ecclesiastic. cap. 14. 1. *Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo*. Siracidi consentit Arabicus in Proverbiis centur. 1. n. 75. *Cave*, inquit, *ut lingua tua feriat collum tuum*. q. d. Cave ne propter intemperantiam linguæ vita mulcteris, & capite plectaris; id enim multis contigit, & etiamnum contingit. Latinæ versioni adaptes Græca, si τὸ *suam* dicas ex eis excidisse, vel in iis subintelligi. *suam* enim hìc colligitur ex sequentibus: Siracides enim hìc generatim perstringit clades, & calamitates, quas affert lingua prava, tum propria, tum aliena: unde iis recensitis concludit, alienam esse vitandam, dicens vers. 28. *Sepi aures tuas spinis; linguam nequam noli audire*: propriam verò esse frænandam, dicens, *Et ori tuo facito ostia & seras*, &c. *& frænos ori tuo rectos, & attende ne fortè labaris in lingua*.

Lingua sibi inimica. Sapienter S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 4. *Laqueus*, inquit, *adversarii, est sermo noster: sed etiam ipse non minus adversarius est nobis; loquimur plerumque, quod excipiat inimicus, & quasi nostro gladio nos vulnerat*. Idem c. 2. *Verberamur*, inquit, *tacito cogitationis nostræ opprobrio & judicio conscientiæ; verberamur vocis nostræ verbere, cùm loquimur ea, quorum sono animus noster & mens sauciatur*. Hoc est quod ait Salomon Proverb. 14. 3. *In ore stulti virga superbiæ: labia autem sapientum custodiunt eos*. ubi plura de hac re dicam.

Vers. 23. Beatus est, qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit] Multi hæc referunt ad *linguam suam*, quæ præcessit. q. d. Beatus cujus lingua à Deo protegitur ut sit *tectus*, id est, Deo protegente tutus, liber & immunis à ne-

nequitia, scilicet ne loquatur prava & iracunda, quæ suggerit interna ira vel concupiscentia. Verùm Græca, quæ omittunt τὸ *suam*, videntur notare hic linguam alienam detractoris de qua sermo præcessit. q. d. Beatus est vir, quem Deus protegit à lingua mala detractoris vel calumniatoris, quique in ejus iracundiam, id est indignationem & violentiam, putà maledicentiam & maleficentiam, non incidit, ut vel eam non sentiat, vel, si sentiat, defendendo se excutiat, ab eaque se liberet. Unde Siracides ab ea se per Deum liberatum gloriatur c. 51. 3. & David ab ea liberari obsecrat, dicens: *Domine libera animam meam à labiis iniquis & à lingua dolosa.* ita Jansenius. Vnde Tigurina vertit, *beatus qui tutus fuit ab ea nec in furorem* (alii, *excandescentiam*) *eius incurrit*; Syrus, *beatus vir, qui evasit ab ea, & ab ira ejus particeps non fuit.*

Vers. 24. ET QUI NON ATTRAXIT (Syrus, *traxit*) JUGUM ILLIUS, ET IN VINCULIS ILLIUS NON EST LIGATUS. JUGUM ENIM ILLIUS, JUGUM FERREUM EST: ET VINCULUM ILLIUS, VINCULUM ÆREUM (Syrus, *ferreum*) EST] Multi hæc rursum referunt ad *linguam suam.* q. d. Beatus est qui vitio & nequitiæ linguæ suæ, quasi tyranni jugo non subiacuit, nec permisit eam sibi dominari, eaque se constringi; quia jugum ejus ferreum, & vinculum æreum, id est durissimum & indomabile est, ut ait S. Jacobus cap. 3. 8. unde Palacius: Qui videt, inquit, se linguam nequam habere, intelligat quòd diabolus ei ferreum iugum imposuit, & æreis vinculis colligavit. *Jugum* notat servitutem, *vincula ærea* eam fore perpetuam, quòd scilicet numquam ab illa eripietur, nisi gratia Dei singularis, & eximia eam eripiat. Verùm, quia Græca v. 22. omittunt τὸ *suam*, & sermo de lingua aliena detractoris præcessit, eiq; sequentia meliùs conveniunt; hinc de eadem hæc accipe, q. d. Beatus est qui non incidit in linguam maledicam, nec eius jugo & dominio subiacuit, nec ab ea victus, & superatus est: quia jugum eius & dominium ferreum & æneum est, hoc est, tyrannicum, acerbissimum, fortissimum est, ut frangi, excuti aut superari nequeat. Vnde Tigurina vertit, *beatus qui jugum ipsius non subiit, nec vinculis ejus fuit constrictus: jugum enim illius jugum est ferreum, & vincula ejus ærea vincula. Jugum ferreum* significat jugum; primò, forte; secundò, durum & crucians; tertiò, infrangibile & insuperabile; quartò, tyrannicum; quintò, letiferum. Jugum enim solet esse ligneum, & non raro lana aut pelle suffultum, vel oleo inunctum, ut sit levius, & minùs boves afficiat & affligat: at, cùm ferreum est, citò boves vulnerat & decervicat. Ita S. Hieron. vel quisquis est Auctor Comment. in S. Marcum c. [illegible] notat id dici *ferreum, quod durum & forte desideramus intelligi: aut quod vehementem angustiam vel afflictionem affert.* Et S. August. li. 5. Locutionum: *Ferreum*, ait, *significat duram tribulationem:* ut psalm. 104. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus.* Et Jerem. 28. 14: *Jugum ferreum posui super collum gentium cunctarum.*

MORS ILLIUS (linguę nequam) MORS NEQUISSIMA] Tigurina, *mors dira mors ejus est.* q. d. Mors, quam affert lingua perversa detractoris, calumniatoris & maledici, peior est morte quavis naturali. Primò, quia hæc naturalis & communis est, illa propria, & violenta. Secundò, hæc naturæ debetur, illa crimini, eique falso, & per criminationem impacto per summam iniuriam irrogatur. Tertiò, hæc mors, alias etiam violenta, quæ ab hoste infertur, brevis est: at quæ per criminationem, lenta est & longa: crimen enim falsò impactum cuipiam, facit eum per omnem vitam longo mœrore & angustia contabescere. Quartò, quia sæpè infamis est & acerba, ut cùm per falsam accusationem quis innocens eculeo torquetur, suspendio necatur, igne comburitur. Quintò, quia sæpè non tantùm corpus, sed & animam necat, ut cùm quis à lingua hæretici, impuri, impii docetur, & imbibit hæresin, libidinem, impietatem, quæ animam necant, eamque trahunt ad æterna & acerbissima gehennæ incendia. Simili schemate ait Salomon Ecclesiast. 7. 27. *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius.*

Vers. 25. Lingua mala peior morte. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò. Quintò.

ET UTILIS POTIUS INFERNUS, QUAM ILLA] non mors; nam græcè femininè est αὐτῆς: θάνατος autem, id est mors, est masculini generis: sed γλῶσσα, id est, linguam nequam. Tigurina, *& orcus quàm illa commodior, tolerabilior*; Syrus, *requies est apud inferos potiùs quam apud illam.* Dices, Nonne satius est pati calumnias à lingua nequam, quàm æternùm ardere in inferno? Resp. Vtique satius est. Igitur Jansenius per *infernum* accipit mortem, Palacius sepulturam; sed quia præcessit mentio, & comparatio mortis, ac ultra mortem per gradationem comparat linguam nequam inferno; hinc meliùs, & simpliciùs propriè accipias *infernum* pro statu, & loco mortuorum. Verùm quia in eo variæ sunt partes, sinus, & receptacula, putà limbus puerorum, limbus patrum, gehenna damnatorum; hinc aptè hìc per *infernum* accipias limbum patrum, quasi dicat. Satius est mori, et descendere ad inferos, putà ad locum defunctorum limbumque patrum, quàm vivere et pati calumniam, infamiam, et vexationes linguæ perversæ. Sic Jacob ait: *Descendam ad filium meum lugens in infernum*, Genes. 37. 35.

Et inferno.

Denique Palacius accipiens hæc de vitio linguæ propriæ, non alienæ, sic explicat, quasi dicat. Melior est pœna, etiam tartarea, quàm culpa, præsertim linguæ nequam, quę tantorum malorum est causa: culpa enim altioris est ordinis, ideoque gravior, et deterior omni pœna, etiam gehennæ. Sic et Rabanus: *Melius est*, inquit, *corporalem perdere vitam quam cum lingua nequam* (putà cum hæresi, et hæreticis: de his enim ipse hæc accipit) *societatem in gehenna habere perpetuam.* Sic et noster Delrio hæc explicans de lingua detractorum adagio 197. digres. 2. loco 81. quem audi. Sensus, inquit, est, quasi dicat. Lingua nequam deteriora vulnera infligit cruciatibus inferorum, et sibi ipsi insuper est exitio maiori. Ratio est Primò, quia linguæ vulnera coniuncta sunt peccato, quo nihil deterius, nihil exitialius: cruciatus autem inferorum ipsi vacant culpa, et sunt ministeria justitiæ divinæ. sic ferè Lyranus. Secundò, quia cruciatus inferni solùm lædit patientem; lingua mala necat tres, audientem, dicentem, et sępè eum cui maledicit. Item lingua necat animam; flamma inferni tantùm cruciat. Tertiò, ut scribit Carensis, infernus non nocet nisi malis et meritis; lingua nequam etiam immeritos et justos sauciat. Quartò, sicut in republ. carceres, et supplicia utilia sunt ad coercendum improbos, et ad defendendos probos, prosunt etiam exemplo: sic in hominum universali hoc mundo ad idem conducit gehenna: quare utilior est quàm lingua nequam, quæ ad summum patientiæ occasionem, et ut se alii cautiùs gerant, præstat. hæc Delrio. Ex quibus disce quàm perversa sit lingua nequam, cùm sit deterior ipsa gehenna sulphurea damnatorum. Ideoque Primò, vers. 21. comparavit eam flagello, et fusti comminuenti ossa; Secundò, vers. 22. gladio acutissimo; Tertiò, v. 24. jugo ferreo, et vinculo æneo; Quartò, hoc v. morti; Quintò, inferno; Sextò, v. 27. flammæ et incendio omnia populanti; Septimò, ibidem leoni, et pardo.

Primò. Secundò. Tertiò. Quartò.

PERSEVERANTIA ILLIUS NON PERMANEBIT (apud justos:) SED OBTINEBIT VIAS INJUSTORUM, ET FLAMMA SUA NON COMBURET JUSTOS) q. d. Lingua perversa etiamsi pios calumnietur, et vexet, non tamen in vexatione hac perseverabit vel durabit; quia Deus eorum innocentiæ tandem testis, tutor et ultor erit, facietque ut illa palàm fiat toti mundo, ipsique celebrentur, confundantur verò eorum accusatores et calumniatores: *sed obtinebit vias*, id est actus, et mores, *iniustorum*: hi enim Deo vindice iustè ob sua scelera, hanc linguæ pœnam, et virulentiam patientur. Hos ergo comburet, id est, lædet, et subinde occidet consumetque flamma, id est, noxa instar flammæ grassans linguæ maledicæ, quæ livore, et odio ardet: iustos verò licèt tangat et leviter afflet, non tamen comburet, sed potiùs velut aurum igne tribulationis, et calumniæ probatum et purgatum, clariores et splendidiores efficiet: perinde ac tres pueri per calumniam missi in fornacem, & flammam Babyloniam, ex ea illæsi, et gloriosi evaserunt: eadem verò exusti sunt eorum accusatores & tortores, Daniel. 3. Ad eos enim alludit hic Siracides. Græca de more concisa, & bimembria sic habent: *Non tenebit, occupabit, dominabitur* (hæc enim omnia significat κρατήσει) *piis, nec flamma ejus exurentur*; Tigurina, *nulla diuturnitate perdurabit, sed tenebit vias iniustorum. Pios*

Vers. 26.

nequaquam occupaverit, nec flamma ipsius conflagrabunt. Idem de muliere prava, cujus noxa maximè fit per linguam maledicam, ait Ecclesiast. cap. 7. 27. *Qui placet Deo*, inquit, *effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa.*

Lingua similis flammæ. Appositè linguam comparat flammæ; tum, quia lingua rubicunda speciem & formam habet flammæ; tum, quia proserpit omniaq; corripit, incendit & vastat instar flammæ: *inflammat enim rotam nativitatis nostræ inflammata à gehenna*, ut ait S. Jacobus cap. 3. Vide quæ ibidem dixi. Exitium ergo, quod affert lingua, simile est incendio causato à flamma, quocirca justi calumniam patientes, similes sunt rubo, quem vidit Moses ardere & non comburi, sed viridem & illæsum perseverare, Exodi 3. Deus enim à justis linguæ noxam relegat ad injustos, ut quæ nocebat justis, noceat injustis, præsertim calumniatoribus. Sic infamiam & lapidationem paratam Susannæ castæ & insonti à senibus impudicis, Deus in ipsosmet senes retorsit, imò eos flammis Chaldæorum tradidit, si credimus Hebræis, uti dixit Jerem. 29. 22. Sic multò magis probrum & necem Christo Domino paratam à Judæis, Deus in ipsosmet revoluit, quando Christum tertio die à morte gloriosum suscitavit, eosque perdidit per Titum & Vespasianum, ac miseros, infames & vagos per totum orbem effecit. Si quando aliter accidat, ac permittat Deus pios aliquos tota vita calumniam pati, certè in die judicii eorum innocentiam confusis eorum calumniatoribus toti mundo ostendet, eorumque patientiam coronabit gloria æterna.

VERS. 27. QUI RELINQUUNT DEUM (Syrus, *timorem Dei*) INCIDENT IN ILLAM, ET EXARDEBIT IN ILLIS, ET NON EXSTINGUETUR: ET IMMITTETUR IN ILLOS QUASI LEO, ET QUASI PARDUS LÆDET; græcè, λυμανεῖται, id est, devastabit ILLOS] Tigurina, *calamitatem eis affert*; Syrus, *& dominabitur eis sicut leo, & sicut pardus lacerabit eos*. Primò, multi hæc, uti & præcedentia accipiunt de vitio linguæ propriæ. q.d. Deus justo judicio permittit impios in pœnam peccatorum præcedentium incidere in maledicentiam, ut ex lingua eorum ardeat, eaque tam se quàm alios comburant, quæ proinde in ipsosmet maledicos grassabitur quasi leo & pardus: nam & præsentibus & æternis in gehenna ignium suppliciis eos afficiet, tradetque dæmonibus, qui quasi leones & pardi eos laniabunt: justos verò à tanto linguæ malo servabit intactos. Unde discas, neminem posse maledicentiam vitare, & linguam domare, nisi Deum & Dei gratiam, quam ipse dat justis, negat verò injustis, quia deserentes se deserit.

Secundò & potiùs, hæc accipias de lingua aliena detractoris. Sicut enim illam anteriùs comparavit flagello, gladio, jugo, morti & inferno; sic hìc etiam comparat igni, leoni & pardo, ut ostendat quanta sit ejus noxa & clades. q.d. Deus impios permittet, imò tradet linguis maledicis, ut eos vexent, infament, affligant, lædant. Itaque in impiis hæc noxa linguæ maledicæ exardebit, & excrescet instar ignis inextinguibilis: quare ipsa eosdem cruciabit & laniabit, sicut leo & pardus solet cruciare & laniare feras & homines, quos prædatur ut devoret. Porrò variis modis Deus impios tradit linguis maledicis, ut rectè notat Jansenius: Primò enim qui Deum relinquunt, sine timore viventes, in grandia peccata incidunt, ob quæ obnoxii fiunt linguæ calumniatrici, à qua & perpetua inuruntur infamia, & suppliciis justis subiiciuntur. Deinde etiam Deus sinit contra impios exurgere linguas mendaces & perversas, per quas in pœnam derelictionis Dei graviter hìc torquentur; & nec per mortem liberantur, cùm detrudantur ad tartara in æternum puniendi.

Postremò, verum illud maximè est in impiis, qui justo Dei judicio à lingua prava sinuntur pertrahi in errores & hæreses, per quas æternam damnationem tandem sunt consecuturi. De quibus dicit Paulus: *eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*, 2. Thessal. 2. 10.

Lingua maledica similis leoni & pardo. Denique aptè noxam maledicæ linguæ comparat noxæ leonis & pardi, quia utraque sævissima est & crudelissima, teste Plinio lib. 10. c. 73. Rursùm leones & pardi dentes habent serratos, ait Aristot. lib. 2. Histor. animal. cap. 1. causamque addit: *Sunt enim*, inquit, *dentibus serratis, quorum series acutorum dentium mutua insertione pectinatim se constipat*. *Primò. Secundò.* Ita pariter linguæ maledicæ dentes habent quasi serras acutissimas, quibus pectinatim serrant secantque hominem usque ad intima. *Tertiò.* Tertiò, leones & pardi pedes habent multifidos. Audi Aristot. ibidem: *Sunt*, inquit, *quæ multiplici pedum fissura digitentur, ut canis, leo, panthera*. Ita bisulca, trisulca, imò multifida est lingua detractoris, quibus calcat feritque æmulum. *Quartò.* Quartò, leones & pardi sunt carnivori. *Nam animalia serratorum dentium carnivora sunt omnia*, ait Plinius lib. 10. cap. 73. Ita maledica hominis carnes, imò medullas & ossa depascitur. *Quintò.* Quintò, pardi sunt celerrimi, & ex alto in homines insiliunt, imò devolant. ita Plinius loco citato: *Insidunt*, ait, *in eadem Africa pardi condensa arborum, occultatique earum ramis, in prætereuntia desiliunt, atque è volucrum sede grassantur*. Idem in Brasilia facere pardos, Patres Societatis nostræ occulati testes inde reduces mihi Romæ narrarunt. Quid celerius, quid volucrius lingua maledica? volat enim irrevocabile verbum, & totam urbem, imò orbem sæpè pervolat, idque ilicò instar fulguris. *Sextò.* Sextò, *leonibus ac pardis*, ait Plinius lib. 11. cap. 37. *lingua est imbricatæ asperitatis, ac limæ similis, attenuansque lambendo cutem hominis. Qua causa, etiam mansuefacta, ubi ad vicinum sanguinem pervenit saliva, invitat ad rabiem.* Ita lingua detractoris est asperrima lima, totum hominem extenuans, agensque non rarò in furorem & rabiem. *Septimò.* Septimò, pardi & pantheræ capiuntur aconito faucium & linguæ: sic & maledicus capitur maledicentia linguæ suæ. Audi Plinium lib. 8. c. 27. *Pantheras perfricata carne aconito (venenum id est) barbari venantur. Occupat ilicò fauces earum angor: quare Pardalianches id venenum appellavere. At fera contra hæc excrementis hominis medetur.* *Octavò.* Denique pardus adeò ferus est, ut nulla arte cicuretur. Sic & leo numquam vel ægerrimè & rarissimè mansuescit. Unde Aristot. lib. 1. de Histor. Animal. c. 1. dividit animantes, aitque *alias esse cicures, alias feras: & alias perpetuò cicures, ut hominem, ut mulum: alias perpetuò feras, ut pantheram, ut lupum: nonnullas etiam facilè posse mansuescere, ut elephantos. Ita linguam* maledicam *nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero*, ait S. Jacobus c. 3. v. 8.

VERS. 28. SEPI AURES TUAS SPINIS, ET LINGUAM NEQUAM NOLI AUDIRE, ET ORI TUO FACITO OSTIA ET SERAS] Jansenius & alii addunt, *auribus tuis*; sed id delent Romana, Græca & Rabanus. Post invectivam in linguam maledicam concludit Siracides hortando, ut eam omnimodè caveamus, scilicet ut eam nec audiamus, nec annuamus, illique colloquendo nos commisceamus, & commaculemur. Pro *aures* Græca habent τὸ κτῆμα, id est, *possessionem*, & ita legit S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 3. & S. Hilar. in psalm. 140. Utraque lectio apposita est: posterior continet metaphoram, prior explicationem metaphoræ, ideoque aptior est & clarior, eamque sequitur S. Cyprian. lib. 1. epist. 3. & S. Ambros. in psalm. 118. serm. 22. Atque facilis & ex affinitate characterum vicina est declinatio, ut pro τὰ ὦτα, id est, aures, aliquis scripserit τὸ κτῆμα, id est, possessionem. Græca igitur sic habent; *vide, sepi possessionem tuam spinis, & ori tuo fac fores & pessulos*; Tigurina, *spinis circumsepias possessionem tuam, id est, ori tuo valvas opponas & obices*: hæc versio sepem non auribus, sed ori apponi jubet. Sic & Syrus, *sicut*, inquit, *sepis vineam tuam, & ori tuo fac fores & seras*; S. Hilar. in psalm. 140. legit, *ecce circumvalla* (hoc enim significat Græcum περίφραξον) *possessionem tuam spinis*.

S. Clemens epist. 1. alludens ad alias S. Script. sententias, easque cum hac commiscens, sic legit, *impone homo tuæ linguæ ostium & seram: cessa cornu in altitudinem extollens, & loquens adversus Deum iniquitatem, & proximum tuum.* Igitur τὸ *sepi aures tuas spinis*, est parabola, & parabolicè dictum, (nec enim propriè vult spinis aures sepiri: hoc enim incongruum & impossibile est) quam explicat dum subdit: *Et linguam nequam noli audire*. Sensus est, q. d. Ut virus & noxam linguæ maledicæ evites; Primò, occlude aures ne illam audias, & os ne cum ea colloquaris.

loquaris. Nimirum sicut possessionem tuam, v. g. agrum, hortum aut vineam, soles spinis sepire, ne boves & feræ illam ingrediantur, frugesque & segetes depascantur: ita multò magis sepi, id est, occlude, aures & animam tuam, ne audias detractiones linguamque maledicam, quæ charitatem puritatemque, & ceteras virtutes tuas inficiat & consumat. Seps ergo, qua auris contra detractiones & detractores est sepienda, est timor Dei, qui animum obfirmet, ab iis aures avertat & occludat, vultumque tristem & severum ostendat, imò detractorem increpet & à se ablegat. Nam ut ait Salomon, *Ventus Aquilò dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem*, Proverb. 25. 23. Hæc enim tristitia & morositas vultus, est quasi spina urgens detractorem ut à detractione cesset. Sepis ergo aures spinis, quando eas claudis & avertis, quando ostendis faciem gravem & tetricam, quæ indicet te invitum ægrèque audire, ac detractorem tibi esse tædio, & molestiam creare. Si ita sepivisset aures Eva ne audiret serpentem, & Adam ne audiret Evam, à quantis se omnesque posteros malis liberasent! Sepivit Christus aures cùm dæmoni dixit: *Vade post me satana*, Matth. 4.

Ex dictis collige aures nostras hîc comparari vineæ eleganti, verba verò prava bestiis, silentium & discretionem sepi. Idque apposité: nam ex auribus in torcular cordis nostri quasi mustum sanctorum eloquiorum exprimitur, quod meditatione coctum & digestum animam roborat & lætificat: sermones verò pravi in hac vinea aurium nostrarum sancta eloquia depascunt, nosque vino sapientiæ vacuos relinquunt. Circumsepiamus ergo aures spinis sollicitæ circumspectionis & gravis severitatis, quæ bestias pravorum sermonum intrare non sinant: sicut Ulysses obstruxit aures ne audiret cantus Sirenum, quos qui audiebant, iis inescati capiebantur, & à Sirenibus laniabantur. Audi S. August. tract. de Domo disciplinæ, cap. 1 tom. 9. *O qui accipis verbum sanum in domo disciplinæ, sepi aures tuas spinis, ut ille qui importunè intrare ausus fuerit, non solum repellatur, sed etiam compungatur. Repelle illum à te: dic, Christianus es, Christianus sum: non hoc accepimus in domo disciplinæ, non hoc didicimus sub illo magistro, cuius cathedra in cælo est: noli mihi ista dicere, aut noli ad me accedere.* S. Paulinus epist. 27. ad Aprum in medio: *Aures spinis sepiamus: id est*, inquit, *verbo Dei & fide verbi, quæ vita nostra segetem firmissima innocentia atque patientia sepe defendunt, & diabolo dolis suis aditus in præcordia nostra captanti, quasi furibus spinæ, resistunt.*

Remedia detractionis. Porrò variæ sunt spinæ, praxes & modi, quibus aures sepiantur detractioni, illaque succidatur. Primus, si apertè ei resistatur, & detractor increpetur, ut cùm audiens usurpat illud Christi: *Nolite iudicare ut non iudicemini: In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, Matth. 7. 1. Aut illud Pauli 1. Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare.* (Primum.)

Secundum. Secundus, si somnum ineat aut simulet. Ita Machetes si quis verbum detractionis protulisset, ilicò in somnum incidebat, ait Cassianus lib. 5. de Instit. renunt. c. 29. Tertius, si alium sermonem inducat. Ita faciebat Thomas Morus Angliæ Cancellarius, vir sapientia & virtute celebris, qui audiens detractionem, sumpta aliunde occasione aliò colloquium divertebat. Exempli gratia inquiebat: Dicat quisque quod volet, ego dicam domum illam pulcherrimè extructam, eumque qui illam fabricavit excellentem in sua arte esse architectum, ita Stapleton. in eius Vita. Hinc Gentiles Jovem in Creta pingebant sine auribus, ut hac effigie omnes, præsertim principes, admonerentur, non oportere eos aures præbere delatoribus. Midas verò rex asininis auribus deformabatur, quia & delatores circum se, & consultores, quos hodie Auditores vocant, habebat, parum ab asinis differentes. Quartus, si Superior subditos detrahentes compescat & castiget. Ita S. Franciscus, ait S. Bonav. in eius Vita cap. 8. §. 1. suos castigabat, quin & habitu monastico spoliandos censebat. *Detractionis enim vitium inimicum fonti pietatis & gratiæ, tamquam serpentinum abhorrebat morsum, & atrocissimam pestem, & piissimo Deo abominabile esse affirmabat, pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quas gladio linguæ necat.* Et inferiùs: *Tanto maior est, inquiebat, detractorum impietas quam latronum, quanto lex Christi, quæ in observantia pietatis impletur, magis animarum quam corporum nos optat amare salutem.* (Tertium. Quartum.)

Quintum. Quintus, si detractori velut cani, os proprium, quod rodat, putà vitium publicum quo laborat, auditor obiiciat. Ita fecit Christus accusatoribus adulteræ: *Qui*, inquit, *sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*, Joan. 8. 7. sciebat enim illos ipsos esse adulteros. Sæpè enim fit, ut qui alios de vitio quopiam culpant, eodem laborent magis quàm illi quos culpant, aut certè justo Dei judicio in illud ipsum incidant. Cuius rei exemplum memorabile Machetis Abbatis recenset Cassianus lib. 5. de Instit. renunt. cap. 30. Dicat ergo auditor detractori cum Christo: *Quid vides festucam in oculo fratris tui; & trabem in oculo tuo non vides? Hipocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui*, Matth. 7. 3.

Sextum. Sextus, detractor inquirat & succidat radicem detractionis. Origo enim, fons & radix judicii temerarii & detractionis est amor proprius, quo ut tegamus vel minuamus vitia propria, judicamus & accusamus aliena. Quocirca omnis detractor propria mala non videns, arguit aliena. Ex adverso qui sui est inspector, proximi

B est laudator.

Exempla. Ita Pimenius Abbas apud Ruffin. lib. 3. Vit. SS. Patr. num. 133. rogatus: *Quomodo potest vitare homo ne loquatur malum de proximo suo?* Respondit: *Ego & proximus meus duæ imagines sumus: cùm ergo meam perspexero & reprehendero, invenitur imago fratris mei apud me venerabilis: quando autem meam laudavero, tunc fratris mei imaginem pravam respicio. Tunc ergo de alio non detracto, si semper meipsum reprehendo.* Et Joannes Abbas: *parvam*, inquit, *sarcinam dimisimus, id est, nos ipsos reprehendere: & gravem portare elegimus, id est, ut nos iustificemus, & alios condemnemus.* Pior Abbas quoque audiens detrahentes, tacens egressus saccum implevit arena, eumque dorso gestavit; in altero verò panno exiguo misit parum arenæ, illudque ante se tulit. Rogatus, quid per hoc significare vellet; respondit: *Saccus habens multam arenam significat me meaque peccata plurima, quæ reieci in dorsum, nollens illa videre, ut pro illis doleam & plangam. Et ecce pauca hæc delicta fratris mei posui ante oculos meos, & crucior in ipsis condemnans fratrem. Sed non oportet sic iudicare; quin potius ea ante me adducere, & de ipsis cogitare,*

C *& rogare Deum ut mihi indulgeat. Quod audientes Patres dixerunt: In veritate hæc est via salutis.* ita Ruffinus lib. 3. n. 136. Quocirca S. Hieron. (vel potiùs Paulinus) Celantiam matronam contra detractores ita aures sepire docet epist. 14. *Nec obtrectatoribus de consensu auctoritatem tribuas, nec eorum vitium nutrias annuendo. Noli, inquit Scriptura, consentaneus esse cum derogantibus adversus proximum tuum, & non accipies super illum peccatum.* Et Ecclesiast. 28. 28. *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam.* Et paucis interjectis: *Est sanè tale hoc vitium, quod vel in primis extingui debeat, & ab eis qui se sanctè instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mentem & levem faciat, quam facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. beatusque est, qui ita se contra hoc vitium armavit, ut apud eum nemo detrahere audeat.*

Præclarè verò S. Hieron. epist. 2. ad Rustic. eorum excusationes excludit; qui se negant obtrectatoribus aures claudere posse. *Neque verò*, inquit, *illa iusta excusatio est, Referentibus aliis iniuriam facere non possum. Nemo invito*

D *auditori libenter refert: sagitta in lapidem numquam figitur, interdum resiliens percutit dirigentem. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facilè detrahere. Cum detractoribus*, ait Salomon, *non misceatis; quia repentè veniet perditio eorum, & ruinam utriusque quis novit? tam videlicet eius qui detrahit, quam illius qui aurem accommodat detrahenti.* Denique S. Ambros. lib. 4. epist. 29. Floriano normam vitæ præscribens: *De malo alieno*, inquit, *non coinquines os tuum; numquam detrahe peccanti, sed condole: quod in aliis detrahis, in te potiùs pertimesce. Numquam profectò detrahes, si teipsum bene perspexeris. Tantum cura corrigere vitam tuam, quantum perspicis alienam.*

Secundò, ut virus linguæ nequam caveas, claude os tuum, ne cum illa sermonem misceas, illique blandiaris, consentias, corrideas, applaudas, itaque ipse detrahas & maledicas. Quare *ori tuo facito* non unum, sed multa *ostia & seras*. Sicut enim civitas, domus, hortus, & vinea non tantùm sepitur muro vel sepe

sepe contra incursus bestiarum; & hostium, sed etiam multis ostiis & seris obseratur, tum ut bestiæ & hostes excludantur, tum ut domestici egredi nequeant, nisi ad nutum heri vel custodis, qui claves tenet: ita pariter ut animam intactam à maledica lingua serves, non tantùm aures occludendæ sunt, sed & os obturandum & clausura labiorum & dentium, putà obfirmatione animi ad silendum, ne interim tui sensus & cogitationes prurientes ad colloquendum, & proximi vitia narrandum, per os erumpant, hostemque, putà maledica verba, intromittant. Ita obseravit os suum David dicens: *Posui ori meo custodiam cùm consisteret peccator adversum me. Obmutui, & humiliatus sum, & silui*, psal. 38. 2. Verùm quia hæc custodia à nobis & viribus naturæ præstari nequit, sed est opus gratiæ Dei, hinc eamdem instanter invocat, dicens psalm. 140. 3. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis*, putà ostium circumstans, claudens, custodiens labia mea. Hebr. *pone custodiam super ostium labiorum meorum;* S. Aug. legit, *pone ostium continentiæ labiis meis;* Theodor. & Aquila, *super labia mea*: nimirum hi omnes Hebræum דל *dal* per apocopen poeticam accipiunt quasi positum pro דלת B *delet*, id est ostium, janua: S. Hieron. tamen *dal* propriè accipiens vertit, *serva paupertatem* vel *tenuitatem labiorum meorum*. Sensus ergo est, q. d. Sicut civitas, arx, vel domus custoditur validis portis & seris, quin & præsidio militari: ita Domine effice ut os meum custodiatur, tum per dentes & labia, ut explicat Theodor. tum potiùs per constantiam animi, fortemque resolutionem tacendi: tum maximè per robur gratiæ tuæ, ne quid effutiam per iram, odium, impatientiam, levitatem, quo te vel proximos offendam. Sicut ergo domus custoditur ostio circumstante, ut nihil obfuturum aut exeat, aut introeat: sic tu Domine gratia tua custodi os & labia mea, ne per ea quid exeat maledicum, mendax, detractorium, aliterve impurum & vitiosum.

Notat S. August. in psal. 140. dici, *Pone ostium*, non *claustrum*: quia os, inquit, quasi ostium non semper obserandum est, sed & quandoque reserandum: aperiri enim debet ad confessionem peccati, ad Dei laudem, ad proximi instructionem, consolationem & opem: sed claudi debet ad peccati excusationem & operationem, ut non loquatur iracunda, infamia, calumnias, mendacia, &c. Quocirca antequam loquaris, invoca Dei auxilium, ut dirigat linguam tuam ad congruè loquendum. Idem notat S. Gregor. 7. Moral. cap. 17. *Ostium*, inquit, *aperitur & clauditur. Qui ergo ori suo nequaquam poni obstaculum, sed ostium petiit; apertè docuit, quod & per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari: quatenus os discretum & congruo tempore vox aperiat, & rursum congruo taciturnitas claudat.* Sic & S. Chrysost. in psalm. 140. ubi duos oris custodes ponit, scilicet, Dei invocationem & gratiam, ac loquentis rationem, & curam ritè tacendi vel loquendi. *Os ergo nostrum*, inquit, *perpetuò custodiamus, ei rationem tamquam clavem adhibentes. Non ut perpetuò claudatur, sed ut convenienti tempore reseretur. Nonnumquam enim silentium est loquela utilius, sicut loquela quoque silentio. Et ideò dicebat ille sapientissimus: Tempus tacendi, & tempus loquendi*, Eccles. 3. *Si enim oporteret ora perpetuò patere, non factæ essent portæ: si autem perpetuò clausa esse, non esset opus custodia. Quod enim clausum est, cur quis custodierit? sed propterea sunt portæ & custodia, ut faciamus singula tempore convenienti.* Et paulò superiùs: *Sicut non juvat domus, non urbs, non mœnia, non portæ, non ostia, nisi sint qui ea custodiant, & sciant quando oportet ea quidem claudere, quando verò aperire: ita etiam oris & linguæ nulla est utilitas, nisi sit ratio, cui scienter, accuratè ac circumspectè ea claudere & aperire permissum sit, & sciat quæ sint efferenda, quæ verò retinenda.*

Vt occludas os, claude aures.

Nota. Appositè sepem aurium jungit & præmittit seris oris, quia, ut occludas os ne quid perperàm loquatur, priùs occludendæ sunt aures ne quid perperàm audiant. Prurit enim mens, cùm quid novi audiit, ut illud proloquatur & in sinum amicorum effundat. Quocirca sapienter Abbas Joannes Cyzicus: *Qui continere*, inquit, *vult linguam, aures obstruat ne multa audiat: qui sine distractione esse cupit, solitarius maneat.* Ita refert Joannes Moschus in Prato spirit. cap. 187.

Vers. 29. AURUM TUUM ET ARGENTUM TUUM CONFLA, ET VERBIS TUIS FACITO STATERAM, ET FRÆNOS ORI TUO RECTOS] Est parabola, q. d. Aurum & argentum tuum confla, ut ex eis facias stateram, quà libres & expendas verba tua, utque ex eis facias frænos ori, quibus illud frænes: hoc est, omnes tuas opes omniaque studia impende ad hoc, ut compares sapientiam & prudentiam (horum enim symbolum est aurum & argentum) quæ te doceant componere os tuum ad rectè loquendum vel tacendum. Pro *confla*, græcè est κατάδησον, id est colliga, ut ex eis fabrices stateram; aut obliga, devinci & impende, ut emas, & compares stateram jam dictam. Eodem ergo redit sensus. Græca igitur sic vertas, *argentum tuum, & aurum tuum devincito, & verbis tuis fac libram trutinamque, & ori tuo fac januam & pessulum;* Tigurina, *obliga argentum, & aurum tuum, hoc est, sermonibus tuis adhibe superliminare, & limen*, græcè ζυγὸν καὶ σταθμὸν, quod Vatabl. rectiùs vertit *jugum & stateram;* Complut. & alii unica voce legunt ζυγοσταθμὸν, id est *jugi stateram*, id est, æqualis jugi, putà æquilibrem stateram, quæ scilicet in æquilibrio consistat, nec in alteram partem pendula devergat vel inclinet. Nam ζυγοστατεῖν est librare & exæquare, & ζυγοστάται sunt libripendes ponderibus præfecti: unde zygostatica fides, id est, plena & examinata æquitas: zygostatica enim libra est publicè temperata & constituta. Vide Budæum in Comment. Syrus vertit, *argento tuo & auro facis obsignaculum, & verbo tuo facis* (facias) *firmamentum;* alia lectio habet, *fac stateram*.) q. d. Uti obsignas & obseras tuum aurum & argentum: sic & obsigna firmaque tuam linguam, ne hostium prædæ pateat: verba enim sunt thesauri mentis, auro pretiosiores. Rursum sicut aurum in moneta obsignatur effigie regis, qui illud cudit: sic & tu verba tua obsigna effigie Dei, qui os & linguam tibi dedit, ad hoc ut ea, quæ sunt Dei, loquaris juxta illud Cantic. 8. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum*, & consequenter super os tuum.

Verborũ statera & oris frænum est ratio.

Ex Sancto Gregorio.

S. Gregor. in psalm. 4. Pœnitent. ad illa: *Domine labia mea aperies*, legit, *ori tuo fac ostium & vectem, & in verbis tuis jugum & stateram; ut omne quod loquimur*, inquit, *& humilitate condiatur, & mensura ponderetur. Nec priùs os loquendo aperiamus, quàm expediat: sed examine-* C *mus verba nostra, si tacendum hoc, si dicendum adversus hunc, si tempus sit sermonis hujus, postremò si à virtute modestiæ non dissentiat. Nihil invidum sonans erumpat.*

Ex Sancto Hilario.

S. Hilar. in psalm. 140. legit, *argentum & aurum tuum constitue, & ori tuo fac ostium & seram, & verbis tuis jugum & mensuram, Ostium*, inquit, *& seram ori jussit apponi, ne verbis esset facilis egressus: iisdem autem verbis jugum mensuramque constituit, ut ratione jugo subdita, librata per mensuram moderationem penderent.* Græci enim & ex iis S. Hilarius, nil habent de frænis, quos Latinus vult ori fieri *rectos*: quia multi frænos ori adhibent, sed non rectos: nam frænant oris petulantiam nimio silentio: silent enim, cùm peccatores arguendi, rudes instruendi, afflicti consolandi essent. Frænos ergo rectos ori adhibet, qui illud ad loquendum laxat, vel ad tacendum frænat, cùm recta ratio loquendum vel tacendum esse dictat. S. Hieron. lib. 14. in Ezech. sub initium legit, *sermonibus tuis facies stateram & appendiculum: ut & in verbis*, inquit, *& in opere, & in cogitationibus omnia pondere & ratione faciamus.*

Ex Sancto Chrysostomo.

S. Chrysost. in psal. 140. legit *lancem* (bilancem) *& sta-* D *teram fac linguæ tuæ*, illudque sic explicat: *Maiorem*, inquit, *exigit diligentiam, ut non solùm verba, quæ oportet efferamus, sed etiam cum ea, quæ par est cautione, & accurata consideratione, ipsa velut ponderantes diligenter expendamus. Si enim hoc facimus in auro & materia, quæ interit; hoc multò magis faciendum est in verbis, ut nihil desit, nec redundet. Quocirca dicit Eccles. cap. 4. Verbum ne prohibueris in tempore salutis. Et Paulus: Sermo vester sit semper in gratia sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos in uno quoque respondere*, Coloss. 4. *Cogita apud te hoc esse membrum, per quod cum Deo colloquimur. Hoc est membrum, per quod in primis reverendum summa veneratione dignum sacrificium* (Eucharistiam) *suscipimus. Et ideo oportet liberum esse ab omni accusatione, calumnia, verbo obscœno, maledicto.* Igitur valeat hic ac teneatur consilium S. August. *Omne verbum prius ad limam, quam ad linguam veniat.* Ampliùs, imo duplum exigit S. Bernard. in Speculo monachorum:

Antequam, ait, verba proferas, bis ad limam veniant, quam semel ad linguam. Ita fecit sponsa, de qua dicitur Cant. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua*. q. d. Labia tua silentio & discretione quasi vitta speciosa constricta & decorata sunt. Unde Rupertus ibidem ea attribuens B. Virgini: *In labiis Mariæ, ait, confessio & pulchritudo; in labiis Mariæ sanctitas & magnificentia. Eva Deo muta fuit: Maria vero Deum suavissima voce magnificavit, se autem humiliavit.*

Ex Sancto Ambrosio.

Audi hanc Siracidis sententiam præ ceteris egregiè & luculenter pertractantem S. Ambros. lib. 1. Officior. c. 3. *Sepi possessionem tuam spinis, & aurum & argentum tuum alliga, & ori tuo fac ostium & vestem, & verbis tuis jugum & stateram. Possessio tua, mens tua est; aurum tuum, cor tuũ est; argentum tuum, eloquium tuum est. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. Bona etiam possessio mens bona. Denique possessio pretiosa homo mundus. Sepi ergo hanc possessionem & circumvallato cogitationibus, munito piis sollicitudinibus, ne in eam irruant & captivam ducant irrationabiles corporis passiones, ne incursent motus graves, ne diripiant vindemiam ejus transeuntes viam. Custodi interiorem hominem tuum: noli eum quasi vilem negligere ac fastidire, quia pretiosa possessio est. Et merito pretiosa, cujus fructus non caducus & temporalis, sed stabilis atque æternæ salutis est. Cole ergo possessionẽ tuam, ut sint tibi agri. Alliga sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciviat & multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, & ripis suis coerceatur. Cito lutum colligit amnis exundans. Alliga sensum tuũ; non sit remissus ac desluus, ne dicatur de te: Non est malagma apponere, neque oleum, neque alligaturam. Habet suas habenas mentis sobrietas, quibus regitur & gubernatur. Sit ori tuo ostiũ, ut claudatur ubi oportet: & obseretur diligentiùs ne quis in iracundiam excitet vocem tuã, & contumeliã rependas contumeliæ. Audisti hodie lectum: Irascimini, & nolite peccare. Ergo & si irascimur, quia affectus naturæ est, non potestatis; malum sermonem non proferamus de ore nostro, ne in culpam ruamus. Sed jugum sit verbis tuis & statera, hoc est humilitas atque mensura, ut lingua tua menti subdita sit, restringatur habenæ vinculis, frænos habeat suos quibus revocari possit. Ad mensuram sermones proferat libra examinatos justitiæ: ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus.*

Idem S. Amb. in psal. 118. octonario 22. ad illa verba; *Loquetur lingua mea verbum tuum. Sepi,* inquit, *aures tuas spinis: Utinam & linguam obsepias, ne loquaris, quæ sæculi sunt; audias, quæ sæculi sunt. Sed quod pejus est, circundata est lingua tua spinis, quæ compungunt & vulnerant loquentem quæ mundi sunt. Ideo adversarius etiã orantibus frequẽter sæculares offundit cogitationes. Si ergo non debemus audire aliena vel superflua, quantò magis non debemus obloqui, cùm dicat unicuique nostrum Script. venerabilis: Argentum & aurum tuum alliga, & ori tuo fac jugũ & pondus; Alliga sensum tuum fide, taciturnitate alliga sermones tuos, impone jugum ori tuo, ne indomita cervice verborũ se jactet: impone pondus, ut cauto õnia, quæ loquimur, trutinemus examine. Quibus tamẽ spinis sepias aures tuas, ut Script. tibi dicit, nisi contrito corde & timori judicii? Salubriter ista cõpungunt, stimulat ista, nõ vulnerãt, licet & vulnera utilia sũt amici.*

Mysticè.

Mysticè Rabanus: *Aurum,* inquit, *suum atque argentum conflat, qui sensum tractatumq; cordis sui, & locutionẽ oris igne Spiritus sancti examinando purgat, ut veritati Catholicæ fidei, & regulæ sacrarum Scripturarum per omnia concors fiat. Qui autem sermonum suorum cautelam habere non curat, consequens est, ut in conspectu inimicorum suorum, hoc est, malignorum spirituum sibi insidiantium corruat: etiã ejus casus in morte perpetua insanabilis est.* Mysticus quoque est ille Palacii sensus: Jubet, inquit, Auctor conflari aurum & argentum, ut inde nummi fiant, qui in pios usus erogentur; quare Deus inclinatus fræno cohibeat linguam nostram, & faciat ne quid sine rationis libra loquamur. Aurea porro statera est, quando quidquid loquitur lingua, in Dei gloriam refertur: argentea erit, quando quod loquitur, in utilitatem proximorum loquitur. Cadimus autem in conspectu inimicorum, cùm in judicio particulari, quo quivis in morte examinatur, dæmones victores exiliunt. Non cadimus, si non confundimur, quando dæmonibus in porta (scilicet mortis) loquemur, id est, quando ab illis in hora mortis accusati, & à Christo judice liberati, dæmonibus insultabimus. Quocirca sapienter monet Apostolus Coloss. 4. dicens: *Omnis sermo vester semper in gratia sale sit conditus*, lenitate, A scilicet, suavitate, candore, veritate, sapientia, delectu, lepore, venustate, quin, & ubi opus fuerit, mordacitate atque acerbitate. Hæc enim omnia præ se fert sal.

Apolog. de frænanda lingua.

Hanc parabolam, vel apologum insigni corvi & ranæ apologo exornat Cyrillus lib. 1. Apolog. moral. c. 15. cujus titulus: *Doctus loqui, & avarus sis verbi: Cùm corvus,* inquit, *post multum laborem ac studium vix tandem eloqui didicisset, audiretq; ranam multa fantem, descendit, & dixit, Quis soror te loqui docuit? At illa respondit: Nemo certè, sed pro subtracta cauda loquelã mihi dedit natura liberalis. Tũc corvus: Felicem profectò commutationem, pro bestialitatis cauda rationis loquelam accepisti. Cui rana subjunxit: Tibi autem quod loqui scias, undè contigit frater? Tum ille: Longis sanè laboribus studiisq; loquelam emi, & didici. His auditis inflata rana subjecit: Ecce tu loqui doctus es, & ego non docta: si placet ergo loquacitatibus concertemus, ut appareat quis nostrum abundantius loquatur. Ad hoc corvus ruminata sententia dixit: Ego dumtaxat pauca illa loqui scio, quæ didici; te autem loqui minimè didicisse, neque loquelam emisse satis inde patet, quia si illam emisses & erudita fuisses, non sic eloquia profunderes, sed ea aut pruden-* B *tia venderes, aut beneficentia donares. At illa garrula, Modò, inquit, tu loqueris, & cui sermonem vendis? Mox ille respondit: Sapienti. Quippe cui nihil inordinatè actum, est perditum, & quidquid aptè dicitur, charum est. Nonne audisti* (Proverb. 10, 20.) *quod argentum electum lingua sit justi, eò quod charissima sit?* Rationem à priori affert, eamque physica ratione ex linguæ situ confirmat dicens: *Nam clausura quæ rarò aperitur est fortior, & lingua minùs frequentata fortior. Nam quod diu rectum tenetur, difficilius obliquatur. Dum autem lingua non loquitur, rectum tenet. Divinæ veritatis tuba breviloqua fuit in mõte Sina, & tantùm decalogum est prolocuta. Ad minùs loquendum os clauditur; janua labiorum, & arteria aspera propter hoc ostiolo circumdatur.* Aliam deinde rationem ex natura verbi petitam assignans, subjicit: *Etenim si vox quidem verbum est, & non sonus, oportet ut meditatione concipiatur, formetur consilio, digeratur judicio, & hoc suo loco & tempore digestum apertis in auribus pangatur. Quinque vocales datæ sunt homini, ut parcè loqueremur ad sensum. Atque ob hoc lingua, unum est locutionis instrumentum & gustus, ut nimirum pauca, & prius ratione prægustata dicamus. Nam* C *loquax indigestis verbis conturbat alios, aut conturbatur.*

Ratio à priori. Prima.

Secunda.

ET ATTENDE NE FORTE LABARIS IN LINGVA (per præcipitationem choleræ & verborum,) ET CADAS IN CONSPECTV INIMICORVM INSIDIANTIVM TIBI, ET SIT CASVS TVVS INSANABILIS IN MORTEM] Multi enim per verba temerè prolata incurrunt mortem præsentem & æternam. Præclarè S. Greg. lib. 7. Moral. cap. 17. *Sciendum quoque est, quòd ab omni rectitudinis statu depereunt, qui per noxia verba dilabuntur. Humana etenim mens aquæ more & circumclusa ad superiora colligitur; quia illud repetit, unde descendit: & relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim supervacuis verbis à silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Unde & redire interiùs ad sui cognitionem non sufficit: quia per multiloquiũ exteriùs sparsa, vim intimæ considerationis amittit. Totam igitur sese insidiantis hostis vulneribus detegit: quia nulla se munitione custodiæ circumcludit. Unde scriptũ est: Sicut urbs patens & absque murorum ambitu: ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Quia enim murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis; & cum se* D *per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit, quam tantò ille sine labore superat, quanto & hæc eadem, quæ vincitur, contra semetipsum per multiloquium pugnat.* Et S. Bernar. de Interiori domo c. 5. *Lingua,* inquit, *dicitur, quia lingit. Lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo. Ligat, & ligari non potest: labilis est, & teneri non potest, sed labitur & fallitur: labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta: tollit amicos, multiplicat inimicos: movet rixas, seminat discordias. Uno ictu multos percutit & interficit. Blanda est & subdola, lata & parata ad exhauriendà bona, & miscenda mala.*

Quocirca Deus maledicos sæpe morte præsenti, semper æterna punit. Paulin. in Vita S. Ambrosii memorat, Donatum presbyterum Sanct. Ambrosio jam vita functo detrahentem, subito percussum vulnere gravi, delatum ad lectulum, ibi maledicam animam exhalasse. Ac subdit idem contigisse Maurano Episco-

po

Episcopo eidem detrahenti. Et S. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 51. narrat, sanctimonialem procacis linguæ post mortem apparuisse semiustam, & dimidia ex parte concrematam. Quin & Deus Mariam sororem Mosis Mosi detrahentem lepra percussit, Numer. 12. Denique in detractores sæpè dæmones immisit, ut qui dæmonem in lingua maledica gerebant, eumdem toto corpore quasi sui possessorem & herum circumferrent. Siracidem imitatus Cato ita de lingua frænanda sancit:

Virtutem primam esse puta, compescere linguam:
Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere.
Rumores fuge, ne incipias novus auctor haberi:
Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum!

CAPUT VIGESIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit à lingua ad manum, putà à loquela ad largitionem & beneficentiam, cuius quatuor species assignat, scilicet mutationem, eleemosynam, fideiussionem, & peregrinorum susceptionem, easque sigillatim ordine prosequitur. Primò ergo, v. 1. usque ad 11. agit de mutuando, dandoque mutuum proximo, ac nonnullorum post acceptum mutuum in reddendo difficultatem, incivilitatem & ingratitudinem taxat. Inde v. 11. usque ad 19. septem dat stimulos ad mutuandum, æquè ac ad dandum eleemosynam, quam proinde vocat sacculum, scutum & lanceam contra hostes, ac propitiationem omnis mali. Secundò, v. 19. usque ad 28. agit de fideiubendo pro proximo, eiusque periculo & cautela. Tertiò v. 28. usque ad finem agit de non vagando, eò quòd magna sit miseria peregrinorum & hospitum, qui alieno tecto recipi, & heterum improperia pati coguntur.

QVi facit misericordiam, fœneratur proximo suo: & qui prævalet manu mandata servat. 2. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, & iterum redde proximo in tempore suo. 3. Confirma verbum, & fideliter age cum illo: & in omni tempore invenies quod tibi necessarium est. 4. Multi quasi inventionem æstimaverunt fœnus, & præstiterunt molestiam his qui se adjuverunt. 5. Donec accipiant osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam: 6. Et in tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba tædii & murmurationum, & tempus causabitur: 7. Si autem potuerit reddere, adversabitur, solidi vix reddet dimidium & comparabit illud quasi inventionem: 8. Sin autem, fraudabit illum pecunia sua, & possidebit illum inimicum gratis. 9. Et convitia & maledicta reddet illi, & pro honore & beneficio reddet illi contumeliam. 10. Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt. 11. Verumtamen super humilem animo fortior esto, & pro eleemosyna non trahas illum. 12. Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam ejus non dimittas eum vacuum. 13. Perde peccuniam propter fratrem & amicum tuum: & non abscondas illam sub lapide in perditionem. 14. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis quam aurum. 15. Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. 16. 17: 18. Super scutum potentis, & super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit. 19. Vir bonus fidem facit pro proximo suo: & qui perdiderit confusionem, derelinquet sibi. 20. Gratiam fidejussoris ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam. 21. Repromissorem fugit peccator & immundus. 22. Bona repromissoris sibi ascribit peccator: & ingratus sensu derelinquet liberantem se. 23. Vir repromittit de proximo suo: & cùm perdiderit reverentiam derelinquetur ab eo. 24. Repromissio nequissima multos perdidit dirigentes, & commovit illos quasi fluctus maris. 25. Viros potentes gyrans migrare fecit, & vagati sunt in gentibus alienis. 26. Peccator transgrediens mandatum Domini, incidet in promissionem nequam: & qui conatur multa agere, incidet in judicium. 27. Recupera proximum secundùm virtutem tuam, & attende tibi ne incidas. 28. Initium vitæ hominis, aqua & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem. 29. Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quàm epulæ splendidæ in peregrè sine domicilio. 30. Minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies. 31. Vita nequam hospitandi de domo in domum: & ubi hospitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os. 32. Hospitabitur, & pascet, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet. 33. Transi hospes, & orna mensam: & quæ in manu habes, ciba cæteros. 34. Exi à facie honoris amicorum meorum: necessitudine domus meæ hospitio mihi factus est frater. 35, Gravia hæc homini habenti sensum: Correptio domus, & improperium fœneratoris.

VERS. 1. QUI FACIT MISERICORDIAM FOENERATUR PROXIMO SUO] Primò, Iudæi, ceterique fœnerantes hoc loco tuentur vel obtegunt suas usuras, sensumque dant, q. d. Vsurarius qui dat ad usuram proximo egenti, facit illi misericordiam, quia subvenit eius inopiæ: nec usuram ultra sortem exigendo illi iniurius aut onerosus videtur, quia ille volens hoc onus subit, imò petit, cùm à nemine possit obtinere mutuum gratis. Verùm hæc expositio erronea est, constat enim usuras esse iniquas vetitasque jure naturæ, divino & humano. Vsura enim est versuta versura, imò rasura & rosura pauperum, ac fœnus eorum est funus: quia sensim radendo & rodendo opes pauperum, eos occultè evertit, consumit & fame enecat. *Vsuram*, inquit S. Ambros. lib. de Tobia c. 13. *ab usu dictam arbitror, quòd ut vestes usu, ita usuris patrimonia scindantur.* Et c. 14. ex Catone; *Quid est fœnerare? Est hominem occidere.*

Secundò, ergo Jansenius propriè accipiendo τὸ *fœneratur*, pro dat ad usuram, sic explicat, q. d. Qui facit misericordiam subveniendo alterius necessitati, is fœneratur illi, qui quod ei impendit beneficii, hoc à Deo remuneratore omnis virtutis & beneficentiæ magno recepturus est cum fœnore. Unde Syrus vertit, *fœneratur fœnora magna, qui mutuum dat proximo.* Alludit ad illud Prov. 19. 17. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Et ad illud: *Si vis fœnerari, fœnerare Deo.* Deus enim se beneficentia vinci non patitur, sed in beneficos longè beneficentior est. Hoc sanctissimum est fœnus, hæc divina est usura, ideoque longè major illa, quam exigunt usurarii: Deus enim non centuplum, sed immensum retribuit, puta opes cœlestes & æternas, ait S. Chrysost. homil. 3. de pœnitent.

Tertiò & genuinè, q. d. Vir misericors non tantùm dat eleemosynam, sed & *fœneratur*, id est, mutuum dat proximo eo indigenti, q. d. Facilis & promptus est ad mutuandum. Agitur enim hic de mutuo, & *fœnerari* hoc

libro & alibi sumitur pro mutuare. Hebr. enim נשה *nasa*, & Græcum δανείζω significat mutuare, sive id fiat cum usura, sive sine ea, & gratis. Tigurina vertit, *qui studet benignitati mutuum det* (vel *dat*) *alteri*. Pars enim & species secunda eleemosynæ & beneficentiæ est mutuare, sicut prima est largiri & donare: & neque enim minor est mutui quàm dati gratia, & sæpè quod datum recusamus, mutuum accipimus, inquit Palacius. Rursum si pauperi mutuas, Christo mutuas, cui multa debemus, non quidem pecunias, sed peccata. Mutuemus itaque pecunias, ut veniam accipiamus peccatorum: ipse enim est, qui judicat, ait S. Chrys. hom. 24. in c. 3. S. Joan.

Prævalēs manu servat legem ET QUI PRAEVALET MANU, SERVAT MANDATA] Primò, generatim sic explices, q. d. Qui prævalet manu, id est operatione, hic servat mandata: hæc enim servantur & implentur non otiando, sed operando ea quæ jubent: quare qui validè operatur juxta mandata, hic ea servat. Vide S. August. lib. de Fide & operibus, ubi contra hæreticos docet, fidem non sufficere ad justitiam & salutem, sed ad eam requiri opera. Sic David, qui Hebr. idem sonat, quod *manu validus*, ut volunt nonnulli (nam David propriè idem est quod *dilectus*) B valida manu & funda torquendo lapidem in frontem Goliat, eum prostravit: itaque legem de tuenda & servanda rep. & patria implevit. Idem fecit Judith valida manu obtruncando Holofernem tyrannum.

Secundò. Secundò propriè *manum* referas ad eleemosynam, de qua hic agitur: illius enim instrumentum & symbolum est manus, ut patet Matth. 6. 3. q. d. Qui prævalet manu, hoc est, qui liberaliter dat & erogat quasi forti ac firma manu, qui validè manum extendit ad dandum sua egenis, hic servat mandata, tum ea quæ jubent dari eleemosynam, tum cetera: qui enim dat eleemosynam copiosam, magnam habet charitatem tam erga proximum, quàm erga Deum, magnamque à Deo meretur & accipit gratiam, qua totam legem Dei impleat. Ita Jansenius: Prævalet manu, inquit, qui ad largiendum promptus est & facilis. Nam qui tenax manu est, non videtur fortis & prævalidus, sed infirmus & impotens, ut qui manu ad dandum non utatur, aut tenuiter & remissè utatur, q. d. Qui haberi vult vir fortis manu, is sollicitus est ut faciat illa quæ mandata sunt ei de subveniendo suis proximis. Antistropha huic sententiæ est illa Ben Siræ alphabeto 1. litera He: *Esto bonus, & manum tuam à bono ne prohibeas. Vir bonus*, inquit Cicero, *est qui prodest quibus potest, nocet autem nemini. Hunc oportet virtuti operam dare.* Et litera Zain: *Sparge panem tuum in superficie aquarum, & in arida, & tu invenies eum in fine dierum.* Quod desumpsit ex Salomone Eccles. 11. 1. *Mittem panem tuum super transeuntes aquas* (id est, in pauperes, qui in hac vita vivunt & præterfluunt ut aquæ) *quia post tempora multa invenies eum*, quasi dicat: Licèt pauperes sint, aut videantur fore ingrati, ut quasi in aquis jactum beneficium, & periturum videatur, tu tamen benefac, quia vel ab eisdem, vel à Deo tibi reddetur ita Olympiodorus & Greg. Neocæsariensis Eccles. 11.

Nota. Pro *Qui prævalet manu sua*, græcè est ὁ ἰσχύων τῇ χειρὶ αὐτοῦ, quod Tigurina vertit, *cui multum in manu est*; Vatabl. *qui manui suæ imperat*; alii *qui corroborat vel validam facit manum suam*: aut, *qui vires & robur addit manui suæ*, Noster & alii, *qui prævalet manu sua*, scilicet ad operandum opera bona, magna & valida, præsertim eleemosynæ & beneficentiæ: horum enim organum & index est manus, ait S. Hieron. in Matth. c. 15. v. 2. quia eleemosynæ ministerio manus erogantur. Quo significatur magnas validasque eleemosynas magnam validamque eleemosynarii requirere manum; idque Primò & propriè, quia valida eleemosyna est actus proprius magnæ validæque liberalitatis & beneficentiæ: hæc enim validam magnamque extendit manum ad succurrendum multis magnisque pauperibus, juxta illud quod de muliere forti dicitur Proverb. 31. 21. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Quare sic clare exponas, *qui prævalet manu*, id est, qui prævalet beneficentia, qui validè manum extendit ad benefaciendum cuilibet.

Validus manu est liberalis: cur? Resp. Primò. Secundò.

Secundò, quia valida magnaque beneficentia validum & heroicum dantis requirit animum ad superandum amorem proprium, tenacitatem & avaritiam, qua quisque naturaliter propendet, ut sua sibi retineat, nec A iis se spoliet dando ea aliis. Unde monuit Siracides c. 4. ult. *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Hinc & Artaxerxes, cognomento Longimanus, Persarum rex scitè dixit, naturam & Deum sibi quasi regi futuro dedisse manum dextram longiorem sinistra, eò quòd regem deceat dare potiùs quàm accipere beneficia, dantur autem dextra, accipiuntur sinistra.

Propriè autem Siracides loquitur hic de mutuo, quod quia sæpè magnum est, validum magnumque requirit mutuantis animum. Qui enim gravi ære alieno gravantur, non audent ejus condonationem vel donationem petere, sed petunt mutuum ad illud solvendum, promittentes sed illud stato tempore reddituros: qua in re sæpè vel ob inopiam, vel ob perfidiam mutuantes fallunt: quare magno liberalique animo sit mutuans oportet, ut hoc periculum devoret; ideoque manum suam ad mutuandum corroboret & confirmet. *Tertiò.*

Tertiò, quia magnæ eleemosynæ validam requirunt manum dantis, qua sibi procuret & comparet ea, quæ daturus est: unde de muliere forti & strenua dicitur Proverb. 31. v. 23. *Quæsivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.* Et v. 17. *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum*, &c. Denique Palacius: Christus, inquit, duplex mandatum reliquit eleemosynæ: Primum, *Omni petenti te tribue*, Lucæ 6. Secundum, *Volenti mutuari à te, ne avertaris*, Matth. 5. Si ergo das, non verò mutuas, altera manu vales, non utraque: unum, non duo mandata servas. Quare avarus, qui non dat nec mutuat, utramque manum paralyticam habet. Qui verò dat, sed non mutuat, manum unam sanam habet, alteram paralyticam qui verò dat & mutuat, utramq; habet sanam & validam.

Moraliter hic disce, beneficentiam esse fortitudinem potentiam, adeoque beneficos esse fortes, validos & potentes, imò tales evadere per suam beneficentiam, tum ob rationes jam dictas, tum Primò, quia eleemosyna non depauperat, sed ditat. Vide S. Chrysost. homil. 33. ad pop. *quòd eleemosyna est ars omnium quæstuosissima.* Unde S. Joannes Eleemosynarius, quo plura erogabat in pauperes, eo plura sibi à Deo suggeri experiebatur. Secundò, quia eleemosyna Dei, angelorum & hominum benevolentiam conciliat eleemosynario, ut C omnes eum ament, juvent, protegant, propugnent, evehant: uti S. Gregorius, ob eleemosynam tertiò datam angelo eam petenti in specie naufragi, meruit pontificatum, uti habet ejus Vita. Tertiò, quia clementia & beneficentia sunt dotes, quæ propriè decent potentes & principes. Unde Deus, quia ditissimus & potentissimus est, hinc est & clementissimus summèque beneficus. Sic & reges, juxta illud Christi Lucæ 22. 25. *Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.* Et illud citatum à Paulo Actor. 20. 35. *Beatius est magis dare quàm accipere*, vide ibi dicta. Quartò, quia eleemosyna extinguit peccata, fugat dæmones, imò ligat quasi ipsum Deum omnipotentem. Qua de re memorabile exstat exemplum apud Joannem Moschum in Prato spirit. c. 175. de Zenone Imp. *qui mulierem quamdam in filia ipsius injuriosè tractaverat. Hæc autem vacabat in templo Dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis, orans & deprecans & cum lacrymis dicens: Vindica me de Zenone Imp. Cùm ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei S. Dei Genitrix dicens: Crede mihi mulier, ultionem tuam sæpè facere volui, sed manus ejus* D *prohibent me. Erat enim valde misericors & eleemosynarius*, Vide 21. vires & virtutes eleemosynæ, quas recensui Deut. 26. 12.

Eleemosyna facit fortes. *Primò.* *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.*

Summa dictorum esto: Manus valida est manus benefica, larga & liberalis, quæ numquam est infirma, remissa, contracta ad dandum, sed robusta strenua, exporrecta: qua nulla pauperum multitudine, importunitate, rusticitate, ingratitudine se vinci sinit quæ nulla donorum magnitudine arctari se permittit, quæ nullo labore fatigatur, sed semper multa & magna largitur, adeoque omnibus omnia sua largè impertit: quæ semper dare studet: quæ infatigabiliter laborat, ut corroget quod det. Talis imitatur manum Dei, quæ liberalissima est, tum in condonandis peccatis & injuriis plurimis & gravissimis, tum in donandis beneficiis innumeris & maximis. Talem manum habebat Sanct. Joannes Eleemosynarius, & S. Franciscus Xa-

Xaverius ad baptizandum & succurrendum Indis.

Vers. 2. FOENERARE PROXIMO TUO IN TEMPORE NECESSITATIS ILLIUS, ET ITERUM REDDE PROXIMO IN TEMPORE SUO] Est quasi dialogismus: Siracides enim priore parte alloquitur eos, qui dant mutuum: posteriore vertit ad eos qui illud petunt & accipiunt. *Fœnerare ergo*, id est, ut vertit Syrus, mutua proximo in necessitate constituto, dum scilicet à creditoribus premitur vel opprimitur, tu qui potes, & habes quod mutues: tu verò qui mutuum petis, & accipis, illud fideliter redde mutuanti tempore condicto, & ab eo tibi præstituto. Hoc enim exigit fidelitas, justitia, æquitas & gratitudo. Unde Tigurina vertit, *proximo tempore necessitatis suæ dato mutuum*, (alii, *commodato*) *rursumque suo tempore proximo restitue*. Sicut enim mortale peccatum est in necessitate eleemosynam non dare, sic & mortale est mutuum in necessitate negare, ait Palacius. Mutuum enim vocat *fœnus* non tantùm respectu Dei, qui mutuanti retribuet cum fœnore; sed etiam respectu accipientis sive mutuatarii: hic enim mutuanti obstringitur & obligatur titulo gratitudinis, ut simile vel majus illi beneficium rependat: hoc est fœnus non exactum, sed debitum; jure non justitiæ, sed gratitudinis. Unde Salomon Proverb. 22. 7. *Dives pauperibus imperat, & qui accipit mutuum, servus est fœnerantis*, id est, mutuantis. Hinc mutuans & creditor Hebr. vocatur נושה *nose*, à rad. נשא *nasa*, id est elevavit, extulit: quia qui ab eo mutuum petit & accipit, cogitur ob beneficium acceptum ei quasi elevato se humiliare, fieri supplex, venerari & colere. Idem chaldaicè vocatur רשיא *rascbia*, à rad. רשא *rascba*, id est, potuit: mutuans enim & creditor jus potestatem, & quasi imperium habet in eum cui mutuum dedit, hicque illi planè obnoxius, & quasi servus existit. Hinc vidua illa ait ad Eliseum: *Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi*, 4. Reg. 4. 1. Hoc enim creditori facere olim licitum erat.

Mutuo dantium exempla. Hac de causa S. Joannes Eleemosynarius non tantum ad dandum, sed & ad mutuandum promptissimus erat: quam proinde promptitudinem Deus centupli redditione rependit, uti per visionem cuidam Duci revelatum narrat Leontius in ejus Vita c. 29. In Vitis Patrum lib. 5. libello 6. n. 7. laudatur Joannes Persa Abbas, qui cuilibet mutuum petenti dabat, dicens: *Vade, tolle tu ipse, quod opus habes. Cumque ille referebat quod mutuo acceperat, dicebat ei: Repone illud iterum, unde tulisti: si autem non referebat, senex ille dicebat ei.* De eodem celebratur Joannes Abbas in Prato spir. Joan. Moschi c. 184. Hic enim rogatus mutuum, cùm non haberet postulabat ab alio, cumque qui illud acceperat, solvendo non esset, ipse miro modo illud persolvit. Et cap. seq. narrat exemplum mulieris fidelis, quæ marito infideli volenti dare pecuniam fœneratori ad lucrum usuræ, suasit, dixitque: *Si placet fœnerari, demus illam sub fœnore Deo Christianorum*. Erogavit ergo in pauperes nummos quinquaginta, ac paulo pòst mira Dei providentia eos sextuplicatos recepit, nimirum pro 50. restituit ei Deus trecentos.

Vers. 3. CONFIRMA VERBUM, ET FIDELITER AGE CUM ILLO: ET IN OMNI TEMPORE INVENIES QUOD TIBI NECESSARIUM EST] q. d. Fac dicta tua opera firmes, ac fideliter stes promissis, ut scilicet condicto tempore mutuanti mutuum restituas. Sic enim fiet, ut ipse & ceteri alio quovis tempore, cùm indigueris, tibi libenter mutuo daturi, omnique ope & opera opitulaturi sint. Unde Tigur. vertit, *fac dicta tua firmes, fidumque te præstes ipsi, ut omni tempore necessaria tibi reperias*; alii, *ratum habe sermonem tuum, fidemque cum eo cole, & omni tempore invenies ea quibus indiges*: hoc enim significat Græcum τὴν χρείαν σου, id est, necessitatem tuam vel indigentiam tuam, scilicet ea quæ tibi necessaria sunt, quibusque ad victum & vitam indiges. Syrus vertit, *confirma verbum tuum, & confirmabitur tecum proximus tuus, & in omni tempore invenies voluntatem tuam ab eo*. q. d. Faciet quidquid voles, quia tibi obnoxius & ob mutuum obstrictus.

Vers. 4. MULTI QUASI INVENTIONEM ÆSTIMAVERUNT FOENUS, ET PRÆSTITERUNT MOLESTIAM HIS QUI SE ADIUVERUNT] *Inventionem* vocat rem inventã: *fœnus* vocat mutuum, q. d. Multi mutuum æstimant, non ut mutuum, quod tempore condicto reddendum est, sed quasi rem inventam, quam

A vulgus rude & avarum censet cadere in jus invenientis, nec requirendum esse ejus dominum, qui perdidit, ut ei restituatur. (imò Dom. Soto lib. 5. de Justitia qu. 3. art. 3. ad 2. putat inventa, si post diligentem inquisitionem dominus non reperiatur, quasi adespota ab inventore licitè posse retineri. Sed communis Doctorum sententia est ea pauperibus, vel aliis piis operibus esse impendenda. Vide P. Lessium l. 2. de Justitia c. 14. dub. 7.) Quocirca molestiam exhibent mutuantibus, qui in egestate dando mutuum eos adiuverunt, dum illud tardè, ægrè, nec nisi à judice coacti solvere in animum inducunt, uti fusiùs explicat in sequentibus. Unde Tigurina, *multi quod mutuo acceperant pro reperto*, (alii, *pro lucro reperto*) *habuerunt, molestiasque exhibuerunt suis adiutoribus*. *Inventa pauperibus danda.*

Hæc ingens est indignitas & ingratitudo. Si enim mutuator, ait Palacius, juvit te, cur tu ita mutuum retines, ac si non suum, sed tuum esset. Mutuator fuit tibi in angustia Deus, cur tu huic Deo tuo molestus es, imò barbarus & magis efferus quàm fera? Sapienter Symmachus lib. 3. epist. 64. *Ab alio*, inquit, *officia poscens, promittit sua*. A talibus ergo tam infidis & ingratis cavendum esse B tacitè monet hìc Siracides, æquè ac Ben Sira alphabeto 1. lit. *Ain*: *Merces*, inquit, *si communes habueris cum aliquo, à bono centies frustra repetes, à malo millesies*. Et lit. *Sade*: *Si necesse est ut contrahas accipiendo & dando, esto sors tua cum viro bono*. q. d. Contrahe & mutua viro probo, qui fideliter id, quod promisit, præstabit, mutuumque restituet. Hoc est, quod ait Psaltes psalm. 36. 21. *Mutuabitur peccator, & non solvet: justus autem miseretur, & tribuet*. Anonymus apud Suidam miserrimos homines esse dixit, qui modò rubros, modò pallidos habeant dentes. Notabat autem eos, qui mutuo accipiunt ab aliis; qui dum mutuum repetitur, erubescunt; dum verò creditorem viderint, pallescunt, ne cogantur ad solvendum.

DONEC ACCIPIANT, OSCULANTUR MANUS DANTIS, ET IN PROMISSIONIBUS HUMILIANT VOCEM SUAM: ET IN TEMPORE REDDITIONIS POSTULABIT TEMPUS, ET LOQUETUR VERBA TÆDII ET MURMURATIONUM, ET TEMPUS CAUSABITUR] Nonnulli vertunt, *est qui dum accipit, manum osculatur suam* (pro αὐτοῦ enim, id est *ipsius*, scilicet dantis, legunt spiritu aspero αὑτοῦ, id est, C *suam*) hoc est: est, qui adoret eum, à quo accipit mutuum: osculatio enim manus propriè olim erat signum adorationis, ut patet Job cap. 31. 27. de quo ritu plura dixi Ezech. 8. vers. 17. Sed retinenda est Vulgata versio: nam & Græci codices Complut. Romam & ceteri legunt αὐτοῦ, non αὑτοῦ. unde sic habent, *donec accipiat, osculabitur manum ejus, & in pecuniis proximi humiliabit vocem, & in tempore redditionis protrahet tempus, & reddet verba acediæ* (vel pigritiæ) *& tempus causabitur*. Clarè Tigurina, *sunt, qui dum accipiant, manum cujuspiam exosculentur, & propter pecunias alterius utantur voce supplici: qui rursum tempore restitutionis rem extrahant, contemptimque verba dant*, (alii, *reddant verba mœsta*) *tempusque causentur*; Syrus, *in tempore, quo mutuum accipit, osculatur manum commodantis, & super opes proximi extollit vocem suam* (illas deprædicando) *& in tempore quo reddet* (reddere debet) *mutuum, dilatabit seipsum, & ad tempus multum differt illud*. Vers. 5. Vers. 6.

Est mimesis; graphicè enim imitatur & depingit mores infidorum, & tardorum ad reddendum mutuum: posteriore autem versu per enallagen in Sacra Scriptura D usitatam mutat numerum pluralem in singularem, dicens: *Postulabit, loquetur, causabitur*, ut significet quemlibet eorum idipsum facere. Unde in Græcis idem est numerus singularis tam in primo quàm in secundo versu. Sensus est, q. d. Multi, cùm mutuum petunt à proximo, ei summè se humiliant fiuntque supplices ac eximia veneratione manus ejus arripiunt, & exosculantur: utq; pecunias ab eo mutuò accipiant & impetrent, humillimè promittunt se mutuum tempore à mutuante condicto certò reddituros, memoresq; & gratos in omnem vitam futuros. At cùm tempus reddendi & solvendi advenit, moras nectunt, petuntque prorogari tempus: ac pro humilibus verbis, quæ priùs loquebantur, reponunt verba tædii, & murmurationum, amaris sermonibus, mœstis & tristibus obmurmurantes mutuatori mutuum suum repetenti, quasi nimis præcisus, & rigidus sit sui debiti exactor, ac culpam reiicientes in tempus, *Mimesis.*

pus, scilicet, quod fuerit sterile, pluvium, bellis aliis-que incommodis impeditum, ideoq; se non esse solvendo.

Hæc explicatione non egent, quia in dies ea fieri conspicimus. Unde ea sic prosequitur Siracides:

Vers.7. SI AUTEM POTUERIT REDDERE, ADVERSABITUR, (perperàm Jansen. & alii legunt, *adversatur*) SOLIDI VIX REDDET DIMIDIUM, ET COMPU-
Vers.8. TABIT ILLUD QUASI INVENTIONEM: SIN AUTEM, FRAUDAVIT ILLUM PECUNIA SUA, ET POSSIDEBIT ILLUM INIMICUM GRATIS. ET
Vers.9. CONVITIA ET MALEDICTA REDDET ILLI, ET PRO HONORE ET BENEFICIO REDDET ILLI CONTUMELIAM] Τὸ *solidi*, non est in Græco, sed subintelligitur. *Solidus* enim hic per synecdochen significat integrum pretium totumque debitum, quod Romani vocabant *assem*. Perperam ergo Palacius legit *adversabitur solide*, illudque sic explicat, q.d. Adversabitur solidæ ac integræ redditioni, dicens, se integrum solvere non posse, sed tantùm dimidium. Unde gaudebit alterum dimidium sibi manere, perinde ac si illud invenisset.

Rursum *gratis*, id est, sine causa, sine culpa, immerito, ut vertit Tigurina: quia contra meritum mutuantis hanc ei rependit fraudem, imò maledicta, ut sequitur. Unde aliqui codices legunt contrariè οὐ δωρεὰν, id est, *non gratis*: quia scilicet beneficium rependit & solvit per maleficium. Unde Vatabl. vertit, *quod etiamsi solvendo fuerint, tergi versantur sedulò*, (vel *perdifficiles se exhibent*) *dimidium vix afferunt, debitumque pro repertitio ducunt*; (alii, *idque reputat pro lucro repertitio*:) *sin minus, quem sua defraudarunt pecunia, cum eo inimicitias suscipiunt, ultrò* (vel *cum immerito*) *exsecrationes ei rependunt convitiaq: & pro honore beneficioque reddunt contumeliam.*

Sensus est facilis, q.d. Si solvendo sit, primò *adversabitur*, id est, idipsum negabit & tergiversabitur: deinde cùm se superatum viderit, *solidi*, id est integri mutui, totiusque debiti tantùm solvet dimidium, illudque creditori computabit non quasi debitum, sed quasi rem inventam, & donum fortuitum, velut si creditor illud casu reperisset, dicens, aut ita se gerens, inquit Jansenius, quasi creditor felicem se reputare debeat, aut gratiam habere suo debitori, quòd vel dimidium ab eo obtinuerit: si autem solvendo non sit, ut sæpè hominum socordia & prodigalitate fit, primum quidem fraudabit illum pecunia quæ illi debetur, sicque *gratis*, id est, præter meritum & culpam sui creditoris, efficiet & possidebit illum sibi inimicum, quem priùs expertus erat amicum. Deinde verò ad indigniora prorumpens, reddensque malum pro bono, convitia & maledicta reddet ei, ut hæc sint loco restitutionis & gratiarum actionis. Quid verò hinc mali consequatur in moribus hominum, aperit, cùm subjicit: *Multi non causa nequitiæ non fænerati sunt*, &c. Ita hunc locum explicat S. Ambros. lib. de Tobia c. 21. additque: *Quam deforme est, ut pro beneficio ei, qui te adjuvit, rependas molestiam: cum istum fraudaveris cui debes, postea in tempore necessitatis tuæ non invenies creditorem.* Vnde tandem concludit, hocq; consilium dat: *Ergo* Ne sumas mutuum. Cur? *dum liber es, à vinculis ipse te revoca, à jugo & onere servitutis. Dives es? non sumas mutuum. Pauper? non sumas mutuum. Dives es? nullam pateris petendi necessitatē. Pauper es? considera solvendi difficultatem. Opulentia usuris minuitur, paupertas usuris non levatur. Numquam enim malum malo corrigitur, nec vulnus curatur vulnere, sed exasperatur.*

Vers.10. MULTI NON CAUSA NEQUITIÆ NON FOENERATI SUNT, SED FRAUDARI GRATIS TIMUERUNT] Nonnulli delent prius *non*; alii, posterius. Vnde Rabanus legit, *multi non causa nequitiæ fœneraverunt*; sensumque dat, q.d. Multi noluerunt dare mutuum propter avaritiam. Verùm legendum est cum Roman. utrumque *non*. sensus enim est, q.d. Multi non sunt fœnerati, id est, noluerunt dare mutuum, non causa nequitiæ, hoc est, avaritiæ, odii, alteriusve malitiæ: sed, quia aliquando ab accipientibus mutuum *gratis*, id est, immeritò, decepti & fraudati, rursum decipi similiter & *fraudari timuerunt*. Vnde Græca habent, *Multi igitur propter nequitiam aversati sunt hominem* (tergiversantem & fraudantem mutuum) *metuentes defraudari sine causa*: mentuentes, scilicet, se mutuum non recuperaturos, & pro gratia convitia reportaturos.

Sed pro οὖν, id est *igitur*, legendum est cum Nostro οὐ,

A id est *non*. Vnde Tigurina vertit, *multi non per malitiam avertunt se ab homine, sed immeritò* (id est, præter suum meritum) *defraudari metuunt*; S. Ambros. libr. de Tobia c. 3. legit, *multi dispendii metu non fœnerant, dum fraudem verentur*. Vide eum totum hunc locum citantem & increpantem avaros, qui mutuare nolunt nisi cum usura & lucro. Syrus vertit, *multi sunt, qui omnino non retardantur à malitia, quin mutuum dent, sed quia timent litem vanam*, ne scilicet per litem mutuum repetere cogantur. Huc pertinet factum Persei, qui cùm noto cuipiam daret pecuniam, cautionem fecit in foro apud mensarium. Hanc diligentiam cùm amicus admirans diceret: *Adeone legaliter Persee? Scilicet*, inquit, *ut amanter recipiam, nec legaliter reposcam.* lepos est in Græcis νομικῶς & φιλικῶς. Hoc imitentur qui sibi cavere volunt, ne in lites incidant, & pecuniam mutuo datam cum lite perdant.

VERUMTAMEN SUPER HUMILEM ANIMO FORTIOR ESTO, ET IN ELEEMOSYNA NON TRAHAS ILLUM) Est correctio, q.d. Hæc de fraude & infidelitate eorum, qui mutuum petunt & acci- Vers.11.
B piunt, non eo fine dixi, ut velim omnes absterrere à mutuando; imò verò suadeo ut *humilis*, id est, pauperis & supplicis, misereantur. Quare erga tales *animo fortior esto*, id est, fortiter & liberaliter age, (ad liberalitatem enim opus est fortitudine, uti dixi v. 1.) græcè μακροθύμησον, id est, *longanimis*, ut vertit Syrus, hoc est, magnanimus, putà, magnificus & munificus, esto: & *in*, id est pro, *eleemosyna facienda*, sive per mutationem, sive per donationem, *non trahas*; græcè, μὴ παρελκύσῃς, id est, *non protrahas*, uti legit Rabanus, non differas de die in diem, non moreris, non ludifices illum. Vnde Complut. vertunt leguntque, *Veruntamen in humilitate magno animo esto, & in eleemosyna ne trahas illum* Tigurina, *verūtamen ergo supplicem clementia utitor, nec eum expectatione benignitatis extrahas*. Vbi rectè notat Jansenius: Ex Græcis, inquit, constat dictionem *animo* jungendam, non cum *humilem*, sed cum *fortior*. Habent enim ἐπὶ ταπεινῷ μακροθύμησον, hoc est, *super humilem longanimis esto*.

Monet ergo, ne erga eum, qui verè pauper est, aut ex animo humiliter ac demissè loquitur, si non possit, quod mutuò accepit, præscripto tempore reddere, cre-
C ditor impatienter se gerat, objurgando eum & rigidè debitum exigendo; sed animo suo imperet et superet, vel condonando ei debitum, vel tempus solutioni concedendo. Item ut, propter multorum injurias et fraudes, qui se beneficio reddunt indignos, quis impatienti animo non neget verè pauperibus humiliter opem petentibus subvenire, sive per mutuum, sive per donationem. Hoc enim significatur verbo μακροθυμεῖν, scilicet, in maxima hominum perfidia et injuria summam patientiam et humanitatem erga inopes benefici o non indignos præstare. Sic enim apud Matthæum cap. 18. 26. servus qui domino suo rationem reddere non poterat, nec solvendo erat, oravit, usus hoc verbo: κύριε μακροθύμησον ἐπ᾽ ἐμοί, *Domine patientiam habe in me.* Nam hæc affectio, quæ Græcis dicitur μακροθυμία, hoc est, patientia vel lenitas animi, acerbitati opponitur, quâ plerique in beneficio aut exigendo aut negando uti solent.

Nota. Siracides varios hìc dat stimulos ad mutuandum, etiam cum periculo mutuum non recipiendi; sed perdendi. Primus est hoc versu, quòd id requirat vir- Ad mutuandum stimuli. Primus.
D tus misericordiæ et magnanimitatis, quæ pluris facienda est quàm opes, et pecuniæ magnanimitas enim fidelium tanta sit oportet, ut spernant aurum præ virtute misericordiæ.

PROPTER MANDATUM ASSUME (id est, adjuva, eumque in tuam curam et opem suscipe, tuaque beneficentia complectere) PAUPEREM: ET PROPTER INOPIAM EJUS NE DIMITTAS EUM VACUUM] Vers.12.
Græcè, *gratia*, vel *in gratiam mandati sublevа egenum, & in egestate ne dimittas ipsum vacuum*; Tigurina, *propter præceptum subvenias pauperi, nec quia inops est, remittas abs te vacuum*; Syrus, *veluti ad observandum præceptū succurre egenti; &, si fuerit egestas, ne apponas cor tuum.* q. d. Ne cures, an sit publica fames vel inopia pecuniæ, ut idcircò mutuare nolis, sed liberaliter da mutuum. Secundus est hic stimulus ad mutuandum. q.d. Præceptum est jure Secundus
naturæ et divino, ut subvenias in necessitate pauperi per mutuum; ergo omnino tibi mutuandum est. Si ergo nolis

nolis mutuare pauperi, quia pauper est, mutua saltem ei quia lex id jubet, mutua in gratiam legis divinæ, legi & Deo hanc gratiam fac, si eam nolis facere homini. Porrò præceptum hoc expressit Christus dicens Lucæ 6. 30. *Omni petenti te tribue*. Et Matth. 5. 42. *Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne avertaris*. Et Moses Deut. 15. 18. ac Exodi 22. 14.

Tertius. Tertius stimulus est, egentis inopia: illa enim poscit ut non dimittas eum vacuum: miseria enim proximi efflagitat tuam misericordiam: ejus ergo miserere, ut & tui misereantur Deus & homines.

VERS. 13. PERDE PECUNIAM PROPTER FRATREM ET AMICUM TUUM: ET NON ABSCONDAS ILLAM SUB LAPIDE IN PERDITIONEM] Syrus, *ne ponas illam sub petra aut pariete*. Sic quoque legunt Complut. ... id est, *ne abscondas*, & S. Ambros. lib. de Tobia c. 3. Verùm Græci Romæ emendati aliique legunt, *ut ἰώθῃ*, id est, *ne contrahat rubiginem*. Unde vertunt, *perde argentum propter fratrem & amicum, & ne id sub saxo rubigine obducatur in perniciem*. Nam ut ait B S. August. lib. de Amicitia cap. 15. *Cùm tibi cum amico tuo esse debeat cor unum & anima una, injuriosum est si non sit & pecunia una*. Propter amicum ergo perde aurum,

Ut lucreris, perde. quia perdendo lucraberis. Hic enim locum habet paradoxum S. Ægidii socii S. Francisci: *Ut lucreris perde*. Nam, ut ait c. 10. 30: Perdes temporaliter, ut invenias in æternum, juxta illud Eccles. 11. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas; quia post multa tempora invenies illum*. Igitur perde pecuniam, sicut agricola perdit semen quod seminat, ut centuplicatum recipiat. De qua perditione ait Christus: *Qui amat animam suam, perdet eam*, &c. Joan. 12. Quocirca parum æqua est illa Senecæ vox: *Amico mutuam roganti me pecuniam, si dedero, & amicum, & pecuniam perdo*. Hanc corrigit hic Siracides, dicendo: *Perde pecuniam propter fratrem & amicum*. Amicus enim verus reddet pecuniam, si potest: si non potest, hoc dandum est amicitiæ. Præstat enim perdere pecuniam, quàm charitatem & amicitiam.

Quartus. Quartus est hic stimulus ad mutuum. q. d. Frater tuus C est & amicus, qui poscit mutuum: ergo id ei tribue. Quid enim neges amico & fratri? Cognatio enim hæc tanta tamque arcta est, ut propter illam non tantùm mutuandum, sed & dandum perdendumque sit aurum. Frater, inquam, est, tum quoad communem naturam, quia filius Adæ & Evæ, æquè ac tu; tum quoad religionem & fidem communem, quia filius Dei & Ecclesiæ æquè ac tu; tum quoad viciniam, officium, aliosque unionis respectus. Igitur esto frater mutuum non sit redditurus; mutua illi tamen, &, si reddere nequeat, dona & condona: sic duplicem præstabis beneficentiam. Dum ergo mutuas, æstima te dedisse fratri, si is non reddat. Ita S. Ambros. libr. de Tobia c. 2. *Da*, inquit, *pecuniam, si habes: prosit alii, quæ tibi otiosa est: da quasi non recepturus, ut lucro cedat, si reddita fuerit. Qui non reddit pecuniam, reddet gratiam: si fraudaris pecunia, acquires justitiam. Justus enim est, qui miseretur & commodat*, psalm. 111. *Si amittitur pecunia, comparatur misericordia*. Scriptum est enim: *Qui facit misericordiam, fœneratur proximo*. Vide eumdem lib. 2. de Officiis c. 18. *Plurimum*, ait, *juvat benevolentia, quæ omnes studet beneficiis amplecti, devincire officiis, oppignerare gratia*.

Quintus. Quintus stimulus est, quia præstat illud dare amicitiæ & fraternitati, quàm ærugini & rubigini, imò illud abscondendo sub lapide corrumpere & perdere: tum, quia sub lapide æruginem contrahit: tum, quia ibi absconditum oblivioni traditur, & moriente hero qui abscondit, nullus sæpè est qui ibi absconditum sciat: tum denique, quia nullus ibi est ejus usus. Unde perinde est ac si perditum, imò annihilatum esset. Addit S. Ambros. libr. de Nabuthe c. 5. & sequent. opes perdere animas avarorum, qui illas abscondunt & corrumpi sinunt, nec erogant in pauperes.

Pro quo Nota. Græcè est εἰς ἀπώλειαν, quod Primò, propriè Noster vertit, *in perditionem*. q. d. Pecunia abscondita sub lapide, ibi perditur & perit sine fructu. Secundò, Tigurina & alii vertunt, *in perniciem*. Tertiò, alii vertunt, *in mortem*. q. d. Opes absconsæ mortem spiritualem animæ, & perniciem æternam in gehenna avaro, qui eas abscondit, afferunt: eò quod eas in aliorum usum, ad quem à Deo datæ & conditæ sunt, non impendat. Verùm primus sensus magis genuinus est. Unde nonnulli, ut dixi, pro *non abscondas*, in Græco legunt, *ne ærugine obduci sinas*. Ut huc allusisse videatur Christus dicens Matth. 6. 19. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur*. Et S. Jacobus c. 5. *Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt: aurum & argentum vestrum æruginavit: & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis*. q. d. Opes absconsæ tam seipsas, quàm abscondentes consumunt & perdunt. Vide ibi dicta. Perit ergo pecunia absconsa, Primò, sibi ipsi, quia seipsam rubigine consumit; Secundò, proximis, quorum necessitatibus (licet iis levandis à Deo sit destinata) non succurrit; Tertiò, hero suo, tum, quia ipse ex ea nullum emolumentum capit; tum, quia ipse propter avaram eorum custodiam & immisericordiam in pauperes, quibus eam non erogavit, morte æterna damnabitur.

Nota *To non abscondas sub lapide*: in his enim verbis insinuatur olim Judæos sub certis lapidibus thesauros suos defodere solitos, ne latronum furumque paterent insidiis, utque ipsi defodientes loci defossionis non obliviscerentur, sed ex lapide certo à se designato scirent sub eo se defodisse, inibique eos requirerent, cùm vellent. Ita Palacius. Sic posteriori ævo Tiberius Imp. qui Justino successit anno Domini 576. obambulans in palatio vidit in pavimento lapidem marmoreum, cui insculpta erat crux: quam pedibus ambulantium calcari indignè ferens, inde jussit eum eximi, & honorifico loco collocari. Quo ablato, sub eo defossum reperit ingentem thesaurum, quem more suo in pauperes expendit. Ita refert Paulus Diaconus Histor. Longobar. lib. 3. c. 6. & Gregor. Turon. lib. 5. Histor. Franc. c. 19.

Hanc gnomen festivo terræ & aeris apologo illustrat Cyrillus lib. 2. Apolog. moral. c. 19. cui titulus: *Quod liberalis det gratis*. *Cùm post effusionem pluviæ*, inquit, *quam dederat aridæ sitienti calefactus aer, ex eadem vaporales humiditates exhauriret; mox ei locuta est terra, dicens: Ut quid tam citò humidum subtrahis, quod sitibundæ mihi paulò antè dedisti? At ille respondit, Cùm tam antiqua sis, hæc ignoras? nisi enim hoc resumerem, illud nullatenus tribuissem. Idcirco enim dono laticem, ut sumam vaporem. Tunc terra dixit: Letbalius certè cupiditatis virus est, quod liberalitatis specie tegitur. Tanto enim magis noxium est vitium, quanto magis apparentiæ pallio se virtutem mentitur. Dico igitur, ne turberis, quod non sis effusor liberalis, sed mercator rapidus; non donator, sed venditor nequaquam liberalis. Liberalis enim est qui sua bona liberaliter dispergens, non communicat, sed donat. Donare autem est gratis virtutem impendere. Unde ratio liberalis donationis, posset ia bonitas est virtutis*. Deinde idipsum firmat exemplo cœli, Solis & naturæ. *Attende, quaso, ad virtuosissimas naturæ donationes, quàm liberaliter effunduntur. Quid enim ab inferioribus suscipit cælum, quibus omnium suorum vivificum præstat continuum beneficium? Quid Titan luminis emissione, aut quid terra ab homine, stillando illi vitis liquorem suavissimum? aut quid apis dulcissimum favum mellificando? Nihil certè. Liberalis natura*, D *amando tribuit virtutis bonum, quando dat donum. Nulla enim verior aut major donationis merces est, quam ipsius donativæ virtutis, quæ est res grandissima. Quibus auditis ille de questu illiberalitatis erubuit*.

PONE THESAURUM TUUM IN PRÆCEPTIS ALTISSIMI, ET PRODERIT TIBI MAGIS QUAM AURUM] Primò, sensus esse potest, q. d. Thesaurus tuus non sit in ære, sed in æthere: non in ære, sed in lege Dei: legis enim Dei amor & observatio magis te ditabit & juvabit, quàm omne aurum. Unde Syrus vertit, *pone tibi thesaurum in justitia & charitate, & ille melior erit tibi omni eo quod habes*. Huc facit illud Nazianzeni in Distichis: *In sempiternum ævum thesauriza. Nam hujus vitæ thesauri plerumque etiam ante mortem nos deserunt. Perpetuam sempiternæ gloriæ curam habe: nam hæc præsens quotidie hominem fallit*. Secundò & magis genuinè, q. d. Opes tuas ne avarè recondas sub lapide, sed potius eas expende juxta legem Dei in Ecclesiæ & pauperum subsidia. Hoc enim tibi magis proderit quàm aurum: conciliabit enim tibi Dei gratiam, hominumque favorem & amorem, quæ magis tibi proderunt quàm omne pretium. Rursum pecuniam, ut tuta sit, arcæ commendas: commenda eam præceptis VERS. 14.

Altis-

Altissimi, & tutior utiliorque tibi erit. Ita Palacius: Unde Græca habent, *colloca thesaurum tuum juxta præcepta Altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum*. Unde & idipsum explicans subdit: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit*. Hoc est, quod ait Christus Matth. 6. 19. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur; & ubi fures effodiunt & furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*

Sextus. Sextus est hic stimulus ad mutuum, quòd scilicet illud datum juxta legem & voluntatem Dei perire nequeat, sed in ea quasi arca tutissimè conservetur, ut magno cum fœnore ad mutuantem redeat, magisque prosit quàm omne aurum quod mutuo dedit. Unde S. Ambros. lib. de Tobia c. 16. *Ceterum Dominus*, inquit, *in Evangelio talibus magis existimat fœnerandum, à quibus redhibitio non speretur. Sic enim ait: Et si mutuum dederitis, à quibus speratis recipere, quæ vobis est gratia? Nam peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant. Verumtamen amate inimicos vestros, & benefacite eis, & mutuum date nihil sperantes, & erit merces vestra multa in cælo, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus super ingratos & malos. Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Et mox: *Date mutuum iis, à quibus non speratis vos, quod datum fuerit, recepturos. Nullum hic damnum est, sed compendium. Minimum datis, multum recipietis: in terra datis, & id vobis solvetur in cælo. Fœnus amittitis, mercedem magnam habebitis. Fœneratores esse desinitis, filii eritis Altissimi. Eritis misericordes, qui vos Patris æterni probetis heredes.* Et inferiùs: *Docebo quomodo boni fœneratores esse possitis, quomodo bonas quæratis usuras. Dicit Salomon: Fœnerat Domino, qui miseretur pauperi, secundum datum autem ejus retribuet ei. Ecce bonum fœnus de malo factum est. Ecce irreprehensibilis fœnerator, ecce usura laudabilis. Nolite ergo jam invidentem me vestris commodis æstimare. Putatis quod hominem subtraham vobis debitorem? Deum provideo, Christum subrogo, illum demonstro qui vos fraudare non possit. Fœnerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis. Ille adstringitur & tenetur: ille scribit quidquid egenus acceperit. Evangelium ejus cautio est: ille promittit pro omnibus indigentibus: ille addicit fidem, quid dubitatis dare? si quis vobis dives hujus seculi offeratur, qui fide promittat sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam. Pauper est vobis Dominus cæli, & conditor mundi hujus? & adhuc deliberatis, quem ditiorem quæratis fidejussorem?*

Vers. 15. CONCLUDE ELEEMOSYNAM IN CORDE PAUPERIS, ET HÆC PRO TE EXORABIT AB OMNI MALO] Optatus Milevit. libr. 3. contra Donatistas legit, *Absconde panem in corde pauperis, & ipse pro te rogabit*. Hic explicuit, quomodo ponatur & recondatur thesaurus *in præceptis*, vel, ut Græcè est, *juxta præcepta Altissimi*, nimirum concludendo eum *in corde pauperis*.

Cor quintuplex. Primò. *In corde*, id est, Primò, *in sinu*, ut legit Jansenius & alii plures: sinus enim exteriùs respondet cordi, quod interius est. *Secundò.* Secundò, *in corde*, id est, in ventre & stomacho: hunc enim sæpè per catachresin significat *cor*: os enim stomachi antiqui tam Græci quàm Latini *cor* appellabant, ideoque quod stomacho, hoc cordi gratum esse dicebant, uti etiamnum dicunt multi. Sensus ergo est, q. d. Vis tutò abscondere thesaurum tuum? noli eum recondere sub lapide, sed conclude eum in ventre pauperis: ibi enim tibi manebit securè reconditus. Esto enim pauper tibi reddere non possit aut nolit; ipsa tamen eleemosyna à te data vi sua & merito pro te apud Deum exorabit, ut libereris ab omni malo, & doneris omni bono. Unde Græca pro *in corde pauperis*, habent ἐν τοῖς ταμείοις σου, id est, *in cellis tuis*, in penetralibus tuis. Noster pro σοῦ, id est, *tuis*, videtur legisse πτωχοῦ, id est, *pauperis*: nam, ut ait S. Basilius, *Horrea divitum sunt ventres pauperum: & ventres manusque pauperum sunt gazophylacium Christi.* Quocirca Syrus vertit, *include eleemosynam, & pone in thesauro tuo, & ipsa liberabit te ab omni eo quod malum est*; & Tigurina, *in cellas tuas conclude benignitatem: nam ea te ex omni afflictione liberabit*; alii, *conclusam eleemosynam in cellis tuis eroga, & ipsa te eripiet ex omni vexatione*. Unde nonnulli sic exponunt, q. d. Quæ reponis in cellis tuis, idcirco reponas, ut ad eleemosynam faciendam conferantur.

Tertiò. Tertiò, τὸ *in corde*, vel *in sinu* significat eleemosynam debere fieri non palàm, ad vanam ostentationem hominum, sed occultè, ut uni Deo placeat & serviat, uti jubet Christus Matth. 6. 3. juxta illud Prov. 21. 14. *Munus absconditum extinguit iram, & donum in sinu* (q. d. Clanculum in sinum immissum) *indignationem maximam.* Unde Noster Delrio adagio 125. sic exponit: Τὸ, inquit, *pauperis* jungendum est non cum *corde*, sed cum τῷ *eleemosynam*, q. d. Pauperis eleemosynam, id est, quam confers in pauperem, illam conclude in corde tuo, hoc est, adeò occultè confer, ut ex te nemo id rescifcat, maneat secreta in cordis tui intimo. Id liquet ex Græco: *Conclude eleemosynam* ἐν τοῖς ταμείοις σου, id est, *in absconditis, vel in penetralibus tuis*. Hæc ille. Sed paulò obscurior & frigidior videtur hæc expositio.

Quartò. Quartò, τὸ *in corde*, significat, ita faciendam esse eleemosynam, ut cordi pauperis grata sit; ut ejus cor, id est, intimum desiderium, famem & necessitatem exsatiet, utque ipsum afflictum & desolatum planè reficiat & consoletur. Ita Lyran. Quæ enim optatissima, dilectissima, penitissima & pretiosissima habemus, ea in sinu vel corde abscondimus.

Quintò. Quintò, τὸ *in corde* significat, quàm eleemosynæ cordi & curæ sint pauperes, utpote, quorum ventres sint quasi cor eleemosynæ, ut, sicut homo summè amat cor suum, sic & eleemosyna summè amet concludi in ventre pauperum, quasi in loco & thalamo sibi optatissimo & proprio. Sicut igitur cibus, si loqui posset, optaret diceretque se cupere collocari in stomacho famelici, utpote à quo avidissimè exciperetur, optimeque concluderetur, concoqueretur, & distribueretur per totum corpus: sic & eleemosyna, si rogaretur, diceret, se non nisi in ventre pauperum velle concludi: ibi enim esse cor, animam & vitam suam. Sicut ergo smaragdus optat concludi in pala annuli aurei, sic eleemosyna optat concludi in ventre pauperis. Est prosopopœja significans eleemosynarios, qui student eleemosynæ, pauperes debere impensè amare, juvare & fovere quasi cor suum & viscera sua. Unde S. Paulus Philemoni commendans Onesimum servum fugitivum & pauperem v. 12. *Tu autem illum*, inquit, *ut mea viscera suscipe*. Et v. 20. *Refice viscera mea in Domino.*

Septimus. Septimus est hic stimulus ad mutuum & eleemosynam, quòd scilicet ipsa in domo & ventre pauperum, quasi in arca aurea, firmissimè & securissimè conservetur, ibique tum per ora pauperum, tum per se, oret & exoret pro eleemosynario. Ubi Nota. Pro *exorabit* Noster in Græco legit ἐξιλάσεται: jam legunt ἐξελεῖται, id est, liberabit, eripiet te: sed eodem redit sensus, q. d. Eleemosyna in ventre pauperis abscondita & conclusa *exorabit* Deum, ut te liberet *ab omni malo* corporis & animæ, temporali & spiritali, præsenti & æterno. Est prosopopœja significans efficaciam eleemosynæ, scilicet quòd ipsa quasi aulica Deo gratissima & familiarissima coram Deo consistat (uti ipsa apparens per somnium S. Joanni Eleemosynario revelavit) & cùm videt eum, qui illam dedit, aliquo malo premi, statim accurrat & genibus Dei quasi provoluta oret, ut illum ab illo malo eruat. Oret, inquam, & exoret, roget & impetret, inquit Palacius.

Ubi Nota Dei nostri indolem & affectum erga eleemosynam propensissimum, & eleemosynæ vim valoremque contra omne malum potentissimam: nullum est ergo malum sive culpæ, sive pœnæ, ad quod amovendum non valeat eleemosyna. Vide Tobiæ 4. v. 7. & sequent. Ipsa ergo eleemosyna, etiam paupere, qui eam recepit, tacente, imò obmurmurante & ingrato, muta, sed reali voce Deo loquitur, ac danti precatur à bonorum omnium largitore parem, imò multò copiosiorem gratiam, eoque magis quò pauper obliviosior, impotentior aut ingratior fuerit. Tunc enim videtur totum onus retribuendi in Deum, qui se pro paupere vadem præstitit, refundi, uti docet Christus Lucæ 14. 13. *Cum facis*, inquit, *convivium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos: & beatus eris; quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorū*. Et illud psal. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*. Hinc S. Gaudentius tract. 13. qui exstat tom. 7. Bibliothecæ SS. Patrum, sic explicat: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa pro te exorabit.* q. d. *Vende patrimoniū, & eme patrocinium, cujus interventu certus de impetrata venia, venturum judicē liber merearis aspi-*

aspicere. Quocirca S. August. homil. 29. inter 50. *Sacrificium Christiani, ait, est eleemosyna in pauperem. Hinc enim fit Deus peccatis propitius. Nisi enim peccatis propitius fiat Deus, quis remanebit nisi reus?* Sinus ergo pauperis est quasi altare, in quo eleemosyna quasi victima pro peccato offertur. Et sicut animæ Martyrum sub altari orant vindictam, Apocal. 6. 10. sic eleemosyna in corde pauperis quasi sub altari abscondita, orat veniam & misericordiam danti.

Hanc ob causam S. Chrysost. homil. 7. de pœnitentia: *Eleemosyna, ait, pennata est & levis, aureas habens alas, ipsos supra modum delectans Angelos: apud ipsum regalem thronum persistit cum judicamur, imminet, tormentisque nos eripit, suis complectens & protegens alis.*

Da panem, & accipe paradisum.

Idem homil. 9. de pœnitentia: *Mercatura, ait, negotiatioque tua cælum est: da panem, & accipe paradisum: parva da, & magna suscipe: da mortalia, & recipe immortalia.* Et Chrysolog. serm. 8. de jejunio & eleemosyna, *Manus pauperis, ait, sinus est Abrahæ: ubi quidquid pauper accepit, mox reponit. Thesaurus cæli est manus pauperis, quod suscipit, ne pereat in terra, reponit in cælum. Da igitur, o homo, pauperi terram, ut accipias cælum: da nummum, ut accipias regnum: da micam, ut accipias totum.* Et S. Hieron. ad Nepotian. *Numquam, ait, memini me legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit: habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.*

Mysticè.

Mysticè, Rabanus per *eleemosynam in corde* accipit eleemosynam spiritalem, qualis est docere rudes, consolari mœstos, consulere dubiis, &c. Per hanc enim cor docetur, ac consilium & consolationem accipit: quare hæc uti melior & nobilior est eleemosyna corporali, ita eadem validior est, magisque liberat ab omni malo. Denique S. Cyprianus libr. de Opere & eleemosyna, ex hoc loco docet *operationibus justis Deo satisfieri, misericordiæ meritis peccata purgari.* Nam apud Salomonem legimus, inquit: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Et iterum Prov. 21. Qui obturat aures ne audiat imbecillum, & ipse invocabit Deum, & non erit qui exaudiat eum. Neque enim promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit; aut impetrabit de divina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus.* Et inferius: *Dum gratiarum actio ad Deum pro eleemosynis atque operationibus nostris pauperum oratione dirigitur, census operantis Dei retributione cumulatur.*

ELEEMOSYNA VIRI QUASI SACCULUS CUM IPSO, ET GRATIAM HOMINIS QUASI PUPILLAM CONSERVABIT. ET POSTEA RESURGET, ET RETRIBUET ILLIS RETRIBUTIONEM, UNICUIQUE IN CAPUT ILLORUM] Hos duos versus multi codices hic legunt, sed delent eos Latini Romani & Græci omnes, æquè ac S. Aug. in Speculo. Translati enim huc sunt ex c. 17. v. 18. ubi eos explicui. Intercidunt enim hoc loco sensum & connexionem versus sequ. cum eo, quod præcessit, *hæc pro te exorabit ab omni malo.*

VERS. 16. & 17.

SUPER SCUTUM POTENTIS, ET SUPER LANCEAM, ADVERSUS INIMICUM TUUM PUGNABIT] Tigurina, *magis quam scutum validum robustaque lancea* (alii, *hasta*) *adversus hostem* (tum visibilem tum invisibilem, qualis est dæmon) *pro te decertabit*; Complut. *super scutum fortitudinis, & super lanceam* ἀλκῆς, id est, *potentiæ* vel *roboris* (aliqui legunt ὁλκῆς, id est, *ponderis*, *virium*) *contra inimicum pugnabit pro te.* Sic habent & Græci codices Romæ emendati; Syrus, *scutum roboris & lancea & manus ad bellum, & contra multos ipsa requiem dabit tibi.*

Eleemosyna est lancea & scutum contra hostes.

Explicat quomodo eleemosyna liberet ab omni malo, nimirum, quia ipsa est quasi scutum omnia malorum tela excipiens & repercutiens, ipsa etiam est quasi lancea inimicum prosternens, q. d. Eleemosyna valet & vincit in bello tam defensivo, quam offensivo: in defensivo est scutum impenetrabile, in offensivo est lancea fortissima hostem feriens & sternens: ipsa enim apud Deum pugnat, & omnipotenti propemodum vim infert, eumque quasi cogit ut pugnet pro eleemosynario. Ipsa enim in pauperibus pascit Deum, pascit Christum. *Quare in eleemosyna Deum habes debitorem*, ait S. Chrysost. homil. 36. ad popul. & S. Gregor. Nyssen. tract. de Beatitud. *Beati misericordes; si misericordis appellatio*, inquit, *Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur nisi ut* A *Deus fias, tamquam insignitus propria nota divinitatis?* Ita legimus nonnullos, qui liberales extiterunt in animas defunctorum, ut eas è Purgatorii pœnis liberarent, cùm ab hostibus undique impeterentur, ab animabus, quas liberarant, visibiliter apparentibus armatisque, quasi ab exercitu cinctos & defensos, abiisse.

VIR BONUS FIDEM FACIT PRO PROXIMO SUO] Post mutuum & eleemosynam transit ad tertiam misericordiæ & beneficentiæ speciem, quæ est fidejubere vel spondere pro proximo ejusque debito: quæ proinde æquipollet, imò sæpè præpollet mutuo, sive utilitatem & necessitatem proximi pro quo fidejubetur: sive periculum, cui se exponit fidejussor, ne deficiente debitore, ipse quasi ejus sponsor debitum solvere cogatur, consideres. Dicit ergo, *Vir bonus fidem facit*; Græcè, ἐγγυήσεται, id est, fidejubebit, spondebit, *pro proximo suo.* q. d. Viri boni officium est, ad eumque spectat, fidejubere pro proximo. Ita S. Joannes Eleemosynarius sua omnia pro pauperum subsidio oppi- VERS. 19.

B gnoravit Mauritio Imp. qui, cùm moriens parum reliquisset, Mauritius ejus lectulum ligneum pauperemque, & vestem laneam vice debiti accepit, eaque rebus omnibus prætulit; adeò ut jejuniorum diebus in eodem lectulo cubaret, dictitans se ex eo divinam quamdam gratiam consequi. Ita Niceph. lib. 18. c. 34. Quare pro aliorum debitis fidejubere, est animi liberalis, excelsi, & de Deo bene sperantis. Porrò formula fidejussionis veterum erat hæc, quam tradit Ulpianus in lib. *Ubi autem*, de verbor. obligat. *Quantam pecuniam Titio credidero fide tua esse jubes?* id est, spondes pro Titio, omneque periculum in te suscipis? Respondebat fidejussor: *Fide mea jubeo.* Idem in l. *Quæro*, ff. locati: *Inquantum illum condemnari ex bona fide oportebit, tantum fide tua esse jubes?* Ubi adverte. Sicut duplex est debitum, scilicet pecuniæ & personæ, quæ rea agitur carceris aut mortis: sic & duplex est fidejussor, scilicet Præs & Vas. Præs vocatur, qui pro debito pecuniæ fidem suam obligat & sponsorem se præstat: vas qui pro reo aliquo in judicio C fidejubet, quasi pro reo ad tribunal vadens. Ita Varro lib. 5. de lingua Latina. Et Ausonius:

Quis subit in pœnam capitali judicio? Vas.
Quis, cùm lex fuerit nummaria, quis dabitur? Præs.

ET QUI PERDIDERIT CONFUSIONEM, DERELINQUET SIBI] Primò Rabanus ex versu sequenti adjungit τὸ *gratiam*, huncque dat sensum: Qui perdiderit verecundiam rusticam, ita ut non pudeat eum infirmorum deservire moribus, is derelinquet sibi gratiam, & condignam sui laboris mercedem recipiet. Secundò, Dionysius repetens ex versu præcedenti τὸ *fidem*, sic dispungit & explicat: Qui perdiderit fidem, confusionem derelinquet sibi. Tertiò, Palacius hæc refert ad proximum, pro quo vir bonus spopondit. q. d. Vir bonus spondet pro proximo suo; at sæpè fit ut proximus ille, quia inverecundus est, nec pudet eum fallere fidem fidejussori suo datam, derelinquat illum sibi, scilicet non liberans illum, sed sinens illum debitum exsolvere, pro quo fidejussit. Huic sensui favet monitio D sequens: *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris*; & Syrus dum vertit, *vir bonus ille, qui fidejubet pro proximo suo; & ille quia perdit verecundiam, fugit a fidejussore suo.* Hæc expositio valdè est probabilis. Quartò, planè & genuinè, posterior hæc pars per antithesin opponitur priori. q. d. Vir bonus, quia verecundatur proximum in necessitate constitutum deserere, hinc pro eo fidejubet: at vir audax & impudens, qui perdidit verecundiam, hic proximum egentem fidejubendo non adjuvat, sed eum sibi suæque necessitati derelinquit. Unde Græca habent, *vir bonus spondet pro proximo: & qui pudorem amisit, derelinquet ipsum*, scilicet, ut Tigurina, *deseret amicum.* Planè enim, cùm rogor ut fidejubeam pro amico, si nolim, amitto verecundiam coram amico. Ut mihi bona mea servem, exuo pudorem, induo impudentiam.

Porrò, quibus casibus quis obligetur spondere pro alio, præsertim amico, dijudicandum est regulis eleemosynæ (hujus enim pars & species est sponsio) & amicitiæ. Igitur sicut proximo non tantùm in extrema, sed & in gravi necessitate constituto, (ut habet communior Theologorum sententia,) obligor dare eleemosynam: sic & pro eo spondere; multò magis, si is mihi amicus sit. Ceterùm quia sponsioni multi intercidunt casus & pericula,

ricula, quæ in sequentibus exponit Siracides; hinc in ea magna prudentia & cautela est opus: nimirum. Primò, ut quis non spondeat nisi pro quantitate facultatum suarum. Imprudens enim est, qui ut alterum necessitate eximat, in eamdem vel majorem se coniicit, ut se, filios & familiam honestè alere non possit. Secundò, ut non spondeat nisi pro sincero & fideli, quem scit & potentem & volentem, ut eum sponsione liberet, securumque & indemnem præstet. Tertiò, ut, cùm dubium vel periculum perdendæ sortis subest, pignus vel hypothecam exigat, ex qua onus, quod spondendo suscipit, compenset: aliàs cogitet se quod spondet, ex suo soluturum, idque eleemosynæ loco proximo donaturum vel condonaturum. Hæc enim præstans est eleemosyna.

Sponsor triplici cautela sibi caveat.

VERS. 20. GRATIAM (Græcè, χάριτας, id est, gratias: multas enim exhibet) FIDEJUSSORIS NE OBLIVISCARIS: DEDIT ENIM PRO TE ANIMAM SUAM] Tigurina, *nam animam suam pro te deposuit*. S. Ambros. ex v. seq. addit *bonam*, quæ vox ibi est in Græco. Unde lib. de Tobia c. 23. sic legit, *Gratiam repromissoris ne obliviscaris: dedit enim pro te animam bonam*. q. d. Beneficii, quod tibi præstitit fidejussor, pro te spondendo, memor esto, ut illum sponsione sua liberes, illique gratus existas. Ipse enim pro te suas opes & fortunas periculo exposuit: quod perinde est ac si vitam exposuisset: imò subinde vitam ipsam exponit, ut, cùm pro captivo vel mortis reo spondet, fitque obses: tum enim captivitatis vel mortis onus & periculum in se suscipit, ita ut si captivus, vel mortis reus fugiat, ipse pro eo carcere mulctetur vel capite plectatur: juxta illud 3. Reg. 20. 39. *Custodi virum istum, qui si elapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius*. Et illud Ruben spondentis pro Beniamin Genes. 43. 9. *Ego suscipio puerum: de manu mea require illum. Nisi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore.*

Verissimum hoc est in Pastoribus & Prælatis, qui damnationis periculum subeunt, dum subeundo pastoratum se obligant ad curandam pro virili salutem subditorum, juxta illud S. Pauli: *Obedite præpositis vestris, & obedite eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*, Hebr. 13. 17. Ubi S. Chrysost. homil. 34. *Miror*, inquit, *si aliquis Rectorum salvetur*. Horum dux fuit Christus Dominus, qui quasi novi *testamenti sponsor*, ut ait Paulus Hebr. 7. 22. pro omnibus peccatorum nostrorum debitis apud Patrem fidejussit: cumque nos solvendo non essemus, omne debitum in se transcripsit, illudque dependit & luit, non in ære, sed in pelle, subeundo atrocem & infamem mortem crucis. Huius ergo gratiæ Christi fidejussoris tui ne obliviscaris, ò Christiane, sed sicut ipse animam suam pro te posuit, ita & tu pro eodem ejusque ovibus animam vitamque omnem pone & impende. Ita Rabanus, ac noster Franc. Suarez 3. par. quæst. 1. art. 2. disp. 4. sect. 2. Gratiam, inquit, fidejussoris ne obliviscaris in æternum, præsertim gratiam Christi, qui pro nobis quasi fidejussor se Deo Patri ad mortem usque obligavit: & quia fidejussor factus est, hinc debuit satisfacere ex justitia ad æqualitatem.

Fideiussionis rarum exemplum.

Exemplum memorabile refert Strabo lib. 5. & ex eo noster Caussinus lib. 7. Parabol. Histor. c. 75. Ferunt, inquit, hominem, eo nomine quòd libenter sponderet, celebrem, & ideo dicteriis hominum obnoxium, incidisse in venatores, qui in cassibus habebant lupum: qui cùm per iocum dicerent, se lupum missum facturos si ipse fidejuberent se eius damna pensaturum; hominem id in se recepisse. Lupum ita dimissum armentum equarum nulla nota insignitarum, satis magnum abegisse, atque ad sponsoris istius stabulum adduxisse, sponsorem recepta beneficii mercede equas insusto lupi signo notasse, & lupiferas appellasse. Sic gratia nonnumquam refertur ab iis, à quibus minimè sperabatur. Iam si lupus ita gratus extitit sponsori suo, quàm gratus eidem oportet sit homo? Sic S. Franciscus pro lupo spopondit Eugubiensibus, illum ipsis non nociturum, si ipsi eum alerent: quo facto lupus sponsionem Sancti præstitit, uti habent eius Acta in Annal. Vvadingi anno Dom. 1222. num. 18. Qui & anno Domini 1217. num. 13. narrat simili modo S. Franciscum pro lupis spopondisse Græciensibus, si ipsi pœnitentia Deum placarent: quo facto, lupos fidem datam à Sancto plenè præstitisse. Tanti est fides Sanctorum etiam apud lupos: & minoris erit fides Christi apud fideles, pro quibus spopondit, ut eum sponsione sua non liberent?

REPROMISSORUM FUGIT PECCATOR ET IMMUNDUS. BONA REPROMISSORIS SIBI ASCRIBIT PECCATOR; ET INGRATUS SENSU DERELINQUET LIBERANTEM SE] Jansenius pro *repromissorem* legit *repromissionem* sicque explicat: Taxat, inquit, duas notas animi pravi & improbi: Alteram animi planè illiberalis, eius scilicet qui suæ fidei interpositione & sponsione neminem vult iuvare, etiam cùm opus est & ratio postulat. Alteram animi ingrati, eius scilicet qui alterius sponsione adiutus sponsorem suum frustratur, seque sic gerit quasi illius bona sua essent. Dicit ergo primùm, quòd homo peccator & immundus, hoc est, profanus, qui nulla pietate commovetur, refugit omnem repromissionem, qua se pro alio obliget. Deinde verò addit, quòd peccator etiam alio vitio laboret, nempe quòd bona repromissoris, hoc est, eius qui pro ipso fideiussit, sibi ascribat; quia dum sollicitus non est, ut eum à sua obligatione liberet, sic se gerit, ac si illius bona sua reputaret; & talis, cùm sit mente & animo ingratus, derelinquet eum obligatum, qui ipsum liberaverat sua sponsione. Huic expositioni favent Complut. qui legunt ἐγγύην, id est, *bonam fideiussionem fugit peccator*; & Tigurin. *scelerosus*, inquit, *fideiubere nolet*. Verùm Romana Biblia, ceteraque penè omnia, item Rabanus, Lyranus & alii legunt non *repromissionem*, sed *repromissorem*. Igitur unum dumtaxat, posterius scilicet, quod tetigit Jansenius, hìc culpat Siracides, nimirum peccatoris infidi & ingrati nequitiam, qui fideiussorem suum derelinquit, imò decipit & fraudat. Hoc enim vitium v. præced. atque ac sequ. insectatur. Sensus ergo est, q. d. Peccator & immundus, id est profanus, ingratus & infidelis, cùm repromissorem, id est, fideiussorem suum venire videt, fugit eius aspectum, alioque declinat, ne ab eo cogatur eum fideiussione sua liberare, & debitum pro quo ille fideiussit exsolvere. Indignitatem huius rei & fugæ exaggerat, subdens: VERS. 21. VERS. 22.

BONA REPROMISSORIS SIBI ASCRIBIT PECCATOR] q. d. Bona fideiussoris sibi usurpat peccator, cùm eum sua infidelitate cogit exsolvere suum debitum, pro quo ille fideiussit: quare reipsa bona eius sibi ascribit, dum ex eis debita sua solvit: unde Græca habent, *bona fideiussoris* ἀνατρέψει, id est, *evertet peccator*; Tigurina, *beneficium fideiussori privè compensat peccator*; Syrus, *gratiam fideiussoris derelinquet iniquus, & qui relinquit Creatorem suum, relinquet liberatorem suum*, q. d. Ingratus iniurius est tam Deo quàm homini, ac sicut hominem sic & Deum spernit. VERS. 22.

ET INGRATUS SENSU (Græcè διανοίᾳ, id est, mente, animo) DERELINQUET fideiussorem LIBERANTEM SE] ut si, cùm esses in carcere, pro te fideiussi, tu verò iam liber me derelinquas. Legit ἀχάριστος, id est, *ingratus*. Sic etiam legunt codices Græci Romæ emendati; & Tigurina, *& ingratus animo*, inquit, *liberatorem suum deserit*; alii, *& ingrata mente liberantem se deserit*. Complut. legunt ἀχρεῖος, id est, *inutilis*, unde vertunt, *inutilis in cogitatione* vel *mente* (id est, qui non est frugi, sed inutilis, imò noxius aliis æquè ac sibi) *relinquet illum qui liberavit se*.

Tropolog. Rabanus: *Fugit*, inquit, *facinorosus repromissorem, id est, doctorem suum, qui sibi promittit à Domino pro bonis operibus vitam æternam, non mutando locum, sed spernendo ac deserendo præceptum; & ideo cæleste non consequitur præmium, quod solis benefacientibus, & Dei mandata servantibus repromittitur*. Allegor. idem: *Bona repromissoris sibi ascribit peccator, & ingratus sensu derelinquit liberantem se. Hoc testimonio*, inquit, *percutitur Pelagius, qui liberum arbitrium præponit gratiæ, cùm per solam Christi gratiam ab omni scandalo* (offensa, peccato & ruina) *liberentur electi*. Unde Apostolus ait, *Gratia salvati sumus*, Ephes. 2.

VIR REPROMITTIT DE PROXIMO SUO, ET CUM PERDIDERIT REVERENTIAM, DERELINQUETUR AB EO] Idem repetit & inculcat, q. d. Vir bonus fideiubet pro proximo; at proximus, cùm pudorem perdiderit, ingratè derelinquet eum obligatum pro se, ut sua debita, pro quibus spopondit, exsolvat. Hic versus iam deest VERS. 23.

jam deest in Græco. Unde Jansenius censet eum irrepsisse ex vers. 19. in Latino. Quod non est verisimile: nam codices Romani ceterique constanter eum legunt.

VERS. 24. REPROMISSIO NEQVISSIMA MULTOS PERDIDIT DIRIGENTES, ET COMMOVIT ILLOS QVASI FLVCTVS MARIS) *Tò nequissima* non est in Græco, significatque non culpam, scilicet, nequitiam, & scelus, sed pœnam, putà molestiam, & afflictionem: *nequissima* ergo id est, imprudens, & molestissima, quæ mille tricas affert, mille molestias, & afflictiones. Talis autem est illa, qua quis fidejubet pro aliquo nequam, id est improbo, & infideli fraudatore, ait Palacius. Pro *dirigentes* passim legunt *diligentes*, id est, amantes, & amico fidejubentes pro suis amicis, quos diligebant: alii legunt, *delinquentes*. Sed utrique perperàm: Romani enim legunt *dirigentes*. Sic, & Rabanus. Nam Græcum κατευθύνοντας significat *dirigentes*, hoc est, rectè incedentes, prosperè, & feliciter agentes. q. d. Sponsio *nequissima*, id est, imprudens, & temeraria infido facta. Ideoque implexa, & noxia, *multos perdit dirigentes*; id est, qui in suis negotiis feliciter dirigebantur, quique suas merces, opificia, officinas, domos, contractus prosperè dirigebant. *Et commovit illos quasi fluctus maris*: quia illos foro cedere, exulare, & in exteras terras migrare, vagosque, & profugos esse coegit, ne scilicet, dum solvendo non erant, in carcerem conjicerentur, ibique vitam infelicem agerent. Unde Tigurina vertit, *fideiussio multos perdidit feliciter agentes, & eos in modum marini fluctus exagitavit*; Syrus, *fideiussio multos perdidit, & relinquunt* (ut relinquant, & perdant) *divitias suas sicut fluctus maris*, qui inter se collisi in spumam abeunt, & evanescunt. Sic *dirigere* pro prosperare sumitur Genes. 24. v. 40. 42. 56. *Dominus direxit*, id est, prosperavit, *viam meam*. Ibidem cap. 39. v. 3. & 23. Iosue 1. 8. 2. Paral. 26. 5. Tobiæ 4. 20. Psalm. 89. 16. & 17. *Opus manuum nostrarum dirige*. Sapient. 11. 1. Isaiæ 45. 13. & sæpè alibi.

VERS. 25. VIROS POTENTES GYRANS MIGRARE FECIT, ET VAGARI FECIT IN GENTIBVS ALIENIS) Idem repetit, & inculcat. q. d. Sicut fluctus maris paleas, & conchylia in gyrum circumvolvunt, donec eas sorbeant vel dissipent: sic, & incauta sponsio sponsores tot litibus, & molestiis circumuoluit, ut eos cogat migrare, vagarique per orbem. Tigur. *viros potentes versans domo pepulit, & vagos effecit inter gentes peregrinas*; Syrus, *etiam divites exhausit, & abierunt ad populum externum*.

VERS. 26. PECCATOR TRANSGREDIENS MANDATUM DOMINI, INCIDET IN PROMISSIONEM NEQUAM: ET QUI CONATUR MULTA AGERE, INCIDET IN JUDICIUM) Græcè κρίσεις, id est, *in iudicia*, scilicet forensia, & lites. Ostendit originem, & causam sponsionis temerariæ, quæ hominem mille malis implectit, esse peccata, ob quæ Deus justè permittit peccatorem in sponsionem implexam incidere, ut ea castiget, & vindicet: sicut ob eadem justo suo judicio facit, ut peccator incidat in calumniam, uti dixit cap. præced. v. 27. & in perversam uxorem, uti dicit Ecclesiastes cap. 7. 27. Peccator enim, dum suæ cupiditati, & avaritiæ nimis inhiat, omnes lucri illecebras, & occasiones sectatur: quare incautè in contractum, & sponsionem aliquam incidit, quæ ei litium, & malorum omnium fit causa: sicut pisces, & aves, dum escæ inhiant, unco, & laqueo se induunt, & capiuntur. Porrò Tigurina vertit, *scelerosus præceptorum Domini violator recidit ad fideiussiones* (Vatabl. *eò deveniet, ut sit ei opus fideiussore*: *& qui præstanda consectatur aliena negotia, litibus implicabitur*.

Ubi Nota. Pro *qui conatur multa agere*, Græcè est ὁ διώκων ἐργολαβίας, quòd Complut. vertunt, *qui prosequitur mercedes, incidet in iudicia*; Roman. *sectans redemptiones* (conducendo scilicet, & suscipiendo in se opera facienda, vectigalia, &c. uti faciunt redemptores, & publicani) *incidet in iudicia*. Alii propriè, *qui multa opera sectatur, in lites incidet*. Nam ἐργολαβεῖν idem est quod opus faciendum conduco, operam loco, ut redemptores solent, (quos Cicero *sequestres* vocat (extruendum recipio, quæstum facio ἐργολαβία est merces ex labore, manualis operatio, redemptio operis, & conductio ἐργολάβος est operarius, manceps, operarum conductor, sequester, redemptor. Noster appositè vertit, *qui multa conatur agere*. Notat enim avaros, & temerarios πολυπράγμονας, qui omnibus negotiis, contractibus, sponsionibus, teloniis, &c. se implicant, itaque se litibus intricant, ut extricare nequeant. Novi nonnullos, qui omnes scabrosas, & desperatas causas, litesque forenses redimebant, sibique vili pretio coemebant, ut inde ditescerent, aliis molesti, sibi molestiores: unde in eas angustias se conjecerunt, ut capitis periculum declinare per infamem fugam sint coacti. Denique Syrus vertit, *peccator transgrediens præcepta Dei in fideiussionem incidet, & qui prosequitur excipere super se peccata, incidet in iudicia eius. Peccata multa inducit fideiussio*.

RECUPERA PROXIMUM SECUNDUM VIRTUTEM TUAM, ET ATTENDE TIBI NE INCIDAS.) Est conclusio, qua ex dictis de periculis fideiussionis, concludit hoc charitatis officium moderatè, & cautè esse suscipiendum. q.d. Recupera, id est, restaura, adiuva, subleva, proximum labentem: at non supra vires tuas te gravando, sed secundùm virtutem; Græcè, δύναμιν, id est, potentiam, vires, opes, & facultates tuas: ac simul attende, caveque ne, dum inopem è fovea eripere satagis, ipse in eam incidas, videlicet in lites, damna, carcerem, &c. Unde Syrus vertit, *fideiube pro proximo tuo quantum potes, & libera animam tuam*; Tigurina, *succurre proximo pro virili parte tua: verum tamen cave tibi, ne qua irretiaris*; alii, *subleva proximum pro viribus tuis, & attende tibi ipsi ne corruas*. S. Ambros. lib. de Tobia c. 23. *Recipe proximum tuum secundùm virtutem tuam, & attende tibi ne cadas: id est, inquit, ne maiore te obliges numismatis quantitate, quàm ferre possimus, & exsolvere tantum copia facultatum. Si enim, quod habes, tradas, amisisti opes, non amisisti fidem. Fama tua damna non sentit, redemisti amicum sine tui fraude*. Et paulò anteriùs: *Ita interveni, ut, si debitor solvendo non fuerit, de tuo noveris esse solvendum. In hac paratus accedo. Legisti enim Eccles. 8. Non spondeas super virtutem tuam: si enim spoponderis, quasi restituens cogita*.

VERS. 27.

B

Idem sæpè in Proverbiis monet, & inculcat Salomon, vt c. 6. 1. *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera; quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicorum tuum: ne dederis somnum oculis tuis, ne dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu, & quasi avis de manu aucupis*. Quæ verba egregiè de Pastoribus, & Prælatis, qui, dum pastoratum, vel prælaturam suscipiunt, spondent pro subditis, se scilicet curam animarum ipsarum suscepturos, explicat S. Gregor. p. 3. Pastor. c. 5. Et c. 22. 26. *Noli esse cum his, qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis. Si enim non habes unde restituas, quid causæ est ut tollat operimẽtum de cubili tuo?* Et c. 11. 15. *Affligetur malo* (Hebr. *contritione conteretur*) *qui fidem facit pro extraneo: qui autem cavet laqueos, securus erit*. Quocirca Diogen. Laertius inter tria Apollinis oracula tertium ponit hoc: *Sponde, noxa in proximo est*, vel præstò est. Plinius verò tria hæc Chiloni attribuens recenset lib. 7. c. 32. *Rursum, inquit, mortales oraculorum societatem dedere Chiloni Lacedæmonio, tria præcepta eius Delphis consecrando aureis litteris, quæ sunt hæc: Nosse se quemque: & Nihil nimium cupere: Comitemque æris alieni atque litis esse miseriam*. Explicuit Plinius, quid sit fidejubere, nimirum q. d. Fidejubere, est æs alienum, & litem, hoc est miseriam, sibi ultrò accersere. Denique fidejussor quamdiu fidem suam obstrictam habet, mancipio est similis. Sicut enim mancipia nihil suum vendicant, sed omnia bona eorum dominis cedunt: sic etiam fidejussor bonorum suorum non videtur esse dominus, quia ea creditori obstrinxit.

Sponde, noxa præsto est.

C

VERS. 28. INITIUM VITÆ HOMINIS AQUA, ET PANIS, ET VESTIMENTUM, ET DOMUS PROTEGENS TURPITUDINEM) Sic habet, & Syrus. Primò, Rabanus *initium* propriè accipiens, sic explicat, q. d. *In initio mundi non erat in hominibus tanta luxuria cibi, & potus, quanta nunc est: nec talis ambitio in ornatu vestiũ, & in constructione turrium atq; palatiorũ: sed unicuiq; in eo sufficiebat, quod terra simplici fructum ministrabat, & natura loci in habitaculis præbebat. Unde legitur, quòd pomis arborum, & germinibus olerum vescerentur antiqui: & quòd propter peccatum Adæ fecerit ei Dominus, & uxori suæ tunicas pelliceas, & induerit eos. At nunc quo maius est studium in varietate præbenda ciborum, & poculorum, & in cultu vestium atq; domorũ, eo minor est diligentia in observantia bonarum disciplinarum, & major iniquitas in transgressione divinorum mandatorum, iuxta illud Ezech. 16. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium*. Hæc Rabanus. Monet ergo Siracides homines, ut frugales sint exemplo primorum patrum: qui partim ex instinctu naturæ, partim ductu humilitatis, & pœnitentiæ, ob perditam innocentiam, pane, & aqua vixerunt. Nam, ut ait S. Chrysost. de Compunct. cordis: *Sicut impossibile est, ut ignis inflammetur aqua: ita impossibile,*

D

est compendium cordis vigere in deliciis. Contraria enim hæc sunt sibi invicem, & peremptoria. Illa enim mater est fletus, hæc mater est risus: illa cor constringit, ista dissolvit.

Secundò, magis apposité, & genuinè, *initium*, Græcè ἀρχὴ, id est, præcipuum, caput, summa, q. d. Caput, & summa requisitorum ad vitam est, scilicet, natura paucis hisce contenta est, duobus ad victum, nimirum pane, & aqua, totidem ad vestitum, & tegumen, nimirum veste, & domo, iisque non lautis, & elegantibus, sed simplicibus, & frugalibus. Unde Tigurina vertit, *summa vitæ humanæ est aqua, cibus*, (Hebr. enim לחם *lechem*, id est, panis, quemlibet cibum significat, sicut aqua quemlibet potum,) *& vestitus, atque domus velamento turpitudinis*. Hinc *panis* à Græco πᾶν, id est, *omne*, vel potiùs, ut Nonius, à *pascendo* dicitur. Unde Varro de Vita Populi Rom. libr. 1. *Pastillos, & panes hæc vocabula pastus, quòd esse, pascere dicebant*. Hinc, & cibum uti maximè facilem, & obvium, ita, & maximè salubrem, & connaturalem, nonnulli censent esse panem aqua decoctum, vulgò *panatellam* vocant, idque hisce verbis significare Siracidem censet noster Lessius lib. de Diæta. Hinc, & prisci Romani pulte vivebant: puls autem est farina aquæ incocta. Eadem vivunt multis in locis agricolæ vegeti, & validi ad agriculturæ labores. Hi ergo sunt pultiphagi, & artophagi. Celebre est illud in Script. decantatum: *Et panis cor hominis confirmet*.

Panis à pasco dicitur.

Mysticè Hugo: Initium, inquit, vitæ spiritalis est aqua Baptismi, & panis Eucharistiæ, & vestimentum virtutis, & domus protegens turpitudinem in conversatione sancta. Per *turpitudinem* non solùm actum conjugalem, ut vult Lyran. sed quamlibet intellige. Corpus enim hominis peccato corruptum plenum est sordibus, vermibus, omnique turpitudine, ad quam tegendam, sicut, & ad defendendum se ab æstu, frigore, ceterisque aeris injuriis, opus habet domo: perinde ac ad tegendam nuditatem tuam, arcendumque frigus, opus habet veste. Quare sicut vestis nuditatis, sic, & domus turpitudinis est tegumentum: utrumque verò est nota, & stigma peccati, utpote ex quo pudor nuditatis omnisque turpitudo processit. Ergo ridiculi sunt homines, qui aureas vestes, & magnifica palatia sibi comparant, in eisque superbiunt: superbiunt enim in stigmate peccati. Perinde ac ridiculus foret fur, qui laqueo byssino suspendi vellet, non laneo: & nobilis reus, qui catena aurea vinciri vellet, non ferrea. Vide dicta Genes. 3. 21.

Docet ergo, ut rectè notat Jansenius, hac sententia, frugalitatem, & αὐτάρκειαν, id est, sibi sufficientiam, qua quisque suis contentus acquiescat in præsenti fortuna, etiam mediocri vel tenui, eò quòd vita hominis paucissimis, & parabilibus facilè sit contenta, juxta illud Pauli: *Habentes victum, & amictum, his contenti simus*, 1. Timoth. 6. Hanc autem doctrinam rectè ex præcedentibus subinfert: tum, quia paulò antè reprehendit πολυπραγμοσύνην & studium multa agendi ob lucrum: tum, ad significandum, qua ratione fieri possit, ut non egeamus multùm aliorum subsidiis per mutuum aut fidejussionem, si scilicet contenti simus paucis illis, quæ naturæ sustinendæ sufficiunt: tum, ut viam sternat ad ea, quæ dicturus est de miseria peregrinandi. q. d. Cùm quisque domi inveniat panem, & aquam, quæ ad victum sufficiunt, domi se quietè contineat, nec foras ad merces, & opes peregrinas captandas cum tanto vitæ suæ dispendio vagando oberret.

Tertiò, *initium*; Græcè ἀρχὴ potest verti, *principatus, primas tenens*, juxta illud c. 11. 3. *Initium*, id est, primas, *dulcoris habet fructus illius*, putà mel apis. q. d. In vita hominis sustentanda principatum occupant primasque tenent aqua, panis, vestis, & domus. Nam aquæ potus, æquè ac panis eius, maximè est homini commodus, salutaris, & sanus, uti docent medici, ac Cælius Rhodiginus libr. 3. Antiq. lection. cap. 24. Unde Adam, Seth, Enos, cetérique patres usque ad Noë, qui vinum invenit, Genes. 9. 20. non nisi aquam biberunt, vixeruntque nongentos annos sani, & validi. Quin, & animalia cetera aquam dumtaxat potant, ideoque catharris, inflammationibus, febribus, aliisque morbis, quibus subjacet homo, non tentantur, sed sana, & fortia vivunt.

Quocirca Galenus lib. 1. Simplic. medicam. c. 4. in principio: *Aqua*, inquit, *est convenientissima omnibus hominibus, tum sanis, tum ægrotis, & ad vitam maximè necessaria*. Et lib. de Affect. rerum, *Id*, inquit, *est mundanorum, & simplicium medicamentorum unum, ex quibus universis tota nostri corporis constitutio constata est*. Lucianus quoque in suis Macrobiis asserit, *per aquam vitam produci, ac propterea Syrios trecentum annos vixisse*. Brachmanas item longissimè vivere, cùm nihil præter aquam bibant, testatur Suidas verbo *Brachmani*. Aqua insuper vivaces facit sensus, serenam mentem, limpidum ingenium. Qua de causa solos abstemios aptos esse ad studia, rerumque inventionem censuit Eubulus, nostramque sapientiam vino hebescere, scripsit Athenæus lib. 2. Dipnosoph. cap. 2. Hinc, & Plinius lib. 23. cap. 1. heroes virosque præclaros recenset, qui nihil præter aquam biberunt, Demosthenem verò aliquid compositurum, in hæc verba jocari solitum legimus: *Alios dicere in aqua, Demosthenem verò scribere in aqua, eumque plus olei quam vini consumere*. Philostratus narrat Apollonium Tyaneum non nisi aquam potasse, ac dictitasse, bibentes aquam numquam vertiginis morbo laborare, somnique esse perlevis. Denique Virtuvius libr. 8. cap. 4. *Nulla*, inquit, *ex omnibus rebus tantas habere videtur ad usum rerum necessitates, quantas aqua, ideoque omnium animalium natura, si frumenti fructu privata fuerit, arbustis seu vel carne, aut piscando, aut etiam qualibet ex aliis escarum rebus utendo, poterit tueri vitam; sine aqua verò nec corpus animalium, nec ulla cibi virtus potest nasci, nec B teneri, nec parari*. Idcircò Pindarus ode 1. Olymp. & ex eo Aristot. li. 3. Rhetor. ἄριστον μὲν ὕδωρ, inquit, id est, *optima est aqua*, quia omnibus tam plantis quàm animalibus, & hominibus ὠφελεῖ, id est, benefica est, & benefacit, ut idem ait ode 3. Olymp. Quin, & aerem cælosque omnes ex aqua formatos esse, multorum graviumque Patrum, & Doctorum est sententia, uti ostendi initio Genesis. Quocirca Thales aquam rerum principium esse asseruit. Hæc, & plura M. Antonius Marsilius in Hydragiologia sect. 1. c. 3. Igitur *initium vitæ hominis aqua*.

Aquæ potus salubris.

Exempla.

Ratio est, quòd aqua, utpote summè humida, simplex, limpida, subtilis, facillimè per venas totum corpus pervadat, illudque humectet, calorem temperet, sitim sedet, cibum diluendo ad singula membra deferat, cibique sit vehiculum. Sicut enim cibo quidquid siccioris substantiæ è corpore effluit, restituimus: sic potione aquæ quidquid humidioris periit resarcimus, teste Galeno lib. 1. de Sanitate tuenda. Atque hæc potionis aquæ præcipua est utilitas, siccitatis nimirum ablatio, & humidæ in nobis substantiæ pereuntis, & collabentis instauratio, velut renovatio quædam. Etsi autem gravis est famis affectio, tamen graviùs C affligit, & cruciat sitis: ipsa enim siccat, & ignea corpus quasi arefacit, & urit: quocirca humido, & frigido aquæ reprimatur oportet. Hinc videmus animalia siti laborantia vehementiùs importuniusque urgeri, æstuare, anhelare, ac ad eam restinguendam procurre. Quore facit illud Davidis psalm. 41. v. 1. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Secundò, bibitur, ut cibi faciliùs commisceantur, concoquantur, eliquentur, atque ex ventre in totum corpus deducantur: hæc autem optimè præstat aqua, ob rationes jam dictas. Ubi monent medici, potum maximè congruere circa refectionis finem: tum, quia tunc ob calidi siccique cibi æstuationem vera sitis maximè nos urget: tum, quia tunc potus totum cibum perluit, diluit, & vehit ad singulas partes. Igitur medici docent aquam ad tres usus bibi, ut sitim sedet, ut calorem extinguat, ut alimenta elixet, & diducat. Unde Athenæus asserit aquam magis juvare concoctionem quàm vinum. Eadem corpora reddit mollia. Aqua potui aptissima est simplex, & qualitatis omnis expers, nec dulcis, nec salsa, nec acida, nec acris. Hujus quinque sunt species; levissima est pluvialis, deinde fontana, tum puteana, mox fluvialis, denique palustris.

Ratio à priori.

Porrò, etsi Galenus libr. 3. de Ratione victus comm. 39. D & alibi neget aquam nutrire, si nimirum plane pura sit, & simplex, tamen alii passim contrarium docent, præsertim cùm mista est, uti ferè est. Ita docet Aristot. Problem. 13. sect. 1. Probat id Athenæus Primò, ex eo quòd animalia quædam aqua sola nutriantur, ut cicadæ, & pisces: quòd, & Rondeletius se expertum testatur. Secundò, quòd in famelicis, si bibant, potu non tantùm sitim, sed, & famem levari experiamur. Tertiò, quòd animalia si bibant aquam, seriùs ex fame pereant, quàm si omnino nihil bibant. Quartò, quòd herbas, arbores, omnesque plantas pluviis ceterisque aquis irrigatas crescere, frondere, florere, fructificare videamus: iis verò deficientibus, decrescere, contrahi, flaccescere, siccari, & emori. Quocirca Cardanus lib. de Aqua: *Mirum est*, inquit, *quod Galenus concessorit aerem nutrire, & neget illud de aqua, qua longè corpulentior est*.

An aqua nutriat?

rum. *Solida igitur membra ex terreis nutriri videntur, & liquida ex potibus, vino, & aqua; spiritus ex aere.* Porrò veteres in conviviis bibisse aquam calidam, ut etiamnum faciunt Sinæ, docet Athenæus lib. 3. & Seneca lib. 3. Natur. quest. c. 24. Unde Varro lib. 4. *Calix*, inquit, *à calido, quòd in eo calida pols apponebatur, & calidam eo bibebant.*

Denique plurimæ aliæ sunt utilitates aquæ ad medendum, lavandum, purgandum, coquendum, incendia restinguendum agros hortosq; irrigandum, navigandum, &c. ut meritò Pindarus ita ordiatur: *Optima quidem est aqua.* Vide aquarum encomium apud Plinium libr. 31. c. 1. ubi concludens ait, *Omnes terræ vires aquarum esse beneficii.*

VERS. 29. MELLIOR EST VICTUS PAUPERIS SUB TEGMINE ASSERUM, QUAM EPULÆ SPLENDIDÆ IN PEREGRE (apud exteros) SINE DOMICILIO) Græcè, *potior est victus pauperis sub tecto trabium, quàm epulæ splendidæ in alienis*, scilicet domibus; Tigur. *victus pauperis sub tecto laquearium præstat, quàm apparatus ciborum in alienis*; Syrus, *melior est vita pauperis sub umbra trabium suarum, quàm divitiæ multa in peregrinatione.* q. d. Satius est domi tenuiter vivere, quàm foris splendidè.

Domus propria, & cella commoda.

Primum. Ratio est prima: quia domi est liber, & sui juris, edit, bibit, facit quod libet: hanc verò libertatem perdit, cùm apud alios prandet, & diversatur. Libertas autem præstat omnibus deliciis, & opibus: qua de causa S. Chrysost. ad nulla convivia, licet invitatus, accedebat. Idem fecit, & suasit S. Augustinus.

Secundum. Secunda: quòd homo domi est dominus, foris quasi servus aliis subesse, & se accommodare cogitur: si in domo tua comedas, tibi obligaris; si in domo mea, mihi. Si domi meæ epuleris, palato meo servis; si in tua, tuo.

Tertium. Tertia: domus mea mihi propria est, aliorum verò aliena, quare quantum præstat proprium alieno, tantum præstat manere domi, quàm foris versari: unde tritum est illud Belgarum:

Quartum. Quarta: domi cellam habes, in qua separatus ab hominum fabulis moribusque operam des sapientiæ, tibique vaces, & Deo. Quocirca cella S. Bernardo visa est esse cælum, talisque omnibus cellicolis, imò cælicolis videtur.

Quintum. Quinta: foris in conviviis facilè exceditur in cibis delicatis, garrulitate, detractione, ira, invidia, tristitia, &c. quæ omnia vitat, qui domi manet.

Sextum. Sexta: peregrini peregrè multa pati, multaque improperia, & convitia, (quæ explicat in sequentibus,) sustinere coguntur, à quibus immunis est domus suæ custos. Sane Senec. in Proverbiis non dubitabat dicere: *Cui nusquam domus est, sine sepulchro est mortuus.* Et, *Exilium patitur qui se patria denegat.*

Gnome veterum. Hinc vetus fuit unius è Septuag. interpretibus n. 42. gnome, uti refert Aristæus in eorum historia: *Patriæ cultor fugiet peregrinationem.* Hæc enim multam in itineribus fatigationem, in hospitiis verecundiam, & pavorem, in periculis sollicitudinem, & angorem affert. Quin, & Diogenes Cynicus invitatus à Cratero Alexandri Magni præfecto: *Malo*, inquit, *Athenis salem lingere, quàm apud Craterum opipara frui mensa.* Plutarch. in Lacon. narrat Laconibus peregrinari concessum non fuisse, ne morum peregrinorum vitæque compositæ contagium contraherent. Quin, & peregrinos urbe exegisse, ne paulatim inundantes, mali cujuspiam civibus existerent magistri. Quemlibet autem civem, qui filios non juxta patrios ritus instituisset, jure civium privasse. Idem faciunt etiamnum Sinæ. Denique.

Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt.

VERS. 30. MINIMUM PRO MAGNO PLACEAT TIBI: ET IMPROPERIUM PEREGRINATIONIS NON AUDIES) Ita Romana. Quare minùs rectè Jansenius, & alii legunt, *super minimum, & magnum placeat tibi.* Hæc enim lectio est obscurior, etsi eodem redeat: Sensus enim est, q. d. Sive parva, sive magna domi habeas; sive parva, sive magna, sit domus, ea contentus sis, ea delecteris. Complut. *super parvo, & magno* (id est, super parvas res æquè ac super magnas) *complacentiam habe, & improperium domus tuæ non audias*; Tigurina, *parvis æquè ac magnis contentus sis, ut ne tibi domicilium exprobrari audias*: quòd scilicet alienum aucuperis, relicto proprio: ut herus domus tibi exprobret, se tibi gratiam facere, quòd te sua domo, tecto, & mensa suscipiat. Huc facit illud:

Serviet æternùm, qui parvo nesciet uti.

Idem significat nostra Latina Vulgata, q. d. *Minimum pro magno placeat tibi*: id est, minimo domi tuæ contentus esto præ magno, quod peregrinans foris haberes, sed cùm improperio. Indigenæ enim sæpè hospitibus improperant, quòd sint peregrini, barbari, inculti, inciviles, rudes, extorres, pauperes, mendici, &c. Unde idipsum explicans subdit: *Vita nequam hospitandi*, &c. Aliter Syrus, *cum multo, & cum pauco, nemo scit* (nemo scit, an inquilinus multum, an parum domi habeat,) *& quid facit intra domum suam, nemo videt.*

VERS. 31. VITA NEQUAM HOSPITANDI DE DOMO IN DOMUM; ET UBI HOSPITABITUR, NON FIDUCIALITER AGET, NEC APERIET OS) Est hyperbaton, quod sic ordina, & explica, q. d. *Vita hospitandi* nunc in hac, nunc in alia domo, ac de domo in domum migrandi, est *nequam*, id est, misera, & calamitosa: quia in ea peregrinus ubicumque hospitetur, *non* audet liberè, & *fiducialiter* agere, & loqui, ne ab indigenis rideatur, vexetur, spolietur, verberetur, incarceretur. Ergo, si *non bene pro toto libertas venditur auro*, nec vendi debet pro epulis quantumlibet splendidis. Hæc maximè vera erant apud Judæos, qui, cùm mercium aut negotiorum causa alias provincias peragrarent, sæpè apud suæ gentis, & religionis homines, putà Judæos, diversari non poterant (esto id cuperent, & satagerent, ut patet Actor. 10. 6.) quare apud Gentiles Judæis infensos divertere cogebantur, à quibus multas sannas, & scommata audire, & perpeti necesse erat: hi enim Judæos vocabant verpos, recutitos, apellas, &c. Unde Tigurina vertit, *vita misera est ex* alia in aliam domum migratio: nam ubi eris inquilinus, non audebis hiscere; Syrus, *vita mala de domo in domum, & adversus judicia magna non poterit aperire os suum.*

Peregre quàm incommoda Gnome.

Hinc ille veterum gnome: *Domi manere oportet bellè fortunatum. Domi habet: domi nascitur. Domi conjecturam facere. Domi judicium. Domi inspicere. Domi leones; foris cervi aut vulpeculæ. Domi nobilis. Domi pugnans more galli. Domus amica: domus optima. Domi manendum est, cui fata sunt prospera*: Nusquam enim commodiùs, nusquam liberiùs, nusquam securiùs, nusquam lætiùs homini vivere contingit quàm domi: perinde ac testudo ubi collecta est intra suum tegmen, tuta est ad omnes ictus: ubi verò exerit partes aliquas, quodcumque nudavit, infirmum, & plagæ obnoxium est. Quocirca Cajus Jurisconf. Pandect. lib. 4. tit. De in jus vocando: *Plerique*, inquit, *putaverunt nullum de domo sua in jus vocari licere; quia domus tutissimum cuique refugium ac receptaculum sit: eumque qui inde in jus vocaret, vim inferre videri.* Qui ergo sibi sufficit, domi maneat; qui verò eget, peregrinando rem quærat, ac fortunæ experiatur aleam: uti Romam multos egentes peregrinari cernimus, sed ex centum vix unum qui rem suam faciat; de ceteris illud vulgò tritum fieri quotidie intuemur: *Magister in artibus in Romana curia cocus, & ex gratia speciali morietur in hospitali.* Quocirca Seneca in Medea act. 1. ex ejus persona, hoc velut summum malorum imprecatur.

Vivat, per urbes erret ignotas, egens,
Exul, pavens, invisus, incerti laris.

Et Ovid. in Ibin:

Exul, inops erres, alienaque limina lustres.

Et Euripides in Phoenissis:

Et quid? carere patria magnum est malum?
Vel maximum; & re gravius est quàm dicitur.

Unde hæc fuit poena scelerato Caino à Deo inflicta, Genes. 4. 12. *Vagus, & profugus eris super terram*; & Judæis Christicidis psalm. 108. 10. *Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis.* Hinc *hospes*, ait S. Isidor. libr. 10. Origin. dicitur quasi *ostiis pedes* inferens, alienis scilicet, velut egens, & peregrinus. Significanter, & nervosè Menander:

Domi, inquit, *manere oportet, ac manere liberum;*
Aut non ampliùs vivere illum, qui verè beatus est.

Et Sophocles in Tereo: *Domi manebis vir verè beatus.* Diviniùs Salomon Proverb. 27. 8. *Sicut avis*, inquit, *transvolans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum.* Vbi rursus hac de re dicam. Tritum est illud:

Si quà sede sedes, hæc sit tibi commoda sedes:
Illa sede sede, nec ab illa sede recede.

Intellige hæc de iis, qui ob paupertatem aliamve miseriam vel necessitatem coguntur mutare hospitia, & hospitari de domo in domum. Nam qui id faciunt voluntariè ex electione paupertatis, vel apostolatus, & prædicationis Evangelicæ, ac studio perfectionis, ut mentem avellant à terra, eamque defigant in cælo, non sunt miseri, sed Sancti, excelsi, & felices. Hi enim quasi Cosmopolitæ dicunt cum Apostolo:

stolo: *Nostra conversatio in cælis est*. Et: *Fratres, jam non estis hospites, & advenæ, sed cives sanctorum, & domestici Dei*, Ephes. 2.19. Hi enim sunt hospites terræ, sed cives cæli. Ita Apostoli ibant de domo in domum, de urbe in urbem, de provincia in provinciam, ut spargerent toto orbe Evangelium, & fidem cultumque Christi. Ita S. Hilarion migrabat de loco in locum, ut fugeret hominum visitationes, & laudes, teste S. Hieron. in eius Vita. Nimirum,

Omne solum forti patria est, ceu piscibus æquor.

Et: *Fideli totus mundus diversorium est*. Quocirca cùm primi Franciscani è suis monasteriis pellerentur à Frederico II. Imp. persecutore Ecclesiæ, atque hac de re quererentur apud B. Ægidium unum è primis S. Francisci sociis, ille leniter eos redarguit, aut potiùs consolatus est, dicens: Minus rectè eos de Frederico queri, neque enim è sua terra eos potuisse eiici à Frederico, qui terram nullam habent in terra. *Veri*, inquit, *fratres Minores extra sæculum facti, ubi vivunt in sæculo, non curant, neque locum ullum suum possunt appellare: ubique fratri Minori patria est, qui propriam nullam habet in mundo. Peccastis itaque fratres in magnum peccatorem Fredericum mentiendo: plus enim vobis contulit quàm abstulit; meriti causam addidit, patriam non subtraxit*. Ita habent. Acta ejus, & Annales Minorum auctore Luca Vvaddingo anno Domini 1238. Vide homil. S. Bernardi de peregrino mortuo, & crucifixo, quisquis perfectionis hujus es avidus. Dux, & choragus horum fuit S. Alexius, qui amore Dei, & cæli, relicta sponsa, matre, patre, domo, nobilitate, opibus, peregrinatus est per septemdecim annos mendicando: totidem in paterna domo quasi peregrinus, & pauper, soli Deo notus delituit, ac mundo illudens, de eo miro virtutis exemplo triumphavit.

Moral. de vago studio. Symbolicè, Hugo hæc applicat iis, qui nulli certæ scientiæ se addicunt, sed per omnes vagantur, ex singulis aliquid delibantes. Hi enim ubique peregrini sunt, nusquam domi, quia in nulla scientia versati: & ex partibus singulis aliquid assequuntur, sed ex toto nihil; semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis pervenientes, ut ait Apostolus. *Vita nequam*, inquit, *hospitandi de domo in domum, id est, de facultate in facultatem, de libro in librum; quælibet enim facultas una domus est: quilibet etiam liber Theologiæ una domus est. Unde suggillat hic Auctor multos, qui imperfectè, insufficienter, & malo modo addiscunt, modò ad domum Aristotelis, modò ad domum Hippocratis, modò ad domum Justiniani, modò ad domum Gratiani, modò ad domum Moysi, modò ad domum Pauli, & Petri, vel Christi currunt, & in nulla habitant*. Idem à pari applices iis qui nulli certæ occupationi, statui, virtuti se addicunt, sed per omnia vagantur.

VERS. 32. HOSPITABITUR, ET PASCET, ET POTABIT INGRATOS, ET AD HÆC AMARA AUDIET: TRANSI HOSPES, ET ORNA MENSAM; ET QUÆ IN MANU HABES, CIBA CETEROS: EXI A FACIE HONORIS

VERS. 33. AMICORUM MEORUM: NECESSITUDINE DOMUS

VERS. 34. MEÆ HOSPITIO MIHI FACTUS EST FRATER) Est mimesis. Imitatur enim, & exprimit mores, sensa, & improperia, quæ hospes, & peregrinus foris ab incola, & hero domus audire, sustinere, & devorare cogitur. q. d. Peregrinus hospitabitur, & hospitio excipietur ab indigena, & hero domus, sed pro antidoro cogetur eum ejusque uxorem pascere quasi ex debito, ideoque ingratos eos sentiet, ab eisque *amara*; Græcè, πικρὰ, id est, acerba, & dura, audiet. Dicent enim ei quasi famulo: *Transi hospes*, id est, surge, ò hospes, è sede vel lecto, in quo ex itinere fatigatus conquiescis: surge, inquam, ut nobis non tantùm famuleris, sed, & mensam instruas: ex iis *quæ in manu habes*, id est, ex iis quæ pro viatico in pera vel mantica tecum defers, *ciba ceteros* indigenas domus meæ, ut hospitio hanc non gratiam, sed mercedem, imò pretium rependas. Atque ubi omnia, quæ pro viatico deferebat, in domesticos distribuerit, nihilque ampliùs quòd det habuerit; ablegabit, imò domo sua imprudenter extrudet eum herus, eique dicet: *Exi à facie honoris amicorum meorum*. q. d. Honorati amici mihi supervenere hospites, qui amplum ad dignè hospitandum locum requirunt; eorum ergo faciem, & personam reveritus, cede eis hospitium, & exi, alioque commigra. Unde Tig. vertit, *cede præsenti magnificentia*, idq; *necessitudine*, id est, ex necessitate *domus meæ*, q. d. Necessitas excipiendi amicos supervenientes cogit me tibi dicere; Exi; quia domus mea tantis amicis ad hospitandum est necessaria. Hoc enim significat Græcum χρεία τῆς οἰκίας, id est, *opus est mihi domo*. Nam *hospitio mihi factus est frater*. q. d. Frater, quem amicè, & splendidè ut fratrem excipere debeo, hospes mihi factus, hospitio toto indiget: duxit enim secum multos asseclas, amicos, & famulos. Unde ex Græcò sic clarè vertas, *hospitio excipies, & potum præbebis* ἀχαρίστοις, id est, *ad nullam gratiam*, vel *ad ingrata* (Noster vertit *ingratis*, *& præter hæc acerba audies: Ades peregrine, instrue mensam, & si quid in manu habes, ciba me: exito peregrine à persona* (τὸ πρόσωπον enim personam, & faciem significat) *gloriosa; opus est domo: hospes mihi frater est*.

Ubi Nota. Pro passivo *hospitabitur*, Græcè est activum ξενιεῖς, id est, hospitio excipies. Unde Rabanus legit, *hospitabis*; Tigurina, *hospitio, cibo atque potu excipies ingratos*. Verùm meliùs Noster vertit, *hospitabitur*: agitur enim de peregrino qui foris hospitatur, non autem alios hospitio excipit. Unde, & Rabanus, etsi legat *hospitabis* passivè, tamen explicat per *hospitabitur*. Ait enim, *Hospitabis, videlicet in aliena domo ingratè susceptus, edit, & bibit, & semper adversa pertimescit, sæpè ab alterius lingua irritatus improperium audit*. Huc facit adagium Theopompi; *Vendat, qui proderat hospes*. Et illud Ovidii.

Ipse licet Musis venias comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Porrò Syrus ita vertit, *peregrinus es, & bibes opprobrium, & post hæc audies amara: Peregrinus es, transi, prepara mensam, & comede id quod est coram te; exi ab honore: viator enim supervenit mihi*.

Symbolicè, hic vivum datur symbolum, & schema mundanorum, & mundi: omnes enim peregrini, & advenæ sumus in mundo, & mundus, ut infidus, & fallax domus suæ, putà terræ, herus nos excipit primò blandè, deinde sensim rebus omnibus spoliat, ac planè in morte depeculatur, nudosque extrudit in aliam regionem, ubi domus æterna nos manet, vel in cælo, vel in gehenna. Quare mundus in vita nobis dicit: *Transi hospes, orna mensam*; quia consumit omnes nostras opes, facultates, & vires. In morte verò dixit: *Exi à facie honoris amicorum meorum*: quia nos è mundo expellit, omniaque nostra transfert ad alios qui subnascuntur, eisdem in vita æquè ac in morte similiter facturus. Quæ omnia duabus insignibus parabolis repræsentat Josaphat regi Barlaam Anachoreta apud Damascen. in histor. cap. 13. & 14. Quocirca verè Nazianz. in Monostichis; *Omnem*, inquit, *exhibe hospiti honorem, cùm hospes ipse sis*. *Symbol. peregrini sumus terræ, & cives cæli.*

Tropolog. S. Gregor. lib. 32. Moral. cap. 10. hæc applicat hypocritis, qui sanctitatem simulant, ut sanctitatis favore vallentur. *Transi hospes, & orna mensam. Transeundo namque hospes*, inquit, *ornare mensam dicitur; quia si ad altare Dei quis positus per bona opera propriam gloriam quærit, & de ostentatione sanctitatis ejus laus altari extenditur, & ipse tamen apud Deum in numero civium non habetur. Aliis ejus opinio proficit, & tamen à Deo extraneus ipse pertransit. Mensam itaque transeundo decorando, quia stare ad sacra noluit, qui per omne, quod agere studuit, ad humanas laudes mente decurrit*. *Tropolog.*

Rursum Tropol. hæc omnia iis qui ob collocutionem aut occupationem non necessariam, orationem, psalmodiam aut lectionem ab hora sibi destinata dimovent cum ejus damno, & injuria, rectè adaptat noster Alvarez de Paz de Vita spirit. libr. 5. p. 3. Tales enim Deum quasi hospitio mentis suæ dimittunt vel eiiciunt, ut mundum, & non rarò diabolum intromittant.

GRAVIA HÆC HOMINI HABENTI SENSUM: CORREPTIO DOMUS, ET IMPROPERIUM FOENERATORIS) q. d. Hæc improperia, quæ dixi, gravia, & acerba sunt *homini habenti sensum*, id est, sensato, & prudenti, nimirum Primò, gravis ei est *correptio domus*, dum scilicet hospes ab hero domus, apud quem hospitatur, audit dura: *Transi hospes, & orna mensam*, &c. *exi à facie honoris amicorum*. Secundò, grave est *improperium fœneratoris*, quo scilicet *fœnerator*, id est, mutuans illi, cui dat mutuum, exprobrat paupertatem, ingratitudinem, negligentiam, &c. ob mutuatam illi à se pecuniam. Minùs rectè Lyran. *fœneratorem* hic interpretatur herum domus. Herum enim dici fœneratorem, eò quòd vendat hospitibus res suas secundùm cursum communem hospitum ultra justum pretium. *Fœneratorem* enim priori parte capitis non alium intellexit Siracides, quàm eum qui sua dat mutuò. Unde clarè Tigurina vertit, *gravia sunt hæc homini mentem habenti, obiectatio domus, & creditoris sollicitatio*; Syrus, *gravia hæc viro sapienti, obiurgatio, & usura, & fœnus fœnerantium*. Addit Syrus sententiam pulchram, & piam, quæ sic habet: *Valdè valdè da pauperi, & da* VERS. 35.

de eo quod est in manu tua , ciba illum . Si nudus est , vesti eum : quia caro tua est pauper , & Deo ipsi fœnerans , & ipse reddet tibi sepulcrum . Hinc magnus ille S. Euthymius moriturus discipulis suis ait : *Hoc ultimum vobis adiicio mandatum : Numquam iis , qui adveniunt occludatur ianua ; sed sit semper aperta cuivis viatori , & ad excipiendum paratissima . Quin etiam ipsum tectum sit vobis commune hospitibus , & transeuntibus , & ea quæ habetis egenis proponantur communia. Sic enim copiosam suppeditationem à superis consequemini .* Hæc ejus cygnea fuit vox : nam paulò post post longos agones placidè obdormivit in Domino anno Christi 472. ætatis 99. Leonis Imper. 16. die 20 Januarii . Ita Cyrillus in ejus Vita , & ex ea Baron. Plura de hospitibus , & hospitalitate dixi Hebr. 13. 2. & alibi .

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

AGit Primò , de recta filiorum institutione , & castigatione , eiusque fructu , ac , si omittatur , damno , usque ad v. 14. Inde Secundò , agit de bono sanitatis usque ad v. 22. Tertiò , usque ad finem capitis , agit de bono lætitiæ , & malo tristitiæ . Vnde nonnulli Græci codices primæ parti hunc præfigunt titulum , περὶ τέκνων , id est , de liberis : Secundæ περὶ ὑγιείας , id est , de sanitate .

QVi diligit filium suum, assiduat illi flagella , ut lætetur in novissimo suo , & non palpet proximorum ostia. 2. Qui docet filium suum, laudabitur in illo , & in medio domesticorum in illo gloriabitur . 3. Qui docet filium suum , in zelum mittit inimicum , & in medio amicorum gloriabitur in illo. 4. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus : similem enim reliquit sibi post se. 5. In vita sua vidit , & lætatus est in illo : in obitu suo non est contristatus , nec confusus est coram inimicis. 6. Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. 7. Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua , & super omnem vocem turbabuntur viscera eius . 8. Equus indomitus euadit durus, & filius remissus evadet præceps. 9. Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. 10. Non corrideas illi , ne doleas, & in novissimo obstupescent dentes tui . 11. Non des illi potestatem in iuventute, & ne despicias cogitatus illius. 12. Curva cervicem eius in iuventute, & tunde latera eius dum infans est , ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. 13. Doce filium tuum , & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. 14. Melior est pauper sanus, & fortis viribus, quàm dives imbecillis, & flagellatus malitia. 15. Salus animæ in sanctitate iustitiæ, melior est omni auro , & argento, & corpus validum quàm census immensus. 16. Non est census super censum salutis corporis: & non est oblectamentum super cordis gaudium . 17. Melior est mors , quàm vita amara: & requies æterna quàm languor perseverans. 18. Bona abscondita in ore clauso , quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro. 19. Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabit: 20. Sic qui effugatur à Domino , portans mercedes iniquitatis. 21. Videns oculis, & ingemiscens, sicut spado complectens virginem, & suspirans. 22. Tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo. 23. Iucunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis: & exultatio viri est longævitas. 24. Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine : congrega cor tuum in sanctitate eius , & tristitiam longé repelle á te . 25. Multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa . 26. Zelus, & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus. 27. Splendidum cor , & bonum in epulis est: epulæ enim illius diligenter fiunt.

VERS. 1. QVI DILIGIT FILIUM SVVM , ASSIDVAT ILLI FLAGELLA , VT LÆTETUR IN NOVISSIMO SUO , ET NON PALPET PROXIMORVM OSTIA) Græca omittunt ultimam partem , sicque concisè habent , *qui filium suum amat , assiduè ipsum castigat , ut lætetur extremo ejus* : Tigurina , *qui filium suum amat , crebris flagellis eum appetit , ut ad extremum sibi sit lætitia* ; Syrus , *qui diligit filium , iterabit flagella ejus , ut lætetur in novissimo ejus* . Parentes, qui carnaliter, & stultè amant proles , non audent eas peccantes castigare , sed omnia eis condonant , & indulgent : quo fit , ut filii fiant audaces , immorigeri , luxuriosi , rixosi , ac tandem in gravia mala , adeoque in mortem infamem , & probrosam incidant ; quæ parentibus summum dolorem , æquè ac ignominiam afferant: quos proinde seriò , sed serò, pœnitet hujus suæ nimiæ in filios indulgentiæ , eamque vident reipsa non amorem , & beneficium , sed odium , & maleficium filiis extitisse . Qua parentes , qui sapiunt , quique verò , & prudenti amore filios diligunt , hi eos assiduè castigant , non tantùm verbis objurgando , sed , & verberibus virgisque flagellando . Ratio est , quòd *stultitia colligata est in corde pueri , & virga disciplinæ fugabit eam* , Proverb. 22. 15. Pueri enim ob defectum rationis , & judicii , obque vivaces spiritus , & ebullientem sanguinem , pleni sunt concupiscentiis , & desideriis noxiis , suntque sicut animalia , v. g. sicut petulci hœdi , lascivientes , cornupetentes , omniaque miscentes , & confundentes . Quare sicut anima- C lia , ut boues , & equi , non aguntur verbo , sed calcari pun-

guntur , & stimulo , ut recta incedant ad nutum sessoris , vel aurigæ : ita pariter pueri lascivientes non tam verbo quàm virga , & flagello castigandi sunt , ut innatam petulantiam , & concupiscentiam refrænare discant . Fructum subdit duplicem : Primum , *ut lætetur* , tum parens , tum potiùs ipse filius , *in novissimo suo* . q. d. Filius flagellatus dolebit ini-
B tio , & flebit ; at in fine videns flagellationis fructum , scilicet se per eam dedidicisse pueriles , pravosque mores , ac induisse viriles , & sanctos , mirificè gaudebit , & lætabitur , agetque gratias parentibus , qui eum castigarunt , itaque ad frugem , & virtutem perduxerunt . Secundum , securitatem à mendicitate : unde ait : *Et non palpet proximorum ostia* . q. d. Si eum non castiges , fiet otiosus , & deses ; indeque pauper effectus cogetur mendicare : ac , quia idem eum facere pudebit per diem , mendicabit sub vesperam , & noctem in tenebris , ne agnoscatur ; quare tunc per caliginem palpando quæret proximorum ostia , ut ea , pulsans mendicet , stipem . Ut ergo *non palpet* ea , nec mendicet , castiga filium , ac doce eum non otiari , sed laborare , ut labore manuum sibi victũ comparet. Vbi Nota (ait Palacius) legem Domini fuisse Deut. 15. 4. ne quis inter Judæos esset mẽdicus: at nihilominùs multi egestate compulsi mendicabant : mendicabant autem more nostro , non canendo , ut Germani , sed ostia palpando , & pulsando , uti nos Hispani. hæc Palacius leviusculè .

Quocirca sapientes omnium gentium , & temporum *Moral. de*
C censuerunt , non tantùm ad domus , sed , & ad totius *puerorum*
reipubl. incolumitatem necessum esse , ut parentes bene *institutione.*

provocarunt) *eum in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.* Et Paulus 1. Corinth. 10. 22. *An æmulamur Dominum?* inquit; græcè, ἢ παραζηλοῦμεν τὸν κύριον; id est, *in Domino æmulum, rivalemque opponimus?* dum scilicet mensæ Domini jungimus mensam dæmoniorum, putà esum idolothytorum: sic enim Deo opponimus idolum, imò diabolum, quasi æmulum, & rivalem. Unde Tigurina vertit, *qui docet filium suum, quod urat inimicum suum, facit.* Uritur enim inimicus livore, & invidia, dum videt, & invidet æmulo suo tantum bonum, putà filium tam sapientem, tamque bonis moribus instructum, & ornatum: simulque dolet, & timet, ne filius injurias patri à se illatas capessat & ulciscatur. Ex adverso IN MEDIO AMICORUM GLORIABITUR IN ILLO) græcè, ἀγαλλιάσεται, id est, *exultabit in illo.* Quartus est hic fructus bonæ educationis filiorum, quòd scilicet per eam confundantur inimici, gaudeant verò, & exultent pater, & amici. Quare credibile est, ait Palacius, Christum inter angelos cum voluptate gloriari, dum sua doctrina aliquem ex nobis verè sanctum efficit. Nam S. Paulus, passim de Christianis à se eruditis gloriatur, dicens: *Vos estis gloria nostra, & gaudium*, 1. Thessal. 2. 20. Et: *Itaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea, sic state in Domino*, Philip. 4. vers. 1.

Mira parentum ex filiis excelsis gloria.

Porrò quanta parentibus laus, & gloria accedat ex bona institutione, probitate, doctrina, & virtute filiorum, graphicè depingit Seneca lib. 3. de Beneficiis c. 31. ubi filium qui virtutibus sese excolverat, patremque alverat ad compensandum generationis beneficium, sic eumdem alloquentem inducit: *Non est bonum vivere, sed bene vivere. At bene vivo, sed potui, & malè. Ita hoc tantùm est tuum, quòd vivo. Si vitam imputas mihi per se nudam, egentem consilii, & id ut magnum bonum jactas, cogita te mihi imputare muscarum, ac vermium bonum. Deinde, ut nihil aliud dicam, quàm bonis artibus me studuisse, ut cursum ad rectum iter vitæ dirigerem; si bene vivo, in ipso beneficio majus quàm quod dederas recepisti. Tu enim me mihi rudem, & imperitum dedisti, ego tibi filium, qualem genuisse gauderes. Aluit me pater: si idem præsto, plus reddo, quia non tantùm aluisse, sed à filio ali gaudet, & majorem ex animo meo, quàm ex ipsa re percipit voluptatem. Illius alimenta ad corpus tantùm meum pervenerunt.* Deinde idipsum claré evincit ex gloria, quam parentibus, & familiæ conciliant filii, cùm virtute sua evadunt excelsi, & celebres, vel in sapientia, vel in virtute, vel in principatu, & regno. *Quid, si quis,* inquit, *per se in tantum processit, ut aut eloquentia per gentes innotesceret, aut justitia, aut bellicis rebus, & patri quoque ingentem circumfunderet famam, tenebrasque natalium suorum clara luce discuteret, non inæstimabile in parentes suos beneficium contulit? An quisquam Aristonem, Gryllum, nisi propter Xenophontem ac Platonem filios nosset? Sophroniscum Socrates expirare non patitur. Ceteros enumerare longum est, qui vivunt ob nullam causam aliam, quàm quòd illos liberorum eximia virtus tradidit posteris. Verum majus beneficium dedit M. Agrippa pater, nec post Agrippam quidem notus, an patri dedit Agrippa, navali corona insignis, unicum adeptus inter dona militaria decus, qui tot in urbe maxima opera excitavit, quæ, & priorem magnificentiam vincerent, & nulla postea vincerentur? Utrùm Octavius majus illum beneficium dedit filio, an patri divus Augustus, quamvis illum umbra adoptivi patris abscondit? quantam cepisset voluptatem, si illum post debellata arma civilia vidisset securæ paci præsidentem, non agnoscens bonum suum, nec satis credens, quoties respexisset ad se, potuisse illum virum in domo sua nasci?*

VERS. 4. MORTUUS EST PATER EJUS, ET QUASI NON EST MORTUUS (Syrus, *& idem est ac si non esset mortuus:*) SIMILEM ENIM RELIQUIT SIBI POST SE) Quintus est hic fructus bonæ educationis. q. d. Homo ex instinctu naturæ appetit immortalitatem, & æternitatem, nimirum, semper esse, & vivere. At, cùm hoc sit impossibile in se suaque persona, utpote quæ mortalis sit, morique debeat, optat saltem, ut post mortem in alia persona sibi simili, & conjunctissima, putà, in filio, sit superstes, vivat, & propaget se, suique nomen, & memoriam. Quocirca generatio, & bona educatio filiorum est remedium, imò species, & imago resurrectionis, & beatæ æternitatis: pater enim moriens videtur resurgere in filio. Quocirca parentes optant ante filios, imò pro filiis mori, ut eos relinquant superstites, in iisque conserventur, vivant, & propagentur; filius enim benè à parente institutus parentis vitam, sapientiam, & virtutem conservat, eumque facit quasi immortalem.

Generatio est imago resurrectionis.

Nota est historia patris, qui cum filio ob crimen adjudicatus erat morti: dumque princeps sententiam molliret, unumque tantùm plecti juberet, ac daret eis optionem eligendi, vel jaciendi sortem, uter plectendus esset; mira inter utrumque fuit contentio, dum filius pro patre, pater pro filio mori percuperet. Sed vicit tandem pater, dictitans se, licèt plecteretur, in filio tamen fore superstitem: at, si filius plecteretur, nullam sui, utpote senis brevique morituri, nec filii fore propaginem, & memoriam: expedire ergo malleque se mori, ut filius sibi in vita maneret superstes. Motus princeps pietate amborum, vitam utrique condonavit.

Dicit ergo Siracides, patrem ex bona educatione filii hunc fructum capere, quòd, etsi moriatur ipse, videatur tamen non mori, eò quòd relinquit filium quasi alterum se, sibi similem in virtute, utpote, cui probos suos mores per bonam institutionem communicarit, & impresserit secùs est de improbis parentibus, vel probis, sed improbè aut negligenter filios educantibus, hi enim, cùm moriuntur, relinquunt filios; sed vel degeneres, vel sibi similes, improbos, qui ipsis probro erunt, & infamiæ. Unde in iis eorum non virtus, & fama, sed vitium, & infamia, ad eorum perpetuam ignominiam, vivet, & perennabit.

Idem Tropol. verius est in bonis magistris, pastoribus, prædicatoribus, Superioribus. Si enim post se relinquunt discipulos, quos Christo genuerunt, quasi viva suæ virtutis testimonia, & simulacra, uti S. Petrus reliquit Linum, Cletum, Clementem; S. Paulus Titum, Timotheum, Onesimum, Lucam; S. Joannes Prochorum, Ignatium, Polycarpum, &c. *Successio enim filiorum sanctorum*, ait Rabanus, *qui post patres suos ex hac vita decedentes, bonum eorum studium in sancta religione, & bona conversatione imitantur, mortuos parentes quasi redivivos exhibent, cùm eorum doctrinam & disciplinam in suis dictis, & factis omnibus servando, manifestè declarant.* Hinc filius masculus hebr. vocatur זכר *zachar*, à *zacher*, id est, *memoria*; quòd in filio patris post mortem perstet nomen, & memoria vice versa feminæ hebr. נשים vocantur à נשה *nasca*, id est *oblitus est*; quòd in iis præsertim si molliter, & effeminatè vivunt, patris nomen pereat, & memoria oblivioni tradatur. Hinc rursum filius ab Euripide vocatur, *vitæ oculus*: suntque viri eruditi, qui filium dictum volunt quasi φίλιος, ob ingentem erga eum patris amorem, aut à Græco υἱὸς per Æolicum digamma. Vide Tiraquellum præfat. in l. *Si unquam*, num. 11.

Quocirca docent Ethici, & Jurisconsulti, quin, & ipsa experientia, quòd pater plus diligat filium quàm se ipsum. Unde Pacatus in Panegyrico Theodosii Imper. *Instituente*, inquit, *natura plus ferè filios quam nosmetipsos diligimus.* Virginius apud Livium l. 3. constanter asserit, sibi vitam filiæ suæ Virginiæ sua chariorem fuisse, si liberè ac pudicè ei vivere licitum fuisset. Aristot. lib. 8. Ethic. 12. *Atque*, inquit, *parentibus vita liberum chara est atque sua.* Quocirca apud Quintilian. declam. 6. pater ille proclamat: *O quàm grave est mori! quanto gravius, quod ego vivo superstes filii mei!* Idem declam: 11. Cùm filii, inquit, pauperis ad supplicium peterentur, pater sese obtulit illos vicaria morte servaturus. Simile est, quod narrat Tiraquel. loco citato n. 8. *Accusabantur*, inquit, *pater, & filius homicidii: certum enim erat alterum eorum id perpetrasse, sed uter id fecisset, incertum. Carolus II. Imperator jussit filium suspendi: quod intelligens pater, ut filium à morte vindicaret, ac in se pœnam converteret, sponte crimen confessus; ideoque suspensus est liberato filio.* Quid mirum. David rex sanctus audiens mortem Absolomi filii sui, licèt persecutoris, & parricidæ, inconsolabiliter ejulans exclamabat: *Fili mi, Absalom, fili mi: quis mihi tribuat, ut moriar pro te, Absalom, fili mi Absalom?* Reg. 18. 33. nimirum, ut canit Poeta,

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.

Parentes plus amant filios quàm seipsos.

Hoc ita verum est in homine, ut idem pariter natura inseverit animalibus cunctis. Nam ut ait S. Ambros. lib. 6. Hexam. c. 4. *Natura hoc bestiis infundit, ut catulos proprios ament, fœtus suos diligant.* Et mox: *Quæ fera pro catulis non ipsa potissimùm se offerat morti? Quæ fera suos innumeris licet obsessa cuneis armatorum, non suis visceribus tegat? ingruat licèt telorum seges, illa tamen parvulos suos muro sui corporis immunes præstat periculi.* Idipsum inductione, & exemplis singularum ferarum, demonstrat Philostratus Lib. 2. c. 7. Vitæ Apollonii Tyanei: *Nam elephantes flumen Indum transeuntes, suos pullos deferunt, vinculis, ne fortè cadant, eos complexi. Ursi, licèt feritate ceteras belluas superent, pro catulis tamen*

omnia

Iuxta tertiam lectionem, quæ Nostra Vulgata est, sic Primò, exponit Rabanus, & ex eo Glossa, & Lyran. q. d. Pater finet se vulnerari, *super animam colligabit pro anima*, id est, vita, & salute filiorum. Sic Paulus scribit Corinthiis suis in Christo filiis 2. Corinth. 12. 15: *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris; licèt plus vos diligens, minùs diligar.*

Secundò, meliùs Palacius, q. d. Pater nihil verebitur filios vulnerare, eorumque vulnera colligare, cùm id necesse erit ut eorum animas salvet, ac ita eos erudire, ut ad patris vocem eorum viscera tremant. Pro *sua* enim græcè est *αὐτοῦ*, quod tam *sua* quàm *ipsius* significat; Noster legit *αὐτῶν* in plurali, id est, *ipsorum*, scilicet, filiorum.

Tertiò, idem Palacius, q. d. Pater non sit trux, & sævus in filium: sed, si contingat eum flagellare, & vulnerare pro eius anima, & vita; mox eius vulnera colligabit, & curabit, & ad omnem vocem planctus filii patris viscera turbabuntur. Ergo pater admonetur, ut vulneret filium, sed benignè, & clementer.

Quartò, Iansenius, q. d. Bonus pater *vulnera*, quæ & ipse in se frequenter suscipit, & sentit, *pro animabus filiorum suorum*, dum scilicet in animo suo sæpè dolet, pro eis sollicitus est: hæc, inquam, vulnera sua ipse studebit colligare, & curare, per disciplinam sollicitè eis adhibitam; & cùm indebito modo eos qui dicere vel clamare contigerit, ad *omnem eorum vocem* (græcè, *βοῇ*, id est, clamorem) *turbabuntur viscera eius*, hoc est, non dissimulabit, nec negligens erit, sed toto animo commovebitur sollicitus de correctione.

Quintò, planè, & facilè sic exponas. q. d: Bonus pater *pro animabus*, id est, ut salvet animas filiorum, *colligabit vulnera sua*, id est, *illorum*, scilicet filiorum, hoc est, vulnera animæ, puta peccata, & vitia filiorum curare, & sanare conabitur: *& super omnem vocem*, id est, rumorem de filiorum scelere, vel improbitate sparsum, commovebuntur, & *turbabuntur viscera eius*, ideoque malo mederi totis viribus sataget.

Symbolicè noster Pineda lib. 1. de Rebus Salomon cap. 15. hanc Siracidis sententiam explicat de cura, quæ infanti impenditur à parentibus. Quid enim, inquit, est frequens illa involuendi, evolvendi, ligandi, solvendi puerum cura, & quotidiana repetitio, quàm colligatio quædam, & quasi curatio naturæ vulnerum, id est, incredibilis cuiusdam infirmitatis, & imbecillitatis? Quid aliud illa conturbatio viscerum ad omnem vocem pueri, quàm ad omnem vagitum, & lacrymulam paruuli parentum commotio, perturbatio, dolor, confusio? Quòd si primam etiam huius sententiæ partem ex Græco legas, *Refrigerans filium*, sive molliter tractans, sive abstergens; in infantiles sordes, & curam molliter tractandi infantilia membra rectè convenit: ut opportunè, æquè ac verissimè dictum sit, Salomonem nutritum curis magnis.

VERS. 8. EQVVS INDOMITVS EVADIT DVRVS, ET FILIVS REMISSVS (græcè, *ἀνειμένος*, id est, sibi relictus, carens fræno disciplinæ, dissolutus) EVADET PRECEPS) Græcè *προαλής*, id est, *προπετής*, hoc est, prosiliens, procax, effrænatus, citus, præpropens, temerarius, præceps, assultus, protervus, proiectus, petulans, insolens, audax, impudens, contumax, improbus. Unde Tigurina vertit, *equus indomitus evadit intractabilis, & filius dissolutus pervicaciam induit*; alii, *qui non domatur, evadit stultus* (uti videmus Romæ equos, quos vocant Barbaros, antequam domentur, adeò fræni, & sessoris impatientes, ut eum excutiant, vel in fossas præcipitent, & obvios quosque proterant) *& filius sibi relictus fit protervus*; Syrus, *sicut pullus equinus effrænis, ita filius protervus, qui non obedit patri suo.* Nam, ut explicat Rabanus. *Sicut superbia equi indomiti in præcipitium prona est, ita lascivia filii indisciplinati in peccati ruinam proxima est.* Et Palacius: Si iuvenci, inquit, petulantiam fræno non domueris, durum, & intractabilem eum invenies: ita si filium voluntati suæ dimiseris, in omnia vitia se præcipitabit. Optimè Iansenius, Sicut, inquit, equus qui fræno, & calcaribus in iuventute non domatur, à sua naturali ferocia, & petulantia evadit durus, & intractabilis: ita filius, qui in iuventute solutus est à disciplina, & castigatione, & dimittitur suæ naturali petulantiæ, evadit præceps, temerarius, & audax ad omnia vitia, ita ut ab eis non facilè postea revocari possit. Significat ergo, quòd, quemadmodum equi frænis calcaribusque domantur, & tractabiles efficiuntur: ita pueri atque adolescentes optimis gravissimisque institutis, moribus, studiis, atque etiam verberibus ad modestiam, & obedientiam sunt conformandi, iuxta dogma Aristotel. lib. 3. Ethic. cap. 12. *Quod turpia appetit, inquit, incrementumque magnum accipit, castigandum est: concupiscentia autem, et puer maximè est cupiditas, & puer.* Hinc mysticè S. Thom. 2. 2. q. 142. a. 2. *Concupiscentia, inquit, assimilatur puero quoad tria. Primò quidem, quantum ad id quod utrumque appetit: sicut enim puer, ita, & concupiscentia appetit aliquid turpe. cuius ratio est, quia pulchrum in rebus humanis attenditur, prout aliquid est ordinatum secundùm rationem. Unde Tullius de Offic. lib. 1. cap. de temperantia, aliquantulum a principio: Pulchrum est, quod consentaneum est hominis excellentia in eo, in quo natura eius à reliquis animantibus differt. Puer autem non attendit ad ordinem rationis: & similiter concupiscentia non audit rationem, ut dicitur lib. 7. Ethic. cap. 6. circa, princip. Secundò, conveniunt quantum ad eventum. Puer enim si suæ voluntati dimittatur, crescit in propria voluntate. Unde Eccli. 30. dicitur: Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadit præceps: ita etiam, & concupiscentia si ei satisfiat, maius robur accipit. Unde August. dicit in 7. Confess. Dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Tertiò, quantum ad remedium, quod utrique præbetur. Puer enim emendatur per hoc quod coercetur, unde dicitur Prove. 23. Noli subtrahere à puero disciplinam: tu virga percuties eum, & animam eius ab inferno liberabis. Et similiter dum concupiscentia resistitur, reducitur ad debitum honestatis modum. Et hoc est quod August. dicit in 9. Musica c. 11. quòd mente ad spiritualia suspensa, atque ibi infixa, & manente, consuetudinis, scilicet carnalis concupiscentia, impetus frangitur, & paulatim repressus extinguitur. Maior enim erat cùm sequeremur; non omnino nullus, sed certè minor, cùm refrænamus. Et ideò Philosoph. dicit in 3. Ethic. cap. ult. in fin. quòd, quemadmodum puerum oportet secundùm præceptum pædagogi vivere, sic, & concupiscibile consonare rationi.*

Concupiscentia similis puero quoad tria. Primò.

Secundò

Tertiò

Hinc hieroglyphicum iuvenis, & iuventutis, eiusque effrænis concupiscentiæ, & temeritatis est hoc: pingitur adolescens equo indomito insidens, à quo in omnes partes rapiatur, & iactatur. Huic occurrit quidam, quærens, quò tam præceps abeat? respondet eques, equum demonstrans, *Quò isti lubet.* Nimirum equus effrænis est concupiscentia, eq; est iuvenis concupiscens, quia concupiscentia sua in varia cum scelera, tum pericula abripitur. Si roges eum, Quò pergis? respondebit: *Quò concupiscentia me rapit.* Hæc est enim equus indomitus, vel onager ferus, iuxta illud Ierem. 2. 24. *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui* (Septuag. *in desideriis animæ suæ spiritu portabatur*, quasi impos sui) *nullus avertet eum.*

Hieroglyphicum iuventutis.

Præclarè S. Chrisost. in psalm. 6. sub finem: *Furentem*, inquit, *equum nisi quis citò repressèrit, citò peribit. Medici venenum serpens, & dimanans, maxima celeritate, ne ulteriùs progrediatur, sistunt, eius vitium incidentes. Hoc postea nos quoque faciamus, & quod in nobis est, vitium maxima celeritate reprimamus, ne ulteriùs progrediens morbum augeat.* Et post nonnulla: *Iudas si pecuniæ amorem coercuisset, non venisset ad sacrilegium: si illud compressisset, non ad calophonem malorum prolapsus fuisset. Et ideò Christus non solùm fornicationem, & adulterium, sed impudicum etiam obtutum reprimit, radicem ab imo evellens, ut faciliùs possit superari vitium.* Plura de puerorum disciplina dicam tomo proximo Proverb. c. 22. 15. & c. 23. 13.

Exemplum est in Themistocle, qui quoniam adolescens feroci mutabilique ingenio videbatur, mirantibus mutatos mores dicere solebat: *Asperos, & indomitos pullos in optimos evadere, si quis illis adhibeat disciplinam, rectamque institutionem.* ita Plutarch. in Lacon.

LACTA FILIUM, ET PAVENTEM TE FACIET: LUDE CUM EO, ET CONTRISTABIT TE) Pro *lacta*, græcè est *τιθήνησον*, id est, nutricare, lacta, ciba, mammam præbe instar nutricis: *τιθαὶ* enim sunt mammæ, & *τιθήνη* est nutrix. Rursum pro *paventem te faciet*, græcè est *ἐκθαμβήσει*, id est, stupefaciet te, obstupescere faciet te. Unde Tigur. vertit, *lactea filium, terrificabit te: ludas cum eo, te contristabit*; Syrus, *erudi filium tuum, ne illudaris: & si corriperis eum, vexabis te*; alii germaniùs, & nervosiùs, *nutricare filium, & stupore attonito percellet te: collude cum eo, & dolore afficiet te.* Est ironia. q.d. O pater, ô mater, quæ filium jam ablactatum, & grandescentem nimis tenerè amas, pascis, & tractas quasi adhuc infans esset, pergito, si lubet, illum quasi infantem molliter lactare, & indulgere omnia quæ petit: sed scito, quòd mox timore tui excusso, teipsum faciet timentem, VERS. 9.

imò

imò sua audacia, & contumacia obstupescere faciet te, reddetque attonitum, ut, & tibi, & illi magnum aliquod malum obventurum jure metuas. Collude illi, blandire illi, & dissuaviare cum illo, uti priùs, cùm infans esset: sed scito, quòd impudens effectus, spernet te, ridebit te, affliget, & contristabit te. Sicut enim infantia tenera, & innocens, dolique, & mali expers eget lactatione blandaque educatione: sic vicissim pueritia succedens infantiæ, jam doli, superbiæ, & proterviæ capax, imò obnoxia, gravem seriamque poscit educationem, & lasciviæ puerilis castigationem: quare necesse est parentes graviter, & severè cum eis agere, ut sui reverentiam, & metum eis incutiant.

VERS. 10. NON CORRIDEAS ILLI, NE DOLEAS (Complut. *ne condoleas*) ET IN NOVISSIMO OBSTUPESCENT DENTES TUI) q. d. Filio ridenti non corride sed gravem exhibe vultum, ne risus tuus, & illius in dolorem vertatur, dum videbis eum ex tuo risu, & indulgentia te negligere, & agere quidquid lubet, tibique, & sibi gravis mali periculum creare: quare in fine *obstupescunt dentes tui*, ut, sicut dentes stupidi ex cibo non voluptatem, sed dolorem sentiunt: sic pariter tu ex filio insolente, & rebelli dolorem ingentem concipias, adeò ut præ dolore obmutescas, & fias quasi stupidus; itaque risus tuus vertatur in stridorem, & dolorem. Græcè est, *γομφιάσεις τοὺς ὀδόντας* : quòd Secundò, sic vertas cùm Tigurina, *tandemque dentibus tuis infrendeas*. q. d. Ne indigneris, & fremas ob improbitatem filii, obque nimiam tuam in eum indulgentiam.

Noster meliùs vertit, *obstupescent*: alludit enim ad stuporem dentium ex esu rei delectabilis. q. d. Sicut qui avidè comedit rem acidam, quæ acore suo palatum proritat, & acuit, tunc quidem gaudet, postea verò sentit dentium stuporem: ita si filio corrideas, tunc quidem ridebis, sed risum postea lues dolore: obstupesces enim ad tantam filii proterviam, & pervicaciam: ac sicuti ei, cui stupent dentes, nihil est sapidum: sic tibi, ò pater, nihil in vita sapidum, nihil dulce, nihil jucundum, & lætum continget, sed infinitæ occurrent molestiæ, dolores, & mœrores, si filium nimia enutriveris indulgentia. Sic, & Syrus vertit, *ne incedas cum eo secundùm voluntatem ejus, ne ad iram concitet te, & in novissimo obstupescere faciat dentes tuos*. Ita Palacius. Similis est gnome Solonis: *Liberis ne arrideas, ut in posterum non fleas*.

Huc facit proverbium Arabicum cent. 2. num. 4. *Collusio* sive *jocus aufert reverentiam*. quod Itali dicunt: *Baldezza di padrone, capello di maestro*. Et num. 5. *Ne ludo cum optimate, ne irascatur tibi: neque cum infimate, ne abutatur te*, vel *audeat super te*.

Pater misceat gravitatem lenitati.

Exemplum gravitatis paternæ sit S. Job, qui tam seriò graviterq; cum liberis suis agebat ut etiam cùm rideret interdũ, rideret non crederetur. *Si quando*, inquit c. 29. *ridebam ad eos, non credebant*. Ubi S. Gregor. 20. Moral. capit. 3. *Qui præest*, ait, *debet, & arridens timeri, & iratus amari; ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum*. Et cap. 8. *Miscenda est ergo severitas cum lenitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum: ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul ac manna est: quia cùm Scripturæ sacræ scientia est in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit, & manna dulcedinis. Hinc etiam David ait: Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga etenim percutimur, & baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ quæ feriat, sit, & consolatio baculi quæ sustentet: sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit Zelus, non immoderatè sæviens: sit pietas, sed non plusquàm expediat parcens*.

VERS. 11. NON DES ILLI POTESTATEM IN JUVENTUTE, ET NE DESPICIAS COGITATUS ILLIUS) Prò *potestatem* græcè est *ἐξουσίαν*, id est, libertatem, licentiam, potestatem agendi, & dicendi quæ velit, quæque libent. Pro *cogitatus* Noster legit *ἐννοίας*, id est, cogitationes, notiones, intentiones, sensa, conceptus, quæ scilicet animo voluit, cogitat, intendit, destinat, optat, vult, molitur. Jam legunt vicina voce *ἀγνοίας*, id est, ignorantias, id est, errores, vitia, & peccata, quibus scatet pueritia. Unde Tigurina vertit, *ne indulgeas ei juveni licentiam, nec ad imperitè facta ejus conniveas*; Syrus, *ne condones ei omnia vitia ejus*. Sensus est, q. d. Ne permittas juveni potestatem agendi quod lubet, ut suo jure vivat, suo marte agat, quasi herus, & dominus à nullo dependens, nulli subjectus, nullius directioni, & correctioni obnoxius: *& ne despicias*, id est, ne negligas corrigere, & dirigere, *cogitatus illius*. q. d. Scrutare, & explora diligenter quid cogitet, ut inde ejus indolem animique sensa, & propensiones perspicias, easque, si pravæ sint, reseces, & corrigas; sin bonæ, secundes, & dirigas. Nisi enim in juventute eas flexeris, adolescent, indurescent, fientque inflexibiles, & incorrigibiles: perinde ac arbor, dum tenera est, flectenda, & dirigenda est: si enim adoleverit, flecti dirigique se non sinet.

CURVA CERVICEM EJUS IN JUVENTUTE, ET TUNDE, (græcè *θλάσον*, id est, *frango*: ita Complut. *collide, tunde*) LATERA EJUS, DUM INFANS (græcè, *νήπιος*; id est, infans vel puer, qui nec dum sapit: unde Complut. vertunt, *dum est parvus*) EST, NE FORTE INDURET, ET NON CREDAT TIBI, ET ERIT TIBI DOLOR ANIMÆ) Tigurina, *inflecte cervicem* (alii, *collum*) *adhuc juveni, & dum puer est, tunde latera ipsius, ne fortè obdurescens nolit parere tibi, animæque tuæ dolorem afferat*. Nam pro *non credat tibi*, græcè est *ἀπειθήσει*; quod Secundò, vertas, *diffidat tibi*; Tertiò, *inobediens tibi*, vel *contumax fiat in te*; Syrus, *curva collum ejus, quamdiu est adolescens, & scinde lumbos ejus, quamdiu est parvus, ne robustus fiat, & protervias contra te*. — VERS. 12.

Monet (ut rectè Jansenius) curvare cervicem, & tundere latera, quòd in his duabus partibus corporis superbia, & petulantia magis vigeat: in cervice, scilicet, superbia, in lateribus petulantia. Nec vult caput fustibus aut percussionibus gravari, ne ingenium lædatur, sed eas partes vult premi, quarum repressio non obsit ingenio. Et cervicem quidem vult curvari velut oneribus impositis: latera verò tundi, & percuti, velut virgis, & flagellis, quibus latera puerorum peti solent: significans, & superbiam castigationibus atque increpationibus esse reprimendam, & petulantiam, atque stultitiam virga disciplinæ expellendam; juxta illud: *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam*.

Castiganda juventus.

IN JUVENTUTE) ætate scilicet tenera, & adhuc flexibili, vult curvari cervicem; quia postea cervix jam indurata potiùs frangenda esset, quàm curvari posset: sicut ramus tener flexilis est, sed grandævus inflexilis, ut, si eum flectere velis, frangas. Quod Belgæ hoc proverbio significanter exprimunt: *Filii, dum pueri sunt, parentibus afferunt capitis dolorem; dum adoleverint, cordis dolorem*. Paulo aliter Palacius: refert enim hæc ad fugam otii, & amplexum laboris. q. d. Qui otio indulget, recta cervice incedit: tu ergo filium operi, & labori addicito, ut cervicem in opus curvam habeat. Tum verò nares ejus ab infantia (id est, à secundo, & tertio ætatis anno) percute, ne fortè ab ea ætate durus tibi fiat, & dolorem animæ inferat. hæc Palacius. Siracidi concinit Ben Sira alphab. 1. litera Daleth: *Aurum*, inquit, *tundi debet, & puer verberari*: vel, *aurum indiget percussionis, & puer verberationis*. q. d. Si ferulæ parcas, puer fit nequam, & inutilis, perinde, ut aurum minùs utile existit, nisi malleatione formam sibi congruam accipiat. Scholiastes sic explicat: *Sicut aurum, si illud tundas, magis fulget: sic puer, si eum verberes, fit melior*. Nam ut argilla, ita tenera ætas in quamcumque partem ducas, sequitur: at ubi obdurvit ingenium, haud facilè in aliam refingitur formam. Hæc ergo castigatio amoris est, non odii. Unde Salomon Proverb. 13. 24. *Qui parcit virgæ*, inquit, *odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit*; Hebr. *diluculo quærit ei castigationem*; Scholiastes, *adhibet ei disciplinam*.

Castigationis effectus.

Porrò castigationis effectus Primus est sapientia. Audi Salomonem Proverb. 29. 15. *Virga, atque correptio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem*. Secundus est, gaudium. Audi eumdem ibidem v. 17. *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ*. Tertius est, liberatio à gehenna, & salus æterna. Audi eumdem cap. 23. 14. *Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis*.

DOCE (græcè, *παίδευσον*, id est, corripe, institue, erudi, castiga) FILIUM TUUM, ET OPERARE IN ILLO, NE IN TURPITUDINEM ILLIUS OFFENDAS) q. d. Operam omnem illi rectè instituendo nava, ne *offendas*, impingas, confundaris, & tristeris *in eius turpitudine*, id est, dedecore, quod alioqui sibi permissus committet, indeque infamia, & contumelia, quam incurret tum ipse, tum tu, ò pater. Syrus, *contritionem animæ doce filium tuum, & aggrava illum, ne fortè in insipientiis suis offendere faciat te*; Tigurina, *erudi filium tuum, & elabora in hoc, ut ne ignominia eius tibi sit offensioni*; alii, *castiga filium tuum, eumque in opere faciundo exerceto, ne in turpitudinem ejus impingas*. Codices Græci — VERS. 13.

Romæ

Romę emendati legunt, *ne in turpitudinem tuã*, id est, ad ignominiam tuam, *offendas*, vel impingat in aliquod dedecus, vitium aut scelus. Audi Palacium: Ut qui in agro aut vinea sua diligentem operam collocat, evadit pauperiem: ita, si in filio tuo operam navaris strenuam, filium à turpitudine liberas, & te, ne ab ea offendaris, eripies.

Lector, intellige hæc esse præcepta moralia, quæ ut plurimùm vera sunt. sunt enim filii, ut plurimùm natura petulantiore, ac ita quæ disciplinam requirat asperiorem: non negamus tamen filios quosdam nasci, qui tantam exactionem minimè requirant.

Pater filios instruat exemplo magis quàm verbo.

Porrò pater filium doceat tum verbo, tum verbere, tum maximè exemplo. Verum enim est illud Hebræorum proverbium: *Ovis ovem sequitur, & filius patrem imitando consectatur.* Nota *Tò operare* significat ingentem curam, studium & laborem à patre adhibendum in educatione filiorum: hoc enim opus est summi momenti, utpote à quo salus familiæ & subinde reip. dependet. Quocirca Ptolemæus Philadelphus rex Ægypti LXXII. Interpretibus singulis singulas proponens quæstiones ethicas vel politicas, hanc quadragesimo primo proposuit: *Quæ sit maxima negligentia?* Cui ille: *Si quis filiorum*, inquit, *negligens fuerit, eosque nulla in re erudiat. Deo enim semper vota non pro nobis tantum concipimus, quantum precamur ut, & liberis nostris bona cuncta ad sint, eruditionem, & prudentiam impartiatur. Nam id Dei virtute evenit.* ita refert Aristæas in histor. LXXII. Interpretum (quæ exstat tomo 7. Biblioth. SS. Patrum) quibus coævus fuit noster Siracides, imò unus ex illis, si credimus Jansenio.

Filii heroũ degeneres: cur?

Hac de causa videmus filios magnorum virorum sæpè ab indole, & virtute parentum degenerare, juxta illud: *Heroum filii noxa*; quia scilicet viri magni rebus magnis remp. concernentibus occupati, educationem filiorum negligunt, eamque aliis committunt; ac filii parentum virtute, & gloria superbi, disciplinam, & castigationem non admittunt. Unde Carneades dictitabat, *Divitum ac regum filios nihil rectè discere, præterquam equitare*, teste Laertio lib. 4. cap. 9. Audi Spartianum in Vita Severi Imper. *Constat neminem propè magnorum virorum optimum, & utilem filium reliquisse*: citatque exempla Ciceronis, Augusti, Scipionis, Catonis, Traiani, & aliorum; quin, & vulgò dicitur: *Ex sapientissimis parentibus stultissimos propagari liberos, ex stultis verò sapientes.* Cujus rei aliam quoque causam physicam dat Alex. Aphrodiseus lib. 1. Problem. c. 26. & ex eo Tiraquelius lib. 15. connub. 154. nimirum, quod stulti toti incumbant generationi, ideoque optimos, & perfectissimos spiritus in prolem effundant: sapientes verò sapientibus cogitationibus occupati, & distracti, dimidios tantùm se dent generationi, ideoque terrestrem tantùm spirituum partem proli communicent.

Exempla.

Appositum, sed horrendum, est exemplum, quod refert Auctor serm. ad Fratres in Eremo, qui exstat tom. 10. S. August. serm. 33. de Cyrillo cive Hipponensi: *Cyrillus*, inquit, *filium, ut scitis, habebat, & eum unicum possidebat: &, quia unicus erat, eum superfluè diligebat, & supra Deum. Ideò superfluo amore inebriatus, filium corrigere negligebat, dans etiam potestatem faciendi omnia quæ placita essent illi.* Et mox: *Filius luxuriosè vivendo, consumpsit partem bonorum suorum: sed ecce hodie ebrietatem perpessus, matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, & duas sorores vulneravit ad mortem.*

Huc facit illud anonymi, qui accusatus quòd patrem pulsasset, hoc modo impium facinus defendit: *Et ille*, inquit, *patrem suum verberavit, & hic* (ostenso filio) *me verberabit, postquam adoleverit: adeò nobis hoc gentilitium est.* Sic videmus malè educatos à parentibus malè educare liberos, ac proinde impios esse in parentes, ideoque impios in se experiri filios. Ælianus lib. 12. Variæ histor. narrat Diogenem inertiam Megarensium culpasse ac dixisse: *Malim esse Megarensis alicuius aries quàm filius*; innuens, Megarenses pecoris maiorem curam gerere, meliusque illud educare quam filios.

Quid docendi filii.

Porrò quæ, & qualia parentes docere debeant filios, & filias, sapienter, & piè S. Hieron. epist. 7. ad Lætam de instit. filiæ: *Sic*, ait, *erudienda est anima, quæ futura est templum Dei; nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet: turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur; procul sit ætas lasciva puerorum: ipsa puella, & pedissequæ à sæcularibus consortiis arceantur; ne, quod malè didicerunt, peiùs doceant.* Et paulò post: *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Græca narrat historia Alexandrum potentissimum regem orbisq; domitorem, & in moribus, & in incessu Leonidis pædagogi sui nõ potuisse carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuerat infectus.*

Severè pullos educat accipiter:

Denique severæ educationis filiorum exempla animalium proponit S. Ambros. Primò, accipitrem, qui pullos cùm volare incipiunt, inquit lib. Hexam. cap. 18. *nidis eiiciunt, ac, si morentur, propulsant pennis atque præcipitant, verberant alis, coguntque audere quod trepidant, nec ullum postea deferunt his munus alimonia.* Rationem subdit: *A tenero pullos suos instituere videntur ad prædam*; qui à prædando vivere debent, *Cavent, ne in tenera ætate pigrescant, ne solvantur deliciis, ne marcescant otio, ne discant cibum magis exspectare quàm quærere; intermittunt nutriendi officia, ut in usus rapiendi audere compellant.*

& hirundo:

Secundò, c. 17. assignat hirundines, quæ pullos cęcutientes sua norunt oculare chelidonia, ut ait Tertull.

& ursa:

Tertiò, lib. 4. c. 6. assignat ursas, quæ foetus informes tamdiu lambunt, & lambendo radunt, donec eos ad sui similitudinem efforment. *Non miraris, ait, in feræ tam pii oris officio, cuius naturam pietas exprimit? Ursa igitur partus suos ad sui effingit similitudinem, tu filios instituere similes tui non potes?*

& aquila:

Quartò, aquila plumescentes pullos alis verberat, exemploq; suo eos ad volandum provocat: sic parentes filios doceant probos mores exemplo magis quàm verbo. Ita facit Deus, quem proinde aquilæ comparans Moses Deut. 32. 11. *Sicut aquila*, inquit, *provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.*

& cerva:

Quintò, cervæ *editos partus exercent cursu, & fugam meditari docent, ad prærupta ducunt, saltum demonstrant*, ait Plinius lib. 8. cap. 32.

& luscina.

Sextò, philomelæ, teste Aristot. lib. 4. Histor. animal. c. 9. præcinunt pullis, eosque docent modulos quos imitentur: audiunt pulli attentè. In docente apparet quædam reprehensio, & in pullo discipulo erroris correctio.

MELIOR EST PAUPER SANUS, ET FORTIS VIRIBUS, QUAM DIVES IMBECILLIS ET FLAGELLATUS MALITIA) VERS. 14 *Melior*, id est, potior, optabilior, præstantior, *est pauper, sanus, & fortis viribus*; græcè, ἰσχύων τῇ ἕξει, id est, valens habitudine, putà robore corporis, quo possit laborando sibi parare victum, *quàm dives imbecilis, & flagellatus malitia*, id est, percussus à Deo miseria, malaque habitudine sive infirmitate corporis. Hic enim doloribus tristem agit vitam, nec suis opibus deliciari aut frui potest, cùm pauperi omnia, licèt vulgaria, & vilia, sint sapidissima. Undæ Græca habent, *præstantior est pauper sanus, & firma habitudine, divite qui corpus habet plagis affectum*; Tigurina, *potior est pauper sanus, & bene valens, quàm dives affecto corpore*; Syrus, *melior est pauper vivus, & validus corpore suo, quàm dives percussus in carne sua.* Dicit hoc Siracides, ut doceat felicitatem hominis non esse sitam in opibus, nec divites iis superbire posse, eò quòd iis malè sanis, & delicatis (uti sæpè fit) præstantior, & felicior sit pauper pollens sanitate, & viribus. Quod thema multis deinceps prosequitur. Unde Palacius, Comparat, inquit, salutem corporis, quæ adeò à multis vili æstimatur, divitiis, quas tantoperè mundus miratur, & quærit. Dicit igitur, multò magis præstare salutem cum pauperie, quàm divitias cum languore, maximè si languor, flagellum à Deo propter malitiam infligatur. Alioqui melior erat Job sine sua malitia flagellatus, quàm pauperes alii, quantumvis valentibus viribus essent, sed Author ad regularia respexit: nec enim divites sine aliq; malitia esse solent. *Malitia* igitur hic propriè miseriem, afflictionem, infirmitatem significat: sed quia illa sæpè infligigitur in pœnam culpæ, & malitiæ propriè dictæ, hinc utraque hic accipi potest; ut *dives flagellatus malitia* sit dives, qui ob malitiam flagellatur morbis aliisque miseriis. Sic Christus ait, *Sufficit diei malitia*, id est, afflictio, *sua*, Matth. 9.

SALUS ANIMÆ IN SANCTITATE IUSTITIÆ: MELIOR EST OMNI AURO ET ARGENTO, ET CORPUS VALIDUM QUAM CENSUS IMMENSUS) VERS. 15. q. d. Sicut *salus animæ* (quæ in sanctitate justitiæ consistit) *melior est omni auro*; ita *corpus validum* melius est opibus immensis, q. d. Sanitas alia est animæ, alia corporis: utraque præstat opibus maximis, quia sanitas est bonum intrinsecum; itaque altioris ordinis quàm sint opes, quæ extrinsecus tantùm homini bonæ sunt, eique adiacent. Vocat *sanctitatem iustitiæ*; quia est, & sanctitas corporis, putà castitas, & carnis, putà caro pura ab omni irregularitate, & immunditia legali, Hebr. 9. 13. Est, & sanct. tas rerum, putà victimarum, decimarum, primitiarum, aliarumque rerum Deo dicatarum. Hisce omnibus opponitur sanctitas justitiæ, quæ scilicet in justitia, & observatione mandatorum Dei consistit. *To iustitia*,

tia iam non est in Græco; sic enim habet; *sanitas, & bona habitudo* (Tigurina, *incolumitas*) *præstat omni auro, & valens corpus, opibus immensis*; Syrus, *vita valida amabilior est auro, & spiritus bonus* (id est, lætus, hilaris, iucundus) *præ margaritis.*

Nota. Tria ingentia hominis bona sunt, sanitas, sanctitas, & sapientia: sed difficilè hæc tria coacervantur, ut in uno eodemque tria hæc eximia reperiantur. Multi enim sanitatem lædunt ob sanctitatem, quam quærunt per macerationem carnis: alii eam lædunt ob sapientiam, dum scilicet, nimio studio spiritus consumunt, ac stomachum caputque debilitant. Quare licèt primum bonum sit sanctitas, secundum sapientia, tertium sanitas: tamen quoad usum, & opem aliorum, præstat habere mediocrem sapientiam cum firma sanitate, quàm magnam sapientiam cum infirma. Hic enim ea uti, eamque alios docere nequit. Sanctitas autem cum sanitatate retineri potest, & à prudentibus discretisque retinetur: hi enim moderantur jejunia, aliasque corporis castigationes, magisque vacant internæ virtuti, puta charitati, humilitati, orationi, quieti, patientiæ, in quibus anima sanctitatis consistit. Hinc Thales rogatus, *Quis esset felix?* respondit *Qui corpore sanus est, animo autem eruditus*, ita Laertius l. 1. c. 1. Talis fuit Moyses, de quo disserens S. Chrysost. *Corporis*, inquit, *frenum intendit, ut nec immodicè stringendo equum sibi ad ministerium redderet inutilem: neque supra modum factus obesus, rursum erigeret sese adversus rationum habenas; sed simul, & sanitatis illius, & malæ rationis curam habuit.* Maximus serm. 27. citat Democritum dicentem: *Homines precantur à Deo valetudinem, cuius tamen vim in semetipsis nesciunt. Dum enim inordinatè vivunt, suæ ipsi valetudinis sunt proditores.* Sic & Diogenes stomachabatur in eos, qui pro bona valetudine sacrificarent, & in ipso sacro epulis immodicis semet ingurgitantes, facerent bonæ valetudini contraria. ita Laertius l. 6.

Quantum bonum sanitas. Denique Pythagoras dicebat tria à diis petenda, formam, divitias, & bonam valetudinem. Valetudo enim homini est intima, ac basis, & subiectum ceterorum bonorum, & gaudiorum: ipsam enim essentiam hominis proximè tangit, & afficit. Misera enim est vita, quæ valetudine destituitur, & morbis premitur, adeoque non tam vita, quàm lenta mors dicenda est, ait S. Gregor. Ægri enim nullam in vino, deliciis, opibus, honoribus, &c. sentiunt voluptatem; quia hanc intercipit dolor, & ægritudo, quæ mentem ad se rapit, ac mœrore conficit, ut ad alia bona, & gaudia attendere, iisque pasci, & oblectari nequeat.

Unde Plato libr. 1. de Legibus: *Primum*, inquit, *locum obtinet bona valetudo, secundum forma, tertium robur, quartum opes, haud cæcæ, sed acutum cernentes.* Stobæus verò ex Selerio: *Bona valetudine esse*, inquit, *optimum est homini mortali: Proximum, specie honesta præditum esse: Tertium, opes habere citra fraudem: Quartum, ætate vigere cum amicis.* Tritum illud: *Quàm bene valere, melius in vita nihil.* Et illud: *Rectè valere, & sapere, duo vitæ bona*, nimirum, *ut sit mens sana in corpore sano.* Aristot. Sicyonius pæana scripsit in laudem sanitatis, uti refert Athenæus lib. 15. *Sanitas*, inquit, *antiquissima dearum, tecum vivam quod reliquum est vitæ: tu verò propria mihi convictrix esto.* Et mox: *Tecum diva sanitas florent omnia, ac renidet gratiarum ver. Absque te verò nemo felix.* Aristot. l. 2. Rhetoric. *Homini*, inquit, *bene valere optimum est.* Idem lib. 1. Moral. ad Eudemum, narrat aliquem in vestibulo templi, quod est in Delo Apollinis, hanc scripsisse sententiam: *Eidem non adesse omnia, honestatem, bonitatem, ac iucunditatem: honestissimum est, quod iustissimum: optimum, bene valere: iucundissimum, potiri eo, quod quis amat.*

Intellige hæc de bonis naturæ: nam his omnibus potior est virtus, gratia, & charitas: unde pro ea tot milliones Martyrum sanitatem, sanguinem, & vitam profuderunt, ac quilibet Christianus, cùm opus est, profundat oportet. Gratia enim est altioris ordinis, scilicet supernaturalis, & divini, cui omnia naturalia cedant necesse est. Et virtus est sanitas animæ, quæ longè præstat sanitati corporis. Addit S. Aug. in psa. 37. sanitatem hujus vitæ potiùs esse morbum, si cum sanitate immortalitatis conferatur. *Nam unde*, inquit, *dicebat, Non est sanitas in carne mea nisi quia ista quæ huius vitæ dicitur sanitas bene intelligentibus, & sabbatum* (æternæ quietis) *recordantibus, non est utique sanitas. Si enim non manducaveris, inquietat fames. Ista fames, naturalis quidam morbus est.* Et inferiùs: *Detrahe ista medicamenta* (cibi, & potus) *vide si non interficiunt illa quæ existunt. Si sepositis istis non sunt morbi, est sanitas. Si autem habes aliquid quod te possit interficere, nisi manducaveris; noli gloriari de sanitate; sed gemens exspecta redemptionem corporis tui.* Unde verba psal. *Non est sanitas in carne mea*, sic exponit: q. d. *Quando comparo istam sanitatem illi sanitati, quam habebo in requie sempiterna, ubi corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem; video quia in illius sanitatis comparatione ista sanitas morbus est.* Perfecta ergo sanitas est immortalitas.

Porrò Levinus Lemnius medicus Exhortat. ad vitam optimè instit. c. 29. *Tria*, inquit, feruntur vulgò *saluberrima*, quæ quemque observare par est: *Vesci citra saturitatem: Non refugere laborem: Naturæ semen conservare.* *Tria saluberrima.* Quibus opposita sunt *totidem insaluberrima*, quæ præter morbos, prœmaturam senectam accelerant, morteque properata homines conficiunt: *Crapula distendi: Ignavia torpescere: Immodica venere enervari.* Cùm enim frugalitas profligatà ingluvie salubre corpus constituat; exercitatio excusso otio atque ignavia, idipsum agile reddit, & expeditum: tum si ab equino genere documenta sumere liceat,

Nulla magis animi vires industria firmat,
Quàm venerem, & cæci stimulos avertere amoris,

ait Virgil, lib. 3. Georg. Siquidem intemperans, ac libidinosa adolescentia, effœtum corpus senectuti trdit. Hujus rei symbolo Gentiles dixere, deæ Veneri, quæ vitam abbreviat, tres deas contrarias esse, quæ vitam prolongant; nimirum Minervam, quæ dea est sapientiæ, & temperantiæ: Dianam, quæ dea est exercitii: Vestam, quæ dea est castitatis, & virginitatis.

Galenum Medicorum principem tradunt nonnulli, inquit Cælius Rhodiginus lib. 30. c. 12. centum, & quadraginta annos vixisse, tantaque in cibo, & potu abstinentia usum, ut ad satietatem numquam comederit aut biberit, nec crudum quidquam umquam gustarit: unde sit factum, ut odorificum semper anhelitum spiraret, & citra ullam affectionem, sola defecerit senectute. Hinc proverbium: *Galeni valetudo*, pro, ea quæ ultra humanum captum nimis sit prospera, nimisque inoffensa. Hæc ille, penes quem sit fides: nam Suidas Galeno dat annos dumtaxat 70. Certè ipse Galenus in libro ad Thrasybulum de Arte sanitatis tuendæ, scribit se expertum, seipsum multis athletis, qui præstantissimi esse videbantur, quique multis in certaminibus coronas meruerant, valentiorem esse.

Hanc gnomen illustri apologo adolescentis, & gryphorum illustrat Cyrillus lib. 3. Apolog. moral. cap. 19. cui titulus: *Quæ sint veræ divitiæ.* Adolescens quidam cupidus, inquit, profectus est in Indiam ad aurifodinas: cùm ad eas accederet, monitus ab incolis, ut recederet, quod ea loca incolerent terribiles rapacesque gryphi. *Apologus verarum opum.* Indoluit ille, quòd tantum iter frustra confecisset: sed accedens vir sapiens: Ostendam tibi, inquit, aurum, at non fucatum, quod concupiscis, sed verum, & merum, quod non est aliud quàm Deus ipse, eiusq; amor, charitas, & sanctitas. *Hinc, & Brachmanes*, inquit, *ut libera tranquillitate potirentur, aurum totaliter à suis finibus abdicarunt, ne usu eius polluti avaritia corrumperent æquitatem, & salutarem pacem proderent. Natura quoque in terræ visceribus genus hoc metalli recondit, unde magis malum quàm bonum rebus humanis aurum esse, virtutis zelatores senserunt. Enimvero si summum hominis bonum corporales opes existerent, cur tam specta providentia ipsas feris magis quàm hominibus concessisset? Smaragdinas namque gemmas, murenulasq; aureas, aureosque montes gryphi possident, & metallorum venis ditissimis, multisq; lapidibus pretiosis nobis abditis terra gaudet. Nonne hinc apparet, quòd natura sagacitatem avaritiæ confuderit, cùm desiderabilium quidem opum maiores longè copias aut brutis possidendas, dederit, aut in ipsis absconderit elementis?* Unde veras opes docens esse, non cupiditatem, sed cupiditatis resecationem. *Fuge aurum*, inquit, *sperne divitias, cupiditatis flammas extingue; non enim ditant animum, sed depauperant, dum virilitate captivant. Tantùm dilige, & quære bonum virtutis, quia quod quæris, intus habes. Thesaurus namque summæ bonitatis non alibi, quàm in suis amatoribus consistit. Quibus diligenter auditis mox fugata cupiditate, divitem virtutis venam in se latentem est invenisse,*

NON EST CENSUS SUPER CENSUM SALUTIS CORPORIS: ET NON EST OBLECTAMENTUM SUPER CORDIS GAUDIUM) Græcè, *non sunt divitiæ meliores, quam sanitas corporis, neque est lætitia melior, quàm voluptas animi*; VERS. 16.
Tigur., *nec ulla voluptas maior lætitia animi*, quæ scilicet à sanitate corporis procedit, & in immensum lætitiam à divitiis, aut ab honoribus ortam, exsuperat; Syrus, *non est opulentia sicut valetudo corporis, & non est lætitia sicut cor bonum,*

num, id est, jucundum. Probat id quod dixit vers. praeced. sanctitatem, tam animae quàm corporis, praestare omni auro, ex eo quòd sanitas corporis in se sit *census*, & thesaurus maximus, qui longè transscendit, & superat omnes auri thesauros: sanitas verò animae pariat quietem conscientiae, & laetitia mentis, quae superat omne aliud oblectamentum, quod in deliciis, divitiis, ceterisque rebus terrenis habent mundani, quia laetitia sanctae mentis est in Deo, cum Deo, & de Deo; quare divina est, caelestis, purissima, nobilissima, & aeterna: cùm carnalis laetitia sit terrena, impura, vilis, momentanea. Porrò Graeci, cùm vers. praeced. nil habeant de sanctitate justitiae, sed tantùm de sanitate corporis, de eadem sola hunc versum accipiunt, q. d. Non est census praestantior censu sanitatis: quia sanus licet sit pauper, habet verum cordis gaudium, ideoque superat omne oblectamentum, quod divites malesani habent in suo auro, uxore, filiis, familia, honore, &c. Ita Palacius: Salus corporis, inquit, majores opes sunt, quàm reliquae opes. Quod inde monstratur: siquidem prolixior infirmitas omnes opes absumit, quas valens corpus quaesivit. Tum quia licèt aurum, argentum, familia, & reliqua gaudium homini afferant, non tamen tale afferunt, quale corporis valetu- B do: haec enim cor laetum facit; illa verò, si homo langueat, laetum efficere nequeunt. Ergo pauper sua est salute dives; ut dives sua est infirmitate miser. Rursum. pauper sua salute in corde laetatur, dives suo languore prosternitur. Plus igitur salus etiam in paupere potest, quàm in divite divitiae. Nam, ut sapienter ait Quintilian. declamat. 1. pro caeco: *Temeritas omnis animorum calamitate corporum frangitur; & frigescunt impetus mentium, quos non explicant ministeria membrorum*. Quomodocumque accipias, generalis est haec sententia: *Non est oblectamentum super cordis gaudium*, quae ubique, & in omni re locum habet.

Porrò verum cordis gaudium esse de sola virtute, docet Seneca epist. 23. *Bonae mentis*, inquit, *fundamentum est, ne gaudeas vanis. Fundamentum hoc esse dixi, etiam culmen est ad summa pervenit, qui scit quo gaudeat, quo felicitatem suam in aliena potestate non posuit. Sollicitus est, & incertus sui, quem spes aliqua proritat; licet ad manum sit, licet non ex difficili petatur, licèt illum numquàm sperata deceperit. Hoc ante omnia fac, mi Lucili, disce gaudere. Existimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita summoveo, qui spes, dulcissima oblectamenta, devitandas existimo. Imò contrà. nolo tibi umquam deesse laetitiam: volo illam* C *tibi domi nasci: nascitur, si modò intra teipsum sit. Ceterae hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leves sunt; nisi forte tu iudicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer & fidens, & super omnia erectus. Mihi crede, res severa est verum gaudium*. Et plura deinceps. Alibi verò: *Sola*, inquit, *virtus praestat gaudium perpetuum, securum: etiamsi quid obstat, nubium modo intervenit, quae infrà feruntur, nec umquam diem vincunt*. ita ipse epist. 27.

Diviniùs S. Paulus docet, verum gaudium esse gaudere in Domino, dum ait: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete*, Philipp. 4. 4. Quid sit autem *gaudere in Domino* pulchrè explicat S. Basilius in Regulis brevior. reg. 194. *In his*, inquit, *quae secundùm mandatum Domini fiunt, gaudere, est in Domino gaudere. Quocirca quandocumque mandata Dei exequimur aut propter nomen Domini aliquid patimur, gaudere, & gratulari inter nos debemus*. Est autem, ut idem Basilius ait homil. 4. de gratiarum actione, *gaudium, exultatio quaedam veluti subsilientis animae, & se diffundentis, quòd ex sententia aliquid obvenerit. Quamobrem Paulus Philipp. 4. 4. in Domino gaudendum monuit*. Quo loco Anselmus: *Gaudete*, inquit, *non in saeculo, sed in Domino: sicut enim nemo potest duobus dominis servire; sic nemo potest, & in Domino, & in saeculo gaudere*. Et S. Chrysost. homil. 18. ad pop. *Non simpliciter dixit, Gaudete semper; sed addit, continuae voluptatis causam subdens: Gaudete in Domino semper*. Qua verò ratione possit quis in Domino semper gaudere, explicat ilicò subiiciens: *In Domino gaudens ex accidente nullo hac voluptate excidere potest alia nempe cuncta in quibus gaudemus, mutabilia sunt, nec tantam nobis afferunt voluptatem, ut ex aliis nascentem tristitiam expellant, & obumbrent. Dei verò timor haec habet utraque: stabilis enim est, & immotus, atque tantam emittit laetitiam, ut nullus nos aliorum malorum sensus capiat. Deum enim sicut oportet timens, & in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet laetitiae fontem. Et sicut in immensum mare decidens scintilla, brevi facilè extinguitur: sic quaecumque Deum timenti illiduntur, velut in vastum laetitiae pelagus incidentia extinguuntur atque perduntur. Et re vera hoc est maximè mirabile, quòd, cùm adsint, quae contristare solent, permanet ipse gaudens*. Quod deinceps longa oratione persequitur, singula propemodum malorum genera percurrens, ostenditque ea hoc verum gaudium non modò non extinguere, sed ne leviter quidem afficere, aut imminuere.

Quod etiam luculenter ostendit S. Basilius homil. 4. de gratiarum act. *Anima*, inquit, *quae semel se modis omnibus desiderio astrinxerit sui conditoris, iamque insuevit oblectare se tanta illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud gaudium, animique sui iucundissimam diffusionem intercipi, aut immutari per multiplicem, & succedaneam carnalium affectionum mutationem; quin ea potiùs, quae aliis moerorem afferunt, in cumulum sibi vertet, & accessionem laetitiae. Cuiusmodi erat Apostolus, dum sibi propè admodùm complaceret in infirmitatibus, in tribulationibus, in persecutionibus, in necessitatibus, egestatem suam in gloriam, & exultationem permutans*. Unde Rabanus haec omnia accipit de sanitate animae: *Quia*, inquit, *qui sanus est mente, non nocet ei vexari in corporali tribulatione. Unde Paulus de seipso ait* 2. Corinth. 11. *Quando infirmior, tunc potens sum. Libenter ergo gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Igitur tunc corpus bene sanum est, quando validè laborat in divino opere: cui valetudini non coaequatur census ingens divitiarum, & non est oblectamentum sicut cordis gaudium: quia delectationi verae sapientiae, quae in vera charitate consistit, & contemplationi ipsius veritatis, quae est certa cognitio Dei, nullum gaudium terrenum comparari potest*.

Porò ad laetitiam mirè facit invocatio SS. Angelorum: illi enim cùm sint beati, ideoque laetissimi, hinc suam laetitiam suis aspirant. Unde angelus bonus à malo secernitur, quòd ille laetitiam, hic moerorum menti aspiret. Ita Raphael curando Tobiam à caecitate, eiusque filium deducendo, & reducendo cum opima uxore, & dote, toti familiae gaudium peperit. Sic angelus nuntians Sarae, & Abrahae Isaaci ortum, sterilitatis moerorem depulit, Genes. 18. 10. Idem fecere ceteri angeli qui Patriarchis, & Prophetis in Scriptura apparverunt. Ita S. Magno Anagniae Episcopo, & Martyri sub Decio, dolenti apparens angelus: *Cur* inquit, *Magne tristaris? moestitiam depone: sum enim missus ad te ad depellendum omnem abs te moerorem*. uti habent eius Acta.

MELIOR EST MORS QVAM VITA AMARA, ET REQVIES AETERNA QVAM LANGVOR PERSEVERANS. VERS. 7.
Graecè, *potior est mors, quàm vita acerba, aut morbus diu permanens*; Syrus, *praestat mori, quàm vita prava, & descendere in infernum, potiùs quàm dolor perseverans*. Praecisè hic com- C parat praefertque mortem vitae amarae, qualis est divitis morbis afflicti: eò quòd mors quietem afferat, liberetque à morbis, & malis hujus vitae: vita verò amara in morbis non tam vita sit, quàm perpetua, longaque mors. Nam, ut ait Poeta *Non est vivere, sed valere vita*. Et Plinius Junior lib. 4. epist. 24. *Si*, ait, *computes annos, exiguum tempus: si vices rerum, aevum putes*. Et Ovidius lib. 1. de Ponto eleg. 1.

Nam mea per longos si quis mala digerat annos,
Crede mihi, Pylio Nestore maior ero.

Abstrahit ergo à statu gratiae, & tantùm naturam naturaeque dona vel mala spectat, eaque inter se confert. Nam si statum gratiae spectes, vita amara, quam Apostoli, omnesque Sancti egerunt, & agunt in mortificatione, laboribus, persecutionibus, longè praestantior est morte, juxta illud Christi: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, Matth. 5. Rursum impiis divitibus satiùs est hic vivere fruique suis opibus, esto cum languore, & aegritudine, quam mori: nam D post mortem ibunt ad aeterna gehennae tormenta. Simili modo a statu gratiae abstrahens Job, solumque suos dolores juxta naturam considerans, optat mortem, ut iis liberetur. Unde ait c. 3. 3. *Pereat dies in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: Conceptus est homo*. Sic, & Jeremias cap. 20. 14. *Maledicta*, inquit, *dies, in qua natus sum: dies in qua peperit me mater mea non sit benedicta*. Vide ibi dicta.

Quare per *requiem aeternam* (quod tamen non est in Graeco) accipe non illam quam Beati possident in caelo, quamque fidelibus defunctis apprecamur dicentes, *Requiem aeternam dona eis Domine*; sed qualem homo in puris naturae viribus constitutus optat, & exspectat post hanc vitam: ut scilicet liber ab omni aerumna hujus vitae, in statu animarum degens, silensque conquiescat, de quo Job cap. 3. 13. *Nunc enim dormiens*, inquit, *silerem, & somno meo requiescerem*. Hinc Gentiles censebant animas post mortem silere, quiescere, & quasi dormire, sicut corpora dormiunt in sepulcro. Hinc, & locus mortuorum, putà, infernus vel limbus, hebr. vocatur דומה *duma*, id est, silentium. Ita Virgil. lib. 6. Aeneid. de inferis canit.

Infernus vocatur silentium: unde.

Dii, quibus imperium est animarum, umbræq; silentes,
Et Chaos & Phlegethon, loca nocte silentia latè.

Et Seneca in Hippol.

Adiit silentem nocte perpetua domum.

Et Ovid. 4. Metamorph. ita inferos animasque eò descendentes describit:

Est via declivis funesta nubila taxo:
Ducit ad infernas per muta silentia sedes.
——— *umbræq; recentes,*
Descendunt illac, simulacraq; functa sepulchris,
Pallor hiemsq; tenent latè loca.

Tropolog. Rabanus: *Melior est*, inquit, *mors, de qua scriptum est psal. 115. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius; quàm vita amara, quam degunt peccatores iniquis operibus vacantes. Et requies æterna, quam tenent iusti in conspectu Domini, melior est quàm languor perseverans, quo in peccatis versantes quotidie tabescunt, quorum finis est interitus, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*, Philip. 3.

VERS. 19. BONA ABSCONDITA IN ORE CLAUSO, QUASI APPOSITIONES EPULARUM CIRCUMPOSITÆ SEPULCHRO) Pergit ostendere, quàm divitibus morbo afflictis inutiles sint divitiæ & deliciæ, per tres similitudines. Prima est, sepulcri, q. d. Opes & escæ in arcis & cellis à divite, sed infirmo, repositæ & reconditæ, qui ob ægritudinem, & nauseam stomachi eis frui non potest, ideoque quasi os suum ad eas clausum habet; inutiles sunt, perinde ac inutiles sunt epulæ ad sepulcrum mortui appositæ, cùm mortuus eas comedere, & gustare nequeat. Quo indicatur divitem ægrum esse quasi mortuum: utpote qui non magis quàm mortuus suis deliciis refici, & recreari possit. Etsi enim multa bona habeat in cellariis abscondita, si tamen eius languor ipsi os claudat, ut eas comedere nequeat, aut non nisi cum dolore, & nausea; utique illa similia erunt epulis, quæ mortuis solebant apponi.

Nota. Pro *abscondita* Noster legit *apokrymmena*, Complut. legunt *synkekleismena*, id est, *clausa*. Unde vertunt, *bona clausa ad os clausum*, &c. Sed clausa idem est quod abscondita. Codices Romæ emendati legunt *ekkechymena*, unde vertunt, *bona effusa ori clauso*, vel *effusa ad os clausum, sunt fercula ciborum apposita in sepulchro*; Syrus, *bona, quæ abscondita sunt in ore abscondentis, sicut cibi, qui positi sunt super sepulchra.*

Mysticè Lyran. *bona abscondita in ore clauso*, hoc est, inquit, scientia recondita in mente hominis pigri ad docendum, inutilis est: sicut inutiles sunt escæ appositæ mortuis. Sic & Rabanus: *Hoc testimonium*, ait, *contra eos valet, qui talentum verbi Dei, quod ipsi intellectu perceperunt, aliis prædicare negligunt; quorum scientia ita viventibus inutilis est, sicut epulæ circumpositæ mortuorum sepulchris, qui non manducant, neque bibunt, neque aliquem fructum ex eis percipiunt.*

Nota. Gentiles olim post mortem suorum Manibus, id est, animabus eorum, parentabant apponendo cibum, & potum (præsertim fabas, eò quod hebetent sensus, & insomnia faciant) eorum sepulchris; quasi animæ eo pasci, & refici gauderent, uti disertè docet Plinius lib. 18. c. 12. *Quoniam*, inquit, *mortuorum animæ sint in ea* (scilicet faba) *qua de causa parentando utique assumitur.* Et Lucretius lib. 3.

Epulæ ad sepulcra Gentilium: Cur?

——— *Parentant,*
Et nigras mactant pecudes, quas Manibus divis
Inferias mittunt.

Censebant enim animas esse corporeas, vel certè tenuia, & aeria habere corpora, quæ cibo restauranda forent. Irrepsit hic mos à Gentilibus ad Christianos: quem proinde taxans S. August. serm. 15. de Sanctis: *Miror*, inquit, *cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error irrepserit, ut super tumulos defunctorum cibos, & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant.* Idem de Moribus Eccles. c. 34. *Novi multos esse sepulchrorum adoratores, qui luxuriosissimè super mortuos bibunt, & epulas cadaveribus exhibent, super sepultos se sepeliunt.* Eumdem morem recenset, & taxat S. Ambros. de Elia, & Jejunio c. 17. ac S. Cyprian. tract. de duplici martyrio. Et S. Paulinus natali 95. S. Felicis, excusat rusticos in Italia, quòd per simplicitatem veteri Gentilium more epulas deferrent ad sepulcrum ipsum S. Felicis: ——— *Quia mentibus error*, inquit,

Insedit rudibus; nec tanta conscia culpæ
Simplicitas pietate cavet, malè credula Sanctos
Perfusis halante mero gaudere sepulcris.

Judæorum. Gentiles hoice secuti sunt, vel potiùs præcessere Judæi, sed altiori, & sanctiori fine & fide. Hi enim juxta sepulcra mortuorum instruebant epulum funebre amicis, & paupe-

A ribus, ut eorum oratione, æquè ac sua hac eleemosyna, animas suorum è pœnis Purgatorii liberarent. Hoc est enim, quod filium monet Tobias c. 4. 18. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.*

Judæos secuti Christiani, præsertim Romæ, & in Africa, epulas deferebant ad sepulcra, vel memorias Martyrum, quas per Martyres hoc quasi contactu sanctificatas prælibabant ipsi, & amici ipsorum; deinde eas erogabant in pauperes, qui in ecclesiam ad agapen in Natalitiis Martyrum convocabantur, idque faciebant ad honorem martyrum. Idem faciebant in sepultura defunctorum suorum, quorum dubia erat salus, vel gloria, scilicet, eleemosynas, aut convivium, seu agapen hanc instruebant in cœmeteriis aut templis, ut animam defuncti, si pœnis Purgatorii detineretur, tum precibus pauperum, tum eleemosyna hac expiarent, & liberarent. Unde S. August. lib. 9. de Civit. c. ult. *Quicumque* inquit, *epulas eò* (ad sepulcra Martyrum) *deferunt, quod quidem à Christianis melioribus non fit, & plerisque terrarum nulla talis est consuetudo; tamen quicumque id faciunt, quas cum apposuerint, orant & auferunt, ut vescantur, vel etiam ex*

Christianorum.

B *eis indigentibus largiantur, sanctificari sibi eas volunt per merita Martyrum in nomine Domini Martyrum.* Idem lib. 6. Confess. c. 2. de matre sua: *Cùm ad memorias, ait, Sanctorum, sicut in Africa solet, pultes & panem & merum attulisset.*

Verùm quia ritus hic referebat parentalia Gentilium, & quia multi eo abutebantur ad comessationes, & compotationes; hinc eum à templis sustulit S. Ambrosius, uti narrat S. August. lib. 6. Confess. cap. 2. cujus exemplum, docente postea S. Augustino, secuta est Africana Ecclesia: quare eius loco eleemosynæ pro defunctis domi distribui passim cœperunt, uti etiamnum fit. Hæc omnia liquent ex S. August. epist. 64. & ex S. Paulino epist. ad Alethium, & ex S. Chrysost. homil. 32 in Matthæum.

QUID PRODERIT LIBATIO IDOLO? NEC ENIM MANDUCABIT, NEC ODORABIT: SIC QUI EFFUGATUR A DOMINO, PORTANS MERCEDES INIQUITATIS) Est hæc secunda similitudo petita ab idolis eorumque victimis, ostendens miseriam divitis, sed ægri. Olim enim sacrificium institutum fuit quasi convivium epulum Dei, vel idoli, dignantis cum hominibus conversari, & quasi convivari, uti dixi, Levit. 1. Hinc in omni sacrificio

VERS. 19.
VERS. 20.

C erat victima quasi cibus, & caro comedenda à Deo, ac simul libabatur, id est, effundebatur, vinum quasi potus bibendus à Deo, vel idolo.

Sensus ergo est, q.d. Sicut frustra offertur victima, & cum ea libatur vinum idolo, cùm illud saxeum vel aureum sit, nullum habens cibi, potusve gustum, odoratum, & sensum; sic pariter dives, *qui effugatur*, Græcè *ho ekdiōkomenos hypo kyriou*, id est, qui persecutionem patitur *à Domino*, quem scilicet Deus ob scelera, & fastum persequitur, morbisque, & calamitatibus infestat, ut tamquam alter Cain à Domino proscriptus, & profligatus videatur, ac portare ægritudinem quasi *mercedem iniquitatis* suæ; hic, inquam, dives, sed æger, frustra habebit opes, quibus instruat splendida convivia, cùm ea gustare, iisque frui nequeat. Unde ex Græco clariùs sic vertas, *quid prodest oblatio idolo? nam neque comedit, neque odoratur: talis est quem persequitur Dominus*; Tigurina, *quorsum simulacro libamenta? neque enim edet inde, neque odorem percipiet: ita se habet, qui profligatus est à Domino, & mercedem perfert iniquitatis*; Syrus, *quæ utilitas est idolis po-*

D *pulorum, quæ non comedunt, & non odorantur; ita qui habet divitias, & non utitur illis.*

Ubi Nota, divites hic rectè comparari idolis. Primò, quia ipsi divitias habent, & colunt quasi sua idola. Unde avaritia ab Apostolo vocatur *idolorum servitus*, Ephes. 5. Divites ergo divitiis suis ornati sunt quasi idola auro gemmisque ornata. Secundò, quia divites à mundo coluntur quasi idola, & numina quædam. Tertiò, quia, sicut idolis pretiosissima vina, & armenta libantur, & mactantur: ita divitibus opiparæ mensæ instruuntur omni deliciarum genere abundantes. Quartò, sicut idolum ex *autarkeias*, id est, oblatione sibi facta, nullum capit *karpon*, id est, fructum, quia nec gustat, nec sentit: sic, & dives, si æger sit, ex omnibus opibus, & deliciis exiguum, vel nullum fructum, & voluptatem percipit.

Dives similis idolo quadrupliciter.

VIDENS OCULIS, ET INGEMISCENS, SICUT SPADO COMPLECTENS VIRGINEM, ET SUSPIRANS) Est hæc tertia similitudo spadonis, q.d. Dives, sed æger jam dictus, videt epulas, & ingemiscit, quòd eas vorare utique frui nequeat;

nequeat: perinde ut eunuchus videns virginem speciosam ingemiscit, & suspirat, quòd ea ob frigiditatem, & impotentiam frui nequeat. Quare divitiæ, & deliciæ ei non solatium, & gaudium, sed mœrorem, & tormentum afferunt. Talis ergo est instar Tantali, qui in inferno in mediis licet aquis, enecatur tamen siti. De quo Poeta:

Poma fugacia captat
Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.

Et Horatius:

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina, &c. mutato nomine de te
Fabula narratur, congestis undique saccis
Indormis inhians, & tamquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis.

Tantalus ergo flumini immersus, sed usque ad labra, nec ex eis bibere permissus, ideoque semper sitiens, symbolum, & schema est divitis avari vel ægri, qui opibus immersus iis frui non audet, vel non potest.

VERS. 22. TRISTITIAM NON DES ANIMÆ TUÆ, ET NON AFFLIGAS TEMETIPSUM IN CONSILIO TUO) Græcè, *ne des in tristitiam animam tuam*; Tigurina, *ne demergas animum tuum in mœstitiam, nec affligas teipsum tuis consiliis*, alii, *ne dederis animam tuam mœrori, & ne afflixeris teipsum propter consilium tuum*; Syrus, *ne des tristitiæ animam tuam, & ne offendas in consilio animæ tuæ.* Ubi rectè notat Jansenius: Non dicit, inquit, Ne umquam habeas tristitiam in anima tua, (id enim humanæ infirmitati est impossibile) sed, *tristitiam non des animæ tuæ*, vel, ut est in Græcis, *non des in tristitiam animam tuam*: hoc est, ne finas tristitiam animo tuo dominari, aut ne ultrò eam tibi accersas, & tristandi causam præbeas. Dum enim triste aliquid accidit, bonorum quæ adsunt cogitatione, & expensione, tristitię materia superanda est, ut non permittatur animo nostro dominari. Et maximè cavendum est, ne, cùm multam gaudendi occasionem habemus, ipsi nobis tristitiæ materiam suggeramus, levia quædam mala apud nos exaggerando. Hoc ergo significatur, cùm dicitur, *Tristitiam non des animæ tuæ*. Et est sermo de tristitia, quam Paulus vocat *tristitiam sæculi*, quam mortem operari dicit, quæ scilicet est de rebus hujus sæculi. Nam, *quæ secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*: ideoque ea ultrò assumenda est, & danda animæ nostræ. Ita Palacius.

Fugienda est igitur tristitia illa, quæ non parit lætitiam uti fugitur potio, quæ non parit salutem. Ea verò tristitia procuranda est, quæ lætitiam generat, quæque salutem stabilem ac beatitudinem operetur. De noxa, & damnis tristitiæ vide disserentem S. Ambros. orat. 2. de Satyro, S. Gregor. 31. Moral. 217. S. August. lib. 12. de Genesi ad lit. c. 33. Cassian. Collat. 9 c. 3. S. Bernard. de Inter. domo cap. 52.

Remedium tristitiæ est malum extenuare.

Porrò tristitiæ remedium est, malum, quod nos contristat, vel amovere, vel, si amoveri nequeat, præmeditando extenuare, & magno animo sustinere: nam causa tristitiæ non est tam malum ipsum quod urget, quàm opinio nostra, apprehensio, & æstimatio illius, quòd scilicet illud durum, & grave æstimemus. Quæ æstimatio, cùm sita sit in nostra potestate, mitigari, imò deponi potest: itaque tristitia pariter mitigabitur, aut in totum deponetur. Verè enim Epictetus Enchirid. c. 1. *In nostra*, ait, *potestate est opinio, appetitio, desiderium, aversatio & quælibet nostræ actiones*. Quòd autem opinio illa mali potiùs quàm malum ipsum sit causa tristitiæ, idem sapienter affirmat c. 10. *Homines*, inquit, *perturbantur non rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus*. Et Plutarch. libr. de Exilio: *Exilium*, ait, *ignominia, honorum amissio, ut contrà corona, magistratus, primiq; consessus, non sua natura, sed nostro ipsorum iudicio affligendi vel delectandi modum habent*. Et Cicero Tuscul. 3. *Cogitatio*, ait, *diuturna, nihil esse in re mali, dolori medetur, non ipsa diuturnitas*. Vide S. Chrysost. homil. *Quòd nemo læditur nisi à seipso*. Vide, & nostrum Gregor. de Valentia 1. 2. disput. 3. qu. 6. punct. 3. ubi octo tristitiæ remedia assignat, eaque fusè prosequitur.

ET NON AFFLIGAS TEMETIPSUM IN CONSILIO TUO) Primò, Palacius censet hic idem, vel penè idem dici, quod priori hemistichio, quasi consilium hoc sit tristitiæ, vel ipsa tristitia. q. d. Noli te affligere tristitia: quare nec consilia illa tractes, quæ tristia sunt, aut tristitiam tibi concilíant vel augent. Solent enim tristes, melancholici, & scrupulosi esse cogitabundi, mille voluere cogitationes, mille agitare consilia, æstusque animi, quibus proinde dicendum est cum Psalte: *Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?* psalm. 12. 2. Sic & Lyran. qui & exemplum dat: *Sicut faciunt*, inquit, *desperantes, qui interimunt seipsos.*

Secundò, q. d. Ne te affligas, eò quòd consilia tua felicem successum non habeant aut negligantur, vel ab aliis, præsertim æmulis tuis, evertantur: sed cogita quot sunt hominum capita, tot pariter esse sensus, & consilia. Quare pacificè idipsum tolerato, dicitoque cum Apostolo: *Unusquisque in suo sensu*, & consilio *abundet*, Rom. 14.

Tertiò, Jansenius, q. d. Ne nimis anxiè & scrupulosè deliberes & consultes; noli variis consiliis & deliberationibus te affligere & excruciare, dum scilicet anxiè nimis apud te excogitas, quomodo te à quibusdam malis eximas, aut quomodo bonum aliquod assequaris, quod cupis: ac præsertim noli anxiè cogitare, & deliberare de futuris eventibus, officiis, laboribus, tribulationibus, ceterisque rebus, quæ tibi obvenire possunt: quia reipsa fortè numquam tibi obvenient. Quare cogita illud Christi: *Sufficit diei malitia sua*. Matth. 6. Itaque sicut priori membro monuit deponere tristitiam, sic hoc monet deponere anxias curas, & solicitudines, quæ non minùs quàm tristitia affligunt, tristitiamque animi partim sequuntur, partim antecedunt, & causant: sicut ergo priori monuit pro tristitia tristibusque cogitationibus accersendas esse lætas, quibus mens ad lætitiam excitetur: sic hoc monet anxias curas, & solicitudines convertendas esse in libertatem hilaritatemque animi, easque resignandas esse divinæ providentiæ, dicendumque cum Psalte: *Dominus sollicitus est mei*, psal. 38. 18. Et psal. 22. 1. *Dominus regit me* (S. Hieron. *Dominus pastor meus*; Hebr. & Septuag. *Dominus pascit me*, ut pastor oves) *& nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit*. Ac cum S. Paulo: *Nihil soliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum*, Philipp. 4. 6. Et cum S. Petro epist. 1. c. 5. v. 7. *Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*. Vide utrobique dicta.

Remedium tristitiæ est bona conscientia.

Porrò remedium tristitiæ est bona conscientia, fisa fixaque in Deo. Nam, ut ait S. Chrysost. homil. 25. ad Pop. *Nihil aliud est triste nisi Deum offendere. Quod cùm aberit, non tribulationes, non insidiæ, non quidquam aliud sapientem animam poterit contristare; sed quemadmodum, si exiguam scintillam in locum deieceris profundum, statim extinxeris: itidem, & omnis tristitia superabundantia in bonam missa conscientiam extinguitur. Propterea quidem, & Paulus semper gaudebat, quoniam interiùs secundùm Deum confidebat, neque tot malorum capiebat sensum, sed dolebat quidem ut homo, non tamen cadebat. Sic & Abraham Patriarcha erat in delectatione multa passus tristia: verùm nihil horum eum prostravit*. B. Cæsarius Arelatensis homil. 2. *Verum gaudium*, ait, *non possidetur, nisi pax & iustitia teneatur. Prima est enim & quasi radix iustitia, secunda pax, tertia gaudium. De iustitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. Iustitia & pax quasi bona opera esse videntur: gaudium verò fructus esse bonorum operum intelligitur*. Et S. Bernardus in libris de Consideratione: *Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terra quietius est & securius bona conscientia? damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ & ipsa morte magis erigitur quàm deprimitur*. Consentiunt nostris Scriptores Ethnici. Cicero ad Torquatum epistola familiari: *Conscientia*, ait, *rectæ voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum*; Et Seneca ad Lucilium: *Nolo tibi umquam deesse lætitiam: volo illam tibi domi nasci. Nascitur, si modo intra teipsum sit*: Et paulò post: *Veri boni aviditas tuta est. Quid sit illud interrogas, aut unde subeat, dicam: Ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore unam prementis viam*. Huc facit symbolum Pythagoræ: *Annulum arctum ne gestato, hoc est, noli facere ea quæ te coarctent & affligant*. Et: *Cor ne edito, id est, ne te crucia curis & anxietatibus*; quas maximè parere solet conscientia sceleris sibi conscia. Ita Plutarch. tract. de Liber. educ.

Rursum S. Bernard. tract. de Inter. domo c. 45. ait: *Vis numquam esse tristis? Bene vive: Bona vita semper gaudium habet: conscientia rei semper in pœna est*. Et c. 20. & 22. *Munda est conscientia, cùm nec de præterito iustè accusatur, nec de præsenti iniustè delectatur. Conscientia bona titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus regis, aula Dei habitaculum Spiritus sancti, liber signatus & clausus & in die iudicii aperiendus. Nihil est iucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conscientia: premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, & illa erit secura. Bona conscientia secura erit, cũ corpus morietur; secura, cùm anima coram Deo præsentabitur; secura, cũ utrumque*

quæ in die iudicii ante tribunal terrificum iusti iudicis statuetur. Amemus, *& oremus sine intermissione.*

Denique S. Basilius homil. 4. de gratiarum actione: *Ita*, inquit, *assequeris, ut semper gaudeas: nempe, si vitæ tuæ institutum, rationemque omnis Deum collimet, ac spectet, & spes retributionis, quæ in hac vita tristitiæ sunt, leviora efficiat. Afficiat te aliquis ignominia? quin tu ad eam suscipe gloriam, quæ reposita in cælis est tibi paranda merito patientiæ. Iacturam rerum tuarum adiisti? oculos imprime fixius cælestibus divitiis, & thesauro incomparabili, quem tibi bonorum operum pretio seposuisti. Patrio solo exclusus es? at patriam habes cælestem illam Ierusalem. Ad enim modum si iis, quæ molestiam tibi nunc pariunt, opposueris quæ sperantur bona, animam tuam ab omni anxietate servabis. Ad quod nos invitat sanctio legis Apostolicæ, Semper gaudete*, Philip. 4. Hoc est, quod omnibus inclamat rex sapientissimus Eccles. 3. 12. *Et cognovi*, inquit, *quòd non esset melius nisi lætari, & facere bene in vita sua.* q.d. Hæc duo connexa sunt, lætari, & bene agere: ut ergo semper læteris, semper bene agito.

VERS. 23. IUCUNDITAS CORDIS HÆC EST VITA HOMINIS, ET THESAURUS SINE DEFECTIONE SANCTITATIS; ET EXULTATIO VIRI EST LONGÆVITAS) Græcus de more bimembris mediam sententiam omittit, sicq; habet, *Lætitia cordis est vita hominis, & exultatio viri longævitas*; Tigur. *lætitia animi demum homini vita est, thesaurusq; sanctitatis inexhaustus, & gaudium cuiusque ætatis longinquitas*; Syrus, *lætitia cordis ipsa est vita hominis, & conscientia* (pura ideoque læta) *hominis ipsa auget vitam eius.* Tres fructus, & affectus iucunditatis, & lætitiæ assignat.

Tres fructus lætitiæ.

Primus. Primus est, quòd ipsa sit quasi vita hominis; tum, quia homo semper indiget aliqua delectatione quasi quadam recreatione, ob multos labores, & molestias, quæ ei occurrunt in hac vita, uti docet Aristot. l. 7. Ethic tum, quia vita in tristitia non tam est vita quàm mors, uti dixit v. 17. tum, quia lætitia facit florere omnes actiones vitales: eas enim obit cum gaudio, ideoque alacriter, exultanter, planè, & perfectè, iuxta illud Proverb. 17. 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa.*

Secundus. Secundus lætitiæ fructus est, quòd sit *thesaurus sine defectione*, id est, indeficiens, *sanctitatis*. q. d. Lætitia cordis pura, & vera non tantùm est vita hominis, sed, & est thesaurus sanctitatis indeficiens, quia, scilicet, sanctitatem fovet, & conservat. Quo significat Primò, lætitiam sanctitate destitutam, quæ concipitur ex affluentia opum, honorum, & deliciarum, non esse puram, & veram, sed mixtam multis doloribus, & tristitiis, ideoque defecturam, nec diu duraturam. Secundò, lætitiam puram, veram, & meram consistere in sanctitate: bona enim, & sancta conscientia semper est læta, quia scit se esse in gratia Dei, imò esse filium Dei, à quo proinde hæreditatem, & gloriam æternam fidenter exspectat. Tertiò, lætitiam fovere, & augere sanctitatem: facit enim ut homo lætè, & alacriter obeat opera sancta orationis, ieiunii, eleemosynæ, religionis, &c. ideoque in iis constanter perseveret: quæ enim cum tristitia fiunt, remissè fiunt, & cum tædio, ideoque homo in iis perdurare nequit. Magna est hæc laus lætitiæ, quòd scilicet ipsa sit thesaurus inexhaustus sanctitatis: quia ipsa excitat hominem continuè, ut plura, & majora opera sancta peragat, & coacervet: & quia ipsa alacriter, & animosè superat omnes difficultates, & tentationes, quas dæmon, mundus, & caro suggerunt, ut hominem ab exercitiis sanctis avocent.

Exempla. Quocirca S. Antonius suis Religiosis arduè, & austerè viventibus unicè commendabat lætitiam spiritalem, quasi singulare scutum, & remedium ad vincendum omnes tentationes: *Una est*, inquit, *ratio vincendi inimicum, lætitia spiritalis, & animæ Dominum semper cogitantis iugis recordatio, quæ dæmonum ludos quasi fumum expellens, persequetur adversarios potius quàm timebit.* Ita S. Athanas. in Vita S. Anton. Unde Palladius in Lausiaca cap. 52. loquens de sanctis Anachoretis, sociisque S. Apollo Abbatis: *Licebat*, inquit, *eos videre exultantes in solitudine, adeò ut nullam eiusmodi aliam exultationem in terra videre liceret, nec lætitiam corpoream: neq; enim erat inter eos aliquis moestus aut tristis; sed si quis videbatur præ se ferre tristitiam statim Abbas Apollo ex eo rogas causam, & quæ erant in occultis uniuscuiusque cordis, renuntiabat. dicebat autem: Non oportet esse tristes propter salutem, cùm futuri simus hæredes regni cælorum: tristes autem erunt Gentiles, flebunt Iudæi, lugebunt peccatores; iusti autem lætabuntur: & qui terrena quidem animo agitant, lætantur in rebus terrenis: nos autem, qui tanta spe digni sumus habiti, quemadmodum non lætamur perpetuo? cùm nobis Apostolus suadeat*, 1. Thess. 5. *ut semper lætemur, & oremus sine intermissione.*

Ex adverso nihil ita obnoxium tentationibus dæmonis, ac animus tristis. Tristitia enim fugat Spiritum Sanctum, utpote spiritum lætitiæ, & accersit spiritum atrum, puta, dæmonem, qui est spiritus acediæ, & tristitiæ. Audi S. Chrysost. libr. 3. de Providentia: *Omni*, ait, *diabolica operatione perniciosior est immodica mæroris, & acediæ magnitudo: nam quos dæmon superat, per mærorem superat. Quòd si mærorem sustuleris, nihil omnino mali, & incommodi tibi ab eo continget.* Et inferiùs: *Tum demum tristari debemus, non, cùm malo afficimur, sed cùm ipsi malum aliquod perpetramus.* Vide Cassianum lib. 10. de Instit. renunt. cap. 2. & seqq. ubi graphicè spiritum acediæ, & mœroris depingit, eiusque suggestiones, effectus, & damna recenset. Quocirca Hermas discipulus S. Pauli in lib. qui inscribitur Pastor (exstat tom. 5. Biblioth. SS. Patrum) quem veteres passim citant, & celebrant: *Sicut vinum*, inquit lib. 2. cap. 10. *aceto mixtum eandem suavitatem non habet: sic, & tristitia Spiritui sancto nexa eandem orationem mundam non habet*: imò tristitia fugat Spiritum sanctum. Nam *fructus Spiritus Sancti est charitas, gaudium, pax, &c.* Galat. 5. 22. Sed audi rursum Hermam l. 2. mandato

B 10. ex persona Dei: *Tristitia omnium spirituum nequissimus est, & pessima servis Dei, & omnium spiritus exterminat, & cruciat Spiritum sanctum.* Et inferiùs: *Indue ergo hilaritatem, quæ semper habet gratiam apud Dominum, & lætaberis in ea. Omnis enim hilaris vir bene operatur, & bona sapit, & contemnit iniustitiam. Vir autem tristis malè facit; quia tristem facit Spiritum sanctum, qui datus est homini hilari.* Et iterum: *Malè facit, quòd tristis orat Dominum, & non antè facit exomologesin; & non impetrat à Deo, quod petit. Semper enim oratio tristis hominis non habet virtutem, ut ascendat ad altare Domini.* Huc facit illud Aaronis Levit. 10. *Quomodo potui placere Deo in cæremoniis mente lugubri?* obruta enim mens, & mœrore oppressa nequit sese in Deum attollere. Accedit, quòd *hilarem datorem diligit Deus*, 2. Corinth. 9.

Tertius lætitiæ fructus est: *Et exultatio viri est longævitas*, non formaliter, sed causaliter. q.d. Lætitia, & exultatio facit hominem longævum, tristitia verò facit eum brevis ævi. Lætitia enim exhilarat, vivificat, dilatat, multiplicat, corroborat spiritus vitales, qui cor, & vitam hominis conservant, & augent; contrarium facit tristitia. Audi S. Gregorium Nazianz. in Distichis: *Mærores præstem senectutem mortalibus pariunt. Neque enim ea unquam tempus instaurabit, quæ*

C *mæroribus direpta fuerint, & profligata. Mens sollicita tinea instar ossa corrodit: corpus autem curas omnes valere iubens eximiè floret.* Idem docet Hippocrates, Galenus, cæterique medici. Unde Schola Salernitana hæc sanæ vitæ dat pharmaca: *Tertius.*

Si tibi deficiunt medici, medici tibi fiant
Hæc tria: mens hilaris, requies facilis, moderata diæta.

Quare homini fideli, ut semper sit hilaris, lætæ, & hilares accersendæ sunt cogitationes de cælo, de Christo, de Dei beneficiis, eiusque in nobis præsentia, inhabitatione, & inoperatione, de B. Virgine, de Sanctis, & aliæ similes: quas fusè recenset noster Alvarez de Paz de Adeptione virtutum lib. 5. p. 2. cap. Unde Rabanus: *Vera*, inquit, *iucunditas cordis non alibi quàm in vera charitate consistit, ubi, & vita hominis cum virtutum thesauro sine defectione sanctitatis permanet: eò quòd nulla virtus sine eius ope subsistere valet. Hæc enim est excellentior via, quam Apostolus universis linguis, martyrio, atque eleemosynis ante statuit, dicens: Nunc autem manent fides, spes, charitas; tria hæc, maior autem horum est*

D *charitas*, 1. Corinth. 13.

Anagog. idem Raban. *Exultatio viri est longævitas*, id est, beata Sanctorum æternitas: quia ibi vera est exultatio, ubi vera est beatitudo: nam præsens vita plena est miseriis, & luctibus assiduis infelix.

MISERERE ANIMÆ TUÆ PLACENS DEO, ET CONTINE: CONGREGA COR TUUM IN SANCTITATE EIUS, ET TRISTITIAM LONGE EXPELLE A TE) VERS. 24.
Ita legunt, & distinguunt Roman. licet aliter legat, & dispungat Jansenius, & alii. Græca breviùs sic habent: *Dilige teipsum, & alloquere*, vel *consolare cor tuum, & mærorem procul amove à te*; Syrus, *blandire animæ tuæ, & refrigera cor tuum, & tristitiam longè fac à te.* Ubi nota Primò, Qui diligit animam suam, is ejus miseretur: qui verò eam non diligit, sed odit, is in eam immisericors, imò crudelis existit: qualis est, qui amat iniquitatem, ideoque tristitiam, & dolorem præsentem ac æternum ei accersit.

Secundò, *Tò placens Deo* dupliciter accipi potest, scilicet Primò, ut significet causam, & finem miserendi animæ:

Secun-

Secundò, ut significet ejus effectum, aut potiùs modum. Juxta priorem acceptionem sensus erit, q. d. *Miserere animæ tuæ* hoc fine, & fructu, ut scilicet per misericordiam hanc placeas Deo, qui tibi eamdem præcepit, dum tibi animæ tuæ curam, & salutem commisit, & præ rebus omnibus commendavit. Juxta secundam sensus erit, q.d. *Miserere animæ tuæ*, satagendo, ut placeas Deo: quod fiet, si contineas te in sanctitate. Misericordia enim animæ in hoc consistit, ut qui eius vult misereri, studeat eam Deo placitam efficere: quod faciet, si eam sanctam efficiat. Præclarè Origen. homil. 4. in c. 6. Lucæ: *Deus*, inquit, *animæ tuæ suam imaginem, & similitudinem commendavit: istud ergo depositum tam insigne tibi restituendum est, tam integrè, quàm à te constat esse susceptum.*

Aliter Jansenius, qui *Tò placens Deo* accipit antecedenter quasi suppositum verbi *miserere*, q. d. Tu qui places Deo, ac bonam habes in Deo conscientiam, ita ut nullius magni mali tibi sis conscius, meritò debes misereri animæ tuæ, ut scilicet eam in tristibus consoleris per bonum conscientiæ tuæ testimonium, quo confidis te placere Deo.

Tertiò, *Tò, & contine* significat modum, quo animæ misereri, Deoque placere debeas. q. d. Si vis misereri animæ tuæ, Deoque placere, esto continens, continentiam exerce, contine te ab omnibus carnis, & concupiscentiæ desideriis. Continentia enim est virtus, quæ refrænat omnes ebullientes concupiscentiæ motus. Unde explicans subdit: *Congrega cor tuum in sanctitate.*

Quartò, pro *congrega cor tuum in sanctitate*, Græcè est, *consolare cor tuum*. Unde Jansenius volens Latinam Vulgatam Græcis adaptare, hæc omnia explicat de tristitia, q. d. *Contine*, hoc est, cohibe, *cor tuum* ab immoderata tristitia; *& congrega* illud, non sinens, scilicet, id effundi in mœrorem, sed tua consolatione illud comprimens, & collectum servans apud te: Congrega, inquam, illud *in sanctitate* Dei, hoc est, consolare illud dum tristatur, hoc nomine quòd sanctus es coram Deo, quodque Deo ex dono eius placeas. Vel *congrega* illud *in sanctitate* ipsius cordis, id est, hoc nomine consolare cor tuum, quòd sanctum sit per veram Dei cognitionem, & amorem. Verùm cùm Latina Vulgata à Concil. Trident. sess. 4. probata, & prælata sit Græcis, cumque hic, & alibi Græcis sit uberior, & plenior; potiùs Græca Latinæ, quàm Latinam Græcis adaptare debemus. Quare *Tò congrega cor tuum in sanctitate*, explicat *Tò contine*. q. d. Continebis, erisque continens, si *cor tuum* congreges *in sanctitate*. Suggestiones enim concupiscentiæ, quæ sunt plurimæ, cor distrahunt, & ad varias carnis illecebras sollicitant, & dissipant: quare ut eas fugias, & elidas, ab iis cor tuum avoca, totumque convoca, & congrega, ut adhæreat sanctitati, hoc est, Deo, eiusque voluntati, & legi: in hoc enim omnis sanctitas consistit. Quod si feceris, omnem tristitiam dispelles. Hoc est enim, quod subdit: *Et tristitiam longè expelle à te.* Quod est finis, & scopus totius sententiæ. Hortatur enim ad expellendam tristitiam, eiusque modum suggerit, & præscribit. Notat Palacius, cor pravum ut cinerem dispergi, & ut arenam dissipari: at cor sanctum, inquit, congregatur, sitque unum; quia Deo unitur, qui maximè unus est: Ergo *mihi adhærere Deo bonum est*, psalm. 72. Quia, *qui adhæret Domino, unus spiritus est*, 1. Corinth. 6. 17.

Sensus ergo est, q.d. Vis tristitiam expellere à te, tibique jugem accersere lætitiam? miserere animæ tuæ, curando ut illa placeat Deo; ideoque contine ab omnibus pravis eius concupiscentiis. Quod facies, si ab eis cor tuum avoces, illudque colligas, & unias sanctitati: si enim id feceris, omnem tristitiam expelles à te. Sanctitas enim est mater lætitiæ, & expultrix tristitiæ. Ut ergo hanc miseriam, putà, tristitiam, ab anima expellas, miserere animæ tuæ, maioremque ejus miseriam, putà, concupiscentiam, & iniquitatem cura: ex illa enim oritur tristitia. q. d. Immisericors est, & crudelis, ac quasi tortor, & carnifex animæ suæ, qui eam tradit concupiscentiis, ut iis lancinetur, ac in mille desideria quasi dissecetur, eisque fœdè, & miserè quasi mancipium ad omnem nutum serviat: indeque mille angores, & mœrores conscientiæ sustineat, iisque excrucietur, & lanietur. Qui ergo sapit, & hæc effugere cupit, hic miseretur animæ suæ, studetque placere Deo, ideoque à concupiscentiis se continet, & abstinet, ac congregat traditque cor suum integrum Deo, eiusque sanctitati; atque hac ratione omnem tristitiam expellit, omnemque lætitiam accersit. Nam, ut ait Beda in Proverbiis: *Tristantur facilè, quorum spes exstat in imis.* Sic ex adverso, *Lætantur facilè, quorum*

Sanctitas est causa lætitiæ.

A *spes in altis*. Ita explicant Raban. Lyran. & Palac. imò S. August. Enchirid. ca. 76. & habetur de Pœnit. dist. 3. cap. *Qui vult*: *Qui*, inquit, *vult eleemosinam ordinatè dare, à seipso debet incipere, & eam sibi primùm dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimeque dictum est: Miserere animæ tuæ placens Deo. Propter hoc renascimur, ut Deo placeamus, cui meritò displicet quod nascendo contraximus. Hæc est prima eleemosyna, quam nobis dedimus: quoniam nos ipsos miseros per miserantis Dei misericordiam requisivimus, iustum iudicium eius confitentes, quo miseri effecti sumus, de quo dicit Apostolus Rom. 5. Iudicium quidem ex uno in condemnationem. Et magnæ eius charitati gratias agentes, de qua idem ipse dicit gratiæ prædicator: Commendat autem suam dilectionem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est: ut, & nos veraciter de nostra miseria iudicantes, & Dei charitatem quam donavit ipse diligentes, piè, rectèque vivamus.* Hucusque S. August. Idem serm. 102. de Temp. *Modò*, inquit, *pro ineffabili pietate sua non solùm nos admonet* (Deus) *sed etiam rogat, ut nos à peccatis mortiferis revocemus. Audiamus illum dum rogat, ne nos postea non audiat ille dum iudicat. Audiamus eum per Prophetam dicentem: Fili, inquit, miserere animæ tuæ placens Deo. Quid ad hæc respondebis humana fragilitas? Deus te rogat, ut tui miserearis, & non vis: Causam tuam apud* B *te agit, & à te non potest impetrare? Et quomodo te audiet ille in die iudicii supplicantem, cùm tu eum pro te ipso nolueris audire rogantem.*

Sic, & S. Bernard. in Sententiis: *Spiritus sapientiæ*, inquit, *ubique præsens novit, quid in cælo, & quid agatur in inferno. Cumque mentem humanam repleverit, & de pœnis inferni incutit timorem, & cælestium amorem infundit: sicque facit hominem amare seipsum, & dicit ei: Miserere animæ tuæ placens Deo.* Idem serm. 8. ad Milites templi: *Magna revera malitia*, inquit, *tui te non misereri, & solùm post peccatum remedium confessionis à teipso repellere, ignemque in sinu tuo involvere potiùs quàm excutere, nec præbere aurem consilio Sapientis, qui ait: Miserere animæ tuæ placens Deo. Proinde qui sibi nequam, cui bonus.* Idem epist. 8. ad Brunonem, *Primus*, ait, *pietatis gradus est, de quo scriptum est: Miserere animæ tuæ placens Deo. Ex hoc autem ad miserandum proximum recto iam tramite charitas ordinata procedit: quippe quem ad sui quisque mensuram amare præcipitur.* Vide eumdem patheticè his verbis urgentem Eustachium occupatorem Valentinæ Sedis, ad pœnitentiam, epist. 185. Iisdem urgeas quemlibet peccatorem dicendo: Miserere animæ tuæ, ò miser, ut, cum corpus tuum brevi perire, morique debeat ac dari vermibus, saltem animæ tuæ consulas, ut illa, cùm C sit immortalis, & æterna, immortalem, & æternam, sed beatam vitam in cœlo, non verò miseriam in inferno nanciscatur. Ita Stephan. V. Pontifex, ut habetur 33. qu. 2. c. 8. *Admonere* §. *Idcircò*. Monet Aistulphum, qui uxorem interfecerat: *Miserere*, inquit, *animæ tuæ, ut non sis tibimetipsi homicida. Quapropter relinque, te rogamus, hoc malum sæculum, quod te traxit ad tam immanissimum peccati facinus: ingrediare monasterium, humiliare sub manu Abbatis, & meliorum fratrum precibus adiutus observa cuncta simplici animo, quæ tibi fuerint imperata, si fortè ignoscat infinita Dei misericordia peccatis tuis, & refrigeret animam tuam, priusquam crucieris perpetuis flammis.*

MULTOS ENIM OCCIDIT) Græci nonnulli legunt, *perdidit, & occidit*: sic, & Syrus, *multos enim occidit mæstitia, & perdidit eos*) TRISTITIA, ET NON EST UTILITAS IN EA) quia licet tristeris de malo, non idcircò illud tolles, sed potiùs augebis, & duplicabis. Porrò melancholia, tristitia, & acedia multos enecavit, & indies enecat, tum quoad corpus, tum quoad animam, eosque perimit morte præsenti, & æterna. Tristitia ergo est carnificina. Si horres esse carnifex aliorum, cur non horres per tristitiam carnifex esse tui? Causam, & modum dant medici, ac inter eos Franc. Valesius Sacræ Philosoph. c. 72. Magna tristitia, inquit, semper nocet, & potest aliquando occidere: non quidem repentè, ut timor, & gaudium, (auctor est Galenus;) sed paulatim, & multo tempore. Quia per gaudium affatim, & sine ullo fræno effunditur totum calidum: quare in pusillanimis totum exhalat. In timore magno affatim accurrens ad cor, suffocatur. Motus similis est tristitia timori, non tamen vehemens ut ille, sed natura sua lentus, ac proinde paulatim facit vitalem calorem marcescere, & nutritionem partium minui, atque ita deducit ad tabem. Quod apertè significant illa verba Proverb. 17. *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Itaque tristitia repentè nullum fortasse occidit, ut timor, & gaudium: lentè verò ac paulatim, quamplurimos.

VERS. 25.

D

Tristitia occidit quomodo?

Illa verba, *Et non est utilitas in ea*, duplicem ferunt sensum

naturalem, & moralem. Naturali quidem significant tristitiam nihil conferre: nam neque ad pellendos morbos, neque ad tuendam valetudinem: (id verò constat ex dictis intelligi debere de magna tristitia, & quæ omnem excludit hilaritatem.) Morali verò, continent exhortationem quamdam ad pellendam ex animo tristitiam. Quasi dicatur, Vita tristitiam; quia multos occidit, & nihil confert ad recuperandum id cujus gratia doles: neque enim lacrymis defunctum vita maritum suscitabis, neque filium, neque amissam invenies pecuniam, neque incendio consumptam reficies domum.

Gnome.

Quocirca B. Antiochus homil. 25. *Tristitia*, inquit, *vermis est cordis, suammet exedens matrem instar viperæ.* Et S. Athanas. citatus à S. Bernardo de Modo bene vivendi c. 11. *Homo tristis*, inquit, *semper malitiatur, & contristat Spiritum sanctum sibi à Deo donatum.* S. Chrysost. homil. 7. ad Popul. *Tristitiam*, inquit, *Deus non ob aliud nobis indidit, nisi propter solum peccatum: & hoc per ipsam rerum experientiam manifestavit. In pecuniarum enim mulcta, & morte, & ægritudine, & aliis nobis ingruentibus molestiis dolentes, & mœrentes, non tantùm nullam consolationem capimus, verùm, & molestias augemus. In peccatis verò si doleamus, & tristemur, peccati magnitudinem minuimus, & quod erat magnum, reddimus parvum, sæpe verò, & funditus ipsum totum delemus.* Idem epist. 8. ad Olympiad. *Tristitia*, inquit, *animarum crudele tormentum est, dolor quidam inexplicabilis, & judicium omni judicio vindictaq; deterius. Nam, & vermis est similis venenato, non solummodo carnem, sed & animam ipsam perimens; animam dilacerans, sed vires animæ consumens: & jugis nox, ac tenebræ profundæ, & tempestas, & turbo: febris non apparens, omni igni validiùs incendens, & pugna requiem non habens.* Cassianus lib. 9. de Instit. renunt. c. 2. & 3. citans, explicansque illud Proverb. 25. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. Vestimentum namque*, inquit, *tinearum esu attactum nullius pretii, vel honesti usus poterit ulteriùs habere commercium: itidemq; lignum vermibus exaratum, non jam ad ornatum vel mediocris ædificii, sed ad combustionem ignis merebitur deputari. Ita anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus devoratur, inutilis erit vestimento illi pontificali, quod unguentum Spiritus sancti de cælo descendens, priùs in barbam Aaron, deinde in oram suam, solere suscipere, sancti David vaticinio perhibetur: Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus*, psalmo 132. Tristitiæ remedium naturale, sed efficax, est magna, & vehemens occupatio, præsertim in re honesta, & jucunda: hæc enim imaginationem à tristibus ad se avocat, occupat, & exhilarat. Experire, & senties ita se rem habere.

Porro octo remedia ad fugandam tristitiam suggerit noster Alvarez de Paz de Exterminatione mali lib. 2. p. 3. c. 12. ante fin. Ptolemæus Philadelphus rex Ægypti proponens 72. Interpretibus singulis singulas quæstiones ethicas, vigesimonono hanc proposuit: *Quomodo sine tristitia viveret?* Cui ille, *Si neminem*, inquit, *læseris, omnesq; juves, justitiæ quosvis prosequens; ab ea hujusmodi fructus jucunditatis colligitur. Sed implorandus est Deus, ne ea nos lædant, quæ præter opinionem nostram accidunt, ut sunt mortes, morbi, ægritudines*, &c. At quinquagesimo sexto hanc proposuit: *In quibus est tristandum?* Cui ille: *In amicorum adversitate, quandoquidem diuturna ea, & inevitabilia cernimus, quæque calamitatibus opertos interimunt. Nam in his mæstitiam nulla ratio levat. Sed de iis, in quibus desperamus, neque quidquam in his utile invenimus, mortales omnes contristantur: malum verò omnino effugere divinæ potentiæ est.* Ita ille coævus, & fortè socius Siracidis, uti refert Aristæus in histor. LXXII. Interpret. quæ exstat tomo 7. Biblioth. SS. Patrum.

Clariùs, & præclariùs Psaltes psal. 41. tristitiæ remedium assignat orationem, & spem in Deum. *Quare*, inquit, *tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.* Et S. Jacobus c. 5. 31. *Tristatur*, inquit, *aliquis vestrum? oret: æquo animo est? psallat.* Huc facit proverbium Hebræorum in *More nebuchim* lib. 2. c. 37. *Prophetia non requiescit super tristem, neque super pigrum.* Quocirca Eliseus, ut se ad prophetiam disponeret, quæsivit psaltem, qui ejus mentem sua psalmodia exhilararet, & ad divina sustolleret, 4. Reg. 3. 15. Denique tristitia in multis oritur ob tristes casus præteritos qui eis obvenerunt, quibus pro antidoto suggerendum est illud Senecæ de Regim. princip. *Noli pœnitere de re præterita, quia illud est proprium debilium.* Res enim præterita revocatu est impossibilis. Nemo autem sapiens pœnitet, dolet, aut se affligit ob rem impossibilem.

Antonius in Melissa lib. 1. c. 71. de tristitia, alia illius suggerit remedia. Primum ex S. Gregor. Nazianz. qui ait: *Communio & societas, solatio est dolenti.* Et ex S. Chrysost. qui ait: *Tristitia in multos divisa, minùs cruciat patientem.* Et ex Photio. qui ait: *Sola similes affectus expertorum colloquia; mœrentibus sunt solatia.* Secundum, ex Plutarcho dicente: *Via quidem eligenda planissima, vita verò tranquillissima. Thoraci tunicam, tristitia verò mentem, & rationem induere oportet.* Tertium ex Theopempto dicente: *Insipientem, tempus: sapientes autem, ratio mœrore liberat. Sapit qui non tristatur propter absentia, sed gaudet præsentibus.* Quartum ex Photio dicente: *Fuge tentationem patientia, & oratione: sin absque his præsidiis te opponas, vehementiùs invadit.*

Tristitiæ remedia quatuor.

ZELUS ET IRACUNDIA MINUUNT DIES, ET ANTE TEMPUS SENECTAM ADDUCET COGITATUS. VERS. 26.

Tristitiæ subjungit tres partim proles, partim affines, & socias, scilicet, invidiam, iram, & solicitudinem, quæ, æquè ut tristitia, sensim hominem conficiunt, & occidunt. *Zelus* enim est invidia, cujus comes, & socia est ira. Unde Jansenius per *Zelum* accipit iram, alii, quemvis zelum; Palacius, zelotypiam, qua vir zelat uxorem, aut contrà. Pro *cogitatus* Græcè est μέριμνα, id est cura, & solicitudo. q. d. Invidia, & ira corrodunt, & consumunt dies vitæ hominis, eorumque sunt quasi ærugo, & tinea: similiter cura, & solicitudo citam, & ante tempus homini adducit senectam. Unde Tigurina vertit, *invidia, & iracundia dies minuunt, solicitudoq; præmaturam inducit senectutem.* Sic & Bias apud Laert. lib. 1. c. 6. *Ut ferrum*, inquit, *rubigine absumitur, ita invidus suo ipsius vitio contabescit.* q. d. Sicut ferrum ex seipso gignit rubiginem, quæ ipsum exedit: sic invidus concipit invidiam, quæ ipsummet exedit, & consumit. Et Periander: *Sicut ærugo ferrum, sic invidia animum illius in quo inest, conterit.* Et S. Basil. homil. in aliquot Script. locos: *Hic est alius morbus vitæ hominum peculiaris, & animis nostris à natura insitus, & cordi magis consumere aptus, quàm rubigo ferrum.* Alii vertunt *zelus, & excandescentia minuunt dies, & ante tempus senectam affert solicitudo;* Syrus, *Zelus & ira consumunt dies, & ante tempus prodire facit canitiem cura.* Idem docent medici, unde Schola Salernitana sic orditur:

Si vis incolumem, si vis te reddere sanum;
Curas tolle graves, irasci crede profanum.

Exemplum iræ illustre est in Alexandro Magno, qui omnem rerum gestarum gloriam obscuravit iracundia, a qua ipse omnium victor victus est, dum per eam amicis necem intulit, & sibi vitam accidit. *Alexandrum enim*, inquit Valer. Max. lib. 9. cap. 3. *iracundia sua propemodum cælo diripuit; nam quid obstitit, quo minùs illuc assurgeret, nisi Lysimachus leoni objectus, Clytus hasta confossus, & Callisthenes mori jussus?* Ac Callisthenis quidem deflens mortem, in Alexandri iram iratus Seneca, eloquentissimè ait lib. 6. Nat. quæst. cap. 23. *Hoc est*, inquit, *Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla rerum felicitas redimet; nam quoties quis dixerit, Occidit Persarum millia multa; opponetur, Et Callisthenem. Quoties dictum erit, Occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat, opponetur, Et Callisthenem. Quoties dictum erit; Omnia Oceano tenus vicit, ipsum quoque tentavit novis classibus, & imperium ex angulo Thraciæ usque Orientis terminos protulit; dicetur, Sed Callisthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum regumq; exempla transierit, ex his quæ fecit nihil tam magnum erit, quàm scelus Callisthenis.* Verè igitur dixit Heraclitus: *Durum est pugnare contra iram, quæ vitam adimit.*

Celebre est illud Physicorum, τὰ ἄχολα μακρόβια, id est, animalia bile carentia, uti cervus, sunt longæva. Porrò longævitatem hominis, & animalium ita gradatim describit, sive verè, sive potiùs fabulosè Ausonius idyllio 18.

Bile carentia sunt longæva.

Ter binos deciesq; novem superexit in annos
Justa senescentum, quos implet vita virorum.
Hos novies superat vivendo garrula cornix.
Et quater egreditur cornicis sæcula cervus.
Alipedem cervum ter vincit corvus.

Causam dat Franc. Valesius Sacræ Philos. cap. 92. Videntur, inquit, mihi hæc tria, scilicet zelus, iracundia, & cogitatus, unico solicitudinis nomine significari. Sollicitos enim esse dicimus eos, qui plus satis curant quid agatur, quid futurum sit. Tales enim sunt zelatores, ac proinde iracundi, & cogitabundi: quæ omnia excludunt ab animo hilaritatem. Quare si verè dictum est c. 17. Proverb. *Animus gaudens ætatem floridam facit;* meritò evenit, ut quæ gaudium excludit solicitudo, afferat intempestivam senectutem.

Verum

Verum autem illud esse constat, siquidem indicatum antea est, spiritum tristem exsiccare ossa; exsiccat ergo, & ea passio, cujus tristitia comes est, puta, solicitudo, & nimia cura. Vt verò exsiccat, ita refrigerat: quia (ut nuper diximus) siccat imminuta nutritione per vitalis caloris & spirituum consumptionem. Refrigeratio verò naturalis cum siccitate, ipsum est senium. Unde efficiatur, ut solicitum esse, ac proinde iracundum, & cogitabundum, adducat ante tempus senectutem. Neque res ulla experimento magis cognita est. Neque quidquam iis qui privatam agunt vitam consultius, quàm nulla de re esse sollicitos: iis verò qui reipub. tenent gubernaculo, qui id non possunt, tamen interponere gaudia curis, & animum tantis solutum curis crebrò laxare, ac locum dare cibis, & exercitationi, ne semper animo ad cogitationem translato, corpus tabescat. Huc facit illud S. Gregor. Nazianz. in Distichis; *Moerores præcocem mortalibus senectutem pariunt. Mens sollicita tinea instar ossa corrodit: corpus autem curas valere iubens, eximiè floret.* Unde subdit Siracides; *Splendidum cor bonum in epulis est.*

Memorabile est, quod ex ore Dei scribit Hermas S. Pauli discipulus lib. 2. Pastoralis mandato 3. nimirum, quòd B ira, & impatientia obscuret, & extinguat in nobis Spiritum sanctum, eumdem verò exsuscitet atque exhilaret æquanimitas, & patientia. *Aequanimis*, inquit, *esto, & patiens, & omnium operum nequissimorum dominaberis, & operaberis omnem iustitiam. Quòd si patiens fueris, Spiritus sanctus, qui habitat in te, mundus erit, & non obscurabitur ab aliquo nequissimo spiritu, sed gaudens dilatabitur, & epulabitur in vase, in quo habitat, & apparebis Domino hilaris in pace magna. Quòd si iracundia aliqua supervenerit, continuò Spiritus sanctus, qui in te est, angustiabitur, & quæret discedere. Suffocatur enim aspectu nequissimo, & non habet locum apparendi Domino sicut vult: tribulatur enim ab iracundia. Utrique ergo spiritus cùm pariter inhabitant, perniciosum est homini.* Probat à simili; *Si quis enim assumat absinthii pusillum, & immittat in amphoram mellis, nonne totum mel exterminabitur? & tantum mellis à modico absinthio disperit, & perdit dulcedinem mellis, & iam non habet gratiam apud dominum suum; quoniam totum mel amarum factum est, & usum suum perdidit. Sed si in mel non mittatur absinthium, dulce erit, & in usu domino suo. Vide igitur, quàm sit æquanimitas dulcior melle, & utilis erit domino, qui in ipsa commoratur; nam iracundia inutilis est. Si ergo* C *mixta fuerit iracundia æquanimitate, contribulatur animus, & non est utilis Deo oratio illius.*

Tristitia contristat Spiritum sanctum.

Tropol. Rabanus: *Zelus*, inquit, *& iracundia minuunt dies hominis, cùm eum vita æterna indignum efficiunt: & ante tempus senectutem adducunt; quia viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos*, psal. 45. Hoc est, *prosperitatem sine vindicta, quam sibi promittunt, perpetualiter habere non possunt.*

VERS. 27. SPLENDIDVM COR ET BONVM IN EPVLIS EST; EPVLÆ ENIM ILLIVS DILIGENTER FIVNT) Cogitatui, & curæ, quæ citam adducit senectam, quasi remedium, & antidotum opponit cor splendidum exhilarans se epulis, itaque curas discutiens, & vitam prolongans. *Cor splendidum* vocat hilare, & liberale, non triste vel avarum. A Tristitia enim, & avaritia cor contrahunt, offuscant, & obnubilant, quod hilaritas, & liberalitas dilatant, exhilarant, magnificum, & quasi splendidum efficiunt. Hinc lux splendor sunt symbolum lætitiæ, & beneficentiæ, caligo verò, & tenebræ tristitiæ, & avaritiæ. Unde crebrò orat Psaltes: *Illumina faciem tuam super servum tuum Domine.* q. d. Lucidam, id est, hilarem, benevolam, & beneficam, mihi faciem tuam ostende. Sensus ergo est, q. d. Cor hilare, & liberale, & *bonum*, id est, lætum, & jucundum, est in epulis suis, ac honestè, & lætè iis fruitur, easque sibi, & aliis diligenter apparat: quocirca, & lætiùs, & diutiùs, & honoratiùs vivit. Unde Tigurina vertit, *cor splendidum, & benignum cibos sibi procurabit ad edendum*; non autem multa avarè congeret, quibus frui non audeat, inquit Vatabl. alii, *cor splendidum, & bonum de edulis ciborum suorum curam gerit.* q. d. Lætus, & splendidus, nec per tristitiam ciborum curam negligit, nec per parsimoniam sordidè mensam instruit, sed lætè, & liberaliter, moderatè tamen, & temperanter cum suis epulatur. Syrus, *cor bonum* (lætum) *multi sunt cibi eius, & omne quod comedit, splendit super corpus eius.* q. d. Omne, quod comedit homo lætus, digerit convertitque in suam substantiam, & corpus suum impinguat; itaque ostendit se bene comedisse, & comesta digessisse; contrarium facit tristis, & mœstus. Huc facit illud Nazianz. in Distichis: *Temperantis animi est non nihil hilaritatis præ se ferre.* Aduertit solerter Palacius, hæc esse dogmata Ethices naturalis. Ecclesiasticus, inquit, fuit ex Judæis, quibus propter probos mores temporalia bona promittebantur, scilicet vita longior, anni felices, epulæ largiores, videlicet sæculum hoc felix. Multò est altior vita Christiana, quæ cupit dissolvi, & esse cum Christo: quæ abstinet ab omnibus, ut incorruptam coronam accipiat: quæ est in fame, siti, frigore, nuditate, & quotidiana solicitudine Ecclesiarum, exspectant beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, &c.

Mysticè, *splendidum cor*, id est, lætum, ac gaudio, & exultatione perfusum, non est aliud, nisi cor viri justi, quod nullæ tristitiæ ex morsibus conscientiæ dimanantes inquietant. Epulæ illius non sunt aliæ quàm bona opera, sibi impositæ legi conformia. Cùm autem hæc diligenter parantur, & ardenter assumuntur, *bonum* est *cor*, & jucundum; non infirmitate marcet, sed sanctitate pinguescit. Scito ergo, o homo, quia cibos corporis nimis ardenter sumere, vitium est, cibos verò animæ ardentissimè accipere, perfectio est. Nam qui avidè quasi famem patientes, hunc cibum virtutis comedunt, Deo pascente saturantur, juxta illud: *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*, Matth. 5. Unde Rabanus: Utique, ait, *voluntas electorum iucundatur in epulis virtutum: quæ epulæ indefectivas habent opes spiritalium divitiarum.*

Nota. Græca hic valdè variant: Complut. enim hunc versum hoc loco ponunt cum Nostro: Græca Romana verò, & alii eum transferunt in finem cap. 33. Sed magis videtur convenire huic loco. Deinde Romana huic versui, & capiti attexunt ea quæ Noster, & Complut. ponunt c. 36. v. 13. & sequ. Similis transpositio est in c. sequ. uti dicam in Synopsi ejusdem.

CAPUT TRIGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, à v. 1. usque ad v. 12. avocat à nimio amore & studio divitiarum. Inde Secundò, usque ad v. 30. est institutio mensæ; quanta, scilicet, honestate, temperantia & discretione in ea convivæ se gerere debeant. Tertiò, à u. 30. ad finem agit de sobrietate in potu vini.

Nota, in Græcis Romanis omnia ab hoc cap. usque ad 37. alio ordine recenseri: nam quæ Vulgata habet hoc cap. Græca Romana habent c. 34. Quæ Vulgata habet cap. 35. Romana habent cap. 32. Quæ Vulgata habet cap. 36. Romana habent cap. 33. Quæ Vulgata habet c. 32. Romana habent cap. 35. Quæ Vulgata habet cap. 33. Romana habent cap. 36. Vulgatæ tamen per omnia consentiunt Græca Complut. quare eorum ordo & dispositio magis apta est & authentica. Hinc collige, has Siracidis sententias á variis varié fuisse compaginatas & distributas. Idem accidit in Proverbiis Salomonis, ubi quæ Vulgata habet cap. 30. Græca Romana attexunt capiti 24. Quæ Vulgata habet cap. 31. de muliere forti, Græca Romana attexunt capiti 29. ac multa alia simili modo commutant & transponunt.

VIgilia honestatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet somnium. 2. Cogitatus præscientiæ avertit sensum, & infirmitas gravis sobriam facit animam. 3. Laboravit dives in congregatione substantiæ, & in requie sua replebitur bonis suis. 4. Laboravit pauper in diminutione victus, & in fine inops fit. 5. Qui aurum diligit, non iustificabitur: & qui insequitur consumptionem, replebitur ex ea. 6. Multi dati sunt in auri casus, & facta est in specie ipsius perditio illorum. 7. Lignum offensionis est aurum sacrificantium: væ illis qui sectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo. 8. Beatus dives, qui inventus est sine macula: & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris. 9. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. 10. Qui probatus est in illo; & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit: 11. ideò stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. 12. Supra mensam magnam sedisti? non aperias super illam faucem tuam prior. 13. Non dicas sic: Multa sunt, quæ super illam sunt: 14. Memento quoniam malus est oculus nequam. 15. Nequius oculo, quid creatum est? ideo ab omni facie sua lacrymabitur, cum viderit: 16. Ne exstendas manum tuam prior, & invidia contaminatus erubescas. 17. Ne comprimaris in convivio. 18. Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso. 19. Vtere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur: ne, cum manducas multum, odio habearis. 20. Gessa prior causa disciplinæ: & noli nimius esse, ne fortè offendas. 21. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere. 22. Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem. 23. Vigilia, cholera, & tortura viro infrunito. 24. Somnus sanitatis in homine parco, dormiet usq; mane, & anima illius cum ipso delectabitur. 25. Et si coactus fueris in edendo multum, surge è medio, evome: & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem. 26. Audi me fili, & ne spernas me; & in novissimo invenies verba mea. 27. In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi. 28. Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & testimonium veritatis illius fidele. 29. Nequissimo in pane murmurabit civitas, & testimonium nequitiæ illius verum est. 30. Diligentes in vino noli provocare: * multos enim exterminavit vinum. 31 Ignis probat ferrum durum: sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum. 32. Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate: si bibas illud moderatè, eris sobrius. 33. Quæ vita est ei, qui minuitur vino? 34. Quid defraudat vitam? Mors. 35. * Vinum in jucunditatem creatum est, & non in ebrietatem ab initio. 36. Exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum. 37. Sanitas est animæ & corpori sobrius potus. 38. Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit. 39. Amaritudo animæ vinum multum potatum. 40. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera. 41. In convivio vini non arguas proximum: & non despicias eum in jucunditate illius: 42. Uerba improperii non dicas illi: & non premas illum in repetendo.

VIGILA HONESTATIS TABEFACIET CARNES, ET COGITATUS ILLIUS AUFERET SOMNIUM) Pro *honestatis*, Græcè est, *πλούτου*, id est, divitiarum: & sic sæpè hoc libro Siracides per *honestatem* intelligit divitias: hæ enim faciunt possidentes honestos, imò honoratos in domo, victu, vestitu, magistratu, &c. Rursum pro *cogitatus*, Græcè est *μέριμνα*, id est, cura, anxietas, solicitudo, de qua dixit cap. præced. v. penult. quòd ante tempus, id est, citam, & immaturam senectam adducat. Idipsum ergo hic prosequitur docetque, in-

A quit Jansenius, quàm noxia sit homini ea præcipuè cura, quæ est in avaris pecuniarum studiosis: utpote quæ carni suum vigorem aufert, & necessarium somnum. Itaque sensus est: Nimia vigilantia, quæ pro comparandis divitiis assumitur, & vigilia nocturna, quæ sæpè propter opus suscipitur, tabefacit carnes hominis, corpusque marcidum facit ac exhaustum, & cura pro divitiis acquirendis aufert sæpè homini somnum ad vitam necessarium. Proinde indicando nocumentum avaræ solicitudinis, monet tacitè moderandum studium divitiarum, anxiamque solicitudinem deponendam

nendam esse, & præsentibus contentos nos esse debere, Deo-A que res nostras committendas.

Secundò, Palacius *honestatem* moralem hic accipit, putà, bonum honestum, probitatem, scilicet, & castitatem. Littera hæc, inquit, ut jacet, multa, & pulchra documenta præbet. Primum est, cura probitatis, maximè verò castitatis, consumit carnes, nec eas pinguescere sinit: si enim vehemens probæ uxoris cura, quomodo placeat viro, exedit ejus carnes, quomodo non magis exedet cura quomodo placeas Deo? Secundum est: Cogitatio probitatis aufert somnum: nam intenta cogitatio cor mundum dormire vetat, & illa dixit: *Ego dormio, & cor meum vigilat*: & alius media nocte surgit ad confitendum Domino. Verùm Græcum *πλούτου* significat honestatem, non moralem, sed physicam, putà, substantiam, & opes. Prior ergo sensus litteralis est. Unde Tigurina vertit, *studium divitiarum corpus tabe conficit, & somnum abigit solicitudo earum*; alii, *invigilare divitiis tabefacit carnes, & solicitudo earum aufert soporem*; Syrus, *vigilia tabefacit carnem divitis, & cura aufert somnum ejus*.

Est metaphora ab igne liquante ceram, q. d. Sicut ignis liquat, & consumit ceram, sic vigil semper solicitudo opum B acquirendarum, asservandarum, & augendarum tabefacit (Græcè *ἐκτήκει*, id est, liquat, & consumit) carnes, tum ob vigiliam, tum ob solicitudinem. Nam, ut ait Aristot. Ethic. cap. 1. *Animal vigilans semper laborat*, vel sentiendo, vel movendo, vel cogitando, attendendo, & intendendo rei alicui: vigilia ergo est labor, labor autem consumit hominem, & quodvis animal.

Mysticè Rabanus: *Vigilia honestatis est cauta vigilantia animi cum studio virtutum, quæ tabefacit carnes: quia in electis Dei carnales mortificat voluptates. Cogitatus enim illius aufert somnum: quia intenta solicitudo eorum, quam quotidie in servitio Dei habent, pigritiam ab eis repellit tædium. Unde Propheta, qui se sentiebat in servitio Dei proficere, & in amore illius crescere, ait: Quomodo dilexi legem tuam Domine! tota die meditatio mea est. In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas. Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui*, psa. 118.

VERS. 2. COGITATVS PRÆSCIENTIÆ AVERTIT SENSVM ET INFIRMITAS GRAVIS SOBRIAM FACIT ANIMAM) Primò, Palacius, & Lyranus censent hic duo proponi, quæ hominem avocant à peccato, scilicet, Dei præscien-C tiam, & infirmitatem. q. d. Cogitare, quòd Deus videat, præsciat, & antequam fiant, prævideat omnes nostras actiones, avertit, sensum à rebus sæcularibus, & voluptatibus illecebrosis hujus vitæ: pari modo *infirmitas gravis animam* luxuriantem, & luxu diffluentem efficit temperatam, & *sobriam*, quam vinum humanæ prosperitatis effecerat ebriam.

Secundò, Jansenius, q. d. *Cogitatus præscientiæ*, id est, cura, & solicitudo divitum, ut prævideant, & provideant sibi de opibus rebusque omnibus in futurum per omnem suam, & filiorum vitam, *avertit* mentem hominis à recto, Deo, & cogitatione salutis, eamque opibus quasi inebriat, & immergit: ex adverso *infirmitas gravis facit animam sobriam*. q. d. Solicitudo ergo est infirmitate gravi deterior ideoque ipsa est maxima infirmitas; quia facit animam planè intemperantem & ebriam, quam infirmitas facit temperantem, & sobriam.

Tertiò, & genuinè, q. d. *Cogitatus præscientiæ*, id est, cogitationes anxiæ, quibus divites avari cogitant assiduè de futuris mercium rerumque suarum eventis, ut opes suas semper augeant, nunquam contenti præsentibus, sed jugiter inhiantes futuris: hæ, inquam, cogitationes avertunt sensum, scilicet à quiete, & somno, de quò sermo præcessit: quia non sinunt hominem quiescere, & dormire: *&*, id est, sic, vel pari modo, *infirmitas gravis sobriam facit animam*: *sobriam*, id est, vigilem somnique expertem. Est metalepsis & catachresis: sobrietas enim & abstinentia causat vigiliam, & ægrum facit insomnem. Comparat enim anxias cogitationes, putà, solicitudinem congerendi opes, cum gravi infirmitate, quòd sicut hæc, sic, & illa excutiat somnum, privetque hominem debita quiete. q. d. Solicitudo avarorum est gravissimus animi morbus; quia sicut morbus hominem affligit, & exedit, redditque insomnem: sic pariter cruciat, arrodit, & vigilem semper facit solicitudo.

Hanc esse sensum patet Primò, ex antecedentibus, & sequentibus, quæ omnia taxant solicitudinem ditandi se, & congerendi opes. Secundò, ex Græco, qui clarè sic habet, *solicitudo vigiliæ* (id est vigil) *interpellabit dormitationem, & infirmitas gravis ἐκνήψει ὕπνον*, id est, *eluet* vel digeret, id est auferet *somnum*; Tigurina, *solicitudo vigil prohibet* (Vatabl. *renuit*) *soporem, & gravis ægritudo somnum adimit*.

Pro *ἐκνήψει* alii legunt *ἐκνήψει*, id est, sobrium, & vigilantem faciet somnum: quia mordax cura facit hominem, licet dormiturientem, vigilem, ut millies è somno excitetur, & evigilet. Porrò Complut. & Romana pro *ὕπνον* legunt *ὕπνος*. Sic enim habent, *ἐκνήψει ὕπνος*. Unde sic vertunt, *& infirmitatem gravem digeret*, vel *moderatam faciet somnus*. Quo significatur solicitudinem divitum peiorem esse animi morbum, quàm sit gravis infirmitas corporis: quia hanc minuit, & alleviat somnus, quo carent soliciti: solicitudo enim somnum excutit à solicito, itaque ei non dat requiem, sed jugiter pungit, affligit, cruciat, exedit, consumit. Igitur duorum horum versuum primi, scilicet, & secundi, hic est sensus: vigil cura acquirendarum opum consumit carnes, & de iis intentiùs nimisque anxiè cogitare, aufert somnum: simili modo somnum aufert *cogitatus præscientiæ*, quo scilicet cogitant futuros eventus, ut eos præsciant, & avertant, si mali sunt; vel accersant, si boni; perinde ac infirmitas gravis somnum excitat.

Mysticè Rabanus: *Cogitatus*, inquit, *hominis, quem in timore Dei habet præsciendo quid vera sunt omnia quæ Scriptura sacra pronuntiat de futuro præmio bonorum, & de ventura pœna malorum, avertit sensum hominis ab omni concupiscentia mala, ne ea concupiscat in possessione habere, vel in desiderio nequà adimplere, quæ novit conditori suo displicere. Similiter, & infirmitas gravis corporis sobriam facit à delictis animam. Unde alibi scriptum est: Livor vulneris absterget mala, & plaga in secretioribus ventris. Mala enim livor vulneris absterget quia flagellorum dolor vel cogitatas, vel perpetratas nequitias diluit. Solet verò ventris appellatione mens accipi: quia sicut venter consumit escas, ita mens pertractando excoquit iras. Quia enim venter mens dicitur, ea sententia docetur, quæ scriptum est: Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris. Ac si dicat, Divini afflatus illuminatio, cùm in mentem hominis venerit, eam sibimetipsi illuminans ostendit, quæ ante Spiritus sancti adventum cogitationes pravas, & portare poterat, & pensare nesciebat. Livor ergo vulneris absterget mala, & plaga in secretioribus ventris: quia cùm exteriùs per-C cutimur, ad peccatorum nostrorum memoriam taciti afflictique revocamur, atque ante oculos nostros cuncta, quæ à nobis sunt malè gesta, reducimus: & per hoc, quod foris patimur, magis intus, quod fecimus, dolemus. Unde fit, ut inter aperta vulnera corporis ampliùs nos abluat plaga secreta ventris: quia sanat nequitias pravi operis, occultum vulnus doloris. Hinc, & Paulus ait: Quando infirmor, tunc potens sum. Quando enim sustinuit forinsecùs flagella persecutionum, intrinsecùs crevit dono spiritalium gratiarum*. Quæ Rabanus ad verbum transcripsit ex S. Gregorio 3. pag. Pastor. monit. 13. sub finem.

LABORAVIT DIVES IN CONGREGATIONE SVB-
STANTIÆ, ET IN REQVIE SVA REPLEBITVR BONIS VERS. 3.
(Græcè, *τρυφῆς*, id est, deliciis) SVIS. LABORA-
VIT PAVPER IN DIMINVTIONE VICTVS, ET IN FI- VERS. 4.
NE INOPS FIT) Docuit disparem valdè esse conditionem divitis, & pauperis, ac laboris, quem uterque impendit D ad congregandas opes. Nam *laboravit*, id est, laborare solet, *dives in*, id est ad, *congregationem substantiæ*, ut scilicet congreget substantiam, & opes: *pauper* verò laborat *in*, id est ob, *diminutionem victus*, putà, ob paupertatem, qua victu minuitur, & destituitur. q. d. Pauper laborat non tam ut ditescat, quàm ut victitet, & vitam laborando trahat, & proroget: at dives non laborat ut victum comparet, quia eo abundat, sed ut opibus collectis majores adjiciat, locuples fiat, & splendidus.

Rursum, *dives in requie sua replebitur bonis suis*, id est, dives cùm cessat laborare, & congerere opes, ac requiescit contentus quæsitis, *replebitur bonis*, id est, lautè, & splendidè vivet, deliciabitur, fruetúrque suis divitiis: at pauper, cùm volet quiescere, aut cogetur ob senium morbumve cessare à labore, fiet inops cogeturque mendicare. Unde Græca habent, *laboravit dives congerendis pecuniis, & in requie sua expletur deliciis suis. Laboravit pauper in penuria victus, & in requie sua fit indigens*. Ita Lyran. Jansen. & alii. Secundò, Tigurina vertit, *laborat dives in congestis opibus, & in quiete occupatur suis divitiis: laborat pauper in vita tenui, & fit egenus in quiete*. Quod sic explicat Vatabl. q. d. *Nimia solicitudine tam dives quàm pauper miser est. Hic enim*

tempo-

tempore quietis, & somni de sua pauperie cogitando, pauperior fit: ille cura parturum discruciatur. Omnia enim spectant eò, ut significetur miseria solicitudinis, quæ esse solet in congerendis opibus.

Denique Palacius censet hic significari, quòd divites parvo labore multùm ditescant: pauperes verò magno labore vix comparent necessaria ad vitam. Admonetur, inquit, pauper ne nimis ditari velit: quia dives facili labore bonis repletur; at pauper, qui (etiam sibi minuens victum) ditescere vult, tandem inops evadit. Dives quidam interrogatus, quomodo dives evaserat? respondit egregiè: Cùm pauper eram magno labore conquisivi divitias: cùm dives fui, magna eas facilitate paravi. Una enim ad Indos profectione parat sibi plus opum dives, quàm per totam vitam miser agricola. Huc facit illud: *Facilius est ex asse decussem* (id est, decem asses) *quàm ex semisse* (dimidio asse) *assem efficere*. Idem locum habet in mercatura spiritali, ut patet in S. Paulo, Apostolis virisque Apostolicis, qui heroico actu uno plus effecere quàm nos permultis. Unde *pauper*, ait Varro, *dicitur à paulula re*, vel à *paulo lare* (vel à pauco ære) *dives, à divo, qui, ut Deus, nihil indigere videtur*.

Mysticè, divites sunt Sancti ferventes, & strenui ad accumulanda bona opera, & merita: hi parvo labore multùm ditescant virtutibus, & meritis; pauperes verò, id est, remissi, & tepidi, magno labore, quem subeunt, quemque sæpè parit ipsorum acedia, & torpor, parum in sanctitate proficiunt. Unde Rabanus: *Laborat*, inquit, justus *in congregatione spiritalis substantiæ, in meditando videlicet S. Scripturarum scientiam, & colligendo bonarum fructus virtutum: pro quibus omnibus post finem præsentis vitæ requiem æternam percipiet. E contrario verò pauper scientia, & inops virtute, laborat quotidie in terrenis cupiditatibus, pro quibus in fine non abundantiam cælestis habebit gaudii, sed pœnas ac dolores sustinebit inferni*. Quocirca sapienter S. Bernard. serm. 4. de Adventu: *Veræ divitiæ*, ait, *non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat*. Et S. Gregor. homil. 15. in Euangel. *Fallaces*, ait, *divitiæ sunt, quæ nobiscum diu permanere non possunt: fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt: solæ autem divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus efficiunt. Si ergo, fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate.*

VERS. 5. QVI AVRVM DILIGIT, NON IVSTIFICABITVR: ET QVI INSEQUITVR CONSVMPTIONEM, REPLEBITVR EX EA) Est miosis: parum enim dicitur, & plus significatur: *non iustificabitur*, id est; adeò non erit justus, ut evadat invitus, & sceleratus. Auri enim cupido impellit avarum ad usuras, fraudes, illicitos contractus. Unde illud vulgò tritum: *Dives aut iniustus, aut iniusti heres*.

Secundò, *To non iustificabitur* non tantùm culpam iniustitiæ, sed, & ejus pœnam significat. *Justificari* enim Hebræis Primo, significat justum esse vel fieri. Secundò, justum pronuntiari, declarari, judicari, absolui. Qui ergo aurum diligit, *non iustificabitur*, id est, non declarabitur justus, sed iniustus judicabitur, condemnabitur, & punietur. Unde Tigurina vertit, *amator auri non habebitur pro insonte*, id est, innocente, & consequenter impunito, sed ut nocens acriter punietur. Nam ut explicans subdit: *Et qui insequitur consumptionem* (Græcè, διαφθορὰν, id est, corruptionem, putà aurum, & opes caducas, & corruptibiles) *replebitur ex ea*. q. d. Qui sectatur opes corruptibiles, replebitur rebus citò corrumpendis, ac cum eis, imò per eas, & ante eas, brevi corrumpetur, & interibit, ut corruptione, & re corruptibili, quam tanto ardore adamavit, plenè, & usque ad collum impleatur. Innuit opes multis esse exitio, tum, quia propter eas multi à furibus, aliisque qui opibus inhiant, occiduntur: tum, quia labor, & sollicitudo parandi, augendi, & conservandi opes hominem exedit, & consumit: tum, quia opes pariunt delicias, luxum, gulam, & crapulam, quæ plures occidit quàm gladius. Unde Tigurina vertit, *& qui consectatur exitium, eodem satiabitur*. Ita Palacius. Qui omnino, inquit, diligit aurum, velut idolum præferens ipsum omnibus aliis, is justus esse nequit, dum ita diligit. Duos enim deos nemo potest habere, nemoque potest Deo servire, & mammonæ. Et qui hæc corruptibilia, & consumptibilia sectatur, corruptione, & putredine replebitur: Nam igni anima, caro vermibus erit in æternum obnoxia. Ut contrà anima, quæ justitiam diligit, justa fit, & saturatur ex eas & quę divinę immortalitati adhæret, unus spiritus cum ea fit, ac ideò efficitur immortalis omnino. Ait enim *Qui credit in me* (ut debet) *nō morietur in æternum*, Joann. 11. 26.

A MVLTI DATI SVNT IN AVRI CASVS, ET FACTA EST IN SPECIE IPSIVS PERDITIO ILLORVM) Primò, Palacius per *auris casus* accipit auri præcipitia, in quæ ruit qui illud ambit. Est enim aurum, inquit, velut mons quidam difficillimus multa habens præcipitia, in quæ solet proruere qui aurum vult manibus arripere: è longè aspicitur cacumen montis, ubi aurum pulchra fulget specie: at, dum curris ut consequaris, cadit in præcipitia corpus, ubi peris. Ergo pulchram habet aurum speciem; sed multa occultat præcipitia, in quæ cadis priùs quàm auro fruaris. Pulchrum erat specie pomum, quod comedit Adam: sed in casum mortis, antequam comederet, cecidit. Sic Parthi cæso M. Crasso Romanorum duci insultarunt: *Aurum sitisti, aurum bibe*. Hinc avarus dicitur quasi auri avidus, eò quòd illo numquam expleatur, ait S. Isidor. lib. 10. Origin. littera A. VERS. 6.

Secundò, & planiùs: *Multi dati sunt in auri casus*, id est, in casus, & ruinas propter aurum, ut habent Græca. q. d. Multi in gravia damna corporis, & animæ prolapsi sunt B propter aurum. Videi dicta 1. Timothei. 6. 10. Est hypallage. Porrò Græca am sic habent, *multi dati sunt in casum auri gratia, & facta est perditio eorum coram facie eorum*. q. d. Videntes, & viventes, ideoque gementes, & frementes perditi sunt: minùs enim sentitur perditio, & noxa, cùm quis periit dormiens, vel occultè, & nesciens, nec advertens, ut cùm ex insidiis vel veneno interimitur; magis verò illa sentitur, cùm quis perit vigilans, videns, & sciens tum ipsam perditionem, tum eius causam, quòd scilicet ipse sibi per auri cupidinem hoc malum crearit. Unde Tigurina vertit, *multi propter aurum ad casum dati sunt, & paratum habuerunt ante oculos suos exitium*; alii, *multi pessumdati sunt auri gratia, & interitus ipsorum accidit coram facie ipsorum*.

Quocirca sapienter Naziänz. in Distichis: *Opes*, inquit, *illas ne ama, quas tempus delet: nam quidquid tempus extruxit, idem etiam evertet*. Amplius addit S. Bernard. *Divitiarum*, ait, *amor insatiabilis, longè ampliùs desiderio torquet animam, quàm refrigeret usu sui: utpote quarum acquisitio quidem laboris, possessio verò timoris, amissio plena doloris invenitur*. Aristot. l. 10. Ethic. asserit obesse nimias divitias contemplationi, ac proinde summæ felicitati. Certè quietem ab iis non leviter C turbari omnes experiuntur. Anacreon duobus à Polycrate Samio talentis acceptis, cùm duas noctes somnum non cepisset, cura custodiendi, vel collocandi; ea donatori remisit, addens, *non tanti à se illa fieri, quantum sibi ab iis molestiis provenisset*. Pulchrè Horat. sat. 1.

Divitiæ faciunt miseros. Gnome.

An vigilare metu exanimem: noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes; hoc iuvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Eleganter Plutarchus tract. de Cupiditate divitiarum ait, divitiis à nullo malo hominem liberari: quandoquidem ne hoc ipsum adimunt malum, sui cupiditatem. Aristippus eos, qui divitiis non explentur, monebat, laborare animo gravissimè, ac medico, & ejectione egere: perinde ac eos, qui quo plus bibunt vel comedunt, plus sitiunt esuriuntue. Sapienter Philo libr. de Temulent. asserit, externa bona esse quasi stipatores, & satellites bonorum corporis: hæc verò esse custodes, & ministros bonorum animi.

Hoc gnomen, & hoc ænigma insigni vulpis, simiæ, ele- D phanti, hyænæ, galli, castoris, &c. apologo, oculis subiicit Cyrillus lib. 3. Apolog. moral. c. 5. *Simia*, inquit, *& vulpes proficiscentes, cùm edentatum* (id est, dentibus carentem; ex dentibus enim elephantis fit ebur pretiosum) *elephantem obvium habuissent, de casu cùm peteretur respondit: Ob dentis desiderabilis aviditatem bellum mihi avaritia suscitante, ut hostilia dentibus meis insidiantium arma non captus effugerem, elegi potiùs arma naturæ abiicere; siquidem belligeris divitiis eligibilius est carere, quàm ad huiusmodi tuendas charam vitæ suavitatem amittere. Deinde cùm hyænam luminibus privatam obviam habuissent, diræ passionis causam inquirentes, lamentabiliter audiverunt: Effrenata humanæ cupiditatis rapacitas nō tam vi, quàm arte doli munita, ob perditas gemmarum divitias, oculos quos concupivit destruxit. A bonis enim bona perduntur, cùm præter necessitatem superfluunt*. Subiicit deinde vulpem, & simiam occurrisse gallo, cui cranium erat diffractum ob gemmam, quæ in eo gigni perhibetur, pergitque ad castoris occursum. *Cùm castor*, inquit, *eis perditis genitalibus occurreret, petierunt, ut quid salutare generi seminarium defecisset? Qui ait: Cùm ob genitalia à perniciosis venatoribus infestarer, ne totum pars perderet, & genitalia genitorem concupita vastarent; ea certè malui mihi vora-*

vorare bestiba, quàm amatricis divitiarum, & divitum hostilis avaritiæ voracitati me impendere. Melius enim est opes, quàm salutis opem perdere. Quo quidem relicto, cùm pavonem decaudatum vidissent: Quomodo, inquiebant, caudæ gloriam perdidisti? tum ille; Nimirum aurea penna placuit, & idcirco auri cupiditate, servus avaritiæ hanc ademit. Mundiales namque divitiæ quem exornant, velut signum figunt cupiditatis, ad certissimas sagittas. Ex quibus omnibus hanc conclusionem colligit: *Quid sunt carnales divitiæ, nisi blandimenta libidinis, fomenta cupiditatis, & mora mortis? Beatus certè qui caruit eis.*

Opum damna, & epitheta.

Quocirca simia rogata à vulpe, quid de divitiis sentiret, sapienter respondit: *Quòd non nisi pœnalitates sunt naturæ. Nam cùm sic possessores suos illudant, & ad hujusmodi calamitates adducant, quid nisi virus putanda sunt? Hunc siquidem necant, illum excæcant, huic cerebrum vastant, illi viscera perforant, isti genitalia vorant, alterum excoriant, alterum decaudant. Numne sic avaritia ingeniosa est à viris imprudentibus robtera divitia, possessores suos plurimis vitiis lacerant, amatores depravant, dum os lingua magniloqua, contuitum incidentia, caput ignavia, ventrem gula, libidine genitalia, corpus insania, & virtutum inopia totum vastant? O malum bonum, nam dicam! O bonum paupertas! O stultè dilectum malum! O infelix opulentia! De tenera paupercula pellis, ditissima mihi est, & vilis magis placet quàm pretiosa. Malo certè iam esse simia sine cauda, quàm pavo cum cauda.*

VERS. 7. LIGNUM OFFENSIONIS EST AURUM SACRIFICANTIUM: VÆ ILLIS QUI SECTANTUR ILLUD, ET OMNIS IMPRUDENS DEPERIET IN ILLO) q. d. Aurum, quod avari quasi suum idolum numenque colunt, & cui omni suo labore, cogitatione, affectu, & curis sacrificant, est lignum, quod ipsi offendunt, impingunt, & corruunt in mille mala, ipsamque mortem. Vnde Tigurina vertit, *lignum offendiculi est ei sacrificantibus: væ consectantibus illud, omnis insipiens eo capietur*; alii, *lignum offensionis*, vel *scandali est sacrificantibus in illo, & omnes amentes eo capientur.* Tò enim *Væ illis, qui sectantur illud*, jam non est in Græco.

Lignum offensionis quod? Resp. Primò.

Quæres, quodnam sit *lignum offensionis*: Primò, Rabanus *lignum offensionis* refert ad arborem scientiæ boni, & mali, quæ fuit offensio, & occasio ruinæ primis parentibus, Genes. 3. q. d. Sicut illa arbor perdidit Adamum, & Evam, sic aurum perdit avaros.

Secundò.

Secundò, Palacius censet alludi ad serpentem æneum Num. 21. q. d. Uti hic serpens aspicientibus erat occasio, & causa sanitatis, ita ex adverso aurum avaris est occasio mortis. Verùm hic serpens æneus erat, non ligneus, nec lignum offensionis, uti hic dicitur.

Tertiò.

Tertiò, planiùs Jansenius per *lignum offensionis* accipit lignum, quod æquè ut lapis in via ponitur, ut viam muniat, indicet, disterminet, aliisue de causis sæpè fortuitis, ad quod æquè ac ad lapides itinerantes facilè impingunt, ni sint oculati, & providi. Igitur sicut est lapis offensionis, & petra scandali, sic ejusdem est, & lignum: quale in primis est lignum intermedium sustinens muscipulam apertam, quam dum mus ingreditur, illud super se evertit, ac muscipula clauditur, comprimitur, & enecatur. Unde multi scandali nomen deductum censent: hoc enim lignum muribus est scandalo, ruinæ, & exitio.

Quartò.

Quartò, Palacius rursum sublimiùs censet alludi ad idola, quæ olim idolatræ præsertim pauperes faciebant ex ligno, æquè ac ex ære vel auro, ut patet Isaiæ 44. 13. Sapient. 13. 11. q. d. Sicut idola lignea idolatris fuerunt scandalo, offensioni, & ruinæ: sic est, & aurum avaro: avaro, inquam, qui imprudenter cæca cupiditate illi inhiat, ideoque cæcus in latentia itinerum, latronum, furum, &c. pericula se inicit, imò ultrò irruit, ideoque perit, & corruit. Nam dives moderatus, qui cautè, & prudenter aurum consectatur, adeò non deperiet in illo, ut per illud perditionem, & mortem sæpè evadat, imò auro mortem, malumque omne redimat. Unde sequitur.

VERS. 8. BEATUS DIVES, QUI INVENTUS EST SINE MACULA; ET QUI POST AURUM NON ABIIT, NEC SPERAVIT IN PECUNIA ET THESAURIS) Docuit quàm noxia sit auri opumq; cupido, qua laborant avari: unde nunc ex adverso docet, quàm fructuosus, & gloriosus sit opum contemptus, adeò ut divitem efficiat felicem, & beatum, q. d. Beatus est dives, non qui divitiis inhiat, nec qui divitiis abundat, nec qui in iis spes suas reponit, iisq; se jactat, & superbit: sed qui in divitiis vivit *sine macula*, & inculpatè, quique aurum non sectatur, nec in eo, sed in Deo sperat, & recumbit. Hic, inquam, felix, & beatus est, Primò,

Dives non sperans in auro, beatus: cur? Resp. Primò.

A quia integer, & inculpatus: bona enim conscientia, integritas, & justitia est beatitudo hujus vitæ. Secundò, quia magnum, & rarum bonum, Deique donum est, divitem divitiis suis cor non apponere; sed ab iis intactum, liberum, excelsumque servare, ut iis dominetur quasi herus, non famuletur ut servus. Tertiò, quia talis licet sit dives censu, tamen est pauper spiritu: paupertas autem spiritus est perfectio, & beatitudo prima Evangelica, juxta illud Christi: *Beati pauperes spiritu*, id est, mente, & affectu, *quoniam ipsorum est regnum cælorum*, Matth. 5. *Felicitas magna Christianorum*, ait S. August. serm. 28. de Verbis Apost. *quibus datum est ut paupertatem faciant pretium regni cælorum. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inveniri. Vis nosse quàm locuples sit? cælum emit.* Spiritu ergo, & electione pauperes inopiam, quam adamarunt, vertunt in copiam, ut ait S. Salvianus. Quartò, quia talis rectà tendit ad beatitudinem æternam in cælis, juxta promissionem Christi jam recitatam. *Beatus* enim, ait S. Isidor. l. 10. Orig. littera B. *dicitur quasi bene auctus, scilicet ab habendo quod velit, & nihil patiendo quod nolit. Ille autem verè beatus est, qui, & habet omnia quæ vult bona, & nihil vult mali, ex his enim duobus homo beatus efficitur.*

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

B Nota. Pelagianorum fuit hæresis, divitem non posse Dei præcepta servare, & salvari; quare ut salvetur, requiri ut divitias abdicet, fiatque pauper, uti refert S. August. epist. 106. ad Paulinum, & l. 2. de Pecc. orgin. c. 11. Quin, & articulus sextus Pelagii damnatus in Concilio Diospolitano sic habet: *Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse regnum Dei.* Idem patet ex libello de Divitiis Sixto III. Pontif. falsò ascriptus, qui exstat tom. 5. Biblioth. SS. Patrum. Hunc enim esse Pelagiani alicuius, liquet ex toto ejus argumento, quod est, probare divites omnes, licet numerosam prolem habeant, si salvi esse velint, teneri divitias abdicare fierique pauperes. Qui fuit error Pelagii, uti rectè adverterunt Doctores Parisienses, & Lovanienses. Contrarium ergo hic docet Siracides, scilicet, divitem in divitiis posse esse beatum, & salvari, si tres habeat conditiones.

Dives salvatur tripliciter.

Prima est, si vivat *sine macula*, id est, sine peccato graviori, & mortifero; Tigurina, *sine crimine*, ut scilicet leges Dei observet, uti fecerunt Abraham, Isaac, Jacob, Job, & similes.

Primò.

C Secunda: *Qui post aurum non abiit*; Tigurina, *qui aurum secutus non est*, sed Deum, Deique regnum: juxta illud Christi: *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adiicientur vobis*, Matth. 6. 33. Unde Palacius: Si aurum, inquit, ad te jure venit, tu post illud non abis: sed si aurum injustè quæris, tu post illud abis. Si gratioso dono, hereditario jure, si justa arte aurum comparo; aurum ad me venit: sin per fas, & nefas illud conquiro, si propter illud Sacrum, & res divinas violo, aut Ecclesiæ leges transgredior, post aurum vado: quia aurum mihi quasi viæ vitæque ducem præpono, ac post illud toto amore, affectu, & conatu quasi mancipium sequor, & feror. Sic Judæi dicebantur ire post deos alienos, cùm relicto Deo illos colebant: simili modò avarus, cùm aurum quasi idolum colit, post illud abit. Si licitè veniens aurum amplector, non pecco: sed, si illicita ratione aurum perquiro, planè fugiens aurum consector: ac ideò miser fio, qui felix quærendo esse volebam, inquit Palacius.

Secundò.

Tertia: *Nec speravit in pecunia, & thesauris.* Hæc sequitur è secunda. Nam qui divitiis abundans eis cor non apponit, sed aversos ab eis mentis oculos in Deum coniicit, is non sperat in eis: sperat verò qui Dei ferè oblitus, cor, & consequenter spes, in auro ponit. Hic enim sperat se per D aurum omnia hujus vitæ incommoda superaturum, & omnia commoda adepturum, scilicet honores, amplam familiam, splendidam mensam, amicitiam principum, victoriam de inimicis, &c. Hinc Secundò per metalepsim sic exponas: *Nec speravit*, id est, non superbivit, non se extulit, non se jactavit, & ostentavit, *in pecunia, & thesauris*: Spes enim magnorum animum inflat ut superbiat, seque jactet, & ostentet. Atque, ut ait S. August. serm. 5. de Verbis Domini: *Vermis divitiarum superbia est*; sicut enim pomo vermis, sic auro superbia innascitur. Hinc Christus divitibus *Væ*, id est, æternam damnationem, intentat, Lucæ 6. 24. Et Abraham causā, cur dives Epulo sit in inferno, dat, dicens: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua*, Lucæ 16. 25. Christus denique Matth. 19. 24. *Facilius*, ait, *est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in*

Tertiò.

regnum cælorum. Quocirca S. Paulus divites monet, ne sperent *in incerto divitiarum suarum*, 1. Timoth. 6. Et S. Bernard. epist. 103. *Beatus*, inquit, *qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.* Ubi paucis tria opum mala perstringit.

Notat Origin. lib. 1. in Job dici, *Qui post aurum non abiit*, non verò post oves, post pecora, post agros, q. d. Dives qui post aurum non abit, est ille qui in pecoribus, & terræ frugibus, non in auri, argentique acervis divitias suas constituit: quamvis non neget etiam illum post aurum non abire, qui, cùm illud habeat, illi avarè non incumbit, sed liberaliter in pauperes erogat. Olim enim simplex, & innocens veterum opulentia consistebat in ovibus, bobus, agris, quos labore suo excolendo justum sibi, suisque parabant cibum; uti fecit Job cap. 1. 3. Abraham, & Lot Genes. 13. v. 5. Innocentia ergo peperit agriculturam, avaritia verò thesauros auri, & argenti: quamquam, & in agris, ac pecoribus possit esse excessus, & nimia cupido ea augendi, quam proinde à se resecat dives qui sanctus, & beatus esse cupit; uti resecavit Job, Abraham, ceterique Patriarchæ. Quare sub auro, oves, boves, agros, & quidquid auro est æstimabile, intellige.

Mysticè, beatus est dives, id est, vir sanctus, qui (ut ait S. Ambros.) dives est Deo, qui virtutem, & sanctitatem colit, qui quasi mercator virtutibus comparandis insudat, qui opes numquam perituras ambit, qui non sperat in suis, sed in Christi meritis. Hic dives tunc beatus est, cùm sine macula est, cùm scilicet leves etiam venialium peccatorum maculas diluit, & quantum potest declinat. Sed idem est vir beatus atque tranquillus; quare maculæ leves, quæ beatitudinem laxant, etiam tranquillitatem turbabunt. Eas ergo pro utili declinabit Sanctus, ubi beatus, & tranquillus consistat, & persistat.

VERS. 9. QUIS EST HIC, ET LAUDABIMUS (græcè, μακαριοῦμεν, id est, *beatificabimus*, beatum dicemus, beatum prædicabimus) EUM? FECIT ENIM MIRABILIA IN VITA SUA.) Græcè, *in populo suo*. Quia rarò dives caret macula injustitiæ, superbiæ, gulæ, &c. Rariùs invenitur, qui sit auro veniente contentus; rarissimè, qui in eo non speret, mentemque ab eo avertat: idcircò tamquam de re rara, mira, & eximia ait: *Quis est hic, & laudabimus eum?* q. d. Tales pauci, & rari, sed magni, eximii, & admirabiles sunt. *Fecit enim mirabilia in vita sua.* Primum enim mirabile, & quasi miraculum est, quòd præter communem hominum sensum, & morem divitias inordinatè non amet; sed in iis quærendis, augendis, conservandis conscientiam sine macula intactam, integramque conservet: divitiæ enim sunt illecebræ ambitionis, superbiæ, gulæ, iræ, aliorumque scelerum: unde divites multi sunt superbi, lauti, iracundi, imperiosi, cùm pauperes sint humiles, parci, mansueti, subditi. *Quidni*, inquit S. Bernard. de Convers. ad Cleric. c. 30. *periclitetur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc sæculo nequam?* Idem libr. 2. de Consider. c. 12. *Magnus est, qui incidens in adversa, non excidit vel parum à sapientia: nec minor, cui præsens felicitas si arrisit, non irrisit. Quamquam faciliùs inveneris, qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna, quàm qui propitia non perdiderunt.*

Hic facit quasi miracula

Primò.

Secundò. Secundùm miraculum est, quòd post aurum non abiit, sed aurum post ipsum. Sicut enim umbra sequitur corpus, sic honor sequitur fugientem, & opes contemnentem. Aurum ergo, dum illud habes, parvi pendere, magni, & mirabilis est animi. Hic ditior est quovis divite qui natat in auro, nec tamen eo satiatur.

Gnoma. Præclarè Seneca lib. 2. de Paupertate: *Nemo*, ait, *Deo dignus est, nisi qui opes contemnit: hoc efficiunt divitiæ, inflant animos, superbiam, & arrogantiam pariunt, invidiam contrahunt, eousque mentem alienant, ut fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet.* Et epistol. 88. adversus Peripateticos loquens, divitias esse malas ostendit. Idcircò epist. 20. inquit: *Magnus est ille, qui in divitiis pauper est; sed securior, qui caret divitiis: nam divitiæ nedum non faciunt hominem bonum, verùm neque divitem; quia avaritiam non extinguunt. Veræ autem divitiæ sunt composita paupertas in lege naturæ, quæ sola avaritiam extinguit: non enim qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est: tantum enim unicuique deest, quantum cupit: propterea brevissima ad divitias per contemptum divitiarum via est.* Et Epicurus dicere consuevit: *Si ad naturam vivas, numquam eris pauper; si ad opinionem, numquam eris dives: exiguum enim natura desiderat, opinio immensum.* Insuper divitias

A non esse bona ostendebat Boetius 2. de Consolat. ex eo, quia tunc solùm nitent, dum eas effundimus; non autem, dum accumulamus. Præterea, quicumque divitias coacervant, ac magnifaciunt, multiplici ratione contra naturam operantur. Primò, quia natura ea, quæ terrena sunt, & ex terra prodeunt, nostris pedibus subiecit: nos autem ea tamquam idola veneramur, & supra caput collocamus. Insuper, quia veræ divitiæ per naturam factæ sunt communes; nos autem eas congerendo, nitimur reddere nobis proprias, & commune omnibus egentibus, præter naturam ab eis auferimus. Præterea, quicumque in divitiis accumulandis versantur, frequenter desiderio ducti possessoribus earum vim inferunt. Demum violentia utuntur: quia tunc dicimur vim alicui inferre, dum illud detinemus ne suum finem attingat: veluti tunc gravibus vim inferimus, dum eis impedimento sumus ne tendant ad centrum: finis autem divitiarum, & pecuniæ est usus, & effusio: dum ergo eas coacervamus, detinemus ne suum assequantur finem, & propterea vim eis inferimus. Hac de causa Ari-
B stoteles in 1. Moral. Nicomach. cap. 3. dixit, summum bonum non esse collocatum in divitiis, quia vita pecuniis incumbens βιαστικὸς, id est, modo quodam vim infert, sive violenta est. dicitur autem violenta varia ratione, ut patefeci, & præsertim postrema. Denique Pindari vox est: *Beatus, qui simul opes, & mentem possidet.*

Divinè S. Gregor. Nazianz. docet veras opes, delicias, & honores non consistere in earum ambitu, sed contemptu. Paradoxum hoc videtur, at revera ita se res habet. Unde dilaudans monachos, Horum, inquit, *opes sunt in paupertate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in cælibatu (siquidem præstantiores fortus illi sunt, quos secundùm Deum existunt, quàm qui à carne ortum ducunt:) qui delicias minimè studere pro deliciis habent, qui regni cælestis causa humiles sunt, qui in mundo nihil habent, & supra mundum existunt, qui etiam in carne extra carnem vivunt, qui portionem Dominum habent, qui propter inopia regnum laborant, & propter inopiam regnant.* Veræ ergo opes sunt inopia, vera gloria in gloria. *Veri monachi qui?*

Tertium miraculum est, quòd non speret in pecunia sua, uti facit mundus, sed in Deo vivo, & vero: ideoque Dei *Tertiò.*
C causa, & amore, auro ad ejus gloriam utatur, alendo pauperes, Religiosos, Dei ministros, loca sacra, &c.

Sequuntur duo alia mirabilia, de quibus ait: *Quo probatus est*, &c. *Tales divitias* (ait Origen. lib. 2. in Job) *habuit laudabilis ille Job, castas, mundas, incoinquinatas, incontaminatas. De hoc namque dictum est, atque de similibus illius usque in æternum: Beatus, qui inventus fuerit dives iustus, qui post aurum non ambulaverit, nec speraverit in argenti repositione. Verè enim inæstimabilis, atque æterna beatitudo est, ut, cùm quis dives effectus fuerit, non confidat in auro, neque intendat in argenti repositione, sed recondat hoc in mandato Altissimi, & det in eleemosynam pauperibus, sed seminet, & latè spargat ea per animas miserorum, & per ora esurientium, vel per ora debilium, per destitutos, & miseros, iuxta hoc quod dictum est. Seminate vobis ad iustitiam, ut metatis fructum vitæ*, Osee 10. 12. Id fecisse S. Job ostendit Origen. ex cap. ejus 31.

Scripsit in hanc Ecclesiastici sententiam S. August. homiliam nonam inter 50. eamquem initio sic explicat: *Beatus vir, qui post aurum non abiit*, &c. *Fratres, interrogemus conscientias nostras, & videamus si ita cupiditatem con-*
D *temnimus, ut istius beatitudinis participes esse possimus. Fortè aliquis intra se cogitat, & dicit: Nec furtum, nec violentiam facio, nec rapinas exerceo, nec res alienas aliquando negavi. Fortè ideò non negasti, quia tibi nemo commendare voluit; aut, si commendavit, sub testibus commendavit. Dic mihi, si reddidisti, quando à solo solus, ubi Deus inter vos fuerat, accepisti? si tunc reddidisti, si mortuo eo qui commendavit, nescienti filio reddidisti; tunc te laudabo: quia post aurum non iisti; quia potuisti transgredi, & non es transgressus: quia potuisti facere malum, & non fecisti. Aut si fortè sacculum alienum solidorum, ubi te nemo vidit, in via invenisti, & sine ulla mora, cuius fuerat, reddidisti.* Subdit exemplum pauperis, qui cùm invenisset sacculum plenum ducentis solidis, integrum ei, qui perdiderat, restituit, nihilque præmii ab eo, accipere voluit, ut ille stomachans proiiceret sacculum, dicens: *Si non vis à me aliquid accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fratres mei? Theatrum mundus, spectator Deus. Victus ille, quod offerebatur, accepit, & continuò totum pauperibus erogavit. Unum solidum in domum suam non misit. Considerate, fratres, tam gloriosum exemplum, & tam admirabile factum.* Vide, & S. Am-

S. Ambros. hanc sententiam pertractantem lib. de Naboth cap. 13. A

Denique praeclarè S. Bernard. serm. 1. in festo omnium Sanctorum, *Veruntamen*, inquit, *quid sibi vult, quòd eadem promissio facta est pauperibus & Martyribus? nisi quia veri martirii genus paupertas voluntaria est: Beatus vir, ait Propheta, qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius est, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus? an non meritò coronabitur, qui sic certaverit, mundum abiiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & (quod gloriosius est) de semetipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem. Denique propterea pauperibus pariter & Martyribus regnum cælorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur.*

VERS. 10. QUI PROBATUS EST IN ILLO (auro) ET PERFECTUS EST, ERIT ILLI GLORIA ÆTERNA] Aliqui nervosiùs legunt, *erit illi in gloriam æternam.* B Vide Franc. Lucam hic annot. 274. Græca habent ἔσω, vel, ut alii, ἔσαι εἰς καύχημα, id est, *erit*, vel *sit in gloriationem*, ut de eo gloriari possit Deus, angeli, & ipse dives justus. *Perfectus* est, quia tentatio & probatio constantem in ea facit perfectum. ita Romana Latina & Græca. Multi addunt *perfectus inventus est*; Tigurina, *compertus integer*: quia verba: Hebræorum realia sæpè per verbalia vel mentalia exponenda sunt, ut res dicatur esse talis vel talis, cùm talis deprehenditur, vel pronuntiatur, uti ostendi Jerem. 1. 10. Sic hic *perfectus* dicitur, qui per probationem auri perfectus invenitur.

QUI POTUIT TRANSGREDI, ET NON EST TRANSGRESSUS: FACERE MALA, ET NON FECIT] Nervosiùs (licèt eodem redeat sensus) codices manuscripti hæc æquè ac versum præcedentem legunt per interrogationem, ac proinde pro *qui*, legunt *quis*. Græca enim tribus hisce versibus habent τίς, id est, *quis*: unde sic vertunt, *quis probatus est eo, & perfectus extitit, & sit ei hoc laudi? Quis potuit transgredi, & non est transgressus? & facere mala, & non fecit?* Tigurina, *quis eo probatus est, & compertus integer? is esto specimen gloriæ. Quis potuit peccare, qui non peccavit? Quis malè agere, qui malè non egerit?* q. d. Rarus est dives, cujus virtus auro probata integra & perfecta inventa sit: quare quisquis ille est, gloria æterna apud Deum & homines dignus est. Rarus est, qui non tantùm per liberum arbitrium, sed multò magis per divitias habens illecebras omnis peccati, potensque impunè leges omnes transgredi; nullam tamen transgressus est. Hinc enim opes græcè vocantur δυνάμεις, id est vires, potentiæ; ac latinè facultates, eò quòd facultatem, potestatem & vires præstent tum ad virtutes, tum ad vitia qualibet, prout diviti ad alterutrum eis uti libuerit. Nam ut vulgò dicitur: *Magnes humani cordis est aurum.*

Quartò. Quartum ergo mirabile & quasi miraculum est, quòd dives auro probatus, perfectus inventus est. Probatus ac tentatus est Abraham, an potiùs filium quàm Deum amaret: probatus & tentatus Job calamitatibus, an earum causa Deo malediceret. Ita dives idcircò impletur divitiis, ut probetur, an earum fiducia & amore capiatur. Mirabile est juvenem inter virgines pulchras versari, & earum decore non demulceri. Mirabile item inter fulgentes pecunias morari, & earum fulgore non capi. Divitiæ vocantur *mendacium*, vocantur *fallacia divitiarum*, vocantur *inanitates falsæ*, vocantur *fascinatio nugacitatis*. Quàm igitur mirabile diu inter mendacia distineri, & ab eis non falli? picem tangere & non inquinari? Alterum miraculum est potuisse transgredi, & non fuisse transgressum. Potest enim pauper sæpè velle peccare: at non ita ei adest posse. Dives verò, qui ut vult potest, & cui semper ad manum est peccandi facultas; si numquam crimen admittat, an non id mirabile est?

Nota, divitias esse tentationem & probationem, ut est etiam mulier pulchra. Qui igitur cupit ditari, cupit se periculo obiicere, utinam non pereat in illo!

Nota Secundò, divitem esse perfectum, si inculpatè vivat; quomodo enim imperfectus in tanta peccandi licentia non peccet?

Nota Tertiò, divitias esse potentiam, vires & facultatem ad peccandum: sunt etiam ad benefaciendum; sed nostra miseria fit, ut eis potiùs ad malum abutamur, hæc Palacius.

Elegantèr ex Rabano & S. Bernardo Hugo: *Verè martyrii*, inquit, *genus est voluntaria paupertas. Quid enim mirabilius, aut quod martyrium gravius, quàm inter epulas esurire, inter vestes algere, paupertate premi inter divitias, quas ostendit mundus, quas offert malignus, quas desiderat noster appetitus? Mirabile est ignem tangere, & non uri: spinas colligere, & non pungi: lapides portare, & non lædi. Et divitiæ ignis sunt, & spinæ, & lapides.* Quare verè Philosophus: *Quod ignis est auro*, inquit, *hoc aurum est homini*: quia sicut ignis probat auri puritatem, sic aurum probat puritatem cordis. Apud Maximum monachum extant hæ sapientum gnomæ, serm. 12. Xenophontis: *Paupertas per se docta philosophia: quæ enim hæc verbo suadet, illa opere cogit. Multorum malorum tegumentum est opulentia.* Menandri: *Beatus est ille, qui opes & mentem habet. Is enim honestè, &, ut decet, iis utitur.* Democriti: *Divites multi sunt procuratores, non autem pecuniarum domini.* Isocratis: *Præsentibus contentus esto, & futura quærito.* Demonactis: *Sunt quidam, qui non in hac vita præsenti vivunt, sed magno studio præparant, quasi alteram vitam sint acturi, non hanc præsentem.* Philisthionis: *Etiamsi fueris terræ decem millium cubitorum dominus, mortuus tamen eris trium duntaxat vel quatuor.*

Paupertas est martyrium.

Gnomæ.

ERIT ILLI GLORIA ÆTERNA] quia ad hanc suspexit, & ob hanc temporales opes & gloriam despexit. At quanta est hæc merces? quis eam non ambiat, & ob eam omnia terrena & caduca contemnat? Quid enim & quanta est æternitas & æterna gloria? *Æternitas*, ait Richardus Victor. libr. de Æternitate, *est diuturnitas sine initio, & sine fine, carens omni mutabilitate.* Et Gilbertus Porretanus: *Æternitas est una singularis & individua, simplex & solitaria mora, in qua neque collatio, neque collectio est.* Unde Boetius lib. 5. de Consolat. prosa 6. *Nunc* (momentum sive perfectum durationis) *stans, non movens, sese facit æternitatem. Æternitas igitur est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Et S. Anselmus: *Æternitas ejus verò est, quæ nihil aliud est quàm ipsa, immutabile ens & sine partibus*, q. d. Æternitas est duratio Dei, sicut ævum est C duratio angelorum, qui habent principium sed carent fine, cùm Deus tam careat principio quàm fine. Hinc Albertus Magnus in Summa p. 1. tract. 5. q. 23. *Æternitas*, inquit, *dicitur ab ex, vel extra, & terminus: quia scilicet extra terminationem est posita.* q. d. Exterminitas vel interminitas. Æternitas enim est ætas intermina, carens omni fine & termino.

Æternitatis definitio & etyma.

Alii æternitatis nomen derivant à Græco ἀεί, id est, semper, ut æternitas sit idem quod sempiternitas. Alii illud derivant ab æthere: in ethere enim & cælo omnia sunt æterna, cùm sub eo omnia sunt temporanea. Meliùs Grammatici: Æternitas, inquiunt, dicitur quasi Æviternitas: ævum enim dicitur à Græco αἰών, quasi ἀεὶ ὤν, id est, semper existens: talis autem est æternitas. Unde Varro lib. 5. *Ævum, ait, dicitur ab ætate omnium annorum: hinc æviternum, quod factum est æternum: id ait Chrysippus esse ἀεὶ ὤν*, Isidorus verò lib. 7. Origin. cap. 1. *Æternus est (Deus) quia sine tempore est. Non enim habet initium neque finem. Hinc & sempiternus, eò quòd sit semper æternus. A quibusdam autem æternus ab æthere dictus creditur; quoniam cælum* D *sedes eius habetur. Unde est illud: Cælum cæli Domino. Et hæc quatuor unum significant: nam una eademque res dicitur, sive dicatur æternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis.* Ratione tamen priùs est esse immutabilem: quia enim Deus est immutabilis, hinc est immortalis & æternus.

Denique piè & eruditè S. August. lib 11. Confess. cap. 11. æternitatem describit, & cum tempore comparat: *O sapientia*, inquit, *Dei, lux mentium, nondum intelligunt, quomodo fiant, quæ per te atque in te fiunt, & conantur æterna sapere; sed adhuc in præteritis & futuris rerum motibus cor eorum volitat, & adhuc vanum est. Quis tenebit illud, & affiget illud, ut paululùm stet, & paululùm rapiat splendorem semper stantis æternitatis, & comparet cum temporibus numquam stantibus, & videat esse incomparabilem: & videat longum tempus, nisi ex multis prætereuntibus motibus, qui simul extendi non possunt, longum non fieri; non autem* præ-

præterire quidquam in æterno, sed totum esse præsens? & videat omne præteritum propelli ex futuro, & omne futurum ex præterito consequi; & omne præteritum ac futurum ab eo, quod semper est præsens, creari & excurrere? Quis tenebit cor hominis, ut stet & videat, quomodo stans dictet futura, & præterita tempora, nec futura, nec præterita æternitas! Et iterum cap. 13. *Anni tui nec eunt, nec veniunt: isti autem nostri & eunt & veniunt, ut omnes veniant. Anni tui omnes simul stant, quoniam stant; nec euntes à venientibus excluduntur, quia non transeunt: isti autem nostri omnes erunt, cùm omnes non erunt. Anni tui dies unus, & dies tuus non quotidie, sed hodie: quia hodiernus tuus non cedit crastino, neq; succedit hesterno. Hodiernus tuus æternitas: ideò coæternum genuisti, cui dixisti: Ego hodie genui te.*

Vers. 11. IDEO STABILITA SUNT BONA ILLIUS IN DOMINO, ET ELEEMOSYNAS ILLIUS NARRABIT OMNIS ECCLESIA SANCTORUM] q. d. Ideo à Deo stabilem æternamque gloriam, & ab hominibus, præsertim fidelibus & sanctis, laudem perennem consequetur. Opponit enim Ecclesiam, id est, cœtum Sanctorum, cœtui impiorum, qui laudant divites, non justos, sobrios & timoratos; sed injustos, rapaces, gulosos, prodigos, ut eorum opibus fruantur. Tò in *Domino* idem est, quod à Domino, apud Dominum, per Dominum, in mente, memoria, remuneratione, destinatione & decreto Domini. Nervosiùs tamen dicit *in Domino* quàm à Domino. q. d. In ipsis Domini thesauris, in ipsis ejus arcis, adeoque in ipsis Dei visceribus, tutò, stabiliter & fideliter hæc bona divitis eleemosynarii asservantur. Græca concisè sic habent: *stabilientur bona ejus, & eleemosynas illius enarrabit Ecclesia.* Eleemosynam Hebræi vocant חסד *chesed*, id est, pietatem, putà opus pium, quo opes & operæ conferuntur in pauperes religiosos, templa, aliasque res pias: sicut S. Gregorius omnes opes Ecclesiæ in pauperes Italiæ, imò totius orbis distribuit. *Sic S Bernard.* epist 95. citans hanc Siracidis sententiam enarrat & celebrat eleemosynas Archiepiscopi Eboracensis.

Nota. Tò *stabilita sunt*, vel, ut græcè est, *stabilientur*, dupliciter accipi potest. Primò, de stabilitate, id est, æternitate gloriæ paratæ illi à Deo in cælo. q. d. Bona opera ejus apud Deum stabiliter conservantur, ut ea post Christi mortem stabili, imò æterna gloria remuneret. Unde Tigurina vertit, *hujus enim virtutes* (videtur legisse ἀρεταὶ pro ἀγαθὰ) *constabilientur: & cœtus sanctorum prædicabunt benefacta eius;* alii, *firma erunt benefacta eius, & misericordias eius enarrabit Ecclesia.*

Secundò, de stabilitate bonorum, id est, opum. q. d. Divitis bona, id est opes, per ejus sanctitatem & eleemosynam stabilientur, id est, Deus illa ipsi firma & stabilia efficiet: sicut ex adverso ab injustis & impiis opus aufert, juxta illud;

De male quæsitis non gaudet tertius heres.

Unde moraliter hic disce, eleemosynas & justitiam stabilire divitibus suas opes, eas verò luxare, infirmare & auferre tenacitatem & injustitiam. Hoc norunt sapientes mercatores, qui merces, naves & lucra sua assecurant per eleemosynas, & opera pia. Idipsum docet S. Paulus 2. Corinth. 9. *Potens est*, inquit, *Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Et mox: *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen* (opum & eleemosynæ) *vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.*

Tertiò, Palacius quælibet bona hic accipit. sic enim prius membrum explicat, q. d. Si dives non transgrediatur, bona ejus stabilita erunt, scilicet, bona temporalia & spiritualia. Uti enim Abraham tentatus in filio, illum non amisit, sed stabiliùs accepit: ita dives probatus in divitiis, & inculpatus in eis, eas non amittit, sed stabilit. Nam eleemosyna exorat ab omni malo: ergo exorabit, ut bona tua spiritualia & temporalia non tibi elabantur, sed stabiliantur.

In secunda parte multa nos Auctor docet. Primùm, proprium divitis sancti munus esse eleemosynas facere; ut id mirabile sit, quòd dives divitias faciat à se continuò fluere, Deus autem eas stabiles faciat, ac velut aquas Jordanis in suum alveum reducat. Secundò, docemur, non in unum aut alterum eleemosynam pii divitis perve- | *eleemosyna ... [illegible]*

nire; sed in omnem Ecclesiam quæ laudat beneficia sibi præstita. Ergo si fieri potest, ad omnes perveniat divitis eleemosyna; uti Deus pluit super omnes. Tertiò, docet Auctor, potissimè eleemosynam tribuendam esse sanctis; *Laudes*, inquit, *Ecclesia sanctorum*: sicut Deus sua beneficia piis maximè confert. Quartò, docet, quod sit officium ejus qui beneficium recipit, scilicet, laudare & enarrare beneficium acceptum. ita Palacius.

Exemplum illustre extat in S. Gregor. Nazianz. qui in orat. 19. de funere patris sui, quam habuit coram tota Ecclesia, illius æquè ac matris suæ largas celebrat eleemosynas. *Quis*, inquit, *pauperibus, hoc est, natura pari honore prædita, vel animo condolentior, vel manu liberalior? sic enim haud dubiè quasi alienorum bonorum procurator, de bonis suis existimans, pauperum inopiam quantum poterat sublevabat; nec superflua tantùm, sed necessaria quoque in eam rem insumens, id quod hominis amicissimè erga pauperes affecti clarissimum est argumentum.* Consonant quæ de matre Nonna subjicit: *Ad benè*, inquiens, *de omnibus merendum sic erat prompta & alacris, ut nulla hujus rei satietate affici posset, quæ denique non opes solùm omnes, quas vel primùm habuit, vel postea consecuta est, cupiditate sua minores existimabat, sed se quoque ipsam, si fieri potuisset, & liberos, ut ex ipsa sæpè audivi, promptè & lubenter vendidisset, ut in pauperum usus insumerentur.* Multa hujusmodi extant exempla, ut de San Martino apud Sulpitium, de Paula Romana apud S. Hieron. epist. 27. de S. Paulino apud S. Gregor. lib. 3. Dialog. de S. Benedicto, Joanne Alexandrino, aliisque.

Præclarè S. Ambros. lib. 2. Offic. cap. 28. *Hoc maximum*, inquit, *incentivum misericordiæ, ut compatiamur alienis calamitatibus, necessitatem aliorum quantum possumus, & plus interdum quam possumus; melius est enim pro misericordia causas præstare, vel invidiam perpeti, quàm prætendere inclementiam.* Hæc Ambros. dixit, & fecit: nam omnia sua, & sacra Ecclesiæ vasa conflari, & in egenos erogari præcepit.

OMNIS ECCLESIA] Id est, omnes fideles Ecclesiæ, imò omnes partes Ecclesiæ. q. d. Omnibus liberaliter dat eleemosynam: idcircò ab omnibus ut liberalis celebrabitur. Quæ ergo hæc est *Ecclesia*, nisi templa, quæ ædificant & exornant? monasteria & hospitalia, quæ fundant? Religiosi, quos alunt? viduæ, orphani & pupilli, quibus prospiciunt? infirmi, quos visitant, & quibus tenerè indulgent? nudi, quos vestiunt? esurientes, quos satiant? & omnes egeni, quibus subveniunt? domus enim & fortunæ eorum est quasi sinus Abrahæ in terra, ubi omnes pauperes suam inveniunt requiem.

SUPER MENSAM MAGNAM SEDISTI? NON APERIAS SUPER ILLAM FAUCEM TUAM PRIOR] Transit à divitiis ad delicias, quasi affines & vicinas: ex divitiis enim itur ad delicias. Sicut ergo hucusque docuit, moderandum esse appetitum divitiarum: sic nunc docet, deliciarum orexin esse cohibendam per temperantiam: intemperantia enim nocet valetudini, decori, famæ & conscientiæ. Primum ergo dat hoc honestatis & temperantiæ in mensa servandæ præceptum dicens: *Super* (id est, ad juxta) *mensam magnam*, id est, magnificam & splendidam *sedisti: non aperias super illam faucem tuam prior*, ut aperto gutture pandas tuam gulam, qua ex impotenti ciborum & deliciarum orexi ilicò ante ceteros, etiam seniores & digniores, præceps patinas invadas, escas arripias, discindas, laceres & in fauces hiantes injicias: hoc enim tum indecens est, immodestum, incivile & rusticum; tum intemperantis animi gulæque indicium: sed expecta, donec is qui mensæ præest, aut digniores te, mappas explicent, cibos dividant, tibique tuam partem distribuant. Hoc enim honestatis ordo, reverentia seniorum, & ciborum temperantia exigit, ut ostendas te gulæ tuæ dominari, seniores revereri, & ordinem decoremque servare. Intellige hæc, nisi tu ipse sis præses vel dignior in mensa. Tò ergo *aperias faucem*, notat ingluviem: Tò verò *prior*, superbiam convivæ. Jam Tò *prior* non est in Græco: sic enim habet Complut. *In immensa magna cùm sederis, ne aperias guttur tuum super illam.* Igitur ita comedas, ut tamen aviditatem comprimas, serenitatem non perdas, famem cohibeas. ita comedas, ut ipsa celeritate & præcipitatione vescendi animus non distrahatur, nec totus sit in patinis, sed

Vers. 12. primum in mensa præceptum.

par-

partem attentionis suæ det lectioni, aut cogitationi piæ. A ita comedas, ut astantes nihil in te immoderatum notent, nihil abiectum videant, nihil sordidum animaduertant. ita comedas, ut pedagogum, scilicet angelum Custodem, assistentem, & Deum præsentem advertas.

Mysticè Rabanus: *Docet nos*, inquit, *ut in meditatione legis Dei simus providi & cauti. Mensa magna est copia Scripturarum divinarum: super quam sedentes non debemus esse procaces, ut aliquid indignè sine doctore & sine prævio rapiamus; sed magis tritam vitam Sanctorum sequentes, eorum disciplinis instructi regulam veritatis teneamus.* Rursum S. August. serm. 45. de Sanctis, sic legit: *Ad mensam magnam sedisti? scito quoniam talia oportet te præparare.* idque exponit de Martyribus: *Quæ est*, inquit, *mensa magna, nisi unde accipimus corpus & sanguinem Christi? Quid est, scito quoniam talia oportet te præparare, nisi quod S. Joannes exponit epist. 1. cap. 3. Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas ponere?* Pari modo cetera, quæ subdit mensæ præcepta, mysticè adaptes mensæ spiritali Eucharistiæ, doctrinæ & S. Scripturæ: quam. quam verius est S. Augustinum loco citato citare potiùs cap. 23. Proverb. v. 1. & 2. juxta Septuag. ibi enim habe- B tur *Tò scito quoniam talia oportet te præparare;* cujus nulla hic fit mentio.

Vers. 13. Vers. 14. NON DICAS SIC: MULTA SUNT QUÆ SUPER ILLAM SUNT: MEMENTO QUONIAM MALUS EST OCULUS NEQUAM]. Ita legendum cum Romanis & Græcis. Perperam ergo Rabanus & Dionys. pro *sic multa*, legunt *simulata*, sicque exponunt, q. d. Non dicas detrahendo hospiti & convivio,

Secundum Simulata & ficta sunt, quæ in mensa hic apponantur, non vera & pretiosa uti præ se ferunt. v. g. phasiani & cycni, qui hic ostentantur, non sunt veri, sed ementiti: artocreæ, quæ jactantur esse ex carne aprugna vel cervina, sunt ex porcina vel bovina, &c. Mysticè, ne dicas in S. Scriptura aliqua esse ficta, falsa vel dubia.

Rursum Lyran. & alii passim pro *sic* perperàm legunt *si*, quod Primò, Lyran. sic exponit q. d. Si multa edulia in mensa apponuntur, cave ne obmurmures culpesq; herum de luxu & fastu, quòd nimis magnificam mensam instruxerit, sed grato & modesto animo accipe, quæ apposita sunt.

Secundò, Palacius legens per interrogationem: *Si multa sunt, quæ super illam sunt?* sic exponit q. d. Cùm sedes ad mensam, ne interroges an sint multa cibaria in mensa ponenda? Memento, quòd oculus hospitis tui irritabilis etiam in convivio malus erit, & irritabitur contra te ut illiberalem qui parvo nescias uti: nec enim creatum est quidquam tenerius, aut irritabilius, aut impatientius oculo, & propterea *lacrymabitur à facie sua*, id est, ab aspectu suo: cùm scilicet viderit te interrogantem, an sint cibi multi, cùm fortasse ille paucos habeat. Ne igitur interroges sintne cibi multi, ne irrites oculum adeò ex se irritabilem: & lacrymari cogas eum, quem exhilarare debueras. hæc Palacius.

Tertiò, meliùs Jansenius *Tò si* exponit per *siquidem*, ut sit vocula confirmantis respondens enclitico γε, quod est in græco. q. d. Ne dicas, Siquidem multa sunt super illam, ideò oportet me multa comedere. Verùm pro *si* legendum cum Romanis *sic*. Adstipulantur Græca, quæ sic habent: *Ne dicas, Multa quidem sunt, quæ super illam sunt:* subaudi, ergo multum vorabo, meq; iis opplebo. Ad gulam enim & ingluviem spectant præcedentia & sequentia. Unde Tigurina hunc versum priori connectens, ita clarè vertit, *si accubuisti mensæ magnificæ, ne faucibus tuis inhies in illam, quòd dicas, multa esse apposita* (q. d. Ideò multis me ingurgitabo, ait Vatabl.) *sed quantum malum sit oculus nequam, memineris.* q. d. Si multitudo ferculorum te allicit ad voracitatem, eam reprime per memoriam infamiæ & invidiæ. *Oculus* enim *nequam* est oculus avari & invidi, juxta illud c. 14. 8. *Nequam est oculus lividi.* Avarus enim dolet, dum videt & invidet convivas multa ex suis edulijs edere & consumere, vel dissecare & dividere, quæ ipse integra & intacta servari vellet, ut ex eis alia convivia novis convivis instruat. Avari enim sæpè eadem variis hospitibus apponunt, ut suam magnificentiam ostentent, ideoq; eadem intacta relinquunt, ut integra ad alia convivia conservent. Vide dicta c. 14. v. 8. Hunc avari livorem & invidiam exaggerans subdit: *Nequius oculo*, &c. Aliter Lyranus qui hæc accipit de oculo gulosi, hic enim malus est & nequam. *Nam maior est*, inquit, *quàm venter; quia frequenter plus cupit quàm venter recipere possit.* Sic puerorum oculus major est ventre; quia omnia, quæ vident, habere volunt.

NEQUIUS OCULO (malo & invido,) QUID CREATUM EST? IDEO AB OMNI FACIE SUA LACRYMABITUR, CUM VIDERIT] Aliqui rursum cum Lyrano de gula sic exponunt q. d. Gulæ non est indulgendum, eò quòd oculus, id est, animi cupiditas quæ obiectu aspectuq; rerum jucundarum & delectabilium excitatur (unde dicimus cupiditatis oculos ad rem aliquam adiicere) prava sit, & incitata semel non facilè rursus coerceri ac reprimi possit. *Ab omni facie lacrymabitur*, id est, ægrè feret si minùs parata sint fercula delicatè, quàm cupiat appetitus. coerce ergo oculum, ut coerceas gulam. Huc accedit noster Pineda Eccles. 1. v. 10. n. 4. qui sic exponit: *Nequius oculo quid creatum est? ideò ab omni facie sua lacrymabitur, cùm viderit.* q. d. Quidquid in faciem & in oculos incurrit, postulat statim cor, & depereunt oculi; nisi statim concedas, dolent graviter & assiduè illacrymantur. Cùm verò fieri non possit in humanis, ut tam facilè sit, quæ videris consequi, quàm aspicere; necessum est (ut eleganter dicebat Diogenes apud Dionem Chrysostom. orat. 4. de regn.) *eum, qui variis cupiditatibus agitatur, crebriùs continentiusque gaudere & affici ægritudinibus, quàm venatores capta & deperdita præda.* Alii meliùs hæc accipiunt de livore & avaritia. Unde Jansenius pro *sua* legens *tua*, sic exponit q. d. Inter creata nihil pejus est oculo malo & invido: ideoque ob magnam suam malitiam etiam lacrymas profundet, graviterque discruciabitur ab omni tua, quam ei exhibes, facie. Verùm *sua* non *tua* legunt ceteri codices omnes, etiam Romæ emendati. Porrò Græca neutram vocem habent; ac pro *facie* legunt προσώπου, quod tam personam quàm faciem significat. Unde Hugo sic exponit, q. d. *Ab omni facie*, id est, coram omnibus hominibus & angelis, *lacrymabitur* in die judicii. Alii germaniùs q. d. Oculus avari videntis & invidentis multa è suis à convivis consumi, lacrymatur, & cruciatur à quavis persona etiam dilectissima, & ab omni facie sui convivæ. Si enim eum abstinentem videat & tristem, tristitia hac affligitur: sin videat eum liberaliter comedentem & hilarem, avaritia & invidia cruciatur. Unde Tigurina vertit, *nam quid nequius oculo creatum est? quippe quacumque de causa* (Vatabl. *super re quavis oblata;* alii, *omnibus modis*) *lacrymatur*. C

Hic sensus facilè aptari potest nostræ Latinæ Vulgatæ. *Facies* enim hic uti & alibi sæpè non activè capitur, ut sit heri avari, qui aspicit; sed passivè, ut sit convivarum, quæ ab hero aspicitur. Ac consequenter pronomen quoque *sua* non activè sed passivè sumitur: *sua* ergo, id est, sibi objecta, suam faciem suosque lividos oculos ferientem, suam avaritiam cruciante, q. d. Avarus, invidus cruciatur ab omni facie convivarum sibi objecta: quævis enim rerum species ferit, cruciatque ejus avaritiam & livorem. Sic Levit. 13. 55. & Num 11. 6. dicitur, *Si lepra mutaverit* עינו *eno*, id est, *oculum* vel *faciem suam;* hoc est, ut Noster vertit, *colorem suum*. Est metonymia: sumitur enim potentia pro objecto, putà oculus pro colore, qui oculo aspicitur. Exemplum festivum suggerit S. Ambros. libr. de Naboth cap. 4. *Comperi*, inquit, *viri fidem, si quando ovum ei esset appositum, queri quòd pullus esset occisus*: ex ovo enim excludi poterat pullus.

D Secundò, *facies* propriè & activè accipi potest, ut sit ipsius avari aspicientis, q. d. Avarus invidia & dolore, dum videt multa à suis consumi, adeò cruciatur & dolet, ut copiosas fundat lacrymas, quæ omnem, id est, totam ejus faciem irrigent. Avarus effusè totus tristatur, cùm viderit convivas suos lætari & suaviter vesci. Aut *ab omni facie sua*, id est, ab omni conversione faciei suæ, hoc est, quòcumque converterit faciem suam, cruciatur & lacrymatur, cùm viderit res suas sibique dilectas consumi. Qui sensus ferè eodem cum priore redit. Atq; hunc ultimum esse sensum genuinum significant Græca etiam Romæ correcta, quæ pro eo quod sequitur, *Cùm videris, ne extendas manum tuam*, sic legunt: *Quocumque respexeris* (licet Complut. legant *respexerit*) *ne extendas manum tuam*. q. d. Ad quodcumque ferculum faciem converterit, quodque intentiùs inspexerit, cave ut illud tangas, Vers. 15.

discindas, dividas; quia aspectus hic signum est illud præ ceteris ab eo amari; ubi enim est oculus, ibi est pariter cor & amor: quare illud comedi sibique eripi dolebit, ideoque cruciabitur & lacrymabitur.

Ubi Nota. Τὸ *cum viderit*, pleraque Biblia cum Rabano, Lyrano, Hugone & Dionysio jungunt cum *ab omni facie lacrymabitur*. Græca verò & nonnulla manu scripta, quæ citat Franc. Lucas in Notis ad hunc locum, cum Jansenio referunt ad id quod sequitur, *Ne extendas manum tuam*. Biblia verò Romę correcta ad utrumlibet referri posse indicant: sic enim legunt & dispungunt duos hosce versus: *Nequius oculo, quid creatum est? ideò ab omni facie sua lacrymabitur, cùm viderit, ne extendas manum tuam prior*. Unde liquet τὸ *cùm viderit* tam ad *lacrymabitur*, quàm ad *ne extendas* referri posse, juxta sensus jam datos.

Avaritia comes invidia.

Moral. Disce hic quàm oculus avari sit nequam, id est malignus, invidus & lividus. Idipsum graphicè depingit S. Chrysost. homil. 10. in 1. ad Corinth. *Et quid*, ait, *oculis illis impudentius? quid magis inverecundum? ne eius cultum & oculos intuearis, quòd sunt hominis; non enim sic aspiciunt humani oculi. Non aspicit avarus homines tamquam homines, non aspicit cælum tamquam cælum, neque sursum respicit ad Dominum; sed omnia putat esse pecunias. Hominum oculi solent intueri homines afflictos, & dolere ac misereri; isti autem raptores vident pauperes, & efferantur. Hominum oculi non tamquam propria vident aliena, sed etiam propria tamquam aliena, & non desiderant quæ data sunt aliis, sed in alios quoque sua effundunt? isti autem non ferunt nisi res omnium acceperint. non enim humanum, sed belluinum habent visum. Hominum oculi nudum videre suum corpus non ferunt; suum enim est, etiamsi alterum, quod attinet ad personam: isti autem nisi omnia denudaverint, & omnia domi recondant, numquam satiantur, imò verò numquam implentur*. Idem homil. 64. in Joannem: *Gravis*, ait, *morbus est avaritia: oculos cæcat, & aures obstruit, & quavis bellua saeviores reddit*. Porrò quòd avaritia sit invidia, & invidia avara, ostendam proximè Proverb. 28. 22.

Denique ad Τὸ *nequius oculo quid creatum est?* spectat problema de optimo & pessimo, propositum à R. Johanne quinque suis discipulis. Quæsivit enim: *Quænam res vobis videtur optima?* Respondit, Primò, R. Elleezer filius Hyrcani, *Oculus rectus*. Secundò, R. Josue dixit, *Socius bonus*. Tertiò, R. Joseph ait, *Vicinus fidelis*. Quartò, R. Simeon nihil magis homini expedire judicavit, quàm *exitum rei considerare*. Quintò, R. Eleezer filius Arach: *Mihi verò*, inquit, *videtur optima res animus optimus*: atque huic palmam dedit magister R. Johannes. Idem deinde quæsivit: *Quænam res vobis videtur pessima, & summè cavenda?* Respondit Primò, R. Eleezer filius Hyrcani: *Oculus nequam res est nequissima, aut certe nequissimæ rei nuntia*. Secundò, R. Josue: *Ego vero*, inquit, *quod oculo nequam est tributum, socio perfido censeo tribuendum*. Tertiò, R. Joseph, *vicinum infidelem rem nequissimam* pronuntiavit. Quartò, R. Simeon asseruit, *Nequissimum est mutuum non reddere, cùm illud acceperis*, juxta illud psal. *Mutuabitur peccator & non solvet: justus autem miseretur & tribuet*. Quintò, R. Eleezer filius Arach, *Nequissimum*, inquit, *est cor nequam & pravum*. Cui assentiens magister R. Johannes: *Eleezer*, inquit, *rem acu tetigit: quæcumque enim à ceteris dicta sunt, ille tam breviter quàm sapienter complexus est*. ita refertur in *Pirke avoth*, id est in Apophtheg. patrum Hebr. cap. 2. Ibidem R. Josue: *Oculus nequam*, inquit, *& cogitatio perversa, & odium in alios conceptum, ad interitum hominem ducunt*. Est hoc secundum convivale præceptum sive monitum: sequitur tertium:

VERS. 16. *Tertium.*

NE EXTENDAS MANUM TUAM PRIOR, ET (id est, *ne*) INVIDIA CONTAMINATUS ERUBESCAS] Jussit ne quis prior instar lupi aperiat fauces super fercula; hic consequenter jubet, ne quis prior in ea manum extendat: hoc enim ex illo consequi solet, sicut ex gula interna (cujus indicium est guttur hians) sequitur externa. Causam subdit: ne hospitis avari & invidi contra te avaritiam & invidiam suscites & irrites, qua fiat ut te ignominia aliqua notet & contaminet, dum, scilicet, te oculo verberet, aut verbis sugillet quasi gulosum, inverecundum, audacem, minùs liberum, &c. ideoque coram convivis pudefias & erubescas. Huc facit illud Comici: *Modestum esse decet eum qui alienis vescitur*.

Moraliter disce hic quantum malum sit invidia, ut nequius illa nihil sit. Vide S. Basilium homil. de ira & invidia, & orat. 10. de invidia & odio, ubi aptè & eleganter invidos Primò, comparat vulturibus & muscis. *Ac sanè*, inquit, *quemadmodum vultures ad ea quæ malè olent maiori cum impetu feruntur, multa prata, multasque jucundos & odoratos locos prætervolantes; &, ut muscæ sana corporis partibus neglectis, ad ulcera contendunt: sic etiam invidi, vitæ splendorem rectique factorum magnitudinem ne aspiciunt quidem, ad marcida verò mirum in modum feruntur*. Secundò, eosdem comparat ærugini, dæmoni & viperæ. *Sicut enim ærugo*, inquit, *proprius est frumenti morbus, ita invidia amicitiæ. Et ut boni est nemini invidere; sic dæmonis peculiaris est invidentia: & perinde ac rubigo ferrum, sic invidia animam, quæ ex ea laborat consumit, imò verò magis. Nam ut viperam ajunt, exeso materno utero in lucem edi: ita quoque malevolentia animam, quæ ipsam pepererit, conficere solet. Invidus unicam mali expectat recreationem, nempe sicubi conspexerit aliquem ex his, quorum bonis mæret, ruentem. Hic est odii scopus infelicem ex felici, miserabilem ex beato aliquem conspicere*. Tertiò, eosdem comparat pantheræ feræ sevissimæ: *Pantheræ*, inquit, *naturalem quamdam habent adversus hominem iram, & solent vel maximè in oculos insilire. Hinc qui insanæ illi bestiæ illudunt, ex charta imaginem quasi hominem ipsi ostentant: illa vero nimio impetu ac nulla consideratione facta, esse hominem autumans, chartam veluti hominem concerpit, atque hinc quanto sit in hominem odio, ostendit: sic & dæmon in imagine quo sit in Deum odio, ostendit, cùm ipsum Deum attingere nequeat*.

Invidi similes muscis,

& ærugini, dæmoni ac viperæ,

& pantheræ.

Porrò modos invidiam superandi alibi indicavi, nunc unius S. Mechtildis exemplo eos disce: *Mechtildis omni maior invidia, invidias charitate superavit, virtute confudit, auctoritate obruit, humilitate prostravit, ut sibimet sociiies si qua moliretur aliquid contra illam*, ait Engelhardus in ejus Vita c. 5.

VERS. 17. *Quartum.*

NE COMPRIMARIS IN CONVIVIO] Complut. & Lyran. addunt *vino*, alii *vini*, q. d. Ne premas & graves stomachum nimio vino; sed utrumque delent codices Romani & Græci. Nam de vini excessu aget v. 30. & sequ. Unde Jansenius censet hic agi de excessu cibi, q. d. Ne te nimio cibo ingurgites, ut stomachum opprimas. Verùm Græca habent elegantem paronomasiam: μὴ συνθλίβου αὐτῷ ἐν τρυβλίῳ, id est, *ne comprimaris cum eo in catino*; alii, *ne colliditor cum eo in catino*; Tigurina, *ne extendas manum quocumque respexerit, nec eam una cum ipso in catinum inferas*. τρυβλίον enim est catinus, patella, ollula, acetabulum. Ratio est, quia honestas & commoditas comedendi in convivio exigit, ut unus conviva alium; præsertim herum, in patina arctiore, dum ex ea cibum sumit, non comprimat, sed suas vices, expectet, ut cùm ille suam ex ea portionem acceperit, ceteri deinde suam sumant ordine quisque suo. Qui secùs faciunt, imitantur porcos, qui gulosi in eodem trunco vorantes & sorbentes se invicem comprimunt, ut escas aliis præripiant; unde fit, ut non rarò truncum evertant, & tam se quam socios escis privent. Denique generatim *ne comprimaris in convivio*, ut, scilicet, loco aliquo honoratiori aut commodiori sedere velis, ubi & alios comprimas, & vicissim ab ipsis comprimaris. Hoc enim tibi æquè ac aliis indecorum & molestum est, ac suavitatem & delectationem, quæ ex convivio hauriri poterat, omnibus adimit vel impedit. Verum enim est illud vulgo tritum:

Dimidium pastus, qui bene sedet, habet.

Quocirca præceptum convivale est: *Det operam convivator, ne convivæ nimis arctè & angustè sedeant, ac proinde non plures invitet quàm locus convivalis capere possit*. Ratio est, tum quia arcta sessio convivis est valdè molesta: tum, quia ex ea teter odor nascitur, qui convivas affligit, juxta illud Horatii epist. 1. ad Torquatum:

Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ,

id est (ut interpretatur Lambinus) licet ut plures tecum comites adducas, sed hoc est metuendum ne è multitudine convi-

convivarum arctè sedentium exiſtat gravis & teter odor, præſertim ubi bene paſti graves vini & ciborum odores ſinguli exhalabunt. Teter enim odor nomine *capra* intelligitur: capræ enim & hirci turmatim ad paſcua euntes ſeſe comprimunt, indeque olidæ tetrum & hircinum odorem exſpirant. Eſt hoc quartum convivale præceptum: ſequitur quintum:

VERS. 18. *Quintum.* INTELLIGE, QUÆ SUNT PROXIMI TUI, EX TE IPSO] q. d. Cognoſce & metire ſenſa animi, & velita proximi ex ſenſis & volitis tuis: quare ſicut doles & cruciaris, ſi quis in menſa tua ſit inſolens & audax, ut omnia fercula diſcindat; ut omnes carpere, omnibus, etiam ipſi hero dominari velit: ita pariter ſcito dolere & cruciari proximum, ſi idem vel ſi mile in menſa ejus facias tu vel alij. Igitur ſicut velles alios in tua menſa eſſe honeſtos, temperantes & verecundos: ſic pariter talis eſto tu in menſa aliena. Græca idipſum pluribus inculcant, ſic enim habent: *conſidera, quæ alterius ſunt, ex teipſo: & de omni re cogita*; Tigurina, *affectum alterius e tuo judica, & rem omnem perpende.*

Poſſet Secundò, hæc ſententia remotiùs referri ad invidiam & oculum nequam, de quo egit v. 15. q. d. Vis ſcire, an proximus, v. g. qui te invitavit ad convivium, *Secretum ad explorandum affectum alterius.* interiùs contra te foveat invidiam & odium, an verò amorem, & benevolentiam? explora animum tuum, an, ſcilicet, tu erga eum habeas animum benevolum, vel averſum & malevolum: ſi deprehendas animum tuum erga eum eſſe benevolum, eique bene velle; ſcito, quòd & ipſe viciſſim animo erga te ſit benevolo, tibique bene velit: ſin verò ſentias te eſſe animo averſo ab eo, illumque odiſſe; ſcito, quòd & ipſe averſus ſit à te, teque oderit. Sicut enim magnes amoris eſt amor, & amor amorem conciliat: ſic viciſſim magnes odij eſt odium, atque odium parit odium. Fieri enim nequit ut hi amoris & odij affectus ita animo tegantur, quin aliquando per ſigna externa ſe prodant, itaque alteri innoteſcant: quo fit ut ſimilem in eo affectum reciprocum excitent. Sapientis ergo conſilium eſt: *Vis amari ab omnibus? tu prior omnes ama. Vis ut nemo te averſetur, & odio proſequatur? tu prior neminem averſeris vel oderis.* Audi Poetam:

Ut præſtem Pyladem, aliquis mihi præſtet Oreſtem.
Hoc non fit verbis; Marce, ut ameris ama.

Verùm prior ſenſus magis eſt appoſitus, ideoque genuinus, eumque indicat id quod ſequitur:

VERS. 19. UTERE QUASI HOMO FRUGI HIS QUÆ TIBI APPONUNTUR: NE, CUM MANDUCAS MULTUM, ODIO HABEARIS] τὸ *frugi* jam non eſt in Græco, qui ſic habet: *Utere quaſi homo iis quæ tibi appoſita ſunt, & non devores, ne odio habearis*, q. d. Comede ut homo, honeſtè, modeſtè & ſobriè, non verò inhoneſtè, immodeſtè & intemperanter vora ut lupus vel beſtia. Tigurina, *Sextum.* *appoſita* (Vatabl. *propoſita*) *tibi ut homo comedas, nec ingurgites, nec venias in odium* tum hoſpitis, tum convivarum ceterorum. Eſt hoc ſextum convivale præceptum, jubens frugalitatem, ut ſcilicet frugaliter quis utatur ferculis, nec omnia diſcindat, diſtribuat & voret, ſed pauca tantùm, quæ ſobriæ refectioni ſufficiunt: ceteris parcat, ut hoſpes iis ad alios uſus uti poſſit.

Nota τὸ *quæ tibi apponuntur*: eo enim monet Primò, ne in omnia quæ appoſita ſunt, manibus noſtris involemus, eaque aliis quaſi præripere conemur: deinde ne quæ ante alium poſita ſunt, ſed quæ ante nos, accipiamus: inſuper ne quoquò verſus in catinum manus inferamus, ut delicatiora nobis ſeligamus. Huc facit illud civilitatis menſæ præceptum: *Ne ex toto eligas diſco, quod ſolent liguritores: ſed quod fortè ante te ſitum eſt, accipe.* Et illud Homeri: *Id quoque ſi fuerit inſigniter elegans, alteri cedas, & quod proximum eſt accipias.* Ut igitur intemperantis eſt in omnes patinæ plagas manum immittere; ita parum decorum eſt patinam invertere, quò veniant ad te lautiora. Si quis alius cibum porrexerit elegantiorem, præfatus excuſatiunculam recipias; ſed reſecta tibi portiuncula reliquum offeras ei qui porrexerat, aut proximè aſſidenti communica. Omnino ergo decenter, & quadam quaſi cum religione cibi apprehendi & attrectari debent. Sic comedes ut homo: vorare enim belluinum eſt, alienumque à natura hominis, qui ex omnibus animantibus, uti rationis, ſic & ordinis, honeſtatis, pudoris, modeſtiæ, benevolentiæ temperantiæque particeps eſt.

Præclarè Muſonius apud Stobæum: *Cùm*, inquit, ἀκρασία, *id eſt, exceſſus nulla non in re ſit vitioſus, tum in victu maximè ſuam naturam prodit, dum liguritores & belluones ex hominibus in ſues aut canes, quoad ingluviem, transformat, omnis honeſtatis in manibus, viſu iſque oblitos, tantam ipſis inſaniam cupediarum amor gignit. Quid autem turpius quàm ita ſe præſtare circa victum, ut bruti potiùs animalis, quàm prudentis hominis imago ſit?*

Hujus frugalitatis ſectator & præco eximius inter philoſophos fuit Socrates. cujus de illa hæc extant axiomata apud Laertium lib. 2. c. 5. *Nota.* *Qui frugaliter vivunt, longè plus habent voluptatis, ac minus cruciatum, quam qui indulgent genio. Diis ſimillimus eſt, qui quàm pauciſſimis eget: cùm dii nullius egeant rei. Optimum cibi condimentum eſt fames, utpote quæ optimè edulia edulcet, & nullius ſit impendii.* Quocirca ipſe convivis frugale apparans prandium, uxore ſollicita de meliori: *Eſto*, inquit, *bono animo: nam convivæ ſi frugi temperantesque ſunt, boni conſulent: ſin minùs, nulla nobis horum cura eſſe debet. Alii vivunt ut edant, ego edo ut vivam.*

VERS. 20. *Septimum.* CESSA PRIOR CAUSA DISCIPLINÆ; ET NOLI NIMIUS ESSE, NE FORTE OFFENDAS] Eſt hoc ſeptimum monitum, ſcilicet, ut conviva caveat ne ultimus ſit in comedendo, ſed potiùs prior comedere ceſſet, idque *cauſa diſciplinæ*, id eſt, honeſtatis & verecundiæ, quam docet diſciplina; ut ſcilicet oſtendat, ſe bene eſſe inſtitutum, recteque educatum & moratum. In conviviis enim maximè oſtenditur bona vel mala educatio per continentiam vel ingluviem, perque civiles vel inciviles mores & geſtus. Ratio præcepti eſt: quia ſi nimius nimiſque prolixus ſit in comedendo, offendet hoſpitem & convivas, quin & ſubinde Deum & angelos. Græcè, μὴ ἄπληστος, id eſt, *ne ſis inſatiabilis*. Unde Tigurina, *modeſtiæ cauſa deſiſte primus, nec te præbeas inſatiabilem, ut ne quid offendas.*

Continentiæ aurea præcepta. Huc ſpectant aurea continentiæ præcepta, quæ S. Martinus Dumienſis Epiſc. in libello ad Mironem Galliciæ regem conſcripſit: *Ede citra cruditatem, bibe citra ebrietatem. Nec præſentibus deliciis inhærebis, nec deſiderabis abſentes. Victus tibi ex facili ſit: nec ad voluptatem, ſed ad cibum accede. Palatum tuum fames excitet, non ſapores. Deſideria tua parvo redime, quia hoc tantùm curare debes, ut deſinant; atque quaſi ad exemplar compoſitus divinum, à corpore ad ſpiritum, quantum potes, te feſtina reducere.* Huc facit illud Ovidij:

Neve diu præſume dapes, ſed deſine citra,
Et capias paulò, quàm cupis eſſe, minus.

Ita B. *Poſthumius nunquam pleno ventre à menſa receſſit; nec ſitim ſuam unquam ſedavit, dicens, non eſſe dignum ſi carnis voluntas eſſet impleta*, ait auctor Vitæ ejus, quæ extat in Vitis Patrum lib. 1. Huc facit proverbium Arabicum: *Ede vice poſt vicem* (id eſt, parum ſed ſæpè) *& pingueſces.* quod Galli dicunt:

Souvent & peu manger, fait l'homme engraiſſer. S. Hieron. Euſtochio (epiſt. de cuſtod. virgin.) hoc dat præceptum: *Sit tibi moderatus cibus, & nunquam venter expletus. Plures quippe ſunt, quæ cùm vino ſint ſobriæ, ciborum largitate ſunt ebriæ.* Et mox: *Sint tibi quotidiana jejunia, & refectio ſatietatem fugiens. Nihil prodeſt, biduo triduoque tranſmiſſo, vacuum portare ventrem, & ſi pariter obruatur, ſi compenſetur ſaturitate jejunium: illicò mens repleta torpeſcit, & irrigata humus ſpinas libidinum germinat.*

VERS. 21. ET SI IN MEDIO MULTORUM SEDISTI, PRIOR ILLIS NE EXTENDAS MANUM TUAM, NEC PRIOR POSCAS BIBERE] Juſſit ut prior ceſſet comedere, hic jubet ut prior non incipiat, q. d. In convivio incipe poſt alios comedere, & ceſſa ante alios, ut in incipiendo ſis poſterior, in finiendo prior, ac paucis refectionem abſolvas. Igitur nec in comedendo, nec in bibendo ſis primus ſolet enim in menſa præire comeſtio, deinde ſequi potus: hic enim aſſumitur ut vehiculum cibi, ut ſcilicet cibum per venas & membra ſingula vehat & deferat. Quocirca medici docent ſanitati conducere, ut quis initio refectionis non bibat, ſed comedat bene, ut in ſtomacho ſolidum jaciat fundamentum ciborum, quod deinde bibendo potu irriget: perinde ac in navi ſubſternitur ſaburra quaſi navis fundamentum, & libramentum. Iidem tamen ad facilem cibi permeationem, & ad ventris laxationem ſuadent à cibis liquidioribus ordiendum eſſe pran-

prandium. Quocirca antiquitus cœnam (quæ priscis erat loco prandii: nec enim bis, sed semel in die sumebant cibum, scilicet vespere cœnabant; ergo non prandebant, ut patet ex Athenæo in Cœnis sapientum) ab ovis auspicabantur, malis finiebant. Unde proverbium: *Ab ovo usque ad mala*, q. d. Toto convivio, toto colloquio, toto opere. Hac de causa in conviviis honestorum initio convivator discindit & distribuit cuique escas; illis comestis prior ipse poscit potum, ac convivis præbibit, quibus deinde singulis ex ordine potus per famulos defertur. hoc enim honestas, modestia, decensque ordo postulant. Vide Clemente Alexandr. libr. 2. Pædag. cap. 1. ubi plurimis præcepit, quomodo in alimentis versari oporteat, ac non solùm voracitatem & ingluviem, velut ab omni ratione divina & humana alienissimam, sed etiam omnes inciviles, indecoros, illiberales, agrestes & belluinos membrorum corporis motus gestusque in cibo sumendo vitandos esse docet.

Vers. 22. QUAM SUFFICIENS EST HOMINI ERUDITO VINUM EXIGUUM, ET IN DORMIENDO NON LABORABIS AB ILLO, ET NON SENTIES DOLOREM] Græca jam non habent τὸ *vinum*, nec τὸ *dolorem*: sic enim legunt, *quàm sufficiens est homini erudito exiguum, & in lecto suo non anhelat*, id est, ut Complut. *non anhelat*; Roman. *non laborat asthmate*; Tigurina, *modicum enim homini temperanti sufficit, quo fit ut non anhelet in cubili suo, nec dolorem sentiat.* *Eruditum* enim, græcè πεπαιδευμένον, vocat bene institutum, bene moratum, sobrium & temperantem. Commendat sobrietatem tum in cibo, tum magis in potu (quia in potu, præsertim sapido & delicato, faciliùs exceditur quàm in cibo) ex effectu, putà, sanitate, quam tuetur & auget. q. d. Modicum cibi & potus homini sufficit, imò expedit ad sanam & jucundam vitam: nam is parit facilem commodumque somnum, qui omnes corporis vires & spiritus restaurat. Ex adverso largior & nimius cibus potusque, præsertim vespere (olim enim cœnabant tantùm, uti paulò antè dixi) noctu non sinit hominem dormire & quiescere, sed is *laborat*, id est, torquetur, cruciatur & dolet stomacho & capite. ut nimium onus cibi utrumque prægravans, ex eoque, sed magis ex potu, vapores & fumos in cerebrum ascendentes, alleviet, digerat & consumat. Ita Rabanus: *Manifestum est*, inquit, *quòd parcus & tenuis victus tam corpori quàm animæ utilis sit: & è contrario superfluus cibus vel potus ægritudinem generet, & sensum animæ minuat.* Sobrietas ergo mater est sanitatis æquè ac sanctitatis, castitatis æquè ac sapientiæ: sicut ex adverso crapula & ebrietas mater est morborum & vitiorum, libidinis & vesaniæ. *Felicior ergo semper parca temperantia, quàm profusa luxuria*, ait S. Leo serm. 8. de jejunio septimi mensis. Quocirca idem sapienter ex dictis alibi concludit: *Subtrahendum est voluptati, quod futurum est oneri*. de quo subdit Siracides: *Vigilia, cholera & tortura viro infrunito*. Pulchrè Horat. lib. 2. Carm. ode 16.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum:
Nec leves somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

Mysticè, homini ad vitam istam transigendam *vinum exiguum*, id est, pauca temporalia sufficiunt. Quæ moderatè sumpta, & sine animi adhæsione ad usum accepta, tempore dormitionis vel mortis mentem non turbant, nec spina conscientiæ pravæ aut peccati dolore molestant. Hoc igitur faciunt perfecti in vita, seipsos, inquam, ad somnum capiendum exercent & præparant, in quo quidquid est mortale, pereat: quidquid est infirmum & noxium, deficiat, ut robustum & pulchrum gloriæ resurgat. Hoc faciunt, ut se ad iter comparent, & omnia quæ possunt in æternam civitatem præmittunt, ut ibi divitias & delicias numquam perituras inveniant.

Vers. 23. VIGILIA, CHOLERA ET TORTURA VIRO INFRUNITO] Græcè ἀπλήστῳ, id est, inexplebili, insatiabili, helvoni, qui se ingurgitat, plusque ingerit quàm possit concoquere Robertus Holcot in Sapient. cap. 18. lect. 203. sub finem: Hæc omnia, ait, facit gula infrunito. Dicitur autem *infrunitus* quasi sine frumine, id est, sine sapore: est enim frumen illa pars gutturis, quæ saporem sentit. Gulosus autem morcellos deglutit sine sapore, in modum lupi devorando: vel dicitur *infrunitus* quasi sine fruno, quod est confectio, qua coria fruniuntur: vel dicitur à frenesi, vel à fronte, vel à fræno. Unde versus:

Frons, frenesis, frumen, frunia, fræna dabis.

Verùm de etymo infruniti dixi cap. 23. 6. Huic gnomæ antistropha est ista:

Parvo fames constat, magno fastidium.
Nam tibi quanta ferent pingues fastidia mensæ?
Prolixam tollunt fercula parva famem.

Vide S. Chrysost. hom. 13. in 1. ad Timoth. ad illa: *Quæ in deliciis est, vivens mortua est*: ubi graphicè intemperantiæ damna depingit.

Hanc gnomen apposito vulpis & porci apologo illustrat Cyrillus libr. 4. Apolog. Moral. cap. 4. Macilenta vulpes, inquit, replendæ cutis curam agens, magistram quærebat. occurrit porco pingui & crasso, sed in posterioribus vili cutis apertura fœdato; eique dixit: *Quid est frater, quòd te non tantùm sorditie fœdum, verùm etiam in posterioribus video tam corrosum? satis certè miranda est cutis de plenitudine, sed non minùs de sorde aut ulcere.* Apologus gulæ. *At ille rubore vultu confuso respondit: Nempe charissima faciens est hoc pestilentissimi muris: ad cujus minimi morsus acumen nil passus est sensus, quia moles pinguedinis nec sensum pati, nec motum subvenire permisit. Nonne crassities venatorum, insensibiliter lethiferum patitur illum? Ad hæc vulpes antiquæ eruditionis sententiam adjunxit: Maledicta sit talis pinguedo, quæ est stupefactiva sensus, dissolutiva motus, sorde referta, doloroso onere gravata, generationis orbata gaudio, & vita est privata tripudio. Plurima enim sunt, quæ pinguedine suffocantur, & prolifica virtute orbantur. Gaudeo certè amodo, tui, & chara mihi est admodum experientia mei.* Unde Epimythium abstinentiæ colligens subjicit: *Naturæ de cætero juxta sapientis dictum moderantiæ serviam, quæ pluribus ingens salutis mater, & modicis contenta est. Nec obediam intemperantiæ gulæ, quæ infirmitatis est fons, pœna libidinis, desipientiæ semita,* Gulæ damna. *mortis janua, & nunquam est ullis epulis contenta. Cùm enim ad salutem & vitam naturali lege ordinatus sit cibus, ea in perditionem & mortem suam immoderatè utitur fatuus. Magistrum igitur hisce eruditum, discipula vale dicto reliquit.*

SOMNUS SANITATIS IN HOMINE PARCO. DORMIET USQUE MANE, ET ANIMA ILLIUS DELECTABITUR] Vers. 24. Græca hæc transponunt: priorem enim versum postponunt posteriori, hoc modo: *Somnus sanitatis in intestino moderato: surrexit prior* (Complut. *manè*, græcè enim est πρωΐ) *& anima ipsius cum ipso. Labor, vigilia & cholera, & tortura cum viro insatiabili*, alii, *labor pervigil & cholera & tormina comitantur hominem inexplebilem*; Tigurina clarè, *somno salubri fruuntur viscera temperantis: manè surgit idem & compos est animi: labor autem vigil & cholera torsionesque exercent hominem insatiabilem*; Arabicus, *vigilia, & labor, & tormentum viscerum commotio* (perturbatio) *cum eo, qui deditus est ventri: dormitio sanitatis cum homine continente.*

Opponit commoda temperantiæ & temperantis damnis intemperantiæ & intemperantis: quòd hæc Primò, pariat vigilias; tum, quia onus cibi, quo prægravatur intemperans, non sinit eum dormire & quiescere; tum, quia vapores & fumi indigesti ex eo continuò ascendentes ferientesque cerebrum, impediunt ejus soporationem. Secundò, quòd pariat choleram; tum, quia dulces cibi in bilem vertuntur, ut docent medici; tum, quia copia ciborum & vinorum accendit calorem & sanguinem, qui accensus cibum accendit & in choleram vertit: cholera enim est inflammatio sanguinis & chili. Cholera autem, utpote acris & ardens, vehementer corpus pungit, cruciat, accendit, ac febres ardentes creat, atque lites in rixis pugnasque & cædes concitat. Tertiò, quòd pariat torturam, id est, tormina, putà ventris distensionem, flatus & phlegmata: in hæc enim vertitur cibus indigestus, eò quòd calor naturalis non sufficiat ad tantam ciborum copiam ritè conficiendam & concoquendam. Quæ in re gulosi advertant, jam in se impleri executionem judicii illius, quod Apocal. 18. de Babylone illa ipsorum matre definitum legimus: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Cibos enim quos guttur cum voluptate glutivit per diem, stomachus noctu digerere non valet, ut eos in chilum & sanguinem convertat; quare illos in flatus & phlegmata commutat, quæ eructationes, distensiones, asthmata, colicas, catarrhos aliosque

Intemperantiæ damna tria.

mor-

morbos creant. Vesperi ergo, dum cœnas, sobrius esto, memor, si secùs facias, te brevem modicamque gulæ vovoluptatem luiturum longa duraque totius noctis tortura & eculeo. S. Ambros. libr. de Elia & jejunio cap. 8. accipit torturam gehennæ, quam subjit dives Epulo post mortem sepultus in inf. rno, ubi lingua ejus gulosa cruciabatur in flamma. item de tortura solicitudinum, quas subeunt instruentes convivia, easque ipse graphicè depingit. Huc facit Hebræorum proverbium in Gemara: *Plenus venter omne genus mali.* Nam ii, quorum ars sagina est, nec vivere possunt diu, nec sani esse, animusque eorum nimio sanguine & adipibus quasi luto involutus, ut vigilans nihil tenue, nihil cæleste, sed semper de ventris cogitat ingluvie: ita cùm somno sopitus est, immoderato pastu potuque obstupef. ctus absurdis jactatur insomniis, ut meritò mentis humanæ sit expers; cùm è contrà hominis parcè, continenter, severè sobrièque viventis somnia jucunda esse soleant, ut, cùm experrectus, illorum meminerit, & inter dormiendum etiam, quod dicit Sapiens, *anima illius cum ipso delectetur.*

Apologus. Elegans apud Æsopum extat apologus muscarum de gulæ noxa: *In cella quadam*, inquit, *melle effuso, muscæ advolantes comedebant. implicitis autem earum pedibus avolare non poterant. Cùm verò suffocarentur, dicebant: Miseræ nos, quia ob modicum cibum perimus. Fabula significat, multis gulam multorum malorum esse causam.* Præceptum est Scholæ medicorum Salernitanæ:

Ex longa cœna stomacho fit maxima pœna:
Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.

Horat. lib. 2. Sermon. satyra 2.

Alter (tenuiter vivens) *ubi dicto citiùs curata sopori*
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.

Epictetus: *Hoc*, inquit, *inter epulandum considera, duos tibi excipiendos convivas, corpus & animam. Tum quòd omne in corpus collatum, repentè effluxurum sit: quod verò in animam perpetuò servandum.* Clemens Alexandr. *Hominibus*, inquit, *sæpè damnum & modestiam procreavit voluptas: graves autem affectiones, & oblivionem, & insipientiam in animo parit nimia alimenti copia.* Musonius libr. 1. de Alimentis: *Fundamentum*, inquit, *sapientiæ est continentia circa cibum & potum.* E contrario, ut ait Horat. loco suprà citato, *Corpus onustum:*

Hesternis vitiis, animum quoque prægravat unà,
Atque affigit (Lambin. legit, *affligit*) *humo divinæ*
particulam auræ.

Præclarè Climacus apud Anton. in Melissa p. 1. c. 14. *Qui ventri deditus*, inquit, *spiritum scortationis superare conatur, similis est restinguenti incendium cum oleo.* Idem ibid. cap. 39. *Onerato ventre deprimitur cor: si autem ejus ratio habeatur, exultat mens.* Et S. Chrysost. ibid. *Venter crassus*, inquit, *mentem subtilem non parit. Multa vorare, ad pardalim, ursum & leonem pertinet: pedum dolores, & capitis gravitates, & oculorum hebetudines, & manuum ægritudines, & tremores, & resolutiones, & aurigo, & febres longæ ac ardentes ex voracitate & repletione prod. ci solent. Nam cibo non saturari, sanitatem esse medicorum filii pronuntiant. Obsonii loco tibi sit inopia & fames. Condimentorum sensus ad palatum terminatur, deinceps verò indifferens est quod ingeritur, omnia ad fœtorem usque alterante natura.* Ibidem Philo: *Continentiam*, inquit, *sanitas & robur sequitur: incontinentiam verò infirmitas & ægritudo morti vicina.* Ibidem cap. 58. S. Basilius: *Contumelia dæmonum*, inquit, *nihil audet adversus jejunantem, & vitæ nostræ custodes Angeli alacriùs manent apud illos qui per jejunium purgati sunt.* Denique Comicus: *Virtutis conclave*, inquit, *temperantia est.* Plura hac de re dicam proximo opere in Proverb. c. 23. v. 3. sub finem.

Sobriæ cœnæ commoda. Primum. Igitur cœna sobria & parca conciliat, Primò, somnum facilem & suavem, carentem insomniis tetris, horridis & funestis, quæ parit nimia ciborum copia.

Secundum. Secundò, temperiem humorum, ut nec cholera, nec melancolia, nec phlegma, nec sanguis exuperet; sed singuli hi quatuor humores inter se debitam habeant proportionem & libramentum, in quo corporis sanitas & recta valetudo consistit,

Tertium: Tertiò, stomachi & intestinorum quietem (ac consequenter animæ quietem & delectationem) quia hæc rectè modicum cibum digerunt & distribuunt, ac proinde flatibus & torminibus non exagitatur. Hoc est, quod ait: *Somnus sanitatis* (id est sanus, sanitatem conser-

A vans & augens) *erit in homine parco*, id est, frugali & sobrio. Quocirca talis *dormiet usque in manè*, quia cibi eum non gravabunt, nec excitabunt, ut cogatur surgere ante tempus: ac cùm stato tempore excitatus fuerit, *anima illius cum ipso delectabitur.* q. d. S. cum ipse gaudebit, quòd in convivio & cœna hesterna sua sobrietate conservarit sanitatem tum corporis, tum mentis & judicii quam perdunt ebrii: tum conscientiæ, quòd eam non læserit per gulam & intemperantiam. Quare ilicò benè dispositus, lætus & alacer surget, ut suas preces, studia & negotia solita sui compos, vegetus lætusque peragat. Vigiliis ergo opponit somnum, choleræ sanitatem, torturæ delectationem. Pulchrè dicit: *Anima illius cum ipso delectabitur*, quia sicut citharœdus delectatur videns pulsansque citharam harmonicè compositam; illa enim concinnam harmoniam edit: dolet verò & tristatur si eam distemperatam videat; illa enim raucum & absonum edit sonum: ita pariter anima, dum corpus habet temperatum, gaudet & delectatur; quia per illud ritè canere, legere, orare, studere, &c. valet: dolet verò & affligitur, si corpus vino & crapula sit distemperatum, ideoq; B ad officia mentis ineptum. Corpus enim est quasi cithara, anima est quasi citharœdus.

Porrò somni tanta est utilitas ad hoc ut digerantur cibi, vires instaurentur, minuantur curæ, leniatur ægritudo, ut non dubitaverint ei divinitatem assignare Gentiles, qui quotquot ex rebus commodum capiebant, eas venerabantur ut numina. è quibus unus ita cecinit: *Somnum colebant ut Deum, cur?*

Somne quies rerum, placidissime somne deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministeriis mulces, reparasque labori.

Ovid. li. 2. Metam.

Sed & Orpheus somnum vocat regem fœlicium deorum, & omnium mortalium, hominum atque animantium. Sic verò cantat Seneca:

Tuque o domitor somne malorum,
Requies animi, pars humanæ melior vitæ.

In Hercule furente.

Scribit Tertullianus somnum esse recreationem corporum, redintegratorem virium, probatorem valetudinum, pacatorem operum, medicum laborum, cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit auferendo rerum etiam colo- C rem. *Perfugium videtur*, inquit Cicero, *omnium laborum & sollicitudinum esse somnus.* *De anima c. 43.*

Audi Francis. Valesium Sacræ Philosoph. cap. 73. *Viro*, inquit, *infrunito accidet vigilia, cholera, & tortura, somnus autem sanitatis in homine parco.* Nihil magis experimento cognitum, quàm eum qui se cibis implevit usque ad satietatem, non posse dormire, sed aut totam noctem vigilare huc & illuc se jactantem, neque posse loco consistere: aut dormire somnum gravem cum multis horrendisque insomniis; neque eum longum, sed crebrò interruptum, ac cum cholera nonnumquam & tortura, hoc est, cum anxietate ventriculi & vomitibus cibi corrupti, aut nauseis & ructibus nidorosis, (hic affectus vocatur ab Hippocrate cholera sicca) & cum torminibus intestinorum. illud quidem ob cibos corruptos, qui adhuc in ventriculo hærent; hoc ob eos, qui in intestina descenderunt. Eum verò, qui parcè aut citra saturitatem cœnavit, dormire usque in manè, & animam ejus cum ipso delectari, hoc est, magnam ex somno voluptatem capere, & expergisci alacrem & expeditum. quod quidem signum optimè peractæ concoctionis, atque adeò bonæ D valetudinis est. Ob hæc igitur jubet parcum esse, & prætera in omnibus operibus esse velocem. Idem paulò superiùs ex Hippocrate docet, precipuam sanitatis tuendæ rationem consistere in diæta, sive in moderatione cibi & potus. Nullus enim error in victu committitur, qui non æquè utramque partem hominis lædat. Ebrietas enim ut caput gravat, ita mentem lædit: cibi & potus ingestio nimia, ut replet cibis corpus, ita facit hominem libidinosum: otium facit corpus excrementosum, & animum mollem ac desidem; cibi abstinentia nimia extenuat ac debilitat corpora, animum verò facit meticulosum: vini potus (cui aqua erat ex re) fluxiones multas ciet, & iracundiam affert: potus aquæ (cui vino erat opus) cruditates parit & tristitiam. Si igitur, ut ad tuendam corporis valetudinem humores oportet esse compositos, ita ad valetudinem animi, affectus; & utrosque modo aliquo turbat quicumque error in victu; constat ido-

idoneam victus institutionem ad totius hominis valetudinem, corporis, inquam, & animi, esse necessariam. Cùm præcipuè non solùm talis error utrosque per se turbet, sed & alterutros per alteros. Utcumque enim turbentur succi, evenit turbari affectus; & utcumque turbentur affectus, humores quoque. Quapropter verissimè dictum est Galeno, medicinæ partem esse philosophiam morum, non solùm quæ ad reip. pertinet constitutionem, sed quæ singulorum moribus componendis se accommodat. Hæc enim affectus temperat, quæ una quidem pars est (neque ea maxima) totius victus: cùm hic, ut medicis omnibus convenit, sex constet rebus, cibo & potu, motu & quiete, somno & vigilia, aere, animi affectibus, & excretione aut retentione quorumdam. Hæc Valesius.

Sanum vesci citra satietatem. Denique inculcandus est aphorismus Hippocratis libr. 1. cap. 17. *Ubi cibus præter naturam*, hoc est plus æquo, *ingestus est, morbum facit*. Numquam enim ad satietatem, sæpè infra illam cibum sumpsisse profuit: sic enim melior fit concoctio, & minus excrementorum gignitur. Idem lib. 6. Epidem. par. 5. aphoris. 20. *Sanitatis studium est*, inquit, *non satiari cibis, & ad labores impigrum esse*. Idem asserit [illegible], hoc est, *indigentiam esse matrem sanitatis*. Hinc in Decret. dist. ult. de consecr. legimus quosdam morbo articulari & podagra laborantes, ad simplicem mensam & pauperes cibos redactos, convaluisse. Constat eos qui escis vilissimis utuntur, esse robustiores, saniores & vegetiores, uti sunt agricolæ, opifices, famuli. S. Hieron. *Epularum largitas*, inquit, *& corpus frangit & animum*. Democritus ajebat *animam siccam*, id est sobriam, *esse sapientissimam*. Idem dicebat, *satius esse mori, quàm per intemperantiam animum obnubilare*.

Moral. de damnis gulæ. Moral. disce hic, quanta sit gulæ intemperantia & noxa. Præclarè S. Basil. homil. 1. de Jejunio: *Venter*, inquit, *belua est, poscendi finem numquam faciens. Cùm cibis refertus est, de temperantia disserit: cùm autem inflationem discussit, dogmatum suorum oblivione capitur*. Idem de Legendis Gentilium libris. *Gulones*, ait, *non leviores pœnas pendunt quàm ii qui in inferno excruciantur, ut qui apertè ignem verberent, ac cribro aquam ferant, atque in pertusum dolium infundant, nec laborum ullum finem faciant*. Hinc & S. Gregor. Nazianz. in carm. de Diversis vitæ gener. ventrem escis saturatum vocat sepulcrum. Nam vivum sepulcrum circumfert, qui corpus cibo meroque distentum atque obrutum gestat. Idem in Tetrastichis:

Vinum, libido, livor & dæmon pares:
Hos mente privant, quos tenent.
His tu prece medere, fusis lacrymis, ieiunio.

Idem in Distichis: *Contumeliæ atque insolentiæ*, ait, *parens est satietas*. Quocirca sapienter S. Hieron. monet S. Paulinum epist. 13. *Convivia*, inquit, *velut quasdam catenas fugias voluptatum*. Plura vide apud Damascen. libr. 1. Parallelorum cap. 77. Rursum S. Bernard. de Interiori domo cap. 46. *Nullus tam improbus exactor est quàm venter*. Idem epist ad Robert. nepot. *Vinum mulsum & pinguia corpori militant, non spiritui. Piper zinziber, ciminum, salvia & mille species salsamentorum palatum quidem delectant, sed libidinem accendunt. Prudenter sobrieque conversanti satis ad omne condimentum, sal cum fame*. Idem de Persecut. Iustin. cap. 12. *Voluptas gutturis, quæ tanti hodie æstimatur, vix duorum obtinet latitudinem digitorum: & ejus tam modicæ partis tam exigua delectatio, quanta paratur sollicitudine, quantam deinde molestiam parit!* Idem serm. 1. de Adventu: *Plenitudo*, ait, *& abundantia temporalium oblivionem & inopiam facit æternorum*.

Vers. 25. ET SI COACTUS (gravatus) FUERIS IN EDENDO MULTUM, SURGE E MEDIO, EVOME: ET REFRIGERABIT TE, ET NON ADDUCES CORPORI TUO INFIRMITATEM] Ita Roman. & Complut. licèt Græca Romæ correcta deleant τὸ ἔμεσον, id est *evome*: quasi solùm suadeat surgere & obambulare ad digerendum cibum. Pro *surge è medio*, græcè est ἀνάστα μεσοπωρίου, quod Complut. vertunt, *surge per medium* (mensarum & convivarum) *transiens*; Romana verò legentia per ω, & accentu in pænultima, μεσοπώρου, vertunt, *surge in medio pomorum*, scilicet, in fine mensæ, dum apponuntur poma & bellaria. q. d. Surge non expectato fine secundæ mensæ; alii, *surge quasi è media cœna abiens*; Tigurina, *quòd si te cibi urgeant, exurge, obambula, tolle ut conquiescas, nec morbum corpori tuo contrahas*. Non suadet vomitum quasi bonum absolutè, sed conditionatè; si, scilicet, nimis te cibo oppleveris, ad vitandum majus plethoræ & repletionis malum. Unde rectè Jansenius: Non consulit sanè, inquit, ut ad provocandum vomitum quis se multùm ingurgitet, quemadmodum quidam parum piè consulunt; sed ut, si aliquorum improbitate & violentia quis multùm se gravarit, tempestivè surgat è mensa, ne quid indecorum in mensa patiatur, aut nimia repletio diu corpus affligat & noceat; & sic in secreto loco sine aliorum offensione crapulam evomat potiùs, quàm diu stomachus affligatur cum periculo secuturi morbi. Quo consilio satis indicat, quantoperè à crapula sit cavendum, ut pro qua curanda tam fœdo & indigno homine, planèque canino; remedio sit utendum. Turpius enim est causam hujus turpitudinis præbere, quàm turpitudinem hanc, ob magni mali evitationem, in se admittere. Proinde & satis subindicatur, quàm graviter peccent, qui postquam se gravatos sentiunt, surgentes è mensa crapulam evomunt, ut mox rursum mensam accedentes novo se cibo potuque ingurgitare valeant.

Idem suadent Hippocrates, Galenus, ceterique medici. Audi Francisc. Valesium Sacræ Philosoph. c. 73. in fine: Siquando, inquit, coactus sis, ut fit in conviviis (tametsi id vir temperans & fortis, quique rustico pudore non laboret, pati non debet) in edendo multum, consultissimum est multitudinem cibi primùm deponere, deinde dormitum ire, ut concoquatur reliquum: postea exercere, ut extrudantur excrementa. Optima autem ratio ventriculi vacuandi in vomitione est; secunda ab hac, in dejectione. Vomitio enim ejicit ex ipso ventriculi ore antequam descenderint cibi, succurritque citissimè & maximè, sine aliarum partium noxa: dejectio ex intestinis, quæ jam descenderunt. Utendum ergo, si modò facere id homo possit, vomitione statim: si autem quispiam eorum sit qui vomunt difficillimè, utendum aliquanto post alui subductione, tunc scilicet, cùm tormina aut distensionem inferioris ventris cœperit sentire. Optimè igitur, ac secundùm Hippocratis & Galeni præcepta (ut libro 7. Methodi medendi licet videre) præcepit Ecclesiasticus: *Si coactus fueris in edendo multùm, surge è medio* (his verbis significat statim id esse faciendum, antequam cibi copia noxæ aliquid afferat) *& vome & refrigerabit te*, (hoc est, sublevabit te) *& non adduces, corpori tuo infirmitatem*.

Quatuor ergo remedia nimiæ repletionis Siracides suggerit. Primum, surgere; Secundum, ambulare; Tertium, vomere; Quartum, corpus exercere. Videre enim licet quosdam ita mensæ & cyathis affixos, ut movere se loco & surgere nequeant: vel, ubi surrexerint, statim recidant, huc illuc ruant & impingant, ita ut omnibus sint ludibrio: alii plenè saginati quasi sacci pleni, aut trunci & stipites, à mensa auferantur & asportentur. De quibus Cicero lib. 2. de Finibus: *Asoti*, inquit, *qui in mensam vomunt, & qui de conviviis auferuntur, crudique postridie se rursus ingurgitant, qui solem, ut aiunt, nec occidentem unquam vident, nec orientem, qui consumptis patrimoniis egent*. Igitur quando vomitus sit honestus, quando & inhonestus, vide differentem Plutarch. lib. de Sanitate. Idem in Sympos. docens in convivio philosophandum, suadet vomitum ei qui peritè vult dicere, siquidem vinum caput tentarit: sicque Agurem à Salomone vocari *filium vomentis*, Proverb. 30. 1. eò quòd ex vomitu levato serenoque capite ad dicendum prosilierit, censet ibidem noster Salazar. *Quatuor repletionis remedia.*

Porrò Celsus lib. 1. c. 3. ex Asclepiade: Vomitus, inquit, utilior est hieme quàm æstate: nam tum & pituitæ plus, & capitis gravitas major subest. Inutilis est gracilibus & imbecillibus stomacho. utilis est plenis & biliosis omnibus, si vel nimiùm se repleverunt, vel parum concoxerunt. Itaque ubi amari ructus cum dolore & gravitate precordiorum sunt, ad hoc remedium confugiendum est.

Tropolog. Rabanus: Si multa ait, peccata commisisti, eaque in stomacho mentis congessisti, evome ea per confessionem, itaque conscientiam alleviabis & sanabis. Sic & Origen. homil. 2. in psal. 37. *Vide*, ait, *quid nos edocet Scriptura divina: quia oportet peccatum non celare intrinsecus*

Fer-

Verbasti enim sicut hi qui habent intus inclusam escam indigestam, aut phlegmatis humorem, stomacho graviter & molestè haerentem, si vomuerint, relevantur: ita enim hi, qui peccaverint, siquidem & occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, & propemodum suffocantur a phlegmate aut humore peccati: si autem peccator ipse sui accusator fiat, dum accusat seipsum, & suum peccatum confitetur, simul evomit delictum & omnem morbi causam digerit.

Secundò, Palacius mysticè hæc refert ad divites, quibus insigne datur hic consilium, ut, si multum divitiarum devoraverint, illud in pauperes evomant: ita & divitis anima, inquit, à scrupulis quiescet, & pœnas avaris irrogandas evadet.

VERS. 26. AUDI ME, FILI, ET NE SPERNAS ME: ET IN NOVISSIMO INVENIES VERBA MEA] Hoc est, ut Tigurina, *etenim quæ dico, tandem experieris*: Attentionem conciliat ad præceptum, quod ad sanitatem tuendam magnum habet momentum, quodque subdit, dicens:

IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS ESTO VELOX,
VERS. 27. ET OMNIS INFIRMITAS NON OCCURRET TIBI] *Omnis non*, Hebræis idem est quod *nulla*. Pro *velox* græcè est ἐντρεχής, id est, diligens, strenuus, acer, velox, currens (τρέχω enim est curro) item dexter, solers, circumspectus, industrius & acutus.

Velocitas salutaris, quæ? Resp. Primò. Primò, Palacius hoc monitum refert ad v. 25. q. d. In omni opere esto velox, id est, facilis, diligens, strenuus, ut scias facilè surgere, ambulare, vomere, ac ita ab infirmitate liberari, quæ tibi, nisi vomas, occurret. Verùm, ut idem fatetur, præceptum hoc, esto occasione conviviorum dicatur, in se tamen generale est, ac ad quævis opera pertinet. Unde.

Secundò. Secundò, Franciscus Valesius Sacræ Philoph. c. 73. per *velocitatem* accipit exercitationem corporis, quæ plurimùm juvat ad sanitatem tuendam. *Et omnis*, inquit, *infirmitas non occurret tibi*. Quod non ita accipiendum est, ac si nullo possit morbo penitus corripi, sed quòd nullis morbis esse poterit valde obnoxius, sed raro ac leviter iis tentabitur: nisi casu lædatur à causis, quas medici vocant non necessarias, ut ense, aut igne, aut lapidis jactu, aut domus ruina, aut contagio. Sensus ergo est, q. d. Si velox sis, corpusque exerceas, raro graviter ægrotabis. Siracidi consentit Hippocrates lib. 6. Epidem. sect. 4. dicens: *Exercitatio sanitatis est, citra satietatem cibum capere, & impigrum esse ad labores*. Parcum enim esse, quod ait Siracides, quid aliud interpreteris, quàm citra saturitatem uti cibis esse velocem in suscipiendis laboribus, quid aliud, quàm esse impigrum ad labores? exercitium intellige non nimium, sed moderatum & commensuratum cujusque complexioni & viribus, æquè ac comestioni. Nam ut habet aphorismus: *Neque satietas, neque fames, neque aliud quiddam, quod naturæ modum excedat, bonum est*. Quare sicut in cibo, sic & in motu exercitioque à multis exceditur.

Porrò, uti otium nocet corpori, sic & defatigatio: quàm interdicens Hippocrates scripsit: *Ubi lassare cœperit corpus, quiescere statim remedium est*. *Velox* ergo hic vocatur non qui præcipitatus, sed qui expeditus est, impiger & alacer. Hæc enim alacritas, & consequens ex ea velocitas, tum animum, tum corpus exacuit, vegetat & vivificat: nam spiritus vitales excitat, eosque per totum corpus celeriter diffundit, qui singula membra vegetant & roborant; itaque ab eis omnem debilitatem & infirmitatem excludunt, ut non tam moveri & progredi, quàm instar avium vel Angelorum volare videantur, uti videre est in juvenibus Italis.

Subjungit Valesius. Nam alioqui Hippocratis aphorismus habet: *Ubi fames, laborandum non est*. Unde eum ita convertenti licet dicere: Ubi laborandum, fames sustinenda non est, sed capiendus cibus. Atque eadem ratione colliges: Ubi otium, cibus capiendus non est, nisi parcissimè; & ubi multum accipiendum est cibi, non utcumque, sed multùm exercendus est homo: quia, ut idem dicit lib. de Diæta, homo comedens & non laborans, non potest esse sanus. Apposuit verò ibidem causam omnium eorum quæ diximus, his verbis: Contrarias enim inter se vires habent cibi & labores. Verùm inter se mixti conferunt ad sanitatem: labores enim ea quæ insunt, consumere solent; cibus autem & potus ea quæ evacuata sunt, explent. Itaque modus est, ut uterque ad alterum accommodetur: quia contrarias cùm habent facultates, neutrum oportet alterum superare, neque cibum umquam, neque laborem: mutuò enim sese corrigunt alterum, cùm repleat alterum, cùm inaniat. Igitur si cui laborandum necessariò, plus solito est adjiciendus cibus: si vescendum pluribus, exercendus etiam plus. Quare ne nimio indigeas motu, consultius sit parcè uti cibo. Neque tamen semper, ubi solitam cibi copiam auxeris, satis fit augere exercitationem, neque ubi satietas magna fuerit: quia, etsi cibus & labor contraria sunt, non tamen uterque post alterum commodè adhibetur; sed (ut Hippocrates inquit) labor cibum præcedere debet, non subsequi. Neque quidquam periculosius, quàm pleno ventre, aut toto etiam corpore pleno vel impuro, vehementer exerceri, antequam magna pars copiæ aut cacochymiæ manifesta evacuatione sit deposita. Quia exercitatio distrahit per corporis habitum, quæ intra ventres ac cavitates recondita sunt. E pleno igitur ventre cruda distrahit in partes alias omnes: quare & capitis, & pulmonis, & hepatis, & viscerum omnium facit obstructiones atque fluxiones multas in eas ipsas partes, & in vesicam, & in articulos, & totum corpus; unde innumeri nascuntur morbi. Igitur maximè ac primùm curandum est, ne umquam cibum capias nisi parcè, ut ab illo placidè ac longùm dormias, & à somno alacriter experrectum, impigrè exercearis, ut omnem effugias infirmitatem. Huc usque ex Hippocrate Valesius.

Eadem de labore & exercitio est omnium sapientum sententia. Hinc Plutarchus lib. de Sanitate: *Non otio*, inquit, *& inertia venalis est sanitas, quæ duo maxima sunt malorum morbos comitantium: & si quis bonam valetudinem quiete & actionum abstinentia putat se paraturum, perinde facit, ac si quis nihil despiciendo oculos, aut vocem non loquendo conservare constituit*. Et paulò post: *Sic Cyrus apud Xenophontem ait se ἐκπονεῖν*, id est, *elaborare cibum sumptum: ita enim & sanitatem conservari, & robur corporis augeri*. Galenus lib. 2. de Valetud. tuenda: *Sanitatis tutela*, inquit, *à labore est auspicanda. Exercitationibus enim firmitas membris accedit, & naturalis calor accenditur, & ex partium attritu duritia quadam comparatur, ut ait Hippocr. articuli firmantur, & sanguis per totum corpus defertur*. Plato in Theæteto: *Corporum habitus*, ait, *quiete & otio corrumpitur, exercitiis & motibus magna parte conservatur*. Aristot. in Problemat. sect. 1. problem. 47. quærit, cur salubre sit cibum minuere, & laborem augere? ac respondet, Quia causam ægrotandi affert excrementorum copia, quæ tum existit, cùm aut cibus superest, aut labor deest. *Exercitii corporalis utilitas.*

Tertiò, Lyranus & Jansenius: *In omnibus operibus tuis esto velox*, inquiunt; Græcè, ἐντρεχής, hoc est, strenuus & diligens; quomodo *velox* etiam accipitur in Proverb. cùm dicitur cap. 22. 29. *Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles*. Monet ergo, ut in omnibus quæ agenda incumbunt, homo non sit torpidus, piger & negligens; sed diligens & strenuus: sicque futurum promittit, ut non facilè accidat ei quævis infirmitas, significans, plerosque morbos ex desidia oriri ac nutriri. Ea enim melancholiam nutrit, viresque corporis enervat: cùm contrà diligentia in agendo, quæ conjuncta est promptitudini & alacritati animi, pellat mœrorem, valetudinemque conservet. Sensus ergo est, q. d. *Esto velox*, id est, diligens & alacris in operibus tuis, & nulla infirmitas occurret tibi; quia diligentia, labor & exercitium valetudinem tuentur: torpor verò, otium & desidia generant morbos. *Tertiò.*

Quartò, pro *velox* Græcè est ἐντρεχής, quod alii vertunt solers, cautus, providus, circumspectus, vigil. Hæc enim providentia & circumspectio cavet, ne quis nimis se cibo, potu, exercitio gravet, neve in ea, quæ sunt noxia valetudini, incurrat, per quæ infirmitatem contrahat. Hanc providentiam habebat Adam in paradiso: per eamque eum omnes morbos evasisset, vitamque egisset sanam, jucundam & longævam. *Quartò.*

Idem præceptum tradidere philosophi, quorum hoc est axioma: *Maturè delibera, exsequere velociter*. Sanè celeritate res maximæ, ac præsertim bella gravissima facillimè conficiuntur. Celebre est illud Julii Cæsaris, cùm Pharnacem primo congressu vicisset: *Veni, vidi, vici*: quod usurpans Carolus V. per celeritatem confecto periculoso bello

bello Germanico, devictisque hæreticis, ita immutavit: *Veni, vidi, vicit Christus.* Idem Julius dictitabat, ea facinora, quæ periculo obnoxia sunt & magna, ilicò esse gerenda: ac de his non esse consultandum, eò quòd ad hæc perficienda plurimùm valeat celeritas. Ita Plutarch. in Apophth. Roman. Huc facit illud Aristot. præceptum lib. 3. Ethic. *Consiliari debemus morosè, sed exequi velociter consiliata. Nam nocuit differre paratis.* Multa enim superveniunt quæ executionem boni consilii impediunt, si illa differatur. Vulgò dicitur, *Diligentiam esse matrem bonæ fortunæ.* In ceteris verò, ubi periculum mora declinari potest, cunctatione utendum, juxta illud, *Festina lentè.* Sic Q. Fabius Maximus exultantem victoriis Hannibalem tardando compescuit, & cunctando restituit rem. Zeuxis tardus erat in pingendo. Rogatus cur? *Diu pingo*, inquit, *quia pingo æternitati.* Nam ea quæ subitò fiunt, subitò pereunt: contrà, quæ paulatim exacta cura absolvuntur, ætatem ferunt. Citò nata, citò occidunt, diu elaborata ferunt ætatem. Beta citò nascitur, buxus paulatim.

Tropolog. hoc verius est in operibus virtutum & profectu spiritus, q. d. Esto velox, alacris & strenuus ad opera virtutum, & nulla acedia, nullus torpor, nullus languor, nulla infirmitas spiritalis ad te accedet. Unde Arabicus vertit, *esto facilis & humilis, & non accedet ad te quidquam mali.* Hinc de sponso Christo Domino dicitur Cant. 2. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum.* In quo proinde exultans Habacuc c. 3. 18. *Ego*, inquit, *in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi cervorum, & super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.* Vide quæ ibidem annotavi. Ita B. Virgo, accepto per Angelum incarnationis Verbi nuntio, exiliens *abiit in montana cum festinatione, & salutavit Elisabeth*, Lucæ 1. 39. Ubi S. Ambros. *Nescit*, inquit, *tarda molimina Spiritus sancti gratia.* S. Bernar. epist. 253. ad Guarinum: *Vincit annos*, inquit, *animus, & frigente jam corpore fervet sanctum in corpore desiderium, artubusque fatiscentibus durat tamen incolumis propositi vigor, nec sentit rugosa carnis infirma spiritus promptus. Ut quid enim metuat veterani domicilii ruinas, qui fabricam spiritalem videt in dies in sublime consurgere, proficere in æternitatem?* Qui ergo vult valere spiritu, ejusque defectus & morbos effugere, sit ὠκύπους, id est, velox cursor, ut instar cervi procurrat ad omne bonum, dicatque cum sponsa, Cant. 1. 4. *Post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Christus enim *exultavit ut gigas ad currendam viam*, psalm. 18. 6. Unde de Apostolis & Evangelii præconibus Christi asseclis, ait Isajas cap. 60. 8. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Et Paulus: *Ego*, inquit, *sic curro non quasi in incertum.* Et, *Sic currite ut comprehendatis*, 1. Corinth. 9. v. 25. & 26.

Vocanti Deo ilicò obediendū. Hæc velocitas tum in aliis, tum præsertim in vocatione Dei ad vitam perfectam, v. g. ad statum Religionis, requiritur; ut scilicet is qui vocatur, velociter Deo vocanti obediat: quia si differat, diabolus, parentes, socii, aliique illum ab hac mente deducere satagent. Unde S. Ambros. lib. 1. de Pœnitentia cap. 16. *Omne*, inquit, *studium torpescit dilatione, & ideò Dominus ut præsentium fructu cumularetur devotio discipulorum, dixit: Quoniam qui dimisisset omnia sua, & Deum secutus esset, centies tantum reciperet, & hic & in futurum. Prius hic promisit, ut fastidia dilationis auferret.* Acriùs verò ad hanc velocitatem stimulat S. Bernard. in Declamat. *Quantos*, inquit, *mundi sapientia maledicta supplantat! Noli*, inquit, *præcipitanter agere, diu considera, diligentiùs intuere. Magnum est quod proponis, & opus habes multa deliberatione. Experire quid possis: amicos consule, ne post factum pœnitere contingat. Hæc sapientia mundi terrena, maledicta, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Deo vomitum provocare. Cùm à Deo verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii Angelus, quid aliena consilia præstolaris? Ab ore putei gehennæ eripior, & inducias petam? Absconditi ignem in sinu meo, & excusso jam latere, diu mihi deliberandum est, an expergiscar, an excutiam, an abiiciam illum?* Plura vide apud Hieron. Platum de Bono status Religiosi. Huc pertinet illud Tertul. lib. de Pœnitentia cap. 4. *Audaciam*, inquit, *existimo, de bono divini præcepti disputare. Neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus; sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequii prior est majestas divinæ potestatis; prior est auctoritas imperantis, quàm utilitas servientis.*

Rumina & expende illud Isajæ cap. 40. 31. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Vide ibi dicta. Vetus est dictum: *In virtute esto delphinus*, ut sicut hic nando est celerrimus, suaque celeritate ceteros pisces præcurrit: sic pariter tu sis celerrimus in exequendo virtutis proposito, ut data occasione ilicò illam opere compleas.

SPLENDIDUM IN PANIBUS BENEDICENT LABIA MULTORUM, ET TESTIMONIUM VERITATIS ILLIUS FIDELE. Alludit, imò citat Proverb. 22. 9. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi;* ubi proximo tomo, Deo dante, plura hac de re dicam. NEQUISSIMO IN PANE MURMURABIT CIVITAS, ET TESTIMONIUM NEQUITIÆ ILLIUS VERUM EST.] Vers. 28. Vers. 29. Ita Romana & Græca: perperàm ergo Jansenius & alii legunt, *in nequissimo pane.* Post præcepta convivalia subiicit has duas gnomas in laudem beneficentiæ, quòd scilicet beneficus, qui suos panes & res liberaliter aliis, præsertim pauperibus, dispertit, ab omnibus benedicatur & laudetur, avarus verò & sordidus ab omnibus vituperetur: ut hac ratione omnes ad beneficientiam alliciat, & à sordida avaritia avertat. Igitur *splendidum in panibus* vocat beneficum & liberalem, qui suos *panes*, id est, escas, liberaliter & hilariter aliis communicat, quem proinde ut talem benedicunt & celebrant labia multorum: *& testimonium veritatis illius fidele*, id est, *& testimonium*, quod *veritati*, id est, veræ virtuti, probitati, honestati & liberalitati (Græcè καλλονῇ, id est, pulchritudini, hoc est, pulchræ munificentiæ, quæ eum facit pulchrum & splendidum: S. Ambros. lib. de Nabuthe cap. 4. legit *bonitati*, id est, beneficientiæ) eius perhibent cives, est *fidele*, id est, verum, certum, stabile, permanens & diuturnum, ut non nisi per contrarios avaritiæ actus multo tempore continuatos deleri & aboleri possit. Huic opponit *nequissimum in pane*, id est, avarum in dando pane, qui parcè & sordidè sua communicat, tum convivis, tum pauperibus: cui proinde *obmurmurabit tota civitas, & testimonium*, quod *nequitiæ*, id est, avaritiæ & sordidæ tenacitati, *illius* perhibent cives, præsertim pauperes, *est verum;* Græcè, ἀκριβὴς, id est, diligens, exactum, certum, stabile & permanens, ut non nisi per multos liberalitatis actus diu iteratos deleri & extingui possit. Unde Tigurina vertit, *panes erogantem labia prædicabunt, testificatioque decoris eius certa est: super maligno pane fremet civitas, quod certum est malignitatis eius testimonium*, alii, *qui victu splendidus est, ei labia hominum benedicunt, & testimonium honestatis ipsius fidele est: qui in victu nequam est, ei obmurmurat civitas, & testimonium nequitiæ eius exquisitum est.* Exemplum prioris, illustre est in Vita S. Joannis Eleemosynarii, cui ob liberalitatem benedixit Deus, Angeli & homines. Posterioris exemplum ibidem exstat in Petro Telonario, cui ob avaritiam omnes pauperes detrahebant, donec per visionem à Deo correptus mores mutavit, & ex avaro liberalis evasit.

Porrò Palacius sic explicat: Octauum præceptum est, ut, si aliquem convivio exceperis, splendidè excipias, & lautè: ita fiet, ut te labia laudent multorum; & hæc laus tuæ veritatis fidelis & firma est. Contra verò, si convivas sordidè excipis & parcè, murmurabit contra te civitas, & vituperium hoc verè vituperium est. *Panis* Hebræis significat totum convivium, ut illud docet de fratribus Joseph, qui audierant quòd ibi comesturi essent panem. Genes. 43. 25. Unde *splendidus in panibus* est, qui largè & splendidè convivium parat: intellige, pro dignitate convivæ. Contrà verò *nequissimus in pane*, est parcissimus & sordidus.

Nota diligentissimè verbum *testimonium veritatis illius.* Planè omnia virtutum officia laude sunt digna, sed officium charitatis est officium *veritatis*, & ejus *testimonium* fidele est, non fallax, non deceptorium. Est enim charitas vera virtus, sine qua nulla est integra virtus. Ergo qui splendidè convivium pio parat amico, charitatem ostendit: est enim sermo de conviviis piorum, qualia amicis Tobias apparabat. Hæc in conviviis charitas, veritas est, verè hominem pium esse demonstrans. Intelligis nunc

ex contrario ſenſu, quàm vituperandum ſit ex ſordida parſimonia pios malignè ad convivium excipere. Quam magna ergo charitas eſt, quæ etiam inter epulas radios ſuæ benignitatis effundit? hæc Palacius. Hinc S. Thomas 2. 2. qu. 117. art. 4. docet liberalis & ſplendidi eſſe multa dare, ſed pauca accipere, ac ad 3. citat illud Poetæ:

Si quis in hoc mundo multis vult gratus haberi,
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Porrò hic ſplendor magnificentiæ maximè decet regem & principem, qui in terris eſt quaſi ſol quidam beneficentiæ. Unde Agapetus Diaconus Admon. ad Juſtinianum Imp. num. 51. *Solis profectò partes ſunt*, inquit, *illuſtrare radiis orbem: principis verò virtus eſt egenorum miſereri. Iam verò iis clarior eſt Imperator qui pius eſt. Ille namque* (ſol) *cedit ſuccedenti nocti, hic* (Imperator pius) *autem rapacitati pravorum non concedit indulgentiæ quippiam, ſed lumine veritatis iniquitatis occulta coarguit.* Et num. 53. *Quantum poteſtate ceteris antecellis, tantum factis etiam emicare ante alios enitere. Perſuaſiſſimum enim habe, eam abs te poſtulari honeſtorum operationem, quæ magnitudini virium proportione reſpondeat. Ut igitur à Deo quaſi per præconem victor declaravis, corona invicti imperii tuo capiti impoſita, coronam etiam ex promerendis pauperibus acquirito.*

Myſticè. Myſtice Rabanus: *Hæc ſententia*, inquit, *videtur iuxta hiſtoriam ad eleemoſynarum largitatem nos exhortari: quoniam, iuxta Apoſtolum Paulum, qui parce ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam: hilarem enim datorem diligit*
2. Cor. 9. *Deus. Spiritaliter autem, qui panem verbi Dei proximis ſuis fideliter expendit, & teſtimonium veritatis coram benevolis auditoribus non abſcondit; à multis accipiet laudem benedictionis, & ab ipſo Domino hauriet gratiam ſempiternæ mercedis.*
Prov. 18. *Hinc & in Proverbiis ſcriptum eſt: De fructu oris viri replebitur venter eius, & genimina labiorum eius ſaturabunt eum. E contrario verò, quid de hæreticorum perverſa doctrina ſubſequatur, audiamus: In nequiſſimo pane murmurabit civitas, & teſtimonium nequitiæ illius verum eſt. In nequiſſimo ergo dogmate hæreticorum, qui adulterantes verbum Dei, non pane vitæ, ſed pane paſcuntur mendacii, quidquid peſtifer ſermo eorum profert: quoniam verum eſt teſtimonium, quod de eis ſcriptum eſt: Teſtis falſus non erit impunitus, & qui loquitur mendacium, peribit.*

Appoſitè & congruo ordine Siracides tranſit à conviviis ad vinum; quia vinum convivii & convivarum eſt decus vel dedecus, atque in conviviis frequens eſt compotatio: qua de cauſa convivium ab Hebræis vocatur משתה *miſte*; à Græcis συμπόσιον, id eſt, compotatio.

DILIGENTES IN VINO NOLI PROVOCARE:
VERS. 30. MULTOS ENIM EXTERMINAVIT VINUM] Τὸ *diligentes* dupliciter accipi poteſt: Primò, ut participium à verbo *diligo*, ut ſit idem quod amans. Unde Rabanus legit, *delectantes in vino*. Iam *diligentes in vino*, id eſt, diligentes vinum: eſt hebraiſmus: Hebræi enim verba contactus, ſive realis, ſive mentalis, quale eſt diligo, (diligens enim ſuo amore quaſi tangit dilectum) conſtruunt cum præpoſitione ב, id eſt, *in*.

Secundò & potiùs, τὸ *diligentes* accipi poteſt, ut nomen ſignificans ſedulos, aſſiduos, ſtrenuos. q. d. Eos, qui ſeduli & ſtrenui ſunt in vino potando, qui aſſiduè ſtudent calicibus evacuandis, qui ſtrenuam navant operam non libris, ſed ſcyphis exhauriendis; noli provocare ad potandum, nec cum eis contende & cyathis certa, uter quis bibere valeat, uti faciunt potatores: ſed potiùs à vino eos avoca, diſtrahe & impedi; ne oleum addas, ſed potiùs ſubtrahas igni.

Huic ſenſui favent Græca, quæ habent, ἐν οἴνῳ μὴ ἀνδρίζου (manuſcr. legit, μὴ σοφίζου, id eſt, ne ſis ſapiens in vino: id eſt, ne oſtenta te peritum potandi & rei Bacchicæ, aut ne inter potandum oſtentes te eſſe doctum & eruditum) id eſt, ut Complut. *in vino ne viriliter agas*; Romana, *in vino noli fortem agere*, Tigurina, *ne probes te virum in vino*. Multi enim in vino ſunt viri, in bello & opere feminæ: quibus væ intentat Iſaias cap. 5. 11. *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis.* Et v. 22. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.*

MULTOS ENIN EXTERMINAVIT VINUM] Id eſt, *multos ſubvertit ebrietas, quæ ſenſum minuit; iram, rixam & cædes excitat, libidinem inflammat, animi ſecretum per furorem aut amorem denudat*, inquit Rabanus: Huc pertinet illud Hebræorum proverbium: *Vinum intrat, ſecretum exit. Nam vinum clave caret. Et quod in animo eſt ſobrii, id in lingua natat ebrii.* Et illud: בכים בכום בכעס *backis baccos baccaas*, id eſt, *in loculis, in poculis, in ſoculis*; putà in ira, ſupple, apparet animus & mens hominis. Si enim loculos auro turgidos alicui credas, explorabis ejus fidem: in poculis verò & vino eſt veritas. Nam, ut ait Euripides: *Æs formæ ſpeculum eſt, vinum mentis*. Denique de iræ ſoculis ait Poeta:

Sæpe hominum mentem detexit ira latentem.

IGNIS PROBAT (& probando flectit, ignitque: eſt metalepſis,) FERRUM DURUM: SIC VINUM CORDA SUPERBORUM ARGUET IN EBRIE- VERS. 31.
TATE POTATUM] S. Ambroſ. lib. de Elia c. 12. legit, *ſicut ignis emollit ferrum durum, ita & vini incendio etiam ſuperborum hominum cor liqueſcit.* Senſus eſt, ait Rabanus: *Sicut ignis calore ſuo ferri duritiem emollit, illudque excandeſcere facit: ſic vinum in ebrietate potatum corda ſuperborum à ſua conſtantia reſolvit, ac ardore ſuo inflammans ſubitò ad facinus perpetrandum provocat, & ſuperbiæ intentioni maiorem audaciam ad mali commiſſionem tribuit.* q. d. Sicut nullum eſt ferrum tam durum, quod non igne dometur & inflammetur: ita nullum eſt cor adeò valens & ſuperbum, quod vino immodico non ſuæ ebrietatis damna demonſtret, ait Palacius. Exemplum clarum eſt in ſuperbo Holoferne, qui vino reſolutus & accenſus, cæſus eſt à Judith.

Porrò Græca addunt nonnulla, eaque nervoſa: ſic enim legunt, κάμινος δοκιμάζει στόμωμα ἐν βαφῇ, οὕτως οἶνος καρδίας ἐν μάχῃ (Complut. & Tigurina legunt ἐν μέθῃ, id eſt, in ebrietate) ὑπερηφάνων. Quod Complut. vertunt, *fornax probat* (& probando facit) *ferruminationem in tinctura, ſic vinum in corde ſuperborum in ebrietate*. Id eſt, ait Palacius; Ferrum fit durius, ſi ignitum ſæpiùs mergatur in aqua: ſic cor ſuperborum fit ſuperbius, ſi ſæpiùs madeat & natet in vino. Roman *fornax probat aciem ferri in tinctura: ſic vinum corda in contentione ſuperborum.* στόμωμα enim eſt ferrum acie (quod Galli vocant *acier*) ſive chalybe temperatum & roboratum, putà, acies, acumen & robur ferri: talis enim eſt chalybs. Vide Plinium lib 34. cap. 14. Itali vocant *la tempera*, id eſt, temperaturam fortem ferri, ut cultri, gladii, ſecuris, &c. q. d. Sicut ignis probat & facit ferri temperaturam: ſic vinum probat & facit cordis temperaturam duram, ideoque contentioſam & pugnacem. Tigurina, *ut fornax probat duritiam mucronis, dum mergitur: ita vinum corda in certamine ſuperborum.* Quę Janſenius ſic explicat, & Latinæ Vulgatæ adaptat: Videtur, inquit, Sapiens ad hoc reſpexiſſe, quòd, cùm paranda eſt acies mucronis, aliquoties ferrum aut chalybs aquæ intingitur, ſicque induratur, temperatur atque acuitur: & proinde per *tincturam ferri* in aquam ignis probat, oſtendit & exhibet hominibus gladium acutum & ferrum durum: quòd ſi non intingeretur in aquam, non tantam haberet duritiem. Ita enim vinum oſtendit & exhibet hominibus corda ſuperborum, dum illa per ebrietatem madefiunt, & veluti vino immerguntur. Nam illa vino accenſa, & ebrietate madefacta, longè duriora fiunt, quàm priùs erant, & ad lædendum atque nocendum promptiora: ſicut ferrum, etſi natura ſua durum, durius fit, ſi ignitum aquæ immergatur: & acies gladii ignita, ſi aquæ intingatur, acutior fit & aptior ad lædendum. Ex his ergo licet intelligere ſimilitudinis convenientiam, quia igni inflammanti & accendenti comparatur vinum homines inflammans, & animos accendens. Ferro duro & acuto comparantur corda ſuperborum, quæ dura ſunt & acuta ad lædendum, quæque per vinum duriora fiunt, & ad iram atque lædendum magis aptantur. Aquæ, cui ferrum intingitur, comparatur ebrietas, per quam corda hominum madefiunt & obruuntur. In Græco pulchra eſt paronomaſia: βαφῇ enim opponitur μέθῃ, id eſt tinctura ebrietati, vel, ut alii legunt μάχῃ, id eſt, contentioni.

Vulgatus ergo Interpres vel non legit τὸ ἐν βαφῇ, vel, ſi legit, accipit illud de immerſione ferri non in aquam, ſed in ignem: in igne enim tingitur, rubeſcit & coloratur. Baptiſmus enim ferri fit igne (uti & myſticè Chriſtus & Spiritus ſanctus ferrea hominum corda baptizat igne, Matth. 3. 11.) Unde vertit, *ignis probat ferrum durum*, nulla facta mentione immerſionis in aquam, juxta ſenſum initio datum.

ÆQUA

ÆQUA VITA HOMINIBUS, VINUM IN SOBRIETATE: SI BIBAS ILLUD MODERATE, ERIS SOBRIUS] VERS. 32. Sensus est, vinum sobriè sumptum, æquabilem & commodam homini affert vitam: sobriè autem vinum sumes, si moderatè. Aut, *si bibas illud moderatè, eris sobrius*, id est, mentis compos, mente sanus, vegetus, acer & acutus. Vinum enim modicè sumptum acuit ingenium. Paulò aliter Palacius, q. d. Si vino careas, inquit, vita vives tristi: si vino immodico utaris, immodicè læta erit vita tua. Ut ergo vitam æqualem, id est, nec tristem, nec nimis lætam vivas, utere vino moderatè. Hinc in symposiis modimperator, sive præfectus symposii, præfigebat certam bibendi mensuram, v. g. quatuor vel quinque cyathos, quam excedere non licebat. Summa mensura, quæ subinde bibacibus concedebatur, erat decem cyathorum, juxta Græcorum cantionem: *Quinque bibe, tres, & semiquatuor*. Hæc enim simul juncta faciunt summam decem cyathorum. Ita Turnebus lib. 4. Adversar. c. 21. & alii. Græca de more brevius sic habent, ἐπίσον ζωῆς ἐστὶν οἶνος ἀνθρώπῳ, ἐὰν πίνῃς αὐτὸν ἐν μέτρῳ αὐτοῦ. Quod Complut. sic vertunt, *additamentum vitæ vinum homini*, (q. d. Vinum addit, adauget & producit vitam homini) *si biberis illud in mensura sua*; Roman. *æquale vitæ vinum homini* (q. d. Vinum æquatur, æquivalet, æquipollet vitæ hominis: quia illam conservat) *si bibas illud in mensura sua*; Tigurina, *vinum vitæ humanæ accommodatum est cùm temperatè bibitur*; alii, *vitæ par est vinum homini, si biberis illud in mensura*; quia vinum hominem vivificat & lætificat, æquè ac facit ipsa vita. Aliter, imò contrariè, legit S. Ambros. lib. de Elia cap. 12. *Aequalis*, inquit, *vita hominibus, vinum in ebrietate: bibas illud moderatè, ut sis sobrius*. Sicque explicat: *Omnes*, inquit, *sibi in vino æquales videntur, nullus inferior. Non pauper diviti cedit, utpote qui pauperem se esse nescit. Non infirmus valido, cui omnis in bibendo est fortitudo. Non mendicus locupletiori, non ignobilis honorato: sed cùm bibunt, illum regem habent qui bibendo superaverit ceteros*. Verùm Vulgata lectio retinenda est, eique consentiunt Græca, ac ea quæ sequuntur.

Porrò Hippocrates, Galenus, Dioscorides, ceterique physici & medici uno ore docent, vinum mirè conducere vitæ humanæ. Nam vinum, inquiunt, tum roborat, tum nutrit celerrimè. eò quòd ut assimiletur, mutationem requirit minimam: vinum humectat calefacit. que solidas partes, vires corporis confirmat, succorum colorisque bonitatem facit, concoctionem distributionemque ciborum adiuvat, urinam & sudores promovet, corporis habitum calefacit, & adversus senectutis duritiem & frigiditatem summum remedium est. Sicut enim igne ferrum, sic vino corpora senum molliuntur & temperantur. Unde vinum vocatur *lac senum*. Adhæc somnum conciliat, spiritus & sanguinem fovet, bilis amaræ acrimoniam mitigat & frangit, nativum calorem accendit & conservat, membris robur addit, vomitionem sistit, putredini resistit, cicutæ & veneni optimum est antidotum. Quin & animum mentemque acuit, exhilarat erigitque: unde illud: *Vinum magnus est equus Poetæ*. Et:

Ingenium potis irritat Musa Poetis.

Nec non & carmina vino Ingenium faciente, canunt. Et:

Fœcundi calices quem non fecere disertum?

Vide Plutarch. libr. 7. Sympos. problem. 9. & 10.

Exstat hoc vini ænigma, quod huc facit:

Do vires, adimoq; & origo nominis à vi;
Ingenium exacuo, pectora solvo metu.
Me gignit tellus; rutilo sol concoquit igne:
Mox ventrosa tegunt dolia, prœla vomunt.

QUÆ EST VITA EI, QUI MINUITUR VINO?
VERS. 33. QUID DEFRAUDAT VITAM? MORS] Ita Ro-
VERS. 34. man. Primò Lyran. & alii exponunt de intemperante & ebrioso, q. d. Quàm misera est vita ebriosi, qui eam vino assiduè potato decurtat & diminuit, adeoque & rationis usum sibi adimit, ut maiori parte diei, qua vel dormit vel ebrius est, non sit mentis & sui compos? q. d. Talis vita non est humana, sed porcina & bestialis, adeoque potiùs est mors quàm vita; quia mortem tum naturæ, tum gratiæ & gloriæ sibi accersit. *Nam mors naturæ defraudat vitam naturæ, mors culpæ vitam gratiæ, mors gehennæ vitam gloriæ*, ait Lyran. unde Tigurin. vertit, *quænam vita est eius qui vino victus est?*

A Huc accedit expositio Rabani, qui notam secundæ interrogationis non præponit, sed postponit morti. Legit enim: *Quid defraudat vitam mors?* Sicque explicat, q. d. Cur committitur ebrietas nimiaque vini potatio, quæ quasi mors vitam defraudat, id est, imminuit & abbreviat? *Vinum*, inquit, *mortem, hoc est, ebrietatem vitæ interfectricem nuncupat, quia vivacitas sensus inde minuitur, & ægritudo corporis inde generatur. Quasi enim increpando ipsam mortem, cur vitam defraudet, interrogat; quia nimiam potationem quasi hominis deceptricem damnat.*

Secundò, simpliciter & genuè hæc accipias de abstemio, & eo qui caret vino vel ob inopiam vel ob parsimoniam, aliamve causam, q. d. Quàm miser est is qui caret & destituitur vino, ut sobriè eo uti non possit ad sanitatem & lætitiam, adeoque ad vitam prolongandam! quàm misera est vita, quæ sine vino transigitur! Sane videtur hæc mors potiùs esse quàm vita: est enim defraudatio & diminutio vitæ & sanitatis, ac consequenter est lenta quædam mors: sicut enim morte eripitur vita, ita per vini defectum & carentiam fraudatur & eripitur vita sana & læta; quod morti æ-

B quale est. Hunc esse sensum patet ex eo quod præcessit: *Aequa vita hominibus vinum in sobrietate*. Et ex eo quod sequitur: *Vinum in iucunditatem creatum est, exultatio animæ & cordis*, &c. Unde Græca breviùs hæc cum iis connectunt, sicque legunt: *Quænam vita esset deficiente vino? idipsum creatum est hominibus ad lætitiam*. Ita Jansenius, Palacius, Emmanuel Sà & alii.

Præclarè S. Chrysost. homil. 1. ad populum: *Vinum*, inquit, *medicina optima est, quando commensurationem habet optimam*. Et in homil. 71. *Vinum*, ait, *datum est ut delectemur, non ut dehonestemur: ut rideamus, non ut rideamur: ut valeamus, non ut ægrotemus: ut corrigamus corporis valetudinem, non ut animæ prosternamus virtutem. Cur te ipsum per immoderantiam afficis contumelia? Audi Paulum dicentem: Vino modico utere*, &c. Gnome de vino. Pseudo-Augustinus in libr. de Salut. documentis: *Vinum*, ait, *Deus nobis ad lætitiam cordis, non ad ebrietatem donavit. Bibamus ergo non quantum gula exigit, sed quantum necessitas postulat; ne id quod ad medelam corporis nostri tributum est, ad perniciem eius deputemus*. Sed abso-

C lutissimè in homil. de castitate & sobrietate: *Vinum moderatum, ait, debilem stomachum reficit, vires deficientes reparat, algentem frigore calefacit, vulneribus inflictum medetur, antidotis etiam diversisque medicamentis adiunctum salutem operatur, tristitiam removet, languores animi delet, lætitiam infundit, convivas honesta miscere colloquia facit. Paulò ampliùs verò sumptum, quodammodo convertitur in venenum*. Et infrà: *Rusticanum quidem, sed sanum dictum; Vini medicamentum plus iusto sumptum, venenum esse cognoscitur*. Hoc est quod ait Salomon Proverb. 31. 6. *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo. Bibant & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur ampliùs*. Ubi plura hac de re proximo opere dicam.

Misticè, si hæc vera sunt in vino corporali, utique veriora sunt in vino spiritali & cælesti, putà, Eucharistiæ: qui enim eo caret, caret vita & letitia spiritali, juxta illud Christi: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die*, Joan. 6. 54. Mysticè: Vinum spirituale, quod. Unde de eo exul-

D tans Zacharias cap. 9. 17. *Quid enim*, inquit, *bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Vide ibi dicta.

Item in vino doctrinæ, illustrationis, charitatis, fervoris & consolationis divinæ, quod sapientia, id est Christus, suis miscet Proverb. 9. 2. ad quod fideles invitans Isaias cap. 55. 1. *Venite*, inquit, *emite absque argento & absque ulla commutatione vinum & lac*. De quo & Psaltes psal. 35. 9. *Inebriabuntur*, inquit, *ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*.

VINUM IN JUCUNDITATEM CREATUM EST, ET NON AD EBRIETATEM, AB INITIO] VERS. 35. Tigurina, *vinum exhilarandis hominibus creatum est, non inebriandis*. Docet duo. Prius est, vinum esse creaturam Dei, ideoq; esse rem bonam. Errarunt enim Manichæi docentes, vinum à diabolo esse productum. Sic & Encratiæ sive

Seve-

Severiani, quorum parens fuit Tatianus discipulus S. Justini Martyris, docebant, vino abstinendum esse, eò quòd vitis è Satana & terra illud germinasset, teste S. August. lib. de Hæresibus hæresi 24. Catharistæ verò, id est, purificatores, cùm uvis vescerentur, vinum tamen non bibebant, dicentes, *Vinum esse fel diaboli*, teste Philastrio in eorum hæresi. Hos secutus Mahomet in Alcorano suis omnibus vini potum interdixit. Hos omnes redarguens S. Chrysost. homil. 1. ad popul. *Vinum Dei*, inquit, *ebrietas autem diaboli opus est: non vinum ebrietatem facit, ne Dei creaturam accuses, sed conservi insaniam argue*.

Vinũ esse fel diaboli censebant Cathariſtæ.

Posterius, quis sit vini usus & finis, nimirum ipsum creatum esse ad hoc, ut homines per peccatum in tot miserias & mœrores prolapsos exhilaret, non autem ut illo se homines ingurgitent & inebrient. Ex eo quòd dicit *ab initio* creatum esse vinum, opinatur Jansenius, vinum productum esse ante diluvium ab origine mundi. Sed verius est vini usum cœpisse à Noë post diluvium: ipse enim primus legitur vites in vineam coegisse, easque excoluisse, atque ex uvis vinum expressisse, ut suas & aliorum hominum post diluvium ærumnas, mœrores, labores & infirmitates (vnde tunc vita hominum decrevit quingentis annis: homines enim ante diluvium vivebant nongentis annis, at post illud quadringentis dumtaxat) leniret & roboraret, ac senescentis & deficientis naturę vires restauraret, recrearet & exhilararet, uti dixi Genes. 9. 19. Unde viri eruditi censent Noë à Gentilibus vocatum Janum bifrontem; quia duo sæcula vidit & coniunxit; Janum, quia vinum invenit: *jaim* enim & *jen*, vnde Janus, Hebraicè est idem quod Græcè οἶνος, Latinè vinum. Unde hoc nomen in ceteras linguas transiit. Athenæus verò libr. 2. οἶνον dictum censet ab ὀνεῖν, id est, juvare, esse utilem: quasi οἶνος sit ὄνεσις, id est, vinum sit utilitas ingens: aut, ut Eustathius Iliade 2. & Plato in Cratylo, οἶνος dictus est ab οἴειν τὸν νοῦν, quòd mentem afferat & impleat magnis opinionibus, rebus & spebus, juxta illud Comici: *Mens irrigatur vino, ut dextri quid seu opportuni proferat*. Unde & Plato libr. 2. de Legib. *Quo quis*, inquit, *copiosius illud hauserit, tanto majore spe impletur, tantoq; animosius de se sentit, idemque præsentia quadam & liberalitate tamquam sapiens repletur omnis metus, ut intrepidè quidvis dicat & agat*. Quocirca Athenæus libr. 2. vinum optimum deorum donum esse dixit, si rectè eo utantur: sin minùs, maximum esse malum. Celebre est illud Anacreontis: *Quando vinum bibo, dormiunt curæ*. Et illud Zenonis: *Sicut lupini amarissimi crebra aquarum aspergine macerati dulcescunt, ita animi tristes & amari vino irrigati molliuntur atque mitescunt*. Clemens verò Alexandr. libr. 2. Pædagogi cap. 2. senibus Christianis liberaliorem vini potum permittens, addit, vinum ab aliis medicinæ loco propter solam sanitatem adhiberi, ab aliis verò ut sese relaxent & exhilarent. Vinum enim nubila mentis denubilat, facitque nimirum eum qui bibit, sibi ipsi æquum & clementem, deinde convivis suavem, & famulis mitiorem, & amicis iucundiorem. Hæc Clemens. Denique Poeta:

Noë vinũ invenit, Cur?

Vinũ etymon Græcum.

Vini commoda.

Gnoma.

Vina parant animos, faciuntq; caloribus aptos,
Cura fugit multo diluiturq; mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor & curæ, rugaq; frontis abit.
Tunc aperit mentes ævo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Unde Plato in Alcibiade veritatem appellat vini filiam: alii vinum vocant speculum mentis, indolis & ingenii. Hinc in cœna primus calix bibitur sanitatis. secundus hilaritatis, tertius somni. Denique Zorobabel sociis hoc problema proposuit, quidnam esset fortissimum? ac primus respondit: *Forte est vinum*: secundus, *Fortior est rex*: tertius, *Fortiores sunt mulieres; super omnia vincit veritas*: cui lauream dedit Darius rex. Esdr. libr. 3. cap. 3. vers. 11. & sequent. Quocirca Psaltes psal. 103. 15. *Vt educas*, inquit, *panem de terra, & vinum cor hominis lætificet*. Denique in apologo arborum Judic. 9. 13. vitis, cùm à ceteris arboribus in regem deligeretur, dixit: *Numquid possum deserere vinum meum, quod Deum & homines lætificat, & inter ligna cetera promoveri?* Ex quo Socrates quoque apud Xenophontem in Symposio asserit, vinum mederi mœrori non aliter quàm mandragoræ hominibus, lætitiamque haud secùs excitare quàm oleum inspersum igni flammam adauget. Vide Pierium Hieroglyphico 53. c. 18. & 20. Epictetus apud Stobæum sermon. 5. de Temperantia: *Cicadæ*, inquit, *animal sunt musicum, cochleæ verò mutæ: & hæ quidem humectari gaudent; illæ verò calescere. Rursum has quidem ros elicit, ejusq; gratia prodeunt; illas autem solis vigor excitat, & in ipso cantillant. Quamobrem si volueris vir esse musicus & concinnus, cùm tibi vino irrorata fuerit anima, tunc eam non sines egressam inquinari: sed cùm in confessionibus à ratione fuerit accensa, tum vaticinari eam, & canere justitiæ oracula jubebis*. Huc facit quòd S. Chrysost. homil. 19. in epist. ad Ephes. ex corpore nostro citharam dulcisonam pangit, & quatuor qualitates seu humores quibus constat, cum quatuor unius citharæ fidibus componit. Additque hujus citharæ harmoniam efficere vinum: si enim modicè ac sobriè sumatur, discordias humorum componere, animumque ad res divinas, Deique laudes idoneum reddere.

EXULTATIO ANIMÆ ET CORDIS. VINUM Vers. 36.
B MODERATE POTATUM. SANITAS EST ANIMÆ Vers. 37.
ET CORPORI SOBRIUS POTUS] *Exultatio*, non formalis, sed causalis, q. d. Vinum exultare facit animam & cor, indeque totum corpus, illud & per illud animm recreans, roborans, exhilarans. Addit: *Sanitas est animæ & corpori sobrius potus*; quia potus sobrius vini veri vel adumbrati, sanitatem confert animæ & corpori. Nam multæ gentes, præsertim Septemtrionales, ob regionis frigiditatem carent vino vero: sed ſę cerevisia similive potu, quasi vino adumbrato sibique domestico utuntur. Cerevisia enim est quasi vinum Ceteris, tritici & hordei. Similiter Indi & Brasilii bibunt vinum è palma aliave arbore quàm vite expressum: alii è pomis, cerasis, aliisque fructibus potiones exprimunt, quarum ferè eadem est suavitas & illecebra, quæ vini. Apud Orientales certè tam è dactylis palmæ, quam ex aliis fructibus suavissimi delicatissimique potus conficiuntur, quos Hebræi generali nomine vocant *siceram*, eò quòd vim inebriandi habeant instar vini.

C Græca habent, *exultatio cordis, & lætitia animi est vinum tempestivè potatum, quantum satis est*; Tigurina, *lætitiam animi parit & hilaritatem vini potus justus & opportunus animi simul & corporis sanitatem potus sobrius*. Gręca enim addunt duas voces, quibus carent Latina, nimirum ἐν καιρῷ αὐτάρκης, id est, vinum *in tempore sufficiens*. Quo significat, ad sobrium vini potum requiri duo: Primum, ut illud potetur suo tempore, id est, opportunè, putà in prandio & cœna, non intempestivè, uti faciebant ii quos arguit Isaias cap. 5. 11. *Væ, qui manè consurgitis ad ebrietatem sectandam*. Secundum, ut potetur quantum sufficit corpori & sanitati, non verò ut illud impleat, ingurgitet & obruat. Quocirca S. Paulus Timotheo præcipit epist. 1. cap. 5. 23. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum & frequentes tuas infirmitates*.

Porrò ad sanitatem & ad sobrietatem multùm confert, si vinum, præsertim forte & potens, bene aqua diluatur, uti habet communis Italorum & Hispanorum mos.
D Quocirca Melampus medicus primus apud Græcos vinum aqua diluere præcepit sub annum mundi 2847. quo tempore apud Hebræos judices erant Debora & Barac 40. annis ante Gedeonem: nempe ab ultimis temporibus mero dediti Græci: hinc Græcari, inquit Genebrard. in Chronol. licet Plinius libr. 7. cap. 56. hoc diluendi vini inventum tribuat Staphylo Sileni filio. Audi Plutarch. libr. de Sanit. tuenda: *Est vinum & potuum utilissimus, & medicamentorum suavissimum, & de obsoniis omnibus gratissimum appetitionibus nostris, si occasione magis etiam quàm aqua sit probè tēperatum. Aqua & vino si misceatur, prodest: & quæ pura inter diluti usum bibitur, ipsum dilutum reddit minùs noxium. Itaq; in quotidiano victu assuefacere nos debemus, ut duo vel tria pocula aquæ bibamus. Hæc & usum vini emollient, & corpori familiarem reddent aquæ potum, ne cùm ea pota opus sit, insolentia rei offendamur ac recusemus*. Subdit deinde casus, quibus aqua bibenda sit, non vinum, ut vulgus perperàm æstimat & facit. *Non enim desunt qui quo tempore maximè aqua erat bibenda, ad vinum feruntur: ut cum solis calore usti sunt, cùm horruerũt, cùm vehementiùs peroraverũt, cùm majore animi contentione de aliqua re cogitaverunt. Deniq; à defatigatione & contentione vinũ existimant sibi de-*

bere, quòd ipsa videatur natura quamdam corpori bonam affectionem, & post labores mutationem exposcere. Atqui non voluptatem (siquidem hoc bona affectione intelligi velis) natura requirit, sed mutationem qua medio inter voluptatem & dolorem loco constituat. Quapropter in his casibus & tibi aliquid detrahendum est, & vino aut abstinendum omnino, aut utendum diluto interim multa aqua potatione. Cùm enim natura sit vinum impetuosa & acri, conturbationes corporis intendit atque exasperat, & partes affectas irritat, demitigationem desiderantes ac lævigationem. Quam rem aqua præstare optime potest. Etenim si etiam non sitientes aquam bibamus tepidam à defatigatione, contentione virium & æstu; sentimus internas partes relaxari, & leniri. Placida est enim aquæ humiditas, & quieta: cùm vini humiditas impetum habeat multum, vimque recentibus affectionibus nequaquam amicam aut æquam. Mox subdit: *Corpus autem ita validum est nullum, cui conturbato, & inflammato vinum adhibitum non afferat aliquid damni.*

Vers.38: VINUM MULTUM POTATUM IRITATIO-
Vers.39. NEM, ET IRAM, ET RUINAS MULTAS FACIT. AMARITUDO ANIMÆ VINUM MULTUM POTATUM] *Amaritudo*, scilicet, causalis, quia causat eam, dum nimirum caput & cerebrum, quod est officina & quasi figulina animæ, crassis, crudis & biliosis vaporibus gravat, pungit, affligit, cruciat, iritat, exacerbat bilis enim est amara, id est, acris & mordax. Quo fit, ut ebrius vino æstuans, bileque iritatus & accensus, alios ad rixas & pugnas provocet, exacerbet & iritet Unde Græca dumtaxat habent, *Amaritudo animæ est vinum multùm potatum in iritatione, & contentione*, vel *ruina*: utrumque enim significat vox Græca ἀντιπτώματι; Tigurina, *vinum copiosè potum creat acerbitatem animi cum rixis & contumacia*. Quocirca nonnulli *vinum* Latinè dictum volunt à vi, quòd menti, indeque aliis, vim inferat; sive quòd magna sit ejus vis ad bonum & ad malum, pro diverso ejus usu. Varro: *Vitis, inquit, à vino, idque à vi: hinc vindemia, quod est vini demia aut vitis demia.* Licet alii fortè meliùs vinum à Græco οἶνος deducant, utrumque ab Hebræo *iain* vel *ien*, uti dixi superiùs: & S. Isidorus lib. 20. Origin. c. 3. *vinum* inde dictum velit, *quòd ejus potus sanguine venas cito repleat. Hoc alii, quòd curas solvat, Lyæum* (λύειν enim est solvere) *appellant. Veteres vinum venenum vocabant. Unde S. Hieron. de Virginit. servan. adolescentulas dixit ita vinum debere fugere ut venenum, ne pro ætatis calore ferventi bibant & pereant Inde est quòd apud veteres Romanos fœminæ non utebantur vino, nisi, sacrorum causa, certis diebus.*

Porro S. Ambros. de Elia c. 12. sic legit & nectit: *Exultatio animæ & cordis est, si moderatè bibas: immoderatio autem potus iracundiam concitat, & ruinas multas efficit.* Nam (ut idem paulò antè) *sicut mater fides continentiæ;*
Damna vini ex S. Ambros. *ita perfidia mater ebrietas est. In quod facinus non ista præcipitat? sedentes in foribus tabernarum homines, tunicam non habentes, nec sumptum sequentis diei, de Imperatoribus & potestatibus judicant, imò regnare sibi videntur, & exercitibus imperare. Fiunt ebrietate divites, qui sunt in veritate inopes. Aurum donant, dispensant pecunias populis, civitates ædificant, qui non habent unde caupona potus sui pretium solvant. Fervet enim vinum in his, & nesciunt quid loquantur. Divites sunt, dum inebriantur: mox, ubi vinum digesserint, cernunt se esse mendicos. Uno die bibunt multorum dierum labores.* Subdit deinde maiora rixarum & pugnarum damna: *De ebrietate ad arma consurgunt: calicibus tela succedunt. Pro vino sanguis effunditur, & ipsum sanguinem vina fuderunt. Quàm fortes sibi homines videntur in vino, quàm sapientes, quàm diserti, quàm etiam pulchri ac decori, cum stare non possint! Mens titubat, lingua balbutit, pallor exanguis ora suffundit fœtor ebrietatis horrori fit. Barbari in ferrum ruunt, vulgus in rixas: si quis eorum pugno fuerit percussus, videas ora sauciorum vinis lacrymas fundere, miserabiles epilogos decantare.* Unde c. 14. infert, quod major sit vis vini quàm veneni. Vide eumdem c. 16. ubi inter cetera ait: Ebrii *vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excidunt.* Et mox: *Vigilantes somniant, dormientes litigant. Vita his somnium est, somnus his mors est.*

Ex Sancto Augustino. S. Augustin. verò, vel quisquis est Auctor (non enim esse S. Augustini liquet ex stilo) tractat. de Sobrietate & A virginitate qui exstat tom. 9. citat hanc sententiam eo modo quo habet Nostra Vulgata editio, ac dei nde ebrietatis damna recenset, atque inter alia c. 1. *Ebrietas*, ait, *flagitiorum omnium mater est, culparum materia, radix criminum, origo omnium vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis. Ebrietas temporis amissio est, insania voluntaria, ignominiosus languor, mentis sanæ debilitatio, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela.* Ac tandem concludens, ait: *Vini medicamentum plus justo sumptum, venenum esse cognoscitur.*

S. Chrysost. hom. 1. ad popul. *Ebrius*, inquit, *est mortuus animatus, est dæmon voluntarius: morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium, cælum ebriis efficit invisum.* Ex Sancto Chrysostomo.

S. Basil. hom. de Ebrietate: *Ebrietas*, ait, *est dæmon voluntarius, ex voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica: fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit. Sicut enim aqua igni est adversa, sic vinum immodicum rationem supprimit.* Et inferiùs: *Ebrietas: est rationis interitus, fortitudinis pernicies, senectus immatura, mors momentanea. Quid, quæso, sunt ebrii nisi* Ex Sancto Basilio.
B *Gentium idola? Oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt, manus paralysi affectas habent, pedes infirmos ac facilè offendentes, &c. Quis, dic mihi, currus equorum indomitorum ita præceps fertur dominum suum excutiens? Quod navigium ita gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatum & concussum, ut non sit ebrio securius?*

Idem Admonit. ad filium spirit. *Non est aliud ebrietas quam manifestissimus dæmon. Ebriosus quid minùs habeatur quàm dæmonium? cum se putat bibere, bibitur. Sicut enim piscis, cum avidis faucibus properat ut glutiat escam, repente inter fauces reperit hostem: ita ebriosus intra se vinum suscipit inimicum, quod eum impellit ad omne opus fœdissimum.* Juxta illud Poetæ:

Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.

vinum enim est libidinis incendium. Vide eumdem in Asceticis orat. 18. quæ est de ingluvie & ebrietate.

EBRIETATIS ANIMOSITAS, IMPRUDENTIS OFFENSIO, MINORANS VIRTUTEM, ET FACIENS VULNERA] q. d. Animositas & audacia, quam parit Vers.40.
C ebrietas, facit ut ebrius imprudens offendat & impingat in multa offendicula, lapsus, pericula, rixas, &c. Eadem imminuit vires hominis, ac efficit vulnera & cædes. Unde Græca clarius habent: πληθύνει θυμὸς μέθης ἄφρονος εἰς πρόσκομμα, ἐλαττῶν ἰσχὺν, καὶ προσποιῶν τραύματα, id est *multiplicat ebrietas furorem imprudentis in offensionem, diminuens virtutem, & acquirens vulnera*; Tigur. *ebrietas exauget animum insipientis donec offendat, vires enervat, & parit vulnera.* Juxta illud Poetæ.

Spes facit esse ratas, in prælia trudit inermem.

Et illud Græcorum: τίκτει κόρος ὕβριν, id est, *satietas ferociam parit.* Et illud Anacharsis apud Laertium: *In vite tres racemi nascuntur, primus voluptatis, secundus ebrietatis, tertius insaniæ, furoris & violentiæ.*

Nota hic quinque effectus & damna ebrietatis. Primus est, audacia & animositas; quia implet caput fumis, venas sanguine, hepar bile. Secundus est, imprudentia; quia rationem, mentem & prudentiam homini eripit, ut homo sapiens & prudens fiat insipiens, imprudens, imò irrationalis, quasi bestia, adeoque peior magisque brutus quàm bestia, ait S. Basil. loco superiùs citato. Tertius est, offensio: qui enim imprudens est, non circumspicit labendi pericula, ac proinde improvidus in ea impingit, & corruit. Quartus est, quòd hominem debilitet; quia stomachum caputque, & calorem naturalem gravat, & obruit. Quintus, quòd pariat lites, verbera, & vulnera, ac præsertim quòd faciat ut ebrius animosè alios ad pugnam lacessens crapula gravatus viribusque destitutus ab iis quos provocarat, lædatur, vulneretur, occidatur. Ergo vinum modicè sumptum facit fortem, prudentem, hilarem, facit ne offendat, vires addit, ac ideò vulnera declinat: contraria omnia efficit vinum immodicè sumptum, ut idipsum fit homini in flagellum, & tormentum, quod ei datum erat ad gaudium; atque (ut ait Rabanus) *cedat ei in sanitatis detrimentum, quod datum ei erat ad vitæ alimentum.* Qui nam damna ebrietatis.

Ubi Moraliter Nota, justum esse Dei decretum & ju-

& iudicium; ut bona, quæ in nostrum commodum creavit, si eis abutamur, nobis vertantur in mala & flagella, ut fiant nostri tortores, quæ nobis statuimus quasi idola. Tale est vinum, opes, honores, uxor, filii, & demum quisque sibi ipsi, ait Palacius. Porrò Plutarch. in Sympos. scribit panem melli admixtum in primis valere ad ebrietatem sedandam; eò quòd vapores qui è stomacho in caput ascendunt, illudque turbant, hac esca comprimuntur.

IN CONVIVIO VINI NON ARGUAS PROXIMUM: ET NON DESPICIAS EUM IN IUCUNDITATE ILLIUS) q. d. In convivio, in quo affatim bibitur vinum, ne carpas proximum, neque despicias, ut de eo, vel cum eo contemptim loquaris vel agas, cùm ipse est in iucunditate sua, putà, lætus & hilaris; quia, si id feceris, hanc iucunditatem tali loco & tempore congruam illi auferes, ac eam convertes in amaritudinem & iram, ut tecum iurgetur, ac à verbis ad verbera descendat: præsertim quia vinum sanguinem iramque accendit, rationem verò & prudentiam imminuit. Quare nemo facilè patitur in convivio se reprehendi, sed par pari reddit Græcè est, ἐν συμποσίῳ, id est, *in compotatione vini ne redarguas proximum, & ne despicias eum in lætitia illius.* Græci enim convivium vocant συμπόσιον, id est compotationem, eò quòd in conviviis plerisque plus bibatur quàm comedatur. Tigurina, *ne reprendas alterum in vinolenta compotatione, nec quemquam in lætitia sua vituperes.* Tunc enim est tempus gaudii, honoris, laudis & exultationis: à quo proinde abesse debet tristitia, reprehensio, contemptus, vituperium, iniuria. Sic Cham despexit & derisit Noe patrem ebrium & nudatum, ideoque ab eo maledictus est: Sem verò & Japhet, quia nuditatem eius velaverunt, ab eodem benedicti sunt, Genes. 9.

VERBA IMPROPERII NON DICAS ILLI: ET NON PREMAS ILLUM IN REPETENDO] ut exigas repetasque debitum, quod tibi debet: est enim id tali loco & tempore importunum. Aut *non premas illum,* propinando illi sæpiùs ad æquales haustus, ut cogas eum repetere evacuationem cyathi, uti malus habet bibonum mos, qui sui & aliorum in bibendo acerbi sunt tortores. Legit Interpres ἐν ἀπαιτήσει, id est, *in repetitione;* & sic legunt Græca Romana. Unde aliqui vertunt, *verbum convitii ne dixeris ei, & ne premas illum reposcendo.* Complut. verò & Tigurina legunt ἐν ἀπαντήσει, id est, *in occursu.* Unde Complut. vertunt, *ne premas illum in occursu eius,* id est, in occurrendo & contradicendo ei, Tigurina, *dicto probroso ne petas illum, nec premas obvium,* cùm scilicet tibi occurrit & obviat, uti solent facere ebrii ex petulantia, quam parit vinum & ebrietas: ex illa enim obvios quosque invadunt, trudunt, premunt, vexant, &c. quasi vituli insolentes & tauri cornupetæ. Quocirca Chilon apud Plutarchum in Convivio, *ad cœnam invitatus non antè condixit, quàm nosset convivarum nomina: dicebat enim, quibuscum necesse esset unà navigare aut militare, eorum etiam molesto comitatu ac contubernio utendum esse. Ultrò autem qualibuscunque se admiscere conviviis, non esse sani hominis.* Quin & David psalm. 100. 5. *Superbo oculo,* inquit, *& insatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum.* Et S. August. teste Posidon. detractores mensa sua arcebat.

CAPUT TRIGESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit docere quid in mensis & conviviis deceat rectores & convivas, tum senes, tum juvenes: scilicet rectores decere humilitatem & solicitudinem; senes v. 4. ut sensatè loquantur, sed ita ut non impediant musicam; juvenes v. 10. ut audiant & parcè loquantur, ac tempestivè à convivio domum redeant, Deoque gratias agant. Secundò, v. 18. commendat legem & timorem Dei, ac consilium, ut sine eo nihil faciamus; sic enim post factum nondum pœnitebit.

Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis. 2. Curam illorum habe, & sic conside, & omni cura tua explicita recumbe: 3. Vt læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem consequaris corrogationis. 4. Loquere major natu: decet enim te. 5. Primum verbum diligenti scientia, & non impedias musicam. 6. Vbi auditus non est, non effundas sermonem, & importunè noli extolli in sapientia tua. 7. Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in convivio vini. 8. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in jucundo & moderato vino. 9. Audi tacens, & pro reverentia accedet tibi bona gratia. 10. Adolescens loquere in tua causa vix. 11. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. 12. In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens. 13. In medio magnatorum non præsumas: & ubi sunt senes, non multum loquaris. 14. Ante grandinem præibit coruscatio: & ante verecundiam præibit gratia, & pro reverentia accedet tibi bona gratia. 15. Et hora surgendi non te trices: precurre autem prior in domum tuam, & illic avocare, & illic lude, 16. Et age conceptiones tuas, & non in delictis & verbo superbo. 17. Et super his omnibus benedicito Dominum qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis suis. 18. Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus: & qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. 19. Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui insidiosè agit, scandalizabitur in ea. 20. Qui timent Dominum invenient judicium justum, & justitias quasi lumen accendent. 21. Peccator homo vitabit correptionem, & secundùm voluntatem suam inveniet comparationem. 22. Vir consilii non disperdet intelligentiam, alienus & superbus non pertimescet timorem: 23. Etiam postquam fecit cum eo sine consilio, & suis insectationibus arguetur. 24. Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis. 25. In via ruinæ non eas, & non offendes in lapides: nec credas te viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum: 26. Et à filiis tuis cave, & à domesticis tuis attende. 27. In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ: hoc est enim conservatio mandatorum. 28. Qui credit Deo, attendit mandatis: & qui confidit in illo, non minorabitur.

VERS. 1. RECTOREM TE POSUERUNT: NOLI EXTOLLI: ESTO IN ILLIS QUASI UNUS EX IPSIS] S. Hieron. in c. 45. Ezech. sic legit, *ducem* (alii, *regem*) *te constituerunt, ne eleveris, sed esto inter eos quasi unus ex ipsis;* Tigur. *si rector constitutus es, ne efferaris, sed ceteris te præbeas æquabilem;* Arabicus, *si ostensus es, ne te protrahas, neque recumbas in pectore super divites: esto quasi unus ex eis,* q. d. Si te alii ostentent & præponant, ut conspiciaris & honoreris, tu ne augeas ostentationem, nec elationem ostendas, ut sedeas in facie vel in capite mensæ.

Pro *rectorem,* Græcè est ἡγούμενον, id est, præsidem, ducem, doctorem, magistrum, principem, regem, imperatorem, scilicet convivii (de eo enim præcisè hic

igi, patet ex antecedentibus & sequentibus) qui convivio præerat, illudque regebat & dirigebat. Unde vocabatur συμποσίαρχης, id est, symposii princeps & magister convivii. Pro quo Nota, priscos Orientales, præsertim Hebræos, Syros, Ægyptios & Græcos, olim magnifica celebrasse convivia, ut patet in convivio Abrahæ pro ablactatione Isaac Genes. 21. & Jobi c. 1. Assueri Esther 1. Josephi Genes. 47. 34. Quare convivio præficiebant virum gnavum & industrium; tum, ut omnia facerent ordine sine confusione; tum, ne cuiquam quid deesset; tum, ut is modestiæ & temperantiæ esset arbiter. Ipsius ergo officium erat modum cœnæ legesque bibendi præscribere. Unde à Varrone lib. 20. & Macrob. 1. Saturn. c. 1. vocatur *Dominus convivii* & *modimperator*, quasi modum in omnibus statuens & imperans; à Cornel. Tacito *rex convivii*, cui aliquo modo respondet rex ille quem Germani in mensa creant in festo Trium regum; à Plauto in Sticho *dictator*, & *strategus*; ab Horatio li. 2. satyr. 8. *cœnæ arbiter*, *pater* & *parochus*; ab aliis *tricliniarcha*. In S. Script. à S. Joanne cap. 2. vocatur *architriclinus*, quasi princeps triclinii & mensæ; à Mose vocatur *pinceps pincernarum*, Genes. 40. 2. ab Apostolis *diaconus*: Apostoli enim septem diaconos elegerunt quasi præfectos, qui præessent mensis fidelium, Actor. 6. A Græcis vocatur ἡγεμὼν, συμποσίαρχης, τραπεζοποιὸς, στρατηγὸς καὶ ἐπιστάτης.

Modimperator cœnæ quis?

Ait ergo Siracides: *Rectorem* convivii *te constituerunt*, scilicet, reliqui convivæ. Hi enim, antequam mensæ accumberent, rectorem hunc deligebant vel sorte, vel suffragiis, præsertim cùm convivium non ab uno quopiam, sed ab ipsis convivis collatis symbolis, de quibus mox, instruebatur. Alioqui, si quis princeps vel alius quilibet epulum dabat, ille ipse erat rector, aut rectorem constituebat, eumque ferè, qui honoratior erat inter invitatos, qui & *proclites* dicebatur, quòd in accubitu primas occuparet. Similis ferè mos hodie in Gallia & Germania obtinet in festo Epiphaniæ. Placenta enim, in qua inclusa est faba (similive sorte) in partes tot quot sunt convivæ, dividitur, eæque singulæ singulis distribuuntur: ac is cui portio illa obtingit cui faba inest, epuli futuri rex eligitur. Sors autem qua olim deligebatur hic rector, erat jactus talorum. Nam, ut docet Lipsius lib. 3. Antiqu. lectionum cap. 1. qui primus è convivis Venerem jecerat, is erat magister. Ita Horat.

Quem Venus arbitrum dicet bibendi.

Huncque Plautus in Curculione vocat *jactum basilicum*, id est, regium; quia proprius erat regi convivii creando. Varii enim erant talorum jactus, putà, Venus, Canis, Senio, Chius. Porrò Lipsius suprà dat exempla legum, quas magister præfigebat convivis, nimirum hæc:

Leges priscæ conviviorum.

Decem cyathi summa potio sunto,
Musis nonum, decimum Apollini libanto.
Dicta & jocos usurpanto:
Ast intra licentiam & convitia utraque sunto.
Rixæ, clamor, contentio ad Thracas ablegantor;
Eorum vice carmen, aliudve quid musicum proferunto.
Angerona sacra mensa habetor.
Dicta indicta, facta infecta, in vino inscribuntor.

Sic rex Assuerus convivio suo præfixit legem sanè regiam, ne quis nolentes cogeret ad bibendum, sed sumeret quisque quod vellet, Esther 1. 8.

Rectoris convivii officia. Primum.

Porrò, rectoris hujus officium erat: Primò, convivas omnes excipere, compellare, salutare, ac suo quemque loco collocare, disponere & regere. Unde Tacitus: *Rex convivii*, inquit, *regnum lusu sortitus imperabat huic, ut biberet; illi, ut vinum misceret; alii, ut abiret; alteri rursus, ut adesset.* Qui mos hodie in Regalibus observatur. Idem, instar musici, abstemiorum animos propinando contentiores, vinosorum abstinendo remissiores reddens, diversitate æqualitatem & consonantiam efficiat, ait Plutarch. lib. 1. Sympos. cap. 4. Causam subdit, quòd finis & scopus convivii sit, *amicitia vel confirmationem vel initium voluptate quadam inter convivas efficere. Est enim convivium oblectatio inter pocula, ob gratiam in amicitiam desinens.* Qua de causa Lamprias ibidem quæst. 2. *Ita*, inquit, *convivas disponam, non ut diviti ut diviti, juveni juvenem, principem principi, amicum* A *amico adjungam: quæ dispositio otiosa est, neque ad benevolentiam parandam augendamq; quidquam conducit: sed id quod unicuique deest accommodans, hominem qui de rebus ad humanitatem pertinentibus libenter disserat, studioso discendi apponam, moroso mansuetum, loquaci seni adolescentem audiendi avidum, glorioso subsannatorem; iracundo tacitum, rixoso placidum, munifico pauperem, ut tamquam è pleno poculo in vacuum, aliquid ex illo in hunc defluat. Sophistam verò assidere sophista, aut poetam poeta nolo. Urit enim cantor cantorem, & egenus egenum.* Quocirca idem Plutarch. lib. 4. cap. 1. *Polybium*, inquit, *Africano præcepisse novimus, ne è foro umquam digrederetur, inter negotia versans civium, nisi prius aliquem sibi amicum fecisset*, &c. *Sed vide an non id præceptum, præterquam quod foro accommodatum est, etiam ad convivia pertineat: ut non antè sit inde discedendum, quàm una accumbentium alicujus benevolentiam & amicitiam fuerimus nacti. Nam qui sapiunt, in convivium veniunt non minùs amicorum parandorum, quàm præsentes delectandi causa. Amico auctum* B *abire, jucundum & honestum est: contraq; qui id facere negligit ingratam sibi & inutilem facit consuetudinem, itaq; discedit, ut qui ventre, non animo, conviva fuerit.*

Secundò, providere ut epulæ & potus ritè apparentur, & ordine suo in mensam inferrentur. Quocirca Aristot. lib. 2. Politic. ait, symposiarchas debere esse sobrios. Et Theophyl. in Joan. c. 4. *Architriclino*, inquit, *permisit degustationem vini sobrio. Nam in talibus festivitatibus, quibus ejusmodi munus commissum est, sobrietati maximè student, ut illorum jussu ac mandato omnia ordinatè & decenter agantur.* *Secundum*

Tertiò, seria & jocos moderari, ac sermones convivales dirigere, ut essent convivis accommodi, eosque exhilararent; nec tamen turpe aut indicens quid saperent. Ille ergo musicos jubebat canere, oratores dicere, philosophos obscuram aliquam quæstionem solvere, poetas carmen pangere. *Tertium.*

Quartò, leges convivandi bibendique præscribere, *Quartum.* quæ ab Horatio vocantur *vini regna*, à Cicerone *magisteria*; C imò cuique illam vini qualitatem & quantitatem, ea mensura, aqua diluere & admetiri, quæ cujusque sanitati, stomacho & cerebro, æquè ac palato saperet & congrueret. Atque hinc sumptæ illæ metaphoræ calicis in Script. id est, sortis, sive adversæ, sive prosperæ, quam Deus quasi symposiarches mundi cuique admetitur, ut psalm. 15. *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei.* Psalm. 74. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto.* Isaiæ 51. 17. *Consurge Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus.* Symposiarcha enim suum cuique convivæ calicem temperabat & porrigebat. Et alibi sæpè.

Quare aberat à convivis veterum, insanus ille modernus mos propinandi & bibendi ad æquales haustus. Nam Horatius lib. 2. satyra 6. ait:

Siccat in æquales calices conviva, solutus
Legibus insanis

bibendi ad æquales cyathos. Esto ex legibus jocosis apud Græcos hæc una erat: ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι *aut bibito, aut abito*, D teste Cicerone Tuscul. 5. Licentior erat illa symposiarchæ Empedocli, teste Laertio, præscribentis, ut aut biberet, aut vinum in caput ejus effunderetur: qua de causa Empedocles eum coacto concilio rerum peregit, damnandumque curavit. Huc facit & illa convivalis lex apud Plutarch. libr. 3. Sympos. quæst. 9. *Concentus vini cum aqua fit diapente, diatrion, diatessaron, sic enim cantant: Quinque bibenda esse aut tria aut quatuor. Quinque enim sesquialteram rationem habent, tribus aquæ cyathis in duos vini admixtis: tria duplam, duobus ad unum: quatuor sesquitertiam, tribus aquæ cyathis uni vini affusis.* Denique Pollux: Symposiarches sit splendidus, inquit, magnificus, hospitalis, hospitum amans, popularis, lautè mensa excipiens, munditia gaudens, accuratus, bonæ diætæ, magnanimus, comitatis plenus, commodus, affabilis, lauti delicatique cibi, æquè ac vitæ.

Leges Siracidis datæ præfecto convivii. Prima ut convivis se æquet.

Primum ergo rectori convivii præceptum hoc dat Siracides, ut se præ ceteris non efferat, sed singulis sese æquet, & æquabilem exhibeat. Siracidem imitatus Plutarchus in Symposiac. lib. 1. qu. 4. ita de eo sancit: *Symposiarcha familiariter, amicè & benevolè erga omnes convivas sit affectus, nemini infensus & inimicus. Nam alias neque* impe-

imperando tolerabilis, neque distribuendo aqualitatis observans, neque colludendo inculpabilis erit. Et Epictetus: *Vide ne ira urgente in convivas sis injurius, sed potius cum mansuetudine & simplicitate illos exhilara.* Quocirca Plato sicut vult vigilum præfectum esse vigilantissimum, sic & symposiarcham esse moderatè sobrium, qui non facilè vino capiatur. Nam & vinosus contumeliosus erit & indecorus: omnino verò sobrius, injucundus. Addit Plutarch. Sicut Pericles creatus prætor se compellans commonebat: Animum adverte Pericles, liberis hominibus imperas, Græcis imperas, Atheniensibus imperas: ita convivii moderator secum reputabit, amicis se præesse, ut neque permittat eos turpiter agere, neque voluptatibus omnino prohibeat; sed ad utraque probè sit temperatus: sic tamen ut boni instar vini, nonnihil ad austeritatem propendeat: ita enim vino emollietur, & ad mediocritatem redigetur. Hæc Plutarch.

Moral. idem faciat quivis Superior.

Moraliter hæc adaptes quibusvis rectoribus & Superioribus. Si enim rector convivii convivis æquare se debet, pari jure quemvis alium rectorem decet æquare se subditis sibi commissis. Unde Syrus vertit, *magistrum* (vel *magnum*) *te constituerunt, ne extollaris, & in capite divitum ne discumbas: esto tibi sicut unus ex illis.* Hugo: *Rectorem*, inquit, *te posuerunt, non dominatorem: pastorem, non mercenarium: non carnificem, sed tutorem: non tyrannum, sed dispensatorem: non dominum, sed ministrũ: te, non tuas divitias, non tuam nobilitatem, non tuam progeniem, sed te, id est, tuam personam. Hodie tamen uno facto Episcopo, episcopatur tota parentela. Unde & nomen suum amittit tota progenies, & qui prius dicebatur filius fabri vel Roberti, dicitur nepos Episcopi.* Isaiæ 66. *Numquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul? Verba sunt Christi vel Ecclesiæ admirantis de tot nepotulis uno partu natis.* Et S. Bernardin. to. 3. serm. de Rector. *Rectorem*, ait, *te posuerunt, non raptorem: rectorem, non destructorem: quasi ministrum, non tyrannum: quasi dispensatorem, non dissipatorem, vel usurpatorem: ut tutorem, non devoratorem.*

S. Hieron. li. 6. in c. 18. Ezech. *Solent*, ait, *principes Ecclesiarum opprimere plebem per superbiam. De quibus scriptum est Eccles. 32. Principem te constituerunt, ne eleveris: esto inter eos quasi unus ex ipsis. Et Salvator præcipit Matth. 20. Qui vult inter vos esse primus, sit omnium minimus.* Simili modo explicat li. 13. in c. 45. Ezech. ubi pro *principem* legit *ducem*. S. Ephrem tract. de Timore Dei: *Ducem*, ait, *te constituerunt? ne extollaris animo: esto autem inter illos sicut unus ex ipsis, menteq; revolve labores tuos priores, & intellige illos, qui tibi jam parent, in iisdem versari; eosq; noli negligere, sed sedulò curam eorum gere.* S. Bern. epist. 9. ad Archiepisc. Coloniens. *Curemus*, inquit, *in alto positi non altum sapere, sed timere, sed humilibus consentire. Principem*, inquit, *te constituerunt, esto in illis tamquam unus ex illis. Et iterum: Quanto major es, tanto humilia te in omnibus. Sapiens est, qui hoc consulit: quippe haud secus sentiens ab ipsa Sapientia, quæ ait: Qui major est vestrum, fiat sicut minor, Lucæ 22. Alioquin judicium durum his qui præsunt, timeat potestas*, Sapient. 6.

Caveat ergo princeps & Prælatus, ne subditi meritò suspicentur, cum typho potestatis inflatum alios præ se despicere vel aversari; sed potius ita agat, ut celsitudinis etiam regiæ fastigium lenitate agendi demittat; ut, scilicet, populi, quantum reverentur principis majestatem, tantum mores placidos & æquabiles suspiciant & exosculentur. Quare in iis gubernandis plus benevolentia quàm severitate, plus cohortatione quàm commotione, plus charitate quàm potestate, quantum salva auctoritate fieri potest, utatur, juxta illud c. 3. 19. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligeris.* Vide quæ ibidem annotavi: ac præsertim dicta S. Ambros. lib. 2. Offic. c. 7. Vide & S. Greg. p. 2. Pastor. c. 6. cujus hic est titulus: *Vt sit rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentiũ vitia per zelum justitiæ erectus.* Causam dat, *quod omnes homines natura æquales genuit. Unde cuncti, qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis: nec præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse. Antiqui enim patres nostri non reges hominum, sed pastores pecorum fuisse memorantur.* Exempla dat S. Petrum, qui Cornel. volentem se adorare prohibuit, dicens: *Surge ne feceris, & ego ipse homo sum*, Act. 10. Et S. Paul., inquit, *bene agentibus fratribus prælatum se esse nesciebat, cum diceret, Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri*, 1. Corinth. 12. Et: *Facti sumus parvuli in medio vestrum*, 1. Thess. 2. Et: *Nos autem servos vestros per Christum*, 2. Corinth. 4.

Quæstiones de modo regendi propositæ à Philadelpho 72. interpretib. Prima.

Nota. Septuaginta duo fuere interpretes à Ptolemæo Philadelpho rege Ægypti evocati Alexandriam, ut S. Scripturæ libros ex Hebræo verterent in idioma Græcum; è quibus unum fuisse nostrum Siracidem censet Jansenius & alii: ego eorum discipulum & filium, vel nepotem fuisse censeo. Hosce 72. interpretes Ptolemæus convivio regali excepit, ac super mensam cuique quæstionem aliquam ethicam vel politicam resolvendam proposuit. Porrò quia ipse erat rex & rector Ægypti, hinc plerasque proposuit politicas de rege & regno, modoque rectè regendi. Eas selegi & hic ascribendas duxi, quia huic loco congruunt, eique sunt propriæ, ut à viris tam sapientibus rectores quilibet ritè regere condiscant. Descripsi eas ex Aristææ tract. de LXXII. interpretibus. Ptolemæus igitur primo interpreti hanc quæstionem proposuit: *Quonam pacto regnum incolume in finem usque conservetur? Ille parumper cunctatus, inquit: Hoc maximè modo regnum optimè dispones, si Dei mansuetudinem in rebus omnibus imitatus, patientia ac longanimitate uteris; extollesq; dignos, elatos autem affabilitate ex malo in pœnitudinem traduces.*

Secunda. Tertio proposuit hanc quæstionem: *Quomodo amicos sui similes habeat? Qui ait: Si intelligent te multa meditari in subjectorum populorum commodum: & tu id facias, considerans quemadmodum & Deus genus humanum bonis afficiat, valetudinem illis & vitæ alimenta, atque alia cuncta opportunis temporibus præbens.*

Tertia. Undecimo proposuit hanc: *Quibusnam modis divitias conservet? Ille dum petita revolvit, paululùm moratus: Si nihil, inquit, indignum regno tuo, neque flagitiosè ages, neque in vanis rebus & incommodis sumptus facies, & erga populum tuum te beneficum benignumque præbueris. Etenim Deus bonorum omnium, quem sequi oportet, largitor est.*

Quarta. Duodecimo proposuit hanc: *Quomodo veritatem colat? Huic ille respondit: Si cognoveris, quàm magnum dedecus mendacia mortalibus omnibus afferant, & multo majorem notam regibus inurant. Nam quando ea potentia sunt, ut quæ volunt, facilè perficiant, cujus rei gratia mentientur? Oportet etiam te considerare rex, ut Deus amator veritatis existat.*

Quinta. Vigesimoprimo proposuit hanc: *Quid sit in regno difficillimum? Ille: Sibi ipsi dominari, respondit, neque appetitibus efferri: inest enim natura mortalibus, ut mente ad aliquid semper declinent, & plerique ad mensas, pocula voluptatesq; trahuntur, in quibus multitudo maximè effunditur. At reges subigendorum populorum cura solicitat ob gloriæ magnitudinem. Sed pulcrum est se omni in re metiri, & quæ Deus dederit, studio continere. Inconcessa verò atque inexpetibilia ne concupiscas.*

Sexta. Vigesimoquarto proposuit hanc: *Quemadmodum gloriosus perduret? Cui ille: Si benignitate, inquit, & gratia excellens, erga alios magnificus extiteris, gloria te nusquam deseret, quæ ut tibi adsit, Deus semper implorandus est.*

Septima. Quinquagesimo primo proposuit hanc: *Quonam modo quis in superbiam non extollatur? Respondit ille: Si æqualitatem servet, & singulis in rebus sui ipsius meminerit; revolvens animo, ut homo hominibus præsit, utque Deus deleat superbos, mansuetos & humiles extollat.*

Octava. Quinquagesimotertio proposuit hanc: *Quid regi sit maxime necessarium? Subditorum, inquit, amor & dilectio: per hoc namque insolubile benevolentiæ vinculum texitur. Deus enim ea perficit, quæ rectè eliguntur.*

Nona. Quinquagesimoquinto proposuit hanc: *Quomodo multis in regno populis se accommodet? Si decenter cuique distribueris, inquit, justitiamq; (quemadmodum facis) ducem sequaris, præbente Deo tibi recta discernere.*

Decima. Quinquagesimonono proposuit hanc: *Quid regnum conservet? Ille, Cura & meditatio, respondit, ne quid à rerum præpositis malè agatur committaturque in plebem; quemadmodum facies, cum tibi Deus præstantem intellectum præbeat.*

Undecima. Sexagesimoquarto proposuit hanc: *Quid reges potissimũ sequi oporteat? Respondit ille: Leges, ut justis operationibus mortalium vitam regant; quemadmodum & tu peragens perennem tui memoriam fecisti, divina præcepta secutus.*

Duodecima. Sexagesimoquinto proposuit hanc: *Qui magistratibus præficiendi sint? Ille, Quicumque, ait, iniquos odio habent, ac tuos imitantur affectus, laudumque dulcedine tracti, justa semper ad adipiscendam gloriam operantur. Quod & tu facis profectò (rex) quandoquidem Deus justitiæ coronam tribuit.*

Decimatertia. Sexagesimosexto proposuit hanc: *Qui sint in duces eligendi? Qui fortitudine & justitia excellant, inquit, quique hominum salutem cruentæ victoriæ anteponant. Nam & Deus bona ad omnes operatur: quem tu secutus, bonis afficis subditos tuos.*

Sexagesimooctavo proposuit hanc: *Quibus in rebus reges diutius versari debeant? Tum ille: In rerum gestarum cognitione, ait, in legendisque incumbentium operam libellis temporis plurimum assumere oportet, & quæcumque ad conservanda regna, emendandosque hominum mores scripta sunt, perquirere: quod tu cum studiosè peragas, Deusque consilia tua secundet, ideò excellentem supra alios gloriam obtines.*

Decimaquarta. Sexagesimonono proposuit hanc: *Quid per otium agendum sit ne inertia torpeas? Ille adhuc, Considerandum est, ait, multa cum diligentia quæcumque in mentem veniunt, & ante oculos vitæ forma & imago quædam proponenda, tum quâ quæque vi perfecta sint, considerandum: est enim & in his decus suum, & eruditio quædam. Nam & sæpè in minimis egregium quiddam elucet, quod eligas. Tu verò quando bonitatem tibi Deus sufficit, elegantiam omnem propter philosophandi studium amplecteris.*

Decimaquinta. Moraliter ergo disce hic, quàm in cœtu & societate vitanda sit singularitas, ac sectanda vita communis, etiam Superiori: per illam enim sancitur charitas & humilitas. Memorabile est quod in Actis S. Francisci legimus: cùm ipse Perusii concionaretur, Perusinum quemdam vitæ perfectioris avidum de mutando vitæ statu cogitasse. Cui apparens Christus dixit: *Vir desideriorum, si votis vis potiri & salvari, sequere me in habitu Religioso Francisci Assisii.* Subinterrogavit ille: *Quam Domine in hoc Ordine normam servabo, ut tibi magis complaceam? Respondit Christus: Vitam communem Ordinis sectare, & intima fratrum consortia fuge, neque aliorum defectus scruteris aut judices.* Receptus ergo à S. Francisco, ab eoque ob insignem humilitatem F. Humilis appellatus, monita Christi secutus vitam sanctam egit, adeoque miraculis claruit. Ita Annales Minorum Auctore Luca Vvaddingo anno Christi 1211. num. 6.

In cœtu vitanda singularitas. Memorabilis est epistola ejusdem S. Francisci (exstat inter opuscula ejus numero octava) ad Petrum Catanium Ordinis sui Vicarium Generalem, conquerentem de nonnullorum fratrum dissolutione: *Dominus te custodiat, inquit, & in sancta sua charitate te conservet. Patientiam in omnibus operibus tuis, mi frater, tibi commendo in tantum, quod, quicumque tibi impedimentum fecerit, sive fratres, sive alii, etiamsi te verberent, omnia debes habere pro gratia, & ita velis, & non aliud. Et dilige eos, qui ista faciunt tibi, & non velis aliud de eis, nisi quantum Dominus dederit tibi, & in hoc dilige eos, ut velis, quod sint meliores Christiani. In hoc volo cognoscere, si tu diligis Dominum & me servum suum, & tuum, si feceris illud: videlicet, quod non sit aliquis frater in mundo, qui peccaverit, quantumcumque potuerit peccare, quod, postquam viderit oculos tuos, numquam recedat sine misericordia tua. Et si non quæreret, tu quæras ab eo, si vult misericordiam. Et si ille millies appareret postea coram oculis tuis, dilige eum plusquam me, ad hoc ut trahas eum ad bonum, & semper miserearis talibus. Et istud denunties Guardianis, quando poteris, quod per te sit firmus & facere: & omnes fratres, qui scirent eum peccasse, non faciant verecundiam ei, nec detractionem; sed magis misericordiam habeant circa ipsum, & teneant privatum peccatum fratris sui; quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* Hæc humili stylo, sed sublimi spiritu S. Franciscus.

Hoc est quod Christus acriter castigat in Scribis & Pharisæis, Matth. 23. 4. *Dicunt & non faciunt: alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.* Et propterea Innocentius Papa dixit: *Quod quisque juris in alterũ statuit, ipse debet uti eo.* Idque etiam juxta sententiam Catonis dicentis: *Patere legem quã tu ipse tuleris,* quam cùm feras, ut omnes servent, tu primus serva. Ne pro tuo libitu tecu dispenses, nisi velis eodem modo cum aliis dispensa-

A re, aut ut illi absque dispensatione legem transgrediantur. Ostende justitiam legis tuæ in hoc, ut per eam teipsum dirigas; & ostendes ejus suavitatem in hoc, quòd tu ipse libenter illam serves: præcede tamquam bonus pastor, exemplo tuo, ut subditi glorientur quòd te sequantur. Quamobrem bonus Imperator Theodosius dicere solebat: *Quamvis non esset ipse proprius legibus subjectus, velle tamen se illis alligari, easque servare.* Et magnus ille sapiens scriptum reliquit, *reipubl. felicitatem in eo consistere, quod lex sit verè domina principum, principes verò servi & famuli legis: contra verò perniciem esse ejusdem reipubl. si lex ancilla esset regum, & ipsi ejus domini, trahentes illum ad suam voluntatem.* *L. digna vox. C. de legibus. Plato l. 4. de Legibus.*

Quocirca S. Ephrem tract. de Timore Dei, hanc gnomen sic partim legit, partim explicat: *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto unus ex illis, menteque revolve labores tuos priores, & intellige illos qui tibi jam parent, in iisdem versari, eosque noli negligere, sed sedulò eorum curam gere.* Rectores enim qui fuere subditi, & subditorum labores

B sciunt experti, sciunt subditis compati, iisque modestè imperant: qui verò numquam subditorum onera sunt experti, iis despoticè velut servis præcipiunt, ac *dominantur in cleris,* ut ait S. Petrus. Addit S. Ephrem: *Somnolentia pastorum gaudium est luporum.*

Apud Gentiles celebris fuit Julius Cæsar, qui se militibus in fame, labore & periculis socium, imò antesignanum præbebat, ideoque eos sibi devinciebat, ut ad ardua quæque dicto audientes essent: atque hinc tantæ ejus victoriæ, felicitas & gloria. Similis fuit Cato, quem Lucanus libr. 9. Pharsal. ita armis verbisque per invia Africæ deserta generosè militibus præeuntem depingit:

Primus arenas
Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam.
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens, fatoque pericula vestra
Prætentate meo, &c. nullo discrimine notum,
Dux, an miles eam.

C *Par enim est,* ut ait Paulus lib. 4. Sent. tit. 6. *eum qui leges facit, pari majestate legibus obtemperare.* Et S. Ambros. ad Valentinianum Imper. epist. 32. *Quod præscripsisti aliis, præscripsisti & tibi. Leges enim Imperator fert, quas primùm ipse custodiat.* Præclarè Tacitus lib. 2. Annal. cap. 20. & 30. *Dux,* ait, *aliis minora mandat, sibi sumit validissimum,* idque Germanicum fecisse asseverat, æquè ac Constantinum Magnum asserit Nazarius in Panegyrico ejusdem cap. 29.

CURAM ILLORUM HABE, ET CONSIDE (ita Græca. Perperàm ergo Complut. Palacius, Jansenius & alii legunt, *considera*) ET OMNI CURA TUA EXPLICITA RECUMBE] Secundum est hoc præceptum, quod Siracides dat rectori convivii, & consequenter cuivis alteri. ut scilicet curam habeat convivarum singulorum, ne quid cupiam desit, ut se præteritum vel neglectum, aut oblivioni traditum jure queri possit. Circumeat ergo mensam & circumlustret omnes, singulisque de rebus necessariis vel opportunis provideat: *VERS. 2.* *Secundum præfecti convivii officium.*

D quo facto tum demum consideat, ut, postquam omnem suam curam in eos explicuerit, quasi perfunctus officio suo, tunc demum cum illis mensæ accumbat, ut se & convivas exhilaret. Unde Syrus vertit, *curam illorum habe, & postea discumbe: in omni necessitate eorum provide & recumbe;* Tigurina, *habe curam eorum, & sic demum reside: fac omni tuo officio fungaris, & quiesce cum laude.* Nam Græca habent: [illegible], quod Complut. vertunt, *& omnem usum tuũ fac, & approbatus quiesce:* cùm scilicet convivæ probarint tuam curam & diligentiam, dixerintque sibi esse satisfactum. Alii legunt, [illegible], id est, *& cùm feceris omnia quibus tibi opus est, accumbe.*

Moraliter S. Bernard. lib. 4. de Consider. Eugen. Pontif. cap. 2. agens de cura, quam debent pastores habere populi sibi commissi: *Noli differre,* inquit, *curam exigere, non curationem. Denique audisti: Curam illius habe, & non cura vel sana illum. Verum dixit quidem:*

Non est in medico semper relevetur ut æger.

At melius propono de tuis tibi. Paulus loquitur: Plus omnibus laboravi. Non ait: Plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi; verbum insolens religiosissimè vitans.

Alias

Alias autem noveras homo, quem docuit Deus, quia unusquisque secundùm suum laborem accipiet, non secundum proventum. Et ob hoc in laboribus potius quam in profectibus gloriandum putavit, sicut alibi quoque habes ipsum dicentem: In laboribus plurimis. Ita, quæso, fac tu, quod tuum est: nam Deus, quod suum est, satis absque tua solitudine & anxietate curabit. Planta, riga, fer curam, & tuas explicuisti partes. Sane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu. Ubi forte noluerit, tibi deperit nihil, dicente Scriptura: Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum. Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus. Similis debet esse cura regis & principis. Unde hoc ei elogium dat Seneca: *Omnium domos, illius vigilia defendit; omnium otium illius occupatio, ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit*.

Impia Machiavelli principia.

Impia ergo, injusta, & athea sunt hæc Machiavelli axiomata, imò repugnandi non tam principia, quàm paradoxa: Principem plus sibi debere quàm reip. Remp. principis gratia à natura institutam esse, non principem in gratiam reip. Quod reip. perniciosum sit, id principi utile esse posse. Principem aut optimum, aut scelestissimum esse debere. Tyrannum crudelitate, & scelere se conservare posse. Mortui non mordent. Oderint dum metuant. Divide & impera. Tyrannum, si sanus sanctusque esse cœperit, salvum esse non posse. Tyrannidem in ipso regis jure fundatam esse. Infelicem tyrannorum exitum non divino judicio, sed casui tribuendum esse. Moysem & Davidem multis cædibus sua imperia firmasse. Quæ omnia fusè confutat Bellarm. de Principe Chistiano, Ribadeneira, Thoma Fitsherbertus, & alii scribentes contra Machiavellum.

Animarum onus quam magnum.

Porrò animarum cura, quam suscipiunt Pontifices, Episcopi, Pastores, Rectores; onus ingens, & angelicis humeris formidabile est, ut ait Concil. Trident. cujus consideratione meritò humiliari & expavescere debent, qui illud sustinent: pastoratus enim & rectoratus magnum est pondus, & magna servitus. Hinc S. Gregor. & eum secuti ceteri Pontifices hunc sibi dant titulum: *Servus servorum Dei*. Hadriani IV. Pontificis hæc fuere verba: *Romano Pontifice nemo est miserabilior, conditione ejus nulla miserior. Totius ejus vita lætitia & felicitas, amaritudo est. Cathedra Romani Pontificis est spinosa, iter undique consertum aculeis; pondus tantæ molis, ut robustissimos premat, & confringat humeros*. Quæ verba relegens Marcellus II. Pontif. manu mensam pulsans, exclamavit: *Non video quomodo qui locum hunc altissimum tenent, salvari possint*. ita Onuphrius in ejus Vita. Hadrianum IV. secutus est Hadrianus VI. cujus proinde sepulchro hoc elogium Romæ inscriptum legimus. *Hadrianus sextus hic situs est, qui nihil infelicius in vita, quam quod imperaret, duxit*. Pius V. dum in pontificem eligeretur, expalluit & intremuit. Rogatus causam, dixit: *Cùm in monasterio viverem mihi, & Deo, optime sperabam de mea salute: creatus Episcopus & Cardinalis, timere cœpi: nunc ferè de ea despero. Quis enim totius Ecclesiæ molem, quis tot animarum onus sustineat sine evidenti salutis periculo?* Et tamen si quis alius, hic suo munere egregiè perfunctus est, adeoque verè pius & religiosus fuit Pontifex. Hinc Episcopus græcè idem est quod superintendens & invigilans plebi: pastor, qui pascit oves; unde *opilio dicitur quasi ovilio: præsul, qui præest sollicitudine: sollicitus, quasi solers & citus atque irrequietus*, ait S. Isidor. lib. 10. Origin.

VERS. 3. UT LÆTERIS PROPTER ILLOS, ET ORNAMENTUM GRATIÆ ACCIPIAS CORONAM, ET DIGNATIONEM CONSEQUARIS CORROGATIONIS] q. d. Si curam illorum habueris, eaque explicita, & peracta cum convivis accubueris, lætaberis cum illis, & pariter lætificabis illos. Unde ab eis *accipies coronam*, quæ tibi erit *ornamentum gratiæ*, id est, ornatus gratiosus, tibi gratiam, id est, decus & decorem concilians: ac insuper *dignationem*, id est, ut nonnulli codices habent, *dignitatem* & honorem *consequeris corrogationis*, id est, symboli, de quo mox. Græca breviter sic habent, *ut lætitia per eos afficiaris, & ornatus causa coronam capias*; Tigurina, *ut læteris nomine eorum, decorisq; gratiam coronam accipias*; Syrus, *propter hoc etiam in novissimo eorum lætaberis, & in mensa recipias honorem*.

Nota Primò. Pro *ornamentum gratiæ*, græcè est εὐκοσμίας χάριν; ubi si χάριν accipias ut adverbium vertes, A *ornamenti gratia*, id est, *causa*: sin, ut nomen, vertes *ornamenti gratiam*; & sic videtur accepisse Noster. Unde per hypallagen vertit, *ornamentum gratiæ*; ornamenti enim gratia est *ornamentum gratiæ*, putà, ornamentum gratiosum & decorum. Porrò hoc ornamentum est *corona*; unde nonnulli censent dictam coronam, eò quòd cohonoret eos, quibus imponitur. Alludit enim ad coronas, quibus insigniebantur & etiamnum insigniuntur magistri, sive Doctores. Unde caput hoc nonnulli inscribunt περὶ ἡγουμένων, id est, *de magistris*: aut potiùs alludit ad coronas convivales, quas præfecto convivii quasi regi & rectori suo, ob curam & regimen sibi præstitum, offerebant convivæ. Imò sola coronæ impositione creatos fuisse convivii magistros, sive dictatores, liquet ex Plauto in Persa: *Do*, inquit, *hanc tibi florentem florenti: tu sic eris dictatrix nobis*. Et ex Plutarcho l. 4. Sympos. quæst. 4. qui mos etiamnum apud nonnullos in Germania servatur, præsertim cùm in festo Trium regum sibi regem creant, corona eum decorando.

Convivæ olim gestabant coronas. cur?

B Quin & ipsi convivæ olim accumbebant coronati, uti etiamnum fit in Turingia: gestabant enim in capite coronas ex herbis, ut hedera, nardo, lauro, &c. aut è floribus, maximè rosis: tum ut iis ebrietatem prohiberent; tum ut caput pileo non gravarent; tum, ut suavi & blando eorum colore & odore caput refrigerarent, mulcerent & recrearent. Nam & calidi flores molliter aperiendi meatus capitis, faciunt ut vinum perspirare possit: & quæ leviter frigida sunt, mediocri contactu vapores repellunt, ut violacea in primis & rosacea corona. ita Athenæus, Plutarc. Plin. l. 21. 3. & alii. Hic enim mos fuit Hebræorum, Græcorum, Romanorum, Indorum. Hebræorum, ut patet ex hoc loco, & Sapient. 2. 8. *Coronemus nos rosis*; & Ezechiel cap. 23. 22. significat, amicas amatoribus coronas imposuisse. Græcorum, ut patet ex Athenæo lib. 15. Plutarch. lib. 3. Sympos. quæst. 1. Quin et Aristoteles apud Cælium lib. 27. 26. ait, veteres coronis in conviviis usos ad significandum obscurè, augurandumque annonæ fertilitatem rerumque copiam. C Romanorum, ut patet ex Ovidio lib. 5. Fastorum:

Ebrius incinctis (innexis) *philyra convivа capillis*
Saltat, &c.
Nulla coronata peraguntur seria fronte,
Nec liquidæ juncto flore bibuntur aquæ.
Bacchus amat flores, Baccho placuisse coronam, &c.

Corona significabant plenum, & integrum esse convivium, indeque plenum convivarum gaudium, eò quòd nihil illi ad hilaritatem compositum deesset: corona enim perfectionis est symbolum ob figuram rotundam & in se redeuntem. Unde Propert. l. 4. eleg. 3.

Me juvat & multam mentem vincere Lyæo,
Et caput in verna semper habere rosa.

Et Anacreon ode 4.

Foliis rosam decoram
Capiti revincientes,
Inter calices jocemur.

Indorum, ut patet ex Philostrato, qui lib. 2. Vitæ Apollonii Tyanei asserit Indos, quoties apud regem convivarentur, coronatos ad convivia accessisse.

Bacchantes coronati hedera: Cur.

Hinc Antiochus, ut legimus 2. Machab. 6. 7. Judæos coegit, ut rejectis patriis legibus Bacchum symposii deum colerent, eique bacchantium more hedera redimiti origa celebrarent, quod qui facere recusabant, morte mulctabantur: nam ut ait Plinius lib. 16. 1. ferunt Liberum (Bacahum) patrem primò omnium coronam imposuisse capiti suo ex hedera: quam Festus sic ait esse dictam, vel quòd id, cui adhæserit, edat. Et Plutarch. l. 3. Sympos. quæst. 1. Bacchus, ait, hederam quoque facultate sua maximè vino (ebrietati) resistentem, in honore habendam docuit, eaque bacchantes coronavit, ut minùs à vino læderentur, hedera suo frigore ebrietatem restinguente. Hinc & hedera signum est cauponarum et vini vendibilis. Denique Ovidius loco jam citato.

Tempora subtilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet iniecta splendida mensa rosa.

Ita legimus Cleopatram in luxurioso illo convivio in rosas expendisse talentum, cùm per omnia discumbentium triclinia foliorum passim acervi, cubiti mensura pavimentis undequaque extarent. Quin et pocula cyathosque coronabant, ut docet Tertull. lib. de Corona militis, et Virgil. 3. Æneid.

Tum

Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit, impletque mero.

Et lib. 7.

Crateras læti statuunt, & vina coronant.

Huc facit illud sponsæ vino amoris inebriatæ: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore* (ebrietate amoris) *langueo.* Cant. 2. 5.

Dignatio corrogationis, quæ? Resp. Primò. Nota Secundò. Per *dignationem*, sive dignitatem, *corrogationis* nonnulli accipiunt, imò cum Rabano legunt *dignitatem congregationis*, cui scilicet quasi præfectus corrogasti lętum epulum vel cibi, vel doctrinæ, vel prudentiæ & disciplinæ: ob hoc enim à congregatione convivarum dignitatem & honorem consequeris. Ita Rabanus, Lyra, Palacius.

Secundò. Secundò, Jansenius, *corrogatio*, inquit, est convocata & simul sua symbola conferens congregatio.

Tertiò. Tertiò, alii, *corrogatio*, inquiunt, vocatur convivium, quod instituitur ex corrogatione & collatione convivarum: olim enim mos erat corrogandi sumptus, aut etiam cibos, ad instruenda convivia, quas corrogationes vocabant Symbola convivalia. qualia fidelibus vetuit B Concil. Laodicenum c. 55. *Non oportet*, inquit, *ministros altaris, vel quoslibet Clericos, vel etiam laicos Christianos ex symbolis, quæ vulgus comessalia appellat, convivia celebrare.* Sic sensus erit, q. d. Si hæc feceris, consequeris à conviviis laudem, quòd convivium ritè instruxeris.

Quartò & genuinè. Quartò, propriè & genuinè, per *corrogationem* accipe collectionem symbolorum, quam faciebant convivæ, ut eam quasi tributum suo regi, & præfecto offerrent. Unde Syrus vertit, *& in mensa recipies honorem.* Solebant enim prisci convivæ officii causa corrogatis partibus (quæ symbola vocabant) ferculorum meliorum honestare symposiarcham, uti modò honestant sponsos, quibus etiam singuli solent propinare, adeoque cyathis vino plenis eos circumdare & coronare. Hac ergo corrogatione ferculorum & cyathorum, similiumque rerum convivalium significat honorandum convivii præfectum, si officium suum ritè obeat.

Munera symbolica convivarum. Addit noster Salazar in Prov. cap. 23. v. 21. convivas symposiarchę corrogasse symbolum ex munusculis mysticis. Nam v. g. aliquis, ut symposiarchæ robur & lacertos commendaret, armum illi deferebat: alius verò, ut C ejus facundiam notaret, linguam destinabat: alius ut ejus vigilantiam innueret, oculum mittebat: alius, ut amorem testaretur, cor vel pectus dabat: alii aliis ejusmodi symbolicis munusculis, prout cuique collibitum erat, convivii regem honestabant. Hoc autem non nisi in splendidissimis cœnis fieri solitum docet Fulvius in sua appendice ad Triclinium Ciacconi. Sensus ergo est, *Ut dignitatem consequaris corrogationis*, ut scilicet convivæ destinatis muneribus mysticis, laudes tuas celebrent, & eas, quibus polles, virtutes deprædicent. Sic Samuel Sauli regi misit armum, ut regi futuro fortitudinem (cujus symbolum est armus) commendaret: *Ecce comede*, inquit, *quia de industria servatum est tibi*, 1. Reg. 9. 23. & 24. Et Philo in Joseph, tradit à Joseph missum Beniamin fratri in mensa pectusculum, ut illum sibi in pectore & amoribus esse significaret. Eadem de causa ex victima sacerdoti cedebat armus & pectusculum, Levit. 7. 34. Hinc illa veterum dicta: *Cor ne edito linguam seorsim incide salem appone*, &c.

Mysticè hæc omnia adaptes præfectis mensæ spiritalis, putà, Episcopis, Pastoribus, concionatoribus & doctoribus. His enim cura incumbit instruendi mensam do-D ctrinæ, exhortationis, Eucharistiæ, qua quemque erudiant, & pascant ad vitam æternam: quòd si ritè fecerint, cum illis in cælo lætabuntur, ac coronam doctoribus promissam accipient: ipsique fideles ab eis in cælum traducti singuli eum ut parentem colent, eique suas dotes & gloriam errogabunt, juxta illud S. Petri epist. 1. c. 5. 2. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Hac de causa S. Paulus Thessalonicenses & Philippenses vocat suum *gaudium*, & suam *coronam*. 1. Thess. 2. 19. & Philip. 4. 1. Vide ibi dicta: ubi illustre hac de re exemplum S. Amandi recensui.

A Ab Hebræis, & Siracide idipsum didicere Philosophi Gentium. Unde Isocrates orat. ad Nicoclem: *Ama*, inquit, *eos quibus imperas & effice, ut ab iis vicissim ameris. Amor populi diuturni imperii est fundamentum.* Plinius in Panegyr. Trajani: *Bonus princeps*, ait, *cum civibus velut cum liberis suis versari debet. Affabilitas principis virtus maxima. Diligi princeps, nisi ipse diligat, non potest.*

LOQUERE MAJOR NATU: DECET ENIM TE PRIMUM VERBUM (subaudi loqui) DILIGENTI SCIENTIA, ET NON IMPEDIAS MUSICAM] ita Romana. Perperam ergo Jansenius, Palacius & alii passim legunt, *diligenti scientiam*: sicque explicant, q. d. Quandoquidem decet te, qui senior es, loqui ante alios: loquere tu primum verbum; verùm loquere illud non amusis, sed philomusis, id est, *diligentibus scientiam*, ne spargas margaritas ante porcos: ita tamen ut *non impedias musicam*. Aut aliter dispungendo: *Loquere major natu, decet enim te loqui: primum verbum diligenti scientiam*, subaudi, convenit, q. d. Convenit illum prę aliis loqui, qui ostendit se esse philosophum & amatorem scientiæ, quales sunt senes. *Vers. 4. Vers. 5.*

Verùm cum Romanis tam Latinis quàm Gręcis legendum ἐν ἀκριβεῖ ἐπιστήμῃ, id est, *in exacta & diligenti scientia.* A rectoribus convivii descendit ad convivas, tum senes, tum juvenes. Senibus hic dat præceptum, scilicet, ut primi loquantur (hoc enim decet) sed exacta, sensata & sapientia: ita tamen ut gravitate non impediant musicam, cui proprius est in conviviis locus. Unde Tigurina vertit, *loquere senex, quia decet te cum docto dumtaxat studio, nec musicam prohibe*; Compl. verò πρεσβύτερε, id est, *maior natu*, legunt, πρεσβυτέρῳ, id est, *maiori natu*. Sic enim habent, λάλησον πρεσβυτέρῳ, πρέπει γάρ σοι, ἐν ἀκριβείᾳ δὲ ἐπιστήμης, καὶ ἐμποδίσεις μουσικά, id est, *loquere seniori: decet enim te, in diligentia autem scientia, & impedies musica.* quæ lectio corrupta est; pugnat enim cum Latina vulgata ac cum Græcis ceteris, etiam Romæ emendatis, imò cum seipsa; præsertim quia in sequentibus commendat musicam.

Itaque duo hic sancit Siracides: prius, ut initio convivii senes loquantur, sed sensata & sapientia: *Loquere*, inquit, *maior natu*; græcè, *presbyter*: *decet enim te loqui*, C qui reliquis pro tua dignitate & ætate uti convivandi, ita etiam loquendi atque docendi magister creatus es. Nam *multitudo annorum scire facit*, uti habet vetus parœmia. Id olim in usu fuit apud Hebræos, Græcos & Latinos, tum fideles, tum infideles. Hebræos enim sua convivia non tantùm ferculis, sed & problematibus ac quæstionibus propositis condire solitos, doctè ostendit noster Salazar in Isagoge Proverb. pag. 2. De Græcis & Romanis idem testatur Plutarch. l. 1. Sympos. q. 1. & Macrob. l. 7. Saturn. cap. 1. Quintil. l. 1. Instit. Cicero Tuscul. 1. Plato in Sermonibus convivalibus, Athenæus in Dipnosophistis, id est, cœnis sapientum. Decet enim ut in convivio non tantùm corpus pascatur cibis, sed & mens eruditis bonisque sermonibus; quare in mensis proponebantur problemata, parabolæ, ænigmata, &c. ideoque sobriè bibebatur, ut iis sapienter responderi posset. ita docent Auctores citati. Horum loco apud Religiosos virosque graves in mensa solet legi S. Scriptura, Patres, historiæ, &c. quam proinde lectionem commendat S. August. epist. 109 & S. Basil. in Reg. brevior. reg. 130. Idem Cyrum & Persas factitasse scribit Xenophon libr. 4. Idem præ omnibus D facere primi Christiani in Eucharistia & agape, id est convivio post sacram Synaxin, uti ostendi 1. Corinth. 14. 26. idque exemplo Christi, qui in ultima cœna longum, & ardentem de charitate texuit sermonem, Joan. 13. & sequ. Ac de Essæis idem testatur Philo lib. de Vita contempl. Josephus, Eusebius & alii. Convivium enim est congeries delectationum, utpote in quo guttur cibo, aures cantu, oculi spectaculis, nares unguentis, & floribus pascuntur. Sed omnium optima & liberalissima est sermonis sensati, & jucundi oblectatio, quo uno maximè animus delectatur, & pascitur. Post sermonem autem musica videtur primas obtinere, quæ idcirco à Siracide cum sermone conjungitur. Porro inter Septuag. Interpretes ordine septuagesimus, à Ptolemæo Philadelpho regi Ægypti interrogatus in convivio regali, quid loquendum esset? respondit, narrandas esse principum illustrium vitas: his namque sua- *Tertium convivii præceptū, ut senes loquantur.*

suavius nihil; neque jucundius inveniri. ita Aristeas in historia LXXII. Interpretum.

Quartum ut musica condiatur. Cur? Posterius est, ut post senum doctrinam sequatur concentus musicus, ut seria jucundis temperentur, & convivæ exhilarentur, ac lites & rixæ, quæ inter convivas, dum vino æstuant, oriri solent, suavitate cantus sedentur, & sopiantur. Hanc enim vim habet cantus, & musica. Denique ut animus musicæ intentus non dicat, nec audiat verba scurrilia, detractoria, lasciva, quæ in mensis dici solent. Aliqui, ut Emmanuel Sà, per musicam intelligunt concentum & ordinem in disserendo, ut scilicet senes ita compositè & concinnè loquantur & disserant, ut harmoniam edere videantur. Verùm hæc mystica est musica: ad literam enim musica significat concentum musicorum. Hunc enim veteres Hebræos mensis adhibuisse liquet ex hoc loco, & vers. 7. ac psalm. 69. 13. Isaiæ 24. 8. Amos 6. 5. Lucæ 15. 25. Quin & Christus Dominus ultimam cœnam hymno & cantu conclusit. Nam *hymno dicto*, græcè ὑμνήσαντες, id est, cùm hymnum cecinissent, ipse & Apostoli *exierunt in montem olivarum*, Marci 14. 26. Denique in cælesti convivio Beati perenne Alleluia Deo & Agno decantant, Apocal. 4. 8. & c. 5. v. 9. & 12. & c. 7. v. 12.

De Græcis & Latinis patet ex Cicerone Tuscul. 1. & Quintiliano lib. 1. *Ille mos fuit*, inquit, *ut in conviviis post cœnam circumferretur lyra, quam ex ordine convivæ pulsarent: cujus cùm se imperitum professus esset Themistocles, habitus est indoctior.* Unde Horatius lib. 2. ode 11.

Divitum mensis & amica templis lyra.

Et Varro: *In conviviis*, inquit, *pueri modesti cantabant carmina antiqua, in quibus erant laudes majorum & alta voce, & cum tibicine.* Cicero in Bruto: *Carmina*, ait, *in epulis à singulis convivis esse cantata de clarorum virorum laudibus, in Originibus scriptum reliquit Cato.* Virgil. 1. Æneid.

—— Cithara crinitus Jopas
Personat aurata.

Hic autem erat ordo cantus. Primò, omnes convivæ communi voce pæana, sive hymnum aliquem in Bacchi & aliorum deorum honorem canebant, idque tum ab initio, tum in fine mensæ, quando libabant: deinde unusquisq; accepto myrti aut lauri ramo propriam cantionem canere, atque etiam lyram, quæ circumferebatur, pulsare cogebatur. ita Plutarch. li. de Musica, & Sympos. 1. qu. 1. & Clemens Alexand. 2. Pædag. 4. ubi immoderatum & lascivum musices usum damnat, taleque convivium nuncupat *ebrietatis theatrum*. Sic & convivia olim musica condiri solita docet Athen. li. 1. & 14. Plato in Protagora, Sueton. in Galba, Livius decad. 3. Valer. Max. l. 2. & alii.

Pari modo primi Christiani concentum adhibebant in agape, id est, convivio Eucharistico. Id patet ex S. Paulo Coloss. 3. 16. *Verbum Christi*, inquit, *habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, & commonentes vosmetipsos psalmis hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* Ex 1. Corint. 14. 26 *Unusquisq; vestrum*, inquit, *psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsin habet*. In quorum locum successere lectio Epistolæ & Euangelii, ac cantus organaque in Missa, uti ibidem dixi.

Sed audi Tertull. graphicè agapen & prima Christianorum convivia & cantus depingentem Apologetici cap. 39. *Cœna nostra*, inquit, *de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim* ἀγάπη, *id est, dilectio. Quantiscumq; sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quoq; refrigerio isto juvamus, non qua penes vos parasiti affectant, ad gloriam famulandæ libertatis, sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi; sed qua penes Deum major est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ de causa æstimate, quid sit de religionis officio, nihil scurrilitatis, nihil immodestiæ admittit: non prius discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur: editur quantum esurientes capiunt: bibitur quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere: hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio convivium dirimit: inde disceditur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quàm disciplinam.*

Hinc patet musicam & organa rectè adhiberi in templis, etiam in Missa, tum, ut Deus per illa laudetur, tum ut populus ad devotionem & lætitiam spiritalem excitetur. Sed cavendum est, ne cantus sit levior aut lascivior, qui potiùs petulantiam quàm devotionem provocet, ac potiùs aures titillet quàm mentem ad Deum attollat. Deniq; Clemens Alexan. suprà: *Sunt*, inquit, *admittendæ modestæ & pudicæ harmoniæ: à forti verò & nervosa nostra cogitatione molles et enervatæ harmoniæ amandandæ quàm longissimè, quæ improbo flexuum vocis artificio utentes, ad delicatam et ignavam vitæ agendæ rationem deducunt. Graves autem, & quæ ad temperantiam pertinent modulationes, ebrietatis protervia valedicunt. Chromaticæ igitur harmoniæ, impudenti in vino protervia floribusque redimita, & meretricia musica sunt relinquenda.*

Mira vis musica. Porrò, quanta sit vis musicæ in exhilarandis sedandis & cicurandis, non tantùm hominibus efferis & ebriis, sed & bestiis, ostendit Martianus Capella lib. 9. de Musica, *Cervi*, inquit, *fistulis capiuntur pisces in stagno Alexandriæ crepitu detinentur: cycnos hyperboreos citharæ cantus adducit: elephantes Indicos organica permulsos detineri voce compertum: fistulis aves allici comprobatum, infantibus crepitacula vagitus abrumpere, fides delphinis amicitiam hominum persuadere, imò cantibus allici disrumpique serpentes.* Quin & paulò antè addit: *Febrem curabant vulneraque veteres cantione: Asclepiades item tuba surdissimis medebatur: ad affectiones animi tibia Theophrastus adhibebat: ischiadas quis nesciat expelli aulica suavitate? Xenocrates organici modulis lymphaticos liberabat: Thaletem Cretensem citharæ sua vitate compertum est morbos ac pestilentiam fugasse: Herophilus ægrorum venas rhythmorum collatione pensabat.* Hæc ille. Sed ea vix credent physici & medici. Non minùs mirum est, si verum, quod Polyhistor cap. 11. narrat in Halesina regione fontem aliàs quietum, & tranquillum cùm siletur; si insonent tibiæ, exultabundum ad cantum elevari, & quasi miretur dulcedinem vocis, ultra marginem intumescere.

UBI AUDITUS NON EST, NON EFFUNDAS SERMONEM, ET IMPORTUNE NOLI EXTOLLI IN SAPIENTIA TUA] Monuit senes ut loquantur sensata in convivio: hic modum & conditionem adhibet, scilicet, si sit auditus, hoc est, audientia; putà si adsint auditores audire parati: alioqui, ubi id non est, frustra & imprudenter effunditur sermo, uti fit à nonnullis polylogis & verbosis, qui ubique suam sapientiam ostentare satagunt, contra quos ait: *Et importunè noli extolli in sapientia tua*, ut importuno tempore, cùm scilicet non sunt auditores, qui audire velint, promas & jactes tuam sapientiam, eamque nolentibus & invitis ingeras. Vers. 6.

Græci codices tollunt primam negationem *non*; unde sic habent, *Ubi est acroama ne locutionem effundas, neu intempestivè sapiens esto. Acroama* Græcis est narratio aut fabula, quæ à vulgo libenter auditur. Propriè *acroama* est auditus, auscultatio, q. d. Ubi alii audiuntur, tu ne effunde sermonem. Unde Tigurina, *ubi locus est auscultandi, verba ne fundites, nec sapientiam agas intempestivè.* Hinc Acroamatica vocantur Aristotelis commētationes, in quibus philosophia subtilior remotiorq; agitatur, quæ proinde diligenti discipuli auscultatione & attentione indigent. Hic tamen *acroama* significat narrationes, historias, carmina, fabulas, quæ super mensam recitari solent, ut convivas recreent, ac ipse etiam musicorum cantus, qui avidè à conviviis auscultari solet. Ita *acroama* pro cantu accipit Macrobius: *Delectatus*, inquit, *Cæsar inter cœnam symphoniacis, eos frumento tantùm donavit, cùm in alia acroamata fuisset nummis liberalis.* Sic etiam hic accipi potest, ut explicet id quod præcessit, *Et non impedias musicam*. Vnde addit, *Ubi est acroama ne loquaris*, hoc est, quando carmina canuntur, noli loquaciter obstrepere, & intempestivè sapientem agere.

Verùm meliùs Noster legit per negationem; *Ubi non est acroama*, id est, auditus, *non effundas sermonem*. Favet Syrus dum vertit, *in loco, in quo bibitur vinum* (ubi viget compotatio) *ne misceas sermonem, nec semper sapientem agas*. Sensus est, quem initio assignavi, isque aptè respondet lectioni, quæ habet v. 5. *Decet enim te primum te verbum* (loqui) *diligenti scientiam*, nam *ubi non est auditus*, ubi scilicet non diligitur scientia, *non effundas ser-*

sermonem. Huic gnomæ similis est illa Syrorum: *Ne semittas canem ubi non est venatio*, *hoc est*, *ne quem corripias vel doceas*, *ubi non est spes profectus & fructus*.

Vers. 7. Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini] Prosequitur quod dixit ℣. 5. *Et non impedias musicam*. Τὸ *&* est comparativum, ideoque idem est quod *sic*. *Comparatio* hic non est similitudo, sed compositio & concentus: græcè enim est σύγκριμα, id est, compositio & coagmentatio, scilicet vocum & sonorum musicorum. Ut enim ex parvis, & magnis lapidibus coagmentatur insignis fabrica, ac ex variis plagulis acu pictis vel intextis opus Phrygium, atque ex diversis tessellis aptè concinnatur opus tessellatum sive mosaicum vel musivum, cujus pulchritudo consistit in apta partium singularum ad invicem proportione & coagmentatione: ita pariter ex vocibus gracilibus, mediis & crassioribus appositè inter se compositis & commistis, resultat musicus concentus, cujus elegantia consistit in harmonica vocum omnium inter se proportione, & comparatione. Sensus ergo est, quasi dicat. Uti gemma carbunculi, licèt in se pretiosa, & pulchra, pretiosior tamen apparet, B & pulchrior resplendet in annulo aureo (auri enim fulgore ejus splendor reverberatur, & acuitur:) ita pariter concentus musicus, licèt in se elegans, & delectans, magis tamen pulchrescit, & delectat, si misceatur convivio: ibi enim proprius est musices locus, ubi hilares convivæ hilariùs audiunt musicam, ideoque delectationem cibi & potus acuunt, imò duplicant delectatione musices; quia *sicut cibus reficit corpus*, *ita melodia sensus*, ait Lyran. Unde Græca habent, *sigillum carbunculi in ornameto aureo* (in pala annuli aurei) *est concentus musicorum in convivio vini*; Tigurina, *quasi insigne carbunculi in aureo ornatu est concentus musicorum ad vinum in convivio*. Est enim magna sympathia inter vinum & vocem cantumque, præsertim quia hæc omnia uno eodemque organo, putà ore, et lingua sentiuntur, et peraguntur: Unde videmus pueros aliàs taciturnos, mox ut vinum biberunt, garrire et cantillare, aut cantantes auscultare.

Hinc sententiæ Siracidis antistropha est illa Salomonis Proverb. 25. 11. *Mala aurea in lectis argenteis*, *qui loquitur verbum in tempore suo*. Nam et ibi agi de lectis triC cliniorum, in quibus discumbebant convivæ, ac de sermonibus mensalibus, quibus intermiscebatur musica, docet ibidem noster Salazar.

Mysticè, musicus concentus est gratiarum actio, quæ mirè decorat convivium, præsertim sacrum, ut Eucharistiæ et lectionis vel concionis sacræ. Unde Syrus vertit, *sicut signaculum super marsupium auri*, *sic laus Dei in convivio vini*. Hoc est, quod ait Apostolus Ephes. 5. 18. *Et nolite inebriari vino*, *in quo est luxuria*, *sed implemini Spiritu sancto*, *loquentes vobismetipsis in psalmis*, *& hymnis*, *& canticis spiritualibus*, *cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino*, *gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi*, *Deo & Patri*. Id fiebat in agapis, uti ostendi 1. Corinth. 14. 26.

Rursum sensus hujus versus mysticus est, q. d. Sicut carbunculus ornat annulum, & vicissim ornatur ab annulo aureo: ita musicus concentus, id est, vita sancta (cujus actiones omnes inter se, & cum lege Dei concordantes concinunt, & mysticam virtutum efficiunt harmoniam) ornat doctrinam sanam doctoris, & vicissim ab eo ornatur. ita Glossa. Audi Rabanum: *Omnium ardentium gemmarum*, inquit, *principatum carbunculus habet*: *carbunculus autem dictus*; *quod sit ignitus ut carbo*, *cujus fulgor nec nocte vincitur*: *lucet enim in tenebris*, *adeò ut flammas ad oculos vibret*. *Carbunculum ergo comparat ad splendorem auri*, *& musicum melos ad convivium vini*. *Quia sicut gemma pretiosa adjuncta auri metallo*, *duplicat splendoris decorem*: *ita dulcis melodia ad convivium vini adjuncta*, *multiplicat jucunditatem*. *Mysticè autem aurum significat divinam sapientiam*, *carbunculus sacrarum virtutum gloriam*, *vinum gratiam spiritalem*, *& musica Evangelii prædicationem*; *sicut enim condecet divinam sapientiam virtutum fulgor*: *ita & spiritalis gratia condigna est vera prædicatio verbi*. Hugo verò: *Gemmula carbunculi*, inquit, *est humilitas charitatis*. Carbunculus, quasi carbo ignitus dicitur, omnes gemmas splendore præcellens: sic charitas suo ardore præcellit ceteras virtutes, A *In ornamento auri*: aurum est sapientia, quasi dicat. Sicut charitas, & humilitas ornant sapientiam, sic consonantia cordis, oris & operis ornat, & decorat prædicationem verbi Dei. Et sicut charitas præfertur sapientiæ, sic bona vita doctrinæ. Nam, ut ait S. Gregor. *cujus vita despicitur*, *restat ut ejus prædicatio contemnatur*. Idem Hugo per smaragdum qui sequitur, estque viridis, accipit fidem per dilectionem operantem, quæ ornat sapientiam, & doctrinam, sicut charitas & humilitas. In smaragdo ergo significatur fides Confessorum, in carbunculo charitas Martyrum. Sed de smaragdo mox plura ex Rabano.

Sicut in fabricatione auri signum (græcè σφραγὶς, id est, *sigillum*) est smaragdi: sic numerus musicorum in jucundo et moderato (Raban. legit, *odorato*) vino] Idem dicit de smaragdo, quod dixit de carbunculo. Quare *numerus* hic non arithmeticus, sed musicus intelligitur, putà, numerus vocum sive numerosa harmonia: græcè enim est μέλος, id est, harmonica melodia. Sensus est, quasi dicat. Sicut annulum aureum ornat pala ex smaragado, vel sigillum smaragdinum: ita pariter convivium ornat concentus musicorum, imò convivii splendorem instar sigilli smaragdini obsignat & sigillat, id est, perficit & consummat, ut tum demum censeatur perfectum esse convivium, cùm musica conditur & condecoratur. Unde Græca habent, *sigillum smaragdi in opere ex auro constructo est carmen musicum ad vinum suave*, *dulce & jucundum*; Tigurina, *modulatio cantorum in jucunda compotatione*, *est sigillum smaragdi in apparatu aureo*; Syrus, *sicut monile aureum annuli & smaragdi*, *ita verba bona* (decantata) *in convivio vini*. Igitur sicut vix est gemma carbunculo & smaragdo pretiosior, & in auro pulchrior: ita nihil est in convivio aptius, & jucundius quàm musica harmonia. Arabicus. *sicut annulus super sacculo auri*, *sic gloria Dei super potu vini*; si quis scilicet in symposio Deum bonis sermonibus, & hymnis glorificet. Audi Rabanum: *Smaragdus lapis est nimia viriditatis*, *adeò ut herbas virentes frondesque*, *ac gemmas superet omnes*, *inficiens circa se viriditate repercussum aerem*; *qui mero & viridi proficit oleo*; *quamvis natura imbuatur*. *Cujus genera plurima*, *sed nobiliores Scythici*: *secundum locum tenent Bactriani*: *tertium Ægyptii*. *Significat autem animas fide semper virentes*, *quæ quo magis adversitate seculi* (*quam figura Scythiæ designat*) *attentantur*, *eo amplius hæreditatem immarcessibilem & æternam conservatam in cælis*, *& mente concipere sperando*, *& in proximos satagunt spargere prædicando*. *Quæ etiam calice Dominicæ passionis*, *& interna pinguedine charitatis*, *quæ per Spiritum sanctum datur*, *ad contemptum mundi proficiunt*. *Sicut enim in fabricatione auri adauget decorem splendor smaragdi*: *sic eruditionem viri amplificat charitas recta fides*, *quæ per dilectionem operatur*: *& mysteria passionis Dominicæ condigno venerantur sacramento*. Vers. 8.

Denique mystica musica Deo & hominibus gratissima, est concordia conjugum, domesticorum, Religiosorum, civium, &c. juxta illud cap. 40. 20. *Vinum & musica lætificant cor*, *& super utraque dilectio sapientiæ*, id est, charitatis, & concordiæ de quo plura ibidem. Sequitur enim: *Tibia & psalterium suavem faciunt melodiam*, *& super utraque lingua suavis*, qualis est charitatis & concordiæ.

Audi tacens, tum musicam & musicos (hi enim D audiri volunt in silentio) tum sermones senum jam dictos, et pro reverentia accedet tibi gratia bona] q. d. Tacendo & auscultando deferes honorem & reverentiam tum musicæ, & musicis, tum senibus, & sapientiæ quam eloquuntur, tum ceteris convivis, qui eos avidè auscultant: quare eorum omnium gratiam tibi conciliabis, ut te velut modestum, reverentem, philomusum venerentur & deprædicent, tibique pro favore auscultationis gratias agant, si secùs facias & loquacitate tua eis obstrepas, omnes offendes, audiesque immodestus, irreverens, audax & loquax. Si hæc reverentia silentii deferenda est musicæ profanæ in conviviis, multò magis deferenda est cantui sacro in templis, putà, in Missa, & Vesperis: hoc enim exigit honor & majestas Dei, cui laudes hæ decantantur, quique in iis invocatur, & adoratur. Quocirca Christus ejecit ementes & vendentes ex templo, pari ratione ejc- Vers. 9.

ejecturus garrulos & fabulones, si eos ibi invenisset, dicens, *Domus mea domus orationis est*, non fabulationis: *vos autem fecistis illam speluncam latronum*, Lucæ 19. 46.

Hic versus jam deest in Græcis & Syro.

VERS. 10. ADOLESCENS LOQUERE IN CAUSA TUA VIX] id est, rarò, parcè, tardè, ægrè. Unde Jansenius & alii addunt, *Cùm necesse fuerit:* ut scilicet non loquaris, nisi cùm loqui necesse est; sed id delent codices Romani.

VERS. 11. SI BIS INTERROGATUS FUERIS, HABEAT CAPUT RESPONSUM TUUM] A senibus transit ad adolescentes, eisque præscribit silentium & pauciloquium: sicut enim senes decet loqui, sic juvenes decet silere, & auscultare. Primum est hoc adolescentum monitum, & præceptum, nimirum ut in mensa sint taciturni & pauciloqui. Igitur non loquantur, nisi cùm causa eorum id exigit, putà, cùm necesse est loqui, idque *vix*, id est, ægrè & parcè. quod explicat subdens: *Si bis interrogatus fueris*. q. d. Ne responde, nec loquitor nisi bis interrogatus fueris; tunc enim honestè silere nequis: verumtamen tunc curato ut *habeat caput responsum tuum*; græcè, κεφαλαίωσον, id est, redige sermonem tuum in brevia capita, ut paucis multa complectaris. Unde Græca Romę emendata habent, *adolescens loquere, cùm necessitas tibi fuerit, vix: si bis interrogatus fueris, in summam redige sermonem, in paucis multa;* Tigurina, *loquere adolescens si veniat usus tui, vix tamen etiam bis invitatus, summatim, verbis paucis multa complectere;* alii, *confer sermonem in capita, paucis multa explicans*. Hoc enim exigit humilitas, verecundia, modestia & reverentia, quam juvenes debent senioribus: si enim secus faciant, videbuntur esse scioli & superbi, atque arrogare sibi auctoritatem loquendi, suamque velle ostentare sapientiam. Eodem spectat, quod sequitur:

Primum præceptũ adolescentum in convivio.

VERS. 12. *Secundũ.* IN MULTIS ESTO QUASI INSCIUS, ET AUDI TACENS SIMUL ET QUÆRENS] Græcè, γίνου ὡς γινώσκων καὶ ἅμα σιωπῶν. quod Primò, Tigurina præcedentibus connectens vertit, *fac intelligas* quod interrogaris, quodque respondere debes, *interimque taceas*. q. d. Interrogatus tace, donec prudenter cogitaris quid respondere debeas. Secundò, Roman. & Complut. vertunt, *esto quasi sciens & simul tacens*. q. d. Fac ut intelligas, scias & cognoscas, quæ in mensa à senibus dicuntur; sed ita ut simul taceas, nec te ea scire ostentes. Noster pro ὡς, id est, *quasi* legit οὐ, id est, *non*, atque alia nonnulla adiicit. Unde vertit, *in multis esto* quasi non sciens, id est, *insciens*. q. d. Esto multa intelligas & scias, tacendo tamen dissimula te ea scire, teq; gere quasi ea nescires, sic enim humilitate celabis tuam scientiam, ac provocabis senes ut pergant dicere & docere: quare audi eos tacens simul, & quærens, tamquam audiendi & discendi avidus, modestè tamen & opportunè id facias: sicut Christus duodennis inter doctores celabat suam scientiam, nec docebat, sed interrogabat, Lucæ 2. 46. Denique ut ait S. Bernard. tract. de Ordine vitæ, *silentium est maximus actus verecundiæ*: hæc autem est prima dos juvenum. Vide S. Bonav. de Institut. Novitior. 1. p. c. 20. Est hoc secundum adolescentum monitum: sequitur tertium.

VERS. 13. *Tertium.* IN MEDIO MAGNATORUM *loqui* NON PRÆSUMAS: ET UBI SUNT SENES, NON MULTUM LOQUARIS] Ita legit Jansenius & alii passim: sed delendum est cum Romanis, & Græcis τὸ *loqui*; Græca enim Complut. sic habent, *in medio magnatorum* μὴ ἐξισάζου, id est, *ne te facias æqualem: & ubi senes, ne multa garruleris;* Roman. *& alio dicente ne multa garrias;* Tigurina, *ne te adæques proceribus inter quos fueris, & ubi senes adsunt, ne multa garrias*. Nam Romana legunt ἑτέρου λέγοντος, id est, *alio dicente*, pro quo Complut. & Tigur. legunt, οὗ γέροντες, id est, *ubi sunt senes;* Syrus, *inter principes ne exalteris, & eos, qui sunt seniores, ne velis contumelia afficere*, contradicendo, & multum loquendo in eorum præsentia: hoc enim senibus contumeliosum est. Ut ergo Latina cum Græcis & Syris concilies, sic explica: In medio magnatum *non te æques* (uti legunt nonnulli codices manuscripti) illis, ut præsumas æquali libertate cum illis uti, ut audeas cum eis agere quasi par cum pari, ut velis liberè agere, & dicere eadem quæ ipsi agunt & dicunt: hoc enim signum est arrogantiæ, audaciæ & impudentiæ: quare eo offensi magnates, & indignantes quòd te illis æquare velis, cùm sis inferioris sortis, in te insurgent, teque verbis & factis, quoad pote-

A runt, deprimont: ut qui volueras esse æqualis summis, fias par, imò inferior infimis. Eadem de causa non præsumas inter senes multum loqui, quia per hoc videris te eis æquare, eorumque gravitatem, auctoritatem & prudentiam tibi arrogare. Quare illos offendes, ipsique tuam arrogantiam carpent & obtundent. Huic affine est S. Bonaventuræ monitum: *Inter multos ne multum loquaris*, tum, ut multitudinem reverearis; tum, ut vites confusionem, tumultum, contradictionem & reprehensionem cujuslibet è multis.

Senibus deferendum.

Hinc omnium gentium ritu juventus honorat senes, eisque defert honorem sedendi & loquendi. Unde Macrobius lib. 3. Saturnal. *Senectus nobis*, inquit, *si sapimus, adoranda est*. Et Valer. Max. lib. 2. cap. 1. scribit juvenes olim ita honorasse majores natu, ac si ipsi communes omnium forent parentes: unde & senatores vocati sunt patres conscripti, & à senibus dictus est senatus: quia in eum nemo nisi senex adlegebatur, ut dixi c. 25. 7. Hac de causa γέροντες, id est senes, apud Spartanos erant se-

Exempla

B natores, & optimates, numero 28. qui amplissimum magistratum gerebant, teste Aristotele in Politic. Porrò Plutarch. lib. 7. Sympos. γέροντας non tam ἀπὸ τῆς γῆς, hoc est, ab ariditate terrea, & quòd in terram fluant, quàm ἀπὸ τοῦ γέρατος, id est à veneratione, honore & reverentia, dictos putat. Quare apud omnes nationes summo in honore habiti sunt. Audi Juven. satyr. 13.

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicumque puer, licèt ipse videret
Plura domi farra, & majores glandis acervos.
Tam venerabile erat præcedere quattuor annis,
Primaque par adeò sacra lanugo senectæ.

Et Ovid. lib. 5. Fastor.

Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

Quàm Esseni honorarint senes, vide apud Philonem lib. de Essenis: quantum Ægyptii, vide apud Herodot.

C in Euterpe. Plura de honorandis senibus vide apud Ciceron. 1. offic. Platonem dialog. 9. de Legibus, Aristot. 9. Ethic. 2. Ælianum lib. 1. de Natura animalium, ubi ad hoc stimulum dat exemplum elephantorum: *Quod genus animalium à principio*, inquit, *hoc idem solo naturæ ductu sine Lycurgi, aut Solonis, aut Zaleuci præceptione sanctissimè observat: ætate affectis nimirum juniores de legitimo cibo cedunt, eosdemque summa observantia colunt, & à periculis servant, in fossam delapsos injectis fruticum fascibus subtrahunt, quibus tamquam scalis senectute graves ascendentes liberantur.* Hęc de elephantibus refert etiam Plinius lib. 8. cap. 5. Solin. c. 38. Similia de formicis refert idem Ælian. lib. 8.

Hoc sapienti, acuto & erudito struthionis, & gallinæ apologo, oculis quasi spectandum subiicit Cyrillus lib. 2. Apolog. moral. c. 4. cui titulus: *Contra præsumptuosos; Alatus struthio*, inquit, *cum pedis officio in montem ascendisset, cernens volucres in liquidum aerem pennata se agilitate diffundere, præsumptionem sumens ex penna, idem vo-*

Apologus præsumptuosi.

D *luit attentare. Cumq; anhelationis impetu pararet sese aeri committere, id gallina prospiciens sic ei fertur dixisse: Tene locum tuum charissime, & cave ne penna præsumptionis tuę tibiam amittas virtutis. Qui spernens salutare consilium, mox respondit: Tace miserrima, quæ cùm posses validitate pennarum altis & lucidis sedibus perfrui, gravitate pauperis pectoris tui, lutum colis. Quo dicto, cordis vigore præsumptuoso se cum magno impetu vibrans, fallacium mentiente statera pennarum, suo pondere corruit, & rapido oneris sui descensu totam se confregit. Tunc ad ulatum dolentis gnara rei gallina descendens, ad eum venit pede tuto, & dixit: De imprudentia tua non miror, quia magni corporis nimis parvum superpositum habes caput; & ideo ala non utili perdidisti pedem tam commodum, & volatus vanitatis abstulit tibi gressum veritatis. Nempe non attendisti, quòd præsumptio dum nimis extendit, disiungit, & cùm erigit, diruit; & cùm anteponit, postponit.* Apologum deinde aliis parabolis stomachi, cordis, ponderis & vini corroborat dicens: *Sic cùm supra vires stomachus hauserit, se confundit; & cor immoderatè dilatatum, vitali spiritu perdito semetipsum extinguit. Altius raptum pondus fortius cadit, & erectum sine modo velum submergitur. Sed omnis moderamine virtus agit, & natura dimicans contra morbum, in ex-*

Similia.

trema tantùm necessitate potentiam suam ostendit. Tuæ igitur validitatis mensuram cape, & extra metam tuæ longitudinis te noli extendere. Onus sume quod possis ferre, & illud bibe quod possis digerere. Qui enim viribus suis improportionatum pondus levare nititur, crepat. Et si immoderatè vinum bibatur, caput inebriat. Quibus dictis discedens, in dolore suo præsumptuosum reliquit.

VERS. 20. ANTE GRANDINEM PRÆIBIT CORUSCATIO: ET ANTE VERECUNDIAM PRÆIBIT GRATIA, ET PRO REVERENTIA ACCEDET TIBI BONA GRATIA] Ita legunt Roman. Raban. Lyran. & alii. Verùm Græca, Jansenius, Palacius & alii pro *grandinem* legunt *tonitruum*. sic enim habent Græca, *ante tonitruum festinat fulgur, & verecundum præcedit gratia*; Tigurina, *ut fulgur præcedit tonitru, ita pudentem gratia prægreditur, ut pro reverentia consequaris benevolentiam*. Quod Palacius sic explicat, q. d. Sicut ante tonitruum sentitur coruscatio, licèt revera prius sit tonitruum quàm coruscatio: ita licèt revera verecundia sit ante gratiam, tamen adeò verecundia placet, ut oculis nostris præcedere videatur gratia verecundiam & præire, non sequi. Igitur *pro reverentia*, quam senibus habueris, *accedet tibi bona gratia*: gratiosus enim videberis & haberis.

Gratia præit verecundiã. Qua ratione?

Jansenius verò pleniùs: Gratia, inquit, præit verecũdiam, vel) ut Græcè est) verecundum; quia illi semper præsens est, & parata ad excipiendum illam vel illum: quomodo qui aliquem honoris causa præcedit, illi semper adest, paratus ad succurrendum, si opus fuerit. Aut, quia verecundia statim de se diffundit gratiam, sicut tonitruum de se emittit coruscationem. Similis est locutio in Psalmis, cùm de Deo dicitur, psal. 88. *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam*, nempe quia illas virtutes Deus inseparabiles habet semper comites, easque in omnibus suis factis mox ostentat & relucere facit. Itaque phrasim, quæ est in eo, quod dicitur, *Ante verecundiam anteibit gratia*, benè exprimit addita ab Interprete pars, quæ in Græcis non est: *Et pro reverentia*, hoc est, verecundia, *accedet tibi gratia bona*, hoc est, gratiositas, q. d. Propter verecundiam gratus eris; quia verecundia juvenes valdè commendat. Bene autem *gratia* coruscationi comparatur, *verecundia* tonitruo; quia sicut coruscatio & fulgur suo lumine micat & exhilarat, ita & gratia lumen suum habet exhilarans: & sicut tonitruum homines facit attonitos, ita & verecundia. Significatur ergo, quòd quemadmodum tonitruo, rei per se non lætæ, adest fulgur per se lætum, quodque tonitruum de se diffundit: ita verecundia, res quæ torquet, & attonitum facit hominem, adjunctam semper habet gratiam, quam de se diffundit, instar lucis micantem & recreantem. Ita Jansenius appositè.

Eodem redit lectio Romana, quæ pro *tonitruum* legit *grandinem*, id est, grandinem tonantem, sive tonitruum grandinans. Nam, ut ait Lyranus, initio veris & autumni, ac aliàs sæpè, dum anni vel auræ tempora mutantur, cum tonitruo, vel potiùs statim post tonitruum & fulgur, sequitur grando. Itaque manifestius & clarius est, quòd fulgure posterior sit grando quàm tonitruum. Nam tonitru re ipsa prius est fulgure, imò fulguris est causa: etsi ob tarditatem soni & auditus posteriùs audiatur, & priùs videatur fulgur ob ejus æquè ac visus celeritatem. Tonitruum enim collidendo nubes elicit fulgur, fulgur verò resoluit nubem in imbrem & grandinem. Nam tradit Plinius lib. 2. cap. 60. *grandinem conglaciato imbre gigni, & nivem eodem humore molliùs coacto, pruinam autem ex rore gelido*. Idem docet Aristot. lib. 1. Meteorolog. c. 12. Unde Rabanus sic explicat, q. d. *Fulgor coruscationis præibit pondus grandinis: sic etiam nitor gratiæ præcedit gratiam verecundiæ, & auget pro reverentia donum supernæ gloriæ.*

Appositè silentio juvenum subjungit commendationẽ verecundiæ; quia silentium ceteraque præcepta quæ juvenibus jam dedit, manant ex verecundia, adeoque non aliud quàm verecundiam in verbis & factis juvenibus præscribunt. Aptè verò gratia confertur coruscationi, & verecundia grandini; quia & gratia gratiosos illustrat, eosque splendidos & coruscos efficit: atque verecundia verberat, percellit & sternit mentem, æquè ac grando sternit segetem. Rursum, sicut grando est imber conglaciatus: sic verecundia æquè ac timor (est enim ipsa timoris pars & species) animum constringit, infrigidat & quasi conglaciat, indeque faciei pallorem, linguæ balbutiem, cordi palpitationem, membris tremorem non rarò inducit. quocirca timor semper pudorem comitatur, adeoq; pudibundi sunt timidi, & viceversa.

Moral. disce hìc, quanta sit gratia verecundiæ juvenum, utpote quæ conferatur coruscationi & fulguri: ipsa enim æquè ac modestia est quasi fulgor, flos & venustas vitæ & morum, uti docet S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 45. Et cap. 17. *Est igitur*, inquit, *bonorum adolescentium timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, habere senioribus reverentiam, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, diligere clementiam ac verecundiam; quæ ornamento sunt minori ætati. Ut enim in senibus gravitas, in juvenibus alacritas: ita in adolescentibus verecundia velut quadam dote commendatur naturæ*, &c. Et c. 18. *Silentium quoque ipsum, in quo est reliquarum virtutum otium, maximus actus verecundiæ est.* Datque exemplum B. Virginem, quæ salutata licèt ab angelo, præ verecundia tamen non resalutavit. Et inferiùs: *Est etiam in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia*. S. Bernard. serm. 86. in Cant. *Quid amabilius, ait, verecundo adolescente? quàm pulchra hæc, & quàm splendida gemma morum in vita & vultu adolescentis! quàm vera & minimè dubia bonæ nuntia spei, bonæ indolis index! Virga disciplinæ est illi, qui pudendis affectibus imminens, lubricæ ætatis motus actusque leves coerceat, comprimat insolentes. Quid ita turpiloqui & omnis deinceps turpitudinis fugitans? soror continentiæ est. Nullum æquè manifestum judicium columbinæ simplicitatis, & ideò etiam testis innocentiæ. Lampas est pudicæ mentis jugiter lucens, ut nil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa ilicò prodat. Illa expunctrix malorum & propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, & famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti. Rubor ipse genarum, quem fortè invexerit pudor, quantũ gratiæ & decoris suffuso afferre vultui solet?*

Moral. de verecundia.

Vide eumdem tract. de Ordine vitæ, sive de doctrina puerorum, ubi multa ex Officiis S. Ambrosii transcripta sunt, & stylus nonnihil evariat. Qua de causa Bellarm. lib. de Script. Eccles. & alij dubitant, an hic tractatus sit S. Bernardi.

Rursum hæc potiùs accipias de reverentia, quæ Deo debetur dum eum oramus. q. d. Sicut coruscatio oculos exhilarans, grandinem & tonitruum præcedit: grandinem quidem revera, quia ipsa ruptione nubis elicitur; tonitruum verò ad sensum, quia priùs fulgur sentitur & oculis objicitur, quàm tonitru audiatur: ita pariter gratia aut favor Dei instar coruscationis mentem exhilarans, verecundiam & reverentiam instar tonitrui aut grandinis nos constringentem præcedit. Quia signum est prævenientis gratiæ Dei, si ipsum honoremus & revereamur. Nec solùm hoc; verùm & pro reverentia habita accedet nobis bona gratia: nam quod petierimus à Deo, hoc utique obtinebimus.

ET HORA SURGENDI NON TE TRICES: PRÆCURRE AUTEM PRIOR IN DOMUM TUAM, ET VERS. 15.
ILLIC AVOCARE (perperàm aliqui legunt *advocare*: vide Franc. Lucam in notis hic) ET ILLIC LUDE,
ET AGE CONCEPTIONES TUAS, ET NON IN VERS. 16.
DELICTIS, ET VERBO SUPERBO] Ita Romana, Rabanus & alij. Minùs rectè ergo pro *non te trices*; Jansenius legit, *non tetrices*, id est, inquit, ne sis tetricus, id est, tristis, gravis & tardus. Alij pejùs legunt *non te tristes*, vel *non te tristet*, id est, contristet, scilicet hora surgendi & abeundi. Complut. *non te frices*, uti se fricant gulones, bibones, otiosi & pigri, cùm à symposio lauto avocantur & avelluntur. Græca habent, μὴ ὑστέρει, id est, *ne sis ultimus*; sic ergo totam sententiam efferunt, *In hora excitare, & ne sis ultimus: recurre in domum, & ne torpeas: ibi lude, & fac cogitata tua, & non in peccatis & sermone superbo*; Tigurina, *maturè surgas, non inter ultimos recipe te domum, nec desideas: ibi lude, tuoque indulge arbitrio, dum ne pecces, aut superbè agas*. Hebræum enim דבר *dabar*, id est, verbum vel sermo, sæpè per metonymiam sumitur pro re verbo vel sermone significata: sermo ergo superbus est res, actio & opus superbum. Arabicus aliqua addens, nonnulla demens, sic habet: *Ne verbo contumelia afficias majorem te; neque verba multiplices super mensam, & vade in domum tuam, dum stabilis es mente, & adi lectulum tuum in timore Domini*

& non

& non in defectu: Syrus quoque multa hic transiliens, alia compendio perstringens, hæc dumtaxat habet, *In tempore mensæ ne multus sis ad loquendum, & dum adhuc in te est recordatio, abi in domum tuam, & fac voluntatem tuam in timore Dei, & non cum detrimento.*

Quartū in convivio juvenum monitum.

Quartum est hoc iuvenum in convivio monitum, scilicet, ut, dum finita est mensa, aut certè dum tempus surgendi est, ilicò surgant, domumque abeant: sunt enim qui post mensam stantes colloquuntur, potant, seque inebriant, manentque in multam noctem. Ait ergo *non te trices*, id est, non te intrices aliorum remoris, ne tricas quære, ne moras necte, uti faciunt qui à convivis, vel convivatore detineri se sinunt, imò ambiunt donec inebrientur; indeque in rixas, verbera & cædes incidant: sed prior è convivio domum abi, & illic inter tuos mentem à seriis avoca, liberè expande & recrea, ludoque quopiam exerce, si lubet: & age conceptiones tuas, quæ scilicet animo concepisti & destinasti, id est tuo indulge arbitrio & libito, fac quæ in animo habes, quæque tibi placent & allubescunt, dummodò non delinquas, aut superbè quid dicas vel agas. Domi enim tuæ liber es, mentemque explicare potes, cùm in domo aliena decorum & gravitas servanda sint. Permittit ergo, imò consulit, ut statim à mensa non tractentur seria, sed mens avocetur à curis, qui cibi concoctionem impedire solent: hæc enim juvatur ludo, & honesta sine crimine recreatione. Qua de causa etiam in monasteriis & Religionibus à prandio & cœna conceditur hora collocutionis, ad honestam animi relaxationem & cibi digestionem, atque ut mutuo de virtutibus, historiis, aliisque rebus piis vel eruditis colloquio, se invicem in doctrina, pietate & spiritu promoveant & accendant.

VERS. 27 ET SUPER HIS OMNIBUS BENEDICITO DOMINUM QUI FECIT TE, ET INEBRIANTEM TE AB OMNIBUS BONIS SUIS.] Quintum est hoc monitum, ut convivæ de epulo tam lauto, ceterisque Dei donis & beneficiis gratias illi agant, qui uti primitus eos ex nihilo creavit, ita modò tot deliciis recreavit, & assiduè bonis omnibus obruit & inebriat. Græca habent, *& de his omnibus benedicito eum qui fecit te, & inebriat te bonis suis*; Tigurina, *ad hæc creatorem tuum celebres, qui te bonis suis ditat effusissimè*; Syrus, *& super omnia hæc benedic nomen Dei, qui satiavit te bonis suis.* Inebriat enim nos Deus bonis terræ, maris, aeris, cœli: inebriat præsidiis angelorum, donis gratiæ in hac vita, donis æternitatis in futura: inebriat non tantùm bonis necessariis & utilibus, sed iis quæ redundãt, quæque non nisi abundantiæ & voluptati serviunt: maximè autem inebriat calice Eucharistiæ, de quo Psaltes psal. 22. 5. *Et calix tuus inebrians quàm præclarus est!* denique inebriat nos illo amore suo, quo quæ dat, amantissimè dat.

Delectatio spiritualis major carnali, ob tria.

Porrò Deus longè magis nos inebriat bonis spiritualibus quàm temporalibus: tum, quia illa longè sunt majora: tum, quia simpliciter magis afficiunt & delectant; Rationem à priori dat D. Thom. 1. 2. quæst. 31. art. 5. *Hoc*, inquit, *apparet secundùm tria quæ requiruntur ad delectationem, scilicet bonum conjunctum, & id quod conjungitur, & ipsa conjunctio.* *Primò.* *Nam ipsum bonum spirituale & est majus, quàm corporale bonum; & est magis dilectum: cujus signum est, quòd homines etiam à maximis corporalibus voluptatibus abstinent, ut non perdant honorem, qui est bonum intelligibile.* *Secundò.* *Similiter etiam ipsa pars intellectiva est multò nobilior, & magis cognoscitiva quàm pars sensitiva.* *Tertium.* *Conjunctio etiam utriusque est magis intima, & magis perfecta, & magis firma. Intimior quidem est, quia sensus sistit circa exteriora accidentia rei: intellectus verò penetrat usque ad rei essentiam. Objectum enim intellectus est quod quid est. Perfectior autem est, quia conjunctioni sensibili ad sensum adjungitur motus, qui est actus imperfectus; unde & delectationes sensibiles non sunt totæ simul, sed in eis aliquid pertransit, & aliquid expectatur consummandum, ut patet in delectatione ciborum & venereorum: sed intelligibilia sunt absque motu, unde delectationes tales sunt totæ simul. Est etiam firmior, quia delectabilia corporalia sunt corruptibilia & citò deficiunt: bona verò spiritualia sunt incorruptibilia.* Subdit deinde, secundùm quid delectationes corporales majores esse spiritualibus. *Sed quoad nos*, inquit, *delectationes corporales sunt magis vehementes propter tria. Primò, quia sensibilia sunt magis nota quoad nos, quàm intelligibilia. Secundò etiam, quia delectationes sensibiles* A *cùm sint passiones sensitivi appetitus, sunt cum aliqua transmutatione corporali: quod non contingit in delectationibus spiritualibus, nisi per quamdam redundantiam à superiori appetitu in inferiorem. Tertiò, quia delectationes corporales appetuntur ut medicinæ quædam contra corporales defectus vel molestias, ex quibus tristitiæ quædam consequuntur. Unde delectationes corporales tristitiis hujusmodi supervenientes, magis sentiuntur: & per consequens magis acceptantur, quàm delectationes spirituales, quæ non habent tristitias contrarias.*

Mos gratias agendi Deo, post mensam.

Hebræorum.

Moraliter hic disce, uti initio mensæ præmittenda est benedictio, sicut ex veterum ritu ostendi 1. Timoth. 4. 5. ita eidem subjungendam esse gratiarum actionem, qua ei gratias agamus de tam liberali & lauta refectione, juxta id quod ait Paulus 1. Tim. 4. 3. *Quos* (cibos) *Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione*; imò juxta id, quod Moses præscripsit Hebræis Deuter. 8. 10. dicens: *Ut, cùm comederis & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.* Qua de causa Judæi in festivis B & solemnibus epulis, etiamnum iis finitis hoc ritu Deo gratias agunt, ut habetur in *Siddur habberacoth*, id est, *Ordo benedictionum*. Paterfamilias, vel honoratior conviva, poculum vino refertum utraque manu tenens, dicit: *Benedicamus, sive gratias agamus Deo nostro, quia edimus de suo.* Hoc dicto respondent convivæ: *Sit laudatus Deus noster de cujus bonis comedimus, cujusque benignitate viximus.* Post hæc qui orando præit, sic denuò orat: *Benedictus sit ipse, & benedictum sit nomen ejus.* & plura deinde addit in eamdem formam. Quibus finitis omnes convivæ sequentem orationem submissa voce apud se dicunt: *Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum: divites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, psal. 33. 10. Post illa rursum qui orando præit, hac prece gratiarum actionem concludit: *Benedictus sis tu Domine Deus noster rex mundi, qui creas fructum vitis.* Quo dicto ex benedicto poculo, quod manu tenet, paululum bibit, idque mox omnibus convivis degustandum præbet, atque ita distribuit. Quem Hebræorum ritum Christus servavit in ultima cœna, ut patet C Lucæ 22. 17. eaque peracta hymnum cum Apostolis dixit. Ubi Paulus Burgensis ex Hebræo Christianus, vetustam Judæorum traditionem fuisse scribit ut comeso agno Paschali psalm. 112. *Laudate pueri Dominum*, & sequentes usque ad 118. *Beati immaculati in via*, decantarent; & hunc esse hymnum quem Christus cum discipulis cecinerit.

A Christo & Hebræis hic mos finita mensa, gratias agendi Deo, transivit ad Christianos. Unde primitivos Christianos idem factitasse docet S. Justin. Apologia 2. S. August. epist. 59. ad Paulinum, Irænæus lib. 4. Tertull. Apologet. c. 39. *Oratio*, inquit, *auspicatur, & claudit cibum.* Huc facit illud ex Concil. Nannetensi dist. 44. c. Nullus: *Quando autem conveniunt presbyteri ad aliquod convivium, aliquis prior illorum versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat: & tunc secundùm ordinem sedeant, alter alteri honorem præbentes, & per vices cibum & potum benedicant, & aliquis illorum aliquid de sancta Scriptura legat. Post refectionem similiter hymnum dicant ad exemplum Domini, si*D*cut in cœna fecisse legitur*, &c. D. Hieronymus ad Eustochium to. 1. de consecratione mensæ sic scribit: *Unde nobis sollicitiùs providendum est, ut solemnem diem non tam ciborum abundantia, quàm spiritus exultatione celebremus. Quia valdè absurdum est nimia saturitate velle honorare martyrem*, (Petrum intelligit, in cujus natali hæc scripserat) *quem scias Deo placuisse jejuniis. Ita tibi semper comedendum est, ut cibum & oratio sequatur & lectio.* Id paulò antè in epist. 18. ad Marcellam Ambrosii exemplo confirmat, quoniam dicit in epistola quadam eum scripsisse, numquam se cibum Origene præsente, sine lectione sumpsisse: numquam iniisse somnum, nisi unus è fratribus sacris Litteris personaret. D. Chrysost. cùm Annam Samuelis Prophetæ matrem post epulas intentè Deum orasse dixisset, ut illi sterilitatem solveret, hæc subjicit: *Hoc igitur à femina lucri consecuti sumus, ut sciamus & post convivium orare. Quisquis enim ad hoc præparatus fuerit, numquam in ebrietatem aut vinolentiam incidet, numquam edacitate distendetur; sed quoniam expectationem precationis habet, fræno imposito animo, conveniente mensura attinget ex omnibus quæ fuerint apposita, multaque benedictione tum animam,*

animam, tum corpus implebit. Siquidem convivium, quod à precatione cœptum in precationem desinit, numquam deficiet, sed quovis fonte uberiùs nobis omnia afferet bona. Ne igitur tantum negligamus lucrum. Probat exemplo: *Absurdum enim fuerit, si cùm famuli nostri, si quando partem aliquam eorum quæ nobis apposita sunt, acceperint, nobis gratias agant, beneque nobis precantes abeant; nos, cùm tot tantisque fruamur bonis, ne hoc quidem honoris Deo persolvamus, præsertim cùm hinc multam simus consecuturi securitatem. Ubi enim precatio & gratiarum actio, eò sancti Spiritus advenit gratia, abiguntur dæmones, & omnis adversaria potestas diffugit ac discedit. Qui se conversurus est ad orandum, non audet quidquam absurdè loqui, ne in medio quidem convivio; aut, si locutus fuerit, mox resipiscit. Proinde oportet tum in initio, tum in fine convivii gratias agere Deo, ob hanc præcipuè causam, quòd, quemadmodum dicere cœperam, haud facilè prolabemur in ebrietatem, si nos ipsos in consuetudinem constituerimus. Quin, si quando surrexeris crapula potuque gravatus, ne sic quidem abiicias consuetudinem*, &c.

Græcorum. Græcanicæ Ecclesiæ (uti liquet ex ejus Horologio) benedictionis mensæ, & gratiarum actionis hæc extat formula. Primò, antequam cibi apponantur legitur totus psalm. 145 *Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in sæculum*, &c. Deinde appositis cibis recitatur à sacerdote benedictio mensæ, & quæ apposita sunt, ita benedicuntur: *Christe Deus noster, benedic cibo ac potui servorum tuorum: quoniam tu es sanctus & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Postea quando cibum gustarunt, in mensa surgunt, & simul omnes recitant illam benedictionem, cujus & Clemens & Chrys. mentionem faciunt: *Benedictus es Domine Deus* ([illegible]) *qui misereris nostri, & pascis nos à juventute nostra: qui das escam omni carni, reple gaudio & lætitia* seu *hilaritate* ([illegible]) *corda nostra, ut semper omnem habentes sufficientiam* ([illegible]) seu *habentes in omnibus animum præsentibus contentum, exuberemus* ([illegible]) *in omne opus bonum in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor, virtus* seu *imperium* ([illegible]) *adoratio, cum sancto Spiritu, Amen.* Post sumptum cibum, primò recitatur hæc gratiarum actio: *Gloria tibi sancte, gloria tibi rex, quoniam dedisti nobis escas ad lætitiam, imple nos etiam Spiritu sancto, ut inveniamur in conspectu tuo accepti, & non confusi*, seu *pudefacti* ([illegible]) *quando reddes unicuique secundùm opera sua.* Deinde legitur psalm. 122 *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* Postea additur hic versus: *Sicut in medio discipulorum tuorum* (cœnantium) *adfuisti Salvator dans ipsis pacem: ita veni etiam ad nos, & salva nos.* Tandem legitur ex psal 21.27. *Edent pauperes, & saturabuntur: laudabunt Dominum qui requirunt eum*, usque ad finem: *Kyrie eleison.* Concluditur demum hac precatiuncula: *Benedictus es Deus, qui misertus nostri ex opulentis donis tuis pavisti nos. Ejus gratia & benignitate* ([illegible]) *detur nobis frui, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.*

Latinorum. Latinæ Ecclesiæ ritum benedicendi mensæ & gratias agendi, omnes audimus & novimus, isque expressus extat in fine Breviarii Romani. *Gentilium.* Quin & Gentiles benedicebant mensæ, eaque finita gratias agebant, imò libabant & sacrificabant diis suis, uti Julianum apostatam fecisse docet Sozomenus lib. 3. cap. 14. *Turcarum.* Sic & Turcæ ac Saraceni mensæ benedicunt.

Vers. 18 QUI TIMET DOMINUM, EXCIPIET DOCTRINAM EIUS: ET QUI VIGILAVERINT AD ILLUM INVENIENT BENEDICTIONEM] Redit de more, ab hypothesi ad thesin, putà, à particularibus verecundiæ, sobrietatis, modestiæ documentis resilit ad generale encomium legis & timoris Dei, ejusque servatæ fructus, ac non servatæ pœnas & damna recenset. Sensus est, q. d. Hucùsque commendavi multa partialia Dei mandata, nunc, ne in iis recensendis sim prolixior, cetera omnia generatim pari studio & affectu commendo. Et quia custodiæ mandatorum causa & radix est timor Dei, illum iterum iterumque singulis inculco. Nam *qui timet Dominum*, reverenter, *excipiet doctrinam ejus*; græcè, [illegible], id est, disciplinam, putà, legem, quæ refrænat, corripit & castigat omnes illicitos concupiscentiæ motus, omniaque vitia. Hanc ergo legem, esto carni contrariam, promptè *excipiet*, ut Deo suo obsequatur. Rursum *excipiet doctri*-A*nam ejus*; id est, à Deo interiùs illuminabitur & docebitur, ejusque sapientia & spiritu imbuetur. Unde subdit: *Et qui vigilaverint ad illum* (Dominum) *invenient benedictionem*: græcè, [illegible], id est, ut Complut. *qui diluculaverint, invenient complacentiam*; alii vertunt, *benevolentiam*; alii, *favorem*; Noster cum aliis legit [illegible], id est, *benedictionem*, id est, beneficentiam. q. d. Qui manè Deum requirunt, ut mentem ad eum elevent, eum adorent, invocent & meditentur; hi copiosis ab eo donis & beneficiis tum animi, tum corporis afficientur; hi ejus benevolentiam, indeque beneficentiam consequentur. Unde Tigurina vertit, *qui revertetur Dominum*, [illegible] (alii legunt [illegible], id est, *eliget*) id est, *amplectetur disciplinam ejus, & manè petentes eum reddent sibi benevolum*, Syrus clarè, *qui quærit cultum Dei, accipiet doctrinam, & cùm manè oraverit coram eo, exaudiet eum*. Alludit ad Sap. 16.28. ubi Sapiens agens de manna, quod ante ortum Solis colligi debebat (nam sole oriente ejus radiis liquescebat) subdit causam dicens: *Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* B q. d. Ideò manna colligendum erat ante Solis ortum (nam post ejus ortum solaribus radiis liquebatur) ut discerent Hebræi non stertere, sed manè surgere ad orationem, & ad parandum cibum: cibus enim erat manna. Simile autem manna spirituale Deus impertiit iis qui manè ad eum evigilant, dicuntque cum Psalter. *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo*, psalm. 62. 1. Et cum Isaia c. 62. *Anima mea desideravit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de manè vigilabo ad te.* Hoc manna sapiunt viri religiosi, qui manè de rebus divinis meditantur, psallunt, orant, Missam audiunt vel celebrant, &c.

QUI QUÆRIT LEGEM, REPLEBITUR AB EA: ET QUI INSIDIOSE AGIT, SCANDALIZABITUR IN EA] Vers. 19 Græcè, [illegible], id est, *hypocrita*, vel simulator, *qui hypocriticè simulat, scandalizabitur in ea*; Tigurina, *qui sectatur legem, locupletabitur ea: simulator autem offensionem ex ea suscipiet*; alii, *qui legem quærit, ea replebitur: & qui simulatè agit, in ea offendet*. Sensus est, q. d. Qui C sincerè quærit legem Dei cognoscere, & cognitam opere perficere; hic replebitur ejus bonis & fructibus, nimirum Dei favore, ope, gratia & gloria, adeoque omni bono, juxta illud: *Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum. divites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, psal. 33 10. Ex adverso qui non sincerè, sed *insidiosè*, id est, fraudulenter, hypocriticè & simulatè agit, qui scilicet coram hominibus simulat se legis divinæ studiosum, cùm in corde eam negligat & spernat, ac secretò dum à nemine videtur, eam prævaricatur & violat; hic offendet in ea; quia ob hypocrisin & violatam legem acriter à Deo punietur, inciderque in damna gravia tam præsentia, quàm æterna. Sicut ergo Christus Christianis fidelibus est petra refugii & salutis, Judæis verò incredulis est lapis offensionis & petra scandali; quia ob suam in Christum perfidiam excidunt Dei gratia & salute, ruuntque in gehennam: sic pariter lex Dei & Christi studiosis & sinceris est causa salutis omnisq; boni: hypocritis verò, & prævaricatoribus est causa perditionis omnisque mali. Lex enim sui observatoribus promittit & D præstat præmium & felicitatem; prævaricatoribus verò minatur & irrogat pœnam & damnationem. Vide dicta c. 1 12. & seq. Alludit enim ad ea, ac præsertim ad id quod dixit c. 1. 37. *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizaveris in labiis tuis.* Et ad id, quod dixit, c. 2. 19. *Qui diligunt Dominum, replebuntur lege ejus.*

QUI TIMENT DOMINUM, INVENIENT IUDICIUM IUSTUM, ET IUSTITIAS QUASI LUMEN ACCENDENT] Vers. 20 Τὸ *justum* non est in Græco, sed est epithetum proprium judicii. Pro *justitias* græcè est [illegible], id est, justificationes. Igitur per *judicium*, græcè, [illegible] accipe id quod justum est, id quod rectum rationis judicium dictat, id quod præscribit æqua lex & virtus, id quod jubet sancta Dei mens & voluntas: per *justitias* verò accipe opera justa, quibus ipsum judicium justum, putà, præscriptum legis & virtutis actu perficitur & impletur. Sensus ergo est, q. d. Qui timent Dominum, facilè ex lumine naturali rationis vel supernaturali fidei, aut ex instructione doctorum & prædicatorum cognoscent id quod justum est; & à Deo ejusque lege præscriptum: quod ipsi deinde opere perficientes, hac sua justifi-

justificatione, id est, justitia & virtute, quasi lumine in dies crescente, tam sibi, quàm aliis prælucebunt, sua vita & moribus illustrantes alios, eisque ostendentes viam justitiæ, salutis & felicitatis. Timor enim Dei eos impellit ad agendum id quod justum est legeque præscriptum, simulque illud eis ostendit, ut videant quid agere debeant, ut justè & piè vivant in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, Tit. 2. 12. Unde Tigurina vertit, *qui Dominum reverentur, deprehendent quid justum sit, & tanquam lumen accendent justitiam*; Syrus verò, *timentes Deum sapientes evadent in judiciis ejus, & sapientia multa ex corde eorum egredietur*. Alludit ad Proverb. 4. 18. *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem*. q.d. Sicut crescit lux Solis, ut in Aurora modica sensim augeatur, donec plena & perfecta evadat in meridie: ita pariter justus crescit quotidie in sapientia & sanctitate, donec ad ejus plenitudinem ac perfectionem pertingat, donec scilicet perfectus evadat hic in gratia, & post hanc vitam in gloria sempiterna, ut qui in pueritia fuit sanctus, in adolescentia sanctior, & in virili ætate evadat sanctissimus, juxta illud Apostoli: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, Ephes. 4. 13.

VERS. 21 PECCATOR HOMO VITABIT CORREPTIONEM, ET SECUNDUM VOLUNTATEM SUAM INVENIET COMPARATIONEM] Græcè σύγκριμα, id est, coagmentationem, consonantiam, putà coagmentatam apologiam, & concinnatam excusationem. Est antithesis: opponit enim indolem hypocritæ & peccatoris indoli viri sinceri & justi, q.d. Justus sincerè studet legi Dei, gaudetque juxta eam instrui, dirigi & corripi: peccator verò ficto simulet se legis amantem, revera tamen eam odit; quia amat suas concupiscentias, quæ legi sunt contrariæ. Quocirca ipse pariter odit correptionem & corripientes, qui eum à concupiscentiis abducere & ad legem Dei reducere, eumque conformare satagunt. Quare dum ab eis corripitur, *invenit comparationem secundùm voluntatem suam*, id est invenit exempla aliorum, prætextus, multasque rationes, quibus se suosque mores & facta comparando cum aliorum moribus & factis, tueatur & excuset, v.g. dicendo, Tales & tales illud volunt, illud agunt: cur ego idem velle & agere nequeam? plebeiis hæc conceduntur, cur mihi diviti & nobili fræna injiciantur? hæc majorum meorum fuere juris & dominii, cur mihi eorum heredi eodem jure uti non liceat, &c. *Inveniet* ergo *comparationem*, id est, afferet similia aliorum facta ad sui excusationem, aut conferet & comparabit se cum cœtu hominum sibi similium. Unde Tigurina vertit, *homo scelerosus declinat castigationem, & pro voluntate sua prætextum comminiscitur*; alii, *& pro arbitratu suo comminiscitur concinnam apologiam*; Syrus verò, *homo astutus celat doctrinam, & post voluntatem suam facit viam suam*.

Nota hìc. Sensati & justi in duobus differunt ab insensatis & injustis. Prius est, quòd sensati si cadant vel errent, de casu vel errato corripi se patiantur, insensati verò non patiantur. Posterius, quòd sensati culpam agnoscant, insensati tegant & excusent, juxta illud psalm. 140. *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis*.

VERS. 22 VIR CONSILII NON DISPERDET INTELLIGENTIAM, ALIENUS ET SUPERBUS NON PERTIMESCET TIMOREM:

VERS. 23 ETIAM POSTQUAM FECIT CUM EO SINE CONSILIO, ET SUIS INSECTATIONIBUS ARGUETUR] Est antithesis altera sensati & timorati, ac insensati & audacis: quòd sensatus sit *vir consilii*, qui scilicet nihil aggreditur nisi prævio maturoque suo, cum prudentum consilio, ideoque *non disperdet intelligentiam*; græcè, οὐ παρόψεται διανόημα, id est, *non despiciet considerationem*, vel deliberationem; sed priùs attentè omnes circumstantias & eventus considerabit & intelliget, necubi impingat. At verò *alienus* à consilio, putà, temerarius & superbus, *non pertimescit timorem*, id est, rem meritò timendam. Est metonymia: *timor* enim ponitur pro objecto timoris, putà, pro eo quod timendum est: nam alioqui nemo timet timorem, sed timor est qui timet timenda. Aut planiùs, q. d. *Non pertimescit*, id est, non admittit, *timorem*, sed eum excludit, assumitque audaciam & impudentiam, atque audacter se conjicit in pericula, quæ sensati timent & cavent. Unde aliqui vertunt, *non expavescit metu*. Quin etiam postquam quippiam *sine consilio*, id est, inconsultè & temerariè, *fecit cum eo*, scilicet, timore, *non pertimescet*. q. d. Timorem & scrupulum sibi in facto subolentem, post factum devorat & contemnit. Græcè, pro *cum eo* est μετ' αὐτοῦ, quod Complut. & Romani vertunt, *secum*, id est, juxta suam voluntatem. q. d. Postquam quid fecit juxta suam voluntatem sine consilio, audacter & imprudenter, non pertimescet damna inde sibi obventura. Quocirca *suis insectationibus arguetur*. q. d. In iis, quæ tam avidè scitatur, temeritatis arguetur, cùm inciderit in angustias & pericula illis annexa. Aut ea, quæ tanto ardore sectatus est, arguent eum temeritatis & vesaniæ, cùm pro voluptate exhibebunt ipsi molestias, angores & dolores. Unde Tigurina clarè vertit, *vir consultus non spernit deliberationem: at ineptus & superbus metu non afficitur, et iamsi quid egerit impræmeditatus*; alii, *inconsultè*; græcè enim est ἄνευ βουλῆς, quod Noster vertit, *sine consilio*; Syrus, *homo sapiens non admittit sapientiam occultatam, & iniquus non custodit linguam suam*.

Nota. Consilii & prudentiæ comes, imò causa, est timor: timor enim mali latentis, vel obventuri instigat hominem, ut prudenter deliberet & consulat quid sit agendum vel omittendum, ne in quod damnum imprudens incurrat. Quocirca docent Physici prudentiam consistere in frigore, quod est causa timoris: fortitudinem verò & temeritatem consistere in calore, qui est causa audaciæ. Ita videmus timidos esse cautos, & cautè declinari pericula, nec facilè in aliquod discrimen incidere: audaces verò in mille noxas incurrere.

VERS. 24 FILI SINE CONSILIO NIHIL FACIAS, ET POST FACTUM NON POENITEBIS] etiamsi sinister sit rei eventus; quia consilia proba sæpè felici carent eventu, uti mox pluribus ostendam. Græcè, ἄνευ βουλῆς μηδὲν ποιήσῃς, καὶ ἐν τῷ ποιῆσαί σε μὴ μεταμελοῦ. quod Primò, Complut. quasi geminum præceptum vertunt, *fine consilio nihil facias, & in faciendo ne te pœniteat*. q. d. Antequam quid agas consulta, post consultationem audacter aggredere, nec muta propositum aut consilium. *Sine cōsilio nil facito.*

Secundò, alii vertunt, *fine consilio nihil facias, & cùm feceris, ne pœniteat te*. Sunt enim nonnulli, qui post factum dolent & pœnitent, dum audiunt se prudentiùs & meliùs agere potuisse, ac meliorem sortem nancisci, qualem alii nacti sunt. Hoc accidit sæpè pusillanimis & melancholicis, quibus dicendum est: Sorte tua, quam Deus tibi dedit, contentus esto: Non omnia possumus omnes: Melior est quies in mediocri bono, quàm inquietudo in summo.

Tertiò, Noster optimè vertit, *& post factum non pœnitebis*, sic & Syrus, *& postquam feceris, non pigebit te*; & Tigurina, *ne quid inconsultè facias, ut ne te facti pœniteat*. Loquitur, inquit Jansenius, de rebus alicujus momenti & arduis, ad quæ aggredienda opus est maximè junioribus consilio sapientum, juxta monitionem Tobiæ dicentis: *Consilium semper à sapiente perquire*. Et omnino in omnibus agendis utendum est consilio sacræ Scripturæ & verbi Dei; sic enim fit, ut facti non pœniteat nos aliquando: quia, quod cum consilio fit sano & recto, benè fit, nec de tali facto dolendum est. Aut si consilium humanum non rectè succedat, hoc tamen consolatur agentem, quòd non suum judicium secutus sit, nec temerè rem aggressus sit, sed consilio eorum quos adire & audire illum conveniebat. Convenit satis cum hac sententia illud Sallustii: *Priusquam aliquid facias, consulito: at ubi consulueris, maturè facto opus est*. Ceterùm in sequentibus insinuat consilium maximè capiendum ex verbo Dei & ejus voluntate, uti faciebat David dicens psal. 118. 24. *Nam & testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum justificationes tuæ*. Siracidi succinit Nazianz. in Tetrastichis: *Tobiæ 4.* *Gnomæ.*

Præceps agas nil: cœpta sed ne deseras:
Proficere præstat, quàm boni quid scindere.

q.d. Nec temerè quidquam inchoandum, nec temerè deserendum. Diu delibera: ubi deliberasti satis, constanter exequere. Et S. Basil. in Isaiæ c. 1. ad v. 26. *Sacra quædam res est consilium*, inquit, *voluntatum unio, fructus dilectionis, humilitatis insigne. E diverso intolerabilis est superbiæ argumentum, existimare se nullius egere consilio, sed sibi uni attentum esse, quasi solus possit sibi consilio decernere quæ optima sunt*. Causam dat paulò antè: *Planè non exigui* *Ratio.*

momenti beneficium est, quod à prudente & benevolo consule emanet consilium: quippe qui suo adventu supplet quod desit prudentiæ, consilium de re quapiam captantibus. Et S. Benedictus in Regula c. 3. *Si qua minora*, ait, *agenda sunt in monasterii utilitatibus, seniorum tantùm utatur consilio, sicut scriptum est: Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebit.* Edinerus in vita S. Anselmi lib. 1. de eo sic scribit: *Sciens*, inquit, *scriptum esse: Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebit, nolebat se uni vitæ earum quas mente volvebat, inconsultè credere, ne in aliquo videretur Script. præceptis non obedire.*

Peccant contra hoc præceptum temerarii & *præcipites*, ait Rabanus, *cùm bonorum actuum tempus præveniunt, meritum pervertunt, & sæpè in malis corruunt, dum bona minimè discernunt, qui nequaquam quæ, & quando agant, inspiciunt; sed plerumque acta, quia ita non debuerunt agere, cognoscunt. Unde per Salomonem dicitur: Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Palpebræ quippe gressus præcedunt, cùm operationem nostram consilia recta præveniunt. Qui enim negligit considerando prævidere quod facit, gressus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit; sed prævidendo sibimetipsi non attendit: atque idcircò citiùs corruit, quia quò pedem operis ponere debeat, per palpebram consilii non attendit.* Et inferiùs: *Sed tamen sciendum, quòd multi sunt qui ineunt consilium, sed veritatis & pacis non invenient stabilimentum. Sicut in Evangelio legitur, quòd Scribæ & Pharisæi abeuntes consilium inierunt adversum Jesum, ut caperent eum in sermone*, Matth. 22. *Item cap. 26. Principes sacerdotum consilium fecerunt, quomodo Jesum dolo tenerent & occiderent. Unde in Psalterium beatum virum esse dicit, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit: sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Solummodò ergo salubre est consilium, quod ex Spiritus sancti dono juxta legem divinam, per fidelium & Deum timentium profertur documentum.*

Prov. 4.

Psal. 1.

Deus cum consilio creavit hominem: cur?

Hac de causa Deus hominem creaturus consilium iniit inter tres S. Trinitatis personas: ait enim: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, q. d. Creemus hominem capacem consilii cum consilio, ut ipse à nobis, imò à sui creatione, discat omnia agere cum consilio. Ita S. Gregor. Nyssen. de Opificio hominis cap. 3. & 4. Unde æterna Dei sapientia idipsum de se profitetur, Prov. 18. 12. *Ego*, inquit, *sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* q. d. In consilio habitat sapientia, in præcipitatione insipientia & amentia. Et cap. 13. 10. *Inter superbos semper sunt jurgia: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* In consilio ergo præsens, imò præses est sapientia. Et cap. 12. 15. *Via stulti recta in oculis ejus: qui autem sapiens est, audit consilia.* Idem vidit per umbram Plato qui dixit, *consilium rem quamdam sacram esse.* Et Aristoteles qui asserit, *consilium caput eorum, quæ inter homines sunt, divinissimum esse.* Inter Symbola Pythagoræ exstat hoc: *In solitudine sine baculo non ambulandum, id est, cum amicis in necessitatibus conferendum & consulendum.* Et hoc: *Egredienti è laribus sinciput, redeunti occiput scalpendum, id est, præcautionem & diligentiam ad res agendas excitandam, his peractis memoriter examinandas:* sinciput enim consilii & præcautionis, occiput memoriæ est symbolum. Post factum enim res memoria retractanda est, ut, si quid erratum sit, corrigatur; si quid desit, suppleatur. Et hoc: *Duorum temporum quàm maximè habendam curam, matutini & vespertini, id est, eorum quæ acturi sumus, & eorum quæ gesserimus:* illa consilio providenda, hæc emendanda sunt.

Porrò inter LXXII. Interpretes ordine quinquagesimus secundus interrogatus à Ptolemæo Philadelpho, *quibus consultoribus utendum sit?* respondit: *His, qui multi in rebus versati, summam erga se benevolentiam servent, atque moribus sint sui similes.* Ita Aristæas de LXXII. Interpret.

Actus consilio, non eventu metiendi. Gnome sapientum.

Moral. disce hic actus hominum non eventu, sed consilio metiendos & æstimandos esse. Errat ergo stolidum vulgus, quod non consilii prudentiam, sed fortunæ spectat eventum, eaque tantùm judicat esse providè facta, quæ felicitas commendavit; juxta illud Phyllidis ad Demophoontem apud Ovidium:

Exitus acta probet; careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Hic fuit sensus omnium sapientum, etiam Gentilium.

A Unde Artabanus apud Herodotum in Polyhymnia: *Bene*, inquit, *consultare comperio maximum esse lucrum: nam etiamsi quid è contrario eventurum est, nihilo tamen minùs benè consultum est, superavitque fortuna consilium. At qui turpiter consultavit, si fortuna obsecundavit, ille est quidem voti compos, nihilo tamen minùs malè consilium cepit.* Isocrates in oratione quam de laudibus Helenæ conscripsit, carpit eos, qui ante rem animadvertere nihil possunt, sed rerum eventus solùm considerant. Cicero quoque pro Rabirio, eos redarguit, qui consilia eventis ponderant: & qui multùm illum providisse censent, cui benè processerit: cui secùs, nihil sensisse dicunt, ut jam nihil esse videatur, nisi divinare sapientes. Idem Philipp. 11. *In recta*, inquit, *sententia ne victa quidem causa vituperanda est.* Et in Paradoxis: *Nec enim peccata rerum eventu, sed vitiis hominum metienda sunt.* Demosthenes alter eloquentiæ oculus in oratione qua Ctesiphontem adversus Æschinem defendit: *Vide*, ait, *quid ipse consilii capiendum censuerim: nec ea, quæ intervenerunt, intorqueas: nam finis rerum omnium, ut fortunæ libuit, imponitur: electio verò consultantis ingenium ostendit.* B Livius 3. decad. lib. 7. *Apparebat*, inquit, *quo nihil iniquius est, ex eventu famam habiturum.* Et 4. Decad. lib. 8. tradit, apud Carthaginenses in crucem tolli imperatores, si prospero eventu, pravo consilio rem gesserunt. Quintil. declam. 281. *Numquam mens*, ait, *exitu æstimanda est.* Plinius lib. 5. epist. ad Rufum, *Est omnino*, inquit, *pravum, sed usu receptum, quòd honesta consilia vel turpia, prout prosperè aut malè cedunt, ita vel laudantur vel reprehenduntur.* Tacitus de Suetonio Paulino lib. 1. *Cunctator*, inquit, *natura, & cui cauta potiùs consilia, quàm prospera ex casu placerent.* Seneca lib. 4. Declam. *Omnia honesta opera voluntas inchoat, occasio perficit. Sæpè honorata virtus est, etiam ubi eam fefellit exitus. Scelera quoque, quamvis citra exitum subsederunt, puniuntur: nec infelix virtus amittit gloriæ titulum: nec gloriam virtutis interrumpit fortuita felicitas.* Plutarchus in comparatione Niciæ & Crassi: *Nec illi*, ait, *satis rectè judicare videntur, qui cùm Alexandri laudant expeditionem, Crassi audent vituperare conatus. Neque enim decet ex eventu res judicia facere.* C Denique Jurisconsulti vox est: *Fraudis interpretatio in jure civili non ex eventu duntaxat, sed ex consilio quoque desumitur.*

IN VIA RUINÆ NON EAS, ET NON OFFENDES IN LAPIDES (Græcè, *in lapidosis*:) NEC CREDAS TE VIÆ LABORIOSAE, NE PONAS ANIMAE TUAE SCANDALUM] Pro *laboriosæ*, Noster videtur legisse [illegible]: [illegible], enim est labor. Romani codices legunt, [illegible], id est, *non exploratæ*; alii legunt, [illegible], id est, *planæ*, inoffensæ, carenti offendiculis ceterisque incommodis & impedimentis. Unde Tigurina vertit, *ne ingrediaris viam impeditam, ut ne offendas in petricosis: rursum autem planæ viæ ne fidas*, q. d. Cave duo extrema, scilicet, Primò, ne nimis ardua, periculosa & difficilia aggrediaris; quia in illis facilè offendes & corrues. Secundò, ne nimis sis securus in rebus quæ videntur faciles & planæ; quia sicut in via plana latere possunt fossæ, saxa, stimuli, in quæ, nisi advertas, impinges: ita in rebus quæ videntur planæ, possunt latere multæ difficultates, & multa pericula damnaque abscondi. Vers. 25

D Porrò Syrus vertit, *in via asperitatis ne incedas, ne fortè offendas in petra bis. Ne confidas in via iniquorum, & in viis tuis esto cautus*; Arabicus, *ne incedas in via petræ* (id est, petrosa, lapidibus referta) *ne fortè offendas in petram bis.* Juxta Vulgatam lectionem sensus est, q. d. *In via ruinæ* exposita ne ambules; ita fiet, ut in ejus lapides & scandala non impingas, nec offendas. Rursum ne ineas viam valdè laboriosam: *ne in ea ponas animæ tuæ scandalum*, id est, offendiculum, ut scilicet per nimium laborem & lassitudinem alicubi impingas & corruas. Est parœmia, significans non esse capessenda negotia periculosa, vel valdè laboriosa; quia in illis ruinæ, in his molestiæ, lassitudinis & ærumnosæ vitæ est periculum, v. g. Non facile est navigandum in Indias opum causa; quia hoc iter longinquum est periculosum & valdè laboriosum: satius enim est domi securè modicum, quàm in Indiis multum cum tanto periculo & labore lucrari, juxta illud Ben Sira alphabeto 1. littera *Coph*: *Propinqua negotiatio comeditur à domino suo, longinqua comedit dominum suum.* Inter apophthegmata S. Laurentii Justiniani extat hoc: *Vita ea quæ multis obstaculis impeditur; quia*

opera

opera spiritus sancti facilia sunt & æquabilia, diaboli verò aspera & plena sentibus. Ita habet Vita ejus. Et inter Symbola Pythagoræ exstat hoc: *Sepiam piscem non edendum, id est, res implicitas non recipiendas.* Et hoc: *Pede in limine illiso retrocedendum, id est, quæ in ipso principio noxia sunt, non prosequenda.* Et hoc: *Oleo sedem ne commacula, id est, nil age quod tuum aliorumve otium perturbet.*

Rursum, ne statum, officium vel opus periculosum vel onerosum nimis, viresque tuas exsuperans suscipias; eo enim gravabis corpus, & spiritum opprimes, viveque miser & ærumnosus. Hinc & prisci ascetæ & Anachoretæ magnos quidem labores, orationes & pœnitentias sibi indicebant, sed viribus suis, gratiæque quam à Deo acceperant, commensos. Et Martyres ad omnia tormentorum genera alacres sese offerebant, quia hunc cogebat necessitas profitendæ fidei cum periculo vitæ, inde gratia Dei eos animabat, & tormentis omnibus superiores efficiebat. Magni enim & præstantis animi est, pericula & tormenta, dũ ingruunt, contemnere & superare. Nam, ut ait Elias Cretensis in ora. Nazianzeni: *Fortitudinis est iis in rebus, in quibus audacia adhibenda est, & quæ vires non excedunt, fidentem animum præbere, nec bella formidare, sed res graves constanter perferre: timiditatis autem & ignaviæ, ab iis quæ aggredienda sunt, refugere animoque frangi. At verò adversus impossibilia, minimeq; aggredienda, & in quibus plus periculi quàm commodi inest, se obiicere atque impellere, temeritatis est; sicut contrà cedere ac pedem referre, cautionis & prudentiæ. Stultum enim est, ut eorum quæ speras aliquid adipiscaris, de rerum omnium tuarum summa periclitari*, uti fecit Julianus Apostata temeraria audacia invadens Persas; unde vitam & totum penè Imperium Romanum perdidit. Nam, ut ait ibidem ipse Nazianz. *in iis rebus, quas audacter aggredi convenit, magnum & præfidentem animum gerere, magnanimitatis est; sicut contrà languere ac periculum detrectare, timiditatis & ignaviæ. At ubi plus periculi imminet, tum verò obviam procedere, seque in discrimen obtrudere, non autem reprimere ac retinere, temeritati ducendum est: sicut è contrario cedere, cautioni & prudentiæ.*

Quæ pericula capessenda, quæ non.

Illustre hujus sententię exemplum exstat in Vita B. Petri Celestini, qui ex Anachoreta & fundatore Ordinis Cælestinorum creatus Pontifex dictus est Cęlestinus V. Cùm enim nimiæ se dedisset austeritati, ut vix tertio die cibum sumeret, nec nisi panem & aquam; sex per annum ageret Quadragesimas, in nuda humo cubaret, cilicio & catena ferrea constrictus, in hieme frigori se exponeret, ut conglaciatus semivivus inveniretur, divinam audiit vocem, discretionis eum admonentem, dicentemque: *Noli Petre onus tam grave asello tuo imponere, quoniam si perimis eum onere indiscreto, rationem Deo redditurus es pro eo. Debitor est tibi rationabilis servitutis, & tu illi necessariæ sustentationis: si vis portari, porta.* Cui obtemperans, rigorem vitę temperavit. Idem electus in Pontificem, cùm pontificatus onera & pericula per dimidium annum sensisset, ultrò pontificatu se abdicavit, ac ad cellam à teneris adamatam se recepit anno Domini 1294 ac post sesquiannum ex eadem migravit in cœlum, verè jam cœlestis Cœlestinus. Unde Alvarus Pelagius lib. 2. de Planctu Ecclesiæ art. 11. *Considerans*, inquit, *S. Petrus de Murrhone, canonizatus per Ecclesiam, qui fuit Papa Cœlestinus V. tanta onera papatus & pericula, perfectè renuntiavit papatui. Quod credo fuit majus miraculum, & majus veriusque humilitatis & perfectionis exemplum, quàm aliquod quod fecit* (multis enim claruit miraculis) *& quod fuerit diebus nostris & antè per multa tempora: quia totum istud onus Papale, quod majus est quàm dici possit, non est qui reiiciat, sed qui in illud se proiiciat, gloriam considerans non onus.* Quocirca Gregorius XIII. Pontif. Cœlestinum mirificè coluit, eumque in aula deambulatoria Vaticani egregiè depingi curavit, ut jugiter eum in oculis & mente haberet.

VERS. 26 ET A FILIIS TUIS CAVE, ET A DOMESTICIS TUIS ATTENDE] Tigurina, *atque etiam à liberis tuis tibi caveas, & ne noceant tibi domestici, provide.* Versu præc. monuit non esse capessenda periculosa nimisque laboriosa; hic monet, ne quis nimis confidat iis quæ secura & plana videntur; nimirum, ne nimis credat filiis & domesticis; quia utrique sæpè infidi & ingrati sunt, sæpiùs imprudentes, ut noxia suggerant; sæpissimè cupidi, ut sua quærant commoda, non patris vel heri, imò subinde ejus bona furentur & absumant: omnes enim quæ sua sunt quærunt,

A ait Apostol. Hoc est, quod ait Michæas c. 7. 5 *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce: ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Quia filius contumeliam facit patri, & filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam: & inimici hominis domestici ejus.*

IN OMNI OPERE TUO CREDE EX FIDE ANIMÆ TUÆ. HOC EST ENIM CONSERVATIO MANDATORUM] q.d. Dixi non esse credendum filiis, nec domesticis. Dices, Cui ergo credam? Resp. *Crede animæ*, id est, conscientiæ, *tuæ*, ut quod conscientia tibi dictat agendum vel non agendum, hoc agas vel non agas. Conscientia enim data est cuique à Deo quasi pedagogus, lex & norma actionum. Sed, vide, ut animæ credas *ex fide*, id est, sequere credulitatem & dictamen conscientiæ, at non erroneum: sed quod sit secundùm fidem & legem Dei, quod, scilicet, conscientia respiciens fidem & legem Dei, faciendum dictat. Ita Rabanus: Τὸ enim *ex fide* referendum est ad *crede*, non ad *animæ*, ut patet ex Græco πίστευε, id est, *crede*, fide, confide, fidelis esto, fidum te præbe. Hęc enim omnia significat Heb. האמין *heemin*, cui respondet Græcum πιστεύω, & Latinum credo. Unde aliqui vertunt, *in omni opere confide animæ tuæ*; Tigurina, *in omni opere bono animum fidelem præsta: hoc enim mandata servare est*; Syrus, *in omnibus operibus custodi animam tuam; quia omnis, qui ita est, servat præceptum*; Arabicus, *custodi animam tuam ex omnibus operibus tuis; qui perfecerit hæc omnia, jam custodivit mandata Domini.* Sic Apostolus ait Rom. 14. 23. *Omne quod non est ex fide*, id est, ex credulitate conscientiæ, *peccatum est*; quia si quis faciat, quod credulitas conscientiæ illi dictat non esse faciendum, peccat, esto res in se non sit mala, sed bona & licita. Jubet ergo in omni opere consulendam esse conscientiam, ut nihil fiat contra ejus dictamen. Vide ibi dicta, & Roman. 2. 13. *Hoc est enim conservatio mandatorum*: quia qui sequitur dictamen conscientiæ innixum fidei & legi Dei, errare & peccare nequit, sed ambulat juxta mandata Dei, eaque adimplet. Ad hoc enim jugiter eum extimulat dirigitque conscientiæ stimulus. Paulò aliter Palacius: Moses, inquit, in rebus dubiis intrabat in tabernaculum Dei Deum consulturus, David intrabat in sanctuarium Dei: tu ergo intra in animam tuam, si quod dubium opus aggrederis, ibi consule Dominum, & fideliter crede animę tuę tibi consulenti. Quia verò hoc erat obscurum, declarat Auctor, dicens, hoc esse conservare mandata: id est, credere fideliter animæ, est servare mandata; tunc scilicet credendum est animæ, cùm illa jubet servari mandata. Quod iterum explicat Auctor dicens: *Qui credit Deo, attendit mandatis ejus: & qui confidit in illo, non minorabitur*; ut sit hic hujus rei ordo: In rebus dubiis animam tuam intra: ibi Deus oracula dabit. Dabit verò oracula mandatorum suorum. Igitur animæ mandata Dei consulenti fideliter crede: nam ita Deo verè credis.

VERS. 27

QUI CREDIT DEO, ATTENDIT MANDATIS: ET QUI CONFIDIT IN ILLO, NON MINORABITUR] Codices Græci Romæ correcti pro κυρίῳ, id est, *Domino*, putà, Deo legunt νόμῳ, id est, *legi*. Unde vertunt, *qui credit legi, attendit mandatis.* Sed melior est Vulgata lectio. Probat id, quod dixit v. præced. credere animæ, id est, conscientiæ suæ, esse servare mandata, hoc syllogismo: Qui credit Deo, servat mandata Dei: Sed qui credit conscientię suę, credit Deo: (conscientia enim dictat, quid placitum sit Deo, & ad id peragendum hominem extimulat:) Ergo qui credit conscientiæ suæ, servat mandata Dei.

VERS. 28

Porrò credit Deo fide non inani & mortua, sed operosa & viva, qui in Deum credit & sperat, quid se suaq; omnia ei credit & committit, qui eum amat & colit, qui ei per omnia obedit, qui ei in omnibus fidus & fidelis est, sollicitus, ut ejus voluntatem & jussa exactè adimpleat. Unde sequitur: *Et qui confidit in illo, non minorabitur*, sed potiùs augebitur & crescet tum sapientia, tum gratia & meritis, tum gloria ceterisque bonis omnibus. Hinc Tigurina vertit, *qui Domino fidus est, mandata servat: & qui nititur eo, non accipiet detrimentum*; alii, *& qui Domino fretus est, non diminuetur*; Syrus, *qui custodit viam suam, servat præceptum Dei: & qui confidit Deo, non peribit in æternum.* Quocirca inter 72. Interpretes is, qui ordine erat trigesimusseptimus interrogatus à Ptolemæo Philadelpho, *Qua ratione quis intrepidus existat?* respondit: *Si mens nullius sibi conscia mali Deum sequatur, qui consilia omnia in bonum dirigit.* Ita Aristæas de LXXII. Interpret.

CAPUT TRIGESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur dicta de confidentia & timore Dei, asseritque quòd ipse pariat securitatem & felicitatem, quodque lex sit timenti Deum fidelis, sicut ipse fidelis est legi. Secundò, v. 7. usque ad 20. agit de Dei prædestinatione & discretione, qua per sapientiam suam, uti dies festos à non festis, sic & homines pios ab impiis discrevit & separavit: atque cuique rei contrarium apposuit & opposuit ad plenitudinem & decorem universi. Tertiò, v. 20. usque ad 25. docet, prudentis esse non cedere bona filiis vel amicis ante mortem. Quartò, v. 25. usque ad finem docet, quomodo regendi sint servi.

1. Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, & li-
berabit à malis. 2. Sapiens non odit mandata & justitias, & non illidetur quasi in procel-
la navis. 3. Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis. 4. Qui interrogationem manifestat,
parabit verbum, & sic deprecatus exaudietur, & conservabit disciplinam, & tunc respondebit.
5. Præcordia fatui quasi rota carri: & quasi axis versatilis cogitatus illius. 6. Equus emissarius, sic
& amicus subsannator, sub omni suprasedente hinnit. 7. Quare dies diem superat, & iterum lux
lucem, & annus annum à sole? 8. A Domini scientia separati sunt, facto sole, & præceptum cu-
stodiente. 9. Et immutavit tempora, & dies festos ipsorum: & in illis dies festos celebraverunt ad
horam. 10. Ex ipsis exaltavit & magnificavit Deus, & ex ipsis posuit in numerum dierum. Et
omnes homines de solo, & ex terra, unde creatus est Adam. 11. In multitudine disciplinæ Domi-
nus separavit eos, & immutavit vias eorum. 12. Ex ipsis benedixit, & exaltavit: & ex ipsis sanctifi-
cavit, & ad se applicavit: & ex ipsis maledixit, & humiliavit, & convertit illos à separatione ipso-
rum. 13. Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud & disponere. 14. Omnes viæ ejus se-
cundùm dispositionem ejus: sic homo in manu illius, qui se fecit; & reddet illi secundùm judicium
suum. 15. Contra malum bonum est, & contra mortem vita: sic & contra virum justum pecca-
tor. Et sic intuere in omnia opera Altissimi. Duo & duo, & unum contra unum. 16. Et ego no-
vissimus evigilavi, & quasi qui colligit acinos post vindemiatores. 17. In benedictione Dei & ipse
speravi: & quasi qui vindemiat, replevi torcular. 18. Respicite quoniam non mihi soli laboravi, sed
omnibus exquirentibus disciplinam. 19. Audite me magnates, & omnes populi, & rectores Eccle-
siæ auribus percipite. 20. Filio, & mulieri, fratri & amico, non des potestatem super te in vita tua:
& non dederis alii possessionem tuam: ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis. 21. Dum adhuc
superes & aspiras, non immutabit te omnis caro. 22. Melius est enim ut filii tui te rogent, quàm
te respicere in manus filiorum tuorum. 23. In omnibus operibus tuis præcellens esto. 24. Ne de-
deris maculam in gloria tua. In die consummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui di-
stribue hæreditatem tuam. 25. Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus ser-
vo. 26. Operatur in disciplina, & quærit requiescere: laxa manus illi, & quærit libertatem. 27. Ju-
gum & lorum curvant collum durum, & servum inclinant operationes assiduæ. 28. Servo male-
volo tortura & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet: 29. Multam enim malitiam do-
cuit otiositas. 30. In opera constitue eum: sic enim condecet illum. Quòd si non obaudierit, curva
illum compedibus, & non amplifices super omnem carnem: verùm sine judicio nihil facias grave.
31. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta: quoniam in san-
guine animæ comparasti illum. 32. Si læseris eum injustè, in fugam convertetur: 33. Et si extol-
lens discesserit, quem quæras, & in qua via quæras illum, nescis.

VERS. 1. TIMENTI DOMINUM NON OCCURRENT MALA, SED IN TENTATIONE DEUS ILLUM CONSERVABIT, ET LIBERABIT A MALIS] Græcè, *sed in tentatione & iterum liberabit eum*, q.d. Sed in tentatione non una, sed crebra crebròque iterata liberabit eum: quamquam videtur potiùs τὸ *conservabit* è Græco jam excidisse: hoc enim in Græco olim legit noster Interpres, & sine eo hiulcus est sensus. Tigurina omittens καί id est *&*, sic vertit, *reveranti Dominum nihil accidet mali, sed Deus eum è tentatione rursus eripiet*; alii vertunt, *timenti Dominum non occurret malum, nisi in tentatione*, (Græcum enim ἀλλὰ subindè significat *nisi*) *unde rursus eripiet eum*. Sic & Syrus, *qui timet Dominum*, inquit, *non obveniet ei malum nisi in tentatione: & avertetur, & liberabitur*. Exemplar Constant. pro πάλιν, id est, *rursus*, legit πάλῃ, id est, *lucta*. Unde vertit, *sed in tentatione & lucta eripiet eum*, uti eripuit S. Antonium è lucta, quam subiit cum dæmonibus, eaque crebra & assidua. Addit τὸ *in lucta*; quia Deus luctantem & resistentem generosè tentationi, A ex illa eripit, non verò eum qui illi cedit & succumbit. Unde illud: *Fortuna adjuvat conantem, Tonans conantem.*

Justis non occurrunt mala, quo sensu?

Quæres, quomodo *timenti Deum non occurrent mala?* Nam S. Job, Davidi, Jeremiæ, imò omnibus Sanctis multa acciderunt, & in dies accidunt mala, juxta illud Angeli ad Tobiam cap. 12. 13. *Quia acceptus eras Deo, necesse erat ut tentatio probaret te*. Respondet Primò, Lyran. *Timenti Dominum non occurrent mala*, scilicet culpæ, non pœnæ. Timor enim Dei excludit omnem culpam, præsertim graviorem.

Secundò & meliùs, mala tam pœnæ quàm culpæ hic accipias; de iis enim agit in sequentibus. Sensus ergo est, q.d. Timenti Deum non occurrent mala tam pœnæ, quàm culpæ: mala, inquam, vera & perfecta, quæ scilicet timentem Deum sibi subigant, ad impatientiam & desperationem adigant, perdant & destruant. Τὸ enim *mala* ex phrasi Hebræa sumitur hic in actu, non inchoato, sed perfecto, ut significet mala plena & perfecta, quæ perpetim durent, & justum vincant, sternant & evertant.

Nam

Nam qui patitur mala, sed ea per patientiam, fortitudinem, & amorem Dei vincit, uti fecere Martyres, huic mala non sunt mala, sed mala vertuntur in bona, eaque ingentia, nimirum in triumphos patientiæ, martyrii & gloriæ sempiternæ. Ita se explicat Siracides, dum subdit: *Sed in tentatione Deus illum conservabit, & liberabit à malo*, vel amovendo mala, vel malis justum subtrahendo, sive per fugam, uti liberavit Lot ab incendio Sodomæ: sive per mortem, uti liberavit Martyres è tormentis, juxta illud psal. 90. *Cùm ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*. Sic aurum in fornace excoctum nihil patitur mali, sed ingens recipit bonum, scilicet, puritatem & splendorem: Deum enim timens timore filiali, id est, ardenter Deum amans, est sicut homo ignitus, qui si incidat in stipulas & sentes, nihil ab eis patitur, sed omnia incendit, ait S. Chrysost. homil. 4. in Acta Apostolorum. Ad hunc Siracidis locum alludens Paulus ait: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere*, 1. Corinth. 10. 13. Vide ibi dicta.

Denique sæpè Deus facit, ut mala non occurrant piis, sed impiis. Parœmiæ enim hæ significant non quid semper, sed quid sæpè fit: ita diluvium occurrit & mersit impios, à quo Noë pius servatus est per arcam: incendium cœleste corripuit impios Sodomitas, sed pepercit pio Lot. Sic Davidi non occurrerunt mala & insidiæ, quas ei toties struxit Saul. Sic Susannæ non occurrit mors parata à senibus adulteris, sed ipsi in fossam, quam illi struxerant, inciderunt. Ita sæpè excidia, pestes, fames, sterilitas, tempestates, naufragia, pericula latronum & furum, &c. occurrunt impiis, & ab iis liberantur pii, licet impiis contigui & vicini, juxta illud psal. 90. 10. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*.

Mysticè. Mysticè, justo non occurrunt mala, scilicet futura & æterna. Nam, ut ait sapiens: *Nullum verum & merum malum, nisi æternum: nullum verum bonum, nisi æternum*. Ita Rabanus: *Certum est*, inquit, *quòd timenti Dominum non occurrent mala futura, quæ iniquis pro peccatis suis præparata sunt: sed in tentatione Deus illum conservabit; quia, juxta beati Petri sententiam, novit Deus pios de tentatione eripere; iniquos verò in diem judicii cruciandos reservare* [*2. Petri 2.*]: *liberavit enim Dominus electos suos à malis. Quia defendit eos à malignorum spirituum suggestionibus nefandis, & pravorum hominum actionibus perversis: immittet enim Deus Angelum suum in circuitu timentium eum justorum, & eripiet eos* [*Psal. 33.*]: *salus autem à Domino est, & protector eorum in tempore tribulationis*.

Vers. 2. SAPIENS NON ODIT MANDATA ET IUSTITIAS, ET NON ILLIDETUR QUASI IN PROCELLA NAVIS] Dat causam, cur timenti Deum non occurrant mala, q. d. Sapiens, id est, timens Deum non odit, sed valdè diligit Dei legem & præcepta: quocirca cùm tentationum fluctus & flabra insurgunt, non jactabitur huc illuc, nec illidetur in peccatorum & perditionis scopulos, sicut navis, cùm jactatur procella, in rupes aut scopulos illisa colliditur: sed anchora spei in Deum roboratus, firmus & inconcussus, in custodia legis Dei consistet: Deus enim, qui navim animæ sapientis practicè, id est justi, gubernat, eam à scopulis peccatorum intactam, salvam in portum salutis perducet. Cujus rei mirum & illustre ad litteram exemplum recenset S. Paulinus epist. ad Macarium, de sene quodam, qui in naufragio solus in navi superstes, jactatus fluctibus *per viginti tres dies; non modò à terris*, inquit, *sed & ab hominibus exclusus, omnium ventorum ludibrium, omnis terræ exul, diversi maris hospes, & exsors generis humani, inter fluctus & belluas maris, in vago erraticæ navis hospitio, jejuniis, senio, timore confectus, Deo gubernatore, salvus tandem ad Lucanum littus appulit*.

Est miosis: minus enim dicitur, & plus significatur, *non odit*, id est, valdè diligit. *Justitias* vocat opera justa, quæ lex præscribit. Unde pro *mandata & justitias*, Græcè tantùm est νόμον id est, *legem*. Græca jam aliter habent, scilicet, antithesin sapientis & insipientis, id est, justi, & injusti, sive hypocritæ, hoc modo: *Vir sapiens non odiet legem, qui autem simulat in ea, quasi in procella navis*. Ita Romani legentes πλοῖον id est, *navis*: pro quo Complut. legunt πολλῶν id est, *multorum*; Tigurina clarè, *non odit legem vir sapiens: qui autem fictè versatur in ea, velut navis in procella est*, quæ scilicet procellis victa ad cautes illiditur & distringitur. Sensus est, q.d. Vir sapiens, id est, sincerus & cordatus, esto mala & tentationes & occurrant, uti dixit v. præc. tamen ob ea non odiet legem, ut ab ea recedat: sed potiùs majori amore & affectu per gratiam Dei roboratus, ei se conjunget & affiget: a vero ὑποκρινόμενος, id est, hypocriticè & fictè agens, quamdiu prosperè ei omnia succedunt, adhærebit quidem legi, sed ubi mala & tentationum venti ingruerint, sinet se à studio legis abripi, & in saxa peccatorum illidi.

[S. Athanas. invictus, victor orbis.] Utriusque hujus sententiæ illustre speculum est S. Athanasius, totaque ejus vita. Nam assiduis Arrianorum procellis & persecutionibus per 46. annos jactatus, Dei tutela securus & illæsus semper, imò gloriosus, evasit, adeoque tandem in sua Ecclesia, cathedra & lecto, quietè, quasi debellatis hostibus triumphans, obdormivit in Domino. Vicit ille Imperatores quatuor, Constantinum, Constantium, Julianum, Valentem: vicit Episcopos Arrianos numero plurimos, potentia validissimos, nequitia callidissimos. Vicit totum penè orbem arrianismo imbutum: vicit Luciferum, totumque inferni robur, quos omnes ipse unus quasi heros invictus ad duellum & singulare certamen fortiter provocans, fortiùs stravit & debellavit. Illud enim mente fixum habebat: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Quare in Mediis periculis fidens hilarisque canebat: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*, Psal. 26. Unde cùm sub Juliano sede sua rursum pelleretur, omnibus timore perculsis, ipse unus intrepidus eosque animans, dicebat: *Nolite, ô filii, perturbari quia nubecula est, & citò pertransibit*. Verus fuit vates nam mox Julianus hasta cælesti confussus occubuit. Quin & cùm Arriani eum navi fugientem insequerentur, jamque quasi assequerentur & apprehenderent, omnibus conterritis & latebras suadentibus: *Nolite*, inquit, *ô filii deterreri; eamus magis in occursum persecutori nostro, ut sciat, quia longè major est qui nos defendit, quàm qui persequitur*. Dixit & fecit: conversa igitur navi percussori suo occurrens, nec agnitus, rogatusque num Athanasium vidisset; respondit, se non longè illum navi euntem vidisse: itaque illos contrarium cursum tenentes affugit & delusit.

HOMO SENSATUS CREDIT LEGI DEI, ET LEX ILLI FIDELIS] **Vers. 3.** Pro *credit*, Græcè est ἐμπιστεύει, Quod aliqui aptiùs vertunt, *fidelis est*; Tigurina, *fideliter versabitur in lege*, q. d. Sicut sensatus fidelis est legi Dei, sic vicissim lex ipsi fidelis est, ut ab eo mala avertat, eique bona cuncta accersat. Lex enim justo promittit & reipsa præstat consilium, auxilium, defensionem & præmium. Idem vult Noster, dum vertit, *sensatus credit legi Dei*: legi enim credit, qui legi fidelis est, qui scilicet fideliter illi adhæret, eamque adimplet, esto tentatione pulsetur.

[Lex justo fidelis.] Huic lex pariter fidelis est, quia Primò, prælucet ei, ut inter tot errores sciat quid agere debeat, quàmque viam capessere, ut in cœlum evadat; Secundò, eum solatur & roborat; Tertiò, ei præmium, scilicet augmentum gratiæ, & post hanc vitam coronam felicitatis & gloriæ impertit. Sicut ergo justus fidelis est legi per obedientiam: sic lex ei fidelis est per directionem, gratiam & gloriam. Unde Græca addunt: *Lex illi fidelis est*, ὡς ἐρώτημα (quæ verba Noster retulit ad versum sequen.) id est, *sicut interrogatio manifestationum*, quæ fiat per *urim & tummim* in Rationali pontificis, q. d. Sicut pontifex indutus Rationali, in quo erant *urim*, id est, illuminationes & manifestationes, illuminatus à Deo, fideliter & certò manifestabat occulta, de quibus Deum interrogaverat: sic lex requisita à justo, illum fideliter certoque illuminat in dubiis, ac rectà dirigit & deducit per viam justitiæ in cælestem felicitatem: nam pro *interrogatione urim*, Septuag. vertunt, δήλων ἐρώτημα ut patet Num. 27. 21. Septuaginta enim sequitur Siracides, ut patet cap. 45. 12. in Græco. Vide dicta Exodi 28. 30. Huic sententiæ Siracidis affinis est illa Scipionis Africani. *Ex innocentia nascitur dignitas, ex dignitate honor, ex honore imperium, ex imperio libertas*. Innocentia enim non est aliud quàm legis custodia.

Disce

Disce hic, legem esse *urim*, id est, oraculum Dei, ut si scire velis certò, quid tibi sit agendum, quæ sit voluntas Dei, quæ via ad salutem, quid Deus à te exigat & fieri velit, consulenda tibi sit lex Dei: illa enim te id certò docebit, sicut *urim* certò docebat pontificem id de quo Deum consulebat. Hinc S. August. S. Gregor. & alii asserunt legem & S. Scripturam esse epistolam Dei ad nos missam, qua ipse hominibus significat suam voluntatem, quid, scilicet, a nobis requirat fierique velit. Qui sapit ergo, in omnibus dubiis domesticum hoc legis & S. Scripturæ oraculum adeat & consulat.

Porrò codices Græci Romæ emendati pro δήλων, legentes δικαίων, id est, *justorum*, vertunt, *homo sensatus credet legi, & lex ei fidelis, sicut interrogatio justorum*, id est, lex erit ei tamquam fidum oraculum justitiæ, ex qua scilicet interrogare & cognoscere queat, quæ justa sint, aut ex qua justi interrogant & discunt ea quæ ipsis juste facienda sunt.

VERS. 4. QUI INTERROGATIONEM MANIFESTAT, PARRABIT VERBUM, ET SIC DEPRECATUS EXAUDIETUR, ET CONSERVABIT DISCIPLINAM, ET TUNC RESPONDEBIT] q.d. Qui *interrogationem* sibi factam per aptam responsionem manifestare cupit, hic non statim prosiliet ad respondendum: sed priùs *parabit verbum*, id est, præmeditabitur cogitando & studendo, quid, & quo modo & ordine, quibusque verbis, respondere debeat: *& sic* adhibita deprecatione ad Deum, ut mentem illuminet, ab eo *exaudietur*, discetque tum veritatem, tum modum respondendi; unde in animo *disciplinam* & timorem Dei conservans, in eaque se obfirmans *respondebit*, non ad hominum gratiam captandam, nec ad eorum minas & terrores fugiendum, sed ex rei veritate. Tigurina pro δηλῶν, id est, *manifestat*, legens δικαίων, id est, *justorum*, vertit, *qualia justi quærunt, talia para dicere: quoquepacto auditores inveneris, amplectere auditionem, & ita demum responde*. Verùm Complut. & alii legentes δῆλον, sic habent, *quasi interrogationem manifestam præpara sermonem, & sic libenter, dilucidè* & intelligibiliter *audieris: collige disciplinam*, vel doctrinam, *& sic respondebis*. Pro *collige* Græcè est συνδῆσον παιδείαν, id est, *colliga*, hoc est, compara doctrinam. Unde aliqui vertunt, *concilia tibi eruditionem*: vel *colliga*, id est, dispone & ordina, quod mente concepisti, ut illud congrua methodo & ordine eloquaris. Complut. legunt σύνδυσον, id est, *indue disciplinam*. Quocirca disciplina hic significat, Primò, studium legis, virtutem & honestatem, sive Dei metum & reverentiam, ut interrogatus non sinat se à vero abduci hominum favore vel metu, se Deum solum intuens, ex ejus voluntate & lege respondeat. Ita Rabanus & Palacius: *Conservabit disciplinam*, inquit, *id est, nihil deviabit à disciplina seu doctrina Ecclesiæ*.

Secundò, tamen Lyranus per *disciplinam* accipit bonum modum & methodum docendi & respondendi, q.d. Doctor non tantùm vera doceat, sed & bonam in docendo adhibeat methodum, ut methodicè, clarè & breviter respondeat, ac tali ratione ea, quæ præmeditatus est, enuntiet, ut quæ dicit ab auditoribus mente capi, & memoria retineri possint. Et hoc significat Græcum συνδῆσον id est, *colliga disciplinam*.

Tertiò Rabanus *Conserva disciplinam*, inquit, hoc est, ea quæ doces, conserva digna operatione, uti priùs facias ea quæ alios doces esse facienda, instar Christi, qui *cœpit facere*, deinde *docere*, Actor. 1. 1. Quasi tria hic notentur Doctori necessaria, ut utiliter doceat: scilicet studium, oratio & operatio. Audi Rabanum: *De sanctis doctoribus dicit, qui ut ad interrogata condignè respondere possint, præparant verbum in corde suo, & deprecantur Dominum ut ipse eis manifestet rei veritatem, & conservant digna operatione, quæ ipse jussit eis custodire, & sic meditando, orando, condignum interrogantibus se præbent responsum. Sic*
2. Tim. 2. *enim Paulus discipulum docuit, dicens: Sollicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè*
1. Petri 3. *tractantem verbum veritatis. Hinc & Petrus ait: Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe & fide. E contra verò de stultis prædicatoribus sequitur: Præcordia fatui quasi rota carri, &c.*

Nota, doctori, vel consultori, in obscuris, vel dubiis, præsertim ad fidem vel casus conscientiæ spectantibus, ut aptè respondeat, non sufficere præmeditationem & studium; sed adhibendam quoque esse orationem, ut Deus mentem illuminet, non tantùm ut verum cognoscat, sed & ut eo modo illud promat & enuntiet, quo auditoribus congruum & salutiferum est futurum. Ita noster P. Lessius, vir singularis in resolutione Casuum conscientiæ, quoties de casu aliquo difficili consulebatur, invocare solebat Spiritum sanctum, præmittendo Hymnum: *Veni Creator Spiritus*; ut verè & congruè ad profectum consulentium responderet.

Sapienter & Piè S. August. epist. 120. ad Honoratum: *Si purè*, inquit, *Dominum largitorem bonorum omnium deprecaris, omnia quæ cognitione digna sunt, aut certè plurima, ipso magis inspirante, quàm hominum aliquo commonente, perdisces*.

PRÆCORDIA FATUI QUASI ROTA CARRI, ET QUASI AXIS VERSATILIS COGITATUS ILLIUS] Græcè, *rota plaustri sunt viscera stulti, & ut axis qui versatur* (qui scilicet rotæ affixus & infixus est: est enim alius axis, qui non versatur, sed manet immotus, circa quem rota currus volvitur & circumagitur) *cogitatio ipsius*; Tigurina, *similia rotæ currus sunt intima stulti, & velut axis versatilis ejusdem cogitatio*; Syrus verò, *rota velox cor iniqui, & sicut sus omnes cogitatione ejus*, scilicet, sordidæ & impuræ: talis enim est porcus & sus. Opponit stultum sensato, quem dixit stabilem & fidelem esse legi, ideoque sensatè & ordinatè loqui & respondere: quòd *præcordia*, Græcè *viscera*, id est, intimæ cogitationes & desideria, stulti instabilia, stulta, & instar rotæ axisque versatilis, huc illucque sine ordine & ratione volvantur, ideoque similis eorum fit sermo & responsio, scilicet inordinata, irrationalis, inconcinna, vaga & impertinens, ut ab uno labantur in aliud sine cohærentia & connexione. VERS. 5.

Ratio à priori disparitatis hujus est, quòd sapiens, id est justus, legi fixus adhæret, & à Deo suo se dimoveri non sinit, quia in eo fixit suum cor, id est, suos affectus & cogitationes. Adhærens ergo Deo immobili, fit pariter & ipse constans & immobilis; at stultus, id est, carnalis & impius, cor suum figit in rebus temporalibus, quæ cum cælo moventur, ideoque adhærens labili & instabili, fit & ipse labilis & instabilis. Hoc est quod ait Isaias c. 57. 20. *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum*; & Jerem. Thren. 1. 8. *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est*; ubi multas hujus instabilitatis causas assignavi.

EQUUS EMISSARIUS (alii legunt, *admissarius*, eodem sensu:) SIC ET AMICUS SUBSANNATOR, SUB OMNI SUPRASEDENTE HINNIT] q. d. Sicut equus admissarius (qui scilicet emittitur & admittitur ad equas, ut eas imprægnet) hinnit non amore sessoris (hinnit enim sub omni & quolibet, etiam inviso sessore) sed amore equæ, quam videt & ambit; sic & fictus amicus blanditur & applaudit amico, non amici causa, sed commodi sui quod ab eo flagitat & exspectat. Nam revera talis non est amicus, sed adulator & hypocrita, ideoque subsannator, qui scilicet exteriùs se simulat & gerit ut amicus: interiùs verò in corde amicum ridet & subsannat, eumque secretò vituperat & calumniatur. Sicut ergo equus adhinnit cuilibet equæ à se visæ, ita amicus fictus arridet & applaudit amico, ubicumque est spes lucri; quia non amico, sed lucro adhinnit, ideoque jam uni, jam alteri, & alteri, majus lucrum ostentati, adhinnit & applaudit. Versu præced. ostendit inconstantiam & versatile ingenium stulti in cogitationibus & desideriis; hic eamdem ostendit in ejus moribus & gestibus externis. Addit Palacius & Jansenius, hanc parabolam dici à Siracide contra falsos doctores, qui cùm videantur quærere suorum auditorum salutem & bene illis velle, suum tantùm commodum & lucellum spectant, cujus amore quidvis docent, quibuslibet se spe lucri accommodantes, qualis fuit Petrus Martyr in Anglia, qui de Eucharistia docuit quidquid voluit rex & magistratus. Tales plurimi fuerunt, & sunt hac ætate. Item dici contra advocatos & procuratores, qui sine delectu causarum cuilibet, sive justa, sive injusta sit, adhinniunt, gaudent & fautores se exhibent, ubicumque odorem lucri sentiunt. VERS. 6.

Secundò, Palacius per *hinnitum* accipit non applausum,

cum, sed irrisionem & subsannationem; equus enim non tantùm hinnit, cùm amat & applaudit, sed & cùm irascitur & fremit, ut cùm in prælio furibundus fertur in hostem, ut sensus sit q. d. Sicut equus admissarius data qualibet occasione hinnit nihil curans sessorem, itaque eum quasi spernit, ridet & subsannat: sic pariter irrisor & subsannator subsannat quemvis, etiam amicum sibi fidentem: ridet enim & taxat omnes & omnia, quæ videt vel audit. Favet versio Tigurina, *equus admissarius hinniens sub quovis equite, amico cavillatori comparandus est;* & aliorum, *equus admissarius ut amicus irrisor sub omni insidente hinnit;* & Syri, *sicut equus præparatus* (alius textus habet, *dives*, scilicet, diviter & splendidè instratus & ornatus; ideò enim superbit & hinnit) *amici iniqui, qui sub omni, qui diligit eum, hinnit.*

Tertiò, Rabanus; *Comparationem elegantem*, inquit, *irrationalis animantis ad stultum amicum facit: quia sicut in bruto jumento nulla est ratio; ita & in falso amico nullus est æquitatis ordo. Sicut enim equus lascivus & superbiens hinnitu suo non discernit inter verum dominum & alienum: sic stultus & derisor non discernit spiritu suo inter hypocritam & fidelem amicum; sed per oris officia, mentis æqualiter utrique pandit secreta.*

Mysticè. Mysticè, Lyranus hæc refert ad malum Prælatum, *Qui debet*, inquit, *Deum diligere usque ad mortem, se exponendo pro populi salute; & tamen Deum deridet accipiens officium vicariæ ejus, & non curans de honore ejus.*

VERS. 7. QUARE DIES DIEM SUPERAT, ET ITERUM LUX LUCEM, ET ANNUS ANNUM A SOLE?] Rabanus & Lyranus hæc accipiunt de naturali excellentia dierum & annorum, q. d. Qui fit ut unus dies, v. g. æstivus, alio, putà hiberno, sit clarior & longior, & lux Solis sit major luce aliarum stellarum, ac unus annus, v. g. solaris vel bissextilis, dierum numero superet alium, putà lunarem & non bissextilem, idque fit à sole? Sol enim in æstate directiùs & diutiùs decurrens in hemisphærio nostro, clariorem & longiorem facit diem. Cur, inquam, hæc ita fiunt? utique ita fiunt à Deo sapienter ita ordinante. Verùm scopus Siracidis alium poscit sensum: scopus enim ejus est ostendere causam, cur unus homo præcellat alteri, non esse petendum à natura & indole, quod scilicet hæc in eo, qui excellit, sit præstantior; in alio verò humiliore sit depressior: natura enim communis est, eademque in singulis individuis; sed rationem hujus discretionis tribuendam esse voluntati & electioni divinæ, quæ hos aliis præeligit, majoribusque donis cumulat. Nisi quis dicat, naturam & indolem meliorem subinde esse causam melioris sortis & fortunæ. Hanc autem indolem tribui Deo, tamquam ejus conditori. Sed quod dixi, aptius est. Sensus ergo est, q. d. Quid causæ est, quod una dies & lux præcellat aliam, putà festa non festam v. g. Cur dies Paschæ, Pentecostes, Tabernaculorum tam sit celebris & solemnis victimis, psalmis, conventu sacerdotum & populi, ornatu templi, &c. præ aliis diebus non festis & profanis? Similiter, cur annus unus festus superet alium non festum? v. g. annus septimus remissionis, & annus quinquagesimus, qui est jubileus, solemnitate & pompa superent cæteros annos non festos, nec jubileos? Superent; inquam, *diem & annum à sole*, scilicet, pariter & æquè factum, q. d. Sol fecit omnes dies pares & similes: unde ergo est illa distinctio dierum & annorum festorum & non festorum? Utique non est *à sole*, cùm is communis sit idemque semper: sed à Deo, Deique voluntate ita discernente & ordinante dies & annos. Igitur pari modo, quod unus homo præcellat alteri, cui natura est æqualis, non est à natura, sed à Dei voluntate & electione. Hunc esse sensum patet ex sequent. & ex Græco, qui breviter & clarè sic habet: *Quare dies est supra diem, & omnis lux diei anni à sole?* q. d. Qui fit ut dies diem superet, cùm dies quælibet, & lux cujusque diei per annum ab eodem producatur sole, qui cùm agat naturaliter, non liberè, similem, imò eumdem, semper effectum, putà, eumdem specie diem & lucem, producit. Unde Tigurina & alii clarè vertunt, *quare dies diem præcellit, cùm omnis lux dierum anni à sole proficiscatur?* Syrus, *quare est dies in anno, qui à diebus est distinctus quia omnia luminaria diebus anni inserviunt? Verùm sapientia Dei distincti fuerunt.* Noster addit diei lucem, quia nonnulla festa incipiebantur non à die, sed à luce, ut festum neomeniæ incipiebat ab illuminatione lunæ, ipsaque hora novilunii, uti ostendi Numer. 28. 11 Sic primus dies azymorum incipiebat à luce diei sequentis noctem paschalem.

Quæres, quorsum hæc inducit hoc loco Siracides? quid hæc faciunt ad ea quæ toto capite præmisit de sapiente & stulto? Resp. Primò Rabanus ea spectare ad versum præced. ubi descripsit stultitiam stulti, qui omnibus sine discrimine instar equi adhinnit & applaudit: illam enim hic redarguit per ordinationem Dei, qui sicut diem unum ab alio, sic & hominem unum ab alio discernit & secernit. Audi Rabanum: *Quia priùs vituperavit stulti hominis imprudentiam, quoniam nullam in rerum dissimilitudine habuit distantiam. Nunc à conditore universorum ostendere vult in rebus omnibus esse ordinem decentissimum: dies ergo diem superat, & lux lucem, & annus annum, propter ascendentis & descendentis Solis cursum, qui gyrat ad Meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans universa circuitu suo, & luminaribus minoribus radiis suis præstat splendorem, discernens tempora, dies & annos; quia in æstate longiores & clariores dies reddit quàm hieme, & annum lunæ & ceterorum siderum facit inter se ordinabiliter differentiam habere: quia ad hoc creatus est cum cæteris sideribus, ut essent in signa, & tempora, & dies, & annos; & hominibus, qui legem Dei accepturi forent, certa festivitatum demonstrarent tempora.*

Secundò, Lyran. ad versum præced. pariter hæc referens, eumque explicans de malis Prælatis, ad eosdem hunc quoque refert: *Quia posset*, inquit, *aliquis admirari & quærere, qualiter, Deus permittit malos doctores & Prælatos ad Ecclesiæ regimen promoveri? Ad cujus solutionem primò præmittit exemplum in naturalibus dicens: Quare dies diem superat? Secundò, applicat ad propositum in hominibus, dicens v. 10. Et omnes homines. Tertiò, confirmat per simile in artificialibus, dicens v. 13. Quasi lutum, &c. Quartò, solvit dubium, dicens v. 15. Contra malum bonum est.*

Tertiò & genuinè, hæc referas ad ea, quæ hoc capite, & alias sæpè disputavit, de differentia & discretione sapientum & stultorum, id est, piorum & impiorum. Cùm enim omnes homines natura sint pares, qui fit, ut tanta inter eos cernatur differentia, præsertim in sapientia & virtute, ut hi sint sapientes & virtute præditi, illi stolidi & vitiis cooperti? Ad quod respondet, ex sapientissima Dei providentia, partim activa, partim permissiva id fieri, qui similiter dies à diebus secrevit, idque hoc fine: Primo, ut ex variis rerum gradibus & ordinibus consurgeret decus & pulchritudo universi. Secundò, ut cuique rei suum contrarium quasi æmulum & antagonistam opponeret; itaque ex singulis singulorum antithesibus palæstram hanc & theatrum mundi honestaret, atque cujuslibet rei dignitas & præstantia per collationem pugnam & victoriam oppositi innotesceret & elucesceret. Tertiò, ut in singulis varios suæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis & justitiæ modos & species mortalibus spectandos & venerandos exiberet. Hoc est quod subdit: *A Domini scientia separati sunt.* *Deus varios hominum ordines statuit ob tres causas.*

Quartò, ut indicaret mutationes, quibus dies æquè ac homines obnoxii sunt. Sicut enim, v. g. feria secunda hoc anno est festum, quia in eam incidit festum S. Laurentii; sequenti verò anno non erit, quia festum hoc incidet in feriam tertiam: sic homo qui hoc anno est sanctus, sequenti erit peccator; & qui nunc est peccator, tunc erit sanctus; ut discamus omnes timere, & pendere à Deo.

Hinc colligas, causam cur hic sit felix, ille infelix, non esse fortunam, non indolem, non cælum, sed Deum: Deus enim pro libito, liberaque electione quem vult facit felicem, non tantùm si prudens sit, sed & si imprudens. Prudens enim, esto non semper, sæpè tamen prosperatur in actionibus, ut felices habeant successus; tum, quia prudenter omnia disponit, ut feliciter eveniant; tum quia meretur, ut Deus actiones suas dirigat & prosperet. D. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 92. quærit, quæ sit causa cur quis sit fortunatus, id est; ut illi præter opinionem bona, bonique eventus obveniant? ac respondet propriam causam bonæ fortunæ esse Deum, Deique benevolentiam & electionem, qua aliquem feliciter ut plurimùm regit & dirigit, v. g. ut fodiat tali vel tali loco ubi inveniat thesaurum: uti autem aliquando ministerio Angelorum, id suggerentium vel persuadentium. Cælum autem, *Bonæ fortunæ causa est Deus.*

cæli-

cælique influxum, propriè non facere bonam fortunam; sed subinde ad illam disponere per accidens, v.g. cùm quem inclinat ad fodiendum, cui fossioni per accidens conjuncta est inventio thesauri. Nec enim cælum inclinat, ut hic potiùs fodias ubi est thesaurus, quàm alibi ubi non est. Quare cùm hæc duo cælum combinare non possit, sequitur cælum per se non esse causam bonæ fortunæ: Deo ergo nihil est fortuitum, quia ipse est rector & director fortunæ. Denique cur hic sit felix, ille infelix, fusè docuit Genes. 30. 27.

Quisque ergo suam sortem à Dei manu exspectet, eaque contentus vivat, ac cum Psalte humillimè dicat: *In manibus tuis sortes meæ*, psal. 30. *sortes* id est, casus, eventus, vicissitudo, status rerum mearum, ut divitiæ & paupertas, servitus & principatus, sanitas & infirmitas, pax & bellum, ait Theodor. Hæ ergo sortes meæ non à fortuna, sed à certa tua, ò Domine, providentia reguntur & dispensantur. Hebr. *in manibus tuis tempora mea*, id est, dies vitæ & mortis, prosperitatis & adversitatis, Chald. *in manibus tuis tempora redemptionis meæ*. Et cum S. Paulo Coloss. 1. 12. *Gratias agamus Deo, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum*. *Non video*, ait S. August. *ullum meritum, quo de universa impietate generis humani me potissimum elegisti ad salutem: ad tunicam Domini sorte perveni*, sicut sors cecidit super Matthiam ut fieret Apostolus, Act. 1.

Præclarè Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 10. *Si de parentum carnalium*, inquit, *judiciis conqueri non audemus, cùm aliquos filios suos ante ulla morum examina, ante aliqua pietatis officia, indulgentiore amplectuntur affectu: in dominis quoque erga famulos libera est dispositio, nec justè à quoquam reprehenditur, qui de unius conditionis familia, quosdam sibi quos benigniùs honestaret, & quos liberiùs erudiret, elegit; numquid de summi Patris, & veri Domini benevolentissima æquitate causandum est quod in magna domo ejus innumeris differentiis universa variantur? Cumque nemo aliquid boni habeat, quod non ille donaverit; non omnes tamen iisdem virtutibus ambiant, aut eadem charismatum dote ditantur. Nec possumus hanc diversitatem gradum causis aptare meritorum, cum totius meriti principalis causa sit gratia.*

Pii similes diebus festis: cur? Moraliter disce, pios rectè comparari diebus festis, impios profanis. Primò, quia quantum festi dies superant non festos, tantum pii præcellunt impiis. Secundò, sicut dies festi sunt dicati & consecrati Deo: sic & pii se consecrant Deo. Tertiò, in festis cessatur ab opere servili; & vacant fideles sacrificiis Deique laudibus: sic & pii jugiter Deum laudant mente, voce & opere. Piis ergo omnis dies est festus. Qua de causa S. Silvester dies vocari voluit ferias, dicendo, feria prima, secunda, tertia, &c. ut meminisset Clerici, se abjecta ceterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere, juxta illud psalm. 75. 11. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi*. Et illud Eccli. 47. 2. de Davide: *Et sicut adeps separatus à carne*, (qui cremabatur Deo in die festo) *sic David à filiis Israel*. Denique sicut dies festi celebrantur, sic homines sancti canonizantur: canonizatio enim hoc est Sanctis, quod festivitas diebus, ideoque in honorem Sanctorum dum canonizantur, dies festi instituuntur & celebrantur.

VERS. 8. A DOMINI SCIENTIA SEPARATI SUNT, FACTO SOLE, ET PRÆCEPTUM CUSTODIENTE] Addit Jansenius & alii, *Per Dei sapientiam dividuntur*; sed hæc verba expungunt Græci, Romani, & ceteri codices emendati. Respondet quæstioni propositæ: *Quare dies diem superat?* q.d. Hæc dierum discretio non est facta à casu & fortuna; sed à Dei scientia, q.d. A Dei providentia sapienter facta est: à Deo, inquam, non à sole: nam facta est post factum solem, qui & ipse Dei ordinationi subiacet, Deique *præceptum*, id est, ordinem movendi, lucendi, &c. exactè *custodit*. Aliter Rabanus & Liranus, qui inhærentes expositioni datæ v. præced. sic explicant, q.d. Dies alii ab aliis separati, & lucidiores effecti sunt, à Dei scientia & sapientia, cùm scilicet fecit solem, qui suo accessu & recessu dies inæquales magisque vel minùs lucidos efficeret: sol enim hoc Dei præceptum & ordinem perfectè custodit. Græca breviter hæc nectunt initio versus sequentis, sicque habent: *Scientia Domini distincta sunt, qui mutavit tempora & festa*; Tigurina, *judicio Domini distincti, qui vices temporum festorumque dierum*

A *disposuit, & sua divisit sapientia*; Syrus, *verum sapientia Dei distincti fuerunt, & fecit ex eis tempora & momenta*.

ET IMMUTAVIT TEMPORA, ET DIES FESTOS IPSORUM, ET IN ILLIS DIES FESTOS CELEBRAVERUNT AD HORAM] Græca & Syri tantùm habent id, quod posui v. præced. *Immutavit*, id est, variè disposuit, Deus tempora anni, dividendo eum tum in duodecim menses, quorum quisque ab alio quolibet qualitate & effectu dissidet & diversus est; tum in quatuor præcipuas anni partes, scilicet, in ver, æstatem, autumnum & hiemem. Atque in his partibus varios dies festos suo quemque ordine, concinnè disposuit & collocavit, quos diebus à se constitutis celebrarent Hebræi ad horam illis præscriptam, v.g. hora qua incipiebat novilunium, celebrarent festum Neomeniæ, uti ostendi Num. 28. 11. cetera festa incipiebant ab hora vespertina, putà à prima hora noctis, à qua Itali incipiunt computare horas diei, juxta illud Levit. 23. 32. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*. VERS. 9

B EX IPSIS EXALTAVIT ET MAGNIFICAVIT DEUS, ET EX IPSIS POSUIT IN NUMERUM DIERUM] Quod Hebræi dicunt למספר *lime mispar*, id est, *in dies numeri*, hoc est, in dies vulgares, qui nihil habent præ aliis singulare, sed tantùm numerum ceterorum adaugent instar ciphræ, juxta illud. VERS. 10

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.

Pro *magnificavit* Græcè id est ἡγίασε, id est, *sanctificavit*: & sic legunt quidam codices Latini manuscripti: *sanctificavit*, id est, Deo & Sanctis dicavit, ut fideles eos illis diebus sanctè colerent precibus, votis, victimis, aliisque sanctis officiis. Igitur sensus est, q.d. Deus ex diebus aliquos extulit, dum eos instituit festos & sanctos; alios verò *ex ipsis posuit in numerum dierum* communium, scilicet, ut manerent in numero dierum vulgarium & profanorum, nec essent festi. Unde Tigurina, *is alios dies extulit & consecravit, alios in ordinem dierum coegit*: Syrus, *ex iis benedixit & sanctificavit, & ex iis fecit in numerum dierum*. Alludit ad institutionem & sanctificationem Sabbati & aliorum festorum, de qua dicitur Genes. 2. 3. *Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum: quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret.*

C Paulo aliter Palacius, q. d. Deus ex festis diebus alios exaltavit, ut diem Paschæ & Pentecostes: alios, ut dies festos azymorum, redegit in numerum minorum festorum: pari modo ex ipsis electis alios exaltavit, faciens illos Sanctos eminentes, ut Abraham, Isaac, David; alios verò redegit in numerum communium justorum, qui quidem sancti sunt, non tamen ut *dii fortes terræ vehementer elevati sunt*, psal. 51. sed ut minores Sancti, & ut Sanctorum vulgus Deo adhærent.

ET OMNES HOMINES DE SOLO ET EX TERRA, UNDE CREATUS EST ADAM] subaudi, fecit vel plasmavit: Idem est *solum*, quod *terra*: sed *solum* dicitur à soliditate, *terra* à terendo, quod pedibus hominum & animalium teratur, ait Lyranus.

IN MULTITUDINE DISCIPLINÆ DOMINUS SEPARAVIT EOS, ET COMMUTAVIT VIAS ILLORUM] Est antapodosis, sive redditio & applicatio similitudinis dierum electorum, putà festorum, ad homines electos, q.d. Sicut Deus dies aliquos, licet ceteris natura & luce pares, selegit, fecitque festos: sic pariter cùm omnes homines natura sint pares, creatique ex eodem solo & terra, ex quo creatus est Adam: tamen *in multitudine*, id est, ex magnitudine, *disciplinæ*; Græcè, ἐπιστήμης, id est, scientiæ & sapientiæ suæ, *separavit eos, & immutavit vias illorum*: tum quia fecit, ut alii aliam vitæ rationem sequerentur; tum, quia *vias* id est, sortes, conditiones & status illorum fecit diversos v.g. ut hi essent magni Prælati & principes; illi plebeii, cives & rustici; tum maximè, quia alios effecit sapientes & sanctos, alios verò in sua insipientia & peccatis dereliquit. Hoc enim maximè hic spectat Siracides; unde explicans subdit: *Ex ipsis benedixit & exaltavit, & ex ipsis sanctificavit, & ad se applicavit*. Ita Tigurina, quæ clarè vertit, *& omnes homines è terra sunt orti* (alii aptiùs, *suntque homines omnes ab humo*:) *& Adam è terra creatus est; sed Dominus mirabili scientia distinxit eos, & instituta eorum variavit*; Syrus, *& etiam homines omnes ex luto facti sunt*, VERS. 11

D

& ex pulvere creatus fuit Adam: verùm in sapientia Deus separavit eos, & fecit eos habitatores terræ.

Porrò, Palacius & Jansenius hæc & sequentia explicant de plene prædestinatis & reprobis, putà, de efficaciter electis ad gloriam, & damnatis ad gehennam, q. d. Deus Primò, secundùm magnitudinem sapientiæ suæ, ex una & eadem massa naturæ humanæ peccato Adæ corrupta, per suam prædestinationem separavit prædestinatos, eosque elegit ad gloriam, ut in eis ostenderet divitias gratiæ suæ: alios verò reprobavit, volens in eis ostendere iram & potentiam suam. Secundò, postquam eos ita in sua mente separavit, *immutavit vias illorum*, dans electis auxilium efficax, gratiam & perseverantiam: reprobos verò relinquens ac dimittens secundùm desideria cordis eorum, ut abeant in adinventionibus suis, psalmo 80.

Verùm meliùs Raban. Lyranus & alii accipiunt hæc de generali electione Dei, deque inchoata prædestinatione. Nam duplex est prædestinatio, scilicet, inchoata & completa. Inchoata est, qua quis prædestinatur ad fidem, gratiam & justitiam; hic enim per hæc dona inchoat suam salutem, ut, si in illis perseveret & pergat, certò salutem & gloriam æternam sit assecuturus. Completa est, qua quis efficaciter à Deo eligitur & destinatur ad gloriam & vitam æternam: de inchoata hic agi evincunt rationes, quas attuli canone 13. in S. Paulum. Quibus adde, Siracidem hic agere de prædestinatione Gentium potiùs quàm singulorum hominum, uti mox ostendam: Gentes autem prædestinantur ad fidem & gratiam, non autem ad gloriam; quia ex Gentibus etiam fidelibus magna, imò major pars non pervenit ad gloriam, sed ob sua peccata perit & damnatur. Idem colligitur ex eo, quod dicit v. 15. *Sic & contra virum justum peccator.* Justus enim est inchoatè prædestinatus, & peccator est inchoatè tantùm reprobus: si enim ageret de completa prædestinatione & reprobatione, dixisset: *Sic & contra prædestinatum est reprobus:* vel, *Sic & contra electum ad gloriam est damnatus ad gehennam.* Idem magis patebit ex iis quæ dicam v. sequ. Congruè tamen possunt ea quæ dicit de fideli & infideli, pio & impio, à pari vel simili extendi & accommodari prædestinato & reprobo, salvato & damnato; præsertim quia justitia est inchoata prædestinatio, & injustitia inchoata reprobatio: vicissim prædestinatio & electio ad gloriam est justitiæ coronis & complementum, sicut reprobatio & damnatio est injustitiæ perfectio & complementum.

Prædestinatio duplex.

Vers. 12 Ex ipsis benedixit, et exaltavit, et ex ipsis sanctificavit, et ad se applicavit (Syrus, *usque ad se perduxit*,) et ex ipsis maledixit, et humiliavit, et convertit illos a separatione ipsorum] Syrus *& evertit & eradicavit eos de habitaculis eorum*; Tigurina, *alios beavit & evexit, consecravit, dicavitque sibi alios: alios execratus est, & depressit, & evertit eos suis sedibus.* Sanctificavit, id est, separavit, & (ut sequitur) *ad se applicavit*, quasi homines fideles Deique cultui dicatos, ut essent populus Dei, ejusque familia & Ecclesia; uti Primò, ab initio mundi, rejecto Cain parricida, separavit sibi Abel & Seth ejusque posteros, ut esset populus fidelis & deicola. Quocirca filii Seth vocantur *filii Dei*, filii verò Cain vocantur *filii hominum*, Genes. 6. 2. Secundò, in diluvio separavit Noë ejusque filios à ceteris hominibus: atque è filiis duos, scilicet Sem & Japhet pios, & patris verenda tegentes, sibi arrogavit & benedixit, id est, multis donis & beneficiis affecit: tertium verò filium, scilicet, Cham, patrem Chanaan, utpote impium, patris verenda subsannantem, maledixit, dicens: *Maledictus Chanaan* (filius & effecla Cham) *servus servorum erit fratribus suis: Benedictus Dominus Deus Sem*, &c. Genes. 9. 25. Atque huc maximè respexit Siracides, scilicet, ad Sem, à quo orti sunt Hebræi, quos Deus in populum fidelem sibi elegit, spretis, imò excisis, impiis Chananæis posteris Cham & Chanaan, quos proinde per Josue & Hebræos terra Chanaan & sedibus suis expulit. Tertiò, è posteris Sem solum elegit Abraham ejusque familiam in suam gentem & Ecclesiam, ceteris in infidelitate & peccatis, ideoque in maledicto relictis. Quartò, è filiis Abrahæ elegit Isaac ejusque posteros, rejecit verò Ismael & Ismaelitas ab eo prognatos. Quintò, è filiis Isaac elegit Jacob & Jacobæos, rejecto

A Esau & Idumæis, juxta illud Malach. 1. 2. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Sextò, è filiis Jacob solum elegit Levi & Aaron ejusque posteros, ut essent Levitæ, id est, ministri & sacerdotes Domini, ceteris filiis in vulgo & inter laicos relictis, juxta illud (quò alludit quoque hic Siracides) Num 8. 13. *Statuesque Levitas in conspectu Aaron, & consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei.*

Itaque sanctificatio hæc, est separatio, qua Deus certos homines & familias, præsertim Abrahæ, Isaac, Jacob & Levi, sibi in populum fidelem & sacerdotalem ex reliquis familiis & gentibus elegit & separavit, juxta illud Mosis Exodi 19. 6 ad Hebræos, *Eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Nam in *applicavit* & *maledixit* alludit ad Aaron, quem Deus sibi quasi pontificem adscivit, & ad Core, quem superbè ambientem pontificatum maledixit, depressit & evertit, cùm fecit, ut hiante terra vivus absorberetur in infernum. Vide Numer. 16. v. 5. *Manè*, inquit, *notum faciet Dominus qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi: & quos elegerit, appro-*

B *pinquabunt ei.* Igitur sanctificatio hæc non faciebat omnes justos & sanctos; sed Deo separatos quasi fideles & cultores Dei. Constat enim in populo fideli, præsertim Judaico, multos fuisse peccatores & impios: aliqui tamen verè erant justi & sancti. Sic *sanctificare*, pro separare à profano, & dicare Deo, sumitur Exodi 13. 2. *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Et Deuter. 7. 6. *Populus sanctus es Domino Deo tuo.* Et passim in Levitico, Numeris & Deuter. dicuntur primitiæ, decimæ, vota, victimæ *sanctificari*, id est, separari & dicari Deo.

Jam verò, Deus suos fideles, v. g. Judæos (& multo magis nunc Christianos (*benedixit & exaltavit*, tum abundantia frugum opumque temporalium, regno, triumphis & victoriis, ut patuit sub Davide & Salomone; tum gratia & donis spiritalibus, putà, lege, templo, sacrificiis, Prophetis, legisperitis, miraculis, oraculis, pontificatu, sacerdotio, &c.

Quocirca ex hoc loco solidè non concludas (esto id velint nonnulli) electionem efficacem cujusque sancti &

C electi ad gloriam à Deo factam esse ante prævisa ejus merita, ex mera Dei electione & beneplacito; nam Primò, de ea præcisè non agit hic Siracides, sed generatim de electione, qua unus homo cum sua posteritate, puta, una familia, vel una gens, alteri à Deo præfertur, ac in populum & Ecclesiam suam eligitur. Secundò, esto de ea ageretur, non concluderetur id quod prætenditur; quia dici posset electionem hanc Dei fieri ex meritis cujusque sancti à Deo prævisis. Nam, ut ait S. August. Quæst. 2 ad Simplician. id quod præeligitur alteri, jam præstat alteri, eoque melius & præstantius est: ideò enim præ altero eligitur. Nec obstat similitudo electionis dierum in festos præ aliis non festis, quam attulit v. 7. quia pari modo dies certi electi sunt & eliguntur in festos, ob eorum beneficia & quasi merita, v. g. dies decima quarta mensis Nisan electa & erecta est in festum Paschæ, quia in ea Hebræi liberati fuere ab Angelo percutiente primogenita Ægyptiorum, & consequenter à Pharaone & Ægypto, Exodi 12. Simili modo vir fidelis eligitur à

D Deo, ut sit è populo & Ecclesia ipsius, aut etiam ut sit justus & sanctus, quia Deo vocanti eum ad fidem & justitiam liberè consensit; quia scilicet credidit in Deum, eumque coluit & amavit: quare eligitur ob suum meritum, vel de congruo, uti fit in prima justificatione; vel de condigno, uti fit in secunda, putà, in augmento justitiæ. Imò dies festi Sanctis dicati, uti jam dicantur in honorem S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, &c. ob eorum heroicas virtutes, merita & martyria dicati & instituti sunt.

Idem patet ex antithesi reproborum sive rejectorum, de quibus subdit: *Et ex ipsis maledixit.* Constat enim, quòd Deus neminem ante prævisa peccata & demerita ita maledixerit, ut eum absolutè reprobarit & gehennæ addixerit. Unde v. 14. concludens ait: *Et reddet unicuique secundùm judicium suum.* Præsertim, quia Chananæi, ad quos maximè hic respicit, non ita fuerunt maledicti, ut hoc ipso omnes fuerint damnati ad infernum. Nam de Raab ejusque familia, & de Gabaonitis, qui omnes fuere Chananæi, sed Judæis se dediderunt: factique sunt proselyti, valdè verisimile est ipsos, æquè ac Hebræos fuisse electos à Deo, atque ad salutem vocatos & destinatos. Unde

Raba-

Rabanus sic exponit, ut dicat Deum discrevisse; ut hos sibi eligeret, alios reiiceret, quia ipsi se discreverunt. *Post quam*, inquit, *homines multiplicari coeperunt, & quidam illorum variis erroribus & peccatis se obligaverunt; discrevit inter eos, & separavit illos ab eis, qui in sua fide & justitia perstiterunt. Et eos, qui digni fuerunt, benedixit: illos verò, qui impiè se gesserunt, æterna maledictione reos justè damnavit. Unde Scriptura sacra numerat Abel, Enos, Henoch, Noë, Abraham, Isac, Jacob, & ceteros Sanctos, qui divino cultui ritè insistebant, & vera religione uni Deo devotè serviebant. Illos autem, qui deserentes verum Deum falsis deserviebant idolis, & multiplicibus sceleribus semetipsos obnoxios fecerunt; partim diluvio, partim pestilentiæ clade, & veracium cultorum Dei gladio & devastatione delevit atque consumpsit. Ideò dicit, Et convertit illos à separatione ipsorum, quia sua discretione illos distinxit, quibus pro benefactis præmia condigna daret, & quibus pro malefactis juxta tormenta rependeret. In manu ergo potenti summus artifex operis sui, juxta voluntatem suam distinctionem congruam efficit.* Vide dicta Roman. 9.

Porrò hæc sententia, cùm sit indefinita & generalis, potest applicari non solùm integris familiis & gentibus, sed & singularibus quibusque personis. Nam v. g. Deus elegit, benedixit, exaltavit, & ad se applicavit, Abel, Seth, Enos, Noë, Sem, Abraham, Isaac, Jacob, Mosen, Aaron, David, &c. sprevit verò, maledixit & humiliavit Cain, Cham, Nemrod, Ismael, Pharaonem, Core, Datan, Abiron, Saul, &c. Sed sicut hos sprevit & maledixit propter sua scelera & demerita: sic illos *benedixit*, sibique applicavit ob suam obedientiam, pietatem & merita sive de congruo, sive de condigno: *benedixit*, inquam, tum per gratiam donando eos sua justitia, amicitia & filiatione, tum per gloriam, nimirum perseverantes in gratia & justitia, præmiando corona gloriæ sempiternæ.

Origo prædestinationis in Deo.

Denique si hoc opus prædestinationis & selectionis Dei planè ad suam primam in Deo originem revoces; certum est illud peractum esse sine ullo cujusque merito; tum, quia prima gratia, quæ est primus effectus prædestinationis, est pura & mera gratia, quæ sine ullo alicujus merito singulis datur; tum, quia secretio & distinctio ordinis utriusque, scilicet ordinis prædestinatorum & ordinis reprobandorum, facta est sine meritis vel demeritis. Nam v. g. quòd Deus Abelem constituerit in ea serie donorum & gratiarum, in qua prævidebat illum fideliter sancteque victurum & moriturum, ideoque perventurum ad vitam æternam: Cainum verò statuerit in alia serie, in qua prævidebat eum sua libertate & malitia peccaturum, impiè victurum & moriturum, ideoque damnandum; hoc totum fuit opus meri beneplaciti & electionis Dei, cui ita placuit sua dona & gratias distribuere sine ullo Abelis merito, vel Caini demerito.

Igitur ex massa humanæ naturæ & propaginis peccato originali corrupta, Deus electos prædestinavit & *benedixit*, Primò, quia eos in ea serie gratiarum collocavit, qua prævidebat eos gratiæ cooperaturos usque in finem vitæ, certoque salvandos, putà, prædestinavit ab æterno, & in tempore vitæ ipsorum dedit eis gratiam, quæ eis esset congrua & efficax. Secundò, *benedixit*, quia eis contulit justitiam, in eaque perseverantiam usque ad mortem. Tertio, *benedixit*, quia eos cœlo & gloriæ addixit, dicens; *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi*, Matth. 25. Hi enim sunt tres prædestinationis effectus, juxta illud Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Ceteros verò reprobandos *maledixit*: Primò, quia eos in massa peccato originali corrupta & maledicta reliquit: aut, si quando eos inde per gratiam eripuit, in eamdem per peccatum actuale relabi permisit. Secundò, eos jam peccato obnoxios *maledexit*, id est, odio habuit, sprevit & æternæ maledictioni, nisi resipiscerent, addixit. Tertiò, *maledixit*, id est, eos in peccato hoc & maledictione obdurari & mori permisit, ideoque eos de facto damnavit, & in infernum relegavit, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus*, Matth. 25.

Maledictio ergo hæc præsupponit peccatum, vel originale, vel actuale: Deus enim neminem maledicit, reprobat & damnat, nisi propter ejus culpam: reprobatio enim est actus justitiæ vindicativæ; Dei prædestinatio verò est actus gratiæ & misericordiæ Dei. Quare reprobi omnes maledictionem Dei temporalem & æternam ob peccata sua incurrerunt, & incurrunt. Omnium enim providentiam habet Deus; sed disparem bonorum & malorum: bonorum enim habet directam, activam & efficacem; malorum verò & peccatorum indirectam, permissivam & punitivam. Blasphemia enim horrenda est Calvini dicentis, Deum auctorem esse operum tam malorum, quam bonorum, ac consequenter Deum, ante omnem prævisionem operum, S. Petrum prædestinasse & addixisse cœlo; Judam verò reprobasse & addixisse inferno. Sapienter S. Fulgent. ad Monimum: *Deus*, inquit, *eorum non est auctor quorum est ultor*. S. August. in sententiis nu. 379. *Deus*, ait *quorum non est auctor malus, justus est ultor*.

Igitur, ut summatim dicta colligam, sapientia Dei dicitur hic discrevisse inter bonos & malos, electos & reprobos: tum, quia alium cum his, alium cum illis providentiæ modum & ordinem servavit & servat; tum, quia boni & electi sua præparatione & cooperatione digni sunt, qui per gratiam justificantem & gloriam à malis & reprobis secernantur: itaque eos secernendos esse judicat justissima Dei sapientia. Magis hoc patebit ex sequentibus. Deus enim electis ab æterno prædestinavit, & in tempore dat gratiam efficacem sive congruam, reprobis verò sufficientem, sed inefficacem & incongruam, qua scilicet, ipsi illi nolunt cooperari, idque præviderat Deus. Gratia enim efficax est gratia prædestinationis, ideoque maximum Dei beneficium. Licet enim gratia sufficiens, sed inefficax, sit pariter magnum Dei donum, quia sæpè physicè est æqualis, aut major gratia efficaci; tamen gratia efficax ob effectum & fructum quem actu producit, in æstimatione morali longè majus est Dei beneficium, quàm sit sufficiens. Sola enim efficax reipsa præstat nobis conversionem, operationem bonam, & magnum illud perseverantiæ donum, ac per illud rectè & infallibiliter hominem ad salutem & gloriam æternam perducit: quorum nihil facit sufficiens dumtaxat. Quare pro efficaci continuè cuique ardenter orandum est, utpote in qua cardo salutis omnisque boni consistat: nec enim eam bonis operibus mereri, sed orando tantùm à Deo emendicare & impetrare possumus. Nam, ut ait S. August. de Prædest. sanct. cap. 8. *Hæc gratia à nullo duro corde respuitur: ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia auferatur. Quando ergo Pater intus auditur & docet ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum. Sic quippe facit filios promissionis & vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Idem lib. 2. de Bono persever. capitulo 14. epist. 107. & alibi hanc gratiam vocat altam, secretam, secundùm propositum Dei, propriam prædestinatorum & electorum. Et lib. de Spiritu & litt. capitulo 34. *Jam*, inquit, *si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita; duo sola occurrunt interim quæ respondere placeat, O altitudo divitiarum! & Numquid iniquitas apud Deum?* Quin & Apost. Rom. 9. *Non est volentis*, inquit, *neque currentis, sed miserentis Dei.* Gratia ergò prævenit ut domina, voluntas sequitur ut pedissequa, ait S. August. Unde lib. 1. de Gratia & lib. arbitr. cap 16. *Certum est*, inquit, *nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Idem lib. 1. de Gratia Christi cap. 14. *Nam si omnis*, inquit, *qui didicit venit, profectò qui non venit, nec didicit; hoc docendi modo, quo per Spiritus gratiam ita docet Deus, ut quod quisque didicerit, non tantùm cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* Hoc est quod ait Apost. *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate*, Philip. 2. q. d. Non ex merito nostro, sed ex suo beneplacito. Unde electi sumus, non quia eligimus, sed quia eligimur, ait S. August. Præclarè S. Bernard. de Gratia & lib. arbitr. *Ipsa* (gratia) ait, *liberum extra arbitrium cùm seminat cogitatum: sanat, cùm immutat affectum: roborat, ut perducat ad actum: servat, ne sentiat defectum.* Oremus ergo assiduè cùm Ecclesia: *Largire Domine supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirante quæ recta sunt, & te gubernante eadem faciamus.*

Gratia efficax summum Dei beneficiũ.

ET HUMILIAVIT ET CONVERTIT, id est, subvertit, ILLOS A SEPARATIONE, id est, propter separationem,

rationem, IPSORUM] quia, scilicet, impii & maledicti libera sua voluntate mala separarunt se à virtute, lege & Deo, Angelis & Sanctis, vt opponatur ei quod præcessit de piis & impiis, quod, scilicet, Deus eos ad se *applicavit*: sicut τὸ *humiliavit*, vel (vt alii vertunt) *depressit*, opponitur τῷ *exaltavit*, quod præcessit. Ita Rabanus. Similitudo ergo est in eo, quod, sicut Deus sua providentia secrevit dies festos à non festis, cùm tamen ejusdem naturę sint omnes: ita & homines cùm sint ex eadem terra, & ex eodem parente Adamo, Deus tamen secrevit eos, alios benedicendo, exaltando & sanctificando; alios verò maledicendo, humiliando & subvertendo. Sed dissimilitudo est in eo, quod homines impios & reprobandos, cum sint liberi arbitrii, permiserit labi & peccare, ac tandem ob peccata eos subvertit morte & clade tum præsenti, tum æterna: pios verò & salvandos ab impiis secreverit, vocando eos per gratiam congruam, per quam, cooperante illi libero arbitrio, sanctificarentur, & persistentes in sanctitate bearentur & glorificarentur.

A

Græcè est, καὶ ἀνέτρεψεν αὐτοὺς ἀπὸ στάσεως αὐτῶν, id est, *& subvertit eos à stationibus & sedibus*, aut *à statibus suis*. Sic & Syrus, q. d. Deus impios suis regnis, dignitatibus, terris & regionibus expulit, uti Chananæos expulit Chananæa, tribuens eam Hebræis. Huc enim propriè respicit. Huic lectioni & sensui accommodes Latinam Vulgatam, quæ habet: *Convertit illos à separatione ipsorum*, si *separationem* accipias separatum locum, regionem & statum, à quo Deus impios evertit & dejecit; juxta illud Deiparæ, *Deposuit potentes de sede*, Lucæ 1. 52. Vel, ut alii, *à separatione*, id est, quia ipsi se à Deo separarunt ad idola & vitia: hic enim fuit status illorum. Aut certè Noster respexit ad aliud significatum Græcæ vocis στάσις: hæc enim vox crebrò significat seditionem, discordiam, civile bellum, factionem, qua seditiosi à magistratu & reliquis civibus se separant, imò eis bellum indicunt, novum sibi creantes caput & magistratum. Simili enim modo impii in Ecclesia & mundo seditionem concitant, ab eaque & à Deo principe suo se separant, ut idola & dæmones colant, ideoque à Deo plectuntur & subvertuntur.

B

VERS. 13 QUASI LUTUM FIGULI IN MANU IPSIUS, PLASMARE ILLUD ET DISPONERE] id est, ad plasmandum, vel ut plasmet & disponat illud pro libito; nam OMNES VIÆ EIUS SECUNDUM DISPOSITIONEM EIUS. q. d. Omnes actiones & plasmationes figuli sunt secundum ejus dispositionem; Græcè, εὐδοκίαν, id est, beneplacitum: SIC HOMO IN MANU ILLIUS,

VERS. 14 QUI SE FECIT; ET REDDET ILLI SECUNDUM JUDICIUM SUUM] Tigurina, *in modum luti quod manu tenet figulus, ad nutum suum omnia instituta sua dirigit: similiter homines sunt in manu Dei creatoris sui, qui eos pro judicio suo afficit præmiis*; alii, *vt lutum figuli, quod manu tractantem ipsum sequitur quocunque placuerit; sic homines sunt in manu factoris sui ut reddat eis secundum judicium suum*; Syrus, *sicut lutum, quod plasmatum est per manum figuli: ita homo in manu Creatoris sui, ad constitutum ejus in omnibus operibus ejus*.

Primò, hæc referas ad prædestinationem & reprobationem hominum. q. d. Sicut lutum est in manu figuli, ut ex eo pro suo arbitrio faciat vas in honorem, puta idolum, quod adoretur; aut vas in contumeliam, puta matulam. Sic pariter omnes homines sunt in manu Dei, ut quemlibet pro arbitrio suo statuat in hoc ordine providentiæ & gratiæ, vel in isto, puta, in ordine prædestinationis vel reprobationis, ut fiat bonus vel malus, electus vel reprobus, beatus vel damnatus: & sic *reddit*, id est tribuit, cuique *secundum judicium suum*, id est, prout ipse sua sapientia faciendum esse censet & judicat. Nam, ut ait Rabanus: *In potestate authoris & creatoris est, qualem velit condere creaturam. Unde & Deus, cùm omnes ex uno atque ex eadem massa simus in substantia, & cuncti peccatores, aliis miseretur, & alios despicit: sed non tamen sine justitia. In figulo enim homine tantùm est voluntas juxta liberum arbitrium; in Deo autem universorum conditore semper est justa voluntas cum omnipotentia. Unde scriptum est: Omnia quæcumque voluit, fecit. Scit enim cujus debeat misereri secundum præscientiam & prædestinationem suam, & quem despicere secundum justitiam & judicium suum: nec enim summa justitia aliquid velle aut facere potest, nisi quod omnino justum est.*

Graphica electorum descriptio.

Graphicè & patheticè hanc singulorum prædistinationem & reprobationem depingit S. August. in Soliloquiis c. 28. *Mundas*, inquit, *de nobis filios hominum, eos in quibus tibi complacuit habitare: quos ab inaccessibilibus profundis secretis judiciorum incomprehensibilium sapientiæ tuæ, semper justorum, licet occultorum, sine eorum meritis prędestinasti ante mundum, vocasti de mundo, justificasti in mundo, & magnificas eos post mundum. Non omnibus autem hoc facis, quod admirantur tabescentes omnes sapientes terræ. Et ego Domine hoc considerans expavesco, & obstupesco de altitudine divitiarum sapientiæ & scientiæ tuæ, ad quam ego non pertingo: & incomprehensibilia judicia justitiæ tuæ, quoniam ex eodem luto alia quidem facis vasa in honorem, alia verò in contumeliam sempiternam. Quos igitur tibi elegisti de multis in templum sanctum tuum, ipsos mundas, effundens super eos aquam mundam, quorum nomina numerumque tu nosti; qui solus numeras multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocas; qui etiam scripti sunt in libro vitæ, qui nequaquam perire possunt, quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata. Cùm enim cadunt, non colliduntur, quia tu supponis manum tuam; custodiens omnia ossa eorum, ut unum ex eis non conteratur.* Hęc de electis, de neglectis verò & reprobis illa subdit: *Attamen mors peccatorum pessima, illorum, inquam, quos, antequam faceres cœlum & terram, secundum abyssum multam judiciorum tuorum occultorum, semper autem justorum, præscivisti ad mortem æternam; quorum dinumeratio nominum & meritorum pravorum apud te est, qui numerum arenæ maris dinumerasti, & dimensus es profundum abyssi, quos reliquisti in immunditiis suis; quibus omnia cooperantur in malum, & ipsa etiam oratio vertitur in peccatum, ut, si etiam usque ad cœlos ascenderint, & caput eorum nubes tetigerit, & inter sidera cœli collocaverint nidum suum, quasi sterquilinium in fine perdantur. Magna* enim *sunt hæc judicia tua, Domine Deus, judex juste & fortis; qui judicas æquitatem, & inscrutabilia facis & profunda, quæ cùm considero, contremiscunt omnia ossa mea. Quoniam non securatur homo vivens super terram, ut serviamus tibi piè & castè cunctis diebus vitæ nostræ in timore, & exultemus tibi cum tremore, ut non sit servitium sine timore, neque gaudium sine tremore.*

& reproborum.

C

Secundò, hæc referas ad finem & premia bonorum & malorum, puta, electorum & reproborum. q. d. Deus bonos exaltat, benedicit & beat; malos vero humiliat, maledicit & sedibus suis evertit: quia utrique sunt in manu Dei, sicut lutum est in manu figuli. Quare sicut figulus ex eo potest facere hoc vas in honorem, illud in contumeliam; quia illud cuique aptum & congruum esse judicat: sic Deus malos punit, bonos verò præmiat; quia illud utrisque aptum & congruum esse judicat. Hebræum enim משפט *mispat*, id est, *judicium*, significat id, quod cuique congruit aut debetur.

Favet huic sensui ἀποδώσει, id est, *reddet*, scilicet secundùm merita cujusque. Unde Tigurina vertit, *qui eos pro judicio suo afficit præmiis* τὸ *judicium*: hoc enim, ut æquum sit, oportet ut bonos præmio, malos pœna afficiat. Rursum, quia alludit ad Jerem. 18. v. 6. ubi Jeremias promittit Deum Judæos in Babylonem ob peccata abductos, si pœnituerint, inde reducturum sicut figulus vas confractum refingit, pulchrumque & illustre efficit.

D

Hac eadem figuli similitudine utitur Apostolus Rom. 9. 21. ubi fusè de ea dixit. Quare hic plura non addam.

Notat rectè Lyran. simile figuli in eo esse dissimile, quod figulus intendat facere vasa non tantùm nobilia, sed & ignobilia v. g. matulas, ut serviant vilibus hominum operibus & necessitatibus: at verò Deus non intendit facere nisi vas in honorem, id est, justum & sanctum, qui beetur: nam mala culpæ velle nequit. Cùm ergo mali culpæ auctor esse non possit, per consequens auctor damnationis alicui esse nequit: hæc enim non est aliud quam pœna culpæ. Igitur voluntate sua antecedente sibique propria, id est, quantum in se est, Deus cupit & intendit omnes salvare, 1. Timoth. 2. sed voluntate consequente, quia, scilicet, videt impios peccare, in eoque usque ad mortem perseverare, vult eos punire & damnare: Deus enim culpæ non est auctor, sed justus ordinator: quia dedecus culpæ punit per decorem justitiæ, & ut docet S. August. Enchir. c. 100. Deus adeò est omnipotens & bonus, ut non sineret mala fieri, nisi ex eis eliceret majora bona: *nec sineret bonus*, inquit, *fieri male*,

malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene. Et sic permittit in orbe malos cum bonis, tam in subditis quàm in Prælatis, usque ad diem judicii, in quo hos ab illis separabit in æternum. Præclarè Boetius lib 4. de Consol. *Sola* ait, *est divina vis, cui mala quoque bona sint, cùm eis competenter utendo, alicujus boni elicit effectum*.

VERS. 15 CONTRA MALUM BONUM EST, ET CONTRA MORTEM VITA: SIC ET CONTRA VIRUM IUSTUM PECCATOR: ET SIC INTUERE IN OMNIA OPERA ALTISSIMI. DUO ET DUO, ET UNUM CONTRA UNUM] Ita Romani ceterique codices emendati; perperàm ergo nonnulli legunt, *duo contra duo*: falsum enim est in omnibus operibus Dei inveniri duo contra duo, seu duo duobus opposita. Unde Græca clarè habent: δύο δύο, ἓν κατέναντι ἑνός, id est, *bina bina, unum contra unum*, uti legunt S. August & Isidorus mox citandi. Unde Tigurina clarè vertit, *contrarium malo bonum, contrariaque morti vita est: sic oppositus sceleroso est pius, & adversus pium scelerosus, ita & in omnibus operibus Altissimi bina quæque videas, quorum unum repugnat alteri*; Syrus, *in omnibus operibus contra malum creatum est bonum, & contra mortem creata est vita, & contra lucem creatæ sunt tenebræ: ita manifestavit Deus opera sua omnia bina bina, unum contra unum*.

Cur Deus hos eligit, illos reprobat? Dat causam, cur Deus ex hominibus alios, putà pios, elegerit, benedixerit & sanctificarit: alios, putà impios, in massa perdita reliquerit, maledixerit & everterit: scilicet Primò, ut pii oppositi essent impiis, ac pietas superaret impietatem.

Causa Prima. Secunda. Secundò, ut homines videntes impii & impietatis dedecus, perspicerent quantum esset pii & pietatis decus, dignitas & pulchritudo: sicut albedinis vis & splendor magis cognoscitur, si illi opponatur nigredo: ac cibi dulcis sapor magis gustatur, si gustetur simul cibi amari acerbitas.

Tertia. Tertiò, ut in bonis & electis Deus ostenderet divitias suæ bonitatis & gratiæ: in malis verò & reprobis rigorem suæ severitatis, justitiæ & vindictæ, ut docet Apost. Rom. 9. 22. & 23. Sicut ergo Deus malo opposuit bonum, & morti vitam, tum, ut à bono vinceretur malum & à vita mors; tum, ut boni & vitæ species, collata turpitudini mali & mortis magis appareret magisque æstimaretur; tum, ut Dei potestas & majestas in hac contrapositione rerum magis resplenderet: sic pariter iisdem de causis Deus justis opposuit peccatores; iisdem de causis in ceteris operibus fecit *duo & duo*, id est, bina, quorum unum opponitur alteri, q. d. Non tantum in bonis & malis hominibus, electis & reprobis, cernitur hæc contrarietas & contrapositio, sed & passim in aliis quibusque in toto universo, idque ad decorem, varietatem & plenitudinem universi.

Quarta. Cujus rei præter tres causas jam datas quarta addi potest, scilicet, ut in hac contrariorum compositione & consociatione eluceat mira Dei sapientia, quæ res planè dissonas & oppositas ita conjungit & combinat, ut non contrariæ & dissonæ, sed consonæ & connaturales videantur, adeoque unum sine alio sibi opposito esse & subsistere nequeat. Sic corpus quodlibet mixtum componitur ex quatuor elementis contrariis, & inter se pugnantibus. Sic & totus orbis conflatur ex quatuor elementis, inter quæ ignis pugnat contra aquam, aer contra terram. Sic aqua, id est, humidum pingue & subtile, alit ignem sibi contrarium, ait Aristot. lib. 3. de Anima. Sic materia, forma, & privatio, formæ opposita, sunt tria prima Physices & cujusque rei naturalis principia. Sic album fit ex nigro: musicus fit ex non musico, ait Aristot. lib 1. Physic. Sic musices decor & delectatio consurgit ex dissonarum vocum consonantia & concordia. Sic theriaca maximè salutifera conficitur ex carnibus viperæ planè venenatæ, adeoque pharmaca præstantissima fiunt ex rebus venenatis, inter se congrua commixtione refractis & contemperatis. Sic ex cineribus obscuris bitumini mistis, vi ignis conflatur vitrum perspicuum & pellucidum. Sic homo (imò quodlibet animal) componitur ex corpore & anima sive spiritu, qui est incorporeus.

Animalia noxia homini sunt cōmoda. Hinc sapienter S. Augustin. lib. 11. de Civit. cap. 22. & lib. 3. de Genesi ad litter. cap. 17. docet animalia quoque noxia plura homini afferre commoda, quia ipsum, inquit, *aut pœnaliter lædunt, aut salubriter exercent, aut* A *utiliter probant, aut ignoranter docent*. Qua de re vide plura apud S. Hieron. libr. 2. contra Jovin. S. Ambros. lib. 3. Hexam. cap. 6. Lactant. libr. 6. cap. 4. quin & Ciceron. lib. 2 de Natura deorum. Quin & malum culpæ cedere in bonum hominis & universi, docet idem S. Augustin. lib. 3. de Lib. arbitr. cap. 9. tum, quia virtus comparata vitio splendescit magis; tum, quia malum culpæ emendatur bono pœnæ; tum, quia in pœnitentibus commendat hominis pœnitentiam, & Dei illud condonantis misericordiam. Vide S. August. Enchir. cap. 11. & Lactant. lib. de Ira Dei capit. 13. & S. Isidor. lib de Summo bono capit. 11.

Mali remedium posuit Deus in ipso malo: Vide hic, mirare & reverere omnipotentiam & magnificentiam Dei Creatoris in naturis adeò oppositis, & ex diametro contrariis. Deus enim mirabili sua sapientia, potentia & providentia mali remedium posuit in ipso malo, &, ut ita dicam, vitam in ipsa morte. Hoc hominibus est paradoxum, reipsa tamen patet in serpentibus, præsertim vipera, de qua extat hoc epigramma, B imò ænigma:

Dum vivis, morior: moreris dum vipera, vivo.
Perpetuò ut vivam, perpetuò morere.

Ita veneni remedium est à veneno, viperæ à vipera, quæ in morte venenum ponit, & moriens suo veneno venenis medetur. Ergo veneno vivimus, ipsa emoriente: theriacæ enim confectio fit ex vipera, quam adinvenit Andromachus illustris medicus tempore Neronis Imper. qui fuit vipera matri: eam enim occidit, sicut fœtus viperæ matris alvum nascendo erodere, itaque eam occidere perhibentur. Congruo sanè omine, quod ipse quasi vipera in morte venenum poneret, ejusque mors foret salus urbis & orbis, quem ipse vivens quasi vipera lethaliter sauciarat. Ita Plinius libr. 29. capit. 4. scribit, *M. Varronem* LXXXVIII. *vitæ anno prodidisse, aspidum ictus efficacissimè curari hausta à percussis ipsarum urina*. Additque: *Constat contra omnium serpentum ictus, quamvis insanabiles, ipsarum serpentium exta imposita auxiliari: eosque, qui aliquando viperæ jecur coctum hauserint, num*C*quam postea feriri à serpente. Neque anguis venenatus est, nisi per mensem luna instigatus. Sed prodest vivus comprehensus, & in aqua contusus, si foveatur ita morsus*. Et inferius: *Hydri*, inquit, *nullis serpentium inferiores veneno. Horum jecur servatum adversus percussos ab his auxilium est. Scorpio tritus stellionum veneno adversatur*.

& crucis in cruce. Simili modo mysticè mortis nostræ remedium fuit mors Christi: hæc enim mortem moriendo occidit, & vitam nobis peperit sempiternam. Sic cujuslibet adversitatis & crucis, remedium petitur ab ipsa adversitate & cruce, præsertim Christi. Si enim cogites, adversitatem exilem & brevem tibi creare coronam æternam: si cogites, quanta Christus pro te pertulerit, facilè tolerabis tribulationem quantumlibet gravem & molestam. Quin & peccati remedium ex ipso peccato, putà, ex consideratione fœditatis & noxæ peccati, petiere S. Paulus, S. Magdalena, ceterique pœnitentes & Sancti. Omitto, quòd unum contrarium præsente altero vim suam intendit per antiperistasin: sic calor ignis in hieme ob circumD stantiam frigoris se acuit & intendit, ac vicissim frigus in æstate per antiperistasin caloris, sicut hostis vires colligit præsente hoste, & æmulus præsente æmulo, ut illi resistat. Pari modo viri fideles & fortes in tentatione & adversitate vires omnes exerunt, ideoque fortiores, & victores evadunt.

Antitheta rerum universum ornant. Ita hunc locum explicat S. August. lib. 11. Civit. cap. 18. *Neque enim Deus*, inquit, *ullum, non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret, atque ita ordinem sæculorum tamquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret. Antitheta enim, quæ appellantur, in ornamentis elocutionis sunt decentissima, quæ Latinè appellantur opposita; vel, quod expressiùs dicitur, contraposita*. Et paulò post: *Sicut ergo ista contraria contrariis opposita sermonis pulchritudinem reddunt: ita quadam non verborum, sed rerum eloquentia, contrariorum oppositione sæculi pulchritudo componitur. Apertissimè hoc positum est in libro Ecclesiastico hoc modo: Contra malum bonum est, & contra mortem vita: sic contra pium peccator. Et sic intuere in omnia opera Al-*

Altissimi: bina & bina, unum contra unum.
S. Augustin. velut magistrum sequitur S. Isidorus Episcopus Hispalensis lib. 2. Originum cap. 21. *Antitheta*, inquit, *sunt, quæ Latinè contraposita appellantur, quæ, dum ex adverso ponuntur, sententiæ pulchritudinem faciunt, & in ornamento locutionis decentissima existunt, ut Cicero. Ex hac parte pudor expugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: hinc denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia & virtutes omnes certant cum iniquitate, luxuria, ignavia, cum temeritate & cum vitiis omnibus: postremò copia cum egestate, bona ratio cum perdita: mens sana cum amentia: bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit. In hujusmodi certamine ac prælio hujusmodi locutionis ornamento liber Ecclesiasticus usus est, dicens: Contra malum bonum, & contra mortem vita: sic contra pium peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi: bina & bina, unum contra unum.*

Unum contra unum quid? Resp. Primò. Nota Franc. Valesius Sacræ Philosoph. cap. 75. τὸ *unum contra unum*, significare Primò, illud Aristotelicum, *Unum uni est contrarium*; quia duo aut plura uni non possunt esse contraria: contraria enim sunt, quæ sub eodem genere longissimè distant. At verò in eodem genere non possunt plura æqualiter distare; necesse est igitur ut unum sit, quod distet longissimè. Minorem multis ipse probat.

Secundò. Secundò, τὸ *unum contra unum* non solùm verum esse in iis quæ propriè vocantur contraria, sed in naturalibus etiam rerum antipathiis. Nimirum animalia non omnia cum omnibus exercent inimicitias, atque cùm multa alicui videantur adversari, non tamen æquè omnia illa: sed est quod adversetur præcipuè cuicumque quoddam certum: velut leporem canis insectatur, non ita lupus, aut leo; neque ita canis felem, aut murem: felis murem, non ita aliud quodpiam animal. In inanimis quoque rebus perinde evenit: cùm enim sint quædam antidota & simplicia & composita, quæ censentur pluribus venenis adversari, ut lapis bezahar & theriaca: tamen sunt singulis venenis singula antidota propria; quia est quod cuique peculiariter ac propriè advertetur, velut aconito ruta, opio generosum vinum, lepori marino lac. Itaque sunt quædam simpliciter antidota, quædam quorundam, atque deteriorum generi adversatur genus alexipharmacorum, unum uni (est enim quodammodo etiam unum genus omne) cuicumque veneno suum antidotum. Porrò naturalem hanc contrarietatis legem imitari videntur etiam hominum simultates & odia: quæcumque enim inter plurimos, sive in una domo, sive in civitate, sive in regno, sive etiam inter multa regna oriantur dissidia; mox omnes, ad quos illorum causa utcumque pertinet, feruntur in duas factiones; adeo divisioni accommodatus numerus est dualitas. Itaque videntur odia omnia sive naturalia, sive voluntaria, exerceri per binarios, ut necesse sit unum esse contra unum, duo contra duo, & ita deinceps. Habent verò hæc omnia causam non valdè dissidentem à priori: nimirum, unum quiddam esse semper id, secundùm quod aversari contingat: secundum unum verò non posse distare longissimè, nisi duo.

Tertiò. Tertiò, τὸ *unum contra unum* significare quoque rerum ἰσονομίαν, id est, æquabilem tribulationem sive æquilibritatem. Annotavit enim Epicurus non ineptè eam esse naturam rerum, ut omnia omnibus, paribus paria respondeant, & similia similibus, & contraria contrariis & opposita: ita ut in omnibus & singulis servetur æqualitas & respondentia quædam; velut totidem esse quæ conservent, & quæ interimant: atque corporeorum & corpore carentium, mortalium & immortalium, & aliorum omnium quæ secundùm oppositionem dicuntur, esse quandam æquabilitatem. Quam Galenus quoque in membris hominis, quæ secundùm opposita latera sita sunt, dextram dico & sinistram partem animadvertit, mirumque in modum celebravit, *justitiam naturæ* appellans. Nimirum nulla pars est in ullo laterum, cui non in altero sit opposita æqualis altera. Nam aut geminæ sunt, estque altera in altero latere opposita, æquabilitatem etiam situs observans, ut oculi, aures, narium A foramina, renes, testes, manusque & crura & eorum digiti: aut simplices, eæque in medio sitæ, ut cerebrum, cor, pulmo, ventriculus, vesica & uterus, inter externas frons, os & colis: aut secundùm latera contrapositæ ad æqualitatem, ut hepati opponitur lien. Hæc Valesius.

Jam si in naturalibus videmus & patimur hasce oppositiones & contrapositiones, utpote quas Deus instituit ad bonum & complementum rei cujusque, & totius universi; quidni patiemur easdem in moralibus, putà in diversis & oppositis æmulorum judiciis, voluntatibus, conatibus, disputationibus, certaminibus? Athletæ Dei sumus, pugiles, palæstritæ & stadiodromi in hac mundi palæstra.

Ad hoc acres addit stimulos illud Senecæ epist. 107. imò Siracidis hoc loco paradoxum: *Rerum contrariis constat æternitas. Imperetur æquitas animo*, ait Seneca, *& sine querela mortalitatis tributa pendamus. Hiems frigora adducit, algendum est: æstas calores refert, æstuandum est: intemperies cœli valetudinem tentat, ægrotandum est.* *Rerum cōtrariis constat æternitas.*
B *Et fera nobis loco occuret, & homo perniciosior feris omnibus. Aliud aqua, aliud ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non possumus. Id possumus, magnum sumere animum & viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, & naturæ consentiamus. Natura autem hoc quod vides regnum, mutationibus temperat. Nubilo serena succedunt: turbantur maria cùm quieverunt: flant invicem venti: noctem dies sequitur: pars cœli consurgit, pars mergitur. Contrariis rerum æternitas constat. Ad hanc legem animus noster aptandus est, hanc sequatur, huic pareat, & quæcumque fiunt, debuisse fieri putet, nec velit objurgare naturam. Optimum est pati quod emendare non posis; & Deum, quo auctores cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur.* Et nonnullis interiectis, sic Deum nos affari & orare docet.

Duc me parens, celsique dominator poli,
Quocumque placuit, nulla parendi mora est.
Assum impiger. Fac nolle, comitabor gemens:
Malusque patiar, quod pati licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

C *Sic vivamus, sic loquamur, paratos nos inveniat atque impigros fatum. Hic est magnum animus, qui se Deo tradidit. At contrà ille pusillus ac degener, qui obluctatur & de ordine mundi malè existimat, & emendare mavult deos quàm se.*

Denique hujus ἰσονομίας, oppositionis & contrapositionis fons & origo est ipsa SS. Trinitas: in ea enim Pater Filio relativè opponitur & contraponitur, ac Spiritus sanctus Patri & Filio: sicut enim ex Patre *omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur*, ut ait Apost. Ephes. 3. 15. sic & à Filio omnis filiatio, & à Spiritu sancto omnis amor & processio. Sicut ergo summa oppositio personarum SS. Trinitatis desinit & coit in summam unitatem & indentitatem essentiæ divinæ: sic omnis nostra oppositio coeat in unitatem concordiæ & charitatis. *Ejus origo in Deo.*

ET EGO NOVISSIMUS EVIGILAVI, ET QUASI QUI COLLIGIT ACINOS POST VINDEMIATORES. IN BENEDICTIONE DEI ET IPSE SPERAVI, (Græcè ἔφθασα, quod alii verunt, *assecutus sum id, quod facere contendi*; alii, *præoccupavi* vel *anteverti*) D ET QUASI QUI VINDEMIAT, REPLEVI TORCULAR] Perperam aliqui legunt *& ipse spe speravi*. Delendum enim τὸ *spe*, uti monent Romani in erratis præli. VERS. 16 VERS. 17

Inserit hæc de se Siracides, clausurus præcedentes sententias, & inchoaturus sequentes, ut ad eas conciliet sibi attentionem lectorum per auctoritatem Dei, qui illi benedixit, eumque excitavit ad eas scribendas, q. d. Inter eos, quos v. 12. dixit Deum benedixisse, sibique selegisse & santificasse, ego sum unus, & in meo genere ultimus. Nam ego post omnes Prophetas & scriptores hagiographos, qui prophetare & scribere desiiterunt in captivitate Babylonica, post longum eorum silentium & quasi somnum trecentorum annorum evigilavi, excitante me Deo ad scribendum has parabolas sacras. Verùm ex humilitate nolo me illis æquare, sed illos mihi antepono: illi enim fuerunt quasi vindemiatores, qui uberem sapientiæ doctrinam quasi plenam uvarum vindemiam in Ecclesiam intulerunt: ego verò censeo me esse quasi racematorem, qui post vindemiam acinos pauculos relictos scrutatur & colligit: pari enim modo & ego sententias à priscis sapientibus & scriptoribus præ-

termissas scrutatus sum, & in hunc librum collegi; sed ecce Deus huic humilitati meæ & labori benedixit, fecitque ut, quia in benedictione ejus speravi, racematio mea excreverit in vindemiam, quæ *torcular* impleverit, hoc est, ut multas præclaras de qualibet virtute & vitio sententias copiosè conscripserim, ex quibus vinum salutaris sapientię mentem irrigans & inebrians à lectoribus facilè exprimi, & abundè hauriri possit. Unde pro *quasi qui colligit acinos*, Græcè est ὡς καλαμώμενος, id est, ut calamos vel spicas post messem colligens, sive *spicilegus*: sed per catachresin *spicilegus* sumitur pro racematore, qui post vindemiam colligit paucas uvas reliquas, quæ vindemiatorum oculos & manus fugerunt, q. d. Ego cogitabam esse dumtaxat sapientiæ spicilegus, sed Deo mihi benedicente factus quasi vindemiator replevi torcular, id est, librum ingentem conscripsi plurimis sententiis velut uvis congestis confertum, ad vinum sapientię inde exprimendum & propinandum tam præsentibus, quàm futuris fidelibus, præsertim Christianis. Unde Tigurina vertit, *novissimus autem ego evigilavi, ut tam quam racemator properarem vindemiatores, bene fortunante Domino, & quasi vindemia torcular implerem*; alii paulò aliter legentes in Græco juxta emendationem Romanam sic vertunt, *& ego ultimus evigilavi, & possideo eos, ut ab initio, ut qui racemos colligit post vindemiatores, benedictione Domini assecutus sum quod volui, & ut vindemiator replevi locum torcularis*; Syrus, *etiam ego novissimè veni sicut racemator post vindemiatores, & in bonis Dei ego steti, & sicut vindemiator replevi torcular meum.* Dicit ergo Siracides se ultimum fuisse hagiographum scriptorem, qui S. Scripturæ veteris Testamenti quasi colophonem & coronidem imposuerint, ut ipsa jam plena sit, & abundans omni vino sapientiæ, præsertim Ethicæ ad mores conformandos. Licet enim paulò post Ecclesiasticum scripti sint libri Machabæorum; tamen hi non censentur inter *ketubim*, id est, inter hagiographos, sed inter historicos. Adde, illos ab Hebræis non haberi in canone S. Script. nec ab eis censeri Canonicos. Simili modo S. Paulus 1. Corinth. 15. 8. vocat se novissimum Apostolorum, imò abortivum; ipse tamen quasi vindemiator replevit torcular Ecclesiæ omni genere doctrinæ Christianæ.

Nota. Τὸ *evigilavi* significat doctores & scriptores sacros dari mundo in nocte errorum & vitiorum versanti, ut ipsi ex ea Deo excitante evigilantes, excitent & alios ad studium sapientiæ. Unde ipsi sunt similes lucifero, sive stellæ Veneris, quæ post noctem in aurora oritur, solemque mundo adducit; sic enim ipsi Christum, qui est sol justitiæ, orbi adducunt, ejusque sunt quasi prodromi & luciferi. Hinc S. Petrus epist. 2. cap. 1. v. 19. *Habemus*, inquit, *firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris*. Hinc & S. Gregor. lib. 9. Moral. cap. 7. explicans illud Job 9. *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri.* Per *Oriona* intelligit Martyres, per *Hyades* Doctores, qui Martyribus successerunt; Orion enim in hieme, Hyades verò post hiemem initio veris oriuntur, & quasi evigilant. *Qui ita*, inquit, *post Oriona Hyadum nomine, nisi doctores sanctæ Ecclesiæ designantur? qui subductis Martyribus eo jam tempore ad mundi notitiam venerunt, quod fides clariùs elucet, & repressa infidelitatis hieme altiùs per corda fidelium sol veritatis calet: qui remota tempestate persecutionis, expletis longis noctibus infidelitatis, tunc sanctæ Ecclesiæ exorti sunt, cùm ei jam per crudelitatis vernum lucidior annus aperitur. Nec immeritò doctores sancti Hyadum nuncupatione signantur; Græco quippe eloquio hyetos pluvia vocatur; & Hyades nomen à pluviis acceperunt: quia ortæ proculdubio imbres ferunt. Bene ergo Hyadum appellatione expressi sunt, qui ad statum universalis Ecclesię quasi in cœli faciem deducti, super arentem terram humani pectoris sanctæ predicationis imbres fuderunt.* Et paulò post: *Dum ergo Hyades cum pluviis veniunt, ad cœli spatia altiora sol ducitur: quia apparente doctorum scientia, dum mens nostra imbre prædicationis infunditur, fidei calor augetur: at perfusa terra ad fructum proficit, cùm lumen ætheris agnoscit: quia uberiùs frugem boni operis reddimus, dum per sacræ eruditionis flammam in corde clariùs ardemus: dumque per eos diebus singulis magis magisque scientia cœlestis ostenditur, quasi interni nobis luminis vernum tempus aperitur; ut novus sol nostris mentibus rutilet, & eorum verbis nobis cognitus seipso quotidie clarior micet: urgente etenim mundi fine superna scientia proficit, & largius cum tempore excrescit.*

Doctores sunt hyades: cur?

Vers. 18 RESPICITE QUONIAM NON MIHI SOLI LABORAVI, SED OMINIBUS EXQUIRENTIBUS DISCIPLINAM] Græcè παιδείαν, id est, ut Tigurina, *eruditionem* & institutionem morum ad formandos juvenes. Doctor enim non sibi tantùm, sed & discipulis studet: ac dum eos docet, seipsum docet. Iterat sententiam positam cap. 24. 47. Ubi eam explicavi.

Vers. 19 AUDITE ME MAGNATES ET OMNES POPULI, ET RECTORES ECCLESIAE AURIBUS PERCIPITE] Rectorum enim est subditos hæc morum præcepta verbo & exemplo docere. Quare qui rectorem, principem vel regem docet & format, omnes ejus subditos totamque remp. vel regnum docet, componit & efformat: ut quis ergo remp. reformet, reformanda ei primùm sunt illius capita. Ita S. Franc. Xaverius Sinas conversurus regem ipsum tentavit, ad eumque legatum à Prorege Indiæ mitti se petiit: eo enim converso, totum Sinarum regnum converteretur. Hinc Græcè non est τὸ *& omnes populi*. Unde Tigurina, *audite me proceres populi, principes cœtuum aurem advertite*; & Syrus, *audite me principes populi, & magnates Ecclesiæ auscultate me.* Nota. In Græcis Romæ emendatis deinceps alius planè est capitum ordo: nam quæ hactenus dicta sunt hoc cap. 33. in Græcis Romanis extant c. 36. quæ verò hoc cap. in Latinis sequuntur de filiis & servis, in Græcis Romanis extant c. 30. Latini tamen in ordine consentiunt Græci Complut.

Vers. 20 FILIO, ET MULIERI, FRATRI ET AMICO NON DES POTESTATEM SUPER TE IN VITA TUA: ET NON DEDERIS ALII POSSESSIONEM TUAM: NE FORTE POENITEAT TE, ET DEPRECERIS PRO ILLIS] repetendis & reposcendis. Unde Tigurina, *ut ne pœnitentia ductus supplex eamdem repetas*; alii, *ne tibi pœnitenti sit pro eis supplicandum*; Syrus, *filio, & mulieri, & fratri & amico ne dederis potestatem supra te in vita tua, donec vivis & spiritus est in te*. Pro *mulieri* Græcè est γυναικί: quod tum uxores, tum mulierem quamlibet significat. Igitur suadet Primò, ne uxori, & multo minus concubinæ, aut cuivis alteri mulieri, potestas detur, ut vir eam sinat regere sibique dominari: nam mulieris imperium in virum contra naturam est, ejusque à Deo institutionem, Genes. 3. 16. ideoque indecens, inordinatum, impotens & intolerabile.

Rursum ne vir mulieri nimis multa & magna committat aut permittat: hæc enim postea ei adimere, vel restringere ægrè poterit; sicut servitus in agris, v. g. via & semita transeundi per agrum semel inducta, exteri & tolli nequit. Nam, ut ait Comicus: *Ætate & usu beneficium fit debitum*. Unde Symmach in relatione habita nomine senatus ad Imper. *semel honori Urbis delata compendia desinunt esse tribuentium: & quod à principio beneficium fuit, usu atque ætate fit debitum*. Theodoricus rex apud Cassiodorum lib. 3. epist. 39. *Quapropter*, ait, *illustris magnitudo tua à mediolanensibus aurigis nos aditos esse cognoscat, illa sibi vestris temporibus fuisse subtracta, quæ mos priscus indulserat, cùm præstante tempore munificentia sit pro lege. Proinde si nullo mendacio adserta vitiantur, sublimitatem vestram sequi convenit vetustatem, qua suo quodam privilegio, velut debita, quæ donantur, exposcit*.

Ætate beneficiũ fit debitum.

Secundò, ne detur & resignetur ei possessio & hereditas; per illam enim plenam heri & familiæ gubernationem & potestatem accipit, vel invadit & occupat. Idem vetat fieri filio, fratri & amico. Causam subdit: *Ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis*. q. d. Utique facti & donationis te pœnitebit: quia cogeris eis fieri supplex, eosque precari; ut tibi ea quæ ad victum & vestitum necessaria sunt, præstent; qui priùs ab iis supplicibus honorabaris & rogabaris. Huic sententiæ Siracidis antistropha est illa Arabum centur. 2. num 94. *Ne sis canis amicorum tuorum.* Canis enim ad mensam heri emendicat. Et illa centur. 1. n. 34. *Ne sis equus amico tuo, ne cadas.* Qui enim se nimis amico subjicit, ejus fit jumentum, suique contemptum, inopiam oneraque gravia sibi conciliat. Quocirca prudens est sapientis consilium: *Rarò amicum acceduo, ne tui satur factus te oderit*. Quod secutus S. Gregor. Nazianz.

Ne des amico tui potestatem. Gnomæ.

Nazianz. tarò Theodosium Imper. ejusque aulicos sibi amicos accedebat, ut habet ejus Vita. Denique numquam potestas danda est amico tanta, ut amicum ad peccatum impellat vel cogat. Unde Pericles teste Plutarcho in ejus vita, rogatus ab amico, ut ejus causâ falsum dejeraret, cordatè respondit, *se usque ad aras amicum esse*. Et P. Rutilius amico cuidam per indignationem quærenti: *Quid mihi est opus amicitia tua, si quæ rogo non facis?* Respondit: *Imò quid mihi tua, si propter te aliquid inhonestè facturus sum?* ita Valer. Maximus lib. 6. c. 4.

Reges ne cui dent sui potestatem: cur?

Hoc præceptum cuilibet viro prudenti, sed maximè rectori, Prælato, principi & regi servandum. Hic enim, si quem sibi dominari permittat, utique nominetenus dumtaxat rex erit, nec reget, sed regetur ab eo: unde fiet, ut libertatem perdat, & subditorum invidiam odiaque sibi conciliet, ac resp. malè administretur ab eo, qui non communia reipub. sed privata sua lucra quærit & ambit. Porrò multi sunt, qui in principum animos sese insinuant, ut tandem habenas imperii nancisci, ac principibus dominari queant. Tales sunt maximè ambitiosi & politici, qui se suosque evehere student, ideoque per fas & nefas ad hoc contendunt. Quare subinde dum humana præsidia deficiunt, diabolica quærunt, ac per artes magicas & philtra principes incantant, ut ipsi quasi mente capti omnia eorum dicta factaque probent, atque ab eis eorumque consiliis, etiam pravis & noxiis, toti pendeant, & avelli nequeant: quin & eos ex imo in summas dignitates & prælaturas evehant, vel evehi curent; ut illis tecti gradu deiici, deprimi & puniri nequeant. Atque hæc est impiorum & diaboli fraus, qua reges & regna perdere satagit. Cùm enim politicus impius regit, impietas regit: cùm hæreticus vel atheus imperat, hæresis & atheismus imperat: cùm magus dominatur, dominatur diabolus, qui mago præsidet, quemque magus adorat & invocat, imò cui se suosque devovit & obstrinxit. Ipse ergo per eos quasi harpyas suas rempubl. expilat, depravat & subvertit. Verùm Deus, qui has eorum artes impias videt, tandem sternit perditque eos, ac efficit ut infames vivant, & infami morte, eaque sæpè violenta trucidentur, idque ab illis ipsis principibus, quibus in deliciis fuerant, uti periit Achitophel per Davidem, Aman per Assuerum, Sejanus per Tiberium, Ablavius per Constantium, Eutropius per Arcadium, & alii plurimi etiam nostro hoc sæculo. Quin & diabolus ex pacto eorum animas & corpora possidens, actus odio immani, quo in Deum, ejusque creaturas, ac præsertim in homines universos flagrat, eos decipere, & infamem ruinam mox callidè præcipitare solet: uti hoc sæculo variis locis sæpiùs factum vidimus, & in dies videmus. Caveant ergo à talibus principes, neminemque eorum sibi imperare & dominari permittant, nisi certam sui suorumque perniciem expectare & spectare velint. Consiliarios verò sibi adsciscant eos solos, quos certò sciunt orthodoxos & probos esse, ac integræ famæ & vitæ, nec suis, sed principis & reip. commodis studere: neque facilè uni se credant, sed plures audiant & sequantur.

Reges decet regere non regi.

Ita Alfonsus Aragonum rex, regum gloria, & sapientiæ exemplar, perabsurdum sibi videri dicebat, reges ab aliis regi, & duces ab aliis duci. Notabatque principes & magnates, qui cùm imperii & principatus titulos sibi vendicent, alieno tamen consilio reguntur, etiam nolentes: quo fit, ut sæpè cum magno reipub. incommodo alienis oculis videant, alienis auribus audiant, alienis linguis loquantur. Et sic nihil minùs sunt quàm Imperatores, qui à consiliorum arbitrio ita pendent, ut planè horum sint mancipia. Ita refert Panormit. lib. 2. de Gestis Alfonsi.

VERS. 21 DUM ADHUC SUPERES ET ASPIRAS, NON IMMUTABIT TE OMNIS CARO] q. d. Dum vivis & es superstes, dum spiritus vitalis in te est, fac ut non immutet te tuumque animum, scilicet ab eo, quod te proximè docui; *omnis caro*, id est, omnis homo, q. d. Nec frater, nec filius, nec ullus homo tuum sensum invertat, ut contrà quàm monui, alii te substernas, ac bona tua illis in vita cedas. Græca jam habent, *μὴ ἀλλάξῃς σεαυτὸν πάσῃ σαρκί*, id est, *non alienes*, vel *non emancipes teipsum omni carni*, hoc est, nulli homini te subiicias; alii, *non permutes teipsum cum ullo homine*; Tigurina, *dum vivis, &* A *spiritus ullus tibi superérit, ne te cuiquam mortalium emancipes*; Syrus, *donec vivis & spiritus est in te, ne des potestatem super te omnis carni.* Noster legit, *ἀλλάξῃ σε πᾶσα σάρξ*, id est, non immutabit, vel non immutet te omnis caro. Rationem subdit dicens:

MELIUS EST ENIM, UT FILII TUI TE ROGENT, QUAM TE RESPICERE IN MANUS FILIORUM TUORUM] q. d. Satius tibi est, ut filii pendeant à te, quàm tu à filiis: ut ipsi postulent necessaria à te, quàm tu ab ipsis. Filii enim intenti ut se suamque familiam alant & augeant, facilè obliviscuntur parentum, ac sæpè unus in alium curam eorum transcribit. Unde Complut. habent, *præstat filios indigere tui, quàm te aspicere ad manus filiorum*: sicut respiciunt canes famelici ad manus heri, ut is ossa sua ipsis proiiciat, hoc est, ut alii vertunt: præstat illos tibi supplicare & mendicare, quàm te ipsis. Syrus, *ne des aliis divitias tuas, ut exigas & quæras ab eis: quia melius est ut petant à te filii tui, quàm ut tu petas ab eis*. Idem monitum Æsopus B Mythologorum princeps dedit Enno filio suo; *Quotidie*, inquit, *in diem crastinum reconde: melius enim mortuum inimicis relinquere, quàm viventem amicorum indigere*. Ita Planudes in Vita Æsopi. VERS. 22

Nota est historia patris, qui cùm omnia sua in filios distribuisset, ab omnibus desertus & inops factus, hac arte à filiis alimoniam extorsit: cistam implevit lapidibus, finxitque in ea se reposuisse thesaurum ingentem: quare ut ejus heres institueretur, quisque filius parentem donis & beneficiis sibi devincire satagebat. Ita lautè vixit parens, & fraudem fraude delusit. Eo enim mortuo filii studiosè scrutantes cistam, in ea nil nisi lapides repererunt.

IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS PRÆCELLENS ESTO. NE DEDERIS MACULAM IN GLORIA TUA] Ita Romana, licet alii legant *in gloriam tuam*; Syrus, *in honore tuo*; alii, *ne imponas labem gloriæ tuæ*; Tigurina, *in omnibus negotiis tuis teneas principatum, ut ne famæ tuæ maculam imprimas*. Unde Lyranus, Palacius, Jansenius & alii Pr mò, hunc appositum & genuinum dant sensum: In omnibus negotiis vitæ tuæ esto rerum tuarum C dominus, ut tibi alii, non tu aliis subiiciaris, ne hanc dominii gloriam obnubiles per maculam vel inopiæ, qua cogaris ab aliis turpiter mendicare, quę prior ipsis dedisti; vel imprudentiæ, quòd tua aliis dederis, quasi ipse non potueris ea prudenter administrare, quodque eos tibi dominari permiseris, & te eorum quasi servum effeceris. Parentibus enim rerum suarum prodigis, vel delirantibus, solet à magistratu bonis interdici, eorumque administratio in filios vel curatores transferri. VERS. 23 VERS. 24

Unde Rabanus ex S. Gregorio, more suo hæc mysticè adaptans pastoribus, principibus & Prælatis: *Hæc omnis ratio*, inquit, *& patres historialiter docet, quomodo filiis suis ritè præsint, & cum disciplina illos nutriant, quousque ad perfectam ætatem venerint, ut digni heredes parentum suorum post discessum illorum possint existere: & rectores Ecclesiæ spiritualiter instruit, ut dignitatem ordinis sui cum authoritate rationabili, & justo moderamine usque ad finem teneant: & sic bene enutritos discipulos, utiles heredes sui laboris relinquant. Deinde docet, quomodo in vitæ instituto se* D *æquales subditis exibere, & tamen à peccantibus zelo ultionis anteferre debeant. Qua occasione subdit aureum pro Prelatorum vita documentum, dicens: Solerter quippe intuendum, ne, dum immoderatiùs custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis: & dum Prelatus quisque plus se quàm decet deiicit, subditorum vitam stringere sub disciplinæ vinculo non possit. Teneant ergo rectores exteriùs, quod pro aliorum utilitate suscipiunt: servent interiùs, quod de sua æstimatione pertimescunt; sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus, eos apud se humiles etiam subjecti deprehendant, quatenus & in authoritate eorum, quod formidant, videant, & de humilitate, quod imitentur, agnoscant. Studeant igitur sine intermissione qui præsunt, ut eorum potentia quanto magna exteriùs cernitur, tanto apud eos interiùs deprimatur: ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animum rapiat, ne jam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit. Inter hypocritas enim jure deputatur, qui ex similitudine disciplinæ ministerium regiminis vertit in usum dominationis; & tamen nonnunquam graviùs delinquitur, si inter perversos plus equalitas quàm disciplina custoditur. Quia enim falsa pietate superatus ferire Heli delinquẽtes*

filios noluit, apud districtum judicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Proinde rectores & magistri Ecclesiæ ritè ordinem suum teneant, & cum disciplina subditos sibi regant atque custodiant; ut dum bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirant, & regnum æternum pro bonis meritis Christo tribuente in fine vitæ suscipiant.

Secundò, potest hæc sententia cum Jansenio generaliùs accipi. q.d. In omnibus quæ agis, *præcellentem*, id est, præcipuum & quasi choragum, magistrum & dominum te præsta, nec aliis committas quę gerenda sunt, ita ut ipsi operum sint duces, & eorum arbitrio omnia geras.

Tertiò, propriè & amplissimè, ut sonat, hæc sententia accipi potest. Græcum enim ὑπερέχων, idem est quod superans, excellens, eximius. q.d. In omnibus operibus tuis esto excellens & eximius, ut omnia etiam minima facias exactè, perfectè & eximiè, ut ne vel in minimo ob gratiam vel metum hominum à recto & perfecto devies; sed timori, gratiæ, ceterisque passionibus dominans, sequaris & facias id in qualibet re, quod honestius, sanctius, excellentius, Deoque gratius est. Quare esto eximius in prudenter administrandis bonis tuis (hujus enim occasione & respectu hanc sententiam generalem hic intexit, illique adaptat Siracides) nec cedas filiorum vel amicorum precibus vel minis, ut bona tua eis cedas ante mortem; aut aliud quid simile minùs te dignum, vile vel abjectum committas. Similiter fac excellenter & eximiè cetera opera tua, ut, si doceas, excellenter doceas: si studeas, excellenter studeas: si concioneris, excellenter concioneris: si ores, excellenter ores: si comedas, ita sobriè, decenter & eximiè comedas, ut hominibus ceteris præstare videaris, uti nostra ætate fecit Gregorius XIII. Pontifex, & ita de ceteris.

NE DEDERIS MACULAM IN GLORIA TUA] ut operi, quod excellenter fecisti aut facis, admisceas aliquid minùs decens vel probum, quod illud commaculet vel dedecoret; sicut Salomon, qui in juventute eximius fuit in sapientia omnique virtute regali; in senectute verò per mulieres seductus desipuit, & idola colens magnam dedit maculam in gloriam suam, Eccli. c. 47. 22.

Ex adverso Eleazarus senex maluit mori quàm comedere carnem porcinam lege vetitam: *Ne per hoc*, inquit, *maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram*, 2. Machab. 6. 25. Hoc est, quod orat regius Psaltes psal. 50. *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, (S. Hieron. *Jesu tui*) & *spiritu principali confirma me*. *Principali*, id est, præcipuo, primario; S. Hieron. *potenti*; Hebr. נדיבה *nediba*; Græcè, ἡγεμονικῷ, id est, Primò, spiritu principe, qui principem & regem decet: qualis erat David. Secundò, spiritu, qui quasi princeps in anima principetur & dominetur libidini, vitiis & concupiscentiis. Ita S. Hieron. Tertiò, qui me præveniens quasi princeps præeat omnes actiones meas, easque faciat eximias, principes & regias. Potest quartò, *nediba* cum Tigurina verti *voluntario*, spontaneo, liberali, benefico, qui scilicet suis donis me efficiat liberè ac sponte ire, imò currere viam Domini, liberalem esse in omnes, Deo per omnia plenè obedire, tentationibus alacriter resistere, crucem quamlibet fortiter sustinere. Symbolicè S. Hieron. Spiritus principalis, inquit, est Deus Pater; Spiritus rectus est Deus Filius, Spiritus sanctus est ipse Spiritus sanctus. Meliùs S. Gregor. in psalm. 50. Spiritus sanctus (inquit) est principalis, est rectus, est sanctus. Hic est, qui nos impellit & elevat, ut faciamus opera excellentia, heroica, & quæ naturam communemque aliorum Sanctorum mensuram superant. Unde quoties Samson facturus erat opus aliquod excellens fortitudinis, præmittitur: *Irruit spiritus Domini in Samson*, ut patet Judic. 14. v. 6. & 19. & c. 15. 14. Hic ergo Spiritus sanctus assiduè invocandus est illi, qui heroica vult edere virtutum opera.

Spiritus principalis quadruplex.

Huic sententiæ convenit illa cap. 31. 27. *In omnibus operibus tuis esto velox*, Græcè ἐντρεχής, id est strenuus, agilis, acer, *& omnis infirmitas non occurret tibi*. Quam sententiam in se generalem Siracides adaptat conviviis, ut in iis conviva velociter & resolutè congruo tempore surgat, domumque abeat: hic τὸ *In omnibus operibus tuis præcellens esto*, adaptat administrationi bonorum.

Modus faciendi omnia

Modum excellenter faciendi singula opera suggerit noster Ludov. de Puente de Christ. perfect. tract. 4. cap. 15. nimirum si singulis addas sex alas Seraphim, quibus evolent in cœlum, quæ sunt: *memoria præsentiæ Dei* ubique existentis, & quid cogites, loquaris aut facias aspicientis: *pura majoris ipsius gloriæ intentio*, studendo in omnibus quæ facis, illi placere, ejusque divinam voluntatem semper exequi, eò quòd sit summè bonus: *oratio*, quę tuis operibus det initium; eaque comitetur petendo divinum auxilium; ut cum ea perfectione quam ipse *præcipit* ac consulit, ea exequaris: *fiducia in Deum*, à quo omne bonum tuum dependet, de cujus omnipotentia speres quòd adjuvabit tuam imbecillitatem; de ejus misericordia, quòd compatietur tuæ miseriæ; de fidelitate, quòd in tuis tentationibus & periculis te proteget; de providentia, quòd te in omnibus viis tuis deducet. Et hinc duæ ultimæ alæ oriuntur: *fortitudo*, scilicet, in arduis rebus aggrediendis, abjecto omni difficultatum metu: & *perseverantia* usque ad finem operum inchoatorum, tolerando patienter quascumque occurrentes molestias. Nam, ut Isaias dixit, *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem*, recentem, scilicet, aliam præstantiorem, induentes: *assument pennas sicut aquilæ*, ut spiritu volent, suaque opera à terra ad cœlum exaltent: *current, & non laborabunt*, propter delectationem, qua Deus illorum corda dilatat *in via divinorum mandatorum: ambulabunt & non deficient*, sed perseverabunt in operibus obsequii ejus, donec gloriæ coronam obtineant.

excellenter.

Isa. 40. 31.

Moraliter, hinc discat vir sapiens, in omnibus operibus suis præcellere, ut, scilicet, ea, licet in se parva, faciat excellenter; sic enim ex exilibus faciet eximia: eximium enim est in omni re, quantumvis parva, excellere. Hinc excellens grammaticus pluris fit quàm mediocris orator aut philosophus. Excellentia enim est quid eximium, quod suo fulgore omnium oculos pręstringit & rapit. *Satius est*, ait Plato in Theęteto, *bene agere aliquid exiguum quàm multa perfunctoriè*. Nam τὸ εὖ μέγα est, non contrà. q.d. Magnum est omne, quod bene fit: non autem omne, quod magnum est, bene fit; nec ideò eximium, quia magnum.

Moral. fac omnia tua excellenter.

Stimulus ad hoc acer est; si cogites, *Semel dictum & factum ęternum esse*: quod enim semel dictum aut factum est, irrevocabile est, & indictum aut infectum fieri nequit: sed dictum & factum manet, manebitque per omnem æternitatem. Æternum ergo evadit; ut, si bonum & excellens sit, de eo gavisurus sis in æternum, & ęternam laudem ac gloriam adepturus; sin malum, aut mancum & diminutum, de eo dolebis & pœnitebit te in æternum, ac æternam ignominiam & pœnam subibis. Ante singulas ergo actiones cogita: *Æternitati operor: Æternitati vivo:* operabor ergo & vivam excellenter, ut pingam in anima mea, imò in toto orbe, imaginem, imò ideam virtutis, quam in æternum laudent Deus, Angeli & homines. Zeuxis pictor rogatus, cur tam morosè & exactè pingeret? respondit: *Pingo æternitati*, teste Plinio lib. 35. c. 9. 10. & Plutarcho in Pericle. Idem potiùs dicat sibi fidelis & sanctus: En optio mihi datur in omnibus operibus, verbis, cogitationibus eximiam pingere virtutis, aut deformem vitii imaginem: pingam virtutis, ut velut stellæ luceant mihi in cœlo cum jucunditate opera mea; non vitii, quam damnabit & æterno igne cremabit justitia divina: *pingam æternitati*, operabor ita excellenter, uti per omnem æternitatem optabo me operatum fuisse: cogitabo, agam, loquar, uti in æternum optabo, & gaudebo me cogitasse, egisse, locutum esse. Nam *æternorum bonorum immensa & infinita retributio est*, ait S. Hilar. in psalm. 118. littera *Het*. Additque: *Patens Deo est fidelis pectoris & ampla possessio, ut inhabitet & inambulet*, &c. *Ut simus Dei habitatio. Et dum in nobis ambulat, fit nobis ipse possessio: in sæculum relinquamus, si possessioni terrenæ labili renuntiemus, si hereditatem caducorum respuamus, si viventes de sæculo exeamus.*

Stimulus ad hoc primus.

Secundus stimulus est, si cogites excellentiam & immensitatem majestatis divinæ: huic enim tam præcellenti, non nisi eximia & præcellentia opera offerenda sunt: talia enim ipse cupit & desiderat, plurisque facit unum opus eximium quàm decem vulgaria. Si principibus & regibus serviunt aulici adeò exactè & eximiè, ut nil desiderari queat: quanta perfectione serviendum est Regi regum & Domino dominantium? Quocirca B. Teresia vovit Deo se in qualibet re facturam id, quod foret optimum & excellentissimum. Ita S. Mechtildis loquebatur angelicè,

Secundus.

licè, ut non hominem, sed Angelum in ea loquentem te audire putares. Ita SS. Athanasius, Basilius, Augustinus, Hieron. Antonius, Bernardus, Dominicus, Franciscus, ceterique eximii Sancti sua omnia agebant modo quodam supra homines elevato, ut non tam homines, quàm Angeli esse viderentur: nimirum *vivebant, ut numina: loquebantur ut oracula*; & quod de S. Basilio scribit S. Greg. Nazianz. *Sermo eorum erat tonitru, quia vita erat fulmen.*

Tertius.

Tertius stimulus est, quem suis moriturus dedit S Antonius, & Barlaam Josaphat regi apud Damasc. in Historia, scilicet, si quotidie dum surgis, cogites, illum diem forte tibi fore ultimum: ac proinde seriò proponas, singula illius diei opera ita exactè facere, ac si ultima sint futura, ut ea Christo judici mox affuturo sistere, de iisque judicari audeas, ac salvari speres & gaudeas. Manè ergo præmeditatum habe: *Hodie incipiam servire Deo, hodie & finiam. Nolo ergo degenerare à præcelsis cogitationibus filiorum Dei. Metiar actiones meas magna mensura magnorum & heroum.* Huc facit illud Senecæ documentum: *Ite contra opinionem vulgi, sicut stellæ ab Occidente in Orientem.* Et illud: *Minima non negligenda, sed maximi sunt facienda;* tum, quia à minimis fit progressus ad maxima; tum, *quia natura nusquam magis quàm in minimis tota est*, ait Plinius lib. 11. c. 2. Ita S. Gregor. Nazianz. in carmine ad Nicobulum docet, quemque se magna mensura meriti debere, hoc est, ad magna aspirare:

Gnomæ Patrum.

At se mensura magna, magno ac pede debet
Metiri quicumque sapit; præstatque secundas
Ferre inter magnos, quàm primas inter egentes.
Non secùs ac tenues altè volitare per auras
Infra aquilas, supra quàm ferri præstat alaudas.

Et ut idem ait epist. 57. ad Eudoxium: *Ne sustineas inter graculos excellere, cùm aquila esse possis.* Præclarum est enim præstantissima quæque consectantem, in secundis tertiisque consistere. Idem Nazianz. in Distinch. *Age*, inquit, *deserto hoc mundo, mundique sarcinis excussis ad cœlestem vitam vela pande; atque omnia quidem egregia opera, ut Deo dignum est, exequere: sed præsertim tibi Trinitas curæ sit.* Idem alibi ait, *nos festivitates agere, si in actionibus nostris exsplendescamus*, faciendo, scilicet, eas præ aliis illustres & splendidas. S Cyprianus de Singular. Cleric. *Sanctum*, ait, *non est, quod geritur sanctum: nisi sanctè quod sanctum est peragatur.* S. August. in psalm. 34. in fine, *Tota*, ait, *die lauda Deum. Quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum.* Axioma S. Bernardi fuit, quod recitat Gerson dialog. Franc. & Ang. tom. 2. *Deum non remunerari Verba, sed Adverbia*, id est, non habere rationem quid agamus, sed quàm bene & præclarè. S. Basilius sermon. de Abdic. rerum sancit: *Assignato tibi ministerio sedulò fungitor, perinde ac si Christo ipsi ministrares.* Quin & Apulejus de Deo Socratis: *Nihil*, ait, *est similius & gratius Deo, quàm perfecta anima: bonus, qui in tantum ceteros homines excellit, quantum ipse à diis immortalibus excellitur.* Huc facit symbolum Pythagoræ: *In poculi fundo residuum ne relinquito: hoc est, Artes quas cœperis, funditus exhaurito.* Et illud ejusdem: *Super modio ne consistas: hoc est, Noli mediocribus & moderatis esse contentus, sed ad summa enitere. Chœnici ne insideas: id est, Non tantùm præsentis, sed & futuri curam habe.* Est enim chœnix mensura escæ diurnæ.

IN DIE CONSUMMATIONIS DIERUM VITÆ TUÆ, ET IN TEMPORE EXITUS TUI DISTRIBUE HEREDITATEM TUAM] q. d. Instante morte distribue bona tua filiis vel amicis, aut pauperibus, sive ea inter ipsos actu dispertiendo, sive condendo testamentum, in quo illa jubeas distribui. Tigurina, *tempore dierum vitæ tuæ finiendorum, cùm tibi moriendum erit, hereditatem distribue*; alii, *in die* (in tempore) *quo finientur dies vitæ tuæ, & in tempore mortis distribue hereditatem*; Syrus *in tempore, quo consummabitur, numerus dierum tuorum, & in die mortis tuæ heredes constitue opum tuarum filios tuos*, ne illæ ad exteros deveniant.

Dices, Hæc sententia videtur contraria illi Christi: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, Matth. 19. quam sequuntur & practicant omnes Religiosi. Resp. non esse contrariam, sed subalternam: Siracides enim prudenter jubet bona non dari filiis vel amicis ante mortem; sed Christus suadet ea dari pauperibus studio eleemosynæ & virtutis: Siracides Judæos instruit, Christus Christianos: Siracides vulgarem vivendi modum rudi evo præscribit, Christus perfectionis apicem per paupertatis Evangelicæ consilium, cujus incapaces erant carnales Judæi, Apostolis eorumque asseclis sancit.

Denique rectè Palacius: Nota inquit, aliud esse ex charitate, & fiducia Dei cuncta relinquere; quod Evangelium consulit, & viri perfecti fecerunt; aliud, ex humana amicitia & fiducia bona alicui dare; quod Ecclesiasticus prohibet, & quod qui fecerunt, pœnitentia ducti doluerunt. Nota etiam, diversum esse tempus Evangelii & veteris legis. In hac felicitas erat, divitem ac dominum esse, dabaturque felicitas hæc operibus bonis; in illo verò felicitas est, temporalibus carere, divinis solis inhærere.

CIBARIA, ET VIRGA, ET ONUS ASINO: PANIS, ET DISCIPLINA, ET OPUS SERVO] A filiis transit ad servos & mancipia, qualia olim erant apud Judæos & Gentes; jam verò apud Christianos servi vocantur famuli, qui operas suas hero elocant: unde propriè non servi sunt, sed liberi, operarii & mercenarii. Hinc servos comparat asinis q. d. Tria debet herus asino, scilicet, cibum, virgam & onus: eadem debet servo, scilicet panem, disciplinam & opus. Servi ergo regendi sunt quasi asini. Pro *cibaria* Græcè est χορτάσματα, id est, pabula fœni. Pro fœnatione ergo, inquit Jansenius, quæ asino debetur, tribuitur servo *panis*, hoc est, cibus necessarius & non delicatus. Pro *virga*, quæ asino debetur, tribuitur servo *disciplina*, hoc est, castigatio & correptio. Pro *onere*, quo gravantur asini, tribuitur servo *opus*, quo premendus est, & in officio continendus. Sensus ergo est: Sicut fœnatio & virga & onus convenit asino, sic panis & disciplina & opus servo. Et Aristotel. scribit servis deberi ἔργα, κόλασιν, τροφήν. Hinc asinus apud Hebræos teste Aldrovando de Quadrup. cap. 1. symbolum est discipuli & disciplinæ, quod asini in morem multa perferre debeat. Hinc Ammonius Alexandr. præceptor Origenis & Porphyrii, eis asinum velut condiscipulum fertur adhibuisse. Ac Cleanthes asini nomen non erubuit: *Asinus quidem sum*, inquit, *sed qui portare possum sarcinam Zenonis.* Quin & Psaltes: *Ut jumentum*, inquit, *factus sum apud te*, psalm. 72. v. 22. Tigurina vertit, *ut pabula, virga & onera asino conveniunt: ita cibaria & castigatio & opus servo*; Syrus; *pabulum & flagellum & opus asino: & disciplina, & panis, opus servo.* Panis necessarius est ad vitam & robur laborandi, *disciplina* ad compescendam lasciviam, *opus* ad fugandam desidiam; *panis* ad victum, *disciplina* ad castitatem, *opus* ad frugem. Hinc faciunt axiomata Aristot. de servo & hero in libr. Œconom. *Oportet servo dare opera & victum sufficientem. Priùs decet dominum expergisci quàm servum, & posteriùs ire cubitum. Quod magis impinguat equum, est oculus domini. Et sterquilinium quod agro est optimum, vestigia domini. Quanto quis diligentiùs obsequitur, tanto majorem gratiam obtinebit. Unusquisque pergraviter fert honore suo privari.*

Vers. 25. Servi regendi uti asini.

Asinus typus discipuli: cur?

Rectè servus sive mancipium comparatur asino: quia sæpè stolidus, hebes, tardus & durus est instar asini, cujus caput sua figura prodit ejus stoliditatem, tarditatem & duritiem. Qua de re extat acutum ænigma, vel potiùs epigramma asini:

Ungue equus, aure lepus, leo voce, lupusque colore
Censetur, toto sed capite est asinus.

Ænigma asini.

Tritum est illud vulgi:

Nux, asinus, mulier simili sunt lege ligata:
Hæc tria nil rectè faciunt, si verbera cessent.

Unde Cujacius Jurisconsultus inter alias causas, cur servi in Jure capite diminuti dicuntur Instit. de capitis dimin. & l. 2. §. 1. ff de capit. diminut. etiam hanc affert: *Servi*, inquit, *etiam ob amissam libertatem capite diminuti dicuntur, quia velut ratione & consilio privati proprio, coguntur aliena ratione & consiliis agere & vivere.* Et Salomon Proverb. 29. 19. *Servus*, inquit, *verbis non potest erudiri: quia quod dicis, intelligit, & respondere contemnit.* Servum intellige, qui servili, duro & rebelli est ingenio.

Huc faciunt gnomæ Philosophorum. Euripides in Antiope: *Numquam*, inquit, *oportet servum ingenua studia tractare, nec otium sequi.* Studia enim servos faciunt superbos, etsi non rarò sint indociles; otia pigros & fures. Idem in Alexandro: *Usque adeò malum est servorum genus. Nihil præter ventrem sunt, nec quidquam futurum prospiciunt.* Theognidas: *Numquam rectum est servile caput,*

sed

sed semper intortum & obliquum collum habet. Democritus: *Servis, ut partibus corporis, alio ad aliud uteris.* Plato lib. 6. de Legibus, docet à servis orta piratarum furta & latrocinia.

Mysticè. Corpus est servus animæ.

Mysticè, animæ servus & asinus est corpus cui: tria debentur, scilicet vulgaris cibus, castigatio & opus. Ita S. Franciscus suum corpus vocabat fratrem asinum, & tractabat ut asinum, quia cogebat illud portare onera gravia laborum & pœnitentiarum, ac comedere parum, & cibos vulgares & viles. Præclarè S. Laurent. Justin. in Ligno vitæ, tract. de Sobrietate c. 3. *Sæpè*, inquit, *dum in carne hostem insequimur, etiam civem, quem diligimus, trucidamus; & plerumque dum quasi concivi compatimur, ad prælium hostem nutrimus: si ergo nobis nimius & immoderatus fervor persuadeat, ut carni necessaria alimenta subtrahamus, dicendum est illi, quod quidam dixit ad Jacob: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis*, 2. Reg. 18.

Religiosus est asina Christi.

Et S. Bernard. serm. 1. de ramis palmarum, docet Religiosum mysticè esse asinam cui insedit Christus, hancque magna esse dignitatem. Primò, quia proximè tangit Christum, Secundò, quia totum se impendit & expendit ejus obsequio; Tertiò, quia Christum portat; Quartò, quia eum intra se habet, & ad alios etiam circumfert. Quare suos monasterii alumnos ita cum jubilo alloquitur: *Silendum mihi est, ut elationem caveatis: an magis loquar, ut consolationem habeatis? Jumentum, cui insidet Christus, nonnè vos estis, juxta præceptum Apostoli, glorificantes & portantes Deum in corporibus vestris?* Idem in Doctrina sive modo vivendi in monasterio: *Cùm aliquid*, inquit, *rogaturus à Priore veneris, præpara te ad repulsam semper: & si contigerit negari tibi quod postulas, dic apud te: Quid decebat asellum nisi frænum & stimulus? Ego nihil propriè in domo ista vendicare possum, nisi cilicium & crucem: cilicium in morte, & crucem in fossa. Hæc est hereditas mea, ita tamen, ut modica gleba terræ crucem cooperiat.* Nota est vox senioris in Vitis Patrum: *Ego & asinus unum sumus;* qua se comparabat ad omnem omnium tolerantiam.

Exempla.

In Chronicis S. Francisci celebris est B. Jacoponus, qui cùm in sæculo esset vir nobilis ingenio, scientia, officio, subito uxoris in nuptiis ruina tabulati oppressæ interitu perculsus & compunctus statuit sæculo renuntiare, ac postulans habitum S. Francisci, à fratribus audiit: *Si inter nos vis vivere, asinus fias oportet, ut quasi asinus inter asinos degas.* Illicò ergo asini pellem induit, ac manibus pedibusque reptans: *En*, inquit, *fratres, asinus sum, asinum inter asinos admittite.* Admissus speculum fuit humilitatis, mortificationis, charitatis, omniumque virtutum. Exstat ejus Vita heroicis virtutibus referta.

Asini simbola.

Symbol. Asini patientia, ait Aldrovandus in Asino, docet homines; ut suam quisque sortem, ac quod præsens & præ manu est, fideliter ac diligenter agat, & ut sua quisque fortuna contentus vivat; neque labores, modò honesti sint, etsi digna præmia non sequantur, recuset. Sicut & in suo asino laborioso monet Stigelius:

Sis asinus, quemcumque asinum sors aspera fecit:
Qui sortem placidè ferre scit, ille sapit.

Et illud: *Si equum non potes, asinum agas.* Porrò asinus etsi omnium judicio vilis habeatur & miserrimus, homine tamen ipso est beatior, quia ipse miseriam sibi non parit, quod facit homo, ut antiquissimus Menander ait.

Apologi.

Addit Aldrovandus duos in hanc rem apologos. Prior est. Asinus equum beatum putabat, quòd abundanter nutriretur & accuratè, cùm ipse neque palearum satis haberet, præsertimque defatigatus. Cùm autem tempus institit belli, & miles armatum ascendit equum, huc illuc ipsum impellendo, quin & in medios hostes insiliit, equus vulneratus succubuit. His visis, asinus equum mutata sententia miserum existimabat. Fabula significat, non oportere principes & divites imitari; sed in illis, invidia & periculo consideratis, paupertatem amare. Posterior: Asinus serviens olitori quoniam parum comedebat, plurimùm laborabat, precabatur Jovem, ut ab olitore liberatus, alteri venderetur domino. Cùm Jupiter exoratus, jussisset ipsum figulo vendi, iterum iniquiore animo perferebat quàm priùs onera & cœnum & tegulas ferre. Rursus igitur, ut mutaret dominum rogavit, & coriario venundatus est. Pejorem itaque prioribus herum nactus, videns quæ ab eo fierent, suspirando ait: *Hei mihi misero: melius mihi erat apud priores heros manere;* hic enim, ut video, & pellem meam operabitur. Fabula indicat, tunc maximè priores dominos à famulis expeti, cùm de secundis periculum fecerint. Subdit deinde tertium apologum in eamdem rem ex Æneа Silvio, quem, quia longior est, apud eum vide, si lubet. Unde concludit: *Quod fatale est, incurabile est.* Sua ergo sorte quisque contentus vivat, ut felix & beatus sit. Asini sors est onera ferre, æquè ac servi servire. Hinc Isidorus lib. 12. Etimolog. asinum & asellum dici asserit à sedendo, quasi assedum, quòd homines priusquam equis uterentur, asinis insiderent. Græci ὄνον vocant ab ὀνῆσαι, quasi jumentum à juvando, quòd nostra opera juvet.

OPERATUR IN DISCIPLINA, ET QUÆRIT REQUIESCERE: LAXA MANUS ILLI, ET QUÆRIT LIBERTATEM] Græca Romana & Tigurina pro *operatur* habent ἔργασαι, id est, *operare*, & pro παιδείᾳ, id est, *disciplina*, habent παιδί, id est, *puero sive servo;* ac pro ζητεῖν, id est, *quæret*, legunt εὑρήσεις, id est, *invenies*. Unde sic legunt, *operare in puero* vel *servo, & invenies requiem:* q. d. Si servum opere imposito occupes & exerceas, erit tibi cum eo requies; sin autem eum otiari permittas, creabit tibi molestias. Hoc est enim, quod per antithesim subdit: *Laxa manus illi, & quærit libertatem.* Unde aliqui ex Græco ita clarè vertunt, *exerce servum tuum in opere, & invenies requiem: remitte manum ejus & quæret libertatem.* Verùm Noster legit ἐργάζεται, id est, *operatur:* & παιδείᾳ, id est, *disciplina:* & ζητεῖ, id est, *quæret.* Sic quoque legunt Græca Complut. nisi quòd retinent ἐργάσαι, id est, operare. Sed eodem ferè redit sensus: *operare* enim hic sumitur in conjugatione *hiphil* pro *fac* vel *compelle eum ut operetur*, scilicet, per disciplinam & castigationem. Fieri potuit ut utroque modo scripserit Siracides: quia utrumque verum & congruum, & utrumque in probatis codicibus exstat: atque una lectio cohæret & subordinatur alteri: requies enim servi est requies heri: dum enim servus operibus fatigatus anhelat ad requiem, non cogitat de rebellione contra herum. Sic nos ipsi dum nostra scribimus, cudimus & recudimus, eamdem sententiam subinde immutamus, alterque & aliter efferimus. Quocirca in Script. subinde eadem sententia varias habet non tantùm versiones & expositiones, sed & lectiones, uti ostendi can. 8. rerum in Epist. S. Pauli.

Vers. 26

Jam Primò, nostram lectionem sic explicat Lyranus, q. d. Servus operatur quamdiu sub disciplina tenetur, & *quærit*, id est, si quærat requiem à laboribus sine causa rationabili. Secundò, noster Emmanuel Sà, q. d. Servus etiam dum per disciplinam & castigationem cogitur operari, quærit otium & requiem: quid ergo faciet si laxes disciplinam? haud dubiè quæret libertatem, seu fugiet. Tertiò, Jansenius: Describit, inquit, conditionem & indolem servorum, videlicet quòd si per disciplinam & castigationem adigantur ad opera, quærunt requiescere ab operibus, conquerentes se nimium gravari: si verò otium eis permittatur, quærunt ulteriùs etiam libertatem, non contenti petita & adepta relaxatione. Significatur ergo non tam attendendum ad eorum petitiones, quàm ad id quod pro eorum conditione eis convenit imponere. Quartò, Palacius, q. d. Si delassaveris in disciplina servum, facies ut optet requiem, nec cogitet de libertate: sin autem ei manus ab opere relaxaveris, facies ut immeritò quærat libertatem. Sicut enim multum operis, labor & fatigatio nihil aliud quærere vel cogitare sinit, nisi requiem: sic otium & servus otiosus nihil aliud quàm libertatem meditatur & machinatur. Loquitur de servis perfectis, putà de mancipiis.

Hi tres ultimi sensus veri & congrui sunt, magis tamen nervosi magisque connexi sunt secundus & quartus: continent enim manifestam antithesim prioris hemistichii cum posteriore; simulque dant causam ejus quod præcessit, cur, scilicet castigatio & opus conveniat servo æquè ac asino: quia scilicet servus servili & asinino est ingenio & indole, quod non nisi otium & libertatem quærit; utrique autem medetur opus & castigatio. Opus enim non sinit cogitare nisi requiem: castigatio castigat tam otium quàm libertatem, cogitque laborare & servire. Unde Syrus breviter rem totam ita explicat: *Ne des illi requiem, & si extuleris caput ejus, quæret libertatem.* Sciebat hoc Pharao, qui proinde Hebræos, quos tractabat ut servos, operibus

bus opprimebat, ne cogitarent de libertate & egressu ex Ægypto: *Vacatis otio*, inquit, *& idcircò dicitis: Eamus, sacrificemus Domino. Ite ergò & operamini*, Exodi 5. 17.

Nota τὸ *laxa manus illi*, scilicet à manicis, hoc est, solve eum à manuum vinculis, quibus quasi servus constringitur. Origo enim servitutis & servorum fuit, quòd hostibus bello capitis vitam olim condonantes, eos servos efficiebant, itaque mortem in servitutem clementer commutabant. Inde servi dicti sunt *mancipia*, quasi in bello manu capta, ait Varro; hinc capta vinciebantur manicis: illas ergo hic laxari vetat Siracides. Rursum *laxa manus illi*, id est, remitte illi opera & labores, sine illum otiari, & fugiet vel ambiet libertatem. Tertiò, aliqui sic exponunt: *laxa illi manus*, id est, licentiam illi permitte, potestatem aliquam impende: illa enim insescatus servitutis jugum excutere, & libertatem affectare incipiet. Idem de servis fuit sensus Platonis dialog. 6. de Legibus: *Castigandi*, inquit, *cædendique semper jure sunt servi, neque ita monendi ut liberi, ne molliores fiant: allocutio omnis ad servos quodammodo imperium sit, neque jocus ullus cum ipsis habeatur; quod multi stultè facientes, dum dillicatiùs eos nutriunt, difficiliorem vitam, & sibi ad imperandum, & illis ad obediendum reddunt.*

Origo servitutis.

Vers. 27 JUGUM ET LORUM CURVANT COLLUM DURUM, ET SERVUM INCLINANT OPERATIONES
Vers. 28 ASSIDUAE. SERVO MALEVOLO TORTURA ET COMPEDES] Græca jam omittitur τὸ *& servum inclinant operationes assiduæ*. Unde breviter sic legunt, & servi compedes cum jugo asini componunt: *Jugum & lorum cervicem subigunt, nervus & tormenta servum malitiosum*; alii, *jugum & lorum flectunt cervicem, & servo malefico conveniunt tormenta & cruciatus quæstionum*. Verùm nostra lectio uti brevior & plenior, sic & aptior veriorque est. Aptiùs enim jugum cum operatione & labore, quàm cùm tortura confertur: torturæ enim servi magis respondet flagellum & scutica asini. Sensus ergo est q.d. Sicut collum lascivientis & indomiti bovis, equi, asini vel bubali domatur jugo & loro, ut aurigæ obediat, vehatque onera sibi ab eo imposita: sic quoque servi duritia & pigritia frangitur opere assiduo. At verò si servus sit non tantùm durus & pervicax, sed & malevolus, Græcè [illegible], id est, maleficus vel malitiosus, scilicet qui furetur, aut alios verberet; vel aliter hero & familiæ noceat, aliaque mala machinetur; hic non tantùm opere assiduo exercendus, sed & compedibus ac tortura coercendus, examinandus & puniendus est.

Servorũ pœna. De priscis servorum pœnis vide Rodiginus libr. 25. cap. 22. omnes complexus est Plautus in Asinar. actu 3. scena 3.

Scapularum confidentia, virtute ulmorum freti,
Ad cursum stimulos, laminas, crucesque compedesque,
Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, bojas,
Tortoresque acerrimos, &c.

Vers. 29 MITTE ILLUM IN OPERATIONEM, NE VACET: MULTA ENIM MALITIAM DOCUIT OTIOSITAS] Tigurina, *mitte illum in opus, ne otietur: otium enim multa vitia docuit*; alii, *conjice* (Græcè enim est [illegible]) *ipsum in opus, ne otietur: multa enim mala docet otium*; Syrus, *operare in servo tuo* (hoc est, operari fac servum tuum, vel, opus facito per servum tuum) *ne rebellet: quia multa mala facit otium*. Mens enim hominis otiosa esse nequit; quare si honesto labore non occupetur, ad vana, inhonesta, carnalia, ad murmura, detractiones, aliaque scelera cogitanda & designanda deflectit. Sicut lapides molendini vento rotati si frumentum, quod molant, non habeant in seipsos agunt, seseque atterunt & comminuunt.

Moral. de vitãdo otio. Quocirca S. Hieron. monet Rusticum epist. 4. *Facito*, inquit, *aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum*. S. Ephrem in Cant. spirit. to. 2. *Qui amat otium*, inquit, *nunquam prosperabitur*. S. Chrysost. hom. 1. ad Popul. advertit, Adamum otiosum è Paradiso excidisse, Paulum verò in laboribus & ærumnis positum raptum fuisse in Paradisum & tertium cœlum. Idem homil. 35. in Acta: *Quomodo*, inquit, *non omnes talem* (otiosum) *condemnabunt, & amici, & domestici, & cognati? Quis autem non justè dicet: Onus hic terræ; frustra advenit in mundum talis: imò non frustra, sed in malum sui capitis, in damnum proprium, in detrimentum aliorum*. S. Basilius in cap. 1. Isaiæ:

A *Quomodo*, ait, *non odio prosequendum otium, quod formica & ape* (quæ laboriosæ & industriæ sunt) *pejorem efficit hominem? qui utique initio suæ conditionis positus in paradiso est, ut operaretur & custodiret illum*. S. Ambros. epist. 25. ad Vercell. loquens de Jacob & Esau, quorum hic otiosus erat, ille laboriosus: *Non otio*, inquit, *non somno merces paratur: nullum opus dormientis est, nullus fructus otii, imò magis dispendium. Otiosus Esau amisit primatus benedictionem*. Idem lib. de Cain & Abel c. 4. *Non dormientibus, non otiantibus, sed vigilantibus pollicentur præmia, & labori merces parata est*. S. Leo: *Non dormientibus provenit regnum cœlorum, nec otio & desidia torpentibus beatitudo æterna ingeritur*. S. Anselm. epist. 6 ad Cisterc. *Otiositatem*, inquit, *sicut rem inimicam animarum vestrarum: à vobis excludite, & unusquisque consideret, quia de singulis momentis vitæ nostræ reddituri sumus Deo rationem*. S. Bernard. de Consider. lib. 2. c. 13. *Fugienda*, inquit, *otiositas mater nugarum, noverca virtutum*. Petrus Blesensis in can. de instit. Episcopi: *Nullum tempus*, ait, *feriatum habeas: sed semper aut orationi, aut lectioni, aut alii honestatis studio te impendas*. Et in-

B feriùs: *Semper sis in exercitio Scripturarum, nullumque tempus te inveniat otiosum. Otium sine litteris est vivi hominis sepultura*. Plura vide apud Cassian. lib. 10. de Instit. renunt. cap. 8 & seq.

IN OPERA (ad opera) CONSTITUE EUM; SIC ENIM CONDECET ILLUM. QUOD SI NON OBAUDIERIT, CURVA ILLUM COMPEDIBUS] Clarè Tigurina, *adige eum ad opus, quod officium ejus postulat: & immorigerum suis grava compedibus*; Syrus, *quemadmodum convenit illi* (hoc est, quantum aptus est) *præfice eum domui tuæ: & nisi audierit te, multiplica vincula ejus*. Præclarè S. Laurent. Justin. in Ligno vitæ tract. de Timore c. 2. Nihil in sancto proposito, inquit, otio deteriùs: quod non solummodò non acquirit nova, sed etiam acquisita consumit. Sicut ergo otiositas est paupertatis spiritalis initium, ita honestæ occupationis assiduitas cælestium divitiarum est seminarium. Denique peccati Sodomæ occasio & causa fuit otium, ut ait Ezechiel cap. 16. 49. Vers. 30

C ET NON AMPLIFICES SUPER OMNEM CARNEM; VERUM SINE JUDICIO NIHIL FACIAS GRAVE] Moderatur quæ dixit, q.d. Dixi servum rebellem & maleficum castigandum operibus, compedibus & verberibus: nunc addo & moneo, ne tamen ampliùs hisce rebus in cujuspiam carnem sævias quàm par est; est enim *caro*, id est, fragilis & misera; sed adhibe judicium, crisin & discretionem in moderando opere & castigatione, ne æquo sit crudelior. Unde Græcè est, [illegible]. Quod Complut. vertunt, *& non abundes omni carni*; Roman. *non amplifices super omnem carnem*, id est, *ne sis nimius, ne nimium urgeas ac premas ullam carnem, ne quidem brutorum, nedum hominum*; Tigurina, *caveto tamen nimius esse in ullius corpus*; alii, *ne sis nimius in ullum hominem*; Syrus, *non autem sis super unumquemque, & præter legem ne feceris quidquam*.

Ex hoc Ecclesiastici præcepto desumpta videtur illa constitutio Justiniani Imp. de his qui sui vel alieni juris sunt, §. *In potestate*: ubi inter alia sic statuit: *Sed major asperitas dominorum ejusdem principis constitutione coerce-*

D *tur. Nam Antoninus consultus à quibusdam præsidibus provinciarum de his servis qui ad ædem sacram, vel ad statuas principum confugiunt, præcepit: ut, si intolerabilis videatur sævitia dominorum, cogantur servos suos bonis conditionibus vendere, & pretium dominis detur. Et rectè: expedit enim reipubl. ne sua re quis malè utatur*. Quærit ibidem Glossa, an liceat subinde servum nulla ejus culpa vel causa, hoc solo nomine quòd servus est, & ut servum se esse meminerit, vel modicè verberare? ac respondet affirmativè: Quia, inquit, diutina impunitas servum facit durum & contumacem, audaciam in eo alit, fastumque & spiritus adauget.

SI EST TIBI SERVUS FIDELIS, SIT TIBI QUASI ANIMA TUA: QUASI FRATREM TUUM SIC EUM TRACTA: QUONIAM IN SANGUINE ANIMAE COMPARASTI ILLUM] ita Roman. Glossa, Lyranus, & alii. Verùm Rabanus legit, *si est tibi servus bonus*; alii *si est tibi servus sensatus*; Syrus, *si verus* (id est, probus, qui se verè, ut servum decet, gerit) *est servus tuus*. Minus rectè ergo Jansenius contendit, τὸ *fidelis* esse delendum. Monet enim prudenter, servum Vers. 31

non

non infidelem & furacem, sed fidelem debere diligi & curari ab hero, *quasi animam suam*, id est, sicut seipsum. Unde Græca & Syrus habent, *si tibi servus est, sit tibi tamquam tu*; Tigurina vertit, *si tibi servus est, ut animam propriam foveas eum*; Romana, *tracta eum sicut teipsum*.

Porrò servus fidelis esse debet non tantùm in opere sibi injuncto, sed & in sermone ac silentio, ut sileat arcana heri, vel quæ herus sileri vult. Unde officium boni servi esse ut sit *mutus & elinguis*, asserit Nemesius apud Stobæum serm. 45. Et Plautus in Milite glorios. *Plus*, ait, *oportet servum scire quàm loqui*. Quocirca contumacis servi verba sunt apud eumdem in Persa: *Servam operam, & linguam liberam herus meus jussit me habere*. Si enim proximos exteros jubemur diligere sicut nos ipsos, multò magis domesticos, quales sunt servi, qui toti sunt peculium & possessio heri. Quod ergo domini servis faciunt, hoc sibi faciunt: bonum enim servi est bonum heri, & malum servi est malum heri. Quocirca addit: *Quasi fratrem sic eum tracta*. Origine enim omnes sumus fratres: quia creati ab eodem Deo patre, & prognati ex eodem Adamo parente, & eadem matre Eva. Rursum in fide & religione omnes sumus fratres: quia filii ejusdem Christi quasi patris, & Ecclesiæ quasi matris, atque à Deo eamdem hereditatem cœlestem expectamus omnes. Vide Ephes. 6. 5. & seq. Quocirca S. Gregor. Nazianz. in Tetrastichis docet servos pro conservis habendos, eò quòd omnes simus servi Dei:

Servi ut conservi tractādi.

Quid servus, inquit, *aut herus? mala est hæc sectio;*
Et fictor unus, una lex, judex quoque.
Sic ergo servos, servus ut, cernas tuos:
Servos herosque vita sola factitat.
Servivit, at nos Christus exemit jugo.

Quin & Cicero in Paradoxis: *Quid est*, ait, *libertas? Potestas vivendi ut velis. Quis igitur vivit ut vult, nisi qui recta sequitur? soli hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. Qui neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos?* Plura de hac re habet S. Gregor. l. 30. Moral. cap. 12. S. August. tract. 41. in Joan. S. Hieron. lib. 2. contra Jovinian. Quocirca pathetice Seneca epist. 47. *Cum servis*, inquit, *familiariter te vivere, decet prudentiam tuam. Servi sunt? imò homines. Servi sunt? imò contubernales. Servi sunt? imò humiles amici. Servi sunt? imò conservi, si cogitaveris tantumdem in utrosque licere fortunæ*. Et post nonnulla: *Vis tu*, inquit, *cogitare istum, quem servum tuum vocas, ex eisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æquè spirare, æque vivere, æquè mori? tam tu illum ingenuum videre potes, quàm ille te servum. Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, & aliis intrantibus excludi. Mariana clade multos splendidissimè natos fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit*. Denique Philo apud Maximum serm. 7. *Talem*, inquit, *te domesticis servis præsta, qualem Deum in te esse velles: ut enim audimus, sic à Deo audiemur: atque ut intuemur alios, sic Deus nos intuebitur. Offeramus ergo misericordiæ misericordiam, ut simili simile consequamur*.

Ratio.

Causam subdit: QUONIAM IN SANGUINE ANIMAE COMPARASTI EUM] Primò, q. d. ait Jansenius: Comparasti eum tibi non tamquam belluam, sed tamquam *sanguinem animæ tuæ*, hoc est, tamquam tibi consanguineum, ejusdemque tecum naturæ & sanguinis consortem.

Secundò & potiùs, q. d. Comparasti eum tibi *in sanguine*, id est, ad sanguinem, *animæ tuæ*, ut scilicet sanguinem & vitam tuam foveret & tueretur serviendo & laborando, teque contra inimicos tuendo & propugnando. Unde Græci quasi explicantes subdunt & addunt: *Quoniam tamquam anima tua indigebis eo*; Tigur. *quoniam ejus ut animæ propriæ indiges*; Syrus luculenter: *si verus est servus tuus, sit sicut tu; quia sicut tu, ita & detrimentum tuum* (quod patieris in servo, si malè à te tractatus ægrotet, moriatur vel fugiat:) *si verus est servus tuus, sicut fratrem tuum reputa illum, ne contendas in sanguine animæ tuæ*.

Tertiò, alii per *sanguinem* accipiunt pretium. Unde vertunt, *quoniam pretio comparasti eum*; pretium enim quia sanguine & sudore laborando comparatur, hinc vocatur *sanguis* per metonymiam. Et hoc modo Rabbini passim דמים *damim* in plurali, id est, *sanguines*, usurpant

A pro pretio. Sic vulgò dicimus, usurarios & tyrãnos exugere sanguinem pauperum, dum ab eis nimia tributa & pretia exigunt. Hoc sensu tyrannis ait Michæas c. 3. 10. *Qui ædificatis Sion in sanguinibus & Jerusalem in iniquitate*.

Simili tropo græcè βίος id est *vita*, vocatur ipse victus, quia victu vita conservatur. ita Palacius: Tracta inquit, bonum servum, quem emisti, ut fratrem; quia multis eum nummis velut sanguine tuo comparasti, bonus enim servus non nisi grandi pretio comparatur; grande verò pretium non nisi sanguineo sudore percipitur. Quàm verò pulcher est textus peccatori Christum pro misericordia roganti: Domine, ne ut inimicum me, sed ut fratrem tracta: comparasti enim me sanguine animæ tuæ! Quam item aptè dicetur domino crudeli: Tracta tuum servum benigniùs, si non propter illum, certè propter te! Si illi non parcis, parce sanguini tuo, quo eum comparasti. Huc facit monitum Catonis in Distichis:

B
Nil temerè uxori de servis crede querenti:
Sæpè etenim mulier, quem conjux diligit, odit.
Servorum ob culpam cùm te dolor urget in iram,
Ipse tibi moderare, tuis ut parcere possis.
Quem superare vales, interdum vince ferendo:
Maxima enim semper morum est patientia virtus.

Quartò, Rabanus: *Significat*, ait, *quòd naturam communem in eo diligere debemus, &, si necesse est, animam nostram pro eis sicut fratribus esse ponendam: non enim hominem debemus odire & persequi, sed vitia, quæ hominem ad interitum trahunt, quibus omnino est resistendum*.

Tropol. Rabanus per servum accipit peccatorem; hic enim servus est peccati & diaboli. quare omnia quæ de servo hic dicuntur, peccatori, mutato nomine, accommodes. Rursum per servum accipias carnem, quæ serva est animæ: ac concupiscentiam, quæ serva est rationis & spiritus, ideoque quasi serva contumax rationi rebellat & recalcitrat qua de causa ut serva operibus, pœnitentiis & verberibus edomanda est, ut rationi se subiicere, ac spiritui parere addiscat.

SI LÆSERIS EUM INIUSTE, IN FUGAM CONVERTETUR: ET SI EXTOLLENS DISCESSERIT, VERS.31 VERS.33
C QUEM QUÆRAS, ET IN QUA VIA QUAERAS ILLUM NESCIS] *Extollens*, id est, tollens & auferens se suaque discendens & fugiens; græcè enim est ἐπάρας ἀποδράσῃ, id est, *tollens se*, vel *abiens aufugeris*. Rursus *quem quæras*, id est, quem roges, quique tibi indicet, *qua via* & ad quem locum servus tuus fugerit. Aliter Palacius: *quem quæras*, inquit, *nescis*, id est nescis an quæras rem tibi utilem vel inutilem: cùm enim servus fugæ assuescit, nescias an reducere illum conveniat, an vendere. Græca breviter & clarè sic habent, *si malefeceris ei* (Roman. *si afflixeris*) *eum injustè, & tollens aufugerit, in qua via quæres illum?* Tigurina *quòd si eum læseris injuria, illeque profectus aufugerit, quanam via requiras ipsum?* Syrus, *quia si contristaveris eum, egredietur, peribit: & in quo spiritu invenies eum?*

Est secunda ratio movens herum, ut benignè tractet servum; qui scilicet si illum affligat, servus servitutis & afflictionis pertæsus secretò fugam adornabit per avia, silvas & latebras, ut herus eum insequens invenire nequeat, D nec aliquis sit qui rogatus ei viam, qua servus fugit, indicare velit aut valeat. Quare & opera servi, & pretio, quo eum emit, in æternum privabitur.

Herorum duritiès cogit servos ad necē. Exempla.

Quinimò multi sunt servi, qui ob herorum sævitiam mortem sibi consciscunt, malentes semel quàm millies mori. Nota est historia Lacænæ, quæ in auctione rogata à præcone, quid sciret? respondit: *Libera esse*: significans, sese captivam quidem esse, ceterùm ad illiberalia jussa non parituram. Itaque cum emptor imperasset quædam non convenientia liberæ: *Plorabis*, inquit, *qui tibi talem invideris possessionem*: moxque sibi necem conscivit. ita Plutarch. in Lacon. Qui & addit simile de puero: Puer, inquit, Spartanus ab Antigono rege, ac sub hasta venditus, in ceteris omnibus quæ ab ingenuo decenter fieri poterant, ei qui se mercatus fuerat, obsequens erat: ceterum jussus adferre matulam, non sustinuit, dicens: *Non serviam*. At, cùm herus instaret, puer conscenso tecto dixit: *Senties cujusmodi mercatum feceris*; moxque è sublimi præcipitem se dedit & interiit. Captivus esse poterat, servitia facere non poterat, ac semel in libertatem morte luctuosa asseruit. Luctuosius hoc ævo in Hispania factum

ctum audivimus. Servus durè ab hero tractatus, hero absente proles ejus omnes parvulas in solarium abduxit, foresque domus occlusit: hero domum redeunte, foresque pulsante, minanteque servo quod aperire tardaret, servus per fenestram prolem unam illi ostentans: *Quid mihi*, inquit, *dabis pro prole hac tua?* Indignante hero & frendente, servus prolem ex alto præcipitavit, & occidit. Idem fecit secundæ, tertiæ & ceteris (frustra jam precante hero, & omnia pollicente, ut iis parceret) ac tandem seipsum præcipitem dedit. *Disce*, inquit, *benignè servos tuos tractare*. Quocirca Diogenes apud Laertium lib. 6. dicebat, inter servos ac dominos malos præter vocabula nihil aliud interesse, A nisi quòd mancipia servirent dominis domini cupiditatibus: significans, utrosque esse servos, miseriorem tamen servitutem servire dominos quàm mancipia, si sint improbi: nam qui passionibus servit, tot habet dominos quot cupiditates, eosque turpes & inclementes. Sanè hæc servitus morti æquiparatur & confertur, imò antefertur quasi morte deterior. Ex adverso quàm servus benignè habitus ab hero illum redamarit, audi eum apud Menandrum: *Mihi*, inquit, *civitas est*, *& confugium*, *& justorum injustorumque omnium judex*, *dominus meus: huic soli me vivere oportet*. Talis, inquit Phavorinus, fuit *Zamolxis*, *qui famulus erat Pythagoræ*, *& ab illius temporis hominibus adorabatur*.

CAPUT TRIGESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò agit de vanitate somniorum usque ad v. 9. Inde usque ad v. 14. de utilitate peregrinationis & tentationis, quòd faciat hominem expertum & prudentem. Tertiò, à v. 14. ad 21. agit de soliditate fructuque spei, quam timentes Deum in eo collocant. Quartò, à v. 21. usque ad finem docet Deum execrari oblationes impiorum, præsertim quæ fiunt ex spoliis & defraudatione pauperum.

1 VAna spes, & mendacium viro insensato: & somnia extollunt imprudentes. 2. Quasi qui
apprehendit umbram, & persequitur ventum: sic & qui attendit ad visa mendacia. 3. Hoc,
secundùm hoc visio somniorum: ante faciem hominis similitudo hominis. 4. Ab immundo quid
mundabitur? & à mendace quid verum dicetur? 5. Divinatio erroris, & auguria mendacia, &
somnia malefacientium, vanitas est. 6. Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur; nisi ab
Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum: 7. Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis. 8. Sine mendacio consummabitur verbum legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur. 9. Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum. 10. Qui non est expertus, pauca recognoscit: qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam. 11. Qui tentatus non est, qualia
scit? qui implanatus est, abundabit nequitia. 12. Multa vidi errando, & plurimas verborum consuetudines. 13. Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causa, & liberatus sum gratia Dei. 14. Spiritus timentium Deum quæritur, & in respectu illius benedicetur. 15. Spes enim
illorum in salvantem illos, & oculi Dei in diligentes se. 16. Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit: quoniam ipse est spes ejus. 17. Timentis Dominum beata est anima ejus.
18. Ad quem respicit, & quis est fortitudo ejus? 19. Oculi Domini super timentes eum, protector
potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani, 20. Deprecatio
offensionis, & adjutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem. 21. Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, & non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum. 22. Dominus solus substinentibus se in via veritatis & justitiæ.
23. Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum: nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. 24. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. 25. Panis egentium vita pauperum est:
qui defraudat illum, homo sanguinis est. 26. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. 27. Qui effudit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. 28. Unus
ædificans, & unus destruens: quid prodest illis nisi labor? 29. Unus orans, & unus maledicens:
cujus vocem exaudiet Deus? 30. Qui baptizatur à mortuo, & iterùm tangit eum, quid proficit
lavatio illius? 31. Sic homo qui jejunat in peccatis suis, & iterùm eadem faciens, quid proficit
humiliando se? orationem illius quis exaudiet?

VERS. 1. VANA SPES, ET MENDACIUM VIRO INSENSATO, ET SOMNIA EXTOLLUNT IMPRUDENTES] Docet non esse fidendum somniis & divinationibus, sed Deo Deique legi, quòd hæc sit vera & fida, illa falsa & infida. q. d. Spes viri stulti est *vana & mendacium*, id est, mendax & fallax, adeoque ipse somniis suis confidit & superbè extollitur: nam *somnia extollunt*, græcè ἀναπτερῦσιν, id est, ut Compl. *elevant*; Romana, *volare faciunt*; alii, *alatos faciunt imprudentes*. q. d. Insipientes somniis suis credentes efferuntur animo, putantes illa sibi obventura quæ somniarunt; quasi somnia sint oracula à Deo immissa. v. g. somniavit quis se fore Cardinalem, Episcopum, Prælatum, &c. si huic somnio fidem adhibet, insipienter facit; & re ipsa cùm contrarium acciderit, videbit somnium suum fuisse somnium, id est, rem mendacem & fallacem. Unde Tigurina, *spes viri stulti vanæ falsæque sunt*, *& somnia sublimes ferunt insipientes*; alii, *& somnia pennas addunt amentibus*; Syrus, *qui quærit vanitatem*, *invenit mendacium*, *& somnium lætitia vana*. Huc facit illud Philonis ex Platone: *Spes mortalium sunt somnia vigilantium*.

Nota. Gentiles, quin & nonnulli è Christianis, ignorantes naturalem causam insomniorum, quam tradit Aristotel. Medici & Physici, opinati sunt ea immitti ab altiori mente, putà à genio suo, vel Deo: cùm enim mens somno sopita sit, censebant eam tunc agi à Deo. Sic Turcæ

censent amentes & stultos à Deo agi enthusiasmo, ideoque eos venerantur velut divinos & fatidicos, ac eorum dicta pro oraculis habent. Id faciunt in honorem sui Mahometi, qui cùm laboraret epilepsia, fingebat se enthusiasmo agi. Errorem & superstitionem auxere Poetæ suis poeticis fictionibus, præsertim qua rei cuique suum deum dedere homonymum. Somnum ergo fecerunt Deum.

Somnus Deus. Unde Orpheus Somno deo hymnum composuit cum aromatibus, cui & fuscas alas attribuit, ita canens.

Somne Deum rex cunctorumque homninumque cadentum,
Cunctorum & tellus quæcumque animalia nutrit.

Et Ovidius:

Somne quies rerum, placidissime somne deorum.

Et Seneca in choro Herculis Furentis:

Tuque domitor somne malorum,
Requies animi, pars humanæ melior vitæ,
Veris miscens falsa, futuri
Certus, & idem pessimus auctor.

Philostratus in imagine Amphiarai ita somnum pingit: *Facie*, inquit, *resoluta esse videbatur, candidam vestem habens supra nigram, quasi diem & noctem indicaret. Cornu in manu tenere videbatur, cùm vera somnia immittit.* Ovidius verò in Metamorph. ita eum describit:

In medio torus est, ebeno sublimis, in antro,
Plumeus, unicolor; pullo velamine tectus,
Quo cubat ipse Deus membris languore solutis.
Hunc circum passim varias imitantia formas
Somnia vana jacent.

Silius verò libr. 10. somnum cuique soporem immittere ita canit:

Curvoque volucris
Per tenebras portat medicata papavera cornu.

Et paulo post:

Quatit inde soporas
Devexo capite pennas, oculisque quietem
Irrorat, tangens Lethæa tempora virga.

Homerus: [illegible], id est, *Etenim somnium à Jove est*: quin & insomnia dicta sunt [illegible] id est à Jove missa: & [illegible], id est, *divinæ voces*: & [illegible], id est, *Jovis nuntii*, ut ait Homerus. Fuit apud Trœzenios Ardali vetus ara, super qua Musis & Somno de rem divinàm faciebant; somnum affirmantes esse deum Musis valdè amicum. Superstitionem auxit Plato & Philosophi, de quibus inferiùs.

Hosce redarguens Diogenes Cynicus, imò ridens & subsannans: *Quæ vigilantes agitis*, inquit, *ea non curatis: quæ verò dormientes somniatis, sollicitè perquiritis*, q. d. Si quis vigilans turpe quid committat, oportet metuat Dei iram, tristemque eventum; non si quid dormienti sit visum: hoc enim nil vanius, nil stultius. Ita Laert. lib 6. Et Poeta:

Somnia ne cures: nam mens humana quod optat,
Dum vigilat, sperat.

Et Claudian. lib. 3.

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defessa toro cùm membra reponit,
Mens tamen ad silvas, ac sua lustra redit.

Igitur hanc somnia observandi vanitatem & superstitionem, multis hic confutat Siracides.

VERS. 2. QUASI QUI APPREHENDIT UMBRAM, ET PERSEQUITUR VENTUM: SIC ET QUI ATTENDIT AD VISA (græcè, [illegible] id est, ad *somnia*) MENDACIA] Somnia enim sunt figmenta & idola phantasiæ, quæ proinde dum per eam homini dormienti repræsentantur, ipse sibi ea videre & oculis cernere videtur. Tigurina, *captanti umbras, ventumque persequenti similis est, qui fidem habet somniis*; Syrus, *sicut qui apprehendit umbram & volare facit avem: ita & ille qui credit visioni nocturnæ.* Significat somnia esse res inanes & vanas, similes umbræ

Somnium simile vento & umbræ. & vento: quare stultum esse iis credere, perinde ac stultus est qui apprehendere vult umbram inanem, aut ventum fugientem. Somnium ergo est quasi umbra & ventus;

Primò. Primò, quia sicut umbra non est res ipsa, sed rei imago, imò umbra: sic & somnium non est res vera, sed

Secundò. figmentum phantasiæ, quæ hanc sibi rei imaginem efformat. Secundò, sicut umbræ manè & vespere sunt re ipsa, putà suo corpore, longè majores, ita in somniis res parvæ apparent maximæ. Quare qui illis credunt, similes sunt cani Æsopico, qui carnem ore gestans, cùm ejus umbram in flumine videret longè majorem, illam invadens, & ore captans, carnem veram excidere sibi permisit, nec umbram, quam captabat, apprehendit vel acquisivit.

Tertiò, sicut umbra est fallax & mendax: mentitur enim se esse ipsam rem & corpus, ac proinde fallit eum qui umbram quasi corpus ipsum apprehendere satagit: sic & somniantes fallunt ut videantur se revera agere, videre & sapere, quod somniant se agere videre & sapere. *Tertiò.*

Quartò, sicut ventus aerem & aquam concitat & turbat, ut species in aqua repræsentatæ commistæ & confusæ, ideoque falsæ & mendaces appareant: sic & somnia oriuntur ex vaporibus & flatibus è stomacho in caput ascendentibus, qui species phantasiæ impressas concitant, commiscent, offuscant, indeque miras & chimæricas, adeoque mendaces & fallaces rerum facies apparere faciunt. Flatus enim è stomacho caput perflans & permeans, magnam in somnis facit specierum apparentium confusionem & varietatem. *Quartò.*

Quintò, sicut umbris terrentur pueri & fatui: sic & somnus terrentur somniantes; quin & vigilantes, si sint insipientes & imprudentes. Somnians enim, cùm ligatam habeat rationem, est instar pueri & amentis. *Quintò.*

Sextò, sicut umbra & ventus celerrimè pertransit & avolat instar avis, ut vertit Syrus; sic & somnium. Nam famelicus, qui somniat se lautè edere & bibere, experrectus ilicò sentit ventrem fame latrantem; quia illa phantastica commestio cùm somnio avolavit. Rusticus vel pauper, qui somniat se habere arcas auro refertas, vel se esse regem, Episcopum, Cardinalem, experrectus vidit se pauperem & miserum, ut antè: quia illud somniatum & phantasticum regnum, episcopatus, cardinalatus cum somnio avolavit. *Sextò.*

HOC SECUNDUM, HOC VISIO SOMNIORUM: ANTE FACIEM HOMINIS SIMILITUDO HOMINIS] Ita legendum cum Roman. & Græcis. Perperam ergo aliqui sic legunt, *Secundùm hoc*, vel *hæc*, *visio somniorum*; & ad præcedentia referentes, sic intelligunt, q. d. Secundum id, quod dixi, vanum esse captare ventum vel umbram, simili modo vana est visio & captatio somniorum. Perperam, inquam: nam hæc verba ad sequentia referenda sunt: ab iis enim explicantur. q. d. Visio somniorum non est aliud quam repræsentatio quædam, qua *hoc* est *secundum hoc*, id est, hoc huic apparet simile, sicut cùm *ante faciem hominis* ponitur, *similitudo hominis* in speculo, vel in aqua: q. d. Somnium non est res ipsa, nec rei veritas, sed imago tantùm inanis & umbra, uti est imago in speculo, quam pueri putant esse rem veram, eamque conantur arripere. Sicut ergo in speculo apparens imago hominis non est ipse homo, sed ejus repræsentatio & inane idolum ab homine reflexum & resultans: sic pariter somnium non est res ipsa, sed rei repræsentatio & similitudo ex speciebus in phantasia collectis, varièque commistis reflexa & resultans. Quare sicut puer est stultus, qui imaginem in speculo apparentem pro vero homine accipit, eumque capere aut sibi conciliare studet: sic pariter stultus est, qui res, quas somniat, revera sibi vel aliis obventuras putat, iisque credit & confidit. Unde Tigurina vertit, *aliquid ad imaginem alterius* (Vatabl. *aliquid secundùm aliud*) *spectrum somniorum est, & velut adversum faciei simulacrum*; Complut. ad verbum ita ex Græco vertunt, *hoc secundum hoc visio insomniorum, ante faciem similitudo faciei*; Syrus, *ita est visio & somnium, quod è regione faciei similitudo faciei, & de principe populi sui egredi faciet victoriam.* VERS. 3.

Comparavit somnium umbræ & vento: nunc comparat spectro & simulacro apparenti in speculo vel in aqua: quia verè somnium non est aliud quàm visio imaginaria, sive spectrum phantasiæ, quod scilicet phantasia ex speciebus per vapores noctu è stomacho in caput ascendentes commistis, confusis & turbatis sibi efformat & fingit. *Somnium est spectrum.* Quocirca sapienter San. Nazianz. in Tetrastichis:

Ne somniorum, inquit, *ludicris fidem nimis*
Acccommodaris: cuncta nec te terreant.
Nec læta rursum visa te tollant nimis.
Laqueos frequenter hos parat dæmon tibi.

Idem in distichis: *Vir somno & inertiæ deditus somnia invenit: somnus enim non res ipsas, sed inania rerum simulacra oculis obiicit.* Et Cato:

Somnia

Somnia ne cures; nam mens humana quod optat,
Et vigilans sperat, per somnum cernit idipsum.

AB IMMUNDO QUID MUNDABITUR? ET A MENDACE QUID VERUM DICETUR?] Τὸ *immundo* & *mendace* accipi possunt vel ut masculina vel ut
Vers. 4. masculina vel ut neutra. Si ut masculina, sensus erit quasi dicat, Sicut immundus per se alium mundare nequit: sic veritas non est exspectanda a mendace, putà ab ariolo, divino, oniromante, id est, somniorum coniectore & interprete. Esto enim aliquando verum dicant vel coniectent, tamen id perrarum est, ac multò sæpiùs falsum dicunt & divinant. Quocirca etiam dum verum dicunt, eis credi nequit. sed potiùs ut mendacibus fides derogatur: præsertim quia diabolus, qui per eos loquitur, totus consutus est ex malitia & mendacio. Quare verum quod subinde dicit, non veritatis amore dicit, sed ut per verum fallat, ac ad falsum erroremque inducat. Ideo enim verum dicit, ut per hoc ceteris suis dictis falsis & mendacibus fidem conciliet. Si ut neutra, sensus erit, q. d. Sicut res immunda per se aliam emundare nequit, sed potiùs suam immunditiam ei communicat, eamque immundam efficit. Sic pariter à re falsa & mendaci, quale est somnium, veritas sperari nequit. Esto enim in somnio quædam sint vera, tamen quia longè plura sunt falsa; hinc totum somnium falsum est, taleque nuncupandum, non verum; veritas enim integra est, nihilque falsi admittit: quare si in quapiam propositione aut re vera misceatur aliqua falsitas, tota res & propositio falsa est, non vera. sicut enim opus bonum inficitur per unam circumstantiam malam, totumque fit malum: sic & veritas, si ei vel minima falsitas misceatur, corrumpitur, desinitque esse veritas, & fit falsitas. Bonum enim (æquè ac verum, quod cum bono convertitur: omne enim bonum est verum, & omne verum est bonum) ex integra causa constat, malum autem ex singulis defectibus, uti ait S. Dionys. D. Thom. Theologi & Philosophi.

Unde Tigurina vertit, *quidnam mundetur ab immundo, & a falso quid veri manaverit?* Syrus, *quis est mendax ut iustificetur?* ut scilicet justus, id est, fidelis & verax fit, declaretur & habeatur. Alii clariùs vertunt, *ab immundo quid mundetur, & a mendacio* (quale est somnium) *quid veri existat?* Genitivus enim ψευδοῦς, derivari potest à nominativo tam ψεῦδος, id est mendacium, quàm ψευδής, id est, mendax. Porrò Antiochus monachus (qui floruit sub Heraclio Imper. anno Christi 630. scripsitque 129. homilias, quæ extant tom. 2. Biblioth. SS. Patrum) hunc locum ita legit hom. 84. *Jesus filius Sirach ait: Insomnia extollunt imprudentes; quemadmodum qui pugno capit* (capere conatur, sive captat) *umbras, & qui persequitur ventos, sic qui intendunt insomniis. A mendace enim quid egredietur veritatis?*

Nota. Hæc propositio, Immundus vel res immunda alium mundare nequit, vera est, si intelligas per se. Nam per accidens mundare potest, si videlicet immundus herbam, vel rem similem vim mundandi habentem, ut saponem vel lixivium, rei immundæ adhibeat & affricet. Simili modo Sacramenta ab immundo sacerdote confecta & applicita suscipientem & pœnitentem mundant, quia operantur non ex opere operantis, sed ex opere operato. Quare sive à sacerdote sancto, sive à scelerato ministrentur, eandem vim mundandi habent & retinent. Principalis enim agens in iis est Spiritus sanctus & Christus, quorum uterque mundissimus est, nullaque sacerdotis ministri malitia afflari aut contaminari potest. Ita Donatistis hunc locum & similes obiicientibus contra baptismum ab hæreticis collatum quasi impurum & irritum, ideoque de novo iterandum, respondet S. August.

DIVINATIO ERRORIS, ET AUGURIA MEN-
Vers. 5. DACIA, ET SOMNIA MALEFACIENTIUM, VANITAS EST. ET SICUT PARTURIENTIS, COR TUUM PHANTASIAS PATITUR,] Τὸ *tuum* non
Vers. 6. est in Græcis Romæ correctis multisque aliis, est tamen in Complut. Tigur. vertit, *divinatores, auguria somniaque vana sunt, & quasi cùm desipit animus parturientis;* alii, *& cor phantasias concipit ut parturientis;* Syrus, *omnes divinationes, & vaticinia, & insomnia, seductio: qui credit eis, ibi* (in seductione) *cor eius.*

Vanus, id est mendax. Nota. vanitas Heb. שוא *scau* non tantùm vanitatem, hoc est, inanitatem, sed & fallaciam ac mendacium significat: unde vanus vocatur mendax, fallax & impostor. Sic Exodi 20. 7. & Deut. 5. 11. *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra;* alii vertunt, *non assumes nomen Domini Dei tui ad mendacium.* propriè enim vetat periurium. Sic Eccles. 1. 2. dicitur: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* hoc est, omnes res, omnes illecebræ mundi vanæ sunt, fallaces & mendaces, quia quietem & satiem menti, quam pollicentur, non præstant. Sic Sinon impostor ait apud Virgil. Æneid. 2.

Nec si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Et Cicero pro Quintio: *Necesse est iste, qui amicum, socium, affinem fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se & perfidiosum & impium esse fateatur.*

Siracides ergo asserit tria esse vana, imò ipsam vanitatem, hoc est, esse vanissima, id est, fallacissima, & mendacissima maximeque seductoria, ut vertit Syrus Primum, est *divinatio erroris*, id est, erronea, quæ ab errore proficiscitur, putà, à diabolo, mago, sagis, vel à figmentis impostorum, ut cùm divini divinant & prænuntiant res futuras ex inspectione ignis, aquæ, aeris, terræ, cadaverum, &c. Est enim alia divinatio veritatis, quæ scilicet à Deo, qui prima est veritas, proficiscitur: quæ non vana, sed vera certaque est; quales fuere prophetiæ Isajæ, Jeremiæ, Danielis, ceterorumque Prophetarum.

Secundum sunt *auguria*, cùm scilicet augures ex avium volatu, garritu, gestibus, divinant res futuras, ut victoriam in prælio, imperium, opes, fertilitatem, &c. hæc enim *mendacia*, id est, fallacia sunt, & in errorem ducunt. Unde illud: *Ridet augur augurem videns:* alter enim alteri corridet, ridendo stultitiam populi sibi credentis. De vanitate auguriorum vide S. August. serm. 241. de Tempor.

Tertium sunt *somnia malefacientium*, id est, hominum iniquorum & perversorum, qui contra Dei legem somniis suis attendunt & credunt, ideoque in vanitatem, id est, in mendacium & fraudem induci se sinunt. Nam benefacientium, id est, bonorum & sanctorum, somnia subinde sunt vera ut cùm à Deo vel angelo ad rei veræ significationem immittuntur; qualia fuere somnia Joseph & aliorum mox citanda. Impiorum ergo somnia vana sunt. Nam *sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur*, si videlicet divinationibus, auguriis & somniis attendas fidemque commodes. q. d. Sicut cor parturientis dolore cogente mille patitur phantasmata, ac sæpè deliria, quibus variis timoribus & amoribus se aliosque onerat, molestat & cruciat: sic pariter, si attendas somniis, cor tuum mille patietur imaginationes & phantasias, quibus animum in mille affectus divellet & distrahet, ut jugi alternatione spei, diffidentiæ, timoris, amoris, ceterorumque affectuum oneretur, turbetur & crucietur, idque vanè, id est, inaniter & mendaciter. Nam sicut imaginationes parturientis sunt vanæ & mendaces, sic pariter vana & mendacia sunt, quæ in insomnio videre te putas. Prægnantes enim & parturientes, quia abundant flatibus, pituità, cruditate, melancholia, debilique sunt calore, idcircò patiuntur vertigines, fastidia, colicas, phantasias, deliria & deliquia: præsertim cùm acribus doloribus partus exagitantur.

Tropol. Divinatio, augurium & somnium vanum mendaxque est hæresis, quæ proinde mille phantasmata effingit, quibus se aliosque excruciat. ita Rabanus. Rursus *somnia malefacientium* sunt inanes cogitationes, phantasiæ, desideria, ex quibus quasi ex seminibus solent omnium malorum fructus prodire, ut nec orare, nec operari libeat, sed ad explenda desideria mens anhelet. Unde de iis sequitur: *Et sicut parturiens cor tuum phantasias patitur*, ut eas cum dolore pariat.

Nota. Physici & medici docent, ex somniis cognosci corporis constitutionem, complexionem & humorem prædominantem; ideoque medico, ut curet ægrum, observandum esse quid ille somniet. Ita Galenus in lib. 1. Hippocratis de Morbis vulgar. comment. 3. non longè à principio: *Cùm quidam, ait, e nobis manè de more ægrum inviseret, totam dixit ille noctem somnum se non vidisse, dum cogitaret, quidnam sit futurum, si lassus Atlas non ducat amplius sustinendum cœlum; ex cujus verbis intelleximus principium esse quoddam melancholicæ.* Et paulò pòst: *Si quis per insomnium videat incendia, hunc offendit flava bilis: si imbres abundare, frigidum humorem declarat: sic sanè si nivem, glaciem & grandinem, pituitam frigidam: si quis in fœtido loco se esse putet, putredinem humorum: si gallorum gallinaceorum cristas habere, aut rufa quædam, sanguinem*

Medicus observet somnia ægri: Cur?

exuperare; si caliginosa cernere, aut in locis esse caliginosis, fletus indicat. Vide eumdem lib. de Præsagio ex insomniis sumendo.

Plato censuit animũ in somno sapere & divinare.

Ulteriùs progressi sunt Stoici, docentes omnia somnia aliquid portendere, ut ex eis de futuris eventibus divinare liceat. Quin & Plato dial. 2. de Rep. censet animum in somno quasi à corpore sopito liberum maximè vigere, seq; ad capessenda insomnia acrem præbere: & quæ ei sedato tunc visa occurrunt, tranquilla esse ac veracia. Censuit enim ipse humanos animos antequam corporibus illaberentur, omnium rerum scientiam, idearum influxu accepisse; sed eam contagione corporis hebetatam, & penè obliteratam jacere. Quare cùm somno avocetur animus à consuetudine sensuum, & mens tota sibi sua fit, putavit reviviscere tunc congenitas in ea disciplinas, illamque meminisse præteritorum, præsentia cernere, providere futura.

Probatur exemplis. Primò.

Probant id exemplis. Constat enim è somniis multa vera evasisse. Audi unum & alterum, quod recenset Cicero lib. 2. de Divinat. Detulit ad conjectorem quidam somniasse se, ovum pendere ex fascia lecti sui cubicularis. Respondit interpres thesaurum defossum esse sub lecto. Quæsivit, invenit auri aliquantulum, idque circumfusum argento; misit interpreti quantulum de argento visum est. Tum ille: Nihilne de vitello? id enim ex ovo videbatur aurum significasse, sicut & album ovi argentum. Alterum exemplum: Cùm Ptolemæus Alexandri familiaris in prælio telo venenato ictus esset, eoque vulnere summo cum dolore moreretur, Alexander assidens somno est consopitus: tum secundum quietem visus ei dicitur draco is quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre, & simul dicere quo illa loco nasceretur (neque longè aberat locus) ejus autem esse vim tantam, ut Ptolemæum facilè sanaret. Tum Alexander experrectus narravit amicis somnium, & dimisit qui illam radiculam quærerent: qua inventa & Ptolemæus sanatus dicitur, & multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati. Cùm igitur isthæc somnia aliaque non pauca ita ciciderint, utique dicendum videtur, quòd reliqua similem exitum non habeant, id non somniorum vanitati, sed interpretum inscitiæ afscribendum: aut certè causam esse, quia nos ipsi vel somnia obliviscimur, vel pro nihilo habenda ducimus. Idem Cicero lib. 1. de Divin. hoc de Cyro recenset: *Quid ego, quæ magi Cyro illi principi interpretati sunt ex Dionysii Persici libris proferam? nam cùm dormienti ei sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustrà appetivisse manibus, cùm se convolvens sol elaberetur & abiret: ei magos dixisse, quod genus sapientum & doctorum habebatur in Persis, ex triplici appetitione solis, XXX. annos Cyrum regnaturum esse portendi, quod ita contigit; nam ad septuagesimum pervenit, cùm XL. natus annos regnare cœpisset.* Et inferiùs: *Cùm duo quidam Arcades familiares iter unà facerent & Megaram venissent, alterum ad cauponem divertisse, ad hospitem alterum: qui cùm cœnati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei qui erat in hospitio illum alterum, orare ut subveniret, quòd sibi à caupone interitus pararetur; eum primò perterritum somnio, surrexisse; deinde cùm se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse. tum ei dormienti eumdem illum visum esse rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur; se interfectum in plaustrum à caupone esse conjectum, & suprà stercus injectum; petere ut manè ad portam adesset, priusquàm plaustrum ex oppido exiret. hoc verò somnio eum commotum manè bubulco præstò ad portam fuisse: quæsisse ex eo quid esset in plaustro: illum perterritum fugisse, mortuum erutum fuisse, cauponem re patefacta pœnas dedisse. quid hoc somnio dici divinius potest?* Hæc Cicero.

Secundò. *Tertiò.* *Quartò.*

Refellitur.

Verùm hic est error & superstitio, quem redarguit hic Siracides, ac Lactantius libr. de Opificio Dei cap. 18. S. Thom. 2.2. qu. 95. & Medina lib. 7. suæ Parænes. ac copiosè & acutè Cicero lib. 2. de Divinat. atque Aristot. libr. de divinat. per somnium. Sanè ut alia taceam, idipsum demonstrat experientia: qua constat, ne millesimam quidem somniorum partem evadere veram. Quòd si unum alterumve verum reddatur, id fit vel casu, vel agente bono malove angelo; quod accidisse in somniis paulò antè ex Cicerone recitatis manifestum est. Accedit, quòd idem somnium à divinis & conjectoribus variam, imò contrariam, interpretationem accipiat. Nam ut refert Cicero libro jam citato: *Cursor ad Olympia proficisci cogitans, visus est in somnis curru quadrigarum vehi: manè ad conjectorem. At ille, Vinces inquit: id enim celeritas significat & vis equorum. Post idem ad Antiphontem. Is autem: Tu autem, vincere, inquit, necesse est: an non intelligis quatuor ante te cucurrisse? ecce alius cursor. Atque horum somniorum & talium plenus est Chrysippi liber, plenus Antipatri. Sed ad cursorem redeo. Ad interpretem detulit, aquilam se in somnis visum esse factum. At ille: Vicisti; ista enim ave volat nulla vehementiùs. Huic eidem Antipho: Tu verò, inquit, te victum esse non vides? ista enim avis insectans alias & agitans, semper ipsa postrema est.*

Somniare sancta signum sanctitatis.

Fateor tamen ex insomniis affectiones, sicut corporis, sic & animi cognosci posse: ea enim somniamus noctu, quæ interdiu cogitamus & agimus, putà, quæ amamus & concupiscimus. Unde Zeno dicebat è suis quemque insomniis deprehendere posse, quantum in philosophia profecisset, si in illis nihil appeteret vel faceret nefariæ rei. Tum enim animum in profunda tranquillitate constitutum veros affectus prodere: indeque fieri ut quæ vigilantes non audent profari aut agere, ea noctu occurrant in somnis. ita Laertius l. 9. c. 5. Et Plutarchus censuit signum perfectæ virtutis esse, si quis de ea somniet. Vide ea, quæ notavi Deut. 6. v. 7. Tale fuit insomnium S. Gregor. Nazianz. de templo S. Anastasiæ, in quo ipse ante exilium concionari solebat: quod ipse refert in carm. de hac re, quod extat tom. 2. p. 1309.

Somnia portæ corneæ & eburneæ quæ?

Denique celebre est figmentum Homeri, somnia illa vera esse, quæ subvolant per portam corneam: falsa verò, quæ per eburneam; quo significare voluit, visa per diem, quæ in somniis recurrunt, esse vera: audita verò sæpè esse falsa. Cornea enim porta notat visum & oculos, ob coloris similitudinem & tunicam corneam, quæ est in oculo: eburnea verò denotat os, ob candorem dentium. Simili modo Thales rogatus, *Quantum distaret a mendacio veritas?* Respondit: *Quantum oculi distant ab auribus*; significans ea demum esse vera & certa, quæ contuemur oculis: fabulis verò hominum quas audimus, haud tutò credi, quòd sæpè falsæ & mendaces sint.

Vers. 7.

Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum. Multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis] *Visitatio*, id est, somnium vel visio, qua mens visitatur, id est, eruditur, corripitur, monetur à Deo. Unde Græca habent, *nisi ab Altissimo missa fuerint* (somnia jam dicta) *in visitatione tua* (Tigur. *visitandi tui causa,*) *ne adjicias ad illa cor tuum. Multos enim deceperunt somnia: & exciderunt spe, quam collocaverant in eis*. Paulò aliter Syrus, *nisi*, inquit, *a Deo mandatum fuit errare in cogitationibus nocturnis, ne des illis cor tuum. Multi enim, qui in somniis erraverunt in via, & offenderunt in semitis suis*. Vox Græca [illegible] significat inspectionem & visitationem Dei, tum eam, quæ misericordiam & opem affert: tum eam, quæ pœnas exigit ab aliquo. De hac accipit hunc locum noster Pineda in Job 33. v. 16. in fine, q. d. Si somnio aliquo minas tuis sceleribus intendi, & divinam inspectionem ac visitationem repræsentari intelligas, tunc acquiescere illi poteris: illis verò minimè, quæ vanissima elatione complent animos somniantium, sicut scriptum est: *Somnia extollunt imprudentes*. Potest tamen quælibet Dei *visitatio* hic accipi, sive ea fiat ad consolandum & opitulandum, sive ad terrendum & puniendum.

Prudenter monet somnia ordinariè esse spernenda habendaque quasi somnia: excipit tamen casum unum, si videlicet à Deo Deique angelo immittantur, vel ad futuri præsignificationem, vel ad admonitionem & correptionem. Tale fuit somnium Jacob Gen. 28. Josephi c. 37. Pharaonis c. 41. Salomonis 3. Reg. 3. 5. & in novo testamento S. Joseph. sponsi B. Virginis Matth. 1. & 2.

Signa dignoscendi somnia vera a falsis.

Porrò quibus indiciis somnia vera à Deo immissa, discernenda sint à falsis & inanibus, sapienter docet S. Gregor. lib. 4. Dialog. c. 48. & 49. & ex eo Rabanus hic: *In hoc, Petre*, inquit S. Gregor. *sciendum est: quia sex modis tangunt animum imagines somniorum. Aliquando namque somnia ventris plenitudine vel inanitate, aliquando verò illusione, aliquando cogitatione simul & illusione, aliquando revelatione, aliquando autem cogitatione simul & revelatione generantur. Sed duo, quæ primò diximus, omnes experimento cognoscimus: subjuncta autem quatuor in sacræ Scripturæ paginis invenimus. Somnia etenim nisi plerumque ab occulto hoste per illusionem fierent, nequaquam hoc vir sapiens indicaret, dicens: Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis*. Et iterum:

Non augurabimini, nec observabitis somnia; quibus profecto verbis cuius sint detestationis ostenditur, quæ auguriis co- Levit. 19. *niunguntur. Rursum nisi aliquando ex cogitatione simul & illusione procederent, vir sapiens minimè dixisset: Multas curas sequuntur somnia. Et nisi aliquando somnia ex myste-* Eccles. 5. *rio revelationis orirentur, nec Joseph præferendum se fratribus somnio videret, nec sponsum Mariæ, ut ablato puero in* Gen. 37. *Aegyptum fugeret, per somnium angelus admoneret. Rur-* Matth. 2. *sum nisi aliquando ex cogitatione simul & revelatione procederent, nequaquam Daniel Propheta Nabuchodonosor visionem disserens, à radice cogitationis inchoasset, dicens: Tu rex* Daniel. 2. *cœpisti cogitare in strato tuo, quid esset futurum post hæc: & qui revelat mysteria ostendit tibi, quæ ventura sunt. Et paulò post: Videbas, & ecce quasi statua una grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te. Daniel itaque dum somnium & implendum reverenter insinuat, & ex qua ortum sit cogitatione manifestat; patenter ostenditur, quia hoc plerumque ex cogitatione simul & revelatione generatur. Sed nimirum cùm somnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis credi difficiliùs debet, quanto & ex quo impulsu veniant faciliùs non elucet. Sancti autem viri inter illusiones atque revelationes, ipsas visionum voces atque imagines quo-* B *dam intimo sapore discernunt, ut sciant, vel quid à bono spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur. Nam si erga hæc mens cauta non fuerit, per deceptorem spiritum multis se vanitatibus immergit, qui nonnumquam solet multa vera prædicere, ut ad extremum valeat animam ex una aliqua falsitate laqueare.* Subdit deinde exemplum: *Sicut cuidam nostrum nuper certum est contigisse, qui dum somnia vehementer attenderet, ei per somnium longa spatia huius vitæ promissa sunt. Cumque multas pecunias pro longioris vitæ stipendiis collegisset, ita repentè defunctus est, ut intactas omnes relinqueret, & ipse secum nihil ex bono opere portaret.*

VERS. 8. SINE MENDACIO CONSUMMABITUR VERBUM LEGIS, ET SAPIENTIA IN ORE FIDELIS COMPLANABITUR] Dixit, somniis, auguriis & divinationibus non esse attendendum, nec credendum: nunc docet, attendendum & credendum esse legi Dei, ejusque doctoribus. Est occupatio. Dicet enim quis: Si non consulam divinos, augures & oniromantes, quis me de futuris rebusque arcanis certiorem faciet? quis me docebit, quid hoc illove casu agere, aut non agere, debeam? Huic objectioni respondet dicens: *Sine mendacio consum-* C *mabitur verbum.* q. d. Lex Dei, cùm sit verax, utpote à prima veritate dictata, consummari & perfici potest & debet sine mendacio somniorum, auguriorum, ceterarumque divinationum: quare cùm quid dubii practici occurrerit, v. g. quid bonum, quid malum sit, quid hoc illove casu faciendum vel omittendum sit? quæ vita sit ad felicitatem? legem consule, non divinos, non augures, non somniorum interpretes: lex enim verissimè te hæc omnia, quæ te scire convenit, docebit; divini autem & augures mendaciter & fallaciter. Sic Syrus servus in Adelphis herum suum *somnium* vocat præ Demea, quem sapientiam nuncupat: *Tu*, inquit, *quantus quantus es, nihil nisi sapientia es; ille futilis, somnium.*

ET SAPIENTIA IN ORE FIDELIS (id est, veracis hominis, qui legis, S. Script. & sapientiæ divinæ est studiosus,) COMPLANABITUR] id est, plana erit, facilis & expedita, ut non sint adeundi divini, quorum responsa sunt obscura, implexa & seductoria: ut cùm Cræso de victoria sciscitanti oraculum respondit: *Cræsus Halym perdet transgressus plurima regna. Perdet* enim ambiguum est: nam & activè accipi potest pro *vastabit* & *evertet*; & neutrè pro *amittet*, ipse excidet & spoliabitur. Ita Lyran. *Complanabitur*, inquit, id est, *planè docebitur: nam occulta Scripturæ scit aperire & explanare, quia in talibus est exercitatus.* Rursum *complanabitur*, id est, deprehendetur esse plana & expedita, nec aliquos erroris anfractus, aut conscientiæ molestias scrupulosve in se continens, ait Jansenius. Tertiò, *complanabitur*, id est, cognoscetur esse undique plana & perfecta: quodque in ea sita sit hominis perfectio. hæc enim nihil habet inæquale, scabri vel torti, videturque esse mera planicies sapientiæ & virtutis. Unde Græca habent, *consummabitur*, vel *perficietur*. Quocirca Rabanus legit, *complantabitur*, id est, solidabitur, perficietur, ut videatur in eo esse plantata & profundè radicata. S. August. verò in Speculo legit *contemplabitur*.

Porrò Græca breviter & clarè sic habent: *Citra mendacium consummabitur lex*, καὶ σοφία στόματι πιστῷ τελείωσις, id est, *& sapientia ori fideli perfectio*; vel *sapientia ore fideli perficitur*. hoc est, sapientia, quæ ore veraci profertur, ipsa est, quæ perfectè hominem instruere potest de dubiis rebusque omnibus, ut præter eam non sit opus observare somnia, auguria & divinationes: Tigurina, *lex etiam sine mendacio consummata erit, oreque veraci perfecta sapientia*; Syrus verò, *in loco, in quo non sunt peccata, pascit Deus; quia sapientia iniquorum in nocte creditur*: q. d. Ubi non consuluntur divini, augures & oniromantæ, sed ipsa Dei lex; ibi ipse Deus consulentes veris oraculis pascit, docet & instruit; ibi plana plenaque & clara est veritas: at divini, augures & oniromantæ versantur in nocte tenebrarum & errorum, ideoque noctu consulunt somnia ipsosque dæmones, à quibus in mendaciorum & fraudum caliginem inducti miserè decipiuntur & deluduntur, ac se consulentes decipiunt & deludunt. Alludit ad Isaiæ 8. 19. *Cùm dixerint ad vos: Quærite à pythonibus, & à divinis, qui strident in incantationibus suis: Numquid non populus à Deo suo requiret pro vivis à mortuis? Ad legem magis & testimonium. Quòd si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Vide ibi dicta.

Summa omnium est, q. d. Pro divinis & oniromantis consulite legem Dei, ejusque doctores & interpretes. Hi enim veraciter vos docebunt omnia ad salutem conducentia, quæ falsò & mendaciter se enuntiaturos spondent divini & oniromantæ. Unde in sequentibus docet, qui doctores sint consulendi & sequendi: igitur confert & præfert legem legisque doctores divinis & oniromantis, quòd illi vera doceant, hi falsa & mendacia: quodque illorum doctrina & responsa sint plana, aperta & clara: horum obscura, ambigua, implexa. Dæmones enim olim consulti à divinis de futurorum contingentium eventu, cùm eum ignorarent, ita ambiguè respondebant, ut quomodocumque res caderent, viderentur verum dixisse, & quod eventurum erat, prædixisse. Sic Pyrrho regi Epiri consulenti oraculum & divinos, an Romanos bello superaturus esset? responderunt illi: *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse*; quod ambiguum est tamque significat, quòd Romani vincent Pyrrhum, quàm quòd Pyrrhus Romanos, uti advertit S. August. lib. 3. de Civit. c. 17. Plura oraculorum ambiguorum exempla recenset Eusebius lib. 5. de Præpar. Evang. c. 10. & lib. 6. c. 4. ubi ex Porphyrio docet, quòd Apollo Delphicus in suis oraculis fassus sit, se nonnumquam mentiri.

Vanitati somniorum & divinationum opponit veritatem experientiæ, ut ab illa, adeundo & audiendo viros doctos, non à divinis petendam esse sapientiam doceat: præsertim quia ipsa experientia ostendit, somniorum observationem & divinationem esse res planè vanas, mendaces & fallaces.

QUI NON EST TENTATUS, QUID SCIT?] VERS. 9. Hæc verba jam desunt in Græco, olim tamen fuisse liquet ex Nostro hic, & ex S. Ambros. (vel potiùs Victore Cartennæ Episcopo, ut patet ex fine libri, atque ex Gennadio & Trithemio de Scriptor. Eccles.) lib. de Pœnitentia c. 26. ubi ea sic legit & explicat: *Plerumque*, inquit, *offensionibus sublatis secura felicitas: cautior autem ad evitanda præterita efficitur, quem metus emendat; quia sollicitior semper erit qui cavet ne identidem ibi incidat, ubi iam antea cecidit. Sic gubernatorem faciunt pericula experta sollicitum, & in offensos portus nonnumquam veretur intrare, qui vel semel incurrerit ex securitate naufragium. Denique Scriptura divina: Qui non* D *tentatus est, inquit, qualia scit? ut ostenderet, per tentationis causam tentatum semper effici cautiorem, & per timorem magis corrigi, qui incautus antea fuerit, tentationis scientia.*

Dixerat Siracides v. præced. *Sapientia in ore fidelis complanabitur*; nunc explicat, quis sit ille fidelis, dicitque esse eum, qui tentatus est, & in tentatione mansit constans, & fidelis Deo Deique legi. *Tentatus* hoc loco vocatur, qui multis tribulationibus casibusque jactatus, multa expertus est, multaque experiendo didicit: uti tentatus est Abraham, cùm à Deo jussus fuit exire è patria, & peregrinari in terram Chanaan, in qua peregrinatione multa adversa passus, multaque expertus didicit, sapiensque & perfectus evasit. De experientia enim & sapientia, quæ peregrinando acquiritur, maximè agit hic Siracides, qui propter eam se in Ægyptum aliaque loca peregrinatum asserit. Ipse ergo eum vocat sapientem dignum cui creda-

omus, qui per tentationes à cælo eruditus est, & per multorum experientiam prudens doctusque evasit, ut possit & alios docere, consolari, mederi, consulere, dirigere.

Moral. hinc disce, tentationem non solum meritum nobis in terra, & præmium in cælo parare; sed etiam magnam intellectui lucem afferre, qua sapiens, imò sapientiæ, id est, prudentiæ & virtutis, magister doctorque evadat. *Sicut enim* ii, qui sæpiùs interfuere præliis, optimè norunt eorum pericula æquè ac eorum remedia, ac proinde hi optimi sunt belli duces: sic & qui sæpiùs cum dæmone colluctati ejus tentationes superarunt, optimè norunt, aliosque docent modum confligendi cum eo, ejusque tentationes superandi, uti verbo & exemplo docuit S. Antonius, S. Hilarion, Macarius, Arsenius, aliique Anachoretæ.

Vers. 10. VIR IN MULTIS EXPERTUS COGITABIT MULTA; ET QUI MULTA DIDICIT, ENARRABIT INTELLECTUM. QUI NON EST EXPERTUS, PAUCA RECOGNOSCIT: QUI AUTEM IN MULTIS FACTUS EST, MULTIPLICAT MALITIAM] Pro *in multis expertus* Complut. legunt πεπλανημένος, id est, qui multa peregrinando pervagatus est; rursum, qui in multis sæpius deceptus est. Romani verò legunt πεπαιδευμένος, id est, *eruditus*, edoctus, qui multa discendo, peregrinando, experiendo didicit: sive ergo unum legas, sive alterum, in idem redit sensus. Rursum pro *qui multa didicit* græcè est πολύπειρος, id est, *qui multa expertus est*. Hæc ergo tria idem, vel penè idem significant, nimirum eum qui peregrinando multa vidit & audivit, multaque per experientiam didicit. Huic opponit eum *qui non est expertus*, q. d. Qui multa vidit, audivit & expertus est; hic multa prudenter cogitabit, consulet & suggeret: idem, cùm experiendo multa didicerit, *enarrabit intellectum*, id est, multarum rerum cognitionem, intelligentiam & prudentiam, &, ut Tigurina vertit, *sapienter disseret*. at verò *qui non est expertus*, pauca cognoscit, & pauca enarrare potest; nimirum *experientia est rerum magistra*: & (ut ait Sapiens) *nihil sapientius experientia*. *Ipsa nos erudit experientia, ipsa vexatio dat intellectum*, ait S. Bernard. serm. 11. in psal. *Qui habitat*. Et S. Nazianz. in Jambicis.

Experientia rerum magistra.

Senex quidem sum, plurium at non nescius
Vitæ malorum: longa nam rerum parit
Usum: unde sæpè nascitur prudentia.

Idem orat. 12. *Experientia*, ait, *stultorum magistra.*

Quod sequitur: *Qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam*, obscurum est. Aliqui ut Lyranus, Hugo, Dionis. & Palacius pro *factus* legunt *fatuus*: cui favet Græcum πεπλανημένος, id est, deceptus, seductus, q. d. Qui in multis desipit & fatuus est, hic in multis errat & peccat. Verùm Rom. Rabanus & ceteri passim legunt *factus* non *fatuus*. Quod Primò, nonnulli apud Lyran. sic exponunt, q. d. *In multis factus*, inquiunt, *est discurrens per multa cognoscendo, sicut gallus ambulat super grana, & non figit intellectum suum in aliquo sufficienter exquirendo; hic multiplicabit malitiam: nam in nullo habet sufficientem notitiam, & per consequens habet inutilem & falsam doctrinam*. Et Dionys. Carthus. *In multis factus*, inquit, *id est, per diversa distractus, & corde per multa divisus, cùm unum sit necessarium.*

Secundò, alii, *In multis factus*, inquiunt, vocantur multa volens experiri, eaq; vana, curiosa, voluptuosa, quiq; multis se ingerit & immiscet: hic enim in multis peccat. Ita Rabanus, *Quid*, inquit, *vult insinuare in eo quod dicit, Qui in multis factus est, multiplicavit malitiam suam; nisi quòd ille, qui mutabilis est mente, & per multas curas ac sollicitudines sæculi divisus, instabilis est actione multorum vitiorum, criminibus sæpe fit obnoxius? Vel aliter, qui unitatem fidei perdendo, multiplices hæreticorum sectas delusus sequitur, multorum scelerum impietatibus implicatus perniciosè deservit, & malitiosæ mentis multam nequitiam ostendit.*

Tertiò, *in multis factus*, id est, in multis deductus: qui enim decipitur & seducitur, non tam facit quàm est factus; scilicet factus est insipiens, errans, gulosus, libidinosus, &c. quasi hic tres gradus & ordines hominum assignentur. Primus est eorum qui multa experiendo multa didicerunt. Secundus eorum, qui pauca experiendo pauca didicerunt. Tertius eorum, qui multa experti, sed in iis decepti & seducti sunt, ideoq; multiplicant malitiam, quam didicerunt, & in qua seducti corruptique sunt. Hos enim propriè significat Græcum πεπλανημένος, quod Noster ad verbum v. seq. vertit, *implanatus*. Unde Jansenius sic exponit: Qui in multis rebus errore deceptus est & desipit, hunc necesse est per errores suos multam committere malitiam, & sæpiùs peccare. Insinuatur ergo omni studio & labore comparandam sapientiam, quo & ab inscitia & à malitia liberi simus. Multi enim peregrinando corrumpuntur, & singularum gentium fraudes, nequitias, turpitudines addiscunt & imbibunt, quas deinde exercent per omnem vitam: quin & alios docent, uti patet in iis qui dum apud hæreticos peregrinantur, inficiuntur hæresi, magia, luxuria, ebrietate.

Quartò, valdè probabiliter noster Emmanuel Sà: *In multis factus*, inquit, hoc est, in multis regionibus rebusq; versatus, multa pervagatus, multa expertus; hic *multiplicat malitiam*, id est, malitiæ cognitionem sive astutiam, q. d. Hic comparat sibi magnam calliditatem, ut non facilè à malis decipi & in fraudem induci possit. Græcè enim est ὁ δὲ πεπλανημένος πληθυνεῖ πανουργίαν. ubi τὸ πεπλανημένος significare potest tam deceptum, quam eum qui multas oberravit regiones multaque expertus est. Series ipsa orationis magis poscit hoc secundum significatum, Unde Romani vertunt, *qui autem vagatus est multiplicat astutiam*: Græcum enim Πανουργίαν, significat calliditatem & astutiam, tam bonam, quæ prudentiæ pars est; quàm malam, quæ nequitia est fraus & malitia. Alii vertunt, *qui autem oberravit multus est calliditate*. Favet huic expositioni antithesis hujus hemistichii cum priore. Opponit enim illum *qui in multis factus est*, ei *qui non est expertus*: ergo *in multis factus*, idem est quod *multa expertus*. Sicut enim experientia est causa scientiæ & prudentiæ, sic inexperientia est causa ignorantiæ & imprudentiæ. *Expertus* ergo *multiplicat malitiam*, id est calliditatem, qua malitias & fraudes omnes cognoscat & caveat, vel astutè eludat. Sic *malitia* & *nequitia* subinde sumitur pro calliditate & vafritie: ac malitiosus vocatur versutus, callidus, astutus, fallax, ut videre est apud Ciceron. lib. 3. de Oratore. Præsertim quia Hebræi sæpè nomina & verba accipiunt in actu, non reali, sed mentali; ut cum Jeremias audit à Deo c. 10. *Constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices, & plantes*; id est, ut prænoscas, prænunties & prophetes, has gentes à me esse disperdendas, illas verò ædificandas & plantandas. vide ibi dicta. Simili tropo & schemate *malitiam* hic accipias pro malitiæ cognitione, sive calliditate.

QUI TENTATUS NON EST, QUALIA SCIT? QUI IMPLANATUS EST, ABUNDABIT NEQUITIA] Pro *implanatus* Hugo legit *implantatus*; id est; inquit, in Script. & moribus infundatus (non fundatus) vel inconstans mutabilis. Et Dion. Carthus. *implantatus*, ait, id est, non radicatus in Deo per timorem & humilitatem, uti sunt justi, de quibus dicitur psal. 19. *Plantati in domo Domini*. Verùm legendum est *implanatus*. Sic enim legunt codices Romæ correcti. Hic versus deest in Græco & Syro, ac in Latino codice Rabani. Unde Franc. Lucas & Jansenius suspicantur, imò planè asseverant, hunc versum irrepsisse, vel adiectum esse ex altera versione facta ex Græco versus præced. qui sic habet: ὃς οὐκ ἐπειράθη ὀλίγα οἶδεν, ὁ δὲ πεπλανημένος πληθυνεῖ πανουργίαν, quod v. præced. Noster vertit, *qui non est expertus, pauca recognoscit: qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam*; hic verò vertit, *qui non est tentatus, qualia scit? qui implanatus est, abundabit nequitia*. Τὸ enim πεπλανημένος duo significat, Primò, vagatum per multa, quem v. præced. vocavit *factum in multis*. Secundò, deceptum, quem hoc versu retenta Græca voce vocat *implanatum*: de qua voce plura dixi cap. 15. 12. Et utraq; versio huic loco congruit, unaq; alteri subordinatur & subservit. Qui enim peregrè proficiscuntur, & per exteros vagantur, hi sæpè ab incolis aliisq; decipiuntur; ac decepti fiunt cauti, discuntq; sapere, ne amplius decipiantur. Porrò ejusdem sententiæ & Scripturæ varias subinde extare versiones, etiam Canonicas, ostendi can. 8. in S. Paulum.

Vers. 11.

Sensus ergo est, q. d. Qui non est tentatus, græcè ἐπειράθη, id est, expertus multa (*tentare* enim est experiri vel experimentum capere) *qualia scit?* q. d. Pauca & modica scit: qui verò in multis tentatus, multaque vagando expertus, sæpiùs *implanatus*, id est, deceptus est; hic utique abundabit nequitia, græcè πανουργίᾳ, id est, astutia & calliditate, ut nequitias aliorum norit pervidere & declinare, vel

callidè

callidè eludere. ita Emanuel Sà. Unde Complut. vertunt, *qui non est expertus, novit pauca: at qui deceptus est;* Rom. *qui vagatus est multiplicat astutiam;* Tigur. *qui non est tentatus, pauca novit: qui verò deceptus fuerit, accessionem fecerit calliditatis;* alii, *qui non est tentatus, pauca novit: at qui oberravit, multa est calliditate.* Denique Syrus tres hosce versus ita clarè reddit, *vir sapiens investigat multum, & qui prosperatur omnia explorat. Qui non est expertus, parum novit: & qui expertus est, multiplicavit sapientiam.* Sic Plato peregrinatus est in Ægyptum, ibique didicit sapientiam ab Hebræis traditam Ægyptiis: idem peregrinando multa pericula subiit, multasque ærumnas, fraudes & casus expertus est. Idem fecit Solon, Pythagoras aliique philosophi, ac inprimis Apollonius Tyaneus, teste S. Hieron. epist. ad Paulinum. Quin & S. Hieron. Græciam, Galliam, Asiam, Syriam, Palæstinam, Ægyptum sapientiæ & virtutis studio, ut scilicet videret sanctos Anachoretas & Religiosos, ab iisque vitam Religiosam edisceret, peragravit: in qua peregrinatione multa discrimina, labores, eventus se subiisse ipse testatur. Huc facit illud Democriti apud Stobæum serm. 38. qui interrogatus *ad quid peregrinatio prodesset?* Respondit: *Vitæ frugalitatem docet.* Offa quippe & thorus herbaceus peregrinanti famis ac laboris dulcissimæ medelæ sunt.

Peregrinatio docet sapere.

VERS. 12. MULTA VIDI ERRANDO (ita Roman. & Græca. Perperàm ergo Dionys. & alii legunt, *enarrando*) ET PLURIMAS VERBORUM CONSUETUDINES] q. d. Multa vidi oberrando per varias regiones & academias studii & experientiæ causa, & plurimas verborum, id est rerum & hominum, consuetudines. *Verbum* enim sæpè ponitur pro re verbo significata per metonymiam. Legit Interpres συνήθειαν, id est, consuetudines: jam legunt σύνεσίς μου, id est, prudentia mea. Sic enim habent Græca, πολλὰ ἑώρακα ἐν τῇ ἀποπλανήσει μου, καὶ πλείονα τῶν λόγων μου σύνεσίς μου. quod Romani vertunt, *Multa vidi in circumerratione mea, & plura verborum meorum intellectus meus;* sicque explicant, q. d. His ipsis sententiis, quas alios doceo, magna ex parte ipsemet usus sum, earumque veritatem experiendo intellexi. Complut. verò τὸ ἀποπλανήσει accipientes in altero significato, quod deceptionem notat, sic vertunt, *multa vidi in deceptione mea, & fictiones verborum intellectus meus.* Pro πλείονα enim, [illegible] est *plurima*, legunt πλάσματα, id est, *fictiones*, quibus scilicet idem verbum, id est eadem res, apud varias gentes variè fingitur, formatur & efficitur. Vatab. vero legens πλάγματα vertit, *sermonumque meorum technis sapientia mea constitit;* Tigur. verò legens πλείονα: *Multa*, inquit, *vidi per errores meos, pluraque, quàm dicam, intelligo;* alii, *multa vidi in oberratione mea, pluraque quàm dicere possum, intelligo.* q. d. Multa oberrando varias urbes vidi, & plura intellexi didicique, quàm sunt ea quæ hoc libro conscribo. Syrus, *multum vidi cùm expertus sum, & res multæ transierunt super me.*

VERS. 13. ALIQUOTIES USQUE AD MORTEM PERICLITATUS SUM HORUM CAUSA, ET LIBERATUS SUM GRATIA DEI] Græca aliter hæc nectunt, aliumque dant sensum: *Sæpe*, inquiunt, *usque ad mortem periclitatus sum, & salvatus sum horum gratia*, puta, multa pericula evasi, & salvatus sum per meam experientiam & prudentiam studio & peregrinatione comparatam. Unde Tigurina, *in periculum mortis sæpe veni, rursumque per hæc evasi;* Syrus, *multis viribus ad mortem perveni, & liberatus sum propter eas.* Noster meliùs & pientiùs τὸ *horum causa* jungit cum *periclitatus sum*, & ad τὸ *liberatus sum*, addit *Dei gratia*. q. d. Ego varias regiones oberrando & lustrando sæpiùs in pericula latronum, naufragii, hostium, aliaque, quæ mortem mihi minabantur, incidi: at Dei gratia me, utpote sapientiæ suæ studiosum, Deique amantem & reverentem, ab omnibus eripuit & protexit. qua occasione transit ad commendationem fidelitatis Dei, qui sui cultores ubique tutatur & protegit.

VERS. 15. SPIRITUS TIMENTIUM DEUM QUÆRITUR, ET IN RESPECTU ILLIUS BENEDICETUR, (ita Rom. Minùs rectè ergo aliqui legunt, *& in conspectu illius benedicentur.*

VERS. 15. SPES ENIM ILLORUM IN SALVANTEM ILLOS, ET OCULI DEI IN DILIGENTES SE] Græca recisa posteriore parte utriusque sententiæ, eam in unam hanc conflant, *spiritus timentium Dominum vivet: spes enim illorum in salvantem illos;* Tigurina, *spiritus reverentium Dominum vincet: spes enim ipsorum sita est in servatore suo;* Syrus, *voluntatem timentium se facit Deus, quia magna est spes eius, & liberat.* q. d. Magnæ virtutis & efficaciæ est sperare in Deum: nam ipse omnes in se sperantes liberat. Noster de more uberior & plenior est, ac pro ζήσεται, id est *vivet*, legit ζητηθήσεται, id est, *requiretur*. Siracides enim opponit spei, quam insipientes ponunt in somniis, auguriis & divinationibus, spem in Deum, ut ab illa eos avocet & ad hanc traducat. q. d. O vos, qui vanè confiditis in divinis, auguribus & oniromantis audite me, qui hæc omnia vidi, & expertus deprehendi esse vana & fallacia, spem verò solidam sitam esse in solo Deo: hic enim ex omnibus periculis me liberavit. *Nam spiritus timentium Deum* non negligetur, sed exactè *requiretur* ab eo, ut illum in quibusvis periculis servet, eruat, custodiat: *& in respectu illius*, id est, cùm cœperit Deus benignitatis suæ oculo in illum respicere, *benedicetur*, id est, ex beneficentiæ Dei pelago omnem salutem, omnem opem, omne bonum consequetur. Causam subdit: *Spes enim illorum in salvantem illos:* q. d. Deus servabit timentes se; quia ipsi omnem suam spem collocarunt non in divinis, somniispicibus & auspicibus, sed in solo Deo. *Oculi* autem *Dei* toti intenti sunt in sperantes & *diligentes se*, ut opportunè eos liberet à malis omnibus, & bonis omnibus cumulet, juxta illud Psaltis psal. 24. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Ipse enim dixit & promisit: *Sanguinem* (consequenter vitam, & spiritum: spiritus enim non est aliud, quàm purior & nobilior sanguis) *animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis*, Genes. 9. 5. Et psal. 9. 13. *Requirens sanguinem eorum recordatus est.* Et Ezech. 3. 18. *Sanguinem eius de manu tua requiram.*

Sperans in Deum ab eo benedicitur.

Nota Primò, v. præced. dixit Siracides, se à Deo sæpiùs liberatum a morte: nunc id extendit ad omnes Deum timentes, asseritque, quòd omnis spiritus timentium Deum ab eo requiretur, ut liberetur: quodq; ille spiritus respiciens in Deum vicissim ab eo respicietur, & omni beneficio afficietur. Nam sicut timentes Deum in eum oculos suos coniiciunt, ut ab eo salventur: sic vicissim Deus in eos oculos suos coniicit, ut liberet & salvet.

Nota Secundò, oculos timentium Deum in ejus conspectu benedicendos, juxta illud: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi: auxilium meum à Domino.* Et illud: *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Ergo commodissimè viri pii curant oculos suos continenter in Deum coniicere, juxta illud: *Providebam Dominum in conspectu meo semper.*

Psal. 120. *Psal. 122.* *Psal. 15.*

Nota Tertiò. *Si tu figis in Deum oculos, figet & ille in te.* ò beatissimum gratiæ redditorem! Ergo si in ullam calamitatem incideris, intellige te coram oculis Dei incidere; ac ideò, si tibi expedierit, ab ea divelleris. ita Palacius. Vide S. Bernardum in psalm. *Qui habitat.* serm. 15. & ceteris. Huc facit oratio S. Francisci ad impetrandum divinum amorem: *Absorbeat, quæso, Domine, mentem meam ab omnibus quæ sub cælo sunt, ignita & melliflua vis amoris tui; ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori; per temetipsum Dei filium, qui cum Patre, &c. Amen.*

Ardens oratio S. Francisci.

Anagogicè, Deus requirit spiritum patientium & Martyrum, ut eum beet & glorificet cùm corpus affligitur, continetur, occiditur, Unde Christus: *Nolite*, inquit, *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, Matth. 10. 28. & S. Joan Apocal. 14. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* Nam *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, psal. 115. 15. *Spes præmii solatium est laboris*, ait S. Hieron. Nam. ut ajebat Socrates: *Sicut vir sine muliere non sufficit, sic nec spes sine labore.*

VERS. 16. QUI TIMET DOMINUM, NIHIL TREPIDABIT, ET NON PAVEBIT; QUONIAM IPSE EST SPES EJUS] Τὸ *trepidabit* & *pavebit* sumitur more Hebræo in actu non inchoato, sed perfecto, q. d. Trepidatione & pavore non superabitur, non obruetur, trepidationi & pavori non succumbet, sed eum spe opis divinæ vincet & superabit. Unde Romana pro οὐδὲν, id est *nihil*, uti legunt Complut. & Noster, legunt οὐ, id est, *non trepidabit:* ac trepidare

Justus nil timet.

& pavere dicuntur illi qui timore vincuntur: hi enim tremuli trepidant & expavescunt; Tigurina, *qui Dominum reveretur, nil formidat, aut metuet, quia spes eius ipse est.* Alludit ad Prov. 28. 1. *Justus quasi leo confidens absque terrore erit.* ubi proximo opere plura Deo dante hac de re dicam. Et ad psal. 124. 1. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum.* Et ad psal. 22. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et psal. 26. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Quæ intelliguntur dum Deus spes justi est: si enim ab eo oculos divellas, incipies cum Petro in mari submergi. Item intellige de eo qui perfectè Deum timet, cujus perfecta charitas foras mittit timorem. quòd si Christum vides timentem & paventem, promptitudinem spiritus, non verò infirmitatem carnis, advertas: quòd si justus nihil timet innumera quæ sunt in hoc sæculo mala, quia sentit quòd Deum secum habet, num non beata est ejus anima? inquit Palacius.

Aristot. libr. de Partib. animal. scribit animalia quædam valdè timida difficiliùs cicurari, & ad mansuetudinem traduci: sæpè enim videmus ex animantibus leones tigridesque mites fieri; lepores autem non ita: ex avibus etiam aquilas, hierofalcos, & id genus audaces quasdam alites, cicures passim conspicimus; turtures autem, passeres, & aliæ quædam timidiores aviculæ, nullis poppysmis mansuescunt. Ratio autem est in promptu, quia illa quæ timidiora sunt, ne sese cicuranti omnino credant, timor ipse in causa est; cùm contrà audacioribus illis ipsamet audacia fiduciam inspiret. Si ergo hæc ita se habent, qua demum ratione fieri potest, ut timor Dei efferos hominum animos ad mansuetudinem traducat? Hujus rei rationem nobis offert ipsa timoris Dei natura, per quam non consternatur & Ratio à priori. deiicitur, sed magis erigitur & acuitur hominum animus: qui enim Deum ex animo timet, confestim reliqua omnia timere desinit, juxta illud Proverb. cap. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis eius erit spes.* Lege Augustinum serm. 214. de Temp. ubi postquam verba illa expendit: *Timor Domini spes fortitudinis;* sic demum absolvit: *Discat timere, qui non vult timere: discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus: nam sicut in bona valetudine fames, non fastidio, sed cibo pellitur: ita in bona mente timor non vanitate, sed charitate pellendus est: discute ergo conscientiam tuam, & time Deum, quisquis timere iam non vis.*

Memorabile est exemplum S. Joannis, qui à silentio perpetuò cognominatus est Silentiarius. Hic enim dum Alamundarus cum suis Saracenis invaderet Palæstinam, ceteris fugientibus, solus ipse in monasterio remansit, dicens: *Si Deus mei curam non gerit, ut quid vivo?* Nec eum spes aut Deus fefellit; misit enim ilicò leonem, qui Joannem custodiret die ac nocte, cumque ubique comitaretur, ac contra Saracenos tutaretur, uti refert oculatus testis Cyrillus in ejus Vita. Quare verè S. Damascen. ex Didymo in Parall. lib. 1. cap. 4. *Fieri,* inquit, *non potest, ut qui Dei timore præditus est, meticulosus sit; cùm illud Scripturæ monumentis proditum sit; Præter illum ne quemquam alium metuas.*

Præclarè S. Ambros. lib. 1. epist. 7. ad Simplician. *Ubi,* inquit, *sapientia, ubi virtus animi, ibi constantia & fortitudo: sapiens manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicatus fide. Sapiens ergo defectus rerum ignorat, & varium animum nescit, sed fulgebit sicut sol iustitiæ, qui in regno Patris sui fulget.* Et lib. 2. de Abraham cap. 10. *Non potest,* inquit, *bonus atque perfectus non esse, qui hanc acquisierit: quia & omnem habet virtutem, & imago bonitatis est.* Huc facit illud Sixti vel Sexti Philosophi sententia 277. & 304. *Sapientum animæ insatiabiles sunt in amore Dei. Particeps Dei est vir sapiens. Nihil tale post Deum, sicut sapiens.*

VERS. 19.

VERS. 18. TIMENTIS DOMINUM BEATA EST ANIMA EJUS. AD QUEM RESPICIT (græcè, τίνι ἐπέχει, id est, *cui attendit* vel *intendit*?) ET QUIS EST FORTITUDO EJUS?] *Beata est*, tum in spe, quia per timorem & amorem Dei sperat, certoque assequetur speratam à se beatitudinem cælestem: tum in re, quia beatitudo hujus vitæ consistit in timore filiali, hoc est, in amore Dei; quia per eum fit amicus, filius & heres Dei ac coheres Christi: quare ut filius à Deo protegitur, dirigitur, omnique bono cumulatur. Tigurina, *reverentis Dominum beata est anima: quem enim spectat, aut quo nititur?* Syrus, *qui timet Deum, beatus est spiritus eius: in quo confidet, & quis sibi ille sustentator?* Pro *fortitudo*, græcè est στήριγμα, id est, firmamentum. ita Complut. alii legunt ἀντιστήριγμα unde nervosè vertunt, *quisnam eius adversus calamitates fulcimentum?* Cui interrogationi respondet v. sequ. dicens: *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ,* &c. q. d. Timentis Deum anima est beata, quia respicit, innititur & fulcitur non homine, non angelo, sed Deo ipso omnipotente, qui suos ab omni malo protegit, & omni bono ditat beatque. ita Rabanus. Jansenius verò hæc quasi per admirationem dicta accipit, q. d. O qualis & quantus est ille in quem timens Deum suam collocat fiduciam, semper ad illum respiciens! Quantus est ille cui ipse innititur, & quem pro sua fortitudine habet, dicens: *Diligam te Domine fortitudo mea!* Hic sensus nervosior, sed prior simplicior est. Præclarè S. Gregor. Nazianz. in Distichis: *Alii,* ait, *aurum, alii epiparè instructas mensas, hoc est, vita ludibria, alii sericas telas, alii frugiferas terras, alii denique quadrupedum greges in pretio habent; ego verò Christum amplissimarum opum instar duco: quem utinam aliquando nuda mente purè mihi intueri contingat: cætera autem mundus habeat.*

S. August. lib. 1. de Consensu Evang. cap. 17. quærit cur Romani colentes deos omnium gentium, non coluerint Deum Hebræorum, cùm Hebræos, æquè ac alias gentes, subjugassent. *Nam,* inquit, *coluerunt aliarum gentium deos, quas Romanum subiecit imperium, præsertim cùm eorum sententia esset, omnes deos colendos esse sapienti;* ac respondet, dicens; *Nihil restat ut dicam, nisi quia solum se coli voluerit:* q. d. Quia Deus Hebræorum, utpote verus & solus, totum poscebat cor, totum affectum, nec eum in alios dividi patiebatur. insulsè ergo maluerunt illo carere, quàm reliquis omnibus. Igitur Deus noster in se solum vult respici, solus vult amari & coli, quia solus divino, id est, omni amore & honore est dignus. Et qui hoc facit, sentiet quòd ipse solus sit fortitudo, gloria, omneque bonum nostrum. Deus vult ut in ipso solo speremus.

OCULI DOMINI SUPER TIMENTES EUM.] Tigur. *amatores suos respicit Dominus.* q. d. Oculi Dei jugiter respiciunt & intenti sunt in timentes se, ut eos dirigant, protegant, liberent & donis omnibus locupletent. Deus totus est oculus. Nota. Oculi Domini lucidissimi sunt, benignissimi & potentissimi: quocirca & omnes necessitates timentium se conspiciunt, & eorum miserentur, eisque succurrere possunt & volunt. Hinc Deus totus est oculus. *Deus,* ait Plinius lib. 2. cap. 7. *totus est sensus, totus visus.* Unde Θεὸς, id est Deus, ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι dicitur, id est, *à videndo*, ait Damasc. lib. 1. de Fide cap. 10 quia Deus omnia etiam secretissima & intima cordis pervidet. Ipse enim, ut ait S. Aug. totus est lux, imò ipse est prima increata & immensa lux omnia illuminans. Tiberius Cæsar teste Plinio lib. 11. cap. 38. & Sveton. in Tiberio cap. 66. oculos habebat splendidos, adeò ut nocte in tenebris sine lumine ex hoc solo oculorum suorum splendore litteras videret & legeret. Sic & C. Marius ex oculis radios vibrabat, quibus percussus & perculsus restitit is qui eum occidere destinarat, teste Plutarcho in Mario. Multò lucidiores & fulgidiores oculos habet Deus, qui omnia circumspiciunt, omnia lustrant, imò illuminant & illustrant: sunt enim instar Solis, imò longè radiantiores sole, uti dixi cap. 23. 28. Cogita si regis alicuius oculus tam magnus, tam lucidus esset, quàm est sol: quid non videret, quid non illuminaret? Atqui Dei oculus est instar Solis, imò longè major & lucidior sole. quis ergo ejus aspectum & lucem fugiat? Quocirca Psaltes psal. 138. *Et dixi,* inquit, *Forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis: quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.*

Porrò uti lucidissimi, sic & utrimque justissimi sunt Dei oculi, ut & quemque non timentem se pro demeritis castiget. Unde Beda in Proverbiis: *Ante Dei vultum,* inquit, *nil pravi constat inultum.* Quin & Seneca in Proverb. *Nullum,* ait, *putaveris esse locum sine teste.* Quare meritò suspirat S. Bernardus serm. 15. in psal. *Qui habitat: O, si mihi,* ait, *contingeret certum esse, nihil esse in omnibus nobis illum offendens oculum, qui solus perfectè novit quid sit in homine, videns in eo & quod in se ille non videt!*

PROTECTOR (scilicet est, Dominus, qui immediatè præcessit,) POTENTIA, FIRMAMENTUM VIRTUTIS, TEGIMEN ARDORIS, ET UMBRACULUM

RUM MERIDIANI. DEPRECATIO OFFENSIONIS, ET ADJUTORIUM CASUS, EXALTANS
Vers. 20. ANIMAM, ET ILLUMINANS OCULOS, DANS SANITATEM, ET VITAM, ET BENEDICTIONEM] Decem illustria dat Deo epitheta, ut iis ostendat, quantus sit ille, in quem timentes Deum sperant, ut meritò idcircò beati censendi sint. *Ipse enim*, ait Rabanus, *est protector potentiæ, ab omni adversitate protegens eos: firmamentum virtutis, confortans illos: ipse est tegimen eorum contra ardorem tentationis, & umbraculum contra validum æstum persecutionis (hunc enim meridies significat:) ipse est propitiatio delens delicta offensionis: hic præbet adjutorium suis, ne cadant in peccatis maximis: exaltans animas fidelium sursum in culmine perfectionis, & illuminans oculos mentis eorum, præbens eis gratiam internæ contemplationis: dat ipsis sanitatem incorruptionis, vitam immortalitatis & benedictionem perpetuæ hæreditatis: Venite, inquit, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.*

Quinque paria epithetorum Dei. Porrò hæc decem epitheta in quinque paria partiri & combinare possumus. Primum par est *protector potentiæ*, id est, potens, q.d. Deus sua potentia, quæ est omnipotens, quasi clypeo impenetrabili, protegit timentes se.
Primum. Idem est *firmamentum virtutis*, id est roboris, hoc est, robustum, ut ei securè inniti liceat, utque per illud omnia fortia aggredi audeamus, eaque operè compleamus. Græca pulchrius & significantius habent, ὑπερασπισμὸς δυναστείας, καὶ στήριγμα ἰσχύος, quod Tigurina vertit, *Dominus est potens præsidium, firmamentumque validum*; alii, *dominus est protectio potentissima, & fulcimentum validissimum*; Syrus, *Dominus fiducia est magna, & protegens ab inimico*. Propriè ὑπερασπισμὸς est defensio & propugnatio, quæ fit per scutum; ἀσπὶς enim est parma, clypeus, scutum propriè rotundum, quo utebantur Lacedæmonii; sicut πέλτη, quo Thraces: inde ἀσπίζω est clypeo protego: ἀσπιστὴς est bellator scutatus: ὑπερασπίζω, est strenuè defendo & propugno: ὑπερασπιστὴς, est strenuus propugnator, qui clypeo suo aliquem protegit. Sicut ergo Gedeon, Jephte, Samson, David, Judas Machabæus, &c. fuere hyperaspistæ Israelis sive Judæorum: sic Deus est hyperaspistes & propugnator acerrimus omnium se timentium. Alludit ad illud Dei ad Abraham Genes. 15. 1. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum*; Hebr. *anochi magen lach*, id est, *ego sum scutum tuum*; Septuag. *ego hyperaspistes tuus*. Vide ibi dicta, & ad illud psalm. 90. 14. *Scuto circumdabit te veritas eius*. Et psalm. 5. 13. *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*. Hæc magna piorum est consolatio, quòd Deus eos circumdet & protegat instar scuti, excipiens, scilicet, & infringens omnia tela, quæ à dæmone, carne & mundo in pios jaciuntur, ita ut priùs Deum tangere debeant, quàm ad pios pervenire queant: à Deo autem repelluntur vel eliduntur, ut ad pios neutiquam, vel non nisi refracta, elisa, infirma & languida perveniant.

Porrò Deus protector triplicem suis adhibet custodiam: Primam, hominum; Secundam, angelorum; Tertiam, sui ipsius. Audi S. Bernard. serm. 15. in psalm. *Qui habitat: Quoniam in me speravit, liberabo eum. Non in vigilibus, non in homine, non in angelo, sed in me, inquit, speravit: nihil boni nisi ex me, ne per ipsos expectet. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, Iac. 1. Ex me vigiliæ hominum utiles, circa opera utique manifesta: eis nimirum custodes homines deputavi. Ex me excubiæ angelorum observantium, secretos motus spiritualiter sollicitantium, propulsantium suggestores iniquos. Ceterùm intima sane custodia secretissimæ intentionis, non modò ex me, verùm etiam per me fiat necesse est; quòd illo quidem humanus nequeat, sed nec angelicus quoque, oculus penetrare.* Solus enim Deus illabitur cordi, ejusque intimas cogitationes & intentiones novit, tutatur & dirigit, juxta illud Hebr. 4. 12. *Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.*

Secundum. Secundum epithetorum Dei par est: *Tegimen ardoris, & umbraculum meridiani*, græcè σκέπη ἀπὸ καύσωνος, καὶ σκέπη ἀπὸ μεσημβρίας, id est, *tegmen ab ardore, & tegmen à meridie*; Tigurina, *tegumentum ab æstu, umbraculum à meridie*; alii, *tegumentum adversus æstum, & tegumentum* A *adversus meridiem*; Syrus, *liberans ab peste & eripiens à plaga*. q.d. Deus timentibus se est quasi tegmen contra ardorem, & quasi umbraculum contra æstum meridianum tentationis & tribulationis cujuslibet. Tribulationes enim cruciant urunt que hominem instar æstus & ardoris. Alludit ad illud Isaiæ 4. 6. *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluvia*. q.d. Deus instar columnæ nubis tabernaculo incumbentis, Hebræorum castra præibat, eosque quasi umbella protegebat ab æstu, Exodi 13. 21. & Numer. 9. pari modo deducet suos in terram promissam, putà in cælum, eosque proteget ab æstu tentationum & adversitatum. Alludit quoque ad psal. 90. 5. *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, &c. ab incursu, & dæmonio meridiano*; Chaldæus, *à caterva dæmonum qui grassantur in meridie*. Hebr. est קטב *Keteb*, quod aliqui, teste S. Hieron. dicunt esse dæmonem certum qui meridie grassatur, sicut דבר *deber*, qui noctu. ita R. Salomon & alii. S. Hieron. vertit, *à morsu insidiantis meridie*. Sensus est, q. d. Deus te, si eum timeas, tutabitur, ut non timeas à dæmone &
B ejus asseclis tyrannis in *meridie*, id est, palàm & media luce grassantibus, teque oppugnantibus: q. d. Tutus eris à malo, quod vel die vel nocte, vel palàm vel occultè, scienti tibi vel ignoranti, ait S. August. dæmon vel homo, machinari posset, sive privatim, sive publicè per inundationes, incendia, tempestates, vastitatem agrorum, persecutiones, bella, excidia, &c.

Tertium par est, *Deprecatio offensionis, & adjutorium casus*, græcè φυλακὴ ἀπὸ προσκόμματος, καὶ βοήθεια ἀπὸ πτώσεως, *Tertium.*
id est, *custodia ab offensione, & adjutorium à casu*. Igitur Deus dicitur *deprecatio offensionis*, scilicet, passiva vel objectiva, hoc est, à quo deprecamur custodiam, (ut habent Græca) ne uspiam offendamus & impingamus: idem est *adjutorium*, ne cadamus; vel, si ceciderimus, ut illicò resurgamus. Est hebraismus: Hebræi enim sæpè activa sumunt pro passivis, abstracta pro concretis, potentiam pro objecto. Sic passim in psalmis Psaltes ait Deo: *Tu es spes mea*, id est, objectum spei meæ, sive res à me sperata: *tu es gloria mea*, id est, objectum gloriæ meæ, tu es in quo & de quo glorior: *tu es patientia mea*, id est, is propter quem patior. Sic hic Deus dicitur *deprecatio offensionis*, id est, is quem deprecamur, necubi nos offendere & labi permittat;
C nam *deprecari* & *precari* sunt contraria: precamur enim bonum, ut detur: deprecamur malum, ut à nobis avertatur. Hinc Ovidius lib. 1. de Ponto elegia 2.

Sæpe precor mortem, mortem quoque deprecor idem.

q. d. Nunc precor mortem, ut me tollat: nunc deprecor, ne me tollat, q. d. Nunc vellem mori, nunc nollem. Sic deprecari periculum est illud avertere, & precari ne eveniat. Hinc *deprecari* per metalepsin est amoliri & depellere, ut cùm ait Cicero orat. 4. in Verrem: *Nunc verò quid faciat Hortensius? avaritiæne crimina frugalitatis laudibus deprecetur?* id est, depellat, & ita efficiat, ut ne quis avarus existimetur, sed magis frugalis. Et orat. pro Plancio: *Nec me solum deprecatorem*, id est, servatorem, *fortunarum tuarum, sed comitem sociumque profitebor*. Et Plinius lib. 28. 2. *Etiam parietes incendiorum deprecationibus conscribuntur*, id est, certis verbis, quæ vim habeant avertendi incendia ab ædibus. Sic quoque Deus est *deprecatio*, id est, deprecator, hoc est, servator, depulsor & propulsator *offensionis*. Atque hic sensus magis congruit cum Græco. Igitur Deus est *deprecatio*, hoc est, amolitio sive amotio *offensionis*; putà, custodia ab
D offensione ut habent Græca. q.d. Deus est custodia, id est, custos, qui suos ab offensa custodit eamque longè ab eis amovet & amolitur. Minùs genuinè ergo Raban. & Lyran. sic exponunt: *Deus est deprecatio offensionis*, id est, *deprecationem pro offensione exaudiens*. Esto hic sensus aliis jam datis subserviat, cum iisque cohæreat.

Quartum epithetorum Dei par est, *Exaltans animam, & illuminans oculos*; Tigur. *animam evehit, oculos illuminat*; Syrus, *lætitia cordis, & lumen oculorum*. q. d. Deus est, qui animam in malum quodlibet, sive culpæ, sive pœnæ & adversitatis cujuslibet prolapsam erigit. Idem est, qui oculos mentis tum ignorantia cæcutientes, tum mœrore tabescentes illuminat, exhilarat & lætificat. Lux enim, quia exhilarat, hinc symbolum est lætitiæ, sicut caligo tristitiæ. Igitur Dominus est in latere justorum, ut suos oculos in eorum necessitates intendat. Illis est *protector* potens, quia eos defendit à malo; & *firmamentum* forte, *Quartum.*

quia

quia ipsos stabilit in bono; illis est *tegimen* ab æstu, cùm à malis corporis protegit; & *umbraculum* à meridie, cùm à superbia, ex bonis successoribus emergente, liberat. Illis est depulsor *offensionis*, ne scilicet in malum cadant: & *adiutorium casus* ne in dolos adversariorum impingant. Eorum tandem *animas* gratia *exaltat*, eorum mentes sapientia *illuminat*, & illis omnia bona per *sanitatem*, *vitam* & *benedictionem* signata communicat.

Quintum. Quintum par est, *Dans sanitatem, vitam & benedictionem*; Tigur. *medicinam & vitam offert ac prosperitatem*; Syrus, *est sanitas vitæ & benedictionis*, non formaliter, sed causaliter. q. d. Deus est qui dat sanitatem corpori & menti, ac vitam tum naturalem animæ, tum supernaturalem gratiæ & gloriæ. Denique *benedictionem*, id est, omne bonum, tum præsentis vitæ, tum futuræ & æternæ. Addit Syrus, *omnia hæc dupla super iustos veniunt*.

Præclarè S. Bernard. libr. 5. de Consider. Ad Eugen. cap. 11. Deum ita definit, vel potiùs describit: *Quid est Deus? quod ad universum spectat, finis: quod ad electionem, salus: quod ad se, ipse novit. Quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo: creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. Quid est Deus? Non minùs pœna perversorum, quàm humilium gloria. Est enim rationabilis quædam æquitatis directio, inconvertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens ubique: cui illisa omnis pravitas, conturbetur necesse est. Quidni in hac omne tumidum vel distortum impingat & conquassetur?*

Dei pulchra descriptio.

Symbola crucis Christi. Symbolicè & propheticè Palacius censet, per hæc epitheta quasi hieroglyphica denotari passionem & crucem, novemque dotes & fructus Christi crucifixi: Porrò, inquit, sub illis divinis epithetis, quæ Deo Ecclesiasticus tribuit, latent eximiæ & excellentissimæ Christi laudes. Cùm audis, Deum esse *protectorem* seu clypeum, intelligis Christum pro nobis vulnerandum: nam clypeus excipit vulnera, quæ erat excepturus in pugna is qui clypeo protegitur. Qua ratione etiam dicitur murus & antemurale. Secundò, cùm audis, Deum esse *firmamentum* (cui scilicet domus innititur) intelligis Christum esse vehementer humiliandum, ut esset Ecclesiæ fundamentum, cui illa niteretur, ne flumina & venti, in eam irruentes possent in ruinam impellere. Tertiò, dum audis Deum esse *tegimen ardoris*, intelligis Christum fuisse pastorem, qui, ut sol non noceret ovibus, solis ardori se objecit meliùs quàm Jacob, qui ita suum munus pastorale commendat: *Die noctuq; æstu urebar & gelu*, Genes. 31. 40. Quartò, cùm audis Deum esse *umbraculum à calore meridiano*, intelligis Christum hora sexta crucifixum, id est, meridie; & tunc ardorem urentis Solis, id est, justitiæ divinæ, in se excepisse, juxta illud: *Super me transierunt iræ tuæ*, scilicet, rigorem justitię Dei (qui nos erat adusturus) Christus in se excepit, ac ideo nobis solem in umbram redegit. Quintò, cùm audis Deum esse *deprecationem offensionis*, intellige Christum & in cruce & in cælo deprecari Patrem, in nos pro nostris offensis sæviat. Tum etiam deprecari nos, ne eum offendamus. Sextò, cùm audis Deum esse *adiutorium casus*, id intellige, cùm nos cadendo decidimus in mortem & infernum, Christus inde nos erepturus in mortem & infernum descendit, ut manum nobis lapsis porrigeret. Septimò, quod dicit, *exaltans animam*, sic intellige, Christus nos secum in cælum exaltabit; ut, sicut descendit in inferiores partes terræ ad nos erigendos, ita ascendit in summas partes cæli ad nos sibi jungendos. Octavò, cùm dicit, *illuminans animam*, docet fore, ut in cælo ejus lumine videamus lumen, id est, in lumine gloriæ gloriosi simus futuri. Nonò, cùm ait, *dans sanitatem & vitam & benedictionem*, notat, qualis erit æternitas gloriæ, quam electis Christus est daturus, scilicet salus, vita & omnia bona. Ibi enim *inebriabuntur ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis* potabuntur, *quia apud te* (inquit) *est fons vitæ*, psal. 35. v. 9. & 10.

VERS. 21. Docuit hactenus Deum protegere & benedicere timentes se: nunc docet, quinam illi sint, & in quo timor, id est, cultus & reverentia Dei, consistat. Primò igitur asserit, illam non consistere in oblationibus Deo factis ex rapina & impietate. Ait ergo:

IMMOLANTIS EX INIQUO (Græcè, ἀδίκου, quod Complut. vertunt, *iniusto*) OBLATIO EST MACULATA, ET NON SUNT BENEPLACITÆ SUBSANNATIONES INJUSTORUM] Syrus, *sacrificia iniquorum, quæ iniquitas sunt, &* (id est, idcircò) *non acceptantur oblationes eorum*. q. d. Qui sacrificium offert ex re iniqua, vel iniquè parta, hujus oblatio & victima quasi polluta displicet Deo: & oblationes *injustorum* potiùs sunt *subsannationes* & irrisiones Dei, quàm veræ oblationes. q. d. Injusti per suas oblationes videntur potiùs ridere Deum, quàm eum colere & revereri: tum, quia in sua injustitia & hostilitate Dei permanere volunt: tum, quia ex rapto aliove scelere victimas pollutas Deo offerunt. Taxat impios nonnullos, qui in rapinis, fraudibus, usuris, &c. vivunt, interimque oblationes Deo offerunt, quasi per eas scelera sua expient, aut Dei oculos excæcent, suisque muneribus corrumpant, ut ea dissimulet, nec puniat. Quæ est stolida blasphemia: facit enim Deum præsidem, vel participem & laudatorem rapinæ, furti, aliarumque iniquitatum, uti faciebant Gentiles, qui singulis cupiditatibus suis & vitiis Deum aliquem perficiebant, ut ejus ope per invocationem, vota & victimas, sibi conciliata, liberè pleneque eas explerent. Sic libidini præficiebant Venerem, fraudi Mercurium, furtis Priapum, rapinæ Martem (unde ei spolia offerebant, ut ab eo plura rapiendi fieret facultas:) voluptati Volupiam: ebrietati Bacchum: petulantiæ Salaciam. Vide S. August. l. 4. de Civit. c. 11. & l. 7. c. 21. & 22.

Pro *maculata* legit Noster μεμωμημένη, à μῶμος, id est macula, jam legunt μεμωκημένη. Quod Complut. vertunt, *ridicula*; Romana, *subsannata* q. d. Deus ridet & subsannat oblationes factas ex iniquo. Rursum pro *subsannationes* Noster cum Romanis legit μωκήματα, id est, *sannæ*, irrisiones; alii legunt μωμήματα, id est, *maculæ*; Complut. legunt δωρήματα, id est, *dona*. Hinc Tigurina vertit, *sacrificium ex iniustè partis est irrisio sacrificantis, nec gratiam merentur donaria iniustorum*: tum quia offerens est injustus; tum, quia res oblata est injusta. Offert enim ex alieno, cùm Deus honorandus sit ex proprio, ait Lyran. juxta illud Proverb 3. *Honora Dominum de tua substantia*. Unde S. Ambros. lib. 8. in inc. 19. Lucæ: *Dives*, inquit, *Zachæus & electus à Christo, sed dimidium bonorum suorum largiendo pauperibus, reddendo etiam in quadruplum, quæ fraude sustulerat: alterum enim non satis est, nec habet gratiam liberalitas, si iniuria perseverat: quia non spolia, sed dona quæruntur.*

Porrò τὸ *ex iniquo* significat, non tantùm oblationes ex rapina similive injustitia, sed & ex quacumque iniquitate displicere Deo, putà, si fiant ex violatione alicujus præcepti divini, sive decalogi. Hinc oblatio Jephte Judic. 11, v. 31. quia vovit, si victor è bello rediret, se primum è domo sibi occurrentem, etiamsi filia foret, immolaturum Deo, ac victor rediens reipsa immolavit eam Deo, ipsi displicuit; quia hoc non tam erat sacrificium, quàm homicidium, imò parricidium vetitum quinto Decalogi præcepto: *Non occides*. Sic oblatio, quam Pharisæi docebant filios, ut parentes egentes negligerent eisque dicerent, *corban*, id est, munus hoc Deo dicavi: ergo tibi, ô pater, illud dare non licet; reprobat Christus Matth. 15. v. 6. Sic oblatio Saul ex pecoribus Amalec, quæ Deus jusserat occidi, quasi oblationem inobedientiæ, reprobavit, adeoque Saulem regno privavit Deus 1. Reg. 15. 22. & sequ. Unde Sapiens Eccles. 4. v. 17. *Multo melior*, inquit, *est obedientia quàm stultorum victima, qui nesciunt quid faciunt mali*. Sic votum, quo quis vovet victimam, vel oblationem, v. g. filium consecrare Deo, si concubina potiatur, ex eaq; illum suscipiat, turpis est, & displicet Deo, tum propter affectum in opus fornicationis, tum ob irreverentiam seu contumeliam, quæ per tale votum Deo irrogatur. Estque tacita blasphemia, quia dum seriò promittis Deo quod scis esse malum, insinuas illud Deo placere, eoque coli & honorari. Similis irreverentia erit, si eodem animo impleas, uti docet P. Lessius l. 2. de Justitia cap. 40. de voto dub. 7. num. 36 & sequ.

Dices, Christus Lucæ 16. videtur contrarium suadere, imò præcipere. Ait enim: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Resp. *mammonam*, id est, divitias, vocari *iniquitatis*; tum, quia multorum scelerum sunt instrumenta; tum *iniquitatis*, quia iniquæ, id est, infidæ, fallaces, fugaces non fideles & stabiles, quales sunt opes spiritales & cælo-

cælestes, quas proinde illis opponit Christus eodem c. v. 21. tum denique, quia iniqui solas eas putant esse divitias, quia divinas non norunt. Ita S. August. tract. 35. de Verbis Domini. Nam alioqui ex usuris & rapinis eleemosynam facere non licere, docet ibidem S. August. & habetur 14. q. 5. can. 2. & 9. ubi idipsum ex hoc Ecclesiastici loco probatur.

VERS. 22. DOMINUS SOLUS SUSTINENTIBUS SE IN VIA VERITATIS ET JUSTITIÆ] supple, sufficit. Pii enim, qui sustinent & sperant in Deo, dicunt illi cum Psalte: *Quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, psal. 73. 26. Et cum S. Aug. *Quæcumq; hic varia quæris, ipse tibi Dominus omnia erit.* Et cum S. Francisco: *Deus meus & omnia.* Verè noster Thomas à Kempis de Imitat. Christi l. 3. c. 56. *Diu parvus eris, & in terra iacebis, qui aliquid magni æstimat, nisi solum unum immensum & æternum bonum. Et quidquid Deus non est, nihil est, & pro nihilo computari debet.*

Secundò, alii subaudiunt *requiritur*, q. d. Deus solus requiritur à piis in eum verè & justè sperantibus. Ita Lyran. Illi, inquit, qui stant *in via veritatis & justitiæ*, habent solum Deum verum pro Deo, & illorum acceptat munera: raptores & avari habent aurum & pecunias pro Deo, gulosus delicias, luxuriosus voluptatem tactus: idcircò eorum sacrificia non sunt accepta Deo.

Tertiò, Palacius subaudit *adorandus est*: Deus inquit, adorandus est solus, non simul cum idolo Dagon, 1. Reg. 5. id est, non simul cum iniquitatis idolo: & adorandus est *in via veritatis & justitiæ*, non in via furti & rapinæ. Porrò pii dicuntur sustinere Dominum, juxta illud Pauli 1. Corinth. 6. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro*: & illud Davidis psal. 26. 30. *Viriliter age & sustine Dominum*; ut si mirabile gigantem à nano deferri: atqui Simeonem is gubernabat, quem deferebat. Lucæ 2. hæc Palacius.

Quartò & genuinè, q. d. Dominus solus est Dominus, & ut Dominum se exhibet sustinentibus se in *via veritatis & justitiæ*, id est, in via veræ justitiæ, ut sit hendiadys. Aut *in via veritatis* vitæ, quæ est practica, nec alia quàm justitia & sanctitas. Ita Jansenius. Dominus solus, inquit, est sustinentibus se, hoc est, solum agnoscit se pro Domino, & solùm adest his qui patienter illum expectant, viventes in via veritatis & justitiæ. Ita ut nec verborum falsitate cuiquam imponant, nec injustitia operum quemquam opprimant. Hos solos agnoscit suos cultores & genuinos servos, & vicissim se illorum esse dominum. Quod hi offerunt, id demum illi gratum est: imò ipsa veritas & justitia, quam servant, illi est gratissimum sacrificium.

Hic versus jam deest in Græco & Syro.

Moraliter Nota. Quòd Deus, licet sit Deus & pater omnium, præsertim justorum, maximè tamen talis est *sustinentibus se*, id est, constantibus & fortibus. Gloriatur, videlicet, Dominus se esse dominum virorum robustorum, qui in via veritatis & justitiæ perseverant, & virtutis impedimentis eos à bono trahentibus obsistunt. Sicut enim homo gaudet si habeat servos fideles, & rex lætatur si milites habeat fortes ac robustos, qui numquam eum in acie deserant, nec hostibus terga vertant: ita Dominus de suorum servorum ac militum constantia & firmitate vehementer exultat.

VERS. 23. DONA INIQUORUM NON PROBAT ALTISSIMUS, NEC RESPICIT IN OBLATIONES INIQUORUM: NEC IN MULTITUDINES SACRIFICIORUM EORUM PROPITIABITUR PECCATIS] Docuit dona ex iniquo facta non placere Deo: nunc id extendit ad omnia *dona iniquorum*, etiam ex æquo & proprio facta. *Iniquorum*, intellige in sensu composito, scilicet in iniquitate sua persistentium; nam si de ea pœniteant, eamq; seriò abdicare velint, utiq; dona eorum & sacrificia pro peccato acceptabit Deus. Hæc enim ipse sanxit & instituit Levit. 5. Nam ut ait Psaltes psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Possunt tamen per *iniquos* hic accipi quivis in peccato mortali existentes, etiamsi in eo iterando non persistant. Horum enim dona non probat Deus, sicut probat dona justorum, tamquam amicorum & filiorum suorum, ad promerendum de condigno majorem gratiam, & peccatorum veniam. Unde ex hac Siracidis sententia docent probantque Doctores, satisfactionem ejus qui est in peccato

A mortali, non valere ad remissionem pœnæ, nec pro ea satisfacere; sed ut satisfactio valeat, debere eum qui satisfacit, præditum esse Dei gratia & charitate. Ita passim Scholastici cum Magistro & S. Thoma in 4. dist. 15. unico Scoto excepto, quem passim alii refutant.

Per *dona* accipe victimas, oblationes, eleemosynas, vota & quælibet alia, quæ Deo, vel in honorem Dei damus & offerimus. Alludit ad Proverb. 15. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Deo: vota justorum placabilia.* Græca de more concisa sic habent, *non complacet Altissimus oblationibus impiorum, neq; in multitudine sacrificiorum propitiatur pro peccato*, Sic & Syrus. Intellige hæc de sacrificiis, quæ solùm vim impetrandi habent ex opere operantis, sive ex virtute & merito sacrificantis, qualia erant sacrificia legis veteris: nam in lege nova sacrificium Eucharisticum vim suam habet ex opere operato; esto sacerdos operans & sacrificans sit impius. In eo enim primarius sacerdos & offerens est Christus, qui est Sanctus sanctorum, uti docet Conc. Trident. Veritatis hujus sententiæ testis est Cain, ad cujus, utpote impii & avari, *munera non respexit Deus*, sed ad Abelis pii & liberalis, Genes. 4. & Judæi, quibus ait Isaias cap. 1. v. 11.
B *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? plenus sum: holocausta arietum & adipem pinguium. &c. nolui: incensum abominatio est mihi.* Causam subdit: *Manus enim vestræ plenæ sunt sanguine.*

Recentius magisque appositum exemplum est in Vita S. Columbani, liberè & fortiter objurgantis Theodoricum impiorum Gallorum regem. Cùm enim aliquando adventum ejus rex cognovisset, cœnam regio cultu, & reliqua necessaria ad ejus hospitium longo famulorum ordine deferri curavit; quæ ut vidit Columbanus, vultu & voce aversatus est, prolato versu illo è Scriptura: *Munera impiorum reprobat Altissimus*, indignumque esse ut Dei servorum ora ejus cibis polluerentur qui cum ipsis tam injustum bellum gereret. Vix autem verba finierat, cùm vasa omnia, quibus cibi illi continebantur, disrupta sunt, vinum & sicera in terram effusa, reliqua huc illuc disjecta. Qua re attoniti ministri, rex etiam ipse territus accurrit, seque in ejus potestate fore in rebus omnibus pollicitus est; quem tamen brevi ad vomitum reversum, iterum Columbanus severioribus objurgationibus & minimis aggressus est. Idem dixit fecitque S. Antonius de Padua Ezelino tyranno munera offerenti, uti habet ejus Vita.

S. Columbanus sprevit dona impii regis.

C Porrò cùm ait, *Dona iniquorum non probat Altissimus*; noli hinc inferre, omnia infidelium (multò minùs fidelium peccatorum) opera esse peccata, ideoque Deo exosa, uti olim nonnulli opinati sunt, & subinde indicare videtur S. August. Hic enim jam manifestus est error: infideles enim & impii, etiam in impietate persistentes, nonnulla faciunt opera virtutum moralium, ideoque moraliter bona, ut cùm dant eleemosynas pauperibus, cùm victimas Deo offerunt, cùm honorant parentes, &c. quæ quia honesta & virtuosa sunt, utique Deo placent & probantur. Dicitur ergo Deus ea non probare, quia dantes & offerentes non probat, ut propter ea velit illis reconciliari, dareque gratiam & gloriam. Denique per *iniquos* intellige quoslibet, sed maximè raptores; qui ex rapinis pauperum dona Deo vel proximis offerunt: de his enim sermo præcessit & sequitur. Atque hæc est summa iniquorum iniquitas.

QUI OFFERT SACRIFICIUM EX SUBSTANTIA PAUPERUM, QUASI QUI VICTIMAT FILIUM IN CONSPECTU PATRIS SUI] Tigur. *filium coram patre mactanti similis est, qui e bonis pauperum*
D *sacrificat*; Syrus, *sicut qui occidit filium coram patre ejus, sic qui offert oblationem ex eo quod pauperum est*; quia ex substantia pendet vita pauperum. Qui ergo eam aufert pauperi, vitam eidem aufert: quod tantumdem est ac mactare & victimare filium in conspectu patris, quia pauper est filius Dei. Nam ut ait Psaltes psal. 9. 34. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Et ut ait Lyran. Licet Deus sit pater omnium per creationem, tamen speciali modo est pater pauperum per hereditatis promissionem, dicens Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Unde Græca omisso τῷ *quasi*, nervosiùs & significantiùs sic habent θύει, id est, *mactat*, vel magis propriè, *victimat* & sacrificat *filium in conspectu patris sui, qui adducit sacrificium ex pecunia pauperum*, q. d. Qui sacrificium offert ex bonis pauperum, non tantum similis

milis

milis est mactanti filium, sed reipsa verè & propriè mactat victimatq; filium in conspectu patris; quia eripiendo illis bona eripit pariter & vitam, quæ bonis erat sustentanda: illis, inquam, quos ab aliis desertos peculiariter sibi quasi filios arrogat & adoptat Deus.

Victima ex rapina pauperum quinque habet crimina.

Quare in uno hoc crimine quinque immania crimina continentur. Primum est rapinæ: quòd bona alteri, eiq; pauperi, eripiat. Secundum homicidii: quòd eripiendo bona pauperi, eripiat & vitam. Tertium parricidii: quòd occidat filium in conspectu patris, ut videatur patrem cum filio occidere, quorum uterque sibi est frater, utpote filius ejusdem Dei patris: pater enim in filio, quem moriens post se heredem & quasi alterum se relinquet, vivit manetque superstes; quare si filius moriatur, pater ei se commori existimat: ideoq; qui filio necem struit, petit jugulum patris, patremque quasi interimit, utpote qui vivat in filio, ac subinde magis quam in seipso; ubi enim est amor, ibi est & anima & vita. Quartum deicidii: quòd filium Dei in ipso Dei conspectu perimat; qui enim Filium Dei tangit & violat, ipsum Deum, utpote patrem, tangit & violat. Quintum sacrilegii: quòd Filium Dei Deo dilectissimum non tantùm occidat, sed & victimet, id est, in holocaustum offerat Deo Patri. Quo quid tristius, quid immanius, vel horribilibus dici aut cogitari potest? Nam ut ait S. Greg. l. 7. epist. 111. *Quantus dolor patris sit perpendimus, si in eius conspectu filius victimetur. Et hinc facilè cognoscimus, quantus apud Deum dolor exasperiatur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur.* Et S. Chrysost. hom. 33. ad Popul. *Quod eleemosyna est ars omnium quæstuosissima*, ut ad eam suos incitet & à rapina avertat: *Audi*, inquit, *Script. dicentem: Sicut qui occidit filium coram patre, ita qui offert sacrificium ex pecuniis pauperum. Hanc itaque comminationem mente scribentes habeamus, hanc in parietibus, hanc in manibus, hanc in conscientia, hanc ubique ut vel hic timor vigens in cordibus nostris, manus nostras à quotidianis cohibeat cædibus cæde namque peior est rapina, paulatim pauperem devorans.*

S. Isidor. l. 3. Sentent. cap. 60. *De rapinis*, ait, *eleemosynam facere non est officium miserationis, sed emolumentum sceleris. Unde & Salomon: Qui offert*, inquit, *sacrificium de rapina pauperum, tamquam si quis victimet filium in conspectu patris sui. Qui enim injustè tollit, justè numquam distribuit: nec bene alteri præbet, quod ab alio male extorquet.*

Pleniùs S. Gregor. (& ex eo Rabanus hic) 3. par. Pastor. admon. 22. Citato enim Isaia c. 61. *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto*, subdit: *Sed quanta eos animaduersione renuat, per quemdam sapientem Dominus demonstrat, dicens: Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Quid namque esse intolerabilius potest, quam mors filii ante oculos patris? Hoc itaque sacrificium quanta ira aspiciatur, ostenditur: quòd orbati patris dolori comparatur. Et tamen plerumque quanta tribuunt, pensant; quanta autem rapiunt, considerare dissimulant: quasi mercedem numerant, & perpendere culpas recusant. Audiant itaque quod scriptum est: Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. In sacculo quippe pertuso videtur quando pecunia mittitur; sed quando amittitur, non videtur. Qui ergo quanta largiuntur aspiciunt, sed quanta rapiunt non perpendunt; in pertuso sacculo mercedes mittunt: quia profectò has in spem suæ fiduciæ intuentes congerunt, sed non intuentes perdunt.*

Offerens spolia pauperum victimat Christum: cur?

Ampliùs & profundiùs explicat noster Salazar in Proverb. 21. 27. in fin. q. d. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, sicut qui victimat filium in conspectu patris*, id est, perinde facit ac si victimaret Christum in conspectu Dei Patris. Cùm enim Christus per fidem, gratiam, amorem, Eucharistiam, ac curam peculiarem sit & vivat in pauperibus fidelibus & Christianis; hinc qui illis per rapinas necessaria vitæ adimit, vitam ipsi Christo, qui in eis vivit, adimere videtur, itaque quasi christicidium in conspectu Dei Patris committere. Rursum patri ingrata est & luctuosa mors filii, quia scilicet bonorum suorum legitimo herede privatur. Cogita ergo pauperes speciali jure ad Christi hereditatem vocari Jacobi 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni?* Nam licet ejusmodi pauperes per bonorum defraudationem maturiùs sublati, forte hæreditaria regni ac vitæ æternæ non priventur; tamen majorem illam sortem amittere dicendi sunt, quam, si diutiùs viverent, per voluntariam paupertatis tolerantiam assiduis promeritis attingerent; atque adeò, quod ad eam majorem sortem spectat, sublato per injuriam paupere, Deus ipse legitimo herede privari quodammodo dici potest. Hunc sensum indicat Syrus, cujus verba v. 7. citabo.

Pauper ergo repræsentat personam Christi, ut quod boni vel mali fit pauperi, hoc ipsum Christus sibi factum æstimet. Qua de re mirum extat exemplum apud Leontium in Vita S. Joannis Eleemosynarii, de Petro Telonario, qui ex avaro per visionem angelicam factus liberalis omnia sua in pauperes distribuit, imò veste sua pretiosa se exuens, illam dedit pauperi naufrago. Hic eam vendidit: venditam videns Petrus indoluit; sed Christus ei apparens, illa se indutum ostendit, dixitque: *Quid ploras Petre! Ecce ego illa vestior, ex quo mihi illam dedisti & gratias ago bonæ voluntati tuæ: quoniam frigore affligebar, & tu cooperuisti me.* Ad se ergo reversus Petrus cœpit beatificare egenos, ac dicere: *Vivit Dominus si inopes Christus meus sunt, non moriar, & fiam tamquam unus ex eis.* Quare secretario suo jussit, ut se venderet, ac pretium daret pauperibus. Venditus ergo triginta nummis servivit hero instar mancipii, ac probra verberaque à conservis excipiens, patienter omnia sustinebat, ita ut haberetur & vocaretur amens. Agnitus tandem à notis eò peregrinantibus, & ad domum heri divertentibus, ut unam gloriam fugeret, è domo heri profugit, ac in fuga janitori domus surdo & muto, usum tam linguæ quàm aurium restituit. Subjungit Leontius, pari modo se vendidisse Serapionem Sidonium, sicut S. Paulinus Nolæ Episcopus pro filio viduæ Wandalis se vendidit pauperum amore, ut Christum, qui cùm dives esset, pro nobis pauper effectus est, pauperem pauper sequeretur. Quod proinde ejus factum miris laudibus celebrant S. August. & S. Gregor. Denique S. Gregor. Nazianz. in Carm. sic canit:

Chistum tegis nutrisq; pauperem nutriens:
Relictis omnibus Christum tibi solum compara.

PANIS EGENTIUM VITA PAUPERUM EST: QUI DEFRAUDAT ILLUM, HOMO SANGUINIS EST] Probat quod dixit: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium*, &c. hoc syllogismo: Substantia sive panis pauperum est vita eorum, quia vita eorum pane sustentatur: Atqui qui offert sacrificium ex substantia pauperum, hic aufert eis substantiam & panem: Ergo hic aufert eis vitam. Ergo qui panem illis proprium vel debitum *defraudat*, id est, fraude eripit vel privat, hic *homo sanguinis*, id est, sanguinarius & homicida, *est*. Ita legunt Romana & Complut. Verum Græca Romæ correcta habent, *qui defraudat illam*, scilicet, vitam pauperum, *homo sanguinis est*; sic & Tigurina, *panis tennis est vita pauperum: qui defraudat eum, est vir sanguinarius.* Sed eodem redit sensus: defraudat enim vitam pauperum, qui defraudat panem: nam pane conservatur vita. Ergo qui panem aufert à paupere, aufert ab eo vitam. Primò, hoc facit fur & raptor, qui panem ei eripit. Secundò, qui mercedem pro opere illi debitam negat, uti explicat v. sequ. Tertiò, qui exigit rigidè debitum à paupere, qui quod solvat non habet, nisi se privet pane ad vitam necessario, uti sæpè faciunt principes & divites avari. Quartò, qui pauperi in magna egestate & fame constituto panem non elargitur, juxta illud S. Ambros. *Pasce fame morientem: si non pavisti, occidisti.* Unde Syrus vertit, *panis opprobrii, vita pauperum: & qui denegat eum illis, effundit sanguinem innocentem.* VERS. 25.

QUI AUFERT IN SUDORE PANEM, QUASI QUI OCCIDIT PROXIMUM SUUM: QUI EFFUNDIT SANGUINEM, ET QUI FRAUDEM FACIT MERCENARIO, FRATRES SUNT] id est, similes & penè pares in scelere, ait Raban. & Lyran. Est hebraismus: nam *panem in sudore*, idem est, quod *panem sudoris*, hoc est, sudore partum. Hebræi enim sæpè regimen genitivi exprimunt per oblativum cum præpositione *in*. Duo ergo genera peccatorum comparat, & penè æquat homicidio. Primum, eorum qui substantiam sudore pauperis comparatam illi auferunt; Secundum, eorum qui mercedem mercenario debitam vel negant, vel minuunt, vel aliis modis aggravant & intervertunt. Hosce vocat *fratres* homicidæ: quo significat eos non esse propriè homicidas: homicidium enim gravius est furto & rapina; sed illi affines & similes, imò verè homicidas in causa. Quia furtum hoc pauperi factum tendit ad ejus necem & mortem, ejusque est causa: unde est homicidium non formale, sed causale.

VERS. 26. VERS. 27.

le. Græca de more concisa duas sententias jam dictas in unam hanc constant: *Qui aufert victum, occidit proximum: & qui fraudat mercedem mercenarii, effundit sanguinem;* Tigur. *quem quis victu privat; eum interficit: & qui mercedem subtrahit mercenario, effundit sanguinem.* Hinc defraudatio mercedis operariorum vocatur peccatum clamans in cælum à S. Jacobo c. 5. v. 4. Vide ibi dicta. Porrò Syrus mirè vertit, *qui occidit proximum suum, heredicat opus ejus: & qui effundit sanguinem innocentem, Deum orbat suo filio & herede.* Talis enim est innocens, imò *homo est hereditas & peculium Dei*, ait Sapiens. Pergit Syrus, *qui fraudat mercedem mercenarii, fraudat creatorem suum, & ipse recipit retributionem malam.* Vide dicta v. 24. in fine.

VERS. 28. UNUS ÆDIFICANS, ET UNUS DESTRUENS, QUID PRODEST ILLIS NISI LABOR? (Græcè, *quid lucrantur ampliùs quàm labores?* UNUS ORANS, ET UNUS MALEDICENS (eidem pro quo alter orat) CUJUS VOCEM EXAUDIET DEUS?] Tigurina, *cùm quod extruit unus, alter destruit, quid præter laborem redit ad utrumque? Cùm quod precatur unus, alius deprecatur*, Vatabl. *cùm quod alius optat, execratur alius*) *utrius vocem exaudiet Dominus?* Syrus, *unus ædificat, & alius destruit, quid utilitatis acquirunt nisi laborem vanum? Unus benedicit, & alius maledicit, cujus è duobus vocem exaudiet Deus?*

Ædificans & destruens nil lucratur nisi laborem.

Primò. Primò, Hugo & Dionys. hæc referunt ad dicta v. 21. & 24. putà, ad illum qui immolat ex iniquo & ex substantia pauperum, q. d. Talis esto bonum opus immolationis ædificet, tamen quia illud destruit immolando ex iniquo & ex rapina pauperum; hinc nihil lucratur nisi laborem: ac licet sacerdotes, quibus offert, illi benedicant, tamen pauperes, à quibus ea rapuit, illi maledicunt, ait Dionys. Verùm obstat, quod talis nil boni ædificet. Esto enim opus immolationis in genere, & abstractè considератum, sit bonum; tamen spectatum in individuo, quatenus hic & nunc fit ex rapina pauperum, absolutè & intrinsecè est malum. Talis ergo nihil ædificat, sed totum opus suum pervertit & destruit.

Secundò. Secundò, meliùs Palacius hæc refert ad v. sequ. ut idem sit *ædificare* & *destruere* quod baptizari à mortuo, & iterum eum tangere, hoc est, pœnitere de peccato, & mox ad peccati vomitum redire: ut tres hæ parœmiæ, scilicet, Prima, ædificantis & destruentis; Secundò, benedicentis; Tertiò, baptizati & redeuntis ad sordes, idem significent, scilicet nihil prodesse peccati pœnitentiam, si post eam pœnitens iterum peccat.

Tertiò. Tertiò, alii referunt hæc ad malum discordiæ in civitate, repub. monasterio, & quavis congregatione, q. d. Dum in cœtu aliquo est discordia, & quod unus ædificat, alter destruit; tunc omnes utrimque labores sunt sine fructu, cassi & inanes, nullaque omnium est utilitas, nisi quòd utrimque laboretur incassum. Hic sensus parœmiæ congruit, sed huic loco est incongruus & impertinens. Non enim agitur hic de concordia, sed de immolatione impiorum.

Quartò, & genuinè. Quartò & genuinè, Rabanus, Lyran. Jansen. & alii hæc referunt ad v. 23. putà, ad dona iniquorum, q. d. Iniqui nihil acquirunt ex oblationibus, quas Deo eas improbanti offerunt, nisi inanem laborem. Est prolepsis sive occupatio. Præoccupat enim obiectionem, quam quis hic facere posset, dicendo: Dona iniquorum in se bona sunt, nec ab iniquitate manant, ut ab ea vitiari possint: Ergo illa in se honesta sunt, Deoque grata. Respondet, ea in se bona esse, Deoque grata, sed inania & inutilia donantibus; quia quod ipsi una manu ædificant, altera destruunt.

Dices, Iniquus offerens sua dona est una eademque persona: hic autem assignantur duæ personæ, scilicet, una ædificans, altera destruens. Unde in plurali subdit: *Quid prodest illis* (non illi) *nisi labor?* Ergo de illo hæc parabola accipi nequit. Resp. iniquum offerentem dona Deo esse unam personam formaliter, sed duas virtualiter, sive politicè & interpretativè. Talis enim, quatenus offert dona Deo, est persona ædificans sua pietate & religione opus bonum, æquè ac proximum. Idem verò quatenus multa iniqua perpetrat, interpretativè est alia persona; scilicet, suis vitiis & iniquis moribus destruens meritum & impetrationem suæ bonæ oblationis. Gravis enim multorum, etiam sacerdotum, Scribarum & Pharisæorum erat error,

A totam sanctitatem collocantium in externis sacrificiis, cæremoniis, lustrationibus à Deo in lege præscriptis. Unde censebant licere sibi rapere, fornicari, calumniari, omniaque scelera peragere, modò Dei veri cultum externum retinerent: omnia enim scelera expiari victimis pro peccato. Tales sunt etiamnum multi inter Christianos, qui abutentes illo dicto Christi: *Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, Lucæ 11. 41. expilant pauperes, pupillos opprimunt, usuras exercent, pejerant, fraudant, ac gravia quæque perpetrant: pro quibus omnibus se Deo satisfacere censent per eleemosynas, quas dant pauperibus & Religiosis hoc fine, ut ipsi pro se orent, Deumque pro peccatis suis placent. Sacerdotes nonnulli impurè vivunt, censent tamen se officio suo egregiè satisfacere, si eloquentes concionentur, & Missas celebrent. Contra quos ait S. Prosper: *Bene loqui & malè vivere, non est aliud, quàm se sua voce damnare.* Alii peculiares devotiones sibi indicunt, v. g. die sabbathi jejunant, rosarium recitant, Officium legunt in honorem B. Virginis, & interim in gravibus sceleribus persistunt, persuasi neminem posse perire & damnari qui colat B. Virginem, eò quòd ipsa sit

B mater misericordiæ. Quæ omnia diabolus eis astutè suggerit, ut per hosce errores & illusiones eos pertrahat in gehennam.

Hæc refellit hic Siracides, q. d. Erratis, ò miseri & cæci, quia dona iniquorum in iniquitate persistentium non probat Altissimus. Etsi enim dona & oblationes in se bonæ sanctæque sint, utpote actus virtutum, religionis, eleemosynæ, abstinentiæ, &c. ideoque Deo gratæ & acceptæ, non tamen ob eas gratus & acceptus est Deo is qui ea donat & offert, si sit impius, & in scelerata vita persistat, juxta id quod dixit v. 23. *Nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.*

Rationem dat hoc versu: quia quod ipse, ut pius, donando & offerendo ædificat, idest, rectè beneque facit, aliisque dat virtutis exemplum; hoc idem, ut impius, & quasi alter, à se pio diversus, suis sceleribus assiduis destruit. Quare suis donis & oblationibus omnem reconciliandi & impetrandi vim adimit, eaque eneruat & suffocat, ut nihil ei restet nisi labor boni operis & perditæ donorum expensæ: sicut cùm unus ædificat domum, alter

C postridie destruit id quod ædificatum est; nil lucratur uterque nisi laborem continuum ædificandi & destruendi. Rursum, quod ipse, ut pius, per se, vel per pauperes & Religiosos, quorum preces per eleemosynas deposcit, orat & obsecrat ut fiat, hoc ipse, ut impius, maledicit & reipsa orat, ut non fiat, dum Deum suis sceleribus iritat & ad vindictam provocat, adeoque se omnem virtutem, gratiam & benedictionem odisse & execrari, reipsa & interpretativè sceleratè vivendo protestatur. Insuper dum pauper vel Religiosus pro eo orat, illique benedicit & bene precatur; alii quos expilavit, quibusque multas injurias intulit, eidem maledicunt, omnesque diras imprecantur. Cujus, vel quorum, vocem audiet Dominus? utique audiet tam maledicentium quàm benedicentium: illorum ergo vox horum vocem elidet & enervabit, ut nihil à Deo impetret vel consequatur. In parœmiis enim similitudo rei significatæ per omnia præcisè adæquari nequit; alioqui non esset similitudo, sed res ipsa. Sensus ergo est, q. d. Is qui nunc impiè vivit, nunc dona Deo offert, similis est duobus, quorum unus ædificat, alter quod ædificatum est destruit: imò similis est uni eidemque qui stolidè priùs ædificat, postea ædifica-

D tum destruit, uti Penelope telam per diem textam noctu retexebat, ne, si eam pertexeret, ex promisso cogeretur nubere suis procis.

Intellige (ut dixi) si offerens vel dans eleemosynam, aliudve bonum opus agens, in peccatis perseverare velit non actu (si enim actu, vitiosa esset oblatio & bonum opus: vitiaretur enim hac mala circumstantia, putà voluntate perseverandi in peccatis) sed habitu. Nam si velit pœnitere etiam voluntate languida & inefficaci, id est, si desideret pœnitere, & vitam corrigere, ideoque offerat donum vel bonum opus, ut gratiam pœnitendi vitamq; emendandi à Deo impetret, bonum validumq; erit donum & opus, ac Dei gratiam impetrare poterit. Quocirca Daniel c. 4. 64. Nabuchodonosor regi infideli & tyranno suasit dicens: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Vide ibi dicta.

QUI

Vers. 30. QUI BAPTIZATUR (*Syrus, qui lavatur*) A MORTUO, ET ITERUM TANGIT EUM, QUID PROFICIT LAVATIO ILLIUS? SIC HOMO QUI JE-
Vers. 31. JUNAT IN PECCATIS SUIS, ET ITERUM EADEM FACIENS, QUID PROFICIT HUMILIANDO SE? ORATIONEM ILLIUS QUIS EXAUDIET?] *A mortuo*, id est, propter, vel post contactum mortui; aut potiùs *a mortuo*, id est, ab immunditia legali contracta à mortuo, dum eum tetigit. Est metonymia. S. Gregor. l. 9. epist. 39. & in psal. 4. pœnitent. ad illud: *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*, & eum secuti Rabanus & Hugo, hæc accipiunt de Sacramento Baptismi & Pœnitentiæ, q. d. Qui abluitur *a mortuo*, id est, à peccato, & iterum illud perpetrat, quid prodest ablutio ejus? *Post lavacrum*, ait Raban. *mundus esse negligit, quisquis post lacrymas vitæ innocentiam non custodit. Et lavantur ergo, & nequaquam mundi sunt qui commissa flere non desinunt, sed rursus flenda committunt. Quibus ait Isaias c. 1. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Et Hugo: *Qui baptizatur a mortuo*, ait, *hoc est, qui mundatur a peccato aqua compunctionis, si rursus illud tangit, nihil ei prodest: quia sequens culpa pœnitentiam perdit.* Verùm hic sensus mysticus est: nam ad literam baptismus tempore Siracidis non erat Sacramentum, sed diu postea ad id institutus fuit à Christo: quare baptismus hic legalis accipiendus est, putà ablutio lege præscripta Num. 19. qua qui tetigerunt cadaver mortuum, ideoq; juxta legem erant immundi, nec ingredi poterant templum se mundare & purificare debebant ablutione aquæ lustralis, confectæ ex cinere vitulæ rufæ, q. d. Qui abluendo corpus aqua hac lustrali, expiavit immunditiem legalem, quam contraxit ex contactu mortui, putà, cadaveris, si iterum tangat cadaver, quid prodest ei prior ablutio? q. d. Nihil: nam rursum per contactum mortui factus est immundus, uti erat antè, ideoque novo eget baptismo novaque ablutione; sic pariter *homo qui jejunat in peccatis suis*, id est, propter peccata sua (est enim Hebr. ב, id est *in*, pretii significans *propter*) scilicet, abolenda, ut eorum veniam impetret, pro iisque satisfaciat; si illa iteret & rursum perpetret, nihil prodest ei prior humiliatio, id est, *jejunium*, ut vertit Syrus, (jejunium enim debilitat corpus, & consequenter humiliat animam. Unde illud crebrum in Script. *Humiliate in jejunio animas vestras*,) nec Deus orationem ejus exaudiet, quia ad peccatum rediit, quasi canis ad vomitum & sus ad lutum: unde sordidus, imò sordidior est quàm fuit antè. Vide dicta 2. Petri 2. 22. ita Syrus & Tigurina, *si quis ablutus*, ait, *à cadavere rursus idem contigeris, quid ei prodest ablutio? Similiterq; cùm quis se propter peccata sua macerat, abitq; rursum, & patrat ea*, (alii, *& rursum ea commiserit*) *quis preces eius exaudiet? aut quid sibi afflictione sua profuit?* Nam, ut ait Ezechiel c. 18. 24. *Si averterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur, &c. in peccato suo, quod peccavit, morietur.* Pœnitenti ergo, si relabatur in peccata, nil prodest pœnitentia præterita ad gratiam & salutem: prodest tamen eatenus, quatenus per eam delata sunt præterita peccata, ut propter ea non sit puniendus in inferno. Rursum si à peccatis posterioribus resurgat, reviviscit prior pœnitentia, gratia, virtutes & merita, uti docent Theologi, ut propter ea copiosiorem & gratiam & gloria sit recepturus.

Baptizari a mortuo, quid? Responsio prima.

Secunda & vera.

Nota. Τὸ *& iterum tangit eum*, olim in nonnullis codicibus deerat, ut apud S. Pacianum epist. 2. ad Sempronianum: *Qui*, inquit, *baptizatur a mortuo, nihil proficit, neque qui hæretico fonte dilutus sit & qui peccatoris oleo ungitur, id est, qui spiritu satiatur immundo.* Sic quoque legit S. Cyprian. indeque probat baptismum ab hæreticis collatum, esse invalidum, ideoq; baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos. Sic enim ait epist. ad Quintum: *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio eius? Manifestum est autem eos, qui non sunt in Ecclesia Christi, inter mortuos computari, nec posse ab eo vivificari alterum, qui ipse non vivat, quando una sit Ecclesia, quæ vitæ æternæ gratiam consecuta, & vivit in æternum, & vivificat Dei populum.* Sic quoque hic locus explicatur in Concilio Carthaginensi, cui præfuit S. Cyprian. (unde & extat inter opera S. Cypriani) quòd per *mortuum* pariter accipit hæreticum, ideoq; baptismum ab eo collatum censet esse irritum & iterandum. Hic fuit error S. Cypriani, cujus culpa passionis & martyrii falce recisa est, ait S. August. Asseclæ verò ejus, quia in eo postquam ab Ecclesia damnatus fuit, pertinaciter persiterunt, hinc effecti sunt hæretici, & cognominati Donatistæ: qui pariter hæc verba Ecclesiastici Catholicis obiiciebant; quibus respondet S. August. l. 2. Contra Crescen. c. 25. *Cùm audieris Catholicus: Qui baptizatur a mortuo, non ei prodest lavatio eius. Respondebit: Vivit Christus, & iam non moritur, & mors ultra ei non dominabitur: de quo dictum est Joan. 5. Ipse baptizabit in Spiritu sancto: baptizantur autem a mortuis, qui baptizantur in idolorum templis*, (in nomine mortuorum, id est, deorum & idolorum. (*Non enim & ipsi a sacerdotibus suis se accipere arbitrantur sanctificationem, quam putant, sed a diis suis. Qui quoniam homines fuerunt, & ita mortui sunt, ut neque super terras neq; in requie Sanctorum vivant, verè ipsi a mortuis baptizantur.* Verùm, ut dixi, non agitur hic de baptismo Christiano, utpote tum necdum instituto, sed de ablutione Judaica. Atq; addenda sunt illa verba, *Et iterum tangit eum*: quæ alium sensum, quem initio dedi, exposcunt. Illa enim constanter adducunt codices Græci & Latini: unde & S. August. ibidem c. 27. idem innuens, vel subdubitans: *Inspice*, ait, *diligenter codices antiquos, & maximè Græcos, ne forte ipsa verba aliter conscripta ex præcedenti & consequenti contextione sermonis alium sensum intiment.*

Error S. Cypriani de rebaptizandis hæreticis.

Moraliter S. Eligius, qui floruit anno Christi 640. hom. 8. *Qui*, ait, *substantiam suam tribuit Deo, & animam suam offert inimico* (diabolo,) *impletur in eo quod scriptum est: Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio eius?* Sic & S. Gregor. in psal. 4. Pœnitent. ad illud. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies: Ille*, ait, *lavatur a mortuo, qui per pœnitentiam mundatur a peccato. Quem si contigeris eadem, quæ punieras, iterando peccata committere, nihil contulisse videtur adhibita satisfactionis lavatio, quem maculavit inhonestius iterata facinoris turpitudo.* *Tropolog.*

Idem 3. p. Pastor. admon. 31. *Baptizatur*, inquit, *a mortuo, qui mundatur fletibus a peccato: sed post baptisma mortuum tangit, qui culpam post lacrymas repetit.* Quæ verba citantur de Pœnitent. distint. 3. c. *Baptizantur.* Nam, ut idem S. Greg. ait l. 9. epist. 39. *Mortuum est omne opus perversum, quod pertrahit ad mortem, quod vita iustis non vivit.*

Deniq; licet hæc sententia propriè loquatur de peccato gravi & mortali: hoc enim significatur per *mortuū cadavere* tamen analogicè adaptari potest peccatis & vitiis venialibus, præsertim volūtariis, de quibus multi pœnitent & confitentur, sed ilicò in eadem relabuntur; unde in suis hisce defectibus manent, jacentq; mortui & insensibiles ad omnia monita confessariorum, rectorum, prędicatorum. Hi enim in virtute non proficiunt, nec à Deo illuminantur, aut gratiam donumve insigne accipiunt: quia illi per hos defectus obicē ponunt, quem si generosè removeant & extirpent, utiq; magna divinorum luminum & charismatum dona percipient.

Hinc disce recidiuam peccati ipso peccato esse graviorem & periculosiorem, tum ob graviorem offensam & ingratitudinem, quam affert relapsus post acceptam veniam: tum, quia relapsus lapsum priorem renovat & auget, unde solet lapsu esse major & profundior: tum, quia Deus relapsum abominatur, deserit & despicit, imò acriter castigat. Unde Christus ad languidum à se sanatum: *Ecce*, inquit, *sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, Joan. 5. 14. *Quibus verbis*, ait S. Cyrillus, *significavit per peccati iterationem, hominem in deteriora prolabi mala. Quid prodest, obsecro, studiosè vestes abluere, & lotas rursum luto inquinare? Quid lavare manus, & ablutas iterum contaminare sordibus? sicut sus lota, dicit Sapiens, in volutabro luti; ita stultus qui iterat stultitiam suam.* Eadem de causa Christus adulteram absoluens monuit, dicens: *Vade, & iam amplius noli peccare*, Joan. 8. 11. Ubi S. Cyrillus, vel potiùs Judocus Clictovæus Doctor Parisiensis: hic enim quatuor medios S. Cyrilli in Joannem libros, qui interciderunt (vidi tamen eos Romæ Græcè scriptos, & reddentes stylum S. Cyrilli, atque est è nostris qui illos in Latinum transferat ut edat) supplevit: *Nam incassum*, inquit, *sumitur medicina, si post instauratam sanitatem, per vitæ incontinentiam qui convaluit, in pristinum incidit morbum. Quin imò relapsus in ægritudinem periculosior esse solet & exitio propior, quàm prior ille languor: & quos prima valendo adversa non extinxit, sæpius iterata, post redditam incolumitatem ægrotatio sustulit è vita. Haud secùs frustra pœnitentiæ medicamentum sumitur, si post eam peractam ad præteritæ vitæ sordes reditur. Hæc enim secunda admodum periculosa est animæ febricitatio.* Et S. Chrysost. serm. de lapsu primi hominis:

Relapsus gravior lapsu: cur?

Noli,

noli, inquit, *peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam.* Et statim singulorum causas reddens: *Cogita*, inquit, *graviorem culpam esse post veniam: recrudescens vulnus pejùs dolere post curam: molestiùs hominem sordidari post gratiam.* Et rursum harum mutationum perversitatem expendens: *Indulgentiæ*, inquit, *ingratus est, qui post veniam peccat: sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est, vulnerat: nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam sordidat.* Ac tandem hujus gravitatem relapsus demonstrans: *Grave est*, inquit, *hominem insciolum delinquere; gravius absolutum peccare. Servo pejor est, qui patronum post datam libertatem offendit.* Et S. Bernard. serm. 54. in Cant. *Timeas quidem*, inquit, *pro accepta gratia, ampliùs pro amissa, longè plus pro recuperata.* Et præclaras de primo ac secundo timore causas reddens, de tertiò subdit: *Jam si gratia propitiata redieris, multò magis tunc timendum, ne fortè contingat recidivam pati; juxta illud: Jam ampliùs noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Audis, recidere quam incidere esse deterius? Proinde invalescente periculo, invalescat & metus.* Deniq; gravis est censura S. Petri epist. 2. c. 2. 21. *Melius*, inquit, *erat illi non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrò converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Ubi plura de periculo recidivæ dixi.

CAPUT TRIGESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primò, docet sacrificium mysticum valdè salutare esse, recedere à peccato, & facere misericordiam. Secundò, v. 6. docet, quanti valoris & gratiæ apud Deum sit sacrificium, quæque conditiones ad illud requirantur. Tertiò, v. 14. docet Deum respuere sacrificia & preces iniquas injustorum; recipere verò & complecti aquas justorum, præsertim injurias patientium, pauperum & humilium, easque ulcisci.

1. Qui conservat legem, multiplicat oblationem. 2. Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate. 3. Et propitiationem litare sacrificii super injustitias, & deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia. 4. Retribuet gratiam, qui offert similaginem: & qui facit misericordiam, offert sacrificium. 5. Beneplacitum est Domino recedere ab iniquitate, & deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia. 6. Non apparebis ante conspectum Domini vacuus. 7. Hæc enim omnia propter mandatum Dei fiunt. 8. Oblatio justi impinguat altare, & odor suavitatis est in conspectu Altissimi. 9. Sacrificium justi acceptum est, & memoriam ejus non obliviscetur Dominus. 10. Bono animo gloriam redde Deo: & non minuas primitias manuum tuarum. 11. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. 12. Da Altissimo secundùm datum ejus, & in bono oculo ad inventionem facito manuum tuarum: 13. Quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi. 14. Noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa. 15. Et noli inspicere sacrificium injustum, quoniam Dominus iudex est, & non est apud illum gloria personæ. 16. Non accipiet Dominus personam in pauperem, & deprecationem læsi exaudiet. 17. Non despiciet preces pupilli; nec viduam, si effundat loquelam gemitus. 18. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? 19. A maxilla enim ascendunt usque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis. 20. Qui adorat Deum in oblectatione, suscipietur, & deprecatio illius usque ad nubes propinquabit. 21. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet, donec Altissimus aspiciat. 22. Et Dominus non elongabit, sed iudicabit iustos, & faciet iudicium: & Fortissimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorsum ipsorum: 23. & Gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem superborum, & sceptra iniquorum contribulet: 24. donec reddat hominibus secundùm actus suos, & secundùm opera Adæ, & secundùm præsumptionem illius: 25. donec iudicet iudicium plebis suæ, & oblectabit iustos misericordia sua. 26. Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.

Vers. 1. Vers. 2. QUI CONSERVAT LEGEM, MULTIPLICAT OBLATIONEM. SACRIFICIUM SALUTARE EST ATTENDERE MANDATIS, ET DISCEDERE AB OMNI INIQUITATE] Cap. præced. docuit, Deum reprobare sacrificia peccatorum: nunc congruo ordine subnectit, qualia & qualium Deus probet: adeoque qua in re cultus Deo gratissimus consistat, asseritque, eum consistere in observatione legis & fuga peccatorum. Pro *oblationem*, Græcè προσφορὰς, Rabanus, Palacius, Jansenius & alii legunt *orationem*; Græcè, ἐντευχὰς, sicque exponunt, q. d. Bene oras, qui mandata servat: conservare legem valet perinde ac si multùm orasses: servando enim legem implicitè & tacitè oras, hoc est, laudas & invocas Deum legis auctorem; unde aptè subjungit: *Sacrificium salutare est attendere mandatis*. Minùs aptè ergo aliqui sic exponunt, q. d. Qui vult servare legem, necesse est ut multùm oret ad impetrandam gratiam; quæ necessaria est ad servandam legem.

Verùm legendum est *oblationem* (non *orationem*) sic enim legunt Romana & Græca. Et Syrus, *fecisti*, inquit, *aliquid, quod scriptum est in lege, multiplicasti cultum* vel *servitutem*, putà, sacrum sive liturgia, quam Hebræi & Syri vocant עבודה *aboda*. Similiter aliqui pro *legem*, legunt *verbum*: alii, *verbum legis*. Quæ omnia eodem recidunt. Sensus est, q. d. Multi multas externas victimas boum & ovium Deo offerunt, & interim negligenter vel impiè vivunt, censentes in sacrificiis externis consistere vim sacrificii Deo grati. At errant: nam Deus præ omnibus requirit sacrificium internum, quo anima Deo offeratur, & mactetur ad servandam ejus legem, & ad mortificandum concupiscentias legi divinæ repugnantes. Assero ergo, eum qui conservat legem, multas oblationes mysticas Deo gratissimas offerre: singuli enim actus conformes legi sunt actus obedientiæ, justitiæ, charitatis, temperantiæ, &c. qui Deo maximè placent, quibusque Deus delectatur quasi sacrificiis sibi oblatis. Nam ut ait S. August. lib. 10 Civit. 6. *Verum sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.* Tale est autem omne opus, quod Deus in lege præscripsit & sanxit. Probat idipsum S. August. ex S. Paulo Rom. 12. 1. cùm ait: *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Si ergo corpus, quo inferiore tamquam famulo, vel tamquam instrumento, utitur anima, cùm ejus bonus & rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est,*

quanto magis anima ipsa; cùm se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ subdita reformetur, hinc ei placens, quòd ex eius pulchritudine acceperit, est sacrificium? Hæc S. August.

Obedientia est sacrificium mysticum.

Moraliter notent hanc sententiam Religiosi, qui sub obedientia vivunt, & ab ea applicantur operibus Marthæ, ut cum Magdalena orationi, & sacrificio toties vacare non possint, quoties desiderant: atque ex eo discant, quòd obedientia & opus obedientiæ: sit ipsis oratio & sacrificium; nam obedientia mactat propriam voluntatem & judicium Deo. Quæ sanè rationalis hominique intima, ac ideò nobilissima est victima; ac *gladio præcepti se immolat*, ait S. Gregor. l. 35. Moral. cap. 10. Quocirca Deus ad Saulem: *Melior est*, inquit, *obedientia quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere*, 1. Reg. 15. 22. Huc facit illud S. Basil. hom. in Julittam Martyrem: *Qui*, inquit, *bene semper agit, hic semper orat*. Per omnem enim virtutem Deo conjungimur. Quod est officium orationis.

B SACRIFICIUM SALUTARE EST ATTENDERE MANDATIS] Est probatio vel confirmatio ejus quod dixit, *Qui conservat legem, multiplicat oblationem*; quia, scilicet, *sacrificium salutare*, putà, quod pro salute obtenta vel obtinenda offertur, *est attendere mandatis*, q.d. Observatio mandatorum apud Deum æstimatur loco, gradu & dignitate sacrificii, adeoque tantum valet ad salutem obtinendam, quantum valet sacrificium. Esto enim ipsa non sit sacrificium propriè dictum, est tamen sacrificium metaphoricum & mysticum, magis necessarium, magisq; gratum Deo, quàm sacrificium agnorum & hircorum: quia per illud homo seipsum suosque actus humanos, rationales, spiritales & divinos offert Deo: hi autem longè præstant bruta carne agnorum & hircorum, quæ offertur in sacrificio carneo.

Alludit ad sacrificium pacificum, Levit. 3. Deus enim initio Levitici triplex sanxit sacrificium, scilicet, Primò, holocaustum, quod totum offerebatur in honorem Dei, ideoque totum cremabatur; Secundò, pro peccato; Tertiò, pacificum sive salutare, quod scilicet, pro pace, id est, salute propria vel aliena, privata vel publica, sive jam obtenta ad gratiarum actionem, sive adhuc obtinenda ad impetrationem Deo offerebatur. Unde Tigurina vertit, *qui servat legem, abundè sacrificat: qui studet præceptis, litat salutariter*: alii, *qui attendit mandatis, victimam salutarem offert*; Græci Complut. *sacrificator salutaris*, scilicet sacrificii, putà pacifici, *attendit mandatis*; Roman. *sacrificans salutare, qui attendit mandatis*. Nam, ut ait S. Gregor. 9. Moral. cap. 31. *Nos ipsos sacrificium Deo offerimus, cùm vitam nostram divino cultui dedicamus*. Syrus, *qui custodit præceptum, beatus est spiritus ejus*.

VERS. 3.

ET PROPITIATIONEM LITARE SACRIFICII (minùs rectè Jansen. & alii legunt *sacrificiis*, id est, per sacrificia) SUPER INIUSTITIAS, ET DEPRECATIO PRO PECCATIS, RECEDERE AB INIUSTITIA] Est hyperbaton, quod sic ordina & explica, q.d. *Recedere ab iniustitia* tum propriè dicta, tum largè sumpta & generali, ut complectatur omne peccatum, sicut justitia generalis complectitur omnem virtutem: hoc est, recedere ab omni iniuria, omnique peccato, est *deprecatio pro peccatis*, & etiam est quasi litatio sacrificii propitiationis, vel propitiatorij pro iniustitiis & peccatis aliquando commissis. Sicut enim peccatum est maximus contemptus, maximaque offensio Dei: sic ex adverso fuga peccati, est maximus & gratissimus Dei honor, id est, religio & cultus, cujus potissimus actus externus est sacrificium: quare cùm quis seriò incipit discedere ab iniustitia & peccatis, tunc incipit Deum placare, & hoc ipso tacitè veniam precatur, ac quasi victimas mortificationis propriæ Deo immolat, quibus reconciliationem gratiamque Deo emeretur & impetrat. Dicit hoc, non ut avocet homines ab oratione & sacrificio, sed ut doceat, quòd prima oratio primumque sacrificium debeat esse, discedere ab iniquitate, & mandata Dei servare: sine quo nec orationes, nec sacrificia valent; & cum quo plurimùm valent. Adde, recessum ab iniquitate fieri non posse, nisi elitiendo actum virtutis oppositæ. Nemo enim recedit à libidine, nisi per actum castitatis: nec à superbia, nisi per actum humilitatis: nec ab

Fuga peccati, est nobile sacrificium cur?

A ira, nisi per actum patientiæ: nec à gula, nisi per actum temperantiæ nec à negatione fidei, si ad eam cogat tyrannus, nisi per actum martyrii, & sic de ceteris. Omnes autem actus virtutum sunt magni Dei cultus; quia iis Deum earum auctor & legislator valdè colitur & honoratur. Ita hunc locum legunt & intelligunt Romani. Aliter priorem partem legit Jansen. nimirum: *Et propitiatio est litare sacrificium*; sicque explicat, q.d. Clementia, qua quis alteri in se delinquenti facilè ignoscit, eique fit propitius, est coram Deo velut litare & offerre sacrificium pro peccatis admissis: quia per hujusmodi clementiam proprium delictorum venia obtinetur, juxta illud Salvatoris: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, & Pater cælestis dimittet vobis peccata vestra*, Matth. 6. Aut q.d. Propitiatio, qua quis studet Deum sibi reddere propitium, est velut offerre sacrificium super iniustitia.

Verùm legendum est cum Romanis eo modo quo paulò antè citavi; quare sensus initio datus est verus & genuinus. Hic versus jam deest in Græco; quia idem penè dicit quod dixit v. 1. Græcus autem textus talia, quæ iterantur, solet resecare & compendio complecti. Deest etiam B in Rabano, sed ipse pro eo hunc substituit: *Deprecatio eius coram oculis Dei inveniet gratiam*; sicque explicat, q.d. Deprecatio ejus, scilicet qui recedit ab iniquitate, coram Deo inveniet gratiam: quia bene operando servavit justitiam; juxta illud Isajæ 58. v. 6. *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes: dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adsum.*

RETRIBUET GRATIAM, QUI OFFERT SIMILAGINEM: ET QUI FACIT MISERICORDIAM, OFFERT SACRIFICIUM] Græcè, *ἀνταποδιδοὺς χάριν προσφέρων σεμίδαλιν, καὶ ὁ ποιῶν ἐλεημοσύνην θυσιάζων αἰνέσεως.* Quod dupliciter vertas: Primò, ut vertit Noster, q.d. Sicut *retribuit gratiam*, id est, gratias agit Deo pro beneficiis acceptis, *qui offert similaginem*, id est, florem similæ, sive pollinam farinæ: &, id est, sic *qui facit misericordiam, offert sacrificium*, C puta, *mincha*, quod fiebat ex simila, vel pura, vel cocta, & in panes aut liba & lagana efformata, ut patet Levit. 2. v. 1. & seqq. Porrò sacrificium *mincha* sancitum erat pro gratiarum actione, ut patet Levit. 7. v. 12. Unde Hebr. vocatur sacrificium תודה *toda*, id est, confessionis, laudationis, gratiarum actionis. Septuag. vertunt *αἰνέσεως*, id est, laudis, quam vocem eos secutus usurpat hic Siracides. Hic sensus magis connexus est, ac respondens phrasi Siracidis & Salomonis, qui in Proverbiis passim loquitur per comparationem & similitudinem, qua posterius hemistichium assimilat priori. Simili modo est hic una comparatio: Comparat enim eum qui gratias agit Deo, offerendo illi similam, ei qui misericordiam facit, eamque quasi sacrificat Deo. q.d. Sicut qui similam offert litatque Deo, hic illi rem gratam facit grateisque agit: sic pariter qui similam, aut quid simile dat pauperi, Deo rem gratam, & quasi sacrificium offert. Quod enim pauperi offert, hoc offert Deo, qui in paupere repræsentatur, & cujus amore & reverentia pauperi offert: sicut ergo si similam offerres Deo, utique sacrificium eidem offerres gratum, gratiasq; Deo debitas exsolveres: sic pariter si eamdem, aut quam aliam eleemosynam des pauperi, Deo eam- D dem offers; ac consequenter quasi sacrificium eidem offers, & gratias, quas Deo debes pro beneficiis in te collatis, exsolvis. Summatim igitur sensus est, q.d. Sicut gratus est Deo qui illi offert similaginem: sic & gratus est eidem misericors, qui largitur eleemosynam.

VERS. 4.

Secundò, sic vertas cum Tigurina & aliis: *Qui rependit gratiam* (Complut. addunt *ὡς*, id est, *sicut qui*) *similagine supplicat* vel *litat: & qui beneficentiam exercet, sacrificium facit gratulationis* vel *laudis*: ut duo hic virtutis officia commendentur, & invicem assimilentur, scilicet, gratitudinis & beneficentiæ, q.d. Qui pro accepto beneficio rependit gratiam, hic quasi similam Deo litat: quo significatur gratitudinem Deo gratam esse instar sacrificii. Simili modo qui misericordiam vel beneficentiam exercet, sacrificium offert, & (ut Græcus habet) *sacrificator est laudis*, id est, sacrificium laudis Deo offert. Duo ergo sacrificia laudis, quibus

scilicet

scilicet laudatur, delectatur & glorificatur Deus, sunt gratitudo & misericordia. Verum, cur de gratitudine potiùs quàm de alia quavis virtute hic iniicitur mentio, cùm sint aliæ potiores, magisque comparandæ cum misericordia & sacrificio? Quare prior sensus uti magis strictus & connexus, sic & magis aptus & genuinus est. Et juxta eum facilè hanc secundam versionem explices, eamque illi accomodes, ut in idem redeat sensus. q. d. Sicut qui rependit gratiam, similaginem offert, sic qui misericordiam facit, offert Deo sacrificium laudis. q. d. Misericordia est quasi oblatio similaginis, quæ offertur in εὐχαριστίαν, id est, in gratiarum actionem: quia per eleemosynam, quam amore Dei das pauperi, refers gratias Deo pro tot donis debitas. Denique Syrus hoc modo vertit, *fœneratur fœnus magnum qui offert oblationem: & qui facit eleemosynam, custodit legem.*

Eleemosyna est victima laudis quadrupliciter.

Nota, in Græco eleemosynam hic vocari sacrificium αἰνέσεως, quod respondet Hebræo תודה *toda*, id est, laudis & gratiarum actionis, ac eleemosynarium sacrificatorem laudis; Primò, quia ipsa fit ad laudem Dei estque magna laus Dei. Secundò, quia facit ut pauperes laudent Deum; qui hanc mentem eleemosynario inspiravit, ut suæ necessitati succurreret. Tertiò, quia alii videntes hanc beneficentiam laudant Deum, & ad eam imitandam incitantur. Quartò, quia ipse eleemosynarius dat eleemosynam ex amore & honore Dei, ac sæpè actu laudat Deum, quòd sibi facultates animumque dandi eleemosynam aspirarit. Unde S. Paulus commendans eleemosynas Corinthiorum sibi datas, ut eas deferret fidelibus in Judæa de gentibus: *Quoniam*, inquit, *ministerium hujus officii non solùm supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem ministerii hujus, glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ in Evangelium Christi, & simplicitate communicationis in illos & in omnes, & in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus*, 2. Cor. 9. 12.

Gnoma.

Quocirca sapienter S. Gregor. Nazianz. orat. de cura pauper. *Gratitudinis*, inquit, *aliquod specimen Deo exhibeas, quòd te fecerit unum illorum qui beneficia præstare possunt, non autem qui opus habent accipere: & quòd non inspicienda tibi sint aliena manus, sed aliis tua. Dives esto, non solùm opibus, sed etiam pietate. Ne solùm auri, sed etiam virtutis possessione alios antecellas, exhibendo te probiorem & benigniorem. Deus esto calamitosis, Dei misericordiam imitando: nihil enim beneficentia divinius in hominem cadit. Misericordiam tuam ne mox quidem intercipias. Ne dixeris: Aliàs redi: & in crastinum dabo; ne quid fortè accidat inter propositum tuum & beneficium, unde impediatur. Nudum si videris, vestito, honorans immortale tuum indumentum, quod est Christus.* Nam ut ait S. Nilus: *Sicut lucis proprium est illuminare, sic Dei proprium est misereri suorum operum.* Et Phocion apud Maxim. ser. 7. *Nec ex templo ara, nec ex natura humana tollenda est misericordia;* quia hæc est ara & victima gratissima Deo. Et Philo ibid. *Plus tibi diligendi sunt, Imperator, qui suppliciter petentes beneficia abs te sibi præstari cupiunt, quàm qui munera tibi offerre student: his enim debes remunerationem, illi verò debitorem tibi efficiunt Deum, qui in propriis numerat quæ in ipsos contuleris, qui remuneraturus est optimis donis humanitatis tuæ & benignitatis institutum.* Ita ipse ad Cajum Imp. Denique divinè Raphael ad Tobiam c. 12. 6. *Benedicite*, ait, *Deum cæli*, &c. *quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam. Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas in domo tua, ego obtuli orationem tuam Domino. Et nunc misit me Dominus ut curarem te.*

Vers. 5. BENEPLACITUM EST DOMINO RECEDERE AB INIQUITATE, ET DEPRECATIO PRO PECCATIS, RECEDERE AB INIUSTITIA] Hic versus sensu, & penè verbis, idem est cum v. 3. ubi eum plicui. Unde Græca tam Romana quàm Complut. illum semel dumtaxat, idque hoc loco habent. Recedit ergo ab iniustitia quilibet pœnitens & justus, sed maximè eleemosynarius: hic enim non tantùm aliena non rapit iniustè, sed & sua justè, imò liberaliter elargitur. Eleemosyna ergo est maximus ab iniustitia recessus: quare illi præ aliis virtutibus hæc sententia congruit, præsertim quia de ea proximè præcessit sermo. Pro *deprecatio* Græcè est ἐξιλασμὸς, id est, propitiatio, expiatio, lustratio, puta, sacrificium piaculare, sive propitiatorium & expiatorium peccatorum. Dixit v. præced. eleemosynam esse sacrificium *toda*, id est, laudis & gratiarum actionis: quale erat holocaustum, quod totum ad Dei laudem offerebatur & concremabatur. Rursum v. 2. dixit eamdem esse sacrificium salutare sive pacificum: hic asserit eamdem esse sacrificium *pro peccato*. Igitur eleemosyna est triplex, adeoque omnis generis sacrificium. Omne enim sacrificium vel erat holocaustum, vel pacificum, vel pro peccato. Unde Tigurina vertit clarè, *recedere à malitia Deum placare est; & iniustitiam reliquisse piaculare sacrificium;* Syrus, *voluntas Dei est ut declines ab omni eo quod malum est, & prohibe patientiam tuam ne facias quod odiosum est.* Huc alludit Apostolus Hebr. 13. 16. dicens: *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur*) Græcè εὐδοκεῖται, id est, placatur, sibi complacet, delectatur, & quasi pulchrescit, ut vertit Syrus) *Deus*.

Eleemosyna est omnis generis sacrificium.

Vers. 6. Vers. 7. NON APPAREBIS ANTE CONSPECTUM DOMINI VACUUS. HÆC ENIM OMNIA PROPTER MANDATUM DEI FIUNT] Alii vertunt, *facienda sunt;* Tigur. *ne venias in conspectum Domini vacuus? hæc enim omnia præcepti causa instituta sunt;* Syrus, *ne appareas coram eo inaniter; quia omnis qui facit quod virtuosum est, custodit præceptum.* Est occupatio, q. d. Dixi, sacrificium Deo gratum esse fugam peccati & misericordiam: at, ne inde opineris & inferas, sacrificia propriè dicta esse omittenda; addo & dico, neminem debere in conspectu Dei apparere vacuum, sed afferre oblationes & victimas lege præscriptas. Hæc enim omnia, licet ex se, sive ex opere operato (uti in lege nova facit Eucharistia & Sacramenta) non expient peccata; tamen facienda sunt propter mandatum Domini, qui ita sanxit Primò, ut fideles cultum Deo debitum sacrificando exhiberent; Secundò, ut per victimas & preces gratiam & dona Dei impetrarent; Tertiò, ut repræsentarent sacrificium crucis Christi, quo omnia peccata abolentur, omnisque à Deo gratia impetratur. Citat legem Exodi 23. 16. Et Deuter. 16. 16. *Tribus vicibus*, inquit, *per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit; in solemnitate azymorum* (id est, Paschæ) *in solemnitate hebdomadarum* (id est, Pentecostes) *& in solemnitate tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus: sed offeret unusquisque secundùm quod habuerit* (Septuag. *secundùm facultatem manuum suarum*) *juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei*, juxta illud Tobiæ monitum datum filio cap. 4. 8. *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impende.* Nam ut ait S. Ambros. lib. de Viduis: *Liberalitas non cumulo patrimonij, sed largitatis definitur affectu.* Et S. Chrysost. hom. 10. in 2. ad Corinth. *Multum ac parum non ad mensuram dati definit Deus, sed ad potentiam facultatum dantes.* S. Gregor. Nazianz. orat. 42. legit, *non apparebis in conspectu Domini vacuus.* Et explicans illustransque addit: *Verùm si quid pulchri habes, tecum feres:* Deo enim pulcherrimo & præstantissimo pulcherrima & præstantissima danda sunt; ut ipse sancit Num. 19. 28. *Omnia*, inquit, *quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, & electa erunt.*

Coram Deo appareas vacuus:

Cur?

Causam hujus mandati dat S. Irenæus libr. 4. c. 34. *Non apparebis*, inquit, *vacuus ante conspectum Domini Dei tui: ut in quibus gratus extitit homo, in his gratus ei deputatus, eum qui est ab eo, percipiat honorem.* q. d. Ideò non vacui, sed oblationes afferentes coram Deo apparebitis, Primò, ut profiteamini, vos hæc & plura accepisse à Deo, eique gratias referatis. Secundò, ut per hæc gratiam Dei vobis concilietis. Tertiò, ut per hæc honorem ingentem consequamini. Non enim Deus sui causa ea instituit, quasi hoc honore indigens, ejusque cupidus, cùm ipse à S. Triade infinitum habeat honorem: ita ut illi ab Angelis, hominibus, ceterisque creaturis eum honorantibus nihil honoris addi possit: sed vestra causa id fecit, ut scilicet vos hoc honore afficiat. Honor enim magnus est Dei esse sacerdotem, Deo sacrificare, Deo offerre, quidque Deus immensus illa ab homuncione dignetur accipere, eaque rata & grata habere. Quartò, has oblationes sanxit Deus, ut ex illis alerentur Levitæ & sacerdotes ad ministrandum Deo in templo: hi enim aliam hereditatem non habebant in Israel.

Unde moraliter S. Chrysost. hom. 67. ad Popul. sub finem, & hom. 1. in 2. ad Timoth. ex hoc loco docet, nos non debere ingredi templum vacuos, sed afferentes eleemosy-

mosynam, quam partiamur in pauperes, quia ea de causa ante fores stant & mendicant. *Non apparebis*, inquit, *vacuus coram Domino: Judæis hæc dicebantur, quantò magis nobis? propterea pauperes ante fores positi sunt, ne quis vacuus ingrediatur, sed ut introeat cum eleemosyna: si, ut misericordiam consequaris, intras; priùs miserere. Qui verò posteriùs venit, plus debet: cùm enim nos inceperimus, secundus plus erogat. Fac tibi Deum debitorem, & tunc eum pete; mutua, & tandem Deum repete, ut cum fœnore recipias. Vult hoc Deus, non refugit. Si cum eleemosyna petas, gratias habet: si cum eleemosyna reposcas, mutuas, & capis fœnora: ita vos exhortor. Non in manuum extensione satis est audiri. Extende manus tuas, non in cœlum, sed ad pauperum manus. Si ad pauperum manus extenderis manum, ipsum cœli verticem tetigeris: qui enim illic sedet, eleemosynam suscipit; si enim porrexeris vacuas, nihil profeceris.*

Mysticè. Mysticè, Theodor. in Exodi 23. q. 53. Jubetur, inquit, ut dives eleemosynam impertiatur, dum Deum orat; is verò qui paupertatem elegit, ut animam bonis minimè vacuam, sed copia virtutum locupletatam afferat. Unde Nazianzen. orat. 43. de Encæniis docet, nos encænia celebrare debere hoc modo, ut coram Deo non κενοὶ, id est vacui, sed καινοὶ, id est novi, appareamus. *At tunc*, inquit, *diverso modo novus appare, sic nempe ut totus immuteris: vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.* Quod explicans Nicetas: *Novus appare*, inquit, *non secundùm hanc scripturam τῦ κενῦ, id est, vacui & nihil habentis, sed juxta alteram significationem τῦ καινῦ, id est, novi, ac per virtutis progressum & incrementum innovati penitusque immutati, vel à vitio ad virtutem, vel à virtute minori ad majorem.* Si ergo cor amore mundi vano evacues, illudque vero unius Dei amore innoves impleasque, utique hoc præceptum implebis.

Coram Deo apparere novus, non vacuus.

Exemplo S. Francisci. Memorabile est, quod de S. Francisco in Chronicis legimus, eum, cum Deo in oratione colloquentem in monte Aluerniæ, ne coram eo appareret vacuus, jussum à Deo apparente in flamma ignis, sibi trinam facere oblationem. Cumque S. Franciscus responderet: *Domine ego sum totus tuus, & nihil habeo nisi tunicam, & chordam, & femoralia, & ista similiter tua sunt*; præcepit ei Deus, ut manum mitteret in sinum, & quidquid ibi invenisset, id sibi offerret. Quod cùm ille fecisset, reperit in sinu successivè tres ingentes nummos aureos fulgidissimos, quos protinus Deo obtulit: ac mox intellexit, per trinam hanc oblationem figurari auream obedientiam, altissimam paupertatem, & splendidissimam castitatem: quas Deus menti ejus indiderat, ut eas sibi offerret. Hinc ergo discamus, & reipsa practicemus, ut, cùm ad Deum accedimus orando, Missam celebrando vel audiendo, communicando, non vacui accedamus; sed offeramus ei aliquod bonum propositum vincendi nos ipsos in re quæ nos maximè à profectu impedit: aut faciendi aliquod opus heroicum: aut certè offeramus Deo cor ab omni amore terreno vacuum, ut illud ipse suo amore impleat. Nonnulli post S. Synaxin hæc duo usurpant magno fructu. Prius, ut Deo offerant id, quod putant Deo maximè esse gratum, quod scilicet maximè ab iis Deum cupere & expetere censent. Posterius, ut vicissim à Christo Domino petant gratiam vel donum aliquod, quo maximè indigent. Itaque Christum quasi medicum circumducunt per omnes animæ suæ potentias, ac ubi majorem vident infirmitatem, rogant & obsecrant ut illam curare dignetur. Quocirca in qualibet S. Synaxi propriam & peculiarem gratiam consequuntur, ut legimus accidisse S. Catharinæ Senensi & aliis. Hoc fuit dogma & praxis Cardinalis Bellarmini.

Anagog. Anagog. coram tribunali Christi nemo apparere debet vacuus bonorum operum, qui salvus esse velit. Audi S. Gregor. (& ex eo Rabanum) lib. 7. in Job cap. 13. ad illud cap. 6. *Ambulabunt in vacuum, & peribunt. In vacuum quippe*, inquit, *ambulant, qui nil secum de fructu sui laboris portant. Alius namque adipiscendis honoribus exsudat, alius multiplicandis facultatibus anhelat, alius promerendis laudibus anhelat; sed quia cuncta hæc quisque moriens deserit, labores in vacuum perdidit: quia secum ante judicem nihil tulit. Quo contrà bene per legem dicitur: Non apparebis in conspectu Domini vacuus. Qui enim promerendæ vitæ mercedem bene agendo non providet, in conspectu Domini vacuus apparet. Hinc de justis per Psalmistam dicitur: Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos. Ad examen quippe judicii portantes manipulos veniunt, qui in semetipsis recta opera, quibus vitam mercantur, ostendunt. Hinc de unoquoque electo Psalmista iterum dicit: Qui non accepit in vano animam suam. In vano namque animam suam accipit, qui sola præsentia cogitans, quæ sequuntur in perpetuum non attendit. In vano animam suam accipit qui ejus vitam negligens, ei curam carnis anteponit: sed animam suam justi in vano non accipiunt, quia intentione continua ad ejus utilitatem referunt quidquid corporaliter operantur: quatenus & transeunte opere, operis causa non transeat quæ vitæ præmia post vitam parat. Sed hæc curare reprobi negligunt; quia profectò ambulantes in vacuū, vitam sequentes fugiunt, invenientes perdunt.*

Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi.) Tigurina, *aram pinguefacit immolatio justi, & odor ejus Deo suavis est*; aliter Syrus, *oblationes justorum*, inquit, *oratio oris eorum, & opera eorum cœlum effodiunt*. *Altare*, id est, victimam altaris, sive quæ in altari Deo offertur. Est metonymia, continens enim ponitur pro contento, q. d. Pinguedo carnea impinguat victimam, & consequenter altare, in quo victima offertur & mactatur, ut tamquam pinguis & excellens placeat tam Deo quàm hominibus, uti placuerunt victimæ pinguiores & meliores, quas offerebat Abel Genes. 4. At multò magis victimam *impinguat*, id est, pinguem & excellentem, ideoque Deo gratam, efficit justitia & sanctitas, indeque devotio offerentis. Hæc enim est interna & mystica pinguedo, quæ victimam & sacrificium spiritualiter impinguat; ut quasi pinguis & præcellens mirè Deo placeat, sitque acceptissima. Hoc ut significaret Deus, jussit in omni sacrificio, etiam pacifico & pro peccato, sibi offerri cremarique totum adipem & pinguedinem victimæ, ut patet Levit. 3. 3. & c. 4. 8. Unde eò alludens Psaltes orat psal. 19. *Holocaustum tuum pingue fiat*, id est, ut pingue & excellens à Deo acceptetur. Est metalepsis: *pingue* enim ponitur pro grato & accepto: quia victimæ pingues, utpote meliores, acceptæ sunt placentque Deo & hominibus, sicut macilentæ displicent, juxta illud psal. 62. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.* Idem orant tres pueri in fornace Babylonia sese per martyrium immolantes Deo: *Sicut in holocausto*, inquiunt, *arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium; sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi*, Daniel. 3. 40. Melior enim est pinguedo devotionis pinguedine immolationis. Vers. 8.

Devotio quid? Devotio ergo est quasi adeps victimæ eam impinguans, & efficiens ut Deo sit pergrata & delicata: devotæ enim mentes sunt Dei deliciæ. Porrò devotionem non femineam lacrymarum, sed veram & virilem, ita ex ima radice examinat, definit & explicat S. Thomas 2. 2. q. 82. a. 1. *Devotio*, inquit, *dicitur à devovendo: unde devoti dicuntur, qui seipsos quodammodo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant. Propter quod & olim apud Gentiles Devoti dicebantur, qui seipsos idolis devovebant in mortem pro sui salute exercitus, sicut de duobus Deciis T. Livius narrat. Unde devotio nihil aliud esse videtur, quàm voluntas quædam promptè tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum. Unde Exodi 35. dicitur, quòd multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissima atque devota primitias Domino. Manifestum est autem, quòd voluntas promptè faciendi quod ad Dei servitium pertinet, est quidam specialis actus: unde devotio est specialis actus voluntatis.* Idem art. 3. causas devotionis assignans, docet extrinsecam ejus causam esse Deum, qui eam menti aspirat & inspirat: intrinsecam verò esse meditationem. Nam, ut ait S. August. 14. de Trinit. cap. 8. voluntas oritur ex intelligentia. *Et ideò*, inquit, D. Thomas, *necesse est quòd meditatio sit devotionis causa, inquantum scilicet homo per meditationem concipit, quod se tradat divino obsequio: ad quod quidem inducit duplex consideratio. Una quidem quæ est ex parte divinæ bonitatis, & beneficiorum ipsius, secundùm illud psal. 72. Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam. Et hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa. Alia verò est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget ut Deo innitatur, secundùm illud psal. 120. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi: auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Et hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam aliquis impeditur, ut Deo se subjiciat, dum suæ virtuti innititur.*

Ejus causa meditatio.

Quadruplex. Porrò S. Bernard. in Sententiis: *Quatuor*, inquit, *esse dicuntur, quæ nostræ gratiam devotionis adaugent. Memoria peccatorum, quæ hominem reddit humilem apud se. Recordatio pœnarum, quæ illum sollicitat ad benè agendum. Consideratio peregrinationis, quæ illum hortatur visibilia debere contemnere. Desiderium*

vitæ

vita perennis; quo hominum incitans ad perfectum, cogit eum A
à terrenis affectibus voluntatis mutatione suspendi. Vide eumdem de causis & signis devotionis & fervoris serm. 6. de Ascens. Domini. Idem serm. 18. in Cant. causam devotionis assignat orationem. *Orando*, inquit, *bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritus, quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit oblivionem. Humectat interiora arentis conscientiæ: escas bonorum actuum digerit & deducit per quadam anima membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansq; charitatem & impinguans mores.*

ET ODOR SUAVITATIS EST IN CONSPECTU ALTISSIMI] Clemens Alex. lib. 3. Pædag. c. 12. legit, *odor suavitatis Deo est cor quod glorificat eum*. Additque: *Hæ sunt coronæ, & sacrificia, & aromata, & flores Dei*. Alludit ad illud Levit. 1. 9. *In holocaustum & suavem odorem Domino*: hoc est, ut Chaldæus clarè vertit, *holocausti oblatio est, quæ suscipitur cum beneplacito coram Domino*. Unde pro *odorem suavem*, vel *odorem suavitatis*, Hebr. est ריחניחח *reach nichoach*, id est, *odorem quietis*, in quo scilicet suaviter quiescit & delectatur Deus tamquam in sacrificio sibi accepto. Hujus rei causa & symbolo omni victimæ imponebatur thus, illudque cum victima adolebatur & cremabatur B ut suavem ederet suffitum, qui naribus tam hominum quàm Dei anthropopathῶs suavè oleret, easque oblectaret, ut patet Levit. 2. 2. Thus enim symbolum erat mentis elevatæ in Deum, & ad Deum cum hac thuris vaporatione ascendentis. Unde illud Psaltis psal. 140. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Excipe victimam pro peccato: illi enim non imponebatur thus, ut significaretur peccatum nõ bene ut thus, sed pessimè olere, & esse abominabile coram Deo, ut ostendi Levit. 5. 11. Hinc de Noe in fine diluvii Deo sacrificante dicitur Genes. 8. 21. *Odoratusq; est Dominus odorem suavitatis, aitq; ad eum: Nequaquam maledicam terræ*. Ubi S. Chrysost. *Justi Noe virtus*, inquit, *fumum & nidorem victimæ Deo fecit odorem fragrantiæ*. Hoc est, quod docet hic Siracides, q. d. Oblatio justi mysticè impinguat victimam, ideoque facit eam odoratam, id est, suavem gratamque Deo quia in naribus Dei suaviùs olet justitia, sanctitas & devotio quàm omne thus & thymiama.

Huic Jesu Sirach sententiæ antistropha est illa unius è 72. Interpret. S. Scripturæ numero vigesimi septimi. Unde nonnulli opinantur illum eumdem esse cum nostro Jesu Sirach. Huic enim cùm Ptolemæus Philadelphus proposuisset quæstionem, *Quid sit pulchritudine dignius?* Ille respondit: *Pietas, nam & ipsa pulchritudo quædam est præcellens: ejus autem potentia, charitas, quæ quidem Dei munus est, quam & tu possides, cuncta in ipsa bona amplectens*. Ita Aristæas lib. de 72. Interpret.

VERS. 9. SACRIFICIUM JUSTI ACCEPTUM EST, ET MEMORIAM EJUS (non justi, sed sacrificii; Græcè enim est αὐτῆς, scilicet θυσίας, id est, sacrifici) NON OBLIVISCETUR DOMINUS] q. d. Sacrificium justi adeò placet Deo, ut ejus nulla umquam ipsum capiat oblivio: sed ejus perennem memoriam conservabit ad illud dignè remunerandum: nam oblationes illius temporis non erant acceptæ Deo, nisi ex fide & devotione offerentium, ait Lyran. Tigurina, *sacrificium justi est commendabile, memoriaque ejus nulla oblivione abolebitur*. Alludit ad Levit. 2. v. 2. & 9. Tam hic enim quàm ibi Græcè est eadem vox μνημόσυνον, id est, *memoriale*, quod Noster vertit, *memoria*: *Ponet*, inquit, *memoriale ejus super altare*. Vide ibi dicta. Syrus, *donum hominis boni acceptabitur, & memoria justorum oblivioni non tradetur in æternum*.

VERS. 10. BONO ANIMO GLORIAM REDDE DEO, ET NON MINUAS PRIMITIAS MANUUM TUARUM] *Bono*, id est læto, devoto hilarique animo gloriam *redde Deo*. Græca δόξασον, id est, *glorifica Dominum*, scilicet, per oblationes lege præceptas ad Deum glorificandum, ideoque esto in Deum largus & liberalis, *& non minuas primitias*, eas accidendo, vel pejores offerendo, sed potiùs eas adaugeas, & meliores Deo offeras. Unde Tigurina, *honora Dominum oculo benigno ac munifico, nec primitias manuum tuarũ* (id est labore manuũ tuarum partas, vel quas manu tua das, ait Vatab.) *minue*. Lege sancitum erat, ut Judæi primitias rerum omnium Deo dicarent, ut per eas omnes res eorũ censerentur Deo offerri & dicari, Exod. 23. 16. & 19. Jubet ergo eas non illibenter dari, nec avarè & sordidè imminui: sed animo læto, largo & liberali integras offerri. Porrò Syrus vertit, *bono oculo da pauperi, & ne commovearis in donis tuis*.

A Moraliter hic disce, quàm religio Deique cultus ipsi placeat, ideoque nobis cordi & curæ esse debeat, præsertim quia idipsum lumine & impulsu naturę cognovere, & ingẽti studio exercuere Gentiles. Nulla enim gens tam barbara extitit, ait Cicero de Natur. deor. quæ naturalis rationis ductu non cognoverit & coluerit numen aliquod. Idem fusè demonstrat S. August. 1. Civit. 34. Rhodigin. lib. 23. 1. Justin. lib. 28. Halicarnas. lib. 2. Excelluere hac in re Romani, qui rebus omnibus publicis & privatis anteponebant cultum deorum, & ante omnia exquirebant, qua ratione eorum cultum augere possent. *Antiquius*, ait Plutarch. in Vita Marcelli, *ad salutem publicam rati, si magistratus deos susciperent, quàm si hostes superarent*. Hinc Romulus ante omnia constituit ea quę ad numinis cultum pertinent. Inde quasi felici sanctoque dato rebus exordio, ad remp. ordinandam progressus est. Ita Halicarnass. lib. 2. Romulum in sacris disponendis superavit successor ejus Numa Pompilius. Idem faciendum docet Arist. 5. Polit. c. 11.

In rebus omnibus ordiendum à cultu Dei.

Ratio à priori est, quia Deus est summa & immensa majestas, plena omni sanctitate, sapientia, potentia, clementia, justitia, omnique virtute & perfectione: illi ergo B debetur omnis honor & gloria. Rursum Deus est principium, causa & finis frugum rerumque omnium: illi ergo omnium primitiæ debentur. Unde S. Gregor. Nazianz. orat. in Natalitia Deum ita describit: *Universum esse in seipso numquam inceptum, numquam desiturum complexus continet, tamquam infinitum quoddam & interminatum essentiæ pelagus*. Idem in Carmin.

Ratio à priori.

In te omnia permanent, ad te confertim festinant omnia;
Tu omnium finis, tu unus, & omnia, & nihil rerum.

Quia scilicet Deus non est res aliqua creata, sed omnes in immensum transcendit:

Cùm neque unum sit, neque omnia, quem te appellem,
Qui solus innominabilis & omninomius?

Et S. Dionys. de Divinis nomin. c. 5. *Deus*, inquit, *non est quovis modo ens & anticipans*: quia antequam creaturæ in se existerent, jam existebant in Deo. Et inferiùs: *In qua* (unitate divina) *omnia unicè sunt coniuncta, superunita & præexistentia superessentialiter*. Et cap. 4. *In ipso est omne principium exemplare, finale, efficiens, formale, elementare: & simpliciter omne principium, omnis connexio, omnis terminus*. Unde exclamat Apost. Roman. 11. 33. C *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* &c. *quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula Amen*.

Jure ergo Simeon cognomento Justus, qui floruit sub ultima tempora Synagogæ, dictabat, *Mundum hunc trium rerum auxilio & firmitate solidari, cultu divino, lege & misericordia*. Deus enim est basis & centrum mundi, quem nobis cõciliamus piè eum colendo. Ita refertur in *Pirke aboth*, id est in Capitalis sive Proverbiis patrum Hebr. cap. 1.

IN OMNI DATO HILAREM FAC (Græcè ἱλάρωσον, id est, *hilarifica* ut vertunt Complut.) VULTUM TUUM, ET IN EXULTATIONE SANCTIFICA DECIMAS TUAS] *In*, id est cum, *exultatione*, lętitia & jubilo animi, *sanctifica*, (id est, offer, dica & consecra Deo, eiq; quasi fac sanctas & sacras *decimas tuas*: quod enim Deo, id est, sacerrimæ & sanctissimæ majestati divinæ, offertur, id hoc ipso fit sacrum & sanctum. Sic sæpè in Lev. *sanctificare* sumitur pro consecrare. Unde & Christus: *Ego*, inquit, *pro eis sanctifico* (id est, consecro in hostiam, & in cruce immolo) *meipsum*, Jo. 17. 19. Syrus vertit, *in omnibus donis sit hilaris facies tua; & cum gaudio mutuum da ei qui non reddit tibi*. VERS. 11.

D Secundò, Jansenius sic explicat, q. d. Per *exultationem* & lætitiam fac ut decimæ quas persolvis, sanctæ sint & gratæ Deo. Multum enim virtuti & sanctitati, æquè ac oblationi addit hilaritas animi. Hæc enim facit ut opus sit speciosius, intensius, melius & perfectius, ac hilaritate quasi sacchařo conditum. Unde *hilarem datorem diligit Deus*, Prov. 22. 8. juxta Septuag. quæ verba citans Paulus 2. Cor. 9. 7. dum Corinth. hortatur ad eleemosynam: *Non ex tristitia*, inquit, *aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus*. Nam, ut ait S. Aug. in psal. 42. *Eleemosyna plerumque fit à tristibus & murmurantibus, ut careant tædio interpellantis, non ut reficiant viscera indigentis. Hilarem autem datorem diligit Deus: at si panem dederis tristis, & panem & meritum perdidisti. Ergo ex animo fac, ut ille qui intus videt, adhuc loquente te dicat: Ecce adsum*. Plura de hac hilaritate in dando dixi 2. Cor. 9. 7. Hilaritas enim est bonæ & devotæ voluntatis signum, ait

Lyran. adeoque ipsa est decor & flos virtutis: longè enim magis decorum est opus misericordiæ, obedientiæ, patientiæ, humilitatis, &c. quod fit hilariter, quàm quod fit animo tristi & mœsto, ideoque tardo & torpido. Unde vidua hilariter offerens duo minuta plus ceteris plura offerentibus judicata est obtulisse à Christo, Lucæ 21.

Mysticè.

Mysticè Rabanus: primitiæ, id est, initium operum; & decimæ, id est, finis eorumdem Deo offerenda sunt: denarius enim perfectionem & finem significat; quia usque ad denarium numerus crescit, ibiq; quasi finiens ad principium redit: decem enim & unum faciunt undecim, decem & duo faciunt duodecim, & sic consequenter de ceteris. *Ideoq;* inquit Raban. *sicut in primitiis principia voluntatum, ita in decimis consumationes nostrorum operum ad Dominum referre præcipimur, à quo & boni operis initium, & perfectionis donatur effectus.*

Hilaria Gentilium.

Imitati idipsum sunt Gentiles, qui uti hilariter in victimis & oblationibus celebrabant sua Floralia, Vinalia, Bacchanalia, Saturnalia, sic & Hilaria. Audi Macrobium l. 1. Saturnal. cap. 26. *Celebratur lætitiæ exordium ad octavum Calend. Aprilis* (id est, die 25. Martii) *quo primùm tempore sol diem longiorem nocte protendit.* Olim ergo æquinoctium vernum incidebat in diem 25. Martii: unde eadem die primitus à Deo creatum esse mundum multi opinantur, sicut eadem die recreatus & renovatus est, cùm Angelo nuntiante B. Virgo concepit Dei Filium, & Verbum caro factum est; atque eodem post 34. annos à Christo redemptus est mundus. Doctiorum enim sententia est, Christum crucifixum & mortuum esse die 25. Martii. Meritò ergo illo die tot nominibus Hilaria celebrent non solùm Gentiles, sed & Christiani.

Christianorum.

Oblationes nostra unienda meritis Christi.

Porrò, quia orationes & opera nostra exilia & vilia sunt, ac ne minima ex parte divinæ majestati æqua & digna; hinc Deus dedit nobis Christum sibi æqualem, ut eum in sacrificio Eucharistiæ velut victimam Deo dignam & parem offeramus. Rursum voluit, ut per Christum omnia illi offeramus. Hinc praxis ad opera nostra, quæ in se exigua & abiecta sunt, reddendum excellentissima Deoq; acceptissima, est, si ea uniamus & inseramus Jesu Christi actionibus, meritis & passionibus, illisque unita Deo offeramus: quare unionis hujus & conjunctionis ergò majoris illa æstimat, libentiusque ob infinitum illum amorem, quo erga Filium suum fertur, acceptat. Insuper actiones nostræ non tantùm Deo sunt gratiores, sed etiam magis meritoriæ, ob infinita Domini nostri merita, quæ vi hujus unionis & oblationis ei factæ, eisdem abundanter communicantur. Quam ob causam D. Paulus ad hanc praxim nos excitat, dicens: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere omnia in nomine Domini Jesu Christi*, Coloss. 3. Lud. Blosius Abbas Lætiensis, magnus spiritalium rerum magister, in Instit. spir. c. 9. omnes spiritualem quæstum faciendi cupidos ad hanc praxim hortatur, inquiens: *Is qui se pietati & devotioni addicit, consuescat omnia opera sua per sanctam intentionem ad Dei honorem referre, consuescat tam illa quæ agit, quàm ea quæ patitur, coniungere atque unire operibus & doloribus Christi per orationem sive desiderium.* Et in suo Spirituali speculo ita loquitur: *Si bona opera & exercitia tua copulaveris universisque actibus & exercitiis Christi, atque ita obtuleris illa Deo in laudem æternam; erit sanè ista oblatio ipsi Domino longè gratissima, & opera tua claritatem dignitatemque ineffabilem recipient ex actibus Christi, quibus uniuntur, plumbum tuum, ut ita dicam, mutabitur in aurum optimum, & aqua tua in vinum excellentissimum.* Ratio est, quia opera tua ex se vilia, obscura & imperfecta, maximè illustria, Deoque accepta hac unione evadent, eò quòd à Christi meritis singularem eximiamque bonitatem accipiant, non secùs quàm aquæ gutta in dolium vino plenum immissa, optimum vini saporem coloremque recipit. Prioribus in Spirituali institutione hæc annectit: *Bona opera illius qui istud piè observat, excellunt incomparabiliter bona opera eius qui non observat.* Iterumque in istius capitis fine: *Ista omnia*, inquit, *Dominus familiarissimis amicis suis revelare dignatus est, ut nos hac ratione opera nostra reddamus nobilissima, nostramque inopiam ex inexhausto meritorum Christi thesauro sublevemus, & animas nostras eisdem Christi meritis exornemus; ut hac denique ratione pro peccatis nostris facillimè satisfaciamus.* Quibus verbis magna bonorum emolumenta, quæ ex hoc exercitio in nos derivantur, planè nobis demonstrat.

Apologus liberalis.

Hanc gnomen insigni apologo aquilæ & phœnicis exhilarat, scitisque morum documentis exornat Cyrillus lib. 3. Apol. moral. c. 25. *De supernis infima, vigili conamine aquila prædam investigando prospectans, cum phœnicem cerneret se igne genito comburentem, ad eum subitò descendit, & dixit: Numquid in combustione non doles? At ille respondit: Tu autem in venatione non gaudes? Tum illa: Etiam. Cui phœnix subiunxit: Certè sicut tu cupida delectaris in captione prædæ, ita phœnix in larga donatione substantiæ. Non enim minor est iucunditas in exhibitione liberalitatis, quàm in deprædatione cupiditatis. Omnem enim actionem virtutis, effusio sequitur delectationis. Propter hoc, charissima, in hoc igne non doleo, sed delector; quia in generatione alterius tam delectabiliter, quàm liberaliter totam meipsam effundo.* Denique idipsum exemplo viperæ, medulæ, cordis & stomachi commonstrat. *Numquam considerasti, quanto delectationis impetu in generatione se liberaliter vipera effundit, ut nec quidem mortis morsus amaritudinem sentiat? Nimirum cuncta sua beneficia, non sine magna delectatione liberaliter natura communicat. Sic generativam medullam vivificam beneficialiter cum suavitate largitur, & cum iucunditate cor funditur, atque cùm digestum chilum stomachus devoraverit, delectatur. Omnis enim donatio liberalis, cum hilaritate est cordis. Quoniam eius effundere si virtutem augere, virtutem perficere.* Denique ex adverso illiberalis dedecora & damna recensens: *At verò illiberalis*, inquit, *tenendo aurum, perdit seipsum: & foris dum possides, intus veraciter nihil habes. Doles si dederis, quia etiam datum perdis, eò quòd ex virtute non dederis. Si rapueris, delectatur, & caecus nescit quid ipse ammittitur. Sed quid habes, qui teipsum non possides? Omnia enim transeunt cum persona; & propter hoc qui cupiditatis est servus, nullius est dominus. Disperge ergo libenter, & dona hilariter, ut unà te cum virtute possideas, & simul universa, ac in æternum sis liber. Quibus auditis, aquila ratione liberalitatis confusa, in superna avolavit.*

DA ALTISSIMO SECUNDUM DATUM EJUS Vers. 12.
(id est secundùm quod tibi dedit, juxta opes à Deo acceptas, ut, si multum acceperis, multum Deo offeras; si parum, parum) ET IN BONO OCULO AD INVENTIONEM FACITO MANUUM TUARUM] ita Rom. q. d. *Bono*, id est læto, *oculo* & vultu fac oblationem secundùm quod invenit manus tua, id est prout potes, & secundùm facultates tuas. Sic *facere* pro offerre & sacrificare sæpè sumitur in Levitico, & alibi. Quin & apud Poetam:

Cùm faciā (id est sacrificabo) *vitula pro frugibus ipse venito.*

Unde Jansenius per diastolen legit καθ' εὕρεμα, id est, *ad inventionem*, q. d. Facito *ad*, id est, secundùm quod invenerunt manus tuæ, vel juxta quod manibus tuis acquisisti. Tigurina nervosè vertit, *munera des Altissimo pro munificentia ipsius* (q. d. Esto munificus in Deum erga te adeò munificum, ac quantum ipse in te, tantum tu in ipsum esto munificus) *& oculo benigno quod ad manum est.* Clarè Syrus, *da Deo sicut dedit tibi oculo bono* (id est hilariter *& manu grandi* (id est, largè & liberaliter:) *qui enim dat pauperi, Deo feneratur: quis enim est retributor nisi ipse?*

QUONIAM DOMINUS RETRIBUENS EST, Vers. 13.
SEPTIES TANTUM (Græcè ἑπταπλάσια, id est, *septuplo*) REDDET TIBI] Tigurina, *nam Dominus repensator est, qui reddet tibi septies tanto amplius*; efficaciùs Syrus, *quia Deus retributor est, & millia millium ipse reddet tibi.* Duplicem dat causam & stimulum ad lætam & liberalem oblationem, q. d. Offer tua hilariter & liberaliter Deo, Primò, quia ipse tuus, & omnium est dominus qui tibi tua omnia dedit, & rursus eadem à te jure suo exigit. Secundò, quia ipse cùm sit liberalissimus, non sinet se à te liberalitate vinci; sed si in ipsum sis liberalis, ipse in te vicissim longè erit liberalior, ac pro uno quod ipsi offers, retribuet tibi *septies*, id est, multipliciter. Septenarius enim est symbolum multitudinis, plenitudinis & universitatis, uti fusè hic ostendit Rabanus. Oblationes ergo primitiarum, decimarum, victimarum, &c. offerentem ditant: earum verò neglectus negligentem depauperat. Unde Siracidem secutus R. Akiba in *Pirke avoth*, id est, in Apophth. patrum: *Traditio*, inquit, *est legis propugnaculum, sicut decimæ divitiarum, vota abstinentiæ, & silentium sapientiæ*, sunt propugnacula. Decimæ ergo propugnant divitias, sicut silentium propugnat sapientiam, & votum abstinendi propugnat abstinentiam.

Septenarius symbolum perfectionis.

Symbolicè & mysticè, Rabanus: *Dat Altissimo secundùm datum suum*, inquit, *qui beneficiorum suorum memor, primùm semetipsum rectè credendo & bene operando offert Deo. quia ab ipso*

habet

Rom. 11. *habet quod substantialiter est, quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Deinde hoc quod extra se sui muneris possidet, bona intentione totum in laudem ejus expendat. Hoc est enim quod dicit: Et in bono oculo ad inventionem facito manuum tuarum; quoniam Dominus (inquit) septies tantum reddet: hoc est, perfectam remunerationem tribuet. Septenarius enim numerus propter dona Spiritus sancti, quæ in eo demonstrantur, perfectus est.* Et inferiùs: Anagogicè *Septenario numero perfectio æternitatis innuitur, cùm dies septimus in requiem Domini sanctificatus vocatur, cùm jam vespera inesse non dicitur, quia æternæ beatitudinis requies nullo termino coarctatur. Hinc est etiam quòd lege data dies septimus feriatus esse præcipitur, ut æterna per illum requies designetur; quia per septenarium numerum præsentis vitæ universitas designatur. Tunc magis ostenditur, cùm post eum quoque ita octonarius subinfertur. Septenarium quippe cùm adhuc alius sequitur, ex ipso eius argumento exprimitur, quia finienda tempora æternitate concluduntur.*
Eccl. 11. 2. *Scriptum est: Da partes septem, nec non & octo. Per septenarium quippe numerum hoc quod septem diebus agitur, præsens tempus expressit; per octonarium verò vitam perpetuam designavit; quam tamen sua nobis Dominus resurrectione patefecit, cùm Dominico scilicet die resurrexit, qui dum diem septimum, id est, sabbatum sequitur, à conditione octavus invenitur.*

Nota hic octo conditiones quas requirit Deus ad oblationem, sacrificium, votum & quodlibet donum, ut ei placeat. *Octo requisita ad oblationem Deo placitam.* Prima est v. 8. ut offeratur in justitia, putà ab homine justo & sancto. Hic enim Dei amicus est, imò filius, cùm peccator sit Dei hostis: hostium autem δῶρα ἄδωρα. Secunda est v. 10. ut offeratur animo bono, id est, sincero, jucundo, pio, devoto ad ipsum glorificandum. Tertia ibidem, ut donum sit integrum, non recisum, non imminutum. Quarta v. 11. ut offeratur animo hilari, imò exultante. Quinta v. 12. ut sit præcellens & eximium, quia offertur Altissimo. Sexta ibidem, ut sit largum & liberale, tantum scilicet quantum ferunt vires & opes, juxta illud: *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua,* Deuter. 6. 5. Addit Christus, *Ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua,* Lucæ 10. 27. Septima v. sequ. ut munus non sit pravum, id est, vitiatum, mancum, distortum, corruptum; sed incorruptum & perfectum. Octava, ut munus non sit iniquum, sed justè partum, v. 15.

VERS. 14. NOLI OFFERRE MUNERA PRAVA, NON ENIM SUSCIPIET ILLA] Græcè est μὴ δωροκόπει, quod Complut. vertunt, *ne diminuas ex dono;* Roman. *ne minuas ex munere;* Tigur. *ne offeras parta sordibus munera;* Jansenius, *ne decurtes munera;* ut scilicet per avaritiam ab eo quod Deo est dandum, aliquid abradas, tibique reserves: alii, *noli munera offerre de quibus aliquid ademptum sit;* alii ad verbum, *ne præcidas donum.* Omnia hæc eodem tendunt, nimirum vetat offerre munera quæ juxta legem nō sunt integra, sed quibus aliquid deest, quæ vitium aliquod habent, quæ Noster vocat *prava,* id est, vitiata & corrupta, qualia sunt animalia, putà boves & oves cæcæ, claudæ, fractæ, mutilæ, herniosæ, scabiosæ, quales vetantur offerri, Lev. 22. 22. & seq. Deut. 15. 20. & Malac. 1. 8.

Syrus verò vertit, *ne differas: non enim est acceptum.* Accipit ergo hæc de præcisione temporis, quasi vetet ne munus, vel victima præcepta offerri in sabbatho, offeratur feria tertia vel quarta. Ex dictis patet, optimè vertisse Nostrū δωροκόπει, præsertim quia 3. Mach. 1. sic sumitur, cùm ait, δωροκοπηθέντες ἐπὶ τῷ μετέχειν τῆς φυγῆς, id est, *muneribus corrupti moliendæ fugæ gratia.* Unde Lexica Græca, δωροκοπεῖν, inquiunt, est munera prava offerre. Sic [illegible] dicuntur frumenta & semina, cùm vitiantur, præsertim cùm inimica & malefica animalia eis innascuntur, ut patet ex Theophrasto libr. 8. Histor. plantar. cap. 10. & de Caus. plantar. lib. 4. cap. ult.

VERS. 15. ET NOLI INSPICERE SACRIFICIUM INJUSTUM: QUONIAM DOMINUS JUDEX EST, ET NON EST APUD ILLUD GLORIA PERSONÆ] Græcè est, μὴ ἔπεχε θυσίᾳ ἀδίκῳ, id est, *ne intendas* vel *attendas sacrificio iniquo,* ut spem tuam in eo reponas, ac propter illud putes te Deo gratum fore. Unde Syrus vertit, *ne confidas in oblationibus: quia Dominus facit judicium, & non est coram eo acceptio personarum;* Tig. *nec iniquum instituas sacrificium: quia Dominus judex est, nec valet apud eum magnificentia personæ.* Græcum enim δόξα significat gloriam, dignitatem, magnificentiam, item opinionem, existimationem, nomen, famam, celebritatem. Putant magni & magnates nonnulli se, esto alios opprimant & diripiant, Dei gratiam sibi conciliaturos, si magnifica ex rapinis ei dona offerant, quasi Deus muneribus capiatur, uti capiuntur homines, juxta illud Ovidii:

Munera, crede mihi, capiunt hominesque deosque;
Placatur donis Juppiter ipse datis.

Horum errorem redarguit hic Siracides; quia Deus inquit, justus est judex, nec curat dignitatem vel gloriam personæ, aut munerum ejus. Ipse enim est magnificentissimus; unde sub eo omnia magnifica, omnesque magnates & magnifici parvi sunt, minoresque quàm pulices & culices: quare eorum muneribus, quantumvis magnificis, non placabitur, ut eis faveat, eosque adjuvet & prosperet in oppressione pauperum. Unde clariùs explicans subdit: *Non accipiet Dominus personam in pauperem.*

Illustre hujus rei exemplum recenset S. Gregor. l. 3. Dialog. c. 26. *Exemplum è S. Gregor.* *In Samnio,* inquit, *vener. Vir è Menas solitariam vitam ducebat. Hujus studium fuit, nihil in hoc mundo habere, nihil quærere, omnes qui ad se charitatis causa veniebant, ad æternæ vitæ desideria accendere: Si quando autem quorumlibet culpas agnosceret, nunquam ab increpatione parcere; sed amoris igne succensus, studebat in eis vehementer per linguam sævire. Id metuens Carterius, qui sanctimonialem rapuerat, sibique illicito matrimonio conjunxerat, fecit oblationes suas, easque inter oblationes aliorum misit. Quas ubi vir Dei cognovit per Spiritum, sprevit atque abjecit, dicens: Ite & dicite ei: Oblationem suam omnipotenti Domino abstulisti, & mihi tuas oblationes transmittis? Ego oblationem tuam non accipio, quia suam abstulisti Deo.*

NON ACCIPIET DOMINUS PERSONAM IN PAUPEREM, ET DEPRECATIONEM LÆSI EXAUDIET] *VERS. 16.* q. d. Deus non accipiet personam divitis & potentis *in,* id est cōtra, *pauperem,* quæ scilicet lædit & opprimit pauperem, sed potiùs *deprecationem* pauperis *læsi;* Græcè ἠδικημένου, id est, injuria affecti, *exaudiet,* ut ejus sit ultor & vindex, atque acriter puniat divitem & potentem, qui pauperem injustè afflixit & læsit. Unde Tigurina, *nullam habet personæ rationem adversus inopem, sed injuriam passi precationem exaudiet;* Syrus, *non est coram eo acceptio personarum. Ingreditur coram eo oratio pauperis, & deprecationem merentium* (qui merentur exaudiri) *audit.*

Præclarè Rabanus: *Apud supremum judicem,* inquit, *non quantitas muneris, nec persona potentis appenditur, sed quantitas devotionis & humilitas cordis. Ideò hortatur ut non ex iniquo lucro offeramus munera Deo, sed ex labore justo. Quoniam Dominus justus judex est, nec accipit personam divitis, nec despicit personam pauperis.*

Deus ergo pauperum imprecationes dirasque exaudit, quia pauperum oppressorum est tutor, & divitum opprimentium ultor. Atque licet subinde pauperes ex ira & impatientia illas imprecentur; tamen quia rem justam petunt, hinc Deus illos exaudit, & diras opprimentibus immittit. Rarum est exemplum, sed tota Hollandia promulgatum, Margaretæ Comitissæ Hollandiæ, quod recenset Gaufredus Villariensis monachus epist. ad S. Idam, Meyerus in Annalibus Flandriæ, Hadrianus Junius in Batavia c. 20. sub finem. Paupercula enim fœmina gemellos enixa & lactans, stipem postulans à Comitissa, cum probro ab ea rejecta fuit. Dicebat enim, illam ex adulterio incertam prolem concepisse: fieri enim non posse, ut uno ex marito bina proles nasceretur. Illa pudicitiæ Deum testem invocans: *Si,* inquit, *casta sum, non adultera (uti sum) precor ut tot parias filios quot sunt dies in anno.* Precem audiit Deus, & reipsa complevit. Exstat Losduni juxta Hagam Comitis tabula cum hac rei gestæ epigraphe: *Margareta Florentii Comitis Hollandiæ filia, anno salutis 1277. ætatis suæ anno 42. ipso die Parasceves, hora nona ante meridiem peperit infantes vivos promiscui sexus numero 364.* *Comitissa Hollandiæ peperit 364. proles.* *qui postquam per Ven. Episcopum Guidonem Suffraganeum præsentibus nonnullis proceribus & magnatibus, in pelvi quadam baptismi Sacramentum percepissent, & masculis Joannes, femellis verò nomen Elisabeth impositum fuisset; ipsorum omnium, simul cum matris anima ad Deum æternaliter victura redierunt, corpora autem sub hoc saxo requiescunt.* Plura puerperarum quæ multas uno partu enixæ sunt proles, exempla recenset Franc. Bivarius in Chronicon L. Dextri anno Christi 138. n. 6. atque inter alia exemplum principis Portugalliæ, quæ uno partu novem protulit filias, quæ omnes illustres Virgines & Martyres evalere. Nomina earum sunt, *S. Geniberia, Victoria, Eumelia, Gemma,* (sive *Margarita*) *Marciana, Germana, Basilia, Quiteria & Liberata,* sive *Wilgefortis,* quam Germani vocant *Ontcommeram,* cujus nomen Sanctis in Romano Martyrologio ascriptum est die 20. Julii.

NON DESPICIET PRECES PUPILLI, NEC VIDUAM, SI EFFUNDAT LOQUELAM GEMITUS] *VERS. 17.*

Æsopi casus & vindicta. TUS] Huc pertinet apologus & exemplum Æsopi mythologorum principis. Hic enim ob falsos suos apologos, quibus hominum vitia mordebat, ad injustam necem raptus, dixit apologum scarabæi: qui injuriam passus ab aquila, ejus alis se inserens cum ipsa evolavit ad nidum, ibique ova ejus dirupit: inde cùm aquila in sinum Jovis ova quasi in asilo posuisset, Deo supplicans, ut ea custodiret; scarabæus è stercore piluta facta ascendit, & in sinum Jovis eam dimisit. Jupiter assurgens ut fimum excuteret, & ova ejecit oblitus, quæ & contrivit dejecta: *Et vos igitur*, inquit Æsopus, *viri Delphii ne despicite hunc Deum, ad quem profugi, neque enim impios negliget*. Delphii verò hæc parum curantes rectà ad mortem eum agebant: quare ipse alios similes enarrans apologos: *Execror*, inquit, *vestram patriam, & deos testor, me præter omnem justitiam interire, qui me ulciscentur exauditum*. Præcipitem igitur ipsum dederunt de rupe, & mortuus est. Non multò pòst autem pestilentia laborantes, oraculum acceperunt expiandam esse Æsopi mortem, Cui, quòd & conscii sibi essent injustè eum interfecisse, etiam cippum erexerunt. Sed primates Græciæ, ac doctissimi quiq; cùm & ipsi quæ in Æsopum facta fuissent intellexissent, & in Delphos profecti sunt, & cum illis habita inquisitione, ultores & ipsi Æsopi mortis fuerunt. Ita Planudes in Vita Æsopi sub finem.

Vers. 18. NONNE LACRYMÆ VIDUÆ AD MAXILIAM DESCENDUNT, ET EXCLAMATIO EJUS (viduæ) SUPER, id est, contra, DEDUCENTEM EAS?] putà contra eum qui injustè eam lædit, eiq; lacrymas excutit, q.d. Solent pupilli & viduæ quasi desertæ, derelictæ, & omnium injuriis expositæ injustè vexari, spoliari & opprimi à potentibus. Quare cùm aliud refugium non habeant, ad Deum confugiunt & clamant, ut suas injurias avertat & vindicet: Deus autem, qui derelictorum patrocinium suscipit, juxta illud: *Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adjutor*, psal. 9. 34. ipsorum preces non spernit, sed aspicit, auditq; eorum loquelam cum gemitu, suspiriis & lacrymis effusam. Itaque etsi eorum lacrymæ descendant in terram, clamor tamen ipsorum ascendit in cælum, & à Deo vindictam extorquet. Græca Romæ emendata non habent τὸ *ejus*, sed tantùm *exclamatio*; q.d. Lacrymæ viduæ, etiamsi ipsa taceat, suapte vi clamant in cælum, poscuntq; à Deo vindictam contra eum qui eas provocat. Tigurina, *supplicationem pupilli minimè negliget, nec preces fundentem viduam; nonne cùm lacrymæ viduæ ad maxillam ejus defluunt, adversus eicientem eas opem invocat?* Syrus, *non deserit gemitum orphanorum, & orationem viduarum exaudit: amaritudines animæ pauperis ipse exaudit*. Hinc Deus vocatur *pater orphanorum & judex viduarum*, psal. 67. 6.

Denique hæc justa est lex talionis, quam sancit Deus Exodi 22. 21. *Viduæ*, inquit, *& pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filii vestri pupilli.*

Vers. 19. A MAXILIA ENIM ASCENDUNT USQUE AD CÆLUM, ET DOMINUS EXAUDITOR NON DELECTABITUR IN ILLIS] Hic versus jam deest in Græco & Syro, quia explicatio est versus præced. ejusque clarior duntaxat propositio. Tigur. *sanè à maxilla ad cælum usque redundant, & Dominus libenter exaudit eas*. Porrò Romana & Rabanus legunt, *non delectabitur in illis*: q.d. Deus videns lacrymas viduæ, adeò non delectabitur illis, ut gravissimè offendatur, indignetur & excandescat in eos qui sua injustitia eas eliciunt. Est miosis: parum enim dicitur, & plus significatur. Alii legunt, *delectabitur* affirmativè, q.d. Deus delectabitur lacrymis & precibus viduæ, easq; exaudiet, ut eas contra oppressores tueatur, propugnet & vindicet. Rursum noster Pineda in c. 4 Eccl. v. 1. sic exponit: *A maxilla enim ascendunt in cælum*, ubi instar vaporum, qui è terra excitati sunt, concrescere videntur in nubes & pluviam: *& Dominus exauditor non delectabitur in illis*, id est, cùm vehementer displicuerit illi viduæ oppressio & calumnia, ex illius lacrymis & clamore, pluviam confertam suppliciis, tonitrua, fulmina, grandinem creat, quæ in impios & oppressores indignabundus ejaculetur.

Exstat hac de re apud Alciatum insigne emblema pugna inter scarabæum & aquilam, docens pauperes parvosque à magnis impunè non lædi, nec esse contemnendos, posseque suam injuriam ulcisci. Audi illud:

Bella gerit scarabæus, & hostem provocat ultrò,
Robore & inferior, consilio superat.
Nam plumis aquilæ clàm se neque cognitus abdit,
Hostilem ut nidum summa per astra petat:
Ovaque confodiens prohibet spem crescere prolis:
Hocque modo illatum dedecus [illegible]

Vers. 20. QUI ADORAT DEUM IN OBLECTATIONE, SUSCIPIETUR, ET DEPRECATIO ILLIUS USQUE AD NUBES PROPINQUABIT] Pro qui *adorat Deum*, Græcè est θεραπεύων, id est, cultor Dei. Unde primi Christiani θεραπευταί, id est cultores, vocantur à Philone apud Euseb. li. 2. hist. c. 17. Et primi monachi à Philone & S. Basilio vocantur θεραπευταί, id est, cultores & ministri sive famuli Dei, quòd totos se ejus famulatui addixissent, iidem vocantur ἀσκηταί, id est exercitatores, scilicet cujuslibet virtutis vitæq; arduæ: ac θεραπεύτριδες καὶ ἀσκήτριαι, id est, famulæ & exercitatrices, vocantur virgines in virginitate Deo famulantes. θεραπεύειν enim idem est quod servio, colo, demereor: ac θεραπεία est cultus, observantia, obsequium. Aristot. autem, vel quisquis est Auctor, lib. de Mundo: θεραπεία, inquit, est cultus heroum, ut θρησκεία deorum.

Porrò τὸ *in oblectatione*, Romani codices commate disterminant à *suscipietur*, nectuntque cum *qui adorat Deum*, q.d. *Qui adorat Deum in oblectatione*, Græcè ἐν εὐδοκίᾳ, id est, bona voluntate, animo libenti, hilari & jucundo, hic ab eo *suscipietur*. Alii tamen nectunt cum *suscipietur*. Unde Tigurina vertit, *religiosus suscipietur cum benevolentia, & ad nubes pertinget ejusdem precatio*; alii, *cultor Dei benevolè accipietur, ejusque precatio ad nubes usque continget*.

Moraliter disce, quàm efficaces sint Religiosorum orationes, quamque facilè & libenter à Deo exaudiantur; ut è terris super nubes conscendant, cælumque aperiant, & ad thronum Dei pertingant, ipsumque Deum inflectant. Id exemplo Eliæ, cælum sua prece nunc claudentis, nunc referantis, docet S. Jacobus epist. c. 5. v. 17. & S. Chrysost. hom. 41. in Genes. & hom. 1. in 1. ad Thessal.

Sic Moses sua oratione restitit iræ Dei, eumque quasi coegit ut toti populo parceret, Exodi 32. 32. & sequ.

Sic Samuel totum Israelem orando à Philistæis protexit, 1. Reg. 7. 10. & Lot urbem Segor Genesis 9. 22. Sic Job amicis veniam impetravit, cap. 42. 8.

Sic Daniel orans c. 9. obtinuit Judæorum liberationem è Babylone. Sic David protexit Jerusalem contra Assyrios 4. Reg 19. 34.

Denique *quis dubitet mundum precibus stare Sanctorum?* ait Ruffin. præfat. in Vitas Pat. Ita hodie Religiosi & Religiosæ suis precibus conservant urbes, alioqui ob scelera à Deo evertendas instar Sodomæ. Illi ergo sunt bases & columnæ reip. quos proinde venerari, ambire & alere sæculares convenit. Vide P. Platum lib 1. de Bono status Relig. c. 35.

Vers. 21. ORATIO HUMILIANTIS SE NUBES PENETRABIT: ET DONEC PROPINQUET NON CONSOLABITUR, ET NON DISCEDET DONEC ASPICIAT ALTISSIMUS] q.d. Mira est vis humilis & humilitatis: dum enim ipsa orans se coram Deo deprimit, & in abyssum suæ vilitatis descendit; tunc ascendit ejus oratio usque ad nubes, imò eas penetrat & transscendit: nec eo contenta, *donec* ad solium Dei *propinquet non consolabitur*, id est, ut alii vertunt, *non admittet consolationem*; Græca Romæ correcta *non revocabitur*, hoc est, non conquiescet, nec cessabit orare & clamare donec ad Deum evadat: denique à Deo *non discedet, donec Altissimus aspiciat*, & concedat id quod postulat. Est metalepsis in verbo *aspiciat*, & *non consolabitur*. Afflicti enim, dum orantes consolationem non accipiunt, non cessant orare & clamare donec eam percipiant: unde *non consolari*, idem est quod non cessare. Quia ergo humilis usque ad humum & solum se dejicit (unde *humilis* dicitur quasi *humo acclivis*, ait Isidor. lib. 10. Origin.) hinc ejus oratio meretur à salo ad cælum, à solo ad solium Dei elevari, ab eoque impetrare quod postulat.

Humilis oratio à Deo exauditur. Pro *humilis* Græcè est ταπεινοῦ, quod respondet Hebræo עני *ani*, ac tam pauperem & afflictum, quàm humilem mitemque significat. Unde Tigurina vertit, *oratio afflicti nubes penetrat: non conquiescit, nec desistit, donec pervenerit ad Altissimum, qui agat curam eius, iustè iudicet, iudiciumque exerceat*; Syrus, *oratio pauperum super nubes ascendit*, vel *nubes inclinat; & coram Domino maiestatis ingreditur. Non transit donec inquirat de ea, & iudicium verum iudicet*;

S. Bernard. serm. 4. de Quadrages. pro *humilis* legit *iusti*: *Oratio*, inquit, *iusti penetrat cælos. Justitia verò quæ est, nisi quæ cuique reddit quod suum est? Noli ergo quasi solum attendere Deum: debitor es enim etiam Prælatis, etiam fratribus tuis:*

nec

nos vult Deus ut parvipendas, quæ ipse minimè parvipendit. Idem serm. 3. de Epiphan. *Oratio justi cælos penetrat. Nam qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Porrò, si justus esse volueris, & non avertas aurem tuam à mandatis Domini, ne avertat & ipse faciem suam à precibus tuis; necesse est ut non solùm præsens sæculum contemnas, sed & ipsam carnem castiges, & subjicias servituti. Nam qui dixit: Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus,* Lucæ 14. *Idem dixit: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me,* Matth. 16.

Cur?
Ratio Prima.

Porrò rationes sui dicti Siracides innuit varias. Prima est, quòd humilitas adeò Deo sit grata, ut exaudiri mereatur. Rursum afflictio humilis ab omnibus derelicti ideoq; omnes suas spes in Deo reponentis, ita oculos Dei verberat, ut extorqueat quod petit, juxta illud; *Dilexi quoniam inclinavit aurem suam mihi,* psal. 114. Ad quem versum D. Ambros. oration. de Obitu Theodos. sic ait: *Inclinat se nobis, ut nostra ad Deum ascendat oratio.* Et S. Hieron. *Quoniam,* inquit, *nos parvi sumus & humiles, & non possumus nos extendere & exaltare: propterea Dominus inclinavit aurem suam, & dignatur exaudire nos.* Ac S. Aug. *Quia dilectionem spes solet accendere, dilexisse se dicit, quoniam speravit exauditurum Deum vocem deprecationis suæ. Incomparabilis quidem prærogativa orationis, ut Deus omnipotens in solio gloriæ suæ constipantibus undique Angelorum millibus, subitò se dimittat ex throno, inclinetque aurem ut orationem è terra excipiat ascendentem.* Et S. Chrysost. in illud psalm. 9. 13. *Non est oblitus clamorem pauperum: Orationis,* inquit, *vehiculum est humilitas.*

Secunda.

Secunda, quòd humiles & afflicti soleant perseverare in oratione, nec ab ea cessare, donec afflictionis suæ remedium impetrent: perseverantia autem est nervus orationis, & impetrat quidquid tam assiduè postulat.

Tertia.

Tertia, quia oratio humilis, est exilis & subtilis, unde cordis sui subtilitate omnia penetrat. Ita S. Paulinus epist. 10. ad Severum, ubi subtiliter & piè hanc Siracidis sententiam explicat, applicatq; Publicano evangelico, atque alludens ad illud Christi Matth. 19. 24. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum: Publicanus,* ait, *in corde detrito seipsum accusans Deo, & pectus assiduum crebra manu tundens, & oculos conscientiæ pudore depressos in cælum levare non audens, iniquitate illa vitiorum, dorso cameli æmula, ita se in humilitatem debitam strinxit, & resipiscentis animæ complanatione direxit, ut se foramini acus, hoc est, viæ verbi voleruci, quæ arcto tramite ducit ad vitam, divinarum aurium penetrator insereret. Oratio enim,* inquit, *humiliantis se nubes penetrat, quà contrà ille jactantia suæ spiritu dives Pharisæus, qui imputatione operum debitorum, quia ex lege operandi debitor erat; tamen quasi voluntaria fecisset supra debitum, prædicator sui, accusator alieni, qui conveniret magis Deum quàm rogaret, intrare non potuit: quia suffarcinatus arcta non capiunt. Nec poterat eò recipi lata jactantia, quò se humilitas angusta collegit, & angustia angustior contriti cordis exilitate penetravit.* Qui deinde per acum accipit crucem Christi, *Qua mens nostra compungitur, nosque ipsi Deo assuimur, per quam faciliùs in cor ingreditur humiliata iniquitas, quàm superba justitia.* Humilitas ergo dat alas orationi, & oratio sine alis humilitatis in altum subvehi nequit.

Quarta.

Quarta est, quòd oratio humilis est quasi sagitta, quæ ex arcu infernè validè tenso emissa, acriùs scopum ferit. Nam quo magis orans se humiliat, & velut chordam arcus sui deorsum retrahit, eo superiùs non modò ad nubes, sed ad ipsum usque Deum orationis suæ sagittam validissimè mittit: quæ proinde quasi sagitta viri fortis, ut ait Jeremias c. 50. 9. non revertetur vacua: cujus typus fuit sagitta Jonathæ, de qua dicitur 2. Reg. 1. 22. *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum.* Sic Christus, quia in arcu crucis deorsum summè fuit distensus & humiliatus; hinc collimatis in cælum oculis supplicans pro nobis, supplicationis telum validissimum emisit, quo Deum certissimè fixit, juxta illud Hebr. 5. 7. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Sic & Tobias orans cum lacrymis exauditus est, Tob. 12. 12. Verè ergo dixit S. Chrysost. hom. 41. ad Pop. *Magna armatura oratio*: quia non tantùm cælum, sed & Deum ipsum, quantumvis iratum & armatum, exarmat, ac divinam expugnat justitiam.

Est prosopopœia. Oratio enim humilis & afflicti inducitur hic quasi persona, quæ in terris vim passa & dolore

A saucia fugit, scanditque nubes, easque pervadit, nec cessat donec ad solium Dei judicis penetret, ibique justas suas querelas explicet, & injuriarum suarum vindictam impetret, sicut vidua illa per satellites omnes penetravit ad Trajanum Imp. petens justam vindictam, dicensque ei: *Aut fac justitiam, aut depone purpuram.*

Ex adverso oratio hominis se exaltantis, læti & abundantis, dicitur ad nubes accedere, sed eas non pervadere, quasi exspectet Angelum aliquem, qui eam sursum perferat & Deo repræsentet, velut quæ moram pati possit, quamque non admodum referat statim expediri: non quòd non audiatur à Deo, sed quòd non statim suum sortiatur effectum. Sed oratio humilis, qui in tribulatione suam coram Deo effundit animam, ilicò prætervolat nubes, ilicò coram Deo admittitur; quia Deus est amator & curator afflictorum; & ut multum refert eis statim opem ferre, ita sine mora eos exaudit, liberat, protegit & vindicat. Ita Palacius. Hoc est quod coram Deo protestatur Judith c. 9. 16. *Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Et Psaltes psal. 101. 18. *Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum.* Unde S. Bernard. hom. 1. super *Missus est*: *Sine*
B *humilitate, audeo dicere,* inquit, *nec virginitas Mariæ Deo placuisset.* Hinc ipsa cecinit: *Respexit humilitatem ancillæ suæ,* Luc. 1. 48. Similia sunt Genes. 29. 32. Deuter. 26. 7. Psal. 9. 14. & 30. 8. & 135. 23. & 137. 6. Isaiæ 57. 15.

Hinc S. Joannes Apoc. 5. 8. vidit Angelum offerre Deo *phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Bene *odoramenta*, Primò, quia sursum ad Deum ascendunt: sunt enim odoramenta Dei, quibus delectatur odoratus Dei. Secundò, quia instar aromatum, quò magis tribulationis aut amoris igne ardent, eò suaviorem odorem spargunt. Tertiò, quia non tantùm unam virtutem olent, sed omnes illas pro quibus vir justus orat & gemit. Hinc sunt thymiama ex variis aromatibus commistum & compositum, uti ostendi Exodi 30. 34. Orationi ergo symbolicè adaptes illud Cant. 3. 6. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?*

ET DOMIBUS NON ELONGABIT, SED JUDICABIT JUSTOS, ET FACIET JUDICIUM, ET FORTISSIMUS NON HABEBIT IN ILLIS PATIENTIAM] q. d. Deus non tantùm aspiciet orationem *Vers. 22.*
C humilis & injustè afflicti, verùm etiam *non elongabit*, id est, non in longum protrahet, uti faciunt iniqui & pigri judices; Græcè, μὴ βραδύνῃ, id est, non tardabit; quod Hebræi dicunt לא יאחר *lo ieacher*, sed citò *faciet judicium* justorum, eosque judicabit, vindicabit, & injurias illis a potentibus illatas ulciscetur: *& fortissimus*, Græcè ὁ κραταιὸς, id est, ille fortis, ille validus, ille potens, ille victor, ille imperator (apud quem est summa imperii totius universi) scilicet antonomasticè per essentiam omnipotentem, *non habebit in illis*, scilicet justis, eorumque injuriis & clamoribus, *patientiam*, ut patiatur se diu orari; Græcè, μὴ μακροθυμήσει, id est, non erit longanimis, non longanimiter exspectabit vel differet, sed ilicò iram induet, eamque effundet in oppressores eorum. Tigurina, *ceterùm Dominus non permanebit in mora, nec patientiam super eis præstabit omnipotens*; Syrus, *non transit donec inquirat de ea* (oratione pauperum,) *& judicium verum judicet: & etiam Dominus non tetitis* (in longum serum tempus,) *& non differet, usquequo iram & faciet.* Huc allusit Christus in parabola iniqui judicis, ad clamores importunos viduæ, eam judicantis & vindicantis. Huic
D enim conferens & anteferens Deum, subjungit: *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum,* Lucæ 18. 7.

UT (Jansen. & Græca quousque) CONTRIBULET DORSUM IPSORUM: ET GENTIBUS REDDET VINDICTAM, DONEC TOLLAT PLENITUDINEM SUPERBORUM, ET SCEPTRA INIQUORUM CONTRIBULET] Pro *contribulet* utrobiq; Græcè est συντρίψῃ, id est, *conterat*. Sic igitur habent Græca, *donec contriverit lumbos immisericordium, & gentibus retribuerit vindictam, donec sustulerit multitudinem ὑβριστῶν* (id est, *injuriosorum*) *& sceptra iniquorum contriverit*; Tigurina, *donec lumbos immitium conquassarit, gentesq; multarit supplicio: donec sustulerit turbam injuriosorum, & injustorum sceptra confregerit*; Syrus, *quoadusque ulciscatur opera iniquorum, & populis reddat retributionem: donec perdat fortitudinem peccatorum, & principes* *Vers. 23.*

iniquos

iniquos abscindendo abscindat. Hæc & sequentia pendent ex *eo*: *& fortissimus in illis non habet patientiam*, quod præcessit, q. d. Deus fortissimus judex & vindex, non diu patietur & tolerabit injurias justis illatas ab impiis & violentis, sed protinus eorum lumbos & dorsa (hæc enim sunt sedes & symbolum roboris) conteret, & *gentibus* injustis *reddet vindictam, donec tollat plenitudinem*, id est, multitudinem, *superborum* superbè & iniquè aliis dominantium, *& sceptra*, id est regna, *iniquorum* conterat & evertat. Per *dorsum* significatur iniquorum robur, violentia & tyrannis, qua quasi dorso duro & osseo, incubuerunt dorso duro & osseo, incubuerunt dorso justorum, illudque eliserunt; quod proinde à duriore Dei dorso subigetur & conteretur. Dicitur ergo Deus *contribulare dorsum iniquorum*, id est, tribulum afflictionum super eos in terra pronos deducere, sicut David *fecit super eos* (Ammonitas) *tribulas, & trahas, & ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur & contererentur*, 1. Paralip. 20. 3. Porrò *plenitudo superborum* significat eorum tum multitudinem, tum potiùs abundantiam opum; honorum & deliciarum, qua sunt plenissimi.

Tacitè Siracides hic notat Judæorum sui ævi afflictiones, quas patiebantur à Ptolemæo Lagi rege Ægypti, ac prædicit brevi fore, ut Deum tribulum afflictionis dorso Ægyptiorum inducat, eorumque opes & vires imminuat. *Ptolemæorum historia.* De quo plura cap. sequ. Id ita accidit: nam, ut alia taceam, ipsi Ptolemæi Ægyptum & Ægyptios perdiderunt. Ptolemæo enim Evergeti, sub quo hæc scripsit Siracides Junior, successit Ptolemæus per antiphrasin cognominatus Philopator, eò quòd patrem, matrem, sororem & uxorem occidisset. Philopatori successit Epiphanes, Epiphani Philometor, per antiphrasin quasi matris amator, cùm eam interfecerit. Pilometori successit Evergetes secundus, qui filiis & civibus Alexandrinis interfectis, omnia luctu complevit, ait Genebrardus in Chronico anno mundi 3964. Evergeti successit Phiscon, qui Cleopatram sororem uxorem ducens, ipso die nuptiarum ejus filium *in complexu matris interfecit; atque ita eorum sororis cæde filii ejus cruentus ascendit. Post quod non mitior in populares, qui eum in regnum vocaverant, fuit. Siquidem peregrinis militibus licentia cædis data, omnia sanguine quotidie manabant*, ait Justinus lib. 33.

Vers. 24. DONEC REDDAT HOMINIBUS SECUNDUM ACTUS SUOS, ET SECUNDUM OPERA ADÆ, ET SECUNDUM PRÆSUMPTIONEM ILLIUS] *Adæ*, id est hominis: *Adam* enim est & proprium nomen protoplasti, & commune omnium posterorum ejus; tum, quia omnes prognati sunt ex Adamo, tum, quia ex eadem תרמה *adama*, id est terra, efformati sunt. Ab *adama* enim factus & dictus est Adam. Unde illud, *Et vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt*, Genes. 5. 2. Vide dicta ibidem, & Genes. 2. 7. Idem patet ex Græco hoc loco: hic enim priore loco habet ἀνθρώπῳ, id est, *homini*; posteriore ἀνθρώπων, id est, *hominum*. Porrò Palacius per *Adam* intelligit Ptolemæum Lagi, qui oppressit Judæos. q. d. Reddet Deus *secundùm opera Adæ*, id est, hominis illius qui nos ita persequitur, *& secundùm præsumptionem* ac cogitationem, qua subdolè Hierosolymam occupavit, Judæos in servitutem abduxit.

Pro *præsumptionem* Græcè est ἐνθυμήματα, id est cogitationes, quales quisque sibi præsumit & eligit. *Præsumptio* ergo hic non arrogantiam & fastum, sed cogitationem præsumptam & electam denotat. q. d. Deus reddet cuique non tantùm secundùm actus, sed & secundùm cogitationes & electiones suas, quia præmiabitur vel puniet quemque non tantùm secundùm id quod operatus est, sed & secundùm id quod liberè cogitavit, voluit, elegit. *Præsumere* enim Latinis idem est quod priùs sumere; priùs autem res patranda præsumitur animo, id est, cogitatur, eligitur, decernitur, quam opere perpetretur.

Alludit ad præsumptionem & electionem Adæ, qui præsumens & præeligens potiùs lignum vetitum quàm Deo obedire, meritas in se & posteris omnibus hujus præsumptionis dedit pœnas. Unde Græcè est, *donec retribuerit homini secundùm cogitationes ipsorum*. Quo significatur actus informari, fierique bonos vel malos, meliores vel pejores, per cogitationem, id est, intentionem, quam operibus suis voluntas præfigit. Actus enim externus sæpè in se est indifferens, ut comedere, legere, scribere, loqui, &c. sed fit bonus, si ex bona intentione procedat; malus autem, si ex mala: pejor, si ex pejore; melior, si ex meliore. Unde illud vulgò tritum:

Quidquid agant homines, intentio judicat omnes.

Hæc enim dat speciem actui morali, ut docent Ethici & Theologi. Unde Tigurina, *donec rependerit cuique digna factis ejus, & operibus hominum, qualia merentur cogitationes eorum*; Syrus, *donec reddat malis vices eorum, & operantibus improbitatem consilia eorum.*

DONEC JUDICET JUDICIUM PLEBIS SUÆ, ET OBLECTABIT (Græcè εὐφρανεῖ, id est, *lætificabit*) JUSTOS MISERICORDIA SUA] Descripsit quid judicium Dei facturum sit impiis piorum oppressoribus; nunc describit quid idem facturum sit piis oppressis ab impiis, nimirum quòd *oblectabit* eos *misericordia sua*, qua eis retribuet præmium temporale, & gloriam æternam. Proponit autem impiorum pœnam; quia hæc ipsa conspecta à piis eos oblectabit, juxta illud: *Lætabitur justus, cùm viderit vindictam peccatoris*, psal. 57. 11. Rursum præmium justorum vocat *misericordiam*, tum, quia à Deo misericorditer iis promissum est, non ex obligatione & justitia, quasi id eis promittere obligaretur Deus; tum, quia operis boni & meritorii principium est gratia, quæ operi dat totam dignitatem & vim merendi, juxta illud: *Gratia Dei vita æterna*, Rom 6. 23. tum denique, quia Deus præmiat ultra condignum, & supra meritum, idque facit gratis ex immensa sua liberalitate & misericordia. Unde illud: *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*, psal. 102. Quapropter sic vertit Tigurina, *donec absolverit vindictam populi sui, eumque sua miseratione lætum reddiderit*; Syrus, *donec iudicium populi sui, & lætificet eos retributione sua*; alii, *donec iudicaverit causam populi sui, & exhilaraverit eos pro misericordia sua.* Vers. 25.

SPECIOSA MISERICORDIA DEI IN TEMPORE TRIBULATIONIS, QUASI NUBES PLUVIÆ IN TEMPORE SICCITATIS] *Speciosa*, id est, decora, grata, exoptata. Est metalepsis: quæ enim speciosa sunt, grata sunt & exoptata oculis. Pro *speciosa* Græcè est ὡραῖον, quod tam opportunum & tempestivum, quàm speciosum, decorum & pulchrum significat. Unde aliqui vertunt, *opportuna misericordia*, &c. idque huic loco valdè est appositum, q. d. Sicut valdè opportuna accidit *pluvia tempore siccitatis*, cùm scilicet terra sicca, squalida & sitiens pluviam desiderat: sic pariter valdè opportunè succurrit *misericordia Dei* homini, cùm in tribulatione est positus: tunc enim eam ardenter expetit & exoptat, ut à tribulatione liberetur. q. d. Sicut mulier nobilis, dives & speciosa certis diebus, v. g. festis, nuptialibus, triumphalibus, & similibus ornat se vestibus pulchrioribus, gemmis & monilibus, sicque compta cum pompa & gloria in publicum prodit, uti de Judith post cæsum Holofernem & liberatum populum dicitur cap. 16. 27. *Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria*: sic pariter *misericordia Dei* licet hominibus semper sit grata & speciosa, tamen *in die tribulationis* cùm afflicti ea maximè egent & desiderant, longè eis gratior & speciosior apparet, juxta illud vulgò tritum: *Deus ex machina*. Quare quo major est tribulatio & humani auxilii desperatio, eo jucundior accidit Dei opitulatio, ac præsertim in hora mortis, cùm jacitur alea æternitatis cæli vel gehennæ, tunc ergo Deus suis adest & succurrit, ac dæmones & tentationes propulsat, præsertim si invocetur Virgo Deipara: quam proinde Ecclesia quotidie ita nos salutare & precari docet: *Sancta mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis. Amen.* Vers. 26.

Complut. tamen Romani, & ceteri vertunt, *speciosa*, quia decor, species & pulchritudo misericordiæ, hoc est, eleemosynæ & beneficentiæ, maximè apparet, cùm ea confertur homini afflicto & indigenti, ideoque ad illam anhelanti: sicut speciosus est cibus in ore famelici, potus in ore sitibundi, vestitus in corpore nudo. Sic forma informans materiam ea privatam, eam formosam efficit: unde & ejus forma nuncupatur à Physicis. Unde Tigurina vertit, *præclara est calamitoso tempore misericordia, ac veluti nubes pluviæ tempore siccitatis*; Complut. legunt ὡραῖον, id est, *quam pulchra est misericordia in tempore tribulationis*, &c. Syrus, *confundetur inimicus in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore necessitatis.*

Atq; hac de causa permittit Deus justos tribulari, ut tunc

lius sapiat Dei misericordia, quanto major est eorum miseria, majorque misericordiæ fames atque exspectatio, juxta illud: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*, psal. 93. 19. Et illud: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis*, Isajæ 9. 2. Exemplum clarum est in eo qui è carcere longo & tenebroso, jam exspectans furcam, subitò eripitur, & evehitur ad regnum, fitque ex servo & reo rex, uti Joseph è carcere evectus est ad principatum Ægypti, Genes. 41. 41. Quantum est ejus gaudium? Rursum in animabus justis, cùm à Purgatorii carcere, igne & caligine liberantur, scanduntque in cælum ad æternam felicitatem & gloriam. Quàm pulchra eis accidit, quàm sapida hæc Dei misericordia, eaque tanta, ut è miserrimis faciat felicissimos. Igitur pulchra est Dei justitia, pulchra potentia, pulchra sapientia, &c. sed miseris nobis nihil est divina misericordia pulchrius. Pulcher in cruce Christus, quia misericors in cruce Christus, ait Palacius.

Misericordia qualiter est in Deo, quàm in nobis.

Nota. Misericordia formaliter & propriè est in Deo, non tamen eo modo quo est in nobis. In nobis enim est miseria cordis (inde enim coaluit nomen *misericordia*) & afflictio, qua aliis compatimur & condolemus. In Deo verò non est aliud quàm miseriæ nostræ subveniendi voluntas: nec enim cordis dolor cadit in Deum. Simili modo in Deo constituenda est ira, non ut turbidum animi motum, qui humorum concitatione rationem obnubilet, sed ut simplicem voluntatis affectum ad ultionem accensum denotat. Quia tamen ira propriè significat motum animi bilem concitatem, misericordia verò simplicem subventionis affectum, quamvis à miseria cordis nomen traxerit; idcircò ira in Deo ponitur metaphoricè, misericordia propriè. Ita S. Isidor. l. 10. Origin. littera M. *Hinc appellata*, ait, *misericordia* (perperam aliqui legunt *miseria*) *quòd miserum cor faciat dolentis alienam miseriam: sed in Deo est misericordia sine ulla cordis miseria.*

Tres misericordiæ Dei gradus.

Porrò generalis Dei misericordia, eaq; immensa in triplici ejus opere cernitur. Primò, est opus creationis; Secundò, justificationis; Tertiò, incarnationis Verbi. Magna & admirabilis est misericordia prima, qua omnia ex profundo nihili educta, ad celsitudinem essentiæ & naturæ sunt evecta: infinitè enim melior est essentia cujusq; quam acceperunt, quàm nihilum unde emerserunt. Verùm infinitè præstantior est misericordia secunda, quâ omnia ad supernaturalem ordinem elevata: nam infinitè præstantior est gratia quàm natura, & status ille divinus quàm conditio naturalis, & communicatio bonorum divinorum, quàm omnia dona naturalia. Sed & hac misericordia infinitè præstantior est tertia, qua divina natura copulata est humanæ in unam primam, per quam nobis præstita redemptio, remissio peccatorum, justificatio & omne bonum. Particularis autem misericordia, quam Deus in dies cuilibet impendit, est innumerabilis. Quisque sibi ab eo impensas recogitet, & cum gratiarum actione confiteatur Deo, uti facit S. August. in libris Confessionum.

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docuit sub finem cap. præcedentis quàm efficax sit oratio humilis & afflicti, quamque prompta sit Dei misericordia ad eam exaudiendam. Nunc ejus in seipso dat exemplum. Igitur orat ut populus fidelis, putà Judæi ab Ægyptiis, aliisque Gentibus subacti, afflicti, & dispersi liberentur, & congregentur in Jerusalem, utque Deus Gentes conterat, & convertat ad verum Deum Judæorum cognoscendum & colendum. Secundò, v. 20. agit de bonitate bonarum uxorum, ut vir quærens uxorem, bonam commodamque seligat potiùs quàm opulentam; utque ea relicta, ad aliam magis illecebrosam, quasi vagabundus, non deflectat.

NOta. Paulò ante ætatem Siracidis Ptolemæus Lagi, primus post Alexandrum Magnum Ægypti rex, Judæos valdè afflixit. Nam Syriam regno suo adjiciens, Hierosolymam prætextu sacrificandi ingressus, sabbatho occupavit. Deinde multos de Judæa & Garizim captivos traxit in Ægyptum, & vendidit, adeò ut ejus filius & successor Ptolemæus Philadelphus, centum viginti millia Judæorum libertati restituerit in gratiam Eleazari pontificis, qui ei misit LXXII. Interpretes, ut S. Scripturam ex Hebræo in Græcum idioma converterent. Ita Josephus l. 12. Antiq. c. 1. & 2.

Ad litteram ergo Siracides orat Deum, ut Judæos à Ptolemæo Lagi captos, dispersos & afflictos liberet. Idque impetravit. Misit enim Deus Ptolemæum Philadelphum, qui non tantùm eos liberavit, sed & magnis donis & privilegiis ipsos templumque honoravit. Verùm ulteriùs respexit Spiritus sanctus, scilicet ad conversionem Gentium ab idololatria ad cultum veri Dei, putà à gentilismo ad christianismum, futuram per Christum & Apostolos. Sicut enim Ægyptii persecuti sunt Judæos, sic Gentiles persecuti sunt veros veri Dei cultores, quos Deus liberavit mittendo eis Christum, Apostolos & viros Apostolicos, ac præsertim Constantinum Imp. quem repræsentat Ptolemæus Philadelphus, qui Christianus effectus, omnes præcedentium Impp. Gentilium persecutiones stitit & inhibuit, adeoque erectis templis, & profligatis idolis, toto orbe cultum Christi per omnes gentes propagavit. Est hic ergo tacita conversionis Gentium adumbratio, & per modum precationis prophetia: orat enim ut Israelitæ dispersi & afflicti congregentur, Deumque quietè & lætè unanimes colant in Sion; utque Gentes quæ eos afflixerunt conterantur, id est, comprimantur, & Sioni subdantur, ut videant, agnoscant & celebrent Dei potentiam & magnificentiam. Hoc fieri cœpit sub Ptolemæo Philadelpho, sed perfectum fuit à Christo & Apostolis, qui in Sion instituerunt Ecclesiam Catholicam: illi deinde subjecerunt omnes gentes, quæ exinde colunt & celebrant verum Deum, ejusq; filium Jesum Christum. Ita Rabanus.

Post orationem redit de more Siracides ad præcepta & dogmata sapientiæ. Quare hoc loco subdit præcepta discretionis, quæ potissima est pars sapientiæ practicæ, sive prudentiæ. Ejus ergo varia dat variis in rebus monita, ac quasi parallela & comparata. Docet enim discretionem & delectum adhibendum esse Primò, in iis quæ audimus & legimus, ut bona à malis, vera à falsis, læta à tristibus secernentes, non nisi bona, vera & læta menti commendemus. Secundò, v. 24. & 25. docet deligendam esse uxorem, quæ cum specie faciles & commodos habeat mores. Tertiò, v. 27. 28. docet deligendum esse stabile matrimonium præ vago discursu. Quartò, cap. seq. v. 1. docet amicum sincerum à ficto dignoscendum esse & seligendum. Quintò, ibidem v. 7. docet consiliarum peritum & fidum ab imperito & infido secernendum. ita Lyranus.

1 MIserere nostri Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum: 2. & immitte timore tuum super Gentes, quæ non exquisierunt te, ut cognoscant quia non est Deus, nisi tu, & enarrent magnalia tua. 3. Alleva manum tuam super Gentes alienas, ut videant potentiam tuam. 4. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, 5. ut cognoscant te, sicut & nos cognovimus, quoniam non est Deus præter te Domine. 6. Innova signa, & immuta mirabilia. 7. Glorifica manum, & brachium dextrum. 8. Excita furorem, & effunde iram. 9. Tolle adversarium, & affige inimicum. 10. Festina tempus, & memento finis, ut enarrent mirabilia tua. 11. In ira flammæ devoretur qui salvatur: & qui pessimant plebem tuam, inveniant perditionem. 12. Contere caput principum inimicorum, dicentium: Non est alius præter nos. 13. Congrega omnes tribus Jacob: ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnalia tua: & hæreditabis eos, sicut ab initio. 14. Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum; & Israel, quem coæquasti primogenito tuo. 15. Miserere civitati sanctificationis

tionis

tionis tuæ Jerusalem; civitati requiei tuæ. 16. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, & gloria tua
populum tuum. 17. Da testimonium his, qui ab initio creaturæ tuæ sunt, & suscita prædicationes, quas
locuti sunt in nomine tuo Prophetæ priores. 18. Da mercedem sustinentibus te, ut Prophetæ tui fide-
les inveniantur: & exaudi orationes servorum tuorum. 19. Secundùm benedictionem Aaron de popu-
lo tuo, & dirige nos in viam justitiæ: & sciant omnes qui habitant terram, quia tu es Deus conspector
seculorum. 20. Omnem escam manducabit venter, & est cibus cibo melior. 21. Fauces contingunt
cibum feræ, & cor sensatum verba mendacia. 22. Cor pravum dabit tristitiam, & homo peritus resi-
stet illi. 23. Omnem masculum excipiet mulier: & est filia melior filia. 24. Species mulieris exhilarat
faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium. 25. Si est lingua cura-
tionis, est & mitigationis & misericordiæ: non est vir illius secùdùm filios hominum. 26. Qui possidet mu-
lierem bonam, inchoat possessionem: adjutorium secundùm illum est, & columna ut requies. 27. Ubi non
est sepes, diripietur possessio: & ubi non est mulier, ingemiscit egens. 28. Quis credit ei, qui non ha-
bet nidum, & deflectens ubicumq; obscuraverit, quasi succinctus latro exiliens de civitate in civitatem?

VERS. 1. MISERERE NOSTRI DEUS OMNIUM, ET RESPICE NOS (sic habent & Græca) quod verò sequitur: ET OSTENDE NOBIS LUCEM MISERATIONUM TUARUM] deest jam in Græcis. *Lucem* vocat lætitiam & hilaritatem Hebræis obventuram ex miseratione Dei, si eos ab Ægyptiis aliisque Gentibus afflictos liberet. Unde Syrus vertit, *libera nos Deus omnes*, ut nos pristinæ libertati, patriæ, opibus, gloriæ & regno restituas. S. August. 17. Civit. 20. legit, *Miserere nostri dominator Deus omnium*.

VERS. 2. ET IMMITTE TIMOREM TUUM SUPER GENTES, QUÆ NON EXQUISIERUNT TE, UT COGNOSCANT QUIA NON EST DEUS NISI TU, ET ENARRENT MAGNALIA TUA] Græca Complut. dumtaxat habent, *immitte timorem super omnes gentes non exquirentes te*; Romana delent τὸ *non exquirentes te*; Syrus, *adduc formidinem tuam super populos qui non noverunt te*; Tigur. *metum tui gentibus, quæ te non colunt, omnibus injice, ut cognoscant nullum præter te Deum esse, magnificaque facta tua prædicent*. Suis Israelitis misericordiam, hostibus verò timorem à Deo precatur: miseretur enim Deus fidelium, cùm hostibus eorum injicit timorem; hunc autem injicit, cùm eos percutit & plagis afficit, ut sequitur. Hoc autem facit Deus, non ex odio, sed ex amore eorum, ut scilicet ipsi sentientes potêtem Dei manum & plagas, eum cognoscant & venerentur, ejusque magnifica in hostes, & misericordiæ in fideles opera celebrent. Unde explicans subdit.

VERS. 3. ALLEVA MANUM TUAM SUPER GENTES ALIENAS, UT VIDEANT POTENTIAM TUAM] Græcè, ἔπαρον τὴν χεῖρά σου ἐπ' ἔθνη id est, *leva manum tuam super Gentes*, ut scilicet eas percutias, flagelles & castiges, ut ipsæ videant & agnoscant in se tuam potentiam, potentemque vindictam. Sic Deus dicitur extulisse manum super Pharaonem, & Hebræos ex Ægypto eduxisse *in manu excelsa & brachio extenso*, cùm magnis & excelsis plagis Ægyptios percussit, coegitque ut Hebræos liberos dimitterent, Exodi 6. 6. & cap. 14. 8. Tigurina, *intenta manum tuam gentibus alienis, ut potentiam tuam perspiciant*; Syrus, *extolle manum tuam super populum externum, ut cognoscant fortitudinem tuam*.

VERS. 4. SICUT ENIM IN CONSPECTU EORUM SANCTIFICATUS ES IN NOBIS; SIC IN CONSPECTU NOSTRO MAGNIFICABERIS IN EIS] Pendet hæc sententia à v. præced. q. d. Eleva manum tuam super Gentes, percutiendo & supprimendo illas: ita magnificaberis in eis. *Sicut enim in conspectu* earum (Noster vertit *eorum*, per antiptosin, quia rem significatam respexit potiùs quàm nomen quod præcessit: *eorum*, scilicet hominum, vel populorum, ex quibus Gentes constant & conflantur) *sanctificatus es in nobis*, ostendendo sanctam tuam misericordiam, qua nos è servitute, multisque ærumnis mirabiliter liberasti, ac tantis donis cumulasti; *sic in conspectu nostro magnificaberis in eis*, putà Gentibus hostilibus, ostendendo in eis magnum tuum robur, potentiam & vindictam, qua eos tam acriter castigabis & punies. Pro *magnificaberis* potuisset dicere *sanctificaberis*, vel, ut Syrus vertit, *sanctificeris*; quia est sanctitas justitiæ, æquè ac misericordiæ, ac sanctificatur Deus tam exercendo vindictam, quàm exhibendo clementiam, adeoque Deus est *sanctus in omnibus operibus suis*, psal. 144. 13. Sanctus in pœna, sanctus in gloria; sanctus in beatis, sanctus in damnatis; sanctus in cælo, sanctus in inferno. Sed maluit dicere *magni-* A *ficaberis*: quia in fidelibus & Sanctis propriè Deus sanctificatur, utpote in quibus per gratiam & sanctitatem habitat: in infidelibus verò & impiis propriè magnificatur: quia in eis non habitat per sanctitatem, sed per magnam potentiam & vindictam. Græca habent optativè & precativè μεγαλυνθείης, id est, *magnificeris*. Orat enim ut Deus in hostibus suis magnificetur, id est, magnum, potentem & gloriosum se ostendat, atque ut talis ab hostibus agnoscatur & timeatur. Unde Tigurina vertit, *ut inspectantibus illis numen* (providentiam) *tuum in nobis declaravisti, ita coram nobis majestatem tuam ostendas in illis*. Sic quoque legit & intelligit S. August. lib. 17. Civit. 20.

UT COGNOSCANT TE SICUT ET NOS COGNOVIMUS, QUONIAM NON EST DEUS PRÆTER TE DOMINE] Est metalepsis: *ut cognoscant*, id est, ut cognitum timeant, revereantur, colant & ament. Ex cognitione enim sequitur timor, ex timore reverentia, ex reverentia cultus, ex cultu amor. Docet plagas infidelibus & impiis esse optandas, non ex odio, ut perdantur; sed ex amore, ut per eas Deum agnoscant, invocent & diligant, itaque salventur & beentur. Nam, ut ait Christus Joan. B 17. 3. *Hæc est autem vita æterna: Ut cognoscant te, solùm verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. In quæ verba S. Cyrillus lib. 11. in Joan. c. 16. *Cognitio*, inquit, *est vita spiritalem nobis benedictionem adducens, per quam Spiritus in cordibus nostris habitat in adoptionem filiorum Dei, & veram pietatem per Evangelicam vitam, & incorruptibilitatem reformans. Cùm igitur origo, & quasi pronuba dictorum omnium bonorum, cognitio veri Dei esse inveniatur; rectè à Domino nostro Jesu Christo Vita æterna appellata est, quasi mater & radix virtute naturaque sua vitam æternam pariens*. VERS. 5.

Moral. disce hic, quòd cognitio Dei sit fons omnis boni. Audi S. Gregor. Nazianz. orat. de statu Episcop. *Regnum cælorum*, ait, *nihil aliud esse existimo, quàm ejus quod purissimum & perfectissimum est adeptionem. Perfectissima autem rerum omnium est Dei cognitio*. Quam Clemens Alexandr. libr. 6. Stromat. *perfectissimum bonum & per se expetendum* appellat. Idem libr. 7. asserit eum qui Deum verè & magnificè cognoverit, non posse servire voluptatibus, aliisque animi perturbationibus; sed sancta semper facere & cogitare, precari cum Angelis, &, licet oret solus, habere assistentem Angelorum chorum. Egregiè verò S. Hieron. C *Notitia*, inquit, *unius Dei, omnium virtutum possessio est*. Et alibi: *Memoria Dei excludit omnia flagitia*. Denique S. August. *Cognitione Dei*, ait, *nihil melius est, quia nihil beatius est, & ipsa vera beatitudo est*. Denique S. Bernard. serm. 37 in Cant. *Quid si ignoras Deum, poteritne spes esse salutis cum Dei ignorantia? Ne hoc quidem: nec enim potes aut amare quod nescias, aut habere quod non amaveris*. Mox autem hanc Dei cognitionem cum propria sui cognitione conjungendam monet. *Noveris proinde*, inquit, *te, ut Deum timeas; noveris ipsum, ut æquè ipsum diligas. In altero initiaris ad sapientiam, in altero & consummeris: quia initium sapientiæ timor Domini est, & plenitudo legis est charitas. Tam ergo utraque ignorantia cavenda est tibi, quàm sine timore & amore Dei salus esse non potest*.

Moral. de cognitione Dei.

In Jerem. cap. 31.

Serm. 112. de Temp.

INNOVA SIGNA (Rabanus legit, *manifesta in nova signa*) ET IMMUTA MIRABILIA. GLORIFICA MANUM, ET BRACHIUM DEXTRUM] q. d. Ede nova signa: *immuta*, Græcè ἀλλοίωσον, id est, alia novaque patra miracula, immuta vetera in nova, prisca cum modernis commuta: patra similia, sed diversa ab illis quæ patrasti VERS. 6. VERS. 7.

duce

duce Josue contra Chananæos, & duce Mose contra Pharaonem & Ægyptios: atque hac ratione *glorifica*, id est, gloriosam effice, tuam *manum*, id est, tuam potentiam, tuumque *brachium dextrum*, id est, tuum robur, quo ferire & protерere soles tuos hostes; ut illud sentientes te glorificent, id est, te timeant, & vel inviti tuas vires celebrent. Unde Complut. addunt, *Ut enarrent mirabilia tua*; Tigurina, *renoves exempla, miraculaque commutes: ostenta manum brachiumque dextrum, ut miranda facta tua prædicent*; Syrus, *renova signa & immuta miracula: corrobora manum & brachium dextrum*. Superbi & tyranni gloriantur in sua manu dextera, gladio, & robore, dicuntque: *Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia*, Deuter. 32. 27. At Deus eorum superbiam retundit, & manum manu potentiore confringit, ut sciant manum divinam superare humanam; nec hanc contra illam, imò sine illa, aliquid posse.

Idipsum sæpè Deus etiam per visiones viris sanctis ostendit. B. Juniperus unus è primis S. Francisci sociis, dum quadam vice oraret, & fortè aliquid magni de se conciperet, vidit manum in aere pendulam, & protinus divina vox insonuit: *Manus sine manu nihil potest facere*. q. d. Nullus est tam bonus, tam sapiens, tam potens, ut quippiam possit sine manu, id est, Dei potentia & auxilio, facere. Quod ille audiens, & gaudens, & per domum exiliens aiebat: *Domine verum est*. Ita habent Annales Minor. auctore Luca Wadingo annò Christi 1210. n. 36.

Hoc est quod orat Psaltes ps. 74. 18. *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi*. Et psal. 143. 1. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*. S. Bernard. hæc refert ad incarnationem Verbi (huc enim protendit se hoc loco acies Spiritus sancti, uti mox ostendam) de qua sic loquitur serm. 4. in vigil. Nativ. *Adde adhuc Domine Jesu, innova signa, immuta mirabilia: nam priora quidem ipsa consuetudine viluerunt. Planè enim Solis ortus & occasus, terræ fœcunditas, temporum vicissitudo, miracula sunt, & magna miracula sunt; sed toties hæc vidimus, ut iam non sit qui attendat. Innova signa, & immuta mirabilia. Ecce, ait, nova facio omnia. Quis hoc ait? Agnus utique qui sedebat in throno*, Apoc. 5. &c. *O nova verè miracula! Conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostra maledictio Evæ. Peperit enim filium sine dolore. Mutata est, inquam, maledictio in benedictionem*. In Christo enim & B. Virgine Deus fecit nova prodigia inaudita à sæculo, adeoque mutavit ordinem mundi, rerumque omnium. Sic & Rabanus, cujus verba mox recitabo. Mulier generat filium scientia virum, ætate puerum, persona Verbum, natura Deum, de Virgine in tempore natum, gratia plenum, nomine & re Jesum, cognomine Christum. Quot quantaque hìc in uno incarnationis mysterio mirabilia, imò miracula! Totidem sunt in mysterio passionis, crucis, mortis, resurrectionis, ascensionis, &c. Igitur Christus est synopsis, summa & culmen mirabilium & miraculorum omnium, quæ à sæculo Deus patravit. Audi sigillatim singulis Christum anteferentem Hugonem. *Mirabiliter*, inquit, *fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, mirabilius factus est ad imaginem & similitudinem hominis. Mirabiliter virga Aaron arida fronduit & fructum fecit, mirabilius virgo manens integra filium peperit. Mirabiliter serpens in palo vulneratos sanavit, mirabilius Christus in cruce omnes credentes curavit. Mirabiliter Elias filium viduæ suscitavit* 3. Reg. 17. *mirabilius Deus Pater filium à mortuis revocavit. Mirabiliter Samson Philisthæos moriendo prostravit, mirabilius Christus moriens mortem ipsam & dæmones superavit. Mirabiliter Jonas ex utero ceti exiluit, mirabilius Christus ab inferis resurrexit. Mirabiliter Elias in curru igneo in paradisum ascendit, mirabilius Christus immortalis factus in cælum ascendit. Ibi Eliseus Eliam ascendentem quærebatur, hic Apostolorum cœtum Christus ascendentem mirabatur. Ibi Elias ascendens dimisit pallium, hic Christus ad dexteram Patris misit Spiritum sanctum. Hæc est signorum innovatio, & mirabilium immutatio. Impleta est ergo petitio Jesu filii Sirach, innovata sunt signa, immutata sunt mirabilia. Ecce nova facio omnia dicit Dominus*, Apocal. 21. 6. *Pro huiusmodi psallit Propheta: Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit*.

Christus est synopsis omnium mirabilium.

VERS. 8. EXCITA FUROREM, ET EFFUNDE IRAM.

VERS. 9. ATOLLE (ita Romana: Græcè enim est ἔπαρον; Syrus, *confringe*: perperam ergo Jansenius & alii contrariè legunt, *extolle*) ADVERSARIUM, ET AFFLIGE INIMICUM] Per *adversarium* intelligit Ptolemæum Lagi ejusque asseclas, qui, ut initio capitis dixi, valdè afflixit Judæos. Ita Palacius. Deus antropopathωs dicitur *excitare furorem*, cùm acres plagas immittit, ut videatur impiis sævire & furere. Sic milites prælaturi acuunt iras, ut in hostem quasi furibundi insiliant, eumque proterant: ira enim est os roboris & virtutis, æquè ac vindictæ. Tigur. *extolle indignationem, & iram effunde; adversarium aufer, & profliga inimicum*; Syrus, *confringe inimicum, & cessare fac adversarium*.

VERS. 10. FESTINA TEMPUS, ET MEMENTO FINIS, UT ENARRENT MIRABILIA TUA] *Festina*, id est, festinatò & citò in lucem profer. Est hebraismus: *cal* enim ponitur pro *hiphil*, hoc est verbum neutrum pro activo. Sic ventus dicitur avolare paleas, quia flando facit eas avolare. Sic *festina*, id est, festinare fac, vel fac ut festinet & festinatò adveniat tempus liberationis nostræ. Græcè enim est σπεῦσον καιρόν, id est, *accelera* & urge *tempus*, sive occasionem liberandi nos & profligandi hostes nostros. *Memento finis*, quem destinasti malis nostris, ac infidelitati Gentium. q. d. Impone finem malis nostris, imò omnium gentium totiusque mundi, hoc est, mitte Messiam qui finem malis omnibus imponet. Ita S. August. lib. 17. Civit. 20. Noster Interpres legit ὅρου vel ὁρισμοῦ, id est, finis, vel decreti de imponendo fine. Jam legunt ὀργῆς, id est, *iræ*, scilicet effundendæ in gentes nobis hostiles. Tigurina legit ὁρκισμοῦ, id est, juramenti, quo jurasti Abrahæ te fore nostrum patrem, protectorem & liberatorem. Tigurina ergo sic vertit, *urge tempus, & memento iuramenti*; ut μεγαλεῖα (alii legunt, θαυμάσια, id est, *mirabilia*) id est, *magnifica facta tua celebrentur*; Syrus, *palam fac supplicium, & advenire fac tempus; quia non est qui dicat tibi: Quid facis?* q. d. Adduc citò, ò Domine, tempus quo nos liberes, & hostes nostros comprimas vel profliges: tempus, inquam, à te definitum, imò juramento firmatum, præsertim de Messia mittendo, qui nos ab omnibus hostibus malisque liberet. Ad Messiam enim aciem mentis protendisse Siracidem, vel potiùs Spiritum sanctum, docet Rabanus, Palacius, Jansenius & Lyranus ex R. Salomone, qui & rationem addit: *Universi Prophetæ*, ait, *non sunt locuti nisi ad dies Messiæ; ita ut eorum verba ad adventum Messiæ, sicut ad finem ordinata sint*. Jam inde enim à tempore Siracidis expectabant, quin & etiamnum expectant Judæi, adventum Messiæ, ut à servitute gentium liberentur. Finis enim legis & Prophetarum est Christus, Rom. 10. 4. Apoc. 21. 6. Quin & S. August. 17. Civit. 20. *In Ecclesiastico*, inquit, *fides Gentium* futura prædicitur isto modo: *Miserere nostri dominator Deus omnium, & mitte timorem tuum super omnes gentes*, &c. *Ut agnoscant te, secundum quod & nos agnovimus, quia non est Deus præter te Domine. Hanc sub optandi & precandi specie prophetiam, per Jesum Christum videmus impletam.*

Prophetia de Christo.

Audi & Rabanum, *Hoc orat*, inquit, *ut divina maiestas per manum & brachium dextrum, hoc est Dominum Christum, miracula, quæ antiquitus fuerunt facta, innovet temporibus gratiæ: ut idem & unus legis veteris & novæ intelligatur esse Deus, mediator videlicet Dei hominumque homo Christus Jesus, qui cum Patre & Spiritu sancto tunc & nunc facit mirabilia solus. Quòd autem postulat excitare furorem, & effundere iram, ut extollatur adversarius, & affligatur inimicus, hoc significare vult, quòd necessariò per adventum Christi auferetur diabolus à cordibus infidelium, ne diutiùs eos in errore & in idololatria teneat captivos*. Et paulò post: *Quod autem dicit: Festina tempus, & memento finis; hoc est quod Propheta in psalmis ad Deum ait: Tu exurgens Domine misereberis Sion, quia venit tempus miserendi eius. Hoc orat, ut, quia tempus est novissima hora, & finis mundi appropinquat, veniat ille qui promissus est, & misereatur humano generi: quia ipse est expectatio gentium*. Præclarè S. August. tra. 55. in Joan. *Christus*, inquit, *finis est perficiens, non interficiens: finis, quousque eamus, non ubi pereamus*. Sic & S. Bernard. tract. de diligendo Deo, Deum & Christum vocat finem non consumentem, sed consummantem. Agens enim de impiis, qui *in circuitu ambulant*, psal. 11. v. 9. *Ambulant*, inquit, *naturaliter appetentes, unde finiant appetitum, & insipienter respuentes unde pro-*

pinquent fini. Fini dico, non consumptionis, sed consummationis. Quamobrem non beato fine consummari, sed consumi vacuo labore accelerant: qui rerum magis specie, quam auctore delectati, prius universa percurrere, & de singulis cupiunt experiri quam ad ipsum curent universitatis Dominum pervenire.

Porro in Christo multa sunt mirabilia, quæ hic enarrari suadet Siracides, ut jure ab Isaia cap. 9. 5. Christus vocetur *admirabilis*, utpote θεάνθρωπος καὶ ὁμόθεος, id est, homo-Deus, ut loquuntur Græci.

Mirabilia in Christo intrinseca. *Primum.* Primum mirabile est, quòd natura humana completa, quæ in instanti formationis suæ per se alioquin substitisset, propriamque constituisset hypostasim, fuerit præventa, accepto modo inexistendi, quo supra omnem creaturam elevata existeret in Verbo.

Secundũ. Secundum, quòd Verbum ita naturam illam exceperit, eam sustentans, ejusque inexistentiam terminans, ut tamen nullam subierit mutationem, nullam intrinsecus novam contraxerit ad illam habitudinem, nullum ordinem, nullam ῥοπὴν aut inclinationem: sufficiebat enim infinita illa vis hypostatica, ut se ad illam naturam extrinsecus attractam & velut insertam, absque ulla sui mutatione velut terminus & basis hypostatica extenderet.

Tertium. Tertium, quòd Verbum divinum absque ulla nova habitudine ad naturam humanam, factum sit verus homo, sitque inter naturam divinam & humanam ratione unionis in Verbo mutua complexio, seu περιχώρησις, ut Damascenus ait lib. 3. cap. 8.

Miracula in Christo extrinseca. Reliqua miracula sunt extrinseca, & debita tanto mysterio, veluti ex illo consectaria. *Primum.* Primum, quod corpus in instanti perfectè formatum. *Secunda.* Secundum, quòd omnipotens virtus Spiritus sancti vicem virtutis seminalis suppleverit. *Tertium.* Tertium, quòd anima illa beatissima in primo instanti creationis & infusionis sui, lumine gloriæ & omnibus cœlestibus bonis eminentissimè fuerit repleta, adeo ut per temporum spatia nulla ei potuerit fieri accessio. *Quartum.* Quartum, quòd à virgine conceptus. *Quintum.* Quintum, quòd à virgine natus absque virginalis claustri apertione, mirabili corporum penetratione, ex utero, veluti lumen per vitrum, effusus. *Sextum.* Sextum, quòd gloria animæ in corpus non redundarit, sicut gloria divinitatis in animam, sed corpus manserit passibile. *Septimũ.* Septimum, quod gaudium beatificum mœstitiam animæ & dolorum acerbitates non excluserit. Ecce decem stupenda miracula in hac mirabili unione, quorum singula longam merentur considerationem. ita noster Lessius de Divinis perfect. lib. 12. cap. 5. Quocirca S. Dionys. epist. 3. ad Caium, *Porrò*, inquit, *in Sacramento humanitatis Christi, hoc etiam arbitror Theologiam significare voluisse, quod ex occulto supersubstantialis ille Deus in conspectum nostrum repente processerit, humana substantia & carne vestitus; occultus tamen etiam post revelationem, sive, ut divinius loquar, in ipsa quoque sui revelatione perdurat.*

Denique in hoc opere incarnationis Verbi mira & stupenda elucet Dei sapientia, potentia & clementia. Nam ut sapienter & piè ait S. Thomas opusculo 60. *Congruebat hoc opus Deo, quem decebat sapientiam suam ostendere, potentiam & bonitatem. Quid autem potentius, quam coniungere extrema summe distantia magna enim potentia fuit in coniunctione disparium elementorum, maior in coniunctione illorum ad spiritum creatum, maxima vero in unione ad spiritum increatum. Quid vero sapientius, quam quod ad complementum totius universi fieret coniunctio primi & ultimi, hoc est verbi Dei, quod est omnium principium, & humanæ naturæ, quæ in operibus sex dierum fuit ultima creaturarum? Quid benignius & melius, quam quod creator rerum communicare se voluit rebus creatis? quæ benignitas magna fuit, in coniunctione sui cum omnibus rebus per præsentiam; maior, quia communicavit se bonis per gratiam; maxima, quia se communicavit Christo homini, & per consequens generibus singulorum in unitate personæ.* Plura vide apud eumdem S. Thomam & Scholasticos 3. p. qu. 1. art. 1.

Vers. 11. In ira flammæ devoretur qui salvatur: et qui pessimant plebem tuam, inveniant perditionem] *Ira flammæ* est ira flammea, ira flammans & inflammans omnia; vel per hypallagen *in ira flammæ*, hoc est, in flamma iræ, putà in ardore & excandescentia iræ, scilicet in furore & acri A ultione iræ tuæ *devoretur qui salvatur*, græcè, ὁ σωζόμενος id est, ut alii vertunt, *qui salvus evasit*, q. d. Qui ex una clade, v.g. ab invasione hostium, salvus evasit, incidat in manus iræ tuæ Domine, ut peste aliove telo à te configatur & devoretur. Unde Lyran. Anagog. sic explicat, q. d. Qui evaserit in hac vita ultionem tuam, ira flammæ infernalis absorbeatur. *Et qui pessimant*, id est, pessimè tractant vexantque (græcè enim est κακοῦντες, id est, affligentes) *plebem tuam*, scilicet nos Judæos, hi *inveniant perditionem*. Unde Tigurina vertit, *qui evaserit ira ardenti absorbeatur, & oppressores populi tui consequantur perniciem*; Syrus, *in furore & in igne perire fac inimicum, & omnes magnates & principes populi*. Alludit ad Isaiæ 24. 18. *Qui fugerit à facie formidinis, cadet in foveam: & qui se explicarit de fovea, tenebitur laqueo*. Qui similiter dicuntur à Jeremia cap. 48. 44. Ita nunc qui salvatur ab aliis periculis, devoretur à furentissima flamma. Ac si diceret: Qui evadendo gladium belli se in arcem receperit, ibi ab ultricibus flammis devoretur.

B Tropolog. Rabanus censet hic dici id quod dixit Christus: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam*, Lucæ 9. 24. *Hoc, inquit, prædicit, quod hi qui amant animas suas in voluptate istius vitæ, nec eas pro Christo ponere volunt, imo persequuntur plebem Catholicam, & fideles Dei internecioni tradunt, in ira flammæ futuræ devorentur, & æternam in igne gehennæ inveniant perditionem.*

Contere caput (græcè, κεφαλὰς, id est capita: sic & Syrus) principum inimicorum (legit ἐχθρῶν, pro quo Complut. legunt ἐθνῶν, id est gentium) dicentium: Non est alius præter nos] Vers. 12. q. d. Contere & quasi annihila, sicut conteritur & quasi annihilatur vas testaceum, dum lapide tunditur & in pulverem redigitur, contere, inquam, regem nobis inimicum, v.g. Ptolemæum Lagi; illo enim contrito, ceteri ejus principes pariter conterentur, aut certè persequi nos desinent. Horum enim superbia meretur dejici & conteri: dicunt enim: Non est alius præter nos, qui scilicet ita potenter imperet & latè dominetur, uti nos: quare nos omnes domare possumus, & nemo nos. ita Tigu- C rina, *contere*, inquit, *capita principum inimicorum, qui præter se neminem esse dictitant*: quasi se solus æstiment homines, ceteris utantur quasi pecoribus & jumentis; Syrus, *aufer diadema inimici, qui dicit: Non est sicut ego.*

Allegor. Rabanus: *Caput*, inquit, *omnium inimicorum & infidelium, diabolus est. Hoc rogat Ecclesia, ut ipse conteratur, qui princeps est istius sæculi, & idololatras excitat in persecutiones Christianorum, dicentes: Non est alius præter nos; quia se solos in mundo arbitrantur dominari, nec subici volunt æterna Dei potestati.*

Tropolog. *caput principum inimicorum*, id est, caput & princeps septem vitiorum capitalium, est superbia. Superbus enim dicit: Non est alius præter me. Hic conteri meretur, & solet, ut ab omnibus exterminetur, qui solus inter omnes esse & dominari volebat; juxta illud psalm. 67. 22. *Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.* Superbia enim excisa, exscinduntur cetera D vitia; sicut capite serpentis confracto, confringitur totus serpens. Superbia enim inter vitia est id quod caput inter membra.

Congrega omnes tribus Jacob, ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, et enarrent magnalia tua: et hereditabis (q. d. Itaque hereditа) eos sicut ab initio] Vers. 13. Græca tantum habent, *congrega omnes tribus Jacob*; Complut. addunt, *Et hereditasti eos sicut ab initio*: sed perperam legunt κατεκληρονόμησας, id est, *hereditasti*, pro κατακληρονόμησον, id est, *hereditasti*, hoc est, hereditabis, hoc est heredita: sic enim Hebræi dicunt ינחלת *venachalta*, id est. & hereditasti; pro & hereditabis, id est, & heredita. Est enim *vau* conversivum, quod vertit præteritum in futurum. Unde Tigurina vertit, *congrega tribus omnes Jacob, ut cognoscant nullum præter te Deum esse, miraculaque tua prædicent, & eas ut ab initio posside*. Videtur ergo legisse κατακληρονόμησον, id est possìde, heredita, uti legunt nonnulli. Syrus, *congrega omnes tribus Jacob, & heredes eris, sicut dixisti à diebus antiquis*. Duodecim tribus Jacob sive Israel in captivitatem abductæ, & in varias gentes dispersæ fuerunt per Salmanasar & Nabuchodonosor. Post 70. annos congregatæ sunt,

sunt, saltem Juda & Beniamin per Cyrum. Rursum captivæ factæ & dispersæ fuerunt per reges Persarum, & ultimò pro Ptolemæum Lagi, & reges Syriæ. Orat ergo, ut Deus eas congreget in unam Synagogam sive Ecclesiam, quæ sit Dei quasi possessio, peculium & hereditas, sicut primitus congregavit & hereditavit eas per Mosen, cùm eas separatas ab Ægyptiis ceterisque Gentibus deduxit in Sina, ibique eis legem dedit & sacerdotium, easque quasi populum fidelem & sanctum ex omnibus populis sibi elegit & auctoravit.

Prophetia de vocatione Gentium. Allegor. & primariò (ac proinde hic sensus potiùs literalis est quàm allegoricus. Sic & alibi subinde literalis sensus complectitur literam simul, & allegoriam, uti ostendi in Prophetis) orat, ut veniat Messias, qui Judæos, & Gentes congreget in unam Ecclesiam, ut fiat unum ovile & unus pastor. Christus enim venit ad hoc, *ut filios Dei qui dispersi erant, congregaret in unum*, Joan. 11.52. Audi Rabanum: *Postquam orationem explevit contra peccatores, & caput eorum diabolum; rogat sapientia pro Ecclesiæ statu, & salute credentium. Quid sunt enim tribus Jacob, nisi Ecclesiæ ex Gentibus congregatæ? Ipsas enim præfiguravit minor filius, qui fraternam subripuit benedictionem. Hos enim congregari petit, hoc est, in unitate Catholicæ fidei solidari, ut fideliter Deum cognoscentes, & ejus mirabilia in prædicatione sancti Euangelii narrent, & hereditas illius, sicut ab initio fidei ab eo possessi sunt, ita & usque in sæculum permaneant.*

Quia enim Israel, id est Jacob, fuit pater 12. Patriarcharum, quorum quisque propriam familiam & tribum constituit, quas omnes & solas Deus sibi in Ecclesiam, & populum fidelem sibique peculiarem elegit; hinc Israel typus est populi Christiani, & duodecim ejus tribus sunt typus omnium gentium fidelium; tum, quia olim populus fidelis non erat alius quàm Israel; tum, quia ex Israele natus est Christus, Beata Virgo, Apostoli, primique Christiani, adeoque Israeli Judaico successit Israel Christianus, cui inserti sunt, deinde fideles Gentium. Nam ut ait Apostol. Rom. 9. 6. *Non enim omnes qui ex Israel sunt* (secundùm carnem, ut Judæi) *ii sunt Israelitæ: neque qui semen Abrahæ, omnes sunt filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine.* Unde illud Christi ad Apostolos Matth. 19. 28. *Cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*, id est, omnes fideles, tam Judæos quàm Gentiles: hos omnes enim judicabit Christus & Apostoli olim enim duodecim tribus Israel, erant populus electus & Ecclesia Dei; quin & tempore Christi; imò hoc erat regnum Messiæ promissum. Unde Gentes quæ Christo crediderunt, in Ecclesiam hanc & populum Judaicum quasi insitæ sunt, & civitate donatæ; ut jam non Gentes, sed Judæi, id est confitentes credentesque, appellentur, ut patet Roman. 11. v. 17. 19. & sequ. Hinc S. Joannes Apocal. 21. 12. ait se in portis cælestis Jerusalem vidisse inscripta nomina duodecim tribuum Israel.

Vers. 14. MISERERE PLEBI TUÆ, SUPER QUAM INVOCATUM EST NOMEN TUUM; ET ISRAEL, QUEM COÆQUASTI PRIMOGENITO TUO] q.d. Miserere populi tui qui tuo nomine insignitur, vocaturque populus Dei, ejusque fidei & cultui addictus: miserere, inquam Israelis sive populi Israelitici, *quem coæquasti primogenito tuo*, id est, habuisti, amasti & tractasti ut primogenitum, æquali gradu, honore, & amore prosecutus es, quo patres prosequi solent suos primogenitos. Legit Interpres πρωτογόνῳ ὡμοίωσας, Complut. legunt πρωτόγονον ὠνόμασας, id est, *quem primogenitum nominasti*, dicens Exodi 4. 22. *Filius meus primogenitus Israel*: sed eodem redit utraque lectio, eumdemque sensum ingerit. Unde Complut. sic habent, *miserere populi Domine, vocati in nomine tuo, & Israel, quem primogenitum nominasti.* Licet in Græcis Romę correctis hæc omnia à vers. 13. usque ad 20. à prioribus sint divulsa: priora enim habentur c. 33. sequen. verò c. 36. æquè ac in Latina Vulgata. Et Syrus, *lætare in populo tuo, & invocetur nomen tuum super illum, super Israel, quem vocasti primogenitum tuum*; Tigurina, *miserere Domine populi tui nomine tuo celebrati, & gentis Israeliticę quam primogenito comparavisti*: tum, in nomine, nominando scilicet eum primogenitum; tum, in cura & favore, tractando eum ut primogenitum; tū, in hereditate, scribendo eum heredem terrę sanctę in terris, & æternę in cęlis. Igitur reliqui populi censebantur quoque filii Dei, sed inter eos primus, & quasi primogenitus erat Israel; Israeli enim convenit illud de primogenito dictum: *Prior in donis, major in imperio*, Genes. 49. 3. Miserere ergo ejus Domine, quia etsi peccavit, tamen Israel, hoc est, filius tuus primogenitus est, juxta illud Hebręorum proverbium: *Myrtus stans inter urticas, myrtus nominatur.*

Nota. *Invocari nomen* alicujus *super* alterum, hebraicè idem est quòd alterum alterius nomine vocari, atque in ejus nomen, protectionem & quasi familiam esse ascitum, illi esse addictum, illum revereri, & colere. Hoc enim significat hęc phrasis Genes. 48. 16. Deut. 28, 10. 2. Reg. 6. 2. Jerem. 44. 9. Baruch 2. 15. & alibi sępè. Unde Gręca hoc loco habent, ὃν κέκληται ἐπ' ὀνόματί σου, hoc est, miserere *populo vocato in nomine tuo*, vel ex nomine tuo, vel nominè tuo, ut scilicet nomen Dei sibi usurpet & arroget, voceturque populus Dei. quę sanè magna est dignitas tam populi totius, quàm animę cujusq; fidelis et B sanctæ; juxta illud Isaię 62. 2. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema speciei in manu Dei tui. Non vocaberis ultrà derelicta, sed vocaberis voluntas mea in ea: quia complacuit Domino in te.* Et v. 12. *Et vocabunt eos populus sanctus, redempti à Domino.*

Christianus quasi coæquatur Christo. Mysticè: fidelis et sanctus coęquatur, non pręcisè, et geometricè, sed analogicè, moraliter et certa proportione, primogenito Dei, Jesu Christo, quia sicut Christus est filius Dei naturalis, sic fidelis et sanctus est filius Dei adoptativus, ac proinde heres Dei, coheres autem Christi. quę sanè admirabilis est dignitas, quam admirans Apostolus Rom. 8. 29. *Quos præscivit*, inquit, *& prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui* (ut sint similes et conformes Christo in gratia et gloria) *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* ita Rabanus. Christo ergo Sancti coæquantur non arithmeticè, sed analogicè, id est, assimilantur et adaptantur quasi membra capiti. Sic 2. Reg. 22. 34. ait David Deo: *Coæquans pedes meos* C *cervi. Coæquans*, id est, in velocitate non æquales, sed similes efficiens: nec enim velocitas pedis humani præcisè æquare potest velocitatem pedis cervini, sed eam dumtaxat aliquatenus imitari, atque insequi, non assequi. *Christianus* ergo *est quasi alter Christus*, uti docet Nyssen. de Profess. nomin. Christiani: *Vivat ergo quasi alter Christus.*

MISERERE CIVITATI SANCTIFICATIONIS TUÆ JERUSALEM, CIVITATI REQUIEI TUÆ] Peculiariter prę reliquis Judææ urbibus orat pro Jerusalem, quia hæc erat metropolis populi Israelitici, arx fidei, asylum religionis. Atque ut Deum ad miserendum illi inflectat, dat ei tres titulos misericordiæ illices. Vers. 15.

Tria elogia Jerusalem. Primus est quòd sit *civitas sanctificationis* Dei, in qua, scilicet, Deus sanctificatur sancteque colitur, tum internè per veram spem et religionem, tum externè per victimas ceterasque cęrimonias à Deo sancitas, idque in sanctuario et templo à Deo electo et consecrato.

Secundus, quòd sit *Jerusalem*, id est, visio pacis, q. D d. Tu, Domine, vocasti hanc urbem *visionem pacis*, quia voluisti ut populus in ea te protectore in pace degeret, et pacificè te coleret Redde ergo illi hanc pacem, primitus promissam & præstitam.

Tertius, quòd sit *civitas requiei Dei*, quia, scilicet, Deus in ejus templo, quasi in domo sibi propria jucundè requiescebat, et habitabat in Sancto sanctorum insidens propitiatorio, supra arcam quasi super scabellum pedum suorum, utrimque circumdatus Cherubinis, indeque dabat oracula, et responsa, Exodi 25. 22. Unde Tigurina vertit, *urbem sanctitatis tuæ miserere, urbem* (legit πόλιν, alii legunt τόπον, id est, locum) *tuæ quietis*; Syrus, *miserere civitatis sanctitatis tuæ Jerusalem, loci habitationis tuæ.*

Allegor. Jerusalem est Ecclesia Christi. Tropol. est anima fidelis et sancta, cui hæc omnia facilè adaptes. ita Rabanus.

REPLE SION INENARRABILIBUS VERBIS (malè Biblia Regia legunt, *virtutibus*) TUIS, ET GLORIA TUA POPULUM TUUM] Pro *verbis* grecè est λόγια, id est, oracula, et quælibet dicta Dei: Vers. 16.

omnia enim quæ dicit Deus, sunt oracula, ideoque certissima. Unde Complut. legunt vertuntque, *reple Sion extollere oracula tua, & a gloria tua populum tuum*; Tigur. *Sionem extollendis oraculis tuis impleas, tuaque populum tuum gloria*, repete, *impleas*; alii, *reple Sion ut tollat oracula tua, & populum tuum gloria*; Syrus, *imple Sion majestate tua, & gloria tua templum tuum*. Post Jerusalem civitatem descendit ad præcipuam, & sanctissimam ejus partem, putà ad templum, quod erat in monte Sion, oratque ut Deus illud impleat suis verbis, putà tum oraculis, quæ primitus assiduè edebat ex propitiatorio; tum promulgatione doctrinæ, & prædicatione legis divinæ, eaque efficaci; ut auditores moveat ad eam opere perficiendam: opus enim audientis replet completque verba legis & prædicantis. Possunt quoque per *verba* accipi Dei promissa, ut scilicet Deus præstet immunitatem, pacem, & sanctitatem, quam promisit se daturum in templo. Hæc omnia dicuntur *inenarrabilia*, quia numquam plenè pro dignitate satis enarrari, explicari, laudari, & celebrari possunt; & quia mentem ea gustantem replent gaudio ineffabili, & jubilo qui enarrari nequit.

Vers. 20.

Porrò cùm hæc præstat Deus, tunc pariter replet gloria populum suum; quia ingens Israelis gloria erat, quòd solus ex omnibus gentibus haberet domesticum Dei oraculum, item Dei legem ac Sacram Scripturam, ejusque doctores & prædicatores, juxta illud Mosis Deuter. 4. 7. *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cærimonias justaque judicia, & universam legem quam ego proponam vobis hodie?* Porrò tempore Siracidis, imò longè anteriùs, putà in excidio Jerusalem & templi per Nabuchodonosor, defecerat hoc Dei oraculum, omnisque Prophetæ & prophetiæ, uti ostendi Aggæi 1. v. 8. Orat ergo Siracides, ut Deus hæc Israeli restituat, præsertim per Christum. Quocirca hæc prophetia planè pleneque adimpleta est à Christo, dum ipse in Sion eructavit verba inenarrabilia, & abscondita à constitutione mundi. Ipse enim est *logos*, id est Verbum Patris, ideoque *logia* jampridem muta & silentia, vocalia reddidit Israeli; itaque summa eum gloria cumulavit. ita Raban. Lyran. Palacius, Jansenius & alii.

Allegor. Rabanus: *Sion*, inquit, *appellatur speculatio; & meritò sancta Ecclesia speculatio dicitur: quia inde fidelium corda contemplantur gaudia regni cælestis, quam inenarrabilibus verbis suis Dominus replet, cùm eam notitia divinorum librorum, ubi inenarrabilis virtus Dei, & inæstimabilis gloria majestatis ejus prædicatur, instruitur, & signis miraculorum inter universas gentes emicare facit: ita ut inde omnibus per circuitum nationibus, ipsa terrori sit & honori. Hinc legitur in Actibus Apostolorum, quòd prædicante Paulo & miracula, faciente, in Ephesiorum civitate cecidit timor super omnes illos, hoc est Judæos atque Gentiles, qui habitabant ibi, & magnificabant nomen Domini Jesu*, Actor. 19. 17.

Sion, id est speculatio, est Ecclesia: cur?

Vers. 17. DA TESTIMONIUM HIS, QUI AB INITIO CREATURÆ TUÆ SUNT, ET SUSCITA PRÆDICATIONES, QUAS LOCUTI SUNT IN NOMINE TUO PROPHETÆ PRIORES] Ita Roman. & Græca. Minùs rectè ergo Jansenius & alii pro *qui* legunt *quia*, & pro *prædicationes*, *precationes*, quas scilicet Isajas, Jeremias, Daniel, ceterique Prophetæ fundebant pro adventu Messiæ. Sensus est, q. d. Testare per testimonium solitæ tuæ in nos beneficentiæ, quòd nos simus *creaturæ tuæ*, quod scilicet primitus nos ex Ægypto redimendo tibi allegeris, populumque fidelem, & tuam Ecclesiam creaveris & formaveris; ut, sicut illud testatus es Pharaonis ceterisque gentibus, operando tot plagas & miracula per Mosen in favorem patrum nostrorum; ita nunc idem in favorem nostri facere digneris. Quare *suscita prædicationes*, id est, prædictiones Prophetarum de ope nobis à te præstanda, illam reipsa nobis exhibendo. Alioqui enim illæ prædictiones sopitæ & quasi emortuæ videbuntur; suscita ergo illas, ut nobis è somno evigilare, & quasi à morte suscitari & reviviscere videantur, dum à te reipsa complebuntur. Significat quòd illæ, si opere à Deo compleantur, Hebræis adeò gratæ accident, ac si illæ cum Prophetis à morte redivivæ resurgerent. Unde Complut. habent, *da testimonium in initio creaturis tuis,*

A *& suscita Prophetas in nomine tuo*, Tigurina; *possessionibus tuis primis tribuas testimonium, & quæ Propheta nomine tuo prætinuerunt moveas*. Legit enim *ktēmasi*, id est, *possessionibus*; pro quo Noster legit *ktismasi*, id est, *creaturis*: utrumque verum, & huic loco appositum. Israelitæ enim uti erant creaturæ, sic erant & possessio ac peculium Dei. Rursum legit *prophētas*, id est, Prophetas; pro quo Noster legit *prophēteias*, id est, prophetias, putà *prædicationes* sive prædictiones. Alii, *da testimonium primis tuis creaturis* (quæ sumus nos Israelitæ) *& suscita nomine tuo prophetias*; Syrus, *constitue testimonium servorum tuorum sicut in initio, & veniant prophetiæ Prophetarum tuorum illorum, qui locuti sunt in nomine tuo*: Nam ut ait S. Joannes cap. 1. 17. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est*. Quocirca S. Vvilibaldus S. Richardi Angliæ regis filius, & primus Eystettensium Episcopus à S. Bonifacio consecratus, *Novum*, inquit, *testamentum se habet ad vetus, sicut lux ad umbram, sicut veritas ad figuram, sicut anima ad corpus, sicut vita ad id quod vivificatur. Sicut enim corpus per animam vivificatur, sic per veritatem in novo testamento per*

Lex nova ad veterem est quasi anima ad corpus.

B *Christum exhibitam, promissiones veteris testamenti verificatæ sunt*. Ita habet ejus Vita cap. 5. conscripta à Philippo Eystettensi Episcopo, quam Notis illustravit noster Gretserus.

Nota. Fideles & Sancti sunt *creatura* Dei, quia fides et sanctitas superat omnem naturam, omneque ejus debitum et meritum, estque mera gratia, et quasi gratuita creatio Dei, juxta illud Ephes. 3. *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*. Vide ibi dicta.

DA MERCEDEM SUSTINENTIBUS TE, UT PROPHETÆ TUI FIDELES INVENIANTUR, ET EXAUDI ORATIONES SERVORUM TUORUM] *Merces sustinentium*, est bonum quod ipsi sustinent et expectant, ac pro quo longanimiter patientes Deum precantur, putà liberatio Israelis, et salvatio per Christum: hæc enim est merces sustinentiæ, longæque expectationis et patientiæ, q.d. Mitte Domine Salvatorem à te per omnes Prophetas promissum, quem per tot annorum millia longanimiter sed avidissimè expectamus: hoc enim meretur nostra tam longa sustinentia: hoc debitum est Prophetis, ut illi *fideles*, id est veraces, *inveniantur*. Libera ergo ipsorum, imò tuam (tu enim per eos locutus es) ô Domine, fidem. Hoc denique poscunt orationes nostræ, quæ assiduè et ardenter id efflagitant. Unde Tigurina, *da præmium*, inquit, *attentibus expectatione tui, & fac fides Prophetarum tuorum compareat* (alii, *& fidem Prophetis tuis concilia*.) *Preces servorum* (legit cum Compl. *oiketōn*, Romana legunt *iketōn*, id est, *supplicum*) *tuorum exaudi Domine*. Syrus, *& dabis mercedem illi qui expectat te, & Prophetæ tui fidem invenient, & audies orationem servorum*. Nam, ut ait Rabanus: *Abraham exultavit ut videret diem Christi, vidit & gavisus est*, Joan. 8. *Isaias c. 26. ait: Domine sustinuimus te, nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. Multi reges et justi voluerunt videre quæ viderunt Apostoli, & non viderunt: & audire quæ ipsi audiebant, & non audierunt. Hinc & Simeon responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. Unde cùm eum præsentem in ulnas suas accepit, ait: Nunc dimittis Domine servum tuum, secundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod præparasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israel*. Lucæ 2.

Vers. 18.

C

D

Anagogicè, idem Rabanus: *Merces*, inquit, *sustinentibus Deum datur, quando fidelibus expectantibus gratiam Christi, & sperantibus in eum, remuneratio futuræ vitæ præstatur. Ita enim divini Prophetæ fideles, & veridici inveniuntur, & exauditur oratio devota servorum ejus, qui orant quotidie ut adveniat regnum Dei, & fiat voluntas ejus sicut in cælo & in terra*.

SECUNDUM BENEDICTIONEM AARON DE (ita Roman. et Græca: perperàm ergo Jansenius, et alii passim pro *de* legunt *da*) POPULO TUO, (*de populo tuo*, id est, pro populo tuo, quam scilicet populo tuo Aaron impendit et apprecatus est:) ET DIRIGE NOS IN VIAM JUSTITIÆ, ET SCIANT OMNES QUI HABITANT TERRAM, QUIA TU ES CONSPECTOR SÆCULORUM] Pendet hic versus à preced. q. d. *Da mer-*

Vers. 19.

mercedem sustinentibus te ut Prophetæ tui fideles inveniantur, & exaudi orationes servorum tuorum, secundum benedictionem quam *Aaron* Propheta & pontifex jussu tuo dedit *populo tuo*: hanc enim illi, & pontificibus eum secuturis benedicendi populo formulam præscripsisti Num. 6. 24. dicens: *Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Imò addidisti promissionem, te hanc benedictionem pontificis exauditurum, & opere completurum, dicens: *Invocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Orat ergo Siracides, ut Deus juxta hanc benedictionem benedicat populo, & preces eorum exaudiat; ideoque dirigat eos in viam justitiæ, ut in ea incedendo, operaque justa assiduè exercendo, Deo sint honori, sibi gloriæ, Gentibus exemplo; *& sciant omnes quia tu es conspector*, id est prævisor, provisor, ordinator, gubernator, præmiator & ultor, *sæculorum*, hoc est, hominum & operum omnium, quæ ab iis successivè sæculo quolibet facta sunt, fiunt vel futura sunt. Unde Græca habent: *Quoniam tu es Dominus sæculorum.* Hinc Syri Deum vocant *gigantem sæculorum*, quia scilicet ipse quasi gigas immensitate suæ præsentiæ potentiæ & sapientiæ omnia sæcula, & quæcumque in eis fiunt in infinitum superat, & transcendit, imò omnia mente manuque sua concludit & complectitur. Vnde Tigurina vertit, *preces servorum tuorum exaudi secundum bonam pro populo tuo precationem Aaronis, & deduc nos in viam justitiæ, ut omnes qui terram habitant agnoscant te Dominum Deum esse sempiternum*; Syrus, *& audies orationem servorum secundum desiderium populi tui* (quod in benedictione sua expressit Aaron,) *& cognoscant omnes qui in finibus terræ, quia tu es Deus in sæcula sæculorum.* Simili modo Deum depingit Virgil. 1. Æneid. dum ita canit:

Deus est Dominus sæculorũ: Cur?

——O qui res hominumque Deumque
Æternis regis imperiis, & fulmine terres.

Pulchriùs & nervosiùs Boetius lib. 3. de Consol.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cælique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri,
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

Idem lib. 5.

Quæ sunt, quæ fuerint, veniantque
Uno mentis cernit in ictu:
Quem, quia respicit omnia solus,
Verum possis dicere solem.

Et Claudianus.

Ille pater rerum, qui sæcula dividit astris.

Notat Galatinus lib. 2. de Arcanis fidei cap. 10. & alii, sacerdotes Aaronicos benedicendo populum, super eum efformasse signum crucis, sive in modum crucis manum dexteram transversim sinistræ imposuisse, aut elevando movendoque dextram sursum & deorsum, sinistrorsum & dextrorsum crucem effinxisse, ut adumbrarent mysterium crucis Christi, ejusque fructum, scilicet, quòd per illam omnis in omnes omnium sæculorum homines benedictio descendisset, descenderet, & descensura esset. Addit Galatinus, eos tribus digitis erectis, cæterisque duobus contractis, pronuntiatoque nomine tetragrammato Iehova, aliàs ineffabili, benedixisse populo, ut tam mysterium SS. Trinitatis, quàm Verbi incarnationis & crucifixionis (quę duo sunt prima religionis mysteria, imò summa & comprehensio totius fidei) populo repræsentarent. Vide dicta Numer. 6.24. ubi ostendi ad hoc significandum, pontificem benedicentem populo tertiò iterasse nomen Deus, sicut nos formando crucem exprimimus ipsas tres personas SS. Trinitatis, dicendo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Ritus benedicendi Aaronis.

Nota Secundò, hac benedictione pontificem populo apprecatum quidem esse pacem, id est, omne bonum, sed maximè ut Deus ejus actiones dirigeret *in viam justitiæ*, uti ait hìc Siracides, & idipsum ostendi Numer. 6.24. Sic enim dirigitur populus in cælum ad vitam æternam, quæ est præmium justitiæ, & summa hominis felicitas. Sic & S. Paulus benedicit Ephesiis dicens c.3.16. *Ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas & profundum: scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.*

Hinc & S. Clemens Roman. lib. 2. Constit. c. 58. refert Episcopum initio Ecclesiæ debuisse benedicere populo, verbis istis: *Conserva Domine populum tuum incolumem & benedic hereditati tuæ, quam sanguine Christi tui possedisti & acquisivisti, & regale sacerdotium & gentem sanctam appellasti.*

S. Clemẽs.

Denique S. August. epist. 90. ad Innocentium, testatur Episcopos benedicendo populum, ei à Deo apprecatos fuisse, ut rectè ac piè vivendo illi per omnia placerent. Porrò efficaces fuisse & esse pontificum & sacerdotum benedictiones, ac à Deo exaudiri solitas, liquet ex eo, quòd idipsum promittat Deus Numer. 6. 27. unde, & 2. Paralip. 30. vers. 27. dicitur: *Surrexerunt autem sacerdotes atque Levitæ benedicentes populo, & exaudita est vox eorum: pervenitque oratio in habitaculum sanctum cæli.*

S. Aug.

Allegor. Rabanus: *Quæ est*, inquit, *benedictio Aaron, nisi ordo et ritus sacerdotii, quem Dominus dedit populo suo, quando adunavit eum Christo unigenito suo filio? Ipse est enim sacerdos verus qui semetipsum obtulit hostiam Patri pro nobis, & corporis & sanguinis sui Sacramenta nobis tradidit, de quo scriptum est: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Qui nos fecit regnum & sacerdotes Deo, & Patri suo. Unde dicit Petrus Apostolus* epist. 1. c. 2. *Vos autem estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum: ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum; & ipsi tamquam lapides vivi super ædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. Secundum benedictionem enim Aaron verè tunc datur populo Dei, quãdo dirigitur in viam justitiæ; ut quod Aaron præfigurabat in victimis corporalibus legis, hoc iste in spiritualibus hostiis adimpleat Euangelii. Sciant (inquit) omnes qui inhabitant terram, quia tu es Deus conspector sæculorum. Hoc est, omnes gentes agnoscant in mirabili Christiani populi salvatione quia tu es Deus ante omnia sæcula, & post omnia sæcula idem manens, qui ita ordinabas preterita tempora, ut eis propter gratiam Christi supereminere faceres tempora futura.*

OMNEM ESCAM MANDUCABIT VENTER, ET EST CIBUS CIBO MELIOR. FAUCES CONTINGUNT CIBUM FERÆ, ET COR SENSATUM VERBA MENDACIA] Ita Roman. Rabanus & Græca: perperàm ergo aliqui quo *sensatum*, legunt *insensatum*, huncque dant sensum: Sicut fauces gulosi vel famelici *contingunt cibum* carnis ferinæ, id est, transglutiunt illum sine debita masticatione & probatione: sic cor insensatum *verba mendacia* quæ audit, statim in mentem transmittit, nec examinat ea an vera sint vel falsa, sed sine examine & discretione verorum à falsis ea recipit, admittit & credit. ita Lyran. Et Palacius: Sunt, inquit, cibi agrestes et ferini, at non desunt fauces quæ eos contingant, et venter qui eos excipiat: sic pariter cùm veritas sit cibus cordis, est tamen cor insensatum quod mendacia vorat. Verùm pro *contingunt* græcè est γεύεται, id est, *gustabit*; et pro cor *insensatum* græcè est καρδία συνετή, id est, *cor prudens, intelligens, sensatum.*

Vers. 20.
Vers. 21.

Comparat ergo discretionem ciborum, quam facit guttur et venter, discretioni sermonum, quam facit auris et cor, sive mens: sicut enim cibus pascit guttur, et ventrem; sic sermo pascit aurem, et mentem: ac sicut cibus alius salutaris est, alius noxius ventri. Quare sicut Deus et natura dedit homini fauces et guttur, quasi prælibatores et prægustatores cibi, ut discernant cibum commodum ab incommodo, et noxio, et commodum in ventrem transmittant, noxium verò respuant: sic pariter Deus dedit homini oculos et aures, quasi prægustatores sermonis lecti vel auditi, ut salutarem in mentem transmittant, noxium verò respuant. Denique sicut venter ultimum facit cibi examen, noxiumque, qui ventri creat dolorem, nauseam, tormina, etc. vomitione oris, vel dejectione alui eiicit, salutarem verò amplectitur, concoquit, conservat et in substantiam suam convertit, eoque pascitur, reficitur, robora-

Comparatio ventris & mentis.

tur: sic pariter ultimum sermonis examen facit mens; quæ si sapiat, sitque sapiens noxium sermonem illicò rejicit, salutarem verò avidè excipit, digerit, retinet, & in sui alimentum convertit, eoque alitur, recreatur, corroboratur ad omne bonum cogitandum, meditandum, volendum & opere perficiendum.

Est pulchra & apposita allegoria. Lectio enim vel auditio comparatur comestioni, cibus sermoni, fauces auribus, venter menti: unde colligendum relinquit, quòd, sicut insipiens est qui ventrem cibo noxio onerat, sapiens verò qui non nisi salutarem & sobrium in eum admittit: sic pariter insipiens sit, qui promiscuè omnes sermones utiles & inutiles, vanos & solidos, falsos & veros in mentem admittit: vanis enim falsis & noxiis mens pariter fit vana, falsa, ac noxam errorum, & vitiorum, indeque pœnæ & damnationis, sibi accersit: ex adverso sapiens sit, qui non nisi sermones utiles, solidos, veros, pios & sanctos in aures oculosque & mentem admittit: per illos enim pascitur, & roboratur in omni virtute, ut magnis passibus tendat ad felicitatem æternam. Unde Tigurina vertit, *venter quemvis cibum capit* (omnis cibi est capax) *est tamen cibus cibo melior. Ut fauces ferinam gustu deprehendunt, ita sagax animus verba mendacia*; Vatabl. *ficta*; Syrus, *omnem cibum accipit anima, sed est cibus cibo suavior. Os gustat saporem cibi, & cor sapientum verba iniquorum*. Quod ergo noster vertit, *fauces contingunt cibum feræ: contingunt*, hoc est, ut Græcus habet, γεύεται, id est gustant, gustuque dijudicant cibum ferinum: sic & cor sensatum gustu sensuque mentis suæ dijudicant verba mendacia, ac vera à falsis discernit. Appositè comparat mendacium carni ferarum, quia sicut hæc agrestis est & ferina, ideoque ventri, & corpori humano inimica, aut saltem minùs congrua: sic pariter mendacia agrestia, & ferina sunt, ideoque inimica menti humanæ, cujus cibus est veritas; mendacium enim est cibus dæmonum, ait Palacius. Diabolus enim est pater mendacii, ut ait Christus Joan. 8. veritas verò est cibus angelorum & hominum.

Vers. 22. Cor pravum dabit tristitiam, et homo peritus resistet illi] Cordi sensato, quod dijudicat & segregat verba vera à mendacibus, opponit cor pravum; græcè καρδία σκολιὴ, id est, cor distortum, hoc est, perversum & versutum, fallax & fraudulentum, q. d. Cor perversum & fallax suis dictis & factis perversis & fallacibus, multis dabit occasionem tristandi & dolendi; at homo peritus, græcè πολύπειρος, id est, multa expertus prudens, sapiens, resistet illi; quia sua prudentia aperiet ejus pravitatem, errores & fraudes. Unde Syrus vertit, *cor absconditum* (tectum, simulatum) *multa sollicitudo ejus, & vir sapiens intelligit hæc*.

Noster legit ἀντιστήσεται, id est, pedibus obviàm ibit, hoc est, resistet illi, scilicet tristitiæ & mœrori. Jam legunt ἀνταποδώσει, id est, retribuet illi, q. d. Homo peritus & sapiens cordi pravo retribuet meritam suæ pravitatis castigationem, & pœnam. Tigurina verò censet Siracidem seniorem hebraicè scripsisse ישׁרימלו *jasjim lo*, id est, *paci suæ consulet*, quod Siracides junior vertit, ἀνταποδώσει, id est, *retribuet*, quasi scriptum esset ישלם *iesc allem*, id est, retribuet. Verùm Siracides junior meliùs scivit quid scripserit avus, quàm Tigurina, præsertim cùm Ecclesia ejus versionem probarit, & receperit. Quamquam quod Tigurina vertit, *pravus animus mœrorem creat: at vir peritus tranquillitati suæ consulet*; rectè aptari posset versioni Vulgatæ: qui enim in se resistit cordi pravo seminanti tristitiam & tristia, hic utique tranquillitati suæ consulit.

Moral. Nota prudentiam & experientiam hominis periti mederi & resistere tam cordi perverso, quam tristitiæ; tum, quia cordis perversi fraudes & malitias, quæ causant tristitiam, aperit & discutit; tum, quia mille artes & modos suggerit evadendi malum, quod cor pravum minatur, quodque tristitiæ est causa, & ex adverso mille rationes & objecta lætitiæ adinvenit, mentique repræsentat, quæ exclusa tristitia eam efficiant hilarem & jucundam. Tristitia enim causatur ex phantasmate, & objecto tristi, quod hominem affligit: lætitia verò ex læto, quod hominem exhilarat. Jam prudens multa phantasmata suggerit motiva lætitiæ, quæ omnia motiva tristitiæ excludant. Vide dicta c. 30. 22. & seq.

A Omnem masculum excipiet mulier, et est filia melior filia] Primò, Lyran. legens *& est filia melior filio*, sic exponit, q.d. Mulier in partu gratanter excipiet prolem masculam, quia vellet semper parere masculum, & tamen expedit ei aliquando parere feminam sive filiam: quia subinde filia est melior filio. Verùm Græca & Latina passim legunt *filia*, non *filio*: sic enim habent Græca Romæ correcta, *omnem masculum suscipiet mulier: est autem* (Complut. pro δὲ, id est *autem* legunt γὰρ, id est *enim*) *filia melior filia*; Tigurina, *cujusvis maris capax est mulier: est autem filia filia præstantior*. Syrus hunc versum omittit. Aliqui vertunt, *est enim filia filiæ melior*: Græcum enim ἔστι δὲ θυγάτηρ θυγατρὸς κρείσσων, tam vertas, *est autem filia filiæ melior*: quàm, *est autem filia filia melior*: sed posteriorem hanc versionem exigunt ea quæ præcedunt, & sequuntur, eamque amplectuntur Complut. Romani, Rabanus, cæterique Interpres. Unde & Rabanus legens, *est filia melior filiæ*, τὸ *filiæ* exponit *filia*, per priscam syntaxin, qua *melior filiæ* dicebant pro *melior filia*. — Vers. 23.

B Secundò, Palacius censet esse hypallagen: *Omnem masculum excipiet mulier*, hoc est, omnem mulierem excipiet masculus: ut videat quam, & qualem; quia una mulier & filia, alia est melior.

Tertiò & planè, *omnem masculum* in maritum *accipiet mulier*, q. d. Non valdè examinant feminæ, quibus vel qualibus viris nubant, sed maritum qui se offert, accipiunt: at viro, qui prudentior est femina, caputque familiæ, diligenter advertendum est, qualem uxorem ducat: est enim filia una melior, & præstantior altera, non solùm quia pulchrior, sed etiam quia magis viro morigera, pacifica, prudens, sedula, aptaque ad regendam familiam.

Hic versus est parallelus, & ex æquo respondens versui 20. ejusque est quasi apodosis, & similitudinis redditio. Sicut enim vers. 20. dixit: *Omnem escam manducabit venter, & est cibus cibo melior*; sic hic dicit: *Omnem masculum excipiet mulier, & est filia melior filia*, q. d. Ut venter excipit omnem cibum, & auris ac mens omnem sermonem; ita femina quemlibet masculum, & masculus quamlibet feminam excipere potest, & sæpè excipit; sed sicut ventri unus cibus alio, & menti unus sermo alio est melior, sic pariter masculo una filia magis convenit quàm alia. Cùm ergo uxorem quærit, diligenter examinet, quæ sit melior, quæque sibi magis conveniat, ut cum ea omnem vitam pacificè, honestè, & sanctè transigat. Quæ enim insania est ventri cibos eligere meliores, uxorem verò non deligere meliorem?

Mysticè Rabanus: *Femina*, inquit, *quia pulchra & gratiosa, signum est gratiæ; Dei; quæ nos Deo & angelis facit gratos & speciosos. Quòd autem ait: Est filia filia melior; ostendit distantiam esse in profectu scientiæ et virtutum operatione, & quædam opera esse bona, quædam autem perfecta: sicut ipse Dominus in Euangelio ostendit, dicens: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et iterum: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me. Unde & Paulus differentiam esse intelligi volens in Sanctorum remuneratione, ait: Stella enim à stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum*, 1. Corinth. 15. — *Femina typus gratiæ.*

Vers. 24. Species mulieris exhilarat faciem viri sui, et super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium] q. d. Forma & pulchritudo feminæ, tum externa, tum interna, quæ sita est in virtutibus & morum compositione, exhilarat faciem mariti, ut ea contentus lætè vivat, nec aliam quærat: hæc enim forma viri concupiscentiam & desiderium incitat, & ad se rapit præ omnibus rebus, *& super omnem concupiscentiam*, id est, præ omni objecto concupiscibili, quod hominis concupiscentiam in sui amorem allicit, & irritat. Ita videmus juvenes rapi specie pulchrarum mulierum, ac ut ea potiantur, opes, famam, & sæpè vitam & salutem æternam in discrimen adducere. Τὸ *desiderium* non est in Græco, unde Tigurina vertit, *pulchritudo mulieris vultum exhilarat, omnemque humanam jucunditatem excellit*; alii, *& omnem hominis cupiditatem excedit*, Syrus, *pulchritudo mulieris laudat faciem ejus, & super omnem concupiscentia oculorum prævalebit*. Significat, pulchritudinis in uxore ducenda ha-

habendam esse rationem aliquam, eò quòd hæc amoris coniugalis sit illex & conservatrix. Verùm quia magis morum habenda est ratio, hinc de ea subdit: *Si est lingua curationis*, &c. vide dicta c. 26. 22.

Moral. de vitandis feminis.

Moral. disce hic, quàm illecebrosa sit species mulieris, quamque cavenda sit juvenibus & castis; quia ipsa est res concupiscibilis, quæ supra omnia concupiscentiam irritat. Unde S. Bernard. serm. 66. in Cant. *Cum femina*, inquit, *semper esse, & non cognoscere feminam, nonne plus est quam mortuum suscitare?* Et S. Francisc. *Mulierem aspectu & colloquiis, quamvis fortis spiritus infirmatur. Quis enim potest ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?* Proverb. 6. 28. *Periculosum ergo est earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Frivolum profectò est quodcumque mulieris colloquium, excepta sola confessione, vel instructione brevissima, juxta quod saluti expedit, vel congruit honestati.* S. Dominicus moriens ultimum suis hoc de castitate dedit monitum: *En usque in hanc horam carne incorruptum me Dei misericordia servavit, ut habebamque mihi virginitatis munditiam custodivit; quæ ut etiam in vobis inviolata permaneat, feminarum omnium suspecta vitate consortia.* Ita habet Vita ejus apud Surium l. 5. c. 1.

Mysticè de decore animæ sanctæ.

Mysticè, Rabanus, & ex eo Glossa: Mulier est Ecclesia, & anima fidelis sanctaque; item ipsa Christi gratia, quæ per prædicationem animas curat, & carnis concupiscentiam mitigat. Hæc in Ecclesia abundat, cujus desiderium est super omnem concupiscentiam hominis, quia in ea est decor virtutum & pulchritudo doctrinæ, juxta illud: *Fallax gratia & vana est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur*, Proverb. 31. Hujus species & decor, quam habet in recta fide & bonis operibus, exhilarat faciem viri, videlicet sponsi sui Jesu Christi, qui delectatur in profectu ejus, juxta illud: *Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit. Fortitudo & decor indumentum ejus*, &c. Proverb. 31. *Non est vir illius secundum filios hominum:* quia Christus ejus sponsus excedit omnem humanum decorem: juxta illud, *Speciosus forma præ filiis hominum diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum*, psalm. 44. Hæc ergo est possessio bona, imò optima: hæc est adiutorium homini datum, vel omnes hujus vitæ labores & dolores fortiter sustinendos: hæc est columna & requies totius vitæ præsentis & æternæ. Atque, ut ait Rabanus, columna dicitur fieri ut requies, quoniam ipsa quę in præsenti est fragilitatis hominis substentaculum, ipsa in futuro per gloriam fiet requiei illius supplementum.

& B. Virginis.

Longè aptiùs, & quasi propriè, hæc conveniunt B. Virgini, cujus pulchritudinis, virtutum & gratiarum decor exhilaravit *faciem viri*, id est, Christi sui, quem concepit non ut infantem, sed ut virum omni sapientia & virtute perfectum, juxta illud Ierem. 31. 22. *Creavit Dominus novum super terram. Femina circumdabit virum.* Unde illa sua specie rapuit ad se desiderium omnium hominum & angelorum; quin & ipsius Verbi divini, ut in uterum ipsius descenderet, & ex ea carnem humanam assumeret. Ita Cardinal. Halgrin. in Cant. 4. hæc verba Siracidis sic explicat: *Species quidem mulieris*, inquit, *virum potentem humiliat, severum & austerum emollit: Virginis autem speciem sic concupivit Dominus, & ipsa ejus desiderium in tantum superduxit, hoc est, ad tantum excessum perduxit, ut ad nostram infirmitatem humiliatus sit Omnipotens, & qui est vita viventium, emollitus sit ad mortem.* De Virgine enim hæc mysticè accipi, patet ex eo quod sequitur: *Non est vir illius secundum filios hominum*, &c.

SI EST LINGUA CURATIONIS, repete *si*)
VERS. 25. EST ET MITIGATIONIS ET MISERICORDIÆ: NON EST VIR ILLIUS SECUNDUM FILIOS HOMINUM] q. d. Si in uxore ad speciem & pulchritudinem accedat lingua blanda & prudens, quę sua discretione & gratia norit curare omnes viri & familię molestias, afflictiones & dolores: si insuper accedat *lingua mitigationis & misericordiæ*, quæ scilicet omnes viri & familiæ iras, mœrores & acerbitates norit mitigare, & ad misericordiam, æquanimitatem benignitatemque inflectere tunc sanè vir, id est, maritus illius, non est similis aliis hominibus, sed omnes superat, omniumque est fortunatissimus. Unde Grecca & Latina nonnulla omittendo secundum est, sic clarè habent, *si est in lingua ejus* (uxoris) ἔλεος, id est, *misericordia*, πραΰτης, id est, *& mansuetudo* (ita Rom. sed Complut. addunt καὶ ἴασις, id est, *& curatio*, id est facultas & gratia curandi) *non est vir illius secundum filios hominum*; Tigurina, *si linguæ ejus inest comitas, lenitas & salubritas, maritus ejus non est filius hominum comparandus.*

Tres dotes uxoris

Nota hic tres insignes dotes & virtutes in uxores requirendas. Prima est, ut in ore ejus, æquè ac corde (os enim sequitur cor, & quale est cor, tale est & os ac lingua) reluceat misericordia: ut scilicet, sit misericors in virum, filios, servos, ancillas & externos, prę sertim pauperes & afflictos, ut eorum infirmitates & miserias toleret, soletur, sustentet, sublevet quoad potest.

Secunda est lenitas & mansuetudo, qua omnibus se mansuetam tum verbis, tum gestibus, tum operibus exhibeat.

Tertia est gratia dicendi & agendi, qua viri familię, & quorumlibet rixas, iras, acerbitates mœrores & dolores norit lenire, curare, conciliare. Nam multæ sunt feminæ, prę sertim speciosæ, quæ sua specie & forma superbiunt, ideoque sunt arrogantes, fastuosæ, immisericordes, clamosæ, rixosæ, imperiosę, ac proinde viris, toti familiæ, & externis molestæ & exosæ. Hasce virtutes habuit Abigail, iisque & marito suo Nabal vitam, & Davidi conscientiam ne Nabalum occideret, conservavit, dum justas Davidis iras humili, gratioso & efficace suo sermone mitigavit. Et Esther, quæ Assuerum Judæis offensum placavit, itaque Judęos omnes morte eripuit. & Aman eorum hostem cruci affixit. Et mulier illa Thecuitis, quę Davidem Absalomo reconciliavit, 2. Reg. 14. 2. Et alia quæ Abelam urbem ab excidio Joab servavit, 2. Reg. 20. 16.

& B. Virginis.

Mysticè, hasce tres virtutes eminentissimo gradu habuit B. Virgo, quę proinde ab Ecclesia salutatur & invocatur: *Salve regina, mater misericordiæ: vita dulcedo & spes nostra salve.* Ipsa enim lenit omnes se invocantium mœrores & dolores. Ipsa Christi Deique iras mitigat. Ipsa omne vitium, omnem animi infirmitatem, curat & sanat: quia *vir illius*, putà Christus Dominus, *non est secundum filios hominum:* nam non est purus homo, sed homo-Deus. Itaque qua Deus omnes homines in immensum superat, qua homo longè ceteros homines sapientia, virtute, gratia & gloria antecellit.

VERS. 26. QUI POSSIDET MULIEREM BONAM, INCHOAT POSSESSIONEM ADIUTORIUM SECUNDUM ILLUM EST, ET COLUMNA UT REQUIES] Ita Roman. & Græca, quæ habent στῦλον ἀναπαύσεως, id est, columna requietis; vel, ut alii legunt, ἀναπαύσεων, id est, requietum. Alii legunt *columna & requies*, quod eodem redit; sed prior lectio est concinnior & pulchrior. Sensus ergo est, q. d. Qui possidet vel acquirit (utrumque enim significat Græcum ὁ κτώμενος) uxorem bonam, hic *Primò*, inchoat possessionem, tum quia prima & præcipua possessio est uxor. Vnde Syrus vertit, *in præcipuo possessionis tuæ posside mulierem bonam: adiutorium est enim simile sibi, & columna coram te:* tum, quia per uxorem maritus adit hereditatem tam suam, quàm uxoris, ac comparat sibi domum, in quam cũ uxore & prolibus nascituris degat, qui prius quasi solutus vagabatur, carens propria domo & hereditate. Unde Hispani & Itali *casare*, id est, casam, hoc est domum accipere, vocant matrimonium inire; quia per hoc quisque vir domum accipit, & qualibet femina domui mariti se mancipat: tum denique, quia per uxorem bonam & industriam maritus multa lucratur. Unde Tigurina vertit, *qui nactus est uxorem bonam, rem facere parat adiutricem habet consortem, & basim quietis.*

Tres fructus uxoris bonæ.

Secundò, tali *adiutorium secundum illum est*, q. d. Talis maritus habet adiutorium simile sibi, putà uxorem sibi in natura humana & officiis similem: hæc enim creata est à Deo, ut sit adiutrix viri, eumque adiuvet in generatione, educatione & gubernatione prolis ac familiæ Gen. 2. 20. Sic & S. Joseph habuit adiutricem S. Mariam quasi coniugem, in educatione Christi; æquè ac in omni virtutum profectu, ut ei fieret persimilis. Audi S. Bernar. in serm. de Joseph: *Amplius autem, quia omnia quæ sunt uxoris sunt viri, credo quod beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, et liberalissime exhibebat, & brevi intervallo. Quantas putas exhor-*

hortationes, consolationes, promissiones, illuminationes, inflammationes, & æternorum bonorum revelationes recepit in transitu suo Ioseph à sanctissima sua sponsa Maria! Et inferius: *Quomodo,* inquit, *cogitare potest mens discreta, quod tanta unione uniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? Unde credo Ioseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione.*

Tertius. Tertiò, marito uxor est quasi *columna ut requies*, id est, quasi columna in qua securè requiescat: uxori enim maritus credit filios, familiam, arcas, opes, adeoque seipsum, ut in ea quasi in columna requiescere, imò subsistere videatur. Unde pro *columna*, Tigur. vertit *basis*, Vatabl. *stabilimen*: hæc enim omnia significat Hebr. עמוד *amod* id est, columna stans & subsistens, à rad. עמד *amad*, id est, stare subsistere, stabilire. Uxor ergo bona est infirmitatis viri columna, & laboris requies, ut ei quasi columnæ tutò vir inniti possit, utpote à qua erigatur, fulciatur, sustentetur & corroboretur.

Hunc esse sensum patet ex Græcis, quæ Romani sic legunt & vertunt, *qui possidet mulierem, incboat possessionem, adiutricem secundum se, & columnam requietis*. ita Rabanus, Lyran. Iansen. & Palacius, quem audi: Sensus, inquit, est q. d. Qui incipit possidere mulierem bonam, idoneam scilicet matrimonio, is incipit esse dives, quod textu sequenti planius fiet: sed & experientia textum aperit.

Secunda pars apertè alludit ad verbum Domini Genes. 2. *Faciamus,* inquit, *ei adiutorium simile sibi.* Hebræis est, *adiutorium quasi coram ipso*; ut mulier sit adiutorium viro non à longè petendum, sed quod ad manum sit, coramque obversetur. Textus autem Latinus intimiorem sensum innuit, scilicet mulier est adiutorium viri, quasi esset alter vir. Si enim amicus est alter ego: multo fortiùs uxor, quæ de viri latere sumpta est, erit alter vir; ut ita res viri curet quasi ipse vir. Et planè ita est: nam quæ foris vir comparat, intus femina ut vir conservat.

Tertia pars indicat, quòd uxor non est solùm columna, cui vir nititur; sed etiam est ut domus, in qua quiescit. Est ergo uxor viro in firmitate columna: at in capacitate domus, requies: est igitur ut domus intra columnam ædificata. Hoc verò innuit, amicos alios columnas esse aliquando; at non ita ut uxor, quæ perpetua viro requies est, scilicet, dum vivit.

Vers. 27. Ubi non est sepes, diripietur possessio: et ubi non est mulier, ingemiscit egens] Tigurina, *& cui non est uxor, ingemiscet vagabundus*, putà maritus, egens adiutorio, solatio & quiete uxoris, Græcè est πλανώμενος, id est erro, peregrinans & vagabundus. Probat quod dixit, mulierem viro esse possessionem bonam, quia eam conservat & auget, à contrario, q. d. Sicut possessio, v. g. ager, hortus aut vinea, si careat muro aut sepe, ab omnibus prætereuntibus diripitur: sic pariter ubi non est uxor, ibi vir errans de domo in domum cogitur sua alienis credere, imò permittere & exponere, qui ea furabuntur & diripient; quia caret uxore, quæ custos est domus, prolium & facultatum, adeoque viri ipsius. Quocirca Paulus ad Titum 2. 5. vult mulieres esse οἰκουργούς, id est, domus curam gerentes. Vide quæ ibi annotavi. Est igitur, ait Palacius, uxor sepes & vallum facultatum viri: est clavis qua viri thesauros occluditur. Uxore enim absente, nullæ viro sat sunt opes; adeò diripiuntur à servis: quæ nos qui uxore caremus, quotidie experimur & ingemiscimus. Ergo qui vult esse dives, uxorem sibi paret. Unde Syrus clarè vertit, *ubi locus sine sepe, racemantur* (id est, ita vindemiantur, ut ne racemus quidem racematoribus supersit) *vinea, & locus sine muliere discoopertus est & dissipatus.*

Secundò, Lyran. per *egentem* accipit pauperem qui mendicando oberrat, q. d. Ubi non est uxor, ibi ingemiscent pauperes; quia negabitur eis eleemosyna: solent enim feminæ viris esse misericordiores.

Denique S. Ephrem tract. de Timore Dei, pro *mulier* legit *patientia*. Sic enim habet: *Egressus es cella tua, monache, ad ministerium? Custodi sensus tuos, ut non concilies tibiipsi bella & perturbationes per cogitationes improbas. Ubi non est sepes,* inquit S. Scriptur. *diripietur possessio: & ubi non est patientia, ingemiscet errans.* Nisi quis dicat S. Ephrem mysticè per *uxorem* accipere patientiam: hæc enim est sepes animæ, quæ eam facit hostibus imperviam & insuperabilem.

Simili modo noster Alvarez de Paz lib. 2. part. 1. cap. 15. per uxorem hanc accipit abnegationem & mortificationem: hæc enim animam ita communit, ut nullam virtutum suarum direptionem timeat. Hæc rursum est possessio bona, de qua sequitur. Nam qui sui abnegationem possidet, habet iam initium magnarum opum, scilicet pretiosissimarum virtutum, quas talis conjugis parat industria. Habet etiam adiutorium valdè conveniens sibi, quod turbam servulorum, scilicet, affectuum, reprimat, & totam domum cordis in pace contineat. Est quoque illi abnegatio columna, quæ illum à multis casibus culpisque defendat: & requies, in qua à desideriis sæculi liberatus conquiescat. Mysticè uxor est mortificatio.

Vers. 28. Quis (ita legendum cum Romanis & Græcis non *qui*, vel *cui*, uti legunt Lyran. Iansenius & alii) credit ei, qui non habet nidum, et deflectens ubicumque obscuraverit, quasi succinctus latro exiliens de civitate in civitatem?] Est hæc secunda ratio probans, quòd uxor bona sit viro possessio, adiutorium & columna, à contrario; quia scilicet iuveni carenti uxore, sed soluto & vago nemo credet. Sensus ergo est, q. d. Iuvenis carens uxore similis est avibus vagabundis nido carentibus; sed aliò & aliò transvolantibus, nuncque in hac arbore, nunc in illa pernoctantibus, quas proinde quasi furaces & rapaces reliquæ aves fugiunt, & à nidis suis arcent. Simili enim modo ἄγαμος & cælebs *non habet nidum*, id est, fixam habitationem, ubi inveniri, conveniri, detineri, & ut vulgò, dicitur arrestari possit: sed est *deflectens ubicumque obscuraverit*, id est, hospitatur & pernoctat ubicumque eum oberrantem vespera comprehenderit, imò est quasi expeditus *latro* errans, aut potiùs celerrimè *exiliens de civitate in civitatem*. Quis ergo fidat ei? quis cum eo contractus ineat? quis cum eo negotia tractet? q. d. Nemo. Iuvenis enim non uxoratus vagus, cupidus & audax, cavendus est ut erro, imò quasi latro; quia ubicumque divertet, insidiabitur tum pudicitiæ filiarum, tum opibus rebusque à se concupitis, putans se impunè id facturum, dum domum & uxorem filiosque non habeat, à quibus damna ab eo illata repeti possint: eò quòd ipse sit solutus & solus, qui vim inferenti ut latro vel armatus resistere, vel expeditus effugere possit. Paulò aliter Palacius: Uxor, inquit, est nidus, ubi vir quiescit: qua qui caret, cui se credet, cui fidet? si enim servis se committat, latronibus se committet. Jam vir carens uxore qui in ea dormit domo, in qua nox eum occupat, velut latro est: ut enim hic exilit de civitate in civitatem, ita ille de femina in feminam, quas adulterio polluit aut fornicatione. Bona uxor viro est bona possessio.

Nota. Pro *latro succinctus*, græcè est εὔζωνος, Hebr. גדוד *gedud*, id est, accinctus gladio, armatus, expeditus, paratus ad pugnam & insultum, vel ad fugam. Unde sequitur, *Exiliens de civitate in civitatem*. Quocirca noster Pineda in Job 38. v. 3. sic exponit q. d. Stat semper paratus ad fugam, numquam securus. Pro *exiliens* noster legit ἀφαλλομένῳ, vel ἐφαλλομένῳ, iam legunt, σφαλλομένῳ, id est, errans, oberrans. Græca ordinem hic commutant, adeoque unam faciunt comparationem, quæ virtute duas includat. Sic enim habent, *quis enim credet succincto latroni erranti de civitate in civitatem: sic homini non habenti nidum, & deflectenti ubicumque obscuraverit*, repete, quis credet? q. d. Nemo Tigurina, *quis enim fidat expedito latroni ex alia in aliam civitatem oberranti? quis item homini non habenti nidum, & moranti* (alii, *divertenti*, vel *pernoctanti*) *ubicumque advesperascerit?*

Alludit ergo ad aves vagabundas nido carentes, quæ aliarum avium nidos invadunt, ova exsorbent, pullos perdunt, ac sua ova supponunt, ut ab avibus quarum nidus est, foveantur & excludantur, uti faciunt cuculi, teste Aristot. lib. 9. Histor. Animal. c. 29. quibus proinde à vulgo comparantur fornicatores & adulteri. Rursum alludit ad Proverb. 27. 8. *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum*. Vir ergo vagabundus similis est avi carenti nido & vagabundæ. Primò, quia similiter levis est, inconstans & vagus, cui proinde nemo fidit, nemo cum eo rem habere vult.

Nam

Nam ut rectè noster Salazar ibidem annotat, omnes aves quamdiu pullos suos alunt in nidis, ibi quidem hærent, nec longiùs evagantur; sed circumcirca obambulant: ubi autem pulli adulti evolarunt, nullibi ipsæ consistunt, sed hac illac vagæ & deerrantes pervolant. Ait ergo Salomon: Omnis homo inconstans ac levis, qui nulla in re diutiùs perseverat, sed occupationes, artes, domos, civitates & terras in dies vertit ac permutat, similis est avi quæ jam deservit nidum suum, atque adeò nullibi consistit, cui proptereà nec fidere, nec credere oportet. Audi Senecam epist. 2. *Nusquam est, qui ubique est: in peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur: nihil æquè sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio: non coalescit planta, quæ sæpè transfertur. Nihil tam utile est, quod in transitu prosit.* Huc facit jocus acutus, sed religiosus B. Ægidii, qui B. Bernardum à Quinta-valle (uterque erat è primis sociis Sanct. Francisci) vocabat hirundinem, eò quòd integris quindecim annis facie & mente à terrenis abstractus, in cælum suspiceret, ac per montes & solitudinem discurrens, imò transvolans instar hirundinis terrena fastidiens totus raperetur in Deum ita Vvaddingus in Annal. Minorum anno Christi 1241. n. 3. & 4.

Vagus est hirundo.

Secundò, sicut aves carentes nido, aliarum nidos & obvia quæque invadunt, occupant, prædantur, vorant, destruunt; sic & juvenis vagus, cupidusque invadit & occupat quæcumque alicubi videt pulchra, speciosa commoda.

Tertiò, sicut aves vagabundæ & transvolantes ex uno loco in alium, facilè retibus venatorum capiuntur: sic & vagabundi facilè in pericula, servitutem mortemque incurrunt, præsertim si latronum more furtum, rapinam, stuprum, cædem, simileve crimen, ut paulò antè dixi, committant. Sic videmus aucupes maximè insidiari gruibus & anseribus silvestribus initio veris cùm advolant, & autumni cùm avolant turmatim magno agmine: tunc enim alias sagittis, alias bonbardis, alias visco, alias retibus, alias alia arte capiuntur & occidunt. Unde S. Ambros. hos aucupes notans lib. 5. Hexam. cap. 18. *Quibus*, inquit, *nos inhospitali immanitate* (quasi dicat hospitii jura per immanitatem violantes) *molimur insidias, & diverso genere nunc infida sede decipere, nunc visco eas fallere, nunc retibus aut laqueis captare contendimus.* Simili modo qui patriam relinquit, & in alias regiones migrat oberratque, facilè in carcerem truditur, aut viliter servire cogitur, aut fame, vel incolarum aut latronum incursu occiditur. Vnde Septuag. locum citatum Proverb. 27. 8. sic transferunt, *sicut cum avis de volaverit à proprio nido, sic homo servus fit cùm peregrinatus fuerit à propriis sedibus:* Syrus verò hunc Siracidis locum ita vertit, *quis credet juveni qui similis est cervo, qui transilit de civitate in civitatem: sic vir qui non habet mulierem, in loco ubi reperietur moritur.* Ita quotidie videmus Romæ peregrinos domi suæ honestos, divites, literatos & splendidos, eò redigi ut agant cocos, equisones, mendicos, & tandem in hospitali moriantur.

Ecclesia est nidus fidelium.

Mysticè, Rabanus: *Nidum*, inquit, *hic nuncupat S. Ecclesiam, ubi piæ electorum animæ filios bonorum enutriunt. Unde scriptum est in psalmo: Passer invenit sibi domum, & turtur nidum, ubi reponat pullos suos: ubi ergo requiem & tutelam habet, qui non intra sanctam Ecclesiam manet? Ubicumque enim per hæreticorum dogmata,*
A
vel philosophorum studia deflexerit; semper in errore erit, & lucem sinceræ veritatis nusquam inveniet. Quasi etiam succinctus latro de civitate in civitatem exilit, quia instabilis in omni re vagus & profugus de errore in errorem cadit.

Ex dictis liquet, Siracidem hoc loco ita commendare conjugum & domum propriam, quia hæc Iudæis rudibus & terrenis consulenda erant; ut tamen non reprobet cælibatum sacerdotum, & Religiosorum, rum paupertatem, qua se omni possessione, & dominio abdicant studio, & amore rerum cælestium, esto eam taceat, quia ad eam assurgere nequibat Judæorum infirmitas & crassities: unde ea Christo & Apostolis, filiis novi testamenti, perfectionis studiosis commendanda reliquit. Hi enim, inquit Jansenius, si, ut debent, pro uxore carnali sapientiam sibi in sponsam assumant, secuti Sapientem qui dicit: *Quæsivi illam mihi in sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius*; facilè omnia cælibatus incommoda, quæ hic insinuantur, superabunt. Nam in ea summam pulchritudinem & voluptatem deprehendent,
B
quia in lingua ejus clementia est, & sanitas recreans, non enim habet amaritudinem conversatio ejus. In illa habebunt adjutorium, ut & in omnibus tribulationibus consolationem percipiant, & ad bona quæque agenda juventur. Item hæc illis erit velut columna, in qua mens eorum suaviter quiescet, libera ab evagatione carnali. Per hanc & sunt benè muniti, & facilè fit ut fixam aliquam habitationem atque vivendi rationem sibi deligant, in qua Deo serviant.

Sapien. 8.

Cælibes despondēt sibi sapiētiam.

Adde, sacerdotes & Religiosos terra & rebus terrenis, puta conjugio, domo, possessione, esse superiores, iisque nuntium remisisse, ut Deo vacent, ac in terra vivant non vitam humanam & communem, sed angelicam & divinam. Quare hæc Siracidis præcepta, quæ vitam hominum communem spectant, ad eos non pertinent: illis enim, ut ait Sanct. Ambros. Christus est omnia, ac proinde eis maximè competit illud Apostoli: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, 2. Corinth. 11. Et illud Psaltis psal. 15. *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei: tu es qui restitues hereditatem meam mihi.*

Denique Religiosis virisque Apostolicis uxores, domos
C
& omnia relinquentibus, ut Christum sequantur, Christus promittit centuplum, Matth. 19. ut pro una uxore centum fratres, pro una domo centum monasteria recipiant, sintque cosmopolitæ, imò mundi domini: *Fideli enim totus mundus divitiarum est.* Vnde Climacus gradu 17. asserit pauperem monacum esse mundi dominum; &, quia jactavit in Deum curam suam, possidere per fidem omnes gentes in servos. Idemque addit, pauperem Dei famulum nullam rem amare vitiosè: omnia enim quæ habet aut habere potest, reputat quasi non sint; &, si recedere contingat, æstimat ut stercora. Ergo *avarus terrena esurit ut mendicus: fidelis* & Religiosus *contemnit ut dominus*, ait S. Bernard. serm. 21. in Cantic. Nam, ut ait S. Cyprian. tract. de Oration. Domin. *Qui renuntiavit jam sæculo, maior est honoribus ejus & regno: & ideò qui se Deo & Christo dedicat, non terrena, sed cælestia regna desiderat.* Ibi ergo est nidus & domus ejus. Unde Sanct. August. lib. 10. Confess. cap. 40. *Neque in his omnibus*, inquit, *quæ percurro, invenio locum tutum animæ meæ, nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec à te quidquam recedat ex me.* Vide Hieron. Platum de Bono statu Relig. l. 2. c. 3. 6. & sequ.

Religiosi mundi sunt domini.

CAPUT TRIGESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IN fine cap. præced. docuit delectum sermonum & uxorum, nunc docet delectum amicorum & consiliariorum. Igitur Primò, docet cavendos amicos fictos, & diligendos sinceros. Secundò, v. 7. usque ad 23. docet quale & cum quibus ineundum sit consilium. Tertiò, v. 25. agit de sapiente, eiusque fructu & præmiis. Quartò, v. 30. agit de continentia, sive de mortificatione concupiscentiæ & gulæ.

1 OMnis amicus dicet: Ego amicitiam copulavi: sed est amicus solò nomine amicus. Nonne tristi-
tia inest usque ad mortem? 2. Sodalis autem & amicus ad inimicitiam convertentur. 3. O præ-
sumptio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitia, & dolositate illius? 4. Sodalis amico con-
jucundatur in oblectationibus, & in tempore tribulationis adversarius erit. 5. Sodalis amico condolet
causa ventris, & contra hostem accipiet scutum. 6. Non obliviscaris amici tui in animo tuo, & non im-
memor sis illius in opibus tuis. 7. Noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur, & à zelantibus te absconde
consilium. 8. Omnis consiliarius prodit consilium, sed est consiliarius in semetipso. 9. A consiliario ser-
vo animam tuam, priùs scito quæ sit illius necessitas, & ipse enim animo suo cogitabit. 10. Ne fortè
mittat sudem in terram, & dicat tibi: 11. Bona est via tua; & stet è contrario videre quid tibi eveniat:
12. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de justitia, & cum muliere de ea quæ æmu-
latur: cum timido de bello, cum negotiatore de trajectione, cum emptore de venditione, cum viro li-
vido de gratis agendis, 13. Cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrario
de omni opere, 14. Cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multa opera-
tione: non attendas his in omni consilio. 15. Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognove-
ris observantem timorem Dei, 16. Cujus anima est secundùm animam tuam: & qui, cùm titubaveris
in tenebris, condolebit tibi. 17. Cor boni consilii statue tecum: non est enim tibi aliud pluris illo. 18.
Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad specu-
landum. 19. Et in his omnibus deprecare Altissimum, uti dirigat in veritate viam tuam. 20. Ante om-
nia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile. 21. Verbum nequam im-
mutabit cor: ex quo partes quatuor oriuntur, bonum & malum, vita & mors: & dominatrix illorum
est assidua lingua. Est vir astutus multorum eruditor, & animæ suæ inutilis est. 22. Vir peritus multos
erudivit, & animæ suæ suavis est. 23. Qui sophisticè loquitur, odibilis est: in omni re defraudabitur.
24. Non est illi data à Domino gratia: omni enim sapientia defraudatus est. 25. Est sapiens, animæ
suæ sapiens: & fructus sensus illius laudabilis. 26. Vir sapiens plebem suam erudit, & fructus sensus il-
lius fideles sunt. 27. Vir sapiens implebitur benedictionibus, & videntes illum laudabunt. 28. Vita vi-
ri in numero dierum: dies autem Israel innumerabiles sunt. 29. Sapiens in populo hereditabit honorem,
& nomen illius erit vivens in æternum. 30. Fili in vita tua tenta animam tuam, & si fuerit nequam, non
des illi potestatem: 31. Non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet:
32. Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam: 33. In multis enim escis
erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram. 34. Propter crapulam multi obierunt:
qui autem abstinens est, adiiciet vitam.

Vers. 1 OMNIS AMICUS DICET: ET EGO AMICITIAM COPULAVI inter me & te tuosq; amicos Græcè ἐφιλίασα αὐτῷ (licet αὐτῷ deleant Complut.) κἀγώ, id est, ut Roman. *ego cum illo amicitiam copulavi*; alii, *amicus ei fui & ego*; Complut. *amicum sum & ego*. SED EST AMICUS SOLO NOMINE AMICUS] q. d. Quilibet amicus tam fictus, quàm verùs, imò magis fictus, jactabit se tibi & tuis amicis esse amicum; at vide cui credas: nam est amicus qui nomine dumtaxat est amicus, re ipsa verò est inimicus. Disce ergo seligere amicum verum à ficto, realem à verbali. unde Tigurino, *quivis amicus. Huic & ego sum amicus, inquit sed sunt, amici solo nomine tenus amici*. Igitur propriè perstringit eos qui omnium amici haberi volunt, & tales se jactitant: ut, si quando quis dicat, Ille est amicus meus, ilicò subiungant, Ille quoque est amicus meus, ut totum mundum videantur habere amicum, cùm tamen multos habeant hostes, vel æmulos, vel extraneos & incognitos. Porrò Syrus hæc refert ad vagabundum, de quo c. præced. v. ult. Sic enim habet: *Sic vir qui non habet mulierem, in loco ubi reperietur morietur. Et amico suo dicit, Diligo, verùm est amicus nomine tenus, qui non perseverat usque ad mortem. Amicus verus sicut anima tua sit tibi.*

Præclarè Aristot. lib. 1. Magnorum moral. cap. 25. amicum verum à ficto & ab inimico ita discriminat: *Amicitia*, inquit, *inter assentationem & inimicitiam medietas, in actione sermoneque versatur. Assentator namque est, qui plura quàm sit par, adsintque cuipiam, arrogat. At insensus inimicus, qui derogat etiam quæ adsunt: quorum neuter jure laudandus accedit. Inter quos medius est amicus, quippe qui nec plura præsentibus cuiquam astruit, neque quæ minimè conveniant laudaverit, neque è contrario imminuet, neque omnino adversabitur, præterquam existimetur tribuendum. Hujusmodi igitur est amicus.* Hæc Aristot. Plinius verò lib. 7. cap. 2. *Hyæna*, inquit, *sicut & ichneumon, nunc mas est, nunc femina ita quidam sui dissimiles, nunc fortia loquuntur, nunc molia: nunc philosophi sunt, nunc nepotes: nunc amici, nunc inimici.* *Amicus medius inter inimicum et adulatorē*

Plutarch. in Moral. κόλαξ, ait, est κόραξ, id est, adulator est corvus: *Quia sicut corvi involantes cadaverum oculos effodiunt: sic adulatores suis laudationibus rationem & mentem humanam corrumpunt. Lepus canem, amicus adulatorem natura hostem existimare debet. Lætandum magis reprehensoribus quàm assentatoribus: illi enim velut stimolo animos excitant, hi verò gratificantes dissolvunt & subvertunt.* Demosthenes verò ajebat adulatorem peiorem esse corvo, quòd ille vivos, hic mortuos voret. Phavorinus: *Sicut Actæon*, inquit, *à canibus quos aluerat, laceratus est: sic adulatores eos à quibus aluntur devorant.* Epictetus: *Corvi*, inquit, *mortuorum oculos corrumpunt, at adulatores animorum oculos excæcant.*

NONNE TRISTITIA INEST (legit Interpres Complut. legunt μένει, id est manet) USQUE AD MORTEM? SODALIS AUTEM ET AMICUS AD INIMICITIAM CONVERTENTUR] Græca, omit- Vers. 2

omisso τῷ *autem*, & pro *convertentur* legendo, *convertuntur*, sic clarè habent: *nonne dolor est ad mortem usque cum socius & amicus usque ad inimicitiam convertitur?* Complut. *ad inimicitiam convertitur?* Complut. *nonne tristitia manet usque ad mortem, sodalis & amicus, versus (vel convertens) in inimicitias?* Tigur. *nonne mœrorem affert ad mortem usque manentem, socius, aut amicus conversus in inimicum?* Hæc lectio plena & clara est. Unde duo manuscripti codices Latini ita pariter legunt in Latina Vulgata. Hinc & Rabanus sic explicat: *Maximum enim*, inquit, *malum est, & continuo dolore gemendum, quod ubi speratur fidelitas, ibi invenitur malignitas: & ubi amicitia assimulata est charitas, ibi inimicitia reperitur perversitas.*

Verum, quia ceteri codices Latini, etiam Romæ emendati, constanter habent τὸ *autem* & *convertentur*; hinc sensus magis patheticus hic est, q. d. Nonne amicus solo nomine, id est fictus & hypocrita, creat, alteri mœrorem tantum, ut mortem ei afferat, vel duret usque ad mortem? Cùm enim videt se deceptum ab eo, cui se suaque secreta credidit, scilicet, se ea non credidisse amico, ut putabat, sed hypocritæ & inimico, qui sub nomine amici latebat, tunc nimirum inconsolabiliter dolet & gemit usque ad mortem. Interim autem sodalis & amicus hic nominalis & fictus, relinquens amico suam tristitiam, palàm & apertè ad inimicitiam convertetur, quod magis tristitiam amici augebit, ac celeriorem ei mortem accerset: quia, ut ait Lyranus, *Nulla efficacior pestis ad nocendum, quam familiaris inimicus & sodalis, id est socius mensæ. Dicitur enim a sede, quasi sedalis: quia sedet cum alio in mensa: frequenter enim contingit, ut simul sedentes in mensa, antequam recedant ab invicem, rixentur & pugnent*, hæc Lyranus. Sic & Lexicographi: Sodalis, inquiunt, dicitur in rebus levioribus: & ferè in conviviis dicuntur sodales, quasi simul edales: vel, ut quibusdam placet, quia unà sedeant, & simul sint in mensa. Unde Quintilianus in Gladiatore: *Et tempestiva*, inquit, *convivia, & pervigiles jocos advocata sodalium turba, solutus atque affluens agerem.* Et Cicero pro Plancio: *Quos si tu sodales vocas, officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso.* Et Plautus in Mercat. *Sex sodales reperi, vitam, amicitiam, civitatem, lætitiam, ludum, jocum.* Hinc & Sodalitas vocatur collegium multorum, seu convivium. Unde Gajus Jurecons. *Sodales*, inquit, *sunt, qui sunt ejusdem collegii.* Hinc liquet sodalem esse diversum ab amico: sodales enim sæpè sunt inimici. Sic & Græci ἑταιρείας, id est sodalitates, vocant societates convivendi & convivandi. Unde Aristot. l. 2. Polit. ἑταιρικὰ συσσίτια, vocat convivia sodaliciorum: quin & ἑταίρας, id est, sodales, sives socias & amicas, vocant meretrices, quibuscum lascivis conversantur & fornicantur.

Sodalis quasi simul edalis.

Secundò, Jansenius τὸ *autem*, accipiens pro *enim*, sic exponit, q. d. An non amicitiæ occasione aliquãdo oritur tristitia perdurans usque ad mortem? Contingit enim amicos ad inimicitiam converti. Hebr. enim *vau* est conjunctio generalis, significans *&*, *autem*, *enim*, &c. Unde & Homerus ac Græci δὲ, id est *autem*, usurpant pro γὰρ, id est *enim*: quin & prisci Lat. Unde Plautus in Pseudol. *autem* pro *enim*, ait, *nequaquã vis*, id est, profectò non vis. Sic hic τὸ *autem* accipi potest pro *enimvero*. *Enimvero* autem postpositum in responsione, indignanti accommodum est; ut *nego enimvero. Is enimverò sum.* Sensus ergo erit, q. d. Nonne in amico nomine tenus, id est, ficto, inest tristitia usque ad mortem? Enimverò talis sodalis & amicus ad inimicitiam convertentur. Hoc autem parit tristitiam gravem & lethalem.

Tertiò, Palacius sic explicat, q. d. Tristitia est nobis inimica, inquit, sumusque nos ei adversi: si ergo res tam nobis adversa nobiscum permanet usque ad mortem, cur amicitia res nobis adeò chara, non ita perdurabit; cur ad inimicitiam convertetur? Iacob filio Josepho, tristitiam usque ad mortem vult retinere, rem adeò noxiam, adeoque contra naturam: cur igitur Saul amicitiam Davidis non retinebit, rem sibi adeò utilem? Verùm hic sensus longè petitus & impertinens videtur.

Ratio à priori hujus sententiæ est dignitas, utilitas & necessitas amicitiæ, quam dum subvertit fraudulentus & infidus amicus, velut solem tollit è mundo. Audi Ciceronem libr. de Amicitia. *Cui potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquiescat? Quid dulcius quàm habere quocum omnia audeas sic loqui, ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes qui illis, æque ac tu ipse, gauderet?* Hæc Romanus; Atticus autem Cicero, S. Chrysost. inquam, homil. 2. in 1. Thess. *Est re vera*, inquit, *amicus ipsa luce iucundior, germanum dico. Et ne mireris. Est enim nobis solem hunc extingui jucundius, quam amicorum consuetudine privari: jucundius in tenebris agere, quàm sine amicis esse. Et quomodo dicam? quia multi solem istum videntes, in tenebris sunt: quia vero amicorum copiam adepti sunt, nec in afflictionibus quidem tristitiam habent*, Huc facit illud Biantis: *Ama tamquam osurus, odi tamquam amaturus*: quamquam Cicero lib. de Amicit. posterius probat, prius improbat, & meritò: *Quonam enim*, inquit, *modo quisquam amicus esse poterit, cujus se putavit inimicum esse posse. Quin etiam necesse erit cupere & optare, ut quam sæpissime peccet amicus, quo plures det tibi tamquam ansas ad reprehendendum. Rursus etiam rectè factis, & commodis amicorum necesse erit angi, dolere & invidere. Quare hoc quidem præceptum, cujuscumque est, ad tollendam amicitiam valet. Illud potius præcipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis parandis, ut nequando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus.* Et Aristoteles in libris Rhetoric. *Non est amandum*, inquit, *quasi sis osurus, quemadmodum ajunt, sed ita exercendum odium, quasi sis aliquando amaturus.*

Amicitia in vita est quod sol in mundo

O PRÆSUMPTIO NEQUISSIMA, UNDE CREATA ES COOPERIRE (amicitiæ simulatione, ait Lyranus) ARIDAM MALITIA ET DOLOSITATEM ILLIUS?) Ita Romanus & Græca. perperàm Ergo Lyranus. Dionys. & alii legunt, *cooperire aridam malitiam & dolositatem illius.* Quæ enim est *arida malitia*? Græcè est, [illegible], id est, *o scelerata cogitatio, unde* [illegible], vel [illegible], id est, *devoluta es*; Complut. *involuta es, ut operires aridam*, [illegible], id est, *in dolositate*, vel *fraudulentia*? Tigurina, *o scelerata undenam prorepsisti, ut dolo terram operires?* Syrus, *inimicus & malus ad quid creati sunt, nisi ad replendam terram operibus iniquitatis?* VERS. 2.

Pronomen *illius* non est in Græco; sed intelligitur: *illius*, scilicet, amici ficti, de quo sermo præcessit. Siracides indignans ad nequitiam ficti & dolosi amici exclamat, ac admirans quærit, vnde tantum nefas in orbem irrepserit? q. d. O mortalium nequissima cogitatio! o perfidia execranda, quà quis simulans se amicum, dolosè amicum supplantat, ejusque summum se ostendit inimicum! O simulata, inquit Hugo, & palliata hypocrisis, quæ fingis amicitiam, ubi non est; vnde tandem prodiisti? quomodo valuisti terram operire tua malitia & dolositate? scilicet, non ex cælo, nec ex terra ortum habes. Deus enim creavit naturam humanam rectam, sinceram & fidelem; sed ex orco in terram prorepsisti: nimirum tuus pater est Lucifer, qui Dei & angelorum amicus, sua perversitate factus est eorum inimicus: vnde inter amicos homines, qui Dei sunt imagines, inimicitias suscitare cœpit ab origine mundi, cùm fecit ut Cain Abelem fratrem occideret; & quotidie suscitare non desistit ubivis locorum & gentium. hoc enim perfidiæ malum omnes provincias, omnes gentes, omnes urbes, omnia fora, tribunalia, omnes cœtus, omnia collegia, quin & Sanctorum congregationes ac monasteria non rarò invadit, occupat & evertit. Porrò origo & auctor hujus perfidiæ extrinsecus est diabolus: intrinsecus vero est amor proprius, putà concupiscentia honoris opum, deliciarum; ob hanc enim amicus fit inimicus. Vt enim hæc consequatur ex ruina amici, ei perniciem machinatur. *Miratur ergo vir sapiens*, ait Rabanus, *ortum nequitiæ: quam tamen constat ex mala voluntate creaturæ prolatam esse, & detestatur valde hypocrisin: quia pessimum vitium est, quemlibet hoc se fingere velle quod penitus non est; cum malus se simulet bonum, injustus justum, iniquus æquum, inimicus amicum, cooperiendo dolositatem, & aridam dolositatem, ubi non est pinguedo dilectionis & misericordiæ. decipit enim veraciter semetipsum, cum se honestum delusorem putat esse aliorum.*

Expertus auctor, ait Palacius, hæc gemens dicebat. Nam Ptolemæus Lagi prius Judæis amicus, mox truculen-

culentissimum se eis inimicum exhibuit. Idem expertus David dicebat psal. 54. *Tu verò homo unanimis dux meus & notus meus*, &c. Quin & Christus cùm à Iuda proditus est; unde ad eum conversus: *Iuda*, inquit, *osculo filium hominis tradis?* Matth. 26. Verò Beda in Proverbiis: *Malus ubi se simulat bonum, ibi est pessimus. Non vivas aliter in solitudine, aliter in foro. Scorpiones dici possunt, qui bonis quidem in facie non resistunt, sed mox cum recesserint detrahunt.* Porrò Cicero 2. offic. *Nec simulatum quidquam*, inquit, *potest esse diuturnum.*

Vers. 4. SODALIS AMICO CONJUCUNDATUR IN OBLECTATIONIBUS, ET IN TEMPORE TRIBULATIONIS ADVERSARIUS ERIT] Exaggerat rei indignitatem. q. d. O præsumptio perfida & scelerata, quòd sodalis cum amico jucundatur, dum in mensa ejus epulis oblectatur & deliciatur: idem verò ei adversatur in tempore tribulationis. Cur enim, si frueris amico in sua prosperitate, eum lædis in adversitate? cùm enim tribulor, sat habeo afflictionis, nec dignus sum nova tribulatione. Cur ergo super dolorem vulnerum meorum addis? Intolerabile est, quod, cùm tuo favore egeo, tu pro favore mihi odium exhibeas. ita Palacius. Unde pro *conjucundatur in oblectationibus*, græcè est ἥδεται ἐν εὐφροσύνῃ, id est, *jucundatur in lætitia*; Romana, *in oblectatione*, id est, tempore læto, jucundo & prospero: hoc enim opponit tempori tribulationis tristi, & adverso. Complut. legunt, συνήδεται ἐν εὐφροσύνῃ, id est, *convivit in lætitia*; Tigurina, *amicus rebus lætis familiariter utitur amico, qui tempore calamitatis fit adversarius*, nimirum quanta hæc indignitas? quàm nequam præsumptio? quàm scelerata cogitatio? Syrus, *malus est amicus qui propinquus est in mensa, & in tempore angustiæ surgit à convivio.*

Huc alludit proverbium Arabicum centur. 1. num. 97. *Quando audiveris virum loquentem de te bonum quod in te non est, ne credas: loquetur enim & malum quod in te non est.*

Vers. 5. Amicus causa ventris, quis. SODALIS AMICO CONDOLET CAUSA VENTRIS, ET CONTRA HOSTEM ACCIPIET SCUTUM] Est hic alius casus, & quasi alia species non veræ, sed falsæ amicitiæ q. d. Sodalis quamdiu simul est edalis, simulque convivit amico, ab eoque sperat victum, opes, honores, ei etiam in adversitate posito condolet: imò pro eo arma & scutum accipiet, ut eum contra hostem defendat. Verùm id facit ex gula, & opum honorumque fiducia, non ex vera amicitia. Unde si lucri vel honoris ab amico consequendi ampliùs non sit spes, eum deseret, & ad hostem ejus transibit. Quare tali quoque fidendum non est. Igitur si verum amicum quæris examina an ventris & commodorum causâ te colat, an verò amicitiæ instinctu & ductu. Tales sodales permulti sunt in castris, quales perplures vidi in Belgio, qui pro Principe stabant & pugnabant, quamdiu ab eo lauta percipiebant stipendia, eratque spes lucri & prædæ: at ea deficiente, vel si hostis majorem ostentaret, illicò ad eum transfugiebant. Præclarè Seneca: *Mel*, inquit, *muscæ, cadavera lupi, frumenta formicæ sequuntur: prædam sequitur turba illa, non hominem.*

Pro *condolet* græcè est συμπονεῖ, id est, *collaborat*. Unde ex Græco sic vertas, *socius amicum laborantem adjuvat, eique collaborat ventris gratia, & contra hostem sumit clypeum*; Tigurina, *est cùm causa ventris amicus adjuvat amicum, & adversus hostem* (legit ut Noster πολέμιον, alii qui legunt πόλεμον, id est, *adversus bellum*) *scutum arripit.* ita Lyranus, Jansenius & Rabanus, quem audi: *Conjucundantur* (falsi amici) *in oblectatione voluptatis, & in tempore adversitatis recedunt. Arma contra hostem causa ventris sustollunt, sed fidi defensores amici sui non erunt: quia non proximum, sed delicias diligunt.*

Aliter Palacius: Videtur, inquit, reprehensio amicorum. q. d. Si sodalis conductus *causa ventris*, id est propter cibum condolet suo conductori, & contra hostem accipit scutum: cur amicus causâ amicitiæ idem etiam designabit? Et manifestum est, quòd contra hostes nostros solemus conducere auxiliares, qui propter cibum quem illis damus, favorem suum nobis præbent.

Porrò Syrus omittens τὸ *causa ventris*, hæc contrariè videtur accipere de vero amico; *Bonus est amicus*, inquit, *qui pugnat contra inimicum et tenet clypeũ. Ne laudes amicum tuum in vicinis, & ne des ei potestatem in domo tua.*

A NON OBLIVISCARIS AMICI IN ANIMO TUO, ET NON IMMEMOR SIS ILLIUS IN OPERIBUS TUIS] Corrige cum Romanis & Græcis ἐν χρήμασι, id est, *in opibus tuis*. Notat hic & corrigit tertiam speciem falsorum amicorum, q. d. Sunt quidam amici sinceri quidem, sed & inconstantes, qui cùm ex tenui humilique fortuna ad magnas opes & gradu pervenerint, amicorum obliviscuntur, aut eorum ipsos pudet. Moneo ergo te, ô fili, ô discipule, ut, si hoc tibi contingat, amici pristini non obliviscaris; sed eum in animo & corde geras & ames, eique tuas opes communices, juxta illud S. Ioannis epist. 1. cap. 3. 18. *Filioli non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Unde Tigurina vertit, *ne capiat animum tuum oblivio amici, nec rebus secundis tuis sis ipsius immemor.* Sæpè enim verum est illud Ovidii lib. 1. Trist. eleg. 8. Vers. 6.

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Et illud ejusdem ibidem:

Horrea formicæ tendunt ad inania numquam,
Nullus ad amissas ibit amicus opes:

B Quocirca Plutar. l. de Amicitia in multos diffusa, sic censet: *Itaq; ut Zeuxis pictor quærentibus cur tardius, longoque tempore pingeret, respondit: Ego longo tempori haud dubie pingo, id est, æternitati: sic perpetuam amicitiam constare non licet, nisi longa vita consuetudine exactoque judicio.*

Præclarè S. August. (vel quisquis est auctor) lib. de Amicitia cap. 16. *Ad amicitiam*, inquit, *quatuor pertinere specialiter videntur, scilicet, dilectio & affectio, securitas & jucunditas. Ad dilectionem spectat, cum bene volentia beneficiorum exhibitio. Ad affectionem, interior quædam procedens delectatio. Ad securitatem, sine timore & suspicione omnium consiliorum & secretorum revelatio. Ad jucunditatem, de omnibus quæ contingunt sive læta sint, sive tristia: de omnibus quæ cogitantur, sive nociva sint, sive utilia: de omnibus quæ docentur vel discuntur, quædam dulcis & amica collatio. Ista prodit, qui solvit amicitiam.* Subjungit deinde: *Quatuor probanda sunt in amico: fides, intentio, discretio, patientia. Fides, ut ei te securè committas. Intentio, ut nihil ex amicitia nisi Deum, & naturale ejus bonum expectet. Discretio, ut quid præstandum amico, quid ab eo petendum, in quibus contristandum pro eo, in quibus amico congratulandum, pro quibus eum corripiendum, modum, tempus & locum non ignorat. Patientia verò, ne correptus doleat, ne corripientem contemnat vel odiat, ut eum pro amico qualibet adversa sustinere non pigeat.* Et S. Ambr. l. 3. Officior. c. 16. *Plerumque*, inquit, *inimicitiæ subeundæ sunt propter amici innocentiam, sæpè obtrectationes, si resisteris vel responderis cùm amicus arguitur & accusatur: nec te pœniteat hujusmodi offensionis. Iusti enim vox est: Et si mala mihi venerint propter amicos, sustineo.* Idem de Basilio hoc præstante docet S. Chrysost. lib. 2. de Sacerdot. ubi post multa sic eum loquentem inducit: *Aliter*, inquit, *amare non didici, nisi ut, & meam animam in discrimen adducam, dum periclitantem amicum aliquem servare opus est.* Idem: *Christus Dominus discipulos docuit* Ioan. 15. 13. *Majorem*; inquit, *charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Causa est, quòd amicitia, *ut sanctissimè, & verissime dixit Cicero*, ait S. August. libr. contra Academ. capit. 6. *est rerum humanarum & divinarum cum benevolentia & charitate summa consensio*: ergo tam in adversis, quàm in prosperis. Simile oculorum perillustre affert S. Cyprian. libr. de Singul. Cleric. oculis enim amicos assimilat: nec enim alter flecti aliquo potest, quin flectatur etiam alter: & si rectà vel obliquè hic aspiciat, ille eodem modo aut ex obliquo, aut rectà, aspiciet. Non aliter amici esse debent; nam eodem modo semper, eadem via, eumdem ad scopum unanimes ferri debent. Huc facit, & simile cervorum, qui alternatim invicem succollantes, tranant flumina, de quo dixi Galat. 6. 2. Denique Sanct. Ambros. suprà, *Solatium*, inquit, *hujus vitæ est, ut habeas cui pectus tuum aperias, cum quo arcana communices, cui secretum tui pectoris committas: ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur. Facilis vox, & communis, Tuus sum totus, sed paucioris est effectus.* Hæc ille, & verè: pauci sunt qui id præstent.

Noli

Vers.7. NOLI CONSILIARI CUM SOCERO TUO, ET A ZELANTIBUS TE ABSCONDE CONSILIUM] Ita legunt passim omnia Biblia Latina, ac Rabanus, Lyran. Hugo, Dionys. Jansenius, Franc. Lucas, Palacius, huncque dant sensum, q. d. Noli consilium inire cum socero, id est, patre uxoris tuæ: ne vel in gratiam ipsius tibi nimis blandiatur, tuisque desideriis inordinatis consentiat & applaudat, vel malè tibi consulat; ut benè consulat filiæ suæ, vel secreta tua revelet eidem quę est uxor tua. Unde Lyran. *Noli consiliari cum socero tuo*, scilicet, inquit, *de his quæ pertinent ad restrictionem uxoris tuæ: quia ipse semper stabit à filia sua, divertens à veritate ex carnali affectione*. Unde illud:

Nec gener à socero, nec hospes ab hospite tutus.

Et Rabanus mysticè: *In socero*, inquit, *quia parte feminea cognationi adiunctus est, muliebrem, & mutabilem ostendit animum. A quo numquam tuta fides speranda est. Sic & zelus, qui præcipuè in sexu prævalet femineo, instabilitatem mentis significat, cui numquam fides adhibenda est (quia ut quidam ait) sicut litus sine portu, infida est statio navium: sic & animus sine fide, periculosus est in consortio amicorum.*

Et Hugo: *Moraliter socer tuus*, inquit, *est carnalis affectus, pater uxoris tuæ, id est concupiscentia tua. Istius consilio non est credendum, nec cum eo consilium pertractandum de pœnitentia, vel de aliquo bono faciendo. Quod manifestè docuit Jacob Genes. 31. qui ignorante Laban socero suo, cum filiis & uxoribus atque pecoribus suis recessit de Mesopotamia in terram Chanaan. Legitur Judic. 19. quod Levita quidam credidit socero suo, ut cum eo tribus diebus maneret; hic in via amisit uxorem suam à Gabaonitis oppressam, unde postea strages magna populi secuta est. Ideò dicit Auctor: Noli consiliari cum socero tuo, id est consilium ab eo quærere, nec tuum consilium ei revelare.*

Verùm corrigendum cum Romanis & manuscriptis: *Noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur, & à zelantibus te absconde consilium*. Sic habent & Græca, μὴ βουλεύου μετὰ τοῦ ὑποβλεπομένου σε, καὶ ἀπὸ τῶν ζηλούντων σε κρύψον βουλήν. Quod Complut. vertunt, *ne consilieris cum eo qui reveretur te* (nam ex tui metu & reverentia consulet dicetque non id quod sentit, sed quod tibi placere & gratum esse scit) *& à zelantibus te absconde consilium*; Roman. *noli consiliari cum eo qui te suspectum habet, & à zelantibus te absconde consilium*. Suspectus enim suspecto suspectum dabit consilium. Tigurina, *ne consultes cum eo cui suspectus es, nec invidentibus tibi consilium aperias*; alii: *ne consulta cum eo qui te limis aspicit oculis, & ab iis qui æmulantur te occulta consilium*. ὑποβλέπω enim ad verbum idem est quod subaspicere, limis dejectisque oculis aspicere, atque obtueri sic, ut aversantes fastidientesque aliquid aspiciunt, despicere sive despicari, aversari, contemnere; item suspicere, id est, suspectum habere suspicari. Sic de Didone ait Virgil. Æneid. 4.

Talia dicentem jamdudum aversa tuetur.
Huc illuc volvens oculos,

id est, ὑποβλέπεται ἢ ὑποβλέπων.

Optimè ergo Noster vertit, *noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur*. Unde & sequitur, *Et à zelantibus*, id est, æmulantibus & invidentibus tibi, *absconde consilium*. Æmulus enim, & invidus tibi insidiabitur, consiliumque tuum prodet, vel evertet, ac in suos usus & commoda convertet. Accedit Syrus: *ne consilieris*, inquit, *cum inimico tuo, & ab eo cela secretum*. Huc facit proverbium Arabicum centur. 1. nu. 17. *Cum equitaveris leonem, cave ab ungue id est, cùm factus fueris dux vel præfectus, cave à consiliariis malis.*

Denique Palacius, & ex parte Jansenius, posteriorem hanc lectionem cum priori sic conciliant; videtur Auctor cùm hæc scriberet, præ oculis habuisse Iacob, qui Genes. 31. in negotio profectionis suæ & uxorum, consilium à Laban socero suo non accepit: imò ab eo, & à filiis ejus, qui Iacob zelabant, & invidebant, suum consilium abscondit. Unde sensus hujus loci sumendus est, ut sic hic: si socerum habes tibi suspectum, & invidum, item si habes cognatos tibi invidentes, & quosvis alios tibi suspectos, ab his ne consilium ceperis. *Qui enim videtur habere pallium consulentis, & habet venenum permentis, lingua dolosa est*, ait S. August. procemio in psal. 119. in fine.

Tropolog. noli consiliari cum insidiantibus tibi, hoc est, cum tuis concupiscentiis, passionibus & vitiis, v. g.

A cum ira, odio, invidia: hæc enim tibi insidiantur, ac satagunt te in peccatum, & in gehennam pertrahere. Hæc quoque æmulantur, id est, invident nobis animi pacem, gratiam & gloriam; ac licet amicos se nobis simulent, revera tamen cum diabolo inimico nostro in perniciem nostram conspirant & conjurant. Horum ergo consilium audiendum non est: ira enim suadet vindictam, contumeliam, verbera, milleque mala. At quia difficile est illud non audire, cùm invitis illud suggerant, imò jugiter occlament; tutissimum est illa ipsa mortificare, & radicitus ex animo extirpare, ut voces & susurros eorum ampliùs non audiamus.

OMNIS CONSILIARIUS PRODIT CONSILIUM, SED EST CONSILIARIUS IN SEMETIPSO] q. d. Quilibet qui consulet) uti proclives sumus ad dandum aliis consilium) prodit, id est promit, profert; Græcè ἐξαίρει, id est effert, extollit, laudat consilium suum, quod ipse dat, & suggerit: attamen non omnes dant consilium in utilitatem consulentis, sed multi in propriam: sunt enim *consiliarii in semetipso*, id est, sibi consulentes, non ei qui petit consilium. Quare vir pru- Vers.8.

B dens sagaciter indaget, an consiliarius in dando consilio non spectet suam utilitatem potiùs, quàm ejus qui petit consilium: & si id deprehendat, caveat à tali consiliario, ejusque consilio. Unde Complut. vertunt, *omnis consiliarius aufert* (ἐξαίρει enim idem est quod aufert, tollit, extollit) *consilium: sed est qui consiliatur in seipsum*, scilicet, in sui ipsius commodum. Roman. *omnis consiliarius extollit consilium: sed est qui consulit sibi ipsi*; Tigurina, *omnis consiliarius extollit consilium suum, sed sunt qui suam in rem consulant*. Extollit, id est, laudat & celebrat suum consilium, quasi aliorum consiliis anteponendum, & præ illis sequendum.

A CONSILIARIO SERVA ANIMAM TUAM. PRIUS SCITO QUÆ SIT ILLIUS NECESSITAS: ET IPSE ENIM ANIMO SUO COGITABIT] Ita Roman. & Græca. Minùs rectè ergo Rabanus, Jansenius & alii legunt, *& quid ipse animo suo cogitet*: quamquam eodem ferè redeat sensus. Sensus enim est, q. d. Custodi tuam animam & mentem, ne cuivis consiliario credat & fidat: sed priùs indaga num sit in aliqua necessitate, qua urgeatur, & penè cogatur magis illi, putà sibi ipsi, quàm Vers.9.

C tibi, tuæque utilitati consulere. *Et ipse enim animo suo cogitabit*: q. d. Ipse enim cogitabit quomodo animo suo, id est sibi ipsi, suisque intentionibus consulat, aut quomodo animo suo volenti suæ necessitati consulere, obsequatur, & satisfaciat. Unde Græcè est, *etenim ipse sibipsi consulet*. Si quæras ergo, qua ratione servabis animam tuam à consiliario, ne noxio ejus consilio capiaris; hanc accipe: Antequam cum consulas, perspice quæ sit ejus necessitas, cujusque rei habet indigentiam. Hanc enim ille, quem consulis, habebit præ oculis, ut tibi consilium dans, sibi consulat. Expende igitur, an ex negotio aliquid utilitatis possit ad eum resilire. Credendum enim est fore, ut consilium inclinet in eam. Quare cave ab eo. Unde Tigurina vertit, *cave tibi ipsi à consiliario, & cujus ipse indigeat rei, priùs cogita: nam ipse sibi consulet*; alii, *cognosce priùs qua re opus ei sit: etenim ipse consulit sibi ipsi*. Quocirca Alfonsum Aragonum rex teste Panormit. lib. 3. de ejus Gestis, interrogatus *quibus consiliariis maximè delectaretur? Libris*, respondit: *à quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, fideliter audiret*. Fredericus verò Imper. vocatis in curiam consilia-

D riis: *Utinam*, inquit, *consiliarii mei in palatii vestibulo duas res deponerent. Sic enim & ipsi rectè consulerent, & mihi etiam inter consilia dijudicare facillimum esset*. Rogatus autem, *quænam illæ res essent? Simulatio & dissimulatio*, respondit. Docuit autem principes commodis publicis rectè consulere non posse, propter consiliariorum privatos affectus. Ita Æneas Silvius lib. 3. de Gestis Alfonsi. Certè quantum damni, & ruinæ consiliarii principum suis, non reipubl. commodis studentes, principibus & provinciis afferant, hoc ævo multis in locis gementes vidimus.

Igitur in consiliario requiritur magna integritas, rectitudo, prudentia, & solertia. Audi S. Ambros. lib. 2. Offic. cap. 12. *In quærendis*, inquit, *consiliis plurimum valet vitæ probitas, virtutum prærogativa, benevolentiæ usus, frugalitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? Itaque ubi luxuria* Dotes requisita in consiliario.

ria est, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? Quis utilem judicet causæ alienæ, quem videt inutilem vitæ suæ? Quomodo enim potero judicare eum consilio superiorem, quem video moribus inferiorem? Anne eum idoneum putabo, qui mihi det consilium, quod non dedit sibi? & mihi eum vacare credam qui sibi non vacat? cujus animum voluptates occupant, libido devincit, avaritia subjugat, cupiditas perturbat. Rectè enim Sallustius in Catil. *Omnes homines*, inquit, *qui de rebus dubiis consultant; ab odio, amicitia, ira atque misericordiam vacuos esse decet. Haud facilè animus verum pervidet, ubi ista officiunt: quisquam omnium libidini simul, & usui paruit: ubi intenderis ingenium, valet; si libido possidet, ea dominatur, animus nihil valet.*

Vers. 10. NE FORTE MITTAT SUDEM IN TERRAM, ET DICAT TIBI: BONA EST VIA TUA; ET
Vers. 11. STET E CONTRARIO VIDERE QUID TIBI EVENIAT] q.d. Ne fortè consilium tibi dando, *sudem*, id est impedimentum, offensionem, & scandalum, cui impingas, figat in terra, dicens: *Bona*, plana, & æqua *est via* hæc (cùm tamen sudes in ea sit, in quam offendas) & interim resistat videns, an cadas in sude, quàm fixit. Sudes enim est pertica, seu genus teli militaris, hoc est, paxillus igne torridus, quem in terra defigebant, ut hostis incautus in eum impingeret, eumque calcans pedem læderet. Unde Cæsar lib. 1. de Bello civili: *Fossas transversas*, inquit, *viis perducit, atque ibi sudes stipitesque præacutos defigit*. Et Virgil. 7. Æneid.

Quadrifidasque sudes & acuto robore vallos.

Ubi Servius: *Vallus & sudes idem est*. Græci codices pro *sudem* legunt κλῆρον, id est, *sortem*. Sic ergo habent, *ne quando projiciat super te sortem, tibique dicat, Pulchrum est institutum tuum: & stet ex adverso, ut quid eventurum tibi sit videat;* Tigurina, *ne quam obventionem ominetur tibi, rectumque esse dicat institutum tuum, atque interim ex adverso spectatorem eventus tui se constituat;* Vatablus, *ne sorti te committat & aleæ*, vel *ne sortem super te jaciat*, &c. Sensus est, q.d. Antequam fidas consiliario, explora priùs, an ipse ex re, de qua eum consulis, emolumentum aliquod speret: ne fortè propter illud consilium tibi periculosum, sed sibi utile det, dicendo rectum esse institutum tuum, quod, scilicet, tu ipsi proposuisti, vel ipse tibi suggessit: & interim stet ex adverso, exspectans consilii sui eventum: ut, si benè cedat, illud dilaudet & præmium expostulet; sin malè, tibi illudat, & in te vel alium culpam mali successus conjiciat. Hujusmodi sanè perfidia, inquit Jansenius, nimis in mundo obtinet, eamque videre licet in imperitis advocatis & medicis, qui pharmaca ægris adhibent dubia, & periculosa; ut eorum virtutes explorent, & aliis mederi experientia periculi & mortis alienæ discant. Unde ille ajebat, se nolle medicum, nisi qui priùs centum occidisset. Talia sunt consilia hominum audaciam, & præcipitum; de quibus Phœbæa vox est Livii libr. 35. *Consilia callida, & audacia specie læta sunt, tractatu dura eventu tristia.*

Porrò Syrus tres versus jam explicatos sic vertit, *a consiliario iniquo custodi animam tuam, & cognosce priùs quid quærit; quia & ipse in seipso meditatur: ne fortè injiciat super te dolum malum, & dicat, Quàm bona est via tua? & stabit è contrario, & videbit ignominiam tuam, vel lætabitur in ignominia tua.* Videbit, scilicet, & ridebit tuum dedecus.

Apologus. Appositus ad hanc gnomen exstat apologus corvi, & vulpis apud Gabr. Faernum: *Sustulerat*, inquit, *corvus alicunde caseum, & cum illo in altam arborem subvolarat. Vulpecula, quæ caseum concupisset, ita illum adorta callidè fertur, cùm primùm formam, & nitorem pennarum, & laudes augurii collaudasset: Planè, inquit, te summi Jovis volucrem esse dicam, si audiero etiam vocem, & cantum dignum reliquis virtutibus tuis. Corvus laudibus vulpis inflatus, clamorem edere quàm maximum posset. Ita de aperto rostro delapso caseo potita vulpes, irridens illum: Nihil, inquit, tibi deest corve præter cor.* Affabulatio:

Qui coràm in os te laudans consulit, insidias struit:
Qui laude ficta ducitur, cor non habet.

Vers. 12. CUM VIRO IRRELIGIOSO TRACTA DE SANCTITATE, ET CUM INJUSTO DE JUSTITIA.] Ita A Roman. Lyran. Hugo, Dionys. & ceteri. Perperàm ergo pro *irreligioso*, aliqui legunt *religioso*, & pro *injusto justo*. Jam nonnulli hunc dant sensum, q.d. Coram irreligioso lauda sanctitatem, coram injusto justitiam; ut discat amare & amplecti sanctitatem & justitiam; ut irreligiosum ad sanctitatem pertrahas; ut injustum justitiam doceas. ET CUM MULIERE DE EA QUÆ ÆMULATUR; ut audens te virtutes ejus prædicantem, illam non odiat: CUM TIMIDO DE BELLO; ut ad illud animetur, & pericula imminentia non timeat: CUM NEGOTIATORE TRAJECTIONE; ut bonas merces & utiles emptoribus transportet: CUM EMPTORE DE VENDITIONE; ne pretium præter æquitatem adaugeat: CUM VIRO LIVIDO DE GRATIIS AGENDIS; ne de bonis aliorum tristetur: *cum impio de pietate, & cum inhonesto de honestate*; ut ista vitia fugiant, & contrarias virtutes amplectantur: *cum operario agrario de omni opere*; ne ab hero ad aliud opus dimissus impatiens sit, & impositum onus superbè detrectet: *cum operario annuali de consummatione anni*: in quo cùm mercedem sit accepturus, æquum est ut diligenter laboret: *cum* B *servo pigro de multa operatione*, ut segnitiem & negligentiam abjiciat.

Verùm hunc sensum esse contortum, patet ex iis quę sequuntur: præsertim cùm ait: *Non attendas his in omni consilio.*

Secundò, Rabanus & Jansenius legunt, *cum viro religioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitia noli consiliari, & cum muliere*, &c. Verùm incongruè: nam, ut benè advertit, Franc. Lucas, non congruit ut primum membrum dissimile sit sequentibus, & illi quidem addatur *tracta*, sequentibus autem *noli consiliari*; cùm Sapiens manifestè velit priùs docere, cum quibus consilium capiendum non sit; postea verò tandem, cum quibus capiendum sit.

Tertiò, Græci codices hìc repetunt sententiam positam v. 7. *Noli consiliari cum eo cui tu suspectus es, et ab eis qui tibi invident, consilium absconde.* Deinde subjungit: *Cum muliere de pellice ejus, cum timido de bello*, &c. repete *noli consiliari*. Quod & Franc. Lucas in Latina Vulgata repetendum censet, ut omnes sequentes antitheses pendeant à τῷ *noli consiliarii*. Sic & Tigur. *ne consultes cum eo cui suspe-* C *ctus sis, ne consilium cum invidentibus tibi communices: de religione cum irreligioso, de justitia cum injusto*, &c.

Verùm sequenda est fides codicum ferè omnium Latinæ Vulgatæ, quam proinde retinendam censuere correctores Romani in Bibliis Romæ editis, quæ habet: *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitia*. Est continua ironia usque ad v. 14. q.d. Si cum irreligioso tractas & consultas de religione & sanctitate, cum injusto de justitia, &c. inconsultè & stultè facis: quia irreligiosus non nisi irreligiosa, injustus non nisi injusta, quæ gustat, sapit & assiduè exercet, consulet. Quisque enim suggerit ea quæ capit, & sapit, quibusque oblectatur, & quæ continuè versat & operatur.

Nec novum est vel indignum, ironiam usurpari à S. Scriptura, uti objicit Jansenius, & Franc. Lucas. Nam ironicè loquitur Deus Adamo, irridens ejus superbiam, & lapsum dicens: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*, Genes. 3. 22. Et Salomon adolescenti cupedias suas sequenti ironicè ait: *Lætare ergo juvenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu* D *oculorum tuorum.* Unde ironiam hanc detegens subdit: *Et scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium*, Eccles. 11. 9. Et Isaias c. 28. 10. Judæis ironicè in os regerit suum illud: *Manda remanda; exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi*. Similia plura sunt in S. Script. Denique, si quis omnino nolit admittere hoc loco ironiam, subaudiat cum Palacio τὸ *& tibi nocebit*, vel quid simile, q.d. Si cum irreligioso tractes de religione, cum injusto de justitia, nocebis tibi, vel malum accipies consilium: nam propterea subdit: *Non attendas his in omni consilio.* Ironia in Script.

Porrò duodecim hominum genera enumerat hìc Siracides, quibuscum docet non esse ineundum consilium; eò quòd vitioso aliquo, eoque vehementi teneantur affectu, qui impedit quominùs sincerum, rectum & honestum de re proposita ferre possint judicium. Nam ut quisque affectus est, ita ferè judicat, sententiamque exquirenti de rebus ita pronuntiat, ut ipse sen- Duodecim genera hominum vitanda in consilio.

sentit. Unde concludendum relinquit, omni vitioso amore, cupiditate, ira, invidia, similive affectu debere carere eum qui asciscendus est in consiliarium.

Primum. Primum genus est irreligiosorum, qui scilicet Deum non colunt nec reverentur, ut debent, ac subinde numen omne contemnunt & negant, quales sunt Athei. Quis enim prudens hos consulat de sanctitate, id est de numine sanctè colendo?

Secundū. Secundum est injustorum, ut rapacium, furum, usurariorum, fraudulentorum, violentorum, &c. Quis enim consulat de justitia illos qui nil nisi artes furandi, rapiendi, fraudandi, &c. norunt? Nam, ut dixit Siracides, cap. 8. 20. *Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt dicere nisi quæ eis placent.*

Consultor est res sacra. Hinc vetus adagium quod recitat Zenodotus ex Epicharmo: σύμβουλος ἱερὸν χρῆμα, id est, *consultor est res sacra.* q. d. Consultor plurimum utilitatis afferre, ac religiosè pureque consilium iis, quibus est opus, dare potest & debet. Unde Plato in Theage: *Quin illud etiam,* inquit, *dicitur Demodore consultorem rem esse sacram.* Idem epist. ad Perdiccam: *Æquum est autem, ut & hospitale et sacrum ut dicitur, consilium impertiam.* Exstat inter Græcas sententias hic Senarius:

Res est profectò sacra consultatio:

à viris ergo sacris & religiosis petenda. Hi enim verè sapiunt: à sapiente autem petendum consilium, juxta illud Comici:

Consultor ille sit tibi vir qui sapit:
Sapiens enim fit sapientum consilio.

Et illud Sapientiæ Proverb. 8. 13. *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* Celebre est illud: *Neque cæcum ducem, neque amentem consultorem,* supple, adhibeto: disce, sed à doctis: consilium pete, sed à consultis. Et illud S. Basilii orat. 21. de felicitate & prudentia: *Profectò divina quædam res est consilium.*

Contra hoc Siracidis & prudentiæ præceptum peccant illi, qui vocati à Deo ad sui cultum, v. g. ad statum Religiosum, de eo consilia quærunt à sæcularibus, parentibus & cognatis: tum, quia *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei,* 1. Corinth. 2. 14. *Multi enim vident nostras cruces, sed non vident nostras unctiones,* ait S. Bernard. tum, quia (ut ait S. Thomas opusc. 17. cap. 9.) iniuriam Christo, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, facit, qui illius audito consilio, mortalis adhuc hominis consilium requirit. Rectè enim idem S. Thom. 1. 2. q. 68. art. 1. ex Aristot. lib. 7. Moral. Eudem. c. 18. quærens, quid sit in anima primum ac princeps ad eam movendam? ceterarum quidem partium ait esse rationem, rationis autem aliquid quod sit ipsa melius, non scientiam, vel doctrinam (hæc enim non esse meliora) sed Deum. pauloq; pòst addit, eos qui à Deo moventur, non indigere consultatione; quippe qui meliori principio gubernentur quàm sit ratio vel consilium.

Egregiè verò luculentè S. Bernard. serm. *Ecce nos reliquimus omnia: Quantos,* inquit, *mundi sapientia maledicta supplantat, & conceptum in eis extinguit spiritum, quem voluerat Dominus vehementer accendi! Noli,* inquit, *præcipitanter agere, diu considera, diligentiùs intuere. Magnum est quod proponis, & opus habes multa deliberatione. Experire quid possis, amicos consule, ne post factum pænitere contingat. Hæc sapientia mundi terrena, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Deo vomitum provocare. Cave tibi, ait; Ut quid enim? Cùm à Deo verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii Angelus, quid aliena consilia præstolaris? Quis enim fidelior, quisve sapientior illo? Deduc me, Domine, & deducar; fortior esto, & invalesce. Novi ego quænam sint, quæ oportet fieri cito. Ab ore putei gehennæ eripior, & inducias petam, & retardabor, & cunctabor exire, si fortè interim fiat aliquid? Abscondi ignem in sinu meo, & exusto jam latere, jam nudatis visceribus, jam sanie defluente, diu mihi deliberandum est, an expergiscar, an excutiam, an abiiciam illum?* Et paulò inferius: *Amicos consulat, qui non legit: Inimici hominis domestici ejus. Quid frequentat Evangelium, qui Evangelio non obedit? At in eo sanè legimus, promittenti cuidam sequi Dominum, sed defunctum prius patrem sepelire volenti, responsum ab eo, ut sineret mortuos sepelire mortuos suos. Alteri quoque tantum suis qui in domo erant valedicere cupienti, Nemo,* inquit, *mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Hactenus Bernardus.

Et cum muliere de ea quæ æmulatur: Tertium genus hominum ineptum ad consilium, est mulier: hæc consuli non debet *de ea* (minùs rectè Palacius, & legunt *de his,* scilicet feminis, quas ipsa æmulatur, & zelat) *quæ æmulatur,* scilicet, ipsam, quæ scilicet est æmula ipsius, v. g. pellex, quæ præ ipsa, imò contra ipsam ambit virum, ut illum ab ea ad se traducat, uti Jacobum ambierunt Rachel & Lia, Genes. 30. 15. Elcanam Anna & Phenenna, 1. Reg. 1. 6. Hoc enim significat Græcum περὶ τῆς ἀντιζήλου αὐτῆς. Unde Complut. vertunt, *cum muliere de pellice ejus;* Romana, *cum muliere de æmula ejus;* alii, *cum femina de æmulatrice ejus.* Hanc enim illa ex invidia, & odio planè apud virum decolorabit, & denigrabit; ut se præ illa viro commendet, eumque ad se, illa (licet pluribus dotibus ornata, quæ proinde viro utilior esset futura) exclusa rapiat. Aliter Syrus, *ne consilieris,* inquit, *cum muliere, ut non mœcheris cum ea:* secreta enim mentis inducunt ad secreta ventris. *Tertium.*

B Quartum est: *Cum timido de bello;* quia timidus & meticulosus timens suæ familiæ, fortunæ & vitæ, omnimodis dissuadebit bellum, aliàs utile, vel necessarium; ac pacem etiam iniquis & ignominiosis conditionibus capessendam suadebit. Pro hoc Syrus habet, *& cum inimico, ut non pugnes.* *Quartum*

Quintum est: *Cum negotiatore de trajectione,* id est, ut Græcè, *cum mercatore de permutatione;* Syrus, *cum mercatore de mercatura ejus.* Mercator enim consulet dicetque non quod tibi, sed quod sibi utile sit permutare. Rursum *trajectio* hìc accipi potest non permutationis mercium, sed loci vel residentiæ: hanc enim significat quoque Græcum μεταβολία, ut si v. g. consulas mercatorem an expediat te tuas merces vel tuam personam negotiandi causa trajicere in Hispaniam, vel in Indiam: mercator consulet non tam quod tibi, quàm quod sibi conveniat: timebit enim ne lucra ipsius avertas vel imminuas; aut certè cupiet ut te eò transferas, ubi plus ipsi commodi & lucri afferas. Tali consultori applices illud S. August. in psalm. 119. *Quia videtur habere pallium consulentis, & habet venenum perimentis, lingua dolosa dicta est.* *Quintum*

C

Sextum est: *Cum emptore de venditione:* emptor enim consulet dicetque non quid tibi vendenti conveniat, sed quid sibi utile sit emere; ac suadebit, ut vili vendas id quod ipse cupit. Rursum pretium mercium indicabit infimum. Syrus pro emptore substituit venditorem: *Cum venditore,* inquit, *de re quam vendit ipse.* Ipse enim suadebit ut merces suas emas carò, licet viles, easque quas ipse cupit extrudere. Porrò sapiens fuit consilium mercatoris illius paradoxi, ideoque sequendum, qui, ut Romæ mihi à viro gravi narratum est, rogatus qua arte locuples evasisset? respondit: *Contraria via ceteris incedendo. Ceteri enim volunt vili emere carò vendere* (ut aiebat Mimus apud S. August. 13. de Trinit. c. 3.) *Ego verò,* inquit, *carò emo, & vili vendo. Carò enim emendo, optimas merces seligo, et comparo; vili vendendo, omnes emptores ad me allicio, qui longè plus lucri mihi afferunt, quàm si paucis carò venderem.* *Sextum* *Paradoxum ditescendi consiliu*

D Septimum est: *Cum viro invido de gratiis agendis;* Græcè, *cum invido de gratitudine* vel *gratiarum actione;* Tigurina, *de gratulatione cum invido;* quia invidus gratiarum actionem invidet, tum ei qui beneficium accepit, ne scilicet per gratiarum actionem gratiam dantis sibi conciliet, pluraque ab eo impetret sibique præripiat; tum ei qui beneficium dedit, quia invidet ejus honori & laudi.

CUM IMPIO DE PIETATE, CUM INHONESTO DE HONESTATE, CUM OPERARIO AGRARIO DE OMNI OPERE, CUM OPERARIO ANNUALI DE CONSUMMATIONE ANNI, CUM SERVO PIGRO DE MULTA OPERATIONE: NON ATTENDAS HIS IN OMNI CONSILIO] Octavum est, non esse consultandum *cum impio de pietate;* Græcè, μετὰ ἀνελεήμονος περὶ χρηστοηθείας, id est, ut Compl. & Rom. *cum misericordi de beneficentia;* Syrus, *cum eo qui est immisericors, ut facias misericordiam;* Tigurina, *cum immani de humanitate.* Impius ergo hìc non in Deum, *Vers. 12.* *Vers. 14.* *Octavum*

id est irreligiosus (de eo enim jam egit vers. 12.) sed im- A misericors in proximos; pauperes & afflictos intelligitur. Hebræi enim חסד *chesed*, id est *pietatem*, vocant misericordiam, ac consequenter *impietatem* vocant *immisericordiam*. Rationem horum omnium dat Rabanus: *Quia quorum*, inquit, *non conveniunt corda, & actus, horum sine dubio periclitatur consilium. Quapropter is qui rite consilium cum quolibet vult agere, consiliarii sui primum perpendere debet prudentiam, fidem, voluntatem, religiositatem, & sic ejus uti consilio.*

Nonum. Nonum est: *Cum inhonesto de honestate*: inhonestus enim ignorans experfque honestatis, non nisi sibi similia, puta inhonesta, suadebit. Hoc membrum jam deest in Græcis. Inhonestus est turpis, infamis, incivilis, probrosus.

Decimū. Decimum est: *Cum operario agrario de omni opere*: quia operarius agrarius conductus ut agrum tuum excolat, multa opera excusabit, quasi inutilia, ut se opere levet & subducat. Vnde Græca habent: *Cum pigro de omni* (id est, de ullo) *opere*. Herus ergo ab operario non ex- B quiret an ager fodiendus, stercorandus, sarriendus sit: sed eum fodi, stercorari, sariri jubebit.

Undecimum. Vndecimum est: *Cum operario annuali de consummatione anni*, quasi dicat. Cum operario sive mercenario, quem ad annum conduxisti, ut agrum aut vineam excolat, vel aliud quid operis perficiat; non consultabis de consummatione anni, an scilicet quid restet hoc anno faciendum: ipse enim citiùs volet annum finire, quasi nil restet hoc anno faciendum, sed quæ supersunt sequentibus annis peragi debeant: aut quasi ipse laborando satisfecerit anno suo, dicens se annuum suum laborem, de quo pactus erat, consummasse, ac proinde nihil sibi ad laborem superesse, sed integram annui laboris mercedem sibi deberi. Græcè enim tantùm est, περὶ συντελείας, id est, *de consummatione*, scilicet tam operis quàm anni.

Pro *annuali*, uti & habent Græca Complut. scilicet ἐτησίου, Romani legunt ἐφέστου, id est, *domestico*, quem scilicet domi alis: nam hic minimè omnium vellet opus absolvi, ut semper haberet opus, in quo operam tibi elocaret ad lucrum. Vnde Syrus vertit, *cum mercenario qui decipit in opere suo.*

Duodecimum. Duodecimum est: *Cum servo pigro de multa operatione*. Piger enim servus ob pigritiam, ut suæ inertiæ consulat, multa opera verè utilia, imò necessaria quasi inutilia, importuna vel damnosa dissuadebit. Herus ergo servum pigrum de opere non consulet, sed operari & sudare jubebit; Syrus, *cum servo qui quærit defraudare dominos suos, ne sis illi consiliarius.*

SED CUM VIRO SANCTO (Græcè εὐσεβοῦς, id est,
VERS.15. pio religioso) ASSIDUUS ESTO, QUEMCUNQUE COGNOVERIS OBSERVANTEM TIMOREM DEI:
VERS.16. CUIUS ANIMA EST SECUNDUM ANIMAM TUAM; ET QUI CUM TITUBAVERIS IN TENEBRIS, CONDOLEBIT TIBI] Syrus, *cum viris justis esto habitans, quia ipsi timent peccare coram Deo: & cor eorum convenit cum corde tuo: & si malefacit tibi, animæ suæ ipse malefacit: & si benefacit, anima* (conscientię) *suæ ipse benefacit: quia fidelitas ejus ipsa verificabit eum, & ipse quoque fidelis sicut tu.* Hucusque docuit quibuscum non sint ineunda consilia, nunc docet quibuscum sint ineunda, nimirum cum viris sanctis & timentibus Deum.

Qualis deligendus consiliarius. Hi enim nihil consulent nisi conforme timori, & amori Dei: hujus enim sunt observantissimi. Unde illorum *anima est secundùm animam tuam*, scilicet studiosa timoris Dei, & salutis suæ, perinde ac tu studiosus es tuæ: quare si per tenebras ignorantiæ, imprudentiæ, cupiditatis, vel tribulationis *titubaveris*; Græcè πταίσῃς, id est, offenderis vel cecideris, scilicet, in aliquod peccatum, vel damnum, ex animo *condolebit tibi*, omnique consilio, ope & opera sublevare & solidare te conabitur. Vnde Tigurina vertit, *frequentes virum pium, quem noris observantem præceptorum Domini; cujus ad ingenium tuum accedat animus; & quem, si lapsus fueris, tui commiserescat.* Ita Lyranus, qui & addit: *Remotis impedimentis discretionis, hic consequenter ponuntur ejus promotiva; eaque quatuor, scilicet consilii sanitas* (*dum ait, Cum viro sancto assiduus esto*) *verbi veritas, sapientiæ claritas, & repressa sensualitas.*

A Nota Primò, τὸ *assiduus esto*; Græcè ἐνδελέχιζε, id est, esto continuus, non-intermissus, assiduus perpetuus: hic enim est ἐνδελεχής; & ἐνδελέχεια est assiduitas, perpetuitas, perennitas. Nam in re gravi non sufficit semel consultare, sed assiduè cum viro probo de ea differendum est. Rursus ut vir sapiens, & sanctus suam sapientiam, & sanctitatem tibi affricet & afflet, longa mora & assidua cum eo conversatione opus est: perinde ut qui frigidus aere calido calefieri cupit, assiduè in eo versetur oportet.

Nota Secundò, τὸ *cujus est anima secundum animam tuam*, id est, Primò, ut Tigurina, qui ejusdem tecum est indolis, propensionis, ingenii, judicii animi: aut certè qui norit se suaque consilia tuo ingenio & indoli adaptare & conformare. In consilio enim, æquè ac prudentia, maxime spectanda est ejus, cui consuletur, indoles & animus. Multi enim consilia dant in se bona, sed non convenientia indoli & animo consulentis, quæ proinde ipse fastidit, aut violenter exequitur, ideo- B que in iis non perdurat, juxta illud:

Tu nihil invita facies dicesve Minerva.

Quare in consiliis maximè valet sympathia, ut consilium dans petenti similes habeat, aut assumat & induat affectus.

Secundò, Lyranus: *Cujus anima est secundùm animam tuam*, id est, inquit, qui diligit te sicut seipsum, ut tecum sit quasi cor unum & anima una. Et Palacius: Qui tibi, inquit, est amicus: sive quem amat anima tua; hujus enim anima vicissim amabit te. Anima enim unius similis est animæ alterius in affectu, præsertim amoris vel odii. Quare si scire voles, utrum aliquis te amet nec ne, pertenta & explora animum tuum, ac vide quomodo erga illum sit affectus; si senties te erga illum amore affici, scito & illum te amore reciproco prosequi; sin tu illum odio habeas, & ille te odiet. Nam ut in aqua facies reflexa similis est faciei directæ intuentis; sic cor hominis cordi alterius respondet. Vnde Proverb. 29.17. dicitur, *Quomodo in aquis resplen-* C *dent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus*; Hebræi ex Hebræo vertunt, *sicut in ipsa aqua vultus vultui respondet, ita cor hominis cordi hominis respondet.*

COR BONI CONSILII STATUE TECUM: NON EST ENIM TIBI ALIUD PLURIS ILLO] VERS.17.
Est hypallage: *Cor boni consilii*, id est, bonum consilium cordis tui assume, illique innitere. Hoc enim tibi fidelissimum est. Est hic secundus consiliarius, q. d. Non tantum à viro sapiente & sancto, sed etiam à teipso, & à corde tuo, pete consilium. Cor enim in primis tibi ipsi fidelius dabit consilium, quàm quivis alius: deinde cor consilium tuæ indoli & affectui (hunc enim nemo meliùs cognoscit & sentit, quàm cor tuum) maximè congruum dabit, vel minùs congruum attemperabit: denique cor tuum pro te summè sollicitum, multa adinveniet sibi convenientia, quę alii numquam invenerint. Vnde Syrus vertit, *cor viri lætabitur in via sua plus quam in divitiis sæculi.*

D Aut propriè q. d. Statue in teipso cor quasi tribunal, imò oraculum boni consilii; ut cùm dubium, quid faciendum sit, occurrit, cor tuum, quid facto sit opus, consulas: ideoque in corde, quasi in tribunali causam undequaque diligenter & prudenter in omnem partem ventiles. Si enim hoc feceris, utique cor tuum tibi erit dictator optimi consilii: dictabit enim id quod summè tibi est conveniens, maximeque tibi utile, & in rem tuam. Ad hoc enim Deus dedit homini cor, id est rationem, mentem, & prudentiam, ut illam sequatur: juxta illud psalm. 4. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Ratio enim humana est quasi lux derivata à ratione æterna, quæ est in mente Dei. Idcircò enim creavit Deus hominem *ad imaginem & similitudinem* suam, Genes. 1. 26. ut scilicet haberet domesticum hoc oraculum, quod in dubiis omnibus consuleret & sequeretur. *Cor est oraculum boni consilii.*

Vnde Græca habent, *consilium cordis* στῆσον, id est, *statue*, vel stabili, & stabile fac (alii, *stabile sit*) *non enim est tibi fidelior eo*; Tigurina, *institue consilium in animo: nihil enim est illo tibi fidelius.* Siracidi consentit Ben Sira alphabet. 1. littera *schin*: *Sexaginta con-*

consiliarii si tibi fuerint , tamen consilium animæ tuæ non deseras. Ubi Scholiastes: *Qui negotium*, inquit, *aliquod aggreditur, licet multos habeat consiliarios quibus arcana sua revelet, numquam tamen spernat aut rejiciat consilium suum. Nam, ut ait Salomon: Cor novit amaritudinem animæ suæ: sed potius suam, tametsi placeat, appendat cum aliorum sententiis. Quæ si præponderet, sequatur, ceteras repudiet*. Nam stultum est adeò ab aliis pendere, ut nullum tuæ sententiæ locum relinquas. Prudenter Seneca: *Consilium tuum*, inquit, *sic apud alios sit, ut abs te auctoritatem accipiat: sic autem abs te auctoritatem accipiat, ne solus id probare videaris. Temeritas enim in assentiendo perniciosissima est*.

Efficacia consilii. Porrò, quàm in rebus conficiendis efficax sit consilium, quamque viribus & robore corporis præstet, pluribus exemplis docet Homerus Iliade Ψ.

Consilio sanè multo, inquit, *quam robore præstat*.
Hirsutam quicumque parat succidere silvam.
Consilio rursum nauclerus in æquore nigro
Dirigit undivagam navim raptantibus Austris.
Consilio auriga aurigam vincitque præitque.

Gnomæ de vi cōsilii. Quocirca Aristot. lib. 4. Polit. cap. 4. asserit consultores esse partem reipub. necessariam. Antonius in Melissa p. 1. ser. 10. 11. & 12. citat has de consilii vi sapientum gnomas. Isocratis: *Bonus consultor res est omnium utilissima & potentissima*. Diodori: *Consilium prudens multorum manus superat. Sapiens robusto præstat*. Choricii: *Sine bono consilio nihil efficit robur: prudentia vero quamvis robur non assumpserit, multa multoties excogitat. Prudens enim consultatio manuum multitudinem vincit: imperitia vero cum hominum turba deterior est. Sicut lupus licet unus non timet multas oves, sed omnes jugulat: sic & unus sapiens multos imprudentes non veretur, sed superat*. S. Basilii: *Robur cum prudentia juvatur, sine ea vero damno afficit possidentes*. S. Gregorii Nazianz. *Melior est consulta tarditas celeritate temeraria. Consilium, vitæ lucerna ubique præeat*. S. Chrysostomi: *In singulis rebus quid eas antecedat, quid sequatur animadverte: & sic eas aggredere*. Denique Salomon Proverb. 11. 14. *Ubi non est gubernator*, inquit, *corruet populus: salus autem, ubi multa consilia*. Et cap. 24. v. 3. & 5. *Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur. Vir sapiens fortis est: & vir doctus, robustus & validus*.

B

Tres regulæ electionis. Prima. Jam quia mens timidorum in propriis sibi diffidit & trepidat, oratione præmissa roboret se triplici hac norma & praxi. Prima, quid vir prudens in hoc casu judicaret faciendum? utique hoc & hoc. Illud ergo ipse capessam, mihique applicabo. Hac enim ratione non sequor meum, sed sapiens prudentis consilium. Hoc scrupulosis suggerendum, qui non audent suis scrupulis reniti, ut scilicet faciant intrepidè hoc, quod vir prudens speculativè judicaret tali casu faciendum.

Secunda. Secunda, si amicus meus meo loco & casu constitutus à me consilium posceret, quodnam ei darem? utique istud & istud. Idem ergo mihi dabo. Ita vice versa Livius Salinator insignis bellator asserebat, *neminem fidelius dare posse consilium, quam eum qui id alteri suaderet, quod ipse, si in eodem loco esset, facturus fuerit*; uti refert Livius lib. 7. decade 4.

Tertia. Tertia, quid in hora mortis, quid in die judicii, cum coram tribunali Christi rationem hujus operis redditurus sistar, hac in re me fecisse optabo? utique illud & illud. Idipsum ergo nunc eligam & peragam. Ita rationem Christo judici factorum meorum congruam dare potero, ac ab eo laudem lætamque felicitatis æternæ sententiam securus præstolabor. Denique quia nunc ignorantia, nunc amor proprius & cupiditas sæpè hominem excæcant: tutius est, quoad fieri potest, sincerum aliorum prudentum adhibere consilium: juxta illud Proverb. 3. 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Nam, ut ait Plutarch. in Moral. *Ut lamiæ domi cæcutientes, foris nihil non vident; ita quidam in alienis negotiis plus satis oculati, in suis parum prospiciunt*.

C

VERS. 18. *Anima sancti enuntiat vera: cur?* ANIMA VIRI SANCTI ENUNTIAT ALIQUANDO VERA, QUAM (id est plusquam) SEPTEM CIRCUMSPECTORES SEDENTES IN EXCELSO AD SPECULANDUM] Tò *sancti* jam non est in Græco, sed utique addendum est. Probat quod dixit v. præced. Unde Græca addunt γὰρ, id est *nam*, *enim*. Igitur sensus est, q.d. In dubiis præter consiliarios adi consilium cordis tui; siquidem sapiens & probum est, illudque consule. Nam anima viri sapientis & sancti enuntiat non rarò verum, præsertim practicum, quid scilicet agendum sit, meliùs, *quam septem*, id est, multi speculatores è specula videant & annuntient ea quæ circumcirca geruntur. Item mysticè, quàm multi doctores qui sedent in cathedris ut circumspiciant, id est speculentur, veritatem, eamque auditoribus enuntient. Hoc est (inquit Jansenius) nemo meliùs consulere (ut plurimum) potest, quàm quisque sibi ipsi, si modò Deum timeat. Hic explicat cor consilii, de quo v. præced. q. d. Dices, quomodo cor boni consilii nanciscar? Resp. Si animam sanctam habueris: hæc enim solet annuntiare vera, plusquam septem circumspectores, qui ex alto solent terram circumspicere & lustrare. Hunc esse sensum patet ex Græcis, quæ sic habent, *animus enim hominis plura quandoque renuntiare solet, quam septem speculatores sedentes in excelso specula*; Tigurina, *solet enim interdum plura monere suus cuiusque animus, quam septem in celsa specula sedentes excubitores*. Quamquam noster Interpres addens τὸ *sancti*, videtur respexisse ad id quod dixit v. 15. *Cum viro sancto assiduus esto*; quia scilicet anima sancta enuntiat vera, &c.

Respond. quia regitur à Deo. Causa est, quòd Deus animas sanctas peculiariter illustret, regat & dirigat. Imò Aristot. lib. 7. Moral. Eudem. c. 18. asserit principium motus in anima, esse Deum, *Itaque*, inquit, *horum, qui prudentes sapientesque sunt, celeris est vaticinatio & durabilis*: non quòd in anima, præsertim epileptici aut moribundi, sit fatidicum quid, sive vis divinandi arcana & futura, ut voluit Plato; sed quòd in ea sit solertia & vis sapienter consulendi & conjectandi. Si enim (quod a Philosophis dicitur) animalia bruta diriguntur ab intelligentia non errante, ut araneæ, hirundines, &c. quanto potiùs animæ sanctæ ab ea dirigentur? At, si dirigatur à Deo, num non magis verum videbit quàm septem speculatores? Jam solet dici, cor esse fidele, quòd videlicet homini soleat id quod expedit, consulere. Tu interim Nota, inquit Palacius, licet anima sancta soleat vera dicere, & cor soleat fideliter consilium præbere; at nihilominus vult Deus ultra sanctitatem adhiberi lectionem, experientiam & observationem, ut bene consulas. Nam ideò juvenes, quamvis boni, minùs idonei sunt dandis consiliis.

Maximè autem vult Deus inferiores consulere suos Superiores: hi enim quasi vicarii Dei eos illuminant & dirigunt, præsertim Religiosos, qui voto obedientiæ Superioribus se obstrinxerunt. Obedientia enim hanc directionem meretur, ut scilicet obediens, qui amore Dei Superiori se regendum tradit, ab eo, Deo dirigente, rectis consiliis & præceptis dirigatur ad salutem & vitam æternam.

Mysticè. Mysticè Rabanus. *Septem*, inquit, *circumspectores philosophi, liberalium artium (quæ in septenario numero ab ipsis comprehenduntur) sunt traditores; sed magis vera esse in omnibus claret Catholici viri modesta doctrina, quæ in divinis libris consistit, quam omnis philosophorum multiplex in disputando & in argumentando solertia. In hac enim paucis & puris sermonibus irreprehensibilis per omnia elucet veritas: in illa vero in exquisitarum rerum oberrans opinio garrula loquacitate, imo manifesta apparet falsitas. Sed quia omnis sapientia a Domino Deo est, nec illam quisquam sine eius munere habere potest; ideo subiungit dicens: Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam*.

D

Exemplū S. Francisci. Exemplum hujus sententiæ illustre fuit S. Franciscus, qui, ut ait Bonaventura in Vita ejus, quia Sanctus, ita illuminabatur à Deo, ut licet Theologiæ Scholasticæ esset expers, de Theologicis tamen quæstionibus difficilibus consultus, meliùs & diviniùs eas enodaret, quàm summi Theologi. Idem Christianis Damiatam obsidentibus, & conflictum cum Saracenis parantibus, eum prohibuit, ac, si confligerent, prædixit eorum stragem: quæ & illis, Francisco, utpote in speciem abjecto & pauperi, non credentibus, nec parentibus, accidit: nam tota in fugam versa fuit militia Christiana, ac sex millia cæsa vel capta. *In quo evidenter innotuit*, ait S. Bonavent. cap. 12. *quod spernenda non erat sapientia pauperis; cum anima viri justi ennuntiet aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum*. Similia de S. Antonio scribit S. Athanasius in

sius in ejus Vita, & de S. Hilarione S. Hieronymus, ac de aliis Sanctis similia narrantur in Vitis Patrum; adeò ut multi ex eis non tantùm sapienter conjectando, sed & verè divinando, ac futura prophetando, vera prænuntiarint, fuerintq; veri & propriè dicti vates & Prophetæ.

Origo prophetandi est unio cum Deo.

Cujus doni fons & origo fuit, quòd ipsi assiduè per diem & noctem in oratione cum Deo versabantur, ibi ejus secreta & gloriam pervidebant. Elevantes enim à cunctis terrenis mentem in cælum, terram pedibus premebant, ac mortalibus altiores, in Deo fixi, ejus arcana quasi secretarii audiebant, & verè cernebant. Hunc donum prophetiæ assequendi modum & viam assignat S. Basilius Proœmio in Isaiam. *Prophetarunt*, inquit, *puræ ac pellucidæ animæ, veluti specula facta divinæ operationis, quæ imaginem integram & inconfusam; nullaque ex parte turbatam carnis affectibus repræsentabant. Cùm enim anima omni virtutis studio dedita, vehementi in Deum amore perpetuam Dei memoriam sibi impressam servat, atque hac re primùm apparat sese, ut Deum habeat velut inhabitantem, ex vehementissima in Deum intentione & arcano amore, numine afflata, digna prophetiæ dono redditur, Deo divinam virtutem impertiente, animique oculos aperiente ad intelligendas quas velit speculationes.* Et S. Maximus cent. 1. de charit. c. 95. *Quemadmodum*, ait, *sol exoriens & mundum illuminans, cùm seipsum, tum res à se illuminatas demonstrat; ita quoque sol justitiæ purgato animo exoriens, & seipsum videndum exhibet, & rerum quæ à se factæ sunt, & deinceps fient, rationes demonstrat.* Hoc ergo illustre prophetiæ donum, uti puritate & oratione consecuti sunt prisci illi Ascetæ: ita illud vicissim eorumdem eximiæ sanctitatis & cum Deo conjunctionis fuit argumentum, eos scilicet fuisse viros eximios & divinos, imò Angelos terrestres, & homines cælestes. Nam, ut ait Tertullianus Apolog. c. 20. *Testimonium divinitatis, est veritas divinationis.* Quin & ipse Deus de sua divinitate cum idolis & idololatris, quasi in judicio forensi contendes Isaiæ 41. ut illam eis deroget, sibique arroget, non alia quàm hac demonstratione rem conficit, causamque suam peragit: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos.* q. d. Ego prænuntio futura, illaque uti prænuntiavis planè eveniunt: vos ò idola, imò dæmones, futura prænuntiatis quæ non eveniunt: ergo ego sum Deus verax & verus, vos estis dii mendaces & falsi; uti fuit Apollo Pythius, qui inde Loxias, ob obliqua & tortuosa responsa, est appellatus. Fuere itaque Ascetæ divini Dei auditores & interpretes, quia Deo familiares & arctissimè conjuncti. Verè enim S. Bernard. lib. de Inter. domo cap. 69. *Certum*, ait, *signum tibi sit quæcumque es anima, quòd dilectum tuum minùs diligis, vel ab illo minùs diligeris, si ad theoricos illos excessus nondum vocaris, vel vocantem nondum sequi merueris. Vis nosse, quia sublimitas divinarum revelationum, sit manifestum divinæ dilectionis indicium? Jam non dicam*, inquit, *vos servos, sed amicos: quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Satage ergo Deum tuum intimè & summè diligere, & omni hora in divinę contemplationis gaudium summo cum desiderio anhelare. Collige ò anima teipsam ad temetipsam, & in solo divinitatis desiderio requiesce.

Modus assequendi donum prophetię.

Hac enim ratione posterioribus à Christo sæculis multi Religiosi, Anachoretæ & Sancti spiritum propheticum adepti sunt. Audi Ruffinum oculatum testem Præfatione in Vitas Patrum libr. 2. *Vidimus*, ait, *apud eos multos Patres cælestem vitam in terra agentes, & novos quosdam Prophetas; tam virtutibus animi, quàm vaticinandi officio suscitatos; quibus ad testimonium meritorum, nec signorum quidem ac prodigiorum deerat efficacia. Tanta namque in eis est fides, quæ etiam montibus ut transferantur valeat imperare. Sunt ergo moribus ornati, quieti, lenes, tranquilli, & charitatis vinculo velut quadam germanitate constricti.* Hoc modo S. Benedictus, uti refert S. Gregor. libr. 2. Dialog. cap. 35. in oratione ita mente in Deum fuit elevatus, ut sub eo videret totum mundum, quasi parvum globum in radiis Solis collectum. Quærenti Petro, quomodo id fieri potuerit? respondet S. Gregor. causamque & modum assignat, dicens: *Quia videnti Deum angusta est omnis creatura*, & mens S. Benedicti in Deo dilatata, sub eo mundum quasi globum exiguum vidit: nimirum ex alta illa divinitatis specula à longè illa per ænigma prospexit quæ, jam proximè in eadem ad faciem intuetur. Ita prophetavit Henoch omnium nostrum parens, septimus ab Adamo; quia cum Deo ambulabat. Ita Moses factus est Propheta incomparabilis; quia in Sina cum Deo colloquebatur. Ita S. Martinus illustrem prophetiæ spiritum hausit ex alloquio Dei; quia jugiter cum eo versabatur, uti testatur Sulpitius in ejus Vita.

Exempla

ET IN HIS OMNIBUS DEPRECARE ALTISSIMUM, UT DIRIGAT IN VERITATE VIAM TUAM] Tertius hic est summusque consiliarius, aliorum omnium auctor & director, scilicet Deus. VERS. 19.

Tres hominis consiliarii.

Primus enim est vir sanctus, de quo v. 15. Secundus est, cor cujusq; sapientis & justi, de quo v. 17. Tertius hoc loco est Altissimus, qui idcirco invocandus est, ut & viro sancto, & cordi proprio consilia sana suggerat, eaq; dirigat in veritate careant in errore, imprudentia & vitio, utque sanctè executioni mandentur, & felicem sanctumque sortiantur effectum. Idcircò deprecabatur

B Christus Patrem in agonia, dicens: *Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, Matth. 26. 39. Ergo, inquit Palacius, velut obstringitur Deus ad præstandum quod petimus, si non voluntatem nostram, sed veritatem divinam petimus. Ita Tobias monet filium cap. 4. 20. *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Hinc Tigurina hoc loco vertit, *ceterum super his omnibus invoca Altissimum, ut instituta tua dirigat fideliter*; Græca Complut. habent, *& in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat veritas viam tuam veritas vitam*: tum increata, putà Deus; tum creata, & à Deo menti infusa, putà sapientia & prudentia. Alludit ad precem Davidis psal. 24. *Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es Deus salutaris meus, & te sustinui tota die.* Unde Syrus hoc loco vertit, *& cum omnibus his esto deprecans Dominum, ut ipse dirigat viam tuam in veritate coram hominibus, & coram omni re.*

A Deo incipe.

C Docet ergo Siracides actiones omnes, & præsertim consilia inchoanda esse à Deo. Ita Moses gubernans Israelem in dubiis omnibus, antequam ea resolveret, consulebat Dominum. Idem jussu Dei fecit Josue Mosis successor: & cùm id facere omisit, deceptus fuit à Gabaonitis, Josue 9. 14. Quocirca Isajas cap. 30. 2. Judæis fugientibus in Ægyptum Deo inconsulto, ignominiam, & exitium minatur. Hinc olim multis in locis apud Christianos senatores ituri in curiam, priùs sacrificio Missæ intererant; unde etiamnum sacella curiæ vicina vel annexa, ac beneficia onusque sacrificandi quotidie iis impositum, nonnullis in urbibus intuemur. Idem videre & fecere Gentiles. Unde Plinius initio Panegyrici: *Benè ac sapienter*, ait, *majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium, à precationibus caperetur, quod nihil ritè, nihilque providenter, homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.* Horat. lib. 3. ode 7. *Hinc* (à Deo scilicet) *omne principium: huc refer exitum.* Gellius lib. 14.

D c. 7. ex Varrone docet *immolare hostiam prius, auspicarique debuisse, qui senatum habiturus esset: de rebus quoque divinis priùs quàm humanis ad senatum referendum fuisse.* Et de Scipione lib. 26. Livius: *Jam inde ab initio præparans animo, ex quo togam virilem sumpsit, nullo die prius ullam publicam privatamque rem egit, quàm in Capitolium iret, ingressusque ædem consideret, & plerumq; tempus solus ibi tereret.* Omnia ista respicit l. 3. de Civit. c. 21. S. August. cùm dixit, *Scipionis, qui Romæ Italiæq; liberator, Hannibalis victor, Carthaginisq; domitor fuit, adolescentiam vitamq; describi deditam, templisq; nutritam.*

ANTE OMNIA OPERA VERBUM VERAX PRÆCEDAT TE, ET ANTE OMNEM ACTUM CONSILIUM STABILE] putà consilium non futile, sed firmum & solidum. Pro *verbum verax* Græcè tantùm est λόγον id est, sermo, verbum, vel ratio. Unde hic habent Græca, ἀρχὴ παντὸς ἔργου λόγος, καὶ πρὸ πάσης πράξεως βουλή: *principium omnis operis verbum, & ante omnem actum consilium.* Iam Primò, Lyranus per *verax verbum* intelligit veracitatem & fidelitatem in promissis & responsis: *& ante omnem actum præcedat te consilium stabile*, scilicet sapientum & S. Scripturæ. Secundo, Vatabl. vertit *summa* (ἀρχὴ enim & principium, & pręcipuum summumque signi- VERS. 20.

significat) *omnis operis sermo est*, vel *esto* sermo, id est, *verbum verax*: quod Palacius sic apposité exponit, q. d. Antequam negotio manum adhibeas, cura ut aliquod proverbium verax, aliquam sententiam probatam, aliquod consilium experimento comprobatum præ oculis habeas, quod in negotio sequare. En tibi ratio capiendi consilium; Primo, ab amico & viro sancto; Secundò, à corde tuo; Tertiò, à Deo; Quartò, à verbo aliquo veraci. Sic Christus Math. 4. à dæmone tentatus nihil omnino aggreditur, nisi præmisso verbo veraci & consilio firmo; dicebat enim: *Non in solo pane vivit homo*, &: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. & demum: *Dominum Deum tuum adorabis*. Ita & tu nihil aggredere, nisi ex similium sententiarum præcepto. In quam rem mirè conducunt hi libri Sapientiales; proverbia item philosophorum & majorum.

Tertiò, Tigurina vertit, *initium operis sit ratio, & consilium præcedat omne negotium*. Sic & Rabanus & Jansenius per *verbum*, tum vocale, tum mentale, quod est ratio, intelligunt. ut idem hic dicatur cum eo quod dixit cap. 32. *Fili sine consilio nihil fac*. *Verbum verax* enim est consilium rectum, & judicium practicum prudentiæ, sive prudens. Sensus ergo est: Ante omnia opera tua & omnem actum præcedat te verbum verax, quo certis rationibus discas, sive in te ipso, sive ex aliorum consilio facti tui rationem. Idem vocat *consilium stabile*, quod scilicet firmis nititur rationibus, & stabili animo sit exequendum. Non enim omne verbum & consilium sequendum, sed quod veritate fulcitur & firmis rationibus.

Gnome S. Thomæ Aquin. Conformis huic sententiæ fuit gnome Sanct. Thomæ Aquinatis, qui moribundus rogatus à monachis Cisterciensibus Fossæ novæ, *quomodo hac vita sine errore & lapsu transigi posset?* respondit: *Si in qualibet actione quis ita agat, ut rationem reddere possit cur eam faciat: sic enim non sinet se transversum agi à cupiditate, passione, casu, aliave re, quæ eum in errorem inducat*. Hanc rationem actionum singularum, eamque exactam ab unoquoque Christus exiget in terribili illo & decretorio ultimi judicii die.

Vers. 21. VERBUM NEQUAM IMMUTABIT COR: EX QUO QUATUOR PARTES ORIUNTUR, BONUM ET MALUM, VITA ET MORS: ET DOMINATRIX ILLORUM EST ASSIDUA LINGUA] Syrus paulò aliter: *Dominus*, inquit, *creavit omnia, bonum & malum, vitam & mortem: & qui dominus est linguæ suæ, liberabitur à malo*. Pro *verbum nequam immutabit cor*, Græca prorsus alia habent, ac mirè inter se evariant, ut corrupta esse non sit dubium. Nam complut. habent, *vestigium mutationis* χαρᾶς, id est, *gaudii*, *vultus*. q. d. Signum quòd cor mutatum sit à gaudio in mœrorem, vel vice versa à mœrore in gaudium, apparet in vultu: vultus enim hilaris & gaudens, index est animi hilaris & gaudentis: vultus verò tristis & tetricus, index est animi tristis & tetrici. Græca verò Romæ emendata habent dumtaxat, *Vestigium mutationis cordis*. ubi planum est desiderari nomen *vultus*, aut aliud simile quod sit *vestigium mutationis cordis*. Tigurina cum Romanis pro χαρᾶς legens [illegible], id est, *cordis*, sic habet, *indicium mutationis cordis est vultus*: nam ira, amor, odium, tristitia, gaudium, ceterique affectus cordis & animi, eorumque mutationes & vicissitudines maximè cernuntur in oculis & vultu. Unde illud S. Bernardi de Modo bene vivendi ad sororem cap. 65. *Facies hominis speculum est cordis*. Quocirca uti constantiùs, ita aptiùs certiusque legunt Latini codices omnes Vulgatæ, *verbum nequam immutabit cor*. *verbum nequam* vocat consilium pravum verbo prolatum, quod cor audientis & consilium petentis immutat, id est, depravat & ex bono in malum convertit. Hoc enim opponit verbo veraci & consilio stabili, quod ante opus præ oculis habendum esse monuit vers. præcedenti. Porrò quantum hoc sit malum, quantaque cordis sit habenda cura, ne verbo nequam depravetur ostendit, dum subjicit: *Ex quo* (corde) *quatuor partes oriuntur, bonum & malum, vita & mors*. q. d. Custodi cor, ut non audiat, nec excipiat nisi verbum verax & consilium stabile: quia ex eo quasi ex bono semine producet bona virtutum opera, quæ pariant ei præmium vitæ felicis, præsentis & æternæ: si enim audierit & exceperit verbum nequam, & consilium pravum, ex eo quasi ex malo semine producet malorum operum fructus, qui ei pœnam creabunt, scilicet mortem præsentem & æternam. Alludit ad Proverb. 4. 23. *Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Remove à te os pravum, & detrahentia labia sint procul à te*. Unde & subdit Siracides: *Et dominatrix illorum est assidua lingua*. τὸ *assidua* cohæret cum τῷ *dominatrix*, non cum *lingua*; (licèt id velit Hugo: *Assidua dicit*, inquit, *quia lingua semper declinat in illam partem, cui fuerit assueta*) ut patet ex Græcis, quæ habent, *dominatrix horum* ἐνδελεχῶς, id est, *assiduè*, continenter & perpetuò, *est lingua*. Tigurina, *& quatuor existunt genera, bonum & malum, vita & mors, quorum lingua assidua gubernatrix est*. Lingua enim docens consulensque bona bonos affectus instillat cordi audientis, ex quibus bona opera producit, quæ ei pariunt vitam gratiæ & gloriæ: lingua verò docens consulensque mala, malos affectus ingenerat cordi audientis, ex quibus ille parit mala opera, quæ ei creant mortem peccati & gehennæ. Vide ergo ut verbum nequam immutet cor. Cùm enim ex corde oriantur hæc quatuor, scilicet bonum & malum, vita & mors, sicut ex paradiso oriebantur quatuor flumina; cumque lingua regat cor; sequitur ex lingua quasi ex primo fonte oriri hæc quatuor, scilicet bonum & malum, vitam & mortem, adeoque linguam horum quatuor esse gubernatricem & dominatricem. Adeò orationi ratio, ori cor est conjunctum. Unde concludendum relinquit: Cave ergo ne verbum nequam haurias, multo miniùs illud aliis ingeras & instilles: quia hujus effectus erit actio nequam, præmium verò erit mors: stude verò ut verbum bonum haurias, illudque aliis enunties & instilles; quia ejus effectus, & quasi proles erit actio bona; præmium verò erit vita, tum tua, tum tuorum, quibus verbum bonum instillasti.

Nota actus boni & mali oriuntur ex corde physicè & effectivè; vita verò & mors ex eodem oriuntur ethicè sive meritoriè. Cor ergo sicut in homine est primum vivens, & ultimum moriens: sic pariter idem est fons, origo & causa omnium actionum vitalium, tum naturalium, tum moralium, tum supernaturalium. Per *cor* intellige animum. Huc facit illud Proverb. 18. 21. *Mors & vita in manu linguæ, qui diligunt eam comedent fructus ejus*. Et illud Græcorum adagium, quod refertur à Suida & Zenodoto: *Lingua quò pergis? Erectum civitatem, eamdem denuo eversura*. Hinc Bias Amasidi Ægyptiorum regi jubenti, ut sibi quod in victima, quam ad illum miserat, erat optimum & pessimum, remitteret, linguam rescissam remisit, innuens linguam esse causam omnis boni æquè ac mali. ita Plutarch. tract. de Loquacitate.

EST VIR ASTUTUS (græcè, [illegible], id est callidus, vafer) MULTORUM ERUDITOR, ET ANIMÆ SUÆ INUTILIS EST] Hic versus legitur in Romanis & Græcis, sed desideratur in Jansenio, Lyrano, aliisque passim. Sensus est, q. d. Astutus, qui alios docet benè agere, cùm ipse malè agat, hic aliis utilis, sibi inutilis, ideoque insipiens est: non enim sapit, qui sibi non sapit. Tigurina, *est qui prudens multos erudiat, qui idem animæ suæ sit inutilis*. Hic aliis est bonus, sibi ipsi nequam. Nam vera scientia & prudentia non in speculatione & doctrina, sed in praxi & operatione consistit. Et ut ajebat S. Franciscus, *tantum habet homo de scientia, quantum operatur: & religionis tantum est bonus orator, quantum operator*, uti refert Wadingus in Annal. Minor. anno Christi 1220. num. 25. Porrò Syrus pro versu jam explicato hunc habet, *omnis qui sapere sibi videtur, ipsemet stultus est*.

VIR PERITUS MULTOS ERUDIVIT, ET ANIMÆ SUÆ SUAVIS EST] Est antithesis versus præcedentis. Nam opponit *peritum*, id est sapientem, expertum & prudentem astuto: quòd astutus alios erudiat, non seipsum; vnde aliis utilis, sibi inutilis est: peritus verò & sapiens alios ita erudit, docetque bene agere, ut simul seipsum doceat & dirigat, æquè ac recreet, pascat & oblectet sua sapientia: quare aliis utilis, sibi verò & utilis & suavis est. Delectat enim eum quòd sapiat, quodque alios sapientes & sanctos efficiat. Vers. 22.

Nota. Siracides vers. 15. & 16. & sequ. duas in consiliario conditiones & dotes requisivit; Primò, ut sit vir san-

anctus; Secundò, ut cum eo cui consulit, habeat sympathiam: hìc Tertiò requirit, ut quod ore consulit, opere demonstret. Homines enim magis credunt operi quam ori; & quia si secùs faciat, aliis consulit, sibi non consulit: quare aliis consiliarius est, sibi non est, quod præposterum est magnæque imprudentiæ. Subdit quartum. ut non sit sophista. Unde ait:

VERS. 23. QUI SOPHISTICE LOQUITUR, ODIBILIS EST: IN OMNI RE (Complut. habent, *omni sapientia*; Romana, *omni alimento*) DEFRAUDABITUR.

VERS. 24. NON EST ILLI DATA A DOMINO GRATIA: OMNI ENIM SAPIENTIA DEFRAUDATUS EST] Ita Romana. sic quoque hæc verba citat S. August. libr. 2. de Doctr. Christian. cap. 31. Pro *qui sophisticè loquitur*, græcè est ὁ σοφιζόμενος ἐν λόγοις, quod Complut. vertunt, *sophisticans in sermonibus*; Romana verò, *qui sapientiam ostentat in sermonibus*, uti solent Sophistæ. Tigurina, *est qui verbis agens sapientem sit odiosus, qui idem omni sapientia careat*; Syrus, *est enim qui sapiens est, & in discursibus suis odio habetur: ab omni honore impedit seipsum. Est enim sapiens qui semper est sapiens.*

Porrò S. August. loco jam citato requirens in studioso sacrarum Literarum, ut sit Dialecticus, non sophista: *Tantùm*, inquit, *ibi cavenda est libido rixandi & puerilis quadam ostentatio decipiendi adversarium. Sunt enim multa quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, & plerumque ita veras imitantes, ut non solùm tardos, sed ingeniosos etiam minùs attentos decipiant. Proposuit enim quidam dicens ei* (Diogeni Cynico) *cum quo loquebatur: Quod ego sum, tu non es. At ille consensit. Verum enim erat ex parte, vel eo ipso quod iste insidiosus, ille simplex erat. Tunc iste addidit. Ego autē homo sum. Hoc quoq; cùm ab illo accepisset, cōcludit dicens: Tu igitur non es homo. Quod genus captiosarum conclusionum Script. quantum existimo, detestatur illo loco, ubi dictum est: Qui sophisticè loquitur, odibilis est. Quamquam etiam sermo non captiosus, sed tamen abundantius, quàm gravitatem decet, verborū ornamenta consectans, sophisticus dicatur.* Hucusque S. August.

Sophisma recitatū à S. August.

Cornuti syllogismi qui?

Ad sophisticam pertinent cornutæ argumentationes & syllogismi, qualis est ille Chrysippi apud Senecam epist. 49. *Quod non perdidisti, habes: cornua autem non perdidisti: cornua ergo habes.* Et captiones inextricabiles, quales sunt illæ crocodili, quem ajunt raptam à se puellam devorare cupientem, ea lege matri se promisisse redditurum, si mulier verum diceret, quidquid ipse de reddenda puella constituisset: ἄπορος omnino captio. Nam si mulier respondisset, *Reddes*, quia reddere ipse non statuisset, vera non dixisset: contrà si dixisset, illa, *Non reddes*, reddere non debuit, alioquin vera non fuisset responsio: quidquid igitur illa diceret, crocodilus non fuisset redditurus. Quintilianus libr. 1. cap. 10. hoc genus ambiguitates Crocodilinas vocavit: nominari etiam [illegible] quidam monent. Simile est illud Protagoræ de quo Agellius libr. 4. Noct. Attic. cap. 10. Paria scribit de Corace; qui mercedem ab adolescente repetebat, Sextus Empiricus adversus Mathematicos. Talibus utitur dæmon, qui Evam omnesque homines suis sophismatibus decipere & capere satagit. Unde S. Gregor. Nazianz. orat. 14. dæmonem vocat *Sophistam struendæ malitiæ primarium.* Et S. Basil. homil. 22. *Primum & maximum & invisum humanæ sapientiæ sophistam.* Et Rupert. libr. 3. in Genes. *Odibilium sophistarum maximum.*

Exēpla.

Huic simile, inquit Lactantius lib. 6. de Falsa sapientia cap. 6. *est illud quod incholis proponi solet in asystati generis exemplum, somniasse quemdam ne somniis crederet. Si enim crediderit, tum sequitur, ut credendum non sit. Ita si nihil sciri potest, necesse est idipsum sciri, quod nihil sciatur. Si autem scitur, posse nihil sciri, falsum est ergo quod dicitur, nihil sciri posse. Sic inducitur dogma sibi ipsi repugnans, seq; dissolvens.* Hi sunt nodi Gordii captiosi & quasi insolubiles. Simile est illud apud Ciceron. lib. Academ. *Si dicis, te mentiri, verumq; dicis, mentiris: dicis autem te mentiri, verumque dicis: mentiris igitur.* At qua ratione potes mentiendo verum dicere, sive mentiri & simul verum dicere? Huc pertinet illud Davidis psal. 115. *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax. Cui responderi potest*, (inquit S. Gregor. libr. 22. Moral. cap. 10. ex mente Sophistarum) *Si omnis, ergo & tu; Falsaq; jam erit sententia, quam mendax ipse protulisti. Si verò ipse non es mendax, vera jam sententia non erit: quia dum tu verax, non omnis homo cognoscitur mendax.* Et de Cretensibus loquens D. Paul. ita scribit Tit. 1. *Dixit quidam ex illis proprius ipsorum Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri, testimonium hoc verum est.* Atqui hic Propheta fuit Epimenides, poeta Cretensis: ergo & ipse fuit mendax. Si mendax, quomodo testimonium ejus verum est? Plura recenset Scotus & Dialectici tract. de Insolubilibus. Illa tamen ex S. Script. solubilia sunt, uti ea suis locis resolvi.

Discrimē sophistæ & sophi. Primum.

Sophistæ ergo à sophis, id est sapientibus, distinguuntur: Primò, quòd sophistæ suam ostentent sapientiam, ut habeantur sophi: sapientes verò modestè suam sapientiam celent, vel ubi opus est proferant. Unde sophiste à Plinio vocantur Sophocles, ἀπὸ τοῦ σοφοὺς καλεῖσθαι, quòd sapientes vocari velint, cùm revera non sint. Esto Sophocles Poeta dictus sit, quasi σοφῶν κλέος, id est sapientum decus & gloria. Secundò, sophistæ sapientiæ suæ, utpote modicæ & minus solidæ, lenocinia orationis adhibent, eamque fucant pompa verborum & phalerata eloquentia; unde Protagoras, Libanius similesque oratores, vocati sunt Sophistæ, quia eorum sapientia non erat realis, sed *sapientia verbi*, ut ait Paulus, 1. Corinth. 1. 17. Sapientes verò candido, puro & simplici sermone suæ mentis conceptus, suamque sapientiam enuntiant. Tertiò & propriè, sophistæ captiosis, ambiguis, implexis & fallacibus verbis & ratiociniis illaqueant & decipiunt auditores, eosque capere, & in errorem inducere conantur: sapientes verò per rationes demonstrativas vel probabiles, puram veritatem indagant, suisque discipulis proponunt. Porrò sophistæ multi erant è philosophis & oratoribus tempore Siracidis, quos hìc ipse quasi sui æmulos perstringit. Simili modo Sanct. Paulus perstringit sui ævi sophistas, Apostolorum æmulos, ut Apollonium Tyaneum, Epictetum, Dionem, Damum, Musonium ceterosque qui fideles à Christo & Apostolis ad se ostentatione sapientiæ, præsertim Ethices prætextu, & promissione vitæ honestæ & beatæ, traducere conabantur, uti dixi 1. Cor. 1. 20. Quin & *Socrates*, ait Plato in Euthydemo, *cum duobus fratribus sophistis &, ut illi sunt, contumeliosis disputans, quasi cum duobus monstris unus congressus, cùm illi probro obiiceret Dionysodorus, quòd fugeret, neque ad interrogata responderet, respondit: Non injuria fugio. Nam cùm alterutri sim impar, cur non fugiam ambos? Equidem Hercule multò sum imbecillior, qui tamen pugnare pariter non voluit & adversus hydram sophistriam, cui propter sapientiam pro uno sermonis capite amputato multa repullulabant, & adversus cancrum sophistam quemdam è mari profectum.* Mordaci videlicet allegoria Socrates è fratribus sophistis alterum hydram, alterum cancrum nominat, se verò Herculem. Atque hinc proverbium: *Ne Hercules quidem contra duos.* Idem Socrates Euclidi contentiosarum quæstionum admodum studioso: *Sophistis*, inquit, *ò Euclides, uti poteris, hominibus uti non poteris*; perinde ac si sophistæ vulpes vel simiæ essent, non homines.

Secundò.

Tertiò.

Sensus ergo est, q. d. Consiliarius, doctor vel quilibet alius qui *sophisticè*, id est captiosè, ambiguè, insidiosè, deceptoriè *loquitur*, hic *odibilis est* Deo, angelis & hominibus, quibus chara est veritas, simplicitas, fidelitas; ac proinde ab iis explosus *omni re*, id est omni honore & lucro, adeoque alimento, ut habent Græca Roman. quod per sophisticem suam quæsivit, *defraudabitur*. Impostor enim & sophista, cùm agnoscitur ejus fraus, hypocrisis & deceptio, pro honore ignominiam, pro lucro sibilum reportat. *Non est* enim *illi data à Domino gratia*, id est, non est datum ei à Deo gratiam inveniat in oculis hominum, eisque sit gratus & gratiosus: quia *omni vera sapientia defraudatus*, id est, privatus expersque est. Significat sophistas, licèt initio ostentādo suam sapientiam & eloquentiam, hominum gratiam sibi concilient; mox tamen ubi eorum sophismata & sophisticæ fraudes reteguntur, eam deperdere, ac pro gratia odium omnium incurrere: cùm ex adverso sapientes initio, utpote minùs cogniti, parvi fiant; at ubi eorum sapientia perspicitur, magni ab omnibus habentur: ac, sicut sapientia, sic & honor eorum solidus & perennis est. Sunt enim instar piperis, quod quo magis teritur, eo majorem calorem, odorem & ignem exhalat.

Sapiēs est piper.

Mora-

Moraliter hic disce, doctori & consiliario duo esse necessaria, ut honoratus & locuples evadat, scilicet veram sapientiam & Dei gratiam; atque sapientiam conciliare sibi Dei gratiam. Deus enim sapientes provehit ad honores & opes.

Denique maximè sophistę sunt hæretici, qui per sophisticas cavillationes fidem evertere, & fideles decipere ac pervertere satagunt: unde ipsi omni Dei gratia ac sapientia privati sunt, ideoque odibiles Deo, angelis & hominibus. ita Rabanus.

EST SAPIENS, ANIMÆ SUÆ SAPIENS: ET
Vers. 25. FRUCTUS SENSUS ILLIUS LAUDABILIS] Sophistæ opponit sophum, id est, verè sapientem, q. d. Sophista non est, sed videtur imperitis sapiens: at sophus non tantùm videtur, sed revera est sapiens: quia ante omnia animę suæ consulit, sibique sapit, dum animam suam vera sapientia & virtute implet et adornat, deinde sapientiam suam aliis communicat: quare fructus sensus, id est mentis et intelligentiæ ipsius, est *fideles* ut habent Rom. id est sincerus, firmus et solidus; quia mentem pascit veritate & virtute, ideoque gratus et laudabilis est hominibus, æquè ac Deo et angelis. Unde Græca Complut. habent, *est sapiens propriæ animæ, & fructus intellectus ejus in ore* (dum loquendo eam aliis communicat) *laudabiles*; Tigurin. *est qui animæ suæ sapiat; cujus in ore laudabiles sunt fructus prudentiæ*: legit cum Nostro et Complut. ἐπαινετοί, id est, *laudabiles*, pro quo Romani legunt πιστοί, id est, *fideles*: alii, *est sapiens animo proprio, ejusque intelligentiæ fructus in ore laudabiles sunt. Quoniam*, inquit Rabanus, *ea quæ Deo sunt placita mente tractat, lingua profert, & utili operatione exercet*, Syrus, *fructus sapientum animabus eorum, & est sapiens qui animæ suæ* (vel sibi ipsi) *est sapiens, &*
Vers. 26. *fructus operum eius ex aspectu faciei eius*.

VIR SAPIENS PLEBEM SUAM ERUDIT, ET FRUCTUS ILLIUS FIDELES SUNT] Est hæc secunda antithesis sophistę et sophi, sive sapientis: sophista enim uti animam suam, sic et populum decipit et deludit; at verò sapiens non tantum animæ suæ, id est sibiipsi, sapit; sed et plebem, vel sibi concreditam, vel in qua degit et habitat, erudit docetque verbo et exemplo, ut honeste, justè et piè vivat: et *fructus sensus*, græcè πιστοί, id est intelligentiæ et doctrinæ ipsius, non sunt labiles, ut statim evanescant instar doctrinæ sophistarum; sed *sunt fideles*, id est, firmi et stabiles, quia veritas stabilis est, ideoque stabiles parit proles et fructus. inde Hebræi dicunt, אמת emeth, id est, *veritatem stabiles habere pedes, iisque stabilem consistere*. Tigurina, *vir sapiens credit populum suum, & fructus intelligentiæ ipsius stabiles sunt*, alii, *certi sunt*. Aliter Lyran. *Fide*, inquit; id est, *fide digni sunt: tum, quia a veritate prima procedunt: tum, quia ad ipsam finaliter dirigunt*. Et Palacius: *Fideles*, inquit, *id est, nullo errore vel mal[i]t[i]a maculati*.

VIR SAPIENS IMPLEBITUR BENEDICTIO-
Vers. 27. NIBUS, ET VIDENTES ILLUM LAUDABUNT] Est hæc tertia antithesis sophistæ et sophi, id est sapientis: nimirum, sophistæ omnes maledicunt, omnesque eum execrantur; at sapienti omnes benedicunt, omnesque eum laudant et celebrant, ac, ut Græca habent, μακαριοῦσιν, id est, beatum prædicant. Vnde Complut. *vir sapiens implebitur benedictione, & beatum dicent omnes eum videntes*. Posset quoque benedictio sumi pro beneficentia, omnique bonorum cumulo. Vnde Tigurina vertit, *vir sapiens felicitate cumulabitur, & beatum prædicabunt omnes qui eum viderint*; et Dionys. *vir sapiens implebitur benedictionibus, id est*, inquit, *bonis & profectibus gratiarum, virtutum, donorum, fructuum & beatitudinem, in quibus omnibus crescit atque perficitur, bene utendo sapientia sua, videlicet divina contemplando, & proximos instruendo*. Et Hugo, *Benedictionibus*, inquit *tum dextera, tum sinistra*: dexteræ in futuro, quando ei dicetur cum aliis: *Venite benedicti Patris mei*, etc. sinistræ in præsenti vita, putà gratia Dei, et laude hominum. Vnde et Syrus vertit, *qui sapiens est animæ suæ saturabitur deliciis, & laudabunt eum omnes videntes eum*.

VITA VIRI IN NUMERO DIERUM: DIES AU-
Vers. 28. TEM ISRAEL INNUMERABILES SUNT] *Viri*, id est, cuiusque hominis: Hebr. enim *isch*, id est *vir*, idem est, quod *quilibet*. *In numero*, scilicet definito, A certo et pauco. *In numero dierum*, ergo idem est, quod definitorum & paucorum dierum sunt. Est hypallage: *vita viri est in numero dierum*, hoc est, vita viri est in diebus numeri, id est, in diebus numeratis & pauci Hebræi enim *ieme mispar*, id est, *dies numeri*, vocant paucos & facilè numerabiles. Sensus ergo est, q. d. Vita cujusq; hominis numerata & definita est, certisque & paucis diebus à natura & à Deo circumscripta, juxta illud psalm. 89. 10. *Dies anorum nostrorum septuaginta anni, si autem in potentatibus, octoginta*. At verò dies Israel sunt indefiniti & innumeri. Tigur. *vita cujusque constat numero dierum, sed Israelitarum dies sunt innumeri*.

Quæres, quisnam sit hic Israel? Certum est per Israel hic non accipi Jacobum patriarcham, qui luctans cum angelo eumque vincens, ab eodem cognominatus est *Israel*, id est, dominans Deo, id est, angelo, qui Deum repræsentabat, Genes. 32. 28. Nam Jacobi dies fuere *parvi*, id est pauci, & *mali*, id est ærumnosi, ut ipse ait Gen. 47. 9. Jacob enim vixit dumtaxat 147. annis Gens. 47. 28. Dies Israel innumeri: *quo sensu*.

Primò igitur, propriè per *Israel* accipias populum Israel, prognatum ex Jacob; qui alio nomine dictus est Israel, ut sensus sit, q. d. Vir quisque paucos vivit vitæ dies, at sapiens dies vivit innumeros: licèt enim corpore moriatur, fama tamen ejus perpetuò vivet apud populum Israel, id est, fidelem: populus enim perpetuò durat; esto hic vel ille homo in populo moriatur. Nominat populum Israel præ ceteris quia ille solus ęvo Siracidis habebat veram sapientiam, id est, fidem cultum & religionem Dei, juxta illud Mosis Deuter. 4. 6. *Hæc est vestra sapientia & intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc* (legis Dei) *dicant: En populus sapiens & intelligens*. Ita Dionys. Palacius & Lyran. *Dies*, inquit, *populi Israel sunt innumerabiles, id est diuturni: licèt enim personæ singulares moriantur & nascantur sibi succedentes, remanet tamen unitas populi. Sicut in fluvio aquæ sunt in continuo fluxu; remanet tamen identitas fluvii: laus verò sapientis non solum durat suo tempore, sed transit ad posteros: propter quod est diuturna, & maximè in populo suo, qui magis novit opera ejus; ideò subditur: Sapiens in populo hereditabit honorem*. *Resp. 1.*

C Secundò, Jansenius & Hugo per *Israel* accipiunt Israelitam, id est quemlibet sapientem, hoc est fidelem & sanctum, q. d. *Dies Israelis*, hoc est, Israelitæ, sunt innumerabiles: quia infiniti & in perpetuum durantes, hoc est, Israelitæ propter sapientiam suam, & veram Dei cognitionem, qua præ aliis donati sunt, vivent in æternum, non solùm apud homines per nominis memoriam, sed etiam apud Deum per gloriam æternam. Unde Syrus vertit, *sapiens populi hereditabit gloriam, & nomen ejus permanet in vitam æternam*. Huic convenit illud Ecclesiastæ 7. 13. *Hoc plus habet eruditio & sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo*. Sic quilibet sanctus vocatur *Israel* ab Apostolo Galat. 6. 16. *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei*. Vide quæ de Israele dixi ibidem, & Gen. 32. 28. & c. 35. 10. *Secundò.*

Alludit ad Jacob patriarcham, qui ut Jacob paucos vixit dies & annos; sed factus dictusq; Israel, vivit tum personaliter in cælo vitam æternam; tum in posteris, D putà in populo Israel per multa sæcula. Jacob ergo, id est, luctator & supplantator vitiorum modico tempore, meruit fieri Israel, id est, *dominans Deo*, vel, ut S. August. & alii, *vir videns Deum*, in æternum, q. d. ait Hugo, *dies Jacob luctantis terminum habent, sed dies Israel contemplantis facie ad faciem interminabiles erunt*.

Allegor. Israel est Ecclesia, sive cœtus fidelium, & populus Dei, qui etiam in hoc mundo durabit usque ad consummationem sæculi: ut hac jam sententia comprobetur, inquit Jansenius, id quod dixit, fructum sapientię esse stabilem & firmum. Propter Dei enim verbum, quod loquitur, perpetua futura est ejus Ecclesia. *Allegor.*

Anagogicè, *Israel* est beatus: hic enim vivit in cælo dies innumeros, scilicet felices & æternos. Ita Rabanus *Quid est*, inquit, *quod vitam viri in numero dierum comprehensam dicens, addidit, dies Israel esse innumerabiles, nisi quod Sanctorum vitam in cælesti beatitudine ostendit esse æternam & infinitam? Quod autem vita præsens hominum certo numero in præsentia Dei & dispositione constituta sit, ostendit Job, dicens cap. 14. Breves dies hominis sunt: numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos* *Anagog.*

minos ejusque quos praterire non poterit. At verò Israel dies, hoc est sancti viri, qui recta fide & bonis operibus in hac præsenti vita Dominum semper coluit post finem præsentis laboris, pura mente serenum Dei vultum in cælesti regno perpetualiter contemplatur, Cujus boni sicut nulla est labes; ita & gaudii nullus est finis. Huc facit proverbium Arabicum centur. 2, 11, 42. *Mundus transit tamquam scriptura delebilis, sapientia stabilis est ut sculptura.*

SAPIENS IN POPULO (Israel, id est fideli, ut dixit v. præcedenti) HEREDITABIT HONOREM; græcè δόξαν, id est, gloriam; Romana legunt πίστιν id est, fidem; ut scilicet omnes ei quasi cælesti oraculo fidem habebant: ET NOMEN ILLIUS ERIT VIVENS IN ÆTERNUM] Dat causam cur dixerit: *dies autem Israel innumerabiles sunt:* quia scilicet sapiens in populo Israel, utpote perpetuo, obtinebit honorem perpetuum, ac *nomen*, id est, memoriam, famam & gloriam perennantem in æternum. Sic Salomon celebrans suum sapientiæ studium Sapient. 8. *Habebo*, inquit, *propter sapientiam claritatem ad turbam, & honorem apud seniores in Ecclesia*, tam cælesti quàm terrestri, tam triumphante quàm militante, juxta illud cap. 44. 14. *Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem.* Et illud Proverb. 10. *Memoria justi cum laudibus, & nomen impiorum putrescet.* Huc facit proverbium Arabicum centuria 2. num. 21. *Disce scientiam, o puer, ut sis imperator, & ne sis ignarus, ut fias despicabilis.* Et num. 22. *Scientia diadema est puero, & intellectus torques aureus.* Hinc & doctores cùm creantur, pileo, quasi diademate coronantur, & torque aureo cinguntur. Et num. 25. *Non est gloriatio in opibus & stemmate, sed gloriatio in scientia, & eruditione.* Et num. 29. *Acquire tibi aurum in mensura, et scientiam sine mensura.* Et n. 34. *Scientia est lumen alterum, habetque oculos lucidos.*

Anagog. Hugo: Nomen sapientis, id est, justi, inquit, vivet in perpetuum; quia scriptum est in libro vitæ, juxta illud Christi: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis,* Lucæ 10.

Vers. 30. FILI IN VITA TUA TENTA ANIMAM TUAM ET SI FUERIT NEQUAM, NON DES ILLI POTESTATEM] Hæc pertinent ad vers. 24. *Est sapiens animæ suæ sapiens.* Idipsum enim hic explicat, docetq; potissimùm sapientiæ veræ & practicæ officium in eo consistere, ut sapiens animam suam purget à vitiis & concupiscentiis, eique virtutes quaslibet inserat. Ait ergo: Fili in vita hac hoc potissimum age, nimirum *tenta*, id est, scrutare & explora affectiones & desideria animæ tuæ, & si videris ea esse *nequam*, id est, propensa ad malum *non des illis potestatem*, nec laxes eis habenas sequendi & exequendi malum, sive nequitiam in quam propendent; sed ea coerce & refræna, non tantùm ab illicitis, sed etiam à licitis, quæ occasionem dant & viam sternunt ad illicita. Facilis enim lapsus est cupidi à licitis valdè concupitis ad illicita; v. g. qui amat vinum facilè labitur, si non in ebrietatem, certè in nimium ejus potum. Habeto ergo exploratos omnes animæ tuæ sinus ut scias in quæ vitia propendeat, ac ab illis eam ira refræna, ut planè in contrarium eam divertas & cogas: v. g. si videris eam propensam in superbiam, totis viribus flecte eam ad humilitatem, eamq; occupa cogitationibus & officiis vilibus & humilibus; si videris eam propensã in avaritiam, flecte eam ad liberalitatem; si ad gulam, flecte eam ad abstinentiam & jejunium; si ad iram, flecte eã ad mansuetudinem. Sic enim arbor curva in contrariam prorsus partem flectenda est, ut evadat recta. ita Raban. Lyran. Palac. & alii. *Præcipit sapientia*, inquit Rabanus, *homini, ut cautè servet vitam suam, ne fortè per incuriam in variis desideriis diffluat, & in peccati mortem decidat: ideò dicit ut tentet animam suam, id est, ut probet animæ suæ voluntatem, &, si fuerit per versa, non tribuat illi potestatem perficiendi eam.* Huc facit proverbium Arabicum cent. 1. n. 22. *Puta vitem tuam manu tua, non aliena*, id est, reprehende teipsum super vino tuo, priusquam te alius reprehendat super eodem. Et n. 14. *Lima spinas: lima*, id est vince affectum carnis & cupiditates malas, easq; reseca lima rationis. Cupiditates enim instar spinarum hominem pungunt, ad scelus incitant, & ad exitium adigunt. Earũ ergo acumen necesse est ut lima rationis tamquam duriori obtundamus, si salus nostra nobis in cordi.

Græca jam aliter habent, nimirum; *fili in vita tua tenta animam tuam, & vide quid ei malum sit, & ne dederis ei;* Tigurina, *fili proba animam tuam in vita tua: explora quid noxium ei sit, neque id ei indulgeas;* Syrus, *fili mi in vita tua tenta animam tuam, & vide id quod malum est illi, ne des illi*, q. d. Indaga & explora diligenter inclinationes, affectus & vires animæ tuæ; ut scias quid ei congruum & bonum, quid incongruum & malum sit: quo facto tribue ei quod congruum & bonum, nega verò quod ei incongruum & malum deprehendisti. Unde sequitur: *Non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet;* v. gr. anima aliquorum propendet ad studia Theologica, aliorum ad mathesin, aliorum ad artes mechanicas, aliorum ad bellum: quisque ergo animæ det, quod ejus inclinationi & viribus convenit & congruit. Si enim eam cogat ad aliud, v. g. si amantem studiorum cogat ad bellum, magnam illi vim inferet, ideoque anima violenter in bello detenta gemet jugiter, nec in eo persistere poterit, utpote agens vitam sibi molestam, ingratam & ærumnosam. Id magis liquet in deligendo vitæ statu. Aliis enim convenit & placet status matrimonii, aliis sacerdotii, aliis Religionis: quare si parentes, ut sæpè, fit, cogant filios juniores ad Religionem, cùm ipsi ab ea abhorreant, & cupiant agere vitam in sæculo, utique filii in Religione agent vitam mœstam & periculosam, dataque occasione jugum Religionis excutient, qua de causa tot vidimus, & videmus Apostatas. Sanè multi damnantur, quia statum sibi incongruum capessunt, adeoque multi damnantur in sæculo qui salvarentur in Religione & vice versa.

Huic expositioni adaptari potest versio nostra, uti eam adaptat Jansenius, hoc modo: In vita tua tenta animam tuam, id est, rimare & indaga quid animæ tuæ maximè cõveniat, & si fuerit aliquid *nequam*, id est, noxium & incõgruum illi, non des eius rei potestatem, nec sinas eam illud capessere, vel eo uti & frui: ut hæc omnia pertineant ad delectum in rebus adhibendum, de quo multa dixit initio capitis, verùm prior sensus uti simplicior & planior, ita & verior ac congruentior est.

NON ENIM OMNIA OMNIBUS EXPEDIUNT: ET NON OMNI ANIMÆ OMNE GENUS PLACET; Vers. 30.
Dat causam cur anima nequam refrænanda sit non tantùm ab illicitis, sed etiam à licitis: quia scilicet non omnibus omnia expediunt, sed quod uni, v. g. sobrio & casto utile est, alteri, v. g. guloso & libidinoso, periculosum & noxium est, ac causa peccati & damnationis æternæ. Rursum esto aliquid alicui bonum, utile & conveniens sit, tamen illud animæ eius non placet: quare aliud quod ei placet quærat oportet, juxta illud.

Tu nihil invita facies dicesve Minerva.

Unde Græcè clariùs idipsum dicitur: *non enim omnia omnibus conducunt, & non omnis anima in omni re sibi placet;* Tigurina, *non enim quævis quibusvis conferunt, nec quivis animus quacumque re felix est.* Nam quod invitus & nolens agit, in eo miser & infelix est. Syrus, *quia non omnis cibus bonus est, & omnis anima in paucis delectatur.* Sapienter Poeta:

Nullum numen abest, si sit prudentia. Et: Juvenal.
Numquam aliud natura, aliud sapientia dictat. satyr. 14.

Et Persius.

Mille hominum species, & rerum discolor usus:
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Iuxta Græcorum lectionem versus præcedentis connexio huius versus cum illo clara est, ut patet ex dictis ibidem.

NOLI AVIDUS ESSE IN OMNI EPULATIONE, ET NON TE EFFUNDAS SUPER OMNEM ESCAM] A thesi descendit ad hypothesim, dixit v. 30. *Tenta animam tuam, et si fuerit nequam, non des illi potestatem,* nunc eius dat speciem & exemplum commune & frequẽs Vers. 31.
Pleriq; enim hominum propensi sunt in gulam, præsertim epularum & deliciarum. Primum enim Evæ & Adæ peccatum fuit gula & eius pomi vetiti, quod ipsi in omnes posteros propagine peccati, æquè ac generationis & naturæ transfunderunt. Gula ergo cuique refrenanda & mortificanda est. Græca clarius habent μὴ ἀπληστεύου id est, *ne esto inexplebilis in ullis deliciis, neve profusus sis in escis;* Complut. *non sis insatiabilis in omnibus deliciis, & ne effundaris* (Roman. *ne effundas te*) *super epulas*, Syrus,

rus, *ne multiplices illi* (animæ tuæ) *cibum deliciarum* , *& ne malus* (cupidus & invidus) *fiat oculus tuus super cibo multo*; Tigur. *ne te ingurgites quibusvis deliciis, nec in cibos effundas*: q. d. Cùm variorum ferculorum deliciæ tibi offeruntur, multæque epulæ proponuntur, uti fiat in conviviis; noli in eas te nimia edacitate & aviditate gulæ effundere, ut videaris omnia velle devorare esseque insatiabilis instar lupi: sed aviditatem hanc refræna & appetitui tuo dominare, ac sobriè cibis utere, tum ut honori tuo, tum ut sanitati, tum ut conscientiæ tuæ consulas. Unde medicorum præceptum: *Vescere citra saturitatem: surge è mensa non cum fastidio, sed cum fame. Omnis saturitas noxia*. Exemplo tibi sit S. August. qui l. 10. Confess. cap. 31. Deum alloquens ait: *Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam*. Vide ibidem plura S. Ambros. epist. 25. *Vtamur*, inquit, *temperantiæ naturali cibo pro remedio parcius, non pro deliciis redundantius, propter infirmitatem, non propter voluptatem*. Vnde Deus concedens Noe esum carnium: *Quasi olera virentia*, inquit, *tradidi vobis omnia*, Genes. 9. 3. quia oleribus parcè ad necessitatem vescimur. Quocirca S. Ambros. lib. de Noe c. 25. *Vtantur*, inquit, *qui utuntur carne tamquam oleribus, non ad distensionem, nec ad aruinam corporis, quam epulæ facere consueverunt*. Et mox: *Fortasse in hoc etiam commendatur temperantia edendi carnes sicut olera, non tam ad captandam voluptatem, quàm ad vitæ sanitatem*.

Ede citra satiem.

Porrò Judæis identidem commendat Siracides refrænationem gulæ, quia ipsi in eam ab initio suæ gentis propensi fuere. Audi Tertullian. libr. de Jejunio cap. 5. *Primus populus primi hominis insculpserat crimen, pronior ventri quàm Deo deprehensus, cum de duritia Ægyptiacæ servitutis valida manu Dei ereptus, terræ melle & lacte mananti destinatus, statim saturitatis Ægyptiæ detrimenta suspirans, Quando super ollas carnium*, inquit, *sedebamus*, &c. Exodi 16. *allium potius & cepe, quàm cælum fragrare malebat*.

Ob hoc gulæ periculum Deus Genes. 9. concedens usum carnium Noe, jussit eas priùs sibi immolari: ut securè, inquit S. Chrysost. ibidem, iis homo uti posset, utpote quæ jam Deo oblatæ, litatæ & sanctificatæ essent. Hinc & mensæ præmittitur oratio & benedictio, ut cibi sanctificentur, & gula in comedendo refrænetur. Vide dicta 1. Timoth. 4. v. 4. & 5.

Mysticè hæc applices studio, meditationi, orationi, quæ sunt deliciæ animæ, q. d. Noli nimis indulgere cupiditati studendi, meditandi, orandi: quia hic excessus corpus eneruat, caput hebetat, aciem mentis obtundit, spiritum suffocat Unde illud: *Saturitas panis mala, studiorum autem pessima*.

Stude citra satiē.

Vers. 33. IN MULTIS ENIM ESCIS ERIT INFIRMITAS ET AVIDITAS APROPINQUABIT USQUE AD CHOLERAM) Syrus, *quia præ multitudine cibi fit valetudinarius, & qui multus est in comedendo, infirmatur*. Pro *aviditas* græcè est ἀπληστία, id est insatiabilitas, aviditas, edacitas. Rabanus retinuit Græcum *aplestia*, pro quo aliqui manuscripti corruptè legunt *apoplexia*. Significat ergo gulam & nimium epulationem causare morbos, præsertim choleram: nimii enim cibi accendunt calorem naturalem & sanguinem, qui accensus vertitur in bilem & choleram. Hinc cholera à medicis vocatur morbus, quo bilis commovetur, acuitur, accenditur, seque effundit in stomachum & intestina, illaque suo acore inficit, vitiat, mordet & cruciat; adeò ut crura manusque contrahantur, ac anima deficiat, quin & subinde subitò quis moriatur. ita Celsus lib. 4. c. 11. & Fernelius l. 6. de Part. morbis c. 3. Remedio est *mentastrum, torminibus cholericis sedandis efficacissimum*, ait Plin. l. 20. c. 14. Et clysteres, uti idem docet l. 31. c. 6.

Pro *infirmitas* legit Noster cum Complut. νόσος, pro quo Roman. legunt πόνος, id est, *labor*. Unde sic habent: *In multis enim escis erit labor* (stomachi ut eas digerat, ejusque tortura & vigiliæ, uti dixit cap. 31. 23.) & ἀπληστία, id est *insatiabilitas, appropinquabit usque ad choleram*; Tigurina, *nam ingluviem ciborum morbus comitabitur, & in bilem abibit insatiabilis edacitas*.

PROPTER CRAPULAM (græcè ἀπληστίαν, id est, voracitatem insatiabilem) MULTI OBIERUNT; QUI AUTEM ABSTINENS EST, ADJICIET VITAM] Vers. 34. Sobrietas ergo sanitatis, sapientiæ, castitatis, sanctitatis & longævitatis est mater: crapula verò & ebrietas infirmitatis, hebetudinis, libidinis, vitiorum ac brevis ævi. *Plures enim occidit crapula quam gladius*. Vide dicta c. 31. v. 23. Verè Palacius: Etiamsi, inquit, natura homini taxarit annos & dies vitę, & sobrius tamen eos prorogare potest per abstinentiam cibi; ebrius verò & gulosus eos decurtare & accidere per gulam & crapulā.

Denique exioma est viri sapientis, esto nonnullis videatur paradoxum: *Penè omnes homines mori gula*. Nam plerique omnes sæpè excedunt in cibo & potu, præsertim in conviviis, festis & recreationibus; atque hoc excessu vitam abbreviant, mortemque sibi accelerant, alii plus, alii minus pro quantitate & qualitate excessus. Gula igitur & ingluvies corpus gravat, morbos creat, & vitam decurtat.

Græca habent, *propter ἀπληστίαν*, id est, ut Complut. *insatiabilitatem*; Roman. *edacitatem multi objerunt; & attendens* (cavens ne in cibis & potibus excedat) *adjiciet vitam*; Tigurina, *multi per intemperantiam intereunt at qui temperans est, vitam prorogat*; Syrus, *multi enim qui mortui sunt per cibum multum: & qui cavet sibi, prorogat vitam*. Vide quæ de abstinentia dixi Daniel 1. 15. & seq.

Supienter S. Athanas. apud Antonium in Melissa. p. 1. c. 57. *Corpora ægra*, inquit, *curationis & abstinentiæ beneficio restituuntur: restituta verò per negligentiam & repletionem paulatim relabuntur, & ad eosdem morbos recidunt*. Pręclarè S. Ambros. de Elia & jeiunio cap. 8. *Jejunium*, inquit, *continentiæ magisterium est, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensa* (ut quod tibi ieiunando subtrahis, expendas in miseros) *lenitatis institutio, charitatis illecebra, senilis gratia, custodia juventutis. Jejunium est infirmitatis levamen, alimentum salutis. Nemo in cruditatem jejunando incidit, nullus per continentiam illum sanguinis sensit, imò nullus non repressit & repulit. Bonum itineris viaticum, bonum totius vitæ*. Vide S. Basil. homil. de ieiunio. Siracidi concinit R. Hillel, priscus ille & sapientiæ nomine percelebris, cuius hæc gnoma elegans & multiplex extat in *Pirke avoth*, id est, in Apophthegm. patrum cap. 2. *Qui carnem multiplicat, vermes multiplicat: qui multiplicat divitias, dolores multiplicat, qui mulieres multiplicat multiplicat fascinationes: qui multiplicat ancillas, multiplicat fornicationem, qui multiplicat servos, multiplicat fures: qui multiplicat legem, multiplicat vitam: qui studium multiplicat pariter sapientiam multiplicat: qui multiplicat consilium, multiplicat prudentiam: qui multiplicat institiam, multiplicat pacem: qui famam acquirit bonam, sibi acquirit eam: qui verbum legis acquirit, vitam in altero sæculo fœneratur æternam*.

Porrò ἀπληστία, id est, nimia aviditas & insatiabilitas, non tantùm in cibis & potibus, sed & in quibusvis aliis rebus locum habet. Et in quacumque versetur materia, noxia est tum animæ, tum corpori. Vnde quidam sapiens dixit: *Omnes penè homines confici & emori per rei alicuius ἀπληστίαν, nimiamque aviditatem*, sive ea honorum sit, sive opum, sive scientiarum, sive aliarum rerum.

CAPUT TRIGESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò agit de honorandis medicis, deque utilitate medicinæ. Secundò, v. 9. instruit infirmum, datque media quibus curetur. Tertiò, v. 16. docet in morte amicorum moderandum esse luctum ac cavendum à nimia tristitia. Quartò, à v. 25. docet sapientiam parari otio literario mechanicas verò artes occupari negotio & opere manuali, scilicet agriculturam in agro colendo, sculptoriam in sculpendo, fabrilem in fabricando, plasticen in plasmando.

HOnora medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus: 2. A Deo est enim omnis
medela, & à rege accipiet donationem. 3. Disciplina medici exaltabit caput illius, & in conspe-
ctu magnatorum collaudabitur. 4. Altissimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhor-
rebit illa, 5. Nonne à ligno indulcata est aqua amara? 6. Ad agnitionem hominum virtus illorum, &
dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis. 7. In his curans mitigabit dolorem,
& unguentarius faciet pigmenta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis, & non consumabuntur ope-
ra ejus. 8. Pax enim Dei super faciem terræ. 9. Fili in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Do-
minum, & ipse curabit te. 10. Averte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.
11. Da suavitatem & memoriam similaginis, & impingua oblationem, & da locum medico: 12. Ete-
nim illum Dominus creavit, & non discedat à te, quia opera ejus sunt necessaria. 13. Est enim tempus
quando in manus illorum incurras: 14. Ipsi verò Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum,
& sanitatem propter conversationem illorum. 15. Qui delinquit in conspectu ejus qui fecit eum, incidet
in manus medici. 16. Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundum
judicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius, 17. Propter delaturam autem amarè
fer luctum illius uno die, & consolare propter tristitiam, 18. Et fac luctum secundum meritum eius uno
die, vel duobus propter detractionem. 19. A tristitia enim festinat mors, & cooperit virtutem, & tri-
stitia cordis flectit cervicem. 20. In abductione permanet tristitia, & substantia inopis secundum cor
eius. 21. Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam à te, & memento novissimorum. 22. Noli
oblivisci, neque enim est conversio, & huic nihil proderis, & te ipsum pessimabis. 23. Memor est iudi-
cii mei: sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie. 24. In requie mortui requiescere fac memoriam
eius, & consolare illum in exitu spiritus sui. 25. Sapientia scribæ in tempore vacuitatis, & qui minoratur
actu, sapientiam percipiet, qua sapientia replebitur. 26. Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in iaculo,
stimulo boves agitat, & conversatur in operibus eorum, & enarratio ejus in filiis taurorum. 27. Cor
suum dabit ad versandos sulcos, & vigilia eius in sagina vaccarum. 28. Sic omnis faber & architectus, qui
noctem tamquam diem transigit, qui sculpit signacula sculptilia, & assiduitas eius variat picturam; cor
suum dabis similitudinem picturæ, & vigilia sua perficiet opus. 29. Sic faber ferrarius sedens juxta ju-
cundem, & considerans opus ferri: Vapor ignis uret carnes ejus, & in calore fornacis concertatur: 30. Vox
mallei innovat aurem ejus, & contra similitudinem vasis oculus ejus: 31. Cor suum dabit in consummatio-
nem operum, & vigilia sua ornabit in perfectionem. 32. Sic figulus sedens ad opus suum, convertens pe-
dibus suis rotam, qui in solicitudine positus est semper propter opus suum, & in numero est omnis opera-
tio ejus: 33. In brachio suo formabit lutum, & antè pedes suos curvabit virtutem suam: 34. Cor suum
dabit ut consummet linitionem, & vigilia sua mundabit fornacem. 35. Omnes hi in manibus suis sperave-
runt, & unusquisque in arte sua sapiens est. 36. Sine his omnibus non ædificatur civitas. 37. Et non inha-
bitabunt, nec inambulabunt, & in ecclesiam non transilient. 38. Super sellam judicis non sedebunt, & te-
stamentum judicii non intelligent, neque palàm facient disciplinam & judicium, & in parabolis non in-
venientur: 39. Sed creaturam ævi confirmabunt, & deprecatio illorum in operatione artis, accommodan-
tes animam suam, & conquirentes in lege Altissimi.

VERS. 1. HONORA MEDICUM PROPTER NECESSITATEM] Græcè τίμα ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ quod Complut. & Roman. vertunt, *honora medicum ad necessitates honoribus illius*, id est, qui illi debentur; Tigurina, *affice medicum honoribus suis propter necessitatem*; interpres Clementis Alex. lib. 2. Pædag. cap. 8. vertit, *honora medicum propter utilitatem eius* χρεία enim significat indigentiam, caritatem, usum, necessitatem, operam, ministerium, utilitatem, commoditatem. Syrus, *honora medicum quamdiu indiges illius; quia etiam ipsum creavit Deus*.

In fine cap. præced. dixit multis inesse infirmitatem, scilicet, homines esse obnoxios variis morbis, partim ex lapsu & infirmitate naturæ peccato corruptæ, partim ex ciborum excessu, tum in quantitate, tum in qualitate eorumdem. Multi enim morbos contrahunt quia cibos comedunt vel nimios, vel suæ naturæ & complexioni noxios. Hac de causa hoc cap. suggerit morborum remedium à Deo datum & institutum, scilicet medicinam & medicum. Iubet ergo eum honorari, quia medicina non est ars mechanica, sed liberalis. Vnde A in Vniversitatibus comparatur Iurisprudentiæ & Theologiæ, ac doctores medici inter doctores Juris & Theologiæ suum gradum & locum obtinent.

Honor in Scriptura tria significat; Primò, reverentiam; Secundò, obedientiam; Tertiò, sustentationem personæ condignam. Sic filii jubentur honorare parentes; quia eos revereri, eis obedire, si indigeant sustentare debent. Hinc triplex honor pariter debetur medico. Qua in re multi peccant nolentes obedire præceptis medici, illaque parvi pendentes: qua de causa sæpè in morbos diuturnos & incurabiles, ipsamq; mortem incidunt. Alii dum ægrotant, ut parcant sumptibus, accersunt circumforaneos impostores, alii empiricos periculosos, alii etiam feminas, & anus superstitiosas, quæ superstitiosis signis & benedictionibus morbos abigant. Sed suo damno: nam sæpè & vitæ et conscientiæ noxam incurrunt. Suadet ergo Siracides, ut medicos honorent, id est advocent, consulant, revereantur, eorum consilia magni æstiment et sequantur. Causam dat dicens, *Propter necessitatem*, quia scilicet ad morbos curandos necessarius est medicus, utpote

qui

qui, & naturam morbi, & eius remedia calles, quorum neutrum scit æger, & ceteri. Sicut ergo ad vestes faciendas necessarius est sartor, ad calceos sutor, ad cibos coquendos cocus: sic ad medicinas conficiendas necessarius est medicus. Unicuique enim in sua arte credendum est. Notat Palacius *Tò propter necessitatem* nos admonere, ne medicum in quovis levi morbo advocemus, sed, cùm morbus est gravis: tum, quia leves morbi sunt frequentes, optimeque superantur patientia & prudentia: nam qui medicè vivit miserè vivit, tum quia sæpè medici eos curare nesciunt.

& medico spiritali. Tropolog. triplicem hunc honorem debemus medicis animæ, qui scilicet animæ vitia, passiones, & peccata curant: quales sunt confessarii, rectores, concionatores; idque tanto magis, ait Rabanus, quanto anima præcellit corpori, ac morbi animæ graviores sunt morbis corporis, atque salus æterna, quam confert medicus spiritalis, præstantior est sanitate corporali ad modicum tempus duratura, quam confert medicus corporalis. Maximè autem omnem honorem debemus Christo Domino, qui medicorum est medicus, tam animæ quàm corporis: quique theriacam præstantissimam contra omnes morbos non aliunde, quàm ex sanguine suo confectam nobis exhibet in Eucharistia, ceterisq; Sacramentis. *Ipsius enim livore sanati sumus*, ut ait S. Petrus epist. 1. c. 2. v. 24. & Isajas c. 53. 4. ac ex eo S. Matth. c. 8. 17. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Nimirum ipse verus est Samaritanus, qui primum hominem, eiusque posteros à latronibus infernalibus spoliatos, & vulneratos usque ad mortem, oleo, & vino suæ gratiæ sanavit, Lucæ 10. 34.

Siracidi concinit Ben Sira alphabeto 1. litera *aleph: Honora medicum dum non indiges eius*, q. d. Honora medicum ante morbum, dum sanus es; ut tibi in morbo præstò sit, ac deserviat rebus suis neglectis, & negotiis ceteris posthabitis. Id extende ad animum: nam animi medicus est sapiens, huic ergo magis honos habendus est: nam magis eius ope, consilio, & consolatione indigemus. Scholiastes Hebræus refert ad Deum, q. d. Cole Deum, eumque precare, priusquam eius auxilio, tibi opus sit. Nam ut æger diligentiorem experitur medicum, quem valens obsequio sibi devinxit: sic afflictus benigniorem sentiet Deum quem rebus integris coluit, & invocavit.

ET ENIM ILLUM CREAVIT ALTISSIMUS) Græcè, *nam & illum creavit Altissimus*; Tigurina, *Dominus enim eius auctor est*: tum, quia instituit (ut docet hic, & alibi, ut medicis utamur in necessitate: tum, quia ipse medicinam æquè ac pharmaca, & herbas medicas creavit, & produxit: tum, quia sicut Adamo, & Salomoni (qui scripsit de omnibus ab hyssopo usque ad cedrum; ex cujus scriptis multa ad Græcos, Arabes, Latinos, & ad nos usque derivata sunt) inter alias scientias medicinam quoque indidit; sic pariter nunc medicis indit habilitatem, ingenium, & instinctum ad studendum medicinæ, eamque exercendam ad curandum infirmos. Nam sicut eiusdem architecti est domum facere, & labentem reficere, atque eiusdem satoris, & sutoris vestem vel calceum à se factum dissutum, & lacerum resarcire, & redintegrare: sic pariter, cùm ad Deum spectet humani corporis formatio, & temperies, ad eundem quoque spectet oportet eiusdem conservatio, & refectio. A Deo igitur est omnis medela, & medicina.

Est hic locus illustris de utilitate, & necessitate medici, & medicinæ, eiusque usu, & ordine. Fuit olim opinio Catonis, Plinii, & aliorum quos inferiùs citabo v. 3. & nunc est error Anabaptistarum, docentium damnandum esse usum medicinæ, eò quòd Asa rex Juda ob eum videatur reprehendi 2. Paral. 16. 12. & Hæmorrhoissa Lucæ 8. 43. Verùm errant nam illis locis tantùm reprehenditur nimia spes, & præposterus ordo medicinæ: nam verus ordo, ut docet hic Siracides, est, ut ægri primò, & maximè nitantur Deo, quasi archiatro, eumque sibi orationibus, pœnitentia, & sancta vita concilient; deinde causas secundas, & medicinas adhibeant.

Catoni censuit non utendū medicis. Sic & Anabaptistæ: cur?

Alii stulta quadam religione (quæ Turcarum est) sibi aliisque persuadent, medicinæ opera necessaria non esse; eò quòd sanitas, & morbus, vita, & mors penes Dei voluntatem sint; ita ut nulla arte possit vitare homo quod Deus de eo decreverit. Sed ignorant multa Dei decreta non esse absoluta, sed conditionata, ac pendere ab industria, & arbitrio hominum, v. g. Deus decernit, ut pestis grassans tangat omnes obvios, & enecet; sed conditionatè dumtaxat, scilicet, si ipsi locum peste infectum non fugiant, aut contra eam antidota à se tradita non usurpent. Sic cùm ægros decernit sanare, decernit ut id fiat per pharmaca à se instituta. Igitur Siracides hic errorem jam dictum refellit, astruitque usum medici, & medicinæ multis argumentis.

Primum petitur ex eius necessitate, jam dicta v. 1. Secundum hoc v. ex eius auctore, qui est Deus, qui sicut instituit ut in Ecclesia sua alii essent milites, alii agricolæ, alii opifices, alii Jurisconsulti, &c. sic, & instituit ut nonnulli essent medici. Tertium v. sequ. Quia, inquit, *à Deo est omnis medela*. Quartum ibid. quòd medici à regibus, & principibus soleant donis honorari. Quintum v. 6. quia idcircò Deus herbis, succis, plantis, metallis, gemmis, &c. tot tamque salutares, & admirabiles virtutes indidit, ut scilicet iis utamur ad medelam. Sextum est v. 5. ab exemplo ligni, quo Moses dulcoravit aquas amaras, Exodi 15. 25. Septimum v. 7. ab experientia, qua experimur per pharmaca dolores leniri, & morbos curari. Vide hunc Siracidis locum de dignitate, & utilitate medicinæ, fusè pertractantem Franc. Valesium Sacr. Philosophiæ c. 74.

Usus medici probatur septem argumentis. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò. Quintò. Sextò. Septimò.

Medici ergo opera utilis est, imò necessaria, utpote cujus ope multi è faucibus mortis eripiuntur, & quasi reviviscunt. Medicum verum, & suæ artis peritum intelligo, nam imperitus reipub. est pestis, & multorum homicida, imò carnifex. Quare sicut prudentis est, medico perito se suamque vitam credere, ita nihil imprudentius quàm cuicumque medicum se venditanti, ac cuilibet agyrtæ, imò anui, & vetulæ vix nendi peritæ, medendi artem profitenti, vitam, & salutem suam, qua nihil est pretiosius, committere. Et hoc est quod maximè culpare voluere Cato, & Plinius.

Porrò Plinius lib. 7. c. 56. *Medicinam Aegyptii*, inquit, *apud ipsos volunt repertam: alii per Arabum, Babylonis, & Appollinis filium: herbariam, & medicamentariam à Chirone, Saturni, & Phyllira filio*. Verùm antiquior est medicina, adeoque coæva mundo; quia Adamo cum ceteris scientiis à Deo indita. Post hominum enim lapsum in peccatum, indeque in morbos, & mortem, statim Deus clementissimus & providentissimus providit hominibus de remedio medicinæ; esto illa post aliquot sæcula magis fuerit exculta, & in methodum redacta, librisque conscripta ab Hippocrate, Galeno, aliisque antiquioribus.

Medicina mundo coæva.

A DEO ENIM EST OMNIS MEDELA, ET A REGE ACCIPIET DONATIONEM) Arbanus legit *donum*; græcè δόμα, id est, *donativum*; Complut. legunt δόξα, id est, *gloriam*; Tigurina, *nam medicina manat ab Altissimo, & à rege munus accipiet*: tum, quia à Deo creatæ sunt vires herbarum, & aliorum medicaminum: tum, quia earum cognitio, & scientia à Deo indita fuit Adæ, & posteris; à quibus eam hauserunt medici. Unde Tigur. vertit, *à Deo fit intelligens medicus, & à rege accipiet munera*: tum denique, quia à Deo est omnis medicatio, & curatio: hanc enim significat Græcum ἴασις. Deus enim cum herbis, & pharmacis concurrit, quasi prima causa, & primarius agens ac medicans ad curandum per eas infirmi morbos, & vulnera, juxta illud: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, 1. Cor. 3. Unde medici, æquè ac ægri, maximè invocare debent Deum, ut per medicinas, & pharmaca sanitatem operari dignetur; uti fecere S. Cosmas, & Damianus, S. Pantaleon, & alii, qui proinde morbis etiam incurabilibus medebantur virtute non tam humana quàm divina, uti habet eorum Vita. Quin, & Hippocrates in ipso totius artis proœmio: *Non solùm*, inquit, *ægrotus præstare se debet opportuna facientem, sed & medicus, scilicet adhibere curationem, & Dominum deprecari: ut dirigat opera sua*. Probat Siracides medicum esse à Deo, ideoque honorandum, quia medicina, & medela eius est à Deo. Est argumentum à coniugatis; simile est si dicam: Calidum fit ab igne, quia calor fit ab igne: Gelu efficit frigidos, quia efficit frigus.

VERS. 2.

est à Deo.

Dices, Nonne magi, & sagæ sæpè opera dæmonis ægros sanant? Resp. Sanare, at non vi sua, sed applicatione causarū secundarum, quas ad hoc Deus instituit: non ergo vi sua, sed Dei sanant, adeoque Deus est qui sanat; dæmones autem tantùm applicant instrumenta Dei. Adde, sæpè phantasticam tantùm esse dæmonis curationem, idque multis modis, quos recenset noster Delrio in Magicis. Denique, curati à sagis, & magis, cōmuniter in eosdem, vel graviores morbos recidunt.

Addit Siracides: *Et à rege accipiet donationem*, id est, donativum, cùm scilicet ei sanitatem restituit, eiusque vitam conservat, tuetur, & prorogat: unde videmus mire à regibus honorari, & ditari medicos, utpote à quibus vita eorū pendeat.

VERS. 3. DISCIPLINA MEDICI EXALTABIT CAPUT ILLIUS, ET IN CONSPECTU MAGNATORUM COLLAUDABITUR) Pro *disciplina*, græcè est ἐπιστήμη, id est, *scientia*. Pro *collaudabitur* græcè est, θαυμασθήσεται, id est, *admirationi erit*. Unde Complut. vertunt, *scientia medici exaltabit caput illius, & coram magnatibus in admiratione erit*; Roman. *suscipietur*; Tigurina, *movet admirationem proceribus*; Syrus, *ob scientiam medici exaltabunt illum, & coram regibus constituent eum*. Ita videmus medicos insignes per medicinam ad magnas opes, & honores conscendere, & à magnatibus coli, & suspici, juxta illud:

Dat Galenus opes, dat Justinianus honores:

& illud Plinii lib. 24. c. 1. conquerentis medicos Romanis, etiam Imperatoribus dominari: *Paremus externis, & una artium* (medicina) *Imperatoribus quoque imperat*. Idem lib. 29. cap. 1. tradit Erasistratum Aristotelis filia genitum, Antiocho rege sanato, centum talentis donatum fuisse à Ptolemæo filio Antiochi. Similia ingentia Cassiorum, Rubriorum, aliorumque medicorum stipendia vel honoraria ibidem recenset.

Plinius, Cato, & alii damnarunt medicinã. Quare eo loco Plinius graviter in medicos, & medicinam invehitur, & declamat, aitque Romanos primis sexcentis ab Urbe condita annis medicis caruisse, ac medicinam tandem medicorum expertos, eam damnasse. *Discunt*, inquit, *periculis nostris, & experimenta per mortes agunt: medicoque tantùm hominem occidisse impunitas summa est*. Et mox: *Quid enim venenorum fertilius, aut unde plures testamentorum insidiæ?* Hæc, & plura Plinius ex Catonis sententia. Sed Plinium, & Catonem refutat Valesius Sacræ Philosop. cap. 74. Non enim illa sunt artis, sed hominum vitia. Plinio, & Catoni tamen astipulati sunt multi veterum. Diogenes Cynicus medicos vocabat communes carnifices, teste Plutarcho in Lacon. Arcesilaus apud Laertium libr. 4. capit. 6. *Sicut ubi multa sunt leges*, inquit, *ibi plurimum vitiorum est: sic ubi plures sunt medici, ibi multi sunt ægrotantes*. Hadrianus Imper. moriens dixit illud Menandri vulgatum: *Turba medicorum Cæsarem perdidit*. ita Dio. Addunt alii, ipsum illud suo sepulchro quasi epitaphium insculpi jussisse. Tiberius Cæsar riduculum dicebat eum, qui post sexagesimum annum consuleret medicum; utpote qui sexaginta annis non didicisset experientia, quid sibi salubre esset, quid insalubre. Nam, ut ait Plinius: *Medicinæ efficacissimus magister est usus*: Et Plato in Convivio: *Medicus peritissimus est, qui novit quid amet, quid respuat natura*. Nicocles medicos felices vocabat, *quoniam eorum successus sol intuetur, errores autem tellus operit*. ita Antonius in Melissa part. 1. serm. 76. Ubi, & citat Stratonicum dicentem medico: *Laudo tuam experientiam, quia non sinis infirmos computrescere, sed illos statim è vita liberas*. Pausanias eum medicum censebat optimum, qui non sineret ægrotos extabescere, sed quamprimùm sepeliret. ita Plutarch. in Lacon. Philemon, *Medico*, inquit, *& advocato occidisse, impune est*. Democritus: Sapiens, inquit, cùm ei imperitus medicus dixisset, Undenam senex factus es? respondit: *Quia non sum usus medico*.

Refelluntur. Verùm aliud hic docet Siracides, multisque argumentis probat, & celebrat medicos, & medicinas, tamquam à Deo institutos. Unde, & angeli iis usi sunt, ut Raphael curans cæcitatem Tobiæ. c. 6. v. 8. Sic, & Gentiles docuerunt medicinam esse Apollinis, & deorum inventum. Unde Ovid. 1. Metamorph. loquentem inducit Apollinem:

Inventum medicina meum est, opiferque per orbem Dicor.

Hinc, & Æsculapius, Hippocrates, Galenus, & multi Philosophorum fuere medici. Accedit, quòd animalia cætera ex instinctu naturę certis herbis medeantur suis morbis, uti quotidie videmus facere canes, & feles. Tertullian. lib. de Pœnitentia in fine: *Cervus*, inquit, *sagitta transfixus, ut ferrum, & irrevocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcaverit pullos novit illos rursus oculare de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesin sciens, præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna restituit?* Idem tradunt S. Hieron. in ca. 7. Ecclesiastæ. 5. Pacianus tract. de Pœnitent. & Plinius lib. 8. c. 27 Sic palumbes sibi medentur lauro, ciconię origanum comedentes stomachi fastidum levant. Quocirca

Medicinæ symbolum palumbes. Ægyptii medicinam repræsentabant per palumbem lauri ramusculum ore gestantem, ait Pierius Hierog. 22. pag. 205. B. Alii per ciconiam, ait idem Hierog. 17. pag. 159. A. Denique celebre est illud Homeri:

Vir medicus par est multorum millibus unus.

A Et illud Demadis: *Ægris medicos, infortunatis amicos adesse oportet*.

ALTISSIMUS CREAVIT DE TERRA MEDICAMENTA, (ita Rom. Græcè enim est, φάρμακα: perperàm ergo Jansenius, & alii legunt, *medicinam*: hæc enim non è terra, sed è cerebro creata est) ET VIR PRUDENS NON ABHORREBIT ILLA) Syrus, *Deus de terra creavit medicamenta, & vir sapiens non spernet ea*. Multi abhorrent à pharmacis, quia illa pallato, & stomacho ingrata sunt, moventque nauseam, & sæpè vomitum. At vir prudens non idcircò abhorrebit ea, sciens illa à Deo creata, ut per ea sibi paret sanitatem: nam dolor est medicina doloris; ac dolor modicus, & brevis pellit dolorem gravem, & diuturnum. Amplectetur ergo hoc Dei beneficium cum gratiarum actione, ac quidquid in catapotiis est amaritudinis, magno animo transglutiet, idque pœnitentiæ pro peccatis præteritis, & mortificationis loco accipiet. Qua de causa noster B. Franciscus Borja solebat pilulas dentibus masticare, ut diu earum amaritudine palatum affligeret, & cruciaret. VERS. 4.

NONNE A LIGNO INDULCATA EST AQUA AMARA?) Notat lignum quod Moses injecit aquis amaris in Mara, eoque illas dulcoravit, & Hebræis potabiles effecit, Exodi 15. & 26. Sensus est, q. d. Vel ex hoc ligno quod medicatum est aquis amaris, perspicias vim medicinę, quantumque virium ad medendum Deus dederit herbis, radicibus, & lignis. Unde videtur, quòd hæc vis dulcorandi ligno illi fuerit naturalis, idque magis insinuat Græca, quæ habent, *nonne ligno dulcuit aqua, ut cognosceretur vis eius* (ligni quod præcessit, non Dei) *ab homine?* Esto Hebræi censeant lignum hoc fuisse amarissimum, ac proinde per miraculum dulcorasse aquas. Quod si sequaris, sic exponas, q. d. Si per lignum amarum Deus tantam dulcedinem operatus est, quid faciet per herbas, quibus vires indidit similes, & appositas ad hunc illumve morbum curandum? Vide dicta Exodi 15. 26. ubi fusè de hoc ligno egi. VERS. 5. (B)

AD AGNITIONEM HOMINUM VIRTUS ILLORUM, ET DEDIT HOMINIBUS SCIENTIAM ALTISSIMUS, HONORARI IN MIRABILIBUS SUIS) Ita hæc dispungunt, & connectunt Romani; licèt Jansenius, & alii cum Græcis modernis Τὸ *ad agnitionem hominum* C *virtus illorum*, referant ad versum præced. Sed incongruè: nam Τὸ *illorum* cùm sit plurale referre nequit lignum singulare: refert ergo *medicamenta* vers. 4. Sensus igitur est, q. d. Deus creavit medicamenta, & pharmaca ad hoc, ut homines virtutem, & vires illorum agnoscerent; imò hanc ipsam cognitionem, & scientiam vel indidit, vel suggessit illis Altissimus; ut per hoc honoraretur in mirabilibus suis, scilicet tum virtutibus, & viribus, quas pharmacis ipse indidit, tum operationibus, & effectibus, quos illa operantur in corporibus animalium, & hominum ad ea sananda, vel in sanitate conservanda. Unde Syrus vertit, *per lignum enim dulces factæ sunt aquæ amaræ, ut cognoscatur virtus Dei, qui dedit filiis hominum sapientiam, ut glorificetur in fortitudinibus suis*. VERS. 6.

Pharmaca à Deo creata Id verum esse docet experientia in pharmacis tum simplicibus, tum compositis. Simplicibus: quanta enim, & quàm admirabilis est virtus, quam Deus indidit colocynthidis ad expurgandum totum corpus? rhabarbaro ad vacuandam bilem? agarico ad vacuandum plegma? alKermes ad melancholiam? rosmarino, rutæ, betonicæ, salviæ, buglossæ, menthæ, majoranæ, &c. ad corroborandum, & exhilarandum cor, stomachum, & cerebrum? Qui enarret salutares virtutes auri potabilis, aquæ vitæ, D sive vini caustici, argenti vivi, salis, sulphuris, aceti lapidis bezohar, gemmarum, metallorum? &c. Vide Dioscoridem, Plinium, Aristot. Matthiolum, Galenum, Hippocratem cæterosque Physicos, & medicos. Sanè Aristot. lib. 1. de Part. animal. cap. 5. *Nil*, inquit, *in natura tam minutum est, tam vile tam abiectum, quod non aliquid admirationis hominibus afferat*. Verè natura est instrumentum, imò organum divinitatis. Unde Aristotel. ibid. & Galenus lib. 3. de Usu partium cap. 10. asserunt nullum esse opus naturæ, in quo miri, & divini aliquid non refulgeat, præseferens Dei conditoris sapientiam. Vide Lavin. Lemnium de Occultis naturæ miraculis, ubi inter alia lib. 2. cap. 34. *Si succo*, inquit, *malvæ aut mercurialis manus oblinas, insuper si citrum; lesionem plumbum liquefactum tractare poteris, modò celeri motu id perficias*. In hoc tamen auctore censores nonnulla *Natura est organum divinitatis* corre-

correctum. Compositis: quàm mira enim, miræque virtutis est compositio pilularum cochiæ, aloes, gemmarum, &c. item tot sirupporum, unguentorum, cataplasmatum, collyriorum, &c.

Maximè verò id patet in theriaca, quæ facilè ex nonaginta simplicibus, apta proportione inter se commistis, & contemperatis miré componitur, valetque contra venena, pestem, ac penè omne genus morbi. Adinuenit eam Andromachus medicus tempore Neronis Imper. Simile, sed antiquius est mithridaticum, ex 54. rebus compositum, Mithridatis regis Ponti inventum, quo ipse quotidie utens, ita corpus contra venena obfirmavit, ut, cùm victus à Romanis iis se perimere vellet, ne à Romanis in triumphum duceretur, id efficere non posset.

VERS. 7. IN HIS CURANS MITIGABIT DOLOREM, ET UNGUENTARIUS FACIET PIGMENTA SUAVITATIS, ET UNCTIONES CONFICIET SANITATIS, ET
VERS. 8. NON CONSUMMABUNTUR OPERA EJUS. PAX ENIM DEI SUPER FACIEM TERRÆ) Syrus, *iis* (medicamentis) *medicus mitigat dolores, & etiam aromatarius conficit aromata; quia non deficit operatio, & sapientia de facie terræ.*

Sensus est, q. d. Altissimus, *in his*, id est per hæc, scilicet pharmaca è terra à se creata; aut *in his*, id est per hos, scilicet medicos, quibus dedit medicandi scientiam, curans ægrū, mitigabit ejus dolores. Rursum ex iisdem *unguentarius*, græcè [illegible], id est aromatarius, pharmacopœus, *faciet pigmenta*, græcè [illegible], id est, mistum sive compositum ex variis aromatibus, herbis, & succis inter se contemperatis: *pigmenta*, inquam, sive composita, *suavitatis*, quæ scilicet suavem expirent odorem, recreantem nares, & cerebrum ægri, & ceterorum: atque ex iisdem *unctiones conficiet sanitatis*; quibus scilicet ungendo corpus ægri illi sanitatem restituat. Hinc *pigmentarius* vocatur aromatarius, & pharmacopœus, qui ex aromatibus conficit compositum aliquod suave, & odoriferum; componendo enim illud quasi pingit, & fingit, facitque pigmentum. Sic *pigmenta* vocantur unguenta, quibus utuntur puellæ ad venustandam faciem: item colores pictorum, & metaphoricè colores Rhetorum: denique mendacia, & fraudes: hæc enim indigent colore, & fuci compositione, ut veritatis speciem induant; sicut iis quo pingitur non est naturalis color, sed artificialis, arteque commistus, & compositus.

ET NON CONSUMMABUNTUR OPERA EJUS) q. d. Hæc pharmaca non sunt consummata, id est, perfecta, & planè sufficientia, ut sanitatem homini restituant: nisi Deus concurrat, & per ea hominem sanet: Dei enim est dare pacem, id est, sanitatem super faciem terræ. Ita Tigurina, cujus verba mox recitabo. Aut potiùs, q. d. *Non consummabuntur*, id est, non est finis herbarum, & compositionum: nam indies uti novi morbi, ita contra eos novæ herbarum vires, & novæ pharmacorum compositiones à medicis, & aromatariis inveniuntur, idque ex mira Dei in homines benignitate, & beneficentia.

PAX ENIM, id est, prosperitas, & sanitas DEI est, id est Deo curæ est, ut eam effundat SUPER FACIEM TERRÆ, sicut super eamdem fecit oriri solem suum, & pluvit super justos, & injustos: tanta enim est Dei bonitas, & clementia, ut, licèt homines innumeris peccatis eum offendant, ipse tamen illis sua beneficia continuè communicet, ac inter ea, pharmaca nova contra novos morbos suggerat, & subministret. Ita Valesius Sacr. Philosoph. cap. 74. Utilitatis medicinæ, inquit, ascripsit Ecclesiasticus duo exempla, dicens: *Curans mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pigmenta suavitatis.* Nam hæc duo pertinent ad meliorem tolerantiam morbi, & quamdam facultatis refectionem; ut, scilicet, per anodinas unctiones dolor mitescat, & per suavia pigmenta voluptas concilietur. Addit verò, *Et unctiones conficiet sanitatis*, q. d. Alias quoque conficiet unctiones necessarias, quibus non solvat solùm dolorem, aut voluptatem conciliet, sed morbum ipsum demoliatur, dolores aliquando etiam augens.

PAX igitur DEI SUPER FACIEM TERRÆ) quia *Dominus dabit benignitatem, & terra dabit fructum suum*, alimenta scilicet, & medicamenta. Paulò aliter Palacius: *Pax Dei*, inquit, qua vult hominibus mederi, est super terram, id est in lapidibus, & herbis terræ. Græca jam nonnullis omissis de more concisè sic habent: *His medetur, & dolorem eius tollit, his iam aromatarius mixtionem conficit: nec finis est operum eius, & pax ab ipso in superficie terræ*; Tigurina:

ipse sanat per hæc, tollitque dolorem hominis. pharmacopola misturas suas his temperat, cuius tamen non sunt exacta opera: sed à Domino dimanat in terram latè iacentem prosperitas. Misturas, scilicet, tam unguenta ad ungendum corpus exteriùs, quàm catapotia, & similia, quæ sumuntur interiùs, ac traiciuntur in stomachum. Hoc enim duplici genere pharmacorum uti solent medici. Et Noster fortè utrumque hic notavit, prius per *unctiones*, posterius per *pigmenta*. Nec obstat *Tò unguentarius*: hic enim idem est quod pigmentarius, aromatarius, pharmacopœus; inter pharmaca enim vulgò maximè nota sunt unguenta; præsertim quia antiquitus eò processerat luxus, ut unguenta in potu adderent, teste Ælian. lib. 12. & Juven. satyra 6.

Cùm perfusa mero spirant unguenta Falerno,
Et foliata sitis.

Allegor. hæc veriora sunt in pharmacis animæ, putà S. Sacramentis, præsertim Extremæ unctionis, quæ lenit dolores animæ, & corporis, ac utrique sæpè sanitatem restituit, uti docet S. Jacobus c. 5. 14. Vide ibi dicta. *Pharmaca animæ sunt Sacramenta.*

Tropol. & Anagog. Raban. *Spiritales medici*, inquit, *secundùm artis suæ peritiam, salubriter ad salutem animarum exhibent fomenta doctrinarum, unguenta adhortationum, atque malagma assiduæ orationis: medicabiles etiam potus atque cibos divinarum Scripturarum. Faciunt etiam ubi necesse est exustionem excommunicationis, vel incisionem virgarum, ut, quoquo modo possint, hominem ab ægritudine vitiorum perducant ad sanitatem bonarum virtutum. Quod autem dicit, non consummari opera eius, significat quòd usque ad finem mundi verus medicus noster non cessat per ministros suos quotidie sanitates in Ecclesia sua operari, donec in extremo examine totum quod mortale est, absorbeatur à vita: & tunc fiet, quod sequitur, Pax Domini super faciem terræ: quando absumpta morte in victoria, resurgent mortui incorrupti, & transferentur ad possidendam patriam cælestis regni.*

Denique pigmentarius noster Christus, dat nobis *pigmenta suavitatis, & unctiones sanitatis*, id est præcepta suavia simul, & sana, putà, præcepta charitatis, quæ omnes labores, & dolores lenit, præsertim accedente unctione gratiæ Christi, quæ *computrescere* facit *iugum à facie Dei*, Isaiæ 10. v. 27. Vide ibi dicta. Vide, & nostrum Blasium Viegas in c. 2. Apocal. Comment. 4. sect. 57.

Audi Hugonem: *Unguentarius*, id est Christus, *faciet pigmenta suavitatis*, id est, Sacramenta novæ legis, *unctiones conficiet sanitatis*, id est, dona Spiritus sancti. Sacramenta Ecclesiastica vel Euangelica, *pigmenta* vocantur, quia redolent: *suavitatis*, quia suavia sunt. Dona Spiritus sancti dicuntur *unctiones sanitatis*, quia illis ungitur anima, & sanatur à septem vulneribus peccatorum. Timor enim sanat superbiam, pietas invidiam, scientia iram, fortitudo acediam, consilium auaritiam, intellectus gulam, sapientia luxuriam. Cant. 1. *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Ubi Glossa: Unguenta, inquit, sunt dona Spiritus Sancti, quæ invisibiliter animam reficiunt. *Unguentarius Christus.*

FILI IN TUA INFIRMITATE NON DESPICIAS TEIPSUM) ut negligas ea adhibere quibus sanitatem recuperes, ac sine ulla procuratione valetudinis maneas quasi jumentum; sive, quia de sanitate desperas, sive; quia nimis præsumis, & præfidis de naturæ viribus, aut de cura, & providentia Dei, ita in illum te, tuaque resignans, ut deses & otiosus nolis admovere manum operi ad ea procurandum quæ prudentia, & medicina procuranda dictant, quæque Deus instituit, & sanxit. Tales, sunt multi plebeii, pauperes, & rustici, quia se, suosque morbos planè negligunt, omnemque eorum curationem Deo relinquunt. *Te teipsum* iam non est in Græco, sed tantùm *non despicias*, scilicet te, tuam infirmitatem, & sanitatem. Tigurina nectit sequentibus, sicque vertit, *in morbo tuo, fili, ne prætereas, quin Domino supplices: etenim ipse sanabit te*; alii, *fili, in ægrotatione tua noli esse negligens; sed precare Dominum, & ipse sanabit te.* Est enim peccatum mortale, inquit Palacius; si spes est salutis, eam non curare. Porrò Rabanus pro *non despicias*, legit, *non desperes teipsum; quia desperatio*, inquit, *affligit animam, & mortem illi parit certissimam*, VERS. 9.

SED ORA DOMINUM, ET IPSE CURABIT TE) Syrus, *fili mi, etiam in mente tua ora coram Deo, quia ipse mox sanat.* Primum est hoc ægri officium, scilicet, ut antequam medicinas, & medicos conquirat, pro sanitate precetur Deum. Deus enim vitæ, & mortis, infirmitatis, & sanitatis uti est auctor, sic idem, & reparator: quare si humili, sincero, & ardenti corde invocetur, ægrum si ita eius saluti *Ægri officia Primum.*

æternæ expediat, sanitati restituet, uti restituit Ezechiam, Isaiæ 38. 5. Si non expediat, dabit robur ad fortiter sustinendos morborum dolores, & ærumnas, itaque augebit merita, & coronas patientiæ, & pœnitentiæ, ac charitatis, contemplationis, & desideriorum celestium, ad quæ ægrum stimulat ipsa ægritudo. Audi Sanctum Gregor. Nazianz. in senio semper infirmum, in carmine de Dei desiderio:

Infirmitatis utilitas.

At mea fors magnus Deus est, multique dolores,
Atque gravis morbus, qui mihi membra quatit.
Ad breve me tempus lacerò scelerate: relinquam
Nam tecum gaudens aspera cuncta brevi.
Namque crucem membris, medioque in corpore gesto,
Inque viis: crux est lausque decusque meum.

Gnome.

Vide eumdem epist. 64. 66. 67. ad Philagrium. Et in Distichis, ubi ait: *Sicut aurum in fornace, ita vir bonus afflictione exploratur, ac plerumque dolor incolumitate levior est, magisque expetendus.* Tantum enim Dei donum est infirmitas, quantum sanitas, & sæpè maius. Idem Nazianz. apud Antonium in Melissa cap. 57. *Decebat nos*, inquit, *nec applaudere, nec flecti passionibus, sed contemnere lutum, & corpus quidem nostrum pati sinere, utpote necessario sive nunc, sive non multò post pro lege naturæ dissolvendum (peribit enim aut morbo, aut longo tempore confectum) nos verò animam in sublime tollere, & cogitationibus conversari cum Deo.* Ita faciebat S. Paula teste S. Hieron. in eius Epitaphio: *In languoribus*, inquit, *& crebra infirmitate dicebat: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem, & corruptivum hoc vestiatur incorruptione. Et iterum: Sicut superabundant passiones Christi in nobis, ita, & per Christum abundat consolatio. Ac deinde: Ut socij passionum estis, sic eritis, & consolationis. In mœrore cantabat: Quare tristis es anima, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; salutare vultus mei, & Deus meus.* S. Cyprian. epist. ad Demetrianum: *Nullus*, inquit, *iis dolor est de incursatione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternamur adversis, nec frangimur, nec dolemus, neque in illa aut rerum clade, aut corporum valetudine mussitamus; spiritu magis quàm carne viventes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus.* Salvianus lib. 1. Gubernat. Dei: *Infirmitas carnis*, inquit, *mentis vigorem exacuit.* Audi, & Bedam in Proverbiis: *Infirmitas carnis si patienter sustineatur, est quasi purgatorius ignis.* Et: *Quantum bonum habeat sanitas, ostendit infirmitas.* Et Sanctus Bernardus *Semper*, inquit, *in infirmo corpore validior est spiritus: nam virtus in infirmitate perficitur*, 2. Corinth. 12. 9. Vide ibi dicta.

Denique audi Sanctum Laurentium Iustinianum in Lignovitæ cap. 2. de orat. *Omnes medici pecuniis, Deus autem noster pura oratione ad conferendam sanitatem placatur. Hac spirituales sanat morbos. Nam hoc est potissimum remedium eius qui vitiorum tentamentis æstuat, ut, quotiescumque quolibet tangitur vitio, toties se ad orationem vertat: quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguet. Et sicut aqua ignis extinguitur, ita concupiscentiarum vitiosarum impetus oratione superatur.*

Aeger ergo crebrò reciter orationem Sancti Francisci: *Gratias tibi ago Domine Deus, de omnibus his doloribus meis, teque mi Domine rogo, ut centuplum, si tibi placuerit, addas; quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore, non parcas, cùm tuæ sanctæ voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena.*

Denique quàm utilis sit infirmitas, quamque infirmus se Dei voluntati resignare debeat, ut vel sanitatem det, vel patientiam, pulchris exemplis Sancti Antonii Didymum arguentis, quòd doleret se captum oculis, quos cum muscis communes habemus; Sancti Pachomii, Sancti Thomæ Cantuariensis, Sancti Vedasti, & aliorum, docet noster Alfonsus Rodriguez tract. 8. de Conformit. cum voluntate Dei ca. 18. Gnomen S. Pachomii recitavi superiùs c. 2. v. 4.

VERS. 10.

Secundum.

AVERTE A DELICTO, ET DIRIGE MANVS, ET AB OMNI DELICTO MVNDA COR TVVM) Syrus, *aufer iniquitates, & mendacium, & ab his omnibus peccatis munda cor tuum.* Est hoc secundum ægri officium, ut scilicet conscientiam suam examinet, &, si in ea aliquod delictum repererit, illud aboleat per pœnitentiam. Certum enim est morbos sæpè hominibus ob delicta immitti. *Ideò* (ob indignam Synaxin) *inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt* (id est moriuntur) *multi*, ait Paulus 1. Corinth. 11. 30. Et Christus ad ægrum iam à se sanatum: *Ecce sanus factus es*, inquit, *iam noli peccare; ne deterius tibi aliquid contingat*, Jo. 5. 14. Et S. Basil. Reg. fusiùs disput. regula 55. *Morbi*, inquit, *sunt flagella peccatorum, quibus nihil aliud agitur, nisi aut vitam nostram in meliùs commutemus.* Sic Deus Oziam regem sacerdotium invadentem lepra percussit, 2. Paralip. 26. 18. æquè ac Mariam sororem Mosis ob murmur, Num. 12. v. 10. Ita Jeroboam regem Israel idololatrantem, & manus extendentem in Prophetam, ariditate mulctavit, 3. Reg. 13. 4.

Porrò Siracides ad pœnitentiam tria requirit, scilicet Primò: *Averte*, inquit, *à delicto*, scilicet mentem, & voluntatem tuam, id est, concipe propositum ampliùs non delinquendi, nec peccandi. Unde Græca Romæ emendata habent: *Amove delictum*; Tigur. *missum fac delictum.*

Præclarè Plinius Secundus libr. 7. epist. ad Maximum: *Nuper*, inquit, *me cuiusdam amici languor admonuit, optimos esse nos, dum infirmi sumus. Quem enim infirmum, aut avaritia, aut honor sollicitat? non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit, & quantulumcumque, ut relicturus, satis habet: tunc deos esse, tum hominem esse se meminit; invidet nemini, neminem despicit: ac ne sermonibus quidem malignis, aut attendit, aut alitur. Si contingat evadere, in noxiam beatamque destinat vitam. Tales ergo esse sani perseveremus, quales nos futuros profitemur infirmi.*

Secundum est: *Dirige manus* ad rectam operationem, q. d. Propone deinceps te rectè operaturum, & imprimis te restituturum quod rapuisti, vel injustè detines; ac benefacturum aliis, præsertim pauperibus indigentibus. Tigurina, *manus rectas exhibe: manus*, id est, opera tua, & actiones, ait Vatabl. *Cùm enim homo sibi soli dat*, inquit Palacius, *manus curvat in se: at quando proximis dat, dirigit in eos. Audi Isaiam huius loci interpretem cap. 58. 7. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur. Hoc ergo modo dirige manus, si tibi vis citò sanitatem oriri.*

Tertium est: *Ab omni delicto munda cor tuum*, scilicet per contritionem, & pœnitentiam, quæ nunc ex institutione Christi includit confessionem, & satisfactionem. Unde liquet, pœnitentiam non esse nudam resipiscentiam, sive vitæ mutationem, qua homo novum vitæ, & virtutis genus ineat, (ut volunt Lutherani.) Insuper ad eam requiri veteris vitæ in peccatis actæ destructionem per contritionem, castigationem, & pœnitentiam.

Quocirca cap. *cùm infirmitas*. de pœnit. & remiss. sancitur, ut medici, priusquam corpus graviter vel periculosè ægrotantis curare incipiant, eum moneant de confessione facienda. Et quia hæc lex consuetudine abrogata erat, idcircò Pius V. motu proprio anno 1566. qui incipit *super gregem*, illam renovavit; addiditque ne medici ultra tertium diem visitent ægrotum, nisi de illius confessione sibi constet: denique ut antequam ad gradum doctoratus admittantur, ab illis exigatur juramentum, quo jurent se hanc legem servaturos de qua lege vide Suarez. 3. p. tom. 4. disp. 35. sect. 3. Ita B. Petrus Damianus epist. 129. ad Eremit. monachum eremi suæ decumbentem in lecto sic affatur: *Charissime frater Maure confitere, pœnitentiam age, & si quid est in te, quod forensis à tremenda Missarum te celebratione prohibeat, venerabilis tua fraternitas sacris obtemperare canonibus non contemnat.*

Pœnitere oportet in morte. Exempla.

Porrò pœnitentia maximè opus est in morte, ut reconciliemur Deo, ut satisfaciamus pro offensis, ac infernum evitemus, breveque habeamus Purgatorium. Unde S. August. inquit Posidon. in ejus Vita, *dicebat laudatos Christianos, & sacerdotes absque digna, & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipse fecit ultima qua defunctus est ægritudine. Nam sibi iusserat Psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi de pœnitentia, scribi, ipsosque quaterniones iacens in lecto contra parietem positos diebus infirmitatis suæ intuebatur, & legebat, & iugiter ac ubertim flebat.* S. Laurent. Iustinianus moriturus noluit in lecto decumbere, sed in matta, dicens: *Non in pluma Dominus meus, sed in durissimo ligno cubicavit. Meministis dicti B. Martini: Non decet Christianum hominem mori nisi in cinere, & cilicio.* Similia dixit, & fecit S. Franciscus, ceterique eximii Sancti, ac nostro sæculo S. Carolus Borromæus eiusque asseclæ, qui morituri in cinere, & cilicio decubuerunt, & occubuerunt.

VERS. 11. Tertium.

DA SVAVITATEM ET MEMORIAM SIMILAGINIS, ET IMPINGVA OBLATIONEM) Tertium est hoc ægri officium, ut scilicet, peracta de peccatis pœnitentia, offerat Deo sacrificium pro salute sua. Pro *suavitatem* græcè est εὐωδίαν, id est, suaveolentiam, sive suavem odorem: pro *memoriam* græcè est μνημόσυνον, id est, monumentum vel memoria-

moriale *similaginis*, id est similæ: ita vocabatur pars illa similæ, quæ in composito thure Deo cremabatur, ut per illam consecretur tota simila Deo oblata, & sacrificata, uti dixi Levit. 2. 2. Sensus ergo est, q. d. Offer Deo sacrificium *mincha*, id est, farris, & similæ, quod imposito thure suavem exhalet odorem, Deoque fit memoriale, tum tuæ oblationis, & obsecrationis pro obtinenda salute corporis, & animæ, tum tuæ gratitudinis, & recognitionis divinæ potentiæ, & opis. Rursum *impingua*, id est pinguem offer, *oblationem*, putà pinguem, selectam, & insignem victimam. Ferè enim cum *mincha*, id est sacrificio farreo, offerebant Deo victimam carneam, v. g. hœdum, ovem vel vitulum, ut perfectum esset sacrificium: sacrificium enim est quasi convivium Dei. In convivio autem requiritur tum simila, & panis, tum caro animalium. Potest quoque per *suavitatem* accipi, thus, & thymiama suaveolens, quod Deo adolebant Hebræi: unde Tigurina, *suffimentum adole, commendatitiamque* (Vatabl. *commendatricem*, vel *gratam, quæ scilicet sacrificantem Deo commendat*) *similaginem, & munus opimum consecra.*

Hoc verius fit in nova lege per sacrificium Eucharistiæ, quæ simul est mincha, & victima; quia in ea sub speciebus B panis offertur Deo ipsa caro Christi, ipseque Christus pinguis, & ardens charitate devotionis; quare hæc Deo iugem nostri, pro quibus offertur, memoriam ingerit, ut omnes nostras infirmitates sanet, omneque robur, & bonum conciliet. Ita S. Gorgonia morbum corporis prodigiosum quo laborabat, cùm medicos admittere nollet, Eucharistiæ sumptione miraculosè sanavit, uti refert eius frater S. Gregor. Nazianz. orat. 11. qui orat. 19. idem refert de patre suo, eum scilicet morbum suum gravem celebrando Missam depulisse. Multo magis Eucharistia medetur morbis animæ; unde à Patribus vocatur *pharmacum immortalitatis*, quia eius virtute resurgemus ad vitam immortalem, Joan. 6. 41. *Panis ergo, & vini*, ait Rabanus, *sacrificium in memoriam Dominicæ passionis oblatum præcipuè animarum vulnera curat, cùm per sacerdotis ministerium in altari simul cum sacris orationibus Deo offertur. Vnde sicut B. Gregorius in libris Dialogorum ait: Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multùm solet animas, etiam post mortem, sacra oblatio hostiæ salutaris adiuvare. Ita ut nonnunquam ipsæ defunctorum animæ hoc videantur* C *expetere: & non solùm defunctis, sed etiam vivis multum profuturum esse idem sacrificium creditur, si dignè offeratur.*

S. Gorgonia sanatur Eucharistia

Græci addunt μὴ ὑπάρχων, id est, *tanquam non existens*: Roman. *tanquam non sis*, q. d. Offer oblationem Deo, humiliando te summè coram illa majestate, cuius nomen est τὸ ὤν, ita ut coram ea æstimes te non esse, nec existere; quia tuum esse umbraticum est, & umbram tantùm essentiæ divinæ, adeò ut Dei nomen fit *ens*, creaturæ verò *non ens*, uti dixi Exodi 3. 14. Tigurina vertit, *ut qui non feras prives*, quod Uatabl. explicat. q. d. *Ut qui non prior panas beneficium, sed accepti gratiam referas.* Uerùm τὸ *tanquam non existens* delent Latina omnia, & S. August. in Speculo.

Mysticè hæc omnia infirmitati spirituali animæ, putà, eius vitiis, & passionibus per octo remedia, quæ hic assignat Siracides, curandis pulchrè adaptat noster Jac. Alvarez de Paz li. 5. de Vita spirit. part. 2. cap. 13.

ET DA LOCUM MEDICO: ETENIM ILLUM DO-
VERS. 12. MINUS CREAVIT: ET NON DISCEDAT A TE, QUIA OPERA EJUS SUNT NECESSARIA) Quartum est hoc D ægri officium, ut scilicet post orationem, pœnitentiam, & sacrificium, qua Dei archiatri opem imploravit, det quoque locum medico. Deus enim vult sua beneficia homini largiri non per se solus, sed homine cooperante: vult enim ut homo pariter faciat quod in se est, ac adhibeat media à Deo, & à natura instituta, quale in infirmitate ad adipiscendam sanitatem est medicus, & medicina. Addit, *Et non discedat à te*, quia non sufficit ægro semel consulvisse medicum, sed crebrò eum consulat oportet, ut medicus meliùs complexionem ægri, & qualitatem morbi indaget, eiq; pharmaca congrua adhibeat; præsertim quia morbus suos habet paroxysmos, certisque diebus suas variat vices, & crises, quas medicus studiosè observet oportet, ut judicet de morbo eiusque remediis. Et esto revalescere incipiat æger, tamen ne statim dimittat medicum, ne per imprudentiam; vel ignorantiam, vel intemperantiam, in morbum recidat: recidiva enim morbi ipso morbo est periculosior. Igitur medicus ægro adsit, donec plenè convalescat, ac deinde morbum tuendæ, & conservandæ sanitatis ei præscribat. Unde Tigur. vertit, *deinde locum dato medico, ut cuius Dominus author sit: nec discedat à te, quia ipsius indiges*; Roman. *nam & ipse opus est*. Græcè enim est χρεία, id est opus, utilitas, necessitas, indigentia, uti dixi v. 1. Syrus, *& etiam medico da locum; quia etiam in eo est utilitas; quia tempus est, in quo per eum prosperetur valetudo.*

Quartum.

Lyran. per medicum, accipit spiritalem, putà sacerdotem; quia, inquit, eius est orare pro ægro, uti subdit Siracides. Verùm clarum est intuenti, hæc omnia ad literam pertinere ad medicum corporalem.

Porrò veteres Ascetæ, & Anachoretæ medicis, & medicinis abstinebant, tum, quia in eremis, & locis solitariis longè ab urbibus, & medicis degebant; tum studio paupertatis, austeritatis, pœnitentiæ, & mortificationis. Axioma enim eorum erat: *Morbus corporis, est purgatio animæ*: item, *Corporis infirmitas, est mentis sanitas, & firmitas*: ideoque corpus ad omnes labores, & dolores assuescendo obdurabant: tum, quia suspirabant ad cælum, ut ex hoc exilio liberi evolarent ad beatam vitam; ideoque morbis, & asperitatibus, æquè ad deliciis, & voluptatibus, superiores evadere nitebantur. Ita S. Pachomius, ut habet eius Vita, Theodoro discipulo infirmanti non aliam medicinam dedit, nisi hanc: *In dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, &, quando voluerit Dominus, conferet tibi sanitatem.* Alterum verò reprehendit, quòd manus laborando laceras oleo perunxisset. Abbas alius in Vitis Patr. lib. 7. c. 20. discipulo ægrotanti hoc pharmacum dedit: *Ne contristeris, ò fili, ex infirmitate: summa enim religio est, ut ex infirmitate quis gratias agat Deo. Si ferrum es, per ignem amittis ærugmem. Sin aurum es, per ignem probatus à magnis ad maiora procedis. Sustine ergo, & ora Deum, ut ipse quæ vult illa concedat.* Ibidem alius sæpè ægrotans, cùm per annum morbo caruisset, mœstus dixit Deo: *Reliquisti me Domine, & noluisti me hoc anno visitare.* Morbus enim carnis purgatio est animæ.

Ascetæ prisci abstinebant medicina cur?

Quocirca magnus ille Abbas Johannes, qui Theodosio Imp. victoriam contra tyrannos prædixit, cuidam poscenti à tertiana liberari: *Rem*, inquit, *tibi necessariam cupis abiicere. Vt enim corpora nitro abluuntur à sordibus, ita animæ languoribus aliisq; huiusmodi castigationibus purificantur.* Mox tamen votis eius obsequens, oleo à se benedicto eum curavit. ita Ruffinus in Vita S. Johannis, quæ habetur in Vitis Patr. lib. 2. cap. 1. juxta editionem nostri P. Rosvveydi. Ibidem in Vita S. Posthumii legimus, eum in febrium, & stomachi tormentis nec calidis rebus usum, nec jejunia imminuisse, dictitantem: *Quòd si corpori calido cibo consuleretur, à Domino redemptio animæ non daretur.* Sic, & S. Antonium in morbis non minuisse jejunia, solitaque virtutum officia, refert in Vita eius S. Athanas. Similia de S. Hilarione scribit S. Hieron.

Verùm posteriores Ascetæ, & Religiosi hunc rigorem temperarunt, ac secuti consilium Siracidis medicos, & medicinas admittunt, imò suadent, & præcipiunt, ut videre est in Regulis S. Basilii, S. Benedicti, S. Augustini, S. Francisci, &c. Vide S. Basilium in Regulis fusiùs explicatis regula 55. ubi multis docet utendum esse medicis, & medicinis, sed ita, ut spes sanitatis in Deo potiùs quàm in illis reponatur. Unde concludens ait: *Neque igitur fugienda penitus ars illa est, neque rursus omnia in ea salutis nostræ præsidia collocanda; sed quemadmodum, licèt agricultura usum accepimus, frugum proventum tamen postulamus à Deo; & quamvis gubernatori clavum committimus, Deum tamen, ut nos ex alto incolumes conservet, oramus: sic nihilominus cùm medicum adhibemus, idq; ratio fieri concedit, neutiquam à spe illius erga nos bonitatis debebimus discedere. Mihi verò etiam ad colendam continentiam haud mediocre momentum ars hæc, de qua loquimur, videtur afferre. Siquidem animadverto ab ea, & delicias amputari, & crapulam damnari epularum, præterea varietatem & exquisitam nimis condimentorum pravè excogitatam solertiam, tanquam inutilem improbari: In summa denique indigentiam ab ea sanitatis matrem appellari.*

Posteriores iis usi cur?

EST ENIM TEMPUS QUANDO IN MANUS ILLORUM INCURRAS (id est, incurrere, eorumque curæ te credere, & committere debeas:) IPSI VERO DOMINUM VERS. 13.
DEPRECABUNTUR, UT DIRIGAT REQUIEM EORUM, ET (Complut. pro *&* legunt *in*) SANTITATEM VERS. 14.
PROPTER CONVERSATIONEM ILLORUM) *illorum*, scilicet non Medicorum, sed sacerdotum, qui offerunt Deo similaginem, & oblationem; ut dixit v. 11. Sacerdotum enim est deprecari Dominum pro salute ægri, medicorum verò est ei mederi. Favent Græca dum ita legunt,

est tempus cùm, & in manibus eorum est εὐωδία, id est, *suavitas odoris: Nam, & ipsi Dominum deprecabuntur, ut dirigat ipsis requiem, & sanationem propter restituendam valetudinem*: εὐωδία enim, id est, suavitas odoris, in offerendo thure, & thymiamate, spectat ad sacerdotes, non ad medicos, q. d. Dum adhibes medicum, simul adhibe sacerdotes, qui suis precibus, & sacrificiis invocent Deum, ut dirigat medici consilia, & pharmaca, eo modo, *ut requiem*, id est sanitatem, & valetudinem, ægro restituant; Noster vertit, *propter conversationem illorum*, hoc est, quia ab eis hoc requirit vitæ eorum ratio, & quia præ aliis sanctitati, & pietati student. ita Lyranus, & Jansenius.

Verùm εὐωδία, id est, suavis odor, scilicet herbarum, florum, aquarum medicarum, & aliorum pharmacorum, est quoque in manibus medici, ut per ea sanitatem ægro conferat. Adde, alios pro εὐωδία legere εὐοδία, id est, *successus*, prosperitas: nonnulli legunt εὐδοκία, id est *voluntas*, beneplacitum. Unde Tigurina vertit, *est cum medicorum quoque manus successum consequuntur: nam, & ipsi dominum orant, ut lenimentum secundet sibi, vitaque causa curationem.* Ubi ἀνάπαυσιν, id est *requiem*, exponit *lenimentum*, quo medicus per pharmaca lenit dolores ægri. Alii, *orant Dominum, ut tribuat prosperam quietem, & sanationem victus causa*; Syrus, *quia orabit* (medicus) *ad Deum, & dabit per manus eius tibi sanitatem, & veniet per eum sanitas, & vita*. Quare aptiùs hæc referas ad medicos, quàm ad sacerdotes. ad medicos enim totus hic locus spectat. Est enallage: *illorum*, id est, illius, scilicet medici, de quo sermo præcessit. Dicit *illorum*, quia multi sunt medici: *illorum* ergo, id est, alicujus ex illis, quem vel tua voluntas, & electio, vel necessitas tibi offeret.

Significat ergo Siracides, ait Jansenius, & Valesius Sacræ Philos. c. 74. officium boni medici esse, non solùm remedia morbis accommodata applicare, eisque niti, & confidere, sed etiam Deum invocare, & orare, ut sua, & ingenia, & remedia ad ægrorum salutem dirigat ac fortunet. Res enim, in qua medicus versatur, est per se magna, magnisque periculis obnoxia, quæ ob id non solùm prudentiam, sed etiam piam curam, & solicitudinem requirit: qua neglecta gravissimæ offensiones, ac periculosæ curationes esse solent. Cùm enim arti suæ plurimum fidunt medici, ita ut non curent Dei directionem implorare; fit nonnumquam, ut eorum conatus Deus non prosperet, sed subvertat. Itaque nostræ lectionis hic erit sensus: Est tempus, quando in medicorum manus incurras. Ipsi autem non suæ arti nimis fident; sed Dominum deprecabuntur, ut dirigat, & fortunet requiem quam ægris adferre student, hoc est sanitatem; idque quia hoc pertinet ad eorum conversationem, hoc est, officium, & vitæ rationem.

Aliter Lyran. *propter conversationem* inquit, id est propter sanctam vitam illorum. Aliter, & Palacius: *Propter conversationem*, inquit, id est, ut liceat medicis conversationem habere cum ægroto, quem ad salutem revocarunt. Aut q. d. Rogabunt medici pro salute infirmi: nam si medicus infelix sit, ac neminem sanet, quomodo poterit cum hominibus conversari? Ergo ut conversationem cum eis habeat, roget pro eorum salute. Græcè est ἕνεκα ἐμβιώσεως· ἐμβίωσις autem significat Primò, vitam, Secundò, victum; Tertiò, conversationem. Unde Primò, Tigur. vertit, *ut Deus secundet, & det curationem vitæ causa*, ut scilicet per curationem medici ægrum vitæ, & sanitati restituat. Hinc, & Roman. vertunt, *sanationem propter restituendam valetudinem* Secundò, alii vertunt, *ut det sanationem victus causa*, ut scilicet Deus per manus medici sanitatem ægro restituat, hoc inter alios fine, & fructu, ut scilicet medici sanando ægros victum sibi comparent: hæc enim est eorum ars ex qua vivunt. Tertiò, Noster vertit, *ut dirigat sanitatem propter conversationem illorum*, eo sensu quem jam dedi.

Medicus invocet Deum, ut medicina sit efficax.

Nota hic, officium medicorum esse, non tantùm medica arte, sed, & precibus, sanctaque vita ægris impetrare requiem, & sanitatem, id est quietam sanitatem, sanamque quietem. Idem docet Hippocrates: idemque fecere excellentissimi medici S. Cosmas, & Damianus uti dixi v. 2. Sanctitas enim meretur, ut Deus dirigat actiones cuiq; proprias, easque secundet, & prosperet. medicorum autem actio propria est mederi, & curare ægros. Ita Thalassius Asceta oratione, & signo crucis curabat suos colicos dolores, & viperæ morsus, teste Theodoreto in Histor. relig. c. 22. Nam, ut idem ait cap. 16. *Sanctorum deprecatio est commune omnium morborum remedium*. Ita S. Laurentius signo crucis Lucillum aliosque cæcos illuminavit. Ita in Vitis Patrum legimus, Sanctum Hilarionem, Sanctum Antonium, plurimosque alios Anachoretas oratione, & oleo à se benedicto curasse graves, & incurabiles multorum morbos.

QVI DELINQVIT IN CONSPECTV EIVS QVI FECIT EVM, INCIDET (Syrus, *traditur*) IN MANVS MEDICI) VERS. 11.
Legit Interpres ἐμπεσεῖται, id est, *incidet*: iam Complut. & Rom. legunt ἐμπέσοι, *incidat*, optativè vel imperatiuè, q. d. Dignus est qui incidat, ut hac pœna castigetur, ac ad Deum redeat. Tigur. vertit, *qui in Creatorem suum peccaverit, in manus medici solet incidere*. Sensus est, q. d. Qui peccare audet coram Deo, imò contra Deum factorem suum, à quo suum Esse, suam sanitatem, omneque bonum accepit; ipse hac sua ingratitudine, & malitia meretur sanitate, imò vitâ, omnique bono privari, ac morbis castigari, ideoque medicorum manibus subiacere, à quibus multa dura, & acerba remedia cogetur sustinere, & insuper pro tortura hac largum eis stipendium persolvere. Significat peccata esse causas morborum, indeque medicinarum molestarum, & affligentium: quare abstinendum esse à peccatis, ut careamus morbis, & medicinis.

Nota aptam metaphoram vel allegoriam: medicus enim comparatur tortori vel judici, medicinæ comparantur torturæ, carnificinæ, æger reo, peccata ægri criminibus rei. Hinc S. Script. sæpè morbos vocat funes, & lectum cui æger affigitur vocat carcerem; quia scilicet morbi sunt pœnæ peccatorum, quibus quasi funibus, & eculeo peccator ligatur, constringitur, & torquetur. ac consequenter de medico loquitur quasi de apparitore vel judice, qui delinquentes comprehendat, & coniciat in carcerem, iubeatque lecto decumbere, atque in eo quasi in eculeo potionibus, sectionibus, clysteribus, cucurbitis, balneis, cauteriis, ustionibus, aliisque sexcentis modis, & cruciatibus torqueat, & affligat. Ita sentit S. Job morbis à Deo afflictus, cùm dixit c. 7. 12. *Numquid mare ego sum aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* Et David psalm. 17. 5. *Circumdederunt me dolores, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me*. Et Christus sanans infirmam: *Mulier dimissa es ab infirmitate*, Lucæ 13. 12. Et vers. 16. *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit satanas ecce decem, & octo annis, non oportuit solvi à vinculo isto die sabbati?* Hinc S. Lavrentius Justinianus senex ægrotans, cùm medicus eius carnes incideret, ad ictum ferri stetit immobilis, ac timenti medico dixit: *Incide audacter, neque enim laminas Martyrum novacula tua superabit*. ita habet eius Vita.

Medicina tortura.

FILI IN MORTVVM PRODVC LACRYMAS (Nazianzen. orat. 10. legit *plora*) ET QVASI DIRA PASSVS INCIPE PLORARE) VERS. 12.
Tigur. *fili effunde lacrymas super mortuo, luctumque ut acerba passus exordire*; alii, *fili super mortuum dimitte lacrymas, & ut acerba patiens ordire lamentum*. De hoc lamento dixit cap. 22. 13. Syrus, *fili mi super mortuum multiplica lacrymas, & doleat te, & dicito ululatum*. Ab ægris, & morbidis congruè transit ad mortuos, quibus jubet ultima iusta funebria persolvi. Primum ergo officium mortuis debitum est deplorare eorum mortem, tum illorum, tum nostri causa. Illorum, quòd summum huiusq; ævi bonum, scilicet vitam, amiserint in perpetuum; quia numquam ad eam redituri. Nostri, quia utile, & gratum illorum, utpote parentum, cognatorum, amicorum, vel vicinorum alloquium, consilium, auxilium, omneque cum eis commercium amisimus, numquam illud in hac vita recuperaturi. Sane qui in morte cognatorum gaudent, eò quòd in eorum hereditatem, & bona succedant, hi illis se ingratos, & inhumanos exhibent. Alii quasi Stoici insensiles apathiam induunt, ut nullius amici vel rei deperditæ dolore tangantur. hi quoque carent humano, & communi commiserationis affectu. Unde omnes ferè gentes planxerunt suos mortuos, ut hic planctus iuris gentium esse videatur. Sic Abrham flevit mortem Saræ, Genes. 23. 2. Jacob mortem nuntiatam (sed falsò) Josephi, Genes. 37. vers. 35. ac mortem Deboræ nutricis Rebeccæ, sepelientique eam subter quercum Bethel: inde loco nomen dedit, *Quercus fletus*, Genes. 35. 8. Joseph planxit mortem Jacob: quin, & Ægyptii eamdem planxerunt, Genes. 50. v. 9. & sequ. S. Augustinus planxit mortem matris S. Monicæ lib. 9. Confess. c. 12. Hunc enim planctum exigit communis fidelium humanitas, pietas, & charitas.

Justa mortuo debita. Primum.

Audi

Audi S. Paulinum epist. ad Pammachium consolatoria de obitu uxoris ejus Paulinæ: *Bonæ lacrymæ charitatis, in quibus pater Abraham matrem repromissionis eduxit. Bonæ lacrymæ pietatis, quas Joseph iustus impendit patri. Bonæ, & lacrymæ orationis, quibus, & David stratum suum per singulas noctes rigabat. Sed quid Sanctorum mortalium prædicem fletus? Flevit, & Jesus amicum; hanc etiam passionem de nostra infelicitate dignatus, ut mortuo infunderet lacrymas, & quem resuscitaturus erat virtute divina, infirmitate lugeret humana. Licet in illo uno totam simul conditionem generis humani misericors, & miserator Dominus deploraverit, & illis lacrymis peccata nostra fleverit, & laverit. Idcircò, & tuæ, frater, lacrymæ sanctæ, & piæ: quia simili affectione manarunt, & dignam casti cubilis fleverе consortem, non diffidentia resurrectionis, sed desiderio charitatis.*

ET SECUNDUM JUDICIUM CONTEGE CORPUS ILLIUS, ET NON DESPICIAS SEPULTURAM ILLIUS) Est hoc secundum ac tertium pietatis officium mortuis debitum. Secundum, ut corpus mortui tegatur sudario, sindone, fasciisque sepulcralibus, *secundùm iudicium*, id est, juxta morem, & ritum funerum, quem quæque regio usurpat. Hebr. enim משפט *mispat*, id est, *iudicium*, sæpè mortem, & usum significat. Dedecorosum enim, miserum, & inverecundum esset illud vestibus omnibus spoliare, & nudum spectandum omnibus proponere. Tigurina, *corpus eius contege iuxta ritum funerum*; alii, *secundum consuetudinem eius* (uti solebat vivens tegi, & vestiri) *contege corpus ipsius*; Syrus, *& sicut docet, collige corpus eius, & ne contemnas sepulturam eius.*

Secundùm.

Tertium: *Et non despicias sepulturam eius*; Tigur. *nec sepulturam negligas*. Repetè τὸ *secundùm iudicium*, id est juxta ritum funerum, & morem patriæ. Quo Primò, significatur, & jubetur, corpus non esse projiciendum in sterquilinium, uti proiiciuntur corpora boum, & equorum; nec rursum inhumatum avibus, & feris laniandum esse relinquendum; sed terræ, ex qua formatum est, reddendum; idque ob spem resurrectionis. Ideò enim corpora hominum, non animalium, terræ quasi custodi commendantur, ut in die resurrectionis terra Deo resuscitanti illa, quasi deposita sibi commendata, reddat. Ita S. Maria Ægyptiaca moriens inscripsit (vel nomine eius angeli inscripserunt) terræ: *Sepeli Zosima misera Mariæ corpusculum. Redde terræ quod suum est, & pulveri adiice pulverem. Ora Dominum pro me. Ipsa nocte salutifera passionis post divina, & sancta cœna communionem.* Illa enim nocte mortua est, ita refert oculatus testis Zosimas Author Vitæ ejus; qui, & addit, leonem à Deo missum qui fossam unguibus effoderet, in quam ipse corpus S. Mariæ inferret. Sic, & duo leones à Deo missi, S. Antonio excavarunt sepulcrum S. Pauli primi Eremitæ, teste S. Hier. in ejus Vita. S. Luciani presbyteri, & Martyris corpus jussu Maximiani Imper. in mare projectum delphinus è mari in littus extulit, ut honestè sepeliretur S. Stanislai Cracoviensis Episcopi, & Martyris corpus aquilæ à feris defenderunt, ut sepulturæ mandaretur. S. Moses, & S. Catharina ab angelis sepulti sunt in monte Sina. S. Sebastianus post martyrium, & mortem apparens S. Lucinæ jussit, ut corpus suum projectum in cloacam inde eximeret, & in Catacumbis juxta vestigia Apostolorum S. Petri, & Pauli sepeliret. Sic honesta sepultura Martyribus ceteris à Christianis procurata est, etiam cum præsentissimo vitæ periculo; imò plures hac de causa martyrii lauream adepti sunt, ut videre est in Martyrol.

Tertiùm.

Bestiæ, & angeli sepelierunt Sanctos.

Sepultura ergo Primò, est decus defuncti; Secundò, refricat memoriam ejus vitæ, & virtutis; Tertiò, est memoriale resurrectionis; Quartò efficitur ut Sancti quibuscum sepelimur, pro nobis orent. ita S. August. lib. de Cura pro mortuis, ubi cap. 2. ait: *Ista omnia*, inquit, id est, *curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis vivorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum.*

Quatuor fines, & fructus sepulturæ.

Secundò, jubet, ut sepultura fiat *secundùm iudicium*, id est, ritum, & morem patriæ. Sic Judæi corpora sepelienda inungebant aromatibus more Ægyptio, uti fecere Jacobo Genes. 50. 2., & Christo Domino Joan. 19. 40. Ritus priscus Christianorum est, ut fidelium sepulturas ornent psalmodia, cantu, tedis, cereis accensis, floribus, campanarum pulsu, vestibus atris, uti multis SS. Patrum testimoniis, & exemplis docet Baron. tom. 1. anno Christi 34. cap. 275. in funere S. Stephani.

Tertiò, ut fiat epulum funebre tum amicis, tum pauperibus, juxta illud Tobiæ 4. 18. *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue*: qua de re plura dixi superiùs.

Quartò, ut oretur, & sacrificia fiant pro anima defuncti, ut fecit Judas Machabæus pro suis in bello occisis, 2. Machab. 12. 43. Idipsum fusè probat Bellarm. tract. de Purgatorio, & Baron. anno Christi 34. c. 279.

PROPTER DELATURAM AUTEM AMARE FER LUCTUM) græcè [illegible], id est, *amarum fac luctum*) ILLIUS UNO DIE, ET CONSOLARE PROPTER TRISTITIAM. ET FAC LUCTUM SECUNDUM MERITUM EJUS UNO DIE, VEL DUOBUS PROPTER DETRACTIONEM) Syrus, *vinum, & alimentum filiis hominum qui flent, & fac mærorem, ut convenit illi die uno aut duobus propter homines, & consolare propter vitam.* VERS. 17.

VERS. 18.

Græca de more concisa sic vertunt: Complut. *acerbum fac fletum, & accende planctum*; Roman *amarum fac ploratum, & calefac planctum* (lacrymæ enim sunt calidæ, & calefaciunt vultum, hinc vicissim per calorem eliciuntur, & augentur,) *& fac luctum secundùm dignitatem eius uno die, vel duobus propter detractionem: & admitte consolationem propter tristitiam*; Tigurina, *acerbam cie lamentationem, & ne male audias, planctum accende* (alii *ardentem ede planctum*,) *luctuque quo dignus est eum prosequere, idque die uno aut altero, ut evites calumniam; deinde admitte consolationem, ut mærorem minuas.*

Delaturam v. sequ. vocat *detractionem*, & calumniam, q. d. Amarè plora mortem amici *propter delaturam*, ne scilicet quis cavilletur, tibique detrahat, imò apud alios deferat, accuset, & criminetur, quòd illum oderis, vel gaudeas de morte illius, si non amarè plores. At noli plorare more Ethnico inconsolabiliter, sed more fidelium post ploratum amarum unius, vel alterius diei, *consolare*, id est, consolationem admitte, *propter tristitiam*, ne scilicet nimia tristitia obruaris, illaque tibi morbum, maniam, vel mortem conciliet. *Et fac luctum secundùm meritum*, græcè [illegible], id est, dignitatem, *eius*, id est, juxta quod dignus est à te defleri: magis enim dignus est defleri, ideoque reipsa deflendus princeps, quàm plebeius; pater, quàm cognatus; mecænas qui te aluit, quàm communis amicus; vir sanctus, quàm simplex fidelis. Idque propter *detractionem*, ne scilicet quis tibi tamquam inhumano vel impio detrahat. Minùs rectè ergo Rabanus per *detractionem* accipit *abscessionem*, hoc est mortem, per quam anima abscedit à corpore, ab eoque detrahitur, & avellitur.

Porrò Judæis carnalibus competebat amarus mortuorum ploratus: Christianis verò ob clariorem fidem, & certiorem spem resurrectionis, valdè moderandus, & mitigandus est. Unde Apostolus 1. Thess. 4. 12. *Nolumus*, inquit, *vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut, & cæteri qui spem* (resurrectionis) *non habent*. Igitur fideles, & Christiani non tam lugent mortem Sanctorum, quàm quòd per mortem eorum sancta doctrina, & exemplis destituantur, uti planxerunt S. Stephanum planctu magno, Actor. 8. 2. Qua de causa S. Ambros. valdè lugere solebat senum mortem, qui sua prudentia, & sanctitate junioribus præibant viam virtutis, & perfectionis. Unde ipse libr. 2. de Abel c. 3. *Quàm gaudeo*, inquit, *cùm aliquos mites ac sapientes diu vivere video*, &c. *quia prosunt pluribus! Similiter cùm huiusmodi decedit, quamvis longa senectute depositus, afficior, quia destituitur grex iuventutis muro senili.*

Dices, Quomodo cap. 22. 13. statuit septem dies luctui, hic verò unum tantùm vel duos? Resp. Primus ille amarus ob mortuum parentem vel amicum ploratus, & planctus durabat, & etiamnum durat, uno, alterove die, quo peracto remittitur ille, succeditque moderatus, & lenis luctus, durans ad septem dies. Vide dicta cap. 22. 13. Ita S. Paulinus hunc luctum explicat, & pertractat epistola ad Pammachium, qua eum lugentem mortem uxoris suæ Paulinæ quæ filia erat S. Paulæ, consolatur: *Script. divina*, inquit, *quæ producere nos lacrymas quasi temperando dolore permittit, termino quoque designato præscribit tempora, cùm dicit amaritudinem luctus uno ferendam die. O divitiæ bonitatis Dei! quàm pia idipsum sollicitudine nostri cavet, non pietatis propensa invidus, sed infirmitatis nostræ conscius, & omnis immodici temperator. lacrymas mortuo produci iubet, amaritudinem verò lugendi uno tantùm die claudit. illud porrigi sinens quo relaxatur dolor, & anima respirat: istud verò præcidens, quod immoderato, & irrationabili cruciatu mentem nostram conficit, quodque diutiùs fragilitas nostra non valet sustinere. Sed hoc plenius, ipsa suo verbo pietas Dei explicat; subiecit enim: & consolare maturè*

S. Paulinus solatur Pammachium in luctu uxoris defunctæ.

maturè propter tristitiam. A tristitia enim festinat mors, & cooperit virtutem: quia tristitia illa tantùm salutaris, quæ secundùm Deum est; ista autem (ut Apostolus ait) quæ secundùm hominem, hoc est, de infirmitate est, carnalis est tristitia. Sapienter S. Hieron. epist. 29. consolans Theodoram lugentem mariti Lupicini obitum: *Verum*, ait, *est illud super necessitate mortis propheticale vaticinium, quòd fratres dividat, & charissima inter se nomina crudelis, & dura dissociet? Sed habemus consolationem, quia Domini voce iugulatur, per quam ad eam dicitur: Ero mors tua, ò mors, ero morsus tuus inferne.* Et paulò post: *Adversus ergo mortis duritiam, & crudelissimam necessitatem hoc solatio erigimur, quòd brevi visuri sumus eos, quos dolemus absentes. Neque enim mors, sed dormitio, & somnus appellatur, ut, quos dormire novimus, suscitari posse credamus, & post digestum soporem vigilare cum Sanctis, & cum angelis dicere: Gloria in excelsis Deo.*

S. Hieron. Theodoram

Eamdem in luctu funereo suorum moderationem, verbis, & factis docuere ceteri Patres, ut S. Augustinus in funere matris suæ Monicæ lib. 9. Confess. cap. 12. Ambros. in obitu fratris sui Satyri, Nyssenus in oratione funebri fratris sui S. Basilii, S. Gregor. Nazianz. orat. 10. quam habuit in funere fratris sui Cæsarii, & 11. in funere sororis suæ Gorgoniæ, & 19. in funere patris sui Gregorii, ac S. Bernard. serm. 26. in Cant. in morte fratris sui Gerardi. Eamdem moderationem adhibuit Christus in morte Lazari, ubi lacrymatus est; sed mox à lacrymis ad eius suscitationem se transtulit, Ioan. 11. 35. Notavit id S. Basil. homil. 4. de Gratiarum actione: *Voluit*, inquit, *affectus, qui vitari nequeunt, astringere, & circumplecti intra moderatam quamdam temperiem, & certos limites. Nimirum inclementiam quidem, quæ nullius tangitur commiseratione declinans, tamquam feram immanem; studium verò affectati doloris, & immoderatam lamentationem, velut rem ingenerosam excludens.* Eadem est S. Cyrilli Alexandr. explicatio lib. 7. in Joan. cap. 20. *Erudiit*, inquit, *nos Dominus suis lacrymis, quonam modo charos nostros vita functos, moderatis, & lege rationis moderatis lacrymis flere debeamus. Nam ex toto nos compati, nec moerere ferinum est, & durum: horum verò exuberantia, muliebre.* Accedit S. Isidorus Pelusiota libr. 2. epist. 175. *Christus*, inquit, *ob Lazarum lacrymas profudit, regulas nobis ac terminos figens, ne bacchantium more pro mœstitia præcipites agamur.* Idem docuit vadens ad crucem: conversus enim ad filias Ierusalem plangentes: *Nolite*, inquit, *flere super me*, Lucæ 23. 28. Nam ut ait S. Leo serm. 10. de Passione: *Solet sexus infirmior, etiam pro iis qui morte sunt digni, in lacrymas commoveri, & damnatorum exitiis pro naturæ communis consideratione misereri: sed istum sibi planctum Dominus Iesus dedignatur impendi: quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam.*

Moderandus est luctus defunctorum.

Vers. 2. A TRISTITIA ENIM FESTINAT MORS, ET COOPERIT VIRTUTEM, ET TRISTITIA CORDIS FLECTIT CERVICEM) Græca de more breviùs sic habent, *à tristitia enim procedit mors, & tristitia cordis flectit*, vel *curvat vigorem, & robur*; Tigur. *nam tristitia in mortem exit, animique tristitia vires infringit*; Syrus, *quia à mœrore generatur angustia: ita enim cor malum* (id est miserum, & mœrens,) *plusquam mors confringet anxietate pauperes, & adducit tristitiam: quia vita pauperis ad maledictionem cordis.*

Dat causam cur in luctu defunctorum mittenda sit consolatio, & moderanda tristitia: quia scilicet tristitia tria ingentia causat mala. Primum est, quòd ex ea manat, imò *festinat*, id est festinatò, & citò obvenit, *mors*. Secundum, quòd *virtutem*, id est, vires hominis, *cooperit*, id est deprimit, & supprimit, ac tandem obruit, & opprimit, ut homo fiat enervis, languidus, impotens, & ineptus ad omnia. Tertiùm, quòd *flectat cervicem*, ut homo qui antea alacer incedebat, animosus, & rectus, jam mœstus incedat, deiectus, & curvus, quasi elumbis, prostratis omnibus animi, & corporis viribus. Tristitia igitur accelerat mortem, attenuat vires, & inducit senium, quo cervix curvatur, & homo sibi accelerat mortem; quia vita est in calido, & humido: at tristitia frigida est, & sicca, terrena scilicet, & melancholica: lædit verò tristitia vitam; ac proinde nervos, in quibus sunt vires hominis, terrenos facit, & hebetes, ac ferè melancholia tectos, & ideò debiles: nervi igitur debiliores curvantur, ac ideò fit senex incurvus.

Tria tristitiæ damna.

Vide quæ de damnis, & remediis tristitiæ dixi cap. 30. 22. Sic, & Lyran. *Tristitia*, inquit, *est passio mortificativa, & cooperit virtutem, id est, suffocat virtutem naturæ, quo debilitata cervix, & caput flectitur, sicut per fortitudinem eius erigitur.*

IN ABDUCTIONE PERMANET TRISTITIA: ET SUBSTANTIA INOPIS SECUNDUM COR EIUS) Ita Roman. Complut. & alii legunt ἐπαγωγῇ, *in obductione*, vel inductione, id est, in plaga, calamitate, afflictione, uti dixi c. 2. v. 2. Verùm ceteri legunt cum Nostro ἐν ἀπαγωγῇ, id est, *in abductione*. Rursum Romani, & alii pro διαμένει id est, *permanet*, legunt παρέρχεται, id est, *transit*, abit, discedit. Unde nonnulli sic vertunt, *in inductione abit tristitia*, q. d. Per inductionem animi, qua scilicet animus sibi accersit, & inducit cogitationes lætas, sibique persuadet se esse felicem, abit tristitia. Hinc, & aptè subiungitur: *Et substantia inopis secundùm cor eius*, ut scilicet si inops cordi suo persuadeat, se satis opum habere ad honestè vivendum, sit lætus, & felix; sin autem persuadeat sibi deesse necessaria vitæ, miser vivat, & infelix. Hinc, & Græca Romæ emendata habent, *in abductione transit, & tristitia, & vita pauperis secundùm cordis*; & Tigur. *amoliendo* (obiecta, & cogitationes tristes) *mœstitia præterit, & afflicti vita constat animo*. Græcum enim βίος significat propriè vitam, indeque victum, substantiam, & opes, quibus vita conservatur. Verùm Noster, & ceteri legunt contrariè διαμένει, id est, *permanet*.

Quæres, quænam hæc *abductio*, in qua permanet tristitia? Primò, aliqui censent esse abductionem in carcerem. Unde vertunt, *in carcere permanet tristitia*: Græcum enim ἀπαγωγή, subinde idem est quod αἰχμαλωσία, id est captivitas, conjectio in carcerem vel abductio.

Abductio quid? Resp. 1.

Secundò, Lyran. censet esse abductionem à bono ad malum: quia sicut bona vita est causa lætitiæ, sic mala est causa tristitiæ: quare si quis à bona vita sinat se abduci in malam, ex lætitia labitur in tristitiam.

Secundò.

Tertiò, magis litteraliter *abductio* hæc accipi potest, ab usu rerum, & à conversatione hominum, putà, solicitudo, & inedia: hæc enim, & similia pariunt melancholiam, ut patet in Timone Atheniensi, qui mœstus semper fugiebat homines, imò optabat perire homines: unde vocatus est μισάνθρωπος, id est, osor hominum, teste Laertio, Plutarcho, & aliis. Ita Palacius: Si te abducas inquit, ab hominum familiaritate, permanebit in te tristitia: quæ si permanserit, actum est de substantia, & facultatibus tuis: substantia enim hominis est secundùm cor ejus. Si enim homo cum attentione, & diligentia suam substantiam tractet, eam conservabit: at si tristitia pressus eam negligat, planè ei peribit.

Tertiò.

Quartò, meliùs Raban. & Jansen. explicant, q. d. Tristitia permanet in homine per hoc, quòd abducit animum suum à consolatione, & consideratione eorum quæ dolorem mitigare possent: & subsistentia pauperis, vel afflicti est secundùm cor ejus, talis est, & vita atque subsistentia ejus: ut, si cor ejus sit mœrens, verè sit misera ejus vita, & brevis futura: si lætum aut tranquillum, nihil ei obsit externa calamitas, diuque ejus vita sit duratura. Aut *substantia pauperis est secundùm cor eius*, hoc est, ex corde dependet divesne quis sit habendus an pauper. Si enim modico contentus est, & paupertatem æquo fert animo, reputandus est verè dives: si verò animo est intranquillo, etiamsi multas possideat divitias, verè pauper est. Itaque secundùm hunc sensum significatur tristitiam esse ingens malum, utpote quæ divitem facit egenum, & pauperem facit bis infelicem.

Quartò.

Quintò, simpliciter, & planè accipi hic potest abductio in captivitatem, inopiam, calumniam, similemvè calamitatem, qua scilicet vel persona abducitur in exilium, aut carcerem, aut infamiam: vel opes ejus, & bona abducuntur, & abripiuntur à furibus vel grassatoribus, uti abducta fuere S. Jobi capit. 1. Hæc enim causa est, & objectum tristitiæ; & quamdium manet ista, manet, & hæc.

Quintò, & germanè.

Confirmatur Primò: nam Græcum ἀπαγωγή propriè idem est quod inductio, deductio, submotio, abductio, exilium, captivitas, in carcerem conjectio, accusatio, & quævis delatio. Et thema ἀπάγω, idem est quod abduco, abigo, abstraho, subduco, defero, rapio ad supplicium, ad judicem; in carcerem abduco.

Secundò, quia Complut. pro ἀπαγωγῇ legunt ἐπαγωγῇ, quod Noster vertere solet *obductio*. Unde nonnulli manuscripti hic legunt, *in obductione*, id est, in calamitate vel clade, qua mens obducitur, & obvelatur, *permanet tristitia*.

Tertiò, quia sequitur, *Et substantia inopis secundùm cor eius*. q. d. *In abductione*, id est spoliatione, inopia, & calamitate, *permanet tristitia*, &, id est quia, *substantia inopis est secundùm cor eius*, hoc est, efficit cor sibi simile, illudque

sibi

sibi conformat; ut sicut substantia inopis est arcta, modica, obscura, lurida, sordida; sic eadem, & cor ipsius efficiat arctum, modicum, pusillanime, obscurum, luridum, sordidum, mœstum, melancholicum. Sicut enim opes dilatant, & exhilarant cor, sic inopia, penuria, & fames vicissim cor arctat, & angustat, efficitque triste, & mœstum. Unde Græcè est, *victus pauperis* vel *mendici* κατὰ καρδίας, id est, *secundùm* vel contra *cor* eius: Complut. legunt, κατάρα καρδίας, id est, *victus*, vel *substantia pauperis* est *maledictio cordis*, id est, efficit cor malum, id est, miserum, triste & melancholicum. *Maledicere* enim subinde idem est quod malefacere, & *maledictio* est idem, quod maleficentia, & maleficium; sicut ex adverso *benedicere* est benefacere, & *benedictio* est beneficentia, præsertim cum Deo tribuitur: Dei enim dicere est efficax, idemque quod facere. *Dixit enim, & facta sunt* omnia, Genes. 1. Posset quoque *substantia* accipi pro subsistentia, & vita; hanc enim significat Græcum βίος, q.d. Subsistentia, & vita inopis est misera, sordida, mœsta, & squalida; sicut cor eius miserum est, sordidum, mœstum, & squalidum.

Mysticè Rabanus: *Ubi*, inquit, *dolor immoderatus obtinet cor, & abducitur animus, ne recipiat consolationem, ibi permanet tristitia: quia hic incipit per doloris afflictionem, & in futura permanet pœna, propter diffidentiam supernæ consolationis. Veraciter enim temperatur substantia viri inopis animo secundùm cor eius: quia quantum deest illi in fide & spe, tantum illi crescit mæror in angustia, & dolore.*

VERS. 21. NE DEDERIS IN TRISTITIA COR TUUM, SED REPELLE EAM A TE, ET MEMENTO NOVISSIMORUM, NOLI OBLIVISCI: NEQUE ENIM EST CON-
VERS. 22. VERSIO, ET HUIC NIHIL PRODERIS, ET TEIPSUM PESSIMABIS) Probat non nimis esse lugendum, & tristandum in morte amici; duobus argumentis, sive motivis. Prius est, quòd tristis sibi mortem acceleret. Posterius, quòd tristis per luctum nihil prosit mortuo, sibi verò obsit plurimùm. Sensus ergo est, q.d. Ne cor tuum des *in tristitia*, Græcè εἰς λύπην, id est, in tristitiam, ut scilicet totum te dedas, & immergas tristitiæ, ut illa te absorbeat, obruat, totumque occupet; sicut qui se immergit mari, totus ab eo obruitur, & absorbetur: sed *repelle eam à te*, accersendo obiecta, cogitationes, & exercitia, quæ te lætum efficiant: & *memento novissimorum*, id est, mortis, & sepulturæ, quæ tibi per tristitiam accersis, & acceleras: ac horum *noli oblivisci*; quia postea non *est conversio*, græcè ἐπάνοδος, id est, reversio, & reditus ad vitam, q.d. Vide ne ex tristitia mortem incurras, ex qua numquam redeas ad vitam. Insuper huic, scilicet mortuo, quem luges, per luctum *nihil proderis, & teipsum pessimabis*; græcè, κακώσεις, id est, affliges, lædes, & malè, imò pessimè, afficies per nimiam mœstitiam. Cur ergo tibi tantum accersas incommodum sine ullo illius commodo? ita Lyranus, Palacius, Jansenius: unde, & Tigurina vertit, *ne dedas animum tuum tristitiæ, sed eam abige memor extremorum, ne obliviscaris eorum: neque enim inde reditio est, præterquam quòd non iuveris illum, & teipsum excruciaris.*

Mysticè Rabanus: *Ne occupet*, inquit, *tristitia sæculi cor tuum, quæ mortem animæ operatur; sed abiice eam à te, & memento novissimorum temporum: quia qualis hinc exis, talis ante iudicem præsentandus eris, ut recipias propria corporis prout gesseris, sive bonum, sive malum. Proinde numquam oblivioni tradas novissimæ horæ exitum, sed semper paratus esto: quia postquam hinc exieris, nequaquam ultra huc revertens spatium bene operandi habebis; & ideo cautus esto in omnibus, ne forte in obitu proximi plus æquo doleas: quia nihil proderis illi plorando, si temetipsum læseris doloribus immensis afficiendo:*

Porrò Syrus hic prorsus aliò abit: omissa enim tristitia abit ad juramenta, & avaritiam. Sic enim habet, *ne des cor tuum iuramentis: recordare angustiæ; & aufer peccata: & ne confidas in divitiis, quia non est in illis spes: quia sicut avis cæli quæ volat, & residet, ita divitiæ coram filiis hominum te lætificant, & alteri nocent.*

VERS. 23. MEMOR ESTO JUDICII MEI (sic, & Complut. licèt Romana legant αὐτοῦ, id est, *eius*, scilicet amici defuncti:) SIC ENIM ERIT ET TUUM: MIHI HERI, ET TIBI HODIE) *Iudicii*, id est sortis, & conditionis, putà mortis meæ, quòd jam vita, & vivis excesserim, simque in statu mortuorum. Memento ergo, quòd, sicut mors mihi contigit heri, sic eadem tibi continget hodie: hodie inquam, quia nulli mors certas dedit inducias usque ad manè, quas optabat Chrysaorius moriens, vidensq; dæmones ut se raperent, teste S. Gregor. hom. 19. & 34. in Evang. & 4. Dialog. c. 38.

Mors vocatur *iudicium*, Primò, quia consueta, & communis omnibus: *iudicium* enim Hebræis sæpè idem est quod mos, & consuetudo. Secundò, quia justo Dei judicio Adæ, & posteris ejus, ob inobedientiam, & peccatum à Deo est inflicta, Genes. 3. 19. Tertiò, quia per mortem transimus ad judicium, & tribunal Christi, ut judicemur de actis bene vel malè in vita, ac sententiam æternitatis, vel beatissimæ, vel miserrimæ excipiamus: ac *qualis quisque in morte reperitur, talis in iudicio præsentabitur*, ait Lyran. & Hugo. unde, & Tigur. vertit, *memento sortem meam perinde esse, ut tua futura sit: heri mihi, tibi hodie*, id est, brevi, vel paulò post. Est enallage numeri: ponitur enim definitus pro indefinito. *Mors vocatur judicium ob tres causas.*

Jam Primò, Palacius censet hæc dici à Siracide nomine defuncti, ut duo insinuet. Alterum, ut superstes avertat oculos à morte mortui, & convertat in mortem suam citò fortè futuram. Alterum, ut, si adeò impatienter fert mortem defuncti, consoletur: nam fiet ut brevi moriatur, ac ita mortuus mortuum invisat. Hoc sciens David mortuo filiolo suo, deposito luctu ajebat: *Numquid potero revocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum: ille verò non revertetur ad me*, 2. Reg. 12.

Secundò, meliùs Lyran. & Jansen. censent hæc dici à Siracide ad hoc, ut post recensita incommoda, & damna nimiæ tristitiæ ex morte amicorum, doceat quid fructus, & commodi ex mortem eorum capere debeamus, scilicet monitionem, nos quoque brevi morituros, ut ad mortem sanctam, & felicem nos comparemus. Atque quo magis lectorem commoveat, ipsummet defunctum introducit loquentem, & communis sortis quemque admonentem, quemadmodum in Epitaphiis frequenter fieri solet. *Memor*, inquit, *esto iudicii mei*, hoc est conditionis meæ, quam Dei ordinatione, & judicio subire debui: *sic enim erit*, & tua conditio, cùm Deus ita de te fieri jusserit; q.d. Noli te ob mortem meam nimis discruciare, sed illud potiùs ex illa lucri reporta, ut cogites quòd, qualis est conditio mea, & quale judicium Deus in me exercuit, talis erit, & tua aliquando conditio, & tale judicium etiam tibi continget. Et ne illud in longum tempus differendum tibi promittas, quod heri mihi accidit, hoc ipsum tibi hodie exspectandum est, & evenire potest. Bene enim dicit *hodie*, & non *cras*, ut intelligat quisque, quemlibet diem præsentem sibi posse esse ultimum, nec sibi promittat certò aliquod vitæ tempus in futurum: juxta illud Poetæ:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Sic, & Rabanus: *Iudicium suum*, inquit, *dici obitum de hoc mundo, quod unicuique proprium est, tam præteritis, quàm etiam præsentibus: quia nullus est homo super terram qui vivat, & non videat mortem. Et bene dicit, Mihi heri, & tibi hodie: ac si diceret, Quod in me iam completum est, in te modò instat implendum. Hæc enim admonitio bonorum patrum est, ut filios suos admoneant, quatenus discant in casibus priorum, suum quoq; in præsenti sæculo diuturnum non esse statum. Ac ideò præparent sibi bonorum operum viaticum, quo in futura vita cum sanctis angelis possint vivere in perpetuum.* Porrò Syrus paraphrasticè ita vertit, *recordare quòd illa* (divitiæ) *sunt tibi scissio* (à te scindentur, & auferentur) *illi heri, & tibi hodie.*

Moraliter ergo, quoties vides vel audis aliquem mortuum, cogita eum tibi dicere, & muto ore inclamare: *Memor esto iudicii mei: sic enim erit, & tuum: mihi heri, & tibi hodie.* *Moral. de memoria mortis.* Hinc nonnulli Religiosi, ut jugem sibi invicem memoriam mortis ingererent, ita invicem salutabant, ut prior diceret: *Moriendum est nobis*; responderet alter: *Nescimus quando.* Alii cranium defuncti, vel imaginem mortis in cubiculo statuunt, & jugiter oculis obiiciunt, ut mortis meminerint. *Exempla.* S. Joannes Eleemosynarius vivens jussit effodi sibi sepulcrum, ac quotidie admonitorem sibi in aurem dicere: *Domine sepulcrum tuum necdum perfectum est: iube ergo illud perfici; quia brevi, & fortè hodie morieris.* ita Leontius in ejus Vita. S. Bernard. de Quinta Valle, primus S. Francisci socius, eiusque primogenitus, jam moriturus sui hoc cycnæum vitæ monitum occinuit: *Fratres mei, statum quem ego habui, & vos habetis; & quem nunc habeo, vos habituri estis. Invenio autem in anima mea, quòd pro mille mundis nollem non servisse Domino Iesu.* ita Annal. Minorum.

Quin, & Basil. Imp. Exhort. ad Leonem filium c. 41. eum monet ne regno, utpote brevi in morte finiendo confidat, sed bene vivendo paret se ad mortem, ut per illam transeat ad beatam immortalitatem, & ad regnum cæleste:

Istam

Istam regiam multi reges, inquit, *quasi inquilini habitaverunt, sed pauci regnum cæleste, quasi domum suam tenuerunt. Tu verò, amantissime fili, enitere non solùm regno isto terreno rectè defungi, per omnem morum probitatem: sed etiam cælestè veluti hereditario iure consequi, per omnimoda virtutis exercitationem: hodie enim tua sunt ista palatia, crastina die tua fortasse non erunt, & perendie alterius fient, ac post perendinum diem alius adhuc post alium: ita ut nullius unquam sint propria: nam si multos vicissim permutant dominos, propriè nullum legitimum habent. Quoniam ergo nos aliis cedere oportet istam dominationem, properemus per iter virtutis illo, ubi regnum est nec morti, nec vicissitudini obnoxium, cùm cætera omnia defluant, & prætereant.*

Denique nostro hoc sæculo Franciscus Valesius rex Franciæ captus à Carolo V. cùm in Hispania detineretur, carceri suo inscripsit. *Hodie mihi, cras tibi.* Movit id Carolum V, qui proinde memor miseræ sortis, & vicissitudinis humanæ, protinus subscripsit: *Homo sum, humani a me nil alienum puto.* Vide dicta cap. 7. 40. & cap. 11. 20. & cap. 14. 12. & sequent.

Hodie tria notat. Primum. Secundum.

Notat Hugo, dici *tibi hodie* non *tibi cras*; tum, quia quotidie morimur; tum, quia nemo de crastino, quòd vivet, est securus. Unde Hebræi vivos, & mortuos uno duntaxat distinguunt puncto. Nam מְתִים *metim* per *sceva* vocant vivos; מֵתִים *metim* verò per *tsere* vocant mortuos; ut significent quàm fragile bonum sit quod vivi obtinemus; siquidem puncto uno supra alterum posito à mortuis separamur, quòd si punctum illud suprà positum dematur, & lateri affigatur; cum mortuis computabimur, tum, quia brevi venit unum hodie, quo sumus morituri; cumque illud sit nobis incertum, si sapimus, quodlibet accipere debemus, ut quotidie mortem exspectemus, ad eamq; simus parati, ideoque dicamus cum S. Antonio: *Hodie cæpi vivere Deo, hodie quoq; finiam, & moriar*, Sapient. Horat. li. 1. Carm. *Vita summa brevis*, ait, *spem nos vetat inchoare longam.* Audi S. Ephrem serm. *De his qui in Domino dormierunt*, to. 3. *Ne nos in hodiernum vel crastinum diem impura relaxet cogitatio; quoniam multi dum multa secum statuerent, ad crastinum non pervenerunt at subitò rapti sunt sicut passerculi ab accipitre, & velut agni à lupo, & quasi captivus à latrone, nec loqui prorsus valentes, nec testamentum condere, neque vocem ullam edere. Alii enim vesperi cubitum sani concedentes, ad manè non pervenerunt. Alii ad mensam accumbentes, exspirarunt. Alii inter ambulandum, & ludendum repente sunt mortui. Alii in balneo morientes, idem lavacrum pro epitaphio ac sepultura habuerunt. Alii verò dum nuptias celebrarent, in ipso thalamo nuptiali subitò atque inopinatò abrepti sunt, & eadem sibi vestimenta pro nuptiis paravunt atque pro funere: successeruntq; in locum tibicinum lamentantes, & in locum saltantium, atque tripudiantium lugentes atque plorantes.*

Tertium.

Denique audi nostrum Alvarez de Paz tom. 2. lib. 4. de cognitione sui p. 1. cap. 7. hæc verba Ecclesiastici examinantem, & patheticè perurgentem; *Memor esto iudicii mei, sic enim erit, & tuum.* Tuum, inquam, ò homo qui vitam agis, qui vitali actione moveris, qui lucis huius usura perfrueris; qui tam es huius sæculi negotiis immersus, & futuræ calamitatis oblitus: inanes ergo, & noxias curas deponito, & conditionis meæ horribilis recordationem admittito; quia mihi, & tibi una est communisque conditio, nisi quòd me hesterno die, te verò hodie comprehendet. *memor esto iudicii mei*: id est, sententiæ à Deo severo judice adversum me prolatæ, quam jam eius voluntas cui nemo potest resistere, in me executioni mandavit, quia eadem certissimè adversum te prolata est, nisi quòd vel ut emenderis, vel ob negligentiam tuam acriùs puniaris, ad tempus breve differtur. Recordare, obsecro, ad bonum tuum, miseræ sortis cui me communis natura subiecit, quia non alia tibi quàm mihi sors parata est; sed eidem te fragilis caro subiiciet. Mortalis es, sicut, & ego; igitur morieris. Luteum vas es, sicut, & homines reliqui: igitur, & confringeris. Viator es, qui quemadmodum, & omnia caduca, ad finem tendis: ergo tandem mortis umbra occupaberis. Ne longam, & prolixam ætatem tibi promittas: nam mors mihi accidit heri, tibi verò hodie, quamvis sis imparatus, adveniet. Est magna domina, quæ universis mortalibus dominatur: & ideò exspectari vult, & paratos mortales ac dispositos ad iter faciendum esse cupit: ipsa verò nullum exspectat, sed destinato tempore sine ulla mora ad egrediendum vocat. Hoc autem tempus non longè distat, sed hodie est, quia sicut hodierna dies, citissimè transiet, etsi longinquum videatur.

Pathetica mortui ad viventes oratio.

Sed nunc audi judicium meum, audi sigillatim sortem ac conditionem meam, ut ex ea tuam valeas coniectare. Ego quidem mortem certissimam, & incertissimam habui: certissimam, quia post peccatum irrefragabiliter mortui fui adjudicatus: incertissimam, quia semper anceps fui quonam tempore eram moriturus, & cuinam generi mortis eram ex divina ordinatione subiectus. Talem tu mortem certissimam, atque incertissimam tibi insidiantem advertito, &c. Post mortem verò quale erit judicium tuum? Corpus tuum fiet cadaver luridum, fœtidum, vermibus scatens, quod omnes abominentur, ideoquè in terram defodiant; ubi à bufonibus, & serpentibus comedetur. Animæ verò iudicium erit horribilius. Nam si in peccatis vixit terribilem judicis sententiam excipiet: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius*, Matth. 25.

VERS. 19. Requies memoriæ quintuplex. Prima.

IN REQVIE MORTVI REQVIESCERE FAC MEMORIAM EIVS, ET CONSOLARE ILLVM IN EXITV SPIRITVS SVI) Primò, Rabanus censet hic juberi ut retineatur in mente memoria defuncti. *Mones*, inquit, *ut in transitu morituri, oblivioni memoriam eius non tradas, sed in mente eam ad sui meliorationem continuò serves.*

Secunda.

Secundò, Lyran. per *memoriam* intelligit monumentum, vel mausolæum erigendum defuncto ad eius memoriam, quale Simon Machabæus erexit patri suo Mathathiæ, ac fratribus Judæ, & Jonathæ, qui patriam armis fortiter propugnaverant, ac pro ea gloriosè occubuerant, 1. Machab. 13. 17.

Tertia.

Tertiò, Dionys. sic explicat, q. d. Memoriam morientis fige *in requie*, quam animæ electorum habent post hanc vitam, loquendo ei de beatitudine æterna, ut dicat: *Portio mea Domine sit in terra viventium.*

Quarta.

Quartò, Hugo, q. d. *In requie*, id est, in morte defuncti opta ei, ut ipse eiusque memoria in pace requiescat, dicendo: *Requiescat in pace*; idemque pro eo sæpiùs Deum per te, & alios precare.

Quinta.

Quintò, idem Hugo, q. d. *In requie*, id est, in transitu ad requiem, putà in morte, fac ut moribundus mentem, & memoriam abstrahat à curis terrenis, eamq; figat in vita æterna ad quam transit, ut in ea conquiescat. Verùm hæc omnia parerga esse, & huic loco incongrua, patet ex antecedentibus, & ex Græco, qui habet: *In requie mortui fac quiescat memoria eius*, id est, ut clarè Tigurina, *cum quieverit defuncto depone memoriam eius.* Græcè enim est κατάπαυσον, id est, *fac quiescat* in te memoria eius, vel *seda* memoriam eius, in mente tua.

Sensus ergo est, q. d. Memoria defuncti vivos amicos solet magno dolore cruciare, & vexare, ut nec diu, nec noctù possint requiescere: sed tu, si sapis, fac ut hæc in te quiescat, sedando scilicet dolorem ex morte defuncti conceptum. Sicut enim ille per mortem requiescit à laboribus, & ærumnis huius vitæ; ita pariter dolor ex eius morte conceptus in te conquiescat: requievit ille in pace, requiescat etiam apud te memoria eius in pace, ut scilicet non te cruciet. non affligat, sed tantùm servetur ad hoc, ut eius amicitiam conserves, ejusque virtutes tibi imitandas proponas, ac pro eo ores. Est hoc tertium motivum, ad moderandam tristitiam in morte defuncti. Cùm enim ille quiescat à luctu, cur tu indulgeas luctui? quin potiùs tu cum quiescente pariter conquiesce, ac de eius quiete gaude, eique congaude. Vnde Syrus vertit, *& sicut deficit mortuus, ita deficit memoria illorum.*

Hunc sensum confirmat id quod sequitur, *Et consolare illum in exitu spiritus sui*, ita Roman. & cetera Biblia. Minùs rectè ergo Jansenius censet delendum *Tò illum*, ut sensus sit, q. d. *Consolare*, id est consolationem accipe, in exitu, & in morte illius, ut idem dicatur cum eo quod præcessit; *requiescere fac memoriam eius*. Igitur legendo *illum*, sensus genuinus est, q. d. In morte defuncti depone memoriam eius te cruciantem; sed ante mortem dum agit animam, consolare illum, tum proponendo illi ærumnas plurimas, & maximas huius vitæ, a quibus eum mors instans liberabit, ac necessitatem mortis omnibus hominibus communem, atque beatam, & æternam vitam, ad quam eum mors transmittet: tum ostendendo te hæc ipsa viva fide, & spe tibi impressisse, ideoque mortem eius patienter ferre, ac de ea consolationem accipere; ut ipse tuo exemplo eadem patienter ferat, ac de ea consolationem tuam ultrò accipiat: quia sæpè moribundos magis cruciat dolor, & mœror suorum, cùm scilicet vident sua morte mœrere, plorare, & eiulare filios, vel parentes aut amicos, quàm

pro-

propria mors: cùm ergo vident eos non dolere, sed consolationem ex spe melioris vitæ, ad quam transeunt moribundi, concipere, etiam ipsi dolorem deponunt, & consolationem concipiunt. ita Lyran. Hugo & alii. Hunc sensum insinuant Græca, quæ habent, *consolare te in illo*, id est, de illo, & cum illo, *in exitu spiritus sui*. Est hebraismus: Hebræi enim verba contactus tam mentalis, quale est *consolor*, quàm corporalis, construunt cum ablatiuo præcedente præpositione *in consolari* ergò *in illo*, idem est quod consolari illum, vel consolari cum illo; ut te solando illum pariter consoleris. Inter amicos enim solatium unius est solatium alterius. Et verbum *consolor* est commune, scilicet tam actiuum quam passiuum; ac significat consolationem dare æquè ac accipere. Unde Syrus vertit, *& consolare eum in exitu animæ eius*.

Anima defuncti gaudet de consolatione parentum vivorum.

Addit Palacius, animam defuncti consolationem accipere, si per angelos, aut alios hinc emigrantes intelligat parentes vel amicos consolationem de sua morte accepisse; tristari verò, & dolere, si illos intelligat illam assiduè lugere, & plangere. Consolare, inquit, illum, id est, si ille viveret, & te adeò tristem videret, doleret planè, nec consolationem acciperet, nisi tu prior consolationem acciperes. Crede igitur defunctum iam quoque ob tuam tristitiam tristari: consolare ergo illum, consolationem ipse recipiens in exitu spiritus ejus. Est hoc quartum argumentum, q. d. Parce luctui, si non causa tui, saltem causa morientis, & defuncti. ne eum hoc tuo luctu affligas, imò afflicto afflictionem addas, & duplices.

Huc accedit Rabanus: *Monet*, inquit, *ut superstes eum qui de hoc sæculo migrare incipit, fide corroboret, & spe confortet, quatenus in angustia ultimi temporis fide non deficiat, sed spem suam Deo committat: quia qui bene certantibus fidei merito promisit præmium, ipse sperantibus in se potens est sempiternum tribuere regnum*. Methodum adiuvandi morientes scripsit noster Polancus, Bellarm. & alii.

SAPIENTIAM SCRIBE IN TEMPORE VACUITATIS.
VERS. 25. Ita passim legunt Biblia, Raban. Jansen. Lyran. Palacius, ceterique Interpretes, quin, & S. August. in Speculo. Verùm corrige cum Romanis, & Græcis: *Sapientia scribæ in tempore vacuitatis*, scilicet comparanda est: etsi eodem redeat utriusque lectionis sensus Græcè est, σοφία γραμματέως ἐν εὐκαιρίᾳ σχολῆς, quod Complut. & Roman. vertunt, *sapientia scribæ in opportunitate otii* vel *scholæ*. *Schola* enim est vox Græca significans otium: inde schola vocatur literarum ludus, à σχολάζω, id est, *vaco*, quòd studiosi ceteris rebus omissis uni scientiæ vacare debeant. schola ergo est otium literarium. Quare parergum, & amusum est illud Lyrani: *Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, id est*, inquit, *cùm stomacho es ieiuno, & a cibis vacuo: tunc enim magis viget intellectus. Aut in tempore vacuitatis, id est paupertatis; nam, ut ait. Secundus Philosophus: Paupertas est scientiæ repertrix*. Verùm nil tale significat Græcum σχολή. Unde Tigur. *literata sapientia per opportunitatem otii quæritur*; Syrus, *sapientia scribæ addet illi sapientiam* scilicet per otium, & otiosum studium sapientiæ. Scribæ enim apud Judæos erant literati, & doctores, qui sacris Literis describendis, voluendis, meditandis, explicandis, commentandis tum voce, tum scripto insudabant.

Sapientia in otio comparanda: Cur?

Sensus ergo est q. d. Sapientia doctoris S. Scripturæ, vel sapientis cuiusque in tempore otii literarii, quo ab aliis negotiis vacat, quærenda, & comparanda est; tum, quia vasta est, ideoque exigit tempus integrum: tum, quia profunda est, ideoque poscit totam mentis attentionem. Nam ut ille ait:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

præsertim, quia mens hominis valdè limitata est, & angusta: tum, quia scriba, id est, doctor vel scriptor sapientiæ, ingentem requirit sapientiam, ut velut sol radios sapientiæ suæ in omnes auditores vel lectores spargat: quare totus ei intendat oportet. Unde illud:

Carmina secessum scribentis, & otia quærunt.

Ita S. Isidor. lib. 2. Sentent. c. 1. *Nullus*, ait, *sapientiam Dei recipit, nisi qui se ab omni abstrahere actionum cura contendit. Unde, & scriptum est: Sapientia scribæ in tempore otii, & qui minoratur actu, ipse percipiet eam*.

Sapientia otium negotiosum,

Porro hoc sapientiæ otium, non est otiosum, sed negotiosum: negotiatur enim in exercenda omni virtute. S. Greg. Nazianz. ad S. Basil. epist. 36. inter epist. S. Basil. *Mihi verò* inquit, *maximum negotium est ipsum otium. Usque adeò ad otiosam hanc tranquillitatem contendo, quasi omnibus lex quadam de ista magnanimitate lata ponetur*. Et alius: *Sapiens summo duntaxat agit negotium*: circa ceteros ergo, & cetera purum illi est otium.

Quocirca Diogenes Cynicus subsannans scholam Euclidis, quasi minùs utilia doceret, aiebat eam non esse σχολὴν sed χολὴν, id est bilem, & molestiam, parere, teste Laertio lib. 6. cap. 1. Præclariùs S. Bern. lib. 2. de Consider. ad Eugen. cap. 13. *Si vero*, inquit, *Sapiens hortatur sapientiam in otio scribi; cavendum, & in otio est. Fugienda proinde otiositas, mater nugarum, noverca virtutum*. Idem serm. 85. in Cant. *Cognata virtus*, ait, *sapientia est. Quidquid virtus elaborat, sapientia fruitur; & quod sapientia ordinat, deliberat, moderatur, virtus exequitur. Sapientiam scribe in otio, ait Sapiens; ergo sapientiæ otia negotia sunt, & eo otiosior sapientia, quo exercitatior in genere suo: è regione virtus exercitata clarior est, eoque probatior, quo officiosior: & siquis sapientiam virtutis amorem definierit, non à vero deviare videbitur. Ubi autem amor est, labor nõ est, sed sapor; & fortè sapientia à sapore denominatur; quòd virtuti accedens quoddam veluti condimentum sapidam facit, quæ per se insulsa quodammodo, & aspera sentiebatur*.

Excipe ab hac sententia, & regula, nisi quis adeò sit expeditus, & efficax, tantique cerebri, & spiritus, ut plura animo complecti possit. Unde S. Bernard. l. 2. de Consider. ad Eugen. cap. 9. *Non*, inquit, *Romani Pontifices qui sibi otia inter maxima negotia invenirent. Obsidio urbi, & barbaricus ensis civium cervicibus imminebat, numquid istud terruit B. Papam Gregorium, quò minùs sapientiam scriberet in otio? Et tempore temporis (quod ex eius præfatione liquet) obscurissimam, & extremam partem Ezechielis tam diligenter, quam eleganter exposuit*. Sic, & Moses in deserto regens, imò instituens, suisque legibus, & ceremoniis formans Ecclesiam, & remp. Hebræorum, conscripsit Pentateuchum. Sed tamen idem S. Gre. ibidem profitetur, negotia publica sibi minuere studium sapientiæ, ac impedimento esse ne tantum sapientiæ vacet, quãtum optaret. Unde ultima hom. in Ezech. deplorans calamitates Italiæ illatas à Gothis: *Iam cogor*, inquit, *linguam ab expositione retinere, quia tædet animam meam vitæ meæ. Iam nullus in me studium sacri eloquii requirat: quia versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium*. Studium enim sapientiæ requirit mentis quietem: quare inter arma silent libri, nec Martem fert Minerva.

S. Gregorii luctus ob pontificatũ.

Idem Gregor. inconsolabiliter luget se à monasterio abreptum ad pontificatum, quòd ab otio sapientiæ auulsus esset ad negotia Ecclesiæ. Audi eum lib. 1. Dialog. cap. 1. *Mœror*, inquit, *quem quotidie patior, & semper mihi per usum vetus est, & per augmentum novus. Infelix quippe animus meus occupationis suæ pulsatus vulnere, meminit qualis aliquando in monasterio fuit, quomodo ei labentia cuncta subter erant, quantum rebus omnibus quæ voluuntur eminebat; quòd nulla nisi cælestia cogitare consueverat; quòd etiam retentus corpore, ipsa iam carnis claustra contemplatione transibat; quòd mortem quoque quæ penè cunctis pœna est, videlicet ut ingressum vitæ, & laboris sui præmium amabat. At nunc, ex occasione curæ pastoralis, sæcularium hominum negotia patitur, & post tam pulchram quietis suæ speciem, terreni actus pulvere fœdatur. Cumque se pro condescensione multorum ad exteriora sparserit, etiam cùm interiora appetit, ad hæc procul dubio minor redit. Perpendo itaque quid tolero, perpendo quid amisi. Dumque intueor illud quod perdidi, fit hoc gravius quod porto. Ecce etenim nunc magni maris fluctibus quatior, atque in navi mentis tempestatis valida procellis illidor. Et cùm prioris vitæ statum recolo, quasi post tergum reductis oculis viso littore suspiro*.

Contemplaturus sit mente vacuus.

Mysticè Hugo: Studium sapientiæ, inquit, est studium vitæ contemplativæ. hæc enim requirit otium, & mentem vacuam ab omni cogitatione, & cura terrena, maximè carnali. Nam, ut ait Rabanus: *Qui concupiscentiis carnis, & voluptatibus sæculi servire desistit, ille Scripturam intentè meditando, supernæ contemplationis munere gaudebit*. Unde huic opponens vitam activam aratorum, fabrorum, &c. subdit: *Qui tenet aratrum*, &c. Sapientiæ ergo otio vacat Magdalena sedens secus pedes Jesu, ejúsque verba audiens, & meditans, quæ proinde audit ab eodem: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Actionis negotio vacat Martha, quæ proinde subinde turbatur, & murmurat. unde audit à Christo: *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima: porrò unum est necessarium*, Lucæ. 11. Beati ergo, qui agunt Martham operantem, officiosam, solicitam: beatiores, qui agunt Magdalenam pœnitentem, amantem, & contemplantem. Huc facit proverbium Arabicum centur. 1. nu. 9. *Obstrue quinque fenestras, ut luceat domus, & habitans eam,*

eam, hoc est, obstrue vel coerce quinque sensus corporis, ut luceat animo tua in luce vita. Sicut enim ut lux quæ in domo est, v. g. fax vel candela, luceat, obstruendæ sunt fenestræ, ne ingrediatur lux major (quia lux maior offuscat minorem:) sic pariter ut mens hominis, quæ quasi lux in corpore à Deo est collocata, intendat sapientiæ, ac cognitioni tam sui quàm Dei, obturandi sunt sensus corporei, per quos in res mundanas, & illecebras diffunditur, dispergitur, à se abit, & evanescit.

Praeparatio S. Basil. ad contemplandum.

Præclarè S. Basilius in Instit. cap. 2. *Quòd si mavis*, inquit, *Mariam Magdalenam imitari, quæ spreto corporis obsequio, altiùs in rerum divinarum contemplationem ascendit, legitimè, &, ut par est, verè negotium tractato, corporis curam abiicito, agricolationem deserito, apparatus etiam epularum, & obsoniorum aspernator, & ad Domini pedes assideto, & quæ ille dicat auscultato, ut arcanorum divinitatis particeps efficiare; siquidem officiis iis quæ corpori impenduntur, potior est dogmatum Christi contemplatio.* Et S. Gregor. l. 26. Moral. *Locus*, inquit, *humani cordis est delectatio vitæ præsentis, sed cùm divina aspiratione tangitur, locus nostri cordis fit amor æternitatis: consideratione igitur patriæ de loco suo animus movetur; quia derelictis infimis in supernis cogitationibus ponitur prius enim quæ essent æterna nesciebat, in præsentium delectatione torpuerat simulque ipse transiens amore transeuntium tenebatur: sed postquam quæ essent æterna cognovit, postquam supernæ lucis radios raptim contemplando contigit; admiratione summorum sese ab infimis suscitatus elevavit, nulla iam ei nisi quæ æterna sunt libeant, & despectis transeuntibus sola quæ permanent requirat.*

ET QVI MINORATVR ACTV, SAPIENTIAM PERCIPIET) q. d. Qui minimum habet negotiorum quæ agat, qui in paucis actibus exterioribus se occupat, qui pauca habet quæ agat (juxta illud cap. 11, 10. *Fili ne in multis sint actus tui;*) hic percipiet sapientiam, si scilicet ei vacet legendo, studendo, meditando, contemplando. Alioqui si otiosus, & deses stertat, minùs percipiet sapientiam, quàm qui multus est in actione: actio enim parit experientiam, experientia prudentiam. Græcè est, [illegible] [illegible] [illegible], quod Romani vertunt, *& qui minoratur actu suo sapientiam percipiet*; alii, *diminutus opere suo erit sapiens*; Tigur. *& qui negotii sui minus habebit, sapientiam parare poterit*, vel *sapiens fiet*. Vide S. Bernard. lib. 1. de Consider. cap. 5. ubi Eugenium Pontificem ita instruit, & admonet: *Audi quid redarguam, quid suadeam. Si quod vivis, & sapis, totum das actioni, considerationi nihil; laudo te, in hoc non laudo. Puto quòd & nemo qui à Salomone audierit: Qui minoratur actu, percipiet sapientiam. Certè nec ipsi actioni expedit consideratione non præveniri. Si item totus vis esse omnium, instar illius qui omnibus omnia factus est; laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodo autem plena, te excluso? Et tu homo es. Ergo ut integra sit, & plena humanitas, colligat, & te intra se sinus qui omnes recipit. Alioquin quid tibi prodest iuxta verbum Domini, si universos lucreris, te unum perdens? Quamobrem cùm omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus unus. Quid solus fraudaris munere tui? Usquequò vadens spiritus, & non rediens? Usquequò non recipis te, & ipse inter alios vice tua? Sapientibus, & insipientibus debitor es, & soli negas te tibi?* Ac tandem infert, & concludit: *Denique qui sibi nequam, cui bonus? memento proinde non dico semper, non dico sæpè, sed vel interdum, reddere teipsum tibi.* Nam actu minorari, non est penitus actionem relinquere, sed abiectis inutilibus occupationibus, debitis ex justitia, aut ex charitate ordinariè vacare. Hæ enim (ut experientia docet) cor non inquietant, & otia non modica sapientiæ studio mentisque exercitationi concedunt. Complut. addentes negationem *non*, contrariè legunt [illegible], id est, *diminutus opere suo non erit sapiens*: tum, quia qui cessat ab opere legendi, studendi, meditandi, non fiet sapiens. Otium enim litterarium est quidem otium ab opere manus, sed non ab opere mentis; imò studere, & meditari assiduè, summus mentis est labor ac negotium; tum, quia studium sapientiæ veræ, & practicæ requirit, non nudam ejus speculationem, sed, & operationem ac praxim virtutum, ut dixit S. Bern. paulò antè citatus. Vatabl. verò vertit, *qui negotiis suis opprimitur, non parabit sapientiam*. qui sensus respondet nostræ Vulgatæ: Græcum enim [illegible] significat quoque eum qui minuitur, inferior fit, succumbit, opprimitur, [illegible], id est, opere, & negotio.

Præclarè S. August. lib. 19. de Civita. cap. 19. *Otium sanctum, ait, quærit charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic omnimodo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, & opprimat illa necessitas.* Quin, & Plato in Hippia Majore docet, sapientem sibi imprimis sapere oportere, ideoque priscos sapientes à rerum civilium administratione abstinuisse.

Quatuor remora contemplationis.

Denique S. Bernar. serm. 23. in Cant. *In hoc arcanum*, inquit, *& in hoc sanctuarium Dei, si quem fortè vestrum aliquando sic rapi, & sic abscondi contigerit, ut minimè avocet, aut perturbet vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certè quæ difficiliùs amoventur irruentia imaginum corporearum phantasmata; poterit quidem cùm ad nos redierit, gloriari, & dicere: Introduxit me rex in cubiculum suum.* Ubi quatuor contemplationis impedimenta notat: Primum, est sensus egens, qualis est in ægro præsertim qui cerebro laborat; Secundum, est cura pungens; Tertium, culpa mordens, qualis est in peccatore vel scrupuloso; Quartum, phantasmata irruentia. Qui ergo his quatuor caret, hic aptus est ad contemplationem. Vide dicta Osee 2. v. 14.

QUA (ita legendum cum Roman. & Græcis, non *quia*, ut legunt multi) SAPIENTIA REPLEBITUR) Passim
B Latini hæc verba, referunt ad id quod præcessit; unde post hæc verba ponunt hypocolon, ut sensus sit, q. d. Qui minuit negotia, & occupationes temporales, is percipiet sapientiam, nec tantùm percipiet, sed, & replebitur illa, ut tota ejus mens illa planè pleneque imbuatur, & repleatur. ita Palacius. Verùm Biblia Latina Romæ emendata, Græca, Rabanus, & Iansenius hæc verba referunt ad sequentia, ac Græca, & Iansen. legunt per notam interrogationis, hoc modo. *Qua sapientia replebitur qui tenet aratrum?* &c. Quæ lectio sanè commodissima, & planissima est: probat enim sapientiam comparandam in otio, à contrario; quia scilicet agricolæ, fabri, ceterique opifices qui toti sunt in negotiis, & operibus externis, non possunt vacare sapientiæ. Sic quoque legit, & intelligit Theophylac. qui floruit anno Christi 900. scribens ad cap. 14. Lucæ: *Circa terrena occupatus*, inquit, *non vult spiritalis cœnæ particeps esse. Dicit enim Sapiens: In quo erit sapiens qui tenet aratrum?*

Idque planè significat Græcum [illegible], id est, *quid*,
C vel *in quo*, vel *quo pacto, sapiens evadet qui tenet aratrum?* &c. Quamquam Noster videtur legisse [illegible], id est, *qua sapientia replebitur*, assertivè idque sensu quoque valdè accommodo, uti mox exponam. Græco consentit Syrus, *quis enim*, inquit, *sapiens evadet tenens aratrum? cum bobus conversatur, & boves ducit, & narrationes eius cum vitulis, & cor eius meditabitur porcas sationis suæ, & vigilia eius est ad complendum opus suum.* Porca in agro dicitur terra elata. Ita Varro lib. 1. de Re rustica, cap. 29. *Quod*, inquit, *est inter duos sulcos elata terra, porca dicitur, quòd ea seges frumentum porrigat.* Et Columella lib. 2. c. 4. *Liras*, inquit, *rustici vocant porcas, cùm sic aratrum est, ut inter duos sulcos latius distantes, medius cumulus siccam sedem frumentis præbeat.*

Nota. In sequentibus usque ad finem capitis recenset negotia, occupationes, & opera agricolarum, fabrorum, figulorum, cæterorumque opificum mechanicorum; idque tribus de causis. Prima, & potissima est, ut probet sapientiam quærendam in otio, non in negotio, uti jam dixi. Unde concludens v. 38. ait. *Super sellam iudicii non sedebunt, & testamentum iudicii non intelligent, neque palam facient disciplinam, & iudicium.*

Secunda, ut insinuet in hisce artibus mechanicis, esto
D non sit vera sapientia, in iis tamen esse umbram, imò derivationem, & participium quoddam sapientiæ: opifices enim in suis opificiis sapientes sunt, & sapienter operantur. Unde recensitis omnibus v. 35. subdit: *Et unusquisque in arte sua sapiens est.* Hinc de Beseleel opifice tabernaculi ait Deus Exodi 31. 2. *Implevi eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabre fieri potest ex auro, & argento, & ære*, &c. Nam, ut ait Vegetius lib. 3. c. 24. *Antiqua est prudensque sententia, omnes artes in meditando consistere.*

Sapientia regit artes mechanicas

Tertia, ut ostendat eas dirigendas esse à sapientia: tum, quia regimen, & speculatio dirigit praxin. Ad bonum enim statum civitatis, ait Lyran. requiritur sollicitudo magistratus, ut procuret diversos artifices in artibus suis, sine quorum usu non posset stare civitas, ut carpentarios, latomos, pannificos, &c. tum, quia sapientia docet, cognitionem, & amorem Dei eiusque legis, conjungendam esse cum praxi mechanica, ut utilis sit, ducatque operantem ad salutem, & felicitatem. Unde v. ult. ait: *Deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam suam, & conquirentes*

& conquirentes in lege Altissimi. H insinuant Roman. & Rabanus, ac omnes Latini Bibliorum codices, qui hæc omnia legunt assertivè, sine nota interrogationis. q. d. Hac sapientia per sapientum doctorum instructionem participativè replebuntur quoque agricolæ, fabri, figuli, ceterique mechanici, quisque suo ordine, modo, & gradu.

Sic, & cap. 24. v. 6. & 40. dixit sapientiam Dei se extendere ad fabricam, & regimen cælorum, aquarum, terræ, & totius universi. Quin, & Plato in Alcibiade docet sapientiam esse fundamentum εὐπραξίας, id est bonæ operationis. Idem in Theage: *Sapiunt*, inquit, *agricolæ sapientum commercio. Sapiunt tyranni sapientum commercio. Sapiunt coci sapientum commercio. Sapit luctator sapientum commercio.* Additque sapientiam regere omnes artes, omneque genus hominum.

Porrò Siracides inter mechanicos, primos ponit agricolas: tum, quia eorum officium, & exercitium antiquissimum est, utpote ab origine mundi institutum à Deo. Adam enim à Deo positus fuit *in paradiso, ut operaretur, & custodiret illum;* Genes. 2. 15. tum, quia agricolæ in repub. maximè necessarii sunt: hi enim sua segete, pecoribus, & pecudibus sustentant urbes, & regna. Unde Aristot. libr. 1. Oeconom. 2. *Agricultura*, inquit, *est maximè naturalis, & justa. Prodest etiam hæc plurimùm ad fortitudinem: non enim sicut viles artium corpora enervat, sed talia facit, & sub dio consistere, & tolerare laborem valeant, & adversus hostes pericula capessere.* Idem l. 6. Polit. c. 4. *Optimus populus*, inquit, *ille est, qui ex agricolis constat. Cùm enim illis laborandum sit circa victum, operibus distinentur suis, & aliena non appetunt: dulciusque illis est opus facere, quàm in repub. versari.* Et inferius: *Post agricolarum multitudinem, optimus est populus ubi pastores sunt, & vivunt ex animalibus.* Vide Ciceronem lib. de Senectute, & ea quæ de agriculturæ bonis annotavi Genes. 2. 15. & Genes. 9. 20. Igitur de agricolis sic statuit Siracides, sicque eorum officium, studium, & occupationem describit, imò agricolam ita pingit:

Agricultura prima artium: Cur?

VERS. 26. QUI TENET ARATRUM, ET QUI GLORIATUR IN IACULO, STIMULO BOUES AGITAT, ET CONVERSATUR IN OPERIBUS EORUM, ET ENARRATIO EJUS IN FILIIS TAURORUM) Pro *in iaculo stimulo* græcè est δόρατι κέντρου, id est, *in hasta* vel *fuste stimuli*, id est, in hasta vel jaculo, in cujus cuspide est stimulus, quo boves ad velociter incedendum agricola pungit, & stimulat, uti videmus Romæ, & per totam Italiam fieri. *Enarratio*, id est, cogitatio, & sermo, *eius est de filiis taurorum*, id est de vitulis, vaccis, & bobus, eorumque sobole, fœtura, multitudine, magnitudine, & fructu. Pro *conversatur* Noster legit ἀναστρεφόμενος, jam legunt ἀναστρεφόμενος, id est, *nutritus*. Unde Tigurina vertit, *qui tenet aratrum, qui insignis hastili stimuli boves agit, qui versatur in operibus eorum, & qui taurorum progeniem assiduè prædicat.*

Mysticè agricolæ sunt doctores.

Mysticè Rabanus per agricolam accipit rectorem, & doctorem. *Nam qui tenet*, inquit, *doctoris officium, & colere debet vomere Evangelico corda hominum, gloriatur in jaculo divinorum testimoniorum, seminat verbum Dei stimulo exhortationis, agitat brutos quatenus non segniter vivant, sed fortiter in bonis operibus conversentur. Superbos quoque prædicationis sermone castigat, & disciplina Evangelica domat, ut non vacent otio, sed carnem suam macerantes, & desideria carnalia in se mortificantes, & vitia omnia à se extirpare festinent, & virtutes spiritales pro eis plantare certent. Quòd autem per boum, & taurorum excitationem, vigilias dicit pastoris esse in sagina vaccarum, ostendit boni rectoris esse officium, ut utriusque sexus curam habeat, & prædicationis studio eos pascat, alat, & nutriat.*

COR SUUM DABIT AD VERSANDOS SULCOS, ET VIGILIA EJUS IN SAGINA VACCARUM) Græcè δαμάλεων, id est, *juvencarum*. q. d. Arator, & agricola toto corde suo, tota mente, & animo suo attendit, & intendit arandæ, & sulcandæ terræ, & *vigilia*, id est, vigilans studium, *eius est in sagina vaccarum*, ut scilicet eas alat, pascat, impinguet; tum, ut copiosè dent lac, butyrum, & caseum; tum, ut insignes vitulos procreent; tum, ut fortes sint ad trahendum aratrum, vel jugum, cùm opus est. Unde ad hoc manè citò surgit, & vesperè serò incumbit, totus huic rei intentus, & invigilans, ut se suosque alat. Pro *in sagina*, græcè est εἰς χορτάσματα, id est, *in fœnum*, sive *in pabula familia vaccarum*. Unde Tigur. *nam is ducendis sulcis intendit animum, & in pabulis vaccarum conficiendis evigilat.*

Nota. *To cor suum dabit*, &c. Siracides repetit post opera singulorum opificum, ut significet cui rei quisque cor suum applicet, cui studeat, & invigilet.

Porrò sapientia agricolandi præcepta tradit Plinius l. 18. c. 19. *In arando*, inquit, *magnopere servandum est Catonis oraculum. Quid primum? Agrum benè colere. Quid secundum? Benè arare. Quid tertium? Stercorare. Sulco vario ne ares. Tempestivè ares. Tepidioribus locis à bruma proscindi arva oportet, frigidioribus ab æquinoctio verno. Et maturiùs sicca regione quàm humida: maturiùs densa terra quàm soluta, pingui quàm macra.* Vide ipsum Catonem, & Varronem de Re rustica, quæ omnia facile est mysticè accommodare agriculturæ animæ.

Agricolandi præcepta.

VERS. 27. SIC OMNIS FABER ET ARCHITECTUS, QUI NOCTEM TAMQUAM DIEM TRANSIGIT, QUI SCULPIT SIGNACULA SCULPTILIA, ET ASSIDUITAS EJUS VARIAT PICTURAM: COR SUUM DABIT IN SIMILITUDINEM PICTURÆ, ET VIGILIA SUA PERFICIET OPUS) *Iò sic* refertum ad *sapientia replebitur*, quod præcessit v. 20. tum ad *To cor suum dabit*, &c. quod sequitur, uti jam monui. Ab agricolis transit ad fabros; quia hi inter artes, & artifices mechanicos secundum locum tenent. Et quia fabrorum variæ sunt species, incipit à sculptore. Hunc vocat *architectum*, non ædificii, qui scilicet præsit fabricæ, eamq; dirigat, sed qui magister sit operis sculpendi, & scalpendi, quique monogrammata (quas vulgò *plantas* vocant) excogitat noctu, ad quorum normam opus per se, & suos administros interdiu perficiat. Hic igitur noctem vigilando, ut jam dicta excogitet, disponat, & ordinet, *tamquam diem transigit*. Hic deinde *sculpit signacula* (ita legendum cum Roman. & Græcis, non *signaculo*, ut legit Palacius) *sculptilia*, id est, signacula, & sigilla exsculpta, græcè ἀναγλύφων, id est, *sculpturas* vel cælaturas signaculorum vel *signorum*, id est similes illis quæ fiunt in signaculis vel *sigillis*, ut vertit Tigur. In sigillis enim clarè cernitur ars cælatoris, & sculptoris. nam γλυφὴ vocatur quævis sculptura, & cælatura. Thema enim idem est quod scalpo, rado, polio, cælo, insculpo. Unde, anaglypha vocantur cælaturæ asperæ, non leves, ubi partes sunt inæquales, & hæ illis eminent: de quibus Plinius lib. 33. 11. *Nunc*, inquit, *anaglypha in asperitatemque excisa circa linearum picturas quærimus.*

ET ASSIDUITAS EJUS VARIAT PICTURAM) Id est, assidua ejus cura, labor, & operatio in eo sita est, ut varias formas, & figuras exsculpat. *Picturam* enim hic vocat sculpturam, per catachresin: quia quod pictor pingit in tabula, hoc sculptor pingit, & figit in lapide, auro, argento, &c. Pro *picturam* enim græcè est , id est, *varietatem*, putà varias hominum, animalium, & rerum imagines, & figuras. Legit Interpres , id est, *assiduitas*, & perseverantia in opere ob spem lucri: Complut. legunt , id est, *instantia*, hoc est, instans, & continuus labor.

COR SUUM DABIT IN SIMILITUDINEM PICTURÆ. q. d. Totus intentus est ut imitetur picturam, & instar pictoris varias hominum, animalium, arborum, herbarum, &c. species, & formas exsculpat. Pro *picturæ* græcè est ζωγραφίας id est, descriptionis, sive effictionis, & efformationis animalium, qualia pingere solent pictores, & sculpere sculptores. ET VIGILIA SUA PERFICIET OPUS) Id est, vigili studio, & labore perficiet opus, v. g. statuam quam sculpsit. q. d. Tota ejus sapientia sita est, non in legenda, & meditanda S. Script. rebusque divinis, sed ut suum opus sculptilè pulchrè varieque sculpat, & efformet. Unde clarè vertit Tigurina, *idem mos est fabri, & architecti, qui simili studio traducit noctem ac diem: qui sigillorum in modum sculpunt cælaturas, & qui variandis immorantur emblematis, in imitatione picturæ animum quoque occupant, & operi perficiendo invigilant.* Sic, & Syrus.

Porrò cælaturæ, sive sculptoriæ artis elegantia, & dignitas, ex eo patet, quòd cælum, & cælitum speciem referat. Cœlum enim sideribus quasi cælatum, & sculptum est, indeque dictum est cælum, ait Sipontinus, & Ælius apud Varronem lib. 4. de Lingua Latina; licèt Varro cælum dici putet à Græco , id est, cavum, eò quòd concavum sit. Amplitudo verò artis sculptoriæ est ingens: sculptura enim est, & dicitur cælatura, quam in auro, argento, ære, ferro, ligno, ebore, marmore, vitro, gemmis opera nostra efficit. De antiquitate, & usu scalpendi marmora, vide Plinium lib. 36. cap. 5. ubi asserit artis hujus originem cum Olympiadum origine cœpisse, quæ fuit in fine regni Oziæ regis Juda, scilicet 23. annis ante Romam condi-

Cælum dicitur quasi stellis cælatum.

conditam. Vide Tabulam Chronologicam quam præfixi Genesi.

Mysticè, Rabanus: *Quid per fabrum hunc, inquit, & architectum, qui studiosè nocte dieque in opere suo laborat, ut signacula sculpat, & hominis imaginem arte gămaria formet, nisi prædicatores sancti insinuantur, qui omni tempore aut dicendo, aut exhortando, aut bona exempla ostendendo, auditores suos instituunt, quatenus interioris hominis virtutem eliciant, & ad conditoris sui imaginem animam humanam reforment? An non ille faber, & architectus strenuus in arte sua fuit, qui in epistolis suis ita scripsit, dicens: Dei enim sumus adiutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis, secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. unusquisque autem videat quomodo superædificet? Et alibi: Filioli, inquit, mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Et in alio loco: Renovamini, ait, spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Et item: Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut, & Christus dilexit nos. Et rursum: Nolite (inquit) contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis, & reliqua. Quot enim species virtutum sunt, tot operationes bonas, & documenta doctores sancti in mentibus doctorum, & conversatione exprimunt sanguine; ut sint sancti, & corpore, & spiritu, dicentes cum Apostolo: Ipse autem Dominus sanctificet vos per omnia, ut integer vester Spiritus, & anima, & corpus, sine querela in adventum Domini nostri Iesu Christi serventur.*

Sculptor est prædicator. *1. Cor. 3.* *Galat. 4.* *Ephes. 4.* *Ephes. 5.* *Ephes. 4.* *1. Thess. 5.*

Rursum Sancti sunt in anima sua, & proximorum, fabri virtutum, ut in ea expingant heroica facta patrum: quare instar pictorum eadem crebrò intuentur, legunt, & relegunt, ut eadem sibi imprimant, & insculpant. Vnde S. Basil. epist. ad Gregor. Theolog. *Sicut pictores, inquit, ubique quando imaginem ex imagine pingunt, identidem ad exemplar respicientes, characterem ad suum opificium inde transferre conantur; ita oportet eum qui studet seipsum omnibus virtutis partibus perfectum reddere, sanctorum vitas velut simulacra quædam viva, & efficacia respicere, illorumque bona opera per imitationem sua facere.* Sanè experientia didici, nihil ferè efficacius esse ad virtutem omnem, quàm crebrò legere Vitas Sanctorum, easque seriò meditari. Experire, & reipsa disces magno tuo fructu.

SIC FABER FERRARIUS SEDENS JUXTA INCU-
VERS. 29. DEM, ET CONSIDERANS OPUS FERRI, VAPOR
IGNIS URET CARNES EJUS, ET IN CALORE FOR-
NACIS CONCERTATUR. VOX MALLEI INNOVAT
VERS. 30. AUREM EJUS, ET CONTRA SIMILITUDINEM VA-
SIS OCULUS EJUS. COR SUUM DABIT IN CONSUM-
VERS. 31. MATIONEM OPERUM, ET VIGILIA SUA ORNABIT
IN PERFECTIONEM) *Tò sic* refer rursum tum ad *sapientia replebitur*, quod præcessit v. 26. tum ad *Tò cor suum dabit*, quod sequitur. A sculptore transit ad fabrum ferrarium, sub quo à pari vel simili intelligit aurifabrum, argentarium, ærarium (& hunc propriè significat Græcum χαλκεύς) plumbarium, stannarium, ceterosque similes. Fabri enim nomen generale est, & amplum, utpote à faciendo dictum: quare ad plurimas artes pertinet, & pro ratione materiæ adiunctæ ad hanc vel illam speciem determinatur. *Faber* igitur est omnis artifex, qui labore corporis aliquod artificium facit; sive qui è quavis materia aliquid facit, & fabricat, excepto gypso, argilla, cera, & similibus. hi enim plastæ dicuntur, sive figuli, quos proinde fabris subjungit, & componit Siracides v. sequ.

Fabros igitur hic ita graphicè pingit, uti Poetæ suum Vulcanum, de quo mox. Vbi Nota. Totus v. 29. & 30. pendent à v. 31. *Cor suum dabit*, &c. q. d. Sicut agricola totum suum cor applicat agriculturæ, sculptor sculpturæ: sic, & faber suæ arti fabrili; ac proinde non habet otium, nec animum, ut intendat studio sapientiæ.

Fabri primi an Cyclopes.

Porrò Plinius primos fabros ferrarios censet fuisse Cyclopes (qui cum suo Vulcano vixere tempore Josue, teste S. August. libr. 18. de Civit. capit. 12.) sic enim ait libr. 7. capit. 56. *Fabricam ferrariam invenere Cyclopes. Figlinas Corœbus Atheniensis. In iis orbem Anacharsis Scythes. Fabricam materiam Dædalus, & in ea serram, asciam, perpendiculum, terebram, glutinum, ichthyocollam: normam autem, & libellam, & tornum, & clavem Theodorus Samius.* Plinio suffragatur Plato in Convivio: *Sagittandi, inquit, medicandi, & vaticinandi peritiam Apollo invenit, Musæ musicam, Vulcanus fabrilem artem, Minerva, texendi artificium: Iupiter deorum, & hominum gubernandi rationem invenit.* Verùm è Scripturis liquet eius inventorem fuisse antiquiorem, adeoque ante diluvium, nimirum Tubal-Cain, *Qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris, & ferri*, Genes. 4. 22.

Igitur fabrum ita describit Siracides. Primò, inquit, *sed, & iuxta incudem.* Juxta eam enim sedet magister operis, forcipibus tenens versansque ferrum, vel ex eo vas faciendum supra incudem, ut à ministris malleo feriatur, & efformetur ad eius libitum.

Secundò, *considerat opus ferri*; ejus enim est considerare ubi quomodo, & quantum opus ferri, & percuti debeat, ut vas efformetur tale quale ipse cupit. Græcè est καταμανθάνων ἔργῳ σιδήρου. quod Romana vertunt, *addiscens pigro* (tardo, lento) *ferro*; alii *contemplans rude ferrum*. Verùm noster cum Complut. pro ἀργῷ legit ἔργον, id est, *opus ferri*. Sic, & Tigur. *intentus*, inquit, *operi ferri*; Tertiò, *vapor ignis uret carnes eius* Pro *uret* græcè est τήξει, id est, *liquefaciet*; Tigur. *emaciabit*; Romana legunt πήξει, id est, *durabunt*.

Vulcanus est ignis. Hinc Vulcanus, fabrorum, & armorum Deus ab antiquis putatus est: quo significatur ignis. Dicitur enim Vulcanus, ait Isidor. quasi Volicanus, quòd canus per aera volet. Volat enim flamma, cùm de nubibus nascitur in fulgetris, & candida est. Hinc, & Mulciber appellatur, quòd ferrum mulceat. Fingunt enim Poetæ hunc fuisse Deum, & Jovis ex Junone filium, qui faber Jovi fulmina contra gigantes fabricavit. Hinc Vulcani insulæ appellatæ. Hinc, & Vulcanus pro ipso igne sumitur, sicut Pallas pro literis, ut cùm dicitur *ardens Vulcanus*; & *spargere Vulcanum tectis*, id est, succendere tecta. Denique Vulcanus à Poetis, vocatur *Deus ignipotens*, quia fabri vi ignis ferrum, æs, omniaque metalla durissima liquant, domant, flectunt, & in omnes formas, & figuras diducunt. Ita Virgil. lib. 8. Æneid.

——— Ignipotens cælo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque Steropesque, & nudus membra Pyracmon.

Quin, & Prudentius:

Ipse ignis, qui nostrum servit ad usum,
Vulcanus perhibetur, &c. *ac regnare caminis*
Fertur, & Aeolia summus faber esse, vel Aetna.

Et S. August. l. 7. de Civit. c. 16. *Vulcanum*, inquit, *volunt ignem mundi*. Idem lib. 20. contra Faustum c. 9. tradit pingi *Vulcanum claudum*, quia ignis *terrenus motus eiusmodi est*; quia scilicet ignis noster numquam rectus est, sed incurvus, & quasi claudicans. Idem in psal. 113. concl. 2. docet Gentiles per deorum simulacra significasse quatuor elementa, scilicet Tellure terram, Neptuno mare, Junone aerem, Vulcano ignem.

Quartò, *& in calore fornacis concertatur*, id est, conflictatur; græcè, διαμαχήσεται, id est, ut Complut. *pugnabit*; Romana, *& in calore fornacis conflictatur*, Tigurina, *cum æstu fornacis conflictatur*, q. d. Faber certat contra ignis calorem, & contra ferri duritiem, ut illud igniat, ignitumque crebris malleorum ictibus flectat, molliat, & in vas placitum efformet. Vnde Syrus vertit, *flamma ignis rimas efficiunt in carne eius, & uritur calore ignis.*

Quintò, *vox mallei innovat* (aliqui legunt *intonat*) græcè καινιεῖ, id est, innovabit, *aurem eius*, hoc est novis, & repetitis malleorum ictibus, & sonitibus pulsabit, & feriet aurem eius. Vnde aliqui vertunt, *novè obtundit aurem eius*; Tigur. *crebrò feriente aures eius mallei sonitu*. Et planè mirum est, ait Palacius, quàm miro ordine fabri malleis ferrum ignitum percutiant, dissilientibus ex eo assiduè ignis scintillis, qualesque sonitus similes semper, & certos, qualemque concentum fabrilem edant.

Sextò, *contra similitudinem vasis oculis eius*: *Similitudinem* vocat exemplar, & typum, q. d. Faber sæpiùs respicit exemplar, ideam, & typum vasis formandi, quem contra, græcè ἀντικρύ, id est, coram vel ante, se habet, ut juxta illud vas efformet, eiq; illud adaptet. Vnde Tigur. vertit, *oculos suos ad conformandum instrumentum defigens*; alii, *in exemplum quod ex adverso, oculi eius intenti sunt*; Syrus, *secundùm artem flectet manus suas, & ad typum operis sui intendent oculi eius.*

Denique *cor suum dabit in consummationem operum*, ut scilicet ea omnimodè consummet, & perficiat: *& vigilia sua*, id est, vigili sua cura, labore, & malleatione assidua, *ornabit vas in perfectionem*. Græcè ἐπὶ συντελείας, id est, *ad perfectionem*, ut scilicet illud per omnia perfectum efficiat. Quare Complut. & alii perperàm legunt, *ornabit imperfectionem*, id est, vas imperfectum. Clarè Tigurina, *animum ad opus absolvendum applicat, & ad idem excubat poliendum*; alii, *cor suum applicat ad perfectionem operum, vigilia ipsius de orna-*

mundatis illis post perfectionem. Hisce omnibus significatur mira intentio, & constantia fabri, qui contra ignem, & ferrum pugnare non cessat, sed quasi lento, & continuo igne uri, & assari se permittit, ac malleorum ictibus aures obtundi sibi sinit, adeò ut sæpè auditum perdat, & surdus fiat, donec ferrum in eam formam quam mente destinavit flectat, ex eoque vas destinatum efficiat, ac proinde insinuat eum speculationi & studio sapientiæ non posse vacare, nec intendere; quia totus intendit suæ incudi, & ferro.

Faber typus constantiæ omnia vincentis.

Mysticè, hoc fabri exemplo docemur, nil esse tam durum, tam asperum, & arduum, quod non constans labor evincat; ac proinde nullum vitium esse tam inolitum, quod non pertinax cura extirpet. Si ergo tanta constantia labores in edomanda passione tua, quantam adhibet faber in edomando ferro, utique illam flectes, & perdomabis, præsertim accedente vi ignis, id est amoris, & charitatis. Unde Rabanus: *Per fabrum ferrarium*, inquit, *idem qui in architecto, hoc est, ordo sanctorum prædicatorum, exprimitur, qui iuxta incudem, hoc est iuxta durum præsentis vitæ laborem, sedens, arma spiritalia, documenta videlicet divina, scribendo atque docendo fabricat, quatenus contra hostis antiqui tentamenta suos fortiter dimicare doceat, & hæreticorum atque philosophorum sectas perversas devitare, atque persecutorum minas contemnere faciat. Huius ergo fabri carnes, hoc est corpus, vapor ignis, & calor fornacis urit, cùm tribulatio, & persecutio mundi eum fatigare non desistit. Vox mallei innovavit aurem eius, cùm edicta principum terrorem tormentorum non cessant ingerere sensibus illius. At ipse cor suum dabit, ut consummet opus officii sui: & vigilias solertiæ suæ ad hoc impendit, ut vasa electorum animarum ad scientiæ, & virtutum perfectionem perducat. Vnde Paulus Apostolus horum armorum præcipuus fabricator, quibusdam suis auditoribus ita scribens ait: Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos arma Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quia non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.*

Ephes. 6.

Vide multiplices sacrorum malleorum ictus, quibus se suosque fideles tundit, & expolit quasi faber S. Paulus 2. Cor. 6. v. 4. & sequ. *Exhibeamus*, inquit, *nos Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis in plagis; in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis*, &c.

Homo intendat legi uti faber suæ ideæ.

Appositè ad rem præsentem S. Basilius in Regulis fusius disput. interrogat. 5. docet Christianum debere totum intendere Dei legi, & voluntati, sicut faber intendit ideæ iuxta quam opus fabricandum est. *Vt enim faber ferrarius*, inquit, *verbigratia, quandocumque dolabram aliquam sive asciam cudit, si assiduè illius memor sit, unde instrumentum illud faciendum ex pacto acceperit, & præscriptam sibi ab illo formam, & magnitudinem animo versat, & ad voluntatem eius qui condixit opus, dirigit quod facit: alioqui si eius memoriam menti sibi patiatur excidere, prorsus aut aliud quippiam omnino, aut longè dissimile efficiet ab eo quod facere instituerat, sic Christianus quoque si actiones suas omnes, sive minores, sive maiores, ad Dei voluntatem direxerit, is sine controversia, & egregiè opus illud perficit, & simul assiduam illius in animo sibi memoriam conservat, à quo id iussus est facere: vereq; illud dicere poterit: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear itemq; Pauli præcepto illi satisfaciet: Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Quòd si quis in eo, dum opus administrat, à perfecta illa præscripti mandati norma desciscat, hunc perspicuum est debilem Dei memoriam retinere*. Idem S. Basilius homil. de humana Christi generatione, Verbum incarnatum comparat ferro ignito. Sicut enim faber per ignem ferrum ignit facitque ignitum, ut videatur merus esse ignis, & tamen permanet ferri natura: sic verbum carnem assumens eam quasi deificavit, integra tamen manente carnis essentia. Idem S. Basilius lib. 3. contra Eunomium, animam charitate flagrantem comparat ferro ignito, quam quasi faber cudit, & ignit Spiritus sanctus. *Sicut ferrum*, inquit, *quod in medio igne iacet, ferri naturam non amisit: vehementi tamen ignis actione ignitum, cùm universam ignis naturam in semetipsum acceperit, & colore, & calore, & actione ad ignem transit: sic sanctæ virtutes ex communicatione quam cum illo habent qui natura sanctus est, per totam suam subsistentiam receptam, jam quasi innatam sanctificationem habent. Diversitas verò ipsis à Spiritu sancto hæc est, quòd Spiritus natura sanctitas est, illis verò participatione inest sanctificatio.*

Verbum incarnatum est quasi ferrum ignitum.

VERS. 32. SIC (*Tò sic refer tum ad sapientia replebitur*, v. 26. tum ad *cor suum dabit*, quod sequitur, ut jam sæpiùs monui) FIGULUS SEDENS AD OPUS SUUM, CONVERTENS PEDIBUS SUIS ROTAM, QUI IN SOLICITUDINE POSITUS EST SEMPER PROPTER OPUS SUUM, ET IN NUMERO EST OMNIS OPERATIO EJUS) A fabro transit ad figulum, cuiusque opus, & occupationem describit, scilicet Primò, quòd *sedens ad opus suum convertat pedibus suis rotam*, ut vas luteum radat, formet, poliat. Secundò, quòd solicitus sit *propter opus suum*, græcè ἐπὶ τὸ ἔργον, id est, *in opus suum*, hoc est, quòd solicitè intendat operi suo ne vas luteum, utpote fragile, si incautè ab eo tractetur, frangatur, & dissiliat, aut in aliam formam quàm ipse destinavit, rota currente abeat. Tertiò, quòd *in numero*, græcè ἐναρίθμιος, id est numerata, *sit operatio eius*, quia scilicet cum lutum sit valdè friabile, & flexile, illud ex eo multa vasa effingit; unde ea solet numerare certumque eorum numerum sibi præfigere: famuli quoque, & ministri hero suo coguntur, per diem certum vasorum a se effectorum numerum pendere, & adnumerare, ita Biblia Latina Romæ correcta, Græca Complut. & Rom. Unde Tigurina vertit, *similiter sedens ad opus suum figulus, rotamq; suam pedibus versans ad opus suum totus incumbit solicitè, ac opificium omne suum habens in numerato*. Alii per *numerum* intelligunt pretium; hoc enim numerari solet, per catachresin unde vertunt, *qui semper incumbit in curam operis sui, & omnis operatio ipsius in pretio est.*

Minùs rectè ergo Lyran. Jansen. & Palacius legunt contrariè ἀναρίθμος, id est, *innumera est operatio eius*; q. d. Plurima, & quasi innumera vasa efformat. Igitur figulus, ait Palacius, semper in solicitudine positus est, ut nova vasa edat, novas formas excogitet, novis picturis insigniat: qua de causa innumera est operatio eius.

Porrò hanc artem non tantùm instituit, sed & exercuit Deus, cùm ab origine mundi ex luto plasmavit hominem, Genes. 2. 7. Unde *Deus est figulus*, ait S. August. lib. 15. de Civit. c. 1. isque primus, & priscus, præsertim quia ex eadem luti massa facit vas aliud in honorem, aliud in contumeliam, Rom. 9. 1.

INBRACHIO SUO FORMABIT LUTUM, ET ANTE PEDES SUOS CURVABIT VIRTUTEM SUAM. VERS. 33.
COR SUUM DABIT UT CONSUMMET LINITIONEM VERS. 34.
ET VIGILIA SUA MUNDABIT FORNACEM) Syrus totum hunc de figulo locum sic vertit, *ita etiam figulus qui sedet iuxta rotam, & movet ungue suo vas: oculis eius in vasis omnis operis eius, & brachia eius fundunt lutũ, & antequã moriatur, curvus, & procumbens evadit, & cor eius positum est ad perficiendum opus suum, & vigilia eius ad ædificandum caminum.*

Quartum opus figuli est, *brachiis formare lutum*, tum, ut illud aqua subigat, & debitè contemperet, ne sit nimis siccum vel nimis humidum; tum, ut ex eo iam subacto sedens ad rotam vas pulchrum efformet, &, ut græcè est, τυπώσει, id est figuret. Tigurina, *nunc lutum conformat brachio suo*.

Quintum est, *ante pedes suos curvabit virtutem suam*, græcè ἰσχὺν αὐτοῦ, id est robur suum, vires suas: quia scilicet totis viribus curvat, inclinat, & flectit se pectus suum versus pedes ad opus, ut illud exactè efformet: dum enim pedibus agitat rotam in qua opus effingit, inclinato pectore, & brachiis totus operi formando incumbit:

Alii pronomen αὐτοῦ referunt ad πηλὸν, id est lutum. Vnde Tigur. *nunc pedibus*, inquit, *vim ipsius luti prosubigit*. Solent enim figuli lutum pedibus subigere, macerare, & aqua debitè temperare, ut tenax fiat, & ductile, aptumque ad vas ex eo efformandum. ita Iansenius: Figulus, inquit, brachio format, & figurat lutum; sed priùs ante pedes suos flectit, curvat, & subigit vim ipsius luti, ut aptum fiat ad formam manibus, & brachio inducendam. Hujusmodi enim luti subactio, quæ est eius curvatio, & temperatura, pedibus priùs fit. Sed Latina Vulgata versio priorem sensum exposcit.

Sextum est: *Cor suum dabit ut consummet linitionem*. Solent enim figuli vas a se effictum, intus, & extra linire plumbo, stanno, rubrica, aliave materia; tum, ut pulchrum colorem, speciem, & formam ei inducant; tum illud consolident, & corroborent. Vnde Tigurina vertit, *nunc curam impendit operi perliniendo*; alii, *cor applicat ad perficiendum linimentum*: hoc enim est χρῖσμα, pro quo minùs rectè aliqui legunt δῶρον id est, *munus* vel donum.

Septimum est: *Et vigilia sua mundabit fornacem*: q. d.

Vigili cura, & studio fornacem priùs à se succensam emundabit, ut in illam mundatam inferat vasa testea à se efformata, in eaque illa coquat, ut fiant solida, & dura. Tigurina, *& ad excolendum caminum advigilat*; alii, *& vigilia eius de purgando camino*.

Nota *Tò ad linitionem*, vel, ut græcè est, *ad perficiendum linimentum*. Nam Romæ, in Italia, aliisque in locis solent vasa testacea Primò, ex argilla, quam ipsi cretam vocant, à figulo efformari; Secundò, sole siccari, & in fornace coqui; Tertiò, mistura ex arena, & vini fæcibus siccatis, in cinerem redactis, plumbo item, & stanno confecta, circumcirca intus, & foris liniri: quæ linitio facit, ut vasa sint solidiora, & fortiora; item alba, & splendida; denique idonea ut vinum, acetum, lac, aliosque liquores contineant, & conservent: vas enim testaceum ex sola argilla confectum, omnes liquores, excepta aqua, & oleo, corrumpit; linitio ergo hæc facit, ut eos tueatur, & conservet. Hæc autem mistura adhibetur in poculis, lancibus, pollubris, cæterisque vasis mensalibus; in vasis verò culinariis, ut ollis, omisso stanno adhibent plumbum, vasque tantùm interiùs perliniunt, tum ut evadat robustum, & nitidum, tum ut liquores reique alias conservet. Hanc à plumbo misturam Romani vocant *la vernice*, priorem verò è plumbo, & stanno vocant *la majolica*: stannum enim dat vasis candorem, & splendorem, quo non egent vasa culinaria. Quartò, vasa mensalia variis coloribus depingunt, litterasq; quas volunt iis inscribunt. Denique Quintò, ea in fornace percoquunt: unde in ea percocta evadunt vasa solida, candida, elegantia, splendida, quibus proinde in omni suppellectile utimur. Hæc Romæ à figulis S. Cæciliæ vicinis audivi, imò oculis inspexi. Similis est ratio vasorum quæ fiunt è porcellana, sed sicut horum materia est pretiosior, ita & color ac species elegantior, & præstantior.

Mysticè figuli sunt prædicatores.

Mysticè, Rabanus per figulos, æquè ac agricolas, sculptores, & fabros, intelligit sanctos prædicatores. *Ipsi enim*, inquit, *per diversa officia gradus sui ministerium dignè agunt, & doctrinam suam secundùm qualitatem auditorum temperant: quia aliter admonendi sunt sapientes, aliter insipientes: aliter fortes, aliter infirmi: aliter iuvenes, aliter senes: aliter viri aliterq; fœminæ. Ipsi aratro Evangelii excolunt agrum Domini. Ipsi oves, & animalia Dominica pascunt pabulo verbi. Ipsi sculpunt signacula novi hominis in cordibus humanis. Ipsi per linguæ suæ ministerium fabricant arma virtutum. Ipsiq; fragiles, & infirmos verbis, & exemplis formant atque confortant, quatenus eos efficiant vasa honorabilia, & ad ministerium Dei aptissima. Hic ergo figulus in operando convertit pedibus suis rotam, cùm præsentis vitæ volubilem conversationem, per vestigia bonorum operum suis sequacibus convertit ad exemplum, qui sollicitudinem gerit sibi commissorum ut bonorum operum insistant actibus, qui suis factis infirmorum roborat operationem, & humilitatis atque mansuetudinis eis præbet exempla; qui cordis sui totam voluntatem ad hoc ponit, ut quidquid asperum sit in moribus subditorum, lenitatis suæ leniat documento; ad hocq; omnem vigilantiam suam impendit, ut in cordis fornace igne excoquens charitatis totam operationem discipulorum, flamma consolidet dilectionis: quia totum opus casus sui habet detrimentum, si charitatis illud non condiunt glutinamentum.*

OMNES HI IN MANIBUS SUIS (alii vertunt, *in manus suas*)
VERS. 35. SPERAVERUNT, ET UNUSQUISQUE IN
VERS. 36. ARTE SUA SAPIENS EST: SINE HIS OMNIBUS NON ÆDIFICATUR CIVITAS) Est conclusio, q. d. Omnes hi, putà agricolæ, sculptores, fabri figuli, cæterique mechanici, & opifices, ad veram illam, & sublimem sapientiam, quæ consistit in studio S. Scripturæ legum rerumque divinarum, non assurgunt: sed tamen eius quamdam imitationem & participationem habent: nam *in manibus suis speraverunt*, id est, sperant quia manuum opere sibi, & familiæ ad victum & vitam necessaria comparant. *Et unusquisque in arte sua sapiens est*: quia agricola sapienter colit agrum, sculptor sapienter statuas exsculpit, faber sapienter fabricat gladium, figulus sapienter fingit vas figulinum. Atque hæc omnia necessaria sunt ad vitam communem hominum. Nam *sine his omnibus civitas ædificari* nequit. Unde Tigurina vertit, *horum omnium quisque fretus suis manibus, opere suo consumit quod habet sapientiæ*; & Syrus, *omnes isti propter felicitatem suam, & omnes homines in opere artis eorum sunt docti*, &c. *verum ad consilium populi non sedebunt*.

ET NON INHABITABUNT, NEC INAMBULA
VERS. 37. BUNT, ET IN ECCLESIAM NON TRANSILIENT)
Ita hæc dispungunt, & coniungunt Biblia Latina Romæ correcta; idq; exigit ordo, & nexus verborum, quæ omnia sunt eiusdem numeri, personæ, modi, & temporis, scilicet futuri. Quare minùs rectè Jansenius, & alii coniungunt præcedentibus, q. d. Sine his opificibus nec ædificari civitas, nec inhabitari potest, ita ut homines in ea degant, & inambulent. Unde Tigurina vertit, *sine his quidem non colitur urbs ulla, nec inhabitabitur, nec perambulabitur*. Igitur genuinus huius loci sensus petendus est ex Græco. Nam pro *non inhabitabunt*, græcè est *μὴ παροικήσουσι*, id est, non erunt parœci, & accolæ, qui scilicet templum aliquod vel curiam accolunt. Unde *παροικία*, id est parœcia, vocatur curia, & viciniæ conventus, accolarum coitio ad templum vel curiam: juxta illam enim olim habitabant senatores, & primarii cives: fabri verò, & opifices, ne suo strepitu, & sordibus turbarent senatores, & cives, ad suburbia, vel ad remota urbis loca ablegabantur. ita agricolæ non in urbe, sed rure habitant: figuli quoque extra muros in arenariis degunt, ubi argillam suam effodiunt, ut eam ad manum habeant. Olim quoque fabri in suburbiis, vel remotè à cœtu populi habitasse videntur, æquè ac cælatores juxta sua marmora, & lapicidinas. ita Palacius. Huc facit quod Cicero 4. Academ ex sententia Lycurgi, & Solonis asserit, *Non esse urbes aut civitates, nisi quæ essent sapientum*. Unde addit: *Ego tibi, Carneade, prætor esse non videor, quia sapiens non sum: nec hæc urbs, nec in ea civitas*.

NEC INAMBULABUNT) quasi judices, magistratus, vel censores, inquit Palacius, qui urbem obambulent, & considerent ne quid in ea malè geratur. Adde, otiosorum esse, non opificum laboriosorum, per urbem ambulare. Sic sæpè alibi in Script. *perambulare* est senatorum, & principum, notatque principatum vel magistratum, putà actum visitandi, inquirendi, perscrutandi, disponendi res omnes, uti ostendi Zachar. 1. v. 11. unde explicans subdit:

ET IN ECCLESIAM NON TRANSILIENT) Ut scilicet saliant in ecclesiæ prima, & altiora subsellia, putà ut dignitatem senatorum, sacerdotum vel doctorum obtineant, ut in ecclesia emineant, eiusque sint primores, & capita. Aut *in ecclesiam*, id est, in cœtum, & concilium sapientum, *non transilient*. Unde Complut. addunt: *In consilio populi non requirentur*; & Tigur. *attamen nec sententiam rogabuntur in consultatione populi, nec in concione eminebunt*. Hinc, & explicans subdit: *Super sellam iudicis non sedebunt*, &c. Sic dicitur Deut. 23. 1. *Non intrabit eunuchus ecclesiam Domini*; ubi Oleaster, & Cajetan. per *ecclesiam*, intelligunt primores ecclesiæ, & cœtus Judæorum, q. d. Eunuchus non erit è magistratu Judæorum.

Nota. Pro *ὑπεραλοῦνται*, id est, *transilient*, aliqui legunt *συγκαλοῦνται*, id est, *advocantur*. Unde vertunt, *nec in concionem (consilium) populi advocantur*. Nota. Hoc ordinariè fiebat, & fit etiamnum, in magnis urbibus (nam in parvis etiam fabri, & sartores, & sutores sunt senatores, & consules;) extraordinariè tamen subinde ex hisce vilibus opificiis nonnulli conscenderunt ad primas reipub. dignitates. Sic Agathocles ex figulina conscendit thronum regni, factusque est Siciliæ rex: unde cœnabat in vasis testaceis, ut meminisset semper se esse figuli filium. Hinc Ausonius de eo canit:

Agathocles ex figulo rex.

Fictilibus cœnasse ferunt Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpè onerasse luto.

Sensus igitur est, q. d. Agricolæ, & opifices esto in sua arte sapientes sint, & necessarii ad urbes, & domos ædificandas, tamen ad sapientiam, & honorem primariorum civium non assurgent, ut scilicet civitatis sint rectores, judices, doctores. Quare non inhabitabunt primarias urbis partes, putà juxta templum, & curiam, sed ad remota urbis, vel extra urbem loca amandabuntur: nec inambulabunt in ea, quasi consules vel magistratus: quia *in ecclesiam*, id est ecclesiæ consilium, & regimen, putà ut in ea præsideant, & præsint, *non transilient*. Unde explicans subdit.

SUPER SELLAM JUDICIS NON SEDEBUNT, ET
TESTAMENTUM JUDICII NON INTELLIGENT, NE VERS. 38.
QUE PALAM FACIENT DISCIPLINAM, ET JUDICIUM, ET IN PARABOLIS NON INVENIENTUR) Duo opificibus negat. Primum, *sellam judicis*, id est auctoritatem, & potestatem judicandi cives, q. d. Opifices non erunt judices civitatis. Rationem subdit: *Et*, id est quia, *testamentum judicii*, id est ritus, decreta, leges, & constitutiones judiciales, *non intelligunt*, q. d. Quia non sunt Jurisperiti, utpote qui non juri sed incudi studuerint. Hebr. enim ברית *beris*, & Græcum *διαθήκη*, id est *testamentum*, per catachresim

exten-

extenditur, ut non tantùm constitutionem, & ordinationem testamentariam, hoc est ultimam voluntatem, & decretum morituri vel mortui; sed, & quamvis aliam ordinationem, & constitutionem significet, præsertim judicii, juxta quam scilicet, quasi jus, & justum civitatis, judex in judicio judicare, & ferre sententiam debet. Unde aliqui vertunt, *& rationem iudicij non intelligent*; Tigur. *nec sedebunt pro tribunalibus, nec ritum iudiciorum intelligent*.

Secundum est: *Neque palàm facient disciplinam, & iudicium*. q. d. Opifices non erunt magistri, & doctores, ut doceant alios *disciplinam, & iudicium*, id est justitiam, æquitatem, & honestatem in moribus, & humana vita ac conversatione servandam; *&*, id est quia, *in parabolis*; id est gravibus, & eruditis sapientum sententiis prediscendis non occupantur, cùm totos eos occupet cura suæ artis, & opificii. Olim enim apud Hebræos, Syros, aliosque Orientales magnus erat usus quærendi parabolas, id est, tum similitudines, tum proverbia, tum ænigmata, tum graves sententias in iisque quasi veterum sapientia consistebat, ut patet ex l. Job, ex Parabolis Salomonis, ex Ecclesiastico, ex regina Saba, quæ venit tentare Salomonem in parabolis 3. Reg. 10 Hinc, & Christus more gentis suæ, suam doctrinam ducuit per parabolas. Significat duo esse officia quæ in repub. eminent, ad quæ non assurgunt opifices, scilicet rectoris vel judicis, & doctoris; eò quòd hæc eminentem requirant sapientiam, ideoque ingens studium poscant; ac consequenter otium, & vacationem ab operibus mechanicis.

Platonis lex ne magistratus sint opifices.

Idem sanxit Plato libr. 8. de Legibus, ubi hanc primam civitati dat legem: *Primùm*, inquit, *ut ne civium quispiam* (cui cura civitatis incumbit) *opificio ulli operam navet*. Causam subdit. *Quippe cui hoc tributum est à natura muneris, ut publicam civitatis salutem, & publicum ornamentum tueatur: atque adeò non perfunctoria opera satis ei sit ad tanti muneris procurationem. Duas artes, aut duo instituta commodè tractare non potest ulla humana natura: nemo etiam vel uni arti satis vacare potest, & simul aliam exercenti præesse. Hoc igitur in nostra repub. firmum ratumque sit, itaque velut primordium ponatur, uti ne quis duabus rebus unà vacet, veluti, ne quis faber ærarius lignariam artem exerceat*. Subdit pœnam, scilicet infamia notandum eum qui secùs faxit. Additque: *Si quis peregrinus duas artes tractet, vinculis, mulctis pecuniariis, exilio plectitor: ut his pœnis coercitus discat se unum esse, non autem multos unà homines*; &, ut superiùs ait, ut sciat quòd sit ἁπλοῦς non διπλοῦς, id est, simplex non duplex.

Pro παιδείαν, id est, *disciplinam*, ut legunt Complut. & Noster, Romani, & Tigur. legunt, δικαιοσύνην, id est *iustitiam*. Unde vertunt, *neque palàm facient iustitiam, & iudicium*; Tigur. *neque verò de iure pronuntiarint aut æquo, nec arcana dictorum eruerint*; quasi hæc pertineant ad præcedentia de officio judicis.

VERS. 33. SED CREATURAM ÆVI CONFIRMABUNT) q. d. Opifices res hujus mundi creatas à Deo, homini ad vitam tuendam necessarias, arte sua reficiunt, & restaurant. Pro *creaturam*, Noster legit cum Roman. κτίσμα, quod Tigurin. vertit, *sed opificia mundi firmant*; alii, *sed opificium sæculi stabilient*. Clariùs enim αἰῶνος, quod Noster vertit *ævi*, vertas *sæculi*: Complut. legunt κτῆμα, unde vertunt, *sed possessionem sæculi firmabunt, possessionem*, id est res quas homo in hoc mundo possidet, ut illum in earum possessione stabiliant, & confirment. Cùm enim omnes res creatæ sint fragiles, caducæ, multisque alterationibus, & corruptionibus obnoxiæ; ut huic malo mederetur Deus, instituit artifices, qui illas repararent, & restaurarent, ut illæ partim in se, partim in sui similibus novè ab opifice fabrefactis, per continuam tot sæculorum successionem, usque ad finem mundi perdurent, hominisque necessitatibus, & usibus serviant.

Aliter Palacius: Nam per *creaturam ævi*, sive seculi, accipit hominem; sicut, & S. Gregor. intellexit illud Marci ult. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, id est homini, inquit. Omnis enim creaturæ aliquid habet homo, estque ipse velut omnium creatorum participium. Est igitur homo *creatura sæculi*, utpote propter quem sæculum conditum est; & cui omnia in sæculo serviunt. Mechanicorum enim & agricolarum est hominem confirmare, id est, homini servire. Totum enim eorum opus in commodum hominis cedit. ita ipse.

ET DEPRECATIO ILLORUM IN OPERATIONE ARTIS) q. d. Preces, & vota opificum sunt pro felici exercitio artis suæ, ut opera talia efficiant, qualis ars cuiusque exigit, ad vitam hanc commodè transigendam. Hoc enim unum cogitant, hoc optant, hoc orant assidue. Unde Tigurina vertit, *& pro exercitio artis vota faciunt*; alii, *& eorum votum in operatione artis*.

ACCOMMODANTES ANIMAM SUAM, ET CONQUIRENTES IN LEGE ALTISSIMI) q. d. Opifices ita vacant arti, & opificio suo, ut tamen stato tempore accommodent, & applicent, *animam*, id est animum suum ad audiendam, vel legendam legem Dei: illam enim perquirunt, ut eam cognoscant, & cognitam opere perficiant; utpote cùm hæc una sit via, quæ animam ad salutem, & felicitatem æternam in cælis perducat. Huic Latinæ sententiæ, & sensui adaptes Græca, quæ sic habent, id est, *præter dantem animum suum, & conquirentem in lege Altissimi*. Nam pro ἐπιδιδόντος, Noster rectiùs legens ἐπιδιδόντες, vertit, *accommodantes*, & pro διανοουμένου legens διανοούμενοι, vertit *conquirentes*: quamquam licèt legas ἐπιδιδόντος, id est *accommodantis*; & διανοουμένου, id est, *conquirentis*, in genitivo, ut aliqui legunt, aptè id referas ad *artis*, quæ præcessit, eodem sensu: πλὴν verò omisit Noster quasi encliticum, ac proinde in Latina versione non necessarium: πλὴν enim idem est quod *præter, præterquam, nisi, veruntamen, ceterùm*. Unde si clarè vertas, & explices, q. d. Opifices toti vacant arti suæ: *veruntamen* stato tempore accommodant animam suam legi divinæ: aut *præterquam*, vel *nisi quòd* statis diebus se accommodent vacentque legi Dei. Qui sensus prorsus convenit cum Latina Vulgata. Quare mirum est Jansenium, & alios Græca aliter interpretari, iisque Latinam versionem accommodare, sed violenter. Vertunt enim, *præter eum qui dat animum suum, & cogitat in lege Altissimi*; sicque exponunt, quasi hæc verba non pertineant ad opificem, sed ad sapientem in otio vacantem sapientiæ, q. d. Illa quæ superiùs dixi, scilicet quòd in civitate erunt rectores, judices, & doctores, qui *sedeant super sellam iudicis*, & *palam faciant disciplinam*, &c. non pertinent ad opifices, qui toti vacant suo opificio, sed ad sapientem, qui se totum dat legi Dei, & in ea assiduè meditatur. Aut breviùs, q. d. Non est artificium veræ sapientiæ operam dare, sed tantùm illius qui animam suam dat ad pervestigandam legem Dei. Unde quod Latinus vertit, *accommodantes animam suam, & conquirentes in lege Altissimi*, Græcæ lectioni, & sensui iam dicto adaptant, subaudiendo *To hi soli illa quæ dixi, præstabunt*.

Verùm hæc violenta sunt, & multa subaudiunt, quæ vix ulli in mentem venient. Quare standum est Latino interpreti, illique Græca planè accommodanda sunt eo modo quo dixi. Explicat enim sapientiam opificum, de qua dixit v. 25. *Qua sapientia replebitur*; & 35. *Unusquisque in arte sua sapiens est*, maxime consistere in studio legis divinæ. Esto enim opifici non tanta, nec tam plena legis Dei cognitio necessaria sit, quanta est doctori; tamen aliquali indiget, ut scilicet sciat ea quæ ad ipsum pertinent, & ad quæ obligatur, nimirum quid explicitè credere, quid agere, quid omittere debeat, ut salutem æternam consequatur: Et in hoc eius sapientia consistit.

Porrò Tigurina, ut aliorum difficultates effugiat, hæc verba refert ad initium capitis sequ. Unde cum eo illa connectens sic vertit, *solus qui ad legem Altissimi adiunxit animum, & in meditatione eius versatur, qui explorabit sapientiam antiquitatis, & Prophetarum oraculis vacabit, is conservabit disputationes virorum celebrium*: sic, & Syrus, *opifices*, inquit, *non percipient disciplinam sapientiæ, quia in facturis sæculi splendidi evadunt & meditatio eorum in opere artis eorum. Verùm qui applicat se ad timendum Deum, & ad intelligendum legem vitæ, sicut sapientiam omnium antiquorum inquiret*.

Moral. Discant hic opifices, omnem suam sapientiam consistere in cultu Dei, si nimirum eum assiduè deprecentur, eiusque legi aures, mentem, & manum accommodent, præsertim ut omnia sua opera Deo offerant, eaque ad ipsius honorem, & gloriam operentur, & perficiant. Meminerint artem virtuti esse cognatam. Sicut enim ars est ratio faciendorum; ita virtus agendorum. Nam, ut ait S. August. l. 4. de Civit. c. 21. *Ars ipsa bene recteq; vivendi, virtus à veteribus definita est. Unde ab eo quod græcè ἀρετὴ dicitur virtus, nomen artis Latinos traduxisse putarunt*. Si enim hæc præstiterint, Deus eorum opificium prosperabit, facietque ut in sua arte eximii, indeque celebres, & locupletes evadant; ac insuper eis augmenta gratiarum suggeret, quibus magnos in cælis gloriæ thesauros nanciscantur. Artes enim sunt dona Dei, communiter quidem naturalia, subinde tamen su-

Opificum scientia est in cultu Dei.

men supernaturalia, & singulariter à Deo infusa, uti ars fabricandi tabernaculum à Deo infusa fuit Beseleel & Ooliab, de quibus ait ipsemet Deus Exodi 31. 2. *Ecce vocavi ex nomine Beseleel, &c. & implevi eum spiritu Dei, & sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro & argento & ære, &c. Dedique ei socium Ooliab. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam ut faciant cuncta quæ præcepi tibi, tabernaculum fœderis, & arcam testimonij, & propitiatorium, &c.* Deus enim est ipsa ars essentialis & increata, à quo omnis ars creata, velut rivulus à fonte, scaturit & dimanat. Sic angeli docuerunt Jacob artem procurandi ut oves parerent agnos diversi colores, scilicet virgas populeas diversicolores in conceptu eis proponendo: qua arte ipse ditatus est, uti dixi Genes. 30. & 37. Ita S. Eligius singulari Dei ope evasit insignis aurifaber, adeò ut Clotharius rex Francorum eum sibi aurificem asciverit, ac Dagobertus rex per eum S. Martini thecam magnis expensis confici curarit, quam ille miro opificio ex auro & gemmis construxit; uti & S. Dionysio, S. Germano, S. Quintino, aliisque Sanctis similes adornavit: unde postmodum creari meruit Episcopus Noviomensis. ita Audoenus in Vita ejus lib. 1. cap. 5. & 32. extat apud Surium die 1. Decembris. Ita S. Claudius, Nicostratus, Symphorianus & Castorius sua pietate & signo crucis evaserunt insignes sculptores & marmorum cæsores; qua de causa Diocletiano Imp. fuere valdè accepti. Id videns & invidens Simplicius, adhuc Paganus: *Adiuro vos*, inquit, *ut mihi dicatis, quis iste Deus sit in cujus nomine tam bene operamini.* Cui Symphorianus: *Si potes credere*, inquit, *in Jesum Christum, mox artem consequeris, sed & vitam æternam habebis.* Credidit Simplicius, artemque adeptus, eisdem illustris martyrij factus est socius. Omnes enim à Diocletiano occisi sunt, eò quòd nollent Æsculapii idolum sculpere. Eorum memoriam recolit Ecclesia die 8. Novembris.

Porrò ars fabrilis directa à mathesi, mira & stupenda efficit. Fabrilis enim mathesin à theoria ad praxin deducit, eamque ex speculativa practicam & mechanicam efficit: in qua excelluit Archimedes, qui per eamdem solus Syracusas contra Romanos defendit & propugnavit. Archimedem secutus est Severinus Boetius, princeps senatus Romani, illustrissimus prosapia, doctrina, sanctitate, martyrio, qui omnia Græcorum dogmata & mechanica in-

A terpretando ad Romanos transtulit. Unde Theodoricus Gothorum rex apud Cassiodorum lib. 1. epist. 45. mirè ejus omnigenam scientiam dilaudans, *Translationibus tuis*, inquit, *Pythagoras musicus, Ptolemæus Astronomus, leguntur Itali. Nicomachus Arithmeticus, Geometricus Euclides audiuntur Ausoniis. Plato Theologus, Aristoteles Logicus, Quirinali voce disceptant. Mechanicum etiam Archimedem Latialem Siculis reddidisti. Et quascumque disciplinas vel artes fœcunda Græcia per singulos viros edidit, te uno auctore, patrio sermone Roma suscepit.* Mox mathesis hujus mechanicæ, sive fabrilis, mira recensens opera: *Facit aquas*, inquit, *ex imo surgentes, præcipites cadere: ignem ponderibus currere: organa extraneis vocibus insonare: & peregrinis flatibus calamos complet, ut musica possint arte cantare*: ut patet in organis ceterisque instrumentis hydraulicis vel anemicis, quæ scilicet vi aquarum, vel aeris & venti omnis generis modulos & harmonias edunt. Subdit Theodoricus: *Madentes fabrica in aqua marina siccantur: dura cùm fuerint, ingeniosa dispositione solvuntur: metalla mugiunt: Diomedis in ære grues buccinant: æneus anguis insibilat: aves simulatæ fritinniunt* (uti videmus Tusculi in hortis Aldobrandinis, & Tibure in Estensibus) *& quæ pro-*

B *priam vocem nesciunt, ab ære dulcedinem probantur emittere cantilenæ.* Denique subiicit artem sphærarum, in quibus cælorum, Solis, lunæ, siderumque motus, ortus, occasus, eclipses repræsentantur arte mechanica ad vivum. Hæc & plura Theodoricus, qui deinde, utpote Arrianus, amorem in odium vertens, Boetium velut Catholicum metuens, ne Justini Imp. arma contra se in Italiam evocaret, eumdem carceri Ticinensi mancipavit, in quo aureos de Consolatione Philosophiæ libros, ad sui & similium afflictorum solatium conscripsit; ac tandem eumdem capite mulctans nobili martyrio decoravit. Ferunt Boetium caput sibi amputatum, instar S. Dionysij in manus accepisse, ac ad Ecclesiam detulisse. Audi Julium Martianum in Vita Boetii, quæ ejus operibus præfigitur, & ex eo Baronium anno Domini 526. *Ticini incolæ semper à majoribus traditum constanter asseverant, Severinum, cùm regius spiculator letale vulnus intulisset, utraque manu devulsum caput sustinuisse: interrogatumque à quonam se percussum existimaret? ab impiis, respondisse: atque ita cùm in vicinum templum venisset, & flexis genibus ante altare sacra percepisset, post paululum exspirasse.*

CAPUT TRIGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRosequitur probatque id quod dixit cap. præced. v. 25. sapientiam in otio quærendam, non in negotio. Igitur Primò, duo tradit media ad comparandam sapientiam. Primum, studium & lectionem Prophetarum, aliorumque sapientum; item conversationem cum eis, ac ad eos peregrinationem. Secundum, orationem, qua à Deo quis flagitet lumen, & donum sapientiæ. Deinde docet, quis sit fructus, laus & præconium sapientiæ, & sapientis. Secundò, v. 16. usque ad finem capitis sapienter contemplatur potentia Dei opera, tùm beneficentiæ, tum vindictæ, quibus omnes ad Dei laudem invitat.

SApientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit. 2. Narratio-
nem virorum nominatorum conservabit, & in versutias parabolarum simul introibit. 3.
Occulta proverbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conversabitur. 4. In medio
magnatorum ministrabit, & in conspectu præsidis apparebit. 5. In terram alienigenarum
gentium pertransiet: bona enim, & mala in hominibus tentabit. 6. Cor suum tradet ad vigilan-
dum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. 7. Aperiet os
suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur. 8. Si enim Dominus magnus voluerit, spi-
ritu intelligentiæ replebit illum. 9. Et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, &
in oratione confitebitur Domino: 10. Et ipse diriget consilium eius, & disciplinam, & in ab-
sconditis suis, consiliabitur. 11. Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, & in lege testa-
menti Domini gloriabitur. 12. Collaudabunt multi sapientiam eius, & usque in sæculum
non delebitur. 13. Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in ge-
nerationem. 14. Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius enuntiabit ecclesia. 15.
Si permanserit, nomen derelinquet plus quam mille: & si requieverit, proderit illi. 16. Adhuc
consiliabor, ut enarrem: ut furore enim repletus sum. 17. In voce dicit: Obaudite me divini
fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. 18. Quasi Libanus o-
dorem suavitatis habete. 19. Florete flores, quasi lilium, & date odorem, & frondete in gra-
tiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis. 20. Date nomini eius
magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in canticis labiorum, &

citha-

citharis, & sic dicetis in confessione: 21. * Opera Domini universa bona valde. 22. * In ver-
bo eius stetit aqua sicut congeries: & in sermone oris illius sicut exceptoria aquarum: 23. Quo-
niam in præcepto ipsius placor fit, & non est minoratio in salute ipsius. 24. Opera omnis car-
nis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis eius. 25. A sæculo usque in sæcu-
lum respicit, & nihil est mirabile in conspectu eius. 26. Non est dicere: Quid est hoc, aut
quid est istud? omnia enim in tempore suo quærentur. 27. Benedictio illius quasi fluvius inun-
davit. 28. Quomodo cataclysmus aridam inebriavit, sic ira ipsius gentes, quæ non exquisie-
runt eum, hæreditabit. 29. * Quomodo convertit aquas in siccitatem, & siccata est terra: &
viæ illius viis illorum directæ sunt: sic peccatoribus offensiones in ira eius. 30. Bona bonis crea-
ta sunt ab initio, sic nequissimis bona, & mala. 31. * Initium necessariæ rei vitæ hominum
aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis similagineus, & mel, & botrus uvæ, & oleum, & vesti-
mentum. 32. Hæc omnia sanctis in bona, sic & impiis & peccatoribus in mala convertentur.
33. Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua:
34. In tempore consummationis effundent virtutem: & furorem eius, qui fecit illos, placabunt
35. Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt; 36. Bestiarum den-
tes, & scorpii, & serpentes, & rhomphæa vindicans in exterminium impios. 37. In mandatis
eius epulabuntur, & super terram in necessitatem præparabuntur, & in temporibus suis non
præterient verbum. 38. Propterea ab initio confirmatus sum, & consiliatus sum, & cogita-
vi, & scripta dimisi. 39. * Omnia opera Domini bona, & omne opus hora sua subministra-
bit? 40. Non est dicere: Hoc illo nequius est: omnia enim in tempore suo comprobabun-
tur. 41. Et nunc in omni corde, & ore collaudate, & benedicite nomen Domini.

VERS. 1. SAPIENTIAM OMNIUM ANTIQUORUM EXQUIRET SAPIENS, ET IN PROPHETIS VACABIT) Græcè, ἐν προφητείαις ἀσχοληθήσεται, id est, *in prophetiis occupabitur*; Tigurina, *sapientiam antiquitatis explorabit, & Prophetarum oraculis vacabit*. q. d. Sapiens, qui posthabitis opificum negotiosis exercitiis, otioso vacat studio sapientiæ, eamque in otio literario pervestigat; hic exquiret omnium antiquorum sapientiam. Ad hoc enim opus est otio, & vacatione à ceteris rebus, & negotiis. Igitur sicut cap. præced. v. 26. usque ad finem descripsit exercitia corporalia opificum, sic hic describit exercitia mentalia sapientis, id est, studiosi sapientiæ, qui sapientiam acquirere satagit. Vnde Syrus sapientem mechanico componens, & anteponens: *Meditatio eorum* (opificum) inquit, *in opere artis eorum: verùm qui applicat se ad timendum Deum, & ad intelligendum legem vitæ, sicut sapientiam omnium antiquorum exquiret, & ad Prophetas veteres convertetur.*

Pro *sapientiam* accipit Philosophiam, & Theologiam, B præcipuè ethicam, quæ hominis mores format, adeò planè, & amplè, ut, & familiam, ac subinde totam etiam remp. regere queat per œconomicam, & politicam, quæ ethices generaliter sumptæ sunt partes, & species. Sapientem igitur, id est, ethicum, œconomicum, & politicum, hic instruit Siracides, ac primum ei exercitium assignat *exquirere sapientiam omnium antiquorum*: ut non solùm sacras Litteras evoluat, inquit Palacius, sed, & profana scrinia scrutetur: nec contentus Peripatetica Aristotelis philosophia, etiam Platonicam videat, & Stoicam. Nam Aristoteles, Plato, & Socrates floruerunt paulò ante Siracidem, scilicet sub Alexandro Magno; post quem 40. circiter ann. sub initium regni Ptolomæi Philadelphi, hæc scripsit Siracides. Cùm enim humana sapientia sit lumen quoddam ex divinitatis luce procedens, non solùm hæc quærenda est in schola Peripatetica; sed ubilibet eam reperiamus, veneremur oportet. quod S. Paulus docuit, sententias ex Poetis adducens Actor. 17. & alibi. Hæc Palacius.

Platoni studuere Hebræi.

Hinc, & olim S. Augustinus ceterique Patres studuere C Platoni, adeoque Plato in Academiis Christianis prælegebatur, uti nunc prælegitur Aristoteles. Sic Seneca, Plutarchus, Epictetus, & similes magnam morum docent honestatem. Idem fecere prisci Hebræi. Vt alios tacem, Philo Iudæorum doctissimus, teste S. Hieron. Platonem volutavit, & imbibit. Vnde illud celebre: *Aut Philo platonizat aut Plato philonizat.*

Sed maximè sapientiæ studiosus *Prophetis vacabit*, ut, scilicet eorum prophetias, ut habent Græca perscrutetur: hæ enim cùm dictatæ sint à Spiritu sancto ad hominum instructionem, & morum conformationem, utique verissimæ, utilissimæ, efficacissimæ, & divinissimæ sunt.

Propria cuique veterum sapientum dotes.

Nota Tò *omnium*, quia aliquid singuli habent peculiare, sapientiæ, vel eloquentiæ, quod ab iis ediscas. Omnes ergo legas oportet, ut omnimodam haurias sapientiam. Au- D di Sidonium Apollinarem lib. 4. epist. 3. ubi laudans Claudianum Mamercum, eumque comparans priscis sapientibus, tam Gentilibus quàm Christianis, singulorum propria ita argutè, & punctim assignat: *Sentit*, inquit, *ut Pythagoras, dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat, ut Aristoteles, ut Æschines blanditur, ut Demosthenes irascitur, vernat ut Hortensius, æstuat ut Cethegus, incitat ut Curio, moratur ut Fabius, simulat ut Crassus, dissimulat ut Cæsar, suadet ut Cato, dissuadet ut Appius, persuadet ut Iulius. Iam si ad sacrosanctos Patres pro comparatione veniatur, instruit ut Hieronymus, destruit ut Lactantius, astruit ut Augustinus, attollitur ut Hilarius, summittitur ut Ioannes, ut Basilius corripit, Gregorius consolatur, ut Orosius affluit, ut Ruffinus stringitur, ut, Eusebius narrat, ut Eucherius sollicitat, ut Paulinus provocat, ut Ambrosius perseverat.*

Primus modus parandi sapientiam, est legere S. Script.

Per *Prophetas* intellige totam S. Script. synecdochicè: nam major, & difficilior pars S. Scripturæ sunt Prophetæ: Hebræi enim S. Scripturam dividunt in tres, scilicet in legem, prophetias, & hagiographa. Lex continetur Pentateucho Mosis, hagiograha numerant Job, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten, Cantica, Paralipomenon, Danielem, Esdram, & Esther: Prophetas dividunt in priores & posteriores. Priores vocant Iosue, Iudices, & quatuor libros Regum: posteriores, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, & duodecim Minores Prophetas, ita S. Hieron. in Prolog. Galeato, qui Bibliis præfigitur. Prophetæ ergo majorem, & potiorem S. Scripturæ veteris partem occupapant, ac proinde per eos omnes scriptores hagiographi, sive Canonici intelliguntur. Hi enim docent veram, & divinam sapientiam, à Deo dictatam ad hominum institutionem.

Pari modo studium Prophetarum, & S. Scripturæ fidelibus, veræ sapientiæ studiosis commendat S. Petrus epist. 2. cap. 1. 19. *Habemus*, inquit, *firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris: hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Idem Timotheo commendat S. Paulus epist. 2. cap. 3. v. 15. *Ab infantia*, inquit, *sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu. Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Vide quæ illis locis annotavi.

Essæi studiosi S. Scriptura.

Sic Essæi, sive Judæi, sive Christiani, sapientiæ, & sanctitatis opinione celebres, *summum studium veterum scriptis adhibent, inde quæ animæ, & corpori expediant eligentes*, ait Ioseph lib. 1. de Bello Iudaico c. 7. Idipsum magno labore, & studio præstiterunt prisci Rabbini, & Masoretæ, qui exactè omnes S. Scripturæ varias lectiones, & scriptiones, omnes voces, earumque varietates, & sensus, ad conservandam S. Scripturæ integritatem, annotarunt, ideoque opus suum vocarunt *Masoret*, id est traditio, à rad. מסר *masar*, id est tradidit; ut *masoret* idem sit quod cabala. Rursum *masoret* potest deduci à rad. אסר *asar*, id est colligavit, & יסר *iasar*, id est correxit. Nam ut notant Lexicographi, *masar*, *asar*, & *iasar* sunt affinia uti voce, ita, & significatio-

Masoretæ qui?

catione, & ab hisce tribus deduci potest vox *masoret*. Si à *masar*, id est tradidi, derives; significat traditionem, si à *iasar*, significat correctionem, castigationem, scilicet erratorum in describendis Bibliis admissorum. si ab *asar*, significat colligationem; quia eo libro ita collegerunt, & colligarunt verba, & voces omnes S. Scripturæ, ut ipsa dissolvi; corrumpi, & interire nequeat. Et hoc significat *masoret*, Ezech. 20. 37. *Inducam vos in vinculis*, (hebr. *in masoret*) *fœderis*, q. d. Vos mihi fœdere constringam, & devinciam.

In eodem, longè magis post Christum, desudarunt Patres omnes, & Ecclesiæ Doctores. Nam, ut ait S. Ambros. epist. 44. ad Constantium: *Mare est Scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem propheticarum, ænigmatum*. Et S. August. l. 12. Confess. c. 4. *Mira*, inquit, *profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas: horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris*. Quocirca idem epist. 119. c. 21. *In ipsis*, ait, *S. Scripturis multo nescio plura, quàm scio*. Denique S. Nazianz. in Distichis: *Divinis*, ait, *oraculis mente assiduè patere, utilissimum est: hac enim ratione divinarum legum scientia comparatur. Scito autem, pietatis magistrum patris loco tibi colendum esse*. Nam, ut ait S. Gregor. Præfat. in Job: *In S. Scriptura agnus* (humilis) *natat, & elephas* (superbus) *mergitur*.

VERS. 2. NARRATIONEM VIRORUM NOMINATORUM CONSERVABIT, ET IN VERSUTIAS PARABOLARUM SIMUL INTROIBIT) Per *narrationem*, græcè διήγησιν, id est enarrationem, explicationem, intellige tum ipsam doctrinam sapientum scripta verbis gratia, Mosis, Salomonis, Davidis, Isaiæ, & cetererorum Prophetarum ab ipsis proposita, & explicata; tum Rabbinorum qui in eos commentati sunt, explanationes: hæ enim propriè vocantur διήγησις, ut habent nonnulli codices. Generatim, per *narrationem* accipe quævis virorum sapientia celebrium dicta vel scripta. Vnde Tigurina vertit, *is conservabit disputationes virorum celebrium*, (alii, *clarorum*,) *& penetrabit in dictorum reconditorum involucra*; Syrus, *narrationes cuiuscumque de mundo discet, & quæ profunda sunt cogitabit*. Per *versutias*, græcè στροφαῖς, id est argutias, & involucra, *parabolarum*, accipe quasuis acutas gravesque veterum sententias de moribus componendis, de vita rectè, & prudenter instituenda. Hasce enim Hebræi vocant *misle*, Græci, & Latini *parabolas*, sive illæ veræ sint parabolæ, id est similitudines, sive proverbia, sive ænigmata, sive quælibet aliæ obscuræ, ingeniosæ aut graves sententiæ, ut alibi dixi. Hasce ergo indagare, intelligere, & memoriæ mandare debet sapientiæ studiosus. Hæ enim dicuntur, & sunt στροφαὶ, id est versutiæ, à στρέφω, id est verto, torqueo, flecto, inflecto: tum, quia acutæ sunt, & obscuræ, ideoque versant, & torquent animum studiosi: tum, quia ad varias res, & actiones verti, inflecti, & accommodari queunt: tum, quia occultè, & callidè sæpè aliò vertunt mentem intelligentis, quia aliud significant, quàm prima fronte repræsentent, ut patet in Hieroglyphicis Ægyptiorum, in ænigmatibus, & parabolis Syrorum: tum denique, quia voluntatem legentis vertunt, & inflectunt à malo ad bonum, scilicet ad studium, & praxin virtutis. Idem inculcavit Siracides cap. 8. v. 9.

Exempla Prudentium libris principum.

Id præstitere SS. Ecclesiæ Doctores. Audi S. Hieron. præfat. in epist. ad Ephesios: *Numquam ab adolescentia aut legere, aut doctos viros quæ nesciebam interrogare cessavi, aut me ipsum habui magistrum. Denique nuper ob hanc vel maximè causam Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, & ab eo in Scripturis omnibus, quæ habebam, dubia sciscitarer*. Audi Ruffinum l. 11. Hist. c. 9. de Basilio, & S. Gregor. Nazianz. *Ambo*, inquit, *nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collegæ, per annos tredecim, omnium Græcorum sæcularium libris remotis, solis divinæ Scripturæ voluminibus operam dabant, earumq; intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis, & auctoritate sequebantur, quos, & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat*. Plures citavi proœmio in Pentateuchum. Audi Rabanum hoc loco: *Exquirit bonus Ecclesiasticus, & diligentiùs scit sapientiam Patriarcharum, & Prophetarum, & ad scripta eorum meditanda vacat: narrationem virorum nominatorum, hoc est Apostolorum, & Euangelistarum, rectè credendo, & bene operando conservat: in parabolis quoque Euangelicis dil genter scrutando versatur, & mysticum in sententiis divinis exquirens, latentem allegoriam in historica narratione investigat; ut sciat quid luculentius sermo iuxta moralitatem, & fidei regulam utilitatis habeat, quidue iuxta allegoriam, & anagogen spiritaliter accipiendum insinuet. Hic ergo in medio magnatorum ministrabit cùm inter Catholicos doctores disciplinaliter conversatur, & in Ecclesiasticis officiis strenuè ministrat; & hoc non ut laudem humanam appetat, facit, sed ut coram oculis interni inspectoris, qui præsidet cælo, & terræ, & dominatur omnium creaturarum, placeat*. Denique S. Hieron. epist. ad Paulinum: *Paulus Apostolus*, inquit, *ad pedes Gamalielis legem Moysis, & Prophetas didicisse se gloriatur, ut armatus spiritalibus telis postea diceret confidenter: Arma nostra militiæ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & captivantes omnem intellectum ad obediendum Christo, & parati subiugare omnem inobedientiam*. *2. Cor. 10.*

VERS. 3. OCCULTA PROVERBIORUM EXQUIRET, ET IN ABSCONDITIS (græcè αἰνίγμασι, id est, *in ænigmatibus*) PARABOLARUM CONVERSABITUR) *Parabola* apud Hebræos sæpè idem significant quod *proverbia*: ut idem dicatur posteriori hemistichio cum eo quod dictum est priori; quia pleraque proverbia parabolam, id est similitudinem vel metaphoram habent admixtam. Possunt tamen distingui, uti ea distiguunt Græci, & Latini. *Proverbia* enim, παροιμίαι, sunt sententiæ graves omnium opinone receptæ, & vulgo usurpatæ, item allegoriæ, quæ aliò alludunt, aliudque innuunt. *Parabola* verò sunt similitudines, & comparationes, quibus vna res alteri comparatur, & assimilatur: & quia subinde res quæ utrimque comparantur, sunt occultæ, aut certè modus eas comparandi est occultus: hinc pariter *parabola* sensus sæpè sunt occulti, & reconditi; ideoque magno egent scrutinio, & expositione, ut patet in parabolis, & allegoriis S. Scripturæ, quæ proinde per parabolas hic accipi possunt, unde, & nonnulli hic vertunt, *in ænigmaticis allegoriis versabitur*. Sic, & Lyranus ac Rabanus, cujus verba paulò ante recitavi. Sic Essæi olim, qui totos se sapientiæ, & contemplationi addixerant, assiduè rimabantur allegoricos, & symbolicos S. Scripturæ sensus, teste Philone, & Eusebio lib. 8. de Præpar. Evangel. cap. 4. atque hac ratione ingentem sapientiam sibi compararunt. Syrus, *sapientiam proverbiorum discet, & omnia abscondita intelliget*.

VERS. 4. IN MEDIO MAGNATORUM MINISTRABIT, ET IN CONSPECTU PRÆSIDIS (græcè, ἡγουμένου, id est, præsidis, principis, ducis, gubernatoris, Complut. legunt, ἡγουμένων, in plurali; unde vertunt *coram ducibus* vel *principibus*) APPAREBIT) græcè ὀφθήσεται, id est, *conspicietur*. Et hic novus, & secundus modus parandi sapientiam. Ad eam enim non sufficit legere, & meditari scripta sapientum, sed insuper opus est eorum experientia, & praxi. Hæc autem cernitur, & discitur, tum in aulis Prælatorum, & principum sapientum (hi enim multos habent sapientes viros, & consiliarios:) tum in subselliis, & tribunalibus judicum. Igitur philosophus, id est studiosus sapientiæ, *in conspectu præsidis apparebit*; ut, scilicet, tum principi se sistat, tum judici, ut coram eo vel suam, vel alterius agat causam. Nam agere causam quodcumque, quantumvis hebes, acuit ingenium, ait Palacius. Rursum in aulis discitur modus conversandi cum quolibet hominum genere, isque politicus, & civilis. Denique *Tò ministrabit* non tantùm significat *serviet*, sed, & *publica munia obibit*: qua in re magna acquiritur experientia, & prudentia. Unde Tigurina vertit, *inter proceres obibit munia, & principibus apparebit*. Sic regina Saba venit ex Æthiopia in Judæam ad Salomonem, ut audiret, & disceret ab eo sapientiam, 3. Reg. 10. Unde Syrus vertit, *inter principes ambulabit, & inter reges, & magnates serviet*.

Secundus est. Audire alios sapientes.

Allegor. Allegor. vir Ecclesiasticus apud *magnates*, id est, Episcopos, & Prælatos, in Ecclesiasticis officiis strenuè ministrat; ut *in conspectu præsidis*, id est, Dei inspectoris, qui cœlo, & terræ præsidet, decenter, & cum laude appareat. Ita Rabanus, & Glossa.

VERS. 5. IN TERRAM ALIENIGENARUM GENTIUM PERTRANSIET: BONA ENIM ET MALA IN HOMINIBUS) (ita Romana, & Græca, quæ habent ἐν ἀνθρώποις; malè ergo nonnulli pro *hominibus*, legunt, *omnibus*) TENTABIT) Aliqui hunc versum, & præcedentem accipiunt, ut describat non officium, sed præmium sapientis. q. d. Sapiens hisce præmiis donabitur, ut coram principibus ministret, & publica honorum munia obeat: insuper ab eis mittetur legatus ad alienigenas gentes, ut negotia publica cum iis pertractet: quia ipse bona, & mala in hominibus ἐπείρασεν, id est,

tenta-

tentavit, ut legit Rabanus. q. d. ipse per longam experientiam didicit explorare, & cognoscere hominum mores, ingenia, cogitationes, consilia; ipse pervidet quid in eis boni sit, quid mali: unde scit cum quibus, qua ratione, & modo agere, & negotia sibi commissa tractare debeat, ut ea ad optatum à principe, qui eum misit, finem deducat. Verum præmia sapientiæ assignabit Siracides ver. 9. & sequent. hic verò dat modos, & media parandi sapientiam. Igitur tertius modus eam parandi est, peregrinari per varias gentes, in eisque audire, colloqui, & versari cum viris sapientibus: nulla enim est gens, quæ non aliquid boni in sensu, & moribus habeat. Igitur sapiens in gentibus quibusque explorabit, num quid boni habeant, illudque sibi accerset: si quid verò mali deprehendat, ab eo sibi cavebit: bona ergo scrutabitur, ut sectetur; mala, ut evitet. Possunt quoque per *bona*, *& mala*, accipi prospera, & adversa. q. d. Sapiens in omnibus tentabit, quid utile, felix, & prosperum, quidve noxium, infelix, & adversum sit, ut utile, & prosperum sectetur, noxium, & adversum fugiat, & caveat. Unde Tigurina vertit, *peragrat terras gentium alienigenarum: etenim bona simul, & mala experitur inter homines*; Syrus, *in civitatibus mundi ambulabit, bonum, & malum in hominibus occultabit*. q. d. Sua bona vel mala non prodet, sed abscondet, ne ob ea aliquod discrimen incurrat.

Tertius est, peregrinatio.

Ita S. Hieronym. peragravit Italiam, Galliam, Germaniam, Græciam, Syriam, ubique adiens, & audiens viros doctos, itaque sibi tãtam sapientiam comparavit. Audi eumdem rationem, & causam hujus sui facti reddentem in Prologo Galeato epist. ad Paulinum; *Legimus*, inquit, *in veteribus historiis quosdam lustrasse provincias, novos adisse populos, maria transisse, ut eos, quos ex libris noverant, coràm quoque viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates, sic Plato Aegyptum, & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissimè peragravit: ut qui Athenis magister erat, & potens, cujusque doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus; malens aliena verecundè discere, quàm sua imprudenter ingerere. Denique dum litteras quasi toto fugientes orbe persequitur, captus à piratis, & venumdatus, etiam tyranno crudelissimo paruit, captivus, vinctus, & servus; tamen quia philosophus, maior ementе se fuit. Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fontem manantem, de ultimis Hispaniæ Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus; & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus sæculis celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingressi, aliud extra urbem quærerent. Apollonius, sive ille magus, ut vulgus loquitur; sive philosophus, ut Pythagorici tradunt, intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit: & ad extremum, latissimo Phison amne transmisso pervenit ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos, de natura, de motibus siderum, ac dierum cursu audiret docentem. Inde per Aelamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos, reversus Alexandriam, perrexit in Aethiopiam, ut Gymnosophistas, & famosissimam Solis mensam videret in sabulo. Invenit ille vir ubique quod disceret, & semper proficiens, semper se melior fieret. Scripsit super hoc plenissimè octo voluminibus Philostratus.* Hucusque S. Hieronym. Galli abolitanis sæculis filios domo amandabant foras, ut severiùs, & studiosiùs educarentur. Audi Cæsarem lib. 6. de Bello Gallico: *In reliquis*, inquit, *vitæ institutis hoc ferè à reliquis differunt, quòd suos liberos, nisi cùm adoleverint, ut munus militiæ sustinere possint, palàm ad se venire non patiuntur: filiumque puerili ætate in publico conspectu patris assistere turpe ducunt.*

Exempla.

Hac de causa institutæ sunt Academiæ, ut eas studiosi sapientiæ adeant, ibique audiant doctores, & viros in omni scientia, & sapientia illustres. Qua de causa SS. Basilius, & Gregorius Nazianz. adiere Athenas, alii Alexandriam, ut Origenem, Pantenum, Heraclam, aliosque doctores viderent, & audirent. Adde, sæpè apud exteros plus esse libertatis, quietis, & otii ad studendum quàm domi ubi magni temporis fures sunt parentes, amici, familiares. Unde Hugo Victor. lib. 3. Didascal. c. 3. recitat celebrem de modo, & forma discendi sententiam, sex puncta præscribentem:

Mens humilis, studium quærendi, vita quieta,
Scrutinium tacitum, paupertas, terra remota:
(extera)
Hæc reserare solent multis obscura legendo.

Ac subiicit: *Ab omnibus libenter disce, quod tu nescis: quia humilitas commune tibi facere potest, quod natura cuique proprium fecit. Sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores fiunt. Audi Chrysippum in Proverbiis.*

Quod tu nescis, fortassis novit asellus.

Appositè Plinius libr. 15. cap. 30. *In ludo sphæræ*, ait, *simul discimus, & mittere, & excipere commodè: ut in doctrina, priùs est benè accipere quàm mittere, quemadmodum concipere priùs est quàm parere. Audiendum igitur priùs*, juxta illud Proverb. 1. *Audiens sapiens, sapientior erit.* Audiens enim est sensus disciplinæ, ait Philosoph. VERS. 6.

COR SUUM TRADET AD VIGILANDUM DILUCULO AD DOMINUM, QUI FECIT ILLUM, ET IN CONSPECTU ALTISSIMI DEPRECABITUR. VERS. 7.
APERIET OS SUUM IN ORATIONE, ET PRO DELICTIS SUIS DEPRECABITUR) Syrus, *in corde suo ponet ut oret, & à Domino petat misericordiam. Aperiet os suum in oratione, & pro peccatis suis precabitur bona.* Et hoc medium ad sapientiam ordine quartum, sed dignitate, & necessitate primum, ideoque ceteris *diluculo*, & primo manè præmittendum, ut ait Siracides. Sensus ergo est, q. d. Dixi media ad sapientiam esse studium, lectionem, auditionem, peregrinationem, & conversationem cum sapientibus; nunc addo præcipuum, scilicet orationem, sine quo jam dicta frustra adhibeas. Oratio enim impetrat lumen, quo, & utiles libros doctoresque ab inutilibus secernas, quoque illa, quæ legis, audis, & vides, intelligas, in sinum memoriæ recondas, & in tuum usum convertas: oratio igitur ceteris præeat, illaque dirigat oportet.

Quartus est, oratio.

Nota Tò *pro delictis suis deprecabitur*. Significat enim in exilio isto sapientiam, id est justitiam, non eò usque progredi, ut numquam homo peccet, sed ut numquam in delicto perseveret, quin illud agnoscat, veniamque à Deo precetur.

Porrò hæc oratio affectuosa, & contenta sit oportet, adeò ut cor ei non commodetur, sed totum *tradatur*, & dedatur, idque *diluculo*, cùm cor, & mens maximè valet vigetque *ad Dominum qui fecit illum*: illius enim solius est dare sapientiam, qui dedit essentiam. Unde Hebræi תושיה *tuscia* vocant tam sapientiam, quàm essentiam, ut innuant eumdem esse fontem sapientiæ, & essentiæ, scilicet Deum, adeoque essentiam, animam, vitam, & spiritum hominis, qua homo rationalis est, quasi consistere in sapientia. Ex corde verò pleno tum, sapientiæ desiderio, tum orandi pro ea affectus, hæc oratio ad eos dimanat, seque per illud in preces vocales magno affectu effundit. Hoc innuit Tò *aperiet os suum in oratione*: hæc enim oris apertio ingentis spiritus, affectus, & desiderii est indicium, juxta illud: *Dilata os tuum, & implebo illud.* Denique *in oratione pro delictis suis deprecabitur*, ut scilicet amoveat impedimenta sapientiæ: hæc enim sunt peccata, & delicta, quæ obscurant, & excæcant mentem hominis, præsertim practicam, ac Dei illuminationem avertunt, juxta illud: *In malevolam animam non introibit sapientia*, Sapient. 1. Unde Tigurina vertit, *instituit animum manè ad Dominum creatorem suum salutandum, & precatur ad Altissimum, os suum aperiet ad orandum, peccataque sua deprecatur*; alii, *cor suum applicat ad quærendum studiosè Dominum factorem suum, & coram Supremo precatur*, &c.

Audi nostrum Aluarez de Paz hæc verba expendentem tom. 3. de orat. mentali libr. 2. par. 1. c. 7. Egregium, inquit, sapientis elogium, manè, id est ante omnia alia opera, orationis opus assumere. Is orationis se tradit, nimirum strenuè, & diligenter in orationem incumbit. Aliis operibus minimè tradendum est cor, sed moderatè applicandum, ne in infimis hæreat, ne rerum visibilium amore mergatur. At orationi tradendum est; quia idem omnino sunt, cor orationi tradere, & illud Deo, cui oratione jungimur, consecrare. Cor suum tradet ad vigilandum: nam oratio non somnolentia, sed vigilia est; non ignavia, sed solicitudo: quia solicitè, & diligenter cor divinis intendit, & intellectu apprehendit, ut affectu ac voluntate degustet. Meritò autem sapiens (& hic non est alius quàm justus) quasi in orationem mergitur, & aliis curis sepositis, vigili cura contemplationi dicatur, quia factorem suum alloquitur, & Deo altissimo se præsentat, à cujus benignitate omne bonum expectat. Res verò tanta non debet negligenter assumi, sed strenuè, & graviter usurpari.

Mora-

Moral. de oratione matutina

Moraliter hic disce, diluculò mox ut evigilas, primitias cogitationis, & operationis per orationem dandas esse Deo, eumque invocandum, ut ipse studia ceterasque actiones omnes ad suam gloriam, nostramque, & aliorum salutem dirigat. Unde Psaltes psal. 62. 1. *Deus Deus meus*, inquit, *ad te de luce vigilo*. Idem inculcat crebrò Siracides, ut cap. 4. 13. *Qui vigilaverint ad illam* (sapientiam,) *complectentur placorem eius*. Et cap. 32. 18. *Qui vigilaverint ad illam, invenient benedictionem*. Id omnes hauserunt à Mose, imò à Deo, qui per Mosen Hebræis ita sancit Deuter. 6. 7. *Meditaberis in eis* (verbis Dei, & sapientiæ) *sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens*. vide ibi dicta. Quocirca S. Basil. Ad filium spiritalem, hoc ei dat documentum: *Quodcumque opus inchoaveris, primò invoca Dominum, & ne desinas gratias agere, cùm perfeceris illud. Quære Dominum, & invenies eum: nec dimittas, cùm tenueris, ut copuletur mens tua in amore eius. Hoc studo in vita tua, ut orationem puram offeras Deo*. Idem epist. 1. ad Gregorium Theolog. *Ecquid beatius, quàm hominem in terra concentum angelorum imitari? ineunte statim die in orationes ire? in hymnis, & canticis Creatorem venerari? exinde sole iam dilucescente converti ad opera, nusquam sine oratione? denique canticis tamquam sale condire actiones?* Plures citavi Deuter. 6. 7. ad illud, *Dormiens atque consurgens*. Quocirca Paulinus (vel, ut alii, Ausonius) in cantico, sive precatione matutina ita diluculò precatur, & alios precari docet:

Quæ manè à Deo petenda.

Da Pater hæc nostro fieri rata vota precatu:
Nil metuam cupiamque nihil: satis hoc rear esse
Quod satis est: nil turpe velim, nec causa pudoris
Sim mihi: nec faciam cuiquam, quæ tempore eodem
Nolim facta mihi: nec vero crimine lædar,
Nec maculer dubio: paulùm distare videtur
Suspectus vereque reus: malè posse facultas
Nulla sit, & benè posse adsit tranquilla potestas.
Sim tenui victu atque habitu, sim charus amicis;
Nec timeat mortem bene conscia vita, nec optet.

S. Bernard. verò epist. ad quemdam, quid à nobis requirat Deus, *Nihil dignius*, inquit, *cogitari potest, quàm cor ad eum referre, qui ut viveres, mori voluit: nam, & iustus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum. Vigilatio cordis iusta, & cogitatio eius iusta est, ut meditetur assiduè quid accepit in bonis naturæ, quid in bonis gratiæ, quid in Dei filio pro nobis humanato, passo, mortuo*. Et anteriùs docens Deum à nobis requirere cor, idque totum, & in solidum juxta illud, *Fili, da mihi cor tuum: Tunc siquidem*, inquit, *cor hominum Deo datur, quando omnis cogitatio terminatur in eum, gyrat, & circumflectitur super eum, & nihil vult possidere penitus præter eum. Sicque colligato sibi animo eum diligit, ut sine ipso amarus sit omnis amor.*

Manè cor Deo offerendum.

Manè ergo offerendum est Deo cor, omnesque cordis per diem cogitationes, & actiones: Porrò, Aristotel. in Oeconom. *Surgere de nocte*, inquit, *& ad sanitatem, & ad philosophiæ studia prodest quamplurimum*. Hac de causa Religiosi plerique noctu surgunt ad meditandum, & psallendum; idque sanitati conducere docent medici, experientia, & ratio. Cantus enim expectorat, & consumit phlegmata post concoctionem reliqua, ceteramque digestionem adiuvat, calorem, & spiritus excitat, membraque corroborat. Idem à Mose, & Prophetis didicerunt philosophi, & poetæ. Unde illud; *A Jove principium*. & illud; *A te principium, tibi desinet*. Hinc Plato in Protagora docet poetas id repræsentasse per fabulam vel apologum Promethei, quem fingunt è cælo fuisse furatum ignem, ut illum hominibus à se efformatis inderet, itaque eos sapientes, & divinos efficeret. Atque hac de causa hominem esse Deo cognatum, ut ob hanc cum Deo cognationem, Dei cognitionem, metum, & cultum sibi quasi à natura insitum habere videatur.

Promethei apologus.

Quocirca philosophi, poetæ, legislatores, suæ doctrinæ, & inventionis auctorem Deum perhibuerunt, quamvis illum diversis nominibus appellarint, Orpheus Calliopen, Musæus Vraniam, Pindarus Polymniam, Homerus Clionem, Hesiodus Terpsichorem; Linus Phœbum, Virgilius Thaliam, Ovidius Euterpen, sui poematis auctores profitentur, iisque insalutatis nil magnum aggrediuntur. Summus ille legislator Trismegistus Mercurio, Zaleucus, & Zamolxis Vestæ, Charondas Saturno, Lycurgus Apollini, Solon Minervæ, Minos, & Plato Jovi, Numa Egeriæ, Mahumetus Gabrieli, Moses ineffabili Deo, suarum legum inventionem tribuerunt.

SI ENIM DOMINUS MAGNUS VOLUERIT, SPIRITU INTELLIGENTIÆ (Tigurina, *sapientia*) REPLEBIT ILLUM) Syrus, *in spiritu intelligentiæ sapiens fiet*: volet autem, si humili, & ardenti prece rogetur, & imploretur, juxta illud, *Cùm invocarem, exaudivit me Deus iustitiæ meæ*. Ipse enim est Dominus magnus, non tantùm sapientiæ, & intelligentiæ, sed, & potentiæ, clementiæ & liberalitatis, ut tamquam Dominus potentissimus, clementissimus, & liberalissimus, spiritum sapientiæ, & intelligentiæ in postulantes effundat, juxta illud Jac cap. 1. *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*. vide ibi dicta. Tò *magnus* indicat magnum esse donum sapientiæ, quod non nisi magnis à magno Deo datur, uti datum est Salomoni, illud præ ceteris optione sibi facta postulanti, 3. Reg. 3. 5. VERS. 8.

ET IPSE TAMQUAM IMBRES MITTET (græcè ἀνομβρήσει, quòd Complut. vertunt, *destillabit*; alii, *sicut imbrem effundet*; alii, *depluet*; Syrus, *ipse proferet proverbia in dupla, & laudabunt eum in conciliis eius*) ELOQUIA SAPIENTIÆ SUÆ, ET IN ORATIONE CONFITEBITUR DOMINO) VERS. 9.

Hucusque tradidit media ad comparandam sapientiam, nunc eius effectus, & fructus recenset: inter quos Primus est, quòd *tamquam imbres*, id est, copiosè, & abundanter, æquè ac suaviter, & utiliter, *emittet eloquia sapientiæ suæ*, in primis ad Deum, deinde ad seipsum; ut iis se dirigat, ac tandem ad proximum ut eum instruat, de quo vers. 10. & 11. Ad Deum, at *in oratione ei confitebitur*, id est, eius immensam gratiam, potentiam, bonitatem, sapientiam laudet, celebret, ac pro collata sibi sapientia, gratias agat, postulans ut eam augeat, & perficiat. Primum enim eloquium sapientiæ dandum est Deo sapientiæ auctori, ut eum quasi sapientissimum sapienter, piè, & magnificè celebremus, juxta illud, *Psallite Deo, psallite*, &c. *psallite sapienter*, psalm. 46. 7. Atque hic pariter est primus orationis fructus, ut, scilicet, per eam impetremus donum laudandi Deum, eique gratias agendi, per quod disponamur, & gradum faciamus ad cetera Dei dona percipienda, qua de causa S. Paulus orationi subiungere solet gratiarum actionem, ut patet 1. Timoth. 2. 1. & 1. Thessal. 5. 17. & 18.

Sapientiæ & orationis fructus Primus.

Alludit ad Deuter. 32. 2. *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stilla super gramina*. Imber ergo notat eloquii, & sapientiæ; Primò, copiam; Secundò, suavitatem; Tertiò, fœcunditatem, quòd fructum è cordibus audientium producat similem illi, quem imber producit è terra; Quartò, quòd è nube sapientiæ proferatur quasi è re non terrena, sed cælesti, adeoque eius originem esse à Deo in cælis. Porrò ad Deum hæc eloquia sapientiæ primò, & principaliter spectare, patet ex eo quod addit, *Et in oratione Domino confitebitur*; & ex eo, quòd de eloquiis quibus proximus instituitur, agit vers. 11. Unde Tigurina vertit, *verba sapientiæ effundet, & Dominum oratione sua celebrabit*. Hinc Doctores à Sancto Gregor. vocantur Hyades, id, est stellæ pluviæ: ejus locum, & verba recitavi cap. 33. 27.

Imber notat quatuor dotes sapientiæ.

ET IPSE DIRIGET CONSILIUM EIUS, ET DISCIPLINAM, ET IN ABSCONDITIS SUIS CONSILIABITUR) VERS. 10.

Secundus est hic fructus sapientiæ, æquè ac orationis. Lyranus per Tò *ipse* intelligit Deum: q. d. Deus *diriget*, & fortunabit *consilium eius*, qui sapientiæ est studiosus, ut felicem habeat successum: ac *in absconditis suis* eloquiis consilium illi suggeret ad prudenter, & feliciter agendum omnia quæ animo destinat. Lyrano favet versio Tigurina, quam mox citabo. Sic, & Rabanus: *Dat Dominus*, inquit, *fideli suo oratori spiritum intelligentiæ, ut sciat quando, ubi, & quomodo divina eloquia proferre debeat, ipseque dirigit consilium bonæ voluntatis, & disciplinam rectæ conversationis eius, & interna inspiratione illum consolatur ac roborat, ut divina præcepta inter adversa mundi fiducialiter prædicare valeat*.

Secundus.

Verùm ex Græco liquet Τὸ αὐτὸς, id est *ipse*, referre sapientem, non Deum: repetit enim Τὸ καὶ αὐτὸς, scilicet initio vers. 9. 10. & 11. ut significet quòd ipse sapiens per eloquia

eloquia sapientiæ, quæ quasi imbres emittit, tres insignes A proferat fructus; primum Deo, eum sapienter laudando; secundum sibi, scilicet seipsum sapienter dirigendo juxta consilium, & disciplinam Dei, tertium proximo, eum sapienter instituendo.

Sensus igitur est, q. d. Ipse, scilicet sapiens, non sat habet sapientiam Dei mente imbibisse, sed, *& diriget consilium eius* (Dei, quod scilicet Deum consulere vel è Script. vel è doctoribus, & Pastoribus cognovit, *& disciplinam*, græcè ἐπιστήμην, id est scientiam. q. d. Sapiens diriget, Dei consilium, & dogmata ad praxim, ut scilicet ea quæ Deus consulit, & docet, prudenter opere exequatur, & in mores conferat, ac juxta ea vitam omnem instituat, & conformet: hoc enim significat Hebr. יכין *iachin*, Græcum κατευθύνει, quod Noster vertere solet, *dirigere*, scilicet, ex mente in opus, ac efficere ut opus sit rectum, integrum, firmum, stabile, & constans, ut nulla adversitatum vel tentationum vi operans à recto se dimoveri patiatur. *Dirigere* ergo est directè exequi, hoc est, rectè, plenè, fortiter, & feliciter executioni mandare consilium, & disciplinam Dei: uti fecit Christus, de quo proinde ait Isajas c. 53. 10. *Voluntas Domini in manu eius*, id est per eum, B *dirigetur*, id est, executioni mandabitur.

Dirigimus consilium Dei tripliciter. Primò.

Secundò.

Rursum per hypallagen *dirigere consilium* Dei, est dirigere mores, & vitam juxta consilium Dei, eosque rectos, & integros efficere. Sic Joannes Baptista clamabat: *Dirigite viam Domini*, Joann. 1. 23. id est, ut Isajas ait cap. 40. 3. *Rectas facite semitas Dei nostri*.

Tertiò.

Denique per metonymiam, *dirigite*, id est rectum ostendite consilium Domini. Dum enim sapienter, rectè, & justè juxta Dei consilium vivimus, reipsa ostendimus toti mundo consilium Dei esse sapiens, rectum, & justum, *Et in absconditis suis*, græcè, αὐτοῦ, id est eius, scilicet Dei qui præcessit (nisi αὐτοῦ, accipias pro ἑαυτοῦ, id est *suis*: sed eodem redit sensus, nam eadem sunt abscondita sapientis, quæ Dei: sapiens enim totus regitur à Deo) q. d. Sapiens ut sapienter dirigat se suosque actus juxta consilium Dei, assiduè abscondita Dei præcepta, consilia, & judicia considerabit, & consulet, in iisque *consiliabitur*, græcè διανοηθήσεται, id est *meditabitur*, ut juxta ea vitam omnem instituat. Sicut Moses aliquid novi cum populo acturus, præsertim dubium, vel difficile, prius adibat tabernaculum, ibique consulebat Deum quid facto foret C opus, Unde Tigurina, *ipse consilium eius, & scientiam instituet, ut de arcanis ipsius meditetur*. Sicut S. Paulus raptus in cælum audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, 2. Corinth. 12. Sic Psaltes profitetur de se psalm. 50. dicens: *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*. Idem faciunt viri religiosi, sapientes, & sancti, qui in omnibus consulunt Deum, cum eoque consiliantur. Imò ego novi virum, inquit Palacius, de quo fama erat omne consilium, quod aliis dabat, à Deo per revelationem accepisse. an non hic consiliabitur in absconditis Dei? Unde Syrus vertit, *ipse intelliget proverbia, & sapientiam, ipse intelliget abscondita*.

VERS. 11. IPSE PALAM FACIET DISCIPLINAM DOCTRINÆ SUÆ, ET IN LEGE TESTAMENTI DOMINI GLORIABITUR) Tertius est hic fructus sapientis, scilicet quòd per eloquia sapientiæ suæ aliis *palam facit*, græcè ἐκφανεῖ, id est exerit, patefacit, promit, edit, & palàm profert arcana sapientiæ divinæ, quæ in corde abscondita continet, putà *disciplinam*, græcè παιδείαν, id est institutionem, *doctrinæ suæ*, quàm, scilicet, præclara doctrina, & ad mores conformandos insigni instructus sit. Adeò verò D hæc palam faciet, ut publicè, & assiduè *in lege testamenti Domini* glorietur, tum celebrando legis divinæ magnalia, putà eius summam æquitatem, sapientiam, pietatem, sanctitatem, &c. tum gratias agendo Deo, quòd eius cognitionem tantam sibi communicarit, ut & alios eamdem docere possit. Sic Apostoli in Pentecoste promulgantes legem Christi, variis linguis loquebantur eius magnalia, Actor. 2. Unde Tigurina vertit, *ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, ut lege pacti Domini glorietur*; Syrus, *ipse profert sapientiam doctrinæ, & in lege vitæ cogitabit*.

Tertius.

Dicitur *lex testamenti*, quia lex est conditio testamenti, id est fœderis, & pacti, quod Deus tam in veteri, quàm in novo testamento pepigit cum hominibus, putà cum fidelibus Pepigit enim fœdus cum eis se eorum fore Deum, id est, boni omnis datorem, sub hac conditione, si ipsi legem eius observent.

VERS. 12. COLLAUDABUNT MULTI SAPIENTIAM EJUS, ET USQUE IN SÆCULUM NON DELEBITUR) Tres fructus quasi internos sapientis, & sapientiæ hucusque recensuit, nunc totidem externos recenset. Primus est, quòd, sicut ipse auditoribus communicavit suam sapientiam, sic vicissim illi rependent ipsi laudem, honorem, & gloriam, eamque perennem, ut *usque in sæculum*, id est in omne ævum, non deleatur. Cùm enim perennis, semperque durans sit eius sapientia, perennes pariter habitura est discipulos, & laudatores. Notat discrimen veræ sapientiæ, & falsæ, sive verorum philosophorum, & falsorum, quòd vera sit stabilis, & æterna, ideoque transeat ad posteros per omnia sæcula, apud quos proinde laudem sui, suorumque doctorum suscitat. uti Prophetæ, Apostoli, virique Apostolici prædicarunt doctrinam divinam, & Evangelicam, quæ per omnia sæcula hucusque durat, & floret, durabitque usque ad finem mundi, imò per omnem æternitatem cum æterna eorum laude, & gloria. Falsa verò sapientia ad tempus sui admirationem excitat, sed mox eius falsitate patescente negligitur, vilescit, confutatur, cum iugi, tum eius, tum doctorum eius probro, & ignominia. Unde Syrus vertit, *discent multi de sapientia eius, & in mundo non ibit in oblivionem nomen eius*.

Externi sapientiæ fructus. Primus.

Id patet in scholis philosophorum, & sectis hæreticorum, quæ omnes evanuerunt, & passim jam ab omnibus damnantur ut vanæ, erroneæ, fallaces, & perversæ. Ubi secta Simonis Magi, Menandri, Carpocratis, Apellis, Novati, & ceterorum hæresiarcharum? ubi schola Protagoræ, Diagoræ, Hermippi, Diogenis, Empedoclis, Anaxagoræ, ceterorumque philosophorum? Evanuere omnes ut fumus, ut caligo coram luce Evangelii, ut cera liquata ab igne charitatis Christi. Ita Apostolus 1. Corinth. 1. 19. *Scriptum est*, inquit Isaiæ 29. 14. *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor huius sæculi?*

NON RECEDET (ita Romana, & Tigurina, & alii; perperam ergo Complut. legunt affirmativè, ἀποστήσεται, id est recedet) MEMORIA EIUS, ET NOMEN EJUS REQUIRETUR (legit ζητηθήσεται, jam legunt ζήσεται, id est vivet) A GENERATIONE IN GENERATIONEM) Syrus, *non deficiet memoria eius usque in sæculum, & nomen eius oblivioni non tradetur à generatione in generationem*. VERS. 13.

Secundus est hic externus fructus sapientis. q. d. Non tantùm ipsa sapientis sapientia transibit ad posteros sæculorum omnium, sed, & eius memoria cum laude perennabit in ævum, & nomen eius *requiretur*, id est, in memoriam revocabitur, & commemorabitur, ut laudetur, & celebretur per omnes mundi generationes, uti videmus, celebrari nomen sanctorum Doctorum, Pastorum, & Præsulum per memoriam, & festum annis singulis recurrens, per elogia publica, per conciones, per cathedras, &c. Qua de causa Ecclesia appositè hæc verba iisdem attribuit, ideoque ea legit in festo eorumdem, pro prima lectione Officii Ecclesiastici, & Missæ. Tigurina hunc versum, & præced. ita vertit, *multi perpetuo laudabunt huius intelligentiam, nec memoria eius deficiet aut abolebitur, sed nomen eius vigebit per sempiternas sæculorum ætates*.

Secundus.

SAPIENTIAM EJUS ENARRABUNT GENTES, ET LAUDEM EJUS ENUNTIABIT ECCLESIA) Aliqui legunt, *Ecclesia sanctorum*; sed *Tò sanctorum* delent Romana, Græca, & Syrus, qui habet, *sapientiam recensebunt Ecclesiæ, & laudes eius dicet populus*. Tertius est hic externus sapientis fructus, scilicet quòd eius sapientia, & consequenter fama, & laus angustiis Judææ, & Synagogæ finibus non concludetur, sed eos transiliens, penetrabit usque ad Gentes infideles, & atheas, eosque ad sapientiam, fidem, cultumque veri Dei pelliciet, ut Ecclesias Deo vero erigant, & consecrent, in quibus proinde laudem ejus perpetim enuntiabunt, & celebrabunt. Id fieri cœpit tempore Siracidis, cùm Ptolemæus Philadelphus rex Ægypti excitus fama sapientiæ Hebræorum, è Judæa accersivit 72. Interpretes, qui vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum converterent, ut à Græcis, id est Gentibus legi posset: quo factum est, ut Gentilium multi S. Scripturam legemque Judæorum avidè legerent, suspicerent, & ut sanctam colerent, ideoque illam amplecterentur, fierentque proselyti. Plenius id factum est tempore Apostolorum, qui sapientiam Christi prædicantes Gentibus, illas omnes ad Christum converterunt, plurimasque fundarunt Ecclesias in quibus perenniter Christus, eiusque Apostoli laudantur,

VERS. 14.

Tertius.

tur, & celebrantur. Unde Tigurina vertit, *gentes prædicabunt huius sapientiam, & quivis cœtus laudem eius evulgabit.*

Porrò Apostoli, & doctores suam sapientiam communicarunt Gentibus tum verbo, tum scripto: verba enim transeunt, sed scripta permanent in æuum. Quocirca omnes gentes, & Ecclesiæ per omnia sæcula enarrant, & celebrant sapientia scripta S. Petri, S. Joannis, S. Pauli, S. Augustini, S. Gregorii, S. Ambrosii, S. Chrysostomi, S. Bernardi, S. Thomæ Aquinatis, cetororumque Patrum, & Doctorum, quia ex eis quotidie magna hauriunt sapientiæ documenta, & virtutum incrementa.

VERS. 15. SI PERMANSERIT, NOMEN DERELINQUET PLUS QUAM MILLE: ET, SI REQUIEVERIT, PRODERIT ILLI) Ita legendum, & dispungendum cum Romanis, & Græcis, ut comma ponatur post *permanserit*, ac Τὸ *nomen* sit suppositum verbi *derelinquet*. q. d. Si sapiens permanserit in vita, *nomen derelinquet plusquam mille*, id est nominatior & famosior evadet, quàm mille alii è vulgo; quia plus lucis, & fructus attulit orbi, quàm mille etiam fideles religiosi, etiam prædicatores. Quis enim id non concedat S. Augustino, S. Bernardo, S. Thomæ Aquinati? &c. Sin defunctus per mortem requieverit, hæc quies *proderit illi* tum ad famam in terris, tum ad vitam gloriamque æternam in cælis adipiscendam. Unde pro *proderit illi*, græcè est [illegible], id est, *acquirit sibi*, scilicet, celebritatem, & nomen. Porrò Græci codices nonnulli hæc inverterunt, sicque verba transponunt: *Si requieverit, nomen relinquit celebrius quàm mille alii: & si permanserit in vita, acquirit sibi.* Quæ distributio, inquit Jansenius, convenientior est; quia morienti propriè competit relinquere nomen post se; viventi verò, acquirere sibi famam.

Verùm codices Græci Complut. & Romæ emendati legunt ut Vulgata Latina. Accedit, & Tigurina, quæ sic vertit, *si manserit, nomen plusquam mille reliquerit: sin exoleverit* (exoleverit, & temporum lapsu oblivioni traditum sit eius nomen, & fama) *penes seipsum redegerit*, id est, ut Vatabl. interpretatur, *ad se receperit sibi profuturum*. Alii sic explicant: Si permanserit nomen eius, & fama, relinquet plusquam mille, scilicet discipulos, & suæ doctrinæ sectatores. ita Palacius, qui citat S. Ambrosium. Sic, & Rabanus: Bonus, inquit, doctor si vita longiore vivat, multos lucratur, & plurimis fit causa salutis: si autem obierit, ad æternam requiem migrabit, ubi merces condigna meritis illius à justo judice reddetur, juxta illud Pauli 2. Timotheo 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Et: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum* Porrò Syrus hoc refert ad doctrinam sapientis: *Si complacuerit*, inquit, *in mille laudabitur: & si tacuerit, in populo exiguo.*

VERS. 16. ADHUC CONSILIABOR, UT ENARREM: UT FURORE ENIM REPLETUS SUM) Solet Siracides à thesi ad hypothesin descendere, nimirum post encomia, & præcepta sapientiæ generalia descendere ad particularia de particularibus virtutibus. Ita fecit cap. 13. cap. 15. cap. 16. c. 24. & 25. Idem hic facit. Dicit igitur, *Adhuc consiliabor ut enarrem*, id est, rursum, quasi resumpto spiritu plura commentatus, & meditatus edisseram, & eloquar: *consiliabor* ergo, id est, consilia tractabo, meditabor: græcè enim est ἔτι διανοηθεὶς ἐκδιηγήσομαι, id est, *adhuc cogitans enarrabo*. ita Complut. Romana, Tigurina, & alii. Pro *furore* græcè est διχομηνία, quod Complut. vertunt, *luna semiplena*; δίχα enim idem est quod dupliciter, bipartitò, bifariam, divisim: unde διχοτομῶ, est disseco in duo, seco, divido in duas partes. μήνη verò est luna: q. d. Instar lunæ semiplenæ, & crescentis, satago crescere ad plenam perfectamque sapientiam, & virtutem. Alii verò [illegible], vertunt *luna dupla*, id est, *luna plena*. ita Romani: *tamquam plenilunium*, inquiunt, *repletus sum*; Syrus, *intelligite, & dicam doctrinam meam sicut luna in die quartodecimo*, putà in plenilunio; Tigurina, *quoniam instar lunæ plenæ* (quæ jam dimidium mensem exegit, ideoque à novilunio progressa excrevit in plenilunium) *refertus sum* q. d. Sicut luna in plenilunio plena est lumine, ita ego à Deo donatus perfecta sapientia, ad eiusque culmen deductus illa plenus sum, imò supereffluens, ut cogar eam in alios docendo, & scribendo effundere. Noster pro, vel μανίαν legit, id est, mania, furore, insania. q. d. Ego enthusiasmo, & spiritu Dei afflatus, ac quasi sacro furore plenus, ab eo impellor, & penè cogor hæc verba sapientiæ, quæ mihi suggerit, enuntiare, & eructare. Est enim quadruplex furor, sive insania, ita Plato in Phædro; prima vatum, secunda mystarum, tertia poetarum, quarta amantium. Sic sacro zelo, & furore insaniebat Paulus, cùm ob eum audivit à Festo præside: *Insanis Paule*, Cui ipse: *Non insanio optime Feste, sed veritatis, & sobrietatis verba loquor*, Actor. 26. 25. Et cùm ipse de se ait: *Sive mente excedimus* (Chrysost. *si insanimus*) *Deo* 2. Corinth. 5. 13. Vide ibi dicta. Et Jeremias c. 20. 8. cùm ait: *Factus est mihi sermo Domini in opprobrium, & in derisum tota die. Et dixi: Non recordabor eius, neque loquar ultrà in nomine illius: & factus est in corde meo quasi ignis exæstuans claususque in ossibus meis: & defeci, ferre non sustinens.* *Quadruplex furor*

IN VOCE DICIT: OBAUDITE ME DIVINI FRUCTUS, ET QUASI ROSA PLANTATA SUPER RIVOS AQUARUM FRUCTIFICATE) Ita legendum cum Romanis: alii initium aliter legunt. Rabanus, & Jansenius omisso Τὸ *dicit*, Τὸ *in voce* referunt ad v. præced. hoc modo: *furore enim repletus sum in voce*. S. August. in Speculo legit, *in voce dicite*; alii, *in voce dicam*. Græca hæc verba planè omittunt. Vide Franc. Lucam in Notis hic. VERS. 17.

Porrò: *In voce dicit*, scilicet ipsa sapientia, vel spiritus me afflans, sive sacer ejus furor: q. d. Sacer ille spiritus divini furor, quo repletus sum, corde meo concludi se nonsinit, sed in vocem me erumpere cogit, ac dicere, imò contenta voce clamare: *Obaudite me* (audite me, mihique obedite) *divini fructus*: exaudite me filii sancti (filius enim est fructus, & propago patris:) ita nuncupat Israelitas, sive fideles: hi enim sunt sancti, quia vocati ad sanctitatem, & reipsa sanctificati in circumcisione, æquè ac nunc Christiani in baptismo. Hos invitat ad laudandum Deum, ut scilicet laudem, quasi thymiama, & rem odoratissimam Deo offerant. Ait ergo: *Quasi rosa fructificate*, id est, proferte Dei laudes, quasi fructus rosarum odoratissimos: ut sicut frutex rosæ plantatus juxta aquas profert copiosè rosas mirè fragrantes, sic vos è corde vestro promatis Dei encomia, & laudes, quasi rosas Deo odoratissimas, & gratissimas. Unde S. August. in Speculo legit: *Obaudite me divini fructus aquarum* (sapientiæ,) *& quasi rosa plantata super rivum fructificate*. Cetera verò quæ hic sequuntur usque ad 27. ibidem planè ad verbum legit S. August. uti vertit legitque Noster. Unde colligas quàm antiqua sit Vulgata Latina versio Ecclesiastici, utpote qua utatur S. August. quasi suo ævo recepta, & communi. Pro *super rivos aquarum*, græcè est ἐπὶ [illegible], id est, *super fluxum humidum*, id est, ut Tigur. *audite me filii sancti, & quasi rosa iuxta flumen aquosum nascens pullulate.* Romana pro legunt, id est, *agri*; unde vertunt, *ut rosa nata iuxta fluvium agri germinate*: græcè est [illegible], id est, pullulate, germinate, producite frondes, flores, & fructus, scilicet tum charitatis, patientiæ, humilitatis, & aliarum virtutum, tum maximè gratiarum actionis, confessionis, & laudis divinæ, ut, sicut rosetum sole oriente plurimos producit aperitque rosarum calices, ita, & vos manè evigilantes, considerantesque tot nocturna, & diurna, eaque nova in vos Dei beneficia, ex intimo corde erumpatis in continuas Dei hymnodias, & laudes, quæ Deo accidunt suavissimæ, æquè ac rosæ sunt hominibus, juxta illud Anacreontis de rosa:

Rosa flos odorque divum,
Hominum rosa est voluptas:
Decus illa gratiarum.

Vide quæ de rosa dixi cap. 24. 18. & Actor. 32 13. Denique Syrus, *audite*, inquit, *me iusti, & germinabit caro vestra sicut rosa, & sicut cedri quæ plantatæ sunt iuxta aquas, & sicut aromata bona olebit odor vester.*

Porrò Palacius sic totum hunc locum explicat: Ego, inquit, hic intelligo nostrum Auctorem ira, & zelo commotum contra impios, qui eo tempore miserè Judæos torquebant. Quos consolari cupiens, ait, Furore plenus sum contra impios; & is furor non consistens in corde, sed prodiens ad vocem, dicit: Audite me vos pii Judæi, qui estis fructus divini: ut tu lector attentissime percipias mundum totum esse velut campum plantatum cælis, elementis, plantis, & animalibus; ut hæc omnia proferant viros pios, velut fructus Deo dignos. Vocantur verò *divini*, quia Deus est eorum cultor: & quia Deus est in eis, & quia Deus erit eorum, & ipsi Dei. Vos igitur, ò pii audite, & in mediis tribulationibus ne deficiatis, imò feliciùs bona opera edite, ut rosa facit juxta rivos aquarum, planta-

plantata. Quasi thus (quod vocatur Libanus) odorem Acens in hoc tribulationis igne proferte, florete ut lilium, emittite gratiosas frondes: ut quo magis premit vos impietas; hoc magis vireat pietas vestra. Collaudate Deum etiam in pressura, magnificum cum in ea prædicate: ac tum in labiis, tum in citharis hymnum sequentem dicite. Hæc Palacius.

S. Sophia tres filiæ quasi rosa.

Ita S. Sophia (id est sapientia) genuit tres filias quasi tres rosas, easque educavit ad virginitatem & martyrium, quod gloriosè obierunt sub Hadriano Imp. Nomina earum sunt Fides, Spes, Charitas; sive, ut Græci græcè eas in Menologio vocant, Pistis, Elpis, Agape. Cùm enim Antiochus præfectus eas blanditiis, & minis à Christo abducere conaretur, animosè responderunt: *Nos neque tuas in hac vita delicias expetimus, neque tormenta formidamus: quid enim Christianis potest esse jucundius, quàm pati pro Christo?* Quare flagella, ignes, sartagines, eculeos fortiter superantes, tandem capite abscisso martyrium lætabundæ consummarunt, cùm Fides esset duodennis, Spes decennis, Charitas novennis, anno Christi 122. Extat earum Vita apud Surium Calendis Augusti.

Allegoricè, Rabanus per aquas accipit baptismum, per rosas rubeas martyrium, quasi dicat. *Obaudite, id est, attendite ad doctrinam meam, per baptismum regeneratæ uberes electorum mentes, & fructum martyrii in discursu mortalis vitæ gignere non formidate; quia odorem suavissimum, & sacrificium acceptabile Domino inde profertis. Unde subjungitur: Quasi Libanus odorem suavitatis habete, florete flores, quasi lilium*, &c.

Rosarium ex rosis salutat. Angelicæ.

Symbolicè, totum hunc Siracidis locum appositè accommodat Rosario Beatæ Virginis, utpote matris æternæ Sapientiæ, Josephus Stephanus libr. de Rosario cap. 4. quot enim Salutationes angelicas, tot rosas mysticas annumeramus Beatæ Virgini, iisque quasi corona eam ornamus: unde à rosis hisce nuncupatum est Rosarium. Atque hæ rosæ fructificant juxta rivos aquarum, compunctionis scilicet, lacrymarum, & intimæ devotionis. Sed audi Josephum: Rosarium vel florem ipsum significat, vel locum rosis consitum, ubi plures rosæ enascuntur. Quod nomen globulis precatoriis, vel calculis benedictis impositum, summam animi pietatem, & ingentem in Virginem devotionem denotat. Nam cùm ipsa Virgo sit venustissima Gratia, & splendens omnium rerum Aurora; nihil tam ex animo ipsi futurum esse arbitrati sunt pii Christiani, quàm si Virgini rosarum copiam deferrent, vel sertum mysticis contextum floribus, ex Euangelicis conflatum vocibus, & odoriferis precum salutationisque flosculis consertum apportarent: sunt enim divinæ preces tamquam suavissima odoramenta, quæ in Dei nares spirant, & tamquam lectissimi flores, quibus divini oculi grato spectaculo pascuntur. Purpurantes violæ, candida lilia, rutilantes rosæ nunc aureis, nunc variis, nunc luteis coloribus depictæ, Dei prospectum oblectant, earumque odore, & suavitate maximè Dei animus afficitur. Sic & orationes Sanctorum, quæ agri uberrimi odorem exprimunt, Dei oculis oblectamento esse solent; cùm ex florum, & rosarum pulchritudine, qua campi egregiè depinguntur, animus noster ad divinas preces porrigendas, ab Ecclesiastico cap. 39. acriùs excitetur: *Obaudite me*, inquit, *divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.*

VERS.18. QUASI LIBANUS ODOREM SUAVITATIS HABETE] Ita Roman. quæ τὸ *Libanus* scribunt per L majusculum, quasi sit nomen proprium montis, qui abundans pinis, cedris, cypressis, aliisque arboribus resinosis & odoratis, ex iis suavem expirat odorem. sic accepit & Syrus dum vertit, *odor vester sicut odor Libani in cedris suis*. Jansenius tamen & alii τὸ *Libanus* scribentes minuscula L. per eum accipiunt thus: hoc enim hebr. vocatur לבנה *lebanon*, & græcè λίβανος. uti dixi cap. 24. 21. Unde Romani vertunt, *& quasi thus odorem suavitatis emittite*; Tigurina & alii, *odore suavi in mundo thuris fragrate*. Tertiò & optimè, *Libanum* accipias ut nomen proprium arboris thuris, sive quæ thus profert: sic enim τὸ Libanus accepit Siracides capit. 24. 21. dicens, *Et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam*: eò enim hic alludit. τὸ enim *vaporavi habitationem meam*, idem, vel quasi idem, est cum eo quod hic ait, *Odorem suavitatis habete*. Eodem omnes hæ expositiones redeunt; arbor enim thurifera per thus odorem suavitatis expirat. sensus ergo est, q. d. Vos ò filii mei, ò philosophi, ò philomusi, inquam, sapientiæ, instar thuris vaporem suavem tum virtutum ceterarum, tum præsertim laudis & gratiarum actionis, uti explicat vers. sequ. expirate, & sursum ad Deum quasi thymiama Dei, illi odoratissimum emittite. Quare sicut olim Aaronicus sacerdos quotidie manè & vesperi in altari thymiamatis adolebat Deo thymiama: sic fidelis, præsertim sacerdos, & Religiosus, quotidie manè, & vespere, imò crebrò per diem, laudis divinæ thymiama Deo, ex corde religione & devotione pleno exhibeat & offerre oportet.

FLORETE FLORES, QUASI LILIUM, ET DATE ODOREM, ET FRONDETE IN GRATIAM, ET COLLAUDATE CANTICUM, ET BENEDICITE DOMINUM IN OPERIBUS SUIS] *Florete* VERS.19.
B *flores*, id est florendo emittite & producite flores. Est enim significatio Hebrææ conjugationis activæ *hiphil*. Sic dicimus ridere risum, lacrymari lacrymas, germinare germen. *Frondete in gratiam*, id est ad gratiam, gratiosè, ut gratiosas & speciosas frondes proferatis. *Collaudate canticum*, id est laudando Dominum canticum ei canite. Unde Complut. vertunt, *producite florem quasi lilium, mittite*; Romani, *diffundite odorem, & laudate canticum benedicite Dominum in omnibus operibus ejus*; Tigurina, *florem ut lilium mittite, spirate odorem, & cantate laudem, Dominumque propter omnia opera sua celebrate*; Syrus, *sicut radix lilii regii attollite vocem, & laudate simul, & confitemini Domino super omnibus operibus ejus*. Alii per ablativum clarè vertunt, *florete flore sicut lilium, mittite odorem, & laudate cantico, benedicite Domino de omnibus operibus ejus*. Sensus est, q.d. Vox ò studiosi sapientiæ & virtutis, vos ò filii sancti producite flores virtutum, ac laudis divinæ, ut instar lilii efflorescatis candore castitatis & puritatis vitæ, ac detis odorem & fragrantiam bonæ famæ, atque frondeatis gratio-
C sè per morum compositionem, & modestiam; ut in iis instar lilii resplendeatis miro fulgore virtutum, ac præsertim magnanimitatis animique excelsi sursum, instar lilii, inter prospera & adversa, per fortitudinem, & spem in Deum erecti. Harum enim virtutum omnium symbolum est lilium, ut fusè ostendi Osee 14. 6. ad illud, *Germinabit ut lilium*. Ita fiet, ut laude tam reali virtutum, quàm mentali, & vocati jubilationis collaudetis Deum, canteticque ei juge canticum, ac benedicatis eum in omnibus operibus suis. Nominat *lilium*, quia lilium symbolum est virginitatis heroicæ. Virgines autem in cælis cantant canticum novum, sequentes agnum quocumque ierit, Apocal. 14. 3. Hi nimirum sunt Susannæ, id est, liliatæ (שושן *sosan* enim Heb. est *lilium*) quæ sua castitate de mundo, carne & diabolo triumphantes, perenne virginitatis, instar lilii candicantis, epinicion canunt Deo, & Agno. De his dicitur Cantic. 2. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Ubi Theodor. Lilium, ait, cùm exteriore decore splendet, tum aureum intus flosculum continet: sic & sancta virgo iustitiæ splendore circumdatur, & spiritale sapientiæ cognitionisque Dei donum in intimis penetralibus gestat. Tunc ergo florent flores sicut lilium, id est, mores virginei omni gloria & ornatu fulgent, nitent animi, omnique decore, & pulchritudine quasi frondibus vestiuntur. Tunc optimæ cogitationes (ut ait Paulus Philip. 4.) & sensus optimi efflorescunt. Tunc flores fructus parturiunt (ut Cantic. 8. legimus) & cælestia nobis ubera porriguntur, amorque divinus in nos diffunditur. Tunc citharis, & canticis omnia personant, in laudem Dei abdita cordis erumpunt, & omnia quæ intra nos sunt nomini sancto eius confitentur; quoniam in æternum misericordia eius. Inde labia nostra (ut Cantic. 5. legimus) tamquam lilium incipiunt stillare myrrham primam; cùm omnes cogitatus, omnesque labores, qui nos sæpè conficiunt, in Dei curam transmittuntur; sperantes tandem futurum esse aliquando, quòd Deus omnis gratiæ (ut ait

Lilium typus virginitatis.

D

Digitized by Google

Sanctus Petrus 1. epist. c. 5.) qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Etenim languidus divino amore animus, haud secùs oratione firmari, quàm animi deliquium florum odoribus revocari solet; ut sponsa Cantic. 2. testatur, dicens: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Hinc sicut lilium accedenti ad se suum impertit odorem, ut per aliquod temporis spatium odorem lilii redoleat: sic & Sanctus plenus amore, & laude Dei, eumdem aliis qui cum eo versantur, impertit, ut eum redoleant, & expirent.

Tropol. Rabanus, *Quoniam*, inquit, *sicut rosa martyrium, ita & lilium castitatem significat; ut ostendat utrumque nostro conditori acceptabilimum fore, dicit: Florete flores quasi lilium ac si patenter dicat: Date flores jucundissimos cum castitate cælestium virtutum, quarum odor & frondes spargantur per totum orbem ad exemplum animabus fidelium; hoc est quippe laudare canticum, & benedicere Dominum in operibus suis, ut corde, ore, simul & opere pro bonis suis totus homo gratias suo referat conditori*.

Anagogicè, noster Pineda libr. 6. de Rebus Salom. cap 5. hæc verba Siracidis refert ad gloriam, & jubilum Beatorum in cælo. Lilium enim est symbolum stolæ candidus enim fulgor, est velut divinitatis ornamentum. Unde angeli post resurrectionem Christi, ut eam sua specie adumbrarent, apparuerunt in vestibus liliatis, id est candidis & splendidis, Matth. ult. 3. & Marci ult. 5. Hinc S. Hilar. in Matth. 6. 28. docet lilia esse symbola angelorum, & angelicæ claritatis. Et psalmus 44. inscribitur Hebr. *Sosannim*, id est *pro liliis*, ut vertit S. Hieron. Symmachus verò, *triumphus pro floribus*: canit enim Epithalamium Christi & Ecclesiæ, cum allusione ad nuptias Salomonis cum filia Pharaonis. Salomonis enim vestes regales liliatas, id est liliorum effigie insignitas fuisse docet Pineda. Noster Interpres legit שׂשׂנים *Sesannim*; unde vertit, *pro his qui commutabuntur*; scilicet à bono in melius, inquit ibidem S. Basil. & è corruptione in incorruptionem. Salomon ergo verus, id est Christus, *triumphum acturus pro floribus* aut *liliis*, ut dixit Symmachus, id est triumphans, triumphantemque Sanctorum Ecclesiam sponsam sibi perpetuò adsessuram, comitem ducens in cælestem regiam, liliata gloriæ veste splendidus oportunè dicit: *Refloruit caro mea*. Ecclesia verò assistens à dextris, simili veste circumdata varietate, jam post resurrectionem immutata, audiet canticum: *Florete flores quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam; & collaudate canticum, & benedicite Deum in operibus suis*. Sic psalmus ille habet in titulo *ad intellectum*, id est, ad eruditionem & doctrinam, & in Salomonis liliatis vestibus, atque liliorum candore arcanam futuræ resurrectionis figuram & adumbrationem. Hæc Pineda. Hinc & in officio Ecclesiast. Martyribus accinit Ecclesia: *Sanctorum velut aquilæ juventus renovabitur: florebunt sicut lilium in civitate Domini*. Et tempore Paschali: *Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te. Alleluia*.

Lilium symbolū resurrectionis.

Vers. 20. DATE NOMINI EJUS MAGNIFICENTIAM, ET CONFITEMINI ILLI IN VOCE LABIORUM VESTRORUM, ET IN CANTICIS LABIORUM
Vers. 21. ET CITHARIS, ET SIC DICETIS IN CONFESSIONE: OPERA DOMINI UNIVERSA BONA VALDE] *Date magnificentiam*, id est, magnificè magnificentiam eius celebrate, & magnificate. *Confitemini in voce*, id est, voce eum laudate, putà *in canticis labiorum*, æquè ac in *citharis* ceterisque instrumentis musicis, ut dicatis *in confessione*, id est, ex animo pleno laude Dei, avidoque ad ei totis præcordiis, æquè ac vocibus & organis iubilandum: *Opera Domini universa bona valdè*; quia nihil in aliquo eorum est mali, id est manci, mutili, vitiosi, defectuosi; sed omnia, & singula quaquaversum sunt *bona valdè*, id est, integra, perfecta, irreprehensibilia; ut ex iis debeamus agnoscere, & celebrare Deum auctorem ipsorum. Opera intellige tum creationis, tum conservationis, tum gubernationis, tum beneficentiæ, tum vindictæ, ut, cùm nos aliosque ob peccata castigat. Hæc omnia sunt bona valdè, tum Deo, tum nobis, tum A toti universo; ut proinde in nullo etiam nobis adverso & molesto Deo obmurmurare, sed in omnibus eum laudare & glorificare debeamus. Vide dicta Genes. 1. 31. eò enim alludit hic Siracides. Ita Tigurina; quæ clarè sic vertit, *tribuite nomini ejus magnificentiam, suisque laudibus prædicate eum tam canticis oris, quam citharis*; alii, *& celebrate eum laude sua, tam odis labiorum quàm citharis. Porrò ita laudatione vestra diceris: Omnia opera Domini præclara sunt*; Syrus, *enumerate eminentiam ejus in laudibus, & confessione in voce alta, & sic dicite: Omnia opera Dei pulchra simul, & unaquaque ad ministeria sua creata sunt*.

Præclarè S. Bernard. serm. 11. in Cant. *Nihil ita propriè quemdam in terris repræsentat cælestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum, Scriptura dicente: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Vide quæ de laude Dei dixi Apocal. 4. & 7.

Mysticè Rabanus: *Cithara*, inquit, *est, lignei ventris in imo sita concavitas; quæ sursum chordarum fila transmittens, sonis dulcissimis percussa proloquitur. Quæ ideò tale nomen accepit, quoniam cita iteratione percutitur. Huic* B *meritò comparantur opera, quæ de terrenis rebus ad supernam gratiam porriguntur. Id est, dum esurientem pascimus, dum nudum vestimus, dum ægrotum visitamus, & cetera. Quæ licèt videantur carnalia, divinitatis tamen amore peraguntur. Citharizamus quoque, cùm in passionibus nostris vel damnis securi ac læti dicimus: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum*.

Citharæ etymon iuxta Rabanū.

Græca Romæ correcta addunt, *Et omne præceptum in tempore suo erit* (Gomplut. addunt, *Non est dicere, Quid est hoc?*) *omnia enim tempore suo quærentur*; Syrus, *non est qui dicat: Hoc ad quid, & hoc ad quid? quia omnia secundùm convenientiam creata sunt; & non est qui dicat: Hoc bonum est, & hoc malum est: quia omnia in tempore suo roborata sunt*; Vatablus, *omne imperium ejus suam habet opportunitatem. Nihil est cur dicas: Quid hoc est? aut quorsum hoc? nam hæc suo tempore quærentur*, id est declarabuntur, scilicet fuisse bona & proba. Unde v. 40. ait: *Omnia in tempore suo comprobabuntur*. Quibus verbis significatur Deum sicut in operibus suis se bonum, sic in iisdem se potentem & efficacem ostendere, ut nullus iis C obsistere, vel ea impedire aut remorari valet. Duo igitur hæc, scilicet bonitas & potentia, maximè celebranda sunt in operibus Dei. In his duobus enim elucet mira Dei sapientia, qui ea licèt disparata, imò in speciem adversa, combinare & coniugare valet, ac efficaciam suavitate, judicium misericordia, severitatem clementia, iram mansuetudine adeò aptè contemperat, ut vix unum inveniatur sine altero, imò unum illustret & commendet alterum, indeque Deus vocatur Optimus maximus, ait Jansenius, juxta illud: *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine*, psal. 100. 1. Hoc est quod de Deo, Deique sapientia ac providentia celebrat Sapiens c. 8. 1. *Attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*. Hæc autem suavitas tum in aliis elucet, tum in eo quòd faciat omnia opportuno tempore, ut vertit Tigurina: ut discant mortales se suumque judicium subdere Deo; cùm vident impios dominari grassarique in pios, sciantque Deum opportuno tempore, esto hominibus id longum videatur, castigaturum impios pro demeritis, pios verò liberaturum & præmiaturum pro meritis. Magna ergo sapientia est, magna virtus in omnibus D Dei operibus, sive nobis prospera, sive adversa videantur, laudare Deum, Deique bonitatem & iustitiam, providentia & potentiam, sanctitatem & fortitudinem, clementiam & magnificentiam. Qui id iugiter agit, hic sapiens, hic sanctus, hic Deo charus, hic perfectus, hic beatus est. Talis fuit regius Psaltes canens psal. 33. 1. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*.

IN VERBO EJUS STETIT AQUA SICUT CONGERIES: ET IN SERMONE ORIS ILLIUS SICUT EXCEPTORIA AQUARUM] Pro *congeries*, græcè est θημωνία, id est acervus, cumulus. Rursum pro ἔστη, id est stetit, alii legunt ἔσαι, id est, erit existet. Unde Tigurina vertit, *jussu ejus unda existit instar acervi, & aquæ ad verbum oris ejus se recipiunt*; alii, *dicto ejus stetit aqua sicut acervus, & verbo oris ejus receptacula aquarum*. *Exceptoria* enim græcè ἀποδοχεῖα, Vers. 22.

vocan-

vocantur receptacula, & quasi utres aquarum, in quę Deus initio mundi aquas vastissimas toto orbe sparsas deduxit, & conclusit. Nam initio mundi primò creavit Deus cælum, terram & abyssum, id est, molem immensam aquarum, quæ à terra, usque ad summum cælorum porrigebatur. Deinde secundo die mundi fecit firmamentum quasi interstitium dividens aquas quæ infra cælos sunt, ab aquis quas supra cælos collocavit, sivę ad temperandos ignes cælestes, ut voluere veteres, & nonnulli moderni. Quin & S. Augustin. lib. 2. de Genesi ad literam cap. 4. & 5. docet Saturnum idcircò esse frigidum, quòd aquis hisce supercælestibus infrigidetur, sivę aliis de causis, quas recensui Genes. 1. 6. Tertiò verò die mundi Deus aquas infra cælos, quæ totam terram operiebant, in certos alveos, & cavitates (quas idcircò tum in terra, tum sub terra tunc produxit, quæ hic vocantur exceptoria) derivavit, ut terra appareret arida, possetque inhabitare ab hominibus, & animalibus. Hoc enim est quod dicitur Genes. 1. 9. *Dixit verò Deus: Congregentur aquæ quæ sub cęlo sunt in unum locum, & appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam Terram, congregationesque aquarum appellavit Maria.* Siracides enim alludit ad genesim mundi, ut patet ex eo quod dixit v. præced. *Opera Domini universa bona valde.* Et quia inter hæc opera unum è præcipuis fuit aquarum divisio, & distributio, utpote ex quibus cetera deinde formata sunt, indiesque formantur, hinc illius præ ceteris hic meminit, ita Rabanus & Palacius.

Secundò, Lyran. Jansenius, & alii hæc accipiunt de aquis maris rubri & Jordanis, quas Deus divisit, ut Hebræi per illas sicco pede transirent. Hac enim divisione etsi propriè non faceret cavitates in terra, quæ aquas divisas exciperent; miraculosè tamen sermone, id est præcepto & jussu suo, eas in cumulum sustulit, fecitque ut aquæ juxta alveum intumescerent, itaque tumidas, & quasi in alto pendulas ne defluerent, conservavit, perinde ac si eas in utre suspendisset, juxta illud psalm. 77. 13. *Statuit aquas quasi in utre.* Hoc enim miraculum transitus maris rubri & Jordanis, ut rem portentosam & omnibus sæculis inauditam, sæpè celebrat Script. unde & mox hic sequitur. Porrò Syrus pro *aqua* substituit *solem*: sic enim habet, *Verbo suo oriri facit solem, & verbo suo occidere eum facit.* Deinde addit: *In lætitia voluntatis ejus factus est, & non est qui retardet præceptum ejus.* pro quo Noster habet id quod sequitur.

VERS. 23. QUONIAM IN PRÆCEPTO IPSIUS PLACOR FIT, ET NON EST MINORATIO IN SALUTE IPSIUS] *Placor*, græcè εὐδοκία, id est, beneplacitum, benevolentia, placabilitas, favor, &, ut Rabanus legit, *placatio Minoratio*, id est, imminutio, defectus: q. d. Cùm Deus vult & præcipit aliquid in commodum, vel salutem hominum, illicò hic ejus *placor*, id est, hęc ejus benevolentia, executioni mandatur, ac reipsa existit; quia nemo est qui salutem ab ipsò decretam & pręstitam imminuere possit. Unde Complut. vertunt, *in præcepto ejus omnis complacentia, & non est qui minuat salvationem* (Romani, *salutare*) *ejus*; Tigurina, *omnis favor constat imperio ejus, nec est qui salutem ipsius minuat*; alii, *in mandato ejus est omnis benevolentia, nec est qui ejus salutem imminuat. Salutem* vocat, id quod homini & animalibus est commodo & saluti; quale fuit aquas secernere à terra, ut in ea degerent viventia; ac dividere mare rubrum, ut per illud transeuntes Hebræi libe- D rarentur à manu Pharaonis persequentis & salvarentur.

Aliter Palacius: Quia, inquit, aquæ à Deo conclusæ alveis maris & fluminum, in iis non stant invitæ, sed sponte sua; hinc in præcepto Domini placor fit & beneplacitum: nam aquis beneplacet sic ad præceptum Domini stare. Neque rursum quia stant, minuitur ejus salus, imò aquæ salvæ ac integræ manent, ac si juxta specialem naturam fluerent: sic pariter cùm Dei præcepto suspenditur piorum felicitas, ne more solito fluat, pii felicitatis impedimentum boni consulant, scientes id sibi non in minorem, sed in majorem salutem celsiorum. Verùm hic sensus mysticus potiùs est, quàm litteralis. Unde Rabanus eumdem affert pro mystico.

VERS. 24. OPERA OMNIS CARNIS (id est, hominis, qui carne, & anima constat) CORAM ILLO, ET NON EST QUIDQUAM ABSCONDITUM AB OCULIS EJUS] Syrus, *opera omnium filiorum carnis coram eo, & non est qui absconditur à conspectu ejus.* Celebravit Dei bonitatem & omnipotentiam, nunc celebrat omniscientiam, eamque inculcat hominibus; quia nullus major iis est stimulus ad benè agendum, & peccata cavendum, quàm scire & cogitare se omnia agere in conspectu Dei judicis & vindicis, qui omnia conspicit, singulaque est judicaturus, & bona præmiaturus, mala verò acerrimè puniturus, juxta illud Boetii: *Magna nobis injecta est necessitas bene agendi, quia in conspectu judicis cuncta cernentis omnia agimus.* Nihil enim in cubiculis, nihil in latebris, nihil in tenebris in cordibus, & mentibus est absconditum ab oculis ejus, sed omnia etiam abditissima, & secretissima prævidet lucidissimus Dei oculus, neque tantùm præsentia, sed & præterita ac futura.

A SÆCULO ENIM USQUE IN SÆCULUM RESPICIT] Græcè ἐπέβλεψε, id est, *respexit*, scilicet ab æterno: Deus enim in sua æternitate permanens & constans, omnes temporum differentias, & quæcumque in eis geruntur, quasi coram se gerantur, aspicit, & in- VERS. 25.
B tuetur. Æternitas enim est centrum circa quod omnia tempora voluuntur. Sicut ergo, qui in axe rotæ consistit, videt circum se volui omnes rotæ partes: sic & Deus in axe æternitatis suæ consistens, videt circum se volui omnes partes temporis. Et sicut qui in alto monte consistit, videt omnia quæ infra circa montem fiunt. Unde dicta cap. 23. 27.

Æternitas est centrum temporum.

Porrò Deus non ita à sæculo in sæculum respicit, quasi omnia etiam præterita, & futura realiter sint pręsentia æternitati, in illaque etiam nunc realiter existant, eique coexistant, ut intuitivè ea videat Deus, ut nonnulli Theologi opinati sunt. Quomodo enim pręteritum quod fuit, & ampliùs non est; ac futurum, quod erit & necdum est, potest nunc existere realiter esseque præsens æternitati? sed quod objectivè omnia sint Deo præsentia, quodque Deus tam perfectè præterita & futura videat objectivè, quàm perfectè præsentia videt intuitivè.

QUARE NIHIL EST MIRABILE IN CONSPECTU EJUS] tum quia ipse, sicut sua æternitate transcendit omnia tempora, sic sua potentia transcendit om-
C nia possibilia, & factibilia, ac sua scientia transcendit omnia scibilia & cognoscibilia; tum, quia omnes creaturæ respectu Dei sunt instar vermiculi, imò minutissimi puncti; tum denique, quia admiratio oritur ex eo quòd videatur effectus, cujus non videtur causa, inquit Aristot. Unde ab admirari cœperunt homines philosophari: Deus autem omnes rerum causas non tantùm cognoscit, sed & ordinat ac procurat: unde nihil miratur. Sic & sapiens & magnanimus, qualis erat Cyrus, inquit Xenophon in Cyripædia, nihil miratur: pueri verò & rustici omnia mirantur.

Secundò, *nihil est mirabile*, id est, difficile, & arduum, *in conspectu ejus.* Est metalepsis: quod enim difficile est, & arduum, hoc est & mirabile. Unde utrumque significat Hebr. פלא *pele.* Quocirca Tigurina vertit, *et patent opera universæ mortalitatis, nec datur oculos ipsius fallere*; alii, *nec licet occultari ab oculis ejus: ab ævo in ævum prospicit*, (alii, *inspicit*, vel *introspicit*) *nec quidquam conspectui ejus mirum est*; Syrus, *sive parum, sive multum, coram eo: sive robustum, sive durum, coram eo.*

NON EST DICERE: QUID EST HOC, AUT QUID EST ISTUD? OMNIA ENIM IN TEMPORE SUO QUÆRENTUR] Solent homines ignorantes, curiosi, & superbi mirari & judicare nonnulla Dei opera, quorum ipsi causam, usum & finem non intelligunt, quasi inutilia, supervacua, imò impertinentia. Unde dicunt: *Quid est hoc? aut quid est istud?* q. d. Quis est hujus vel rei istius usus, & finis, quid commodi hoc istudve affert? Retundit eorum ignorantiam, curiositatem & fastum hic Siracides, causamque subdit: *Omnia enim in tempore suo quærentur.* Sanct. Hieron. in cap. 3. Eccles. legit *requirentur*, scilicet ad suos usus, cùm jis opus erit. Unde Græca habent, *omnia enim ad usus ipsorum creata sunt*: q. d. Omnia suum habent usum, & ad eum suo tempore quo jis opus erit, requirentur. Hinc & S. August. qu. 2. ad Simplician. legit, *collaudemus canticum, & non dicamus, Quid hoc, quid hoc? omnia* VERS. 26.

in tempore suo (ad tempus suum, quo eorum usus erit necessarius) *creata sunt*. Idem tamen August. in Speculo legit ut Noster, *omnia enim in tempore suo quærentur*; Tigurina, *nil est cur quis dicat, Quid hoc est? aut quonam hoc?* alii, *quorsum hoc?* Græcè enim est εἰς τί; id est, *ad quid? omnia enim in usus suos creata sunt*.

Secundò, τὸ *quærentur* per metalepsin accipi potest cum Jansenio pro *cognoscentur*, vel declarabuntur, ac cognita *comprobabuntur*, ut ait v. 40. q. d. Omnia suo tempore cognita & manifesta erunt, ad quem usum à Deo creata sint; etsi is hominibus modò incognitus sit. Simili metalepsi *quærere* sumitur pro quæsitum invenire, & *interrogare* pro interrogationi respondere, vel interrogatum cognoscere, ut psalm. 10. *Dominus interrogat justum & impium: interrogat*; id est interrogando cognoscit, vel tam plenè cognoscit, ac si omnia interrogasset & examinasset. Et cùm ait Sanctus Petrus epist. 1. cap. 3. 21. *Bonæ conscientiæ interrogatio*, id est responsio vel declaratio. Vide ibi dicta: nam plura ibidem exempla similia attuli.

Vers. 27. BENEDICTIO ILLIUS QUASI FLUVIUS INUNDABIT] Ita Roman. Addunt Græca moderna, Jansenius & alii, *Et quomodo cataclysmus terram inebriavit*: q. d. Benedictio Dei instar diluvii terram bonis omnibus cumulat & inebriat. Unde Tigurina vertit, *eamque fœcundat velut inundatio*. Sed hæc verba cum Romanis, rejicienda sunt ad versum sequ. Planè enim *cataclysmus*, id est, diluvium tempore Noe peractum, repræsentat iram Dei, quæ sequitur, non autem ejus benedictionem. Tigurina, *aspiratio ejus terram quasi fluvius operit*: græcè est εὐλογία, id est, benedictio, id est beneficentia, quam Deus terræ aspirat: Significatur abundantia beneficentiæ divinæ in terram, quòd instar fluvii exundantis terram beneficiis suis obruat, dum ex ea tot genera herbarum, arborum, florum, fructuum, animalium, & hominum producit, alit, conservat, propagat; quo facit, ut terra sit blanda mater & nutrix omnium viventium. Benedictio Dei, ait Palacius, est velut perennis fluvius à throno Dei usque in centrum terræ decurrens, ac omnia complectens, irrigans, fœcundans, alens, gubernans, promovens. Unde Syrus vertit, *benedictio ejus sicut fluvius fluit*, id est, perfluit, affluit, influit.

Porrò Siracides propriè loquitur de benedictione tum temporali, tum spirituali, quam Deus ubertim instar fluvii effundit in fideles & pios, sicut iram instar cataclysmi effundit in infideles & impios, ut ipse subjungit: juxta illud Christi: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, Joan. 4. 13. & c. 7. 38. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Ita Rabanus.

Anagog. Benedictio beatitudinis in Beatos effunditur à Deo instar fluvii aquæ vitæ, splendidi instar crystalli, procedentis de sede Dei & Agni, qui irrigat lignum vitæ, ut fructum proferat per singulos menses, Apocal. 22. 1. Vide ibi dicta.

Vers. 28. QUOMODO CATACLYSMUS ARIDAM INEBRIAVIT; SIC IRA IPSIUS GENTES, QUÆ NON EXQUISIERUNT EUM, HEREDITABIT] Ita hæc dispungunt, & nectunt Biblia Romæ emendata, & passim Latina correctiora; licèt Græca, ut dixi, priorem partem referant ad versum præced. Sed minùs aptè. nam *cataclysmus* licèt significet quamvis exundationem; tamen cùm absolutè ponitur, per antonomasiam significat diluvium generale, quo obruta fuit tota terra tempore Noe, ut patet cap. 40. vers. 10. cùm ait: *Et propter illos* (peccatores) *factus est cataclysmus*. Hoc autem cum ira Dei aptè comparatur, non autem cum Dei benedictione; quia ipsum processit ex summa ira Dei in peccata, & peccatores. Adeò enim in eos exarsit, ut omnes, uno Noe cum familia excepto, diluvio merserit, simulque cum eis cetera animantia, arbores, & plantas, quas in usum hominis creaverat. Licèt Syrus, sicut benedictionem Dei comparavit fluvio: sic eidem comparat maledictionem: Ait enim, *Sicut fluvius sæcula irrigat, ita in furore suo populos judicat, & convertit terram irriguam eorum in salsuginem*. Sensus ergo Vulgatæ Latinæ est, quasi dicat. Sicut tempore Noe ob peccata hominum diluvium totam terram obruit, inebriavit, possedit, quasi hereditavit per integrum A annum: sic pariter ira, & vindicta Dei, tum sæpè in terra, tum semper, & perpetuò, in gehenna instar diluvii exundans gentes infideles, & impias, quæ Deum non exquirunt, id est, agnoscere & colere nolunt, obruet, inebriabit; sicut ex adverso benedictio, & beneficentia Dei instar fluii obruet, inebriabit, & hereditabit Judæos, omnesque fideles, & pios, uti præcessit, juxta illud psalm. 35. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Meminit cataclysmi, ut similem pœnam expectent peccatores, ideoque illius memores horreant peccata quæ cataclysmum toti orbi induxerunt, ita Lyran. Palacius, & alii. Sicut enim diluvium supervenit hominibus securè vacantibus gulæ, & ventri, eosque inopinatò obruit: sic & suo tempore Dei ira hereditabit impios, qui nunc sine metu securè voluptuantur, & triumphant, quia eos defunctos accipiet ira, & vindicta Dei in perennem hereditatem, ut in eorum animas, & corpora per ignem gehennæ sæviat in æternum. Unde Palacius: Digna, inquit, notatu res, iram Dei esse heredem impiorum, quæ B mortem eorum expectet, ut ipsos in hereditatem suscipiat. Quàm inexpectatus impiis, & noxius heres iste! Ex adverso heres piorum erit misericordia, gratia, & gloria æterna. Juxta versionem Syriacam, Deus tam iratus quàm propitius comparatur fluvio: quia sicut fluvius lenis, & placidus rigat, & fœcundat arva, exæstuans verò ea obruit, mergit & suffocat: sic & Deus justis placidus, eos fovet, & fœcundat; in impios verò ira exæstuans, eosdem demerget in tartara. Hujus symbolum est fons Solis, qui per diem dulcis est, & frigidus, noctu verò fervens & amarus. Audi Plinium libr. 2. cap. 103. *In Troglodītis*, inquit, *fons Solis appellatur dulcis, & circa meridiem maximè frigidus: mox paulatim tepescens, ad noctis media fervore, & amaritudine infestatur*. Sic Deus & Christus in die hujus vitæ omnibus dulcedinem misericordiæ prærogat: in nocte verò extremi judicii omnem iræ amaritudinem in impios ejaculabitur.

QUOMODO CONVERTIT AQUAS IN SICCITATEM, ET SICCATA EST TERRA: ET VIÆ Vers. 29.
C ILLIUS VIIS ILLORUM DIRECTÆ SUNT: SIC PECCATORIBUS OFFENSIONES IN IRA EJUS) Ita Roman. licèt Græca hæc combinent cum posteriore parte versus præced. hoc modo: *Sic ejus iram gentes hereditabunt, sicut convertit aquas in salsuginem: viæ ipsius rectæ sunt sanctis, sicut iniquis offendicula*; Tigurina, *ita* (*quæ non coluerunt eum*) *gentes iram ejus percipient, ut aquas convertit in siccitatem*, &c. Hebr. enim מלחה *melecha*, & Græcum ἅλμη propriè significat salsuginem, & terram salsuginis; sed abusivè significat terram siccam; quia talis est terra salsuginis, sive salina, putà locus aridus ex cujus terra colligitur sal. Nam ut ait Plinius libr. 31. cap. 7. *Omnis locus in quo reperitur sal, sterilis est, nihilque gignit*. Sal enim terram exiccat ad generationem autem opus est humore.

Igitur Græca habent hìc duas disparatas sententias, ac priorem sic exponit Jansenius: Ira Dei, inquit, ejusque severitas, & ultio in gentes incredulas comparatur conversioni aquarum in siccitatem; vel, ut habent Græca, in salsuginem, hoc est, cùm Deus efficit, ut, ubi erat aquarum copia, fiat siccitas, & sterilitas: quia in D eis quibus Deus irascitur, sublato omnis gratiæ eius humore maxima fit siccitas, & ad bonam aliquod proferendum sterilitas. Itaque his sententiis, sicut, & sequentibus, ostenditur, quomodo differenter se Deus habeat erga electos, & reprobos, quamque sit efficax eius tum beneficentia, tum severitas, misericordia atque iustitia.

Noster verò Vulgatus Interpres aptiùs duas sententias in unam coniunxit. Quam Primò, Rabanus exponit de cataclysmo, sive diluvio, de quo sermo præcessit, quasi dicat. Quomodo post diluvii effusionem aquæ ibant euntes, & redeuntes, ut iterum appareret arida, & terra fructus suos germinaret: ita etiam post extinctionem impiorum data est facultas electis Dei, ut proferrent fructus bonorum operum. Quod autem dicit vias Domini viis illorum esse directas, ostendit retributiones illius secundùm merita ipsorum esse dispen-

spensatas. Viæ enim Domini sunt judicia ejus: *viæ autem* hominum opera illorum. Unde Dominus (qui justus est in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, & reddit unicuique secundùm opera sua (custodit omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet. Secundò, aptiùs Lyranus & Palacius hanc sententiam referunt ad transitum Hebræorum per mare rubrum à Deo divisum, quod deinde in suum alveum rediens mersit sequentes, & persequenter Ægyptios, de quo sermo præcessit vers. 22. & 23. Sensus ergo est, q. d. Sicut Deus convertit mare rubrum dividendo illud in duas (vel, ut Hebræi tradunt, in duodecim, juxta numerum duodecim tribuum Israel, ut quælibet tribus per illud suam haberet propriam viam & semitam) partes, ac medium alveum siccando, itaque terra alvei, per quem transituri erant Hebræi, siccata est: quo factum est, ut viæ illæ Dei, quas in mari aperuit Hebræis fidelibus & piis, essent *directa*, græcè εὐθεῖαι, id est rectæ, planæ, commodæ, ut scilicet per eas directè, planè, & commodè transirent in terram adversam, itaque effugerent manus insequentis Pharaonis: *sic pariter peccatoribus offensiones in ira ejus*, supple, existunt vel paratæ sunt; quia scilicet Ægyptii insequentes Hebræos offenderunt & impegerunt in eodem mari rubro, dum ira Dei revoluit super eos aquas maris, iisque eos mersit & absorpsit. Idem facit & faciet ceteris peccatoribus, præsertim in die judicii.

Significat Deum eadem re, quasi instrumento uti ad liberandum pios, & ad castigandum impios sicut mari rubro liberavit Hebræos & mersit Ægyptios, ac sicut eadem concione vel miraculo convertitur unus, induratur alter. Unde Græca sic habent: Αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ εὐθεῖαι τοῖς ὁσίοις, οὕτως τοῖς ἀνόμοις προσκόμματα. quod Compl. & Roman. vertunt, *via illius sanctis recta* vel *directa*, *sic iniquis offensiones*. Noster pro ὁσίοις, id est *sanctis*, legit ὁδοῖς id est *viis illorum*, scilicet piorum, putà Hebræorum, qui sicco pede Deo duce transierunt mare rubrum. Hoc enim suppositum velut ex circumstantiis notum, & ex materia celebre more Hebræo Siracides subaudiendum relinquit: opponit enim pios impiis, ut in istos Dei misericordiam, in hos Dei iram, & vindictam ostendat. Unde Syrus, *viæ justorum directæ sunt in conspectu ejus, etiam impius ipsæ retribuentur*; Tigurina, *ut viæ ejus planæ sunt sanctis, ita injustis salebrosæ*; alii, *viæ ipsius rectæ sunt sanctis, & iniquis offendicula*: hæc enim propriè sunt προσκόμματα. Hæc sententia multis modis accipi potest.

Primò, propriè de Hebræis in mari rubro, ut dixi, q. d. Viæ maris rubri directæ, id est perviæ, planæ, commodæ & salutares fuerunt Hebræis piis, quia illis dederunt effugium, & salutem: eædem verò Ægyptiis impiis fuere offendicula, quia in eis corruerunt, & submersi sunt. Æsopus, ut ferunt, obambulans rogatus à magistratu quò pergeret, respondit se nescire. Cumque magistratus irrisum se æstimans, indigno id ferret, eum in carcerem conjecit. Tunc Æsopus: *Jam bene igitur nescire me dicebam quò irem: nesciebam enim quod in carcerem iturus essem*. Ita nescit homo quò vadat; idcircò roget Dominum cum Psalte: *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea*, psalmus 16. 5.

Secundò, ut τὸ *directæ* accipias moraliter, quasi dicat. *Viæ*, id est præcepta, consilia, judicia & providentia Dei, sanctis videntur esse recta, & æqua, quia sentiunt se iis dirigi rectissimè ad salutem: contrà hæc eadem peccatoribus videntur esse iniqua, & distorta, quia eis sunt scandalo, & offensioni: illa enim violando, vel iis obmurmurando, corruunt in mortem præsentem, & æternam: in quo patesit ira divina extensa super eos. Hoc est quod ait Osee capit. 14. ult. *Rectæ viæ Domini, & justi ambulabunt in eis: prævaricatores verò corruent in eis*. Ita Jansenius: Viæ, inquit, Dei piis sunt rectæ, sic peccatoribus sunt offendicula, hoc est, piis placent viæ Domini displicent peccatoribus, eisque offenduntur, & in illas impingunt. Dicitur ergo quòd viæ Dei sunt directæ, hoc est rectæ, viis bonorum, quia ipsi suis actionibus, suaque vita declarant se probare vias Dei, hoc est, & mandata eius, quę hominibus pręcepit, & universa eius facta atque judicia, quibus mundum gubernat, dum ei sedulam sine murmuratione obedientiam prěstant. Peccatoribus autem vię Domini sunt offendicula, & scandala, quia impingunt, & in eius mandata, quę ipsis maioris lapsus sunt occasio, & in illius facta atque judicia, & contra quę murmurant tamquam iniusta. Id autem fit in ira eius, nimirum quòd eius gratia destituantur, qua de his quę bona sunt rectè sentire valerent.

Tertiò, vię Dei sanctis sunt *directæ*, id est, prudentes & prosperę; quia eos prudenter dirigant ad felicem eventum, eosque prosperant, felices & beatos efficiunt: ac verò eędem impiis sunt tortę, quia illi, cùm sint imprudentes, se suaque secundùm eas prudenter dirigere nolunt, ideoque eos miseros, & infelices efficiunt, suntque eis occasio ruinæ in mala præsentia, & æterna. Igitur viæ, id est, leges & judicia Dei piis videntur rectæ, impiis curvæ, & tortæ. Primò, quia piis sunt planæ, & faciles, impiis arduæ & difficiles. Secundò, quia piis videntur æquæ, & sanctæ, impiis iniquæ & tyrannicæ. Tertiò, quia piis sunt prosperæ & felices, impiis noxiæ & infelices, adeoque scandala & offendicula, per quæ cadunt & ruunt in mortem & gehennam. *Diligentibus ergo Deum omnia cooperantur in bonum*, Rom. 8. 28. uti non diligentibus omnia cooperantur in malum, ait S. August. Mala ergo bonis sunt bona, malis verò mala. Sic crux Amani ipsius sunt crux, quia in ea suspensus fuit, Hebræis verò fuit salus & vita, Esther 7. 10. Tam solers, tam potens, tam efficax est providentia Dei. Unde S. August. Enchir. cap. 100. *Magna*, inquit, *opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem; quia non fieret, si non fineret: nec utique nolens finit, sed volens. Nec fineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene.*

Viæ Dei piis sunt rectæ, impiis tortæ tripliciter.

BONA BONIS CREATA SUNT AB INITIO, SIC NEQUISSIMIS BONA ET MALA] Græca delent τὸ *bona &*, sicque habent: *Bona bonis creata sunt ab initio, sic peccatoribus mala*. *Nequissimos* enim Noster vocat peccatores, partim quia superlativum per metonymiam ponit pro positivo, *nequissimos* scilicet pro nequam; partim quia peccatum in Deum est summa nequitia, majorque quàm ulla sit ex illis quæ in homines committuntur. Lectio Græca plana est: q. d. Deus ab initio creavit bona, putà cælum & ęternam felicitatem, bonis; mala verò, putà gehennam & ęternas pœnas, creavit & destinavit peccatoribus. Rursum & potiùs, q. d. Deus ab initio creavit, id est, ordinavit, disposuit, destinavit, ut bonis omnia, etiam mala, cederent in bonum: peccatoribus verò omnia, etiam bona, converterentur in malum; quia illi ipsis abutuntur in suam perniciem. Hoc enim intendit hic probare, ut dixi in fine versus pręced. Unde allatis exemplis aquę, ignis, salis, panis, &c. concludit v. 32. *Hæc omnia sanctis in bona, sic & impiis & peccatoribus in mala convertentur.* VERS. 30

Latina verò lectio, *sic nequissimis bona & mala*, difficilis est explicatu: sic tamen explices, quasi dicat. Impiis Deus creavit *bona*, quia omnes homines, etiam impios destinavit ad beatitudinem: *& mala*, quia hæc peccatis eorum in pœnam pręparavit: q. d. Deus ex se suoque amore immenso bona pręparavit tam bonis quàm malis; at mali suo abusu & malitia ea sibi convertunt in mala: quo fit ut bona solis fiant bona, cedantque in bonum. ita Lyran. Accedit Rabanus: *Bona*, inquit, *malis creata, & præparata sunt, si se converterint a peccatis suis, & egerint pœnitentiam; mala autem, si perseveraverint in errore & delictis suis, & pœnitentiam agere neglexerint.*

Addit Palacius, Deum malis primò pręparare bona, deinde mala, quia in hac vita dat eis opes, honores, delicias, ut hìc habeant suum paradisum, in futura verò dabit eis mala pro meritis, putà ignes gehennę æternos. Latinæ consentit Syrus; *bonum*, inquit, *ab initio bonis creatum est, & etiam impiis sive bonum, sive malum.*

INITIUM NECESSARIÆ REI VITÆ HOMINUM, AQUA, IGNIS, ET FERRUM, SAL, LAC, ET PANIS SIMILAGINEUS, ET MEL, ET BOTRUS VERS. 31.

TRUS UVÆ, ET OLEUM, ET VESTIMENTUM] *Initium* aliqui accipiunt pro principio, q. d. Initio mundi hæc quasi necessariò ad vitam hominis creavit Deus. Unde colligunt nonnulli ab initio mundi fuisse uvas, imò & sanguinem uvæ, ut habent Græca, id est, vinum, etsi Noë primus vitem excoluisse, ad vinum copiosiùs & delicatiùs exprimendum legatur, Genes. 9. 20. pro *initium* græcè est ἀρχὴ, quod non tantùm principium, sed & principatum, primas, caput, summam significat, q. d. Inter necessaria vitæ hominis hæc decem primas tenent, vel, ut Tigur., *summa omnium ad vitam hominis necessariorum constat aqua, igne, ferro, sale, simila frumenti, melle, lacte, sanguine uvarum,* (id est vino) *oleo, vestituq;* Syrus, *primum omnium eorum quæ necessaria sunt vitæ hominum, aqua, & ignis, & ferrum, & sal, & tritica, & adeps & lac, & mel, & uvæ, & vinum, & oleum, & opertimentum, & vestis.* Sic cap. 11. 3. dixit de ape: *Initium*, id est, principatum, primas, *dulcoris habet fructus illius*, quia mel est dulcissimum, & inter dulcia primas obtinet.

Dece̅ hominum vitæ necessaria. Porrò hæc decem homini necessaria, non simpliciter (nam mel, uva, oleum non sunt absolutè homini necessaria) sed secundùm quid, id est, opportuna valdè, & utilia (vnde græcè est χρεία, id est, indigentia, usus, necessitas, commoditas, utilitas, putà res qua opus est ad usum) esse liquet. *Primum. aqua Secundum, ignis.* Nam aqua & ignis ad coquendum, calefaciendum, bibendum, lavandum, &c. sunt necessaria: ferrum ad solidandum, compaginandum, fabricandum.

Tertium, ferrum. Audi Plinium l. 34. 14. qui cùm ferrum vocasset optimum pessimumque vitæ instrumentum, causam subdit dicens: *Siquidem hoc tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites squalore deciso annis omnibus cogimus juvenescere. Hoc extruimus tecta, cadimus saxa, omnesq; ad alios usus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia non cominus solum, sed etiam missili volucriq;, nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc vero pennato; quam sceleratissimam humani ingenii fraudem arbitror. Siquidem ut ocyus mors perveniret, ad hominem, alitem illam fecimus, pennasque ferro dedimus. Quamobrem culpa ejus non naturæ fiat accepta.* Idem cap. 15. docet è ferro fieri medicinas, quibus alopecia, podagra, profluvia, fistulæ, hæmorrhoides, plurésque alii morbi curentur. Porrò Cassiodorus lib. 1. Variar. epist. 30. primum ferri, putà ferreorum armorum ad usum belli, auctorem facit Belum, indeque dictum bellum; cùm priùs pugnis certaretur, vnde nomen pugna.

Quartu̅. sal. Sal necessarium est, ut panis & herbæ condiantur, quæ alioqui essent insulsæ & noxiæ. Unde illud celebre citatum à Plinio libr. 31. capitol. 9. *Totis corporibus nihil est utilius sale & sole.* Et cap. 7. *Quin & pecudes*, inquit, *armentaque & jumenta sale maxime sollicitantur ad pastum, multo largiore lacte, multoque gratiore etiam in caseo dote. Ergo vita humanior sine sale nequit degere, adeoq; necessarium elementum est, ut transierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita sales appellantur, omnisq; vitæ lepos & summa hilaritas, laborumq; requies non alio magis vocabulo constat.* Mirum est, quod viri graves mihi asservere, Cozakos pro lege habere, ut abstineant sale, idque ad castitatem, ut vivant ἄγαμοι & cælibes, totique vacent armis, nec cura uxoris & liberorum distrahantur. A sale enim, uti dicta est, ita & provenit salacia. Sal enim quia calidum & mordax, stimulat ad Venerem. Qua de causa Ægyptios sacerdotes cùm essent castissimi, adeò sale abstinuisse, ut pane quoque insulso vescerentur, tradit Plutarch. libr. 3. Symposiac. quæstion. 10. Qui & addit salem ab Homero divinum vocari, eò quod sal condimentum sit jucundissimum, adeoque condimentorum omnium condimentum, eis suavitatem concilians: & quod utilissimus sit, omnibusque rebus humanis interveniat. *Etenim*, inquit, *ab hominibus ea quæ vulgata sunt, suisque per totum genus humanum pervadunt usibus, quam maximè divinitatis titulo dignantur, ut aquam, ut lucem, ut anni tempestates.* Natura enim penè rebus omnibus salem immiscuit, ut alibi ostendi: tum denique, quia sal res à corruptione conservat, & quodammodo æternat: hoc autem est opus divinum. Hinc & Plato in Timæo, salis corpus diis amicum & sacrum esse dicit. *Sal à salo & sole.* Hinc & Isidor. lib. 16. Origin. cap. 2. sal derivat à saliendo, quòd in ignem injectum exiliat: aut potiùs à salo & sole, quod in salo, id est mari, vi Solis coalescat & concrescat. Quocirca sal symbolum est sapientiæ, discretionis & prudentiæ, juxta illud Christi Marci 9. 49. *Habete in vobis sal.* Et omni victimæ adhibebatur sal, uti dixi Levit. 2. 13. vide Pierium Hierogl. 31. cap. 9. & seqq. Scripsit de salis usibus & encomiis libros quatuor Bernardinus Gomesius Archidiaconus Saguntinus, atque initio libro 2. *Salem* vocat, *quoddam mensæ numen:* Quia, inquit, *hoc condimento non solum gustatui suavitas, atque ex suavitate voluptas accrescit appetitui; sed ex his etiam, tum stomacho concoctio, tum in membra omnia ex concoctione digestio, atque universo corpori robusta consequitur sanitas & firmitudo.* Ibidem n. 7. salem vocat uberrimum naturæ fontem, & horreum bonorum. Num. 18. sal majore, inquit, quàm vinum hilaritate cor recreat & delectat, & perinde ac vinum cordi est vitalis. Nam juxta Plinii aliorumque sententiam adversus serpentum morsus, qui rectà cor petunt, diligenter admotus venenum omne antevertit & enecat. Num. 20. in sale igneam ac regiam

B

inesse potestatem ostendit ex eo, quod Hannibal sale & aceto saxa & rupes Alpium excavarit, ac per eas antea invias exercitum traduxerit. Num. 70. docet salem epulantibus temperantiæ leges præscribere, ipsumque esse fontem & originem omnium condimentorum, eò quòd admotus linguæ gustuique mordeat, excitet, siccet, astringat, contrahat, detergat & urat. Lib. 3. num. 9. asserit salem esse magnam quamdam mensæ animam, imò salem esse quasi solem. Lib. 4. numer. 48. ostendit Hispanos olim ea reverentia salem habuisse, ut religio eis fuerit ipsum digitis è salino excipere; gladiis ergo suis eum excipiebant. Unde proverbium: *Salem cur manu excipis, qui virum* (alii dicunt *Maurum*) *non occideris?* Cùm enim essent bellicosi, & à Mauris impeterentur, indignus cibo & sale habebatur qui Maurum non occidisset. Hinc illud Livii de Cantabris: *Ferox gens, nullam vitam rati sine armis esse.* Denique num. 83. ostendit sale benedicto quod ex decreto Alexandri I. Pontificis aquæ lustrali inditur, fugari dæmo-

C

nes: quòd illorum fœdissimam impuritatem lustrali aqua, crassissimam verò ignorantiam sale sapientiæ mirabiliter revincamus. Denique veteres Ascetæ olim ad panem non aliud obsonium quàm salem adhibebant. Unde illud Silois Abbatis in Vitis Patr. *Victus monachi panis & sal.*

Lac est cibus naturalis & quasi coævus homini: infans enim mox ut nascitur, sugit ubera matris, æquè ac agnelli, vituli, hinnuli, ceteraque animalia. *Quintu̅, lac.* *Lac*, inquit Plut. l. de Sanitate tuenda, *usurpandum pro potu non est, sed ut cibus, vim validam, & nutriendum copiosam habens.*

Panis similagineus, græcè *similago frumenti*, putà ex simila & farina, est communis hominum cibus: panis enim confirmat cor hominis. *Sextum, panis.*

Mel *ad innumeros valet usus*, ait Plinius lib. 22. cap. 24. *Septimu̅. mel.* *Aculeos & omnia infixa corpori extrahit, tubera discutit, dura concoquit, dolores nervorum mulcet, ulceraq; jam desperantia cicatrice includit. Mellis quidem ipsius natura talis est, ut putrescere corpora non sinat, iucundo sapo-*

D

re atque non aspero, alia quam salis natura. Faucibus, tonsillis, anginæ, omnibusque oris desideriis utilissimum, arescentisque in febribus linguæ. Jam vero peripneumonicis, pleuriticis decoctum: item vulneribus a serpente percussis. Et contra venena fungorum. Paralyticis in mulso, quamquam suæ mulso dotes constant. Mel auribus instillatur cum rosaceo: lendes & fœda capitis animalia necat. Usus despumati semper aptior, stomachum tamen inflat, bilem auget, fastidium creat, & oculis per se inutile aliqui arbitrantur. Porro Plutarch. lib. 7. Sympos. quæst. 3. docet mellis imum, vini medium, olei summum esse optimum, causamque assignat. Idem Plin. lib. 11. c. 14. mel vocat nectar divinum: *Non alia, ait, suavitas, visque mortalium malis a morte vocandis, quam nectaris divini.* Et paulo antè, *medicamenta, non mella, gignuntur, oculis, ulceribus, internisque visceribus dona cælestia.*

Botrus uvæ, æquè ac sanguis uvæ, ut habent Græca, valde nutrit, confortat, exhilarat. *Octavu̅, uva.*

Oleum est cibus, lux & medicina. Vide S. Bernard. serm. 15. in Cant. *Nonum, oleum.*

Vesti-

Decimũ vestis. Vestitus tegit nuditatem, & tuetur corpus à frigore, & aeris injuris.

Nota. Hic non nominantur carnes, ova, pisces, nec in Latina Vulgata vinum; quia hæc non sunt necessaria ad vitam. Unde usque ad diluvium iis abstinuisse videntur homines, uti dixi Genes. 9. vers. 3. ac tantùm comedisse botros, fructus, lac & mel. Ea fuit priscorum frugalitas. Ita S. Gregor. Nazianz. vivebat pane, aqua & sale. Audi eum Carm. 9.

Brevis atque voluptas
Ærumnas multas comites habet. At mihi cordi
Est panis rigidus, mihi grata obsonia præbet
Sal purum, simplex, nulloque instructa labore
Mensa dein latices mihi sobria pocula fundunt.
Hæ mihi divitiæ summæ, Christusque salutis
Auctor, qui nostras vehit ad sublimia mentes.

Et S. Bernard. serm. 66. in Cantic. *Abstineo à vino quia in vino luxuria est: aut, si infirmus sum, modico utor, juxta consilium Pauli. Abstineo à carnibus, ne, dum nimis nutriunt carnem, simul & carnis nutriant vitia. Panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum tædeas, & ne improperet etiam mihi Propheta, quia panem meum comederim in saturitate.* B *Sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distensio ventris usque ad titillationem pertingat libidinis.* Idem epist. ad Robertum nepot. *Prudenter*, ait, *sobrieque conversanti, satis ad omne condimentum sal cum fame.* Idem in Formula vitæ: *Sicut ad crucem*, ait, *sic accedas ad cibum, id est, numquam voluptate, sed necessitate, pascaris: & fames, non sapor provocet appetitum.* Ita Sancti Anachoretæ ad cibum non adhibebant nisi panem, aquam & sal. Idem erat pœnitentium cibus. Unde 33. quæst. 2. cap. 8. Stephanus V. Papa, Aistulfo, qui uxorem occiderat, inter alia hanc quoque pœnam iniungit: *Ut omnibus diebus*, inquit, *quibus pænitere debes, vinum, & siceram non bibas: carnem numquam comedas, præterquam in Pascha, & in die Natalis Domini: in pane & aqua, & sale pænitentiam age.*

Decem necessaria ad vitam spiritalẽ. Mysticè decem dotibus, & virtutibus inchoatur, conservatur, promovetur & perficitur vita spiritalis. Nam Primò, aqua est baptismus, & compunctio lacrymarum. Secundò, ignis est spiritus, &c. ejusque charitas & zelus, quem Apostolis, & fidelibus inspiravit C in Pentecoste. Tertiò, ferrum est patientia, & constantia, quæ necessaria est ad innumeros hujus vitæ labores, & ærumnas fortiter & constanter superandos: ferrum enim omnes mallei tunsiones fortiter, & constanter patitur, ut iis vas pulchrum efformetur. Idem viderunt Gentiles, qui Herculem formavere è ferro. Unde Plinius libr. 34. 14. *Est in eadem*, inquit, *urbe* (Thebis) *ferreus Hercules, quem fecit Alcon, laborum Dei* (Herculis) *patientia inductus.* Patientia ergo Herculem fecit Deum. Quartò, sal symbolum est discretionis; quæ instar salis omnia facit sapida, cùm sine ea omnia sint insipida, & insulsa. Unde Christus: *Habete in vobis sal*, Marci 9. 49. Quintò, lac est innocentia, simplicitas, morumque candor, juxta illud Isaiæ 7. 15. de Christo parvulo, *Butyrum, & mel comedet.* Et illud Sancti Petri epist. 1. cap. 2. 2. *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite.* Sextò, panis est Eucharistia, qua, ut ait Christus Joan. 6. nutritur anima in vitam æternam. Septimò, mel est castitas, quia mel à castis avibus producitur; D & oratio, quæ à Deo impetrat cælestes consolationes, & bona omnia, sicut mel è cælo depluit, estque suavissimum. Octavò, botrus uvæ est memoria passionis Christi, quæ nos corroborat contra omnia mala, & ad omne bonum confortat: in ea enim Christus pressus, & calcatus omnem pro nobis effundit sanguinem, sicut uva pressa, & calcata in torculari omne suum effundit vinum. Nonò, oleum est misericordia, eleemosyna, omnisque beneficentia. Decimò, Vestimentum est modestia, quæ omnes virtutes jam dictas quasi vestis conservat, ornat, & perficit, facitque aliis conspicuas, ut easdem imitentur, & induant. Hic est ergo decalogus virtutum, æquè ac præceptorum Dei, in quo salus, & perfectio nostra consistit.

Paulo aliter noster Alvarez de Paz lib. 2. p. 1. de Mortificat. *Ad vitam spiritalem*, inquit, *necessaria est aqua compunctionis, qua lavemur: ignis Spiritus sancti, quo accendamur: ferrum tribulationis, quo domemur: sal mortificationis, quo à putredine servemur: lac puritatis, quo exornemur: panis virtutum, quo sustentemur, mel consolationis, quo roboremur: botrus zeli, quo bona adepta custodiamus: oleum charitatis, quo emolliamur: & vestimentum gratiæ, quo operiamur.* Sic ferè & Hugo. Huc facit illud Sancti Gregorii magnificè de Sancto Augustino, modestè & humiliter de se suisque scriptis sententiis, epist. 52. lib. 8. *Si delicioso cupitis pabulo saginari, B. Augustini opuscula legite, & ad comparationem similaginis illius nostrum furfurem non quæretis.* Sapiens est, qui è scriptis librisque Doctorum pollinem colligit, furfurem relinquit.

Vers. 32 HÆC OMNIA SANCTIS IN BONA, SIC ET IMPIIS ET PECCATORIBUS IN MALA CONVERTENTUR] *In mala*, tum culpæ, quia creaturis Dei abutuntur ad luxuriam, gulam, superbiam, & cetera: tum pœnæ, quia per quæ quis peccat, per hæc & punitur; idque sæpè in hac vita, & semper in futura. Quot enim impii perierunt, pereunt, & peribunt aqua, igne, ferro, &c. In gehenna verò torquebit eos ignis, aliæque creaturæ, vel in se, vel sui memoria. Torquet enim damnatos mirificè, quòd creaturis Dei abusi provocarint in se iram Creatoris, ac consequenter creaturarum omnium, & idcircò ab omnibus crucientur, & torqueantur in gehenna. Hinc & in judicio extremo omnes creaturæ, quasi lictores astabunt Christo judici, ut insiliant in reprobos, eosque affligant, & plectant, juxta illud Sapient. 5. 21. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum, &c. Et à petrosa ira plenæ mittentur grandines: excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, & tamquam turbo venti dividet illos.* Unde Syrus vertit, *hæc bonis bona evadunt; & malis in maledictionem convertuntur.*

Huic sententiæ Siracidis parallela est illa Salomonis Sapient. 14. 11. *Creaturæ Dei in odium factæ* (id est, ab impiis conversæ) *sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Unde Origenes in cap. 3. Josue: *Peccatori*, inquit, *omnis creatura hostis est, justo serviunt omnia*, Antistropha verò est illa Platonis in Theæteto: *Illum*, ait, *dico sapientem, qui ea quæ cuipiam nostrum videantur, & sint mala, illorum natura commutata efficiat ut & bona videantur, & revera sint bona.* Unde concludit: *Quamobrem danda est opera, ut hinc illuc* (ab humana societate ad divinam) *quàm celerrimè fugiamus: fuga autem est, ut Deo quàm proximè fieri poterit, assimilemur atque conformemur: Deo autem nos assimilat justitia & sanctitas cum sapientia conjuncta.* Qua de causa ait Beda in Proverbiis, *Invocandus est Deus jugiter, ut voluntatem simul & facultatem bene agendi nobis præstare dignetur.*

Vers. 33 SUNT SPIRITUS QUI AD VINDICTAM CREATI SUNT, ET IN FURORE SUO CONFIRMARUNT TORMENTA SUA] Ita Roman. licèt Jansen. & alii legant *flagella sua*: hęc enim proprie significat Græcum μάστιγας. Sed eodem redit sensus. Syrus, *sunt spiritus, qui ad retributiones creati fuerunt, & in furore suo montes eradicant.* Pergit ostendere quàm impiis bona in mala convertantur, quia, scilicet, Deus ob peccata omnia eis convertit in flagella, & castigationem, ut demonstret quanta sit Dei severitas, & ira in impios, ęquè ac clementia, & beneficentia in pios. Creavit ergo, id est, destinavit, & deputavit impiis spiritus ad vindictam, dictante id justitia, *quæ non permittit*, ait ex S. August. Lyran. *dedecus* culpæ *sine decore* iustitię.

Quęres, quinam hi *spiritus*? Resp. aliqui accipiunt ventos, procellas, typhones, ecnephias, presteres, turbines, grandines, fulmina, tonitrua, &c. quibus olim sub Mose Deus percuslit Ægyptum, & sępè percellit impias provincias & regna, juxta illud psalm. 10. *Pluet super peccatores laqueos; ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Et psalm. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.*

Se-

by Google

Secundò, & potiùs per *spiritus* accipias angelos, tum bonos, qui sunt administri divinæ justitiæ, ideoque percusserunt Sodomitas igne cælesti, Ægyptios decem plagis sub Mose, Assyrios quoque sub Sennacherib, Isaiæ 37. 36. tum potiùs malos, putà dæmones: hos enim creavit, id est, creatos à se, sed impeccatum prolapsos, deputavit & auctoravit carnifices & lictores hominum impiorum, ut eos castigent & puniant, iuxta illud psalm. 77. *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per angelos malos*. Sicut enim à rege creantur præsides, consoles & magistratus; sic dæmones à Deo creati sunt vindices, carnifices & tortores impiorum. Vel propriè *creavit*, quia licèt primario & per se eos crearit ad bonum suum, & totius universi; secundariò tamen & quasi per accidens, scilicet, si peccarent, uti prævidebat eos peccaturos, creavit eos ad vindictam impiorum. ita Dionys. Ergo tum in hoc aere, inquit Palacius, tum in aquis, tum in terrarum cavernis, tum denique in inferno consistunt dæmones, qui impiorum hominum scelera ut Dei ministri castigent; ut quibus voluntariè impii se subdiderunt in culpa, eis involuntariè subjiciantur in pœna, ait Lyranus. Sic & Rabanus: *Postquam*, inquit, *homo a Deo conditus per diaboli suggestionem deiectus est, iuste in eius potestatem traditus est: quia Domini sui mandata transgrediens, inimici nefandi perversis suasionibus, consensit. Et ita Deus omnipotens (qui est summè bonus, summum bonum, universorum ordinator optimus) homines superbientes sub dominio superborum angelorum subegit; ut ab ipsis correpti discerent, quantum distat inter veri & pijssimi domini, & inter tyranni crudelissimi servitutem*.

Dæmon futura prædicit: unde? Atque hæc est causa, cur dæmon subinde futuros eventus, v. g. morbos, mortes, neces per suos divinos sagas & magos prædicat, dicendo verbi gratia illi, qui eos de sorte & morte sibi eventura consulit: Tu morieris aqua, tu igne; tu tali anno incides in febrim, phthisim, pestem; tu tali anno, tali modo morieris: quia scilicet dæmon prædicit id quod ipse facturus est, nimirum quod eis tali anno talem morbum vel mortem illaturus, aut procuraturus sit: Deus enim eos qui consulunt dæmonem, illi subjicit, illique in C eos potestatem dat ad castigandum eorum à Deo apostasiam.

ET IN FURORE SUO CONFIRMAVERUNT TORMENTA SUA] Ita Complut. & Rom. legunt αὐτῶν, id est, *ipsorum*, hoc est, *sua*. Aliqui tamen legunt αὐτοῦ, id est, *ejus*, scilicet Dei Nonnulli id explicant de dæmonibus, qui ex desperatione acti in furorem & rabiem contra Deum, & homines tamquam Dei imagines & peculium, eos tentant ad peccatum; ut secum pertrahant in gehennam, itaque confirmant & augent tormenta sua; præsertim quia damnati in inferno rugiunt instar canum, invicemque lacerant maledictis, quin & dentibus manibusque, quasi dicat Dæmones *in furore*, id est, per inconvertibilem & obstinatam suam aversionem à Deo meruerunt irrecuperabiliter condemnari. Est enim in eis amens furor, ait S. Dionys. ita Dionys. Carthus. *Nam sicut peccatum eorum est irremediabile, sic & tormentum interminabile*, ait Lyran. Et, ut inquit Rabanus: *Dæmones confirmant tormenta sua, quia ipsi in futuro iudicio pro nequitia propria, & humani generis seductione supplicia subibunt æterna*. Quod accipe cum grano salis. Nam dæmones omnem pœnam damnationis essentialem meriti sunt & acceperunt per nequitiam propriam, putà per superbiam, quà Deo rebellarunt. Quare pœnam hanc augere nequeunt per seductionem hominum, præsertim quia ipsi ampliùs non sunt in via, sed in terminò, putà non sunt in statu merendi vel demerendi, sed in statu pro demeritis patiendi: per seductionem ergo hominum augent dumtaxat sibi pœnam accidentalem. ita S. Thom. & Scholast. 1. p. q. 62. art. 9. & q. 64. art. 2. Errat ergo Magister Sent. in 2. dist. 11. litera D. & G. ubi censet angelos, etiam bonos, proficere in merito & præmio usque ad diem judicii.

Alii hunc locum interpretantur de dæmonibus non solùm in homines, sed etiam in se invicem per obiurgationes, execrationes, & quæcumque alios modos, quibus possunt, irruentibus & insultantibus. Id colligunt ex

A τὸ *firmaverunt tormenta sua*: quasi dicat. Dæmones non tantùm aliena, sed etiam propria tormenta sibi invicem adhibuerunt, ut ita dæmones per dæmones, quibus possint modis, torquerentur. Verùm hic sensus huic loco impertinens & incongruus est. Agitur enim hac de pœna non dæmonum, sed hominum, quos Deus castigat per dæmones. Dæmones ergo in hominibus impiis *in furore confirmant tormenta sua*, quia ex odio, quo flagrant in Deum & homines, in eos furunt, ideoque ex furore *confirmant*, id est, firmiter & constanter exequuntur, & vibrant in eos sua flagella & tormenta, ut nemo eis resistere valeat. Unde Tigurina vertit, *sunt spiritus ad vindictam creati, qui furiosè vibrant flagella sua*; Vatablus, *qui furore suo flagella sua roborant*: vel *animo suo supplicia instituunt, alii, sunt spiritus qui ad ultionem creati sunt, & in excandescentia sua firmant flagella sua*.

Porrò Dionys. Carth. Quidam, inquit, exponunt hæc de punitione reproborum in inferno, quòd scilicet puniendi sint per dæmones. Communiter tamen dicunt Doctores, quòd post diem judicii cessabit executio & punitio illa per obsequium dæmonum, & quòd B tunc communi igne punientur homines & angeli reprobi: quia, ut ait Apostol. 1. Corinth. 15. 24. tunc Dominus *evacuabit omnem principatum & potestatem*. Sic & Franc. Svarez tract. de Angelis libr. 8. capitol. 18. numer. 1. asserit dæmones nulla ministeria nullasque actiones habere in inferno circa animas damnatas, sed tantùm circa viatores in hac vita, ut eos tentent. Neque damnatos, inquit, propriè puniunt, quia circa pœnam ignis nullum peculiare ministerium habere possunt. Idem tamen cap. 20. num. 1. idipsum limitat ad pœnam essentialem, scilicet ignis: nam possunt, inquit, esse ministri pœnæ accidentalis, ut ad deferendas animas damnatorum violenter & ignominiosè in infernum, ac ad detinendas, seu custodiendas illas, vel etiam ad illas suo aspectu, conviciis, & recordatione malorum suorum affligendas: denique ut ab uno loco in alium, ab una pœna in aliam, ab uno eculeo & tormento in aliud illas transferant, illudque ipsis violenter applicent. de qua re plura vers. 35. Porrò Apostol. 1. Corinth. 15. 24. tantùm negat fore subordinationem, & obedientiam inferiorum ordinum ad superiores in dæmonibus post diem judicii, quia hæc tantùm ab illis constituta est communi consensu ad tentandum homines in hac vita: cum hoc tamen consistit, dæmones semper fore tortores hominum, utpote quibus homines in hac vita consentiendo & peccando sponte se subiecerunt. Cùm enim ex revelationibus constet eos ante judicium à dæmonibus torqueri, cur & post judicium ab iisdem non torqueantur? Lege historiam Udonis Magdeburgensis.

IN TEMPORE CONSUMMATIONIS EFFUNDENT VIRTUTEM (græcè ἰσχὺν, id est, vim, robur, fortitudinem suam: ET FURORE EJUS, QUI FECIT ILLOS, PLACABUNT] Ita Rom. Minùs rectè Jansen. & alii pro *placabunt*, legunt *confundent*, sicque exponunt, quasi dicat, Spiritus ad vindictam creati *confundent furorem* Dei, id est, cum magna rerum confusione exequentur Dei furorem, omnia involuentes D & perturbantes. Græcè enim est κοπάσουσι, id est, sistent, sedabunt, conquiescere facient. ita Complut. & Roman. quod Noster vertit, *placabunt*. Cùm enim vindicta de peccatis sumitur, tunc placatur & sedatur furor Dei. Sic & hominum ita sedatur & satiatur ultione & sanguine hostium: hæc enim ultio ingens eis affert gaudium. Hoc est quod ait Deus Isaiæ 1. 24. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*. Sic de Phinees e zelo occidente principem tribus fornicantem cum Madianitide, itaque sedante iram Dei, ait Psaltes psalm. 105. 30. *Stetit Phinees & placavit, & cessavit quassatio*. Vers. 34.

Diem *consummationis*, Hebr. כליים *Killaim*, vocat diem consumptionis, peremptionis, finis, interitus, & necis, quo Deus eos succidere, finire, perdere & consumere decrevit, quoque suam in eos justitiam & vindictam consummare, pleneque effundere constituit: q. d. Cùm tempus fini, perditioni & interitui eorum à Deo destinatum advenerit, tunc ilico spiritus ad vindictam creati effundent in impios omnes suas vires, omneque robur casti-

castigandi & affligendi: atque hac ratione placabunt furorem Dei factoris sui. Unde Tigurrna vertit, *in tempore perimendi vim effundunt, & consummant iram creatoris sui*; Syrus, *in tempore furoris vim suam ostendunt, & spiritum ejus qui creavit eos quiescere faciunt*.

Anagog. Rabanus, *in tempore consummationis*, id est, in fine mundi sub diem judicii, omnia elementa, omnesque creaturæ, quasi iratæ omnes vires suas effundent in impios, putà plagas illas horribiles, quas recenset S. Joannes Apocal. c. 8. & 9. & Chistus Matth. 24. Græcum enim συντέλεια, propriè significat consummationem finem, terminum. Atque, ut ait Damascenus, duplex est τέλεια, μερικὴ καὶ κοινή, id est partialis, & communis: partialis singulorum συντέλεια, est θάνατος, id est, mors: communis universorum est ἡ κοινὴ ἀνάστασις, id est, universalis resurrectio.

Vers. 35. Ignis, grando, fames et mors, omnia hæc ad vindictam (Tigurina, *supplicii causa*)
Vers. 35. creata sunt, bestiarum dentes, et scorpii, et serpentes, et rhomphæa vindicans in exterminium impios] Tigurina, *ac gladius exitialem pœnam irrogans impiis*; alii, *& gladius ulciscens ad internecionem impios*. Pro grando legit χάλαζα cum Rom. Tigurina & aliis. Jam Compl. legunt θάλασσα, id est *mare*. Pro *serpentes* legit ὄφεις jam legunt ἔχεις, id est *vipera*. Alludit ad illud Mosis Deuter. 32. 23. *Congregabo, super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Consumentur fame, & devorabunt eos aves morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium, foris vastabit eos gladius, & intus pavor*.

Primum genus vindicum Dei, fuere spiritus ad vindictam impiorum creati, v. 33.

Secundum hic assignat, scilicet ignem, grandinem, famem & mortem. Nam ignis fuit sexta plagæ Ægypti: Moses enim igneum cinerem è camino ardenti acceptum projiciens in aerem, per eum producebat ulcera in Ægyptiis, Exodi 9. 8. Grando fuit septima plaga Ægypti, ibidem vers. 18. Fames fuit nona: nam locustæ immissæ à Deo depastæ omnes segetes & gramina, induxerunt famem Ægypto, Exodi 10. v. 4. & 5. Mors primogenitorum tam hominum, quàm animalium fuit decima plaga Ægypti, Exodi 11. 5. Eadem sæpè aliis sæculis impiis immisit Deus, & etiamnum sæpè immittit. Mors enim præmatura hic intelligitur, vel pestis sive mortalitas.

Tertium genus vindicum, sunt bestiæ & feræ, putà leones, lupi, ursi, pardi, &c. item scorpii, serpentes, & gladius hostilis, quæ omnia Deus immisit impiis Hebræis ob rebelliones, murmura, idololatriam, aliaque scelera eorum in deserto. Unde & ea comminatus illis fuerat Moses Deuter. 32. verbis paulò antè citatis, & Ezechiel cap. 5. 17. & cap. 14. 21. ubi hasce omnes plagas ad quatuor revocat: *Si quatuor*, inquit, *judicia mea pessima, gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam immisero in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem & pecus*. Quocirca Syrus vertit, *ignis & grando & lapides mortis, omnia hæc ad judicium creata sunt: bestiæ, & scorpiones, & serpentes, gladius vindictæ ad perdendum impios*.

Porrò hæc flagella immittit Deus impiis non tantùm in hac vita, sed & eadem, vel illis similia, immittit damnatis in gehenna. Licet enim Lyran. & Dionys. censeant solum ignem esse formaliter in gehenna, qui virtutem habeat cruciandi eos, ut gladius scorpii, serpentes, &c. tamen alii probabiliter censent etiam alia ibi formaliter fore, quibus damnati crucientur, idque insinuat hic Siracides, æquè ac c. 7. 19. uti ibidem ostendi. Idem confirmant apparitiones damnatorum, revelationes & visiones Sanctis exhibitæ, quas recenset Ven. Beda & alii.

In gehenna non solus est ignis, sed & alia tormenta

Favet B. Petrus Damiani serm. de Nicolao, ubi de pœnis inferni sic ait: *Ille est ignis, qui non succenditur; vermis qui non moritur; frigus horrendum*. Et inferiùs: *Ibi alternantia mala impios sine fine discerpunt* Sequitur S. Thomas in 4. dist. 50. q. 2. a. 3. quæst. 1. ubi in corpore dicit damnatos non solùm pœnam ignis, sed & plures alias sentire. Et Paludan. ac Durand. ibidem affirmant non solum ignem, sed etiam omnia elementa fore instrumenta divinæ justitiæ ad torquendos damnatos. Sic & S. Bonavent. in 4. dist. 44. part. 2. qu. 2. docet non solùm ignem, sed & omnia elementa cruciare damnatos; ut injurias sui creatoris ulciscantur, ac concludens ad 4. ait: *Unde ibi erit ignis ardens, & aqua congelans, & aeris inquietudo & perturbatio, & terræ fœtor. Unde S. Gregor. In inferno erit frigus importabile, ignis inextinguibilis, fœtor intolerabilis*. hæc San. Bonavent. Idem docet Richardus in 4. dist. 44. art. 10. probatque ex Sapient. c. 6. 21. & Job. cap. 24. 19. *Ad nimium*, inquit, *calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum istius*.

Denique Franc. Suarez tract. de Angelis lib. 8. cap. 12. num. 29. Sanè, inquit, verisimillimum est, quod D. Thomas suprà in 4. dixit, post diem judicii plura futura esse corpora in inferno, quæ crucient damnatos homines in eorum corporibus. Quia purgato hoc sublunari mundo per ignem conflagrationis, omnia illius excrementa & corpora putida, ac malè olentia in locum inferni congregabuntur. Et fortasse ex speciali Dei ordinatione multa denuò fient, ut loci horrorem & fœtorem augeant. Et ita multa recensentur à Patribus citatis, præsertim à Cyrillo Alexandrino in oratione de exitu animarum. Semper tamen est differentia, quia pœna ignis est quasi essentialis inter pœnas sensus; aliæ sunt accidentales. Et ideo in tormento ignis non credo esse vicissitudinem aut cessationem aliquam, sed perpetuitatem in eodem statu & intensione. In aliis autem erit fortasse aliqua mutatio pro locorum varietate, vel per aliam occasionem nobis ignotam. At verò ibi futura sit nix vel aqua, & similia corpora igni contraria, magis in certum est propter repugnantiam, quamquam Deus facilè possit omnia componere si voluerit.

Nota. *Ignis, grando*, &c. ad vindictam impiorum creata sunt; non quòd hic fuerit primarius finis creationis eorum, ut censuit Origen. Deum, scilicet, ea condidisse, ut per ea puniret peccata animarum commissa ante earum incorporationem; sed quia ex malitia hominum in hunc usum convertuntur assumuntur à Deo, & ideo ad iniquorum terrorem, dicuntur ad illum effectum creata. Et ita respondet Manichæis San. Ambros. 5. Hexam. cap. 9. & S. August. lib. de Genesi Manich. c. 16. ac ex iis Franc. Suarez lib. 1. de Opere sex dierum c. 1. n. 16.

Adde, subinde primario & per se hæc à Deo creari ad vindictam impiorum, ut cùm ignem gehennæ creavit ad cruciandos damnatos; cùm grandinem, ciniphes, locustas, pestem, aliaque plagas produxit, ut eas infligeret Pharaoni & Ægyptiis. Sic & hodie sæpè producit procellas grandines, fulmina, locustas, pestes, &c. hoc solo fine, ut castiget peccata hominum.

Denique aptè sic puniuntur peccatores ob peccata. *Ignis* nimirum castigat & punit eorum luxuriam & voluptates sensuum, quibus contra Deum, Deique legem indulserunt. *Grando* sternit eorum fastum & superbiam. *Fames* cruciat eorum gulam & crapulam. *Mors* debetur eorum vitæ impiæ & scelestæ. *Bestiarum dentes* congruè puniunt eorum violentiam & tyrannidem, qua pios pauperesque oppresserunt, & quasi dentibus suis devorarunt. *Scorpius* plectit eorum noxas, pugnas, verbera & cædes. *Serpentes*, vel, ut græcè est, viperæ eorum virulentiam, invidiam, malignitatem ac parricidia, quibus contra Deum, angelos, parentes, cognatos, amicos ingratè & nequiter insurrexerunt, eisque mortem aliaque mala machinati sunt. Viperæ enim quia nascendo perhibentur enecare matrem, fuere olim pœna & tortores parricidarum. *Rhomphea* corpus perpetim transfigens, lanians, discindens, facit ut mortem æternam jugiter patiantur, nec tamen emoriantur, uti optant, numquamque sint mortui. sed continuæ & æternæ morti ac gehennæ, tamquam pabulum perenne reserventur & alantur. Vide hic quantum malum sit peccatum, quod tantas pœnas meretur, nec tamen iis expiari potest, sed perpetim durat, ideoque perpetim cruciatur. Dum ergo peccatum te ad se invitat, intuere hosce ejus comites & satellites, qui te ilicò invadent, ideoque fuge à peccato quasi à facie colubri. Sapienter S. August. serm. 250. de Tempor. *Libidinis, ait, momentum, æternum parit animæ infelici opprobrium & tormentum*.

In mandatis ejus epulabuntær, et super

CAPUT QUADRAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEscribit grave jugum ærumnarum hujus vitæ ex peccato ortum. Secundò, v. 19. per varias elegantes gradationes docet, quæ aliis sint potiora & præeligenda. Tertiò, v. 29. agit de fugienda inopia.

OCcupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium. 2. Cogitationes eorum, & timores cordis, adinventio expectationis, & dies finitionis: 3. A residente super sedem gloriosam, usque ad humiliatum in terra & cinere: 4. Ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam, usque ad eum qui operitur lino crudo: furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perseverans, & contentio, 5. Et in tempore refectionis in cubili somnus noctis immutat scientiam ejus. 6. Modicum tanquam nihil in requie, & ab eo in somnis, quasi in die respectus. 7. Conturbatus est in visu cordis sui, tanquam qui evaserit in die belli. In tempore salutis suæ exurrexit, & admirans ad nullum timorem: 8. Cum omni carne, ab homine usque ad pecus, & super peccatores septuplum. 9. Ad hæc mors, sanguis, contentio, & rhomphæa, oppressiones, fames, & contritio, & flagella: 10. Super iniquos creata sunt hæc omnia, & propter illos factus est cataclysmus. 11. Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur & omnes aquæ in mare revertentur. 12. Omne munus, & iniquitas delebitur, & fides in sæculum stabit. 13. Substantiæ injustorum sicut fluvius siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt. 14. In aperiendo manus suas lætabitur: sic prævaricatores in consummatione tabescent. 15. Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, & radices immundæ super cacumen petræ sonant. 16. Super omnem aquam viriditas, & ad oram fluminis ante omne fœnum evelletur. 17. Gratia sicut paradisus in benedictionibus, & misericordia in sæculum permanet. 18. Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur, & in ea invenies thesaurum. 19. Filii, & ædificatio civitatis confirmabit nomen, & super hæc mulier immaculata computabitur. 20. Vinum & musica lætificant cor: & super utraque dilectio sapientiæ. 21. Tibiæ & psalterium suavem faciunt melodiam, & super utraque lingua suavis. 22. Gratiam et speciem desiderabit oculus tuus, et super hæc virides sationes. 23. Amicus et sodalis in tempore convenientes, et super utrosque mulier cum viro. 24. Fratres in adjutorium in tempore tribulationis, et super eos misericordia liberabit. 25. Aurum et argentum est constitutio pedum: et super utrumque consilium beneplacitum. 26. Facultates et virtutes exaltant cor, et super hæc timor Domini. 27. Non est in timore Domini minoratio, et non est in eo inquirere adjutorium. 28. Timor Domini sicut paradisus benedictionis, et super omnem gloriam operuerunt illum. 29. Fili in tempore vitæ tuæ ne indigeas: melius est enim mori, quàm indigere. 30. Vir respiciens in mensam alienam, non est vita eius in cogitatione victus, alit enim animam suam cibis alienis. 31. Vir autem disciplinatus & eruditus custodiet se. 32. In ore imprudentis condulcabitur inopia, & in ventre ejus ignis ardebit.

VERS. 1. OCCUPATIO MAGNA CREATA EST OMNIBUS HOMINIBUS, ET JUGUM GRAVE SUPER FILIOS ADAM, A DIE EXITUS DE VENTRE MATRIS EORUM, USQUE IN DIEM SEPULTURÆ, IN MATREM OMNIUM] scilicet dum orimur, morimur, id est, mori incipimus, & ad mortem tendimus. *In terra orimur, in terra morimur; revertentes in eam unde sumus assumpti*, ait S. Bernard. in festo S. Martini. Quocirca S. Gregor. lib. 11. epist. 26. ad Rusticiam: *Ego*, ait, *in tanto gemitu & occupationibus vivo, ut ad dies quos ago, me pervenisse pœniteat, solaque mihi consolatio sit mortis expectatio, Unde peto ut pro me debeatis orare, quatenus de hoc carnis carcere citius educar, ne tantis laboribus diutius torquear.* Cap. præced. descripsit Dei magnificentiam, potentiam, clementiam in pios, severitatem in impios, ut eam pronicolamus & veneremur: jam aptè subnectit considerationem miseriæ & fragilitatis humanæ, ut eam considerans homo sub Deo suo se magis humiliet, ejusque opem & gratiam efflagitet. ita Lyranus. Solet Siracides combinare opposita & contraria, ac ab uno transire ad aliud; quia contraria juxta se posita magis elucescunt. Sic hic à contemplatione maiestatis divinæ transit ad contemplationem infelicitatis humanæ, ut homo miser utramque contemplans, dicat cum Psaltæ *Abyssus meæ miseriæ, abyssum* divinæ misericordiæ *invocat*, Et cum S. Francisco: *Quis tu Domine, quis ego?* Tu abyssus sapientiæ, bonitatis; potentiæ & bonorum omnium; ego abyssus ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis, & malorum omnium. Exaggerat ergo hominum miserias, ut pii discant eas patienter & fortiter ferre, utpote omnibus hominibus communes, ac in pœnam peccati originalis, quod ab Adamo omnes contrahimus, omnibus impositas, (pœnitentia enim peccatori à Deo imposita patienter ferenda est, ut culpam luat & diluat) præsertim quia illæ magis tangunt impios, ut præ illis pii felices & beati esse videantur.

Occupatio pro molestia. Pro *occupatio*, græcè est ἀσχολία, id est, molestia, inquietudo, ærumnæ, *magna*, tum gravitate, tum multitudine, tum amplitudine, quia ad omnes se extendit; tum duratione, quia per omnem vitam porrigitur. Pro *sepulturæ*, legit cum Roman. ταφῆς; iam Complut. legunt ἐπιστροφῆς, id est, *reversionis*. *Matrem omnium* vocat terram: terra enim est mater omnium viventium, atque ex illa primitus à Deo formatus homo, Genes. 2. moriens iterum in eam revertitur. Ita S. Gregor. 2. Moral. 11. *Quia verò*, ait, *nos omnes terra genuit, hinc non immeritò matrem vocamus. Unde scriptum est: Grave iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum usque ad diem sepulturæ omnium.* Hinc Junius Brutus, duobus Tarquinii filiis oraculum Apollinis Delphici consulentibus, quisnam ex ipsis Romę regnaturus esset, audiensque eum regnaturum, qui ante omnes matri osculum dedisset, ilicò in terram procumbens, eamque osculans primus Romæ consul creatus est. ita Valer. Max. lib. 7. c. 3. Hoc facit ad consolationem mortalium in morte, quòd per eam redeant ad communem matrem, putà terram, ex qua prodierunt. Quæque enim res gaudet ad suum redire principium, æquè ac filius ad suam matrem.

Sensus ergo est, q. d. Molestia magna creata, id est, destinata & deputata est omnibus hominibus, etiam parvulis & innocentibus: ac *jugum*, id est, onus & pondus, *grave* multiplicium magnarumque ærumnarum, *super filios Adam*, ad puniendum primum Adæ peccatum, quod ipse ad posteros omnes propagine vitiata & damnata transmisit; idque à primo die quo de ventre matris in hunc mundum prodeunt, usque in diem ultimum quo moriuntur & sepeliuntur, ut in terram ex qua à Deo forma-

cùm dixit; *Grave jugum super filios Adæ*, &c. Quibus de causis plerique veterum Ethnicorum ita humanæ vitæ miserias deflent, ut vel naturam quasi novercam accusent, vel per has miserias puniri peccata animarum in alia vita commissa suspicentur. Unde S. Augustin. libr. 4. Contra Julian. c. 12. ait eos rem vidisse, causam ignorasse. Vide Ethnicorum hac de re gnomas apud Theodor. lib. 5. de Curand. Græcor affect. sub initium, & S. Aug. lib. 4. Contra Julian. cap. 12. 13. 14. 15.

Moralit. hinc collige quid, quale, quantum sit peccatum, quanta ejus malitia. Nam unum Adæ peccatum hoc miseriarum jugum non tantùm illi, sed & posteris omnibus, innumeris, inquam, hominum millionibus, induxit, inducit & inducet usque ad finem mundi. Si Deus peccatum alienum, putà Adæ, ita punit in filiis, quomodo puniet propria singulorum? si unam Adæ inobedientiam ita castigat in parvulis innocentibus, imò in justificatis & sanctis in hac vita, quomodo castigavit tot libidines, invidias, cædes, hæreses, quas reprobi quotidie accumulant, in gehenna? Ad hoc jugum tolerandum magna opus est pœnitentia, & patientia. hæc enim planè illud lenit. Nam, ut ait Boetius lib. 2. de Consol. *Nihil est miserum nisi cùm putes; contraque beata sors omnis est æquanimitas tolerantis.*

Vers. 2. COGITATIONES EORUM, ET TIMORES CORDIS, ADINVENTIO EXPECTATIONIS, ET DIES FINITIONIS] A thesi descendit ad hypothesin. particulatim enim explicat occupationem, & jugum grave posterorum Adæ, quod proposuit v. 1. q. d. Occupatio illa & jugum grave filiorum Adæ, sunt Primò, *cogitationes eorum*, quibus animum distrahunt & discruciant, ut bona hujus vitæ sibi accersant, mala verò omnia avertant: ex quibus sequuntur. Secundò, *timores varii* cor coarctantes, ne fortè bona, quæ appetunt, non assequantur, & in mala, quæ aversantur, incurrant. Tertiò, *adinventio expectationis*, idest, adinventa & excogitata imaginatio imminentium bonorum vel malorum, quasi ipsa illos, aut potiùs illi ipsa, expectent. Græcè est *ἐπίνοια προσδοκίας*, idest, *imaginatio expectationis*, putà rerum deinceps expectandarum: expectatio enim & spes rei desideratæ graviter diuque, desiderantem affligit & torquet. Romani vertunt, *consideratio expectationis*; alii, *commentum expectationis*: sæpè enim spes revera non est spes, sed commentum spei, quod scilicet homo sibi comminiscitur, & in mente fingit & pingit. Idem dico de timore. Quartò, *dies finitionis*, idest, dies obitus & mortis, quo finitur hæc vita, omneque ejus gaudium & voluptas. Unde Tigurina vertit, *cogitationes eorum dico, metumque animi, tum rerum expectandarum imaginationes, & diem obitus*. Porro mirum est, quàm imaginationes hominem torqueant, etiam rerum vanarum & numquam futurarum. Sic legimus ex imaginatione alios amentes esse factos, alios canos, alios mortuos. Qui ergo sapit, illas à se amoveat, aut certè compescat alioque inflectat. Imaginatur ille & expectat prælaturam, hic beneficium, alius hereditatem, alius locuples matrimonium. Tota ferè vita nobis expectando dilabitur, ait Palacius, vivimus & pascimur ut chamæleontes aura spei, reipsa numquam fruituri. Quanta sit imaginationis vis, docet Galenus lib. 3. de Interioribus, sive de Affectis locis, & Rhodiginus lib. 17. Variar. lect. cap. 2.

A RESIDENTE SUPER SEDEM GLORIOSAM, USQUE AD HUMILIATUM IN TERRA ET CINERE: AB EO QUI UTITUR HYACINTHO, ET PORTAT CORONAM, USQUE AD EUM QUI OPERITUR LINO CRUDO] q. d. Ærumnæ hujus vitæ jam recensitæ sicut communes omnibus, tam summis, quàm imis, adeoque incipiunt à residente super sedem gloriosam, putà à Pontifice & Imperatore, indeque per omnes medios descendunt usque ad infimos, qui humiles & abjecti sedent in terra & cinere. Rursum incipiunt *ab eo, qui utitur hyacintho*, idest, veste hyacinthina (hac enim olim utebantur reges & principes, uti dixi Ezech. 16. 10.) putà à rege & principe, qui gestat coronam & diadema, usque ad vilissimum, & pauperrimum, qui vestitur veste è *lino crudo*, idest, recenti, rudi, grosso, duro (sic Hippocrates, Galenus, Aetius probant frictiones ex lino crudo, quod Græci *ὠμόλινον* vocant) quæ proinde signum est extremæ paupertatis; adeò ut nec regi parcatur propter A sublimitatem, nec imus evadat aut prætereatur propter suam vilitatem. Unde Tigurina, *ab eo qui in solio sedet cum majestate, usque ad eum qui humi recumbit, & in pulvere: & ab eo qui gestat hyacinthina & coronam, usque ad eum, qui humi recumbit lino crudo*, juxta illud Poetæ:

Pallida mors æquo pede pulsat pauperum tabernas, Regumque turres.

Syrus, *à sedentibus in sedibus regiis usque ad sedentes in terra & cinere, & à gestantibus diadema usque ad eos qui induti sunt veste paupertatis.*

Incipit à Pontificibus & regibus, quia majorum majores sunt curæ, & molestiæ, ac maximorum maximæ. Sapiebat hoc Adrianus VI. sapiens, sanctusque Pontifex dum diceret: *Pontificiam sedem spinosam esse, iter undique obsitum sentibus*. Proinde in ejus sepulchro Romæ inscriptum legimus: *Adrianus VI. hic situs est, qui nihil infelicius in vita, quàm quòd imperaret, duxit*. Sapuit idem nuper Philippus III. Hispaniarum Rex, cujus hæc cycnæa fuit in morte vox: *Ad nihil aliud confert esse regem, quàm ut in morte pœniteat fuisse*; uti ipsum pœnituit. B Hæc regum ærumnas graphicè recenset Lucianus in suo illo somnio, quo Gallum divitem Mycillo pauperi suam quietem invidentem, potentiumque ægritudines enarrantem inducit: *Metus*, inquit, *curæ mordaces, suspiciones, odium, quo regem persequuntur, ii qui cum illo vivunt, insidiæ, atque eas ob res somnus rarus, & hic ipse pertenuis, & plena tumultus insomnia, cogitationes perplexæ, spes semper improba, ac otii penuria, & occupationes, judicia, expeditiones, edicta, fœdera, consultationes: quibus rebus fit, ut ne per somnium quidem aliqua re suavi frui liceat. Verùm ut omnibus de rebus solus despiciat necesse est, milleque negotia sustineat.* Regũ maximę molestia.

Quippe nec Atriden Agamemnona dulcis habebat
Somnus, multigenas versantem pectore curas:

idque cùm reliqui omnes Achivi stérterent.

FUROR, ZELUS, TUMULTUS, FLUCTUATIO, ET TIMOR MORTIS, IRACUNDIA PERSEVERANS, ET CONTENTIO, ET IN TEMPORE REFECTIONIS IN CUBILI SOMNUS NOCTIS IMMUTAT SCIENTIAM EJUS] *Tempus refectionis* vocat, non tempus comestionis, sed tempus quietis (hanc enim significat Græca vox *ἀναπαύσεως*,) quo per somnium reficiendi, & restaurandi sunt spiritus animales & vitales, per vigiliam & laborem fessi vel exhausti: q. d. Non tantùm in vigilia perdiem, sed etiam tempore nocturnæ quietis, quo per eam reficienda sunt membra ipse somnus sæpè vexat, & perturbat scientiam & imaginationem hominis. Suggerit enim ei somnia & phantasmata, quæ cum vel ingenti metu percellunt, vel magna spe inflant, vel magno amore, ira aut odio concitant. Unde Syrus vertit, *& in tempore quo quiescunt in stratis suis in tempore noctis*. Sic pariter, & magis, per diem *scientiam*, idest, mentem, cognitionem & affectum hominis *immutat*, & quasi dementat, Primò, *furor*, græcè *θυμὸς*, idest, indignatio, excandescentia: hæc enim facit, ut homo non videatur uti ratione, sed furere & insanire. Secundò, *zelus*, idest, æmulatio & invidia, qua quis invidet proximo, eumque superare & supplantare conantur: hæc enim mentem excæcat livore & odio. Tertiò, *tumultus*, D græcè *ταραχὴ*, idest, turbatio, perturbatio, tumultus, quem concitat furor vel invidia: hæc enim facit hominem tumultuari interiùs in corde, & exteriùs in opere: concitat enim seditiones, lites, rixas, & cædes. Quartò, *fluctuatio*, græcè *σάλος*, idest, commotio, agitatio, fluctuatio, qua animus indignatione, invidia, metu, aliàve passione agitatus, fluctuat, ut nunc hoc velit, nunc illud; nunc hoc consilium capiat, nunc illud, itaque pendulus hæret, suisque cogitationibus discerpitur & laniatur. Sic S. Augustin. libr. 9. de Civit. cap. 6. ex Apulejo dicit, cor *mentis salo per omnes cogitationum æstus fluctuare*. Quintò, *timor mortis*: hujus enim plurimæ indies occasiones, & causæ offeruntur, adeò ut homo non habeat unum annum, imò nec unum diem certum vitæ, quin potiùs omni die, & hora mortem occultè instantem, vel sibi insidiantem timere possit, & debeat. Sextò, est *iracundia perseverans*: hæc enim est, quasi fel continuò pungens, amaricans, rodens, & exedens animum instar tineæ. Legit

Vers. 4.
Vers. 5.

git Noster cum Romanis, Tigurina, & aliis *μήνιμα*, vel *μῆνις*, idest, ira diuturna, inveterata, odium, inimicia ulciscendi tempus observans. Jam Complut. legunt, *μίμημα*, idest, imitatio, simulacrum; sed minùs congruè, ut videtur. Septimò, *contentio*. hæc enim est quasi erynnis, quæ turbat mentem, eamque inquietam efficit, agitque in mille jurgia, lites, verbera & neces. Hæ igitur septem passiones & perturbationes sunt septem partes, & species jugi gravis hominibus tam summis, quàm imis incubantis per diem, quæ æquè ac somnia per noctem immutant, agitant, alterant, lacerant hominis mentem, &, ut vertit Tigurina, *ingenium cujusque variè afficiunt*. Quocirca ipsæ sunt quasi totidem animæ carnifices, eam lancinantes; unde & passiones ac perturbationes nuncupantur, quòd animam perturbent, & passionibus diris excrucient, quas proinde in sapientem non cadere censebant Stoici. Audi S. Augustin. libr. 14. de Civit. cap. 8. *Quas Græci appellant εὐπαθείας, latinè autem Cicero constantias nominavit; Stoici tres esse voluerunt, pro tribus perturbationibus in animo sapientis, pro cupiditate voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem, pro ægritudine verò vel dolore, quem nos vitandæ ambiguitatis gratia tristitiam maluimus dicere, negaverunt esse posse aliquid in animo sapientis. Voluntas quippe, inquiunt, appetit bonum quod facit sapiens. Gaudium de bono adepto est, quod ubique adipiscitur sapiens. Cautio devitat malum, quod debet sapiens devitare. Tristitia porrò quia de malo est, quod jam accidit. Nullum autem malum existimant posse accidere sapienti. nihil in ejus animo pro illa esse posse dixerunt. Sic ergo illi loquuntur, ut velle, gaudere, cavere negent nisi sapientem: stultum autem non nisi cupere, lætari, metuere, contristari. Et illas tres esse constantias: has autem quatuor perturbationes; secundùm Ciceronem plurimas autem passiones. Græcè autem illæ tres, sicut dixi, appellantur εὐπάθειαι: illæ autem quatuor πάθη.*

Verùm hanc Stoicorum sententiam, quòd scilicet passiones jam dictæ in sapientem non cadant, refutat S. Augustin. libr. 9. de Civit. cap. 4. docens sapientem non tantùm quatuor posterioribus, sed & tribus prioribus, adeoque omnibus septem passionibus esse obnoxium; sed nosse eas frænare & regere. Has impiorum passiones, pavores & angores egregiè describit Sapiens toto capit. 17.

Anagogicè, Rabanus hæc omnia adaptat damnatis in gehenna: *Furor enim*, inquit, *& zelus ostenditur in vindicta, quando peccatores pro delictis suis cruciabuntur in pœna: ubi tumultus est & fluctuatio, quia nullus ordo, sed perpetuus horror ibi inhabitat: ubi timor mortis est, & iracundia perseverans, & contentio. Verè ibi timor est mortis, ubi continuum incendium est gehennæ ignis; iracundia perseverat & contentio: quoniam nulla pax ibi est, & nulla doloris mitigatio*. Et inferiùs: *Quid enim horribilius dici, quid cogitari potest, quàm damnationis vulnera suscipere, & dolores vulnerum numquam finire? In hujus vitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati jam cœperit quod metuebat. Inferni ignibus reprobi traditi, & in suppliciis dolorem sentiunt, & in doloribus angustia, pulsante semper pavore, feriuntur: ut quod timent tolerent, & rursum quod tolerant sine cessatione pertimescant. Hic flama quæ succendit, illuminat: illic ignis qui cruciat, obscurat. hic metus amittitur, cùm tolerari jam cœperit quod timebatur: illic & dolor dilaniat, & pavor angustat*. Et paulò pòst: *Tempus refectionis dicit tempus remunerationis, quando corpore condito in cubili sepulcri, anima locis pœnalibus pro peccatis suis deputatur. Tunc somnus mortis immutat scientiam ejus, quia longè aliter tunc sentit de actibus suis, quam antè in hac vita sentiebat: quia tunc omnia manifestabuntur, quæ prius fuerunt occulta: atque à malignis spiritibus ei in memoriam reducuntur, quæ hic negligebantur, aut oblivioni tradebantur*. Et post nonnulla: *Tunc modicum tamquam nihil est in requie, quia licet caro mortua, & insensibilis à doloribus ad tempus requiescere videatur in terra; anima tamen vivens ante judicii diem sentit dolorem, & in die resurrectionis ipsum corpus per quod peccavit, immortale recipiens, in pœnas vivet sempiternas. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate. sic videlicet, à damnatis sentiri pondus summæ æquitatis debet; ut quia à voluntate conditoris nequaquam sunt veriti discrepare dum viverent, in eorum quandoque interitu ipsa à suis qualitatibus etiam tormenta discordent, quatenus quo se impugnent, cruciatus augeant: & cum variè prodeant, multipliciter sentiantur. Ita miseris fit mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia & mors vivit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit.*

In gehenna mors semper viva.

MODICUM TAMQUAM NIHIL IN REQUIE, ET AB EO IN SOMNIS, QUASI IN DIE RESPECTUS. CONTURBATUS EST IN VISU CORDIS SUI, TAMQUAM QUI EVASERIT IN DIE BELLI. IN TEMPORE SALUTIS SUÆ EXURREXIT, ET ADMIRANS AD NULLUM TIMOREM] Syrus, *quod promittitur in visione noctis, sicut vir qui fugit à facie persequentis: expergiscitur, & videt quod non habet quidquam*. Comparat somnium excubiis, & somniantem excubitori: unde pro *in die respectus*, græcè est ἐν ἡμέραις σκοπιᾶς, id est *in diebus speculæ*. Sicut enim vigil, qui foris in monte contra hostes excubat, A sollicitus est, & pavidus, ac anxiè circumquaque respectat num quem videat adventantem: &, si videat hostem, illico fugit ad suos in urbem, vel arcem: sic prorsus facit, & somnians. Sensus ergo est, quasi dicat, Somnians, esto in lecto quiescat, & dormiat, tamen modicum, & quasi nihil est in requie, parumque requiescit: & *ab eo*, scilicet modico, quo fuit in requie, q. d. Post modicam somni tranquilli, & insomniis vacui quietem, mox somniare incipit, atque *in somnis quasi in die respectus*, idest, prospectus, quo instar vigilis in specula excubantis anxiè, circumquaque respicit, & prospicit quid agatur, subaudi, sollicitus est, & pavidus. quasi dicat, Somnians sollicitè pavideque quasi vigilat, & excubat ad illa, quæ somnium ingerit, vel minatur. Quare sæpè *conturbatus est in visu cordis sui*, putà in visione, & phantasmate imaginationis suæ: somniavit enim se circundatum hostibus, putavitque se fugere *tamquam qui evaserit*, græcè ἐκπεφευγώς, vel, ut alii, ἀποδεδρακώς, idest, *qui effugit*, in præterito, *in die belli*. q. d. Somniavit se esse obsessum hostibus, ideoque eos fugere, adeoque vivè, B id sibi visus est facere, ac si reipsa fugisset, & assiduè fugiendo tandem effugisset manus hostium, salvusque evasisset. Quare *in tempore salutis suæ exurrexit*, idest, quando somniavit se fuga lapsum evasisse, esseque salvum, præ gaudio è somno evigilans surgit, & admiratur se fuisse conturbatum, & anxium *ad nullum timorem*, idest, ubi nihil erat timendum. quasi dicat, Admirans videt, & agnoscit omnia fuisse vana phantasmata somnii, nec in re quidquam fuisse belli, vel hostium, quod expavesceret, & fugeret: nam, ut ait Sophar, *velut somnium avolans non invenietur. transit sicut visio nocturna*, Job 20. 8. Unde Vatablus clarè vertit, *parum ac penè nihil datur quieti: deinde in somnis animi, quasi quo tempore quis in speculis excubat, perturbantur imaginatione, & velut qui ex conspectu prælii aufugerit, excitantur tempore salutis suæ, vanumque terrorem admirantur*. Id maximè verum experimur in ephialte, quem Latini Incubum vel Incubonem vocant, quo quis somniat se à mole quapiam vel ab hoste invadi, opprimi, suffocari, & strangulari, nec posse se effugere: unde angitur, gemit, sudat. Oritur id vitii ex crapula, & continua ventriculi cruditate, un- C de vapores crassi, & frigidi elati cerebri ventriculos replent, prohibentque spiritus cerebri per nervos diffundi. ita Paulus Ægineta libr. 3. cap. 15. Hoc somniorum ludicrum, sed grave ludibrium, expertus Job dicebat cap. 7. vers. 14. *Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea*. Et S. Aug. lib. 10. Conf. cap. 30. lugens sua somnia inhonesta: *Et tantum*, inquit, *valet imaginis illusio in anima mea, & in carne mea; ut dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera non possunt*. Idem tamen Augustin. libr. 12. de Genesi ad liter. capit. 2. fatetur somnium subinde sibi somnianti visum fuisse somnium, non rem veram: *Quamquam*, inquit, *mihi accidisse scio, & ob hoc etiam aliis accidere potuisse, vel posse non dubito, ut in somnis videns, in somnis me videre, sentire, illasque imagines, quæ ipsam nostram consuetudinem ludificare consueverunt, non esse vera corpora, sed in*

Vers. 6.

Vers. 7.

Somniorũ ludrica lubrica.

Somniũ S. Augustini visũ somnium.

somnis

somnis ea præsentari; firmissimè etiam dormiens tenerem atque sentirem. Sed etiam tunc sæpè aliquid falsi, vel quod revera non existit, somnio admiscetur, uti ibidem subdit S. August.

Anagog. Rabanus hæc omnia adaptat damnatis, qui *æstimaverunt*, inquit, *per prosperitatem mundi quasi per somnium delusi, quòd tempus pacis esset, & non belli.*

VERS. 8. CUM OMNI CARNE, AB HOMINE VSQUE AD PECVS, ET SVPER PECCATORIBVS SEPTVPLVM] q. d. Hæ ærumnæ & passiones jam recensitæ obveniunt omni carni, id est animanti, tam hominibus quàm pecoribus: nam & pecora somniant, suisque somniis percelluntur, ut docet Aristotel. de Divin. per somnium cap. 1. & Plinius libr. 10. cap. ult. *Præter hominem*, inquit, *somniare equos, canes, boves, pecora, capras palam est. Ob hoc creditur, & in omnibus quæ animal pariunt. De iis quæ ova gignunt, incertum est; sed dormire ea, certum.* Verùm peccatoribus hę ęrumnę accidunt *septuplum*, id est longè ampliùs. Hos enim exagitat ira, furor, zelus, ceteræque passiones, indeque somnia turbulenta & pavida, uti de Ægyptiis docet Sapiens cap. 18. dicens: *Visus somniorum malorum turbaverunt illos, & timores super venientes insperati.* Causæ sunt multæ. Prima, quod Deus persequatur & affligat peccatores. Secunda, quòd pii patientiùs ferunt mala, quàm impii, utpote destituti gratia Dei, & pleni cupiditate, superbia, impatientia. Tertia, quòd pii ad Deum quasi ad asylum in tribulatione confugiant, Deus autem solatur eos sperantes & invocantes se: neutrum obtingit impiis. Unde Tigurina vertit, *hoc omni conjunctum est animanti, tam homini, quàm pecudi: at scelerosis septies tantò amplius:* alii, *omnia hæc adsunt carni, tam hominibus, quam jumentis, & peccatoribus insuper septuplo plura.* Nota. To *septuplum* significat copiam & plenitudinem horum flagellorum, quæ obvenit impiis. Sic Genes. 4. 15. & 24. *Septuplum, ait, ultio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies.* Ubi Procopius: *Septenarius*, inquit, *perfectionem pœnæ denotat.* Unde illud Levit. 26. 28. *Corripiam vos septem plagis.* Et psal. 78. 12. *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum.* Uide Delrio adagio 10. Porrò Syr. vertit, *cum omnibus filiis carnis cura eorum sunt, & divitiæ cum timore expergefaciunt eos.*

Ærumnæ magis cruciant impios quàm pios, ob tres causas.

VERS. 9. AD HÆC MORS, SANGUIS, CONTENTIO, ET RHOMPHÆA, OPPRESSONES, FAMES, ET CONTRITIO, ET FLAGELLA: SVPER INI-
VERS. 10. QUOS CREATA SVNT HÆC OMNIA, ET PROPTER ILLOS FACTVS EST CATACLYMVS] Pro *adhæc* græcè est πρὸς ταῦτα, quod Roman. Tigur. & alii referunt ad *septuplum*, quod præcessit: vnde vertunt, *septuplo plura.* Dixit de ærumnis hominis intrinsecis, jam recenset extrinsecas, & a foris homini advenientes, quas omnes asserit communes quidem esse omnibus, sed tamen maximè tangere peccatores. Tales sunt mors ab alio violenter illata, effusio sanguinis, contentiones, rhomphæa, id est, gladius feriens & lædens, oppressiones, fames, contritio, id est vastatio hostilis, & flagella quælibet. Hæc omnia omnibus quidem obveniunt, sed maximè affligunt læduntque peccatores. Unde & propter eos orbi inductum est à Deo diluvium, sive cataclysmus tempore Noë. Peccatoribus enim hæc Deus propriè immittit ut flagella culpæ, ad ulciscendum eorum scelera; justis vero tantùm ad probationem & augmentum virtutis & meritorum: quare eis inferuntur non ut mala, sed ut bona, inquit Jansenius. Unde Tigurina vertit, *mors, cædes, dissidia, gladius, oppugnationes, fames, clades, supplicia: simul omnia hæc in injustos creata sunt, & propter ipsos à Deo diluvium exstitit.* Igitur hæc flagella propriè propter peccatores, ad castiganda eorum peccata, à Deo creantur, id est producuntur & immittuntur; sed per concomitantiam tangunt quoque bonos, qui cum peccatoribus habitant, & commisti sunt: perinde ac sol, pluvia, grando, gelu, frigus, calor tangunt omnes loci incolas, ideoque bonos cum malis. Quare prudenter monet Sapiens:

Gaudere parcè oportet, & sensim queri:
Totam quia vitam miscet dolor & gaudium.

VERS. 11. OMNIA, QUÆ DE TERRA SVNT, IN TERRAM CONUERTENTVR, ET (id est *sicut*: est enim & comparationis, comparans aquam terræ) OMNES AQUÆ (scilicet vivæ, hoc est mobiles & fluentes, non stantes vel stagnantes) IN MARE REUERTENTVR] ex quo scilicet primitus prodierunt, Genes. 1. 9. q. d. Omnia redeunt ad suum principium, scilicet quæ ex terra prodierunt, redeunt ad terram; quæ ex aquis, ad aquas & mare. Nominat mare, quia initio mundi Deus omnes aquas quæ sub cælo sunt, segregavit à terra in locum unum, *congregationesque aquarum appellavit maria*, Genes. 1. 9. Quare mare tunc constituit principium, imò conceptaculum & receptaculum aquarum omnium; ut scilicet ipsum per cuniculos & venas subterraneas per totam terram sparsas, perque vapores quos evaporat in aquam pluviamque resolutos, esset matrix & origo omnium fontium & fluminum, uti dixi Genes. 1. 9. & pluribus dicam Eccles. 1. vers. 7. qui sic habet: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Eò enim alludit hic Siracides: ubi vide nostrum Pinedam. Unde Græca habent, καὶ ἀπὸ ὑδά-
B των εἰς θάλασσαν ἀνακάμπτει, id est, *ex aquis*, scilicet nata, *in mare*, putà in aquas (quarum matrix est mare) *reflectuntur*, vel deflectunt; Tigurina, *quæcumque è terra constant, in terram redeunt, & è mari orta in mare remeant.* Vbi adverte, quod in Procemio monui. Tigur. non verbum verbo, sed liberiùs sensum, quem auctor ejus in mente sibi efformavit, reddere; vnde eum non tam Interpretem, quàm commentatorem agere. Nam pro *ex aquis* (ut est in Græco) ipse vertit, *ex mari*; quia censuit omnia flumina prodire à mari.

Hæc generalis sententia commodè exponenda est; *omnia*, id est pleraque omnia, plurima: nam non omnia omnino ex terra nata in terram convertuntur: domus enim, arbores & ligna, quæ comburuntur, convertuntur in ignem, fumum & aerem, non in terram: sic pariter non omnes omnino aquæ in aquas & mare redeunt, ut patet in iis quæ radiis Solis calefactæ in exhalationes, inde que in ignem vel aerem convertuntur, ac in iis quæ terra mistæ in lutum & terram vertuntur;
C sed plurimæ & maximæ, ut ingentia flumina in mare decurrunt & remeant. Vnde & viri docti censent, mare Caspium, licet planè ab aliis appareat separatum, occultè tamen per arcanos meatus jungi Oceano, & in illum decurrere.

Dicit hoc Siracides, vel ut explicet mortem, de qua dixit v. 1. 4. & 9. quæ est pręcipua pars jugi incumbentis posteris Adę v. 1. q. d. Jugi hujus potior pars & terminus est mors, per quam homines è terra nati (ut & cetere res omnes) in terram revertuntur, juxta legem in eos latam Genes. 3. 19. Quin & impii per mortem non tantùm secundùm corpus, sed & secundùm animam in terram, cui illam affixerunt, revertuntur: abeunt enim in gehennam, quę est in centro terrę. Vel potiùs, hanc sententiam quasi exordium, ad sequentia referas: per eam enim ostendit Siracides jugum & stultitiam impiorum, qui cùm proni in terram velut pecora terrę bonis incumbunt, ut coacervent opes, familias, filios, nepotes, mox iisdem privantur; eò quòd
D omnia in terram è qua prodeunt, revoluantur & relabantur: cùm pii cor suum affigentes fidei & virtuti, coacervent opes cęlestes in ęternum duraturas, juxta illud: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ergo, ò insipiens & infelix homo, cur affigis humo divinæ particulam aurę? cur non potiùs animam tuam Deo tuo reddis, ut cum eo in eterna gloria perennet? Vnde idipsum applicans & explicans subdit: *Omne munus & iniquitas delebitur.* Hoc voluit Syrus dum vertit, *omne quod de terra est, in terram revertitur, & quod de excelsis, in excelsum.*

Audi S. Hieron. in Eccles. 1. v. 7. *Omnia flumina* (vel *torrentes*, ut ipse vertit) *intrant in mare.* Putant quidam, inquit, *aquas dulces quæ in mare fluunt, vel ardēte desuper sole consumi, vel salsugine maris esse pabula: Eccles. autem noster, & ipsarum aquarum conditor, eas dicit per occultas venas ad capita fontium regredi, & de matrice abysso in sua semper ebullire principia. Meliùs autem Hebræi sub torrentium & maris nomine, per metaphoram, de hominibus significari arbitrantur, quod in terram de qua sumpti sunt, redeāt, & torrentes vocentur, non flumina, eo quod cito intereant, nec tamen impleatur terra multitudine mortuorum.*

Hunc hominis ex humo exitum & reditum, sive

ortum & occasum, passim illi refricat, & ob oculos ponit S. Script. ut Genes. 3. 19. *Donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Job. 10. v. 9. *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* Job. 34. 15. *Homo in cinerem revertetur.* Psalm. 103. 29. *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.* Psal. 145. 4. *Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam.* Eccles. 12. 7. *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Qui ergo sapit jugiter hunc sui reditum cogitat, præsentia despicit, futura suspicit, vivit æternitati.

Citat hæc Siracidis verba Concil. Triburiense cap. 16. & habetur 13. q. 2. can. 14. ex iisque probat, Ecclesiasticam terræ sepulturam non esse pretio vendendam, quòd terra jure naturæ sit omnibus communis, imò omnium mater, quæ proinde filios suos uti nascentes, ita morientes gremio suo sponte suscipit. *Terram*, inquit, *teris, terram geris, & in terram converteris, qui de terra sumeris.*

Vers. 12. OMNE MUNUS ET INIQUITAS DELEBITUR, ET FIDES IN SÆCULUM STABIT] Est hendyadis, *Munus & iniquitas*, hoc est, munus iniquitatis, munus iniquum, munus datum vel acceptum ad patrandam iniquitatem. q. d. Sicut omne, quod è terra ortum est, perit & in terram revertitur: sic pariter omne munus terrenum datum iniquè, v. g. ad corrumpendum judicem, adeoque omnis iniquitas cum suo auctore, scilicet homine, peribit, & in terram quasi originem suam redibit: *fides* verò, id est fidelitas, veritas, sinceritas, justitia, integritas, qua quis à recto nec prece, nec pretio se divelli sinit (hanc enim significat Hebr. אמת *emet*, & Græcum πίστις) in æternum stabit; quia æternam à Deo laudem & gloriam consequetur. q. d. Ex omnibus rebus terrenis nil constat & perennat, nisi justitia & virtus, cetera omnia abolentur, & in terram, unde prodierunt, relabuntur. Qui ergo quærit bona stabilia & perpetua, non sectetur opes & honores hujus vitę, utpote non plus quàm vita ipsa duraturas, sed studeat integritati, & virtuti, quæ etiam in cœlo per omnia sæcula permanebit. Quocirca Tigurina vertit, *omnis largitio & injustitia abolebitur, & integritas manet perpetuò*; Syrus, *omnis qui peccat & mentitur, peribit, & felices in sæcula etiam ipsi suscitabuntur.* Unde explicans subdit:

Vers. 13. SUBSTANTIÆ, græcè χρήματα, idest pecuniæ & opes, INJUSTORUM SICUT FLUVIUS SICCABUNTUR, ET SICUT TONITRUUM MAGNUM IN PLUVIA PERSONABUNT] Ita legendum cum Roman. & Græcis, non *siccabitur* & *personabit*, uti legit Jansenius; Rabanus verò & quinque manuscripti apud Franc. Lucam pro *personabunt*, legunt *manabunt*; quia Græci codices nonnulli teste Pagnino, pro ἠχήσει, idest *personabunt*, legunt ἐκχεῶσι, idest *manabunt*, effundent. Sensus est, q. d. Opes iniquorum affluunt instar torrentis subitò excrescentis; sed sicut torrens mox ut cessat pluvia, detumescit & siccatur: sic pariter & opes iniquorum mox decrescunt & evanescunt. Rursum, sicut tonitru cum pluvia horrendo fragore resonat, sed & personat, idest perstrepit, & tonando pertransit & abit; sic pariter opes iniquorum magna pompa strepituque famulorum, equorum, curruum, tubarum, &c. resonando pertranseunt & dilabuntur. Unde Syrus vertit, *bona mendacii sicut torrens dilabentur, & sicut flumina quæ replentur à nubibus levibus, cùm illæ cessant deficiunt, & germen hominibus impiis non erit;* Vatablus verò breviter & clarè, *facultates injustorum in modum fluminis exarescent, & ut ingens tonitru cum pluvia detonabunt*, idest, *tonare desinent & fastum deponent, vel per tumultum dissipabuntur, & quasi impetu profundentur.* Alludit ad Proverb. 10. 25. *Quasi tempestas transiens non erit impius: justus autem quasi fundamentum æternum. Iniquorum ergo thesaurus*, ait Rabanus, *sicut inopportunè & indiscretè colligitur, ita validè & velociter dissipatur: qui ad tonitrui similitudinem in impetu avaritiæ tempestatem facit, sed citò in ipso tumultu satiscit. Unde scriptum est Psalm. 9. 7. Inimici defecerunt frameæ in finem, & civitates eorum destruxisti: periit memoria eorum cum sonitu.* In tonitru ergo notatur tum celeritas, tum impetus & violentia, tum strepitus & fragor ruinæ impiorum.

Vers. 14. IN APERIENDO MANUS SUAS LÆTABITUR: SIC PRÆVARICATORES IN CONSUMMATIONE TABESCENT] Primò, Lyranus, Hugo, Dionys. Emman. Sà, & alii planè & clarè sic explicant, q. d. Sicut injustus, de quo v. præcedenti, ad modicum tempus, quo aperit manus suas ad accipiendum munera, lætatur: sic peccatores tandem *in consummatione*, idest, consummatè, plenè & perfectè, *tabescent*, idest, ut Græca habent, ἐκλείψουσι, idest, deficient, peribunt & interibunt in æternum. Opponit enim brevem eorum lætitiam, quæ non plus durat, quàm apertio manus, longo & pleno eorum interitui. *Gaudent quippe*, ait Rabanus, *ad tempus in prosperitate mundana, cum aperiunt manus suas, ut rapiant aliena: sed quia prævaricati sunt Dei præceptum, quo ait, Non concupisces rem proximi tui, in consummatione tabescent; quando vacui bonis operibus pro peccatis suis demergentur in infernum.* Totus enim hic locus pingit velocem transitum, interitumque abundantiæ & felicitatis impiorum.

Secundò, Tigurina vertit, *cùm quis manus aperuerit, gaudebunt dilabi; sic pravè agentes prorsus deficient.* Supplet enim & subaudit τὸ *dilabi*, quod non est in Grȩco, ut sensus sit, q. d. Sicut aquæ pluviæ manibus contractis exceptæ gaudent quodammodo, cùm aperta manu dilabi sinuntur in terram, quia tendunt ad centrum suum, ad quod naturali appetitu feruntur, ut in eo conquiescant: sic pariter gaudebunt omnes boni, imò omnes creaturæ, cùm pravè agentes deficient, ut redeant ad terram, & ad gehennam: hæc enim debetur eorum pravitati, qua perturbarunt ordinem totius universi, quare hac sua pœna satisfacient scandalo, quod dederunt toti mundo, & perturbationi, quam in eo fecerunt; quia per hoc eorum supplicium, justamque vindictam redintegrabitur ordo universorum, quem ipsi turbarunt, ideoque de eo quasi gaudebunt omnes creaturæ. *Peccatū est perturbatio universi.*

Tertiò, Palacius hæc refert ad tonitruum; unde nonnulli vertunt, *cùm ipsum* (scilicet tonitruum) *manus aperuerit, lætabitur*, &c. q. d. Injustus est velut tonitruum magnum, magnum edens fragorem & sonitum; at non lætatur, nisi dum aperit manus, idest, non durat, nisi dum radios velut manus extendit. Loquitur enim de tonitruo fulguri misto, quod non durat, nisi ferè dum suam explicat lucem: ita prævaricatores, licèt videantur sonare & fulgere, brevi tamen in sua consummatione tabescent. Verùm obstat, quod Græcum αὐτὸν, id est, *ipsum*, utpote masculinum, nequeat referri ad βροντὴ, id est *tonitruum*, utpote feminini generis.

Quartò, Jansenius αὐτὸν referens ad ὑετὸν, id est pluviam; unde & Romani vertunt, *in aperiendo ipsam*, scilicet pluviam, *manus suas lætabitur*, sic exponit, q. d. Cùm pluvia aperuerit manus suas, hoc est, sese largiter super terram effuderit, lætabitur quòd terrorem, scilicet tonitrui, superaverit, & hominibus ademerit, quos & lætari facit suo in terram defluxu; quia pluvia copiosè cadente, cessant tonitrua & fulgura, & minùs timentur. Unde dicitur in Psalmis: *Fulgura in pluviam fecit.* In hac ergo parte adhuc persistitur in similitudine v. præcedenti proposita, eaque hic absolvitur. Et per prosopopœjam tribuitur pluviæ aperire manus suas, & lætari, quemadmodum & in Psalmis dicitur: *Flumina plaudent manu.* Significatur ergo, quòd, quemadmodum torrens aliquis exicatur per calorem Solis, & tonitruum superatur per pluviæ defluxum: ita & opes divitum simul cum ipsis subitò deficiunt per supervenientem eis ultionem divinam, qua tamquam imbre eos obruente superatur omnis eorum terror, quem opibus suis confisi inferebant; sicque lætabitur justus ab eorum terrore liberatus. Unde subiicitur: *Sic prævaricatores in consummatione tabescent*, hoc est, ita deficient, ut penitus consumantur. Hic sensus magis connexus, nervosus & appositus est, sed obscurior, & intricatior, cùm primus sit facillimus & planissimus.

NEPOTES IMPIORUM NON MULTIPLICABUNT RAMOS, ET RADICES IMMUNDÆ SUPER CACUMEN PETRÆ SONANT] Vers. 15. Dixit opes impiorum esse caducas, & fragiles, nunc idem dicit de stirpe, & posteris, q. d. Nepotes impiorum

non

non habebunt multos filios, nec sicut arbor bene fundata ramos longè lateque multiplicat, ita ipsi multam generabunt filiorum propaginem, quæ per multa sæcula continuetur, sed in tertia vel quarta generatione succidentur, uti Deus minatus erat Judæis Exodi 20. 5. Sic Deus succidit familiam Saul, 2. Reg. 21. & familiam Hielis, qui reædificavit Jericho, 3. Reg. 16. 34. ac familias Jeroboam, Jehu, Manahem, Phacee, ceterorumque impiorum regum Israel, uti fusè narratur libr. 3. & 4. Regum.

ET RADICES IMMUNDÆ SUPER CACUMEN PETRÆ SONANT] q. d. Impii parentes sunt instar radicis non in terra profundè, sed in petra leviter & tenuiter fundatæ, quæ proinde cum arbore ex se prodeunte facilè ventis agitatur, ventoque agitata in ramis perstrepit & resonat: sed simul cum ipso sonitu convellitur, & eradicatur. Simili enim modo impii pompose perstrepunt & resonant, ad modicum tempus: sed quia radices non habent à Deo fundatas, hinc brevi ab eo succidentur & evellentur cum tota sua stirpe & posteritate. Græca hoc loco non habent τὸ *sonant*, sed illud reiiciunt ad initium versus sequent. Unde sic habent: *Nepotes impiorum non multiplicant ramos, & radices immundæ super duram petram* q. d. *Et*, id est *quia*, ipsi sunt velut radices impuræ malè fundatæ super petram; ac proinde multam ex se sobolem emittere nequeunt. Unde Complut. vertunt, *super præcipitem petram*: quæ scilicet secum radicem & arborem in se fundatam in præceps trahit, ac deorsum præcipitat; Tigurina, *non multiplicabit ramos soboles impiorum, nec impura radices in rupe excelsa*. Græcum enim ἀκρότομον, & duram, & excelsam, & præcipitem rupem significat. Verùm ex Græco excidit τὸ ἤχει, vel doricè ἀχεῖ, id est, sonant; eò quòd ἄχει, immediatè sequitur, sed aliud significans: vnde scriptores imperiti putantes alterum esse superfluum, illud hoc loco omiserunt; cùm tamen sensus id exposcat: alioqui enim deest verbum, quod sensum expleat.

Alludit ad Sapient. 4. 3. *Spuria vitulamina* (græcè μοσχεύματα, id est, propagines, stolones, sive novi surculi ex arbore præcisi & in terra plantati. Græcizat Interpres; derivat enim *vitulamen* à vitulo, sicut Græci derivant μοσχεύματα à μόσχος, id est, vitulus) *non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita à vento commovebuntur, & nimietate ventorum eradicabuntur*.

Vers. 16. SUPER OMNEM AQUAM VIRIDITAS, ET AD ORAM FLUMINIS ANTE OMNE FOENUM EUELLETUR] Subaudienda est vox comparativa *sicut*, quam Hebræi in parabolis & similitudinibus sæpè subticent & subaudiunt: quasi dicat. Impiorum soboles, propago & prosperitas est sicut viriditas, id est, viride gramen, quod *super*, id est juxta, *omnem*, id est quamlibet, *aquam*, ob humoris copiam citò enascitur & germinat quidem, sed & citò ante omne aliud fœnum, id est, gramen vel herbam demetitur, vel proteritur, vel evellitur; quia situm *ad oram fluminis*, quam homines ambulando pedibus calcare, & animalia depasci solent, utpote locum omnibus patulum & pervium. Pro *viriditas* græcè est ἄχει, vel ἄχι, vel ἄχει, quod Romani retinent. Unde vertunt, *achi super omnem aquam*. *Achu* est vox Hebræa significans paludem, ait S. Hieron. in tradit. in Genes. Alludit enim Siracides ad Septuag. qui Genes. 41. 1. pro eo quod Noster cum Aquila vertit, *pascebantur in paludibus*, retinentes Hebræam vocem *achu*, vertunt, *pascebantur in achi*. Scholiast. ἄχει, inquit, est *plantarium tenue & herbosum*. Noster Job. 8. vers. 11. Hebræo *achu* vertit *carectum*, quem secuti nonnulli hoc loco sic vertunt, *carex juxta quamvis aquam, & labra fluminis, ante quodlibet gramen evellitur*. Porrò Tigurina pro ἄχει, legens ἄχυ, id est, tenuissimus cauliculus ille, qui primùm è radice plantarum pullulat, indeque Latinis pullus dicitur, sic vertit, *pullus eorum super quamvis aquam, aut oram fluvii, ante omnem herbam elidetur*. Eodem redit sensus; quamquam liberiùs, & contra fidem codicum, pro ἄχει, Tig. substituat ἄχυ. Idem facit subinde alibi; ut monui in Proœmio; quod in Cicerone, Plauto, Terentio faciunt nostri Critici, ut vitium scriptoris conjectando, vocemque vicinam substituendo corrigant. quæ audacia in profanis fortè ferenda, at non in sacris & hagiographis. Syrus, *radix enim peccatorum sicut spica quæ germinat in crepidine rupis, & sicut germen quod germinat ad oram fluminis. quod ante omnem viriditatem arescit*.

Alludit ad Job 8. v. 11. *Numquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum* (Hebr. *achu*, quod Siracides hic græcè vertit, ἄχει) *sine aqua? Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit: sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum; & spes hypocritæ peribit*. Et v. 17. *Super acervum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet: Non novi te*.

GRATIA SICUT PARADISUS IN (Complut. *cum*) BENEDICTIONIBUS, ET MISERICORDIA IN SÆCULUM PERMANET] Multi hæc accipiunt de gratia Dei. Ita Rabanus, *Gratia Dei*, inquit, *quæ superabundat in fidelibus & electis Dei, sicut paradisus fructificat diversas species virtutum*. Et Lyranus, *Sicut paradisus*, inquit, *est locus amœnus & bonis fructibus plenus, sic gratia Dei gratiosam facit animam ad Dei habitationem, & bonis operibus plenam*. Et Dionys. *Impiis*, inquit, *modo prætacto deficientibus, gratia Dei in collationibus ejus ita pulchrificat, stabilit & delectat iustos, sicut paradisus ille terrestris, locus amœnissimus, est semper tranquillus*. Ideò ait Apostolus Hebr. 13. *Optimum est gratia stabilire cor*. Et Sapiens Proverb. 10. *Benedictio Domini divites facit, & non sociabitur eis afflictio*. Hæc magna est consolatio iusto, licet afflictissimo, quòd scilicet sit in gratia Dei, quæ instar paradisi eum cumulat omni jucunditate, decore, fructu & benedictione spiritali; ideoq; cum efficit habitaculum hortumque voluptatis Dei, in quo Deus cum homine familiariter agit & colloquitur, ita Palacius. Unde Syrus vertit, *opera rectorum in momento benedicentur, & opera iustorum in sæculum subsistent; & qui appropiat ad eos, sicut qui invenit thesaurum*.

Vers. 17.

Verùm meliùs per gratiam accipias beneficentiam: tum quia gratia hic opponitur injustitiæ impiorum; de qua v. 13. & 15. tum quia jungitur cum misericordia: posterius enim hemistichium more Hebræo explicat & perficit prius. Sensus ergo est: q. d. *Gratia*, id est, benignitas, beneficentia & misericordia in indignos & pauperes, est *sicut paradisus* à Deo benedictus, proferens fructus optimos & immortales, qui in æternum permanent: tale enim est augmentum gratiæ, meriti & gloriæ, quod causatur à beneficentia, æquè ac bona opera, quæ à pauperibus per eleemosynam sustentatis fiunt: quæ omnia quoad meritum & mercedem in æternum permanent. Unde Vatablus clarè vertit, *benignitas instar horti fortunati est, & beneficentia permanet in perpetuum*. Sicut enim paradisus erat locus perpetuò virens, florens & fructificans omni fructuum decore & genere: sic & misericordia in se, & in suis effectibus fructibusq; semper viret & floret. *Eleemosyna est paradisus.*

Huc alludit Apostolus 2. Corinth. 9. 6. ubi Corinthios exhortans ad eleemosynam, ait, *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, &c.

Moral. Nota, quantum bonum sit beneficientia & eleemosyna, utpote quæ æquetur paradiso Dei. Quare bona omnia à Deo data paradiso, quæ recensui Genes. 2. 8. tropologicè rectè attribuas beneficentiæ.

VITA SIBI SUFFICIENTIS OPERARII CONDULCABITUR (Rabanus legit *indulcabitur*,) ET IN EA INVENIES THESAURUM] Versu præcedenti miseræ vitæ iniustorum opposuit beatam vitam misericordis & eleemosynarii, nunc eidem opponit vitam operarii, quæ inter beatas ordine secunda est. Sensus ergo est, quasi dicat, *Vita sibi sufficientis*, græcè αὐτάρκους, id est sua sorte contenti, (alii, *cui est quantum sufficit*) *operarii*; qui operando manibus victum sibi parat, *condulcabitur*, id est, dulcis, quieta, iucunda & suavis opperario apparebit, & revera erit: *et*, id est quia, *in ea invenies* tu, qui eam sequeris vel amplecteris, *thesaurum*, id est opes ingentes, tum quietis & lętitiæ, tum bonæ & sanctæ conscientiæ, tum etiam divitiarum temporalium. Hæ enim per diurna lucra quotidiana mirè accrescunt, præsertim quia Deus iis tam justis & justo labore partis benedicit, easque auget & multiplicat. Vnde S. Paulus 1. Tim. 6. *Est autem*, inquit, *quæstus magnus pietas cum sufficientia*; Vers. 18.

tia; grecè αὐτάρκης, id est, animo sibi sufficienti, suique contento.

Porrò Græca aliter, nimirum sic, habent: *Vita sufficientis sibi operarii condulcabitur, & super utraque qui invenit thesaurum*. quasi hic incipiat ternarius comparationum, quem Noster inchoat v. sequenti, ita ut tria hic inter se conferat Siracides, scilicet Primò, operarium; Secundò, sibi sufficientem; Tertiò, eum qui invenit thesaurum, & hunc tertium duobus prioribus anteferat. q. d. Beatus est Primò, operarius; Secundò, sibi sufficiens, id est sua sorte contentus; sed utroque beatior est tertius, scilicet qui invenit thesaurum. Huic enim sine opere & labore, quasi dormienti felici fortuna advolant opes, ob quas non tantùm sibi sufficiens, sed & copiosus ac abundans evadet.

Verùm hìc non tres, sed duo comparantur. Nam operarius, & sibi sufficiens non duo sunt, sed unus idemque: alioqui Siracides addidisset copulam *&*, eaque duos denotasset dicendo: *Vita sufficientis, & operarii cõdulcabitur*. Idipsum vidit Tigurina, vnde copulam addidit, vertitque, *vita sorte sua contenti, operaque sua viventis habet suavitatem, sed utraque majorem qui thesaurum adeptus est*. quod Vatabl. explicat, *id est, cui res est relicta, non labore parta*, juxta illud Martialis:

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundissime Martialis, hæc sunt:
Res non parta labore; sed relicta, &c.

Sed Tigur. copulam *&* ex se addidit contra fidem codicum Græcorum, qui omnes illa carent. Quare nostra lectio Vulgata, uti congruentior, ita & verior est; juxta quam gaudeant operarii & artifices vita sua & opere manuali: si enim ea contenti vivant, erunt felices, in eaque invenient thesaurum. Quocirca meritò hìc exclamat Palacius: Quid quæritis, homines, mercaturam? cur officia in domibus regum? quærite vitam operarii, qui sibi non divitias, sed quod sufficit, quærit. hæc vita dulcissima est, hæc thesaurus est, hæc vita naturalis est vita, quam instituit in paradiso Deus: est vita nulli noxia: est vita à mundi malis aliena: est vita comparando cælo maximè commoda.

Felix vita operarii.

Quocirca sapienter Plato libr. 5. de Republ. citat laudatque illud paradoxum Hesiodi: *Dimidium plus toto*, applicatque tyrannis avaris & ambitiosis, qui omnibus volunt dominari, & suos fines undequaque dilatare, cùm satius esset suis paucisque vivere contentum. Idem libr. 3. de Legibus, ut ostendat infinitam principum potentiam, nullisque finibus determinatam, esse præsentem pestem omnium imperiorum, subdit, id ideo accidere, quòd ignorent principes cupidi & ambitiosi Hesiodum rectè dicere, *Dimidium sæpe toti præstare: quandoquidem damnosum est, rem totam accipere: dimidium tantum accipere; moderatum est: moderatum verò immodico & immoderato, tamquam potius priori, sanè antecellit*. Sic in litibus avari actores, qui totam rem cupiunt, nolentes dimidio cum parte adversa transigere, sæpè totam perdunt: quibus sanè utilius fuisset petere dimidium quàm totum; cùm ob dimidium, quod recusarunt, perdant totum, quod avarè ambierunt.

Dimidiũ plus toto.

VERS. 19. FILII, ET ÆDIFICATIO CIVITATIS CONFIRMABIT NOMEN, ET SUPER HÆC MULIER IMMACULATA COMPUTABITUR] Ita legendum cum Romanis & Græcis, scilicet, *filii & ædificatio*, non *filii ædificatio*. Rursum legendum *super hæc*, non *super hanc*, uti legit Jansenius & alii. Tria enim hic inter se comparantur: nam hic incipit ternarius comparationum, quo Siracides imitatur Salomonem Proverb. 30. v. 15. 18. 21. 29. tria inter se confert, & tertium duobus præfert. Sensus ergo est: q. d. Duo sunt quæ *confirmant nomem*, id est, quæ celebre faciunt nomen, & diuturnum, quæque famam longævam cuipiam conciliant, scilicet Primò, filii; Secundò; *ædificatio civitatis*, si quis scilicet civitatem ædificet, uti Ninus Niniven, Nemrod Babylonem, Alexander Alexandriam, Romulus Romam: sed utrique præferendum est tertium, scilicet *mulier immaculata*; græcè γυνὴ ἄμωμος, id est uxor irreprehensibilis. ita Tigurina, *liberi*, inquit, *& exstructa civitas nomen stabile reddunt: sed potior utrisque censenda uxor inculpata est*. Complut. hic mutili sunt; omittunt enim tertium membrum de muliere: vnde illud supplent Romani. Porrò Syrus pro una hac sententia dat duas: *Majestas & honor*, inquit, *statuent nomen, & plus utroque ille qui invenit sapientiam. Ædificatio & plantatio renovant nomem, & plus utroque mulier sapiens*.

Ternarii comparationum. Primus.

Igitur Primò, *filii* in plurali (græcè enim est τέκνα) id est, copia filiorum celebrat & propagat nomen patris, utpote in quibus quasi superstes vivit & repræsentatur pater, juxta illud Euripidis: *Columnæ domorum sunt filii masculi*. Unde filii vocantur בנים *banim*, à בנה *bana*, id est ædificavit, quòd ipsi ędificent domum & familiam patris. Quocirca Antonius Pius Imper. biduo priusquam moreretur, admissis amicis de filio suo dixit, id quod Philippus de Alexandro, scilicet, se æquo animo mori, cùm filium relinqueret quasi alterum se. ita Capitolinus in Antonino. Secundò, celebrem facit *ædificatio civitatis*, vel physica, uti Cain primam mundi civitatem ædificavit, eamque à nomine filii Henoch vocavit Henochiam, Genes. 4. sive moralis & legalis, qua quis civitatem bonis legibus ordinat & instituit, eamque bonis moribus efformat: uti Solon leges dedit Athenis, Lycurgus Spartæ, Numa Romæ. hi enim celebrantur quasi legislatores urbium. Verùm his duobus
B præferenda est uxor inculpata. Quid enim prodest filiorum turba, quid nominis gloria, si tibi est uxor infida, impudica, rebellis, dicax, stulta, quæ te assiduè cruciet, angat, vexet, enecet? Uxor enim est socia thori, mensæ, domus; quæ ubique te comitatur, tuoque lateri adhæret quasi altera tui pars: ut si illa sit nequam, ubique intimè te affligat & discruciet, necillam magis abiicere possis, quàm dimidiam corporis tui partem à te resecare. Adde, quòd, sicut uxor honesta & prudens magnum decus & nomen marito conciliat, juxta illud: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ*, Proverb. 31. Sic ex adverso ingens & indelebile marito est probrum uxor meretrix, aut maligna & nequam. Talis Antonino Imperat. fuit Faustina, Socrati Xantippe, Samsoni Dalila. Hæ sanè eorum famæ plus nocuerunt, quàm si illiberes & privati obiissent, nec reipubl. gubernaculis præfuissent. Significat ergo, ut quis bonum nomen sibi paret, ante omnia curandum ut uxor sit inculpata: hæc enim ei ingens decus conciliabit. Denique uxor proba parit educatque filios probos, per quos ædificat domum
C & familiam, ac consequenter civitatem. Igitur in ea simul habes hæc tria, quæ sanè uni soli, vel duobus præstant.

Mysticè Rabanus: *Constructio*, inquit, *bonorum operum confirmat nomen Christianum: quia ille verè Christianum se esse probat, qui Christi mandata rectè credendo, & bene operando servat: & super hæc mulier immaculata, hoc est, anima munda, sancta & incoinquinata computatur. Præcipuum ergo & supremum in meritis electorum virginitas habet præmium: quia & angelis sociatur in cælis, & Agnum sequitur, quocumque ierit*.

VINUM, ET MUSICA LÆTIFICANT COR: ET SUPER UTRAQUE DILECTIO SAPIENTIÆ] VERS. 20.
Hæc enim est spiritalis, divina, animæque intima, eam illuminans, sanctificans & perficiens: quare multo magis animam delectat, quàm vinum & musica, quæ exteriùs tantùm aures & palatum corporea delectatione afficiunt, titillant & mulcent. Tigurina, *vinum & musica cor exhilarant: sed utroque magis studium sapientiæ*. Appositè confertur & præfertur dilectio sapientiæ vino & musicæ: quia ipsa est spiritale vinum mentem inebrians, &
D spiritalis musica animum oblectans. Porrò Syrus pro sapientia substituit amicitiam: *Vinum vetus*, inquit, *lætificat cor, & melior eo est amicitia amici*.

Nota. *Dilectio sapientiæ* propriè est dilectio virtutis. Inter virtutes autem primas tenet charitas: vera enim sapientia consistit in timore & amore Dei: juxta illud cap. 1. 14. *Dilectio Dei honorabilis sapientia*, vide ibi dicta. Posset quoque *dilectio sapientiæ* accipi pro sapientia dilectionis per hypallagen, quæ est sapientia diligendi: summa enim sapientia est scire diligere Deum: aut *dilectio sapientia*, id est, dilectio sapiens: charitas enim debet esse prudens. Simili phrasi Apost. 2. Thessal. 2. 10. vocat *charitatem veritatis*, id est veram.

Moral. Quanta sit vis & energia sapientiæ & charitatis, disce ex eo quòd conferatur & præferatur vino & musicæ, quæ potentissima sunt ad animos excitandos, & quaquaversum flectendos. De vino res nota est: de

Mor. de vi charitatis

de musica patet ex dictis cap. 32. v. 5. & 7. Unde Sanct. Justinus Martyr vim musicæ sacræ, putà hymnodiæ & psalmodiæ, Christianorum sapientiam & charitatem excitantis, celebrans quæst. 107. ad Orthodoxos: *Excitat*, inquit, *hac cum voluptate quadam animum ad flagrans ejus, quod carmine celebratur, desiderium: affectiones & concupiscentias carnis sedat: cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, amolitur: mentem ad fructificationem divinorum bonorum rigat: pietatis decertatores generosos & fortes, per constantiam in rebus adversis efficit: omnium rerum, quæ in vita tristes & luctuosa accidunt piis, affert medicinam*. Id expertum se profitetur Sanct. August. libr. 9. Confess. cap. 4. ubi Deum alloquens: *Quas*, inquit, *tibi voces dabam in psalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis, & accendebar eos recitare, si possem, toto orbe terrarum adversus typhum generis humani*. Lege quæ sequuntur. Quocirca Clemens Alexandr. Exhort. ad Gentes cantorem suum, id est, Christum in Script. & psalmis canentem, præfert Orpheo & Amphioni, qui feruntur saxa & lapi-
B
des traxisse canendo, sed fabulosè: *Solus*, inquit, *cantor meus difficillimas feras mansuefacit, volucres quidem, nempe eos qui sunt leves; serpentes, eos qui deceptores; leones, eos qui sunt animosi & ad iracundiam concitati; sues, eos qui sunt voluptati dediti; lupos, eos qui sunt rapaces; lapides autem & ligna, qui sunt insipientes*. Unde concludit: *Vide quantum potuerit novum canticum: homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris*. Rursum S. Justinus orat. 2. ad Gentes, eos invitans ad Christi fidem & sapientiam: *Estote*, inquit, *sicut ego, quia & ego sicut vos*, Galat. 4. v. 12. *Accedite*, inquit, *Græci, docemini. Estote ut ego, quoniam & ego eram ut vos. Hæc me ceperunt, & doctrina vis enthea (hoc est vis divina) & sermonis efficacitas. Quoniam sicut incantator peritus formidabilem serpentem fugat, postquam fecit ut è suo latibulo ereperit; sic sermo ex intimis animi penetralibus formidabiles sensuum affectus expellit! ac primum cupiditatem, ex qua quidquid formidabile est nascitur*. Idipsum se expertum pro-
C
fitetur B. Petrus Damiani serm. de Christi Natali: *Olim*, inquit, *mihi Tullius dulcescebat: blandiebantur carmina poetarum: philosophi verbis aureis insplendebant, & sirenes usque in exitium dulces, meum incantaverant intellectum. Lex, Propheta, Evangelium, Epistola, & omnis gloria sententiarum Domini mei & servorum ejus, aut parva videbantur, aut nulla. Nescio modò quid dulcius immurmurat filius Jesse, qui vario sermonum & sententiarum concentu omnes illos, quos diligere consueveram, ineloquentes reddit & mutos*. Hæc est ergo divinæ sapientiæ harmonia, quæ omnes musicorum concentus suavitate & efficacia superat & transcendit. Denique *dilectio sapientiæ* increata, putà Dei, est reciproca, ideoque vera amicitia. Nam ut ait Christus: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*, Joan. 14. v. 21. Magnum bonum, magna suavitas est diligere Deum, sed longè major est scire se diligi à Deo. Quem enim Deus diligit, hunc in filium adoptat, heredem regni cælestis instituit, gratia & gloria donat, omnique bono cumulat & beat.

Secundus

Hæc est secunda trias delectabilium, in qua palma da-
D
tur dilectioni sapientiæ, quæ sanè est charitas, vel charitatis affectus: hanc enim significat Græcum ἀγάπησις. Sequitur tertia huic affinis.

VERS. 22. *Tertius est: lingua suavis dulcior tibia & psalterio.*

TIBIA ET PSALTERIUM SUAVEM FACIUNT MELODIAM: ET SUPER UTRAQUE LINGUA SUAVIS] Syrus, *munda*; Tigur. *fistula, & psalterium suavem edunt cantum: at lingua suavis utramque superat*. q. d. Sermo suavis magis mentem afficit & delectat, quàm melodia instrumentorum musicorum; tum, quia sermo hic ab ore & anima prodiens, est vivus & vitalis, cum illa sint mortua & inania; unde ille hisce efficacior est.

Ratio.

Sermo enim suavis secum quasi vehit mel internum & suavitatem animæ à qua promanat, eamque defert in aures & cor audientis: itaque suo vitali divinæ dulcedinis melle eam inbuit & dulcorat, juxta illud Proverb. 16. 24. *Favus mellis verba composita*: tum, quia hic sermo est sensatus, secumque vehit prudentiam & sapientiam, atque eam infigit animo audientis; quæ ibi hærens eam diu movet, afficit & pascit: cùm concentus musicus ilicò cum sono transeat, nec quidquam post se relinquat. Hinc fit, ut lingua suavis iram sedet, tristitiam profliget, omnesque passiones quasi excantet, ac quidvis audienti persuadeat. Id visum fuit, & etiamnum videtur in Apostolis, & Apostolicis prædicatoribus, quorum lingua suavis medetur contritis corde Isaiæ 61. v. 1. Item in pacificis, qui dissidentes animos conciliant, juxta illud: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, Matt. 5. Unde Rab. sic explicat utrumq; versum: *Vinũ*, inquit, *& ars musica cum instrumentis suis per vocis sonoritatem naturaliter delectant & movent humanum animum: sed dilectio sapientiæ, & lingua suaviter docens multò plus confortat cordis intellectum*. Sic videmus confessarios suaves ad se pœnitentes allicere & flectere quocumque volunt: sic & concionatores suaves magis influere in animos audientium, quàm austeros & minaces.

Rursum appositè confert & præfert linguam suavem tibiæ & psalterio: quia ipsa est animata & rationalis tibia & psalterium, quæ non nisi dulcem edit melodiam. Pierius Hierogl. 7. de cervo cap. 1. tradit cervum, licèt fugacissimum animal, ita melodia detineri, ut consistens capi necarique se patiatur: quanto magis homi- *Cervus capitur musica.*
nem rationalem fugitantem detinebit & amicabit sermo comis & blandus? Ratio à priori est, quòd dulcedo sit amica naturæ, illique quasi mel & nectar, quo illa pascitur, ducitur, capitur. Hinc capitur dulcedine lactis, mellis, sacchari, &c. quæ dulcem efficiunt sanguinem, indeque dulces spiritus tam amandi quàm loquendi. Quocirca Plutarch. in Artaxerxe asserit Persis solemne fuisse, ut mel lacti permistum darent in potum, quia sanguinem efficit dulcissimum: hic autem dulces & amabiles parit amores & mores, æquè ac sermones. Hinc sponsus ait Cant. 4. 11. *Favus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua*. Et Proverb. 16. 24. *Favus mellis composita verba, dulcedo animæ, sanitas ossium*. Et cap. 15. 4. *Lingua placabilis lignum vitæ*. Et v. 1. *Responsio mollis frangit iram*. Sic Nestorem commendat Homerus, quòd ex ore ejus melle dulcior flueret oratio. Memorabile est quod scribit Valer. Maxim. libr. 8. cap. 9. Valerium, plebis Romanæ contra senatores rebellionem suavi oratione sedasse; ac L. Anto-
nium tempore seditionis Marianæ missos ad se obtruncandum milites ita suaviloquentia obstupefecisse, ut districtos jam & vibratos gladios cruore vacuos vaginis redderent. Sic Cicero l. 2. de Republ. concordiam, quam parit suavitas eloquii, comparat tibiis & concentui musico: *Ut in fidibus*, inquit, *ac tibiis, atque cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione, unus tamen efficitur & congruens: sic summis, & infimis, & mediis interiectis ordinibus, ut sonis, moderata natura civitas concentu dissimillimorum consistit: & quæ harmonia à musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, quæ sine justitia nullo pacto esse potest*.

GRATIAM, ET SPECIEM DESIDERABIT OCULUS TUUS, ET SUPER HÆC VIRIDES SATIONES] id est, viridia sata, viridia germina. Aliqui manuscripti legunt, *viride sationis*; græcè, χλόην σπόρου, id est, *viriditas seminis*, Syrus, *decor & pulchritudo, concupiscentia oculorum, & plus utroque spicæ agri*; Tigur. *oculus tuus desideret venustatem, & pulchritudinem: sed virens seges est utroq; gratior*. Igitur *virides sationes* propriè sunt virides segetes: hæ enim valde virent, suoque virore, & spe opimæ messis intuentium oculos animosque mirè recreant: imò hæ solæ propriè sunt virides. Unde Simon Porcius Comment. de coloribus, colorem viridem distinguit ab herbaceo. Extensivè tamen per virides sationes accipe omnia viridia germina, & folia etiam herbarum cæterarumque plantarum. Ab auribus transit ad oculos. Est ergo hic trias objectorum quæ oblectant oculos: q. d. Venustas rerum, & species sive formositas corporum recreant visum: sed multò magis id facit viriditas camporum: hæc ergo maxima est venustas & formositas; idque multas ob causas.

VERS. 23. *Quartus.*

Viridia sata summè oblectant oculos: cur? Causa prima.

Prima est, quòd illa rerum venustas, & corporum formositas sæpè sit arte facta & fucata, ut cum pictores res venustè pingunt; vel sculptores sculpunt; aut cùm feminæ stibio, cerussa & purpurisso faciem colorant, vel vestibus artificiosis se ornant: viriditas autem plantarum sit sincera & simplex, utpote à natura illis indita. Natura enim superat artem, & naturalis pulchritudo arte factã, juxta illud Christi de liliis Mat. 6. *Dico vobis, quoniã nec Salomõ in omni gloria coopertus est sicut unũ ex istis.*

Secun-

Secunda. Secunda est, quòd forma corporum sit illecebrosa, illiciatque ad turpem cupiditatem: viriditas autem sit pura, illibata & casta, similemque delectationem oculis ingerat.

Tertia. Tertiam dat Palacius, sic explicans: Gaudet oculus videns grata & decora ædificia, aut videns venustatem & pulchritudinem feminarum: at verò, tu fili, desidera campos tuos tritico seminatos, atque virentes. Rectè enim Quintilianus: *Stultum est plus æstimare rubentes violas, quàm fructibus oneratas olivas. Ex illis paleas, ex his collige grana.*

Quarta. Quarta est, quòd inter omnes rerum species & colores, quibus pascitur oculus, emineat color viridis, præsertim naturalis camporum, idque tum quia viridis maximè contemperatus est visui, ac consistit in medio quodam visui valdè proportionato. Nam albus color nimis disgregat, dispergit & dissolvit visum: ex adverso niger nimis visum congregat, stringit, coarctat & contristat: viridis verò inter utrumque medius nec nimis disgregat, nec nimis congregat; sed æqua quadam ratione afficit visum. Causa est, tum, quòd albus multum habeat lucis, quæ disgregat; niger multum opacitatis, quæ congregat. Ex commistione enim lucidi & opaci oriuntur omnes colorum varietates, ut docet Aristot. & Philosophi lib. 3. de Anima: viridis autem lucem opacitate congruenti, habet temperatam, ita tamen ut visum acuat, excitet, delectet, corroboret. Unde pictores ex colore luteo & cæruleo contritis & commistis, viridem efficiunt: luteus enim & cæruleus mirè lucem cum opacitate contemperant; tum, quod plurimæ, & quasi infinitæ sunt species viriditatis, adeoque quælibet herba & planta proprium habeat virorem discriminatum à cæteris, ita ut intuens quis campum, vel hortum plantis refertum, videat viriditatis plurimas varietates & species, alias magis magisque albicantes, alias magis magisque nigricantes; alias obscuras, alias claras, alias etiam splendentes & fulgidas: quæ omnia simul intueri, mirum est quàm recreet oculos. Ita Aristot. in Problem. sect. 31. nu. 20. docet oculum viridibus recreari & meliorem effici, tum quia viridis color medium est albi & nigri; tum, quia humidior est & moderatior. *Oculi*, ait, *cùm ad res solidas contendunt, laborant lassanturque: cùm ad humidas mollesque, quòd nihil sibi obstat, passim oberrant, & licentia perliquescunt: cùm ad virides, quod istæ ut solidæ mediocriter sunt, ita satis humoris continent, neque ullo detrimento afficiuntur, & ad immorandum in hisce amplius innituntur, eò quòd coloris hujusmodi habitus modicè sese conspectui offert.* Insuper virides plantæ sunt quasi tapetes & aulæa Dei, quibus hanc mundi aulam campósque convestit: quæ sanè eos magis ornant, quàm peristromata aurea ornent palatia principum. Viror enim ex humore oritur; ideoque

Virides plantæ est tapes campi. viror & vigor, & quasi vita plantarum, quia ejus alimentum est humor; unde omnes herbæ ob humorem vitalem, habent virorem; & herbaceus vividusque color, est viridis. Ex adverso quæ siccantur & emoriuntur, virorem deponunt. Quare quàm varius, variéque cum terrestri materia commistus est humor; tam varius oritur viror. hoc autem plurimis & quasi innumeris fit modis. Hinc viror rei vigorem significat, adeoque Latinis viror à vigore nomen sumpsit: unde dicitur viridis ætas, viridis senectus, virides animi, id est vivaces, vigentes & vegeti. Denique smaragdi decor est à virore. Audi Plinium lib. 37. c. 5. *Nullius coloris aspectus oculis iucundior est. Nam herbas quoque virentes frondesque avidè spectamus: smaragdos vero tanto libentiùs, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis, viret.*

Alleg. Rabanus: *Gratiam & speciem*, inquit, *superant virides sationes; cum ornatum templi & culturæ diversitatem, cæremoniarumque & festivitatum observantiam, quam prior* (Judaicus) *populus sub lege habuit, Evangelii prædicatio in toto orbe terrarum seminata, fide gentium, & bonorum operum viriditate excellit.*

Virides sationes sunt vigor & zelus. Tropol. Virides sationes sunt vigores & fervores juvenum, v. g. Novitiorum incipientium Deo piè & religiosè servire: hi enim omnem rerum venustatem & speciem superant, magisque oculos intuentium oblectant; plus tamen iis mentem pascit matura solidaque virtutum seges, quæ in viris senibusque sanctis conspicitur. Huc facit illud,

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.

Rursum virides sationes fuere primi Christiani, ac præsertim S. Stephanus ceterique Christi discipuli & diaconi, qui ætate virentes & spiritu vigentes, mirè oculos Dei & hominum sua virtute & fervore recrearunt: unde ex hac satione tanta deinde Virginum, Martyrum, Religiosorum, ceterorumque fidelium messis succrevit. Similiter virides sationes fuerè pueri, puellæ & juvenes, qui vigorem ætatis, putà pueritiam vel adolescentiam, per gratiam menti suæ à Deo insitam consecravere Deo per martyrum, votum virginitatis, religionem. quales fuerè S. Agnes, S. Cæcilia, S. Prisca, S. Pancratius, S. Vitus, S. Laurentius, S. Vincentius, & innumeri alii, quorum viror virtutis omnibus fuit oblectationi & admirationi.

Unde S. August. lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 3. per *herbam virentem*; vel *viride agri*, quòd Deus die tertia mundi produxit Genes. 1. 11. mysticè accipit *spiritalem atque invisibilem creaturam, propter vigorem vitæ*, quales sunt angeli, quibus virgines comparat & adæquat Christus, Matth. 22. 30. Unde subdit S. August. *Quid & nunc viride agri Deus facit, sed pluendo super terram, id est, cùm facit animos reviviscere per verbum suum, sed de nubibus eas irrigat, id est de Scripturis Prophetarum & Apostolorum.*

Sic & S. Ambros. lib. 3. Hexam. cap. 7. per herbam virentem accipit *vitæ viriditatem, quæ hilarioris vitæ quasi flos prætendit jucunditatem, putà adolescentem pubescentis ætatis viriditate florentem.* Et cap. seq. graphicè depingit admirabilem germinationis modum: *Inde*, ait, *cum se granum resolverit, herbam germinat: grata ipsa jam species herbescentis viriditatis; quæ statim genus satum similitudine sui prodit. Pascuntur oculi grato spectaculo.* Addit talia esse seminaria virtutum. Denique mira satorum remedia subiungit; *Cervus æger*, inquit, *ramusculos oleæ mandit & sanus fit. Locustas quoque folia oleæ arrosa liberant ab ægritudine. Rubi folia superiacta serpenti interimunt eum. Culices non tangunt te si absinthii herbam cum oleo coquis, & eo te perunxeris.*

Accedit S. Bernardus serm. 60. in Cant. qui per vineas virentes & florentes, de quibus Cant. 2. 13. accipit novitios: *Vineæ*, inquit, *florentes odorem dederunt; quod nihilominus appropinquantis fructus indicium est. Hic odor serpentes fugat. Aiunt florescentibus vineis omne reptile venenatum cedere loco, nec ullatenus novorum ferre odorem florum. quod volo attendant novitii nostri, & fiducialiter agant, cogitantes qualem spiritum acceperint, cujus primitias dæmones non sustinent. Si sic novitius fervor, quid erit absoluta perfectio? Perpendatur ex flore fructus, & saporis virtus ex æstimetur odoris. Vineæ florentes odorem dederunt.* Et inferiùs: *Ceterum si vinea anima, flos opus, odor opinio est, fructus quid? martyrium. Et verè fructus vitis, sanguis est martyris. Cùm dederit, inquit, dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini, filii: merces, fructus ventris. Propemodum dixissem, fructus vitis; quidni sanguinem uvæ, dixerim meracissimum sanguinem innocentis, sanguinem justi? quidni mustum rubens probatum, pretiosum, planè de vinea Sorec, torculari passionis expressum? Denique pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.*

Rursum S. Gregor. lib. 30. Moral. cap. 15. explicans illud Job. c. 39. 8. de onagro: *Virentia quæque perquirit*, sic ait. *Arentia quippe sunt omnia, quæ temporaliter condita, venturo fine à jucunditate vitæ præsentis quasi æstivo sole siccantur. Virentia autem sunt vocata, quæ nulla temporalitate marcescunt. Huic ergo onagro virentia perquirere, est sancto cuique viro despectis rebus transitoriis in æternum mansura desiderare.*

S. Hieron. verò epist. 139. ad Cyprianum explicans illud psal. 89. *Manè sicut herba transeat, manè floreat & transeat, vespere decidat, induret & arescat: Omnis*, inquit, *humana cōditio fœnino comparabitur. Sunt enim manè virens herba, & suis floribus vernans, delectat oculos contemplantium, paulatimq; marcescens amittit pulchritudinē, et in fœnum, quod conterendum est, vertitur: ita omnis species hominum vernas in parvulis, floret in juvenibus, viget in perfectæ ætatis viris: & repentè dum nescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis prius extensa contrahitur; & extremo fine, quod hic dicitur vespere, id est senectute, vix moveri potest, ita ut non cognoscatur quis prior fuerit, sed penè in alium commutetur.* Unde concludit: *Æternitati comparata brevis*

brevis est omnium temporum longitudo. Omne, quod in sæculo longum videtur, apud te Deus breve est: dies enim & anni, quibus humana vita contracta est, si comparentur æternitati, reputabuntur pro nihilo. Quarta est hæc trias comparationum: sequitur quinta.

VERS. 23. AMICUS, ET SODALIS IN TEMPORE CONVENIENTES (subaudi, grati sunt, & sese delectant) ET SUPER UTROSQUE MULIER CUM VIRO] Pro *in tempore convenientes*, græcè est εἰς καιρὸν ἀπαντῶντες, id est ad tempus occurrentes, q. d. Pergratum est cùm amicus amico, vel sodalis sodali multo tempore non visus, in tempore, præsertim necessitatis vel commoditatis, cùm eius opera indiget, occurrit: at longè gratior est uxoris cum viro continua, perpetua & indissolubilis unio. Per hanc enim non tantùm tempore necessitatis, sed & quovis alio aliter alteri occurrit & succurrit, consulit, solatur, adeoque quasi dimidium iugi & oneris alterius portat: unde & vocantur coniuges & coniugati, iuxta illud Genes. 2. 24 *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem* (multò magis sodalem & amicum,) *& adhærebit uxori suæ*. Unde Tigurina, *ut amicus commodè congruit cum amico; vir tamen, & uxor concordes utrique præferendi sunt*, hi enim sunt intimè amici & sodales. Syrus, *amicus & socius in momento benedicuntur, & plus utroque mulier bona*.

Quintus.

Concordiæ exêpla in bove, equo & vipera.

Præclarè ex S. Basilio S. Ambros. lib. 5. Hexam. cap. 7. B coniugibus concordiæ & benevolentiæ exempla & stimulos dat bovem, equum, quin & viperam. *Comparem*, inquit, *suum & bos requirit, & equus diligit: & si mutetur alius, trahere iugum nescit compar alterius, & se non totum putat: tu iugalem repudias tuum, & putas sæpè mutandum: & si uno defuerit die, suspicaris rivalem: & statim incognitam, quasi cognitam pudoris exequeris iniuriam. Vipera absentem requirit, absentem vocat, & blando proclamat sibilo: atque ubi adventare comparem senserit, venenum evomit, reverentiam marito deferens, verecunda nuptialem gratiam: tu mulier advenientem de longinquo maritum contumeliis repellis. Vipera mare prospectat, explorat iter coniugis: tu iniuriis viam viro obstruis: tu litium moves venenum, non rencis: tu coniugalis amplexus tempore dirum virus æstuas: nec erubescis nuptias, nec revereris maritum. Sed etiam tu vir, (possumus enim etiam sic accipere) depone timorem cordis, asperitatem morum, cùm tibi sedula uxor occurrit: propelle indignationem, cùm blanda coniux ad charitatem provocat. Non es dominus, sed maritus: non ancillam sortitus es, sed uxorem, gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentem. Redde* C *studio vicem, redde amori gratiam.*

Medium ad concordiam.

Porrò medium efficax ad hanc viri & uxoris unionem suggerit Apostolus Ephes. 5. 33. dicens: *Unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat; uxor autem timeat* (revereatur) *virum suum*, in quæ verba commentans S. Chrysost. homil. 20. notat inter virum, & uxorem esse conditionis dissidium, eò quòd statu sint impares, cum vir sit caput, uxor sit subdita, quæ virum suscipit & reveretur, sed per amorem hoc dissidium tolli, eosque fieri pares: amor enim viri facit quasi æquilibrium reverentiæ uxoris. Cùm enim uxor reverenter se deprimit, & subdit viro, amor viri se ad eam demittit, eamque elevat & attollit, sibique facit parem & æqualem. Amor ergo viri ex æquo respondet reverentiæ & subiectioni uxoris, cum eaque facit æquilibrium, sic ut inter virum & uxorem in quadam inæqualitate fit æqualitas, & in dissimilitudine ponderum æquilibrium. Alludit autem S. Chrysostom. ad Græcam vocem σύζυγες, quæ coniuges significat: est D autem ζυγὸς vox anceps, iugum atque libram significans, ita ut σύζυγες sicut *coniuges*, sic & *collibres* aut *æquilibres* vertere liceat. Sicut ergo æquilibrium in bilance facit lancium æqualitatem & concordiam: sic amor faciens æquilibrium viri & uxoris; eorum inducit parilitatem, unionem & pacem. Sed audi Chrysost. *Alterum principatus locum habet uxor, proinde neque ipsa honoris æqualitatem appetat: est enim sub capite, ne ille tamquam subiectam contemnat, corpus namque est. Et si caput contempseris corpus, & ipsum simul peribit. Sed dilectionem inducat, quæ obedientiæ ac subiectioni ex æquo respondeat, quale est quando manus, pedes, & reliqua omnia membra capiti serviunt, illud vicissim eorum curam & providentiam agit, omnem sensum in ipsis habens. Nihil isto coniugio melius. Et quomodo potest esse dilectio,* A *inquit, præsente timore? tum sanè potissimùm potest: Quæ enim timet virum, diligit etiam: quæ diligit, timet ut caput, diligit ut membrum; quandoquidem & caput membrum est totius corporis. Propterea mulierem Deus subiecit, virum verò illi præfecit, ut pax sit. Nam ubi honoris est æqualitas, aut ubi familia dominatur, vel omnes principatum gerunt, ibi numquam poterit esse pax; sed necesse est unum esse principatum, atque id ubique in rebus corporalibus.*

Tropol. optima & gratissima est unio, qua in homine pars inferior superiori, putà portio concupiscibilis rationali, ac sensus menti, quasi uxor viro se subiicit, illique per omnia unitur, & concordat: hæc enim est summa amicitia, sodalitas & coniugium. Vide quæ de concordiæ bono dixi cap. 25. v. 2.

FRATRES IN ADIUTORIUM IN TEMPORE TRIBULATIONIS (subaudi, adveniunt, vel accurrunt) ET SUPER EOS MISERICORDIA LIBERABIT] Græca pro *in adiutorium*, habent *& adiutorium*. Unde Syrus, *frater & auxiliator in tempore tribulationis, & plus utroque eleemosyna redimit*; & Tigurina, *fratres & auxilia profuerint tempore calamitatis; sed misericordia præstantior utrisque liberatrix est*. q. d. Fratres in tempore tribulationis fratri afflicto occurrunt, ut illi opitulentur, eumque liberent; at longè magis misericordia exercita in miseros à misericorde, illi, si in miseriam aliquam inciderit, occurret, ut illum ex ea liberet; quia scilicet impetrabit à Deo auxilium & gratiam, quæ eum eruat & salvet, iuxta illud Tobiæ c. 4. *Eleemosina ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*. Vide dicta cap. 3. 34. Monet parabola, inquit Iansenius, plus fidendum esse in præsidio bonorum operum, quàm in præsidio hominum, quantumvis amicorum. Nam gratissimum quidem, tutissimum, & validissimum est auxilium, quod in tempore tribulationis frater fratri impendit; sed superat auxilium eleemosynæ præstitæ; hoc enim auxilium ex Deo est, illud ex hominibus. VERS. 24.

Sextus.

Est hæc sexta trias comparationum, sequitur septima. Siracides enim multiplicat triades, ut in iis adumbret mysterium SS. Trinitatis; hæc enim, utpote essentialis, increata & immensa, est origo & fons triadis creatæ & finitæ, adeoque in illa se exprimit, & repræsentat; atque hac de causa rebus omnibus ternarium quemdam, vel potentiarum, vel operationum, vel similium rerum quasi sui imaginem inseruit, ut ostendi Amos 1. v. 3. sed ita, ut ipsa omnes & singulas in immensum superet.

AURUM ET ARGENTUM, EST CONSTITUTIO PEDUM; græcè ἐπιστήσουσι πόδα, id est, stare faciunt, statuunt, erigunt, firmant & stabiliunt pedem; ET SUPER UTRUMQUE CONSILIUM BENEPLACITUM] subaudi *est*. hoc est, bene placet, gratum est & acceptum. Græcè enim est βουλὴ εὐδοκιμεῖται, id est, *consilium approbatur*, q. d. Opes auri & argenti firmant hominem, eiusque statum, ut firmiter in eo consistat, nec ab eo facilè deiici possit, utque in eo fidenter & securus obambulet, at longè magis approbatur & perplacet sanum consilium; hoc enim longè magis eum firmat, gressusque eius dirigit, ut stabiliter obambulet sine metu cadendi vel offendendi. Unde Arabicus vertit, *aurum & argentum stabiliunt* (Syrus, *confirmant*) *pedem; & melius his omnibus consilium bonum*; Tigurina, *aurum quidem & argentum statum cuiusque constabilierint; sed prudentia est utroque commendabilior*. Nam ut ait Isocrates ad Demonicum; *Sapientia sola possessionum immortalis. Arbitrare optimum esse, à diis quidem bonam fortunam, à nobis ipsis autem bonum consilium*. Sed accipe hoc cum grano salis, scilicet quòd consilium sit à nobis, iuvante tamen Deo; bona verò fortunæ, ferè sint à solo Deo. VERS. 25. *Septimus*

Ratio à priori est, quòd aurum & argentum inanima sint & externa; consilium autem sit rei intimum, eiusque quasi basis, imò anima. Sicut enim ratio dirigit hominem, ut rationaliter agat & vivat, sic consilium dirigit actiones & res, ut prudenter fiant, & firmiter consistant. Consilium enim suggerit omnia rei adminicula & fulcra, atque amovet omnia eius obstacula & firmitati contraria. Quocirca regna, resp. urbes, collegia, cœtus, qui consilio reguntur, firmi consistunt, crescunt

Consilii præstantia quanta.

scunt & exaltantur, iuxta illud Proverb. 11. 14. *Ubi non* A *est gubernator, populus corruet: salus autem, ubi multa consilia*. Sicut enim salus & cursus navis pendet à perito gubernatore & gubernaculo; sic salus reip. à sapiente consiliario & consilio. Et cap. 20. 18. *Cogitationes consiliis roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella*. In bello enim plus valet consilium quàm plurimi milites. Sic Romani *possederunt omnem locum consilio suo & patientia*, 1. Macab. 8. v. 3. Alexander Magnus rogatus qua ratione tam brevi tempore orbem debellasset, respondit, *consiliis, eloquentia, & arte imperatoria*, teste Stobæo serm. 54.

Gnoma. Unde Veget. lib. 3. cap. 9. duci exercitus maximè commendat sapientum consilia. Passienus Crispus Neronis Imp. vitricus dicere solebat, se quorumdam hominum consilium malle quàm beneficium. Antonius Pius Imp. nihil agebat in re bellica vel civili, nisi ex prudentum consilio, dicens: *Æquius est ut ego tot talium que amicorum consilium sequar, quàm ut tot talesque amici meam unius sequantur voluntatem*. Ita Julius Capitol. in eius gestis. Memorabilis est gnomo Euripidis: *Unicum consilium rectum magnam militum manum vincit*. Plus enim possunt modicæ vires consilio armatæ, quàm magnæ con- B silii expertes. Paulus Æmilius aiebat, *Imperatorem si minus ætate, certè moribus & consilio senem esse oportere*. Denique Antonius in Melissa parte 2. serm. 60. *Qualis*, inquit, *est civitas, cuius diruta sunt mœnia, talis est vir qui non omnia agit cum consilio*. Sic Chusai suo consilio plus erexit Davidem, quàm si multa talenta auri ei dedisset. Nam cum profugum à facie Absalomi regno restituit, 2. Reg. 17. Idem fecit consilium, quod Jethro dedit Moysi, Exodi 18.

Mysticè, Hugo per consilium accipit Evangelicum, v. g. paupertatis, q. d. Melior est magisque placet Deo & Sanctis paupertas Evangelica: quàm omnes opes auri & argenti: scriptum est enim, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, Matth. 5.

Octavò. Sequitur trias octava, vel, ut alii (qui primam numerant v. 18. *Vita sibi sufficientis operarij*, &c.) computant, nona, ultima scilicet & perfectissima, timoris Domini, sicut nonus angelorum, putà Seraphinorum, chorus, est summus & perfectissimus: quia ipsi summè timent, id est, C reverentur, amant & glorificant, Deum, unde ab amoris ardore vocantur *Seraphim*, id est, ardentes & inflammati, aliosque inflammantes.

VERS. 26. FACULTATES (græcè χρήματα, id est, pecuniæ, divitiæ) ET VIRTUTES EXALTANT COR: ET SUPER HÆC TIMOR DOMINI] *Virtutes*, græcè ἰσχύς, id est, vires, robur, fortitudo; perperam ergo in Rabano legitur *victus* pro *virtus*; Syrus, *fortitudo & robur exaltant cor, & plus utroque timor Dei*. Sensus est, q. d. Opes & vires erigunt homini cor, eumque faciunt animosum & audacem, ut neminem metuat: at longè magis erigit cor facitque animosum timor Domini: licèt enim timor humanus cor contrahat, enervet & deprimat, tamen timor Dei cor dilatat & extollit, viresque auget: tum, quia timor hic facit hominem Deo obedientem, eiusque leges exactè servantem; quem proinde quasi suum fidelem famulum tutatur Deus: tum, quia timor hic causat spem in Deum, quæ hominem, utpote Deo innixum, facit intrepidum, imò quasi omnipotentem, D ut dicat cum Apostolo: *Omnia possum in eo qui me confortat*: tum, quia timor hic vel est amor, vel includit amorem Dei; Deus autem sui amantes quasi amicos & filios charissimos redamat, protegit, defendit contra omnes hostes, & quævis adversa. Denique timor Dei exaltat cor, quia dat lætitiam cordi, dat longitudinem dierum, dat omnem & in vita & in morte benedictionem, ut dictum est cap. 1. & 2. Unde Tigurina, vertit, *erigunt quidem animum opes, & potentia: sed utroque præstat religio Domini*. Timor enim Dei, est Dei veneratio, religio, cultus, obsequium, obedientia & amor. Ita timor Dei exaltabat cor Davidis, ut in mediis periculis, undique obsessus à Saule & hostibus, fidens, securus & alacer caneret; *Dominus illuminatio mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*, psal. 26. Sic videmus Apostolos & viros Apostolicos timore Dei armatos magnanimè maxima tentasse, & feliciter confecisse; ac indies tentare & conficere, ut re- A ges, principes, sapientes & divites sibi subiugent, provincias & regna convertant, totumque orbem Christo subdant.

Quocirca S. Basil. in illud psalm. 14. 4. *Ad nihilum deductus* (græcè *annihilatus*) *est in conspectu eius malignus* (improbus:) *timentes autem Dominum glorificat*, sic scribit: *Magno prorsus & præstanti animo opus est, & qui in nullam se sinat deflecti partem humanarum rerum, quique virili fortitudine præditus ad summum jam pervaserit justitiæ habitum, suum jus ut cuique pro dignitate dispertiat ac distribuat, & malignè agentes noverit ad nihilum deducere; quantolibet magistratu isti polleant, quantislibet referti opibus se venditent, sint licet generis claritudine conspicui & illustres, quamlibet sui nominis splendorem sustollant ac celebrent; tantùm si in his deprehendatur ulla vitæ malignitas; hos, inquam, ad nihilum deducere, hoc est, ne tantilli quidem æstimare, excelsi est prorsus & præstantis animi. Contra verò timentes Dominum, ut hi pauperes sint, ignobiles, idiotæ sermone, corpore debiles; hos gloria & laudibus attollere; ac beatos existimare addecet eum, qui spirituali doctrina eruditus, tales didicerit planè esse beatos.* *Animi celsi fortitudo.* B *Eiusdem namque bene institutæ mentis fuerit, & agentem iniquè, quamvis clarum & potentem, nihili pendere, & timentem Dominum glorificare, quamvis tenuem, pauperis ac despicabilis vitæ, nec quidquam externorum possidentem, quæ nos invitent ad illius commendationem.*

NON EST IN TIMORE DEI MINORATIO, ET NON EST IN EO INQUIRERE ADIUTORIUM] Ita Latina Romana & Græca Complut. licèt ea quæ Romæ correcta sunt habeant φόβῳ, id est *timori*, pro *in timore*. Persistit in encomio timoris Dei, quasi apicis sapientiæ, omnisque boni, ac de more in eius laudes excurrit. Ait ergo: *Non est in timore Dei minoratio*, græcè ἐλάττωσις, id est, diminutio, defectus, inopia: q. d. Nihil deest timori Dei, ut hominem salvet: ipse enim sufficit, esto cetera desint: quare non est opus, ut quis inquirat adiutorem vel adiutorium, quod scilicet adiuvet timorem ad salvandum hominem; quasi is per se sit diminutus & insufficiens ad hoc, egensque alterius auxilio. Timor enim ceteras virtutes & bona vel comple- C ctitur, vel impetrat à Deo. Unde Syrus, *non est in timore Dei defectus, & non est opus quærere cum illo adiutorem*; & Vatabl. *religioni Domini nihil deest, nec opem in ea desideres*, iuxta illud psalm. 33. *Timete Dominum omnes sancti eius; quoniam nihil deest timentibus eum. Divites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono*. In omnibus aliis auxiliis & rebus est diminutio & defectus; ac proinde omnes egent ope, & auxilio alterius: at secùs est in timore Dei; quia hic nititur Deo, omniaque habet & potest in Deo, iuxta illud Jacob ad Joseph Genes. 49. 24. *Sedit in forti arcus eius, &c. Deus patris tui erit adiutor tuus*. Et illud Jacob ad Aser Deuter. 33. 26. *Ascensor cæli auxiliator tuus; magnificentia eius discurrunt nubes, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna; eiciet à facie tua inimicum, dicetque, Conterere*. Vide ibi dicta. Timens Deum ergo nullius opis indiget, quia Dei ope iuvatur & fulcitur. VERS. 27.

TIMOR DOMINI SICUT PARADISUS BENE- D DICTIONIS, ET SUPER OMNEM GLORIAM APERUERUNT ILLUM] scilicet timorem Domini. VERS. 28. Dixit v. præced. timorem amovere omne malum; nunc dicit conciliare omne bonum. q. d. Timor Dei est *sicut paradisus benedictionis*, id est, benedictus à Deo, cui scilicet Deus benedixit, id est, benefecit omni amœnitate, omni fructuum genere, copia, & præstantia eum decorans & locupletans. Sicut enim paradisum omni fructuum, sic timentem se omni virtutum genere cumulat, ac præsertim pascit eum ligno vitæ, id est, Eucharistia, quasi pane immortalitatis; qui scilicet veram & beatam immortalitatem ipsi conciliat, uti promisit Christus Joan. 6. 52. Simili modo v. 17. *gratiam*, id est, beneficentiam, comparavit paradiso benedictionis. Sicut ergo infernus est, ubi peccatum mortale est: ita paradisus & cælum est, ubi gratia & timor Dei est, ubi scilicet nullius criminis reatus conscientiam mordet. Timor enim Dei beatam facit animam, uti dixi cap. 34. Hinc Sancti qui timent Deum, in Scriptura vocantur cœli, iuxta illud psalm. 18. 1. *Cæli enarrant gloriam Dei*. Et psalm. 88. *Confitebuntur cœli mirabilia tua*. Et Apocal. 12. *Lætamini cæli, &c.*

&, & qui habitatis in eis. Quocirca *super omnem gloriam*, id est, præ omni decore & gloria tam Deus, quàm homines & angeli, *operuerunt*, id est, convestierunt, & ornarunt timorem Domini; dum timentem Deum præ omnibus laudant, honorant, celebrant, exaltant, magnificant; non tantùm verbis, sed & rebus; quia eum suis donis, gratiis, honoribus, dignitatibus, privilegiis, statibus, gradibus, adeoque omni gratia, & gloria condecorant. Unde Syrus, *timor Dei super omnia exaltatus est, apprehende illum fili mi, & ne dimittas illum; quia non est sicut ipse. Timor Dei in tempore benedictus, & super omnem honorem ipse laudatur*; & Vatabl. *religio Domini instar horti fortunati est, in quo contegendo omnis est superata magnificentia*. Noster legit ἐκάλυψαν, id est, operuerunt, in plurali; Jam Complut. & Romana legunt in singulari ἐκάλυψε, id est, *operuit*, vestivit, supple, Deus paradisum, æquè ac timorem & timentem Deum. Alii vertunt, *timor Domini similis est felici paradiso, cujus operimentum omnem gloriam exuperat*. Timor Dei ergo est gemmea calyptra, aurea cyclas, diadema smaragdinum, regium paludamentum; quod longè magis timentem Deum exornat, quàm omnes purpuræ & sceptra exornant reges & principes. Alludit ad benedictiones & beneficia data Patriarchis timentibus Deum; q.d. Has & plures obtinebis, iisque coronaberis, si timueris Deum. Præsertim verò alludit ad illam quam Jacob imprecatus est Josepho Genes. 49. 25. *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum & vulvæ. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius: donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Joseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos*. Similia tribui Joseph imprecatur Moses moriturus Deuter. 33. 13. Quàm ergo lætari, exultare & jubilare perpetim debet justus tot Dei benedictionibus circumvallatus, & quasi obrutus? quàm in adversis & arduis esse securus, constans, magnanimus, quem Deus undique coronat sua misericordia & miserationibus? Porrò Syrus addit hic duas gnomas, quæ desunt in Græcis & Latinis; *Fili mi*, inquit, *ei qui poscit te, ne deneges. Ne sis bonus ad occidendum, sed esto bonus ad vivificandum*.

Vers. 29. FILI IN TEMPORE VITÆ TUÆ NE INDIGEAS MELIUS EST ENIM MORI QUAM INDIGERE] Redit ad id quod dixit v. 18. *Vita sibi sufficientis operari conculcabitur*; ut ostendat quàm cavendum sit otium, quod est causa inopiæ; quamque amplectendus sit labor & operatio, quæ est causa opum & abundantiæ. Utrumque enim docet timor Dei, iuxta illud Pauli; *Est quæstus magnus pietas cum sufficientia*, 1. Timoth. 6.

Pro *indigeas & indigere* græcè est ἐπαιτεῖν, id est mendicare; quia indigentia est causa mendicitatis. Est ergo metonymia. Noster enim Interpres solerter expressit causam pro effectu, qui ordinariè ex tali caussa consequitur; unde Græca eleganter sic habent, Τέκνον ζωὴν ἐπαιτήσεως μὴ βιώσῃς· κρεῖσσον ἀποθανεῖν ἢ ἐπαιτεῖν, id est, ut Complut. *vitam mendicitatis* (Roman. *mendicationis*; alii, *mendicam*) *ne vivas; melius est mori, quàm mendicare*; Tigurina, *fili cave ne vivas mendicato: mortuum esse præstat, quam mendicare*; q.d. Fili ne otio & desidia te in summam egestatem & necessitatem assiduè mendicandi conjicias; indigentia enim, & egestas hic non qualibet, sed gravis & continua, quæ hominem cogat vivere mendicato, intelligitur. Alioqui nemo est, ne rex quidem, qui non quandoque alicuius rei sit indigus. Causa est, quòd vita mendicorum sit pauperrima, miserrima, sordidissima, onerosissima tam aliis, quàm sibi; ac propriè quòd apud Judæos erat infamis; erat enim signum iniquitatis & vitæ sceleratæ. Ad hanc enim castigandam Deus Judæis comminatus erat, & reipsa infligebat rerum penuriam & mendicitatem; sicut ex adverso justis, legemque suam servantibus promiserat opes, rerumque copiam, ut patet Levit. 26. toto penè capite, ac Deuter. 15. 4. *Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos*. Unde & Psaltes inter ceteras maledictiones impii, hanc quoque assignat; *Nutantes transferantur filii eius, & mendicent*, psalm. 108. Inter benedictiones verò pii hanc; *Non vidi justum derelictum, nec semen eius quærens panem*, psalm. 36. Verùm Christus hanc infamiam sustulit, adeoque beatos pauperes spiritu pronuntiavit, ipseque paupertatem hanc amplexus, Christianis, præsertim Ecclesiasticis & Religiosis perfectionis avidis, eam sectandam proposuit. Hæc enim est paupertas non coacta, sed voluntaria, spontèque ad exercitium humilitatis, patientiæ, pœnitentiæ suscepta; utque homo liber à desideriis curisque terrenis totus vacet Deo & contemplationi rerum cœlestium, ac per hoc opibus maximis in cælo à Deo beetur. Talis enim non respicit in mensam alienam, ut sequitur, sed in Deum ipsum, qui sibi servientibus, regnumque cælorum quærentibus promisit se temporalia adiecturum. Talis quoque orando, prædicando, docendo, &c. utilior est reip. quàm si laboraret manibus, unde Apostolus 1. Corinth. 9. *Si nos*, inquit, *vobis carnalia seminavimus, multum est si carnalia metamus*. imò Christus Lucæ 10. *Dignus est operarius cibo suo*. Unde S. Franciscus in Regula cap. 8. paupertatem suis impensè commendans; *Fratres*, inquit, *nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; sed tamquam peregrini & advenæ in hoc sæculo in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos* Celsitudo pauperis spiritu.
B *verecundari; quia Dominus pro nobis se pauperem fecit in mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos heredes regni cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium: cui totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub cælo habere velitis*.

Tropol. Rabanus appositè hæc accipit de acedia, & inertia ad exercendas virtutes, & conquirenda bonorum operum merita & lucra. *Admonet*, inquit, *nos sapientia, ne per otiositatem perdamus tempus nobis indultum, sed magis laboremus rectè credendo; intentè legem Dei meditando, atque bene operando; ut hic habeamus opes virtutum, & in futuro vitam æternam. Melius est enim à præsenti vita citò decedere, quam hic diu inutiliter vivere; quia otiosas diuturni temporis maiorem in tormentis habebit vindictam*. Citat deinde exemplum virginum fatuarum, quæ carentes oleo, dum illud emendicant, & quærunt, exclusæ sunt à nuptiis cælestibus; & servorum, qui talenta domini laboriosè expendentes, æternam ab eo mercedem receperunt, Matth. 25. Tropolog.

C VIR RESPICIENS IN MENSAM ALIENAM, NON EST VITA EIUS IN COGITATIONE VICTUS: ALIT ENIM ANIMAM SUAM CIBIS ALIENIS. VIR AUTEM DISCIPLINATUS ET ERUDITUS CUSTODIET SE] Pro *non est vita eius in cogitatione victus*, græcè est, οὐκ ἔστιν αὐτοῦ ὁ βίος ἐν λογισμῷ ζωῆς, id est, *non est vita eius in æstimatione*, reputatione, computu, *vita*. q. d. Talis vita non est æstimanda & censenda vita, sed mors potiùs longa & assidua, quia assiduè eget, famet, mendicat, despicitur & ridetur. Unde à Græcis talis vita vocatur ἀβίωτος βίος, id est, vita sine vita, vita non vitalis, vita miserorum morientium potiùs quàm viventium. Sic quoque Noster accipi posset: sæpe enim victus ponitur pro vita, quia hæc victu & cibis sustentatur, ut sit metonymia. Planiùs tamen Nostrum, & consequenter Græca sic exponas, q. d. Mendicus, qui cùm non habeat mensam & cibum, quo se alat, cogitur respicere in mensam alienam, ut ea pascatur; hic, inquam, vitam agit otiosam & inertem, nec cogitat de laborando, ut sibi victum paret: *alit enim animam*, id est vitam, *suam cibis alienis*. Pro *alit* græcè est ἀλισγήσει, id est *contaminabit*: quia mendicorum vita est spurca, misera, inops, vilis, sordida, stolida & infamis, imò bestialis & canina: canes enim mendicant ad mensam heri jugiterque ad eum respiciunt, ut sibi os aliquod proiiciat quod rodant: unde mendicus vitam non habet propriam, sed alienam: vita enim eius est in potestate non sua, sed divitis, in quem respicit, quique eum alit: ut, si ille nolit eum alere, vita privandus & fame conficiendus sit: perinde ut incarcerati pendent à manu & ore præfecti carceris, ut ab eo victum vitamque recipiant, vel fame conficiantur, & mori cogantur. Quare *vir disciplinatus, & eruditus*, id est prudens & sapiens, *custodiet se*, ne in vitam tam miseram sua inertia incidat: sed potiùs laborando comparabit sibi alimenta, ut vitam agat propriam, honestam, quietam, jucundam. Unde Tigur. vertit, *viri mensam* Vers. 30. Vers. 31. Mendicorum vita mors potius quā vita.

alie-

alienam spectantis vita non est pro vita deputanda: nam A *animum suum contristat.* (Vatabl. *inquinat*) *cibis alienis: quod cavebit vir prudens & eruditus;* Complut. legentes οὐκ ἔχει βίον, sic vertunt, *vir respiciens ad alienam mensam, non habet vitam in ratione vitæ inquinabit animam suam in cibis alienis: vir autem sapiens & eruditus custodiet;* Romani verò legentes οὐκ ἔστιν αὐτοῦ ὁ βίος, vertunt, *vir respiciens in mensam alienam, non est vita eius in computatione vitæ, &c.* alii, *eius vita non est habenda vita, &c. vir autem sciens & eruditus id cavebit;* Syrus, *virum qui sperat in mensam alienam, nemo reputabit vivum. Odit animam suam qui amat voluptates, & viro qui cognoscet eas, dolor viscerum sunt.*

IN ORE IMPRUDENTIS CONDULCABITUR
Vers. 32. INOPIA, ET IN VENTRE EIUS IGNIS ARDEBIT] Ita Roman. Pro *imprudentis* græcè est ἀναιδοῦς, id est, *impudentis*: & ita legit Rabanus, Jansen. & alii, quin & Syrus, *in ore impudentis,* inquit, *suavis erit mendicatio, & sicut ignis ardet in medio eius.*

Pro *condulcabitur* perperam aliqui legunt *conculcabitur*; græcè enim est γλυκανθήσεται. Per *inopiam* metonymicè accipitur mendicitas, & vita mendica, cuius inopia & inertia est causa: hanc enim significat Græcum ἐπαιτεία. Nam aliàs hæc sententia esset adversa illi cap. 13. 30. *Nequissima paupertas in ore impii.* Sensus ergo est, q. d. Homo imprudens & impudens, qui caret prudentia æquè ac pudore, dulcem sibi æstimat mendicitatem, quia mavult iners inverecundo ore mendicare, quàm honestè manibus laborare, ut victum sibi comparet: præfert enim inertiam labori, suavitatem honestati, inverecundiam pudori. Quocirca pœnam damnumque sentiet: nam *in ventre* & stomacho *eius ignis*, id est fames ex caloro stomachi excitata, exardescet, eumque affliget & cruciabit; qui si laborare voluisset, famem omnem abundè depulisset, ac simul suo pudori, famæ & honestati consulvisset.

Unde Arabicus, vertit, *quæstio* vel *petitio impudentis, timor in ore illius; veluti ignis in ventre illius ardet;* Tigurina, *ori impudentis suavis est mendicitas* (alii, *mendicatio,*) *ignis ardet in ventre eius.* Ita videmus homines viles, & errones vagabundos, imprudenter & impudenter mendicare malle, quàm laborando victum quærere: ex hac impudenti inertia & inopia aguntur sæpè in furta, rapinas, latrocinia, aliaque scelera, uti experientia constat. Qua de causa multæ urbes rectè moratæ, in quibus viget politia, non permittunt mendicos, sed cogunt pauperes si vires habeant, laborare: sin viribus ob ætatem vel morbum careant, sintque indigenæ, alunt eos in nosocomiis vel hospitalibus: exteros verò ad suas civitates & pagos relegant. Hac de causa Plutarchus in Laconicis laudat Lacedæmonios, quòd mendicos habebant velut infames, & mendicitatem velut probrum; eò quòd & otium odissent, & minimo essent contenti. Benignitas autem in mendicos est quidem actus magnæ virtutis; sed ea piorum hominum bonitas alit plurimorum malorum luxuriosam ignaviam. Unde Lacon, inquit, roga-
B tus à mendico ut sibi daret eleemosynam, respondit; *Si quid dedero, magis es futurus mendicus: atque istius probrosæ vitæ tuæ auctor fuit qui tibi primus dedit, teque fecit inertem.* Quocirca Salomon mortalium sapientissimus mendicitatem deprecatur Prov. 30. 8. dicens *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicā, Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer & periurem nomen Dei mei.*

Tropol. Rabanus pergit hanc sententiam adaptare inerti ad bona opera, cui suavis est sua pigritia; sed ob hanc igne gehennæ cruciabitur. *Cui enim,* inquit, *modo placet magis desidiæ otio torpere, quàm verbo doctrinæ proximis prodesse; hic in futura pœna ardens, etiam pœnitentiæ doloribus in animo æstuante sine remedio cruciabitur.*

CAPUT QVADRAGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Redit ad initium cap. 40. agitque de ultima parte jugi posteris Adæ incumbentis, putà de morte. Igitur Primò, v. 1. usque ad 8. docet quibus amara sit mors, quibus iucunda. Secundò, à v. 8. ad 17. agit de filiis probrosis, de maledictione impiorum, deque pulchritudine ac cura boni nominis. Tertiò, à v. 17. ad finem varia recenset, de quibus est erubescendum. Porrò congruo ordine hæc prosequitur: ex primo enim sequitur secundum, ex secundo tertium. Primò enim docet mortem amaram esse divitibus, qui in hac vita deliciis & prosperitate affluunt, dulcem verò esse pauperibus & afflictis; ut inde ostendat mortem in se non esse adeò amaram & terribilem, uti multi autumant, sed id pendere ex affectu & dispositione hominum, scilicet amaritudinem mortis provenire ex nimio affectu vitæ suavis & deliciosæ. Vbi enim hic affectus non est, ut in pauperibus & afflictis, ibi non amara, sed dulcis est mors. Ex quo concludit, non esse metuendam mortem, quòd illa commune naturæ sit debitum, ideoque ex necessitate omnibus nullo excepto subeunda. Cùm igitur nulli semper vivere liceat, hinc Secundò, colligit curandum cuique esse, ut moriens bonum sui nomen & famam postumam, in qua semper vivat, relinquat. Vnde Tertiò, disserit de bono nomine, in quo illud consistat, docetque consistere in eo si quis nil committat pudendum, cuius, scilicet, eum pudere, & de quo erubescere meritò debeat quænam autem illa sint, sigillatim recenset.

O Mors quàm amata est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis; 2. viro quieto, & cujus viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum! 3. O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, 4. defecto ætate, & cui de omnibus cura est, & incredibili, qui perdit patientiam! 5. Noli metuere judicium mortis. Memento quæ ante te fuerunt, & quę superventura sunt tibi: hoc judicium à Domino omni carni. 6. & quid superveniet tibi in beneplacito Altissimi? sive decem, sive centum, sive mille anni. 7. Non est enim in inferno accusatio vitæ. 8. Filii abominationum fiunt filii peccatorum, & qui conversantur secus domos impiorum. 9. Filiorum peccatorum periet hereditas, & cum semine illorum assiduitas opprobrii. 10. De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio. 11. Væ vobis viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi. 12. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini: & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. 13. Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur: sic impii à maledicto in perditionem. 14. Luctus hominum in corpore ipsorum, nomen autem impiorum delebitur. 15. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni. 16. Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in ævum. 17. Disciplinam in pace conservate filii, sapientia enim abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? 18. Melior est homo qui abscondit stultitiam suam, quàm homo qui abscondit sapientiam suam. 19. Verumtamen reveremini in his, quæ procedunt de ore meo.

20. Non

20. Non est enim bonum omnem reverentiam observare : & non omnia omnibus beneplacent in fide!
21. Erubescite à patre & à matre de fornicatione : & à præsidente & à potente de mendacio : 22. à
principe & à judice de delicto : à synagoga & plebe de iniquitate : 23. à socio et amico de injustitia :
& de loco in quo habitas, 24. de furto, de veritate Dei, & testamento, de discubitu in panibus, &
ab obfuscatione dati et accepti : 25. à salutantibus de silentio : à respectu mulieris fornicariæ : et ab
aversione vultus cognati . 26. Ne avertas faciem à proximo tuo , et ab auferendo partem , et
non restituendo . 27. Ne respicias mulierem alieni viri , et ne scruteris ancillam ejus , neque
steteris ad lectum ejus . 28. Ab amicis de sermonibus improperii : et cùm dederis , ne im-
properes .

VERS. 1. O MORS QUAM AMARA EST MEMORIA TUA HOMINI PACEM HABENTI (græcè, *εἰρηνεύοντι*, id est, *pacificè viventi*) IN SUBSTANTIIS SUIS; VIRO QUIETO (græcè ἀπερισπάστῳ, id est indistracto, otioso, quieto,)

VERS. 2. ET CUJUS VIÆ DIRECTÆ SUNT IN OMNIBUS, ET ADHUC VALENTI ACCIPERE CIBUM!] id est sano, vegeto & valido, cui sapit cibus, qui suis opibus & deliciis fruitur & deliciatur. q. d. O quàm acerba est non solùm ipsa mors, sed etiam mortis memoria diviti, qui pacificè opes magnas possidet, in iisque conquiescit; ut nullæ curæ, lites, molestiæ eum ab hac sua pace & quiete deturbent vel disturbent: *cujus viæ*, id est actiones, *directæ*, id est prosperæ & felices, sunt *in omnibus*, cui scilicet omnia prosperè succedunt, ut filias suas bene collocarit, filios ditarit, servos honestarit, &c. quique adhuc sanus valensque est, ut suis uti fruique possit. Mors enim hæc omnia ipsi adeò jucunda admit cum vita; quare acerba ei accidit: quæ enim cum amore possidentur, hæc cum dolore avelluntur: ac quantus est amor, tantus est & dolor. Quocirca S. Chrysost. apud Antonium in Melissa: *Mors*, inquit, *hominis divitis & fortunati est duplex*; quia anima ejus æquè adhæret divitiis & felicitati, ac corpori: quare dum ab utrisq; avellitur, duplicem quasi oppetit mortem. Unde multi in morte suspirant, quòd suas opes relinquere debeant. Vis ergo ut mors ejusque memoria non te torqueat? vivens abdica à te delicias & opes, easque eroga in pauperes, uti faciunt Religiosi aut certè affectum ab eis averte, eumq; in Deum confer, uti fecere Abraham, Isaac, Jacob, Moses, David, ceterique sancti reges & patriarchæ. Unde Syrus vertit, *o mors quàm mala es viro diviti qui sedet in in bonis suis, viro qui validus est, & prosper omni tempore, & motus in eo est, & facultas ad eligendum divitias vel mortem*; & Vatabl. *quàm amara est, o mors, tui memoria homini quieto in bonis suis* (alii, *pacatè fruenti bonis suis*) *viro vacuo negotiis, feliciq; per omnia & cibum adhuc sumere valenti*! Talis enim, inquit Dionys. sensibilia & caduca plus diligit, quàm divina & æterna. Idcircò amarum est ei non solùm à præsentibus separari, sed etiam de ipsa separatione meditari. E contrario verè sapientes mortem assiduè cogitant, & quòd post eum non sit reditus ad vitam; sed mox tremendum Dei sequatur judicium, & pœnæ gravissimæ; quanta etiam molestia tunc sit tentationum morientes impugnantium, denique quàm miserum sit non esse paratum ad mortem. Quocirca S. Basilius (quod & olim dixerat Plato) rogatus ab Eubulo: *Quæ est definitio philosophiæ?* respondit: *Prima definitio philosophiæ, meditatio mortis. Ille verò admirans ait: Quis est mundus?* ait: *Qui est super mundum*, uti refert Amphiloch. in Vita S. Basilii.

Gnoma. Huic Siracidis sententiæ parallelæ sunt philosophorum gnomæ. Senecæ in Proverbiis: *O vita misero longa, felici brevis!* Platonis: *Molestior est fortunatis mors, quàm laboriosè viventibus*. Secundi philosophi, qui teste Laertio rogatus ab Adriano Imperat. quid esset mors? respondit:

Mors quid? *Mors est æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somnij pater, fuga vitæ, viventium discessio, resolutio omnium*. B. Alcuni Flacci disput. cum Pipino Caroli Magni filio: *Mors est inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, lacrymæ viventium, testamenti firmamentum, latro hominis*.

Alleg. Palacius: Si huic, inquit, ita depicto viro tam est tristis memoria mortis in hoc mundo, viro sancto meliores, id est spirituales, opes habenti, pace post multas pugnas comparata, vita sine animarum cura quadamtenus otiosa, cui omnia prospere cadunt; quàm erit tristis, quàm horrenda, quàm intolerabilis mortis secundæ memoria! O quale est memorari, fieri posse ut anima talis æternum sit sine Deo? Pavet etymon mortis. Nam, ut ait S. Isidor. lib. 11. Origin. cap. 2. *mors dicta est, quod sit amara; vel a marte, qui est effector mortium; sive mors a morsu primi hominis, qui vetitæ arboris pomum mordens mortem incurrit*. *Mortis etyma.* Additque: *Tria sunt genera mortis, acerba, immatura, naturalis: acerba infantium: immatura juvenum: matura, id est naturalis, senum*. Præclarè S. Greg. Nazianz. in Distichis: *Ossa nuda*, inquit, *spectata nos admonent, ne quid hujus vitæ nobis proprium ac certum esse credamus*. Quocirca S. Siluester Auximanus, viso adolescentis nobilis sepulcro, ejusq; ossa contemplans compunctus ait: *En ego sum quod hic fuit, & brevi ero quod hic est*. Quare, relictis omnibus, in eremum apud Fabrianum secessit, uniq; Deo vacans congregationem instituit quæ ab eo Silvestrina nuncupatur. Migravit in cælum anno Domini 1267. ita habet Vita ejus scripta ab Andrea monacho Fabrianensi, S. Antonius in Chronic. Ferrarius & alii.

Exemplum illustre hujus sententiæ est apud Damascenum in Historia Balaam & Josaphat cap. 5. Josaphat enim filius regis Abenner, jussu patris in omnibus deliciis educatus, adeò ut nesciret quid esset mors, vel homines mori; cùm à suis tandem idipsum didicisset, ingemuit dixitque: *Ergo ne mors me aliquando corripiet? Et quisnam erit qui mei post mortem meminerit, cùm tempus omnia oblivione contriverit? Num præterea morte functus in nihilum dissolvar, an contrà altera quædam est vita, & alter mundus?* Quorum omnium veritatem & rationem edoctus à Barlaam, ad Christum conversus, tandem relicto regno eum in eremum secutus, vitam angelicam in terris egit, ac per felicem mortem transivit ad angelorum immortalitatem. Barlaam enim moriens hoc ei documentum quasi testamentum reliquit: *Ad laborum duritiem, ac temporis diuturnitatem animo ita comparatus esto, tamquam quotidie discessum è vita expectans; atque eumdem diem tibi vitæ monasticæ tum initium, tum finem esse existimans. Sic semper quæ a tergo sunt obliviscens, atque ad ea quæ a fronte sunt, teipsum extendens, ad destinatum persequere, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.*

O MORS, BONUM EST JUDICIUM TUUM VERS. 3.
HOMINI INDIGENTI, ET QUI MINORATUR VERS. 4.
VIRIBUS, DEFECTO ÆTATE, ET CUI DE OMNIBUS CURA EST, ET INCREDIBILI QUI PERDIT PATIENTIAM!] Ita Roman. & Græca: malè ergo Palacius, Jansen. & alii pro *patientiam* legunt *sapientiam* quam hæc duo conjuncta sunt; patiens enim verè est sapiens; & qui perdit patientiam, perdit & sapientiam, quæ docet patienter omnia adversa tolerare: quare dum fit impatiens, fit pariter insipiens. Aliter Emmanuel Sa, *qui perdit sapientiam*, inquit, est decrepitus, qui præ senio delirat, aut certè multorum oblitus perdidit quasi memoriam: hunc enim satius est mori, quàm vivere.

Est antithesis versus præced. q. d. Sicut divitibus, qui abundant opibus, deliciis, sanitate, pace, quibusque omnia prosperè succedunt, acerba est mors: sic eadem jucunda est pauperibus, miseris & desperatis; quia ab his ærumnis liberat eos, juxta illud cap. 30. *Melior est mors, quam vita amara*. *Judicium*. vocat tum decretum & sententiam Dei, quo omnes Adæ posteros damnavit ad mortem, Genes. 3. tum morem, consuetudinem, necessitatem moriendi omnibus communem & inevitabilem, ac quasi fatum: hanc enim significat Hebr. משפט *mispat*, id est judicium. Unde Tigurina vertit, *quam iucundum est, o mors, fatum tuum homini egenti, defectoque viribus, decrepito, undique districto, desperabundo, patientiaque destituto*; Syrus, *quam felix es viro qui fractus est, & deficiens animo, viro seni*

git Noster cum Romanis, Tigurina, & aliis *μῆνιν*, vel *μηνίαν*, idest, ira diuturna, inveterata, odium, inimicia ulciscendi tempus observans. Jam Complut. legunt, *μίμημα*, idest, imitatio, simulacrum; sed minùs congruè, ut videtur. Septimò, *contentio*. hæc enim est quasi erynnis, quæ turbat mentem, eamque inquietam efficit, agitque in mille jurgia, lites, verbera & neces. Hæ igitur septem passiones & perturbationes sunt septem partes, & species jugi gravis hominibus tam summis, quàm imis incubantis per diem, quæ æquè ac somnia per noctem immutant, agitant, alterant, lacerant hominis mentem, &, ut vertit Tigurina, *ingenium cujusque variè afficiunt*. Quocirca ipsæ sunt quasi totidem animæ carnifices, eam lancinantes; unde & passiones ac perturbationes nuncupantur, quòd animam perturbent, & passionibus diris excrucient, quas proinde in sapientem non cadere censebant Stoici. Audi S. Augustin. libr. 14. de Civit. cap. 8. *Quas Græci appellant εὐπαθείας, latinè autem Cicero constantias nominavit; Stoici tres esse voluerunt, pro tribus perturbationibus in animo sapientis, pro cupiditate voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem, pro ægritudine verò vel dolore, quem nos vitandæ ambiguitatis gratia tristitiam maluimus dicere, negaverunt esse posse aliquid in animo sapientis. Voluntas quippe, inquiunt, appetit bonum quod facit sapiens. Gaudium de bono adepto est, quod ubique adipiscitur sapiens. Cautio devitat malum, quod debet sapiens devitare. Tristitia porrò quia de malo est, quod jam accidit. Nullum autem malum existimant posse accidere sapienti. nihil in ejus animo pro illa esse posse dixerunt. Sic ergo illi loquuntur, ut velle, gaudere, cavere negent nisi sapientem: stultum autem non nisi cupere, lætari, metuere, contristari. Et illas tres esse constantias: has autem quatuor perturbationes; secundum Ciceronem plurimas autem passiones. Græcè autem illæ tres, sicut dixi, appellantur εὐπάθειαι: illæ autem quatuor πάθη.*

Verùm hanc Stoicorum sententiam, quòd scilicet passiones jam dictæ in sapientem non cadant, refutat S. Augustin. libr. 9. de Civit. cap. 4. docens sapientem non tantùm quatuor posterioribus, sed & tribus prioribus, adeoque omnibus septem passionibus esse obnoxium; sed nosse eas frænare & regere. Has impiorum passiones, pavores & angores egregiè describit Sapiens toto capit. 17.

Anagogicè, Rabanus hæc omnia adaptat damnatis in gehenna: *Furor enim*, inquit, *& zelus ostenditur in vindicta, quando peccatores pro delictis suis cruciabuntur in pœna: ubi tumultus est & fluctuatio, quia nullus ordo, sed perpetuus horror ibi inhabitat: ubi timor mortis est, & iracundia perseverans, & contentio. Verè ibi timor est mortis, ubi continuum incendium est gehennæ ignis; iracundia perseverat & contentio: quoniam nulla pax ibi est, & nulla doloris mitigatio.* Et inferiùs: *Quid enim horribilius dici, quid cogitari potest, quàm damnationis vulnera suscipere, & dolores vulnerum numquam finire? In hujus vitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati jam cœperit quod metuebat. Inferni ignibus reprobi traditi, & in suppliciis dolorem sentiunt, & in doloribus angustia, pulsante semper pavore, feriuntur: ut quod timent tolerent, & rursum quod tolerant sine cessatione pertimescant. Hic flama quæ succendit, illuminat: illic ignis qui cruciat, obscurat. hic metus amittitur, cùm tolerari jam cœperit quod timebatur: illic & dolor dilaniat, & pavor angustat.* Et paulò pòst: *Tempus refectionis dicit tempus remunerationis, quando corpore condito in cubili sepulcri, anima locis pœnalibus pro peccatis suis deputatur. Tunc somnus mortis immutat scientiam ejus, quia longe aliter tunc sentit de actibus suis, quam antè in hac vita sentiebat: quia tunc omnia manifestabuntur, quæ prius fuerunt occulta: atque a malignis spiritibus ei in memoriam reducuntur, quæ hic negligebantur, aut oblivioni tradebantur.* Et post nonnulla: *Tunc modicum tamquam nihil est in requie, quia licet caro mortua, & insensibilis a doloribus ad tempus requiescere videatur in terra; anima tamen vivens ante judicii diem sentit dolorem, & in die resurrectionis ipsum corpus per quod peccavit, immortale recipiens, in pœnas vivet sempiternas. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate. sic videlicet, a damnatis sentiri pondus summæ æquitatis debet; ut quia à voluntate conditoris nequaquam sunt veriti discrepare dum viverent, in eorum quandoque interitu ipsa a suis qualitatibus etiam tormenta discordent, quatenus quo se impugnent, cruciatus augeant: & cum variè prodeant, multipliciter sentiantur. Ita miseris fit mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia & mors vivit, & finis semper incipit, & desitere defectus nescit.*

In gehennis mors semper vivus.

MODICUM TAMQUAM NIHIL IN REQUIE, ET AB EO IN SOMNIS, QUASI IN DIE RESPECTUS. CONTURBATUS EST IN VISU CORDIS SUI, TAMQUAM QUI EVASERIT IN DIE BELLI. IN TEMPORE SALUTIS SUÆ EXURREXIT, ET ADMIRANS AD NULLUM TIMOREM] Syrus, *quod promittitur in visione noctis, sicut vir qui fugit a facie persequentis: expergiscitur, & videt quod non habet quidquam*. Comparat somnium excubiis, & somniantem excubitori: unde pro *in die respectus*, græcè est *ἐν ἡμέραις σκοπιᾶς*, id est *in diebus speculæ*. Sicut enim vigil, qui foris in monte contra hostes excubat, sollicitus est, & pavidus, ac anxiè circumquaque respectat num quem videat adventantem: &, si videat hostem, illico fugit ad suos in urbem, vel arcem: sic prorsus facit, & somnians. Sensus ergo est, quasi dicat, Somnians, esto in lecto quiescat, & dormiat, tamen modicum, & quasi nihil est in requie, parumque requiescit: & *ab eo*, scilicet modico, quo fuit in requie, q. d. Post modicam somni tranquilli, & insomniis vacui quietem, mox somniare incipit, atque *in somnis quasi in die respectus*, idest, prospectus, quo instar vigilis in specula excubantis anxiè, circumquaque respicit, & prospicit quid agatur, subaudi, sollicitus est, & pavidus. quasi dicat, Somnians sollicitè pavideque quasi vigilat, & excubat ad illa, quæ somnium ingerit, vel minatur. Quare sæpè *conturbatus est in visu cordis sui*, putà in visione, & phantasmate imaginationis suæ: somniavit enim se circundatum hostibus, putavitque se fugere *tamquam qui evaserit*, græcè *φεύγων*, vel, ut alii, *ἐκπεφευγώς*, idest, *qui effugit*, in præterito, *in die belli*. q. d. Somniavit se esse obsessum hostibus, ideoque eos fugere, adeoque vivè, id sibi visus est facere, ac si reipsa fugisset, & assiduè fugiendo tandem effugisset manus hostium, salvusque evasisset. Quare *in tempore salutis suæ exurrexit*, idest, quando somniavit se fuga lapsum evasisse, esseque salvum, præ gaudio è somno evigilans surgit, & admiratur se fuisse conturbatum, & anxium *ad nullum timorem*, idest, ubi nihil erat timendum. quasi dicat, Admirans videt, & agnoscit omnia fuisse vana phantasmata somnii, nec in re quidquam fuisse belli, vel hostium, quod expavesceret, & fugeret: nam, ut ait Sophar, *velut somnium avolans non invenietur. transit sicut visio nocturna*, Job 20. 8. Unde Vatablus clarè vertit, *parum ac penè nihil datur quieti: deinde in somnis animi, quasi quo tempore quis in speculis excubat, perturbantur imaginatione, & veluti qui ex conspectu prælii aufugerit, excitantur tempore salutis suæ, vanumque terrorem admirantur*. Id maximè verum experimur in ephialte, quem Latini Incubum vel Incubonem vocant, quo quis somniat se à mole quapiam vel ab hoste invadi, opprimi, suffocari, & strangulari, nec posse se effugere: unde angitur, gemit, sudat. Oritur id vitii ex crapula, & continua ventriculi cruditate, unde vapores crassi, & frigidi elati cerebri ventriculos replent, prohibentque spiritus cerebri per nervos diffundi. ita Paulus Ægineta libr. 3. cap. 15. Hoc somniorum ludicrum, sed grave ludibrium, expertus Job dicebat cap. 7. vers. 14. *Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea*. Et S. Aug. lib. 10. Conf. cap. 30. lugens sua somnia inhonesta: *Et tantum*, inquit, *valet imaginis illusio in anima mea, & in carne mea; ut dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera non possunt*. Idem tamen Augustin. libr. 12. de Genesi ad liter. capit. 2. fatetur somnium subinde sibi somnianti visum fuisse somnium, non rem veram: *Quamquam*, inquit, *mihi accidisse scio, & ob hoc etiam aliis accidere potuisse, vel posse non dubito, ut in somnis videns, in somnis me videre, sentire, illasque imagines, quæ ipsam nostram consuetudinem ludificare consueverunt, non esse vera corpora, sed in*

Vers. 6.

Vers. 7.

Somniorũ ludrica lubrica.

Somniũ S. Augustini visũ somnium.

somnis

somnis ea præsentari; firmissimè etiam dormiens tenerem atque sentirem. Sed etiam tunc sæpè aliquid falsi, vel quod revera non existit, somnio admiscetur, uti ibidem subdit S. August.

Anagog. Rabanus hæc omnia adaptat damnatis, qui *æstimaverunt*, inquit, *per prosperitatem mundi quasi per somnium delusi, quòd tempus pacis esset, & non belli*.

VERS. 8. CUM OMNI CARNE, AB HOMINE USQUE AD PECUS, ET SUPER PECCATORIBUS SEPTUPLUM] q. d. Hæ ærumnæ & passiones jam recensitæ obveniunt omni carni, id est animanti, tam hominibus quàm pecoribus: nam & pecora somniant, suisque somniis percelluntur, ut docet Aristotel. de Divin. per somnium cap. 1. & Plinius libr. 10. cap. ult. *Præter hominem*, inquit, *somniare equos, canes, boves, pecora, capras palam est. Ob hoc creditur, & in omnibus quæ animal pariunt. De iis quæ ova gignunt, incertum est; sed dormire ea, certum*. Verùm peccatoribus hę ęrumnę accidunt *septuplum*, id est longè ampliùs. Hos enim exagitat ira, furor, zelus, ceteræque passiones, indeque somnia turbulenta & pavida, uti de Ægyptiis docet Sapiens cap. 18. dicens: *Visus somniorum malorum turbaverunt illos, & timores super venientes insperati*. Causæ sunt multæ. Prima, quòd Deus persequatur & affligat peccatores. Secunda, quòd pii patientiùs ferunt mala, quàm impii, utpote destituti gratia Dei, & pleni cupiditate, superbia, impatientia. Tertia, quòd pii ad Deum quasi ad asylum in tribulatione confugiant, Deus autem solatur eos sperantes & invocantes se: neutrum obtingit impiis. Unde Tigurina vertit, *hoc omni conjunctum est animanti, tam homini, quàm pecudi: at scelerosis septies tantò ampliùs*: alii, *omnia hæc adsunt carni, tam hominibus, quam jumentis, & peccatoribus insuper septuplo plura*. Nota. Τὸ *septuplum* significat copiam & plenitudinem horum flagellorum, quæ obvenit impiis. Sic Genes. 4. 15. & 24. *Septuplum*, ait, *ultio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies*. Ubi Procopius: *Septenarius*, inquit, *perfectionem pœnæ denotat*. Unde illud Levit. 26. 28. *Corripiam vos septem plagis*. Et psal. 78. 12. *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum*. Uide Delrio adagio 10. Porrò Syr. vertit, *cum omnibus filiis carnis cura eorum sunt, & divitiæ cum timore expergefaciunt eos*.

Ærumnæ magis cruciant impios quam pios, ob tres causas.

VERS. 9. AD HÆC MORS, SANGUIS, CONTENTIO, ET RHOMPHÆA, OPPRESSIONES, FAMES, ET CONTRITIO, ET FLAGELLA: SUPER INIQUOS CREATA SUNT HÆC OMNIA, ET PROPTER ILLOS FACTUS EST CATACLYSMUS]

VERS. 10. Pro *adhæc* græcè est ἐπὶ ταῦτα, quod Roman. Tigur. & alii referunt ad *septuplum*, quod præcessit: unde vertunt, *septuplo plura*. Dixit de ærumnis hominis intrinsecis, jam recenset extrinsecas, & aforis homini advenientes, quas omnes asserit communes quidem esse omnibus, sed tamen maximè tangere peccatores. Tales sunt mors ab alio violenter illata, effusio sanguinis, contentiones, rhomphæa, id est, gladius feriens & lædens, oppressiones, fames, contritio, id est vastatio hostilis, & flagella quælibet. Hæc omnia omnibus quidem obveniunt, sed maximè affligunt læduntque peccatores. Unde & propter eos orbi inductum est à Deo diluvium, sive cataclysmus tempore Noë. Peccatoribus enim hæc Deus propriè immittit ut flagella culpæ, ad ulciscendum eorum scelera; justis vero tantùm ad probationem & augmentum virtutis & meritorum: quare eis inferuntur non ut mala, sed ut bona, inquit Jansenius. Unde Tigurina vertit, *mors, cædes, dissidia, gladius, oppugnationes, fames, clades, supplicia: simul omnia hæc in injustos creata sunt, & propter ipsos à Deo diluvium extitit*. Igitur hæc flagella propriè propter peccatores, ad castiganda eorum peccata, à Deo creantur, id est producuntur & immittuntur; sed per concomitantiam tangunt quoque bonos, qui cum peccatoribus habitant, & commisti sunt: perinde ac sol, pluvia, grando, gelu, frigus, calor tangunt omnes loci incolas, ideoque bonos cum malis. Quare prudenter monet Sapiens:

Gaudere parcè oportet, & sensim queri:
Totam quia vitam miscet dolor & gaudium.

VERS. 11. OMNIA, QUÆ DE TERRA SUNT, IN TERRAM CONVERTENTUR, ET (id est *sicut*: est enim & comparationis, comparans aquam terræ) OMNES AQUÆ (scilicet vivæ, hoc est mobiles & fluentes, non stantes vel stagnantes) IN MARE REVERTENTUR] ex quo scilicet primitus prodierunt, Genes. 1. 9. q. d. Omnia redeunt ad suum principium, scilicet quæ ex terra prodierunt, redeunt ad terram; quæ ex aquis, ad aquas & mare. Nominat mare, quia initio mundi Deus omnes aquas quæ sub cælo sunt, segregavit à terra in locum unum, *congregationesque aquarum appellavit maria*, Genes. 1. 9. Quare mare tunc constituit principium, imò conceptaculum & receptaculum aquarum omnium; ut scilicet ipsum per cuniculos & venas subterraneas per totam terram sparsas, perque vapores quos evaporat in aquam pluviamque resolutos, esset matrix & origo omnium fontium & fluminum, uti dixi Genes. 1. 9. & pluribus dicam Eccles. 1. vers. 7. qui sic habet: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant*. Eò enim alludit hic Siracides: ubi vide nostrum Pinedam. Unde Græca habent, καὶ ἀπὸ ὑδάτων εἰς θάλασσαν ἀνακάμπτει, id est, *ex aquis*, scilicet nata, *in mare*, putà in aquas (quarum matrix est mare) *reflectuntur*, vel deflectunt; Tigurina, *quæcumque è terra constant, in terram redeunt, & e mari orta in mare remeant*. Vbi adverte, quod in Proœmio monui. Tigur. non verbum verbo, sed liberiùs sensum, quem auctor ejus in mente sibi efformavit, reddere; vnde eum non tam Interpretem, quàm commentatorem agere. Nam pro *ex aquis* (ut est in Græco) ipse vertit, *ex mari*; quia censuit omnia flumina prodire è mari.

B

Hæc generalis sententia commodè exponenda est; *omnia*, id est pleraque omnia, plurima: nam non omnia omnino ex terra nata in terram convertuntur: domus enim, arbores & ligna, quæ comburuntur, convertuntur in ignem, fumum & aerem, non in terram: sic pariter non omnes omnino aquæ in aquas & mare redeunt, ut patet in iis quæ radiis Solis calefactæ in exhalationes, inde que in ignem vel aerem convertuntur, ac in iis quæ terra mistæ in lutum & terram vertuntur; C sed plurimæ & maximæ, ut ingentia flumina in mare decurrunt & remeant. Vnde & viri docti censent, mare Caspium, licet planè ab aliis appareat separatum, occultè tamen per arcanos meatus jungi Oceano, & in illum decurrere.

Dicit hoc Siracides, vel ut explicet mortem, de qua dixit v. 1. 4. & 9. quæ est præcipua pars jugi incumbentis posteris Adę v. 1. q. d. Jugi hujus potior pars & terminus est mors, per quam homines è terra nati (ut & ceterę res omnes) in terram revertuntur, juxta legem in eos latam Genes. 3. 19. Quin & impii per mortem non tantùm secundùm corpus, sed & secundùm animam in terram, cui illam affixerunt, revertuntur: abeunt enim in gehennam, quę est in centro terrę. Vel potiùs, hanc sententiam quasi exordium, ad sequentia referas: per eam enim ostendit Siracides jugum & stultitiam impiorum, qui cùm proni in terram velut pecora terrę bonis incumbunt, ut coacervent opes, familias, filios, nepotes, mox iisdem privantur; eò quòd D omnia in terram è qua prodeunt, revoluantur & relabantur: cùm pii cor suum affigentes fidei & virtuti, coacervent opes cęlestes in ęternum duraturas, juxta illud: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Ergo, ò insipiens & infelix homo, cur affigis humo divinæ particulam aurę? cur non potiùs animam tuam Deo tuo reddis, ut cum eo in eterna gloria perennet? Vnde idipsum applicans & explicans subdit: *Omne munus & iniquitas delebitur*. Hoc voluit Syrus dum vertit, *omne quod de terra est, in terram revertitur, & quod de excelsis, in excelsum*.

Audi S. Hieron. in Eccles. 1. v. 7. *Omnia flumina* (vel *torrentes*, ut ipse vertit) *intrant in mare*. Putant quidam, inquit, *aquas dulces quæ in mare fluunt, vel ardente desuper sole consumi, vel salsugine maris esse pabula: Ecclesiastes autem noster, & ipsarum aquarum conditor, eas dicit per occultas venas ad capita fontium regredi, & de matrice abysso in sua semper ebullire principia. Melius autem Hebræi sub torrentium & maris nomine, per metaphoram, de hominibus significari arbitrantur, quod in terram de qua sumpti sunt, redeant; & torrentes vocentur, non flumina, eo quod citò intereant, nec tamen impleatur terra multitudine mortuorum*.

Hunc hominis ex humo exitum & reditum, sive ortum

ortum & occasum, passim illi refricat, & ob oculos A ponit S. Script. ut Genes. 3. 19. *Donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Job. 10. v. 9. *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* Job. 34. 15. *Homo in cinerem revertetur.* Psalm. 103. 29. *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.* Psal. 145. 4. *Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam.* Eccles. 12. 7. *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Qui ergo sapit jugiter hunc sui reditum cogitat, præsentia despicit, futura suspicit, vivit æternitati.

Citat hæc Siracidis verba Concil. Triburiense cap. 16. & habetur 13. q. 2. can. 14. ex iisque probat, Ecclesiasticam terræ sepulturam non esse pretio vendendam, quòd terra jure naturæ sit omnibus communis, imò omnium mater, quæ proinde filios suos uti nascentes, ita morientes gremio suo sponte suscipit. *Terram,* inquit, *teris, terram geris, & in terram converteris, qui de terra sumeris.*

Vers. 12. OMNE MUNUS ET INIQUITAS DELEBITUR, ET FIDES IN SÆCULUM STABIT] Est hendyadis, *Munus & iniquitas*, hoc est, munus iniquitatis, munus iniquum, munus datum vel acceptum ad patrandam iniquitatem. q. d. Sicut omne, quod è terra ortum est, perit & in terram revertitur: sic pariter omne munus terrenum datum iniquè, v. g. ad corrumpendum judicem, adeoque omnis iniquitas cum suo auctore, scilicet homine, peribit, & in terram quasi originem suam redibit: *fides* verò, id est fidelitas, veritas, sinceritas, justitia, integritas, qua quis à recto nec prece, nec pretio se divelli sinit (hanc enim significat Hebr. אמת *emet*, & Græcum πίστις) in æternum stabit; quia æternam à Deo laudem & gloriam consequetur. q. d. Ex omnibus rebus terrenis nil constat & perennat, nisi justitia & virtus, cetera omnia abolentur, & in terram, unde prodierunt, relabuntur. Qui ergo quærit bona stabilia & perpetua, non sectetur opes & honores hujus vitæ, utpote non plus quàm vita ipsa duraturas, sed studeat integritati, & virtuti, quæ etiam in cœlo per omnia sæcula permanebit. Quocirca Tigurina vertit, *omnis largitio & injustitia abolebitur, & integritas manet perpetuò;* Syrus, *omnis qui peccat & mentitur, peribit, & felices in sæcula etiam ipsi suscitabuntur.* Unde explicans subdit:

Vers. 13. SUBSTANTIÆ, græcè χρήματα, idest pecuniæ & opes, INJUSTORUM SICUT FLUVIUS SICCABUNTUR, ET SICUT TONITRUUM MAGNUM IN PLUVIA PERSONABUNT] Ita legendum cum Roman. & Græcis, non *siccabitur* & *personabit*, uti legit Jansenius; Rabanus verò & quinque manuscripti apud Franc. Lucam pro *personabunt*, legunt *manabunt*; quia Græci codices nonnulli teste Pagnino, pro ἠχήσει, idest *personabunt*, legunt ἐκχέει, idest *manabunt*, effundent. Sensus est, q. d. Opes iniquorum affluunt instar torrentis subitò excrescentis; sed sicut torrens mox ut cessat pluvia, detumescit & siccatur: sic pariter & opes iniquorum mox decrescunt & evanescunt. Rursum, sicut tonitru cum pluvia horrendo fragore resonat, sed & personat, idest perstrepit, & sonando pertransit & abit; sic pariter opes iniquorum magna pompa strepituque famulorum, equorum, curruum, tubarum, &c. resonando pertranseunt & dilabuntur. Unde Syrus vertit, *bona mendacii sicut torrens dilabentur, & sicut flumina quæ replentur à nubibus levibus, cum illæ cessant deficiunt, &* D *germen hominibus impiis non erit;* Vatablus verò breviter & clarè, *facultates injustorum in modum fluminis exarescent, & ut ingens tonitru cum pluvia detonabunt,* idest, *tonare desinent & fastum deponent, vel per tumultum dissipabuntur, & quasi impetu profundentur.* Alludit ad Proverb. 10. 25. *Quasi tempestas transiens non erit impius: justus autem quasi fundamentum æternum. Iniquorum ergo thesaurus,* ait Rabanus, *sicut inopportunè & indiscretè colligitur, ita validè & velociter dissipatur: qui ad tonitrui similitudinem in impetu avaritiæ tempestatem facit, sed citò in ipso tumultu fatiscit. Unde scriptum est Psalm. 9. 7. Inimici defecerunt framea in finem, & civitates eorum destruxisti: periit memoria eorum cum sonitu.* In tonitru ergo notatur tum celeritas, tum impetus & violentia, tum strepitus & fragor ruinæ impiorum.

Vers. 14. IN APERIENDO MANUS SUAS LÆTABITUR: SIC PRÆVARICATORES IN CONSUMMATIONE TABESCENT] Primò, Lyranus, Hugo, Dionys. Emman. Sà, & alii planè & clarè sic explicant, q. d. Sicut injustus, de quo v. præcedenti, ad modicum tempus, quo aperit manus suas ad accipiendum munera, lætatur: sic peccatores tandem *in consummatione*, idest, consummatè, plenè & perfectè, *tabescent*, idest, ut Græca habent, ἐκλείψουσι, idest, deficient, peribunt & interibunt in æternum. Opponit enim brevem eorum lætitiam, quæ non plus durat, quàm apertio manus, longo & pleno eorum interitui. *Gaudent quippe*, ait Rabanus, *ad tempus in prosperitate mundana, cum aperiunt manus suas, ut rapiant aliena: sed quia prævaricati sunt Dei præceptum, quo ait, Non concupisces rem proximi tui, in consummatione tabescent; quando vacui bonis operibus pro peccatis suis demergentur in infernum.* Totus enim hic locus pingit velocem transitum, interitumque abundantiæ & felicitatis impiorum.

Secundò, Tigurina vertit, *cùm quis manus aperuerit, gaudebunt dilabi; sic pravè agentes prorsus deficient.* B Supplet enim & subaudit τὸ *dilabi*, quod non est in Græco, ut sensus sit, q. d. Sicut aquæ pluviæ manibus contractis exceptæ gaudent quodammodo, cùm aperta manu dilabi sinuntur in terram, quia tendunt ad centrum suum, ad quod naturali appetitu feruntur, ut in eo conquiescant: sic pariter gaudebunt omnes boni, imò omnes creaturæ, cùm pravè agentes deficient, ut redeant ad terram, & ad gehennam: hæc enim debetur eorum pravitati, qua perturbarunt ordinem totius universi, quare hac sua pœna satisfacient scandalo, quod dederunt toti mundo, & perturbationi, quam in eo fecerunt; quia per hoc eorum supplicium, justamque vindictam redintegrabitur ordo universorum, quem ipsi turbarunt, ideoque de eo quasi gaudebunt omnes creaturæ. *Peccatū est perturbatio universi.*

Tertiò, Palacius hæc refert ad tonitruum; unde nonnulli vertunt, *cùm ipsum* (scilicet tonitruum *manus aperuerit, lætabitur*, &c. q. d. Injustus est velut tonitruum magnum, magnum edens fragorem & sonitum; at non lætatur, nisi dum aperit manus, idest, non du- C rat, nisi dum radios velut manus extendit. Loquitur enim de tonitruo fulguri misto, quod non durat, nisi ferè dum suam explicat lucem: ita prævaricatores, licèt videantur sonare & fulgere, brevi tamen in sua consummatione tabescent. Verùm obstat, quod Græcum αὐτὸν, id est, *ipsum*, utpote masculinum, nequeat referri ad βροντή, id est *tonitruum*, utpote feminini generis.

Quartò, Jansenius αὐτὸν referens ad ὑετὸν, id est pluviam; unde & Romani vertunt, *in aperiendo ipsam*, scilicet pluviam, *manus suas lætabitur*, sic exponit, q. d. Cùm pluvia aperuerit manus suas, hoc est, sese largiter super terram effuderit, lætabitur quòd terrorem, scilicet tonitrui, superaverit, & hominibus ademerit, quos & lætari facit suo in terram defluxu; quia pluvia copiosè cadente, cessant tonitrua & fulgura, & minùs timentur. Unde dicitur in Psalmis: *Fulgura in pluviam fecit.* In hac ergo parte adhuc persistitur in similitudine v. præcedenti proposita, eaque hic absolvitur. Et per prosopopœjam tribuitur pluviæ aperire manus suas, & lætari, quemadmodum & in Psalmis dicitur: *Flumina plaudent manu.* Significatur ergo, quòd, quemadmodum torrens aliquis exicatur per calorem Solis, & tonitruum superatur per pluviæ defluxum: ita & opes divitum simul cum ipsis subitò deficiunt per supervenientem eis ultionem divinam, qua tamquam imbre eos obruente superatur omnis eorum terror, quem opibus suis confisi inferebant; sicque lætabitur justus ab eorum terrore liberatus. Unde subjicitur: *Sic prævaricatores in consummatione tabescent*, hoc est, ita deficient, ut penitus consumantur. Hic sensus magis connexus, nervosus & appositus est, sed obscurior, & intricatior, cùm primus sit facillimus & planissimus.

NEPOTES IMPIORUM NON MULTIPLICABUNT RAMOS, ET RADICES IMMUNDÆ SUPER CACUMEN PETRÆ SONANT] Dixit opes impiorum esse caducas, & fragiles, nunc idem dicit de stirpe, & posteris, q. d. Nepotes impiorum Vers. 15.

non

non habebunt multos filios, nec sicut arbor bene fundata ramos longè lateque multiplicat, ita ipsi multam generabunt filiorum propaginem, quæ per multa sæcula continuetur, sed in tertia vel quarta generatione succidentur, uti Deus minatus erat Judæis Exodi 20. 5. Sic Deus succidit familiam Saul, 2. Reg. 21. & familiam Hielis, qui reædificavit Jericho, 3. Reg. 16. 34. ac familias Jeroboam, Jehu, Manahem, Phacee, ceterorumque impiorum regum Israel, uti fusè narratur libr. 3. & 4. Regum.

ET RADICES IMMUNDÆ SUPER CACUMEN PETRÆ SONANT] q. d. Impii parentes sunt instar radicis non in terra profundè, sed in petra leviter & tenuiter fundatæ, quæ proinde cum arbore ex se prodeunte facilè ventis agitatur, ventoque agitata in ramis perstrepit & resonat: sed simul cum ipso sonitu convellitur, & eradicatur. Simili enim modo impii pomposè perstrepunt & resonant, ad modicum tempus: sed quia radices non habent à Deo fundatas, hinc brevi ab eo succidentur & evellentur cum tota sua stirpe & posteritate. Græca hoc loco non habent τὸ *sonant*, sed illud reiiciunt ad initium versus sequent. Unde sic habent: *Nepotes impiorum non multiplicant ramos, & radices immundæ super duram petram* q. d. *Et*, id est *quia*, ipsi sunt velut radices impuræ malè fundatæ super petram; ac proinde multam ex se sobolem emittere nequeunt. Unde Complut. vertunt, *super præcipitem petram*: quæ scilicet secum radicem & arborem in se fundatam in præceps trahit, ac deorsum præcipitat; Tigurina, *non multiplicabit ramos soboles impiorum, nec impuræ radices in rupe excelsa*. Græcum enim ἀκροτόμου, & duram, & excelsam, & præcipitem rupem significat. Verùm ex Græco excidit τὸ ἠχεῖ, vel doricè ἀχεῖ, id est, sonant; eò quòd ἄχει, immediatè sequitur, sed aliud significans: vnde scriptores imperiti putantes alterum esse superfluum, illud hoc loco omiserunt; cùm tamen sensus id exposcat: alioqui enim deest verbum, quod sensum expleat.

Alludit ad Sapient. 4. 3. *Spuria vitulamina* (græcè μοσχεύματα, id est, propagines, stolones, sive novi surculi ex arbore præcisi & in terra plantati. Græcizat Interpres; derivat enim *vitulamen* à vitulo, sicut Græci derivant μοσχεύματα à μόσχος, id est, vitulus) *non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita à vento commovebuntur, & nimietate ventorum eradicabuntur.*

VERS. 16. SUPER OMNEM AQUAN VIRIDITAS, ET AD ORAM FLUMINIS ANTE OMNE FOENUM EUELLETUR] Subaudienda est vox comparativa *sicut*, quam Hebræi in parabolis & similitudinibus sæpè subticent & subaudiunt: quasi dicat. Impiorum soboles, propago & prosperitas est sicut viriditas, id est, viride gramen, quod *super*, id est juxta, *omnem*, id est quamlibet, *aquam*, ob humoris copiam citò enascitur & germinat quidem, sed & citò ante omne aliud fœnum, id est, gramen vel herbam demetitur, vel proteritur, vel evellitur; quia situm *ad oram fluminis*, quam homines ambulando pedibus calcare, & animalia depasci solent, utpote locum omnibus patulum & pervium. Pro *viriditas* græcè est ἄχει, vel ἄχι, vel ἄχει, quod Romani retinent. Unde vertunt, *achi super omnem aquam. Achi* est vox Hebræa significans paludem, ait S. Hieron. in tradit. in Genes. Alludit enim Siracides ad Septuag. qui Genes. 41. 1. pro eo quod Noster cum Aquila vertit, *pascebantur in paludibus*, retinentes Hebræam vocem *achu*, vertunt, *pascebantur in achi*. Scholiast. ἄχει, inquit, est *plantarium tenue & herbosum*. Noster Job. 8. vers. 11. Hebræo *achu* vertit *carectum*, quem secuti nonnulli hoc loco sic vertunt, *carex juxta quamvis aquam, & labra fluminis, ante quodlibet gramen evellitur*. Porrò Tigurina pro ἄχει, legens ἄχνη, id est, tenuissimus cauliculus ille, qui primùm è radice plantarum pullulat, indeque Latinis pullus dicitur, sic vertit, *pullus eorum super quamvis aquam, aut oram fluvii, ante omnem herbam elidetur*. Eòdem redit sensus; quamquam liberiùs, & contra fidem codicum, pro ἄχει, Tig. substituat ἄχνη. Idem facit subinde alibi; ut monui in Proœmio; quod in Cicerone, Plauto, Terentio faciunt nostri Critici, ut vitium scriptoris conjectando, vocemque vicinam substituendo corrigant. quæ audacia in profanis fortè ferenda, at non in sacris & hagiograhis. Syrus, *radix enim peccatorum sicut spica quæ germinat in crepidine rupis, & sicut germen quod germinat ad oram fluminis. quod ante omnem viriditatem arescit*.

Alludit ad Job 8. v. 11. *Numquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum* (Hebr. *achu*, quod Siracides hic græcè vertit, ἄχει) *sine aqua? Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit: sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum; & spes hypocritæ peribit*. Et v. 17. *Super acervum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet: Non novi te*.

GRATIA SICUT PARADISUS IN (Complut. *cum*) BENEDICTIONIBUS, ET MISERICORDIA IN SÆCULUM PERMANET] Multi hæc accipiunt de gratia Dei. VERS. 17. Ita Rabanus, *Gratia Dei*, inquit, *quæ superabundat in fidelibus & electis Dei, sicut paradisus fructificat diversas species virtutum*. Et Lyranus, *Sicut paradisus*, inquit, *est locus amœnus & bonis fructibus plenus, sic gratia Dei gratiosam facit animam ad Dei habitationem, & bonis operibus plenam*. Et Dionys. *Impiis*, inquit, *modo prætacto deficientibus, gratia Dei in collationibus ejus ita pulchrificat, stabilit & delectat iustos, sicut paradisus ille terrestris, locus amœnissimus, est semper tranquillus*. Ideò ait Apostolus Hebr. 13. *Optimum est gratia stabilire cor*. Et Sapiens Proverb. 10. *Benedictio Domini divites facit, & non sociabitur eis afflictio*. Hæc magna est consolatio iusto, licet afflictissimo, quòd scilicet sit in gratia Dei, quæ instar paradisi eum cumulat omni jucunditate, decore, fructu & benedictione spiritali; ideoq; eum efficit habitaculum hortumque voluptatis Dei, in quo Deus cum homine familiariter agit & colloquitur, ita Palacius. Unde Syrus vertit, *opera rectorum in momento benedicentur, & opera iustorum in sæculum subsistent; & qui appropiat ad eos, sicut qui invenit thesaurum*.

Verùm meliùs per gratiam accipias beneficentiam: tum quia gratia hic opponitur injustitiæ impiorum; de qua v. 13. & 15. tum quia jungitur cum misericordia: posterius enim hemistichium more Hebræo explicat & perficit prius. *Elemosyna est paradisus.* Sensus ergo est: q. d. *Gratia*, id est, benignitas, beneficentia & misericordia in indignos & pauperes, est *sicut paradisus* à Deo benedictus, proferens fructus optimos & immortales, qui in æternum permanent: tale enim est augmentum gratiæ, meriti & gloriæ, quod causatur à beneficentia, æquè ac bona opera, quæ à pauperibus per eleemosynam sustentatis fiunt: quæ omnia quoad meritum & mercedem in æternum permanent. Unde Vatablus clarè vertit, *benignitas instar horti fortunati est, & beneficentia permanet in perpetuum*. Sicut enim paradisus erat locus perpetuò virens, florens & fructificans omni fructuum decore & genere: sic & misericordia in se, & in suis effectibus fructibusq; semper viret & floret.

Huc alludit Apostolus 2. Corinth. 9. 6. ubi Corinthios exhortans ad eleemosynam, ait, *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, &c.

Moral. Nota, quantum bonum sit beneficientia & eleemosyna, utpote quæ æquetur paradiso Dei. Quare bona omnia à Deo data paradiso, quæ recensui Genes. 2. 8. tropologicè rectè attribuas beneficentiæ.

VITA SIBI SUFFICIENTIS OPERARII CONDULCABITUR (Rabanus legit *indulcabitur*,) ET IN EA INVENIES THESAURUM] Versu præcedenti VERS. 18. miseræ vitæ iniustorum opposuit beatam vitam misericordis & eleemosynarii, nunc eidem opponit vitam operarii, quæ inter beatas ordine secunda est. Sensus ergo est, quasi dicat, *Vita sibi sufficientis*, græcè αὐτάρκους, id est sua sorte contenti, (alii, *cui est quantum sufficit*) *operarii*; qui operando manibus victum sibi parat, *condulcabitur*, id est, dulcis, quieta, iucunda & suavis opperario apparebit, & revera erit: *et*, id est quia, *in ea invenies* tu, qui eam sequeris vel amplecteris, *thesaurum*, id est opes ingentes, tum quietis & lætitiæ, tum bonæ & sanctæ conscientiæ, tum etiam divitiarum temporalium. Hæ enim per diurna lucra quotidiana mirè accrescunt, præsertim quia Deus iis tam justis & justo labore partis benedicit, easque auget & multiplicat. Vnde S. Paulus 1. Tim. 6. *Est autem*, inquit, *quæstus magnus pietas cum sufficientia*;

tia; grecè αὐτάρκους, id est, animo sibi sufficienti, suique contento.

Porrò Græca aliter, nimirum sic, habent: *Vita sufficientis sibi operarii condulcabitur, & super utraque qui invenit thesaurum*. quasi hìc incipiat ternarius comparationum, quem Noster inchoat v. sequenti, ita ut tria hic inter se conferat Siracides, scilicet Primò, operarium; Secundò, sibi sufficientem; Tertiò, eum qui invenit thesaurum, & hunc tertium duobus prioribus anteferat. q. d. Beatus est Primò, operarius; Secundò, sibi sufficiens, id est sua sorte contentus; sed utroque beatior est tertius, scilicet qui invenit thesaurum. Huic enim sine opere & labore, quasi dormienti felici fortuna advolant opes, ob quas non tantùm sibi sufficiens, sed & copiosus ac abundans evadet.

Verùm hìc non tres, sed duo comparantur. Nam operarius, & sibi sufficiens non duo sunt, sed unus idemque: alioqui Siracides addidisset copulam &, eaque duos denotasset dicendo: *Vita sufficientis, & operarii cōdulcabitur*. Idipsum vidit Tigurina, vnde copulam addidit, vertitque, *vita sorte sua contenti, operaque sua viventis habet suavitatem, sed utraque majorem qui thesaurum adeptus est*. quod Vatabl. explicat, *id est, cui res est relicta, non labore parta*, juxta illud Martialis:

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundissime Martialis, hæc sunt:
Res non parta labore; sed relicta, &c.

Felix vita operarii. Sed Tigur. copulam & ex se addidit contra fidem codicum Græcorum, qui omnes illa carent. Quare nostra lectio Vulgata, uti congruentior, ita & verior est; juxta quam gaudeant operarii & artifices vita sua & opere manuali: si enim ea contenti vivant, erunt felices, in eaque invenient thesaurum. Quocirca meritò hìc exclamat Palacius: Quid quæritis, homines, mercaturam? cur officia in domibus regum? quærite vitam operarii, qui sibi non divitias, sed quod sufficit, quærit. hæc vita dulcissima est, hæc thesaurus est, hæc vita naturalis est vita, quam instituit in paradiso Deus: est vita nulli noxia: est vita à mundi malis aliena: est vita comparando cælo maximè commoda.

Dimidiū plus toto. Quocirca sapienter Plato libr. 5. de Republ. citat laudatque illud paradoxum Hesiodi: *Dimidium plus toto*, applicatque tyrannis avaris & ambitiosis, qui omnibus volunt dominari, & suos fines undequaque dilatare, cùm satius esset suis paucisque vivere contentum. Idem libr. 3. de Legibus, ut ostendat infinitam principum potentiam, nullisque finibus determinatam, esse præsentem pestem omnium imperiorum, subdit, id ideo accidere, quòd ignorent principes cupidi & ambitiosi Hesiodum rectè dicere, *Dimidium sæpe toti præstare: quandoquidem damnosum est, rem totam accipere: dimidium tantùm accipere; moderatum est: moderatum verò immodico & immoderato, tamquam potius priori, sanè antecellit*. Sic in litibus avari actores, qui totam rem cupiunt, nolentes dimidio cum parte adversa transigere, sæpè totam perdunt: quibus sanè utilius fuisset petere dimidium quàm totum; cùm ob dimidium, quod recusarunt, perdant totum, quod avarè ambierunt.

VERS. 19. FILII, ET ÆDIFICATIO CIVITATIS CONFIRMABIT NOMEN, ET SUPER HÆC MULIER IMMACULATA COMPUTABITUR] Ita legendum cum Romanis & Græcis, scilicet, *filii & ædificatio*, non *filii ædificatio*. Rursum legendum *super hæc*, non *super hanc*, uti legit Jansenius & alii. Tria enim hìc inter se comparantur: nam hìc incipit ternarius comparationum, quo Siracides imitatur Salomonem Proverb. 30. v. 15. 18. 21. 29. tria inter se confert, & tertium duobus præfert.

Ternarii comparationum. Primus. Sensus ergo est: q. d. Duo sunt quæ *confirmant nomen*, id est, quæ celebre faciunt nomen, & diuturnum, quæque famam longævam cuipiam conciliant, scilicet Primò, filii; Secundò; *ædificatio civitatis*, si quis scilicet civitatem ædificet, uti Ninus Niniven, Nemrod Babylonem, Alexander Alexandriam, Romulus Romam: sed utrique præferendum est tertium, scilicet *mulier immaculata*; græcè γυνὴ ἄμωμος, id est uxor irreprehensibilis. ita Tigurina, *liberi*, inquit, *& exstructa civitas nomen stabile reddunt: sed potior utrisque censenda uxor inculpata est*. Complut. hic mutili sunt; omittunt enim tertium membrum de muliere: vnde illud supplent Romani. Porrò Syrus pro una hac sententia dat duas: *Majestas & honor*, inquit, *statuent nomen, & plus utroque ille qui invenit sapientiam. Ædificatio & plantatio renovant nomen, & plus utroque mulier sapiens*.

Igitur Primò, *filii* in plurali (græcè enim est τέκνα) id est, copia filiorum celebrat & propagat nomen patris, utpote in quibus quasi superstes vivit & repræsentatur pater, juxta illud Euripidis: *Columnæ domorum sunt filii masculi*. Unde filii vocantur בנים *banim*, à בנה *bana*, id est ædificavit, quòd ipsi ædificent domum & familiam patris. Quocirca Antonius Pius Imper. biduo priusquam moreretur, admissis amicis de filio suo dixit, id quod Philippus de Alexandro, scilicet, se æquo animo mori, cùm filium relinqueret quasi alterum se. ita Capitolinus in Antonino. Secundò, celebrem facit *ædificatio civitatis*, vel physica, uti Cain primam mundi civitatem ædificavit, eamque à nomine filii Henoch vocavit Henochiam, Genes. 4. sive moralis & legalis, qua quis civitatem bonis legibus ordinat & instituit, eamque bonis moribus efformat: uti Solon leges dedit Athenis, Lycurgus Spartæ, Numa Romæ. hi enim celebrantur quasi legislatores urbium. Verùm his duobus
B præferenda est uxor inculpata. Quid enim prodest filiorum turba, quid nominis gloria, si tibi est uxor infida, impudica, rebellis, dicax, stulta, quæ te assiduè cruciet, angat, vexet, enecet? Uxor enim est socia thori, mensæ, domus; quæ ubique te comitatur, tuoque lateri adhæret quasi altera tui pars: ut si illa sit nequam, ubique intimè te affligat & discruciet, necillam magis abiicere possis, quàm dimidiam corporis tui partem à te resecare. Adde, quòd, sicut uxor honesta & prudens magnum decus & nomen marito conciliat, juxta illud: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ*, Proverb. 31. Sic ex adverso ingens & indelebile marito est probrum uxor meretrix, aut maligna & nequam. Talis Antonino Imperat. fuit Faustina, Socrati Xantippe, Samsoni Dalila. Hæ sanè eorum famæ plus nocuerunt, quàm si illiberes & privati obiissent, nec reipubl. gubernaculis præfuissent. Significat ergo, ut quis bonum nomen sibi paret, ante omnia curandum ut uxor sit inculpata: hæc enim ei ingens decus conciliabit. Denique uxor proba parit educatque filios probos, per quos ædificat domum
C & familiam, ac consequenter civitatem. Igitur in ea simul habes hæc tria, quæ sanè uni soli, vel duobus præstant.

Mysticè Rabanus: *Constructio*, inquit, *bonorum operum confirmat nomen Christianum: quia ille verè Christianum se esse probat, qui Christi mandata rectè credendo, & bene operando servat: & super hæc mulier immaculata, hoc est, anima munda, sancta & incoinquinata computatur. Præcipuum ergo & supremum in meritis electorum virginitas habet præmium: quia & angelis sociatur in cælis, & Agnum sequitur, quocumque ierit.*

VINUM, ET MUSICA LÆTIFICANT COR: ET SUPER UTRAQUE DILECTIO SAPIENTIÆ] VERS. 20.
Hæc enim est spiritalis, divina, animæque intima, eam illuminans, sanctificans & perficiens: quare multo magis animam delectat, quàm vinum & musica, quæ exteriùs tantùm aures & palatum corporea delectatione afficiunt, titillant & mulcent. Tigurina, *vinum & musica cor exhilarant: sed utroque magis studium sapientiæ*. Appositè confertur & præfertur dilectio sapientiæ vino & musi-
D cæ: quia ipsa est spiritale vinum mentem inebrians, & spiritalis musica animum oblectans. Porrò Syrus pro sapientia substituit amicitiam: *Vinum vetus*, inquit, *lætificat cor, & melior eo est amicitia amici*.

Nota. *Dilectio sapientiæ* propriè est dilectio virtutis. Inter virtutes autem primas tenet charitas: vera enim sapientia consistit in timore & amore Dei: juxta illud cap. 1. 14. *Dilectio Dei honorabilis sapientia*, vide ibi dicta. Posset quoque *dilectio sapientiæ* accipi pro sapientia dilectionis per hypallagen, quæ est sapientia diligendi: summa enim sapientia est scire diligere Deum: aut *dilectio sapientiæ*, id est, dilectio sapiens charitas enim debet esse prudens. Simili phrasi Apost. 2. Thessal. 2. 10. vocat *charitatem veritatis*, id est veram.

Moral. Quanta sit vis & energia sapientiæ & charitatis, disce ex eo quòd conferatur & præferatur vino & musicæ, quæ potentissima sunt ad animos excitandos, & quaquaversum flectendos. De vino res nota est: *Mor. de vi charitatis*

de

de musica patet ex dictis cap. 32. v. 5. & 7. Unde Sanct. Justinus Martyr vim musicæ sacræ, putà hymnodiæ & psalmodiæ, Christianorum sapientiam & charitatem excitantis, celebrans quæst. 107. ad Orthodoxos: *Excitat*, inquit, *hac cum voluptate quadam animum ad flagrans ejus, quod carmine celebratur, desiderium: affectiones & concupiscentias carnis sedat: cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, amolitur: mentem ad fructificationem divinorum bonorum rigat: pietatis decertatores generosos & fortes, per constantiam in rebus adversis efficit: omnium rerum, quæ in vita tristes & luctuosæ accidunt piis, affert medicinam.* Id expertum se profitetur Sanct. August. libr. 9. Confess. cap. 4. ubi Deum alloquens: *Quas*, inquit, *tibi voces dabam in psalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis, & accendebar eos recitare, si possem, toto orbe terrarum adversus typhum generis humani.* Lege quæ sequuntur. Quocirca Clemens Alexandr. Exhort. ad Gentes cantorem suum, id est, Christum in Script. & psalmis canentem, præfert Orpheo & Amphioni, qui feruntur saxa & lapides traxisse canendo, sed fabulosè: *Solus*, inquit, *cantor meus difficillimas feras mansuefacit, volucres quidem, nempe eos qui sunt leves; serpentes, eos qui deceptores; leones, eos qui sunt animosi & ad iracundiam concitati; sues, eos qui sunt voluptati dediti; lupos, eos qui sunt rapaces; lapides autem & ligna, qui sunt insipientes.* Unde concludit: *Vide quantum potuerit novum canticum: homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris.* Rursum S. Justinus orat. 2. ad Gentes, eos invitans ad Christi fidem & sapientiam: *Estote*, inquit, *sicut ego, quia & ego sicut vos*, Galat. 4. v. 12. *Accedite*, inquit, *Græci, docemini. Estote ut ego, quoniam & ego eram ut vos. Hæc me ceperunt, & doctrinæ vis enthea (hoc est vis divina) & sermonis efficacitas. Quoniam sicut incantator peritus formidabilem serpentem fugat, postquam fecit ut è suo latibulo erepserit; sic sermo ex intimis animi penetralibus formidabiles sensuum affectus expellit! ac primum cupiditatem, ex qua quidquid formidabile est nascitur.* Idipsum se expertum profitetur B. Petrus Damiani serm. de Christi Natali: *Olim*, inquit, *mihi Tullius dulcescebat: blandiebantur carmina poetarum: philosophi verbis aureis insplendebant, & sirenes usque in exitium dulces, meum incantaverant intellectum. Lex, Propheta, Evangelium, Epistolæ, & omnis gloria sententiarũ Domini mei & servorum ejus, aut parva videbantur, aut nulla. Nescio modò quid dulcius immurmures filius Jesse, qui vario sermonum & sententiarum concentu omnes illos, quos diligere consueveram, ineloquentes reddis & mutos.* Hæc est ergo divinæ sapientiæ harmonia, quæ omnes musicorum concentus suavitate & efficacia superat & transcendit. Denique *dilectio sapientiæ* increata, putà Dei, est reciproca, ideoque vera amicitia. Nam ut ait Christus: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*, Joan. 14. v. 21. Magnum bonum, magna suavitas est diligere Deum, sed longè major est scire se diligi à Deo. Quem enim Deus diligit, hunc in filium adoptat, heredem regni cælestis instituit, gratia & gloria donat, omnique bono cumulat & beat.

Secundus Hæc est secunda trias delectabilium, in qua palma datur dilectioni sapientiæ, quæ sanè est charitas, vel charitatis affectus: hanc enim significat Græcum ἀγάπησις. Sequitur tertia huic affinis.

VERS. 22. *Tertius est: lingua suavis dulcior tibia & psalterio.* TIBIA ET PSALTERIUM SUAVEM FACIUNT MELODIAM: ET SUPER UTRAQUE LINGUA SUAVIS] Syrus, *munda*; Tigur. *fistula, & psalterium suavem edunt cantum: at lingua suavis utramque superat.* q. d. Sermo suavis magis mentem afficit & delectat, quàm melodia instrumentorum musicorum; tum, quia sermo hic ab ore & anima prodiens, est vivus & vitalis, cum illa sint mortua & inania; unde ille hisce efficacior est. *Ratio.* Sermo enim suavis secum quasi vehit mel internum & suavitatem animæ à qua promanat, eamque defert in aures & cor audientis: itaque suo vitali divinæ dulcedinis melle eam inbuit & dulcorat, juxta illud Proverb. 16. 24. *Favus mellis verba composita*: tum, quia hic sermo est sensatus, secumque vehit prudentiam & sapientiam, atque eam infigit animo audientis; quæ ibi hærens eam diu movet, afficit & pascit: cùm concentus musicus ilicò cum sono transeat, nec quidquam post se relinquat. Hinc fit, ut lingua suavis iram sedet, tristitiam profliget, omnesque passiones quasi excantet, A ac quidvis audienti persuadeat. Id visum fuit, & etiamnum videtur in Apostolis, & Apostolicis prædicatoribus, quorum lingua suavis medetur contritis corde Isaiæ 61. v. 1. Item in pacificis, qui dissidentes animos conciliant, juxta illud: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, Matt. 5. Unde Rab. sic explicat utrumq; versum: *Vinũ, inquit, & ars musica cum instrumentis suis per vocis sonoritatem naturaliter delectant & movent humanum animum: sed dilectio sapientiæ, & lingua suaviter docens multò plus confortat cordis intellectum.* Sic videmus confessarios suaves ad se pœnitentes allicere & flectere quocumque volunt: sic & concionatores suaves magis influere in animos audientium, quàm austeros & minaces.

Rursum appositè confert & præfert linguam suavem tibiæ & psalterio: quia ipsa est animata & rationalis tibia & psalterium, quæ non nisi dulcem edit melodiam. Pierius Hierogl. 7. de cervo cap. 1. tradit cervum, licèt fugacissimum animal, ita melodia detineri, ut consistens capi necarique se patiatur: quanto magis homi- *Cervus capitur musica.* B nem rationalem fugitantem detinebit & amicabit sermo comis & blandus? Ratio à priori est, quòd dulcedo sit amica naturæ, illique quasi mel & nectar, quo illa pascitur, ducitur, capitur. Hinc capitur dulcedine lactis, mellis, sacchari, &c. quæ dulcem efficiunt sanguinem, indeque dulces spiritus tam amandi quàm loquendi. Quocirca Plutarch. in Artaxerxe asserit Persis solemne fuisse, ut mel lacti permistum darent in potum, quia sanguinem efficit dulcissimum: hic autem dulces & amabiles parit amores & mores, æquè ac sermones. Hinc sponsus ait Cant. 4. 11. *Favus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua.* Et Proverb. 16. 24. *Favus mellis composita verba, dulcedo animæ, sanitas ossium.* Et cap. 15. 4. *Lingua placabilis lignum vitæ.* Et v. 1. *Responsio mollis frangit iram.* Sic Nestorem commendat Homerus, quòd ex ore ejus melle dulcior flueret oratio. Memorabile est quod scribit Valer. Maxim. libr. 8. cap. 9. Valerium, plebis Romanæ contra senatores rebellionem suavi oratione sedasse; ac L. Anto- C nium tempore seditionis Marianæ missos ad se obtruncandum milites ita suaviloquentia obstupefecisse, ut districtos jam & vibratos gladios cruore vacuos vaginis redderent. Sic Cicero l. 2. de Republ. concordiam, quam parit suavitas eloquii, comparat tibiis & concentui musico: *Ut in fidibus*, inquit, *ac tibiis, atque cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione, unus tamen efficitur & congruens: sic summis, & infimis, & mediis interiectis ordinibus, ut sonis, moderata natura civitas concentu dissimillimorum consistit: & quæ harmonia à musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, quæ sine justitia nullo pacto esse potest.*

VERS. 23. GRATIAM, ET SPECIEM DESIDERABIT OCULUS TUUS, ET SUPER HÆC VIRIDES SATIONES] id est, viridia sata, viridia germina. Aliqui manuscripti legunt, *viride sationis*; græcè, χλόην σπόρου, id est, *viriditas seminis*, Syrus, *decor & pulchritudo, concupiscentia oculorum, & plus utroque spicæ agri*; Tigur. *oculus tuus* D *desideret venustatem, & pulchritudinem: sed virens seges est utroq; gratior.* Igitur *virides sationes* propriè sunt virides segetes: hæ enim valde virent, suoque virore, & spe opimæ messis intuentium oculos animosque mirè recreant: imò hæ solæ propriè sunt virides. Unde Simon Porcius Comment. de coloribus, colorem viridem distinguit ab herbaceo. Extensivè tamen per virides sationes accipe omnia viridia germina, & folia etiam herbarum ceterarumque plantarum. Ab auribus transit ad oculos. Est *Quartus.* ergo hic trias objectorum quæ oblectant oculos: q. d. Venustas rerum, & species sive formositas corporum recreant visum: sed multò magis id facit viriditas camporum: hæc ergo maxima est venustas & formositas; idque multas ob causas.

Viridia sata summè oblectant oculos: cur? Causa prima. Prima est, quòd illa rerum venustas, & corporum formositas sæpè sit arte facta & fucata, ut cum pictores res venustè pingunt; vel sculptores sculpunt; aut cùm feminæ stibio, cerussa & purpurisso faciem colorant, vel vestibus artificiosis se ornant: viriditas autem plantarum sit sincera & simplex, utpote à natura illis indita. Natura enim superat artem, & naturalis pulchritudo arte factã, juxta illud Christi de liliis Mat. 6. *Dico vobis, quoniã nec Salomõ in omni gloria coopertus est sicut unũ ex istis.*

Secun-

Secunda. Secunda est, quòd forma corporum sit illecebrosa, illiciatque ad turpem cupiditatem: viriditas autem sit pura, illibata & casta, similemque delectationem oculis ingerat.

Tertia. Tertiam dat Palacius, sic explicans: Gaudet oculus videns grata & decora ædificia, aut videns venustatem & pulchritudinem feminarum: at verò, tu fili, desidera campos tuos tritico seminatos, atque virentes. Rectè enim Quintilianus: *Stultum est plus estimare rubentes violas, quàm fructibus oneratas olivas. Ex illis paleas, ex his collige grana.*

Quarta. Quarta est, quòd inter omnes rerum species & colores, quibus pascitur oculus, emineat color viridis, præsertim naturalis camporum, idque tum quia viridis maximè contemperatus est visui, ac consistit in medio quodam visui valdè proportionato. Nam albus color nimis disgregat, dispergit & dissolvit visum: ex adverso niger nimis visum congregat, stringit, coarctat & contristat: viridis verò inter utrumque medius nec nimis disgregat, nec nimis congregat; sed æqua quadam ratione afficit visum. Causa est, tum, quòd albus multum habeat lucis, quæ disgregat; niger multum opacitatis, quæ congregat. Ex commistione enim lucidi & opaci oriuntur omnes colorum varietates, ut docet Aristot. & Philosophi lib. 3. de Anima: viridis autem lucem opacitate congruenti, habet temperatam, ita tamen ut visum acuat, excitet, delectet, corroboret. Unde pictores ex colore luteo & cæruleo contritis & commistis, viridem efficiunt: luteus enim & cæruleus mirè lucem cum opacitate contemperant; tum, quod plurimæ, & quasi infinitæ sunt species viriditatis, adeoque quælibet herba & planta proprium habeat virorem discriminatum à cæteris, ita ut intuens quis campum, vel hortum plantis refertum, videat viriditatis plurimas varietates & species, alias magis magisque albicantes, alias magis magisque nigricantes; alias obscuras, alias claras, alias etiam splendentes & fulgidas: quæ omnia simul intueri, mirum est quàm recreet oculos. Ita Aristot. in Problem. sect. 31. nu. 20. docet oculum viridibus recreari & meliorem effici, tum quia viridis color medium est albi & nigri; tum, quia humidior est & moderatior. *Oculi*, ait, *cùm ad res solidas contendunt, laborant lassanturque: cùm ad humidas mollesque, quod nihil sibi obstat, passim oberrant, & licentia perliquescunt: cùm ad virides, quod istæ ut solidæ mediocriter sunt, ita satis humoris continent, neque ullo detrimento afficiuntur, & ad immorandum in hisce amplius innituntur, eò quod coloris hujusmodi habitus modicè sese conspectui offert.* Insuper virides plantæ sunt quasi tapetes & aulæa Dei, quibus hanc mundi aulam camposque convestit: quæ sanè eos magis ornant, quàm peristromata aurea ornent palatia principum. Viror enim ex humore oritur; ideoque viror & vigor, & quasi vita plantarum, quia ejus alimentum est humor; unde omnes herbæ ob humorem vitalem, habent virorem; & herbaceus vividusque color, est viridis. Ex adverso quæ siccantur & emoriuntur, virorem deponunt. Quare quàm varius, varièque cum terrestri materia commistus est humor; tam varius oritur viror. hoc autem plurimis & quasi innumeris fit modis. Hinc viror rei vigorem significat, adeoque Latinis viror à vigore nomen sumpsit: unde dicitur viridis ætas, viridis senectus, virides animi, id est vivaces, vigentes & vegeti. Denique smaragdi decor est à virore. Audi Plinium lib. 37. c. 1. *Nullius coloris aspectus oculis jucundior est. Nam herbas quoque virentes frondesque avidè spectamus: smaragdos verò tanto libentiùs, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis, viret.*

Virides seges est tapes campi.

Alleg. Rabanus: *Gratiam & speciem*, inquit, *superant virides sationes; cum ornatum templi & culturæ diversitatem, cæremoniarumque & festivitatum observantiam, quam prior* (Judaicus) *populus sub lege habuit, Evangelii prædicatio in toto orbe terrarum seminata, fide gentium, & bonorum operum viriditate excellit.*

Virides sationes sunt vigor & zelus. Tropol. Virides sationes sunt vigores & fervores juvenum, v. g. Novitiorum incipientium Deo piè & religiosè servire; hi enim omnem rerum venustatem & speciem superant, magisque oculos intuentium oblectant; plus tamen iis mentem pascit matura solidaque virtutum seges, quæ in viris senibusque sanctis conspicitur. Huc facit illud,

A *Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.*

Rursum virides sationes fuere primi Christiani, ac præsertim S. Stephanus ceterique Christi discipuli & diaconi, qui ætate virentes & spiritu vigentes, mirè oculos Dei & hominum sua virtute & fervore recrearunt: unde ex hac satione tanta deinde Virginum, Martyrum, Religiosorum, ceterorumque fidelium messis succrevit. Similiter virides sationes fuerè pueri, puellæ & juvenes, qui vigorem ætatis, putà pueritiam vel adolescentiam, per gratiam menti suæ à Deo insitam consecravere Deo per martyrum, votum virginitatis, religionem, quales fuerè S. Agnes, S. Cæcilia, S. Prisca, S. Pancratius, S. Vitus, S. Laurentius, S. Vincentius, & innumeri alii, quorum viror virtutis omnibus fuit oblectationi & admirationi.

Unde S. August. lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 3. per *herbam virentem*; vel *viride agri*, quòd Deus die tertia mundi produxit Genes. 1. 11. mysticè accipit *spiritalem atque invisibilem creaturam, propter vigorem vitæ*, quales sunt angeli, quibus virgines comparat & adæquat Christus, Matth. 22. 30. Unde subdit S. August. *Quid &*
B *nunc viride agri Deus facit, sed pluendo super terram id est, cùm facit animos reviviscere per verbum suum, sed de nubibus eas irrigat, id est de Scripturis Prophetarum & Apostolorum.*

Sic & S. Ambros. lib. 3. Hexam. cap. 7. per herbam virentem accipit *vitæ viriditatem, quæ hilarioris vitæ quasi flos prætendit jucunditatem, putà adolescentem pubescentis ætatis viriditate florentem.* Et cap. seq. graphicè depingit admirabilem germinationis modum: *Inde*, ait, *cum se granum resolverit, herbam germinat: grata ipsa jam species herbescentis viriditatis; quæ statim genus satum similitudine sui prodit. Pascuntur oculi grato spectaculo.* Addit talia esse seminaria virtutum. Denique mira satorum remedia subiungit; *Cervus æger*, inquit, *ramusculos oleæ mandit & sanus fit. Locustas quoque folia oleæ arrosa liberant ab ægritudine. Rubi folia superiacta serpenti interimunt eum. Culices non tangunt te si absinthii herbam cum oleo coquis, & eo te perunxeris.*

C Accedit S. Bernardus serm. 60. in Cant. qui per vineas virentes & florentes, de quibus Cant. 2. 13. accipit novitios: *Vineæ*, inquit, *florentes odorem dederunt, quod nihilominus appropinquantis fructus indicium est, Hic odor serpentes fugat. Aiunt florescentibus vineis omne reptile venenatum cedere loco, nec ullatenus novorum ferre odorem florum. quod volo attendant novitii nostri, & fiducialiter agant, cogitantes qualem spiritum acceperint, cujus primitias dæmones non sustinent. Si sic novitius fervor, quid erit absoluta perfectio? Perpendatur ex flore fructus, & saporis virtus ex vi æstimetur odoris. Vineæ florentes odorem dederunt.* Ex inferius: *Ceterum si vinea anima, flos opus, odor opinio est, fructus quid? martyrium. Et verè fructus vitis, sanguis est martyris. Cùm dederit, inquit, dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini, filii: merces, fructus ventris. Propemodum dixissem, fructus vitis; quidni sanguinem uvæ, dixerim meracissimum sanguinem innocentis, sanguinem justi? quidni mustum rubens probatum, pretiosum, planè de vinea Sorec, torculari passionis expressum? Denique pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.*

D Rursum S. Gregor. lib. 30. Moral. cap. 15. explicans illud Job. c. 39. 8. de onagro: *Virentia quæque perquirit*, sic ait. *Arentia quippe sunt omnia, quæ temporaliter condita, venturo fine à jucunditate vitæ præsentis quasi æstivo sole siccantur. Virentia autem sunt vocata, quæ nulla temporalitate marcescunt. Huic ergo onagro virentia perquirere, est sancto cuique viro despectis rebus transitoriis in æternum mansura desiderare.*

S. Hieron. verò epist. 139. ad Cyprianum explicans illud psal. 89. *Manè sicut herba transeat, manè floreat & transeat, vespere decidat, induret & arescat: Omnis*, inquit, *humana conditio somnio comparabitur. Sicut enim manè virens herba, & suis floribus vernans, delectat oculos contemplantium, paulatimque marcescens amittit pulchritudinem, et in fœnum, quod conterendum est, vertitur: ita omnis species hominum vernat in parvulis, floret in juvenibus, viget in perfectæ ætatis viris: & repentè dum nescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis prius extensa contrahitur; & extremo fine, quod hic dicitur vespere, id est senectute, vix moveri potest, ita ut non cognoscatur quis prior fuerit, sed penè in alium commutetur.* Unde concludit: *Aeternitati comparata*

brevis est omnium temporum longitudo. Omne, quod in sa- A *culo longum videtur, apud te Deus breve est: dies enim & anni, quibus humana vita contracta est, si comparentur aeternitati, reputabuntur pro nihilo.* Quarta est hæc trias comparationum: sequitur quinta.

VERS. 23. *Quintus.* AMICUS, ET SODALIS IN TEMPORE CONVENIENTES (subaudi, grati sunt, & sese delectant) ET SUPER UTROSQUE MULIER CUM VIRO] Pro *in tempore convenientes*, græcè est εἰς καιρὸν ἀπαντῶντες, id est ad tempus occurrentes, q. d. Pergratum est cùm amicus amico, vel sodalis sodali multo tempore non visus, in tempore, præsertim necessitatis vel commoditatis, cùm eius opera indiget, occurrit: at longè gratior est uxoris cum viro continua, perpetua & indissolubilis unio. Per hanc enim non tantùm tempore necessitatis, sed & quovis alio aliter alteri occurrit & succurrit, consulit, solatur, adeoque quasi dimidium iugi & oneris alterius portat: unde & vocantur coniuges & coniugati, iuxta illud Genes. 2. 24 *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem* (multò magis sodalem & amicum,) *& adhærebit uxori suæ*. Unde Tigurina, *ut amicus commodè congruat cum amico; vir tamen, & uxor concordes utrique præferendi sunt*, hi enim sunt intimè amici & sodales. Syrus, *amicus & socius in momento benedicuntur, & plus utroque mulier bona.*

Concordiæ exêpla in bove, equo & vipera. Præclarè ex S. Basilio S. Ambros. lib. 5. Hexam. cap. 7. B coniugibus concordiæ & benevolentiæ exempla & stimulos dat bovem, equum, quin & viperam. *Comparem*, inquit, *suum & bos requirit, & equus diligit: & si mutetur alius, trahere iugum nescit compar alterius, & se non totum putat: tu iugalem repudias tuum, & putas sæpè mutandum: & si uno defecerit die, suspicaris rivalem: & statim incognitam, quasi cognitam pudoris exequeris iniuriam. Vipera absentem requirit, absentem vocat, & blando proclamat sibilo: atque ubi adventare comparem senserit, venenum evomit, reverentiam marito deferens, verecundata nuptialem gratiam: tu mulier advenientem de longinquo maritum contumeliis repellis. Vipera mare prospectat, explorat iter coniugis: tu iniuriis viam viro obstruis: tu litium moves venenum, non reiicis: tu coniugalis amplexus tempore dirum virus æstuas: nec erubescis nuptias, nec revereris maritum. Sed etiam tu vir, (possumus enim etiam sic accipere) depone timorem cordis, asperitatem morum, cùm tibi sedula uxor occurrit: propelle indignationem, cùm blanda coniux ad charitatem provocat. Non es dominus, sed maritus: non ancillam sortitus es, sed uxorem, gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentem. Redde* C *studio vicem, redde amori gratiam.*

Medium ad concordiam. Porrò medium efficax ad hanc viri & uxoris unionem suggerit Apostolus Ephes. 5. 33. dicens: *Unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat; uxor autem timeat* (revereatur) *virum suum*, in quæ verba commentans S. Chrysost. homil. 20. notat inter virum, & uxorem esse conditionis dissidium, eò quòd statu sint impares, cum vir sit caput, uxor sit subdita, quæ virum suscipit & reveretur, sed per amorem hoc dissidium tolli, eosque fieri pares; amor enim viri facit quasi æquilibrium reverentiæ uxoris. Cùm enim uxor reverenter se deprimit, & subdit viro, amor viri se ad eam demittit, eamque elevat & attollit, sibique facit parem & æqualem. Amor ergo viri ex æquo respondet reverentiæ & subiectioni uxoris, cum eaque facit æquilibrium, sic ut inter virum & uxorem in quadam inæqualitate sit æqualitas, & in dissimilitudine ponderum æquilibrium. Alludit autem S. Chrysostom. ad Græcam vocem σύζυγος, quæ coniuges significat: est D autem ζυγὸς vox anceps, iugum atque libram significans, ita ut σύζυγος sicut *coniuges*, sic & *collibres* aut *æquilibres* vertere liceat. Sicut ergo æquilibrium in bilance facit lancium æqualitatem & concordiam: sic amor faciens æquilibrium viri & uxoris; eorum inducit parilitatem, unionem & pacem. Sed audi Chrysost. *Alterum principatus locum habet uxor, proinde neque ipsa honoris æqualitatem appetat: est enim sub capite, ne ille tamquam subiectam contemnat, corpus namque est. Et si caput contempserit corpus, & ipsum simul peribit. Sed dilectionem inducat, quæ obedientiæ ac subiectioni ex æquo respondeat, quale est quando manus, pedes, & reliqua omnia membra capiti serviunt, illud vicissim eorum curam & providentiam agit, omnem sensum in ipsis habens. Nihil isto coniugio melius. Et quomodo potest esse dilectio, inquis, præsente timore? tum sanè potissimùm potest: Quæ enim timet virum, diligit etiam: quæ diligit, timet ut caput, diligit ut membrum; quandoquidem & caput membrum est totius corporis. Propterea mulierem Deus subiecit, virum verò illi præfecit, ut pax sit. Nam ubi honoris est æqualitas, aut ubi familia dominatur, vel omnes principatum gerunt, ibi numquam poterit esse pax; sed necesse est unum esse principatum, atque id ubique in rebus corporalibus.*

Tropol. optima & gratissima est unio, quâ in homine pars inferior superiori, putà portio concupiscibilis rationali, ac sensus menti, quasi uxor viro se subiicit, illique per omnia unitur, & concordat: hæc enim est summa amicitia, sodalitas & coniugium. Vide quæ de concordiæ bono dixi cap. 25. v. 2.

VERS. 24. FRATRES IN ADIUTORIUM IN TEMPORE TRIBULATIONIS (subaudi, adveniunt, vel accurrunt) ET SUPER EOS MISERICORDIA LIBERABIT] Græca pro *in adiutorium*, habent *& adiutorium*. Unde Syrus, *frater & auxiliator in tempore tribulationis, & plus utroque eleemosyna redimit*; & Tigurina, *fratres & auxilia profuerint tempore calamitatis; sed misericordia præstantior utrisque liberatrix est.* *Sextus.* q. d. Fratres in tempore tribulationis fratri afflicto occurrunt, ut illi opitulentur, eumque liberent; at longè magis misericordia exercita in miseros à misericorde, illi, si in miseriam aliquam inciderit, occurret, ut illum ex ea liberet; quia scilicet impetrabit à Deo auxilium & gratiam, quæ eum eruat & salvet, iuxta illud Tobiæ c. 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Vide dicta cap. 3. 34. Monet parabola, inquit Iansenius, plus fidendum esse in præsidio bonorum operum, quàm in præsidio hominum, quantumvis amicorum. Nam gratissimum quidem, tutissimum, & validissimum est auxilium, quod in tempore tribulationis frater fratri impendit; sed superat auxilium eleemosynæ præstitæ; hoc enim auxilium ex Deo est, illud ex hominibus.

Est hæc sexta trias comparationum, sequitur septima. Siracides enim multiplicat triades, ut in iis adumbret mysterium SS. Trinitatis; hæc enim, utpote essentialis, increata & immensa, est origo & fons triadis creatæ & finitæ, adeoque in illa se exprimit, & repræsentat; atque hac de causa rebus omnibus ternarium quemdam, vel potentiarum, vel operationum, vel similium rerum quasi sui imaginem inseruit, ut ostendi Amos 1. v. 3. sed ita, ut ipsa omnes & singulas in immensum superet.

VERS. 25. *Septimus.* AURUM ET ARGENTUM, EST CONSTITUTIO PEDUM; græcè ἐπιστήσουσιν, id est, stare faciunt, statuunt, erigunt, firmant & stabiliunt pedem; ET SUPER UTRUMQUE CONSILIUM BENEPLACITUM] subaudi *est*. hoc est, bene placet, gratum est & acceptum. Græcè enim est βουλὴ εὐδοκιμεῖ, id est, *consilium approbatur*, q. d. Opes auri & argenti firmant hominem, eiusque statum, ut firmiter in eo consistat, nec ab eo facilè deiici possit, utque in eo fidenter & securus obambulet, at longè magis approbatur & perplacet sanum consilium; hoc enim longè magis eum firmat, gressusque eius dirigit, ut stabiliter obambulet sine metu cadendi vel offendendi. Unde Arabicus vertit, *aurum & argentum stabiliunt* (Syrus, *confirmant*) *pedem; & melius his omnibus consilium bonum*; Tigurina, *aurum quidem & argentum statum cuiusquam constabilierint; sed prudentia est utroque commendabilior.* Nam ut ait Isocrates ad Demonicum; *Sapientia sola possessionum immortalis. Arbitrare optimum esse, à diis quidem bonam fortunam, à nobis ipsis autem bonum consilium.* Sed accipe hoc cum grano salis, scilicet quòd consilium sit à nobis, iuvante tamen Deo; bona verò fortunæ, ferè sint à solo Deo.

Consilii præstãtia quanta. Ratio à priori est, quòd aurum & argentum inanima sint & externa; consilium autem sit rei intimum, eiusque quasi basis, imò anima. Sicut enim ratio dirigit hominem, ut rationaliter agat & vivat, sic consilium dirigit actiones & res, ut prudenter fiant, & firmiter consistant. Consilium enim suggerit omnia rei adminicula & fulcra, atque amovet omnia eius obstacula & firmitati contraria. Quocirca regna, resp. urbes, collegia, cœtus, qui consilio reguntur, firmi consistunt, cre-

scunt

scunt & exaltantur, iuxta illud Proverb. 11. 14. *Ubi non est gubernator, populus corruet: salus autem, ubi multa consilia*. Sicut enim salus & cursus navis pendet à perito gubernatore & gubernaculo; sic salus reip. à sapiente consiliario & consilio. Et cap. 20. 18. *Cogitationes consiliis roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella*. In bello enim plus valet consilium quàm plurimi milites. Sic Romani *possederunt omnem locum consilio suo & patientia*, 1. Macab. 8. v. 3. Alexander Magnus rogatus qua ratione tam brevi tempore orbem debellasset, respondit, *consiliis, eloquentia, & arte imperatoria*, teste Stobæo serm. 54.

Gnomæ. Unde Veget. lib. 3. cap. 9. duci exercitus maximè commendat sapientum consilia. Passienus Crispus Neronis Imp. vitricus dicere solebat, se quorumdam hominum consilium malle quàm beneficium. Antonius Pius Imp. nihil agebat in re bellica vel civili, nisi ex prudentum consilio, dicens: *Æquius est ut ego tot talium que amicorum consilium sequar, quàm ut tot talesque amici meam unius sequantur voluntatem*. Ita Julius Capitol. in eius gestis. Memorabilis est gnome Euripidis: *Unicum consilium rectum magnam militum manum vincit*. Plus enim possunt modicæ vires consilio armatæ, quàm magnæ consilii expertes. Paulus Æmilius aiebat, *Imperatorem si minus ætate, certè moribus & consilio senem esse oportere*. Denique Antonius in Melissa parte 2. serm. 60. *Qualis*, inquit, *est civitas, cuius diruta sunt mœnia, talis est vir qui non omnia agit cum consilio*. Sic Chusai suo consilio plus erexit Davidem, quàm si multa talenta auri ei dedisset. Nam cum profugum à facie Absalomi regno restituit, 2. Reg. 17. Idem fecit consilium, quod Jethro dedit Moysi, Exodi 18.

Mysticè, Hugo per consilium accipit Evangelicum, v. g. paupertatis, q. d. Melior est magisque placet Deo & Sanctis paupertas Evangelica, quàm omnes opes auri & argenti: scriptum est enim, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, Matth. 5.

Octavò. Sequitur trias octava, vel, ut alii (qui primam numerant v. 18. *Vita sibi sufficientis operarii*, &c.) computant, nona, ultima scilicet & perfectissima, timoris Domini, sicut nonus angelorum, putà Seraphinorum, chorus, est summus & perfectissimus: quia ipsi summè timent, id est, reverentur, amant & glorificant, Deum, unde ab amoris ardore vocantur *Seraphim*, id est, ardentes & inflammati, aliosque inflammantes.

Vers. 26. Facultates (græcè χρήματα, id est, pecuniæ, divitiæ) et virtutes exaltant cor: et super hæc timor Domini] *Virtutes*, græcè ἰσχὺς, id est, vires, robur, fortitudo; perperam ergo in Rabano legitur *victus* pro *virtus*; Syrus, *fortitudo & robur exaltant cor, & plus utroque timor Dei*. Sensus est, q. d. Opes & vires erigunt homini cor, eumque faciunt animosum & audacem, ut neminem metuat: at longè magis erigit cor facitque animosum timor Domini: licèt enim timor humanus cor contrahat, enervet & deprimat, tamen timor Dei cor dilatat & extollit, viresque auget: tum, quia timor hic facit hominem Deo obedientem, eiusque leges exactè servantem; quem proinde quasi suum fidelem famulum tutatur Deus: tum, quia timor hic causat spem in Deum, quæ hominem, utpote Deo innixum, facit intrepidum, imò quasi omnipotentem, ut dicat cum Apostolo: *Omnia possum in eo qui me confortat*: tum, quia timor hic vel est amor, vel includit amorem Dei; Deus autem sui amantes quasi amicos & filios charissimos redamat, protegit, defendit contra omnes hostes, & quævis adversa. Denique timor Dei exaltat cor, quia dat lætitiam cordi, dat longitudinem dierum, dat omnem & in vita & in morte benedictionem, ut dictum est cap. 1. & 2. Unde Tigurina, vertit, *erigunt quidem animum opes, & potentia: sed utroque præstat religio Domini*. Timor enim Dei, est Dei veneratio, religio, cultus, obsequium, obedientia & amor. Ita timor Dei exaltabat cor Davidis, ut in mediis periculis, undique obsessus à Saule & hostibus, fidens, securus & alacer caneret; *Dominus illuminatio mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*, psal. 26. Sic videmus Apostolos & viros Apostolicos timore Dei armatos magnanimè maxima tentasse, & feliciter confecisse; ac indies tentare & conficere, ut reges, principes, sapientes & divites sibi subiugent, provincias & regna convertant, totumque orbem Christo subdant.

Quocirca S. Basil. in illud psalm. 14. 4. *Ad nihilum deductus* (græcè *annihilatus*) *est in conspectu eius malignus* (improbus:) *timentes autem Dominum glorificat*, sic scribit: *Magno prorsus & præstanti animo opus est, & qui in nullam se sinat deflecti partem humanarum rerum, quique virili fortitudine præditus ad summum jam pervaserit justitiæ habitum, suum ius ut cuique pro dignitate dispertiat ac distribuat, & maligne agentes noverit ad nihilum deducere; quantolibet magistratu isti polleant, quantislibet refertis opibus se venditent, sint licèt generis claritudine conspicui & illustres, quamlibet sui nominis splendorem sustollant ac celebrent; tantùm si in his deprehendatur ulla vitæ malignitas; hos, inquam, ad nihilum deducere, hoc est, ne tantilli quidem æstimare, excelsi est prorsus & præstantis animi. Contra verò timentes Dominum, ut hi pauperes sint, ignobiles, idiotæ sermone, corpore debiles; hos gloria & laudibus attollere; ac beatos existimare addecet eum, qui spiritali doctrina eruditus, tales didicerit plane esse beatos. Eiusdem namque bene institutæ mentis fuerit, & agentem iniqua, quamvis clarum & potentem, nihili pendere, & timentem Dominum glorificare, quamvis tenuem, pauperis ac despicabilis vitæ, nec quidquam externorum possidentem, quæ nos invitent ad illius commendationem.* — Animi celsi fortitudo.

Non est in timore Dei minoratio, et non est in eo inquirere adiutorium] Ita Latina Romana & Græca Complut. licèt ea quæ Romæ correcta sunt habeant φόβῳ, id est *timori*, pro *in timore*. Persistit in encomio timoris Dei, quasi apicis sapientiæ, omnisque boni, ac de more in eius laudes excurrit. Ait ergo: *Non est in timore Dei minoratio*, græcè ἐλάττωσις, id est, diminutio, defectus, inopia: q. d. Nihil deest timori Dei, ut hominem salvet: ipse enim sufficit, esto cetera desint: quare non est opus, ut quis inquirat adiutorem vel adiutorium, quod scilicet adiuvet timorem ad salvandum hominem; quasi is per se sit diminutus & insufficiens ad hoc, egeatque alterius auxilio. Timor enim ceteras virtutes & bona vel complectitur, vel impetrat à Deo. Unde Syrus, *non est in timore Dei defectus, & non est opus quærere cum illo adiutorem*; & Vatabl. *religioni Domini nihil deest, nec opem in ea desideres*, iuxta illud psalm. 33. *Timete Dominum omnes sancti eius; quoniam nihil deest timentibus eum. Divites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono*. In omnibus aliis auxiliis & rebus est diminutio & defectus; ac proinde omnes egent ope, & auxilio alterius: at secùs est in timore Dei; quia hic nititur Deo, omniaque habet & potest in Deo, iuxta illud Jacob ad Joseph Genes. 49. 24. *Sedit in forti arcus eius, &c. Deus patris tui erit adiutor tuus*. Et illud Jacob ad Aser Deuter. 33. 26. *Ascensor cæli auxiliator tuus; magnificentia eius discurrunt nubes, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna; eiiciet à facie tua inimicum, dicetque, Conterere*. Vide ibi dicta. Timens Deum ergo nullius opis indiget, quia Dei ope iuvatur & fulcitur. — Vers. 27.

Timor Domini sicut paradisus benedictionis, et super omnem gloriam operuerunt illum] scilicet timorem Domini. Dixit v. præced. timorem amovere omne malum; nunc dicit conciliare omne bonum. q. d. Timor Dei est *sicut paradisus benedictionis*, id est, benedictus à Deo, cui scilicet Deus benedixit, id est, benefecit omni amœnitate, omni fructuum genere, copia, & præstantia eum decorans & locupletans. Sicut enim paradisum omni fructuum, sic timentem se omni virtutum genere cumulat, ac præsertim pascit eum ligno vitæ, id est, Eucharistia, quasi pane immortalitatis; qui scilicet veram & beatam immortalitatem ipsi conciliat, uti promisit Christus Joan. 6. 52. Simili modo v. 17. *gratiam*, id est, beneficentiam, comparavit paradiso benedictionis. Sicut ergo infernus est, ubi peccatum mortale est: ita paradisus & cælum est, ubi gratia & timor Dei est, ubi scilicet nullius criminis reatus conscientiam mordet. Timor enim Dei beatam facit animam, uti dixi cap. 34. Hinc Sancti qui timent Deum, in Scriptura vocantur cœli, iuxta illud psalm. 18. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei*. Et psalm. 88. *Confitebuntur cœli mirabilia tua*. Et Apocal. 12. *Lætamini cœli, &c.* — Vers. 28.

&, & qui habitatis in eis. Quocirca *super omnem gloriam*, id est, præ omni decore & gloria tam Deus, quàm homines & angeli, *operuerunt*, id est, convestierunt, & ornarunt timorem Domini; dum timentem Deum præ omnibus laudant, honorant, celebrant, exaltant, magnificant; non tantùm verbis, sed & rebus; quia eum suis donis, gratiis, honoribus, dignitatibus, privilegiis, statibus, gradibus, adeoque omni gratia, & gloria condecorant. Unde Syrus, *timor Dei super omnia exaltatus est, apprehende illum fili mi, & ne dimittas illum; quia non est sicut ipse. Timor Dei in tempore benedictus, & super omnem honorem ipse laudatur*; & Vatabl. *religio Domini instar horti fortunati est, in quo contegendo omnis est superata magnificentia*. Noster legit ἐκάλυψαν, id est, operuerunt, in plurali; Iam Complut. & Romana legunt in singulari ἐκάλυψε, id est, *operuit*, vestivit, supple, Deus paradisum, æquè ac timorem & timentem Deum. Alii vertunt, *timor Domini similis est felici paradiso, cujus operimentum omnem gloriam exuperat*. Timor Dei ergo est gemmea calyptra, aurea cyclas, diadema smaragdinum, regium paludamentum; quod longè magis timentem Deum exornat, quàm omnes purpuræ & sceptra exornant reges & principes. Alludit ad benedictiones & beneficia data Patriarchis timentibus Deum; q.d. Has & plures obtinebis, iisque coronaberis, si timueris Deum. Præsertim verò alludit ad illam quam Iacob imprecatus est Iosepho Genes. 49. 25. *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus uberum & vulvæ. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius: donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos*. Similia tribui Ioseph imprecatur Moses moriturus Deuter. 33. 13. Quàm ergo lætari, exultare & jubilare perpetim debet justus tot Dei benedictionibus circumvallatus, & quasi obrutus? quàm in adversis & arduis esse securus, constans, magnanimus, quem Deus undique coronat sua misericordia & miserationibus? Porrò Syrus addit hìc duas gnomas, quæ desunt in Græcis & Latinis; *Fili mi*, inquit, *ei qui poscit te, ne deneges. Ne sis bonus ad occidendum, sed esto bonus ad vivificandum*.

Vers. 29. FILI IN TEMPORE VITÆ TUÆ NE INDIGEAS MELIUS EST ENIM MORI QUAM INDIGERE] Redit ad id quod dixit v. 18. *Vita sibi sufficientis operari conculcabitur*; ut ostendat quàm cavendum sit otium, quod est causa inopiæ; quamque amplectendus sit labor & operatio, quæ est causa opum & abundantiæ. Utrumque enim docet timor Dei, iuxta illud Pauli; *Est quæstus magnus pietas cum sufficientia*, 1. Timoth. 6.

C

Pro *indigeas & indigere* græcè est ἐπαιτεῖν, id est mendicare; quia indigentia est causa mendicitatis. Est ergo metonymia. Noster enim Interpres solerter expressit causam pro effectu, qui ordinariè ex tali caussa consequitur; unde Græca eleganter sic habent, Τέκνον ζωὴν ἐπαιτήσεως μὴ βιώσῃς· κρεῖσσον ἀποθανεῖν ἢ ἐπαιτεῖν, id est, ut Complut. *vitam mendicitatis* (Roman. *mendicationis*; alii, *mendicam*) *ne vivas*; *melius est mori, quàm mendicare*; Tigurina, *fili cave ne vivas mendicato: mortuum esse præstat, quam mendicare*; q.d. Fili ne otio & desidia te in summam egestatem & necessitatem assiduè mendicandi conjicias; indigentia enim, & egestas hìc non qualibet, sed gravis & continua, quæ hominem cogat vivere mendicato, intelligitur. Alioqui nemo est, ne rex quidem, qui non quandoque alicuius rei sit indigus. Causa est, quòd vita mendicorum sit pauperrima, miserrima, sordidissima, onerosissima tam aliis, quàm sibi; ac propriè quòd apud Iudæos erat infamis; erat enim signum iniquitatis & vitæ sceleratæ. Ad hanc enim castigandam Deus Iudæis comminatus erat, & reipsa infligebat rerum penuriam & mendicitatem; sicut ex adverso iustis, legemque suam servantibus promiserat opes, rerumque copiam, ut patet Levit. 26. toto penè capite, ac Deuter. 15. 4. *Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos*. Unde & Psaltes inter ceteras maledictiones impii, hanc quoque assignat; *Nutantes transferantur filii eius, & mendicent*, psalm. 108. Inter benedictiones verò pii hanc; *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem*, psalm. 36. Verùm Christus hanc infamiam sustulit, adeoque beatos pauperes spiritu pro-

D

A nuntiavit, ipseque paupertatem hanc amplexus, Christianis, præsertim Ecclesiasticis & Religiosis perfectionis avidis, eam sectandam proposuit. Hæc enim est paupertas non coacta, sed voluntaria, sponteque ad exercitium humilitatis, patientiæ, pœnitentiæ suscepta; utque homo liber à desideriis curisque terrenis totus vacet Deo & contemplationi rerum cœlestium, ac per hoc opibus maximis in cælo à Deo beetur. Talis enim non respicit in mensam alienam, ut sequitur, sed in Deum ipsum, qui sibi servientibus, regnumque cælorum quærentibus promisit se temporalia adiecturum. Talis quoque orando, prædicando, docendo, &c. utilior est reip. quàm si laboraret manibus, unde Apostolus 1. Corinth. 9. *Si nos*, inquit, *vobis carnalia seminavimus, multum est si carnalia metamus*. imò Christus Lucæ 10. *Dignus est operarius cibo suo*. Unde S. Franciscus in Regula cap. 8. paupertatem suis impensè commendans; *Fratres*, inquit, *nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; sed tamquam peregrini & advenæ in hoc sæculo in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos* Celsitudo pauperis spiritu.

B *verecundari; quia Dominus pro nobis se pauperem fecit in mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos heredes regni cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium: cui totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub cælo habere velitis*.

Tropol. Rabanus appositè hæc accipit de acedia, & inertia ad exercendas virtutes, & conquirenda bonorum operum merita & lucra. *Admonet*, inquit, *nos sapientia, ne per otiositatem perdamus tempus nobis indultum, sed magis laboremus rectè credendo; intentè legem Dei meditando, atque bene operando; ut hic habeamus opes virtutum, & in futuro vitam æternam. Melius est enim à præsenti vita citò decedere, quam hic diu inutiliter vivere; quia otiosus diuturni temporis maiorem in tormentis habebit vindictam*. Citat deinde exemplum virginum fatuarum, quæ carentes oleo, dum illud emendicant, & quærunt, exclusæ sunt à nuptiis cælestibus; & servorum, qui talenta domini laboriosè expendentes, æternam ab eo mercedem receperunt, Matth. 25. Tropolog.

VIR RESPICIENS IN MENSAM ALIENAM, NON EST VITA EIUS IN COGITATIONE VICTUS: ALIT ENIM ANIMAM SUAM CIBIS ALIENIS. VIR AUTEM DISCIPLINATUS ET ERUDITUS CUSTODIET SE] Pro *non est vita eius in cogitatione victus*, græcè est, οὐκ ἔστιν αὐτοῦ ὁ βίος ἐν λογισμῷ ζωῆς, id est, *non est vita eius in æstimatione*, reputatione, computu, *vita*. q. d. Talis vita non est æstimanda & censenda vita, sed mors potiùs longa & assidua, quia assiduè eget, famet, mendicat, despicitur & ridetur. Unde à Græcis talis vita vocatur ἀβίωτος βίος, id est, vita sine vita, vita non vitalis, vita miserorum morientium potiùs quàm viventium. Sic quoque Noster accipi posset: sæpè enim victus ponitur pro vita, quia hæc victu & cibis sustentatur, ut sit metonymia. Planiùs tamen Nostrum, & consequenter Græca sic exponas, q. d. Mendicus, qui cùm non habeat mensam & cibum, quo se alat, cogitur respicere in mensam alienam, ut ea pascatur; hic, inquam, vitam agit otiosam & inertem, nec cogitat de laborando, ut sibi victum paret: *alit enim animam*, id est vitam, *suam cibis alienis*. Pro *alit* græcè est ἀλισγήσει, id est *contaminabit*: quia mendicorum vita est spurca, misera, inops, vilis, sordida, stolida & infamis, imò bestialis & canina: canes enim mendicant ad mensam heri, jugiterque ad eum respiciunt, ut sibi os aliquod proiiciat quod rodant: unde mendicus vitam non habet propriam, sed alienam: vita enim eius est in potestate non sua, sed divitis, in quem respicit, quique eum alit: ut, si ille nolit eum alere, vita privandus & fame conficiendus sit: perinde ut incarcerati pendent à manu & ore præfecti carceris, ut ab eo victum vitamque recipiant, vel fame conficiantur, & mori cogantur. Quare *vir disciplinatus, & eruditus*, id est prudens & sapiens, *custodiet se*, ne in vitam tam miseram sua inertia incidat; sed potiùs laborando comparabit sibi alimenta, ut vitam agat propriam, honestam, quietam, jucundam. Unde Tigur. vertit, *viri mensam* Vers. 30. Vers. 31. Mendicorum vita mors potius quà vita.

alie-

alienam spectantis vita non est pro vita deputanda: nam animum suum contristat. (Vatabl. *inquinat*) *cibis alienis: quod cavebit vir prudens & eruditus*; Complut. legentes ἐν ἐχεσθῆν, sic vertunt, *vir respiciens ad alienam mensam, non habet vitam in ratione vitæ inquinabit animam suam in cibis alienis: vir autem sapiens & eruditus custodiet*; Romani verò legentes ἐν λογισμῷ ζωῆς, vertunt, *vir respiciens in mensam alienam, non est vita eius in computatione vitæ, &c.* alii, *eius vita non est habenda vita, &c. vir autem sciens & eruditus id cavebit*; Syrus, *virum qui sperat in mensam alienam, nemo reputabit vivum. Odit animam suam qui amat voluptates, & viro qui cognoscet eas, dolor viscerum sunt.*

VERS. 33. IN ORE IMPRUDENTIS CONDULCABITUR INOPIA, ET IN VENTRE EIUS IGNIS ARDEBIT] Ita Roman. Pro *imprudentis* græcè est ἀναιδοῦς, id est, *impudentis*: & ita legit Rabanus, Iansen. & alii, quin & Syrus, *in ore impudentis*, inquit, *suavis erit mendicatio, & sicut ignis ardet in medio eius.*

Pro *condulcabitur* perperam aliqui legunt *conculcabitur*; græcè enim est γλυκανθήσεται. Per *inopiam* metonymicè accipitur mendicitas, & vita mendica, cuius inopia & inertia est causa: hanc enim significat Græcum ἐπαίτησις. Nam aliàs hæc sententia esset adversa illi cap. 13. 30. *Nequissima paupertas in ore impii.* Sensus ergo est, q. d. Homo imprudens & impudens, qui caret prudentia æquè ac pudore, dulcem sibi æstimat mendicitatem, quia mavult iners inverecundo ore mendicare, quàm honestè manibus laborare, ut victum sibi comparet: præfert enim inertiam labori, suavitatem honestati, inverecundiam pudori. Quocirca pœnam damnumque sentiet: nam *in ventre* & stomacho *eius ignis*, id est fames ex calore stomachi excitata, exardescet, eumque affliget & cruciabit; qui si laborare voluisset, famem omnem abundè depulisset, ac simul suo pudori, famæ & honestati consuluisset.

A Unde Arabicus, vertit, *quæstio* vel *petitio impudentis; timor in ore illius; veluti ignis in ventre illius ardet*; Tigurina, *ori impudentis suavis est mendicitas* (alii, *mendicatio*,) *ignis ardet in ventre eius.* Ita videmus homines viles, & errones vagabundos, imprudenter & impudenter mendicare malle, quàm laborando victum quærere: ex hac impudenti inertia & inopia aguntur sæpè in furta, rapinas, latrocinia, aliaque scelera, uti experientia constat. Qua de causa multæ urbes rectè moratæ, in quibus viget politia, non permittunt mendicos, sed cogunt pauperes si vires habeant, laborare: sin viribus ob ætatem vel morbum careant, sintque indigenæ, alunt eos in nosocomiis vel hospitalibus: exteros verò ad suas civitates & pagos relegant. Hac de causa Plutarchus in Laconicis laudat Lacedæmonios, quòd mendicos habebant velut infames, & mendicitatem velut probrum; eò quòd & otium odissent, & minimo essent contenti. Benignitas autem in mendicos est quidem actus magnæ virtutis; sed ea piorum hominum bonitas alit plurimorum malorum luxuriosam ignaviam. Unde Lacon, inquit, rogaB tus à mendico ut sibi daret eleemosynam, respondit; *Si quid dedero, magis es futurus mendicus: atque istius probrosæ vitæ tuæ auctor fuit qui tibi primus dedit, teque fecit inertem.* Quocirca Salomon mortalium sapientissimus mendicitatem deprecatur Prov. 30. 8. dicens *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicā, Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer & perjurem nomen Dei mei.*

Tropol. Rabanus pergit hanc sententiam adaptare inerti ad bona opera, cui suavis est sua pigritia; sed ob hanc igne gehennæ cruciabitur. *Cui enim*, inquit, *modò placet magis desidia otio torpere, quàm verbo doctrinæ proximis prodesse; hic in futura pœna ardens, etiam pœnitentiæ doloribus in animo æstuante sine remedio cruciabitur.*

CAPUT QVADRAGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Redit ad initium cap. 40. agitque de ultima parte jugi posteris Adæ incumbentis, putà de morte. Igitur Primò, v. 1. usque ad 8. docet quibus amara sit mors, quibus iucunda. Secundò, à v. 8. ad 17. agit de filiis probrosis, de maledictione impiorum, deque pulchritudine ac cura boni nominis. Tertiò, à v. 17. ad finem varia recenset, de quibus est erubescendum. Porrò congruo ordine hæc prosequitur: ex primo enim sequitur secundum, ex secundo tertium. Primò enim docet mortem amaram esse divitibus, qui in hac vita deliciis & prosperitate affluunt, dulcem verò esse pauperibus & afflictis; ut inde ostendat mortem in se non esse adeò amaram & terribilem, uti multi autumant, sed id pendere ex affectu & dispositione hominum, scilicet amaritudinem mortis provenire ex nimio affectu vitæ suavis & deliciosæ. Vbi enim hic affectus non est, ut in pauperibus & afflictis, ibi non amara, sed dulcis est mors. Ex quo concludit, non esse metuendam mortem, quòd illa commune naturæ sit debitum, ideoque ex necessitate omnibus nullo excepto subeunda. Cùm igitur nulli semper vivere liceat, hinc Secundò, colligit curandum cuique esse, ut moriens bonum sui nomen & famam postumam, in qua semper vivat, relinquat. Vnde Tertiò, disserit de bono nomine, in quo illud consistat, docetque consistere in eo si quis nil committat pudendum, cuius, scilicet, eum pudere, & de quo erubescere meritò debeat quænam autem illa sint, sigillatim recenset.

O Mors quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis! 2. viro quieto, & cujus viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum! 3. O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, 4. defecto ætate, & cui de omnibus cura est, & incredibili, qui perdit patientiam! 5. Noli metuere judicium mortis. Memento quæ ante te fuerunt, & quę superventura sunt tibi: hoc judicium à Domino omni carni. 6. & quid superveniet tibi in beneplacito Altissimi? sive decem, sive centum, sive mille anni. 7. Non est enim in inferno accusatio vitæ. 8. Filii abominationum fiunt filii peccatorum, & qui conversantur secus domos impiorum. 9. Filiorum peccatorum periet hereditas, & cum semine illorum assiduitas opprobrii. 10. De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio. 11. Væ vobis viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi. 12. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini: & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. 13. Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur: sic impii à maledicto in perditionem. 14. Luctus hominum in corpore ipsorum, nomen autem impiorum delebitur. 15. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni. 16. Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in ævum. 17. Disciplinam in pace conservate filii, sapientia enim abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? 18. Melior est homo qui abscondit stultitiam suam, quàm homo qui abscondit sapientiam suam. 19. Verumtamen reveremini in his, quæ procedunt de ore meo.

20. Non

20. Non est enim bonum omnem reverentiam observare: & non omnia omnibus beneplacent in fide.
21. Erubescite à patre & à matre de fornicatione: & à præsidente & à potente de mendacio: 22. à
principe & à judice de delicto: à synagoga & plebe de iniquitate: 23. à socio et amico de injustitia:
& de loco in quo habitas, 24. de furto, de veritate Dei, & testamento, de discubitu in panibus, &
ab obfuscatione dati et accepti: 25. à salutantibus de silentio: à respectu mulieris fornicariæ: et ab
aversione vultus cognati. 26. Ne avertas faciem à proximo tuo, et ab auferendo partem, et
non restituendo. 27. Ne respicias mulierem alieni viri, et ne scruteris ancillam ejus, neque
steteris ad lectum ejus. 28. Ab amicis de sermonibus improperii: et cùm dederis, ne im-
properes.

VERS. 1. O MORS QUAM AMARA EST MEMORIA TUA HOMINI PACEM HABENTI (græcè, *εἰρηνεύοντι*, id est, *pacificè viventi*) IN SUBSTANTIIS SUIS; VIRO QUIETO, græcè *ἀπερισπάστῳ*, id est indistra-
VERS. 2. cto, otioso, quieto,) ET CUJUS VIÆ DIRECTÆ SUNT IN OMNIBUS, ET ADHUC VALENTI ACCIPERE CIBUM!] id est sano, vegeto & valido, cui sapit cibus, qui suis opibus & deliciis fruitur & deliciatur. q. d. O quàm acerba est non solùm ipsa mors, sed etiam mortis memoria diviti, qui pacificè opes magnas possidet, in iisque conquiescit; ut nullæ curæ, lites, molestiæ eum ab hac sua pace & quiete deturbent vel disturbent: *cujus viæ*, id est actiones, *directæ*, id est prosperæ & felices, sunt *in omnibus*, cui scilicet omnia prosperè succedunt, ut filias suas bene collocarit, filios ditarit, servos honestarit, &c. quique adhuc sanus valensque est, ut suis uti fruique possit. Mors enim hæc omnia ipsi adeò jucunda admit cum vita; quare acerba ei accidit: quę enim cum amore possidentur, hæc cum dolore avelluntur: ac quantus est amor, tantus est & dolor. Quocirca S. Chrysost. apud Antonium in Melissa: *Mors*, inquit, *hominis divitis & fortunati est duplex*; quia anima ejus æquè adhæret divitiis & felicitati, ac corpori: quare dum ab utrisq; avellitur, duplicem quasi oppetit mortem. Unde multi in morte suspirant, quòd suas opes relinquere debeant. Vis ergo ut mors ejusque memoria non te torqueat? vivens abdica à te delicias & opes, easque eroga in pauperes, uti faciunt Religiosi aut certè affectum ab eis averte, eumq; in Deum confer, uti fecere Abraham, Isaac, Jacob, Moses, David, ceterique sancti reges & patriarchæ. Unde Syrus vertit, *o mors quàm mala es viro diviti qui sedet in in bonis suis, viro qui validus est, & prosper omni tempore, & motus in eo est, & facultas ad eligendum divitias vel mortem*; & Vatabl. *quàm amara est, o mors, tui memoria homini quieto in bonis suis* (alii, *pacatè fruenti bonis suis*) *viro vacuo negotiis, feliciq; per omnia & cibum adhuc sumere valenti!* Talis enim, inquit Dionys. sensibilia & caduca plus diligit, quàm divina & æterna. Idcircò amarum est ei non solùm à præsentibus separari, sed etiam de ipsa separatione meditari. E contrario verè sapientes mortem assiduè cogitant, & quòd post eum non sit reditus ad vitam; sed mox tremendum Dei sequatur judicium, & pœnæ gravissimæ; quanta etiam molestia tunc sit tentationum morientes impugnantium, denique quàm miserum sit non esse paratum ad mortem. Quocirca S. Basilius (quod & olim dixerat Plato) rogatus ab Eubulo: *Quæ est definitio philosophiæ?* respondit: *Prima definitio philosophiæ, meditatio mortis. Ille verò admirans ait: Quis est mundus?* ait: *Qui est super mundum*, uti refert Amphiloch. in Vita S. Basilii.

Gnome. Huic Siracidis sententiæ parallelæ sunt philosophorum gnomæ. Senecæ in Proverbiis: *O vita misero longa, felici brevis!* Platonis: *Molestior est fortunatis mors, quàm laboriosè viventibus.* Secundi philosophi, qui teste Laertio rogatus ab Adriano Imperat. quid esset mors? respondit:
Mors quid? *Mors est æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somnij pater, fuga vitæ, vivorum discessio, resolutio omnium.* B. Alcuni Flacci disput. cum Pipino Caroli Magni filio: *Mors est inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, lacrymæ viventium, testamenti firmamentum, latro hominis.*

Alleg. Palacius: Si huic, inquit, ita depicto viro tam est tristis memoria mortis in hoc mundo, viro sancto meliores, id est spirituales, opes habenti, pace post multas pugnas comparata, vita sine animarum cura quadamtenus otiosa, cui omnia prospere cadunt; quàm erit tristis, quàm horrenda, quàm intolerabilis mortis secundæ memoria! O quale est memorari, fieri posse ut anima talis æternum sit sine Deo? Pavet etymon mortis. Nam, ut *Mortis etymon.*
ait S. Isidor. lib. 11. Origin. cap. 2. *mors dicta est, quod sit amara; vel a marte, qui est effector mortium; sive mors a morsu primi hominis, qui vetitæ arboris pomum mordens mortem incurrit.* Additque: *Tria sunt genera mortis, acerba, immatura, naturalis: acerba infantium: immatura juvenum: matura, id est naturalis, senum.* Præclarè S. Greg. Nazianz. in Distichis: *Ossa nuda*, inquit, *spectata nos admonent, ne quid hujus vitæ nobis proprium ac certum esse credamus.* Quocirca S. Silvester Auximanus, viso adolescentis nobilis sepulcro, ejusq; ossa contemplans compunctus ait: *En ego sum quod hic fuit, & brevi ero quod hic est.* Quare, relictis omnibus, in eremum apud Fabrianum secessit, uniq; Deo vacans congregationem instituit quæ ab eo Silvestrina nuncupatur. Migravit in cælum anno Domini 1267. ita habet Vita ejus scripta ab Andrea monacho Fabrianensi, S. Antonius in Chronic. Ferrarius & alii.

Exemplum illustre hujus sententiæ est apud Damascenum in Historia Balaam & Josaphat cap. 5. Josaphat enim filius regis Abenner, jussu patris in omnibus deliciis educatus, adeò ut nesciret quid esset mors, vel homines mori; cùm à suis tandem idipsum didicisset, ingemuit dixitque: *Ergo me mors me aliquando corripiet? Et quisnam erit qui mei post mortem meminerit, cùm tempus omnia oblivione contriverit? Num præterea morte functus in nihilum dissolvar, an contrà altera quædam est vita, & alius mundus?* Quorum omnium veritatem & rationem edoctus à Barlaam, ad Christum conversus, tandem relicto regno eum in eremum secutus, vitam angelicam in terris egit, ac per felicem mortem transivit ad angelorum immortalitatem. Barlaam enim moriens hoc ei documentum quasi testamentum reliquit: *Ad laborum duritiem, ac temporis diuturnitatem animo ita comparatus esto, tanquam quotidie discessum è vita expectans; atque eumdem diem tibi vitæ monasticæ tum initium, tum finem esse existimans. Sic semper quæ a tergo sunt obliviscens, atque ad ea quæ a fronte sunt, teipsum extendens, ad destinatum persequere, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.*

O MORS, BONUM EST JUDICIUM TUUM VERS. 3.
HOMINI INDIGENTI, ET QUI MINORATUR VERS. 4.
VIRIBUS, DEFECTO ÆTATE, ET CUI DE OMNIBUS CURA EST, ET INCREDIBILI QUI PERDIT PATIENTIAM!] Ita Roman. & Græca: malè ergo Palacius, Jansen. & alii pro *patientiam* legunt *sapientiam* quam hæc duo conjuncta sunt; patiens enim verè est sapiens; & qui perdit patientiam, perdit & sapientiam, quæ docet patienter omnia adversa tolerare: quare dum fit impatiens, fit pariter insipiens. Aliter Emmanuel Sa, *qui perdit sapientiam*, inquit, est decrepitus, qui præ senio delirat, aut certè multorum oblitus perdidit quasi memoriam: hunc enim satius est mori, quàm vivere.

Est antithesis versus præced. q. d. Sicut divitibus, qui abundant opibus, deliciis, sanitate, pace, quibusque omnia prosperè succedunt, acerba est mors: sic eadem jucunda est pauperibus, miseris & desperatis; quia ab his ærumnis liberat eos, juxta illud cap. 30. *Melior est mors, quam vita amara. Judicium.* vocat tum decretum & sententiam Dei, quo omnes Adæ posteros damnavit ad mortem, Genes. 3. tum morem, consuetudinem, necessitatem moriendi omnibus communem & inevitabilem, ac quasi fatum: hanc enim significat Hebr. משפט *mispat*, id est judicium. Unde Tigurina vertit, *quam jucundum est, o mors, fatum tuum homini egenti, defectoque viribus, decrepito, undique districto, desperabundo, patientiaque destituto;* Syrus, *quam felix es viro qui fractus est, & deficiens animo, viro*

sibi qui moritur omni momento, & caret alimento, & non est in eo vis ad operandum! Insuper judicium morti datum significat mortem, quæ ante peccatum erat tyrannus, post peccatum factum esse justum judicem; tum quia ipsa est administra & executrix divinæ justitiæ, & sententiæ mortis in hominem à Deo latæ; tum, quia ipsa restituit terræ quod suum est, reducitque hominem in suam originem; tum denique, quia ipsa miseris, quibus hæc vita iniqua est, quique in sola morte injuriarum & ærumnarum suarum solatium & remedium repositum habent, æquè & justè succurrit, eosque liberat. Igitur mors, mortisque sententia suavis accidit Primò, homini indigenti, qui scilicet gravi, continua & inextricabili rerum ad vitam necessariarum penuria laborat: huic enim satius videtur semel mori, quàm continua fame cruciari, & lenta tabe emori: multo jucundior est mors pauperibus spiritu, qui ad vitam & opes cælestes sibi à Christo promissas anhelant. Quo circa S. Franciscus dato sibi à medico mortis nuntio exclamavit: *Benevenìat soror mea mors*, jussitque Fratribus ut canticum gratiarum actionis Deo canerent. Cumque à Elia moneretur cuique fideli in morte esse lugendum, & poenitendum, magno fervore erumpens: *Sine me frater*, inquit, *gaudere in Domino, in laude ejus, & in infirmitatibus meis: quia Spiritus sancti cooperatione ita sum Deo meo unitus, ut libeat planè in Altissimo jucundari.* Igitur vocatis cantoribus, summo jubilo cecinit cum eis canticum, quod ipse vocabat Solis, alta voce exclamans: *Lauderis mi Domine propter sororem nostram mortem, quam nullus vivens potest evadere. Væ illis, qui moriuntur in peccato mortali. Beati qui in hora mortis suæ inveniunt se conformes tuæ sanctissimæ voluntati: mors enim secunda non poterit eis nocere. Laudate & benedicite Dominum meum, & gratificamini, & servite illi omnes creaturæ, magna humilitate.* ita habet Speculum Vitæ ejus cap. 101. & 102. par. 1. ac Lucas waddingus in Annalibus Minorum anno Christi 1226. num. 22.

Mors suavis est. Primò, indigenti;

Secundò ei, *qui minoratur*, id est, destituitur, *viribus* per morbum; qui scilicet assiduè languet, infirmatur, dolet capite, stomacho, ceterisve membris. Ab hisce enim ceterisque omnibus vitæ incommodis, ac fortunæ miseræ procellis liberat eum mors.

Secundò, ægro;

Tertiò, *defecto ætate*, græcè ἐσχατογήρῳ, id est, ut Complut. *in extrema senectute constituto*; Tigurina, *decrepito.* Nam ut ait Psaltes psalm. 89. 10. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.* Quare *senectus ipsa morbus est*, isque non unus, sed multiplex, ut graphicè describit Ecclesiastes cap. 12. Per senem ergo accipe decrepitum, tot miseriis quot annis onustum, cui nulla liberationis nisi in morte est spes. Nam alioqui senes communes, quibus adest aliqua in vita jucunditas, horrent mortem, eoque magis quo ipsa vicinior est. Sanè vidi plures senes, etiam Religiosos & Sanctos, qui ægerrimè ferebant mortis & migrationis ex hac vita instantis sibi mentionem fieri. Est hoc inter alia senectutis vitium, ut vitam optent senes cùm vivere desinunt. Idipsum apologo mortis & senis festivè repræsentat Æsopus. *Senex*, inquit, *incisa à se ligna cùm ferret, multam ibat viam, ac ob multum laborem deposito in loco quodam onere, mortem invocabat. sed mors cùm adesset, causamque peteret, propter quam se vocaret, perterrefactus senex ait, Ut onus meum attollas. Fabula significat omnem hominem esse vitæ cupidum, licèt infortunatus sit & mendicus.*

Tertiò, decrepito;

Præclarè S. August. serm. 113. de Tempor. *Nonne audivimus*, inquit, *& vidimus homines in aliquibus tribulationibus & angustiis, constitutionibus & ægritudinibus dum sunt constituti, & vident se laborare, nihil aliud dicere: Deus mitte mihi mortem, accelera dies meos; & quando venit ægritudo, curritur, adducuntur medici; solidi & munera promittuntur. Dicit tibi ipsa mors: Ecce adsum, quam paulò antè à Domino petebas; quid me modò fugere vis? inveni te falsatorem & miseræ vitæ amatorem. De his autem diebus quos agimus, Apostolus ait: Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Non ergo sunt mali dies quos agimus in corruptela hujus carnis, in tanta vel sub tanta sarcina corruptibilis corporis, inter tantas tentationes, inter tantas difficultates, ubi falsa voluntas, nulla securitas gaudii, timor torquens, cupiditas avida, tristitia arida? Ecce quàm malos dies, & nemo vult finire ipsos dies malos, multumque hinc rogant homines Deum, ut diu vivant: Quid est autem diu vivere, nisi diu torqueri? Quid est aliud diu vivere, quàm malos dies malis diebus addere?*

Quartò, *cui cura est de omnibus*, græcè περισπωμένῳ περὶ πάντων, id est, circa omnia distracto, sollicito, anxio & districto, ut vertit Tigurina, ut scilicet necessaria vitæ sibi, suæque familiæ comparet; aut ut è lite difficili, principis indignatione; aliave re molesta & periculosa se extricet & expediat.

Quartò, anxio;

Quintò, *incredibili*, græcè ἀπειθοῦντι, id est, diffidenti desperanti; qui scilicet desperat de fortuna meliore, aut molestiam periculumve grave se posse evadere. Hic enim perdit ὑπομονὴν, id est patientiam, sustinentiam, expectationem melioris sortis, qua scilicet expectando & sperando prosperam fortunam, patienter toleret, & sustineat præsentem sibi adversam. Hinc desperatio multos adigit ad laqueum; quocirca ipsa omnium miseriarum est miserrima: ceteras enim omnes homo sustinet per spem, quæ si perdatur per desperationem, nullum miseriæ levandæ restat remedium; sed ea miser opprimatur & obruatur necesse est.

Quintò, desperanti.

Nota. Asserit hisce ærumnosis non bonam esse, sed bonam videri mortem; ac proinde eos licèt infelices, hac parte tamen feliciores esse prioribus, divitibus scilicet & felicibus, eò quòd hi horreant mortem, illi expectent, imò sæpè optent. Verùm sicut in his sæpè nimius est horror mortis, sic in illis nimius ejusdem est appetitus: unde ut hominem ad mediocritatem diducat, doceatque qua ratione & moderatione mortem excipere debeat, subdit: *Noli metuere judicium mortis.*

Tropol. ergo palacius: Tu lector, inquit, attolle in excelsum oculos, & dic, O quàm bona est mors viro in spiritualibus diviti, sive juvenis sit, sive senex: sive curam habeat, sive cura careat: sive credat malis suis exitum fore, sive non credat! O quàm felix fuisset Salomon, si cùm Cantica scribebat, vita defunctus fuisset! quàm felix Judas, si antequam pecuniam accepisset, vitam amisisset! Ergo mors bona bonis, malis verò mala: ut enim *mors peccatorum pessima*: ita *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, psal. 115.

NOLI METUERE JUDICIUM MORTIS. MEMENTO QUÆ ANTE TE FUERUNT, ET QUÆ SUPERVENTURA SUNT TIBI: HOC JUDICIUM A DOMINO OMNI CARNI] Tigurina, *fatum mortis ne metuas, sed superiorum memineris, & posteriorum: hoc utique fatum a Domino injunctum esse omni mortalitati*; Syrus, *ne timeas mortem, quia ea ipsa est portio tua. Recordare quòd priores & posteriores apud te sunt; quia hic est finis omnium hominum coram Deo.* VERS. 5.

Probat mortem non esse metuendam, nec detractandam, sex argumentis.

Primum est, quia ipsa est *judicium*, idest justa, non injusta: ob peccata enim justo judicio tibi infligitur; per culpam enim tum Adæ, tum tuam meritus es pœnam mortis.

Mortem non esse metuendam. Ratio Prima.

Secundum, *memento quæ ante te fuerunt*, quòd scilicet in seculis quæ ante te fuerunt, omnes sint mortui, nemoque à mortis lege fuerit exceptus: memento quoque *quæ superventura sunt tibi*, quòd scilicet post te per omnia sæcula ventura omnes viventes morituri sint, ut meritò tu ab hac universali mortis lege excipi nec possis, nec velle debeas. Unde Græca sic habent: μνήσθητι προτέρων σου καὶ ἐσχάτων, quæ masculinè accipiendo sic clarè vertas, *memento eorum qui te priores fuerunt, & novissimorum*, qui scilicet novissimè futuri sunt: sicut enim priores omnes sunt mortui, sic novissimi ad unum omnes sunt morituri.

Secunda.

Tertium, memento quòd hoc *judicium* mortis sit commune *omni carni*, idest omni homini, imò omni animanti. q.d. Est hic mos, hæc sors, hæc natura omnis carnis, ut, cum ex se sit fragilis, corruptibilis & mortalis, aliquando corrumpatur & moriatur. Unde cùm quis moritur, dicitur ingredi viam universæ carnis: *Ubi constituta est domus omni viventi*, Job. 30. 23. idque confirmatum & sancitum est à Domino universorum, qui vitæ & necis cujusque habet potestatem, in pœnam peccati: cujus sententiam nemo prudens declinare possit, aut velit, etiam Gentilis. Sic Anaxagoras audita filii morte, dolorem sistit, dicens: *Sciebam me & genuisse*

Tertia.

Exempla gentium.

Digi

sum? Idem absens ad mortem damnatus, id nuntianti: *Jam olim*, inquit, *istam sententiam tulit natura æquè in illos, atque in me*. ita Laertius lib. 2. c. 5. Et Seneca: *Stultum est*, inquit, *timere quod vitare non possis. Stultum est dolere in eius conditione se esse, in qua nemo non est. Solatium est grande, cum universo unà rapi*. ita ipse de Provid. c. 5. Thales dicebat, *nihil interesse inter vitam & mortem; quòd utraque sit secundùm naturam*. Cuidam obstrepenti: *Cur igitur tu non moreris?* Respondit: *Ob hoc ipsum quia nihil refert. Potius enim habetur, quod accersitur*. ita Laertius lib. 1. c. 1. Socrates damnatus ad mortem fugere noluit, dicens: *Liberi mei Deo, qui mihi eos dedit, curæ erunt: amicos hinc discedens inveniam vobis meliores: ne vestra quidem consuetudine diu cariturus: nam vos brevi eodem estis commigraturi*. Aristoteles dictitabat, *optimum esse migrare è vita velut è convivio, neque sitibundum, neque temulentum*. Epictetus dicebat *præstare animæ, quàm corpori mederi; cùm præstet mori, quàm malè vivere*, uti refert Antonius in Melissa part. 1. ser. 58. Æschines gloriosè mori summam dicebat esse felicitatem, cùm mors omnibus ex æquo sit fatalis, teste Stobæo serm. 115. Ubi & citat Gorgiam, qui rogatus an libenter moreretur, *Maximè*, dixit: *nam tanquam ex putri & diffluente domuncula non invitus discedo*. Agis rex Lacedæm. rogatus, *quo pacto quis libertatem suam tueri possit? Si mortem*, inquit, *contempserit*. ita Plutarch. in Lacon. ubi & citat Agesilaum, qui rogatus *quæ via esset ad eximiam gloriam? Si mortem*, inquit, *contempseris*. Hic enim mortis contemptus hominem facit intrepidum ad heroica in bello omnique re facinora designanda. Et Callicratidam dicentem: *In bello aut vincere, aut mori honestissimum*: hoc enim naturæ est, illud virtutis. Et Damindam exclamantem: *O semiviri quid nobis acerbi poterit accidere, qui mortem contemnimus?* Isocrates ad Demonicum: *Mori*, ait, *omnium fatum decrevit: pulchrè verò mori proprium bonis natura attribuit. Immortalia quidem sapias, magnanimus existendo: mortalia verò, modestè præsentibus fruendo*. Lucianus: *Quid sunt homines? Dei mortales. Quid Dei? homines immortales*.

Tropolog. Tropol. Hugo: *memento quæ antè fuerunt*, id est, inquit, de quo factus es, scilicet de limo & de nihilo: *& quæ superventura sunt tibi*, id est, ad quid devenies memento, q. d. Memento quia cinis es, &c. vel sic: *Memento quæ ante te fuerunt*, id est, coram te, in præsenti, id est, memento qualis est vita tua præsens: *& quæ superventura sunt tibi*, id est, qualis erit vita futura, q. d. Considera ingressum tuum, quàm immundus fuit; progressum tuum, quàm laboriosus; egressum tuum, quàm periculosus. Nativitas enim hominis immunda est, vita laboriosa, mors periculosa. Hinc nativitas plena est pudore, vita dolore, mors timore. Unde S. Bernard. *Recole homo, unde venis, & erubesce, ubi sis, & ingemisce; quò vadis, & contremisce*.

Vers. 6. ET QUID SUPERVENIET TIBI IN BENEPLACITO ALTISSIMI? SIVE DECEM, SIVE CENTUM, SIVE MILLE ANNI.] Ita Romana & Græca, licèt Jansenius & alii notam interrogationis non ponant post τὸ *Altissimi*, sed in fine post τὸ *anni*. Græca tamen pro ἐπελεύσεται, id est *superveniet*, legunt ἀπαναίνῃ, id est *recusas*, renuis: sic enim habent, καὶ τί ἀπαναίνῃ ἐν εὐδοκίᾳ ὑψίστου, id est, ut Complut. & Roman. *& quid recusas vel renuis in beneplacito Altissimi?* q. d. Nihil eorum quæ sunt in beneplacito Dei recusare voles aut vales, ergo nec mortem, nec statutum tibi à Deo moriendi tempus: hoc enim unum est inter infinita beneplacita Dei. Unde Tigurina, *quomodo autem recuses, quod placuit Altissimo?*

Quarta. Est hæc quarta ratio cur mors non sit detrectanda, quia scilicet illa cuique immittitur modo & tempore decreto & discreto à beneplacito Dei, cui omnis creatura se subdat, imò conformet oportet: Dei enim voluntas & beneplacitum est sanctissimum, sapientissimum, potentissimum, optimum & clementissimum.

Nostræ Latinæ Vulgatæ sensus est similis, q. d. Quid tibi supervenire aut occurrere possit, quidve fingere vel excogitare queas, quo judicium & sententiam Dei de morte, certoque ejus tempore in te latam mutare, vel declinare, vel inflectere valeas? sive enim decem, sive centum, sive mille annos vitæ tuæ præfixerit; illo contentus sis oportet: nec enim vel horam, vel momentum

A ad hoc tempus à Deo præfixum addere, vel minuere potes: juxta illud, *Constituisti terminos ejus qui præteriri non poterunt*, Job. 14. Et illud: *In manibus tuis sortes meæ*; Septuag. *tempora mea*, psal. 30. 16.

Secundò, alii exponunt, q. d. Quid tibi supervenire, id est accidere & adiici, poterit ad decem vel centum, vel mille annos, quos judicium Dei tibi statuit & præfixit? q. d. Nihil. Nullus enim vel hilum adiicere potest ad id quod ipse decernit.

Tertiò, Lyran. sic legit & exponit: *Et quæ supervenient tibi à beneplacito Altissimi, sive decem, sive centum, sive mille anni*, supple & repete ex v. præced. *hoc judicium tibi est à Domino*; in quo proinde conquiescas oportet. Sic & Dionysius: *Quæ supervenient tibi in beneplacito Altissimi*, id est, inquit, tempora vitæ, quæ tibi restant secundùm divinæ voluntatis præordinationem, *sive decem, sive centum, sive mille anni*. q. d. Hæc tibi sufficiant, & gratanter ea accipias, ac fructuosè expendas, & tuam voluntatem in hoc divinæ subiice voluntati. Qui id facit, ideoque longioris vitæ desiderium, ac mortis metum vincit; non effeminatus est, sed vir & herus, non vilis sed B sapiens, non puer sed adultæ virtutis, ideoque hac sua animi fortitudine ac robore splendidè refulget: sicut splendidè refulsit Socrates, sibi paratam mortem hilari animo excipiens: refulsit Epictetus, qui destitutus fortunæ muneribus, tranquillam ducebat vitam: refulsit Anaxarchus, qui in mortario contusus exclamabat: *Contunde quantum velis, Anaxarchum nunquam contundes*. Tria sunt quæ maximè optari solent, à nauta portus, à peregrino patria, à servo libertas. Homo per mortem, quæ maximum est malorum corporis, ex mari & fluctibus mundi in portum tendit, ex dubia peregrinatione in patriam, ex carcere in libertatem prodit. Demum nihil reperitur quod nos magno honore, gloria & fama dignos reddat magis hac salutari victoria. Quæ quàm sit jucunda, animoque ingenuo dulcis & grata, tantum abest ut possit exprimi verbis, ut vix possit concipi mente: nil enim animo rectè formato jucundius contingere potest, quàm sua prudentia vicisse fortunam: ceteræ videntur tantum, non autem reverà sunt voluptates. *Hilariter excipienda est mors, multis de causis.*

Gnome. Huc faciunt sententiæ Diogenis, Diadochi, S. Chry- C sost. & S. Basilii, quas citat Antonius in Melissa part. 1, c. 58. Diogenes enim videns quemdam lugentem, quòd in peregrina terra moriturus esset, dixit: *Quid luges, ò stulte: undecunque eadem via est ad inferos*. Uradochi: *Qui exeundi tempore laborat metu, non liberè transibit principes inferorum. Est enim animæ timiditas, illorum malitiæ velut patrona & adiutrix. Anima verò quæ in Dei dilectione exultat tempore discessus, super omnes tenebrosos ordines elata cum angelis pacis fertur*. S. Chrysost. *Gaudendum est morte, sive juvenis, quòd statim liberatus sit hujus vitæ malis; sive senis, quòd iis rebus quæ in vita exoptandæ videntur, ad satietatem usque fruitus, abierit*. S. Basilii: *Sicut carcerè inclusorum alii quidem diutiùs in afflictione vinculorum permanent, alii verò celeriùs liberantur: sic etiam animarum aliæ diu in hac vita detinentur, aliæ breviùs, creatore nostro providente nobis singulis sapienter profundoque consilio quod humana mente indagari non potest, iuxta mensuram cuiusque dignitati convenientem. Non audis Davidem dicentem: Educ de carcere animam meam? Non audisti de sancto, quòd soluta sit anima eius? Simeon autem Dominum ulnis complexus, nonne hæc verba protulit: Nunc dimittis D servum tuum Domine? Nam corporis conversatio ad superiorem vitam properanti, quovis afflictione & carcere gravior est*.

Vers. 7. NON EST ENIM IN INFERNO ACCUSATIO (græcè ἐλεγμὸς, id est, redargutio) VITÆ.] Primò & genuinè, sensus est, q. d. Quisque debet contentus esse annis decem, vel centum, vel mille vitæ sibi à Deo præfixis & concessis: quia in inferno nemo redarguitur quòd decem, vel centum, id est paucos, vel multos annos vixerit; sed quòd sibi à Deo datos, sive paucos, sive multos, otiosè transegerit, maleque vixerit. Rursum nemo est in inferno, qui accusare possit brevitatem vel longitudinem vitæ, ac queri se nimis parum vel nimis diu vixisse, aut plures annos suæ juventuti & complexioni ex natura fuisse debitos, ut Deo condemnanti alleget & excuset brevitatem vitæ, dicendo:

A *Si diu vixissem, multa bona fecissem*, inquit Lyran. ac peccata poenitentia expiassem. Huc facit illud Senecæ libr. de Brevitate vitæ cap. 1. *Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vita, & in maximarum rerum consummationem largè data est, si tota bene collocaretur. Sed ubi per luxum ac negligentiam defluit, ubi nulli rei bonæ impenditur; ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Ita est, non accepimus brevem vitam, sed fecimus. nec inopes ejus, sed prodigi sumus: sicut amplæ & regiæ opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur; at quamvis modicæ, si bono custodi traditæ sunt, usu crescunt: ita ætas nostra, benè disponenti, multum patet.* Nam, ut ait Comicus: *Ætatis arcta spatium extendit virtus.* Unde Alexander Magnus apud Curtium lib. 9. *Ego*, inquit, *me metior non ætatis spatio, sed gloria.*

Secundò, q. d. Deus in inferno non redarguet, nec puniet te quòd multum vel parum vixeris; sed quòd sceleratè vixeris. Igitur non vitæ brevitas, sed malitia timenda est.

Tertiò, alii, q. d. In inferno non est appellatio ad Plutonem, Ditem, Rhadamantum, aliosve deos vel judices, quos ponebant Gentiles; ut quis coram eis allegans se nimis parum vixisse, impetret reditum ad vitam, pluresque vitæ annos; aut vitam tam citam & fugacem accusans, cogat eam redire; aut anima defuncti ad eam redire velit & satagat, juxta illud Virgil. 6. Æneid. ex Platone & Pythagora.

Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

Mysticè, Dionys. *Non est in inferno accusatio vitæ*, hoc est, inquit, nulla salubris reprehensio propriæ vitæ est in inferno, cùm non sit ibi status aut tempus poenitendi, vel merendi, juxta illud psalm. 6. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* nihilominus est in inferno poenitentia sera, juxta illud Sapient. 5. *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.* Vide præcedentia & sequentia miserabilia, sed infructuosa. Quare qui sapit, ante mortem vacet poenitentiæ salutari, & exercitio bonorum operum. Hæc Dionys. sic & Lyran. ac Delrio adagio 197. loco 38. Damnatis, inquiunt, nec accusandi, nec confitendi præteritæ vitæ peccata ullum tempus est reliquum; imò nec id faciendi flexibilis ulla voluntas. Adduntque hunc sensum esse literalem, sed potiùs videtur mysticus, ut patet ex causali *enim*, & ex Græcis, quæ hæc nectunt cum centum & mille annis, de quibus v. præced.

Porrò Græca hanc sententiam cum præced. combinant, sicque legunt: *sive decem, sive centum, sive mille anni; non est in inferno accusatio* vel *redargutio vitæ*; Tigurina, *sive decem habeas, sive centum, sive mille annos, vita nullam habet adversus necem excusationem.* Quo minùs moriens ad eum descendat, sive citò, sive tardè juxta annos cuique à Deo præfinitos. Vide hic rursum liberiorem esse versionem Tigurinam.

Quinta. Est hæc quinta ratio cur mors non sit detrectanda, quia scilicet frustrà quis eam detrectet, cùm in inferno nulla sit appellatio, nullus ad vitam reditus.

Meminit Siracides solius inferni post mortem, non cæli; quia ejus ævo omnes, etiam justi, descendebant ad *Sexta.* infernum usque ad Christum, qui suo sanguine cælum reseravit. Atque ex eo sexta & potissima ratio non metuendæ mortis petitur; scilicet quòd per eam transeamus *Sancti optant mortem.* ad meliorem vitam in cælis, mors enim Sanctis est janua vitæ beatæ & æternæ. Pii ergo mortem non timent, sed amant & ambiunt. Ita Damascenus in Histor. Barlaam & Josaphat c. 4. narrat duos monachos, quibus rex Abenner mortem minabatur, intrepidè respondisse: *Rectè dixisti, o rex, qui mortem metuunt, id curant quonam pacto eam effugiant. Quinam autem hi sunt, nisi qui fluxis rebus intabescunt, easque ad stuporem usque mirantur? Qui quidem, cùm in altera vita quidquam boni sese consecuturos esse desperent, à præsentibus divelli nequeunt, ob eamque causam mortem timent. At nos qui jam pridem mundum, & ea quæ in mundo sunt, odio prosequimur, arctamque & angustam viam Christi causa ingredimur, nec mortis metu, nec præsentium rerum cupiditate afficimur: verùm futurarum duntaxat rerum desiderio tenemur. Quoniam igitur mors ea, quam nobis infertis, ad sempiternam & præstantiorem vitam transitus efficitur, idcircò cupiditati potiùs nobis est, quam terrori.*

Exempla & gnome.

Idem fecere ceteri ascetæ. Unde in Vitis Patrum lib. 5. cap. 44. ubi duodecim Anachoretarum quotidianæ meditationes, quasi stimuli ad virtutem recensentur, secundi hæc vox est: *Ego dixi, Ex quo renuntiavi terræ, hodie renatus es, hodie cœpisti servire Deo; hodie hic inhabitare cœpisti: sic esto quotidie peregrinus, & crastino liberandus, hoc mihi quotidie consulebam.* Quinti ista: *Ego angelos aspicio ascendentes & descendentes ad vocationem animarum, & semper finem meum opperior, dicens: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Sexti ista: *Ego per singulos dies puto mihi à Domino dici: Laborate propter me, & ego quiescere faciam vos. Adhuc modicum decertate, & videbitis salutare meum, & gloriam meam. Si diligitis me, si filii mei estis, ad patrem vocantem revertemini.*

Alfonsus Aragonum rex, teste Panorm. & Ænea Silvio in ejus Vita, adolescentem qui mortem horrebat, consolans: *Non est*, inquit, *cur mortem adeò timeas, cùm hæc bonis pæneque morientibus sit vita, atque ejus vitæ principium, quæ neque doloribus, neque timori, neque invidiæ, neque ærumnis ullis subjecta est.* Quocirca aptè pieq; Palacius: Christiane, inquit, altior tibi Theologia est: non enim tuum B est mortem timere, sed optare: cupere dissolvi & esse cum Christo: mori tibi multò melius, tuum est vitam habere in patientia, mortem in desiderio tua conversatio non in terris est, sed in cælis, tuum est dicere: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Quo enim Dei amor ardentiùs viscera tua exurit, hoc impatientius est desiderium mortis. Vide S. Cyprian. tract. de Mortalitate, & S. Ambros. libr. de Bono mortis.

FILII ABOMINATIONUM FIUNT FILII PECCATORUM, ET QUI CONVERSANTUR SECUS DOMOS IMPIORUM] Legit Interpres per diæresim παρ᾽ οἴκους, id est, *secus*, vel juxta, *domos*: jam legunt unica voce παροικίαις, id est parœciis, viciniis: unde Complut. vertunt, *filii abominabiles* (Tigur. *execrabiles*) *fiunt filii peccatorum, & qui conversantur in viciniis impiorum*; alii, *qui versantur cum viciniis impiis*; Romani retinent Græcum *paræciis*, cautamque addunt: Quoniam, inquiunt, non liquet an hic sensus sit, *& filii impiorum sunt hujusmodi, ut quiescere non possint, sed frequentibus sedium mutationibus agitentur*; an ut in Vulgata, *& qui conversantur secus domos impiorum.* Verùm nobis sequenda est Vulgata: C illa enim proprium Græcorum sensum expressit, unde enim consentiunt Complut. Tigurina, & ceteri; licèt Syrus totam hanc partem prætereat: vertit enim, *semen despicabile generatio peccatorum, & progenies vilis sibi generatio iniquorum.* Sensus ergo est, q. d. Filii peccatorum, qui scilicet vel physicè ex peccatoribus nascuntur, ab iisque educantur: vel moraliter ab iis in vita & moribus efformantur, ut discipuli à magistris, subditi à Prælato, cives à magistratu, &c. hi, inquam, fiunt *filii abominationum*, id est, summè abominabiles: quia patres suos imitantur tum per se, tum instigati ab illis: patres enim suos mores & sensa filiis instillant. Idem dico de illis, *qui conversantur secus domos impiorum*, id est, qui cum impiis domi & familiariter versantur: hi enim impiorum impios sermones actusque imbibunt; qua de causa fiunt apud homines abominabiles: ideoque infames. Quocirca Ben Sira alphab. 2. littera *Phe*: *Averte*, inquit, *faciem tuam a sociis malis; ne habeto cum eis iter* (ne eas in via cum eis.) *Cohibe pedem tuum ab eis, ne capiaris rete inferorum.* Vide Prov. 1. 15. *Vers. 8.*

D Transit à morte ad mores & famam, ut innuat felicem esse mortem proborum, qui filios post se relinquunt benè institutos & moratos, in quibus ipsi post mortem quasi vivant, famamque & nomen apud posteros conservent & propagent: ex adverso infelicem esse mortem peccatorum, qui post se relinquunt filios impios, per quos eorum memoria & nomen fiat abominabile & infame: vitæ enim succedit fama posthuma; bonæ bona, malæ mala. Quare viventibus illius maxima habenda est ratio, ut in illa honestè & gloriosè vivant; ideoque filios suos honestè instituere debent, ut ipsi hac eis famam bonam concilient.

Nota. Hæ & similes sententiæ significant quid sæpè fiat, non quid semper. Nam subinde mali & infames parentes bonos & gloriosos relinquunt filios; uti Achaz reliquit

quit Ezechiam; Amon Josiam, Saul Jonathum: & vice versa boni parentes relinquunt perversos filios; uti David Absalomum & Adoniam, Josias Joakimum, Ezechias Manassem.

VERS. 9. FILIORUM PECCATORUM PERIT HEREDITAS, ET CUM SEMINE ILLORUM ASSIDUITAS OPPROBRII] Græcè ἐνδελεχιεῖ ὄνειδος, id est, *assidua est infamia*, continuatur, & permanet probrum; Complut. *continuè manet improperium*. Τὸ *illorum* tam refer ad *filiorum*, quàm ad *peccatorum*. q. d. Filii peccatorum non solùm erunt abominabiles & infames, sed & bona sibi à parentibus relicta perdent vel lusu & luxu, vel per lites, naufragia & infortunia: quia sæpè injustè à parentibus sunt acquisita; ideoque Deus justus judex justè ea aufert, & ad alios transfert. Rursum non tantùm ipsi sunt infames, sed & probrum suum ad suum *semen*, putà ad filios & nepotes, transmittunt; ita ut tota prosapia per futuras generationes perpetuo probro maculetur & notetur ita Tigur. *Hereditas*, inquit, *liberorum scelerosorum interibit, & opprobrium posteritatem eorum assiduè comitabitur*. Huc facit illud psal. 7. ubi recensitis impii sceleribus subdit & concludit: *Propterea destruet te Deus in finem, evellet te & emigrabit de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.* Porrò Syrus habet, *à filio iniquo peribit imperium, & cum semine ejus habitabit egestas*. Ex dictis liquet, quòd patres sint velut pictores morum, (consequenter & famæ) qui filiis imprimuntur: filii enim sunt quasi psittaci ac simiæ, qui quidquid audiunt à parentibus, quidquid in illis inspiciunt, hoc quasi naturali mentis instinctu mox in seipsis effingunt; sic loquuntur, sic operantur, uti à parentibus addiscunt.

VERS. 10. DE PATRE IMPIO QUERUNTUR FILII; QUONIAM PROPTER ILLUM SUNT IN OPPROBRIUM] tum, quia probrum patris transit ad posteros, estque probrum filiorum: tum, quia probrosi mores filiorum prodeunt ex probrosis moribus parentum. Pro *queruntur* malè aliqui legunt *quæruntur* per diphthongum: græcè est μέμψεται, id est, *accusabunt*. Unde Tigurina, *liberi accusant parentem impium, quoniam propter ipsum veniunt in vituperationem*; alii, *probris afficiuntur*. Universi enim improperant filiis parentum suorum scelera; sicut Judæis probro æterno datur, quòd patres eorum occiderunt Christum. Syrus, *patrem iniquum filii velli maledicent, quia propter ipsum contempti fuerunt in mundo*.

Porrò, si filii accusant parentes in hac vita, multo magis eos accusabunt in die judicii, cum propter eorum pravam educationem videbunt se cum eis damnari ad gehennam, ubi perpetuò eos culpabunt, imò maledicent dicendo: Maledictus sis pater, qui me ad gehennam educasti. Meritò igitur ait ex S. Gregorio Dionysius: *Unusquisque præsidens tot moribus, tot æternis damnationibus dignus est, quot perditionis exempla subditis præbuit*. Hinc scriptum est Sap. 4. *Ex iniquis somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes*. Verùm filii magis seipsos quàm patres accusare deberent, cùm sua culpa imitati eos, gehennam meruerint; præsertim quia filii impietate sæpè superant parentes: *Accusans autem debet esse melior accusato*, ait Aristot. 2. Politic.

VERS. 11. VERS. 12. VÆ VOBIS VIRI IMPII, QUI DERELIQUISTIS LEGEM DOMINI ALTISSIMI. ET SI NATI FUERITIS, IN MALEDICTIONE NASCEMINI: ET SI MORTUI FUERITIS, IN MALEDICTIONE ERIT PARS VESTRA] Complut. aliique Græci codices post τὸ *Altissimi* addunt: *Nam si multi fueritis, ad interitum eritis*; Tigurina, *nam etiamsi feceritis accessionem, interibitis*. Verùm hæc verba delent codices Græci Romæ emendati, æquè ac Noster, nec cohærent cum sequentibus. Rursum Rabanus legit *nascimini* in præsenti: sed cum Romanis legendum *nascemini* in futuro: hoc enim significat Græcum γεννηθήσεσθε. Pro *in maledictione erit pars vestra*, græcè est εἰς κατάραν μερισθήσεσθε, id est, *in maledictionem dispertiemini*; Complut. *divisi eritis*; Romana, *separabimini*.

Impii in maledictione nascuntur, quo sensu? Resp. Primò.

Jam quoad sensum, Primò, Origenistæ, asseclæ Platonis, & Pythagoricæ μετεμψυχώσεως, id est, transmigrationis animarum; ex hoc loco & similibus docebant, animas ante corpora præextitisse, ac ob peccata tunc commissa mitti in corpora quasi in carcerem, ut in eo pœnas peccatorum luant, ideoque in maledictio-

A ne nasci. Verùm hic error jam pridem damnatus est. Rursum Calvinus ex hoc loco & similibus censet, Deum ante omnem prævisionem operum pro libito hos elegisse & addixisse cælo, illos maledixisse, id est, reprobasse, & addixisse inferno. Verùm hoc est blasphemum ejus fatum, quod omnes sanæ mentis execrantur. Nam inde Beza Calvinum suum secutus scribens in 1. Joan. cap. 1. infert docetque nulla peccata esse reprobis venialia, neque ulla electis mortalia; adeoque pro reprobis non esse orandum, quæ omnia insana & impia sunt. Insuper Semipelagini hinc contendebant reprobos in Dei maledictione nasci, eò quòd Deus ob peccata eorum prævisa eos reprobarit, & ad maledictam nativitatem destinarit. Verùm hoc implicat, prius est enim nasci, quàm jam natum peccare: quare priùs prædestinavit Deus ut reprobi nascerentur, quàm providerit eorum peccata, ac ob ea eos reprobarit. Si dicat, peccata fuisse à Deo prævisa non absolutè, sed conditionatè, si, scilicet, eos crearet & nasci faceret; hoc pariter absurdum est: Deus enim neminem punit pœna absoluta ob peccatum ejus conditionatè futurum: pœna enim absoluta B requirit culpam actualem & absolutam. Vide S. August. hanc sententiam refellentem lib. de Prædest. Sanctorum c. 13. & 14.

Secundò, alii hæc referunt ad peccatum originale: ob illud enim omnes nascimur filii iræ & maledictionis Dei, Ephes. 2. Verùm hoc peccatum commune est omnibus, tam electis quàm reprobis. Hic autem agitur de peccato impiorum quod ipsi actu committunt, ideoque maledicuntur & damnantur. *Secundò;*

Tertiò, Palacius hæc accipit non de prima nativitate, sed secunda & iterata, qua nonnulli jam nati & mortui ab Elia, Eliseo, & aliis fuere revocati ad vitam, & quasi iterum nati, q. d. Si peccator jam mortuus resuscitetur, & iterum quasi nascatur, nascitur in maledictione, quia in maledictione mortuus est: nec enim post mortem agi potest fructuosa & salutaris pœnitentia. Verùm hi resuscitati fuere admodum pauci; nec peccatores, sed parvuli innocentes. *Tertiò;*

Quartò, Jansenius censet hic agi de derelictione reproborum in massa peccati originalis & damnationis; ac, significari quòd Deus ante prævisionem operum, ob peccaC tum Adæ, videns omnes ejus posteros eo infectos, decreverit hos inde eripere & salvare; illos in ea derelinquere, maledicere & damnare, juxta illud Roman. 9. 11. *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est*, &c. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Sensus ergo est, inquit Jansen. q. d. Deus reprobos & in nativitate, & in morte maledixit. Decrevit enim eos in peccato originali, in quo nascuntur, derelinquere, ac in morte damnare. Verùm dura, & huic loco incongrua est hæc interpretatio. Dura, quia Deus vult omnes Adæ posteros salvare, ideoque misit Christum, ut omnes salvaret: quare neminem reprobat ante prævisionem peccati finalis, in quo quis decedit & moritur, uti ostendi Osee 11. 9. Incongrua, quia hic non agitur de maledictione peccati originalis, sed actualis, ut patet ex præcedentibus, & sequentibus, ac ex τῷ *qui dereliquistis legem Domini altissimi*; utique per actum proprium. Adde, propriè hic agi non de reprobis omnibus, sed de impiis peccatorum filiis, de his enim sermo præcessit. *Quartò.*

D Unde

Quintò, idem Jansenius censet nomine *maledictionis*, hic non significari æternam Dei reprobationem, sed miseriam & calamitatem aliquam in hoc mundo divinitus inferendam, sive ob parentum, sive ob propria peccata. Juxta quem intellectum etiam rectè dicitur, quòd impii, cùm nascerentur, propter prævisa eorum futura mala opera, nati sunt ad sustinendam Dei maledictionem, hoc est Dei ultionem in hac vita: sicut, & cùm moriuntur, propter peracta mala opera, maledictionem Dei, hoc est damnationis ultionem, sustinere coguntur. Unde Syrus vertit, *væ hominibus iniquis, quia infelicitas comitabitur eos usque ad diem mortis eorum*. *Quintò.*

Dico ergo, pro *in maledictione*, græcè est εἰς κατάραν, id est, *ad maledictionem*, quam scilicet vestris sceleribus quæ patrabitis, vobis accersetis. Est prosopopœia. Abstrahit enim à nativitate impiorum, loquiturque impiis *Sextò; genuinus*

quasi necdum natis; quod scilicet Deus prævidit malè acturos foreque impios, q. d. Væ vobis impii impiorum filii, quos Deus prævidit impios parentum mores imitaturos, ac derelicturos legem suam. Misera est vestra sors & conditio: nam si nascamini, (uti reipsa nascemini) ad maledictionem nascemini, quia à parentibus educabimini in peccatis, vivetisque scelerate, ob quæ Deus vobis maledicet: sin moriamini, ad maledictionem æternam, putà ad gehennam, transmittemini; ut pars & sors vestra sit cum damnati, à Deo maledictis per omnem æternitatem. ita Lyran. *Væ*, inquit, *est comminatio maledictionis æternæ. Et si nati fueritis, id est nativitas vestra facta est ad maledictionem culpæ, & mors vestra ad maledictionem gehennæ; non ex auctore naturæ, sed ex defectu parentalis disciplinæ.*

Adde, per nativitatem metonymicè accipi posse vitam, ad quam nascimur. q. d. O impii, & in vita, & in morte eritis maledicti: quia vivetis in maledictione culpæ, moriemini in maledictione gehennæ. Unde Tigurina pro γεννηθῆτε, id est, *nascemini*, legens γένησθε, id est, *fueritis*, *vixeritis*, vertit, *væ vobis viri impii, legis summi Dei desertores. Si vixeritis, eritis execrabiles: sin obieritis, itidem detestabiles.*

Insuper impiorum parentum generatio, & impiorum filiorum nativitas sæpè est vitiata & maledicta: quia impii parentes per sanguinem, & semen vitiatum suam crapulam, libidinem, iram, & cetera vitia, pravasque inclinationes transfundunt in filios; quocirca eorum filii nascuntur in maledictione, quia propensi ad omne malum. Adde, quòd Deus generationi impiorum maledicens, maledicat sæpè filiis propter maledictos parentes, juxta illud Noe maledicentis Chanaan filio propter patrem Cham: *Maledictus Chanaan*, quia scilicet patris sui Cham impietatem sequetur, Genes. 9. 25. Hinc Deus Chananæos stirpitus excidi jussit per Hebræos; quia eorum semen & prosapia planè erat vitiata & incorrigibilis, uti docet Sapiens cap. 12. 10. *Non ignorans*, ait, *quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum: semen enim erat maledictum ab initio.*

Deniq; potest hæc sententia accipi in sensu formali, quo impii dicuntur nasci, quando peccant & impii agunt: tunc enim videntur quasi nasci ex impietate. *Impii* enim in Script. vocantur non omnes peccatores, qui in aliquod peccatum ex fragilitate labuntur; sed insignes & eximii dumtaxat, qui scilicet habitum & callum peccandi sibi induxerunt, in eoque sunt obfirmati, ut ex certa & destinata malitia peccent: quales sunt infideles & athei, qui impiè negant omne numen. Per prosopopœiam enim Scriptura tribuit tam impietati & peccato, quàm virtuti & sanctitati suam generationem, posteritatem & prosapiam. Unde sicut vocantur filii obedientiæ, justitiæ, charitatis, misericordiæ, qui totos se addicunt obedientiæ, justitiæ, charitati, misericordiæ, ita ut ex ea prognati esse videantur; quomodo de Catone dixere Gentiles *Cato & continentia ex eodem utero prognati videntur*: sic vicissim vocantur filii superbiæ, inobedientiæ, luxuriæ, impietatis, illi qui planè sunt superbi, inobedientes, luxuriosi, impii, ita ut ex utero superbiæ, luxuriæ, impietatis procreati videantur.

Alludit ad id quod dixit cap. 3. 1. *Filii sapientiæ Ecclesia justorum, & natio illorum obedientia & dilectio.* Vide ibi dicta. Sic sensus erit q. d. Væ vobis impii, qui dereliquistis legem Domini: sive enim nascamini in vestra impietate, nascemini in maledictione: Deus enim impietati & impiis maledicit: sive moriamini in impietate, moriemini in maledictione: quia sicut vixistis in culpa, sic moriemini in pœna & gehenna. Huic sensui valdè congruit id quod sequitur:

VERS. 13. OMNIA, QUÆ DE TERRA SUNT, IN TERRAM CONVERTENTUR; SIC IMPII A MALEDICTO (græcè, κατάρας, id est, *maledictione*) IN PERDITIONEM] q. d. Sicut è terra orta in terram redeunt & occidunt; impii nati ex malectione putà ex maledicto parentum semine, atque ex sua maledicta impietate, in morte redibunt in maledictionem, putà in perditionem & gehennam, ubi est quasi mare & receptaculum omnis maledictionis, id est, omnis culpæ & pœnæ, omniumque impiorum & sceleratorum. Græca Complut. τὸ *à maledicto*; sed illud restituunt Roman. Tigur. & alii. Unde Tigurin. sic vertit, *quæcumque è terra constant, in terram abibunt: itemque impii ab execratione ad interitum.* Simili sensu dicas: Impii in infernum redibunt; quia ex inferno prodierunt. Impii in gehennam post mortem revertentur; quia ex ea prognati sunt: nam prognati sunt ex culpa & impietate, cujus regia sedes & thronus est in insidet & præsidet Lucifer, qui suorum scelerum virus omnibus hominibus aspirat. Unde omnes impii vocantur *filii Belial*, id est filii dæmonis & Luciferi: ideoque cum eo maledictionis sententiam accipientes à Christo judice, audient: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus*, Matth. 25. ita Raban. Lyran. Dionys. & alii.

VERS. 14. LUCTUS HOMINUM IN CORPORE IPSORUM: NOMEN AUTEM IMPIORUM DELEBITUR] *In corpore*, id est propter corpus, putà propter corporis mortem & interitum. Est hebraismus. Hebræi enim sæpè ב, id est *in*, usurpant pro *propter*. Græca habent: *Luctus hominum in corporibus ipsorum: nomen autem peccatorum* (legendum enim cum Roman. ἁμαρτωλῶν, non cum Complut. ἀνθρώπων, id est *hominum*) *non bonum delebitur.* Verùm τὸ *non bonum*, delendum cum Nostro: otiosè enim additur & sensum imminuit, imò intervertit: impii enim optant bonum suum nomen non deleri, malum autem & infame gaudent deleri. Jam Primò, Lyran. hunc dat sensum: *Luctus hominum, putà humanè & rationabiliter viventium, in corpore ipsorum*, q. d. Si affligantur boni, hoc est in præsenti vita tantùm, quamdiu sunt in hoc mortali corpore: *nomen autem impiorum delebitur*, scilicet de libro vitæ, & sic cruciabuntur morte gehennæ. hæc Lyran. Cui accedit Dionys. *Luctus hominum in corpore ipsorum*, hoc est, inquit, homines boni & rationabiles in hac carne mortali, valleque lacrymarum deplangunt se & sua, ac proximorum peccata, de quibus asserit Veritas: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. 5. Quin & Rabanus: *Hic homines*, inquit, *ponit pro sapientibus qui bene ratione animæ utuntur, & divinis obediendo subduntur mandatis. Hi in præsenti vita tantùm luctum habent, postea autem in gaudio lætabuntur perpetuo. Unde scriptum est: Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur. Ceterùm nomen impiorum delebitur, quam infernum delebitur, quia in infernum demersi æternæ oblivioni tradentur. His enim dicturus est judex: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: amen dico vobis, quia numquam novi vos.*

Secundò, ergo Jansenius planè ad literam sic explicat, q. d. Lugentur homines, cùm corpus eorum moritur & sepulturæ traditur; atque hujusmodi luctu memoria & nomen mortuorum celebratur; sed hæc ad memoriam ejus servandam non proficient; quia nomen impiorum, quod sæpè celebre est in hac vita, post mortem statim delebitur, simulque cum corpore, aut paulò post sepelietur. Atque sic lugentur homines propter corpus ipsorum, cùm illud moritur & sepelitur: at impii magis lugendi essent, quòd simul cum corpore etiam eorum nomen & celebris memoria deleatur.

Unde Tigurina vertit, *ut corpora suorum luctu prosequantur homines; nomen tamen scelerosorum malum interibit.* Vis enim antithesis, quæ solet esse in proverbiis Salomonis & Siracidis, hoc loco in eo consistit, quòd hominum vita intereat, ideoque lugeantur: at impiorum non tantùm vita, sed & cum vita nomen & fama interiturum sit, ideoque magis lugendi sunt. Illo enim ævo cùm obscura esset fides resurrectionis, beatudinis & gloriæ cælestis, omnes tam fideles quàm infideles optabant & anhelabant ad famam & gloriam, ut in ea superessent, ac quasi superstites viverent: hinc procurabant sibi magnifica sepulcra, columnas, statuas, titulos, &c. quibus Roma & Italia est referta quocirca mirè dolebant, si putarent citò nomen suum & famam interituram. Unde pro ingenti pœna hoc eis intentat Sapiens Proverb. 10. *Nomen impiorum putrescet.* & Psaltes psalm. 9. *Periit memoria eorum cum sonitu.* Et *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.* Et rursus: *Nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi.* Huc accedit Palacius: Luctus cadaverum, inquit, durare solet, quantum sunt illa præsentia; nam ex quo mandantur sepulturæ, solent lacrymæ deficere. At nomen

& fama

& fama impiorum, quamvis reges sint & principes, deletur nonnumquam etiam antequam sepulturæ mandantur. nam ut audit plebs eos esse mortuos, eorum impietates recenset; cessat igitur eorum fama, incipit infamia.

Nomina sceleratorum olim vitabantur. Exempla.

Porrò veteres Hebræi, Græci & Romani ita nomina scelestorum detestabantur, ac oblivione sepeliebant, ut illa nec nominare, nec alicui suorum indere, nec quomodolibet usurpare sustinerent. Hinc apud Hebræos nemo sustinuit vocari Cain, Cham, Chanaan, Nemrod, Pharao; & apud Christianos nemo sustinet vocari Judas, ne Judæ proditoris nomen se suamque stirpem funestet. Apud Græcos, teste Strabone libr. 14. caverunt Ephesii, nomen ejus qui Dianæ templum incenderat, pronuntiari: nec auditum esset, nisi Theopompus id vulgasset, quod erat Erostratus aut Eratosthenes. Romani caverunt, ne nomina patriciorum malè de rep. meritorum, & ob eam causam damnatorum, cuiquam ejusdem gentis patricio inderentur: familia Manliorum apud eosdem cavit ne quis suorum Marci prænomen haberet, postquam M. Manlius Capitolinus ob affectati regni suspicionem, de saxo Tarpejo præcipitatus est. ita Plinius de Viris illustr. aut Sueton. Antonini cognomen, quod Heliogabalus adeò celebre, ac usitatum aliis Imperatoribus, vitæ turpitudine infamavit, nullus post eum gessit; senatusque consulto ex omnibus publicis operibus deletum est, ac pro diro detestabilique repudiatum. ita Sabel. libr. 6. Enneade 7. Lucii prænomen abjecit gens Claudia, cùm è duobus gentilibus eo præditis alter latrocinii, cædis alter convictus esset. ita Sueton. in Tiberio. Decrevit senatus debellato M. Antonio, ne quis ex Antoniorum gente Marcus nominaretur, teste Plutarcho in Antonio. ita noster Lorinus in epist. S. Judæ v. 1.

VERS. 15. CURAM HABE DE BONO NOMINE: HOC ENIM MAGIS PERMANEBIT TIBI, QUAM MILLE THESAURI PRETIOSI ET MAGNI] Syrus, *reflecte super nomen tuum, quia ipsum comitabitur te plusquam millia thesaurorum fraudis*, id est, per fraudem parta & acquisita. Dixit nomen malum impiorum esse delendum, ex quo hic infert curandum esse bonum nomen per bonas virtutis actiones; ne in hoc impiorum malum incidamus, perdamusque cum vita omne nomen & famam. q. d. Insiste bonis & heroicis virtutum actibus, ut per eos acquiras bonum nomen apud Deum, angelos & viros probos, quin & apud improbos: improbi enim, etsi improbè vivant, in aliis tamen amant & admirantur probitatem & virtutem. Tanta est virtutis amabilitas & claritas. Rationem subdit, quòd nomen bonum diutiùs permaneat quàm mille thesauri: tum, quia thesauri homini pereunt cum vita; nomen autem bonum ei permanet post vitam per multa sæcula: tum, quia thesauri à furibus, latronibus & hostibus viventi & invito eripi possunt, ac sæpè eripiuntur: nomen autem bonum invito eripi nequit: quia quamdiu voles studere virtuti, tamdiu apud omnes bene audies.

Appetitus famæ oritur ex immortalitate animæ.

Porrò anima quia immortalis est, uti in se semper vivit, ita pariter optat semper vivere per bonam famam in mente & memoria hominum. Quare hic appetitus famæ certum est indicium immortalitatis animæ. *Si enim* anima moreretur & interiret, ad quid prodesset ei nomen & fama apud homines? nullum enim haberet ejus sensum & gustum: imò damnatos qui sunt in morte secunda, v. g. Alexandrum, Cyrum, Julium Cæsarem, philosophos non recreat, sed potiùs cruciat nomen & fama, quam obtinent apud homines: tum, quia eis indecens & ignominiosum videtur, viros tam famosos & celebres ita cruciari & vilipendi in inferno: tum, quia appetitus famæ & gloriosæ fuit eis causa tyrannidis, rapinæ & scelerum, ob quæ damnati sunt. Græcè est, *habe curam nominis: hoc enim tibi manebit potiùs quàm thesauri mille auri*. ita Vatabl.

Alludit ad Proverb. 22. 1. *Melius est nomen bonum quàm divitiæ multæ*. Nomen enim & fama est bonum altioris ordinis, quàm sint opes. Sicut ergo omne argentum non potest æquari auro minimo in dignitate, etsi in pretio ex æstimatione hominum æquetur: sic omnes opes non possunt æquari famæ minimæ in dignitate & præstantia, licèt satisfactio famæ læsæ apud viles A personas subinde fiat per aurum & argentum. Porrò cura famæ incumbit quidem omnibus, sed maximè Pastoribus, Prelatis, item iis qui lucro animarum student, ac Religiosis: fama enim Religiosi est fama Religionis, ut tota Religio subinde malè audiat ob infamiam alicujus Religiosi; Unde Apostolus; *Providentes*, inquit, *bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus*, Rom. 12. 17. Et: *Spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus*, 1. Corinth. 4. Talis ergo si famam suam negligat, injustus est & crudelis.

Gnomæ de cura boni nominis.

Salomonem & Siracidem secuti philosophi idem scripto reliquerunt. Seneca de Remed. fortuitor. *Bona*, inquit, *opinio hominum tutior est pecunia*. Isocrates apud Stobæum serm 46. *Plus tibi cura sit ut honestam famam, quam divitias ingentes liberis relinquas: nam hæ mortales sunt, illa immortalis*. Plautus in Mostell. *Ego si bonam famam mihi servasso, sat ero dives*. Unde illud supplicium impiis intentatum: *Nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi* psalm. 6. 9. Et Proverb. 10. 7. *Memoria justi cum laudibus*, (Septuag. *cum encomiis*) *nomen impiorum putrescet*. Denique eleganter R. Simeon in *Pirke aboth*, id est, in B Sententiis patrum cap. 4. *Tres*, ait, *sunt coronæ, scilicet corona legis, sacerdotii & imperii: verùm corona bonæ famæ illustrior longè & pretiosior his omnibus est*.

BONÆ VITÆ NUMERUS DIERUM: BONUM AUTEM NOMEN PERMANEBIT IN ÆVUM] VERS. 16. Aliqui per *vitam bonam* accipiunt jucundam, hilarem, felicem: q. d. Felicitas hujus vitæ est numerata, ideoque finienda, & brevis: at *nomen bonum* durat per multa sæcula. Sic enim *bonum* sæpè sumitur pro jucundo, *malum* pro tristi: ut, *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum*! Meliùs tamen magisque propriè per *vitam bonam* accipias honestam, probam, justam & sanctam. *Numerus dierum* est paucitas: pauci enim dies facilè sunt numerabiles & mensurabiles, juxta illud psalm. 38. 6. *Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi. Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tamquam nihilum ante te*. Pro *mensurabiles*, S. Hieron. vertit *breves*: Hebr. enim est טפחות *tepachot*; Septuag. Παλαιστάς, id est, palmares, id est dodrantales, quatuor digitorum C mensuram non excedentes. Παλαιστὴ enim est mensura quatuor digitorum, quæ est tertia pars palmi, estque minima mensura inter eas quæ solent in manibus fieri & brachiis. Ita Hesychius, Theodor. Genebrar. Jansen. & alii in psalm. 38. Sensus ergo est: q. d. Dodrantali, id est minima, mensura dimensus es & definivisti dies vitæ meæ; paucissimos, & quasi momentaneos decrevisti dies meos. Hic Hebræi *viros numeri* vocant viros paucos, & *dies numeri* dies paucos, quasi exigui numeri, & facilè numerabiles. Dicit igitur Siracides: Bona vita paucos habet dies, citò, numerabiles: at bonum nomen quod per eam conciliatur, permanet in ævum. Ita Tigurina, *dies*, inquit, *bonæ vitæ pauci sunt: nomen autem bonum manet in perpetuum*; alii, *bona vita numero dierum finitur: sed nomen bonum in sæculum permanet*. Est hic acer stimulus ad bonam vitam & virtutem; quòd scilicet per modicum brevemque ejus laborem paremus nobis nomen æternum, idque semper apud Deum, angelos & Beatos in cælo: apud homines verò non semper, sed frequenter. Sancti enim hic celant suas virtutes, cupiuntque soli Deo & angelis innotescere: quorum proinde gloria major erit D in cælo. Parva enim est, ideoque parvi facienda fama hujus vitæ.

DISCIPLINAM IN PACE CONSERVATE FILII: SAPIENTIA ENIM ABSCONDITA, ET THESAURUS INVISUS (id est, ut Jansen. legit, *occultus*) QUÆ UTILITAS IN UTRISQUE? MELIOR EST HOMO, QUI ABSCONDIT STULTITIAM SUAM, QUAM HOMO QUI ABSCONDIT SAPIENTIAM SUAM] VERS. 17. VERS. 18. Solet Siracides subinde compellando excitare discipulum & lectorem ad attentionem; uti solent facere præceptores: præsertim ubi longior est oratio: tunc enim discipuli ejus longitudine fatigati, tædio afficiuntur & indormiunt; unde ad utrumque præcavendum novo quasi exordio eos excitare, novamque eorum attentionem sibi conciliare student; maximè cùm novum occurrit dicendi argumentum, uti hic occurrit. Hic ergo est prologus eorum quæ dictu-

dicturus est de erubescentia, rebusque erubescendis, quo stimulat lectores, ut ad ea attendant, eaque menti imprimant & conservent.

Ait ergo: *Disciplinam in pace conservate filii.* Primò, planè & simpliciter per *pacem* accipias animi tranquillitatem & quietem: hæc enim quasi dispositio requiritur in discipulo, ut præceptoris doctrinam excipiat, capiat & conservet. Qui enim animo sunt inquieto vel perturbato, incapaces sunt disciplinæ. Unde Aristot. in Ethicis discipulum requirit, qui passiones habeat sedatas & compositas. Præsertim verò per pacem accipit animi demissionem & mansuetudinem, quæ humiliter & pacificè excipit dicta magistri. Superbi enim & contentiosi, qui dicta magistri discutere & censere volunt, ac contra ea disputare & arguere, inepti sunt ad hauriendam magistri doctrinam. Tales sunt juvenes audaces, effrænes & insolentes, qui cùm à senioribus audiunt, eis erubescendum esse de moribus tam liberis, audacibus, incompositis; respondent in iis nihil esse quod erubescant, sed senes esse imperiosos, morosos, scrupulosos, timidos; ideoque illis timenda & pudenda videri, quæ revera timenda & pudenda non sunt. Sensus ergo est, q.d. O filii, ò discipuli, si vultis capere meam disciplinam, afferte animum quietum, humilem, pacificum: illo enim mea dicta capietis, intelligetis & conservabitis. Ego enim vestri causa, vestroque commodo illa eloquor & conscribo: nolo ea mihi servare, nec in mente mea recondere; sed vobis tamquam sapientiæ thesaurum pandere & communicare. Sicut enim thesaurus, si abscondatur, nulli est usui: sic & sapientia, si à sapiente celetur, nulli prodest: cùm ad hoc ei à Deo data sit, ut per eam non tantùm se, sed & alios doceat dirigatque ad virtutem & salutem: ideoque melior est stultus, qui abscondit stultitiam suam, quàm sapiens, qui occultat sapientiam suam. Vide quæ de utraque hac sententia dixi cap. 20. v. 32. & 33. Ibi enim utraque habetur, & hic repetitur.

Eamdem humilitatis & pacis conditionem à suis fidelibus exegit Christus: unde ait, *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita, Pater: quoniam sic placitum fuit ante te*, Matth. 11. v. 25. Quin & Pythagoras à discipulis non tantùm pacem, sed & quinquennale silentium exegit. Unde illud, *αὐτὸς ἔφα, ipse*, scilicet Pythagoras, *hoc dixit*: ergo sine alia disquisitione credendum & faciendum est. ita Lyran. Dionys. Jansen. & alii.

Secundò, sublimiùs: *disciplinam in pace*, id est pacis, vel de pace (Hebræi enim per ב, id est *in*, significant regimen genitivi) *conservate filii*: q. d. Sequentia, quæ vos docebo de cavendis rebus pudendis & erubescendis, spectant ad pacem: ut scilicet pacem, gratiam & honestatem cum omnibus colatis. Hanc ergo disciplinam, cùm sit pacis, & de pace, quæ omnibus est optabilis, studiosè excipite.

Prospera mentem dissolvunt. Tertiò, *pax* Hebræis significat prosperitatem, rerumque copiam & abundantiam. q. d. Disciplinam hanc meam servate, non tantùm rebus adversis & tristibus, sed etiam secundis & lætis, dum affluitis opibus, deliciis, omnique felicitate: hæc enim solent mentem disciplinæ tenacem laxare, & dissolvere, ut ad ea adeò concupita dilabatur & diffluat. Unde S. Bernardus sermon. 2. in Ramis palmarum: *Licèt*, inquit, *multos frangat adversitas, tamen multò plures extollit prosperitas, sicut scriptum est: Cadent à latere tuo mille, sinistro scilicet, per quod signatur adversitas: & decem millia, id est, multò plures, à dextris tuis, in quibus prosperitas designatur.* Idem lib. 2. de Consider. cap. 12. *Est utique, si diligenter attendas, quàm rarus semper extiterit, qui non vel modicè in prosperitate animum relaxaverint a sui custodia & disciplina. Quando hoc incautis non fuit ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod Solis radius ad nivem vel glaciem: Sapiens David, sapiens Salomon fuit: sed blandientibus nimis secundis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus, qui incidens in adversa non excidit vel parum a sapientia. nec minor, cui præsens felicitas, si arrisit, non irrisit. Quamquam faciliùs inveneris, qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna, quam qui propitia non perdiderunt. Præferendus ille, & magnus est, cui inter prospera saltem risus indecentior, aut sermo insolentior, aut immoderatior cura vestis vel corporis non irrepsit.* Quærunt doctores, cur Job gravi & multiplici tentatione pulsatus, victor evaserit; Adam verò una levique Evæ illecebra illectus succubuerit, itque & posteros omnes perdiderit? Causam assignat S. Augustinus in psalm. 47. *Vicit homo* (Job) inquit, *in stercore, victus est* (Adam) *in Paradiso.* q. d. Jobum dolores & adversa non fregerunt, Adamum deliciæ & prospera subjugarunt. Quocirca dæmon magis homines tentat per prospera quàm per adversa, ac tum sæpè certus est de victoria; cùm, scilicet, delicias mundi & carnis blanditias dulci quodam, sed periculoso bello ducit in aciem, adversus hominem luteum & carneum, tunc crebrò vincit & triumphat: caro enim capitur rebus prosperis & carnalibus; in adversis verò, quasi per antiperistasin, mens carnem erigit & corroborat. Hunc sensum expressit Tigurina, *filii*, inquit, *conservate disciplinam rebus prosperis. Cùm sapientia latet, & thesaurus est abditus, quid est in utroque utilitatis? Homo celans stultitiam suam præstat homini sapientiam suam occultanti.*

Job vicit in stercore, Adam victus est in paradiso.

Quartò, Palacius explicat, q.d. O filii dum in pace vivitis, hanc quam vobis trado disciplinam, servate.

Mysticè Rabanus: *Disciplinam*, inquit, *in pace conservate filii. Disciplinam ergo in pace conservat, qui secundùm duo præcepta charitatis, in sanctitate & justitia vivere certat, de quo Paulus ad Hebræos scribens ait: Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Et quia non sufficit cuilibet per se bene vivere, si proximis suis in sana doctrina, quantum potest, non studuerit prodesse, protinus subjungitur: Sapientia enim abscondita, & thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque?* Et inferiùs: *Unde & benè per Salomonem dicitur Proverb. 11. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: Frumenta quippe abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicetur, quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere potuit, pœnam damnatur. Et: Anima quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur: qui enim exteriùs prædicando benedixit, interioris augmenti pinguedinem recipit: & dum vino eloquii auditorum mentem inebriare non desinit, potu multiplicati muneris inebriatus excrescit. Unde Isaias cap. 6. Væ mihi*, inquit, *quia tacui. Et Paulus Actor. 20. 26. Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium; non enim subterfugi, quo minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Hæc sparsim Raban.

VERUMTAMEN REVEREMINI IN HIS QUÆ PROCEDUNT DE ORE MEO. NON EST ENIM BONUM OMNEM REVERENTIAM OBSERVARE: ET NON OMNIA OMNIBUS BENE PLACENT IN FIDE] Ita Romana & Græca. Perperàm ergo pro *ἐντράπητε*, id est, *reveremini*, aliqui legunt, *revertimini*: & pro *αἰσχύνην*, id est, pudorem, verecundiam, reverentiam, legunt contrariè *irreverentiam*. Pro *verumtamen*, Græcè est *τοιγαροῦν*, id est, *ergo*, igitur, quocirca. *Vers. 19. Vers. 20.*

Sensus est, q. d. Dixi quòd disciplina hæc mea sequens de verecundia à vobis, ò discipuli, excipienda sit in pace mentis humilis, demissæ & quietæ; igitur ut eam præstetis, *reveremini*, id est, reverentiam, pudorem & verecundiam induite, circa ea quæ vobis dicturus sum esse reverenda & erubescenda. Nam non omnis omnium reverentia, id est, pudor bonus est. Sunt enim, quos pudet coram hæreticis profiteri fidem, coram libidinosis castitatem, coram gulosis sobrietatem, &c. qui pudor sanè præposterus & perversus est. Rursus sunt alii, quos pudet humilitatis, mortificationis, pœnitentiæ, zeli; quia frigidi & tepidi sunt, vitaque & virtute communi contenti; unde non probant nova, rara & heroica opera virtutis. Quocirca *non omnia omnibus bene placent in fide*, id est, fideliter, rectè, justè & sanctè facta: q. d. Horum tamen pudore non debet; quia hic pudor non est bonus, ideoque non imitandus; sed generosè superandus & profligandus. Simili modo dixit cap. 37. 31. *Non des illi* (animæ nequam) *potestatem: non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet.* Quare ut bonum pudorem à malo & præpostero discernatis; docebo Primò, quorum vos pudere; Secundò, quorum non pudere debeat. Unde dico; *Erubescite a patre & matre de fornicatione*, &c.

Ubi Nota, Latinum interpretem sæpè *reverentiam* usur-

Revereri pro pudore.

usurpare pro pudore & verecundia: ac *revereri* pro pudere & erubescere; ut psalm. 34. v. 26. *Erubescant, & revereantur simul, qui gratulantur malis meis: induantur confusione & reverentia, qui magna loquuntur super me.* Psalm. 68. 20. *Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reverentiam meam.* 1. Corinth. 15. 34. *Ad reverentiam* (id est, pudorem, ut vos pudeat) *vobis loquor,*

Fides pro constantia.

Rursum τὸ *in fide* significat fideliter, integrè, rectèque facta. Sic Deus dicitur fecisse *omnia opera in fide*, id est, integrè & perfectè, psalm. 34. 4. Posset quoque *fides* accipi pro constantia: q. d. Non omnia, quæ in fide, id est, constanter & generosè, fiunt, placent omnibus: multi enim politicè mutant mores & sermones, ut se omnibus accommodent: quia pudet eos virtutis & constantiæ. Sic Hebr. באמונה *bemuna*, id est, *in fide*, vocant id quod cum firmitate & constantia fit, sive quod firmiter, constanter & solidè agitur. Sic Tobias ait cap. 2. 18. *Filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo.* Et Apocal. 13. 10. *Hic est patientia, & fide* (constantia) *sanctorum.* Hoc significatum sequitur Tigurina, sed sensum aliò deflectit: Sic enim vertit, *neque enim quavis verecundia teneri pulchrum est, nec omnia solidè probanda sunt in omnibus.* Aliter usurpat Apostolus τὸ *in fide*, vel ex fide Roman. 14. 23. scilicet pro eo, quod fit juxta credulitatem, & dictamen conscientiæ, qua quis credit hoc illudve sibi licere facere sine peccati scrupulo.

Porrò Lyran. pro *reverentiam* legens *irreverentiam*, sic explicat: Non est bonum, inquit, discipulo aliquam irreverentiam habere ad doctorem, ejus doctrinam contemnendo, vel negligendo. Et non omnia doctoris dicta omnibus discipulis *bene placent in fide*, id est, licèt sint fidei convenientia, tamen eis non placent: quia sunt imbuti opinione alia: q. d. Propter hujusmodi tamen displicentiam, ostendere non debent aliquam irreverentiam, unusquisque enim in suo sensu abundat. hæc Lyran. & Dionys.

Palacius verò: Non est bonum, inquit, omnem inverecundiam & impudentiam habere: non est bonum omnino carere verecundia: nec enim res impudenter factæ omnibus placent, ac si fideliter fierent. Pudeat igitur facere coram omnibus, quod non omnibus placebit, imò multis displicebit; utpote quod non factum est fideliter & rectè.

Mysticè Rabanus: *Et non omnia omnibus placent in fide. Non enim una eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Sæpè namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt: quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt: & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat: & medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit: & panis qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo Doctorum; ut & ad sua singulis congruat, & tamen à communis ædificationis arte numquam recedat.*

Vers. 21. Sedecim res erubescendæ. Prima, est fornicatio.

ERUBESCITE A PATRE, ET A MATRE DE FORNICATIONE.] Recenset sedecim res, quarum, vel ob peccatum & scelus, quod continent, vel ob indecentiam & inhonestatem, quemque pudere debet. Prima, est fornicatio: de hac enim omnes erubescere debent, sed maximè filii à patre & matre, id est, coram patre & matre: idque quia parentes ægerrimè ferunt filios fornicari; tum, quia hoc ingens eis est probrum; tum, quia signum est negligentiæ parentum, quòd scilicet filios non satis rectè castèque educarint & conservarint; tum, quia cupiunt filios honesto matrimonio jungi, per quod legitimos nanciscantur nepotes, qui sibi in hereditate succedant; non illegitimos, spurios & incertos: tum denique, quia si sint filiæ, & fornicentur, nulli honesto & pari eas in matrimonium elocare possunt: nemo enim vult ducere vitiatas & meretrices. Præclarè Demades pudorem in femina ajebat pulchritudinis arcem esse. Et Demetrius Phalereus admonebat adolescentes, *ut domi parentes, in via obvios, in solitudine reverentur seipsos.* Pudor enim juvenes optimè deterret à peccando, qui nusquam non adest, si quis revereatur seipsum. ita Laertius libr. 5. cap. 5. Socrates asserebat: *Hospitalem Deum inter homines, qui justi pudoris participes sunt, versari.* Idem docebat discipulos, *ut hæc tria in omni vita servarent: in animo prudentiam, in vultu verecundiam, in lingua silentium.* ita Maximus serm. 41. Echereus *verecundis pudentibusque Jovem favere fulminatorem* dicebat. Democritus: *Malum*, inquit, *etiamsi solus fueris, neque dixeris, neque feceris. Disce autem teipsum multò magis, quàm alios revereri.* ita Stobæus serm. 29. Sapienter Isocrates Demonicum instruit dicens: *Numquam quidquam turpe faciens, spera te latiturum. Nam ut alios lateas, tibi ipse conscius eris. Omnia videare facere, tamquam neminem lateas; licèt enim nunc lateas, post tamen conspicieris.*

Gnoma de pudore.

Secunda, est mendacium.

Secunda res, de qua erubescendum est: ET A PRÆSIDENTE, ET A POTENTE DE MENDACIO.] Nota. Græcum, ἀπὸ, quod Noster vertit *à*, accipitur pro *coram* vel *apud*: notat enim personam, coram qua, vel apud quam, sive cujus respectu, & propter quam (quod Hebræi dicunt מפני *mippene*, id est, à facie, in conspectu) est erubescendum; sicut, περὶ, id est *de*, notat objectum, sive materiam erubescendi. Unde Tigurina vertit, *pudeat vos scortationis coram patre, aut matre; mendacii coram principe & potestatem gerente;* alii, *pudeat vos fornicationis propter patrem ac matrem: & mendacii propter præsidem ac potentem.* Principes enim & præsides sicut amant veraces & veritatem, utpote necessariam ad rectè judicandum, consulendum, regendum: ita ex adverso oderunt mendaces & mendacium; nolunt enim decipi, & in errorem induci: præsertim quia ipsorum dos & laus præcipua est sapientia, cui contraria est fraus & falsitas: & quia mendacium apud ipsos valdè nocet reipubl. & bono publico. unde videmus principes, dum falsò ab adulatoribus informantur de reipub. & subditorum statu, pessimè regere, & remp. perdere.

Vers. 22. Tertia, est negligentia in officio.

Tertia est: A PRINCIPE, ET A JUDICE DE DELICTO] Græcè περὶ πλημμελείας, id est, de negligentia, qua scilicet quis œconomus, procurator, advocatus, simileve officium apud judices vel principes objens, in eo negligens est; ac per negligentiam omittit ea quæ officium ei commissum requirit: per hoc enim fit, ut judex judicium pervertere, vel certè incidere, aut remorari cogatur, æquè ac princeps negotia publica; aut certè eorum edicta & mandata contemnuntur: dum prætores, ceterique eorum officiales ea in praxim redigere, eorumque transgressores castigare negligunt.

Porrò Palacius sic explicat, q. d. Cave delinquere in oculis judicis & principis: nam hic si te comprehendat in flagranti delicto, sine aliis testibus, te castigabit & puniet; uti Moses castigavit Hebræos adorantes vitulum aureum. Exodi 32. Alius, q. d. Ne principi vel judici detrahas, imputesve delictum, v. g. tyrannidem, injustitiam, avaritiam, &c. juxta illud Pythagoræ: *Numquam in astrum digitum intende, hoc est, de supremis viris nil temerè loquaris.*

Quarta est iniquitas.

Quarta est: A SYNAGOGA, ET PLEBE DE INIQUITATE] Tigurina, *pudeat te criminis coram cœtu & populo.* quia si coram cœtu populi & plebis agas quid iniquum contra ejus privilegia, leges (ἀνομία enim est id quod est contra leges, & exlex) consuetudines; omnes in te concitabis, ut te odio probrisque persequantur, & opibus vel vita mulctent, juxta illud cap. 7. *Non pecces in multitudinem civitatis, neque te immittas in populum.* Nam si pecces in unum, unum timebis ultorem: at si in populum, eum totum contra te concitabis: unus placari potest, at quomodo placabis totam multitudinem? Hoc expertus Roboam regno decem tribuum excidit, 3. Reg. 12. Sapienter ergo Isocrates Demonicum erudit, dicens: *Ex communibus procurationibus discede non ditior, sed gloriosior: multis enim pecuniis melior est profecta à multitudine laus. Vita calumnias, licet falsas; quia vulgus non tam ad veritatem, quàm ad famam respicit. Existima nihil esse humanorum stabile. Sic enim neque fortunatus eris præter modum lætus, neque infortunatus præter modum tristis.*

Vers. 23. Quinta, est injustitia.

A SOCIO ET AMICO DE INJUSTITIA] Quinta res, de qua pudere nos debet, est *injustitia* coram *socio & amico*: quia scilicet illi injuriam & noxam injustè inferimus: omnis enim injustitia est turpis & pudenda, sed maximè ea quæ irrogatur amico & socio, cui non tantùm jus nomine justitiæ, sed & beneficium ratione societatis & amicitiæ debemus; præsertim quia ipse se suaque credit nobis, quasi fidis suis amicis. Præclarè Isocrates ad Demonicum: *Similiter turpe judica*, inquit, *inimi-*

mi-

micorum vinci maleficiis, & inimicorum superari beneficiis.

Sexta est: DE LOCO IN QUO HABITAS, DE FURTO] Pro *de loco*, græcè est præpositio ἀπὸ, quàm, ut paulò antè dixi, Noster vertit *à*, id est, coram, apud, propter. Unde Complut. & Roman. vertunt *à loco*; Noster vertit, *de loco*; quia locus non est persona, uti sunt pater, princeps, judex, & ceteri præcedentes, quibus proinde præfixit præpositionem *à*, id est coram. Verùm, quia per locum intelligit personas loci incolas, hinc commodiùs vertas, *à loco*; Tigur. *pudeat te furti in loco quem incolis*, q. d. Erubesce furari in loco, ubi habitas: tum quia turpe est domum viciniamque tuam commaculare furto, ut à vicinis audias fur, omnesque te velut infamem fugiant & execrentur: quis enim suis rebus non metuat à vicino fure? tum, quia locus, v. g. patria, nos genuit, educavit, aluit alitque: quare fidelitatem summam à nobis poscit. Ergo indignum est, si illam furto vexemus & deprædemur. Quomodo ergo tu feras communem, qua te tui omnes notent, infamiam? quomodo vicissim cives tui patientur te publicum furem?

Sexta, est furtum.

Porrò quod addit, DE VERITATE DEI, ET TESTAMENTO] Jansenius opinatur hoc membrum irrepsisse ex cap. sequ. v. 2. esseque delendum, eò quòd non habeant adjunctam materiam, putà peccatum, de quo sit erubescendum. Verùm illud constanter legunt codices Latini & Græci, quare referendum est tum ad furtum, tum ad quinque præcedentia. q. d. Erubesce de furto, & de quinque criminibus ceteris jam recensitis. *de* (græcè ἀπὸ) id est coram, vel propter, *veritatem Dei, & testamentum*, id est legem: quia scilicet Dei veritas, id est æquitas, justitia & lex illa prohibent, illisque graves pœnas intentant; ut hæc lex distinguat à sequentibus, in quibus quædam recensebit erubescenda, non quòd crimina sint, sed quòd inhonesta sint, & dedeceant. Tigurina vertit, *pudeat vos coram veritate Dei, & pacto*; alii, *propter veritatem Dei, & testamentum.*

Secundò, Lyran. *De veritate Dei, & testamento*, inquit, transgrediendo debet homo erubescere; quia Deus videt ubique. Et Dionys. Ubique, inquit, & semper, & summè verecundemini de violatione & inhonoratione veritatis legis divinæ, & præceptorum ipsius; quoniam ipse Altissimus omnia intuetur.

Aliter Palacius, qui hæc refert ad sequens *de discubitu in panibus*. Erubescite, inquit, à veritate Dei, & testamento ejus; ne discumbatis in panibus in cultum idolorum: Certum enim est olim idololatras habuisse usum comedendi idolothyta in deorum suorum cultum; juxta illud: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Imò, & fideles in veri Dei latriam comedebant, juxta illud: *Epulaberis coram Domino tu, & filius tuus.* Erubescite igitur discumbere ad comedendum coram falsis diis; cùm veritas Dei & testamentum, quod cum ipso pepigistis, id vobis prohibeat. Unus est verus Deus: ergo unum illum adorabis: rursum fœdus cum unico Deo pepigisti, cur fœdere violato deos falsos adoras?

Exodi 32.
Deuter. 16.

Mysticè hæc sex pudenda sic explicat Rabanus. *Altiori sensu*, inquit, *coram matre Ecclesia, & patre Deo erubescit de fornicatione, qui idololatriam Gentilium, seu stultitiam sectatur hæreticorum: anima enim, quæ relicto Dei consortio sequitur perversorum errorem, spiritaliter fornicatur: unde & damnabitur. Erubescit autem à præsidente, & à potente de mendacio, qui coram oculis divinæ majestatis prævaricator esse convincitur sponsionis suæ, quam promisit in baptismi perceptione.*

Mysticè.

VERS. 24. DE DISCUBITU IN PANIBUS, ET AB OFFUSCATIONE DATI ET ACCEPTI] Septima res erubescenda est *discubitus in panibus*, per quem Primò, Palacius, uti paulò antè dixi, intelligit discubitum in idolis, eiusque idolothytorum, putà panum & ciborum idolis immolatorum. Secundò, Lyranus accipit primam sedem in mensa alterius (panis enim poni solet in capite mensæ, ubi residet paterfamilias) quam vetat Christus Lucæ 14. dicens: *Cùm invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco*: primum enim locum accipere propria auctoritate, signum est ambitionis magnæ. Tertiò, Dionys. insuper accipit excessum in pane & cibo per gulam. Sic & Rabanus, *In die judicii*, inquit, *confusione dignus apparebis, qui comessationi & ebrietati temetipsum tradens turpiter incubuit.*

Septima. discubitus in panibus, quis?

Verùm hæc vel parerga, vel mystica esse liquet ex Græco qui habet, καὶ ἀπὸ πήξεως ἀγκῶνος ἐπ' ἄρτων, id est, ut Complut. & Roman. *à fixione cubiti in panibus*; alii legunt, ἐπ' ἄρτοις, id est, *supra panes*. Sensus est, q. d. In mensa pudeat te figere cubitum supra panem, illique incumbere, uti faciunt pagani & agrestes. Hoc enim Primò, rusticum est & incivile. Unde Grobbianus (ita vocatur libellus de Civilitate, vel potiùs incivilitate morum) inter alios rusticitatis & incivilitatis actus hunc nominatim assignat, & taxat. Secundò, hoc signum est irreverentiæ in Deum: illum enim in cibis & donis suis modesto gratoque ore & gestu revereri debemus: ipse enim iis nos gratis pascit à juventute nostra. Tertiò, hoc signum est superbiæ: qui enim incumbit pani, videtur esse dominus mensæ & convivii, omnibusque convivis velle dominari; quasi qui eos pane suo pascat, illumque eis negare possit, si velit. Quartò, hoc signum est gulæ: sic enim gulones Hebræi suspirantes ad ollas carnium, dicebant Mosi: *Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate!* Exodi 16. 3. Sic porci incubant siliquis, & boves pascuis.

Symbolicè, discumbit in panibus dives, qui spes vitæ reponit in copia suarum frugum & opum, vel in excellentia artis suæ; uti faciebat ille qui ambitiosè sibi dicebat: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare*, Quocirca dixit illi Deus: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cujus erunt?* Lucæ 12. 19. Hunc sensum innuit Tigurina, dum vertit, *ne reponatis cubitum in victu parando*: q. d. Ne innitamini, & præfidatis in arte parandi vobis victum & opes.

Symbolicè.

Octava, est *offuscatio dati & accepti*: offuscatio est denigratio famæ, putà infamia. q. d. Erubesce de infamia, quam incurres si non possis justam reddere rationem & computum dati & accepti; si plus acceperis, quàm expenderis; si summam accepti non possis exæquare summæ dati & expensi: hoc enim te arguet vel furem, vel dissipatorem & prodigum rei alienæ tibi commissæ. Liber enim rationum dati & accepti clarus, non obfuscatus esse debet. Erubesce igitur si successo quæpiam librum expensarum offuscavit, ut rationem integram debiti reddere nequeas, ait Palacius. Rursum erubesce, si dederis vel acceperis munera ad pervertendam justitiam, aut ad rem turpem aliudve scelus perpetrandum. Item si beneficium acceptum indigna recompensatione fœdaris. ita Lyran. Dionys. Jansen. Pro *offuscatio* enim Græcè est σκορακισμοῦ, quod Complut. vertunt, *contemptus*; alii, *denigratio*: κόραξ enim, id est corvus, dictus est a κόρω, id est nigrum, eò quòd sit nigerrimus. alii, *repulsio contumeliosa*; Tigurina, *vituperatio*: *Ne vel dando*, inquit, *vel accipiendo subeatis vituperationem*. σκορακισμὸς enim, ait Hesychius, est χλευασμός, ἀπάτη, ἐμπαιγμός, ὀνειδισμός, id est, vituperatio, denigratio, fraus, contumelia, impostura. σκορακίζω enim est idem quod vitupero, denigro, convitior, infamo, εἰς κόρακας ἀποπέμπω, id est, ad corvos mitto, in malam crucem relego, profligo, eiicio, damno, odio prosequor. Hinc sensus esse possit, q. d. Noli corvum agere, noli esse furax, noli te denigrare rapacitate: corvi enim poma, &c. furantur, & in nidum inferunt, nec unquam referunt aut restituunt.

Mysticè Rabanus hæc refert ad avarum, *qui per parcitatem*, inquit, *ea proximo non tribuit, quæ cum ceteris omnibus communiter habenda a Deo accepit.*

VERS. 25. A SALUTANTIBUS DE SILENTIO: A RESPECTU MULIERIS FORNICARIÆ: ET AB AVERSIONE VULTUS COGNATI. NE AVERTAS FACIEM A PROXIMO TUO: ET AB AUFERENDO PARTEM, ET NON RESTITUENDO] Nona res erubescenda est, q. d. Pudeat te de silentio à salutantibus: si scilicet te salutantes non resalutes, sed sileas, silentique pertranseas. Hoc enim inofficiosum est, incivile, rusticum, animique aversi & arrogantis indicium. Tigurum *pudeat te silentii coram salutantibus*. Hoc vitium silentii cùm quis non appellat, nec salutat amicum, Græci ἀπροσηγορίαν vocant: de quo Aristot. lib. 8. Moral. *Quòd si*, inquit, *diuturna fuerit absentia, videtur & necessitudinis oblivionem adferre. Unde dictum est illud: Multas amicitias silentium diremit.* Huc facit illud Alphii fœneratoris apud Columel. Bo-

VERS. 26.

Nona, est non resalutare salutantes.

na ne.

ea homine nonnumquam malo fieri, si numquam interpelles. A Per *nomina* intellige debita vel justitiæ, vel amicitiæ, quæ si numquam interpellentur, id est reposcantur, in oblivione abeunt & evanescunt.

Aliter noster Salazar in Proverb. c. 27. num. 78. Erubesce *à salutantibus de silentio*, hoc est, inquit, erubesce salutare alios *inter noctis silentia*. q. d. Noli esse antelucanus, sive nocturnus & importunus salutator, juxta illud Proverb. 27. 14. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis erit*. q. d. Quisquis intempesta nocte salutes inclamat propter gravem molestiam, quam salutatis affert, somnum eorum inturbando, eosque percellendo; hic maledicentibus, & malè precantibus nihilo dispar censebitur. Sic ergo *de silentio* idem est, quod *de nocte*, sive nocte silenti. Verùm hic sensus obscurior, minusque usitatus videtur. Adde, quòd Græcum Περὶ, id est *de*, hoc loco notat non tempus, sed materiam, de qua erubescendum est: sicut ἀπὸ, id est *à*, notat personas; uti dixi v. 21.

Huc facit illud Isocratis ad Demonicum: *Moribus quidem sis facilis salutator, verbis autem bonus salutator. Est autem facilis quidem salutatoris, appellare obvios; boni autem* B *salutatoris, verbis ipsis humaniter accipere.*

Porrò Syrus hanc gnomen ita paraphrasticè reddit: *Quicumque salutatur & silet, ipse est fraudator magnus; salutationem quam impertitus es ei, non reddit tibi; depositum quod das illi, ita reddit tibi.* Ita contingit, ut qui salutationem non reddunt, neque depositum reddant. Præclara est sententia: *Resaluta semper, imò saluta prior.* Sic B. Virgo prior salutavit Elisabetham, eamq; cum prole implevit Spiritu sancto. Sic Apostolus in omnibus epistolis fideles officiosè salutat. *Salutate*, inquit, *omnem sanctum in Christo Jesu. Salutant vos qui mecum sunt fratres. salutant vos omnes sancti*, Philip. 4. Ubi Ambrosiaster: *Salutatio fratrum*, inquit, *solatium invicem præstat: quasi imagines enim exhibet divulsorum*. Denique honor (qualis est salutatio) est in honorante & salutante, non in honorato & salutato.

Oratio excludit salutationes. Excipe casum unum, quando scilicet negotiis altioribus, ut precibus, contemplationi, sacrificio quis vacat: tunc enim ita Deo tota mens danda est, ut salutantes non resalutet, imò non audiat, nec videat. Qua de causa Eliseus jussit Giezi, ut suscitaturus mortuum mentem totam in Deus ejus opem implorando colligeret, ac neminem per viam salutaret, 4. Reg. 4. 29. Idem jussit Christus 72. discipulis cùm eos misit ad prædicandum, Lucæ 10. 4. Et S. Carolus Borromæus Romæ solitas septem basilicarum obiens stationes, ita precibus & Deo vacabat, ut salutatus licèt à parentibus & amicis neminem tamen resalutaret. Idem faciebat noster B. Aloisius Gonzaga. Idem plurimos fecisse Romæ anno Jubilei 1625. magna animi voluptate conspexi. Simile silentium colebant Pythagoræ discipuli, ideoque pisces in honore habebant, quòd hi natura sua sint silentes & muti. Unde Plutarc. in Symposiacis Pythagoricos ait à piscium esu abstinuisse ex reverentia, quòd hos quasi disciplinæ suæ domesticos agnoscerent, propter ἐχεμυθίαν, id est silentium, quod inter animantium genera piscibus est proprium. ceteris enim quibusque sua est vox. Causam affert Aristot. libr. 3. Histor. animal. c. 9. quòd piscibus neque pulmo sit, neq; guttur, neque arteria, quæ tria ad vocem requiruntur. Addit Athenæus Pythagoricos solos pisces non gustare quasi sacros ob silentium, quod Pythagoras docuit. Igitur sicut is qui cum rege colloquitur, neminem licèt se salutantem resalutat, vel interroganti respondet: sic multò magis idipsum facere debet qui cum Deo in oratione colloquitur. Hoc enim exigit Numinis majestas, & honor & reverentia, coram qua omnis officiosa salutandi urbanitas facessat oportet.

Pythagorici non edebant pisces ex silentio.

Decima, est aspectus meretricis. Decima est: pudeat te *à respectu*, græcè ὁράσεως, id est, aspectu, inspectione, *mulieris fornicariæ*; Tigurina, *pudeat te inspicere mulierem meretricem*. Hoc enim signum animi impudici & fornicarii. Oculi enim sunt in amore duces: & ubi est oculus, ibi est amor, mens & animus. Unde Christus: *Ego autem dico vobis*, inquit, *quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, Matth. 5. 28. Pudet nos rem turpem, olidam & fœtidam inspicere, in eaque oculos figere: multò magis pudeat inspicere meretricem. quid A enim turpius & putidius meretrice? Memorabile est, quod in vita S. Ephrem, de eo in hæc verba scribit Auctor. S. Ephrem ingrediens urbem Edessam rogavit Deum, ut in ingressu obviam haberet hominem, qui secum à S. Scriptura sermonem exordiretur. Occurrit ei meretrix, eumque attentiùs intuita est. Ad quam Sanctus: *Dic*, inquit, *mihi, puella, cur ita intentis in me intueris oculis?* Cui illa: *Intueor te, quia ego mulier ex te viro sumpta sum. Tu autem ne me intuearis, sed terram, ex qua tu vir sumptus es.* Quæ cùm audisset S. Ephrem, glorificavit Deum, quòd per meretricem tam sapienter ex sancta Scriptura se instruxisset.

Undecima, aversio vultus à cognato. Undecima est: Pudeat te *ab aversione vultus cognati*, hoc est, *à cognato*; Græcè, ἀπὸ ἀποστροφῆς προσώπου συγγενοῦς, (Complut. legunt εὐγενοῦς, id est, *nobilis*) quod Tigurina vertit, *pudeat te avertere faciem à cognato*; alii, *pudeat te ob aversum vultum cognati*. Si enim tu ab eo vultum tuum avertas, ipse vicissim suum à te avertet. Aliter Jansenius: Monet, inquit, pudendum esse de aversione vultus cognati, hoc est, de eo quod vultus ejus & aspectus contemnitur. Sic enim dictum est *aversio vultus cognati*, B sicut psalm. 131. *Non avertas faciem Christi tui*. Pro non contemnas, nec asperneris faciem Christi tui: aversio enim vultus signum est contemptus. Unde superbi, cùm ex humili in altum assurgunt, dedignantur aspicere & salutare suos cognatos & propinquos quem fastum hic taxat Siracides.

Duodecima, aversio vultus à proximo. Duodecima: *Ne avertas faciem à proximo tuo*. Hoc membrum deest in Græco: unde Jansenius suspicatur illud irrepsisse in Latino, atque ex versione, vel commentario alicujus insertum esse contextui: videtur enim dumtaxat esse expositio membri præcedentis. Verùm Latini codices constanter habent hoc membrum: unde videtur id olim in Græco extitisse; præsertim quia aliud est avertere faciem à cognato, aliud à proximo. Igitur postquam monuit à cognatis non esse avertendum vultum, monet idem non esse faciendum proximo cuilibet quantumvis extraneo, pauperi, vili & misero. Omnes enim proximi sumus, id est, fratres, ab eodem Deo creati, ex eodem patre Adamo & matre Eva prognati, eodem Christi sanguine redempti, eodem baptismo renati, in eadem Ecclesia, fide, spe & charitate coadunati. Quare pudendum C & indignum est, aliquem talem aversari, ab eoque vultum avertere.

Decima tertia, partem ablatam nõ reponere. Decima tertia: Pudeat te *ab auferendo partem, & non restituendo*. q. d. Pudeat te cognato, vel proximo auferre partem jure hereditario aliove simili illi debitam, eamdemque detinere, nec illi restituere: hæc enim continua est violentia, & injustitia. Propriè taxat eos qui ex eo quod inter plures dividendum est, aliquot partes auferunt, sibique usurpant, quasi postea illas restituturi, & in massam communem relaturi; at ubi eas consumpserunt, vel securè possident, de restituendo non cogitant.

Græca aliter habent, nimirum ἀπὸ ἀφαιρέσεως μερίδος καὶ δόσεως, id est, *ab ablatione partis & donatione*; Tigurina, *pudeat te parte sua aut dono defraudare quemquam*; alii, *pudeat te ab ablatam partem donationemque*: q. d. Cùm cognato vel proximo aliquid donatum, vel testamento relictum est, quod tecum dividat; tu noli eum sua parte & dono spoliare, ut totum tibi vendicare & occupare velis. Hæc enim tyrannis est, leonina socie- D tas, & publicum furtum. Noster pro καὶ δόσεως, videtur legisse ἄνευ ἀποδόσεως, id est, *sine redditione*, hoc est *non restituendo*.

NE RESPICIAS MULIEREM ALIENI VIRI, ET NE SCRUTERIS ANCILLAM EJUS: NEQUE STETERIS AD LECTUM EJUS] Clarè sensum reddit Interpres: nam Græca hæc eadem phrasi, qua præcedentia enuntiant: *a consideratione* (Complut. *ab animadversione*; græcè enim est μεθοράσεως,) *mulieris conjugatæ: a sollicitatione* (græcè Περιεργίας, quod Complut. vertunt, *curiositate*) *ancillæ eius*: supple & repete, *erubesce*, vel pudeat te: *& ne steteris super lectum eius*; Complut. *ne steteris ad cubiculum eius*; Tigurina, *pudeat te concumbere cum muliere viro iuncta: adhuc ancillæ cuiuspiam attentare pudicitiam, & ad lectum eius accedere*; alii, *pudeat ob contemplationem maritatæ mulieris, ob curiosam sollicitationem ancillæ ipsius, & ne steteris ad lectum eius*. Vers. 27.

Deci-

Decimò quarta, est intuitus mulieris conjugatæ.

Decima quarta res valdè erubescenda, est curiosus aspectus & intuitus mulieris conjungatæ: hic enim est signum & initium adulterii, cujus tantum apud omnes gentes est probrum, tanta in familiam & remp. injuria, ut mariti æquè ac judices ubivis ferè locorum illud morte vindicent. Huic affine est tentare ancillam ejus: honor enim ancillæ est honor dominæ, mariti & totius domus. Paulò aliter Palacius, q.d. Erubesce, ne concupiscas uxorem alienam, nec ab ejus ancilla scruteris quid sua domina faciat, eam ad lenocinium dominæ solicitando: neque noctu stes foris gyrans domum, ubi lectus ejus est, scilicet dominæ. Itaque Author deterret à concupiscentia uxoris alienæ, & à solicitanda ejus serva, ut heram solicitet; & à circumeundo loco, ubi uxor aliena lectum habet.

Hic sensus valdè commodus & appositus est, eumque innuit τὸ *ne scruteris*: ac solent lenones per ancillas parare sibi aditum ad heras.

Mysticè Rabanus, *Ancilla*, inquit, *est cupiditas carnalis; quæ subjici debuit spiritus imperio, juxta illud, quod Dominus ad Cain ait: Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Sed ipsa versa vice dominatur in reproborum conversatione. Idcircò prohibemur hanc ancillam scrutari, hoc est suggestionibus illius subjici; & stare ad lectum eius, in delectationibus videlicet illius accumbere. Unde sapientia in Proverbiis hanc mulierem in cubili suo luxuriantem, & ad sui commixtionem alios illicientem reprehendit, ipsiusque viis inniti nos prohibet, dicens: Nunc ergo, fili, audi me, & attende verba oris mei: ne abstrahatur mens tua in viis illius, neque decipiaris semitis eius: multos enim vulneratos dejecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea: via inferi domus eius penetrantes interiora mortis.*

Genes. 4.

Prov. 5.

VERS. 18. ABAMICIS (perperàm aliqui addunt *cave*: hoc enim delent Græca & Latina Romana) DE SERMONIBUS IMPROPERII; ET CUM DEDERIS, NE

Decima quinta, est exprobratio.

A IMPROPERES] q.d. Coram amicis erubesce improperare eis quippiam: & si quid eis donaveris, noli improperare: hoc enim est incivile, probrosum, & amicitiæ injurium. Unde Glossa interlinearis: *Datum offuscat, qui improperat. Imitare Deum, qui dat affluenter, & non improperat.* Et Rabanus: *Obfuscat enim datum*, inquit, *qui malo improperii lacerat proximum*; Tigurina; *pudeat te appetere contumeliis amicos, aut quod donaris, exprobrare.* Sapienter Isocrates Demonicum admonet: *Si quos*, inquit, *vis facere amicos, bonum quippiam dic de ipsis ad renuntiaturos: principium enim amicitiæ laus, simultatis verò vituperatio.*

Decimaquinta est hæc res erubescenda. Sequitur decimasexta initio cap. sequ. quam proinde Palacius, Tigurina & alii huic capiti annectunt.

Mysticè hæc omnia sic explicat noster Alvarez de Paz de mortificat. hominis inter. libr. 2. p. 3. cap 3. Hæc, inquit, tibi confusionis sint occasio, si in conspectu parentum, scilicet Christi & Ecclesiæ, rem creatam immodicè amans, fueris spiritualiter fornicatus: si fueris coram Deo omnium judice & omnipotente mentitus: si in aliquo in conspectu ejusdem judicis tui ac factoris deliqueris: si plebem aut congregationem, in qua vivis, iniquitate scandalizaveris: si socium injuria affeceris: si in domo tua de furto in legem Dei admisso notatus fueris: si in convivio superbiens primas sedes elegeris: si muneri tuo minimè satisfaciens, tuam famam denigraveris: si salutantes te præ arrogantia non salutaveris: si intentis, aut minùs pudicis aut cautis oculis pulchram mulierem aspexeris: si ad ampliorem dignitatem evectus, propinquos aut amicos habitos in humili statu, contempseris. Pro his & aliis similibus, quæ peccata sunt, tibi erubescendum est: at pro illis, quæ à natura ex divinæ providentiæ ordine suscepisti, nulla est habenda confusio.

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cap. præcedenti docuit, de quibus erubescendum: nunc docet, de quibus non sit erubescendum. Igitur sicut ibi sedecim species pudoris boni assignavit, ita hic tredecim species pudoris mali assignat. Inde v. 9. usque ad 15. agit de custodia filiarum, & cavendis mulieribus. Denique à v. 15. usque ad finem agit encomiastem sapientiæ & omniscientiæ Dei in admirabili Solis, maris, cæterorumque operum fabrica, dispositione & gubernatione.

1 NOn duplices sermonem auditus de revelatione sermonis absconditi, & eris verè sine confusione, & invenies gratiam in conspectu omnium hominum: ne pro his omnibus confundaris, &
ne accipias personam ut delinquas. 2. De lege Altissimi, & testamento, & de judicio justificare im-
pium. 3. de verbo sociorum & viatorum, & de datione hereditatis amicorum, 4. de æqualitate
stateræ & ponderum, de acquisitione multorum & paucorum, 5. de corruptione emptionis & ne-
gotiatorum, & de multa disciplina filiorum, & servo pessimo latus sanguinare. 6. Super mulierem
nequam bonum est signum. 7. Ubi manus multæ sunt, claudæ; & quodcumque trades, numera,
& appende, datum verò & acceptum omne describe. 8. De disciplina insensati & fatui, & de senio-
ribus, qui judicantur ab adolescentibus: & eris eruditus in omnibus, & probabilis in conspectu om-
nium vivorum. 9. Filia patris abscondita est vigilia, & solicitudo ejus aufert somnum, ne fortè in
adolescentia sua dulta efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat: 10. ne quando polluatur in
virginitate sua, & in paternis suis gravida inveniatur: ne fortè cum viro commorata transgrediatur,
aut certè sterilis efficiatur. 11. Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat te in
opprobrium venire inimicis, à detractione in civitate, & obiectione plebis, & confundat te in mul-
titudine populi. 12. Omni homini noli intendere in specie: & in medio mulierum noli commorari:
13. de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. 14. Melior est enim iniquitas
viri quàm mulier benefaciens, & mulier confundens in opprobrium. 15. Memor ero igitur operum
Domini, & quæ vidi annuntiabo. In sermonibus Domini opera eius. 16. Sol illuminans per omnia
respexit, & gloria Domini plenum est opus eius. 17. Nonne Dominus fecit sanctos enarrare omnia
mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua? 18. Abyssum, & cor
hominum investigavit: & in astutia eorum excogitavit. 19. Cognovit enim Dominus omnem scien-
tiam, & inspexit in signum ævi, annuntians quæ præterierunt, & quæ superventura sunt, revelans
vestigia occultorum. 20. Non præterit illum omnis cogitatus, & non abscondit se ab eo ullus ser-
mo. 21. Magnalia sapientiæ suæ decoravit: qui est ante sæculum & usque in sæculum, neque adie-
ctum est, 22. neque minuitur, & non eget alicuius consilio. 23. Quàm desiderabilia omnia

opera

opera ejus, & tamquam scintilla, quæ est considerare! 24. Omnia hæc vivunt, & manent in sæculum, & in omni necessitate omnia obaudiunt ei. 25. Omnia duplicia, unum contra unum, & non fecit quidquam deesse. 26. Uniuscujusque confirmavit bona. Et quis satiabitur videns gloriam ejus?

VERS. 1. *Decimasexta, est revelatio secreti.*

A NON DUPLICES SERMONEM AUDITUS DE REVELATIONE SERMONIS ABSCONDITI] Hæc pertinent ad finem cap præced. Est enim hic decima sexta & ultima res erubescenda. Unde Græca hæc eadem phrasi, qua præcedentia enuntiant, hoc modo, *ἀπὸ δευτερώσεως καὶ λόγου ἀκοῆς, καὶ ἀποκαλύψεως περὶ λόγων κρυφίων*, id est, *ab iteratione, & sermone auditus, &* (τὸ & est exegeticum, idemque valet quod *id est*) *a revelatione sermonum absconditorum*, supple & repete, *erubesce*; Tigurina, *pudeat te, quod auditione acceptum fueris, enunciare alteri, & res secretas effutire*. Igitur *non duplices*, id est, non iteres, *sermonem auditus*; quem scilicet audivisti ut secretum: quod tibi semel dictum & commissum est, secundo dicere, alterique revelare nolis. Unde explicans subdit: *De revelatione sermonis absconditi*, subaudi & repete, *erubesce*: q. d. *Duplicare sermonem auditus* non est aliud, quàm revelare sermonem absconditum: cujus rei quemque pudere debet: habet enim speciem infidelitatis & proditionis. Huc facit illud Isocratis ad Demonicum: *Diligentiùs serva verborum quam pecuniarum deposita. Oportet enim bonos viros morem iuramento fideliorem præstare*. Laudat Maximus serm. 20. Demosthenem, cui B cùm quispiam exprobraret oris graveolentiam, respondit: *Bene dicis: multa enim in eo secreta computruerunt*. Solent enim res in occulto congestæ computrescere.

ET ERIS VERE SINE CONFUSIONE (græcè *αἰσχυντηρός*, id est, pudibundus) ET INVENIES GRATIAM OMNIUM HOMINUM] q. d. Si hæc sedecim erubescenda, quæ jam recitavi, observaveris, deque iis erubescas, ac proinde ea caveas; utique eris pudibundus & verecundus, proculque ab omni confusione & ignominia, ideoque gratiosus apud omnes homines. Pudibundus enim studiosè cavet omnia pudenda, quæcumque scilicet ei confusionem, id est, pudorem & verecundiam, creare possunt. Sicut ex adverso impudens & inverecundus multa facit audacter & impudenter, quæ ei confusionem & ignominiam afferunt. Tigurina, *ita demum verecundus verè fueris, & gratiam inieris apud omnes homines*.

NE PRO HIS OMNIBUS CONFUNDARIS: ET NE ACCIPIAS PERSONAM, UT DELINQUAS] Est antithesis præcedentium. Hucusque recensuit sedecim C res, de quibus est erubescendum: nunc à contrario subjungit tredecim, de quibus non est erubescendum. Quare hic propriè incipit cap. 42. Dicit ergo: *Ne pro his omnibus*, quæ scilicet jam dicturus sum, *confundaris*; græcè *αἰσχυνθῇς*, id est, pudefias, verecunderis, erubescas: ita ut ob pudorem ea omittas & negligas. Unde id explicans subdit: *Et ne accipias personam, ut delinquas*. q. d. Ne ex metu & verecundia adeò respicias & reverearis personam aliquam, ut propter eam aliquid contra legem, æquitatem vel honestatem committas & pecces. Perversus enim est pudor, qui ad peccatum cogit, vel impellit. Tigurina, *In his omnibus ne des locum pudori: nec personæ cedas, ut delinquas*; alii, *ne de his te pudeat: neve suscipias personam, ut pecces*.

Tredecim species pudoris mali.

VERS. 2. *Prima, est pudor observationis legis Dei.*

DE LEGE ALTISSIMI, ET TESTAMENTO: ET DE JUDICIO JUSTIFICARE IMPIUM] Repete *ne confundaris*. Prima hæc res est, de qua non est erubescendum. q. d. Ne confundaris, neve te pudeat legis Dei Altissimi, quòd scilicet eam serves, vel defendas. D Ipsa enim est *testamentum*, id est ultima voluntas Dei continens ejus pacta & promissa, quæ legem servantibus pollicitus est & præparavit. Multi enim ex pudore legem Dei publicè coram hominibus mundanis & vanis servare non audent, quibus comminatur Christus: *Qui me erubuerit, & sermones meos, erubescam & ego illum coram Patre meo*, Lucæ 9. Tigur. *ne des locum pudori in lege, & pacto Altissimi*: q. d. Nullus te pudor astringat ad violandam legem & testamentum Dei. vel melius: Si legem & testamentum Dei servasti, nulla propterea afficiaris verecundia. Jubet lex Dei pati injurias: offerre alteram maxillam percutienti unam: ministrare servis nostris. Si hæc facimus, iniustum est ut propterea afficiamur verecundia; licèt nobis id alii improperent. Imò verò adeò nos legis Dei pudere non debet, ut de ea exultare & gloriari debeamus, juxta illud cap. 39. 11. *In lege testamenti Domini gloriabitur*. Summa enim hominis gloria est, quòd Deo suo obediat, obsequatur & serviat, juxta illud cap. 23. 38. *Gloria magna est sequi Dominum*. Hugo per *testamentum* accipit novum, quod Christus instituit & sua morte sancivit, de quo S. August. *O mira dispensatio, a testatore fugiunt heredes, & inveniuntur in cruce latrones!* In hoc testamento septem legavit, pauperibus regnum cælorum, mitibus terram viventium, lugentibus consolationem, esurientibus justitiam satietatem, misericordibus misericordiæ consecutionem, mundis corde Dei visionem, pacificis Dei filiationem.

Secunda res non erubescenda, est veracitas judicii: q. d. Ne confundaris, id est, pudore suffundaris; & ne accipias personam, ut propter respectum & reverentiam personæ cujuspiam, *de iudicio*, id est in judicio, justifices impium: ita ut in gratiam potentis pervertas judicium, causamque ei qui jus habet, abjudices, & ei qui jus non habet, adjudices. Tigurina, *ne des locum pudori: ne personæ cedas* (hæc enim in omnibus sequentibus repetenda sunt) *in iudicio, quo secundum impium iudices*. Cautam dat S. Isidor l. 3. Sentent. c. 35. *Qui enim*, inquit, *consanguinitatis vel amicitiæ favore, sive inimicitiarum odio, iudicium pervertunt; sine dubio in Christum, qui est veritas & iustitia, peccare noscuntur*. Hoc est, quod in sensu mystico taxat Deus per Ezechielem ca. 13. v. 19. *Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis; ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt*. Nam ut exponit S. Gregor. homil. 27. in Evangel. *Non morientem interficit, qui iustum damnat: & non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio absolvere conatur*. Pervulgatum est illud, judicem, si fieri posset, exoculatum esse oportere, ne quempiam litigantium agnoscat. Hinc Plutarch. in lib. de Iside: *Thebis*, ait, *iudicum imagines visuntur absque manibus, & summi iudicis oculi connivent, eò quòd iustitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur*. Item Deuter. 1. sic Deus judices informat: *Quod iustum est iudicate, sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cuiuspiam personam: quia Dei iudicium est*. Huc spectat illud Petri Ravenn. apud Nanium in Judice: *Nihil adeò gloriose lucet in iudice sicut amare & exhibere iustitiam sine omni acceptione personarum. Teste enim Tullio proverbialiter dicitur, Exuit personam iudicis quisquis amicum induit. Aequitas, cui iudex obsequitur, sinistram odii vel amoris dexteram odit. Nam talis esse debet iuris minister, ut in eius manu nullius auctoritate personæ titubet aut vacillet libra iustitiæ*.

Secũda, est pudor veri iudicii.

Iudicum effigies sine manibus: Cur?

DE VERBO SOCIORUM, ET VIATORUM] Tertia res non erubescenda est; Ne confundaris *de verbo sociorum & viatorum*; græcè, *περὶ λόγου κοινωνοῦ καὶ ὁδοιπόρων*. quod Primò, Tigurina vertit *ne des locum pudori in salutandis sociis & viatoribus*; Vatabl. *in compellandis sociis & hospitibus*. Secundò, Palacius: Solent socii, inquit, verba quædam dicere, quæ nos pudore suffundunt: solent idem & viatores; qui ut provocent ad risum, probra iaciunt in eum cui occurrunt. Monemur ergo, ne rubore perfundamur ex verbis sociorum: nec enim hostes sunt, qui iniuriæ causa illa dicant: sed sunt socii, qui risus aut amoris causa nos provocant ad ruborem. Similiter ex verbis viatorum: nec enim illi ob contumeliam, sed ad alleviandum viæ laborem, scurrilia illa profundunt.

VERS. 3. *Tertia, est pudor ioci amicorum.*

Tertiò, alii meliùs *λόγου*, id est verbum, vertunt rationem, causam, litem, negotium. q. d. Ne confundaris in ratione, lite vel causa, quam socius tuus habet cum extraneis, quales sunt viatores, stare rectus pro veritate & æquitate; ut ob socii tibi amicitia coniuncti metum & reverentiam, illi præter jus faveas & extraneos iniustè condemnes; malens offendere Deum, quàm socium; ac violare justitiam, quàm amicitiam.

Secunda explicatio plana est, naturalis & obvia; sed tertia profundior, eamque exigere videtur τὸ *Et ne accipias perso-*

orfinam, ne delinquat, v. 1. quod ad sequentes hosce casus referendum est, Aliter hæc explicant Rabanus, Lyranus & Dionysius: sed sensus jam datus videtur genuinus.

Quarta, est pudor æquitatis in dividendo.

Quarta est: Ne confundaris DE DATIONE HEREDITATIS AMICORUM] græcè *ἑταίρων*, id est sociorum & sodalium; qui scilicet in eadem hereditate participant, & partem obtinere debent. q. d. In distributione & divisione hereditatis æqualiter & fideliter inter socios & heredes dividendæ noli ex pudore uni plus favere, quàm alteri; uni plus tribuere & dare, quàm alteri. Hoc enim est contra justitiam distributivam, & sæpè commutativam, quando scilicet heredibus per testamentum, legatum, donationem, &c. ad hereditatem jus acquisitum est. Unde Tigurina vertit, *ne des locum pudori in hereditate consortium partienda*.

Aliter Palacius, q. d. Si amicus fidei tuæ hereditatem commendavit, quam scilicet alicui alteri dares; nulla inopiæ verecundia cogat te, quin fidem serves, & hereditatem illi tribuas, cui ex fideicommisso debetur. Nam eam sibi usurpare rapinæ piaculum est.

VERS. 4.

Quinta, est pudor injustæ mensuræ.

DE ÆQUALITATE STATERÆ ET PONDERUM, DE ACQUISITIONE MULTORUM, ET PAUCORUM] Quinta res non erubescenda, est æqualitas & justitia stateræ & ponderum, q. d. Ne confundaris, nec pudeat te exactum esse in servanda æqualitate mensurarum & ponderum: etsi alios passim in ea fraudem facere cernas, ipsique te rideant quasi scrupulosum & impudentem, qui non noris malis artibus occultè rem tuam augere, juxta illud psal. 61. 10. *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum*. Tigurina, *ne des locum pudori in adæquanda libra, aut ponderibus*; græcè *περὶ ἀκριβείας ζυγοῦ*, id est, *in accurato examine stateræ ac ponderum*. Multi enim avari institores, etsi ex proposito non curent inæqualia pondera; tamen negligunt examinare an inæqualia sint; imò cùm suspicantur ea talia esse, dissimulant gaudentque, putantes peccatum injustitiæ in hac inæqualitate tegi per inscientiam vel ignorantiam affectatam, qua in re graviter errant.

Mystica statera pravi judicii.

Mysticè Rabanus: *Statera dolosa*, inquit, *non tantùm in mensuratione pecuniæ, sed & in judiciaria discretione tenetur. Qui enim aliter causam pauperis, aliter potentis; aliter sodalis, aliter audit ignoti; statera utique librat iniqua. Sed & is, qui sua bene gesta meliora, quàm proximorum; suaque errata judicat leviora, quàm aliorum, trutina ponderat dolosa. Nec non & ille, qui onera importabilia imponit in humeros hominum, ipse autem uno digito suo non vult ea tangere. Ille etiam, qui bona in publico, & mala agit in occulto, pro iniquitate libræ dolosæ abominatur à Domino. At qui sinceriter agit in omnibus, qui causam & causam æqua lance discernit; is nimirum justi judicis voluntati & actioni congruit.* Mysticas alias septem stateras, quibus expendenda sunt singula cujusque opera, recensebo Proverb. 11. 1.

Sexta, est pudor pauci lucri justi.

Sexta: Ne confundaris *de acquisitione multorum, & paucorum*. q. d. Non pudeat te, quòd alii injustè per dolosa pondera multum lucrentur, tu verò per justa lucreris pauca: quia melius & fructuosius est parum lucrari justè, quàm multa injustè. Aut q. d. Non pudeat te tuæ justitiæ, justæque fortunæ, sive multùm, sive parum lucreris & possideas: sed sorte tua justè parta contentus esto. Pluris enim est justitia, quàm opes immensæ: pluris est paupertas justa, quàm abundantia injusta. Rursum non pudeat te sectari parva lucra, quia per parva multiplicata gradatim pervenitur ad magna. Unde Hebræorum est proverbium: *Melius est lucrari multa quinque, quam pauca decem*: quia multa quinque addita, majorem numerum efficient, quàm pauca decem. ita Palacius. Unde Tigurina, *non pudeat te in possidendis sive multis, sive paucis*. Huc facit paradoxum mercatoris, cujus superiùs memini: *Ditatus sum emendo caro, & vendendo vili pretio*. Aliter Lyranus & Dionys. q. d. Pudeat te multa lucrari per rapinam, pudeat item te pauca lucrari per tuam inertiam & desidiam. Verùm prior sensus est genuinus.

VERS. 5.

Septima, est pudor dissipati monopolii.

DE CORRUPTIONE EMPTIONIS ET NEGOTIATORUM, ET DE MULTA DISCIPLINA FILIORUM, ET SERVO PESSIMO LATUS SANGUINARE] Septima res non erubescenda est: Non confundaris *de corruptione emptionis, & negotiatorum*. ita Rabanus, Lyranus, Dionysius: licèt alii nonnulli pro *corruptione* legant *correptione*, huncque dent sensum, q. d. Ne pudeat te corripere & redarguere fraudes & injustitias, quæ à mercatoribus in emptione & venditione committuntur. Ita legit & intelligit Jansenius: qui eidem alteram lectionem, quæ habet *de correptione*, sic adaptat & conciliat; q. d. Non pudeat te de reprehensa vel vitiata corruptione emptionis & mercatorum. Verùm Romana, Rabanus, Lyranus, Dionysius, & alii constanter legunt *corruptione*, q. d. Non pudeat te quòd videas multos mercatores tui similes, corrumpere merces, quas vendunt, earumque pretia, itaque multum ditescere, cùm tu integras vendas merces, justoque pretio, ideoque parum ditescas. Pluris enim est integritas conscientiæ cum paupertate, quàm corruptela conscientiæ cum magnis thesauris.

Aut potiùs q. d. Non pudeat te corrumpere emptionem, græcè *πράσεω*, id est venditionem, vel auctionem publicam negotiatorum: cùm, scilicet, ipsi faciunt monopolium, & inter se, uti sæpè fit, vel tacitè, vel expressè conspirant, ut merces pluris non emant. vel minoris non vendant; esto pretium plus justo augeant, vel imminuant; q. d. Non pudeat te turbare & dissipare monopolia, & conspirationes iniquas mercatorum, quibus res vel pluris justo vendunt, vel minoris justo emunt; offerendo scilicet pretium majus in emptione, ac minus in venditione; illudque non rigidum, sed moderatum.

Huic expositioni favent quidam Græci codices, qui habent: *Non pudeat te περὶ ἀδιαφθόρου πράσεως*, id est, *de emptione incorrupta*, hoc est bonæ fidei, quæ fit justo pretio. Communiter tamen legunt *περὶ διαφόρου πράσεως*, q. d. Non pudeat te de differenti venditione, quòd, scilicet, in pretio differas à ceteris mercatoribus, plus æquo rigidis, tuasque merces moderato pretio divendas. Adde, *διαφορεῖν* (unde deducitur *διάφορος*) significare distrahere, divellere, perdere, resolvere, discutere; quod Noster vertit *corrumpere*. q. d. Non pudeat te distrahere & dissipare iniquas mercatorum conspirationes, quibus explicitè vel implicitè conspirant, ut merces minoris justo emant, vel pluris justo vendant; sic enim patrocinaberis justitiæ, ac in rempub. justum mercium pretium induces. Per *emptionem* intelligitur venditio, ac vice versa per venditionem intellige quoque emptionem: hæc enim sunt correlativa; ac in actione publica, quam significat *πράσις*, æquè ac alia quavis, utraque interveniat necesse est.

Aliter Jansenius, q. d. Non pudeat te in differentiis, controversiis & litibus, (hæc enim significat *τὸ διάφορον*,) quæ de venditione & emptione oriuntur inter mercatores, citra gratiam & verecundiam judicare pro æquitate; illique rem addicere, cui ex justitia debetur: esto partem adversam tibi amicam offendere debeas.

Porrò codices Græci Romæ correcti pro *διαφόρου*, id est, *differenti*, contrariè legunt *ἀδιαφόρου*, id est, *indifferenti*, hoc sensu: q. d. Non pudeat te de indifferenti venditione, ut scilicet indifferenti & æquali pretio vendas omnibus, non pluris externis quàm civibus, non pluris militibus quàm rusticis, non pluris inimicis quàm amicis. Unde Tigurina, *ne des locum pudori in æquabili venditione mercium*; alii, *indifferenti venditione mercatorum*, id est, *quæ fit æquabilis nec varia, cujus ratio non sit diversa, ut res venales pluris minorisve vendatur*: alius rursum vertit, *non pudeat te de indifferentium*, id est, *fortuitarum rerum mercatu & negotiatoribus*; alius, *non pudeat te de indifferentis venditione*; ut fiat oppositio inter indifferentem, id est, quemvis hominem, & mercatorem: q. d. Non pudeat te æquabili pretio, & indifferenter vendere eodem pretio plebeiis, rusticis, ceterisque qui mercatores non sunt, ac ipsis mercatoribus.

Octava, est pudor castigationis filiorum.

Octava res non erubescenda est *multa disciplina*, græcè *παιδεία*, id est, institutio, correctio, castigatio *filiorum*. Sunt enim multi qui eam erubescunt & omittunt, ne habeantur nimis duri in filios, vel nimis minuti & scrupulosi: quo fit ut filii suæ libertati & concupiscentiæ indulgentes, fiant protervi, rebelles, obscœni, rixosi, & proni ad omne malum. Tigur. *ne des locum pudori in crebra liberorum castigatione*.

Nona est pudor flagellandi servum malum

Nona est: Non confundaris, nec pudeat te *servo pessimo*; græcè *κακῷ*, id est pravo, perverso, malitioso, *latus sanguinare*, id est, flagellis cruentare, & cædere usque ad sanguinem. Tigur. *ne des locum pudori in latere mali servi cruentando verberibus*. Durities enim servi duritia plagarum frangenda est, & malo nodo malus quærendus cuneus. Cavendum tamen ne id fiat ex ira, ideoque modus excedatur. Qua de causa Plato, ait Lyranus, servum suum delinquen.

linquentem per se noluit castigare, sed castigandum alteri tradidit: ne iratus modum excederet, & notaretur crudelitatis.

Mysticè, servus pravus est concupiscentia, & caro in gulam libidinemque prona: hæc disciplinis, ciliciis & verberibus castiganda est, etiam usque ad sanguinem; ut spiritui se subdat: uti fecere S. Dominicus fundator Ordinis Prædicatorum, qui singulis noctibus ter catena ferrea usque ad sanguinem se cædebat, scilicet Primò, pro peccatis propriis; Secundò, pro animabus quæ cruciantur in Purgatorio; Tertiò, pro omnibus in peccato mortali existentibus. Item alter S. Dominicus Loricatus, qui quotidie disciplinas per integrum Psalterium faciebat; B. Petrus Damiani, S. Vincentius, qui publicas flagellantium se usque ad sanguinem processiones ubivis locorum instituebat; ac hoc anno Romæ Alexander Cardin. Ursinus, qui tum aliàs, tum in profestis B. Virginis in ejus honorem se usque ad sanguinem diverberare solebat, ut ei se suumque cruorem & vitam offerret.

Exempla diverberantium se ad sanguinem.

Vers. 6. SUPER MULIEREM NEQUAM BONUM EST SIGNUM] Pro *signum* græcè est σφραγὶς, id est *sigillum*, sera, clausura. Decima est hæc res non erubescenda. q. d. Si uxorem vel filiam nactus es pravam & perversam, non pudeat te illi custodiam exactam adhibere; imò, si opus sit, eam concludere, & seris obserare; ne libidini habenas laxet, aliudve scelus perpetret, quod longè majorem pudorem & ignominiam tibi pariet, quàm ejus clausura. Major ergo pudor minori propulsandus est. Tigurina, *ne des locum pudori in nota mala mulieri utiliter adhibenda*; alii, *bonum est obsignari malam mulierem*.

Decima est, pudor custodiæ mulieris pravæ.

Vers. 7. UBI MANUS MULTÆ SUNT, CLAUDE; ET QUODCUMQUE TRADAS, NUMERA, ET APPENDE: DATUM VERO ET ACCEPTUM OMNE DESCRIBE] Undecima est hæc res non erubescenda: q. d. Ubi multi sunt homines & famuli, multæque manus, ut inter eas probabile sit aliquas esse furaces, res tuas claude & obsera, ne quis eas furetur. Cùm verò supellectilem vel mensalem, vel cubicularem similemve alicui tradere oportebit; ne quid ex ea vel furto, vel negligentia deperdas, Primò, eam numera, alterique adnumera, ut eodem numero tibi reddat & renumeret. Secundò, si res est, quæ libra appenditur, ac pro pondere æstimatur, appende illam, ut rem eodem pondere tibi reddat & rependat. Tertiò, in libro rationum datum omne describe, æquè ac acceptum; ut constet quid dederis, quidve ex dato receperis, quidve tibi recipiendum restet. Hæc enim exacta diligentia à viris prudentibus non vertetur tibi pudori & ignominiæ; sed prudentiæ & providentiæ: esto famuli furaces similesque idcircò te vocent avarum, tenacem, scrupulosum. Quocirca hac praxi utuntur œconomi industrij principum, Cardinalium, ecclesiarum, monasteriorum, &c. eaque ratione res eorum integras conservant. Nam Hispanorum est proverbium, ait Palacius; *In arca aperta justus peccat*. Occasio enim facit furem.

Undecima, est pudor obserandi res suas.

Tigurina, ut pari syntaxi hæc efferat, quæ præcedentia, pro *claude* vertit *claudendo*: quia Hebræis, inquit, eadem est vox infinitivi, & imperativi. Verùm, etsi Hebræis sit eadem, Græcis tamen non est eadem, sed diversa: κλεῖσον enim tantùm est imperativus significans *claude*, non verò infinitivus ut significet *claudere*, vel *claudendo*. Sic igitur habet Tigurina, *ne des locum pudori, claudendo* (quòd claudas cellas & arcas) *ubi manus multæ sunt: in eo quod cuipiam traditurus es, ad numerum pondusque tribuendo, omniaque dando vel accipiendo syngraphis testata*.

Vers. 8. DE DISCIPLINA INSENSATI, ET FATUI, ET DE SENIORIBUS, QUI JUDICANTUR AB ADOLESCENTIBUS] Duodecima res non erubescenda est *disciplina insensati*: sed utra, activa, quam scilicet des, & doceas insensatum; an passiva, quam scilicet accipias & discas ab insensato? Palacius passivam accipit: q. d. Si quid te fatuus docuerit, ne te pudeat ab eo discere. *Sæpe etenim est olitor verba opportuna locutus*. Et latet nonnumquam margaritum sub concha. Exemplo tibi sit Silenus Alcibiadis, & S. Augustinus etiam à puero doceri paratus. Ergo non adeò quis, quàm quid dicat, est attendendum. hæc Palacius.

Duodecima, est pudor castigationis stulti.

Verum meliùs *disciplinam* accipias activè: hæc enim propriè convenit insensato & stulto: q. d. Ne confundaris nec pudeat te disciplinam dare, id est, corripere & castigare insensatum & stultum, ut à stultitia desistat: ab hac enim castigatione multos retrahit pudor, ne, scilicet, videantur, quòd cum stultis agant, à quibus vicissim stulta dicteria & scommata audire & excipere debeant. Unde Tigurina vertit, *ne des locum pudori insipientibus & stultis erudiendis*; Vatabl. *castigandis*; alii, *ne te pudeat in castigatione dementis & stulti*.

Decima tertia, & ultima est: Ne confundaris *de senioribus, qui judicantur ab adolescentibus*: *de senioribus*, scilicet, adjuvandis & defendendis, ait Jansen. Aut potiùs & germaniùs: Non pudeat te *de senioribus*, id est seniorum; Græcè ἐσχατογήρως, id est extremè senum, decrepitorum, silicerniorum. Hebræi enim *min*, id est *de*, cum ablativo, sumunt pro regimine genitivi: q. d. Non te pudeat extremè senum, ut eos tuearis, cùm à junioribus petulanter judicantur, ridentur, vexantur. Non te pudeat decrepitorum causam agere, eisque patrocinari contra petulantiam adolescentum eos subsannantium. Noster τὸ ἐσχατογήρως, id est *senioribus*, immediatè retulit ad περὶ, id est *de*, quod præcessit. Alii verò idipsum referentes ad παιδείας, id est *disciplinæ*, sic vertunt, *non te pudeat de disciplina decrepitorum*, id est non te pudeat admonere, & modestè corripere decrepitos, quando disceptant cum adolescentibus se quasi deliros irridentibus, dicendo, Bone vir, senex es & grandævus: noli curare quid juvenes isti insolentes dicant; pertransi, quasi non audias; ita lites & probra vitabis & sopies. Non convenit te decrepitum contendere cum juvenibus: hoc enim dedecet ætatem, gravitatem & prudentiam tuam. Unde Complut. & Romani vertunt, *ne confundaris de disciplina amentis, & fatui, & decrepiti litigantis cum adolescentibus*; Tigur. *ne des locum pudori, cùm decrepitus ius cum iuvenibus experitur*, ut scilicet vel decrepito, vel juvenibus contra jus faveas, causamque iniqui iniquè foveas & defendas: sed ei, cui jus competit, sive is decrepitus sit, sive juvenis, illud ipsum tribuas & addicas. Alii vertunt, *ne te pudeat, neve personam accipias in decrepito sene* (defendendo, vel admonendo, & dirigendo) *disceptante cum juvenibus*.

Decimatertia, pudor defensionis senum.

Porrò Palacius hoc membrum, æquè ut præcedens, passivè accipit. q. d. Si etiam seniores te aliquid docent, tu ab illis disce, quamvis illi judicentur, aut etiam rideantur ab adolescentibus. est enim in canis prudentia. Qui & addit: Alius sensus esse potest: Si seniores pertrahantur ad judicium ab adolescentibus; te nihil pudeat contra senem justum ferre judicium: sicut Daniel c. 13. licèt puer judicavit & condemnavit senes adulteros insidiantes Susannæ.

ET ERIS ERUDITUS IN OMNIBUS, ET PROBABILIS, græcè δεδοκιμασμένος, id est probatus, IN CONSPECTU OMNIUM VIRORUM] Ita Romana: hoc enim significat Græcum παντὸς ζῶντος, id est *omnis viventis*. Perperam ergo Jansenius, & alii pro *vivorum* legunt *virorum*. Sensus est, q. d. Si hæc sedecim erubescenda, quæ recensui, erubueris & caveris; ac vicissim tredecim non erubescenda, non erubueris, sed audacter feceris; eris πεπαιδευμένος, id est, rectè institutus, benè moratus, verè sapiens & prudens; ac ut talis probaberis, laudaberis & celebraberis, ab omnibus viventibus. Complut. vertunt, *& eris eruditus, verax & approbatus coram omni vivente*; Tigurina, *ita demum eruditus verè fueris, omnique vivo commendatus*; Vatablus, *probatus*.

FILIA PATRIS (græcè πατρὶ, id est, *patri* in dativo) ABSCONDITA EST VIGILIA, ET SOLICITUDO EJUS AUFERT SOMNUM, NE FORTE IN ADOLESCENTIA SUA ADULTA EFFICIATUR, ET CUM VIRO COMMORATA, ODIBILIS FIAT] Sensus est, q. d. Filia patri suo affert occultam vigiliam; hoc est, clàm oportet patrem vigilare in statum & mores filiæ; adeoque hæc vigilia, vigilansque & perpes solicitudo, ut congrua ætate nuptui tradatur, nec à quopiam juvene decipiatur, vel pravi quid hauriat & addiscat, patrem ita coquit & affligit, ut sæpe noctu ei somnum adimat. Tigurina, *filia patri occultam affert vigiliam, & somnum abigit solicitudo eius*. Porrò prima patris de filia solicitudo est illa, quam subdit: *Ne* in domo paterna *adulta* (ita legendum cum Romanis, non *adultera*, ut Jansenius, Palacius, & alii) *efficiatur*; Græcè παρακμάσῃ, id est, *ne superadolescat*, ne florem ætatis (hunc enim significat ἀκμὴ) prætereat, ne senescat, ne vigore decrescat, ne marcescat ætate. Tigurina, *ne maturitas ætatis eius excedat*; Romana, *ne fiat superadulta*

Patri filia custodienda.

(minùs rectè Compl. *ne fortè abutatur flore ætatis*) ut jam flore juventutis præterito, & vigore ætatis deflorescente, minùs speciosa, minusque gratiosa sponsum sibi parem invenire nequeat, juxta id quod huc alludens Paulus ait 1. Corinth. 7. 36. *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quòd sit superadulta* (Græcè ὑπέρακμος, quod idem est cum Nostro παρακμάς) *& ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, si nubat.* Hinc rursum timet pater, ne filia sua adulta *cum viro commorata, illi odibilis fiat*, & ab eo repudietur. Sæpè enim transeunte flore juventæ, transit pariter amor: & quæ juvenculæ erant viris in deliciis, grandævæ sunt fastidio. Quocirca Hebræis permissus erat libellus repudii, quem dabant uxori exosæ: itaque eam à se ablegabant, cum ejus sæpè æquè ac parentum ignominia & damno. Quocirca Syrus vertit, *filia patri suo oneri est valde, & cura ejus aufert somnum ipsius, in juventute sua, ne male audiat, & à marito suo ne spernatur.*

Ratio à priori. Ratio à priori est, feminei sexus & ætatis levitas, infirmitas, inexperientia, inconstantia. Tritum est illud:

Quid levius vento? fulmen. Quid fulmine? fama.
Quid fama? mulier. Quid muliere? Nihil.

Ratio extrinseca est, quia plurimi sunt Pharaones, Abimelechi, Sichemi, Thesei, Parides, Jasones, plurimique alii puellarum pulchritudinis & pudicitiæ astutissimi exploratores, dolosissimi insidiatores, violentissimi raptores, & improbissimi corruptores, ut Argo centoculo custode opus sit ad tutandam contra eos filiarum virginitatem. Virginibus enim magis, quàm corruptis, ab eis laquei tenduntur; idque astu diaboli, ut florem & decus virginitatis, quo filia nihil habet pretiosius, ei adimat & disperdat. Unde, ut ait S. August. epist. 5. olim *deorum probra non solùm in fabulis audienda posuit, verùm etiam in theatris spectanda proposuit, ubi crimina plura essent quam numina.* Huic Siracidis sententiæ antistropha est illa Ben Siræ alphab. 2. litera Teth: *Thesaurus vanus* (qui frustra, & in vanum occultatur, cùm occultari nolit: unde alii vertunt, *absconsio vana*) *est filia patri suo, cui dum metuis, noctu non dormit.* Et litera Jod: *Dormit, non dormit* (id est dormiendo non dormit; vix parumque, & anxiè dormit) *custos puellæ parvulæ: forsan in adolescentia sua decipietur, & adultior facta scortabitur.* Nam virgo vitium passa, ubi exoleverit, & nubiles annos egressa fuerit, fere meretrix evadit. Et litera Cheth: *Chari sunt cuivis homini mares: sed væ patri feminarum.* quod Hebræorum Rabbini dicunt: *Beatus ille, qui filios habet masculos: sed væ patri femellarum.* Addunt iidem *totam mundi machinam lugere, quando puella nascitur: & contra gaudere, cùm mas editur.* Sed hæc Rabbinorum sunt commenta.

Vers. 10. NE QUANDO POLLUATUR IN VIRGINITATE SUA; ET IN PATERNIS SUIS (ædibus) GRAVIDA INVENIATUR] Secunda patris solicitudo de filia est, ne ante coniugium dum in paterna domo degit virgo, ab adolescente quopiam decipiatur & imprægnetur: quod ipsi, ac patri ignominiosum æquè ac damnosum erit: nemo enim honestus vitiatam ducere volet. Tigurina, *ne stupro polluatur in sua virginitate; neve in domo paterna fiat gravida.*

NE FORTE CUM VIRO COMMORATA TRANSGREDIATUR, AUT CERTE STERILIS EFFICIATUR] Tertia solicitudo patris est, ne filia in coniugio cum viro degens prævaricetur, & transgrediatur fidem legemque coniugii per adulterium; neve sterilis evadat. Tigurina, *ne quando viro iuncta, faciat flagitium; aut ne in matrimonium data sterilescat.* Concinit Ben Sira liter. Caph: *Cùm nupta erit filia*, inquit, *tu anxius eris de ea valde, dicens: Fortè liberos habebit, fortè non habebit: & cùm senuerit, ne fortè veneficia exerceat.* Multæ enim senes & anus ob paupertatem, persecutionem, æmulationem, vindictam, aliamve molestiam fiunt magæ & sagæ, deduntque se dæmoni; ut ab eo miseria liberentur, vel bonum concupitum assequantur. Huc facit illud Pollionis: *Qui multiplicat uxores, multiplicat veneficia.* Uxor enim zelotypa ut ad se pelliciat maritum, & ab æmula avertat, dabit ei philtrum, aut æmulæ toxicum ut eam perimat.

Porrò τὸ *sterilis fiat* Lyranus exponit, & dat causam: Ex nimio, inquit, concubitu: hic enim facit sterilem: nam libido in tenera ætate nimiam appetentiam movet; hæc nimium concubitum: hinc prodit sterilitas. Potest etiam exponi sic q. d. Aut certè in pœnam libidinis admissæ in domo paterna, Deus eam faciat sterilem in domo mariti.

SUPER FILIAM LUXURIOSAM CONFIRMA CUSTODIAM; NE QUANDO FACIAT TE OPPROBRIUM VENIRE INIMICIS, A DETRACTIONE IN CIVITATE, ET OBJECTIONE PLEBIS; ET CONFUNDAT TE IN MULTITUDINE POPULI] Vers. 11. Pro *luxuriosam* græcè est ἀδιατρέπτῳ, quod Noster cap. 26. 13. vertit, *non avertentem se*, id est, lascivam, procacem, impudentem, in libidinem pronam. Huic enim firma custodia adhibenda est; ne, si liberè cum juvenibus agere permittatur, eis se prostituat; itaque patrem probro afficiat: *a detractione*, id est, ob detractionem vicinorum & civium, qua tam familiæ ob lasciviam, quàm patri ob negligentem ejus custodiam obtrectent; cumque vocent patrem meretricis: *& objectione* (ita legendum cum Romanis, non *abiectione*) *plebis*; qua plebs palàm filiæ fornicationem patri & tacitum in eam consensum improperet, & in os obiiciat. Græcè est, *ne quando faciat te* τοῖς ἐπίχαρμα, id est risum, irrisionem, gratulationem, *hostibus*, λαλιὰν ἐν πόλει, καὶ ἔκκλητον λαοῦ, id est *fabulam in civitate, famosum in populo.* Complut. *ne faciat te ludibrium hostibus, loquelam in civitate, & appellationem populi*; Roman. *ne quando faciat te gaudium inimicis, fabulam in civitate, & vocatum populi*, ut scilicet populus publicè te vocet & appellet lenonem, cornutum, scortatorem, &c. Tigurina, *filiæ inverecundæ custodiam adhibe; ne te in ridiculum faciat inimicis, civitatique fabulam; ne famosum in populo, neve in vulgus reddat ignominiosum.* Nam lege Mosis filia in domo patris fornicata, jubebatur ante ipsam domum patris lapidari, Deuter. 22. 21. quæ summa erat ignominia tam patri, quàm filiæ. Unde Syrus *fili mi super filia tua constitue custodiam, ne faciat tibi nomen malum, & fabulam, & oblocutionem in populo, & in congregatione civitatis tuæ ignominiam inducat tibi in oblocutionem populi.*

OMNI HOMINI NOLI INTENDERE IN SPECIE: ET IN MEDIO MULIERUM NOLI COMMORARI] Vers. 12. q. d. Nulli homini intende (nam Hebræis *non omni*, idem est quod *nulli*) nullius faciem fixiùs intuere, in nullius specie oculos defige. Hoc enim curiosum est, & sæpè castitati periculosum: species enim & pulchritudo non tantùm mulierum, sed & juvenum illecebrosa est, ac concupiscentiam exstimulat tum feminarum, tum marium. Porrò Syrus sic habet, *omni viro ne reveles quod est in corde tuo, & inter mulieres ne exornes sermones tuos*; Complut. *omni homini noli intendere in speciem: & in medio mulierum noli considere*; Tigurina, *ne contempleris quemquam hominem gratia pulchritudinis*: (Vatabl. *ne quem ex forma indices*) *neve inter mulieres desideas*; alii, *ne intuere ullum hominem propter pulchritudinem: neve in medio mulierum considete.* S. Cyprian. de Singular. Cleric. *in medio mulierum noli assiduus esse.* Ex assiduitate enim sequitur libertas, ex libertate protervia. Unde concludit: *Ubique gustanda est, non continuanda cum mulieribus præsentia: sed quasi transenntèr feminis exhibenda est accessio quodammodo fugitiva.* Memorabile est quod de B. Hugone Gratianopolitano legimus, eum, cùm per 52. annos fuisset ejus urbis Episcopus, ac ordinariè matronarum confessiones, etiam crebriùs confitentium, exciperet; nullam tamen ex facie, sed aliquas ex voce dumtaxat agnovisse. Adeò continens, custosque erat oculorum; eosque demissos, non in vultum, sed in humum defigebat.

Sapienter S. August. in Regula, quæ habetur in fine tomi 1. cap. 21. de oculis ita sancit: *Oculi vestri etsi iaciuntur in aliquam feminarum, figantur in nulla. Neque enim quando proceditis, feminas videre prohibemini: sed appetere, aut ab ipsis appeti velle, criminosum est. Nec solo tactu atque affectu, sed aspectu quoque appetitur.* Oculorum custodia. *& appetit concupiscentia feminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habetis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius. Et cùm se invicem sibimet, etiam tacente lingua, conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur amore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet qui in feminam figit oculum, & illius in se diligit fixum, ab aliis se non videri cùm hoc fecerit: videtur omnino, & à quibus se videri non arbitratur. Sed ecce lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest? An ideò putandus est non videre, quia tanto videt patientiùs, quanto sapientiùs? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit feminæ male placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit feminam male videre.* Oculorum colloquia.

Illius

Illius namque & in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est: Abominatio est Domino defigens oculum.

VERS. 13.

DE VESTIMENTIS ENIM PROCEDIT TINEA, ET A MULIERE INIQUITAS VIRI] Ita Romana ceteraque Latina Biblia: nam Græca omittunt τὸ *viri*: nonnulla, ut Complut. & Romana, pro *viri* substituunt *mulieris*. Unde Tigur. *nam ut tinea nascitur è vestimentis: ita a muliere iniquitas muliebris*; alii, *& a muliere malitia feminæ*; Syrus, *quia sicut super vestem cadit tinea, ita zelus super mulierem ob malitiam sociæ eius*. Verùm lectio Latina multò congruentior & verior est; quam sequitur S. Cypr. aliique Patres. Est hæc valdè apposita similitudo, qua libido assimilatur tineæ.

Libido est tinea. Primò:

Nam Primò, ut rectè Jansenius, sicut tinea innascitur vestibus, atque ab eis suam trahit originem: ita in ipso mulierum aspectu & conversatione cum eis insita est iniquitas viri; quæ inde velut naturaliter progignitur, non minùs mentem hominis corrumpens, quàm tinea vestes. Sicut ergo vestes diligenter custodiendæ sunt, ne eis corrumpens tinea ingeneretur; ita & mens hominis vigili custodia munienda est, ne ei à mulierum consortio corruptio ingeneretur: quæ si semel admittatur; sicut ingenerata vesti tinea semper serpit, & totam vestem erodit, ita & libidinosa cogitatio in mente recepta paulatim prorepit, & totam ejus pulchritudinem exedit, nisi tempestivè occurratur. Celebre est illud Musæi: *Pulchritudo feminæ acutior est veloci sagittâ. Oculus verò via est: ab oculi ictibus vulnus dilabitur, & in præcordia viri ruit.* Et illud Philosophi: *Quid est pulchritudo? brevis tyrannis, blanda deceptio, eburneum detrimentum, regnum sollicitum, flos facile cadens, amica inimicitia, concors discordia, splendor fugax, dulcis sensuum laqueus.* Breviter, sed nervosè noster Campianus in libello Decem rationum fidei, omnia mundi pulchra ita pingit: *Aurum, gloriam, delicias, veneres contemnite. Quid enim aliud ista sunt, nisi terrarum ilia, canorus aer, popina vermium, bella sterquilinia?*

Pulchritudinis elogia.

Secundò.

Secundò, sicut naturale est ex veste oriri tineam, ita ex femina viri concupiscentiam. tibi nihil tale volenti nascitur in veste & è veste tinea: ita nihil tale volenti, imò repugnanti, nascitur ex femina desiderium. Scitum illud S. Hieron. ascriptum: *Femina ignis, vir stuppa, diabolus flabellum*: sufflat enim, ut stuppa ignem concupiscentiæ concipiat, eoque deflagret.

Tertiò.

Tertiò, tinea insensibiliter in veste nascitur, & sine sensu eam erodit, & consumit: sic & insensibiliter ex conversatione viri cum muliere oritur libido, etiam inter castos & Religiosos; ut se captos & accensos videant, antequam ignem ustionemque senserint.

Quartò.

Quartò, sicut tinea vestem, & seipsam cum veste consumit, sic & libido se cum libidinoso interimit & perdit. Vide quæ de tinea dixi Oseæ 5. v. 12.

Audi S. Cyprianum tract. de Singularit. Clericorum, hunc locum pertractantem, & Clericos ad fugam mulierum extimulantem: *De carbonibus*, inquit, *scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo, nutriunt morbus, aspides sibilant: & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat dicens: De vestimentis procedit tinea, & a muliere iniquitas viri.* Et mox: *Qui despexit vinculum nuptiarum, & aliter vinculis femineis obligatur, quamvis nullo concubitu misceatur; desiderio tamen, visu, colloquio, coniunctione semper oblectatur. Nam si desiderium feminæ non haberet, numquam feminam suis oblectamentis assumeret.* Et inferiùs: *Cuius* (feminæ) *cantu tolerabilis est audire basiliscum sibilantem.* Ita sanè videmus hodie nonnullos viros bonos, etiam Ecclesiasticos, feminarum, quarum confessiones audiunt, vel quas in pietate promovere satagunt; sensim occulto amore si non carnali, certè sensuali ita subtiliter capi, ut ipsimet se eo teneri nesciant. Unde Rabanus: *Periculose*, inquit, *tibi ministrat, cuius vultum frequenter attendis. Nam impudici oculi non norunt animæ pulchritudinem, sed corporum.* Quocirca S. Hier. ad Nepotianum, eum monet, dicens: *Omnes puellas & virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto manseris, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Davide, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quòd paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit. Ægrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, & germana, vel mater, vel probatæ quædam apud omnes fidei. Scio quosdam convaluisse corpore, & animo ægrotare cæpisse.*

S. Basilius Admonit. ad filium spirit. *Vide*, inquit, *ne te seducat corporis pulchritudo, & decorem animæ tuæ amittas. Ne improbo oculo tuo intuearis speciem mulieris, ne intret mors per fenestras tuas. Non aperias aures tuas ad perficienda verba earum; nec concupiscas nequitiam in anima tua. Mulieris carnem non velis tangere; ne per tactum eius inflammetur cor tuum, & spiritu tuo labaris in perditionem. Sicut enim fænum proximans igni comburitur: ita qui tangit mulieris carnem, non evadit sine damno animæ suæ; & licèt corpore castus evaserit, mente tamen ac corde corruptus abscedit. Dic mihi, quæso, fili, quid sunt profectus animæ à amore carnis pulchritudinem? Nonne sicut fænum cùm a fervore æstatis percussum fuerit arescit, & paulatim pristinum decorem amittit? Similis est etiam species humanæ naturæ, succedente sibi senectute omnis decor pristinus deperit: & quos in amorem sui ancitabas, postmodum odium eorum efficietur.*

Mulier similis igni;

Idem de S. Virginitate feminam comparat magneti: sicut enim magnes trahit ad se ferrum, licet dissitum, sic virum ad se pellicit species & vox feminæ. Idem in cap. 3. Isajæ, mulierem comparat basilisco, qui visu eos quos intuetur necat. *Ipso enim contuitu*, inquit, *obscœnam denuntiat animæ impuritatem. Dum enim suaviter & blandis arridet ocellis, proiicit ad explendam libidinem. Iactu enim oculorum sagittam planè exitialem emittit, eiusmodi tandem obtinet rumor de basilisci natura, quem dicunt solo aspectu corrumpere suos spectatores.*

magneti.

& basilisco.

VERS. 14.

MELIOR EST ENIM INIQUITAS VIRI, QUAM MULIER BENEFACIENS, ET MULIER CONFUNDENS IN OPPROBRIUM] Hæc sententia paradoxa videtur & explicatu credituque difficilis; unde hæreticis docentibus planas & claras esse S. Scripturas, à Catholicis obiici solet. Memini in Belgio hæreticæ cuidam in navi Antuerpiensi, sese Biblicam & Bibliorum peritam impudenter jactitanti, Catholicum hæc verba in os objecisse, ut eorum sensum depromeret: mox illam, vel quòd nesciret, vel quòd erubesceret eum, utpote suo sexui verecundum, pandere, obmutuisse; itaque se omnibus deridendam proposuisse.

Iniquitas viri melior muliere benefaciente, quo sensu. Resp. 1.

Primò igitur, Scholia Vatablo ascripta taxant Nostrum ceterosque interpretes, quòd eorum versio & sententia parum pia videatur. Quomodo enim, inquiunt, melior est iniquitas viri, quàm beneficentia mulieris? Quocirca sic vertunt, *melior est deformitas viri, quam pulchra mulier*. Hæbræum enim רע *ra* & malum, & deformem significat: sicut טוב *tob* notat tam pulchrum quàm bonum, juxta illud: *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in unum!* Verum Græcum πονηρία malitiam significat, non deformitatem: & ἀγαθοποιὸς significat benefacientem mulierem, non pulchram. Unde Josephus, licèt Hebræus, lib. 2. contra Apionem citat hunc locum, ut habent Græca & Noster, atque Ecclesiasticum vocat legem divinam: & ex eo quasi ex divina lege testimonium citat, cùm de nuptiis agit. Ait enim, γυνὴ καὶ χείρων, φησὶν (subaudi νόμος id est, lex: de ea enim agit) ἀνδρὸς εἰς τὰ πάντα, καὶ ἡ πονηρία αὐτοῦ ὑπὲρ ἀγαθοποιοῦ γυναικός. Quæ verba Josephi interpres partim malè reddidit, partim præteriit: sic enim transferas oportet: *mulier peius est quidam viro per omnia, & ipsius viri malitia præferenda est beneficentiæ mulieris.* Quod Ecclesiasticus hic ait totidem verbis: *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.*

Secundò.

Secundò, Lyranus limitat sententiam ad cohabitationem: q. d. Melius est cohabitare viro, iniquo, quàm mulieri benefacienti. Verùm hæc limitatio nodum non solvit; neque additur à Siracide, nec addenda est: sive enim cohabitet, sive non cohabitet, melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.

Tertiò.

Tertiò, alii passim per virum accipiunt rationem, per mulierem sensum & concupiscentiam: q. d. Melius est corripi & castigari à ratione, quàm concupiscentiæ blanditiis deliniri & illici. Verùm hic sensus mysticus est, non litteralis.

Quartò.

Quartò, Levinus Lemnius medicus lib. 4. de Occultis naturæ miraculis cap. 13. fusè sic explicat: *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Cui sententiæ hunc, inquit, subesse sensum interpretor, ut vir etiam ignavus, iners, somniculosus, negociandi omnisque mercaturæ ac rerum gerendarum rudis atque imperitus, paulò dexteriùs negotia sua perficiat, quàm mulier præceps & temeraria, quæ inani sapientiæ persuasione, atque inconsiderata confidentia nihil non aggreditur: q. d. Mulier om-

nia quàm vir deteriùs efficit. Vir enim sui diffidens, cunctanter ac circumspectè, aliorum fultus adminiculo, quos in consilium adsciscit, singula conficit atque exequitur, ita ut successum optatiorem consequantur, quàm si eadem à femina arroganti, ac sapientiæ opinione turgida, ut ferè conspici solent, tententur. Siquidem hujusmodi mulieris conatus & industria magna ex parte in deterius devergit, quod ita efferri solet Belgico idiomate: Eet quaetsta van een man is beter van t'beste van eene vrauwe, hoc est, si quid operis muliebri industria absolutum perfectumque sit, minus laudis promeretur, quàm viri rude & inchoatum, ob mentis scilicet & consilii inopiam, tarditatem atque hebetudinem, ob caloris naturalis defectum, & quòd animus languidus humidæ materiæ incumbit atque immersus est, sic ut segniùs se proferant facultates animæ, atque ad res gerendas sint inidoneæ, parumque appositæ. Quocirca Romani quibus summa fuit ornandæ stabiliendæque reipublicæ cura, matronas, Cicerone teste, propter naturæ infirmitatem, in tutorum potestate esse voluerunt, nec ulla civili administratione fungi. Paulus quoque, qui mentes hominum indefesso labore ad solidam fidem instruit, ac sedulò pietate informat, mulieri ob animi impotentiam, hoc est, affectum, à temperantia ac moderatione aversum, in cœtu consessuque solenni silentium imperat. 1. Cor. 14. nec patitur vel concionandi munus obire, vel in comitiis quæstionem movere, aut suffragiis intéresse, ullamque proferre sententiam.

Quintò; Idem deinde aliam hujus loci subnectit expositionem, q. d. Potior est nequitia viri, quàm proba quidem mulier, sed quæ postmodum causa sit infamiæ, & ex cujus commercio nascatur dedecus, hoc est, præstat cum viro improbo contrahere aut negotiari, quàm cum muliere fucata rem habere: tametsi enim in speciem primaque fronte probitatem ac decus præseferre videatur, nec aliquid fuci aut fraudulentiæ foris ostentare; postmodum tamen inconstantem experieris, versipellem, captiosam, lubricam, fallacem, fraudulentam, atque imposturæ intentam: ita ut si vir quispiam alicui imponat, aut in negotio quempiam defraudet, fraus & impostura viri justitia sit, præ mulieris nequitia ac fallacia. Hæc Lemnius, in cujus opere Censores nonnulla expunxerunt. Hæc posterior expositio propiùs ad veritatem, & genuinam hujus sententiæ mentem accedit.

Sextò, & genuinè. Sensus ergo genuinus hic est. Dat causam (ut patet ex τῷ enim, quod habent Latina, etsi id desit in Græcis) ejus, quod dixit: *In medio mulierum noli commorari. De vestimentis enim procedit tinea, & a muliere iniquitas viri.* Quia scilicet mulier est res tam illecebrosa, periculosa & damnosa, ut melior sit iniquitas, græcè πονηρία, id est, malitia, malignitas, maleficentia, viri, quàm bonitas, benignitas & beneficentia mulieris. *Melior* ergo, id est, minus malum est; vel potiùs *melius*, id est tutius est negotium habere, vel incidere in virum malevolum & maleficum, quàm in mulierem benevolam & beneficam: tum, quia vir maleficus est occasio patientiæ, humilitatis, mortificationis, aliarumque virtutum; mulier verò benefica est illecebra concupiscentiæ & peccati, eaque duplex. Primò enim allicit & illaqueat, quà mulier; Secundò, quà benefica: amor enim, & beneficentia ingens est amoris illicium: tum, quia à viro malefico, quasi ab hoste tibi caves, teque custodis & munis: à muliere verò benefica adeò non caves, ut velis nolis cogaris eam redamare, ideoque ipsa te tandem sibi subjiciet, teque amore sui ita captivabit, ut tecum faciat quidquid volet; uti mulieres Salomonem deduxerunt ad idololatriam, Dalila Samsonem prodidit Philisthæis, &c.

Igitur melior est *iniquitas*, id est, malignitas, molestia, vexatio, injuria viri, quàm mulier blanda & benefaciens: quia ipsa est dulce venenum, ac blandiendo & benefaciendo concupiscentiam viri incitat; eumque ducit ad opprobrium & exitium, juxta illud: Mulier, cui benefacit ei se prostituit. Id graphicè describit Salomon Proverb. cap. 7. 10. Malitia autem, & injusta vexatio viri patientiam quidem exercet, sed non creat periculum: unde colligendum relinquit, quòd magis cavenda sit mulier, præsertim benigna & benefica, quàm vir austerus, molestus, rudis & ferus. Hunc esse sensum liquet ex eo quod subdit, *Et mulier confundens in opprobrium.* Nam τὸ est causale, significans quia. q. d. Quia mulier benefica suis illecebris hominem sibi subjugat, eumque confundit, id est ignominia afficit, ducitque ad opprobrium præsens & æternum: idcircò præ viro maligno cavenda est. Ex quibus verbis liquet, ait Jansenius, Siracidem non absolutè omnem beneficentiam mulieris rejicere; sed eam dumtaxat, quæ occasio est confusionis & opprobrii. Nam alioqui beneficentia S. Cæciliæ saluti, honori & gloriæ fuit S. Valeriano: quia eum Christianum, sanctum & Martyrem effecit. Sic Clotildis sua comitate domuit Clodovæum, fecitque fidelem. Idem fecere multæ aliæ reginæ, sanctæque virgines. Unde aliqui ex Græco sic vertunt, *potior est malitia viri, quàm mulier benefica: mulier enim pudenda probro est*; Tigurina, *melior est nequitia viri, quàm mulier benignam se præstans; mulier quæ eadem mulier est probrosa turpitudinis.* quod Vatablus exponens, *Melior*, inquit, id est *minùs mala*, q. d. *Ad turpes amores plus est periculi a benignitate etiam & comitate mulierum, quàm ab aperta virorum nequitia.*

Ita Palacius: Melius est, inquit, versari cum viro iniquo, quàm cum femina blanda. Illius enim iniquitas te ejicit & repellit à se: hujus autem blandimenta provocant & attrahunt ad se. Iniquum virum omnes odiunt, blandam feminam vix est qui non amet.

Et Dion. Melior est, inquit, iniquitas viri, quàm mulier benefaciens; non directè, sed occasionaliter, id est, minùs periculosus & nocens est vir iniquus, quàm mulier bona, quoniam minùs allicit ad concupiscentiæ inflammationem: quanto enim melior & facetior est mulier, tanto est concupiscibilior. Hunc esse sensum patet ex eo quod subditur, *Et mulier confundens in opprobrium*, id est ad confusibilem libidinem trahens, & ad grande opprobrium, quod inde consequitur. hæc Dionys.

Mulieris epitheta. Vide Anastasium Nicenum in Quæst. S. Script. quæst. 65. (extat tom. 1. Biblioth. SS. Patrum) ubi inter alia ex S. Chrysostomo hæc mulieri dat vel elogia vel epitheta: *Quid est mulier? in terra naufragium, fons [illegible], thesaurus [illegible], [illegible] occursus, laqueus oculorum, animarum exitium, cordis lancea, internum pernicies, [illegible] inferorum, præceps desiderium. Quid mulier? [illegible], quàm serpentis, diaboli solatium, ægritudo inconsolabilis, fornax succensa, [illegible] scandalum, vitium immedicabile, diurna naga, prodigiorum hospitium, officina dæmonum. Quid mulier? malum amatorium, medicamentum impudens, fera inexpugnabilis, impotens appetitio, os effrenatum, triumphus mysteriorum, dux [illegible], magistra deliciarum, scelerata oblectatio, cupiditas insatiabilis, simul dormientium [illegible], simul expergiscentium sollicitudo, vestita vipera, quæ sua sponte eligitur pugna, diurnum damnum, domus tempestas, viri naufragium, immitis fera, adulterorum receptaculum, arma diaboli, rabies quæ concupiscitur, [illegible] mundi. Meritò dicebat Sapiens: Parva est omnis malitia ad malitiam mulieris.*

Subdit deinde remedium concupiscentiæ illius esse, si quis seriò cogitet mulierem esse sepulcrum dealbatum, quod sub pelle colorata & rubicunda tegat stercora, menstrua, sordes, omnemque putredinem: quæ post modicum tempus in senio & morte, undique ex oculis, auribus, naso, totoque corpore, cum intolerabili fœtore & horrore dissiliabit.

Gnome Philosophorum. Idem experientia docti docuere Philosophi. *Socrates*: Cùm te, inquit, diligere & appetere te dixerit mulier; tum ob illa magis metuendum est, quàm dum conviciatur. Unde ipse suam Xantippen convicîantem, quin & verberantem maluit, quàm aliam sibi applaudentem. Idem dictitabat se tria mala affecutum, grammaticam, paupertatem, & perniciosam uxorem; quorum duo effugisset, tertium effugere non potuisset. Pythagoras interrogatus cur inimico filiam nuptui dedisset? Quia, inquit, nihil ei dare poteram deterius. Plautus in Truculento: *Multò*, ait, *minùs male facere mulieres eas quam benè*, q. d. Multò faciliùs mulier malè faciet, quàm benè.

Mysticè. Primò. Mysticè S. August. lib. de Spirit. & anima cap. 11. vel quisquis est auctor: non enim videtur reverâ esse S. Augustini; nam cap. 57. citat Boetium, qui ferè centum annis fuit S. Augustino posterior: est tamen pius & eruditus. Hic, inquam, Auctor per virum accipit rationem superiorem in homine, quæ regit; per mulierem verò rationem inferiorem, quæ regitur. *Est itaque*, inquit, *in ratione quiddam ad superna & cælestia intendens, & id dicitur sapientia: & est* quid-

quidem ad transitoria & caduca respiciens, & id vocatur prudentia. Hæc duo ex ratione sunt, & in ratione consistunt. Et dividit se ratio in duo, scilicet in sursum & deorsum: sursum in sapientiam, deorsum in prudentiam, quasi in virum & mulierem: ut vir sit superior, & regat; mulier inferior, & regatur. Unde dictum est: Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Melior siquidem est, qui per cæleste desiderium accensus, carnem, necessaria etiam ei subtrahendo, affligit; quàm qui per eumdem affectum resolutus, per omnia, quæ commoda sunt, ei satisfacere contendit.

Secundò. Secundò, S. Gregor. lib. 11. Moral. c. 26. quem sequitur Rabanus hic & Glossa, per virum accipit mentes fortes & discretas, per mulierem verò infirmas & indiscretas. *Melior*, inquit, *est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Vir etenim, fortis quilibet & discretus vocatur: mulier vero, mens infirma vel indiscreta accipitur. Et sæpe contingit, ut etiam discretus quisque subitò labatur in culpam: atque indiscretus alius & infirmus bonam exhibeat operationem. Sed is, qui indiscretus atque infirmus est, nonnumquam de eo quod bene egerit, ampliùs elevatur, atque graviùs in culpam cadit: discretus verò quisque ex eo quòd male se egisse intelligit, ad districtionis regulam arctiùs se reducit; & inde altius ad justitiam* B *proficit, unde ad tempus à justitia cecidisse videbatur. Quæ in eo rectè dicitur: Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier: quia nonnumquam etiam culpa fortium occasio virtutis fit, & virtus infirmorum occasio peccati.*

Tertiò. Tertiò, S. Bernard. serm. 12. in Cant. per virum accipit prædicatores, & eos qui aliorum salutem procurant; qui licèt aliquando peccent, meliores tamen sunt melioribus, id est, auditoribus & discipulis sibi soli sanctè viventibus, animæque suæ benefacientibus. *Nam tu quidem*, inquit, *in tui custodia vigilans benefacis: sed, qui juvat multos, meliùs facit & viriliùs. Quòd si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, id est, absque quadam inæqualitate vitæ & conversationis suæ, memento quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Quare melior Deoque gratior est vir Apostolicus, etsi in defectus aliquos labatur; quàm solitarius vel monialis sibi soli Deoque vacans, ideoque defectuum vitæ activæ expers. Sicut melior est canis venaticus, qui lepores capit, etsi aliquando currendo per sentes pedes cruentet; quàm catellus speciosus, qui heræ suæ sinu continetur, ab eaque delicatè pascitur, uti cuidam Sanctorum Christus revelavit.

Quartò. Quartò, noster Alvarez de Paz l. 4. de dignit. perfect. c. 16. per viros accipit perfectos, per mulieres imperfectos & tepidos: quorum bonitas, inquit, ideò illorum iniquitati supponitur, quia perfectus ex modico casu magnam humilitatem capit, & imperfectus ex bono opere sæpè in gloriam inanem & superbiam erigitur. Denique melior est vir iniquus, id est, publicus pœnitens, quàm mulier benefaciens, id est, Pharisæus de suis jejuniis & precibus se jactans.

Moral. de fuga feminarum. Moraliter discant hi Christiani, etiam sacerdotes & Religiosi, quàm sibi à fœminis etiam benefacientibus, piis & devotis (imò magis ab his, quàm ab aliis) cavere debeant: ne ex igne hoc vel flammam, vel certè fumum concipiant. Sciebat hoc S. Franciscus, qui (uti habent Annales Waddingi anno Christi 1219. n. 43. & 47.) prævidens pericula famæ & spiritus suis fratribus ex cura & familiaritate Clarissarum imminentia (quæ paulò post sub Urbano IV. rei probavit eventus) ab ea suos absolvi enixè petiit & impetravit à Cardinale Hugolino, qui postea creatus Pontifex, dictus est Gregorius IX. Quin & suos ab eis retrahens, sæpiùs turbato animo dicebat: *Timeo, ne dum Deus nobis abstulerit uxores, diabolus nobis procuraverit sorores.* Imò quamdam è suis moniales visitantem increpans, jussit in fluvium, ut erat vestitus, immergi frigidissimo anni tempore in Decembri, addens: *Extingue hac aqua scintillas, quæ in te lenis & mitis, sed periculosus ignis accendit: lava & absterge his undis secretas sordes, quæ te inscio tibi forsan adhæserunt.* B. Ricerius socius S. Francisci donum eximiæ castitatis à Deo acceperat, & tamen studiosè vitabat mulieres. Rogatus, cur? respondit: *Nisi id facerem, forsan justo Dei judicio tam præclaro munere privarer.* ita Annal. Waddingi anno Christi 1220. n. 8. Idem dixit & fecit S. Thomas de Aquino, uti habet ejus Vita. Memorabile exemplum extat in Annalibus eisdem anno Dom. 1217. n. 10. Sancia, inquit, soror Alfonsi II. regis Lusitaniæ, habebat in aula puellam nobilem & devotam, cui nomen Maria Gracia: hæc quemdam

A Patrem Franciscanum pium & religiosum (adeò ut post mortem, S. Antonius de Padua viderit ejus animam in cælum conscendere) convenire, ejusque piis colloquiis pasci desiderabat; dumq; frequenter cum lacrymis idipsum expeteret, Pater importunè rogatus ad illam accessit, ignem una, paleas altera manu ferens: quas ut igni admovit, illæque subitò conflagrarunt, adjunxit: *Domina, ideò tuum quantumvis pium recuso consortium, & familiare colloquium; quia idipsum quod paleæ ex accessu ad ignem nactæ sunt, nanciscuntur etiam Religiosi, qui cum feminis sæpiùs aut familiariùs colloquuntur; ingentemq; illum perdunt fructum, quem ex sancta oratione, & divino alloquio possent percipere.* Quo facto dictoq; pedissequa rubore perfusa discessit, nec ampliùs viri Religiosi alloquium expetiit. Notent hoc & imitentur nostri cœnobitæ & sacerdotes.

S. Ludovicus ex eodem Ordine S. Francisci, indeq; creatus Archiepiscopus Tolosanus, adeò feminas fugiebat, ut ne cum matre quidem familiariùs solusq; colloqui sustineret. Mirantibus & obiicientibus: *Quomodo feminas fugis, qui de femina natus es?* Respondit sapienter: *Ideò eas fugio, quia ex una earum natus sum*; ne scilicet ad eas redire me exsti- B mulet naturalis cupiditas, quæ suam amat revisere originem. S. Ignatius fundator Societatis nostræ, ut ait Ribadeneira in ejus Vita lib. 5. cap. 11. omnium quidem mulierum familiaritatem, etiam earum quæ spiritales sunt, aut videri volunt, vitandam esse dicebat; sed earum maximè, quæ ætate, conditione, statu periculosiores sunt. Quarum ex consuetudine plerumq; aut fumus sequitur aut flamma. *De vestimentis enim procedit tinea & a muliere iniquitas viri.* Idem omnibus suæ Religionis asseclis severè curam Monialium interdixit; ut habet Ribadeneira lib. 3. c. 14. S. Franciscus Xaverius dictitabat mulieres adiri majori periculo, minore fructu. Vide Tursellinum in ejus Vita lib. 6. cap. 17.

MEMOR ERO IGITUR OPERUM DOMINI, ET QUÆ VIDI ANNUNTIABO] Est conclusio operis, & libri de morum præceptis (ut patet ex τῷ *igitur*) Vers. 15. ista enim concludit Siracides doxologia & laude Dei: uti viri Religiosi solent opera sua concludere gratiarum actione & glorificatione Dei; inter quos excellit Titelmannus, qui singulos Physicæ suæ libros pio concludit hymno, quo res physicas illo libro pertractatas inducit celebrantes ma- C gnalia sui creatoris. Sensus ergo est, q. d. Absolui meam Ethicam, finivi mea de moribus præcepta: superest ut Deo, qui hæc mihi suggessit, eadem offeram & referam. Igitur, ut concludam, commemorabo & celebrabo opera Dei, Deumq; suis operibus. A Deo cœpi, in Deo finiam, eique dicam: *A te principium, tibi desinet.* Id patet ex Græco, qui pro *igitur* habet δὴ (vel, ut alii volunt, δὲ) quæ est vocula transitus ab una materia & parte orationis ad alteram, significans *porrò, denique, sanè, jam, age, cæterùm, tandem, equidem.* Unde Tigurina vertit, *equidem commemorabo facta Domini*; alii, *recordabor nunc operum Domini*; alii, *porrò, tandem*, vel *denique recensebo opera Domini, & quæ vidi enarrabo.* *Quæ vidi*, hoc est quæ oculis inspexi, vel in libris legi, vel mente contemplatus & intuitus sum, vel ab aliis audivi & didici. Visus enim, quia sensuum præcipuus, pro quolibet sensu ponitur, uti sæpiùs monui. *Vidi* ergo, idem est quod *cognovi*.

IN SERMONIBUS DOMINI OPERA EIUS] Ita dispungendum cum Romanis & Græcis, ut hic nova sententia incipiat & finiatur. Subaudi *creata sunt, conservantur & gubernantur*, q. d. Verbo jussuque Domini omnia D ejus opera creata sunt, &, uti ab eo creata sunt, ita pariter ab eodem conservantur & reguntur. Conservatio enim creaturæ non est aliud quàm creationis ejus continuatio. Unde creaturæ singulis momentis, quibus à Deo conservantur, quasi à Deo creantur: pendet enim jugiter ab influxu Dei, qui eis suum Esse dat & dando conservat, sicut radii pendent ab influxu Solis, ita ut si sol se subducat, ilicò radii evanescant: sic pariter si Deus suum influxum subduceret, ilico totus mundus in suum nihilum, ex quo per creationem à Deo eductus est, rediret & relaberetur. Hoc est quod canit Psaltes psal. 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et v. 9. *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.*

Jansenius & alii hanc sententiam nectunt cum præcedentibus hoc modo & sensu: *Annuntiabo quæ vidi in sermonibus Domini opera ejus*, hoc est, prædicabo opera Domini

quæ

quæ ego vidi in sermonibus ejus, id est in Genesi, ceterisque sacris libris descripta. Aut: Annuntiabo non tam meis, quàm Domini, sermonibus ea opera quæ vidi & observavi. Unde Tigurina vertit, *quæ vidi ea efferam verbis divinis opera illius.* quod Palacius explicat de prophetia, indeque colligit Siracidem fuisse Prophetam q. d. Edisseram ea, quæ mente per propheticum lumen illustrata vidi. Sic ait Isaias c. 1. v. 1. *Visio Isaiæ quam vidit*, &c. Verùm dispunctio Romana & Græca priorem sensum jam datum exposcit.

Vers. 16. SOL ILLUMINANS PER OMNIA RESPEXIT (græcè ἐπέβλεψε, id est inspexit, hoc est inspicit, intuetur,) ET GLORIA DOMINI PLENUM EST OPUS EIUS] Explicat τὸ *& quæ vidi annuntiabo.* q. d. Annuntiabo & celebrabo gloriosa opera Domini, quia ea vidi per lumen Solis: sol enim omnia illuminans inspicit, ac à se illuminata omnibus inspicienda proponit, ex qua Solis illuminatione fit, ut singulis appareant opera Domini, eorumque decor & pulchritudo; ac proinde in iis Domini gloria & majestas respondens clarè à singulis cernatur & conspiciatur; ut omnes, si verum dicere velint, cogantur exclamare: *Gloria Domini plenum est opus ejus*, ac cum Seraphinis: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius*, Isaiæ 6. 3. Quos secutus Isaias ceterique Prophetæ idem exclamarunt, ac etiamnum viri sancti & Religiosi ea contemplantes exclamant. Unde Tigurina vertit, *sol lucidus collustrat omnia, & magnificentia Domini plenum est opus eius.* Indicat finem & usum Solis: sol enim ad hoc inter alia creatus est à Deo, ut omnia ejus opera hominibus faciat conspicua, eorumque splendorem & gloriam iis demonstret, itaque eos excitet ad jugem Dei amorem & laudem: juxta illud psal. 18. 6. de sole: *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cælo egressio eius: & occursus eius usque ad summum eius: nec est qui se abscondat a calore eius.* Ita Solis cælique intuitu ad Dei laudem excitatus David canit: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super cælos*, &c. *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti*, psalm. 8. 1. Et Habacuc cap. 3. 3. *Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra. Splendor eius ut lux erit, cornua in manibus eius.* Et v. 11. *Sol & luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Sanè quoties solem intuemur, in has similesve Dei laudes erumpere deberemus.

Nota τὸ *respexit*: nam nonnulli veteres censuerunt solem esse animam, imò esse Deum, qui omnia respiciat: inde vocatum oculum mundi. Hinc & Poeta Deum dixit esse solem, qui omnia videt, & omnia audit. Quocirca Persæ adoraverunt solem quasi Deum, eumque vocavere Mithram. Romani prisci salutabant solem orientem: quin & Manichæi SS. Trinitatem ita definiebant, *dicentes Patrem in secreto quodam lumine habitare; Filii autem in sole virtutem, in luna sapientiam; Spiritum verò sanctum in aere*, ait S. August. lib. 20. contra Faustum c. 6. Idem lib. 1. de Genesi contra Manich. c. 3. *Solem*, inquit, *illi* (Manichæi) *sic colunt, ut particulam dicant esse lucis illius, in qua habitat Deus.* Verùm hic est error, imò blasphemia. Metaphoricè ergo dicitur respicere sol; quia scilicet radios lucis suæ nunc in hunc locum, nunc in illum spargit, itaque eum collustrat & visibilem efficit.

Notat Palacius Deus non esse minorem in verme, quàm in sole & cælo; licet in sole major hominibus appareat Dei gloria, quàm in verme: nam revera vermis, imò musca, præstantior est sole; quia musca animata est, sol inanimis. Ita S. August. lib. de Duabus animabus contra Manichæos c. 3. *Musca soli præstat.* *Atque hic*, inquit, *si forte turbati a me quærerent: Num etiam muscæ animam huic luci præstare conferrem? responderem, Etiam: nec me terreret musca, quæ parva est, sed quæ viva firmet. Quæritur enim quid illa membra tam exigua vegetet, quid huc atque illuc pro naturali appetitu tantillum corpusculum ducat, quid currentes pedes in numerum moveat, quid volantis pennulas moderetur ac vibret? Quod qualecumque est, bene considerantibus in tam parvo tam magnum eminet, ut cujus fulgori perstringenti oculos præferatur.*

Aves canendo excitant homines ad Dei laudem. Nota Secundò. Sol in aurora exoriens creaturas omnes, sed maximè aves, respiciens excitat ad lætitiam, cantum, laudemque gloriæ Dei. Unde aves solares vocantur, præsertim luscinia, quæ aves ceteras suavissimè modulando antevertit, ut homines à somno ad Dei laudem secum concinendam invitet. Unde S. Ambros. lib. 5. Hexamer. cap. 12: *Non dubito*, inquit, *quòd inter ceteras aves somnum sentire non possis, quin tali ad vigilandum gratia provoceris.* Et mox: *Unde mihi vocem psittaci dulcedinemque merulorum? Utinam saltem luscinia canat, quæ dormientem de somno excitet. Ea enim avis significare solet diei surgentis exortum, & effusiorem diluculo deferre lætitiam.* Idem Ambros. serm. in Malach. cap. 1. qui extat in fine tomi 2. docet nos instar avium tam manè quàm vespere debere Deum laudare, eique gratias agere. *Nonne videmus*, inquit, *minutissimas aves, cùm illucescentem diem aurora producit, in quibusdam nidorum cubiculis varia dulcedine personare, & id studiosè agere priusquam procedant, ut creatorem suum, quia loquela non possunt, suavitate demulceant? & quemadmodum unaquæque earum, quoniam confessione nequit, modulis prodat obsequium? ita ut videatur sibi devotiùs gratias agere, quæ dulciùs personavit: hoc etiam peracto diei cursu similiter facere. Quid ergo sibi vult ista certis temporibus disposita cantilena & jugis intentio, nisi ut gratiarum quædam sit immoderata confessio? Pastori enim suo avis innoxia, quia sermone non potest, suavitate blanditur.* Et post nonnulla: *Aves ergo propter viles escas gratias agunt: tu pretiosissimis epulis pasceris, & ingratus es? Quis igitur non erubescat sensum hominis habens, sine psalmorum celebritate diem claudere, cùm ipsæ aves ad gratificandum psalterii suavitate persultent? & eius gloriam non versuum dulcedine personare, cuius laudem volucres modulata cantilena pronuntiant? Imitare ergo, frater, minutissimas aves, manè & vespere Creatori gratias referendo. Et si es devotior, imitare lusciniam, cui quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilena decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem vincens, operi tuo adde nocturna curricula, & insomnem susceptilaboris industriam psalterii serie consolare.* Porrò, quàm mira in luscinia sit laudandi modulandique gratia, qua homines ad sui imitationem invitat, graphicè describit Plinius libr. 10. cap. 29. *Luscinia melodia.* *Primùm*, inquit, admiranda *tanta vox tam parvo in corpusculo, tam pertinax spiritus. Deinde in una perfecta musicæ scientia modulatus editur sonus, & nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur revocato, infuscatur ex inopinato; interdum & secum ipse murmurat: plenus, gravis, acutus, creber, extensus, ubi visum est vibrans, summus, medius, imus. Breviterque omnia tam parvulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit. Visum iam sæpè, iussas canere cœpisse, & cum symphonia alternasse.*

Allegor. Rabanus, *Sol*, inquit, *est Christus, qui & lumen sapientiæ divinæ est, & splendor iustitiæ. De quo alibi legitur: Orietur vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Ipse est lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & omnia conspicit; quia non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius: gloria enim Domini plenum est opus eius, quoniam sapientia eius lucet in factis ipsius. Unde per Prophetam dicitur: Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti.*

Denique Syrus per *gloriam* accipit misericordiam Dei. Sic enim vertit, *sicut sol qui oritur super omnia, manifestatæ sunt misericordiæ Domini super omnia opera eius.*

Vers. 17. NONNE DOMINUS FECIT SANCTOS ENARRARE OMNIA MIRABILIA SUA, QUÆ CONFIRMAVIT DOMINUS OMNIPOTENS STABILIRI IN GLORIA SUA?] Sic legendum cum Romanis & Græcis Romæ correctis per interrogationem, licet Complut. hæc legant assertivè vertantq; *non induxit sanctos Domini, ut enarrent omnia mirabilia sua.* Omnia enim nemo enarrare sufficit, quia sunt inenarrabilia, juxta illud Job 28. *Qui facit magna & inscrutabilia, & mirabilia quorum non est numerus.* Verùm, ut dixi, legenda sunt hæc per notam interrogationis: licet enim sigillatim opera Dei enarrare, & pro dignitate celebrare nemo sufficiat, quisque tamen sufficit ut ea generatim, sive per sua genera & species illustriores enarret & celebret. Pro *confirmavit* græcè est ἐστερέωσε, id est, firmavit, stabilivit: unde στερέωμα, vocatur firmamentum. Pro *omnipotens* græcè est παντοκράτωρ, id est, omnia vincens, omnia continens, omnia potens, omnibus dominans. Pro *stabiliri* græcè est, στηριχθῆναι τὸ πᾶν, hoc est, *ut stabiliretur universum.* Minùs rectè ergo Raban. Dionys. & Lyran. pro *stabiliri* legunt *stabilis*. Igitur sensus est, q. d. Deus omnipotens non fluxa, sed firma, stabilia & perdurantia fecit opera sua, ut in iis firmaret & stabiliret gloriam & magni-

magnificentiam suam per totum universum. Pro *sua* enim græcè est αὐτοῦ, id est, *ipsius*, scilicet Domini. Unde Vatabl. claré vertit, *nonne Dominus sanctis prædicanda constituit omnia miracula sua* (omnia enim Dei opera sunt mirabilia, ideoque quasi miracula) *quæ fundavit Dominus idem omnipotens, gloriaque sua cuncta constabiliunt*? alii, *nonne effecit in sanctis Dominus, ut possint enarrare mirabilia ejus, quæ firmavit Dominus omnipotens, quo universum hoc ipsius gloria stabiliretur?*

Deus singulis suis operibus sui effigiem insculpsit.

Porrò gloria hæc, est gloriosa Dei potentia, sapientia & bonitas, qua res omnes & singulas uti ex nihilo creavit, ita conservat, auget, multiplicat. Phidias clypeo à se efformato, suam adeò affabré inservit effigiem, ut alterum sine altero eradi, vel aboleri non posset. Ita Deus singulis rebus creatis, ac præsertim homini, gloriosam hanc sui inservit effigiem, ut eradi nequeat, imò ut opus hoc ejus videri nequeat, quin, si penitius inspicias, ipsum protinus intuearis operis auctorem, Deum creatorem. Vide dicta Genes. c. 1. & 2.

Præclarè S. Gregor. 26. Moral. 8. *Si vigilanter*, inquit, *exteriora conspicimus, per ipsa eadem ad interiora revocamur. Vestigia quippe creatoris nostri, sunt mira opera visibilis creaturæ: ipsum namque adhuc videre non possumus; sed jam ad ejus visionem tendimus, si eum in his quæ fecit miramur: ejus ergo vestigia creaturam dicimus, quia per hæc quæ ab ipso sunt, sequendo, imus ad ipsum.* Et paulò post: *Via*, inquit, *ad creatorem sunt opera considerata Creatoris. Quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur: in istis viis à sapientia omni nobis providentia occurritur, quia factoris nobis virtus inquirenda proponitur in omne quod mirabiliter factum videtur; & quocumque se verterit anima, si vigilanter intendit, in iisdem ipsis Deum invenit per quæ reliquit: ejusq; potentiam ex eorum consideratione noscit, quorum amore deservit: & per quæ perverse cecidit, per hæc conversa revocatur.*

Anagog. Sancti angeli, & homines beati in cælo jugiter enarrant mirabilia Dei, dicentes incessabili voce; *Sanctus, sanctus, sanctus*, &c. Si quæras, quænam sunt hæc *mirabilia?* Resp. Sunt illa certè, quæ Dominus omnipotens confirmavit, ac stabilia fecit in gloria sua. Planè multa sunt in hoc mundo mirabilia Dei. Sed hæc non confirmavit Deus, ut stabilia essent: at gloria Beatorum, visio divinæ essentiæ, ejus amor, civitas cælestis, cæli convexum, stellarum ordines, hæc sunt mirabilia, atque ut stabilia, ita dignissima, quæ à sanctis angelis continenter enarrentur. Habet hic Thologus causam, quare Deus Sanctos crearit: scilicet, ut hi enarrent mirabilia Dei. S. Paulus aliam dedit, scilicet ut in eos ostenderet divitias gloriæ suæ. *Roman. 9.* Habet Secundò, Sanctos in gloria enarrare omnia mirabilia Dei; utpote qui cognoscunt in Deo omnes creaturas, quas Deus creavit. Tritum enim est in schola: Beatos nosse omnia quæ Deus continet eminenter, licet non quæ formaliter continet, inquit Palacius; quod alibi discutiendum est. Denique Syrus vertit, *non deficiunt sancti Domini enumerare gigantitates* (hoc est prodigiosas magnitudines) *portentorum ejus. Fortitudinem dedit timentibus se ad standum coram gloria sua.*

VERS. 18. ABYSSUM, ET COR HOMINUM INVESTIGAVIT, ET IN ASTUTIA EORUM EXCOGITAVIT] Id est, astutias eorum excogitando cognovit. Est hebraismus. Transit à Dei majestate, potentia & gloria ad celebrandum ejus sapientiam, omniscientiam & providentiam. Græci non habent τὸ *hominum*: unde τὸ *eorum* oportet ut referant ad *abyssum & cor*. Sic enim habent: ἄβυσσον καὶ καρδίαν ἐξίχνευσε, καὶ ἐν πανουργεύμασιν αὐτῶν διενοήθη, id est, *abyssum & cor pervestigat, & astutias eorum intelligit & considerat*; Roman. *meditatur*; alii, *de calliditatibus eorum cogitat*. Quocirca per *astutias* nonnulli intelligunt subtiles rationes, & arcana sapientiæ & providentiæ divinæ consilia, quæ in rebus creatis, sed maximè in abysso & corde humano relucent, imò veriùs abscondita sunt. Lyranus per *abyssum* intelligit diabolum: q. d. Astutias eorum, scilicet tam diaboli, quàm cordis humani pernovit Deus. Verùm hoc mysticum est. Quare rectè Interpres noster in Græco legit, vel certè subintellexit τὸ *hominum*: horum enim propriæ sunt astutiæ, id est, astuta consilia, machinationes & fraudes, quas nemo nisi Deus penetrat & pervestigat. Aut certè τὸ *cor* ponitur distributivè pro corde singulorum & omnium hominum, ut *cor* idem sit quod *corda*. Unde Tigur. vertit, *profundum & corda pervestigavit, & pernovit technas eorum.* Per *abyssum* ergo intelligit quodvis profundum, ut

A centrum terræ, in quo est infernus, dæmones & damnati; sed maximè profundum aquarum & maris: hoc enim propriè vocatur abyssus, Genes. 1. 2. quasi ἄβυθος vel βυθός, id est, sine fundo; quòd maris fundus homini sit incognitus, & vix vestigabilis: Deus tamen eum investigat, id est, cognoscit, & ad fundum usque penetrat & pervidet: scit enim Deus præcisè quàm profundum sit mare ubique & in omnibus locis, quot in eo sint guttæ aquarum, quot pisces, conchæ, gemmæ, &c. quid in ejus fundo sit, quot numero arenæ, lapilli, metalla, &c. Est metalepsis: *investigare* enim significat pervidere; quia ex investigatione & scrutinio homines perveniunt ad rei cognitionem & evidentiam. Sic *excogitavit*, idem est quod cogitando cognovit, ut paulò ante dixi.

Cor hominis est abyssus.

Similiter Deus investigat, id est, penetrat & pervidet, cor hominis alias pravum & inscrutabile, ut ait Jerem. cap. 7. 9. adeò ut omnes ejus latebras, sinus & angulos usq; ad imum undequaque perspiciat & perlustret; ideoque omnes ejus astutias, id est, dolos, fraudes, simulationes, calliditates, machinationes inspicit & pernoscit. Appositè cor hominis componitur cum abysso; quia instar abyssi profundum est, tenebrosum, obscurum & impervium, B nullique hominum vel angelorum, sed soli Deo penetrabile & conspicuum. Unde aliqui ad litteram hic per *abyssum* accipiunt cor hominis, ut τὸ *&* sit exegeticum significans *id est*, q. d. Abyssus & (id est) cor hominis profundum & inscrutabile instar abyssi, à solo Deo vestigatur & intimè cognoscitur. Unde Syrus vertit, *abyssum & cor scrutatur, & omnia occulta hominum sicut sol manifesta sunt coram eo.*

VERS. 19. COGNOVIT (Tigurina, *tenet*, *callet*) ENIM DOMINUS OMNEM SCIENTIAM, ET INSPEXIT IN SIGNUM ÆVI, ANNUNTIANS QUÆ PRÆTERIERUNT, ET QUÆ SUPERVENTURA SUNT, REVELANS VESTIGIA OCCULTORUM] Τὸ *enim* dat causam præcedentium. q. d. Deus cognoscit abyssum & corda hominum, quia ipse est omniscius, & cognoscit omne scibile. Nam per *omnem scientiam* intellige omne scibile: sive omne quod scitur, aut sciri potest, sive ab angelis, sive ab hominibus. hoc enim omne Deus cognoscit, & uno mentis cernit in ictu. Est metonymia: ponitur enim habitus pro objecto, puta scientia pro scibili.

Signum ævi quod? Resp. Primò.

C Quæres, quodnam est *signum ævi*, quod inspicit Deus? Isidorus Clarius & Palacius pro *signum* legunt *sinum*; sed græcè est σημεῖον, id est *signum*: Complut. legunt in plurali σημεῖα, id est signa. Primò, Lyranus per *signum ævi* accipit decursum sæculi. Et Rabanus: *Inspicit Dominus*, inquit, *in signum ævi, quia omnes ætates mundi tam præteritæ, quam etiam præsentes, sive futuræ in præsentia ejus sunt; quando apud illum nihil præteritum, nihil futurum est, sed omnia præsentialiter videt.*

Secundò.

Secundò, Dionys. per *signum ævi* accipit mensuram ævi, & per *mensuram* metonymicè accipit mensurata omnia, quæ mensurantur ævo. *Inspexit in signum ævi*, hoc est, inquit, in mensuram æviternorum seu perpetuorum; cuncta quæ mensurantur, ævo cognoscens; de quo ait Boetius: *Qui tempus ab ævo ire jubes*. Et Job 28. v. 3. *Universorum finem ipse considerat*. Unde Syrus vertit, *manifesta sunt coram eo quæcumque eveniunt in mundo.*

Tertiò.

Tertiò, Palacius per *signum*, vel, ut ipse legit, *sinum ævi*, accipit æternitatem: hæc enim est sinus & signum omnium, quæ fiunt per omne ævum & sæculum. Ubi, Nota, inquit, objectum intellectus divini æternitatem suam D esse: æternitas verò est unum punctum indivisibile, in se tamen comprehendens omne ævum & omnia tempora: est enim velut sinus, ubi tempora & ævum omne concluditur. Eadem æternitas est signum ac punctum indivisibile, unde incipit & finitur omne ævum. Eadem igitur est objectum, in quod Deus inspicit: eadem est sinus ævi: eadem signa & signum ævi. Est ergo illustrissima Dei quarta laus, quòd in æternitatem respiciat, in qua præsentissimè omnia videntur. Unde quinta laus Dei procedit, scilicet, quòd *annuntiet* certò *ea quæ præterierunt, & quæ superventura sunt.*

Quartò.

Quartò, Astrologi accipiunt signa cœlestia, sive sidera, eorumque constellationes, puta concursum, motum & influxum stellarum in hæc inferiora. Unde nonnulli ipsorum censent Deum in stellis, quasi in signis descripsisse & præmonstrasse omnes in terra futuras rerum mutationes &

eventus: quare ipsi ex stellis, quasi prognosticis futura conjectant. Verùm hic est error, quem refutavi Genes. 1. 14. Fateor tamen, ut ibidem dixi, stellas esse signa quorumdam eventuum naturalium. Id enim dicitur Genes. 1. 14. quò hic alludit Siracides.

Quintò, genuinè. Quintò ergo, sensus Genuinus est, q. d. Novit Deus quo signo, vel quibus signis præviis sæcula & tempora, resque omnes in iis commutentur, mutent vices, unaque alteri succedat. Deus enim suaviter sæculorum seriem disponens & connectens, statuit quædam signa sibi cognita, nobis autem incognita, quæ futuras rerum mutationes indicent, ad easque disponant & præparent, v. g. statuit Deus, ut tali sæculo post tot annorum centurias vel millia veniret Christus, ac postea Antichristus. Designavit enim ipse ad hoc præcisè sæculum, imò annum, mensem & diem, quo id futurum esset. Ex anno ergo & sæculo à se designato, quasi ex signo à se præstituto, cognoscit Deus quo tempore veniret Christus, & quo venturus sit Antichristus. Sic in translationibus regnorum & monarchiarum Deus statuit cuique certam temporis & annorum mensuram, sive periodum, ex qua quasi ex signo cognoscit quando translatio hæc futura sit. Rursum in ipsis regnis statuit quædam signa futuræ translationis, statuendo v. g. ut, cùm Assyrii, Græci, Persæ, Romani impleverint mensuram peccatorum suorum fini monarchiæ eorum à Deo præstitutam, cumque inter se cœperint seditiones & schismata internecina concitare; tunc evertantur, & ad successores transeat monarchia vel regnum. Hæc enim naturalis & communis translationis regnorum fuit, & etiamnum est, causa ac signum.

Ratio à priori. Ratio à priori est, connexio universi, omniumque in eo rerum: Deus enim omnes res mundi & sæculi decurrentis apta & certa serie ordineque inter se connexuit, ut unum esset prævium signum, imò causa, sequentis & secuturi. Audi Boetium lib. 4. de Consolat. pros. 6. *Providentia*, ait, *est divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit: fatum verò inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia suis quæque nectit ordinibus*, &c. *Ordo namque fatalis ex providentiæ simplicitate procedit.* Et inferiùs: *Igitur uti est ad intellectum ratiocinatio, ad id quod est id quod gignitur, ad æternitatem tempus, ad puncti medium circulus: ita est fati series mobilis ad providentiæ stabilem simplicitatem*, &c. *Hæc actus etiam fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit: quæ cum ab immobilis providentiæ proficiscantur exordiis, ipsas quoque immutabiles necesse est esse. Ita enim res optimè reguntur, si manens in divina mente simplicitas, indeclinabilem causarum ordinem promat; hic verò ordo res mutabiles, & alioqui temere fluituras propria incommutabilitate coerceat; quo fit ut tametsi vobis hunc ordinem minimè considerare valentibus, confusa omnia perturbataque videantur, nihilominùs tamen suus modus ad bonum dirigens cuncta disponat.* Et sub finem: *Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem licet in alium, tamen in ordinem relabatur, ne quid in regno providentiæ liceat temeritati.* Hic ergo infallibilis ordo causarum rerumque connexio est signum ævi: ex causa enim velut ex signo infallibili præeunte videt Deus, quid certò secuturum & futurum sit; certa enim est omnis providentiæ ejus dispositio.

Porrò per *signum* vel signa *ævi* sive sæculi, metonymicè accipe ipsam designationem sæculi. Unde Tigurina vertit, *consignationem ævi perspicit*: designavit enim ab æterno Deus quid quovis tempore faciendum & futurum esset, atq; ex hac suæ mentis designatione, secreto & decreto, quasi ex signo infallibili, imò quasi ex causa certissima cognoscit, quid quovis tempore ubivis locorum futurum sit. Per designationem enim metonymicè intelligit res designatas quovis sæculo futuras, putà decursum sæculi & rerum per singula sæcula, uti dixit Rabanus & Lyranus. Loquitur Siracides anthropopathῶs, sive more humano (& alludit ad Gen. 1. 14. *Fiant luminaria* (sol & luna) &c. *& sint in signa & tempora*: unde ipse cap. sequent. v. 6. lunam vocat *signum ævi*.

Horoscopus astrologorum. Homines enim, præsertim rudi illo sæculo, censebant, quin & etiamnum nonnulli astrologi censent, signa rerum futurarum præexistere in cælo & stellis: unde ex horoscopo, id est, ex constellatione, quæ existit in cujuslibet nativitate, conjectant & divinant de ejus ævo, id est, de omnibus quæ ei per omnem vitam obventura sunt: horoscopus ergò eis erat signum ævi. Hos enim redarguens Jeremias ait cap. 10. *A signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt*; q. d. Gentes observant stellas earumque concursum, aspectum & motum, quasi signa rerum futurarum, ut ex illis futura divinent. At errant: signum enim, sive signa futurorum posuit Deus non in cælis, sed in mente sua, putà in suo decreto. Ipse ergo solus ea nosse, ex iisque futura prænosse & prædicare potest. Unde explicans subdit: *Annuntians quæ præterierunt, & quæ superventura sunt*: q. d. Deus solus ex signis, quæ posuit in mente sua, potest cognoscere futura æquè ac præterita: ipse ergo solus ea prænuntiare potest. Unde Deus per Isaiam disceptans cum idolis & idolatris de divinitate, hoc argumento convincit se solum verum esse Deum, idola autem falsos deos; quòd ipse solus certò vereq; prænuntiet quæ futura sunt, idola autem falsò & mendaciter ea divinent vel conjectent. *Accedant* inquit Isaiæ 41. *& nuntient quæ ventura sunt; priora quæ fuerunt nuntiate: Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis vos.* Nam ut ait Tertul. Apologet. 20. *Testimonium divinitatis, est veritas divinationis.* sola enim divinitas vim habet divinandi futura. *Rejicitur.*

Denique idipsum pleniùs explicans Siracides subdit, *Revelans vestigia occultorum* (vitiosè in Romanis Latinis è Græco traductis legitur *oculorum* pro *occultorum*) q. d. Deus solus novit rationes & modos, per quos quasi certa signa & vestigia vestigentur & cognoscantur res occultæ, quales sunt res futuræ, & arcanæ cordium cogitationes & intentiones, eosque revelat Prophetis aliisque Sanctis, quibus ipsi libuerit, ut ipsi ea prædicere, aliisque præsignificare queant.

Symbolicè, signum ævi est Christus Dominus, tum quà Deus: sic enim per eum quasi verbum & ideam Deus fecit, & consequenter ordinavit disposuitque, sæcula, Hebr. 1. 2. tum quà homo. sic enim per eum Deus prædestinavit & disposuit omnes Ecclesiæ, fidelium, sanctorum & electorum generationes, unde ipse vocatur *pater futuri sæculi*, Isaiæ 9. Denique ipse positus est *in signum cui contradicetur*, uti prædixit Simeon Lucæ 2. 34. *Symbol. signum ævi est Christus.*

Vers. 20. NON PRÆTERIT ILLUM OMNIS COGITATUS, ET NON ABSCONDIT SE AB EO ULLUS SERMO] *Non omnis*, id est, nullus. Unde Tigurina, *non præterit eum ulla cogitatio, nec ullus sermo clam ab ipso est*; alii, *neque latet eum ullus sermo*: q. d. Deus omnes hominum cogitationes & sermones introspicit. Unde Sapiens deterrens homines à murmuratione, hoc utitur argumento, quòd omne murmur audiatur à Deo judice & vindice; *Quoniam renum*, inquit, *illius* (maledici) *testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ eius auditor. Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum: & hoc* (id est hic spiritus; sed dicit *hoc*, quia respicit ad Græcum πνεῦμα, id est, spiritus, quod est generis neutri) *quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, non poterit latere, nec præteriet illum corripiens judicium*, Sapien. 1. 6. Sensus est, q. d. Spiritus sanctus cum Patre & Filio omnia continet, id est, per essentiam, præsentiam & potentiam complectitur, ambit & conservat omnes creaturas: omnia ergo sunt in Spiritu sancto, quare omnes res & voces fiunt intra ambitum complexumque Spiritus sancti, non foris: quocirca nihil illum latere potest, quin omnia quasi coram se, imò intrà se facta videat & audiat.

Per *cogitatum* intellige quoque affectum: utrumque enim pervidet Deus. Nam ut ait S. Bernard. de Interiori domo cap. 39. *Ibi est cogitatio tua, ubi est affectio tua: ibi cor tuum, ubi est desiderium tuum: quoniam illud sæpiùs in cogitatione volvimus, cujus amore plus affecti sumus.* Vis ergo nosse quid ames? adverte quid sæpè cogites animoque volvas; hoc enim est quod amas.

Vers. 21. MAGNALIA SAPIENTIÆ SUÆ DECORAVIT: QUI EST ANTE SÆCULUM ET USQUE IN SÆCULUM, NEQUE ADJECTUM EST, NEQUE MINUITUR,
Vers. 22. ET NON EGET ALICUJUS CONSILIO] hoc est, ut habent Græca, μεγαλεῖα τῆς σοφίας αὐτοῦ, id est, *magnifica opera sapientiæ suæ ornavit, qui est ante sæculum, & in sæculum, neque adjectum fuit, neque diminutum, neque indiguit ullius consilio*; Complut. addentes διὰ, id est *per*, sic clarè habent, *magnalia* (magna

opera

opera sua) *per sapientiam suam decoravit*, *qui* (legunt ὅς, pro quo Roman. legunt, καὶ ἕως ἐστί, id est, *& quatenus est*) *est ante saeculum & in saeculum*, *neque additus est*, *neque diminutus est*, *& non indiguit alicujus consiliarii*; Tigurina, *miracula sapientiae suae exornavit*, *& cùm subsistat ex ante aevum in aevum perpetuum*, *neque auctus est*, *neque diminutus*, *neque ullius indiguit consiliarii*. Significat ergo Primò, Deum magnifica sua opera per sapientiam mirè exornasse: nam ut de Deo ait Sapiens. c. 11. 22. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*. Ratio est, quia ipse est immensus uti essentia, ita & sapientia ac duratione. Exstitit enim ab aeterno ante omnia saecula, & idem perdurabit in saecula saeculorum: quare omnia saecula, resque omnes quae in saeculis fiunt, sua sapientia in immensum transcendit, ambit & complectitur. Quocirca magnificis hisce Dei operibus per tot saecula nihil adjectum est, neque imminutum, sed per tot saecula eo modo, quo à Deo creata sunt, perseverant. Deus enim ea ita perfecit & perfectè ornavit, ut nihil eis addi possit: *Dei* enim *perfecta sunt opera*, Deut 32. 4. Et: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, & erant valdè bona*, Genes. 1. 31. Complut. & Tigur. haec vertunt masculinè de Deo, q.d. Deus etsi sit tam antiquus, ut fuerit ante saeculum, & duraturus sit in omne saeculum; tamen per tot annorum spatia nihil ei accrevit, nihil decrevit, non accessit ei aliquid sapientiae, virtutis & perfectionis, sed nec decessit. Ratio est, quia ipse per omnia est immensus & infinitus: infinito autem nihil addi potest. Denique cùm ipsius sapientia sit infinita & increata, utique non indiget alicujus consiliarii, vel consilii. Huc allusit Apostolus Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viae ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?*

Vers. 23. QUAM DESIDERABILIA (graecè ἐπιθυμητά, id est amabilia, jucunda, desiderabilia) OPERA EJUS, ET TAMQUAM SCINTILLA, QUAE EST CONSIDERARE!] Legit ὡς σπινθῆρ, id est, *tamquam scintilla*; codices Romae emendati legunt in plurali ὡς σπινθῆρες, id est, *tamquam scintillae*. Sensus est q. d. O quàm speciosa, utilia, amanda & admiranda sunt opera Dei, sive eorum speciem in se, sive usum & commoda, quae hominibus afferunt, spectes! certè tam speciosa sunt, ut Psaltes dicat: *Delectasti me Domine in factura tua*, psal. 91. Sanè quia ab illo sunt, amanda sunt: &, quia ipsa illa facit, vicissim summè amandus est. Quoniam ipsa sunt *tamquam scintillae* divinitatis, divinaeque potentiae, sapientiae, amoris & beneficentiae, ex qua velut ex igne ardentissimo & efficacissimo ipsa quasi scintillae dissiliunt, quae proinde operae pretium est attenta meditatione *considerare*. Elementa ergo, caeli, stellae, sunt quasi scintillae divinitatis prosilientes ex illo Deo, qui ignis consumens est, Deut. 4. Sic Isaias cap. 40. 15. eadem vocat *stillam situlae*, quae scilicet ex Deo quasi ex situla, imò quasi ex oceano distillat. Aliter Jansenius: Opera, inquit Dei, *quae est*, hoc est, quae licet nobis, *considerare*, sunt *tamquam scintilla*; quia minimam tantùm partem operum Dei cognoscimus, juxta illud Job c. 26. *Ecce haec ex parte dicta sunt viarum ejus, & cùm vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Et mox c. sequ. dicit Sapiens: *Pauca vidimus operum ejus*. Jam Complut. Tigur. & alii tollunt τὸ *quae*, sicque legunt, ὡς πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐπιθυμητά, καὶ ἕως σπινθῆρός ἐστι θεωρῆσαι, id est, *quam desiderabilia sunt omnia opera ejus, & usque ad scintillam est contemplari!* Tigur. *quam jucunda sunt opera ipsius, & ad scintillam usque spectabilia!* q. d. Omnia Dei opera magna, ut quae ad minimum eorum punctum digna sunt consideratione & admiratione, adeò ut si vel culicem attentè consideres, ejusque membra singula tam affabrè distincta & composita, obstupescas, admirans immensitatem sapientiae divinae in tam exiguo animalculo. Idem est de flosculo quolibet. Verissimum est illud:

Emines in minimis maximus ipse Deus;

Vide quae de minimis dixi initio procemii in Minores Prophetas, & Zachar. 4. 10. Alius vertit, *quam desiderabilia sunt opera ejus, quae spectare licet* (dumtaxat) *ut scintillam!* quae versio congruit cum sensu paulò antè à Jansenio assignato.

Hinc disce, quòd mundus sit scintilla & stilla divinitatis. Quocirca ex scintilla hac ad ignem, ex stilla ad mare, puta ad Deum, ascendere debemus, eumque in singulis creaturis contemplari, & admirari, uti faciebat S. Antonius, S. Augustinus in Confess. S. Ambrosius, S. Basilius in Hexamer. S. Franciscus, S. Ignatius fundator Societ. nostrae, qui ex rebus minimis, ut flosculis, mente ascendebat ad Deum, ejusque sapientiam, bonitatem & potentiam admirabundus contemplabatur. Idemque in Regulis nobis praescripsit & sanxit, ut satagamus in creaturis agnoscere creatorem, eum in omnibus amando, & omnes in eo, juxta sanctissimam ejus voluntatem.

Deus enim opifex in omnibus rebus & operibus suis intimè est praesens per essentiam, praesentiam & potentiam, quibus sicut illa creavit, sic eadem conservat, id est, continuò quasi creat, ne in nihilum suum, ex quo creata sunt, relabantur & revolvantur. Quamobrem Deus est, ait S. Dionys. de Divin. nom. cap. 10. παντοκράτωρ, id est *omnitenens, fundus & fundamentum omnium, quòd sit omnium sedes, omnia continens & complectens, & cuncta stabiliens, fundans atq; constringens, & universum in se insolubile praestans: & ex se velut ex omnitenente radice cuncta producens, atq; ad se, ut ad omnitenens fundum, universa convertens, & continens ut omnium sedes omnicapax: omnia contenta una praecellenti connexione communiens, neq; sinens ea sibi excidere, ne tamquam exactissimo domicilio mota dispereant*. Et c. 13. *Pertingens ad omnia pariter, & super omnia indeficientibus largitionibus, & interminabilibus operibus*. Quocirca res omnes & singulae intimè & essentialiter pendent à Deo, imò magis pendent à Deo, quàm à seipsis, multò magis quàm radius pendeat à sole, à quo totum suum esse accipit; vel homo ab anima, à qua vitam & essentiam accipit. Unde Plato Deum dixit esse animam mundi: quia Deus assiduè intimiùs influit in res omnes Esse quod habent, quàm anima influat in corpus illud animando, vivificando, & vitales operationes per illud exercendo. Hanc essentialem rerum omnium à Deo dependentiam significat S. Bernard. l. 5. de Consider. dicens: *Qui item Deus, sine quo nihil est; tam nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se esse potest. Ipse sibi ipse omnibus est: ac per hoc quodammodo solus est; ipse qui suum ipsius est & omnium Esse*. Ubi apertè essentialem à Deo dependentiam docet. Et infrà: *Quid est Deus? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex quo omnia creabiliter, non seminabiliter: per quem omnia, ne alium auctorem, alium opificem arbitreris: in quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute*. Quin & Apostolus de Dei filio sive Verbo loquens Hebr. 1. *Qui cùm sit splendor gloriae*, ait, *& figura substantiae ejus, portansq; omnia verbo virtutis suae*. Ubi Anselmus: *Portat*, inquit, *omnia*, *id est*, *sursum tenet ne decidant, & in nihilum revertantur, unde creata ab ipso fuerant: & sustentat ea non labore & difficultate, sed imperio suae potentiae*. Hac de causa S. Gregor. docet Deum esse supra & infra omnia, ut omnia contineat & sustentet. Sic enim ait 2. Moral. c. 12. *Caelum palmo metiens, & terram pugillo concludens, ostenditur*, inquit, *quòd ipse sit circumquaq; rebus cunctis, quas creavit, exterior. Per sedem ergo cui praesidet, intelligitur esse interiùs supraq; per pugillum quo continet, exteriùs subterq; signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia: & superior est per potentiam, & inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens; extra circumdans, interiùs penetrans. nec alia parte superior, alia inferior; aut alia parte exterior, atq; alia manet interior, sed unus idemq; totus ubiq; praesidendo sustinens, sustinendo praesidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans*. Hinc & Scholastici praecisè & scholasticè docent, Deum cùm res conservat, eas continuò creare. Ita Scotus in 2. dist. 1. q. 5. asserit, *quod res dici potest semper creari quamdiu manet, quia semper accipit Esse a Deo*. Et Gabr. Vasquez in 1. disp. 74. n. 17. *Conservatio*, inquit, *rei secundùm se totam, est vera creatio & productio ex nihilo*. Et Lud. Molina 1. p. q. 10. art. 5. disp. 1. *Per influxum eumdem indivisibilis actionis*, inquit, *qua primò contulit angelo esse, eum conservat, & confert illud idem Esse, toto decursu temporis, quod primò illi contulit, idq; eo ipso, quòd ab indivisibili actione, qua primò coepit illi conferre Esse, non desistat*. Sic Suarez in Metaph. tota disp. 21. idem fusè confirmat. Igitur in singulis rebus Deum latentem intimeq; praesentem, ac quasi rei cujusq; animam & spiritum intueri debemus, ac eum in suis operibus laudare & admirari, atque ex illis ad ipsum velut opificem assurgere, ipsiusq; omnipotentiam, sapientiam & bonitatem cum Siracide contemplari & celebrare.

Res omnes essentialiter pendent à Deo.

OMNIA HAEC VIVUNT, ET MANENT IN SAE- Vers. 24.

CU-

CULUM, ET IN OMNI NECESSITATE OMNIA OBAUDIUNT EI] *Vivunt*, id est vigent; Tigurina, *vigent hæc omnia & durant per ævum, adq; omnes usus cuncta obediunt.* Græcum enim χρεία significat usum, necessitatem, opus, utilitatem, &c. Variis modis, inquit Jansenius, celebrat Dei opera, quæ sicut commendavit ab eorum pulchritudinem, ita nunc ab eorum duratione & obedientia. Tribuit eis vivere, quia in suo esse & vigore persistunt. *Manere* dicit *in sæculum*, quia perdurant vel in se ipsis, vel in sua saltem specie. *Obediunt* Deo *in omni necessitate*, quia per illa, quidquid Deus vult, præstatur ad omnem necessarium usũ. Nam ut dicit Psalmista: *Omnia serviunt tibi*. Porrò Syrus vertit, *omnes facturæ eius in sæculum in veritate firmæ, & in sanctitate glorificant, & vivunt, & consistunt in sæculum, & ad omnes voluntates eius omnes ipsæ paratæ sunt.* Præclarè S.

Mundi miracula.

Augustin. lib. 10. de Civit. cap. 12. *Quidquid*, inquit, *mirabile fit in mundo, profectò minus est quam totus hic mundus, id est cælum & terra, & omnia quæ in eis sunt: sicut autem ipse qui fecit, ita modus quo facit occultus est, & incomprehensibilis Domini. quamvis itaq; miracula visibilia naturarum videndi assiduitate viluerint; tamen cùm ea sapienter intuemur, insuetatissimis rarissimisq; majora sunt.* Idem in psal. 144. 4. *In eo quod vides*, inquit, *quid ibi laudatur? species, utilitas, aliqua virtus, aliqua potentia rerum istarum. Si pulchritudo te delectat, quid pulchrius faciente? Si utilitas laudatur, quid illo utilius qui fecit omnia? Si virtus laudatur, quid illo potentius, a quo etiam facta non dimittuntur, sed reguntur & gubernantur omnia?*

Vers. 25.

OMNIA DUPLICIA, UNUM CONTRA UNUM, ET NON FECIT QUIDQUAM DEESSE] Celebravit opera Dei à pulchritudine, ab usu, à duratione, nunc ea celebrat à diversitate & ordine, quòd tam varia & difformia, imò adversa sint; & tamen apto ordine inter se composita & compaginata; ut ex discordi diversarum rerum quasi vocũ concordia, pulcherrimam harmoniam efficiant. Ait ergo, *omnia duplicia*, græcè δισσά, id est bina vel gemina sunt, quorum unum contrarium est alteri, q. d. Deus ad ornatum universi fecit, ut quæq; res haberet suum par sibi compositum & oppositum. *Et non fecit quidquam deesse*, scilicet à suo cõtrario, hoc est, non fecit quidquam habere defectum sui paris oppositi & antithesis, ut idcircò altero quasi pede deficeret & claudicaret; sed unicuiq; suum par apposuit & opposuit. Græcè enim est, *non fecit quidquam ἐκλεῖπον* id est, ut Complut. *defectuosum*; alii, *deficiens & mancum*, quod scilicet non habeat suum compar, cui comparetur & contrarietur. Sic carni opposuit spiritum, terram cælo, aquam igni, aerem terræ, angelum corpori, hominem bruto, humilitatem superbiæ, castitatem libidini, & virtutes ceteras ceteris vitiis. ita Franc. Valesius Sacræ Philos. c. 76. ubi ostendit hanc sententiam non tam de singulis rebus, quàm de rerum generibus accipiendam. Patet hoc in arbore categoricæ substantiæ dividunt duæ differentiæ oppositæ, scilicet corporeum & incorporeum; ac simili modo quodlibet aliud genus continua serie duæ differentiæ oppositæ in duas species partiuntur. Idem videre est in serie ceterarum categoriarũ. Imò in omnibus creatis est quædam dualitas opposita, scilicet actus & potentia, aut materia & forma, aut mas & femina. Vide dicta c. 33. 15. ubi hanc sententiam iteravit Siracides: ibi enim fusè eam explicui. Vatabl. clarè vertit, *gemina sunt omnia, quorum alterum contrarium est alteri, nec factum mancum quidquam est*; alii, *omnia bina sunt, unum alteri contrarium, nec fecit quidquam deficiens.* Porrò Arabicus vertit, *& creata sunt omnia duo & duo, unum est contra socium suum, non creans ex eis quidquam vanè*, id est in vanum vel in vacuum. Vide Franc. in Valesium loco jam citato, ubi hæc

In omnibus creatis est dualitas opposita.

Exempla.

dat exempla. Ens, inquit, dividitur in duo opposita, scilicet in substantiam & accidens: substantia in corpoream & incorpoream, corporea in corruptibilem & in incorruptibilẽ: corruptibilis in simplicem & mistam: mista in viventem & non viventem: vivens in sensibilem & sensu carentem: sensibilis in rationalem & irrationalem: simplex putà elementum, aliud activum, aliud passivum: & utrumlibet horum duplex. Nam aliud calidum, aliud frigidum: aliud humidum, aliud siccum. Cetera omniam, horum mixtura constant. Sic colores omnes constant mixtura albi & nigri; & sapores, dulcis & amari, & soni, gravis & acuti: & si unum horum existit, necesse est & alterum illi oppositum existat, ut nihil desit ipsi, totiq; universo. Quocirca Syrus vertit, *omnes ipsæ bina & bina (combinatæ) altera opposita alteri: nec que creavit quidquam illorum otiose, sed unam cum altera, binas & binas. Et quis satiatur intuendo decorem illarum?* Huc facit illud Ovidii 1. Metamorph. de prima rerum Genesi:

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus:
Hanc Deus, & melior litem natura diremit.

Tropol. Auctor Imperfecti in S. Matth. apud S. Chrysostom. hom. 15. *Omnium*, inquit, *malorum prima & fortiora sunt tria mala, id est gula, avaritia, & vanagloria, (quibus proinde diabolus tentavit Christum in deserto) & vide quomodo adversus tria mala inventa sunt tria bona, id est eleemosyna cõtra avaritiam, ieiunium contra gulam, oratio contra vanam gloriam. Omnia mala habent contraria bona, per quæ superentur, dempta vana gloria. Ideò quantavis bona feceris volens compescere vanam gloriam, tanto magis excitas eam: & causa est ista, quia omne malum ex malo nascitur, sola autem vana gloria de bono procedit: ideò non extinguitur per bonum, sed magis nutritur. Ergo nullum remedium contra vanam gloriam esse potest, nisi oratio sola & hæc ipsa vanitatem generat, nisi caute prospexeris, si fortè bene oraveris.*

Sola vana gloria bono non vincitur, sed incitatur.

Vers. 26.

UNIUSCUJUSQUE CONFIRMAVIT BONA. ET QUIS SATIABITUR VIDENS GLORIAM EJUS?] q. d. Deus uniuscujusq; operis & rei à se creatæ bona & dotes firmiter tuetur & conservat per appositionem & oppositionem comparis contrarii. Unum enim contrarium firmatur ex altero: sic materia subsistit per formam, potentia per actum: pulchrescit album ex nigro. Senectus juvat juvenes consilio; juvenes juvant senes viribus: nobiles juvant plebem armis; plebs nobiles procurando illis panem, potum, vestem, &c. Ex adverso languescit & perit calor sine frigore, siccum sine humido, album sine nigro, &c. Contrarium enim sua oppositione excitat, acuit & intendit contrarium sibi oppositum. Atq; hac de causa Deus cuique contrarium, quasi sui æmulum & antagonistam opposuit. Hunc esse sensum liquet ex Græco, qui τὸ ἓν ex v. præced. recipit: ἓν τοῦ ἑνὸς ἐστερέωσε τὰ ἀγαθά, id est *unum* (ex binis & geminis sibi oppositis v. præced.) *unius*, id est alterius comparis, *stabilivit bona*; Tigur. *alterum commendat bona alterius*; Contraria enim juxta se posita magis elucescunt.

Quocirca hanc Dei sapientiam admirans exclamat: *Et quis satiabitur videns gloriam eius?* Syrus *illarum*, scilicet creaturarum Dei; Tigurina, *& quis spectando gloriam Dei satietur?* alii, *& quis expleatur videndo gloriam eius?* q. d. Quis mortalium considerans tam gloriosa Dei opera, in quibus gloria bonitatis, sapientiæ & potentiæ divinæ adeò splendet & corruscat, ea se exsatiare queat? q. d. Nemo loquitur de viatoribus. nam in cælo Beati omnes satiantur gloria Dei; quia eum vident facie ad faciem, sed ita ut satietas acuat desiderium, non creet vel augeat fastidium: satiantur enim videndo Deum, & tamen semper desiderant eum contemplari: juxta illud, *Satiabor cùm apparuit gloria tua*, psalm. 16. Ut infinita taceam mirabilia Dei opera, unum dumtaxat assero. In India, præsertim in Moluccis & Java, est avis dicta Manucodiata, pedibus planè carens, ideoque apus cognominata quòd in aere perpetuò volet, indeque Avis cæli vel paradisi indigitata: imo nonnulli censuerunt eam volando dormire, comedere, generare. Sed hoc refutat Aldrovandus lib. 12. Ornithol. c. 22. eò quòd nullum animal possit esse in perpetuo motu: & quia si in alto dormiret, utiq; sua gravitate in terram decideret. Igitur loco pedum habet duo fila in cauda, quibus quietis capiendæ tempore, arborum ramis se annectit. Hinc Manucodiata symbolum est animi cælestis, jugiter in cælo cum Deo & angelis versantis. Quocirca Lucas Contiles emblem. 78. Manucodiatam in sublime expansis alis volitantem, capite cælum aspicientem depingit subiecto hoc lemmate: *Sine pondere sursum.* q. d. Animus humanus semper ad altiora aspirare debet, & terrena ista velut caduca ac fragilia contemnere. Etenim animus à corpore disjunctus, cælum petit, cadaver in cinerem vertitur. Emblematis istius venustate, ait Aldrovandus, pellectus simile omnino in agello meo depingendum curavi, sed hoc lemmate: *Sic animus petat alta.*

Avis sine pedibus.

Nota ex Scholasticis & Lessio de Perfectionibus divinis l. 14. c. 1. Duplex est Dei gloria; interna & externa. Interna rursum duplex est: objectiva & formalis. Objectiva gloria Deo intrinseca est ipsa divinitas, seu splendor & excellentia divinitatis & personarum divinarum: ob hanc enim dignissimus est qui ab omnibus cognoscatur, ametur, lau-

Gloria Dei objectiva.

laudetur, &c. Sic passim in Scripturis excellentia divinitatis, & omnia hujus excellentiæ signa dicuntur gloria Dei. *Formalis.* Formalis gloria Deo intrinseca est cognitio, amor & gaudium Dei de seipso: sive quòd ipse à seipso infinitè & adæquatè cognoscatur, ametur & cum infinito gaudio ac suavitate gustetur. Infinitè enim major est gloria Dei, quòd ipsius bonitas & perfectio à se cognoscatur, ametur, æstimetur, quàm si amaretur & laudaretur ab infinitis angelis & hominibus. In illis duobus sita est gloria Dei intrinsecè, quam ipse ab æterno plenissime possidet, unde ad hanc acquirendam vel augendam mundum non creavit, sed propter aliam quamdam quæ ipsi extrinseca est: quæ etiam duplex est. Altera enim est objectiva, & consistit in excellentia & pulchritudine rerum creatarum, sed maximè filiorum Dei, ut sunt omnes Beati. Sicut enim gloria principis sæcularis dicitur consistere potissimùm in splendore & pulchritudine aulicorum: ita externa gloria Dei objectiva consistit potissimùm in splendore & multitudine aulicorum cœlestium; secundariò in aliis rebus creatis. Altera est gloria formalis, quæ sita est in Dei visione, amore, gaudio & actibus hinc sequentibus: nimirum quatenus ipse à Beatis cognoscitur, amatur, gustatur, laudatur, & benedicitur in omnem æternitatem. In hac re completur tota gloria Dei externa, & ad illam tota rerum creatarum species & pulchritudo ordinatur. Siracides hoc loco agit de gloria Dei externa, quæ ex creaturarum specie & decore resultat.

Homini servit omnis creatura, ut ipsa serviat creatori.

Moral. Opera Dei, quia pro nobis ab ipso creata sunt, magnam à nobis gratitudinem deposcunt, nimirum memoriam, amorem, servitutem seu obsequium, & perpetuam cum gratiarum actione laudem: Deus enim omnia quæ in mundo sunt, pro nobis non tantùm creavit & conservat, sed & assiduè laborare, nobisque servire facit. Nobis enim gyrantur cœli, splendet sol, lucent sidera, spirant venti, coguntur nubes, descendunt imbres, assurgunt montes, currunt flumina, moventur maria, germinat terra, fœcundatur aqua, & parturit omnis rerum natura. Hæc omnia nostri causa, ut nobis serviant & commodent, Deus sic esse, sic moveri & operari jussit. *Ille solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Ille *hominem constituit super opera manuum suarum. Omnia subjecit sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi: volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Si ergo ille totam rerum naturam nostræ servituti mancipavit, omnis ratio postulat, ut vicissim nos totos illius obsequio mancipemus. Si illius imperio & impulsu totus mundus sine intermissione pro nobis laborat, & nostris commodis noctes diesque servit; par est ut nos illi tota vita sine intermissione serviamus: præsertim cùm eo ipso quo res creatæ nobis serviunt, ipsemet nobis serviat, & pro nobis assiduè in creaturis & per creaturas laboret. Illæ enim sunt instrumenta, ut quæ omnem vim suam ab ipso habeant, & sine ejus auxilio & cooperatione assidua nihil possint: ipse verò est principalis motor, director & auctor omnium commodorum, quæ nobis ex rebus creatis proveniunt. Itaque si Deus ipse continuò pro nobis laborat, ut nostris commodis serviat, qua fronte nos illi servire, & pro ejus gloria laborare recusabimus?

Unde S. Bernard. serm. de quadruplici debito: *Ecce,* inquit, *in januis est qui fecit cœlum & terram & creator tuus, tu creatura; tu servus, ille dominus; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes: qui & te fecit & benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic reverà totis medullis, totis viribus serviendum, ne fortè indignationis oculo te respiciat & despiciat, & conterat in æternum.* Et inferius post recensitum recreationis & redemptionis Christi beneficium: *Cùm ergo,* inquit, *ei donavero quidquid sum, quidquid possum, numquid istud sic est, sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo; imò minutissima, corpus & animam, vel potiùs unum minutum, voluntatem meam & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se totum me comparavit? alioquin si illam retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera misericordiæ Dei nostri, & audeo illius sanguinis non guttas, sed undas à quinque partibus corporis, in meum pretium detorquere?* Quocirca serviat tibi Domine omnis vita mea, intenta sit in gloriam tuam omnis cogitatio mea, omnis fortitudo, omne studium, omnis actio mea. Exhauriantur in tuum obsequium omnes vires animi ac corporis mei, ut aliquid saltem tuo rependam amori, nec omnino ingratus coram te inveniar. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus: qui replet in bonis desiderium tuum,* quando *renovabitur ut aquilæ juventus tua.*

CAPUT QUADRAGESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

A Thesi descendit ad hypothesim, putà à laude operum Dei in genere ad laudem particularium ejus operum. Celebrat ergo magnificentiam Dei ex pulchritudine cœli v. 1. Solis, v. 2. Lunæ v. 6. & Stellarum; v. 9. Iridis, v. 12. Nivis, Fulgurum, Nubium, v. 14. Grandinis, tonitruorum ventorum, turbinis nimirum, v. 16. Pruinæ, gelu & glaciei, v. 21. Maris & insularum, v. 25. Unde concludit Deum ex toto corde totisque viribus esse laudandum & celebrandum, quia ipse infinities major est omni laude.

VERS. 1. 1 ALtitudinis firmamentum pulchritudo ejus est, species cœli in visione gloriæ. 2. Sol in
aspectu annuntians in exitu, vas admirabile opus Excelsi. 3. In meridiano exurit ter-
ram, & in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus ardoris:
4. Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens radiis suis obcæcat oculos.
5. Magnus Dominus qui fecit illum, & in sermonibus ejus festinavit iter. 6. Et luna in omni-
bus in tempore suo, ostensio temporis, & signum ævi. 7. A luna signum diei festi, luminare
quod minuitur in consummatione. 8. Mensis secundùm nomen ejus est, crescens mirabiliter in
consummatione. 9. Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriosè. 10. Spe-
cies cœli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus. 11. In verbis sancti stabunt
ad judicium, & non deficient in vigiliis suis. 12. Vide arcum & benedic eum qui fecit illum:
valdè speciosus est in splendore suo. 13. Gyravit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi
aperuerunt illum. 14. Imperio suo acceleravit nivem, & accelerat coruscationes emittere judicii
sui. 15. Propterea aperti sunt thesauri, & evolaverunt nebulæ sicut aves. 16. In magnitudine

sua posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis. 17. In conspectu ejus commovebuntur mon-
tes, & in voluntate ejus aspirabit Notus. 18. Vox tonitrui ejus verberabit terram, tempestas aqui-
lonis & congregatio spiritus: 19. Et sicut avis deponens ad sedendum, aspergit nivem, & sicut
locusta demergens descensus ejus. 20. Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus, & super
imbrem ejus expavescet cor. 21. Gelu sicut salem effundet super terram: & dum gelaverit, fiet
tamquam cacumina tribuli. 22. Frigidus ventus aquilo flavit, & gelavit crystallus ab aqua, su-
per omnem congregationem aquarum requiescet, & sicut lorica induet se aquis. 23. Et devora-
bit montes, & exuret desertum, & extinguet viride sicut igne. 24. Medicina omnium in festina-
tione nebulæ: & ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum. 25. In sermone ejus siluit
ventus, & cogitatione sua placavit abyssum, & plantavit in illa Dominus insulas. 26. Qui na-
vigant mare, enarrent pericula ejus: & audientes auribus nostris admirabimur. 27. Illic præclara
opera, & mirabilia; varia bestiarum genera, & omnium pecorum, & creatura belluarum. 28. Pro-
pter ipsum confirmatus est itineris finis, & in sermone ejus composita sunt omnia. 29. Multa di-
cemus, & deficiemus in verbis: consummatio autem sermonum, ipse est in omnibus. 30. Glo-
riantes ad quid valebimus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua. 31. Terribilis Domi-
nus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius. 32. Glorificantes Dominum quan-
tumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia ejus. 33. Bene-
dicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude. 34. Exal-
tantes eum replemini virtute. ne laboretis: non enim comprehendetis. 35. Quis videbit eum, &
enarrabit? & quis magnificabit eum sicut est ab initio? 36. Multa abscondita sunt majora his:
pauca enim vidimus operum ejus. 37. Omnia autem Dominus fecit, & piè agentibus dedit sa-
pientiam.

Firmamentum.

Vers. 1. ALTITUDINIS FIRMAMENTUM PULCHRITUDO EJUS EST, SPECIES CAELI IN VISIONE GLORIAE] Incipit à pulchritudine firmamenti: licet enim eo altius sit cœlum crystallinum, empyreum etiam speciosius; tamen hæc minus nobis in terra aspectabilia sunt, cùm firmamenti species per stellas omnibus coruscet.

Pronomen *ejus* Primò, referre potest Deum; de Deo enim immediatè præcessit; *Quis satiabitur videns gloriam ejus?* hæc autem Dei gloria maximè cernitur in pulchritudine firmamenti, quæ intuentem numquam exsatiat; ut sensus sit, q. d. *Altitudinis*, id est altissimum, *firmamentum est pulchritudo ejus*, scilicet Dei, seu pulcherrimum opus, in quo pulchritudo Dei artificis relucet, juxta illud psalm. 18 *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.*

Porrò Palacius sic explicat: firmamentum altissimum est pulchritudo Dei, id est, maxima: quæ enim Dei sunt, maxima sunt. Sicut enim in psal. 67. *Montes Dei* vocantur maximi, & *homo Dei* vocatur homo divinus; & *filii Dei* Genes. 6. vocantur sublimissimi aut sanctissimi: ita pulchritudo Dei vocatur pulchritudo maxima. Secundò, commodiùs τὸ *ejus* referas ad τὸ *altitudinis*, per quam accepit altitudinem cœli & mundi; ut sensus sit: q. d. *Altissimis*, id est cœli altissimi, pars nobilissima, putà *firmamentum*, sive cœlum stellarum, est *pulchritudo ejus*, scilicet altitudinis, hoc est cœli altissimi: q. d. Firmamentum altissimi cœli, est ejusdem cœli decus & pulchritudo: sicut enim gloria est Dei, sic pulchritudo propriè est cœli & creaturarum, in qua gloria Dei refulget. Nihil enim ita ornat totam cœlorum machinam ac pulchritudo firmamenti, utpote quod tot quasi gemmis, pyropis & adamantibus, quot astris & stellis resplendet, indeque dictum est cœlum quasi sideribus cælatum, Gen. 1. 8. Imò quot astra, tot tedæ, tot lampades, tot igneæ faces in cœlo collucent, totique mundo prælucent. Adde stellarum ordinem, motum & influxum, varietatem, constantiam. Sanè videtur stellarum, quasi militum Dei acies ordinata repræsentare exercitum ordinatissimum. Unde & Deus sabaoth, id est, exercituum, scilicet angelicorum & sidereorum, nuncupatur.

Stellæ sunt gemmæ & faces cœli.

Posset quoque τὸ *ejus* referri tam ad firmamentum, quàm ad altitudinis. q. d. Pulchritudo firmamenti est pulchritudo altitudinis, id est altissimi cœli, mundique totius.

Porro Græca jam clarè & eleganter sic habent: γαυρίαμα ὕψους στερέωμα καθαριότητος id est, ut Complut. *superbia* vel

A *gloria, altitudinis, firmamentum munditiæ*. q. d. Superba gloria altæ hujus mundi machinæ est firmamentum mundum, id est nitidum, purum, pellucidum. Roman. *gloriatio altitudinis, firmamentum puritatis*; Tigur. *ornamentum altitudinis, puritatis firmamentum*; alii, *exultatio altitudinis firmamentum purum*: γαυρίαμα enim idem est quod superbia, gloria, gaudium, exultatio. Firmamentum enim stellis tot tantisque superbum & gloriosum, gaudium affert intuentibus, adeoque videtur esse gaudium & exultatio angelorum, hominum, mundique totius, ut de eo gloriari posset cœlum, si sensus & gloriationis esset capax. Græcis nostram Latinam Vulgatam accommodare conatur Jansenius hoc modo: Similem sensum, inquit, habebit nostra lectio, si genitivus *altitudinis* non construatur cum *firmamentum*, sed cum substantivo *pulchritudo*, ut relativum *ejus* ex phrasi Hebraica redundet, sicut cùm dicitur: *Dominus in cœlo sedes ejus*, pro Domini sedes in cœlo est. Itaque sic erit oratio distinguenda, ut post *altitudinis* fiat parvus punctus, ac deinde sequatur

B *firmamentum pulchritudo ejus* est, hoc est, firmamentum est pulchritudo ipsius altitudinis, quia ipsam altitudinem exornat. Verùm hæc durior & obscurior est trajectio & interpretatio. Planè enim Noster videtur aliter legisse in Græco vel Hebræo, quàm jam sit in Græco: nam omittit τὸ καθαριότητος & illius loco substituit τὸ *ejus*. Rursum si ita legisset uti jam habent Græca, clarè vertisset, *gloria altitudinis est firmamentum munditiæ*; quorsum enim verba Græca tam ordinata & clara invertisset & obscurasset, vertendo, *altitudinis firmamentum pulchritudo ejus est?* videtur ergo ipse in Græco sic legisse: ὕψους στερέωμα γαυρίαμα αὐτοῦ ἐστι, id est, *altitudinis firmamentum pulchritudo ejus est*. quæ lectio sensum, quem secundo loco dedi, exposcit. Unde explicans subdit:

SPECIES CAELI IN VISIONE GLORIAE] q. d. Species & pulchritudo firmamenti; quæ est species & pulchritudo totius cœli & mundi, est id, in quo videtur gloria tum ipsius cœli, tum Dei, qui auctor & creator est cœli. Est hypallage invertens ordinem; rectò enim ordi-

C ne dicendum fuisset, *Visio gloriæ Dei est in specie cœli*. Huc pertinet expositio Palacii: Species cœli, inquit, est in visione gloriæ, id est species cœli est visio gloriæ, hoc est, perinde est ac si gloriam videres. Sic dicitur psal. 75. *Factus est in pace locus ejus*, id est, pax est locus ejus. Hinc cœlum græcè dicitur οὐρανός ab ὁρᾶσθαι, id est, videri, quòd oculorum visioni expositum sit, ait S. Basilius homil. 8. Hexam. aut quòd visioni & visui sit pervium: vel, ut Aristoteles (sive Apulejus, ut alii volunt) lib. de Mundo dicitur, ὅρος ἄνω quasi [illegible] id est terminus supremorum corporum. Idem dicitur ὄλυμπος quasi ὁλολαμπής id est totus lucens.

Cœli etyma.

cens. Lux enim & ſplendor eſt gloria cœli, quæ viſum ad ſe rapit & oblectat. Ariſtoteli conſentit Philo.lib.de Mundo. Latinè verò dicitur cœlum quaſi cęlatum, quod ſigillis ſit ſignatum & quaſi ſculptum, ait Sipontinus. Nam *ſpecies cœli gloria ſtellarum*, ait Siracides v.10. Aut propriè *viſio*, hebr. [illegible] *mare*, ſæpè metonymicè ſignificat ipſum objectum, putarem viſam aut viſibilem q.d. Species & decor cœli cernitur in viſibili gloria, quam cœlum oſtentat, putà in ſpectabili oſtenſione fulgoris & ſtellarum; ipſaque eſt *ſpectaculum cœli magnificum*, ut vertit Tigurina. Sic Janſenius: Per appoſitionem, inquit, jungitur *ſpecies cœli* cum *firmamentum*, ut ſit ſenſus: Firmamentum, hoc eſt ſpecies cœli, in viſione gloriæ, hoc eſt, habens aſpectum glorioſum & præclarum; hæc, inquam, ſpecies & forma cœli, eſt pulchritudo & gloria altitudinis.

Myſticè cęlum eſt ipſe Deus.

Metonymicè & myſticè: pulchritudo cœli, ſive ſpecies & gloria firmamenti, repræſentat pulchritudinem, ſpeciem & gloriam Dei, qui quaſi cœlum increatum inhabitat cœlum creatum; ideoque cœli creati gloria & majeſtas tantùm eſt umbra glorię & majeſtatis increatę & immenſæ SS. Trinitatis: hujus enim ſollum & thronus eſt cœlum: hujus pariter ſymbolum eſt unum verum ſive pulchrum, & bonum. Unum enim appropriatur Deo Patri, qui unus & primus eſt fons SS. Trinitatis: verum ſive pulchrum Deo filio, qui eſt *ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ* Patris, Heb. 1. bonum Spiritui ſancto, qui eſt bonitas, amor & nexus Patris & Filii. Similiter Plato hæc tria unum, bonum, pulchrum explicat & conternat. Ipſe enim in Menone, Protagora & Alcibiade ita pulchrum definit: *Pulchritudo eſt vitalis fulgor ex ipſo bono manans per ideas, rationes, ſemina & umbras effuſus, animos excitans ut per bonum in unum redigantur*. Plato enim unum, bonum & pulchrum ita juncta eſſe cenſuit, ut unum ſine altero reperiri non poſſe exiſtimaverit. Deum dixit eſſe ipſum unum, ipſum bonum, ipſum pulchrum: hæc enim in Deo ſunt ipſemet Deus: unum, eſt tamquam caput; bonum, eſſentia & finis; pulchrum, eſt ſplendor inde fulgens: Deus ut unus, omnia dulciſſimè nectit; ut bonus, cuncta procreat ac perficit; ut pulcher, excitat, invitat & allicit. Pulchritudo cùm ſit ſplendor admirationem excitat: ideò Deus ut pulcher, admirationem, amorem & deſiderium parit; ut bonus, deſideria explet, amoremque perficit; ut unus, cuncta eminentiſſimè, quamvis apud nos pugnantia, feliciſſimè ligat. Deus eſt ea eminentiſſima trinitas unius boni, & pulchri, tamquam origo & principium: mens verò, & ſingulæ ejus ideæ, ſunt tales per propriam formam. Anima per rationes: natura per ſemina: demum umbræ in materia per imitationem & participationem. Primum ergo pulchrum abſolutè eſt ipſe Deus; à quo ſuam pulchritudinem haurit angelus & homo, cœlum & terra, ceu radius à ſole. Hominis autem pulchritudo ſita eſt in mente, putà in ſapientia & virtute: veſtigium verò & umbra vel imago ejus reſplendet in decore corporis, qui maximè decet reges & principes. Hi enim ſunt Dei in terris vicarii & ſimulacra, ac velut dii quidam terreni. Quocirca Socrates in Phædro Platonis ait, bonam corporis figuram bonæ mentis argumentum eſſe, aut certè adjumentum. S. Ambroſ. 2. de Virg. *Species corporis ſimulacrum eſt mentis, figuraque probitatis*. Et anonymus in elegantiſſimo ad Conſtantinum Panegyr. *Non fruſtra*, inquit, *doctiſſimi viri dicunt, naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis ac decore membrorum colligi poſſe, quatenus illò cœleſtis ſpiritus intrarit habitator*. Eadem habet Latinus Pacatus in Paneg. ad Theodoſ. poſt quæ ſubdit: *Virtus tua meruit imperium; ſed virtuti addidit forma ſuffragium; illa præſtitit ut oporteret te principem fieri, hæc ut deceret*. Eodem ſpectat illud Porphyrii ex Euripid. *Priami ſpecies digna imperio*. Et Plinii in Panegyr. ad Trajanum: *Jam*, inquit, *proceritas corporis, jam honor capitis & dignitas oris longè lateque principem oſtentat*. Sic & Claudian. de Stilicone:

Pulchritudo Dei.

Pulchrũ corpus indicat pulchrã mentem.

Jam tum conſpicuus, jam tum venerabilis ibas,
Spondebatque ducem celſi nitor igneus oris,
Membrorumque modus.

Allegor. eſt Eccleſia.

Allegor. firmamentum repræſentat Eccleſiam in petra fundatam à Chriſto. Ita Rabanus: *Pulchritudo firmamenti*, inquit, *per claritatem ſiderum potentiam oſtendit creatoris: ſed multipliciùs decor Eccleſiæ in virtutibus & miraculis Sanctorum excellentiam manifeſtat redemptoris: quia*

A *ipſe ſolus æternus ſplendore ſuo illuſtrat credentes, & ardore judicii ſui puniet peccatores*. Hinc cœli ſunt Apoſtoli, qui enarrant gloriam Dei pſal. 18.1. Et celſus à cœlo dicitur, quaſi ſublimis & cœleſtis, ait Iſidor. lib. 10. Origin.

Anagog. eſt cęlum empyreũ.

Anagog. firmamentum repręſentat cęlum empyreum; quot enim ſtellis firmamentum, tot Sanctis Sanctorumque dotibus & aureolis reſplendet cœlum empyreum, juxta illud Daniel. 12. *Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*. Et 1. Corinth. 15. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate; ſic & reſurrectio mortuorum*. Huc ergo oculos mentis & corporis noſtri, avulſos à terra, jugiter convertamus ac defigamus oportet, ut cum S. Ignatio de Loyola crebro cœlum ſuſpicien te dicamus & ſuſpiremus: *Quàm ſordet mihi terra cùm cœlum aſpicio*. Et cum Fulgentio contemplante ſplendorem & pompam aulæ Romanæ: *Si ſic fulget Roma terreſtris, quomodo fulgebit Jeruſalem cœleſtis?* Ita ſancta Machabæorum mater animans filium ad martyrium: *Peto*, inquit,
B *nate ut aſpicias ad cœlum*, &c. *ita fiet ut non timeas carnificem iſtum, ſed dignus fratribus tuis effectus particeps ſuſcipe mortem, ut in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam*, 2. Machab. 7. 28. Sic pariter mater S. Symphoriani cum animavit ad martyrium, ei inclamans: *Nate nate memento æternæ vitæ, cœlum ſuſpice, & ibi regnantem intuere: tibi enim vita non eripitur, ſed immutatur in melius*. Quocirca adoleſcens fortiter Jeſu Chriſti cauſa carnifici cervices præbens, nobilem martyrii agonem obiit Auguſtoduni die 22. Auguſti, quo die Eccleſia ejus memoriam quotannis redivivam celebrat.

Cęlum ſpectanti ſordet terra.

Exempla.

Porrò Tigurina hunc verſum primum nectens cum ſecundo, cenſet hæc omnia eſſe elogia, non firmamenti, ſed Solis. Sic enim vertit, *ornamentum altitudinis puritatiſque firmamentum, ac ſpectaculum cœli magnificum eſt ſol lucem annuntians*, &c. q. d. Sol eſt ornamentum altiſſimi cœli & firmamentum ac fundamentum puriſſimæ lucis, atque ſpectaculum cœli magnificum. Verùm cęteri omnes hæc accipiunt de firmamento ſive cœlo ſtellato, non
C de ſole; de ſole enim ſequitur. Libet hic exclamare cum magno ſanctoque Boetio lib. 2 de Conſolat. in fine.

O fęlix hominum genus,
Si veſtros animos amor,
Quo cęlum regitur, regat.

Symbolicè S. Bernard per firmamentum accipit B. Virginem. Sic enim ait ſerm 3. in Salve regina: *Fiat*, inquit, *firmamentum, & dividat aquas ab aquis: omnibus firmamentis firmius firmamentum tu domina, quæ eum quem cęli cęlorum capere non poterant, cepiſti & concepiſti, portaſti & non defeciſti, genuiſti, aluiſti, educaſti. Tu in medio aquarum diviſiſti aquas ab aquis, affectus videlicet æternarum ab affectibus temporalium. Poſuit in hoc firmamento Deus ſolem & lunam, Chriſtum & Eccleſiam; & ſtellas, prærogativas gratiarum multas*. Et paulò poſt: *Ipſa tabernaculum Dei, ipſa templum, ipſa cęlum, ipſa terra, ipſa ſol, ipſa luna & ſtella matutina*.

Symbolicè, cœlum pulchritudine ſua omnes recreans, & influxu motuque ſuo omnia vivificans & fęcundans,
D notat magnos & magnificos debere eſſe ſummè in omnes beneficos: Idipſum appoſito cęli & terræ apologo, bellis gnomis, velut cęlum ſtellis, cęlato & oculato, repræſentat, Cyrillus lib. 3. Apolog. moral. cap. 21. cui titulus: *Quòd liberalis omnibus quibus poteſt, donet*. *Aſpiciens terra*, inquit, *quòd primum mobile præter ipſam, divino motu omnibus communicato, cuncta ſecum viſibilia raperet; locuta eſt ei dicens; Ut quid inquietas omnia? cur tibi non ſufficis, motum tuum influere tantùm uni? At ipſum reſpondens deſuper dixit: Benè locuta es ſicut terra, obſcūra dementia, tenacitate arida, cupiditate perpetuò ſitibunda. Non attendis quòd meum inquietare ſit volitare, meum movere ſit clarificare, ac meum rapere ſit liberaliſſimè donare? Omnibus enim quæ mecum moventur meam naturam communico, virtutem impendo, cauſalitatem diſtribuo: quòd ſi forte uni vel paucis ſuperabundans meum beneficium illiberaliter impartiri voluiſti, tunc certè mihi, haud aliis, crudeliter invidiſti. Conſidera quæſo quòd, ſicut univerſum recipit, ſic univerſalis virtus communiter agit. Igitur quemadmodum vera juſtitia, ita & beneficentia libera ad omnes derivatur*. Idem deinde exemplo Solis, hepatis & cerebris com-

Apologus benefici.

Simile.

monstrat. *Sic liberalissimo radio cuncta Titan respersit, nec umquam effusionis suæ splendoris terminos coarctavit. Hepar universis membris sanguinem cibalem distribuit, & cor vitalem vaporem per totum corpus diffundit. Cerebrum cunctis etiam membris sensum influit, & totum corpus sibi subditum animæ vivum facit. Igitur qui liberaliter donat, quibus potest accommodat: quia non est personarum acceptor, sed communis beneficiorum largitor. Quibus auditis, verecunda terra obmutuit.*

Sol.

VERS. 2. SOL IN ASPECTU ANNUNTIANS IN EXITU, VAS ADMIRABILE, OPUS EXCELSI] Arabicus, *creavit solem, ut eo illuminentur, & glorificent eum patres!* (est exclamatio) *Admiratio, ars Excelsi*; Tigurina, *sol lucem annuntians, cùm emergit machina admiranda, opus Altissimi.* Syrus hæc refert ad cœlum sive firmamentum, de quo v. 1. vertit enim, *fecit cœlum ad videndum, & ad glorificandum, vas admirationis, opus Excelsi.* A firmamento transit ad solem, quasi primarium & magnificentissimum Dei opus. Participium *annuntians* pendet ex verbo *exurit* v. sequ. Sed quid annuntiat sol? Respondet Jansenius, gloriam Dei; hanc enim subaudiri. Unde pro ἐν ἐξόδῳ, id est *in exitu*, Complut. legunt ἐν ἐνδόξῳ, id est, *in glorioso*. q. d. Sol annuntiat gloriosam summamque Dei gloriam. Verùm simpliciùs per hebraismum sic exponas: *Sol in aspectu*, id est aspectum, *annuntians*: Hebræi enim verba contactus tam mentalis, quale est annuntio, quàm corporalis construunt cum ב id est *in*, & ablativo. Sic dicunt: credo in Deo, id est credo Deo. Jam per aspectum intelligit lucem & radios: hisce enim sol aspicit & illustrat terram. Sensus ergo est q. d. Sol aspectum, id est lucem, auroram & diem, hoc est, tempus operandi, annuntiat *in exitu*, id est in egressu & ortu suo. ita Vatablus, *Sol*, inquit, *lucem enuntians cùm emergit.*

Aut, quod eodem redit, q. d. *Sol in aspectu suo*, id est, in ortu suo, quo incipit sua luce aspicere terram, *annuntias in exitu*, id est, exitum sive egressum & ortum suum, putà auroram. Tunc enim sol auricomus exoriens, & instar sponsi decore procedens ostendendo suam speciem, quasi salutat homines omnesque creaturas, eisque benè precatur tacitè dicendo: Salvete mortales, bonum diem vobis precor. En discussis noctis tenebris vobis exorior: en vobis affero lucem, lætitiam & vitam. Surgite ergo & evigilate mecum. Flores florete, frondes frondete, arbores fructificate, aves canite Deo laudem, animalia exite ad pascua, homines properent ad sua opera, juxta illud psalm. 103. 22. *Ortus est sol, & congregati sunt*, &c. *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam.* *Exitus* ergo hic non occasum, (ut vult Palacius, q. d. Sol in occasu suo annuntiat serenum, aut ventos, aut pluvias: hæc enim ex Solis occasu cognoscuntur;) sed ortum Solis significat: hunc enim Hebræi vocant מוצא *motsa*, id est exitum sive egressum: juxta illud psalm. 18. 6. *Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Exultavit ut gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio ejus.*

In ortu enim & aurora sol apparet pulcherrimus instar sponsi, aurea purpureaque radiorum corona redimiti. Unde à Poetis vocatur ῥοδοδάκτυλος, id est roseos habens digitos, aureus, auricomus, flammeus, igneus. Ita Virgil. Æneid. 12.

Puniceis invecta rotis aurora rubebat.

Et lib. 7.

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Et lib. 8.

Qualis ubi Oceani perfusus lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasque resolvit.

Tria nomina Solis. Nota. Sol hebr. tria habet nomina. Primò enim vocatur שמש *scemes*, id est minister, arabicè שמש *scamas*, id est ministravit, eò quòd lucem omnibus administret, quodque à Deo statutus sit universalis minister lucis, per quam cuncta fovet, vegetat, fœcundat.

Secundò, vocatur חמה *chamma*, à calore, quod omnia calefaciat, itaque vivificet: חמם *chamam*, enim est calefacere.

Tertiò, vocatur חרס *cheres*, ab ariditate & exsiccatione, quam calore æstuque suo efficit: *cheres* enim vocatur testa sicca & arida. Hinc de sole ait Eccles. hoc cap. v. 3. *In meridie exurens terram & in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere?* In sole ergo tria sunt admiranda, nimirum summa lux, summus calor, summa velocitas. Unde S. Ambros. 4. Hexam. 1. *Sol*, ait, *oculus est mundi, jucunditas terræ, cœli pulchritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ.*

Mysticè noster Pineda in Job cap. 36. v. 33. ad illud: *Annuntiat de ea* (luce) *amico suo, quòd possessio ejus sit.* Sicut Sapiens, inquit, scripsit: *Sol in aspectu annuntians in exitu.* Quid annuntiat exoriens sol? Quidam putant annuntiari ab illo lucem: sed frigidè; quid enim annuntiari indiget quod videtur? Illud verius, Annuntiare gloriam Dei, quam cœli quoque enarrant. Sed quid existimas annuntiari à sole exoriente Dei gloriam, quàm esse illum dominum & regem gloriæ? id est, in Solis imagine & lucis splendore annuntiare Deum suis amicis, lucem ipsam esse Dei possessione atque thesauros.

Sol est imago Dei. VAS ADMIRABILE, OPUS EXCELSI] Dionys. c. 4. de divin. nomin. ait, *solem esse significativam, expressam & evidentem divinitatis, & divinæ bonitatis imaginem. Sicut sol, sic longè potiùs Deus*, inquit, *omnia illustrat, efficit, vivificat, continet, perficit, estq; eorum quæ sunt, & mensura, & æternitas, & numerus, & ordo, & complexus, & causa, & finis.* Et paucis interjectis: *Clara*, inquit, *expressaque divinitatis imago est magnus hic sol, totus lucens ac semper splendidus: omnibus etiam quæ ejus luce capere possunt collucet, habetque lumen per omnia diffusum sursum & deorsum, ac si quid est quod eo non participet, id ejus luminis tenuitati aut parvitati non est tribuendum, sed iis quæ quia apta non sunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum non explicantur. Itaque illius radius immensa splendoris magnitudine penetrat, ad vitam excitat, alit, auget, absolvit, purgat, renovat: ac lumen mensura est atque numerus horarum, dierum, totiusque nostri temporis: colligit convertitque ad se omnia, quæ videntur, quæ moriuntur, quæ illustrantur, quæ calescunt, & uno nomine ea, quæ ab ejus splendore continentur: itaque ἥλιος id est sol, dicitur, quòd omnia ἀολλέα ποιεῖ, id est congreget colligatque dispersa, eaque omnia eum expetunt quæ sensu percipiuntur, aut quòd cernere cupiant, aut sentire, illustrari, calescere, omninoque contineri à lumine.*

Est ergo sol *vas admirabile, opus Excelsi*, quia Deum non tantùm clare repræsentat, sed divinitatis ejus thesauros in omnes terræ creaturas liberaliter effundit & dispertit.

Nota τὸ *vas*. Manichæi enim censuerunt solem esse, quasi vas & navim, uti mox ostendam. Verùm sol dicitur *vas*, non quòd habeat formam vasis aut navis, sed *vas*, id est instrumentum, organum Sic enim Hebræi vocant כלי *Kele*, id est *vasa*, hoc est instrumenta, *belli*: sic Simeon & Levi vocantur *vasa*, id est instrumenta, *iniquitatis*, Genes. 49. v. 5. & S. Paulus vocatur *vas electionis*, id est, instrumentum electum ad prædicandum, Actor. 9. Adde, solem habere formam vasis rotundi, sive globi sphærici, qui quasi vas intra se continet vires rerum inferiorum, ait Palacius. Sensus ergo est, q. d. Sol est vas, id est organum & instrumentum Dei admirabile, adeoque opus excelsum dignum Deo excelso, ejusque majestate & magnificentia.

Sol vas admirabile. Primò. Idque primo, unitate: sol enim unicus est in mundo, quasi lucis arbiter & monarcha orbis, adeoque phœnix sæculorum: phœnix enim non est aliud quàm sol, uti ostendi in Genesi. Hinc sol est symbolum Dei unius & solius, adeoque pulcherrimum Dei simulacrum; *quem, quia respicit omnia solus, verum possis dicere solem.* Unde & sol dicitur, eò quod solus ex omnibus sideribus sit tantus, vel quòd solus, cùm est exortus, obscuratis omnibus aliis appareat, ut ait Cicer. li. 2. de Nat. deor.

Secundò. Secundò, puritate & splendore: quia sol non videtur esse aliud, quàm tota puritas, tota lux & claritas. hinc omnium astrorum est dux & princeps. Unde Secundus Philosophus interrogatus ab Hadriano Imp. *Quid est sol?* Respondit: *Cœli oculus, splendor sine occasu, diei ornatus, horarum distributor.* Et Alcuinus sive Albinus Flaccus disput. cum Pipino Caroli Magni filio, *Quid*, inquit, *est sol? splendor orbis, cœli pulchritudo, naturæ gratia, honor diei, horarum distributor.*

Tertiò. Tertiò, magnitudine: quia sol centies & sexagies major est terra: unde 160 globos terræ in se caperet & complectere-

plecteretur. Alii censent solem longè esse majorem. Audivi Romæ insignem mathematicum, qui asserebat solem octingenties majorem esse globo terræ, idque se certò per dioptras & instrumenta mathematica deprehendisse.

Quartò. Quartò, altitudine: firmamentum enim distat à terra octoginta millionibus milliarium cum dimidio; inter firmamentum autem & solem tantùm interjacent Saturnus, Jupiter & Mars. Cogita ergo quanta sit Solis altitudo, nimirum ut minimum sol à terra distet quatuor millionibus milliarium, ut ostendi Genes. 1. 16.

Quintò. Quintò, situ: situ: est enim in medio planetarum, quasi rex omnes illuminans & dirigens. Unde Statius lib. 5.

Sol operum medius summo librabat Olympo.
Lucentes, ceu staret, equos.

Moderni mathematici per tubum opticum deprehenderunt Mercurium & Venerem, quin & Martem, circa solem moveri & gyrari, ac quasi choream & triadem circa eum agere.

Sextò. Sextò, motu & velocitate: quia sol quotidie 24. horis percurrit ambitu sui orbis, totiusque cœli vastissimi, ab Oriente per Meridiem in Occasum & Septemtrionem.

Septimò. Septimò, gyro: quia gyrat per omnes plagas mundi, ut omnes provincias, gentes, reique cæteras illuminet. Unde Virg. 4. Æneid.

Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras.

Octavò. Octavò, efficacia: quia sol omnibus dat vigorem, motum & vitam. Unde illud Aristot. *Sol & homo generant hominem.* Ideoque abeunte sole per noctem & hiemem omnia flaccescunt, torpescunt, infirmantur & moriuntur.

Nonò. Nonò, calore, qui tantus est, ut zonam Torridam exurat. Unde sol est imago SS. Trinitatis. Sicut enim sol ex se producit splendorem, & per eum calorem; sic Pater producit Filium qui est splendor Patris, Hebr. 1. & per Filium producit Spiritum sanctum: qui est calor & amor Patris & Filii.

Decimò. Denique sole nihil in hoc spectabili mundo est vel ad speciem pulchrius, vel ad rerum gignendarum commoditatem fœcundius: qui vitalem vim ac salutarem stirpibus & animantibus communicat: qui hoc est in æthere, quod in animali cor, qui vices temporum, annumque novo semper flore redeuntem ex vi naturæ temperat, ejusque partes ita dividit, ut inter se non secùs atque in choro nectantur: cujus vis & potestas motus reliquorum luminum constituta dimensione moderatur: qui longè latèque diffuso splendore superare omnia atque infera, & ipsos stellarum ignes collustrat: cujus influxus in abditissimos usque recessus penetrat, & terræ viscera irrorat, & aurum ac gemmas progignit: qui ut gigas summa celeritate cursum conficit, ut sponsus aspectus sui gratia omnia decorat: qui est veluti cor universi, mundi oculus, jucunditas diei, cœli pulchritudo, naturæ gratia: quem denique Deus quasi pulcherrimum sui simulacrum in cœlo constituit. Unde Anastasius Sinaita lib. 1. Hexam. Græcum ἥλιος, id est *sol*, derivat ab Hebr. עליון *elion*, id est *altissimus*, qualis est Deus, quòd sol altissimus sit, & Dei majestatem oculis corporeis suo splendore, calore & virtute repræsentet. *Sol* verò Latinis dicitur à *solus*, *quòd solus ex omnibus sideribus sit tantus* (scilicet centies & sexagies major globo terræ, *vel quòd solus, cùm est exortus, obscuratis omnibus aliis appareat*, inquit Cicero lib. 2. de Natura deorum. Hinc Persæ aliæque Gentes solem coluerunt ut Deum, ac Manichæi censuerunt solem esse Christum. Varro verò lib. 4. de Lingua Latina: *Sol dictus*, inquit, *quòd solùm ita lucet, ut ex eo dies sit: luna, quòd sola lucet noctu; itaque dicta Noctiluca, cui templum erat in palatio*. Verius Psaltes psalm. 18.6. *In sole*, inquit, *posuit tabernaculum suum*; Chald. *Soli posuit tabernaculum suum illuminationem in illis*. q. d. Deus in sole thronum claritatis suæ collocavit, ut inde fulgoris sui radios quaquaversum vibraret. Hinc prisci Gentium Teologi, ut Jamblicus, & Macrob. lib. 1. Saturn. c. 27. & 30. omnia Gentilium numina in sole constituerunt. Denique sol est symbolum æternitatis, justitiæ & veritatis. unde illud Pythagoræ: *Contra solem* (id est veritatem) *ne loquaris*. Et Orpheus solem vocat oculum justitiæ: ac judices in Bithynia tribunal Soli exponebant, quasi Solis instar sincerissimè judicaturi. Ita nostri Conimbric. lib. 2. de Cœlo cap. 5. q. 2. art. 2.

Cor universi.

A Plura de Solis encomiis vide apud Plutarch. lib. de Doctr. principum, Macrobium lib. 1. Saturnal. à c. 17. & 23. S. Ambros. lib. 4. Hexam. cap. 1. S. Dionys. de Divin. nom. c. 4. S. Gregor. Nazianz. orat. de nova Dominica, & orat. 2. de Theolog. Eugubinum in sua Cosmop. c. 1. in Genes. Hieroglyphica Solis recenset Pierius Hierogl. 44. Ob hasce Solis dotes tam eximias S. Franciscus composuit hymnum, quem ipse vocavit Solis, ad laudandum in sole Deum ejus opificem, quem quotidiè à suis recitari voluit. Composuit eum accepta revelatione de sua prædestinatione & electione ad gloriam, in gratiarum actionem, putà biennio ante mortem, paulò post impressa sibi à Christo quinque vulnerum stigmata. Unde & moriens eundem sibi præcini voluit. Hymnus sic habet: *Altissime, omnipotens, bone Domine, tuæ sunt laudes; gloria, honor, & omnis benedictio, tibi soli referendæ sunt, & nullus homo dignus est te nominare. Lauderis Domine Deus meus propter omnes creaturas tuas, & specialiter propter honorabilem fratrem nostrum solem, qui diescere facit, & nos illuminat per lucem: pulcher est & radians, & magni splendoris,*

Hymnus Solis S. Francisci.

B *tuique Domine symbolum præfert. Laudetur Dominus meus propter sororem lunam, & stellas, quas in cœlo creavit claras & bellas. Laudetur Dominus meus propter fratrem ventum, aerem, nubes, serenitatem, & propter omnia tempora per quæ omnibus creaturis ministrat alimentum. Laudetur Dominus meus propter sororem aquam, quæ est multùm utilis, humilis, pretiosa & casta. Laudetur Dominus meus propter fratrem ignem, per quem noctem illuminat: roseus est, rutilus, invictus & acer. Laudetur Dominus meus propter nostram matrem terram, quæ nos sustentat & alit, producitque varios fructus, varicolores flores & herbas.* ita wadigus in Annalibus Minorum anno Christi 1224. num. 32. Qui & addit S. Franciscum recitato per suos hoc hymno coram Senensibus, eorum grave dissidium sedasse.

Alleg. firmamentum est Ecclesia, sol Christus, luna B. Virgo, stellæ sunt Sancti. ita Rabanus. nimirum.

—— Micat inter omnes
Virginis sidus, velut inter ignes
Luna minores.

C Vide dicta Genes. 1. 14. Hinc de Christo dicitur Zachar. 6. 12 *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* Vide ibi dicta, & Isaiæ 45. 1.

Porrò facile est omnes dotes solis, quas jam recensui, mysticè Christo accommodare. Præclarè B. Damascen. serm. de Trasfigur. quærit cur Christi facies in ea resplenduerit sicut sol? ac respondet, quòd sol expressum gerat typum Christi. Sicut enim in sole sunt duo, scilicet lux & corpus: sic in Christo est Verbum & caro, sive deitas & humanitas. Rursum sicut lux prior fuit sole, id est, corpore solari: nam creata est die primo mundi, sol autem die quarto; sic deitas prior fuit humanitate. Tertiò, sicut lux Solis indefinita, & incircumscripta est, corpus verò definitum, & circumscriptum: sic & deitas in Christo immensa est, humanitas verò corporis locique terminis circumscripta, sicut ergo lux induit corpus solare, illudque lucidissimum reddit: sic Verbum induit carnem, illamque omni gratia & sapientia radiantissimam efficit. Addè, sicut sol omnia lucida facit, læta, vegeta & vivida;

Sol typus Christi. Primò. Secundò. Tertiò.

Quartò.

D sic & Christus. Unde de eo ait Psaltes psal. 18. *Non est qui se abscondat à calore ejus.* Plura de sole qua typus est Christi, dixi Apocal. 1. v. 16 Hinc Christus apparuit S. Lutgardi non quasi unus sol, sed quasi mille soles. Audi Thomam Cantiprat in Vita ejus apud Surium 16 Junii. *Interroganti cuidam amico spirituali, cujusmodi Christi faciem in contemplatione videret, respondit: In momento apparet mihi splendor inæstimabilis, & instar fulguris video ineffabilem ejus glorificationis pulchritudinem, quæ nisi raptim subduceretur adspectu contemplationis meæ, mortalis vitæ hujus imbecillitas eam ferre nullo modo posset. Post eum autem fulgorem manet splendor intellectualis, & cum illo quæro eum, quem raptim videram: sed non invenio. Itaq; dicebat oculos Christi tam ineffabili coruscare splendore, ut si splendor ille Solis lumini infunderetur, in infinitum ampliùs ille solem obscuraret, quàm Solis radii stellarum lumen obtegant. Religiosus quidam sacerdos scire cupiebat, quid sibi vellent ea verba: Pulchriores sunt oculi ejus vino. Vidit ergo in sancto calice divina mysteria celebrans Christi faciem, ejusque oculos tanto lumine radiantes, ut mundum universum, etiam in mediis tenebris, longè uberiùs quā vel mille soles possent illustrare. Nec facilè credi posse*

posse quantum arserit Lutgardis Christum videndi desiderio. Hucusque Cantiprat. omnium secretorum S. Lutgardis conscius & administer.

& Sanctorum. A Christo Sancti eximii participant, ut sint & vocentur soles: quia ut soles sua sapientia & sanctitate illuminant & accendunt homines mundanos, ideoque ut soles ceteris Sanctis præfulgebunt, juxta illud Christi: *Fulgebunt justi sicut sol.* Hi ergo sunt soles soli, sali & cœli, ut de quolibet eorum dici possit: *Hoc est vas admirabile, opus Excelsi*; quia excelsa Dei amore & gratia heroicè superat tam agendo, quàm patiendo. Sic S. Paulus fuit vas electionis Dei excelsi, Actor. 9. Christum tuum imitare, ô Christiane, esto sol mundi instar S. Pauli: sol in templo, sol in platea, sol in schola, sol in foro, sol in mensa, sol in cubiculo, ubique vibrans radios virtutis tuæ. Ita S. Remigius luce cœlesti, instar Solis ipsi incumbente designatus est Episcopus Rhemensis, teste Hincmaro in ejus Vita. S. Columbani mater ex eo gravida, in somnis vidit è sinu suo rutilantem solem, nimioque fulgore micantem procedere, & mundo ingens lumen præbere. quod viri sapientes interpretati sunt, Columbanum sua doctrina & sanctitate illustraturum orbem. Hoc est quod canit Debora Judic. 5. *Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.* Ita Jonas Abbas in Vita S. Columbani cap. 2. extat apud Surium die 21. Novembris.

& B. Virginis. Sed præ omnibus, & super omnes vas Dei admirabile fuit B. Virgo. Audi S. Bonavent. in Speculo Virginis cap. 7. *Maria*, inquit, *plena fuit resultatione, sive expressione divinæ gloriæ, juxta illud Ecclesiastici: Gloria Domini plenum est opus ejus. Antonomasticè opus Domini mirabile est Maria, de qua dicitur in Ecclesiastico: Vas admirabile, opus Excelsi. Verè opus mirabile, quia nusquam invenitur simile. Unde de hoc dicitur: non est factum tale opus in universis regnis. non in regno cœlestium, nec terrestrium, nec infernorum. Hoc enim opus plenum est Dominica gloria, quia supra omnem puram creaturam resultat & relucet plenissimè in Maria. Nam præter assumptam à Verbo naturam nullum est opus, nulla creatura, in qua tanta divinæ gloriæ materia relucent, sicut in Maria.* Et infrà: *Plena est omnis terra gloria ejus, sicuti dicitur in Isaia. Plena est tota Maria, relucente in se plenissimè divina gloria.* hæc ille. Hinc & Christus S. Brigittæ fassus est dicens: *Mater mea est esca dulcissima, qua homines ad me traho.*

VERS. 3. IN MERIDIANO (tempore) EXURIT TERRAM, ET IN CONSPECTU ARDORIS EJUS QUIS POTERIT SUSTINERE? q. d. Sol in meridie, præsertim tempore æstivo, calefacit & exurit terram, adeò ut ardorem ejus vix ullus ferre & sustinere queat. Græcè est, *in meridie ejus arefacit terram, & in conspectu* (id est conspectum) *ardoris ejus quis sustinebit?* Tigurina, *cùm is meridianus torret regiones, quis æstum ipsius sustineat?* Syrus, *in meridie urit terram, & coram ardore ejus quis potest stare?*

Ad litteram hoc est ænigma Solis, mysticè charitatis. Sol enim symbolum est ardentis charitatis & grandis beneficentiæ, quia suis radiis omnia calefacit & inflammat. Habet hac de re insignem apologum Solis & noctis Cyrillus libr. 3. Apolog. moral. c. 22. cui titulus: *Quod liberalis granditer donet. Ad solis præsentiam*, inquit, *facta die cùm nox totaliter fuisset exclusa, statim ei lamentabiliter dixit: Ut quid tantam claræ lucis copiam effudisti, & me ex toto orbe habitabili propulsasti? Nonne sufficiebat te lumen ad visionis necessitatem profudisse? Cui ille respondit: Nimirum infrigidativa es corporis, ac pectoris constrictiva; & propter hoc loqueris ut avara. Quid est virtus? nonne ultimum potentiæ à Philosophis definitur? Unde qui infra potestatis validitatem agit, nondum virtualiter egisse convincitur. Quare qui non quantum potuit, benefecit; aberrans à virtute defecit. Ceterùm quid est aliud liberalitas, quàm liberæ beneficentiæ magna voluntas? Homo nimirum deficientior est, si donat minus quàm potest: voluntatis enim evidens signum est, beneficium traditum. In muneribus largiendis non suscipientis attendenda est dignitas, sed donantis: quoniam in beneficiis virtus attenditur, non persona.*

Apologus charitatis.

Profert deinde exemplum utriusque; liberalitatis Alexandrum, illiberalitatis Antigonum. *Antigonus cuidam talentum petenti illiberaliter denegavit, quia avaritiam suam indignitate Philosophi pallians, Plus, inquiebat, est quàm tibi dari conveniat. At non sic Alexander Macedo, dum argueretur, quòd nimis ultra quàm satis esset, cuidam dedisset; mox liberaliter*

Exempla.

A *respondit: Nimirum non aspexi personæ dignitatem, sed ad regalis munificentiæ granditatem.* Denique exemplar beneficentiæ Deum liberalissimum in se suisque creaturis, præsertim in anima, bombyce & phœnice omnibus imitandum proponit. *Attende ad primarium liberalitatis fontem, unde bonitatis omnis vena trahitur; quantum realitatis mundo tribuit? quantæ pulchritudinis firmamentum fecit? & quantum in eo posuit splendoris? Numquid in universo reliquit aliquod punctum bonitatis suæ beneficio vacuum? Sic utique anima liberaliter agens, subjecto corpori tantum quantum potuit, tribuit. Sic liberalis vermiculus viscera propria in beneficium cuncta dedit. Sic largissima phœnix in generationem alterius, totam in seminarium pulverem semetipsam effudit. Verè igitur liberalitatis beneficium non est charum, sed charius: nec est majus, sed maximum: neque tantum, sed totum bonum. Quo dicto magister veritatis quievit.*

Exemplar Dei.

VERS. 4. FORNACEM CUSTODIENS IN OPERIBUS ARDORIS: TRIPLICITER SOL EXURENS MONTES] B Pro *custodiens*, græcè legit φυλάσσων, jam legunt φυσῶν, id est, *insufflans*; sed eòdem redit sensus. Qui enim fornacem accensam vult servare & custodire, hic necesse est ut in eam sæpiùs insufflet, ac insufflando ardorem ejus excitet & acuat. Subaudienda hic est nota similitudinis *sicut, sic*: hanc enim sæpè subticent & subaudiunt Hebræi. Comparat enim ardorem Solis cum ardore fornacis, & illum huic præfert. q. d. Sicut custos qui habet curam fornacis, ut eam accensam conservet ad opera ardoris, v. g. ad lateres ardore ignis coquendos, sæpè in eam insufflando ingentem excitat ardorem: sic pariter, imò *tripliciter*, id est, ut vertit Syrus, triplo magis sol suo ardore exurit terram, ac præsertim montes, quos à summo manè usque in vesperam assiduè ignitis radiis ferit & verberat. q. d. Sol magis ardet & urit quàm fornax, in qua vi ignis conflantur lateres, vitrum aut metalla, ut ferrum, æs, stannum, campanæ, tormenta bellica. Sanè vidi in montibus Ardennæ fornaces in quibus liquatur ferrum, adeò ardentes, ut speciem ignis inferni mihi repræsentarent: cogita ergo quantus sit ardor Solis, qui fornaces omnes C æstu superat.

Solis ardor similis fornaci.

Porrò eum efficit sol, RADIOS IGNEOS EXSUFFLANS; ET REFULGENS RADIIS SUIS OBCÆCAT OCULOS] *Exsufflans*, id est emittens, vibrans, ejaculans. Legit Interpres cum Complut. ἐκφυσῶν, id est *exsufflans*, jam Romani legunt ἐμφυσῶν, id est *insufflans*; sed eodem sensu. Dum enim sol ex se emittit & exsufflat igneos radios, eos emittit & insufflat in terram. Pro *obcæcat* græcè est ἀμαυροῖ, id est *obfuscat*. q. d. Tantus est calor Solis, ut exurat montes; tantus vicissim ejus est fulgor, ut obfuscet, obtundat, & quasi obcæcet aciem visus humani. Unde Vatablus claré vertit, *ter tanto magis sol montes excalefacit, quàm qui fornacem sufflat urendis operibus, & vaporem igneum exalans, fulgore radiorum oculos.* Porrò S. August. lib. 2. de Moribus Manichæorum c. 8. *Sol iste*, inquit, *cui genuflectis, quo verè nihil inter visibilia pulchrius invenitur, aquilarum oculos vegetat, nostros sauciat inspectus & tenebrat; sed fit per consuetudinem, ut nos quoque in eo sine incommodo aciem figamus.*

D Nota τὸ *tripliciter*. Manichæi enim censebant solem esse vas triangulum, simile navi. Sic & lunam, *quam repleri dixerunt*, inquit S. August. epist. 119. ad Januar. *sicut repletur navis, ex fugitiva parte diei, cùm magna pars diei magnis laboribus de inquinamento purgat, de toto mundo atque omnibus cloacis fugiens, reddetur Deo lugenti.* Idem lib. 20. contra Faustum cap. 6 *Solem*, inquit, *navim quandam esse dicitis: ita non tantùm, ut dicitur, toto cœlo erratis, sed & natatis. Deinde cùm omnium oculis rotundus effulgeat, eaque illi figura pro sui ordinis positione perfecta sit, vos eum triangulum perhibetis, id est, per quandam triangulam cœli fenestram lucem istam mundo terrisque radiare. Ita fit ut ad istum quidem solem dorsum cervicemque curvetis; non autem ipsum tam clara rotunditate conspicuum, sed nescio quam navim per foramen triangulum micantem atque lucentem, quam confictam cogitatis, adoretis. Quam profectò faber ille non faceret, si, quemadmodum emuntur ligna, quibus navigiorum tabulæ componuntur, sic emerentur & verba, quibus hæreticorum fabulæ confinguntur.* Igitur hoc est eorum delirium.

Manichæi solem comparant navi.

Tripliciter ergo idem est quod multipliciter, aut potiùs

idem

idem quod triplo magis ardet sol quàm fornax. Aliter Palacius: Sol, inquit, tripliciter operatur: siquidem exurit montes, igneos torrentes evomit, ac longissimè refulget. Cujus rei testis est Ætna mons à Solis exustus ardore, igneos omnes velut radios exsufflans, atque ejecta flamma refulgens. Nec Ætna solus, sed & alii montes quos lib. 2 cap. 6 Plinius multos refert. Demum sol radiis suis obcæcat oculos: tanta est illi clarissimæ lucis abundantia, ut nequeant mortales eam oculi non conniventes sustinere.

Mysticè, sol exurens montes tripliciter est Spiritus divinus, vel ejus consolatio, quæ Primò, memoriam sanctis cogitationibus replet; Secundò, illuminat intellectum; Tertiò, voluntatem inflammat; claritate autem obcæcat oculos: nam aucta in nobis luce cœlesti, quæ quam parum sciamus & simus, aperit, omnis antea concepta præsumptio evanescit. ita S. Bonav. & ex eo Alvarez de Paz de Præconio humilitatis cap. 6.

Multi censent solem esse ignem. Probant Primò. Secundò. Tertiò.

Ex hoc loco & similibus nonnulli veteres, quin & moderni insignes Mathematici censuerunt & censent, solem esse igneæ naturæ, adeoque ipsum verè esse ignem & fornacem cœlestem, Primò, quia id videtur dicere hoc loco Siracides. Secundò, quia id videtur arguere ardor ejus, qui tantus est, ut omnem ignis ardorem superet. Tertiò, quia omnis lux, quæ ex se vibrat lumen & radios, est ignis: si enim lux ignis est flamma: ergo pariter lux Solis est flamma & ignis. Quartò, quia id arguere videntur maculæ & faculæ, quæ per tubum opticum assiduè in sole volvi & revolvi cernuntur; sicut in fornace flamma cum fumo convolvitur, & revolvitur. Qua de causa appositè videtur Siracides solem comparasse fornaci, quia sol non videtur esse aliud quàm facularum & flammarum convolutio & revolutio. Unde Syrus vertit, *vapor ab eo (sole) excitatus sicut vapor ignis*. Ob has ergo aliasque rationes multi censuerunt solem & astra esse igneæ naturæ, imo ignes, juxta illud: *Vos æterni ignes, & non violabile numen*. Ita prisci Ægyptii stellas esse ignes autumarunt: Anaximander docuit solem ignem esse purissimum: Anaxagoras solem esse candentem laminam, seu ferrum: Plato in Timæo necessarium esse docet, quia cœlum visibile est, ex igne constare, saltem potiore sui parte: Stoici idem omnes docent sidera esse ignea, pascique & ali vaporibus ex aquis & terra sublatis, & ad se attractis. Quod etiam sequitur & tuetur Balbus apud Ciceronem lib. 2. de Natura Deorum, & post eum Plinius lib. 2. cap. 9. Seneca lib. 7. Natur. quæst. Similia commemorat etiam Plutarchus lib. 2. de Placit. phil. addens cap. 13. & 20. censuisse Diogenem sidera esse terrea & pumicea, & quasi mundi spiracula: Empedoclem putasse stellas inerrantes crystallo adnexas esse, errantes verò solutas: Xenophontem stellas efformasse è nubibus ignitis, quæ extinguerentur interdiu, & ad nocturnas tenebras reviviscerent, quasi carbones; itaque ortus & occasus, accensiones & extinctiones esse. Democritum & Metrodorum solem ferrum saxumve ignitum posuisse; Philolaum Pythagoricum, vitreum: Epicurum terream densitatem ac montem è pumicea materia. Præcipuè vero celebratur à scriptoribus opinio Anaxagoræ, qui cùm lapis ingens colore adusto in Ægos Thraciæ amnem e cœlo decidisset, quem ipse casurum prædixerat, affirmavit cœlum omne ex lapidibus constare; solemque ipsum candens saxum esse, unde Euripides ejus discipulus in Phaethontis tragœdia, solem auream glebam nominavit. Ejusdem lapidis meminit Plutarchus in Lysandro, Damachus in iis quæ de religione scripsit, Plinius lib. 2. Natur. histor. capitul. 58.

Auctores.

Sed & S. Augustinus iisdem Stoicorum ac Platonis placitis insistens, pluribus locis indicat cœlum & astra constare natura ignea, ut notavit etiam Magister Sentent. libro 2. dist. 14. Namque lib. de Genes. ad literam cap. 4. cùm Augustinus quatuor tantùm agnoscat corpora simplicia, è quibus totus hic mundus coagmentatus est, terram, aquam, aerem & ignem, hunc maximè cœlo assignat.

Et lib. 2. de Genesi ad literam cap. 3. ait *Itaque super aerem purus ignis esse dicitur cœlum. Unde etiam sidera atque luminaria facta conjectant, illius videlicet igneæ lucis in eas formas, quas in cœlo cernimus, conglobata dispositaque natura*. Clemens Alexandr. lib. 8. Strom. Stoici, inquit, dicunt solem esse ἄναμμα νοερὸν ἐκ θαλαττίων ὑδάτων, id est, *esse intelligens vinculum ex aquis marinis*, ut aliqui vertunt; sed perperàm: vertendum enim est, *esse aliquid accensum ex aquis marinis intellectu præditum*: ἄναμμα enim Græci vocant id, quod accensum est. Chrysippus ἀνάμματα vocat: quia Stoici censebant sidera marino humore pasci.

Favent eidem sententiæ plerique alii sancti Patres, qui cumq; aquas supra firmamentum existentes veras aquas, & ad refrigerandum temperandumque ardorem siderum in cœlo positas fuisse tradiderunt. Sed & apertè ipsum totum firmamentum igneę esse naturę sensisse videtur Gregorius Nissenus in Hexaem. item Alcuinus quæst. 23. in Genes. 1. Anselmus lib. 1. de Imagine mundi c. 25. & Dionysius Carthus. enarrat. in Genes. art. 20.

Accedit ratio ex visu & intuitu: solem enim & astra non tantùm lucida esse, sed etiam flammantis cujusdam & coruscantis naturæ, ex perpetua omnium ferè stellarum scintillatione colligi videtur. Idem significat nomen Ætheris, ut de cœlo empyreo taceam, quod ab igne dicitur. Est ergo æther ignis, non elementaris sed cœlestis. Huc accedunt illi quoque doctores, qui astra censent esse igneæ naturæ, cœlos verò ex aquis conflatos. Ita S. Cyrill. catech. 9. disertè docet *aquam esse cœlum, & igneum in eo solem, & lunam, & sidera*. Idem docet Joseph. lib 1. Antiq. cap. 1 Clem. Rom. lib. 2. Recogn. Theodor. q. 11. in Genes. Gennadius, Severianus, Ven Beda in Hexamer. Solem quoque ignem esse dissertè asserit Tertull. lib. de Anima cap. 8 in fine, S. Basil. homil. 3. Hexamer. S. Ambros. lib. 2. Hexamer. cap. 3. Cæsarius quæst 68. S. Chrysost. homil. 6. in Genes. Procopius in cap. 1. Genes. Arnobius lib. 2. & 8. contra Gentes, Anastas. Sinaita lib. 2. Hexamer. Lactant lib. 2. cap. 6. Alcuinus & Beda quæst. 1. in Genes. Isidorus lib. 3. Origin. cap. 48. Hugo Victorinus in Genes. cap. 1. Hinc & Ecclesia in hymno Ecclesiast. canit:

Quarto die qui flammeam
Solis rotam constituens.

Patrum jam citatorum verba recitat noster Salianus initio tomi 1. Annal. in quarto mundi die.

Favet etymon Hebræum. Sol enim hebr. vocatur שמש *schemes*, q. d. שאמש *schames*, id est *ibi ignis*, sicut cœli ex aquis conflati vocantur שמים *schamaim* id est, *ibi aquæ*, uti dixi initio Genes. *Etymon Solis Hebr.*

Denique recentiores nonnulli mathematici, qui per dioptras efficacissima solem Solisque figuram studiosè multis annis observarunt, asserunt solem esse ignitum, idque colligunt ex maculis & facul is, ut dixi, quas in eo novas & novas conspiciunt, ut alię aliis assiduè succedant. Idipsum confirmant ex eo, quod esto lumen possit esse sine igne, ut patet in lumine à sole in aere diffuso; tamen lux ipsa, quæ lumen diffundit, ubique videatur cum igne conjuncta, ut patet in luce candelæ, lampadis, ignis, &c. Ergo lux Solis pariter est lux ignita, adeoque ignis. Idem colligunt ex effectu: sol enim sua luce & radiis calefacit totum orbem; calefactio autem & calor est propria actio & effectus ignis. Addunt aliqui: Ex hoc igne cœlesti proditurum ignem quo sub diem judicii conflagrabit mundus, sicut ex cœlo prodierunt aquæ quibus obrutus fuit mundus in diluvio. Quis enim alius ignis ad totum mundum exurendum sufficeret? hæc illi.

Verùm Aristoteles, quem sequuntur passim Philosophi & Theologi, docet cœlum & cœlos non elementa, nec igneæ, sed cœlestis esse naturæ; quam proinde ipse quintam essentiam vocat; ac proinde illos non actu, sed virtute esse calidos, quia vim habent calefaciendi. Vide Conimbr. ceterosque lib. de Cœlo:

Allegor. de Christo.

Allegor. Raban. *Sol iste*, inquit, *qui oritur timentibus Deum in aspectu, hoc est, in præsentia incarnationis suæ, evangelizavit regnum Dei, cujus nativitas singularis admirabilis est, quia non ex viri semine, sed ex virtute Omnipotentis Verbum caro factum est. In conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? quia nullus corporalibus oculis divinitatis ejus splendorem potest sufferre. Ideò assumpsit velamen carnis, ut fragilitas hominum splendorem aliquo modo posset sufferre divinum. Hic fornacem custodit in operibus ardoris, quia supplicia præparat peccatoribus gehennæ ignis: tripliciter exurens montes, quando superbos pro cogitatione mala, pro loquela nefanda, pro operatione iniqua æterna excruciat flamma.*

flamma. Radiis suis pravorum excæcat oculos, quando mysticis verbis pro nequitia sua superbientium deludit intellectum, Matt. 13. 13.

VERS. 5. MAGNUS DOMINUS QUI FECIT ILLUM, ET IN SERMONIBUS EIUS FESTINAVIT ITER] *Festinavit* activè capitur pro festinatò acceleravit iter. q. d. Verbo & jussu Dei sol velocissimè per iter suum decurrit, ut potiùs volare videatur, juxta illud de sole psalm. 18. *Exultavit ut gigas ad currendam viam*: nam sol qualibet hora motu suo conficit millionem milliarium, & insuper centum, & quadraginta millia milliarium, quod tantumdem est, ac si terræ ambitum & gyrum circumcurreret quinquagies, uti ostendi Genes. 1 Syrus, *magnus est Dominus qui creavit eum, & in verbis Sancti acceleravit gressus suos*; Tigurina, *magnus est Dominus creator illius, cujus jussu profectionem accelerat*. Porrò pro κατέσπευσε ut legunt Roman. Noster, Syrus, Tigurina & alii, idest *festinavit*, acceleravit; Complut. contrariè legunt κατέπαυσε idest, *cessare fecit*, quod etiam verum habet sensum, q. d. Sol ilicò cessat à motu suo licèt velocissimo, cùm Deus id jubet. Sic Josue cap. 10. jussu Dei stitit solem, & Isaias cap. 38. v. 8. coram Ezechia solem retroegit per decem lineas.

Luna.

VRES. 6. ET LUNA IN OMNIBUS IN TEMPORE SUO, OSTENSIO TEMPORIS, ET SIGNUM ÆVI] A sole transit ad lunam, ejusque miram lucem usumque celebrat: hæc enim sunt duo maxima luminaria cœli, sed sol est majus, luna minus, Genes. 1. Sol enim centies & sexagies major est tota terra, luna verò trigesies & novies minor est globo terræ, ut docent astronomi; & tamen ipsa nobis in terra æqualis penè videtur Soli, eo quòd luna vicina sit & citima terræ, sol verò altissimus & remotissimus. Hinc luna est æmula Solis, ac noctis decus, ideoque à Poetis vocatur Phœbe quasi Phœbi, idest Solis, soror; ac luna quasi lucens una, quia sola nocte lucet, eam illuminans, uti sol diem. Pro ἐν καιροῖς αὐτῆς Interpres legit cum Roman. ἀνάστασις jam Complut. legunt στάσιν idest, *in statum vel stationem*. Unde sic habent, *lunam fecit in statum ad tempus suum demonstrationem temporum, & signum sæculi*; alii, *& lunam fecit ad stationem ad tempus suum, indicium temporum, & signum sæculi. Stationes* vocat statas lunæ mutationes & vicissitudines, quibus nunc est nova, nunc crescens, nunc plena, nunc decrescens, idque per stata tempora. Syrus, *luna stat in tempora, designatio temporum, & signum à sæculo*; Tigurina, *lunam idem fecit, ut suo tempore existat indicium temporum, & signum ævi.*

Lunæ etymon & nomina.

Porrò nostræ versionis sensum sic clarè exponit Jansenius: Post solem, inquit, etiam *luna in omnibus*, hoc est, apud omnes gentes, vel potiùs in omnibus suis mutationibus, quæ ei accidunt in tempore suo, est *ostensio temporis & signum ævi*, hoc est temporis: significat enim mensium exordia, & partes eorum sequentes; quia singulis mensibus suum circulum absolvit. Sol quidem etiam ostendit tempus, quia suo discessu, & accessu ostendit æstatem, hiemem, ver & autumnum, & circulo suo absoluto ostendit annum esse absolutum. At peculiariter lunæ tribuitur quòd sit ostensio temporis, quia celeriùs, sæpiùs & distinctiùs ex varia lunæ mutatione temporis frequens & continua percipitur mutatio.

Denique luna non tantùm est signum sæculi & rerum sæcularium, sed & causa: nam dominatur humidis. Unde ab astronomis dicitur præesse infantiæ, argento & pituitæ: hinc & in plenilunio ostrea pleniora sunt. Rursus fluxus & refluxus maris causatur à luna; ac noctu lucente luna crescunt humida, ut ros, imbres, aquæ. *Aquæ magnæ plus fluunt de nocte*, ait Aristot. lib. 3 Meteor. causa est luna, ut dixi, & absentia Solis, qui per diem educens vapores ex aquis, ita aquas imminuit. Unde Palacius: Nota, lector, inquit, verbum illud, *Et luna in omnibus in tempore suo*, quod verbum summam habet philosophiam & summas lunæ laudes. Sensus enim est, quòd omnia hæc inferiora ferè subsunt lunæ, & gubernantur à luna. Vide æstus maris, plantationes, sectiones & insitiones arborum, collectiones fructuum, infirmationes lunaticorum, phlebotomias infirmorum: & demum nihil ferè est in hoc orbe nostro, quod quadamtenus non pendeat à luna.

Porrò Palacius τὸ *in signum ævi* sive sæculi accipit, quasi idem sit cum illo Genes. 1. 14. *Fiant luminaria*, &c. *& sint in signa*, scilicet serenitatis, ventorum, pluviarum, caumatum, &c. Hinc Secundus philosophus interrogatus ab Hadriano Imp. *Quid est luna?* Ait: *Cœli purpura, Solis æmula, maleficiorum inimica, solamen iter agentium, præsagium tempestatum*. Apulejus de Deo Socratis: *Luna*, inquit, *Solis æmula, noctis decus est diei adiutrix, noctis oculus: stellæ sunt fata hominum*. Sed hæc fata sunt ficta Genethliacorum commenta. Et Alcuinus Flaccus disput. cum Pipino: *Luna est oculus noctis, roris larga, præsaga tempestatum, stellæ sunt pictura culminis, nautarum gubernatores, noctis decor*. Huc facit illud Astrologorum:

Lunæ elogia.

Pallida luna pluit, rubicunda stat, alba serenat.

Vide de præsagiis Solis & lunæ nostros Conimbr. tract. 7. in Meteora c. 3.

Huc pertinet ænigma lunæ & lunationum, sive lunaris anni, quem suo per duodecim menses gyro luna describit, quod proposuit Cleobule filia Cleobuli Lindii, teste Gyraldo in Ænigmatibus:

Ænigma lunationum & mensium.

Est unus genitor, inquit, *cujus sunt pignora bis sex.*
His quoque triginta natæ, sed dispare forma.
Aspectu hinc niveæ, nigris sunt vultibus inde.
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

Est autem hujusmodi ænigmatis solutio: Luna, vel annus lunaris duodecim habet lunationes sive menses, quorum quilibet triginta diebus, luce & tenebris distinctis, perficitur. Sunt immortales genericè, quia numquam cessat dierum & noctium mensiumque successio; specificè tamen, vel potiùs individuè singuli, moriuntur & desinunt. Quare Theodectes ænigma hoc sic proposuit: Duplices sunt, inquit, sorores, quarum una parit alteram, & ipsa quæ genita est gignentem interimit, gignitque alteram, à qua & ipsa interimitur. Dies enim prior gignit sequentem, & ab eo interimitur, quia ei locum cedit, & esse desinit.

Sophista verò Nectenabo regis Ægypti, simile ænigma Æsopo proposuit: *Est*, inquit, *templum magnum, & in ipso columna duodecim habens urbes, quarum quælibet triginta trabibus sustinetur: has verò trabes duæ circumeunt mulieres*. Quod resolvens Æsopus: *Templum*, inquit, *est mundus, columna verò annus, urbes menses, trabes autem dies, & mulieres ipsæ duæ, dies & nox.*

Denique Albinus Flaccus disput. cum Pipino Caroli Magni filio: *Quid*, inquit, *est annus? quadriga mundi. Quis ducit? nox & dies, frigus & calor. Quis est auriga ejus? sol & luna. Quot habet palatia? Duodecim. Qui sunt prætores palatiorum? Aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo, libra, scorpius, arcitenens, capricornus, aquarius, pisces.*

A LUNA SIGNUM DIEI FESTI, LUMINARE QUOD MINUITUR IN CONSUMMATIONE] q. d. A luna nos Judæi accipimus signum & indicium diei festi. Nam festum Neomeniæ, id est novæ lunæ, incidebat in novilunium; festum verò Paschæ, à quo cœtera computabantur, incidebat in plenilunium, putà in 15 lunam, sive 15 diem primi mensis Nisan. Lunam vocat *luminare quod minuitur in consumatione*, id est in perfectione, putà in plenilunio: eo enim peracto luna mox minuitur, corniculatur & decrescit, cùm sol semper idem plenusque in suo orbe permaneat. Unde alii vertunt, *lumen in fine decrescens*; græcè, μειούμενον ἐπὶ συντελείας, id est, ut Roman. *luminare quod minuitur super consummationem*; Complut. *in consummatione*; Syrus, *à luna enim signa festorum, luminare quod deficit in extremitate*; Tigurina, *luna dies festus designatur luce decrescente donec deficiat*. Quare licèt mirabile sit lunæ incrementum ex obscuro ad summam lucis gloriam, tamen totam mirabilitatem deprimit mutatio & casus. Hinc luna inconstantiæ & mutabilitatis est symbolum, juxta illud cap. 27. 12. *Homo sanctus in sapientia permanet sicut sol: nam stultus ut luna mutatur*. idipsum repræsentat nomen Hebræum, stultus enim hebr. vocatur כסיל *Kesil*, ob inconstantiam. q. d. Qui mente parum firma constat, neque semper est ejusdem consilii & propositi, sed vertumnus, qui mutatur in horas, & variis cupiditatibus agitatur; is simillimus est inconstantis lunæ, non semper eamdem faciem ostentantis, & non tam

dicerem

VERS. 7.

dicerem damna sua celeritate reparantis, quàm incrementa subinde perdentis.

Lunam imitantur margaritæ, quas & luna crescente plenas reperiri scripsit Dioscorides, & post plenilunium captæ cum tempore minuuntur & decrescunt, ut ex certis experimentis tradit Cesalpinus libro 2. de Metallicis cap. 22.

Mysticè luna est B. Virgo multipliciter.

Mysticè noster Alcazar in Apocal. cap. 12. v. 1. notat. 2. Luna, inquit, est B. Virgo; Primò, quia lucem gratiæ majorem cæteris stellis, id est Sanctis, haurit à Christo, qui est sol justitiæ: atque per gratitudinem *omnem suæ lucis haustum eò regerit, unde accipit*. quod de luna pariter scribit Plinius. Secundò, quia sicut luna maximè dominatur terræ & mari: sic & B. Virgo terrigenis, eisque in nocte hujus sæculi clara luce præfulget. Tertiò, quia sicut luna, teste Plinio, *humilis est & excelsa, quia aliàs admota cælo, aliàs contigua montibus*; sic & B. Virgo in oculis suis erat humilis, sed in oculis Dei excelsa; & quia humilis, ideò excelsa. Ipsam se ancillam Domini, dum ab angelo salutaretur, nominavit, ideò facta est mater Dei. Itaque mirare in ipsa triplex conjugium rerum summè disparatarum, quod ipso ejus nomine Maria repræsentatur. Primum conjugium est humilitatis & celsitudinis sive majestatis, quòd ipsa humilis & paupercula facta sit Deipara & regina angelorum: utrumque significat nomen Maria. *Mariam* (sic enim pronunciat Syri) enim significat *stillam maris*: מר *mar* enim Syris est gutta, sive stilla situlæ, ים *jam* est mare. Ecce humilitas. Quid enim stilla minutius? Rursum *Maria* dicitur quasi מרום *marom*, id est celsitudo. Ipsa ergo est stilla maris per humilitatem, ideoque ipsa pariter est celsitudo ac stella maris, uti eam nuncupat & invocat S. Bernard. Euthym. S. Hieron. totaque Ecclesia in hymno, *Ave maris stella*: denique ipsa est mare sapientiæ & gratiarum. Secundum conjugium est puritatis & pœnitentiæ sive crucis. Puritatem innuit rursum τὸ *stilla maris*: uniones enim, sive margaritæ (quæ symbolum sunt puritatis & virginitatis) ex stillis roris in conchis marinis concrescunt. Rursum *Maria* hebr. idem est quod *myrrha* vel *amaritudo maris*, quæ symbolum est pœnitentiæ & crucis, quam B. Virgo tota vita subiit, præsertim astans Christo crucifixo, ut nos doceret, matrem puritatis & castitatis esse pœnitentiam & mortificationem. Tertium conjugium est paupertatis & opulentiæ. Nam B. Maria, id est *stilla maris*, sibi fuit pauperrima: eadem, ut *Mariam*, id est *domina maris*, ditissima facta est à Christo, adeò ut quasi מורה *more*, id est pluvia temporanea, omnem gratiam è cœlo depluat in se invocantes. Sicut ergo luna *minuitur in consummatione*: sic B. Virgo humilis & minuta est in sua perfectione & exaltatione, ut, cùm fieret mater Dei, ancillam se nuncuparet.

Triplex conjugiũ rerũ disparatarum in B. Virgine. Primũ.

Secundum.

Tertium.

Allegor. Hugo per lunam accipit Ecclesiam. Vide eum singula Ecclesiæ adaptantem.

In luna habitare homines censent aliqui.

Porrò Xenophanes apud Ciceronem libr. 4. Quæst. Academ. opinatus est habitari in luna, eamque esse terram multarum urbium & montium. Idem censent alii de Marte & aliis planetis, eò quòd Mars per tubum opticum deprehensus sit habere circa vel supra se alias stellas, quæ ejus planum illustrent, sicut sol & luna illustrant terram ob ejus incolas & habitatores. Porrò Plutarchus lib. 2. de Placitis Philosoph. cap. 30. *Pytagorei*, inquit, *ajunt lunam terrestrem videri, quia sicut & nostra terra, circumhabitatur, à majoribus quidem & pulchrioribus animantibus, quinquies decies nostrorum quantitatem continentibus, neque ullum excrementum dejicientibus; tanta item diei longitudine.* Idem tract. de Facie in orbe lunæ, de lunæ incolis fusè differit, ac inter cœtera ait: *Ego istos qui in luna incolunt, multò magis mirari existimo cùm terram intuentur, tanquam fæcem & cœnum universi per tot humores, nubes nebulasque apparentem, locum obscurum, humilem, immobilem, posse eam animalia producere & nutrire, motu, respiratione & calore prædita.* Verùm hæc Philosophis sunt paradoxa.

Hanc gnomen & hoc ænigma, tropologicè apposito & erudito lunæ & simiæ apologo condecorat Cyrillus lib. 1. Apolog. moral. c. 9. cujus titulus: *Tantùm æternum dilige, & nunquam dolebis; In plenilunio*, inquit, *simiæ cordis lætitia exultanti vulpes mox astitit, & hæc dicit: Indica mihi soror, cur sic exultas, ut tecum gaudeam; hujus tan-*

Apologus amãda esse æterna.

A *tæ jucunditatis quæ ratio & exultationis quæ causa? At illa læta lætanter respondit: Nimirum lunari, quam avio, plena luce nunc fruor; quoniam hanc diligo, & qua cætera perfruuntur hac lætor. Ad hoc vulpes adjunxit: Putabam certè charissima (ne turberis) manu, naso, vicinoque oculo, & æstimativa præclara ad rationis naturam te præ cunctis animantibus accessisse; sed ut ex vana gratulatione cognosco, adhuc permanes de longinquo. Quanto enim magis à ratione sejungimur, tanto quidem ab homine plus discrepamus. Puto enim, ni fallor, quòd amare lucem veram sit bonum, si tamen ejus sit stabile fundamentum: quia amare aliquid periturum, nihil aliud est quàm finaliter dolere. Quantum enim id quod diligimus gaudemus esse habitum; tantum etiam mox dolemus, cum est amissum. Unde fit ut delectatio de re quæ est perdita, statim vertatur in dolorem, & amor atque jucunditas in mœrorem.* Id deinde explicans vulpi subjicit: *Igitur quòd lumen diligis, laudo te; sed quòd lunari lumine mutabili frueris, te non laudo. Hac enim nocte si plena luna lætaris, cùm defecerit sequenti vespere, tristaberis. Im-*
B *possibile enim est amato perdito non dolere: & sic quid tibi residuum erit de præterito gaudio nisi præsens dolor? Amatum siquidem rapit secum ubicumque gaudium, sed idem cùm transierit, mox ejus fines occupat luctus. Verùm non est sapientis gaudere ut doleat, sed ad tempus lugere, ut semper gaudeat. Infelix quippe est commutatio de jucunditate in luctum. de gemitu verò beata est in gaudium commutatio. Propter quod, charissima, ut tua sit gaudiosa dilectio & fruitio permansura, illam duntaxat diligas lucem, & ea fruaris, quæ dialis est, atque invariabilis, ac summa. Illius enim secuta est lætitia atque plena. Propter hoc autem, sicut amamus, ita & sumus: habet enim amor contuitum chamæleontis, unde transimus cum amatis, aut sistimus; & cum eisdem vilescimus, aut cari sumus. Sed quid lugenti chamæleonti de colore aureo mutatum in luteum, sagax corvus responderit, non audisti? Claude pone aurum, desuper lutum, & de cætero respice aurum. Quibus dictis, vale superaddens recessit.*

Sapiẽtis gaudium quale?

MENSIS SECUNDUM NOMEN EJUS EST] *Ejus* refer non ad mensem, sed ad lunam: græcè enim est femininum σελήνη, quod non nisi lunam respicere potest. Unde
C Tigurina vertit *mensis nomen ipsius* (lunæ) *accipit*. Sic cap. 6. 23. dixit: *Sapientia secundùm nomen est ejus*, scilicet, aspera & difficilis, uti præcessit. Sensus est, q. d. Mensis uti à luna sui exordium, medium & finem accipit, ita pariter ab eadem sortitur & nomen. Nam hebraicè (hebraicè enim hæc scripsit Siracides senior, quæ junior in Græcum transtulit) mensis dicitur חדש *chodes*, id est *innovatio*, à nova luna, ejusque innovatione: rad. enim חדש *chadas* significat innovare. Sic pariter Græci novum mensem vocant νεομηνίαν, & Latini novilunium à nova luna: quin & lunatio idem est quod mensis. Unde sequitur de luna, ejusque innovatione, quæ fit initio mensis. VERS. 8.

Mensis etyma.

CRESCENS MIRABILITER IN CONSUMMATIONE] quia luna crescit & corniculatur variè & mirabiliter, donec consumetur, id est consummatum plenumque lumen accipiat in plenilunio. Quocirca Vatabl. vertit. *& crescens mutationibus est mirabilis*. Vide Plinium lib. 2. cap. 9. Syrus, *mensis secundùm nomen ejus est, & crescit sublimiter in mutatione*.

D Rursum *mensis* Hebr. dicitur ירח *jerach*, à ירח *jareach*, id est luna, quòd luna sua lunatione, id est per orbem suum decursu & circuitu describat mensem. Nam sol annum exigit in cursu & circuitu suo per zodiacum, luna verò mensem: hinc *mensis* à luna mensuram & nomen accepit: idem enim est quod lunatio. Sic & Græcis mensis vocatur μὴν, ἀπὸ τῆς μήνης, id est à luna: imò Macrobius Latinam vocem *mensis* derivat à Græco μήνη, licèt Cicero lib. 2. de Natura Deorum mensem derivet à metiendo. Ait enim: *Qui quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur*. Sic pariter Belgæ & Germani è Maen, id est luna, mensem vocat Maent. Sic & Anglis *monat* vocatur mensis à *mon*, id est luna. Simili modo Auctor lib. de Spiritu & anima apud S. August. to. 3. cap. 10. vocem *mens* derivat à μήνη, id est luna; quia *sicut luna*, inquit, *crescit & decrescit, & varia vicissitudine commutatur, in id tamen quod fuit quadam perfecta novitate se restituit: sic mẽs nunc caput summis inserit, nunc decidit in infimis, nunc sese inferens sibi veris falsa redarguit; modò ad corporalia regenda deflectitur, modò æternis rationibus inspiciendis vel consulendis adhærescit. Mens universorum capax, & omnium rerum similitu-*

flamma. Radiis suis pravorum excæcat oculos, quando mysticis verbis pro nequitia sua superbientium deludit intellectum, Matt. 13. 13.

Vers. 5. Magnus Dominus qui fecit illum, et in sermonibus eius festinavit iter] *Festinavit* activè capitur pro festinatò acceleravit iter. q. d. Verbo & jussu Dei sol velocissimè per iter suum decurrit, ut potiùs volare videatur, juxta illud de sole psalm. 18. *Exultavit ut gigas ad currendam viam*: nam sol qualibet hora motu suo conficit millionem milliarium, & insuper centum, & quadraginta millia milliarium, quod tantumdem est, ac si terræ ambitum & gyrum circumcurreret quinquagies, uti ostendi Genes. 1. Syrus, *magnus est Dominus qui creavit eum, & in verbis Sancti acceleravit gressus suos*; Tigurina, *magnus est Dominus creator illius, cujus jussu profectionem accelerat*. Porrò pro [illegible] ut legunt Roman. Noster, Syrus, Tigurina & alii, idest *festinavit*, acceleravit; Complut. contrariè legunt κατέπαυσε idest, *cessare fecit*, quod etiam verum habet sensum, q. d. Sol ilicò cessat à motu suo licèt velocissimo, cùm Deus id jubet. Sic Josue cap. 10. jussu Dei sistit solem, & Isaias cap. 38. v. 8. coram Ezechia solem retroegit per decem lineas.

B

Luna.

Vers. 6. Et luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis, et signum ævi] A sole transit ad lunam, ejusque miram lucem usumque celebrat: hæc enim sunt duo maxima luminaria cœli, sed sol est majus, luna minus, Genes. 1. Sol enim centies & sexagies major est tota terra, luna verò trigesies & novies minor est globo terræ, ut docent astronomi; & tamen ipsa nobis in terra æqualis penè videtur Soli, eo quòd luna vicina sit & citima terræ, sol verò altissimus & remotissimus. Hinc luna est æmula Solis, ac noctis decus, ideoque à Poetis vocatur Phœbe quasi Phœbi, idest Solis, soror; ac luna quasi lucens una, quia sola nocte lucet, eam illuminans, uti sol diem. Pro *in omnibus* Interpres legit cum Roman. ἐν πᾶσιν jam Complut. legunt στάσιν idest, *in statum* vel stationem Unde sic habent, *lunam fecit in statum ad tempus suum demonstrationem temporum, & signum sæculi*; alii, *& lunam fecit ad stationem ad tempus suum, indicium temporum, & signum sæculi*. *Stationes* vocat statas lunæ mutationes & vicissitudines, quibus nunc est nova, nunc crescens, nunc plena, nunc decrescens, idque per stata tempora. Syrus, *luna stat in tempora, designatio temporum, & signum à sæculo*; Tigurina, *lunam idem fecit, ut suo tempore existat indicium temporum, & signum ævi*.

Lunæ etymon & nomina.

C

Porrò nostræ versionis sensum sic clarè exponit Jansenius: Post solem, inquit, etiam *luna in omnibus*, hoc est, apud omnes gentes, vel potiùs in omnibus suis mutationibus, quæ ei accidunt in tempore suo, est *ostensio temporis & signum ævi*, hoc est temporis: significat enim mensium exordia, & partes eorum sequentes; quia singulis mensibus suum circulum absolvit. Sol quidem etiam ostendit tempus, quia suo discessu, & accessu ostendit æstatem, hiemem, ver & autumnum, & circulo suo absoluto ostendit annum esse absolutum. At peculiariter lunæ tribuitur quòd sit ostensio temporis, quia celeriùs, sæpiùs & distinctiùs ex varia lunæ mutatione temporis frequens & continua percipitur mutatio.

Denique luna non tantùm est signum sæculi & rerum sæcularium, sed & causa: nam dominatur humidis. Unde ab astronomis dicitur præesse infantiæ, argento & pituitæ: hinc & in plenilunio ostrea pleniora sunt. Rursus fluxus & refluxus maris causatur à luna; ac noctu lucente luna crescunt humida, ut ros, imbres, aquæ. *Aquæ magnæ plus fluunt de nocte*, ait Aristot. lib. 3 Meteor. causa est luna, ut dixi, & absentia Solis, qui per diem educens vapores ex aquis, ita aquas imminuit. Unde Palacius: Nota, lector, inquit, verbum illud, *Et luna in omnibus in tempore suo*, quod verbum summam habet philosophiam & summas lunæ laudes. Sensus enim est, quòd omnia hæc inferiora ferè subsunt lunæ, & gubernantur à luna. Vide æstus maris, plantationes, sectiones & insitiones arborum, collectiones fructuum, infirmationes lunaticorum, phlebotomias infirmorum: & demum nihil ferè est A in hoc orbe nostro, quod quadamtenus non pendeat à luna.

Porrò Palacius τὸ *in signum ævi* sive sæculi accipit, quasi idem sit cum illo Genes. 1. 14. *Fiant luminaria*, &c. *& sint in signa*, scilicet serenitatis, ventorum, pluviarum, caumatum, &c. Hinc Secundus philosophus interrogatus ab Hadriano Imp. *Quid est luna?* Ait: *Cœli purpura, Solis æmula, maleficiorum inimica, solamen iter agentium, præsagium tempestatum*. Apulejus de Deo Socratis: *Luna*, inquit, *Solis æmula, noctis decus est diei adiutrix, noctis oculus: stellæ sunt fata hominum*. Sed hæc fata sunt ficta Genethliacorum commenta. Et Alcuinus Flaccus disput. cum Pipino: *Luna est oculus noctis, roris larga, præsaga tempestatum, stellæ sunt pictura culminis, nautarum gubernatores, noctis decor*. Huc facit illud Astrologorum:

Lunæ elogia.

Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

Vide de præsagiis Solis & lunæ nostros Conimbr. tract. 7. in Meteora c. 3.

Huc pertinet ænigma lunæ & lunationum, sive lunaris anni, quem suo per duodecim menses gyro luna describit, quod proposuit Cleobule filia Cleobuli Lindii, teste Gyraldo in Ænigmatibus:

Ænigma lunationum & mensium.

Est unus genitor, inquit, *cujus sunt pignora bis sex.*
His quoque triginta natæ, sed dispare forma.
Aspectu hinc niveæ, nigris sunt vultibus inde.
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

Est autem hujusmodi ænigmatis solutio: Luna, vel annus lunaris duodecim habet lunationes sive menses, quorum quilibet triginta diebus, luce & tenebris distinctis, perficitur. Sunt immortales genericè, quia numquam cessat dierum & noctium mensiumque successio; specificè tamen, vel potiùs individuè singuli, moriuntur & desinunt. Quare Theodectes ænigma hoc sic proposuit: Duplices sunt, inquit, sorores, quarum una parit alteram, & ipsa quæ genita est gignentem interimit, gignitque alteram, à qua & ipsa interimitur. Dies enim prior gignit sequentem, & ab eo interimitur, quia ei locum cedit, & esse desinit.

Sophista verò Nectenabo regis Ægypti, simile ænigma Æsopo proposuit: *Est*, inquit, *templum magnum, & in ipso columna duodecim habens urbes, quarum quælibet triginta trabibus sustinetur: has verò trabes duæ circumeunt mulieres*. Quod resolvens Æsopus: *Templum*, inquit, *est mundus, columna verò annus, urbes menses, trabes autem dies, & mulieres ipsæ duæ, dies & nox*.

Denique Albinus Flaccus disput. cum Pipino Caroli Magni filio: *Quid*, inquit, *est annus? quadriga mundi. Quis ducit? nox & dies, frigus & calor. Quis est auriga ejus? sol & luna. Quot habet palatia? Duodecim. Qui sunt prætores palatiorum? Aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo, libra, scorpius, arcitenens, capricornus, aquarius, pisces*.

Vers. 7. A luna signum diei festi, luminare quod minuitur in consummatione] q. d. A luna nos Judæi accipimus signum & indicium diei festi. Nam festum Neomeniæ, id est novæ lunæ, incidebat in novilunium; festum verò Paschæ, à quo cœtera computabantur, incidebat in plenilunium, putà in 15 lunam, sive 15 diem primi mensis Nisan. Lunam vocat *luminare quod minuitur in consumatione*, id est in perfectione, putà in plenilunio: eo enim peracto luna mox minuitur, corniculatur & decrescit, cùm sol semper idem plenusque in suo orbe permaneat. Unde alii vertunt, *lumen in fine decrescens*; græcè, μειούμενος ἐπὶ συντελείας, id est, ut Roman. *luminare quod minuitur super consummationem*; Complut. *in consummatione*; Syrus, *à luna enim signa festorum, luminare quod deficit in extremitate*; Tigurina, *luna dies festus designatur luce decrescente donec deficiat*. Quare licèt mirabile sit lunæ incrementum ex obscuro ad summam lucis gloriam, tamen totam mirabilitatem deprimit mutatio & casus. Hinc luna inconstantiæ & mutabilitatis est symbolum, juxta illud cap. 27. 12. *Homo sanctus in sapientia permanet sicut sol: nam stultus ut luna mutatur*. idipsum repræsentat nomen Hebræum, stultus enim hebr. vocatur כסיל *Kesil*, ob inconstantiam. q. d. Qui mente parum firma constat, neque semper est ejusdem consilii & propositi, sed vertumnus, qui mutatur in horas, & variis cupiditatibus agitatur; is simillimus est inconstantis lunæ, non semper eamdem faciem ostentantis, & non tam

D

dicerem

diceret damna sua celeritate reparantis, quàm incrementa subinde perdentis.

Lunam imitantur margaritæ, quas & luna crescente plenas reperiri scripsit Dioscorides, & post plenilunium captæ cum tempore minuuntur & decrescunt, ut ex certis experimentis tradit Cesalpinus libro 2. de Metallicis cap. 22.

Mysticè luna est B. Virgo multipliciter.

Mysticè noster Alcazar in Apocal. cap. 12. v. 1. notat. 2. Luna, inquit, est B. Virgo; Primò, quia lucem gratiæ majorem cæteris stellis, id est Sanctis, haurit à Christo, qui est sol justitiæ: atque per gratitudinem *omnem suę lucis haustum eò regerit, unde accipit.* quod de luna pariter scribit Plinius. Secundò, quia sicut luna maximè dominatur terræ & mari: sic & B. Virgo terrigenis, eisque in nocte hujus sæculi clara luce prærulget. Tertiò, quia sicut luna, teste Plinio, *humilis est & excelsa, quia aliàs admota cœlo, aliàs contigua montibus*; sic & B. Virgo in oculis suis erat humilis, sed in oculis Dei excelsa; & quia humilis, ideò excelsa. Ipsam se ancillam Domini, dum ab angelo salutaretur, nominavit, ideò facta est mater

Triplex conjugiū rerū disparatarum in B. Virgine. Primū.

Dei. Itaque mirare in ipsa triplex conjugium rerum summè disparatarum, quod ipso ejus nomine Maria repræsentatur. Primum conjugium est humilitatis & celsitudinis sive majestatis, quòd ipsa humilis & paupercula facta sit Deipara & regina angelorum: utrumque significat nomen Maria. *Mariam* (sic enim pronunciat Syri) enim significat *stillam maris*: מר *mar* enim Syris est gutta, sive stilla situlæ, ים *jam* est mare. Ecce humilitas. Quid enim stilla minutius? Rursum *Maria* dicitur quasi מרום *marom*, id est celsitudo. Ipsa ergo est stilla maris per humilitatem, ideoque ipsa pariter est celsitudo ac stella maris, uti eam nuncupat & invocat S. Bernard. Euthym. S. Hieron. totaque Ecclesia in hymno, *Ave maris stel-*

Secundum.

la: denique ipsa est mare sapientiæ & gratiarum. Secundum conjugium est puritatis & pœnitentiæ sive crucis. Puritatem innuit rursum τὸ *stillæ maris*: uniones enim, sive margaritæ (quæ symbolum sunt puritatis & virginitatis) ex stillis roris in conchis marinis concrescunt. Rursum *Maria* hebr. idem est quod *myrrha* vel *amaritudo maris*, quæ symbolum est pœnitentiæ & crucis, quam B. Virgo tota vita subiit, præsertim astans Christo crucifixo, ut nos doceret, matrem puritatis &

Tertium.

castitatis esse pœnitentiam & mortificationem. Tertium conjugium est paupertatis & opulentiæ. Nam B. Maria, id est *stilla maris*, sibi fuit pauperrima: eadem, ut *Mariam*, id est *domina maris*, ditissima facta est à Christo, adeò ut quasi מורה *more*, id est pluvia temporanea, omnem gratiam è cœlo depluat in se invocantes. Sicut ergo luna *minuitur in consummatione*: sic B. Virgo humilis & minuta est in sua perfectione & exaltatione, ut, cùm fieret mater Dei, ancillam se nuncuparet.

Allegor. Hugo per lunam accipit Ecclesiam. Vide eum singula Ecclesiæ adaptantem.

In luna habitare homines censent aliqui.

Porrò Xenophanes apud Ciceronem libr. 4. Quæst. Academ. opinatus est habitari in luna, eamque esse terram multarum urbium & montium. Idem censent alii de Marte & aliis planetis, eò quòd Mars per tubum opticum deprehensus sit habere circa vel supra se alias stellas, quæ ejus planum illustrent, sicut sol & luna illustrant terram ob ejus incolas & habitatores. Porrò Plutarchus lib. 2. de Placitis Philosoph. cap. 30. *Pytagorei*, inquit, *ajunt lunam terrestrem videri, quia sicut & nostra terra, circumhabitatur, à majoribus quidem & pulchrioribus animantibus, quinquies decies nostrorum quantitatem continentibus, neque ullum excrementum dejicientibus; tanta item diei longitudine.* Idem tract. de Facie in orbe lunæ, de lunæ incolis fusè disserit, ac inter cœtera ait: *Ego istos qui in luna incolunt, multò magis mirari existimo cùm terram intuentur, tamquam fæcem & cœnum universi per tot humores, nubes nebulasque apparentem, locum obscurum, humilem, immobilem, posse eam animalia producere & nutrire, motu, respiratione & calore prædita.* Verùm hæc Philosophis sunt paradoxa.

Hanc gnomen & hoc ænigma, tropologicè apposito & erudito lunæ & simiæ apologo condecorat Cyrillus lib. 1.

Apologus amāda esse æterna.

Apolog. moral. c. 9. cujus titulus: *Tantùm æternum dilige, & nunquam dolebis*: *In plenilunio*, inquit, *simiæ cordis lætitia exultanti vulpes mox astitit, & hæc dicit: Indica mihi soror, cur sic exultas, ut tecum gaudeam; hujus tan-*

A *tæ jucunditatis quæ ratio & exultationis quæ causa? At illa læta lætanter respondit: Nimirum lunari, quam amo, plena luce nunc fruor; quoniam hanc diligo, & qua cætera perfruuntur hac lætor. Ad hoc vulpes adjunxit: Putabam certè charissima (ne turberis) manu, naso, vicinoque oculo, & æstimativa præclara ad rationis naturam te præ cunctis animantibus accessisse; sed ut ex vana gratulatione cognosco, adhuc permanes de longinquo. Quanto enim magis à ratione sejungimur, tanto quidem ab homine plus discrepamus. Puto enim, ni fallor, quòd amare lucem veram sit bonum, si tamen ejus sit stabile fundamentum: quia amare aliquid periturum, nihil aliud est quàm finaliter dolere. Quantum enim id quod diligimus gaudemus esse habitum; tantum etiam mox dolemus, cum est amissum. Unde fit ut delectatio de re quæ est perdita, statim vertatur in dolorem, & amor atque jucunditas in mœrorem.* Id deinde explicans vulpi subjicit: *Igitur quòd lumen diligis, laudo te; sed quòd lunari lumine mutabili frueris, te non laudo. Hac enim nocte si plena luna lætaris, cùm defecerit sequenti vespere, tristaberis. Im-*

B *possibile enim est amato perdito non dolere: & sic quid tibi residuum erit de præterito gaudio nisi præsens dolor? Amatum siquidem rapit secum ubicumque gaudium, sed idem cùm transierit, mox ejus fines occupat luctus. Verùm non est sapientis gaudere ut doleat, sed ad tempus lugere, ut semper gaudeat. Infelix quippe est commutatio de jucunditate in luctum. de gemitu verò beata est in gaudium commutatio. Propter quod, charissima, ut tua sit gaudiosa dilectio & fruitio permansura, illam dumtaxat diligas lucem, & ea fruaris, quæ dialis est, atque invariabilis, ac summa. Illius enim secuta est lætitia atque plena. Propter hoc autem, sicut amamus, ita & sumus: habet enim amor contuitum chamæleontis, unde transimus cum amatis, aut sistimus; & cum eisdem vilescimus, aut cari sumus. Sed quid lugenti chamæleonti de colore aureo mutatum in luteum, sagax corvus responderit, non audisti? Claude pone aurum, desuper lutum, & de cætero respice aurum. Quibus dictis, vale superaddens recessit.*

Sapiētis gaudium quale?

MENSIS SECUNDUM NOMEN EJUS EST] *Ejus* refer non ad mensem, sed ad lunam: græcè enim est femininum αὐτῆς, quod non nisi lunam respicere potest. Unde VERS. 8.

C Tigurina vertit *mensis nomen ipsius* (lunæ) *accipit*. Sic cap. 6. 23. dixit: *Sapientia secundum nomen est ejus*, scilicet, aspera & difficilis, ut præcessit. Sensus est, q. d. Mensis uti à luna sui exordium, medium & finem accipit, ita pariter ab eadem sortitur & nomen. Nam hebraicè (hebraicè enim hæc scripsit Siracides senior, quæ junior in Græcum transtulit) mensis dicitur חדש *chodes*, id est *innovatio*, à nova luna, ejusque innovatione: rad. enim חדש *chadas* significat innovare. Sic pariter Græci novum mensem vocant νεομηνίαν, & Latini novilunium à nova luna: quin & lunatio idem est quod mensis. Unde sequitur de luna, ejusque innovatione, quæ fit initio mensis.

Mensis etyma.

CRESCENS MIRABILITER IN CONSUMMATIONE] quia luna crescit & corniculatur variè & mirabiliter, donec consumetur, id est consummatum plenumque lumen accipiat in plenilunio. Quocirca Vatabl. vertit *& crescens mutationibus est mirabilis*. Vide Plinium lib. 2. cap. 9. Syrus, *mensis secundùm nomen ejus est, & crescit sublimiter in mutatione.*

D Rursum *mensis* Hebr. dicitur ירח *jerach*, à ירח *jareach*, id est luna, quòd luna sua lunatione, id est per orbem suum decursu & circuitu describat mensem. Nam sol annum exigit in cursu & circuitu suo per zodiacum, luna verò mensem: hinc *mensis* à luna mensuram & nomen accepit: idem enim est quod lunatio. Sic & Græcis mensis vocatur μὴν, ἀπὸ τῆς μήνης, id est à luna: imò Macrobius Latinam vocem *mensis* derivat à Græco μήνη, licèt Cicero lib. 2. de Natura Deorum mensem derivet à metiendo. Ait enim: *Qui quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur.* Sic pariter Belgæ & Germani è Maen, id est luna, mensem vocat Maent. Sic & Anglis *monat* vocatur mensis à *mon*, id est luna. Simili modo Auctor lib. de Spiritu & anima apud S. August. to. 3. cap. 10. vocem *mens* derivat à μήνη, id est luna; quia *sicut luna*, inquit, *crescit & decrescit, & varia vicissitudine commutatur, in id tamen quod fuit quadam perfecta novitate se restituit: sic mēs nunc caput summis inserit, nunc decidit in infimis, nunc sese inserens sibi veris falsa redarguit; modò ad corporalia regenda deflectitur, modò æternis rationibus inspiciendis vel consulendis adhærescit. Mens universorum capax, & omnium rerum similitu-*

litudinem insignita, omnia esse dicitur. Idem tamen pauló post: *Mens*, inquit, dicitur, *quasi eminens*, quòd in anima emineat, & ad divina contemplanda assurgat.

Pro *crescens mirabiliter in consummatione*; Complut. legunt, αὐξανομένη θαυμαστῶς ἐν ἀλλοιώσει, id est *crescens*, vel auctus, *mirificavit mutatione*, id est, ut Tigurina, *crescens mutationibus est mirabilis*; Romani pro θαυμάζουσα cum Nostro legentes θαυμαστῶς, vertunt, *crescens mirabiliter mutatione*; alii, *cum mutatione*. Luna enim sola inter stellas per singulos menses assiduè crescit & decrescit, impletur & minuitur. Quocirca luna dejectis cornibus apud Ægyptios erat hieroglyphicum mensis, teste Pierio Hierogl. 44. cap. 18.

Stella.

Vers. 9. VAS CASTRORUM IN EXCELSIS, IN FIRMAMENTO COELI RESPLENDENS GLORIOSE] Lunam vocat *vas castrorum*, id est instrumentum bellicum & castrense Dei; tum, quia ipsa sua luce eminet inter stellas, quæ in Scrip. vocantur castra & militia Dei. Unde Rabanus & alii legunt *resplendens gloriosa*: tum, quia astrorum est quasi fax, imo sol, dux & antesignana, adeoque videtur esse nocturnus sol illustrans cœlum, stellas, totumque orbem. Unde inter eas incedit quasi regina gloria luminis & pulchritudinis, præpotens & admirabilis; hinc & luna dicta quòd luce luceat una per noctem, vel quòd luce luceat aliena.

Alludit ad stationes nocturnas castrorum, quarum quatuor noctis vigilias, quibus mutabantur excubiæ & excubitores, dividebant juxta motum lunæ.

Luna est Ecclesia. Allegor. Rabanus: *Luna*, inquit, *est Ecclesia, quæ à Christo quasi à sole suum mutuatur lumen & gratiam, quæ modò persecutionibus videtur imminui, iterumque tranquillitate recepta clarissimi luminis hilaritate completur. Unde dicitur; quòd crescat mirabiliter in consumatione. Ipsa sanè est vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriosa: quia in ipsa animarum fidelium consistit turba, quæ in firmamento veritatis & divinæ prædicationis per totum orbem gloriosa resplendet.*

Stellæ sunt acies Dei. Secundo, per enallagen numeri *vas castrorum* accipi potest pro *vasa castrensia*, quales sunt stellæ. q.d. Velut instrumenta & arma bellica Dei sunt stellæ, quæ in firmamento resplendent gloriosè: stellæ enim vocantur arma, imò milites & militia Dei; quia magno numero, ordinata & constanti serie quasi acie incedunt & procedunt, quasi acies bellica ordinata à Deo. Ita Palacius & Jansenius: Vas castrorum, inquit, vocat totum illum, qui in cœlis videtur, astrorum apparatum instar castrorum pulchrè ordinatum & dispositum. Unde & *militia cœli* dicitur, & exercitus Dei, quo Deus ad jussa sua complenda utitur. Est enim Græcis σκεῦος παρεμβολῶν, quod rectè verti potest, *apparatus, instructio*, vel *armatura castrorum*: à σκεῦος enim, quod vas significat, & quævis arma, derivatur verbum σκευάζειν, quod est *paro & instruo*. Dicit ergo post solem & lunam esse etiam in excelsis insigne *vas castrorum*, hoc est, veluti apparatum militarem resplendentem in firmamento cœli, qui & ipse mirabiliter Dei gloriam declarat. Unde Syrus vertit, *vas exercitus in excelsis, quod resplendet in firmamento cœli*; Tigurina, *apparatus castrensis in altitudine, in solo cœlesti, refulgens est decus cœli, gloria astrorum*; quod Noster v. sequ. vertit, *species cœli, gloria stellarum*. Hic enim versus ad sequentem spectare, ibique expleri videtur.

Stellarū gloria. Primū. In stellis enim Primò, mirus, & quasi castrensis est ordo, isque certus & constans. Unde & stella à stando dicitur, quòd stellæ in cœlo stare videantur. *Donum autem universi* (& cujusque rei) *consistit in ordine*, ait Aristot. lib. 12. Metaphys.

Secundum. Secundò, stellas flammeæ naturæ esse censet Cicero lib. 2. de Natura deorum, Plato, Plinius & alii superiùs citati. Unde & ardentes à Poetis vocantur. Verè modernus Poeta: *Lucidæ*, inquit, *cœli lampades stellæ; naturæ foculi, noctis oculi; lunæ famulę, Solis flammulę.*

Tertiū. Tertiò, stellarum magna est multitudo, qualis est militum in castris. Plinius lib. 2. cap. 45. asserit in firmamento esse 1600. stellas effectu visuque insignes. Astrologi verò numerant 1022. sed longè plures sunt, quæ vel non videntur, vel, non nisi confusè, ut quæ in Galaxia commistam lucem exhibent, faciuntque viam lacteam. Unde *quo quisque acutiùs stellas intuetur, tanto plures videt*; ait S. August. lib. 16. Civit. cap. 23.

Quartū. Quartò magnitudine eminent stellæ. Nam stella quælibet in firmamento longè major est tota terra. Distinguunt astrologi stellas in sex magnitudinis differentias, traduntque illas, quæ primæ & summæ magnitudinis sunt continere magnitudinem terræ centies, & septies; quæ secundæ, nonagies: quæ tertiæ, 72. quæ quartæ, 54. quæ quintæ, 39. quæ sextæ & infimæ, decies octies. Insuper astronomi stellas à se notatas in 48. constellationes, sive imagines, redegerunt. Est verò constellatio certus stellarum numerus alicujus animalis, sive alterius rei effigiem situ ordineve repræsentans. Hinc stella erat hieroglyphicum Dei, ait Horus Apollo. Hinc & Pan Deus (quasi totius naturæ auctor & comprehensor) pingebatur stellis insignitus, de quo Orpheus:

Pana voco magnum, qui totum continet orbem.

Vide Pierium lib. 44. Hierogl. cap. 24.

Quoties ergo noctu cœlum tot stellis quasi gemmis distinctum & radians intuemur, mente assurgamus ad earum opificem Deum, eique cum Psalte gratulando concinamus. *Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus. Qui fecit luminaria magna*, &c. *solem in potestatem* (in dominium) *diei: lunam & stellas in potestatem noctis: quoniam in æternum misericordia ejus*. Porrò, quomodo ex sole, luna & stellis ascendere possimus ad Deum, ipsum contemplari, admirari & venerari, piè & eruditè docet Cardin. Bellarm. lib. de Ascensione mentis in Deum, gradu 7. ut inde discamus cœlestia ambire, terrena despicere, fortia agere, fortia pati. Hac enim via itur ad astra, hoc iter ad empyreum. Hac via in cœlum ivere Sancti, qui idcircò in cœlo coruscant ut stellæ. Vide quæ annotavit Daniel. 12. 3. Genes. 1. 16 Apocal. 2. 28. ubi varias dedi analogias Sanctorum & stellarum. Deus enim in cœlo inter lucis aurum, adamantes & gemmas, Sanctos suos & electos velut stellas, scalpro æterni sui decreti cælavit & insculpsit, juxta illud Christi: *Gaudete quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis*, Lucæ 10. 20. Ad has stellas, eorumque hoc cœlum anhelans S. Martinus jam moribundus, cùm æstuans febri supinus in illud suspiceret, ac discipuli suppliciter ab eo peterent, ut converso corpore tantisper, dum remitteret morbi vis, conquiesceret: *Sinite me*, inquit, *cœlum potiùs quàm terram aspicere, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur*. Quapropter ipse oculis ac manibus in cœlum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat, ait Sulpitius in ejus Vita.

SPECIES CÆLI GLORIA STELLARUM, MUNDUM ILLUMINANS IN EXCELSIS DOMINUS] Vers. 10
q.d. *Species*, græcè κάλλος id est pulchritudo; Syrus, *ornamentum cœli*, est *gloria*, id est gloriosa claritas, numerus & ordo *stellarum*, per quas Dominus habitans in excelsis mundum illuminat. Noster legit κόσμον φωτίζων id est *mundum illuminans*: jam legunt κόσμος φωτίζων id est, *ornatus illuminans*. Rursum Noster legit κύριος id est *Dominus* jam legunt κυρίου id est *Domini*, in genitivo. Unde sic vertunt, *pulchritudo cœli est gloria stellarum, ornatus illuminans in locis Domini supremis*; Complu. *in altissimis Domini*; Roman. legunt, *species cœli gloria stellarum, ornatus illuminans in excelsis Dominus*. Sed Vulgata lectio Latina meliùs fluit, ideoque verior est, Tigurina, *decus cœli gloria astrorum, ornatusque illustris in regione celsa Domini*. Hæc ultima verba significant causam cur stellæ exornent cœlum, quia scilicet in eis residet Dominus: dignum autem est Domini thronum his luminibus exornari. Porrò quàm hæc species cœli & stellarum pascat oculos, etiam philosophorum & Gentilium, audi docentem Lactant. libr. 6. cap 20 *Ajunt*, inquit, *philosophi multò esse præclarius, & homine dignius, cœlum potiùs quàm cælata intueri, & hoc pulcherrimum opus intermicantibus astrorum luminibus, tamquam floribus adornatum, quàm picta, & ficta, & gemmis distincta mirari. Sed cùm disertè ad contemptum terrestrium nos exhortati sunt, & ad cœli spectaculum excitaverunt; tamen spectacula hæc publica non contemnunt.* Ex illis unum producam Senecam: *Dum oculi mei ab illo spectaculo, cujus insatiabiles sunt, non abducantur, dum mihi lunam solemque intueri liceat, dum cæteris inhærere sideribus,*

bus, dum ortus eorum, occasus, intervalla & causas investigare, spectare tot per noctes stellas micantes, dum cum his sim, & cœlestibus (qua homini fas est) immiscear, dum animum ad cognatarum rerum conspectum tendentem, in sublimi semper habeam, quantum refert mea quid calcem? hæc Seneca Consolat. ad Albinam cap. 9.

Denique solem, lunam & stellas à Deo per intelligentias, id est angelos, qui, ut ait Apost. Hebr. 1. Dei & divinæ gubernationis sunt administratorii spiritus, moveri, constans est philosophorum & Theologorum sententia, indeque manare tantam motus eorum constantiam & ordinem liquet. Ita docet S. Dionys. Cæl. hierarch. cap. 5. & 8. S. August. lib. 3. de Trinit. cap. 4. Origen. hom. 13. & 14. in Numer. S. Gregor. 4. Dialog. 4. S. Thomas opusc. 10. q. 3. Bonav. in 2. d. 14. art. 3. q. 2. Plato lib. 1. de Legibus, Aristot. 12. Metaph. 8. & alii. vide Conimbric. lib. 2. de Cœlo cap. 5. quæst. 5.

VERS. 11. IN VERBIS SANCTI (minùs rectè Rabanus legit *sanctis*) STABUNT AD IUDICIUM, ET NON DEFICIENT IN VIGILIIS SUIS] q. d. Stellæ quasi milites obedientissimi & promptissimi *stabunt*, id est stare solent, & continuò stant, *in verbis sancti*, id est jussu & præcepto Dei sanctissimi, *ad judicium*; ut, scilicet, ejus justam sententiam, sanctumque imperium vindicando hostes ejus, vel protegendo fideles ejus servos, inviolabiliter exequantur. Deinde perpetuò vigilant & excubant, ac numquam lassatæ deficiunt, ut quiescant, vel cessent à suis vigiliis & excubiis sibi à Deo commissis; uti in terra lassantur nostri milites & vigiles. Deinde pro κρίμα, id est *ad judicium*; Complut. per synæresin unica voce legunt ἐγκρίματι, id est ilicò, continuò, statim. q. d. Stellæ astant Deo promptæ, ut ilicò exequantur ejus jussa (vel potiùs, ut Complut. vertunt, *in verbis sancti sistent* (ἐγκρίματι enim est activum, significans sistent, stare facient) *condemnationem*. q. d. Jussu Dei stellæ ilicò exhibebunt ejus condemnationis sententiam, ut vindictam & plagas ab eo decretas præsentes sistant. Per stellas intellige tum stellas, tum angelos stellarum motores & rectores. Pro *non deficient* Noster legit ἐκλύσουσιν, id est, non dissoluentur, non fatiscent, non deficient; Complut. legunt μὴ ἐκκαυθῶσιν, id est, *non accendentur, non exardescent*. q. d. Stellæ, esto continuò vigilent, luceant & ardeant, numquam tamen exardescunt & inflammantur incendio, multo minùs ira & impatientia, ut ordinem & stationem suam deserant, terramque accendant & comburant; uti fecisse Phaethontem, Solis filium è cœlo lapsum, fabulantur Poetæ. Aliqui codices Græci utrumque legunt: Tigurina, *ad imperium sancti suo consistunt ordine, nec stationes suas defessæ deserunt*; Syrus, *per verba sancti stabunt secundùm præscriptum sibi, & in cursu suo non variabunt*. Alludit ad Baruch 3. 33. *Emittit lumen, & vadit; & vocavit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis* (græcè est eadem vox quæ hìc, scilicet φυλακαῖς) *suis, & lætatæ sunt, & vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus, & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas*. Et ad Judic. 5. 20. *Stellæ manentes in ordine & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt*: angeli enim stellarum motores è stellis cœlo vibrantes & grandinantes lapides, tonitrua & fulmina in Sisaram, ejusque castra, ea disperdiderunt, æquè ac iisdem profligarunt Pharaonem & Ægyptios in mari rubro, Exodi 14. 24.

Paulò aliter explicat Palacius: q. d. *In verbis sancti*, id est, si Deus sanctus dixerit, ut stellæ stent, stabunt promptæ expectantes Dei judicium & decretum, tenebuntque iter suum, licèt cursu rapidissimo currant.

Allegor. Mysticè Rabanus: *Ornatus Ecclesiæ*, inquit, *est sanctorum pulchritudo: hi in verbis sanctis, id est, in doctrina veræ fidei, permanentes expectant judicium Dei: nec adversitatibus istius sæculi franguntur, neque ad iracundiam excitantur; sed patienter omnia ferentes persistunt in custodia gregis sibi commissi, memores semper, illudque Dominicum sedulò in corde volventes: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis: estote parati; quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet: in patientia vestra possidebitis animas vestras.*

Iris.

VERS. 12. VIDE ARCUM, ET BENEDIC EUM QUI FECIT ILLUM: VALDE SPECIOSUS EST IN SPLENDORE SUO] Post firmamentum, solem, lunam & stellas quinto loco exhibet & celebrat iridem, quasi opus speciosum Dei; ut inde ad Dei laudem excitemur, ac quoties iridem conspicimus, toties ad Deum assurgamus, & in iride Dei magnificentiam collaudemus. Dicit ergo: *Vide arcum*, scilicet cœlestem, putà iridem, *& benedic eum*, id est, lauda & glorifica Deum, *qui fecit illum*, quia *valdè speciosus est in splendore suo*. Nam iris est tricolor: triplicem enim colorem exhibet, eumque lucidum & splendentem, putà puniceum, viridem & purpureum, atque primum secundo, secundum tertio decorè subordinatum & contemperatum, ut pulchram colorum harmoniam, & quasi musicam spectantium oculis exhibeat. Causam physicam cur iris fiat, sitque tricolor, dat Aristot. lib. 3. Meteorol. cap. 3. Syrus hæc & sequentia usque ad cap. 44. omittit. Tigurina, *contemplare arcum splendore* (alii, *fulgore*) *suo perelegantem, & auctori ejus gratulare*, dicendo: Benedictus sis Domine, qui tam speciosam & fulgentem iridem creasti. Et si illa tam speciosè fulget, quàm speciosus, quàm fulgidus es tu Deus noster, qui in immensum speciem & fulgorem iridis omnisque creaturæ exuperas, ut illæ tecum collatæ deformes, obscuræ & tenebrosæ videantur.

Iridis causa, & mirabilia Primũ. Porrò iridis causa est, reverberatio radiorum Solis oppositi in nube rorida, opaca & concava. Quocirca licèt três primarii jam dicti sint iridis colores, multos tamen alios pro diversitate nubium, & reverberationis radiorum Solis sibi adsciscit & induit, adeoque, ut ait Virgil. 5. Æneid.

Mille trahit varios adverso sole colores.

Idem li. 9. iridem vocat decus cœli. Ovidius verò 6. Metamorph. graficè iridem describens, sic de ea canit:

Qualis ab imbre solet percussis solibus arcus,
Inficere ingenti longum curvamine cœlum.
In quo diversi niteant cùm mille colores,
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.

VERS. 13. GYRAVIT CAELUM IN CIRCUITU (græcè κυκλώσει, id est, in circuitione; ita Complut.) GLORIAE SUAE: MANUS EXCELSI APERUERUNT ILLUM] *Secundum.* Celebravit iridem à specie & fulgore, nunc eamdem secundò, celebrat à figura, putà à curvatura per medium cœlum, dicendo *gyravit*, id est, cinxit, ambivit cœlum *in circuitu*, id est, per circuitum, *gloriæ suæ*, id est, gloriosæ suæ pulchritudinis & splendoris. Iris enim instar magni arcus, curvando ambit totum hemisphærium nostrum, ac protenditur ab Ortu in Occasum, vel à Meridie in Septemtrionem. Vacabl. pulchrè, *gloriosa curvatura sua cœlum succingit circulo*. Iris ergo videtur esse gloriosus cœli baltheus, zona & cingulum. Alii, *ambit cœlum circulo glorioso*: curvatura enim iridis undequaque est tam præcisa & exacta, ut ad tornum circino adæquata & circinata videatur. Unde Manil. lib. 1.

Utque suos arcus per nubila circinat iris.

Tertiũ. Tertiò, celebrat iridem ab amplitudine, dicendo: *Manus Excelsi aperuerunt*, græcè ἐτάνυσαν, id est, explicarunt, extenderunt, *illum*. Unde Tigurina, *manibus Altissimi eum extendentibus*: extenditur enim & porrigitur iris ab una cœli extremitate in aliam: quare nulla manus humana vel angelica, sed sola divina eum extendit. Hæc tria sunt mirabilia & quasi miracula iridis.

Quartũ. Adde Quartum, nimirum constantiam. Iris enim nunquam mutat tres colores, splendorem, curvaturam in quacumque nubium diversitate, diversaque densitate, raritate, rorulentia, &c. cùm tamen phœnomena aeris & nubium ob diversam nubium dispositionem sæpè speciem, colorem, formam situmque mutent: sed iris in omnibus, ubique, & per omnia eundem semper tenorem, colorem & formam servat. quod sanè est admirabile, ac certum indicium eam Dei semper sibi constantis manu efformari.

Quintũ. Quintum est, quòd iris matutina portendat pluvias, vespertina serenitatem. Ita Julius Scaliger Exercit. 80. Manè enim fit in nube roscida, & in aquam solvi parata. Unde Ovidius 1. Metamorph.

Concipit iris aquas, alimentaque nubibus affert.

Seneca

Seneca verò lib. 1. Natur. quæst. cap 6. *Arcus*, inquit, *à Meridie ortus magnam vim aquarum vehit. Si circa Occasum refulsit, rorabit & leniter impluet. Si ab Ortu circave surrexerit, serena promittit.* Aliqui pro *rorabit* legunt *tonabit*: unde ex Seneca censent, iridem à Meridie nascentem pluvias augurari, à Septentrione ventum, ab Occasu tonitru, ab Oriente serenitatem.

Sextum. Sextum est, quòd iris sit imbrifera, ac per imbrem, quem affert, terram fœcundet. Adhæc iris fit ab opposito sole, velut in terram despectante, æquè ac in nubem; sed ita, ut terra sit media quasi inter nubem & solem: unde fit, ut quò sol est humilior & occasui propinquior, eo iris sit sublimior: & quò superior, eo iris demissior: quia Soli est opposita: ita Valesius Sacræ Philos. cap. 78.

Septimum. Septimum, quod iris, ut docet Aristot. lib 5. Histor. animal. cap. 22 multum conferat ad generationem mannæ, sive mellis aerii. Insuper Plinius lib. 12. 24 & lib. 17. 15. docet iridem miram suavitatem & odorem aspalatho, aliisque herbis & plantis aspirare. Laertius asserit saluberrimo iridis imbre afflatas rosas, fragrantiùs redolere.

Octavū. Octavum, est ordo colorum: in iride enim sunt tres trium colorum semicirculi. Primus & summus est puniceus sive citrinus: medius est viridis, infimus est purpureus. Causa est, quòd radius lucis cum exigua opacitate, efficit colorem puniceum, cum mediocri viridem, cum majore purpureum. Talis autem opacitatis varietas & ordo est in nube, cùm in ea fit iris. Hinc dicitur *Iris quasi aeris, quòd per aerem ad terras descendat*, ait Isidor. lib 13. Origin. cap. 10. Quocirca Plato in Theæteto irim Thaumantis filiam, propter admirationem dictam censuit. Unde Ovidius 4. Metamorph.

Roratis lustravit aquis Thaumantias iris.

Nonū. Nonum est, quòd iridis colores non sint veri, sed apparentes: ex transparentia enim lucis solaris per nubem & aquam, causatur hæc apparentia colorum. Sic apparens, non verus, color multicolor est in collo columbæ, in halonibus, virgis, pareliis, aliisque phænomenis, quæ in aere & nubibus apparent. Quocirca physici ita iridem definiunt: *Iris est arcus multicolor in nube rorida, opaca & concava, ex radiorum Solis oppositi reflexione apparens oculis spectantium.* Hinc iris quoque fit & apparet juxta fontes, cùm manè radiis Solis verberantur. Item juxta lumen lucernæ, cùm illud fuligine & fumo refrangitur. Hac de causa iris non cadit sub nostrum aspectum, nisi simus inter nubem in qua iris splendet, & solem ipsum constituti: quia ipsa nubes est quasi speculum, à quo fit ad oculos reflexio, ut docet Aristot. lib. 3. Meteor. cap. 4.

Decimū. Decimum est, quòd plures simul fieri possint irides, idque dupliciter. Primò, si utraque iris directè fiat à sole, v. g. si sol sit in medio cœli, & utriumque, ad Ortum scilicet & Occasum, sit nubes apta ad impressionem iridis: tunc enim iris una apparebit ad Ortum, altera ad Occasum. Secundò, cùm ex reflexione primæ iridis fit secunda, quæ idcircò est debilior: & ex reflexione secundæ fit tertia, quæ proinde est maximè debilis, ita ut vix videatur.

Undecimum. Undecimum, & maximum est, quòd iris sit signum divinæ clementiæ & beneficentiæ, & pacti cum Noe & hominibus; quòd deinceps nullum orbi inducturus sit diluvium: sic enim cum Noe pactus est Deus, Genes. 9. 13. Atque hac de causa ob iridem maximè benedicendus & glorificandus est.

Iridis elogia. Hinc & iris à viris sapientissimis concordi elogiorum celebrata est calculo: à Chrysostomo nuncupatur Dei hominibus reconciliati chirographum, ab Hieronymo supernæ clementiæ simulacrum, cœlestium induciarum pignus; à Damasceno, ab Augustino divinæ amicitiæ tessera, sempiterni fœderis obses à Bernardo, ab Ambrosio inviolabilis virtutis Dei & multiformis gratiæ specimen, cœlestis benignitatis typus à Cypriano, à Gregorio S. Spiritus idea, benevolentissimi Numinis testimonium à Nazienzeno, à Basilio pacis sequestra, à Beda divinæ propitiationis symbolum, deorum Mercurius ab Ethnicis, ab Anaxagora serenitatis præludium, Thaumantis sive admirationis filia à Platone, divini splendoris imago à Pythagora, multifarium lucis decus à Philone, à Macrobio benignissimum cœli prodigium, astrorum lingua ab Homero, ab aliis denique divina A quædam astrologa, superùm legata, felicitatis index, tranquillitatis præco, lætitiæ præambulatrix. Porrò à moderno Poeta hisce elogiis salutatur:

Illustrissima lucis pupula, aeris ahenna.
Edita patre sole, patria cælo.
Prodiga luminis, nuntia numinis.
Legata serenitatis, præsaga felicitatis.
Obses fœderis, hospes ætheris, civis sideris.
Pacis pincerna, naturæ lucerna.
Diei spectaculum, Dei miraculum.
Cœlorum progenies, colorum congeries.
Mille luminum irradiata facies, variata maculis.
Calorum impetratrix, eamdemque temperatrix.
Illustri parente illustrior soboles.

Quid iris mysticè & symbolicè significet, fusè dixit Genes. 9. 13. Apocal. 4. 3. & Ezech. 1. 28.

Quibus adde, iridem esse symbolum crucis Christi: in cruce enim quasi in arcu extensus & distentus Christus; validissimas orationis & amoris sagittas sursum ad B Deum Patrem ejaculatus est; quibus cor ejus vulneravit, ut nostri misereretur, nobisque peccata remitteret: quin & nos sibi in filios & heredes adoptaret. *Iris est typus crucis Christi.*

Denique appositè S. Basilius epist. 43. ad Gregorium Episc. Nyssenum fratrem de differentia οὐσίας καὶ ὑποστάσεως, SS. Trinitatem comparat iridi. Primò, quia sicut, iris est una & tamen tricolor, sic Deus est unus in essentia & trinus in personis. Secundò, sicut iris trinos hosce colores efficit per refractionem radiorum Solis in nube: sic Trinitas personarum oritur ex Solis divini, id est, Patris æterni, intelectione, quæ vim generationis habet & spirationem. Tertiò, *sicut in iride*, inquit, *colorem discrimina clarè cognoscimus, & tamen alterius ad alterum dissidium sensu percipi nequit: ita & proprietates trium hypostaseon, perinde ac flos quidam eorum colorum qui in iride visuntur, in singulis personis quæ in S. Trinitate creduntur; separatim relucent: ejus verò proprietatis, quæ secundùm naturam est, nulla alterius personæ ad alteram differentia excogitari potest: sed in communicatione τῆς οὐσίας, notiones propriæ in unaquaque communiter resplendent.* Huc usque C S. Basilius. *Iris SS. Trinitatis symbolum. Primò. Secūdò. Tertiò.*

Nix, fulgura, nubes, pruina.

IMPERIO SUO ACCELERAVIT NIVEM, ET ACCELERAT CORUSCATIONES EMITTERE IUDICII SUI] Pro *coruscationes*, græcè est ἀστραπὰς, id est, fulgura & fulmina. Pro *acceleravit*, Complut. legunt κατέπαυσε, id est, *cessare fecit*, Verùm Græci codices Romæ correcti, & cœteri habent κατέσπευσε, id est, *acceleravit*. Unde Tigurina, *idem imperio suo nivem urget* (ut celeriter in lucem prodeat) *& fulgetra pro judicio suo concitat*. Sensus est, q. d. Deus non longo molimine, uti faciunt homines, sed celeriter & penè in instanti producit & emittit nivem tam densam & copiosam, ut totum aerem suis floccis impleat; adeò ut radios Solis, ipsumque cœlum aspectui nostro intercipiat. Nix enim, ut & aliæ res ita obedit Deo, ut verbo jussuque ejus evocata, ilicò ei se existentem & præsentem sistat: tanta est verbi Dei efficacia, D tanta nivis erga Deum vocantem obedientia. Porrò non frustra, sed ad magnum terræ hominumque commodum Deus mirabiliter emittit nives. Nam Primò, emittit nives, quasi aves aeris, ut per eum volando, eum purgent & purificent. quot enim sunt flocci nivis, tot quasi aves sunt cæli, tot quasi plumæ candidæ cycnorum. Secundò, nix solvit frigus: incidit enim rigorem aeris frigore constipati, & quasi conglaciati. Tertiò, nix fœcundat terram. Unde Hispani hoc habent proverbium: *Annus nivosus, annus fertilis & copiosus*. Denique Psaltes psalm. 147. *Qui dat nivem*, inquit, *sicut lanam*. Nix enim in candore, levitate, densitate, calore & mollitie, ait Theodor. ibidem, similis est lanæ. Nam nix quasi lana terram tegit ad eam fovendam, calefaciendam & fœcundandam: dum halitus & exspirationes terræ cohibet, & intus repellit; dumque resoluta, liquata instar sacchari sensim terram irrorat & impinguat. Quocirca extat hoc nivis ænigma: *Vers. 14. Commoda nivis. Primum. Secūdū. Tertium. Quartū.*

Candidior cygni plumis, sum filia brumæ,
Dura minùs glacie, sed nec minùs algida: fungo
Rarior, ac fluidum in laticem tabesco tepore.

Signo

Signo novem, fuerit si littera prima recisa:
Cor mihi si jungas, vix est avis atrior ulla.

Mysticè, nix symbolum est tentationis & tribulationis, qua probatur & roboratur virtus fidelium. Unde S. Ephrem in Serm. ascet. ad imitationem Poverb. *Tempore nivis, inquit, pervestigatur fera, & tempore tentationis investigat satanas monachum: probatio autem monachi in tentationibus apparet.* Et anterius: *Multi habitu monachi, at pauci certatores: tempore autem certaminis monachi probatio apparet.*

Rursum multò magis *accelerat* Deus *coruscationes* & fulgura: quia quasi in momento fulgur apparet, transitque ab Oriente in Occidentem. Simile, sed efficacius est fulmen, quod non est aliud, quàm exhalatio ex nubium collisione ignita, indeque magno impetu erumpens vel excussa.

Mirabilia fulminis. Mirabilia, & quasi miracula fulminis sunt hæc. *Primò.* Primò, ejus celeritas; *Secùdò.* Secundò, ejus ignea natura, item efficacia: nihil enim est tam validum, quod non sternat. *Tertium.* Tertiò, varietas: fulmen enim aliud terebrat, quia videlicet valdè subtile est & flammeum: aliud dissipat, quia valdè conglobatum, & spiritus coacti admixtione conflatum: tertium adurit, quia ignitum. *Quartò.* Quartò, quòd fulmina feriant sæpiùs altos montes & præaltas turres. Causa est, quòd cùm obliquè ferantur, celsissima quæque obviam fiant, ideoque in ea frequenter impingant. Unde Claudian. ad Hadr.

Incubuit numquam cœlestis flamma salictis,
Nec parvi frutices iram meruere Tonantis;
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.

Quintò. Quintum tradit Plinius lib. 2. cap. 55. lib. 37. 10. fulmine non ici laurum, nec aquilam, nec corallum, nec vitulum marinum. Sed hæc fabulosa, vel certè dubia videntur. Nam laurum fulmine tactam narrat Vicomercatus in *Sextum.* lib. 3. Meteorol. c. 10. Sextum, quòd fulmen rara & mollia non lædat: quia celerrimè per ea transit, densa verò ac dura, quæ resistunt, feriat & sternat. Ratio est quòd in duris, ut eorum contumaciam vincat, diutiùs moretur, omnesque vires suas colligat & expromat, inquit S. Damascen. in Physicis cap. 17. Sic fulmen illæsa vagina ensem inclusum liquat; bursa intacta aurum, æs & argentum inclusum conflat; inviolato ligno circa pila ferrum dissolvit; integra carne ossa comminuit. Albertus Magnus lib. de Tonitruo cap. 21. refert dolium fulmine correptum frangi & comburi, ipsum autem vinum subitò concretum stare, ita ut rigor ille triduo duret. Ferunt autem vinum, quod fulmine concretum fuit, cùm ad liquorem redit, potum exanimare, vel dementiam inducere. Ratio est, quia fulmen habet in se noxias qualitates sulphuris, aut alterius similis materiæ, quibus vinum inficit. Denique pervulgatum est, venenata interdum post fulminis ictum, plagam deponere; & è contrario quæ nihil antea *Fulgura sunt judicii divini.* veneni habebant, ipsum concipere. Ratio est, quia illis fulmen venenum exurit: his verò sulphuream noxiamque qualitatem imprimit. Ita Conimbr. tract. 2 in Meteora, c. 6.

Porrò *coruscationes* dicit esse *judicii sui*, scilicet divini.

Primò. Primò, quia Deus secundùm suum, non hominum, nec angelorum judicium, cùm scilicet ei videtur, creat, mittitque fulgura.

Secùdò. Secundò, quia per fulgura, sua judicia, id est minas & vindictas, exercet: dum per ea peccatores metu percellit, & subinde morte percutit: idque significat etymon fulguris & tonitrui. Nam, ut ait S. Isidor. lib. 13. Orig. c. 8. & 9. *tonitruum dictum, quòd sonus ejus terreat: nam tonus, sonus, fulgur & fulmen, ictus cælestis jaculi, à feriendo dicti: fulgere enim ferire est ac percutere.* Hinc illud Poetæ.

Fulgura, & humanas motura tonitrua mentes.

Vide dicta cap. 16. 18.

Tertiò. Tertiò, quia dies judicii frequentissimis & vehementissimis coruscationibus horribilis erit, juxta illud psal. 96. *Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ.* Idem patet Apoc. cap. 8. 5. & cap. 16 18.

Quartò. Quartò, τὸ *judicii sui* significat Deum non temerè, sed magnâ consideratione, judicio & ratione emittere fulgura. ita Uatabl. Mirabile verò Dei judicium est, quòd fulmen alta & dura sternat, demissa & mollia pertranseat, uti paulò antè dixi.

Mysticè, nix est purgatio peccatorum per pœnitentiam & lacrymas, juxta illud Isaiæ cap. 1. 18. *Si fuerint*

A *peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* ita S. Hieron. in psal. 147. Unde David psal. 50. *Asperges, inquit, me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.*

PROPTEREA APERTI SUNT THESAURI, ET EVOLAVERUNT NEBULÆ SICUT AVES] Pro *nebula*, græcè est νεφέλαι, id est *nubes*: quia nebula est nubes demissa, sive inferiorem aeris regionem occupans. VER. 15

Tigurina, *propter hoc penetralia recluduntur, & nubes volucrum more provolant.* Thesauros enim vocat cellas & apothecas, in quibus recluduntur nummi, fruges & opes; non quòd Deus verè tales habeat apothecas, sed quòd nubes & nebulæ in Deo, Deique voluntate & omnipotentia, quasi in thesauro & cella reconditi sunt; & ad ejus nutum, quasi aperta cella in lucem edantur, ac in aerem prosiliant, juxta illud Job. 38. 22. *Numquid ingressus es in thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti: quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ & belli?* Per *nebulas* intellige tum quaslibet: nam etiam illæ, quæ in medià re- *Nubes quasi aves Dei.*
B gione aeris sunt, volant quasi magnæ aves, & ex illis evolant nives, pluviæ, grandines, &c. quasi aves minores. unde de illis statim subdit: *In magnitudine sua posuit nubes.* Tum peculiariter intellige nebulas, & pruinas: hæ enim sunt quasi canæ & candidæ aves hjemis, quæ in aspero gelu volant per aerem, insidentque arboribus & herbis. De quibus Psaltes psal. 147. *Nebulam*, hebr. כפור *Kephor* (id est, ut S. Hieron. vertit, *pruinam*) *sicut cinerem spargit.* Pruina enim similis est cineri colore, copia & virtute: nam instar cineris exurit & consumit nimium terræ humorem, itaq; eam fertilem & fœcundam efficit. Nam alioqui nebula propriè dicta est illa pars nubis, quæ ad aquam gignendam inidonea, post nubem in pluviam resolutam, quasi nubis excrementum remanet. Unde Aristot. lib. 1. Meteor. c. 9. *nebulam* vocat nubem sterilem, eamque serenitatis futuræ signum esse asserit. Hinc mysticè, pruina est dolor de peccatis, & compunctio. Hæc enim mentem dolore æquè ac amore urit: itaque eam expurgat, & gratiæ capacem, virtutibusque fertilem efficit. ita S. Hieron. in psal. 147.

C Secundò, valdè apposite Palacius: Quia, inquit, post coruscationem grandis solet descendere pluvia, meritò dicit *propterea*, id est, propter coruscationem *aperti sunt thesauri*, & in mari, & in aere, ut inde pluvia ruat. Unde sequitur, *Evolaverunt nebulæ sicut aves*: dictu enim mirum, quomodo coruscationibus evanescentibus, & pluvià cessante, nubes avolent ut aves, cœlo effecto sereno, ac si tempestas non præcessisset: juxta illud, *Post tempestatem, tranquillum facis*, Tobiæ 3. 22.

Grando, terræmotus, tonitrua, venti, turbo, nix.

IN MAGNITUDINE SUA POSUIT NUBES (græcè, ἐν μεγαλείῳ αὐτοῦ ἴσχυσε νεφέλας, id est *magnificentia sua fortificavit*, vel *corroboravit nubes*; Noster pro ἴσχυσε, id est corroboravit, videtur legisse ἔστησε, id est stitit, posuit) ET CONFRACTI SUNT LAPIDES GRANDINIS] Tigurina, *nubes exauget magna potentia sua, ut elidat lapides grandinis.* Præterita, *posuit, corroboravit*, more Hebraico VER. 16
D sumuntur pro præsenti, *ponit, corroborat*. Sensus est, q.d. Deus magna sua potentia *ponit*, id est sistit, stipat, densat, firmatque nubes: ac ex iis ita densatis confringit quasi frustatim lapillos & globulos grandinis, non quòd nubes immediatè in grandinem convertat, ut vult Isidorus; sed quòd nubes resolvat in aquæ guttas, quæ vi frigoris statim constringantur, & in globulos grandinis congelascant. Ita ex Aristot. Valesius S. Philos. cap. 54. Grando, inquit, videtur quibusdam fieri ex nubibus, primùm quidem in glaciem duratis; deinde ventorum frigore comminutis in frustula, aut etiam calore Solis: itaque esse grandinem frustula decisæ glaciei, ea verò fieri in ipso descensu rotunda, longo illo præcipitio velut convoluta. Fuit hæc sententia inter antiquos philosophos, Epicuri; inter Christianos, D. Isidori Hispalensis; cui videntur suffragari illa verba capitis 43. Ecclesiast. *In magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis.* Hæc enim apertè videntur innuere, confractis lapidibus (ex glacie scilicet) factam esse grandinem. Cęterùm Aristot. evidenter satis refutavit hanc sententiam cap. 12. 1. Meteor. his verbis: *Absurdum præterea suspicari, aquam superiori in loco* *Grandinis formatio.*

in loco congelascere; quandoquidem fieri non potest ut id consequatur, antequam reddatur aqua, neque ullo tempore aqua suspensa permanere potest. hæc Aristot. Ex quibus palam fit, ex nube aquæ guttas fieri priùs, his deinde seorsum cadentibus & gelascentibus fieri grandinem, & ipsarum guttarum figuram retinere. Illud verò Ecclesiast. ita intelliges, confractos esse lapides grandinis, hoc est decisos ex nube, non quidem gelata priùs, sed per particulas in guttas abeunte: verum enim ita etiam est, lapides grandinis ex nube esse decisos; etsi non sint decisi facti jam lapides, sed post decisionem lapidaverint. Hoc est quod Deum celebrans Job ait cap. 38. 30. *In similitudinem lapidis aquæ durantur*, scilicet in glacie & grandine: hæc enim est aqua frigore contricta & lapidescens. Et Psaltes psalm. 147. 17. *Mittit crystallum suam, sicut buccellas.* q.d. Deus emittit grandinem conglaciatam instar crystalli, *sicut buccellas*, id est sicuti frustra & fragmenta. Crystallus enim græcè dicitur à κρύος, id est frigus, & στέλλω, id est contraho, constringo. Unde & gemma crystallus Plinio nihil aliud est quàm glacies sub terra nimio frigore sic constricta & indurata, ut resolvi nequeat de quo v. 22.

Grando fœcũdat terram. Porrò grando fœcundat terram: grana enim grandinis instar granorum sacchari, terram edulcorant, humectant & nutriunt. Idem magis faciunt nubes, dum in pluviam resolutæ in terram depluunt, eamque imprægnant & fœcundant, juxta illud psalm. 146 8. *Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam. Qui producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum. Qui dat jumentis escam ipsorum.* Et psalm. 103. 13. *Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra*, &c. *ut educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis, ut exhilaret faciem in oleo.* Terra enim per pluviam imprægnata, producit frumentum, vinum, oleum, omnesque fruges, herbas, arbores & plantas.

Mysticè, grando sunt minę Dei. Mysticè, grando significat minas gehennæ, iræ & vindictæ Dei; quas nemo ferre potest: has liquefacit Deus, cùm eas suis consolationibus & promissionibus lenit & mulcet: itaque terram cordis nostris edulcorat, humectat, nutrit, & bonorum operum fertilem efficit. ita S. Hieron. in psalm. 147. *item persecutiones.* Item grando sunt persecutiones: talis fuit grando lapidum, qua impetitus Stephanus, Saulum eos grandinantem sua prece convertit, ex eoque fecit Paulum. Unde prudent. Peri Stepha.

Martyrum semper numerus sub omni
Grandine crevit.

Hi sunt thesauri Dei in nive & grandine persecutionum, ait Rabanus. qui & addit: *Grando quoque est libera sanctorum increpatio. Grando enim veniens percutit, liquida rigat. Sancti autem viri corda audientium terrentes feriunt, & blandientes infundunt: nam quemadmodum feriunt, Propheta testatur, dicens: Virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt; & quemadmodum blandientes rigent, secutus adjunxit: Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & in tua justitia exultabunt*, psal. 144. v. 6. & 7.

Apologus de tumultu superbię & pace humilitatis. Symbol. nubes sunt symbolum celsitudinis & ambitionis, quæ parit grandines tumultum & humiliationum. Eleganti apologo nubium & terræ, id oculis subjicit Cyrillus lib. 2. Apolog. mor. c. 12. cujus titulus: *Contra appetitum mundanæ celsitudinis. Exorta, inquit, de tellure nubecula statim cœpit innato desiderio sursum ferri. Cui terra mater dixit: Dic mihi ex quo, & ubi nata fuisti? nonne in me, & ex me? Cur ergo super matrem erigeris, & natale solum cunctis gratissimum, facta peregrina relinquis? Quin etiam sursum electa vel à tempestatibus involueris, aut ab æstu obvio consumeris. Rogo, igitur, nata, quiesce, & in patrio salutaris humilitatis sinu recumbe. At illa minùs prudenter respondit: Appetitus quidam desiderabilis celsitudinis sursum me cogit ascendere, cui contradicere si liceret, non placet. Ad hoc multum illi terra compatiens dixit: Dic mihi, quæso, quò erigi concupiscis? Cui nubes: Anhelo*, inquit, *pertingere in Aquilonis sublimia, ubi constituta, toti universo visibili sim prelata. Quo audito, mater tellus deridens caliginis cæcitatem, subjunxit: Satis patet, ut parum antè genita infantiliter es locuta. Nam minimè positionis cœlestis ordinem didicisti, nec mundi situm mirabilem attendisti.* *Ratio physica.* Idipsum hac ratione physica & astrologica demonstrat: *Responde mihi quę pars primò moveatur in cœlo, nonne Orientalis?*

A *Inde namque stella dialis ascendit, & quasi motu suo, ortis ibidem sideribus, rectè Oriens appellatur. Igitur hęc pars dextera est cœli: quę enim pars in animali prima movetur, hęc dextra vocatur. Igitur si, uti patet, Oriens cœli dextrum judicetur, necessariò concluditur, ejus polum Antarcticum esse sursum. Ab eo enim tradunt Philosophi, Orientalis motus principium derivari. Quin etiam in corpore animalis pars illa dextra est, in quam caput primò influit. Cęterùm primum motum cœlestis lationis ex Meridionali polo principium sumere, hac ratione dignoscitur: Quia nimirum vertice hominis versus illum situato, mox ejus dextera, si voluatur, ab Oriente movetur. Itaque si Meridionalis in cœlo populus sursum est, Aquilonaris erit per consequens deorsum.* Ex quibus concludit, & hoc epimythium quasi apologi scopum fructumque colligit: *Quare charissima, si tuus fert animus versus ipsum ventilari, putans erigi, profundaberis; & cùm credideris te ire sursum, tunc demergeris in mundi maximam abyssum, accidetque tibi sic cum superbis decipi qui dum jactantiæ flatu se sursum elevari opinantur, ruunt deorsum ad ima inferni, &* B *divinæ ictu justitię profundantur; & cùm videntur altissimè efferi, speculo decepti fallacię, tunc profundissimè demerguntur. Qui enim contra verum mundi cursum erigitur, necessariò locus ejus ex opposito in inferno prępăratur. Ex conditoris autem providentia, superborum locus habitabilis Aquilonari loco supponitur, ut ex situ mundiali addiscant, illud quidem quod secundùm mundanæ visionis aspectum videtur superius, in veritate fore inferius. Quamobrem fugientes hujus sęculi fallax sursum, ad verum humilitatis tendamus deorsum. Sic enim natura, ubi pari modo membra situaverat, tamen inferiùs collocato capite, de matris aluo infantulum mittit in hunc mundum, & humilitatis magistra cornu cordis, ac pedem propterea situat deorsum. His definitis quievit.*

In conspectu ejus commovebuntur montes: et in voluntate ejus aspirabit Notus] Græcè, ἐν ὁράματι αὐτοῦ, id est, *in aspectu ejus*: *Vers. 17* q.d. Cùm Deus irato, vel potenti & efficaci vultu aspexerit terram & montes, qui tanta tamque gravi mole consistunt; solo aspectu nutuque illos concutiet, & terræmotum inducet, juxta illud psalm. 103. C *Qui respicit terram, & facit eam tremere.* Ac rursum, cùm voluerit blandiri terræ & hominibus, *in voluntate ejus aspirabit Notus*, id est, Auster. Tigurina, *montes ipso despiciente commoventur: & Auster flabit, cùm ipse vult.* Alludit ad Habacuc. 3. *Aspexit, & dissolvit gentes: contriti sunt montes sęculi.* Et inferiùs: *Viderunt te, & doluerunt montes.* Est igitur terra instar pavidi servi, qui tremit, si iratior eum aspexerit herus, ait Palacius. Porrò Complut hunc versum cum sequenti ita invertunt & combinant: *Vox tonitrui ejus dolere (tremere) facit terram: & in aspectu ejus commovebuntur montes*, per tonitruum & terræmotum. *In voluntate ejus flabit Notus: & tempestas Borec, & conversio spiritus, sicut aves volantes dispergit nivem.* Verùm Græci codices Romæ emendati planè habent ut Latina Vulgata.

Mysticè Rabanus, Montes, inquit, sunt superbi: Notus, sive Auster, est gratia Spiritus sancti, qui delicta mortis gelu constricta, sui caloris ardore discutit: itaque superbos Dei timore & amore concutit.

D Vox tonitrui ejus verberabit terram: tempestas Aquilonis, et congregatio spiritus] *Vox tonitrui*, est sonus & fragor *Vers. 18* tonitrui; vel per hypallagen est tonitruum vocis, id est, tonitruum vocale, & magna voce resonans: tam enim ipsum tonitru, quàm ejus vox & fragor, verberat terram & terrigenas. *Verberavit*, id est, verberat, hoc est verberare solet. Omnia enim hæc præterita more Hebræo sumuntur pro præsenti, & significant actionis divinæ morem & consuetudinem.

Tonitru verberat terram. Primò. Tonitru enim verberat terram, Primò, quia oritur ex vehementi collisione nubium, quæ vehementem facit aeris impulsum, quo terra verberatur. *Secundò* Secundò, quia hæc collisio horribilem excitat fragorem, qui verberat aures hominum: tanta enim est, ut mundi machina concuti, & à centro convelli videatur. *Tertiò.* Tertiò, quia ingenti metu percellit & percutit mentes audientium, etiam regum & Imperatorum, juxta illud;

Humanas motura tonitrua mentes.

Sanè Augustus Cæsar ita percellebatur tonitruo; *ut in locum abditum & concameratum se reciperet; ac semper & ubi-*

ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio, ait A Suetonius in ejus Vita cap. 90. Sic & hodie multi etiam fideles & sancti, valdè percelluntur dum tonat, & tonitru tanto sono reboat. Quartò, tonitru ejaculatur fulmina & fulmineos lapides; qui non rarò turres, montes, arbores, domos, homines & animalia sternunt & evertunt: uti sæpè vidimus.

Quartò.

Tonitrui quatuor causæ.

Porrò tonitrui causa materialis, est exhalatio sicca & calida: formalis, est collisio nubium cum fragore & sonitu: efficiens, est pugna exhalationis è nube conantis erumpere: finalis, est metu tonantis numinis homines percellere, ut scilicet homines timeant Deum. ita Aristot. in Meteor. Unde Silius Ital. lib. 17. graphicè hunc fulminis terrorem ita depingit:

Ut cùm fulminibus permixta tonitrua mundum
Terrificant, summique labat domus alta parentis:
Omne hominum in terris trepidat genus; ipsaque oborta
Lux atrox micat, & præsens astare viritim
Creditur intento perculsis Juppiter igne.

Ecquis non metuat fulminantem & altitonantem Om- B nipotentis dexteram?

Pro *verberavit*, græcè est ὤδινησε, id est, dolere & parturire fecit terram, hoc est, eam ita commovit, quasi per ingenti metu & dolore esset paritura, & fœtum enixura. ita Complut. Roman. Jansen. & alii. Unde Tigurina, *sonitus tonitrui ejus terram dolore commovet*. Est catachresis valdè apposita: concussio enim terræ quasi ad tonitru Dei expavescentis, repræsentatur per dolorem & pallorem fœminæ parturientis.

Pro ὤδινησε, aliqui legunt ὠνείδισεν, id est, *increpavit*. unde Rabanus legit, *vox tonitrui ejus exprobravit terram*. Codex Vaticanus habet ἐσάλευσεν, id est, *concussit*, percussit; quod magis consonat cum nostro *verberavit*. Porrò tonitruum priùs est fulmine, cùm ejus sit causa. Tonitru enim est collisio & fragor nubium, qui fulmen elicit & exprimit: & tamen priùs videmus fulmen, quàm audiamus tonitru: tum, quia visus celerior est auditu; tum, quia sonus tardior est, tardiusque ferit auditum, quàm species visibilis, præsertim fulgoris, feriat visum: tum, quia verber tonitrui, quo aures perinde ac nubes, aeremque verberat, adeò grave & ponderosum est, ut plusculum temporis requirat, lentiusque ad aures proserpat. Simile est in tormentis bellicis: priùs enim videtur ignis, quàm audiatur fragor igneum eliciens, ejusque vi globum ejaculans: Unde milites viso igne tormenti, sat habent temporis ut se à globo, quem ejaculatur, subducant.

Simili schemate Psaltes Dei magnificentiam in voce tonitrui ejus celebrans toto psalm. 28 *Vox*, inquit, *Domini super aquas: Deus majestatis intonuit; vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia: vox Domini confringentis cedros, &c. vox Domini interdicentis flammam ignis*. Tonitru enim ejaculatur incisa & dissecta quasi fulmina, unum post aliud assiduè. *Vox Domini præparantis cervos*, per terrorem ad partum; S. Hieronym. *obstetricans*; Symmachus & Aquila, *parturiens*; Chald. *parturire faciens cervas*. Cervæ enim vulvam habent angustam, quæ pavore tonitrui dilatatur, ut faciliùs pariant.

Tonitru est vox Dei.

Vox ergo Dei horribilis, potens, magnifica est tonitru. D Nam nulla res ita magnificentiam Dei celebrat, eumque hominibus terribilem & metuendum facit, ac tonitru ejusque fulmen. Unde Job cap. 40. 4. *Si habes brachium*, inquit, *sicut Deus: & si voce simili tonas*. Et cap. 38. 35. *Numquid mittes fulgura, & ibunt: & revertentia dicent tibi, Adsumus?* Sanè Horatius licèt Epicureus, & contemptor deorum & numinis; tamen terrore tonitrui coactus agnovit & confessus est Deum. Audi eum lib. 1. Carm. ode 34.

Parcus deorum cultor & infrequens
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro; nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos: namque Diespiter
(id est, Jupiter sive Deus)
Igni corusco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum,
Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quo Styx, & invisi horrida Tænari
Sedes, Atlantæusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare: & insignem attenuat Deus.

Quin & Lituani, tempore Jagellonis anno Domini 1326. fulmen, quasi numen adorabant, teste Mart. Cromero lib. 15. de Rebus Polon.

Hinc Deus à Græcis vocatur ὑψιβρεμέτης, Latinè Altitonans; quia tonitru totum tremefecit olympum. Et Job c. 37. 4 *Post eum*, inquit, *rugiet sonitus: tonabit voce magnitudinis suæ; & non investigabitur, cùm audita fuerit vox ejus. Tonabit Deus in voce sua mirabiliter; qui facit magna, & inscrutabilia*. Favent etyma. Nam ut ait Isidorus lib. 13. Origen. cap. 7. & seq. *tonitrum dictum, quòd sonus ejus terreat: nam tonus, sonus: qui ideò interdum tam graviter concutit omnia, ut cœlum discidisse videatur. Fulgur & fulmen ictus est cœlestis jaculi à feriendo dicti: fulgere enim ferire est ac percutere. Nebulæ, quasi nubila, & nubes ab obnubendo, hoc est, aperiendo terram: unde & nuptæ, quòd vultus suos velent; & Neptunus, quòd nubat, id est mare & terram tegat. Pluviæ, quasi fluviæ, quòd fluant. Grando, quia similis grano. Glacies à gelu & aqua, quasi gelacies, id est gelata aqua. Pruina à perurendo. Ros à Græco* δρόσος, *aut quia rarus est, non spissus ut pluvia. Caligo, quia calore aeris genita. Tenebræ, quòd teneant umbras. Procella, quòd percellat, id est, percutiat & evellat. Aqua quasi æqua, quòd superficies ejus æqualis sit. Hinc & æquor appellatum, quia æqualiter sursum est. Ventus, quòd sit vehemens & violentus. Fragor, à fractarum rerum sonitu. Aquilo, quòd aquas stringat & nubes dissipet. Auster, quòd hauriat aquas. Mare, quòd amaræ sint ejus aquæ*. Hæc & plura S. Isidorus.

Etyma grandinis, fulminis, tonitru, &c.

Anagog. vox tonitrui erit vox Christi judicis, qui cœlo Sanctos, inferno impios adjudicabit dicens: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*, Matth. 25. Hæc enim vox impios ita percellit, ut dicant *montibus, Cadite super nos; & collibus, Operite nos*, Apocal. 6. Adeoque erit efficax, ut eos illicò convolvat & deturbet in tartara. Si ergo ita formidamus tonitru illicò C transiens, quomodo formidare debemus tonantem vocem Christi, quę fulmen æternæ damnationis in peccatores vibrabit & ejaculabitur? Tropol. vox tonitrui fuit S. Joannes Baptista: ipse enim fuit *vox clamantis in deserto*, Isaiæ 40 Vide S. Basil. totum psalmum 28. qui est de voce tonitrui, S. Joanni adaptantem.

Anagog. tonitrui est sententia damnationis.

Allegor. vox tonitrui, est prædicatio Evangelii, sive vox Christi & Apostolorum evangelizantium: quæ terram & aquas, id est, populos multos, commovit ad pœnitentiam: cedros & montes, id est, superbos tum dæmones, tum homines confregit: intercidit, id est divisit, ignem, scilicet charitatis, dum Spiritum sanctum specie ignearum linguarum dispertitarum in Pentecoste Apostolis immisit & indidit: concussit desertas Gentium regiones. Eadem cervas, id est timidos & tardos ad partum virtutum, pavore judicii Dei præparat: inducit diluvium, id est, baptismum, in quo veluti cataclysmo universa peccata merguntur. ita S. Basil. Theod Didymus, Origen. S. Augustin. in psalm. 28. Audi & Rabanum hic: *In tonitruo*, inquit, *ipse incarnatus Dominus figuratur: quia ex antiquorum patrum conveniente prophetia ad notitiam nostram, quasi ex nubium concussione prolatus est: qui inter nos visibiliter apparens, ea quæ super nos erant, terribiliter sonuit. Unde & ipsi sancti Apostoli de ejus gratia generati, boanerges, id est filii tonitrui, sunt vocati: aliquando autem, (sicut dictum est) tonitruum pro ipsa ejus prædicatione accipitur, per quam supernorum judiciorum terror auditur. Vox quidem tonitrui exprobat terram, quando prędicatio divina carnalibus (qui terræ nomine ritè censentur) increpando, innotescit sua vitia; ut his depositis, se præparent ad audiendum præcepta divina. De hoc quoque tonitruo scriptum est: Vox tonitrui tui in rota, illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, commota est, & contremuit terra & hoc quoque comparativè dicitur; quia tonitrui vox ita revolvitur, quasi de rotis venire perstrepentibus audiatur. Sic enim, cùm de summo funditur, spatia cœlorum volubili murmuratione pertransit, ut rotatus atque sinuosus ipse sonitus sentiatur: sive magis in rota orbem terrarum debemus accipere, qui in speciem rotæ absoluta rotunditate concluditur. In rota ergo, id est, in mundo, vox tonitrui ejus egressa est, quando prædicatores Christi circulum totius orbis verbis tonantibus impleverunt.*

Allegor. est prædicatio Evangelii.

TEMPESTAS AQUILONIS, ET CONGREGATIO SPIRITUS] Græcè, συστροφὴ πνεύματος, id est, vertex venti, turbo, qui in orbem rotatus omnia secum rotat & gyrat, adeò vehemens & procellosus est, ut domos, naves, currus evertat, imò abripiat; qualis est ecnephias, prester, & turbo sive typho, præcipua navigantium pestis; qui non vela tantùm, sed ipsa etiam navigia contorta frangit & absorbet, ac nonnumquam in altum abrepta secum aufert: similiterque in terra evulsas arbores, & ingentia saxa aliorsum devehit. Unde Olympiodorus typhona dictum censet, διὰ τὸ τύπτειν σφοδρῶς, id est, *quòd validè & vehementer corpora, in quæ incidit, verberet & quatiat*. Porrò cùm ait, *Tempestas*, &c. repete *verberavit terram*. Ventus enim, presertim Aquilonaris, terram ita verberat, ut eam rigore & glacie constringat: &, cùm impetuosus est, segetes, arbores, quin & turres prosternat. Unde Albinus Flaccus Disput. cum Pipino Caroli Magni filio: *Quid*, inquit, *est ventus? Aeris perturbatio, mobilitas aquarum, siccitas terræ. Quid est gelu? persecutio herbarum, perditio foliorum, vinculum terræ, fons aquarum*.

Ventorũ vis.

A

Rursum Græci, & Jansenius, aliique Latini hæc verba referunt ad τὸ *aspergit nivem*, quod sequitur: Aquilo enim affert nivem. Unde Tigurina hæc nectens cum v. seq. vertit, *Aquilonaris procella, turboque venti more volucrum devolantium, nivem, in modum sidentium locustarum descendentem spargit: ut albentis pulchritudinem miretur oculus, & imbrem animus stupeat*.

B

VERS. 19 ET SICUT AVIS DEPONENS AD SEDENDUM, ASPERGIT NIVEM, ET SICUT LOCUSTA DEMERGENS DESCENSUS EIUS] Ita Roman. Compl. aliaque Latina. licet Græci, Jansen. & alii deleant primum &. Nam eo deleto hic versus cum præced. cohæret. Sensus est, q. d. Deus per Aquilonem spargit nivem in terram, ut eam tegat & foveat, sicut solent greges avium devolare, seque deponere & considere in terra, itaque eam tegere & operire. Aut sicut locustarum agmina demergunt se in terram, eamque operiunt: sic planè nix copiosè descendens terram cooperit. Comparat enim densitatem & frequentiam floccorum nivis, cum densis agminibus avium & locustarum: quia sicut hæc, sic & illi terram planè obtegunt. Addit Palacius: Deus, inquit, aspergit nivem super terram, vellut si gallinam super ova collocaret; ut enim avis suo calore ova fœcundat, ita nix suo in terram casu eam fovet, & fœcundam reddit. is enim annus felix est, qui nivosus est; scilicet nive terram fœcundante. & descensus ejus est sicut locusta descendens: nam flocci nivis cadentes assimilantur locustis è sublimi in terram venientibus. Hunc esse sensum liquet ex Tigurina jam citata, & ex Græcis, quæ clarè sic habent, *spargit nivem ut aves volantes: eiusque descensus simili est locustæ divertenti*; Complut. *& sicut locusta destruens, descensus ejus*. Græcum enim καταλύουσα & divertentem, & destruentem significat: solent enim locustæ terram obsidentes eam depascere & destruere. Sed similitudini magis congruit prior significatio divertentis: nix enim, quæ hic comparatur locustæ, obsidens terram, eam non destruit, sed fovet, calefacit, irrigat & fœcundat.

C

VERS. 20 PULCHRITUDINEM CANDORIS EIUS ADMIRABITUR OCULUS, ET SUPER IMBREM EIUS EXPAVESCET COR] Nix enim adeò candida est, ut fulgeat & splendeat, ac suo candore & splendore oculos intuentium hebetet & obtundat. Per imbrem figuratè accipe copiam nivis: nix enim copiosè quasi imber descendit & depluit. Aut *imbrem* vocat aquam, in quam liquatur & resolvitur nix, quæ tanta est, ut ilicò ingentes faciat torrentes, flumina duplicet, imò triplicet; adeò ut exundent, & campos, segetes, domos, armenta abripiant & obruant: quare meritò hunc nivium imbrem expavescant corda hominum. Denique flumina pleraque vel oriuntur, vel valdè increscunt ex nive liquata. Unde fluminum origo est in Alpibus, aliisque montibus nive oppletis: nix enim ibi densa & copiosa, radiis Solis resoluta ingentes facit rivos & fluvios. Admiranda ergo nivis sunt hæc.

D

Nivis mirãda.

Primũ. Primùm est candor eximius. Unde Christi, in transfiguratione, facies resplenduit sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba ut nix, Matth. 7.

Secũdũ. Secundùm, copia, qua aerem & terram cooperit.

Tertiùm, quòd terram foveat & fœcundet. Vide Plinium lib. 17. cap. 2. *Tertium.*

Quartùm, quòd radio Solis tacta liquetur. *Quartũ.*

Quintùm, quòd liquata torrentes & fluvios ingentes efficiat. Unde nivis ænigma apud Symposium hoc extat: *Quintũ.*

Pulvis aquæ tenuis, modico cum pondere lapsus,
Sole madens, æstate fluens, in frigore siccus,
Flumina facturus, totas priùs occupo terras.

Huic simile est illud Cucurbitæ quod subdit:

Pendeo dum nascor, rursus dum pendeo nascor:
Pendens commoveor ventis, & nutrior undis:
Pendula si non sum, non sum jam jamque futura.

Quocirca propter hæc & similia quasi naturæ miracula, cum Psalte exclamare debemus: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua*, psalm. 103. Et: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos*, psalm. 8. Et: *Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyssi. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*, psalm. 148.

Audi nostros Conimbr. nivis causas, ortum & qualitates describentes in Meteora tract. 7. cap. 5. Cùm nubes, inquiunt, in media aeris regione ob vehementem frigiditatem, antequam in aquam solvatur, gelascit; nix efficitur. Itaque nix est nubes friabili densitate conglaciata: quæ nubes tanto majorem siccitatem obtinet, quàm illa quæ in aquam mutatur, quanto valentioris frigoris efficientia concrescit: siquidem frigus dum stringit, humorem exprimit, & foras evocat. Est tamen nix mollior, quàm pruina: quia pruina, sicuti prope terram oritur, ita majorem habet in se copiam excretionis terrenæ cujus vi magis durescit. Itaque nix siccior est quàm aqua, & ideò continuata decidit: & tamen est minùs sicca quàm pruina; unde in morem lanæ extenditur. Oritur autem candor in nive potissimùm, meritò earum partium quæ magis aereę sunt. Ob quam item rationem albescit spuma, & aqua interfuso oleo, ut docet Aristot. 2. de Gener. anim. cap. 2. ubi etiam, nivem spumam quamdam esse ait: quod usurpavit deinde Plinius lib. 17. Natur. histor. cap. 2. Hic verò nivis candor, uti Albertus Magnus, & nonnulli alii opinati sunt, non est color tantùm apparens, ut in multis concretionibus aeris: sed verus & expressus: alioqui non ita diu perseveraret etiam in nive compressa, ac minimè translucida. Et paulò inferiùs: Sed enim alia etiam causa prædicti candoris afferri solet, videlicet frigiditas, quæ in nonnullis rebus auctor candoris est. Argumento est, quòd ii, qui frigidas incolunt regiones, ut Septemtrionales, candidiores sunt: est enim nix tanto candidior, quanto ejus spuma laxior: quia sic plus habet pellucidi elementi. Hæc Conimbr. qui & sub finem capitis invehuntur in eos qui nive abutuntur ad delicias potus, & ad sui stomachi servitutem concretæ aquæ reponendæ instruxere officinas. *Heu*, inquit Plinius lib. 19. Natur. histor. cap. 4. *heu prodigia ventris. Hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem gulæ vertunt. Servatur algor æstibus, excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat. Decoquunt alii aquas, mox & illas hiemant. Nibil itaque homini sic, quomodo rerum naturæ places.* Refert etiam Plinius lib. 31. cap. 3. Neronis inventum fuisse decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare.

Causa nivis.

Causa candoris aer & frigus.

Symbol. Rabanus. *Tempestas Aquilonis & congregatio spiritus*, sunt varia tentamenta diaboli (ipse enim frigidus, ut Aquilo, omnia bona per frigus & accediam corrumpere satagit) qui voluit sedere in lateribus Aquilonis, Isaiæ 14. 13. *Hic propter elationem cordis rectè avi comparatur; qui aspergit nivem ad sedendum, cùm per rigorem malitiæ, ubi insidat, præparat sibi habitaculum. Ipse quasi locusta ascensu suo demergit; quia quidquid viride vel fructiferum reperit, corrodere atque extirpare contendit. Pulchritudinem verò ejus oculus admirabitur, cùm se fingit ministrum esse luminis, & legatum pacis. Per imbrem ejus expavescit cor, quando apertas persecutionum procellas movet; ut quos non potuit blanda fictione, hos seducat tormenti magnitudine.*

Pruina,

Pruina, venti, glacies.

GELU SICUT SALEM EFFUNDET SUPER TERRAM: ET DUM GELAVERIT, FIET TAMQUAM CACUMINA TRIBULI] Pro *gelu* græcè est πάχνη, quod propriè pruinam significat, uti vertunt Complut. Romana, Tigurina, & alii. Porrò pruina ab Aristot. lib. de Mundo definitur δρόσος πεπηγυῖα, id est ros conglaciatus: dum enim ros frigore nocturno densatur & conglaciatur, fit pruina. Rectè tamen Noster vertit *gelu*: tum, quia pruina est gelu: tum, quia πάχνη non solùm pruinam, sed quodvis gelu significat: unde παχνόω, idem est quod denso, constipo, constringo, conglacio. Pro *gelaverit*, perperàm Raban. Lyran. & Dionys. legunt, *flaverit*: græcè enim est παγεῖσα, id est glaciata, à πήγνυμι, πάχνοω & πάχνη jam dictis.

Pro *cacumina* minùs rectè Raban. legit *acumina*: græcè enim est ἄκρα, id est summitates, cacumina, culmina. Eodem tamen redit sensus, qui est, q. d. Deus effundit gelu & pruinam, quasi salem super terram: quæ dum conglaciata fuerit, adhæseritque tectis, arboribus, herbis, &c. fiet sicut *cacumina tribuli*, id est, sicut summitates spinarum, scilicet aculeata & aspera. patet hoc in istriis, quæ in rigida hieme ex tectis longæ & acuminatæ, quasi acies lancearum continua serie ordineque dependent. Pro *tribuli* græcè est σκολόπων, id est, ut Complut. *sudium*; Roman. *tribulorum*; alii, *palorum*; Tigurina, *idem pruinam in modum salis humi fundit, quæ congelida palis imponat apicem*. Noster vertit *tribuli*: quia tribulus est spinæ genus à semine triangulari dictum, vel quòd cuspidatum trifariam feriat. de quo Ovid. 5. Metamorph.

——Loilum tribulique fatigant
Trisiceas messes.

Pruinæ & roris generatio. Pruinæ æquè ac roris causam & generationem ita describunt nostri Conimbr. tract. 7. in Meteora cap. 8. Roris & pruinæ materia est vapor exiguus & subtilis: causa efficiens remota est eadem, quæ reliquarum impressionum, videlicet, calor cœlestis vaporem evocans: causa proxima efficiens est frigus serenæ noctis: quod si temperatum sit, vaporem in rorem cogit; si vehemens, congelat in pruinam. Docet Aristoteles cap. 10. lib. 1. Meteor. rorem & pruinam in ima parte aeris generari: quia calor talem vaporem excitans imbecillus est: alioqui si vehemens foret, eum altiùs eveheret, vel omnino absumeret. Deinde iidem roris & pruinæ commoda æquè ac damna ita describunt: Solent pruina & ros, si opportunè obveniant, arvis non parum commodare. Namque pruina hiemali tempore calorem intus concludit, & in radices agit, atque eamdem ferè, quam nix, utilitatem importat. Ros terram madefacit irrigatque, & herbescentem segetum viriditatem evocat ac nutrit. Verùm hæc eadem alienis orta temporibus plurimùm nocent: quandoquidem sera pruina adurit lactescentes germinum oculos, & invitatam verni temporis clementia stirpium & vinearum juventutem enecat; atque omnem interdum spem fructuum unius noctis spatio præripit; monente homines natura, quæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere. Est autem intempestiva pruina nive perniciosior; quia nix, sicuti ob aereæ substantiæ commistionem minùs compacta est, ita minùs premit ea, quibus incubat; ac proinde minùs adurit. Fit hæc adustio, ut docet Theophrastus lib. 5. de Causis plantarum cap. 16. exprimendo (consumpto priùs calore, cui frigus directè adversatur) atque eliciendo foràs totum humorem, quo exhausto necesse est arescere, tamquam igni flores, germina, aliaque ejusmodi. Exprimit autem frigus humorem, quia hinc inde coercet & comprimit: quæ verò comprimuntur, si humida sint, humorem reddunt.

Pruina similis salis. Porrò pruinam Siracides comparat sali, quia illi similis est. Primò, colore: alba enim est, ut sal. Secundò, figura; quia grana pruinæ sparsa per terram parva & rotunda sunt sicut grana salis; adeò ut, si hæc per terram spargas, is qui procul ea aspicit, discernere nequeant an grana salis sint, an pruinæ. Tertiò, quòd, sicut ex aqua constricta & conglaciata fit pruina, sic & sal fit ex aqua marina constipata & condensata. Unde pruina, inquit Valesius c. 77. Sacræ Philos. eamdem habet cum nive generationem; hoc solùm discrepans, quòd circa terram consistit: habet enim se ad nivem pruina, sicut ros ad pluviam & glacies ad grandinem. Ceterùm in multis aliis sal toto genere discrepat à pruina. Sal enim, ait Valesius, insignem habet naturam vix ulli alteri similem: siquidem neque in metallis est, quia non dissolvitur calore: neque in lapidibus, quia dissolvitur aqua: neque in terræ generibus, quia totus dissolutione abit in aquam; non quidem in ea subsidens, sed solutus in aquam crassiorem, neque verò est aqua, quia non absumitur ab igne, sed uritur potiùs, ut terra. Quid ergo illum esse dicas, nisi ἰδιογενής, hoc est sui generis? Quod sit autem id genus, seu quis modus mistionis, investigandum. Primùm quidem salsum saporem remissione amari fieri, & amarum fieri terræ ustione, apertè indicat Galenus: nam exustis rebus superest cinis, qui nihil est aliud quàm terrea exustarum rerum pars ignitionem retinens. Hic amarus sentitur, qui deposita in aquam ignitione fit frigida terra; aquam verò vertit in salsum lixivium, itaque amarum fit maxima terræ ustione: salsum hac ipsa adjectione humoris, aliquatenus attemperata. Sal verò est illud terreum ustum, quod cum aqua permiscetur facilè, permistum verò ipsam reddit salsam. Id apertè percipitur; quia ex aqua salsa, quæ colligitur sive ex maris, sive ex salinis, per distillationem separatur sal; & fit succus potui aptus: quandoquidem igitur separatione salis dulcescit, permistione illius erat salsa: estque sal terra illa exusta, quæ cum aqua facilè permiscetur; non est autem usta usque ad amaritudinem, sed infra; argumento, quòd ubi ustio plurimum crevit, mare ipsum pro salso est amarum, ut quod mortuum appellatur. Hæc Valesius.

Mira salis natura.

Mysticè gelu est frigus infidelitatis. Symbol. Rabanus: *In gelu*, inquit, *frigus infidelitatis figuratur; in sale verò infecunditas germinis. Gelu ergo sicut salem antiquus hostis super terram effundit, cùm per frigus infidelitatis terrenorum corda ad fructus bonorum operum inhabilia reddit: & dum tentationum procella flaverit, facit ea tamquam tribuli acumina, hoc est spinis vitiorum asperrima: ut in iis obdurentur quasi crystallus, id est glacies, uti sequitur.*

FRIGIDUS VENTUS AQUILO FLAVIT, ET GELAVIT CRYSTALLUS AB AQUA] A pruina transit ad ventos, præsertim Aquilonem, qui pruinæ & crystalli, id est glaciei (græcè enim κρύσταλλος idem est quod glacies) est causa. Aquilo enim suo frigore constringit aquam, quæ constricta fit eisque glacies, juxta illud Job 38. *Flante Deo concrescit gelu*. Hinc ænigma glaciei celebratur: *Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me*. Aqua enim quasi mater per frigus generat glaciem, quæ per calorem resoluta rursum redit in matrem, gignitque aquam. Aquilonem, æquè ac nivem repetit & inculcat hic Siracides, quia Aquilo in ventis excellit, estque acerrimus, æquè ac nix & pruina in vaporibus condensatis & conglaciatis. Porrò summa naturæ mirabilia, & quasi miracula, sunt hæc tria, scilicet tonitruum, fulmen & ventus. horum enim adæquatam claramque causam, quæ menti planè satisfaciat, Physici reddere nequeunt. Quocirca in varias ipsi de ventorum natura, origine & motu abeunt sententias. Hippocrates lib. 2. de Victus ratione, dicit ventos omnes spirare à nive, glacie, gelu vehementi, fluminibus & stagnis, terraque humida & refrigerata. Anaximander etiam fluxum aeris, cujus tenuissimas maximeque humidas partes sol absumpserit, ventum esse ajebat. Stoici ventum omnem fluentis aeris impetum vocabant, qui pro locorum & regionum diversitate varia nomina obtineat. Vitruvius lib. 1. Architect. c. 6. ventum dixit esse aeris fluentem undam cum incerta motus redundantia. D Isidorus lib. 13. ventum definit aerem commotum: D. Damascenus l. 2. Fid. orthod. cap. 8. aeris fluxum sive agitationem. Denique Astrologi aerem percitum ventum esse statuerunt, qui cùm omnia ad siderum dominantium vim & aspectum referant; ajunt aerem dispari stellarum errantium ictu, radiorumq; multiformi actu commoveri; tumque ventorum portas aperiri, cùm Jupiter Solem & Lunam & Mercurium, aut eumdem Mercurium Mars diametrali radiatione inspexerit, vel ei quadrata fuerit, conjunctus: vel ubi uterque in signis aereis fuerit, ut in Geminis & Libra: aut cum Luna & Jupiter in Ariete & Scorpione pariter fuerint constituti: deinde Luna æquabili societatis potestate cum Mercurio cojerit. ita nostri. Conimbr. tract. de Ventis cap. 6.

VERS. 22

Tria mira naturæ.

Ventus quid?

Generatio ventorum. Procreationis autem ventorum à variis variæ redduntur causæ. Quidam enim putant causam ventorum esse nubes in aere extensas, sua mole, aerem hinc & inde prementes & impellentes; ex talique nubium motu & impulsu ventum fieri. Alii verò dicunt ventum procreari ex conflictu sinuum maris in quatuor terræ partibus: nam quando sinus Australis aut Aquilonaris confligunt in Oriente, dicunt ex illo motu maris consurgere ventum qui vocatur Subsolanus: quando verò hujusmodi sinus confligunt in Occidente, agitato aere ex motu maris consurgere ventum, qui dicitur Favonius: si verò sinus Orientalis & Occidentalis conflictum emittant, in Meridie fieri ventum, qui dicitur Auster: si verò in Septemtrione, procreari eum qui vocatur Boreas: ex aliis autem refluxionibus maris intermediis collaterales ventos proficisci. Nonnulli verò arbitrantur fieri ventos ex cavernis terræ, quòd aer labilis sit naturæ, & penetret ejus cavernas, indeque egrediatur: & dicunt, cùm pars altera conatur exire, alia verò subintrare, fieri conflictum, & moveri aerem, & hujusmodi aeris impulsum & motum, esse ventum: ideoque Æoliam regionem esse ventosam, quòd sit cavernosa. Plura vide apud Fredericum Bonaventuram toto libro de Causa ventorum motus. Porrò Aristoteles, quem passim jam Philosophi sequuntur, docet materiam ventorum esse exhalationem calidam & siccam; idque multis argumentis evincit. Motum ergo ventorum in hunc modum effici: Solis & aliorum siderum attractu multi halitus, qui (uti diximus) materia ventorum sunt, confertim in sublime elati ad mediam aeris regionem perveniunt: inde ab aere illo frigido & denso protrusi, refracto ac dissultanti impetu resiliunt: & quia pulsu deorsum aguntur, & ob insitam levitatem in superiora contendunt; dum neutra pars vincit, quasi partita contentione neque sursum, neque deorsum, sed obliquè fluunt.

Venti sunt arcanum Dei. Hæc de ventis Philosophi, & nostri Conimbr. tract. 6. in Meteora cap. 3. Sed iidem verè & sapienter addunt. Verùm, ut ingenuè fateamur, hoc unum est ex iis quæ in naturæ contemplatione magna ex parte latent: adeò ut ob id psalm. 134. & Jeremiæ 10. dicatur Deus producere *ventos de thesauris suis*, id est de occultis naturæ causis; præsertim cùm videamus tot ventorum species. Primarii enim venti sunt quatuor, scilicet Eurus qui flat ab Ortu, Zephyrus ab Occasu, Auster à Meridie, Aquilo à Septemtrione. Sed secundarii sunt duodecim; quisque enim ex hisce quatuor tres alios habet sibi collaterales, ita ut universim sedecim sint species ventorum: quinimò nonnulli numerant 32 cuique enim primario non tres, sed septem collaterales assignant. Meritò ergo Dei magnificentiam Siracides hic celebrat à productione ventorum, præsertim Aquilonis, qui acerrimus est.

Vers.22 *Crystallus est glacies.* Et gelavit crystallus ab aqua] *Crystallus*, ut dixi, est glacies. unde Complut. vertunt, *& gelabitur ab aqua*; Tigurina, *glacie ex aqua coeunte*; alii, *concrescit aqua in glaciem*. κρύσταλλος enim Homero, Plutarcho, Thucydidi, & aliis Græcis idem est quod glacies; imò inde dictus est crystallus lapis, vel gemma illa pellucida ἀπὸ τοῦ κρύους συστέλλεσθαι, id est, ab eo quòd gelu contrahatur; ut docet Plinius libr. 37. cap. 2. *Contraria huic causa crystallum facit*, inquit, *gelu vehementiore concreto: nec alicubi certè reperitur, quàm ubi maximè hibernæ nives rigent, glaciemque esse certum est: unde & Græci nomen dedere*. Plinium secuti nostri Conimbr. tract. in Meteora cap. 5. docent gemmam crystalli verè concrescere ex gelu & glacie, ideoque duplicem esse hanc gemmam, unam ex gelu conglaciatam, alteram metallicam & fossilem. Plinius, inquiunt, lib. 37. cap. 2. affirmat perfrigidis regionibus concrescere aliquando nives in crystallum; ideò nec eam reperiri nisi ubi maximè hibernæ nives rigent, ut in cautibus Alpium: unde ipsam plerumque à locis inviis fune pendentes extrahunt. Itaque ait crystallum esse glaciem: unde & nomen Græci dedere. Dicitur enim à κρύος, id est glacies, & στέλλω, id est, contraho: quòd ex glacie frigoris vehementia obdurescat in lapidem. Gigni verò ita crystallum confirmat præsens experientia: cùm hoc etiam tempore è prealtis & frigidissimis rupibus, ut è Persinianis, quæ in extremis sunt Noricis, evehatur. Sed & intra terram, ut in venis tam metallicis quàm propriis, ut alios pretiosos lapides, crystallum inveniri constat.

A Super omnem congregationem (perperàm Raban. legit, *contractionem*: græcè enim est συναγωγὴν id est *congregationem*) aquarum requiescet (crystallus, id est glacies) et sicut lorica induet se aquis] q. d. Glacies constringit & conglaciat omnem congregationem aquarum, adeoque subinde ipsa flumina licet maxima, in iisque quasi consîdet & requiescit firmiter & securè: quia aquis conglaciatis & condensatis quasi lorica se induit & communit, ut faciliùs sit loricam pertundere & rumpere, quàm aquas profundè fortiterque conglaciatas. Aqua enim ex se est fluida, tenera & mollis; sed per glaciem induresceit sicut lorica ferrea. Ergo tunc gelu quiescit super omnem congregationem aquarum: nam congelantur lacus adeò, ut super ipsis carri transeant onusti, quin & bellica tormenta: congelatur denique mare: nam ideò mare glaciale nuncupatur. Græcè est, καὶ ὡς θώρακα ἐνδύσεται ὕδωρ, id est, glacies *quasi thoracem induet aquas*, scilicet concretas & conglaciatas. ita Complut. ut ὕδωρ, sit accusativi casus. Verùm Romani accipiunt ut nominativi, unde vertunt, *&* *Glacies instar loricæ ferreæ.*

B *tamquam loricam induet aqua*. q. d. Aqua induit glaciem quasi loricam, eaque quasi lorica se obfirmat & communit contra alia elementa sibi inimica. Omnia hæc vera sunt, & eodem redeunt. nam & glacies induit se aquis concretis quasi lorica, & vicissim aquæ concretæ sese induunt glacie quasi lorica: aquæ enim concretæ reipsa non sunt aliud quàm glacies. Porrò Tigurina totam hanc sententiam ita reddit, *tum frigidus spirando ventus, Boreas glacie ex aqua coeunte omnem aquarum collectionem obducit, quasi thoracem eis induens*. Sanè mira est Dei potentia, quæ per glaciem aquas adeò labiles, caducas & fluxas ita constipat, condensat & roborat, ut lapidescant lapidumque & loricæ ferreæ duritiem induant. Quod admirans Job c. 38. *De cujus utero*, inquit, *egressa est glacies? & gelu de cælo quis genuit?* Ac tres pueri in fornace Babylonia: *Benedicite* inquiebant, *rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino: benedicite glacies & nives Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula*. Daniel. 3.

C Et devorabit montes, et exuret desertum, et extinguet viride, sicut igne] Vers.23 Perperàm Rabanus & alii legunt, *sicut ignem*; sicque exponunt, q. d. Glacies suo frigore extinguit viride, sicut eadem per idem frigus extinguit ignem. Græcè, *extinguit herbam sicut ignis*; Tigurina, *montes depascitur, deserta perurit, & herbam velut ignis perimit*. q. d. Glacies omnia montium gramina, omnemque virorem desiccando devorat; simili ratione frutices, herbas omniaque virentia deserti arefaciendo quasi exurit & extinguit, perinde ac si igne virides herbas afflaret & exsiccaret. Est catachresis: ignis enim solus propriè urit; Aquilo verò & frigus impropriè urunt: quia scilicet acriter sensum tactumque perstringunt & cruciant, similemque dolorem excitant ei quem excitat ignis, cùm manum membrumque aliquo adurit: *Frigus urit, quæ ratione.* & quia herbas plantasque desiccant instar ignis: nimium enim frigus extinguit in eis calorem nativum, qui humorem ad vitam & virorem necessarium attrahebat. Unde calore hoc extincto, ideoque humore deficiente, siccantur & exarescunt. Hoc est, quod ait Jacob Genes. 31. 40. *Die*

D *noctuque æstu urebar & gelu*. & Psaltes psalm. 91. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem*; causando scilicet frigus nocturnum acre & exurens. S. Basil. homil. de xl. Martyribus ait eos frigore totos exustos. Lucanus; *Urebant montana nives*. Hinc frigidus dicitur urens. Virg. 1. Georg. *Boreæ penetrabile frigus adurat*. Et Tacitus lib. 15. Annal. *Ambusti multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati sunt*. Unde Pompejus Festus, Pruina, inquit, dicitur à perurendo, quòd frondes herbasque perurat: perinde ac Græci αἴθρην vocant pruinam & frigus matutinum, ab αἴθω, id est uro.

Medicina omnium in festinatione nebulæ: et ros obvians ab ardore vehementi humilem efficiet eum] crystallum scilicet, hoc est, gelu & glaciem. Perperàm Rabanus legit *obvians ardori*: Græca enim & Latina Rom. habent *ab ardore*. Sensus est, q. d. Remedium omnium incommodorum, quæ affert gelu & glacies, est nebula & ros subitò flante Austro excitatus, ab humido calore & ardore vehementi: hæc enim humiliant, id est expugnant, humectant, & dissolvunt glaciem, coguntque ut in aquas, ex quibus concrevit, Vers.24

vit, redeat. Græca habent, *ros obvians à calore*, vel *post calorem exhilarat*; Complut. *lætificat*. Ros enim suo frigore temperans calorem, exhilarat homines & plantas. Tigur. *quorum omnium præsens remedium est nubes, & ros ab uredine succurrens eadem exhilarat*. Hinc Alcmanus Lyricus poeta rorem vocat Jovis & lunæ filiam: quia noctu calore lunę ex aere vapor elevatur, qui frigore nocturno concrescens labensque in herbas & gramina, fit ros, qui earum est quasi gemma. Unde Lucret. lib. 2. *Herbæ gemmantes rore recenti*: ac ovibus & pecoribus gratissima efficit pascua, juxta illud Virg. Georg. 3.

Et ros in tenera pecori gratissimus herba est.

Et Ovidius lib. 3. Fastor.

Mollis erat tellus rorata manè pruina,
Canuerant herbæ rore recente quater, &c.
Tempus erat, vitrea quo primùm terra pruina
Spargitur.

Hæc admirans S. Job ait cap. 38. *Quis est pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris?*

B Symbol. Rabanus: Omne frigus & glacies Aquilonis, id est, diaboli & peccatorum, curatur & pellitur rore, id est, Christi incarnatione, doctrina & gratia: quam optans Isaias cap. 45. *Rorate*, inquit, *cęli desuper, & nubes pluant justum*. Vide ibi dicta. Et Psaltes: *Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram*, psal. 71. 6. Unde ejus typus fuit ros descendens in vellus Gedeonis, Judic. 6. 37. Rursum *stillę roris*, ait Rabanus, *ipsi sancti prędicatores sunt, qui arva pectoris nostri inter mala vitę pręsentis, quasi inter tenebras sive noctis arentia, gratia supernę largitatis infundunt: hic siquidem ros humilem fecit diabulum, hoc est, defectum: quia occultas insidias ejus claro sermone produxit in manifestam; ut jam mundus ab idololatria & persecutionis tempestate cessaret, qui se diu illusum ab antiquo hoste sentiret.*

Ros est Christi incarnatio & gratia.

C Tropol. noster Alvarez de Paz tract. de Mortificat. sub initium, per nebulam accipit mortificationem, quæ omnium vitiorum est medicina. Frigiditatem enim animæ, & corporis gelu, quod solet herbas & flores sanctorum desideriorum absumere, mortificatio, quæ instar nebulæ sub obscura est, & aliquid tristitiæ habens, non sine mirabili facultate dissolvit, & omnem ignaviam socordiamque repellit.

Mare & insulę.

VERS. 25 IN SERMONE EIUS SILUIT VENTUS, ET COGITATIONE SUA PLACAVIT ABYSSUM, ET PLANTAVIT IN ILLA DOMINUS INSULAS] Pro νήσους, id est, *insulas*, aliqui legunt Ἰησοῦς, id est, *Jesus*. ita Græci codices Romæ correcti, & multi Latini, qui cum Jansenio sic legunt, *Et plantavit illum Dominus Jesus*. q. d. Abyssum, id est, mare plantavit Christus, non quà homo, sed quà Deus, Deique Verbum: verbo Domini enim cœli firmati sunt; sic & mare, terra, omnesque creaturæ. ita Rabanus. Verùm corrigendum est cum Complut. cęterisque Græcis ac Latinis Romanis, νήσους, id est, *insulas*. Sensus est, q. d. Deus suo sermone & jussu ventum licet validissimum sistit, inhibet, efficitque ut planè sileat. Idem *cogitatione*, græcè λογισμῷ, id est sua cogitatione, sermone, jussu, hoc est, cum cogitat, vult & D jubet, *placarit abyssum*; hoc est mare undis æstuans, fluctusque in cœlum jactans sedavit, id est, sedat, placidumque & tranquillum efficit. Idem in ea, scilicet, abysso, id est mari, plantavit insulas, ut in media aquarum abysso & vastitate vel firmæ consistant, vel fluitent & natent: sunt enim in Belgio aliisq; in locis insulæ in aquis fluitantes. quod sanè mirabile est dei opus. Complut. *in sermone ejus quievit abyssus, & plantavit in ea insulas*; Tigurina, *profundum consilio suo tranquillat, & in ea fundat insulas*; alii, *oratione sua sedat abyssum*, &c. Sic Christus imperavit ventis & mari Matth. 8. Nam ut ibidem ait S. Hieron. *Omnes creaturę sentiunt creatorem: quibus enim increpatur & imperatur, sentiunt imperantem, non errore hęreticorum, quia omnia putant animantia; sed majestate conditoris, quę apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.* Sic & Rabanus Mysticè Hugo, Christus, inquit, placat & pacat abyssum cupiditatis & ambitionis humanæ. Nota τὸ *plantavit* significat insulas in mari plantatas esse, & eminere quasi arbores. Sicut enim Deus Genes. 2. in paradiso plantavit

A varias arbores: sic idem in mari plantavit varias insulas, quæ mare ornent sicut arbores paradisum: & sicut hæ paradiso, sic insulæ mari quasi Dei horto insertæ & quasi inoculatæ sunt. Rursum τὸ *plantavit* significat insulas firmatas & radicatas esse in mari, sicut plantæ radicantur in terra. quod sanè mirum est: mare enim in perpetuo est motu & fluxu. *Unde mare à meando dictum est*, ait Rabanus, *quòd semper eat ac redeat*. Denique τὸ *plantavit* significat insulas instar plantarum esse fertiles, magnasque & multas frugum fructuumque species producere: circumfluuntur enim mari & aqua undequaque. Hinc *insulæ* dicuntur quasi *in salo*, id est mari, positæ, ait Sext. Pompejus, & S. Isidor. libr. 14. Origen. cap. 6.

Porrò, quantum in mari sit insularum decus, quamque ad miraculum admirabile Dei opus, ex earum regina, Sicilia inquam, docet Plinius lib. 3. c. 8. *Verùm ante omnes claritate Sicilia, Sicania Thucydidi dicta, Trinacria pluribus, aut Triquetra, à triangula specie: circuitu potens, ut auctor est Agrippa, DCXVIII M. passuum: quondam Brutio agro cohærens, mox interfuso mari avulsæ XII. M. in longitudinem freto, in latitudinem autem M. D. P. juxta columnam Rhegiam. Ab hoc dehiscendi argumento, Rhegium Græci nomen dedere oppido, in margine Italię sito. In eo freto est scopulus Scylla, item Charybdis, mare verticosum, ambo clara sęvitia. Ipsius Triquetrę, ut diximus, promontorium Pelorus vocatur, adversus Scyllam vergens in Italiam; Pachynum in Gręciam cxliiii. M. ab eo distans e Peloponneso: Lilybęum in Africam clxxx. M. intervallo à Mercurii promontorio, & à Caralitano Sardinię cxx. M.* Et mox, *Promontorium Drepanum, colonia Taurominium, quę antea Naxos, flumen Asines, mons Ætna nocturnis miris incendiis. Crater ejus patet ambitu stad. xx. Favilla Taurominium & Catanam usque pervenit fervens, fragor verò ad Maronem & Gemellos colles. Scopuli tres Cyclopum, portus Ulyssis, colonia Catana. Flumina Symethum, Terias. Intus Læstrygonii campi. Oppida, Leontini, Megariis, amnis Pantagies. Colonia Syracusę, cum fonte Arethusa.*

Siciliæ elogia.

Mysticè, Dominus Jesus pacat maria tentationum & C tribulationum, imò ipsa maria procellarum viris Religiosis navigantibus in Indias, Japones & Sinas, ut ipsius fidem disseminent: atque in ipsis fundat insulas, putà Ecclesias fidelium, quæ cùm undique mari infidelium & persecutorum cingantur, permanent tamen, solidæque consistunt ut insulæ, imò ut horti & paradisi omni gratiarum flore, omnibus virtutum fructibus vernantes. Eja ergo Apostolice Argonauta, qui ad Indos navigas, qui immensa marium spatia Jesu amore & zelo emetiris, magnos cape animos. Non te percellat Oceani vastitas, non consternent fluctus ad sidera quasi sese attollentes: Jesus melior nauclerus quàm Jason, tibi adest: illo duce quid trepidas? si æstus, si frigora, si malacia, si venti confligant & affligant; Jesum aspice, Jesum invoca, Jesus imperat ventis & mari. Si syrtes, si vada, si naufragia immineant, dicito: Tibi navigo mi Jesu, tibi vivo, tibi morior. *Omnium periculorum Christus solutio est*, ait Cyrill. Alexandr. Si piratæ, si hæretici ingruant, dicito cum S. Athanas. *Dominus protector vitę meę, à quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si ex-*D *urgat adversum me pręlium, in hoc ego sperabo.* Si mors, si carcer, si martyrium, si ignes immineant; hæc pro te sustinuit Jesus, ac rursum in te pro se & pro te sustinebit, si eum uti nomine, ita imitatione & opere referas & præferas. *Consortium enim meretur nominis, qui consortium meretur & operis*, ait S. Ambros. serm. 2. Socius es Jesu, socius esto tribulationum, socius laborum, socius vitæ & mortis, ut socius sis felicitatis & gloriæ. *Si enim compatimur, & conglorificabimur.* Et: *Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis*, 2. Corinth. 1. 7. Ergo *quibus lorica est Christus, hostium vim non timent*, ait Ennodius.

Deus pacat maria tentationū.

QUI NAVIGANT MARE, ENARRENT PERICULA EIUS: ET AUDIENTES AURIBUS NOSTRIS ADMIRABIMUR] cùm ea enarrari audiemus. ita Romana. Alii cum Græcis legunt *admiramur*, in præsenti; Tigurina, *qui navigant mare, narrant pericula ejus, quę nos miramur audita auribus nostris.* Alludit ad psalm. 106. *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis: ipsi viderunt opera Dei, & mirabilia ejus in profundo.* VRES. 26

Hinc Cato, ait Plutarch. ajebat se trium pœnitere.

Primò,

Primò, quòd ullo die in hac vita tam fragili & instabili A mansisset intestatus; Secundò quòd feminæ secretum credidisset; Tertiò, quod mari se commisisset, eoque navigasset, quò poterat terrestri itinere proficisci. Aliorum sapientum hac de re gnomas recitavi Thren. 2. 13.

Mysticè Rabanus: Mare est hoc sæculum plenum tentationibus & periculis: *Ubi diabolicæ*, inquit, *sine numero serpere probantur insidiæ, malitiaque dæmonum velut quibusdam fluctibus, animarum instabilitas commovetur. Mare enim ipsæ reddunt, dum naufragare compellunt; quia non est dubium illum undas immanissimas pati, qui mergitur gurgite peccatorum.*

VERS. 27 ILLIC PRÆCLARA OPERA, ET MIRABILIA: VARIA BESTIARUM GENERA, ET OMNIUM PECORUM, ET CREATURA BELLUARUM] Græcè κτίσις κητῶν, id est, *creatura* vel *natura cetorum*: hi enim ob vastitatem vocantur belluæ. Complut. pro κτίσις, legunt κρίσις, id est, *discretio cetorum*. Pro *præclara* græcè παράδοξα, *paradoxa*; Complut. *inopinata*; Roman. *incredibilia*; Tigur. *miracula*; Græca Roman. sic habent, *illic incredibilia & admirabilia opera: varietas omnis animalis, creatura cetorum*, Tigurina, *incredibilia sunt ibi miracula: omnigena varietas animantium, & natura cetorum.*

Cetorum mira natura. Noster fortè pro κτίσις, legit φύσις, id est, *natura cetorum*. Mira est enim eorum natura. *Primò.* Primò, in magnitudine tam vasta: nam Indico mari sunt balenæ *quaternum jugerum*, ait Plinius lib. 9. cap. 3. *Secundò.* Secundò, *ora balenæ habent in frontibus, ideoque summa aqua natantes in sublime nimbos efflant*, ait Plinius ibid c. 6. *Tertiò.* Tertiò, mira est balenarum cum orcis pugna, quam ibidem describit Plinius. *Quartò.* Quartò, mira est species cetorum. Multæ enim, eæque valdè diversæ sunt cetorum species, quas recensent Aldrovandus & Rondeletius libr. de Piscibus. *Quintò.* Quintò, balena cùm sit tanta moles carnea, gaudet tamen luce & sole. Unde aliqui dictam censent balenam παρὰ τὸ φῶς ἅλλεσθαι, quòd ad lucem advolet, & in luce solis apricari gaudeat: esto alii alia balenæ dent etyma, quæ recensent Aldrovandus cap. 2. de balena. *Sextò.* Sextò, balenæ, utpote cæcutientis, iter dirigit musculus piscis, quem natura ei providit, ducemque viæ dedit. Ita Plinius lib. 9. c. 62. *Amicitiæ exempla sunt*, inquit, *balena & musculus: quando prægravi superciliorum pondere obrutis ejus oculis, infestantia magnitudinem vada prænatans demonstrat, oculorumque vice fungitur.* *Septimò.* Septimò balenæ fistulam habent pro brachiis. *Octavò.* Octavò, balena cùm fœtus ob aquæ defectum terræ adherent, aquam instar fluvii ore receptam in eos ejaculatur, ut natare possint, itaque eos periculo liberat. Testis est Philostratus lib. 2. de Vita Apollonii. *Nonò.* Nonò, oculi balenæ capitis humani magnitudinem superant, & quatuor ulnis à se invicem distant. *Decimò.* Decimò, balenæ nonnullæ in ventre continent ambram. Plura vide apud Aristot. Aldrovandum & Rondeletium.

Maris mira. Primũ. Porrò plura sunt mirabilia & quasi miracula maris, quæ Dei creatoris magnificentiam assiduè nobis inclamant & celebrant. Primùm inter ea est, immensa maris vastitas, longitudo, scilicet, latitudo & profunditas, ob quam vocatur abyssus, quasi profundum sine fundo.

Secundum. Secundùm, maris tempestates & fluctus, qui aliquando in cœlum quasi ad sidera videntur assurgere, & mox D subsidere, ac in profundum quasi barathrum demergi. Rursum fluctuum collisiones, rugitus & fragores; ut leones rugientes, vel tonitrua sese collidentia tibi audire videaris, qui sanè navigantibus periculum æquè ac horrorem creant.

Tertium. Tertiùm, quod in elemento tam instabili & fluxo stabilitæ sint insulæ.

Quartũ. Quartùm, quòd illud ipsum ita fluidum, liquidum & tempestuosum sit navigabile, atque navibus quasi curribus velut solum solidum se substernat. Sanè videmus naves maximas maximis oneribus onustas sulcare liberè maria, & ab Occidente in Orientem vastissima Oceani spatia transmittere. Fuit patrum ætate Magalianus, qui inaudito à sæculis exemplo totum orbem triennio circumnavigavit, nuncque hos, nunc illos Antipodes lustravit, indeque navi nomen inditum *victoria*, & fretum ab eo repertum, Magalanicum appellatum.

Quintũ. Quintùm, quod in ea sint varia bestiarum genera, non tantùm piscium, sed & cancrorum, concharum, A ostreorum, amphibiorum, insectorum, zophytorum, &c. Piscium species multi, ait Palacius, numerant 153. tot scilicet quot pisces S. Petrus reti conclusit jussu Christi, Joan. ult. Verùm alii longè plures numerant; unde Psaltes psalm. 103. 25. ait in mari esse *reptilia, quorum non est numerus*: quòd non solum ad individua, sed etiam ad species referas.

Sextum, quòd in mari sint omnium pecorum genera, *Sextum.* ut ait Siracides; omnia igitur pecora terrestria, habent sibi similia quoad formam & figuram in mari: sed mare insuper plura alia profert, quæ non est reperire in terra. Mare ergo suos habet marinos canes, equos, vitulos, boves, vulpes, picos, simias, porcos, elephantes, salamandras, mustelas, hirundines, hircos, lepores, hinnulos, lupos, pardales, gallinas, gallos, grues, corvos, cuculos, passeres, perdices, phasianos, aquilas, &c. quorum effigies, naturam, & indolem describit Ulysses Aldrovandus, & Guil. Rondelet. libr. de Piscibus. Quin & in mari nascuntur herbæ, & arbores aquatiles; imò lunæ B & stellæ, viventia in eodem, teste Æliano libr. 15. 4. Plinio libr. 9. c. 60. & Aristot. lib. 5. Hist. anim. cap. 15. Denique in mari sunt Satyri, sirenes, monachi, parasiti. Vide Pinedam in Job. c. 26. v. 5. in fine.

Septimum, quod in mari sit *creatura belluarum*, id est, *Septimũ.* cetorum. varias enim cetorum species & monstra producit. Porrò ceti sive balenæ ita subinde grandes sunt & immanes, ut non tantùm quatuor elephantes adæquent; sed & domos, palatia, ipsasque insulas repræsentent. Igitur pisces marini, ait Aldrovandus, maximi sunt inter animalia, aves minimę, terrestria magnitudine sunt mediocria. Quia mare tam vasta corpora sustinere & alere potest, quæ non posset alere terra, multò minùs aer; ideoque aves, quæ vivunt in aere, sunt minimæ. Insuper mira est indoles & sagacia piscium: ut alia taceam, delphin adeò civilis & ingeniosus est, ut homines amet quasi fratres, musica delectetur, in parentes sit pius, piscatorum socius, beneficis gratus, retia sua astutia evadat. Plura de ejus prudentia & sagacitate habet Aldrovandus. Delphinos tranquillo mari colludentes, tempestatem C præsagire, ait Plinius. Hinc poetæ fabulantur homines in delphinos transmutatos. Denique delphin rex maris nuncupatur. Cur? an quia velocissimus omnium animalium, ocyor volucre ac telo, teste Plinio lib. 9. c. 8

Octavum, est maris motus. Nam mare ab Oriente in *Octavũ.* Occasum fluit. Deprehenderunt id Hispani ex Hispania navigantes in Indiam Occidentalem, quod iter conficiunt uno mense; quia secundo mari navigant: redeuntes verò ex India in Hispaniam, indigent spatio quatuor mensium, quia adverso mari & contra ejus nixum navigant. Habet & mare tres alios motus, quos recensent nostri Conimbr. tract. 8. in meteora cap. 3. Porrò motus maris ab Oriente in Occasum causa est motus Solis & cœli totius ab Oriente in Occidentem: à sole enim & cœlo vis occulta in Oceanum influit; quæ mare versus eamdem partem rapit.

Nonum est, æstus maris, quo mare reciproca agitatione nunc ad littus accedit, nunc in se redit subitque. *Nonum.* Æstus hujus causa est luna; hæc enim mari & humidis D dominatur: unde mare cum luna ab Ortu usque ad Meridiem fluit & crescit, refluit verò cum luna à Meridie ad Occasum declinat. Rursus cum luna ab Occasu sub terra ad noctis fastigium, sive ad punctum Meridiei oppositum procedit, crescit quoque fluitque mare; ac demum à noctis fastigio usque ad ortum cum eadem decrescit & refluit. ita S. Basil. 6 Hexam. S. Ambros. 4. Hexam. D. Thom. Scotus, & passim philosophi. Mirabilis est æstus Euripi, qui septies per diem fluit & refluit, cujus causam cùm percipere nequiret Aristoteles, dicitur tædio & labore confectus, illic diem suum obiisse. Unde illud: *Aristoteles non capit Euripum, sed Euripus capit Aristotelem.*

Decimum est, maris purgatio. Plin. libr. 2. c. 98. ait *Decimũ.* omnia maria purgari plenilunio, quædam statis diebus, intellige potissimùm: nam maria quovis anni tempore tum alia, tum superfluitantia corpora in littus exspuunt. Cadavera enim recentia mari injecta primò ad vadum feruntur, deinde post aliquot dies emergunt & supernatant, donec fluctu volvente ad oram maritimam eiiciantur. Esto ergo mare ob sordes influentes sit impurum; qua de causa

causa Pythagoras dixit mare esse Saturni lacrimas; tamen idipsum per se puritatis amans se ipsum purificat & lustrat.

Undecimum. Undecimum est, quòd mare locum situmque mutat. Unde loca nonnulla in quibus olim fuit terra, nunc occupat mare; & vice versa. Sic Delos & Rhodus ex aquis denuò extitisse dicuntur. Sic ultra Melon emersit Anaphe, inter Lemnum & Hellespontum sita. Sic nonnullæ insulæ factæ sunt, quæ antea cohærebant continenti: nam Sicilia ab Italia avulsa dicitur, Cyprus à Syria, Eubœa à Bœotia, Besbycum à Bithynia.

Duodecimum. Duodecimum est, maris littus, quod mare intra alveum suum coercet; ut licèt exæstuet, non tamen limites littoris sibi à Deo præstitutos transiliat, juxta illud Job 38. 8. *Quis conclusit ostiis mare?* Et respondet v. 10. *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, & dixi: Usque huc venies, & non procedes ampliùs; & hîc confringes tumentes fluctus tuos.*

Mare mundi venter. Denique mare est quasi mundi venter. Id docent versus Macrobiani, qui ita mundi molem homini, ejusque membris adæquant:

Cælestis mundus caput est, mare venter opacum,
Terra pedes, aures versantur in æthere summo,
Lux oculi quam solis habet splendentis imago.

Igitur cœlum est magni hujus hominis caput, mare est venter, terra sunt pedes, auris est aer, oculi sunt radii Solis. Sicut enim homo est microcosmus, sic vicissim κόσμος, id est mundus, est magnus homo.

Quocirca quoties mare videmus, audimus, legimus, attollamus mentis oculos ad Deum maris auctorem, ejusque in mari omnipotentiam, sapientiam, bonitatem contemplemur & admiremur, dicamusque cum Psalte: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua. Hoc mare magnum & spatiosum manibus* (finibus:) *illic reptilia, quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis; illic naves pertransibunt. Draco iste, quem formasti ad illudendum ei: omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore,* psal. 103. 26.

Vers. 28 Propter ipsum confirmatus est itineris finis, et in sermone ejus composita sunt omnia] Græcè συνέστηκε πάντα, id est, constant omnia. Lyran. & Dionys. hæc referunt ad littora maris, quæ mare continent & constringunt, ne exundet: q. d. *Propter ipsum*, scilicet abyssum (abyssus enim græcè tam est nomen masculinum quàm fœmininum) hoc est Oceanum, restringendum, *confirmatus*, id est, firmiter positus, *est finis* & terminus *itineris*, quasi fluxus & motus illius; ultra quem non progreditur ut terram occupet, putà littus, juxta illud psalm. 103 *Terminum posuisti, quem non transgredientur: neque convertentur operire terram.*

Uerùm τὸ *propter ipsum*, vel, ut græcè est, δι' αὐτόν, id est *per ipsum*, potiùs refertur ad Deum; Deo enim, non mari competit id quod sequitur: *Et in sermone ejus composita sunt omnia*. Igitur *itineris finem* vocat finem creaturarum, ad quem scilicet singulæ suo quasi itinere continuò tendunt & pergunt; quia hic eis à Deo *confirmatus*, id est infirmiter positus & stabilitus est. q. d. Omnes creaturæ sunt in perpetuò motu & itinere ad suum finem, firmiter enim & constanter ad finem suum tendunt, nec desistunt donec eum assequantur: nam, ut dixi, sol, luna & stellæ sunt in perpetuo motu: nix, ros, pruina, venti, &c. assiduè descendunt vel perflant terram, idque ob finem cuique præstitutum & proprium. quòd ergo ad finem sui itineris & motus firmiter tendant, eumque consequantur, hoc est per Deum tanquam causam efficientem, & propter Deum tanquam causam finalem, quia Deus est ultimus omnium creaturarum & motuum finis. Omnes ergo creaturæ per diversa itenera ad diversos fines proximos tendunt; sed omnia hæc tandem coeunt in Deo, qui est ultimus omnium finis, ut scilicet in omnibus eluceat & laudetur ejus bonitas, potentia, sapientia, justitia, &c. Hinc omnes creaturæ reipsa dicunt illud S. August. *Creasti nos, Domine, ad te; & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

Unde pro *confirmatus est*, codices manuscripti legunt *consumatus est*. q. d. Deo duce omnia ab eo creata consequuntur suum finem, ad quem diriguntur, & instinctu naturæ sibi à Deo indito, suapte sponte quasi feruntur & currunt: ibi enim consummatur eorum creatio, natura & bonum. Quocirca explicans subdit: *Et in sermone ejus composita*, id est disposita, ordinata, *sunt omnia*; scilicet rerum omnium principia, media & fines inter se ita aptè à Deo sunt composita, ut unum respiciat alterum, eoque firmetur, finiatur & perficiatur. ita Palacius. Sensus, inquit, est, q. d. Iter creaturarum omnium confirmatur, & prosperè succedit propter Deum. Quia enim Deus finis est omnium, ideò quæ in finem suum prosperè veniunt, Dei causa veniunt: est enim ipse α & ω, principium & finis. Ergo confirmari finem itineris, est rem firmiter ad finem venire; si ergo veniunt arbores ad fructuum maturitatem, si segetes maturescunt, si animalia perficiuntur; propter Deum perficiuntur: ut scilicet ipsi grata sint, ejus obediendo voluntati. Dictum enim est, *Omnia propter seipsum operatus est Dominus*. Addit Auctor; non solùm Deum esse finem omnium creaturarum, sed & medium earum: quia in sermone & dicto ejus omnia sunt composita, constituta & stabilita. Ergo non solùm Deus est principium & finis rerum; sed & medium, per quod vita rerum consistit. Igitur ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

Mysticè. Mysticè Rabanus: *Propter ipsum*, inquit, *hoc est filium Dei, confirmatus est ordo transeuntium rerum, & terminus constitutus est sæculi: quia sicut ab ipso verbo Dei universa originem acceperunt, sic & in ipso finiuntur. Ipse enim in Apocalypsi* c. 22. & 13. *ait; Ego sum α & ω, principium & finis.*

Ad sensum jam datum accedunt Græca, quæ sic habent: δι' αὐτὸν εὐοδοῖ τέλος αὐτοῦ, id est, *per ipsum benè dirigitur, vel prosperè succedit, finis ejus*; Romani pro εὐοδοῖ legentes εὐοδία vertunt, *vel ipsum prosper successus finis ejus; vel propter ipsum finis ejus prosperitas est.* quod eodem redit. q. d. Per Deum omnia dirigentem opus quodlibet, sive res quælibet ab eo creata, prosperè incedit, & in suum finem feliciter tendit, eumque assequitur. Tigurina, *omnia per eumdem consequuntur felicem finem suum, & constant ipsius imperio.* Noster pro αὐτοῦ legit ὁδοῦ, id est itineris: & sic pulchra est paronomasia inter εὐοδία ὁδοῦ, q. d. Singulæ res Deo dirigente in sua ὁδῷ, id est via & itinere, habent εὐοδίαν, id est, felix iter & prosperitatem, qua suum terminum & finem assequantur.

Aliter legunt Complut. & nonnulli alii, nimirum sic: δι' αὐτὸν εὐοδοῖ ὁ ἄγγελος αὐτοῦ, id est, *propter ipsum prosperatur & prosperat, sive benè rectèque dirigitur & dirigit angelus ejus.* q. d. A Deo & per Deum habet angelus qui præest mari, vel angelus qui præest toti universo, ut rectè per se & suos angelos, hominesque sibi subordinatos illud regat & gubernet: quia ipse vicissim regitur, gubernatur & prosperatur à Deo.

Verùm prior lectio aptior veriorque est, eique conformis est Vulgata Latina. Videtur enim ex ultimo α quod est in εὐοδία, connexo cum τέλος, cùm id non intelligeretur, conflatum & corruptum ἄγγελος. Suspicatur Vatablus in Hebræo Siracidis senioris fuisse מלאכתו *melachto*, id est *opus ejus*, scilicet feliciter succedit, pro quo in margine scriptum fuerit מלאכו *malacho*, quod *angelum ejus* significat.

Porrò Græci codices hîc mirè variant. Nam præter duas lectiones jam recensitas, Aldi Manutii codex habet: δι' αὐτοὺς εὐωδεῖ τέλος αὐτοῦ, id est, *propter ipsos, vel ipsa, finis ejus suavem odorem habet*; Germanicus, δι' αὐτοῦ εὐοδία τέλος αὐτοῦ, id est, *propter ipsa prosperatur finis ejus*; alii, δι' αὐτοῦ εὐοδοῖ τέλος αὐτῶν, id est, *propter ipsum* (Dominum) *prosperè dirigitur finis eorum.*

Ver. 29 Multa dicemus, et deficiemus in verbis] q. d. Licèt multa dixerimus de operibus Dei, tamen deficiemus in iis recensendis, explicandis, laudandis & celebrandis. Vide novem consideranda & admiranda in operibus Dei, quæ recensui Genes. 1. 31. Porrò quisque omnia & singula Dei opera considerare debet, ac si sibi soli ea fecisset: sic enim sibi serviunt, ac si soli servirent: atque Deus ita illi intendit, ac si soli intenderet, soliusque curam gereret, ait S. August. in Soliloquiis c. 14. Præclarè S. Basil. homil. 11. Hexam. Universa, inquit, hæc mundi moles perinde est ac liber literis exaratus, palàm contestans ac deprædicans gloriam Dei, illiusque augustissimam majestatem enuntians tibi intellectuali creaturæ: ut scilicet in eo nunc Dei sapientiam, nunc bonitatem, nunc

nunc omnipotentiam, nunc alia attributa: contempleris, admireris, colas & verearis.

CONSUMMATIO AUTEM SERMONUM, IPSE EST IN OMNIBUS] q.d. Cùm non possimus omnia Dei opera verbis enumerare & celebrare, finis & summa verborum & sermonum sit, quòd Deus est in omnibus, adeoque Deus est omnia: quia omnium est principium, medium & finis, omnium est causa efficiens, conservans & finalis. Græcè enim est, συντέλεια λόγων τὸ πᾶν ἐστιν αὐτός, id est, *finis autem dictorum, ipse est omne*. Clarè Tigurina, *dixerimus multa* (de Deo Deique operibus) *nec tamen satisfecerimus: cæterum summa dictorum est ipsum esse omnia*. Deus ergo est τὸ πᾶν, id est omne, universum. Complut. & Romana vertunt ut Noster: *Ipse est in omnibus*, quia, scilicet, Deus formaliter non est omne: Deus enim non est sol, non cœlum, non aer, non equus, &c. sed causaliter Deus est omne, quia in omnibus est præsens, ea efficiens, conservans, dirigens, movens, gubernans, & in omnibus mirabilem se exhibens. Jansenius vertit, *consummatio verborum, ipse est universum*, hoc est, summa dictorum & dicendorum de operibus Dei est hæc: Deus est omnia, hoc est, omnia ad ipsum referri debent, omnia ei tribuenda, & quòd sunt, & quòd perdurent, & quòd aliquid perficiant: ipse est omnium principium, medium & finis; ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia. ipse est, qui in omnibus est attendendus. Itaque in nostra lectione illud, *in omnibus*, non est jungendum cum sequentibus, ut multi distinguunt, sed cum *ipse est*: & est punctus faciendus post *consummatio autem sermonum*; ut sit sensus: summa omnium, & ut summatim dicam; ipse est in omnibus; quomodo & de Christo dicitur à Paulo, quòd omnia in omnibus adimplet. In Græcis est maxima Dei laus: habent enim in hunc modum, *Consummatio verborum: ipse est omne*, sive *ipse est universum*. Quod verbum habes frequenter dictum à Mercurio Trismegisto, ut videre est in Dialogo 9. & 10. sed maximè 5 Pimandri; ubi ait: *Ut veritatem liquidam*
1.Cor.15. *fateamur, Deum esse cuncta fatebimur*. Neque verò ab hac Theologia multùm Paulus abhorret, cùm ait: *Tunc filius subjectus erit ei; ut sit Deus omnia in omnibus*. Et Joannes di-
Ioan.1. cens: *Quod factum est, in ipso vita erat*; id est, omnes res factæ, in ipso sunt vita. Allusit etiam huc Salomon cùm Spiritum sanctum vocavit mundum subtilem. Qui lo-
Sap 7.v.18.& 23. cus explicat omnia. Sanè mundus hic corporalis est, omnia corporalia corporaliter complectens. At Deus est mundus melior, omnia corporalia incorporaliter & immutabiliter continens: ut meliùs simus omnes in Deo, quàm in nobis. Ideò Deus est omnia eminenter. Ideò est
Apoc.1. Ioan.4. principium, medium, & finis: ideò via, veritas, & vita. Cùm ergo noster Auctor ait: Summam omnium esse, quòd Deus sit in omnibus, intellige, ut principium, medium & finis: rerum causa, scilicet efficiens, conservans & finalis universorum, ait Palacius: in quo tantùm corrige, quod τὸ *mundus* Sapien. 7. 23. videatur accipere pro orbe vel universo, cùm *mundus* ibi idem sit quod purus: græcè enim est καθαρός, esto Sapiens ibid. v. 16. & 18. satis significet Deum Deique sapientiam omnia quæ in mundo sunt continere & complecti, ac consequenter Deum esse mundum transscendentalem.

Hinc rursum Deus est consummatio uti rerum, ita & sermonum omnium: tum quia sermocinando & laudando res creatas, implicitè sermocinamur & laudamus Deum eorum opificem & creatorem: tum, quia omnium cogitationum, operum & sermonum nostrorum scopus, finis & centrum debet esse Deus; ut cum S. Dominico & S. Thoma Aquinate, *omnis sermo noster sit cum Deo*, vel *de Deo*, vel formaliter & expressè, vel virtute & implicitè. *In manu enim illius & nos, & sermones nostri*, Sapient. 7. 16.

Symbolicè. *Consummatio sermonum: ipse est in omnibus*. Primò, q. d. Deus est qui omnes sermones, id est, omnes res quas sermone eloquimur, consummat, id est, perficit. Rursum consummat, id est, ad finem perducit; ut suo cursu peracto cessent, terminentur & desinant, juxta illud psalm. 118. *Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis*: q. d. Deus omnia consummat & finit, ac solus post omnia superest, quasi rerum omnium terminus & consummatio, in qua omnia finiuntur & desinunt; uti flumina labuntur & defluunt in mare. Unde Græcè est αὐτός ἐστι τὸ πᾶν, id est, ipse est omnia. Secundò,

A propriè sermonum consummatio est Deus: quia omnes sermones de creaturis sunt inconsummati, imperfecti, mutili, quia ipsæ creaturæ sunt mutilæ & imperfectæ: at sermo de Deo est consummatus & perfectus; quia ipse in se quaquaversum est consummatus & perfectus, imò immensus & infinitus.

Nota. Deus est τὸ πᾶν, id est omne & omnia: tum quia Deus formaliter in se habet oceanum & plenitudinem entis, puta omne Esse, omne vivere, omne sapere, omnem potentiam, omnem majestatem, omnem fortitudinem, omnem gloriam, &c. tum, quia eminenter continet res omnes; tum, quia causaliter est omne: omnia enim creat & efficit. Deus ergo est τὸ πᾶν, id est, omne & omnia: quia ipse est τὸ ὄν, id est, ens primum essentiale, immensum: à quo omnia alia entia necessariò & essentialiter pendent, adeò ut, si per impossibile non esset Deus, impossibile foret omne aliud ens. Hinc fit ut omne ens pendeat à primo ente sive à Deo, sicut radii pendent à sole, calor ab igne, imò longè magis: adeò ut res quælibet magis pendeat à Deo & Esse divino quàm ab Esse proprio. Sic ergo Deus
B est prima entitas, prima veritas, prima sanctitas, prima lux, prima bonitas, prima suavitas, prima vita, prima ratio, prima mens, &c. à qua ceteræ omnes quæ sunt & esse possunt, ita necessariò pendent, ut, si illa non esset, nulla aliarum esse & existere posset: quia ab illa prima velut ab idea sua & causa essentiali fluit omnis creata entitas, veritas, sanctitas, vita, mens angelorum, hominum; & rerum omnium. Tanta est divinitas, tantus Deus noster, tanta creaturarum à Deo dependentia. Ipse ergo est τὸ πᾶν, ipse est omne Esse tam suum, quàm creaturarum omnium. Unde ejus nomen est *Jehova*, id est, *qui est* vel, *ego sum qui sum*, Exod. 3. 14. & cap. 6. 3. Vide ibi dicta.

Deus est τὸ πᾶν, id est omne.

Hinc fit ut Deus sit fundus, anima, spiritus & quasi corpus rerum omnium, totiusque universi. Ipse enim creaturas quasi umbras conservat, continet, sustentat: quæ alioqui, nisi à Deo assiduè conservarentur & continerentur, in suum nihilum, è quo à Deo eductæ sunt, relaberentur. Sicut ergo umbræ magis pendent à corpore illas spargente, quàm à seipsis: sic multò magis creaturæ
C omnes pendent à Deo, quàm à seipsis: ut omnes illi confiteri & dicere debeant cum S. Francisco: *Deus meus & omnia*, tu es meum & rerum omnium τὸ πᾶν.

Igitur Deus est τὸ πᾶν Primò, localiter, quia omnia universi loca permeat & occupat; utpote qui sit ubique per essentiam, præsentiam & potentiam. Unde ipse quasi est primum & increatum spatium, sive locus immensus recipiens & locans loca & locata omnia, uti pulchrè docet noster Lessius lib. 2. de Attributis divinis cap. 2. ex S. Dionys. cap. 1. de Divin. nomin. ubi Deum vocat *sedem & fundum, in quo omnia firmantur & recumbunt*: Quare totus mundus est in Deo, sicut parvula spongia in vastissimo mari: vel sicut globulus vitreus in lumine Solis: quia ab eo undique penetratur & ambitur. *Primò.*

Secundò, Deus est τὸ πᾶν, arithmeticè: quia omnes rerum species, numeros, gradus, ordines in se continens, singulis suum numerum, speciem & gradum elargitur: juxta illud, *Omnia in mensura, numero & pondere disposuisti*, Sapient. 11. *Secūdò.*

D Tertiò, Deus est τὸ πᾶν, metaphysicè: quia ipse est ens entium, essentia essentiarum omnium, actus actuans potentias rerum omnium. Audi S. Dionys. de Divin. nomin. c. 1. Deus, ait, est, *omne principium, omnis finis, vita omnis, omnis immortalitas, omnis sapientia, omnis ordo, omnis concentus, omnis vis, omnis conservatio, omnis firmitas, omnis distributio, omnis intelligentia, ratio, sensus, habitus: omnis status & motus, omnis connexio, omnis temperatio, omnis amicitia, omnis convenientia, omnis divisio, omnis terminus, ceteraque omnia*. *Tertiò.*

Quartò, Deus est τὸ πᾶν, physicè, quia ipse est natura naturans naturarum omnium: ipse enim cuique suam naturam, naturæque dotes dispertitur: sicut enim lux à candela lumen, rivus à fonte aquam suam haurit: sic omnis res suam naturam à Dei natura emendicat & accipit. Unde Plato censuit Deum esse animam mundi, quem secutus Virgil. sic de eo canit: *Quartò.*

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Quintò, mathematicè & opticè. Si enim mente res abstrahas à materia, & fundum rerum omnium intuearis, videbis *Quintò.*

videbis ibi latentem Deum, qui omnia sustinet, ordinat, mensurat. Unde Poeta: *Juppiter est quodcumque vides;* non quòd creatura sit Deus creator; sed quod Deus sit basis, fundus, columna, quantitas & substantia rerum omnium: quia singulis suam substantiam & quantitatem creat, conservat, sustentat.

Quocirca S. Dionys. de Divin. nomin. asserit Deum esse centrum universi. Sicut enim centrum est basis circuli, sic Deus est basis universi. Rursum, sicut in centro coeunt & uniuntur omnes lineæ diametrales ad circumferentiam: quo verò illæ magis à centro, eo quoque magis à se invicem discedunt & distant: sic pariter omnes creaturæ coeunt & uniuntur in Deo: unde cùm homines vel angeli à Deo per peccatum discedunt, pariter à sese invicem separantur, abeuntque in odia & schismata. Dum ergo intueris creaturam, acie mentis penetrare ad ejus fundum, ibique latentem Deum intuere, admirare & venerare. Sed ad hunc lynceum visum lyncea acie opus: Deus enim licèt in se clarissimus, nobis tamen est spiritus subtilissimus, & lucem habitat inaccessibilem. Aquilæ ergo & lynces sunt, qui lynceis oculis creaturas ad fundum usque penetrant, Deumque ibi residentem pervident.

Sexto. Sextò, activè & operativè: Deus enim non tantùm dat singulis rebus suam naturam, mensuram, dotes & qualitates; sed & operatur in eis omnia earum opera: juxta illud, *In ipso vivimus, movemur & sumus*. Actor. 17.

Dum ergo vides solem tanta velocitate cœlum percurrentem, orbemque illuminantem; cogita Deum, qui tam cursum, quàm illuminationem tribuit Soli; adeoque solem impellit, agit & agitat, ut tam velociter procurrat, terramque illustret. Dum vides plantas pulchrè frondentes, flores bellè florentes, arbores insignes fructus producentes, &c. cogita Deum, qui has frondes, flores & fructus operatur & producit. Idem cogita in operationibus rerum omnium, ac præsertim animæ tum tuæ, tum cujuscumque: dum enim anima tua videt, audit, sapit, imaginatur, cogitat, ratiocinatur, intelligit, vult, recordatur; Deus est, qui hæc omnia & singula in anima tua operatur. Deum ergo in anima tua tam præsentem & operantem intuere, ama & adora. Quocirca S. Bernard. in Sententiis: *Hi*, inquit, *qui soli Deo vacant, considerantes quid sit Deus in mundo, quid in hominibus, quid in angelis, quid in seipso, quid in reprobis; contemplantur quia Deus est mundi rector & gubernator, hominum liberator & adjutor, angelorum sapor & decor, in seipso initium & finis; reproborum terror & horror: in creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in angelis desiderabilis, in seipso incomprehensibilis, in reprobis intolerabilis.* Plura hac de re vide apud eumdem serm. 46. & 23. in Cantica.

Christus in gratia est nostrū πᾶν. Allegor. Deus & Christus est τὸ πᾶν: quia omnis fidei, gratiæ, virtutis fidelibus omnibus est auctor & causa: juxta illud Pauli, *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*, 1. Corinth. 12. 4. Deus enim in Christo res omnes summavit & collegit, ut Christus sit anacephalæosis, perfectio, finis, epilogus, corona, summa & compendium non tantùm legis & Prophetarum, sed & omnium Dei operum, ac totius universi: juxta illud, *Proposuit instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt*, Ephes. 1. 10. Hinc Christus vocatur α & ω, principium & finis, Apocal. 1. 8. vide ibi dicta. Unde & Christus moriens in cruce exclamavit: *Consummatum est*.

Deus Beatis est πᾶν. Dei descripti o pulchra. Anagog. Deus & Christus in cœlo Beatis est τὸ πᾶν, id est, omne bonum, omnis felicitas, omnis gloria, juxta illud 1. Corinth. 15. 28. *Ut sit Deus omnia in omnibus*.

Denique eleganter S. Bernard. τὸ πᾶν describit lib. 5. de Consider. c. 11. *Quid*, inquit, *est Deus? Quod ad universum spectat, finis; quod ad electionem, salus; quod ad se, ipse novit. Quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo. Creans mentem ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum: implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. Quid est Deus? non minùs pœna perversorum, quàm humilium gloria: est enim rationabilis quædam æquitatis directio, inconversibilis atque indeclinabilis, quippe attingens ubique, cui illisa omnis pravitas conturbetur necesse est.*

Tropolog. ò creatura, ò homo, ò anima fidelis, avoca spem & amorem tuum à creaturis, & confer in Deum, qui est tuus πᾶν. Ex nihilo venisti, ideoque multis, imò rebus omnibus, indiges: frustra eas petis & emendicas à creaturis, cùm ipsæ non sint τὸ πᾶν, sed ut tu πάντων indigeant. Cur umbras, cur rivulos consectaris? Cur non adis fontem, imò oceanum bonorum omnium? Si sapientia indiges; Deus est ipsa sapientia fontalis, à quo omnis sapientia dimanat: si sanitate & robore cares; Deus est ipsa immortalitas, sanitas & robur: si charitate, sanctitate, virtutibus es destitutus; Deus est ipsa sanctitas, charitas, & virtus. Omni re indiges? adi τὸ πᾶν. Undique doloribus, calumniis, paupertate, ærumnis vexaris? adi Deum ipse est τὸ πᾶν, quod omni dolori, calumniæ, paupertati, ærumnæ medetur. Ipse uti est τὸ πᾶν majestatis, omnipotentiæ, omniscientiæ: ita pariter est τὸ πᾶν omnis patientiæ, omnis fortitudinis, omnis consilii, omnis gratiæ; ideoque pantheo omnis religionis, omnis obedientiæ, omnis timoris & amoris colendus & venerandus: omnes enim creaturæ quasi naturali sensu Creatorem sentiunt, venerantur, adorant, obediunt, timent & amant: ideoque, ut alia taceam, in passione Christi sol & luna atrati, Dei sui mortem luxerunt, petræ scissæ, monumenta aperta sunt, totusque orbis è suo centro convulsus contremuit. Quid ergo hic non faciet homo? utique Deum suum πᾶν toto corde amet, colat, obediat, metuat. Plus enim, ut antè dixi, pendet à Deo quàm à se: ideoque magis bonum Dei, quàm suum proprium diligere tenetur, pro eoque emori; &, si opus esset, annihilari: Dei enim bonum, est bonum, cujusque & totius universi, idque magis quàm sit bonum cuique proprium, vel commune toti universo. Si ergo timor hominis, v. g. regis vel tyranni, urgeat ad offensam Dei, magis timeat homo offendere Deum quàm regem. Rex enim solùm corpora, Deus verò corpus & animam perdere potest in gehennam, Matth. 10. 28. Sicut enim Deus est πᾶν dulcedinis & gaudiorum electis, sic & est πᾶν amaritudinis & tormentorum reprobis: utpote qui omnibus, imò infinitis pœnis eos excruciare possit. Si amor creaturæ alliciat ad peccatum; dicat, Magis amo τὸ πᾶν quàm guttam vel umbram boni. si sollicitudo, angor, cura mentem distrahat; eam conjiciat in Deum, qui est τὸ πᾶν id est omnium provisor, curator & ordinator. si res ardua aggredienda viribus nostris superior; respiciat in τὸ πᾶν dicatque cum Apostolo: *Omnia possum in eo, qui me confortat:* omnia possum in Omnipotente: Omnipotens enim suos in se sperantes facit omnipotentes, ait S. Bernard. In hoc ergo Dei Oceano nata, sicut pisces in mari; vola sicut aves in aere gyrant & regyrant sicut atomi in radiis Solis. Præclare S. Bernard. serm. 18. in Cantica: *Nihil ait, est in rebus humanis, quod possit repelere creaturam factam ad imaginem Dei, nisi charitas Deus, qui solus major est illa.* Et S. Anselm. *Si aliquid diligo, quia bonum; quod millies melius, magis amare debeo. Cur ergo per multa vagaris, ò homo, quærendo bona animæ tuæ & corporis? Ama unum bonum, quod omne bonum est, & satis est. Desidera simplex bonum, quod est summum bonum, & sufficit. Rivuli bonorum concupiscibilium diversi: fons unus omnium Deus: sed melior & concupiscibilior fons quàm rivulus, causa quàm effectus; imò incomparabiliter melior.*

Moral. Ergo consummatio & perfectio sapientiæ & virtutis tam hominis, quàm angeli est Deus, putà unio cum Deo, si scilicet omnes cogitationes, intentiones & actiones nostras dirigamus in Deum; eumque in omnibus creaturis, & omnes in eo amemus; si eum jugiter præsentem nobis imaginemur. Anima enim in illa meridie sui creatoris aspectu vulnerata, amore illo æterno accenditur, quo non tantùm illum stringit charissimis amplexibus; sed omnia ad eum trahit, omnia in eo videt, & illum unum in omnibus intuetur, ad eum anhelat & suspirat, dicens: Quoties suspiro & respiro, ad te, ò Deus meus, suspiro & aspiro. Quare ubicumque sit, quidquid agat, sive comedat, sive bibat, sive studeat, &c. eum aspicit, quem diligit: omnia propter eum agit, qui se dilexit: in eoque vivit, moritur & quiescit per quietem amoris & contemplationis, sedetque in pulchritudine pacis & requie opulenta. O Domine Deus cordis mei, ò Ignis, qui dulciter ardes & secretè luces, suaviterque odoras! occupa totam regionem mentis meæ, ò Rex regum, rex æternæ gloriæ, ut te solum esuriam & sitiam, ad te suspirem, tuamque

que mellifluam faciem videre æstuanter concupiscam. Transfige amabilis Jesu medullas animę meæ suavissimo dilectionis telo; perfode cor meum ignea charitate, ut prorsus langueat anima mea tui desiderio, & amore tota resolvatur, tota liquefiat, tota in te transeat. Separa Domine mentem meam ab omnibus quæ sub cœlo sunt, ut ipsa tibi soli liberè intendat, tu solus illam ut proprius possessor inhabites: descendat in me suavissimus odor tuus: veniat mihi divinæ caritatis tuæ inenarrabilis fragrantia, quæ puras & sempiternas in me suscitet concupiscentias.

Gentiles Deū vocarunt Pan. Hæc per umbram viderunt Gentiles, sed rem ipsam non perviderunt, ideò ad superstitiones detorserunt. Arcades enim finxerunt Deum, cui nomen dedere Pan, quòd universæ materiæ esset dominus. Pan, inquit Servius, Deus est in naturæ similitudinem formatus: unde & Pan dictus est, id est, omne; habet enim cornua, in radiorum Solis & lunæ similitudinem. Rubet ejus facies, in ætheris imitationem. in pectore nebridem habet stellatam, ad stellarum imaginem. pars ejus inferior hispida est, propter arbores, virgulta & feras. caprinos habet pedes, ut ostendat terræ soliditatem. fistulam septem calamorum gestat, propter harmoniam cœli in qua septem soni sunt. pedum habet, id est, baculum recurvum, propter annum, qui in se recurrit: quia hic totius naturæ Deus est. A Poetis fingitur cum amore luctatus, & ab eo victus: quia omnia vincit amor. Quocirca Eusebius lib. 3. Præpar. Evang. Pana universi symbolum esse affirmat: cornua ei data propter solem & lunam; pantheræ pellem propter varietatem cœlestium. Unde illud Orphei:

Pana voco, magnum qui totum continet orbem,
Qui mare, qui cœlum, qui terras frugiferentes,
Æternumque ignem: hæc Panos sunt omnia membra.

Homerus verò in Hymnis:

Panaque dixerunt, quia cunctos juverit idem.

Plura de Pane habet Giraldus de Diis Gentium syntagm. 75. & Natalis Comes lib. 5. Mytholog. cap. 6. Igitur ob causas jam dictas à veteribus philosophis vocatus est Deus πᾶν, id est, *universum*, ut docet Eugubinus de Perenni philosoph. lib. 3. cap. 8. quia universa quæ aliquo modo Esse participant, complectitur. Et in oraculo illo, *Magnus Pan mortuus est* (cujus meminit Plutarch. in lib. de Oraculor. defectu) Christus *Magnus Pan*, ut quidam volunt, quia est omnium dominus, & omnia in se continet: etsi alii aliter illud intelligant. Eodem juxta multorum interpretationem pertinet illud quod Dominus ait Moysi Exodi 33. *Ego ostendam omne bonum tibi*, nimirum quia in Deo sunt omnia. Quocirca B. Laurentius Justinian Patriarcha Venetorum dictabat, *Veram scientiam esse scire hæc dico, scilicet Deum esse omnia, & se esse nihil.* Ita habet ejus Vita.

Deus est omne, homo est nihil. Denique sicut Dei nomen est πᾶν, id est omne: sic hominis & creaturæ nomen est οὐδεὶς & οὐδὲν, id est, nullus & nihil: quo nomine se vocans Ulysses, callidè Polyphemi iras elusit, ejusque manus evasit, ut alibi recensui. Homo ergo dicat Deo: Quis tu Domine, quis ego? tu πᾶν omnis boni, ego οὐδὲν, id est nihil & nihilum, sive entitatem, sive sapientiam, sive potentiam, sive virtutem spectes. Tuum ergo est, ὁ πᾶν, meum οὐδὲν implere. Ego ex me nihil sum, nihil scio, nihil possum, nihil valeo. Ex te sum aliquid, scio, possum & valeo tantum, quantum mihi communicare, & gratis elargiri tibi placuerit. Miserere ergo οὐδενός, id est, nullius, ὁ πᾶν, & ex tua bonorum abysso guttas aliquot bonitatis illi impertire, ut ex nullo & nihilo fiam aliquis & aliquid: itaque tuæ plenitudinis particeps, subditus, encomiastes & præco. Hæc est sapientia Sanctorum.

VERS. 30 GLORIANTES (id est, glorificantes) AD QUID VALEBIMUS? IPSE ENIM OMNIPOTENS SUPER
VERS. 31 OMNIA OPERA SUA. TERRIBILIS DOMINUS, ET MAGNUS VEHEMENTER, ET MIRABILIS POTENTIA IPSIUS] Deinceps usque ad finem capitis hortatur omnes ad Dei creatoris laudem, ut totis animi corporisque viribus eum laudent & celebrent: eò quòd ipse major sit omni laude, ejusque majestas & excellentia mente comprehendi, ideoque verbis exprimi nequeat. Græcè δοξάζοντες, ποῦ ἰσχύσομεν, quod Romani vertunt, *glorificantes quò valebimus?* q. d. Quantulum est, quòd nos possumus Deum glorificare? nam *glorificantes*, id est, glorificando, eum *quò valebimus pervenire?* utique nunquam pertingemus ad apicem majestatis ejus: imò vix tenuia ejus vestigia à longè assequemur. Ratio est, quia Deum non nisi ex operibus ejus possumus agnoscere & celebrare. Opera autem Dei Deo in infinitum sunt minora & depressiora. *Ipse enim omnipotens* in immensum transscendit & eminet *super omnia opera sua*. Ipse est *terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius*: q. d. Deus vincit omnem gloriam quam illi dare possumus: tum, quia est omnipotens, & terribilis vehementer; nos autem parum possumus in laude, æquè ac in omni alia re & actione: tum quia ipse est magnus vehementer: nos autem parvi, & præ eo ne formicæ quidem sumus. Quomodo ergo giganteam illam majestatem mente aut verbis dimetiri, dignéque celebrare poterimus? Tum, quia mirabilis est potentia ejus: unde eam admirari, at non effari, nec penetrare possumus: nam ex ignorantia oritur admiratio, ait Aristot. initio Metaphys. ita Tigurina, *quantum*, inquit, *valebimus laudando? ipse enim major est omnibus suis opificiis. Terribilis est Dominus, & perquam magnus, potentiaque sua mirabilis.*

Quocirca S. Gregorius Nazianz. Hymno ad Deum ita eum celebrat:

O viva Trinitas, te unum canam monarcham,
Origo cui nec ulla est, versio nec ulla:
Excedit Esse cujus sermonis omne robur,
Aciemque cujus omnem splendor fugit supremus.

Quin & Psaltes: *Magnus Dominus*, ait, *& laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non est finis*, psalm. 144. 3. Quod explicans Rabanus hic: *Miranda complexio*, inquit, *vera prædicatio sic laudare Dominum, ut quantum est magnus, non æstimes explicandum: sensus enim totius creaturæ deficit, & ad illa retractio semper excrescit. Nam sicut nullo loco clauditur, ita nec eloquentia quamvis amplissima ejus possunt præconia terminari: virtus inexplicabilis, pietas incomprehensibilis, sapientia ineffabilis: cujus vera definitio est, finem in sanctis laudibus non habere.*

Quocirca hoc proprium est Dei, ut quo plus cognoscatur, eo plura cognoscenda demonstret: quo enim quis magis de Deo Deique potentia meditatur, eo magis immensitatem ejus conspicit, ac plura semper & plura in infinitum sibi scrutanda & meditanda advertit: sicut quo quis profundiùs ingreditur in mare, eo plura & profundiora in eo sibi emetienda superesse deprehendit. Nam Deus, ut ait Psaltes psalm. 17. 12. posuit *tenebras latibulum suum*. Quocirca sapienter Nazianz. in Apolog. *Quantum*, inquit, *Deus percipitur, tantundem se subducit; amantesque sui ex eo quòd fugit ac velut comprehensus se proripit, ad superna illicit*. Idem orat. 49. quæ est de fide, Deum ita definit vel potiùs describit: *Certè*, inquit, *hoc est Deus, quod, cùm dicitur, non potest dici; cùm æstimatur, non potest æstimari; cùm definitur, ipsa definitione crescit: quem omnia nesciunt, & metuendo sciunt*. Hoc est quod ait Sophar amicus Job c. 11. 7. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? Longior terra mensura ejus, & latior mari.* Et Psaltes, *Credidi*, inquit, *propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis*, psal. 115. v. 1. In quem locum D. Chrysost. *Quisquis*, inquit, *indicibilem Dei majestatem oculo cordis contemplatur, & cognoscit Deum homine tanto sublimiorem, quanto cœlum formica sublimius; nil mirum si obstupescat intra se, & dicat: Ego autem humiliatus sum nimis. Unde & Abraham in comparatione Dei terram se esse & cinerem dicebat*, Gen. 18. 27. Et S. Gregor. l. 18. Moral. c. 27. *Sancti*, inquit, *omnes quanto magis divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. Nusquam quippe legitur, quòd Abraham cinerē & pulverem se esse professus est, nisi cùm habere Dei meruit collocutionem. Esse enim se aliquem fortasse crederet, si veracem essentiam, quæ super ipsum est, minimè sensisset*. Neque verò id hominibus dumtaxat accidit, sed & angelis, quin & Cherubinis ac Seraphinis. Idcircò enim duabus alis velant faciem tam Dei quàm suam Isaiæ 6. quòd tantum jubar divinitatis quasi è vicino intuentes, illius fulgore immenso hebetentur, caligent & quasi excæcentur. Si ita mirabilis est Deus in operibus creatoris, quanto mirabilior est in operibus redemptionis?

GLORIFICANTES DOMINUM QUANTUMCUMQUE POTUERITIS: SUPERVALEBIT ENIM ADHUC, ET ADMIRABILIS MAGNIFICENTIA EIUS VERS. 32

EJUS (Malmundariensis codex, quem citat Franc. Lucas, Tò & præponens Tò *adhuc*, sic legit, *supervalebis, & adhuc admirabilis magnificentia ejus.*) BENEDICITE
VERS. 33. DOMINUM, EXALTATE ILLUM QUANTUM POTESTIS: MAJOR EST ENIM OMNI LAUDE) *Glorificantes*, id est, glorificate Dominum. Est hebraismus: ponitur enim participium pro Imperativo, æquè ac Roman. 12. 12. Sensus est, q. d. Glorificate Deum quantum potestis: quia quantumcumque glorificaveritis, numquam pro dignitate ejus id feceritis, nec adæquabitis ejus majestatem & gloriam: sed ipsa in infinitum vestras laudes & præconia transcendet, in immensum enim major est omni laude creata creator omnium hominum & angelorum.

Græca hos duos versus in unum constant, hoc modo: *Glorificantes Dominum, exaltate quantum potestis: excedet enim etiam adhuc?* Complut. *excedet enim & amplius*; alii, *adhuc enim supereminebit*; Tigurina, *quantum potestis extollite Dominum laudando: siquidem semper laude major est*. Quare sicut S. Bernard. tractatu de Diligendo Deo, verè & sapienter dixit: *Causa diligendi Deum, Deus est: modus diligendi Deum, est sine modo diligere*: quia Deus infinitè amabilis est: sic pa- B riter verè & sapienter dicas, Modus laudandi Deum, est laudare sine modo; quia infinitè laudabilis, quantumcumque ergo eum laudes, supervalebit adhuc. Quia quo quis plura cognoscit de Deo, eaque celebrat, eo plura in illo videt immensa & incomprehensibilia, multò magis laudanda & celebranda: sicut quo montem altiùs ascendis, eo plures vides campos & terras, longiusque visus aciem porrigis; imò eminus videns montem excelsum putas, quòd cacumen ejus cælum tangat; & ubi eum conscenderis, vides quàm longè à cælo distet. Hoc est, quod ait Nazianz. orat. 1. *Talis est Dei natura, tantum recedit, quantum capitur*. Hic verum est illud: *Abyssus* ignorantiæ *abyssum* sapientiæ Dei *invocat*. Et illud Psaltis psalm. 63. v. 7. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*. Quod explicans Sanctus Cyprianus lib. de Operibus cardinal. in prologo pag. 3. 21. 25. *Quidquid*, ait, *audiri, vel videri, vel sciri potest, non convenit majestati: hebes est in hac consideratione omnis acies sensuum, & caligat aspectus hanc invisibilem lucem & inaccessibilem naturam sex alis, hinc & inde Seraphim stantes & velantes circumeunt & abscondunt, statu æternitatis immobilitatem monstrantes, volatu verò altitudinem ejus, sic in superioribus eleva-* C *tam, ut quantumlibet ad cor altum homo ascendat, exaltetur Deus, & comprehensionis importunitatem evadat*. Et infrà: *Gustamus, delibamus, odoramus, & propè est*; cumque *accesseris, longius abit*. Quo ergo altiùs ascendis ad Deum, eo magis vides quam Deus sit sublimis, eo altiùs super te tuamque cognitionem vides exaltari Deum. Sic quo magis colis & amas Deum, eo magis colendum & amandum censes, eoque magis colere & amare concupiscis. Idem est in perfectione: quo enim magis proficis in virtute, eo majores virtutis campos vides, in quos excurras: eo longiùs te à virtutis termino & culmine abesse cernis, eo magis ad procurrendum in via perfectionis, ut ejus metam apicemque contingas, incitaris.

Immensitas Dei immensam poscit laudem.

Alludit ad illud psalmi 144. 3. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, &* (id est *quia*) *magnitudinis ejus non est finis*: q. d. Quia Dei magnitudo sive deitatem, sive providentiam, sive potentiam, sive bonitatem, sive durationem, sive regnum & dominium in homines, angelos, totumque universum per omnia sæcula spectes, est quaquaversum infinita; hinc pariter infinita ei laus, æquè ac servitus cul- D tusque debetur. Ne ergo putes te sat laudasse & coluisse Deum, sat pro eo laborasse; quia ipse sua magnitudine omnem tuum laborem, cultum & laudem in immensum superat & transcendit. Satage ergo indies magis & magis eum laudare & colere, ut quod re non potes, conatu & desiderio infinitè eum, ut meretur, laudandi & colendi, assequaris. Unde S. August. in vers. psal. 144. jam citatum, *Ideò*, inquit, *dixit valdè* (sic August. legit pro *nimis*) *quia magnitudinis ejus non est finis: ne fortè incipias velle laudare, & putes te laudando posse finire, cujus magnitudo finem non potest habere*, &c. *Ergo sicut ejus magnitudinis non est finis, sic tua laudis non erit finis*. Et S. Chrysost. in eumdem vers. *Et magnitudinis ejus non est finis: quod alius interpres dixit, inventio*, (alius, *investigatio*:) *quod autem dicit, est ejusmodi: Quoniam magnum habes Dominum, sis quoque tu excelsus, & te explica à rebus quæ ad hanc vitam pertinent. Summè spiritus, qui superent præsentium rerum humilitatem; non ut sis elato animo & insolens, sed magno & excelso*, &c. *alto verò est animo, qui*

A *nimo re est humilis: & præsentis vitæ umbras nihil esse existimes.*

EXALTANTES EUM, REPLEMINI VIRTUTE, NE LABORETIS: NON ENIM COMPREHENDETIS) VERS. 34.
Pro *ne laboretis*, græcè est, μὴ κοπιᾶτε; quod Secundò, verti potest, *ne lassescatis*.

Primò, ergo Palacius, Dionys. Glossa, Lyran. & alii cum Nostro vertunt, *ne laboretis*; & sic exponunt, ut sit correctio, q. d. Si magno es ingenio, acumine & robore; indue virum, vires omnes exprome, exere lacertos, ut Deum pro dignitate collaudes. At ne labores incassum, volens Deum Deique laudes conceptis à te verbis & præconiis adæquare: non enim eum comprehendes nec adæquabis, quia ipse tuas laudes vincit & superat in immensum. Unde Glossa, Lyran. & multi Theologi ex hoc loco probant Deum esse incomprehensibilem, eò quòd à nobis perfectè cognosci & comprehendi nequeat.

Secundò, & planiùs, Tigur. Jansen. & alii vertunt, *ne lassescatis*: q. d. Exaltate Deum quantum potestis: virtutem, id est, vires omnes, in ejus laudes exerite, nec in eo totis viribus laudando lassescatis: quia quantascumque vires exerue- B ritis, quantumcumque in eo laudando laboraveritis & delassati fueritis; numquam tamen comprehendetis, id est, numquam plenam, perfectam, adæquatam ejus dignitati laudem consequemini. Laborate ergo & lassate vos in ejus dilaudatione; quia omnis vester labor, omnis lassitudo, omnis dilaudatio non sufficit ad hoc, ut eum, prout meretur & dignus est, dilaudetis. Igitur Tò *non laboretis* per catachresin & metalepsin idem est, quod *ne in labore lassescatis*; sed in eo alacres persistite & crescite. Sic cap. 16. 27. de cælis dixit: *Nec esurierunt, nec laboraverunt* (id est, delassati sunt:) *& non destiterunt ab operibus suis*. Ita Tigurina, *Ergo*, inquit, *extollendo eo vires exercete, nec lassescatis, nec enim poteritis satisfacere*; alii, *extollentes illum roboris plurimum adhibete, ne defatigemini: nam ne sic quidem assequemini*. Rationem subdit Siracides dicens: *Quis vidit eum, & enarrabit?*

Moraliter docet hic Siracides varios esse gradus tum intensionis, tum extensionis laudis divinæ; ac Dei cultorem per hos gradus sensim debere ascendere, ut in dies magis & perfectiùs Deum laudet, ac, si fieri potest, modum inveniat, quo Deum laudando adæquet, eumque laudet C tantum quantum laudabilis est. Nam multiplex est laus Dei, multisque modis & gradibus Deus à nobis laudari & glorificari potest, uti alia occasione obiter indicavi c. 15. 9. Sed hic pleniùs pertractandum est. *Gradus laudandi Deum.*

Primus est, quo omnes creaturæ mutà voce suum Creatorem jugiter celebrant, dum in seipsis ejus potentiam, sapientiam, bonitatem omnibus commendant & ostentant, juxta illud psalm. 18. v. 1. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiant firmamentum*. Hunc tibi arroget fidelis quisque invitando cum Davide creaturas omnes ad Dei laudem: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, &c. *Primus.*

Secundus, quo homines, præsertim fideles & sancti, in terra, considerantes immensam Dei majestatem, beneficentiam & perfectionem, eam mente & voce deprædicant: ac quia id in hac vita plenè præstare nequeunt, aspirant ad alteram, dicentes: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Ita Sanctus Franciscus considerans perpetim immensam Dei pulchritudinem, ad eam aspirabat, & præ desiderio languebat, adeoque illi immortuus est dicendo, *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant* D *justi, donec retribuas mihi*. testis est S. Bonavent. in ejus Vita. *Secundus.*

Tertius est, quo Beati in cælo, homines & Angeli, præsertim Seraphini ardentes amore & admiratione Dei, semper ei accinunt, *Alleluja. Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth: plena est omnis terra gloria ejus*, Isaiæ 6. Apocalypsis 4. Sicut ergo philomelæ integros dies & noctes canunt, laudantque Deum initio veris, nec alia re quàm cantu suo delectantur, eumque semper augere & intendere, aliosque omnes superare contendunt; adeò ut quandoque ex hac vocis contentione rumpantur & moriantur: sic & Beati ac Seraphini omnes vires suas exhauriunt in laudando Deum; & cùm vident se eum dignè, ut meretur, laudare non posse, sed in immensum eum esse pulchriorem & laudabiliorem; optant in immensum ampliùs eum laudare: sed quia se vinci ab eo vident, in eo gaudent, quòd tantus sit Deus ut omni laudi sit superior. *Tertius.*

Quartus est, quo B. Virgo, & Christus laudant Deum. B. Virgo enim, sicut omnes homines & angelos longè superat *Quartus.*

in gratia, ita in gloria ac visione Dei: unde magis penetrans Dei speciem & attributa, excellentiùs omnibus ea celebrat. Longè verò magis facit id Christus qua homo, cujus gratia & gloria est gratia & gloria capitis, à quo ceteri omnes suam gratiam & gloriam participant. Quis comprehendet quanto ardore, quanta perfectione, quanto jubilo Christus glorificet Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum in se, & in opere incarnationis, quod in se operatus est, sibique tribuit; ut scilicet hæc sua humanitas uniretur Verbo, ideoque hic homo hypostaticè esset Deus, & Dei Filius, ac per eam operaretur redemptionem nostram & salutem totius universi? Hos omnes modos usurpare nobisque arrogare possumus, optando & gratulando Deo laudes omnium Sanctorum, omnium Seraphinorum, B. Virginis & Christi Domini: ac cum iis jungendo nostras voces & laudes, uti facit Ecclesia in Missa, in Præfatione Canonis. Verùm nulla laus, ne Christi quidem, cùm sit finita, adæquat dignitatem Dei, utpote infinitam.

Quintus. Quintus & adæquatus ergo modus laudandi Deum est, quo ipsa SS. Trinitas seipsam contemplans infinitè laudat & glorificat ab omni æternitate in omnem æternitatem. Hanc Dei ipsius laudem crebrò usurpat Ecclesia, imò singuli, dum in fine psalmi cujusque canunt: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*. Hic enim non intelligitur gloria creata, sed increata, essentialis & æterna Dei; quam ipse habet in se, per seipsum, ex seipso; & quæ est ipsemet Deus: ut patet ex eo quòd subdimus: *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen*, quasi dicat Semper laudetur & glorificetur Deus ea laude & gloria, quam habuit ante omnem creaturam in sua immensa æternitate & æterna immensitate: qua scilicet Pater laudat Filium, & sanctum Spiritum; & hi vicissim laudant Patrem infinita, perpetua & intentissima laude. Quocirca S. Franciscus crebrò jubilabat: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*. hac enim ratione gratias reddebat ad singula Dei beneficia. Unde non poterat satiari repetitione hujus versiculi, quem summè omnibus commendabat; nominatim verò cuidam fratri laico valdè tentato, & licentiam petenti ut literis operam daret: *Addisce*, inquit, *frater charissime, versiculum hunc, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & sacram scripturam omnem tenebis*. quod ut fecit tentatus, nullam ampliùs sensit molestiam, & tentationem omnem literas addiscendi superavit. ita refert Lucas Vvaddingus in Annalibus Minorum anno Dom. 1221. n. 35.

Doxologia S. Francisci. Siracidis Dei doxologias imitatus Sanctus Franciscus, hanc ex Apocalypsi & Psalmis composuit, quam ipse recitationi Horarum Canonicarum præmittere solebat, ut ferventiùs psalleret, Deique laudes personaret. Recitat eam ex Pisano, Firmiano & aliis, Lucas Vvaddingus tom. 1. opuscul. Sancti Francisci pag. 103. estque hæc: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus noster omnipotens, qui est, & qui erat, & qui venturus est. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula. Dignus es Domine Deus noster accipere laudem, gloriam, & honorem, & benedictionem. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula. ℣. Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula. ℣. Laudem dicite Deo omnes servi ejus, & qui timetis Deum, pusilli & magni. ℟. Laudate & superexaltate eum in sæcula. ℣. Laudent eum gloriosum cæli & terra. ℟. Et superexaltent & laudent eum in sæcula. ℣. Et omnis creatura quæ in cælo est, & super terram, & subtus terram, terra, & mare, & quæ in eis sunt. ℟. Laudent & superexaltent eum in sæcula. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula. ℣. Sicut erat in principio, & nunc, & semper. ℟. Laudemus & superexaltemus*, &c.

Præclarè Ven. Beda in Proverbiis: *Opere*, inquit, *meliùs quàm verbis Deus laudatur & prædicatur*. Utrumque ipse præstitit: unde in festo Ascensionis Christi in Vesperis decantans, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*; spiritum doxologum Deo reddidit, ac cum Christo in cælum ascendit, ibidem perpetim cum Beatis Deum laudaturus, anno à Christi Domini incarnatione 731. ita Baron. in Annal. anno jam dicto.

Porrò sicut hymnus & laus mentalis æquè ac vocalis, adæquans Dei dignitatem, non est alius, nisi hic unicus jam dictus. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sicut erat in principio, & nunc, & semper*, &c. Sic & hymnus ac laus realis eamdem adæquans non est alius, nisi unicus, scilicet sacrificium Eucharistiæ. In eo enim Deo offerimus victimam ei adæquatam, scilicet unigenitum ejus Filium, ad ejus laudem & gloriam in cruce immolatum, quasi divinum SS. Trinitatis holocaustum. Utraque ergo hæc Dei laus divinissima est, ideoque crebrò usurpanda. *Realis Dei laus summa est sacrificium Eucharistiæ.* Insuper sancti non tantùm corde, & ore, sed & opere ac vita laudant Deum, ac laudare in dies meliùs & perfectiùs omni studio satagunt, idque tripliciter: Primò, agendo; Secundò, patiendo; Tertiò, prædicando. *Sancti tripliciter laudant Deum.* Agendo, quia continuò agunt opera virtutis, ut humilitatis, orationis, charitatis; quibus glorificatur Deus, aliique ad Deum glorificandum accenduntur: quare omnis eorum vita est continua Dei laus. Patiendo, quia omnia, quæcumque patiuntur, sive a natura, sive à dæmone, sive ab amicis vel inimicis, sive à Deo, sive à seipsis, mortificando membra sua; omnia hæc referunt ad Dei laudem & gloriam. Et sanè hæc, uti aspera, ita fortis, realis & solida, ideoque mirè Deo grata & jucunda est glorificatio. Ita Christus maximè glorificavit Deum, cùm in cruce se illi in holocaustum ad ejus laudem obtulit. Et Martyres maximè glorificarunt Deum, cùm eculeos, ignes, cruces, bestias, ungulas, scorpiones fortiter & alacriter sustinentes, canebant: *Benedicam Dominum in omni tempore*. Hinc B. Teresia: *Domine*, ait, *da pati, aut mori*. Prædicando, quia prædicatione vel sermone suo alios ad Deum convertunt, qui conversi Deum laudant, aliosque ad id inducunt. Igitur magna Dei laus est conversio & zelus animarum. Hi ergo sunt philomelæ cælestes; imò angeli qui jugiter laudant Deum: Beatorum enim otium est jugis doxologiæ Dei negotium.

QUIS VIDEBIT EUM, ET ENARRABIT? ET QUIS MAGNIFICABIT EUM, SICUT EST AB INITIO?) VERS. 35. Quasi dicat quis vidit Dei majestatem & magnificentiam quaquaversum immensam, ut eam pro dignitate & veritate ex æquo enarrare valeat? q. d. Nemo. *Deum enim, nemo vidit umquam: sed unigenitus, qui est in sinu Patris, enarravit nobis*, ait S. Joannes cap. 1. non omnia, sed ea, quæ Deus enarrari voluit, quæque ad fidem & salutem hominum sufficiunt. Et quis eum magnificare & celebrare poterit, *sicut est ab initio*? id est, ea dignitate, ut eum ejusque majestatem, quæ ab omni æternitate eadem semper, immensa & beatissima subsistit, laudando exæquet? q. d. Nemo, etiamsi omnes omnium angelorum & hominum voces & laudes in unum conspirarent. ita Tigurina: *Quis*, inquit, *vidit, ut possit enarrare? Quis eum extollit pro dignitate?* Græcè ad verbum est, *quis eum vidit, ut enarret?*

QUIS MAGNIFICABIT EUM, SICUT EST?) Angeli & Beati vident quidem Deum, sicut est: unde & enarrando glorificant eum, *sicut est*, id est intuitivè eum vident & laudant: at non magnificant, *sicut est*, id est, pro suæ essentiæ & majestatis dignitate & merito quod intendit Siracides. Qui ergo laudant Deum, usurpant officium angelorum, suntque quasi angeli terrestres. Unde S. Bernard. serm. 7. in psal. *Qui habitat: Solent psallentibus*, inquit, *quoque dignanter commisceri sancti angeli, sicut Psalmista ait: Prævenerunt principes conjuncti psallentibus. unde & dicebat: In conspectu angelorum psallam tibi. Usurpemus igitur & nos officium, quorum fortimur consortium. Dicamus eis, Psallite Deo nostro; psallite regi nostro, psallite.*

MULTA ABSCONDITA SUNT MAJORA HIS VERS. 36. (operibus Dei, quæ paulò antè enarravi, quæque oculis vidimus, aut mente concipimus:) PAUCA ENIM VIDIMUS OPERUM EJUS) De angelorum enim multitudine, natura, speciebus, choris, hierarchiis, dotibus pauca scimus. Item de cælis, sole, stellis; ac præsertim de iis quæ in cælo empyreo Beatis præparavit Deus. Adhæc, de iis quæ in maris & terræ visceribus abdita, aut apud exteras Gentes, & antipodes nobis incognita latent. Omitto possibilia: Deus enim potest infinitos novos mundos creare, qui non tantùm hunc mundum nostrum, sed & sese invicem gradatim in immensum superent & antecellant. Si ergo opera Dei plurima ignoramus, utique ea laudare pro dignitate nequimus: multo minùs eorum auctorem Deum, qui illis immensùm perfectior est.

OMNIA AUTEM DOMINUS FECIT; ET PIE VERS. 37. AGENTIBUS DEDIT SAPIENTIAM) Hæc est conclusio. q. d. Summa dictorum hæc sit, quod omnes res existentes factæ & creatæ sint à Deo; etsi multas utpote absconditas nec videamus, nec cognoscamus: quodque *piè agentibus*; græcè. *εὐσεβέσι*, id est, piis, Deum colentibus, *dedit sapientiam*, non omnem; sed sufficientem ad hoc, ut ex operibus

bus Dei Deum agnoſcant, laudent, timeant, ament, eiuſque A præceptis obediant, itaque ſalutem, felicitatem, & vitam æternam, ad quam à Deo conditi, & vocati ſunt, conſequantur. Hæc enim eſt practica veraque ſapientia, quam ſolis piis dedit Deus. Impii enim, etſi multa ſpeculativè de Deo, deque rebus creatis, cognoſcant: tamen quia ex illis non aſſurgunt ad Dei amorem, timorem, & cultum, ut ab eo beentur; idcircò verè, & ſalutari ſapientia ſunt deſtituti.

Ex iis quæ hoc cap. & præced. dicta ſunt, collige quantum, quàm vaſtum, amplum, immenſum ſit omnipotentiæ Dei pelagus. Atque ut idipſum pleniùs perſpicias, & geometricè quaſi dimetiaris, accipe quinos ex intima Theologia calamos pariter immenſos, quos ſuggerit noſter Leſſius libr. 5. de Perfectionib. divinis c. 1. Primò enim immenſitas omnipotentiæ Dei colligitur ex eo, quòd totum hoc univerſum omnia rerum genera complectens fecerit. Unde accidenter patet, illum alia ſimilia ſine fine efficere poſſe, ſicut pictor, qui unam formam poteſt excellentiſſimè depingere, poteſt etiam quaſvis alias, quas animo complecti poteſt: & architectus, qui unam palatii ideam poteſt animo concipere, & opere exhibere, poteſt etiam alias quaſvis. Igitur B poteſt Deus alios, & alios cælos, alia, & alia elementa, alios, & alios angelos, ac creaturas quaslibet, imò mundos innumeros diſtinctos ab hoc quem creavit, producere: idq; ſine fine, & termino tum multitudinis, tum exceſſus, & præſtantiæ: poteſt enim mundum alium hoc quem condit præſtantiorem creare, & in eo alio angelos, cœlos, & creaturas præſtantiores his, quos condidit, producere, atque hoc rurſum alium præſtantiorem, & tertiò iterum hoc alium præſtantiorem, idque continua ſerie in infinitum. Imò commune Theologorum axioma eſt: *Deus poteſt quidlibet efficere, quod contradictionem non implicat.*

Omnipotentia Dei quinque menſuræ. Prima.

Secundò, ex modo faciendi tum ex parte actionis, tum ex parte termini. Ex parte actionis; quia ſumma facilitate, nimirum ſolo verbo, & juſſu. *Ipſe* enim *dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.* Nihil facilius verbo. Hæc ſumma facilitas, ſignum eſt ſummæ potentiæ, ac proinde omnipotentiæ. Ex parte termini, quia ex nulla materia, ſed ex nihilo; quod numquam philoſophi potuerunt vel animo concipere, quare, & ex hac parte eius potentia limite caret. Confirmatur, quia quo res longius diſtat ab Eſſe, eo majore opus eſt potentia, ut retrahatur ad Eſſe: atqui C longiſſimè diſtat ab Eſſe, quod non latet in potentia materiæ, ſed in puro nihilo, ſolaque potentia obiectiva; ergo ad hoc opus eſt maxima potentia, quæ ſola eſt omnipotentia.

Secunda.

Tertiò, colligitur ex infinitate eſſentiæ: potentia enim ſequitur eſſentiam. Nam vel eſt ipſa rei eſſentia, conſiderata ut effectiva; vel quiddam ſequens eſſentiam per modum naturalis proprietatis. Ergo cum eſſentia ſit penitus infinita, potentia quoque omnino infinita erit: ſunt enim hæc inter ſe commenſa.

Tertia.

Quartò, ex participabilitate eſſentiæ: tanta enim eſt potentia, quanta eſt eſſentia in ratione participabilis ad extra: ſed eſſentia infinitis modis eſt participabilis ſeu imitabilis; idque ſecundùm ſingulos gradus rerum, qui ſunt eſſe, vivere, ſentire, intelligere: ergo potentia eſt infinita. Vide S. Thomam l. 2. contra Gentes cap. 22. ubi ſimiles aliquot rationes eleganter adducit.

Quarta.

Quintò, ex ratione ſapientiæ: quia tanta eſt potentia, quanta eſt ſapientia. Quidquid enim Deus per ſuam ſapientiam poteſt concipere ut operabile, per ſuam potentiam poteſt efficere: ſicut perfectus pictor quidquid poteſt imaginari, poteſt exteriùs depingere. Atqui infinitas rationes, & ſpecies rerum infinita illa ſapientia concipit: ergo poteſt omnes illas producere. Itaque omnia poſſibilia continentur in eſſentia divina tamquam in originali radice, & quaſi in exemplari formali, in quo etiam exiſtunt obiectivè modo perfectiſſimo, & illuſtriſſimo: magis enim ibi fulgent, quàm in ſuis naturis creatis. In potentia, tamquam in cauſa effectrice.

Quinta.

Quocirca dictorum anacephalæoſin colligentes, & hunc omnipotentiæ Dei oceanum gratulabundi, & admirabundi venerantes, exclamemus: O adorandam, tremendam, & religioſo ſilentio venerandam omnipotentiam tuam, Domine rex ſæculorum, qui omnia per te potes, quidquid poſſunt omnes creaturæ tuæ: à qua omnis potentia, omnis vis, omnis energia rerum omnium eſt inſtituta, & dependens, qui omnia ex nihilo ſolo verbo condidiſti, & condita eodem ſubſtantifico influxu conſervas, ex omnipotentiæ tuæ manu ea veluti ſuſpenſa tenens, ne in ſuum nihilum relabantur; coram quo totus mundus eſt inſtar pilæ modicæ, & omnes gentes inſtar ſtillæ roris antelucani. Qui reipſa poteſt efficere, & præſtare, non ſolùm quidquid omnes homines, & angeli animo concipere, ſed etiam quidquid ſapientia tua infinita poteſt excogitare: par enim eſt potentia tua ſapientiæ tuæ, & æquè latè ſe extendunt, & diffundunt, cùm hæc ſola ſit illius regula, & menſura. Quam enim aliam habeat menſuram poteſtas immenſa, niſi immenſam? hinc non minùs ea tenes, & poſſides quæ non ſunt actu in Eſſe producta, quàm quæ Eſſe, & ſpeciem exteriùs acceperunt. Deliteſcunt enim in theſauris potentiæ, & ſapientiæ tuæ, & ad minimum nutum tuum in Eſſe foras proſilient, & dicent: Adſumus ad obſequium tuum. Non indiges laudibus, & obſequiis noſtris: ſi enim velis, infiniti tibi mox ſuppetent famuli, qui incomparabiliter te meliùs colant, & omni laude celebrent.

Hymnus omnipotentiæ Dei eiuſq. ſynopſis.

CAPUT QUADRAGESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

INcipit hic tertia pars libri. Nam (ut dixi eius initio) prima parte, putà primo capite, tradidit elogia ſapientiæ. Secunda parte, putà à capite ſecundo huc uſque, tradidit præcepta ſapientiæ, nunc verò hac tertia uſque ad finem libri dat exempla ſapientiæ. Solent enim ethici ſua præcepta per exempla illuſtrare, & commendare.

Hoc igitur capite, Primò, laudat Patriarchas, & viros ſapientes in genere uſque ad v. 16. Inde ſpeciatim dilaudat Henoch, Abraham, Iſaac, & Iacob. Vnde codices Græci Romæ correcti, huic capiti titulum præfigunt, Hymnus patrum; *& Tigurina,* Majorum laudes. *Simili modo Sapiens lib. Sapientiæ præmittit elogia ſapientiæ, deinde cap. 10. eiuſdem ſubdit exempla, laudando Adam, Noe, Abraham, Lot, Iacob, Ioſeph, Moſen, Hebræos, &c. Et Apoſtolus Hebr. 11. poſt fidei elogia, celebrat fidei athletas Henoch. Noë, Abraham, Moſen, &c.*

LAudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua. 2 Multum gloriam fe-
cit Dominus, magnificentia ſua à ſæculo. 3. Dominantes in poteſtatibus ſuis, homi-
nes magni virtute, & prudentia ſua præditi, nuntiantes in prophetis dignitatem prophe-
tarum, 4. & imperantes in præſenti populo, & virtute prudentiæ populis ſanctiſſima ver-
ba. 5. In peritia ſua requirentes modos muſicos, & narrantes carmina ſcripturarum. 6.
Homines divites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes: pacificantes in domibus ſuis.
7. Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur
in laudibus. 8. Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: 9. &
ſunt quorum non eſt memoria: perierunt quaſi qui non fuerint: & nati ſunt, quaſi non

nati, & filii ipsorum cum ipsis. 10. Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non
defuerunt: 11. Cum semine eorum permanent bona, 12. Hæreditas sancta nepotes eo-
rum, & in testamentis stetit semen eorum; 13. Et filii eorum propter illos usque in æter-
num manent: semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur. 14. Corpora ipsorum
in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem, & generationem. 15. Sa-
pientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet ecclesia. 16, * Henoch pla-
cuit Deo, & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam. 17. Noe inventus
est perfectus, justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. 18. Ideo dimissum
est reliquum terræ, cum factum est diluvium. 19. * Testamenta sæculi posita sunt apud
illum ne deleri possit diluvio omnis caro. 20. * Abraham magnus pater multitudinis gen-
tium, & non est inventus similis illi in gloria qui conservavit legem Excelsi, & fuit in testa-
mento cum illo. 21. * In carne eius stare fecit testamentum, & * in tentatione inventus
est fidelis. 22. Ideo jurejurando dedit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ
cumulum, 23. Et ut stellas exaltare semen eius, & hæreditate illos à mari usque ad mare,
& á flumine usque ad terminos terræ. 24. Et in Isaac eodem modo fecit propter Abraham pa-
trem eius. 25. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum con-
firmavit super caput Iacob. 26. Agnovit eum in benedictionibus suis, & dedit illi hæredi-
tatem, & divisit illi partem in tribubus duodecim. 27. Et conservavit illi homines miseri-
VERS. 1. cordiæ, invenientes gratiam in oculis omnis carnis.

LAUDEMUS VIROS GLORIOSOS, ET PARENTES NOSTROS IN GENERATIONE SUA) Præclarè Origen. lib. 1. in Job: *Sicut cæli luminaria*, inquit, *ac sidera cunctis indesinenter quæ sub cælo sunt fulgent*, &c. *sic, & Sanctorum virtutis insignia, atque beatissimi eorum agones omnibus in perpetuum singulariter lucent, omnibus in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus sub sole pietatis exemplum ostendunt: Apostolus enim ait, Stella differt à stella in claritate*, &c. *Sed, & angelus ad Danielem: Tunc iusti fulgebunt ut luminaria cæli, & tamquam sol, & luna, & tamquam stella in sæcula. Sic itaque effulgent atque emicant. Alius fide fulget, ut Abraham; alius castitate, ut Ioseph*, &c. Idcirco ergo Deus per Siracidem hæc patrum exempla, viva vitæ sanctæ exemplaria nobis proponit, scilicet, ut ait S. Basil. epist. 1. ad Gregor. Nazianz. *Beatorum virorum vita literis tradita velut imagines quadam vivæ, divinæ reipubl. ad bonorum operum imitationem proposita sunt.* Et paulò pòst: *Quemadmodum pictores cùm imaginem ex imagine pingunt, frequenter ad exemplar respicientes, lineamenta inde ad suum opificium transferre contendunt: sic oportet eum, qui studet seipsum omnibus virtutis partibus perfectum efficere, ad sanctorum hominum vitas, velut ad statuas mobiles, & actuosas oculos intendere, atque illorum bona per imitationem sua facere.* Concisiùs Ennodius in Vita S. Epiphanii Ticinensis Episcopi: *Pingebat actibus suis paginam, quam legisset. Quid libri docuissent, vita signabatur.* Hinc Philo lib. de Abraham, *Easdem*, ait, *vitas patrum leges, & posterorum*: Et S. Isidorus Hispalensis 2. Senten. ca. 11. *Si ad boni incitamentum, divina, quibus admonemur, præcepta deessent, pro lege nobis Sanctorum, exempla sufficerent. Ad conversionem seu correctionem mortalium multùm prosunt exempla bonorum: mores enim inchoantium non queunt proficere ad bene vivendum, nisi perfectorum informentur exemplis patrum.* Et post nonnulla: *Ob hanc utilitatem, scribuntur Sanctorum ruinæ & reparationes, ut spem faciant saluti humanæ*, &c. *Exempla Sanctorum, quibus ædificatur homo, varias faciunt consectari virtutes: humilitatis ex Christo: devotionis ex Petro: charitatis ex Joanne: obedientiæ ex Abraham: patientiæ ex Isaac: tolerantiæ ex Jacob: castimoniæ ex Joseph: mansuetudinis de Moyse: constantiæ de Josue: benignitatis de Samuel: misericordiæ de David: abstinentiæ de Daniel.* Et S. Basil. in Gordium Martyrem, *Virorum*, inquit, *qui bene in republ. versati sunt historia, velut lux quædam, his qui salvantur, ad vitæ viam præfulget.* Et rursum: *Exhortatio ad temperantiam est vita Ioseph: invitatio ad fortitudinem est Samsonis historia*, &c.

Est conclusio libri, quâ à laude operum Dei transit ad laudem heroum Dei: quia hi inter opera eminent & excellunt. Hi enim sunt quasi cæli & soles animati, qui corde, ore & opere enarrant gloriam Dei. Hos ergo proponit & recenset hic Siracides, eorumque heroica facta pro Dei lege & virtute patrata celebrat: ut documentorum suorum de virtutibus huc usque traditorum det exempla, quibus ostendat illa practicatu esse possibilia, usu fieri facilia, fructu esse gloriosa; ut ita omnes ad eos imitandos incitet & exstimulet. Unde Syrus vertit, *& ego laudabo viros gratiosos, patres nostros, qui fuerunt in generationibus suis.*

Nota. Non quoslibet celebrat; sed Primò, *viros*, qui scilicet animo sunt virili & excelso, qui viros se præbent in virtute, qui ardua aggrediuntur & superant. Feminæ enim, & homi- A nes feminei, qui effeminato sunt animo, ad magnam virtutem non assurgunt. Sub viris intellige viragines, quales fuere Sara, Rebecca, Anna mater Samuelis, Susanna, mater Machabæorum; & in novo Testamento S. Helena, S. Pulcheria, S. Agnes, S. Cæcilia, S. Lucia, S. Agatha, & innumeræ aliæ, quarum dux & princeps fuit B. Virgo, ut omni virtute & gratia præ omnibus hominibus & angelis plenissima, ita omni laude nostra superior. Hæ enim, cùm sexu essent feminæ, virtute se viragines præstiterunt, virosque virilitate sua vicerunt; ideoque majores præ illis laudes & coronas in cælis æternas meruerunt.

Secundò, celebrat viros, non quoslibet, nec communis virtutis & famæ; sed *gloriosos*, qui scilicet heroica & gloriosa fidei, spei, charitatis, patientiæ, fortitudinis, &c. facinora ediderunt, per quæ gloriam apud Deum, homines & angelos numquam intermorituram adepti sunt. Loquitur Siracides de gloria virtutum propriè, non miraculorum; esto aliqui ex heroibus quos celebrat, miraculis quoque fuerint illustres, ut Moses, Josue, Isajas, &c. nam de multis nullum legimus miraculum. Quod enim miraculum patravit Adam, Sem, Seth, quos laudat c. B 49. 19. Nehemias & Jesus filius Josedec ac Zorobabel, ibidem v. 13. ac Simon Oniæ quem laudat toto c. 50. Sic primis à Christo sæculis permulti canonizabantur sancti Martyres & Confessores ob gloriam virtutum, non miraculorum. Virtus enim sanctum efficit, eaque, si heroica sit gloriosum, non miracula; cùm hæc subinde patrari queant ab impiis in testimonium veritatis & fidei, ut patet Matth. 7. 22. Nunc tamen ea iustis de causis in canonizatione requirit Ecclesia.

Tertiò, celebrat *parentes* suæ gentis, id est, Patriarchas, principes & Prophetas Hebræorum: Patriarchæ enim uti naturali generatione, sic & virtutis insignis exemplo fuere parentes posterorum Judæorum: principes sapienter populum regendo, & contra infideles propugnando: Prophetæ docendo, prædicando, magna miraque efficiendo, politici vel mystici fuere parentes Israelis: filiorum enim est ex filiali amore, gratitudine, pietate & reverentia, quam erga parentes gerunt, eorum præclara facta celebrare (honor enim parentum est honor filiorum) seque & contribules, ceterosque omnes ad eos imitandos accendere. Magnus enim virtutis stimulus est domesticum patrum & avorum speculum, assiduè oculos mentemque verberans.

C Quartò, *in generatione sua*, id est, quorum quisque vixit & luxit sæculo suo. Alii enim vixerunt primo ante diluvium sæculo, illudque suo valore illustrarunt, ut Henoch: alii sæculo diluvii, ut Noe: alii primo post diluvium sæculo, ut Abraham, Isaac, Jacob: alii secundo, ut Moses, Josue, Caleb: alii tertio, ut David, Ezechias, Josias, &c. Quisque enim sui sæculi fuit quasi lux & fax. Græcè est τῇ γενεᾷ, id est, *generatione*, quod cohæret cum *To parentes* q. d. Laudemus parentes nostros, qui nobis sunt parentes generatione, id est, qui nos genuerunt vel naturali naturæ, vel morali virtutis propagine. Unde Tigurina, *porrò laudemus viros præclaros, & quibus prognati sumus majores nostros*; alii, *laudemus nunc viros inclytos, patres nostros genere.*

Laudantur viri inclyti quatuor de causis.

Porrò laudat Siracides patres præclaros multis de causis. Primò, quia laus patrum est laus Dei, qui eos ad tanta eue-

evexit, ut dicet v. Secundò, quia laus patrum est laus filiorum, totiusque gentis. voluit enim Siracides apud Ægyptios, inter quos vivebat, ceterasque Gentes, celebrare suum populum, suosque Hebræos, alias multis nominibus Gentibus invisos, & contemptibiles. Tertiò, quia virtus patrum hoc præconium merebatur: proprium enim virtutis præmium est laudis elogium; præsertim quia multi ex ipsis laudem omnem humanam quam merebantur fugerunt, & sponte abdicarunt, omnemque mundi gloriam calcarunt; quæ honoris fuga, & gloriæ calcatio merita est hunc honorem, & gloriam. Honor enim velut umbra sequitur fugientes, fugit verò sequentes, & captantes se. Celebrari ergo eos hic voluit Deus, quia ipsi, dum viverent, nominis celebritatem fugerunt, studuerunt humilitati, latere elegerunt; imò multi idipsum non tantùm in vita, sed, & post mortem efficere conati sunt. S. Ephrem in testamento, gravi interdicto vetuit, ne post mortem funebri oratione laudaretur: *Nulla Ephrem*, inquit, *cecineritis carmina, nullamque laudem adhibueritis, ne me cum pretioso sepelieritis vestimento, neve privatum corpori meo constitueritis tumulum: mihi enim cum Deo convenit, ut inter peregrinos commorer. Advena quippe ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei.*

causis. Primò. Secundò. Tertiò.

S. Ephrem vetuit funebrem sui laudem.

Idem vetuit Paschasius Radbertus Abbas Corbeiensis, qui scripsit de Veritate corporis Christi in Eucharistia, diemque obiit anno Domini 851. sic enim habet Auctor Vitæ, quæ operibus ejus præfigitur. *Nihil illustrius fuit summa animi eius modestia, & humilitate, qua de se ipse, cùm maximi ab omnibus fieret, modicè omnino sentiebat. Itaque monachorum se omnium peripsema, Levitarumque ultimum appellare solebat. Diaconi gradu contentus, ad presbyterij honorem nunquam aspiravit. Quam sui despicientiam ut post mortem quoque singulari exemplo testaretur, convocatis sub vitæ finem discipulis edixisse fertur, ne quis de ipsius vita quidquam literis consignaret.*

& Paschasius:

Marcianus Anachoreta cùm audisset plures expetere corpus suum post mortem, juramento obstrinxit Eusebium discipulum, ut occultè illud terræ mandaret, uti narrat Theodor. in Histor. SS. Patrum c. 3.

Sic, & S. Antonius moriens adegit suos, ut secretò corpus suum sepelirent, ne quis illi honos deferretur. Testis est S. Athanas. in ejus Vita. Notum est ex S. Hieron. quantum S. Hilarion omnes honores, & laudes fugerit. Tantus fuit in Sanctis mundi, laudis, & gloriæ contemptus: tantus silentii, & humilitatis amor, ut incogniti viverent, & incogniti morerentur.

& S. Antonius.

Quartò, quia virtus laudata crescit. Rursum ad virtutis sequelam efficaciora sunt, magisque movent exempla quàm præcepta, & hortamenta. Quocirca S. Basil. in Asceticis sapienter admonet, virtutis studioso intuenda, & exprimenda esse majorum exempla. Sic enim ait: *Sicut pictores cùm imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem respectantes, lineamenta eius transferre conantur magno studio ad suum opificiũ: ita qui sese meditatur omnibus numeris virtutis absolutum reddere, velut simulacra quædam spirantia, & actuosa Sanctorum vitas respicere opus, probaque illorum opera sua imitando facere.* Nyssen. in Encomio S. Basilii, *Oratione*, ait, *potior fuerit ea laus quæ per opera præstatur ac repræsentatur. Hoc verò quid est? ut per memoriam illius vita nostra melior quàm esse solet, efficiatur. Sicut enim sculptura in sigillo decorem nemo oratione, illam laudando exprimit: sic efficacior est magistri laus quæ per vitam, quam quæ per orationem, repræsentatur. Sic igitur fratres etiam nos sobrietate sobrium imitantes, factis nostris virtutem pro dignitate laudemus; & itidem in ceteris omnibus, miraculum sapientis participatione sapientia repræsentetur: laus paupertatis per hoc, ut etiam nos superfluarum facultatum materialium expertes simus: contemptus mundi huius non modò dicatur quòd sit laudabilis atque gloriosa quædam res; sed earum rerum, quæ per mundum probantur, & expetuntur, contemptionis ac despicientiæ testis sit vita. Ne dicas solùm quòd ille Deo dedicatus, & addictus esset; sed tu quoque teipsum Deo dedica atque addic: nec quòd solum ei bonum atque possessio esset, ea quæ speratur requies; sed etiam ipse congrega tibi has divitias quemadmodum ille: licèt enim transtulit ille de terra vitæ institutum in cælum, transfer item tu. In sacrosanctis, & à furum iniuria tutis cæli ærariis suas divitias deposuit: imitare per hoc etiam tu magistrum. Perfectus enim erit discipulus, sicut magister eius.*

Quartò.

Sic, & Climacus gradu. 26. præcipit, ut è plurimis optimos nobis ad exemplum proponamus, Zeuxidis exemplo, qui picturus Junonem, Agrigientionis omnibus virginibus inspectis, quinque præcipuas elegit, ex quibus, quod esset in unaquaque præcipuum, imitaretur. quin, & S. Paulus Hebr. 13. 7. *Mementote*, inquit, *præpositorum vestrorum quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Et, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*, 1. Corinth. 11. 1. Hanc eamdem Sanctorum exemplorum speculam, ceu normam regulamque, valdè commendant S. August. in psal. 87. S. Hieron. epist. 102. Cassian. collat. 2. c. 4. S. Gregor. 24. Moral. c. 6. & lib. 33. c. 37. S. Ambros. 2. Officior. 20. S. Chrysost. de Compunct. cordis, S. Ephrem tom. 2. epist. ad Joannem monachum, S. Bern. serm. de altitud. & bassit. cordis, & serm. 54. in Cantic. *Armentur enim filiorum animi, dum patrum recensentur triumphi*, ait S. Eucherius.

Sancti ad imitandum proponendi

Porrò patres veriores, & præstantiores sunt qui spiritu, quàm qui carne generant, qui scilicet, alios verbis, & exemplis ad virtutem, & sanctitatem efformant, Deique, qui summus est pater, filios hæredesque efficiunt. Unde S. August. collat. Carthag. tertia 242. *Honorificentiæ causa*, inquit *patres appellamus eos, qui nos vel tempore vel meritis præcesserunt.* Hinc iidem dicti sunt Papæ, de cujus vocis etymo sic scribit Remigius Antisiodor. de Celebrat Missæ: *Papa*, inquit, *secundùm quosdam dicitur admirabilis vel coronatus; sed, quod melius est, patrum, id est, Episcoporum.* Et huc pluris alludunt Auctores. Olim autem non soli Episcopi, sed omnes virtute præstantes clerici vocabantur Papæ. Unde Vualfridus Strabo de Rebus Ecclesiast. ca. 7. *Papa*, ait, *transiit in dignitatis nomen, ut clerici venerandi eodem nomine appellarentur.* Quare Coepiscopi Protopapæ dicti sunt, teste Balsamone can. Apostol. 59. Deinde Soli Episcopi nuncupati sunt Papæ. Sic in Ephesina Synodo can. 1. Cyrillus vocatur Papa Alexandr. S. Hieron. in epist. ad S. August. eum vocat Papam. Sidonius Apollin. libr. 6. epist. 1. & seqq. Lupum, Leontium, Theoplastum, aliosque Episcopos vocat Papas. Addit Baron. in Martyrol. in Addit. ad diem 10. Januarii Episcopos nuncupatos esse Papas usque ad annum Domini 850. Exinde verò nomen Papæ soli adhæsisse Pontifici Romano, quod postmodum sanctione sua confirmavit Gregor. VII. Pontif. in Synodo Romana anno Domini 1073. qua statuit contra schismaticos, ut Papæ nomen vnicum esset in orbe Christiano, nec liceret alicui seipsum vel alium eo nomine appellare. Ibidem docet Baron. *Papa* non esse idem quod *Pater patrum*: esto enim *Pa* pro *pater* positum in saliari carmine testetur Festus; tamen veteres distinguunt Papam à patre patrum, ut cùm Synodus Epiri in epist. ad Hormisdam Papam ita scribit: *Synodus veteris Epiri, &c. Domino nostro per cuncta sanctissimo, & beatissimo Patri Patrum, comministro ac principi Episcoporum, Hormisdæ Papæ.* Germana ergo interpretatio nominis Papæ est, ut à Græca voce πάππας, id est *pater*, descendat: licèt alii deducant à πάππος, id est, *avus*. Hæc Baroni. Accedit Eustathius, qui ait Romana lingua Papam significare patrem. Denique nonnulli eruditi linguarum periti censent tam Græcum πάππα, quàm Latinum Papa à Chaldæo *Abba* (quod descendit ab Hebræor. *Ab*) id est, *pater*, derivari. Ita Petrum Gregor. in Syntag. Juris univers. pag. 2. lib. 15. cap. 3. de Abbatibus num. 1. *Abba*, inquit, *idem est quod universè Papa.* Et Spiegelius in Lexico verbo *Abbas*, ait apud Græcos *Abbas* appellatos *Papas*, velut Moscovitæ pronuntiant *popas*. Parentes ergo prisci quos celebrat hic Siracides, fuere primi Abbæ, & Abbates, πάπαι, & Papæ, & patres patrum.

Papa etymon. Primum.

Papa Episcopo.

Secundum.

MVLTAM GLORIAM FECIT (græcè ἔκτισε, id est, creavit, condidit) DOMINVS, MAGNIFICENTIA SVA A SÆCVLO) VERS. 2.
Putà per *magnificentiam*, id est, magnificam suam potentiam, sapientiam, bonitatem, & operationem; quam habuit à *sæculo*, id est, ab initio mundi, & temporis, imò æternitatis. Complut. addunt ἐν αὐτοῖς, id est, *in ipsis*, scilicet viris gloriosis. Sic enim habent, *multam gloriam creavit Dominus in ipsis magnificentia sua à sæculo*, Roman. *magnificentiam suam à sæculo*; q. d. Dum Deus gloriam tantam creavit in Sanctis, hoc ipse ostendit, & exhibuit magnificentiam suam, quam habuit à sæculo, id est, ab æterno, Gloria enim Sanctorum est opus magnificentiæ Dei, adeoque ipsa est gloriosa Dei magnificentia: hæc enim non est aliud, quàm gloria Dei magnifica; Syrus, *multum gloriæ adiudicatum est illis, & omnis maiestas eorum super generationes sæculi.*

Nota Τὸ *gloriam* respicit Τὸ *gloriosos* vers. 1. q. d. Patres nostri fuere viri gloriosi ob gloriam multam, quam eis contulit Deus. Multam dico. Nam Primò, hæc gloria viros fecit gloriosos, & inclytos. Secundò, hæc

hæc gloriosum fecit sæculum ipsorum: Deus enim eos, quasi faces imò soles orbi dedit, ut illum suo quisque ævo illustraret: v. g. dedit Henoch, ut ille quasi sol illustraret sæculum legis naturæ; dedit Noe, ut quasi sol illustraret sæculum diluvii; dedit Abraham, ut ille quasi sol illustraret sæculum primum post diluvium, & ita de ceteris: Deus enim pro sua magnificentia cuique sæculo successivè hos heroes quasi stellas, imò soles, dedit, ut eius ignorantiæ, & vitiorum tenebras sua luce discuterent. Tertiò, hanc gloriam sibi ipsi creavit Deus: dum enim gloriam tantam Sanctis contulit, hoc ipso seipsum apud homines glorificavit, gloriamque suam ostendit, & celebravit. Unde Tigurina vertit. *Dominus per hos multam gloriam sibi peperit, idq; sua ab ævo condito magnificentia.* Gloria enim Sanctorum, & heroum est gloria Dei eos sanctificantis, & extollentis: sicut gloria operis est gloria opificis, & gloria imaginis est gloria exemplaris. Igitur magnificentia fuit causa, cur Deus patres tam gloriosos effecerit; quia scilicet Deus Magnificentissimus in ea volebat toti mundo ostendere suam munificentiam, & magnificentiam.

Triplex hæc gloria, fuit triplex causa quæ movit Apostolum, ut imitatus Siracidem, post elogia fidei, tantoperè celebret tot tantosque heroes fidei, Hebr. 11. Rursum triplex hæc gloria fuit triplex causa, quæ movit Ecclesiam, ut Siracidem, & S. Paulum secuta, celebret Sanctos illustres: sic enim à priscis temporibus Ecclesia Latina in Martyrologio, & Græca in Menologio, Martyrum Sanctorumque heroicos agones celebrat, posterisque imitandos proponit. Atque hæc fuit prima Martyrum Sanctorumque canonizatio, quam deinde secuta est particularis illa, & solennis, quæ de more fit à Pontificibus. Primus autem quem legimus à Pontifice solemni ritu canonizatum, fuit S. Suitbertus Episc. Vverdensis, qui sub Carolo Magno canonizatus est à Leone III. anno Domini 803. ita Baron. Bellarm. & alii. Secundus fuit S. Udalricus Episcopus Augustanus, qui canonizatus fuit anno Domini 993. à Joanne XV. Pontifice, ut patet ex eius Bulla canonizationis.

Canonizationis origo.

Porrò in canonizatione cuiusque Sancti, duo facit Pontifex, Primò, refert in Sanctorum catalogum, eumque ut talem Ecclesiæ colendum proponit, & sancit. Secundò, eius festum, die quo obiit, & in cælum transiit, toti Ecclesiæ celebrandum indicit. In nonnullis quoque officium de eadem fieri præcipit. Sic in S. Bonaventuræ canonizatione, quæ fuit anno Domini 1480. ait Sixtus IV. Pontifex, *Ipsum SS. Confessorum, Pontificum, & Doctorum consortio solenniter aggregamus; mandantes Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis,* &c. *ut festum ipsius secunda Dominica mensis Julii singulis annis solenniter, & devotè celebrent, divinum officium velut pro uno Confessore, Pontifice, & Doctore, tam publicè quàm privatim, prout contigerit, persolventes. Franciscanis verò huiusmodi officium sub festo duplici, & octava celebrandi concedimus facultatem.* Sic in canonizatione S. Bernardini anno 1450. ait Nicolaus V. Pontifex: *Ipsumq; canonizamus, mandantes festum in numero sanctorum Confessorum non Pontificum decantari.* Prima omnium, cui concessum fuit officium; fuit S. Brigida: nam Bonifacius IX. in eius canonizatione, quæ facta est anno Domini 1391. sic ait: *Statuentes ut ab universali Ecclesia anno quolibet die obitus eiusdem, festum ipsius, & officium, sicut pro una Sancta non Virgine nec Martyre, devote, & solenniter celebretur.* Simili deinde modo Pius II. in canonizatione S. Bennonis statuit, ut ab universali Ecclesia quolibet anno festum ipsius, & officium sicut pro uno Confessore Pontifice die 16. Junii solenniter celebretur. Sic Clemens VII. canonizans S. Antonium Archiepisc. Florentinum, eius festum indicit, ac officium divinum velut pro uno Confessore Pontifice celebrari sancit. Patribus verò Prædicatoribus sub ritu duplici. Sixtus V. in canonizatione S. Didaci: *Statuentes,* inquit, *ut ab universali Ecclesia anno quolibet die 12. Novembris festum ipsius, & officium sicut pro uno S. Confessore devotè celebretur.* Idem officium de S. Raymundo, & S. Hyacintho indicit Clemens VIII. ac de S. Carolo Borromæo, & S. Francisca Romana Paulus V. in eorum canonizatione.

Ritus.

Neque hic recens canonizatos festo officioque colendi est mos; sed pervetustus ab ipsis Ecclesiæ primordiis. Sic enim S. Stephani Protomartyris, ceterorumque Martyrum festum celebrari sanxerunt Apostoli, teste S. Clemente lib. 8. Constit. c. 33. Sic S. Cyprian. epist. 37. *Dies eorum (Martyrum) quibus excedunt,* inquit, *annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Sic S. August. libr. 20. Contra Faustum cap. 21. *Populus Christianus,* inquit, *memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuvetur.* S. Gregor. ad Eulogium epist. 29. lib. 7. *Nos,* inquit, *penè omnium Martyrum, distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus.* Unde liquet veteres festa Martyrum celebrasse quotannis in die martyrii eorum, Missam celebrando, in eaque eorum nomina commemorando & invocando: atque inde factum est, ut in Canone Missæ non nisi Martyrum nomina posita legamus; & quotidie commemoramus dum dicimus, *Commemorantes & memoriam venerantes in primis,* &c. Olim tamen etiam nomina Virginum & Confessorum non Martyrum recitabantur, teste S. August. libr. de S. Virgin. cap. 45. *Perhibet,* inquit, *Ecclesiastica auctoritas, in qua fidelibus notum est, quo loco Martyres, & quo loco defunctæ sanctimoniales recitentur.* Quocirca pridie diei natalis eorum annuntiabantur nomina in Ecclesia (ut hodie fit in Martyrologio) quorum natalitia recensenda essent die sequenti, quorumque una cum sacrificio foret commemoratio facienda. Has Ecclesiasticas tabulas Tertul. lib. de Corona militis, fastos appellat. Porrò Missas has celebrabant in altaribus super corpora, & sepulcra Martyrum, ad eorum honorem erectis, indeque ecclesias vocabant Martyria, quasi Martyrum sepulcra, & monumenta. Pluribus hæc omnia demonstrat Baronius Præcapitulat. in Martyrologium Rom. c. 4. Idem ab olitanis temporibus fecere Græci, Sanctos suos recolentes in Diptychis, & Menologiis.

Porrò Siracides hic æquè ac Apostolus Hebr. 11. propriè non intendit texere catalogum Sanctorum & electorum, sed tantùm virorum illustrium. Esto enim plerique eorum fuerint sancti & electi; de nonnullis tamen res dubia, vel incerta est, ut de Salomone, Zorobabel, Jesu filio Josedec, Nehemia, & Judicibus Israel.

DOMINANTES IN POTESTATIBUS SUIS, HOMINES MAGNI VIRTUTE, ET PRUDENTIA SUA PRÆDITI, NUNTIANTES IN PROPHETIS DIGNITATEM PROPHETARUM) Raban. omittit *To in Prophetis,* vel, ut Græca habent, *in prophetis.* Unde sic legit, *nuntiantes dignitatem Prophetarum,* Hæc participia *dominantes, nuntiantes, imperantes,* &c. non possunt referri ad *laudemus* v. 1. sic enim deberent esse accusativi casus, iam autem sunt nominativi, ut patet ex Græco [illegible], quare more Hebræo hæc participia accipienda sunt pro præteritis, q. d. Dominati sunt, nuntiarunt, imperarunt. Unde Tigurina vertit, *qui regnis suis dominati sunt, viri potentia celebres: qui consilio ingenii sui valuerunt, qui prodiderunt oracula fatorum,* alii magis ad verbum vertunt, *qui dominati sunt in regnis suis, & viri potentia celebres fuerunt, consultantes intelligentia sua, annunciantes prophetias.* Similes hebraismos notavi 2. Corinth. 10. 15. Rom. 12. 13. *VERS. 4.*

Dat causam cur laudandi sint patres, laudisque materiam & obiecta varia assignat. Primum est, *Dominantes in potestatibus suis:* græcè [illegible], id est, *in regnis suis.* Quod Noster vertit, *in potestatibus suis:* cuiq; enim regi in regnum, & principi in principatum competit ius, & potestas regendi, & dominandi juxta leges, & jura cuiusque regni, & principatus, unde aliqui legunt, *in potestatibus suis.* Pleriq: enim patres quos laudaturus est Siracides, fuere Patriarchæ, judices, principes, & reges Israel: Patriarchis enim in suas familias, utpote amplissimas, competebat jus principis, & regis, uti ostendi Genes. 38. 24. Sensus ergo est, q. d. Laudemus patres nostros gloriosos; quia ipsi fuere insignes reges, & principes, qui magna auctoritate, jure, & imperio dominati sunt in Israel, eumque rexerunt juxta leges, & jura à Deo sancita, præsertim ut eum in veri Dei fide, cultu, & obedientia continerent, & ab infidelibus protegerent. Porrò inter bona temporalia nullum gloriosius est regno, & regia dignitate.

Tropolog. Rabanus: Rex magnus est, inquit, qui regit seipsum, qui dominatur animo suo, præsertim iræ, & concupiscentiæ. Nam, & prisci reges, inquit, *fuere facultatibus abundantes, sed majori potestate semetipsos regebant; cùm ab illicitis concupiscentiis coercebant.*

Secundum est, *Homines magni virtute,* græcè est

[illegible], id est viri nominati, famosi, & celebres in potentia, & robore: tum, quia in regno fuerunt potentes: amplum enim, dives, & potens habuerunt regnum; uti habuit David, Salomon, & posteri: tum, quia potentes, & victoriosos habuere exercitus, quibus vicinos reges debellarunt, sibique subiecerunt: tum, quia ingenti animi robore, magnitudine, & generositate ad magna fortiter audenda, & constanter perficienda excelluerunt: hos enim Hebræi vocant אנשי חיל *anse chail*, id est, viros virtutis, id est strenuos, fortes, animosos: quales fuere Iosue, David, Judas Machabæus, &c. bellica virtute clarissimi: tum denique, quia magna in Deum fide præditi, stupenda patrarunt miracula, & portenta. Unde Syrus vertit, *ostenderunt in prophetia sua signa*.

Moraliter disce hic, virtutem consistere in animi vigore, & robore ad ardua quælibet superanda: unde virtus à viro dicta, & propriè fortitudinem significat, quòd viri maximè fortitudo sit, ait Cicero Tuscul. 1. Quocirca virtus à variis variè definitur vel describitur.

Quid virtus. Ciceronis definitio.

Virtus, ait Cicero Tuscul. 2. *est perferendorum malorum fortis atque invicta patientia*. Idem libr. 5. de Finibus: *Virtus est vis illa, qua res, cuius est virtus, perfecta redditur*. Idem libr. 2. de Invent. *Virtus est animi habitus, naturæ, modo, rationi consentaneus*. Idem ad Plancum lib. 10. epist. 3. *Omnia summa consecutus es virtute duce, comite fortuna*. Plato in Menone, sive in Dialogo de virtute, quatuor dat eius definitiones. Prima: *Virtus viri civilis est, ad civilium rerum administrationem congruenter paratum esse. Secunda virtus, est facultas, qua omnibus præesse valemus. Tertia virtus, est gaudere honestis. Quarta virtus, est appetitus honesti, & facultas illud assequendi*. Idem in lib. de Rep. *Virtus est habitus animæ, quo potentia naturali eius quàm optimè opus suum exercet*. Idem lib. 2. de Legibus: *Virtus est obedire rationi*. Alcinous de doctrin. Platon. c. 31. *Virtus est affectio animæ perfecta, & optima, ornatum, concordem, & stabilem efficiens hominem*. Theages: *Virtus est habitus decori*. Rursum Plato in Theæteto dixit virtutem esse similitudinem cum Deo; & alibi, Optimum animi habitum per se laudabilem. Plotinus Enn. 1. lib. 6. cap. 6. ait esse animi purificationem.

Aristotelis.

Arist. in 7. Physicor. contex. 16. esse perfectionem animi, & constitutionem eius secundùm naturam: in 10. Moral. Nicomach. cap. 5. affirmavit, virtutem esse omnium mensuram: & in 1. Rhetor. esse facultatem comparandi quæ bona sunt, eademque servandi: ac insuper esse facultatem multa, & magna in alios beneficia conferendi; esse facultatem, quæ potest omnes omnibus in rebus adiuvare; esse habitum rectè disponentem appetitum sentium, & actiones eius. Alii dixerunt esse humani animi sanitatem.

Stoicorum S. August.

Stoici: *Virtus*, aiunt, *est vacuitas perturbationum, animique tranquillitas*. S. August. libr. de Morib. Eccles. capit. 11. *Virtus est rectissima animi affectio*. Idem de Quantitate animæ cap. 16. *Virtus est æqualitas vitæ, rationi undique consentientis*. Additque virtutem similem esse circulo, quia per illam sapiens fit *in seipso totus teres atque rotundus*. Idem libr. 4. de Civit. capit. 21. *Virtus est ars bene recteque vivendi. Unde ab eo quod græcè ἀρετὴ dicitur virtus, nomen artis Latinos traduxisse putarunt*. Idem libr. 15. Civit. capit. 22. *Virtus est ordo amoris, iuxta illud Cant. 2. Ordinavit in me charitatem*.

S. Ambros.

S. Ambros. libr. 8. in Lucæ capit. 18. *Virtus est nolle peccare, atque ita tenere perseverantiam voluntatis, ut voluntas infantiam, usus imitetur naturam*. Idem in psalm. 1. *Prima virtus est, ut non frangaris adversis, nec extollaris secundis*. Idem libr. 2. de Abel cap. 2. *Perfectæ virtutes sunt, si sollicitudines sæculares, & corporales illecebras victor animus, delinimentaque voluptatis excludat, liber à sæculo, Deo deditus, nihilque de tramite rectæ intentionis imminuens, nec affectus sui tempora tunc luxuriæ dividens, nunc labori*.

Nazianz.

Nazianz. in Præceptis ad virgines: *Virtus in medio vitiorum sita est, vel ut rosa inter spinas*. Sic, & Aristotel. lib. 2. Ethic. cap. 6. *virtutem definit esse mediocritatem*. Unde Horatius.

Virtus est medium vitiorum utrimque reductum.

Virtus est summum bonum huius vitæ. Probatur.

Idem Nazianz. alibi: *Virtus est bonum quod per vim efficitur. Virtutis natura est ad unicum Dei cultum respicere: virtus inclyta tacitis gradibus se tollit in altum*. Quocirca Stoici ceterique philosophi censuerunt, summum bonum huius vitæ situm esse in virtute, idque demonstrant hisce rationibus.

Primò.

Primò, summum bonum est in animo; in animo autem nihil est salutarius, & præclarius virtute.

Secundò.

Secundò, summum bonum id judicari debet, ex quo pendet universa nostra perfectio; virtus est hujusmodi: virtus enim perficit id cujus est virtus, & opus ejus.

Tertiò.

Tertiò, summum bonum id statui debet, quod cùm ex se sit bonum, cetera omnia bona reddit: hujusmodi est virtus. Nam ejus beneficio munera fortunæ, & naturæ redduntur bona nobis, quæ seorsum à virtute potiùs nobis obsunt quàm prosunt.

Quartò.

Quartò, summum bonum id judicari debet, quod (sejunctis cæteris omnibus) bonum reddit id cui convenit; & eo sejuncto ab aliis, derelinquit illud boni expers: hujusmodi est virtus: ex eo enim quod homo est virtute præditus, etiamsi ei cetera omnia desint, statim dicitur vir probus; si autem ea absit, adsint cetera omnia, nequam bonus, & probus nuncupabitur.

Quintò.

Quintò, summum bonum est maximè potens, omnia vincens, omnia superans, omnia cum eo pugnantia repellens: hujusmodi est virtus: ea enim sola muniti, fortunam vincimus, naturæ incommoda rejicimus, munere continentiæ incontinentiam coercemus, heroica virtute feritatem prosternimus.

Sextò.

Sextò, summum bonum debet esse firmum, & constans: apud nos autem nihil virtute firmius, & constantius reperitur: dum enim extrinsecus fortunæ venti nos agitant, dum intus dimicant naturæ contrarietates ex quibus constamus, dum amici nos deserunt, dum principes hujus mundi nobis sunt adversi; sola virtus intus revocata animum reddit tranquillum, sola nos intrepida comitatur: de qua id quod de Musis cecinit Ovidius, congruenter enuntiare valemus:

Has saltem nullus potuit pertempere terror,
Ne nostrum comites prosequerentur iter.

Et Seneca epist. 93. dicebat: Hoc adversus virtutes valent calamitates, damna, & injuriæ, quod adversus solem valent nebulæ; imò minus: quia virtus in calamitate refulget, & adversitate perficitur.

Septimò.

Præterea summum bonum hujus est naturæ, & conditionis, ut quatenus summum bonum est, non possit non prodesse: at hoc virtuti competit. Præclarum enim virtutis privilegium est (ut in 1. Rhetor. monuit Philosophus) quòd ea sola malè uti non valeamus, ac insuper, quod admirabilius est, ea sola dum nobis se offert necessaria occasio) non valeamus non uti: de ratione enim virtutis moralis est, non solùm, ut agamus id quod oportet, verùm insuper quando oportet.

Octavò.

Insuper summum bonum id judicari debet, quod mensura, & regula est cæterorum bonorum, ac Deo pro facultate nos reddit similes: hujusmodi est sola virtus: ea ergo (ut dixit Philosophus 10. Moral. Nicomach. capit. 5.) est mensura omnium (rectum enim judex est sui obliqui) ea sola nos maximè purgat, & purgatos evehit ad supera, Hinc Deus, tamquam amicum ac sibi similem, dicitur visitare virum probum ac sapientem. Demum summum bonum dicitur esse jucundissimum, honestissimum, utilissimum, semper consimile, naturæ hominis consentaneum, ordinem statuens inter partes animæ, ac hominem reddens similem magno mundo: hujusmodi est sola virtus.

Tertium est, *Prudentia sua præditi*, græcè *[illegible]*, id est, consultantes vel consiliantes, intelligentes, id est prudentes, & sapientes: prima enim, & potissima prudentiæ pars est consilium. Prudens enim est, qui novit in quovis eventu, præsertim in re difficili, & periculosa, sapiens dare consilium. Porrò hæc prudentia triplex est, scilicet ethica, quæ hominem ipsum; œconomica, quæ familiam; politica, quæ rempubl. prudenter regit, & administrat. Triplicem hanc prudentiam habuere Patriarchæ, & principes, quos hic celebrat Siracides. Nam ut sapienter ait S. Dionys. epist. ad Demophilum: *Qui se ipse rexerit, alterum etiam reget: & qui alterum, etiam domum: qui domum, etiam civitatem: qui civitatem, etiam nationem*.

Quartum est, *Nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum*, id est populo annuntiabant, commendabant, & inculcabant in Scripturis Prophetarum, eorumdem dignitatem; quantæ scilicet tum ipsæ prophetiæ, tum ipsi Prophetæ earum auctores sint dignitatis, & auctoritatis, nimirum divinæ, quia à Deo dictatæ, & inspiratæ fuere Prophetis; ac consequenter quanta reverentia, & obedientia sint excipiendæ. ita Lyran. & Dionys. Sub Prophetis intellige legem, & Pentateuchum. Moses enim fuit princeps uti principium, & pontificum, sic, & Prophetarum, Atqui Moses præcipit Deuter. 17. 18. ut rex novus, mox ut inauguratur, habeat Deuteronomium, illudque assiduè legat; ut juxta illud se, & suos regat.

Post-

Postquam, inquit, *sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt.* Ita fecere pii reges, & principes, ut Josias 4. Reg. 22. 1. & Esdras 2. Esdræ 8. 18. ac similes: qui proinde uti piè, & sanctè, sic, & prosperè feliciterque Deo fortunante regnum administrarunt. Israelis enim regnum non erat merè civile, & politicum, sed, & Ecclesiasticum ac divinum: quare reges regere debebant populum juxta legem Mosis, & oracula Prophetarum: sicut reges, & Imperatores Christiani regere debent populum juxta Christi legem, & Evangelium. Qua in re excelluit Iagello Lithuaniæ, & deinde Poloniæ princeps, qui Polonis, & Lithuanis fidem Christi adeò ferventer instar doctoris, & concionatoris prædicavit, ut eos ad Christum converterit: quare Polonorum tam Apostolus quàm princeps extitit. Ejus pietatem, & zelum imitantur moderni Polonorum reges, & principes, qui ab eo prognati Jagellonidæ nuncupantur, eoque titulo gloriantur. Floruit Jagello anno Domini 1390. tempore Tambernalis. Ita Martinus Cromerus de Rebus Polon. libr. 15. & Orat. funebri in morte Sigismundi primi.

Iagellonis zelus.

Secundo, Jansenius sic explicat, q. d. Nuntiabant, inquit, patres in libris propheticis dignitatem Prophetarum, hoc est, eam suis scriptis, & relictis post se divinis oraculis declarabant: nuntiabant ergo, id est, re ipsa ostendebant, & exhibebant dignitatem prophetiæ, dum eam à Deo accipientes in libris conscribebant, ex quibus illa populo legeretur, & annuntiaretur. Plerique enim patrum fuere Prophetæ, qui prophetias vel ore dictarunt, vel calamo scripserunt: itaque Dei oracula, & voluntatem populo annuntiarunt. Unde græcè est ἀπαγγέλλοντες ἐν προφητείαις, id est, *annuntiantes in prophetiis*, hoc est, ut Tigurina, & alii vertunt, *annuntiantes prophetias, & oracula*. Hebræi enim verba contractus tam mentalis, qualè est annuntio, quàm realis, construunt cum ב, id est *in*, & oblativo, uti jam sæpiùs monui. Unde noster Emmanuel Sà subaudiens τὸ *secundùm*, sic exponit, q. d. Annuntiantes prophetias secundùm dignitatem Prophetarum: q. d. Majores nostri fuerunt Prophetæ, & prophetias ediderunt dignas Prophetis, ut meritò inter Prophetas magnos censendi sint. Talis fuit Josue, de quo ait capit. 46. v. 1. *Fortis in bello Jesus Nave, successor Mosis in prophetia*: q. d. Majores nostri non tantùm prudentia fuere præditi, sed, & prophetia ac spiritu prophetico clari: quare regimen eorum non tantùm fuit prudens, sed, & propheticum ac divinum: quia prudentia non tam humana quàm divina rexere populum, utpote in dubiis omnibus consulentes oraculum Domini, uti fecit Moses, & Josue Num. 27. 21.

Tertiò, Palacius sic exponit, q. d. Majores nostri erant nuntiantes inter Prophetas dignitatem propheticam suam, quæ maxima laus est. Quam ut intelligas, id Nota. Licet olim Deus multis dederit spiritum prædicendi futura, atque ideo ut essent suo modo Prophetæ, ut dedit Sibyllis, & Balaam; tamen dignitatem propheticam, & canonicam solis dedit Judæis, qui agnoscentes se Spiritu sancto inspiratos loqui, asserebant se esse Prophetas: ac ideò suam dignitatem propheticam nuntiabant, & pronuntiabant; & propterea horum prophetias Ecclesia, ut canonicas suscepit, & suspexit. Jam est sensus apertus: parentes nostri erant inter Prophetas, qui prædicebant futura, dignissimi, nuntiantes suam propheticam dignitatem, id est, dicentes se esse veræ Ecclesiæ Prophetas.

Rursum alii sic explicant, q. d. Nuntiantes non tantùm plebeiis, & rudibus, sed, & ipsis Prophetis, id est viris doctis, & sapientibus dignam Deo, & se prophetiam, id est, sapientiam. Unde Syrus vertit, *sapientes didicerunt in sapientia eorum*.

Quartò, Franc. Lucas in Annotat. hic: Manuscripta duo, inquit, cum Rabani textu omittunt *Tò in prophetis*, leguntque, *nuntiantes dignitatem prophetarum*. Alia manuscripta tollunt non tantùm *in prophetis*, sed etiam *nuntiantes*, scribuntque quod reliquum est, *in dignitate prophetarum*. Harum lectionum altera videtur Vulgaris, quæ in Notation. hujus cap. collocata est, præferenda: ex Græcis enim docemur satis alterum superfluere, vel *dignitatem prophetarum*, vel *in prophetis*, ἐν προφητείαις (habent codices Græc.) ἀπαγγείλαντες, *qui annuntiarunt in prophetiis*: quod est, qui prophetias, & divina oracula annuntiarunt. Utra autem præferenda sit, non facilè dixero: prior, *nuntiantes dignitatem prophetarum*, Græco conformior est; posterior, *In dignitate prophetarum*, ab alterius eruditionis suspicione alienior: cui si subaudias, constitui, vel quid simile; id significatur, quod auctor velle videtur, Prophetico spiritu excellentes. Posset in eumdem sensum prior lectio accipi, si per *dignitatem prophetarum* intelligas prophetias, ob quas Prophetæ sunt in honore. Hæc Franc. Lucas. Verùm nobis sequenda est lectio Romæ correcta, quam passim continent codices Latini.

Et imperantes in præsenti populo) Pro *imperantes* græcè est ἡγούμενοι, id est, duces, vel imperantes, ducentes, præeuntes, antegredientes, prælucentes. Ducis enim est præire militibus, & populis: ita patres, & principes isti Israel tam armis, quàm verbo, & exemplo præibant Israeli: idque *in præsenti*, id est, populo sui ævi, qui tunc illis præsens erat. Est ampliatio: *præsens* enim hic ampliatur ad præteritum; quia quod nobis est præteritum, patribus erat præsens.

Et virtute prudentiæ populis sanctissima verba) Intelligitur hic verbum: sed quod? Rabanus, & Palacius subaudiunt *loquentes* vel *instruentes*. q. d. Non cedro sed cælo digna locuti. Lyran. ex v. præced. repetit *nuntiantes*, q. d. Patres loquebantur, vel nuntiabant populis sanctissima verba legis divinæ. Jansenius verò sine verbo sic explicat: Quoniam, inquit, durum est repetere ex alia sententia verbum *nuntiantes*, cùm jam aliud intercesserit participium: & quia quod respondet illis dictionibus *sanctissima verba*, ponitur in nominativo apud Græcos (habent enim σοφοὶ λόγοι) ideò magis convenit sic accipere, q. d. Et per vim, & efficaciam prudentiæ eorum fuerunt ipsis populis sanctissima verba, hoc est, per eos populus habuit sancta eloquia Dei. Multa scripta habent, *populi sanctissima verba*: quæ lectio magis consentit Græcis, in quibus est genitiuus λαοῦ, & nominativi, *sapientes sermones*. Itaque sensus erit, quòd patres illi *virtute prudentiæ* fuerunt *sanctissima verba* populi; hoc est fuerunt, per quos populus sanctissima verba à Deo percepit: ut causaliter dictum sit, quòd patres fuerunt sanctissima verba populi. Verùm hæc explicatio coactior, & durior est. Dico ergo repetendum esse participium *imperantes*, græcè ἡγούμενοι, id est, *præeuntes*, q. d. Majores nostri imperabant, & præibant populis sibi subditis sanctissima verba, dum eos verbo, & exemplo incitabant ad observationem sanctissimæ legis Dei. Hæc est enim virtus prudentiæ, ut quòd verbo doces, & imperas, idipsum doceas, & præeas exemplo: facta enim dant efficaciam verbo, exemplum dat auctoritatem imperio. Sic fecit Joseph juxta illud psalm. 104. *Misit rex, & solvit eum*, &c. *Ut erudiret principes eius* (Pharaonis, & Ægypti) *sicut semetipsum: & senes eius prudentiam doceret*. Sic David, Ezechias, Josias, &c. non solùm Judæi, sed, & aliis, quos subiiciebant, populis Dei præcepta tradiderunt. Nam ut ait S. Basilius homil. 3. Hexam. divinam doctrinam profanæ conferens, & anteferens: *Quantum castè viventium mulierum pulchritudo meretriciæ formositati præponitur, tanto noster sermo dignoscitur prælatus esse illorum doctrina.* VERS. 4.

Porrò Noster aliter legit, & dispungit in Græco, quàm modò legitur. sic enim nunc legitur, & dispungitur: λαοῦ σοφοὶ. Deinde novo versu, ἐν τῇ, id est, ut Complut. & Roman. *duces* vel. *rectores populi in consiliis, & in intellectu literarum populi. Sapientes sermonem in disciplina eorum*; Tigurina, *qui populo præfuerunt consilio, atque cognitione, peritia literaturæ scribarum populi; quorum dictis sapientibus constitit eruditio.* Noster verò legit ἁγιώτατοι, id est, *sanctissima verba*; eaque nexuit, cum *imperantes*, quod præcessit; Syrus, *dicens parabolas in libro virorum fortium*.

In peritia sua requirentes modos musicos, et narrantes carmina scripturarum) Pro *in peritia*, Rab. Lyr. & alii legunt *in pueritia* (utrumque enim significat vox Græca ἐν παιδείᾳ,) & sic vertisse nostrum Interpretem censent Jansen. Videtur enim Siracides respexisse ad Davidem, qui à pueritia, & juventute cœpit ludere cithara, & postea enarravit, & dictavit carmina scripturarum: atque ad filios Prophetarum, qui Deo canebant hymnos, & carmina, 1. Reg. 10. Verum legen- VERS. 5.

gendum est *in peritia*: sic enim legunt codices Romæ correcti, & ferè ceteri omnes. Notat enim non cantores, sed auctores psalmorum, carminum, & sacrorum, æquè ac musices, & modulationis, qua tum voce, tum psalterio, aliisque instrumentis psalmos, & hymnos in templo canebant, & alios canere docebant: quales fuere David, Asaph, Idithun, filii Core.

Sensus est: q. d. Nonnulli è maioribus nostris non tantùm rexerunt populum, eumque docuerunt legem Dei, sed in sua peritia, & scientia invenerunt modos musicos Deum laudandi, & celebrandi; ac enarrarunt, dictarunt, & composuerunt *carmina scripturarum*, id est, carmina iam in S. Scriptura, præsertim in psalterio descripta; ut hac ratione populum in Dei cultu firmarent, eumque laudare, invocare, & adorare docerent.

Hunc esse sensum liquet ex Græco, qui sic habet; ζητοῦντες. Alii per diastolem legunt οἱ ζητοῦντες, quod Compl. vertunt, *requirentes melodias musicorum, & enarrantes carmina scripta*; Romani legentes ἐκζητοῦντες, vertunt, *carmina in scriptura*; alii, *apponentes versus scriptos*; Tigurina, *qui concentus musicos investigaverunt, qui carmina scriptis prodita explicarunt*. Ut laudet hic non solùm cantores, & psaltes, sed, & doctores, ac hymnorum, & psalmorum interpretes. Hi enim sua expositione docent populum psallere intelligenter, & sapienter: ut scilicet mente intelligant, & affectu sapiant ea quæ psallunt: quod ingens Ecclesiæ, & fidelium est bonum. Quocirca inter alias S. Gregorii laudes, hæc una non infima est, quòd cantum hymnorum, & psalmorum ad meliorem ordinem, & melodiam, quæ ab eo Gregoriana vocatur, redegerit. Imò S. Paulus fideles ad melodiam hanc hortatur dicens: *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo, & Patri*, Ephes. 5. 18. Sic de Sancta Cæcilia legimus: *Cantantibus organis Cæcilia Domino decantabat, dicens: Fiat cor meum immaculatum, ut non confundar*.

Simili phrasi, & elogio S. Basilius à S. Gregorio Nysseno vocatur *aurea dogmatum ἀηδὼν*, id est, *philomela*, ita dicta quasi ἀεὶ ᾄδων, id est, *perpetuò canens*, ubi semel inceperit. Huic enim aui diebus ac noctibus quindecim continuis, varius, & suavissimus est sine intermissione cantus, teste Plinio lib. 10. cap. 29. & Aristot. lib. 8. de Natura animal. cap. 3. Sic enim assiduè S. Basilius instar philomelæ, Dei dogmata aurea voce omnibus occinuit. Sic S. Dionys. Areopag. vocatur *volucris cæli* à S. Chrysostomo homil. de falsis prophetis: S. Ephrem *sonora lyra Spiritus sancti* appellatur à Theodoreto: S. Athanasius à S. Gregor. Nazianz. nuncupatur *veritatis tuba*.

Prisci Ethicam carmine tradiderunt: cur? Porrò prisci nationum ferè omnium Theologi, & Patriarchæ, suam de Deo sapientiam, ac de moribus Ethicam modulato carmine posteris consignarunt, ut illa suaviùs in animos influerent, & memoriæ tenaciùs inhærerent, quæ musico carminis concentu crebrò, & aures, & mentem demulcerent. Ita nimirum Deus veterum more Poetarum legem Gentibus ferens, per aurem blandè lapsus in mentem, suavitate carminum imperium invasit animorum, ut eos ad cæli delicias amoremque Numinis amantissimi raperet. Ita Moyses carmen legis servandæ cecinit Deuter. 32. Ita ante Moysen S. Iob patientiæ magister, ac primus heroici carminis auctor, eodem opus suum conscripsit. Hos duces secuti Debora, David, Salomon, Ezechias, Isaias, ceterique Prophetæ, quin, & B. Virgo, suos cælestis doctrinæ, & pietatis æstus melodica versuum harmonia ediderunt. Idem imitati sunt Gentium heroes, & Philosophi, ut Orpheus, cujus hymni de Deo extant;
Exempla Trismegistus, Pythagoras, Solon, Apollo, Homerus, Hesiodus, Sibylla, Hystaspes priscus Persarum rex, Socrates, Plato, qui tragœdias, dithyrambos, & epigrammata divino dicitur lusisse ingenio; Aristoteles, Numa Pompilius, Scipio Africanus, Cato, Cicero, Iulius, & Augustus Cæsares, aliique innumeri, qui sua de moribus dogmata numerosa carminum modulatione tradidere. Idem inter Christianos secuti sunt Sanctum Gregorium Nazianz. Sanctum Gregor. Magnus, Sanctus Damasus, Clemens Alexandr. Maximus, Synesius, Amphilochius, Damascenus, Sophronius; ac nuper Sanctus Franciscus Xaverius Indiarum Apostolus, qui ut Indos fide Christi imbueret, præcipua Christianæ doctrinæ capita metris Indicæ linguæ eleganter illigabat: illis primò informabat pueros: pueri deinde facto choro præeunte Xaverio eadem carmina in viis, in compitis, in agris templisque decantabant. Ad cantus inauditi novitatem, & voluptatem undique concurrebant Indorum greges, quibus rerum quæ canebantur admiratione suspensis, Xaverius singula explicabat: atque hac ratione Indos convertit. Idem vidit Plato, dum libr. 3. de Republ. docuit pueros primò docendos esse musicam, ac per eam ethicam bonosque mores.

Mysticè, S. August. in psalm. 56. v. 6. ad illa: *Exurge psalterium, & cithara*, docet Christum esse musicum, & citharœdum, qui suavia doctrinæ, & pietatis carmina animæ accinat, idque ut carmen Deo nostro concinamus alacriùs. Virginalis, inquit, illa Christi Domini caro pro nobis operans divina, psalterium est: eiusdem eadem caro pro salute hominum patiens humana, cithara est, chordis amoris in cruce concinnè distensa, ideoque sonora, & canora. *Christs citharœdus*

HOMINES DIVITES IN VIRTUTE, PULCHRITUDINIS STUDIUM HABENTES: PACIFICANTES IN DOMIBUS SUIS (Græcè est, *homines divites subministrati*, vel *instructi robore* vel fortitudine; *pacificè viventes in habitationibus suis*, vel commorationibus, & viciniis suis: græcè enim Complut. legunt κατοικίαις; alii, οἰκήσεσιν: Tigurina, *viri divites, qui excelluere potentia, qui domi suæ prospere vixerunt*. *Pax* enim Hebræis significat prosperitatem, rerumque abundantiam: nec enim semper bella gerebant, sed bello pacem sibi suisque quærebant. Syrus, *quiescentes in robore suo*. Hinc verùm est illud: *Tibicen fortunæ virtus*. In Græco ergo majores à tribus bonis externis commendantur, scilicet Primò, à divitiis; Secundò, à virtute, id est, robore tum corporis, & animi, tum militum, & exercituum; Tertiò, à pace, & prosperitate. Latinus verò interpres addit quartum, scilicet *pulchritudinis studium habentes*, quod variè explicant: Primò, Lyran. *pulchritudinis*, inquit, id est, legis, & Prophetarum, quorum studium est valdè pulchrum; juxta illud Genes. 49. *Nephthalim cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis*. *VERS. 6.*

Secundò, Palacius nectens *Tò pulchritudinis* cum *virtute*, sic explicat: *Studium habebant*, inquit, *in virtute pulchritudinis*, id est, in pulcherrima virtute. Est enim phrasis Hebræa *altitudinis firmamentum*, dicere pro altissimo firmamento; ita *virtus pulchritudinis*, id est, virtus pulcherrima, ad quam comparandam eius pulchritudine allecti illi majores totum studium adhibebant.

Tertiò, Iansenius, ut Latina Græcis adaptet, Significatur, inquit, eos in virtute, id est in fortitudine, & robore, habuisse *studium pulchritudinis*, hoc est, eos dixisse illud esse pulchrum studium, & excellens, ut sibi compararent fortitudinem, & instructi essent viribus tum corporis, tum exercitus sui. Cùm enim alii in deliciis, & voluptatibus constituant pulchritudinis, & excellentiæ studium, illudque pulchrum ducant; illi in robore habebant studium pulchritudinis, ut scilicet bene essent instructi contra hostes suos externos. Verùm *Tò pulchritudinis studium habentes*, deest in Græcis: unde iis adaptari nequit. Rursum Biblia Romæ correcta, & alia passim, *Tò virtute* per comma subjectum disiungunt à *Tò pulchritudinis*: ergo hoc cum illo jungi nequit.

Dico ergo, sensus est, q. d. Maiores nostri fuere studiosi pulchritudinis, ut scilicet pulchrè templum, & res sacras exornarent, utique τὸ πρέπον, & decorum in omni re servarent. q. d. Erant decori in Dei cultu, omnique actione: ideoque Deo angelisque amabiles, & hominibus admirabiles. ita Rabanus: *Pulchritudinis studium habentes*, inquit, *ut Moses, & Salomon, qui tabernaculum, & templum cum variis vasis, & utensilibus Domino ædificarunt*, Et Dionys. Carthus. *Homines*, ait, *divites in virtute, id est potestativè in spiritualibus, & temporalibus opulenti: ut constat de David, Asa, Iosaphat, Ezechia, Iosiaa, & Iosia in libr. Reg. & Paral. pulchritudinis studium habentes, id est diligenter intenti circa ornatum cultus divini, & templi decorem*. *Decoro studendum:* Magna enim est illecebra pulchritudinis: valdè enim alliciuntur homines ad Dei cultum, omnemque virtutem, si in ea videant pulchritudinem. Unde S. Dionys. de Divin. nomin. cap. 4. κάλλος, inquit, id est pulchritudo, dicitur, eò quòd ad se καλεῖ, id est vocat illicitque omnia. Id videmus in ornatu templorum, altarium, vestium sacrarum, musica, orga-

organis, &c. quæ sua specie, & decore rapiunt homines ad se Deique cultum. Sic Christus sua pulchritudine vultus, oris, sermonum, & actionum omnes in sui amorem rapiebat, juxta illud psalm. 44. 4. *Speciosus forma præ filiis hominum?* (Caldæus, *pulcher es animo, & corpore, rex Messia, præ reliquis hominibus.*) *Diffusa est gratia in labiis tuis*, &c. *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna.* Sic, & Ecclesia ejus sponsa, de qua ibid. v. 12. dicitur, *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*, &c. *Et concupiscet rex decorem tuum.*

VERS. 7. OMNES ISTI IN GENERATIONIBUS, (per generationes, ætates, & sæcula sibi continuè succedentia) GENTIS SUÆ GLORIAM ADEPTI SUNT, ET IN DIEBUS SUIS HABENTUR IN LAUDIBUS; Id est, in diebus suis dedere materiam laudis perpetuæ, ut tunc, & deinceps à posteris omnibus laudentur. Græcè enim est *ται καυχημα*, quod Complut. vertunt, *& in diebus suis gloriationem*, supple, & repete, *adepti sunt*; Roman. *& in diebus ipsorum gloriatio*; alii, *& in diebus ipsorum est quo glorientur*; Tigurina, *omnes hi gloriam sunt adepti suis ætatibus, suisque temporibus laudi fuerunt*; Syrus, *omnibus istis in generationibus suis honor, & in diebus eorum laudes.*

VERS. 8. QUI DE ILLIS NATI SUNT, RELIQUERUNT NOMEN NARRANDI LAUDES EORUM) quia scilicet à sanctis patribus sanctè educati, eorumque sanctos mores imitati dederunt posteris materiam laudis tam suæ, quàm patrum. Legit Interpres *ἐγεννήθη*, id est (ut rectè Noster vertit) *qui de illis nati sunt reliquerunt nomen.* Laudat enim patres à sibi simili, sancta, & felici prole ac sobole. Jam *τινὲς* postponentes, sic legunt *εἰσὶν αὐτῶν*, id est, *sunt ex iis ipsis, qui reliquerunt nomen ad laudum enarrationem.* Quasi hic duo genera piorum describantur, unum illustrium hoc versu, qui scilicet post se nomen, & famam reliquerunt: alterum obscurorum v. seq. quorum scilicet nomen cum vita interiit: unde de iis ait, *Et sunt quorum non est memoria.* Verùm illa verba ad impios, non ad pios pertinere, ibidem ostendam. Quare lectio Latina hic, & alibi purior, & verior est Græca moderna: quamquam, & Græca juxta Latinam exponi possit hoc modo. q. d. *Sunt ex ipsis*, scilicet prognati filii, *qui reliquerunt nomen* ad laudem tam suam, quàm parentum, hoc enim idem est cum eo, quod Noster vertit, *qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Sic vive, ne frustra te natum intelligas*, ait Tullius in Catone Majore.

ET SUNT QUORUM NON EST MEMORIA: PE-
VERS. 9. RIERUNT QUASI NON FUERINT: ET NATI SUNT, QUASI NON NATI: ET FILII IPSORUM CUM IPSIS) Nonnulli, ut dixi, hæc accipiunt de altero genere piorum, scilicet, qui obscuri vixerunt, & obierunt, ut post se sui famam non reliquerint. Unde Syrus Græcum secutus totam hanc sententiam sic effert: *Sunt ex eis qui reliquerunt post se nomen, ut sint sermo in laudibus eorum. Et sunt in iis, quorum non est memoria, & perierunt sicut perierunt.* Verùm ad impios hæc pertinere, patet ex phrasi verborum usitata in Scriptura, qua de impiis, non de piis, dicitur eos periisse, quasi non fuerint: quodque nati sint, quasi non nati. Rursum id patet ex antithesi versus sequentis, qua hisce impiis patres pios opponens subdit: *Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt.*

Quæres, quos impios perstringit hic Siracides? Iansenius censet perstringi Philistæos, Ammonitas, & Moabitas, utpote infideles, & hostes Israelis: quorum proinde nomen, & posteritas planè interiit: sed hoc remotius æquo, & longiùs petitum videtur, nec satis connexum, & oppositum versui præced. (Hic enim versus pendet à præced. ejusque est pars, alterumque membrum, ut patet ex Græco, & ex Latinis Romanis.) Hasce enim gentes potiùs opposuisset patribus, & Patriarchis, quàm iis qui de illis nati sunt: Patriarchæ enim genti suæ dederunt originem, & nomen, ideoque eam repræsentat; non autem filii eorum, præsertim cùm inter filios eorum multi fuerint obscuri, imò impii.

Meliùs ergo Palacius censent hunc versum, æquè ac præcedentem, pertinere ad natos sive filios Patriarcharum. Horum enim filiorum duo genera assignat, unum piorum, ideoque illustrium; alterum impiorum, ideoque oblivione sepultorum. Ne quis enim obiiciat, Patriarchas habuisse etiam filios perversos, ideoque ignobiles, qui nomen parentum non tam honorarunt, quàm dehonestarunt; id præoccupat, dicens, id verum esse; sed tales filios cum suis planè interiisse, ideoque eo statu esse quasi non fuissent. Unde quasi non existentes, imò quasi qui numquam in rerum natura fuerint, computari; qui proinde patrum, & filiorum patres sequentium, gloriam obscurare non possint. Sensus ergo, & antithesis hujus versus, & præcedentis est, q. d. Ex illis viris gloriosis nati sunt filii digni, quorum laudes, & nomina narrentur: nati sunt alii filii indigni memoria, qui perierunt, ac si non fuissent; non ipsi solùm, sed, & eorum filii. Nam ex sanctis illis, & potentibus filii non solùm boni, & memoriâ digni; sed & mali, quos perpetua sepelivit oblivio, nati sunt. nec enim boni sunt omnes fructus, quos fert arbor bona. Verùm filiorum piorum laus, & nomen superest, impiorum verò oblivioni traditum est: quare illud patrum gloriam commendat, hoc cùm deletum sit, illi nocere aut detrahere nequit.

Porrò maximè notat discretionem, & disparitatem filiorum Abrahæ, & Isaac cum posteris suis. Nam ex Abraham natus est Isaac; qui uti fidei, & sanctitatis, sic, & familiæ, opum, & benedictionum Abrahæ fuit heres. Ex eodem Abraham natus est Ismael, qui ex familia Abrahæ eiectus, & exheredatus, ita ab eadem factus est extorris, & alienus, & posteri eius Agareni, & Saraceni infidelitate, pravisque moribus infames, ferè fuerunt hostes populi Dei, putà olim Judæorum, nunc Christianorum. Similiter Isaac genuit Jacob, eumque fidei, familiæ, terræ sanctæ, & promissionum sibi à Deo factarum reliquit heredem: Esau verò se pariter genitum, eiusque posteros Idumæos iis exclusit; unde Idumæi ita periere, ut ne nomen quidem eorum supersit.

SED ILLI VIRI MISERICORDIÆ SUNT, QUORUM PIETATES NON DEFUERUNT.) *Viri misericordiæ* vocantur non tam passivè, qui misericordiam à Deo consecuti sunt (ut vult Rabanus) quàm activè, scilicet viri planè misericordes, adeò ut ex misericordia quasi matre geniti, ex eaque toti conflati videantur qualis fuit Job dicens cap. 31. 18. *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.* Hebraicè vocantur חסד *anse chesed*, id est, *viri pietatis*, id est, viri beneficentiæ, hoc est planè benefici; unde Vatabl. vertit, *viri bene meriti* Tigurina, *viri misericordia freti*: vel רחמים *anse rachamim*, id est, *viri miserationum*: quorum scilicet viscera, & corda plena sunt commiseratione, & misericordia. Posset quoque verti, *viri precum*, orationum vel deprecationum, id est ferventissimi deprecatores, & oratores pro populo. Pietas enim duplex est, una erga Deum, scilicet eius cultus, invocatio, & oratio: altera in proximum, scilicet misericordia, & beneficentia; præsertim, quia oratio justi est maxima beneficentia plus enim boni impetrat à Deo quàm dare possit homo. VERS. 10.

Viri misericordiæ qui?

Pro *pietas* græcè est, *δικαιοσύνη*, id est *iustitia*. Sed *iustitia* in Script. sæpè significant opera misericordiæ, quæ Noster vocat *pietates*, quibus scilicet proximo vel dando, vel commodando, vel consulendo, vel docendo, vel regendo, vel defendendo, vel sanctas leges, ritus, ordines instituendo, vel quavis alia ratione subveniendo, benefacimus. Hæc enim beneficentia, pietatis, justitiæ, & sanctitatis certum est indicium: quia certus individuusque ejus est comes, & effectus. Unde patribus hoc præ ceteris dat elogium, quòd fuerint viri misericordiæ, ac pii beneficique incessanter.

Pro *non defuerunt*, græcè est, *οὐκ ἐπελήσθησαν*, id est, non sunt oblivioni traditæ. Unde Jansen. opinatur legendum *non defuerunt*. sed Romani, & alii legunt, *non defuerunt*, scilicet in hominum memoria, hoc est, non venerunt in oblivionem. Verùm, quia hoc minoris est momenti, de eoque fusè in sequentibus agitur; hinc potiùs videtur Noster legisse *οὐκ ἐπαύσθησαν*, id est, non sunt finitæ, non defuerunt, non cessarunt. q. d. Viri hi adeò fuere pleni misericordia, & pietate, ut eorum pia, & benefica opera numquam habuerint finem, vel terminum; sed alia aliis accumulando, imò adaugendo, ipsi semper sine modo, & termino, tum singulis, tum omnibus benefacere studuerint; novosque benefaciendi modos excogitaverint, & usurparint. Favet Syrus dum vertit, *sed ipsi viri gratiæ, & iustitia; gratia eorum finem non accipiet.*

Apostoli viri misericordiæ duplicitèr.

Appositè hæc SS. Apostolis Petro, & Paulo adaptat S. Bernard. serm. 3. de iisdem: *Meritò*, inquit, *fratres, Apostolis sanctis attribuit mater Ecclesia, quod in Sapientiæ libris legitur:*

legitur: Hi sunt viri misericordiæ, quorum iustitiæ oblivionem A *non acceperunt, cum semine eorum permanent bona. Sunt enim hi planè viri misericordiæ, sive quia misericordiam consecuti, sive misericordia pleni, seu quia misericorditer à Deo nobis donati. Et vide quàm misericordiam consecuti sunt. Paulum interroga de seipso, vel magis sponte confitentem ausculta: Qui fui blasphemus, & persecutor, & iniquus: sed misericordiam consecutus sum.* Et post multa asserit, *viros misericordiæ fuisse Apostolos, id est, plenos misericordia, seu viros misericordiæ datos Ecclesiæ universæ: scimus enim quòd viri isti nec sibi vixere, nec sibi mortui sunt; sed ei qui pro ipsis mortuus est, magis autem nobis omnibus propter illum. Quantum enim prodierit nobis eorum iustitia, quando ipsa quoque, sicut ostensum est, tantum profuere peccata? Pro nobis facit eorum doctrina, etiam, & mors ipsa. Etenim in conversatione continentiam, in prædicatione sapientiam, in passione sua patientiam nobis beati Apostoli contulerunt. Quartum usque hodie conferre non cessant misericordia pleni, quod est sanctarum fructus orationum. Quantùm, & in ipsa eorum vita adhuc invenias, quod adnumeres, fiduciam scilicet, quam nobis miraculorum exhibitione præbuerunt. Et quis enumerat quàm multa nobis per eos beneficia provenerunt? Benè ergo de iis Scriptura loquitur, Quoniam hi sunt viri misericordiæ.* B

Deinde S. Bernard. Pro *quorum pietates non defuerunt*, legens cum Græcis, *quorum iustitiæ oblivionem non acceperunt*, idipsum sic singulis adaptat; *Vis ut nec tua accipiat oblivionem? A triplici cave periculo, & florebit in æternum ante*
Apocal. 3.
Ezech. 18.
Dominum. Legis enim: Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Legis: Si averterit se iustus a iustitia sua, &c. omnium iustitiarum eius non recordabor. Legis quibusdam dicendum in iudicio: Non novi vos; illis sine dubio, qui receperunt mercedem suam.
Matth. 7.
Ergo omnis iustitia tepida, omnis transitoria, omnis vendita erit in oblivionem coram Domino. Sed non ita Apostolorum iustitia, quod ex eo satis apparet, quod sequitur: Cum semine eorum permanent bona. Manent enim usque hodie in nobis Apostolorum vestigia, & eorum religio, quia ex Deo est, non potest dissolvi. Itaque semen Apostolorum sumus per prædicationem, sed per adoptionem, & hereditatem semen Christi, & Apostolorum nepotes.

VERS. 11.
VERS. 12.
CUM SEMINE EORUM PERMANENT BONA HEREDITAS SANCTA NEPOTES EORUM) Ita Romana: varia est enim hic lectio tam Latinorum, quàm Græcorum codicum. Græci enim Complut. legunt, *cum semine eorum permanet bona hereditas, nepotes eorum in testamentis*, C quod Vatabl. explicat: *Quorum progeniei manet bona possessio, quorumque semen fœdere comprehensum est*; Syrus, *cum semine eorum perseverans est felicitas eorum, & radix eorum in filios filiorum eorum*; Romani verò, *cum semine eorum permanebit bona hereditas, nepotes eorum*; Rabanus autem, *cum semine ipsorum perseverat bona, hereditas sancta nepotum illorum*; Hugo, Jansenius, & alii, *& cum semine ipsorum perseverat bona hereditas, & nepotum illorum semen in testamentis stetit.* Sicque legendum censet Francisc. Lucas, quòd hæc lectio Græcis modernis sit conformior. Verùm nobis sequenda est lectio Romana, uti communior, sic, & aptior veriorque. Sensus ergo est, q. d. Quia patrum pietates non defuerunt, sed permanserunt; hinc earum merito Deus tribuit, ut cum semine, id est posteris, eorum permaneant pariter bona qualibet tum temporalia, tum spiritalia: ac præsertim hoc, quod jure maximum censeri debet, ut *hereditas sancta* sint *nepotes eorum*, ut scilicet post se relinquant heredes sanctos, putà sanctos nepotes, utque illi patres sanctos imitentur; ac sicut in possessiones opesque, sic, & in D sanctitatem ipsorum jure quasi hereditario succedant: dat enim hoc Deus sæpè sanctitati patris, ut eius nepotes sint sancti, est enim ipse misericors *in tertiam, & quartam generationem*. Exodi 20. Magna sane Dei est benedictio patrum, & familiarum, cùm ob patrum documenta, exempla, & merita, sanctitas ad filios, & nepotes longa generationum serie transmittitur, uti fides cultusque Dei veri ab Abraham, Isaac, Jacob, Mose, &c. ad omnes posteros, totumque Israelem transmissa est. Adde, Tò *sancta hereditas nepotum illorum*, uti multi legunt, notat sancta Dei promissa de Messia, de protectione Dei, de justitia, gratia, gloria, &c. quæ Deus nepotibus patrum promisit, & præstitit, eò quòd fidem, & sanctitatem patrum sint imitati: in hujusmodi enim promissionum jus, inquit Jansenius,
Rom. 6.
patribus suis filii Patriarcharum successerunt velut jure hereditario, fueruntque illæ promissiones eis velut bona hereditas. Unde S. Paulus inter cetera dicit, Judæorum fuisse promissa Dei: & monet ut imitatores efficiamur eorum, qui fide, & patientia hereditabant promissiones. Et subjungit de heredibus pollicitationis: *Volens*, inquit, *Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui, interposuit iusiurandum.* Et posteà dicit, Noe institutum heredem justitiæ, quæ per fidem est. Hæc est ergo bona hereditas, quæ transit ad semen Patriarcharum, non tantùm carnale, sed multò magis spirituale. *Hebr. 6.* *Hebr. 11.*

ET IN TESTAMENTIS STETIT SEMEN EORUM) Tò, *&* est exegeticum, & causale, q. d. Nepotes eorum fuerunt sancta patrum hereditas, id est, sancti eorum heredes: quia ipsi, qui fuere *semen*, id est filii, & posteri eorum, *steterunt in testamentis*, id est, perstiterunt in legibus, & mandatis Dei: hæc enim vocantur *testamenta*, id est pacta: quia sub hac conditione Deus cum Patriarchis, eorumque posteris iniit fœdus, si scilicet ipsi servarent eius leges, & præcepta. Hinc Secundò, hæc sententia referenda est ad priorem partem versus præced. *Cum semine eorum permanent bona*: hæc omnia bona hic explicat, eaque vocat *testamenta*. q. d. Quia ipsi sanctè perstiterunt in testamentis, id est, in legibus, fœdere Dei sancitis; hinc pariter perstiterunt in testamentis, id est, in bonis fœdere Dei promissis. q. d. Filii, & nepotes successerunt in hereditatem, & bona, quæ quasi hereditaria Deus promiserat patribus, & posteris eorum: idque propter illos ipsos patres, quos filii imitantur, quibusque jure hereditario tam in fide, quàm in bonis succedunt. Unde Tigurina, & Jansenius sic explicant: Stetit in testamentis, id est fœderibus Dei, semen patrum, id est, in illis semen illorum usque in æternum futurum comprehensum est. Unde pro *ἔστη*, id est, *stetit*; Complut. legunt *ἐστί*, id est *est*. Promisit enim Deus patribus se fore Deum, non tantùm illorum, sed, & seminis ipsorum post eos in sempiternum, Genes. 17. 7. idque propter patrum merita, juxta illud Genes. 22. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ: quia obedisti voci meæ.* Rectè ergo hic dicitur: Et filii eorum steterunt, hoc est, comprehensi sunt in testamentis Dei propter illos. Unde, & Græca idipsum repetunt, ac ex iisdem Tigurina iterando ita vertit, *fœdere comprehensa est progenies eorum, eidemque succedens posteritas.*

Porrò hoc semen patrum, tempore Siracidis erat carnale, putà Hebræi, secundùm carnem prognati à patribus. Iam verò iis per infidelitatem, & impietatem in Christum C degenerantibus à fide, & vita patrum, ideoque ab eorum hereditate, & benedictione exclusis; in eam succedunt filii spiritales, putà fideles, & Christiani, qui secundùm fidem sunt filii Abrahæ, ideoque ejus benedictionis, & promissorum de gratia, & gloria æterna sunt hæredes, uti docet Apostolus Rom. 9. 8. Unde de his subdit;

ET FILII EORUM PROPTER ILLOS USQUE IN ÆTERNUM MANENT. *filii* non tam carnales, putà Judæi: licèt enim hi tempore Siracidis essent fideles, ideoque gloriosi; iam tamen sunt infideles, ideoque inglorii, degeneres, viles, abiecti, & infames ob occisum Christum: quàm spiritales, putà fideles tam ex Gentibus, quàm ex Judæis, qui fidem, & religionem Abrahæ, & Patriarcharum sequuntur. Hi enim in æternum permanebunt tum in cælis per felicitatem, tum in terra per continuam fidelium propaginem, & successionem. Ideoque *semen eorum* non carnale, sed spiritale, putà fidelium sanctorumque propago continua, ET GLORIA EORUM NON DERELIN- VERS. 13.
D QUETUR) Græce, *οὐκ ἐξαλειφθήσεται*, id est, delebitur, non obliterabitur; Tigurina, *posteritas eorum manebit in perpetuum: nec gloria eorundem abolebitur*: Syrus, *in testamento eorum stat semen eorum, & filii filiorum eorum in operibus bonis: & usque in sæculum permanens est memoria eorum, & gloria eorum oblivioni non tradetur.*

CORPORA IPSORUM IN PACE SEPULTA SUNT) VERS. 14.
Syrus, *collecta sunt*. Primò *in pace*: quia mortui sunt ple- *Sancti*
ni dierum, æquè ac bonorum operum, in senectute bona, *mortui in*
saturi vitæ hujus, avidi alterius melioris, uti de Abraham *pace.*
dicitur Genes. 25. 8. Corpus enim tot tamque longis, & *Primò.*
continuis hujus ævi laboribus, doloribus, ærumnis, persecutionibus, hostibus, cum quibus assiduè conflictatur, fessum, & fractum, optabat per mortem iis omnibus liberari, ac requiescere in sepulcro, sicut anima in sinu Abrahæ, juxta illud Job. 3. 13. *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem*, &c.

Secundò, *in pace*: quia habuerunt sua justa funebria, *Secundò.*
puta

putà exequias, planctum, pompam funeris, &c. tamquam in pace sepulti, quæ in bello sæpè negantur. Inter hæc justè autem computantur preces, eleemosynæ, & sacrificia pro defunctis, qualia Judæos credidisse, & usurpasse liquet 2. Machab. 12. vers. 43.

Tertiò. Tertiò, *in pace*: quia à suis, & inter suos, cum quibus pacificè, & amicè vixerant, sepulti sunt. Hoc enim est naturale hominis desiderium, ut cum quibus amicè vixeris, cum iisde pacificè sepeliaris: ut inter amicos, & consanguineos sit communio sepulcri in morte, uti fuit domus in vita. Hinc Abraham sepultus est cum Sara uxore in spelunca duplici, Genes. 25. 10. In eadem sepultus est Isaac cum Rebecca; ideoque in eadem sepeliri voluit Jacob cum Lia, Genes. 49. 31. Hinc Joseph moriens in Ægypto, ibidem sepeliri noluit, sed inter suos in Chanaan: unde adjurans suos, *Asportate*, inquit, *ossa mea vobiscum de loco isto*, Genes. 50. 24. Hinc illa phrasis in Script. frequens, *Congregatus*, vel *appositus est ad patres suos*.

Quartò. Quartò, *in pace*: quia corpore quiescente in sepulcro, anima descendebat ad limbum patrum, ibique inter suos amicè quiescebat in sinu Abrahæ. Unde Tigur. vertit, *in re placida sepulta sunt eorum corpora*.

Quintò. Quintò, *in pace*: quia sepulcra eorum non fuere turbata, nec violata: uti Gentiles sepulcra suorum turbabant, evocando manes defunctorum per divinos, & magos. Sicut Saul per pythonissam evocavit animam Samuelis, qui proinde indignans ei dixit: *Quare inquietasti me ut suscitarer?* 1. Reg. 28. 15.

Sextò. Sextò, *in pace*: quia expectabant resurrectionem in qua corpus cum anima in pace, & felicitate perpetua beatum, & gloriosum degeret, juxta illud Psaltis: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*. Et illud Simeonis: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace*. Hinc Romæ in introitu cryptæ S. Priscillæ, ubi plurima Sanctorum corpora sepulta sunt, inscriptum legimus: *Expectamus hic requiem*; quam defunctis apprecatur Ecclesia, dicens, *Requiem æternam dona eis Domine*.

Septimò. Septimò, *in pace*: id est, in honore, decore, & splendore, sive opulenter, splendidè, & magnificè (*pax* enim Hebræis opes, rerum copiam, omneque bonum significat) sepulta sunt; quia habuerunt monumenta, imò mausolæa opulenta, & magnifica: quale fuit Davidis, de quo audi

Davidis mausoleum Josephum l. 7. Antiq. sub finem: *Sepelivit autem eum filius Salomon Hierosolymis magnificè præter solemnia illa in regum funeribus, illatis etiam in monumentum eius maximis divitiis, quarum magnitudinem facile sit coniectare ex hoc quod dicemus. Nam post annos M. CCC. Hyrcanus pontifex oppugnatus ab Antiocho, cognomine Pio, Demetrii filio, volens pecuniam ei dare, ut abducto exercitu obsidionem solveret; nec valens aliunde sumere, aperta cella monumenti Davidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumq; parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit sicut, & alibi indicavimus. Ac rursum post multos annos elapsos, Herodes rex alia cella aperta magnam pecuniam sustulit*. Similia fuere aliorum regum, Patriarcharum, & Prophetarum monumenta, quæ posteri magna reverentia coluere, & venerati sunt, juxta illud Christi: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum*, &c. Matth. 23. 29. Sic Jacob erexit titulum in sepulcro Rachel uxoris suæ. Gene. 35. 20. Sic de Christo prædixit Isaias cap. 11. 10. *Et erit sepulcrum eius gloriosum*. Sic Romæ, & alibi videmus, & veneramur gloriosa, & magnifica S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, S. Sebastiani, S. Cæciliæ, S. Agnetis, &c. monumenta. Ut alia taceam, quæ in hanc rem admiranda recensui Isaiæ 11. 14.

Vide, & mirare quàm gloriosum sit Assisii S. Francisci humilis, & pauperis (qui pro Christo orbis se ludibrium, & prodigium effecit, adeoque moriens ex summa humilitate optavit, & quantum in se erat voluit sepeliri in colle inferni, putà in loco malefactorum suppliciis destinato) monumentum. unde eidem hoc epitaphium uncialibus litteris

Epitaphiũ S. Francisci inscribi jussit Pontifex: *Francisci Romani celsa humilitate conspicui, Christiani orbis fulcimenti, Ecclesiæ reparatoris, corpori nec viventi, nec mortuo, Christi crucifixi plagarum clavorumque insignibus admirando, Papa nova futura collacrymans, lætificans, & exultans, iussu, manu, munificentia posuit, anno Domini M. ccxviii. xvi. Kalendas Augusti. Ante obitum mortuus, post obitum vivus*. Quia scilicet in vita mortificationem Jesu in corpore suo circumtulit, post mortem verò integro corpore stans, & vividis oculis respectans in cælum, A cum sacris stigmatibus sibi à Christo impressis, sanguine quasi recenti manantibus perseverat. Talem enim eum vidit Nicolaus V. Pontif. anno 1449. Vide Vvaddingum in Annal. Minorum anno Christi 1230.

ET NOMEN EORUM VIVIT IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM) Tigur. *nomenque vivit per omnes ætates sæculorum*, tum in cælo apud Deum, angelos, & Beatos, tum in terra apud homines omnium terrarum, & temporum. Per *nomen* intellige tum nomen, & famam, tum metonymicè rem nominatam, sive cujus est nomen, putà ipsos patres. Hi enim quoad animam tempore Siracidis vivebant feliciter in sinu Abrahæ, jam verò post Christum vivunt feliciùs in cælo, ac resurrectione communi resurgentes in corpore, & anima vivent felicissimè, ac gloria æterna donabuntur; quin, & multi eorum iam cum Christo resurrexerunt, & in cælum gloriosi ascenderunt, ut patet Matth. 27. 52. Corpori enim eorum, quod in pace sepultum esse dixit, opponit nomen quod maximè in anima consistit. Anima enim desiderat nomen, & famam æternam, quia ipsa est immortalis, & æterna, appetitque esse beata, & felix in æternum; cujus beatitudinis comes, & assecla est fama æterna. Hic B ergo appetitus famæ, & nominis æterni, signum, & effectus est immortalitatis animæ. Ex eo enim quòd ipsa est immortalis, appetit immortale nomen, sed verum, non umbraticum, putà fundatum in immortali ejus felicitate, & gloria. Quid enim prodest Alexandro, Pompeio, Julio Cæsari nomen æternum cùm anima eorum crucietur in gehenna, nec sensum hujus nominis, & famæ habere queat, imò eam ignoret? vel si cognoscat, id ei non ad voluptatem, sed ad majus tormentum cedit. Porrò hujus nominis, famæ, & gloriæ radix, & causa est virtus eximia: hæc enim parit nomen, & famam, fama parit gloriam. Hinc Romæ in templo S. Mariæ Angelorum sepulcro Cardinalis Alciati hoc epitaphium insculptum legimus: *Appetit anima nomen æternum, quia ipsa est immortalis, & æterna.*

Virtute vixit,
Memoria vivit,
Gloria vivet,
Fama per ora volat, spiritus astra tenet.

Magnus ille, & felix, cui in veritate dari poterit hoc epitaphium.

SAPIENTIAM IPSORUM NARRENT POPULI, ET VERS. 15.
LAUDEM EORUM NUNTIET ECCLESIA Ita Roman. licet Jansen. & nonulli alii pro *narrent* legant in præsenti *narrant*, & pro *nuntiet nuntiat*. Sic, & Tigur. *populi*, inquit, *prædicant sapientiam eorum, tantusque laudes celebrant*. Græca habent in futuro, *sapientiam ipsorum enarrabunt populi, & laudem* ἐξαγγελεῖ (licet Complut. & Romana alio accentu legant ἐξαγγέλλει in præsenti, id est *annuntiat*) id est *annuntiabit Ecclesia*. Omnia hæc eodem redeunt. q. d. Heroes hi ob sua facinora digni sunt, ut eorum sapientiam, & laudes perpetim celebret Ecclesia, ideoque hortor omnes ut id faciant, nec dubito quin multi id facturi sint, quare sicut nunc eos celebrant, ita deinceps omni ævo celebrabunt. Nam *sanctorum memoria est ad virtutem via, & sanctificatio stimulus*, ait S. Antonius, teste Athanas. in Vita ejus cap. 28.

HENOCH PLACUIT DEO, ET TRANSLATUS EST VERS. 16.
IN PARADISUM, UT DET GENTIBUS POENITENTIAM) Post communes omnium laudes, jam singulorum elogia orditur. Incipit ab Henoch omisso Adam, Abel, Seth, Enos; quia Henoch his omnibus ceterisque antecessoribus fuit illustrior, ideoque dignus, qui quasi dux ducat hunc D heroum chorum, præsertim quia Henoch non sibi tantùm sanctè vixit, uti Abel, Seth; sed, & toti orbi sua sanctitate præluxit, ac multò magis prælucebit in fine mundi, quò à Deo reservatur, & destinatur. Henoch enim *ambulavit cum Deo*, id est, ut Septuag. eosque secutus Siracides vertunt, *placuit Deo*, scilicet, sicut servus charissimus suo placet hero, aut filius placet patri. Vide dicta Genes. 5. 22. ubi, & de translatione ejus dixi. Porrò S. Irenæus lib. 4. cap. 30. *Henoch*, ait, *sine circumcisione placens Deo, cùm esset homo, Dei legatione ad angelos fungebatur, translatus est, & conservatur usque nunc testis iudicii Dei; quoniam angeli quidem transgressi deciderunt in iudicium, homo autem placens translatus est in salutem*. Angelos vocat, quos Moses Genes. 6. 2. vocat *filios Dei*, putà filios Seth, qui commixti ardenti concupiscentia cum filiabus hominum, putà Caini, ex eis procrearunt gigantes superbos, & impios, ob quos proinde Deus induxit orbi diluvium, cùm priùs ad eos corrigendos misisset Henoch, sed frustra. Hos filios

lios Dei, & gigantes Irenæus, secutus Josephum, Philonem, & alios, censuit, ut videtur, fuisse angelos vel malos sive dæmones. Vide dicta Genes. 6. Causa ergo translationis Henoch fuit eximia ejus sanctitas, qua mirè placuit Deo. Unde Nazianz. in carm. de Laud. virgin.

Alma fides, ait, *pietasque ad sidera vexit Henochum.*

Et orat. 20. *Omnis eius vita*, inquit, *nil aliud quàm translatio erat:* mentem enim à terra transtulerat in cælum ad Deum cum quo ambulabat. Et Auctor de Mirabil. S. Script. apud S. August. libr. 1. cap. 3. *Henoch*, inquit *sine morte, per totius penè sæculi tempus remotus ab hominum conversatione custoditur, ut in eo, qualiter homines, si non peccarent, generata prole commutarentur in vitam spiritualem sine morte, ostenderetur.*

Nota. *Tò in paradisum* jam non est in Græco, sed Noster id olim in Græco legit, uti censet Sixtus Senensis, Delrio & alii; aut certè in *Tò translatus est* subintelligi intellexit, uti vult Jansenius. Communis enim Ecclesiæ & fidelium omni ævo sensus fuit, Henoch translatum esse in paradisum: quare cùm dicebatur Henoch translatus, ilicò omnes intelligebant in paradisum esse translatum. Id ita esse liquet ex S. Athanas. in narratione Nicenæ Synodi, ubi ait quòd Henoch μετέθη, id est, translatus est, scilicet in paradisum, ut doctè vertit ejus interpres: comparat enim S. Athanas. Henoch Adamo in eo quòd Adam positus sit in paradiso, Henoch verò μετέθη, id est translatus sit in paradisum: nec enim alius locus ei cum Deo ambulanti, & jam à terris translato congruus assignari poterat. Quare de fide est Henoch esse translatum in paradisum. Id enim expressè hic asserit S. Script. putà Latina Vulgata, quam ut authenticam veramque S. Script. in omnibus recipiendam, Græcisque & Hebræis anteferendam esse sanxit S. Synodus Trident. sess. 4. Unde concors sententia Patrum & interpretum, ac communis totius Ecclesiæ sensus est, Henoch translatum esse in paradisum, etsi nonnulli quis, & ubi sit hic paradisus, dubitent. Simili modo psalmo 95. 10. *Dominus regnavit*, Septuag. olim addebant *à ligno*. Sic enim legerunt S. Justin. S. Cyprian. Tertull. S. August. S. Leo, Arnobius, Lactantius, Cassiodorus, Theodulphus, ac etiamnum legit Psalterium Romanum, quin, & hymnus Ecclesiast. de Passione: iam tamen nulli codices Græci vel Latini habent *Tò à ligno*, imò nec S. Hieron. in Psalmorum editione juxta Septuag. à se correcta: multo minùs in versione sua ex Hebræo. In Hebræo enim non est *Tò à ligno*; sed Septuag. id addiderunt mysterii causa ut Christi regnum merito crucis adeptum prophetarent, quod tamen iam excidit, & in nullis Bibliis reperitur; quin, & Theodor. idipsum non legit in Commentar. Psalmis.

Henoch translatus in paradisum.

Quæritur ergo, quis sit paradisus, in quem translatus est Henoch? Primò, aliqui per paradisum accipiunt limbum patrum sive sinum Abrahæ, de quo Christus in cruce dixit latroni pœnitenti: *Hodie mecum eris in paradiso.* Verùm ante Christum limbus hic carcer erat inferni, non paradisus terræ aut cæli; Christus autem post mortem eò descendens, beansque patres, ac donans eos visione suæ divinitatis, carcerem hunc commutavit in paradisum.

Quem? Resp. Primò.

Secundò, alii per paradisum accipiunt cælum. Ita S. Ambros. lib. de Paradiso cap. 3. ait Henoch raptum esse ad cælum, & S. Hieron. in c. 9. Amos, asserit eum cum Elia ascendisse in cælum. Sic, & S. Gregor. homi. 29. in Euang. Sic, & Dorotheus in Synopsi, ait eos cælos penetrasse, ac cum angelis in cælis agere. Et Alcimus Avitus lib. 4. de Diluvio c. 6. canit eos

Secundò.

Terrenas liquisse domos, intrasse supernas.

Unde Procopius Gazæus in Genes. 2. & nonnulli alii inferunt eos esse beatos, & frui visione Dei, ac in corporibus gloriosis regnare cum Christo.

Verùm huic sententiæ repugnat, quòd necdum sint mortui, ac redituri, ut pro Christo laborent, & moriantur, itaque beentur, & glorificentur. Certabuntur enim contra Antichristum ab eoque occidentur. Pluribus eamdem sententiam refutavi Genes. 5. 22.

Porrò S. Ambros. S. Gregor. & nonnulli alii jam citati, exponendi sunt commodè, scilicet quòd per cælum accipiant aerem: censuerunt enim paradisum esse loco terris altiore, & aerio, idque ex eo quòd Elias dicatur per turbinem raptus in cælum, 4. Regum 2. Quare sicut ille locus exponi potest, quòd scilicet Elias raptus sit in aerem, ut per illum transferretur in paradisum, sic quoque eodem sensu exponi possunt Patres citati. Sic enim disertè se explicat S. Gregor. homil. 29. in Euangel.

Dico ergo, paradisum hunc esse in terra, ac videri terrestrem illum, in quo primitùs à Deo collocatus fuit Adam. Probatur id Primò, quia hunc in Script. significat communiter nomen *paradisus*, cùm simpliciter nominatur: nam aliàs aliquid additur, quo determinatur ad quid aliud. Secundò, quia Elias, & Henoch non sunt in cælo, cùm necdum sint mortui, multò minùs beati: non etiam sunt in inferno, quia ille est carcer, & gehenna, non paradisus. Ergo sunt in terra. Si in terra, ergo sunt in paradiso terrestri, cùm nullus sit locus melior, & dignior eorum raptu, & felici vita, tum ob loci puritatem, & amœnitatem, tum ob aeris temperiem, & benignitatem. Tertiò, quia eò raptum esse Henoch, ac deinde Eliam, disertè docent plurimi Patrum, & Doctorum, ac inprimis S. Irenæus lib. 5. Contra hæres. cap. 5. ubi asserit se id accepisse ex traditione presbyterorum Asiæ, qui idipsum ab Apostolis acceperunt; S. Justinus Martyr (vel quisquis est Auctor: non enim videtur esse S. Justini, quia citat Origenem quæst. 81. & 85. ac quæst. 86. citat Irenæum, eumque vocat Martyrem, cùm Justinus utroque fuerit antiquior) quæst. 85. ad Orthodoxos, Victorinus in Apolog. cap. 11. S. Athanas. epist. de recipienda Nicena Synodo, S. Ephrem apud Barcepham lib. de Paradiso c. 1. S. Hieron. epist. 61. ad Pammachium, ubi Henoch, & Eliam vocat *colonos paradisi*; S. August. lib. 2. de Peccat. mer. & remiss. cap. 3. Primasius, Haymo, Anselm. Ribera in cap. 11. ad Hebr. S. Isidorus libr. de Vita, & morte Sanct. cap. 3. S. Thom. 3. pag. qu. 49. a. 5. ad 2. ubi addit probabile esse eos ligno vitæ ali, & conservari; Lyran. & Palacius hic, Abulens. in Genes. cap. 5. Bellarm. libr. de Gratia primi hominis cap. 12. D. Soto in 4. dist. 46. qu. 1. a. 1. Gregor. de Valentia tom. 1. disp. 7. qu. 6. puncto 2. ad 3. Tyræus de Flii Dei apparit. Tamburina c. 3. Suarez 3. p. qu. 59. ar. 6. disp. 56. sect. 1. Malvenda de Paradiso cap. 87. Delrio adagio 787. Hi auctores dicunt Eliam, & Henoch non tantùm raptos esse in paradisum, sed etiamnum in eo degere; unde Rabanus hunc Siracidis locum sic legit, *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradiso.*

Tertiò, esse terrestrem. Prob. Primò

Secundò.

Tertiò.

Dices: Paradisus post Henoch tempore Noe obrutus fuit aquis, indeque ejus amœnitas deperiit: ergo tunc in eo degere nequibat Henoch. Resp. Multi negant antecedens, alii in totum, alii ex parte. Quid enim vetat dicere, Deum partem aliquam paradisi à diluvio intactam servasse, ut in eo conservaret Henoch, qui uti à culpa erat immunis, sic congruebat ut esset, & à pœna diluvii? Sed esto totus paradisus cataclysmo fuerit obrutus; is tamen aquis mox subsidentibus rursum emersit, cui proinde cum amœnitate suum civem Henoch, in aera tempore diluvii sublatum, restituit Deus. Hominis enim terreni locus est terra, non aer: in terra autem Henocho jam in gratia per raptum confirmato, & æternitatis candidato congruentior non erat locus, quàm paradisus. Hæc valdè probabiliter dicuntur; nihil tamen hic de fide certum est, ut docet S. August. lib. 2. de Peccat. mer. & remiss. c. 3. Quare nonnihil exorbitat Sixtus Senensis libr. 5. Biblioth. annot. 36. dum asserit contra regulam rectæ fidei esse, negare Henoch & Eliam translatos esse in paradisum terrestrem: nam paradisus quemlibet locum amœnum significat, sive in cœlo sit, sive in aere, sive in terra. Unde S. Chrysost. homil. 21. in Genes. S. Gregor. hom. 29. in Euangel. S. Cyprian de Montibus Sina, & Sion aiunt, nesciri in quem locum translati sint Henoch, & Elias.

Henoch æternitatis candidatus.

Symbolicè *Tò in paradisum*, significat Henoch æquè ac Eliam in magna corporis, & animi quiete ac voluptate degere: paradisus enim est locus voluptatis. ita S. Gregor. hom. 29. in Euang. ubi docet Henoch, & Eliæ raptum præsignasse ascensum Christi in cælum. Nam uterque per raptum confirmatus est in gratia, & in bono, ita ut non sint in periculo peccati ullius: sunt enim medii inter viatores, & beatos, ac candidati beatitudinis. Rursum cùm sint justi, & mereri non possint, utique æquum est ut nec possint demereri: alioqui esset iniqua, & ad malum quàm ad bonum pronior, ideoque peior eorum conditio. Secundò, hinc infert Suarez loco citato, eos minimè pati inordinatos fomitis motus, nec illam corporis corruptionem quæ aggravat animam, & sensum deprimit multa cogitantem: tum, quia ad perfectam animi puritatem, & quie-

Henoch confirmatus in gratia.

& quidem hoc ferè necessarium est; tum etiam, quia cùm priventur perfecta felicitate, eamque Dei absentiam propter ipsummet Deum patientissimè ferant, decet ut saltem fruantur maximis bonis, & gaudiis tam in animo, quàm in corpore; neque enim corpora, quæ corrumpuntur, illorum aggravant animas; aut terrena inhabitatio sensus eorùm tamquam multa cogitantes deprimit, qui cum Deo ambulasse noscuntur: factum est impedimentum omne de medio, occasio universa sublata, materies nulla relicta est, quæ eorum affectum aggravet, vel deprimat intellectum. Nam, & priorem (id est Henoch) ob hoc raptum Scriptura commemorat, ne fortè vincat malitia sapientiam, & ne intellectus ejus, vel anima, ultrà decipi valeat aut mutari. Tertiò, ex dictis colligit ibidem Suarez, eos maximis Dei consolationibus divinisque illustrationibus, ac frequentibus revelationibus gaudere, de iis saltem rebus quæ eorum statui consentaneæ sunt. Unde non dubito, inquit, quin adventum Christi, mundique redemptionem per ipsum jam consummatam agnoverint. Illius enim venturi expressam fidem priùs habuerunt, eiusque adventum maximè desiderarunt; non ergo decebat eos in tenebris nunc, & in errore versari; quin potiùs de Elia constat ex Euangelio, eum in die transfigurationis vidisse, & allocutum fuisse Christum: atque idem existimari potest de Henoch, scilicet quòd aliquando ipsum viderit. An verò nunc videant illum secundùm humanitatem, incertum est. Unde S. Bernard. serm. 6. de Ascens. Domini: *Felices*, inquit, *illi viri, per quos divina ascensio legitur præsignata, Henoch raptus, translatus Elias: felices planè qui soli iam Deo vivunt, soli vacant, intelligendo, diligendo, fruendo.* Et rationem addit, quam apud eumdem vide.

Sapient. 4. Vita Henoch qualis?

Religiosi similes Henoch.

Tropol. Henoch cum Deo ambulantem, & in paradiso versantem imitantur Religiosi, qui abdicatis curis sæcularibus totos se Deo consecrarunt, vacantque orationi, & contemplationi. Talis fuit Bonosus socius S. Hieronymi, de quo ipse epist. 41. ad Ruffinum: *Quasi quidam*, inquit, *novus paradisi colonus incedit: nullus ibi agricolarum, nullus monachorum adhæret lateri comes. Solus ibi, imò iam Christo comitante non solus videt gloriam Dei, quam etiam Apostoli nisi in deserto non viderant.* Talis fuit quoq; S. Marcella. Unde idem S. Hieron. epist. 18. ad Marcellam: *Habeat sibi Roma*, inquit, *suos tumultus, arena sæviat, circus insaniat, theatra, luxurient: nobis adhærere Domino bonum est, & ponere in Domino spem nostram, ut cùm tanta reperiamus in cælo, parva, & caduca quæsisse nos doleamus in terra.* Unde, & addit: *Videri, & videre, salutari, & salutare, à proposito monachorum, & à quiete alienum est.*

Henoch, id est, innovatio, typus resurrectionis.

Anagog. Henoch typus fuit resurrectionis, & renovationis mundi; unde Henoch hebraicè idem est quòd innovatio, inquit Anastasius Sinaita Patriarcha Antioch. libr. 7. Hexamer. Et libr. 10. *Henoch*, inquit, *primus tamquam placens Deo descripsit ac figuravit resurrectionem immortalis effectus. & à Deo translatus.* Et Tertull. lib. de Anima c. 58. loquens de Henoch, & Elia: *Aeternitatis candidati*, inquit, *ab omni vitio, ab omni damno, ab omni iniuria, & contumelia immunitatem carnis ediscunt.* Sic, & Theodor. quæst. 45. docet Henoch fuisse præconem, & typum resurrectionis. Et S. Gregor. 8. Moral. sub fin. *Henoch*, inquit *dedicatio dicitur: Iniqui ergo se in primordiis dedicant, quia in hac vita, quæ antè est, cordis radicem plantant, ut hic ad votum floreant, & sequenti patria funditus arescant. Ex iustis verò septimus Henoch oritur, quia eorum vitæ festa dedicatio in fine servatur.* Hinc S. Epiphan. in Ancorato longiusculè ante finem Henoc, & Eliam vocat *duos primogenitos nostræ resurrectionis*. Et S. August. lib. 15. de Civit. cap. 19. *Henoch*, ait, *translatio nostræ dedicationis* (quæ fiet in resurrectione) *est præfigurata dilatio.*

S. Julianus à B. Virgine palma donatus.

Henocho similis fuit S. Julianus secundus Conchæ in Hispania Episcopus, qui proinde moriturus anno Domini 1208. die 28. Januarii cinere, & cilicio coopertus, vidit B. Virginem stipatam choris angelorum, & virginum cantantium: *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo*, &c. ac B. Virgo ad eum conversa: *Accipe*, inquit, *serve Dei palmam in signum virginitatis, quam iugiter intactam conservasti.* Unde post mortem astantes videre ex ore ejus prodeuntem palmam nive candidiorem, quæ concinentibus pariter angelis in cælum ferebatur. Mira enim fuerat ejus vita, ac inter alia cùm baptizaretur, apparvit mitra cum baculo portendens sanctum ejus episcopatum: in quo omnes suos proventus erogabat in pauperes, cùm interim
A ipse vimina texendo victum sibi tenvem compararet. Quocirca jumenta cælitus missa ad eum frumenta in pauperes eroganda deportarunt. Hæc, & plura in ejus Vita refert Franc. Escudero sacerdos è Societ. Jesu.

VT DET GENTIBVS POENITENTIAM) Ita legendum cum Rom. & Græcis, scilicet *pœnitentiam*, non *sapientiam*, ut legit Rabanus, & alii; licèt eodem redeat sensus: vera enim peccatoris sapientia est pœnitentia. Sensus est, q. d. Translatus est Henoch, ut rediens det gentibus exempla, monita, stimulos & hortamenta pœnitentiæ, quibus ipsæ commotæ pœnitentiam agant pro peccatis, quæ in fine mundi per Antichristum, ejusque præcursores, & asseclas toto orbe abundabunt, & instar diluvii exundabunt. Sicut enim S. Joannis Baptistæ, qui præcursor fuit primi adventus Christi, vox erat, *Pœnitentiam agite*, appropinquas Christus, *appropinquat regnum cælorum*, Matth. 3. vers. 2. sic multò magis eadem erit vox Henoch, & Eliæ, præcursorum secundi adventus Christi venientis ad judicium.

Nota *Tògentibus*. Henoch enim fuit Gentilis, putà ante Abraham, & Mosen, quibus data est circumcisio, &
B judaismus: ipse ergo quasi Gentilis Gentilibus contribulibus, imò filiis (omnes enim homines sicut prognati sunt ex Noe, sic, & ex Henoch, qui fuit atavus Noe) suis prædicabit pœnitentiam; sicut Elias, quasi Judæus, eamdem prædicabit Judæis, ideoque vestientur saccis, id est ciliciis, tamquam præcones pœnitentiæ, Apocallip. 11. 3.

Ex hoc Siracidis loco certum est, Henoch æquè ac Eliam, rediturum sub finem mundi, ut homines ab Antichristo in infidelitatem, vitiaque omnia protractos, reducant ad fidem, & virtutem. Hic enim est sensus, & consensus Ecclesiæ omniumque orthodoxorum. Idem prædixit S. Joannes Apocal. 11. 3. ubi, & eorum vitam mortemque describit. Vide ibi dicta.

Porrò Deus ex infinitis hominibus suo beneplacito hos duos elegit ad tantum opus, ideoque insigni Dei amore, religione, & zelo eos induit, & armavit. Idque congruè, quia Henoch fuit ante diluvium in lege naturæ ex priscis primisque orbis patriarchis: Elias verò fuit Propheta in lege Mosis per sanctitatem, zelum, & miracula notissimus, & Judæis expectatissimus. Igitur illos, non alios, huic operi destinavit; tum ut admirabilior esset eorum prædica-
C tio ac testificatio: tum, ut ostenderetur idem Deus omnis legis, naturæ, & gratiæ; atque idem Christus, eademque fides, quæ ab initio mundi usque ad finem prædicatur, & in eadem Ecclesia militante perseverat.

Græci codices moderni hic, uti, & alibi sæpè, à Latina Vulgata dissentiunt. habent enim: γενεαῖς, id est. *Henoch translatus est exemplum pœnitentiæ generationibus*; Tigurina. *Henoch sublatus est exemplum emendandæ vitæ nationibus*; alii, *ætatibus*; ut scilicet ex ejus translatione, inquit Jansenius, omnes intelligentes Deo curæ esse eos qui illi student placere, etiam ipsi a mala sua vita convertantur, & pœnitentiam agant, Deo se commendare studentes. Aut, q. d. Trãslatus est Henoch, quia cùm viveret, erat omnibus generationibus exemplum pœnitentiæ: ut significetur eum translatum, quia, cùm viveret, erat omnibus speculum pœnitentiæ; nimirum quia sua sancta vita homines sui sæculi docebat pœnitentiam, & ad eam trahebat. Nostra ergo lectio, ut accedat ad lectionem originalem, sic videtur accipienda; Henoch translatus est in paradisum, hoc est in locum aliquem voluptatis soli Deo notum, ut hac translatione daret
D Gentibus pœnitentiam, hoc est, ad meliorem vitam homines provocaret, intelligentes quàm sint Deo curæ hi qui placent ei, & quàm odiat peccatores, ex quorum consortio ante tempus suum famulum rapere studuit. De eo enim videtur peculiariter dictum illud Sapien. cap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Cùm enim mundus jam cœpisset ex corruptione peccati Adæ, & exemplis filiorum Cain esse pestilentissimus, mille jam, & centum exactis annis, & ampliùs à condito Adam, 669. annis ante diluvium, Dominus huic Henoch indidit insigniter bonam mentem, & in timore Dei illum perfecit, ut ambularet in innocentia cordis sui ad omne beneplacitum Dei, ut esset velut lucerna ardens in tenebroso sæculo: sanctissimè enim vixit 355. annis, homines sui sæculi facto, & verbo pœnitentiam docens: quem, cùm non proficeret, rapuit ex hoc sæculo nequam tum, ne malitia mutaret animum ejus ex pravitate pessimorum exemplorum; tum, ut ipsa translatione osten-

ostenderet Deus; quàm sint illi curæ pii, & quàm oderit impios, ex quorum consortio rapuit servum suum, tamquam quo dignus non erat mundus, sicque etiam eis pœnitentiæ daret occasionem.

Hæc Jansenius, qui proinde negat ex hoc loco efficaciter probari Henoch venturum in fine mundi, ut contra Antichristum dimicet. Verùm planè alius est cæterorum Interpretum & fidelium sensus. Quocirca noster Interpres pro ὑπόδειγμα μετανοίας, videtur legisse ἵνα δῷ μετάνοιαν, id est, *ut det pœnitentiam*: eamque lectionem secuti videntur veteres & recentiores passim, qui ex hoc loco unanimiter & constanter docent, Henoch venturum cum Elia contra Antichristum: non enim est alius in Scriptura locus qui clarè idipsum significet, nisi hic. Igitur Latina Vulgata præferenda hoc loco, æquè ac aliis, est Græcis modernis, planeque amplectenda ex decreto Concilii Tridentini sessione 4. Quare non Latina Græcis, sed Græca Latinis adaptanda sunt, ut sensus sit, Translatus est Henoch, ut sit exemplum & documentum pœnitentiæ ætatibus futuris in fine mundi. Hoc enim arguit Tò *translatus est*. Nam ut suo sæculo esset vivum exemplar pœnitentiæ, non transferri, sed in vita superstes manere debuisset; cùm ergo translatus sit, signum est eum futuris sæculis reservari. Unde Tertullian. lib. de Anima cap. 50. loquens de Henoch & Elia: *Morituri*, inquit, *reservantur ut Antichristum sanguine suo extinguant*. Et Sanctus Augustinus (vel quisquis est auctor: non enim videtur esse Sanctus Augustinus) libr. 1. de Mirabil. Sacræ Script. cap. 3. *Henoch*, inquit, *adhuc sine morte in testimonium novissimi temporis reservatur*. Idem Sanctus Augustinus libr. 9. de Genes. ad lit. c. 9. Eliæ venturo socium assignat Henoch: sic & S. Prosper in Dimidio temp. cap. 13. Cæsarius dialogo 3. & 5. in fine, Sanctus Gregor. 14. Mor. 11. & hom. 2 in Ezech. Damasc. libr. 4. cap. 27. atque alii passim, quos citavi Apocalypsis 11. Imo Sanctus Cyprianus vel quisquis est auctor (stylus enim arguit non esse Sancti Cypriani Carthaginensis Episcopi) tract. de Sina & Sion, asserit inde vocatum esse Henoch, id est, innovatum, *eò quòd in consummatione mundi innovari habet in hoc mundo, ad confundendum & revincendum Antichristum*. Sicut enim ipse suo ævo mundum libidine & vitiis corruptum innovavit; ita idem in fine mundi rediens & quasi innovatus, eumdem jam senescentem, imò decrepitum, robore & vigore sui spiritus innovabit.

Henoch redibit ut Antichristum profliget.

Hinc probabile est, raptum hunc Henoch fuisse media luce & publicum, omnibusque conspicuum, imò splendidum & augustum, verbi gratia ab angelis apparentibus in curru igneo, vel in nube, vel in corpore glorioso: tum, quia hoc merebatur eximia ejus sanctitas, ac conversatio cum Deo & angelis: tum, quia per raptum statutus fuit à Deo pœnitentiæ & sanctæ vitæ exemplar hominibus sui ævi, æquè ac futuris sæculis: tum, quia ex hoc publico raptu communis fuit hominum quolibet sæculo opinio & sermo, Henoch raptum esse in paradisum, indeque rediturum ut contra Antichristum decertet: tum denique, quia ejus socius Elias raptus fuit in curru igneo, 4. Reg. 2. Henoch autem non fuit inferior Elia, imò Elias fuit filius Henoch, quia ab eo per Noë recta serie generationum prognatus descendit. Unde Sanctus Ambrosius in psalm. 118. octon. 7. *Henoch*, inquit, *propter devotionem raptus ad cælum, terrena malitia virus evasit*. Hinc idem Sanctus Ambrosius libr. 3. in Lucam sub finem, docet Henoch fuisse typum Christi: *Henoch*, inquit, *nonne manifestum & pietatis Dominicæ & divinitatis indicium est, eò quòd nec mortem senserit Dominus, & ad cælum remeaverit, cujus generis auctor raptus ad cælum est*. Idem rursum libr. de Paradiso cap. 3. *Henoch*, inquit, *qui dicitur latinè Dei gratia, raptus ad cælum*, id est in aerem. Et mox: *Henoch carbunculus quidem est, lapis boni odoris, quem operibus suis sanctis Henoch detulit, gratiam quamdam factis & moribus spirans: Noë verò tamquam Prasius lapis, vitalem colorem prætulit. Siquidem diluvii tempore solus, ac veluti futuræ constitutionis vitale semen, in arca est reservatus*. Denique l. de Isaac c. 8. *His alis* (charitatis) *evolavit Henoch raptus ad cælum*.

Henoch raptus fuit publicus & augustus.

VERS. 17. NOE INVENTUS EST PERFECTUS, JUSTUS, ET IN TEMPORE IRACUNDIÆ FACTUS EST RECONCILIATIO) Rabanus addit, *ut det gentibus pœnitentiam*: sed nil tale habent cæteri codices Latini & Græci. Ab Henoch quasi primo pœnitentiæ in mundo vitiis cooperto præcone, progreditur ad secundum, Noë scilicet, qui Henoch fuit abnepos; Henoch enim genuit Mathusalem, qui genuit Lamech, cujus filius fuit Noë: quare sicut Henoch fuit septimus ab Adam, ita Noë ab eodem fuit decimus, in eoque finitur prima decas generationum, primumque mundi sæculum. Rursum Henoch raptus fuit anno mundi 987. Noë verò diluvium

A extitit anno mundi 1656. quare diluvium translatione Henoch posterius fuit annis 669. quibus cùm homines gradatim magis magisque à fide & justitia deficerent, ac in omnia vitia ruerent, ita ut omnis caro corrupisset viam suam, Deus misit Noë, ut esset præco pœnitentiæ, ac comminando diluvium homines ad frugem reduceret. Verùm cùm id frustra tentaret, hominibus in scelere obfirmatis, Deus iratus toti orbi immisit diluvium, quo omnes perdidit, uno Noë excepto. Tò *justus* jungi potest cum *perfectus*, unde Tigurin. vertit, *Noë perfectè justus est inventus*, q. d. Noë perfectus fuit in justitia & sanctitate: vel, si commate Tò *justus* à Tò *perfectus* disjungas, uti disjungunt Romani, Rabanus & alii; Tò *justus* explicat Tò *perfectus*, q. d. Noë fuit perfectus, quia fuit justus κατ' ἐξοχήν, & per excellentiam, quia scilicet fuit justissimus & sanctissimus, adeoque sui ævi phœnix & sol justitiæ: ambulavit enim cum Deo, &, id est idcircò, *in tempore iracundiæ*, cùm scilicet Deus iratus vellet totum genus humanum perdere, *factus est reconciliatio*, quia placavit Deum, ut servaret genus humanum per se suosque filios in arca. Fuit ergo ipse naturæ humanæ & novi sæculi seminarium; unde & Janus bifrons est appellatus, uti dixi in Genesi: Janus, quia vitifer vinique

Noë phœnix sui ævi.

B inventor: (*jain* enim Hebræis est vinum:) bifrons, quia vidit duo sæcula, unum ante, alterum post diluvium, adeoque, ut ait Nazianz. *Noë secundi mundi fuit pater*. Et in orat. 20. *Noë*, inquit, *arcam fidei sua commissam accepit, & secundi mundi semina parvo ligno credita, atque adversus aquarum vim conservata*. Idem in Carm. de Vita Christi, *O arca Noë*, inquit, *sola funestis aquis erepta, mundumque alterum in parva gerens semente, recta præditum & sana fide*. Aliter Lyranus & Dionys. censent enim Noë vocari *reconciliationem*, eò quòd Deum sacrificio conciliarit ad promittendum, se ampliùs orbi non inducturum cataclysmum. Verùm hoc Siracides dicit v. 19.

Pro *reconciliatio* græcè est ἀντάλλαγμα, id est commutatio, permutatio, redemptio & redemptionis pretium. Fuit ergo Noë pietas & sanctitas pretium, quo ipse à Dei justitia quasi redemit tum familiam suam, ne mergeretur communi diluvio; tum consequenter spem & propaginem generis humani. ideo *demissum est* ei *reliquum terræ*, id est, semen reliquum in terra, quo ab exterminio servata fuit hominum soboles. Unde Noë fuit typus Christi redemptoris, qui suo sanguine quasi pretio, genus humanum emit & redemit ab interitu. Vide dicta 1. Petri 3. v. 20. & 21.

& reconciliatio.

C Rursum Noë fuit ἀντάλλακτος & ἀντάλλαγος, id est commutatus, permutatus, succedaneus, supposititius; quia pro impiis sui sæculi hominibus pereuntibus diluvio fuit suppositus & substitutus ad servandum semen & propaginem hominum. Syrus, *Noë in tempore diluvii factus est recuperatio mundo, & propter eum facta fuit liberatio*. Minùs rectè Tigur. ἀντάλλαγμα vertit, *præmium*: vertit enim, *cui* (Noë) *tempore supplicii contigit præmium*.

Noster ἀντάλλαγμα accipit pro ἀντάλλαγμα, id est conciliatio, reconciliatio, pacificatio, & sic accipiunt Compl. Romani, & alii passim. Fuit ergo Noë *reconciliatio*, id est remedium, pretium, & instauratio generis humani ob scelera à Deo exitio addicti & adjudicati. Unde S. Ambr. in psalm. 118. octon. 7. *Noë*, inquit, *propter justitiam diluvii victor, generis factus est superstes humani*. Igitur, ut summatim jam dicta colligam; Noë in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, ut ob meritum justitiæ diluvium evaderet, & hominum genus, iratum Deum placando, velut redimeret & reconciliaret. Utrumque significat vox *reconciliatio*, græcè, id est permutatio, redemptio, reconciliatio; seu pre-

D tium, quod ad redimendum seu reconciliandum offertur; aut res ipsa quæ commutatur, ἀπὸ τοῦ ἀνταλλάσσω, id est permuto, redimo. Hoc ergo fuit iræ Dei ἀντάλλαγμα: Primò, quia dato velut quodam justitiæ suæ pretio ab interitu mundum redemit, ac seipsum cum suis quasi humanæ naturæ seminarium in arca servavit. Secundò, quia etiam dato ex holocaustis, quæ Deo obtulit Genes. 8. 20. *odore suavitatis*, quasi quodam pretio, seu commutatione pro fœtore peccatorum, Dei naribus oblata: mundum Deo reconciliavit. *Ideo* in gratiam Noë *dimissum est reliquum terræ*, putà reliquiæ tam hominum quàm cæterorum viventium, quæ inundante omnia diluvio servata sunt in arca, & orbi terrarum permissa: Tò enim τῇ γῇ, id est *terræ*, est dativi casus. q. d. Ipsi terræ, id est ipsis terrigenis, dimissæ sunt reliquiæ.

Vide hic quanta fuerit sanctitas Noë, ac quantum possit coram Dèo unus eminenter sanctus: Noë enim sua sanctitate Deo volenti perdere totum genus hominum, restitit, manusque quasi ligavit, ut sibi & generi parceret. Tam potens est vel unus vir perfectus & eximiè sanctus.

Tropol. Rabanus & Lyranus: Noë, inquit, significat rectores,

Noë significat Rectores.

ctores, qui inter fluctus sæculi arcam, id est Ecclesiam, regunt, & prædicant baptismum pœnitentiæ, orationibus & sacrificiis Deum placantes humano generi. Sic & S. August. in psalm. 132. *Noë*, inquit, *significat rectores Ecclesiæ, quia ipse arcam in diluvio gubernavit*.

IDEO DIMISSUM EST RELIQUUM TERRÆ, CUM FACTUM EST DILUVIUM) *Reliquum* substantivè hic capitur; idem enim est quod *reliquiæ*: has enim significat κατάλειμμα. q. d. Ob Noë sanctitatem, qua Deum iratum reconciliavit terræ & humano generi, dimisit Deus illi aliquid reliqui, id est aliquas reliquias hominum ad terram incolendam & colendam, atque ad propagandum genus humanum ne illud interiret, scilicet Noë cum filiis. Nam ut ait S. Petrus 1. ep. cap. 3. 20. in arca *octo animæ salvæ factæ sunt*. Unde clarè vertit Syrus, *ideoque reliquus terræ factus est, cùm extitit diluvium*; alii, *propterea extiterunt reliquiæ in terra*. Simili phrasi & sensu ait Isaias c. 1. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus*, scilicet periissemus ut Sodoma & Gomorrha. Prò *cùm factum est diluvium*, minùs rectè Græca habent, *idcirco factum est diluvium*: nec enim Noë servatus est propter diluvium, nec diluvium factum est propter Noë, nisi hoc sensu exponas. q. d. Ut Noë solus cum suis servaretur terræ reliquus, idcircò factum est diluvium; ut scilicet eo reliqui omnes mergerentur, Noë verò solus ex eo per arcam enataret. quod intendebat Deus. Hinc Hebræi ajunt Noë tres mundos vidisse & expertum esse, primum ante diluvium, sed corruptissimum; secundum in diluvio jam mersum & perditum; tertium post diluvium, ex se & suis renascentem & reflorescentem. Quare accepit similem benedictionem sicut Adam: *Crescite & multiplicamini*, &c. Genes. 9. 1. Hinc & diutissimè præ ceteris, uno excepto Mathusalem, vixit, ut posteros tum propagaret, tum doceret, & in unius Dei fide cultuque institueret. Noë enim vixit annos 950. Mathusalem verò annis 969. Porrò natus est Mathusalem anno mundi 687. Cùm autem Adam vixerit 930. annis, hinc sequitur Mathusalem cum Adamo vixisse 242. annis, ut ab eo veram philosophiam & Theologiam plenè audire potuerit. Rursus Noë natus est anno mundi 1056. & versari potuit cum Mathusalem 600. annis ab eoque omnem sacram & naturalem scientiam accipere, ut novo mundo ex se nascenti magister existeret. Unde S. Ambr. in psalm. 39. *Noë*, ait, *ad semen futurorum est reservatus, ut ex illo justitiæ semina in hominibus pullularent*. Et lib. de Noë c. 1. *Deus Noë ad renovandum semen hominum reservavit, ut esset justitiæ seminarium*.

Noë post Mathusalem longævissimus: cur?

Allegor. Hugo, *ideò*, inquit, *id est merito passionis Christi (qui tempore iracundiæ factus est reconciliator humani generis ad Deum Patrem, pacificans per sanguinem crucis suæ sive quæ in terris sunt, sive quæ in cælis) dimissum est reliquum terræ, id est salvatum est genus humanum, cùm factum est diluvium, scilicet sanguinis & aquæ de latere Christi manantis*.

VERS. 19. TESTAMENTA SÆCULI POSITA SUNT APUD ILLUM, NE DELERI POSSIT DILUVIO OMNIS CARO) *Testamenta* vocat pacta, *sæculi*, id est cum sæculo, hoc est mundo, putà, cum Noë ceterisque hominibus ejus posteris à Deo inita, de non inducendo ampliùs orbi diluvio, quo rursum mergatur omnis caro hominum & animantium; vel pacta *sæculi* vocat pacta æterna, & in omne sæculum duratura, ut alludat ad Tò *recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum & animam viventem*, Genes. 9. 16. ubi hujus fœderis perpetui signum & confirmationem dat iridem. Vide ibi dicta: unde Tigur. vertit non tam ad verbum quàm paraphrasticè, *cum eo (Noë) initum est pactum sempiternum, numquam mortales omnes abolendos esse diluvio*. Sic & Syrus, *& juravit Deus quòd non erit ultrà diluvium, juramenta quæ juravit illi in veritate, quòd non peribit universa caro*. Diluvium aquæ intellige: nam diluvio ignis peribit & cremabitur totus orbis sub diem judicij: uti docet S. Petrus epistol. 2. cap. 3. Igitur Deus cum Noë quasi cum altero Adam totius generis humani capite pepigit fœdus æternum & numquam violandum, de hominibus numquam iterum diluvio extinguendis. Hoc fœdus cum reliqua Dei cognitione, fide & cultu tradidit Noë posteris post diluvium (vixit enim post diluvium 350. annis) sed præsertim Abrahæ, qui cum Noë superstite adhuc vixit 58. annis: natus est enim Abraham post diluvium anno 292.

S. Basil. mundi columen ut Noë.

Similis Noë fuit S. Basilius, quem proinde in ejus epitaphiis hisce elogiis decorat S. Gregor. Nazianz. *Tu solus & vitam doctrinæ, & vita doctrinam æquasti: ut unus est Deus altè regnans; ita unum te, Basili, dignum Pontificem nostra ætas vidit, veritatis vocalissimum nuntium, clarissimum Christianorum oculum, animæ multiplici pulchritudine lucentem, Pontique & Cappadocum etiamnum illustre decus & ornamentum. Te supplex oro, ut pro mundo stes, donaque offeras*. Et inferiùs: *Basili magna Christi gloria, sacerdotum civitatisque nunc in multas partes dissectæ, columen*, &c. *Tonitruum erat oratio tua, fulgur vita*.

ABRAHAM MAGNUS PATER MULTITUDINIS GENTIUM, ET NON EST INVENTUS SIMILIS ILLI IN GLORIA) Tigur. *magnus Abraham pater multarum gentium, nec exstitit ei in gloria similis*; Syrus, *Abraham pater cunctorum populorum, & non reperta fuit macula in gloria ejus*. Tertius hic est Patriarcha, & orbis in fide & cultu Dei instaurator, nimirum *Abraham*, qui *magnus* extitit electione, sanctitate, honore. Alludit ad etymon Abram & Abraham: initio enim vocatur *Abram* quasi אב רם *ab ram*, id est pater excelsus; deinde à Deo vocatus est *Abraham*, quasi אב רם המ *ab ram hamon*, id est, pater magnæ multitudinis gentium, ex eo partim secundum carnem (uti fuerunt Judæi) partim secundùm fidem & spiritum (quales sunt fideles & Christiani, qui imitantur fidem Abrahæ) nascituræ & propagandæ. Vide dicta Genes. 17. 5.

ET NON EST INVENTUS SIMILIS ILLI IN GLORIA) tum, ob eximiam ejus fidem & sanctitatem, qua factus dictusque est pater credentium, id est, fidelium & sanctorum; tum, quia Deus cum eo & posteris ejus iniit singulare pactum, eique novam dedit religionem circumcisionis & judaismi; tum denique, quia ei promisit Messiam, quòd scilicet ex posteris ejus nasceretur Christus, in quo benedicendæ essent omnes gentes. Plura collige ex dictis Genes. 12. & sequ. Unde S. Ambros. in psalm. 118. *Abraham*, inquit, *propter fidem, seminarium posteritatis suæ toto orbe diffudit: Israel (Jacob) propter laborum tolerantiam populum credentium proprii nominis signaculo consecravit*. Idem lib. de Abraham, & alibi: *Abraham*, inquit, *pater fidei, princeps familiæ Gentium* (fuit enim Abraham ante circumcisionem Gentilis) *& generationis Domini, pater electionis, piæ confessionis, per justitiam fidei factus mundi heres, fortissimus ac patientissimus, fons devotionis & fidei, virtutum omnium exemplar*. Denique in Ecclesia prisca, putà in Synagoga Judæorum, nullus tantam habuit venerationem & gloriam, quantam Abraham, utpote ejus pater, fundator & Patriarcha. VERS. 20.

Porrò Palacius sic explicat: *Non est inventus similis illi in gloria*, scilicet fidei. Credidit enim (cùm jam grandævus esset, & emortua vulva Saræ) fore suum semen, velut stellæ cæli, ut Paulus prosequitur. Tum Secundò, non fuit similis, cum quo Dominus ita frequenter & familiariter loqueretur, & cui tanta promitteret. Tertiò, limbus vocatur sinus Abrahæ: tantus erat Abraham.

Simile elogium Theodoricus rex Gothorum dedit S. Epiphanio Episcopo Ticinensi, qui illius ævo fuit pater & salus Italiæ, uti refert B. Ennodius in ejus Vita. Sic enim de eo loquitur Theodoricus: *Ecce hominem, cujus totus Oriens similem non habet: quem vidisse premium est, cum quo habitare securitas. Fortissimo muro civitas Ticinensis, incolumi isto, vallatur: quos oppugnantium nulla vis possit obruere, quos nequiaquam Balearis funda transscendat excursus. Si qua necessitas inter undas certaminum accesserit, tutum est apud istum matrem familiasque deponere, & expeditum excursibus militare bellorum*. Ipse enim præter alia multa, Ticinum ab Odoacre rege direptum & dirutum, quasi Papa, id est pater patriæ, reædificavit, eique Papiæ nomen indidit: in qua deinde Theodoricus regni sedem constituit.

Elogium S. Epiphanij Ticinensis.

Simile elogium in *Pirke avoth*, id est in Apoph. patrum Heb. c. 2. R. Joseph dedit discipulo suo R. Eliezer dicens: *Eliezer filius Hyrcani talis est, tamque cognitæ & perspectæ virtutis, ut de eo liberè affirmare possim: etsi omnes sapientes Israel in una bilance stateræ ponerentur, ipsum solum in altera positum æquilibrium sapientiæ facturum*. Simile præ omnibus suis discipulis, innocentiæ, puritatis, candoris testimonium Alexander Alensis dedit discipulo suo S. Bonaventuræ, dicens: *Bonaventura adeò innocens est, ut non videatur peccasse in Adamo*.

QUI CONSERVAVIT LEGEM (Syrus, *verba*) EXCELSI) Perperam Dion. legit *conservaret*: codices enim Græci & Latini, æquè ac Interpretes constanter legunt, *conservavit*. Dionysium secutus est Auctor Epi. in Missa de Communi Confessoris Pont. *Ecce sacerdos magnus*, &c. quæ Epistola conflata est ex variis hujus capitis & seq. versiculis, nonnullis additis, nonnullis demptis, scilicet ex hoc v. 20. omisso Tò *in gloria*, ex v. 22. & 25. atque ex c. seq. v. 8. & 19. & 20. sed immutatis & Pontifici adaptatis.

Legem, tum naturalem, tum positivam; qua jussus fuit à Deo exire è terra & cognatione sua, peregrinari tota vita, immolare filium Isaac, Ismaelem cum Agar uxore sua domo expellere, circumcidere se & suos, &c. in his enim ceterisque omnibus sibi à Deo imperatis, quantumvis difficilibus & arduis, Abraham promptè obedivit Deo, eaque illicò executus

entus est: idcircò Deo fuit charissimus, adeò ut cum eo peculiare pactum non semel, sed secundò, & tertiò inierit, quo suā omnem illi promisit benedictionem. Unde de eo subdit:

ET IN TESTAMENTO, id est pacto, FUIT CUM ILLO) q. d. Deus cum Abraham quasi amico, & socio, imò quasi par cum pari dignatus est pacisci, & fœdus inire. Primum fœdus fuit Genes. 15. cùm ad illud sanciendum Abraham immolavit vaccam, capram, & arietem, eaque divisit per medium, ac Deus specie ignis per victimas fœderales ritu veterum medius incessit. Unde v. 18. dicitur: *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham*. Secundum fuit fœdus circumcisionis, Genes. 17. Tertium addi posset, quando immolavit Isaac; ob hanc enim immolationem Deus pacta, & promissa illa facta innovavit, & confirmavit, aliudque addidit longè maximum de Messia ex eo nascituro. *Benedicentur*, inquit, *in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ*, Genes. 22. 18. VERS. 21.

Secundò, *Tò in testamento fuit*, exponi posset, q. d. Abraham pactis cum Deo initis stetit, hoc est, conditiones pacti à Deo requisitas constanter implevit, scilicet Dei jussis per omnia obedivit; ut posterior versiculi pars pertineat eodem quò prior, nimirum ad conservationem legis Excelsi. Unde Tigur. vertit, *is servavit legem Altissimi, & in pacto cum eo permansit*: per *pactum* intellige conditiones, & leges pacti: nam de ipso testamento, sive pacto, subdit v. sequent.

Denique *Tò qui* sumitur pro *quia*: nam dat causam cur Abrahæ non fuerit *similis in gloria*, quia scilicet conservavit per omnia legem Excelsi. Unde Syrus, *qui fecit decreta Excelsi, & iniit pactum cum illo*.

IN CARNE EJUS STARE FECIT TESTAMENTUM (Syrus, *in carne eius constitutum fuit ei pactum*,) ET IN TENTATIONE INVENTUS EST FIDELIS) Duo, inquit, Jansenius, commemorat hæc sententia, quæ in Abraham sunt præclara. Alterum, quòd *in carne ejus stare fecit testamentum*, hoc est, constituit pactum suum Deus, dum scilicet ei præcepit carnis circumcisionem in signum, & confirmationem fœderis cum eo initi, idque valdè aptè, & convenienter. Quia enim in pacto Dei continebantur quædam non ad ipsum tantùm, sed etiam ad semen ipsius pertinentia, nempe quòd esset Deus seminis ejus post ipsum, quòd semini ejus daret promissam terram, quòd semen ejus esset multiplicandum sicut arena maris, & quòd in semine ejus essent benedicendæ omnes gentes terræ (quod non nisi per Christum ex ipso nasciturum perficiendum erat) rectè in generationis membro signum fœderis illius constitutum est, ut hoc signo distingueretur à reliquis gentibus semen Abrahæ, ad quod promissiones illæ de semine pertinebant. Igitur Deus Abraham cum posteris, quasi servos suos stigmate circumcisionis signavit, ut velut servi à Deo signati ipsi soli servirent; Deus verò vicissim eos quasi famulos suos aleret, protegeret, benediceret.

Nota. Pro *in carne ejus*, verti potest, *in carne sua*. ita Tigur. *ratum*, inquit, *effecit in corpore suo pactum*; alii, *carne sua confirmavit fœdus*. Hoc enim ad insignem Abrahæ laudem pertinet, quòd ad Deo obediendum fœdusque cum eo ineundum, ipse pro se totaque familia, & posteris omnibus, tam duram fœderis conditionem ultrò susceperit, ac suam suorumque carnem circumciderit, imò quòd circumcisionem carnis velut signum pacti cum Deo initi passim deprædicarit, in eaque gloriatus sit.

Alterum præclarum Abrahæ facinus fuit, quòd *fidelis inventus sit in tentatione*, qua Deus ejus fidem, & obedientiam tentavit, jubendo sibi immolari filium Isaac, ex quo paulò antè numerosam sobolem, adeoque Christum Dominum promiserat. obedientiam, quia unicum filium sibi charissimum immolavit; fidem, quia firmiter credidit Deum resuscitaturum Isaac, ut promissam ex eo posteritatem præstaret. Unde Apostolus Rom. 4. 18. de eo ait: *Qui contra spem in spem credidit*, scilicet, contra spem naturæ credidit in spem gratiæ, & promissionis divinæ, quòd Deus resuscitaret Isaac. Et Hebr. 11. 17. *Fide obtulit Abraham Isaac cùm tentaretur, & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans quia, & à mortuis suscitare potens est Deus: unde eum: & in parabolam accepit*, eamque multiplicem, ut ibidem exposui. Quocirca vigorem animi strenuum ac virilem Abrahæ nemo satis laudaverit, quo paternum affectum tam fortiter vicit, ut nihil fleverit: tum constanter jussa Dei executus est, ut ne punctum quidem temporis intermiserit: tam viriliter sacrificium perfecit, ut gladium in cervicem Isaac distrinxerit. Quocirca meritò à S. Chrysost. hom. de Abraham, hoc elogio insignitur: *Martyr vivus, & non vivus, mortuus, & non mortuus*, & Nazianz. orat. 41. *Venerandus Abraham*, inquit, *patriarcha ille, illud charum, & augustum caput, illud omnium domicilium, virtutis norma, sacerdotii perfectio, qui voluntarium Deo sacrificium offert, unigenitum nimirum suum, atque ex pollicitatione acceptum*. *Abraham Martyr vivus, & mortuus.*

IDEO JUREJURANDO DEDIT ILLI GLORIAM IN GENTE SUA, CRESCERE ILLUM QUASI TERRÆ CUMULUM, ET UT STELLAS EXALTARE SEMEN EJUS, ET HEREDITARE ILLOS A MARI USQUE AD MARE, ET A FLUMINE USQUE AD TERMINOS TERRÆ) q. d. Propter tantam fidem, & obedientiam Abrahæ in immolatione filii ostensam, Deus omnia promissa illi præstita iteravit, & juramento confirmavit, ac novum maximumque addidit de Messia ex eo nascituro. Alludit, imò citat Genes. 22. 16. *Per memetipsum juravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me; benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*. Deinde adjungit promissionem maximam de Christo, dicens: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Unde Jansenius censet hanc significari hic cùm ait: *Dedit illi gloriam in gente sua*: gloria enim summa Abrahæ fuit, quòd in semine ejus benedicendæ essent omnes gentes, quia ex ipso Christus erat nasciturus, in quem ad imitationem fidei Abrahæ crediture erant omnes gentes, & per fidem cum fideli Abraham benedicendæ. Unde Græca hoc loco habent, *ideò jurejurando statuit*, vel *confirmavit, benedicere gentes in semine ipsius*; hanc enim benedictionem Noster vocat *gloriam in gente sua*. Secundò, *gloriam* hic accipias ampliorem, qua scilicet futurus erat pater numerosæ sanctæque gentis, putà pater fidelium, & Sanctorum, inter quos tamen primus, & præcipuus erat Christus. Unde Rabanus legit, *dedit illi semen in gente sua*, nimirum quod explicat, dum subiicit, *Crescere*, id est, ut cresceret, *quasi terræ*, scilicet arenæ, *cumulus*: *& ut stellas exaltare*, id est, ut exaltaret, *semen ejus*, tum gloria, tum numero, tum opibus, tum regno, tum victoriis, tum templo, tum oraculis, &c., *& hereditare illos*, id est, ut hereditarent, *à mari*, scilicet Occidentali, *usque ad mare*, scilicet mortuum, *& à flumine magno*, Euphrate, *usque ad terminos terræ*, non totius, sed Palæstinæ, in qua tunc consistebat Abraham, cujus gentes recensuerat Gen. 15. VERS. 22. VERS. [illegible]

Allegor. tamen id de tota terra verum est in Christo filio Abrahæ, qui omnes fines orbis terræ obtinuit, sibique, & suæ fidei ac Ecclesiæ subjecit. VERS. [illegible]

Porrò Tigurina sic vertit, *quapropter confirmatum est ei jurejurando, gentes per semen ejus beandas esse, ipsumque instar terreni pulveris* (Græcum enim χοῦς, tam pulverem, quàm terram significat) *multiplicandum, tum extollendos ad astra posteros eius, atque a mari usque ad mare sedes habituros, & à flumine usque ad terminum terræ*; Syrus, *propterea iuramentis juravit illi Deus, quòd benedicentur in semine eius omnes populi ad multiplicandum semen eius sicut arenam maris, & & ad dandum semen eius supra omnes populos, ad hereditare faciendum eos à mari ad mare, & ab Euphrate usque ad terminos terræ*. Hæc promissio impleta est in Davide, qui imperavit quasi universæ terræ hoc loco promissæ, ut colligitur 2. Reg. Et in Salomone, ut patet 3. Reg. 4.

ET IN ISAAC EODEM MODO FECIT, (Syrus *iuravit*) PROPTER ABRAHAM PATREM EJUS) Pro *fecit* græcè est ἔστησε, id est statuit, constituit, confirmavit. q. d. Iuramentum quo juravit Deus dare Abrahæ, & posteris ejus, Primò, terram promissam; Secundò, amplam posteritatem; Tertiò, benedictionem omnium gentium in Christo ex se nascituro; hanc ex Abraham moriente transtulit non in Ismael, sed in Isaac filium eius ex Sara, illamque in capite Isaac constituit, & confirmavit; ut illi hæc tria bona à Deo promissa cederent, in ejusque, non Ismaelis fratris sui, posteros derivarentur, idque fecit ob merita Abrahæ patris ejus. Isaaco enim sic loquitur Deus Genes. 26. *Ero tecum, & benedicam tibi: tibi enim, & semini tuo dabo universas regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abraham patri tuo. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obedierit Abraham voci meæ*. Græca hunc versum cum sequenti nectunt: unde Tigurina utrumque ita vertit, & nectit, *cum Isaac similiter constitutum est propter Abraham patrem eius*: omnes

omnes homines felicitate beandos esse, pactumque ad caput Jacob sancitum in quiete; alii, *& in Isaac stabilivit ista propter Abraham patrem ipsius, benedictionem scilicet omnium hominum, & pactum quod requievit super caput Jacob*.

Cur Isaac heres Abrahæ, non Ismael? *Causa prima.*

Porrò causa prima, & principalis, cur ad Isaac, non ad Ismael, transtulerit Deus suum fœdus suaque promissa, fuit libera eius voluntas, & electio: accessoriæ fuere, Prima, quòd Abraham genuerit Isaac ex Sara primaria coniuge, Ismaelem verò ex Agar ancilla: jure gentium ergo Isaac succedebat Abrahæ, non Ismael. Secunda, quòd Abraham Isaac præ Ismael diligeret. Tertia, fuit fides, & obedientia Isaac, qua imitatus patrem Abraham illi volenti se Deo immolare consensit, ultroque se ei victimam obtulit: unde problema est, utrius virtus, & obedientia fuerit major, Abraham filium immolantis, an Isaac immolati? Rationes in utramque partem recensui Genes. 22. Porrò id factum est in figuram passionis Dominicæ, inquit Rabanus, ut scilicet Abraham repræsentaret Deum Patrem immolantem filium unigenitum Jesum Christum pro salute mundi.

Secunda. *Tertia.*

VERS. 25. BENEDICTIONEM OMNIUM GENTIUM DEDIT ILLI DOMINUS, ET TESTAMENTUM CONFIRMAVIT SUPER CAPUT JACOB) Syrus, *benedictio omnium antiquorum requievit super caput Israel, quem vocavit filium meum primogenitum Israel*. q.d. Deus fecit ut ex Isaac, non ex Ismael nasceretur Christus, Abrahæ, & semini ejus promissus, in quo benedicendæ, id est justificandæ, & salvandæ, sive, ut Tigurina, vertit, *beandæ* erant omnes gentes. Benedictio enim omnium gentium non est aliud, quàm gratia, & gloria omnibus gentibus in Christum credentibus, eique obedientibus, à Deo promissa, & præstita, ut patet ex citatis locis Geneseos. Quare minùs rectè nonnulli *benedictionem* hic accipiunt activè pro laude, qua scilicet omnes gentes laudaturæ erant Isaac, eumque benedicturæ ob promissa hæc Dei illi præstita.

VERS. 26. ET TESTAMENTUM CONFIRMAVIT SUPER CAPUT JACOB) q. d. Deus pactum initum à se cum Abraham, & Isaac constituit in capite Jacob, non Esau fratris sui, & in Jacob eiusque posteris ratum, & firmum esse voluit, græcè *κατέπαυσεν*, id est, quiescere fecit, juxta illud: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, Malach. 1. Id Deus prædixit Jacob Genes. 28. 13. cùm ille dormiens vidit scalam, per quam ascendebant, & descendebant angeli, Deumque scalæ innixum sibi dicentem audivit: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac. Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo: eritq; semen tuum quasi pulvis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem: & benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ*.

AGNOVIT EUM IN BENEDICTIONIBUS SUIS, ET DEDIT ILLI HEREDITATEM, ET DIVISIT ILLI PARTEM IN TRIBUBUS DUODECIM) Syrus, *dedit illi hereditatem, & constituit eum patrem tribuum, & processit, & divisus est in tribus duodecim*. *Agnoscere* Dei non est nudum, & otiosum, sed efficax, & affectuosum, quia coniunctum cum favore, amore, benevolentia, & beneficentia. Sic enim Deus agnoscit suos prædestinatos, & electos, cùm eis præparat, & donat gratiam, & gloriam, juxta illud: *Cognovit Dominus qui sunt eius*, 2. Timoth. 2. 19. Ex adverso in die judicii damnans reprobos dicet eis, *Numquam novi vos: discedite à me qui operamini iniquitatem*, Matth. 7. 23. Simili modo pater agnoscit filium cùm eum alit, docet, heredem instituit: & ovis agnoscit suum agnum, cùm ad ubera admittit, alienum excludit: & gallina pullos, cùm legitimos sub alas recipit, adulterinos repellit.

Jacob quater benedictus à Deo.

Agnovit ergo Deus Jacob *in benedictionibus*, id est, favit, fovit, & amavit eum benefaciendo illi, dandoque hereditatem terræ promissæ, putà Chanaan. Unde Tigur. vertit, *aspiratione sua eidem Deus affuit*. q. d. Aspiravit Deus Jacobo suum favorem, gratiam, & opem. Secundò; propriè *agnovit* Deus Jacob *in benedictionibus*, cùm eum quasi legitimum Abrahæ filium, & heredem, benedictionum Abrahæ à se promissarum pariter heredem instituit, & ab iis Esau quasi minùs probatum exclusit, ideoq; Jacobo, non Esau, dedit possessionem terræ promissæ: personæ, inquam, Jacobi dedit eam in spe, & promissione, posteris autem eius dedit eam per Josue in re, & possessione.

Porrò Deus sæpiùs benedixit Jacobo, Primò, per patrem, cùm scilicet ei Isaac benedixit, ac jus primogenituræ præ Esau attribuit, Genes. 27. Secundò, cùm Deum scalæ innixum, sibique benedicentem vidit, & audivit, Genes. 28. Tertiò, cùm luctans cum angelo eique prævalens, ab eo benedictus est, & nuncupatus Israel, Gen. 32. 28. Quartò, cùm abiectis domesticorum suorum idolis, Deum adoravit in Bethel, Genes. 35. 9.

ET DIVISIT ILLI PARTEM IN TRIBUBUS DUODECIM) Per *partem* Jansen. & alii accipiunt hereditatem sive portionem hereditariam, putà terram Chanaan, quæ fuit tota hereditas Jacobo à Deo promissa: hanc enim Deus divisit in tribus duodecim ex 12. filiis Jacob progenitas, & propagatas. Unde Complut. legunt, *& divisit partem eius in tribubus, quas divisit duodecim*. Secundò, per *partem* propriè accipi potest pars hereditatis, sive terræ promissæ, quam cuiq; tribui jussu Dei divisit, & admensus est Josue c. 15. q.d. Deus illi, scilicet Jacobo, divisit hereditatem, partiendo eam in partes *in tribubus*, id est per tribus *duodecim*, ita ut cuique tribui suam partem, ex æqua totius terræ divisione illi proportionatam, & debitam, assignaret: Τὸ enim *partem* sumitur distributivè: singulis enim tribubus suam partem æquo divisionis jure attribuit. Unde Græci, Romani, & ceteri pro *μερίδας*, id est *partem*, legentes *μερίδας* in plurali, id est *partes*, sic habent, *& divisit partes eius, partitusq; est in tribus duodecim*; fuerunt enim tot partes terræ, quot erant tribus, putà duodecim; Tigurina, *distribuit partes eiusdem* (hereditatis) *& divisit in tribus duodecim*. Licet enim tribus Levi, quia sacerdotalis, non habuerit partem Chananææ, sed Deus, id est, Dei oblationes, & victimæ, eius fuerint pars, & hereditas; tamen loco Levi successit tribus Joseph, quæ in duas à Jacobo divisa, scilicet in Ephraim, & Manasse, complevit numerum duodecim tribuum Israel, id est, ex Jacob qui dictus est Israel, prognatarum, Genes. 48. 13.

ET CONSERVAVIT ILLI HOMINES MISERICORDIÆ, INVENIENTES GRATIAM IN OCULIS OMNIS CARNIS) q.d. Deus Jacobo hanc gratiam fecit, ut ex posteris eius quolibet ævo aliqui viri misericordes existerent, qui suos contribules dirigerent, foverent, alerent, protegerent, ac præsertim in vera fide, & cultu Dei conservarent, & promoverent. Tales fuere Moses, Aaron, Joseph Phinees, de quibus cap. sequ. Unde Syrus, *& exierunt ab eo viri iusti, & invenit misericordiam in oculis omnium viventium*. Græca legunt in singulari *hominem, & invenientem*, idque referunt aliqui ad Joseph, qui fratres aluit, & gratiosus fuit Pharaoni, & Ægyptiis: alii ad Mosen, de quo proximè sequitur. Unde Tigurina, & nonnulli alii hinc ordiuntur cap. 45. sicque vertunt *& eduxit ex eo virum misericordem* vel *pium*; Tigurina, *ex hoc virum procreavit adeptum misericordiam, omnium mortalium oculis gratiosum, Deoq; simul charum, & hominibus, Moysen, cuius beata est memoria*. De Mose enim dicitur Exodi 11. 3. *Fuitq; Moyses vir magnus valdè in terra Ægypti coram servis Pharaonis, & omni populo*. VERS. 27.

Porrò Rabanus in textu sic legit: *Et conservavit illi misericordiam invenientem gratiam in oculis omnis carnis*. In Commentario verò sic: *Conservavit illi misericordiam suam, & invenit gratiam*, &c. Quod secutus Auctor Epistolæ, *Ecce sacerdos magnus*, &c. quæ in Missa legitur de Communi Confessoris Pontificis, legit: *Conservavit illi misericordiam suam, & invenit gratiam coram oculis Domini*. quæ verba ipse ex suo conceptu ita adaptavit, quasi Pontifici sancto magis convenientia, immutans Τὸ *carnis*, in Τὸ *Domini*; eò quòd omnes Pontifices gratiosi fuerint in oculis Domini; sed non omnes in oculis omnium hominum: nam multi castigantes vitia populi, & principum, (uti ex officio debebant) eis invisi, & exosi fuere. Porrò idem Auctor totam illam Epistolam conflavit ex sententiis illustrioribus huius capitis, & sequentis, ac ea quæ dicuntur de Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Mose, Aaron, & Phinees, ipse applicavit cuilibet sancto Pontifici, nonnullis tamen immutatis: perinde ac S. Bernardus sententias S. Script. Sanctis adaptat. Henoch enim; Noè, Abraham, & ceteri omnes jam recensiti fuere sacerdotes, & pontifices, utpote primogeniti, vel habentes jus primogenituræ, in quo continebatur jus sacerdotii.

Allegor. Rabanus. *Confirmatum est testamentum super caput Jacob, hoc est Gentilis populi, qui posterior ad gratiam fidei, & baptismatis regenerationem accessit. Cui tamen plenitudo benedictionis paternæ provenit: & dedit illi hereditatem, supernæ videlicet patriæ: & divisit ei partem in tribubus duodecim ut per duodecim Apostolos edoctus, simul cum illis regnum Dei possideret æternum, huic conservavit Dominus misericordiam suam, ut haberet gratiam in oculis omnis carnis: quia Ecclesia Christi ab omnibus gentibus honoratur, & digna laude propter culturam veri Dei, universo mundo prædicatur*.

CA-

CAPUT QUADRAGESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Laudat Moysen usque ad v. 7. Inde Aaronem usque ad v. 28. Inde Phinees usque ad finem capitis. Laudat autem eos tum ob præclara facinora, tum ob ingentia dona eis à Deo collata.

Vers. 1. Dilectus Deo, & hominibus Moyses: cuius memoria in benedictione est. 2. Similem il-
lum fecit in gloria sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis
suis monstra placavit. 3. * Glorificavit illum in conspectu regum, & jussit illi coram popu-
lo suo, & ostendit illi gloriam suam. 4. In fide, & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit
eum ex omni carne. 5. Audivit enim eum, & vocem ipsius, & induxit illum in nubem. 6 Et
dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ, docere Iacob testamentum suum, &
judicia sua Israel. 7. * Excelsum fecit Aaron fratrem eius, & similem sibi de tribu Levi: 8.
Statuit ei testamentum æternum, & dedit illi sacerdotium gentis: & beatificavit illum in glo-
ria, 9. Et circumcinxit eum zona gloriæ, & induit eum stolam gloriæ, & coronavit eum in
vasis virtutis. 10. * Circumpedes, & fæmoralia, & humerale posuit ei, & cinxit illum tintin-
nabulis aureis plurimis in gyro. 11. Dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in
templo, in memoriam filiis gentis suæ. 12. Stolam sanctam auro, & hyacintho, & purpura
opus textile, viri sapientis, judicio, & veritate præditi: 13. Torto cocco opus artificis, gemmis
pretiosis figuratis in ligatura auri, & opere lapidarii sculptis, in memoriam secundum nume-
rum tribuum Israel. 14. Corona aurea super mitram eius expressa signo sanctitatis, & gloria
honoris: opus virtutis, & desideria oculorum ornata. 15. Sic pulchra ante ipsum non fuerunt
talia usque ad originem: 16. Non est indutus illa alienigena aliquis, sed tantum filii ipsius so-
li, & nepotes eius per omne tempus. 17. Sacrificia ipsius consumpta sunt igne quotidie. 18. *
Complevit Moyses manus eius, & unxit illum oleo sancto. 19. Factum est illi in testamentum
æternum, & semini eius sicut dies cœli, fungi sacerdotio, & habere laudem, & glorificare po-
pulum suum in nomine eius. 20. Ipsum elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, in-
censum, & bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo: 21. Et dedit illi in præ-
ceptis suis potestatem, in testamentis judiciorum, docere Iacob testimonia, & in lege sua lucem
dare Israel. 22. * Quia contra illum steterunt alieni, & propter invidiam circumdederunt
illum homines in deserto, qui erant cum Dathan, & Abiron, & congregatio Chore in iracun-
dia. 23. Vidit Dominus Deus, & non placuit illi, & consumpti sunt in impetu iracundiæ. 24 Fe-
cit illis monstra, & consumpsit illos in flamma ignis. 25. Et addidit Aaron gloriam, & dedit il-
li hæreditatem, & primitias frugum terræ divisit illi. 26. Panem ipsius in primis paravit in satie-
tatem: nam, & sacrificia Domini edent, quæ dedit illi, & semini eius. 27. Cæterum in terra gen-
tes non hæreditabit, & pars non est illi in gente: ipse est enim pars eius, & hæreditas. 28. * Phi-
nees filius Eleazari tertius in gloria est, imitando eum in timore Domini. 29. Et stare in reve-
rentia gentis: in bonitate, & alacritate animæ suæ placuit Deo pro Israel. 30. Ideo statuit illis
testamentum pacis, principem sanctorum, & gentis suæ, ut sit illi, & semini eius sacerdotii di-
gnitas in æternum. 31. Et testamentum David regi filio Iesse de tribu Iuda, hæreditas ipsi, &
semini eius, ut daret sapientiam in cor nostrum, judicare gentem suam in justitia, ne abole-
rentur bona ipsorum, & gloriam ipsorum in gentem eorum æternam fecit.

VERS. 1. Dilectus Deo et hominibus (Syrus, *dilectus coram Deo, & etiam in oculis hominum*) Moyses cujus memoria in benedictione est (Græcè, ... id est, *cuius memoriale in benedictionibus*; Tigurina, *cuius bona est memoria*; alii, *cuius memoria omnibus modis est benedicta*; Vatabl. *est sancti omnis*, ut crebrò Moysis fideles, putà Hebræi, meminerint, & quoties meminerunt, de eoq; loquuntur, toties ei benedicant, id est eum laudent, glorificent, omnemq; illi felicitatem, & gloriam apprecentur. Hinc Rabbini usurparunt illam suam eulogiam, ut, quoties patrum vel virorum bene meritorum jam defunctorum meminerunt, dicant, *Zichronam librachu*, id est, *memoria eorum sit in benedictione*.

Porro causa, cur Moyses Deo, & hominibus fuerit dilectus, & benedictus, fuit eximia eius virtus, qua populum ex Ægypto salvum deduxit in terram promissam, ac præsertim mansuetudo: de ea enim dixit Siracides cap. 3. 19. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.* Causas ibidem assignavi. *Moyses autem erat vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra*, Numer. 12. 3. Sic eximia Davidis laus est, quòd de eo dicatur: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius*, psal. 131. 1. Igitur inter viros misericordiæ, quos Siracides in fine cap. præced. dixit Deum conservasse Jacobo, primus, & ceterorum antesignanus est Moyses. Vide quæ de laudibus Moysis dixi proœmio in Pentateuch, sectione 3.

A Tropolog. S. Bernard. hanc sententiam adaptat sancto, uti nomine, sic, & re Benedicto, serm. de eo: *Dilectus fuit Deo*, inquit, *& hominibus: cuius non sola præsentia in benedictione fuit, sicut sunt multi dilecti Deo soli, quia soli Deo iam cogniti: sed & memoria eius etiam nunc in benedictione est. Nam, & usque hodie in triplicem amoris Dominici confessionem, triplici hoc fructu pascit Domini gregem. Pascit vita, pascit doctrina, pascit intercessione. Per quem incessanter admisi fructificate, & vos charissimi; quoniam in hoc positi estis, ut eatis, & fructum afferatis.*

Porrò dilectum Deo facit Dei amor, obedientia, oratio, contemplatio: dilectum proximo facit proximi amor, cura, beneficentia, cùm scilicet quis proximo succurrit, & opitulatur, ac præsertim cùm è cœno peccatorum, & inferno eum extrahit, & in viam salutis reducit. Dilectum Deo ergo facit vita contemplativa, dilectum proximo facit vita activa utramque igitur jungat, qui utrisque cupit esse dilectus, uti utramque junxit Moyses, qui, & in monte cum Deo versabatur, & in castris populum Dei legem edocebat. *Quis dilectus Deo, quis proximo?*

B Similem illum fecit in gloria sanctorum, et magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit) Syrus vertit, *magnificavit* (vel *nutrivit*) *eum in benedictionibus, & corroboravit eum ad terrores*. Tria hic celebrat in Moyse. Primò, quòd *in gloria similem illum fecerit sanctorum*, id est, similem Sanctis, putà Patriarchis, Henoch, Abraham, Isaac, & Jacob, cap. præcedenti celebratis; VERS. 2. *Octo Moysis elogia. Primum.*

brati; græcè, *ωμοίωσε*, id est, *similem fecit gloriæ sanctorum*, ita Complut. Roman. Tigurina, *hunc gloriæ sanctorum* (Vatabl. *hunc gloriæ sanctis*) *æquiparavit*; alii, *assimilavit eum gloriæ sanctis*. Magna hæc est laus Moysis, quòd tanta ejus sit gloria, ut gloriæ, & gloriosis factis donisque summorum Patriarcharum, Abrahæ, Isaac, & Jacob æquiparetur.

Secundum. Secundò, quòd *magnificavit eum in timore inimicorum*, quia per Mosen tot prodigia in Ægypto, & in deserto patrantem Deus incussit ingentem timorem, & pavorem Pharaoni, Ægyptiis, Amalecitis, ceterisque Chananæis Hebræorum inimicis. Unde Tigurina vertit, *effecit eum magnum terrendis hostibus*; alii propriè, *magnum eum fecit terroribus hostium*: græcè enim est in plurali, *ἐν φόβοις* id est, in timoribus vel terroribus. Timebant enim Ægyptii, & gentes Moysen, quasi fulmen, & quasi Jovem suum tonantem, & fulminantem, dum tonitribus, fulminibus, ignibus grandinibus, cæterisque plagis prece à Deo elicitis verberabat Ægyptum. Unde audiit à Deo: *Constitui te Deum Pharaonis*, Exodi 7. 1. Quæ verba explicans S. Ambros. lib. de Paradiso cap. 2. hanc eorum moralem dat causam: *Etenim*, inquit, *victor passionum omnium, nec ullis captus sæculi illecebris, qui omnem istam secundùm corpus habitationem cælestis puritate conversationis obduxerat, mentem regens, carnem subiiciens, & regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatur est; ad cuius similitudinem se perfectæ virtutis ubertate formaverat. Et ideo non legimus de eo sicut de cæteris; quia deficiens mortuus est, sed, per verbum Dei mortuus est: Deus enim neque defectionem aut diminutionem patitur, neque adiectionem capit. Unde, & addidit Scriptura: Quia nemo scit sepulturam eius usque in hodiernum diem, ut translationem magis quam interitum intelligas.*

Moyses dominans passionibus, vocatur Deus.

Tertium. Tertiò, quòd *in verbis suis* (græcè *αὐτοῦ*, id est, *eius*, scilicet Mosis) Deus *monstra placavit*; græcè, *ἔπαυσε*, id est, signa vel portenta quiescere, & cessare fecit: quia monstrosas, & portentosas plagas ad preces Mosis inflictas, eiusdem prece sedabat, & auferebat Deus, uti ranarum plagam sedavit Exodi 8. 9. Contrariè Tigurina; *per huius iussa*, inquit, *designavit miracula*, ut *Tò*, quod alii vertunt *cessare fecit*, respondeat Hebr. הניח *heniach*, quod etiam verti potest, *demisit*, *depegit*, *nisi malis solvit præstigias* magorum Pharaonis, inquit Vatabl. Virga enim Mosis conversa ab eo in serpentem, devoravit virgas magorum, ab eis pariter conversas in serpentes, Exodi 7. 12. *Hiniach* enim significat quiescere fecit, posuit, demisit, deposuit; ut sensus sit: Moses fecit signa, id est plagas decem, quiescere in Ægypto, id est; plagas has demisit in Ægyptum, ut illam occuparent, in eaque quiescerent. Sic enim ranæ, sciniphes, locustæ, grandines, tenebræ jussu Mosis occuparunt totam Ægyptum. Utrumque verum, utrumque magnificum, & gloriosum Moysi; & utrum majus sit, incertum: tam enim gloriosum fuit Moysi plagas cælestes ad nutum inhibere, & sistere, quàm easdem evocare, & infligere. Quare Moyses fuit *miraculorum epilogus*, uti docet Nazianz. orat. 1. Porrò Pomponius Lætus: *Monstrum*, inquit *à monendo dictum est, velut monstrum, quòd monstret futurum, & moneat voluntatem deorum: quod etiam prodigium, velut prædictum; & portentum, quòd portendat; & ostentum, quòd ostendat* rem novam prænuntiam futuri. Sic, & S. Isidorus lib. 11. Origin. cap. 3. nisi quòd *prodigia* interpretetur quòd *porrò dicant*, id est, futura prædicant. Sic Xerxi vulpes ex equa genita, regnum ejus dissolui portendit. Sic plagæ hæ Moysis erant monstra, quia portendebant, & monstrabant, imò efficiebant imminens Ægypto, & Pharaoni exitium.

Monstri, & prodigii etyma.

VERS. 3. *Quartum.* GLORIFICAVIT ILLUM IN CONSPECTU REGUM, ET IUSSIT ILLI CORAM POPULO SUO, ET OSTENDIT ILLI GLORIAM SUAM) Quartum Moysis encomium est, quòd Deus per tot prodigia, plagas, & victorias, quas per Moysen patravit, gloriosum eum fecerit coram Pharaone rege Ægypti, Agag rege Amalec, Og rege Basan, & Seon rege Amorrhæorum, quos omnes Moses regnis privavit, & occidit: ob quæ gloriam ejus admirati sunt, & celebrarunt omnes reges Chanaan, imò totius orbis.

Quintum. Quintum, quòd *iussit illi coram populo suo*, id est, quòd in præsentia populi, totoque populo spectante, Deus loquens cum Mose dedit illi jussa, & mandata perferenda ad populum. Unde Græca habent, *ἐνετείλατο*, id est, *mandata dedit ei ad populum suum*; Syrus, *de populo suo*. Id fecit Deus cùm in Sina dedit Moysi tabulas lapideas Decalogi, cæteraque præcepta cæremonialia, & judicialia: deinde cùm ad ostium tabernaculi de more cum Moyse colloquens in oculis populi, ei significabat quid tam ab ipso, quàm populo fieri vellet, Exodi 20. & sequ. Levit. 1. 1. & alibi sæpè.

Sextum. Sextum est, quod *ostendit illi gloriam suam*; Syrus, *honorem vel maiestatem suam*, cùm scilicet coram Moysa in spelunca posito angelus Deum repræsentans, ingenti lumine, & gloria coruscus pertransivit, eique tergum, non faciem ostendit, uti ei promiserat dicens: *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*. Unde Sanctus Augustinus, & alii putant Moysen tunc vidisse divinam essentiam: verum contrarium est verius, uti ostendi Exodi 33. & 34.

VERS. 4. *Septimum.* IN FIDE ET LENITATE IPSIUS SANCTUM FECIT ILLUM, ET ELEGIT EUM EX OMNI CARNE) Syrus, *in eius fide, & in ipsius mansuetudine elegit eum ex omnibus hominibus*. Septimum est hoc Moysis elogium. Per fidem accipi potest Primò, fides propriè dicta; Secundò, fiducia in Deum; Tertiò, & aptissimè fidelitas, juxta illud Dei de Moyse: *Moyses in omni domo mea fidelissimus est*, Numer. B 12. Moyses enim fidelissimè Dei mandata apud populum exequebatur. Per *lenitatem* intellige mansuetudinem, de qua ibidem dicitur: *Erat Moyses vir mitissimus*, &c. Et id est idcircò, scilicet ob tantam Moysis fidelitatem, & mansuetudinem. Deus *elegit eum ex omni carne*, quia ex omnibus hominibus eum unum delegit, qui esset legatus Dei ad Pharaonem, atque dux, & moderator Israelis, eumque in manu potenti educeret ex Ægypto in terram promissam. Ad hæc enim fidelitas erga Deum, & lenitas erga proximos, maximè aptum efficiunt hominem: sic enim debemus esse lenes in proximum, ut tamen simus fideles Deo, nec ob nimiam lenitatem ejus offensas, & iniurias in Deum dissimulemus. Sic vicissim debemus fideles esse Deo, ut tamen non simus nimis rigidi, sed lenes in proximum; ut leniter ejus infirmitates toleremus, lapsus erigamus, vacillationem solidemus. Unde Tigurina vertit, *sanctum reddidit hunc fide, & placabilitate, & ex omnibus elegit mortalibus*; alii, *fide, & mansuetudine sanctificavit ipsum, & elegit eum ex omnibus hominibus*. Igitur sicut Saul à Deo electus fuit in regem, quia non erat eo vir melior in Israel, 1. Reg. 10. & sicut Petrus electus fuit in pontificem, quia maximæ erat charitatis, Jo-C an. ult. sic, & Moyses ex omnibus hominibus electus fuit dux populi, quia non erat eo sanctior nec aptior.

Lenitas sanctificat: cur? Nota *sanctum fecit*, vel, ut græcè est, *sanctificavit illum*: fides enim, id est, fidelitas, & fidelis obedientia erga Deum, Deique leges, sanctificat hominem, æquè ac lenitas, & clementia erga proximos: mansuetus enim, & lenis per lenitatem effectus habet ordinatos, & compositos, ideoque puros, & sanctos. Unde S. Basilius in psalm. 33. *Qui nullum*, inquit, *in manibus suis perturbati oni reliquerunt locum hi demum mansueti appellantur*. Et S. August. libr. 1. de Sermone Domini in monte cap. 3. *Mites*, ait, *sunt qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo*, ut appetiti injuriis, probris, maledictis, imò lapidibus (uti Moyses à populo appetitus fuit,) non se vindicent, imò non irascantur; sed potiùs appetentibus condoleant, eosque lenire satagant; ac pro eis Deum exorent. Quin, & Aristot. lib. 4. Ethic. cap. 4. *Mansuetus*, inquit, *ille est, qui perturbatione vacat, & ab affectu minimè ducitur; sed quemadmodum ratio ipsa statuerit, ita, & ob id, & tamdiu succenset*. Et Speusippus Platonis nepos sic definit: *Mansuetudo, ait, est constitutio animi adversus iræ impetum immobilis, moderata* D *temperies animi*. Rursum sancta fidelium lenitas est charitatis comes, juxta illud Pauli: *Charitas patiens est, benigna est*, 1. Corinth. 13.

Vera ergo lenitas non est naturæ indolisque bonitas, sed gratiæ, & charitatis benignitas, ideoque vera sanctitas; ac vicissim vera sanctitas est ipsa charitatis lenitas, imò ipsa divinitas est increata, & essentialis lenitas. Unde Deus, & Spiritus sanctus Eliæ apparuit, non in tonitru, non in fulgure, non in terræmotu, sed in sibilo auræ tenuis 3. Reg. 19. v. 12. Quocirca Ruffinus Præfat. in Vitas Patr. agens de priscis Anachoretis Sanctitique eximiis, prophetiæ, & miraculorum dono illustribus: *Tanta namque*, inquit, *in eis est fides, quod etiam montibus ut transferantur valeant imperare. Sunt ergo ornati moribus, quieti, lenes, tranquilli, & charitatis vinculo velut quadam germanitate constricti*.

Ita S. Bernard. serm. de S. Malachia, docet eum his duabus alis ad sanctitatem evolasse, fide in prosperis; lenitate

tate in adversis tolerandis. *In fide*, ait, *& lenitate ipsius sanctum fecit illum. Fide calcabat mundum Joanne attestante, qui ait, Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, 1. Joan. 5. Nam in spiritu lenitatis dura qualibet, & adversa æquo animo tolerabat. Hinc quidem post Christum fide calcabat maria, ne caperetur illecebris: inde patientia sua possidebat animam suam, ne molestiis frangeretur. De his enim duobus habes in psalmo 90. casuros à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, quòd multò plures prosperitatis fallacia, quàm adversitatis flagella deiiciant.* Idem in vigilia Nativit. serm. 5. *Sanctificamini hodie, & estote parati: sanctificamini*, inquit, *magis ac magis de virtute in virtutem proficiendo, & estote parati perseverando. In quibus tamen sanctificabimur? Legi de quodam dicente Script. Quoniam in fide, & lenitate ipsius sanctum fecit illum: neque enim hominibus sine lenitate, non plus quàm Deo sine fide placere possibile est.*

Præclarè S. Chrysost. homil. 6. in Acta: *Non ita statim*, inquit, *medicus febricitantem à febribus liberarit sua cura, ut longanimus vir iracundum, & præ ira flagrantem, apprehensum refrigerabit per spiritum propriorum sermonum. Et quid de medicis dico? Neque ferrum ignitum, & aquis intinctum ita statim calorem amittit, sicut si incidas in animam longanimem homo iracundus.* Et mox: *Nam mansuetus quidem sibi ipsi est dulcis, & aliis utilis: iracundis verò, & sibi insuavis, & aliis damnosus.* Idem serm. de mansuetud. to. 5. docet mansuetum in domo, in Ecclesia, in civitate esse id, quod sunt nervi in corpore, eum esse imitatorem Christi, & similem Deo.

Porrò in omnibus quidem illustris virtus est mansuetudo, sed maximè in principibus, qualis fuit Moyses, quorum quo major est celsitudo, eo admirabilior est animi demissio, & mititas. Quocirca Marcus Antonius Imp. apud Lampridium, Spartianum, & alios clementiam celebrans: *Hæc*, inquit, *Cæsarem deum fecit, hæc Augustum consecravit, hæc patrem tuum* (Faustinam coniugem alloquitur) *Pii nomine ornavit.* Et Plinius in Panegyrico Trajani: *Quoniam armis*, inquit, *arma irritantur, metusque, & terror infirma sunt vincula charitatis.* Et rursus: *Malè vim suam potestas aliorum contumeliis experitur, malè terrore veneratio acquiritur, longèque valentior amor ad obtinendum, quod velis, quàm timor; ideoque meliùs fides quàm ferrum tuetur principem, plusque diligi quàm timeri Cæsarem docent.* Hac de causa S. Ambr. l. 1. Offi. c. 22. ita sancit: *Disceptatio sine ira, suavitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensa.* Vide eumdem l. 2. Offic. c. 7. ubi Moysen exemplum mansuetudinis statuit. Verba ejus recitavi c. 39. v. 19. & S. Augu. de S. Virgin. cap. 31. *Mensura*, ait, *humilitati cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est.* Sic etiam hunc locum interpretatur Origen. tract. 24. in c. 22. Matth. probatque exemplo Christi: *Quantum enim*, inquit, *fuerat magnus, tantum se humiliavit.* Hujus rei similitudinem affert Guilielm. Paradin. de Instit. princip. *Sol enim*, inquit, *cùm est altissimè provectus in Zodiaco, tum tardissimi motus est: ita quo fortuna te subvexit altiùs, hoc oportet animo leniori minusquè feroci esse.* Quocirca Chilon apud Laert. l. 1. c. 4. potentiæ adiungendam mansuetudinem aiebat: *Ut à suis*, inquit, *princeps non tam metum extorqueat, quàm imperet reverentiam, reverẽtiæ comes est amor, metus odium, amari autem non solùm honestius est, verùm etiam tutius.* Idem extende ad viros sapientia, & virtute excelsos: hi enim si comes sint, & humiles, longè erunt excelsiores, Deo, & hominibus gratiores, ac diabolo formidabiliores. Nam, ut ait S. Chrysost. in illud Isaiæ 6. *Vidi Dominum*, homil. 4. *Sicut nauta qui vacuam habens navem, non metuunt piratarũ insultum, sed qui habent onustam: piratæ enim eo properant, ubi aurum, ubi argentum, ubi lapides pretiosi sunt: sic diabolus non facilè persequitur peccatorem, sed iustum, ubi multæ sunt opes, quanto maior es, tanto magis submitte teipsum.*

Moysi in lenitate, æquè ac zelo, similis fuit S. Philastrius Episcopus Brixiensis, coævus S. Ambrosio, & S. Augustino, qui eum dilaudat epist. ad *Quodvultdeum*. Vnde S. Gaudentius, S. Philastrii in episcopatu successor, hoc de eo edidit encomium: *Philastrius universum Romani orbis ambitum peragrans, quasi alter Paulus Dominicum seminat verbum, ut eo populorum pectoribus infuso, omne martyrii genus pro Christo libentissimè tolerare universi pollicerentur. Cumque adversus Gentiles, Judæos, & hæreticos prædicasset, pluribus ad orthodoxæ fidei cultum revocatis, quorumdam infidelium verberibus affectus, non multò post ceu Dominica passione stigmatizatus, felicem animam Deo restituit. Quapropter reminiscamur, vehemens ille Philastrii patris nostri ardor quantam possederit in sanctis moribus lenitatem, illa celsitudo scientiæ quanta fuerit humilitate sublimis,* illo divinorum peritia quàm fortitudine terrestrium. *Erat enim humanæ gloriæ nescius, acer divini honoris exactor, non quærens quæ sua erant, sed quæ Jesu Christi: amicitias sæculi, & officia mundana contemnens, servitio Dei iugiter adhærebat. Erat idem Sanctus ira brevis, indulgentia facilis, superans patientia, humanitate devinciens, in corripiendo districtus, in relaxando absolutus, liber in agendo, omni ætati, & conditioni, & servi mirâ benignitate communis, humillimis quibuscumque coniunctus.*

Zelus, & lenitas S. Philastrii.

Gnoma.

VERS. 4.

AUDIVIT ENIM EUM ET VOCEM IPSIUS, ET INDUCIT ILLUM IN NUBEM) Ita Roman. licet Græca moderna, & Rabanus legant, *audituum fecit illi vocem suam*, vel ut Complut. *audire fecit* (ἠκούτισε enim est audire facere) *eum vocem suam*, cùm scilicet ex Sina Deus per angelum tubali voce decalogum promulgavit, ceteraque præcepta judicialia, & cæremonialia Moysi oretenus tradidit. Eodem sensu accipi potest Latina versio Vulgata. q. d. Deus elegit Moysen ex omni carne in populi sui ducem; quia hac Dei electione factum est, ut unus Moyses præ ceteris audiret Deum: *&* (*Tò*, *&* exegeticum est significans *id est*) vocem ipsius; quando scilicet cum Deo ore ad os tam in Sina, quàm ad ostium tabernaculi, colloquebatur; ab eoque instituebatur dux, & docebatur modos ducendi, & regendi populum: *&* id est, *idcircò*, *induxit illum* Dominus *in nubem*; græcè γνόφον, id est caliginem, in qua latebat, seseque velabat majestas illa clarissima, & immensa lux divinitatis; ut scilicet in ea proximè ad Deum accederet Moyses, cum eoque secretissimè, & familiarissimè colloqueretur. Licèt enim reliqua præterita *fecit*, *elegit*, *induxit* spectent ad Deum, tamen *Tò audivit* videtur spectare ad Moysen: id enim series materiæ, & narrationis exigere videtur. Neque hæc enallage personarum nova est vel miranda, quia crebra in Script. & familiaris Hebræi: sæpè enim ab una persona transeunt ad aliam, nec tamen eam nominant, aut distinguunt, sed ex circumstantiis nominandum, & distinguendam lectori relinquunt.

Si tamen ad eamdem personam hæc omnia præterita referre malis, putà ad Deum; sensus erit, q. d. Deus elegit Moysen ex omni carne, ut liquet ex effectu. Nam ob hanc Moysis electionem, & dilectionem Deus audivit eum, id est vocem ipsius, cùm ipse orans pro toto populo, jam internecioni ob adoratum vitulum aureum à Deo addicto, eidem suis precibus, & meritis veniam impetravit, Exodi 32. Prior sensus magis videtur appositus, tum Græcis, tum iis quæ sequuntur: quem exprimens Tigurina sic vertit, *vocem suam huic edidit audiendam, induxitque eum in nebulam.*

Octavum hoc est Moysis elogium, quòd scilicet à Deo eductus in caliginem suam, ibi vocem Domini audierit, & familiariter cum eo sit collocutus. In hanc Dei caliginem mente conscenderunt viri sanctitate, & contemplatione eximii, ut in ea Deum habitantem per umbram cernerent, & audirent. De caligine hac vide S. Dionys. de Divinis nominibus. Hinc disce illud: *Mereberis Deum, si homines fugeris.*

Octavum Moysis elogium.

Præclarè S. Gregor. Nazianz. orat. 1. *Nihil*, inquit, *mihi tam optandum cuiquam esse videbatur, quàm ut occlusis sensibus, atque extra mundum carnemque positus, & in seipsum collectus, nec nisi quantum necessitas exigit, quidquam humanarum rerum attingens, atque secum ipse, & cum Deo colloquens, superiorem iis rebus quæ sub aspectum cadunt, vitam agat, divinasque species puras semper, nec terrenis illis, & errantibus formis admixtas, in seipso circumferat: Deique, & rerum divinarũ purum omninò speculum sit, indesque efficiatur, ac lucem per lucem assumat, clariorem videlicet per obscuriorem: iamque futuri ævi bonum percipiat, & cum angelis versetur, ac licèt in terris sit, terram deserat, atque à Spiritu sursum collocetur.*

Secessus in nubè quis?

VERS. 5.

ET DEDIT ILLI CORAM PRÆCEPTA, ET LEGEM VITÆ ET DISCIPLINÆ, DOCERE IACOB TESTAMENTUM SUUM, ET JUDICIA SUA ISRAEL) Ita Roman. Syrus, *disposuit coram eo legem vitæ, & benedictionem ad docendum eos qui sunt domus Israel, leges suas, & fœdera, & iudicia sua.*

Perperàm ergo multi legunt, *dedit illi cor ad præcepta*: græcè enim est ἔδωκεν αὐτῷ κατὰ πρόσωπον ἐντολάς, id est, *dedit ei coràm mandata*: *coram*, id est, in præsentia, in conspectu. q. d. Deus legem dedit Moysi non per internuntium quasi absens absenti, sed per se ipsum coràm, quasi præsens præsenti, loquens cum illo facie ad faciem. Alludit ad Exodi 33. 11. *Loquebatur*, inquit, *Dominus ad Moysen, sicut solet loqui homo ad amicum*

suum

suum. Et Numer. 12. 8. ubi Moyses conferens, & præferens aliis Prophetis, quibus Deus per visionem, vel per somnium loquebatur, de Moyse ait: *Ore ad os loquor ei, & palam; & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*.

Legem vocat *vitæ*, tum, quia lex docet quomodo rectè juxta Deum, & rationem sit vivendum; tum, quia lex sui observatoribus promittebat longam, & felicem vitam præsentem; tum, quia si ex fide, & charitate impleretur, præstabat vitam beatam, & æternam: Alludit ad Levit. 18. 5. *Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo vivet in eis*.

Rursum legem vocat *disciplinæ*, græcè ἐπιστήμης, id est *scientiæ*, quia lex docet veram scientiam practicam, quæ hominem docet quid agere, quid vitare debeat, ut Deo placeat, ab eoque gratia, & gloria donetur. Noster vertit, *disciplinæ*, tum, quia per legem Judæi erudiebantur quasi discipuli à præceptore; tum, quia lex quasi disciplina castigabat, & frænabat illicitos concupiscentiæ motus, & incompositos Judæorum mores.

Tertiò, legem vocat *testamentum*, id est pactum; quia lex est conditio pacti inter Deum, & homines initi. Pepigerat enim Deus cum Abraham, Isaac, Jacob, Moyse, & Hebræis, se eis fore Deum, id est patrem, tutorem, & provisorem, hac conditione, si ipsi leges suas servarent, eique se servos fideles exhiberent.

Quartò, legem vocat *iudicia*, quia lex statuit, & præscribit id quod æquum, & justum est, ac secundùm illam judices omnes in judiciis judicare debent: quare cùm inter Hebræos erant lites, hæ omnes secundùm legem, & per legem judicandæ, & dirimendæ erant. Vnde Tigurina vertit, *huic præcepta coràm tradidit, legem vitæ scientiæque, ut pactum edoceret Jacob, & ius suum Israelem*. Idem ergo est pactum, quod jus sive judicium; sicut idem est Jacob, qui Israel: Hebræi enim à suo Patriarcha, qui dictus est Jacob, & Israel, nunc Jacob, nunc Israel vocantur: posterius ergo hemistichium explicat prius more Hebræo.

Nonum. Nonum est hoc encomium Moysis, quòd fuit legislator divinus: legem enim, quam dedit Hebræis ex ore Dei accepit.

Moysis laus ex S. Nazianz. Præclarè S. Gregor. Nazianz. orat. 6. *Quis legislatorum, inquit, illustrissimus? Moyses. Quis sacerdotum sanctissimus? Aaron. non minùs pietate, quàm corporibus fratres; vel potius ille quidem Pharaonis Deus, & Israelitarum antistes, & legislator, & nubem ingrediens, & divinorum mysteriorum spectator, & præsul, & tabernaculi illius veri fabricator, quod à Deo non ab homine constructum est: ambo autem æquè sacerdotes: Moyses enim, ait ille, & Aaron inter sacerdotes eius. Ille principum princeps, & sacerdotum sacerdos, Aarone pro lingua utens, ipsique vicissim in iis rebus operam navans quæ ad Deum pertinebant: hic illi statim* *Psalm. 98.* *secundus, alios autem dignitate, & propinquitate ad Deum longè antecedens. Ambo Ægyptum vexantes, mare scindentes, Israelem traiicientes, hostes demergentes, panem supernè trahentes, aquam hominum fidem superantem in deserto partim profundentes, partim edulcantes. Ambo per sanctam manuum extensionem, sublimiorisque mysterii figuram Amalecitas opprimentes. Ambo ad promissam terram duces viæ se præbentes, ac properantes. Ecquid hac imagine notius apertiusque cogitari potest?* Fuit ergo Moyses divinarum sanctor legum, & divinitatis quasi vicarius: ille sacerdotum princeps, & sacerdos principum: ille maris, & ventorum imperator: ille fontium, fluminum, nubis, ignis, cæli temperator: ille naturæ dominus, & miraculorum omnium opifex: ille tyrannorum domitor, & Pharaonis Deus. plura de Moyse dixi in proœmio Pentateuchi.

VERS. 34. EXCELSUM FECIT AARON FRATREM EIUS, ET SIMILEM SIBI DE TRIBU LEVI) A Mose principe transit ad Aaron fratrem Mosis, quem Deus elegit in primum pontificem Hebræorum, eumque hereditarium, ut scilicet pontificatum ad posteros, putà ad primogenitos omnes ex se successivè procreandos, transmitteret. Hunc ergo Deus extulit, *fecitque excelsum, & similem sibi: sibi*, id est illi, putà Moysi. q. d. Deus assimilavit Aaronem Moysi; tum ratione genealogiæ, quia uterque ex eadem tribu Levi, quam Deus sibi in sacerdotalem elegit, adeoque ex eisdem parentibus est progenitus; tum, quia Aaron fuit socer, & administer Mosis in enuntiandis Dei jussis Pharaoni, ac in patrandis plagis, & miraculis (ut patet. Exodi 7. & 8.) ad educendum populum ex Ægypto, juxta illud: *Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris ei omnia, quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel de terra sua*, Exodi 7. 1. Quocirca Nazianz. orat. 1. *Aaron*, inquit, *secundùm Moysen primas apud Deum obtinebat*; & orat. 6. eum vocat *sacerdotem sanctissimum*. Vnde Græca habent, *evexit*, vel *exaltavit, Aaronem sanctum, similem illi, fratrem eius, ex tribu Levi*. Tribus enim Levi à Deo electa, & evecta erat ad sacerdotium, sicut tribus Juda ad regnum: unde Levitæ cæteris erant honoratiores, quasi dicati, & consecrati Deo, uti modò sunt Religiosi, & sacerdotes. Hinc *Levi*, & Levita idem est, quod *copulatus*, Genes. 29. 34. quòd totus Deo copulari, & adhærere debeat. Aliqui etiam *Levi* interpretantur *ipse mihi*, quasi Deus dicat: Ipse est Levita, hoc est, *Levi etyma.* ipse totus mihi est consecratus, ipse totus est meus: ego illum in meum ministrum, in amicum, in filium cooptavi; ut ipse vicissim totum se mihi addicat, & copulet, reliqua spernat, & fastidiat. Hanc etymi rationem dat Philo lib. de Plant. Noe: *Quod apud alios, inquit, alia sunt in pretio, apud illum verò solùm ille optimus maximus auctor rerum omnium*. Et post nonnulla: *Eadem* (eamdem rerum mundi despicientiâ) *legislator sæpè docet eos qui nō cupiunt creatis rebus ditescere, fastidientes quidquid genitum est, præ ingenti familiaritate eius, quem solum habent pro divitiarum felicitatisque, sine perfectissimo*.

In Græco non est ανυ●, id est, extulit simpliciter, sed compositè χυυ υο, id est, sursum extulit, superexaltavit, in sublime evexit. Syrus, *& exaltavit sicut illum, sanctum Aaron de tribu Levi*. In republica enim, divina, ideoque summa est dignitas sacerdotii: sacerdos enim negotia reipubl. tractat cum Deo, estque quasi internuntius inter Deum, & populum, ut tam Deum populo quàm populum Deo conciliet. Quocirca S. Ambros. de Dignit. sacerdot. c. 3. asserit *nihil esse in hoc sæculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri*. Idem in Levit. c. 10. ad Simplicianum: *In causa prophetiæ*, inquit, *Moses præfertur sicut Propheta; ubi autem causa, & munus, & officium sacerdotii est, præfertur Aaron sicut sacerdos*. Hinc Aaron typum gessit Christi pontificis, uti idem ait l. 2. de Fide ad Gratian. sub initium.

Rursum *sanctum*, id est, Deo sacratum sanctumque sacerdotem: sic enim omnis sacerdos, quia Deo dicatus, & consecratus, vocatur *sanctus*, etsi ob pravam vitam sit sceleratus. Hic tamen titulus eum assiduè commonefacit, ut sicut officio, sic, & vita sit sanctus. Vnde S. Ambros. de Dignit. sacerd. c. 3. *Dignè*, inquit, *noscamus quod sumus: & quod sumus professione, actione potiùs quàm nomine demonstremus: ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini; ne sit nomen inane, & crimen immane; ne sit honor sublimis, & vita deformis; ne sit deifica professio, & illicita actio; ne sit voli gestu amictus, & irreligiosus provectus; ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam; ne professionem monstremus ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam*.

STATUIT EI TESTAMENTUM ÆTERNUM, ET DEDIT ILLI SACERDOTIUM GENTIS) Syrus, *posuit illum infirmitatem populi*. Pontifex enim est firmitas populi. VERS. 35. Hæc est exaltatio, & celsitudo Aaronis, quòd Deus *testamento*, id est pacto æterno, statuerit, & consignarit illi *sacerdotium*, & pontificatum suæ *gentis*, putà Hebræorum, sanciens ut in ejus progenie permaneret semper sacerdotium, adeò ut nullus posset esse sacerdos, nisi prognatus ex Aaron; ac nullus posset esse pontifex, nisi tamquam primogenitus descenderet ex Aaron. Vocatur *æternum*, non absolutè, sed respectivè; quia scilicet duraturum erat semper, quamdiu duratura erat illa lex, & religio judaismi. Mysticè etiam *æternum*, quia in suo antitypo, putà in sacerdotio Christi, & Christianorum (quod præfigurabat, cujusque erat typus) durabit in æternum: novum enim Christi sacerdotium implet, & perficit vetus Aaronis sacerdotium. Vnde Tigurina, *pactum æternum sanxit cum eo, commisitque ei sacerdotium populi*.

ET BEATIFICAVIT ILLUM IN GLORIA) Syrus, *dedit super illum de honore suo, & gloria, elegitque illum in celsitudine honoris sui*. Palacius per *gloriam* accipit visionem Dei. Sicut enim Deus hanc gloriam dedit Mosi, ut Deum viderit, & cum eo tractarit; sic, & eamdem communicavit fratri ejus Aaroni, quando jussit eum cum Mose ascendere in verticem montis Sina, ubi Deus gloriam sua videndam exhibebat, Exodi 19. 24. Verùm pro *gloria*, græcè est ευλα, id est, ornatus, & vestitus compositus, mundus, & elegans. *Gloriam* ergo vocat ornatum vestium sacerdotalium, & pontificalium, qui Aaronem gloriosum, & quasi beatum efficiebat. Sensus ergo est, q. d. Deus Aaronem quasi felicem, & beatum effecit tam glorioso sacerdotio, ejusque amictu, & ornatu ita splendido, & magnifico. Vnde explicans subdit:

ET

ET CIRCUMCINXIT EUM ZONA GLORIÆ. (Rabanus, Dionys. & alii pro *gloria* legunt *iustitia*, quia zona hæc, inquit Palacius, cum esset ultimum pontificis ornamentum, perfectionem, & iustitiam Aaronis significabat, iuxta illud quod de Christo ait Isajas c. 11. *Et erat iustitia cingulum lumborum eius.*

Rursum pro ζώνη græcè est στολὴ, id est stola, amictus, vestis oblonga, & usque ad talos demissa. Unde Tigurina, *eleganti cultu beatum reddidit, & amicivit habitu glorioso*; alii, *beavit illum præclaro ornatu, & induit eum stola gloriosa*; Syrus, *induit eum vestibus hyacinthinis*. Noster fortè pro legit, id est, ζώνη: huic enim propriè convenit τὸ, id est, *circumcinxit*, & quia stolam nominat v. sequ. Denique quia valdè ornabat pontificem zona, eaque duplex; Prior, interior communis omnibus sacerdotibus, qua tunicam lineam succingebant; secunda exterior, propria pontifici, ex purpura, cocco, hyacintho, & bysso retorta, quæ cingebat ephod, & Rationale, ideoque augusta erat, & baltheus vocabatur. de qua dixi Exodi 28. 39.

ET INDUIT EUM STOLAM GLORIÆ.) id est, vestem gloriosam: nec enim pontifex vestem habuit quæ propriè diceretur stola. Stola ergo quamlibet vestem, amictum B & ornatum significat, id est induendo, dicta. Sic Josephus 15. Antiqu. c. ult. stolam pontificiam vocat pontificis amictum, de cujus custodia inter reges, & præsides certatum asserit.

Gloria pontificis similis gloriæ Beatorum. Nota τὸ *gloria* ter hic repetitur, ut significetur trina, id est, plena, & omnimoda gloria. q.d. Amictus pontificis terq; quaterque, hoc est omnimodè, & quaquaversum, erat gloriosus: pontifex enim non minus dignitatis ab eo mutuabatur quàm Beati à dotibus gloriosis, imò gloria pontificis gloriæ Beatorum erat specimen, & imago, adeò ut qui viderent potificem in habitu hoc glorioso, non tam hominem quàm beatum vel angelum è cælo lapsum, imò numen aliquod intueri sibi viderentur; uti contigit Alexandro Magno, cum ei occurrit Jaddo pontifex, teste Josepho lib. 11. Antiqu. cap. 8. Græcè est, καυχήματος, id est, ut Complut. *induit eum consummatione gloriationis*; Tigurina, *perfecta magnificentia ornavit eum*; alii, *vestiit eum consummata gloriatione*. Unde explicans subdit:

ET CORONAVIT EUM IN VASIS VIRTUTIS.) id est, instrumentis vestium eximiis, quibus eius *virtus*, id est, potestas, robur, & auctoritas pontificalis declaretur C ob quam omnes eum honorabant, & metuebant. Græcè est, *firmavit eum in vasis fortitudinis*; alii, *roboravit eum vestibus roboris*; Syrus, *honoravit eum vestibus roboris*. Nota. *vasa* Hebræi vocant quælibet instrumenta, ac nominatim vestes, apparatus, ornamenta. Sic Deut. 22. 5. dicitur: *Non induetur mulier veste virili*, Hebr. *Kele isch*, id est, græcè σκεύη ἀνδρὸς, id est, *vasis viri*. Xenophon lib. 4. Pædiæ Cyri, vocat ornamenta, & stragula equorum. Imò feminine, idem est quod habitus, vestis, vestitus, cultus, ornatus, gestamen; & idem est quod apparo, compono, vestio, adorno, concinno, induo, instruo.

Vestes pontificis vocantur virtutis Primò. Rursum τὸ *virtutis* (hebr. *chail*,) id est, roboris, potestatis, majestatis, auctoritatis; item opulentiæ, divitiarum: opes enim efficiunt hominem potentem. Unde Tigurina vertit, *instruxit eum apparatu opulento*; Vatabl. *eximio*: vestes enim pontificis erant intextæ auro, & gemmis, ideoque pretiosæ, & opulentæ, ac plenæ majestatis, & magnificentiæ, quæ omnia significat hebr. *chail*, id est, *virtus*. *Secundò.* Pontifex enim hoc suo magnifico ornatu repræsentabat magnificentiam, & majestatem Dei, cujus erat vicarius, & vicesgerens in terra. Addit Tertiò, Palacius ex Galatino, *Tertiò.* vestes pontificis vocari *virtutis*, id est, roboris, quia pontifex iis indutus dabat oracula, quod est opus magnæ virtutis & potentiæ: quin, & in lamina aurea præferens nomen ineffabile *Iehova*, subinde patrabat miracula. Ita Jaddus *Quartò.* pontifex hisce pontificalibus indutus occurrens Alexandro Magno Judæis infenso, eum sacro horrore ita perculit, ut sibi simplicem, & Judæis benevolum effecerit, teste Josepho lib. 11. Antiq. c. 8. & de vestibus pontificis dicitur Sapient. 18. 25. *His autem cessit qui exterminabat, & hæc extimuit.* Quartò, *virtus* accipi potest pro valore, arte, industria, ut opus virtutis sit opus affabrè factum, & magna arte elaboratum qua phrasi Itali, & Galli insignem artificem vocant *un vaillant homme*.

Mysticè. Mysticè, Rabanus: *Vestimenta*, inquit, *pontificis non alia sunt, quàm opera virtutum, & sapientiæ doctrina: quæ verè Domini sacerdotes ornant, cùm in his conversari viri inveniuntur. Vnde, & hic dicitur. Coronavit illum in vasis virtutis: sapientes autem corde, quos ad faciendas easdem vestes Deus spiritu prudentiæ replevit, ipsi sunt Prophetæ, & Apostoli, ceteriq; doctores veritatis, qui nobis apertissimè monstrant, quomodo vivere sacerdotes, & ministri altaris, & qualiter docere debeant, sive exemplo suæ actionis, sive verbo exhortationis ostendunt.*

CIRCUMPEDES, ET FEMORALIA, ET HUMERALE POSUIT EI (id est, ut alii legunt, *imposuit ei*, hoc est, induit eum,) ET CINXIT ILLUM TINTINNABULIS AUREIS PLURIMIS IN GYRO, DARE SONITUM IN INCESSU SUO, AUDITUM FACERE SONITUM IN TEMPLO, IN MEMORIAM FILIIS GENTIS SUÆ.) Per *circumpedes*, vel, ut multi legunt, *circumpediles*, Primò, Lyran. & Dionys. intelligunt sandalia: hæc enim circumdant reguntque pedes. Secundò, meliùs Rabanus accipit tunicam lineam, quæ communis erat pontifici cum aliis sacerdotibus; hæc enim usque ad pedes porrigebatur. Tertiò, optimè accipias tunicam hyacinthinam quæ propria erat pontifici, quæque Exodi 28. 4. vocatur *meil*: hæc enim circumcingebat pedes, ut *circumpedes* dici posset: unde græcè est, quo nomine Septuag. (quos sequi solet Siracides) vocant tunicam hyacinthinam pontificis, Exodi 28. Ecce S. Hieron. epist. ad Fabiolam, tunicam lineam vocet quoque id est talarem, eò quòd ad, id est pedes, & talos, esset demissa, æquè ac tunica hyacinthina. Pro *femoralia*, græce est, hoc enim nomine Septuag. Exodi 24. 42. vocant feminalia vel femoralia. Siracides ea hic in Græco primo loco ponit, quia ipsa erant prima, & intima vestis pontificis, æquè ac cuiuslibet sacerdotis.

VERS. 10. VERS. 11. *Circumpedes quid? Resp. 1. Secundò.*

Pro *humerale* græcè est, quo nomine Septuag. Exod. 25. 6. vertunt Hebr. *ephod*, quod erat palliolum tegens humeros usque ad renes, contextum ex filis aureis, hyacinthinis, coccineis, purpureis, & byssinis, ideoq; suo fulgore perstringens oculos instar caracallarum, ait S. Hieron. epist. ad Fabiolam. In huius ephod medio, ante pectus erat hiatus, qui implebatur Rationali quadrangulo, mira pulchritudine contexto, in quo erant duodecim lapides pretiosi, insculpti nominibus duodecim tribuum, de quibus fuse egi Exodi 28.

Tropol. vestis sacerdotalis. Tropol. breviter S. Gregor. 2. p. Pastor. cap. 3. singula hæc moribus sacerdotis adaptat: *In sacerdotis*, inquit, *habitu aurum fulget, ut in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet: cui hyacinthus adiungitur, ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad favores infimos, sed ad amorem cælestium surgat. Purpura permiscetur, ut sacerdotale cor in semetipso suggestiones vitiorum reprimat, eisq; velut ex regia potestate contradicat. Bis tinctus coccus adiungitur, ut omnia virtutum bona ex charitate decorentur: quæ quia Deum, & proximum diligit, quasi ex duplici tinctura fulgescit. Quid verò per byssum, nisi candens decore munditiæ castitas designatur? Quæ byssus torta pulchritudini super humeralis innectitur; quia tunc castimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cùm per abstinentiam caro fatigatur.*

Addit tintinnabula, quæ ex fimbria tunicæ hyacinthinæ dependebant numero 72. ait S. Hieron. ad Fabiolam, eranteque ex auro, immixta totidem malis punicis (quæ proinde hic in Græco addita sunt) contextis ex cocco, purpura, hyacintho, & bysso, ita ut alternis esset tintinnabulum, & malum punicum. Causam subdit, *in memoriam filiis gentis suæ*, id est, ut memores essent datæ legis in Sina clangente tuba. D Aut potiùs, q.d. Ut populus hoc pulsu recordaretur divinæ majestatis, eamque revereretur in pontifice templum ingrediente ad sacra Dei obeunda. Vide dicta Exodi 28. 35. Minùs rectè vertit Tigur. *ad filiorum populi sui commendationem*: μνημόσυνον enim memoriale, & memoriam significat, non commendationem.

STOLAM SANCTAM, AURO, ET HYACINTHO, ET PURPURA, OPUS TEXTILE VIRI SAPIENTIS, JUDICIO ET VERITATE PRÆDITI) Pro *opus textile*, græcè est, quod Complut. vertunt, *opere polymitarii*; Roman. *variatoris*; alii, *phrygionis*; alii, *opere variegato*; Tigurina, *augusto habitu varii operis, & artificis*, quale est opus phyrigionum sive acupictorum. VERS. 12.

Stola, licèt propriè sit vestis ad talos demissa, præsertim muliebris, tamen absolutè quamlibet vestem significat, à id est vestio, induo. Hic ergo significat Rationale. Alludit enim ad Exodi 28. 4. ubi Septuag. recensentes, id est vestes sanctas pontificis, primam ponunt, id est pectorale,

ctorale, sive Rationale. Hoc ergo dicitur *stola*, id est vestis sancta, quia inter omnes uti erat pretiosissima, utpote è gemmis duodecim conflata, ita erat, & sacratissima. In Rationali enim quasi habitabat Deus: nam in illo consulebatur, & per illud responsa dabat. Unde vocabatur, id est oraculum. Sensus ergo est, q. d. Deus induit Aaronem quasi pontificem stolam sanctam, id est Rationale sanctum, quod erat opus textile ex filis aureis, hyacinthinis, & purpureis contextum, à viro sapiente *iudicio, & veritate*, id est, vera prudentia, & arte ad illud texendum, & ornandum prædito, putà à Beseleel, de quo dicit Deus Exodi 31.3. *Implevi eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omnium opere ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro*, &c.

Græca jam aliter habent, nimirùm, id est, *Rationali iudicii signis* vel *manifestationibus veritatis*; Tigurina, *pectorali iudicii* (Vatabl. *pectorali rituali*; quia, inquit, eo ritu Deum consulere jubebatur) *cum doctrina, & veritate*.

Per quem significantur *urim*, & *thummim*: hæc enim Septuag. vertunt, id est *manifestationem & veritatem*, eò quòd Deus per ea pontifici se consulenti de re futura vel dubia manifestaret veritatem. Quidnam hæc fuerint fusè disputavi Exodi 28. 30.

VERS. 13. TORTO COCCO OPUS ARTIFICIS, GEMMIS PRETIOSIS FIGURATIS IN LIGATURA AURI, ET OPERE LAPIDARII SCULPTIS, IN MEMORIAM SECUNDUM NUMERUM FILIORUM ISRAEL) Pro *torto* Græca Romana habent *torta*, scilicet stola, *cocco*, id est, ex filis coccineis; Tigurina, *opere coccineis filis artificiose simul & pretiosis lapidibus sigillorum modo scalptis, operoq; scalptoris illigatis in auro* (alii, *cælaturis sigillaribus auro devinctis*) *cum scriptura monumenti causa incisa, secundùm numerum tribuum Israel*.

Pergit hic describere Rationalis fabricam, usum, & finem, scilicet quòd illud confectum erat *torto cocco*, id est ex filis coccineis tortis, duodecim gemmis auro illigatis, & incisis 12. tribuum nominibus insignitum, idque *in memoriam secundùm numerum filiorum Israel*, hoc est, ut pontifex in pectore gestans nomina duodecim tribuum Israel, memor esset se illas sinu, & pectore suo debere amantissimè complecti, easque omni charitate prosequi, pro eisque Deum assiduè precari. Rursum *in memoriam*, scilicet Dei, ut Deus videns pontificem Rationali indutum, memor quasi redderetur filiorum Israel obiectu Rationalis, in quo eorum nomina insculpta cernebat, ac eis juxta promissa patribus facta per omnia opitularetur.

VERS. 14. CORONA AUREA (ita Roman. licet Jansen. & alii legant *coronam auream*, repete, imposuit ei) SUPER MITRAM EJUS EXPRESSA SIGNO SANCTITATIS, ET GLORIA HONORIS; OPUS VIRTUTIS, ET DESIDERIA OCULORUM ORNATA) *Corona aurea* est lamina aurea, quæ instar dimidiæ coronæ, sive semicirculi, velabat & ornabat frontem pontificis, & ad utramque aurem porrigebatur, ubi vitta hyacinthina pileo capitis alligabatur. *Mitram*, græcè ἀδὴν, vocat infulam pontificis, quam ita describit Josephus lib. 3. Antiq. c. 8. *Pileo quali cæteri sacerdotes utebantur, super quem extabat alius consutilis ex hyacintho variatus: hunc aurea corona triplici ordine circumdabat. Expressa signo sanctitatis*, quia scilicet in lamina hac quasi in signo, id est in sigillo, insculptum erat קדש *Kodes Adonai*, id est *sanctitas Domino*; ut nimirum sanctissimi Dei pontificem se profiteretur, quem omnes revererentur, in eoque Deum venerarentur; utque hoc titulo moneretur, debere se sanctitatem Dei sui, tam eloquio quàm vita, & moribus exprimere. Perinde ac Seraphini ministrantes, & assistentes Deo, jugiter eum adorant inclamando; *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum*, Isajæ 6. Unde Sapiens Sapient. 18. 24. ait, quòd magnificentia Dei scripta fuit in diademate capitis pontificis. Nam pro *Adonai*, ut vulgò legitur, insculptum erat laminæ nomen *Jehova* tetragammaton, quòd Judæis adeò erat sanctum, ut esset id est ineffabile: unde quoties illud occurrebat, eo reverentiæ causa suppresso, vice ejus pronuntiabant *Adonai*; quem morem gentis suæ, etiam Christus, & Apostoli secuti sunt. Hinc vocatur *opus virtutis*, id est gloriæ, & majestatis, ut dixi v. 9. Addit Palacius dici *opus virtutis*, id est fortitudinis, & potentiæ, quia nomen *Jehova* laminæ incisum patrabat miracula. Græcè est ἔργον τιμῆς (quæ Siracides de more mutuatus est à Sept. Exodi 28. 36. pro quibus Noster ibidem vertit *sculpes opere cælatoris sanctum Domino* (quod Complut. vertunt, *sculpturam*) Roman. *efformationem*) *signaculi sanctitatis*; Tigurina, *in modum sigilli sanctè sculpturata*; alii, *expressa figura sigilli sacri*.

Addit Tertiò, quòd hæc corona, putà lamina, pontifici fuerit *gloria honoris*, *& opus virtutis*, id est, erat ornamentum illi gloriosum, & honorificum eximio, augusto, & reverendo opere, quod summam eius virtutem, id est potestatem, & auctoritatem demonstraret, fabrefactum; adeò ut ipsum esset *desideria oculorum ornata*, quod scilicet intuentium oculos, & desideria ornatu suo, & elegantia ad se rapiebat, & mirè oblectabat; idque ad hoc, ut hac ratione pontifex omnes ad sui, & multò magis ad Dei amorem, desiderium, cultum, & venerationem alliceret. Unde Sapiens cap. 18. 24. *In veste poderis*, inquit, *totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, & magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat*. Porrò Græca Complut. eleganter, & nervosè totam hanc sententiam sic efferunt, *Coronam, auream super mitram, sculpturam signaculi sanctitatis, gloriationem honoris, opera* (in plurali, grecè enim est *virtutis concupiscentias oculorum, ornata, pulchra*; Tigurina, *aurea supra mitram corona* (vestiuit Aaronem) *in modum sigilli, sanctè sculpturata, ornamento honorifico, & eximio opere, oculorumq; decore ac spectabili oblectamento*; alii, *corona aurea imposita cidari, expressa figura sigilli sacri, gloriatione honorifica, opere valido, concupiscentiis oculorum, ornamentis speciosis*.

Octo vestes Pontificis.

Porrò hoc ordine, & ritu vestes hasce omnes induebat pontifex. Primò, induebat femoralia, super hæc iniiciebat tunicam lineam, eamque zona stringebat: huic superinduebat tunicam hyacinthinam, super quam ephod cum Rationali accingebat secunda zona: capiti imponebat tiaram, cui affixa erat lamina aurea cum hac inscriptione, *Sanctum Domino*. Octo ergo eius erant vestes, scilicet femoralia, tunica linea, tunica hyacinthina, ephod, Rationale, zona, tiara, lamina aurea; quæ significabant octo dotes, & virtutes necessarias sacerdoti, & pontifici. *Quia in Rationali*, ait Rabanus, *plenitudo scientiæ exprimitur: in superhumerali bonorum operum actus: in tunica hyacinthina cælestis conversatio: in tintinnabulis prædicatio sacri verbi: in tunica linea, quæ & hic circumpedes nominatur, eo quod ad talos pertingebat, consummatio castitatis insinuatur: in balthæo continentia: in cidari, quæ caput tegebat, omnium sensuum custodia: in femoralibus verò castimonia corporis contra libidinem: corona autem supra mitram, in qua expressum erat signum castitatis*, (ita habet codex; sed pro *castitatis* puto legendum *sanctitatis*: sic enim habet Siracides, *hoc est nomen omnipotentis Dei, honorificentiam significat divinæ maiestatis, quam in arce status nostri, & super omnia statuere debemus. Ita ut in omnibus actibus nostris, sermonibus, & conversatione honorificetur Deus per Ipsum Christum Dominum nostrum, qui est caput corporis Ecclesiæ, & salvator omnium, maximè fidelium*. Et S. Thom. 1. 2. q. 102. a. 5. ad 10. in fine: *Sunt*, inquit, *quatuor omnibus sacerdotibus necessaria, scilicet castitas, quæ significatur per femoralia: puritas vitæ, quæ significatur per lineam tunicam: moderatio discretionis, quæ significatur per cingulum: & rectitudo intentionis, quæ significatur per tiaram protegentem caput. Sed præ his pontifices debent quatuor habere. Primò quidem iugem Dei memoriam in contemplatione: & hoc significat lamina aurea habens nomen Dei in fronte. Secundò, quod supportent infirmitates populi; quod significat superhumerale. Tertiò, quod habeant populum in corde, & in visceribus, per solicitudinem charitatis; quod significatur per Rationale. Quartò, quòd habeant conversationem cælestem per opera perfectionis; quod significatur per tunicam hyacinthinam. Unde & tunicæ hyacinthinæ adiunguntur in extremitate tintinnabula aurea, per quæ significatur doctrina divinorum, quæ debet coniungi cælesti conversationi pontificis. Adiunguntur etiam mala punica, per quæ significatur unitas fidei, & concordia in bonis moribus; quia sic coniuncta debet esse eius doctrina, ut per eam fidei, & pacis unitas non rumpantur*.

Mystica earum significatio.

SIC PULCHRA ANTE IPSUM NON FUERUNT TALIA USQUE AD ORIGINEM) scilicet ab origine VERS. 15.
mundi: græcè enim est ἕως αἰῶνος, id est, *usque in sæculum*; id est à sæculo, & ab origine sæculi. Minùs rectè aliqui legunt, *usque ad orientem*. q. d. Ab oriente mundo, quod idem est cum, ab origine mundi. q. d. Esto repetas acta præcedentium sæculorum usque ad originem mundi, nil tam pulchrum in vestibus sacerdotum, nullum ornatum sacrum ita speciosum, ita augustum invenias, atque fuit amictus Aaronis; quia eum fecit Beseleel arte, non humana, sed divina, sive

five à Deo cælitus sibi infusa, Exodi 31. quæ autem divina sunt, omnem artem humanam superant, ait Palacius.

VERS. 16. NON EST INDUTUS ILLA (corona, sive lamina aurea præferente nomen Jehova, reliquaque veste sacra Aaronis) ALIENIGENA ALIQUIS, SED TANTUM FILII IPSIUS SOLI, ET NEPOTES EJUS PER OMNE TEMPUS] Per *alienigenam* non tantùm intellige Gentilem, sed & Judæum oriundum ex alia tribu & familia, quam Levi & Aaronis. Solus enim Aaron, ejusque filii & nepotes primogeniti succedentes patri in pontificatum, poterant indui vestibus hisce pontificalibus. *Aaronis encomia octo. Primum.* Quo significatur Primò, magnum privilegium Aaronis, quòd scilicet non tantùm ipsi, sed & posteris ejus, iisque solis, à Deo addictus, ac jure quasi hereditario appropriatus sit pontificatus. Secundò, magnam dignitatem & sanctitatem vestium pontificalium, utpote quibus nemo nisi posteri Aaronis, iique pontifices indui possent. Tertiò, allegoricè significabat unum fore in lege nova pontificem, scilicet Christum, quem figurabat Aaron, cujus vicarii & successores futuri essent Pontifices Romani, qui simili vestium splendore suum, imò Christi decorem, auctoritatem, majestatem repræsentarent. Ut enim esset una Ecclesia, voluit Christus unum ejus esse caput, scilicet Pontificem: sicut enim in uno corpore humano unum est caput, quod reliqua membra regit: ita in corpore mystico Ecclesiæ unum sit caput oportet, cujus membra sint reliqui fideles, qui à capite hoc regantur.

VERS. 17. SACRIFICIA IPSIUS CONSUMPTA SUNT (græcè ὁλοκαρπωθήσονται, id est, integra consumpta sunt, omnino combusta sunt tamquam holocausta, *Secundùm.* quæ tota cremebantur Deo) IGNE QUOTIDIE] A vestibus transit ad sacrificia Aaronis, eaque celebrat primùm ab igne cælesti, qui ea consumpsit: Aaron enim consecratus pontifex à Mose ilicò primum sacrificium obtulit, eoque quasi primitias suas celebravit quas ut Deus probaret, igne cælitus demisso victimas ejus consumpsit, Levit. 9. 23. *Apparuitque*, inquit, *gloria Domini omni multitudini, & ecce egressus ignis à Domino devoravit holocausta*; atque hic ignis cælestis jussu Dei alitus in tabernaculo, deinceps ceteras posterorum omnium victimas absumpsit: quem quia non adhibuerunt Nadab & Abiu, sed communi igne thurificarunt, hinc igne divino combusti sunt, Levit. 10. 2. Porrò quod ait *quotidie*, accipe de sacrificio jugi, putà duobus agnis quorum unus manè, alter vespere quotidie Dei in holocaustum offerebatur, Exodi 29. 38. De eo enim hic agi patet ex Græco, qui sic habet: *Sacrificia ipsius* (Complut. pro αὐτῷ, id est *ipsius*, legunt αὐτῶν, id est *ipsorum*: nec enim solus Aaron, sed quivis Sacerdos offerre poterat sacrificium juge) *sicut holocaustomata quotidie assiduò bis*. Primò enim offerebatur juge sacrificium; deinde cetera holocausta & victimæ, quæ eodem igne cælesti sensim consumebantur, uti sancitur Levit. 6. 9. Unde Tigurina vertit, *solidè* (planè, omnino) *consumi solita sunt horum sacrificia, bina videlicet quotidiana assiduitate*: ex ea enim hoc sacrificium vocabatur juge, sive assiduum & perenne. Hoc est secundum Aaronis encomium, æquè ac officium, scilicet jus & potestas sacrificandi Deo.

VERS. 18. COMPLEVIT MOYSES MANUS EJUS, UT UNXIT ILLUM OLEO SANCTO] q. d. Moyses consecravit manus Aaronis, implendo illas tum oleo, quo eas consecrando perungebat, tum muneribus & victimis, quas ipse initiandus & consecrandus pro sua consecratione Deo offerret, Levit. 8. Ubi ritum consecrationis tam Aaronis in pontificem, quàm filiorum ejus in Sacerdotes, explicui. *Implere manus est consecrare; unde ?* Nota est phrasis Hebræa, qua *implere* vel *complere manus* significat consecrare, ob causas jam dictas; & quia *implere manus*, ait Jansenius, est eas perficere, eisque jus dare & potestatem offerendi Deo sacrificia; sic enim perficiuntur manus: quod non est aliud, quàm consecrare eas, ut vertit S. Hieron. Num. 3. 3. Judic. 17. 5. & 12. & 3. Reg. 3. 13. & 32. & alibi sæpè. Unde Tigurina vertit hoc loco, *manus hujus consecravit Moyses, & eum sacro inunxit oleo*.

Tertium est hoc encomium Aaronis, quod per Moysen sacratus, Deoque consecratus sit Pontifex. *Tertium.* Unde Syrus non verbum verbo, sed sensum reddens, *Imposuit illi*, inquit, *Moyses manum suam, & unxit illum unctione sanctitatis*.

VERS. 19. FACTUM EST ILLI IN TESTAMENTUM ÆTERNUM, ET SEMINI EJUS SICUT DIES CÆLI, FUNGI SACERDOTIO, ET HABERE LAUDEM, ET GLORIFICARE POPULUM SUUM IN NOMINE EJUS] q. d. Deus dedit & consignavit Aaroni & *semini*, id est, posteris ejus, sacerdotium quasi pactum æternum, ut in ejus stirpe perrennet & duret quandiu durant dies cæli, dedit, inquam, illi *fungi sacerdotio & habere laudem*, id est, habere officium laudandi Deum per hymnos, psalmos, sacrificia aliasque functiones sacras: græcè enim est λειτουργεῖν αὐτῷ ἅμα καὶ ἱερατεύειν, id est, administrandum liturgia, id est, sacro ministerio & sacerdotio fungendum; & *glorificare populum suum*; græcè εὐλογεῖν, id est, ut Syrus, benedicere populo, *in nomine suo*, putà suo pontificio jure & auctoritate, juxta ritum & formam sancitam à Deo Num. 6. 24. Pro *suo* græcè est αὐτοῦ, quod alii vertunt, *ipsius*, scilicet Dei. Aliter Palacius, *glorificare populum*, inquit, est suis intercessionibus populo gloriam & felicitatem impetrare: pontifex enim adeò debet esse sanctus, ut ejus interventu Deus populum glorificet.

Hoc est quartum encomium, æquè ac officium sacerdotis, scilicet laudare Deum, & bene precari populo. *Quartum.* Hinc disce, quòd, sicut angelorum est perpetim laudare Deum in cælis, sic sacerdotum officium est eumdem jugiter laudare in terris: qua de causa Ecclesia Officium Ecclesiasticum sanxit, illudque per horas distribuit, ut illud recitent sacerdotes, eoque singulis horis psallant laudentque Deum. Unde S. Ignatius Martyr & Episcop. Antioch. videns in raptu angelos ἀντιφώνως, id est, alternis vocibus & choris laudantes Deum, eumdem ritum & chorum psallendi in Ecclesiam induxit. Tigurina vertit, *pacto sempiterno concessum est huic & ejusdem progeniei, volventibus cælo diebus ministrare Deo, simul & sacrificare, ejusque nomine fausta precari populo ipsius*.

Ex hoc loco sumptum est Capitulum, quod in Officio Ecclesiastico Confessoris Pontificis, ad Nonam legimus: *Fungi sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius* (Græcum enim αὐτοῦ, tam verti potest *ipsius*, scilicet Dei vel populi, quàm *suo*, uti vertit hic Noster) *& offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis*. Si enim tanta fuit *gloria* Aaronis, longè major est gloria Pontificis & sacerdotum novi testamenti, uti docet Apostolus 2. Corinth. 3. Hi enim non carnes taurorum & hircorum, sed ipsum Christum Dei filium immolant, Hebr. 9. quanta ergo deberet eorum esse puritas, sanctitas, reverentia, religio? Candidè, sed verè & nervosè, noster Thomas theodidactus de Imitat. Christi libr. 4. cap. 5. *Quando sacerdos*, inquit, *devotè celebrat, Deum honorat, angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præstat, & sese omnium bonorum participem efficit*. Vide S. Gregor. p. 2. Pastor. cap. 3. & lib. 1. Registri epist. 24. S. Chrysost. libris sex eximiis quos scripsit de Sacerdotio, S. Ambros. de Dignit. sacerdot.

VERS. 20. IPSUM ELEGIT AB OMNI VIVENTE, OFFERRE SACRIFICIUM DEO, INCENSUM (Syrus *thura*) ET BONUM ODOREM IN MEMORIAM PLACARE PRO POPULO SUO] Pro *sacrificium*, græcè est κάρπωσιν, id est, munus, oblatio, sacrificium; ita dictum à καρπὸς, id est fructus, eò quòd victima cedat in fructum, id est, in usum, honorem & possessionem Dei; vel ut alii, quòd victima esset fructus offerentis, utpote ejus labore vel opibus comparata, unde vertunt, *elegit eum ex omni vivente, ad offerendum quod ex fructibus percepissent, Domino Sacrificium* ergo significat victimam carneam, quam Aaron & quilibet sacerdos offerebat ante tabernaculum in altari holocaustorum, quod erat ante Sanctum

ctum sub dio, ut fumus & nidor carnium combustarum evaporaret & spargeretur per aerem. *Incensum* verò significat thymiama, quod offerebatur quotidie manè & vesperè cum jugi sacrificio in altari thymiamatis, quod erat in ipso Sancto, Exodi 30. *Incensum & bonum odorem*, id est, incensum boni odoris, sive thymiama suave olens & odoratum. Est hendiadys. Sensus ergo est, q. d. Deus sua singulari gratia non tam gratum faciente, quàm gratis data, ex tot millibus Hebræorum unum elegit Aaronem in sacerdotem & pontificem, qui vel per se, vel per filios suos sacerdotes, offerret Deo sacrificium carneum in altari holocaustorum, & thymiama suaveolens in altari thymiamatis: idque Primò, in honorem Dei, ut scilicet homines optima, quæ habent, offerrent Deo: alioqui Deus uti carnibus non pascitur, ita nec bonis odoribus in se delectatur, imò nec odoratum aut nares habet, quibus eos odoretur. Secundò, *in memoriam*, ut scilicet memorem quasi faceret Deum populi sui, *& placare*, id est, ad placandum ipsum, ut nimirum Deus iratus reconciliaretur populo, aut non iratus propensior & faventior fieret populo; non quòd victimæ legis veteris id facerent per se & ex opere operato, uti facit sacrificium & Sacramentum legis novæ; sed quòd id præstarent ex opere operantis, putà ex devotione sacerdotum victimas sacrificantium, & laicorum easdem offerentium.

ET DEDIT ILLIS IN PRÆCEPTIS SUIS PO-
Vers. 20. TESTATEM, IN TESTAMENTIS JUDICIORUM DOCERE JACOB TESTIMONIA, ET IN LEGE SUA LUCEM DARE ISRAEL] *Potestatem* intellige non dispensandi (nec enim pontifex poterat dispensare in lege divina) sed, ut sequitur, docendi & explicandi legem Dei, eamque in dubiis interpretandi, & controversias definiendi. Interpretatio enim hæc & definitio jure divino competebat pontifici hoc enim jus ei dedit Deus Deut. 17. 8. *Si difficile*, inquit, *& ambiguum apud te judicium esse perspexeris*, &c. *venies ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis: qui indicabunt tibi judicii veritatem*. Nota. Re idem sunt præcepta, testamenta, judicia, testimonia, lex; licet etymo & connotato differant. præcepta enim dicuntur *testamenta*, id est pacta, quia conditiones sunt pacti inter Deum & homines, uti superiùs dixi. eadem vocantur *judicia*, quia præscribebant id quod justum est: unde secundùm ea judici judicandum erat, justaque ferenda sententia. Dedit ergo Deus Aaroni & successoribus *potestatem* jam dictam in *testamentis judiciorum*, id est, in judiciis, hoc est, in præceptis suis, qui testatus est quid vellet ab eis fieri, quibusque pepigit fœdus cum Israele. Unde potestatem hanc explicans subdit, *docere*, id est ad docendum, *Jacob*, id est Israelitas, *testimonia*, id est mandata Dei, *& in lege sua lucem dare Israel*, id est, legem Dei illustrare & explanare Israeli. Cùm enim lex sit lux, utique qui legem docet, hic lucem dat. Unde Tigur. vertit, *eidem mandata sua* (nam pro ἐν ἐντολαῖς id est, in præceptis, uti legit Noster, Tigur. cum Complut. legit ἐντολάς, id est præcepta, mandata) *tradidit, & secundùm præscripta iura pontificum ut quæ testatus esset edoceret Jacob, & Israeli legem suam illustraret*. Aliter Palacius, Dedit, inquit, Deus pontifici *potestatem in testamentis judiciorum*, id est, ut per testamenta, id est præcepta, populum suum judicaret; ut revera omnes pontifices, usque ad Samuelem populum judicaverunt; tempore verò Samuelis judicium sæculare translatum est ad Saul, ceterosque reges. Nam David & Salomon hæc sæcularia judicabant, ut patet 2. Reg. 12. & 3. Reg. 3. semper verò mansit in pontifice potestas judicandi causas valdè dubias & difficiles, Deuter. 17. 8. ita ipse. Sed hæc alibi examinanda sunt.

Illud verum est, per *testamenta judiciorum* hic propriè accipi mandata non qualibet, sed judicialia & cæremonialia, in quibus sæpè dubium juris in judiciis occurrebat, quod à pontifice erat resolvendum & definiendum. Planè enim alludit ad Deuter. 17. 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter causam & causam, lepram & lepram, & judicium intra portas tuas videris verba variari*, &c. *venies ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem*, putà pontificem. Vide ibi dicta ita Lyran. & Dionys. *In testamentis judiciorum*, inquit, *id est in dispositionibus & pactis judicialium mandatorum dedit eis auctoritatem discernendi, quid esset in quibuscumque etiam arduis casibus sentiendum & observandum: quoniam difficiliores causæ & lites referebantur ad pontificis judicium*. Est hoc quintum Aaronis elogium.

QUIA CONTRA EUM STETERUNT ALIE- Quintum. Vers. 22.
NI, ET PROPTER INVIDIAM CIRCUMDEDERUNT ILLUM HOMINES IN DESERTO,
QUI ERANT CUM DATHAN ET ABIRON, ET Vers. 23.
CONGREGATIO CORE IN IRACUNDIA. VIDIT DOMINUS DEUS, ET NON PLA-
CUIT ILLI, ET CONSUMPTI SUNT IN IM- Vers. 24.
PETU IRACUNDIÆ. FECIT ILLIS MONSTRA, ET CONSUMPSIT ILLOS IN FLAMMA IGNIS] Syrus, *& creavit eis plagam, consumpsitque eos vi furoris sui*. Sextum est hoc Aaronis elo-
gium, quòd scilicet Deus ejus æmulos, ei scilicet Sextum.
sacerdotium invidentes, Core, Dathan & Abiron cælitus sideraverit, & sacro igne concremarit, itaque Aaroni sacerdotium stabilierit, ejusque reverentiam & metum omnibus incusserit. Historia fusè enarratur Num. 16. ubi eam explicui. τὸ *quia* non est in Græco, sed in Latinis passim, ac pendet ab eo quod sequitur, *Vidit Dominus Deus, & non placuit illi*, &c. q. d. Quia contra Aaronem à Deo constitutum pontificem insurrexerunt alieni; hinc Deus id videns eos gravi ultione, scilicet igne, cremavit & occidit. Vocat eos alienos, quia licèt essent Israelitæ, erant tamen alii & alieni à familia Aaronis, cui Deus consignarat sacerdotium. Insuper *alieni*, id est, adversi, hostes & æmuli Aaronis. Denique erant *alieni* à fide, obedientia, humilitate & spiritu suorum avorum, Abrahæ, Isaac & Jacob. *Monstra* vocat portenta insolita & inaudita novæ & prodigiosæ vindictæ, scilicet quòd terra eos vivos dehisceret, socios verò eorum numero 250. flamma divina consumeret. Unde Tigurina *edidit in eos miracula, cùm eos igne flammante suo confecit*; alii, *fecit eis portenta, absumendo eos igne flammante*. Aliter Palacius: Monstra, inquit, fuere dæmonum spectra. Cùm enim terra sese aperuit, dæmones visi fuere, & flamma promicuit, quæ rebelles absumpsit. Sed de his dæmonum spectris nil habet Script. Num. 16.

Huc facit quod scribunt traduntque Rabbini in *Pirke avoth*, alibi, dicentes: Decem prodigia patribus nostris ostensa sunt in domo sanctuarii: Nulla mulier ob odorem sacrificiorum abortiit: nidorem nullum aut maleolentiam efflavit caro holocausti; ne minima quidem musca visa est in loco occisionis hostiarum: in die expiationis nihil pollutionis accidit sacerdoti magno: ignem altaris nulla extinguere valuit quantalibet imbrium copia, sed nec ventus fumantem ignis rectà sursum tendentis columnam suo turbine & impetu dissipavit: nihil defectus notatum est in homer, quæ est hordei mensura, quam secundo die Paschæ sacerdos implere consueverat, neque in duobus panibus, sed nec in panibus propositionis, aut in pane facierum, qui mutabatur in singulas septimanas, & super auream sanctuarii mensam collocabatur. Et cùm Hebræi, qui ad celebrandum Pascha convenerant, stantes à confluentis populi frequentia comprimerentur; nihilominus cùm ad adorationem ventum est, laxè se positos, ac sine ulla irruentis turbæ compressione mirarentur. Serpens autem & scorpius quasi aculei aut veneni expertes nulli nocuerunt in die illa, & nemo proximo suo dixit; Arctor à circumstantibus me in loco in quo habito in Jerusalem. Verùm horum fides sit penes illos, olent enim quid cabalisticum, ne dicam Judaicum & fabulosum.

ET ADDIDIT AARON GLORIAM, ET DE- Vers. 25.
DIT

DIT ILLI HEREDITATEM, ET PRIMITIAS FRUGUM TERRÆ DIVISIT] Tigurin. *Aaronem verò auxit gloria, & fructum ei constituit hereditarium. Attribuit ei primitias primorum fructuum.* Septimum est hoc Aaronis elogium, quòd æmulis ejus confusione perpetua damnatis, Deus Aaroni gloriam accumularit, eamque triplicem. Prima fuit, cùm inter duodecim tribuum sola Aaronis virga per miraculum floruit, fronduit, subitoque amygdala produxit; ut hoc portento Deus ostenderet se illum unum ex omnibus elegisse in pontificem, Numer. 17. Secunda fuit, quòd omnes Levitas ejus ministerio addixerit. *Ego dedi vobis*, inquit, *fratres vestros Levitas de medio filiorum Israel, & tradidi donum Domino, ut serviant in ministeriis tabernaculi ejus.* Num. 18. 6. Tertia fuit, quòd suam hereditatem, putà suas victimas, primitias, oblationes, ei consignavit, unde Syrus, *& posuit super Aaron honorem, deditque illi hereditatem suam primitias sanctitatis.*

Septimum. Triplex gloria Aaronis.

VERS. 26. PANEM IPSIS (scilicet Aaroni & filiis ejus sacerdotibus; ita Roman. minùs rectè aliqui legunt *ipsius*) IN PRIMIS PARAVIT IN SATIETATEM NAM ET SACRIFIGIA DOMI EDENT, QUÆ DEDIT ILLI ET SEMINI EJUS] Per *panem* tum similam & panes inde confectos, qui Deo offerebantur, (unde Syrus vertit, *ordines panum*) tum quemlibet cibum phrasi Hebræa accipe. q. d. Deus copiosè ad satiem & abundantiam providit Aaroni & sacerdotibus de annona, *in primis*, id est, in primitiis primitisque fructibus, dando scilicet ei primitias (qui sunt optimi terræ fructus) totius Israelis. Hunc esse sensum liquet ex Græcis, quæ hæc cum primitiis, de quibus v. præced. ita connectunt: *Primitias primiorum proventuum distribuit ei: in primis* (in primitiis) *panem præparavit in abundantia*; Roman. *panem in primis paravit ad satietatem*, id est, usque ad satietatem, ut pane ad satiem vescerentur: *nam & sacrificia Domini edent, quæ dedit illi & semini ejus*, putà filii & posteris ejus sacerdotibus. Ingens hic erat proventus Aaronis & sacerdotum: nam omnes victimæ Dei) excepto holocausto, quod totum Deo cremabatur) eis cedebant. Cum enim sacrificium esset quasi Dei convivium, in quo Deus cum hominibus dignabatur quasi convivari, ac panes & carnes essent quasi cibus Dei, vinum verò quod libabatur esset quasi potus Dei; Deus qui cibo & potu non indiget, hæc omnia transtulit in sacerdotes, quasi suos domesticos, ac per eos hæc comedebat & bibebat. Sacerdotes ergo erant quasi os Dei, qui cibum & potum vice Dei comederent & biberent, itaque sacrificium Dei consumerent & perficerent.

VERS. 27. CETERUM IN TERRA GENTES NON HEREDITABIT, ET PARS NON EST ILLI IN GENTE: (Syrus, *non divisit divisionem cum eis*) IPSE EST ENIM PARS EJUS, ET HEREDITAS] Tigurina, *ceterùm in terra populi nullam habet possessionem, nec in gente sua portionem adeptus est: nam ipse Dominus hereditaria ejus obventio est.* Octavum est hoc elogium Aaronis & sacerdotum, quòd scilicet Deus in divisione terræ sanctæ per Josue c. 15. facta duodecim tribubus, exceperit tribum Levi sacerdotalem, nolueritque eam habere partem in terra; quia ipsemet volebat ejus esse pars & hereditas, dando ei suas victimas, decimas, oblationes: idque adhoc, ut Levitæ & sacerdotes toti sibi suoque cultui & ministerio vacarent, nec tam in terra quàm in cælo cum Deo & angelis versarentur. Alludit Siracides, imò citat Numer. 18. 20. ubi Dominus Aaroni & posteris ita loquitur: *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hereditas tua.* Ubi Septuag. quos sequitur Siracides, sic habent, *in terra eorum non hereditabis, & pars non erit tibi in illis: quoniam ego pars tua, & hereditas tua.* Dupliciter, inquit Palacius, Deus erat hereditas sacerdotum, & quia dabat illis quæ populus ei offerebat, & quia volebat unicus esse eorum amor.

Octavum.

Audiant hæc sacerdotes & Prælati novæ legis, multoque magis sibi quàm Aaroni & Aaronicis dici putent à Deo: *In terra nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hereditas tua.* Tibi, o sacerdos, Deus est hereditas opima, cælestis & divina; ut quid terrenam, vilem & caducam ambis? ut quid terram cælo, solum soli, aurum Deo præfers? Judaicum te ostendis sacerdotem, non Christianum, imò viliorem & deteriorem: Judaicus enim nil in terra possidebat, tu multa possides, & plura possidere cupis; agros agris, opes opibus, beneficia beneficiis insatiabiliter accumulas, quasi in æternum hic victurus, quasi hic paradisum & beatitudinem habiturus. Ubi est fides tua? ubi est spes tua? ubi cor tuum? ubi anima tua? utique in ære, non in æthere. *O curvæ in terras animæ, & cælestium inanes!* Vide dicta Num. 18. 20.

VERS. 28. PHINEES FILUS ELEAZARI TERTIUS IN GLORIA EST, IMITANDO EUM IN TIMORE DOMINI: ET STARE IN REVERENTIA GENTIS: IN BONITATE ET ALACRITATE ANIMÆ SUÆ PLACUIT DEO PRO ISRAEL] Id est, *placavit Deum pro Israel*, ut habent Græca, ita legendum cum Roman. Minùs rectè ergo Jansenius & alii legunt, *placuit Deo Israel*. Nota Primò. Phinees dicitur tertius, scilicet ab Aarone: q. d. Primus sacerdos & pontifex à Deo institutus fuit Aaron, secundus Eleazarus Aaronis filius, tertius Phinees, filius Eleazari, & Aaronis nepos. ita Lyranum & Dionys. Verùm, quia non dicit, tertius in sacerdotio, sed, *tertius in gloria*; hinc potiùs sensensus est, q. d. In tribu Levi, cui Deus primitias consignavit, pontificatum & ducatum, primus in gloria factorum & portentorum eminens & eximius fuit Moyses, secundus Aaron, tertius Phinees: Præterit enim Eleazarum filium Aaronis & patrem Phinees, quòd de eo nil insigne & eximium narret S. Scriptura. Porrò Arabicus aliter explicat τὸ *tertius*, cùm sic vertit, *& Phinees filius Eleazari, qui in sua gigantitate* (id est, gigantea fortitudine & robore) *accepit tria genera de honore in zelo, quo zelatus est super civitate Israel*; Syrus, *Phinees quoque filius Eleazari, virtute sua assecutus est tres honores zelo, quo commotus est in Madianitidem, & in filium Israel; & quòd steterit in scissione populi sui, & deprecatus est super Israel. Tres honores* vocat triplicem gloriam triplicis virtutis, scilicet Primò, zeli quo occidit Madianitidem; Secundò, constantiæ qua stetit fidelis Deo in apostasia populi; Tertiò, orationis, qua populo veniam à Deo impetravit.

VERS. 29.

Sextum.

Nota Secundò. Pro *in imitando eum*, græcè est, ἐν τῷ ζηλῶσαι αὐτὸν, quod Primò, verti potest, *in imitando eum*, cùm scilicet Phinees imitatus est *eum*, scilicet Aaronem, avum suum in timore Dei, quia scilicet æquè ac Aaron timuit, id est reveritus est, coluit & amavit Deum: Aut *eum*, scilicet Moysen, de quo initio capitis fuit sermo, à quo Phinees fuit tertius in gloria. Zelum enim Moysis æmulatus est Phinees, cùm principem occidit, sicut Moyses cum Levitis Israelitas vitulum aureum adorantes occidit, Exodi 32. 28. ita Palacius. Secundò, verti potest, *in zelando eum*, cùm Phinees zelaretur *in timore Domini*, id est, pro Dei timore, honore & cultu zelosè occideret principem tribus Simeonis cum Madianitide fornicantem & idololatrantem, ita Arabicus & Syrus. Historia fusè narratur Numer. 25. ubi eam explicui. Unde Tigur. vertit, *porro gloria tertius ab his est Phinees Eleazaro natus, eò quòd flagrarit studio religionis*; Vatabl. *eò quòd animosè se gesserit pro religione*. Timor enim Dei significat Dei cultum & religionem. Hinc S. Gregor. Nazianz. orat. 19. Phinees à zelo nuncupatum censet: laudans enim *Phinees zelum*, addit, *A quo etiam nomen obtinet*. Verùm Phinees, vel, ut Hebræi dicunt, Pinchas (Septuag. enim literam *chet*, utpotè gutturalem & durioris pronuntiationis, mollire solent & vertere per e) unde pro Corach vertunt *Core*, pro Tharach *Thare*, pro Pasach *Phase*; sic & pro Pinchas vertunt *Phinees*.) zelum significare nequit, sed os vel aspectum, parcentis vel operientis, confidentis aut protegentis, ex פי *pi*, id est os, vel פנים *panim*, id est facies, & חס *chas*, id est parcere, vel operire, confidere. ita Pagnin. in Nomin. Hebræis.

Fortè Nazianz. alludit ad Hebræorum opinionem, qui censuere Phinees esse eundem cum Elia, ac proinde adhuc vivere. Similis enim fuit utrinsque vita & zelus: Eliæ enim cognomen & epithetum fuit zelotes. Vide dicta Numer. 25.13.

Nota Tertiò, *stare in reverentia gentis*, id est stando, vel, cùm stetit Phinees fidelis & constans *in reverentia*, id est, in pudore, probro & ignominia, qua gens sua, putà Judæi ruebant in amplexus puellarum Madian cum eis fornicando, & colendo Beelphegor sive Priapum, Numer. 25. Legit Interpres per systolen ἐντροπῇ, id est reverentia, pudore; jam per diastolen legunt ἐν τροπῇ, id est *in conversione*, vel defectione & apostasia, cùm scilicet Judæi à Deo apostatarunt coluëruntque Beelphegor. Unde Tigurina vertit, *eò quòd populo desciscenti obstiterit optima animi sui alacritate*; alii, *eo quod steterit in defectione populi*; alii, *quod statuerit se in defectione populi*, scilicet hyperaspisten Dei, aut statuerit se quasi vallum & murum populi, ne totus rueret in scorta & idola: ἔστη enim tam activum est quàm neutrum, tamque statuere quàm stare significat.

Sensus ergo est, q. d. In tribu Levi sacerdotali post Moysen & Aaronem, tertius in gloria factorum illustris est Phinees, quia ipse imitatus est Moysis zelum in timore, id est cultu veri Dei, tuendo & propugnando, dum *in reverentia*, id est in ignominia publica fornicationis & idololatriæ Hebræorum, ipse fortis & alacriter insiluit in reum sceleris, eumque occidit, itaque turbam reliquam à scelere compescuit. quo facto tam heroico mirificè *placuit Deo pro Israel*, græcè ἐξιλάσατο περὶ τοῦ Ἰσραὴλ, id est, ut Complut. & Roman. *placavit* (Deum) *pro Israel*; Tigurina, *expiavit Israel*. Ita enim placuit Deo hic zelus Phinees, ut eum populum idololatrantem perdere volentes placarit & exorarit, ejusque vindictam & plagam stiterit, Num. 25. Quocirca R. Hillel in *Pirke aveth Estote*, inquit, & exhibete vos *tanquam filios & discipulos Aaron, qui pacem omni cura quærebat, eratque hominum amator, quos ad observantiam legis adducebat*. Item: *Qui honorem avidiùs quærit, honoris jacturam facit. Qui quod habet conditionis, non confert ad studium legis, hic tandem misere periturus est. Qui legem negligit, morte dignus est: & qui corona legis abutitur, hic etiam ex tunc succiditur.*

Vers. 30. IDEO STATUIT ILLI TESTAMENTUM PACIS, PRINCIPEM SANCTORUM ET GENTIS SUÆ (Syrus, *propter hoc juravit illi Deus, quod ædificaret illi altare*, in tabernaculo Moysis, & posteris in in templo Salomonis, ut in eo sacrificarent Deo) UT SIT ILLI ET SEMINI EJUS SACERDOTII DIGNITAS IN ÆTERNUM] *Testamentum pacis* vocat pactum pacificum & prosperum, afferens pacem & felicitatem, ut scilicèt Phinees pacificè & prosperè præesset Israelitis, quasi divinus pontifex. Unde statuit eum *principem sanctorum*, ut scilicet quasi princeps præsideret sanctis, tum personis, putà Levitis & sacerdotibus; tum vasis & locis, putà tabernaculo in sancto & Sancto sanctorum; imò statuit ut *sacerdotii*, id est pontificatus, *dignitas* in ejus familia permaneret *in æternum*, tandiu scilicet quamdiu duratura erat lex vetus & judaismus. Esto enim pontificatus post Phinees fuerit translatus ad Heli, qui descendebat ex Ithamar, non ex Eleazar & Phinees, tamen id modico fuit tempore: nam mox à Salomone pontificatus restitutus fuit Sadoc, qui descendebat ex Phinees, ac deinceps in ejus familia semper mansit. Unde Machabæi, qui fuere pontifices, Phinees vocant patrem suum, 1. Machab. 2. 54. *Phinees*, inquit Mathathias, pater Judæ Machabæi & fratrum ejus, *pater noster zelando zelum Dei accepit testamentum sacerdotii æterni*. vide dicta Numer. 23. 13. Porrò Vatabl. clarè vertit, *quapropter Dominus pactum firmavit ei prosperitatis, antistitem fore sacrorum populique sui, & ipsum posteritatemque eius perpetua sacerdotii magnificentia potituros.*

Vers. 31. ET TESTAMENTUM DAVID REGI FILIO JESSÆ DE TRIBU JUDA, HEREDITAS IPSI ET SEMINI EJUS, UT DARET SAPIENTIAM IN COR NOSTRUM JUDICARE GENTEM SUAM IN JUSTITIA, NE ABOLERENTUR BONA IPSORUM, ET GLORIAM IPSORUM IN GENTEM EORUM ÆTERNAM FECIT] τὸ *&* est comparativum, sive nota comparationis & similitudinis cum vers. præced. Ab eo enim pendet hic versus, ejusque est quasi altera pars, & dimidium ei connexum & innexum. Comparat enim & quasi combinat pactum Dei de sacerdotio perpetuando in familia Phinees, cum pacto Dei de regno perpetuando in familia David: unum enim illustrat & nobilitat alterum, æquè ac populum Israel. Israeli enim Deus prospicere voluit de stabili & perpetua successione regum, ut remp. & politica; ac pontificum, ut Ecclesiam & sacra administrarent: in his enim duobus cardinibus versatur, & volvitur felix regimen & administratio populi, & cujuslibet reip. Sensus ergo est, q. d. Sicut Deus dedit Phinees in spiritualibus sacerdotium æternum, sic pariter in civilibus dedit Davidi & posteris ejus regnum æternum, ut ipsi esset velut *hereditas*, id est hereditarium: idque adhoc, ut Phinees & sacerdotes sapientiam docerent Israelitas, David verò & reges gentem justè judicarent: idque hoc fine, ne *bona ipsorum*, scilicet tum Davidis & Phinees, tum populi Israel umquam aboleantur: quare hac ratione *gloriam ipsorum* apud *gentem eorum*, putà apud Israelitas sæculorum omnium *æternam* & perennantem effecit. Unde Syrus clarè vertit, *atque etiam David filius Jesse hereditatem regum* (regiam) *solus hereditavit*, (sic) *& hereditas Aaroni* (putà pontificatus & sacerdotium) *sibi & semini suo* à Deo attributa & appropriata fuit. *Nunc benedicite Deo, qui dedit vobis sapientiam cordis ad iudicandum populum suum in nomine suo, ne in oblivionem veniat bonum* (beatitudo, felicitas) *illorum, & potestas eorum in universas sæculi generationes.*

Porrò in laude Phinees fit mentio Davidis, quia *David*, ait Rabanus, *in distributione ministrorum Domini* (*qua eos in viginti quatuor sortes divisit, ut vicibus suis ministrarent coram Domino*) *non minoravit gloriam Phinees, sed etiam auxit. Unde in Paralipomenon, ubi Corita super opera ministerii, custodes vestibulorum tabernaculi, & familiæ eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum memorantur, ita subiungitur: Phinees autem filius Eleazari erat dux eorum coram Domino: ex hoc Hebræi tradunt, quod idem Phinees adhuc in eo tempore vixerit, & tabernaculo vices ministrantium ordinaverit.*

Verùm in hoc falluntur Hebræi: non enim potuit Phinees vivere usque ad tempora Davidis. Quare ille Phinees jam citatus ex 1. Paralip. 1.9.20. alius fuit ab hoc nostro Phinees: ille enim fuit Levita dumtaxat, hic noster verò fuit Pontifex: ille fuit post captivitatem Babylonicam, hic paulò post Moysen. ita Lyran. in 1. Paral. c. 9.

Græca hic obscura sunt, ac posteriorem partem optativè efferunt hoc modo: *Et testamentum Davidi filio* (unus vetustus codex addit *Jesse*) *ex tribu Juda, hereditas regis filii, ex filio solo: hereditas Aaron & semini eius. Det vobis sapientiam in corde vestro, iudicare populum suum in iustitia: ne aboleantur bona ipsorum: & gloria eorum in generationes*. Ita legunt codices Romæ emendati. obscura hæc ita illustrat explicatque Vatabl. *Porrò quòd Davidi Isai filio de tribu Juda pactum est, fructus hereditarius regis filii e filio unici* (id est nepotis unici, scilicet Christi, inquit Vatabl. *fructus item hereditarius Aaroni, eiusdemque progeniei pactus, corda nostra sapientia imbuat, qua iustè regatur populus ipsius, ne bona ipsius aboleantur, aut sæculis eorum gloria eius.*

CA-

CAPUT QUADRAGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Laudatur Jose usque ad v. 9. inde Caleb usque ad v. 13. inde Judices usque ad v. 16. inde Samuel usque ad finem capitis.

1. Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum;
2. maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hereditatem Israel. 3. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, & jactando contra civitates rhomphæas? 4. Quis ante illum sic restitit? nam hostes ipse Dominus perduxit. 5. An non in iracundia
ejus impeditus est sol, & una dies facta est quasi duo? 6. Invocavit Altissimum potentem
in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus & sanctus Deus in saxis grandinis
virtutis valdè fortis. 7. Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios, 8. ut cognoscant Gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non est facile.
Et secutus est à tergo potentis: 9. & in diebus Moysi misericordiam fecit ipse, & Caleb filius Iephone, stare contra hostem, & prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ. 10. Et ipsi duo constituti, à periculis liberati sunt à numero sexcentorum millium peditum,
inducere illos in hereditatem, in terram quæ manat lac & mel. 11. Et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, & usq; in senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum, & semen
ipsius obtinuit hæreditatem: 12. ut viderent omnes filii Israel, quia bonum est obsequi sancto Deo.
13. Et judices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor: qui non aversi sunt à Domino,
14. ut sit memoria illorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo, 15. & nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria. 16. Dilectus
à Domino Deo suo Samuel propheta Domini renovavit imperium, & unxit principes in gente sua,
17. In lege Domini congregationem judicavit, & vidit Deus Jacob, & in fide sua probatus est propheta. 18. Et cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis: 19. & invocavit Dominum
omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes undique, in oblatione agni inviolati. 20. Et
intonuit de cælo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam, 21. & contrivit principes
Tyriorum, & omnes duces Philisthiim: 22. & ante tempus finis vitæ suæ & sæculi, testimonium præbuit in conspectu Domini, & Christi, pecunias & usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, &
non accusavit illum homo. 23. Et post hoc dormivit, & notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ
suæ, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis,

Encomium Josue.

VERS. 1. VERS. 2. FORTIS IN BELLO JESUS NAVE, SUCCESSOR MOYSI IN PROPHETIS, QUI FUIT MAGNUS SECUNDUM NOMEN SUUM, MAXIMUS IN SALUTEM ELECTORUM DEI, EXPUGNARE INSURGENTES HOSTES, UT CONSEQUERETUR HEREDITATEM ISRAEL] Græca de more concisa sic habent, *fortis in bellis Jesus Nave, & successor Moysi in prophetis: qui fuit magnus secundùm nomen suum in salutem electorum eius expugnare hostes, ut hereditares Israel*; Tigurina, *fortis bello Jesus Nave filius, Moysi successit in munus propheticum hic electis Dei servandis magnum sibi nomen peperit, dum consurgentes hostes ulciscitur, & Israelitas inducit in possessionem*; Arabicus verò, *Iesus*, inquit, *filius Nun servatus est, ut fieret successio de Moyse maximo* (ut post Moysen maximum succederet in regimen populi) *& ut faceret Deus excelsus per manus illius liberationem, & salutem dilectis suis*; Syrus, *vir fortis Iesus filius Nun, in prophetiam servatus est, ut esset velut Moyses magnus, & ad præferendam illius manu salutem amicis suis, & ad vindicandum vivos hostiles*. Syriacè ad verbum est, *filius fortitudinis* vel *virtutis Iesus*, hac fortitudine vel virtute pollens & præditus.

Pro *fortis* græcè est κραταιὸς, id est, validus, potens, robustus, victor: sicut κρατεῖν est vincere, occupare, domare. Causa fortitudinis Josue primaria fuit, promissio Dei, qua eum semel, iterum & tertiò corroboravit, dicens: *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te. Confortare & esto robustus; tu enim sorte divides populo huic terram, pro qua iuravi patribus suis*. Josue 1. Huc facit quod narrat Aristæas in Histor. 72. Interpretum (è quibus unum fuisse Siracidem Jansenius & alii opinantur) Ptolemæum Philadelphum cuique suam quæstionem politicam proposuisse, ac ei qui ordine quintus erat, hanc, *Ut in rebus bellicis rex invictus existat?* eumque respondisse: *Si non armis, si non potentia sua fidat, sed Deum semper imploret, ut iuste agendi sibi consilia dirigat.*

Iesus idem est qui Iosue: hebr. enim & latinè vocatur *Iosue filius Nun*: à Septuag. verò & Græcis vocatur *Iesus filius Nave*. Vide quæ de hoc nomine dixi Numer. 13. 17. Hic ergo laudatur Primò, ab invicta fortitudine, qua vivente adhuc Moyse devicit Amalecitas, Og regem Basan, & Sehon regem Amorrhæorum; Moyse verò defuncto omnes reges Chanaan superavit & occidit, totamque Chananæam subjugavit, ut patet ex toto libro Iosue. *Iosue laud. Primò.* Secundò laudatur, quòd fuerit successor Moysi in regimine populi, æquè ac in spiritu prophetico. *Secundò.* Unde fuit *in Prophetis*, id est unus è Prophetis, vel inter Prophetas, græcè, *in prophetiis*. q. d. Iosue non tantùm tamquam dux, sed & tamquam Propheta successit Moysi pariter Prophetæ, ut regeret populum non tam humana prudentia, quàm divina: nam in dubiis rebusque omnibus consulebat Dominum, quid facto esset opus; itaque à Deo per omnia dirigebatur, ut suaviter & fortiter regeret populum, eumque victorem Chananæorum efficeret. Unde Numer. 27. 18. Moyses moriturus imponens Iosue manus, eum jussu Dei auctoravit, & quasi consecravit suum successorem ducemque populi: addiditque. *Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum*. Sed & ipse Iosue sæpius cum Deo collocutus, ab eodem instructus & directus fuit, ut patet Josue c. 1. 2. & seq.

Hinc & nonnulli veterum tradunt, Josue fuisse cælibem & virginem: tales enim fuere plerique Prophetæ. *Iosue fuit virgo.* Fuisse Josue cælibem colligitur ex eo quòd Scriptura nullam uxoris vel filiorum ejus faciat mentionem, uti de conjugatis in veteri Testamento facere solet. Unde S. Ignatius epistola ad Philadelphenses, virginibus proponit imitandum Josue, quasi qui primus inter filios Abrahæ vexillum virginitatis erexerit, licèt enim Melchisedec id fecerit ante Josue; tamen is non erat ex stirpe Abrahæ. S. Ignatium sequitur S. Hieron. lib. 1. Contra Iovin. ubi postquam multis probavit Iosue fuisse virginem, ita concludit: *Moyses moriens plangitur à filiis Israel, Iesus autem quasi victurus non plangitur; nuptiæ enim finiuntur in morte, virginitas post mortem*

incipit coronari; Denique S. Chrysost. sermone de Martyribus: *Ab origine mundi*, inquit, *innocens Abel occiditur, Henoch Deo vero placens transfertur, justus Noe invenitur, Abraham fidelis probatur, Moyses mansuetus dignoscitur; Jesus castus, David lenis, Elias acceptus, Daniel sanctus, tres pueri victores redduntur*. Fuit ergo Josue cælebs & virgo, typus divinæ virginitatis Christi Domini.

Tertiò, Josue fuit *magnus secundùm nomen suum*, quia Josue & Jesus, idem est quod salvator, scilicet populi Israel, dum eum contra tot hostes tutatus, salvum deduxit in possessionem Chananææ, quod opus sanè magnum & eximium fuit: tam ergo nomine, quàm reipsa magnus fuit Josue, ac expressus typus Jesu Christi. De quo proinde pariter angelus ait B. Virgini: *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum: hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum*, Luc. 1. 31. & 32. Unde explicans subdit: *Maximus in salutem electorum Dei*. q. d. Josue quoad nomen fuit magnus, quia vocatus Jesus, id est salvator; sed longè major fuit quoad rem nomine significatam. fuit enim maximus in præstanda salute electis Dei, putà Israelitis, qui erant B populus à Deo in Ecclesiam & regnum electus: *expugnare*, id est expugnando, *insurgentes hostes* Chananæos, *ut consequeretur hereditatem Israel*, id est ut Israel, non Josue, consequeretur hereditatem Chananææ patribus promissæ: græcè enim est ὅπως κατακληρονομήσῃ τὸν Ἰσραήλ, id est *ut hereditare faceret Israelem*, vel *ut in hereditatem* (terræ promissæ) *induceret Israelem*.

Nec enim Josue hæres fuit Israelis, ut ipse possideret totum populum totamque Chananæam, cùm ipse exiguam tantùm ejus partem, scilicet Thamnatsare, post factam terræ inter tribus divisionem, sibi selegerit & possederit. Qua in re mira elucet Josue continentia, æquè ac liberalitas. Poterat enim ipse quasi dux populi, & victor Chananææ, meliorem ejus partem sibi vendicare; sed totam illam cessit suis popularibus; modicam verò ejus portionem, eamque montosam & asperam, sibi selegit. Quod admiratam esse S. Paulam, cùm locum hunc viseret, refert S. Hieron. in ejus Epitaphio.

Pro *expugnare* græcè est ἐκδικῆσαι, id est, *ulcisci*, C *vindicare*, nimirum expugnando & occidendo Chananæos hostes Israelis. Qua in re typus fuit Jesu Christi, qui spiritales hominum hostes, putà dæmones, peccata, mortem & infernum, expugnavit, itaque eis salutem non corporalem & temporalem, uti Hebræis fecit Josue, sed spiritualem & æternam tum laborando, tum patiendo & moriendo peperit. Unde S. Hieron. epist. ad Paulinum de omnibus divinæ historiæ libris: *Jesus Nave*, inquit, *typum Domini non solum gestis, verum etiam nomine præfert. transit Jordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, & per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes atque confinia, Ecclesiæ cælestisque Jerusalem spiritualia regna describit*. Et S. August. lib 16. Contra Faustum cap. 20. *Verus*, inquit, *Israelita recordatur in figura illum mortuum Jesum, qui introduxit in terram morientium, & agnoscat in veritate vivum Jesum, quo duce intret in terram viventium*. Rursum S. Hieron. epist. ad Paulam de obitu Blesillæ, ait in Script. mortem Moysis plangi, non verò Josue; quia Moyses typus fuit legis veteris, in qua omnes descendebant ad inferos: *In Jesu verò*, inquit, *id est in Evangelio, per quem paradisus est apertus; mortem gaudia sequuntur*.

Mors Moysis plangitur, non Josue: cur?

VERS. 3. QUAM GLORIAM ADEPTUS EST IN TOLLENDO MANUS SUAS, ET JACTANDO (græcè ἐκτεῖναι, id est, extendendo) CONTRA CIVITATES ROMPHÆAS!] id est gladios, vel etiam tela & jacula oblonga instar hastæ: hæc enim vocantur quoque rhomphææ, & propriè jaciuntur, uti vertit Noster; quamquam *jactare rhomphæas* idem esse possit, quod vibrare gladios: qui enim gladium vibrat, eum circumquaque agitat & jactat. Unde Tigurina, *quantam est adeptus gloriam quoties manus suas extulit, & gladium suum vibravit in civitates!* Rhomphæa enim tam gladium quàm jaculum significat. Unde rhomphæa per metathesin literarum, idem est quod framea. Rursum Gellius lib. 10. cap. 29. rhomphæas tam inter tela, quàm inter gladios annumerat. *Rhomphæa*, ait, *genus teli est Thracæ nationis, positumque* A *hoc vocabulum in Q. Ennii Annalium 14.* Syrus, *quàm pulchrum illi cùm tolleret hastam quam manu tenebat, eamque converteret contra civitates!* Alludit ad primam Josue expeditionem & expugnationem urbis Hai, in qua Josue cap. 8. dicitur: *Josue verò non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai*. Igitur *jactare* Josue *rhomphæam* propriè fuit extendere & agitare hastam cum clypeo, vel clypeum ad hastam appensum contra urbem Hai: Hebræa enim vox כידון *Kidon*, quam Noster, Symmachus & Josephus vertunt, *clypeum*; Chaldæus & ejus secuti recentiores vertunt, *lanceam*, aut telum, aut hastam, aut vexillum. Verisimile enim est Josue clypeum per hastam in altum sustulisse, ut ab insidiis quas juxta urbem posuerat, conspici posset. Hoc enim signum eis dederat Josue, quo admonerentur urbem invadere, cùm ipse jam simulando fugam hostem ex urbe eliciuisset, uti docet ibidem Abulens. & Theodor. qu. 10.

Portò hæc elevatio hastæ & clypei symbolum erat præsentis virtutis & ultionis divinæ, sicut & elevatio manuum Moysis contra Amalec, Exodi 17. Hinc hastam B cum clypeo eo usque in altum sustulit Josue, quousque omnes Haienses ab Hebræis cæderentur, Josue 8. v. 26.

Allegor. Josue repræsentabat hic Christum crucifixum: protendit enim manus efficaces versus Hai, id est versus orbem istum satanæ tyrannide vastatum: Hai enim vastitatem significat: neque eas retrahit tamquam cruci affixus, donec consummata de peccato, dæmone, morte & inferno sit victoria.

Rhomphæa Josue typus crucis Christi.

QUIS ANTE ILLUM SIC RESTITIT? NAM HOSTES IPSE DOMINUS PERDUXIT] Malè nonnulli legunt *percussit*. Sensus est, q. d. Moses ceterique Patriarchæ, hostes Israelis magis fuga declinarunt, quàm pugna oppugnarunt. Primus fuit Josue, qui contra hostes Israelis stetit intrepidus, pedemque cum iis contulit, eosque prostravit: nam ipse Dominus hostes perduxit in manus Josue, illosque ei tradidit, Josue 10. VERS. 4.

Græca hic variant: nonnulli enim legunt, ut Noster, πολεμίους, id est *hostes*; alii legunt, πολέμους, id est *bella*. Rursum pro κύριος legunt κυρίου, id est *Domini*. Unde vertunt, *nam prælia Domini ipse adduxit*, id est direxit, & C ductor eorum fuit, ita Tigurina, *quis ante eum talis extitit: quippe qui gesserit bella Domini?* Græca tamen Romæ correcta Nostro consentiunt: sic enim habent, *quis ante illum sic stetit? nam hostes ipse Dominus perduxit*, alii, *quis ante illum sic pugnavit?* (Stare enim est verbum castrense, unde stare in acie est pugnare) *Hostes enim Dominus ipse afflixit*; Syrus, *quis potens ad standum coram eo: Nam bellum Domini ipse fecit*.

AN NON IN IRACUNDIA EJUS IMPEDITUS EST SOL, ET UNA DIES FACTA EST QUASI DUO?] Legit ὡς δύο, id est *quasi duo*; alii legunt, πρὸς δύο, id est *ad duos*, eodem sensu unde vertunt, *& una dies excrevit ad duas*. Pro *in iracundia* legit ἐν ὀργῇ, iam legunt ἐν χειρὶ, id est, *in manu eius*, id est, opera & imperio Josue. *In iracundia*, id est, ex zelo & ira contra hostes Dei, ut scilicet impios Chananæos deleret, impellente eum ad hoc spiritu, ut patet Primò, ex eventu: reipsa enim stetit sol, *obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel*, Josue 10. 14. non obedivisset autem Dominus voci Josue, nisi eam probasset & inspirasset. Secundò, quia Siracides hic laudat Josue quòd stiterit solem: ergo D fecit hoc Josue ex prudentia & virtute. Tertiò, quia Deus regebat Josue, uti rexerat Moysen, uti ei promiserat Josue 1. 5. Quare temerarius fuit, qui dixit Josue imprudenter & temerario ausu imperasse Soli, ut consisteret. VERS. 5.

Pro impeditus est sol, græcè est ἀνεπόδισεν ὁ ἥλιος, quod Complut. & alii passim vertunt, *retrocessit sol*: ἀναποδίζειν enim ad verbum est referre pedem, retrorsum ire, remetiri gressum. Verùm quia Josue cap. 10. 13. dicitur sol stetisse, non verò retrogressus; hinc meliùs Noster vertit *impeditus est sol*, scilicet à suo cursu & progressu, sistitque suum iter: hoc enim quoque significat τὸ ἀναποδίζειν. Unde Tigurina vertit, *nonne sol restitit huius opera, & dies unus excrevit ad duos?* Syrus, *in manu eius stetit sol, & fuit dies una duo dies*. Cùm enim Josue pugnaret pro Gabaonitis contra quinque reges, ac parta victoria cuperet eos planè delere, veritus ne dies

deficeret

deficeret, & hostes per tenebras noctis fuga elaberentur, jussit stare solem, dareque lucem ad hostes persequendos & internecione delendos. Quocirca magna in Deum fiducia (Deo utique interiùs eum ad hoc audendum animante, imò incitante, & felicem imperii eventum, adeoque miraculum promittente) dixit coram toto populo: *Sol contra Gabaon ne movearis, & luna contra vallem Ajalon: steteruntque sol & luna donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro justorum? Stetit itaque sol in medio cæli, & non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel*, Josue 10. 12. Hoc utique Josue portentum est à sæculis inauditum, æquè ac ejus fiducia & pietas in Deum, ob quam Deus obediens voci ipsius stitit solem cælosque omnes, ac pro eo pugnans delevit hostes.

Nota & pondera τὸ *obediente Deo voci hominis*, indeque æstima quanti apud Deum meriti fuerit Josue. *Intellige*, ait S. Chrysost. homil. 27. in epist. ad Hebr. *quantus est justus. Dixit Jesus Nave: Stet sol circa Gabaon, & factum est. Veniat igitur omnis mundus, magis autem duo, aut tres, aut decem, & viginti mundi dicant, & faciant hoc; sed non poterunt. Amicus verò Dei creaturis amicis sui imperabat; magis autem amicum suum postulavit, & obedierunt servi: & ille qui deorsum erat superioribus imperabat.*

B In hac historia Nota Primò. Pro *Sol non movearis*, Hebr. est, *sol tace*. Unde R. Salomon ait, solem quotidie suaves modulari hymnos in laudem Dei, sed tunc ab ius jussu Josue siluisse. Rabbinus hic sequi videtur Platonicos, qui in orbibus cælestibus Sirenes constituunt suaviter canentes. Sed hæc sunt deliria: constat enim cælos anima, ac consequenter voce cantuque destitui. *Sile* ergo, id est, quiesce, siste, ne movearis, ut vertit Noster. Est catachresis frequens Hebræis.

[Sub Josue cũ sole steterunt omnes cæli.] Secundò, verius est cum sole stetisse & lunam, omnesque orbes cælestes: alioqui enim majus fuisset novumque miraculum, quòd sole stante, cæli & stellæ ceteræ moverentur, magnaque fuisset in cælis & terra, eaque continua rerum perturbatio, uti fusè ostendit Abulensis Josue 10. Quare tunc non fuit tempus, quod est mensura motus primi mobilis: hic enim motus tunc cessabat: fuit tamen tempus, id est, duratio quæ existentiam rei cujusque comitatur, cujus mensura erat duratio cæli & **C** primi mobilis.

Tertiò, Lyranus, Vatablus, Serrarius, Salianus & alii censent solem fuisse in meridie, cùm eum stitit Josue: prævidens enim non satis fore temporis post meridiem ad consummandam victoriam, in meridie solem stitit. Favent verba Josue citata, quæ ajunt solem stetisse in medio cæli. Sed ista non convincunt. Nam Hebræi τὸ *in medio* sæpè sumunt more vulgi, non geometricè, ut in medio cæli idem sit quod in ipso cælo vel hemisphærio nostro. Sic Christus sepultus dicitur *in corde terræ*, id id, in ipsa terra: non enim fuit sepultus in ejus corde, id est, in medio, Matth. 12. 40. Unde alii non minùs probabiliter censent, solem tunc fuisse vicinum occasui. Ideò enim jussit eum stare Josue, quia jam occidebat, & hostis per tenebras noctis evasisset: in meridie enim non erat causa eum sistendi, cùm adhuc dies futura esset per sex vel septem horas, quibus hostes persequi poterat. ita Abulens. Dionys. Hugo, Magalianus & alii, idque significatur Josue 10. cùm dicitur: *Non festinavit sol occumbere*: q. d. Sol erat jam vicinus occa- **D** sui, ad eumque festinabat; sed ad verbum Josue stetit, non occubuit.

Quæres, quantus fuit hic dies, & quot horæ ei sunt additæ?

[Quot horarum dies Josue? Resp. 1.] Præsuppono in Judæa diem longissimum, qualis est in solstitio æstivo (sub quod hæc pugna contigisse videtur) non esse 18. ut aliqui volunt, sed 14. duntaxat horarum.

Jam Chaldæus Paraphrastes asserit hunc diem fuisse 36. horarum: quare cùm dies artificialis esset duodecim horarum, Deus stare facit solem per 24. horas, quæ additæ duodecim jam dictis faciunt 36. ita S. Dionys. Pro eadem sententia citatur S. Justinus Dialog. contra Tryphonem, quasi senserit diem illum fuisse 36. horarum, ita ut præter 12. horas naturales additæ ei fuerint 24. horæ supernaturales: dicitur enim Josue cap.

A 10. sol stetisse *spatio unius diei*. quod ipse de die naturali 24. horarum accipit. Verùm potiùs id accipiendum videtur de die artificiali: hæc enim sola lucem præbuit; idque innuit Siracides hic, dicens: *Et una dies facta est quasi duo*; q. d. Dies, quæ solet esse 12. vel, in solstitio æstivo, 14. horarum, facta est 24. vel 28. horarum; stetit ergo sol per 12. vel, ut summum, per 14. horas: hæ enim abunde sufficiebant ad consummandam victoriam. Ita noster Cosmus Magalianus in Josue 10. censet diem hunc in solstitio fuisse 14. horarum, iisque sole jam accedente ad occasum elapsis, Deum jussu Josue stitisse solem totidem horis, scilicet 14. ut universim hic dies fuerit 28. horarum: fuit enim duplicatus, ut ait hic Siracides. Diem verò, quo jussu Isaiæ ad preces Ezechiæ retrogressus est sol, censet fuisse 32. horarum. *[Secundò genuinè.]*

[Allegor.] Allegor. Theodor. in Josue 10. qu. 13. Sicut sol, inquit, pugnante Josue stetit, ita dum Christus in cruce morticos morte sua mortem dissolveret, sol in meridie continuit radios suos, & tenebris opplevit terram.

[Tropolog.] Tropolog. S. Cyrillus in Collectaneis: Gabaon, inquit, est mens sublimis: vallis est caro morte humiliata: sol est oratio mentem illuminans: luna est lex naturalis carni persuadens, ut animæ subjiciatur: luna enim est symbolum naturæ propter mutabilitatem. Quisquis ergo per piam vitæ institutionem acie confligit contra inimicos spiritales, fit Jesus Nave, & precatur ut sibi stet sol in Gabaon, id est, ut oratio mentem illuminet & exaltet; luna autem in valle, id est, permaneat & corroboretur ei lex naturalis, carnis vitia edomans & mortificans. Et Rabanus hic: Jesus, inquit, facit ne umquam sol justitiæ fidelibus suis occumbat, sed semper oriatur, & credentium corda lumine veritatis perfundat.

Porrò Josue hic se peritum belli ducem ostendit: imperat enim, ut sol stet contra Gabaon, itaque illi sit adversus & noxius, sibi verò secundus & commodus. Ordinaturus enim aciem tria ante omnia prospicere debet, nimirum solem, ventum & pulverem: solem, ut eum habeat à tergo, non à fronte; nam sol à fronte in pugna eripit visum: ventum, ut sit secundus; nam si sit contrarius, tela flectit ac deprimit, hostium verò tela adjuvat & promovet pulverem, quia si is à fronte congeratur, oculos implebit & claudet. *[Tria in acie providenda, sol, ventus, pulvis.]*

Porrò quod dicitur Josue 10. 14. *Non fuit antea, nec postea tam longa dies*, intellige usque ad tempus illud: quo hæc scripsit vel Josue, vel potiùs Samuel, aut quis alius. Nam post Samuelem Isajas c. 38. 10. retroegit solem ad decem lineas. Unde S. Dionys. epist. ad Polycarpum, censet illum diem fuisse 32. horarum; cùm hic Josuanus fuerit tantùm 24. vel 28. horarum: quamquam alii valdè probabiliter censeant, illum Isajæ diem 15. duntaxat fuisse horarum, uti dixi Isajæ 38.

Rursum 1. Paralip. 4. 22. nominatur filius Sela, *qui stare fecit solem, virique mendacii, & securus, & incendens*. Ubi Rabanus & Glossa censent hunc filium Sela reverâ stitisse solem; quasi Deus per eum ob peccata enormia illius ævi mutarit cursum Solis, ut homines ad peccatorum agnitionem & pœnitentiam induceret. Porrò hunc filium fuisse Elimelech, socerum Ruth cap. 1. censent Hebræi. Verùm τὸ *qui stare fecit solem*, uti & nomina quæ sequuntur, est nomen proprium filii Sela, qui Hebraicè vocatur *Joakim*, id est, *qui stare fecit*; Noster addidit, *solem*. Sic pro *viri mendacii*. Hebr. est *Cozeba*, quod Noster vertit *mendacii*: pro *securus* Hebr. est *Joas*: pro *incendens* Hebr. est *Saraph*. Sunt igitur hæc nomina propria filiorum Sela, quæ Latinus interpres Latinè reddidit, juxta eorum etyma: qua de causa id fecerit, incertum est. Quare pariter incertum est, an hic Joakim reverâ stiterit solem. Noster Magalianus in Josue c. 10. v. 12. annot. 7. ubi multa hac de re congessit, censet eum dici Joakim, id est, statorem Solis, quòd suis precibus instar Eliæ tantam siccitatem & sterilitatem orbi ob peccata sui ævi induxerit, ut sol stare terramque urere videretur.

[Stitit solem Abbas Mutius.] Denique nonnulli alii eximii Sancti simili modo solem stitisse memorantur. Ita S. Abbas Mutius proficiscens ad visitandum ægrum, solem occumbentem stitit. Audi Ruffinum libr. 2. Vitar. SS. Patr. cap. 9. *Cùm videret jam solem demergi, ait ad eum. In nomine Domini nostri Jesu Christi sta paulisper in itinere tuo, & expecta me, donec*

ut ad vicum perveniam. At ille cùm aliqua iam mergi cœpisset ex parte, restitit, nec priùs occubuit quàm homo Dei perveniret ad vicum: stantes autem & intuentes moras Solis in occasum mirabantur omnes. quibus ipse: Non meministis vocem Domini: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, maiora horum signa facietis? Eodem modo similique de causa solem stitisse dicitur Abbas Bessarion lib. 6. Vitar. SS. Patr. c. 2. ubi & alius senex idem fecisse narratur.

& Bessarion.

Idem factū sub Carolo Magno & sub Carolo V.

Rursum stetisse solem sub Carolo Magno ad ulciscendos Dei hostes, nimirum Saracenos, qui Rolandum Comitem aliosque Caroli principes occiderant in clade Roncevallensi. ac pari modo stetisse solem sub Carolo V. Imp. cùm is Saxonem superavit & cœpit, docent Lud. Avila lib. 2. Belli Germanici, Consaluus de Illescas parte 2. Histor. Pontif. & alii, quos citat & sequitur noster Christoph. Schreiner lib. de Refractionibus cælestibus cap. 31. in fine: quin & Turpinus Archiepiscopus Rhemensis, Carolo magno coævus & familiaris, de illo idem testatur c. 26. Vitæ ejusdem. Sed Turpinus hic de fide suspectus est, imò fabulosus, ut notant Baron. Bellarmin. Possevinus de Scriptor. Eccles. & alii.

& sub Godefrido Bullonio.

Godefridus Bullonius Hierosolymam expugnavit anno Domini 1099. feria sexta, eadem scilicet die & hora, qua ibidem crucifixus est Christus, atque eadem illa die sol aliquot gradibus retrocessit, ait Eutherius histor. c. 21. & ex eo Genebrardus lib. 4. Chronolog.

& in expugnatione Orani.

Pari modo solem stetisse, ac ad quatuor horas cursum suum continuisse eo die, quo Hispani sæculo præcedenti pugnarunt cum Mauris apud Oranum, illudque occuparunt auctore & quasi duce Francisco Ximenio Cardinali, viro prudentia, doctrina (unde idem curavit edi Biblia Complutensia Hebraicè, Græcè & Latinè) sanctitate & rebus gestis eximio, testatur Alvarus Gomecius libr. 4. de Gestis ejus, additque eo miraculo Mauros nonnullos ad Christum conversos, atque idem miraculum accidisse Carolo V. contra Saxonem pugnanti.

Nota in his omnibus casibus non videri verè stetisse solem: hoc enim notassent astronomi totius orbis. Nec tanto miraculo opus erat: poterat enim alio adminiculo tale iter vel pugna peragi, nimirum poterat Deus producere lucem, quæ eis præluceret, uti fecit filiis Israel Exodi 10. 23.

Dices, Abbas Mutius & Bessarion dicuntur vidisse non tantùm lucem, sed & solem ipsorum; ergo restitit sol. Resp. Negando consequentiam. Ad antecedens dico ipsos vidisse solem per radios non directos, sed in nube reflexos: Deus enim adduxit nubem densam, fecitque ut sol post occasum in eam radios vibraret, qui à nube reflexi in terram, solem ipsum aspicientibus apparere faciebant, terramque illuminabant; sicut in speculo quis videt seipsum per species suiipsius à speculo in oculum intuentis reflexas. Et si quis nummum ponat in vase, ab eoque discedat ut nummum non videat, si vas impleat aqua, ilico nummum videbit per species nummi ab aqua ad oculum reflexas. Sic manè sæpè sol necdum ortus cernitur, per radios sui à nube opposita ad oculum reflexos. Sic Hollandi hisce annis in nova Zembla, quæ polo subjacet, ubi per hiemem una continua est nox per plures dies viderunt solem, antequam ipse ortus esset in illo horizonte; quia scilicet sol gyrabat sub horizonte, suosque radios in nubes opacas, quæ supra horizontem erant, vibrabat; nubes verò illos reverberantes ad oculos intuentium, per eos solem repræsentabant. Sic multa videntur per radios refractos, quæ per directos videre esset impossibile. Adde, subinde videri non solem; sed parelium, idque per radios directos: sol enim nubem oppositam illustrans & penetrans, subinde sui formam in ea planè perfecteque exprimit, ut videatur esse ipsissimus sol, cùm tantùm sit imago Solis, quæ vocatur parelius. Sic subinde simul apparent duo, imò tres soles; sed unus est verus sol, ceteri sunt parelii, id est figuræ & similitudines Solis.

Sol visus non in se, sed per radios reflexos.

VERS. 6. INVOCAVIT ALTISSIMUM POTENTEM IN OPPUGNANDO INIMICOS UNDIQUE (cùm scilicet Josue & Hebræi undique cingerent & oppugnarent Chananæos, ac vice versa cùm vicissim Chananæi conspirantes undique oppugnarent Josue & Hebræos:) ET AUDIVIT ILLUM MAGNUS ET

A SANCTUS DEUS, IN SAXIS GRANDINIS VIRTUTIS VALDE FORTIS] q.d. Josue in arctis constitutus, & undique à Chananæis oppugnatus, non confisus est suis armis, sed opi Altissimi: quare eam fidenter & ardenter imploravit: quocirca Deus potens & sanctus pugnans pro Josue & populo fideli; eum exaudiens cælitus in Chananæos vibravit lapides grandinis, quibus eos contrivit. Erat enim grando *virtutis valdè fortis*, Græcè δυνάμεως κραταιᾶς, id est, potentiæ & efficaciæ validæ. q.d. Grando hæc tam potens, fortis & efficax erat, ut homines & jumenta sterneret & occideret. Unde Tigurina, *cùm hostes eum undique premerent, invocavit dominatorem Altissimum; & magnus Dominus eum audivit eum vehementi violentaque grandine lapidando;* alii è contrario vertunt, *invocavit supremum rerum potentem, cùm premeret hostes undique.* Sic enim vertas quoque τῷ ἐν τῷ θλίβειν αὐτὸν ἐχθροὺς κυκλόθεν. hoc enim ambiguum est, tamque significat quòd Josue presserit Chananæos undique, quàm quòd Chananæi presserint ipsum Josue: Josue enim jussu Dei oppugnans Chananæos omnes per circuitum, valido egebat Dei præsidio ad illos expugnan-

B dos: quocirca prudenter illud invocavit. Vicissim Chananæi omnes videntes sibi parari excidium, conspirantes contra Josue & Hebræos, eos undique impetebant.

Historia grandinis enarratur Josue 10. 11. Cùm enim Josue pro Gabaonitis pugnaret contra quinque reges, *conturbavit eos Dominus*, inquit, *à facie Israel, contrivitque plaga magna in Gabaon*, &c. *misit super eos lapides magnos de cælo usque Azeca, & mortui sunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filii Israel.* Reliquos verò fugientes persecutus Josue jussit stare solem, donec omnes interimeret. Addit Josephus libr. 5. Antiqu. cap. 2. non solùm lapidosa & inusitata grandine, verùm etiam tonitruis & fulminibus terribilem fuisse illam tempestatem, æquè ac fuerat illa Ægyptiaca, quæ perdidit Pharaonem Ægyptios, Exodi 9. 23. & cap. 14. vers. 24. & 25. unde Syrus addit: *Exaudivit illum in saxis grandinis, & sulphur de cælo demisit, & impetu dejecit super gentem hostilem*, uti fecit Sodomæ, Genes. 19. Similia cælitus præsidia immisit Deus legioni Christianorum Fulminatrici sub M. Aurelio Imper. teste Eusebio libr. 5. Histor. cap. 5. ac postea Theodosio Imper. contra Eu-

C genium tyrannum decertanti. de quo Claudianus in ejus Panegyrico:

O nimiùm dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Sanctitas in Deo quid?

Nota hic duplex epithetum Dei, *magnus & sanctus* (licèt τὸ *sanctus* jam non sit in Græco.) Dicitur enim Deus *magnus* non tantùm quoad quantitatem, quia immensus per totum universum, imò supra cælos per spatia imaginaria in infinitum sese extendit, sed quoad quamlibet perfectionem: magnum ergo est, id est, infinitus in majestate, essentia, sapientia, robore, justitia, omnique virtute. *Sanctus* dicitur, cujus affectus & mores exactè congruunt legi æternæ, hoc in nobis fit accidentaliter, Deo autem idipsum est essentiale: quare per essentiam ipse est sanctus, adeoque essentia ejus est ipsa sanctitas, quatenus essentia rationem voluntatis obtinet, quæ simili modo essentialiter congruit cum lege æterna, quæ est in mente Dei. In Deo enim una eademque simplicissima res sunt mens, voluntas, essentia. Si ergo mens Dei essentialiter est, est & ejus voluntas ac essentia. Rursus cùm lex æter-

Deus essentialiter est sanctus: cur?

D na oriatur ex ratione divinæ essentiæ (quæ sicut est origo primordialis omnis perfectionis entitativæ, ita etiam omnis perfectionis moralis, & omnis rectitudinis affectus & moris) fit ut perfectio & sanctitas consistat etiam in conjunctione cum Deo per affectum. Unde amor Dei est sanctitas. Quare cùm Deus sibi ipse maximè sit conjunctus, tum per naturam suam, tum per affectum amoris, ipse maximè sanctus est. Denique ratio sanctitatis, ut à nobis concipi potest, consistit in puritate animi aliena ab omni contagione & labe peccati, ut docet Dionys. cap. 12. de Divinis nominib. *Sanctitas est*, inquit, *ut more nostro loquar, ab omni scelere libera, & omnino perfecta, & omnino ex parte immaculata puritas.* Talis autem puritas maximè convenit Deo. Hinc Deus dicitur *sanctus in omnibus operibus suis*: quia omnes ejus affectus, & omnes ejus operationes exactissimæ legis æternæ rectitudini conformantur. Voluntas enim ipsius per se, suamque essentiam legi æternæ

ex

ex æquo respondet & commensuratur: quia tam perfectè vult rectitudinem, quàm perfectè illam concipit. Unde sicut intellectio & judicium rectitudinis est infinitè perfectum: ita quoque amor & affectus rectitudinis est infinitè perfectus, utpote intrinsecam suam regulam adæquans. Deus ergo sanctus est in misericordia, clementia, amore: sanctus pariter est in justitia & vindicta, qua injustos & impios pro meritis castigat; uti hic per Josue castigavit Chananæos. Sic Deus sanctus est in glorificatione Beatorum, ac æquè sanctus est in damnatione reproborum: quia in illis immensam misericordiam, in his terribilem justitiam exercet. In Deo autem tanta est justitia, quanta misericordia, & illa huic par & æqualis est in sanctitate & perfectione.

Moraliter disce hic in omni prælio, corporali æquè ac spirituali, validissima esse arma orationis. Hæc enim victoriam à Deo, cujus est eam dare, poscit & impetrat. Sic orante Mose Josue vicit Amalec Exodi 17. 11. Sic Judas Machabæus præliis semper præmittens preces, tam illustres obtinuit victorias: solùm in ultimo non legitur orasse, ideoque in eo cecidit & occubuit.

VERS. 7. VERS. 8. IMPETUM FECIT CONTRA GENTEM HOSTILEM, ET IN DESCENSU PERDIDIT CONTRARIOS, UT COGNOSCANT GENTES POTENTIAM EJUS; QUIA CONTRA DEUM PUGNARE NON EST FACILE] Suppositum verborum *fecit & perdidit* non est Josue, sed Deus exaudiens & pugnans pro Josue: Deus enim per lapides grandinis perdidit ejus hostes. Unde pro *impetum fecit contra gentem*, Græcè est *κατέῤῥαξεν ἐπ' ἔθνη πόλεμον*, id est, ut Complut. *disrupit super gentes bellum*, putà aciem bellicam & pugnam. Alii, *fecit ut cum impetu rueret in gentes bellum*; Tigurina, *prælio in gentes irruit*; *καταῤῥάσσω* enim idem est quod ingruo, percutio fortiter, collido, frango, rumpo, præcipito, deturbo cum impetu; uti factum est in diluvio, cùm ruptis cataractis cæli impetuosus depluit imber. Sensus ergo est, q. d. Deus pugnans pro Josue contra Chananæos aperuit & disrupit cataractas cæli, indeque grandinavit & præcipitavit in eos magno impetu & fragore sua jacula bellica, putà saxa grandinis, fulmina, & tonitrua quibus *in descensu* Bethoron, ut dicitur Josue 10. 10. *perdidit contrarios*, scilicet Chananæos hostes Dei & Israelis. Idque hoc fine, *ut cognoscant Gentes potentiam*, Græcè *πανοπλίαν*, id est plenam armaturam, sive omne genus armaturæ (qualia sunt grando, fulmen, tonitru, &c.) *ejus* (Dei) *quia contra Deum pugnare non est facile*, id est, est impossibile. est enim miosis. Græcè *ὅτι ἐναντίον κυρίου ὁ πόλεμος αὐτοῦ*, id est, ut Romani vertunt, *quia coram Domino bellum ejus*, hoc est, ut Jansenius, quia bellum Josue placuit Deo, & gerebatur favente Domino. Sic & Tigurina, *ut Gentes*, inquit, *cognoscerent arma ejus, & bellum ab eo geri favente* (Vatablus *inspiciente*, vel *ante oculos*, quo Hebræi dicunt לפני *liphne*) *Domino*. Alii aptiùs ad Nostrum vertunt, *ut cognoscerent gentes omnia sua arma, quia contra Dominum & bellum cujusque ipsorum*; ut *τὸ αὐτοῦ* sumas distributivè pro quolibet. Huc allusit Christus duellans cum Saulo, eumque sternens, dicendo: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, Actor. 9. 5. Sic Gentiles tradunt Titanas cum Jove belligerantes ab eo sideratos, ac fulmine in tartara esse præcipitatos. Vide quid Deus S. Job secum disputandi ingerat Job 40. v. 1. & sequ. Sanè ut alia taceam, hoc anno 1626. & præced. evidentia & ad oculum spectabilia vidimus hujus sententiæ exempla, quando hæreticos rebellantes Deo suisque principibus orthodoxis toties & cum tanta strage profligatos, quando capita hæretici fœderis ferè universa cita & funesta nece occubuisse, quando Catholicos principes tot, tantis tamque continuis victoriis potitos spectavimus; ut qui Deum favere causæ Catholicorum neget, vel cæcus, vel insanus sit. Sapiant ergo qui ex iis reliqui sunt, & sociorum exemplo discant, *quia contra Deum pugnare non est facile*. quod nisi faciant, brevi similem stragi sociorum cladem & interitum expectent: Deus enim nonnullam vindictæ tarditatem gravitate compensat.

Encomium Josue, & Caleb.

ET SECUTUS EST A TERGO POTENTIS: VERS. 8.
ET IN DIEBUS MOYSI FECIT MISERICORDIAM IPSE, ET CALEB FILIUS JEPHONE, VERS. 9.
STARE CONTRA HOSTEM, ET PROHIBERE GENTEM A PECCATIS, ET PERFRINGERE MURMUR MALITIÆ] Rabanus, Palacius & alii passim pro *potentis* legunt *potentes* in plurali, sicque explicant, quasi auctor persistat in narranda victoria Josue contra quinque reges jam dictos. Nam ut narratur Josue 10. 16. quinque illi reges videntes suorum stragem, remanserunt à tergo Josue, seque absconderunt in spelunca. At Josue cæsis eorum militibus ad eos rediit, fecitque ut omnes Israelitæ eorum colla calcarent. Ergo *secutus*, id est insecutus, *est à tergo potentes*, quia ad eos rediit, quos à tergo dimiserat, eosque trucidavit.

Verùm pro *potentes* legendum est *potentis*: sic enim legunt Græca & Latina Romana. *Potentis* scilicet Domini Dei: q. d. Josue secutus est Dominum potentem, eique obedivit, firma spe confidens, quòd potentissimi Dei ope sibi promissa Hebræi superarent Chananæos, quantumvis potentes & robustos: quia, ut ait Jansenius, cùm alii exploratores humani timoris spiritum sequerentur, spectantes solùm quid humanis viribus possent, atque ob id animos populi confringerent suæ diffidentiæ verbis; isti duo alio spiritu ducti divinam potentiam & veracitatem considerabant, cogitantes quid possent per eum, qui suis promisit terram Chananæorum, ideoque ausi sunt aliis omnibus contradicere. Et ob id hic dicitur Josue secutus post potentem, quia ejus potentiam considerabat, non autem humanam infirmitatem.

Historia narratur Num. 13. & 14. ubi eam explicui, & hic dicitur de eis, quòd *in diebus Moysi* fecerunt *misericordiam*; hoc est opus pietatis, & in Moysen & in ipsum populum; quia scriptum est de Caleb, quòd compescens murmur populi, quod oriebatur contra Moysen, ait: *Ascendamus & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam*. Qua autem in re fecerint misericordiam, ostenditur cùm sequitur: *Stare contra hostem*, hoc est, stando contra hostem, & prohibendo populum à peccatis: infinitivi enim Græco more hic rursum positi sunt pro gerundiis; vel exponendi sunt ita, ut starent contra hostem, & prohiberent gentem. Sensus ergo est, q. d. Caleb & Josue piè fortiterque egerunt pro Deo, & Moyse & populo, ut starent constanter contra hostem, putà contra Chananæos, suadendo Hebræis ut contra eos dimicarent, ac victoriam Dei potentis ope eis pollicendo: itaque prohibuerunt gentem à peccatis seditionis, rebellionis & murmuris, quia sua animositate & animosa oratione ad populum ejus murmur infregerunt, illudque compescuerunt & sedarunt: hoc enim significat Græcum *κοπάσαι*. Pro *hostem* Noster cum Græcis Romæ emendatis legit *ἐχθροῦ*, Complut. verò & alii legunt *ἐκκλησίας*, id est, *Ecclesiam*. q. d. Josue & Caleb fortiter steterunt contra Ecclesiam, id est contra cœtum, putà contra murmur cœtus, sive populi congregati. Unde Tigurina, *nam ipse potentem secutus est, temporibusque Moysis amicum ei se præstitit, dum ipse cum Caleb Jephone nato se hosti opponeret, ac prohiberet peccare populum* (prohibendo eum ab apostasia & reditu in Ægyptum) *fremitumque malitiosum pacaret*; alii, *sedaret murmur improbitatis*, id est, murmur improbum improborum. Nota phrasim, *sequi à tergo potentis*, est tergum potentis, id est potentem sequi, sicut famulus sequitur herum à tergo: sequi autem potentem Deum, est Deo credere, Deo confidere, Deo obedire, Deo per omnia obsequi, uti explicatur v. 12. Alludit, imò citat illud Numer. 14. 24. *Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc*. Syrus, *atque etiam ipse perfectus fuit post Deum* (perfectè Deo, ejusque voluntati consensit & est obsecutus; alius textus habet, *complevit*, vel *consecravit se ministerio Dei*) *& in diebus Moysis fecit misericordiam ipse & Caleb stando in scissione populi, ad convertendum congregationem, ad dissolvendum nomen malum de terra promissionis*.

Moraliter nil timendum sequenti Deum: cur?

Moraliter discant hic fideles licèt infirmi, sequi tergum Dei potentis, præsertim cùm ab eo ad res arduas & diffi-

difficiles, v. g. ad apostolatum, ad Indias, ad vitam excellam vocantur. Magnis animis, magnaq; fiducia Deum sequantur; quia ante se habent præambulam Dei potentiam, imò omnipotentiam quasi scutum, quod omnes difficultates recipit eliditque, ac quasi arietem bellicum, qui omnes hostium oppositiones disjicit & sternit. Nil ergo est quod timeant tanto duce, tanto clypeo, tanto muro: nullum enim telum ad eos pertingere potest, nisi priùs antemuralem & antegredientem eos Dei potentiam disjiciat: hoc autem factu est impossibile. Dei ergo potentia undique obuallati & obarmati omnia evincent: Deus enim pugnat pro eis, imò antegrediens omnia sternit & complanat. *Quid times*, ait S. August. *ò homo in sinu Dei positus?* Deus enim, ait S. Bernard. sperantes in se seque sequentes facit omnipotentes, ut dicant cum S. Paulo: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Dei enim proprium est eligere & corroborare infirma, ut confundat fortia. Quocirca quo major est hominis infirmitas, eo majus robur ei confert Deus, si invocetur. Igitur quo quis est infirmior, eo spem & animos non minuere, sed augere potest ac debet: si enim id fecerit, certò aderit ipsi Deus majori potentia, majoresque vires ei suggeret. Quocirca cogitet id sibi à Deo dici, quod ab eo dictum

Isaiæ 45.2. fuit Cyro. *Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humilliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreas confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel.*

VERS. 10. ET IPSI DUO CONSTITUTI, (græcè ὄντες, id est, existentes, q. d. Josue & Caleb cùm ipsi essent duo soli, sive duo dumtaxat, & constanter resisterent murmuri populi) A PERICULO LIBERATI SUNT A NUMERO SEXCENTORUM MILLIUM PEDITUM] *Periculum* intellige mortis & exclusionis à terra sancta: omnes enim Hebræi superantes annum vigesimum, qui facilè erant sexcenta millia, ob murmur Dei sententia damnati sunt ad mortem, ut scilicet morerentur in deserto, nec ingrederentur in terram promissam, exceptis solis duobus, scilicet Josue & Caleb: hic enim quia pro Deo murmuri se opposuerunt, hic eam ingressi sunt, imò ceteros in eam induxerunt, Numer. 14. Unde explicans subdit:

INDUCERE ILLOS IN HEREDITATEM, IN TERRAM, QUÆ MANAT LAC ET MEL] q. d. Ut Deus induceret illos, scilicet Josue & Caleb, & per eos ceteros omnes Hebræos in hereditatem Chananææ, quæ adeò fertilis erat ut lacte & melle manare videretur. Hunc esse sensum liquet ex Græcis, quæ sic habent, *Et ipsi duo cùm essent, conservati sunt ex sexcentis millibus peditum, quo induceret eos* (Tigurina, *utpote inducendi*) *in hereditatem, in terram fluentem lacte & melle*; Syrus, *& ipsi soli liberati sunt de sexcentis millibus*, &c.

VERS. 11. ET DEDIT DOMINUS IPSI CALEB FORTITUDINEM, ET USQUE IN SENECTUTEM PERMANSIT ILLI VIRTUS (Græcè ἰσχὺν, id est fortitudo, robur) UT ASCENDERET IN EXCELSUM TERRÆ LOCUM (in Hebron. Syrus, *ad dandam illi potestatem super robur terræ*) ET SEMEN IPSIUS OBTINUIT HEREDITATEM] Caleb enim jam 85. annorum existens adeò fuit validus, ut à Josue petierit & obtinuerit montem & urbem Hebron, eamque armis expugnans sibi suisque fecerit hereditariam. Historiam narratur Josue cap. 14. 6. & sequ. Unde vers. 10. Caleb sic ait ad Josue: *Hodie octoginta quinque annorum sum, & sum sic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum* (ante 45. annos:) *illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum, quàm ad gradiendum.* Subdit deinde, quomodo Hebron & gigantes in ea habitantes expugnarit. hac de causa Caleb in Hebron sepultus est. Audi S. Hieron. in Epitaphio S. Paulæ, iter ejus per terram sanctam describentem: *Ascendit*, inquit, *Hebron: hæc est Cariatharbe, id est oppidum virorum quatuor* (Josue 14. 15.) *Abraham, Isaac, Jacob, & Adam magni, quem ibi conditum juxta librum Josu Nave Hebræi autumant: licèt plerique Caleb, quartum putent, cujus ex latere memoria monstratur.* Disce hic quantus fuerit Caleb, qui cum Abraham, Isaac & Jacob sepelitur & comparetur, ut eis quartus addatur.

Hinc Caleb Hebr. alludit ad כְּלָבִיא *kelabi*, id est, *sicut leo*. Leoni enim comparatus est Judas, ex quo prognatus est Caleb, Genes. 49. 9. Primò enim sicut leo est fortissimus animalium, sic Judas fortissimus fuit fratrum, & Caleb Israelitarum sui ævi. Secundò, leo solus ex animalibus recurvos ungues habentibus, simul ac natus est oculos aperit ac videt, unde à Plutarcho *solare animal* nuncupatur. Multi censuere leonem insomnem esse & non dormire. Verùm id negat Aristot. & ceteri, qui tamen fatentur, quòd leo dormiens moveat caudam, & semiapertis oculis dormiat, eò quòd eos habeat ingentes, ut palpebris occludi non possint. Hinc leo vigilantiæ est symbolum. unde leones insculpi solent ad fores templorum, uti Romæ videmus, quasi eorum custodes. Sic vigilans fuit Caleb, ut se, & suos induceret in terram promissam. Tertiò, leo cùm senescit melior est, ait Pierius Hieroglyph. Unde senex ille apud Aristophanem senectutem suam leoninæ conferens, eam plurium juvenum robori anteponit. Talis fuit Caleb, cui *Dominus dedit fortitudinem, & usque in senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum.* Similes sunt sapientes & justi, qui in senio deficientibus viribus corporis crescunt viribus mentis, ac studio sapientiæ se oblectant, imò prælibant delicias paradisi, & ad eas anhelant. Nam ut ait S. Bernard. serm. 2. in illud: *Non est regnum*, &c. *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ. Verè in principio lætitiæ, quia finis illic repositus est. Principium gaudii illius quod hic quandoque sentimus, stella est, guttula est, de flumine illo descendens cujus impetus lætificat civitatem Dei.* Quartò, leo Hebr. dicitur *labi* à לֵב *leb*, id est *cor*, quasi cordatus: corde enim est excelso, robusto & impavido. Sic Caleb dicitur כָּלֵב *keleb*, id est, *sicut cor*. fuit enim ipse cordatus, sapiens, magnanimus, ac inter primos heroes sui sæculi.

Caleb leb. significat sicut leo: Cur? Resp. 1. Secundò. Tertiò. Quartò.

Sic Cyrus apud Xenophontem moriens, extremæ jam senectutis, negabat se umquam sensisse senectutem factam imbecilliorem, quàm fuisset adolescentia; nimirum imbecillitas senum sæpè provenit ab intemperantia & excessu vel cibi, vel laborum, vel passionum, præsertim iræ & tristitiæ: hæc qui vitat, validam vegetamque exiget senectutem.

UT VIDERENT OMNES FILII ISRAEL, QUIA BONUM EST OBSEQUI SANCTO DEO] VERS. 12. Græce est, *quia bonum est ambulare à tergo Domini*, id est, sequi Dominum, eique obsequi, ut dixi v. 8. Tigurina, *ut scirent omnes posteri Israelis, quàm Dominum sequi bonum sit*, dum vident Josue & Caleb ingressos in terram promissam cum tot triumphis tantaque gloria, eò quòd confisi & obsecuti sint Deo; ceteros verò omnes ab ea exclusos, eò quòd murmurantes terga vertissent Domino, diffisi tam divinæ promissioni & potentiæ, quàm suarum virium infirmitati. Deum, quem v. 8. vocavit *potentem*, hic vocat *sanctum*, qui scilicet sanctè & fideliter præstet ea quæ promisit, uti hic promiserat Hebræis Chananæam: quod credentes Josue & Caleb, sanctè Deo sancto obsecuti sunt. Quis enim prudens non sequatur præviam sanctitatem? quis non obsequatur Deo sancto, imò qui est ipsa increata, immensa & augustissima sanctitas, à qua omnis hominum & angelorum sanctitas velut radius à sole dimanat?

Huic sententiæ affines sunt duæ gnomæ 72. Interpretum, quibus coævus fuit Siracides, ac fortè unus ex ipsis. Nam Ptolemæus Philadelphus cuique 72. Interpretum quæstionem ethicam proponens, ei, qui ordine erat trigesimus, hanc proposuit: *Quid sit in gloria potissimum? Ad quam ille ocyùs respondit: Deum venerari, non factis, inquam, neque muneribus, verùm animi puritate, ac fide candida ejus voluntatem sequi.* Ex adverso ei qui ordine 57. erat, hanc proposuit: *Quare quis inglorius fiat?* Ad quam ille respondit: *Si quando superbia quis ductus exasperetur, ut superationis tunc subeunt & gloriæ privatio: nam Deus totius gloriæ dominator, eam quo vult declinat.* Sicut ergo magna gloria est humiliter sequi Dominum, sic è contrario magnum probrum est superbire & nolle sequi, sed præire Dominum. ita Aristæas in histor. 72. Interpretum. Vide dicta cap. 23. 38. ad illud: *Gloria magna est sequi Dominum.*

Ecce;

Encomium Judicum Israelis.

VERS. 13. ET JUDICES SINGULI SUO NOMINE (id est singuli viritim & nominatim) QUORUM NON EST CORRUPTUM (Syrus, *non aberravit*) COR: QUI NON AVERSI SUNT A DOMINO] supple, laudentur, vel digni sunt laude, perinde ac Aaron, Phinees, Josue, Caleb, ceterique jam nominati.

VERS. 14. UT SIT MEMORIA ILLORUM IN BENEDICTIONE, ET OSSA EORUM PULLULUNT DE LOCO SUO, ET NOMEN EORUM PERMANEAT
VERS. 15. IN ÆTERNUM, PERMANENS AD FILIOS ILLORUM, SANCTORUM VIRORUM GLORIA] A Josue & Caleb recta serie & ordine temporum descendit ad judices. Laudat ergo hic judices, id est vindices Israelis, putà Othoniel, Barac, Gedeon, Samson, &c. qui suo robore & virtute Israelem ab Idumæis, Syris, Philisthæis, aliisque hostibus liberarunt & vindicarunt, quorum heroica facta, prælia & victoriæ describuntur in libro Judicum. Porrò non omnes Judices laudandos asserit, sed tantùm *quorum non est corruptum cor*; græcè, *quorum non est fornicatum cor*, id est, non prolapsum in idololatriam (hæc enim in Script. vocatur fornicatio, putà spiritualis & mystica) quique *non sunt aversi à Domino*; nonnulli enim Judices fuere impii, uti Abimelech filius Gedeonis, qui 70. fratres occidit, Judic. 9. Ceteri verò plerique, qui fuere pii & zelosi, digni sunt æterna laude, *ut sit memoria illorum in benedictione*. Minùs usitatè Jansenius ἵνα, *ut* accipit pro *utinam*, uti accipit Terentius cùm ait: *Ut*, id est utinam, *illum dii deæque perdant*: græcè enim non est ὡς, sed ἔστω, id est *sit*, quod est optantis. q.d. Utinàm sit. *Et ossa eorum pullulent de loco suo*, q.d. Ossium, id est sepulcri eorum, & consequenter ipsorummet, virens semper & florida sit memoria, ut eorum fama jugiter rediviva conservetur & augeatur. Unde explicans subdit: *Et nomen eorum permaneat in æternum*, per hoc quòd promanet & permaneat apud *filios illorum*. quæ ingens horum *sanctorum virorum*, virtuti eorum debita est gloria. Est metonymia & metalepsis: ex ossibus enim intelligitur sepulcrum, ex sepulcro memoria, ex memoria fama & gloria Judicum illustrium. Rursum *pullulare* sumitur pro revirescere, & semper vigere. De hac phrasi plura dicam c. 49. 12. Unde Græca habent, *Ossa eorum revirescant*, vel *reflorescant*, *in loco suo*, *& nomen ipsorum* ἀντικαταλλασσόμενον, id est *commutatum*; Romana *restauratum*; *glorificatis ipsis in filiis*. q.d. Nomen & fama ipsorum transferatur, commutetur & restauretur in filiis, in quibus, dum ipsi parentes quasi reviviscunt & glorificantur, hoc ipso restauratur eorum nomen, fama & vita. Vatabl. *Porrò judicum quoque nominatim omnium, quorumcumque non scortatus est animus, & quicumque à Domino non defecerunt, fausta felixque fuerit memoria. Ossa eorum locis suis revirescant, nomenque eorum per successiones ad celeberrimos quosque posterorum traditum.* Sicut enim flos in hieme emortuus in vere revirescit & reviviscit, sic & patris nomen in morte quasi emortuum in filiis, discipulis & posteris revirescit & reviviscit. Symbol. & Anagog. ossa sunt symbolum resurrectionis & gloriæ æternæ, juxta illud Isaiæ 66. 14. *Ossa vestra quasi herba germinabunt*. Et Ezechiel vidit c. 37. v. 3. & seq. ossa accedere ad ossa ac reviviscere, ad symbolum resurrectionis. Vide utrobique dicta.

Symbolicè, ossa Sanctorum pullulant & revirescunt, cùm sui venerationem & reverentiam fidelibus, etiam per miracula, incutiunt: quocirca fideles ossa & reliquias Sanctorum religiosè servant & venerantur, ideoque per easdem magna à Deo beneficia impetrant, uti de reliquiis S. Stephani oculatus est testis S. August. 22. Civit. 8. Atque hæc est sanctorum virorum gloria: hæc enim gloria consistit in sanctitate, putà in religione, humilitate & charitate, quam Deus miraculis testatam facit. Unde Syrus hic vertit, *ossa eorum pullulent sicut lilia, & relinquant nomen suum bonum filiis suis, & universo populo laudes sui.*

Encomium Samuelis.

VERS. 16. DILECTUS A DOMINO DEO SUO SAMUEL

A PROPHETA DOMINI, RENOVAVIT IMPERIUM, ET UNXIT PRINCIPES IN GENTE SUA] Syrus, *dilectus Creatori suo, qui postulatus est de ventre matris suæ continens in prophetia* (cælebs in Prophetis, Nazaræus in Prophetis) *Samuel judex & sacerdos, cuius in verbo firmatum est regnum, & unxit principes ac reges populo*. A Judicibus transit ad Samuelem, quia ipse Judicum fuit ultimus, & pro Judicibus reges, & regnum Israeli induxit; ideoque quasi aristocratiam Israelis mutavit in monarchiam. Samueli ergo hæc dat elogia: Primum, quòd fuerit *dilectus à Domino Deo suo*, idque à puero: à puero enim Deus Samuelem amavit & in deliciis habuit, quasi suum; utpote quem mater sterilis à Deo precibus impetrasset, ideoque natum eidem reddidisset & consecrasset ad serviendum ei in tabernaculo; ita ut Samuel videretur verus esse minister Dei, & vicissim Deus præ ceteris videretur proprius esse Deus Samuelis. Hanc enim emphasin habet τῷ *Deo suo*. Alludit ad 1. Reg. 2. 21. *Magnificatus est puer Samuel apud Dominum*. Et inferiùs: *Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat, & placebat tam Deo quàm hominibus.* Unde *Samuel* Hebr. dicitur quasi שאול מאל *Saul meel*, B id est, postulatus à Deo, juxta illud 1. Reg. 1. 20. *Concepit Anna, & peperit filium, vocavitque nomen eius Samuel, eò quòd à Domino postulasset eum*. Mox v. 27. referens & offerens eum Deo: *Pro puero isto oravi, & dedit mihi Dominus*, inquit, *petitionem meam quam postulavi eum. Idcirco & ego commodavi eum Domino cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino*. q.d. Hic filius meus cùm natus est, à me votatus est *Samuel* quasi *Saul meel*, id est, postulatus à Deo: nunc verò idem vocetur *Samuel* quasi שאול לאל *Saul leel* (ut habent Hebræa) id est, à me donatus & oblatus, imò redditus Domino. Quocirca nonnulli apud Abulensem eo loci non improbabiliter censent *Samuel* esse idem, quod *Ismael*, q.d. *Exauditio Dei*, vel exaudita est à Deo, scilicet postulatio mea. Denique S. Hieron. in Nominibus Hebraicis, S. Gregor. in lib. 1. Reg. c. 1. Origenes & Angelomus ibidem: *Samuel*, inquiunt, idem est quod אל שמו *sceme el*, id est, *nomen eius est Deus*: quia Samuel fuit quasi terrenus quidam Deus Israelis, adeoque typus Christi filii Dei. Et huc quoque alludit nomen Samuel; licèt hæc non sit ratio etymi matris, cur scilicet ab ea vocatus sit Samuel. Idem dico de illo Lyrani in Different. Scri- C ptur. *Samuel*, inquit, *dicitur quasi* אל שם *scam el*, id est, *posuit illum Deus*. Hinc liquet Samuelem fuisse dilectum Deo, utpote qui magis à Deo quàm ab Elcana & Anna procreatus sit, ideoque potiùs Dei quàm Annæ dicendus sit filius, eaque de causa vocatus est Samuel, ut quoties ipse nomen suum audiret, eoque vocaretur, toties Dei recordaretur, eique se totum debere agnosceret, ac lubens se Deo per nazaræatum redderet & consecraret, graviaque ejus exercitia & onera ultrò amore Dei quasi patris sui capesseret.

Samuelis elogia. Primum.

Samuelis etyma quatuor.

Secundum, quòd fuerit *Propheta Domini*: cum Moyse enim Propheta prophetia videbatur penè emortua, sed eam suscitavit Deus in Samuele. Unde S. Petrus Actor. 3. à Samuele orditur prophetiam & Prophetas de Christo: *Omnes prophetæ*, inquit, *à Samuel & deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos*. Porrò Samuel adhuc puer cœpit prophetare, colloqui cum Domino, & ab eo de futuris, iisque rebus maximis, ut de clade Heli & totius populi, edoceri, ut patet 1. Reg. 3.

Elogium secundum.

Tertium, quòd *renovavit imperium*, id est, de novo D instituit imperium, dum regimen & imperium Judicum transtulit in regium: erigendo enim regiam potestatem novum instituit regimen, quo renovavit, roboravit & amplificavit imperium Israelis: validius enim est regimen & imperium regni sive monarchiæ, quàm sit judicum & aristocratiæ. Unde Græcè est κατέστησε βασιλείαν, (ita Romana, licet Complut. legant in plurali βασιλείας, id est *regna*) hoc est instituit, incepit, constituit, creavit regnum & reges, scilicet primò Saulem, deinde eo à Deo rejecto Davidem, cujus posteri continua successione fuere reges Israelis usque ad ejus excidium, & captivitatem Babylonicam. Vide rei gestæ historiam 1. Reg. 8. & sequ. Samuel ergo regimen gentis per Judices aristocraticum in melius, putà in monarchicum, transmutavit: fecit enim ut politia Judæorum judiciaria fieret regia. Alludit ad 1. Reg. 11. 14. ubi dixit Samuel

Tertium.

muel ad populum post victoriam, quam Saul novus rex de Naas rege Ammon obtinuerat: *Venite & eamus in Galgala, & innovemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Saul regem coram Domino.* Licèt enim Saul jam à Samuele fuisset constitutus rex in Maspha, 1. Reg. 10. 24. tamen post hanc victoriam abeodem solemniter inunctus fuit rex in Galgala, prævis sacrificiis cum jubilo & applausu totius populi, quem Samuel post contestationem suæ integritatis adjuravit, ut cum novo rege servaret cultum & legem veri Dei: sicque ibidem innovavit, id est, confirmavit & stabilivit novum novi regis regnum. Vide 1. Reg. c. 12.

Quartum. Quartum, quòd ipse non tantùm Saulem & Davidem constituit reges, sed & eosdem quasi Propheta & sacerdos unxit & consecravit, ut essent reges sancti sacrati Deo sancto, ad sanctè regendum Israelem, populum Deo dicatum & sanctum. Unde Tigurina vertit, *charus Domino suo, cujus erat Propheta. Samuel reges constituit, populoque ipsius unxit principes.* Reges enim sunt principes populi.

VERS. 17. IN LEGE DOMINI CONGREGATIONEM JUDICAVIT, ET VIDIT DEUS (perperàm aliqui legunt, *Deum* vel *Dominum*) JACOB] *Quintum.* Quinta est hæc laus Samuelis, quòd *in lege*, id est ex lege, juxta legem, non autem juxta suam cupiditatem, avaritiam, favorem, vel acceptionem personarum judicavit *congregationem*, id est, ut græcè est, *synagogam*, sive cœtum populi: *Et*, id est, *quia*, *vidit Deus Jacob*; Græcè, καὶ ἐπεσκέψατο κύριος τὸν Ἰακώβ, id est, *respexit & visitavit Dominus Jacobum*. q. d. Cùm Israel hinc civiliter opprimeretur à Philisthæis, inde ecclesiasticè vexaretur à filiis Heli, qui impiè, scandalosè & tyrannicè sacra & sacrificia administrabant, ideoque miserrimus esset tum reip. tum Ecclesiæ in Israele status; Deus ejus misertus, suaque misericordia respiciens, visitans & liberans *Jacobum*, id est Israelem; opportunè submisit Samuelem, qui tantis malis mederetur ac justè, integrè & sanctè regeret & judicaret populum, eumque à Philistæis liberaret, itaque & rempubl. suo robori, & Ecclesiam Israelis suæ sanctitati restitueret. Unde Syrus vertit, *in lege illius imperavit congregationibus*, (vel sua auctoritate visitavit congregationes) *sicut præcepit Dominus Jacobi*, sive Israelis; & Tigurina, *lege Domini gubernabit multitudinem, cùm Dominus idem Jacob respiceret*; alii, *ex lege Domini judicabit Synagogam, & respexit Dominus Jacobum.* Alludit, imò citat illud 1. Reg. 7. 13. *Et humiliati sunt Philisthiim, nec appofuerunt ultrà ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos, cunctis diebus Samuelis.* Et v. 15. *Judicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ, & ibat per singulos annos circuiens Bethel & Galgala & Masphat, & judicabat Israelem in supradictis locis: judicabat*, id est jus dicebat, lites dirimebat, causas forenses dijudicabat.

VERS. 18. ET IN FIDE SUA PROBATUS EST PROPHETA, ET COGNITUS EST IN VERBIS SUIS FIDELIS, QUIA VIDIT DEUM LUCIS] *Sextum.* Sexta est hæc laus Samuelis, quòd *in fide*, id est fidelitate sua in Deum, *probatus sit propheta*, quòd scilicet fideliter munus propheticum, sive legationem Dei ad populum sibi à Deo injunctam obierit, integrè & fortiter populo edicens, & exequens jussa Dei, nullius offensam vel odium veritus. Hinc *cognitus est in verbis suis fidelis*; tum, quia nihil prædixit vel edixit, quod non à Deo audivisset; tum, quia omnia quæ ipse prophetavit, fideliter & verè, uti ipse prædixerat, evenerunt: *quia vidit Deum lucis*, id est, quia ipse verè illustratus fuit à Deo luce divina & prophetica, ac ea dumtaxat, quæ in illa vidit, ad populum retulit: inde enim ipse ceterique Prophetæ vocati sunt Videntes, & prophetia dicta est Visio.

Ubi Nota, prophetiam aliquando vocari visionem, aliquando auditionem; ac Prophetæ aliquando dicunt se vidisse, aliquando se audiisse verbum Domini; quia in intellectu & intellectuali revelatione sæpè idem est audire & videre: atque Hebræi *videre* pro audire, imò pro quovis sensu & cognitione sumunt, ut liquet Exodi 20. 18. Quare Samuel dicitur *vidisse*, id est audisse, *Deum lucis* futura sibi revelantem. Adde, videri Samuelem vidisse Deum, id est angelum vicarium Dei in specie vel corpore assumpto, ut satis colligitur ex 1. Reg. 3. v. 10. & 21. ubi dicitur Dominus venisse, & stetisse vocasseque Samuelem, eique apparuisse in Silo.

Nota τὸ *quia vidit Deum lucis*, posse accipi vel causaliter juxta sensum jam datum, vel donativè, q. d. Samuel cognitus est fidelis, *quia*, id est *quòd*, viderat Deum lucis. q.d. Omnes cognoverunt eum vidisse *Deum lucis*, id est cognitionis & prophetiæ auctorem: hoc est, omnes cognoverunt eum verè esse Prophetam Dei, nec loqui ex suis imaginationibus, sed ex visis & visionibus à Deo acceptis. Huic sensui favent Græca quæ sic habent, ἐν πίστει αὐτοῦ ἠκριβάσθη προφήτης, καὶ ἐγνώσθη ἐν ῥήμασιν αὐτοῦ πιστὸς ὁράσεως, id est, *in fide sua examinatus, exquisitus & probatus fuit propheta, & agnitus est in verbo suo fidelis in visione.* ita enim legunt Græca Romæ correcta, licet Complut. deleant τὸ πιστὸς ὁράσεως, id est *fidelis in visione.* Sed omnino hæc verba addenda sunt: posterius enim hemistichium explicat prius more Hebræo. q. d. Samuel *in fide*, id est fidelitate sua, *probatus* fuit *propheta*, id est, ipse agnitus est in verbis & oraculis suis fidelis esse in visione, id est in prophetia, quòd scilicet verè visiones non suas sed Dei enuntiaret, eò quòd omnia prorsus prout prædixerat evenirent. Visio enim, Hebr. *chazon*, vocatur prophetia, ob causam quam paulò antè dedi. Unde Tigurina vertit, *hic fide sua propheta probatus est, verbisque suis esse fide vaticinio* (vaticinandi) *compertus.* Alludit, imò citat 1. Reg. 3. 16. *Non cecidit ex omnibus verbis ejus* (Samuelis) *in terram. Et cognovit universus Israel, quòd fidelis Samuel propheta esset Domini.*

Porrò vocatur *Deus lucis*, &, huc alludens ait S. Jacobus epist. c. 1. 17. *pater luminum*, quia Deus est increata, immensa, perennis & fontalis lux, ideoque causa omnis lucis & luminis creati, tum corporalis, tum spiritalis, uti est veritas, illustratio mentis, prophetia, &c. Prophetæ ergo veri sunt, qui vident Deum lucis, ab eoque edocentur: falsi verò Prophetæ sunt, qui vident principem tenebrarum, ab eoque in tenebris edocentur ea, quæ tenebrosa, id est incerta, obscura, dubia, falsa & impia sunt.

ET INVOCAVIT DOMINUM OMNIPOTENTEM, IN OPPUGNANDO HOSTES CIRCUMSTANTES UNDIQUE, IN OBLATIONE AGNI INVIOLATI] Septima hæc est laus Samuelis, quòd, sicut ipse fuit Propheta fidelis, & judex incorruptus; sic idem fuerit invictus debellator hostium, & propugnator populi. Cùm enim Philistæi undiq; circumstarent & oppugnarent populum Israel, nec ille esset resistendo; Samuel exoratus à populo invocavit Deum δυνάστην, id est potentem per eminentiam, hoc est, præpotentem & omnipotentem, offerendo illi in holocaustum agnum inviolatum, id est, immaculatum & incontaminatum. Debebat enim agnus qui Deo offerebatur, esse ἄμωμος, id est immaculatus, adeoque agnus paschalis debebat esse anniculus Exodi 12. 5. id est unius anni, ideoq; generationis & libidinis expers, atque illibatus & incontaminatus, ut repræsentaret Christum purissimum & sanctissimum, qui verè est agnus immaculatus & incontaminatus, imò auferens & expians omnes mundi maculas. Ita S. Gregor. hanc explicans historiam libr. 3. in 1. Reg. cap. 7. v. 9. *Agnus*, inquit, *dicitur* (Christus) *pro innocentia, lactens pro assumptione naturæ, unus pro singularitate potentiæ, integer pro fidei nostræ firmissima soliditate.* VERS. 19. *Septimum.*

Pro *agni*, Noster cum Græcis Romæ emendatis legit ἀρνός, pro quo corruptè Complut. & alii legunt ἀνδρός, id est *viri*: Samuel enim obtulit non ἄνδρα, id est virum, sed ἄρνα γαλαθηνόν, id est agnum lactentem, ideoque tenerum, impollutum & inviolatum, ut vertit Noster. Rursum nonnulli pro *inviolati* perperàm legunt *immolati*. Syrus, *ipse quoque contrivit hostes undique circumstantes in sua elevatione agni lactis*; Tigurina liberiùs vertit, *dominum potentem invocavit, cùm prementibus eum undique hostibus agnum lactentem immolaret.* Vide rei gestæ historiam 1. Reg. 7. 9.

Tropolog. oblationis agni. Tropolog. S. Gregor. loco paulò antè citato: *Agnum*, inquit, *offerimus, cùm per lumen castitatis & innocentiæ Redemptori nostro conformamur: & cùm doctrina innocentium patrum nostrorum pascimur, velut ubera sugimus, quibus ad æternam vitam nutriamur. Unum quoq; agnum offerimus, si post initia religiosæ conversationis, nulla polluimur inquinatione pravitatis. Unum quippe agnum offert, qui à proposito inno-*

innocentiæ ad pollutæ vitæ maculas nequaquam diffluit: a quibus redeat per iterationem bonæ operationis. Integrum quoque agnum offerre, est ad æternam vitam non solùm carnis continentiam, sed & mentis integritatem præparare. Integrum ergo agnum Domino nequaquam offert, qui carnem Deo per continentiam consecrat, sed mentis suæ secreta ab immundarum cogitationum lascivia non refrænat. Velut enim agni partem sacrificio subripit, qui puritatem cordis corporis continentiæ non coniungit.

Vers. 20. ET INTONUIT DE CÆLO DOMINUS, ET IN SONITU (Syrus, *strepitu*) MAGNO AUDITAM FECIT VOCEM SUAM (tonitrui sui: hæc enim est vox
Vers. 21. DEI) ET CONTRIVIT PRINCIPES TIRIORUM, ET OMNES DUCES (Syrus, *tyrannos*) PHILISTHIIM] Citat 1. Reg. 7. 10. ubi dicitur: *Philisthiim* (eisque per mare contermini & confœderati Tyrii, ut hic dicitur) *iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illo, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israel*, qui persecutus est eos usque ad locum & lapidem qui inde dictus est Lapis adjutorii. Addit Josephus lib. 6. Antiq. cap. 2. dicens: *Priusquam victimam* (agni) *totam flamma absumeret, nondum sacro peracto, hostis in conspectu aciem explicat, rem factam se habere putans, interceptis Judæis imparatis & inermibus. At longè aliter accepti sunt: primùm enim terra iubente Deo sub pedibus eorum intremuit, & vacillante vestigio nutabant: nonnulli etiam in improvisos hiatus prolabebantur: deinde fulminibus crebris attoniti, & ignitis fulguribus oculos ac manus semiustulati, ut ne arma quidem retinere possent, in fuga spem totam ponebant; cùm subitò Samuel in perturbatos irruit, cæsisque plurimis, reliquos usque Corræos, (id loci nomen est) persequi non destitit, & fixo ibi suæ victoriæ fugæque hostium termini lapide, qui trophæi vice esset, appellavit eum Fortem, in signum donatæ a Deo contra hostem fortitudinis.* Hæc Josephus, qui more suo nonnulla addit ad historiam S. Script. sive traditione accepta, sive exornationis causa, ad conciliandum suis Hebræis apud Gentes nomen & decus. Sanè sub tonitru intelliguntur fulmina, quia communiter hæc sese invicem comitantur, imò tonitru est causa fulminis, in illudque resolvitur & desinit. Atque solet Deus, qui in vindicta est efficax, non solùm per tonitru metu percellere, sed & per fulmina siderare, & conterere suos hostes.

Tropol. S. Gregor. loco paulò antè citato, per tonitrua accipit devota Sanctorum desideria cælestia, quibus ipsi fugant hostes, putà diabolos. *Velut enim tonitruo*, inquit, *territi fuerunt, dum in electis mentibus, quas tentando pulsaverunt, ingentem sonitum divinæ virtutis expavescunt. Quia verò fragore magno intonuisse Dominus dicitur, quid est aliud, nisi quia imperfecta Christianorum desideria dæmonibus terribilia non sunt? Fragor enim magnus tonitrui, perfectum est uniuscuiusque desiderium electi. Cùm igitur fragore magno super Philisthæos Dominus intonat, tunc a filiis Israel cæduntur: quia dum electorum mentem perfecta devotio ad superna gaudia erigit, omne quod adversæ militat parti, à se penitus abscindit. Bene quoque priùs territi Philisthæi, deinde a filiis Israel cædi memorantur: nam terrentur electorum devotione, cæduntur opere. Et quia opere devotio prior est, terreri priùs, postea verò cædi rectè perhibentur: Nam priùs donum bonæ voluntatis à Domino accipimus, ut consilia malorum spirituum postmodum confutare valeamus. Bene etiam Dominus super Philisthæos intonare & exterrere eos dicitur; filii autem Israel illos cædere perhibentur: quia bona desideria nobis per divinam gratiam ministrantur, sed nos dona gratiæ per conatum liberi arbitrii ad virtutum victorias promovemus.*

Trop. tonitrua sunt fortia SS. Electorum desideria.

ET ANTE TEMPUS FINIS VITÆ SUÆ ET SÆ-
Vers. 22. CULI, TESTIMONIUM PRÆBUIT IN CONSPECTU DOMINI, ET CHRISTI; PECUNIAS ET USQUE AD CALCEAMENTA AB OMNI CARNE NON ACCEPIT; ET NON ACCUSAVIT ILLUM HOMO] Est hæc octava laus Samuelis, quòd adeò fuerit integer & incorruptus in judicando, ut nullum vel minimum à quoquam munus acceperit, nec eum accusare vel criminari, quis, quantumvis vafer & malitiosus, potuerit. Sensus ergo est, q. d. Samuel antequam finiret vitam & sæculum, sive antequam è vita & sæculo hoc decederet ac moreretur; contestatus est totum populum, omnesque Israelitas in testes vocavit suæ innocentiæ & integritatis in conspectu Dei, quem adoraverant, & cui sacrificarant novo rege Saule creato in Galgala, ut à Deo felicia regni ejus auspicia deposcerent; *& in conspectu Christi*, id est regis Saulis, quem chrismate in regem inunxerat Samuel: contestatus, inquam, est quòd ipse toto tempore quo fuit judex Israel, *pecunias, & usque ad calceamenta*, id est, nihil prorsus, ne vile quidem & minimum (tales enim erant calcei, præsertim Palæstinorum, quorum calcei erant sandalia sive soleæ infernè dumtaxat pedem tegentes, supernè verò ligulis pedi astricti) *ab omni carne*, id est ab ullo homine, *non accepit*: græcè est, *non accepi*, ut sint verba Samuelis contestantis suam integritatem. Quod adeò verum fuit, ut in toto populo nullus esset, qui eum de hac aliave re accusare posset vel auderet. Tigurina liberiùs de more vertit, *ante tempus vitæ finiendæ coram Deo & uncto ipsius testatus est, se nec pecunias ab ullo mortalium, nec ad calceamenta usque quidquam accepisse: neque verò quisquam est eum criminatus*; alii, *& ante tempus æterni soporis* (sic enim vertas quoque τὸ κοιμήσεως αἰῶνος, quod ad verbum sonat, *dormitionis sæculi*; ita vocat mortem) *contestatus est coram Domino, & coram uncto eius: pecuniam, ne calceos quidem, ab ullo homine accepi; & nemo eum vocavit in ius*. Sic enim vertas quoque τὸ ἐνεκάλεσεν, quod Noster vertit, *accusavit*. Historia narratur 1. Reg. 12. 1. Syrus, *& in tempore quo requievit super lectulum suum, testificatus est coram Deo & coram christo eius, quòd munus & donũ ab homine nõ susceperit*.

Octavum.

Samuelem avorum memoria imitatus est illustris ille Angliæ totius judex & Cancellarius, ac invictus fidei usque ad mortem athleta, Thomas Morus, qui, ut in ejus Vita scribit Thomas Stapletonus c. 8. & 20. cùm à puero usque ad annum ætatis 50. in magnis reipubl. officiis versatus fuisset, tamen non auxit annuum censum ultra sexaginta aureos nummos, aut paulò ampliùs: cùm nuper quidam ibidem paucis annis censum suum auxerit ad sexaginta millia. Quocirca cùm Morus impiè capitis damnatus ad supplicium duceretur, eique occurreret mulier petulanter illi obiiciens corruptelam, quòd in lite sua dijudicanda non modicam sibi fecisset iniuriam; restitit Morus, ac constanti vultu & voce: *Ego*, inquit, *optimè causæ tuæ memini, ac, si hac ipsa hora mihi de ea iudicandum foret, non aliam ferrem sententiam, quam olim tuli*. Si Morum omnes imitarentur, non essent tot Verres, tot verricula provinciarum.

Thomæ Mori integritas.

ET POST HOC DORMIVIT, ET NOTUM FECIT REGI, ET OSTENDIT ILLI FINEM VITÆ SUÆ, ET EXALTAUIT VOCEM SUAM DE TERRA IN PROPHETIA DELERE IMPIETATEM GENTIS] Nona est hæc laus Samuelis, quòd non tantùm in vita, sed & post mortem prophetarit. Unde Græca initio habent, *Et postquam ipse dormivisset, prophetavit*. Cùm enim Saul cinctus ab hostibus adiret pythonissam, peteretque ab ea suscitari Samuelem, ut ab eo sciscitaretur quid facto opus; Samuel apparuit Sauli, illique interitum & toti genti cladem ob impiam vitam prænuntiavit. quæ & paulò pòst ad verbum contigere. Vide historiam 1. Reg. 28. Syrus, *& post mortem suam interrogatus est, ostenditque regi viam eius, & exaltavit de terra vocem suam in prophetia, ad cessare faciendum peccata*. Vers. 23. *Nonum.*

Quæritur, An verus fuerit Samuel, qui apparuit Sauli, an phantasticus sive, an verè apparuerit anima Samuelis, an ejus larva per illusionem dæmonis? Nonnulli veteres, quibus non satis cognita fuit fides & auctoritas hujus libri Ecclesiastici, censent fuisse Samuelem phantasticum, ac larvam illusionemque diaboli, putà dæmonem in specie & forma Samuelis. ita Tertul. libr. de Anima cap. 57. Procopius, Eucherius, Beda in 1. Regum cap. 28. Eodem inclinat, sed dubitando, S. August. lib 2. ad Simplic. quæst. 3. S. Augustin. sequitur Jansenius: Samuel, inquit, dicitur prophetasse, quia dæmon evocatus à pythonissa coactus fuit ab angelo Samuelis illa edicere Sauli, quæ Deus illi infligere destinabat.

An verus Samuel apparuerit Sauli?

Negant aliqui.

Ratio est prima, quia hæc umbra Samuelis obedivit pythonissæ, ejusque magiæ, ac ejus incantatione, dæmonisque vi & potestate suscitata videtur: pythonissa enim non alium quàm suum pythonem, id est, dæmonem familiarem, evocavit. Hoc autem indignum, imò impium, est sentire de anima Samuelis Prophetæ, tam pii & sancti. Fuit ergo hæc larua dæmonis, non anima Samuelis.

Probant Primò;

Secunda, quia umbra hæc inter alia dixit Sauli: *Cras autem tu & filii tui mecum eritis*, 1. Reg. 28. 19. Samuel autem erat in limbo patrum, cùm Saul videatur descendisse ad infer.

Secundò.

infernum damnatorum, utpote moriens in flagranti delicto superstitionis & magiæ, quo consuluit dæmonem per pythonissam; fuit ergo dæmon, qui ei dixit: *Cras autem tu & filii tui mecum eritis*, scilicet in gehenna.

Afferunt alii verius. Verùm contrarium longè verius est, scilicet apparuisse verè ipsam animam Samuelis in corpore aereo assumpto, quale assumunt angeli dum hominibus apparent. Probatur Primò, quia id clarè & amplè docet hic Siracides, dum ait Samuelem post mortem prophetasse, & exaltasse de terra vocem suam in prophetia, adeoque hanc ultimam & maximam laudem dat Samueli; cùm potiùs ingens probrum & dedecus fuisset Samueli, si ejus umbra & forma usurpata à dæmone servisset pythonissæ, ejusq; magiæ & incãtationi.

Probatur Primò.

Secundò. Secundò, quia idem clarè significat narratio rei gestæ 1. Reg. 28. 10. & sequ. ubi non alius nominatur, describitur, loquitur, prophetat, quàm Samuel Propheta.

Tertiò. Tertiò, idipsum arguit ejus prophetia, qua graviter, verè & severè nomine Dei Sauli mortem, Hebræis cladem, ob scelera intentat & vaticinatur, quæ omnia ad literam uti prædixerat Samuel, evenerunt; ut non dubium sit hanc non fuisse conjectionem vel illusionem diabolicam, sed verissimam prophetiam, Deique oraculum.

Quartò. Quartò, ita sentiunt plures & graviores auctores, nimirum S. August. de Cura pro mortuis c. 15. Josephus lib. 6. Antiq. 15. S. Ambros. in cap. 1. S. Lucæ, S. Hieron. in c. 7. Isajæ, Justinus contra Tryphon. Abulens. Lyran. Cajetan. Dionys. Sanchez in 1. Regum cap. 28. Rabanus & Palacius hic, S. Basilius epist. 80. Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 6. Thyræus lib. 1. de Apparit. spirituum c. 16. nu. 410. qui æquè ac S. August. plura apparitionum spirituum, præsertim beatorum, exempla recenset.

Ad Primũ Resp. Ad Primum adversæ partis fundamentum respondeo, Samuelem apparendo non obedivisse pythonissæ, nec ejus dæmonisque vi coactum fuisse sese ostendere Sauli; sed jussu Dei sponte occurrisse pythonissæ, imò prævenisse & impedivisse ejus incantationem & effectum. Id liquet Primò, ex eo quòd, cùm Saul consuluit pythonissam, ilicò se ei ostendit Samuel, antequam ipsa sua carmina magica recitare, ritusque magicos (qui morosi & longi sunt) ad evocandam umbram Samuelis exercere posset, ut patet 1. Reg. 28. 12. Secundò, ex eo quòd pythonissa turbata est, cùm vidit Samuelem, antequam eum evocaret. Samuel ergo non à pythonissa, sed à Deo suscitatus, pythonissæ spontè occurrit, & incantationes prævenit, tum, ut eas impediret, ne dæmon responderet, ait Cajetanus: tum, ut Saulem & Hebræos pro hoc magiæ crimine, aliisque sceleribus, denuntiatione mortis & cladis futuræ castigaret & plecteret. Ita S. August. ad Simplic. lib. 2. quæst. 3. *Non est absurdum credere*, inquit, *ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis permissum fuisse, ut non invitus, nec dominante aut subjugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ & pythonissam illam & Saulem latebat, consentiret spiritus Prophetæ se osten*di aspectibus regis, *divina eum sententia percussurus.*

Simili modo, cùm Balaam vellet consulere dæmonem pro Balaac rege Moab, prævenit eum angelus Dei, ac sublimem illam de Israele & Christo prophetiam per ipsummet Balaam edidit, Num. 22. 32.

Sic quoque cùm Ochozias rex Israel æger mitteret legatos, ad consulendum idolum Beelzebub de vita & sanitate sua, prævenit eos Elias, ac propter hoc peccatum illi ex Deo mortem prænuntiavit & intentavit, 4. Reg. 1. 16.

Dices, Samuel apparens ait Sauli: *Quare inquietasti me ut suscitarer*: Ergo ad postulationem Saulis fuit suscitatus. Resp. Ita est, at non ad postulationem pythonissæ. Postulatio enim Saulis non causa, sed occasio fuit, cur Deus suscitarit Samuelem, ad Saulem castigandum & plectendum.

Ad secundum. Ad Secundum resp. Τò *mecum eritis*, significare generatim & confusè locum statumque defunctorum, non autem particulatim & distinctè ejus receptaculum & sedem, an scilicet is limbus patrum futurus esset, an gehenna: q. d. Cras tu & filii tui moriemini, & apponemini ad mortuos, ac mecum eritis in loco statuque mortuorum, putà apud inferos; sed dispari sorte & receptaculo: ego enim in limbo sum, tu descendes ad gehennam. *Nec enim ibi Saul malus, ubi Jonathas bonus meruit recipi*, ait Beda. Et S. August. loco citato ad Simplic. Τò *mecum eris*, inquit, *non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur; quòd uterque homo fuerit & uterque mori potuerit, jamque mortuus mortem vivo prænuntiabat.*

Samuelis elogia. Ex dictis patet, quantam laudem & gloriam mereatur Samuel. Theodor. qu. 54. in lib. 1. Reg. eum non tantùm sanctissimum, sed & *divinissimum* nuncupat. Philo lib. de Temulentia, *regum Prophetarumque maximum*, imò homine sublimiorem. *Samuel*, inquit, *fortassis homo: accipitur tamen non ut compositum animal, sed ut mens solo Dei cultu ac ministerio gaudens.* Sic Moysen idem Philo libr. 1. Vitæ ejus, scribit *stupori fuisse omnibus familiaribus, tamquam novum naturæ miraculum incertis, qualis mens habitaret in ejus corpore, humanane an divina.* Subdit Philo de Temulentia, Samuelem Nazaræum fuisse, ac nec vinum nec siceram bibisse usque ad finem vitæ. causam adjicit: *Adscriptus est enim in divinum exercitum, qui numquam imperatoris sapientissimi providentia destituitur.* Denique Samuel tanti erat apud Deum meriti, ut oratio ejus efficacissima Moysis orationi validissimæ, qua toti Israeli, ob adoratum vitulum à Deo neci destinato, veniam impetravit Exodi 32. æquetur à Jerem 15. 1. *Si steterit*, inquit, *Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Causam dat S. Gregor. homil. 27. in Evang. quòd mansuetus fuerit ut Moyses, ac pro inimicis suis Deum exorarit. Quocirca S. Chrysost. hom. 2. de Sacerdot. de Samuele agens, eum fuisse asserit, *qui reliquos anteiret bonitate ac moribus, tantoque intervallo omnes retrò Sanctos antecellere videretur, quantum in segetibus felices eminent spicæ.*

CAPUT QUADRAGESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Encomium Nathan, deinde Davidis v. 2. usque ad v. 14. Inde Salomonis & Roboam partim elogium, partim vituperium usque ad finem capitis.

1. Post hæc surrexit Nathan propheta in diebus David. 2. Et quasi adeps separatus à carne,
sic David à filiis Israel. 3. Cum leonibus lusit quasi cum agnis: & in ursis similiter fecit sicut
in agnis ovium, in juventute sua. 4. Numquid non occidit gigantem, & abstulit opprobrium de
gente? 5. In tollendo manum, saxo fundæ dejecit exultationem Goliæ: 6. Nam invocavit Dominum omnipotentem, & dedit in dextera ejus tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu
gentis suæ. 7. Sic in decem millibus glorificavit eum, & laudavit eum in benedictionibus Domini,
in offerendo illi coronam gloriæ: 8. contrivit enim inimicos undique, & extirpavit Philisthiim contrarios usque in hodiernum diem: contrivit cornu ipsorum usque in æternum. 9. In omni opere dedit confessionem Sancto, & Excelso in verbo gloriæ. 10. De omni corde suo laudavit Dominum,
& dilexit Deum, qui fecit illum: & dedit illi contra inimicos potentiam: 11. & stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos. 12. Et dedit in celebrationibus decus, &
ornavit tempora usque ad consummationem vitæ, ut laudarent nomen sanctum Domini, & amplificarent manè Dei sanctitatem. 13. Dominus purgavit peccata ipsius, & exaltavit in æternum
cornu ejus: & dedit illi testamentum regni, & sedem gloriæ in Israel. 14. Post ipsum surrexit filius

lius sensatus: & propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum. 15. Salomon imperavit in
diebus pacis, cui subjecit Deus omnes hostes, ut conderet domum in nomine suo, & pararet sancti-
tatem in sempiternum: quemadmodum eruditus es in juventute tua, 16. Et impletus es, quasi
flumen, sapientia, & terram retexit anima tua. 17. Et replesti in comparationibus ænigmata:
ad insulas longè divulgatum est nomen tuum, & dilectus es in pace tua. 18. In cantilenis, & pro-
verbiis, & comparationibus, & interpretationibus, miratæ sunt terræ, 19. Et in nomine Domini
Dei, cui est cognomen, Deus Israel. 20. Collegisti quasi aurichalcum aurum, & ut plubum com-
plesti argentum, 21. Et inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo, 22.
Dedisti maculam in gloria tua, & profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, & inci-
tari stultitiam tuam, 23. Ut faceres imperium bipartitum, & ex Ephraim imperare imperium du-
rum. 24. Deus autem non derelinquet misericordiam suam, & non corrumpet nec delebit opera sua,
neque perdet à stirpe nepotes electi sui: & semen ejus qui diligit Dominum, non corrumpet. 25.
Dedit autem reliquum Jacob, & David de ipsa stirpe. 26. Et finem habuit Salomon cum patribus
suis. 27. Et dereliquit post se de semine suo, gentis stultitiam, 28. Et imminutum à prudentia,
Roboam, qui avertit gentem consilio suo; 29. Et Ieroboam filium Nabat, qui peccare fecit Israel,
& dedit viam peccandi Ephraim, & plurima redundaverunt peccata ipsorum. 30. Valdè averterunt
illos à terra. 31. Et quæsivit omnes nequitias, usque dum perveniret ad illos defensio, & ab om-
nibus peccatis liberavit eos.

Encomium Nathan.

Vers. 1. POST HÆC SURREXIT NATHAN PROPHETA IN DIEBUS DAVID] Pro *Propheta* Noster cum Complut. legit in Græco ὁ προφήτης, jam Romani, Tigurina & alii legunt προφητεύειν id est *prophetare*. Rursum pro *post hæc*, Græca legunt μετὰ τοῦτο, id est *post hoc*, vel μετὰ τοῦτον, id est *post hunc*, scilicet Samuelem. Unde vertunt, *post hunc surrexit Nathan, ut prophetaret in diebus Davidis*; Vatablus, *post hunc exortus est Nathan qui tempore Davidis functus est munere prophetico*; Syrus, *post illum surrexit Nathan Propheta, ad audire faciendum* (vel ad præcipiendum, ad præmonendum, ad prædicendum) *coram David*.

Siracides sicut cap. præced. Sauli præmisit Samuelem, sic hic Davidi præmittit Nathan prophetam: quia, sicut Samuel Sauli recti regiminis omnisque boni causa extitit, sic & Nathan Davidi. Unde politicè discimus, salutem & felicitatem regum & regnorum in eo consistere, si habeant non tantùm consiliarios politicè justos & sinceros, sed & Prophetas, putà sanctos Pontifices, concionatores, confessarios, viros religiosos & divinos, qui eis ex Deo quid agere, quid cavere debeant, denuntient: ac proinde reges & principes tales sibi omni studio accersere debere, eos audire, illis obsequi, si suæ conscientiæ & subditorum saluti consultum velint. Ita Constantinus Magnus sibi accersivit S. Silvestrum, Theodosius S. Ambrosium, Arcadius S. Chrysostomum, Clodovæus S. Remigium, Hermenegildus ceterique reges Hispaniæ S. Leandrum, S. Isidorum, S. Ildephonsum, similesque sanctos & theodidactos Antistites, quorum consiliis & monitis regna tam fide, virtute & pietate, quàm opibus, victoriis omnique rerum copia floruere.

Porrò Nathan hic fuit eximius Propheta, ideoque datus à Deo pro insigni dono Davidi, ut ejus esset monitor & director. Unde & *Nathan* hebr. idem est, quod *datus* vel *donum*: datus enim fuit Davidi, ut Samueli jam defuncto, qui Davidem in regem inunxerat, succederet ad prophetandum tum propriè, scilicet ad prædicendum futura, uti prædixit eidem posteritatem regiam continuam & perennantem, 2. Reg. 7. tum metaphoricè, scilicet ad docendum, monendum, consulendum & exhortandum Davidem, uti eum magna spiritus libertate & fortitudine monuit, & corripuit de homicidio Uriæ & adulterio cum Bethsabee, eumque ad pœnitentiam sanamque & sanctam mentem reduxit, 2. Reg. 12. Quocirca David moriturus jussit Salomonem filium inungi in regem à Nathan propheta, & à Sadoc pontifice, 3. Reg. 1. 32. Denique integritas & sinceritas Nathan liquet ex eo, quòd cùm rogatus à Davide de templo fabricando annuisset, eumq; ex Deo incitasset ad fabricam; mox ut à Deo contrarium audiit, sententiam suam retractavit, 2. Reg. 7. 5. Quocirca omnes Interpretes consentiunt, Nathan Prophetam Davidi regi fuisse perfamiliarem & assiduum, ac apud Davidem grave & fidele fuisse ejus consilium, utpote cum quo partiri curas, & de summis rebus deliberare consuesset. Idque satis indicat Script. 2. Reg. 7. 2. & Siracides hic, cùm ait Nathan surrexisse, ut esset Propheta in diebus David, ut scilicet regi in regendo esset socius, auxiliaris, imò pædagogus, monitor & præceptor, uti

A docet noster Pineda li. 1. de Rebus Salom. c. 19. n. 6. Quippe cùm rex, inquit, in summo & in lubrico positus periclitetur, ac multis animi morbis, ut qui maximè, obnoxius sit, Propheta indiget, qui regem sustineat, qui lapsum contineat, qui ægrotanti salutarem consilii & correptionis medicinam faciat. Neque verò sine causa dictum est Eccli. 47. 1. *Surrexit Nathan propheta in diebus David*. Non enim ideò dicitur, quo tempore floruerit, aut sub quo rege, ut fides concilietur illius prophetiæ; quemadmodum initiis prophetarum tempus & ætas principum sæcularium notatur, quippe nullum amplius verbum de Nathan subjungitur. Sed ut tum regis indigentia significaretur, tum Prophetæ laboriosissimum regi assistendi, illi convivendi, & illum admonendi, corrigendi, curandi, onus à Deo impositum. Ita S. Epiphan. libr. de Vita & morte Prophetarum: *Nathan*, inquit, *Propheta in lege Domini Davidem instituit*.

Encomium Davidis.

ET QUASI ADEPS SEPARATUS A CARNE; SIC DAVID A FILIIS ISRAEL] Pro *separatus* aliqui legunt *saturatus à carne*, quia adeps carne pascitur & quasi saturatur: subtilior enim, tenerior & melior pars carnis & sanguinis convertitur in adipem. unde adeps est in carne quod pollen in farina, medulla in osse, flos in arbore, vitelius in ovo, stacte in myrrha, lacryma in vino. Verùm græcè est ἀφωρισμένον ἀπὸ σωτηρίου, id est *separatus a salutari*, putà ab hostia pacifica, quæ pro salute personæ, familiæ vel regni offerebatur, Levit. 3. quam proinde Vatablus vocat hostiam felicem: ad eam enim hic respicit. q. d. Sicut adeps è victimis pacificis per sacerdotem separabatur à carne, ut Deo adoleretur: ita David ex universis Israelitis à Deo selectus & dilectus fuit: in hostia enim salutari sive pacifica, solus totusque adeps cedebat & cremabatur Deo, reliqua caro cedebat partim sacerdotibus, partim offerentibus. Unde Rabanus legit, *quasi adeps salutaris* (id est hostiæ pacificæ) *separatus à carne*: quo *ostendit*, inquit, *eum gratia Spiritus sancti repletum, a carnalium & peccatorum hominum consortio in moribus & vita sequestratum esse & alienum*. Sic enim habent Græca, *sicut adeps separatus a salutari* (ab hostia pacifica,) *sic David* separatus & secretus fuit) *a filiis Israel*. Prima hæc est laus Davidis, quòd ut adeps fuerit selectus & electus à Deo. Arabicus, *velut præcellentia adipis super sancto*, Syriacè *super phares*, id est, *super carne divisa & incisa*, quæ erat sancta, id est Deo sacra & consecrata, *sic præcelluit David super Israel*. Unde ex Arabico & Syro sic vertas, *sicut excellentior est adeps sancto*, (id est carne sancta quæ offertur Deo,) *sic excelsior est David Israële*.

Vers. 2.

B

C

Davidis laus. Prima.

Tropol. noster Alvarez de Paz tractat. de Obedientia li. 5. p. 2. cap. 4. per adipem separatum & consecratum Deo accipit Religiosum, utpote qui totum se Deo dicavit: Sæcularis, inquit, sanctus est, sicut caro sacra Deo in hostia pacifica oblata, quæ partim in usum sacerdotis cedebat, partim ab ipso offerente cum gratiarum actione comedebatur. Religiosus verò obediens est sicut adeps multo sacratior, quem totum ignis in honorem Dei absumebat. Atque adeò vita obedientis est verum merumque holocaustum, & obedientia illum planè beatum facit; quoniam simi-

similem beatis spiritibus, & toto tempore Deo deditum & illi consecratum constituit. Talis adeps fuit S. Anselmus, qui lib. de Similit. cap. 84. *Domine*, inquit, *mea hactenus potestatis erat, quodque mihi libebat bonum malumque faciebam. Verum quia tuus omnino debeo esse, tibique soli tantum bona opera fructificare, me totum tuæ trado potestati, ut amodò tibi fructificem. Quod ut melius tibi facere valeam, me uni ex Ecclesiæ Prælatis subdam, qui me custodiens ea tantùm opera doceat agere, quæ tibi noverit magis placere.*

Adipis sacri & Davidis analogia. Prima. Porrò rectè David comparatur adipi hostiæ pacificæ: Primò, quia sicut adeps est optima & sapidissima pars carnis; sic David optimus fuit Israelitarum.

Secunda. Secundò, sicut adeps hic dicatus erat Deo, cùm cetera caro cederet hominibus: sic David totum se Deo, Deique voluntati, amori & laudi dicavit. Unde Deus de eo gloriatur: *Inveni David filium Jesse virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, 2. Reg. 13. 22.

Tertia. Tertiò, adeps ob candorem, symbolum est puritatis; ob separationem à carne, sanctitatis angelicæ, quæ fuit in Davide: David enim non quærebat quæ sua sunt, uti faciebant ceteri, sed dumtaxat quæ Dei; unde illius amori & obsequio se totum impendit & superimpendit. Quocirca S. Chrysost. homil. de Davide & Saule, cùm Davidem *separatum a carne* contemplatur, angelum sibi efformat illustrem in cælo, illustrem in terra, eumque asserit ad Evangelicæ philosophiæ fastigium pervenisse animi moderatione; millies meruisse martyrii coronam, qui Saulem hostem acerrimum, suum jugulum quotidie petentem, propter Deum noluerit occidere: denique hominem in natura humana vitam præstitisse angelicam.

Addit Pineda de Rebus Salom. lib. 1. cap. 2. num. 3. per adipem separatum à carne amplificari admirabilem Davidis sanctitatem, eò quòd, teste Galeno lib. 2. de Nat. facult. c. 3. adeps exanguis sit, cùm tamen generetur ex sanguine: qui cùm humidior sit, & vitæ quoddam quasi pabulum & irrigatio, partibus nervosis & membranosis est affusus, quippe siccioribus & tenuioribus pingui illo nativo humectandis, ne celeriter inediis & exercitationibus exsiccatæ indurescerent. Præterea sui semper est similis, sine dolore, sine sensu. Vides hic repræsentatum vitæ supra humanum candorem precantis regis: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus meus.* Et, *ut fieret cor eius immaculatum*, ac denique *non acquiescentem carni & sanguini*. Vides regiam mansuetudinem, & mollissimorum viscerum benignitatem affusam pauperibus & tenuioribus, sustentantem, sublevantem, reficientem laborantes: semper sui similem erga Deum, erga homines, sive felicem, sive ærumnosum: denique ita erga Saulem hostem atque inimicos erecto, alacri, benefico animo, ac si sine iniuriarum ac malorum dolore, & sine ullo esset sensu rerum humanarum. Quid in tanta sanctitate similius adipis sancti separati à carne?

Quarta. Quartò, adeps symbolum est optimi regis & principis: Nam, si adipis in medicinis usus humanæ vitæ salutares, ad optimi & sanctissimi principis officia in rempubl. transferas, quid non invenies in Davide, quod ad populi sibi subjecti salutem & incolumitatem non faciat? Quæcumque, inquit medicus, benè nutriuntur, adipem obtinent. *Galenus de Simpl. medic. facult. li. 10.* Ubi igitur princeps virtutem adipis habet, bene nutritur populus, bene pascitur: ubi adipis officium & vicem suis subditis præstat, non macrescit respubl. nullos contrahit morbos doloresve, qui principis seu adipis beneficio & opera levari, molliri, concoqui non valeant.

Quinta. Denique sicut adeps est pinguissimus, adeoque tota carnis pinguedo: sic David ardens charitate, diffluens devotione, pietate in Deum, æquè ac misericordia in proximos (utriusque enim symbolum est adeps) excelluit, uti patet ex ejus Psalmis, qui non aliud quàm devotionem in Deum, & amorem in proximum spirant. Propriè autem adeps Deo dicatus ex qualibet victima, significabat intentionem in quovis opere dirigendam esse ad Deum, ut scilicet opus fiat purè ad honorem & gloriam Dei, uti dixi Levit. 3. 17. quod præstitit præ aliis David. Quocirca ipse ab amore & dilectione nomen accepit: David enim hebr. idem est quod dilectus. Unde & filius ejus Salomon dictus est *Jedidia*, id est, *amabilis Domino*, *eò quòd diligeret eum Dominus*. 2. Reg. 12. v. 25. licet S. August. lib. 22. contra Faustum c. 87. & in psal. 34. David interpretetur manu fortem, vel desiderabilem.

VERS. 3. CUM LEONIBUS LUSIT QUASI CUM AGNIS: ET IN URSIS SIMILITER FECIT SICUT IN AGNIS OVIUM, IN JUVENTUTE SUA] Græcè, *cum leonibus lusit quasi cum bœdis, & cum ursis quasi cum agnis, ovium*, sicut à venatore leones & ursi venabulo conficiuntur. Unde Arabicus vertit, *occidit leones cum ursis velut agnos, ut gigas in adolescentia sua*; Syrus, *leones quasi hœdos occidit, & ursos quasi agnos in pueritia sua.* q. d. David juvenis pascens oves, adeò fuit fortis, alacer & animosus, ut sine labore & timore quasi jocando & ludendo interfecerit leonem & ursum gregem invadentes, 1. Reg. 17. 34. Est enallage numeri: *cum leonibus*, id est cum leone: *cum ursis*, id est cum urso: sed dicit, *cum leonibus & cum ursis*, tum ad auxesin elogii & carminis; tum, quia qua facilitate unum, eadem plures potuit occidere, ac, ut videtur, revera plures occidit, uti innuitur 1. Reg. 17. 34. ubi David ait Sauli: *Pascebat servus tuus gregem patris sui, & veniebat leo vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam.* quæ verba rem non semel dumtaxat, sed sæpiùs factam & quasi solitam significant, uti advertit ibidem noster Sanchez & Abulensis. Qui & addit, hanc fortitudinem non tam naturalem fuisse, quàm miraculosè Davidi inditam, cùm ipse à Samuele unctus fuit in regem, tunc enim *directus est spiritus* (fortitudinis æquè ac sapientiæ) *Domini à die illa in David, & deinceps*, 1. Reg. 16. 13. ac mox cap. 17. subjungitur lusus Davidis cum leone & urso.

David lusit cum leonibus.

Nota catachresim, qua lusus ponitur pro certamine & pugna: hæc enim est lusus militum & fortium. Sic 2. Reg. 2. 14. ait Abner ad Joab: *Surgant pueri, & ludant coram nobis*; *ludant*, id est duellent: duellum enim est ludus spectantium: sic lupus ludit cum ovibus, canis cum lepore, felis cum mure, cùm eum laniat & vorat. Porro vox *lusit* significat Davidis non modò virtutem ac juvenile robur, sed singularem quoque dexteritatem ac strenuitatem. Quippe qui *per modum ludentis facili conatu ac delectabiliter leonem occiderit, ac si agnum [interfecisset: & in ursis similiter fecerit sicut in agnis ovium*, inquit Hugo & Dion.

Allegor. *Christus leonem & ursum strangulavit, quando ad inferna descendens omnes de eorum faucibus liberavit*, ait S. August. serm. 197. de Temp. Huc facit Apophthegma R. Juda in *Pirke aboth*, id est in Apophtheg. patrum; *Audacem te oportet esse ut pardum, alacrem ad cursum & expeditum pedibus quasi capream: sicut aquilam regiam & solarem volucrem, omnia præ agilitate corporis penetrantem: denique ad instar leonis cuiusdam strenuum ac bellicosum, fortem & magnanimum ad mandandum executioni Dei ac patris tui voluntatem.*

Sic & Sancti. Exempla. Simili modo viri obedientia, innocentia & sanctitate eximii lusere cum leonibus. Joannes Anachoreta ab Abbate per jocum jussus adducere leænam, protinus ad eam accedens; *Abbas meus*, inquit, *præcepit ut alligem te, & perducam ad eum*: quare eam cepit, ligavit & ad Abbatem perduxit. hæc est vis, hic lusus obedientiæ, ita Ruffinus lib. 3. Vitar. SS. Patr. num. 17. Gerasimus (falsò alii qui vicinia nominis decepti, id adscripsere S. Hieronymo) Abbas leoni spinam è pede evellens, ita eum cicuravit, ut clitellas instar asini dorso ferret; ac moriente Gerasimo & sepulto, sepulturæ ejus incumbendo leo, lugens ejulansque eidem quasi hero, imò patri suo commoreretur & consepeliretur. ita Joannes Moschus in Prato spirituali cap. 107. Cùm S. Antonius sepelire vellet S. Paulum primum eremitam, accurrerunt ad eum duo leones, qui fossam unguibus effoderunt, in qua Paulus sepeliretur, ac dejecta cervice benedictionem ab Antonio postulantes, ea impetrata læti ad sua redierunt. ita S. Hieron. in Vita S. Pauli. Idem Moschus cap. 58. narrat Julianum Stylitam jussisse leoni multa damna provinciæ inferenti, ut ex provincia excederet; ac leonem obedientem ilicò excessisse. S. Sabbas Abbas sub vesperam ingressus cavernam, in qua leo suos alebat catulos, jussit leoni vel secum manere; vel, si id nollet; sibi locum cedere. cessit leo, & cum catulis excessit in aliud spelæum, ita habet ejus Vita. Simeon Priscus hospitibus à via aberrantibus duos leones, quasi ludens viæ duces assignavit, qui proinde eos securè recto itinere deduxerunt. Eidem leo in spelunca jussus locum cedere cessit, quin & botrum attulit dactylorum. ita Theodor. in Philotheo c. 6.

Ita Sancti ludunt cum leonibus, lupis & feris eisque imperant tamquam servis Domini, Dei, amici, imò patris

sui,

sui? Tanta est virtus innocentiæ & sanctitatis, ex qua Adam primitus, & quicumque postmodum ad primævam integritatem accesserunt, bestiis & feris, qua famulis suis, vice Dei imperarunt & dominati sunt.

Sic S. Franciscus lusit cum avibus & lupis: Eugubii enim lupum populo mirè infestum cicuravit inito cum eo, quasi animal rationale esset, pacto, quòd ille nullum læderet vivens, & vicissim cives illum alere tenerentur. Ita conventum in publico foro inter utrosque, præmissa concione, qua vir sanctus ostendit animalia hæc ferocia subinde à Deo immitti, ut peccantem populum sui moneat officii, & ad vitam honestam reducat. Vixit per biennium inter eos ingrediens & egrediens lupus, sua contentus refectione quotidie sibi à civibus præstita: ad cujus conspectum omnes excitabantur ad Dei laudes, & majorem S. Francisci reverentiam, qui de more eum fratrem lupum appellabat: ob creationem enim omnibus communem, creaturas quaslibet vocabat fratres & sorores, utpote filios unius Dei creatoris. ita Waddingus in Annal. Minorum anno Domini 1222. num. 18. qui & subdit, porcam à S. Francisco maledictam, eò quòd agniculum occidisset, ilicò ægrotare cœpisse, ac tertio die mortuam.

Moral. vincunt leones qui graves difficultates fortiter superant.

Moraliter, viri fortes & magnanimi ludunt cum leonibus, quando occurrentes in via Dei & virtutis difficultates, persecutiones, obices quantumvis arduos, heroicè illæsi & quasi ludibundi transscendunt & superant, dicentes: *Omnia vincit amor* (Dei.) *& nos cedamus amori*. Suus ergo cuique leo datus, isque superandus est. Sic S. Antonius dæmonibus in specie leonum & luporum sibi insultantibus illusit, eosque irridens dissipavit. Dæmon enim, si eum timeas, terribilis erit ut leo; sin despicias, infirmus & abjectus erit ut formica. Unde myrmecoleon, id est formica leo, vel formicarius leo, vocatur à Septuag. Job 4. v. 11. uti ibidem explicat S. Gregor. Audi S. Antonium apud S. Athanas. *Una*, inquit, *est ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, & animæ Dominum semper cogitantis ingis recordatio, quæ dæmonum ludos quasi fumum expellet*.

Secunda laus Davidis.

Secunda est hæc laus Davidis, quòd leones & ursos quasi ludens interfecerit. Sequitur tertia de prostrato Goliath.

VERS. 4. NUMQUID NON OCCIDIT GIGANTEM, ET ABSTULIT OPPROBRIUM DE GENTE?
VERS. 5. IN TOLLENDO MANUM, SAXO FUNDÆ DEJECIT EXULTATIONEM GOLIÆ] Syrus, *movit manum suam funda, & contrivit universam superbiam Goliæ*. q. d. David juvenculus occidit gigantem Goliath, qui exprobrabat castris Saul, & Hebræorum infirmitatem & ignaviam, ac singulos eorum provocabat ad duellum. idque fecit expeditè & facilè, scilicet extollendo dumtaxat manum, eaque rotando fundam, qua saxum ita validè & dexterè intorsit, ut illud infixerit in frontem Goliath, itaque eum prostraverit, ac proprio gladio caput illi amputarit. Nota. Pro *exultationem* græcè est γαυρίαμα, quod tam superbiam, ut vertit Vatablus, & jactantiam, quàm exultationem significat. Prodibat enim in duellum contra Davidem Goliath exultabundus & jactabundus, contemnens Davidis juventutem, quasi certus de victoria, & ilicò eum mactaturus; sed David hunc ejus fastum & exultationem retudit, tum voce audacter ei necem comminando: *Veni*, inquit, *ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestiis terræ*; tum lapide, quo eum in terram dejecit.

Tertia laus Davidis.

Ubi Nota Primò, prudentiam bellicam in Davide: cùm enim parvus & inermis, impar esset Goliath giganti & armato, nec cominus cum eo pedem conferre posset; eminùs rem gessit, & jactu lapidis hostem prostravit, uti nunc faciunt sclopetarii, qui licèt debiles validissima hostium corpora glande plumbea sternunt.

Goliath conflatus ex arrogantia.

Adverte. Pro *Golias* dicit *exultationem Goliæ*, ac si illo in homine nihil esset nisi arrogantia, plusque superbiæ atque elationis haberet ille, quàm carneæ molis & roboris. Quamobrem David non gigantem, sed gigantis arrogantiam & elationem dejecisse ac peremisse videtur. Goliath immanior gigas pravo & superbo judicio suo, quàm corpore fuit. Appositè regius Vates cecinit: *Decidant à cogitationibus suis*, psal. 5. *Prophetia est, non maledictio*, ait S. August. Exitus hic nimirum est superborum, qui tandem ex altissimis æquè ac vanissimis suarum cogitationum in ipso fundatis vento castellis ac montibus, in immensam calamitatum profunditatem miseri præcipitantur. Hoc est, quod in Moab arguit Isaias c. 16. *Audivimus superbiam Moab: superbus est valdè: Superbia ejus & arrogantia ejus plusquam fortitudo ejus*. Ubi S. Cyril. *Bellum*, ait, *gerit Deus cum superbis, & pugnat cum iis, qui de se modestè sentire nolunt; imò frustra intumescunt, & altè tollunt supercilium, suæque naturæ ignorant imbecillitatem*. Huc facit proverbium vulgò celebre: *Gigantum arrogantia*.

Goliath an lapide, an gladio occisus?

Nota Secundò. Siracides dicit, *Saxo fundæ dejecit exultationem Goliæ*; non autem dicit, Saxo occidit Goliath. Unde nonnulli cum Josepho censent, Goliath ictu lapidis non fuisse occisum, sed prostratum dumtaxat & sopitum, quem deinde David gladio amputando caput occiderit. Alii tamen censent Goliath ipso lapidis ictu fuisse occisum, quia David tanto impetu lapidem vibravit in frontem Goliæ, ut is fracto osse fixus hæreret in cerebro, illudque pariter frangeret & dissiparet: fracto autem cerebro necesse est hominem emori. ita censent Theodor. Abulens. & noster Salianus in historia Davidis. Priori sententiæ magis favet Script. 1. Reg. c. 17. v. 50. dicens: *Tulit gladium ejus, & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum*. Ergo gladio, non lapide occisus est Goliath; ut qui in eodem superbè gloriabatur, eodem miserè interiret. Ita David lusit cum Goliath, sicut luserat cum leone & urso; adeoque ille lusus cum feris, hujus cum gigante fuit specimen & præludium. Præclarè S. August. lib. 8. Confess. cap. 3. *Triumphat*, ait, *victor imperator, & non vicisset nisi pugnavisset. Et quanto majus periculum fuit in prælio, tanto majus gaudium est in triumpho*.

VERS. 6. NAM INVOCAVIT DOMINUM OMNIPOTENTEM, ET DEDIT IN DEXTERA EJUS TOLLERE HOMINEM FORTEM IN BELLO (Syrus, *dedit in manu ejus fortitudinem ad occidendum gigantem belligerum*) ET EXALTARE CORNU GENTIS SUÆ] *Dedit in dextera ejus*, scilicet κράτος, ut habent Græca, id est *robur*. Hinc patet, Davidem prostravisse Goliath viribus non suis, sed Dei: invocans enim Deum ante duellum, hausit ab eo tantum robur, ut unius lapidis ictu turrim carneam (sic enim Goliath vocat S. Chrysost. homil. 45. ad Popul.) dejecerit, & è medio sustulerit, eaque ratione extulerit *cornu*, id est robur, vires, castra, decus & gloriam, *suæ gentis*, putà Hebræorum. Ex hoc loco liquet, Davidem ante duellum humili & fervida prece invocasse Dei opem, ac suis diffisum viribus, fisum divinis, alacrem in prælium procurrisse; etsi id taceatur in libb. Regum. Atque hæc fuit causa tum roboris illi additi, tum victoriæ per illud obtentæ. Adde, publica illa protestatio Davidis, qua contra Goliath procedens ait: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem* (inermis) *venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te* (ex quibus verbis liquet, Davidem à Deo promissionem victoriæ accepisse, ideoque intrepidè iniisse duellum tot titulis imper.) interpretativa fuit Dei & divini auxilii invocatio. Denique tradunt, vel fabulantur Rabbini, Davidem lapidibus suis, quibus dejecit Goliath inscripsisse nomen Dei & Patriarcharum, putà Abraham, Isaac, Jacob, Mosis, Aaron & suum, itaque eum superasse. Idem tradit Philo, vel potiùs Pseudophilo in Antiquitat. Biblicis.

Imitentur Davidem duces & milites, ut Dei opem invocent ante prælium; item fideles quilibet dum in tentatione contra mundum, carnem & dæmonem decertant: oratio enim dat robur ad vincendum. Si hoc robore utantur, eique strenuè cooperentur; si, inquam, tantis animis, quantis David, invadant suum Goliath, putà suum vitium capitale, sive illud superbia sit, sive gula, sive acedia, utique illud superabunt & resecabunt. Ita S. VVencesslaus rex Boemiæ, à Radislao Duce Curmiensi Boemiam invadente provocatus ad duellum, illud acceptavit, ut bellum duello, & populi periculum suo unius redimeret. Deo igitur suppliciter invocato, equum vir sanctus conscendit: ac mox adversarius ejus vidit illi ab angelo hastam porrigi, se verò ab eodem hac voce moneri: *Noli ferire*. Quo viso perterritus, ex equo desiliit, ac ad pedes Sancti procidit veniam petens: quem ad parcendum quam ad ulciscendum paratiorem invenit. ita habet Vita S. VVencesslai.

S. VVencesslaus per angelum in duello victor.

Hinc patet, Davidis hoc duellum cum Goliath fuisse licitum & sanctum, tum, quia instigante Deo initum; tum, quia auctoritate regis Saulis ad necessariam reipubl. defensionem susceptum. Secùs est de duellis quæ privata auctoritate, ad privatæ injuriæ vindictam capessuntur: hæc enim planè illicita, injusta & scelerata sunt, ideoque

gravissimis pœnis à sacris Canonibus & Concil. Tridentino castigata.

Vers. 7. SIC IN DECEM MILLIBUS GLORIFICAVIT EUM, ET LAUDAVIT EUM IN BENEDICTIONIBUS DOMINI, IN OFFERENDO ILLI CORONAM GLORIÆ] Ita legunt Roman. item Græci Complut. & Roman. scilicet οὕτως, id est *sic*, hoc est, hac de causa, propterea, scilicet propter profligatum Goliath. Simile est Joan. c. 4. v. 6. *Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem: sic*, id est propterea, scilicet propter fatigationem sedebat. Pro οὕτως, Tigurina legit αὐτῷ, id est, *ei*, scilicet λαὸς, id est populus vel gens, quæ præcessit, aut Deus: unde vertit, *is ei gloriam tribuit decem millium (cæsorum*, inquit Vatabl.) *& commendationibus Domini*, id est suis, *reddidit laudabilem, & ei diadema gloriæ detulit*. Sensus est q. d. Populus, & Deus per populum (putà movens & incitans ad hoc populum) Davidem ob cæsum Goliath *glorificavit in decem millibus*, id est perinde ac si decem millia Philistinorum percussisset. tanti enim æstimabatur unus Goliath, eò quòd ipse tota Hebræorum castra sui timore perculisset, dum singulos eorum provocavit ad duellum. quod nemo ausus fuit acceptare, nisi solus David, qui eo prostrato tota Hebræorum castra metu & probro liberavit, ac in certam victoriæ spem erexit. Alludit ad id quod populus Davidi à duello cum triumpho revertenti aclamavit: *Percussit Saul mille, & David decem millia*, 1. Reg. 18. unde Syrus, *propter hoc laudaverunt eum mulieres in decem millibus; Modicum præliatus est, & contrivit hostes sibi undique circumstantes*.

Rursum Deus per populum *laudavit Davidem in benedictionibus Domini*, id est suis, (est hebraismus in Scriptura creber & obvius) hoc est, ingentibus, divinis, Deoque dignis, quando scilicet obtulit *illi coronam gloriæ*, id est regiam dignitatem & coronam, creando illum regem Israelis: hæc enim regni oblatio magna fuit laus & benedictio Davidis; tum enim populus laudans acclamavit Davidi: Vivat rex David, vivat Goliæ victor, vivat domitor Philistinorum. Alludit ad psalm. 20. v. 3. quo populus ad literam gratulatur salutem & victoriam Davidi; & Allegor. Christo pro hominum redemptione. ita S. Augustin. Hieron. Athanas. & Euseb. ibidem. Ait enim: *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso*. Sensus est: Nos Israelitæ gratulamur Davidi victori & regi nostro, *quoniam tu Domine prævenisti eum in benedictionibus*, id est beneficiis, *dulcedinis*, græcè χρηστότητος, id est bonitatis & benignitatis, scilicet Dei. q. d. Beneficiis benignissimis & dulcissimis benignissimi & dulcissimi Dei prævenisti Davidem ante ejus meritum, imò antequam ipse peteret; dum effecisti ut omnium bonorum affluentia ei ultrò obveniret, ac præsertim dum eum regem creasti, & coronam regiam è gemmis pretiosis adornatam capiti ejus imposuisti. Est hæc quarta laus Davidis, putà acclamatio populi gloriosa, & oblatio regni: regnum enim ei à toto populo delatum est.

Quarta laus Davidis.

Vers. 8. CONTRIVIT ENIM INIMICOS UNDIQUE, ET EXTIRPAVIT PHILISTHIIM CONTRARIOS USQUE IN HODIERNUM DIEM: CONTRIVIT CORNU IPSORUM USQUE IN ÆTERNUM] Syrus, *usque hodie*: Græca omisso τῷ *enim* sic habent, *Contrivit inimicos in circuitu & ἐξουδένωσε*, id est destruxit, extirpavit, & *ad nihilum redegit, Philisthiim adversarios: usque hodie contrivit cornu eorum*. Est hæc quinta laus Davidis, scilicet quòd Philistæos dominantes Israeli, eique ob cæsum Saulem regem insultantes compresserit, imò contriverit; non quòd omnes occiderit, sed quòd fortissimis eorum cæsis reliquos sibi & Israeli subjugarit, adeoque attriverit *cornu*, id est, vires, regnum & gloriam ipsorum, ut deinceps ampliùs Hebræis imperare nequiverint.

Quinta.

Noster nervosiùs addit τὸ *enim*, significat enim causam, cur populus ita glorificarit Davidem, ut eum regem suum crearit, quia scilicet ipse cecidit Goliath; viresque Philistæorum, qui perpetui fuere hostes Israelis, assiduis præliis & victoriis detrivit: iis enim meruit rex creari. Unde & rex factus cœpta prosecutus, eosdem prorsus profligavit, juxta illud 2. Reg. 8. 1. *Percussit David Philisthiim, & humiliavit eos, & tulit David frænum tributi de manu Philisthiim*.

Elogia Stephani Battoræi. Quocirca eadem & plura elogia tribuas Davidi, quæ nuper Stephano Battoræo invicto Poloniæ regi, Moscorum domitori, & Turcarum terrori attribuit Stanislaus Rescius li. 3. Vitæ Cardin. Hosii sub finem c. 10. *Rex*, inquit, *omnium sæculorum memoria & prædicatione dignissimus. Omnium planè regiarum & heroicarum virtutum laudibus & exemplis ad imitandum abundans. In Ecclesia Dei plusquam sacerdos. In republica plusquam rex. In exercitu plusquam imperator. In acie plusquam miles. In iudicio plusquam Iurisconsultus. In dicendis sententiis plusquam senator. In adversis ferendis plusquam vir. In publica tuenda libertate plusquam civis. In amicitiis colendis plusquam amicus. In convictu plusquam familiaris. In venatione plusquam leo*.

Vers. 9. IN OMNI OPERE DEDID CONFESSIONEM SANCTO, ET EXCELSO IN VERBO GLORIÆ] Syrus, *propter hoc dedit verba in voce confessionis & honoris*, putà gratiarum actionis & laudis. Vatablus, *in omni opere suo laudem summo numini honorifica oratione tribuit*. Sexta est hæc laus Davidis, q. d. David omnem suam fortitudinem, omnem victoriam de Goliath & Philistæis, omnia præclara sua facinora attribuit, non sibi, sed Deo: quocirca in omni opere *dedit confessionem*, id est laudem, *Sancto*. q. d. Totam operis laudem adscripsit Deo, non sibi; Deo, inquam, qui est sanctus per essentiam, ideoque omnium sanctorum & heroicorum operum, quæ David & Sancti faciunt, fons, scaturigo & causa. *Et Excelso in verbo gloriæ*. q. d. David omnium præclarorum & excelsorum operum suorum gloriam assignavit, non sibi, sed Deo excelso: ideoque eum laudavit & glorificavit hymnis verbisque magnificis & gloriosis, uti facit in Psalmis, ubi crebrò Deum his titulis celebrat: *Dominus illuminatio mea & salus mea: Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus: Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus: Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, & cetera.

Sexta.

Deo omnis laus operis tribuenda. Discamus à Davide omnem laudem bonorum operum quæ facimus, in Deum referre, ut dicamus cum Isaja c. 26. 12. *Omnia opera nostra operatus es nobis*. ac cum Psalte psal. 113. 9. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. ac cum S. Paulo: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate* Ephes. 1. v. 3. & cap. 2. 10. *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*. Porrò David expressus fuit typus Christi. Unde omnia quæ David fecit Synagogæ Judæorum, eam formans, ornans & defendens contra inimicos temporales; eadem luculentiùs multò Christus præstitit, præstatque Ecclesiæ Christianorum, eam fundans, decorans & protegens contra hostes spiritales. ita Rabanus & alii passim.

David typus Christi.

Vers. 10. DE OMNI CORDE SUO LAUDAVIT DOMINUM, ET DILEXIT DEUM QUI FECIT ILLUM ET DEDIT ILLI CONTRA INIMICOS POTENTIAM] Syrus, *in omni corde suo dilexit creatorem suum*. Est amplificatio. q. d. David non labiis, non ex parte, non frigidè, non remissè, sed ex *omni*, id est, ex toto, *corde* laudavit Deum, dicens: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*. Porrò laudis hujus causa fuit dilectio, quia scilicet ex *omni*, id est, ex toto, corde dilexit Deum, idque ob duos titulos & rationes. Prior est, quia Deus *fecit*, id est *illum*. David ergo quasi creatura totum suum Esse, totum bonum, quantum quantum erat, acceptum retulit Deo creatori. Unde Vatabl. vertit, *toto corde decantavit creatorem suum & amavit*. Posterior, quia idem Deus qui fecit illum, dedit *illi contra inimicos potentiam*: q. d. David ex toto corde suo dilexit Deum tamquam suum belli ducem, victorem & triumphatorem, dicens: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*, psal. 143. 1. Et cum Paulo. *Deo gratias, qui semper triumphat* (triumphare facit) *nos in Christo Jesu*, 2. Corinth. 2. 14. Quocirca S. Crysost. hom. de David & Goliath: *Sanctissimus homo*, inquit, *secundùm cor Dei quidquid Deus cogitat, gerit; quidquid mente concipit perficit. Deum enim cordi Dei cor proprium iungit, & menti eius mentem suam annectit, hoc est, ut quæ vult Deus velit, & quæ non vult, similiter nolit; sic eum Dominus individuo amore & coniuncta charitate dilexit*. Et Irenæus libr. 4. cap. 45 loquens de Davide: *Faciebat*, inquit, *omnia secundùm consilium spiritus, & placebat Deo*.

David quasi monachus. Quare verè S. Chrysost. in psalm. 50. *David*, inquit, *in regali culmine monachi vitam imitabatur*. Et homil. 30. in Genes.

Genes. *In purpura & diademate monachorum vitam trascendebat.* Davidem imitatus Theodos. Imp. *palatium sic dispesuit, ut haud alienum esset à monasterio*, ait Socrates lib. 7. c. 22. Unde in eo S. Pulcheria cum sororibus suis, æquè ac Theodosii, in virginitate & Dei laudibus Deo jugiter servivit. de quo vide nostrum Raderum in Aula regia.

Perfectio sita in continuo Dei amore & laude.

Moraliter disce hic, perfectionem Davidis, & cujuslibet Sancti, consistere in continuo amore & laude Dei, ut ex toto corde Deum amet & laudet; idq; non tantùm quando cum Deo orando vel psallendo versatur, sed etiam quando externa regni, familiæ, proximorum, æquè ac propria negotia curat & agit. Amor enim Dei hæc omnia ex Deo, ejusque charitatis spiritu optimè & suavissimè conficit, ita ut mens affixa Deo sine distractione se extendat ad res externas peragendas, quasi instrumentum Dei illam, omniaque ejus opera regentis & gubernantis; quo fit ut & ipsa Deo confisa, sibique diffisa, tota Deo uniatur, ex eoque pendeat, ac consequenter sine divulsione imperturbatè & facilè se porrigat ad ea, quæ sunt salutis proximorum, procuranda: procurat enim ea quasi negotia Dei sui, quem intimè amat & colit; idque ex virtute & spiritu, quem suggerit ei Deus. Simile est in circino: circini enim pes unus hæret fixus in centro, alter verò circumductus circumscribit peripheriam, sive circulum perfectissimum; quia enim unus pes hæret in centro, hinc ille alterum dirigit, ne qua exorbitet, sed circumactus circulum undequaque æquè à se distantem, ideoque exactissimum describat. Simili enim modo cor per charitatem affixum Deo, movet manus, pedes, oculos, &c. ad auxilium proximorum, omniaque ex Dei nutu & amore facillimè, sanctissimè & felicissimè conficit. Qui ergo vult brevi & facili compendio evadere ad perfectionem & eximiam sanctitatem, plurimumque mereri: hic crebrò per diem, imò horam, iteret actus amoris Dei super omnia, imò omnes suos actus externos hoc actu charitatis interno imperet, informet, deauret & vivificet. Sic omnes ejus actus erunt actus charitatis, non tantùm proximi, sed & ipsius Dei, totaque ejus vita erit continua laus & amor Dei, ut, si comedat, bibat, dormiat, studeat, doceat, concionetur, &c. non nisi ex amore Dei id faciat: ideoque initio operis, & subinde in medio ejus, illud totum Deo per amorem offerat, dicatque, Domine, cupio comedere, dormire, studere, &c. non ut satisfaciam gulæ, naturæ, ambitioni, curiositati, &c. sed purè & simpliciter ex amore tui, ut tuæ voluntati & ordinationi satisfaciam, ac per illa fortior & aptior fiam ad te amandum, atque ad alios tuo amore & laude inflammandos.

Porrò ut mens ad hunc perfectionis apicem evadat, oportet ut exerceat se in meditatione præsentiæ Dei, ut scilicet studeat Deum sibi ubique proponere præsentem, in eumque quasi summum bonum toto cordis affectu & amore feratur. Quam ad rem multi sunt modi & praxes. Faciles sunt hæ. Prima, si quis Deum quasi spiritum per cælum, aerem, terram omnesque creaturas diffusum, qui omnes sustentet, vegetet, roboret, sibi repræsentet. Secunda, si Deum in corpore & anima sua utraque conservantem, ungentem, vivificantem intueatur. Tertia, si Deum ad omnes actiones suas, præsertim spirituales & supernaturales, concurrentem, sibique cooperantem, imo quasi socium se adjuvantem, aspiciat: si enim meditor, si amo, si spero, si quid aliud ago, Deus mihi intimè præsens est, & ad has actiones concurrit, imò impellit. Quarta, si Deum incarnatum, putà jacentem in præsepio, concionantem, vel in cruce pendentem, prout sibi facilius & delectabilius est, mente efformet, quasi coram eo omnia agat, illique omnia offerat. Facilius enim in phantasia, utpote corporea, Deum corporeum quàm incorporeum concipere & effingere possumus. Quinta, si sacerdos est, & quotidie, ut par est, celebret, excitet fidem vivam, qua vivè apprehendat Dei Filium, Christum Dominum gloriæ, realiter, personaliter & substantialiter in altari per verba consecrationis præsentem sisti, manducari, & in stomacho manere, quamdiu species sacramentales manent; iis verò per calorem stomachi transmutatis, eumdem manere virtualiter, perinde ac manet virtus cibi vel vini generosi postquam à stomacho conversus est in substantiam manducantis: hac enim virtute cibus hominem alit, auget, roborat, lætificat. Idem facit Christus in Eucharistia: ibi enim est cibus noster. Quare sacerdos cum Christo, vel personaliter, vel virtualiter, præsente & existente in anima sua, familiariter & jugiter conversetur, illum veneretur, amet, adoret, illi suas & aliorum, imò totius mundi miserias alleget, poscens gratiam & opem, Ita semper instar Henoch & Noe, non tantùm cum angelis, sed cum ipso Deo ambulabit, ipsum unicum toto cordis affectu diliget, colet, venerabitur, laudabit & glorificabit.

Modus & praxis præsentiæ Dei. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

Exemplum perennis Dei laudis & amoris vivum & eximium Siracides hic statuit Davidem: David enim, ut taceam ejus gesta in libris Regum descripta, in Psalmis non aliud facit, quam psallere, id est, laudare Deum, suumque in eum amorem & affectum eximium exprimere. Unde identidem ingeminat: *Diligam te Domine fortitudo mea; Diligite Dominum omnes sancti ejus: Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem deprecationis meæ: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini: Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est*, &c. Ex quibus liquet, cor Davidis plenum fuisse amore ac laude Dei: ex hac enim plenitudine in hasce jubilationes, amores & suspiria ad Deum assiduè prorupit; indeque totum Israelis regnum, ex Deo sapienter, fortiter, suaviter & feliciter per 40. annos rexit & gubernavit. Quocirca Daniel ab Euthymio præfat. in Psalm. vocatur *divinus Orpheus*, scilicet per psalmos suos animorum tumultus sedans, & undas cognitionum compescens, ait S. Basilius homil. 1. in psal. 1.

Davidem sequitur S. August. præsertim in libris Confess. Audi eum lib. 10. c. 28. *Cùm inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor & labor, & viva erit vita mea, tota plena te. Nunc autem quoniam quem tu imples, sublevas eum; quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum. Contendunt lætitiæ meæ flendæ cum lætandis mœroribus, & ex qua parte stet victoria nescio. Heu mihi Domine miserere mei.* Et cap. 29. *O amor, qui semper ardes, & numquam extingueris! charitas Deus meus, accende me. Continentiam jubes: da quod jubes, & jube quod vis.*

ET STARE FECIT CANTORES CONTRA ALTARE, ET IN SONO EORUM DULCES FECIT MODOS] Græcè μέλη, id est, modulationes & melodias. Complut. addunt, *Et quotidie laudabant in canticis suis*; Vatablus, *cantores constituit ante aram qui suaves sono suo cantus ederent, carminibusq; suis laudes agerent quotidie*; Syrus verò, *quotidie semper laudes suas* (cantica sua) *dicebat coram altari, dedit laudes* (composuit cantica) *magnas singulis annis*. Septima est hæc laus Davidis, quòd non tantùm ipse per se ex toto corde laudarit Deum, sed & publicos cantores instituerit, qui quotidie nomine totius populi Deum laudarent, eique psalmos concinerent coram altari holocaustorum, atque hac ratione omnes ad Deum laudandum invitarent, & exemplo suo incitarent: imò quòd psalmos affectibus amoris & doxologiæ plenissimos dictarit, cantoribusque voce & organo aliisque instrumentis decantandos tradiderit. Unde *in sono eorum dulces fecit modos*, tum quia sanxit, ut cantores dulci vocum & instrumentorum melodia psalmos canerent; tum, quia dulces canendi modos & tonos ipse per se, perque suos musicos perfectos adinvenit, & cantoribus usurpandos præscripsit, uti in Ecclesia Latina cantum Ecclesiasticum ad certos modos & tonos redegit S. Gregorius Pontif. Id Davidem fecisse patet ex titulis psalm. 4. 5. 6. 7. & aliorum in Hebræo. Unde jure David vocatur Regius Psaltes. Vide 1. Paral. 25.

VERS. 11.

Septima laus Davidis.

Audi S. Hieronymum ad Paulinum de omnibus S. Script. libris: *David*, inquit, *Simonides noster Pindarus & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus atque Serenus, Christum lyra personat, & in decachordo psalterio ab inferis excitat resurgentem.* Et B. Petrus Chrysologus serm. 18. *Cantu*, inquit, *E, David oblectabat, & mulcebat charum pecus in pascuis: cantu dura didicit superare bellorum; cantu meruit ductare populos ad salutem: cantu valuit vocare Gentes, reducere Judæos, fugare dæmones, Dei filios ad superni Patris obsequium evocare.* Ad concinendos in templo psalmos instruxit ille quatuor millia cantorum: exercitum diceres, & verè castrorum chorum. Verùm ejusdem hodie psalmis ubique modulandis universæ mundi nationes sunt chorus, & mundus ipse templum est, in quo David unus æterno divinitatem spiritu canit. Deus ergo per Davidem composuit psalmos modumque psallendi, quem non tantùm Synagoga Judæorum, sed & Eccle-

1. Paral. cap. 25.

Ecclesia Christianorum ubivis locorum & gentium, per omnia sæcula usurparet & sequeretur. Spiritus sanctus enim ea ratione & modo Psalmos Davidi dictavit ut omnibus sæculis, omnibus gentibus, omnibus statibus, omni sexui, ætati & hominum generi congruant. Unde olim in ecclesia promiscuè populus cum Clericis psalmos concinebat, ac sacerdoti orationem colligenti respondebat, *Amen*. Hoc est quod ait S. Hieron. præfat. lib. 2. Epist. ad Galatas: *Ad similitudinem cælestis tonitrui Amen reboat.* Et Ausonius in Ephemeride:

Consona quem celebrant modulati carmina David,
Et responsuris ferit aëra vocibus, Amen.

Usus & fructus psalmodiæ Porrò usus, fines & fructus psalmodiæ multos & magnos assignant SS. Patres. S. Chrysost. Præfat. in psalm. 41. *Nihil*, ait, *animam æquè erigit, & à terra liberat, & exsolvit à vinculis corporis, & amore sapientiæ afficit, & ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, proficit, ut versus modulatus, divinum canticum numero compositum*, &c. *Idcircò Deus psalmos construxit, ut ex ea re simul caperetur utilitas & voluptas.* Psalterii enim argumentum est, ut omnia gesta tum veteri Testamento, tum gerenda in novo per modum laudis recenseat. Psalterium ergo est compendium & breviarium totius S. Script. epitome & registrum Bibliorum, consummatio totius Theologicæ paginæ. Est hæc definitio magni Dionys. Areopag. de Eccles. hierarch. cap. 3. Psalmorum liber, ait S. Basil. procemio in Psalmos, quidquid in Prophetis, Lege, historicis utile est, id omne complexus est: futura prædicit, historias narrat, leges vi- *Exempla.* vendi præscribit, agenda præcipit, &, ut verbo dicam, commune disciplinarum & documentorum est promptuarium. Et inferiùs: *Psalmus est animarum tranquillitas, pacis arbiter, turbas & fluctus cogitationum compescens, iracundiam mollit. Psalmus amicitiæ conciliator, dissidentium conjunctio, inimicorum reconciliatio: quis enim inimicum existimabit eum, cum quo unam ad Deum vocem emisit? Quare quod maximum est bonorum omnium, charitatem præstat psalmorum commodulatio. Psalmus dæmones fugat, auxiliarios angelos advocat: in nocturnis terroribus securitas, in diurnis laboribus requies est, infantibus tutela, iunioribus decus, senioribus solatium, mulieribus honestissimus ornatus: solitudines celebres facit: elementum incipientibus, incrementum proficientibus, firmamentum perfectorum. Psalmus est vox Ecclesiæ, ac festos dies illustriores reddit, & perfundit gaudio. Psalmus est angelorum opus, reipubl. functio, spirituale thymiama.* hactenus S. Basilius.

S. Basilio penè ad verbum adstipulatur S. Augustin. *Psalterium, ait, communis quidam doctrinæ thesaurus est, & universis animæ passionibus, quæ humanas animas variè angunt, subvenit: psalmus signifer est pacis, spirituale thymiama, exercitium cæleste: luxum reprimit, sobrietatem suggerit, lacrymas movet.* Hæc & plura S. Augustinus Præfat. in Psalmos, qui & id ipsum sese expertum profitetur lib. 9. Confession. c. 6. *Quantum*, inquit, *flevi in hymnis & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis.*

Narrat S. Gregorius 4. Dialog. cap. 47. Merulum virum religiosum assiduè psalmodiæ intentum, cælitus fuisse coronatum: *Huic*, inquit, *per nocturnam visionem dictum est: Paratus esto, quia Dominus iussit migrare te. Cumque ille non habere se sumptus ad migrandum diceret, responsum protinus audivit dicens: Si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt. Quod cùm semel audisset, & magno adhuc metu trepidaret, nocte quoque alia eisdem verbis est admonitus. Tunc post quinque dies febre correptus, cunctis fratribus orantibus flentibusque defunctus est. Alius etiam frater in eodem monasterio Merulus dicebatur, vehementer lacrymis atque eleemosynis intentus. Psalmodia verò ex ore illius penè nullo tempore cessare consueverat, excepto cùm aut alimentum corpori, aut membra dedisset sopori. Huic nocturna visione apparuit, quòd ex albis floribus corona de cælo in caput illius descendebat. Qui mox molestia corporis occupatus, cum magna securitate animi atque hilaritate defunctus est. Ad cujus sepulchrum dum Petrus, qui nunc monasterio præest, sibi sepulturam facere post annos quatuordecim voluisset, tanta, ut asserit, de eodem sepulcro illius fragrantia suavitatis emanavit, ac si illic florum omnium fuissent odoramenta congregata. Qua ex re manifestè patuit, quàm verum fuit, quod per nocturnam visionem vidit.*

ET DEDIT IN CELEBRATIONIBUS (id est celebritatibus festorum: has enim significat Græcum ἑορταῖς) DECUS, ET ORNAVIT TEMPORA USQUE AD CONSUMMATIONEM VITÆ, UT LAUDARENT NOMEN SANCTUM DOMINI, ET AMPLIFICARENT MANE DEI SANCTITATEM] *Vers. 12.* Pro *decus* græcè est εὐπρέπειαν, id est decentiam, decorem, speciem, ornatum, q. d. David celebritatibus & festis addidit decus, dum statuit ut in iis Levitæ psalmos Deo alternis in modum choris concinerent, dumque iis addidit cantores eximios, qui eosdem voce æquè ac organis, cymbalis, ceterisque instrumentis musicis decora harmonia personarent; uti nunc videmus festorum decus esse insignem musicam & organa. Atque hac ratione tempora festorum ornavit quamdiu vixit, putà usque ad mortem, sanciendo ut Levitæ & cantores laudarent nomen sanctum Domini, & *amplificarent*, id est canendo celebrarent, magnificarent & exaltarent; græcè, ἠχῶσι, id est personarent, resonarent, *Dei sanctitatem*. Inter omnia enim Dei attributa sanctitas Dei est colenda, adoranda, hymnis & laudibus celebranda: deitas enim est increata & immensa sanctitas; ac per essentiam sancta sacraque majestas, ab omnibus hominibus & angelis summè veneranda, laudanda & glorificanda. Unde Isaias cap. 6. vidit Seraphinos acclamantes Deo: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum*. Hinc Sancti, qui participant Dei sanctitatem, participant & venerationem: unde sicut Deum colimus latria, sic Sanctos dulia; & B. Virginem Deiparam, & Sanctorum reginam, hyperdulia.

Alii vertunt, *ut à tempore matutino resonaret sanctuarium* Dei laudibus & hymnis: sanctuarium enim hebr. vocatur קדש *codes*, id est sanctitas; quia locus hic erat sanctissimus, utpote templum, domus & thronus Dei. Sic & Salomon dicitur *parasse sanctitatem* v. 15. id est, ædificasse sanctuarium, sive templum sanctum Deo. Alludit ad 1. Paral. 23. ubi David sanxit, *ut Levitæ stent manè ad confitendum & canendum Domino, similiterque ad vesperam tam in oblatione holocaustorum, quàm in sabbathis, & calendis, & solemnitatibus reliquis.*

Ex dictis liquet, quanta quamque eximia fuerit Davidis sanctitas, quantæque apud Deum gratiæ & meriti. Nam, ut alia taceam, Psalmi à Davide conscripti ostendunt ejus cor & pectus plenum fuisse in Deum desideriis, ardoribus, laudibus, zelo pietate, omnique virtute heroica. *Davidis cor plenũ laude divina.* Quocirca noster pineda in Salom. libr. 1. cap. 2. num. 8. concludit Davidis sæculo nullum inter Israelitas, nedum inter Gentes, Davidi fuisse parem aut supparem in sanctitate, imò Davidem in ea non fuisse minorem Abrahamo, Isaaco & Jacobo; quin & Davidem fuisse sanctiorem Abrahamo disertè docet Abulens. Matth. 22. quæst. 135. & 154. Salmeron tom. 3. tract. 16. & favet S. Chrysostom. in cap. 1. Matth. hom. 2. Eumdem Josia, Ezechia, ceterisq; regibus fuisse sanctiorem docet Barradius lib. 3. suæ Concordiæ c. 1. & consentiunt ceteri.

DOMINUS PURGAVIT (Syrus, *dimisit*; Vatabl. *abolevit*) PECCATA IPSIUS] *Vers. 13.* Pro *Dominus* Rabanus, Jansen. & alii legunt *Christus*, sicque exponunt, q. d. Peccata Davidis purgavit Christus; tum quà Deus (Dei enim solius est condonare peccata) tum quà homo; quia per merita futura Christi prævisa à Deo, Deus condonavit peccata Davidi & aliis Sanctis veteris Testamenti: unde Christus dicitur *agnus occisus ab origine mundi*, Apocal. 13. v. 8. Rursum alii pro *Christus* legunt *spiritus*: nimirum ex κύριος. facili vicinarum literarum flexu & lapsu depravatum est χριστός, id est *Christus*: quod cùm scribæ non caperent (eò quòd Christus necdum natus esset tempore Davidis) pro *Christus* substituerunt *spiritus*.

Verùm legendum est κύριος, id est *Dominus*: sic enim legunt Roman. & Græci Complut. ceterique. Sensus est, q. d. Dominus peccata homicidii, quo David occidit Uriam; & adulterii, quo mœchatus est cum Bersabee uxore Uriæ, purgavit, mittendo ad eum Nathan Prophetam, qui eum corripiens ad pœnitentiam inflexit, ut David compunctus diceret: *Peccavi Domino*. Unde ilicò audivit à Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, 2. Regum c. 12. v. 13. *Octava laus Davidis.* Est hæc octava laus Davidis; quòd Deus eum ita adamarit, ut peccata gravia ei condonarit, nec ob ea ipsum abjecerit, uti abjecit Saulem, sed regnum ipsi & posteris ejus stabilierit usque ad excidium Hierosolymæ.

mæ. Quare pœnitentia & reconciliatio Davidis cum Deo non solùm ipsi, sed & Salomoni ceterisque posteris profuit. Unde S. Ambros. lib. 1. Apolog. David c. 2. *Nullum*, inquit, *attulit lapsus impedimentum, sed velocitatis incentiva cumulavit, & acrior ad currendum surrexi.*

Nota hic miram fragilitatem Davidis, & cujuslibet hominis sancti: David enim vir secundùm cor Dei, sui ævi angelus, sanctitate per quibusvis Patriarchis & Prophetis, ecce tibi ad conspectum unius feminæ labitur in enormia peccata adulterii & homicidii. Quis non obstupescat? quis non expavescat? quis licèt sanctissimus de perseverantia præsumat? Nimirum id permisit, & permittit etiamnum subinde, in viris eximiis Deus, ad hoc, ut singulis inclamet illud Pauli Philipp. 2. v. 12. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Ex adverso Nota Dei clementiam & gratiam, quæ Davidem adeò profundè lapsum per Nathan erexit, & in pristinum sanctitatis gradum restituit, imò altiùs evexit, & majori timoris & humilitatis sensu solidavit.

ET EXALTAVIT IN ÆTERNUM CORNU EJUS] *Cornu* symbolum est roboris, regni, victoriæ & gloriæ, uti ostendi Daniel. 7. 8. Hæc enim Deus Davidi dedit in æternum: tum, quia ea possedit David in posteris, quamdiu duravit Synagoga & resp. Israelis, usque ad ejus excidium per Chaldæos: tum, quia mysticè longè excellentiùs ea possidet perpetim in Christo ex se prognato. Unde de Christo angelus ad Deiparam ait: *Dabit illi Dominus Deus sedem* (regni) *David patris eius, & regnabit in domo Jacob in æternum*, putà in Ecclesia militante per gratiam, in triumphante per gloriam æternam, Lucæ cap. 1. v. 32. Est igitur

Nona Davidis laus. hic tacita promissio Christi ex Davide nasciturі, quæ nona & maxima Davidis fuit laus, decus & gloria.

ET DEDIT ILLI TESTAMENTUM REGNI, ET SEDEM GLORIÆ IN ISRAEL] Hoc est, ut alii vertunt, *& dedit illi pactum regni, & solium gloriæ in Israel.* q. d. Deus pacto promisit David regnum, quodque posteri ejus continuè ipsi succederent in regno glorioso Israelis. Glorioso dico, quia Israel solus erat populus & Ecclesia Dei, ab eo honoratus & glorificatus sanctis Patriarchis, Prophetis, lege, templo, vera religione, sacrificiis, miraculis, opibus, felicitate, gloria, &c. Unde Vatablus vertit, *fœdere pacitus est ei regnum, & solium majestatis in Israel.* Pro *regni*, Noster cum Complut. & Roman legit βασιλείας, alii legunt βασιλέων, id est *regum*, ut scilicet reges continua serie ex Davide descenderent, eique in regno succederent; quare eodem redit sensus.

POST IPSUM (legit cum Complut. μετὰ τοῦτον, jam

VERS. 14. Romana legunt μετὰ τοῦτο, id est, *cum ipso*) SURREXIT FILIUS SENATUS (Syrus, *rex fortis habitans in quiete;*) ET PROPTER ILLUM (Davidem) DEJECIT OMNEM POTENTIAM INIMICORUM] q. d. Propter merita & sanctitatem Davidis Deus dejecit omnem impetum inimicorum, ut nemo auderet Salomoni Davidis filio sese opponere, sed ille liberè regnaret, lateque suum imperium propagaret. Unde Græca habent, καὶ δι' αὐτὸν κατέλυσεν ἐν πλατυσμῷ, id est, *propter illum habitavit*, vel, ut Rabanus habet, *requievit in latitudine*, tum animi (putà in magna animi confidentia & securitate) de qua dicitur 3. Reg. 4. 29. *Dedit Deus sapientiam Salomoni*, &c. *& latitudinem* (putà magnanimitatem & magnificentiam) *cordis quasi arenam, quæ est in littore maris:* tum regni, quod latissimum & amplissimum habuit Salomon, ut patet 3. Reg. 4. Unde Vatablus vertit, *huic successit filius sapiens, qui per eum in amplam venit possessionem.* Rursum τὸ κατέλυσεν, vertas, *destruxit in latitudine*, id est, longè lateque; quod Noster vertit, *dejecit omnem potentiam inimicorum*: nam καταλύειν & destruere & habitare significat.

Vocatur *sensatus*, sive sapiens, quia Salomon facta sibi à Deo optione petendi quod vellet, petiit sapientiam, eamque obtinuit: *Quia postulasti verbum hoc*, inquit, *ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi; divitias scilicet & gloriam, ut nemo fuerit similis tui, in regibus cunctis retro diebus*, 3. Reg. 3. 11.

Nota τὸ *propter illum*: inde enim liquet rursum sanctitas & merita Davidis, scilicet quòd propter illa Deus Salomoni & posteris tam potens & felix regnum concesserit.

A Vide Pinedam lib. 1. de Rebus Salom. c. 2. num. 10. ubi ostendit omnem Salomonis potentiam, opes, gloriam, sapientiam, &c. adeoque quidquid Deus Salomoni & posterioribus regibus contulit, id totum Davidis fuisse vel beneficium, vel eximiæ illius sanctitatis præmium. Unde Hierosolymæ, tempore Ezechiæ à Sennacherib obsessæ & desperatæ, Deus succurrit ob merita Davidis: *Protegam*, inquit, *urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum*, 4. Reg. 19. 34. nimirum quia Deus suam in templo, David in Sione regiam sedem locarat. Vide S. Chrysostom. homil. 8. ad Popul. Rursum quiquid Deus tribuit Juda honoris & dignitatis supra ceteras contulit, id propter Davidem contulisse censet S. Augustin. in psalm. 77. 70. ad illa: *Elegit David servum suum.* Idem libr. 17. de Civit. cap. 14. notat Davidem fuisse primum regem sanctum in terrena Jerusalem, quæ est umbra futuræ, hocque insigne fuisse Davidis privilegium, decus & gloriam.

SALOMON IMPERAVIT IN DIEBUS PACIS, VERS. 15.
CUI (legit cum Roman. ᾧ, id est, *cui*; Complut. legunt ὡς, id est, *quoniam*) SUBIECIT DEUS OMNES B HOSTES, UT CONDERET DOMUM IN NOMINE SUO (Deus per Salomonem,) ET PARARET SANCTITATEM IN SEMPITERNUM] q. d. Salomoni Deus concessit summam pacem, eique subjecit omnes hostes, hoc fine, ut ædificaret domum, quam nomine Dei nuncuparet, Deoque dicaret, ut vocaretur & esset templum Dei, atque ut pararet & adornaret *sanctitatem*, id est, sanctuarium (hoc enim hebr. vocatur קודש *codes*, id est, sanctitas, quia locus sanctissimus) duraturum in æternum, non absolutè, sed respectivè, scilicet tamdiu quamdiu duratura erat resp. & Synagoga Judæorum, putà usq; ad excidium eorum per Chaldæos.

Nota Primò. Ab hac summa pace dictus est rex *Salomon*, id est, *pacificus*. שלום *scalom* enim Hebræis est pax. Porrò pax eis significat opes, prosperitatem, rerumque copiam, qualem habuit Salomon ad fabricam templi: hæc enim omnia parit pax. A Salomone Turcarum Imperatores vocarunt se Selymos & Solymannos, quasi sui ævi & gentis Salomones. & Germani Fredericos: Fredericus enim Germanis idem est quod pacis dives, sive pace abundans. Denique bella Davidis hanc pacem crearunt Salomoni: *A Salomone dicti Selymi & Solymanni.* C bello enim paranda est pax, præsertim cum infidelibus & hæreticis. Simili modo David præparavit Salomoni opes & materiam ad fabricam templi necessariam, quæ quanta fuerint liquet ex templi magnificentia, 3. Reg. 7. imò David Salomoni ideam totius templi, omniumque ejus partium reliquit & tradidit. Unde sequitur: *Quemadmodum eruditus es à juventute tua*, quod multi referunt ad præcedentia, q. d. Fabricasti domum Deo eo modo, forma & idea, quam didicisti & accepisti à patre tuo Davide, 1. Paral. 29. 1. & seq. Verùm meliùs cum Romanis & Græcis hæc verba referas ad versum sequ.

Nota Secundò. Pro *cui subiecit Deus hostes*, Græca Compl. habent, *quoniam Deus pacavit in circuitu suo*; Roman. *cui Deus requiem dedit in circuitu*, quia scilicet *subiecit ei hostes*, ut explicat Noster. Rursum aliqui addunt καὶ ἐδοξάσθη, id est, *& glorificatus est.* Unde Vatabl. *Salomon regnavit tempore pacifico; & gloriam adeptus est, postquam Deus circumjecta loca pacata reddidit, ut nomine ipsius statueret ædem, & sacrarium perpetuum pararet.*

Nota Tertiò, Salomonis nomen jussu Dei fuisse inditum. Sic enim Deus ait Davidi 1. Paral. 22. 9. *Filius, qui* D *nascetur tibi, erit vir quietissimus: faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: & ob hanc causam Pacificus* (putà Salomon) *vocabitur, & pacem & otium dabo in Israel cunctis diebus eius.*

QUEMADMODUM ERUDITUS ES IN JUVENTUTE TUA, ET IMPLETUS ES (Jansen. & alii pro *es*, utrobique legunt *est* in tertia persona,) QUASI FLUMEN SAPIENTIA] Vox *quemadmodum* non est comparantis, sed admirantis: græcè enim est ὡς ἐσοφίσθης, id est, *quàm sapiens in juventute tua fuisti, & in modum fluminis repletus fuisti intelligentia.* Sic sumitur *quemadmodum* pro *quàm* per admirationem psalm. 35. 8. *Quemadmodum* (S. Hieronym. & Chald. *quam*) *multiplicasti misericordiam tuam*; Syrus, *quàm sapiens fuisti in pueritia tua Salomon, & fluxit velut fluvius sapientia, in intelligentia tua, & in celsitudine gloriæ regis*; Arabicus, *regum*,

VERS. 16. *Quemadmodū nota admirationis.*

q. d.

q. d. O Salomon quanta sapientia à Deo infusa dotatus fuisti in juventute tua (nam in senectute delirasti & idola coluisti:) nimirum sicut flumen repletur copia aquarum, ita tu à Deo repletus fuisti abundantia sapientię & eloquentiæ. Rectè enim fluens sapiensque eloquentiæ oratio flumini assimilatur; hæcque omnes etiam dissitos ad se allicit rapitque, uti fecit in Salomone.

Nota hic, Salomonem sapientem fuisse à juventute, & penè à puero, idque ex institutione tum Dei, tum Davidis & magistrorum. Verum enim est illud Plutarchi lib. de Educandis liberis, *ad pueri eruditionem tria requiri, scilicet naturam, doctrinam & exercitationem. Natura quippe*, inquit, *absque disciplina si sit, cæca est: disciplina, si natura destituatur, defecta: exercitatio, his duobus demptis, imperfecta est. Et quemadmodum ad agriculturam primùm requiritur bonum solum, deinde peritus colonus, denique semina frugi: ita planè natura solo, agricola magister, semini præcepta respondent.*

Porrò quanta & quàm ampla fuerit sapientia Salomoni à Deo indita, docet ipsemet Sapient. 7. cùm ait: *Ipse* (Deus) *dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & consummationem & medietatem temporum, vicissitudinem permutationes, & commutationes temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcumque sunt absconsa & improvisa didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.* Ex quibus liquet Salomonem fuisse insignem physicum, cosmographum, astrologum, medicum, adeoque scientiarum omnium encyclopædiam absoluisse.

Salomon retexit terram. *Primò.* ET TERRAM RETEXIT ANIMA TUA] Primò, aliqui hæc accipiunt de Ophir & Indiis, quas navibus suis detexerit, & prævias fecerit Salomon; sicut avorum memoria sub annum Domini 1490. Christophorus Columbus navigando detexit & aperuit Indias Occidentales, Vascus Gama Orientales.

Secundò. Secundò, alii exponunt, q. d. Salomon retexit terram effodiendo ex ejus visceribus aurum, argentum & thesauros absconditos. Sic Dido admonita à Sichæo marito defuncto apud Virg. 3. Æneid.

Veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus & auri.

Tertiò. Tertiò, *retexit*, id est, texit, contexit, operuit: hoc enim significat Græcum ἐπεκάλυψας q. d. Adeò plenus, abundans & inundans fuisti sapientia, ut instar fluminis vel maris exundantis, eadem obrueris & repleveris totam terram, ut legit Vatabl. ut scilicet incolæ totius terræ eam cognoscerent & celebrarent. Rursum Salomon contexit totam terram suis parabolis, id est, parabolis suis complexus est universas herbas & arbores terræ. Unde regina Saba venit ex Æthiopia in Jerusalem, ut audiret sapientiam Salomonis, 3. Reg. 10. indeque reges Æthiopiæ sive Abyssiæ, putà Pretejannes, jactant & gloriantur se filios esse Salomonis, utpote prognatos ex Regina Saba, quam gravidam effecerit Salomon: etsi hoc creditu sit difficile. Hoc est quod dicitur 3. Reg. 4. 34. *Veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab universis regibus terræ, qui audiebant sapientiam eius.* Verùm, quia τὸ *retexit* apud Latinos non operire & tegere, sed contrarium, scilicet aperire & detegere significat; hinc Noster pro ἐπεκάλυψας videtur legisse ἀπεκάλυψας id est aperuit, retexit, patefecit.

Quartò. Quartò ergo & genuinè, sensus est, q. d. Salomon sua sapientia *retexit*, id est, detexit, aperuit, eruit, revelavit terram, id est, ea, quæ in terra hominibus erant secreta & abscondita: ipse patefecit secreta naturæ, & proprietates rerum occultas, ac præsertim earum quæ sub terra latent, quales sunt metalla, gemmæ, radices: hæc enim in apertum protulit Salomon, tum ea eruendo & effodiendo, tum ea explicando & enarrando, juxta illud 3. Reg. 4. 32. *Disputavit super lignis a cedro quæ est in Libano usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & volucribus, & & reptilibus, piscibus.* ita Dionys. Palac. Jansen. & Pineda libr. 4. de Rebus Salom. cap. 22. in fine. Hunc sensum exigit id quod sequitur:

VERS. 17. ET REPLESTI IN COMPARATIONIBUS ÆNIGMATA] q. d. In parabolis tuis *replesti*, id est, plena, hoc est plurima, congessisti *ænigmata*. Sic *replere* pro
A plena multaque afferre, sumitur à S. Paulo Rom. 15. 19. cùm ait: *Ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim* (id est planè prædicaverim) *Evangelium Christi.* 2. Timoth. 4. 17. *Ut per me prædicatio impleatur*, & alibi.

Porrò *ænigmata* sunt dicta obscura & difficilia, constantia gravissimis sententiis, aut etiam similitudinibus & comparationibus, ductis ex occultis rerum proprietatibus. Unde Græca habent, *terram contexit anima tua, & replesti* (terram) *in parabolis ænigmatum*; Vatabl. *animus tuus omnem terram aperuit, & allegoriis ænigmaticis implevit.* Ex omnibus enim partibus mittebantur, qui ænigmata & res obscuras Salomoni proponerent (uti Hiram regem Tyri fecisse testatur Josepus 8. Antiq. 2.) quæ omnia ipse ita clarè solideque explicabat, ut omnes obstupescerent.

AD INSULAS LONGE DIVULGATUM EST NOMEN TUUM, ET DILECTUS ES IN PACE TUA] Vatabl *paceq; tua fuisti gratiosus;* alii, *charus*: q. d. O Salomon ob tuam sapientiam, pacem & magnificentiam celebris evasisti toto orbe, ut etiam insulani te celebrarent
B & glorificarent. Hebræi enim cùm terras & gentes remotas & abditas incognitasque significare volunt, nominant insulas: tum, quia insulæ, undique mari circumdatæ ab omni terra eiusque incolis sunt semotæ: tum, quia Judæi navium & navigationis ante Salomonem expertes, eos, qui in mari, putà in insulis vel trans mare, habitabant, censebant procul à Judæa in alio climate, & quasi in novo orbe habitare. Unde illud: *Reges Tharsis & insulæ munera offerent*, psal. 71. v. 10. q. d. Reges remoti, qui trans mare dominantur, æquè ac insulani a Judæis ceterisque terræ incolis semoti, subdent se Christo, quasi vero Salomoni, eique munera offerent. Et Isaias c. 60. 9. prædicens gentium remotarum conversionem ad Christum & Ecclesiam, *Me*, inquit, *insulæ expectant & naves maris in principio, & adducam filios tuos de longè.*

ET DILECTUS ES IN PACE TUA] idest propter pacem tuam, q. d. Quia pacem tuo regno procurasti, ac pacem cum vicinis, quin & cum remotis gentibus, quales erant in Ophir, coluisti, atq; pacificè regnasti, idcircò charus fuisti tam tuis Judæis, quàm quibusvis gentibus, re-
C gibus & principibus, ut quod adulatoriè dictum fuit Neroni, verè dicatur Salomoni: *Nemo unus homo tam charus fuit uni homini, quam tu tuo imperio.* Hinc Salomon à Nathan vocatus est *Jedidia*, id est, amabilis Deo æquè ac hominibus: omnes enim amant pacem & pacificos: magnæ enim virtutis & sapientiæ est ita agere & regere, ut pacem cum omnibus habeas. Unde Salomon tamquam rex pacificus amatus & celebratus fuit toto orbe: quia non armis, sed mirabili prudentia & lenitate, orta ex magnanimitate, in pace regnum administravit. Atq; hæc fuit causa tantæ potentiæ, tamque ampli regni Salomonis: nihil enim ita valet ad vincendos hostes, & devincendos exterorum animos, atque concordia & pax. Qua de re ita pulchrè, æquè *Concordia civiũ est victoria hostium.*
ac verè sanciunt leges Visigothorum libro 1. tit. 2. cap. 6. *Sicut modestia principum temperantia est legum, ita concordia civium victoria est hostium. Ex mansuetudine enim principum oboritur dispositio legum, ex dispositione legum institutio morum, ex institutione morum concordia civium, ex concordia civium triumphus hostium: sicque bonus princeps interna re-*
D *gens, & externa conquirens, dum suam pacem possidet, & alienam litem abrumpit, celebratur & in civibus rector, & in hostibus victor.*

Ex adverso *principum sævitia bellum est*, putà belli causa, ait Seneca lib. 1. de Clementia c. 5. Nam ut idem ait c. 7. *Non alia facies est quieti moderatiq; imperii, quam sereni cæli & nitentis. Crudele regnum, turbidum tenebrisq; obscurum est inter trementes, & ad repentinum sonitum expavescentes, nec eo quidem, qui omnia turbat, inconcusso.*

IN CANTILENIS, ET PROVERBIIS, ET COMPARATIONIBUS (græcè, *parabolis*) ET INTERPRETATIONIBUS MIRATÆ SUNT TERRÆ, ET IN NOMINE DOMINI DEI, CUI EST COGNOMEN DEUS ISRAEL] Syrus, *expectant*, vel *sperant audire te interpretantem proverbia, & sapientiam in libro, & in prophetia obstupefecisti populos, vocatusq; es in nomine Dei cuius est honor, qui invocatus est super Israel;* græcè, *in odis, & proverbiis, & parabolis, & interpretationibus te admiratæ sunt regiones: in nomine Domini Dei totius terræ, qui vocatur Deus Israel;* VERS. 18. VERS. 19.

Israel; Vatabl. *te miratæ sunt regiones propter carmina & proverbia, simul & allegorias interpretationesq; ac nomen Dei, qui Deus Israelis est cognominatus.* Complut. addunt *tuus*: *Qui,* inquiunt, *cognominatus est tuus Deus Israel.*

Eximius ergo & admirabilis fuit Salomon, Primò, in pangendis odis, id est canticis & carminibus, quorum pars aliqua & velut reliquiæ extant in Cantico Canticorum.

Psalmi Salomonis nuper editi. Nuper etiam noster Lud. de la Cerda cum Adversariis edidit Psalterium Salomonicum, putà octodecim psalmos Salomonis, sive illi ab ipso Salomone, sive potiùs ab aliquo alio nomine Salomonis sint compositi: nam nemo veterum horum Salomonis psalmorum meminit: atque hi psalmi 18. recèns in membranis antiquis bibliothecæ Augustanæ, græcè manuscripti reperti sunt. Adde, singulos hosce psalmos hoc titulo prænotari: *Psalmi Salomoni*; quasi psalmi hi non sint Salomonis, Sed Salomoni dicati vel adscripti, eò quòd Auctor in illis Salomonem loquentem & psallentem inducat.

Secundò, in *proverbiis*, quorum pars aliqua extat in lib. Proverbiorum.

Tertiò, in *parabolis*, id est comparationibus & similitudinibus, quibus gaudent Syri. Unde iis post Salomonem crebrò usus est Christus, juxta illud; *Aperiam in parabolis os meum, eructabo absconditâ a constitutione mundi*, psal. 77. 2. Matth. 13. 35.

Quartò, in *interpretationibus*, quibus scilicet Salomon interpretabatur & explicabat tum ænigmata & sermones obscuros, tum rerum præsertim abditarum naturas reconditas, & proprietates occultas.

Quintò, *in nomine Domini Dei*, id est in virtute, ope, protectione, beneficentia Dei. Mirabantur enim homines, etiam Gentiles, quòd Deus Salomoni quasi filio suo tantam sapientiam, pacem, opulentiam, felicitatem, gloriam, bonorumq; omnium copiam contulisset; adeò ut vocaretur Deus Salomonis, ut habent Complut. æquè ac Israelis; atq; vicissim Salomon vocaretur filius Dei primogenitus, juxta illud: *ipse erit mihi in patrem, & ego ero ipsi in filium*, 2 Reg. 7. 14. *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ*, psal. 88. 28. Rursum τὸ *in nomine Domini*, significat Salomonem in omnibus invocasse nomen Domini; eiq; suam sapientiam, gloriam, bonaque omnia accepta tulisse, non sibi suisq; viribus. quæ sanè insignis fuit in tanto fastigio animi demissio & humilitas. Hinc Deum invocans pro sapientia ait: *Mitte illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te*, Sapient. 9. 10.

Nota hebraismum: *mirari in cantilenis, proverbiis, parabolis, in nomine Domini*, idem est, quod mirari cantilenas, proverbia, parabolas, & nomen, id est virtutem Dei assistentem Salomoni, eumque tot bonis cumulantem. est enim *beth* contractus, notum hebraicè peritis. ita Vatabl. Alludit ad 3. Reg. 10. v. 1. *Sed & regina Saba audita fama Salomonis in nomine Domini*; q. d. Audita fama sapientiæ à Deo datæ Salomoni, ac eorum quæ faciebat Salomon ope Domini. Unde Vatabl vertit, *ex nomine Domini*) *venit tentare eum in ænigmatibus.* quæ auditis responsis Salomonis exclamavit vers. 9. *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israel, eo quòd dilexerit Dominus Israel in sempiternum.*

In hisce omnibus Salomon fuit typus Christi, qui pacem orbi attulit; unde vocatur *Princeps pacis*, Isaiæ c. 9. v. 6. æquè ac veram sapientiam, opes & gloriam non terrestrem, sed cælestem. ita Raban.

VERS. 20. COLLEGISTI QUASI AURICHALCUM AURUM, ET UT PLUMBUM COMPLESTI (id est multiplicasti, ut dixi versu 16.) ARGENTUM] *Aurichalcum* dicitur æs rubens fulgensq; ut aurum; græcè est, *congregasti aurum quasi stannum, & multiplicasti argentum quasi plumbum*; Syrus, *congregasti quasi plumbum aurum, & argentum quasi terram.* Argentum enim non est aliud quàm terra alba, aurum rubea, ait S. Bernardus. A sapientia transit ad opes Salomonis, quas ingentes & penè ad miraculum stupendas ei dedit Deus. Est hyperbole apposita, utpote in qua similia similibus, putà aurum aurichalco, argentum plumbo comparantur. Porrò in pretio magna est dissimilitudo: una enim libra auri valet quingentas libras æris, sive aurichalci: una enim libra auri valet libras decem argenti, atq; una libra argenti valet libras 50. æris multiplica decem per 50. habebis quingenta. Alludit ad 3. Regum cap. 10.

Una libra auri valet decem argenti, et una argenti 50. æris.

A vers. 21. *Non erat argentum, nec alicuius pretii putabatur in diebus Salomonis.* Et v. 27. *Fecitq;* (Salomon) *ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum.* Et 2. Paralip. 1. v. 15. *Præbuitq; rex argentum & aurum in Jerusalem quasi lapides.* Censent aliqui vituperari hic Salomonem à nimio studio coacervandi opes, quod regibus Israel vetuit Deus Deuteron. 17. vers. 17. Verùm dico: Laudatur hic Salomon ab opibus, uti laudatus fuit à sapientia; sed opes illi fuere illecebræ fastus, avaritiæ, gulæ & luxuriæ, per quæ sensim ulteriùs prolapsus, tandem corruit in barathrum idolatriæ. Opes ergo bonæ sunt bene utenti, sed malæ abutenti: facile autem est iis abuti, difficile bene uti; *Opes*, inquit Diogenes apud Dionem orat. 4. de regno, *omnis concupiscentiæ & studii servæ & ministræ sunt.* Vide Pinedam lib. 7. de Rebus Salomon. c. 13. ubi ostendit quando, & quantum in opibus coacervandis peccarit Salomon.

Porrò quantę fuerint opes Salomonis, vel ex hoc conjice, quòd David moriens pro fabrica templi reliquerit ei centum millia talentorum auri, quæ faciunt mille & ducentos milliones aureorum; argenti verò mille millia talentorum, quæ faciunt tantumdem: libra enim una auri olim valebat *Opes Salomonis quātæ.*
B decem libras argenti. Reliquit ei ergo universum bis mille milliones, & insuper quadringentos milliones aureorum. Vide Vilalpandum sub fin. tom. 2. in Ezechiel. p. 2. lib. 5. disp. 3. cap. 43. & seq. ubi probat Davidem & Salomonem annuo reditu optibusque superasse tributa & opes non tantùm Romanorum, sed & Chaldæorum, Persarum, omniumque regum & monacharum: licèt alii viri docti contrarium sentiant, scilicet promissa Dei de Salomonis præcellentia intelligenda esse accomodè, nimirum respectu ceterorum regum Israelis, non autem exterorum. Itaq; Nabuchodonosorem, Cyrum, Alexandrum, Cæsarem, Augustum opibus & gloria Salomoni fuisse pares, imò superiores.

ET INCLINASTI FEMORA TUA MULIERIBUS; & cum femoribus mentem, sapientiam, sanctitatem, & gloriam tuam: hæc enim Salomon subjugavit libidini & voluntati mulierum, ideoque prodegit & perdidit: POTESTATEM HABUISTI IN CORPORE TUO] id est, validum habuisti corpus, & tot feminarum potens, ait Lyranus & Dionys. Secundò & melius, q. d. Abusus es tuo corpore ad tuum libitum, ut contra Dei
C præceptum illo liberè utereris ad tuas libidines explendas. Non enim agitur hic de naturæ robore, sed de vitio animæ, quo Salomon pro libito corpore abutebatur; cùm tamen corpus non esset ejus, sed Dei, ut ait Apostolus 1. Corinth. c. 6. v. 14. & 19. Græcè est ἐνεξουσιάσθης, id est, in potestatem redactus es corporis tui, q. d. Fecisti te mancipium tuæ carnis & concupiscentiæ, æquè ac mulierum, quas insanè adamasti, adeò *ut assidua carnis petulantia usque ad perfidiam carnis pervenires*, ait S. Gregorius 12. Moral. 12. Pro *femora* legit λαγόνας, alii legunt σπλάγχνα, id est viscera. Unde vertunt, *acclinasti tua ilia mulieribus, & redactum est in alienam potestatem corpus tuum;* Vatabl. *lumbos tuos applicuisti mulieribus, & vinci te corpore tuo passus es.* q. d. Vinci te à femina passus es, quod est turpissimum: feminæ enim inclinasti cervicem, totumque corpus humiliasti; qui est habitus superati & triumphati hominis. Alii sic explicant, q. d. Supplex & procumbens in genua, femineæ potestati subiecisti corpus tuum; nimirum divitiæ duxerunt Salomonem ad delicias, deliciæ ad insatiabiles libidines. quæ tamen præcisè in Salomone non fuere peccata mortalia, quia exercitæ intra termi-
D nos conjugii: concubinæ enim ejus fuere uxores secundariæ: fuerunt tamen peccata mortalia aliis nominibus, tum, quia tantæ & tam ardentes in eo fuerunt, ut mallet Deum relinquere & idola colere, quàm suas libidines & amasias offendere. *Fecit*, inquit S. August. libr. 11. de Genesi ad liter. cap. 42. *quod sciebat non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat atque diffluebat, delicias contristaret.* Tum, quia nimis ingentes & multæ fuere contra præceptum Domini Deuteron. cap. 17. v. 17. habuit enim Salomon 700. reginas, trecentas concubinas, 3. Regum 11. 3. Tum, quia pleræque hæ uxores fuere alienigenæ è gentibus Judææ vicinis, quibuscum Deus severè vetuerat Judæis inire conjugia, ob periculum idolatriæ, Exodi 34. 16. Denique Syrus clarè vertit, *dedisti mulieribus robur tuum, & potestatem dedisti eis in corpore tuo* (corporis tui) vel *præfecisti eas corpori tuo.*

Nota, *potestatem* hic accipi posse vel activè, q. d. Nimiam *Potestas*

passivè capitur. miam potestatem usurpasti in corpus tuum, cùm illud non Dei legi, sed tuæ libibini servire fecisti. vel passivè, q. d. Alienam potestatem, putà mulierum tibi dominantium, admisisti in corpus tuum, permisisti ut illæ potestatem in te exercerent, earum ultrò jugum & imperium subiisti, coactus es parere illarum libidini, etiamsi injusta, indecora & superba præciperent. Sic enim Hercules paruit Omphalæ suæ amasiæ, ejusque flagellum & minas extimuit. de quo Dejanira apud Ovid.

Diceris infelix scuticæ tremefactus habenis,
Ante pedes dominæ pertimuisse minas.

Ita viriles animos dementat, deiicit & sternit amor. Hunc sensum exigit Græcum ἐνεξουσιάσθης, id est, *in potestatem redactus es*. Sic Apostolus 1. Corinth. 11. v. 10. *Ideò debet mulier habere potestatem super caput suum*: *potestatem* scilicet passivam, putà velum, quo testatur se potestati viri esse subjectam: è contrario Salomon mulierosus potestati mulierum se suumq; corpus subjecit, quasi alter Sardanapalus. Quàm verum est illud: *Amare & sapere negatum est etiam sapienti*, imò sapientissimo Salomoni. Vide nostrum Pinedam lib. 7. de Rebus Salom. cap. 7.

VERS. 22. DEDISTI MACULAM IN GLORIA TUA (Vatabl. *inussisti gloriæ tuæ maculam*) ET PROFANASTI SEMEN TUUM] Syrus, *dedisti maculam in honore tuo, & opprobrio affecisti stratum tuum*. q. d. Maculasti, de-

Macula gloriæ Salomonis. turpasti, infamasti tantam tuam gloriam fœda & indelebili macula ignominiosæ libidinis, & consequenter idolatriæ; sicut stola alba turpatur injecto atramento, & purpura injectis excrementis. Eadem macula maculavit gloriam suam Pipinus, Constantinus Monomachus, Henricus VIII. rex Angliæ, multique alii reges & principes. Verè dixit Ecclesiasticus cap. 19. vers. 2. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes*. Sic multi illustres viri candidam juventutis stolam, turpi senectutis macula instar Salomonis dedecorarunt: nimirum maculam hanc in gloriam suam dedit Origenes, Tertullianus, Hosius Cordubensis præses Concil. Nicæni, cùm in senio delirans cessit Arrianis; & Constantinus Magnus, dum præter alia seductus ab Arrianis, ab Ecclesia sua ejecit S. Athanasium. Unde meritò palatio ejus affixum fuit hoc carmen: *Saturni sæcula quis desideret? Sunt hæc gemmea, sed Neroniana*, uti refert Sidonius Apollin. Baronius & alii. Propriè verò maculam homini iniicit libido: hæc enim affert probrum & ignominiam, sicut ex adverso castitas affert candorem & decus. Unde S. Leocadia apparens S. Ildephonso, qui celebrarat intemeratum & æternum candorem virginitatis Beatæ Mariæ Deiparæ: *O Ildephonse*, inquit, *per te vivit gloria Dominæ meæ*.

Pro *maculam*, græcè est μῶμον, quod Secundò, verti potest, *vituperationem*, reprehensionem: nihil enim est in homine luxurioso, quod non reprehensione sit dignum, quodque Momus non carpat. Opes enim ejus in turpes usus expenduntur, corpus libidine polluitur, mens tota fœdis imaginibus turpatur, denique omnes animæ & corporis vires libidini famulantur. ita Pineda libr. 7. de Rebus Salom. c. 7. Quare sapienter monet Cyrillus Hierosol. catechesi 4. *Ne parva voluptate*, inquit, *vendatis magnam dignitatem*. Præclarè S. Bernard. epist. 129. ad Januenses de perseverantia: *Si cautela*, inquit, *Samson, & si Salomonis devotio perseverantiam retinuissent; nec is profectò privaretur viribus, nec hic sapientia*. Idem libr. 2. de Consider. cap. 12. monet Eugenium Pontif. ut in tanto pontifica-

Ejus causa fuit nimia felicitas. tus honore, gloria & felicitate se cautè custodiat, ne in peccatum prolabatur, uti prolapsus est David & Salomon. *Est utique*, inquit, *si diligenter attendas, quàm rarus semper extiterit, qui non vel modicè in prosperitate animum relaxaverit a sui custodia & disciplina. Quando hoc incautis non fuit ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod Solis radius ad nivem vel glaciem? Sapiens David, sapiens Salomon fuit; sed blandientibus nimis secundis rebus alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus, qui incidens in adversa, non excidit vel parum a sapientia: nec minor, cui felicitas si arrisit, non irrisit. Quamquam facilius innumeris qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna, quam qui propitia non perdiderunt. Præferendus ille & magnus est, cui inter prospera salutem visus indecentior, aut sermo insolentior, aut immoderatior cura vestis vel corporis non irrepsit.*

Et S. August. libr. 17. Civit. c. 20. loquens de Salomone,

A *Hic*, inquit, *bonis initiis malos exitus habuit. Quippe secundæ res, quæ sapientium animos fatigant, magis huic obfuerunt, quam profuit ipsa sapientia, etiam nunc & deinceps memorabilis, & longè lateque laudata.*

ET PROFANASTI SEMEN SUUM) Primò *profanasti* græcè ἐβεβήλωσας, id est, polluisti, maculasti, contami- *Salomon profanavit semen suum.*
nasti *semen tuum*, per impuras libidines & æternam ignominiam. Est catachresis. Profanum enim sumitur pro immundo Actor. 10. v. 14. & 15. quia Judæi cibos communes sibi & Gentilibus, censebant profanos & immundos. *Primò.*

Secundò. Secundò, propriè *profanasti semen tuum*, purum & sanctum, utpote hominis fidelis, sapientis & sancti cùm illud commiscuisti cum mulieribus infidelibus, insipientibus & impiis. Nam, ut ait Apostolus: *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*, 1. Corinth. 6. v. 16. Semen enim Israel erat sanctum, Isaiæ cap. 6. v. 13. Gentium verò profanum & sacrilegum. Unde illud Danielis ad senes impios, *Semen Chanaam, & non Juda*, Daniel. cap. 13. v. 56.

Tertiò, *profanasti semen tuum*, id est filios tuos, cùm illos procreasti ex mulieribus idolatris & impiis, quæ eosdem educarunt in sua idolatria & impietate. *Tertiò.*

B Quartò *profanasti semen tuum*, quia fortè illud more idolatrarum consecrasti idolo Moloch: huic enim solebant offerre semen humanum, imò & filios proprios immolare & concremare, uti dixi Levit. cap. 18. vers. 21. uxores enim Salomonis coluerunt Moloch, ipsumque ad eumdem colendum induxerunt, 3. Reg. cap. 11. vers. 5. & 7. Unde Palacius opinatur Salomonem filios suos immolasse Moloch, æquè ac Pineda lib. 7. de Rebus Salomon. cap. 11. num. 3. in fine, qui & conjecturam addit. Nam, inquit, non alium Salomonis filium legimus quàm Roboam, ac duas prætereà filias, ut, si alios (ut videtur) ex tot uxoribus & concubinis suscepit, malos malè perdidisse videatur insana parentis religio, ac nefarius Molochius ignis. *Quartò.*

Quintò, *profanasti semen tuum*, quia origo & causa fuisti, ut idolatria tua etiam post mortem tuam proserperet & grassaretur inter Hebræos. 3. Reg. cap. 14. vers. 22. Hoc est, quod subdit Siracides, *Inducere iracundiam ad liberos tuos*. Unde & fana idolis & diis Gentium à Salomone ædificata, manserunt per multa sæcula usq; ad Josiam, qui ea destruxit, Reg. 23. v. 13. *Quintò.*

C Ex hoc loco & ex 3. Reg. cap. 11. multi cum S. Prospero lib. 2. de Prædict. cap. 27. S. Cypriano epist. 7. de observanda disciplina, & S. Gregorio 2. Moral. cap. 2. Lyran. in 2. Reg. cap. 7. Abulens. 3. Reg. cap. 11. quæst. ult. Andr. Vega lib. 12. in Concil. Tridentin. cap. 2. Bellarmino lib. 1. de verbo Dei cap. 5. hæresi 6. B. Johannes Capistranus libr. de Auctorit. Papæ, Pererius in epistol. ad Rom. cap. 8. quæst. 27. & fusè Johannes Cognatus lib. de hac re edito cap. 18. & sequ. censent Salomonem esse damnatum. Primò, quia Siracides assignat lapsum Salomonis, tacet verò ejus pœnitentiam, quam non tacuit in lapsu Davidis dicens vers. 13. *Dominus purgavit peccata ipsius*. Idem facit Script. 3. Reg. cap. 11. Secundò, quia, si Salomon lapsum verè pœnituisset, utique debuisset destruere idola & idolia à se fabricata: hoc autem non fecit: nam illa manserunt usque ad Josiam, uti jam dixi. Ergo mortuus est in peccato & impœnitens. Tertiò, quia ideò Deus Salomoni tot opes, delicias, honores, omnemque mundi gloriam concessit, ut eum in hac vita remuneraretur, in altera verò puniret ejus scelera tam enormia. Unde S. Au- *An Salomon salvatus.* *Negans pars prob. Primò.* *Secundò.* *Tertiò.*

D gustinus in psalm. 126. sub initium, Salomonem reprobatum asserit: sicut enim signum prædestinationis est affligi in hoc mundo, ita signum reprobationis est bonis mundi affluere, iisque intemperanter se immergere, sicut fecit Salomon. Unde B. Nilus, qui opinione magnæ sanctitatis floruit anno Domini 976. rogatus *an Salomon salvus sit*? respondit: *De Salomone nihil usquam legimus in sacra Scriptura, quòd post peccatum pœnitentiam egerit, sicut Manasses. Quis ergo de illo dicere poterit quod salvus sit?* ita habet ejus Vita, & ex ea Baronius anno Christi 976.

Alii tamen cùm S. Hieronymo lib. 2. contra Jovin. S. Ambrosio lib. 2. Apolog. David cap. 3. Hilario in psalm. 52. Cyrillo catech. 2. & Bacchario, qui fuit coævus S. Augustino, epist. ad Januarium, mitiùs loquuntur, beneque de Salomonis pœnitentia & salute confidunt, atque conjecturas afferunt probabiles. Ita noster Delrio proœm. *Affirmant alii.*

procem. in Cant. Barradius tom. 1. lib. 5. cap. 9. & fusè Pineda lib. 8. de Rebus Salom. c. 1. & sequ.

Denique tertii inter utramque sententiam invicem oppositam incedunt medii, ac de Salomonis salute dubitant, neutram ut in partem inclinare velint. Hi sunt Hugo à S. Victore, Hostiensis, Panormitanus, Innocentius, Archidiaconus, Turrecremata, Fevardentius, Pamelius & alii, quos citat & penè sequitur noster Lorinus præfat. in Ecclesiasten c. 2. Urgent secundi illud Dei de Salomone promissum: *Misericordiam autem meam non auferam ab eo*, 2. Reg. c. 7. v. 12. psal. 88. v. 34. Verùm hæc misericordia intelligitur non de Salomonis salute, sed de regni ejus & prolapiæ regalis propagatione. Subdit enim: *Sicut abstuli à Saul, quem amovi à facie mea*; ne coram me regnaret, surrogans ei regem Davidem oculis meis placentem; ac præcedit: *Et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.* Propter Davidis enim merita promiserat Deus, se progeniem ejus in regno perpetuaturum; nec propter Salomonis demerita si pollicitationem hanc rescissurum.

Dubia Salomonis salus; cur? Ut ut est, hominibus incertam & dubiam Salomonis salutem voluit esse Deus, ut omnibus metum sanctum incuteret, doceretque fugere mundi delicias & pompas, quasi periculosas, & ad peccatum illices. Fortè Deus secreta sua clementia misertus animæ Salomonis ob merita ejus priora, & ob merita Davidis patris, eamque expians pro expiatione hanc ei pœnitentiam publicam iniunxit, ut tolleret hasce Doctorum censuras, utque patiatur omnes homines dubitare de ejus salute, multos etiam desperare, eumque damnatum asserere. Hæc enim ignominia tam longa & continua, utique afficit punitque Salomonem. Unde B. Mechtildis, sub annum Domini 1300. hanc de Salomone revelationem habuit: *Rogata*, inquit, *à quodam fratre, Dominum in oratione requisivi: Ubinam essent animæ Samsonis, Salomonis, Origenis, & Traiani? Cui Dominus: Quid pietas mea cum anima Samsonis egerit, volo esse ignotum, ut homines se de inimicis suis ulcisci ampliùs pertimescant. Quid misericordia mea cum anima Salomonis fecerit, volo homines latere, quatenus carnalia peccata ab hominibus magis devitentur. Quid verò benignitas mea cum anima Origenis effecerit, volo esse absconditum, ut nullus in scientia sua confidens audeat elevari. Quid verò de anima Traiani liberalitas mea iusserit, volo homines ignorare, quatenus fides Catholica in hoc magis extollatur; quia hic licet omnibus polleret virtutibus, Christiana tamen fide ac baptismo caruit.*

Vers. 22. Inducere iracundiam ad liberos
Vers. 23. tuos, et incitari stultiam tuam. Ut faceres imperium bipartitum, et ex Ephraim imperare imperium durum] Ita Roman. q. d. Tuis peccatis, o Salomon, non tantùm tibi nocuisti, sed & posteris: induxisti enim iram & vindictam Dei super eos, ut in iis puniret te, præsertim quia ipsi tuam impietatem & idololatriam secuti sunt. Pro *incitari* perperam alii legunt *in ceteris*: pro quo alii pejus corruperunt, *in citharis*. græcè enim est κατανυγῆναι, id est *compungi*. Sensus est, q. d. Deus justè te puniens fecit, ut stultitia tua incitaretur in seipsa, & dolore compungeretur, cum tu, qui in pace semper vixeras, intelligeres Deum suscitasse servum tuum Jeroboam contra te, qui tandem sub filio tuo Roboam se fecit regem Israel, sive decem tribuum, duasq; tantùm tribus Juda & Beniamin Roboamo reliquit. Unde factum est *imperium bipartitum*, ut scilicet alii essent reges Israel, alii reges Juda; & *ex Ephraim* imperaret *imperium durum*: Jeroboam enim prognatus ex tribu Ephraim constituit regnum Israel durum, græcè ἀπειθές, id est rebelle, contumax; quia pertinaciter reges Israel usque ad ultimum revellarunt Roboamo & regibus Juda, suumque regnum & schisma mordicus tutati sunt & propugnarunt.

Quocirca Vatabl. vertit: *offensam contraxisti liberis tuis; & ex stultitia tua cepisti dolorem: unde bipartitò divisum est imperium, regnumq; rebellionis ortum ex Ephraim*; alii sic, *ut adduxeris iram in liberos tuos, & compunctus fueris in amentia tua; & imperium fueris divisum, & ex Ephraim principatum obtinueris regnum contumax.* Historia rei gestæ fusè narratur, 3. Reg. 11. & 12. Græca Romæ correcta pro *compunctus fueris*, legunt in prima persona, *compunctus sum in stultitia tua*, quasi sint verba Siracidis dolentis de lapsu Salomonis. Rursum pro *imperium bipartitum*, legit Noster cum Græcis passim δίχα τυραννίδα: Complut. verò legunt δίχα τυραννίδος, unde vertunt, *ut fieres sine imperio* (δίχα enim significat *duplex, bipartitum*, & cum genitivo significat *sine, absque*:) quia cum Roboam Salomonis filius perdidit decē tribus, & tantùm servavit sibi tribum Juda cum Beniamin; potiori regni parte, adeoq; regno quasi exutus est. Deniq; Syrus vertit, *ad inducendam* (vel *inducendo*) *iniquitatem super filios filiorum tuorum, ut ingemiscant super cubili suo, ut divisi sint in duo regna, de domo Ephraim regno ethnico* (sic & Arabicus) vel *stulto*.

Vers. 24. Deus autem non derelinquet misericordiam suam, et non corrumpet, nec delebit opera sua, neque perdet a stirpe nepotes electi sui: et semen ejus, qui diligit Dominum, non corrumpet] q. d. Deus licèt iratus Salomoni & posteris ejus; tamen eos prorsus non abiiciet à regno, sicut abiecit posteros Saulis, sed misericordiam Davidi promissam præstabit, *nec delebit opera sua*, putà pacta & promissa de perpetuando in ejus stirpe regno inita: unde *non perdet à stirpe*, id est, stirpitus & radicitus non evellet, nec disperdet *nepotes electi sui*, putà Davidis, *& semen eius quo diligit*; græcè, *qui dilexit Dominum* ex toto corde, ejusdem scilicet Davidis, *non corrumpet*; sed faciet ut ejus posteri perpetua successione regnent in tribu Juda, quæ omnium tribuum erat præcipua, regalis, maxima & fortissima; idq; faciet propter Christum ex Davide & tribu Juda nasciturum, in quo regnum Davidis perpetuabitur in omnem æternitatem. Imò ea de causa permisit Deus in pœnam peccatorum Salomonis, decem tribus subducere se à tribu Juda & regno Salomonis, ut tribus Juda à ceteris separata meliùs & puriùs uni Deo serviret, ac Christum sibi promissum sola possideret, certoque ex se prognatum juxta promissa Dei Davidi facta: aliis tribubus & gentibus testaretur & demonstraret. *Cur Deus divisit duas tribus a decem,* Quare hæc misericordia non tam ad Salomonem, quasi ejus misertus sit Deus eumque salvarit, ut aliqui volunt, quàm ad ejus posteros, ut illi in regno succederent, pertinet, eisque præstita est propter merita, non Salomonis, sed Davidis. Unde Vatabl. vertit, *non tamen omisit misericordiam suam Dominus, nec ex operibus suis disperdidit: nepotes electi sui haudquaquam abolevit, nec progeniem amatoris sui* (Davidis) *sustulit; sed dedit Jacob reliquias, & Davidi radicem ex ipso*, quod ultimum ita vertit Noster, *dedit autem reliquum Jacob, & David de ipsa stirpe*; Syrus, *atqui Deus non dereliquit misericordiam suam, & non proiiciet verba sua super terram, & non perdet semen amicorum suorum, & filios ipsorum suorum non consummabit: & dabit liberationem Jacob, & Davidi regnum magnum*, id est maximum.

Dedit autem reliquum Jacob, et David de ipsa stirpe] Pro *reliquum* græcè est κατάλειμμα, id est reliquiæ, sive stirps & prosapia superstes. Vers. 25. Porrò *Jacob* & *David* sunt dativi casus, ut patet ex Græco articulo τῷ. Sensus ergo est, q. d. Ex misericordia Davidi, de ejus stirpe regali perpetuanda à Deo promissa, factum est ut Deus, licèt iratus ob idola Salomonis & Israelitarum, tamen ob fidem datam Jacobo & Davidi, Israelem non prorsus abiiceret, sed ex eo servaret sibi tribum Juda, in qua continuò regnarent reges fideles prognati ex stirpe Davidis.

Alludit ad 2. Reg. 7. & psal. 88. v. 31. *Si dereliquerint filii eius legem meam, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo*, &c. *& quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar: semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo.* Quæ omnia inchoatè implevit Deus in nepotibus & posteris regibus ex Davide prognatis, perfectè verò in Christo Davidis pariter filio: cujus regnum absolutè est æternum, splendidissimum & gloriosissimum.

Vers. 26. Et finem habuit (græcè, ἀνεπαύσατο, id est, *requievit*) Salomon cum patribus suis. Et
Vers. 27. dereliquit post se de semine suo gen-
Vers. 28. tis stultitiam (Syrus, *multiplicantem stultitiam*,) et imminutum a prudentia (Syrus, *expertem scientiæ*; Vatabl. *inopem mentis*; græcè, ἐλαττούμενον συνέσει, id est *destitutum intelligentia*) Roboam, qui avertit (Vatabl. *alienavit*) gentem consilio suo] Græcè ἀπέστησε λαόν, id est, *deficere fecit populum & apostatare*, tum à cultu Dei, tum à Regno Davidis magna enim fuit insipientia Roboami, ut cùm inaugurandus esset rex, ac ad feliciter inchoandum regnum deberet benignitate

gnitate & clementia sibi conciliare animos populi, ipse sua duritie & inclementia eumdem prorsus à se averteret, adeò ut decem tribus abalienatæ novum regem sibi constituerint Jeroboam. Sed audi stultitiam Roboami omissa sententia senum, ex juvenum stultorum consilio populo insultantis: *Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus*, 3. Reg. 12. v. 14. Quæ major stultitia? quæ major barbaries?

Stultitia Roboam, Primò. Nota, τὸ *dereliquit post se*, significat Salomonem causam fuisse stultitiæ Roboam, omniumque malorum quæ ex ea secuta sunt: tum, quia stultitiam Salomonis patris voluit Deus punire per stultitiam Roboami, ut per eam decem tribus ab eo avelleret, uti ipse per Ahiam prophetam se facturum prædixerat 3. Reg. 11. v. 31. tum, quia Salomon stultitiam suam exemplo suo docuit & impressit Roboamo: Salomom enim cùm præter 300. concubinas, 700. haberet reginas, quarum singulas regio splendore, pompa & magnificentia alebat; ac in equis, curribus, stipatoribus, fabricis, ceterisque esset splendidissimus; Roboam hanc patris pompam & magnificentiam imitari voluit. Quare cùm pater ob hanc magnificentiam gravia populo onera & tributa imposuisset, ipse majora eidem ponere voluit; indeque orta est populi rebellio & schisma.

Secundò, Rursum stultitia Roboam liquet ex eo, quòd in religione & moribus evaserit tandem corruptissimus, ut ejus tempore universum regnum corruptissimè vixerit, ut patet 3. Regum 14. v. 22. *Fecit*, inquit, *Judas malum coram Domino, & irritaverunt eum super omnibus, quæ fecerunt patres eorum in peccatis suis quæ peccaverunt: ædificaverunt enim & ipsi sibi aras & statuas: sed & effeminati fuerunt in terra, feceruntq; omnes abominationes gentium.* Porrò non solùm peccasse (quod multorum aliorum fuit) sed etiam non pœnituisse, (quod obstinatissimæ impietatis fuit) colligitur ex 2. Paral. 12. v. 14 ubi illius gesta hac clausula concluduntur: *Fecit malum & non præparavit cor suum ut quæreret Dominum*, quod ad extremam impœnitentiam & damnationem referendum censet Abulensis ibid. v. 21. Cujus etiam impietatem exaggerat incredibilis ille affectus & amor, quo Maacham uxorem prosequebatur, impissimam feminam & principem in sacris Priapi, ut scribitur 3. Reg 15. v. 13. & 2. Paralip. 11. v. 2. tum quod scribit Josephus 8. Antiqu. cap. 3. cùm videret regni sui tanta incrementa, factum fuisse contemptorem veræ religionis, ita ut etiam populum in imitationem sui pertraheret, ne justitiæ studiis regem suum offenderent, ita Pineda lib. 7. de Rebus Salom. cap. 24. n. 7.

Tertiò. Addunt aliqui, Roboam fuisse imminutum prudentia & cerebro, eò quòd à Salomone genitus sit anno ætatis undecimo vel duodecimo, ut ait S. Hieron. epistola ad Vitalem: illa enim ætas, cùm sit imbecillis & invalida, facit ut filius quem gignit, sit imbecillis pariter & invalidus tum corpore, tum mente & animo. Verùm longè probabilius est Roboam genitum à Salomone non 12. sed 18. circiter ætatis anno, ac seqq. anno 19. vel 20. cœpisse Salomonem regnare, tumque peregisse judicium illud prudens in lite meretricum 3. Reg. cap. 3. v. 16. quod sanè ostendit eum maturæ fuisse ætatis & judicii (esto S. Ignatius epist. ad Magnesian. censeat illum hoc judicium peregisse anno ætatis octavo.) Videtur ergo Salomon regnum iniisse anno ætatis 20. cumq regnarit annos 40. obiisse anno ætatis 60. Nam 3. Reg 11. 4. dicitur mortuus senex: Roboam autem ei in regno succedens erat 41. annorum. natus ergo fuit anno ætatis Salomonis 18. vel 19. ita Abulens. in 3. Reg. cap. 11. q. 4. Cajetan. ibidem, ac Pineda lib. 7. de Rebus Salom. c. 24. in fine.

VERS. 29. ET JEROBOAM FILIUM NABAT (repete, *dereliquit post se* Salomon) QUI PECCARE FECIT ISRAEL, ET DEDIT VIAM PECCANDI EPHRAIM, ET PLURIMA REDUNDAVERUNT PECCATA IPSORUM] q. d. Salomon suis peccatis meruit, ut Jeroboam à se evectus sibi rebellaret: moriens ergo hunc sui & Roboami æmulum, rebellem & hostem reliquit, quia à decem tribubus Rex Israelis constitutus fecit vitulos aureos, quos in Dan & Bethel collocans Israeli adorandos proposuit, itaque *dedit viam peccandi Ephraim*, id est Israeli, sive decem tribubus: in hisce enim præcipua & regalis, ceterarumque caput erat tribus Ephraim. Ex quo plurima idololatriæ, gulæ, luxuriæ, omnisque vitii peccata redundaverunt. Nam ut ait Sapiens c. 14. v. 27. *Infandorum idolorum cultura, omnis mali causa est, & initium, & finis. Viam* vocat occasionem & materiam peccandi, putà fabricam idolorum sive vitulorum. Dicit tamen *viam*, quia collocando eos in Bethel & Dan, docuit eos viam idola colendi, nimirum viam eundi in Dan & Bethel ad poscendam opem duorum quos ibi collocarat. Alludit ad 3. Reg. 12. vers. 29. *Posuitque unum in Bethel & alterum in Dan: & factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in Dan.* Porrò causa cur hos vitulos fabricarit, significatur ibidem vers. 26. *Dixitque Jeroboam in corde suo: Nunc revertetur regnum ad Domum David, si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem, & convertetur cor populi huius ad dominum suum Roboam regem Juda, interficientque me, & revertentur ad eum. Et excogitato consilio fecit duos vitulos* (instar Apis, sive bovis Ægyptii, quem Hebræi coluerunt in Ægypto, & posteà in deserto, uti dixi Exodi 32. v. 4.) *aureos, & dixit eis: Nolite ultrà ascendere in Jerusalem: Ecce dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

Fuit politicorum princeps. Fuit ergo Jeroboam princeps politicorum, qui, ut statum suum injustum vel rebellionem stabiliant, mutant fidem & religionem; ne populus per veram religionem conscientiæ stimulis actus, redeat ad priorem legitimum principem. Sed Deus, qui capit prudentes sæculi in sua astutia, effecit, ut hoc ipsum quod Jeroboam censebat esse regni sui fulcrum, fuerit ejusdem ruina & eversio: ob hanc enim idololatriam à se invectam, ipse cum tota familia fuit excisus radicitus, uti ei comminatus fuerat Elias Propheta 3. Reg. 14. 14. Vera ergo religio stabilit regnum, falsa illud evertit. Eadem causa jam agitur in Anglia, Scotia, Hollandia, idemque sequetur effectus. Porrò Syrus sic vertit, *& non sit memoria ipsi Jeroboam filio Nabat, qui peccavit & peccare fecit Israel, & dedit domui Ephraim offendiculum, ad abducendo eos captivos à regione sua.*

VALDE AVERTERUNT (peccata jam dicta) ILLOS A TERRA SUA] q. d. Peccata idololatriæ & reliqua inde exorta, expulerunt Israelitas à terra sua: Deus enim primò per Assyrios, deinde per Babylonios, eos ob scelera terra sancta, velut ea indignos, eamque suis sceleribus contaminantes, expulit. Unde Græca hæc cum præcedentibus connectentes, sic clarè habent: *Peccata ipsorum multiplicata fuerunt valdè, sic ut abegerint eos à terra sua.* vide historiam 4. Reg. 17. VERS. 30.

ET QUÆSIVIT OMNES NEQUITIAS, USQUE DUM PERVENIRET AD ILLOS DEFENSIO, ET AB OMNIBUS PECCATIS LIBERAVIT EOS] *Quæsivit*, scilicet Israel seductus à Jeroboam: græcè est ἐξεζήτησαν, id est, *exquisierunt*, scilicet Israelitæ: idem ergo est sensus, quasi dicat, Aperta per Jeroboam via peccati & idololatriæ, populus regem suum sequens, & erga novos deos insaniens adinvenit nova idola, novos ritus sacrilegos, nova scelera. VERS. 31.

Defensio quæ? Resp. Primò. Quæres quænam est *defensio* quæ sistit hasce Israelis nequitias. Primò, Lyranus accipit liberationem Hebræorum è Babylone factam à Cyro; vel, ut alii, ab Artaxerxe Longimano, qui anno septimo regni sui misit Esdr. 1. Esdr. 7. & seq. & anno vigesimo Nehemiam in Jerusalem, ad eam reædificandam, Nehemiæ v. 1. & sequ. Judæi enim Babylone redeuntes in Jerusalem, redierunt pariter ad avitum Dei cultum & pietatem.

Secundò. Secundò, Rabanus & Dionys. per *defensionem* accipiunt redemptionem fidelium factam per Christum: Christus enim nos liberavit à peccatis omnibus. Verùm hic sensus est allegoricus potiùs quàm literalis.

Tertiò. Tertiò, ergo meliùs Palacius, q. d. Ephraim involutus est omnibus iniquitatibus idolorum, donec veniret Elias (de quo Auctor statim dicet) qui Dei causam defendit facto miraculo ignis holocaustum absumentis, ac ita liberavit populum à peccatis idolorum: nam videns miraculum illud dixit: *Dominus ipse est Deus*, &c. Historiam habes 3. Regum 18. Porrò vocatur miraculum illud *defensio*, scilicet qua Deus, ac ejus lex atque religio ab Elia defensa sunt, & vera ac sancta demonstrata. Unde Syrus, *& multiplicavit peccata eorum valdè, & de omnibus nequitiis consilium petitum est ab eo, donec surrexit propheta similis igni;* putà Elias.

Verùm

Verùm Nota. Pro *defensio* græcè est ἐκδίκησις, id est, A *vindicta*, ultio: sic enim antiqui *defendere* dicebant pro ulcisci, uti ostendi Roman. 12.19. ad illud, *Non vos defendentes*, id est vindicantes, *charissimi*. Sic Gellius lib. 9. cap. 1. *defendo* sumit pro arceo, depello, citatque illud: *Claudius hostes facilè à pinnis defendebat*, id est, depellebat. Græca ergo sic habent: *Omnem malitiam exquisierunt, donec ira, & ultio veniret super eos*. Hæc ultio etiam competit Eliæ: ipse enim ultus est iniurias Dei occidendo omnes prophetas Baal (unde de eo subdit cap. 48. 7. *Qui audis, &c. in Horeb iudicia defensionis*; græcè, ἐκδικήσεως, id est, ultionis) itaque populum peccatis idololatriæ liberavit, 3. Regum 18.40. Sed inchoatè dumtaxat: nam mox per Achab, Jezabel, aliosque impios reges, populus impulsus ad idola rediit.

Quartò. Quartò, igitur plenè, & perfectè, *defensio*, id est ultio, hæc fuit captivitas Assyriaca, & Babylonica, de qua sermo præcessit. Unde ex Græco hæc omnia sic clarè vertas cum Vatablo, & aliis, *ergo multiplicata sunt peccata eorum adeò*, B *ut eos pellerent terra sua, quia omne scelus exquisiverunt, donec indignatio in valit eos, & ultio per quam omnia peccata luerent*. Senius ergo est, ait Jansenius, Israel à Jeroboam malè edoctus *quæsivit omnes nequitias*, hoc est, studiosè quasvis peregit, donec à Deo eorum nequitiis provocato, nec ampliùs ferre volente, perveniret super illos Dei vindicta, qua Deus defendit se, & se ultus est de iniuria sibi ab eis illata, quæ defensio, & ultio liberavit eos ab omnibus peccatis: hoc est, finem imposuit eis peccandi, ut ampliùs in sua terra Deum suis peccatis provocare non possent, quæ tam studiosè ibi sectati sunt, & exquisiverunt.

Verùm, quia hæc non fuit tam liberatio, quàm punitio, & perditio Israelitarum, hinc *Tò liberavit* sic meliùs exponas, q. d. Deus Judæos (quibus multi ex decem tribubus commisti fuere) ulciscens, puniensque captivitate Babylonica, liberavit eos ab omnibus peccatis; tum, quia abstulit eis idola, aurum, & argentum, quæ eis fuerant occasio idololatriæ, gulæ, luxuriæ, aliorumque scelerum: tum, quia Judæi videntes se à Deo puniri, & transferri in Babylonem, ad mentem, & ad Deum redierunt, supplicesque peccatorum veniam, & opem postularunt; adeoque hac ultione Dei admoniti resipuerunt, ut, cùm antea in idola essent promissimi, post captivitatem tamen Babylonicam planè mentem mutarint, nec deinceps idola ulla coluerint, saltem publicè, & communi consensu. Unde moraliter discas, quàm utilis sit vindicta, & ultio, tum Dei, tum principum Deum imitantium: hæc enim sui terrore sistit peccata, ab eisque populum liberat. Quo circa Psaltes impiis eam optat, dicens: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum*, psal. 82: 17. Et Sapiens c. 14. 7. *Benedictum est lignum per quod fit iustitia*. Quod ergo virga est puero, cauterium morbo, lima ferro, flagellum equo, stimulus bovi, hoc peccatori est pœna, & castigatio, de qua re plura dixi Exodi 32. 27. & sequ. Num. 25. v. 8. & alibi. *Quintò. genuinè.*

CAPUT QUADRAGESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Vers. 1. ENcomium Eliæ usque ad v. 13. inde Elisei usque ad v. 19. inde Ezechiæ usque ad v. 23. inde Isaiæ usque ad finem.

ET surrexit Elias propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. 2. Qui induxit in illos famem, & irritantes illum invidia sua pauci facti sunt, non enim poterant sustinere præcepta Domini. 3. Verbo Domini continuit cælum, & deiecit de cælo ignem ter. 4. sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi? 5. Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei. 6. Qui deiecisti reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum, & gloriosos lecto suo. 7. Qui audis in Sina judicium, & in Horeb iudicia defensionis. 8. Qui ungis reges ad pœnitentiam, & prophetas facies successores post te. 9. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. 10. Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini: conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Jacob. 11. Beati sunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt. 12. nam nos vita vivimus tantùm, post mortem autem non erit tale nomen nostrum. 13. * Elias quidem in turbine tectus est, & in Eliseo completus est spiritus eius: in diebus suis non pertimuit principem, & potentia nemo vicit illum. 14. Nec superavit illum verbum aliquod, * & mortuum prophetavit corpus eius. 15. In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est. 16. In omnibus istis non pœnituit populus, & non recesserunt á peccatis suis usque dum electi sunt de terra sua, & dispersi sunt in omnem terram. 17. Et relicta est gens perpauca, & princeps in domo David 18. Quidam ipsorum fecerunt quod placeret Deo: alii autem multa commiserunt peccata. 19. Ezechias munivit civitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificavit ad aquam puteum. 20. * In diebus ipsius ascendit Sennacherib, & misit Rabsacen, & sustulit manum suam contra illos, & extulit manum suam in Sion, & superbus factus est potentia sua. 21. Tunc mota sunt corda, & manus ipsorum, & doluerunt quasi parturientes mulieres. 22. Et invocaverunt Dominum misericordem, & expandentes manus suas, extulerunt ad cœlum: & sanctus Dominus Deus audivit citó vocem ipsorum. 23. Non est commemoratus peccatorum illum, neque dedit illos inimicis suis, sed purgavit eos in manu Isajæ sancti prophetæ: 24. * Dejecit castra Assyriorum, & contrivit illos Angelus Domini. 25. Nam fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter ivit in via David patris sui, quam mandavit illi Isajas propheta magnus, & fidelis in conspectu Dei. 26. * In diebus ipsius retro rediit Sol, & addidit regi vitam. 27. Spiritu magno vidit ultima, & consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum. 28. Ostendit futura, & abscondita antequam evenirent.

VERS. 1. ET SURREXIT ELIAS PROPHETA QUASI IGNIS, A ET, VERBUM IPSIUS QUASI FACULA (græcè λαμπὰς, id est fax, facula funalis, candelabrum, lumen funale, splendor, ARDEBAT (Græcè ἐκαίετο, id est, *ardebat & urebat*. Unde Complut. *verbum ipsius quasi fax urebat*; Vatabl. *porrò Elias propheta velut ignis est exortus, & sermo eius instar facis flagrans*; Syrus, *surrexit propheta similis igni, & verbum eius ardens quasi clibanus succensus*. Sequitur Siracides ordinem temporum: post Salomonem enim inter illustres Israelis viros, & heroes eminuit Elias, qui idololatriam & impietatem per Salomonem invectam, & per Jeroboam propagatam, suo zelo, & animi robore restinxit: ad hoc enim eum Deus excitavit, tantoque spiritu dotavit. Hoc significat *Tò surrexit*. Sicut ergo cap. 47. v. 1. dixit: *Et surrexit Nathan*

propheta in diebus David; sic hic ait, *Et surrexit Elias propheta quasi ignis*, quod enim Nathan fuit Davidi, hoc Elias fuit Josaphat, & regibus Israel, Isaias Ezechiæ, & Jeremias Josiæ: qui idcircò per hos Prophetas celebres, & illustres euaserunt.

Sensus ergo est, q. d. Deus excitavit Eliam, qui zelo Dei veræque religonis in corde ardebat quasi igne, ideoque verbum oris ipsius ex corde igneo promanans, erat quasi fax ardens, & incendens auditores, obedientes quidem charitate & amore Dei, inobedientes verò igne cælesti consumens, Zelus enim Eliæ plures idololatras occidit quàm convertit: occidit enim 850. ariolos, magos, & pseudoprophetas, longè plures occidit fame triennali, de qua v. ſe. Fuit enim in Elia magis zelus justitiæ, & vindictæ ad perdendos impios, quàm clementiæ, & charitatis ad eos convertendos: hic enim servabatur Christo, & Apostolis in lege gratiæ. Unde cùm Joannes, & Jacobus instar Eliæ vellent Samaritas, eò quod nollent Christum recipere, perdere igne, ac dicerent Christo: *Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Christus increpavit illos, dicens: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*, Lucæ 9. v. 54.

Elias similis igni. Primò. Elias ergo comparatur igni, & faculæ, Primò, quia ardebat charitate Dei, eamque docendo, & prædicando alios accendebat, itaque eos in veri Dei fide, cultu, & amore continebat; vel, si ad Baal, & idola deflexissent, ad Deum verum convertebat.

Secundò. Secundò, qui flagrabat zelo honoris Dei, ideoque justitiæ & vindictæ, ad exterminandos idololatras, Deo iniurios.

Tertiò. Tertiò, quia in verbis, & operibus erat efficax, adeò ut ea per miracula exequeretur, & sanciret: quocirca adeò ardentia fundebat verba, ut flammas eructare videretur: non enim inflantia erant, sed cunctos inflammantia. Similis fuit vox S. Joannis Baptistæ, qui proinde dicitur venisse in spiritu, & vitute Eliæ. Hinc Elias, vel, ut Hebræi dicunt, Eliahu, hebraicè idem est quod יה *el Ia*, id est, *fortis Deus*, ait S. Hieron. vel אלי *eli*, id est, *fortitudo mea* est *Ia* vel *Jehova*, id est *Deus*. Divina enim fortitudine, & omnipotentia armatus confregit Baalitas, domvit Achab cum Jezabele, cælo, & terræ imperavit, ad tot tantaq; miracula patranda.

Quartò. Quartò verbum Eliæ vocant *facula*, quia magnum apud Idololatras excitavit incendium, tum sterilitatis, & famis, quo plantas hominesque arefecit, & exussit: tum ignis, quem è cælo in idololatras evocavit. Ita se explicat Siracides dum subdit: *Qui induxit in illos famem*. Et mox: *Verbo Dei continuit cælum, & deiecit de cælo ignem ter*. Ita S. Chryſ. homil. de Petro, & Elia recèns edita, sterilitatem hanc, & famem vocat febrem, quæ instar ignis æstuare facit hominem. *Uixdum*, inquit, *exierat sermo eius, cùm subitò mutatus aer, cælum æneum factum: idemq; sermo in terra viscera tamquam febris incubuit; & è vestigio exaruerunt omnia, omnia solitudine ac vastitate horruerunt, herba siccata sunt, plantæ simul, & arbores*, &c.

Elias igne nutritus qua ratione Tradit S. Epiphanius in Vitis Prophet. in Elia, Eliam flamma fuisse enutritum in signum ardentis eloquii ejus; non quòd verè flamma fuerit enutritus (hoc enim est impossibile;) sed quòd flamma lamberet ejus vultum, & os, in illudque videretur ingredi, illumque cibare, & pascere. Sic, & Dorotheus in Synopsi: *Cùm nasciturus*, inquit, *esset Elias, pater eius Sabacha vidit illum ab angelis albicantibus salutari, & igne tamquã faciis involui, & flamma ignis velut cibo ali. Et Jerosolymam profectus rem istam indicavit, dictumq; illi est ex oraculo, ne timeret: fore enim ut puer nasciturus in luce habitaret, & quæ diceret firmam sententiam haberent, indicaretq; Israelem in gladio, & igne.* *& S. Dominicus.* Simili modo S. Dominicus Patrum Prædicatorum fundator, quasi ævi sui Elias, matri præmonstratus fuit per faculam ardentem: ipsa enim gravida visa est sibi videre se utero gestare catulum, præferentem ore facem ardentem, quæ totum orbem illuminabat pariter, & accendebat. Visionem probavit eventus: ipse enim per se suosque asseclas fuit fax, id est, lux, & ardor sæculi sui, & sequentium. Sic hoc ævo S. Ignatius fundator Soc. Jesu, ignem sacrum quo ardebat, omnibus aspirabat, suisque quos in varias oras mittebat, dicebat: *Ite incendite orbem*, non ardore, sed amore.

Allegor. Elias typus Apostolorum in linguis igneis. Allegor. Elias ardens ut ignis, repræsentabat Apostolos, corde igneo, & linguis igneis à Spiritu sancto acceptis in Pêtecoste, evangelizantes toto orbe magnalia Dei, & Christi. Unde de iis dixerat Christus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Lucæ 12. 49. Hinc Cherubini stipantes currum gloriæ Dei, fuere ignei, Ezech. 1. 13. *Aspectus eorum*, inquit, *quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum*. Unde S. Chryſ. hom. 4. in Acta: *Sicut ab igni*, inquit, *quotquot volet aliquis lucernas accendit, nec ignis imminuitur: ita, & in Apostolis tunc temporis accidit. Non enim per ignem tantùm gratia largitas demonstrabatur, sed unusquisq; spiritus fontè accepit*. Et inferius: *Sicut igneus homo si in medias incidat stipulas, nihil læditur, sed magis vim exeret suam: nec enim ille quidquam patitur mali, sed qui his reluctantur ipsi seipsos perdunt. Ita nunc evenit. Imò potiùs ac si quis ignem gestans luctetur cum eo qui portat fœnum: itidem, & Apostoli illos adorti sunt multa cum fiducia*, &c. q. d. Sicut ignis non læditur à fœno, sed illud lædit ignis; sic Apostoli à Gentibus persequentibus nihil passi sunt, sed eos potiùs sibi subjugarunt, & igne suo divino inflammarunt. Talis fuit S. Paulus, qui instar ignis cælestis sive fulguris, imò instar Seraphini, tot urbes, tot gentes, tanta terræ marisque spatia celerrimè provolavit, convertit, accendit. Præclarè igitur S. Chrysost. homil. de laudibus S. Pauli: *Paulus*, ait, *in terra gradiens sic se agebat in cunctis, quasi angelorum societate frueretur. Nam passibili adhuc colligatus corpori, illorum perfectione gaudebat, tantisq; fragilitatibus subditus, in nullo inferior supernis virtutibus apparere certabat. Nam, & tamquam pennatus totum docendo pervolavit orbem, & velut incorporeus labores omnes periculaque contempsit, & quasi iam cælum possidens cuncta prorsus terrena despexit; & tamquam cum ipsis iam incorporeis degeret, ita ingi mentis intentione vigilavit: & angelis quidem sæpè diversarum gentium cura commissa est, sed nullus eorum ita creditum sibi gubernavit populum, ut Paulus universum gubernavit orbem. Michaeli gens commissa est Iudæorum, Paulo verò terra ac maria, atque universi orbis habitatio*. Et mox: *Quomodo non admirabile hoc neque improvisum videtur cùm ex terrena lingua sermo prosiliens mortem fugat, peccata dissolvit, tenebras cæcitatis illuminat, & mutatione mirifica terram convertit in cælum.*

Elias igitur fuit typus Apostolorũ, qui quasi sagittæ igneæ fuerunt, ex arcu Christi crucifixi validissimè tenso ejaculatæ, orbem ferientes, & accendentes amore Dei, juxta illud psalm 7. 14. *Sagittas suas ardentibus effecit*. Ubi S. August. *In hoc arcu*, ait, *fortitudine novi testamenti, quasi nervo quodam, duritia veteris flexa, & edomita est. Hinc tamquam sagittæ emittuntur Apostoli, qui divina præconia iaculantur: sagittas ardentibus operatus est, id est, qui percussi divino amore flagrarent. Qua enim alia sagitta percussa est quæ dicit: Vulnerata charitate ego sum?* Cant. 2. 5. & c. 5. 8. *Græca habent, Sagittas suas ardentibus operatus est. Latina, Ardentes, sive ipsæ sagittæ ardent, sive ardere faciant: quod utiq; non possunt, nisi, & ipsæ ardeant.* Et inferiùs: *Sagitta potentis acuta cum carbonibus vastatoribus, id est, quibus percussus atque inflammatus tanto amore ardeas regni cælorum, ut omnium resistentium, & à proposito revocare volentium, linguas contemnas, & persecutiones derideas, dicens: Quis me separabit à Charitate Christi?*

Tropol. Elias repræsentat viros zelosos, reformationis; & morum studiosos ac præsertim feruentes doctores, & prædicatores, qui suo ardore alios succendunt, juxta illud Jerem. 20. 9. *Factus est* (sermon Domini) *in corde meo quasi ignis exæstuãs, claususq; in ossibus meis: & defeci, ferre nõ sustinens*: nimirũ

Ardens orator si vult accendere plebem.

Verè S. Chryſ. hom. 1. ad Popul. *Sufficit*, inquit, *unus homo Zelo Dei succensus totum corrigere populum*. Id patuit in Elia Eliseo, Isaia, Joanne Baptista, aliisque Prophetis. Id patuit in S. Bernardo, qui vocatus à Deo ad Ordinem Cisterciensem, factus est sicut ignis qui comburit siluam, & sicut flamma comburens montes, hinc inde priùs viciniora quæq; corripiens, postmodum in ulteriora progrediens. Sic enim ignis, quem Deus accenderat in corde S. Bernardi, primò omnes fratres, deinde exteros plerosq; ad idem Religionis votum capessendum inflammavit, adeò ut matres absconderent filios, uxores detinerent maritos, amici amicos averterent: quia voci ejus Spiritus sanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret affectus. Igitur S. Bernardus annos natus 22. cum sociis triginta ingressus est Cistercium anno Domini 1113. vide Auctorem Vitæ ejus lib. 1. c. 3. & seq. Idem patuit in S. Dominico, ut jam dixi, qui quasi angelorum unus omnes ad cælum voce, vita, & exemplo vocabat, ac divini amoris flamma absorptus omnes eadem accendere satagebat. Unde rogatus à quodam, ex quonam libro tam ardentes conciones hauriret? respondit: Ex libro charitatis. Huic uni, inquit, studeo, ex eoque verba non inflantia, sed inflammantia depromo. Socius ei fuit S. Franciscus, de quo S. Bonavent. in Vita ejus cap. 12. *Omnis ætas*, inquit, *omnisque sexus properabat, virum novum mundo cælitus datum, & cernere, & audire: erat enim verbum* *Tropol. Elias sunt Zelosi.*

eius

eius velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat. Propter quod omnes cuiuscumque conditionis, quos in aperto vel in occulto reprehendebat, sancta cum veneratione suspiciebant, & exaudiebant, ut interiùs compuncti, vel vitam componerent, vel timore, & horrore correpti, contra corripientem mussitare non auderent. In eo ergo impletum fuit illud psalm. 96. *Illuxerunt coruscationes tua orbi terra.* Quocumque enim S. Franciscus discurrens divertebat, velut fulgur commovebat incolas, velut coruscatio illuminabat obvios, & velut sagitta potentis acuta corda penetrabat; ita ut plurimi ejus vestigia sequerentur, ceteri mores in melius commutarent. Ejus enim sanctitati ita radianti, verbisque ignitis, & miraculis adò raris nullum pectus, quantumvis durum, resistere poterat, quin mollesceret, & ignem divinum ab eo afflatum conciperet. Hosce nostro ævo secutus S. Ignatius fundator Soc. Jesu, contra Lutherum Luciferi igne ardentem, surrexit quasi ignis Spiritus sancti, ignitoque ejus spiritu frigida tam Catholicorum, quàm hæreticorum corda succendit, & ignivit. Elias igitur vivum fuit prædicatorum verbi Dei speculum: ignea enim ejus fuit mens, ignea lingua, ignea manus, quibus Israelem convertit.

Præcepta concionãdi data à S. Francisco.

Audi aurea prædicandi præcepta, suis concionatoribus à S. Francisco tradita in Opusc. collat. 17. & in Annalib. Vvaddingi anno Christi 1220. nu. 30. *Volo fratres charissimi, ministros verbi Dei tales esse, ut studiis intendentes spiritualibus, nullis aliis officiis impediantur. Hi enim à magno illo Rege electi sunt ad edicta, quæ ex eius ore procedunt populis demandanda. Priùs ergo prædicator haurire debet secretis orationibus, quod postea sacris effundat sermonibus: priùs intus calescere, quàm extrà verba proferre. Reverendum sanè est hoc officium, & qui illud administrant, ab omnibus reverendi. Isti vita sunt corporis, impugnatores dæmonum, mundi lucerna. Laudandi sunt prædicatores illi, qui pro tempore sibi sapiunt sibique gustant: illi verò malè sciunt dividere, qui prædicationi totum, devotioni verò nihil impendunt. Alii etiam plangendi sunt, qui vendunt sæpè, quod faciunt, oleo vanæ laudis.* Subdit deinde: *Officium prædicationis, fratres, patri misericordiarum omni sacrificio est acceptius, maximè si studio fuerit charitatis impensum, ut ad id laboret prædicator magis exemplo quàm verbo, magis lacrymosa prece quàm loquaci sermone. Plangendus proinde prædicator tamquam vera pietate privatus, qui prædicatione non animarum salutem, sed propriam laudem quærit, sive quà pravitate destruit vita, quod ædificat veritate doctrina. Præferendus huic est frater simplex, & elinguis, qui bono exemplo alios provocat ad bonum. Donec sterilis peperit plurimos, inquit Prophetissa, & quæ multos habebat filios, infirmata est. Sterilis est pauperculus frater, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic pariet in iudicio multos, quia quos privatis orationibus convertit ad Christum, sua gloria tunc index adscribet. Quæ multos habet filios, infirmabitur, quia prædicator vanus, & loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet tunc se nihil proprii habere in eis.*

Hunc concionandi modum à S. Francisco didicit S. Antonius de Padua, qui proinde cum flammis igneis pingi solet: nam quasi alter Elias Spiritus sancti igne succensus, ignitis sermonibus urebat frigida hominum corda, & à vitiis quibuslibet ad virtutes traducebat. Vide Vitam ejus capit. 13. extat apud Surium die 13. Junii. Qui ergo tales sunt, utique sunt doctores, & prædicatores Seraphici, imò Seraphini, qualis fuit S. Bonaventura, cognominatus Doctor Seraphicus, quia lectorem illuminando ut Cherubinus, inflammat pariter ut Seraphinus.

VERS. 7. QUI INDUXIT IN ILLOS FAMEM, ET IRITANTES (ita Romana, & Græca: perperam ergo Jansen. & alii legunt *imitantes*) ILLUM INUIDIA SUA PAUCI FACTI (aliqui legunt *tabefacti*) SUNT: NON ENIM POTERANT SUSTINERE PRÆCEPTA DOMINI) Græca Complut. de more concisa sic habent, *& induxit in illos famem fortem, & zelo suo diminuit eos*; Roman. *paucos fecit eos*; Syrus, *discidit vel confudit eos*; Vatabl. *is famem gravem immisit in eos, vehementiaque sua redegit ad paucos, quod non possent ferre iussa Domini*. Græcè est τῷ ζήλῳ, id est, *zelo suo redegit eos ad paucitatem*. Noster pro αὐτοῦ, legit αὐτῶν, id est, *ipsorum*, vel *sua*: Unde zelum accepit pro invidia, qua ipsi Israelitæ idololatræ persequebantur Eliam, ipsique invidebant potestatem inducendi famem, aliaque miracula patranda, eò quòd famem eis induxisset. Sensus

A ergo est q. d. Elias zelans pro honore, & cultu veri Dei sua prece, imò jussu, clausit cælum ne plueret, itaque sterilitatem terræ, & famem Israelitis idololatris induxit; tum ut ostenderet Dei veri potentiam supra idola, & idololatras; tum, ut potenti vindicta plecteret eorum idololatriam, & scelera. Ex hac fame Israelitæ idololatræ, qui iritabant, & vexabant Eliam per suam æmulationem, & invidiam redacti sunt ad paucos. Nam multi fame enecti periere, eò quòd non sustinerent præcepta Domini de fuga idolorum, deque sequenda veri Dei fide, & cultu, quæ eis inculcabat Elias. Historia hujus famis narratur 3. Reg. 17. 1. ubi Elias igneo suo zelo, & fiducia in Deum imperans cælo: *Vivit Dominus*, inquit, *Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluvia, nisi iuxta oris mei verba.* Itaque clausit cælum, stititque pluviam, & famem induxit Israeli per tres annos: nam tertio anno monitu Dei cælum reseravit, ut daret pluviam copiosam; itaque pro fame rerum copiam induxit. 3. Reg. 18. 1.

Hoc est primum prodigium, & miraculum, quod patravit igneus, & thaumaturgus Elias, eoque se Eliam, id est, fortitudine, & efficacia Dei præditum, ac verbum *Miracula Eliæ. Primum.*
B suum instar faculæ potens esse, potenterque homines fame velut igne consumere, demonstravit.

VERBO DOMINI CONTINUIT CÆLUM) q. d. Jussu Domini, sive ex ore, & potestate Dei, clausit cælum, ne plueret super terram, uti jam dictum est, idque tribus annis, & mensibus sex, uti ait Christus Lucæ 4. v. 25. & S. Jacob. cap. 5. 17. Pro *continuit*, græcè est ἀνέσχε, quod Romana vertunt, *continuit*; Vatabl. *inhibuit*; Complut. *sustinuit*, id est, sursum extulit, & elevavit, vel elevatum continuit, & prohibuit cælum ne plueret. Est catachresis: nam etiam Hispani, cùm vehemens imber cælo depluit, dicunt cælum deorsum venire, sive descendere, non in se, sed in suo effectu, scilicet pluvia. Audi S. Chrysost. serm. 2. de Elia tom. 1. *Cùm Elias Propheta sanctissimus populum prævaricatum aspiceret, cum Baal, & lucos despecto Domino cœli à sacrilegis pervideret, cumque creatore despecto figmentis sese nemoribusque omnis populus addixisset; zelo Dei commotus, Iudæam terram siccitatis sententia, & pluviarum sterilitate addixit. Tunc subitò anhelat terra, siccatur cælum, sitiunt amnes, fontes arescunt, omnis humor ima petit, supera deserit: aer fervet, serenitas torquet, tranquillitas pœna est: æstuant noctes, dies arescunt: sata torrentur, arbusta ægrotant, prata deficiunt, nemora languent, campi*
C *ieiunant, squallet terra, herba, quas produxit interimit, iram Dei universa creatura testatur. Molesta est fames, ubi quod esurit necessitas, deesse invenit.* Et mox: *Elias altior mundo, proximus cælo, montis habitaculo, & Dei colloquio fruebatur, ne illorum pœnam perspiceret, quorum scelera videre non posset.* Et inferiùs: *Denique stabat Elias medius inter Deum, & populum. Stabat inquam inter sacrilegos sanctus, inter peccatores iustus inter profanos devotus, advocationem cunctis populis præstiturus: obiurgat populum, exorat Deum, iram Domini avertit, & errantem populum à Dei cultura ad Dei latitiam revocavit. Coniungit Dominum populo, & Deo populum. Fit per Eliam una concordia inter Deum, & hominem, inter populorum, & genitorem; & ut universi dicerent, Verè Dominus Deus ipse est Deus. clavis cæli fit sermo Eliæ sanctissimi: iubet enim, & clauditur: orat postmodum, & aperitur.*

ET DEIECIT DE CÆLO IGNEM TER) Ita Romana, & Græca. Perperàm ergo Iansen. & alii pro *ter* legunt *terra*. quod Palacius sic explicat, quasi ignis hic de cælo venerit ad Eliam in montem, Elias deinde ignem hunc rotarit in terram, ubi milites erant eum capturi, unde ait, *deiecit à se ignem terra*, id est, in terram. Verùm, ut dixi,
D legendum est *ter*, non *terra*; Vatabl. *ignem de cælo ter deduxit*, nimirum bis in duos pentacontarchos, sive quinquagenarios, quos submiserat Ochozias, ut Eliam caperent, & ad se perducerent, 4. Reg. 1. 10. & tertiò quando certavit contra Prophetas Baal: igne enim cælitus in victimam suam devocato, & delapso, eos vicit, itaque veri Dei metum, & cultum demonstravit, ac Prophetas Baal occidit, 3. Reg. 18. 38. Unde Syrus vertit, *& descendere fecit tribus vicibus ignem de cælo, super altare, & super homines impios.*

Secundum est hoc potens prodigium Eliæ, quo Elias igneus cælo quaquaversum dominatus est, ejusque naturam quasi suspendit, & invertit: cùm enim cælo naturale sit dare pluviam: ipse eam inhibuit, vimque pluendi in *Secundum.*

cælo ſtitit: ex adverſo cùm ignis è cælo non deſcendat, ſed potiùs in cælum aſcendat, ipſe tertiò fecit ignem de cælo in terram deſcendere. Elias ergo fuit ignipotens, imò cælipotens.

Idem faciet in fine mundi quando redibit cum Henoch, ut certet contra Antichriſtum, eiuſque aſſeclas: hos enim ipſe efficaci, & ardenti ratione, & oratione convincet, ac ſimul igne in eos immiſſo comburet, iuxta illud Apcal. 11. 5. *Et ſi quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum, & ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi. Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum; & poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint.* Vide quæ ibidem annotavi.

Quis ergo reſiſtat Eliæ, qui ore non verba, ſed fulmina vibrat, ut ſciat ante ſe victorem, quàm bellatorem? Prælia quippe flammarum, triumphi ſunt: quorum pompa lux eſt, quorum plauſus fragor incendii. Hic impletum eſt illud Zachar. 2. 5. *Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Quid ſibi metuat ab hoſtili ferro, quem cæleſtis ignis tuetur? Quid trepidet ab hominum incurſu, qui ſe videt in complexu divinitatis. Non arma quævis eliquabunt hæ flammæ? non audaciam compeſcet hic ardor? non ſudorem ex inimicis vultibus, non ſanguinem è venis hic ignis eliciet? Ignis enim aquæ, aeris, terræ, corporumque omnium victor eſt, & ſibi obſiſtentium ſævus ultor, cuncta afflans, fulminans, & in favillas cinereſque redigens.

Allegor. Elias uti in aliis omnibus, ita, & in immiſſione ignis, fuit typus Chriſti; qui Spiritum ſanctum in linguis igneis miſit in Apoſtolos in Pentecoſte: hoc enim igne ſuccenderunt orbem, idola combuſſerunt, impietatem cum impiis eliminarunt. Rurſum Elias ignem cælo devocans ad conſummandum ſacrificium, typus eſt ſacerdotis Chriſtiani, qui Spiritum ſanctum cælo evocat in conſecratione Euchariſtiæ ad perficiendum ſacrificium tranſſubſtantiationis, quo panis, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti verè, & ſubſtantialiter convertuntur, quod licèt quotidianum, eſt tamen miraculum miraculorum. Ita S. Chryſoſt. libr. 3. de Sacerdotio ſacerdotem Eliæ conferens & præferens: *Adeſt* enim, inquit, *ſacerdos non ignem geſtans, ſed Spiritum ſanctum: is preces diuturnas fundit, non quod flamma cælitus delapſa ſacra appoſita abſumat, ſed ut gratia in ſacrificium inſiliens, per illud illud ipſum omnium animos inflammet, & puriores reddat appenſo igni excocto purgatoque.* Cujus rei ſymbolo ſuper caput S. Baſilii, S. Martini, aliorumque illuſtrium ſacerdotum, dum celebrarent, apparvit globus igneus vel columna ignea.

Ieiunium parent miracula. Porrò S. Ambroſ. lib. de Elia, & jejunio cap. 2. hoc miraculum ceteraque Eliæ merito jejunii ipſius aſſignat: jejunavit enim ipſos 40. dies inſtar Chriſti, 4. Reg. 19. 8. *Elia,* inquit, *ieiunio ore vox emiſſa cælum clauſit ſacrilego populo Iudæorum,* &c. *Ieiunus filium viduæ ab inferis ſuſcitavit, ieiunus pluvias ore depoſuit, ieiunus ignes de cælo eduxit, ieiunus curru raptus eſt ad cælum, & quadraginta dierum ieiunio divinam acquiſivit præſentiam. Tunc denique plus meruit, quando plus ieiunavit. Ieiuno ore ſtatuit fluenta Iordanis, & redundantem fluminis alveum repentinè ſiccatū pulverulento tranſmigravit veſtigio. Meritò illum dignum cælo divina iudicavit ſententia, ut cum ipſo raperetur corpore, quoniam cæleſtem vitam vivebat in corpore, ac ſuperna uſum converſationis exhibebat in terris.* Et cap. 3. *Quid eſt enim ieiunium, niſi vita imago cæleſtis? Ieiunium refectio animæ, cibus mentis eſt: ieiunium vita eſt angelorum: ieiunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum eſt caſtitatis. Hoc ad Deum gradu citiùs pervenitur: hoc gradu Elias aſcendit antequam curru hanc hæreditatem ſobrietatis & abſtinentiæ ad cælum abiens diſcipulo dereliquit. In hac virtute, & ſpiritu Eliæ venit Ioannes. Denique in deſerto, & ille vacavit ieiuniis: eſca autem eius erat locuſta, & mel ſilveſtere. Et ideò qui vitæ humanæ poſſibilitatem continentia ſupergreſſus fuerat, non homo, ſed angelus æſtimatus eſt.*

VERS. 34. SIC AMPLIFICATVS EST ELIAS IN MIRABILIBVS SVIS. ET QVIS POTEST SIMILITER SIC GLORIARI TIBI?) Græcè, *quantum gloriam conſecutus es ò Elia mirabilibus tuis, & quis poteſt ſimiliter ac tu gloriari?* Vatabl. *quantam gloriam miraculis tuis adeptus es Elia, aut quis paria tecum glorietur?* Syrus *quàm terribilis es Elia? & quis* A *eſt ſicut tu, ipſe laudetur.* Siracides admirans multitudinem, & magnitudinem portentorum, & admirandorum operum Eliæ, ad eum ſe convertens, eique congratulans exclamat: Quis tam mirabilis, & glorioſus in facinoribus ſuis, ac tu ò Elia? Elias enim prodigiis, & hæroicis operibus omnes anteceſſores ſuperavit, uno excepto Moyſe, ſed nec Moyſi fuit impar. Nam, & mortuum ſuſcitavit, & ignem ter de cælo deduxit, & curru igneo raptus eſt in cælum, & adhuc ſuperſtes vivit rediturus, & certaturus contra Antichriſtum, ab eoque martyrio laureandus, quorum nihil competit Moyſi. Porrò Elias, & Sancti in ſuis operibus gloriantes, non in ſe, ſed in Domino quaſi eorum auctore gloriantur, juxta illud Apoſtoli: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* 2. Corinth. 11. Dicunt ergo cum Pſalte: *Non nobis Domine, non Nobis: ſed nomini tuo da gloriam,* pſal. 113.

QUI SUSTULISTI MORTUUM AB INFERIS DE SORTE MORTIS IN VERBO DOMINI DEI) Syrus, *qui vivificaſti mortuum ab inferis ſecundùm voluntatem Domini;* VERS. 4. græcè, *qui ſuſcitaſti cadaver ex morte, & ex inferis animam verbo Excelſi;* Vatabl. *qui defunctum excitans à morte, & animam ab orco verbo Altiſſimi.*

Tertium. Tertium eſt hoc prodigium Eliæ, quòd ipſe primus ab orbe conditio fuerit, qui mortuum ad vitam revocavit. Fuit is puer filius viduæ Sareptanæ, quem Elias verbo, id eſt, invocatione Dei ſuſcitavit, 3. Reg. 17. 21. *Expandit,* inquit, *ſe, & menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus revertatur, obſecro, anima pueri huius in viſcera eius. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ; & reverſa eſt anima pueri intra eum, & revixit.*

Tradunt Hebræi, quos ſequitur Dorotheus in Synopſi in Jonam, Rupertus, & alii, puerum hunc ſuſcitatum ab Elia, fuiſſe Jonam Prophetam, qui proinde vocetur filius Amathi, id eſt, veritatis, eò quòd mater videns filium ſuſcitatum dixerit Eliæ: *Nunc in iſto cognovi, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.* Sed falluntur: nec enim tempus, nec patria, nec cetera conſentiunt, uti oſtendi proœmio in Jonam.

Nota. Idem eſt, *ſuſtuliſti de ſorte mortis,* quod *ſuſtuliſti ab inferis:* ante Chriſtum enim ſors mortis, & morientium erat infernus, putà limbus patrum: ad illum enim deſcendebant omnes juſti. Fuit hæc felix ſors pueri, qua à ſorte mortis translatus eſt ad ſortem vitæ, & viventium.

S. Bonaventuræ nomen unde? Sic S. Franciſcus ſuſtulit S. Bonaventuram de ſorte mortis, indeque vocatus eſt Bonaventura: nam cum quadriennis langueret ad mortem, neque ſpes ulla vitæ, aut medicorum remedium ſupereſſet; pia mater precibus, & meritis S. Franciſci vota ſua, & puerum commendavit, vovens quòd, ſi ſanum reciperet adoleſcentem, eidem reſtitueret, Ordinique Minorum offerret. Mœrentem matrem conſolatus S. Franciſcus, pro puero oravit, & impetravit, ut repentè ſanus exiliret. quo repentino gaudens miraculo, & futura prophetans patrio dixit idiomate: *O Bonaventura*: ac inde ei deinceps hoc nomen adhæſit: nam priùs vocabatur Joannes. Vnde in priſcis nonnullis ejus codicibus ita inſcriptum legimus: *Fr. Ioannes Bonaventura,* ſed cùm frequentiùs omnia Deo juvante bene feliciterque ei ſuccederent, factum eſt ut communiter Bonaventura dumtaxat à Latinis, & Italis, ac à Græcis Eutychius, id eſt, bonæ fortunæ, ſive Fortunatus appellaretur. ita Vvaddingus in Annal. Minor. anno Chriſti 1221. numer. 25.

Sic Tropol. & Anagog. omnes Sancti, præſertim ſalvandi, & electi, eruti à morte peccati, & gehennæ, ſunt Bonaventuræ, & fortunati, eſto multis adverſis, & tentationibus exagitentur: impii verò, & reprobi, eſto hic triumphent, ſunt eruntque Malaventuræ, & infelices. Nam ut ait S. Auguſt. lib. 12. de Civit. c. 20. *Spes noſtra infelicitatis eſt, & felicitatis infelix:* licet enim id ad alia mente, & fine dicat S. Auguſt. ſcilicet contra Origeniſtas, qui ponebant animarum circulationem, quæ damnatæ aliquando ſalvarentur, & beatæ aliquando damnarentur; tamen idipſum huic loco, putà piis, & impiis, in hac vita magis congruit: nam in his abſolutè verum eſt, in illis conditionatè tantùm, ſcilicet ſuppoſita ſententia Origenis, quæ in ſe falſa eſt.

VERS. 5. QUI DEIECISTI REGEM AD PERNICEM, ET CONFREGISTI FACILE POTENTIAM IPSORUM, ET GLORIOSOS DE LECTO SVO) Græcus de more conciſus, & bimembris ſic habet, *qui deduxiſti reges ad perdi-*

perditionem, & glorioſos de lecto ſuo. ita Complut. hac enim ratione *confregiſti facilè potentiam ipſorum*. unde Vatabl. *qui deduxeris reges ad interitum, & de ſede ſua glorioſos, eorumque potentiam infregeris*; Syrus, *deiiciens honorabiles de thronis ſuis*. Additque: *Et audire fecis in tentatione ſua reprehenſionem eorum*: pro quo noſter vertit: *qui audis in Sina judicium*.

Quartum eſt hoc prodigium Eliæ priori contrarium: in *Quartum.* tertio enim ſuſcitavit à morte filium viduæ pauperculæ: hic verò reges potentes ob idololatriam & ſcelera morte mulctavit. Fuere ii quatuor: Primus fuit Achab cum ſua impia uxore Jezabel: utrique enim Elias interitum prædixit & comminatus eſt, quin & ſuis precibus illum à Deo impetravit. 3. Reg. 21. ubi ob occiſum Naboth ex ore Dei illi, totique ejus familiæ intentat exitium: *Interficiam*, inquit, *de Achab mingentem ad parietem* (id eſt, omnes uſque ad canem) *& clauſum & ultimum in Iſrael*. Et v. 23. *Canes comedent Jezabel in agro Iezrahel*, ut ubi peccarat, ibi puniretur: vinea enim Naboth, ob quam occupandam eum iniuſtè occiderat, ſita erat in Jezrahel. Secundus fuit Ochozias filius Achab, qui ægrotans conſuluit Beelzebub deum Accaron, an ſanitati reſtituendus eſſet, an verò moriturus. ob hoc ſcelus Elias ei mortem denuntiavit, 4. Reg. 1. Tertius fuit Joram frater Ochoziæ, qui ei de mortuo in regnum Iſraelis ſucceſſit, quem cum tota proſapia Achab occidit Jehu, itaque omnem familiam Achab extinxit, uti prædixerat Elias 4. Reg. 9. Quartus fuit alter Joram filius Joſaphat rex Juda, cui Elias per literas morbum, ex eoque mortem, intentavit, itaque tam in Joram quàm in Ochozia impletum fuit, quod hic de Elia ait Siracides: *Dejecit glorioſos de lecto ſuo*. Audi rem geſtam. 2. Paralip. 21. 12. ubi Scripturæ cùm recenſuiſſet apoſtaſiam & ſcelera Joram, ſubdit: *Allatæ ſunt autem ei literæ ab Elia Propheta, in quibus ſcriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Quoniam non ambulaſti in viis Joſaphat patris tui, & in viis Aſa regis Iuda, ſed inceſſiſti per iter regum Iſrael, & fornicari feciſti Iudam, & habitatores Ieruſalem, imitatus fornicationem domus Achab; inſuper & fratres tuos, domum patris tui, meliores te occidiſti; ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filiis & uxoribus tuis, univerſaque ſubſtantia tua; tu autem ægrotabis peſſimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per ſingulos dies*. Et verſ. 18. *Et ſuper hæc omnia percuſſit eum Dominus alui languore inſanabili. Cumque dies ſuccederet dies, & temporum ſpatia volverentur, duorum annorum expletus eſt circulus, & ſic longa conſumptus tabe, ita ut egereret etiam viſcera ſua, languore pariter & vita caruit. Mortuuſque eſt in infirmitate peſſima, & non fecit ei populus ſecundùm morem combuſtionis exequias, ſicut fecerat majoribus ejus*.

Elia literas ex paradiſo. Ubi nota, Eliam has litteras miſiſſe poſt raptum ſuum ex paradiſo. Raptus enim fuit regnante Joſaphat patre Joram, & conſequenter antequam regnaret Joram, ut patet ex eo quòd ſub Joſaphat prophetarit Eliſeus, diſcipulus & ſucceſſor Eliæ 4. Reg. 3. 14. Ita cenſent Hebræi in Seder olam cap. 17. Lyranus, Malvenda libr. 9. de Antichriſto cap. 2. & noſter Salianus in Annal. ubi aſſerit Eliam has literas ſcripſiſſe & miſiſſe ad Joram poſt novem annos à raptu, ex paradiſo, ſive per angelum forma hominis indutum, ſive per hominem ad hoc, ut majus haberent pondus, majoremque auctoritatem ad eum percellendum, & ad ejus aſſeclas convertendos. Niſi dicas cum Torniello & Emmanuele Sà, Eliam præſcium futurorum, ante raptum has literas ſcripſiſſe, & tradidiſſe Eliſeo, ut poſt raptum ſuo tempore eas traderet Joram regi. Quod enim Cajetan. aſſerit, Eliam harum literarum ſcriptorem alium fuiſſe ab Elia Theſbite Propheta, uti fundamento, ita & veriſimilitudine caret.

Ex dictis videas Eliam, eſto paradiſi colonum, tamen priſtinum pro Deo zelum gerere, ac res mortalium curare, deque ſuæ gentis ſalute eſſe ſollicitum. Similem ſollicitudinem Hebræorum geſſit Jeremias in limbo exiſtens, orans pro eis & Juda Machabæo, 2. Machabæorum 15. 14. Sic Elias cum Moyſe apparuit Petro, Jacobo & Joanni in transfiguratione Chriſti, eique teſtimonium perhibuit, quòd ipſe verus eſſet Meſſias, Matth. 17.

VERS. 7. QUI AUDIS IN SINA JUDICIUM (græcè ἔλεγμον, enim increpationem; Syrus, *reprehenſionem*) ET IN HOREB JUDICIA DEFENSIONIS) id eſt, vindictæ (hanc enim ſignificat Græcum ἐκδικήσεως) quibus, ſcilicet Deus, ita honorem ſuum erat defenſurus, ut ſimul ulciſceretur & plecteret idololatras. Vide dicta c. 47. v. 31. Aliud ergo hoc loco ſignificat *judicium*, aliud *judicia*. Unde Complut. habent, *qui audis in Sina correptionem Domini & in Choreb judicia vindictæ*. Horeb, vel, ut Hebræi dicunt, Choreb, eſt mons Sina, vel pars ejus, uti dixi Exodi 17. 6. *Quintum.*
Quintum eſt hoc Eliæ portentum. Citat 3. Reg. 19. 12. ubi Elias furentem perſecutionem Jezabelis fugiens, hinc metuens, puſillanimis & mœrens; illinc zelo vindictæ æſtuans, optanſque ut Deus Jezabelem cum ſuis perderet & ſideraret; modeſtè increpitus & correptus fuit à Domino per ſibilum auræ tenuis, ſive lenis. Cùm enim Elias pavidus & turbatus degeret in ſpelunca montis Sina, dixit ei Deus: *Quid hic agis Elia? at ille reſpondit: Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael: altaria tua deſtruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam ut auferant eam. Et ait ei: Egredere, & ſta in monte coram Domino: & ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus, & poſt commotionem ignis: non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis*. Septuag. addunt, *Et ibi Dominus*, nam ex hoc ſibilo Deus locutus eſt Eliæ, partim eum conſolans, ejuſque puſillanimitatem & diffidentiam redarguens, partim dans ei judicia defenſionis, hoc eſt decreta vindictæ in impios idololatras, quæ expetebat Elias. Ait enim ibidem verſ. 15. *Unges Hazael regem ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi unges regem ſuper Iſrael: Eliſeum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, unges prophetam pro te. Et erit, quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu: & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliſeus. Et derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal, & omne os quod non adoravit eum oſculans manus*.

Nota finem & ſcopum hujus viſionis fuiſſe, ut Deus Eliam ira, tædio & dolore ob impunitatem idololatrarum & Jezabelis ſuccenſum pacaret, conſolaretur & erudiret. Initio Igitur oculis ipſius offert tria maximè violenta, putà, Primò, ventum validiſſimum: Secundò, terræmotum, Tertiò, ignem, quaſi dicat mihi omnia elementa, omneſque creaturæ, ſummæ, mediæ & infimæ, famulantur, præſtò & ad manum ſunt, ut idololatras & Jezabelem diſperdam ilicò, ſi velim: at non eſt uſitatus hic meæ providentiæ & clementiæ modus; unde nolo eo uti. Idcircò ait ad ſingula: *Non in eo Dominus*: Quarto denique loco auribus ejus offert lenem ſpiritum, ſive auræ ſibilum, ut per eum repræſentaret ſe ſuamque providentiam: ſpiritus enim hic lenis ſignificat divinam patientiam, ſuavitatem ac longanimitatem ad punienda peccata & peccatores, quam imitari & induere oporteat Eliam, & omnes electos. *Deus in ſibilo auræ tenuis: cur?*
Unde pro *ſpiritus auræ lenis* hebr. eſt קול דממה דקה *kol demama dacka*, quod Sept. vertunt, φωνὴ αὔρας λεπτῆς, id eſt, *vox auræ moderatæ*, ſive lenis. Tertull. lib. 4. Contra Marcion. cap. 23. *vox ſpiritus mitis: Non in igni*, inquit, *Dominus, ſed in ſpiritu miti*; Vatabl. *vox ſubmiſſa, gracilis*; Tigurina, *ſibilus tranquillus & tenuis*; Pagnin. *vox tenuis*; Chaldæus, *vox canentium in ſilentio*; alii, *vox ſubmiſſa, ſubtilis*. Erat ergo hic propriè ſibilus, ſed dicitur vox, quia ex eo Deus loquens Eliæ edebat ſibilo ſimilem, ſcilicet ſubmiſſam, lenem & ſubtilem vocem. Submiſſa notat Dei manſuetudinem, ſubtilis efficaciam: Dei enim providentia & operatio tam in gubernando, quàm in vindicando ſicut eſt manſueta & ſua vis, ita viciſſim eſt potens & efficax, juxta illud: *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*, Sapientiæ 8. 1.

Ita hanc viſionem explicat Theodor. Procopius & Cajetan. 3. Reg. 19. & Irenæus lib. 4. Contra hæreſes cap. 37. *Docebatur*, inquit, *propheta turbatior & concitatior ad vindictam. mitiùs agere: & Domini adventus ſignificabatur poſt legem per Moyſen mitis & tranquillus* (cùm Filius Dei incarnatus & converſatus eſt in hoc mundo,) *& regni ejus mitis & pacifica requietio*: nimirum tranquillus eſt Deus, tam in puniendo quàm in miſerendo, *& tranquillus Deus tranquillat omnia, & quietum aſpicere quieſcere eſt*, ait S. Bernardus in Octo punctis perfectionis. *Quare omnia utilia quamvis neceſſaria videantur, ſpernenda tamen ſunt, ut perturbatio devitetur, ut pacis dilectioniſque tranquillitas ſervetur: quia nihil pernicioſius ira, nec charitate quidquam utilius, nec tranquillitate animi pretioſius; propter quæ non ſolùm commoda carnalium, ſed & ſpiritualium ſpernenda videntur*. Sic & Tertull. libr. de Patientia cap. 13. *Sedet*, inquit (patientia) *in throno ſpiritus ejus mitiſſimi & manſuetiſſimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet; ſed eſt teneræ ſerenitatis*

tatis apertus & simplex, quem tertiò vidit Elias. Nam ubi Deus, ibidem & alumna ejus, patientia scilicet. Cùm ergo spiritus Dei descendit, individua patientia comitatur eum. si nos eum cum spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper. Vide S. Gregor. 5. Moral. 26. ubi per spiritum hunc lenem accipit Spiritum sanctum.

Quocirca hic spiritus, sive sibilus tenuis & lenis, detulit vocem Dei erudientem Eliam nimis perturbatum, & pusillanimem, putantemque se unicum superesse Dei veri cultorem, Prophetam & propugnatorem, ceteros omnes ab Achab & Jezabele esse occisos. Unde hoc redarguens Deus ei dixit: *Derelinquam* (reservabo) *mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.*

Rursum spiritus, sive sibilus hic subtilis significabat Dei virtutem spiritalem, vindictamque efficacem, & omnia penetrantem; sicut spiritus sive ventus subtilis omnia penetrat. Unde hic sibilus pariter habuit *judicia defensionis*, id est, vindictæ; tum, quia ante se quasi lictores præmisit ventum validissimum, terræmotum & ignem, quibus Deus ad libitum uti potest, & subinde utitur ad puniendos impios, sed ita ut ipse maneat in spiritu leni, id est, in sua mansuetudine & tranquillitate animi: tum, quia Deus ex hoc sibilo indicavit Eliæ modum vindictæ, in idololatras & Jezabelem exercendæ per Hazael, Jehu & Eliseum. Quamobrem per sibilum hunc lenem Elias deposuit quidem animi perturbationem, pusillanimitatem & impatientiam; at non zelum vindictæ in idololatras. Nam per illum paulò pòst 3. Reg. 21. extremam perniciem intentavit Achab, Jezabeli, omnibusque eorum filiis & posteris.

Hinc nonnulli viri eruditi censent, Deum hac visione quasi in speculo ostendisse modum, tum quo ipse peccatores per pavores, plagas & flagella exagitat & concutit, ut pœniteant, ac spiritum lenitatis gratiæ reconciliationis cum Deo recipiant; tum modum quem principes, judices, rectores, concionatores, ceterique servare debeant in puniendis & corrigendis divinæ legis transgressoribus, ut scilicet per minas acres, increpatione, & flagella eos percellant, & divinæ legis contemptum ulciscantur, ac de impiis justum supplicium sumant itaque per hos quasi viarum stratores iter Deo præparent, dum per illa peccatores ad pœnitentiam vitæque mutationem adigunt, ut scilicet non antè assumant suavitatem lenis & refrigerantis auræ, donec Deum ejusque reconciliationem & gratiam adventare videant, quem antecedunt, & cui hospitium parant, ventus, commotio & ignis, hoc est minæ, terrores & flagella.

Hunc sensum indicat versio Chaldæa, quæ pulchra est, & hæc omnia facta esse per angelos significat: sic enim habet, *ecce gloria Domini revelatur, & ante eum erat exercitus angelorum venti, disrumpentium montes, & confringentium petras ante Dominum: non erat in exercitu angelorum venti majestas Domini. Et post exercitum angelorum venti erat exercitus commotionis: non erat in exercitu angelorum commotionis majestas Domini. Et post exercitum angelorum commotionis exercitus angelorum ignis: non erat in exercitu angelorum ignis majestas Domini. Et post exercitum angelorum ignis vox canentium in silentio*, quasi demulcentium, & cantu suo exhilarantium animum Eliæ mœrentem, pavidum & perturbatum.

VERS. 8. QUI UNGIS REGES AD POENITENTIAM, ET PROPHETAS FACIS SUCCESSORES POST TE) Sextum est hoc egregium Eliæ facinus, quòd scilicet jussu Dei Hazael unxerit in regem Syriæ, & Jehu in regem Israel *ad pœnitentiam*, id est, ad pœnam & vindictam idololatrarum, ut scilicet illi punirent & occiderent cultores Baal & Jezabelem: græcè enim est εἰς ἀνταπόδομα, id est, *ad retributionem*, ut scilicet eis meritas scelerum pœnas irroges & retribuas. ita Lyran. Hugo, Jansen. & alii. Unde Vatabl. vertit, *qui reges ad vicem rependendam, & prophetas sibi successores unxeris*. Est enallage numeri, *prophetas*, id est, Prophetam: unum enim Eliseum in Prophetam unxit Elias, itaque eum sibi successorem designavit, 3. Reg. 19. 19. sed unus Eliseus fuit instar multorum. Syrus, *ungens reges ad devincendum obligationibus*, id est, obligans eos ad faciendam Dei vindictam.

Aliter Palacius: *Ad pœnitentiam*, inquit, hoc est, quia pœnitebat Deum, quòd Benadad constituisset regem Syriæ; ideò occidi eum jussit per Hazael, ipsumque in regem Syriæ per Eliam inungi, 4. Reg. 8. & quòd Joram filium Achab constituisset regem Israel;
A ideò eum occidi jussit per Jehu; ipsumque in regem Israel per Eliam inungi, 4. Reg. 9. Sic de Saule ait Deus: *Pœnitet me quòd constituerim Saul regem*, 1. Regol. 15. 11. Verùm priorem sensum exigunt Græca.

Dices, Hazael & Jehu uncti sunt in reges ab Eliseo, quomodo ergo eos hic dicitur unxisse Elias? Resp. Primò, quia Elias jussit Eliseo, ut eos in reges inungeret: quod enim quis per alium facit, per se facere videtur, ut habet regula Juris. Secundò, videtur etiam Elias eos unxisse per se: id enim ei disertè jussit Deus 3. Reg. 19. 15. cui paruisse Eliam non est dubium, ita ut Eliseus secundò eos unxerit, & Eliæ unctionem confirmarit. Sic & Saul ac David secundo uncti sunt in reges, ut patet 1. Reg. 10. 1. juncto cum 1. Reg. 11. v. 14. & 15. & 1. Reg. 16. v. 13. juncto cum 2. Reg. 5. 3. ita Palacius. Vide Abulens. 3. Reg. 19. q. 21.

QUI RECEPTUS (græcè, ἀναληφθεὶς, id est, assumptus) ES IN TURBINE IGNIS, IN CURRU EQUORUM IGNEORUM) Arabicus, *& raptus es turbo in paradisum equis*, hoc est igneis, ut qui in vita imperaB veras igni in cælo, jam ab igne quasi ejus imperator & triumphator, veharis in cælum. Pro *in turbine* græcè est ἐν λαίλαπι, id est, *in procella ignea*. Videtur ergo Deus emisisse fulgetra, coruscationes & fulgura, similesque igneas procellas, quæ Eliam raperent & veherent in cælum. Vatabl. *qui procella ignea sublatus sis in curru equorum ardentium*; Syrus, *raptus es sursum equis igneis in cælum*. VERS. 9.

Septimum est hoc Eliæ prodigium, sanè admirabile & stupendum. *Septimum.*

Historia narratur 4. Reg. 2. 11. *Ecce*, inquit, *currus igneus & equi ignei diviserunt utrumque* (Eliam & Eliseum,) *& ascendit Elias per turbinem in cælum. Eliseus autem videbat & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga ejus*. Hebr. & Septuag. *currus Israel & equites ejus*, quasi dicat Tu, ò Elia, es totum robur Israelis: tuo enim zelo, æquè ac oratione & precibus, magis juvas Israelem, quam magna currum & equitum armatorum multitudo. ita Procopius, Chaldæus, Vatabl. Cajetan. & alii.

Nota. S. Chrysost. serm. de Ascens. Eliæ, censet hunc curC rum & equos verè fuisse igneos, imò ignes. *Stat intrepidus*, inquit, *super ignem ac rotas, nec incalescunt omnino vestigia. Totum corpus ignis ambit, nec læditur: per colla, per latera flamma discurrit innoxia*. Verùm currus hic non videtur fuisse verè igneus, nec equi verè ignei: sic enim combussissent Eliam (nisi miraculum hic ponas sine necessitate) sed videbantur ignei, ignisque dumtaxat speciem habebant: erant enim revera angeli, qui sursum vectabant Eliam, sed speciem currus & equorum igneorum assumpserunt, sicut assumunt speciem corporis humani cùm hominibus apparent: certum enim est illam tantùm esse speciem & similitudinem, non veritatem corporis humani.

Porrò id factum est multis de causis. Prima est, ut igneus hic currus, & equi repræsentarent igneum Eliæ animum ad Deum, igneam charitatem, igneum zelum: ob hunc enim meruit curru hoc igneo vehi in cælum. Ita S. Ambros. in psalm. 118. octon. 7. *Retexit*, inquit, *quòd Elias propter zelum Dei, curru elevatus in aerem, cælestis sedis hospitium novi generis acquisierit incolatu*. Sic & S. Chrysost. serm. 1. de Elia in fine, causam raptus Eliæ dat nimium ejus D zelum, ne eo perderetur & periret orbis. sic enim Deum induxit loquentem ad Eliam: *Quia peccatores ob Zeli nimietatem ferre non vales, ascende quasi in cælum; ego autem in terra peregrinus ero. Nam si diu tibi manendum in terris, propediem humanum genus, quod continuò à te plectitur, abolebitur. Dein transi in cælos, ò Elia, non potest ignis cohabitare calamo. Impeccabiles contubernales posthac habiturus es: inter angelorum choros habitare te faciam: ego autem cùm peccatoribus peregrinabor, qui humeris ovem erraticam bajulare possum, qui clamo peccatoribus omnibus: Venite ad me omnes qui laboratis; ego non punio vos, sed requiescere vos faciam.*

Elias raptus curru igneo: Cur? Causa prima.

Simili modo S. Franciscus ardens Dei zelo, absens sui Ordinis Fratribus apparuit velut sol in curru igneo, quasi alter Elias. Audi S. Bonavent. in Vita ejus cap. 4. & ex eo Vvaddingum in Annal. Minorum anno Domini 1210. n. 35. *Ecce*, inquit, *ferè media noctis hora quibusdam ex fratribus quiescentibus, quibusdam perseverantibus in orando: currus igneus mirandi splendoris per ostium domus intrans, huc atque illuc per domicilium tertiò se convertit: super quem globus lucidus residebat, qui Solis habens aspectum noctem clarere fecit.*

Obstu-

Obstupefacti sunt vigilantes, excitati simul, & exterriti dormientes; & non minùs senserunt cordis claritatem quàm corporis; dum ex virtute mirandi luminis, alterius alteri fuit conscientia patefacta. Intellexerunt namque concorditer omnes, videntibus invicem universis in cordibus singulorum, sanctum Patrem absentem corpore, præsentem spiritu, tali transfiguratum effigie, supernis irraditā fulgoribus, & ardoribus in flammatum, supernaturali virtute, in curru splendente simul, & igneo sibi demonstrari à Domino, ut tamquam veri Israelitæ post illum incederent; qui virorum spiritualium, ut alter Elias, factus fuerat à Deo currus & auriga.

Secunda. Secunda causa est, quòd per igneum hunc raptum Eliæ in cælum, voluerit Deus stabilire fidem, religionem, & prædicationem Eliæ contra Jezabel, & cultores Baal, quòd scilicet doctrina ejus esset cælestis, & à Deo, qui ignis consumens est; Jezabelis verò esset diobolica, & infernalis. Ideò enim raptus est sursum in cælum, id est, in aerem, cùm non esset mansurus in cælo, & aere; sed per aerem transferendus in paradisum terrestrem, ut cælestis ejus doctrina, & vita à Deo profecta monstraretur.

Tertia. Tertia, quòd, ut initio dixi, ignis Eliam quasi suum imperatorem revereretur, eique quasi famulus suum ultrò deferret obsequium. Angeli etiam Eliam quasi virum non tantùm angelicum, sed, & divinum suspicerent: angelorum enim symbolum est ignis, juxta illud: *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*, Hebr. 1. 7. Nam angelorum fuit hic currus Eliæ. Ita S. Ambros. serm. de Eliseo in fine tom. 1. *Elias*, inquit, *magister Elisei, numquid angelis ducentibus raptus ad cælum est, & quadriga ignea impositus, quasi in quodam triumpho victor ascendit? victor enim extiterat non gentium barbararum, sed sæcularium voluptatum: siquidem graviores inimici sunt pravi mores, quàm hostes: ut faciliùs intelligamus hoc tempore malignitatem hostium vinci posse, quam morum. Ergo Eliam angeli ad cælum pertulerunt, Eliseum angeli in terris custodiunt.*

Quarta. Quarta, quia, ut docet Sanctus Chrysost. homil. de ascens. Eliæ, igneus hic currus, velut triumphalis, debitus fuit Eliæ, ob tot præclara ejus facinora: *Deus*, inquit, *Rex regum, Eliam suum tota se corporis, & animæ devotione zelantem, post multorum laborum sudores, post dirarum persecutionum gravissimas fatigationes, post tantorum bellorum magnas illustresque victorias, opima de mundo, & diabolo spolia referentem, igneo curru atque equis flammantibus impositum, triumphali gloria præfulgente, ad sua regna voluit pervenire. Oportebat namque errantis populi rectorem, gubernatorem sacrorum, moderatorem discrepantium voluptatum, Israelis aurigam, qui ad iugum timoris Dei quoniam lascivos, & vagos animos revocavit, frænis lorisque adstrinxit, & ad iter disciplinæ recto tenore currendum concordi quadam copulatione composuit; ad regna cælestia curri atque equis transvolaret evectus. Hinc poetas atque pictores in figurando Solis imagine, exempla credo sumpsisse: qui curru atque equis fulgentibus ipse rutilans atque radians, & fluctu Oceani sublevatus, inter præruptos montium scopulos evadens, quasi ad cælestia videtur ascendere, in similitudinem luminis eius inductus. Sol enim Græco sermone Elios appellatur. Unde Elias verè Elios, quoniam curru atque equis fulgentibus igne de Oceani fluctu, id est, de mundi commotione, per montium scopulos, id est, per magnorum laborum difficultates progrediens, ad cælestia devectus ascendit.*

Quinta. Quinta, ignis hic congruit officio, ad quod reservatur Elias, videlicet ad præveniendum gloriosum, & igneum Christi adventum ad judicium: *Ignis* enim *ante ipsum præcedet* psal. 96.

Symbolicè. Symbolicè, ignis hic significat ignem gehennæ, quem peccatoribus intentavit Elias, cùm ipse eidem dominaretur. Nam ut ait Sanctus Chrysost. loco jam citato: *Quantum iste gehennæ ignibus illusisset, qui sic cælestibus assueverat moderari?*

Allegor. Allegor. igneus hic triumphalis currus Eliæ scandentis in cælum, fuit expressus typus gloriæ, & triumphi Christi ascendentis in cælum. Illum enim stiparunt omnes angeli, etiam Cherubini, & Seraphini, qui toti sunt flammei, & ardentes amore divino. Hic enim Eliæ currus fuit triumphi, æquè ac currus Cherubim fuit currus triumphi Dei, & Christi Ezech. 1. ita S. Bernard. serm. 3. & 6. de ascensione Domini.

Anagog. Anagog. igneus hic Eli currus, qui Eliam rapuit in cælum, eumque fecit immortalitatis candidatum, repræsentat resurrectionem beatam Sanctorum ad vitam æternam, & gloriosam in cælis: Elias enim curru hoc igneo non tantùm de Achab, & Jezabele, sed, & de ipsa morte triumphavit. Unde Sanctus August. libr. de Civitat. cap. 29. Eliam, & Henoch vocat *primogenitos nostræ resurrectionis*. Et Tertullian. libr. de Resurrect. carnis cap. 38. *Henoch, & Elias*, inquit, *nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi; quia tamen de orbe translati, & hoc ipso iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni iniuria, & contumelia immunitatem carnis ediscunt; cuinam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet hæc futuræ integritatis esse documenta?*

Tropolog. Tropol. Sanctus Ambros. de Isaac cap. 8. per currum igneum accipit quadrigam charitatis, cujus rotis quasi alis in cælum subvehimur, imò subvolamus. *His alis* (charitatis) inquit, *Elias curru igneo, & equis igneis ad superna translatus*. Currus ergo est anima; equi boni sunt virtutes quatuor cardinales; ignis est charitas; auriga est Christus. Idem libr. de Naboth cap. 15. *Cùm reciperetur Elias*, inquit, *& curru quasi ad cælum ferretur, clamavit ad eum Eliseus: Pater agitator Israel, & eques eius, hoc est, qui populum Domini bono ductu regebas; constantiæ merito hos accepisti currus, hos equos ad divina currentes: quia moderatorem te humanarum mentium Dominus comprobavit, ideò tamquam auriga boni certaminis, victor æterno præmio coronaris.*

QVI SCRIPTVS ES IN IVDICIIS TEMPORVM LENIRE IRACVNDIAM DOMINI; CONCILIARE COR PATRIS AD FILIVM, ET RESTIVERE TRIBVS JACOB. VERS. 10.

Octavum. Eliæ elogiū. Octavum est hoc Eliæ elogium. Pro *scriptus*, græcè est ..., id est, *conscriptus*, *descriptus*. Unde multi legunt *inscriptus*. *Judicia temporum*, sunt definitiones temporum à Deo rebus futuris decretæ, & quasi adiudicatæ, putà statuta à Deo Eliæ, & cuilibet homini reique tempora. Decrevit enim Deus justo suo sapientique judicio, ut post tot millia annorum tali tempore, tali anno, mense, & die redeat Elias ad certandum pro Christo contra Antichristum. *Judicia* ergo *temporum* sunt series, ordines, & successiones sæculorum, & temporum rerumq; quæ quovis tempoe eventuræ sunt ex Dei judicio, & decreto, putà chronologia quæ est in mente Dei, quamque Prophetis revelavit: q. d. Qui præscriptus, & prædictus es, ut redeas certo tempore à Deo judicato, & definito, ut ejus iram lenias. Unde Palacius sic explicat, q. d. Qui inscriptus es, id est, de quo scriptum est in prophetiis (putà Malach. 4. 5.) temporum futurorum, quòd venies ad leniendam iram Dei. Sic, & Dionys. Minùs aptè Lyran. per *iudicia temporum* accipit tempora judicii, ut sit hypallage, q. d. qui decretus est venire temporibus ante judicium, ad detegendam perfidiam Antichristi.

Pro *iudiciis* græcè est ..., id est, ostensio enim est convincere, probare, ostendere) quam Noster vocat judicium, q. d. Qui in propheticis libris scriptus es, quòd in novissimorum temporum ostensione lenturus es iram Domini. Aut qui descriptus, qui destinatus es ad leniendum, cùm signa novissimi temporis manifestabuntur, iracundiam Domini. ita Francisc. Lucas hic.

Verùm prò *iudicia temporum* græcè est ..., quod pròprie significat *in redargutionibus ad tempora*, ut scilicet opportuno tempore redarguas impios in fine mundi, sicut olim redarguisti Jezabelem, & Baalitas. Unde Græca Romæ correcta sic habent, *qui descriptus es in correptionibus ad tempora lenire iram ante furorem*: legunt enim .... Complut. verò legentes ..., id est, *ad furorem*; & pro legentes, id est, *correptiones*, sic habent: *qui scriptus es correptiones* (subaudi, facere) *in tempora ad leniendam iram indicii Domini* (decreti, & parati) *ad furorem*; Vatabl. *qui ad repressiones certis temporibus designatus sis, ad pacandam iram iudicij divini ante furorem*, quem exercebit in die judicii impios deturbando in tartara; alii, *qui præscriptus es ad redarguendum in oportuna tempora, ad sedandam iram Dei*. Juxta Græcum ergo *iudicia* vocantur justæ redargutiones, & correptiones, quas nomine Dei impiis faciet Elias opportunis temporibus. Et sic Noster vers. 7. dixit: *Qui audis in Sina Judicium*, id est, correptionem: græce enim est eadem vox, quæ hic, scilicet. Sensus ergo Græcis originalibus con-

conveniens, inquit Jansen. hic erit: Tu, ò Elia, scriptus es lenire iracundiam Domini, idque per judicia, & redargutiones tuas, quas pro zelo certis temporibus exercebis in pupulo Israelitico, ut tuis severis commonitionibus commonitionibus compuncti, suis vitiis relictis, redeant ad Deum, sicque leniatur, & sedetur iracundia Dei. Græcè enim in correctioribus libris est, *ὁ γραφεὶς* *conscriptus in redargutionibus ad tempora*. Et convenienter illud *in redargutionibus*, vel *in judicii* refertur ad sequens verbum *lenire*. Patet etiam, quod dicitur *in judiciis temporum* referri ad judicia Dei, ut significetur Eliam venturum, ut, cùm exercenda erunt certis temporibus judicia Dei, quibus mundum redarguet, leniat sua doctrina iracundiam Domini.

Elias redibit ut Iudæos convertat ad Christum.

Qua ratione autem lenienda sit ira Dei explicat, dum subdit: *Conciliari cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob*: q. d. Elias leniet iram Dei faciendo, ut Judæi in fine mundi imitentur suos Patriarchas, ut scilicet credant in Christum jam præsentem, in quem ipsi credidere venturum, ac proinde ut Patriarchæ Judæos velut legitimos suos tam quoad fidem, quàm quoad naturam, filios agnoscant, ament, & complectantur; atque hac ratione duodecim tribus Jacob, id est, omnes Israelitas, restituet avitæ fidei, religioni, gratiæ, splendori, & saluti. Citat Siracides verba Malachiæ capit. 4. 5. ubi ea fusè explicui. Syrus, *ipse venturus est antequam veniat dies Domini, ad convertendum filios ad patres, & ad annuntiandum tribus Jacob*.

Cautè hic legendus est Jansenius, dum ait ex hoc Malachiæ, & Siracidis loco probari non posse, quòd Elias verè venturus sit tempore Antichristi. Dici enim posset, inquit, Siracidem istud dicere secundùm receptam suo tempore opinionem, qua creditum fuit ex verbis Malachiæ Eliam venturum, cùm id non esset implendum in propria ejus persona, sed in Joanne Baptista, qui Christi adventum præcursurus erat in spiritu, & virtute Eliæ. Verùm Malachiam, indeque Siracidem, loqui ex proprio, id est Spiritu sancti, sensu, ac Eliam in persona venturum, multis ostendi Malach. 4. v. 5. Unde Jansenius re meliùs considerata, sententiam suam retractasse videtur in Concordia Evangel. scribens in cap. 17. Matthæi. Idipsum clarè docet versio Arabica, quæ sic habet, *& futurus es ut venias*, id est, *venturus es*. (hoc enim significat hic arabismus, quem Arabes ab Hebræis acceperunt) *ante Dominum fortem, ante diem illius, ut convertas corda filiorum ad patres suos*.

VERS. 11. BEATI SUNT QUI TE VIDERUNT, ET IN AMICITIA TUA DECORATI SUNT) Legit cum Roman. & Vatab. *κεκοσμημένοι*, id est, ornati, decorati sunt; jam Complut. & alii legunt *κεκοιμημένοι*. Unde vertunt, *& in dilectione obdormierunt*; Syrus, *beatus qui vidit te, & mortuus est: verumtamen non moritur* (non morietur) *sed vivens vivit*, id est, vivet.

VERS. 12. NAM NOS VITA VIVIMUS TANTUM, POST MORTEM AUTEM NON ERIT TALE NOMEN NOSTRUM) Verba præterita *viderunt*, & *decorati sunt*, amplianda sunt ad futurum *videbunt*, & *decorabuntur*. Est enim hic prophetia de futuro, quando scilicet Elias redibit in fine mundi, ut convertat corda patrum ad filios, uti præcessit. Sensus ergo est, ait Palacius, Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt. Nam nos vita vivimus tantùm, post mortem autem non erit tale nomen nostrum, q. d. Beati sunt illi Judæi, qui te venientem antem diem judicii viderint, & tua amicitia decorati fuerint, quia scilicet credent in Christum, & ab ipso gloriosi in cælum transferentur. At nos, scilicet Judæi, qui usque ad Christi in cælum ascensionem futuri sumus, post mortem nostram non assequemur tale nomen, ut statim à morte gloriosi dicamur, & simus. ita Palacius, qui hæc de futuris dumtaxat accipit. Magis propriè aptèque alii hæc partim de præteritis, partim de futuris intelligunt, q. d. Beati, & erant qui olim te tantùm viderunt viderunt atque amaverunt; & erunt qui te videbunt atque amabunt, tuaque monita recipient, & ea opere perficient. Dissimilis enim tu admodum es à nobis; quia nos tantùm vivimus vita hac mortali ac brevi peritura: post mortem autem non erit tale nomen nostrum quale tuum, qui nec deprehenderis esse mortuus; & postquam sublatus es, etiam prophetico scripto prædicaris rursum mittendus, idque in salutem totius populi. ita Jansenius. Post mortem ergo non erit nomen nostrum, quale est tuum, quia nec vita nostra, nec doctrina, nec facta sunt tuis similia, ait Lyran. longè enim iis, & tuo zelo sumus impares, & heroicis tuis facinoribus inferiores. Nam hæc verba tam ad futurum quàm ad præteritum esse referenda, patet ex Græco, in quo non sunt verba, sed participia *ἰδόντες*, & *κεκοιμημένοι*, quæ tam per futurum quàm per præteritum exponi possunt. Sic enim habet, *μακάριοι οἱ ἰδόντες σε*, quæ sic ad verbum vertas, *beati videntes te, & in amore obdormientes; nam, & nos vita vivemus*, cùm scilicet post tuum reditum à te conversi, & sanctificati, ac in Dei gratia, & charitate defuncti, resurgemus ad gloriam, & à Christo judice donabimur vita beata, & æterna vita. Tigurina *beati qui te viderint, benevolentiaque fuerint condecorati, quia nos vita vivemus*; alii, *beati qui te viderunt, & in charitate obdormiunt: nam, & nos vita vivemus*.

B Moraliter hic disce, quàm salutare, & beatum sit versari cum viris eximiis, sapientia, & zelo plenis: hi enim suum zelum, & spiritum sibi familiaribus affricant, & quasi inhalant. Sicut enim stipula, si accedat ad ignem, ab eo calescit, & tandem ignitur; sic pariter qui ad virum igne divino flagrantem accedit, eodem accenditur, & inflammatur. Ita Eliseus, & filii Prophetarum versantes cum Elia, ejus zelum, & heroicos animos imbiberunt, & factis expresserunt. Sic qui cum S. Paulo, & Apostolis tractabant, eorum igneos animos induebant. Sic Isaias capit. 6. agens cum angelis, & Seraphinis ab eis angelicus, & seraphicus effectus est. Sic qui cum Sanctus Franciscо versabantur, incensum ejus paupertatis, orationis, & charitatis spiritum hauriebant. Ex adverso qui cum timidis, tepidis, ignavis versatur, fit, & ipse timidus, tepidus, ignavus: juxta illud, *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur*. Proverb. 13. 20. *Utile versari cum zelosis.*

VERS. 13. ELIAS QUIDEM (ita Roman. minùs rectè ceteri Latini, & Græci pro *quidem* legunt *qui*,) *in turbine tectus est* (Syrus, *collectus est in cælum*) ET IN ELISEO COMPLETUS EST SPIRITUS EJUS) q. d. Elias quidem turbine tectus raptus est ab hominibus à terra in cælum, &, id est sed, tamen spiritum suum in terra reliquit: illo enim replevit Eliseum suum discipulum, heredem, & successorem. Est hypallage. *In Eliseo completus est spiritus Eliæ*,

C id est, Eliseus repletus est spiritu Eliæ, ut habent Græca. Vatabl. *Elias qui in turbine tectus est, eiusque spiritu repletus est Eliseus*; alii clarè reddunt hebraismum qui est in Græco, *huius Eliæ*, inquiunt, *qui turbine tectus fuit, etiam Elisei repletus est spiritus*; vel, *etiam Eliseus repletus est spiritu*; Complut. & alii pro *αὐτοῦ*, idest, *eius, legentes ἁγίου*, id est *sancti*, sic habent, *Elias qui in turbine tectus est, & Eliseus repletus est Spiritu sancto*. Rursum alii pro *πνεύματος*, id est spiritu, legentes *στόματος*, id est *ore*, vertunt, *Eliseus repletus est ore Eliæ*, ut scilicet os haberet igneum, & verbum ejus quasi facultas arderet, instar Eliæ, versiculo primo, Syrus, *recepitque prophetiam dupliciter Eliseus, ac multas tentationes, & signa locutum est os illius*.

Elogia Elisei. Primum.

D Est hic epilogus, & clausula laudum Eliæ, per quem appositè transit ad laudes Elisei. Quare est hoc nonum encomium Eliæ, & primum Elisei, quòd scilicet Elias tanti fuerit zeli, ut is non solùm ad præsentes, sed, & absentes ac futuros sese extenderit, quodque rapiendus in cælum, eum transtulerit in Eliseum, ut is quasi sui vicarius verum Dei cultum tueretur, certaretque contra idololatras, ac Israelem in Dei religione, & pietate conservaret. Qua in re Elias fuit typus Christi, qui abiturus in cælum Apostolos spiritu suo imbuit, ut Ecclesiam à se inchoatam promoverent, & per totum orbem propagarent. Porrò Elias communicando suum spiritum nihil de eo deperdidit, sicut qui sua face facem alterius accendit, nihil deperdit, sed potiùs suum lumen multiplicat, & adauget: & qui charitatem suam ac zelum aliis aspirat, eum non minuit, sed intendit. Historia narratur 4. Reg. 2. Elias enim rapiendus in cælum dixit Eliseo discipulo, & successori suo: *Postula quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar à te. Dixitque Eliseus: Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus*.

Ubi quæritur, quisnam sit duplex spiritus Eliæ, quem petiit,

Ita quis? Resp. 1. petiit & obtinuit Eliseus? Multi duplicem interpretantur duplo majorem, quasi duplo major spiritus fuerit in Eliseo quàm fuerat in Elia: spiritus, inquam, prophetiæ & miraculorum. Nam Elias tantùm octo miracula patrasse legitur, Eliseus vero sedecim, quæ sigillatim enumerat Rupertus lib. 5. in lib. Reg. c. 37. ita Theodor. & Procopius ibidem, ac Rabanus hic. qui allegor. duplicem hunc Elisei spiritum explicans de Apostolis: Christus, inquit, quasi Elias habuit simplicem spiritum, scilicet copiam gratiarum & virtutum; Apostoli duplicem, scilicet remissionem peccatorum (quæ in Christo, utpote impeccabili, esse non potuit) & copiam gratiarum. Sic & S. Prosper lib. 2. de Prædestin. & promiss. c. 30. ubi sic legit, *Volo ut spiritus, qui in te est, duplum in me sit*, idque allegoricè applicans Apostolis: Christus, inquit, quasi alter Elias, duplum spiritum Apostolis infudit, semel post resurrectionem, dicens: *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Secundò, post ascensionem in cælum, dum in Pentecoste Spiritus sancti largitatê in Apostolos effudit, quo factum est, ut Apostoli majora patrarent miracula quàm fecerat Christus, uti ipse promiserat Christus Joan. cap. 14. v. 2. dicens: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*. Hinc & Christus paucos in Judæa convertit, Apostoli verò totum mundum Christo subegerunt. Sic & S. Ambrosius serm. 89. *Elias*, inquit, *cùm simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Eliseo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plus Elias gratiæ dimisit in terra, quàm ipse portavit in cælos.* Hinc & Eliseus septennalem famem Judææ induxit, cùm Elias triennalem tantùm induxerit. Rursum Eliseus plures idolorum cultores occidit quàm Elias. Idem S. Ambros. ser. 2. de Eliseo, qui habetur in fine tom. 1 *O hereditas pretiosa*, inquit, *in qua plus heredi relinquitur, quàm habetur: plus consequitur qui accipit, quàm possideret qui largitur. Pretiosa planè hereditas, quæ dum à patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur. Igitur Elias cùm simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Eliseo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plus Elias gratiæ dimisit in terris, quàm secum portavit ad cælos: & licèt ipse ad altiora totus transfertur corpore, apud filium tamen majore manet sanctitate. De Elisei autem meritis quid dicamus, cujus hæc prima laus est, quòd patrem voluit gratia superare; dum dari sibi ampliùs postulat, quàm scit apud eum esse qui possidet? Avarus quidem est in petendo, sed idoneus in promerendo. Dum enim à patre plus exigit quàm habebat, facit eum meritis suis plus præstare quàm poterat.*

Accedit Auctor de Mirabl. S. Script. lib. 2. c. 22. (extat tom. 3. operum S. August.) qui & caulam affert. *Hoc verò postulans Eliseus*, inquit, *non elationis affectum super magistrum suum voluit, sed videns peccata populi innumera, à Propheta qui relinqueretur, non simplici Eliæ spiritu, sed duplici compesci posse prævidit*. Sic & S. Bernard. ser. 3. & 6. de Ascens. qui & mysterium addit, scilicet per Eliam significari Christum, per Eliseum Apostolos, qui majora quàm Christus patrarunt miracula. Nam sola umbra Petri sanabat quoslibet infirmos, Actor. 5. 15. quod Christi umbram fecisse non legimus. Denique huic sententiæ favent Septuag. qui vertunt, *fiat jam spiritus qui est in te bis in me*, id est, *dupliciter in me*; & Syrus hic, *recepitque prophetiam dupliciter Eliseus*.

Resp. Secundò, genuinè. Verùm Abulensis & alii probabiliùs contrarium censent, & sic explicant. q. d. Eliseus, Spiritus qui in te est, ô Elia, duplex, fiat pariter in me duplex: *duplex*, id est multiplex, magnus, validus, potens. Sic enim sæpè capitur *τὸ duplex*, uti ostendi Jerem. 40. 2. Deuter. 21. 17. & alibi.

Prob. 1. Probatur id Primò, quia Eliseus fuisset arrogans, si, cùm esset discipulus, duplo majorem petiisset spiritum ab Elia magistro suo, quam ipse habebat. Nec Elias ei dare poterat, quod non habebat: dedit ergo ei suum duplicem spiritum. Et hoc est quod dicitur 4. Reg. 2. 15. *Requievit spiritus Eliæ super Eliseum*, isque completus, ut ait hic Siracides, id est plenus, non imminutus. Sicut enim habuit Elias duplicem spiritum, scilicet prophetiæ & miraculorum, ita eumdem plenè habuit Eliseus, inquit Palacius.

Secundò. Secundò, quia Siracides hic v. 4. ait de Elia: *Quis potest similiter sic gloriari tibi?* q. d. Eliæ nemo fuit par aut similis: ergo nec Eliseus.

Tertiò. Tertiò, quia hic ait completum esse spiritum Eliæ in Eliseo, non autem duplicatum. Græca clarè habent, *& Eliseus repletus est spiritu illius*, scilicet Eliæ.

Quartò, quia pro *spiritus duplex* Hebr. est ברוחךפי שנים A *pi senam beruchacha*, id est, *os duorum in spiritu tuo sit super me: os duorum*, id est duplex mensura, sive duplex portio spiritus tui, hoc est, inquit Vatabl. Da ut duæ partes tui spiritus divisi in tres partes sint mecum. Noluit petere tantam gratiam sibi fieri, quantam magistro. q. d. Noli me efficere tantum quantum es, sed da mihi solùm duas partes tui spiritus. hæc Vatabl. Pagninus vertit, *sit, obsecro, mensura duarum partium de spiritu tuo super me*. Sensus ergo est, q.d. Primo genitus solet os duorum, id est duplicem portionem habere in hereditate patris, cùm cæteri filii habeant simplicem. Habeam ergo & ego tuum spiritum non simplicem, ut alii Prophetæ; sed duplicem, id est potentem, validum & multiplicem, ad propagandum & propugnandum Dei cultum contra tot idolatras & hostes: ego enim tuus ô Elia, sum primogenitus, imò unigenitus. Succedam ergo in totius tui spiritus hereditatem & possessionem, ut ejus sim hæres ex asse. Spiritus enim Eliæ, quem postulabat Eliseus, est is, quem descripsit Siracides v. 1. *Surrexit Elias quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*, nimirum igneus zelus ad propugnandam veram Dei fidem, amorem & cultum contra idolatras & ad patrandum B miracula in veræ fidei confirmationem, & extirpationem idolatriæ.

Hinc multi duplicem spiritum interpretantur, spiritum prophetiæ & miraculorum. ita ibidem Eucherius, Angelomus, Procop. Teodor. Lyran. Dionys. Palacius & Jansen. hic, & S. Tom. 4. contra Gentes c. 11. sub prophetia enim intelligitur zelus prædicandi, & propugnandi veram fidem: hoc enim faciebant Prophetæ. hicq; erat eorum officium. Alii per *spiritum duplicem*, accipiunt donum gratiæ gratum facientis & gratis datæ. Accedit Cajetan. in 4. Reg. 2. qui censet Eliseum petiisse & accepisse simplicem spiritum Eliæ, sed hunc fuisse duplicem respectu aliorum Prophetarum, quia eorum spiritu duplo erat major: Eliseus enim erat quasi primogenitus Eliæ, ideoq; post Eliam futurus aliorum Prophetarum quasi princeps & pater, ac proinde majori, imò duplici egebat spiritu. Longè enim majori eget spiritu Superior, qui aliorum curam, eosque perficit, quàm inferior, qui sibi soli vivit.

Tropol. duplex spiritus, est spiritus vitæ activæ & contemplativæ. *Tropolog.* Item, spiritus orationis & mortificationis: unus enim sine alio parum prodest. Adhæc S. Bernard. C serm. 3. & 6. de ascens. Duplex spiritus, inquit, est illuminatio intellectus, & affectus purgatio. Denique S. Cyprian. vel quisquis est Auctor (stylus enim humilior arguit non esse S. Cypriani) tract. de Operibus cardinalib. Christi serm. 12. qui est de Spiritu sancto: *Sic Eliæ spiritum duplicem*, inquit, *recepit Eliseus, non quòd in duas substantias idem spiritus sit divisus, & duos Propheta sanctus habuerit spiritus: sed quòd populo Christiano, cujus typum Eliseus gerebat, accepto Spiritu sancto, data sit potestas in opere & sermone, & ascendentem Eliam, id est Christum, pio desiderio prosecutus, fide claruerit & intellectu, & vita, & signis & miraculis fulserit & exemplis. Hic sacrorum ordinum distributor reges creat & principes, sacrat pontifices, eligit sacerdotes. Hic sapientia Salomonem, intellectu Danielem, Joseph consilio, Samsonem fortitudine, Moysen scientia, David pietate, Job timore prosequitur, & sanctorum animas omnimodis fœcundas virtutibus, in tantum affectus pacificos provehens, ut jam in cælis nostra sit conversatio, diffusa in nobis charitate per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hic in pudicis mentibus sibi statuit mansionem. Hic humiles & cælibes habet domesticos, abominatur* D *avarios, falsarios detestatur. Hic Gieza mercenarium lepra condemnat, & Jeroboam vendentem sacerdotia cum apostatis locat. Hic Simonem gratia Dei nundinatorem a sanctorum consortio exheredat, cujus detestabiles ausus ultrix ruina confundit & quassat. Hic Balaam ad maledicendum conducto silentium imponit, & per asinam redarguinum, colliso ad parietem pede, vacuum pecunia, contumelia ornatum, claudicantem ad propria remisit confusum. Hic omnibus Ecclesiæ Sacramentis interest, quæ ipse efficit & consummat. Hic peccata diluit, hic justificat impios, & ad vitam revocat mortuos. Hic discordes pacificat, & vinculo dilectionis adstringit & ligat. Hic nos cælo invehit, & à mundi hujus vanitatibus avulsos superni regni constituit heredes: cujus summa est felicitas, quòd corpus istud spiritali affectu cum angelis conversabitur, nec ultra erit carnis & sanguinis aliquis appetitus; sed erit omnium plena sufficientia, cognoscibilis Deus, & inhabitator spiritus sanctus.*

IN.

IN DIEBUS SUIS NON PERTIMUIT PRINCIPEM, ET POTENTIA NEMO VICIT ILLUM] Græcè, *in diebus suis non est commotus à principe, & non subegit eum quisquam:* hoc est enim, ὑ κατεδυνάστευσεν αὐτὸν ὐδεὶς, id est *nemo eum sibi subjugavit*, nemo ei dominatus est. Vatabl. *in temporibus suis nihil est permotus ob principes, nec imperium cujusquam pertulit.* Legit ἀρχόντων in plurali, id est principes, cùm Noster & alii legant in singulari ἄρχοντος, id est principem; sed per anallagen numeri *principem*, hoc est *principes*. Sensus est, q.d. Eliseus liberè prophetavit & prædicavit veri Dei cultum, nihil veritus regum idololatrarum & impiorum offensam, minas & cædes, sed intrepidè & in barbam eis restitit, eosq; redarguit. Ita vocatus ad castra trium regum, scilicet duorum impiorum, Joram filii Achab, & regis Edom, ac tertii pii scilicet Josaphat regis Juda, qui omnes suppliciter in siti & defectu aquæ ejus prophetiam & opem deposcebant, animosè dixit ad Joram: *Quid mihi & tibi est? Vade ad prophetas patris tui & matris tuæ*, &c. *Vivit Dominus exercituum in cujus conspectu sto, quòd si non vultum Josaphat regis Juda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem*, 4. Reg. 3. 14. Rursum cinctus ab exercitu regis Syriæ, cùm Giezi ejus minister pavidus exclamaret: *Heu, heu, heu, domine mi quid faciemus?* respõdit Eliseus: *Noli timere: plures enim nobiscum sunt quàm cum illis. Cumque orasset Eliseus, aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mõs plenus equorum & curruum igneorum* (erant hi angeli) *in circuitu Elisei*, 4. Reg. 6. 17. Hæ ergo auxiliares angelorum copiæ faciebant eum omnibus regibus & exercitibus potentiorem. Si Deus enim pro nobis, quis contra nos? si angeli nos tuentur, quis nobis nocere queat? Et v. 32. de rege Joram: *Numquid scitis*, inquit, *quòd miserit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum?* Hanc intrepidam libertatem Elisei imitati sunt heroes fidei, S. Joannes Baptista redarguens Herodem, S. Athanasius, S. Hilarius Eusebius Vercellensis, & præ omnibus Lucifer Calaritanus, acriter invecti in Constantium Arrianum Imp. eumq; nuncupantes Antichristum; S. Chrysost. corripiens Eudoxiam Imperatricem; S. Ambrosius castigans Theodosium, Maximum, Valentinianum impp. ac Justinam Imperatricem Arrianam: quia Deo pleni & tecti nil creatum formidabant.

VERS. 14. NEC SUPERAVIT (græcè, ὑπῆρε, quod alii vertunt, *sustulit*) ILLUM VERBUM ALIQUOD] Primò, q.d. Nullæ regis Joram vel aliorum minæ, nec blanditiæ & promissa potuerunt infringere, vel dejicere adamantinum animum Elisei, ut patet 4. Reg. 6. 32. Unde Vatabl. vertit, *nulla res superavit eum*; & Lyran. *nullum verbum*, ait, *comminationis vel adulationis eum à veritate retraxit*; Syrus, *& non dominata fuit illi omnis caro*, id est ullus homo, *& omne verbum non celatum fuit illi:* Unde Secundò, q.d. Nulla res abscondita spectans ad bonum, vel suum, vel publicum, latuit eum, nec superavit ejus prophetiam & cognitionem; sed protinus per spiritum propheticum omnia cognoscebat & revelabat, uti detexit omnes insidias Syrorum regi Joram 3. Reg. 6 12. ubi famuli regis Syriæ suspicantis se domi habere proditores, qui secreta sua revelarent regi Israel, se purgantes dicunt: *Nequaquam domine mi rex, sed Eliseus Propheta, qui est in Israel, indicat regi Israel omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo.* Sic absens Eliseus vidit Giezi accipientem munera à Naaman Syro: *Nonne cor meum*, inquit, *in præsenti erat?* &c. 4. Reg. 5. 26. Secundum hunc sensum secutus Arabicus, sic vertit, *nec latuit eum quidquam de rebus sæculi*, id est mundi hujus.

ET MORTUUM PROPHETAVIT CORPUS EJUS] Id est, ut ait Dionys. corpus Elisei sepultum suscitavit quemdam à latronibus interfectum, qui in sepulcrum Elisei projectus, dum sacra ejus ossa tetigisset, divina virtute revixit; per quod patuit eum verum fuisse Dei Prophetam, 4. Reg. 13. 20. *Prophetavit* ergo, id est miraculum edidit: hoc enim erat opus Prophetæ. Unde Vatabl. vertit, *corpus eius prophetam egit etiam post obitum*; Arabicus clarè, *& vivificavit mortuum mortuus*. Hoc sanè mirabile & paradoxum, quòd mortuus mortuum vivificet, cùm naturaliter mortuus vivum mortificet.

Prophetare ua dupliciter sumitur. Primò. Nota. Prophetare propriè est futura prædicere ex instinctu & revelatione Dei; sed quia Prophetæ, qui futura prædicebant, erant viri sancti & zelosi, multaq; alia faciebant ad Dei gloriam; hinc per catachresin prophetare Primò, sumitur pro docere, vel prædicare, & exhortari ad pietatem. Sic 1. Corinth. 14. sæpe Apostolus doctores vocat Prophetas: Prophetæ enim docebant, prædicabant & exhortabantur populum ad pium Dei cultum. Secundò, sumitur pro psallere & Deo laudes canere: hoc enim faciebant Prophetæ. *Secundò;* Sic Asaph & Heman dicuntur prophetare, id est psallere in citharis, psalteriis & cymbalis, 1. Paral. 25. 1. Sic & Saul inter Prophetas Dei laudes canentes prophetavit, id est, correptus Dei spiritu laudes Deo cecinit. Unde proverbium: *Num & Saul inter prophetas?* 1. Reg. 19. 23. Tertiò, *Tertiò;* sumitur, pro miracula facere: hæc enim patrabant Prophetæ, utpote viri sancti & divini. Quartò, sumitur pro prophetiam confirmare. *Quartò.* Sic dicuntur ossa Joseph prophetasse, de quo cap. sequ. v. 18. Hic duobus ultimis modis sumitur: Eliseus enim *mortuus prophetavit*, id est, miraculum patravit, putà suscitavit mortuum, eoque confirmavit suam prophetiam, id est suam prædicationem de vero Dei cultu contra idololatras, æquè ac suam sanctitatem. Vide dicta 1. Corinth. 14. initio capitis.

Simili modo prophetant reliquiæ Sanctorum, dum miracula patrant, quibus tum sanctitatem suam, tum fidem veram, quam viventes docuerunt & prædicarunt, confirmant. Propriè verò nonnulli Sancti defuncti prophetarunt, *Exempla mortuorum qui prophetarunt.* dum post mortem indices & testes fuerunt veritatis occultæ, ut, cùm Petrus defunctus suscitatus à S. Stanislao Cracoviensi Episcopo coram Boleslao rege testatus est, sibi pretium agri à se venditi à S. Stanislao persolutum esse. Sic S. Antonius de Padua, ut patrem accusatum de homicidio, sed falsò, periculo liberaret, occisum suscitavit, & ad tribunal produxit; ubi rogatus à judice innocentiæ patris testimonium perhibuit, eumque à morte exemit. Sic Macarius Ægyptius S. Antonii discipulus, quemdam homicidii falsò accusatum, occisum interrogando, ab eoque testimonium innocentiæ accusati eliciendo, calumnia liberavit, ut habetur lib. 2. Vitar. SS. Patr. c. 28. Sic magnus ille Spiridion Trimituntis in Cypro Episcopus, filiam Irenem defunctam è sepulcro evocans, ab ea didicit locum depositi, quod depositarius illi crediderat, & à patre reposcebat, uti refert Sozomen. lib. 1. cap. 11. & Socrates lib. 1. cap. 12. Denique S. August. lib. de Cura pro mortuis cap. 11. *Pro certo*, inquit, *cum Mediolani essemus, audivimus quòd cùm debitum repeteretur a quodam, defuncti patris cautione prolata, quod filio nesciente a patre jam fuerat persolutum; contristari homo gravissimè cœpit, atque mirari quod ei pater moriens non dixerit quod deberet, cùm fecisset etiam testamentum. Tunc nimis anxio apparuit idem pater ejus in somnis, & ubi esset recautum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit. Quo invento juvenis atque monstrato, non solum falsi debiti calumniam propulsavit, sed & paternum recepit chirographum, quod pater non receperat, quando est persoluta pecunia.*

IN VITA SUA FECIT MONSTRA (Græcè τέρατα, id est, portenta, prodigia, miracula. unde Arabicus vertit, *multiplicavit miracula in vita sua*. Elisei miracula multa & magna continua serie enarrantur à c. 2. lib. 4. Reg. usque ad c. 14.) VERS. 15. ET IN MORTE MIRABILIA OPERATUS EST] Nam moriturus Eliseus manibus regis Joas suas imponens, ejusque sagittas benedicens, fortitudinem ac victoriam illi contra Syros impertiit. Eidem jubens jaculo percutere terram, cùm ille ter eam percussisset, trinam de Syris victoriam prænuntiavit addens, plures eum habiturum fuisse, si pluries terram percussisset, 4. Reg. 13. 14. Eliseus ergo & in vita, & in morte, & post mortem prophetavit, id est miracula patravit, quibus se verum esse Dei Prophetam, suamque fidem & prædicationem esse divinam, Israeli comprobavit. Aliter Syrus, *in vita sua*, inquit, *fecit prodigia, & in morte* (post mortem) *sua vivificavit mortuum*. de quo v. præced.

VERS. 16. IN OMNIBUS ISTIS NON POENITUIT POPULUS, ET NON RECESSERUNT A PECCATIS SUIS, USQUE DUM EJECTI SUNT DE TERRA SUA, ET DISPERSI SUNT IN OMNEM TERRAM: VERS. 17. ET RELICTA EST GENS PERPAUCA, ET PRINCEPS IN DOMO DAVID] Vatabl. *adeò ut populus paucissimus relinqueretur in domo Davidica*; Syrus, *& relictus est Judas solus, modicus potestate domus David*. q.d. Elias & Eliseus submissi à Deo ad extirpandum idololatriam & impietatem per Jeroboam invectam in Israelem, id est, in regnum decem tribuum, per tot signa & miracula parum profecerunt, quia populus sequens reges suos idololatras & impios, non recessit ab eorum idololatria & impietate. Quocirca

circa tota gens decem tribuum iusto Dei iudicio variè af- A flicta à regibus Assyriorum, tandem anno 6. Ezechiæ regis Iuda prorsus excisa est, dum capta Samaria populus abductus est in Assyriam, indeque per totum orbem dispersus. Abductis ergo decem tribubus relicta est gens perpauca duarum tribuum, Iuda & Beniamin, ac princeps & rex ex domo & familia David: sed & hæc contagio idololatriæ & impietatis à cognato, & vicino Israele per vices infecta nunc Deum, nunc idola coluit: unde & ipsa quoque tandem excisa est à Chaldæis sub Sedecia ultimo rege Iuda, ac captiva abducta in Babylonem. Hoc est quod subdit:

Vers. 18. QUIDAM IPSORUM FECERUNT QUOD PLACERET DEO: ALII AUTEM MULTA COMMISERUNT PECCATA] q.d. Omnes reges Israel fuerunt idololatræ & impii, at ex regibus Iuda quidam fuere pii, ut David, Iosaphat, Ezechias, Iosias: alii impii, ut Achaz, Manasses, Iechonias, Sedecias, &c. Porrò quia inter pios eminuit Ezechias, ac sub eo facta est captivitas decem tribuum, ita ut everso regno Israel ipse solus regnaret in Iuda, atque sub eo floruit Isaias Propheta celeberrimus, quem familiarem habuit & directorem, idcirco ceteris præteritis solius Ezechiæ elogia recenset.

Encomium Ezechiæ.

Vers. 19. EZECHIAS MUNIVIT (Syrus, *resarsit*) CIVITATEM SUAM (Ierusalem, metropolim regni Iuda) ET INDUXIT IN MEDIUM IPSIUS AQUAM corruptè in exemplaribus Græcis Romæ correctis legitur, *induxit in medio ipsorum Goz*, pro *Gion*, de quo mox) ET FODIT FERRO RUPEM, ET ÆDIFICAVIT AD AQUAM PUTEUM] Laudat Ezechiam, quòd imminente obsidione urbi Ierusalem à Sennacherib, ipse eam munierit restauratione murorum, turribus, armis, clypeis, ducibus; sed maximè fiducia, & ope divina, uti narratur 2. Paral. 32. Rursum, quòd induxerit aquam in urbem, ideoque rupem intermediam ferro disciderit; nam in urbem è superiori fonte Gion aquas per subterraneos canales introduxit, & fecit eas scaturire in Piscina interiori grandi, quam ædificavit in medio urbis ad Aquilonem templi: atque ad eam fabricavit puteum, ut totam irrigaret civitatem (unde Græca habent *puteos*) ne populus in obsidione positus aquæ laboraret penuria. 2. Paralip. 32. 30. Sic Brugis Flandrorum non sunt putei, sed ex uno puteo sive fonte per canales aqua in omnes urbis plateas, & vicos deducitur. Roma verò aquę ductibus plena est, & in his prisci Romani suam ostenderunt magnificentiam. Rursum Ezechias restauravit fontem Siloe, cui piscina sive natatoria Siloe coniuncta erat, in qua lavans oculos cæcus iussu Christi illuminatus est, Ioann. 9. Vide Adrichomium in Descriptione Ierusalem.

Vers. 20. IN DIEBUS IPSIUS ASCENDIT SENNACHERIB, ET MISIT RABSACEN, ET SUSTULIT MANUM SUAM CONTRA ILLOS, ET EXTULIT MANUM SUAM IN SION] *Contra illos*, scilicet Iudæos, Ezechiæ subditos, quos obsidebat: hoc enim, velut ex libris Regum notissimum, subaudiendum relinquit. Porrò Græca Complut. (nam Romana repetunt, ἀπῆρεν, καὶ ἐπῆρεν, unde vertunt, *& promovit: & promovit manus eius in Sion*; alii verò legunt cum Nostro ἐπῆρεν καὶ ἐπῆρε, id est, *sustulit & extulit*: quin & Rabanus legit tam *sustulit* quàm *extulit*, prorsusque habet ut Latina Vulgata) non habent τὸ *sustulit manum contra illos*: videtur enim esse idem cum eo quod sequitur: *Et extulit manum suam in Sion*. Unde Iansenius suspicatur hanc repetitionem ex diversis versionibus in unam iunctis ortam esse. Nam & codices nonnulli tantùm habent: *Et sustulit manum suam in Sion*, putà contra Ierusalem, illi insultans, & minans excidium. Vide insultationem eius & minas enarrantem Isaiam c. 36. ubi eas explicui.

ET SUPERBUS FACTUS EST POTENTIA SUA] Græcè καὶ ἐμεγαλαύχησεν ἐν ὑπερηφανίᾳ αὐτοῦ, id est, *& magna iactavit superbia sua*, Vatabl. *contra Sion manum suam extulit, & superbia sua gloriatus est*, blasphemans quòd Deus non posset Ierusalem è manu regis Assyriorum liberare, sicut dii gentium suos ab eadem non potuerant eripere. Syrus, *extulit manum suam in Sion, & blasphemavit cum audacia adversus Deum*.

Vers. 21. TUNC MOTA SUNT CORDA, ET MANUS IPSORUM: ET DOLUERUNT QUASI PARTURIENTES MULIERES] q.d. Auditis minis Rabsacis, Iudæorum corda pavore, indeque manus tremore concussa sunt, & tanto dolore correpta, quanto corripiuntur parturientes. Græcè est ἐσαλεύθησαν, id est, agitata sunt, æstuarunt, sicut agitantur & æstuant fluctus maris, dum est tempestas. Vatabl. *perculsa sunt*; alii, *fluctuarunt*. Quocirca non desperarunt, sed Dei, qui, cùm auxilia humana desunt, suis seque invocantibus ilicò succurrit, opem implorarunt.

Vers. 22. ET INVOCAVERUNT DOMINUM MISERICORDEM, ET EXPANDENTES MANUS SUAS, EXTULERUNT AD CÆLUM: nam *Ezechias scidit vestimenta sua, & obvolutus est sacco, & intravit in domum Domini* (Dei auxilium imploraturus) *& misit Eliacim, qui erat super domum, & Sobnam scribam, & seniores de sacerdotibus opertos saccis, ad Isaiam filium Amos Prophetam*, &c. dicentes: *Leva orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt*, Isaiæ 37. Quocirca ET SANCTUS DOMINUS DEUS AUDIVIT CITO VOCEM IPSORUM] nimirum sanctus Deus sancto Ezechiæ, eiusque populo ad preces sancti Isaiæ succurrit, & blasphemum Senna- B cherib abegit & profligavit. Hinc appositè *Isaias* hebr. idem est quod *salus Dei*; *Ezechias*, vel, ut Hebræi pronuntiant, *Chizkiachu robur* idem est quod *robur & fortitudo Dei*, unde Syrus hic vertit, *expanditque Ezechias coram Domino manus suas: Deus quoque exaudivit orationem eius, & liberavit eos per Isaiam Prophetam*.

Encomium Isaiæ & Ezechiæ.

Vers. 23. NON EST COMMEMORATUS PECCATORUM ILLORUM, NEQUE DEDIT ILLOS INIMICIS SUIS, SED PURGAVIT EOS IN MANU ISAIÆ SANCTI PROPHETÆ] q.d. Deus non est recordatus peccatorum, quæ Iudæi & patres eorum admiserant, ac eorum quasi oblitus impedivit ne traderentur in manus Sennacherib; sed purgavit eos à peccatis *in manu*, id est per manum, id est per operam & industriam, putà per exhortationem Isaiæ; hic enim exhortans eos ad pœnitentiam & orationem, effecit ut pœnitentes, veniamq; à Deo poscentes eam impetrarent, itaque liberarentur à Sennacherib. Unde pro *purgavit* græcè est C ἐλυτρώσατο, id est liberavit, vel potiùs redemit eos. Erant enim Iudæi à Sennacherib certo exitio addicti, sed Deus ab illo eos redemit & liberavit per Isaiam, qui precibus meritisque suis hanc liberationem eis impetravit, eamdemque Ezechiæ & Iudæis promisit, & prænuntiavit, Isaiæ 37. 6. Græca de more concisa hæc tantùm habent, *& sanctus è cælo exaudivit eos, & redemit eos manu Isaiæ*. Porrò Isaiæ datur hoc elogium & titulus, quod fuerit *propheta sanctus*, id est singulariter & eximiè sanctus præ aliis Prophetis, qui ipsi fuere sancti, sed non sicut Isaias, quæ sanè magna est Isaiæ laus & dignitas, talem ergo hoc loco eum canonizat S. Script. imò Spiritus sanctus, quod vix alteri factum reperias.

Vers. 24. DEIECIT CASTRA ASSYRIORUM, ET CONTRIVIT ILLOS ANGELUS DOMINI] Pro *deiecit* græcè est ἐπάταξε, id est *percussit*; Syrus, *contrivit*; Vatabl. *cecidit*; Complut. *pessumdedit*: angelus enim Do- D mini una nocte in castris Sennacherib percussit 185. millia Assyriorum: unde castris exutus solus fugit Sennacherib, tandemque à filiis necatus est, 4. Reg. 19. 35. & Isaiæ 37. 36. vide ibi dicta.

Vers. 25. NAM FECIT EZECHIAS QUOD PLACUIT DEO, ET FORTITER IVIT IN VIA DAVID PATRIS SUI, QUAM MANDAVIT ILLI ISAIAS PROPHETA MAGNUS, ET FIDELIS IN CONSPECTU DEI] Pro *fortiter ivit*, græcè est, ἐνίσχυσεν, id est, fortiter se gessit, robustè egit, validè sectatus est vestigia pietatis & virtutis David patris sui. Nam confregit idola, quin & serpentem æneum, quem erexerat Moses, eò quòd populus eum ut Deum adoraret: destruxit excelsa: solemne Pascha instituit: cultum & religionem veri Dei non tantùm in Iuda; sed & in Israel restituit: sacerdotes & Levitas aluit, ac ad Dei sacra religiosè procuranda exhortatus est. Ob hæc ergo pietatis officia meruit, ut Ierusalem liberaretur ab excidio Sennacherib,

rib, 2. Paralip. 19. Pro *fidelis in conspectu Dei*, græcè est πιςὸς ἐν ὁράσει αὐτοῦ (Noster pro αὐτοῦ legit Θεοῦ, id est *Dei*) *sui*, putà in prophetia sua, qua fideliter, liberè & constanter ea annuntiabat populo, quæ à Deo illi revelata fuerunt; non vero sua commenta, aut mentis somnia & figmenta, uti faciebant pseudoprophetæ. Vatabl. *vaticinatione sua fidus*, vel *certus*; quia non dubia, sed certa prophetabat, quæ scilicet certò sciebat Deum sibi dixisse: Græcum enim πιςὸς, id est *fidelis*, respondet Hebræo נאמן *neeman*, id est fidus, verus, certus, firmus, ratus, stabilis; Syrus, *laudabilis prophetarum*, id est inter Prophetas, vel præ ceteris Prophetis.

Isaias Propheta magnus. cur?

Porrò Isaias vocatur *magnus propheta*, quia à Seraphino accensus calculo ignito consecratus est Propheta, factusque quasi Seraphinus, & ordinis Seraphici, ad accendendum amore divino torpentia & algida Judæorum corda, Isaiæ 6. Porrò Isaiæ magnitudo animi, & zeli enituit in carpendo liberrimè regum, & populi vitia, iisque comminando pœnas à Deo imminentes. Unde illud capit. 1. 10. *Audite verbum principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ*. Quocirca Sanctus Paulus Rom. 10. 20. ait: *Isaias autem audet, & dicit*. Ubi Origenes, *Audet*, inquit, & liberè prædicat, cùm sciret sibi ex eo imminere mortem. Nam hac de causa lignea serra serratus, Martyr duro, sed glorioso agone occubuit. Deniq; Isaias omnium Prophetarum est magnificentissimus, eloquentissimus, sublimissimus, & clarissimus. Vide dicta argumento in Isajam.

VERS. 26. *Isaias retroegit solem.*

IN DIEBUS IPSIUS RETRO REDIT (minùs verè Syrus *vertit*) SOL, ET ADDIDIT REGI VITAM] Cùm Ezechiæ ægrotanti ad mortem Isaias ex Deo promisit sanitatem, & vitam, & ad assecurandam hanc promissionem fecit, ut umbra Solis in horologio Achaz retrograderetur, & consequenter ipse sol, ut patet ex hoc loco. Duplex ergo fuit hic miraculum. Primum, quod sol regrederetur; Secundum, quòd regi desperatæ valetudinis adderetur vita. Utrumq; tribuitur tum pietati & precibus Ezechiæ, quæ id merebantur; tum sanctitati, orationi & meritis Isaiæ, quæ id à Deo impetrarunt. Quocirca Isaias cap. 38. 8. ait Ezechiæ: *Ecce ego reverti faciam umbram linearum*. Unde pariter τὸ *addidit regi vitam*, referendum est ad Isaiam. Potest tamen quoque ad solem, qui antecessit, referri hoc sensu, quòd sol regrediens portenderet redituram regi sanitatem, adeoque tot annos regis vitæ addendos, quot horis illo die auctus fuit sol, nimirum quindecim. In Prophetis enim dicitur ille, qui prophetat vel portendit aliquid, illud ipsum efficere, quia illud ipsum certò eventurum prænuntiat, & edicit: prophetia enim falli nequit: unde quod ipsa prædicit, necessum est ut eveniat. Dum ergo quippiam prædicit, morali modo efficit & cogit, ut idipsum eveniat. Unde S. Cyrill. in Isaiæ 38. 8. *Quod remigraturus in vitam esset Ezechias*, inquit, *planum facit Deus retrogrediente Solis umbra, & die ad insitatam horarum mensuram prolatata*. Et Auctor de Mirabil. S. Script. apud S. August. lib. 2. cap. 28. *Convenienter*, inquit, *tale signum regi in mortis expectatione posito aptissimum evenit, quod Dominus fieri taliter per solem congrua dispensatione disposuit: quoniam sicut sol in procinctu occasus sui positus in diei initium reducitur, sic rex in mortis expectatione constitutus quasi ad incipientis vitæ gaudia revocatur. Tantum quoque temporis, id est quindecim annos ejus vitæ, se Dominus dixit addere, quatenus nasciturus tunc filius* (Manasses) *consumpto illo tempore, regnum defuncti patris valeret gubernare*. Plura de hoc regressu Solis, & sanatione Ezechiæ dixi Isaiæ 38.

VERS. 27.

SPIRITU MAGNO VIDIT ULTIMA, ET CONSOLATUS EST LUGENTIS IN SION] *Spiritus magnus* hic est prophetiæ, putà magnum & amplum lumen propheticum, quo dotatus Isaias *vidit ultima*; græcè ἔσχατα, qua voce Septuag. solent vertere Hebræum האחרנים *acharonim*, id est posteriora, uti vertit hic Vatabl. Quare *ultima* vel *novissima* in Prophetis vocantur tempora Messiæ, quæ scilicet post plura sæcula erant futura, etiamsi absolutè non sint ultima, nisi quòd respectu status legis naturæ & legis Mosaicæ, status legis Christianæ, sit absolutè ultimus. Alludit ad Isaiæ 2. ubi Isaias prophetans de tempore Christi & Ecclesiæ, ait: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles: & fluent ad eum omnes gentes*. Adde, Isaiam absolutè ultima prænuntiasse, uti ostendam v. sequ. Pro *spiritu magno*; Syrus vertit, *spiritu giganteitatis* vel *gigantum*, id est spiritu valido, excelso, extenso, porrecto longissimè, uti gigantes vident ultra ceteros homines.

Consolatus est lugentes in Sion: quos?

Porrò Isaias *consolatus est lugentes in Sion*: Primò, cùm Ezechiam & Judæos ob metum Sennacherib perculsos, spe certæ liberationis recreavit. Rursum cùm Judæis in Babylonem abducendis, ex ea reditum promisit. Secundò, cùm sui temporis viros fideles & pios dolentes de sui ævi sceleribus & ærumnis, promissione adventus Messiæ liberatoris & sanctificatoris consolatus est. Unde ait cap. 40. *Consolamini, consolamini popule meus*, &c. *Loquimini ad cor Jerusalem*; adeoque alibi passim fideles animat, & solatur, totusque solatiis divinis refertus est. Tertiò, cùm etiamnum fideles *in Sion*, id est in Ecclesia, lugentes hujus vitæ peccata & miserias, promissione gratiæ & gloriæ Christi consolatur. Unde cap. 61. 1. ita Christum suos consolantem inducit: *Spiritus Domini super me*, &c. *ut consolarer omnes lugentes in Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris*. Ad quem locum hic alludit Siracides, ut patet verba utrinque conferenti.

VERS. 28.

USQUE IN SEMPITERNUM OSTENDIT FUTURA, ET ABSCONDITA ANTEQUAM EVENIRENT] Syrus *stans in mundo vidit signa, & tentationes antequam venirent*; Vatabl. *in ævum usq; futura prænuntiarunt, arcanaque facta priùs quam evenirent*. Isaiæ enim vaticinia se porrigunt ad Christum & Ecclesiam duraturam per omnia sæcula, usque in finem mundi. Nam Christi ex Virgine conceptionem, nativitatem, prædicationem, miracula, passionem, mortem & resurrectionem ita graphicè describit, ut teste S. Hieron. non tam Prophetam quàm Euangelistam agere videatur. Rursum prænuntiat ea, quæ futura sunt in fine mundi, putà universale judicium, resurrectionem, & renovationem mundi, ut patet c. 24. v. 21. & seq. c. 25. 8. cap. 26. v. 21. Denique prenuntiat felicitatem piorum in cęlo, & infelicitatem impiorum in gehenna, quarum utraque perdurabit in omnem æternitatem. Unde c. 32. v. 17. *Et erit*, inquit, *opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*. Ex cap. 33. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et c. 35. 10. *Redempti a Domino convertentur, & venient in Sion cum laude: & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus*. Similia habet cap. 60. 19. cap. 65. 17. cap. 67. 22.

CAPUT

CAPUT QUADRAGESIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

LAudatur Iosias usque ad v. 9. Inde Ieremias, Ezechiel & duodecim Prophetæ minores usque ad v. 13, Inde Zorobabel, Iesus filius Iosedec, & Nehemias usque ad v. 6. Inde usque ad finem capitis regreditur Siracides ad priores priscosque patres, ac retexit laudes Henoch, Ioseph, Seth, Sem & Adam, eosque inter se comparat.

MEmoria Iosiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii. 2. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & ut musica in convivio vini. 3. Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis. 4. Et gubernavit ad Dominum cor ipsius, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem. 5. Præter David, & Ezechiam, & Josiam, omnes peccatum commiserunt: 6. Nam reliquerunt legem Altissimi reges Juda, & contempserunt timorem Dei. 7. Dederunt enim regnum suum aliis, & gloriam suam alienigenæ genti. 8. Incenderunt electam sanctitatis civitatem & desertas fecerunt vias ipsius in manu Jeremiæ. 9. Nam malè tractaverunt illum, qui à ventre matris consecratus est propheta, evertere, & eruere, & perdere, & iterum ædificare, & renovare. 10. Ezechiel qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubim. 11. Nam commemoratus est inimicorum in imbre, benefacere illis qui ostenderunt rectas vias. 12. Et duodecim prophetarum ossa pullulent de loco suo: nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt se in fide virtutis. 13. Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipse quasi signum in dextera manu. 14. Sic & Jesum filium Josedec? qui in diebus suis ædificaverunt domum, & exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam. 15. Et Nehemias in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras. 16. Nemo natus est in terra qualis Henoch: nam & ipse receptus est à terra. 17. Neque ut Ioseph, qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi: 18. Et ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt. 19. Seth & Sem apud homines gloriam adepti sunt; & super omnem animam in origine Adam.

Encomium Josiæ.

Vers. 1. MEMORIA JOSIÆ IN COMPOSITIONEM ODORIS FACTA OPUS PIGMENTARII] Ita Latina Rom. & Græca Romæ correcta, Minùs rectè ergo pro *facta* Complut. legunt *facto* vel *confecto*; & alii, *facti*. Rursum pro *opus* Græca jam habent ἔργῳ, id est *opere*. Vide Franc. Lucam in Notis hic. Græca Romana sic clarè habent, *memoria Josiæ in compositione incensi facta opere unguentarii*; Vatabl. *instar misturæ odoramenti artificio unguentarii concinnatæ, est Josiæ memoria*; Syrus, *nomen Josiæ sicut thuribulum incensi* (alius codex habet *incensorum*) *commisti multitudine aromatum*; alii, *memoria Josiæ ut compositio thymiamatis confecti opere pigmentarii*. Sensus ergo est, q. d. Memoria Josiæ est instar compositionis odoriferæ (qua scilicet res odoriferæ apta proportione inter se commiscentur & componuntur, ut fiat quid mistum valdè odoratum, & suavissimè redolens) *facta*, id est confecta, velut *opus pigmentarii*, hoc est, suavissima & gratissima tam Deo & angelis, quàm hominibus, præsertim Judæis, est Josiæ memoria. Sicut enim pigmentarius sive aromatarius ex congrua commistione & compositione aromatum, conficit compositum quoddam mirè odoriferum, sic pariter memoria Josiæ ex variis ejus virtutibus & præclarè factis composita & conflacta efficit famam ejus mirè fragrantem, suavem & jucundam omnibus posteris. Alludit ad thymiama (græcè enim pro *odoris* est θυμιάματος) quod componebatur ex commistione quatuor aromatum, sive rerum odoratarum, nimirum ex stacte, onycha, galbano & thure, Exodi 30. 34. sic enim memoria & fama viri sancti & pii, qualis erat Josias, conflatur ex pluribus virtutibus, præsertim quatuor, per aromata totidem jam dicta repræsentatis: stacte enim repræsentat mortificationem, onycha castitatem, galbanum charitatem, thus religionem & orationem. Hinc Apocal. 5. 8. S. Joannes vidit 24. seniores habentes *phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum*. Vide dicta Exodi 30. 34. Quocirca Arabicus vertit, *nomen Josiæ velut thuribulum, in quo est de omni fumatione bona*, quod scilicet omnem fumum suaveolentem exhalat.

Primò, igitur sicut thymiama non ex uno aromate, sed ex variis componebatur: sic decus virtutis Josiæ, memoria & fama non ex una virtute, sed ex variis, ac præsertim ex quatuor iam dictis, conflata fuit & composita. Unde S. Gregor. l. 1. Moral. cap. 39. *Thymiama*, ait, *ex aromatibus componimus, cùm in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus*. Et Philo li. de Somniis: *Sicut*, ait, *odoramenta suaveolentia replent proximos, sic vicini & contermini sapientis, ex afflatu ejus latissimè se diffundentis, meliores evadunt*. Sic adolescentulæ, hoc est teneriores animæ, percepta sponsi virtutum fragrantia, illectæ clamant: *Post te curremus in odorem unguentorum tuorum*, Cant. 1. 3.

Secundò, sicut aromata apta mensura inter se commisceri debebant, ut fieret thymiama, sic & virtutes apta Secundò.
proportione inter se componendæ sunt, ut quid pulchrum & redolens efficiant: alia enim v. g. magnificentia, humilitas, eleemosyna, obedientia decet subditum, alia superiorem, alia plebeium, alia principem, alia laicum, alia sacerdotem, alia Religiosum, &c.

Tertiò, thymiama maximè notat pietatem Josiæ circa Tertiò.
cultum Dei, resque sacras promovendas: ipse enim sustulit aruspices, magos, sacerdotes, sacrificia, altaria & templa idolorum fabricata à Solomone, Achaz, Manasse & Jeroboam, ac pro eis veros Dei sacerdotes, & sacra; ipsumque verum thymiama restituit. Lege sancta eius circa hanc rem gesta toto c. 23. lib. 2. Reg. Josias ergo fuit excisor omnis superstitionis, & inveteratæ per tres annorum centurias idololatriæ, ac avitæ veræque religionis restaurator. Quocirca Josiæ nomen, virtus & pietas trecentis annis ante eius nativitatem, sub exordia idololatriæ invectæ à Ieroboam, prædicta fuit à Deo per Prophetam 3. Reg. 13. 1. *Et ecce*, inquit, *vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel, Jeroboam stante super altare: & thus iaciente. Et exclamavit contra altare in sermone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet*. Hanc de se prophetiam post trecentos annos implevit Josias, cùm, ut dicitur 4. Reg. 23. 15. *Insuper & altare quod erat in Bethel, & excelsum quod fecerat Jeroboam, &c. destruxit atque combussit*. Et v. 20. *Et occidit universos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi, super altaria, & combussit ossa humana* sacerdotum, qui tempore Jeroboam in altaribus istis sacrificarunt idolis. Quocirca v. 25. subditur: *Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysi: neque post eum surrexit similis illi*.

Ideirco apposite vocatus est à Deo *Iosias*, hocque nomen tribus ante eum sæculis ab eo prædictum, & exordio idololatriæ Jeroboam oppositum fuit; *Josias* enim, vel, ut Hebræi pronuntiant, *Iosiahu*, hæc omnia eius gesta iam dicta significat: *Josias* enim Primò, hebr. dicitur quasi שי יה *scai ia*, id est munus, vel oblatio Dei; aut quasi אש יה *es ia*, id est ignis Dei, vel urens Dominus; quia flagrans zelo Dei, igne combussit idola & idololatras. Undo Auctor Imperfecti apud Sanct. Chrysost. hom. 1. in Matth. ad illa verba: *Amon autem genuit Josiam. Josias*, inquit, *interpretatur, ubi est hostia Domino? vel salus Domini, &c. Providentia autem Dei secundum quod futurus erat Josias, dispensavit ei nomen imponi, ubi est hostia Domino? aut salus Domini, quia in eo verè fuit hostia Domini. Tale enim sacrificium obtulit Domino Deo, quale nec ante eum aliquis regum, nec post eum. Et ipse fuit hostia Deo, secundum quod mandat Apostolus*, Rom. 12. *Vt exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam. Deo placentem. Et ipse fuit populi sui in tempore suo salus*. Et mox: *Tertius est Josias, cuius nomen prophetatum est priusquam nasceretur, ii tres sunt Samson, Josias, Joannes*. Horum enim trium nomina antequam nascerentur, prædicta & imposita sunt à Deo.

Primo.

Secundo. Secundò, *Josias* hebr. idem est quod יש יה *iesea ia*, id est salus Domini, uti iam dixit Auctor imperfecti, adeoque Iosias quasi idem est quod Iesus: eius enim expressus fuit typus, uti mox ostendam.

Tertio. Tertiò, *Josias* dici potest quasi יסע יה *ies ia*, id est existens Dominus aut Domini, quia plenus Deo eius honorem vindicavit, cultumque restituit. ita Pagnin. in Interpret. nomin. Hebraic.

Quarto. Quartò, *Josias* idem est, ait Pagnin. ibidem, quod cessatio Domini, vel requies Domini, vel requiescet Dominus, vel requies mea Dominus; quia ipse cessare fecit iram Dei contra idololatras, ac Deus in eo quasi in templo suo requievit, & ipse vicissim in Deo. Denique ipse effecit ut Deus in Israel, Ierusalem & templo postliminio redux quiesceret.

Magis genuinè Iosias idem est quod יאש יה *iaas ia*, id est abrenuntiavit (sic enim vertunt Septuag. & noster Ecclesiastæ 2, 20.) abdicavit, ablegavit Dominus, scilicet idola & idolorum cultores. Hoc enim fecit Deus per Iosiam.

Allegor. Allegor. Iosias est Iesus Christus, qui igne charitatis & zeli succensus, seipsum fecit hostiam Deo pro salute hominum in ara crucis. Quocirca memoria vitæ & passionis Christi omnibus Christianis est odoratissima & suavissima, præsertim Religiosis & Sanctis perfectionis studiosis, quorum assidua cogitatio est de Iesu Christo: ac proinde Jesus illis est quasi unguentum odoriferum ex variis speciebus aromaticis, putà ex humilitate, obedientia, paupertate, patientia, fortitudine, charitate, ceterisque eximiis virtutibus commistum atque compositum, quod mentem roborat ad pugnam contra spiritales hostes, & sensum interioris odoratus mirè oblectat. Nam ut ait S. Bernard. in Cant. serm. 15. ad illud: *Oleum effusum nomen tuum*: nomen *Iesu*, si nominetur, & invocetur, *exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones*: Et inferiùs: *Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem: siquidem cum nomino Jesum, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, sobrium; castum; misericordem & omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eumdemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me & exemplo sanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cum insonuerit Iesus. Sumo itaque mihi exempla de homine, & auxilium à potente, illa tamquam pigmentarias species; hoc tamquam unde acuam eas, & facio confectionem, cui similem medicorum nemo facere possit. Hoc tibi electuarium habes, ò anima mea reconditum in vasculo vocabuli huius, quod est Jesus, salutiferum certè, quodque nulli umquam pesti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu est, semper in manu; quo tui omnes in Iesum & sensus dirigantur, & actus. Denique & invitaris: Pone me, inquit, signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo.* Cantic. 8. Idem in formula honestæ vitæ sub initium: *Sit tibi Iesus*, inquit, *semper in corde, & numquam imago crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo, & consolatio tua, mel tuum, & desiderium tuum, lectio tua, & meditatio tua, oratio & contemplatio tua, vita, et mors & resurrectio tua*. Quocirca viri spiritales, qui satagunt Deum semper habere præsentem, ac iugiter in Dei præsentia versari, incipiunt hanc Dei præsentiam sibi efformare in Deo incarnato, putà in Iesu Christo: hunc enim facilius est concipere & phantasiæ imprimere, quàm ipsum Deum qui purus est spiritus. Vide nostrum Aluarum de Paz. tract. de Perfecta cont. l. 5. p. 1. appar. 2. c. 7.

Tropolog. Iosias est quivis vir sanctus & zelator honoris divini, qui acervum virtutum, quasi thymiama, sibi miscet, & componit, quod omnes oblectet, & ad sui imitationem alliciat: cuius proinde memoria & gloria longè lateque spargitur & perennat, ac præsertim talis est, qui hæresim & impietatem profligat & extirpat, quique avitæ religionis & pietatis est restaurator, quales omni sæculo Deus suscitavit. Tales fuere S. Athanasius, s. Augustinus, s. Basilius, s. Hieronymus, s. Antonius, s. Benedictus, s. Bernardus, s. Dominicus, s. Franciscus, & nuper noster s. Ignatius. Atque è regibus & principibus Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus, Iagello, Casimirus, s. Ludovicus, ac moderni Imperatores, Reges & Duces orthodoxi. *Tropol.*

Huc facit similis unius è 72. S. Script. interpretibus, apud Aristæam tom. 7. Biblioth. ss. Patrum, sententia. Ptolemæus Philadelphus enim 72. interpretibus S. Scripturæ singulis singulas quæstiones Ethicas proponens, quarto hanc proposuit: *Quomodo rex & iudex bonam assequatur famam?* Ad quam ille: *Si omnibus*, inquit, *te æquum ratione præbueris, & nihil superbè, nihilque pro potentia tua viribus contra delinquentes agas. Id autem assequeris, si Dei dispositionem inspicias, qui dignis sua vota perfecit, peccantibus vero vel per insomnia, vel opere demonstrat quid illis nocivum sit, neque secundum eorum peccata, neque pro magnitudine virium suarum homines cædit, sed mansuetudine usus corrigit rectè.*

Nota. *Memoria* Primò, hic accipi potest simpliciter pro recordatione, q. d. Recordatio Iosiæ est suavissima & gratissima. Secundò, *memoria* accipi potest pro fama & gloria, per metalepsin: memoria enim Iosiæ fuit gloriosa. Sic cap. 46. 14. dicitur, *memoria*, id est fama & gloria, Iudicum Israel, *sit in benedictione*. Et cap. 39. 23. *Non recedet memoria*, id est gloria, *eius* (sapientis) Unde explicans subdit: *Et nomen eius requiretur à generatione in generationem*. Et psal. 111. 6. *In memoria æterna erit iustus*. Hinc *memoria* metonymicè significat monumentum erectum ad memoriam & gloriam. Item diem festum institutum ad memoriam Sancti, vel rei alicuius gloriosæ, iuxta illud psalm. 144. 7. *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt*. Sic dies festi Martyrum à Cypriano, indeque in Martyrologiis, vocantur memoriæ Martyrum, hos enim dies annotari & recoli ac celebrari iubet S. Cyprian. l. 3. epist. 7. *Cùm*, inquit, *confessioni accidit moriendi terminus, consummata Martyrii gloria est. Denique & dies eorum, quibus excedunt, annotate ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus quamquam Tertullus scribat & significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiscum Domino protegente celebrabimus*. Vocantur hi dies memoriæ, quia iis anniversariè recurrentibus, recolebant & prædicabant heroica Martyrum dicta, facta, tormenta, constantiam, victoriam. Unde idem Cyprian. lib. 4. epist. 5. *In servo Dei*, inquit, *victoriam gloria vulnerum fecit, gloriam cicatricum memoria custodit. Nec rudis iste aut novus est in Celerino titulus gloriarum, quia eius Celerina iamprìdem martyrio coronata est, &c. dum diabolum Christi confessione prosternunt, palmas à Domino & coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebramus*. Celebrabant enim super memorias, id est super sepulcra & monumenta, Martyrum. Atque inde cœpit origo scribendi Martyrologia, ac primus quòd sciam, qui Martyrologium scripsit, fuit Eusebius Cæsareensis, qui paulò post S. Cyprianum vixit, voluerunt enim in Martyrologiis extare memoriam Martyrum, tum ad eorum gloriam, tum ad posterorum exemplum

Memoria pro gloria

Origo Martyr.

Eadem

Eadem de causa Siracides hic texit catalogum, & quasi Martyrologium Iosiæ, & Sanctorum veteris Testamenti.

IN OMNI ORE QUASI MEL INDULCABITUR (græcè γλυκανθήσεται, id est *dulcescet*, dulcis erit) EIUS MEMORIA, ET UT MUSICA IN CONVIVIO VINI] Syrus, *sicut mel palato, dulcis est eius memoria; & veluti canticum super potationem vini*; Vatabl. *omni ori mellis in modum dulcis, & ut in facundo vini convivio musica*. q. d. Omni ori narranti pia & sancta facta Iosiæ, dulcis erit eius commemoratio instar mellis, & instar musicæ. Suavem gratamque Iosiæ memoriam explicat per tria, quæ tres primarios sensus mirè oblectant, scilicet per incensum & thymiama, quod odoratum æquè ac visum; per mel & vinum, quod gustum; per musicam, quæ auditum pascit & mulcet. Sicut ergo mel mira sua dulcedine dulcorat palatum, musica in convivio opiparo rapit auditum: sic commemoratio Iosiæ mirè delectat os mentemque commemorantis; ut videatur sibi mel comedere; & aures audientis, ut videatur sibi suavissimum in convivio concentum audire, in quo uti fauces epulis & vino, ita aures musica harmonia pascuntur. Ubi indirectè & tacitè suavitatem memoriæ Iosiæ non tantùm musicæ, sed & convivio vinoque odorato & delicato assimilat. Id revera ita accidisse, liquet ex 2. Paral. 35. 25. (quò hic alludit Siracides) ubi de mortuo Iosia dicitur: *Universus Iuda & Ierusalem luxerunt eum: Ieremias maximè: cuius omnes cantores atque cantatrices usque in præsentem diem, lamentationes super Iosiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israel*, ut de iis quasi de re visitata, & omnium ore celebrata dicatur: *Ecce scriptum fertur in lamentationibus*. Lamentationes hæ Ieremiæ fuerunt carmina in laudem gestorum Iosiæ à Ieremia composita, quæ omnium ore terebantur, & canebantur cum suavissima & gratissima eius recordatione, fama & gloria. Quare lamentationes hæ diversæ fuere à Threnis Ieremiæ, ut ibidem ostendi.

Mel servat corpora ne putrescant. Porrò appositè memoriam Iosiæ melli comparat, quia, sicut mel conservat corpora ne putrescant; sic & memoria conservat nomen & famam, ne corrumpatur. Ita Plinius lib. 22. c. 24. *Mellis natura*, inquit, *talis est, ut putrescere corpora non sinat, iucundo sapore antequam non aspero, alia quàm salis natura*. Unde Babylonii corpora defunctorum melle condiebant, ut manerent incorrupta. Audi Statium lib. 3. Sylvar.

> *Duc & ad Æmathios manes, ubi belliger urbis*
> *Conditor, Hyblæo perfusus nectare durat:*

Audi & Corippum de Iustino Imper. iuniore avunculi corpus condiente:

> *Thura Sabæa cremant, fragrantia mella locatis*
> *Infundunt pateris, & odoro balsama succo.*
> *Centum aliæ species, unguentaque mira feruntur,*
> *Tempus in æternum sacrum servantia corpus.*

Idem docet Columella lib. 2. Xenophon lib. 5. Græc. rer. & Scaliger exerc. 119. qui surculos melle perfusos diu servari, & facilè transferri posse docet. Memoria ergo Iosiæ est quasi mel in ore, quia cunctorum sermone quasi melle conservatur, quando omnes odorata recordatione & honorata laude eum prosequuntur, nec sinunt famam nomenque eius intermori aut corrumpi, iuxta illud psal. 119. 7. *In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit*: nimirum sapientia & iustitia est quasi mel, conservans sapientem, & iustum in hominum memoria, ne putrescat & intereat, iuxta illud Proverb. 24. 13. *Comede fili mi mel, quia bonum est*, &c. *sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ: quam cum inveneris, habebis in novissimis spem, & spes tua non peribit*. Et Prov. 10. 7. *Memoria iusti cum laudibus* (Septuag. *in encomiis*) *nomen impiorum putrescet*. Denique huc facit illud Iphigeniæ apud Euripidem in Tauris:

> *Et apis populatrici montium*
> *Liquorem florenm tuo infundam rogo.*

Veteres enim mel infundebant rogo, quo parentum vel amicorum defunctorum corpora cremabant, ut per hoc invenerent, quàm grata dulcisque sibi fuisset eorum in vita conversatio, ac post mortem futura esset eorumdem memoria & recordatio: hæc enim sola eis apud homines superest, vivitque posthuma.

Allegor. Allegor. Iosias est Iesus Christus, cuius nativitatis, passionis, resurrectionis, &c. gratissima apud fideles & sanctos est memoria, adeoque ut ait S. Bernard. *Iesus est mel in ore, melos in aure, iubilus in corde*. Sicut enim mel ori dulcissimum est, sic os viri pii, cùm ex abundantia cordis de Iesu suo loquitur, quasi mel & gustare & fundere videtur; uti S. Franciscus quoties Iesum pronuntiabat, toties intima dulcedine perfundebatur; ut sibi mel lingere videretur. Rursum Iesu nominatio & commemoratio, viro pio est quasi musica in convivio vini; quia auditui dat gaudium & lætitiam, adeò ut exultent ossa humiliata, ut scilicet virtutes, quæ ossa sunt animæ, hac memoria rigatæ reflorescant, & abiecto omni tepore in sanctè operando fervescant, ita noster Alvarez loca iam citato.

Tropol. Iosias est quivis fidelis & sanctus, præsertim zelator & restaurator religionis & pietatis cuius memoria discipulis & posteris dulcis est, ut mel, ut vinum, ut deliciæ, ut musica. *Tropol.* Quocirca sapienter S. Chrysost. hom. 30. in Genesin, docet memoriam & famam non parari magnificis fabricis, columnis, titulis, sed heroicis virtutibus, & præsertim charitate & eleemosyna: illa enim vana & caduca sunt: hæ veræ & stabiles, rursum hæ sanctæ & cælestes sunt; illa sæpè cum scelere, sæpiùs cum vanitate coniuncta, quare illa non tam laus, quàm probrum paratur. *Igitur*, inquit S. Chrysost. *hoc non est memoriam assequi, sed infamari, & spectatorum linguas acuere in accusationem. Quod si omnino æternam memoriam amas, ego tibi viam monstrabo, qua poteris semper celebrari, & quæ dabit tibi fiduciam in futuro sæculo. Hoc pacto igitur poteris & commemorari & celebrari quotidie, encomiisque evehi, & post hanc vitam, si has pecunias in manus inopum dispenses, relictis lapidibus, & splendidis ædificiis, & villis, & balneis. Hæc memoria immortalis, hæc memoria innumeros tibi thesauros conciliat, hæc memoria à sarcina peccatorum alleviat? hæc multam tibi fiduciam apud Deum concilias. Cogita, obsecro, & hæc verba, quæ singuli dicturi sunt: Ecce hunc misericordem & benignum, hunc mansuetum, hunc suavem, hunc tam largum dispensatorem. Dispersit enim, inquit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum*. Et paulò inferiùs: *Uno die divitias dispersit, & iustitia eius manet in sæculum, & memoriam facit immortalem. Vidisti memoriam, quæ se in omne sæculum extendit? Vidisti memoriam magnis & ineffabilibus plenam bonis? Tali ædificio nostri memoriam relinquere studeamus. Nam lapidibus ædificasse non solùm nihil nobis prodesse poterit, sed nos continuò & clara voce infamabit. Et nos hinc abimus deferentes peccata inde parta, & ædificia hic relinquimus: quin nec frigidam & inutilem memoriam consequimur, sed potiùs probris deturpamur, nomenque statim transit ad alterum. Etenim sic res habent, ut ab hoc ad alium transeant, & ab illo iterum in alium. Et hodie quidem domus dicebatur huius, cras vel alio die, & mox dicetur alterius*. Subdit deinde exemplum Tabithæ, cuius eleemosynas post mortem omnes celebrarunt, Act. 10. 9. ac demum concludit: *Si memoriam quæris, si veram gloriam amas; hanc imitare, tales domos extrue, noli sumptus tuos inanimatis impendere; sed cū illis, qui eiusdē sunt generis, misericordiā facito. Hac laude digna est memoria, hæc magnum lucrū affert*.

IPSE EST DIRECTUS DIVINITUS IN POENITENTIAM GENTIS, ET TULIT ABOMINATIONES IMPIETATIS] q. d. Iosias à Deo fuit destinatus, electus & directus ad gentis Iudaicæ conversionē. Unde ipse abstulit abominanda impiorum idola, excelsa, lucos, magias, incantationes, lupanaria etiā effeminatorū, id est scortorum masculorum: quod est peccatum abominandum, ideoque mutum, & præ execratione non nominandum, vide 4. Reg. 23. 25. Quæ omnia impietas impiis regibus & hominibus erigenda & colenda suggesserat.

Pro *in pœnitentiam* græcè est ἐπιστροφῇ, id est *conversione*, ut scilicet converteret Iudæos ab idololatria ad cultum veri Dei, ab impietate ad pietatem, à luxuria ad castitatem, &c. quæ conversio fit per pœnitentiam. Pro est *directus divinitus*, Græca jam tantùm habent κατευθύνθη: quod Primò, Complut. & Romani ad verbum vertunt, *directus est*. Secundò, alii vertunt activè, *rectè se gessit*; quod sequitur ex primo: qui enim dirigitur à Deo, hic utique rectè se gerit. Unde Vatabl. vertit, *hic in populo reformando dexteritate usus est, & abominandas impietates sustulit*. Magna enim dexteritate opus est, ut abusus & scelera insolita tollantur, præsertim communia & frequentata à toto populo. *Vitia communia leniter tollenda.* Unde S. August. epist. 64. ad

ad Aurelium, & habetur dist. 44. cap. *Comessationes*, docet comessationes & ebrietates, quæ in Africa fieri solebant à populo in festis Martyrum, non violenter, sed leniter & dexterè tollendas. *Non ergo aspere*, inquit, *quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, magis docendo quàm iubendo, magis monendo quàm minando: sic enim agendum est cum multitudine peccantium. Severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cùm dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita prius movebuntur spiritales, vel spiritalibus proximi, quorum auctoritate & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus cetera multitudo frangatur.* Quocirca Henricus IV. nuper Franciæ rex sapienter dictabat, hæresim nascentem vi reprimendam, & instar nascentis incendii aquis suffocandam, ferroque opprimendam; crescentem verò & glicentem, consilio dissipandam; perfectam denique & formatam complexu superandam, ut scilicet amore, benevolentia & beneficentia hæreticos tibi devincias, itaque sensim ab hæresi ad veram fidem abducas; ne, si violenter id efficere velis, omnes in te concites, tibique & regno periculum crees. Porrò Syrus alio abit: *Quoniam*, inquit, *absconditus est a tentationibus, & abstulit opera erroris, tradiditq; Deo cor suum*; alius codex habet, *non fecit amplius opera pueritiæ suæ, & tradidit Deo cor suum*.

Vers. 4. ET GVBERNAVIT (græcè, κατεύθυνε, id est *direxit*) AD DOMINVM COR IPSIUS (cor suum,) ET IN DIEBVS PECCATORVM (ἀνόμων, id est iniquorum & impiorum hominum) CORROBORAVIT PIETATEM] Græcè κατίσχυσε, quod alii vertunt, *fortiter tenuit pietatem*. Melius & nervosius Noster vertit, *corroboravit*: quia Iosias non tantùm in se tenuit, sed & aliis omnibus magna animi spiritusque sui efficacia & robore impressit verum piumque Dei cultum, pios in eo confirmando, impios ad eum pelliciendo, & tam præmiis quàm pœnis propositis convertendo. Vnde Uatabl. vertit, *pietatem temporibus impiorum constabilivit*; Syrus, *fecit veritatem*. Hinc Josias celebravit Pascha solemne & commune, quale numquam antea à temporibus Judicum celebratum fuerat, uti dicitur 4. Reg. 23. 22. Sacerdotum quoque & Levitarum officia neglecta, vel collapsa pristino vigori restituit, 2. Paralip. 35. 1. Nota. Prius hemistichium indicat causam posterioris. Causa enim cur Iosias corroboraverit pietatem, est, quòd ipse direxerit ad Deum cor suum, eum amando & colendo *in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua*, 4. Reg. 23. 25. Qui enim toto corde Deum diligit & colit, hic utique zelum pro ejus cultu induit, ut omnia illi contraria evertere, omnesque ad eumdem totis viribus traducere & convertere satagat.

Porrò magnum robur pietatis & religionis situm est in pietate regum: hi enim cùm magna auctoritate & potentia polleant, religionem collapsam restaurare & corroborare valent, si id efficaciter & robustè velint: uti liquet in Constantino Magno, Theodosio, Carolo Magno, S. Ludovico, ceterisque piis regibus.

Vers. 5. PRÆTER DAVID, ET EZECHIAM, ET JOSIAM OMNES (reges Juda) PECCATVM COMMISERVNT] Græcè πλημμέλειαν ἐπλημμέλησαν, id est *delictum deliquerunt*; Syrus, *corruperunt*; Uatabl. *perfidiosè defecerunt*. Per *peccatum* enim non quodlibet (sic enim peccavit & David homicidio & adulterio) sed antonomasticè idololatriam & superstitionem intelligit. Hoc est enim peccatum peccatorum, quod secum cetera omnia adducit: idololatra enim est apostata, qui perfide à Deo ad idolum, id est ad dæmonem, deficit. *Peccatum* ergo intelligè idololatriæ, vel cultæ, vel non omnino sublatæ.

Dices: Etiam rex Asa & Josaphat fuere veri Dei cultores, & osores idolorum. Resp. Id verum est, sed tamen peccavit uterque peccato idololatriæ vicino & annexo. Nam nec Asa, nec Iosaphat *abstulit excelsa*, scilicet templa & altaria erecta in montibus, locisque excelsis, quæ Deus vetuerat, 3. Reg. 15. 14. & 3. Reg. 22. 44. Insuper cum idololatris regibus Israel, Achab, Ochozia & Ioram amicitias & connubia junxit, itaque eorum idololatriam indirectè fovit & roboravit. quam ob causam semel & iterum acriter reprehensus fuit à Propheta submisso à Deo, 2. Paralip. capitol. 19. 2. *Impio*, inquit, *præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris & idcircò iram quidem Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos*, &c. Et cap. 20. 37. *Prophetavit autem Eliezer*, &c. ad *Josaphat dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritaque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis*.

Notent hunc locum reges & principes Christiani, discantque non sufficere quòd ipsi sint orthodoxi & pii, sed insuper Deum ab eis requirere, ut hæreticos & hæresim, quoad possunt, extirpent, omnesque sibi subditos faciant orthodoxos, & veræ fidei ac religionis cultores: si enim Asa & Josaphat reges pii dicuntur peccatum magnum, imò maximum, idololatriæ commisisse, quòd vel excelsa non abstulerint, vel cùm idololatris fœderati & conjugati fuerint; utique eidem peccato affines censebuntur, qui hæreticos & hæresim tolerant, imò serpere & glicere permittunt, quique cum eis temerè fœdera contra Ecclesiam & Ecclesiæ principes sanciunt: hoc enim est fovere hæreticos,

B & favere hæresi, fidem verò & fideles deprimere, imò debellare: hæresis enim est idolatria. Nam hæreticus suam hæresim quasi idolum effingit, aliisque colendum proponit, imò verè & propriè hæreticus Deum non verum, sed fictum & falsum format & colit. Qui enim dicit Deum non habere filium, uti docebant Arriani; aut non esse trinum in personis, uti docebant Sabelliani, aut non esse liberi arbitrii, uti docent moderni; aut quid aliud falsò ipsi affingit, utique nondum verum, qui est; sed alium Deum, qui non est; ac proinde falsum numen; & idolum à se confictum colit: Deus enim verus habet filium, est trinus in personis, est liberi arbitrii, &c. Quare Deus carens filio, tribus personis, libero arbitrio, &c. utique non verus, sed fictus falsusque, ideoque diabolicus & idolum est. Uide dicta in Epist. S. Judæ v. 8. & 2. Petri 2. 10. *Hæreticus verè est idololatra*

Idipsum videre & sanxere Philosophi. Plato lib. 2. de Repub. religionem, verumque Dei cultum basim & fundamentum reipubl. constituit. *Prima*, inquit, *in omni*

C *repub. bene constituta cura esto de vera religione*. Et libr. 7. *Ejus reipub. quæ felix esse volet, magistratus in veri Dei & veri boni cognitione educentur prima statim ab infantia.* Causam subdit: *Veri Dei veriq; boni ignorantiam innumerabilium, tum privatarum, tum publicarum calamitatum, pessimorumq; consiliorum in repub. fons est & origo*; idque toto deinceps libro commonstrat. Idem l. 2. de Legibus: *Princeps*, inquit, *suis inculcet, nullas res externas absque virtute, pietate in Deum, & justitia esse utiles vel jucundas*. Et lib. 4. *Religio vera est firmamentum reipub. ideoque potissima de ea constituenda cura reipub esse debet*. Et l. 10. *Vera religio basis resp. ideoq; omnis impietas punienda*.

NAM RELIQUERUNT LEGEM ALTISSIMI REGES JUDA, ET CONTEMPSERVNT TIMOREM DEI] Ita Rom. dat causam cur omnes reges Juda præter Davidem, Ezechiam & Josiam peccatum idololatriæ commiserint, illam vel exercendo & sanciendo, vel permittendo, quia, inquit, omnes vel ex parte, vel in totum *reliquerunt legem* Dei, & *contempserunt timorem*, Vers. 6.

D id est reverentiam, cultum & religionem *Dei*. Græcè est, *nam reliquerunt legem Altissimi reges Judæ defecerunt*; Uatabl. *reges Iudaici desciuere*. In totum id fecere Achaz, Manasses & alii qui idola erexerunt: ex parte, qui excelsa non abstulerunt. Vnde de Salomone, Asa, Josaphat, Joas, Amasia & Azaria regibus alioqui piis in libr. Regum dicitur, & hæc macula laudibus eorum iniicitur: *Uerumtamen excelsa non abstulit*. Et tamen excelsa hæc pleraque non idolis, sed Deo vero erant erecta: verùm, quia Deus ea vetuerat ob periculū idololatriæ, hinc culpantur reges, qui ea permiserunt, nec sustulerunt.

DEDERVNT ENIM REGNVM SUUM ALIIS, ET GLORIAM SUAM ALIENIGENÆ GENTI] *To enim* probat id quod præcessit, q.d. Quòd reges Juda dereliquerint legem & timorem Domini, patet ex effectu. Nam *dederunt*, id est sua impietate meruerunt, fuerutq; causa ut daretur regnum eorum gloriosum alienigenis, putà Assyriis & Babyloniis. Pro *dederunt* legit Noster cum Græcis Rom. ἔδωκαν in plurali; Complut. verò legunt in singulari ἔδωκε, id est *dedit*, scilicet Deus irritatus sceleribus regum Juda. Rursum pro *regnum* græcè est κέρας, id est *cornu*, id est robur, imperium, regnum. Bestiarum enim robur, quo ceteras impetunt & subigunt, iisque imperant, Vers. 7.

perant,

perant, situm est in cornibus. Unde aliqui ex Græco sic vertunt, *prodiderunt enim cornu suum aliis, & gloriam suam genti alienæ*. Per *gloriam* significantur non tantùm opes, decus, magnificentia, sed & majestas templi, sacrorum, pontificum, oraculorum, Prophetarum, doctorum, &c. Hæc enim omnia destruxerunt vel profanarunt Chaldæi. Syrus, *dederunt vim* (gloriam & fortitudinem) *suam aliis, & honorem suum genti alienæ*.

Encomium Jeremiæ.

VERS. 8. INCENDERUNT (scilicet alii, sive gens alienigena quæ præcessit) ELECTAM SANCTITATIS CIVITATEM, ET DESERTAS FECERUNT VIAS IPSIUS IN MANU JEREMIÆ] q. d. Impii reges Juda sua impietate meruerunt, ut alii, sive gens alienigena, putà Chaldæi, incenderent regni eorum metropolim, putà Jerusalem, civitatem fidelem & sanctam, ac à Deo electam, ut in ea sibi templum erigeret in quo habitaret, utque viæ eius olim ita frequentatæ à Chaldæis desolarentur, fierentque incolis & habitatoribus vacuæ, ac desertæ: *in manu Jeremiæ*, id est prout per Jeremiam fuerat prophetatum & comminatum, sive *iuxta vaticinium Jeremiæ*, ut vertit Vatabl. Est hebraismus: *manus* enim, quia instrumentum omnium operum, hinc Hebræis significat causam instrumentalem, idemque valet quod *per: in manu* ergo *Jeremiæ*, idem est quod per operam, & os Jeremiæ, sive per Jeremiam prophetatum. q.d. Juxta prophetiam Jeremiæ. Syrus, *eradicaverunt* (demoliti sunt) *civitatem sancti & deserta fecerunt* (vel æruginaverunt) *destructa illius in diebus Jeremiæ*.

VERS. 9. NAM MALE TRACTAVERUNT ILLUM, QUIA VENTRE MATRIS CONSECRATUS EST PROPHETA, EVERTERE, ET ERUERE, ET PERDERE, ET ITERUM ÆDIFICARE, ET RENOVARE] Græcè, *vexarunt enim illum, cùm à matrice consecratus esset propheta ad eradicandum, & malefaciendum, & perdendum, & similiter ad ædificandum, & plantandum*. q. d. Causa cur Jerusalem sit incensa, & vastata à Chaldæis, fuere eius scelera, ac præsertim impietas sacrilega in Jeremiam Prophetam, à Deo missum ad eius salutem, exercita, nimirum quòd Hierosolymæ reges Jechonias & Sedecias, ac populi principes Jeremiam malè tractarint, incarcerarint, & in fossam demerserint, ubique ibidem moriturum, nisi Abdemelech eunuchus liberasset eum, Jerem. 38.7. Illum, inquam, qui ex utero à Deo destinatus, & quasi consecratus erat Propheta, ut certò prædiceret has gentes evertendas, suisque sedibus eruendas, evellendas & disperdendas; illas verò rursum instaurandas & renovandas, omnes enim hi infinitivi *evertere, eruere, perdere, ædificare, renovare*, actionem non realem, sed mentalem, vel potiùs verbalem significant, idemque valent quod prædicere evertendas esse gentes. Prophetæ enim dum aliquid futurum prophetant, ita certi & efficaces sunt, itaque certò illud ipsum evenit, ac si reipsa manibus suis illud operarentur, & perficerent. Citat Jerem. 1. 5. *Priusquam te formarem in utero, novi te; & antequam exires de vulva, sanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te*. Et v. 10. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*. Vide quæ ibidem annotavi.

Encomium Ezechielis.

VERS. 10. EZECHIEL, QUI VIDIT CONSPECTUM GLORIÆ (Dei) QUAM OSTENDIT ILLI IN CURRU CHERUBIM] *Ezechiel*, subaudi, est ille nobilis Propheta, qui post Jeremiam, imò cum Jeremia prophetavit. Unde Vatabl. vertit, *porrò* vel *autem est Ezechiel, qui vidit visum gloriæ*. Aut, ut Jansenius, pendet hic versus à v. 12. ibique expletur, q.d. *Ezechiel*, id est Ezechielis (Ezechiel enim Græcis æquè ac Hebræis est indeclinabile, ideoque cuiuslibet casus) *qui vidit conspectum gloriæ, &c. Et duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo*, pro quo Complut. habent, *sit memoria in benedictionibus*. q. d. Ezechielis & duodecim Prophetarum memoria sit benedicta.

Porrò currus Cherubim fuit symbolum providentiæ & vindictæ Dei, qua quasi curru bellico insidens armatus fertur in impios, quasi hostes suos, eosque debellat & proterit. Vide quæ de curru hoc dixi Ezech. 1. ubi fusè eum, tum ad literam, tum allegoricè, tropologicè & anagogicè explicui.

NAM COMMEMORATUS EST INIMICORUM IN IMBRE, BENEFACERE ILLIS, QUI OSTENDERUNT VIAS RECTAS] τὸ *nam* dat causam, cur memoria Ezechielis sit benedicta & celebris. Rursum explicat currum Cherubim, nimirum, ut dixi, hoc curru significari Dei providentiam, qua punit impios, piis autem beneficus est. Unde Tigurina, *hic sub imbre meminit inimicorum* (id est, sub allegoria imbris mala inimicis Dei prædixit, ut explicat Vatabl.) *rectaque incedentes erexit*. q. d. Ezechiel meminit vindictæ Dei, quòd scilicet Deus ultor impiorum in eos plagas suas depluat, detonet, & fulgeret instar imbris tonitruo & fulmine personantis, & procellæ desuper irruentis. Meminit quoque beneficentiæ, quam Deus ostendit pœnitentibus, qui scilicet *vias*, id est actiones suas pravas corrigunt, & *rectas* efficiunt: iis enim vitam promisit Ezechiel, tum præsentem, tum æternam, ut patet Ezech. c. 18. 22. & c. 33. 16. & 19. Alludit imò citat Ezech. c. 13. 13. ubi Iudæis impiis per imbrem Dei vindictam intentat. Et c. 38. 22. ubi Gog & Magog ducibus Antichristi intentat imbres, grandines, tonitrua & fulmina: illa enim revera Deum in impios vibraturum in fine mundi, docet S. Joannes Apocal. 16. 21. *Et grando magna*, inquit, *sicut talentum descendit de cælo in homines*. Vide utrobique dicta. Accedit, quòd S. Epiphanius & Dorotheus in Vita Ezechielis, eum multa portenta, & miracula patrasse narrant, præsertim in aquis & fluviis.

Pro ἀγαθῶσαι, id est *benefacere*, alii legunt κατευθῦναι, id est *dirigere*; Complut. καὶ κατεύθυνε, id est, *& direxit*, unde Syrus vertit, *atque etiam super Job dixit* (Ezechiel c. 14. v. 14.) *quòd omnes viæ eius iustitiæ* (directæ & iustæ) *fuerunt*. Ubi adverte, Syrum videri hæc transtulisse ex Hebræo, non ex Græco: nam pro אויב *oieb*, id est, *inimici*, legit aliis punctis איוב *Iob*.

Encomium duodecim Prophetarum.

VERS. 12. ET DUODECIM PROPHETARUM OSSA PULLULENT (græcè παρεκάλεσαν, id est consolati sunt) JACOB, ET REDEMERUNT SE IN FIDE VIRTUTIS] Græcè, ἐλυτρώσαντο αὐτοὺς ἐν πίστει ἐλπίδος, id est, *liberarunt ipsos* (Noster αὐτοὺς accipit pro ἑαυτοὺς, id est *seipsos*) *in fide spei*, hoc est, per fidem, qua certò sperabant eventurum, quod prophetabant, liberarunt Iacobæos, putà Judæos, à malis suis, ut si non reipsa liberarentur, certè spe & fide iam essent liberati, iuxta illud Pauli: *Spe salvi facti sumus*, ita Jansen. Unde Vatabl. vertit, *duodecim quoque Prophetarum ossa de locis revirescant, memoriaque eorum fausta sit & beata. Enimverò quisque consolatus est Iacob, & spe fida servavit eum*. Noster pro *fide spei*, vertit, *fide virtutis*, quia fides spei, id est quæ certò sperat futurum id quod Deus promittit, & prædicit per Prophetas, est fides virtutis, id est fides valida, potens & efficax. Latinæ ergo versionis nostræ sensus est, q. d. Ossium & sepulcri, ac per consequens ipsorum duodecim Prophetarum, virens semper, grata & florida sit memoria: nomen & fama eorum cum sepulcris & monumentis ipsorum perennet, ut videantur reviviscere & magis vivere defuncti, quàm cùm reipsa viverent, adeò eorum laus, decus & gloria promanet ad posteros, imò permaneat in æternum, ut, quoties posteri inspexerint eorum ossa & sepulcra, toties eorum virtutum, & oraculorum gloriosam memoriam renovent & celebrent, dignosque prædicent, quorum ossa inter Patriarchas & Apostolos ad gloriam cælestem resurgant in universali hominum resurrectione. Est metalepsis: *ossa* enim ponuntur pro sepulcro, sepulcrum pro sepultis, putà pro ipsismet Prophetis, nimirum contentum ponitur pro continente: & *pullulare* idem est quod semper vigere & florere. Causam subdit. *Nam corroboraverunt Iacob in fide* & pietate unius veri Dei & Messiæ, quem prædixerunt venturum: *corroboraverunt*, inquam, tum vaticinando, tum suis meritis & precibus robur & auxilium Dei populo impetrando: *& redemerunt se in fide virtutis*, putà in fide non quasi quali, sed valentissima & potentissima; vel *in fide* vir-

Ossa Prophetarum pullulat: quomodo?

virtutis, id est, in fidelitate maximè strenua & efficaci: *redemerunt*, id est liberarunt, & immunes præservarunt se ab omni culpa, pœna, & calumnia: quia non nisi ea quæ Deus eis revelabat, fideliter & constanter prolocuti & vaticinati sunt. Simili enim phrasi de Josue aliisque Judicibus Israel dixit c. 46. 13. *Et Iudices quorum non est corruptum cor, qui non aversi sunt à Domino, ut sit memoria illorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo*, hoc est; ut explicans subdit: *Et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria.*

Ossa ergo hæc Prophetarum etiamnum pullulant, & pullulabunt usque ad finem mundi, dum ipsi per sua monumenta & oracula Christianis, Judæis, omnibusque Gentibus assiduè prædicant & prædicabunt Messiæ adventum, eiusque fidem, mores, spiritum, omnemque virtutem & sanctimoniam. Unde Syrus, *duodecim quoque prophetæ* (claudentur) *sint ossa eorum lucida subter se: quoniam sanaverunt Israel, & fiduciam habere fecerunt eos qui liberandi sunt.*

Encomium Zorobabel, Jesu filii Josedec, & Nehemiæ.

Vers. 13. Quomodo amplificemus (græcè μεγαλύνωμεν, B id est *magnificabimus*, scilicet dignè pro meritis; Vatabl. *quantopere extollemus*) Zorobabel? nam et ipse quasi signum (Syrus, *signaculum*, vel *annulus signatorius*) in dextera manu] Jansenius & alii addunt, *Israel*; sed idipsum delent Latina, Romana & Græca omnia, cùm Zorobabel fuerit signum in manu Dei, non Israelis; nisi dicas cum Jansenio *Israel* esse dativi casus. q. d. Zorobabel fuit signaculum Dei ad obsignandum Israelem. Citat Siracides illud Aggæi 2. 24. *In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel, &c. & ponam te quasi signaculum, quia elegi te.* Pro *signaculum*, hebr. חותם *chotam*, id est sigillum, q. d. Ego Deus te, ò Zorobabel, diligo, arcteque complector, uti annulus signatorius diligi, complecti & custodiri solet ab eo qui illum manu gestat. Vide dicta Aggæi 2. 24. ubi fusè hoc signaculum tam ad litteram de Zorobabel, quàm allegoricè de Christo exposui. Post duodecim Prophetas celebrat Zorobabel principem, & Jesum pontificem, qui fuere duces populi è Babylone redeuntis, ac templum Dei à Chaldæis combustum reædificarunt.

Vers. 14. Sic et Jesum filium Josedec? qui (Je- C sus & Zorobabel) in diebus suis (Syrus, *in paupertate sua*) ædificaverunt domum (Dei, putà templum, ut sequitur,) et exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam] Templum enim hoc secundum ædificatum à Jesu, & Zorobabel duravit semper, quamdiu scilicet duravit Synagoga & respub. Judæorum, usque ad excidium eius per Titum & Vespasianum. Rursum in templo hoc Christus Dominus præsentatus est, docuit, prædicavit, miracula patravit, denique fundavit Ecclesiam suam, cuius gloria durabit semper in omnem æternitatem. Alludit ad illud Aggæi 2. 8. *Veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, &c. Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum.* Vide ibi dicta. De Jesu hoc plura dixi Zachar. 3. 1. & seq.

Pro *templum* legit cum Complut. Vatabl. & aliis ναόν, D pro quo Romana legunt λαόν, id est *populum*, sed eodem redit sensus; populus enim sanctus fit ex templo sancto, dum scilicet illud reædificat, frequentat, colit, in eoque Dei legem discit & perficit atque utrumque effecere Jesus & Zorobabel.

Vers. 15. Et Nehemias in memoriam multi temporis (subaudi, sit) qui erexit nobis muros Jerusalem à Chaldæis eversos, et stare fecit portas et seras, qui erexit domos nostras] q. d. Inter heroes recensendus quoque est Nehemias, æterna memoria dignus: ipse enim venia impetrata ab Artaxerxe rege Persarum, anno regni eius 20. Jerusalem eversam à Nabuchodonosor reædificavit tam quoad portas & muros, quam quoad domos privatas. Ipsius enim jussu, ordine & distributione privati quique domos in urbe ædificarunt. Vide Nehemiæ cap. 2. & seq. Græca Complut. & Vatabl. habent, *inter selectos insuper* A *est multa*, vel, ut Complut. *diuturna memoria Nehemias, qui excitavit nobis muros collapsos, portasque constituit cum vectibus domorum nostrarum οἰκόπεδα*, id est *areas & fundamenta*: Complut. *sola erexit*; Vatabl. *substruxit*. Hac de causa appositè vocatus est hebr. *Nehemias*, id est *consolator Dominus*, vel *consolatus à Domino*, ait Rabanus. Syrus, *Nehemiæ memoria multipliciter, quoniam erexit destructiones nostras, & instauravit eversiones nostras, fecitque portas nostras & seras nostras.*

Encomia tria comparata. Primum; Ioseph comparatum cum Henoch; Secundum, Sem comparatum cum Seth; Tertium, Ada comparatum cum ceteris hominibus.

Nemo natus est in terris qualis Henoch: nam et ipse receptus est a terra. Vers. 16.
Neque ut Joseph, qui natus est homo princeps fratrum, firmamentum Vers. 17.
gentis, rector fratrum, firmamentum populi. Et ossa ipsius visitata Vers. 18.
sunt, et post mortem prophetaverunt] Syrus obscurè vertit, *pauci creati sunt super terram veluti Henoch, & mater ut Ioseph non peperit, atque etiam corpus B eius in pace collectum est.* Siracides hic concludit encomia patrum, quorum meminit Script. (omittit enim Judam, Jonatham, Simonem, ceterosque Machabæos tot victoriis celebres, quia hi eum secuti sunt, eiusque ævo fuere posteriores) per anacephalæosin. Igitur ad primos regrediens, aliquot ex iis eminentes à se prætermissos recenset, ac inter se comparat. Quocirca sicut cœpit ab Henoch, ita in eodem desinit, eò quòd ipsi comparat Joseph à se prætermissum. Esse enim hic comparationem Joseph cum Henoch, liquet ex τῷ *neque ut Ioseph*, ut habent Roman. & ex Græco, qui v. 2. habet οὐδὲ ὡς Ἰωσὴφ ἐγεννήθη, id est, *neque ut Ioseph natus*, vel *factus est vir*, quod item de Henoch dixerat versu priori: Siracides enim more veterum in hisce ethicis suis gnomis gaudet comparationibus, uti hactenus sæpè vidimus: illæ enim fuere elegantiæ illius ævi. Simili modo Plutarchus scripsit Vitas comparatas virorum illustrium: comparat enim Græcos Romanis, quemque suo simili. Sic comparat Theseum cum Romulo, Hannibalem cum Scipione Africano, Alexandrum Magnum cum Julio Cæsare, Demosthenem cum Cicerone, Agesilaum cum Pompeio, Themistoclem cum Camillo, Aristidem cum Catone, C Pyrrhum cum C. Mario, Periclem cum Fabio Maximo, Lycurgum cum Numa Pompilio, Solonem cum Publicola, Lysandrum cum Sylla, &c.

Sensus ergo est, q. d. Sicut primo mundi sæculo ante diluvium, nullus fuit similis Henoch virtute & pietate: ipse enim ambulavit cum Deo, ideoque raptus est in paradisum, ut in fine mundi gentes ab Antichristo ad Christum abducat, & convertat: sic pariter posteriori sæculo post diluvium nullus fuit similis Josepho, *qui natus est homo*, græcè ἀνὴρ, id est vir, quia à puero virilem sapientiam, modestiam, gravitatem, virtutem præ se tulit. Rursum *natus est homo*, ut fieret *princeps fratrum*, æquè ac Ægyptiorum: ad hoc enim à puero destinabatur à Deo, unde adhuc puer cùm sedecim esset annorum, per somnia prophetica vaticinatus est, Genes. 37.

Igitur Primò, sicut Henoch evectus est in paradisum; D sic Ioseph evectus est ad principatum Ægypti. *Comparatio Henoch cum Ioseph.*

Secundò, sicut Henoch sua pietate mirè placuit Deo, sic & Ioseph. *Primo.*

Tertiò, sicut Henoch salutem dedit gentibus sui ævi, ac magis dabit in fine mundi verbo & exemplo; sic pariter Ioseph salutem dedit Ægyptiis & Hebræis, tum temporalem, pascendo eos in fame; tum spiritalem, imbuendo eos vera Dei cognitione & cultu, iuxta illud psal. 104. 21. *Constituit eum* (Pharao Iosephum) *dominum domus suæ, & principem possessionis suæ, ut erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.* *Secundò. Tertio.*

Quartò, sicut Henoch fuit sui ævi Nazaræus, quia separatus à conversione hominum ambulavit cum Deo: sic & Ioseph fuit Nazaræus inter fratres suos, Gen. 49. 26. Hinc *Henoch* hebr. idem est quod *dedicatio*, quia totus fuit dedicatus Deo: sic & Ioseph. *Quarto.*

Quintò, sicut Henoch fuit Propheta, sic & Ioseph. Unde *Ioseph* hebr. idem est quod *additus*, vel auctus, scilicet *Quintò.*

licet dono prophetiæ: licèt mater Rachel eum vocarit *Joseph*, eò quòd, cùm antea esset sterilis, jam hoc filio aucta esset, Genes. 30. 24.

Sextò, sicut Henoch ob suam separationem & sanctitatem multa passus est à sui sæculi hominibus, qui fuere impiissimi, ac plura patietur ab Antichristo ejusque asseclis, adeoque ab eo occidetur & martyrio laureabitur, sic pariter Joseph multa à fratribus & Ægyptiis in carcere passus est. Unde Arabicus vertit, *defuit* (non fuit) *in hominibus qui similis sit Henoch; & non est genitus in mulieribus ut Joseph, in præstantia patientiæ suæ*. Joseph enim admirabilis fuit in multis, sed præsertim in patientia & castitate. Audi S. Zenonem Veron. serm. de Pudicitia. *Joseph*, inquit, *Hebræus adolescens, clarus genere, clarior pulchritudine, morum clarissimus probitate fuit inter filios Jacob ætate minor, sed spiritu maior, quem domini sui uxor peius amare cœperat, quàm oderant fratres*. Et post nonnulla: *O quantum es miranda pudicitia, quæ aliter laudari te non vis, quam ut custodiaris, solo bono conscientiæ contenta! Tu in virginibus felix, in viduis fortis; in coniugibus fidelis, in sacerdotibus pura, in Martyribus gloriosa: in angelis clara, in hominibus regina. Tu es honor corporum tu thesaurus animarum, tu sacrificium* Deo *charum, legitimum Dei templum, sacrarium pudoris*.

Alludit ad Genes. 49. 22. ubi Moyses elogia Joseph recensens, inter cetera ait: *Sedit in forti arcus ejus*, &c. *inde pastor egressus est lapis Israel*. *Pastor*, id est, ut explicat hic Siracides, *princeps fratrum*, & rector Ægypti: *lapis Israel*, id est *stabilimentum populi*, ipse enim omnes fratres suos, filios Israel sive Jacobi, cum suis familiis aluit & stabilivit in Ægypto. Porrò τὸ *rector fratrum, stabilimentum populi*, videtur ex alia versione hic insitum. Nam τὸ *rector fratrum* idem est cum eo quod præcessit *princeps fratrum*; & τὸ *stabilimentum populi*, idem est cum eo quod præcessit, *firmamentum gentis*.

Denique *ossa ipsius* (Joseph) *visitata sunt*, id est curata sunt: curavit enim Moyses Exodi 13. 19. educens Hebræos ex Ægypto, ut pariter exportarentur ossa Joseph in terram promissam, prout petierat & prædixerat Joseph moriturus, Genes. 50. 23. Causas ibidem assignavi Græca Complut. addunt, ὑπὸ κυρίου, id est *visitata* Vatabl. *conservata sunt à Domino*: unde aliqui vertunt, *ossa illius visitavit, vel respexit Dominus*. Alludit enim ad verba & oraculum Joseph, qui in morte hanc prophetiam quasi cycneam vocem edidit: *Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco isto*, Genes. 50. 24.

Ossa Joseph prophetarũt. Primò.

Hinc *& ossa* Joseph *post mortem prophetaverunt*, id est prophetiam, quam Joseph vivens de exitu Hebræorum ex Ægypto cum ossibus suis ediderat, hanc post 144. annos (tot enim anni fluxere à morte Ioseph usque ad exitum Hebræorum ex Ægypto) ossa eius confirmarunt. Quando enim cum castris, & per castra Hebræorum ex Ægypto in terram promissam efferebantur ossa Joseph; hoc ipso eadem tacitè testabantur, & muta voce loquebantur, pristinam eius prophetiam de hoc exitu cum ossibus suis fuisse esseque veram, eamque quasi apposito certo eventus sigillo obsignabant & confirmabant. Est catachresis: *prophetare* enim hic idem est quod prophetiam confirmare. Vide dicta c. 48. v. 14.

Secundò.

Aliter Palacius: Ego, inquit, credo ossa Joseph prophetasse, quia aliquod miraculum per ea Deus operatus est, aliquem mortuum vivificando, aut languidum sanando, sic enim dixit prophetasse mortuũ corpus Elisei, quia occisum à morte ad vitam revocavit, cap. 48. v. 14.

Tertiò.

Porrò Joannes Alba Electorum cap. 98. per hypallage quæ verba orationis invertit & transponit, sic exponit: *Ossa Joseph visitata sunt, & post mortem prophetaverunt*, id est Joseph vivens prophetavit de illis (scilicet fratribus suis) post mortem suam visitandis à Deo, & de suis ossibus, scilicet asportandis in terram Chanaan. Nam ossa Joseph non visitata, sed asportata narrantur, & fratres illius visitati, Genes. 50. nec ossa prophetaverunt, sed Ioseph de ossibus suis. Similis phrasis est Actor. 1. 18. *Possedit* (Iudas proditor Christi) *agrum de mercede iniquitatis*, pro de mercede iniquitatis possessus, vel emptus est ager. Et Actor. 8. *In humilitate iudicium ejus sublatum est*, pro eo, quod diceres, sublatus vel ablatus est Christus de terra, mortuus est humilitate judicii, sive humili iudicio, hoc est, vili supplicio, sive morte crucis probrosa & infami. Verum sensus initio datus ut simplicior, sic & germanior ac nervosior est.

SETH ET SEM APUD HOMINES GLORIAM virtutis & præsidentiæ, ait Glossa ADEPTI SUNT ET SUPER OMNEM ANIMAM IN ORIGINE ADAM] Syrus, *Seth & Sem & Enos inter homines creati sunt, & super omnes hos Adam*. Secunda est hæc comparatio, qua confertur Sem cum Seth in gloria. Primò enim sicut Seth ab initio mundi fuit primus pater piæ generationis piorum, qui ex eo prognati sunt, appositus Caino, qui parens fuit impiorum; unde filii. Seth vocantur *filii Dei*; filiæ vero Cain vocantur *filiæ hominum*, Genes. 6. 2. ita post diluvium cùm renovatus est mundus, Sem fuit pater piæ generationis Patriarcharum, putà Abrahæ, Isaac, Jacob, &c. ex quibus prognatus est Christus; oppositus Cham, ex quo orti sunt Chananæi, ceterique infideles & impii. Unde s. August. lib. 15. de Civit. c. 17. *Cum ergo*, inquit, *esset* Adam *utriusque generis pater, id est & cuius series ad terrenam, & cuius series ad cælestem pertinet civitatem; occiso Abel, atque in eius interfectione commendato mirabili sacramento, facti sunt patres duo singulorum generum, Cain & Seth in quorum filiis, duarum istarum civitatum, in genere mortalium, evidentius indicia clarere cœperunt, &c.*

VERS. 19. *Comparatur Sem cum Seth Primò.*

Secundò, uti nomen Sem literis alludit ad nomen Seth, ita alludit & etymon: *Sem* enim Hebr. idem est quod *nomen*, fama, quasi dicat. Nominatus, famosus celebris ob sapientiam & virtutem, ac præsertim ob Dei & patris sui Noe reverentiam, qua ejus in ebrietate nuditatem contexit, quam irridebat Cham, Genes. 9. 22. & 23. *Seth* verò idem est quod *positus*, suppositus, scilicet pro pio Abel, quem occiderat Cain: iuxta illud Genes. 4. 24. *Vocavitq. nomen eius Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain*, ut scilicet per Seth in posteris stirps & nomen Adæ propagetur & celebretur hinc s. Epiph. hæresi 34. Seth interpretatur id est commutationẽ, quia pro Abel cõmutatus & suppositus est.

Secundò.

Tertiò, tam Sem quàm Seth fuit typus resurrectionis: sicut enim per Seth quasi revixit & resurrexit Abel à Cain occisus, eiusque virtus & pietas, ita pariter per Sem revixit mundus, & humanum genus diluvio mersum & penè extinctum. Unde Sanct. August. lib. 15. de Civit. c. 17. *Seth*, inquit, *interpretatur resurrectio*, quia in Seth Abel repositus, & quasi resurrexisse videbatur. Et c. 18. *Et Seth*, inquit, *natus est filius, & nominavit nomen eius Enos. Hic speravit invocare nomen Domini Dei, nempe clamat attestatio veritatis. In spe igitur vivit homo, filius resurrectionis in spe vivit, quamdiu peregrinatur hic civitas Dei, quæ gignitur ex fide resurrectionis Christi. Ex duobus namque illis hominibus Abel, qui interpretatur luctus, & eius fratre Seth, qui interpretatur resurrectio, mors Christi & vita eius ex mortuis præfiguratur. Ex qua fide gignitur hic civitas Dei, id est homo qui speravit invocare nomen Domini Dei, spe enim salvi facti sumus, ait Apostolus, spes autem quæ videtur non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus*. Et s. Chrysost. homil. 21. in Genes. *Excitavit*, inquit, *nobis Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Vide quommodo obscurè hoc verbo resurrectionis exordia hic ostendit. Nam dicebat, quasi dicat. Pro eo qui cecidit excitavit mihi hunc. Sed quia nondum erat tempus resurrectionis, non lapsum suscitavit, sed alium pro illo*.

Tertiò. *Sem & Seth typi resurrectionis.* *Rom. 8.*

Quartò, tanta fuit sanctitas Seth, ut à fidelibus cognominaretur Deus, ait Suidas, similis fuit Sem; unde à patre Noe præ Cham & Japhet benedici meruit Gen. 9. dignusque habitus est, & electus à Deo, ut ex eo progigneretur Christus Deus & homo. Hinc Hæbrei censent Sem fuisse eumdem cum Melchisedech, cuius & sanctitas celebratur à Mose Genes. 14. & à Paulo Hebr. 7. Sem enim vixit usque ad tempora Melchisedech & Abrahæ; quamquam verius sit Sem non fuisse Melchisedech, uti locis iam citatis ostendi. Accedit quòd s. Cyrillus *Sem* interpretatur *perfectionem*. Sanè Sem fuit vir perfectus in sanctitate, æquè ac sapientia.

Quartò.

Denique tam Sem, quàm Seth, fuit pater filiorum Dei, ac sicut Seth fuit pater & princeps Ecclesiæ ante diluvium, ita Sem fuit post diluvium.

Quintò.

Allegor. tam Sem quàm Seth repræsentant Christum patrem sanctorum tam præsentis; quàm futuri sæculi, Is. 9. 6. Christus enim est Seth, id est positus & fundatus à

Allegor.

Deo,

Deo, ut sit lapis angularis Ecclesiæ, juxta illud Isajæ 28. 16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Idem Christus est Sem, id est nomen, quia ob ejus humilitatem & passionem Deus Pater *dedit illi nomen super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium & infernorum*, Philip. 2. 9. ita Glossa.

Vita & progenies pia Seth.

Porrò hæc de Seth dicta confirmat Josephus, qui sic de eo scribit lib. 1. Antiqu. cap. 3. *Hic à patre educatus ubi eo ætatis venit, ut iam quid rectum est discernere valeret, vir tutis studiis se totum dedidit, & cùm ipse vir optimus evasisset, etiam nepotes sui similes post se reliquit. Qui quoniam erant omnes bona indole præditi, & patriam absque seditione incolebant, in perpetua felicitate vitam exegerunt, & sideralem scientiam, & cælestium rerum cognitionem excogitarunt.* Rursum noster Raderus in Animadvers. ad Chronicum Alexandr. nu. 5. refert ex fragmento cujusdam Chronici ex Palatina Bibliotheca, Sethum 40. anno ætatis subitò raptum ab angelo, & 40. dierum spatio non fuisse visum, eoque tempore divinitus didicisse filios suos peccaturos, & mundum aquis inundatum iri, ac præter paucos periturum, venturum etiam salutis auctorem Christum, eaque parentibus exposuisse. In illo autem cum angelo congressu cælesti splendore circumfusum, quem per reliquam vitam tenuerit. Quæ quamvis Raderus vereatur, ne ex Sethianorum hæreticorum libris excerpta fuerint, qui raptum ferebant Sethum, ut refert Epiphanius; alii tamen verisimilia autumant: Sethiani enim hæretici censebant Seth esse Christum, eò quòd Deus in Seth omnia virtutis & puritatis genera deposuisset, quod nulli nisi Christo convenit. Vide Epiphan. hæresi 39. nil autem tale dicit codex ille Palatinus.

Raptus et prophetia Seth.

A ET SUPER OMNEM ANIMAM IN ORIGINE ADAM] supple & repete, *gloriam adeptus est*, q. d. Adam primus homo & protoplastus, omnem hominem excellit origine & principio, ipse enim primus omnium creatus est à Deo, ac vicissim ipse progeneravit ceteros homines omnes quotquot fuerunt, sunt & erunt. Hæc est ergo Adami gloria, quod ipse inter homines sit primus immediatè à Deo conditus, ac consequenter quòd ipse omnium hominum sit origo & principium. Arabicus hic, uti & alias sæpè, à Græcis & Latinis discrepat: sic enim habet *porrò Seth & Enos in primis hominibus Dei excelsi* (quod creavit Deus excelsus) *laudavit eum* (Seth, nec enim Adam vidit Sem) *pater noster Adam*.

Adam tribus excellit omnes posteros.

In tribus ergo confertur & antefertur Adam ceteris hominibus. Primò, creatione, quòd scilicet ab origine mundi ante omnes ipse creatus sit à Deo. Secundò, origine, quòd ipse ceterorum omnium sit origo & parens. Tertiò, dominio, quòd ipse ut Patriarcha, imò ut vicarius Dei non tantùm filiis & posteris, sed & ceteris B animalibus totique mundo, quasi rex præesset & dominaretur. Unde Græca habent, *καὶ ὑπὲρ πᾶν ζῶον ἐν τῇ κτίσει Ἀδάμ*, id est, *& super omne animal*. vel *omne vivum, in creatione Adam*. Vatabl. *in natura rerum Adam inter cuncta animantia*: licèt in Complut. *τὸ ζῶον* desit.

Adam civis mundi.

Quocirca Philo libro de Mundi creat. Adamum vocat *mundi civem*. Unde Sanct. Basilius epistol. 1. ad Maximum philosophum, eum vocat *πολίτην οἰκουμένης*, id est *civem orbis*, & Nazianz. orat 23. in laudem Heronis (qui idem est cum Maximo Sanct. Basilii) eum vocat *totius orbis terrarum civem*. Quin & Diogenes Cynicus rogatus, Cujus esset; *κοσμοπολίτης*, hoc est *mundi civem*, se esse respondit. Idem de Socrate refert Cicero Tuscul. 5. nimirum:

Omne solum forti patria est, cen piscibus æquor.

CAPUT QUINQUAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Encomium Simonis Pontificis.

SImon Oniæ filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum. 2. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio & excelsi parietes templi. 3. In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum. 4. Qui curavit gentem suam, & liberavit eam à perditione. 5. Qui prævaluit amplificare civitatem, qui adeptus est gloriam in conversatione gentis, & ingressum domus, & atrii amplificavit. 6. Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet. 7. Et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. 8. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis. 9. Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne. 10. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. 11. Quasi oliva pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, & vestiri eum in consummationem virtutis. 12. In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum. 13. In accipiendo autem partes de manu sacerdotum, & ipse stans iuxta aram. Et circa illum corona fratrum: quasi plantatio cedri in monte Libano, 14. Sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, & omnes filii Aaron in gloria sua. 15. Oblatio autem Domini in manibus ipsorum, coram omni synagoga Israel, & consummatione fungens in ara, amplificare oblationem excelsi regis, 16. porrexit manum suam in libatione, & libavit de sanguine uvæ. 17. Effudit in fundamento altaris odorem divinum exselso principi. 18. Tunc exclamaverunt filii Aaron, in tubis productilibus sonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo. 19. Tunc omnis populus simul properaverunt, & ceciderunt in faciem super terram, adorare Dominum Deum suum, & dare preces omnipotenti Deo excelso. 20. Et amplificaverunt psallentes in vocibus suis, & in magna domo auctus est sonus suavitatis plenus. 21. Et rogavit populus Dominum excelsum in prece, usque dum perfectus est honor Domini, & munus suum perfecerunt. 22. Tunc descendens, manus suas extulit in omnem congregationem filiorum Israel dare gloriam Deo à labiis suis, & in nomine ipsius gloriari: 23. & iteravit orationem suam, volens ostendere virtutem Dei. 24. Et nunc orate Deum omnium, qui magna fecit in omni terra, qui auxit dies nostros à ventre matris nostræ, & fecit nobiscum secundùm suam misericordiam: 25. det nobis iucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus nostris in Israel per dies sempiternos; 26. credere Israel nobiscum esse Dei misericordiam, ut liberet nos in diebus suis. 27. Duas gentes odit anima mea tertia autem non est gens, quam oderim: 28. qui sedent in monte Seir, & Philisthiim, & stultus populus, qui habitat in Sichimis. 29. Doctrinam sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach Jerosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo. 30. Beatus, qui in istis versatur bonis: qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper. 31. Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit, quia lux Dei, vestigium eius est.

Vers. 1. SIMON ONIÆ FILIUS, SACERDOS MAGNUS, QUI IN VITA SUFFULSIT DOMUM (Dei, putà templum) ET IN DIEBUS SUIS CORROBORAVIT TEMPLUM] Syrus, *major fratrum suorum, & corona populi sui, Simon filius Nathaniæ, sacerdos magnus, in cujus diebus ædificata est domus, & corroboratum est templum*, vel *crevit opus templi*, pro *templum*. Legit cum Roman. Vatabl. & aliis ναὸν, pro quo Complut. legunt λαὸν, id est *populum*. Vatabl. *adde, & Simonem Oniæ natum pontificem maximum, qui sacram ædem instauravit* (alii, *resarcivit*) *in vita sua, templumque ætate sua firmavit*.

Post patres & heroes, quos celebrat s. Scriptura, subiicit Siracides laudes insignis pontificis Simonis, qui paulò post ultimos patres in s. Script. laudatos, sua ætate, vel sæculo magna virtutis, & pontificatus gloria vixerat.

Simon laudatur a tribus. Laudat Simonem Primò, à cura templi: hęc enim ad eum propriè spectat: pontificis enim templi, cuius est pontifex, propria est cura; Secundò, à cura populi; Tertiò, à cura sui ipsius, quòd scilicet curarit, ut in moribus esset compositus, talisque qualem decet esse pontificem, qui scilicet ceteros omni honestate, decore & gratia antecellat.

Quis Simon hic? Quæritur, quisnam sit hic Simon? Nota ex Josepho lib. 11. Antiqu. sub finem, & libr. 12. cap. 2.3.4.5. hanc fuisse generationem, successionem & seriem pontificum Judæorum illius ævi, putà sęculo Siracidis. Iaddo (quem Alexander Magnus, licet Iudæus, eò quòd Darium regem Persarum suum hostem adiuvissent, infensus, reveritus est & adoravit) genuit Oniam primum: Onias genuit Simonem Iustum, eiusque fratrem Eleazarum; Simon Iustus genuit Oniam secundum, cognomento Avarum: fuit enim pusilli arctique animi: Onias secundus genuit Simonem iuniorem, sive secundum; Simon secundus genuit Oniam tertium, cognomento sanctum.

Series Pontificū illius ævi. Porrò Iaddo in pontificatu proximè successit filius, Onias primus: Oniæ Simon Iustus, utpote senior Onię filius: Simoni successit frater Eleazarus, qui 72. Interpretes S. Scripturæ misit ad Ptolemæum Philadelphum; eò quòd Onias secundus, Simonis Iusti filius, moriente patre esset parvulus, ideoque incapax pontificatus; Eleazaro successit patruus Manasses; Manassi Onias secundus, Simonis Iusti filius iam adultus: Oniæ secundo successit filius Simon junior, sive secundus: huic Onias tertius, sive Sanctus. hic est enim ille Onias, qui restitit Heliodoro poscenti opes templi, eumque ab angelorum flagellatione suis precibus liberavit, 2. Machab. 3. 31. Hic pariter est ille Onias, quem Judas Machabęus vidit protensis manibus orantem pro populo, 2. Machab. 15. 12. Hic denique Onias extrusus est à fratre Jasone (qui magna pecuniæ vi pontificatum emerat ab Antiocho) ac tandem occisus est ab altero fratre Menelao, quem Antiochus Jasoni in pontificatu surrogarat. Quocirca Judas Machabæus, ejusque fratres, videntes post Oniam pontificatum profanari, vendique impiis hominibus, eum armis sibi vendicarunt, suoque principatui annexuerunt, quod factum est 124. annis post Simonem Justum. Nam Simon Iustus pontificatu, & vita functus est, juxta computum nostri Saliani, anno mundi 3765. Judas verò Machabæus pontificatum iniit anno mundi 3889. qui fuit annus 147. Græcorum, sive Seleucidarum, ante Christi verò natalem fuit annus 164.

Aliqui Simonem hic iuniorem accipiunt. His positis multi censent Simonem, quem hic laudat Siracides, esse juniorem sive secundum. ita Eusebius in Chronico olympiade 137. Sigonius libr. 8. de Repub. Hebr. c. 2. Adrichomius in Descript. Ierusalem: noster Serarius in lib. Machab. in catalogo pontificum, Rabanus, Lyranus, Hugo & Dionys. hic. Hi Auctores, si consequenter loqui velint, dicere debent hoc caput 50. & sequens 51. conscriptum esse à Siracide non seniore sive avo, sed iuniore sive nepote, qui in prologo ait se vixisse sub Ptolemæo Evergete: sub illo enim floruit Simon secundus, cùm Siracides senior floruerit sub Ptolemæo Lagi, vel Philadelpho, ac consequenter ante Simonem secundum. Nam Eusebius in Chronico tradit Simonem iuniorem pontificem creatum esse anno 15. Ptolemæi Evergetis, cùm iam Siracides senior esset defunctus: nec enim Evergeti convivere aut coævus esse potuit. Verùm hoc dicere durum est, æquè ac novum, nec ullus interpres aut doctor (quod sciam) clasficus est, qui id ausus sit asserere, præsertim cùm ipse Siracides iunior in prologo asseveret se dumtaxat Siracidis senioris, sive avi librum ex Hebræo in Græcum transtulisse, non autem partem eius composuisse. Et quis audeat in alterius, præsertim Hagiographi, scripta manum mittere?

Resp. Simon hic est senior. Quocirca longè verius, imò certum est, Simonem hic accipi seniorem, sive primum, qui cognominatus est Priscus, non iuniorem sive secundum. ita censuit Genebrardus, Salianus, Torniellus in Chronolog. ac Jansenius; Palacius & Emanuel Sà hoc loco.

Probat. Primò. Probatur Primò, ex eò quòd Simon senior fuerit illustris, eique illustria hæc elogia competant, quæ iuniori competere nequeunt, cùm de iuniore nil memorabile narretur à Iosepho, vel alio quopiam. De seniore verò sic scribit Iosephus lib. 12. Antiqu. cap. 2. *Onia pontifice defuncto successit ei filius Simon Iustus cognominatus, quòd & Deum piè coleret, & cives summa prosequeretur benevolentia. Quo mortuo superstite unico filio parvulo* (Onia secundo) *frater ejus Eleazarus pontificatum assumpsit, cui Ptolemæus hoc modo scripsit*. Subdit Ptolemæi Philadelphi litteras, quibus ab Eleazaro mitti ad se petit 72. Interpretes.

Secundò. Secundò, quòd ex connexione, & acoluthia, sive consequentia orationis, satis liqueat, hoc caput esse eiusdem Auctoris, cuius sunt omnia præcedentia huculque. Illa autem sunt Siracidis senioris; ergo & hoc caput est senioris, qui multis annis Simonem iuniorem ætate præcessit. Quòd si Siracides iunior hoc caput attexuisset præcedentibus, quæ sunt senioris sive avi, utique hoc epigraphe aliqua indicasset, nec suos partus fraudulenter alteri instar cuculi supposuisset.

Tertiò. Tertiò, si hæc scripsisset Siracides iunior de Simone iuniore, utique meminisset Eleazari & 72. Interpretum, qui Simonem & ætate, & gestis, & gloria antecesserunt. Siracides autem senior non meminit Eleazari, vel quia ante eum defunctus, vel quia noluit viventem adhuc laudare, iuxta illud à se præceptum cap. 11. 30. *Ante mortem ne laudes hominem*.

Quartò. Quartò, quia Simon ille, cuius laus hìc texitur, iam erat defunctus, ut patet ex eo quod de illo hic dicit: *Qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum*. Simon autem iunior vixit cum Siracide iuniore, & fortè ei supervixit. Scripsit ergo hæc Siracides senior de Simone seniore, eo iam defuncto post eius mortem.

Ex hoc loco colligitur Siracidem seniorem has Simonis senioris laudes, & consequenter librum hunc, qui vulgò Ecclesiasticus dicitur, conscripsisse sub initium regni Ptolemæi Philadelphi, vel certè sub finem regni Ptolemæi Lagi, qui quasi pater Philadelphum proximè antecessit. Nam scripsit hæc post mortem Simonis senioris: Simon autem senior mortuus est sub finem regni Lagi, scilicet quatuor annis ante regnum Philadelphi, ut docet Eusebius in Chronico. Ergo ante id temporis hæ eius laudes, adeoque Ecclesiasticus scribi non potuere à Siracide seniore.

Allegor. Allegor. Simon hic uti nomine, ita & pontificatu, sapientia ac virtute repræsentat Simonem Petrum, quem primum Christus suæ Ecclesiæ præfecit Pontificem, ut ceteris secuturis ideam veri Pontificis exhiberet, quam hic describit Siracides: quare omnia, quæ de Simone Prisco dicit Siracides, mutato cognomine applices longè potiori ratione Simoni Petro.

Tropolog. Trop. Simon hic vocatur *sacerdos magnus*, tum quia pontifex, tum quia rerum gestarum gloria eminuit. Unus hic laudatur inter sacerdotes & pontifices, quia inter eos excelluit: ita hodie multi sunt sacerdotes, sed pauci qui encomia mereantur. Pręclarè Auctor Imperfecti apud s. Chris. hom. 43. in Matth. & citatur dist. 40. can. 12. *Multi sacerdotes*, inquit, *& pauci sacerdotes: multi in nomine, & pauci in opere. Videte ergo fratres, quomodo sedetis super cathedram, quia nō cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram, nō locus sanctificat hominem, sed homo locum sanctificat. Nō omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus est sacerdos. Qui bene sederit super cathedrā, honorem accipit cathedræ: qui male sederit, injuriā facit cathedræ. Ideoq; malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem: in judicio enim tuo sedes. Si quidē bene vixeris, et bene docueris, populum instruis: si bene docueris, & male vixeris, tui solius*

con-

condemnator eris. Nã bene vivendo, & bene docendo, populum instruis, quomodo vivere debeat: bene autem docendo & malè vivendo, Deū instruis quomodo te debeat condemnare.

QUI IN VITA SUA SUFFULSIT DOMUM, ET IN DIEBUS SUIS CORROBORAVIT TEMPLUM] Jam enim à reædificatione templi facta à Zorobabel & Jesu pontifice, sub auspiciis Darii Hystaspis regis Persarum 1. Esdr. 6. elapsi erant 230. anni, quibus multa in templo vetustate hiabant, alia minabantur ruinam: quocirca sarta tecta templi instauravit Simon, utpote pontifex, ideoque templi præses & curator. Porrò ex sequentibus colligitur, Simonem maximè instaurasse ædificia ambientia templum illudque firmantia. Pro quo Nota, montis Sion verticem fuisse arctum & angustum præ magnificentia & magnifico templo, quod in eo erigere destinabat Salomon. Quocirca Salomon valles monti Sion vicinas aggesta terra implevit, murisque circumdedit & firmavit. Audi Josephum libr. 8. Antiq. cap. 2. *Vallibus*, inquit, *expletis tam profundis, ut ad prospectum oculi caligarent, & aggesta ad quadringentos cubitos terra, eam verticis montis in quo templum extructum est aequavit, atque hoc modo factum est; ut area fani cum solo templi aequaretur. Hanc cinxit duplicibus porticibus, quas columnæ a nativo saxo sustentabant, & laquearia cedro expolita tegebant. Fores vero habebant omnes ex argento fabricatas.* Idem lib. 6. de Bello c. 6. *Initio*, inquit, *vix templo atque areæ sufficiebat jacės in summo planities, quod undique præceps erat atque declivis. Cum autem rex Salomon, qui etiam templum ædificaverat, muro ejus partem ab Oriente cinxisset, una porticus aggeri est imposita*, &c. Substructiones ergo, sive peribolus & muri aggestam hanc terram continentes & cingentes, à Simone restaurati, roborati, altiores & crassiores effecti fuere.

Porrò τὸ *suffulsit* maximè significat antherides, quibus passim templorum muros extrinsecus suffulciri videmus, à Simone tẽplo additas, auctas & roboratas: item illum porticus templo adiacentes auxisse & roborasse: hæ enim templum suffulciunt, æquè ac ornant, uti videmus Romæ basilicam Vaticanam Sanct. Petri, ceteraſque porticibus ante ingressum erectis ornari & roborari.

VERS. 2. *Simon fundavit templū: qua modo?* TEMPLI ETIAM ALTITUDO AB IPSO FUNDATA EST, DUPLEX ÆDIFICATIO ET EXCELSI PARIETES TEMPLI] Nonnulli propriè templum accipientes censent Simonem illud duplo altius, quàm erat erexisse. Cùm enim Cyrus 1. Esdræ 6. 3. permisisset Judæis templum ædificare ad sexaginta cubitos altitudinis dumtaxat, ne scilicet, si altius erigeretur, Judæi inde sibi arcem ad Cyro rebellandum conficerent; Simon in duplum, scilicet ad centum viginti cubitos altitudinis illud erexit. ita noster Sanchez in Aggæi cap. 2. vers. 10. num. 35.

Alii valdè verisimiliter *templum* hic accipiunt pro porticibus & fabricis annexis templo, illudque suffulcientibus: has enim significat Græcum περίβολος (quod Noster vertit *parietes*) id est ambitus, vallum, septum, munitio, murus, porticus, lorica murorum, similesque substructiones. Unde Syrus, *positus est murus, & propugnacula, & instructus est ambitus* (peribolus.) Quocirca noster Salianus in Annalib. anno mundi 3765. sic exponit: Simon, inquit, suffulsit domum & corroboravit templum, quia templi substructiones, quibus extrema sustentabatur templi area, à Chaldæis incendio dissipatas, Zorobabele prætermissas, sive properante, sive regiis parcente sumptibus, ne regis liberalitate abuti videretur, Simon ædificavit. Earum dicitur *altitudo duplex*, ut habent Græca; quia templum qua parte altissimum fuit, non nisi 120. cubitorum fuit: substructio verò à radice montis ad ejus verticem 300. (ut ostendit Vilalpando in fabrica templi) id est, altior duplo, atque eo ampliùs. Et quoniam firmissimum erat id ædificium, dicitur munimentum excelsum periboli templi, quem scilicet peribolum in summa ora sustentabat. Et ne periboli nomen, quod in Græco est, quis aliò trahat, mox sequitur: *Curam gerens populi sui à casu*, pro quo Vulgata Latina eodem sensu habet, *Qui curavit gentem suam, & liberavit eam à perditione*, videlicet juxta legem Domini Deuter. 22. 8. *Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio & in præceps ruente.* Dices, Noster hæc accipit de altitudine non substructionis sive periboli, sed ipsius templi; ait enim: *Altitudo templi fundata, & excelsi parietes templi* Resp. Templum hic non præcisè pro ipso templo, sed pro complexu omnium ædificiorum, porticuum, arearum ad templum pertinentium sumitur. *Duplex* ergo *ædificatio* dicitur, quòd duplo maior altitudine & crassitie esset reliquis quibuscumq; templi muris: crassitudo enim in imò erat 150. cubitorum, quæ sensim minuebatur usque ad 50. cubitos in summo. Hoc autem facto, simul etiam *ingressum domus & atrii amplificavit*, ut ait Siracides; quia excitatis undique his molibus, laxior area tota circumquaque facta est. Hæc Salianus.

Verùm quia nec Siracides, nec Iosephus, nec quis alius illius ævi explicat qualis fuerit hæc fabrica Simonis; hinc nihil certi de ea definire possumus, præsertim quia nostra Vulgata Latina asserit quidem templum altius fuisse erectum à Simone; at non addit, in duplum, ait enim *duplex ædificatio*, non duplex altitudo. Unde cum Hugone & Palacio per *duplicem ædificationem* accipi posset duplex tabulatum, sive duplex contignatio; aut cum Jansenio duplex ambitus, vel duplex paries & murus templi. q. d. Simon extulit porticum, vel murum templo cohærentem, eumque duplici contignatione duplo altiorem quàm erat, ædificavit, itaque erexit excelsos parietes ambientes templum, ut iis totum templum ambiretur, muniretur & tegeretur. Favent Græca Romæ correcta, quæ sic habent, *& ab ipso fundata est altitudo duplicis* (scilicet ὀχυρώσεως, id est, munitionis, vel οἰκοδομῆς, id est ædificationis, uti videtur legisse Latinus Vulgatus) *reparatio excelsa ambitus templi*: legunt enim διπλῆς, id est *duplicis*; & περιβόλου, id est *ambitus* in genitivo, pro quo Complut. legunt διπλῆν, id est duplex, & περίβολον, id est ambitus; vel septum, in nominativo. Unde Complut. sic habent, *& in ipso fundata est altitudo duplex reparatio: excelsus circuitus templi*; ubi potiùs τὸ *duplex* referas ad *reparatio* quàm ad *altitudo*: itaque idem exurget sensus, quem expressit Noster, & Græca Romæ correcta. Tigurina tamen sic legit & vertit, *ab hoc duplex altitudo fundata est, celsum munimen illud templum ambiens*. Sed & hic *duplex altitudo* accipi potest duplex contignatio: quòd si illam pariter duplo altiorem, quàm fuerat prior, fuisse contendas, non repugnabo. Verùm Adverte, illam non fuisse in ipso templo, sed περιβόλῳ, id est in septo, porticu vel muro templum ambiente, ut vertit Tigurina.

Mysticè. Mysticè Rabanus: *Doctores*, inquit, *sancti templi altitudinem fundant, quando Christi incarnationem, passionem & resurrectionem in fide credentium collocant: ut totius ædificii summa, hoc est boni operis forma, inde consurgat. Unde fit quod duplex ædificatio excelsos parietes templi faciat, quando verbo & exemplo de Judæis & Gentibus plurimos, ad arcem virtutum docendo & exhortando erigunt: parietes enim domus Dei in expositione Catholicorum Patrum, duos populos intellectos esse reperimus; & meritò, quia inde consurgens structura crescit in templum sanctum in Domino.*

IN DIEBUS IPSIUS EMANAVERUNT PUTEI AQUARUM (Syrus, *fodit fontem*; Arabicus, *effossi sunt fontes*) ET QUASI MARE ADIMPLETI SUNT SUPRA MODUM] Græcè est ὑπέρμετρον, id est *supra modum*; pro quo Romani & alii legunt τρίμετρον, id est *triplum*, sive triplici mensura. Pro *emanaverunt* Rabanus, Palacius & alii legunt, *remanaverunt*. q. d. Putei ante Simonem desiccati, qui aquam manare cessabant, opera Simonis aquæductibus restitutis eam remanaverunt, id est rursus manare cœperunt. Unde græcè est ἠλαττώθη, id est *imminuti sunt*. Pro *quasi mare* græcè est ὡς χαλκός, id est *velut æs*: pro quo alii legunt ὡς λάκκος, id est, *velut lacus* vel cisterna. Unde Roman. vertunt, *& æs quasi maris perimetrum*, vel, ut alii legunt, *trimetrum*. Sensus est, ait Palacius, q. d. In diebus Simonis deerant aquæ puteorum, sed ipse refectis canalibus eas restituit; ubi insumpsit æs ut mare: tantæ fuerunt expensæ in canalium & puteorum reparatione. *Significatur*, inquit Jansenius, quod, cùm in diebus ipsius putei aquarum defecissent deficientibus aquis, quæ per aquæductus in civitatem influere solent; opera Simonis rursum quasi mare abundè repleti sunt, ita ut curaverit aquæductus reparari & restitui: quemadmodum suprà dictum est de Ezechia, quòd induxerit

VERS. 3. *Simonis aquæductus.*

aquas

aquas in civitatem, quæ facilis est & expedita loci huius A sententia. Tigurina, *huius temporibus receptacula aquarum assiccata sunt, aneaque fuit pars maris ferè tertia.* Ubi valdè coactè mare vocat *aneum*, id est siccum, quo modo cælum æneum aliquando dicitur. Sed hæc expositio id habet incommodi, quòd nihil pertinent hæc verba ad laudem Simonis. Tolerabilior est altera, quæ locum hunc ad mare æneum refert, quia in singulari legitur ἀποδοχεῖον, id est receptaculum, ut significetur mare æneum in restauratione templi factum fuisse multò minus, quàm olim à Salomone; à Simone autem fuisse factum περίμετρον, id est supra modum amplum, & capax; vel, ut alii habent, τριμετρον, id est triplo majus. Scaliger interpretatur cisternam quamdam ab eo fuisse munitam laminis æneis ad aquam continendam, vertique vult, *sub eo laminis anei: instrata cisterna, cuius ambitus est instar maris*, scilicet Salomonici. Sed hanc expositionem ipse conficit sibi, mutatis tribus vocabulis in unico versu; quo modo facile est quælibet loca, & ad quem placebit sensum traducere. Torniellus hæc refert ad templi aquæductus, quibus cruor victimarum expurgabatur, quorum meminit Aristæas & Eusebius, adde & B Hieron. & Septuag. apud Vilalpandum, ita Salianus anno mundi 3765. n.10.

Mysticè Rabanus per *puteos* accipit profunditatem S. Scripturæ, quæ divinis libris quasi conclusa figuris latet, sed sanctorum prædicatorum ore ad plurimorum societatem quasi mare redundat.

VERS.4. QUI CURAVIT GENTEM SUAM, ET LIBERAVIT EAM A PERDITIONE] Rabanus legit, *à pernicie*; Syrus & Arabicus, *liberavit populum suum ab inimicis*: Græca habent tantùm, ὁ φροντίζων τῦ λαῦ αὐτῦ ἀπὸ πτώσεως, id est, *curam gerens populi sui contra casum*, Vatabl. *hic populo suo sedulò cavit a ruina*: quod noster Salianus, uti dixi v.1. exponit de lorica sive septo, quod fecerit Simon in porticibus templi sublimibus, ne quis ex iis incautus ambulans præceps caderet & in terram ruens collideretur. Verùm arctior est hæc interpretatio; præsertim quia hic v.4. non cohæret cum v. 2. ubi actum est de hisce porticibus, sed sequitur v.3. ubi actum est de puteis & aquis.

Simonis quanta cura populi. Quare nova tertiaque hæc videtur laus Simonis, eaque C ampla & propria pontifici, quòd scilicet curam magnam gesserit populi, ne in aliquod malum, vel periculum spiritale aut corporale incideret: pontifex enim subditorum, perinde ac pastor ovium, curam gerere debet, eosque à lupis, furibus, iniuria aeris fame, siti, omnique malo tutari, præsertim ne quis pseudopropheta, hæreticus vel atheus, eos suæ perfidiæ veneno inficiat; ne quis impudicus, raptor, aliasve sceleratus sua scelera illis affricet; ne doctores & prædicatores boni, qui pabula verbi Dei probè pieque populo subministrent, desint, &c. Videtur autem Siracides peculiare aliquod malum Judæis imminens hic notare, quod propulsatum sit à Simone; licèt idipsum in particulari non explicet. Fortè fuerit hoc; quòd, cùm Ptolemæus Lagi teste Josepho 12. Antiqu. cap. 1. & 3. multa Judæorum millia in Ægyptum captiva abduxit, Simon ei restiterit ne plura abduceret, utque abductis de rebus ne- D cessariis provideretur, ac præsertim ut in fide solidarentur, ne ab Ægyptiis in idololatriam pertraherentur, procuravit. Aut potiùs, q. d. Ptolemæus Philadelphus initio contrivit gentem Judæorum, at postea flexus auctoritate, & intercessione Simonis pontificis, in eam benignus & beneficus extitit, adeò ut ab Elezaro fratre Simonis postularit 72. Interpretes, ita Palacius.

VERS.5. QUI PRÆVALUIT AMPLIFICARE CIVITATEM, QUI ADEPTUS EST GLORIAM IN CONVERSATIONE GENTIS: ET INGRESSUM DOMUS ET ATRII AMPLIFICAVIT] Legit Interpres πλατῦναι, id est *amplificare*, jam legunt ὀχυρῶσαι, id est *obsidere*, quod Romana explicant, *ad propulsandum obsidionem*. Unde alii legunt ἐν πολιορκίᾳ, id est *in obsidione*, id est, contra obsidionem. Alii aliter. Unde videas magis credendum codicibus Latinis, utpote constantibus & consentientibus, quàm Græcis ita variantibus & dissentientibus; præsertim quia de eadem amplificatione subdit: *Et ingressum domus & atrii amplificavit*. Noster Salianus citatus vers. 2. per *civitatem* accipit templum. q. d. Simon amplificavit

Amplificavit civitatem: quam?

exedras, porticus, ceterasque domos & fabricas templo annexas: templum enim multa continebat ædificia, eratque quasi parva civitas; unde civitas vocatur Ezech. 40. 2. Uti explicat Ricardus, Lyranus & Vilalpandus. Ratio eius est, quòd amplificatione Hierosolymæ illo tempore non fuerit opus, eò quòd illa civibus valdè esset imminuta, & destituta. Nam Ptolemæus Lagi centum viginti millia Judæorum recenter transtulerat in Ægyptum, ac Seleucus primus post Alexandrum Magnum rex Asiæ & Syriæ (à quo Seleucidarum sive Græcorum anni numerantur in libris Machabæorum) multas in Asia civitates extruxerat, easque Judæis repleverat, teste Eusebio in Chronico. Verùm civitas hic à templo distinguitur: De templo enim egit vers. 2. quare propriè accipienda videtur: nec ei amplificatæ Judæi incolæ deesse poterant, utpote qui per totam Judæam, imò totum orbem sparsi per polygamiam multiplicabantur instar piscium, uti dicitur Exodi 2. 12. in Hebræo; uti hodie eos Romæ, & per Italiam mirè crescere & multiplicari cernimus. Fateor tamen amplificationem hanc Hierosolymæ, maximè factam in monte Sion, tum, quod in eo esset templum; tum, quòd in eo esset arx à Davide ædificata, quæ reliquam urbis partem sibi subiectam tutabatur & propugnabat. Igitur Simon amplificavit Jerusalem & Sionem, tum plateis & domibus, tum civibus & incolis. Præsertim verò amplificavit ingressum domus Dei, putà templi eiusque atrii: qua de causa *adeptus est gloriam in conversatione gentis*, dum scilicet in sua gente, id est, inter Judæos quasi pontifex adeò in templum, civitatem & cives suos beneficus & magnificus, amanter æquè ac magnificè conversabatur. Sic legunt & intelligunt Romani, Rabanus, Glossa & alii; licèt Jansenius & nonnulli legant: *Et in ingressu* (græcè, ἐν ἐξόδῳ, id est, *in egressu*) *domus velamenti domus & atrii amplificatus est*. Sed eodem redit sensus, q. d. Sicut ipse in multis benefecit genti suæ, ita vicissim gloriam ab ea consecutus est, dum in ea probè & decenter conversatus est; cumque eum aut ingredi templum vel atrium contingeret, aut egredi peracto suo officio, amplo à populo honore affectus & decoratus est. Unde Tigurina, *quam se gerebat honorificè cùm versabatur in populo, cumque è domicilio velo prætenso* (putà è templo: hoc enim obductum erat velo, ut patet Exodi 26.31. Hebr.9.2.) *procedebat quasi stella matutina inter nebulas*. Porrò gloriam hanc explicat per varias comparationes stellarum, lunæ, Solidis, iridis, liliorum, ignis, thuris, olivæ, &c. quas subiicit dicens:

QUASI STELLA MATUTINA IN MEDIO NEBULÆ, ET QUASI LUNA PLENA IN DIEBUS SUIS LUCET. ET QUASI SOL REFULGENS, SIC ILLE EFFULSIT IN TEMPLO DEI] Vatabl. *velut sol radians templum Altissimi*. Comparat Simonem pontificem Primò, stellæ matutinæ, id est lucifero, qui inter nebulas translucens, Solisque ortum præcurrens & prænuntians, gratissimus est hominibus post longas noctis tenebras lucem diei præstolantibus. Simili enim modo Simon post longas captivitatis Babylonicæ & Ægyptiacæ sub Ptolemæo Lagi calamitates, errores & vitia, velut lucifer inter nebulas refulsit, tum populum sua maiestate & beneficentia exhilarans, tum verbo & exemplo eidem prælucens. A lucifero gradatim ascendit ad lunam plenam; inde ad solem: sicut enim luna luciferum, sic sol lunam luce & splendore superat. Secundò ergo comparat Simonem lunæ plenæ, quæ noctem adeò illuminat, ut in ea homines videre, ambulare, suaque res peragere possint perinde ac si esset dies. Tertiò, eumdem comparat Soli. Sicut enim sol suo splendore omnibus rebus lucem, calorem, lætitiam & vitam communicat; sic & Simon populum luce cælestis doctrinæ & vitæ illuminavit, exhilaravit, amore divino accendit, eique vitam divinam aspiravit. Vide causas & analogias plures cur sapientes & Sancti comparentur stellis, lunæ & Soli, quas recensui Genes. 1. 14. & 16, Isaiæ 45. 1. Daniel. 12. 3. Apocal. cap. 1. v. 20. & cap. 2. 28.

VERS.6.

VERS.7. *Simō fuit quasi stella, luna & sol.*

Simili modo Deus excitavit S. Athanasium, S. Augustinum, S. Hieronymum, S. Benedictum, S. Bernardum, S. Dominicum, S. Franciscum, &c. quasi sui ævi lucife- ros,

ros, lunas & soles. Unde vir religiosus, teste S. Bonaventura, vidit animam S. Francisci morientis, sub specie stellæ præfulgidæ à candida subvectam nubecula, super aquas multas sursum recto tramite in cælum ferri; ut significaretur eam sublimi sanctitatis candore, & cælestis sapientiæ simul & gratiæ ubertate, promeruisse locum introire lucis & pacis, ubi cum Christo sine fine quiescit & regnat. Quocirca Gregorius IX. canonizans S. Franciscum, orationem habuit ad populum de Sancti laudibus, sermonem sic exorsus: *Quasi stella matutina in medio nebulæ, sic ille effulsit in templo Dei*, teste S. Bonaventura in Vita S. Francisci cap. 15. & Luca Vvaddingo in Chronic. Minorum.

Anima S. Francisci specie stellę cælū ascendit.

Meminerit ergo sacerdos, præsertim pontifex, se talem & mente, & verbo, & vita esse debere, ut sit quasi lucifer, quasi luna, imò quasi sol radians in templo Altissimi: utque quasi sol non in terra, sed in cælo cum Deo & angelis conversetur, sitque *quasi obambulans quidam in terra Deus, & sanctus in carne angelus*. Unde Syrus, *quàm decorum* (pulchrum) *illi in egressu suo de templo, cùm appareret de sub velamine quasi stella matutina inter nubes, & quasi luna in diebus Nisan* (mensis primi, sive paschalis, qui nostro partim Martio, partim Aprili respondet,) *& quasi sol refulgens super arces*, vel atria, vel palatia magna.

Allegor. stella est Christus.

Allegor. Simon pontifex est Christus, ait Hugo; ut per solem fulgentissimam Christi deitatem intelligas per lunam corpus eius deitatis splendore quasi transfusum, & in cruce quidem etsi plenum in diebus suis, atque adeò deitatis eiusdem radiis lucidum, quodammodo tamen mortis velut obiectu eclipsim passum: per stellam denique lucidam animam, quæ semper fixa in firmamento deitatis, per jugem fruitionem etiam in cruce colluxit. Adde, stellam in medio nebulæ, Christum pontificem in cruce, in mediis illi tenebris esse, vel eamdem eius animam, & divinitatis fulgore & gratiarum pulchritudine radiantem; sed corpore ad crucem denigrato & nebuloso velut circumdatam. Lunam plenam in diebus suis, eumdem in media passionis suæ morte fulgentem, & velut acceptos supernè splendores reddentem, nosque Deo reconciliantem, ut in Moyse olim in monte Sinai fuit adumbratum, facie quidem ob splendorem cornuta, sed velo, ut à populo conspici posset, operta, quod etiam S. Bonaventura contemplativis viris accommodat. Denique solem quoque in cruce refulgentem, & peccatorum nostrorum nebulas, quorum illæ tenebræ symbola erant, dissipantem, obcæcantem infideles, & credentes illuminantem, licet mente intueri & contemplari.

Hinc Simon, hebr. idem est quod andiens, exaudiens, obediens; quia Christus Patri fuit obediens usque ad mortem crucis; hinc vicissim ab eo audiri & exaudiri meruit pro sua reverentia Hebr. 5. Aliter Rabanus; *Simon*, inquit, interpretatur *pone mærorem*, à שם *scham*, id est *posuit*, & און *on*, id est *dolorem*; aut *audi tristitiam*, à שמע *scema*, id est, *audi*, & און *on*, id est *tristitiam*; quia Christus nostros dolores nobis abstulit & in se transtulit, iuxta illud Isaiæ 53. 4. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*.

Simonis etymon.

Simili Solis orientis, & effulgentis comparatione usi sunt Poetæ, ut Q. Catulus:

> *Constiteram solem exorientem fortè salutans,*
> *Cum subitò à læva Roscius exoritur.*
> *Pace mihi liceat, cælestes, dicere vestra:*
> *Mortalis visus pulchrior esse deo.*

Tropolog. stellę sunt doctores, sex radiis, id est virtutibus, præfulgentes.

Tropol. idem Hugo: Differentiam doctorum, inquit, sive quorumlibet fidelium significat, quibus Dominus diversas largitur gratias, dividens singulis prout vult, 1. Cor. 12. In quibusdam enim lucet quasi *stella matutina*, id est, in via pœnitentiæ pœnitentibus, in medio nebulę, id est, nebulosæ conscientiæ. In aliis *quasi luna plena*, id est in proficientibus, qui plenam quidem iustitiam habent, sed non perfectam, quia non est ibi status. In aliis refulget *quasi sol*, id est, in perfectis, qui & benè calent & perfectè lucent: calent sibi, & lucent aliis. Joann. 5. *Erat Ioannes lucerna ardens & lucens*. Eccl. 27. 12. *Homo sanctus in sapientia permanet sicut sol*. Christus etiam stella matutina fuit in nativitate. Apocal. 2. 26. *Qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi stellam matutinam*. Hæc est stella quæ perduxit Magos usque ad Iesum in Bethleem, Matth. 2. Habuit autem hæc stella sex radios, sicut & quælibet alia stella habet, quibus totam Ecclesiam illustravit. Primus est radius humilitatis, quem emisit in nativitate. *Parvulus enim natus est nobis*, Isaiæ 9. Secundus est radius vilitatis, quem emisit cùm voluit involui pannis vilibus & in præsepio reclinari, Lucæ 2. Tertius est radius voluntariæ paupertatis; Quartus, patientiæ; Quintus, obedientiæ; Sextus, sapientiæ, quæ effulsit in eius prædicatione.

Vers. 8.

QUASI ARCUS REFULGENS INTER NEBULAS GLORIÆ, ET QUASI FLOS ROSARUM IN DIEBUS VERNIS, ET QUASI LILIA QUÆ SUNT IN TRANSITU AQUÆ, ET QUASI THUS REDOLENS IN DIEBUS ÆSTATIS] Syrus, *quasi arcus in nubibus, & quasi spica agri, & quasi lilium regis* (regium) *in fontibus aquarum & quasi arbores Libani in diebus collectionis fructuum*: Vatabl. *ut arcus splendidis refulgens nubibus, ut flos rosarum tempore verno, & quasi ad aquas profluentes lilia, ut thurifer surculus tempore æstatis*. *Nebulas gloriæ* vocat nubes splendidas, quas scilicet iris suo fulgore illustrat, eisque suam gloriam, id est fulgorem, & pulchritudinem communicat. Unde Græca Complut. habent ὡς τόξον φωτίζον νεφέλας, (Roman. ἐν νεφέλαις, id est, in nubibus, vel inter nubes & nebulas, ut vertit Noster) δόξης, id est, *ut arcus illustrans nubes gloriæ*, id est claritate gloriosas & splendidas. A stellis, luna & sole descendit ad iridem, eique comparat Simonem: iridis enim fulgor, tricolorque decor est admirabilis, uti multis ostendi cap. 43. 12. Ab iride descendit ad flores odoratissimos & pulcherrimos, putà rosas & lilia, quæ sunt *in transitu aquæ*, id est, quæ sita sunt ad profluentes aquas, iisque rigantur, aluntur & efflorescunt: lilia enim, cùm sint sicca & calida, aquas amant & sitiunt. Vide quæ de liliis dixi Oseæ c. 14. v. 3. A floribus transit ad aromata, putà ad thus. Per *thus* hìc accipe, non aroma, sed arborem quæ thuris aroma profert: græcè enim est ὡς βλαστὸς λιβάνου, id est, *ut germen*, vel surculus, *thuris*, sive thurifer, ut vertit Vatabl. Addit *diebus æstatis*, quia in æstate Solis ardore icta hæc arbuscula thurifera, suaviorem quàm alio tempore expirat vaporem & odorem, utpote sole illum eliciente, quòd maximè fit circa ortum carnis, ait Plinius libr. 12. cap. 14. Hæ similitudines significant Simonem Primò, in se fuisse merè decorum, moribusque compositum; Secundò, venerandum & amabilem fuisse populo: Tertiò, vitia populi suæ doctrinæ luce, & sanctæ vitæ odore & exemplo discussisse.

Nota τὸ *quasi flos rosarum in diebus vernis*. In vere enim mirum odorem exhalat rosa, ob veris teporem. Unde rosa ver efficit amœnum, decorum, odoratum, ut, quod ait Poeta, ver sit formosissimus annus: rosa enim est purpura veris.

Rosa est Christus.

Allegor. hic flos est Christus, Nazarenus noster, totus floridus, qui quovis flore speciosior in vere patiens, *fusi cruoris colore vernavit*, ait S. Ambrosius lib. de Spiritu sancto c. 5. Itaque in corona illa spinea sese ad crucem instar rosæ expandens, ac suo se cruore perfundens, mirè splenduit ac rutilavit, ut olim eius typus ardens in medio rubi flamma, Exodi 3. Rursum *vernavit*; quia Deum in cruce succisus emarcuisse videretur, rubebat elegantiùs, ut flos regius, & ad regni perennitatem revirescens vernabat. Audi S. Ambrosium in loco jam citato tractantem illud de Christo Isaiæ 11. 1. *Et flos de radice ascendet*. *Flos*, ait, *odorem suum succisus reservat, & contritus accumulat, nec avulsus amittit: ita & Dominus Iesus virgo regalis flos, in illo patibulo crucis nec contritus emarcuit, nec avulsus evanuit, sed illa lanceæ punctione succisus, sanè speciosiùs fusi cruoris colore vernavit: mori ipse nesciens, & mortuis æternæ vitæ munus exhalat*. Quin & rubentes ipsius sanguine spinas, non iam spinas, sed suave rubentes rosas, aut cariophyllatos flores poeta Hispanus optimè dixit, ait noster Jacob. Pintus de Christo crucifixo lib. 4. tit 4. loco 1. n. 15.

Rosa notat puritatem & charitatē.

Trop. rosa notat puritatem, verecundiam, charitatem, mortificationē, (rosa enim sepitur spinis, & inter eas nascitur) quæ mirè ornant fideles, præsertim sacerdotes. Vide quæ de rosa, & Sanctis roseis dixi Act. c. 12. v. 13. Quibus adde, S. Elisabethā Lusitaniæ reginā, quæ floruit anno D. 1300. à qua omnes Lusitaniæ & moderni Hispaniæ reges recta

S. Elisab. nummos vertit in rosas.

recta genealogiæ serie descendunt nu. 14.) quamque nuper ob eximiam sanctitatem Sanctorum catalogo adscripsit Urbanus VIII. cùm profusa esset in eleemosynas, ideoque accusata apud maritum regem Dionysium, quòd opes regni prodigeret, ac quodam die regi occurreret sinu pleno nummis in pauperes erogandis, rexque rogaret, Quid geris in sinu? illa respondit, *Gero rosas*, ac aperto sinu regi rosas ostendit; nimirum Deus ad tegendam reginæ pietatem nummos in rosas verterat; sed rege abeunte rosæ reversæ sunt in nummos, quos ipsa in pauperes distribuit. ita habet eius Vita. Apposite: rosa enim suo candore integritatis, æquè ac charitatis, & beneficentiæ suo rubore est symbolum, præsertim quia rosa medicinalis, & benefica est, multisq; electuariis inservit.

Rosæ Martyrum.

Quocirca Rabanus: *Quid*, ait, *per flores rosarum in diebus veris, nisi Martyrum sanguis in virore nascentis Ecclesiæ exprimitur? quia tunc maximè prædicatores sancti trucidati sunt pro dogmate Evangelicæ fidei, & quid per lilia, nisi castorum & virginum ordo, qui in transitu labentis sæculi semetipsos castraverunt propter amorem Dei?*

VERS. 9. QUASI IGNIS EFFULGENS (cùm noctu flamma emicat & in altum se extollit, ait Palacius) ET THUS ARDENS IGNE] Græca iungunt ignem cum thure hoc modo: *Quasi ignis, & thus in foculo*. Hic thus accipitur pro aromate, non pro arbore, unde Syrus, *quasi odor thuris super thuribula*. Confertur enim Simon igni fulgenti, & thuri in eo ardenti, quæ duo simul iuncta, & splendore, & calore, & odore astantes recreant: similí enim modo Simon pontifex & splendore sapientiæ, & ardore suavitateque devotionis Deo gratissimæ, instar thuris excelluit. Ita Rabanus, *In thure*, inquit, *pura oratio exprimitur, quæ redolet in diebus æstatis; quia ejus odor spargitur in claritate fidei, & ardet in igne amoris: licet enim thuris odor per se bene oleat, appositus tamen igni fortius redolet: sic & oratio pura, licet per se Deo sit grata, tamen si adhibito igne passionum in dilectione perseveraverit, coram oculis Dei magis grata redolebit.*

Rosæ maximè notant verecundiam, lilia castitatem, thus orationem, ignis charitatem, quæ Simonis, id est sacerdotis, præsertim Prælati, & Pontificis primariæ sunt dotes & virtutes, iuxta id quod de Onia III. Simonis huius abnepote dicitur 2. Machab. c. 15. 12. Judam Machabæum vidisse *Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum*. Hac de causa sacerdos in sacris thus Deo adolet, ac simul orat: *Fiat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine*. Sacerdos enim debet esse vir orationis, in eaque adeo validus & potens, ut medius & velut sequester inter Deum & populum interveniat, Deoque irato manus quasi liget, eumque populo reconciliet; uti Aaron thurificans plagam ignis in populum grassantem stitit. Numer. 16. 47. Præclarè nuper D. Avila: Sacerdos, inquit, sit quasi alter Moyses resistens iræ Dei, & quasi alter Aaron sistens plagam Dei. Polleat ergo dono orationis, non ex se, sed ex afflatu Spiritu sancti: postulet pro toto populo gemitibus inenarrabilibus, uti fecit Christus in cruce, Hebr. 5. 7. Christi ergo gemitus, & ardores induat.

Oniæ virtutes.

Oratio virtutum antistita.

Præclare insuper B. Gregor. Nyssenus tract. de Scopo Christiani: *Nobis*, inquit, *amplius orationi insistendum est: siquidem hæc veluti chori virtutum antistita quædam est, & per sanctitatem arcanam & spiritalem, & affectum inenarrabilem Deo conjungit eam, qui in prece perseverat; qui desiderio fervens satietatem precationis non invenit, imo semper à bonis appetitu corripitur, juxta id quod dictum est: Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. atque alibi: Dedisti lætitiam in corde meo, psal. 4. 7. Et Dominus Lucæ 17. 21. Regnum cælorum intra vos est: regnum appellavit gaudium desuper insitum animis per spiritum: quod est arrhabo sempiterni gaudii, quo tunc fruentur Sanctorum animæ.*

VERS. 10. QUASI VAS AURI SOLIDUM, ORNATUM OMNI LAPIDE PRETIOSO] Syrus, *quasi torques auri* (ex auro) *variegatus optimè, & ornatus lapidibus pretiosis*; Vatabl. *ut vas auro solidum, omnigena gloria decoratum*. Alludit ad Rationale pontificis, quod auro, & duodecim pretiosis gemmis, totidem pontificis virtutes repræsentantibus constabat, de quibus multa dixi Exodi 28. 17. proinde hic plura non addam. Mysticè Rabanus, *In auro*, inquit, *splendor sapientiæ, in lapidibus pretiosis virtutum decor exprimitur: cum ergo virtutes sacræ fulgori sapientiæ intermiscentur, vas animæ hæc habens pretiosissimum esse demonstratur.*

Simon similis vasi aureo.

VERS. 11. QUASI OLIVA PULLULANS, ET CYPRESSUS IN ALTITUDINEM SE EXTOLLENS, IN ACCIPIENDO IPSUM STOLAM GLORIÆ, ET VESTIRI EUM IN CONSUMMATIONEM VIRTUTIS] Syrus, *quasi oliva decora, cujus sunt rami magni: & quasi arbor unguenti satura* (referta; Arabicus, *obvoluta*) *ramis, in accipiendo vestes sanctitatis* (sanctas,) *& in amiciendo se vestibus gloriæ*. Comparat hic post multa alia Simonem oleæ & cypresso, perinde ac sapientiam eisdem comparavit c. 24. v. 17. & 19. ut ostendat sapientiam & sapientem, qualis erat Simon, in se complecti omne pretium, omneque decus rerum omnium, eum scilicet in se continere omne id quod pretiosum & pulchrum est in cælis, æquè ac in terris, putà in arboribus, floribus, aromatibus, gemmis, metallis, &c.

oliva.

Comparat ergo hic eum olivæ, tum, quia olea est arbor speciosa frondibus, & fœcunda fructibus: nam profert olivas ex quibus fit oleum, quod simul lux est, cibus & medicina: lucem enim præbet in lampade, cibat esurientes, plagis morbisque medetur, ut ait S. Bernard. ser. 15. in Cant. in illud: *Oleum effusum nomen tuum*. Hæc omnia populo præstitit Simon, & quivis sapiens ac sanctus. Unde pro *oliva pullulans*, græcè est ἀναθάλλουσα καρπὸς, id est *germinans fructus*.

cupresso.

Rursum comparat Simonem pontificalibus amictum, graviter & decorè in templo incedentem cupresso, tum ob mentis altitudinem (cupressus enim altissimè verticem erigit) tum ob speciem: cupressus enim frondibus suis tam apto ordine compositis adeò decorè vestitur, ut referat speciem capitis humani egregiè comati, & pexi. Unde Græca habent, *quasi oliva decora*, vel *speciosa, germinans fructus, & quasi cupressus exaltata in nubibus*, vel *usque ad nubes*; Tigurina, *ut oliva elegans & fructifera, quasi cypressus ad nubes usque procera, cum sumebat gloriosum habitum, cumque omni magnificentia induebatur, atque in ascensu altaris amictum sanctitatis decorabat*. Quod Noster vertit, *in accipiendo ipsum stolam gloriæ*, id est, cùm indueret vestes pontificias, quæ gloriosæ erant, & magnificæ, ac divinitatis indices: Numen enim Dei, ipsamque deitatem, in nomine *Jehova* laminæ aureæ insculpto, æquè ac in Rationali, totoque cetero ornatu repræsentabat pontifex, *& vestiri eum in consummationem virtutis*, id est, cùm vestiretur perfecto & consummato illo ornatu, qui sacerdotalis & pontificalis virtutis, hoc est potestatis, & auctoritatis, erat index, symbolum & argumentum. Græcè, *cùm se induebat consummatione gloriationis*, id est, consummato decore, & gloria vestium pontificalium. Sic de Aaronis amictu dixit cap. 45. vers. 9. *Circumcinxit eum zona gloriæ, & corona vit eum in vasis virtutis*: Aliter Palacius: Consummatio virtutis, inquit, vocatur lamina cui consummatissima virtus, id est nomen Dei *Jehova* erat insculptum. Rectè igitur gloriosus pontifex Simon comparatur cyparisso, quia cyparissus, id est cupressus vel cypressus, est arbor elegans, recta, procera, semperque frondens ac convoluta, sursumque in acumen, & conum desinens, præsertim si mas sit (cupressus enim alia mas est, alia femina.) Unde à Poeta Conifera vocatur & Æria. Ita Virgil.

Cypressus conifera.

Æriæ quercus aut coniferæ cyparissi.

Et Martial. lib. 2.

Daphnonas, platanos ac ærias cyparissos.

Adhibita funeri. cur?

Ex adverso quia cupressus cæsa nunquam revirescit, hinc à Gentilibus feralis habita, & Inferis consecrata, indeque atra & funesta est dicta; quia mortui quasi planè excisi non reviviscunt, & à mortuo nihil amplius est sperandum. ita Plinius lib. 16. c. 33. Hinc & Ovid. lib. 3. Trist. eleg. 13.

Funeris atra mihi ferali cincta cupressu.

Mysticè Rabanus: *In oliva*, inquit, *lux fidei & affectus misericordiæ: in cypresso verò altitudo perfectionis, & odor suavissimus bonæ voluntatis, quam habent Sancti, intelligitur*. Vide quæ de symbolis olivæ, & cypressi dixi c. 24. v. 17. & 19. Et Palacius: Simon, inquit, similis fuit olivæ, quæ charitatem erga proximos in oleo figurat: &

supresso, quę contemplationem & charitatem erga Deum erectam, sua proceritate, & rectitudine in cęlum ostendit. Habet pontifex speculum, in quo videat qualem se præstare debeat, scilicet tam benignum, & purum quàm sunt lucifer, luna, sol, tam in se pura, tam erga nos benigna. Jam ut arcus admonet Deum fœderis ne terram diluvio perdat: ita Pontifex adeò sanctus sit, ut Deum admoneat ne peccatores pœnis inferni condemnet. Tertiò, ut rosæ, lilia, & arbor Sebæa tam sunt odorata: ita Pontifex sit bonus odor Christi. Quartò, ut ignis ardet & purificat: ita zelus Pontificis ardeat, & sordes depellat. Quintò, ut thus olet in igne, ita ille in persecutione. Sextò, sit vas aureum charitate, solidum humilitate, ornatum omnibus gemmis, scilicet omnibus virtutibus. Septimò, sit oliva misericordia, cupressus in mentis erectione.

Septem dotes sacerdotis & Pontificis.

Symbolicè hic Nota, Sanctos eximios comparari olivæ, quia excelluerunt oleo pietatis, & misericordiæ. Unde & nonnulli post mortem stillant oleum, eò quòd in vita præ aliis fuerint dediti operibus pietatis & charitatis, cuius symbolum est oleum. Ita oleum stillat ex corpore S. Nicolai, S. Catharinæ, S. Vvalpurgæ. Qua de re audi Philippum Eystettensem Episcopum in Vita S. Vvillibaldi primi Eystettensis Episcopi cap. 35. *Et ideò de Sanctorum corporibus sacri olei demanatio plenitudinem exuberantis misericordiæ, ac redundantiam viscerosæ pietatis, ac lenitivæ mititatis prætendendo figurat: fuerunt namque hi Sancti, qui habent scaturiginem emanationis sacri olei, misericordissimi ac piissimi in vita, & ideò misericordiam consecuti per signa misericordiæ, & pietatis hominibus post mortem laudabiliter innotescunt. Sic B. Vvalpurgis virgo, tamquam oliva in domo Domini fructuosa, & quasi oliva in campis Ecclesiæ speciosa, per oleum effusum dilatavit nomen suum. Rivulo enim suæ sacræ emanationis, notitia sanctitatis eius derivata est in fines terræ, oleo misericordiæ, pietatis illuminans cæcos, spiritualiter, & corporaliter pascens esurientes in bonis, pro affectu sancti desiderii, ac corpore sauciatos sanans, contritis corde medetur.*

Cur Sancti nonnulli stillent oleum.

VERS. 12. IN ASCENSU ALTARIS SANCTI GLORIAM DEDIT SANCTITATIS AMICTUM] Syrus, *in egressu suo ad recipiendum laudem decore virtutis sanctuarii*, id est amiciendo se iis quæ honorem & gloriam præferebant, sive vestes sint, sive ornamenta. Nota τὸ *ascensu*: altare enim erat excelsum, unde ad illud ascendere oportebat. Unde *altare dicitur quasi alta ara: ara, quod in ea ardeant victimæ*, ait S. Isidor. lib. 15. Origin. cap. 4. Græcè, ἐδόξασε περιβολὴν ἁγιάσματος. Quod Primò, vertas cum Complut. *glorificavit circuitum sanctitatis*, id est, glorificavit ambitum sanctuarii. q. d. Pontifex pontificali magnificentia redimitus, decorabat & glorificabat totum templi circuitum. Secundò, περιβολὴ non tantùm ambitum, sed & amictum significat. Unde meliùs cum Roman. vertas, *in ascensu altaris sancti gloriam dedit amictu sanctitatis*; Tigurina, *amictum sanctitatis decorabat*; alii, *glorificabat amictus sacrosanctum*, quasi dicat. Simon pontifex sua gravitate, & sanctitate glorificabat vestem pontificalem, ipsumq; sacerdotium, adeò ut ipse honoraret, & decoraret potiùs pontificatum, quàm ab eo decoraretur. Idem videtur voluisse Noster dum vertit, *gloriam dedit sanctitatis amictum*, quasi dicat. Amictum sanctum dedit esse gloriam, hoc est, effecit eum gloriosum, decoravit & glorificavit eum suæ personæ dignitate, & maiestate: sic enim reges, & principes graves, moribus ornati, & per omnia compositi magis ornant vestes Regales, quàm ab iis ornentur. Scitum est illud Alexandri Severi Imp. *Imperatoria maiestas constat virtute, non corporis cultu.* Et illud Alfonsi Aragonum regis apud Panorm. libr. 1. de eius gestis: *Malo moribus, & auctoritate meos excellere, quàm diademate, & purpura.* Qui enim indigni purpura decorantur, sunt, quod vulgo dicitur, simiæ in purpura, in quos competit illud S. Hieron. ex Cicerone: *Cæsar dum indignos extulit: non ipsos honestavit, sed ornamenta ipsa turpavit.*

Posset tamen nostra Latina versio sic simpliciter accipi q. d. Simon *gloriam dedit sanctitatis amictum*, hoc est, Simon splendidus & gloriosus fuit sanctitatis amictu tum interno, tum externo. Unde Vatablus vertit, *insignis erat sanctitatis amictu*. Simonis enim sanctitas,

A gravitas, & compositio morum interna decorabat sanctam illam vestium pontificalium compositionem, & ornatum externum, utpote qui sanctitatis internæ erat tantùm significatio quædam, & repræsentatio, uti dixi Exodi 28. 30.

Ex quo discant sacerdotes, seipsos illis sanctis virtutibus moribusque ornare, quales ipse Ordo habitusque requirunt & præferunt, utque iisdem sacerdotium ornent, populoque commendent potiùs quàm ab eo ornentur, & decorentur. Unde Rabanus: *In ascensu altaris*, inquit, *sanctitatis amictum dabit, qui sacerdotii sui iura ritè custodit, ut rectè subditos doceat, & pro illis quotidie ad Deum preces fundat.* Sic S. Paulus Ephes. 3. 6. & 2. Corinth. 4. 6. ait se illuminasse Euangelium, quia sua admirabili doctrina & vita illud reddebat lucidius, splendidius & illustrius.

IN ACCIPIENDO AUTEM PARTES (legit μέρη, id est *partes*: iam legunt μέλη, id est *membra*) DE MANU SACERDOTUM, ET IPSE STANS JUXTA ARAM (græcè, παρ' ἐσχάρᾳ βωμοῦ, id est, *juxta focum altaris*) ET CIRCA ILLUM CORONA FRATRUM: VERS. 13.

B QUASI PLANTATIO CEDRI (Complut. κέδρων, id est *credrorum*) IN MONTE LIBANO, SIC CIRCA ILLUM STETERUNT QUASI RAMI PALMÆ, ET OMNES FILII AARON IN GLORIA SUA] Ita hæc dispungunt Biblia Roman. licèt aliter dispungat Jansenius, & alii. Sensus est, quasi dicat. Cùm Simon pontifex acciperet *partes*, græcè μέλη, id est, membra animalium immolatorum offerenda, & imponenda altari holocaustorum, ut in ea Deo cremarentur; tunc ipse erat stans circa aram quasi sacerdos, & pontifex sacrificaturus Deo pro toto populo. *Et circa illum*, id est cingens, coronans & condecorans illum erat *corona fratrum*, putà minorum pontificum, sacerdotum & Levitarum, quasi diaconorum, qui omnes subserviebant ipsi, ipsumque ornabant, & honorabant; perinde ac cedrus procera in Libano circum se plantas cedrorum minorum habet, quibus ornatur, & decoratur; & sicut palma circum se habet multos ramos ex eodem trunco germinantes, quibus vallatur, ornatur & roboratur: omnes enim rami tandem in eamdem palmæ arborem coeunt, in eaque uniuntur. Pari modo & decore hi om- VERS. 14.

C nes sacerdotes, & ministri cinxerunt Simonem pontificem *in gloria sua*, id est in decore, & glorioso suo amictu, ordine, officio, ministerio, modestia, gravitate & pietate. Unde Vatabl. vertit, *cùm item membra è manibus sacerdotum accipiens stabat ad focum aræ cingente eum corona fratrum, cedro in Libano natæ similis erat, illis perinde ut stirpes palmarum, et omnibus prognatis Aarone cum sua magnificentia circumstantibus, sacrificiaq; Domini manu tenentibus coram universo cœtu Israelitarum.*

Comparat ergo Simonem pontificem Primò, cedro, quòd, sicut cedrus eminet minoribus cedris sive surculis, quibus cingitur & coronatur, qui ex eodem trunco vel radice progerminant; sic & Simon eminebat ceteris sacerdotibus, eisque quasi corona cingebatur & coronabatur, qui ex eodem trunco, putà Aarone, prognati erant.

Simon similis cedro.

Secundò, comparat eum palmæ: sicut enim palma in altum cacumen attollens circumcirca ramis ex eodem trunco prognatis ambitur, & instar coronæ circumdatur, qui tandem palmæ se inserunt, & cum ea in unam arborem coeunt; quo fit ut palma forinsecus tota sit nodosa: sic pariter Simon ceteris Dei ministris eminens, iis

et palmę.

D circumcirca in orbem cingebatur, qui cum eo unum clerum, unumque sacerdotium efficiebant; sed ita ut à Simone omne suum decus, & gloriam acciperent.

Nota. Hæc sacrificia quotidie obibant sacerdotes minores, in festis tamen solemnioribus, præsertim in festo Expiationis ea per se obibat pontifex, ingrediens, & lustrans Sancta sanctorum, Levit. 16. tumque hac sacerdotum corona circumdatus magnâ pontificatus magnificentiam præ se ferebat, qua populum ad devotionem et reverentiam sui, et magis Dei excitabat.

Antitypè idem facit Pontifex Romanus, qui dum in festo Paschæ, et SS. Petri et Pauli solemniter in basilica eorumdem celebrat, undiq; cingitur Cardinalibus purpuratis, mitratis Episcopis, sacerdotibus, diaconis, subdiaconis, acolythis, ceterisque altaris ministris vestibus sacris redimitis, pulchro ordine, modestia, reverentia, pietate circumstantibus et ministrantibus. Circumstant, et legati

Corona & maiestas Pontificis.

Impe-

Imperatorum, Regum & Principum: totus denique populus tanto numero, ut subinde basilica licet capacissima, eum vix capiat. Denique, personarum apparatus, sacrorum maiestas, musicorum symphonia, &c. cælestis paradisi gaudia repræsentant; in quo Deo iubilant ex ordine novem angelorum chori, omnesque Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Virginum, Religiosorum & Confessorum cœtus.

S. Basilii. Sic de S. Basilio scribit ei intimus S. Gregorius Nazian. orat. 20. quæ est de laudibus S. Basilii quòd, cùm Valens Imp. Arrianus infensus S. Basilio in festo Epiphaniæ adiret ecclesiam, ut eum inde eiiceret, vidisse S. Basilium suis Clericis circumdatum tanta maiestate, & pietate sacris operantem, ut vertiginem passus penè in animi deliquium inciderit. Sed audi S. Gregor. rem gestam enarrantem. *Postquam enim intus fuit, atque ipsius aures psalmorum cantu non secùs ac tonitruo quodam personuerunt, plebisque pelagus vidit, omnemque ordinem & concinnitatem, quæ tam in sacrario, quàm prope sacrarium erat, angelicam potiùs quàm humanam: atque ipsum quidem ante populum recto corpore stantem, qualem Scriptura Samuelem describit, nec corpore, nec oculis, nec animo, perinde ac si nihil novi contigisset, ullam in partem se moventem, sed Deo, ut ita dicam, & altari affixum: eos autem, à quibus cingebatur, cum timore quodam ac reverentia stantes: hæc, inquam, simulacque perspexit (nec enim simile quidquam umquam viderat) humanum quiddam passus est, atque oculorum vertigine ac tenebris totus impletur. Atque id plerisque adhuc obscurum & incognitum erat. Verùm, cùm dona, quæ ipsemet effecerat, divinæ mensæ offerenda essent, nec quisquam, ut mos ferebat, simul ea caperet (quod non satis liqueret an ea Basilius accepturus esset;) tum verò manifestè se affectus prodidit: ita enim titubare cœpit, ut, nisi quispiam ex sacrarii ministris vacillantem suppositâ manu retinuisset, miserè utiq; & luctuosè prolapsurus fuerit.*

S. Ambrosii. S. Basilii æmulus & assecla fuit S. Ambrosius qui proinde, cùm Theodosius Imp. post Offertorium in templo intra cancellos constitisset, per Diaconum percunctatus est, cur ibi moraretur? cumque ille responderet: Ut videam sacra peragi mysteria; rursum misso Diacono eidem renuntiavit, ut agnosceret locum suum: nam eum, in quo consisteret esse sacerdotibus Pontificem ambientibus designatum. atque adiecit: *Purpura Imperatorem facit, sacerdotem nequaquam.* Tanti Antistitis maiestatem reveritus Theodosius paruit, atque extra cancellos ad locum laicorum & populi se transtulit.

Mysticè. Mysticè Rabanus: *Bonum est*, inquit, *ut qui primus est in ordine, præcipuus fiat in bona operatione, & eruditione doctrinæ. Deinde fratres eius illum circumstent, hoc est, imitentur: fratres enim hic possumus intelligere presbyteros, diaconos & ceteros minoris ordinis viros; qui boni pastoris pium sequantur exemplum, & coram omni synagoga Israel, hoc est credentium multitudine, dignè sui ordinis agant officium; ut inde omnes provocentur ad laudandum omnipotentem Deum: ita enim ipsa Veritas in Euangelio præcipit dicens: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*. Matth. 5.

Vers. 15. OBLATIO AUTEM DOMINI IN MANIBUS IPSORUM, CORAM OMNI SYNAGOGA ISRAEL: ET CONSUMMATIONE FUNGENS IN ARA, AMPLIFICARE OBLATIONEM EXCELSI REGIS PORREXIT MANUM SUAM IN LIBERATIONE, ET LIBERAVIT DE SANGUINE UVÆ.

Vers. 16. EFFUDIT IN FUNDAMENTO ALTARIS ODOREM DI-

Vers. 17. VINUM EXCELSO PRINCIPI] Syrus, *circumdantibus illum velut corona fratribus suis omnibus filiis Aaron in suo ipsorum honore, tenentibus oblationes manibus suis coram universo populo Israel, donec compleverunt* (alius codex habet, *complevit*, scilicet Simon pontifex) *ministrare altari, & ministrare in lætitia sanctitatis: porrexit ad urceum manum suam, & accepit vinum vetus, & effudit super latus altaris in odorem beneplaciti*. Pro *consummatione fungens*, græcè est συντέλειαν λειτουργῶν, id est, *consummationem ministrans & sacrificans*: hoc est, perfectò & consummato munere sacerdotii fungens, sive ultimas sacrificii partes exequens, & sacrificium perficiens: ultima enim pars erat libatio sanguinis uvæ, id est, effusio vini in pavimentum altaris: hac enim effusione vinum consumebatur in honorem Dei, ideoque ei offerri &

A sacrificari censebatur. Aliter Palacius: ipse enim per *consummationem* accipit holocaustum: hoc enim, quia totum Deo cremabatur, hinc erat perfectum, & consummatum sacrificium. Ostendit in præcedentibus decorem coronæ sacerdotum circumstantium pontificem, nunc eorum declarat opus & ministerium: q. d. Sacerdotes circumstantes pontificem habent oblationem in manibus quam tradunt pontifici, ut is eum Deo offerat. Tunc pontifex consummaturus sacrificium, & extremam ei manum impositurus, ut ampliorem oblationi Dei excelsi gloriam addat; extendit manum suam ad phialam vino plenam, quam effundens in pavimentum altaris ei libat, id est, litat & offert Deo excelso, iuxta illud, quod sancitum est Num. 28. 14. *Vinum ad libamentum offeret in odorem suavitatis*; græcè ὀσμὴν εὐωδίας, quæ verba hic pariter Siracides usurpat in Græco. Sed Noster vertit, *odorem divinum*; tum, quia erat suavissimus & optimus, utpote vini optimi & odoratissimi: optima enim sunt Dei, ideoque vocantur divina; tum, quia Deo dicatus erat & consecratus; tum denique, quia sicut in victimis, ita & in libamine apponebant thus; quod dicit *divinum*, quia communi gentium usu nulli nisi Deo offertur, & adole-

B tur, uti dixi Levit. 2. 2.

Audi de immolatione & libatione S. Isidorum li. 6. Origen. cap. 19. *Immolatio, dicta eo quòd in mole altaris posita victima* (alii à mola salsa, id est, farina cum sale inspersa capiti victimæ) *unde & mactatio post immolationem est. Nunc autem immolatio panis, & calici convenit: libatio autem calicis tantummodo oblatio est. Hinc est illud: Et libavit de sanguine uvæ. Sic & Poeta Æneid. 7. Nunc, ait, pateras libate Iovi; libare enim propriè fundere est, sumptumque nomen de Libero, qui in Græcia usum reperit vitis.* *Immolationis & libationis ritus.*

Loquitur Siracides de magnificentia sacrificiorum Simonis quasi recenti, quam ipse oculis spectarit, cuiusque grata apud omnes extet memoria.

Allegor. Rabanus: *Consummata oblatio offertur*, inquit, *excelso regi, quando corpus Christi in sacro altari offertur Deo omnium dominatori: ubi & libatio fit sanguine uvæ, quando sanguis Redemptoris exhibetur in calice: quod fundendum est in fundamentum altaris, hoc est totum agendum in commemorationem nostri Redemptoris: ipse est enim* *Allegor. de Eucharistia.*

C *fundamentum, quod portat totum Ecclesiæ ædificium. Cuius oblationis odor suavissimus est excelso principi quia beneplacet ac gratissima est Deo Patri omnipotenti*. Denique sanguinem Christi optimè repræsentat sanguis uvæ: hic enim est vinum non album, sed valdè rubrum, quod sanguinis habet colorem: ac Palæstini vinum rubrum habent, non album. Vide Delrio adagio 52.

TUNC EXCLAMAVERUNT FILII AARON IN TUBIS PRODUCTILIBUS SONUERUNT, ET AUDITAM FECERUNT VOCEM MAGNAM IN MEMORIAM CORAM DEO] Syrus, *vocem validam ad benedicendum coram universo populo*. Iusserat enim Deus Moysi Num. 10. facere duas tubas ductiles ex argento, quibus clangerent filii Aaron in festis tempore sacrificii. Nam v. 10. ait: *Si quando habebitis epulum, & dies festos & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri*: ut scilicet hoc iubilo testemini vos memores esse Dei, cui iubilatis, ac vicissim & potiùs ut Deus hac vestra devo- **Vers. 18.**

D tione animique alacritate provocatus, recordetur vestri, vestras preces & vota exaudiat, vobisque sit propitius, & beneficus. Hoc ipsum Siracides vocat, *In memoriam coram Domino*, ut scilicet Deus excitus vestro hoc tubarum iubilo, memor sit vestri, vobisque benefaciat. Unde Tigurina vertit, *vocem ingentem edere commendationis causa*, qua scilicet se Deo commendent; Vatabl. *celebrationis causa*, qua scilicet Deum laudent & celebrent.

Porrò duabus hisce tubis David, & Salomon multas alias addidere, easque tradidere sacerdotibus ad clangendum tempore immolationis, cùm Levitæ personarent cymbalis, citharis & psalteriis. Hoc est enim quod dicitur 2. Paral. 5. 12. in dedicatione templi Salomonis: *Tam Levitæ quàm cantores, &c. vestiti byssinis, cymbalis et psalteriis & citharis concrepabant, stantes ad Orientalem plagam altaris, & cum eis sacerdotes centum viginti canentes tubis. Igitur cunctis pariter & tubis, & voce, & cymbalis et organis, & diversi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus, longè sonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cepissent, & dicere: Confitemini Do-* *Clangor tubarum & cymbaliorum in sacrificio, Cur?*

mino quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus; impleretur domus Dei nube.

Sic antitypè longè potiori ratione, & jure in sacrificio Missæ tempore Offertorii & Consecrationis cantores, & musici personant vocibus, & organis. Audi S. Isidorum lib. 1. de Offic. Eccles. c. 14. *Offertoria*, ait, *quæ in sacrificiorum honore canuntur, Ecclesiasticus liber indicium est veteres cantores solitos, quando victimæ immolabantur. Tunc exclamaverunt*, ait, *filii Aaron in tubis. Non aliter & nunc in sono tubæ, id est, vocis prædicatione, cantu accendimus, simulque corde & opere laudes Domino declamantes, jubilamus, in illo scilicet vero sacrificio, cujus sanguine salvatus est mundus.*

Quocirca non tantùm cantores, sed & angeli summa reverentia altare tunc circumstant, Deoque consona voce jubilant. Audi S. Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio: *Per id tempus, & angeli sacerdoti assident, & cælestium potestatum universus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, choris angelorum cinctus est.* Angelorum sacrificio Missæ ministrantium exempla plura recensui Num. 4. v. 49. Et S. Gregor. lib. 4. Dialog. c. 58. *Quis*, inquit, *fidelium dubium habere possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri; in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus jungi, unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri?*

Allegor. Rabanus: *Filii Aaron*, inquit, *sacerdotes sunt Christi, & ministri altaris divini: hi vocem exaltant in tubis ductilibus: hoc est, prædicationem exhibent doctrinæ per passionem consummatæ in memoriam coram Domino. Ductiles autem aptè dicuntur, quia fideles diversis passionibus tusi Domino largiente proficiunt, & tanto plus crescunt, quanto amplius duri mallei fuerint iteratione percussi. Malleus enim est diabolus, de quo Propheta dicit: Contritus est malleus universæ terræ*, Jerem. 50.

TUNC OMNIS POPULUS (singuli de populo) SIMUL PROPERAVERUNT, ET CECIDERUNT IN FACIEM SUPER TERRAM, ADORARE DOMINUM DEUM SUUM, ET DARE PRECES OMNIPOTENTI DEO EXCELSO] Syrus, *& dederunt in confessionem* (in laudem, & gratiarum actione n) *vocem suam, & delectati sunt simul in preces*: q. d. Ad oblationem & clangorem unanimem sacerdotum excitus populus, eos quasi duces suos secutus devotionis pariter spiritum induit, ac pronus in terram corruens adoravit Deũ, suasque preces & vota ei obtulit. Idem jussit fieri Nabuchodonosor in dedicatione statuæ aureæ, Daniel. 3. v. 5. 6.

Populus olim sacerdoti subtinebat. Amen.

Simili modo totus populus Christianus olim succinebat sacerdotibus, respondendo *Amen*, teste S. Paulo 1. Corinth. 14. vers. 10. Unde S. Hieron. præfat. in epist. ad Galat. lib. 2. *Ad similitudinem*, inquit, *cælestis tonitrui Amen reboat.* Et Ausonius in Ephemeride:

Consona quem celebrant modulati carmina David,
Et responsuris ferit aera vocibus Amen.

Quin & in multis Germaniæ locis in festo Paschæ & Natalis Christi, totus populus in templo hymnos Christo nascenti & resurgenti canit, & reboando jubilat, ut animi lætitiam & devotionem testetur.

VERS. 20. ET AMPLIFICAVERUNT PSALLENTES IN VOCIBUS SUIS, ET IN MAGNA DOMO AUCTUS EST SONUS SUAVITATIS PLENUS] Pro *amplificaverunt psallentes in vocibus suis*, græcè est καὶ ᾔνεσαν οἱ ψαλμῳδοὶ ἐν φωναῖς αὐτῶν, *& laudaverunt cantores vocibus suis.* Unde patet dictionem *psallentes* apud nos non esse participialiter accipiendam, nec attribuendam toti populo, sed nominaliter pro cantoribus, ut sit sensus: *Et psallentes*, hoc est, inquit Jansen. Levitæ, quorum ex institutione Davidis officium erat cantare psalmos & carmina, populo in terram prostrato, *amplificaverunt* Deum *in vocibus suis*, hoc est, eum glorificaverunt, ejusdem laudem amplè & magnificè extulerunt: sicque in magno illo templi & atriorum ædificio, auctus est sonus plenus melodia. Primùm ergo sacerdotes tuba cecinerunt, deinde populus in terram prostratus est, & cantores suo officio functi sunt. Illis autem canentibus quid populus fecerit, subdit, dicens: *Et rogavit populus*, &c.

Pro *in magna domo*, græcè est ἐν πλείονι οἴκῳ, pro quo nonnulli legunt ἐν παντὶ οἴκῳ, id est, in tota domo: q. d. Quia domus Dei erat ampla & fornice tecta, hinc au-
A gebatur dulcis musicorum concentus in ea: fornicatæ enim testudines, quia voces continent, & reverberant, hinc augent sonum, ac subinde efficiunt echo. Complut. legunt, ἐν πλείονι ἤχῳ, id est, *in multo* vel *multiplici sono*. Sic & Vatablus, *Cantores autem*, inquit, *vocibus suis laudes agere, ut suave plurimo sono carmen ederetur*; alii, *& collaudarunt cantores psalmorum vocibus suis, multiplici sono carminum modi dulcuerunt.* Sic & hodie dum in festis solemnibus plures sunt numerosique chori musicorum, mirè sonora & concinna editur ex consona tot vocum modulatione melodia, & concentus suavissimus.

ET ROGAVIT POPULUS DOMINUM EXCELSUM IN PRECE USQUEDUM PERFECTUS EST HONOR DOMINI, ET MUNUS SUUM PERFECERUNT] Hæc pertinent ad v. 19. eumque explent: significant enim quòd populus perrexerit adorare Deum quamdiu sacerdotes, & cantores sacrificiis, & psalmis Deum celebrabant: q. d. Populus sacerdotibus & Levitis consentiens, & quasi succinens perrexit Deum rogare & precari, donec perfectus est honor, græcè κόσμος, id est, VERS. 21.
B ornatus: hoc est, ornata psalmodia, sacrificia, cæremoniæ & cultus Domini, putà donec sacerdotes & cantores suum *munus*, græcè λειτουργίαν, id est, sacrum ministerium litandi, & psallendi, perfecerunt. Unde Vatabl. vertit, *interim populus summo Domino supplicare, precesque fundere coram misericordi, donec absolveretur cultus ipsius, sacraque ministeria peragerentur.* Populi enim est sacerdotibus obsequi, eosque in cultu Dei subsequi, ut sic utrique vicissim suas in Deo colendo partes agant.

Nota hic sacrorum cultus vocatur κόσμος, id est ornatus. Primò, quia in se pulcher & decorus erat; Secundò, quia ornabat Ecclesiam ipsumque Deum; Tertiò, κόσμος significat nitorem, & ornatum vestium sacerdotalium, quo utebantur sacerdotes, donec sacra perficerent, quibus honorabant tam sacra, quàm Deum, cui sacra faciebant.

Nota Secundò, τὸ *perfecerunt*: inde enim discant laici non discedere è templo, nec cessare à prece & laude Dei, donec sacerdotes sua sacrificia, psalmodias, conciones & doctrinas absolverint: sicut enim perfectum à sacer-
B dotibus Deus exigit sacrificium, & laudem, sic & à populo.

TUNC DESCENDENS, MANUS SUAS EXTULIT IN OMNEM CONGREGATIONEM FILIORUM ISRAEL, DARE GLORIAM DEO A LABIIS SUIS, ET IN NOMINE IPSIUS GLORIARI] Græca Complut. pro *dare gloriam Deo*, legunt δοῦναι εὐλογίαν κυρίου, id est, *dare benedictionem Domini*, subaudi, populo: videtur enim hic Siracides significare benedictionem, quam sacerdos peracto sacrificio impertiebatur populo, dicens: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te*, &c. Num. 6. 24. Et sic benedixit populo Aaron celebratis suis primitiis, Levit. 9. 23. Verùm Græca Romæ correcta, Vatabl. Tigurina, & alii pro κυρίου, legunt κυρίῳ, id est, *Domino* in dativo. unde vertunt, *dare benedictionem Domino*, id est, benedicere, laudare & glorificare Dominum. quod Noster clarè vertit, *dare gloriam Deo.* Sacerdos enim benedicens populo simul benedicebat Deum, quia à Deo velut omnis boni datore, cujus magnificentiam, et beneficentiam celebrabat, precabatur populo omnem gratiam, omneque bonum: qua prece utique significabat et protestabatur, Deum esse omnis VERS. 22
C boni fontem. quod sanè est Deum benedicere et laudare atque *in nomine ipsius gloriari*; quia omnis boni laudem, et gloriam Deo assignabat. Unde Vatablus vertit, *deinde cum descendisset, ille manus suas ad omnem cœtum Israelitarum, laudes Domino labiis suis agendo, ejusdemque nomine gloriando, extendere.*

Alludit ad factum Salomonis, qui in dedicatione templi sui peractis sacrificiis, ita Deo æquè ac populo benedixit: *Benedictus Dominus qui dedit requiem populo suo Israel*, etc. *Sit Dominus Deus noster vobiscum*, etc. *Sit quoque cor nostrum perfectum coram Domino Deo nostro*, etc. 3. Reg. 8. 56. Simile fecere Jonathan, et Nehemias sacerdotes in sacrificiis, quæ obtulerunt in purificatione templi, in qua a Deo missus fuit novus ignis è cælo in victimas. 2. Machab. 1. 23. *Orationem autem*, inquit, *faciebant sacerdotes, dum consummaretur sacrificium, Jonatha inchoante, ceteris autem respondentibus.*

Et

Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum: Domine Deus omnium creator, terribilis, & fortis, justus & misericors, qui solus es bonus rex, solus præstans, solus justus, & omnipotens, & æternus, qui fecisti patres electos, & sanctificasti eos, accipe sacrificium pro universo populo tuo Israel, & custodi partem tuam, & sanctifica, &c. Ubi manifestè vides sacerdotes benedixisse Deum, æquè ac populum: Deum laudando, & de suis attributis ei congratulando; populum, bona illa à Deo imprecando, & postulando. Utrumque ergo faciebat sacerdos, & utrumque ad eum ex officio spectabat. Unde Palacius: Benedictio Salomonis, inquit, 3. Reg. 8. fuit Deum exaltare, & fidelem in promissis ostendere. Tunc Salomon flexit utrumque genu, & felicia populo à Deo impetrare contendit; simul divinam laudans potentiam, quæ posset cuncta quæ vellet. Ad eum modum Simon fecit. nam conversus ad congregationem, quæ in atriis stabat intenta, extulit in cælum manus labiis suis dans gloriam Deo, & in nomine exultans, quòd tanta beneficia ab eo accepisset. Tunc conversus ad altare, iterum orationem coram Domino fudit pro felicitate Israelis, ostendens à Deo felicitatem dependere.

Ritus pontificis benedicentis populo. Igitur pontifex benedicens populo elevabat manum sursum, mox eam deprimebat deorsum, inde à sinistra movebat ad dexteram describendo formam crucis, inquit, Jansenius, Palacius & alii. Vide dicta c. 36. v. 19. populus verò flexis genibus pontificis benedictionem excipiebat, uti modò Romæ fieri videmus cùm Pontifex solenniter benedicit populo, præsertim in festo Ascensionis Christi, ut ejus benedictionem imitetur. de qua plura dixi Actor. 1. v. 9.

VERS. 21. ET ITERAVIT ORATIONEM SUAM, VOLENS OSTENDERE VIRTUTEM DEI] supple, se agnoscere; & commendare: q. d. Simon pontifex ob devotionem tum suam, tum populi, iteratò elevans manus benedixit, tam Deum quàm populum, ut hac benedictione exultans ostenderet, & publicè celebraret virtutem Dei, putà Primò, Dei potentiam, sanctitatem, & magnificentiam; Secundò, Dei fidelitatem, & bonitatem, qua tot beneficia assiduè Israeli præstabat. Tertiò, *virtus* hæc accipi potest efficacia benedictionis, quam populo dabat pontifex: q. d. Simon iteravit suam benedictionem, ut ostenderet eam fore efficacem, & reipsa complendam; quia nomine, & jussu Dei promittentis se eam ratam habiturum, & reipsa præstiturum, eam impertiebat populo, Num. 6. 34. Unde Græca pro *virtutem* habent εὐλογίαν, idest, benedictionem, beneficentiam, gratiam. Pro *iteravit* legit Interpres ἐδευτέρωσεν, in singulari; jam Complut. & nonnulli alii legunt in plurali ἐδευτέρωσαν, idest, *iterarunt*, scilicet Israelitæ. Rursum pro *ostendere* Noster legit ἐπιδείξασθαι. jam Complut. & alii legunt ἐπιδέξασθαι, idest, *suscipere*. unde hunc versum explicant de populo, non de pontifice, sicque vertunt, *& iterarunt adorationem, ut susciperent benedictionem ab Altissimo*; Tigur. *inde rursum preces iterari ad benignitatem Altissimi percipiendam*; Vatabl *ad gratiam impetrandam ab Altissimo*. Quæ verba significant, ait Jansen. populum, qui priùs tempore sacrificii se semel in terram prostraverat, ut dictum est, v. 19. peracto sacrificio, cùm Simon pontifex eum esset benedicturus, rursus se adorando Deum prostravisse, ut susciperet benedictionem non tam à pontifice, quam à Deo altissimo, sicut ei imprecabatur pontifex dicens: *Benedicat tibi Dominus*. Unde & in nostra versione in verbo *iteravit* repeti potest nomen *populus*, & nomen *orationem* accipi potest pro *adorationem*, ut habent Græca; ut sensus sit: & populus sacerdote ipsum benedicente iteravit adorationem suam, volens ostendere virtutem Dei, se scilicet agnoscere. Verùm aptiùs hæc referas ad pontificem, ut patet ex copula &, quæ hæc immediatè præcedentibus connectit: præcedentia autem ad Simonem pontificem spectant, non ad populum. Accedit, quòd Græca emendata in singulari legant, planè eo modo quo legit Noster: habent enim: *Et iteravit in adoratione*, id est, iteravit adorationem, *ad ostendendum benedictionem ab Altissimo*: quasi dicat. Simon Deum adoravit, ut ostenderet se benedicere populo non nomine, & virtute sua, sed Dei, cujus opem adorando implorabat, ut is benedictionem suam faceret efficacem, & in effectum deduceret. Ad Simonem enim omnis hæc laus pertinet.

Moral. disce hìc benedictionem pontificum, æquè ac Patriarcharum fuisse efficacem, & magnam habuisse virtutem; idque ex institutione & promissione Dei, qui per pontificem benedicebat populo, Num. 6. 34. ideoque populus flexis genibus avidè, & reverenter eam excipiebat. Efficacior est benedictio Pontificum Christianorum, utpote quæ fit nomine, meritis & virtute Christi, à quo omnis in homines gratia dimanat. Vide dicta cap. 3. 11. & Num. 6.

ET NUNC ORATE DEUM OMNIUM, QUI MAGNA FECIT IN OMNI TERRA, QUI AUXIT DIES NOSTROS A VENTRE MATRIS NOSTRÆ, ET FECIT NOBISCUM SECUNDUM SUAM MISERICORDIAM] Ita Roman. & Græca. Perperam ergo passim pro *Et nunc orate*, legunt, *& plus oravit*. Pro *orate* Græcè est εὐλογεῖτε, id est, benedicite. Prima enim orationis pars debet esse Dei benedictio, id est, laus, & gratiarum actio, ut per eam Dei benevolentiam nobis conciliantes, novam ab eo gratiam emendicemus, & emereamur, ut ostendi 1. Timoth. 2. 1. Unde Vatabl. vertit, *nunc quoque Deo rerum omnium laudes agite, Deo per omnia magnifico, qui nobis ab utero indies augescere dedit, & nobiscum egit pro sua misericordia*.

Est conclusio capitis, & totius libri. Nam post recensitam benedictionem Simonis pontificis hortatur populum, ut pontificem suum sequens, & imitans, adorando benedicat Deum, id est, eum laudet, eique gratias agat; idque triplici titulo, & causa. Prima est generalis, quia Deus *magna fecit in omni terra*: ergo ab omnibus terræ incolis cum gratiarum actione laudandus, & celebrandus est. Secunda est specialis, quia Deus *auxit dies nostros à ventre matris nostræ*; quia scilicet Deus nobis à nativitate, hucusque conservavit, & prolongavit dies, & annos vitæ nostræ, ut alii ad 50. alii ad 60. alii ad 70. annum Deo dante sani, læti, fideles, & fortunati vixerint: sub vita enim omnia non tantùm ad vitam necessaria, sed & utilia ac commoda, tam corporalia, quàm spiritalia accipe, quæ Deus omnibus, sed maximè fidelibus suis, putà Judæis, illo ævo singulari cura, & providentia, tamquam pater summè providus, & beneficus procurabat: Deus enim suorum ab utero per omnem vitam, usque ad ultimum vitæ spiritum specialem gerit curam, & sollicitudinem. Unde David: *In te*, inquit, *projectus sum ex utero*, psalm. 21. 11. Et: *In te confirmatus sum ex utero: de ventre matris meæ tu es protector meus*, psalm. 70. 6. Et: *Suscepisti me de utero matris meæ*, psalm. 138. 13. Et Isaias capit. 44. 2. *Dominus*, &c. *ab utero auxiliator tuus*. Et cap. 46. 3. *Qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva*. Et cap. 49. v. 5. *Formans me ex utero servum sibi*. Et v. 1. *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*. Et Jerem. cap. 1. 5. *Priusquam te formarem in utero, novi te: & antequam exires de vulva, sanctificavi te*. Tertia est, quia *fecit nobiscum* non secundum justitiam, qua nostris peccatis justè poterat rependere pœnas, & maleficia, sed *secundum suam misericordiam*, ut peccata nostra dissimularet, & pœnitentibus condonaret; quin & suam gratiam, omnemque beneficentiam tum temporalem, tum præsertim spiritalem, sive externam sive internam, conferre, & rependere non cessaret.

DET NOBIS JUCUNDITATEM CORDIS, ET FIERI PACEM IN DIEBUS NOSTRIS IN ISRAEL PER DIES SEMPITERNOS. VERS. 25. CREDERE ISRAEL NOBISCUM ESSE DEI MISERICORDIAM, UT LIBERET NOS IN DIEBUS SUIS] VERS. 26. Pro *jucunditatem*, uti legunt quoque Græci codices Romæ emendati; Complut. legunt εἰρήνην, id est, pacem; Tigurina & alii addunt καὶ εὐφροσύνην, idest, *& lætitiam* sive jucunditatem. Pro *per dies sempiternos*, Græcè est κατὰ τὰς ἡμέρας τοῦ αἰῶνος, idest, *per dies sæculi*. Pro *credere* Græcè est, ἐμπιστεῦσαι, quod Complut. vertunt, *ut cum fide faciat misericordiam ejus*; Romani, *fidelem faciendo nobiscum misericordiam suam*. Noster meliùs vertit *credere*: ἐμπιστεύω enim idem est, quod credo, fidem adhibeo, uti ex Galeno, Alexandro Aphrodis. & aliis docet Budæus in Comment. linguæ Græcæ. Unde 2. Paral.

ral. 20. 20. Septuag. vertunt, *ἐμπιστεύσατε εἰς κύριον θεὸν ὑμῶν, καὶ ἐμπιστευθήσεσθε*, idest, *credite in Domino Deo nostro, & securi eritis*, ut vertit Noster. Pro *in diebus suis*, Græcè est *αὐτοῦ*, quod cum Romanis tam *ejus*, putà Simonis pontificis, quàm *suis* verti potest: q. d. Liberet nos Deus ab omni malo toto tempore pontificatus, & vitæ Simonis pontificis nostri, Deo & hominibus clari. Complut. & Vatabl. pro *αὐτοῦ*, legunt *ἡμῶν*, id est, *nostris*. Græca ergo Romæ correcta sic habent, *det nobis jucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus nostris in Israel secundum dies sæculi, fidelem faciendo nobiscum misericordiam suam: & in diebus ejus* (Simonis) *liberet nos*; Vatablus, *is nos perfundat jucunditate animi, nostrisque temporibus pacem concedat, ut priscis sæculis in Israel, ut misericordiam suam in nos ratam faciat, nosque temporibus nostris liberet*; alii, *det nobis lætitiam cordis, utque pax sit in diebus nostris in Israel secundum dies sæculi, ut fidem faciat misericordiæ suæ apud nos, & in diebus suis redimat nos*. Imitatur Siracides Simonem pontificem: quare sicut ille sacrificia benedictione concludebat, sic & ipse librum simili benedictione concludit, apprecans Israeli *jucunditatem cordis*, idest lætitiam animi: quia in ea consistit felicitas vitæ tam præsentis, quàm futuræ, juxta illud quod dixit cap. 30. 23. *Jucunditas cordis hæc est vita hominis*. Porrò, ut hanc lætitiam obtineat Israel, optat ei pacem perennem hoc fine, ut Israel expertus jugem hanc Dei in se beneficentiam certiùs credat, idest sibi persuadeatque, perpetim sibi adesse Dei misericordiam, ut ei se suaque omnia fidenter credat, & committat, ideoque in quavis difficultate ad eam recurrat, ac certa fiducia eam invocet, omniaque quæ petit ab ea impetret, quo fiat ut illa liberet nos ab omni malo in diebus suis. Τὸ *suis* vel ad Deum referri potest, quasi dicat. Liberet nos Deus *in diebus suis*, idest perpetuis, quibus scilicet Israelem curat, protegit & gubernat, aut potiùs τὸ *suis* referas ad Israel, q. d. Deus liberet Israelem in diebus suis, idest, quamdiù Israel erit Israel, putà quamdiu Israel erit Ecclesia, & populus Dei. ita Palacius: Ut Simon, inquit, precatus est felicia populo; ita precatur Author primùm, ut Deus det jucunditatem cordis, quare comprehendit felicitatem privatam: cùm enim corde lætus sum, felix sum. Nam & Paulus ait: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete*. Secundò, ut det pacem in diebus nostris, & semper: quæ est felicitas publica. nam pax est status omnium bonorum. Tertiò, speciatim petit, ut Israel credat sibi Dei misericordiam adesse: si enim id, ut debet, credat, habebit liberationem ab hostibus, per omnes dies quibus vixerit Deus. Quod Deus præstitit, non extinguens gentem Judæam usque ad Christum, per quem meliùs liberati, verè liberi sunt per omnem æternitatem. De spiritualibus Judæis loquor: *Non enim qui in manifesto, Judæus est: neque quæ in manifesto in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito, Judæus est, & circumcisio cordis in spiritu*, Roman. 2. 28. Vnde Syrus hos tres versus, scilicet 24. 25. 26. ita convertit, *laudaveruntque populus terræ Deum, qui fecit prodigia in terra, qui creavit homines de ventre matris suæ, & gubernat eos secundum voluntatem suam, ad dandam eis scientiam cordis, & sit pax inter eos, & consistat cum Simone misericordia, & cum semine ejus sicut dies cæli*, idest perpetim in æternum.

Filip. 4.

Paulò aliter Dionys. Carth. accipit τὸ *credere nobiscum*, &c. q. d. Det Deus Israeli pacem, quatenus filii Israel hinc inde per Gentes dispersi percipiant, & credant Deum misericorditer esse cum eo; sicque festinent ad terram Israel reverti, ut *liberet eos* (sic enim legit Dionys. Jasen. & alii passim; sed pro *eos* legendum cum Roman. & Græcis *nos*) à captivitate & servitute gentium, omnique malo, sic & Lyranus.

Vers. 27. Vers. 28. Duas gentes odit (Syrus, *in duabus gentibus contristata est*) anima mea, tertia autem non est gens, quam oderim: qui sedent in monte Seir, et Philinthin, et stultus populus, qui habitat in Sichimis) Interserit hæc de tribus gentibus Israel inimicis Siracides, ex amore & zelo Israelis. Quia enim omnia fausta precatus est Israeli, suumque eximium in eum affectum ostendit, orans, ut Deus eum ab hostibus protegat, nunc consequenter ostendit suum in gentes tres hostiles odium, eò quòd illæ Israeli perpetim essent infestæ. sicut ergo Israelis fidem & pietatem celebravit, ita nunc trium gentium infidelitatem, impietatem, & hostilitatem detestatur.

Tres gentes exosæ Judæis.

Græca jam pro *in monte Sier*, habent *in monte Samariæ*; sed perperam: nam sic non tres gentes hic nominarentur, sed tantùm duæ: Samaritani enim iidem sunt cum Sichimitis: Samaritanorum enim metropolis post excisam Samariam urbem, fuit Sichem. Vide hic rursum, ut Latina Vulgata correctior sit, & præstet Græcis originalibus. Pro *odit* græcè est *προσώχθισεν*, quod Complut. vertunt, *onerosa fuit anima mea*; Roman. *odit anima mea*; Vatablus, *infensus fuit animus meus*; alii, *offensa est anima mea*. Idem verbum habetur psalm. 94. 10. ubi dicitur: *Quadraginta annis offensus fui generationi illi*, Græcè *προσώχθισα*, hebr. אקוט *acut*; quod Aquila & Symmachus vertunt, *δυσηρέστησα*, idest, *ægrè tulit, offensus fui, fastidivi*: Chald. *aspernatus sum*; S. Hieron. *displicuit mihi*; Vatablus, *rixatus sum, contendi, cum tædio pertuli*. Sensus ergo est, q. d. Ego Siracides sicut fideles & pios Israelitas, cives meos, toto animi affectu complector; ita planè aversor tres gentes infideles, & impias, quę Deo exosæ sunt, & ejus populo, putà Israeli, uti vicinæ, eumque quasi circumsidentes, ita eidem summè infestæ.

Prima gens est Idumęorum, qui habitant *in monte Seir*; horum enim in Israelem odium cœpit in Esau, primo eorum patre, qui Jacobum fratrem ob præreptam sibi primogenituram, internecino odio est prosecutus, illudque patris odium posteri non tantùm imbiberunt, sed & vehementer auxerunt. *Primò. Idumæi.*

Secunda gens est Philistinorum: hi enim, ut ex libris Judicum, & Regum constat, perpetuis bellis & cladibus affecerunt vexaruntque Israelem. *Secundò. Philistini.*

Tertia gens, quam summè odi, est Cuthęorum, sive Samaritanorum Judæis infensissimorum, quorum metropolis erat Sichem. Unde de ea dicit, *Tertia autem gens non est gens, quam oderim*. quæ verba sic ordinanda sunt, q. d. *Tertia gens quam oderim*, idest, quam meritò odisse debeam, *non est gens*, id est, non est digna gentis nomine. Quapropter Syrus & Græca habent tantùm; *Duas gentes odit anima mea, atque tertiam, quæ non est gens*, id est, non meretur nomen gentis. Aut certè *tertia autem non est gens quam oderim*, q. d. Tertia sicut non est gens, sic nec odio digna, quia vilis, abjecta; tum, quia non erat una gens, sed conflata ex multis Assyriorum gentibus, putà ex Babyloniis, Cuthæis, Avathæis, Evathæis, Sepharvaimitis, ut patet 4. Reg. 17. 24. erat ergo non tam gens, quàm miscellanea plurium gentium turba: tum, quia non erat illa gens, quam se esse jactabat, nimirum Judæa, oriunda ex Iacob & Patriarchis: hoc enim jactasse se Samaritas, patet Ioan. 4. 20. Porrò vocat hanc gentem *stultam*, quia cum Deo vero Israelitarum colebat idola Assyriorum, ut patet 4. Regum. 17. 24. *Tertiò. Samaritæ.* *Cur?*

Hinc Iudæi Samaritanos maximè oderant, adeò ut nullum cum eis vellent habere commercium, ut patet Ioan. 4. 20. Recens autem majoris odii occasio accesserat, quam innuit voce *Sichimis*. Pro quo Nota, Manassen Iaddi pontificis fratrem in uxorem accepisse Nicaso, filiam Sanaballat Cuthæi, quem Darius rex Persarum præfecerat Samarię: cùmque Manasses ob hoc cum alienigena matrimonium, sacerdotio Hierosolymis spoliandus esset, cogitavit ejus repudium. Sanaballat ergo ne eam repudiaret, promisit ei pontificatum novum; quare ædificavit templum simile Hierosolymitano in monte Garizim, ad cujus radices sita erat Sichem, quæ tunc erat Samariæ caput; (Sichem enim à Ieroboam primo rege Israel, sive decem tribuum, facta erat caput Samariæ; ac licèt postea Amri rex idipsum transtulerit in Samariam urbem; tamen tempore Alexandri Magni rursum Sichem erecta est in caput Samariæ, teste Iosepho li. 11. Antiqu. Porrò Sichem tempore Christi corruptè dicta est *Sichar*, postea *Neapolis*) atque ibidem pontificem constituit Manassem generum suum. Quocirca de templo hoc velut schismatico & Hierosolymitani æmulo, assidua Iudæis cum Samaritis fuit controversia, & contentio, ut patet Ioan. 4. 20. Hæc omnia patent ex Iosepho lib. 11. Antiq. c. 7. & 8. & lib. 12. c. 1. Excitum est tandem hoc templum post ducentos annos ab Hyrcan pontifice, Simonis, fratris Iudæ Machabæi, filio, teste Iosepho libr. 13. cap. 17. Igitur Siracides inculcat hic odium Sichimitarum, quia eorum schisma, & contentio recruduit sub eius *Origo schismatis Samaritarum.*

eius tempora, ob templum schismaticum recens erectum in Garizim juxta Sichem: hoc enim erectum fuit tempore Jaddi pontificis, qui fuit avus Simonis justi, cui coęvus fuit Siracides. Unde ejus laudes operosè pertexuit hoc c. 50. Audi Josephum tempora Ptolemęi Lagi, sub quo vixere Simon Iustus & Siracides, describentem lib. 12. Antiq. c. 2. *Seditiones continuæ erant inter eorum* (Iudæorum, qui sub Ptolemæo in Ægyptum migrarunt) *posteros, & Samaritas, instituta patria pertinaciter retinentes, pugnabantque inter se jugiter, dum Hierosolymitani suum templum sacrosanctum esse affirmant, & victimas à Judæis non aliò mittendas: Samaritæ contra in montem Garizim eas mitti debere contendunt.*

Mysticè tres gentes quid significēt?

Mysticè Rabanus, & ex eo Jansenius: Israel est Ecclesia & populus Christianus, cuius tres infensissimi hostes sunt Primò, Idumæi, idest, Judæi, qui æquè ut Idumæi, ex fidelibus Patriarchis, Abraham, Isaac & Iacob progeniti spiritales eorum in fide filios, putà fideles Christianos, persequuntur. Unde vocantur *Edom* & Idumæi, idest, rufi; quia sanguine Christi, quem occiderunt, & Christianorum rubricati: & *Seir*, idest, pilosi; quia superbi, & duri obstinatè in sua perfidia persistunt. Secundò, sunt Philisthiim, qui interpretantur ruina duplex, ait Raban. Hi repræsentant Gentes idololatras, Turcas & Saracenos, qui nihil commune habent cum Christianis, sed in sua idololatria & sceleribus perseverantes Christianos atrocissimè persequuntur. Tertiò, sunt Samaritæ, qui repræsentant hæreticos. Hi stulti habitant in Sichimis, idest, in humeris sive laboribus; quia quotidiè perversa scribendo, & prava docendo, stultè laborem suum consumunt, ut se & alios in errorem, & gehennam pertrahant. Dicentes ergo se sapientes, stulti facti sunt, Rom. 1. Hi non sunt gens una, quia ex variis locis orti, & ex variis sectis & hæresibus etiam inter se contrariis conflati; veritatem tamen religionis sibi solis contra Catholicos orthodoxos vendicare audent, mentientes se Apostolorum esse filios & discipulos, eorumque doctrinę insistere.

Rursum Idumæus, velut frater natu maior Iacobo, sive Israele, repræsentat mundum; Philisthæus dæmonem, Sichimita carnem, ait Palacius. Sichem enim corrupit Dinam Iacobi filiam, Genes. 34. Porrò hi tres hostes circumsident & occidunt fideles, & Ecclesiam, sicut Israelem & Iudam circumsidebant & obsidebant Idumæi à Meridie, Philisthæi ab Occidente, Sichimitæ à Septemtrione.

VERS. 29. DOCTRINAM SAPIENTIÆ, ET DISCIPLINÆ SCRIPSIT IN CODICE ISTO JESUS FILIUS SIRACH JEROSOLYMITA, QUI RENOVAVIT SAPIENTIAM DE CORDE SUO) Syrus, *omnia proverbia sapientum, & ænigmata eorum scripta sunt in codice isto.* Hic versus & sequentes duo videntur esse adiecti Siracidi seniori sive avo, à Siracide iuniore sive nepote, ut ostendat libri huius auctorem esse Iesum filium Sirach avum suum: veteres enim, ut Moses, Iosue, David, Samuel, &c. gloriam fugientes nomen suum libris non præfigebant. Unde in calce nomen ab aliis addebatur, ut sciretur libri auctor. Atq; hac de causa de tot libris S. Aug. S. Hieron. S. Cypriani, &c. velut incertis & dubiis, utpote olim anonymis, tanta est inter doctores disceptatio. Eadem est de auctoribus libri Iosue, Iudicum, Regum, Paralipomenon, Iudith, Tobiæ, Esther, Machabæorum, &c. Addidit ergo hæc Iesus nepos, ut testetur librum hunc scriptum ab avo suo. Verùm nil obstat quo minùs hęc ab ipso Iesu seniore, sive avo scripta dicantur: sic enim in aliis nonnullis veterum libris nomen ab ipso auctore in calce abiectum legimus. Unde Græca Romæ correcta pro *scripsit*, legunt in prima persona *scripsi*, quasi ipse avus loquatur dicatque: Ego Iesus doctrinam sapientię & disciplinæ scripsi in codice isto. Primus qui nomen suum operi prefixit, fuit Salomon: Proverbia enim sua ipse sic inchoat; *Parabolæ Salomonis filii David, regis Israel.* Græca nonnulla, ut Tigurina, ad *Jesus filius Sirach* addunt, *Eleazar*, vel *Eleazari*, quasi Iesus hic fuerit filius Sirach, qui Sirach fuerit filius Eleazari; ita ut Iesus fuerit nepos Eleazari. Unde aliqui opinati sunt Iesum hunc fuisse nepotem Eleazari pontificis, qui 70. interpretes misit ad Ptolemęum Philadelphum. Verùm id refutavi in prologo. Iesus enim hic fuit coęvus Simoni pontifici, qui Eleazarum in pontificatu antecessit, illumque quasi fratrem eius heredem & successorem reliquit. Nam in Simone finit elogia patrum, nec ullam Eleazari successoris fa-

An Siracides fuerit nepos Eleazari pontificis.

cit mentionem. Quare paulò post Simonis mortem hunc librum scripsisse videtur, sub initium regni Ptolemæi Philadelphi: unde & nepos eius in prologo fatetur, se librum hunc ex Hebræo in Græcum transtulisse sub Ptolemæo Evergete, qui Philadelpho proximè in regnum Ægypti successit. Quocirca alii censent Sirach patrem Iesu, alio nomine vocatum Eleazarum: erant enim Iudęi polyonymi. Verùm τὸ *Eleazar*, vel *Eleazari*, delent codices Græci Romæ emendati, æquè ac Latini omnes: quare planè irrepsisse videtur, esseque delendum.

Porrò Jesus *renovavit sapientiam de corde suo*; quia priscam veterum sapientiam, sive Ethicam, jam obsoletam, & penè oblivioni traditam, de novo conscripsit, itaque eam quasi novam edidit & vulgavit. Græcè est ἀνώμβρησε σοφίαν ἀπὸ καρδίας, idest *distillavit*; Rom. *diffudit*; *sapientiam à corde*; Vatab. *effudit animi sui sapientiam*; alii propriè, *ut imbrem effudit sapientiam à corde suo*, iuxta illud Moysis: *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina*, Deut. 32. 2. Vide ibi dicta.

VERS. 30. BEATUS, QUI IN ISTIS VERSATUR BONIS: QUI PONIT ILLA IN CORDE SUO, SAPIENS ERIT SEMPER] Syrus, *beatus vir qui in his meditabitur, & discet ea, capit ea, & faciet ea.* Nota. Adeò insitum naturæ est beatitudinis desiderium, ut nemo sit qui non velit esse beatus. Unde S. Aug. lib. 13. de Trin. c. 3. *Mimus quidam*, inquit, *cùm se promisisset in theatro quid in animo haberent, & quid vellent omnes, aliis ludis esse dicturum: atque ad diem constitutum major multitudo confluxeret, suspensis silentibus omnibus, dixisse perhibetur: Vili vultis emere, & caro vendere, &c. Ennius quoque dicens: Omnes mortales sese laudari exoptant, videtur pronuntiasse hominum omnium voluntates, &c. At si dixisset, Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non agnosceret voluntate.* Ibidem enim ostendit aliquos non cupere laudem, nec opes, sed nullus prorsus est qui non cupiat esse beatus. Verùm multi quærunt beatitudinem ubi non est, putà in honore, epulis, divitiis. Siracides ergo hìc digito ad fontes intento, indicat locum sedemque beatitudinis esse sapientiam; ut ibi eam quæramus, alibi eam non inventuri. Sola enim sapientia, hoc est sola virtus, beat.

Beatitudo sita in sapientia.

VERS. 31. SI ENIM HÆC FECERIT, AD OMNIA VALEBIT: QUIA LUX DEI VESTIGIUM EJUS EST) Syrus, *altitudo* (eminentia) *timoris Dei super omnia exaltata est: vide eum fili mi, & ne dimittas eum.* Sensus est, q. d. Beatus erit, qui in bonis, tum virtutibus, tum earum præmiis, quæ hoc libro describit legendo, & meditando assiduè versatur, quare qui ea in corde suo recondit, sapiens evadet. Si enim hæc in opus, & praxim redegerit, ad omnia, quæ agenda erunt, fiet potens & validus (græcè enim est ἰσχύσει) *quia lux Dei vestigium ejus est.* Est metonymia: *vestigium* enim ponitur pro gressu, qui fit per vestigia. q. d. Quia ambulat, & vestigia gressuum, actionumque suarum figit in luce legis & sapientiæ Dei, iuxta illud Christi: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, Ioan. 8. 12. Unde Vatablus vertit, *qui hæc egerit, valebit ad omnia, quia vestigium ponit in luce Domini, qui sapientia pios imbuit*, quia scilicet Iesus Sirach hæc scripsit non ex cerebro suo, sed ex illustratione lucis divinæ. Alludit ad columnam ignis, & lucis, quæ quasi dux vitæ Hebręos pręcessit in deserto, eosque certò duxit & perduxit in terram promissam: quacumq; enim illa præcedebat, illac sequebantur Hebræi, ibiq; vestigia sua figebant Exodi 13. 21. Eadem de causa Abrahæ apparuit lampas in caligine, transiens inter divisiones victimarum, Gen. 15. 17. lampas .n. transiens repręsentabat Deū, qui Hebræis quasi in tenebris Aegypti oberrantibus pretendit facem, ut tutò exirent; itaque Hebræos invitabat ad exitum. Quare populo Hebræorum tunc *lux Dei* fuit *vestigium ejus*: quia scilicet populus præeuntis lucis vestigia secutus est. Idē Trop. Deus facit iustis, dum eis viā ad virtutem, perfectionem & beatitudinem prælucens indicat & commonstrat. Id facit per illustrationes rerum divinarum & celestium, quas quasi fulgura menti immittit.

Græca Complut. Vatablus, & alii addunt; *Et piis dedit sapientiam. Benedictus Dominus in sæculum. Fiat, fiat.* Verùm codices Romæ emendati hæc omittunt; prior enim pars mutuata, & transsumpta videtur ex fine c. 43. posterior ex fine psalm. 88.

CAPUT

CAPUT QVINQUAGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Laudat & celebrat Deum, quòd se à multis afflictionibus & periculis liberarit. Inde v. 18. ostendit quantum à puero studuerit sapientiæ, quantosque ex ea fructus perceperit. Denique vers. 31. omnes suo exemplo ad sapientiæ studium hortatur & accendit.

1. ORatio Jesu filii Sirach: Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum salvatorem meum.
2. Confitebor nomini tuo: quoniam adjutor & protector factus es mihi. 3. Et liberasti corpus
meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labiis operantium mendacium, & in conspectu a-
stantium factus es mihi adjutor. 4. Et liberasti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui à
rugientibus, præparatis ad escam. 5. De manibus quærentium animam meam, & de portis tribulatio-
num, quæ circumdederunt me. 6. A pressura flammæ, quæ circumdedit me: & in medio ignis non
sum æstuatus: 7. De altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacii, à rege i-
niquo, & à lingua injusta. 8. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum. 9. Et vita mea ap-
propinquans erat in inferno deorsum. 10. Circumdederunt me undique, & non erat qui adjuva-
ret. Respiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat. 11. Memoratus sum misericordiæ tuæ Do-
mine, & operationis tuæ, quæ à sæculo sunt. 12. Quoniam eruis sustinentes te Domine, & liberas eos
de manibus gentium. 13. Exaltasti super terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecatus
sum. 14. Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, &
in tempore superborum sine adjutorio. 15. Laudabo nomen tuum assiduè, & collaudabo illud in
confessione, & exaudita est oratio mea. 16. Et liberasti me de perditione, & eripuisti me de tem-
pore iniquo. 17. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini. 18. Cum
adhuc junior essem, priusquam oberrarem, quæsivi sapientiam palam in oratione mea. 19. Ante tem-
plum postulabam pro illa, & usque in novissimis inquiram eam. Et effloruit tamquam præcox uva. 20. Læ-
tatum est cor meum in ea. Ambulavit pes meus iter rectum, à juventute mea investigabam eam. 21. In-
clinavi modicè aurem meam, & excepi illam. 22. Multam inveni in meipso sapientiam, & multum pro-
feci in ea. 23. Danti mihi sapientiam, dabo gloriam. 24. Consiliatus sum enim ut facerem illam: zela-
tus sum bonum, & non confundar. 25. Colluctata est anima mea in illa, & in faciendo eam confirmatus
sum. 26. Manus meas extendi in altum, & insipientiam ejus luxi. 27. Animam meam direxi ad illam,
& in agnitione inveni eam. 28. Possedi cum ipsa cor ab initio: propter hoc non derelinquar. 29. Ven-
ter meus conturbatus est quærendo illam: propterea bonam possidebo possessionem. 30. Dedit mihi Do-
minus linguam mercedem meam: & in ipsa laudabo eum. 31. Appropiate ad me indocti, & congregate
vos in domum disciplinę. 32. Quid adhuc retardatis? & quid dicitis in his? animæ vestræ sitiunt vehe-
menter. 33. Aperui os meum, & locutus sum: Comparate vobis sine argento. 34. Et collum vestrum
subjicite jugo, & suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim invenire eam. 35. Videte ocu-
lis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem. 36. Assumite disciplinam in mul-
to numero argenti, & copiosum aurum possidete in ea. 37. Lætetur anima vestra in misericordia ejus, &
non confundemini in laude ipsius. 38. Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem
vestram in tempore suo.

Vers. 1. ORATIO JESU FILII SIRACH] *Oratio*, id est A hymnus & psalmus, quo gratias agit Deo pro liberatione sua è tot periculis & malis, eumque laudat & glorificat; oratio enim genus est amplum, omnem mentis ad Deum elevationem, collocutionem, unionem significans: quod multas sub se continet species, quarum una est hymnodia & psalmodia, sive laus & gratiarum actio, ut patet 1. Timot. 2. 1. Sic Pharisæus orabat dicens; *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum*, Luc. 18. v. 11. Sic angeli & Beati in cœlo orant, & adorant Deum, ejus sanctitatem & magnificentiam admirando, & exclamando; *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria tua.* Et: *Sedenti in throno & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum*, Apocal. 5. 23. & c. 4. v. 8. & seq. & c. 7. 12.

Hymnus Siracidis ad quid? Porrò ad literam scripsit hunc hymnum Siracides pro se, scilicet ut gratias agat Deo pro sui liberatione, & beneficiis ab eo acceptis; Spiritus sanctus tamen per eum voluit hic toti Ecclesię, omnibusque fidelibus dare formam gratias agendi Deo pro liberatione è quibuslibet periculis & malis. Vnde Ecclesia eam usurpat applicatque S. Agneti, aliique sanctis Virginibus & Martyribus, B illamq; legit in earumdem Officio & Missa. ita Rabanus. Siracides ergo præscribit hic modum gratias agendi Deo omnibus sanctis, prę sertim Virginibus, & Martyribus, pro salute animę, & corporis, & maximè castitatis à Deo inter tot tentationes, & violentias semper conservatę. Fuit enim hoc perpetuum quasi Dei studium, ut virgines, fideles, quas tyranni in lupanari omnium violentię & libidini prostituebant, à Deo virginum patrono, & vindice per miraculũ illęsę perpetuo servarentur, uti patuit in S. Agnete, S. Lucia, s. Agatha, ceterisq; omnibus.

CONFITEBOR TIBI DOMINE REX, ET COLLAUDABO TE DEUM SALVATOREM MEUM] Syrus, *laudabo nomen tuum Domine quotidie.* Pro *confitebor* græcè est, ἐξομολογήσομαι, idest, faciam exomologesin, edam confessionẽ meam, ut scilicet verè & sincerè coram toto mundo cõfitear & profitear me innumeris malis circũdatum, & penè oppressum, nulla mea vel humana virtute, sed solius Dei ope ab omnibus liberatũ, salvũ, & incolumem evasisse. Deũ vocat *regem*, ut opponat eum Ptolemęo regi se affligẽti. q. d. Rex Ptolemæus me afflixit, sed Deus, qui est Rex regũ, & Dominus dominantiũ, ab ejus manu & tyrannide me liberavit. Rursum vocat eũ σωτῆρα idest *salvatorem*, tũ, ut alludat ad nomẽ Jesu Christi Salvatoris, cujus ipse typũ nomine, æquè ac doctrina & passione sua, prę ferebat: Christi enim meritis omnis hęc ejus liberatio, omnisque gratia ascribenda est. Nam hebraicè *Jesus* idem est quod græcè Σωτὴρ, latinè Salvator, Matth. 1. Tum, ut alludat ad Ptolemæum Lagi suum persecutorem, qui Soter cognominatus est, sed falsò, teste Josepho 12. Antiq. cap. 1. q. d. Ptolemæus non fuit meus soter, id est salvator, sed oppressor: Deus opt. max. & Christus meus, verus fuit soter, qui me ab omnibus Ptolemæi afflictionibus potenter & clementer eripuit. Siracides imitatur Prophetas, ut Isaiam, qui post populi liberationem in doxologiam erumpens c. 12. 1. *Confitebor*, inquit, *tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, & consolatus es me.* Idem fecere tres pueri cùm à Deo servarentur illæsi in fornace Babylonia, Dan. 3. versic. 51. & 57.

& 57. ubi ob tantum miraculum & beneficium jubilantes: *Benedicite*, inquiunt, *omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula*, &c. Idem facit Habacuc cap. 3. *Domine audivi auditionem tuam, & timui*. Unde v. 8. *Ego autem*, inquit, *in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo*. Idem crebrò facit David in Psalmis, ut psal. 9. 2. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*. Psalm. 56. 10. *Confitebor tibi in populis Domine, & psalmum dicam tibi in Gentibus*, Psal. 88. 6. *Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine*. Psal. 103. 1. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*. Psal. 106. 21. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum*.

Quibus exemplis docet Spiritus sanctus, nos perpetim debere Deo gratias agere pro innumeris beneficiis, quibus nos à plurimis, etiam occultis, periculis liberat, & in dies plurima dona, quæ non cognoscimus, vel non advertimus, elargitur & confert, uti docet S. Chrysost. in formula gratias agendi Deo, quam alibi recitavi. Vide quæ de Dei laude & gratiarum actione dixi Apoc. 4. v. 8. & c. 5. 23. & c. 7. 12.

Vers. 2. Confitebor nomini tuo: quoniam adjutor et protector factus es mihi] Syrus *enarrabo nomen tuum in Canticis. Fiducia mea à sæculo es ò Excelse*; Vatabl. *nomini tuo gratulor, quòd mihi defensor fueris & adjutor*. Pro *confitebor*, græcè rursum est, ἐξομολογήσομαι, id est profitebor meam infirmitatem, meaque mala, ac Dei virtutem & beneficentiam, qua me ex omnibus malis eripuit: nostræ enim infirmitatis & divinæ virtutis bonitatisque humilis & grata confessio, summa est Dei laus & gratiarum actio.

Imitatur Davidem, qui Deum solet vocare & invocare: *adjutorem & protectorē*: Deus enim est *adjutor*, ait Jansenius, ad superandum mala jam parata: *protector*, ne obruāt mala futura. *Adjutor* ad benefaciendum: *protector* ad evitandum mala. Porrò quibus in rebus Deus fuerit sibi adjutor & protector explicat, dum subdit:

Vers. 3. Et liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ (græcè, ἐκ παγίδος διαβολῆς γλώσσης, id est *è laqueo calumniæ linguæ*; Vatabl. *à labiis linguæ calumniatricis*) Et a labiis operantium mendacium] *Operantium*, id est loquentium: opus enim labiorum non est aliud, quàm loqui. *Operantium* ergo *mendacium*, id est contra me concinantium calumnias, fraudes, falsa testimonia, &c. Unde Vatabl. *quòd adversus labia mendacio dedita, contraque adversarios mihi tuleris auxilium*.

Et in conspectu astantium factus es mihi adjutor] Pro *astantium* legit cum Rom. & aliis παρεστηκότων, jam Complut. & Vatabl. legunt ἀνθεστηκότων, id est *contra stantium*, hoc est, advertantium mihi. Ut hæc omnia intelligantur, notandum est ex Josepho 12. Antiq. 1. Ptolemæum Lagi (sub quo floruit Siracides) proximè post Alexandrum Magnum regem Ægypti, dolo occupasse Jerusalem, in eamq; sæviisse, hos spoliando, illos occidendo, alios perplures captivos abducendo: *Ingressus enim sabbatho urbem*, ait Joseph. *velut sacrorum gratia, Judæis nec arcentibus (quod nihil hostile suspicarentur) & alioquin eum diem in otio & quiete agentibus, sine difficultate potitus dominatus, acerbè eam & inclementer tractavit*. Et mox: *Ptolemæus multos captivos ex montano Judææ tractatu, & Hierosolymorum vicinia, Samariaq; & Garizim in Ægyptum traductos, jussit sedes ibi figere*. Unde cap. 2. narrat Ptolemæum Philadelphum, qui Ptolemæo Lagi quasi patri in regnum successit, manumisisse 120. Judæorum millia in gratiam Eleazari pontificis, qui eidem 72. Interpretes, ad Biblia Hebræa in Græcum idioma convertendum, transmiserat. Videtur ergo Siracides, utpote Hierosolymita, & vir in ea urbe princeps, ac sapientia clarus, huic cladi interfuisse, ejusq; non minima pars extitisse. Cùm igitur in miseranda illa strage multi Judæi occiderentur, maximè viri nobiles & sapientes, quòd eos suæ tyrannidi restituros timeret Ptolemæus; videtur & Siracides velut unus è primariis urbis civibus & principibus, cum aliis quæsitus ad necem, atque ex Ægyptiorum gladiis, ignibus & tormentis (quibus urbs ab hoste occupata conflagrabat) ereptus ope divina. Hoc est quod hic ipse commemorat & celebrat, ita Palacius, Jans. & alii. Ait ergo: *Liberasti corpus meum a perditione*; græcè ἐξ ἀπωλείας, id est *ab interitu*, putà à morte, quę in urbis vastitate mihi in singulas horas à grassante hoste imminens, & quasi præsens, jugiter ob oculos versabatur.

Ptolemæi Lagi sævitia in Judæos.

Philadelphi in eosdem clementia.

A laqueo linguæ iniquæ, id est *calumniatricis*, ut vertit Vatabl. Credendum est, inquit Palacius, aliquem delatorem detulisse Ptolemæo, ubi Auctor lateret, ut inde abduceretur ad pœnam, & contra eum mendacia fuisse conficta, ideo ait, *A labiis operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adjutor*. Credo Auctorem corā Ptolemęo & ducibus ejus adductum mendacia contra se audivisse; sed eum in tam ancipiti causa orantem Deus adjuvit, ne occideretur. Unde Syrus, *liberasti*, inquit, *animam meam a morte, prohibuisti carnes meas a corruptione, de manu inferi liberasti pedes meos*. Fortè Siracides apud Ptolemęum mendaciter accusatus fuit alicujus seditionis aut perduellionis, quòd cives & vicinos ad ei quasi hosti resistendum, eumq; urbe expellendum occultè sollicitaret: hoc enim magistratus & senatoris (qualis putatur fuisse Siracides) videbatur esse officium.

Siracides accusatus apud Ptolem. sed à Deo liberatus.

Simili modo apud Theodoricum regem Gothorum in Italia, accusati fuere Symmachus & Boetius senatus Romani principes, ac Joannes Pontifex, quòd Romam & Romanos ad ei, velut Arriano, rebellandum sollicitarent, ac contra eum Justini Imp. auxilium implorarent. qua de causa omnes ab eo occisi illustre obiere martyriū: sed mox sceleris pœnas dedit Theodoricus, projectus in ollam Vulcaniam, uti narrat S. Gregor. lib. 4. Dial. cap. 30. Vide Boetium in libr. de Consolat. philosophię, quos ea de causa in carcere conscripsit, dignos utique tanto principe, philosopho & Martyre.

Causa calumnię quoque fuisse videtur, quòd Siracides utpote Scriba & doctor legis avitę, Judęos, pręsertim in Ægyptum abducendos, doceret, ut ab Ægyptiorum idolis & moribus caverent, ac in paterna religione fideque à Deo Moysi tradita constantes persisterent: inde enim accusarunt eum quasi Ægyptiorum & Ptolemęi hostem, uti solent politici religionem ad politiam trahere, & in fide religiosos non tantùm perfidię, sed & politię suę adversarios interpretari. Quod si ita est, Martyr censendus est Siracides, utpote qui martyrio Jesu Christi, patiendo pro Dei lege & fide, patiētia sua prę luserit, ejusq; typum tam nomine quàm pręedicatione, tam vitæ innocentia & sanctitate, quàm persecutionum & tormentorum tolerantia gesserit. Certè in festis SS. Virginum & Martyrum hoc elegit Ecclesia in Officio divino; unde sentire videtur Siracidem suo hic martyrio iis viam stravisse.

Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, et de portis tribulationum, quæ circumdederunt me] q. d. Liberasti me non meis meritis; sed ob tuam immensam misericordiam ab hostibus in urbis vastatione furibundis, instar leonum scilicet rugientibus, prædæque & cædi inhiantibus, qui quærebant *animam*, id est vitam meam, perdere. Per *portas tribulationum*, Primò, Palacius intelligit judices. Solebant enim Hebræi in portis judicia exercere, & reos condemnare. q. d. Per Deum liberatus sum à judicibus meam condemnationem agitantibus, meamque necem ordientibus. Secundò, Dionys. q. d. Liberasti me ab ipsis tribulationibus, quæ sunt portę & viæ ad mortem, & ad vitam futuram, imò ad vitam beatam, si æquanimiter Dei intuitu & amore sustineantur.

Vers. 4.

Vers. 5.

Portæ tribulationum, quæ? Resp. Primo

Secundò.

Tertiò & aptiùs, per *portas* accipe ingressus, incursus, irruptiones densas tribulationum: sicut enim per portas hostis irrumpens in urbem, eam ferro flammaque vastat; sic dum portas tribulationum in aliquem laxat aperitque Deus, illæ facto agmine in hominem irruunt, eumque prosternunt & obruunt. Alludit ad irruptiones militum Ptolemæi in Jerusalem, per portas dolo vel vi apertas: hi enim uti urbem, ita Siracidis domum & familiam vastare satagebant; sed Deus eum protexit & liberavit. Dicit ergo: uti omnes urbis portæ apertæ Ptolemæo, viam dederunt irruentibus undique militibus ad eam vastandam: ita omnes tribulationum aditus in me laxari videbantur, ut omnes tribulationes in me irruerent, meque perderent; sed Deus me ab eis tutatus est & eripuit. Sic Virgil. 1. Æneid. de ventis è cælo in terram erumpentibus, eamque horrisonè perflantibus ait:

Tertiò.

Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.

Adde, in portis significari robur & firmitatem penè insu-

insuperabilem tribulationum: portæ enim urbium solent esse munitissimæ & robustissimæ, q. d. Videbar mihi undique cinctus tribulationibus, velut portis quibusdam validissimis & insuperabilibus, sed Deus omnes superavit & disiecit. Legit Interpres πυλῶν, id est portis; iam legunt πολλῶν, id est multis, unde vertunt, *de multis tribulationibus*; Vatabl. *è plurimis, quas perpessus sum, afflictionibus*.

Porrò vocat *misericordiam nominis* Dei; quia Deus misericordiam nomine suo præfert. Vocatur enim *miserator, misericors, multæ miserationis, pater misericordiarum, Deus totius consolationis*, &c. Exodi 34.6. psalm. 110.4. & 2. Corinth. 1. Ut significetur Deo proprium esse misereri & parcere, ac misericordiam ipsi esse connaturalem, intimam & essentialem, de eaque velut de nomine proprio Deum gloriari. Unde Græca Romæ correcta addentia &, legunt *misericordiæ & nominis*; Syrus, *salvasti me in multitudine misericordiarum tuarum, ab offendiculo* (scandalo) *& perditione liberasti me, & de manu quærentium animam meam, & a multitudine angustiarum mearum liberasti me*.

Vers. 6. APRESSURA FLAMMÆ (Syrus, *à flamma ignis*,) QUÆ CIRCUMDEDIT ME: ET IN MEDIO IGNIS NON SUM ÆSTUATUS,] scilicet non sum ambustus. q.d. Me ab acri tribulatione & validæ persecutionis æstu liberasti, quæ instar ignis me undequaq; vallabat & urebat, id est, acriter cruciabat: sic enim *ignis* & *flamma* per catachresin, sæpè sumitur pro quolibet acri dolore & cruciatu: ut psal. 16.3. *Igne me examinasti*. Ps. 65.10. & 12. Eccl. 2.5. ita Raban. Jansen. & alii. Posset tamen *ignis* & *flamma* hìc propriè accipi. Quid enim prohibet, inquit, Palacius, iudicis sententia Siracidem in rogum flammantem fuisse proiectum, ut olim fuere iuvenes Hebræi in fornacem Babylonicā iniecti, Daniel. 3. atque inde fuisse à Deo liberatū? Unde Græca habent, *à suffocatione flammæ in circuitu, & de medio ignis ubi non sum æstuatus*; alii *ubi non exarsi*. Flamma enim intercludens halitum & respirationem, hominem suffocat. Unde Vatab. *ex igne suffocationem undique minanti, ex igne, quem non accenderam*.

Qui vincit ignem concupiscentiæ, vincet & ignē corporeum. Mysticè Glossa: Ignis significat æstum libidinis: huius enim repressio & extinctio, est singulare donum gratiæ Dei: qui enim ignem concupiscentiæ vicerunt, vicerunt quoque ignem corporeum. Unde S. Agnes ob castitatem in medio flammarum illæsa, expansis manibus exultans orabat: *Te deprecor omnipotens, adorande, colende, Pater metuende, quia per sanctum filium tuum evasi minas sacrilegi tyranni, & carnis spurcitias immaculato calle transivi; & ecce venio ad te, quem amavi, quem quæsivi, quem semper optavi. Te confiteor labiis, te corde, te totis visceribus concupisco*. ita S. Ambros. serm. 90. *Exemplū S. Agnetis.*

& S. Peregrini, S. Peregrinus Diaconus Anconitanus, & Martyr sub Diocletiano, cùm in craticula ferrea igne subiecto extenderetur, oleoque perfunderetur, Deum hisce verbis precatus: *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas*, &: *Libera me à pressura flammæ, quæ circumdedit me*, incendium illud sine læsione superavit, uti ex monumentis Ecclesiæ Anconitanæ narrat Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ad diem 16. Maii.

Petri Ignei. Memorabile est quod de Abbate Petro, cui cognomen Igneus, legimus in Vita S. Ioannis Gualberti, fundatoris Ordinis Vallis umbrosæ, nimirum Petrum hunc, ut simoniam Archiepiscopi Florentini probaret & coargueret, invocato priùs Deo veritatis & religionis vindice, per medios flammarum globos uti intrepidum; sic & illæsum pertransisse, indeque Igneum cognominatum.

Magis mirabile & memorabile est quod de nonnullis Martyrum legimus, eos ad rogum damnatos, cùm corpus acribus flammarum cruciatibus absumeretur; animum tamen in iis illæsum invictumque ac tormentis omnibus superiorem perstitisse, perinde ac si foret angelus, nec in suo sed in alieno corpore ureretur, qui proinde Deo gratulans iubilansq; dicebat: *Liberasti me à pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus*.

Vers. 7. DE ALTITUDINE VENTRIS INFERI, ET A LINGUA COINQUINATA, ET A VERBO MENDACII, A REGE INIQUO, ET A LINGUA INIUSTA] repete, liberasti me. *De altitudine*, id est à profunditate: hanc enim significat Græcum βάθος. Sic mare altum vocamus profundum. Sensus est q. d. Liberasti me ab alto, id est profundo, ventre inferni. Cogitabant me occidere, & ita mittere in infernum: omnes enim, etiam iusti, ante Christum post mortem descendebant in infernum, putà ad limbum patrum: licèt enim Jansenius per *infernum* accipiat mortem & sepulcrum; meliùs tamen magisque propriè accipias infernum. Alludit ad Ionam in ventre ceti sepultum, ibique Deum invocantem: *De ventre inferi clamavi*, inquit cap. 2. *& exaudisti me*. Sensus est, q. d. Videbar mihi à morte & inferno absorptus, & in eorum ventre ita profundè demersus, sicut Ionas fuit in ventre ceti; sed singulari Dei ope inde erutus sum, & cum Iona vitæ restitutus. Præclarè Tertull. libr. ad Martyres cap. 2. *Nihil interest*, inquit, *ubi sitis in seculo, qui extra seculum estis: vagamini spiritu, spatiamini spiritu, proponentes vobis illam viam, quæ ad Deum ducit: quoties eam spiritu deambulaveritis, toties in carcere non eritis. Nihil crus sentit in nervo, cùm animus in cælo est*. *Nil sentit crus in nervo, cū animus est in cælo.*

Simili modo Sapient. 10.19. dicitur: *Ab altitudine inferorum eduxit eos*. Et c. 17. 13. tenebras Ægyptiacas vocat *impotentem verè noctem; & ab infimis & altissimis inferis supervenientem*. Profunditati enim quæ est in fundo terræ & inferni, respondet altitudo extimæ superficiei terræ: quantum enim profundus est fundus terræ, tantum ab eo in altum eminet extima eius superficies. Sicut ergo fundi ingens est profunditas, sic superficiei ingens est altitudo. Semidiameter enim terræ (qui metitur distantiam extimæ superficiei terræ à centro terræ) iuxta Aristot. continet Italica milliaria 7954. iuxta Ptolemæum milliaria 3245. iuxta recentiores verò 3035. ita noster Clavius in Sphæra c. 1. pag. 116. Tot ergo milliaribus descendit Siracides, & quivis alius Patrum, dum moriens è terra descendit ad infernum, qui est in centro terræ, ut habet communis Theologorum opinio. Quare rectè dicit, *ab altitudine ventris inferi*, &, ut vertit Vatabl. *ex imo Orci ventre eduxisti me*. *Terra usque ad centrum profunda est 3055. milliaria.*

ET A LINGUA COINQUINATA] Græcè, ἀκαθάρτου, id est *impura*. Ita vocat linguas calumniantium & falsò se accusantium ex odio, invidia, aliove impuro affectu.

Moral. hic disce linguam detractoris vocari contaminatam, quia detractio omnes sordes, id est peccata & defectus, proximorum, sub detractoris quasi serpentis lingua recondit.

ET A VERBO MENDACI (notat testes, qui mendax & falsum contra se testimonium dixerant.) A REGE INIQUO (putà à Ptolemæo Lagi, uti dixi v. 3.) ET A LINGUA INIUSTA] astantium Ptolemæo, eumque ad iniustam Siracidis mortem inflammantium, ait Palacius. Quamquam per hæc omnia eosdem accusatores, eorumque calumnias accipere possis. Idem enim aliis aliisque verbis exaggerat. Unde Græca habent, *à sermone mendaci* (qui fuit) *regi calumnia* (prodiens) *ex lingua iniqua*; Vatabl. *ab iniusta apud regem criminatione, & ab iniusta lingua calumnia*.

LAUDABIT USQUE AD MORTEM ANIMA MEA DOMINUM, ET VITA MEA APPROPINQUANS ERAT IN INFERNO DEORSUM] Syrus, *pervenit ad inferos anima mea, & spiritus meus morti appropinquavit*. legit noster Interpres ᾔνεσε, id est laudavit, hoc est, *laudabit*. Iam legunt ἤγγισε, id est *appropinquavit*: unde vertunt, *appropinquavit usque ad mortem anima mea, & vita mea erat propè infernum intimum*; Vatabl. *ad mortem usque propinquarat anima mea, vitaque deorsum quàm proximè orcum accesserat*. Noster meliùs legit ᾔνεσε, id est *laudavit*: dat enim causam cur adeò laudet Deum: nam τὸ & more Hebræo est causale, significans *quia*. q.d. Quamdiu vivam, quamdiu spirabo, jugiter usque ad mortem ex intimis animæ medullis laudabo Deum; &, id est *quia*, cùm iam essem in limine mortis & inferni, ipse me pro infinita sua misericordia inde reduxit & eripuit. Ex dictis patet, per *infernum* hìc non rectè accipi mortem & sepulcrum: sepulcra enim cùm sint iuxta extimam superficiem terræ, non possunt vocari *altitudo*, id est profunditas, *ventris inferi*, nec infernus infimus, vel, ut Noster vertit, *deorsum*, græcè κατωτάτου, id est imi sive infimi: pro quo aliqui malè legunt πονηροτάτου, id est pessimi. *Vers. 8. Vers. 9.*

Anagog. Hugo hæc exponit propheticè de Patribus è limbo per Christum liberandis.

Tropol. hæc exponas de periculis peccati & damnationis, quasi Siracides & quivis pius laudet Deum, quòd *Tropol. de periculis peccati.*

totius

totius vitæ tempore præservarit aut liberarit illum à gravioribus peccatis, & proinde à gehennæ suppliciis, ad quæ anima corpore hoc degravata, & sollicitante concupiscentia incitata, appropinquabat; sed Dei gratia retentabat & in bono solidabat. Hi ergo dicant gratulanter cum Psalte: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minus habitasset in inferno anima mea.* Et cum S. Maria Ægyptiaca pœnitente: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Et cum Isaja cap. 1. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & sicut Gomorrha similes essemus.*

VERS. 10. CIRCUMDEDERUNT (hostes & tribulationes) ME UNDIQUE, ET NON ERAT QUI ADIUVARET. RESPICIENS ERAM IN ADIUTORIUM HOMINUM, ET NON ERAT] Tribulationem exaggerat, ut Dei opem, indeque suum gaudium, & gratulationem exaggeret. Vide S. August. 8. Confess. 3. ubi hoc statuit axioma: *Ubique majus gaudium molestia major præcedit*; illudque probat inductione: *Triumphat*, ait, *victor imperator, & non vicisset nisi pugnavisset. Et quanto majus periculum fuit in prælio, tanto majus gaudium est in triumpho: Jactat tempestas navigantes, minaturque naufragium; omnes futura morte pallescunt: tranquillatur cælum & mare; & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger est charus, & vena ejus malum renuntiat: omnes qui eum salvum cupiunt, ægrotant simul animo, fit et recte, & nondum ambulat pristinis viribus, & fit jam tale gaudium, quale non fuit cum antea salvus & fortis ambularet.* Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 32. art. 4. ubi docet tristitiam præteritam esse causam delectationis. Verè Poeta:

Tristitia præterita causat lætitiam.

Gaudia præteriti cumulant inopina dolores.

VERS. 11. MEMORATUS SUM MISERICORDIÆ TUÆ, DOMINE, ET OPERATIONIS (perperàm Palacius, Jansen. & alii legunt, *cooperationis*: græcè enim est, ἐργασίας, id est, *operationis*, ita Romana) TUÆ, QUÆ A SÆCULO SUNT] Syrus, *memoratus sum miserationum Domini, & misericordiarum ejus quæ a sæculo sunt; qui liberat omnes qui confidunt in ea, & salvat eos ab eo qui robustior est eis.*

VERS. 12. QUONIAM ERUIS SUSTINENTES TE DOMINE, ET LIBERAS EOS DE MANIBUS GENTIUM] q. d. Cùm undique hostibus, & tribulationibus vallarer & cingerer, respectabam num quis hominum mihi auxiliari posset & vellet, sed nullum reperi; cùm alii possent, sed nollent, alii vellent, sed non possent, mihi in tantis ærumnis constituto auxiliari. Quare omni ope humana destitutus ad Deum confugi, unicum desolatorum refugium & asylum: memor enim fui misericordiæ tuæ, & operationis, quam (scilicet misericordiam tuam & operationem) à mundi exordio fidelibus tuis afflictis exhibere soles, ut eorum miserearis, & magna miraque pro eorum liberatione & salute opereris: quoniam pro infinita tua pietate eruere soles *sustinentes*, græcè ὑπομένοντας, id est *expectantes* te, tuamque opem patienter & ardenter invocando præstolantes, & liberas eos de manu gentium, qui tuos cultores persequuntur. Ita Vatabl. *Comprehensum*, inquit, *me tenebant undique, nec comparebat adjutor: ad humanum auxilium respectabam, nec ullum erat. Tum misericordiæ tuæ Domine recordatus sum, & eorum quæ ab ævo condito gessisses, te eorum qui in te fidunt liberatorem esse, & è manibus hostium vindicem.*

Proprium est Dei rebus desperatis succurrere.

Nota hic proprium esse Dei, divinum præstare auxilium, cùm deest humanum; ac proinde Deum singularem gerere providentiam & curam orphanorum, viduarum, pauperum, omniumq; derelictorum ab hominibus. hanc enim exigit Dei misericordia, pietas & magnificentia, juxta illud; *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor*, psalm. 9. 14. Hoc est quod vulgò dicitur: *Deus ex machina*, id est ex improviso apparens. Rebus enim planè perplexis & quasi desperatis sese ostendere, & succurrere solet Deus, omnesque difficultates expedire & complanare, præsertim si à fidelibus sui cultoribus devotè & ardenter invocetur. Unde illud Euripid. in Oreste: *Apollo in mediis tumultuantibus apparens, res turbatissimas subito componit.* Cùm enim rerum difficultas maior est quàm ut possit humana ope explicari, tunc tempus est ut Deus ostendat suam potentiam & providentiam, omniaque difficilia & perplexa explicet, faciatque facilia. Cùm ergo salus ex insperato ostenditur, apparet è machina Deus, Deique virtus & bonitas. Sic Philo in Legat. ad Cajum, narrat se cum sociis à Judæis legatum missum ad C. Caligulam Imp. ut deprecaretur ne Judæos cogeret se adorare velut numen; sed dum à Cajo rejectus repulsam pateretur, dixisse ad socios: *Nunc demum nobis sperandum est de sorte meliori, majorque fiducia figenda in Deo, quia tunc solet auxilium succurrere divinum, cum deest humanum.* Res ergo desperatæ sunt fori divini, & quæ ab hominibus deserta sunt, uni relinquuntur Deo: ideoque in iis non desperandum, sed magis sperandum; magisque spes acuenda in Deum; utpote cui illa præ ceteris curæ sunt & cordi.

EXALTASTI SUPER TERRAM HABITATIONEM MEAM] Legit, ἀνύψωσας ἀπὸ γῆς οἰκησίν μου, id est, VERS. 13.
exaltasti à terra domum & familiam meam; ut scilicet in terra feliciter viverem, & gloriosè habitarem. Ideoque pro morte defluente deprecatus sum, ut sequitur, confidens scilicet quòd solito more me à morte liberares, quin & exaltares. Jam legunt; ἀνύψωσα ἐπὶ γῆς ἱκετείαν μου, id est, *extuli super terram supplicationem meam.* q. d. E terra elevavi mentem meam ad Deum supplicans & deprecans, ut me à morte defluente mihi imminente eriperet. Minus rectè Complut. pro γῆς id est *terram*, legunt ὀργῆς, id est *iram*: unde vertunt, *exaltavi ab ira supplicationem meam.* Nam Romani ceterique legunt γῆς, non ὀργῆς.

ET PRO MORTE DEFLUENTE DEPRECATUS SUM] Græca iam habent, ὑπὲρ θανάτου ῥύσεως ἐδεήθην, quod Compl. vertunt, *pro morte liberationem rogavi*; Roman. *pro mortis liberatione deprecatus sum*; Vatabl. *ut à morte liberarer oravi.* Noster pro ῥύσεως, id est, *liberatione*, legit ῥεύσεως, id est *fluxu.* Unde vertit pro *mortis fluxu*, id est, *pro morte defluente deprecatus sum.*

Mors defluens quæ? Resp. Primò.

Quæres, quis est fluxus mortis, sive quænam est *mors defluens?* Resp. Primò, *mors defluens* dicitur, quæ in omnes defluit & dilabitur. q. d. Deprecatus sum ne raperer vorticibus mortis successive in omnes, sed hoc tempore in me defluentis: sicut enim mare, fluvius vel torrens exæstuans & exundans, nunc huc defluens, nunc illuc, sensim omnes & omnia abripit, sic mors nunc in hunc defluit eumque abripit, nunc in illum; itaque sensim omnes aufert. Rursum sicut naufragi dum vasto mari iactantur, alii his, alii illis fluctibus hauriuntur, & absorbentur: sic homines omnes huius vitæ fluctibus iactati; alii his, alii illis fortuitis casibus, & incursibus merguntur. Igitur sicut per nativitatem orimur, & fluimus in ortum, & vitam: sic per mortem diffluimus in interitum & occasum. Quin & vita nostra non est aliud, quam continuus fluxus ad mortem, ideoq; mors ipsa ab initio vitæ in nos defluere incipit per tot infirmitates & miserias, quæ sensim hominem consumunt, donec iis obruatur & moriatur; perinde ac rivus aquæ, licèt exiguus, si assiduè fluat in fossam, eam sensim fluendo tandem implebit, adeoque merget homines, quantumvis magnos, & gigantes, boves & equos in ea existentes.

Secundò, *mors* dicitur *defluens* per hypallagen, quia omnes homines pedetentim in eam defluunt, & dilabuntur: iuxta illud: *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* 2. Reg. 14. 14. Et Poeta. *Secundò*

Omnia prætereunt more fluentis aquæ.

Tertiò, *mors* dicitur *defluens*, quia mors consistit in *Tertiò.*
diffluxu & dissolutione quatuor humorum, spirituum, nervorum, organorum, omniumque membrorum hominis: sicut enim vita consistit in eorum compagine, & harmonia, sive debita singulorum proportione, quæ fit per calorem naturalem, & temperiem cuiq; propriam: ita hac deficiente dissolvitur illa compago, & harmonia, sicque homo dissolvitur, & moritur. Adde, omnes ferè homines mori fluxu rheumatis, & catarrhi ex redundante pituita, quo fauces opplentur; itaque homo suffocatur: unde moribundi solent gutture gargarizare, eoque sonitum quasi suffocationis vel strangulationis edere. Quocirca *Gorgias* Rhetor jam senex rogatus, *an libenter moreretur? Maximè*, inquit, *nam tamquam ex putri & diffluente domuncula non invitus discedo.* ita Stobæus serm. 115.

Quartò, *mors* dicitur *defluens* metonymicè, putà causaliter, quia omnes & omnia facit defluere & dilabi; mors enim facit ut dilabantur sanitas, vita, vigor, sensus, motus, opes, amici, omniaque bona mundi, tum interna, tum exter- *Quartò.*

externa, quibus affluebat homo, dum viveret & vigeret. Huc facit illud Job 22. 16. *Qui sublati sunt ante tempus, & fluvius subvertit fundamentum eorum*; Ubi S. Gregor. per fluvium jugiter fluentem accipit *quotidianum temporis lapsum & praesentis vitae mortalitatem*. Hugo verò fluxum intelligit mortis, quae instar fluvii impetu maximo incurrit in omnia ea, quae interitui sunt obnoxia. Et noster Pineda eidem accommodat hoc nostri Siracidis: *Pro morte defluente deprecatus sum*, quasi dicat. Deprecatus sum ut mors, quae vitae nostrae fundamenta lambit & erodit instar fluentis fluvii, paulisper à me dilaberetur, meque intactum & illaesum relinqueret.

Denique per mortem defluentem accipit mortem certam & naturaliter inevitabilem, quae scilicet certo cursu & destinato fluxu in hominem defluit, ut non sit possibile homini eam avertere; sicut non est possibile homini avertere fluxum fluminis suo alveo in arborem hominemve defluentis. Id patet ex praecedentibus dixit enim immediatè antè: *Non erat qui me adjuvaret. Respiciens eram in adjutorium hominum, & non erat.* Tunc ergo rebus profligatis, certoque morte mihi imminente ad te Deum confugi, ac *memoratus sum misericordiae tuae Domine, & pro morte* certò in me *defluente deprecatus sum*.

Vers. 14. INVOCAVI DOMINUM PATREM DOMINI MEI UT NON DERELINQUAT ME IN DIE TRIBULATIONIS MEAE, ET IN TEMPORE SUPERBORUM SINE ADJUTORIO] Graecè, ἐν καιρῷ ὑπερηφανιῶν ἀβοηθησίας, quod Complut. & Roman. vertunt, *in tempore superborum destitutionis*, cùm scilicet dominantibus superbis ab omnibus destituerer & derelinquerer, itaque omni humano carerem adjutorio. Vatabl. *opem negantibus superbis*; alii, *in tempore quo dominantur superbi, deficiente auxilio*; Syrus, *levavi de terra vocem meam, oravi & invocavi patrem meum de excelso* (dicens) *Domine gigas* (Syri Deum vocant Gigantem saeculorum, ob fortitudinem, magnitudinem & aeternitatem) *& salvator, ne derelinquas me in die angustiae, quae contristat*.

Deus est gigas. Lecitorum, cur? Siracidi cognita fuit S. Trinitas.

Nota hic, Siracidi & Judaeis priscis cognitum fuisse Deum Patrem, & Deum Filium, adeoque mysterium SS. Trinitatis. Invocat enim *Dominum*, id est Deum Patrem Domini sui, putà Dei Filii, qui per incarnationem futurus erat Messias & Christus, id est redemptor & salvator hominum, ut eos à peccatis omnibusque malis & hostibus liberaret. Quocirca ad Messiam quasi liberatorem ipse ceterique omnes anhelabant, ideoque hic ejus mentionem iniicit, q. d. Invocavi Deum Patrem Verbi aeterni, sive Messiae ad nos venturi, ut per eum ejusque merita me à tantis tribulationibus liberaret; adeoque statuto ab eo tempore eum ad nos mitteret, ut ab omnibus malis me ceterosque fideles suos eripiat. Tantum est, ait Palacius, Deum adorare quatenus Pater est, tantum valet apud Patrem memoria Filii. Plus valet mentio Patris, quàm omnipotentis, &c. amat enim Pater Filium. Ideo Ecclesia à Filio instituta Patrem per Filium deprecatur, omnesque orationes & Collectas ita concludit: *Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum*, &c.

Alludit ad illud psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo*. Et psalm. 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te*. Et psal. 70. *Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio regis*.

Vers. 15. LAUDABO NOMEN TUUM ASSIDUE, ET COLLAUDABO ILLUD IN CONFESSIONE, ET EXAUDITA EST ORATIO MEA] *In confessione*; Vatabl. *cum gratulatione*. Est hyperbaton, sive inversus ordo: *Invocavi Dominum patrem Domini mei*, &c. *& exaudita est* ab eo *oratio mea*: quocirca *laudabo* Domine *nomen tuum assiduè*. Aut certe τὸ & more Hebraeo exponendum per *quia*. q. d. Laudabo nomen tuum, &c. &, id est *quia*, exaudita est à te oratio mea. unde Tigur. vertit, *laudabo nomen tuum omni tempore, & memorabor tui in canticis: tunc exaudivit Dominus vocem meam, auscultavit supplicationem meam, & liberavit me ab omni malo, & salvavit ab omni moerore*. Aliter Jansenius, q. d. *Invocavi Dominum patrem Domini mei* in tribulatione, dicendo: Si me ab ea liberes, laudabo nomen tuum assiduè; & sic me cum hujusmodi voce orante, exaudita est oratio mea. Verùm haec explicatio multa subaudit, & supplet quae non sunt in textu.

Vers. 16. ET LIBERASTI ME DE PERDITIONE, ET ERIPUISTI ME DE TEMPORE INIQUO] Graecè πονηροῦ, id est *malo*, molesto, maligno, malefico, difficili, anxio, periculoso, quo scilicet mali & iniqui dominabantur, meque & ceteros aequos piosque tui cultores opprimebant. Vatabl. *nam servasti me ab interitu, & ex improbo tempore eripuisti*. Idem aliis & aliis verbis refricat & inculcat; quia cor habebat plenum tam sensu suarum afflictionum, quàm gratiarum actione, laude & jubilo Dei, qui ex omnibus eum eripuit.

Identidem repetit Siracides τὸ *liberasti*, ut sese è multis angustiis liberatum profiteatur, Deoque liberatori exultabundus gratias agit. Similiter modo S. Vuilgefortis virgo & Martyr (quam celebrat Martyrol. Roman. die 20. Julii) alio nomine nuncupata est *Liberata*, quòd à Deo è multis tribulationibus fuerit eruta. Unde Breviarium Seguntinum (ibi enim sacrum ejus corpus quiescit; unde & à civibus velut urbis tutelaris, & patrona, magno honore colitur) cùm narrasset eam Catellii reguli Lusitaniae filiam, ac matrem eodem partu novem enixam filias, nimirum Geniberam, Victoriam, Eumeliam, Gemmam (Margaritam) Marcianam, Germanam, Basiliam, Quiteriam, & Vuilgefortem sive Liberatam, matrem, inquam, de tanto puellarum partu verecundatam jussisse obstetrici, ut omnes secretò in flumine submergeret; sed obstetricem piis matronis illas educandas tradidisse; quae proinde omnes sanctae virgines, & Martyres, licèt diversis locis & temporibus, evasere, ac velut novem caelestes Musae novem angelorum choros exornant: subdit: *Dimissis igitur cunctis sororibus ad regna caelestia, tandem B. Liberata multis tormentis cruciata, cum a fide avelli non posset, capitis abscissione migravit ad Dominum. Et sic liberata à fluminis submersione* (quando nata est,) *liberata ab infidelitatis errore* (per baptismum,) *liberata a corruptione carnis* (nam pro pudicitia passa est,) *liberata ab ergastulo corporis per martyrii triumphum, libera pervenit ad Christum*. Fusiùs harum novem sororum agones & martyrium, ex priscis Hispanicarum Ecclesiarum monumentis authenticis, describit Franc. Bivarius in Comment. ad Chronicon L. Dextri, anno Christi 138. ubi & validis rationibus contendit S. Margaritam, quam colit Ecclesia die 20. Julii, esse Gemmam, unam novem sororum jam dictarum.

PROPTEREA CONFITEBOR, ET LAUDEM DICAM TIBI, ET BENEDICAM NOMINI DOMINI] Graecè *nomen Domini*, id est Dominum, q. d. Benedicam & glorificabo Dominum per suum nomen, nominando scilicet & exaltando sanctum ejus nomen. Vatabl. *propterea gratulor tibi, & laudes ago, Domine, nomenq; tuum celebro*. Aliter Palacius, qui per *nomen Domini* accipit filium Dei, in quo quasi in nomine, voce & verbo agnoscitur Pater. Non solùm, inquit, laudat Deum, sed etiam laudes dicit nomini Domini, qui est filius Dei: iuxta illud Joan. 12. *Pater clarifica nomen tuum*, id est filium tuum ita ipse. Vers. 17.

CUM ADHUC JUNIOR ESSEM, PRIUSQUAM OBERRAREM QUAESIVI SAPIENTIAM PALAM IN ORATIONE MEA] q. d. Dum essem iuvenis, videremque alios mihi coaevos per varias Judaeorum & Philosophorum sectas erroresque oberrare; ego, ne in eosdem errores inciderem, per eosque quasi erro & vagabundus oberrarem, sectis omnibus earumq; scholis relictis palam, graecè ἐν προόψει, id est, apertè, publicè ex professo unam quaesivi sapientiam. quare adii eius fontem & auctorem Deum, assidua oratione ex toto corde postulans, ut eam mihi communicaret, dixique cum Salomone Sap. 9. 4. *Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam*. Et v. 10. *Mitte illam de caelis sanctis tuis, & de sede magnitudinis tuae, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te*. Unde aliqui exponunt sic: *Priusquam oberrarem*, id est priusquam idololatrarem: idola enim antonomasticè vocantur *errores*; tum obiectivè, quia multorum errores & erroneos cultus terminant; tum effectivè, quia in multos errores inducunt. Sic 1. Reg. 5. 7. *Dura est manus ejus super nos, & super Dagon deum nostrum*; Chald. vertit, *& super Dagon errorem nostrum*. Sic per varias Philosophorum sectas, & errores oberravit Sanctus Justinus Philosophus & Martyr, donec à Deo per hominem vel angelum veram sapientiam est edoctus, uti fusiùs enarravi Procemio in Pentateuchum. Sic per Manichaeorum errores oberravit in iuventute S. August. do- Vers. 18.

Error pro idololatria.

Errores S. Justini.

donec precibus S. Monicæ matris à Deo fuit illustratus. Quocirca S. Jacobus sapienter monet cap. 1. 5. *Si quis vestrum*, inquit, *indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*. Ita hodie multi per Philosophorum vel hæreticorum scholas oberrant, perduntque veram scientiam, fidem, pietatem, gratiam & salutem.

Pro *priusquam oberrarem*, græcè est πρὶν ἢ πλανηθῆναί με. quod Primò, verti potest, *priusquam errarem* vel *oberrarem*; Tigur. *antequam seducerer*. Secundò, cum Vatablo, *priusquam peregrinarer*, scilicet ad visendos homines sapientes, scholas & academias, in quibus audirem & discerem sapientiam. Vide dicta c. 36. v. 5. Sed prior sensus germanior & aptior est: iuventus enim mille erroribus exposita est, partim ob curiositatem & socios, partim ob concupiscentiam, per quam extra se vagatur per multiplices huius vitæ voluptates, & desideria erroris instar illius filii prodigi adolescentioris, qui peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè, Lucæ 15. 13. qui proinde Deo supplex dicat: *Erravi sicut ovis, quæ periit: quære servum tuum Domine*, psalm. 118. v. ult.

Porrò qui sapientiam quærit & invenit, Deum quærit & invenit: Deus enim est ipsa increata sapientia, à qua omnis creata velut radius à sole dimanat. Unde Syrus vertit, *cùm essem puer, complacuit mihi in eo* (Domino, de quo v. præced.) *& quæsivi eum; incessit pes meus in veritate Domine mi. A pueritia non novi doctrinam, & oravi orationem illius cùm parvulus essem & multam inveni doctrinam*.

Vers. 19. Ante templum postulabam pro illa, et usque in novissimis inquiram eam] Id est, ut Vatabl. *sectabor eam usque ad extremum*, scilicet ætatis & vitæ meæ. Pro *ante templum* Jansenius, Palacius & alii legunt *ante tempus*, cui congruit τὸ *& usque in novissimis inquiram eam*. q. d. Ante maturum sapientiæ percipiendæ tempus, & antequam tempus esset, quo communiter solent homines percipere sapientiam, aut pro ea obtinenda laborare, sed usque in novissima vitæ meæ tempora inquiram eam, ut quæ nec satietatem affert, nec fastidium.

Verùm legendum cum Roman. *ante templum*: hoc enim significat Græcum ἔναντι ναοῦ. nam sacerdotes soli oraturi ingrediebantur templum, putà Sanctum & Sanctum sanctorum: hoc enim dicebatur היכל *hechal*, id est templum, sive basilica: laici verò, qualis videtur fuisse Siracides, oraturi ante Sanctum, imò ante atrium sacerdotum in atrio laicorum, quod proinde erat eorum templum, consistebant. Unde Secundò, exponi posset, q. d. Intempestivè, putà summo manè, aut vesperè, & noctu (uti faciebat S. Casimirus, S. Genovefa, S. Carolus Borromæus & alii) adibam templum à Deo postulaturus sapientiam: at cùm templum, putà atrium laicorum, clausum invenirem, ante templum orabam Deum in templo residentem super arcam & Cherubim, in propitiatorio Sancti sanctorum, ut sapientiam mihi infunderet.

S. Basil. & Naz. nullam norant plateam nisi ad templum & scholas.

Hinc disce, meliorem & efficaciorem esse orationem, quæ fit in templo quàm quæ fit domi. Quocirca de S. Basilio & S. Gregorio Nazianzeno legimus apud Ruffin. & alios, quòd, cùm Athenis sapientiæ darent operam, nullam urbis viam vel plateam nossent, nisi unam quæ pergebat ad templum, & alteram quæ ducebat ad scholas. Sic olim Christiani noctu solebant ante valvas templi procumbere, & orare, ipsasque valvas deosculari, quin & idem per diem Romæ non tantùm in iubileo, sed sæpè aliàs fieri videmus. Ita S. Chrysost. homil. ultim. in 2. ad Corinth. *Nonne videtis, quot etiam vestibula templi huius osculantur, illi quidem flectentes, alii autem manu continentes, & ori manum admoventes;*

Et effloruit (ita Roman. malè Jansen. & alii legunt *& florebit*; peiùs Rabanus, *& defloruit*) tanquam præcox uva, lætatum est cor

Vers. 20. meum in ea] q. d. Sapientia, quam tanto studio sectatus sum, ante tempus in me florem & fructum protulit, eoque mirè me pavit, & oblectavit, uti solent uvæ præcoquæ, scilicet quæ ante alias maturescunt, sive primò & ante tempus maturæ, sicut enim uvæ continent vinum, quod totum hominem reficit, roborat, lætificat, vivificat: sic sapientia continet vinum spiritale, quod mentem Dei cognitione & amore implet & inebriat, quod proinde Apostolis propinavit Spiritus sanctus in Pentecoste, adeò ut de iis Dei amore inflammatis, tamque divina, & ardentia eructantibus dicerent Judæi: *Musto pleni sunt isti*, Act. 2. Hoc est quod ait Sapiens Proverb. 9. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum*, &c. *immolavit victimas, miscuit vinum*, & ad illud sui studiosos invitans: *Venite*, inquit, *comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*. Unde *lætatum est cor meum in ea*, multò magis quàm quis sitiens lætatur in musto & uvis præcocibus, iuxta illud Davidis psal. 115. *Calix meus inebrians quàm præclarus est!*

Igitur sapientia in me *effloruit tanquam præcox uva*; quia præcox ingenium, præcox sapientiæ studium, præcocem sapientiæ fructum & præmaturum sensum mihi pepererunt; cum alii vel pueri, vel adolescentes nimiùm immaturi, nimiumque acerbi in sapientiæ studio tunc temporis inveniri soleant, q. d. Puerilis ætas per sese ad sapientiam acerba, in me sapientiæ præcocis beneficio maturuit. Græca habent, *ex flore tamquam maturescentis uvæ lætatum est cor meum in ea*. q. d. Eo tempore quo nullus esse solet sapientiæ in pueritia gustus fructusve, sed tantùm flos aliquis, & bonæ indolis atque ingenii specimen; in me tamen ille flos simul cum maturescentis fructus dulcedine & suavitate coniunctus fuit. Unde aliqui clarè vertunt, *tanquam de flore maturescentis uvæ lætatum est cor meum de ea*.

Simili modo Salomon in iuventute præcocem à Deo petiit & obtinuit sapientiam, uti ostendit Pineda libr. 3. de Rebus Salom. c. 2. ubi & n. 5. asserit Siracidem in Salomonis persona hic loqui & dicere: *Cùm adhuc iunior essem, priusquam oberrarem, quæsivi sapientiam*.

Solida lætitia non nisi in Deo.

Moral. hic disce non esse veram solidamque lætitiam & delectationem, nisi in Deo eiusque sapientia, id est pietate & virtute. In Deo enim est omne bonum, quod mentem allicit & ad se pellicit, ut in eo quasi centro conquiescat, imò in eo quasi in pelago bonorum natet, eique se immergat & inebriet. Id expertus Psaltes exclamat psal. 40. 20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te!* Egregiè S. Aug. lib. 4. Confess. c. 10. *Quaquaversum*, inquit, *se verterit anima hominis, ad dolores figitur, alibi præterquam in te, tametsi figitur in pulchris extra te, & extra se*. Imò & Plato in Philebo, amicos Dei tantùm veris delectationibus frui dicit. Optimè S. Bernard. epist. 114. *Illum solum*, ait, *& verum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore suscipitur, & omnis aliunde iucunditas, mœror est, omnis suavitas, dolor est; omne decorum, fœdum; omne postremò quodcumque aliud delectare potest, molestum*.

Ambulavit pes meus iter rectum] Græcè, *ascendit pes meus in rectitudine*; Vatabl. *pes meus recta ingressus*; alii, *recta incessit*. q. d. A puero vitam prudenter rectèque institui, non incessi per errorum avia, nec per obliquas vitiorum ambages; sed recto itinere progressus sum, nimirum in omnibus secutus sum veræ prudentiæ dictamen, ut ad sapientiam practicam, putà ad virtutem pervenirem. Dictamen autem prudentiæ erat, rectum iter ad hanc sapientiam esse Primò, orationem; Secundò, lectionem & meditationem legis divinæ; Tertiò, studium virorum sapientum & sanctorum, uti docuit c. 39. v. 1. & seq. Nota Græcum ἀνέβη, id est *ascendit*, quia, ut ad sapientiam hanc pervenias, ascendas oportet de carne ad spiritum, de concupiscentia ad mortificationem, de superbia ad humilitatem, de gula ad abstinentiam, de avaritia ad paupertatem, denique de terra ad cælum. Rursum *iter rectum* ad Deum est recta intentio, qua quis non sua commoda, sed Dei gloriam, suamque & proximorum salutem in studio sapientiæ & virtutis spectat & intendit.

A juventute investigabam eam] Sicut venator solet leporem vel cervum per vestigia sequi ut eum comprehendat: tanto, imò maiori studio sapientiam venari oportet. Plato lib. 6. de Legibus docet, eos qui in re vel arte quapiam excellentes evadere cupiunt, debere se in ea à puero assiduè exercere. Hoc verissimum est in sapientia & virtute. Id significarunt veteres per Herculem, quem finxerunt puerum in cunis angues elidere solitum; virum deinde leones, hydras ceteraque monstra domasse; senem tandem cælum humero fulcire. Sic ut senes cælo potiamur, pueri angues concupiscen-

tia elidamus oportet, ac viri deinde contra mundum, carnem & diabolum decertantes, omnia superemus. Invenit hoc Isaias cap. 11. 8. dicens: *Delectabitur infans ab utero super foramine aspidis, & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet*. Themistocles cùm centum & septem annos vixisset, moriens dixisse fertur: *Omnes ætatis annos & dies in honestissimo litterarum, ac sacro Philosophiæ studio consumpsi. Doleo me nunc egredi è vita, quando ex literarum studio sapere incipio*. Idem ferè de Theophrasto commemorat Cicero in Tuscul. Sic Timotheum epistol. 2. cap. 3. vers. 15. laudat S. Paulus, quòd ab infantia sacras Litteras didicisset, ubi plura hujus rei exempla recensui.

VERS. 21. INCLINAVI MODICE AUREM MEAM, ET EXCEPI ILLAM] Græcè, *inclinavi paulum aurem meam, & admisi & comparavi mihi multam παιδείαν*, id est *disciplinam*.

VERS. 22. MULTAM INVENI IN MEIPSO SAPIENTIAM, ET MULTUM PROFECI IN EA] Græcè, προκοπὴ, id est *profectus factus est mihi in ea*; Syrus, *jugum ejus factum est mihi in honorem*. Significat ad sapientiam comparandam non opus esse ingenti, difficili & prolixo studio, uti nonnulli autumant, ideoque ab ea prosequenda deterrentur; sed modico labore multam sapientiam comparari. q. d. Post orationem qua à Deo postulabam sapientiam, admovi aurem, & audivi tam quæ Deus interiùs mihi sapienter inspiraret, quàm quæ doctores exteriùs me docerent, avideque illa excipiens multam inveni sapientiam, quam mente ruminans, ac voluntates gustans, & opere exercens, multum profeci in ea, præsertim quia à puero hæc feci, antequam auris & mens mea cupiditatis, & errorum illecebris imbueretur & depravaretur. Quare cùm aurem & mentem meam velut tabulam rasam exhiberem sapientiæ, illa facilè & ilicò omnem sapientiæ doctrinam hausit & imbibit, firmiterque retinuit. juxta illud,

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Intellige hæc de facilitate sapientiæ quoad ejus inchoationem, putà quoad ejus cognitionem, quæ est in intellectu, ac amorem & desiderium, qui est in voluntate: nam ejus executio & perfectio ardua & difficilis est. Unde vers. 25. ait: *Colluctata est anima mea in illa*. Causa est duplex, Prior, quòd sapientia in se sit facilis & clara, æquè ac fœcunda & abundans, instar Solis. Sicut ergo sol magnam lucem affert vel modicè eum intuenti; sic & sapientia. Accedit, quòd mens humana à natura propensionem habeat ad sapientiam, ac ejus lucis scintillas non modicas ab ortu insitas. Huc facit Magorum ænigma, quod citant Platonici, & Giraldus in Ænigmatib. *Est res undique lucida, est res undique obscura, est partim lucida, partim obscura*. nimirum, res planè lucida est mens divina: res undique obscura est anima irrationalis: partim lucida, partim obscura est hominis intellectus & ratio. Sic in ordine corporum res undique lucida, est stella quælibet supra lunam: res undique obscura, est aer: res partim lucida, partim obscura, est luna. Igitur sicut luna à sole facilè illuminatur, sic & mens humana à Deo.

Sapiĕtia facilis, duplici de causa.

Ænigma mentis.

Posterior, quòd doctor sapientiæ sit Deus & Spiritus sanctus, qui interiùs mentem mira luce illustrat, quo fit ut facilè capiat quæ exteriùs ei doctor instillat. Unde S. Leo serm. 1. de Pentecoste. agens de Apostolis, quos Spiritus sanctus linguis igneis in eos illapsus, subitò doctores orbis effecit: *O quam velox*, inquit, *est sermo sapientiæ, & ubi Deus magister est, quam citò discitur quod docetur!*

Virtus est facilis.

Moral. disce hic virtutem esse facilem ei qui illius est cupidus & avidus, ut modico labore eam assequi queat, præsertim si juvenis sit, qui necdum contrarios vitiorum habitus induit. Primò, quia virtus est secundùm naturam; nam conformis rectæ rationi: vitium autem est contra naturam, quia deforme rationi, legi & Deo: virtus enim reipsa non est aliud quàm recta ratio exculta atque perfecta. Secundò, quia aviditas & cupiditas virtutis non æstimat labores & difficultates pro ea consequenda, sed omnes leves censet, & generosè superat, utpote tanto virtutis pretio & præmio longè inferiores & minores. Id significarunt veteres hoc A emblemate & proverbio; quòd recitat Plutarch. libr. 1. Sympos. q. 5. *Musicam docet amor, licèt prius fuerit rudis*; per musicam enim, ut notat Manutius in Adagiis, significarunt sapientiam: hæc enim est summa animæ harmonia, quæ proinde Musis dicata erat: hanc enim docet amor. Hinc & Socrates apud Platonem in Convivio ait, animam corpori immersam expergisci amoris stimulis, ab eoque primos ad virtutem impetus accipere, quasi excusso soporis veterno. Tertiò; quia gratia Christi dat alas roboris & alacritatis, quæ facile efficiunt omne difficile. Quartò, quia usus & exercitium virtutis sensim omnes difficultates alleviat, habitumque inducit; habitus autem facilitatem operandi tribuit. Unde S. Leo serm. 5. de jejunio 7. mensis: *Hic*, inquit, *affectus, quo amor terrenus excluditur, bonorum operum consuetudine roboratur; quia necesse est, ut bonis actibus conscientia delectetur, & libenter faciat, quod fecisse se gaudeat*. Quintò, quia, ut docet Abbas Isaac apud Cassian. collat. 9. c. 4. animus humanus similis est levissimæ, quæ B nisi aqua aut humore aliquo crassiore superfusa fuerit, vel exiguo flatu in aerem è terra extollitur. Simili enim modo animus hominis, utpote spiritus, naturalem habet insitam levitatem, qua nisi cupiditatibus terrenis degravetur, ad superna facilè effertur, & humilia fastidiens ad cælestia evolat. Sextò, quia amor facit, ut continua exercitatione transeat quasi homo in ipsius virtutis affectum, ut nihil ea suavius, nihil vitio amarius æstimet. *Nec enim carius ac pretiosius quidquam præsenti judicat puritate, cui pœna gravis est, vel virtutum perniciosa transgressio, vel ipsius vitii virulenta contagio*, ait Cassian. collat. 11. c. 9.

Musicam docet amor: quà

Tertiò.

Quartò.

Quintò.

Sextò.

VERS. 23. DANTI MIHI SAPIENTIAM, DABO GLORIAM] Græca Complut. δώσω δύναμιν, id est, *dabo potentiam*. q. d. Confitebor & celebrabo quòd ejus virtute & potentia sapientia mihi communicata & indita sit. Sed Roman. & ceteri legunt, δώσω δόξαν, id est *dabo gloriam*; Vatabl. *cùm itaque profectum in ea sim assecutus, fatebor gloriam illius, qui mihi contulit sapientiam*. q. d. Deo, qui instar Solis jugiter illuminat mentem, eamque sua C sapientia illustrat, dabo sapientiæ meæ gloriam, palamque prædicabo me non à me ipso, sed à Deo illam adeptum, dicamque cum S. Paulo: *Soli sapienti Deo per Jesum Christum honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen*, Rom. 16. 27. & cum S. Jacobo cap. 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum* (quale est inprimis sapientia) *desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntariè enim nos genuit verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus*. Vide ibi dicta.

Porrò Deo quasi primo sapientiæ doctori prima ejus danda est gloria; angelis autem & hominibus, per quos Deus eam nonnullos docet, sua quoque à discipulis danda est gloria, sed participata, tamquam Dei instrumentis & interpretibus. Unde Syrus vertit, *præceptori meo dabo gratiarum actionem*. Extat Hippocratis medicorum principis juramentum, quod sic habet: *Testor deos omnes, me tributurum præceptori meo, à quo hanc artem edoctus sum, non minùs quam parenti, à quo sum genitus: vi-* D *tam cum eo communicaturum: res omnes quas illi necessarias esse intellexero, pro viribus meis ministraturum: progeniem ejus fratrum loco habiturum*.

Juramentum Hippocratis.

Nota. Non ait *ei qui dedit*, sed διδόντι, id est *danti*; quia Deus non tantùm dedit, sed instar Solis assiduè menti indit sapientiam, etiam conservando & augendo: conservatio enim est rei creatæ in suo esse creato conservatio, ac proinde nova jugisq; quasi creatio: jugi enim Dei creatoris influxu indigĕt omnes creaturæ, ut in sua essĕtia conserventur, quę si subtrahat Deus, ilicò in suum nihilum, ex quo à Deo eductæ sunt, recident & relabentur.

VERS. 24. CONSILIATUS SUM ENIM, UT FACEREM ILLAM: ZELATUS SUM BONUM, ET NON CONFUNDAR.

VERS. 25. COLLUCTATA EST ANIMA MEA IN ILLA, ET IN FACIENDO EAM CONFIRMATUS SUM] Τὸ *enim* dat causam cur ei data sit sapientia. Ne quis enim ex eo quod dixit v. 21. *Inclinavi modicè aurem meam, & excepi illam*, putet eam otianti & incurio datam, ac à solo Deo sine suo labore inditam, addit se pro ea consilia, labores & luctas varias subiisse. Deus enim negotiantibus opitulatur non otiantibus, vigilantibus non dormientibus, nec desides adjuvat sed laborantes, eisque cooperatur & collaborat. Unde Euri-

Deus negotiantibus opitulatur, otiantibus damō

Euripid. *Otiantibus nullus adest deorum*, sed cætus dæmonum. nam ut ait Cassianus lib. 10. de Instit. Cœnob. cap. 23. *Ab antiquis Patribus sancita est sententia: operantem monachum dæmone uno pulsari, otiosum verò innumeris spiritibus devastari*. Igitur docet hic modum, quo sapientiam sit consecutus, nimirum Deo eam operanti cooperando & collaborando. Primò ergo dicit, *consiliatus sum, ut facerem illam*; græcè διενοήθην, id est *cogitavi*; Vatabl. *decrevi præstare illam*. q. d. Considerans pulchritudinem sapientiæ, eamque admirans consilium cepi; deliberavi, resolvi, firmiterque decrevi illi me discipulum tradere, ac facere quidquid illa juberet. Rursum cepi consilium investigandi modos & rationes, quibus id præstare possem.

Secundò, *zelatus sum bonum*, id est, exarsi amore boni & honesti, quod illa mihi proponebat, meque ut facerem docebat. Zelo enim ingentiq; animi ardore opus est, ut tantum bonum tot difficultatibus obsitum, quis consequatur. Idcircò *non confundar*, id est, non excidam mea spe & conatu; sed bonum sapientiæ, quod tanto zelo prosequor, reipsa assequar. Aut potiùs *non confundar*, id est, non erubescam, nec verecundia afficiar sequendo ejus dictamina, ac exequendo quod illa me facere jubet: non pudebit me palàm, aperta fronte, & clara voce profiteri discipulum, & sectatorem sapientiæ & virtutis; esto ab hominibus mundo carnique deditis ea de causa irridear, & subsanner, habearque stultus, vilis, contemptibilis. Disce hic Philothee, amans, inquam, Dei & virtutis, superare rusticum pudorem, ac contemnere hominum judicia & risus; ut dicas cum S. Paulo: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*, Galat. 1. v. 10. ita non confunderis coram hominibus in vita, nec coram Deo in morte, nec coram Christo in die judicii.

Colluctatio animæ cum sapientia: unde?

Tertiò, *colluctata est anima mea in illa*, id est pro illa assequenda & opere exequenda; Vatabl. *animus meus cum illa conflictatus est*; alii, *acriter pugnavit* (hoc enim significat Græcum διαμεμάχηται) *anima mea pro illa*. q. d. Acriter certavi cum meis concupiscentiis legi sapientiæ repugnantibus, ac cum iis quasi antagonistis pro virili luctatus sum, ut iis quæ à sapientia me retardabant & avocabant, suppressis, liber & expeditus uni sapientiæ servirem & viverem. Igitur hæc lucta non fuit contra sapientiam, sed pro sapientia contra cupiditates, & vitia: fuit tamen indirectè cum ipsa sapientia. Sicut enim Jacob luctans contra angelum eum vicit, ab eoque benedici meruit: sic mysticus Jacob, id est luctator, & supplantator vitiorum, luctatur cum sapientia, utpote quæ quasi virgo casta & intacta fugit Jacobum & hominem luctantem cum vitiis, utpote adhuc vitiis & maculis infectum; sed dum ipse ea quasi Jacob domat & supplantat, sinit se ab eo teneri vincique sapientia, atque ei multifariam benedicit. Vide dicta Genes. 32. 25.

Homo quasi cōflatus ex angelo et bestia.

Porrò; hujus colluctationis causa & ratio à priori est, quòd anima humana partim sit rationalis inclinans ad bona spiritualia, partim sensitiva inclinans ad bona sensibilia, sicque homo videtur conflatus ex angelo & bruto; & hæc cum illa assiduè luctatur; sed pars sensitiva in eo vehementior existit, & secum rationalem sæpè trahit ad sua objecta sensibilia, neglectis spiritualibus. Nam, ut rectè docet Noster Lessius lib. 12. de Perfection. divin. cap. 9. mens humana, cùm inter naturas rationales sit infima, ac proinde carni mortali inserta, & sensibus addicta; nihil præter sensibilia & temporalia, ut honores, divitias, voluptates perfectè apprehendit: spiritualia, ut pulchritudinem virtutum, & bona vitæ futuræ, obscurè & confusè. Hinc fit ut à spiritualibus moveatur parum & languidè, à sensibilibus multùm, & validè: motiones enim affectuum, cognitionis apprehensionem sequuntur. Quare, objectis difficultatibus, & iis quæ carni molesta, homo facilè retrocedit, & studium virtutis abjicit: molestias enim illas, utpote sensibiles, & naturales, validè apprehendit; cumque oriantur ex rebus obscuris & non satis per experientiam comprobatis, fingit eas centuplo graviores quàm revera sint, & ita facilè ab illis vincitur. Bonum enim imperfectè apprehensum (quale est bonum virtutis & gloriæ celestis) non tantum attrahit, quantum ingens molestiarum imaginatio deterret. In bonis autem sensibilibus persequendis (qualia sunt opes, honores & voluptates) etsi magnæ difficultates se offerant; mens tamen humana perstat: quia Aetsi illæ molestiæ, per se deterreant, magis tamen bonorum speratorum vehemens apprehensio allicit, quorum ardens amor facit, etiam ipsas molestias longè quàm reipsa sint minores videri. Hæc est penè tota ratio & prima origo, cur via virtutis, alioquin per se facilis, & jucunditatis plena, videatur difficilis & amara; è contrario via sæculi, revera aspera, & molestissima, videatur facilis, & jucunda. Plus enim allicit fortis apprehensio bonorum sensibilium, quàm deterreat imaginatio malorum illis annexorum: & plus deterret valida imaginatio molestiarum, quæ studio virtutis inesse videntur, quàm apprehensio bonorum spiritualium (quæ in nobis valdè tenuis est & obscura) alliciat. Dominus igitur hujus infirmitatis nostræ conscius, ut fortiùs apprehenderemus bonorum spiritualium excellentiam, & minoris æstimaremus difficultates annexas; proponit hìc Siracidis exemplum, stimulum, & consilium, ut scilicet per sapientiæ studium bonis spiritualibus audiendis, legendis, meditandis, exercendis assiduè insistamus, iisque mentem plenè imbuamus, ut ipsa fiat spiritualis, eoque secum rapiat partem inferiorem, & animalem, indeque alios quoque tanti boni faciat participes. Nam ut ait S. August. in Sententiis num. 122. *Magnus bonorum labor est, mores tolerare contrarios: quibus qui non offenditur, parum proficit. Tantum enim torquet justum alieni peccati iniquitas, quantum à sua recedit*. Hæc enim est vis charitatis, & zeli, ut instar ignis omnia inflammet.

Porrò noster Pineda lib. 3. de Rebus Salomon. cap. 3. censet hæc dici in persona Salomonis, de eoque sic explicat, q. d. Inter varias cogitationum colluctationes & conflictus de optimo vitæ genere sectando, *consiliatus sum*, id est eligendo inii consilium tradendi me totum studio sapientiæ. Censet enim Siracidem doctrinam, & sensa Salomonis conscribere.

Quartò, *& in faciendo illam confirmatus sum*; Græca Complut. & Roman. legunt, καὶ ἐν ποιήσει λιμοῦ διηκριβωσάμην, id est, *in effectione famis diligenter egi*, vel diligentiam adhibui. q. d. Quàm diligens & sedulus est homo famelicus, ut cibum consequatur, famem levet; tam diligens ego fui in studio sapientiæ, ut ejus famem, & aviditatem exsatiarem. Verùm Tigurin. Vatabl. & alii pro λιμοῦ legentes μου vertunt, *& in operatione mea exactus fui*; Vatabl. *facta mea perpendi*, hoc est, ut Jansenius, actiones meas diligenter & exactè expendi, num cum præceptis sapientiæ convenirent, ut faciebat David dicens: *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua*, psal. 118. Qua de re divinè scripsit S. Bernardus libros quinque de Consideratione ad Eugenium Pontif. Alii vertunt, *& in effectione mea exquisitus fui*. Quò accedit Noster, *et in faciendo illam confirmatus sum*. q. d. Ut sapientiam semper facerem, ejusque dictamina explerem, obfirmavi animum, esto luctam in ejus praxi non modicam cum carne sentirem; tamen firmus in ea perstiti, & constanter perseveravi: Græcum enim διακριβοῦν significat Primò, exactè discutio, diligenter expendo; Secundò, exactè compono et absolvo; Tertiò, affabrè facio; Quartò, omni ope & exacta diligentia efficio, exequor diligenter. Quocirca Syrus vertit, *cogitavi benefacere, & non revertar quando inveniam illam. Conglutinata est anima mea cum illa, & faciem meam non averti ab ea. Dedi animam meam post eam* (tradidi me totum illi) *& in sæculum sæculorum non obliviscar illius*.

Quatuor requisita ad sapientiam.

Moral. disce hic ad sapientiæ, & virtutis consecutionem requiri, Primò generosam animi resolutionem, & propositum efficax ad eam prosequendam; Secundò, ardorem & zelum; Tertiò, colluctationem et mortificationem cupiditatum; Quartò, animi robur, constantiam et perseverantiam in virtutis studio et operatione. Igitur necesse est ei, qui sapientiæ donum in mente accipit, laborare, nervos intendere, totis viribus conniti, ut quæ jubet sapientia, fortiter exequatur: præcipit enim adversa carni, mundo, & dæmoni. Cum hisce ergo diu multumque ei colluctandum est: at idcircò, non delassetur, nec cadat animo, quia ipsa colluctatione non debilitatur, sed confirmatur animus; perinde ac Jacob luctans cum angelo, ideoque claudicans, ex lucta fortissimus effectus est, ut angelo, & Deo prævaleret: unde vocatus est Israel, id est prævalens vel dominans Deo, uti dixi Genes. 32. 28. Nam ut ait S. Paulus 2. Corint.

mino quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus; impleretur domus Dei nube.

Sic antitypè longè potiori ratione, & jure in sacrificio Missæ tempore Offertorii & Consecrationis cantores, & musici personant vocibus, & organis. Audi S. Isidorum lib. 1. de Offic. Eccles. c. 14. *Offertoria*, ait, *quæ in sacrificiorum honore canuntur, Ecclesiasticus liber indicium est veteres cantores solitos, quando victimæ immolabantur. Tunc exclamaverunt, ait, filii Aaron in tubis. Non aliter & nunc in sono tubæ, id est, vocis prædicatione, cantu accendimus, simulque corde & opere laudes Domino declamantes, jubilamus, in illo scilicet vero sacrificio, cujus sanguine salvatus est mundus.*

Quocirca non tantùm cantores, sed & angeli summa reverentia altare tunc circumstant, Deoque consona voce jubilant. Audi S. Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio: *Per id tempus, & angeli sacerdoti assident, & cælestium potestatum universus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, choris angelorum cinctus est.* Angelorum sacrificio Missæ ministrantium exempla plura recensui Num. 4. v. 49. Et S. Gregor. lib. 4. Dialog. c. 58. *Quis*, inquit, *fidelium dubium habere possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri; in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus jungi, unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri?*

Allegor. Rabanus: *Filii Aaron*, inquit, *sacerdotes sunt Christi, & ministri altaris divini: hi vocem exaltant in tubis ductilibus: hoc est, prædicationem exhibent doctrinæ per passionem consummatæ in memoriam coram Domino. Ductiles autem aptè dicuntur, quia fideles diversis passionibus tusi Domino largiente proficiunt, & tanto plus crescunt, quanto amplius duri mallei fuerint iteratione percussi. Malleus enim est diabolus, de quo Propheta dicit: Contritus est malleus universæ terræ*, Jerem. 50.

TUNC OMNIS POPULUS (singuli de populo) SIMUL PROPERAVERUNT, ET CECIDERUNT IN FACIEM SUPER TERRAM, ADORARE DOMINUM DEUM SUUM, ET DARE PRECES OMNIPOTENTI DEO EXCELSO] Syrus, *& dederunt in confessionem* (in laudem, & gratiarum actionem) *vocem suam, & delectati sunt simul in preces*: q. d. Ad oblationem & clangorem unanimem sacerdotum excitus populus, eos quasi duces suos secutus devotionis pariter spiritum induit, ac pronus in terram corruens adoravit Deū, suasque preces & vota ei obtulit. Idem jussit fieri Nabuchodonosor in dedicatione statuæ aureæ, Daniel. 3. v. 5. 6.

Populus olim sacerdoti succinebat. Amen. Simili modo totus populus Christianus olim succinebat sacerdotibus, respondendo *Amen*, teste S. Paulo 1. Corinth. 14. vers. 10. Unde S. Hieron. præfat. in epist. ad Galat. lib. 2. *Ad similitudinem*, inquit, *cælestis tonitrui Amen reboat.* Et Ausonius in Ephemeride:

Consona quem celebrant modulati carmina David,
Et responsuris ferit aera vocibus Amen.

Quin & in multis Germaniæ locis in festo Paschæ & Natalis Christi, totus populus in templo hymnos Christo nascenti & resurgenti canit, & reboando jubilat, ut animi lætitiam & devotionem testetur.

VERS. 20. ET AMPLIFICAVERUNT PSALLENTES IN VOCIBUS SUIS, ET IN MAGNA DOMO AUCTUS EST SONUS SUAVITATIS PLENUS] Pro *amplificaverunt psallentes in vocibus suis*, græcè est καὶ ᾔνεσαν οἱ ψαλμωδοὶ ἐν φωναῖς αὐτῶν, *& laudaverunt cantores vocibus suis.* Unde patet dictionem *psallentes* apud nos non esse participialiter accipiendam, nec attribuendam toti populo, sed nominaliter pro cantoribus, ut sit sensus: *Et psallentes*, hoc est, inquit Jansen. Levitæ, quorum ex institutione Davidis officium erat cantare psalmos & carmina, populo in terram prostrato, *amplificaverunt* Deum *in vocibus suis*, hoc est, eum glorificaverunt, ejusdem laudem amplè & magnificè extulerunt: sicque in magno illo templi & atriorum ædificio, auctus est sonus plenus melodia. Primùm ergo sacerdotes tuba cecinerunt, deinde populus in terram prostratus est, & cantores suo officio functi sunt. Illis autem canentibus quid populus fecerit, subdit, dicens: *Et rogavit populus*, &c.

Pro *in magna domo*, græcè est ἐν πλείστῳ οἴκῳ, pro quo nonnulli legunt ἐν παντὶ οἴκῳ, id est, in tota domo: q. d. Quia domus Dei erat ampla & fornice tecta, hinc augebatur dulcis musicorum concentus in ea: fornicatæ enim testudines, quia voces continent, & reverberant, hinc augent sonum, ac subinde efficiunt echo. Complut. legunt, ἐν πλείστῳ ἤχῳ, id est, *in multo* vel *multiplici sono.* Sic & Vatablus, *Cantores autem*, inquit, *vocibus suis laudes agere, ut suave plurimo sono carmen ederetur*; alii, *& collaudarunt cantores psalmorum vocibus suis, multiplici sono carminum modi dulcuerunt.* Sic & hodie dum in festis solemnibus plures sunt numerosique chori musicorum, mirè sonora & concinna editur ex consona tot vocum modulatione melodia, & concentus suavissimus.

ET ROGAVIT POPULUS DOMINUM EXCELSUM IN PRECE USQUE DUM PERFECTUS EST HONOR DOMINI, ET MUNUS SUUM PERFECERUNT] Hæc pertinent ad v. 19. eumque explent: significant enim quòd populus perrexerit adorare Deum quamdiu sacerdotes, & cantores sacrificiis, & psalmis Deum celebrabant: q. d. Populus sacerdotibus & Levitis consentiens, & quasi succinens perrexit Deum rogare & precari, donec perfectus est honor, græcè κόσμος, id est, ornatus: hoc est, ornata psalmodia, sacrificia, cæremoniæ & cultus Domini, putà donec sacerdotes & cantores suum *munus*, græcè λειτουργίαν, id est, sacrum ministerium litandi, & psallendi, perfecerunt. Unde Vatabl. vertit, *interim populus summo Domino supplicare, precesque fundere coram misericordi, donec absolveretur cultus ipsius, sacraque ministeria peragerentur.* Populi enim est sacerdotibus obsequi, eosque in cultu Dei subsequi, ut sic utrique vicissim suas in Deo colendo partes agant. VERS. 21.

Nota hic sacrorum cultus vocatur κόσμος, id est ornatus. Primò, quia in se pulcher & decorus erat; Secundò, quia ornabat Ecclesiam ipsumque Deum; Tertiò, κόσμος significat nitorem, & ornatum vestium sacerdotalium, quo utebantur sacerdotes, donec sacra perficerent, quibus honorabant tam sacra, quàm Deum, cui sacra faciebant.

Nota Secundò, τὸ *perfecerunt*: inde enim discant laici non discedere è templo, nec cessare à prece & laude Dei, donec sacerdotes sua sacrificia, psalmodias, conciones & doctrinas absolverint: sicut enim perfectum à sacerdotibus Deus exigit sacrificium, & laudem, sic & à populo.

TUNC DESCENDENS, MANUS SUAS EXTULIT IN OMNEM CONGREGATIONEM FILIORUM ISRAEL, DARE GLORIAM DEO A LABIIS SUIS, ET IN NOMINE IPSIUS GLORIARI] Græca Complut. pro *dare gloriam Deo*, legunt δοῦναι εὐλογίαν κυρίου, id est, *dare benedictionem Domini*, subaudi, populo: videtur enim hic Siracides significare benedictionem, quam sacerdos peracto sacrificio impertiebatur populo, dicens: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te*, &c. Num. 6. 24. Et sic benedixit populo Aaron celebratis suis primitiis, Levit. 9. 23. Verum Græca Romæ correcta, Vatabl. Tigurina, & alii pro κυρίου, legunt κυρίῳ, id est, *Domino* in dativo. unde vertunt, *dare benedictionem Domino*, id est, benedicere, laudare & glorificare Dominum. quod Noster clarè vertit, *dare gloriam Deo.* Sacerdos enim benedicens populo simul benedicebat Deum, quia à Deo velut omnis boni datore, cujus magnificentiam, et beneficentiam celebrabat, precabatur populo omnem gratiam, omneque bonum: qua prece utique significabat et protestabatur, Deum esse omnis boni fontem. quod sanè est Deum benedicere et laudare atque in *nomine ipsius gloriari*; quia omnis boni laudem, et gloriam Deo assignabat. Unde Vatablus vertit, *deinde cum descendisset, ille manus suas ad omnem cœtum Israelitarum, laudes Domino labiis suis agendo, ejusdemque nomine gloriando, extendere.* VERS. 22.

Alludit ad factum Salomonis, qui in dedicatione templi sui peractis sacrificiis, ita Deo æquè ac populo benedixit: *Benedictus Dominus qui dedit requiem populo suo Israel*, etc. *Sit Dominus Deus noster vobiscum*, etc. *Sit quoque cor nostrum perfectum coram Domino Deo nostro*, etc. 3. Reg. 8. 56. Simile fecere Jonathan, et Nehemias sacerdotes in sacrificiis, quæ obtulerunt in purificatione templi, in qua à Deo missus fuit novus ignis è cælo in victimas. 2. Machab. 1. 23. *Orationem autem*, inquit, *faciebant sacerdotes, dum consummaretur sacrificium, Jonatha inchoante, ceteris autem respondentibus*,

Et

Digitized by Google

Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum : Domine Deus omnium creator, terribilis, & fortis, justus & misericors, qui solus es bonus rex, solus præstans, solus justus, & omnipotens, & æternus, qui fecisti patres electos, & sanctificasti eos, accipe sacrificium pro universo populo tuo Israel, & custodi partem tuam, & sanctifica, &c. Ubi manifestè vides sacerdotes benedixisse Deum, æquè ac populum: Deum laudando, & de suis attributis ei congratulando; populum, bona illa à Deo imprecando, & postulando. Utrumque ergo faciebat sacerdos, & utrumque ad eum ex officio spectabat. Unde Palacius: Benedictio Salomonis, inquit, 3. Reg. 8. fuit Deum exaltare, & fidelem in promissis ostendere. Tunc Salomon flexit utrumque genu, & felicia populo à Deo impetrare contendit; simul divinam laudans potentiam, quæ posset cuncta quæ vellet. Ad eum modum Simon fecit. nam conversus ad congregationem, quæ in atriis stabat intenta, extulit in cælum manus labiis suis dans gloriam Deo, & in nomine exultans, quòd tanta beneficia ab eo accepisset. Tunc conversus ad altare, iterum orationem coram Domino fudit pro felicitate Israelis, ostendens à Deo felicitatem dependere.

Ritus pōtificis benedicentis populo. Igitur pontifex benedicens populo elevabat manum sursum, mox eam deprimebat deorsum, inde à sinistra movebat ad dexteram describendo formam crucis, inquit, Jansenius, *Palacius* & alii. Vide dicta c. 36. v. 19. populus verò flexis genibus pontificis benedictionem excipiebat, uti modò Romæ fieri videmus cùm Pontifex solenniter benedicit populo, præsertim in festo Ascensionis Christi, ut ejus benedictionem imitetur. de qua plura dixi Actor. 1. v. 9.

VERS. 23. ET ITERAVIT ORATIONEM SUAM, VOLENS OSTENDERE VIRTUTEM DEI] supple, se agnoscere; & commendare: q. d. Simon pontifex ob devotionem tum suam, tum populi, iteratò elevans manus benedixit, tam Deum quàm populum, ut hac benedictione exultans ostenderet, & publicè celebraret virtutem Dei, putà Primò, Dei potentiam, sanctitatem, & magnificentiam; Secundò, Dei fidelitatem, & bonitatem, qua tot beneficia assiduè Israeli præstabat. Tertiò, *virtus* hæc accipi potest efficacia benedictionis, quam populo dabat pontifex: q. d. Simon iteravit suam benedictionem, ut ostenderet eam fore efficacem, & reipsa complendam; quia nomine, & jussu Dei promittentis se eam ratam habiturum, & reipsa præstiturum, eam impertiebat populo, Num. 6. 24. Unde Græca pro *virtutem* habent εὐλογίαν, idest, benedictionem, beneficentiam, gratiam. Pro *iteravit* legit Interpres ἐδευτέρωσεν, in singulari; jam Complut. & nonnulli alii legunt in plurali ἐδευτέρωσαν, idest, *iterarunt*, scilicet Israelitæ. Rursum pro *ostendere* Noster legit ἐπιδείξασθαι. jam Complut. & alii legunt ἐπιδέξασθαι, idest, *suscipere*. unde hunc versum explicant de populo, non de pontifice, sicque vertunt, *& iterarunt adorationem, ut susciperent benedictionem ab Altissimo*; Tigur. *inde rursum preces iterari ad benignitatem Altissimi percipiendam*; Vatabl *ad gratiam impetrandam ab Altissimo*. Quæ verba significant, ait Jansen. populum, qui priùs tempore sacrificii se semel in terram prostraverat, ut dictum est, v. 19. peracto sacrificio, cùm Simon pontifex eum esset benedicturus, rursus se adorando Deum prostravisse, ut susciperet benedictionem non tam à pontifice, quam à Deo altissimo, sicut ei imprecabatur pontifex dicens: *Benedicat tibi Dominus*. Unde & in nostra versione in verbo *iteravit* repeti potest nomen *populus*, & nomen *orationem* accipi potest pro *adorationem*, ut habent Græca; ut sensus sit: & populus sacerdote ipsum benedicente iteravit adorationem suam, volens ostendere virtutem Dei, se scilicet agnoscere. Verùm aptiùs hæc referas ad pontificem, ut patet ex copula &, quæ hæc immediatè præcedentibus connectit: præcedentia autem ad Simonem pontificem spectant, non ad populum. Accedit, quòd Græca emendata in singulari legant, planè eo modo quo legit Noster: habent enim: *Et iteravit in adoratione*, id est, iteravit adorationem, *ad ostendendum benedictionem ab altissimo*: quasi dicat. Simon Deum adoravit, ut ostenderet se benedicere populo non nomine, & virtute sua, sed Dei, cujus opem adorando implorabat, ut is benedictionem suam faceret efficacem, & in effectum deduceret. Ad Simonem enim omnis hæc laus pertinet.

Moral. disce hic benedictionem pontificum, æquè ac Patriarcharum fuisse efficacem, & magnam habuisse virtutem; idque ex institutione & promissione Dei, qui per pontificem benedicebat populo, Num. 6. 24. ideoque populus flexis genibus avidè, & reverenter eam excipiebat. Efficacior est benedictio Pontificum Christianorum, utpote quæ fit nomine, meritis & virtute Christi, à quo omnis in homines gratia dimanat. Vide dicta cap. 3. 11. & Num. 6.

ET NUNC ORATE DEUM OMNIUM, QUI MAGNA FECIT IN OMNI TERRA, QUI AUXIT DIES NOSTROS A VENTRE MATRIS NOSTRÆ, ET FECIT NOBISCUM SECUNDUM SUAM MISERICORDIAM] Ita Roman. & Græca. Perperam ergo passim pro *Et nunc orate*, legunt, *& plus orare*. Pro *orate* Græcè est εὐλογεῖτε, id est, benedicite. Prima enim orationis pars debet esse Dei benedictio, id est, laus, & gratiarum actio, ut per eam Dei benevolentiam nobis conciliantes, novam ab eo gratiam emendicemus, & emereamur, ut ostendi 1. Timoth. 2. 1. Unde Vatabl. vertit, *nunc quoque Deo rerum omnium laudes agite, Deo per omnia magnifico, qui nobis ab utero indies augescere dedit, & nobiscum egit pro sua misericordia*.

Est conclusio capitis, & totius libri. Nam post recensitam benedictionem Simonis pontificis hortatur populum, ut pontificem suum sequens, & imitans, adorando benedicat Deum, id est, eum laudet, eique gratias agat; idque triplici titulo, & causa. Prima est generalis, quia Deus *magna fecit in omni terra*: ergo ab omnibus terræ incolis cum gratiarum actione laudandus, & celebrandus est. Secunda est specialis, quia Deus *auxit dies nostros à ventre matris nostræ*; quia scilicet Deus nobis à nativitate, hucusque conservavit, & prolongavit dies, & annos vitæ nostræ, ut alii ad 50. alii ad 60. alii ad 70. annum Deo dante sani, læti, fideles, & fortunati vixerint: sub vita enim omnia non tantùm ad vitam necessaria, sed & utilia ac commoda, tam corporalia, quàm spiritalia accipe, quæ Deus omnibus, sed maximè fidelibus suis, putà Judæis, illo ævo singulari cura, & providentia, tamquam pater summè providus, & beneficus procurabat: Deus enim suorum ab utero per omnem vitam, usque ad ultimum vitæ spiritum specialem gerit curam, & sollicitudinem. Unde David: *In te*, inquit, *projectus sum ex utero*, psalm. 21. 11. Et: *In te confirmatus sum ex utero: de ventre matris meæ tu es protector meus*, psalm. 70. 6. Et: *Suscepisti me de utero matris meæ*, psalm. 138. 13. Et Isaias capit. 44. 2. *Dominus*, &c. *ab utero auxiliator tuus*. Et cap. 46. 3. *Qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulva*. Et cap. 49. v. 5. *Formans me ex utero servum sibi*. Et v. 1. *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*. Et Jerem. cap. 1. 5. *Priusquam te formarem in utero, novi te: & antequam exires de vulva, sanctificavi te*. Tertia est, quia *fecit nobiscum* non secundum justitiam, qua nostris peccatis justè poterat rependere pœnas, & maleficia, sed *secundum suam misericordiam*, ut peccata nostra dissimularet, & pœnitentibus condonaret; quin & suam gratiam, omnemque beneficentiam tum temporalem, tum præsertim spiritalem, sive externam sive internam, conferre, & rependere non cessaret.

DET NOBIS JUCUNDITATEM CORDIS, ET FIERI PACEM IN DIEBUS NOSTRIS IN ISRAEL PER DIES SEMPITERNOS. CREDERE ISRAEL NOBISCUM ESSE DEI MISERICORDIAM, UT LIBERET NOS IN DIEBUS SUIS] Pro *jucunditatem*, uti legunt quoque Græci codices Romæ emendati; Complut. legunt εἰρήνην, id est, pacem; Tigurina & alii addunt καὶ εὐφροσύνην, idest, & *lætitiam* sive jucunditatem. Pro *per dies sempiternos*, Græcè est κατὰ τὰς ἡμέρας τοῦ αἰῶνος, idest, *per dies sæculi*. Pro *credere* Græcè est, ἐμπιστεῦσαι, quod Complut. vertunt, *ut cum fide faciat misericordiam ejus*; Romani, *fidelem faciendo nobiscum misericordiam suam*. Noster meliùs vertit *credere*: ἐμπιστεύω enim idem est, quod credo, fidem adhibeo, uti ex Galeno, Alexandro Aphrodis. & aliis docet Budæus in Comment. linguæ Græcæ. Unde 2. Paral.

VERS. 25.
VERS. 26.

ral. 20. 20. Septuag. vertunt, *ἐμπιστεύσατε ἐν κυρίῳ θεῷ ὑμῶν, καὶ ἐμπιστευθήσεσθε*, idest, *credite in Domino Deo nostro, & securi eritis*, ut vertit Noster. Pro *in diebus suis*, Græcè est *αὐτοῦ*, quod cum Romanis tam *ejus*, putà Simonis pontificis, quàm *suis* verti potest: q. d. Liberet nos Deus ab omni malo toto tempore pontificatus, & vitę Simonis pontificis nostri, Deo & hominibus clari. Complut. & Vatabl. pro *αὐτοῦ*, legunt *ἡμῶν*, id est, *nostris*. Græca ergo Romæ correcta sic habent, *det nobis jucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus nostris in Israel secundum dies sæculi, fidelem faciendo nobiscum misericordiam suam: & in diebus ejus* (Simonis) *liberet nos*; Vatablus, *is nos perfundat jucunditate animi, nostrisque temporibus pacem concedat, ut priscis sæculis in Israel, ut misericordiam suam in nos ratam faciat, nosque temporibus nostris liberet*; alii, *det nobis lætitiam cordis, utque pax sit in diebus nostris in Israel secundum dies sæculi, ut fidem faciat misericordiæ suæ apud nos, & in diebus suis redimat nos*. Imitatur Siracides Simonem pontificem: quare sicut ille sacrificia benedictione concludebat, sic & ipse librum simili benedictione concludit, apprecans Israeli *jucunditatem cordis*, idest lætitiam animi: quia in ea consistit felicitas vitæ tam præsentis, quàm futuræ, juxta illud quod dixit cap. 30. 23. *Jucunditas cordis hæc est vita hominis*. Porrò, ut hanc lætitiam obtineat Israel, optat ei pacem perennem hoc fine, ut Israel expertus jugem hanc Dei in se beneficentiam certiùs credat, idest sibi persuadeatque, perpetim sibi adesse Dei misericordiam, ut ei se suaque omnia fidenter credat, & committat, ideoque in quavis difficultate ad eam recurrat, ac certa fiducia eam invocet, omniaque quæ petit ab ea impetret, quo fiat ut illa liberet nos ab omni malo in diebus suis. Τὸ *suis* vel ad Deum referri potest, quasi dicat. Liberet nos Deus *in diebus suis*, idest perpetuis, quibus scilicet Israelem curat, protegit & gubernat, aut potiùs τὸ *suis* referas ad Israel, q. d. Deus liberet Israelem in diebus suis, idest, quamdiù Israel erit Israel, putà quamdiu Israel erit Ecclesia, & populus Dei. ita Palacius: Ut Simon, inquit, precatus est felicia populo; ita precatur Author primùm, ut Deus det jucunditatem cordis, quare comprehendit felicitatem privatam: cùm enim corde lætus sum, felix sum. Nam & Paulus ait: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete*. Secundò, ut det pacem in diebus nostris, & semper: quæ est felicitas publica. nam pax est status omnium bonorum. Tertiò, speciatim petit, ut Israel credat sibi Dei misericordiam adesse: si enim id, ut debet, credat, habebit liberationem ab hostibus, per omnes dies quibus vixerit Deus. Quod Deus præstitit, non extinguens gentem Judæam usque ad Christum, per quem meliùs liberati, verè liberi sunt per omnem æternitatem. De spiritualibus Judæis loquor: *Non enim qui in manifesto, Judæus est: neque quæ in manifesto in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito, Judæus est, & circumcisio cordis in spiritu*, Roman. 2. 28. Vnde Syrus hos tres versus, scilicet 24. 25. 26. ita convertit, *laudaveruntque populus terræ Deum, qui fecit prodigia in terra, qui creavit hominem de ventre matris suæ, & gubernat eos secundum voluntatem suam, ad dandam eis scientiam cordis, & sit pax inter eos, & consistat cum Simone misericordia, & cum semine ejus sicut dies cœli*, idest perpetim in æternum.

Filip. 4.

Paulò aliter Dionys. Carth. accipit τὸ *credere nobiscum*, &c. q. d. Det Deus Israeli pacem, quatenus filii Israel hinc inde per Gentes dispersi percipiant, & credant Deum misericorditer esse cum eo; sicque festinent ad terram Israel reverti, ut *liberet eos* (sic enim legit Dionys. Jansen. & alii passim; sed pro *eos* legendum cum Roman. & Græcis *nos*) à captivitate & servitute gentium, omnique malo, sic & Lyranus.

VERS. 27. VERS. 28. DUAS GENTES ODIT (Syrus, *in duabus gentibus contristata est*) ANIMA MEA, TERTIA AUTEM NON EST GENS, QUAM ODERIM: QUI SEDENT IN MONTE SEIR, ET PHILINTHIN, ET STULTUS POPULUS, QUI HABITAT IN SICHIMIS) Interserit hæc de tribus gentibus Israel inimicis Siracides, ex amore & zelo Israelis. Quia enim omnia fausta precatus est Israeli, suumque eximium in eum affectum ostendit, orans, ut Deus eum ab hostibus protegat, nunc consequenter ostendit suum in gentes tres hostiles odium, eò quòd illæ Israeli perpetim essent infestæ. sicut ergo Israelis fidem & pietatem celebravit, ita nunc trium gentium infidelitatem, impietatem, & hostilitatem detestatur.

Tres gentes exosæ Judæis.

Græca jam pro *in monte Sier*, habent *in monte Samariæ*; sed perperam: nam sic non tres gentes hic nominarentur, sed tantùm duæ: Samaritani enim iidem sunt cum Sichimitis: Samaritanorum enim metropolis post excisam Samariam urbem, fuit Sichem. Vide hic rursum, ut Latina Vulgata correctior sit, & præstet Græcis originalibus. Pro *odit* græcè est *προσώχθισε*, quod Complut. vertunt, *onerosa fuit anima mea*; Roman. *odit anima mea*; Vatablus, *infensus fuit animus meus*; alii, *offensa est anima mea*. Idem verbum habetur psalm. 94. 10. ubi dicitur: *Quadraginta annis offensus fui generationi illi*, Græcè *προσώχθισα*, hebr. אקוט *acut*; quod Aquila & Symmachus vertunt, *διεμαχεσάμην*, idest, *ægrè tulit, offensus fui, fastidivi*: Chald. *aspernatus sum*; S. Hieron. *displicuit mihi*; Vatablus, *rixatus sum, contendi, cùm tædio pertuli*. Sensus ergo est, q. d. Ego Siracides sicut fideles & pios Israelitas, cives meos, toto animi affectu complector; ita planè aversor tres gentes infideles, & impias, quę Deo exosæ sunt, & ejus populo, putà Israeli, uti vicinæ, eumque quasi circumsidentes, ita eidem summè infestæ.

Prima gens est Idumęorum, qui habitant *in monte Seir*; horum enim in Israelem odium cœpit in Esau, primo eorum patre, qui Jacobum fratrem ob præreptam sibi primogenituram, internecino odio est prosecutus, illudque patris odium posteri non tantùm imbiberunt, sed & vehementer auxerunt.

Primò. Idumæi.

Secunda gens est Philistinorum: hi enim, ut ex libris Judicum, & Regum constat, perpetuis bellis & cladibus affecerunt vexaruntque Israelem.

Secundò. Philistini.

Tertia gens, quam summè odi, est Cuthęorum, sive Samaritanorum Judæis infensissimorum, quorum metropolis erat Sichem. Unde de ea dicit, *Tertia autem gens non est gens, quam oderim*. quæ verba sic ordinanda sunt, q.d. *Tertia gens quam oderim*, idest, quam meritò odisse debeam, *non est gens*, id est, non est digna gentis nomine. Quapropter Syrus & Græca habent tantùm; *Duas gentes odit anima mea, atque tertiam, quæ non est gens*, id est, non meretur nomen gentis. Aut certè *tertia autem non est gens quam oderim*, q. d. Tertia sicut non est gens, sic nec odio digna, quia vilis, abjecta; tum, quia non erat una gens, sed conflata ex multis Assyriorum gentibus, putà ex Babyloniis, Cuthæis, Avathæis, Evathæis, Sepharvaimitis, ut patet 4. Reg. 17. 24. erat ergo non tam gens, quàm miscellanea plurium gentium turba: tum, quia non erat illa gens, quam se esse jactabat, nimirum Judæa, oriunda ex Iacob & Patriarchis: hoc enim jactasse de se Samaritas, patet Ioan. 4. 20. Porrò vocat hanc gentem *stultam*, quia cum Deo vero Israelitarum colebat idola Assyriorum, ut patet 4. Regum. 17. 24.

Tertiò. Samarita.

Cur?

Hinc Iudæi Samaritanos maximè oderant, adeò ut nullum cum eis vellent habere commercium, ut patet Ioan. 4. 20. Recens autem majoris odii occasio accesserat, quam innuit voce *Sichimis*. Pro quo Nota, Manassen Iaddi pontificis fratrem in uxorem accepisse Nicaso, filiam Sanaballat Cuthæi, quem Darius rex Persarum præfecerat Samarię: cùmque Manasses ob hoc cum alienigena matrimonium, sacerdotio Hierosolymis spoliandus esset, cogitavit ejus repudium. Sanaballat ergo ne eam repudiaret, promisit ei pontificatum novum; quare ædificavit templum simile Hierosolymitano in monte Garizim, ad cujus radices sita erat Sichem, quæ tunc erat Samariæ caput; (Sichem enim à Ieroboam primo rege Israel, sive decem tribuum, facta erat caput Samariæ; ac licèt postea Amri rex idipsum transtulerit in Samariam urbem; tamen tempore Alexandri Magni rursum Sichem erecta est in caput Samariæ, teste Iosepho li. 11. Antiqu. Porrò Sichem tempore Christi corruptè dicta est *Sichar*, postea *Neapolis*) atque ibidem pontificem constituit Manassem generum suum. Quocirca de templo hoc velut schismatico & Hierosolymitani æmulo, assidua Iudæis cum Samaritis fuit controversia, & contentio, ut patet Ioan. 4. 20. Hæc omnia patent ex Iosepho lib. 11. Antiq. c. 7. & 8. & lib. 12. c. 1. Excisum est tandem hoc templum post ducentos annos ab Hyrcan pontifice, Simonis, fratris Iudæ Machabæi, filio, teste Iosepho libr. 13. cap. 17. Igitur Siracides inculcat hic odium Sichimitarum, quia eorum schisma, & contentio recruduit sub

Origo schismatis Samaritarum.

eius tempora, ob templum schismaticum recens erectum in Garizim juxta Sichem: hoc enim erectum fuit tempore Iaddi pontificis, qui fuit avus Simonis justi, cui coævus fuit Siracides. Unde ejus laudes operosè pertexuit hoc c. 50. Audi Josephum tempora Ptolemæi Lagi, sub quo vixere Simon Iustus & Siracides, describentem lib. 12. Antiq. c. 2. *Seditiones continuæ erant inter eorum* (Iudæorum, qui sub Ptolemæo in Ægyptum migrarunt) *posteros, & Samaritas, instituta patria pertinaciter retinentes, pugnabantque inter se jugiter, dum Hierosolymitani suum templum sacrosanctum esse affirmant, & victimas à Judæis non aliò mittendas: Samaritæ contra in montem Garizim eas mitti debere contendunt.*

Mysticè tres gentes quid significet?

Mysticè Rabanus, & ex eo Iansenius: Israel est Ecclesia & populus Christianus, cuius tres infensissimi hostes sunt Primò, Idumæi, idest, Judæi, qui æquè ut Idumæi, ex fidelibus Patriarchis, Abraham, Isaac & Iacob progeniti spiritales eorum in fide filios, putà fideles Christianos, persequuntur. Unde vocantur *Edom* & Idumæi, idest, rufi; quia sanguine Christi, quem occiderunt, & Christianorum rubricati: & *Seir*, idest, pilosi; quia superbi, & duri obstinatè in sua perfidia persistunt. Secundò, sunt Philisthiim, qui interpretantur ruina duplex, ait Raban. Hi repræsentant Gentes idololatras, Turcas & Saracenos, qui nihil commune habent cum Christianis, sed in sua idololatria & sceleribus perseverantes Christianos atrocissimè persequuntur. Tertio, sunt Samaritæ, qui repræsentant hæreticos. Hi stulti habitant in Sichimis, idest, in humeris sive laboribus; quia quotidiè perversa scribendo, & prava docendo, stultè laborem suum consumunt, ut se & alios in errorem, & gehennam pertrahant. Dicentes ergo se sapientes, stulti facti sunt, Rom. 1. Hi non sunt gens una, quia ex variis locis orti, & ex variis sectis & hæresibus etiam inter se contrariis conflati; veritatem tamen religionis sibi solis contra Catholicos orthodoxos vendicare audent, mentientes se Apostolorum esse filios & discipulos, eorumque doctrinę insistere.

Rursùm Idumæus, velut frater natu maior Iacobo, sive Israele, repræsentat mundum; Philisthæus dæmonem; Sichimita carnem, ait Palacius: Sichem enim corrupit Dinam Iacobi filiam, Genes. 34. Porrò hi tres hostes circumsident & occidunt fideles, & Ecclesiam, sicut Israelem & Iudam circumsidebant & obsidebant Idumæi à Meridie, Philisthæi ab Occidente, Sichimitæ à Septemtrione.

Vers. 29. DOCTRINAM SAPIENTIÆ, ET DISCIPLINÆ SCRIPSIT IN CODICE ISTO JESUS FILIUS SIRACH JEROSOLYMITA, QUI RENOVAVIT SAPIENTIAM DE CORDE SUO) Syrus, *omnia proverbia sapientum, & ænigmata eorum scripta sunt in codice isto.* Hic versus & sequentes duo videntur esse adiecti Siracidi seniori sive avo, à Siracide iuniore sive nepote, ut ostendat libri huius auctorem esse Iesum filium Sirach avum suum: veteres enim, ut Moses, Iosue, David, Samuel, &c. gloriam fugientes nomen suum libris non præfigebant. Unde in calce nomen ab aliis addebatur, ut sciretur libri auctor. Atq; hac de causa de tot libris S. Aug. S. Hieron. S. Cypriani, &c. velut incertis & dubiis, utpote olim anonymis, tanta est inter doctores disceptatio. Eadem est de auctoribus libri Iosue, Iudicum, Regum, Paralipomenon, Iudith, Tobiæ, Esther, Machabæorum, &c. Addidit ergo hæc Iesus nepos, ut testetur librum hunc scriptum ab avo suo. Verùm nil obstat quo minùs hęc ab ipso Iesu seniore, sive avo scripta dicantur: sic enim in aliis nonnullis veterum libris nomen ab ipso auctore in calce abiectum legimus. Unde Græca Romæ correcta pro *scripsit*, legunt in prima persona *scripsi*, quasi ipse avus loquatur dicatque: Ego Iesus doctrinam sapientię & disciplinæ scripsi in codice isto. Primus qui nomen suum operi prefixit, fuit Salomon: Proverbia enim sua ipse sic inchoat; *Parabolæ Salomonis filii David, regis Israel.* Græca nonnulla, ut Tigurina, ad *Iesus filius Sirach* addunt, *Eleazar*, vel *Eleazari*, quasi Iesus hic fuerit filius Sirach, qui Sirach fuerit filius Eleazari; ita ut Iesus fuerit nepos Eleazari. Unde aliqui opinati sunt Iesum hunc

An Siracides fuerit nepos Eleazari pontificis.

fuisse nepotem Eleazari pontificis, qui 70. interpretes misit ad Ptolemæum Philadelphum. Verùm id refutavi in prologo: Iesus enim hic fuit coævus Simoni pontifici, qui Eleazarum in pontificatu antecessit, illumque quasi fratrem eius heredem & successorem reliquit. Nam in Simone finit elogia patrum, nec ullam Eleazari successoris facit mentionem. Quare paulò post Simonis mortem hunc librum scripsisse videtur, sub initium regni Ptolemæi Philadelphi: unde & nepos eius in prologo fatetur, se librum hunc ex Hebræo in Græcum transtulisse sub Ptolemæo Evergete, qui Philadelpho proximè in regnum Ægypti successit. Quocirca alii censent Sirach patrem Iesu, alio nomine vocatum Eleazarum: erant enim Iudęi polyonymi. Verùm τὸ *Eleazar*, vel *Eleazari*, delent codices Græci Romæ emendati, æquè ac Latini omnes: quare planè irrepsisse videtur, esseque delendum.

Porrò Jesus *renovavit sapientiam de corde suo*; quia priscam veterum sapientiam, sive Ethicam, jam obsoletam, & penè oblivioni traditam, de novo conscripsit, itaque eam quasi novam edidit & vulgavit. Græcè est ἀνώμβρησε σοφίαν ἀπὸ καρδίας, idest *distillavit*; Rom. *diffudit*; *sapientiam à corde*; Vatab. *effudit animi sui sapientiam*; alii propriè, *ut imbrem effudit sapientiam à corde suo*, iuxta illud Moysis: *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina*, Deut. 32.2. Vide ibi dicta.

BEATUS, QUI IN ISTIS VERSATUR BONIS: QUI PONIT ILLA IN CORDE SUO, SAPIENS ERIT SEMPER] Syrus, *beatus vir qui in his meditabitur, & discet ea, capiet ea, & faciet ea.* Nota. Adeò insitum naturæ est beatitudinis desiderium, ut nemo sit qui non velit esse beatus. Unde S. Aug. lib. 13. de Trin. c. 3. *Mimus quidam, inquit, cùm se promisisset in theatro quid in animo haberent, & quid vellent omnes, aliis ludis esse dicturum: atque ad diem constitutum major multitudo confluxeret, suspensis silentibus omnibus, dixisse perhibetur: Vili vultis emere, & carò vendere, &c. Ennius quoque dicens: Omnes mortales sese laudari exoptant, videtur pronuntiasse hominum omnium voluntates, &c. At si dixisset, Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non agnosceret voluntate.* Ibidem enim ostendit aliquos non cupere laudem, nec opes, sed nullus prorsus est qui non cupiat esse beatus. Verùm multi quærunt beatitudinem ubi non est, putà in honore, epulis, divitiis. Siracides ergo hic digito ad fontes intento, indicat locum sedemque beatitudinis esse sapientiam; ut ibi eam quæramus, alibi eam non inventuri. Sola enim sapientia, hoc est sola virtus, beat.

Vers. 30. *Beatitudo sita in sapientia.*

SI ENIM HÆC FECERIT, AD OMNIA VALEBIT: QUIA LUX DEI VESTIGIUM EJUS EST) Syrus, *altitudo* (eminentia) *timoris Dei super omnia exaltata est: vide eum fili mi, & ne dimittas eum.* Sensus est, q. d. Beatus erit, qui in bonis, tum virtutibus, tum earum præmiis, quæ hoc libro describit legendo, & meditando assiduè versatur; quare qui ea in corde suo recondit, sapiens evadet. Si enim hæc in opus, & praxim redegerit, ad omnia, quæ agenda erunt, fiet potens & validus (græcè enim est ἰσχύσει) *quia lux Dei vestigium ejus est.* Est metonymia: *vestigium* enim ponitur pro gressu, qui fit per vestigia, q. d. Quia ambulat, & vestigia gressuum, actionumque suarum figit in luce legis & sapientiæ Dei, iuxta illud Christi: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, Ioan. 8.12. Unde Vatablus vertit, *qui hæc egerit, valebit ad omnia, quia vestigium ponit in luce Domini, qui sapientia pios imbuit*, quia scilicet Iesus Sirach hæc scripsit non ex cerebro suo, sed ex illustratione lucis divinæ. Alludit ad columnam ignis, & lucis, quæ quasi dux viæ Hebręos pręcessit in deserto, eosque certò duxit & perduxit in terram promissam: quacumq; enim illa præcedebat, illac sequebantur Hebræi, ibiq; vestigia sua figebant Exodi 13.21. Eadem de causa Abrahæ apparuit lampas in caligine, trãsiens inter divisiones victimarum, Gen. 15.17. lampas .n. transiens repræsentabat Deũ, qui Hebræis quasi in tenebris Aegypti oberrantibus prętendit facem, ut tutò exirent; itaque Hebræos invitabat ad exitum. Quare populo Hebræorum tunc *lux Dei* fuit *vestigium ejus*: quia scilicet populus præeuntis lucis vestigia secutus est. Idẽ Trop. Deus facit iustis, dum eis viã ad virtutem, perfectionem & beatitudinem prælucens indicat & commonstrat. Id facit per illustrationes rerum divinarum & cęlestium, quas quasi fulgura menti immittit.

Vers. 31.

Græca Complut. Vatablus, & alii addunt; *Et piis dedit sapientiam. Benedictus Dominus in sæculum. Fiat, fiat.* Verùm codices Romæ emendati hæc omittunt; prior enim pars mutuata, & transsumpta videtur ex fine c. 43. posterior ex fine psalm. 88.

CAPUT

CAPUT QUINQUAGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Laudat & celebrat Deum, quòd se à multis afflictionibus & periculis liberarit. Inde v. 18. ostendit quantum à puero studuerit sapientiæ, quantosque ex ea fructus perceperit. Denique vers. 31. omnes suo exemplo ad sapientiæ studium hortatur & accendit.

1. ORatio Jesu filii Sirach: Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum salvatorem meum. 2. Confitebor nomini tuo: quoniam adjutor & protector factus es mihi. 3. Et liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labiis operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adjutor. 4. Et liberasti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus, præparatis ad escam. 5. De manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me. 6. A pressura flammæ, quæ circumdedit me: & in medio ignis non sum æstuatus: 7. De altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacii, à rege iniquo, & à lingua injusta. 8. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum. 9. Et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. 10. Circumdederunt me undique, & non erat qui adjuvaret. Respiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat. 11. Memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, & operationis tuæ, quæ à sæculo sunt. 12. Quoniam eruis sustinentes te Domine, & liberas eos de manibus gentium. 13. Exaltasti super terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecatus sum. 14. Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborum sine adjutorio. 15. Laudabo nomen tuum assiduè, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio mea. 16. Et liberasti me de perditione, & eripuisti me de tempore iniquo. 17. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini. 18. Cum adhuc junior essem, priusquam oberrarem, quæsivi sapientiam palam in oratione mea. 19. Ante templum postulabam pro illa, & usque in novissimis inquiram eam. Et effloruit tamquam præcox uva. 20. Lætatum est cor meum in ea. Ambulavit pes meus iter rectum, à juventute mea investigabam eam. 21. Inclinavi modicè aurem meam, & excepi illam. 22. Multam inveni in meipso sapientiam, & multum profeci in ea. 23. Danti mihi sapientiam, dabo gloriam. 24. Consiliatus sum enim ut facerem illam: zelatus sum bonum, & non confundar. 25. Colluctata est anima mea in illa, & in faciendo eam confirmatus sum. 26. Manus meas extendi in altum, & insipientiam ejus luxi. 27. Animam meam direxi ad illam, & in agnitione inveni eam. 28. Possedi cum ipsa cor ab initio: propter hoc non derelinquar. 29. Venter meus conturbatus est quærendo illam: propterea bonam possidebo possessionem. 30. Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam: & in ipsa laudabo eum. 31. Appropiatę ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinę. 32. Quid adhuc retardatis? & quid dicitis in his? animæ vestræ sitiunt vehementer. 33. Aperui os meum, & locutus sum: Comparate vobis sine argento. 34. Et collum vestrum subjicite jugo, & suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim invenire eam. 35. Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem. 36. Assumite disciplinam in multo numero argenti, & copiosum aurum possidete in ea. 37. Lætetur anima vestra in misericordia ejus, & non confundemini in laude ipsius. 38. Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

VERS. I. ORATIO JESU FILII SIRACH] *Oratio*, id est A hymnus & psalmus, quo gratias agit Deo pro liberatione sua è tot periculis & malis, eumque laudat & glorificat; oratio enim genus est amplum, omnem mentis ad Deum elevationem, collocutionem, unionem significans: quod multas sub se continet species, quarum una est hymnodia & psalmodia, sive laus & gratiarum actio, ut patet 1. Timot. 2. 1. Sic Pharisæus orabat dicens; *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum*, Luc. 18. v. 11. Sic angeli & Beati in cœlo orant, & adorant Deum, ejus sanctitatem & magnificentiam admirando, & exclamando; *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria tua.* Et: *Sedenti in throno & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum*, Apocal. 5. 13. & c. 4. v. 8. & seq. & c. 7. 12.

Hymnus Siracidis ad quid? Porrò ad literam scripsit hunc hymnum Siracides pro se, scilicet ut gratias agat Deo pro sui liberatione, & beneficiis ab eo acceptis; Spiritus sanctus tamen per eum voluit hic toti Ecclesię, omnibusque fidelibus dare formam gratias agendi Deo pro liberatione è quibuslibet periculis & malis. Vnde Ecclesia eam usurpat applicatque S. Agneti, aliique sanctis Virginibus & Martyribus, B illamq; legit in earumdem Officio & Missa. ita Rabanus. Siracides ergo prescribit hic modum gratias agendi Deo omnibus sanctis, presertim Virginibus, & Martyribus, pro salute anime, & corporis, & maximè castitatis à Deo inter tot tentationes, & violentias semper conservatę. Fuit enim hoc perpetuum quasi Dei studium, ut virgines, fideles, quas tyranni in lupanari omnium violentię & libidini prostituebant, à Deo virginum patrono, & vindice per miraculũ illęsę perpetuo servarentur, uti patuit in S. Agnete, S. Lucia, s. Agatha, ceterisq; omnibus.

CONFITEBOR TIBI DOMINE REX, ET COLLAUDABO TE DEUM SALVATOREM MEUM] Syrus, *laudabo nomen tuum Domine quotidie*. Pro *confitebor* græcè est, ἐξομολογήσομαι, idest, faciam exomologesin, edam confessionẽ meam, ut scilicet verè & sincerè coram toto mundo cõfitear & profitear me innumeris malis circũdatum, & penè oppressum, nulla mea vel humana virtute, sed solius Dei ope ab omnibus liberatũ, salvũ, & incolumem evasisse. Deũ vocat *regem*, ut opponat eum Ptolemęo regi se affligẽti. q. d. Rex Ptolemæus me afflixit, sed Deus, qui est Rex regũ, & Dominus dominantiũ, ab eius manu & tyrannide me liberavit. Rursum vocat eũ σωτῆρα idest *salvatorem*, tũ, ut alludat ad nomẽ Jesu Christi Salvatoris, cuius ipse typũ nomine, æquè ac doctrina & passione sua, preferebat: Christi enim meritis omnis hec eius liberatio, omnisque gratia ascribenda est. Nam hebraicè *Jesus* idem est quod græcè Σωτὴρ, latinè Salvator, Matth. 1. Tum, ut alludat ad Ptolemæum Lagi suum persecutorem, qui Soter cognominatus est, sed falsò, teste Iosepho 12. Antiq. cap. 1. q. d. Ptolemæus non fuit meus soter, id est salvator, sed oppressor: Deus opt. max. & Christus meus, verus fuit soter, qui me ab omnibus Ptolemæi afflictionibus potenter & clementer eripuit. Siracides imitatur Prophetas, ut Isaiam, qui post populi liberationem in doxologiam erumpens c. 12. 1. *Confitebor*, inquit, *tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, & consolatus es me*. Idem fecere tres pueri cùm à Deo servarentur illæsi in fornace Babylonia, Dan. 3. versic. 51. & 57.

& 57. ubi ob tantum miraculum & beneficium jubilantes: *Benedicite*, inquiunt, *omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula*, &c. Idem facit Habacuc cap. 3. *Domine audivi auditionem tuam, & timui*. Unde v. 8. *Ego autem*, inquit, *in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo*. Idem crebrò facit David in Psalmis, ut psal. 9. 2. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*. Psalm. 56 10. *Confitebor tibi in populis Domine, & psalmum dicam tibi in Gentibus*, Psal. 88. 6. *Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine*. Psal. 103. 1. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*. Psal. 106. 21. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum*.

Quibus exemplis docet Spiritus sanctus, nos perpetim debere Deo gratias agere pro innumeris beneficiis, quibus nos à plurimis, etiam occultis, periculis liberat, & in dies plurima dona, quæ non cognoscimus, vel non advertimus, elargitur & confert, uti docet S. Chrysost. in formula gratias agendi Deo, quam alibi recitavi. Vide quæ de Dei laude & gratiarum actione dixi Apoc. 4. v. 8. & c. 5. 23. & c. 7. 12.

VERS. 2. CONFITEBOR NOMINI TUO: QUONIAM ADJUTOR ET PROTECTOR FACTUS ES MIHI] Syrus *enarrabo nomen tuum in Canticis. Fiducia mea a sæculo es ò Excelse*; Vatabl. *nomini tuo gratulor, quòd mihi defensor fueris & adjutor*. Pro *confitebor*, græcè rursum est, ἐξομολογήσομαι, id est profitebor meam infirmitatem, meaque mala, ac Dei virtutem & beneficentiam, qua me ex omnibus malis eripuit: nostræ enim infirmitatis & divinæ virtutis bonitatisque humilis & grata confessio, summa est Dei laus & gratiarum actio.

Imitatur Davidem, qui Deum solet vocare & invocare: *adjutorem & protectorē*: Deus enim est *adjutor*, ait Jansenius, ad superandum mala jam parata: *protector*, ne obruāt mala futura. *Adjutor* ad benefaciendum: *protector* ad evitandum mala. Porrò quibus in rebus Deus fuerit sibi adjutor & protector explicat, dum subdit:

VERS. 3. ET LIBERASTI CORPUS MEUM A PERDITIONI, A LAQUEO LINGUÆ INIQUÆ (græcè, ἐκ παγίδος διαβολῆς γλώσσης, id est *è laqueo calumniæ linguæ*; Vatabl. *à labiis linguæ calumniatricis*) ET A LABIIS OPERANTIUM MENDACIUM] *Operantium*, id est loquentium: opus enim labiorum non est aliud, quàm loqui. *Operantium* ergo *mendacium*, id est contra me concinantium calumnias, fraudes, falsa testimonia, &c. Unde Vatabl. *quòd adversus labia mendacio dedita, contraque adversarios mihi tuleris auxilium*.

ET IN CONSPECTU ASTANTIUM FACTUS ES MIHI ADJUTOR] Pro *astantium* legit cum Rom. & aliis παρεστώτων, jam Complut. & Vatabl. legunt ἀνθεστηκότων, id est *contra stantium*, hoc est, advertantium mihi. Ut hæc omnia intelligantur, notandum est ex Josepho 12. Antiq. 1. Ptolemæum Lagi (sub quo floruit Siracides) proximè post Alexandrum Magnum regem Ægypti, dolo occupasse Jerusalem, in eamq; sæviisse, hos spoliando, illos occidendo, alios perplures captivos abducendo: *Ingressus enim sabbatho urbem*, ait Joseph. *velut sacrorum gratia, Judæis nec arcentibus (quod nihil hostile suspicarentur) & alioquin eum diem in otio & quiete agentibus, sine difficultate potitus dominatus, acerbè eam & inclementer tractavit*. Et mox: *Ptolemæus multos captivos ex montano Judææ tractatu, & Hierosolymorum vicina, Samariaq; & Garizim in Ægyptum traductos, jussit sedes ibi figere*. Unde cap. 2. narrat Ptolemæum Philadelphum, qui Ptolemæo Lagi quasi patri in regnum successit, manumisisse 120. Judæorum millia in gratiam Eleazari pontificis, qui eidem 7. Interpretes, ad Biblia Hebræa in Græcum idioma convertendum, transmiserat. Videtur ergo Siracides, utpote Hierosolymita, & vir in ea urbe princeps, ac sapientia clarus, huic cladi interfuisse, ejusq. non minima pars extitisse. Cùm igitur in miseranda illa strage multi Judæi occiderentur, maximè viri nobiles & sapientes, quòd eos suæ tyrannidi restituros timeret Ptolemæus; videtur & Siracides velut unus è primariis urbis civibus & principibus, cum aliis quæsitus ad necem, atque ex Ægyptiorum gladiis, ignibus & tormentis (quibus urbs ab hoste occupata conflagrabat) ereptus ope divina. Hoc est quod hic ipse commemorat & celebrat. ita Palacius, Jans. & alii. Ait ergo: *Liberasti corpus meum à perditione*; græcè ἀπωλείας, id est *ab interitu*, putà à morte, quę in urbis vastitate mihi in singulas horas à grassante hoste imminens, & quasi præsens, jugiter ob oculos versabatur.

Ptolemæi Lagi sævitia in Judæos.

Philadelphi in eosdem clementia.

A laqueo linguæ iniquæ, id est *calumniatricis*, ut vertit Vatabl. Credendum est, inquit Palacius, aliquem delatorem detulisse Ptolemęo, ubi Auctor lateret, ut inde abduceretur ad pœnam, & contra eum mendacia fuisse conficta, ideo ait, *A labiis operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adjutor*. Credo Auctorem corā Ptolemęo & ducibus ejus adductum mendacia contra se audivisse; sed eum in tam ancipiti causa orantem Deus adjuvit, ne occideretur. Unde Syrus, *liberasti*, inquit, *animam meam à morte, prohibuisti carnes meas à corruptione, de manu inferi liberasti pedes meos*. Fortè Siracides apud Ptolemęum mendaciter accusatus fuit alicujus seditionis aut perduellionis, quòd cives & vicinos ad ei quasi hosti resistendum, eumq; urbe expellendum occultè sollicitaret: hoc enim magistratus & senatoris (qualis putatur fuisse Siracides) videbatur esse officium.

Siracides accusatus apud Ptolem. sed à Deo liberatus.

Simili modo apud Theodoricum regem Gothorum in Italia, accusati fuere Symmachus & Boetius senatus Romani principes, ac Joannes Pontifex, quòd Romam & Romanos ad ei, velut Arriano, rebellandum sollicitarent, ac contra eum Justini Imp. auxilium implorarent. qua de causa omnes ab eo occisi illustre obiere martyriū: sed mox sceleris pœnas dedit Theodoricus, projectus in ollam Vulcaniam, uti narrat S. Gregor. lib. 4. Dial. cap. 30. Vide Boetium in libr. de Consolat. philosophię, quos ea de causa in carcere conscripsit, dignos utique tanto principe, philosopho & Martyre.

Causa calumnię quoque fuisse videtur, quòd Siracides utpote Scriba & doctor legis avitę, Judęos, pręsertim in Ægyptum abducendos, doceret, ut ab Ægyptiorum idolis & moribus caverent, ac in paterna religione fideque à Deo Moysi tradita constantes persisterent: inde enim accusarunt eum quasi Ægyptiorum & Ptolemęi hostem, uti solent politici religionem ad politiam trahere, & in fide religiosos non tantùm perfidię, sed & politię suę adversarios interpretari. Quod si ita est, Martyr censendus est Siracides, utpote qui martyrio Jesu Christi, patiendo pro Dei lege & fide, patiētia sua pręluserit, ejusq; typum tam nomine quàm prędicatione, tam vitæ innocentia & sanctitate, quàm persecutionum & tormentorum tolerantia gesserit. Certè in festis SS. Virginum & Martyrum hoc legit Ecclesia in Officio divino; unde sentire videtur Siracidem suo hic martyrio iis viam stravisse.

ET LIBERASTI ME SECUNDUM MULTITUDINEM MISERICORDIÆ NOMINIS TUI A RUGIENTIBUS PRÆPARATIS AD ESCAM, DE MANIBUS QUÆRENTIUM ANIMAM MEAM, ET DE PORTIS TRIBULATIONUM, QUÆ CIRCUMDEDERUNT ME] q. d. Liberasti me non meis meritis; sed ob tuam immensam misericordiam ab hostibus in urbis vastatione furibundis, instar leonum scilicet rugientibus, prædæque & cædi inhiantibus, qui quærebant *animam*, id est vitam meam, perdere. Per *portas tribulationum*, Primò, Palacius intelligit judices. Solebant enim Hebræi in portis judicia exercere, & reos condemnare. q. d. Per Deum liberatus sum à judicibus meam condemnationem agitantibus, meamque necem ordientibus. Secundò, Dionys. q. d. Liberasti me ab ipsis tribulationibus, quæ sunt portę & viæ ad mortem, & ad vitam futuram, imò ad vitam beatam, si æquanimiter Dei intuitu & amore sustineantur. VERS. 4. VERS. 5.

Portæ tribulationum, quæ? Resp. Primò

Secundò.

Tertiò & aptiùs, per *portas* accipe ingressus, incursus, irruptiones densas tribulationum: sicut enim per portas hostis irrumpens in urbem, eam ferro flammaque vastat; sic dum portas tribulationum in aliquem laxat aperitque Deus, illæ facto agmine in hominem irruunt, eumque prosternunt & obruunt. Alludit ad irruptiones militum Ptolemæi in Jerusalem, per portas dolo vel vi apertas: hi enim uti urbem, ita Siracidis domum & familiam vastare satagebant; sed Deus eum protexit & liberavit. Dicit ergo: uti omnes urbis portæ apertæ Ptolemæo, viam dederunt irruentibus undique militibus ad eam vastandam; ita omnes tribulationum aditus in me laxari videbantur, ut omnes tribulationes in me irruerent, meque perderent; sed Deus me ab eis tutatus est & eripuit. Sic Virgil. 1. Æneid. de ventis è cælo in terram erumpentibus, eamque horrisonè perflantibus ait: *Tertiò.*

Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.

Adde, in portis significari robur & firmitatem penè insu-

insuperabilem tribulationum: portæ enim urbium solent esse munitissimæ & robustissimæ, q. d. Videbar mihi undique cinctus tribulationibus, velut portis quibusdam validissimis & insuperabilibus, sed Deus omnes superavit & disiecit. Legit Interpres πυλῶν, id est portis; iam legunt πολλῶν, id est multis, unde vertunt, *de multis tribulationibus*; Vatabl. *è plurimis, quas perpessus sum, afflictionibus*.

Porrò vocat *misericordiam nominis* Dei; quia Deus misericordiam nomine suo præfert. Vocatur enim *miserator, misericors, multæ miserationis, pater misericordiarum, Deus totius consolationis*, &c. Exodi 34.6. psalm. 110.4. & 2. Corinth. 3. Ut significetur Deo proprium esse misereri & parcere, ac misericordiam ipsi esse connaturalem, intimam & essentialem, de eaque velut de nomine proprio Deum gloriari. Unde Græca Romæ correcta addentia *&*, legunt *misericordiæ & nominis*; Syrus, *salvasti me in multitudine misericordiarum tuarum, ab offendiculo* (scandalo) *& perditione liberasti me, & de manu quærentium animam meam, & a multitudine angustiarum mearum liberasti me*.

Vers. 6. APRESSURA FLAMMÆ (Syrus, *à flamma ignis*,) QUÆ CIRCUMDEDIT ME: ET IN MEDIO IGNIS NON SUM ÆSTUATUS,] scilicet non sum ambustus. q.d. Me ab acri tribulatione & validæ persecutionis æstu liberasti, quæ instar ignis me undequaq; vallabat & urebat, id est, acriter cruciabat: sic enim *ignis* & *flamma* per catachresin, sæpè sumitur pro quolibet acri dolore & cruciatu: ut psal. 16.3. *Igne me examinasti*. Ps. 63.10. & 12. Eccl. 2.3. ita Raban. Iansen. & alii. Posset tamen *ignis* & *flamma* hìc propriè accipi. Quid enim prohibet, inquit, Palacius, iudicis sententia Siracidem in rogum flammantem fuisse proiectum, ut olim fuere iuvenes Hebræi in fornacem Babylonicā iniecti, Daniel. 3. atque inde fuisse à Deo liberatū? Unde Græca habent, *à suffocatione flammæ in circuitu, & de medio ignis ubi non sum æstuatus*; alii *ubi non exarsi*. Flamma enim intercludens halitum & respirationem, hominem suffocat. Unde Vatab. *ex igne suffocationem undique minanti, ex igne, quem non accenderam*.

Qui vincit ignem concupiscentiæ, vincet & ignē corporeum. Exemplis S. Agnetis.

Mysticè Glossa: Ignis significat æstum libidinis: huius enim repressio & extinctio, est singulare donum gratiæ Dei: qui enim ignem concupiscentiæ vicerunt, vicerunt quoque ignem corporeum. Unde S. Agnes ob castitatem in medio flammarum illæsa, expansis manibus exultans orabat: *Te deprecor omnipotens, adorande, colende, Pater metuende, quia per sanctum filium tuum evasi minas sacrilegi tyranni, & carnis spurcitias immaculato calle transivi; & ecce venio ad te, quem amavi, quem quæsivi, quem semper optavi. Te confiteor labiis, te corde, te totis visceribus concupisco*. ita S. Ambros. serm. 90.

& S. Peregrini,

S. Peregrinus Diaconus Anconitanus, & Martyr sub Diocletiano, cùm in craticula ferrea igne subiecto extenderetur, oleoque perfunderetur, Deum hisce verbis precatus: *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas*, &: *Libera me à pressura flammæ, quæ circumdedit me*, incendium illud sine læsione superavit, uti ex monumentis Ecclesiæ Anconitanæ narrat Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ad diem 16. Maii.

Petri Ignei.

Memorabile est quod de Abbate Petro, cui cognomen Igneus, legimus in Vita S. Ioannis Gualberti, fundatoris Ordinis Vallis umbrosæ, nimirum Petrum hunc, ut simoniam Archiepiscopi Florentini probaret & coargueret, invocato priùs Deo veritatis & religionis vindice, per medios flammarum globos uti intrepidum; sic & illæsum pertransisse, indeque Igneum cognominatum.

Magis mirabile & memorabile est quod de nonnullis Martyrum legimus, eos ad rogum damnatos, cùm corpus acribus flammarum cruciatibus absumeretur; animum tamen in iis illæsum invictumque ac tormentis omnibus superiorem perstitisse, perinde ac si foret angelus, nec in suo sed in alieno corpore ureretur, qui proinde Deo gratulans iubilansq; dicebat: *Liberasti me à pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus*.

Vers. 7. DE ALTITUDINE VENTRIS INFERI, ET A LINGUA COINQUINATA, ET A VERBO MENDACII, A REGE INIQUO, ET A LINGUA INIUSTA] repete, liberasti me. *De altitudine*, id est à profunditate: hanc enim significat Græcum βάθος. Sic mare altum vocamus profundum. Sensus est q. d. Liberasti me ab alto, id est profundo, ventre inferni. Cogitabant me occidere, & ita mittere in infernum: omnes enim, etiam iusti, ante Christum post mortem descendebant in infernum, putà ad limbum patrum: licèt enim Iansenius per *infernum* accipiat mortem & sepulcrum; meliùs tamen magisque propriè accipias infernum. Alludit ad Ionam in ventre ceti sepultum, ibique Deum invocantem: *De ventre inferi clamavi*, inquit cap. 2. *& exaudisti me*. Sensus est, q. d. Videbar mihi à morte & inferno absorptus, & in eorum ventre ita profundè demersus, sicut Ionas fuit in ventre ceti; sed singulari Dei ope inde erutus sum, & cum Iona vitæ restitutus. Præclarè Tertull. libr. ad Martyres cap. 2. *Nihil interest*, inquit, *ubi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis: vagamini spiritu, spatiamini spiritu, proponentes vobis illam viam, quæ ad Deum ducit: quoties eam spiritu deambulaveritis, toties in carcere non eritis. Nihil crus sentit in nervo, cùm animus in cælo est*.

Nil sentit crus in nervo, cū animus est in cælo.

Simili modo Sapient. 10.19. dicitur: *Ab altitudine inferorum eduxit eos*. Et c. 17. 13. tenebras Ægyptiacas vocat *impotentem verè noctem; & ab infimis & altissimis inferis supervenientem*. Profunditati enim quæ est in fundo terræ & inferni, respondet altitudo extimæ superficiei terræ: quantum enim profundus est fundus terræ, tantum ab eo in altum eminet extima eius superficies. Sicut ergo fundi ingens est profunditas, sic superficiei ingens est altitudo. Semidiameter enim terræ (qui metitur distantiam extimæ superficiei terræ à centro terræ) iuxta Aristot. continet Italica milliaria 7954. iuxta Ptolemæum milliaria 3245. iuxta recentiores verò 3035. ita noster Clavius in Sphæra c. 1. pag. 116. Tot ergo milliaribus descendit Siracides, & quivis alius Patrum, dum moriens è terra descendit ad infernum, qui est in centro terræ, ut habet communis Theologorum opinio. Quare rectè dicit, *ab altitudine ventris inferi*, &, ut vertit Vatabl. *ex imo Orci ventre eduxisti me*.

Terra usque ad centrum profunda est 3055. milliaria.

ET A LINGUA COINQUINATA] Græcè, ἀκαθάρτου, id est *impura*. Ita vocat linguas calumniantium & falsò se accusantium ex odio, invidia, aliove impuro affectu.

Moral. hìc disce linguam detractoris vocari contaminatam, quia detractio omnes sordes, id est peccata & defectus, proximorum, sub detractoris quasi serpentis lingua recondit.

ET A VERBO MENDACI (notat testes, qui mendax & falsum contra se testimonium dixerant.) A REGE INIQUO (putà à Ptolemæo Lagi, uti dixi v. 3.) ET A LINGUA INIUSTA] astantium Ptolemæo, eumque ad iniustam Siracidis mortem inflammantium, ait Palacius. Quamquam per hæc omnia eosdem accusatores, eorumque calumnias accipere possis. Idem enim aliis aliisque verbis exaggerat. Unde Græca habent, *à sermone mendaci* (qui fuit) *regi calumnia* (prodiens) *ex lingua iniqua*; Vatabl. *ab iniusta apud regem criminatione, & ab iniusta lingua calumnia*.

Vers. 8. Vers. 9. LAUDABIT USQUE AD MORTEM ANIMA MEA DOMINUM, ET VITA MEA APPROPINQUANS ERAT IN INFERNO DEORSUM] Syrus, *pervenit ad inferos anima mea, & spiritus meus morti appropinquavit*. legit noster Interpres αἰνέσει, id est laudavit, hoc est, *laudabit*. Iam legunt ἤγγισε, id est *appropinquavit*: unde vertunt, *appropinquavit usque ad mortem anima mea, & vita mea erat propè infernum infimum*; Vatabl. *ad mortem usque propinquarat anima mea, vitaque deorsum quàm proximè orcum accesserat*. Noster meliùs legit αἴνει, id est *lauda vir*. dat enim causam cur adeò laudet Deum: nam τὸ *&* more Hebræo est causale, significans *quia*. q.d. Quamdiu vivam, quamdiu spirabo, iugiter usque ad mortem ex intimis animæ medullis laudabo Deum; *&*, id est *quia*, cùm iam essem in limine mortis & inferni, ipse me pro infinita sua misericordia inde reduxit & eripuit. Ex dictis patet, per *infernum* hìc non rectè accipi mortem & sepulcrum: sepulcra enim cùm sint iuxta extimam superficiem terræ, non possunt vocari *altitudo*, id est profunditas, *ventris inferi*, nec infernus infimus, vel, ut Noster vertit, *deorsum*, græcè κατωτάτου, id est imi sive infimi: pro quo aliqui malè legunt κακωτάτου, id est pessimi.

Anagog. Hugo hæc exponit propheticè de Patribus è limbo per Christum liberandis.

Tropol. de periculis peccati.

Tropol. hæc exponas de periculis peccati & damnationis, quasi Siracides & quivis pius laudet Deum, quòd totius

totius vitæ tempore præservarit aut liberarit illum à gravioribus peccatis, & proinde à gehennæ suppliciis, ad quæ anima corpore hoc degravata, & sollicitante concupiscentia incitata, appropinquabat; sed Dei gratia retentabat & in bono solidabat. Hi ergo dicant gratulanter cum Psalte: *Nisi quia Dominus adiuvit me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea*. Et cum S. Maria Ægyptiaca pœnitente: *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Et cum Isaia cap. 1. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & sicut Gomorrha similes essemus*.

VERS. 10. CIRCUMDEDERUNT (hostes & tribulationes) ME UNDIQUE, ET NON ERAT QUI ADIUVARET. RESPICIENS ERAM IN ADIUTORIUM HOMINUM, ET NON ERAT] Tribulationem exaggerat, ut Dei opem, indeque suum gaudium, & gratulationem exaggeret. Vide S. August. 8. Confess. 3. ubi hoc statuit axioma: *Ubique maius gaudium molestia major præcedit*; illudque probat inductione: *Triumphat*, ait, *victor imperator, & non vicisset nisi pugnavisset. Et quanto maius periculum fuit in prælio, tanto maius gaudium est in triumpho: Iactat tempestas navigantes, minaturque naufragium; omnes futura morte pallescunt: tranquillatur cælum & mare: & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger est charus, & vena ejus malum renuntiat: omnes qui eum salvum cupiunt, ægrotant simul animo, fit ei rectè, & nondum ambulat pristinis viribus, & fit jam tale gaudium, quale non fuit cum antea salvus & fortis ambularet*. Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 32. art. 4. ubi docet tristitiam præteritam esse causam delectationis. Verè Poeta:

Tristitia præterita causat lætitiam.

Gaudia præteriti cumulant inopina dolores.

VERS. 11. MEMORATUS SUM MISERICORDIÆ TUÆ, DOMINE, ET OPERATIONIS (perperàm Palacius, Jansen. & alii legunt, *cooperationis*: græcè enim est, ἐνεργείας, id est, *operationis*. ita Romana) TUÆ: QUÆ A SÆCULO SUNT] Syrus, *memoratus sum miserationum Domini, & misericordiarum ejus quæ a sæculo sunt; qui liberat omnes qui confidunt in ea, & salvat eos ab eo qui robustior est eis*.

VERS. 12. QUONIAM ERUIS SUSTINENTES TE DOMINE, ET LIBERAS EOS DE MANIBUS GENTIUM] q. d. Cùm undique hostibus, & tribulationibus vallarer & cingerer, respectabam num quis hominum mihi auxiliari posset & vellet; sed nullum reperi, cùm alii possent, sed nollent, alii vellent, sed non possent, mihi in tantis ærumnis constituto auxiliari. Quare omni ope humana destitutus ad Deum confugi, unicum derelictorum refugium & asylum: memor enim fui misericordiæ tuæ, & operationis, quam (scilicet misericordiam tuam & operationem) à mundi exordio fidelibus tuis afflictis exhibere soles, ut eorum miserearis, & magna miraque pro eorum liberatione & salute opereris: quoniam pro infinita tua pietate eruere soles *sustinentes*, græcè ὑπομένοντας, id est *expectantes* te, tuamque opem patienter & ardenter invocando præstolantes, & liberas eos de manu gentium, qui tuos cultores persequuntur. Ita Vatabl. *Comprehensum, inquit, me tenebant undique, nec comparebat adiutor: ad humanum auxilium respectabam, nec ullum erat. Tum misericordiæ tuæ Domine recordatus sum, & eorum quæ ab ævo condito gessisses, te eorum qui in te fidunt liberatorem esse, & è manibus hostium vindicem*.

Proprium est Dei rebus desperatis succurrere.

Nota hic proprium esse Dei, divinum præstare auxilium, cùm deest humanum; ac proinde Deum singularem gerere providentiam & curam orphanorum, viduarum, pauperum, omniumq; derelictorum ab hominibus, hanc enim exigit Dei misericordia, pietas & magnificentia, juxta illud; *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor*, psalm. 9. 14. Hoc est quod vulgò dicitur: *Deus ex machina*, id est ex improviso apparens. Rebus enim planè perplexis & quasi desperatis sese ostendere, & succurrere solet Deus, omnesque difficultates expedire & complanare, præsertim si à fidelibus sui cultoribus devotè & ardenter invocetur. Unde illud Euripid. in Oreste: *Apollo in mediis tumultuantibus apparens, res turbatissimas subito componit*. Cùm enim rerum difficultas major est quàm ut possit humana ope explicari, tunc tempus est ut Deus ostendat suam potentiam & providentiam, omniaque difficilia & perplexa explicet, faciatque facilia. Cùm ergo salus ex insperato ostenditur, apparet è machina Deus, Deique virtus & bonitas. Sic Philo in Legat. ad Cajum, narrat se cum sociis à Judæis legatum missum ad C. Caligulam Imp. ut deprecaretur ne Judæos cogeret se adorare velut numen; sed dum à Cajo rejectus repulsam pateretur, dixisse ad socios: *Nunc demum nobis sperandum est de sorte meliori, majorque fiducia figenda in Deo, quia tunc solet auxilium succurrere divinum, cum deest humanum*. Res ergo desperatæ sunt fori divini, & quæ ab hominibus deserta sunt, uni relinquuntur Deo: ideoque in iis non desperandum, sed magis sperandum, magisque spes acuenda in Deum; utpote cui illa præ ceteris curæ sunt & cordi.

VERS. 13. EXALTASTI SUPER TERRAM HABITATIONEM MEAM] Legit, ἀνύψωσας ἀπὸ γῆς οἰκητήριόν μου, id est, *exaltasti a terra domum & familiam meam*; ut scilicet in terra feliciter viverem, & gloriosè habitarem. Ideoque pro morte defluente deprecatus sum, ut loquitur, confidens scilicet quòd solito more me à morte liberares, quin & exaltares. Jam legunt; ἀνύψωσα ἐπὶ γῆς ἱκετείαν μου, id est, *extuli super terram supplicationem meam*. q. d. E terra elevavi mentem meam ad Deum supplicans & deprecans, ut me à morte defluente mihi imminente eriperet. Minùs rectè Complut. pro γῆς id est *terram*, legunt ὀργῆς, id est *iram*: unde vertunt, *exaltavi ab ira supplicationem meam*. Nam Romani ceterique legunt γῆς, non ὀργῆς.

ET PRO MORTE DEFLUENTE DEPRECATUS SUM] Græca iam habent, ὑπὲρ θανάτου ῥύσεως ἐδεήθην, quod Compl. vertunt, *pro morte liberationem rogavi*; Roman. *pro mortis liberatione deprecatus sum*; Vatabl. *ut à morte liberarer oravi*. Noster pro ῥύσεως, id est, *liberatione*, legit ῥεύσεως, id est *fluxu*. Unde vertit pro *mortis fluxu*, id est, *pro morte defluente deprecatus sum*.

Mors defluens quæ? Resp. Primò.

Quæres, quis est fluxus mortis, sive quænam est *mors defluens*? Resp. Primò, *mors defluens* dicitur, quæ in omnes defluit & dilabitur. q. d. Deprecatus sum ne raperer vorticibus mortis successive in omnes, sed hoc tempore in me defluentis: sicut enim mare, fluvius vel torrens exæstuans & exundans, nunc hoc defluens, nunc illuc, sensim omnes & omnia abripit: sic mors nunc in hunc defluit eumque abripit, nunc in illum; itaque sensim omnes aufert. Rursum sicut naufragi dum vasto mari iactantur, alii his, alii illis fluctibus hauriuntur, & absorbentur: sic homines omnes huius vitæ fluctibus iactati; alii his, alii illis fortuitis casibus, & incursibus merguntur. Igitur sicut per nativitatem orimur, & fluimus in ortum, & vitam: sic per mortem diffluimus in interitum & occasum. Quin & vita nostra non est aliud, quàm continuus fluxus ad mortem, ideoq; mors ipsa ab initio vitæ in nos defluere incipit per tot infirmitates & miserias, quæ sensim hominem consumunt, donec iis obruatur & moriatur; perinde ac rivus aquæ, licèt exiguus, si assiduè fluat in fossam, eam sensim fluendo tandem implebit, adeoque merget homines, quantumvis magnos, & gigantes, boves & equos in ea existentes.

Secundò.

Secundò, *mors* dicitur *defluens* per hypallagen, quia omnes homines pedetentim in eam defluunt, & dilabuntur: iuxta illud: *Omnes morimur, et quasi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur*. 2. Reg. 14. 14. Et Poeta.

Omnia prætereunt more fluentis aquæ.

Tertiò.

Tertiò, *mors* dicitur *defluens*, quia mors consistit in diffluxu & dissolutione quatuor humorum, spirituum, nervorum, organorum, omniumque membrorum hominis: sicut enim vita consistit in eorum compagine, & harmonia, sive debita singulorum proportione, quæ fit per calorem naturalem, & temperiem cuiq; propriam: ita hac deficiente dissolvitur illa compago, & harmonia, sicque homo dissolvitur, & moritur. Adde, omnes ferè homines mori fluxu rheumatis, & catarrhi ex redundante pituita, quo fauces opplentur; itaque homo suffocatur: unde moribundi solent gutture gargarizare, eoque sonitum quasi suffocationis vel strangulationis edere. Quocirca *Gorgias* Rhetor jam senex rogatus, *an libenter moreretur? Maximè*, inquit, *nam tamquam ex putri & diffluente domuncula non invitus discedo*. ita Stobæus serm. 115.

Quartò.

Quartò, *mors* dicitur *defluens* metonymicè, putà causaliter, quia omnes & omnia facit defluere & dilabi; mors enim facit ut dilabantur sanitas, vita, vigor, sensus, motus, opes, amici, omniaque bona mundi, tum interna, tum exter-

externa, quibus affluebat homo, dum viveret & vigeret. Huc facit illud Job 22. 16. *Qui sublati sunt ante tempus, & fluvius subvertit fundamentum eorum*; Ubi S. Gregor. per fluvium jugiter fluentem accipit *quotidianum temporis lapsum & præsentis vitæ mortalitatem.* Hugo verò fluxum intelligit mortis, quæ instar fluvii impetu maximo incurrit in omnia ea, quæ interitui sunt obnoxia. Et noster Pineda eidem accommodat hoc nostri Siracidis: *Pro morte defluente deprecatus sum,* quasi dicat. Deprecatus sum ut mors, quæ vitæ nostræ fundamenta lambit & erodit instar fluentis fluvii, paulisper à me dilaberetur, meque intactum & illæsum relinqueret.

Denique per mortem defluentem accipit mortem certam & naturaliter inevitabilem, quæ scilicet certo cursu & destinato fluxu in hominem defluit, ut non sit possibile homini eam avertere; sicut non est possibile homini avertere fluxum fluminis suo alveo in arborem hominemve defluentis. Id patet ex præcedentibus dixit enim immediatè antè: *Non erat qui me adjuvaret. Respiciens eram in adjutorium hominum, & non erat.* Tunc ergo rebus profligatis, certoque morte mihi imminente ad te Deum confugi, ac *memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, & pro morte* certò in me *defluente deprecatus sum.*

Vers. 14. INVOCAVI DOMINUM PATREM DOMINI MEI UT NON DERELINQUAT ME IN DIE TRIBULATIONIS MEÆ, ET IN TEMPORE SUPERBORUM SINE ADJUTORIO] Græcè, ἐν καιρῷ ὑπερηφάνων ἀβοηθησίας, quod Complut. & Roman. vertunt, *in tempore superborum destitutionis*, cùm scilicet dominantibus superbis ab omnibus destituerer & derelinquerer, itaque omni humano carerem adjutorio. Vatabl. *opem negantibus superbis*; alii, *in tempore quo dominantur superbi, deficiente auxilio*; Syrus, *levavi de terra vocem meam, oravi & invocavi patrem meum de excelso* (dicens) *Domine gigas* (Syri Deum vocant Gigantem sæculorum, ob fortitudinem, magnitudinem & æternitatem) *& salvator, ne derelinquas me in die angustiæ, quæ contristat.*

Deus est gigas sæculorum: cur?

Siracidi cognita fuit S. Trinitas.

Nota hic, Siracidi & Judæis priscis cognitum fuisse Deum Patrem, & Deum Filium, adeoque mysterium SS. Trinitatis. Invocat enim *Dominum*, id est Deum Patrem Domini sui, putà Dei Filii, qui per incarnationem futurus erat Messias & Christus, id est redemptor & salvator hominum, ut eos à peccatis omnibusque malis & hostibus liberaret. Quocirca ad Messiam quasi liberatorem ipse ceterique omnes anhelabant, ideoque hic ejus mentionem injicit, q. d. Invocavi Deum Patrem Verbi æterni, sive Messiæ ad nos venturi, ut per eum ejusque merita me à tantis tribulationibus liberaret; adeoque statuto ab eo tempore eum ad nos mitteret, ut ab omnibus malis me ceterosque fideles suos eripiat. Tantum est, ait Palacius, Deum adorare quatenus Pater est, tantum valet apud Patrem memoria Filii. Plus valet mentio Patris, quàm omnipotentis, &c. amat enim Pater Filium. Ideo Ecclesia à Filio instituta Patrem per Filium deprecatur, omnesque orationes & Collectas ita concludit: *Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum*, &c.

Alludit ad illud psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo.* Et psalm. 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Et psal. 70. *Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio regis.*

Vers. 15. LAUDABO NOMEN TUUM ASSIDUE, ET COLLAUDABO ILLUD IN CONFESSIONE, ET EXAUDITA EST ORATIO MEA] *In confessione*; Vatabl. *cum gratulatione.* Est hyperbaton, sive inversus ordo: *Invocavi Dominum patrem Domini mei*, &c. *& exaudita est* ab eo *oratio mea*: quocirca *laudabo* Domine *nomen tuum assiduè.* Aut certè τὸ *&* more Hebræo exponendum per *quia*. q. d. Laudabo nomen tuum, &c. *&*, id est *quia*, exaudita est à te oratio mea. unde Tigur. vertit, *laudabo nomen tuum omni tempore, & memorabor tui in canticis: tunc exaudivit Dominus vocem meam, auscultavit supplicationem meam, & liberavit me ab omni malo, & salvavit ab omni mœrore.* Aliter Jansenius, q. d. *Invocavi Dominum patrem Domini mei* in tribulatione, dicendo: Si me ab ea liberes, laudabo nomen tuum assiduè; & sic me cum hujusmodi voce orante, exaudita est oratio mea. Verùm hæc explicatio multa subaudit, & supplet quæ non sunt in textu.

Vers. 16. ET LIBERASTI ME DE PERDITIONE, ET ERIPUISTI ME DE TEMPORE INIQUO] Græcè πονηροῦ, id est *malo*, molesto, maligno, malefico, difficili, anxio, periculoso, quo scilicet mali & iniqui dominabantur, meque & ceteros æquos piosque tui cultores opprimebant. Vatabl. *nam servasti me ab interitu, & ex improbo tempore eripuisti.* Idem aliis & aliis verbis refricat & inculcat; quia cor habebat plenum tam sensu suarum afflictionum, quàm gratiarum actione, laude & jubilo Dei, qui ex omnibus eum eripuit.

Identidem repetit Siracides τὸ *liberasti*, ut sese è multis angustiis liberatum profiteatur, Deoque liberatori exultabundus gratias agit. Simili modo S. Vvilgefortis virgo & Martyr (quam celebrat Martyrol. Roman. die 20. Julii) alio nomine nuncupata est *Liberata*, quòd à Deo è multis tribulationibus fuerit eruta. Unde Breviarium Seguntinum (ibi enim sacrum ejus corpus quiescit; unde & à civibus velut urbis tutelaris, & patrona, magno honore colitur) cùm narrasset eam Catellii reguli Lusitaniæ filiam, ac matrem eodem partu novem enixam filias, nimirum Geniberam, Victoriam, Eumeliam, Gemmam (Margaritam) Marcianam, Germanam, Basiliam, Quiteriam, & Vvilgefortem sive Liberatam, matrem, inquam, de tanto puellarum partu verecundatam jussisse obstetrici, ut omnes secretò in flumine submergeret; sed obstetricem piis matronis illas educandas tradidisse; quæ proinde omnes sanctæ virgines, & Martyres, licèt diversis locis & temporibus, evasere, ac velut novem cælestes Musæ novem angelorum choros exornant; subdit: *Dimissis igitur cunctis sororibus ad regna cælestia, tandem B. Liberata multis tormentis cruciata, cùm à fide avelli non posset, capitis abscissione migravit ad Dominum. Et sic liberata à fluminis submersione* (quando nata est,) *liberata ab infidelitatis errore* (per baptismum,) *liberata à corruptione carnis* (nam pro pudicitia passa est,) *liberata ab ergastulo corporis per martyrii triumphum, libera pervenit ad Christum.* Fusiùs harum novem sororum agones & martyrium, ex priscis Hispanicarum Ecclesiarum monumentis authenticis, describit Franc. Bivarius in Comment. ad Chronicon L. Dextri, anno Christi 138. ubi & validis rationibus contendit S. Margaritam, quam colit Ecclesia die 20. Julii, esse Gemmam, unam novem sororum jam dictarum.

Vers. 17. PROPTEREA CONFITEBOR, ET LAUDEM DICAM TIBI, ET BENEDICAM NOMINI DOMINI] Græcè *nomen Domini*, id est Dominum. q.d. Benedicam & glorificabo Dominum per suum nomen, nominando scilicet & exaltando sanctum ejus nomen. Vatabl. *propterea gratulor tibi, & laudes ago, Domine, nomenq; tuum celebro.* Aliter Palacius, qui per *nomen Domini* accipit filium Dei, in quo quasi in nomine, voce & verbo agnoscitur Pater. Non solùm, inquit, laudat Deum, sed etiam laudes dicit nomini Domini, qui est filius Dei: juxta illud Joan. 12. *Pater clarifica nomen tuum*, id est filium tuum ita ipse.

Vers. 18. CUM ADHUC JUNIOR ESSEM, PRIUSQUAM OBERRAREM QUÆSIVI SAPIENTIAM PALAM IN ORATIONE MEA] q. d. Dum essem juvenis, videremque alios mihi coævos per varias Judæorum & Philosophorum sectas erroresque oberrare; ego, ne in eosdem errores inciderem, per eosque quasi erro & vagabundus oberrarem, sectis omnibus earumq; scholis relictis palàm, græcè ἐν εὐχῇ, id est, apertè, publicè ex professo unam quæsivi sapientiam. quare adii ejus fontem & auctorem Deum, assidua oratione ex toto corde postulans, ut eam mihi communicaret, dixique cum Salomone Sap. 9. 4. *Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam.* Et v. 10. *Mitte illam de cælis sanctis tuis, & de sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te.* Unde aliqui exponunt sic: *Priusquam oberrarem*, id est priusquam idololatrarem: idola enim antonomasticè vocantur *errores*; tum objectivè, quia multorum errores & erroneos cultus terminant; tum effectivè, quia in multos errores inducunt, Sic 1. Reg. 5. 7. *Dura est manus ejus super nos, & super Dagon deum nostrum*; Chald. vertit, *& super Dagon errorem nostrum.* Sic per varias Philosophorum sectas, & errores oberravit Sanctus Justinus Philosophus & Martyr, donec à Deo per hominem vel angelum veram sapientiam est edoctus, uti fusiùs enarravi Procemio in Pentateuchum. Sic per Manichæorum errores oberravit in juventute S. August. do-

Error pro idololatria.

Errores S. Justini.

donec precibus S. Monicæ matris à Deo fuit illustratus. Quocirca S. Jacobus sapienter monet cap. 1. 5. *Si quis vestrum*, inquit, *indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Ita hodie multi per Philosophorum vel hæreticorum scholas oberrant, perduntque veram scientiam, fidem, pietatem, gratiam & salutem.

Pro *priusquam oberrarem*, græcè est πρὶν ἢ πλανηθῆναί με, quod Primò, verti potest, *priusquam errarem* vel *oberrarem*; Tigur. *antequam seducerer*. Secundò, cum Vatablo, *priusquam peregrinarer*, scilicet ad visendos homines sapientes, scholas & academias, in quibus audirem & discerem sapientiam. Vide dicta c. 36. v. 5. Sed prior sensus germanior & aptior est: iuventus enim mille erroribus exposita est, partim ob curiositatem & socios, partim ob concupiscentiam, per quam extra se vagatur per multiplices huius vitæ voluptates, & desideria erroris instar illius filii prodigi adolescentioris, qui peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè, Lucæ 15. 13. qui proinde Deo supplex dicat: *Erravi sicut ovis, quæ periit: quære servum tuum Domine*, psalm. 118. v. ult.

Porrò qui sapientiam quærit & invenit, Deum quærit & invenit: Deus enim est ipsa increata sapientia, à qua omnis creata velut radius à sole dimanat. Unde Syrus vertit, *cùm essem puer, complacuit mihi in eo* (Domino, de quo v. præced.) *& quæsivi eum; incessit pes meus in veritate Domine mi. A pueritia non novi doctrinam, & oravi orationem illius cum parvulus essem & multam inveni doctrinam.*

VERS. 19. ANTE TEMPLUM POSTULABAM PRO ILLA, ET USQUE IN NOVISSIMIS INQUIRAM EAM] Id est, ut Vatabl. *sectabor eam usque ad extremum*, scilicet ætatis & vitæ meæ. Pro *ante templum* Jansenius, Palacius & alii leguns *ante tempus*, cui congruit τὸ *& usque in novissimis inquiram eam.* q.d. Ante maturum sapientiæ percipiendæ tempus, & antequam tempus esset, quo communiter solent homines percipere sapientiam, aut pro ea obtinenda laborare, sed usque in novissima vitæ meæ tempora inquiram eam, ut quæ nec satietatem affert, nec fastidium.

Verùm legendum cum Roman. *ante templum*: hoc enim significat Græcum ἔναντι ναοῦ. nam sacerdotes soli oraturi ingrediebantur templum, putà Sanctum & Sanctum sanctorum: hoc enim dicebatur היכל *hecal*, id est templum, sive basilica: laici verò, qualis videtur fuisse Siracides, oraturi ante Sanctum, imò ante atrium sacerdotum in atrio laicorum, quod proinde erat eorum templum, consistebant. Unde Secundò, exponi posset, q. d. Intempestivè, putà summo manè, aut vespere, & noctu (uti faciebat S. Casimirus. S. Genovefa, S. Carolus Borromæus & alii) adibam templum à Deo postulaturus sapientiam: at cùm templum, putà atrium laicorum, clausum invenirem, ante templum orabam Deum in templo residentem super arcam & Cherubim, in propitiatorio Sancti sanctorum, ut sapientiam mihi infunderet.

Hinc disce, meliorem & efficaciorem esse orationem, quæ fit in templo quàm quæ fit domi. Quocirca de S. Basilio & S. Gregorio Nazianzeno legimus apud Ruffin. & alios, quòd, cùm Athenis sapientiæ darent operam, nullam urbis viam vel plateam nossent, nisi unam quæ pergebat ad templum, & alteram quæ ducebat ad scholas. Sic olim Christiani noctu solebant ante valvas templi procumbere, & orare, ipsasque valvas deosculari, quin & idem per diem Romæ non tantùm in iubileo, sed sæpè aliàs fieri videmus. Ita S. Chrysost. homil. ultim. in 2. ad Corinth. *Nonne videtis, quot etiam vestibula templi huius osculantur, illi quidem flectentes, alij autem manu continentes, & ori manum admoventes;*

S. Basil. & Naz. nullam norant plateam nisi ad templum & scholas.

ET EFFLORUIT (ita Roman. malè Jansen. & alii legunt *& florebit*; peiùs Rabanus, *& defloruit*) TAMQUAM PRÆCOX UVA, LÆTATUM EST COR MEUM IN EA] q. d. Sapientia, quam tanto studio sectatus sum, ante tempus in me florem & fructum protulit, eoque mirè me pavit, & oblectavit, uti solent uvæ præcoquæ, scilicet quæ ante alias maturescunt, sive primò & ante tempus maturæ, sicut enim uvæ continent vinum, quod totum hominem reficit, roborat, lætificat, vivificat: sic sapientia continet vinum spiritale, quod

VERS. 20.

A mentem Dei cognitione & amore implet & inebriat, quod proinde Apostolis propinavit Spiritus sanctus in Pentecoste, adeò ut de iis Dei amore inflammatis, tamque divina, & ardentia eructantibus dicerent Judæi: *Musto pleni sunt isti*, Act. 2. Hoc est quod ait Sapiens Proverb. 9. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum*, &c. *immolavit victimas, miscuit vinum*, & ad illud sui studiosos invitans: *Venite*, inquit, *comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Unde *lætatum est cor meum in ea*, multò magis quàm quis sitiens lætatur in musto & uvis præcocibus, iuxta illud Davidis psal. 115. *Calix meus inebrians quàm præclarus est!*

Igitur sapientia in me *effloruit tanquam præcox uva*; quia præcox ingenium, præcox sapientiæ studium, præcocem sapientiæ fructum & præmaturum sensum mihi pepererunt; cum alii vel pueri, vel adolescentes nimiùm immaturi, nimiumque acerbi in sapientiæ studio tunc temporis inveniri soleant, q. d. Puerilis ætas per sese ad sapientiam acerba, in me sapientiæ præcocis beneficio maturuit. Græca habent, *ex flore tamquam maturescentis uvæ lætatum est cor meum in ea.* q. d. Eo tempore quo nullus esse solet sapientiæ in pueritia gustus fructusve,

B sed tantùm flos aliquis, & bonæ indolis atque ingenii specimen; in me tamen ille flos simul cum maturescentis fructus dulcedine & suavitate coniunctus fuit. Unde aliqui clarè vertunt, *tanquam de flore maturescentis uvæ lætatum est cor meum de ea.*

Simili modo Salomon in iuventute præcocem à Deo petiit & obtinuit sapientiam, uti ostendit Pineda libr. 3. de Rebus Salom. c. 2. ubi & n 5. asserit Siracidem in Salomonis persona hic loqui ac dicere: *Cùm adhuc iunior essem, priusquam oberrarem, quæsivi sapientiam.*

Moral. hic disce non esse veram solidamque lætitiam & delectationem, nisi in Deo eiusque sapientia, id est pietate & virtute. In Deo enim est omne bonum, quod mentem allicit & ad se pellicit, ut in eo quasi centro conquiescat, imò in eo quasi in pelago bonorum natet, eique se immergat & inebriet. Id expertus Psaltes exclamat psal. 40. 20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te!* Egregiè S. Aug. lib. 4. Confess. c. 10. *Quaquaversum*, inquit, *se verterit anima hominis, ad dolores figitur, alibi præterquam in te, tametsi figitur in pulchris extra te, & extra se.* Imò & Plato in Philebo, amicos Dei tantùm veris delectationibus frui dicit. Optimè S. Bernard. epist. 114. *Illum solum*, ait, *& verum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore suscipitur, & omnis aliunde iucunditas, mæror est, omnis suavitas, dolor est; omne decorum, fœdum; omne postremo quodcumque aliud delectare potest, molestum.*

Solida lætitia non nisi in Deo.

C

AMBULAVIT PES MEUS ITER RECTUM] Græcè, *ascendit pes meus in rectitudine*; Vatabl. *pes meus recta ingressus*; alii, *recta incessit.* q. d. A puero vitam prudenter rectèque institui, non incessi per errorum avia, nec per obliquas vitiorum ambages; sed recto itinere progressus sum, nimirum in omnibus secutus sum veræ prudentiæ dictamen, ut ad sapientiam practicam, putà ad virtutem pervenirem. Dictamen autem prudentiæ erat, rectum iter ad hanc sapientiam esse Primò, orationem; Secundò, lectionem & meditationem legis divinæ; Tertiò, studium virorum sapientum & sanctorum, uti

D docuit c. 39. v. 1. & seq. Nota Græcum ἐπέβη, id est *ascendit*, quia, ut ad sapientiam hanc pervenias, ascendas oportet de carne ad spiritum, de concupiscentia ad mortificationem, de superbia ad humilitatem, de gula ad abstinentiam, de avaritia ad paupertatem, denique de terra ad cælum. Rursum *iter rectum* ad Deum est recta intentio, qua quis non sua commoda, sed Dei gloriam, suamque & proximorum salutem in studio sapientiæ & virtutis spectat & intendit.

A JUVENTUTE INVESTIGABAM EAM] Sicut venator solet leporem vel cervum per vestigia sequi ut eum comprehendat: tanto, imò maiori studiò sapientiam venari oportet. Plato lib. 6. de Legibus docet, eos qui in re vel arte quapiam excellentes evadere cupiunt, debere se in ea à puero assiduè exercere. Hoc verissimum est in sapientia & virtute. Id significarunt veteres per Herculem, quem finxerunt puerum in cunis angues elidere solitum; virum deinde leones, hydras ceteraque monstra domasse; senem tandem cælum humero fulcire. Sic ut senes cælo potiamur, pueri angues concupiscen-

Euripid. *Otiantibus nullus adest deorum*, sed cætus dæmonum. nam ut ait Cassianus lib. 10. de Instit. Cœnob. cap. 23. *Ab antiquis Patribus sancita est sententia: operantem monachum dæmone uno pulsari, otiosum verò innumeris spiritibus devastari.* Igitur docet hic modum, quo sapientiam sit consecutus, nimirum Deo eam operanti cooperando & collaborando. Primò ergo dicit, *consiliatus sum, ut facerem illam*; græcè διενοήθην, id est *cogitavi*; Vatabl. *decrevi præstare illam*. q.d. Considerans pulchritudinem sapientiæ, eamque admirans consilium cepi; deliberavi, resolvi, firmiterque decrevi illi me discipulum tradere, ac facere quidquid illa juberet. Rursum cepi consilium investigandi modos & rationes, quibus id præstare possem.

Secundò, *zelatus sum bonum*, id est, exarsi amore boni & honesti, quod illa mihi proponebat, meque ut facerem docebat. Zelo enim ingentiq; animi ardore opus est, ut tantum bonum tot difficultatibus obsitum, quis consequatur. Idcircò *non confundar*, id est, non excidam mea spe & conatu; sed bonum sapientiæ, quod tanto zelo prosequor, reipsa assequar. Aut potiùs *non confundar*, id est, non erubescam, nec verecundia afficiar sequendo ejus dictamina, ac exequendo quod illa me facere jubet: non pudebit me palàm, aperta fronte, & clara voce profiteri discipulum, & sectatorem sapientiæ & virtutis; esto ab hominibus mundo carnique deditis ea de causa irridear, & subsanner, habearque stultus, vilis, contemptibilis. Disce hic Philothee, amans, inquam, Dei & virtutis, superare rusticum pudorem, ac contemnere hominum judicia & risus; ut dicas cum S. Paulo: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*, Galat. 1. v. 10. ita non confunderis coram hominibus in vita, nec coram Deo in morte, nec coram Christo in die judicii.

Tertiò, *colluctata est anima mea in illa*, id est pro illa assequenda & opere exequenda; Vatabl. *animus meus cum illa conflictatus est*; alii, *acriter pugnavit* (hoc enim significat Græcum διαμεμάχηται) *anima mea pro illa*. q. d. Acriter certavi cum meis concupiscentiis legi sapientiæ repugnantibus, ac cum iis quasi antagonistis pro virili luctatus sum, ut iis quæ à sapientia me retardabant & avocabant, suppressis, liber & expeditus uni sapientiæ servirem & viverem. Igitur hæc lucta non fuit contra sapientiam, sed pro sapientia contra cupiditates, & vitia: fuit tamen indirectè cum ipsa sapientia. Sicut enim Jacob luctans contra angelum eum vicit, ab eoque benedici meruit: sic mysticus Jacob, id est luctator, & supplantator vitiorum, luctatur cum sapientia, utpote quæ quasi virgo casta & intacta fugit Jacobum & hominem luctantem cum vitiis, utpote adhuc vitiis & maculis infectum; sed dum ipse ea quasi Jacob domat & supplantat, finit se ab eo teneri vincique sapientia, atque ei multifariam benedicit. Vide dicta Genes. 32.25.

Colluctatio animæ cum sapientia: unde?

Porrò; hujus colluctationis causa & ratio à priori est, quòd anima humana partim sit rationalis inclinans ad bona spiritualia, partim sensitiva inclinans ad bona sensibilia, sicque homo videtur conflatus ex angelo & bruto; & hæc cum illa assiduè luctatur; sed pars sensitiva in eo vehementior existit, & secum rationalem sæpè trahit ad sua objecta sensibilia, neglectis spiritualibus. Nam, ut rectè docet Noster Lessius lib. 12. de Perfection. divin. cap. 9. mens humana, cùm inter naturas rationales sit infima, ac proinde carni mortali inserta, & sensibus addicta; nihil præter sensibilia & temporalia, ut honores, divitias, voluptates perfectè apprehendit: spiritualia, ut pulchritudinem virtutum, & bona vitæ futuræ, obscurè & confusè. Hinc fit ut à spiritualibus moveatur parum & languidè, à sensibilibus multùm, & validè: motiones enim affectuum, cognitionis apprehensionem sequuntur. Quare, objectis difficultatibus, & iis quæ carni molesta, homo facilè retrocedit, & studium virtutis abjicit: molestias enim illas, utpote sensibiles, & naturales, validè apprehendit; cumque oriantur ex rebus obscuris & non satis per experientiam comprobatis, fingit eas centuplo graviores quàm revera sint, & ita facilè ab illis vincitur. Bonum enim imperfectè apprehensum (quale est bonum virtutis & gloriæ celestis) non tantum attrahit, quantum ingens molestiarum imaginatio deterret. In bonis autem sensibilibus persequendis (qualia sunt opes, honores & voluptates) etsi magnæ difficultates se offerant; mens tamen humana perstat: quia etsi illæ molestiæ, per se deterreant, magis tamen bonorum speratorum vehemens apprehensio allicit, quorum ardens amor facit, etiam ipsas molestias longè quàm reipsa sint minores videri. Hæc est penè tota ratio & prima origo, cur via virtutis, alioquin per se facilis, & jucunditatis plena, videatur difficilis & amara; è contrario via sæculi, revera aspera, & molestissima, videatur facilis, & jucunda. Plus enim allicit fortis apprehensio bonorum sensibilium, quàm deterreat imaginatio malorum illis annexorum: & plus deterret valida imaginatio molestiarum, quæ studio virtutis inesse videntur, quàm apprehensio bonorum spiritualium (quæ in nobis valdè tenuis est & obscura) alliciat. Dominus igitur hujus infirmitatis nostræ conscius, ut fortiùs apprehenderemus bonorum spiritualium excellentiam, & minoris æstimaremus difficultates annexas; proponit hic Siracidis exemplum, stimulum, & consilium, ut scilicet per sapientiæ studium bonis spiritualibus audiendis, legendis, meditandis, exercendis assiduè insistamus, iisque mentem plenè imbuamus, ut ipsa fiat spiritualis, eoque secum rapiat partem inferiorem, & animalem, indeque alios quoque tanti boni faciat participes. Nam ut ait S. August. in Sententiis num. 122. *Magnus bonorum labor est, mores tolerare contrarios: quibus qui non offenditur, parum proficit. Tantum enim torquet justum alieni peccati iniquitas, quantum à sua recedit*. Hæc enim est vis charitatis, & zeli, ut instar ignis omnia inflammet.

Homo quasi cōflatus ex angelo et bestia.

B

Porrò noster Pineda lib. 3. de Rebus Salomon. cap. 3. censet hæc dici in persona Salomonis, de eoque sic explicat, q. d. Inter varias cogitationum colluctationes & conflictus de optimo vitæ genere sectando, *consiliatus sum*, id est eligendo inii consilium tradendi me totum studio sapientiæ. Censet enim Siracidem doctrinam, & sensa Salomonis conscribere.

Quartò, *& in faciendo illam confirmatus sum*; Græca Complut. & Roman. legunt, καὶ ἐν ποιήσει λιμοῦ διηκριβωσάμην, id est, *in effectione famis diligenter egi*, vel diligentiam adhibui. q. d. Quàm diligens & sedulus est homo famelicus, ut cibum consequatur, famem levet; tam diligens ego fui in studio sapientiæ, ut ejus famem, & aviditatem exsatiarem. Verùm Tigurin. Vatabl. & alii pro λιμοῦ legentes μοῦ vertunt, *& in operatione mea exactus fui*; Vatabl. *facta mea perpendi*, hoc est, ut Jansenius, actiones meas diligenter & exactè expendi, num cum præceptis sapientiæ convenirent, ut faciebat David dicens: *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua*, psal. 118. Qua de re divinè scripsit S. Bernardus libros quinque de Consideratione ad Eugenium Pontif. Alii vertunt, *& in effectione mea exquisitus fui*. Quò accedit Noster, *et in faciendo illam confirmatus sum*. q. d. Ut sapientiam semper facerem, ejusque dictamina explerem, obfirmavi animum, esto luctam in ejus praxi non modicam cum carne sentirem; tamen firmus in ea perstiti, & constanter perseveravi: Græcum enim διηκριβωσάμην significat Primò, exactè discutio, diligenter expendo; Secundò, exactè compono et absolvo; Tertiò, affabrè facio; Quartò, omni ope & exacta diligentia efficio, exequor diligenter. Quocirca Syrus vertit, *cogitavi benefacere, & non revertar quando inveniam illam. Conglutinata est anima mea cum illa, & faciem meam non averti ab ea. Dedi animam meam post eam* (tradidi me totum illi) *& in sæculum sæculorum non obliviscar illius*.

C

D

Moral. disce hic ad sapientiæ, & virtutis consecutionem requiri, Primò generosam animi resolutionem, & propositum efficax ad eam prosequendam; Secundò, ardorem & zelum; Tertiò, colluctationem et mortificationem cupiditatum; Quartò, animi robur, constantiam et perseverantiam in virtutis studio et operatione. Igitur necesse est ei, qui sapientiæ donum in mente accipit, laborare, nervos intendere, totis viribus conniti, ut quæ jubet sapientia, fortiter exequatur: præcipit enim adversa carni, mundo, & dæmoni. Cum hisce ergo diu multumque ei colluctandum est: at idcircò, non delassetur, nec cadat animo, quia ipsa colluctatione non debilitatur, sed confirmatur animus; perinde ac Jacob luctans cum angelo, ideoque claudicans, ex lucta fortissimus effectus est, ut angelo, & Deo prævaleret: unde vocatus est Israel, id est prævalens vel dominans Deo, uti dixi Genes. 32.28. Nam ut ait S. Paulus 2. Corint. 12. 9.

Quatuor requisita ad sapientiam.

12. 9. *Virtus in infirmitate perficitur*. Et Psaltes psal. 141. 4. *In deficiendo ex me spiritum meum, & tu cognovisti semitas meas*. ita Palacius. Hic verum est illud Claudiani in Nuptiis Honorii Imp.

Via ad virtutem est per-ardua.

Non quisquam fruitur veris honoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat favos,
Si fronti caveat, si timeat rubos.
Armat spina rosas, mella tegunt apes.
Crescunt difficili gaudia jurgio.

Ad culmen ergo sapientiæ arduo, & acclivi ascensu est opus.

Ardua per præceps gloria vadit iter.

S. August. tractat. de Virgin. *Diversis*, inquit, *seminibus pectoris tui colles sere, nunc alimoniis mediocribus, nunc jejuniis parcioribus, lectione, opere, prece, ut mutatio laboris induciæ sint quietis*. Hisce mediis ad invicti efficimur. Audi Senecam lib. de Constant. sapient. ad Seren. cap. 3. *Quomodo quorumdam lapidum expugnabilis ferro duritia est, nec secari adamas, aut cædi vel teri potest, sed incurrentia ultro retundit: quemadmodum quæ jam non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa, rigorem suum habitumque conservant: quemadmodum projecti in altum scopuli mare frangunt, nec ipsi ulla sævitia vestigia tot verberati procellis ostentant: ita sapientis animus solidus est, & id roboris collegit, ut tam tutus sit ab injuria, quam illa quæ retuli.*

Præclarè Nazianz. orat. 23. *Philosophicus*, inquit, *animus ex eo, quod passus sit, generosior redditur: atque ut candens ferrum frigida aspersione, ita periculis obdurescit*, juxta illud Horatianum:

Duris ut ilex tonsa bipennibus,
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

VERS. 26. MANUS MEAS EXTENDI IN ALTUM, ET INSIPIENTIAM EJUS LUXI] Jansen. addit: *Et ignorantias meas illuminavit*. Verùm hæc delent Romani, aliique plures. Pro *insipientiam ejus luxi*, Palacius, Jansen. & alii multi legunt, *in sapientia ejus luxit anima mea*. q. d. Cùm anima mea colluctraretur intra se, & suas actiones secum expenderet, extendi manus ad Deum, ut me illuminaret, viderémque meos errores & lapsus, sine quibus hæc vita mortalis non ducitur. Illuminavit ergo me Deus, & *in sapientia*, id est per sapientiam mihi à Deo infusam *luxit*, id est lucida facta est, *anima*; quia Deus eam illuminans fecit eam cognoscere suos errores & lapsus, eosque corrigere.

Verùm pro *in sapientia* corrigendum cum Romanis *insipientiam*; græcè enim est ἀγνοήματα, id est *ignorantias*. Rursum pro *luxi* non est ἔλαμψα, id est luxi, à luceo, ut vult Lyran. & Dionys. sed ἐπένθησα, id est luxi, à lugeo, indolui, ingemui. ita Hugo, Jansen & alii.

Sensus ergo est quasi dicat. In ista colluctatione sapientiæ, & insipientiæ, virtutis & vitii in anima mea, de qua vers. præced. deprehendi magnam meam infirmitatem, atque ac ignorantiam sive insipientiam, meque in multis errare, deficere & labi. Manus ergo expandi in altum, orans Deum, ut infirmitatem meam robore sapientiæ corroboraret, ac insipientiam luce sapientiæ collustraret: ideoque insipientiam ejus, scilicet animæ meæ, colluctantem, ut dixi vers. præced. coram Deo luxi, & deflevi. Græca habent, *manus meas expandi in altum, & ignorantias ejus* (animæ meæ luctantis) *intellexi*; Vatablus, *& errores illius* (animæ meæ) *agnovi*.

Aut planiùs & potiùs, quasi dicat. Ignorantiam & insipientiam ejus, scilicet sapientiæ, agnovi, hoc est, agnovi quòd non saperem, quod ignorarem sapientiam, quod essem insipiens; atque hanc meam sapientiæ ignorantiam, & insipientiam luxi, & deflevi. Unde nonnulli codices, quos citat Franc. Lucas in Notis hic, legunt, *& in insipientia ejus* (id est, ob ignorationem sapientię) *luxit anima mea*, itaque legendum censet ipse Lucas. Pro *luxi* Noster legit cum Græco codice Vaticano, & cum Græco Romæ correcto ἐνόησα, id est, *cogitavi*. Porrò Syrus vertit, *manus meæ aperuit ostium ejus, & circumsedi eam* (vel circumvallatus sum ab ea) *& intellexi eam, & in puritate inveni eam*.

VERS. 27. ANIMAM MEAM DIREXI AD ILLAM, ET IN AGNITIONE INVENI EAM] Græcè, pro *in agnitione* est ἐν καθαρισμῷ, id est *in purificatione*; alii, *per puritatem inveni eam*. Sed eodem redit sensus: *Agnitionem* enim intelligit propriæ insipientiæ, errorum & lapsuum, eamque efficacem, putà quæ eorum pœnitentiam, correctionem & purificationem imperat & efficit: hæc enim agnitio, & purificatio recta est via ad sapientiam, & virtutem, de quo plura vers. 35. Sensus ergo est, ut rectè Jansenius, quasi dicat. Cùm in me deprehenderem, & deflerem multam insipientiam meam; animam meam direxi ad sapientiam, curvatam ex parte, & obtenebratam animam erigendo ad sapientiam, à qua illuminari & purgari optavi, & per agnitionem errorum meorum, & secutam hinc purgationem, inveni ipsam sapientiam. Vera enim ratio percipiendæ sapientiæ est agnitio propriæ insipientiæ, sive qua cognoscimus quàm multa verè ignoremus, sive qua cognoscimus vitæ nostræ defectus, si eam agnitionem sequatur humilis pro sapientia precatio, & vitæ morumque emendatio atque correctio.

Notat Palacius appositè dici *in agnitione inveni eam*; quia sicut charitas invenitur amando, patientia sufferendo, humilitas se deiiciendo; sic sapientia invenitur se cognoscendo, id est *in agnitione*. Aperiendo enim oculos, & videndo thesauros sapientiæ qui abyssum meę insipientiæ implere sufficiunt, illam inveni: habitus enim sapientiæ in suo actu invenitur. Si enim multa cognosco invenio multam me habere sapientiam. Porrò, ut dixi, sapientia consistit in agnitione thesaurorum sapientiæ, æquè ac abyssi propriç insipientię, hanc illi comparando, opponendo, & humili prece substernendo, ut eam illuminet & impleat, juxta illud S. Francisci: *Quis tu Domine? quis ego? Tu abyssus sapientiæ & boni ego abyssus insipientiæ & mali.*

Denique Nota in purificatione affectuum, ac puritate castitatis, & vitę inveniri, imò consistere sapientiam. *In malevolam enim animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*, Sapient. 1. 4. Ita narrat Ruffinus Sancto Gregorio Nazianzeno per visum apparuisse duas virgines insignes, cumque ille studio castitatis earum aspectum fugeret; illę comiter ad eum: *Nos*, inquiunt, *sorores sumus, una sapientia, altera castitas nominatur. Missæ sumus ad habitandum tecum, quia per puritatem jucundum nobis in anima tua habitaculum præparasti*. Et B. Hugo Lincolniensis Episcopus christianismum ajebat tria requirere: *Exigit*, inquit, *vis & veritas beati nominis hujus, ut indesinenter teneatur charitas in corde, veritas in ore, castitas in corpore non fallaciter Christiani*.

Christianismus tria requirit.

VERS. 28. POSSEDI CUM IPSA (perperàm Lyran. & alii legunt *cum ipsis*, scilicet doctoribus sapientię) COR AB INITIO: PROPTEREA NON DERELINQUAR] Hoc quoque ordine hunc versum & pręcedentem legunt Gręci Complut. habent enim, *animam meam direxi ad illam, & in purgatione inveni eam. Cor possedi cum ipsa ab initio, propterea non derelinquar*. Codices verò Romę emendati nonnulla immutant & traiiciunt: habent enim, *animam meam direxi ad illam, cor acquisivi cum eis ab initio, & in purificatione inveni eam: propter hoc non derelinquar*; Syrus, *cor possedi mihi ab initio, propter hoc derelinquam eam*.

Jam Primò, Jansenius hunc dat sensum, q. d. Ab initio vitę meę ego ex dono Dei obtinui, & habui cor sapientię conjunctum, eamque semper desiderans; ideoque firmiter confido, quòd non derelinquar à Deo & sapientia ejus; quia ejus raro dono ab infantia semper illi addictum habui cor. Nec frigidè eam quęsivi, sed venter meus conturbatus est quęrendo eam, hoc est, interiora mea omnia studio quęrendę sapientię commota fuerunt. Unde Vatabl. vertit, *conjunctum cum illa cor adeptus sum ab initio*.

Secundò, planiùs & simpliciùs: Hebręi dicunt קני לב *Kanits leb*, id est acquisivi, & acquirendo possedi cor (hic *possidere* sumitur pro acquirere, parare, efficere, Proverb. 8. 22. & alibi: est metalepsis) ut scilicet per sapientiam cordatus evaderem, & prudens: cor enim fons est & symbolum prudentiæ, maturitatis, constantiæ, & fortitudinis. Hinc Scipio Nasica vocatus est *corculum*, ob insignem prudentiam de quo Cicero Tuscul. 1. *Aliis*, inquit, *cor ipsum animus videtur: ex quo excordes vecordes, concordesque vocantur; & Nasica ille prudens bis*

Cor symbolum prudentię et animę.

bis Consul, corculum. Et Plinius lib. 7. cap. 31. Catos Corculos, apud Romanos cognominatos esse refert, qui sapientia præstiterunt: prisci enim Philosophi in corde sapientiam constituerunt. Ex Ennius se tria corda habere dixit, eò quòd tres linguas calleret, putà quòd latinè, oscè & græcè sciret. Præclariùs verò Salomon à Deo donatus sapientia accepit *latitudinem cordis*, id est animi magnitudinem, amplitudinem & liberalitatem, 3. Reg. 4. Sic Jeremias cap. 5. 20. ait: *Audi popule stulte, qui non habes cor*. Et Osee cap. 7. 11. ait de Ephraim: *Columba seducla non habens cor*. Vide ibi dicta. Corde ergo caret, qui sapientia caret: sapientia enim dat cor. *Propter hoc non derelinquar*, nec à sapientia, nec à Deo; quia ubi est cor, ibi est sapientia, ibi est Deus.

Ennius tria corda habuit. qualia?

Tertiò, Dionys. & Palacius: In sapientia possedi cor, id est, inquiunt, possedi animam & meipsum, ut quasi dominus & possessor imperarem omnibus animæ motibus & affectibus, eosque fræno sapientiæ mihi subditos, sibique invicem in pace associatos continerem. Sic ait Christus Lucæ 21. 19. *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; quia patiens per patientiam dominatur animæ suæ, eamque in pace continet & regit: impatiens verò non dominatur illi, nec eam possidet, sed potiùs possidetur ab ira, & consequenter à Satana. Sic avarus non habet se, sed habetur à nummis. unde avari vocantur *viri divitiarum*, quasi servi earum, utpote qui non possident, sed possidentur à divitiis, psal. 75. 6. Sic libidinosus possidetur à venere & ventre. Et qui facit peccatum amisit seipsum; quia se fecit servum & mancipium peccati, 2. Petri 2. 19.

Denique præclarè noster Caussinus lib. 3. Parab. Histor. cap. 3. Cordis effigies, ait, hieroglyphicum sapientiæ & fortitudinis est. Hinc Varro tradit, hominis anniculi cor duarum esse drachmarum, quinquagenarii constare drachmis centum; ab eo tempore annis singulis totidem imminuitur drachmis, quot excreverat: creditumque inde ex defectu humani cordis, non ultra centesimum annum posse homines vivere. Cor igitur sapientiæ sedes & typus, vasculum quidem parvum, ut ait Macarius homil. 43. sed in quo recipiantur omnia. Ibi Deus, ibi angeli, ibi vita & regnum: ibi cælestes urbes, ibi thesauri gratiæ. At si pravum fuerit; ibi dracones, ibi leones, ibi bestiæ venenosæ, ibi asperæ & salebrosæ viæ, ibi præcipitia, ibi thesauri vitiorum.

Mirum cordis per annos incrementũ & decrementum.

Idem lib. 11. cap. 22. sapientiæ symbolum dat Androdamantem: Androdamas, inquit, argenti nitorem habet, & penè adamas, quadratis semper tesseris. Magi putant nomen impositum ab eo quòd animorum impetus vel iracundias domare & refrænare dicatur; si credimus Isidor. Origin. lib. 16. cap. 14. Apodosis, sive redditio parabolæ, est hæc: Nullus est alius androdamas, quàm sapientia moderatrix animi, expultrixque vitiorum. Hæc incitatas permotiones, & instar torrentis & fluminis effusas reprimit & sistit, dissipata tot affectuum caligine.

Androdamas species adamantis, typus sapientiæ.

VERS. 29. VENTER MEUS CONTURBATUS EST QUÆRENDO ILLAM: PROPTEREA BONAM POSSIDEBO POSSESSIONEM] Vatabl. *viscera* (Hebr. מעי *meai*) *mea commota sunt ad quærendam illam; propterea bonam possessionem nactus sum*; Syrus, *viscera mea ardent ut fornax ad intuendum in eam: propter hoc possedi eam possessionem bonam*.

Primò, Dionys. & Palacius per ventris conturbationem intelligunt ieiunium: hoc enim ventrem fame latrantem turbat & humiliat, iuxta illud: *Humiliabam in ieiunio animam meam*, psalm. 3. 4. ut sensus sit, q. d. Sicut dæmon pater erroris & mendacii eiicitur in ieiunio & oratione, Marc. 9. ita è contrario ego ceterique sapientiæ studiosi, eam quæsivimus & acquisivimus ieiunio & oratione; perinde ac stulti eamdem amittunt crapula, garrulitate & dissolutione animi.

Secundò & genuinè, pro *venter*, Noster cum Græcis Romæ correctis legit κοιλία, sed Complut. legunt καρδία, id est cor. Verùm eodem redit sensus: nam per cor velut præcipuum cetera viscera, totusque venter intelligitur per synecdochen. Sensus ergo est q. d. Cor meum summis votis, desideriis & conatibus quærens sapientiam, variis cogitationibus, desideriis, curis & sollicitudinibus agitatum & conturbatum est: at ubi eam, quam tantoperè quærebam inveni, per eam acquisivi bonam possessionem; putà ipsam sapientiam, quæ pretiosior est omni auro & argento: ac per sapientiam possedi cor meum, ut dixi v. præced. Unde Rabanus: *Quod dicit*, inquit, *ventrem suum conturbatum inquirendo illam, vel hoc insinuat quod in eius meditatione anxium habuerit animum; quia omnis disciplina in præsenti amara est. Vel hoc intimat, quod per eius notitiam ad peccatorum suorum compunctus sit pœnitentiam. Unde scriptum est. Qui addit scientiam, addit dolorem. Hinc & Joannes in Apocalypsi narrat, quòd angelus daret sibi librum, & diceret ei: Accipe librum, & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum: sed in ore tuo erit dulce tamquam mel. Et accepi librum de manu angeli, & devoravi illum, & erat in ore meo tamquam mel dulce, & cùm devorassem eum, amaricatus est venter meus. Sed possidet in hoc bonam possessionem, quando per huiuscemodi conversionem ad æternam perveniet requiem: qui enim conversus ingemuerit, salvus erit. Et: Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur*. Matth. 5.

Apoc. 10 *Ezech. 3.* *& 18.*

Tropol. noster Alvarez de Paz lib. 4. de dignitate perfectionis parte 2. cap. 10. Sapientiæ, id est perfectionis, inquit, studiosus adipiscitur bonam possessionem. Quæ profectò possessio non est alia, quàm ipse Deus: nam illum perfecta charitas in mentem infert, & in cordibus nostris habitare facit. Si igitur perfectio animæ possessio Dei est; ergo & felicitas: & si perfectus Deum ipsum possidet; est ergo beatus & felix. *Quid enim potest eo esse felicius*, inquit Prosper Regiensis Episcopus, *cui efficitur suus conditor census, & hereditas eius dignatur esse ipsa divinitas: si modo eum sanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat, in illo & de illo iugiter vivat, & nihil terrenum cum illo possideat? Quia omnium conditor, cui nihil eorum quæ fecit, valet æquari; non dignatur cum his quæ condidit possideri. Denique quid ultrà quærit, cui omnia suus conditor fit; aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit?* O tu ergo qui mundo contempto, quia minimè sinus tui cordis explebat, aliud bonum quæris, quod te repleat, quod te satiet, quod te beatum & felicem efficiat, perfectionem inquire, qua Deum ipsum ultra quem nihil bonum, nihil pulchrum, nihil desiderabile, & intra quem omnia bona, omnia pulchra & omnia desiderabilia continentur, felicissimè possidebis.

VERS. 30. DEDIT MIHI DOMINUS LINGUAM MERCEDEM MEAM: ET IN IPSA LAUDABO EUM] Syrus, *dedit Dominus linguæ meæ mercedem, & in labiis meis laudabo eum*; Vatabl. *Dominus mihi præmio dedit linguam, qua & laudabo ipsum*; alii, *ut in ea laudem ipsum*. q. d. Deus dedit mihi linguam eruditam, piam & eloquentem, qua divina sapientiæ dogmata rectè eloqui valeam; ut ipsa sit merces ex parte studii & laboris, quem impendi sapientiæ. Idcircò per ipsam laudabo Deum, tum eum in oratione glorificando, tum eius laudes & præconia populo & lectoribus per lectiones, conciones, colloquia & scripta deprædicando, eosque ad Dei laudem & cultum incitando. Huc facit illud Ciceronis: *Eloquentia nihil aliud est: quam copiosè loquens sapientia*. Et illud Salomonis Sapient. 7. 15. *Mihi dedit Deus dicere ex sententia, & præsumere digna horum, quæ mihi dantur*. Et illud Proverb. 15. 2. *Lingua sapientum ornat* (Hebr. *bonam reddit*) *scientiam*.

Est hæc tertia bona possessio, quam adeptus est per sapientiam. Unde Palacius sic explicat, q. d. Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum. Sensus est: Dedit mihi Dominus bonam possessionem. Primò, sapientiam; Secundò, cor cum ipsa; Tertiò, linguam, qua & alios docere, & Deum laudare possim. Planè dat Dominus linguam, qui aperit os mutorum, & linguas infantium disertas facit. Et rursum: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo*. Et Spiritus sanctus linguas igneas Apostolis distribuit, quibus loquerentur magnalia Dei. Datur autem lingua in mercedem; quia enim Auctoris lingua laboravit orando, datur ei in stipendium, ut lætetur laudando. Ergo ut merces divitis illius erat, ut lingua quæ deliciis affluebat in hoc sæculo, combureretur in inferno; ita merces linguæ laborantis in oratione est, ut delectetur in Dei sui laudationem. Sic S. Antonius de Padua in præ-

Sap. 10. *Isaiæ 50. 4.* *Actor. 2.*

Vẽter pro corde.

in præmium suæ sapientiæ, & virtutis, accepit linguam sapientem, & ardentem docendi, & prædicandi, qua auditores, innumeros cognitione, & amore Dei succendit. Quocirca post ejus mortem anno 32. S. Bonaventura linguam S. Antonii adhuc integram, cum lacrymis exosculans: *O lingua*, inquit, *quæ semper laudasti Deum, causaque extitisti, ut alii eumdem laudarent; nunc miraculo integritatis tuæ ostendis quanti meriti sis apud Deum, qui te ad tam sublime officium creavit.*

Lingua S. Antonii Patavini incorrupta.

APPROPIATE AD ME INDOCTI, ET CONGREGATE VOS IN DOMUM DISCIPLINÆ] Vatablus, *accedite ad me imperiti, & in domo disciplinæ versamini*: græcè enim est αὐλίσθητε, id est, versamini, conversamini; Syrus, *declinate ad me insipientes, & pernoctate in doctrina.*

VERS. 31.

Possent hæc accipi, ut verba sapientiæ invitantis ad se, & ad domum suam omnes expertes sapientiæ, ut eam à se addiscant: sic enim sapientiam ad se insipientes invitantem induxit cap. 24. Verùm germaniùs ad literam hæc accipias, ut verba Siracidis, qui indoctos ad se velut doctorem sapientiæ, ac consequenter ad domum suam, quasi scholam sapientiæ invitat. In præcedentibus enim, hucusque de se suaque persona locutus est Siracides: ergo cùm subnectit, *Appropiate ad me*, de se personaliter intelligit, q. d. Recensui modum, quo ego sapientiam adeptus sum; appropiate ad me, & ad domum meam; ego tum modum sapientiam consequendi, tum ipsam sapientiam vos docebo. Sapientiam Ethicam intelligit: unde eam vocat *disciplinam*, quæ scilicet vitia castigat, moresque omnes ad virtutem efformat, & componit. Unde Palacius: Siracides, inquit, imitatur Salomonem dicentem Proverb. 9. *Si quis est parvulus veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Venite, comedite*, &c. Et item: *Usquequò parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi noxia sunt, cupient?* &cæt. Ita nunc Author indoctos ad sapientiam invitat: quia verè indoctus est, quem tu non erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Jam quia Author videbat se Dei lumine collustratum, nihil veretur dicere: *Accedite ad me, & illuminamini*, &c. Et ego certò credo Authorem in aliqua domo docuisse: sicut & Apostolus in suo conducto docebat omnes ad se venientes. Ad hanc igitur domum Author discipulos invitat; quam domum disciplinæ vocat. Hęc Palacius.

Actor. 28.

Huic similis est gnome R. Joseph filii Joezer in *Pirke avoth*, idest in Capitulis sive Proverbiis patrum: *Sit domus tua quasi quoddam asylum sapientibus: impulvera te pulvere pedum eorum, ac sitibundo gutture avidè sermones eorum excipe.* Ibidem cap. 1. *Viri synagogæ*, inquit, *hæc tria documenta vobis dedere: prudentes estote in judicando, plures vobis studete facere discipulos, sepem denique ac propugnaculum legi ponite.* Ibidem Samai socius R. Hillel, *Parcum*, inquit, *te volo in loquendo, multum in agendo: vultu autem hilari, & benevolo omnem ad te venientem excipe.* Ibidem capit. 4. Barzoma quatuor hæc problemata proponit: *Quis verè sapiens dici potest, ac debet? Ille*, inquit, *qui se semper, & ab omnibus doceri desiderat, juxta illud psalm. 118. Super omnes docentes me intellexi. Quis est potens? Ille*, inquit, *qui fortiter tentationi resistit. Dicit enim Script. Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium*, Proverb. 16. 32. *Quis est appellandus dives? Is*, inquit, *qui suis contentus est, nec appetit aliena, sicut ait Psalm. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit, psalm. 127. 2. Beatus es in spe expectationis: bene autem erit tibi in re, & fruitione consummata beatitudinis. Beatus, inquam, es in præsenti sæculo: & bene tibi erit in altero. Quis est in honore, ac pretio? Ille*, inquit, *qui alios observat, & colit debita reverentia, juxta regulam in S. Script. statutam: Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*, 1. Reg. 2. 30.

Ibidem R. Ismael: *Qui eo fine discit*, inquit, *ut alios postmodum doceat, illi Deus & discendi gratiam confert pariter & docendi. Et qui hoc animo discit, ut suos ipsius mores instruat, dat illi Deus unde discat & doceat, & quod alios docuit, in opus & praxim redigat.*

Igitur ex hoc loco habes, tempore Siracidis ipsum similesque sapientes sapientiam, præsertim Ethicam de virtutibus, quibus perfectionem, & felicitatem assequimur, deque Deo ritè sanctèque colendo docuisse, vel in scholis publicis, vel domi suæ. Sic Abraham eamdem docuit suos liberos, suamque familiam; quin & peregrinos, quos hospitio recipiebat, sicut tradit Jonathas auctor Targum Hierosolymitani, uti dixi Genes. 21. 33. Hinc, & urbs in Juda dicta est *Cariatsepher*, idest civitas literarum, quod illæ in ipsa docerentur, quodque scholis & magistris eas docentibus abundaret, Josue 10. & sequent. ac Judicum 1. Fuit ergo Cariatsepher Universitas, & Academia Palæstinæ, ait Adrichomius in Descript. terræ sanctæ in tribu Simeonis Num. 41.

Abrahā doctor sapientiæ.

Imò Jacobus Middendorpius libr. 1. de Academiis in Italia, ex Beroso libr. 3. Antiquit. & aliis asserit Noe post diluvium primùm in Armenia, deinde Vetuloniæ in Italia gymnasium erexisse, ibique publicè jura divina, & humana, morum disciplinam, ritumque colendi Deum docuisse, qua de re nonnulla dixi Genes. cap. 9. in fine. Quod si ita est, primus Academiarum institutor fuit Noe. Unde Rebecca Genes. 25. 22. *Perrexit ut consuleret Dominum*; ubi Jonathas jam citatus vertit, *abiit, ut peteret misericordiam in domo, ubi concionabatur Sem.* Et illud ibidem v. 27. *Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis;* Onkelos vertit, *Jacob vir integer minister domus doctrinæ*, quod ipse & Hebræi ad scholas sapientiæ referunt, quas frequentabat Jacob doctoribus Sem. & Heber, aut secundùm alios Melchisedec, rerum divinarum, & pietatis studio vacans: minister enim idem est quod auditor, & discipulus. Sic Salomon erexit academiam in arce Sionis, Prov. 9. 1. de qua vide nostrum Pinedam libr. 3. de Rebus Salomonis cap. 27. & 28.

& Noe, & Sem. & Salomon.

Mysticè, *domus* sapientiæ, & *disciplinæ* est Ecclesia Catholica; item templum in quo concionatores docent, & prædicant veram fidem, virtutem & pietatem. Insuper collegia, oratoria ac cœtus virorum sapientum. Denique *domus disciplinæ* est status Religionis, quæ mores hominum reformat, eosque per tria vota Deo devincit & obstringit. Vide P. Platum lib. 1. de Bono status Religiosi c. 21. & lib. 3. cap. 5. & 11.

QUID ADHUC RETARDATIS? ET QUID DICETIS IN HIS? (idest *de his.*) ANIMÆ VESTRÆ SITIUNT VEHEMENTER] Sic, & Græci Complut. licèt Romani alique deleant τὸ *& quid dicetis*? Vatablus, *quidnam cunctamini? & quid dicetis super his, cùm animæ vestræ vehementer sitiant?* Est acris exhortatio, qua quasi stimulo pungit audientem vel legentem hæc, ut sapientię studio se dedat q. d. Quid moramini? quid in his adhortationis meæ verbis excusationis afferre potestis? Si animæ vestræ sunt velut terra sitiens, idest arida & indiga veræ sapientiæ, qua irrigentur, vivant, fructusque vitæ sanctæ proferant; atque ego ea de causa os meum aperui, ut velut imbres emitterem eloquia mea, cur non venitis ad bibendum, & pleno ore ea hauriendum? τὸ enim *sitiunt* significat sitim, non tam desiderii; sic enim non dixisset: *Quid adhuc retardatis?* quàm ariditatis, & indigentiæ. Syrus tamen desiderii sitim accipit: *Usquequo*, inquit, *deficietis his? & anima vestra erit sitiens unum*, summum bonum, putà Deum?

VERS. 32.

APERUI OS MEUM, ET LOCUTUS SUM: COMPARATE VOBIS SINE ARGENTO] scilicet *sapientiam*, (uti addunt aliqui, vel *scientiam*, ut addit Syrus) quam aperto ore vobis propono. Vatablus, *aperto ore dicito: sine argento comparate vobis.* q. d. Cùm animæ vestræ rudes & imperitæ instar terræ æstuantis sitiant optentque imbrem sapientiæ, quo irrigentur, & ad fruges bonorum operum fœcundentur, in aperto plenoque corde, & ore vobis illum offero & propino. Avidè ergo eum excipite & haurite, ut sitim & ariditatem vestram levetis. Nec est, quòd excusetis dicendo, vos non habere pretium, quod pro ea rependatis; uti Philosophi carò admodum vendebant suam scientiam: ecce enim ego gratis eam vobis offero. *Comparate* ergo, idest excipite, eam *sine argento*, sine pretio: solum enim pretium hic est affectus desiderantis sapientiam, eamque avidè excipientis: nec enim invito illa obtrudenda est.

VERS. 33.

Alludit ad Isaiæ 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione argentum, & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me; & comedite bonum: & delectabitur*

bitur in crassitudine anima vestra. Quæ quia ibidem explicui, hic non repetam.

VERS. 34. ET COLLUM VESTRUM SUBIICITE JUGO (Syrus, *inducite iugo illius*) ET SUSCIPIAT ANIMA VESTRA DISCIPLINAM: IN PROXIMO EST ENIM INVENIRE EAM] τὸ *&* est exegeticum: posterior enim pars explicat priorem, q. d. Collum vestrum subiicite iugo sapientiæ, hoc est, suscipiat anima vestra disciplinam, qua inordinatos animi motus iuxta Dei legem, rectamque rationem ordinetis & componatis, omnesque vestras actiones conformetis voluntati divinæ. Pro *in proximo est*, græcè est ἐγγύς ἐστι, id est propè est, ut inveniatis eam. Unde Vatablus, *cervicem vestram subiicite iugo, & anima vestra suscipiat disciplinam: in promptu est enim invenire eam*; Syrus, *proxima est quærenti illam, & qui dat animam suam* (qui ei intendit ex animo) *invenit eam.* Alludit ad illud Moysis 30. 11. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos? &c. Sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Igitur Dei mandatum, sive lex, vocatur *iugum*; quia premit cervicem superborum, & frænat concupiscentiam carnalium; sed, ut Rabbini dicunt, lex vocatur & est *iugum cæli*, quia à Deo gratiam ad legem implendam subministrante est impositum, iuxta illud S. Leonis: *Iuste instat præcepto, qui pervenit auxilio.* Sic Ieremias ait Thren. 3. 27. *Bonum est viro, cùm portaverit iugum ab adolescentia sua.* Et Christus Matth. 11. 29. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Hinc ex adverso *filii Belial*, id est sine iugo, vocantur inobedientes, rebelles, apostatæ, qui iugum Dei, sapientiæ & legis excutiunt. Rursum alludit ad illud Sapient. 6. 13. *Clara est & quæ numquam marcescit sapientia, & facilè videtur ab his qui diligunt eam, & invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.*

VERS. 35. VIDETE OCULIS VESTRIS, QUIA MODICUM LABORAVI, ET INVENI MIHI MULTAM REQUIEM] Duos sensus hic affert Palacius. Prior, inquit, est: Videte, obsecro, etsi pro sapientia obtinenda aliquantum laborarim, multam in ea tamen requiem inveni: quis enim posset tam multa de quavis materia, ut scripsi, scribere, nisi qui requiem multam amico haberet? Alter sensus germanus, ut credo, est: Oculis vestris me conspicite; laboravi equidem sub iniquo rege; sed me iam videtis in multa requie felicem: id verò factum est ob sapientiam; eam ergo & vos comparate. Videtur Author post afflictionem multam felicitatem habuisse, ut olim Iob, ut postea David, & alii multi. Unde Syrus vertit, *laboravi in ea modicum, & inveni eam multum.*

Tertiò, simpliciter & planè sic exponas, q. d. Ex illis quæ hoc cap. v. 19. & sequ. ac toto libro de sapientia, eiusque experientia & fructu disserui, evidenter colligite, & oculis mentis perspicite, quantam ex modico labore, quem sapientiæ impendi, collegerim mihi requiem. Ex hisce enim meis dictis & scriptis colligetis, me omnes animæ turbulentos motus & perturbationes per sapientiam ita ordinasse & composuisse, ut totus in sapientiæ pace & iucunditate conquiescam & deliciet. Nam ut ait Clemens Alexandr. lib. 2. Pædag. *Medicina medetur corporis morbis, sapientia autem animi perturbationibus.* Et S. Gregor. Nazianz. orat. 15. in plagam grandinis: *Prima sapientia, ait, est vita proba & honesta Deoque perpurgata, vel certè se purgans: Deo, inquam, qui purissimus & splendidissimus est, solumque purgationis sacrificium à nobis requirit.*

Sapiens est imperenni pace & gaudio: cur? Causa Prima. Ratio est Prima; quia, ut diceret solebat S. Bernardus: *Sapiens est cui quæque res sapiunt, prout sunt*, ita habet auctor Vitæ eius lib. 3. cap. 1. Sapiens ergo omnia accipit prout sunt, omnibus eventis acquiescit; semper

Secunda. ergo est in pace. Secunda, quia, ut ait Comicus in Hecyra: *Istud est sapere, qui ubicumque opus sit, possis animum flectere.* Et alius: *Sapiens res sibi seque rebus accommodat.*

Tertia. Ubique ergo pacem & requiem invenit. Tertia, quia *sapiens semper est solutus, semper sui iuris*, habet enim animum terra celsiorem in Deo fixum, unde omnia tam adversa quàm prospera, quæ ei accidunt, parvi pendit, & ad se non pertinere existimat, iuxta illud: *Mundana sperne, id cumen est sapientiæ.* Quarta, quia *tristium gubernatrix est sapientia*: quare sapiens per sapientiam omnia tristia vel avertere, vel fortiter ferre, vel iis mederi novit. *Quarta.*

Quinta, quia sapiens futura prospicit, ac futuris longè, antequam eveniant, malis partim assuescit, partim providet. *Quinta.*

Sexta, quia quisquis sapit, sorti suæ se accomodat, ac sorte sua quam Deus ei admensus est, sive prospera ea sit, sive adversa, contentus vivit. *Sexta.*

Septima, quia *sapientis anima semper ad latus est Dei, dicitque: Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Roman. 8. *Ut enim sapiens Deum, sic sapientis animam sequitur Deus. Quare quæ possidet Deus, possidet & sapiens.* Ab omnipotente ergo fit omnipotens, ab impassibili impassibilis, ab invincibili invictus. Huc facit illud: *Quis sapiens? qui vivit cum diis ex pari.* *Septima.*

Denique gaudet sapiens in labore sapientiæ & virtutis quamtumvis arduo, quia certa fide & spe credit & sperat ex modico labore consequi æternam quietem in gloria cælesti. Modicus enim labor perennem parit felicitatem, quæ est omnium bonorum aggregatio & cumulus. *Octava. Et spe beatitudinis.* Legimus in Vita B. Galgani Senis excusa anno Domini 1572. & ex ea apud Philippum Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ, ad diem IV. Decembris, B. Galganum à voluptuosa vita ad austeram sanctamque à Michaele Archangelo evocatum, in eremum secessisse, ac cælestem in orationibus, ieiuniis, omnique austeritate vitam agentem, post annum cælesti voce ad æternam requiem invitatum hisce verbis: *Satis est quod laborasti, metes nunc quod seminasti*; in cælum emigrasse anno ætatis 33. sub annum Domini 1181. An non hic modico labore magnam requiem sibi peperit? S. Stephanus septem mensibus Diaconi officium exercens, disputans cum Iudæis, Christi fidem ingenti zelo prædicans, quantam quietem & gloriam adeptus est? eodem enim anno quo Christus 25. Martii, ipse 26. Decembris pro Christo lapidatus martyrii στέφανον laureamque adeptus est. S. Laurentius quinque diebus, qui à morte S. Sixti ad eius craticulam interfluxerunt, modicis sed heroicis laboribus cum Valeriano Imper. decertans, quàm illustres sibi in cælo & in terra creavit triumphos! Quare sapienter S. Franciscus hac brevi, sed nervosa concione suos ad omnes virtutis agones excitabat: *Modica voluptas, pœna immensa: modicus labor, gloria æterna: multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio.* Et S. Ephrem in serm. Asceticο ad Fratres: *Post tentationem requies, post formicam apes, id est acerbitatem laboris dulcedo quietis excipit, & asperitatem vitæ gaudium.*

VERS. 36. ASSUMITE DISCIPLINAM IN MULTO NUMERO ARGENTI, ET COPIOSUM AURUM POSSIDETE IN EA] Tripliciter hæc exponas. Primò, q. d. Comparate vobis disciplinam & sapientiam in multo, id est per multum numerum argenti (Hebr. enim ב, id est *in*, significat sæpè pretium, idemque valet quod *per*) putà pretio multæ pecuniæ; quia per eam possidebitis copiosum aurum; tum, quia sapientia veras opes homini confert, spiritales scilicet, quæ mentem rerum cognitione & virtutibus divitem efficiunt; tum, quia ipsa secum afferre solet opes corporales sapienti ad suum statum necessarias, vel utiles, uti Salomoni tamquam regi attulit innumera auri & argenti talenta. Unde Syrus, *audite doctrinam meam modicam, & argentum & aurum possidebitis per me.* Hinc & ex Græco nonnulli vertunt, *participate disciplinam multo numero argenti, & multum auri per eam acquiretis.* q. d. Comparate vobis sapientiam, etiamsi eam magno pretio, adeoque tota substantia vestra comparare debeatis. Secundò, & nervosiùs Rabanus, q. d. Comparate vobis disciplinam *in multo*, id est præ multo, *numero argenti*, præferte illam & potiorem ducite omni auro & argento; quia per ipsam copiosum aurum & opes tum spiritales, tum corporales possidebitis; Hebræum enim ב, id est *in*, subinde sumitur pro מ *min*, id est *præ*. Tertiò, q. d. Comparate vobis disciplinam *in*, id est cum, multo numero argenti; quia scilicet ipsa secum defert omnes opes, easque sapienti largitur. Unde explicans subdit; *Et copiosum aurum possidete in ea.* Ita Vatablus, *Participes*, inquit, *estote disciplinæ cum magno argenti numero, & cum ea multum auri acquirite.*

Nota *Possidere*, id est, possidebitis per sapientiam copiosum aurum; tum, quia ipsa plus valet quàm omne au-

aurum, eoque longè pretiosior est, iuxta illud:

Gradus bonorum. *Auro quid melius? Iaspis. Quid Iaspide? Virtus. Quid virtute? Deus. Quid deitate? Nihil.*

tum, quia sapientia sæpè procurat sapientibus aurum. Est enallage modi frequens in Script. præsertim in promissionibus. Per illam enim significat Script. si id fiat à nobis, quod ipsa præscribit, promissionem præmii fore certissimam & infallibiliter complendam, quasi jam nihil supersit nisi manum ad fructum illum colligendum, sive ad promissum reipsa capiendum extendere. Sic dicitur psalm. 33. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini*, id est, si accesseritis ad Deum, certò ab eo illuminabimini. Similia sunt Isaiæ 55. 2. Oseæ 10. 12. & alibi. Huc facit illud S. Ephrem in Cantico spirituali de laude sapientiæ: *Relinque negligentiam, perditionis ærarium. Posside aurum cum mensura, & doctrinam absque mensura.*

Vers. 37. LÆTETUR ANIMA VESTRA IN MISERICORDIA EIUS, ET NON CONFUNDEMINI IN LAUDE IPSIUS] τὸ *eius* non refert sapientiam (græcè enim est masculinum αὐτοῦ) sed Deum datorem sapientiæ. q. d. Lætamini, exultate, & gratias agite Deo, qui per immensam suam misericordiam offert, & confert vobis sapientiam: & si id præstiteritis, numquam confundemini in laude eius, quòd scilicet Deum laudaveritis; sicut sæpè confunduntur, qui laudant homines, à quibus magna sperant; sed frustra. Aut potiùs, *non confundemini*; græcè, αἰσχυνθῆτε, id est, *non confundamini*, id est non pudeat vos perpetim laudare Deum: esto ob id ab omnibus profanis parumque religiosis irrideamini. Unde Vatablus, *Anima vestra lætetur benignitate eius, nec vos laudum eius puduerit.* Porrò Palacius: Scio, inquit, Græcis relativa *eius* & *ipsius* esse masculina, & ita ad Deum, non ad sapientiam referri; sed cùm Græci codices sæpè tam sint varii, magis placet ad sapientiam referre, ut sit sensus: Cùm sapientia se vobis misericordem & benignam ostenderit, lætetur anima vestra; aperiat universos sinus suos, ut

Psal. 83. benignitatem sapientiæ suscipiat. *Cor meum*, inquit, *& caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Dulciora

Psal. 18. sunt iudicia sapientiæ super mel & favum: est enim sapientia Verbum Dei, filius Dei. O quantùm ille animam lætam reddere potest! O quàm rectè spiritus meus

Eccl. 24. *Eccl. 14.* *Psal. 32.* super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum! Vide dicta cap. 14. in fine. Jam verè dictum est; *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.* Nam ubi anima exultatione sapientiæ adimpletur, laudes Dei eructat & ebullit. Hoc dicit Author, Lætetur anima vestra in misericordia sapientiæ: tunc eam laudabitis, nec vos pudebit umquam ipsam laudasse. Pudebit laudasse divitias, honores, demum laudasse terrena; at pulchram, divitem & honestissimam sapientiam amasse & laudasse, numquam in sæcula pudebit. Porrò Syrus vertit, *lætabitur anima vestra in pœnitentia mea, & non confundemini in canticis meis.*

Vers. 38. OPERAMINI OPUS VESTRUM ANTE TEMPUS, ET DABIT VOBIS MERCEDEM VESTRAM IN TEMPORE SUO] τὸ *operamini* significat sapientiam, de qua semper agit, non esse otiosam & inanem speculativam, nec solùm in affectu & interno amore virtutis consistere, sed esse operosam, atque in actiones virtutis emanare. Unde has vocat *opus vestrum*, quod scilicet vobis sapientiæ studiosis ipsa præscribit, quodque vobis manebit in omne ævum, vobisque conciliabit æternam felicitatem & gloriam; cùm cetera mundi hujus bona, ut opes, honores, deliciæ non sint opus vestrum, vobisque mansurum, sed mundi, utpote quæ à mundo nunc dentur, nunc auferantur, & ad alios transferantur, adeoque cum mundo, imò ante mundum sint interitura. Quocirca Christus Joan. 6. 27. *Operamini*; ait, *non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Opus ergo sapientiæ, id est rationis, virtutis, felicitatis & æternitatis, est opus nostrum, id est nobis à Deo destinatum, nobis dignum, nobis mansurum, nos beaturum. Porrò τὸ *ante tempus* tripliciter exponi potest. Primò, q. d. *Operamini opus vestrum*, putà opus sapientiæ & virtutis, antequam pereat, & elabatur vobis tempus operandi, & merendi æterna præmia: ut notet duo tempora, unum huius vitæ, quod

Virtuti ante tempus studendum. Primò.

A est tempus merendi; alterum futuræ vitæ, quod erit tempus mercedem recipiendi: iuxta illud Galat. 6. 10. *Dum tempus habemus operemur bonum: tempore enim suo metemus non deficientes.* Unde Vatabl. vertit, *ante missam occasionem* (hanc enim significat Græcum καιρὸς) *fungimini officio vestro, suoque tempore præmio vos afficiet.*

Alludit ad Jacob ambientem Rachel in sponsam: unde pro ea ante nuptiarum tempus servivit Laban patri Rachelis per 14. annos pascendo greges illius, ac videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine, Genes. 31. 15. Nam ut ait Albinus Flaccus disput. cum Pipino Caroli Magni filio: *Quid est spes? refrigerium laboris. Quid est quod amara facit dulcia? fames. Quid est quod hominem non lassum facit? lucrum.* Huc accedit Glossa: Operamini, inquit, opus vestrum, ante tempus iudicii; Lyran. ante tempus mortis. Unde Sapiens Ecclesiastæ 9. 10. *Quodcumque*, inquit, *facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt*
B *apud inferos, quò tu properas.*

Secundò, Palacius sic exponit, q. d. *Operamini ante tempus*, id est in juventute, ut ego feci, qui ante tempus postulavi eam, cùm nondum tempus videbatur petendi. Aut potiùs, q. d. Ne expectetis tempus quærendi sapientiam, prævenite omne tempus: fallimini si creditis senectam ad eam quærendam: arripite igitur quamvis eam comparandi occasionem. Ne contingat vobis, quod contigit sponsæ, quæ cùm aperuit pessulum ostii sui, sponsum qui diu ad januam pulsaverat, jam abiisse doluit. Igitur *operamini ante tempus*, idem est quod, operamini etiam ante tempus. *Dabit*, inquit, *mercedem in tempore suo*, dabit scilicet sapientia mercedem, non quovis tempore, sed tempore suo, cùm oportuerit. *Secundò.* *Cant. 5.*

Huc accedit noster Pineda l. 3. de Salomon. c. 3. qui sic explicat: *Operamini*, inquit, *opus ante tempus*, &c. q. d. Dum non habetis sapientiam, etiam ante tempus senectutis (tunc enim suo tempore videtur maturè provenire) enitimini, ut illam bonis operibus, & assiduis vigiliis atque laboribus promereamini. Quippe illa tandem vobis aderit non quidem oscitantiæ & somnolentiæ, sed so-
C licitudinis, & vigiliarum præmium, mercesque opportuna, ut in me cernitis.

Tertiò, pleniùs & sublimiùs, q. d. *Operamini opus vestrum*, putà vestræ sapientiæ & virtutis, *ante tempus*, scilicet mercedis, ut in tempore suo, mercedi scilicet à Deo destinatæ, mercedem vestram quisque operi suo congruam & commensam recipiatis. q. d. Operamini opera bona in præsenti vita, ut in futura mercede donemini: præsens enim sæculum est operis & meriti; futurum verò erit quietis & mercedis. Nota τὸ *mercedem*, quam scilicet cuique maiorem vel minorem pro qualitate, & quantitate operum, Deus justus iudex taxabit. Igitur in hac vita non est tempus mercedis, lætitiæ, & divitiarum; sed est tempus militiæ, laboris & crucis. Ergo si illa Deus daret in hac vita, non tempore suo ea daret. Expecta igitur, ò Christi athleta tempus suum, quo Deus ea tibi certò, imò magno cum fœnore præstabit. Denique Syrus sic concludit, *Operamini opus vestrum non in tempore suo, & dabitur merces vestra tempore suo. Benedictus Deus in sæculum, & laudabile nomen eius in generationem*
D *& generationem. Hucusque verba Jesu filii Simeonis* (fortè Sirach pater Jesu, alio nomine dictus est Simeon) *qui vocatur Bar Siro* (id est filius devincti) Arabicus, *Bar Sirach.* *Tertiò.*

Imitatur Siracides Salomonem, putà Ecclesiasticus Ecclesiasten, qui ita librum suum concludit; *Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, & mandata eius observa: hoc est enim omnis homo*, id est, hic finis, hæc meta, hæc felicitas, hæc gloria, hoc omne bonum hominis. Unde Rabanus: *Huic sententiæ*, inquit, *canon totius divinæ legis concordat, & hoc resonat, hoc docet, hocque hortatur, ut dum tempus habemus, semper bono operi insistamus; quatenus in tempore opportuno justissimo judice retribuente, æternam mercedem pro hoc accipiamus.*

Finis enim omnis sapientiæ, & doctrinæ, omnisque actionis & virtutis est æterna merces, felicitas, & gloria, quæ sanè omnes extimulare & accendere deberet ad aggrediendum heroica virtutum opera, eaque multiplicanda, & augenda: quot enim talia facimus, tot coronas gemmeas & adamantinas nobis in cœlis adornamus. *Ad magna enim præmia*, ait S. Gregor. ho- *Finis sapientiæ felix æternitas.*

homil. 27. in Evang. *pervenire non potest, nisi per magnos labores. Unde Paulus egregius prædicator dicebat: Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.* Præclarè S. August. in psalm. 93. *Venale est, quod habeo, dicit Dominus, tibi eme illud. Quid habet venale? Requiem, regnum. Quantum valet? Pretium eius labor est. Quantus labor. Aeterna requies æterno labore emenda erat. Sed qualis misericordia Dei! Non dicit, Decies centena millia annorum labora; non dicit, Vel mille annos labora, non dicit, Quingentos labora: sed, Cum vivis labora paucis annis; inde iam requies erit, & finem non habebis. Ecce quantum pretium damus, quodammodo unam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos: siliquam laboris ad requiem sempiternam.* Et S. Bernar. serm. 4. de Ascens. *Quid illi grave poterit videri, qui semper mente tractat, quod non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cuius oculus semper videt bona Domini in terra viventium, semper videt æterna præmia?*

Ascetarũ stimulus erat præmium æternitatis.

Hæc præmia sibi jugiter ob oculos posuere prisci Ascetæ & Anachoretæ, iisque velut acribus virtutis stimulis, ad ardua quæque sese incitabant. Audi Damascenum in Histor. Barlaam & Josaphat c. 12. *Per hæc exempla, & per huiusmodi coitiones & actiones, terreni cælitum vitam imitati sunt: ut qui in iejuniis & precibus, ac vigiliis, in calentibus lacrymis & luctu ab omni animi distractione liberi, in peregrinatione ac mortis memoria, in lenitate, animique affectu ab iracundia remoto, in labiorum silentio in paupertate atque inopia, in castitate ac pudicitia, in humilitate & quiete, ac denique in perfecta erga Deum & proximos charitate præsentis vitæ curriculum confecerint, angelosque moribus expresserint. Ob eamque causam Deus miraculis ac signis, variisque virtutibus eos exornavit, effecitque ut admirandæ eorum vitæ rationis sono, ipsi quoq; orbis terrarum fines personent.* Deinde unius S. Antonii Vita in exemplum proposita, ista subiicit: *Beati certè illi ac ter beati, ut qui Dei amore flagrarunt, atque ob ipsius charitatem omnia pro nihilo duxerunt. Siquidem lacrymas profuderunt, dieque ac noctu in luctu versati sunt, ut perpetuam consolationem adipiscerentur: seipsos ultro depres-* C
1. Cor. 6. *serunt, ut illic in altum attollerentur; carnes suas fame ac siti & vigiliis confecerunt, ut illic paradisi deliciæ & exultatio ipsos exciperent: Spiritus sancti tabernaculum per cordis puritatem extiterunt, quemadmodum scriptum est. Inhabitabo in ipsis & inambulabo, seipsos mundo crucifixerunt, ut ad Christi dexteram starent: lumbos suos in veritate succinxerunt, atque in promptu semper lampades habuerunt, immortalis sponsi adventum expectantes. Nam cùm mentis oculis præditi essent, horrendum illum diem semper prospiciebant: atque tum futurorum bonorum, tum futuri supplicii contemplationem ita in corpore defixam gerebant, ut ab ipsa numquam divellerentur: atque hic la-*
A *borare studuerunt, ut sempiternæ gloriæ compotes essent: perturbationum expertes, non secùs atque angeli fuerunt, nunc cum illis quorum vitam imitati sunt, choreas agunt. Beati illi ac ter beati, quoniam firmis mentis oculis præsentium rerum vanitatem, atque humanæ prosperitatis incertitudinem & inconstantiam perspexerunt, eaq; reiecta sempiterna bona sibi ipsis condiderunt, ac vitam eam, quæ numquam occidit, nec morte interrumpitur, arripuerunt.*

Igitur vera sapientia non est aliud quàm vera sanctitas, sancta felicitas, felix æternitas. Quocirca *sursum vocatos animos terrena desideria non deprimant, ad* ÆTERNA *praelectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent,* &c. ait S. Leo serm. 2. de Ascensione.

S. Antonius apud S. Athan. *Si centum annos laborantes in Dei opere vixerimus, non pari tempore regnaturi sumus in futuro, sed pro annis prædictis omnium nobis sæculorum regna tribuentur.* Quidquid hic vides, breve est. Æternum cogita: semel cogitatum, dictum, factum, æternum est.

S. Gregor. l. 6. epist. 26. ad Andream: *Si bona quærimus*
B *illa diligamus quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus, illa timeamus quæ à reprobis sine fine tolerantur.*

S. Gregor. Nazianz. epist. 57. ad Eudoxium: *Ad Deum contende, progredere, animo volita, vitam æternam: arripe. Nusquam spes tuas siste, quousque ad illud summè expetendum, & beatum bonum perveneris.*

S. August. serm. 39. de Tempore: *Tota series Scripturarum nos à terrenis ad cælestia erigi adhortatur, ubi vera & sempiterna est beatitudo,*

S. Bruno fundator Cartusiæ in carmine de vanitate mundi:

Sic vivunt homines tamquam mors nulla sequatur,
Et velut infernus fabula vana foret.

Aeternitati comparata brevis est omnium temporum longitudo. In conspectu enim tuo mille anni quasi dies una reputantur. S. Hieron. epist. 139. ad Cyprianum. *Lux perpetua lucebit Sanctis tuis Domine, & æternitas temporum. Halleluja.* 4. Esdræ 2. & Offic. Eccles.

VIVE ÆTERNITATI.

O ÆTERNITAS, quàm longa es! quàm interminа! quàm rarò versaris in mentibus hominum! ò ÆTERNITAS quàm piis beata, quàm impiis misera es! ò viva semper eademque sæculorum omnium ÆTERNITAS!

Tertull. Exhortat. ad Martyres, cap. 3. *Bonum certamen subituri estis, in quo agonothetes Deus vivus est; xystarches Spiritus sanctus; corona* ÆTERNITATIS, *bravium, angelica substantia politia in cælis; gloria in sæcula sæculorum.*

F I N I S.

ADDI-

Digitized by Google

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ,
Quæ hoc in Ecclesiasticum Commentario explicantur, vel obiter illustrantur.

Prior numerus paginam, secundus columnam, litteræ additæ eas, quæ columnis interpositæ sunt, significant: ubi solus numerus ponitur cum littera, ad proximè nominatam paginam referri signum est: si solùm numerus sine littera occurrat, noris prooemium indicari.

EX PENTATEVCHO.

GEn. Cap. 5. v. 22. Henoch ambulatur cum Deo. 710. col. 2. litt. d.
9. 25. Servus servorũ erit fratribus suis. 424. 2. a
20. 11. Forsitan non est timor Dei in loco isto. 43. 2. d
24. 40. Dominus direxit viam meam. 483. 1. b.
25. 22. Perrexit ut consuleret Dominum. 790. 2. a
49. 5. Vasa iniquitatis bellantia. 628. 2. c
24. Sedit in forti arcus eius, &c. inde pastor egressus est lapis Israel. 767. 1. b
26. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius. 83. 1. d
50. 24. Asportate ossa mea vobiscum de loco isto. 767. 1. c
Exodi cap. 12. v. 11. Calceamenta habebitis in pedibus. 91. 1. a
13. 2. Sanctifica mihi omne primogenitum. 541. 2. b
20. 7. Non assumes nomen Domini tui vanum. 555. 1. d
7. Nec enim insontem habebit Dominus eum, &c. 183. 2. d
20. 2. Honora patrem tuum & matrem tuam. 206. 2. a
33. 20. Faciem meam videre non poteris. 307. 2. d
Levitici cap. 13. v. 55. Si lepra mutaverit colorem suum. 509. 2. d
Deut. cap. 32. v. 16. Provocaverunt eum in diis alienis. 488. 2. d
33. 17. Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius. 122. 2. c

EX LIBRO JUDICUM.

Cap. 14. v. 14. De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo. 410. 1. c
14. 18. Si non arassetis in vitula mea. 147. 1. c

EX LIBRO I. REGUM.

Cap. 2. v. 9. Pedes sanctorum suorum servabit. 63. 1. c

EX LIBRO II. REGUM.

Cap. 2. v. 14. Surgant pueri, & ludent coram nobis: 169. 2. a 728. 2. b
7. 12. Misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul quem amovi à facie mea. 746. 2. d
22. 34. Coæquans pedes meos cervis: 581. 2. c

EX LIBRO III. REGVM.

Cap. 10. v. 1. Regina Saba, audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare eum. 744. 1. c 364. 1. d

EX LIBRO IV. REGVM.

Cap. 2. v. 9. Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus. 756. 2. d

EX LIBRO I. PARALIPOM.

Cap. 4. v. 22. Sela qui stare fecit solem, virique mendacii, & securus, & incendens. 729. 1. a
25. 1. Asaph & Heman qui prophetarent in citharis. 758. 2. a

EX LIBRO I. ESDRÆ.

Cap. 5. v. 7. Dario regi pax omnis. 427. 1. a
7. 6. Esdras scriba velox in lege Domini. 190. 2. a

EX LIBRO TOBIÆ.

Cap. 2. v. 18. Quam Deus daturus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo. 659. 1. a

EX LIBRO JOB.

Cap. 1. v. 12. Ecce universa quæ habet in manu tua sunt. 282. 2. b
2. 6. Ecce in manu tua est. ibid.
4. 11. Tigris periit, eò quòd non haberet prædam. 146. 1. d
9. 9. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas: 546. 1. c
14. 1. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis. 202. 2. c
20. 5. Laus impiorum brevis, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. 142. 1. b
21. 5. Superponite digitum ori vestro. 117. 1. d
22. 16. Qui sublati sunt ante tempus, & fluvius subvertit fundamentum eorum. 783. 1. b
38. 9. Cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obvoluerem. 391. 1. a
38. 30. In similitudinem lapidis aquæ durantur. 688. 1. a

EX PSALMIS.

Ps. 10. v. 6. Domine interrogat iustum & impium. 630. 1. a
13. 3. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti. 315. 2. a
16. 3. Igne me examinasti. 782. 1. b
17. 27. Cum electo electus eris, cum perverso perverteris. 458. 2. c
18. 6. In sole posuit tabernaculum suum. 679. 1. d
19. 4. Holocaustum tuum pingue fiat. 570. 2. b
20. 3. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. 740. 1. c
28. 7. Vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini præparantis cervos. 689. 1. d
30. 16. In manibus tuis sortes meæ. 540. 1. a
32. 4. Omnia opera eius in fide. 659. 1. a
33. 1. In Domino laudabitur anima mea. 488. 2. d
v. 6. Accedite ad eum, & illuminamini. 792. 1. a
35. 8. Quemadmodum multiplicasti misericordiam. 743. 2. d
38. 6. Mensurabiles posuisti dies meos. 657. 2. b. c
40. 2. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. 384. 2. c
48. 3. Simul in unum dives & pauper. 315. 2. a
v. 11. Simul insipiens & stultus peribunt. ibid.
50. 6. Dede iniquitatem meam, ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. 315. 2. c
v. 12. Cor mundum crea in me Deus. 37. 2. b
v. 14. Spiritu principali confirma me. 148. 1. c
55. 5. In Deo laudabo sermones meos. 488. 2. d
57. 4. Alienati sunt peccatores à vulva, erraverũt ab utero. 47. 2. b
61. 10. Verumtamen vani filii hominum, mendaces in stateris. 284. 2. d
64. 11. In stillicidiis eius lætabitur germinans. 50. 1. b
68. 20. Tu scis confusionem & reverentiam meam. 658. 2. d
70. 17. Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. 447. 1. a
71. 10. Reges Tharsis & insulæ munera offerent. 744. 2. b
75. 6. Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. 784. 1. b
77. 10. Non custodierunt testamentum Dei. 295. 1. d
81. 1. Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat. 174. 1. b
88. 16. Misericordia & veritas præcedent faciem tuam. 530. 1. b
89. 17. Opus manuum nostrarum dirige. 483. 1. b
90. 1. Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. 129. 1. b
v. 5. Non timebis ab incursu & dæmonio meridiano. 561. 2. a
94. 10. Quadraginta annis offensus fui generationi illi. 778. 2. a
95. 10. Dominus regnavit à ligno. 711. 1. c
104. 3. Laudamini in nomine sanctu eius. 488. 2. d
109. 3. Tecum principium in die virtutis tuæ. 198. 2. d 395. 2. d
115. 11. Omnis homo mendax. 598. 1. d
118. 95. Testimonia tua intellexi. 284. 2. d
126. 4. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum. 423. 2. a
v. 5. Cùm loquetur inimicis suis in porta. 490. 2. a
128. 3. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. 147. 1. a
131. 10. Non avertas faciem Christi tui. 280. 2. d

Digitized by Google

132. 1. Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in unum! 254.2.d. 435.2.c
138. 6. Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, 83.1.d
140. 3. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. 473.2.b
144. 3. Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. 685.1.d
147. 5. Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit. 391. 1. b. & seqq.
17. Mittit crystallum suam sicut buccellas. 688.1.a

EX PROVERBIIS.

Cap. 2. v. 18. Et ad inferos semitæ ipsius. 183.2.b
3. 7. Timet Deum, & recede à malo. 425.2.a.c
7. & 8. Time Deum, & recede à malo, sanitas quippe erit umbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum. 440.1.c
4. 18. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit, usque ad perfectam diem. 333.1.a
v. 23. Omni custodia serva cor tuum, 426.2.d
8. 22. Dominus possedit me in initio viarum suarum. 198.2.d, 37.2.d 125.2.c
20. 12. Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit utrumque. 29.1.a
22. 2. Dives & pauper obviaverunt sibi utriusque operator est Dominus. 29.1.b
v. 29. Vidisti virum velocem in opere suo. 515.2.d
23. 20. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt. 328.2.a
v. 21. Vacantes poculis & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio. 329.1.c
25. 1. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. 528.1.c
26. 7. Quomodo pulchras frustra habet tibias claudus, sic indecens est in ore stultorum parabola. 349.2.b
v. 20. Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis, & susurrone subtracto iurgia conquiescent. 169.1.c
27. 14. Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis erit. 661.1.a
30. 1. Agur filius vomentis. 514.2.d

EX ECCLESIASTE.

Cap. 1. v. 1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. 555.1.d
2. 2. Cognovi quod non esset melius nisi lætari & benè facere in vita sua. 257.1.d
11. 1. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies eum. 476.1.c. 479.1.b
12. 13. Finem loquendi pariter omnes audiamus, &c. hoc est enim omnis homo. 792.2.d

EX LIBRO SAPINTIÆ.

Cap. 1. v. 6. Hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis: propter hoc qui loquitur iniqua, non poterit latere, nec præteriet illum corripiens iudicium. 672.2.c
1. 13. Deus mortem non fecit. 220.1.a
v. 14. Sanabiles fecit nationes orbis terrarum. 296.1.d
2. 2. Fumus flatus est in naribus nostris, & sermo scintilla ad commovendum cor nostrum. 313.2.a
3. 5. In paucis vexati, in multis bene disponentur. 101.1.a
4. 11. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. 712.2.d
7. 25. Vapor est virtutis Dei & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera. 34.1.a.
8. 3. Contubernium habens Dei. ibid.
v. 21. Quoniam aliter non possem esse continens, 338.1.a.
11. 24. Misereris omnium quia omnia potes. 71.2.a.
16. 28. Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare, 532.2.b.

EX LIBRO CANTICORUM

Cap. 4. v. 3. Sicut vitta coccinea labia tua. 473.2.d

EX ISAJA.

Cap. 41. v. 23. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum sciemus quia dii estis vos. 596.1.c
45. 6. Ego Dominus faciens pacem, & creans malum. 37.2.a

EX JEREMIA.

Cap. 1. v. 10. Constitui te hodie super gentes, ut evellas & destruas. 37.2.a 558.1.b
10. 2. A signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt. 671.2.b

EX EZECHIELE.

Cap. 20. v. 37. Inducam vos in vinculis fœderis, 623.1.a

EX DANIELE.

Cap. 4. v. 34. Omnia opera eius vera. 66.1.d
7. 9. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. 392.2.b

EX OSEA.

Cap. 6. v. 6. Misericordiam volui, & non sacrificium. 235.2.d

EX AMOS.

Cap. 1. v. 3. Super tribus sceleribus Damasci, & super quartum non convertam eum. 435.2.d

EX AGGÆO.

Cap. 2. v. 24. Ponam te quasi signaculum, quia elegi te. 766.2.d

EX S. MATTHÆO.

Cap. 5. v. 45. Qui solem suum oriri facit super bonos & malos. 452.2.c
6. 34. Sufficit diei malitia sua. 226.2.c 493.2.d
10. 41. Qui recepit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. 234.1.c
19. 7. Moyses mandavit dare libellum repudii. 286.2.b
21. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. 493.2.d
2. 2. Ite in castellum quod contra vos est. 378.2.a

EX S. MARCO.

Cap. 16. 7. Dicite discipulis eius & Petro. 119.1.a 119.1.b

EX S. LUCCA.

Cap. 16. 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. 110.1.b.

EX S. JOANNE.

Cap. 1. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. 34.1.b.
4. 6. Jesus fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. 739.2.d
4. 23. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. 66.2.d
6. 27. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. 266.2.d
8. 44. Ille in veritate non stetit, 307.1.d
Ille homicida erat ab initio. 315.1.b
15. 1. Ego sum vitis vera. 66.2.d
17. 19. Ego pro eis sanctifico meipsum. 571.2.c
20. 15. Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam, 413.1.a

EX ACTIS APOSTOLORVM.

Cap. 1. v. 18. Possedit agrum de mercede iniquitatis. 767.1.d
8. 33. In humilitate iudicium eius sublatum est, ibid.
9. 15. Vas electionis est mihi iste, 678.2.d

EX EPIST. AD ROMANOS.

Cap. 8. v. 26. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 394.1.a
12. 19. Non vos defendentes charissimi, 749.1.b
15. 19. Ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim evangelium Christi. 744.1.d

EX EPIST. I. AD CORINTHIOS.

Cap. 7. v. 34. Ut sit sancta corpore & spiritu. 441.2.a
10. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est. 184.2.a
10. 22. An æmulamur Dominum? 488.2.d
11. 10. Ideo debet mulier habere potestatem super caput suum. 723.1.a
15. 34. Ad reverentiam vobis loquor. 659.1.a

EX II. AD CORINTHIOS.

Cap. 9. v. 8. Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis. 227.2.c

EX EPIST. AD GALAT.

Cap. 5. v. 3. Testificor omni homini circumcidenti se. 467.1.d

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Cap. 2. v. 10. Creati in operibus bonis quæ præparavit Deus. 88. 2. c

EX EPIST. AD TIMOTHEUM.

Cap. 5. v. 17. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. 206. 2. a
6. 10. Radix omnium malorum est cupiditas. 199. 2. d

EX II. AD TIMOTHEUM.

Cap. 1. v. 9. Secundum gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu, ante tempora sæcularia. 38. 1. b
4. 17. Ut per me prædicatio impleatur. 744. 2. a

EX EPIST. AD TITUM.

Cap. 1. v. 12. Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta, &c. testimonium hoc verum est. 598. 2. a

EX EPIST. AD HEBRÆOS.

Cap. 11. v. 1. Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. 426. 2. b
13. 16. Talibus enim hostiis promeretur Deus. 363. 1. a 419. 1. d

EX EPIST. S. JACOBI.

Cap. 5. v. 3. Ærugo eorum in testimonium vestrum erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. 479. 2. a

EX EPIST. I. S. PETRI.

Cap. 3. v. 21. Bonæ conscientiæ interrogatio. 63e. 1. a
5. 12. Contestans hanc esse veram Dei gratiam. 66. 1. d

EX EPIST. S. JOANNIS.

Cap. 3. v. 9. Omnis qui ex Deo natus est, peccare non potest. 452. 1. c.

EX APOCALYPSI.

Cap. 13. v. 10. Hic est patientia & fides sanctorum. 659. 1. a

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM
MEMORABILIUM.

AAron quomodo populum benedixerit. 583.1.c in quo fuerit Mosi par. 720.1.d fuit typus Christi pontificis. 2.c.d 723.1.b sacerdotium illius familiæ perenne promisit Deus. 721.2.a 723.2.a qua gloria sit ab eo donatus. ibid.b 721.1.b solis ejus posteris pontificatus fuit à Deo addictus. 722.2.b 723.1.a 723.1.d ejus sacrificia ignis cælitus missus absumpsit. 723.1.b est per Moysen consecratus pontifex. 723.1.d offerebat per se & suos Deo sacrificium carneum, & thymiama suave olens. 2.d in dubiis legem Dei interpretabatur. 724.1.b.c.d ei invidentes sacerdotium castigati. 2.a ab eo ejus gloria accumulata. 725.1.a ejus solius virga floruit & fronduit: omnes Levitæ ejus ministerio addicti fuere: accepit à Deo victimas, primitias, oblationes. ibid. ei abundè & ad satiem de annona Deus providit. ibid. b ingens ejus proventus. ibid.c
Abba idem est quod pater. 703.2.c
Abbakyrum in calumniis patiens & constans erat. 436.1.d
Abductio in qua permanet tristitia quænam sit. 610.2.b.c
Abigail leni suo sermone Davidem iratum mitigavit. 124.1.c & Nabalo vitam conservavit. 585.2.b
Abire post aurum quid sit. 505.2.b.c
Abraham præ aliis Semitis Deus sibi elegit. 541.1.d quamdiu cum Noe vixerit. 714.1.d ex Abram dictus est Abraham. 714.2.a fuit pater multitudinis gentium. ibid. Non est inventus illi similis in gloria. 2.b ejus fides. ibid.c 715.1.d ejus cum Deo familiaritas. 714.2.b legem tum naturalem, tum positivam exactè servavit. 715.1.a ejus obedientia. ibid.b.c 715.1.c 716.1.a ter cum eo Deus foedus iniit. 715.1.a quare ei præscripta fuerit circumcisio. 715.1.c.d ejus animus virilis. 2.a fuit martyr vivus, & mortuus. 2.a omnia ei promissa Deus servavit, quin & Messiam ex eo nasciturum promisit. 2.b in eo erant omnes gentes benedicendæ. ibid.b est pater fidelium & sanctorum. ibid.fuit doctor sapientiæ. 790.2.a
Abscondere pecuniam turpe & damnosum est. 479.2.a.b
Absentia est amoris impuri remedium. 180.1.b
Abstemii soli apti sunt ad studia. 482.1.d
Abstinentia avertit morbos. 322.1.c & seq. 323.1.a nimia à cibis corpori & animæ nocet. 513.1.d
Abyssini reges unde se vocent filios Salomonis. 744.1.a
Abyssus quid sit, hanc pervidet & penetrat Deus. 671.1.d
Academiarum quis fuerit auctor. 790.2.a.b quare institutæ. 623.1.d
S. Acathii Martyris in tormentis constantia. 370.2.a
qui plus Accepit, maiorem reddere rationem Deo debet. 80.2.b à manu Domini quidquid immittit, benignè Accipiendum. 63.1.d
Accipiter severè educat pullos. 493.2.b
Accusatio sui est certa ad Deum via. 311.2.d falsa plerumque recidit in falso accusantem. 459.2.d
Accusatio vitæ quomodo apud inferos non fit. 653.2.c.d
Acediæ filiæ 94.2.a damna. 363.1.a remedia. 226.2.c
Acedia velut somnus est. 465.1.b
ἀκηδὴς & ἀκηδία, quid sint, & unde deriventur. 94.1.d
Amaror vocatur metaphoricè Acetum. 94.2.b
Ach Hebræis, Græcis & Latinis est interjectio dolentis & lamentantis. 135.2.d
Achabum cum sua Jezabele Elias morte mulctavit. 752.2.c
Acharis, homo est inficetus, insulsus, ingratus. 349.1.a talis fit fabula vana, quomodo. 1.c
Acidus idem est quod molestus, iracundus, indignans. 94.2.b.c
in Acie tria sunt providenda, sol, ventus, pulvis. 729.2.b.c
Aconitum cur vocetur pardalianches. 471.2.c
Acroama est narratio quæ à vulgo libenter auditur. 527.2.d item narratio mensalis, item cantus. ibid.
Actio quando assumenda sit, quando contemplatio. 614.2.b.c
Sancti assiduè in vita actione Deum laudant. 700.2.b
Actio præstat speculationi & parit experientiam. 614.1.c
Actiones nostræ à Deo prævidentur antequam fiant. 503.1.b ipsæ Christi meritis unitæ, Deo sunt offerendæ; ita fient ei gratiores magisque meritoriæ. 572.1.b.c sunt à Deo inchoandæ. 596.2.a
Actiones inutiles cavendæ, utiles & ex justitia debitæ assumendæ. 615.1.a
Activa vita nocet contemplationi. 614.2.b
Actus omnis sapientiæ in nobis & Angelis est elicitus, talem & habuit Deus ab æterno. 37.2.a actus noster semper sit compositus & decorus. 341.2.d actus intensiores virtutum supernaturalium secum afferunt augmentum charitatis & gratiæ. 55.2.a actus vitæ spiritalis semper innovandi. 267.1.d actus multi exigui pariunt habitum. 330.1.d Deus novit actus homanos antequam fiant. 383.2.d actus peccati excitat ad sui iterationem. 451.1.d actus actus sunt consilio, non eventu metiendi. 534.1.d actus virtutum includuntur in fuga vitii contrarii. 568.1.d sunt boni vel mali ab intentione quam iis voluntas præfigit. 556.1.c utrique oriuntur ex corde physicè & effectivè. 597.2.b sunt omnes charitatis & amoris actu informandi & vivificandi. 741.1.b
Adam & proprium est nomen protoplasti, & commune omnium ejus posterorum. 576.1.d peccavit è superbia. 198.2.c & 299.2.a ejus peccatum ceterorum peccatorum fuit causa. 199.1.a in creatione accepit scientiam omnium rerum naturalium. 301.1.d fuit doctissimus philosophus & absolutus Theologus. 302.1.d an prænoverit filii Dei incarnationem. 303.1.b ejus lapsus describitur. 313.2.c hunc permisit Deus ad bonum finem. 282.1.b post eum mansit liberi arbitrii 283.1.a Adam tunc comparatus, quia mutabilis. 453.2.a ei indita est medicinæ scientia. 603.2.a ejus peccatum multipliciter in posteris castigatur. 637.1.d. 2.d. 638.2.a quale jugum ei Deus post illud intentarit: 638.2.c. 639.1.a. inter prospera beatitudinis statu excidit. 657.2.c ipse omnes homines excellit origine, creatione, dominio. 768.1.d fuit civis totius mundi. ibid.d
Adeps est melior & subtilior pars carnis. 737.2.c 738.2.a ejus & Davidis regis analogiæ. 1.a & seq. in hostia pacifica solus adeps Deo adolebatur. 1.b.2.a adeps est exanguis, etsi ex sanguine gignatur: aliæ ejus proprietates. ibid. est symbolum optimi principis. 738.1.d in omni sacrificio Deo cremabatur. 570.2.a
Adiaphora bona quæ dicantur. 153.2.d
Adiutorium viri est uxor bona. 585.2.d
ἀδολεσχεῖν propriè est quidlibet temerè effutire. 248.2.b
Adolescentes in mensa sint taciturni & pauciloqui. 529.1.a 629.1.b deferre debent senioribus. 529.1.a.2.a non se æquent dignioribus & magnatibus. 529.1.d finita mensa statim surgant. 531.1.a eos decet verecundia. 529.1.c 530.1.a 659.2.c quidam adolescens falso accusatus adulterii cum S. Elisabetha regina commissi mirabiliter sospes evasit. 460.2.a
Adorationes tres SS. Trinitatis. 392.1.c
Adrianus Imp. inedia se ipse confecit iusto Dei judicio. 461.1.a ejus dictum de medicis. 604.1.c
Adrianus VI. Pontifex quid de Pontificatu censeret: ejus epitaphium. 525.1.c 639.2.a
Advenæ non facilè credendum. 232.1.b
Adversa sæpè magis prosunt quàm prospera. 119.2.a.b ostendunt veros amicos & inimicos. 125.2.d 237.1.d.2.b probant sanctos & fideles. 60.1.b 61.1.a 64.1.c 100.2.b.c post adversa sequuntur prospera 225.2.a & seq. 227.1.c in illis non est desperandum. 226.2.a non est in illis amicus deserendus. 376.1.d
Adversitas est signum divinæ electionis. 448.2.a per hanc viri fortes fortiores evadunt. 544.2.d
Adulatio in regum aulis frequens est. 254.1.c
Adulatores plerumque etiam sunt calumniatores. 348.2.c

sunt

Digitized by Google

ſunt arroſores, non arriſores. 599.2.b cervis aſſimilantur. 511.1.c
Adultera ſtatuit ſpurio hereditatem ex alieno matrimonio. 384.2.d ejus culpa quantuplex eſt. 385.1.a non poteſt adulterari, etiamſi maritus vel filii ei dent ad hoc facultatem. ibid.b quintuplex ejus pœna. ibid.c & ſeqq. eſt maledictum & probrum hominum & ſæculorum. 2.a b
Adulterium paſſim malè audit. 661.2.a ejus in muliere variæ ſunt cauſæ. 433.2.c illud ſemper punivit Deus. 384.1.b c d
Adulterorum mira cæcitas. 381.2.a b timent homines non Deum. 382.1.b eorum pavor & pœna. 384.1.a
Advocati injuſti cuilibet cauſæ patrocinantur. 539.1.a
Aduſtio quomodo in herbis, floribus & germinibus fiat. 691.1.c
Ædificans & deſtruens nil lucratur niſi laborem. 565.1.a & ſeqq. 2.a
B. Ægidii gnome de perfectione virtutis & amoris. 125.1.c quid ſenſerit de Minoritarum è ſedibus ſuis expulſione. 486.1.a
Æger pro ſalute Deum primò precetur. 605.2.d peccata pœnitentia expiet. 606.1.a pro ſanitate recuperanda offerat ſacrificium. 607.1.a etiam medicum advocet in morbi periculo, idque crebrò 607.1.c ſacerdotes pro ſe orare jubeat. 608.1.a primò Deum ſibi conciliet, deinde medicos adhibeat. 603.1.d 2.d ægro languido mors ſuavis eſt. 652.2.d. quomodo magi & ſagæ ægros ſanent. 603.2.d
Ægroti viſitandi. 163.2.b. & aliis officiis donandi. 2.c 164.1.b
Ægyptii cranium mortui in conviviis circumferebant. 166.2.c in mari rubro merſi, Deo vindicante. 631.1.b timebant Moyſen prodigia operantem. 718.1.a eorum ſacerdotes ſale abſtinebant ad caſtitatem. 632.1.d
Ægiptus balſamum habet, ex quo B. Virgo eo conceſſit. 398.2.c omnem utilitatem & felicitatem ſuam debet Nilo. 414.1.c d
Ænigma quid ſit. 744.1.a ænigma quoddam Hebraicum de voce viros & mulieres ſignificante. 459.1.d aliud de anno lunari. 682.2.a de die & nocte. ibid. de nive. 690.2.a de glacie. 691.2.b de mente. 786.1.c
Æqualitas & reſpondentia quædam in omnibus & ſingulis ſervatur. 545.1.d
Aer initio mundi non fuit creatus purus. 391.1.a
Aeramenta facilè ſordes & æruginem contrahunt. 237.2.d maximè ſi terſa ſint. 238.2.b
Aerugo ſymbolum eſt inimicitiæ. 237.2.d ejus uſus in medicina. 238.1.a ea oleo tollitur. 239.1.b metaphoricè pro maledicentia & livore accipitur. 238.1.a
Aerumnæ hujus vitæ variæ ob peccatum Adæ. 638.2.b & ſeqq. hæ magis impios cruciant quàm pios. 639.2.a
Aeſopi mythologi elogium. 19.2.d quando vixerit. 244.1.a d & 460.1.d quid reſponderit Soloni liberè Cræſum coarguenti. 244.1.b unde dictus Aeſopus. 1.c quæ Enno filio dederit præcepta vitæ. 437.1.a ejus nex & vindicta apud Delphios. 574.1.a rogatus quà iret, reſpondit ſe neſcire. 631.1.d
Aeſtus marini cauſa eſt luna. 694.2.d
Aetas tenera flectenda eſt, non ſenilis. 492.2.d
Aetas myſtica virtutis, & virtute præditi. 46.1.a ætas hominis poſt diluvium paulatim acciſa & imminuta eſt. 300.1 d ætatum ſingularium proprii affectus. 132.2 d
Aeterna ſunt, ſingula quæ operamur. 548.2.b æterna præ oculis habenda ſunt. 793 2 d
Aeternitatis definitio & etyma. 507.2.b ejus & ævi diſtinctio. ibid.c ipſa quid ſit, quomodo ſit objectum in quod Deus inſpicit. 673.1.d ſeparat Deum ab omni re creata. 395.2.b conſtat rerum contrariis. 545.2.a. ei debemus operari. 548.2.c d eſt centrum temporum. 629.2.a æternitas felix eſt finis omnis ſapientiæ & virtutis. 793.2.d non ambit totum tempus toti tempori ſimul coexiſtendo. 38.2.c ea præ oculis habenda peccantibus. 152.2 b ejus longitudo. 317.2.a ejus concipiendæ modus. ibid. d
Aether eſt ignis non elementaris, ſed cæleſtis. 681.2.a
Aetna mons igneos torrentes evomit. ibid. 1.a
Aevum unde dicatur, quomodo ab æternitate differat. 507.2.c 36.1.a & 317.2.b ævum ſanctum eſt ſæculū futurum non præſens. 418.1.b
Affectiones animi indicantur vultu, naſo, oculis, fronte. 341.1.d
Affectus hominis finitus eſt & limitatus. 124.1.d affectus mentis vim addit orationi. 148.2.c affectibus imperans princeps eſt. 188.1.a
Affectus alterius quomodo explorandus? 511.1.a affectui carnalium eſt credendum. 591.1.a affectū addiſcere volentis emitur ſapientia, velut pretio dato. 791.1.b affectus oculis ſe prodit. 438.2.d affectus animi mali ſunt contrariis ſuperandi virtutibus. 600.1.d affectus & intentiones hominum perſpicit Deus. 672.2.a 2.d
Afflicti oratio à Deo exauditur. 575.1.a afflicti conſolandi ſunt. 104.2.d
Africana Eccleſia S. Ambroſii exemplo ſuſtulit epulas in ſepultura defunctorum. 496.2.a
Agape primorum Chriſtianorum deſcribitur. 585.1.b.d ea etiam adhibebatur in ſepultura defunctorum. 493.2.b
Agathocles ex figulo rex Siciliæ factus, ſemper in fictilibus cœnabat. 618.2.c
ἄγνωστοι fuere multi gentiles. 360.1.a
Ageſilai regis in vitæ rigore conſtantia. 455.1.b
S. Agnes in mediis flammis manſit illæſa. 782.1.b
Agnitio divinorum fructus eſt ſapientiæ. 408.1.a ſed agnitio propriæ inſipientiæ eſt ratio ejus percipiendæ. 788.2.a
Agnoſcere Dei eſt efficax & effectuoſum. 737.1.c
Agno paſchali comeſo pſalmos canebant Judæi. 531.2.c agnus in holocauſtū offerendus debebat eſſe immaculatus. 534.2.c is Chriſtum repræſentabat. ibid. hujus oblationis tropologia. ibid. d agni concolores ſunt arieti generanti. 490.1.c
Agones celebres in Græcia erant quatuor. 107.1.d
Agonizor, pro agonizo ſumit interpres Eccleſiaſt. 107.1.c
Agricolæ in repub. ſunt neceſſarii. 615.1.a b quod eorum ſit ſtudium. 1.d
Agricultura antiquiſſima artium eſt. 615.1.c b quæ ejus præcepta. 2.d agriculturæ labores. 133.1.d 2.b & fructus. 133.1.c eſt artium optima. 149.1.c à Deo inſtituta eſt in ſtatu innocentiæ. 2.a
Agur apud Salomonem quare vocetur filius vomentis. 514.2.d
αἰὼν quid ſignificet, & unde dicatur. 317.1.d
Alacritas corporis & corpus & animum vegetat. 515.1.c 1.d in ſtudio virtutum maximè requiritur. 515.1.c
Alæ ſex ſymbolicæ Seraphim operibus noſtris addendæ ut in cælum evolent. 548.1.d
Albedo viſum nimis diſpergit & diſſolvit. 646.1.a
Alciati Cardinalis epitaphium. 710.2.a
Alcibiades prudenter periculum capitis declinavit. 87.1.b
Alconis ſagittandi peritia. 236.2.a
Alethius mortua uxore ſe totum Dei ſervitio mancipavit. 204.1.a 207.2.a
Alexander Jannæus ſimul rex & pontifex eſſe voluit: fuit inimicus Phariſæorum. 794
Alexandri Farneſii Parmæ Ducis bellica peritia. 143.2.b
Alexandri Magni gloriæ cupiditas. 143.2.a ejus vitia familiares imitabantur. 143.1.c quare Calliſthenem de medio ſuſtulerit. 348.1.c ſibi adulantibus aures dabat. 354.1.c gloriam ſuam obſcuravit iracundia. 500.2.c ejus liberalitas. 680.1.d pontificem Jaddo pontificalibus indutum veneratus eſt. 721.1.b 769.1.a
Alexandri Severi Imp. lenitas. 201.1.c ab Ulpiano Ethicam Politicam didicit. 2
S. Alexandri Patriarchæ Alexandrini clementia. 463.2.c
Alexander Urſinus Cardin. in profeſtis B. Virginis ſe uſque ad ſanguinem diverberare ſolebat. 665.1.a
S. Alexius peregrinatus eſt per XVII. annos mendicando. 436.1.b
Alfonſus Aragonum rex quid de regibus cenſeret ab aliorum nutu pendentibus. 547.1.d quid de Hypocritis ſentiret. 56.2.d inimicos beneficiis vincebat. 239.2.c
Allia ſymbolum ſunt contentionis. 216.2.b
Alphabetum ethicum Ben Sira duplex. 24.2.d 25.1.d item S. Gregorii Nazianzeni. 26.1.a
Alta à fulmine feriuntur. 687.1.a altum ſubinde idem quod profundum. 782.1.d
Altare erat gradibus aſcendendum. 774.1.c
Altiora captu & conditione quærenda non ſunt. 82.2.b 63.2.b 84.2 d qui talia quærant. 82.2.c d 83.2.a
Alypiana S. Gregorii Nazianzeni neptis, curva & parva erat, ideo à marito deſpiciebatur. 212.2.b
Amabilitas in loquendo omnium amorem conciliat. 347.1.c d qualiter Deus Amandus in omni fortuna. 119.2.b
Amans Deum nihil patitur mali. 536.1.a
Amantibus nihil difficile eſt. 134.1.d 2.c amantium inſania & ſtupor. 181.2.c amantium Deum ſuſpiria. 160.2.c hi fiunt divini. 386.1.a ſunt quoque longævi. ibid. d
Amaritudo tollit ſapientiam dupliciter. 358.1.a quid propriè ſit amaritudo 1.b
Ambitio turbat pacem & concordiam. 410.1.b ejus damna & cruces. 142.1.d
Ambitioſi in regum gratiam ſe omnimodis inſinuant. 547.1.a idque ſæpè per artes magicas. ibid. eorum exitus ſæpè funeſtus. ibid. d ſunt infruniti. 376.2.b dejiciuntur. 346.2.d
S. Ambroſ. quare ſuſtulerit epulas pro animabus defunctorū. 496.2.a

Digitized by Google

INDEX
RERVM ET VERBORVM
MEMORABILIVM.

AAron quomodo populum benedixerit. 583.1.c in quo fuerit Mosi par. 720.1.d fuit typus Christi pontificis. 2.c.d 723.1.b sacerdotium illius familiæ perenne promisit Deus. 721.2.a 723.2.a qua gloria sit ab eo donatus. ibid.b 721.1.b solis ejus posteris pontificatus fuit à Deo addictus. 722.2.b 723.1.a 723.1.d ejus sacrificia ignis cælitus missus absumpsit. 723.1.b est per Moysen consecratus pontifex. 723.1.d offerebat per se & suos Deo sacrificium carneum, & thymiama suave olens. 2.d in dubiis legem Dei interpretabatur. 724.1.b.c.d ei invidentes sacerdotium castigati. 2.a ab eo ejus gloria accumulata. 725.1.a ejus solius virga floruit & fronduit: omnes Levitæ ejus ministerio addicti fuere: accepit à Deo victimas, primitias, oblationes. ibid. ei abundè & ad satiem de annona Deus providit. ibid.b ingens ejus proventus. ibid.c

Abba idem est quod pater. 703.2.c

Abbakyrum in calumniis patiens & constans erat. 436.1.d

Abductio in qua permanet tristitia quænam sit. 610.2.b.c

Abigail leni suo sermone Davidem iratum mitigavit. 124.1.c & Nabalo vitam conservavit. 585.1.b

Abire post aurum quid sit. 505.2.b.c

Abraham præ aliis Semitis Deus sibi elegit. 541.1.d quamdiu cum Noe vixerit. 714.1.d ex Abram dictus est Abraham. 714.2.a fuit pater multitudinis gentium. ibid. Non est inventus illi similis in gloria. 2.b ejus fides. ibid.c 715.1.d ejus cum Deo familiaritas. 714.2.b legem tum naturalem, tum positivam exactè servavit. 715.1.a ejus obedientia. ibid.b.c 715.1.c 716.1.a ter cum eo Deus fœdus iniit. 715.1.a quare ei præscripta fuerit circumcisio. 715.1.c.d ejus animus virilis. 2.a fuit martyr vivus, & mortuus. 2.a omnia ei promissa Deus servavit, quin & Messiam ex eo nasciturum promisit. 2.b in eo erant omnes gentes benedicendæ. ibid.b est pater fidelium & sanctorum. ibid. fuit doctor sapientiæ. 790.2.a

Abscondere pecuniam turpe & damnosum est. 479.2.a.b

Absentia est amoris impuri remedium. 180.1.b

Abstemii soli apti sunt ad studia. 482.1.d

Abstinentia avertit morbos. 321.1.c & seq. 322.1.a nimia à cibis corpori & animæ nocet. 513.1.d

Abyssini reges unde se vocent filios Salomonis. 744.1.a

Abyssus quid sit, hanc pervidet & penetrat Deus. 671.1.d

Academiarum quis fuerit auctor. 790.2.a.b quare institutæ. 623.1.d

S. Acathii Martyris in tormentis constantia. 370.2.a

qui plus Accepit, maiorem reddere rationem Deo debet. 80.2.b à manu Domini quidquid immittit, benignè Accipiendum. 63.1.d

Accipiter severè educat pullos. 493.2.b

Accusatio sui est certa ad Deum via. 311.2.d falsa plerumque recidit in falso accusantem. 459.2.d

Accusatio vitæ quomodo apud inferos non fit. 653.2.c.d

Acediæ filiæ 94.2.a damna. 363.1.a remedia. 226.2.c

Acedia velut somnus est. 465.1.b

ἄκηδος & ἀκηδία, quid sint, & unde deriventur. 94.1.d

Amaror vocatur metaphoricè Acetum. 94.2.b

Ach Hebræis, Græcis & Latinis est interjectio dolentis & lamentantis. 135.2.d

Achabum cum sua Jezabele Elias morte mulctavit. 752.2.c

Acharis, homo est inficetus, insulsus, ingratus. 349.1.a talis [illegible] fabula vana, quomodo. 1.c

Acidus idem est quod molestus, iracundus, indignans. 94.2.b.c

in Acie tria sunt providenda, sol, ventus, pulvis. 729.2.b.c

Aconitum cur vocetur pardalianches. 471.2.c

Acroama est narratio quæ à vulgo libenter auditur. 527.2.d item narratio mensalis, item cantus. ibid.

Actio quando assumenda sit, quando contemplatio. 614.1.b.c

Sancti assiduè in vita actione Deum laudant. 700.2.b

Actio præstat speculationi & parit experientiam. 614.1.c

Actiones nostræ à Deo prævidentur antequam fiant. 503.1.b ipsæ Christi meritis unitæ, Deo sunt offerendæ; ita fient ei gratiores magisque meritoriæ. 572.1.b.c sunt à Deo inchoandæ. 596.2.c

Actiones inutiles cavendæ, utiles & ex justitia debitæ assumendæ. 615.1.a

Activa vita nocet contemplationi. 614.2.b

Actus omnis sapientiæ in nobis & Angelis est elicitus, talem & habuit Deus ab æterno. 37.2.a actus noster semper sit compositus & decorus. 341.2.d actus intensiores virtutum supernaturalium secum afferunt augmentum charitatis & gratiæ. 55.2.a actus vitæ spiritalis semper innovandi. 267.1.d actus multi exigui pariunt habitum. 330.1.d Deus novit actus humanos antequam fiant. 383.2.d actus peccati excitat ad sui iterationem. 451.1.d actus actus sunt consilio, non eventu metiendi. 534.1.d actus virtutum includuntur in fuga vitii contrarii. 568.1.d sunt boni vel mali ab intentione quam iis voluntas præfigit. 556.1.c utrique oriuntur ex corde physicè & effectivè. 597.2.b sunt omnes charitatis & amoris actu informandi & vivificandi. 741.1.b

Adam & proprium est nomen protoplasti, & commune omnium ejus posterorum. 576.1.d peccavit è superbia. 198.2.c & 199.2.a ejus peccatum ceterorum peccatorum fuit causa. 199.1.a in creatione accepit scientiam omnium rerum naturalium. 301.1.d fuit doctissimus philosophus & absolutus Theologus. 302.1.d an prænoverit filii Dei incarnationem. 303.1.b ejus lapsus describitur. 313.2.c hunc permisit Deus ad bonum finem. 282.1.[illegible] post eum mansit liberi arbitrii 283.1.a Adam lunç comparatus, quia mutabilis. 453.2.a ei indita est medicinæ scientia. 603.2.a ejus peccatum multipliciter in posteris castigatur. 637.1.d. 2.d. 638.2.a quale jugum ei Deus post illud intentarit: 638.1.c-639.1.a. inter prospera beatitudinis statu excidit. 657.2.c ipse omnes homines excellit origine, creatione, dominio. 768.2.d fuit civis totius mundi. ibid.d

Adeps est melior & subtilior pars carnis. 737.2.c 738.2.a ejus & Davidis regis analogiæ. 1.a & seq. in hostia pacifica solus adeps Deo adolebatur. 1.b.2.a adeps est exanguis, etsi ex sanguine gignatur: aliæ ejus proprietates. ibid. est symbolum optimi principis. 738.1.d in omni sacrificio Deo cremabatur. 570.2.a

Adiaphora bona quæ dicantur. 153.2.d

Adiutorium viri est uxor bona. 585.2.d

ἀδολεσχεῖν propriè est quidlibet temerè effutire. 148.2.b

Adolescentes in mensa sint taciturni & pauciloqui. 529.1.a 629.1.b deferre debent senioribus. 529.1.a.2.a non se æquent dignioribus & magnatibus. 529.1.d finita mensa statim surgant. 531.1.a eos decet verecundia. 529.1.c 530.1.a 659.2.c quidam adolescens falso accusatus adulterii cum S. Elisabetha regina commissi mirabiliter sospes evasit. 460.2.a

Adorationes tres SS. Trinitatis. 392.1.c

Adrianus Imp. inedia se ipse confecit justo Dei judicio. 461.1.a ejus dictum de medicis. 604.1.c

Adrianus VI. Pontifex quid de Pontificatu censeret: ejus epitaphium. 525.1.c 639.2.a

Advenæ non facilè credendum. 232.1.b

Adversa sæpè magis prosunt quàm prospera. 119.2.a.b ostendunt veros amicos & inimicos. 125.2.d 237.1.d.2.b probant sanctos & fideles. 60.1.b 61.1.a 64.1.c 100.2.b.c post adversa sequuntur prospera 225.2.a & seq. 227.1.c in illis non est desperandum. 226.2.a non est in illis amicus deserendus. 376.1.d

Adversitas est signum divinæ electionis. 448.2.a per hanc viri fortes fortiores evadunt. 544.2.d

Adulatio in regum aulis frequens est. 254.1.c

Adulatores plerumque etiam sunt calumniatores. 348.2.c

sunt

Digitized by Google

ſunt arroſores, non arriſores. 399.2.b cervis aſſimilantur. 511.1.c
Adultera ſtatuit ſpurio hereditatem ex alieno matrimonio. 384.2.d
ejus culpa quantuplex eſt. 385. 1.a non poteſt adulterari, etiamſi maritus vel filii ei dent ad hoc facultatem. ibid.b quintuplex ejus pœna. ibid.c & ſeqq. eſt maledictum & probrum hominum & ſæculorum. 2. a b
Adulterium paſſim malè audit. 661. 2.a ejus in muliere variæ ſunt cauſæ. 433. 2.c illud ſemper punivit Deus. 384. 1. b c d
Adulterorum mira cæcitas. 381. 2.a b timent homines non Deum. 382. 1.b eorum pavor & pœna. 384. 1.a
Advocati injuſti cuilibet cauſæ patrocinantur. 539. 1.a
Aduſtio quomodo in herbis, floribus & germinibus fiat. 691. 1.c
Ædificans & deſtruens nil lucratur niſi laborem. 565. 1.a & ſeqq. 2.a
B. Ægidii gnome de perfectione virtutis & amoris. 125. 1.c quid ſenterit de Minoritarum è ſedibus ſuis expulſioné. 486. 1.a
Æger pro ſalute Deum primò præcetur. 605. 2.d peccata pœnitentia expiet. 606. 1.a pro ſanitate recuperanda offerat ſacrificium. 607. 1.a etiam medicum advocet in morbi periculo, idque crebrò 607. 1.c ſacerdotes pro ſe orare jubeat. 608. 1.a primò Deum ſibi conciliet, deinde medicos adhibeat. 603. 1.d 2.d ægro languido mors ſuavis eſt. 652. 2.d. quomodo magi & ſagæ ægros ſanent. 603. 2.d
Ægroti viſitandi. 163. 2.b. & aliis officiis donandi. 2.c 164. 1.b
Ægyptii cranium mortui in conviviis circumferebant. 166. 2.c in mari rubro merſi, Deo vindicante. 631. 1.b timebant Moyſen prodigia operantem. 718. 1.a eorum ſacerdotes ſale abſtinebant ad caſtitatem. 632. 1.d
Ægiptus balſamum habet, ex quo B. Virgo eo conceſſit. 398. 2.c omnem utilitatem & felicitatem ſuam debet Nilo. 414. 1.c d
Ænigma quid ſit. 744. 2.a ænigma quoddam Hebraicum de voce viros & mulieres ſignificante. 439. 1.d aliud de anno lunari. 682. 2.a de die & nocte. ibid. de nive. 690. 2.a de glacie. 692. 2.b de mente. 786. 1.c
Æqualitas & reſpondentia quædam in omnibus & ſingulis ſervatur. 545. 1.d
Aer initio mundi non fuit creatus purus. 391. 1.a
Æramenta facilè ſordes & æruginem contrahunt. 237. 2.d maximè ſi terſa ſint. 238. 2.b
Ærugo ſymbolum eſt inimicitiæ. 237. 2.d ejus uſus in medicina. 238. 1.a ea oleo tollitur. 239. 1.b metaphoricè pro maledicentia & livore accipitur. 238. 1.a
Ærumnæ hujus vitæ variæ ob peccatum Adæ. 638. 2.b & ſeqq. hæ magis impios cruciant quàm pios. 639. 2.a
Æſopi mythologi elogium. 19. 2.d quando vixerit. 244. 1. a d & 460. 1.d quid reſponderit Soloni liberè Cræſum coarguenti. 244. 1.b unde dictus Æſopus. 1.c quæ Enno filio dederit præcepta vitæ: 437. 1.a ejus nex & vindicta apud Delphios. 574. 1.a rogatus quà iret, reſpondit ſe neſcire. 631. 1.d
Æſtus marini cauſa eſt luna. 694. 2.d
Ætas tenera flectenda eſt, non ſenilis. 492. 2.d
Ætas myſtica virtutis, & virtute præditi. 46. 1.a ætas hominis poſt diluvium paulatim acciſa & imminuta eſt. 300. 1 d ætatum ſingularium proprii affectus. 132. 2 d
Æterna ſunt, ſingula quæ operamur. 548. 2.b æterna præ oculis habenda ſunt. 793. 2 d
Æternitatis definitio & etyma. 507. 2.b ejus & ævi diſtinctio. ibid.c ipſa quid ſit, quomodo ſit objectum in quod Deus inſpicit. 673. 1.d ſeparat Deum ab omni re creata. 395. 2.b conſtat rerum contrariis. 545. 2.a. ei debemus operari. 548. 2.c d eſt centrum temporum. 629. 2.a æternitas felix eſt finis omnis ſapientiæ & virtutis. 793. 2.d non ambit totum tempus toti tempori ſimul coexiſtendo. 38. 2.c ea præ oculis habenda peccantibus. 152. 2 b ejus longitudo. 317. 2.a ejus concipiendæ modus. ibid. d
Æther eſt ignis non elementaris, ſed cæleſtis. 681. 2.a
Ætna mons igneos torrentes evomit. ibid. 1.a
Ævum unde dicatur, quomodo ab æternitate differat. 507. 2.c 36. 1.a & 317. 2 b ævum ſanctum eſt ſæculū futurum non præſens. 418. 1.b
Affectiones animi indicantur vultu, naſo, oculis, fronte. 341. 1.d
Affectus hominis finitus eſt & limitatus. 124. 1.d affectus mentis vim addit orationi. 148. 2.c affectibus imperans princeps eſt. 188. 1.a
Affectus alterius quomodo explorandus? 511. 1.a affectui carnalium eſt credendum. 591. 1.a affectu addiſcere volentis emitur ſapientia, velut pretio dato. 791. 1.b affectus oculis ſe prodit. 438. 2.d affectus animi mali ſunt contrariis ſuperandi virtutibus. 600. 1.d affectus & intentiones hominum perſpicit Deus. 672. 2.a 2.d
Afflicti oratio à Deo exauditur. 575. 1.a afflicti conſolandi ſunt. 104. 2.d
Africana Eccleſia S. Ambroſii exemplo ſuſtulit epulas in ſepultura defunctorum. 496. 2.a
Agape primorum Chriſtianorum deſcribitur. 185. 1.b. d ea etiam adhibebatur in ſepultura defunctorum. 493. 2.b
Agathocles ex figulo rex Siciliæ factus, ſemper in fictilibus cœnabat. 618. 2.c
ἀφελεῖς fuere multi gentiles. 360. 1.a
Ageſilai regis in vitæ rigore conſtantia. 455. 1.b
S. Agnes in mediis flammis manſit illæſa. 782. 1.b
Agnitio divinorum fructus eſt ſapientiæ. 408. 1.a ſed agnitio propriæ inſipientiæ eſt ratio ejus percipiendæ. 788. 2.a
Agnoſcere Dei eſt efficax & effectuoſum. 737. 1.c
Agno paſchali comeſo pſalmos canebant Judæi. 531. 2.c agnus in holocauſtū offerendus debebat eſſe immaculatus. 534. 2.c is Chriſtum repræſentabat. ibid. hujus oblationis tropologia. ibid. d agni concolores ſunt arieti generanti. 490. 1.c
Agones celebres in Græcia erant quatuor. 107. 1.d
Agonizor pro agonizo ſumit interpres Eccleſiaſt. 107. 1.c
Agricolæ in repub. ſunt neceſſarii. 615. 1.a b quod eorum ſit ſtudium. 1.d
Agricultura antiquiſſima artium eſt. 615. 1.c b quæ ejus præcepta. 2.d agriculturæ labores. 133. 1.d 2.b & fructus. 133. 1.c eſt artium optima. 149. 1.c à Deo inſtituta eſt in ſtatu innocentiæ. 2.a
Agur apud Salomonem quare vocetur filius vomentis. 514. 2.d
αἰὼν quid ſignificet, & unde dicatur. 317. 1.d
Alacritas corporis & corpus & animum vegetat. 525. 1.c 2.d in ſtudio virtutum maximè requiritur. 525. 1.c
Alæ ſex ſymbolicæ Seraphim operibus noſtris addendæ ut in cælum evolent. 548. 1.d
Albedo viſum nimis diſpergit & diſſoluit. 646. 1.a
Alciati Cardinalis epitaphium. 710. 2.a
Alcibiades prudenter periculum capitis declinavit. 87. 1.b
Alconis ſagittandi peritia. 236. 2.a
Alethius mortua uxore ſe totum Dei ſervitio mancipavit. 204. 1.a 207. 2.a
Alexander Jannæus ſimul rex & pontifex eſſe voluit: fuit inimicus Phariſæorum. 794
Alexandri Farneſii Parmæ Ducis bellica peritia. 143. 2.b
Alexandri Magni gloriæ cupiditas. 143. 2.a ejus vitia familiares imitabantur. 143. 1.c quare Calliſthenem de medio ſuſtulerit. 248. 1.c ſibi adulantibus aures dabat. 254. 1.c gloriam ſuam obſcuravit iracundia. 500. 2.c ejus liberalitas. 680. 1.d pontificem Jaddo pontificalibus indutum veneratus eſt. 721. 1.b 769. 1.a
Alexandri Severi Imp. lenitas. 201. 1.c ab Ulpiano Ethicam Politicam didicit. 2
S. Alexandri Patriarchæ Alexandrini clementia. 463. 2.c
Alexander Urſinus Cardin. in profeſtis B. Virginis ſe uſque ad ſanguinem diverberare ſolebat. 665. 1.a
S. Alexius peregrinatus eſt per XVII. annos mendicando. 436. 1.b
Alfonſus Aragonum rex quid de regibus cenſeret ab aliorum nutu pendentibus. 547. 1.d quid de Hypocritis ſentiret. 56. 2.d inimicos beneficiis vincebat. 239. 2.c
Allia ſymbolum ſunt contentionis. 216. 2.b
Alphabetum ethicum Ben Sira duplex. 24. 2. d 25. 1.d item S. Gregorii Nazianzeni. 26. 1.a
Alta à fulmine feriuntur. 687. 1.a altum ſubinde idem quod profundum. 782. 1.d
Altare erat gradibus aſcendendum. 774. 1.c
Altiora captu & conditione quærenda non ſunt. 82. 2.b 63. 2.b 84. 2 d qui talia quærant. 82. 2.c d 83. 2.a
Alypiana S. Gregorii Nazianzeni neptis, curva & parva erat, ideo à marito deſpiciebatur. 212. 2.b
Amabilitas in loquendo omnium amorem conciliat. 347. 1.c d qualiter Deus Amandus in omni fortuna. 119. 2.b
Amans Deum nihil patitur mali. 536. 1.a
Amantibus nihil difficile eſt. 134. 1.d 2.c amantium inſania & ſtupor. 181. 2.c amantium Deum ſuſpiria. 160. 2.c hi fiunt divini. 386. 1.a ſunt quoque longævi. ibid. d
Amaritudo tollit ſapientiam dupliciter. 358. 1.a quid propriè ſit amaritudo 1.b
Ambitio turbat pacem & concordiam. 410. 1.b ejus damna & cruces. 142. 1.d
Ambitioſi in regum gratiam ſe omnimodis inſinuant. 547. 1.a idque ſæpè per artes magicas. ibid. eorum exitus ſæpè funeſtus. ibid. d ſunt infruniti. 376. 2.b deiiciuntur. 346. 2.d
S. Ambroſ. quare ſuſtulerit epulas pro animabus defunctorū. 496. 2.a

Digitized by

lugebat mortem senum sanctorum. 609. 1.c Imp. peccantes liberè redarguit. 758. 1.b Theodosium Imper. choro jussit excedere. 775. 1.c ethicam totam paucis est complexus. 26. 2.a ejus in morte confidentia. 44. 1.d ejus adhuc pueri ori insederunt apes. 211. 2.d secretum sibi commissum mirè servavit. 177. 1.a 336. 2.d

Amicæ olim amasiis coronas imponebant. 525. 2.b

Amicitia consanguinitate præponderat. 424. 2.c nititur fidelitate. 456. 1.d perditur revelatione secreti. 457. 1.d. 2.b c id amicitia in vita est, quod sol in mundo. 589. 1.d ad eam quatuor specialiter spectant. 590. 2.a

Amicitiæ tres gradus. 124. 2.c amicitia fit cum paucis ibid. & seqq. amicitiæ origo. 2.d ad germanã amicitiam tria requiruntur. ibid.c amicitiæ prima lex. 125. 2.d amicitia usque ad aras. 126. 1.a virtute nitatur, non rebus caducis. 126. 2.a

Amicitia feminea quæ sit. 2.d amicitia ollaris quæ. 127. 1.a

Amicitia vera cur vocetur unanimis. 127. 2.c

Amicitiæ definitio & descriptiones. ibid. c d

Amicitiæ veræ commoda & elogia. 128. 2.b & seqq. est fortis protectio & panoplia. ibid. vera illa est quæ Deo nititur. 2.c est amico thesaurus. 129. 1.d ejus leges & officia varia. ibid.c 131. 1.b variis gradibus ad eam perveniendum. 132. 1.a Gentilium de ea gnomæ. ibid.d una naturalis est, altera supernaturalis. 1.c est auro potior. 153. 1.d c ejus imago est speculum. 238. 2.a & seqq. fit inter pares. 243. 2.c qua re maximè lædatur. 371. 1.d eam quinque vitia abrumpunt. ibid. 2.a b

Amici secreta non prodenda, cur. 371. 2.a quia hic ab amico per secreti revelationem proditus, ab eo avertitur. 457. 1 c d 2.a amico nihil negandum. 479. 1.b amico nemo se nimis subiiciat. 546. 2. d amicus cautè est diligendus. 588. 1.a 590. 1.c non est deferendus in re tenui ab altero locuplete. ibid. 1. d in eo quatuor probanda sunt. 1.d pro amico multa subeunda sunt. ibid.c amicus est medius inter inimicum & adultorem. 588. 1.d ejus pretium. 589. 2.a tam est diligendus in adversis quàm prosperis. 590. 2.d debet esse unanimis cum amico. ibid. ejus animus explorandus ex animo proprio. 594. 2.d ei non est injuria irroganda 659. 2.d amicus fidus magnum vitę hujus solatium est. 590. 2.d quantum is sit bonum. 424. 2.a præstat consanguineo. 2.b. amicus ollaris & mensalis est plerumque infidus. 590. 1.b amicus fictus occultè machinatur amico dolum. 458. 1.b omnibus imponit sua simulatione. ibid. ejus fictio apud amicum. ibid. b c. ejus doli in ipsius caput recidunt. 458. 2.a hic amico applaudit commodi sui causa, alioqui in corde eum subsannat. 538. 2.c 2.d adfert alteri mortem. 589. 1.a & mox ei inimicus. 1.b talis primùm ex orco prodiit. 2.b quàm acerbum talis sit malum. 2.c est mox transfuga. ibid.d

Amici ficti qui sint. 129. 2.a 123. 1.b 126. 1.c 127. 1.a qui veri. 127. 2.c 129. 1.b 130. 1.d 131. 1.a talium exempla. 129. 1.a amici fastidiosi & insolentes carpuntur. 123. 1.c d amici pauci seligendi 124. 2.a & seqq. pluribus amicis simul satisfacere impossibile est. 125. 1.a b amici veri corripiunt, falsi blandiuntur. 125. 1.d. primò probandi in rebus parvis & adversis. 2.c non facilè ob amici mores amicitiam dissoluant. 126. 2.a b amici ollares & gulæ 127. 2.a amici æquales sint. ibid. c eorum omnia sunt communia. 131. 1.b non facilè mutandi. 182. 2 c amici amicorum effigiem olim in pala annuli sculptam gerebant. 305. 2.d injuria non sunt afficiendi. 370. 2.b & quali. 371. 1.d c sed juvandi in adversis. 372. 1.a amicis legabatur olim pars hereditatis. 372. 1.b salutandi sunt. 2.a

Amici Dei pariter sunt amici justorum. 423. 2.c amici sibi similes quomodo habeantur. 523. 2.a

Amictus index est affectus interni. 341. 2.b

Amicus amici causa nil faciat pravi. 104. 1.c 2.c. 121. 2.a 126. 1.a amicus secundùm tempus quis sit. 1.c amicus verus non facilè concipiet odium. 2.d amicus sit tibi æqualis. 127. 1.c quid amico præstet. 129. 1.a 129. 1.d & seqq. eadem cum amico sentit & vult. 238. 2.a ei ex opibus benefaciendum. 265. 1.a amicus amico amicitiæ jure debet correptionem. 337. 2.b 338. 1.b amici vitia non sunt propalanda 371. 1.a nec cum eo fraudulenter agendum. 370. 2.d quæ sint officia amici. 372. 2.d amici fidelis quantum sit pretium. 130. 1.a licet subinde eum magis amare, quàm proprium patrem. ibid. d est medicamentum vitæ & immortalitatis. 130. 1.c seqq. 131. 1.a quantum is sit bonum. 131. 1.c datur à Deo. 1.d est thesaurus magnus. 129. 1.d amicus verus adest amico adversis oppresso. 237. 2.a & seqq. ejusque malis condolet. 245. 1. a sed falsus in adversis eum deserit. 240. 2.c ejus doli. ibid. 241. 1.2 d amicus vetus novo est melior. 182. 2.c. & seqq.

Amomum non est rosa Jerichuntina. 401. 2.c d, propriũ erat feminarum unguentum. 405. 1.a

Amor Dei crescit, crescente timore. 426. 1.d causat timorem, & hic illum. ibid. b c excitat amantem ad semper laborandum & patiendum pro Deo. 454. 2.a in eo continuo sita perfectio est. 741 1.a amor Dei est idem cum timore Dei. 43. 1.a 44 2.d ejus sunt septem gradus. 159 1.a sex ejus actus. 160. 2.b puri amoris Dei quod sit signum. 119. 2.b hunc depurare indies debemus. 274. 2.b amor proximi nascitur ex amore Dei. 75. 1.b amoris impuri remedium est absentia. 180. 1.b amor carnalis est passio vacantis curæ. 439. 2.d facit impudentes. ibid.b hic etiam in Ecclesiasticos se sensim insinuat. 667. 1.d 669. 1.c amor parentum in filios. 489. 2.b

Amor animalium in fœtus, & avium in pullos. 2.d

Amor proprius fons & origo est detractionis. 472. 2.a est auctor intrinsecus inimicitiæ. 605. 2.a

Amor facit vigiliam. 97. 1.d transformat amantes. 132. 2.b. eum conciliat similitudo, idque in omni re. 250. 1.b. 250. 2.a 284. 1.b ex eo nascitur dolor, & ex dolore amor. 344. 2.a

Amor hominis valdè limitatus est. 124. 2.d

Amor & benevolentia qui differant. ibid.c

Amor sapientiæ optima est ad eam dispositio. 139. 2.d

Amor maternus & sponsalis quàm tener & honorabilis. 274. 2.d

Amor mutuus causa est concordiæ. 419. 1.c

Amor amorem conciliat. 284. 1.b 511. 1.b omnia unit & concordat. 442. 2 d facit æquilibrium viri & uxoris. 647. 1. c d docet sapientiam. 786. 1.d

Anabaptistæ censent medicis non esse utendum. 603. 1.d

Anachoretæ quomodo asperas pœnitentias subirent. 535. 1.a eorum plurimi habuerunt donum propheti. 596. 1.c abstinebant medicis. 607. 2.a eorum abstinentia. 633. 1.c mortem non exhorrebant. 655. 1 a stimulabant se ad laborandum præmii cælestis intuitu 793. 1.a invicem occurrentes mortis memoriam refricabant. 263. 2.a plerique fuere longævi. 52. 2.a

Anacreon regi Polycrati accepta ab eo talenta duo remisit, quòd eorum causa inquietus esset. 504. 2.b

ἀναδίδωμι capitur subinde pro ἀνταποδίδωμι, id est reddo pro pullulo. 54. 1.a

Anaphe insula è mari emersit. 695. 1.a

Anaxagoras filii mortem generosè tulit. 652. 2.d ejus de sole sententia 681. 1.b d Dei creatoris fuit assertor. 4.

Anaxarchi philosophi constantia. 455. 1.b

Ancilla alienæ uxoris non est scrutanda, nec solicitanda. 662. 1.a ancillæ moratæ decus sunt dominarum. 154. 2.d

S. Andreas Corsinus ex lupo repentè mutatus est in agnum. 25 1.2.d

Andromadas species adamantis est typus sapientiæ. 789. 1.c

Andromacus theriacæ fuit inventor tempore Neronis. 544. 2.b

Andronicus Imper. junior unde ad tantam morum licentiam devenerit. 488. 2.a

Angeli stando assistunt SS. Trinitati. 392. 2.b non alterantur. 454. 1.d lætitiam menti aspirant. 495. 2.b interdum Sanctos sepelierunt. 609. 1.b sunt administri divinæ justitiæ 634. 1.a non proficiunt in merito & præmio. 2.a stellas movent & dirigunt. 685. 1.a b Dei essentiam & divinitatem plenè pernosse non possunt. 698. 2.d assistunt sacrificio Missæ. 776. 1.a quomodo Deum orent. & adorent. 980. 1.a

Angeli boni vel mali nõ fuere filii Dei qui genuere gigantes. 711. 1.a

Angeli non ante, sed cum mundo creati sunt. 38. 1.a eorum officium est servire Deo. 99. 1.c non sunt corporei. 151. 2.a assistunt orantibus. 247. 1.d coram Deo contremiscunt. 294. 1.d præsunt orbibus cælestibus. 296. 2.a 294. 1.d non defatigantur. 297. 2.a mira inter eos est concordia. ibid. 298. 1.a per se non possunt edere miracula. 304. 2.a. sua sorte contenti sunt. 309. 2 a

Angeroniæ simulacrum quale esset. 309. 2.a

Anima habitat in corde. 361. 2.d

Animæ tum propriæ, tum alienæ cultura nostra est rusticatio. 149. 2.c magis à Deo pendet & sustentatur, quàm à se ipsa. 158. 2.b est forma formarum. ibid.

Animæ anima quare vocetur Deus. 158. 2.a hinc ei tota debetur. 158. 2.c ipse ejus vita est. 249. 1.c quid ei præstare debeat. ibid.c ligatur Deo fide, spe, charitate. 69. 2.a

Anima justi est sedes sapientiæ. 50. 1.d

Anima calida quæ vocetur, 380. 1.d & seqq.

Animæ multipliciter à Deo vocantur. 40. 2.b

Animas alienas curantes, non negligant proprias. 259. 2.b

Animæ sanctorum planè à peccatis purgatæ, statim ad Dei visionem admittuntur. 227. 2.b

Anima sancta similis est paradiso voluptatis. 414. 1.d item velut uxor bona. 435. 1.a & velut pulchra mulier. 585. 1.b enuntiant vera, cur. 595. 1.d quia à Deo regitur. ibid. 2.a est velut ferrum ignitum. 617. 1.d

Animæ sanitas parit quietem conscientiæ. 495. 1.a ei tunc credendum cùm jubet servari mandata Dei. 535. 2.c ejus tres hostes 779. 1.b

Anima quomodo pro fratribus ponatur. 464. 1.c

Animæ suę quinam misereantur. 498. 2.d qui ejus sint hostes. 498. 1.b

Anima gaudet in corpore sobrio. 513. 2.a in corpore velut in ergastulo agit 657 1.d 710. 2.a. immortalis est, hinc optat semper vivere in memoria hominum. 657. 1.d 710. 2.a

Animarum onus. ingens eſt: 525. 1.b earum zelus & converſio, magna Dei laus eſt. 700.2.b

Animæ à viventibus è Purgatorio liberatæ, ſuos adjutores poſtea ſæpè viſibiliter defenderunt. 481.2.a ipſæ gaudent de conſolatione parentum vivorum. 613.1.a earum Purgatorio ereptarum gaudium. 577.1.a eas cenſebant Gentiles poſt mortem quieſcere & velut dormire. 495.2.d & habere corpora tenuia. 1.d

Animal omne habet tactum. 361.2.d omne animal diligit ſibi ſimile. 249.2.c.d

Animalia omnia timent hominem. 300.1.b carent loquela & voce articulata. 301.1.c

Animalia ob aquæ potum carent morbis, & catarrhis. 484.1.d omnia fœtus ſuos diligunt. 489. 2.d. 490. 1.b diriguntur ab intelligentia non errante. 595.2.a eorum quædam ſola aqua nutriuntur. 484 2.d quædam certis herbis medentur ſuis morbis. 604.1.d non omnia cum omnibus exercent inimicitias. 545.1.b

Animalia timida difficulter cicurantur. 560.1.a

Animalia noxia homini ſunt commoda. 544 1.b

Animalium minima ſunt aves, terreſtria mediocria, maxima ſunt piſces. 694.2.b

Animalis pars hominis nobis eſt cum feris & belluis communis. 202.2.d ex ea poſt amiſſam innocentiam recrevit ſuperbia & concupiſcentia ibid. animales ſunt ſimiles puero. 101.1.d

Animi cruciatus longè graviſſimus eſt. 427.1.a animus facilè ad ſuperna ſuſtollitur. 786.2.b in ſomno non ſapit ſecundum Platonem. 556.1.a

Animi cæleſtis emblema eſt avis manucodiata. 674.2.c

Animoſi tauris comparantur. 122.2.b

Annæ matronæ animi magnitudo. 458.1.b 425.2.b

Anni lunaris ænigma. 682.2.b.c quomodo annus unus non melior eſt altero. 539.1.b & ſeqq.

Anni viri bonam habentis uxorem duplices ſunt. 434. 1.b

Annis vitæ ſibi à Deo datis quiſque debet eſſe contentus. 653.2.d

Annos à natura præſcriptos ars & Deus augere & duplicare poteſt. 434. 1.d

Annulus Joſepho datus quid myſticè denotet. 138.2.a

Annum in quot menſes diviſerint Romulus & Julius Cæſar. 367.2.a annus XXXVIII. quo Jeſus Sirach junior in Ægyptum ſe veniſſe dicit, unde arceſſendus. 32.1.c anni vitæ cuique à Deo determinati ſunt. 300.1.d

S. Anſelmus quantopere peccatum deteſtaretur. 367. 1.a omnia agebat cum conſilio. 534. 1.a ſe regendum Prælato cuidam tradidit. 738.1.a

Antidota quædam pluribus venenis adverſantur. 545.1.c

Antigonus rex deos rogabat ut ſe ab amicis tueretur, & cur. 128.1.b 147.2.d conſilium ſuum tacitum ſervavit. 169.1.a ejus illiberalitas. 680. 1.d

Antiochus Epiphanes Judæos ad impietatem compulit. 325.1.c graves Deo pœnas dedit. 460.2.d

Ἀντιπαραβάλλω & ἀντιπαραβολὴ quid ſint. 378.2.a

Antitheſis notatur in omnibus rebus creatis. 674 1.c

Antitheta rerum univerſum ornant. 544. 2.d

Antoninus Imper. Fauſtinæ adulteria cur pateretur. 431. 1.d Ethicam percalluit, inde dictus Philoſophus. 2

Antonini cognomen vitæ turpitudine infamavit Heliogabalus. 657.1.a

S. Antonini Archiepiſcopi Florentini in morte exultatio. 44.2.b

S. Antonius Dei opem patienter exſpectabat. 61. 1.b ejus confuſio viſo S. Paulo Eremita. 103. 1.b litteras Conſtantini Magni ad ſe miſſas parvi fecit. 247. 2.c omnem vitæ diem cogitabat eſſe extremum. 264.1.d. vultu erat ſereno & hilari. 453.1.d 255.2.d qua conſideratione ſuos ad vitæ rigorem animaret. 454.2.c jiſdem lætitiam ſpiritualem identidem commendabat. 498.1.c in morbo de auſteritate nihil remittebat. 607.2.b oleo à ſe benedicto ægrotos curabat. 608.1.d ſecretò ſepeliri voluit. 703. 1.c

Antonius Monachus Meliſſæ auctor, qua ætate vixerit. 430 1.a

S. Antonius de Padua fervidus fuit concionator. 751.1.d occiſum quemdam vitę reſtituit, ut patrem innoxium morti eriperet. 758.2.b ejus lingua diu poſt mortem incorrupta eſt reperta. 788.2.d moriens B. Virginem invocavit. 44 2.b

Antonii Picentis Hypocritæ exitus & cataſtrophe. 56.2.d

Anus plerumque bibaces ſunt. 438.1.d

Anxiis & ſolicitis optabilis eſt mors. 653.1.c

ἀπαγωγὴ etiam ad captivitatem refertur. 610.2.a item alia ſignificat. 610.2.d

ἀπειθὴς variam habet ſignificationem. 289.1.d

Apis quid nos doceat. 21 1.1.d eſt animalium ſapientiſſima. ibid. 2.a eſt ſymbolum ſapientiæ ethicæ, œconomicæ, politicæ. 189.1.a 211.2.b 212.1.c ejus arma, natura, paſtio deſcribuntur. 211.1.b ſunt agricolis magnus quæſtus. 2.d earum in cellis conſtruendis induſtria. ibid. c.d earum reſpub. conſilia, mores, duces, pugna. 212.2.b.c eſt ſymbolum Chriſti & B. Virginis. 213.1.b item Religioſorum & Prædicatorum. ibid.c

Ἀπὸ ſæpè pro *apud* vel *coram* capitur. 659.2.a 862.1.2.b 661. 1.a

Apollo Delphicus fuit mendax. 596.1.c & faſſus eſt ſe ſubinde mentiri. 596.1.c

Apollo abbas perpetua in lætitia vivebat. 498.1.d

Apollodorus architectus ob libertatem ab Adriano Cæſare enecatus eſt. 248.1.c

Apollonius Tyaneus non niſi aquam bibebat. 484.2.a

Apologi morales S. Cyrilli elegantes ſunt & ad mores formandos accommodi. 19.1.d apologis utitur ſæpè S. Scriptura. 1.d per eos olim ethica tradebatur, iiſque uſi ſunt priſci Philoſophi. 2.b elogium apologorum. ibid. c.d iis uſi Patres tam Græci quàm Latini. ibid. d 20 1.b.c & alii. 1.d. 2.a.b.c. non ſunt mendacia, ſed veracitas. 20.2 a movent efficacius quàm præcepta. 2.c parcè iis utendum. 20.2.a

Apologus ſtruthionis, de hypocritis. 56.1.c frumenti & lilii de patientia. 64.1.a ſpinæ & ficus, de ſinceritate. 68.2.c viperæ, de filiis ingratis. 79 1.a Solis & Mercurii, de modeſtia. 82 1.a murium & felis, de periculo. 86.2.c arundinis & olivæ, de cedendo potentioribus. 106.2.d leonis & aſini, de pauca loquendo, multa agendo. 108 2.b aſini & leonis de extollentia. 122.1.d rhinocerotis, de ſuperbientibus ob robur. ibid. d erinacei & viperæ de amicitia. 125.2.c alaudæ & heri, de amicitia ficta. 128. 2.b canis & lupi, de fideli amico. 130.1.b ſimiæ & vulpis, de arrogantia. 142. 1.d pavonis regnum ambientis, de eligendis melioribus. 143.1.c aſini, leonis, vulpis, de ſocietate cum potentiori non ineunda. 167. 1.b equi & muli, de audacibus. 174. 2.c vulpis & ſimiæ, de ſocietate aſſumenda. 175. 2.a & alius de imprudentia principum. 189. 1.a corvi & vulpis, de avaritia. 194.2.b aeris & terræ, de humilitate. 201. 1.d arundinis & cannæ, de gloriatione. 205. 2.b culicis & leonis, de parvorum vi. 210.2.b leonis & vulpis, de non contemnendis parvis. ibid. b hirci & ericii, de inani gloriatione. 214. 1.c ovis catulum lupi lactantis, de malum ſibi parantibus. 230. 1.c caſſitæ & aucupis, de doloſis. 231. 2.d gruis & lupi, de improbis benefaciendo. 236. 1.d vulpis & aſpidis, de inimico cavendo. 238. 1.c cacabi & ollæ de impari ſocietate. 244. 1.a cameli, de manſuetis. 246. 2.a philomelæ, & formicæ & apis, de ſuperbis. ibid. philomelæ, formicæ & accipitris, de principe aulicos ſubvertente. 248. 2.d lupi & agni, de potente pauperem opprimente. 251. 1.c onagri & ſimiæ, de invidia. 261. 1.c mortis & vitæ. 264. 2.a pavonis & philomelæ, de ſorte data bene utenda. 309. 2.d vulpis & corvi, de leviter credendo. 334. 1.c columbæ & corvi, de ſecreto. 335. 2.a oculi & auris, de exteriore compoſitione. 341. 1.b hirundinis & cycni, de ſilentio. 342. 2.d galli & vulpis, de jactantia ſolertiæ. 359. 1.d bovis & lupi de pigritia. 363. 2.d cervi & hinnuli, de timore. 370. 1.a noctuæ & lucis, de peccatis nocturnis. 384.2.a palmæ, ficus, olivæ & lauri, de juſti viri perfectione. 400. 2.c de pudore in hominem ingredi non audente, amore præſente. 439. 2.d galaxiæ, asbeſti, ſynochitis & carbunculi, de conſtantia 455.2.a philomelæ & aucupis, de revelatione ſecretorum amici. 457. 2.a cancri & ſerpentis, de doloſis ſubverſis. 458. 2.d & alii de eadem materia. 459. 2.b.c leonis, aſini, & vulpis, de impari ſocietate 460. 1.d lupi & vulpis, de calumnia cadente in calumniatorem. 2 b pantheræ & paſtorum, de afflictis juvandis. 461. 1.a equi & apri, de injuriarum vindictæ appetentia. 463. 1.a aquilæ, & felis, apri, de bilingui ſibi malum creante. 468. 1.c columbæ & luti, de detractore. ibid. d corvi & ranæ, de lingua frænanda. 474. 1.d terræ & aeris, de liberaliter dando. 479. 2.a adoleſcentis & gryphorum, de veris opibus. 494 2.c vulpis, ſimiæ, elephanti, hyænæ, galli, caſtoris, de opum damno. 504. 2.d vulpis & porci, de gula. 512. 2.a muſcarum, de eadem re. 513. 1.a ſtruthionis & gallinæ, de præſumptuoſo. 529. 2.d aſini & equi, de ſorte data amanda. 550. 1.d aſini dominos mutantis, de priori ſorte diligenda præ ſecunda. ibid. aquilæ & phœnicis, de liberali. 572. 1.d ſcarabæi & aquilæ, de juſta vindicta. 573. 1.c corvi & vulpis, de infido conſilio. 592. 1.d ſenis optantis mortem, de vita cupiditate. 653. 1.a cæli & terræ, de magnatibus beneficis. 677. 2.d Solis & noctis, de liberalitate. 680. 1.d lunæ & ſimiæ, de amore æternorum. 683. 1.d nubium & terræ, de tumultu ſuperbiæ, & pace humilitatis. 689. 1.b

Ἀπόνοια idem quod amentia, item aſtus, ſuperbia, deſperatio. 368.1.c

Ἀπορία & penuriam & anxietatem ſignificat. 447.2.d

Apoſtaſia à Deo eſt origo omnis ſuperbiæ. 198. 2.b eadem reperitur in omni peccato. 2.c. 199.1.a eſt prima ſuperbiæ ſpecies. 198. 2.d 199.1.a ex ea ſequuntur omnia peccata. 199.1.c

Apoſto-

Digitized by Google

Apostoli omnia officia hominis Christiani paucis scriptis sunt complexi. 26.1.a eorum pro animarum salute labores. 149.2.c orbem terrarum per partes Christo subegerunt. 222.1.b eos alens, mercedem Apostolorum accipiet. 234.1.d in Pentecoste acceperunt flumina sapientiæ. 413.1.c columnis comparantur. 443.1.c erant hospites terræ, cives cæli 486.1.a sapientiam Christi Gentibus prædicarunt, idque verbo & scripto: 626.1.c à Deo confortati, mira præstitere. 648.2.a eorum evangelizantium vox fuit ceu tonitru. 689.2.b.c fuerunt viri misericordiæ dupliciter. 710.2.c sunt designati per Eliam. 750.1.d fuere velut sagittæ igneæ. 2.b

Apostolici viri columnis comparantur. 443.1.c sunt hospites terræ, cives cæli. 486.1.a Deo adjuvante mira tentant. 648.2.a Deo gratiores sunt, etsi in aliquos defectus labantur, quàm solitarii & moniales. 669.1.b

Appetitus subesse debent rationi. 155.2.c hi per eam & sapientiam sunt domandi. 136.2.d

Appetitus terrenorum est pix animæ. 243.2.a index est carentiæ. 375. 1.d

Appetitus viri & mulieris diversi sunt. 431.1.a

Ἀπροσηγορία est salutationis omissio. 660.2.d

Aqua dicitur quasi æqua. 689.2.a ejus & sapientiæ analogiæ. 414.2.d quot modis ad homines transfundatur. 416.2.d est homini necessaria. 632.1.a ejus potus est maximè salutaris & sanus. 484.1.d.2.c ejus elogium. ibid.c.d cui rei aquæ potus serviat ibid.d 484.2.b.c triplicem ad usum bibitur. ibid.2.b.c

Aquæ species sunt quinque. ibid. an nutriat. ibid.

Aquam calidam in conviviis bibebant veteres. ibid. aliæ ejus utilitates. ibid.d ejus tamen potus cruditates parit & tristitiam. 513. 2.d ea vinum debet dilui. 519. 2.d quando ipsa sit bibenda, quando vinum. ibid.d ipsa per glaciem indurescit. 692. 2.a

Aqua nebulosa operuit terram initio mundi, ex qua deinde reliqua creata producta sunt. 391. 1.b

Aquæductus Hierosolymæ exstruxit Ezechias rex. 759.1.c

Aquæ omnes è mari oriuntur. 641 2.a non omnes tamen in mare & aquas redeunt. ibid. d. eas quomodo initio mundi Deus separarit. 629.1 a

Aquæ super firmamentum qualiter & quare sint. ibid. 681. 1.d

Aquæ maris Rubri transeuntibus Hebræis utrimque velut pendentes fuere & divisæ. 629.1.b 631.1.a aqua bona est mater. 78.2.d est symbolum gloriæ æternæ. 284.2.a

Aquila pullos mirè educat. 287.2.a pullos plumescentes quomodo doceat volare. 570.2.a

Aquilo quod habeat etymon. 689.2.a ejus intensum frigus. 691.2.b est ventus acerrimus. 690. 1.a

Arabes sua pleraque à Syris acceperunt, non contrà. 53.2.a preteritum pro futuro usurpant. 139.2.d

Arabica versio Ecclesiastici parvæ est authoritatis & parum sincera. 19.1.a

Arabica lingua Hebrææ affinis est. 135.2.a

Arabica proverbia à quo collecta, & quando. 33.1.a

Aranea tactum habet acutissimum. 361.2.d

Arare mendacium idem quod cudere. 147.2.d

Araxes fluvius non est idem qui dioryx. 415. 1.a 416. 1.a ejus rapacitas. ibid.1.b

Arbor foliata parum est fructifera. 268. 2.d arbores gaudent sui similibus. 250.2.a

Arbor vitæ symbolum erat sapientiæ. 275.2.d

Arboris cultura ostendit fructum, & qualis ipsa sit. 449.1.a.b arbor scientiæ boni & mali vocatur lignum offensionis. 505.1.b

Arbores etiam in mari crescunt. 694.2.a

Arbores sacræ sunt cedrus, cupressus, palma & olea. 397.2.d

Arbores resinosæ sponte sudant resinam. 406.1.c

Arbores aquis irrigatæ crescunt, frondent, florent, fructificant. 484. 2.d

Ἀρχὴ tam initium quàm principatum, præcipuum, caput & primas significat. 162. 1.c 198. 2.d 199.1.b 211. 2.a 395. 2.d

Archelaus rex quid respondit nimia petenti. 233.2.c

Archimedes sua mathesi solus Syracusas contra Romanos diu propugnavit. 620.1.b

Architectorum quod sit studium & opus. 615.2.a

Architriclinus erat idem qui symposiarcha. 522.1.b

Ardali vetus ara apud Trœzenios, super qua Musis & Somno deo res divina fiebat. 554.1.c

Ardor Solis quàm sit intensus. 680.2.b.c

in Arenæ multitudine, parvitate, potentia, Dei elucet sapientia. 36.1.c arenarum quis sit numerus. 36.2.d sunt innumerabiles. ibid.d

libra una Argenti valet 50. æris. 745.2.a

Arioli semper mentiuntur, nec iis creditur etsi vera dicant. 555.1.a quomodo & quare verum dicant. ibid.a

Aristoteles ethicam philosophiam à Socrate acceptam expolivit. 4 ejus elogium: de ejus doctrina censura: de Dei providentia quid sentiat. ibid. multa ab Hebræis didicit. 5 ejus errores in doctrina. 9 erat Balbus. 243.1.b datus Alexandro Magno præceptor. 488.1.b

Armus dexter cum pectusculo sacerdotibus Aaronicis cedebat. 161.1.c 2.c armus cur Sauli à Samuele in convivio reservatus. 144. 1.a 526. 1.c

Aromata sacra erant galbanus, myrrha, stacte, thus. 397.2.d

Arriani asserebant Filium Dei non esse Deum, sed creaturam. 37.2.c

Arrii scintilla neglecta totum orbem incendit. 230.1.c

Arrogantia sugillatur. 142. 2.d

Ars virtuti cognata est. 619.2.d

Ars fabrilis directa à mathesi stupenda efficit. ibid.2.d

Artes mechanicæ sunt pars & umbra sapientiæ. 614.2.d reguntur ab ea. 614.1.c sunt dona Dei. 34.2.d 619.2.d

S. Arsenius fuit pædagogus Arcadii & Honorii Imp. 565.1.a

Artaxerxes Longimanus de sua longa manu quid dixerit. 109. 2.b 476.2.a

Artes sunt duplices, unde utræque enatæ. 2

Asa rex Juda pius in quo tamen contra pietatem peccarit. 746.1.d

Ascensus Christi in cælum fuit per raptum Eliæ designatus. 755.2.d vocabantur olim monachi Ascetæ. 574.2.a multi habuere donum prophetiæ. 596. 1. a.b.c abstinebant medicis. 607.2.a *vide* Anachoretæ.

Asini etymon: 550.2.a asinus symbolum est libidinis & adulterii: 424.1.a item servorum & discipulorum. 549.2.b c asini descriptio & ænigma. 549. 2 c.d patientia ejus. 550. 1.b in quo homine sit beatior. ibid.c est emblema pauperis. 252.2.c

Asinius Pollio cur Augusto cavillanti cavillos non retulerit. 168.1.a

Asoti in mensa qui sint. 514. 2.d

Aspalathus arbustum describitur: ejus virtutes. 403. 2.d 404. 1.a.b an sit sandalium rubrum, an lignum Rhodium. ibid. 1.c

Aspasia fuit Cyro regi instar oraculi domestici. 442. 1.a

Aspectus meretricis cavendus. 661.1.d item cujuslibet conjugatæ, & virginis. 179.2.b. 661.1.d

Aspera post hanc vitam in dulcia mutabuntur. 226. 1.d

Aspis anhelitu suo obvios, impotentes reddit. 230.2.a etiam beneficiis mitescit. 239.1.d

Ἀσπὶς est clypeus rotundus. 561.1.b

Astra non sunt animata. 83.1.b

Astrologorum horoscopus refellitur. 672.1.d. 2.a

Astutiæ Dei quæ dicantur. 40.2.d eas nemo plenè cognoscere potest. ibid.

Astutias hominum penetrat, & pervestigat solus Deus. 671.2.a

Astutus malus aliis prodest, sibi obest. 597.2.d

S. Athanasii intrepidus animus & constantia. 369. 1.c nulli cessit, sed omnes adversarios superavit. 554.2.c.d dictus est Veritatis tuba. 707.1.d ab Atheis non est petendum consilium. 593.1.a

Athenis quomodo probarentur qui eò studiorum causa ventitabant. 100. 2.d

Ἀτιμαγελεῖν de tauris propriè dicitur. 123.1.b

Attendere, est cum affectu aspicere. 110.2.a cur nemo possit attendere multis rebus simul. 216.2.d 217.1.a

Atticus advena proverbium in quos quadret, & unde enatum. 232.1.b

Attributa in Deo sunt unum & idem cum ejus essentia. 34.1.b

Avaritia quomodo nihil sit scelestius. 143.2.b. & seqq. ea quando sit peccatum mortale ibid. est injuria Deo. 143.2.c item reip. ibid.b ipsimet avaro ibid. omnibus hominibus quos defraudat & expilat. ibid.a

Auro & frugibus. 144.1.b omnibus elementis & creaturis ibid. item omnibus legibus. ibid.a est radix omnium malorum. ibid. & seqq. 194.2.b ejus munia. 196.1.a est iniqua ob sex rationes. 262.1.a

duriora suis sectatoribus imperat, quàm jubeat Deus. 261. 1.b est inopia mentis. 446.1.a hominem in ruinam & exitium agit. 443.1.b ejus comes invidia est. 510.1.b.c

Avarus dicitur quasi auri avidus. 504.2.a reipsa pauper est. 446.1.a dolet videns edulia sua à convivis consumi & concindi. 509.1.d 509 2.c.d ejus oculi nequam sunt. 510.1.a ab omnibus sugillatur. 516.2.a 517.1.a non mutuat nisi cum usura. 478. 2.a possidetur ab opibus suis. 789.1.c animam suam vendit diabolo. 194. 1.a nihil eo scelestius est. 193. 1.d & seqq. quibus sit injurius 194. 1.a 195. 1.a quomodo projiciat intima sua, & quæ. 195. 2.a ejus in Christum injuria. 2.c omnibus est exosus. 196. 1.c tres ejus heredes post mortem. 198. 1.d ab eo si quid acceperis, sit maleficium. 247. 2.a non libenter dat mutuo. 2.d ardet avaritia quasi igne. 350.1.a ejus varia phrenesis. 221. 2.c 222. 1.a & seqq. 2.d per sphingem denotatur. 222. 1.d item per gryphes. 259. 1.a item per accipitrem. 260. 1.d

Avari plerumque sunt invidi, 258. 1.b 2.b 259. 2.c eorum

miseria

miseria 258.1.d 2.c vocantur asini & muli. 2.b decem eorum stultitiæ. ibid. a similes sunt monedulæ. 258.2.d servi sunt opum suarum, non possessores. ibid. b sibi sunt iniurii. ibid. c 2. a eorum vanitas & poena. 1.d sunt velut extra se. 2 nullum bonum ex opibus habent. ibid. c sui sunt interfectores. 259.2.c sunt similes Timoni & Midæ ibid. c quando alicui benefaciunt, id faciunt ignoranter vel nolenter. 260.1.b eorum signa physiognomica 261.2.b sunt insatiabiles, proinde velut hydropici. 2.a b animam suam & corpus consumunt curis, desideriis & anxiis cogitationibus. ibid. c 262. 1. b in mensa sua tristantur. 262.1.c eorum sordes. ibid. c d relinquunt in morte opes suas ingratis & prodigis heredibus. 263. 1.a 366.1.a

Aucupes quomodo perdices & capreas capiant. 269.1.c

Audaces describuntur. 174.1.d & seqq. 175.1.a 364.2.b in mille pericula se coniiciunt. 533.2.a 535.1.a eorum consortia vitanda, & cur. 174.1. c facilè ruunt in cædem. 175.1.b

Audacia contraria timori est. 53.1. b 364.2.a nascitur ex cupiditate & aviditate. 364.1.a & ebrietate. 520.2.d unde dicatur. ibidem propriè iuvenum est. 621.1.a

Audire non satis est, sed oportet agere. 4.

Audita non enarranda passim aliis. 334.2. d & seqq.

Auditoribus discendi & audiendi avidis, proferenda sunt sensata, non aliàs. 527.2.b

Auditus sensus disciplina est. 140.1.a

Aversio vultus est contemptus signum. 661. 2. a

Auguria plerumque mendacia sunt. 555.2.a

S. Augustinus ethicam totam parva summa tradidit. 26.2.c eius dictum de poenitentia in morte. 113.1.c se libenter corrigi docerique patiebatur. 205.1.d aliorum detractores mensa sua arcebat. 285.1.c ad nulla convivia accedebat. 485.1.a quomodo eum in morte poenituerit. 606.2. c putabat cælum, & astra esse naturæ igneæ. 680.2.d eius errores in iuventute. 784.2.d

Augustus Cæsar fuit in prolibus infelix. 76.2. d tonitruo mirè percellebatur. 688.2.d quanta Aviditas sapientiæ in nobis esse debeat. 88.2. b unde Aviditas spiritualis ortum habeat. 411. 1. b aviditas nimia in omni penè re causat mortem. 601.2.d

Avis paradisiaca symbolum est animi cælestis. 674.2. c aves cum sui similibus volant. 444. 2. c sunt imago virtutum ibid. c sunt symbolum vagorum. 586.2.a b pullos suos mirè diligunt. 490.1.a cauendo excitant homines ad laudem Dei. 595.2. b c sunt inter animalia, minima. 694.2.b

in Aulis regnat simulatio & fictio. 458.1.d in iis discitur conversatio cum quolibet hominum genere. 622.2.c in iis quomodo sit versandum. 171.2.b earum damna. ibid. c eæ abundant hypocritis. 340.2. d

Aulicorum miseria & misera mors. 184.1.b

Aures occludendæ detractoribus. 471.2.d 472.1.a comparantur vineæ. ibid. eæ occludendæ ne quid os temere effutiat. 473.1.d

Auribus percipitur disciplina. 301.1.c earum usus. 302.2.b aures equi animum eius indicant. 109.1.c

Aurora roseos fingitur habere digitos. 401.1.b hinc dicitur rosea & punicea 678.1.d sapientiæ amica est. 97.1.d

Auro pervertitur æquitas & iustitia. 168.1. c 2.d ipsum cur palleat. 258.2.d multos habet casus & præcipitia. 504.2.a 505.1.c è terra eruitur. 544.2.b eius libra una valet decem argenti. 745. 2. a in auro sperare, & non sperare, quid sit. 505.2.d 606.2. b quid sit post aurum abire. 505.2. c d 506.1. d 2. c *vide* Opes.

Auster dictus quòd aquas hauriat. 689.2.a

Auxilium necessarium ad bene operandum Deus homini promisit. 282. 2. a

B

BAbylæ Patriarchæ Antioch. martyrium. 108.1.a

Babylonii principes in Danielem iniurii, poenas dederunt. 460.1.d

Bacchanalia sunt dies stultorum. 286. 2. à 325. 1. b sunt probrum christianismi. 332.1.c

Bacchus colebatur per feminas potiùs quàm viros. 438. 1. d hedera coronabatur. 525. 2. d ei canebatur hymnus in mensa. 527.1.c

Balaamum diabolum consulere volentem prævenit angelus Dei. 736.1.d

Balena mirè amat suos foetus. 490.1.a balena unde dicatur. 694. 1. b earum mira vastitas. 2.b vide Cetus.

Balsamum solum iuxta Engaddi urbem colligebatur. 399. 2. c inter aromata excellit: stillat opobalsamum: ubinam nascatur. 404. 2. b c è Iudæa in Ægyptum migravit 2. d quomodo colligatur. ibid. 405.1. a eius odor masculus est ibid. eius pastu viperæ venenum amittunt. 1. d quomodo id adulteretur. 406.1. c sinceri balsami virtutes. ibid.

Baptismus veteris testamenti, erat ablutio ab immunditia legali. 566. 1.a

Baptismus ab hæreticis collatus validus est. 280.1.a 555.1.d 565.2.a est velut uterus Ecclesiæ. 48.1.a 189.1.a

Baptizari à mortuo quid sit. 566.1.a

S. Barlaam per apologos Josaphatum regem docuit. 20 1.d

Βασιλεὺς dicitur quasi βάσις λαοῦ. 189.1.a

Basilisci descriptio: est invidi symbolum. 260.2.b item æternitatis. 317.2.d item feminarum. 667.2.a

S. Basilius omnia ethica præcepta in breve redegit compendium. 20. 1.b eius elogium. 35.2.d 714.1.c

Demostheni coco de Theologia disputare volenti quid responderit. 82.2.d magnam ægrorum curam gessit. 69.1.c Valenti Imperatori mortem minitanti quid responderit. 455.1.d

S. Scripturæ impensè studuit. 613.2.c dictus Aurea dogmatum philomela. 707.1.c eius in sacris obeundis maiestas. 775.1.a Athenis nullam norat plateam nisi ad templum & ad scholas. 785.1.d

Βάσκανος, id est invidus, unde dicatur. 260.2.a

Bassiani Imp. fictæ lacrymæ. 241.2.a

Battologia est futilis verborum profusio & repetitio. 148.2.c

Beani quomodo in academiis probentur. 100.2.d

Beant nos innocentia, beneficentia, iustitia. 256.1.a

Beatitudo consistit in visione Dei. 136.1.d sita est in sapientia. 779.2. a eam optant omnes. 2. b

Beatitudinis æternæ dulcedo quanta sit. 410. 1.a 2.a eam semper sperat iustus & sapiens. 791.2.a

Beatitudines novem huius vitæ. 423.1.a 424.1.a

Beatus dicitur quasi bene auctus. 505.2.a

Beati in cælo vivent in æternum. 599.2.d norunt omnia quæ Deus eminenter continet. 671.1.c satiantur gloria Dei. 674.2.b semper Deum dilaudant, sed adæquatè facere nequeunt. 699.2.d 700.2.c non obliviscuntur omnium tribulationum huius vitæ. 228.1.a eorum stola quàm futura sit gloriosa. 278.1.a

Quis verè Beatus. 269.2.c nemo ante mortem beatus est. 228.1.d

Ven. Beda cantans *Gloria Patri & Filio*, &c. in Vesperis spiritum reddidit. 700.1.d

Bellator longævus, inopiam patiens, res miseranda est. 444.1.a

Belluæ marinæ etiam foetus suos diligunt. 490.1.a

Bellum dictum à Belo rege Assur. 632.1.b

Belus armorum ferreorum est auctor. ibid.

Benedicere sumitur interdum pro benefacere. 611.1.a quomodo benedicuntur electi à Deo. 542.1.d 543.1.a 544.1. a b

Benedictio pontificis Aaronici qualis esset. 582.2. d 583.1. b d quid ea populo opprecaretur. 2.d 776.2.c & quo ritu. 777.1. b c

Benedictio sacerdotum & Patriarcharum magnæ erat virtutis. ibid. a

Benedictio qualis veniat super sapientes & pios. 599. 2. c d quàm abundans sit benedictio Dei in terram, fideles & Beatos. 630.1.b c

Benedictio filiorum patres honorantium est stabilis, & quomodo in novissimo ipsorum maneat. 76. 1. d hæc firmat domus illorum. ibid. 2. a

Benedictio sequitur timentes Deum. 98.1.b

Benedictio Dei est efficax & realis. 78.1.d causat progressum virtutum. 224.2.d quomodo ipsa festinare dicatur. 225.1.a

S. Benedictus vidit totum mundum in radio solari collectum. 292.2.c à carne tentatus in spinis se volutavit. 401.1.d vidit in raptu totum mundum quasi parvum globum in radiis Solis collectum. 596. 1.d fuit Deo & hominibus dilectus. 717.1.d

Omnia nostra Benè facienda sunt. 548.1. 22.a 749.1.a b

Benefaciendum proximo propter Deum. 233.1.a quibus & quomodo sit benefaciendum. 233.1.a & seqq. 2.d maximè iustis. 234.1.d non malis. 236.1.d

Benefaciendum simul & bene loquendum. 320.1.d

Beneficentia sit celer ut placeat. 92.2.c facit quasi deos. 95.1.c sit hilaris. 319.2.a cur. 2. d est propria principum virtus. 387.2. a 193.1.c

Facit fortes, & est fortitudo. 476.2.b decet principes & potentes. ib. c certũ est indiciũ sanctitatis. 708.2.c Dei beneficẽtia in terrã. 630.1.a

Beneficentia mulieris, quæ occasio est opprobrii, noxia est viro, non aliàs. 668.1.d.a

Benefici ab omnibus laudantur. 516. 2. a sunt fortes & potentes. 476.2.b

Benefica mulier est duplex illecebra concupiscentiæ & peccati. 668. 1.d & seqq.

Beneficii gratia & decus in quo consistat. 233.1.c personæ congruum sit oportet. ibid. in eo quatuor sunt observanda. ibid. d non est dandum inde peccandi occasionem sumentibus. 235.2.a in eo iustus semper præferendus iniusto. 235.2.d

Et dignior indigniori. ibid. quando utile, quando inutile sit. 346.2 b

Beneficia citò oblivioni traduntur. 191.2.a

Sunt quasi margaritæ. 319.1.a danda sunt vultu hilari. 2. a c

non

non verbis asperis. 2.d 320.1.d quomodo ea corrumpantur. ibi.2.d beneficiis divinis ingratus duplici pœna castigabitur. 346.2.b
Beneficium ætate fit debitum. 546.2.c
Beneficium datum non est exprobrandum. 662.1.b
electio ad gloriam, vel reprobatio, Beneplaciti divini est. 541. 1.c 2.c huic omnes se accommodare debent. 660.2.c id nemo mutare potest. ibid.c
Beneficus beneficium ostendat, non seipsum. 306.2.a
Benevolentia fit erga omnes, amicitia erga paucos. 124.2.c
Ben Sira alius est à Siracide. 17.2.a b 434.2.b quando vixerit. ibid. & 793. ejus filius & nepos fuere sapientes. 17. 2. a 793. habet nonnulla erronea. ibid. c is qui modò circumfertur scatet fabellis judaicis. ibid. aliquot gnomæ recensentur veri Ben Sira. 24.2.c & seqq. problemata ei adscripta sunt apocrypha, excepto alphabeto Proverbiorum: ejus stirps & doctrina. 793
S. Bernardus quibus in libris ethicam tradat. 527. 1.a cella ei vita cælum est. 485.1.b ejus abstinentia & frugalitas. 633.1.a omnes penè notos ad Religionem coegit. 741.1.a & seqq.
S. Bernardi de Quinta valle de condonatis injuriis in morte lætitia, 44.2.a 465.1.a cur dictus sit hirundo. 587.1.a ejus morientis vox; 611.2.d
Beseleel artifex fuit à Deo donatus arte. 722.1.a.2.d
Bessarion abbas solem sitit. 730.1.a
Bestiæ invidæ quænam sint. 260.2.d bestiis similis est impius. 368.2.b bestiæ fœtus suos mirè diligunt. 489 2.d etiam musica capiuntur. 527.2.a subinde Sanctos sepelierunt. 609.1.b per bestias optimè punitur impiorum violentia & tyrannis. 635.2.d earum genera diversa in mari reperire est. 694.1.d
Bethel, id est domus Dei, ob cultum idolorum postea dicta est Bethaven, id est domus peccati. 68.1.a
Biantis Prienæi ethica. 23.2.a
de Bibacitate nemo se jactet. 517.1.d
Bibacitas mulierum. 438.1.c.d
Initio refectionis non est Bibendum. 511.2.d
Bibendi leges præscribebat olim in conviviis symposiarcha. 522.2.b
Bilingues non sunt constantes in dictis. 116.1.d sunt velut serpentes bisulci. 117.2.c & ut fures. 118.1.b
Bilinguis quis sit: est maledictus. 468.1.b.c
Bilis atra & flava multos enecat. 52.2.c
Bilis peccatori excitanda non est. 171.1.b est amara & acris & mordax. 520.1.a
Bile carentia sunt longæva. 500.2.d
Βίος tam vitam quàm victum significat. 90.1.d 552.2.d
Bithyni judicibus tribunal in Solis conspectu statuebant, cur. 144.2.c
S. Blancha filium suum Ludovicum sanctum effecit. 488.1.d
Blasphemia est convitium in Deum vel Sanctos. 78.2.d apertam Dei habet inhonorationem. 378.2.b mortem adfert animæ, & corpori. ibid.c ea erat exosa Judæis. ibid.c & 456.1.b
Blasphemans in Deum, ab eo punietur. 460.1.a
Boetius per Mathesin mira operatus est, ejus elogium & martyrium 620.1.c.d & seqq. carceri inclusus spe meliorum se solabatur. 227.1.c apud Theodoricum Regem Gothorum fuit falsò accusatus. 981.2.a sub eodem obiit martyrium. 197.1.c
Boleslaus Bohemiæ Rex unde ad tantam impietatem devenerit. 488.2.a
S. Bonaventuræ memoralia ethica. 27.1.d & seqq. mira fuit innocentia. 756.2.d ejus elogium. 714.2.d fuit doctor Seraphicus. 741.1.a unde sit dictus Bonaventura. 752.2.c
S. Bonifacius construendo monasterio fuit occasio urbis exstruendæ. 289.1.b
Bonis semper mala permista sunt. 126.1.a bona temporalia promissa sunt Judæis, spiritualia Christianis. 29.1.c
Bonitas & potentia quomodo in Deo combinata sit. 628.2.c
Bonosus quàm perfectus fuerit Religiosus. 712.1.c
Bonum triplex est. 385.2.b est sui diffusivum. 274.1.c
Bonum illud suspectum quod non Dei beneplacitum, sed sola hominis voluntas dictaverit. 326 2.c
Bonum Dei minimum pluris æstimandum est quàm omne bonum creaturarum. 99.1.c
Bonum omnem permixtam habet amaritudinem. 401.1.c ex integra causa constat. 555.1.a id Spiritui sancto appropriatur. 677. 1.a summum bonum non est in divitiis situm. 506.2.a sed in virtute. 705.2.d bonum Dei, est bonum cujusque & totius universi. 697.2.a bonum sæpè idem est quod lætum & jucundum. 255.1.a 435.2.c bona si eis abutamur, nobis vertuntur in mala. 520.2.d bona peccantibus convertuntur in malum. 631.1.d.2.a 633.2.c bona sensibilia mentem humanam magis movent quàm spiritualia. 787.1.c.d inter bona sunt quidam gradus. 792.1.a *vide* Opes.
Bos symbolum pigri. 363.1.d item laboris. ibid.d cur bovis figura didrachmis insculperetur. ibid.a bobus olim arabant. 147.1. c bovas conjunctim lupum impetunt. 420.1.d
Brachium est laboris symbolum. 161.1.c
Brachmanes ob aquæ potum longævi sunt. 484.2.a
Brasilii vinum habent è palma aliave arbore expressum. 519.1.b
Breviloquium viros sapientes decet. 24.2.c
Brevitas vitæ in inferno non castigatur. 654.1.a
S. Brigida multa per revelationem à B. Virgine accepit. 409.1.c ei primæ, dum canonizaretur, concessum ut in ejus honorem Officium recitaretur. 804.1.d
Brugensis civitas ex uno puteo tota aquas habet. 758.1.c
S. Bruno qua voce ordinem Carthusiensem instituerit. 57.1.a
Bruta carent libertate. 282.2.b
Buglossa herba unde dicatur. 402.1.a
Buphthalmus planta describitur, unde dicatur. ibid.1.b
Bursæ veterum sigillo obsignabantur. 305.1.b
Busiris tyrannus quod fecit aliis, luit. 459.2.c

C

CAchinus signum animi dissoluti est. 360.1.c
Cadaver hominis serpentes, bestias & vermes generat. 198. 1.c sudario est involvendum. 609.1.a. b cadavera à mari ejiciuntur ad littus. 687.2.a
Cades desertum idem quod Sin: palmis abundabat. 400
Caduceus Mercurii symbolum erat pacis. 116.2.b
S. Cæcilia in quo apes sit imitata. 211.1.d
Cædes flammæ assimilatur. 372.1.d.2.a
cœlestis gloriæ lætitia.66.1.a 310.1.b.c cœlestia constantia sunt.223.2.a
Cælibatus sacerdotum à Siracide non reprobatur. 587.1.d *vide* Castitas, Virginitas.
Cælibes despondent sibi sapientiam. ibid.1.a.b *vide* Virgo.
cœlum est receptaculum timentium Dominum. 50.1.d cæli an sint fluidi, an solidi. 84.2.a eorum ornatus & motus perpetuus. 297.1.c non sunt animati. ibid.d dicitur quasi stellis cælatum. 615.2.d 676. 1.2.d ejus pulchritudo repræsentat Dei pulchritudinem, & gloriam. 677.1.a est domus Dei. ibid. non est igneæ naturæ, sed cælestis. 681.2.d ejus influxus non facit bonam fortunam, sed subinde ad illam disponit per accidens. 540.1.a an Henoch in id sit translatus. 711.1.d cælum emitur eleemosyna. 481.1.a cælum empyreum est domus & habitatio Dei. 391.2.a id per stellatum repræsentatur. 677.2.a id spectanti sordet terra. ibid. cælorum consensus & concentus. 297.2.a 420.2.b.c non tamen edunt harmoniam. 729.1.b steterunt ii cum sole sub Josue. ibid.
Cærimonialia præcepta sunt externa, non in se, sed in rebus novi testamenti quas adumbrabant. 303.2.a
Fr. Cæsarius Spirensis zelator fervoris Religionis quid à S. Francisco audierit: ejus mors. 325.1.d
Calcei Palæstinorum supernè patebant. 735.1.d
Caleb fortiter rebellionem totius populi superavit. 731.2.a.c 732. 1.b ejus robur in senio. ibid.c.2.a.b sepultus est in Hebron. quid nominis ejus etymon significet. ibid.2.b
Caligo divina velut nubes est, in qua quasi in throno residet Deus. 392.1.c caligo quod habeat etymon. 689.2.a cur Deus in ea dicatur habitare. 36.1.d
C. Caligulæ Imp. insolentia. 254.1.c sæva vox. 291.1.a ejus vestes gemmatæ erant. 278.1.a
Calix sortis adversæ vel prosperæ per metaphoram, unde in Scriptura ortum habuerit. 522.2.b
Calliditas justa & injusta quæ sit. 340.1.a calliditas duplex est. 358 1.c
καλλος dicitur, eo quod ad se καλεῖ, id est vocet omnia. 708.1.a
Calvinus putat filios fidelium immunes esse à peccato originali. 47. 2.b qualem asserat infernum. 150.2.d censet animas justorum dormire usque ad diem judicii. 227.2.b Deum facit auctorem peccati & erroris. 281.2.a
Calvities honorabilis est. 422.1.c.d
Calumnia non est iteranda. 334.2.d est stuprum innocentiæ. 344. 2.d calumnia mendax in primis timenda est. 436.1.2.c eam patientes fortiter, mirificè à Deo illuminantur & consolantur. 436. 1.d recidit subinde in calumniantem. 460.1.a
Calumniator morte & inferno pejor est. 470.1.d.2.a.c *vide* Detractor, Lingua.
Camelus est stolidum animal, unde dicatur. 246.1.c est tamen mansuetum. ibid.d
Candor morum placet Deo. 57.1.c
Candor in nive unde oriatur. 690.1.c est verus color & expressus. ibid.
Canis symbolum est iræ & invidiæ. 418.2.c item impudentium. immundum est animal. ibid.
Canon Missæ cur nonnisi Martyrum nomina contineat. 704.2.a
Canones Concilii Niceni, item Apostolorum, cur ita discerpti

quoad numerum à se invicem: 11.2.b
id Canonizatio est Sanctis, quod diebus festivitas. 540.1.c unde ea ortum habuerit. 704.1.b qui in ea ritus serventur. ibid. c d
quod Canticum Solis S. Franciscus appellaret. 652.2.d
Cantores laudantur S. Script. 923.2.a
Cantus feminei vis & illecebra. 179.1.d
Cantus olim conviviis adhibebatur. 526.2.d 527.1.a quis eius ritus & ordo. b a is convivium exhilarat. 528.1.a 2.a digestioni ciborum conducit. 624.1.a
Cantus Ecclesiasticus non sit lascivus, sed gravis. 527.2.a is audiendus cum reverentia. 528.2.d
Caprarum solertia. 466. 2. a capra capitur pro foetore gravi. 511.1.a
Caprea difficillimè capitur. 193.2.c amat perdices. 231.1.a
Capitis præcipua vis est in actione & eloquio. 241.2.a
Caput non est verberandum, sed curvandum. 492.2.a
Capitum Ecclesiastici ordo alius est in Græcis ac Latinis Bibliis. 546.2.a
Carbonibus nobilis assimilatur. 172.1.b
Cardinalibus innititur tota Ecclesia. 294.2.a
Cariath sepher fuit Academia Palestinæ. 790.2.a
Carnalibus hominibus sapientia est aspera. 137.1.c
Caro symbolicè est dives mendax. 421.1.a spiritui debet subiici. 423.1.c a d est velut nequam mulier. 428.1.b item velut servus. 550.1.a 552.2.a
Carne parcè vescendum est, 601.1.a carnem B. Virginis & Christi edimus in sumptione Ven. Eucharistiæ. 412.1.a
Caro lascivit superbiente spiritu. 150.2.c velut fœnum est. 267.2.c ei numquam credendum. 239.1.d ob eius vitia plurimi damnantur. 152.1.a est figulina animæ. 313.1.b est instrumentum diaboli ad nos oppugnandos. ibid. b delicatiùs nutrita fit congeries sordium, & cloaca vermium. 332.2.d 333.1.a
Caro & sanguis quomodo sint nequiora diabolo. 333.1.a quid hæc in Scriptura significent. ibid.
Caro immunda omnes tangentes coinquinabat, sancta nullum sanctificabat. 368.1.b caro cervina febribus carere facit. 52.2.b
S. Carolus Borromæus à quolibet de defectibus moneri expetebat. 356.2.d in cilicio mori voluit. 606.2.d stationes Romanas obiens neminem in via resalutabat. 661.1.c
Carolus Magnus Pontifices Romæ mirè coluit. 161.1.a maxima cura educavit filios & filias. 488.1.d eo Saracenos devincente stetit sol. 730.1.a
Caroli V. modestia. 147.1.d est à Deo maximis periculis ereptus: 191.1.a quid dixerit de regum infelicitate. 196.2.d regno & imperio spontè se abdicavit in quiete victurus. 197.2.c celeriter bellum Germanicum confecit. 197.2.c memor fuit fortis & vicissitudinis humanæ. 515.2.d eo Duce Saxonem debellante stetit. 607.2.c
Carthaginenses in crucem agebant imperatores, si prospero eventu pravo consilio rem gessissent. 534.2.b
Casimirus II. Poloniæ Rex in convivio procerum exspiravit. 197.1.d
Caspii, parentes septuagenarios fame necabant. 77.2.a
Caspium mare per ocultos meatus in oceanum decurrit. 619.1.a
S. Cassianus à discipulis est ad mortem usque compunctus. 424.2.d
Casti præ aliis Sanctis Deum sequuntur. 386.1.b
Castigatio scelerum Deo placet. 144.2.d 144.2.a castigationis effectus. 492.2.d ea convenit servo. 549.2.b & seqq. 550.2.a
Castitatis tuendæ in puella media. 156.1.a castitas custos veræ fidei & religionis est. 381.2.c exempla eorum qui pro ea tuenda occubuerunt. ibid.
Castitatem & castos amant oleæ: ex castitatis symbolum sunt. 403.1.c castitas qua repereat & crescat. ib. d ea parit honorem. 407.2.b quanti facienda sit à coniugibus. 442.1.a in eius voto tam simplici, quàm solemni, potest Pontifex dispensare, ibid. 2. a b adfert candorem & decus. 746.1.b
καταφορὰ impetum & vehementiam denotat. 731.1.b
Catarrhi defluxu plerique emoriuntur. 783.2.d
Catastrophe dicitur tragædiarum funestus exitus. 318.1.d
S. Catharina Senensis in qualibet communione peculiarem gratiam consequebatur. 570.1.d vi sacræ synaxeos sine cibo corporali ullo vivebat. 277.1.a cum occulto fornicatore agens, eius fœtorem sentiebat. 333.1.c
Cato distichorum moralium auctor quis fuerit. 25.1.c 343.2.d eius constantia. 455.1.c is amicorum secreta celabat. 450.2.d militibus præibat. 524.2.b eum trium rerum pœnitebat. 693.2.d
Cato seipsum occidens pusillanimus fuit. 8
Cauda index est animi in leone. 109.2.d
Caupones non sunt à mendacio liberi. 444.2.b
Cauti hominis symbolum sunt grues. 325.2.d
Cedrus alta est, & amat alta. 398.1.c enodis est, recta & solida, ibid. d odorata est, medulla incorrupta, & diutissimè durat. ibid. a eius fructus. ibid. d eius succus fugat serpentes. ibid. b resinam habet laudatissimam quæ variis morbis medetur. ibid. c
Celeritas in bello maximè necessaria est. 515.2.d
Cellæ propriæ commoda. 485.1.a
Celsitudo animi sancti omnia terrena despicientis. 97.2.d
Celsitudo parit tumultum. 689.2.a
Certandum pro veritate & salute animæ. 108.2.d
Certandum est contra vitia incipienti ad meliora converti. 59.2.d
Certor pro certo usurpat interpres Ecclesiastici. 216.2.c
Cervæ pariunt tonante cælo. 294.2. a quomodo pullos ad cursum exerceant. 493.2.b
Cervisia Septemtrionalibus loco vini est. 519.2.b
Cervix iuvenum curvanda est. 492.2.a quia indurata non flectitur, sed frangitur. ibid. b
Cervorum vivacitas. 52. a cornu dextrum ex invidia intra terram abscondunt. 260.2.d
Cervus musica capitur. 645.2.a
Ceti homini parent. 300.2.d ob magnitudinem vocantur belluæ. 694.1.a eorum vastitas, descriptio, variæ species: gaudent luce & sole. ibid. quomodo fœtus terræ adhærentes liberent à periculo. ibid. b eorum oculi. ibid. *vide* Balena.
Chaldæus interpres Bibliorum sæpè paraphrastem agit. 51.1.a
Chaldæi Jerusalem incenderunt & templum. 765.1.a
Chamæleon symbolum est pravi & incostantis. 87.1.d
terra Chanaan fuit posteros Jacobi divisa. 715.2.d
omnes Chananæi non fuerunt damnati. 541.2.d
χάραξ est palus cui vitis alligatur. 369.2.a
Charitas est tessera iustitiæ. 73.1.a cur ei obedientia iungatur. ibid. c 74.1.a in ea præcipuè consistit iustitia. 49.2.a est perfecta amicitia tam hominis cum Deo, quàm hominis cum homine. 132.1.d 237.1.a quod firmetur visitatione infirmorum. 163.2.c d vinculum est virtutum. ibid.
Charitas palma repræsentatur. 400.2.b in triplici hominum genere reperitur. 419.1.a est mater concordiæ. 420.1.a etiam inimicos diligi iubet. 423.2.a est velut uxor proba. 443.1.b est virtus, sine qua nulla est integra virtus. 516.2.d inter ceteras virtutes præcellit. 528.1.d 644.2.d eius vis. 645.1.a eius rotis in cælum subvehimur. 755.1.a
Charitas Christi & B. Virginis erga nos. 412.1.d
Charitate ut homo ametur, qualiter considerandus sit. 236.2.a eius vis inimicis reconciliandis. 239.1.a non quærit quæ sua sunt: eius latitudo. 258.1.b
Charitas perfecta nihil non in amico tolerat. 371.2.d
Charitum trium symbola. 234.1.d cur ipsæ & Horæ sorores fingantur. 266.1.c
Charitas tres fidelium sunt sanctitas, lætitia spes. 258.1.a sunt pedissequæ Veneris. 441.1.a eæ à matrimonio exulare non debent. ibid. d 2.c
Chelydri & chersydri iidem sunt serpentes. 398.2.a
Chilon antequam ad cœnam invitatus condiceret, convivarum scire volebat nomina. 521.1.c eius sententiæ ethicæ. 223.2.b
Chinensis rosæ mira. 401.2.a
Chiron Achillis magister mysticè expositus. 426.1.b
Cholera corpus mirè cruciat & pungit. 512.2.d
Cholera quod genus morbi sit. 601.1.d
Choragus idem est qui princeps chori, & suppeditator instrumenti ludicri. 431.1.b
Choreæ sunt illicia virorum. 179.1.d
χορηγία variam habet significationem. 432.1.a
χρεία quàm diversa significet. 602.1.a
χρήματα tam possessiones quàm pecuniæ & fortunæ bona significant. 115.2.b dicuntur a χρῆσθαι. 258.1.d
Chrisma conficitur ex oleo & balsamo. 405.1.a
Chrysostomus & Chrysologus unde dicti. 139.1.b
Christiani per certamen debent coronam cælestem promereri. 60.2.a sunt populus Dei electus. 395.1.c sunt Sion & Jerusalem mystica. 396.2.d item sors & pars Dei. ibid. Libano comparantur. 398.1.d sint sancti. 442.2.d quomodo suos sepeliant. 609.1.d eos nimio preplorare non debent. 2.a nec mortem timere. 654.2.a sint velut soles. 680.1.a secundùm fidem sunt filii Abrahæ. 700.2.c & hi in æternum manebunt. ibid. d
Christiani prisci ad sepulcra defunctorum epulas ponebant. 496.1.d item ad sepulcra Martyrum. 2. a in agape sua lectionem sacram habebant. 526.2.d item concentum musicum. 527.1.c finita mensa orabant. 531.2.c fuere velut virides sationes. 647.1.b *vide* Fideles, Pii.
Christianismus est professio sanctitatis. 70.2.b quid à nobis requirat. 578.2.c
Christianus coæquatur moraliter Christo filio Dei primogenito. 581.2.b est heres Dei, coheres Christi. ibid. eius vita est in abstinentia. 501.2.b

Cibat

Cibat sapientia sui cultores. 275.2.b
Cibus & sapientia inter se conferuntur. 275.2.d 276.1.a
Cibus & labor invicem attemperari debent, 515.1.d hic augendus ille minuendus. 2.c
Cibus modicus homini sufficit & expedit. 512.1.a
Cibus nimius vesperi noxius est. ibid.c.d 512.2.c.d
Cibi sermonis analogiæ. 583.2.d
Cibos avidè ante alios invadere indecens est, & gulæ indicium. 508 2.c.d in mensa non omnes discindendi, nec vorandi. 511.1.c à cibis liquidioribus ordiendum prandium. 511.2.d
Cibis vilibus vescentes sunt robustiores & vegetiores delicatis. 514. 1.a
Cibi nimii ingesti eiiciendi vel vomitu, vel per alvum. 514.2.a cibi nimii & indigesti quæ mala creent. 512.2.d 513.2.c.d alia eorum damna. ibid. cibi & potus rite ut apparerentur & mensæ inferrentur, curabat architriclinus. 522.1.a
Cibi antequam sumantur, benedicendi sunt. 601.1.c
Cidaris pontificis Aaronici describitur. 722.1.d
Cinis repræsentat animam in qua charitas emortua est. 245.1.a symbolicè est memoria mortis. 2.d
Cinnamomum valdè odoratum est, odoremque habet delicatum & subtilem: unde dicatur. 404.2.a
Circulus est paradigma amoris Dei & proximi. 250.2.d
Circulus rerum humanarum. 197.2.d
Circumcelliones hæreticis suis dolis periere. 460.1.a
Circumcisio Abrahæ præscripta fuit à Deo in confirmationem fœderis cum eo initi, & quare in membro generationis. 715.1.b.c
Circumpedes quæ esset vestis pontificis. 721.2.a
Circumspectio magna dos est. 269.2.d, 2.a 270.1.a pars est sapientię 139.2.c ipsa in verbis adhibenda est. 371.1.a ea opus est in valetudine tuenda. 515.2.d
Citharæ etymon, huic comparantur opera pietatis. 628.2.a
Cito dandum, cur. 521.c & seq.
Civitatum constructio Dei inventum est; multiplicatio, ejusdem donum. 289.1.a
Civitates magnificentissimæ Germaniæ juxta monasteria constructæ sunt. ibid.b
quare Jerusalem vocetur Civitas sanctificationis. 581.2.c item Civitas requiei Dei. ibid.d
Civitates integras subvertit lingua nequam. 468.2.c
Civitatum ædificatio celebre nomen facit. 644.1.d
Clemens Alexandr. sæpè utitur apologis. 20.1.2
Clementis Ancyrani longum martyrium. 223.2.d
Clementia in Deo, omnium attributorum eius summum. 71.1.b.c
Clementia regibus maximè necessaria. 719.1.a
Cleobuli Lindii ethica præcepta. 23.1.a
Cleombrotus spe beatitudinis, se è muro præcipitem dedit. 10.
Cleonis mulieris bibacitas. 438.1.c.d
Cleopatra in rosas talentum expendit in sumptuoso suo convivio. 525.2.d
Clericus non tractet secularia. 231.2.c
Clericus quidam blasphemus fulgure interiit. 109.1.d
Clerici virtute præstantes olim dicti sunt Papæ. 703.2.a
Clothildis Clodoveum maritum ad Christum traduxit. 442.2.d
Cœna sit sobria. 512.2.d ejus commoda. 513.1.c
Cœnabant veteres, non prandebant. 512.2.d 512.1.b
Coemptio in nuptiis quæ diceretur. 274.1.d
Cogitandum assiduè de Deo. 185.2.c
Cogitatio, meditatio, contemplatio quomodo differant. 289.2.d
Cogitationes pravæ dum incipiunt, elidendæ sunt. 330.1.d
Cogitatio matura mater est consilii & judicii. 421.2.d
Cogitatio talis est, qualis homo. 448.1.a
Cogitatio probitatis colendæ aufert somnum. 502.2.a
Cogitatio libidinosa in mente recepta paulatim prorepit. 667.1.a
Cogitationes lætæ sunt assumendæ. 497.1.c 498.2.c
Cogitationes anxiæ divitum de opibus suis adaugendis eos valdè inquietant. 503.1.d
Cogitationes inanes sunt velut somnia malefacientium. 555.2.d
Cogitationes etiam à Deo castigantur & prœmium accipiunt. 576.1.d
Cogitationes cordium novit Deus, easque Sanctus revelat. 672.2.a.c
à Cognato non est vultus avertendus. 661.2.a
Cognitio Dei adducit spiritalem benedictionem. 578.2.b est origo omnis boni. ibid.c
est Conjungenda cum sui ipsius cognitione. ibid. d plura de eo aperit cognoscenda. 699.1.a
Cognitio sapientiæ practicæ perducit ad vitam æternam. 136.2.a cognitio abstractiva possibilium in Deo est intuitio existentium. 331. 2.b cognitorum ordo in Deo quis sit. 39.2.c
Cohabitatio viri cum femina periculosa est. 182.1.a
Collegia & scholæ sunt domus disciplinæ. 790.2.b
Color herbaceus & viridis qui differat. 645.2.d colorum varietates omnes ex mistione lucidi & opaci oriuntur. 646.1.b
Colores multi non sunt veri, sed apparentes. 656.1.b
Coluber gerit venenum in capite. 421.1.a est imago diaboli. ibid.d
S. Columbanus sprevit dona Theodorici regis impii. 568.2.b præsignificatus est per solem ante ortum. 680.1.a
Columbarum mira stoliditas. 245.2.d
Columna aurea denotat B. Virginem. 441.1.d & omnem bonam mulierem. 443.1.b item viros Apostolicos. c columna ut requies est bona uxor viro. 586.1.a
Columna lucis Hebræos in deserto deduxit. 779.2.d in mensa quomodo Comedendum. 508.2.d
Comedentes multum, multùm corpus exerceant. 516.1.d 2.a
Comedere priùs cesset conviva, honestatis causa. 511.2.a
Comedere citra satietatem, salubre est. 514.1.a
Comitas mater est concordiæ. 548.1.b
Commentatores Ecclesiastici, qui. 18.2.d
Commistio tam ad convivium è symbolis conflatum, quam ad scelerum patrationem referri potest. 328.1.b
praxis piè Communicandi. 570.1.c d communicantes assiduè & dignè, fiunt casti. 412.1.a
cur in Communitate aliqui odia seminent. 118.1.d
Communis vita in cœtu sectanda est. 324.1.a
in Comparationibus sita erat elegantia prisci ævi. 766.2.a
Compassio levat dolorem afflicti. 163.1.a
Compedes symbolicæ sapientiæ. 136.2.b 137.1.d sunt hæ insignia libertatis. 136.2.d
Complexionem animi indicat vultus, nasus, oculi, frons. 341.1.d
Composita medicamenta quanta vi polleant. 604.2.d
Compressio in convivio molesta & indecora est. 510.2.d
Compunctio de peccato, est summus Dei amor. 344.1.d per myrrham denotatur. 405.1.d item per nebulam. 656.2.d
in Conceptione Christi fecit Deus nova prodigia, & inaudito à seculo. 579.1.b 580.1.a b fuit planè mirabilis. ibid.
Concionatores opere præstent, quæ ore docent. 108.1.d qui nimis de externo ornatu verborum solliciti sunt, fructum & spiritum concionis amittunt. 269.1.b eorum sanctitas elucet ex auditorum sancta vita. 229.1.a sunt animæ medici. 603.1.a item velut sculptores. 616.1.a 2.a item fabri ferrarii. 617.1.a item figuli. 618.1.a concionatores ferventes per Eliam repræsentantur. 750.1.a quales esse debeant. 751.2.d quomodo se erga peccatores gerent. 754.2.b *vide* Prædicator.
Concoctio cibi sumpti magis ab aqua quàm à vino iuvatur. 484.2.d
Concordia prima & præcipua est virtus, ea in triplici hominum genere requiritur. 419.1.a eius causa est amor mutuus. 2.a eius bona. 419.2.b etiam eius causa est SS. Trinitas. ibid.c res divina est, eius effectus. ibid. est musica Deo & hominibus gratissima. 528.2.d eius exempla in bove & vipera. 647.1.a concentui musico comparatur. 645.2.c concordiæ coniugalis quod sit incentivum. 747.1.b concordia civium, est victoria de hostibus. 744.2.c *vide* Amor, Charitas.
Concubinæ non erant primariæ uxores. 274.2.c iis non nimis est credendum. 157.1.d
Concubinatus vetandus non coniugatis. 331.2.a is in Hispania in nullo toleratur. ibid.
Concupiscentia est obex sapientiæ acquirendæ, ideo hic nobis tollendus. 40.1.a eam refrænat ethica Christiana. 101.1.b eius ignis punitur igne gehennæ. 131.2.d est multivola. 179.1.b nata est in homine ex peccato. 202.1.d
Alienigenæ comparatur. 233.1.a semper æruginat. 239.1.d interit una cum homine. 269.1.a
Eius motum sentire, non est peccatum, sed ei consentire. 326.1.a ipsa refrænanda est. b c 2.a idque virga timoris Dei, & disciplina. 136.2.d 375.1.d eius violentia. 326 c d est velut siren. ibidem repugnat legi naturali & divinæ. ibidem d eius filiæ. 375.2.d eius emblema. 376.1.d
Ipsa est prurigo. ibid. item velut bestia. 155.1.a eius adimpletio varia causat mala. 326.2.1.c d eius typus est limax. 327.1.a b est cæca & vitiosa. ibid.
Concupiscentia muliebris est velut ignis. 196.2.a quàm illa sit potens. 585.1.a
Concupiscentia sapientiæ est concupiscentia Spiritu sancti. 141.1.a est velut nequam mulier. 472.2.a
Cur vocetur peccatum iugiter hominem secretò titillat: ei mentem surripit. 412.1.b c
Est similis puero quoad tria. 491.1.d eam domat Dei recordatio. 465.2.a
Ex ea oritur tristitia. 499.1.d est serva rationis, & spiritus. 552.2.b
Ab ea non est consilium capiendum. 591.2.a
Est austeritate frangenda. 665.1.a ei dominans rex est. 704.2.d qui eius ardorem vincet, vincet etiam ignem

corpo.

gitized by Google

corporeum. 782.1.c concupiscentia oculorum est velut dives mendax. 421.1-b & concupiscentia carnis velut senex futurus. ibid. ex concupiscentia mulieris concupiscentia viri nascitur. 667.1.b concupiscentiæ pravæ sunt per contrarias virtutes evincendæ. 660. 1. c *vide* Cupiditas.
Concussione locorum suam Deus ostendit præsentiam & potentiam. 393. b. c. d
nemo citò est Condemnandus. 214.2.b.c
Condonanda sunt peccata aliena ei, qui sua petit à Deo condonari. 462.1.2.b 463.1.c.d 464.1.b 465.2.b
Confessarii sunt animæ medici, iis honor deferendus. 603.1.a confessarii magnatum sæpè conscientias suas commaculant. 243.2.d
in Confessione Sacramentali secreti fides religiosa est 452.2.a
Confessionis peccatorum encomia. 106.1.c ea non tantùm Deo, sed & sacerdoti in veteri lege fiebat. 310.2.d sine ea nemo salvari potest. 311.1.a ea facienda in sanitate, non in morbo. 311.2.a ea fit vel Deum laudando, vel nos accusando. 310.2.d etiam laudem Dei & gratiarum actionem involuit. ibidem confessio peccati, initium est emendationis. 344.2.a hæc fieri debebat in sacrificio pro peccato. ibid.2.b
Confirmat Deus pusillanimes & desperabundos, diversimodè. 307.1.b
Confirmationis Sacramenti effectus. 405.1.a
Confitenda sunt peccata. 105.2.d 106.1.a
quando adducat Confusio peccatum. 102.2.a 103.2.d confusio bona & mala quæ sit. 376.2.d 377.1.a
Congregari ad patres, idem est Hebræis quod mori. 390.2.c
Congregationi congruit concordia. 419.1.a 420.2.a
Coniuges sunt velut unus homo civilis. 419.1.a inter se habeant consensum & concordia. 2.b eorum mutuus amor quàm gratus sit. 647.1.a coniugibus bonis anni sunt duplices. 434.1.d.2.a
Coniugium impar grave est onus. 424.1.a coniugium dictum à jugo. 437.1.b.c ejus tota felicitas consistit in mutuo coniugum amore. 441.1.b.c ejus sanctitas in fide mutuo servanda. ibid.2.a in B. Virgine fuit coniugium triplex rerum summè disparatarum. 683.1.a coniugii fides servanda est. 384.1.c
in quo Consanguinei sint amico præponendi. 424.2.c
Conscientia quomodo examinanda. 70.2.d ejus remorsus admisso jam peccato. 354.1.d hic remorsus in damnatis, an vocetur vermis. 152.2.d 153.1.b ipsa in hora mortis denudat cuique quid egerit. 228.1.b statuit sibi tribunal. 421.1.d
Conscientia mala semper pavida & levis est. 369.2.d conscientia bona, divitiæ multæ. 255.1.d.2.a est remedium tristitiæ. 258.1.a
Conscientiæ bonæ lætitia. 49.1.d.2.a 495.1.a 501.2.d ea est tristitiæ remedium. 498.2.a.b
Conscientia data à Deo cuique velut pædagogus, lex & norma actionum. 528.2.a ejus dictamen quatenus sequendum. ibid.2.d contra hoc dictamen aliquid faciens, peccat, etsi res in se non sit mala, sed bona. ibidem
Conscius ejusdem criminis semper timetur. 335.2.a
Conservatio creaturæ est creationis ejus continuatio. 670.2.d 673.2.a & velut nova creatio. 786.2.c
Consiliarii dum consulunt, explorandi sunt, an non proprio commodo studeant. 591.2.a 592.1.b & an non sint in aliqua necessitate. 1.b.c quid in iis cavendum. 1.d eorum dotes. ibid.c 597.2.d quales consiliarii deligendi. 547.1.c 594.1.d consiliarii hominis tres sunt. 596.2.a
Consiliarios habere oportet paucos. 124.2.a 125.1.a ne præcipitent consilium. 216.1.c
Consilium malum semper consultori pessimum. 118.1.a consilia arcana silenda sunt. 175.1.d 176.2.c consilium formatur à silendo. 176.1.d firmat hominem contra omnes incidentes casus. 370.1.a consilium labiorum quod dicatur. 374.1.a consilii anima est secretum. 176.1.b
sine Consilio nihil faciendum. 533.2.a.2.d 534.1.b quod consilio fit, bene fit, nec de tali facto dolendum. 533.2.d consilium bonum quomodo sibi homo dare possit. 595.1.b.c quanti id in rebus conficiendis sit momenti. ibid.1.a quomodo id capiendum sit. 595.2.b cum quibus id non sit ineundum. 593.1.a.2.a.b.c.d 594.1.a.b.c id dirigit actiones & res, ut prudenter fiant: sine eo nulla regna vigent & firma sunt. 647.2.d ejus necessitas. ibid. ipsum potissima prudentiæ pars est. 705.2.c consilium Dei tripliciter dirigimus. 625.1.a & seqq. consilium malum non est aliis dandum. 597.1.a consilia propriè senum sunt. 421.2.b.c tot sunt consilia quot capita. 497.2.a consilia iam capta celeriter executioni sunt mandanda. 516.1.a non sunt ex eventu ponderanda. 534.1.d & seqq. à Deo sunt inchoanda. 596.2.c consilia hominum penetrat & pernovit Deus. 671.1.d consilia Evangelica non habuere prisci Judæi. 549.2.a
Consolationes S. Scripturæ & piorum librorum adhibere sibi debet tentatus. 61.2.a consolatio post desolationem sequitur. 225.2.a
Consolor tam activè quàm passivè accipitur. 613.1.a
Consonantes antiqui non geminabant. 268.2.b
Consortia improborum noxia sunt. 240.1.d ea sunt cavenda. 243.1.c

367.1.b.c.2.d *vide* Societas.
Conspectus Dei est metuendus, cur. 294.1.a
Constans vir nulli cedit. 455.1.b
Constantia mentis & judicii sectanda. 116.1.b item verborum. ibid. ejus exempla. 2. a
Constantia in sua vocatione, gradu officio & virtute homini est necessaria. 223.1.c 369.1.d ejus remedia. ibid.d 224.1.d ipsa quoque in omni opere necessaria. 223.2.b.c ipsa invidiæ remedium est. 261.1.a
ad Constantiam in virtute stimuli. 454.2.a & seqq. ea propriè virorum est. 455.1.a ipsa omnia vincit. 617.1.a.b ferro denotatur. 633.1.d
Constantinus Imp. sacerdotes honorabat. 161.1.a citò credulus præcipitavit consilium Crispi filii sui. 215.1.d 333.2.a filios rectè instituit. 488.1.d persecutiones Gentilium Impp. præcedentium stitit & inhibuit. 577.2.c S. Athanasium Ecclesia ejecit. 746.1.c
Constantinus ultimus Imp. Constantinopol. in Spiritum S. iniurius, Deo pœnas dedit. 42.2.b.c
Constantius quomodo veros Christianos à fictis secreverit. 131.2.d
quas astronomi vocent Constellationes, 684.2.a.b
in re gravi sæpè Consultandum est. 594.2.d
Consuetudo peccandi quàm sit noxia. 145.2.d consuetudinis vis. 243.1.a 243.1.b
Consultores sunt res sacra. 593.1.a sunt pars reip. maximè necessaria. 595.1.a
etiam sibi Consulant per bonam vitam. 598.1.a quales esse debeant. 611.1.d *vide* Consiliarius.
Consummatio idem est quod consumptio. 357.1.a
Consummationis tempis. est dies consumptionis & necis. 634.2.d eaque duplex est partialis & communis. 635.1.a quomodo Deus consummatio sermonum esse dicatur. 696.1.d item consummatio sapientiæ & virtutis. 697.2.d
quæ præparatio requiratur ad Contemplandum. 614.1.a
Contemplatio, meditatio, cogitatio, quomodo distinguantur. 269.2.d contemplationi vacans moritur in sapientia. 270.1.b
Contemplatio actione potior est. 613.2.d 614.2.a ejus quatuor sunt remoræ. ibid. ei vacans fit mente vacuus ab omni cogitatione & cura terrena. 613.2.d
Contemplativi omnes animæ vires Deo uniunt. 160.2.a mente conscendunt ad Dei caliginem. 719.2.c
Contentio verborum fugienda. 216.1.d.2.a
Contentio multorum malorum est causa. 466.1.c parit pugnam. 467.1.d mentem hominis inquietat.
Contenti suis, sunt divites. 255.1.a 484.1.c & beati. 309.1.b
Continentia refrænat omnes motus ebullientes concupiscentiæ. 499.1.a continentiæ in mensa servandæ præcepta. 511.2.b.c
Contra subinde usurpatur pro è regione. 478.2.a.b
Contractus mercantium scatent peccatis. 446.1.c.d.2.a
Contradicere non oportet mendacii te convincentibus. 105.2.c
Contrapositiones in omnibus rebus naturalibus & inanimis videre est. 545.1.b.c & seqq. harum origo ipsa SS. Trinitas est. 545.2.d
Contrarium unum præsente altero vim suam intendit. 544.2.d
quare ea Consociet & contraponat Deus. 544.1.b.c eorum à se invicem contradependentia & usus. 2.d hæc universum ornant. 544.2.d iis constat æternitas. 2. a firmantur & excitantur à se invicem. 674.2.a
Convitians in quo beneficium præstet. 388.1.a
Contumeliam de uno audiens, eam alteri non narret. 335.1.a
Conversatio quæ periculi causa est, fugienda. 86.2.a conversatio cum mulieribus quàm sit periculosa. 231.2.a
Converti ad cor quid sit. 355.2.d 356.1.b convertendum cito ad Deum per pœnitentiam. 114.2.a.b & seq.
Convitium exulet ab amicitia. 370.2.a 371.1.a 371.1.c hoc eam abrumpit. 471.2.a illud tollerantium sunt gradus. 2.b.c ejus & fumi quatuor analogiæ. 372.1.d
Convitiis jacendis assuetus correctionis & institutionis est incapax. 380.1.a
Conviva quomodo se in mensa gerere debeat. 508.2.d 509.1.a.b 510.1.d.2.a.d 551.1.a.d.2.a.d 512.1.a 514.1.d 521.1.a.b
Convivæ invicem in patina non comprimant. 510.2.c eos olim excipiebat, compellabat, disponebat & regebat modimperator. 522.1.d 524.2.c quomodo sint in mensa collocandi. 522.2.d symposiarcham suum muneribus & ferculis honorabant, & subinde mysticis. 526.1.b.c olim accumbebant coronati. 525.2.a & quare. 2.a
Convivium sit inter paucos, quot olim convivas complecteretur. 328.1.d
Justi sunt Convivio adhibendi. 185.1.d.2.a in eo sæpè famæ alienæ detrahitur. 338.1.c illi olim musica adhibebatur. 364.2.d 526.2.d 527.1.a 528.1.a.2.b eruditis bonisque sermonibus condiatur. 526.2.c 526.2.d
Convivia aliena frequentare dissuadetur. 485.1.b.c in iis ostenditur bona vel mala educatio. 511.2.b sunt occasio gaudii & laudis, non tristitiæ vel contemptus. 521.1.b eorum quis esset finis & scopus.

pus. 522.1.d
Conviviorum priscæ leges. ibid.c ea olim ex collectis symbolis instruebantur. 526.1.a
Cooperandum Deo in nobis operanti. 278.1.a
Cordis symptomata. 69.1.a.b ejus descriptio. ibid. capitur pro anima. ibid.c solvitur metu. 1.d
Cor durum, est superbum, obstinatum in malo, impœnitens. 85.1.c in novissimo à Deo frangetur. ibid.d est fucatum. 87.1.d
hujus & Cordis sapientis antitheses. 88.1.a.c.d
Cor agro assimilatur. 92.1.b ejus arcana cautè servanda sunt. 176.1.c omnes suas passiones & affectiones in reliquum corpus, & præsertim in faciem transmittit. 255.1.d est symbolum secreti. 361.1.a item prudentiæ & magnanimitatis. a.d aliæ ejus proprietates. ibid. & 370.1.b
Cordis & oculi analogiæ quinque. ibid. facie se enuntiat. 432.1.a
Cor sanctum & sanctitate stabilitum est instar rupis immobile. 443.1.a
Cor debet excoli, ejus fructus est cogitatio & sermo. 449.1.d dabit homini optimum consilium. 594.1.b.c ideo ipsum in dubiis consulendum. ibid.c.d 595.1.d.1.a est origo omnium actionum vitalium, tum naturalium, tum moralium. 597.1.c ex eo dependet an quis habendus dives vel pauper. 610.1.d est id orationi prorsus tradendum, aliis rebus tantùm commodandum. 623.1.d id Deo supor omnia tradendum est. 624.1.b & quidem manè. 1.c id penetrat & prævidet Deus. 294.1.a.b 671.1.d.1.a ipsum est velut abyssus. 671.1.c.1.a quantæ sit capacitatis. 789.1.c
Cor splendidum idem est quod hilare & liberale. 501.1.a etiam sinum & ventrem significat. 789.1.d est symbolum prudentię & animæ. 788.1.d id per annos crescit & decrescit. 788.1.b
Core, Dathan & Abiron cur vocentur alieni. 724.1.b quomodo sint à Deo castigati. ibidem an à dæmonibus flamma absumpti. ibidem.
S. Cornelii Pontificis martyrium & elogium. 107.1.c.d pontificatum nec voluit nec postulavit. 142.1.a
Corn. Jansenius falsò putat textum Latinum Ecclesiastici Græco esse adaptandum, ideoque ubi ille uberior est non esse genuina verba Siracidis. 29.1.b *vide* Ecclesiasticus.
Cornix symbolum garrulitatis est. 176.1.d
Cornis symbolum est roboris, regni & gloriæ. 743. 1. a 772. 1. a
Corona dicta quasi cohonora. 50.1.d 525.1.d capitur pro rei apice, fine, consummatione. 50.1.d insigne erat principatus & potestatis. 138.1.b debetur sapienti ut regi & sacerdoti. 139.1.d symbolum est perfectionis. ibid. & 525.1.b
Corona dabatur in convivio mod imperatori. ibid.d
cur Coronas herbeas aut floreas gestarent olim convivæ. ibid. quid corona illa significaret. ibid.
Corpus labore vegetatur & roboratur. 149.1.d cur vocetur anima. 261.1.d
Corpus justi est symbolicè servus sensatus. 154.1.d
Corpus nostrum plenum est sordibus. 484.1.b ejus exercitatio conducit sanitati. 515.1.b.c hujus utilitas. 1.b.c
Corpus servus & asinus est animæ, quare domandum & tundendum. 549.1.c 552.1.a est animæ carcer, nebula, catena. 638.1.c
Corpus pulchrum est index mentis pulchræ. 677.1.d
Corpora varia post diem judicii damnatos in gehenna torquebunt. 635.1.a
Correptio mansueta cur sit grata. 79.1.c fiat ex amore. 337.1.b item leniter, tempestivè & opportunè. 1.d est quasi pharmacum hominem restituens sibi & menti. ibid.c non procedat ex ira. 342. 1. a damna quæ ex hac procedunt. 342.1.a
Correptio peccantis est instar speculi & pharmaci. 356.1.a.b
Correptus sapiens se emendat, stultus exacerbatur. 337.1.c.d
Correptus se non excuset, sed culpam agnoscat, deque ea pœniteat. 344.1.d
Corripiendi sunt peccantes. 101.1.c.d idque secretò. 337.1.d quo corripiendi affectis. 172.1.a
Corripiens alium ex ira sibi ipsi dedecus parit. 342.1.a si id faciat prudenter & leniter, eum à peccato divertit. 343.1.d
Cosaki sale abstinent ad castitatem. 631.1.c
SS. Cosmas & Damianus morbis incurabilibus medebantur cooperatione divina. 603.1.d 608.1.d
Crapulæ mala. 512.1.b 512.1.c & seqq. 513.1.a 513.1.d 514.1.a 514.1.a ipsa evomenda est. ibid. mater est infirmitatis, hebetudinis, libidinis & vitiorum. 520.1.d
Cratetis Thebani impudentia & libertas. 360.1.a aurum in mare abiecit, ut meliùs philosopharetur. 207.1.a
Creare in Scriptura capitur pro facere, elicere, gignere. 37. 1. a. c.d item pro possidere. 1.d
Creare quid propriè sit. 314.1.a quo sensu crearit Deus omnia simul. ibid.a & seqq. 315.1.d
Creatio hominis latè deducitur. 299.1.d
Creatio universi ordinata fuit ad justificationem sanctorum factam à Christo per B. Virginem. 388. 1. d hæc per partes exponitur. 229. 1.a.b
Creaturis omnibus indita lex & norma qua se tueantur & moveant. 1.illæ interciderent & earum species evanesceret nisi Deus sapientiæ suæ sigillo eas continuò consignaret. 58. 1.a 670.1.d 673.1.a pendent & sustentantur à Deo. 158.1.a
in illis solus Creator amandus est. 219.1.b sunt vestigia Dei. 270.1.b ab eo singulæ proprium sibi locum acceperunt. 291.1.b
Creaturæ nomen non convenit Filio Dei. 389.1.d
Creaturæ cedunt impiis in mala culpæ & pœnæ. 633.1.a dum impios puniunt, gaudent quodammodo hac vindicta. 336.1.a & ad hoc paratæ sunt, cùm ipsis Deus ad eos vindicandos uti vult. ibid. ejus jussa stato tempore & punctim perficiunt. 336.1.b
ad Creatorem nobis iter ostendunt. 673.1.a.d earum genera singula habent suum oppositum. 674.1.b.c serviunt homini, ut ipse serviat creatori. 675.1.a omnes sunt in perpetuo motu. 693.1.c omnes ad diversos fines per diversa itinera tendunt, idque propter Deum, & Deo duce. ibid.c.d
omnes sunt & Continentur in Deo, & essentialiter ab eo dependent. 673.1.a 696.1.d.1.a & seqq. 696.1.d 697.1.a in iis operatur earum opera. ibid.1.b.c non possunt hominem plenè satiare. ibid.1.c omnes quasi naturali sensu creatorem sentiunt, venerantur & timent. ibid. eum etiam muta voce dilaudant. 699.1.b
Creavit Deus hominem cum consilio. 534.1.b.c & omnia è nihilo solo verbo. 701.1.b quomodo plagæ per elementa, meteora & bestias à Deo creatæ sint, & primariò nonnumquam creentur. 635.1.b.c
Credens citò decipitur. 333.1.a estque levis & imprudens. ibid. b 333.1.b
quibus Credendum, quibus non. 334.1.a.1.d
Credere animæ, id est conscientiæ, quando & quomodo oporteat. 535.1.a.b.c
Creditor habet in debitorem jus & potestatem. 477. 1. b mutuum reddere impotenti non irascatur, sed patienter se gerat. 478.1.c
Credulitas nimia quàm sit noxia. 333.1.d.1.a
Credulus linguæ detractoris amittit requiem suam. 469.1.c
Cretenses filios habebant ceu servos. 76.1.a
Cribrum vox dicitur quasi currifrugum. 447.1.a
Criminatio publica alicuius grave malum est. 457.1.a
quæ dicantur Crocodilinæ argumentationes. 598.1.d
Crocodilus symbolum est mulieris imperiosæ. 178.1.d
Crocodili lachrymæ quæ vocentur. 241.1.d
Crœsus ad rogum damnatus cur Solonem inclamaret. 229.1.a
Crucifixus caput S. Joanni Gualberto, quòd inimico pepercisset, quasi gratias agens, inclinavit. 465.1.a
Crudeles in pecora & bestias, etiam in homines sunt crudeles. 155.1.a
Crux Christo cessit in triumphum & gloriam. 138.1.d.1.a
Crux Christi ë quibus lignis compacta sit. 309.1.a ab ea petendum remedium in cruce & adversis. 544.1.c ejus symbola varia. 562.1.a.b per iridem designatur. 686. 1. a in Josue rhomphæa denotatur. 728.1.a
Crystallus, id est glacies, unde dicatur: crystallus gemma quæ sit. 688. 1. a 692. 1. b. d unde nascatur. ibidem ea est duplex, una è gelu conglaciata, altera fossilis: ubi nascatur. ibid.
Cubito pani non est innitendum. 660.1.a
Cuculi ova sua supponunt in aliarum avium nido: sunt symbolum adulterorum. 586.1.d
Culpa omnis septuplam habet pœnam. 141.1.d culpa gravior est etiam pœna gehennæ. 470.1.b Deus eius non est auctor, sed justus ordinator. 544.1.a
Cultro osseo vel lapideo inciditur balsamum. 405.1.a
Cultus Deo gratissimus consistit in custodia legis, & peccatorum fuga. 567.1.a
Cultus divinus Deo mirè placet. 571.1.a ab eo in rebus omnibus ordiendum. ibid. pulchritudine & decore promovetur. 708.1.a est basis & fundamentum reip. 764.1.c cultus B. Virginis præservat à peccatis, & perseverantiæ donum efflagitat. 412.1.c hic signum est electionis divinæ. 395.1.d non tamen iuvat in peccatis persistentes. 565.1.a
Cunctatione opus est cùm periculum mora declinari potest. 516.1.a
Cupiditas opum coacervandarum quando sit peccatum mortale. 218.1.a est pix animæ. 243.1.a causa audaciæ est. 364.1.a
Cupiditates dum mortificantur acriùs exsurgunt. 59.1.d
Cupiditas est fons & origo discordiæ. 420.1.a ejus resecatio veræ sunt opes. 494. 1. d ei serviens pessimis Dominis servit. 553. 1. d non debet dominari, sed famulari. 662. 1. a *vide* Concupiscentia, Passio.

Cupidus opum est pauper. 255.2.d
Cupressus arbor frondes habet capillatas, & in conum assurgentes: ejus utilitas. 399.1.c 773.2.d semper viret, nec rimas agit. 399. 1. c ejus vis medica: succisa non recrescit, eratque proinde symbolum mortis & funeris, & dicta feralis. ibid. 773.2.d ex ea fiebant deorum simulacra, & heorum sarcophagi. 399.1.d fugat blattas & tineas. 399. 1.d ejus succincta descriptio. ibid. 774. 2. b refert speciem capitis humani egregiè comati & pexi. 399. 1. a 773.2.a
Cura castitatis tuendæ hominem conficit. 502.2.a
Cura animarum ingens est. 525.1.b
Curæ anxiæ deponendæ. 497.2.a & Deo resignandæ. 1.b hominem exedunt. 500.2.a.b.d. reddunt eum inquietum & vigilem. 503.1.d
Juxta Curiam habitabant olim senatores, non opifices. 618. 2. a
Curiositas multa videndi & experiendi est mortificanda. 83.2.a.b 273. 2. a
Curiositas magna est aliena secreta expiscari. 176.2.c ea vetatur. 216. 2. a
item Circumspiciendi. 556.1.d
Currus & equi ignei quibus Elias raptus, quid sibi velint. 714.2.c.d quid allegorice & anagogice. 755. 1. d. currus Cherubim fuit symbolum providentiæ & vindictæ Dei, qua in impios fertur. 765.2.a
quot Cyathos in mensa biberent veteres. 518.1.a hi in conviviis etiam coronabantur. 525.2.d
Cyclopes an fuerint primi fabri ferrarii. 616.1.d
Cymbalorum usus in sacrificiis Leviticis. 777.2.a
S. Cypriani error circa hæreticorum baptismum. 566.1.d ejus de Tertulliano judicium. 22.1.d
Cyprus insula à Syria avulsa dicitur. 695.1.a
Cyrillus Apologorum moralium auctor, quis fuerit, qua ætate vixerit. 19.1.b.c.2.a
Cyrillus Alexandrinus symbolis & apologis gaudet. 20.1.b
Cyrillus quidam Hipponensis in filium indulgentior, ab eo necatus est. 493. 1. c
Cyri somnium de tempore vitæ suæ. 172. 2. a ejus vegeta senectus. 732.2.b.c

D

Dactyli cibus erant Anachoretarum, & modò Afrorum. 399.2.d eorum dulcor & salubritas. ibid.
Dæmonum pœna est gravissima. 427.1.a à divinis consulti plerumque ambiguè respondebant. 557.1.d.2.b sunt carnifices impiorum, & quomodo ad hanc vindictam à Deo creati sint. 634.1.d non omnes sunt in inferno. ibid. unde prædicant futura. 1.b per se ductionem hominum augent sibi pœnam accidentalem, non essentialem. ibid.c an unus per alium castigetur. ibid.d an & qualiter damnatos in gehenna excrucient. 2.a.b in iis cessabit post diem judicii subordinatio inferiorum ordinum ad superiores. ibid.c tentant otiantes. 786. 2. d *vide* Diabolus.
Dama timida cur ægrè capiatur. 173. 2. b figura est pauperis. 251. 2. b
Damnatis carent bene agendi libertate. 88.1.a
Damnatorum apud inferos pœna quàm sit atrox. 152.1.a cur igne crucientur. ibid. & seqq. eorum lamenta. 153.1.b à vermibus crucientur. 198.1.d quid eos maximè cruciet. 228.1.a numquam morientur. 263. 2. c
sibi imputent Damnationem, non defectui gratiæ. 285.2.b.c & seqq. invicem cruciant. 354.2.b sunt in inferno velut in fascem colligati. 357.1.b cur non sint lugendi piis. 366.2.a eorum apud inferos pœna est gravissima. 427.1.a 640.1.b.c per quas pœnas torquendi sint. 635.1.d & seqq.2.c.d mortem perennem patiuntur, & semper vivunt. 640. 1. d quomodo à creaturis omnibus crucientur. 633. 2. a
an per Dæmones crucientur. 634.2.a.b eos etiam cruciat illustris fama quam apud homines habent. 657.1.d
Damnationis, auctor non est Deus. 543.2.d sed quisque sibi ipsi. 881.1.a
Damnationis sententia à Christo pronuntianda erit instar tonitrui reboantis. 689.2.a
Dandum semper aliquid Deo. 269.2.b.d
Δανείζω idem est quod mutuo, sive cum usura, sive sine ea. 173. 2. a 347.2.d 476.1.a
Dans invitus, panem dat lapidosum. 320.2.b
Dans liberaliter servat mandata, quomodo. 476.1.a
Dare quàm accipere, beatius est. 109.2.a dare animam, est se totum addicere. 178.1.d 180.1.d
Davidis regis mansuetudo. 79.1.d ante arcam saltans seipsum vicit. 103.2.b confisus est ducibus hostium sibi reconciliatis. 139.1.c ne Nabalum occideret ab eo impetravit Abigail. 585.2.b facile injurias in se commissas condonavit. 466.1.d habuit magnificum mausolæum. 710.1.c adauxit gloriam pontificum. 726.2.c Nathanem Prophetam habuit in doctorem & pædagogum. 737.1.b.d cur dicatur fuisse adeps à carne separatus & à Deo electus. 2.c erat optimus Israelitarum. ejus elogium. ibid.b & seqq. 738. 1. 2. 1.c.d ejus nomen est idem quod dilectus. 2.a juvenis existens leonem & ursum occidit. ibid. & forsan sæpiùs. ibid. ejus fortitudo fuit à Deo. ibidem 739. 2. b.
ejus Dexteritas ac strenuitas. 738.2.b Goliatum juvenculus occidit, & quidem dexterè per lapidis jactum. 739. 1. b.c sed Dei oper. 2. b & seqq. quanti hanc victoriam populus faceret. 740.1.a & ideo ei regnum obtulit. 1.b Philisthæos contrivit. 739. 2. d omne suum robur & victoriam non sibi, sed Deo attribuit. 742.1.a fuit expressus typus Christi. ibid.b
Deum ex toto corde dilexit. ibid.c.d 378.1.a fuit quasi monachus.ibid. fuit plenus amore & laude Dei. 741.1.a 742.2.b publicos cantores instituit qui quotidie Deum totius populi nomine laudarent. 741. 2. c.d quin & ipse iis psalmos doxologiæ plenissimus dictavit & tradidit & dulces canendi tonos adinvenit. ibid. 742.2.a eximia ejus sanctitas. ibid.b
gravia ejus peccata Deus condonavit. 743.1.a ejus pœnitentia etiam posteris profuit. ibid.
ejus regnum confirmavit Deus in æternum. ibid.b 726.2.a ex eo natus est Christus. 743.1.b 747. 2. a 747. 2. d ob ejus merita Salomoni & posteris Deus tam potens & felix regnum concessit. 742. 2. a 747.1.a.2.a quidquid honoris & dignitatis, Judæ concessum fuit, id Davidis intuitu est concessum. 743.2.a ejus bella filio pacem pepererе. ibid. c tradidit eidem opes, materiam & ideam templi ædificandi. ibid. quantum opum ei tradiderit. 745.2.a
Δὲ, id est autem, subinde pro γὰρ, id est enim, usurpatur. 589. 1.d
Δὲ est vocula transitus ab una materia ad alteram. 770.2.c
quantum Debeat homo Deo. 355.1.a
Debita non sunt petenda inter convivandum. 521.1.b
Decalogi præcepta moralia jure vocari possunt æterna. 303.2.a ejus prima tabula Dei cultum spectat, altera jus proximi. ibid. d
Decimæ triplices Judæis præscriptæ erant. 262.1.c cur hæ vocentur initia sanctorum. ibid. c
Debebant esse ex optimis. 262.2.a
Decoro studendum in omni re. 707.2.d
Decrepitio mors solatium est. 653.1.a
Decreta Dei sunt conditionata, non absoluta. 603.1.d
Defatigatio nimia nocet corpori. 515.1.d
in Defectus aliquos labens, leniter se ipsum corripiat & dirigat. 206. 1.a
Defendo olim ulciscor significabat. 676.2.d
quæ Defensio stiterit Israelis nequitias. ibid.& seqq.
in Deformi corpore sæpè habitat mens formosa. 211.1.a
Defraudatio mercedis pauperum, est tacitum homicidium. 564.2.d 565. 1. a
pro defunctis offerenda sunt sacrificia. 609. 2. a *vide* Mortuus.
Dejectio ciborum suadetur in crapula. 514.2.a
Delectatio spiritualis major est carnali ob tria. 531.1.c.d
at Delectatio carnalis spirituali vehementior. ibid.
Deliberandum est diu. 533.2.d
Delicati cur morbis sint obnoxii. 52.2.c
Deliciæ sæculi qua cogitatione temperandæ sint. 226.1.d
Deliciæ sunt adiaphoræ. 254. 2. b contrariæ sunt compunctioni. 483. 2. d
Deliciæ spiritales gustatæ acuunt famem. 411.1.d
nemo non Delictum committit. 256.1.d
Delictum est peccatum omissionis. 257.1.c
Delictum & peccatum quomodo differant. 444.2.c
Delos insula ex aquis denuo emersit. 695.1.a
Demerita sunt causa reprobationis. 541.2.d 542.1.b
Delphii ob necatum Aesopum mythologum pœnas dederunt. 574. 1. a
Delphin mirè civilis & ingeniosus est. 694. 2. a vocatur rex maris. ibid. b
Democritus moralem scientiam à Magis Persis didicit. 5
Demonax quid curiosa sciscitantibus responderit. 83.2.a
Demosthenes aurea corona est ab Atheniensibus donatus. 139.2.b aquæ potui assuetus erat. 484. 2. a secreti servantissimus fuit. 663. 1. b
Denarius numerus perfectionem & finem denotat. 572.1.a
Denotatio idem est quod ignominia, confusio. 118.1.b
Dentium virus. 238.2.d
Dentes lupini sunt salutares. 251.2.a
Dependentia omnium rerum à Deo. 673.2.a
Deprecor sæpè idem est quod amolior & depello. 551.2.c

Digitized by Google

Derelicti omnes ab hominibus, Deo sunt curæ. 783.1.d

Desiderium in virtute proficiendi auget profectum. 454.2.b

Desideria fortia Sanctorum sunt velut tonitrua. 735.1.d

Desideriis carnis non est acquiescendum. 235.1.d

Desidiæ damna. 515.2.d

Designavit Deus ab æterno quid quovis tempore faciendum & futurum sit. 672.1.d

Desolatio post consolationem sequitur. 225.2.a

Desperantes meliora, optant mortem. 652.2.a

Desperatio noxia est. 257.1.a.2.a quæ ejus causa, ibid.1.a miseriarum omnium miserrima est. 652.2.a

rebus Desperatis succurrere Deus solet. 784.1.b.c

peccator non Desperet de venia impetranda. 145.2.d

Determinatio effectus quoad individuum fit à Deo. 158.1.a

Detractio quantum sit malum. 117.2.d 118.1.a 118.2.c 335.1.a semper inter narrandum crescit. 337.1.a.2.a mel ex uno audita, non est referenda aliis. ibid. est velut sagittatio. 337.1.a est constupratio justitiæ. 344.1.d propria stultorum est. 362.2.a detractionis mala. 468.1.a ejus impediendæ remedia. 472.1.c.d ejus origo quæ sit. 472.2. a

Detractores omnibus exosi sunt. 362.2.a similes sunt proditoribus. 336. 1.a

Detrahentes aliis, & se laudantes, habent duplex cor & duplicem linguam. 68.2.a

eorum Descriptio. ibid.

Detractoris lingua triplex est. 468.2.a.d ejus mala. ibid. 469.1.a ea vocatur coinquinata. 782.2.b *vide* Lingua. plus nocet morte & inferno. 470.1.c.d.2.a ei est vultus morosus ostendendus. 472.1.a detractores sæpè præsenti morte puniti, semper æterna. 467.2.b

Devoti olim qui dicerentur. 570.2.b

Devotio offerentis victimam Deo gratam facit. ibid.a est quasi adeps victimæ. ibid.c quid sit devotio. ibid.d ejus causa intrinseca, est meditatio. 570.2.d

Deus pater non est sapiens sapientia genita, sed propria & ingenita. 42.1.d genuit Verbum ex cognitione Spiritus sancti. 2.a

Deus est naturæ auctor: item origo ethices supernaturalis. 2. ejus elogia & descriptio. 8.382.2.d 183.1.a.b.c 562.1.a 571.2.a 583.1.b.c 697.1.d 699.2.c ipse est præmium sapientiæ & virtutis. 12. ejus attributa sunt unum & idem cum ejus essentia. 34.1.a 71.1.b in mente ejus ab æterno fuerunt omnia veritatis æternæ dictamina. 34.2.d novit omnia per supremas causas. 35.1.a quanta ejus sit rerum etiam possibilium cognitio. 1.b idque ex vi cognitionis essentiæ. c. ejus sapientia est incomprehensibilis. 36.1.c 316.1.d.2.a cur habitare dicatur in caligine & nube 36. 1.d minutissima quæque videt, penetrat, & in numerato habet. 37.1.a.b ejus essentia est in singulis locis & spatiis tota, & ejus vis sapientiæ versatur circa res singulas. 1.c omnia videt & prævidet ob infinitam efficacitatem oculi sui divini. 38.2.a 292.2.d 382.1.a.b 382.2.d 383.2.d in eo non est ulla variatio vel successio visionis rerum. 39.1.a quis in eo sit ordo cognitorum. 39.2.d in eo est universitas objectorum & intelligibilium. ibid.d omnia creata perfectiora reddere potest. 41.1.b sapientiam suam creaturis communicavit, & rebus omnibus creatis indidit. 45.1.a.b ejus notiones sunt sigilla rerum creandarum. ibid. odit & detegit hypocritas, quia ipse prima est veritas. 56.2.d 107.1.b 148.2.a omni amore, timore, cultu, reverentia dignissimus est. 58.1.a 160.2.d in Sanctis qui majores tentationes vicerunt, permittit nonnullas exiguas. 61.1.a mira in eo est puritas. 62.2.d solus totum hominis cor habere vult. 66.2.d 67.1.a 67.2.a.b via ejus est virtus. 69.2.b ejus misericordia & clementia summa. 71.1.b.c.d.2.a 312.1.a 1.d sibi peccatorum remissionem reservat, judicibus inferioribus vindictam scelerum committit. 71. 2. a est summè patiens, quia omnium est potens. ibid. b honorem parentibus delatum, sibi delatum reputat. 75.1.a gaudet humilitate. 81.1.b ejus opera sunt incomprehensibilia. 84.2.d 84.2.c exaudit preces pauperum. 92.2.a 93.1.c 365.2.a exhibet se matrem eleemosynariis. 95. 1.c ejus erga homines affectus. 2.a 374.1.a.b qualem vitam suis communicet. 96.1.d est vita essentialis & increata, item vita prima, æterna, supervitalis. 2.a.b suos probat adversis. 60.1.a 60.2.d 110.2.c 156.2.a sed ea admetitur cuique pro viribus. 134.2.c at eos postea exhilarat. 101.2.c est prima justitia. 107.1.a honoris sui zelotes est. 111.1.d omnia videt & punit, simul tamen longanimis est. 112.2.a 318.1.a b.2.a 318.2.a.b quod semel condonavit, non revocat. 113. 1.a solus vult ab homine amari. 125.2.d est amicus fidelis & fortis. 129.1.a procurat suis veros amicos. 131.1.d est origo & fons amicitiæ. ibid.

ex toto Diligendus est. 137.1.c.2.a

non Delectatur oratione verbosa. 148.1.d est summè colendus, & cur. 158.2.a 159.1.a.b cuique in officio adest. 174. 1.a amavit nos ab æterno. 182.2.d eum qualem fingant Ethnici, hæretici, carnales. 185.2.b.c est jugiter præ oculis & in memoria habendus. ibid.d 269.2. a

solus Dat regibus regnum & potestatem. 189.1.a in ejus manu est ut hunc potius creet principem quam alium. 190.1.a

Dat doctoribus honorem suum & sapientiam. 190.2.a ejus gloria & honor consistit in regimine universi. 2.b ab eo omnis prosperitas datur. 2.c

Dona sua non dat uni omnia. 210.1.a parva & abiecta eligere gaudet. 211.1.a in eo sunt omnes virtutes, humilitate excepta. 214.2.a ejus opera cur dicantur mirabilia. 214.2.b ejus est dare divitias. 218.2.a 218.2.d 119.1.a.c quomodo crearit errorem & tenebras. 220.2.c subitò potest pauperes ditare. 224.2.a.c in altera vita lætantium & dolentium sortes commutabit. 236.1.d

in Die obitus unicuique operum mercedem retribuit. 237.2.a.b non abhorret hominum vilium consortium. 244.1.b in se sperantes non fallit. 245.2.d vult nos quàm proximè & frequentissimè ad se accedere. 247.2.d

Diligendus simul & invocandus est. 249.1.a.b est animæ vita. c. ei conformari debemus. 250.2.c ex creaturis investigatur. 270. 2. a amans nos, à nobis est redamandus. 274.2.a qualem & quomodo suis doctrinam indat. 277.2.a diversimodè à nobis est laudandus. 280.2.b ei competit summa laus tum activa tum passiva. 280.2.d omnes vult salvos fieri. 281.1.a 543.2.d non est peccati auctor. 281.2.a.b 286.1.c 287.2.c.d 375.2.a neque malorum operum. 542.2.a nullum fecit malum. 282.1.a cur peccata permittat. 382.1.b.c 68.2.d timentes se peculiariter protegit, regit, intuetur, æstimat, videt, eorumque preces exaudit. 62.2.b 64.2.d 68.2.d 286.1.a.b.c 292.2.b 383.1.d 318.2.d ejus ordinatio, permissio directio vocatur *præceptum*. 286.2.b.c ibid.d odit impios & impietatem. est propriè Deus Sanctorum. 288.2.a sæpè innoxios cum noxiis punit, & tam multos quàm paucos. 289.1.d 291.1.a in cervicosos & duros maximè animadvertit. 291.1.b.1.c.d iram suam temperat misericordia. 291.2.c singulos æquè ac omnes tuetur, videt, curat. 292.2.c 383.1.d 383.2.b est sol omnia lustrans. 292.2.b omnes homines & creaturæ sunt coram infinito ejus oculo quasi unus atomus. 293. 1.a omnes mundi partes intuetur & tremore concutit. 293.2.b ejus aspectus metuendus est & terribilis. 294.1.a.b habet providentiam universorum. 297.1.b.c opera sua etiam ornavit. ejus erga hominem creatum munificentia. 299.1.d damum formans non assumpsit formam humanam. ibidem jugiter curat an homines legem à se datam etiam observent. 304.1.a Israelitas ipse per se regebat & curabat. d.2.a est unus actu, tres virtute, id est, unus essentia, tres in personis. 308.1.a in eo omnia sunt unum. 315.1.d solus habet perfectionem justitiæ & potentiæ. 315.2.b inter reliqua ejus attributa excellunt fortitudo & misericordia. 316.1.a ejus opera summè perfecta sunt. ibid. b nullis læditur peccatis aut blasphemiis. 317.1.c talem se exhibet oranti, qualem se orans exhibet illi. 323.1.c.d ejus ira in impios tempore judicii. 324.1.a ejus provida dispositio firma & inconcussa est. 369.1.c ejus auxilium est implorandum rectè loqui & bene vivere volenti. 373.2.a est dominator vitæ. 374.1.a cur suos ad peccata tentari permittat. 375.2.b.c temerè nominandus non est. 377.2.a ejus oculus sole lucidior est. 382.2.d 383.1.a.b creata à se tuetur & gubernat. 383.2.c facta hominum novit antequam fierent. 2. d Dux est eorum qui ipsum sequuntur. 386.2.a unde & quare Deus sabaoth vocetur. 388.1.d

Deus mente concipit verbum divinum intelligibile, tum essentiale, tum notionale & personale. 389.1.d ejus habitatio & domus est cælum emptyreum. 391.2.a habitat in tabernaculo sapientiæ. 394.1.b & seqq. est æternus. 395.2.b in Sion firmam sedem habebat. 396.1.b.c natura sua dulcis est. 410.1.a & seqq. summa in eo est concordia, & amat concordes. 419.2.c omnibus rebus creatis concordiam indidit. ibid.d

Diligendus est præ omnibus. 432.2.d sui amantibus bonam uxorem procurat. 435.2.a pulcher est per originem & causam. 440. 2. d item constans & immutabilis. 452.1.b peccatores tam diligit post pœnitentiam, quàm si non peccassent. 457.1.d 753.2.c.2.d cur dolosos perniciem aliis machinantes detestetur. 458.2.d & punit eos graviter. 459.1.a & seq. in peccatores animadvertit. 461.2.a ejus offensio summa est. 462.1.d libenter peccatoribus ignoscit. 463.2.d 464.1.a 467.1.b seria illius memoria passiones omnes refrænat. 465.2.b in beneficos est beneficus. 475.2.d est liberalissimus. 476.2.d inebriat nos donis suis etiam non necessariis. 531.1.c creavit hominem cum consilio. 534.1.b ipse in dubiis consulendus est. 534.2.d 535.2.b 538.2.a quomodo nos ei totos credere debeamus. 535.2.a jussit diem & annum unum esse festum præ alio. 539.1.d quem vult felicem facit aut infelicem. d est rector fortunæ, hinc nihil ei fortuitum. ibid.d quòd unum præ alio diligit, soli ejus est voluntati attribuendum. 540.1.b 541.1.d 542.1.c 542.2.d 543.1.d tempora anni variè disposuit. 540.2.a cur hominum sortes & status voluerit diversos esse. 540.2.d semper sibi separavit aliquos ut essent sibi peculiariter chari ac fideles. 1.d neminem maledicit aut reprobat nisi propter ejus culpam. 542.1.d cur hos eligat, illos reprobet. 544. 1. a. b. c nonnisi excellentia opera offerenda sunt. 548.2.d vult solus coli ceteris exclusis. 560.2.a totus est oculus. ibid. b est protector potentiæ. 561.1.a item firmamentum roboris & suorum hyperaspistes. ibid. b triplicem iis adhibet custodiam. ibid. c est item tegimen ardoris, & umbraculum meridiani. 1.d item deprecatio offensionis, & adjuto-

rium

rium casus. ibid. d & seqq. animam exaltat & illuminat. 561.2.d dat sanitatem & benedictionem. 662.1.a
se Deum constantium & robustorum exhibet. 563.1.c.d nullo honore opus habet. 569.2.d ab ejus cultu in omnibus rebus ordiendum. 571.2.a non sinit se liberalitate vinci. 572.2.d muneribus non capitur. 573.2.a affectum offerentis, non personam, aut munus intuetur. 573.2.b est pater orphanorum & viduarum. 574.1.b.c vocatur fortis per antonomasiam. 575.2.d quomodo in eo sint misericordia & ira. 577.1.d.2.a est sanctus in omnibus operibus suis. 195.1.d 578.2.a est dominus sæculorum. 583.1.a qui ab eo moventur, non indigent consultatione. 593.1.c est invocandus ut optimus consiliator in rebus dubiis. 596.2.a summus est medicus. 598.1.a ab eo est omnis curatio & medicina. 703.2.b.c est sanitatis auctor & reparator. 606.1.c vult sua beneficia largiri homine cooperant. 607.1.c ab eo omnes artes, etiam mechanicæ, descendunt. 620.1.a
Dat petentibus sapientiæ spiritum. 624.2.a quomodo simul potens sit & clemens. 628.2.c ejus oculus videt & novit omnia. 629.1.d omnes temporum differentias intuetur, & quidquid in iis geritur. ibid. b præterita & futura videt perfectè obiectivè. ibid.c nihil ei est mirum. ibid.d tam iratus quam propitius fluvio comparatur. 630.2.b. d ei mala sunt bona. 636.2.a ipse est omnium dominus. ibid.b non minor est in verme quàm in sole & cælo. 670.1.d ejus effigies in omnibus operibus ejus apparet. 671.1.a novit quibus signis præviis res omnes & sæcula commutentur, unaque alteri succedat. 2.d nihil ei unquam accrevit, aut decrevit. 673.1.a in omnibus operibus suis intimè est præsens per essentiam, præsentiam, potentiam. 2.a est supra & infra omnia, ut omnia contineat & sustentet. ibid.c creata conservando, continuò ea quodammodo creat. 1.d quæ dicatur ejus gloria obiectiva. 674.2.d quæ formalis. 675.1.a quæ Dei sunt, sunt maxima. 676.1.a ejus pulchritudo. 677.1.b.c est unum pulchrum bonum. ibid. sol ejus typus est. 778.2.a ejus liberalitas. 680.1.d ejus majestas per fulmen & tonitru ostenditur. 687.1.c.d 688.2.b.c 689.1.c.1.d.2.a est ultimus omnium rerum finis. 695.1.d.2.a 696.1.a item medium. 695.2.a ipse est in omnibus & est omnia. 696.1.2 & seq.2.a 998.1.c est mundus melior omnia corporalia incorporaliter complectens. 696.1.c est rerum & verborum omnium consummatio. d. omnia universi loca permeat & occupat. 2.c creatis singulis suum numerum, speciem & gradum elargitur. 697.1.a est ens entium, & actus actuans potentias rerum omnium, item natura naturans naturarum omnium. ibid. est basis, fundus, quantitas & substantia rerum omnium. 696.2.d est centrum universi. ibid. 697.1.a operatur in creatis omnia eorum opera. 697.1.b est beatis omne bonum & gloria. ibid. 696.2.d per Papa Deum Arcadum designatur. 698.1.b superat omnem gloriam & laudem quam ei dare possumus. 698.1.d.2.d 699.1.d.2.a quo plus cognoscitur, eo plura cognoscenda demonstrat. 698.2.b 699.1.c ejus immensitas immensam poscit laudem. ibid.1.d non tamen plenè & adæquatè laudari potest. 2.a.b ejus laudandi varii sunt gradus. ibid. & seqq. ejus omnipotentiæ quinque mensuræ. 701.1.a potest adhuc plura efficere & de novo creare & perfectiora. ibid.b verbo creavit omnia, & quidem ex nihilo. ibid. c erat olim hereditas Levitarum. 725.1.d est essentialiter sanctus. 730.2.c in quo, & unde sit sanctus. ibid.d 731.1.a est increata & fontalis lux. 734.2.b qualiter ejus præsentia ubique nobis fingenda sit. 741.1.c.d suos curat jam inde ab utero per omnem vitam. 777.2.a.b est simul eorum adiutor & protector. 781.1.a ejus proprium est parcere & misereri. 782.1.a & rebus desperatis succurrere. 783.1.d opitulatur negotiantibus. 786.2.d
Διαβάλλω & criminari & infamiæ notam afferre significat.. 436.1.a
Διαβάλλω & διαβολεύς quid sibi velint. ibid.
Deuterocanonici libri S. Scripturæ qui vocentur. 13.1.d
Diabolus tentat ad Dei cultum primò accedentes. 59.1.a 1.c & seqq. idem est qui zabulus. 67.1.b primò suos exhilarat, dein affligit. 101.1.c peccanti pudorem adimit, confitenti restituit. 106.1.a cur vocetur myrmecoleon. 147.1.a in horrendis formis torquebunt damnatos. 198.1.d ei non credendum. 246.2.a poetis suggessit, ut deorum scelera scripto proderent. 281.2.d roboratur per neglectum parvorum delictorum, ut ad majora hominem tentet. 331.1.a serpenti similis est. 354.1.d
diaboli coram Deo contremiscunt. 294.1.c.d
Diabolus superbus, mendax & stultus est, maximè superbus. 420.1.d 421.1.a ei servire miserrimum est. 424.2.a semper peccatori insidiatur, ut eum ad peccatum, & per illud in gehennam pertrahat. 451.2.b sæpè corporaliter occupavit detractores. 474.2.d non est vini auctor. 518.2.d caput iniquorum est. 580.2.c primùm inimicitias suscitavit. 589.2.c.d sophisticus argumentator est. 598.1.d Septemtrione denotatur. 690.2.c an apparuerit in forma Samuelis à Saule evocati per pythonissam. 735.2.d si timetur, est ut leo; si despicitur, abiectus ut formica. 739.1.b
vide Dæmon.
Diaconi quare ab Apostolis primùm instituti, 522.1.a
variam habet significationem. 787.2.c
in Diæta consistit sanctitas. 513.2.d 514.1.b.c
Διαθήκη idem est quod testamentum. 263.1.c
Διασπάω distraho, divello, perdo significat. 664.2.b
Διαφθείρω quid propriè significet. 153.2.d
Dicaces non sunt dicteriis impetendi. 169.1.d.2.a
Dicere Dei est efficax. 611.1.a
Δίχα significat *duplex*, & cum genitivo, *sine*. 747.2.a
Δεχομένη quid significet. 626.1.d
Dictamen conscientiæ. *vide* Conscientia.
Dictamen sapientiæ quod sit. 34.2.d
ipsum à Deo manat. ibid.
Dictum omne æternum est. 548.2.b
Dies sæculi quomodo dicantur innumerabiles. 36.2.a
Dies judicii terribilis & horrendus est. 322.1.d
vide Judicium.
Dies delictorum quintuplices sunt. 325.1.b & seqq.
Dies septem luctui præfiniti erant. 367.1.b
Dies una an melior altera est. 539.1.a 540.1.d & seqq.
Diei & noctis ænigma. 682.2.c
Dies quælibet cogitanda ut extrema. 549.1.a 611.2.c 612.1.b.c
quot Diebus lugendi sint mortui. 609.2.c.d
Die 25. Martii mundus creatus est & recreatus. 572.1.b
Dies numeri Hebræis idem est quod pauci & facilè numerabiles. 599.2.a
Dies Josue quo sol stetit, quot horarum fuerit. 729.1.c.d
Dies Palæstinæ longissimus est 14. horarum. ibid. d
unde Differentia tanta inter homines ortum habeat. 539.2.a.b
Differre capitur subinde pro distrahere & disturbare. 153.2.a
Difficile nihil est Deo. 629.2.d
Difficultates graves superantes, vincunt quasi leones. 739.1.b
difficultates in via virtutis magis hominem deterrent, quàm quæ in vitiorum via occurrunt. 787.1.d
Diffidentes Deo sunt duplici corde. 67.1.a
quæ Dignatio corrogationis vocetur. 526.1.a.b
in Dignitate habita non est gloriandum. 213.2.c 214.1.a
Diis suis asscribebant Gentiles sua scelera. 281.2.b
Dilectio honesta fructus est sapientiæ. 407.2.d
Dilectio Dei ceteris omnibus donis clarior est. 425.2.d à timore oritur & perficitur. 426.1.d
quis Dilectus Deo, quis proximo sit. 717.2.a
Diligens Deum ab eo vicissim diligetur. 645.1.c 648.1.d
Diligentia in operando conservat valetudinem, & pellit mœrorem. 515.2.d
Diluvium Deus ex summa ira in peccatores immisit. 630.1.d quo anno mundi contigerit. 713.1.d quare id immissum. ibid. 714.1.a
Dimidium plus est toto, quomodo. 644.1.c
Diogenis in servitute libera vox. 204.2.c 205.1.a Alexandro magno se prætulit? 247.2.b
unde Dictus sit Cynicus. 252.1.b.c non libenter peregrinabatur. 486.2.d
tamen Dicebat se mundi civem. 768.1.d
S. Dionysius Areopagita dictus est volucris cæli. 707.1.c brevem Theologiam Hierothei explicuit. 23.1.c
Dioryx non est Araxes fluvius, sed fossa, rivus, alveus, in quem quodvis flumen derivatur. 415.1.a.b
Dioscori occulta scelera detexit Deus. 56.2.d
Dipsas serpens symbolum avaritiæ est. 261.2.d
minora Discenda antè magna. 117.1.c
Dirigo significat subinde prosperare. 483.1.a.b
Dirigimus consilium Dei tripliciter. 625.1.a & seq.
Disciplina varia significat. 538.1.b.c
Disciplina sapientiæ quænam dicatur. 4.1.d
Disciplina, sapientia, scientia quomodo differant. 220.1.c
Discipulorum quæ sint munia. 321.1.b
eorum Docilitas, obedientia, profectus magnam doctori adfert voluptatem & utilitatem. 424.2.d
Discipuli boni magistrorum mortuorum sunt velut imagines. 489.2.a
ut asini regendi sunt disciplina. 549.2.a
qui Discipuli doctrinæ admittendæ idonei. 657.2.d 658.1.a
Discordiæ pater est Lucifer. 420.1.a ibid.b item cupiditas. ibid. discordia in coetu bene structa destruit. 565.1.b
Discretio velut sepes est in audienda detractione. 472.1.a
Discretio quibus in rebus sit adhibenda. 583.2.d sale denotatur. 633.1.c
Discumbebant veteres ad mensam. 177.1.d 181.1.a
Discum ferreum jacere solebant luctatores. 134.1.c.d
ex Discursu optimè mens cujusque dignoscitur. 449.2.b
Dispares mores disparia studia sequuntur. 249.2.d
Dispositio ad sapientiam est amor ejus. 216.1.a
Dissoluti corde sunt pusillanimes. 69.1.a
in Distortis plerumque distorta anima est. 211.1.d
ob Distractionem in oratione verba ejus non sunt iteranda. 148.2.c involuntaria non est peccatum. ibid.d
Distribuere capitur subinde pro discernere & dijudicare. 348.1.d

Ditescendi cupiditas causa est iniquorum contractuum. 446.2.a
Ditescendi medium paradoxum. 593.2.c
quando suos Ditet Deus. 224.2.a 227.1.d
Dives & pauper invicem necessarii sunt. 29.1.a
Divites non timentes Deum, vero honore carent. 307.1.a
eorum superflua Debentur pauperibus debito charitatis. 90.1.c
iis Debita solvere differentes, peccant contra justitiam & charitatem. 94.1.a putant sibi suas opes sufficere. 219.2.b eorum fastus & rapina intolerabilis est. 111. 2. b.c cum iis quare non sit litigandum. 168. 1.d
ne suis Divitiis insolescant. 225.1.d plerumque opprimunt pauperes 243. 2. d 244. 1. 2. b. 2. a 244. 2. d 245. 1. 2. b 252. 2.c.d 253. 1.a
Divites avari similes sunt hirudini. 245. 1.a labores pauperum devorant. 161. 1. b multa eis promittunt ut eorum opera utantur. ibid.d ægrè cælum ingrediuntur. 246.1.d iis non convenit cum pauperibus. 252.2.a 253.1.d
quæ inter eos sit Differentia. 253.1.b ab omnibus juvantur. 253. 1.b 253.2.a.b cur. 253.1.d non possunt esse justi nisi in pauperem benefici sint. 254. 1.a ab omnibus coluntur, & suspiciuntur. 254. 1.b.d in quo paupere infeliciores sint. 349.2.d
Dives mendax displicet omnibus. 420. 2. b quis talis sit mysticè. ibid.d
Dives in auro non sperans, beatus est. 505.2.a
Dives in auro non peccans, rarissimus est. ibid. 507.1.b
Dives ideo divitiis impletur, ut probetur an iis non sit abusurus. ibid. 1.c perfectus est, si non peccet. ibid.d
ejus est ex Divitiis eleemosynas facere. 508.1.d 515. 1.a non ponat spem vitæ in opum copia, vel artis suæ excellentia. 660.2.a
qui Dives esse vult, uxorem sibi paret. 586.1.d
Diviti felici & vegeto mors, ejusque memoria gravis est. 651. 1. a 652.2.d
talis Duplici moritur morte. 651.1.b
quis vere Dives dicendus sit. 790.1.c
Dives æger miserior paupere bene sano. 495.2.b.c
huic Divitiæ sunt inutiles. 496.1.2.b.2.c.d
Dives impius, licèt æger, meliùs habet hic vivens, quàm post mortem. 495.1.a
Divinatio erronea à diabolo profecta res mendax est. 555.2.a
Divinationis veritas est testimonium divinitatis & sanctitatis. 596.1.a
Divini somnia diversimodè exponunt; unde eorum vanitas elucet. 556.1.d eorum responsa obscura sunt. 557.1.d.2.a per dæmonum subinde vera prædicunt. 634.1.b
Divinitas in Deo est ejus gloria objectiva, eique intrinseca. 674. 2. d
Divinitatem ambientes punire solet Deus. 111. 1.d ejus tamen omnes appetentes sunt. 318.2.a
Divites quare & undenam multa peccata committant. 445. 1.d in quo sint idolo similes. 496.2.d parvo labore multum ditescunt. 504.1.a in opibus suis possunt salvari. 605.2.a idque tripliciter. 2.b.c eorum peccata. 506.1.c eorum & pauperum diversum studium in labore subeundo. 503.2.c
Divitiæ cur vocentur iniquæ. 110.1.a.b.d eæ ne aspiciendæ quidem. 2.b non juvat post mortem. 111. 1.a eas solas magnifaciunt mundani. 206. 2. d non sunt multiplicandæ. 217.2.d earum cupiditas quando sit peccatum mortale. 218. 1.a non explent mentem 2. d sequuntur fugientem. ibid.d
sunt Donum Dei, hinc dat eas sæpè non solicitis, negat solicitis. 218. 2.a. 2.c. d 219. 1. b quæ bonæ, quæ malæ. 254. 2. a. b 254. 2.c.d iniquè partæ non perennant, sed diffluunt. 356. 2. a nocent stultis & insipientibus. 346. 1.d sunt res indifferentes. 446.1.a earum comparandarum nimium studium tabefacit carnem hominis. 502. 1.d. 2.a 503. 1.a hoc avertit ejus mentem à Deo. ibid. 1.b eumque inquietat. ibid. d. 2. a eæ multis sunt exitio. 504. 1.d 2.a faciunt hominem miserum. ibid. b à nullo eum malo liberant. ibid. c earum damna & epitheta. 2. b illis cor non apponere, magnum & rarum Dei donum est. 605. 2. a multorum peccatorum sunt causa. 504.1.b 506.1.d quare malæ sint. ibid.
Divitiæ veræ sitæ sunt in earum contemptis. 2.a cur vocentur facultates. 507.1.c eas magni facientes contra naturam operantur. ibid. earum finis. ibid.d sunt probatio & tentatio. 507. 1.d sunt occasio & peccandi & benefaciendi. 2. a quomodo conserventur. 523. 2. b quare vocentur iniquitatis. 562. 2.d sæpè proveniunt ab uxore bona. 585. 2. d earum affectus exuendus est. *vide* Opes, Aurum. 651.1.a
Divortium thori solius fornicationis causa licet. 434.1.a
sapientis est Docere alios quæ ipse didicit. 782.2.a
nemo doceat alium, quod prius ipse non didicit. 85. 2. a 117. 1. b 216. 1. a
Docti multi fuere difformes corpore. 211.1.d
sunt in Dubiis consulendi. 557. 2.a. c ab iis capienda sunt consilia. 593.1.b sint comes & humiles. 719.1.b
Doctor sit primus in opere. 108.1.d
non Doceat nisi quæ priùs didicit. 85.2.a 117.1.c 216. 1.a sit concha non canalis, quomodo. 277.2.a
Doctor sapientiæ à Deo mitti debet. 279.2.d sit erga discipulum benevolus. 409.1.d item ut fons effluens & affluens. 2.b
bonam in Docendo servet methodum. 583.2.a faciat priùs quàm doceat. ibid.a
ut utiliter Doceat, tria ei sunt necessaria. ibid.
in Dubiis consulat Dominum per orationem. 2.b & sibi & aliis prodest. 418.1.c 546.2.a
Doctorum insignia quatuor. 139.2.a
quomodo à Deo accipiant honorem ejus, 190.2.2.b sunt janitores sapientiæ. 271.1.b quæ illis aureola in cælo detur. 278.1.a
Doctores sancti sunt velut cedri. 398.2.c.d item ceu lucifer & stella Veneris. 546.1.c item velut hyades. ibid. d sunt mystici agricolæ. 615. 1.d per stellas repræsentantur sex virtutibus, ceu radiis, fulgentes. 772.1.d
Doctores falsi, amore lucri quidvis docent, & quibuslibet se accommodant. 538.2.d
Doctores dum creantur, pileo & torque ornantur. 600. 1. a *vide* Sapiens, Concionator, Prædicator.
Doctrina, scientia, sensus quomodo differant. 105.1.b.c
Doctrina pueris molesta est. 135.2.b item stultis. 359. 2. a sæpè latet in deformi corpore. 211.2.a
Doctrina acquisita prodit inscitiam. 316.2.b
Doctrina miserationis quæ dicatur. 319.1.c
Doctrina non debet abscondi, sed in apertum produci. 352. 1. d 352. 2.d sapientem ornat quasi aureus annulus. 360.1.c
Doctrina falsa est verè loquela comparata morti. 378.2.d
Doctrina ornatur à sancta vita. 528.1.d 528. 2. a imbri comparatur. 790.2.c
Doctrina vera & divina potior est omnibus argutiis philosophicis. 595. 2. d
Doctrina Evangelica se paulatim diffundit. 416. 2. d se etiam, velut lux, ad remotissimas gentes extendit. 417.1.b hæc vocatur aurora. ibid.d *vide* Sapientia.
Dogmata sapientiæ divinæ cur vocantur mysteria. 135.1.c
Dolor levatur compassione. 163.1.b
Doloris comes est voluptas. 309. 2.d parit amorem, & amor dolorem. 344.2.a
Dolosorum nequitia. 230.2.a 230.2.c.d 231.2.a
Dolosus suo dolo capi meretur. 458. 2. d eum luet tandem hic, vel in futuro. 459.1.a
multos conatur Decipere. 584.1.c
Domesticorum vinculum, est amor & concordia. 419.1.a iis non est usquequaque fidendum. 535.1.d
Dominans sibi, rex est. 704.2.d 705.2.d
vide Cupiditas, Concupiscentia.
S. Dominicus auctor est rosarii B. Virginis. 402.1.d fuit facula sui Ordinis. 442.2.d ejus morientis monita ad suos. 585. 1. a singulis noctibus ter se ferrea catena usque ad sanguinem cædebat. 665.1.a per igneam faculam designatus est ante ortum, inde totus factus est igneus.
B. Dominicus Loricatus semper in austeritatibus crevit. 454. 2. a quotidie disciplinas per integrum Psalterium faciebat. 149. 2. a 665. 1. a
Dominium uxoris in virum unde ortum habeat. 178.2.a
inter Dominos malos & servos, distat solum nomen. 553.2.a
Dominus asperior in servos sibi ipsi & familiæ nocet. 355.1.b.c
Domini multi à servis & domesticis proditi fuere. 230.1.d
Domitianus Imp. in muscas crudelis erat. 255.2.a
Domus sapientiæ, ejusque partes & cellæ quæ sint. 50.1.d
Domus servit homini ad tegendam turpitudinem. 484.1.b.c
Domus propriæ commoda varia. 485.1.a & seqq. 485.2.c
Dona Dei sunt immutabilia. 221.1.d & perennia. ibid.c ea Deus dat prout & cui vult. 220.1.a
Donatistæ censebant ab hæreticis baptizatos, esse rebaptizandos. 555. 1.d 566.2.a
Donatus presbyter S. Ambrosio detrahens, à Deo punitus fuit. 474. 2. d
ut Donum Deo gratum sit, octo conditiones requiruntur. 573.1.b dona iniquorum Deus reprobat. 563.1.d 665.2.a imò ipsi ex iis nihil lucrantur. 1.b.
Dormiens est imago peccatoris. 366.1.c.d
[illegible] est munera prava offerre. 573.1.c
Dorsum iniquorum pios opprimentium à Deo tandem contribulabitur. 576.1.a
δόξα & gloriam & opinionem ac famam significat. 573.1.d
Doxologia S. Francisci de Deo. 701.1.a
Drachma argenti ejusdem est pretii cum regali Hispanico, at auri ejusdem cum coronato Gallico. 32.2.d
Dualitas est numerus accommodatus divisioni. 545.1.c

Dua-

Dualitas opposita reperitur in rerum creatarum generibus. 634. 1. b. c
Duello non sunt injuriæ vindicandæ. 464.1.d
Duella quatenus licita & illicita sint. 739.2.d
Dulcedo est amica naturæ, & velut mel. 645. 2. a quanta dulcedo sit sapientiæ. ibid.1.c
Dulcor & suavitas distinguuntur. 183.1.a
Dulcor etiam in verbis locum habet. 240.2.d
Duobus dominis nemo placere potest. 87.1.a.b.2.a
qui dicantur Duabus ingredi viis. 87.1.a.b
Duos deos colere quid sit. 67.2.d 68.1.a
Duplex sæpè capitur pro multiplex, magnus, validus. 757.1.d.2.a
quomodo omnia Duplicia creata sint. 674.1.b
Duplices corde qui dicantur. 67.2.a & seq.
Duplicitas triplex notatur, cordis, oris, manuum. 67.2.a
Dura à fulmine feriuntur, non mollia. 687.1.b
Durous equus proverbium de quibus dicatur. 230.1.d
Durities cordis describitur. 85.2.b.c hæc est aperta ad damnationem via. 86.1.a
Durities heroum cogit servos ad necem. 552. 2. a qui eligendi sint in Duces. 523.2.d *vide* Princeps.

E

EBrietas in muliere, maximè probrosa est. 478.1.a.b ejus damna. 513.2.d 520.2.d 601.1.d comparatur aquæ cui ferrum intingitur. 517.2.c.d opus diaboli est. 519.1.a ejus descriptio. 520. 2. a.b ejus effectus. 520.2.c.d
Ebriosus vitam decurtate. 518.1.d est velut dæmon. 520.1.a
Ebrius plerumque rixas excitat. 520. 1. b 620.2.d ebriorum mores. ibid. 1.d.2.a.b.c. 521.1.c
in Ecclesia Christiana habitat, & requiescit SS. Trinitas. 394.1.d ipsa est peculium Christi, in eaque semper habitabit. 396.2.c.d ejus collum est B. Virgo. 396. 1.d est Christi palmetum amœnissimum. 400. 1. a peccatis offenditur. ibid.c palmæ assimilatur. ibidem. 1. a, & seqq. se per orbem extendit. 407. 1. a 417. 1. b comparatur areolæ hortorum. 416. 1. d. 2. a vocatur hortus plantationum. 2. b est velut Ierusalem. 581. 2. d & velut Sion. 582. 1. b per pulchram mulierem designatur. 585. 1. b est nidus fidelium. 587. 1. d ea erit perpetua. 599. 2. d ejus typus est firmamentum. 677. 1. d item luna. 452. 2. d 683. 1. c 684. 1. b cur Sanctos celebret, & canonizet. 704. 1. b ejus caput est unum, & ipsa una. 723. 1. a per Israelem designatur. 779. 1. a est domus disciplinæ. 790. 2. b
Ecclesia etiam pro sapientum cœtu, & concilio sumitur. 618.2.b
Ecclesia januæ assimilatur. 271. 1. a in ea lupi habitant cum agnis. 251.2.d per omnes partes orbis diffusa est. 297. 1. a congregatio, & cœtus quilibet hominum etiam Ecclesia est. 359.1.a ipsa meliùs fidelium cœtum significat, quàm concio. 277.1.b
cur Ecclesia preces, & responsoria sua iteret. 148. 2. c semper laudat SS. Trinitatem. 260.2.b
Ecclesiastes liber Salomonis unde dicatur. 21.1.a
Ecclesiasticos non licet esse caupones, & mercatores. 444.2.b
Ecclesiasticus liber an sit canonicus. 12.1.2.b id negant hæretici, & unde ibidem. probatur esse. 13.1.a, & seqq. citatur à variis Patribus Græcis, & Latinis. 2.c.14.1.b olim exstitit hebraicè, & habitus est canonicus à Rabbinis. 794. ejus auctor non est Salomon, sed Iesus filius Sirach. 14.2.d cur Salomonis sit attributus. 15.1.a, & seqq. annectitur ut plurimum libris Salomonis. ibidem. numeratur inter libros propheticos. 15. 2. b quando sit scriptus. 16. 2. a, & quidem hebraicè. 2. c. d vel potiùs syriacè. 17. 1. b hebraicè non extat. 18.2.a ejus interpres Latinus quis fuerit. 17.2.c cur Græcus ejus textus ita sit varius. 18. 2. a ejus varii interpretes, & commentatores. 19. 1. d sæpè utitur apologis. 19. 1. d ejus argumentum. 20. 2. d cur vocetur πανάρετος. 21.2.d quare dicatur Ecclesiasticus. 21. 1. a in quo præstet Proverbiis Salomonis. 2. b tres ejus libri partes. 20. 2. b. c capitum ejus omnium brevis synopsis. ibid. c. d & seqq. cujuslibet virtutis officium particulariter recenset, & omnes partes moralis doctrinæ. 22. 1. c multi Præsules eum assiduè legunt. 2. 1. d methodus hujus libri. 22.2.a tractat ethicam tam naturalem quàm supernaturalem. 22.2.c sententiarum ejus ordo sæpè in Græcis alius est quàm in Vulgata. 22.2.d 23.1.a in præceptis moralibus tradendis Ethnicos omnes superat. 24.1.d
Ejus stylus. 27.2.c in eo sæpe reticetur verbum *est* aut *sunt*: item scopus & finis sententiæ. 29. 1.a
Ejus sententiæ non significant quid semper, sed quid plerumque contingat. 29.1.b.c non servat in iis ordinem aut connexionem. ibid.b sæpè ab una re transit ad aliam & vicinam. ibid.c omnigena præcepta complectitur. ibid.
Ejus libri scopus est agere de sapientia tum in genere, tum in specie. 133.1.c
Echinus terrestris ex invidia suum corium corrumpit. 261.1.a
Ecnophias quàm sit vehemens ventus. 690.1.a
Edendum citra facietatem. 601.1.a
vide Comedere.
Educatio bona filiorum est bonæ reip. seminarium. 487.2.d 488. 1. b. c. d
Educatio mollis vires mentis & corporis enervat. 156.2.d
Effectus non prævidetur, nisi ex prævisa causa. 157.2.d
Effeminatus vir magnum est probrum. 431.1.c.d
Efficax gratia summum Dei donum est. 542. 2. b
Ejus elogia. 1.c
Egressus Solis est ejusdem ortus. 448.2.b
de Eleazaro filio Aaronis nihil eximium narrat Scriptura. 725.2.b misit LXX. interpretes ad Ptolem Philadelphum. 16.1.a 16.2.a
Electa oportet sint opera nostra, non qualia qualia. 269.1.c
Electi quomodo sint à Deo prædestinati & benedicti. 542. 1. d 543. 1. a 2.b 544.1.b
Electio prædestinatorem facta est post prævisum peccatum originale. 158.1.c
Electio efficax cujusque electi ad gloriam non est à Deo facta ante prævisa ejus merita ex mero Dei beneplacito. 541.2.c
Electionis in re dubia tres regulæ. 595.1.c.d
Eleemosyna dantis cautiam agit apud Deum. 78.2.a peccata expiat. 88. 2.d 89.1.d 476.2.c non tamen sine pœnitentia. 89.2.d est aqua peccati ignem restinguens. 89.1.a.b est secundus baptismus. ibid.c cur peccatum exstinguat. ibidem 2. d dantem à lapsu in periculum & peccata præservat. 89.2.c.d ejus elogia. 90.1.2.b 95.2.a & commendatio. 292.1.d ipsa pauperi debetur. 91.1.a 49.1.a ex illa ejus vita pendet. 91.1.c variæ ejus species. ibid.d citò danda est. 91. 2. c. d 92.1.b & seqq. stimuli ad eam. 93.1.c.d dantes facit quasi deos. 95. 1.b quanti apud Deum sit momenti & meriti. 95.2.a 305.2.b.d parum juvat in peccati statu data, disponit tamen ad pœnitentiam. 234.2.c.d 565.2.a.b quando & quomodo ea peccatori danda. 159. 1. d. 2.c 160.1.b magna danda pio, parva impio. 386.1.b ex opibus à Deo acceptis facienda est. 162.2.a
Est in vita melior quàm in morte. 165.1.b.d in Script. vocatur justitia. 266.2.a 306.1.a non liberat à gehenna graviter peccare pergentem. 386.1.d in morte homini subvenit. 305. 1. b. c cur vocetur signaculum. 305.2.a est signata in mente Dei. ibid. hinc semper ejus recordatur. 2.d 306.2.a
impetrat Eleemosynario gratiam & peccatorum pœnitentiam. ibid. b est velut sacculus pecuniæ. ibid.c diligenter & curiosè conservat gratiam. ibid.d ejus gratia confertur gratiæ miraculorum. 306. 1. d etiam apud hostes gratiam invenit, avertit dæmones. ibid. 476.2.c non prodest damnatis. 2.d detur animo hilari. 319. 2. a 571. 2. d eam dans magis accipit, quàm det. 320.1.d est præparatio quædam ad orationem. 423.2.d
Eleemosyna spiritualis quæ sit. 236.2.c ea potior est temporali. 481. 1. a
Eleemosyna vocantur initia sanctorum & sacrificium. 162.2.a
Eleemosyna magna validam requirit manum. 476.1.d & seq.
Est actus magnæ beneficentiæ, & heroicum requirit animum. 2.a conciliat Dei gratiam & hominum amorem. 479.2.d est concludenda in corde pauperis, & quomodo. 480.1.b & seqq. exorat Deum pro dante. ibid.c 480.2.c.d 481.1.d 508.1.d facienda est occultè. 480. 1.d debet pauperem reficere & consolari. 480. 2. a gaudet pauperi dari. ibid.b.c ejus vis & potentia. ibid.d 481.1.a ipsa velut pennata & levis est. 481.c.d
Est lancea & scutum contra hostes. 522.1.a
Etiam animabus defunctorum prodest. 496.2.a quare vocetur pietas hebraicè. 508.1.b opes stabilit. ibid.2.c 129. 2. a ejus conditiones. ibidem 2.a in omnes est effundenda. 2.c non est facienda ex usura & rapina. 562.2.a 563.1.a 2.c.d hæc quinque habet nomina. 564.1.a & seqq. 565.1.2.d
Est victima laudis quadrupliciter. 569.1.2.b
Est maximus recessus ab injustitia. 1.d triplex sacrificium in se includit. 2.a dantem ditat. 476.2.a 480.1.2.1.b 572.2.d
Est velut paradisus proferens fructus immortales & optimos. 643.2.b.c æternum danti nomen parit. 763.2.a.b ad eam invitatio & motiva. 569.1.b.c
Eleemosynarii remunerantur fœcunditate & numero filiorum. 78.2.c iis Deus semper prospicit & benefacit. 89.2.a
hinc Eleemosynarii filio Christus à patre datus curator, ei de divite uxore prospexit. ibid. non timeant inopiam. 94.1.a à Deo omnia petita impetrant. 306. 1. b.c sunt in oculis & mente Dei. 305. 2. d 306. 1. a
Eleemosynarius charitatem tum Dei, tum proximi habet. 476. 1. b
Ejus generositas. ibid.d
Ejus strenuitas. 476.2.a
ab omnibus amatur & benedicitur. ibid.b 516.2.d pauperes impensè amet & foveat. 486.2.b
det Eleemosynam ex amore & honore Dei. 569.1.a
recedit ab injustitia. ibid.d

Ele-

Elementorum concordia, conservat ipsum universum. 420.1.a
omnia Elementa damnatos in gehenna, & impios in hac vita cruciant. 635.1.b.c.2.a exigentibus peccatis, in hunc usum à Deo convertuntur, ibid.2.c
Elephantes ab hominibus cicurantur. 300.2.c senectutem honorant, 529.2.c
Elias quando sit raptus. 753.1.b in quem paradisum raptus sit. 711.1.d.2.a.b veniet cum Antichristo decertaturus. 1.d 712.2.a.2.b 713.1.a 755.2.d 756.1.b hoc raptus est in gratia confirmatus. 711.2.d non patitur ullos inordinatos fomitis motus. ibid. maximis Dei consolationibus, illustrationibus, & revelationibus gaudet. 712.1.a novit Christi adventum. ibid.c est typus resurrectionis mortuorum. 1.c,d in fine mundi omnes ad poenitentiam excitabit. 2.a Judæis tunc maximè prædicabit. ibid. 756.1.2.b.d cur ipse ad hoc maximè delectus. 712.2.a Ochoziæ mortem prænuntiavit. 736.1.c quomodo Dei cultum miraculo stabilierit. 748.2.d ultus est injurias Dei occidendo pseudo prophetas. ibid.c ipse idololatriam maximè sitit, 749.1.d ejus zelus pro honore Dei. 754.1.a hic fuit justitiæ potiùs quam clementiæ ad peccatores convertendos. 640.2.d igni comparatur & faculæ. 750.1.a & seqq. ardebat charitate Dei. ibid. in verbis & operibus erat efficax. 1.b quod nominis ejus etymon sit. ibid. excitavit apud idololatras incendium, tum famis, tum ignis. ibid. c quomodo igne nutritus dicatur. ibid. fuit typus Apostolorum in linguis igneis. ibid.c cur famem Israelitis & sterilitatem terræ induxit. 751.1.d tertie anno pluviam terræ reddidit. ibid.a cælum oratione clausit. 2.b ter ignem cælo dejecit. ibid.d fuit cælipotens & ignipotens. 2.a in quo fuerit typus sacerdotum. ibid.c jejunio patrat miracula. ibid.d varia ejus miracula. 752.1.d.2.a primus mortuum ad vitam revocavit. ibid.b reges quatuor potentes ob idololatriam & scelera morte multavit. 753.1.a quas litteras ad Joram regem è paradiso miserit. 1.c etiam raptus gessit curam gentis suæ. ibid.d fuit à Deo ob nimium vindictæ zelum reprehensus. 2.a quid per sibilum auræ tenuis ab eo edoctus. 753.2.d 754.1.a.b quomodo Hazaelem & Jehu unxisse dicatur. 2.a
Ejus raptus quomodo contigerit. 2.b.c raptus est ab angelis in specie currus & equorum igneorum. ibid. cur. 2.c & seq.
Ejus doctrina erat cælestis. 755.1.a
Ejus raptus fuit quasi triumphus. ibid.c ignem gehennæ peccatoribus intentavit. 1.d spiritum suum in Eliseo reliquit. 756.1.c in quo Christi typus fuerit. ibid.b 752.1.b
quis Ejus duplex spiritus. 756.2.d
R. Eliezer elogium. 714.2.d
cur Deus hos Eligat, hos reprobet. 542.1.d 543.2.b 544.1.a.b
Eligendum in dubiis id quod in hora mortis habuisse & egisse voles. 164.2.d
S. Eligii morientis exultatio. 44.1.d Dei ope insignis aurifaber evasit. 620.1.a
S. Elisabetha Hungarica inimicis suis beneficia à Deo postulabat. 464.2.a
S. Elisabetha regina Portugalliæ falsò fuit adulterii accusata. 460.2.a nummos vertit in rosas. 773.1.a
Eliseus cur ursos immiserit in pueros sibi illudentes. 490.2.c factus est heres spiritus Eliæ. 756.2.d an eo majorem habuerit. ibid. 757.1.a negatur, sed habuit eumdem. 1.c.d & seqq. quare duplici spiritus opus habuerit. 2.c nihil veritus principum iras, Dei veri cultum liberè prædicavit. 758.1.a ejus intrepida libertas & constantia. ibid. b & seqq. norat omnia arcana, eaque per spiritum propheticum revelabat. 758.1.c
Ejus corpus sepultum mortuum vitæ reddidit. ibid.b.2.a
varia Ejus miracula. 2.c
Eloquentiæ quanta sit vis. 645.2.a
Eloquentiæ sapientum & fatuorum discrimen. 361.2.b
Eloquentia illa bona est, quæ spirat sapientiam. 2.d
Elymas quid propriè sonet. 135.2.a
ἐμβατεύω tria significat. 608.1.c
in Emendo intercurrit peccatum. 446.1.c.d
Ementes vili pretio, sæpè aliam jacturam patiuntur. 347.1.2.b
Empedocles quare symposiarcham in ius vocarit. 522.2.a
ἐμπιστεύω idem est quod credo, fidem adhibeo. 777.2.d
Emptio & venditio sunt correlativa. 664.2.b
non est consulendum cun Emptore de venditione. 593.2.c
Enallage modi in Script. frequens est. 792.1.a
ἐγκρατής varia significat, inter cetera, continens. 138.1.c 461.1.b
Encratitæ docebant vino abstinendum esse. 519.2.d
ἐνδελεχίζω & ἐνδελεχῶς quid sint. 349.1.c 594.1.d.2.a
Engaddi urbs priùs dicta est Asasonthamar. 399.2.b 400.1.a erat juxta Cades.
ἐγγυάω & fidejubeo & fidem do, significat. 173.2.a
Ennius quare dictus sit tria habere corda. 788.2.d
Ens nomen est solius Dei. 607.1.c
Ens omne sine Deo nequit subsistere, & in eo continetur. 696.2.a
Enthusiasmus quadruplex est. 626.1.d
Entitas omnis creata essentialiter manat ab entitate increata Dei 35.1.d
ἐγγύημα quid propriè significet. 515.1.a ibid.2.c.d
ἐπαγωγή in Ecclesiastico vertitur plerumque *obductio*. 610.2.d
ἐπέχειν idem est quod attendo, intendo, incumbo anxiè. 115.2.a item alia & contraria significat. 248.1.b
Ephesinæ Dianæ templum trabes habebat cedrinas. 398.2.a
Ephialtes quod genus morbi sit. 640.2.d
Ephod quale esset describitur. 731.2.b
Ephraim tribus fuit regia. 747.1.c 748.1.d
S. Ephrem Syrus aliam Syriacam versionem citat, quàm est moderna. 18.1.b scripsit sua syriacè, non græcè. ibid.c
Ejus commentarii in universam S. Scripturam. ibid.c modò consentit cum textu Græco, modò cum Latina Vulgata, modò ab utroque dissentit. 18.1.a
Ethicam Evangelicam paucis sententiis tradidit. 26.2.d ceteros Patres spiritu timoris & compunctionis antecellit. 58.2.d
Ei per visum apparuit vitis fructifera. 407.1.d
item sapientia. 409.1.b qualiter per meretricem sit instructus. 661.2.a vetuit funebrem sui laudem. 703.1.a dictus est Sonora lyra Spiritus sancti. 707.1.c
Epictetus totam Ethicam duobus verbis est complexus. 23.1.c in paupertate tranquillam vitam vixit. 653.2.a
Epicurus voluptatis animi assertor fuit, non corporis. 4
S. Epiphanii Ticinensis elogium. 714.2.b
Episcopi pauperum, orphanorum & viduarum jura tueantur. 94.2.d proponant suis mensam doctrinæ & Eucharistiæ. 526.1.d
quomodo initio Ecclesiæ populo benedicerent. 583.1.d.2.a olim vocati sunt Papæ. 703.2.a
Episcopos sanctos audiant reges & principes. 737.1.a eorum virtutes septem. 773.2.d 774.1.a
ἐπιστήμη scientiam, disciplinam, & peritiam significat. 440.1.b
Epistola de communi Confessoris Pontif. unde sit conflata. 714.2.d 716.2.c.d 718.1.a
ἐπιφέρω diversa significat. 332.1.a
Epulationis damna. 328.1.d
Epulæ ad sepulcra Gentilium apponebantur. 496.1.b item ad Martyrum à Christianis. 1.d
Epulum funebre pauperibus & amicis instituendum est. 609.1.d
Epulo in inferno non habuit linguam quam petiit refrigerari. 151.2.b & seqq.
Equa è pulli fronte hippomanes devorat. 260.2.d
Equus indomitus fit intractabilis. 491.1.c.d
Equus hinnit vel ex amore, vel ex ira. 538.2.c.d
Equi in circulum coacti hostem impetunt. 420.1.c
Erasistratus medicus ob Antiochum regem sanatum talento donatus est. 604.1.a
Eremitæ plurimi fuere longævi. 52.2.a in deserto etiam alios docebant, proximoque proderant. 352.1.d
ἐργολαβεῖν est idem quod operam loco, opus faciendum conduco. 483.1.d
ἐργολάβος & ἐργολαβία, referuntur ad laborem conductum. ibid.
Erostrati nomen erat abominandum apud Græcos. 656.1.a
Error practicus in omni peccato continetur. 220.2.a.2.c
Error capitur interdum pro idololatria. 784.2.d
Error quicumque in victu & potu, nocet corpori & animæ. 513.2.d
Erubescenda quæ sint. 659.1.c & seqq.
quinam Erubescant veritatem confiteri. 102.2.b
Esau fuit exclusus à benedictionibus Abrahæ & Isaaco à Deo factis. 716.1.d
Esdras libros sacros correxit, & novis characteribus conscripsit. 190.2.a
Essæi quare connubio abstinerent. 439.2.a
Edebant cum sacra lectione. 526.2.d fuerunt studiosi S. Scripturæ. 621.2.d
rimabantur Ejus sensus allegoricos & symbolicos. 622.2.a
Essentia Dei est infinita. 701.1.d
Esther prudentia sua Judæos omnes morti eripuit. 585.2.b
Esuries est optima dispositio ad sapientiam. 411.1.b
Et est nota comparationis, valetque idem quod *sic*. 29.1.d 242.1.c 290.2.b 366.2.a 426.2.d item quod *ergo*, *quare*. 291.1.a
ἑταῖραι, id est sodales, cur dicantur meretrices. 589.1.b
Ethica naturalis humanæ naturæ coæva est. 1.
Ethices naturalis cum sacra analogiæ: antiquitas ejus, & origo. 2. regibus est necessaria. 3
Ejus auctores & discipuli: inter scientias ei palmam dederunt prisci. 3
Ejus elogium. ibid.
Ejus officia & materia. 5.6 vitia castigat, & judicium hominum de agendis reformat. 8. fuit tantum vanæ virtutis cultrix. 8. est princeps scientiarum. 9
Ejus & jurisprudentiæ connexio, & subalternatio. 10. ostendit viam

viam ad beatitudine. ibid. olim per apologos, & fabulas docebatur. 19.2.c ea perfectè in Ecclesiastico traditur. 20.2.d.22.1.d etiam ad ad politicam, & œconomicam se extendit. 621.1.a ethicam prisci carmine tradidere, cur. 707.1.d.
Ethica supernaturalis, & Christiana quæ sit. 1. ejus origo. 2. ejus fructus est præstantia. 3. ejus antiquitas apud Hebræos. 5. ejus officia, materia, argumentum. 5. ejus in docendo vis. 7. mentem, & intellectum mirè illustrat. 8. vitia domat, & expellit. ibid. in Deum desinit. ibid. damnat philosophorum Ethicam. 9. ad beatitudinem suos asseclas deducit, ejusque amorem iis indit. 11.
Ethicam mythica quàm sit antiqua. 244.1.c.d
ευδος quid sit, & unde vos derivetur. 351.1.a
Eva significat feminam. 428.1.d an Eva sola peccans filios infecisset peccato originali. 433.1.b per eam factum est initium peccati. 432.2.d 433.1.a
Evangelica perfectio longè major est ea quam Judæi sectabantur, 549.1.d.2.a
Evangelii prædicatio fuit ceu vox tonitrui. 689.2.b.c
Evangelistæ Ethicam supernaturalem in Evangelio tradunt. 5.
Euboea insula à Bœotia avulsa est. 695.1.a
ευχετικ lingua quæ sit. 124.1.d
Eucharistia est panis vitæ. 276.1.b.c 276.2.c ejus figura. 2.d post eam sumptam non statim ad res externas declinandum est, 265.2.d
Eucharistia est velut balsamum. 405.1.a in ea edimus carnem B. Virginis. 412.1.a ipsa vitam dat animæ. 518.2.d est simul mincha, & victima. 607.1.b sumenti impetrat sanitatem. ibid. medetur morbis animæ. ibid. d. in ejus sumptione qualiter Dei præsentia fingenda sit. 665.2.c.d ejus sacrificium est laus realis summa Dei. 700.1.d per sacrificia prisca denotatur. 775.1.b ejus oblatio vim impetrandi habet ex opere operato. 563.2.a 569.2.b
ευχη nunc orationem, nunc votum significat. 322.2.d 323.2.d
ευδοκια est beneplacitum, voluntas, id quod vult Deus. 55.2.d
Eventu non sunt actus metiendi. 534.1.d
Eugenii tyranni adversus Theodosium Imper. insurgentis exitus, 459.2.d
Evirare est effeminare. 469.1.a
Eumenes rex volebat à fratribus adiri ut rex, non ut frater. 248.1.b
ευνοια est benevolentia, favor, amicitia. 424.2.b
Eunuchi commissas habebant virgines, sed his sæpè abutebantur. 343.2.d eorum frigiditas. 497.1.c
ευχαριστειν varia significat. 97.1.b
Euripus septies per diem fluit, & refluit. 694.2.d
Eusebius Cæsareensis primus Martyrologium scripsit. 762.2.d
Eusebius Anachoreta parvum delictum acri poenitentia castigavit. 331.1.b ejus alacritas in infirmitate toleranda. 51.1.d
Eusebius Nicomediensis Constantinum Magnum S. Athanasio reddidit infensum. 230.1.d
S. Euthymii morientis monitum de hospitalitate. 487.1.a quando sit mortuus. 1.c
Eutropii eunuchi potentia, & intolerabile regimen, ejusque ruina. 424.1.b.d
cur Excelsam in veteri legem vetarentur. 765.1.b
Excelsus animus iram facilè moderatur. 465.2.c
Exceptoria aquarum qualia Deus tertio mundi die crearit. 629.1.a
Excessus in omni re, etiam bona, noxius est. 601.1.b 601.2.d
Exempla Sanctorum assiduè inspicienda sunt. 702.1.2.b 703.1.c.d
Exempla plus movent, quàm præcepta. 20.2.d
Exercitia à professione aliena suscipienda non sunt. 232.1.c
Exercitium moderatum sanitati conducit. 494.2.a 515.1.b ejus utilitas. 2.b exercitia pia hora certa destinata fieri, non sunt facilè omittenda. 486.2.c
Exorare pro placare sumitur interdum. 289.2.a 291.1.d
Expectandum à Deo auxilium tentato. 62.1.c
Expectando nobis vita dilabitur. 639.1.c
Expectantibus Deum quæ detur merces. 582.2.b.d
Expectatio tam bonorum quàm malorum mirè animum discruciat. 677.2.a
Experientia rerum magistra est. 558.1.b.2.a.b
Exprobratio dati beneficii res erubescenda est. 662.1.b
Externa nihil prosunt, si non sequatur vita bona. 665.2.a 567.2.a
Externa non sunt spectanda, nec secundùm ea judicandum. 209.2.b 211.1.c 213.1.a 214.1.a
Extollentia nocet proximo, & amicitiam dissolvit. 222.1.a
Extranei non sunt facilè in domum admittendi. 232.1.b nec eis secreta committenda. 176.1.2.b
Ezechias rex urbem Jerusalem quomodo munierit: aquam in eam per canales induxit. 759.1.b fuit pius rex. 759.2.a
Ezechielis encomium. 765.1.d ejus portenta, & miracula. ibid.c

F

FAba notat judicium, judicumque suffragium. 216.2.b
Fabæ apponebantur ad sepulcra gentilium. 496.1.c
Faber nomen generale ad varias artes extenditur, dignosciturque ex adjuncto. 616.1.c faber ferrarius etiam multiplex est. ibid. ejus descriptio. 1.d.2.a.c.d fabri ferrarii primi an fuerint Cyclopes. 616.1.d eorum industria. 1.d.2.a.c.d olim remotè à cœtu populi habitabant. 618.2.a 618.2.c
Fabiolæ publica confessio, quòd vivo marito repudiato alteri nupsisset. 311.2.2.b
Fabricii Romani constantia. 116.2.a 369.2.b.c
Fabula *vide* Apologus.
Fabulis delectantur insipientes, & stulti, 349.1.2.b.d
Fabulosa Ethica quàm sit antiqua. 244.1.b.d
Facies subinde capitur pro persona. 190.1.a
Facies speculum mentis est. 255.1.d b.b.d
Facies Dei coram qua orare jubet Ecclesiast. varias significat. 308.1.a facies index est cordis. 431.2.a *vide* Vultus.
Facio pro sacrifico sæpè sumitur. 572.2.c
Facta aliorum non sunt curiosè indaganda. 216.2.a
Factiones priscæ Alborum, & Nigrorum, Guelforum, & Gibellinorum Italiam diu turbarunt. 466.1.d
Factum priusquam fiat, examinandum, item cùm jam factum est. omne factum à nobis, æternum est. 548.2.b
Facultates filiis non tradendæ ante mortem, 549.2.a.1.c.2.b sed in morte. 549.1.d
Famæ maxima habenda est ratio, idque per filios. 654.2.d quare ad eam prisci tam fideles, quàm infideles, ita anhelarint. 656.2.d hoc oritur ex animæ immortalitate. 654.1.d 710.2.a quibus maximè curanda fama. 657.1.d quomodo bonam famam rex, & judex assequetur. 762.2.a fama impiorum cessat post mortem. 656.2.c.d
Fames spiritualis unde nascatur. 411.1.a & seqq.
in Familia qualibet est imago SS. Trinitatis, maximè in familia Verbi incarnati. 420.1.b
Familiæ stabiliuntur per filios parentibus honorem deferentes. 76.1.c.d
Familiaritas cum principe periculosa est. 184.1.d & nimia parit contemptum. 379.1.d
Fatua regis Latii uxor à marito virgis cæsa ad mortem, quòd vinum bibisset. 438.2.b
Fatui etymon. 183.2.b.c fatuos honorant Turcæ. ibid.b
Favorinus sapienter cessit Imp. Hadriano, cui erat infensissimus. 186.1.a
Felicitas impiorum non diu durat. 183.1.c.d eaque in tormenta transit. 183.2.c.d
Felicitati sæculi non est nimis fidendum, quia fugax. 147.1.d 324.1.b.2.a non est in opibus sita. 493.2.b felicitas nimia multis causa est lapsus, 746.1.d
Felicitas veteris legis erat in bonorum abundantia sita, Evangelica in carentia temporalium. 472.2.c felicitas terrena Judæis semper promittitur; Christianis cælestis, & spiritalis. 434.2.a
Felicitas impiorum brevis est. 642.1.c.d.2.a
S. Felicula virgo, & Martyr læta tormenta subiit. 45.1.b
Felix multos habet inimicos. 237.1.c 2.b.b
Feminas decet pudor, & timor, sunt præ viris devotæ. 48.1.a à viris in conviviis deberent segregari. 182.1.a earum consortia vitanda, etiam levia. 330.1.a omnes vitandæ sunt. 585.1.a sunt misericordiores viris. 586.1.d iis numquam est credendum. 591.1.a earum levitas, infirmitas, inconstantia. 666.1.a feminæ apud Ægyptios, & Lycios olim imperabant. 432.1.c *vide* Mulier, Uxor.
Femoralia erant prima pontificis vestis. 721.1.a
quæ Fenestræ mysticæ sint, per quas Deus videri possit. 270.2.d & seqq.
Feræ hominem timent, & ab eo domantur. 300.2.b.c.d quæ fera seipsam edat. 181.2.d
Ferdinandus Magalianus orbem totum triennio circumnavigavit. 694.1.d
Ferrum symbolum est duræ servitutis. 470.1.d item constantiæ. 633.1.c
Ferrum ignitum aquæ intinctum indurescit. 517.2.b.c ferri usus, & necessitas: est optimum, & pessimum vitæ instrumentum. 632.1.a

Fervor Deo servire incipientium est velut viridis seges. 646.1.d

Festorum dierum, & annorum, & non festorum, distinctio unde ortum habeat. 539.1.c.d 540.2.a.b festa nonnulla Judaica incipiebant non à die, sed à luce. 539.2.d at reliqua omnia incipiebant à vespera præcedente. 540.1.a alia erant majora, alia minora. ibid. b. c festa Sanctorum publicè celebrari jubentur in eorum canonizatione. 704.1.c.d ab initio Ecclesiæ hæc cœpta celebrari, & quo ritu. 2.a

Festus Avienus fabulas conscripsit. 244.1.c

Fidejubendum non est supra quàm solvendo sis. 273.2.a.b

Fidejubere quid sit. 453.2.c

Fidejussio pro altero quantum sit beneficium. 481.1.2.b 482.1.a quæ ejus formula olim esset. 481.2.c quid in ea cavendum. 482.1.a 453.2.a rarum exemplum fidejussionis. 482.a.b

Fidejussio temeraria quæ causetur mala. 483.1.a.b

Fidejussor duplex est. 481.2.a triplici cautela sibi caveat. 482.1.a ei satisfaciendum est. 482.2.a 483.1.a mancipiorum similis est. 453.2.c

Fideles soli capaces sunt veræ sapientiæ, & practicæ. 388.1.b. cur vocentur Ecclesia, & exercitus. 388.1.d deberent omnes erga B. Virginem bene esse affecti. 412.1.a eorum cœtus est velut areola hortensis. 416.1.d sunt corona doctorum suorum. 525.2.a eos Deus semper benedixit, & exaltavit. 541.2.b coæquantur Christo primogenito Dei. 581.2.b sunt creaturæ Dei. 582.2.b sæpè per diem Deum dilaudent. 627.2.a *vide* Pii, Sancti, Justi.

Fidelis est Deus erga fidelem sibi. 182.2.d

Fidelibus concreatus est timor Dei. 47.2.b.c certent pro Deo, & justitia contra tentationes. 107.2.b

in Fidelitatem peccat qui amici arcana detegit. 456.1.d

Fidelitas servorum in quo sita sit. 551.2.d 552.1.a

Fidelitas, & lenitas sanctificant hominem. 717.2.d 718.1.a

Fides sanctorum charitate informata est. 47.2.b & hæc Deo placet. 284.1.c ejus præmia. 65.1.a ejus fructus. 65.2.c.d 66.1.d fides antiqua præstat novæ. 183.1.b novam profitenti citò non est credendum. 333.1.c intrepidè est confitenda. 102.2.b 104.2.d

Fides est initium bonorum, & donorum omnium. 426.1.a sine ea Deus nequit cognosci. ibid. acuit, & elicit timorem, & amore Dei. ibid. b fides languida, & mortua causa est damnationis. 2.b fides per dilectionem operans ornat doctrinam. 528.2.a fides, & veritas in æternum stabit. 642.1.a subindes fides capitur pro rectitudine, & constantia. 659.1.a

Fides, Spes, Charitas, tres filiæ S. Sophiæ fuere Martyres. 627.1.a

Fiducia in Deum in operibus omnibus adhibenda. 548.2.a tentationis optimum remedium est. 65.1.b.c.d est nervus orationis. 146.1.a

Figulus vasa diversa formans symbolum Dei est. 543.2.b.c ejus in opere suo industria. 619.2.a.b.c & seqq. primus figulus fuit Deus 2.b est symbolum prædicatorum. 618.1.b.c

Filia dissoluta, & audax infamat se, & parentes. 364.1.b.d at prudens hæreditatem viri accipit. 364.1.c filiæ quomodo castæ servandæ. 156.1.b non nimis blandè habendæ. 156.1.d.2.a sunt matris imitatrices. 228.2.a earum elocatio quoto anno facienda. 157.1.a Filiæ est viri conspectum fugere. 439.1.c filia inverecunda salax est. 439.1.d.2.a filia una quomodo sit melior altera. 584.2.a.b filia omnis patri custodienda. 665.1.d quare. ibid. & seqq. 666.1.b maximè lasciva, & procax. 439.1.b.d. 666.2.a

Filius cùm jungitur genitivo præmii vel pœnæ, apud Hebræos idem est quod dignus; cùm verò genitivò virtutis aut vitii, idem est quod studiosus, & discipulus. 73.1.b unde derivetur vox filius. 489.2.c filius est peculium, & possessio patris. 76.1.a quid patri debeat. 75.2.a.d 76.1.a.b 76.1.d 77.2.c idem filius an possit ex aliis parentibus nasci. 157.2.b & seqq. filius improbus dedecus est patris. 287.1.a parentes despicit, & negligit. 288.2.c talis quomodo castigandus. 288.1.a filius ad omnem patris vocem tremat. 490.2.d est velut vita ejus. 564.1.a filii pro patre mori volentis exemplum. 489.1.d filius, & pater quasi una persona sunt. 490. filius indulgenter habitus, posteà parentibus timorem incutit. 491.2.d.491.1.a Filii fidelium non sunt à peccato originali immunes, ut vult Calvinus. 47.2.a filii parentibus obediant, & cur. 74.1.c.d matres non negligant. 74.2.b.c hoc si faciant, expiant peccata. ibid.d & seqq. hi benedicuntur à parentibus. 75.1.c & obedientes sentient ipse filios suos. 75.2.a serviant parentibus amore filiali. 2.d ne velint iis videri potiores aut sapientiores. 76.1.a quid iis præstare debeant. 76.1.a filii patres honorantes præmiantur prole numerosa, quæ similiter ipsos honoret. 78.1.c qui parentes vexant, vexantur à suis filiis. 78.2.c eorum ingratitudo sugillatur. 2.a.b parentes ut plurimum imitantur. 228.2.b.c filii sapientiæ qui dicantur ab Ecclesiastico. 73.1.b.2.b.d filii adulterini non sunt plerumque longævi. 385.1.b vel sunt steriles. 1.d

Filii probi, & morigeri patri decus, & gaudium afferunt. 423.1.d hic de eorum bono vel malo gaudet vel dolet, præsertim quia tales superstites relinquit. ibid.c eorum gloria cur lucernæ comparetur. 492.2.a quid docendi sint. 494.1.d iis non nimis credendum. 535.1.d iis non est denda possessio ante mortem. 546.2.d 2.a 548.1.a sed in morte. 549.1.d quem parentibus honorem debeant. 602.2.a eorum probitas vel improbitas pendet à parentibus. 655.1.2.b non parentes, sed seipsos, si damnentur, accusare debent. ibid. c. quòd sint impii, sæpè provenit à à vitiato parentum semine. 566.1.a iis sæpè Deus maledicit propter impios parentes. ibid. 6.a sunt castigandi, nec libertas iis indulgenda. 664.2.d eorum est præclara facta patrum celebrare. 701.2.b filii multi propagant nomen patris. 644.2.a filii filii magnorum plerumque sunt degeneres. 493.1.b.c filii spirituales sunt gaudium, & decus suis patribus. 490.1.a filii sancti sunt benedictio patrum. 709.1.d filii Dei vocantur filii Seth, quare. 710.2.d

Filius Dei Patri est similis. 490.1.c.d per eum Pater rogandus est. 784.1.c est Patris sapientia, Verbum, conceptus mentalis, notitia, intellectio. 34.1.b fuit ab æterno, idque in sinu Patris, ejusdemque est cum Patre essentiæ. ibid.c.d ipse est sapientia notionalis, ejus descripio. 1.d item sapientia creata, & genita. ibid.2.a.b 35.2.c 37.1.d.2.a quomodo creari à Patre dicatur, id est gigni, & produci. 37.2.c ipse à Patre factus est caput omnium ejus prædestinationum, operum, effectorum, creaturarum, & virtutum. 38.1.c cur vocetur Verbum. 39.1.c cur fons ex mente Patris emanans. 39.2.b productus est in Spiritu sancto. 42.1.b.c apparvit in omnibus visionibus veteris testamenti. 45.2.a. *vide* Jesus Christus.

Fimbriæ extimæ vestium Judæorum quid denotarent. 139.1.b.c cujus essent coloris. ibid.b

Finis est principium agibilium. 264.2.a

Finis legis est Christus. 579.2.c.d

Firmamentum an sit igneæ naturæ. 681.2.d firmamentum est decus cæli. 676.1.a unde dicatur exultatio totius mundi. 1.b est typus Ecclesiæ, & cæli empyrei. 678.1.b.c concava, & convexa superficies ejus quantum a terra distet. 36.2.c.d

Flagella docent sapere. 365.12.1.c

Flamma imago, & figura est linguæ. 471.1.a

Flora meretrix opes immensas corporis quæstus corrasit. 180.c.2

S. Florentius ursum ovium custodiæ præfecit. 251.2.d

vita hæc, & caro nostra est Flos fœni. 267.2.c.d

Flos est symbolum virginitatis. 407.2.b flores, & fructus in arbore simul non existunt. 407.2.c floribus cur coronarentur convivæ. 525.2.a.b

Fluctuatio animi mirè hominem lancinat. 639.2.d

quàm Fluctus maris sæpè horrendi sint, & vasti. 694.1.d

Fluminis, & sapientiæ analogiæ. 414.2.c.d flumina sunt terræ oculi, & lux. 414.1.a è mari nascuntur, & in eo desinunt. 641.2.a pleraque oriuntur vel valdè increscunte nive liquata. 690.1.d.2.a cur flumina sacra sint Euphrates, Tigris, Phison, Geom 397.2.d

Fluxus mortis quis dicatur. 783.1.d.2.a fluxus rerum humanarum, & mundanarum. ibid.d

mulier quædam quomodo Deo Fœnerata sit. 477.1.c

Fœnerari in Script. aliquando significat mutuare simpliciter, etsi sine fœnore. 173.1.b 347.2.d

Fœno vita nostra comparatur. 267.2.b.c

Fœnus. *vide* Usura.

Fœtor oritur è convivarum arctè sedentium numero. 510.2.d

Folia symbolica hominum quæ sint. 123.2.d eorum, & hominum analogiæ variæ. 268.2.a & seqq. folium unde dicatur. ibid.c

Fons sapientiæ Verbum Dei, & quod. 39.1.a 39.2.c

Fons divini eloquii abundantissimus est. 409.2.a fons Jesu locus celebris in Aegypto ad irrigationem horti balsamorum. 504.2.d quis fons Solis apud Troglodytas. 630.2.b fons quidam ad modos musicos, & tibias intumescit. 527.2.b

Forma vox unde derivetur. 180.1.a forma allicit ad libidinem. 179.2.d est rete feminarum. 181.1.b est bonum fugax, & proinde viro spernenda. 209.2.d 210.1.b moderata in uxore probatur. 430.2.a formæ muliebris illicium. 430.2.d 431.1.a forma corporum est illecebrosa. 645.2.d

Formula vitæ liber S. Bernardo adscriptus, an ejus propriè sit. 27.1.a

Fornicaria stercori confertur. 181.1.d *vide* Meretrix. fornicarii non satiantur libidine. 381.1.a 1.b.c sunt velut effrenes. 1.d sensim putrescunt. 332.2.d eorum congrua pœna est fœtor, & dolor. ibid. & seqq. *vide* Luxuriosi.

Fornices augent sonum, & efficiunt echo. 776.2.a

For-

Fornicatio ex otio facilè nascitur 439. 2. b. est res probrosa, & erubescenda, maximè apud parentes. 659.1.c.d.
Fornicationis damna. 180. 1. d. reddit hominem effrontem, & impudentem. 331. 2.d. suadet multa alia scelera ibid. ejus alia damna.332.2. b. c.d.ob eam plerique damnantur. 181. 2. a. *vide* Libi.
Fortes probantur adversis. 60. 1. b. 64. 1. b. 134. 2. a. b. in adversis, evadunt fortiores. 544.2.d. Deus, fortium propriè Deus est. 563. 1. c.
Fortitudo ad liberalitatem requiritur. 478. 2. a. fortitudo quas res aggrediatur. 535. 1. a. fortitudo in Deo initium est justitiæ, & clementiæ. 71. 1. c. in fortitudine non est gloriandum 120. 1. d. fortitudo, & virtus qui differant. 159. 2. a. fortitudo hominis probatur per tribulationes. 134. 2. a. ea judici necessaria est. 143. 2. c. d.
Fortitum nihil est respectu Dei. 190. 2.d.
Fortunæ instabilitas. 229. 1. a. b. fortuna fortunans est Deus opt. max. 190. 2. d. fortunæ utriusque remedium est contrariæ memoria. 225. 2. a. fortunæ bonæ causa est Deus. 539.2.c.
Forum venalitium est locus impostorum. 446. 2. b.
Fræni quales ori faciendi. 473. 2. c.
Fragilitas etiam sanctorum virorum. 743. 1. a.
Franciscani cujusdam cautela in feminis adeundis. 669. 1. d.
S. Francisci in morte jubilus. 44. 1. d. de rebus divinis, & Deo disserebat perfectiùs quàm ullus Theologus. 51. 2. d. jugiter inquirebat quid in se Deo esse placitum. 69. 2. d. ejus mansuetudo. 81. 2. a. quid ex ea sit consecutus 82. 1. c. d. ejus pauperis in pauperes effusio. 91. 1. b. c. ejus humilitas. 81. 2. a. 278.2.c. ob eam meruit exaltari. 209. 1. a. lupum cicuravit. 251. 2. b. dumetum in rosetum signo crucis convertit. 401. 1. d. Religiosa animatus. 450. 2. d. hæc obtulit Deo subspecie trium aureorum. 570. 1. a. detrahentes aliis acriter castigabat. 472. 1. d. pro lupo Eugubinis respondit. 482. 1. d. ejus epistola de recipiendis lapsis, & benignitate Superiorum. 524. 1.c. corpus tractabat ut asinum. 550. 1.c. ejus ardens oratio 559.2.c. fuit doctus divinitus, & dono prophetiæ clarus. 595.2.d. mortis nuntium gratulabundus excepit. 652. 1. a. timuit pericula fratribus suis è cura Clarissarum imminentia. 669. 1. c. d. composuit hymnum Solis ad laudandum in sole Deum ejus opificem. 679. 2. a. quæ mira per eum effecerit. ibid. b. perpetuò ad cælum aspirabat. 699. 2. c. crebrò repetebat *Gloria Patri, & Fili*, &c. 700. 1. b. ejus doxologia quam Horis Canonicis præmittebat. ibid.c. Assisii monumentũ gloriosum habet: ejus epitaphiũ: post mortem integro corpore stat respectans in cælum. 700.1.d. avibus ut hominibus. 740.1. d. omnes amore Dei incendebat. 751. 1.a. qualia præcepta suis concionatoribus præscriberet. ibid. d. S. Bonaventuram languidum sanitati reddidit. 752. 2.c. nonnisi cum suavitate nomen Jesu pronuntiabat. 763. 1. d. ejus anima sub specie stellæ præfulgidæ in cælos ascendere visa. 771. 2. d. adhortaretur. 791.2.b.
B. P. Franciscus Borgia quotidie mori discebat. 166. 2. a. ejus humilitas. 149. 2.d. æger dentibus pilulas masticabat, ut earum amaritudine diu affligeretur. 604.2.a
Franciscus Titelmannus singulos Physicæ suæ libros pio hymno concludit. 670. 2. c.
Franciscus Vatablus falsò ab hæreticis ad ipsorum sensa detortus. 19. 1. a.
S. Francisci Xaverii fortitudo animi. 68. 2. d. etiam dormiens cum Christo colloquebatur. 449. 1. c. quare regem Sinarum tentarit convertere. 546. 2. a. doctrinæ Christianæ capita Indico carmine Indis proponebat. 707. 2. a.
dum Francisco Ximenio Card. duce Oranum Hispani occupant, stetit sol. 730. 1. a.
omnes sumus Fratres, origine, fide, & religione. 479. 1. b. 552. 1. a. 2. b. 661. 2. b. fratri nihil negandum. 479. 1. b. fratres vocant Hebræi quoslibet consanguineos. 419. 1. a. fratres Josephi in ipsum inimici, ab eo afflicti sunt. 460. 2. a.
Fredericus II. Imp. Franciscanos variè exagitavit. 486.1.a.
Frigus albedinem inducit. 690. 2. b. c. qua ratione urat. 692. 2. c.
Frons indicat animi passiones, & affectiones. 341. 1. c. d.
Frondes dicuntur à ferendo. 268. 2. b. à foliis quomodo differant. ibid.
Fructus sapientiæ varii, & quomodo hos anima percipiat. 133. 2. c. d. fructus, & flores sapientiæ ac doctrinæ iidem sunt. 404. 1.d. fructus ejus sunt quatuor. 408. 1.a sunt ii sinceri, firmi, solidi. 599. 1. b. 643.2.b. c. cur sacrificium vocetur fructus. 723. 1. d.
Frugalitas sanitati conducit. 494. 2. a. frugalitas primorum parentum. 483. 2. c. d. 633. 1. a. ea est in mensa adhibenda. 511. 1.c. 512. 1. c.
Frumen est illa pars gutturis quæ saporem sentit. ibide. 1. d. 376.2.a.
qui Frumentum mysticè abscondere dicantur. 105. 2. a.
Fruniscor idem est quod fruor. 176. 2. a.
Fuga occasionis, est optimum medium peccati fugiendi. 144. 2. c. fuga filiæ pudori suo, consulant. 439. 1. c. fuga peccati est nobile sacrificium. 568.1.c.
quantus sit Fulgor Solis. 680.2.c.
Fulgura sunt symbola potentiæ, & magnificentiæ Dei. 293.2.c.d.
Fulmen unde dicatur. 689. 2. a. quid sit. 687. 1. a. eius celeritas. ibid. varia eius mirabilia. 687. 1. a. b. fere fulmina propriè Dei est. ibid. c. d. per ea terret, & percutit peccatores. ibid. d. 689.1.d. mittuntur ab eo magno judicio. 687. 1.d. eius causa, cur videatur priùs quàm tonitru audiatur. 689. 1. a.
Fumi, & convitii analogiæ. 372. 1. d.
Funibus, & clavis Christus cruci est affixus. 138. 2. a.
Furiæ tres impiorum sunt peccatum, tristitia, desperatio. 258.1.a
à Furibus, & furacibus non est petendum consilium. 593. 1. a.
Furor, & ira qui differant. 461. 1. b. c. furor quadruplex est. 626. 1. d. est etiam sacer. ibid. furorem excitat Deus, dum acres in impios plagas immittit. 579. 1. d.
Furtum quomodo mendacio minùs grave sit. 350. 2. d. seqq. furti cujusdam occulta detectio facta divinitus. 382. 2. a. furtum pauperi factum, est tacitum homicidium. 564. 2. d.c. id cavendum in patrio solo, & quàm id infame sit. 660. 1. a.
Futura omnia qualiter Deo præsentia sint. 629. 2. a. ipse solus ea prænovit. 672. 1. a. 2. a.
dum Futurum præcepto alicui Ecclesiastici subditur, per Coniunctiuum exponi debet. 30. 1. a. futura non cogitantes, sunt insensati, & fatui. 295. 1. d. 2. a. futura non sunt realiter præsentia æternitati. 38. 2. c.

G

GAbrias antiquus mythologus. 244. 1.d. 251.1.b.
Gabrielem angelum invocare conducit ad constantiam in virtute: & quæ illius rei sit ratio. 455.1.a.
Galbanum est resina fruticis qui dicitur ferula. 405. 2. d.
Galeni sobrietas; quamdiu vixerit. 321. 1. d. 494. 2. a. quàm valenti fuerit corpore. ibidem.
B. Galganus post annum austeritatis cælo donatus est. 791. 2.a.
Galienus Imperat. quomodo in mangonem gemmarium animadverterit. 8.
Ganges fluvius aurifer est, an idem qui Phison. 413.2.a.b.
Garrulitas noxia est. 108. 2. a. & inimica sapientiæ. 176. 1. d. propria stultorum est. 361. 1. b. c. d.
Garrulus est quasi parturiens. 336. 2. a. b. rarò est sapiens. 344. 2. c. eius oratio in ore nascitur, non in corde. 361. 1. d.
Gaudere in Domino quid sit. 495. 1. c. quomodo in eo semper gaudere possimus, ibid. d. gaudere etiam dicuntur res inanimatæ. 636.1.a. gaudere de malo inimicorum, quatenus liceat. 423. 2. b. c. d.
Gaudium perenne est bona conscientia. 258. 1. a. 495. 1. a. gaudium timentium Deum. 278. 1. a. b. id nulla mala incurrentia exstinguere queunt. 495. 2. a. gaudium verum est in bona conscientia, & sanctitate. ibid. 1. c. 494. 2. d. & seqq. 295. 1. d. 501. 2. b. omne gaudium præcedit molestia. 783. 1. a. quale sit gaudium sapientis. 683. 2. a. est id perenne. 791. 1. c. d. gaudia mundana sunt levia, & inconstantia. 452. 2. c.
Gehennæ timor ab anima peccata propellit. 53. 2. c. *vide* Infeanus.
Gehon fluvius an sit Nilus. 414.1.b.c.
Gelu descriptio. 690. 1. b.
γενεὰ, & sæculum, & generationem significat. 100. 1. a. b. c. 296. 2. d.
Generatio subinde capitur pro fructibus. 100. 1. b.
Generatio est species resurrectionis. 489. 1. d. generatio sua tribuitur virtuti, & peccato. 656. 1. d.
γέννημα est foetus, germen, propago, à γεννάω. 202. 2. a.
Gens vox deducitur à genus. 296. 1. d. gens quælibet in terra suam habet generationem, successionem, processum, finem. 297. 1. a. gentes aliquando significat per catachresin genera. 296. 1. c.d. gentes superbæ solent à Deo excindi. 201. 1. c.
pro Gentium ab idolotria ad Christi fidem conversione Siracides oravit. 557. 2. b. hæ dum in Christum credunt, sunt veri fideles & Judæi. 581. 1. c. gentes tres exosæ Judæis erant. 778. 1. d. 2.a & quos hæ designent. 779. 2. c. d.
Gentiles sua agendi ratione Christianos confundunt. 6. habuere tantùm fictas virtutes. ibid. 8. 9. 10. eorum scripta quomodo Christiani citare, & legere debeant. 22.2.c. d.
eorum sapientes suam doctrinam ordiuntur à Deo, Deique religione. 58. 1. b in oratione adhibebant battologiam. 148. 2. b

d. etiam

d. etiam novissima præ oculis habebant. 166.2.d erant Judæis in festi, & velut extranei. 176.2.a injurias ulcisci solebant. 192.1. humilitatem abominati sunt. 202.1.b à Judæis vocantur canes. 352.1.b diis suis asscribebant sua scelera. 281.2.b sunt hostes Dei, & veræ sapientiæ. 393.1.b censebant injurias vindicare esse signum magnanimi, tolerare pusillanimi. 464.1.d cur riderent Judæos. 485.2.a censebant animas post mortem quiescere, & quasi dormire. 495.2.d hinc apponebant iis cibum, & potum. 496.1.b res ex quibus commodum capiebant, ut deos venerabantur. 513.2.b mensæ benedicebant, eaque finita diis libabant, & sacrificabant. 532.1.c opinabantur somnia à Deo vel genio suo immitti. 553.2.a singulis cupiditatibus, & vitiis deum aliquem præficiebant. 562.2.a sua opera à deorum invocatione ordiebantur. 594.2.d eorum multi sacram Scripturam græcè jam conversam legerunt. 625.2.d sunt ab Apostolis ad fidem Christi conversi. ibid.c quare naturam ut novercam accusarent. 639.1.a sepulcra suorum per manium evocationem turbabant. 710.1.b

S. Gerardus in mortem jubilabat. 44.1.a

S. Gerasimus leonem mansuetum habuit. 251.2.d 429.1.b 738.2.d

Germani prisci lucos sacros ingredientes, vinculis se obligabant. 137.1.d

γερουσία apud Spartanos erat magistratus è senibus constans. 421.2.b 529.2.c γέρων unde dicatur. ibid.2.a

S. Gertrudis tribulatione facta est Christi sponsa. 448.1.d

Gestus hominis qualis esse debeat. 360.2.b sicut decorus, & pudicus. 341.1.d 342.2.b

Gigas sæculorum est nomen Dei. 285.2.a 582.1.a 784.1.a gigantes ob suam impietatem, & libidinem à Deo diluvio puniti cum omni sobole. 289.2.a.b in morte videntur ad Deum clamasse, sed frustra. 289.2.d gigantes mystici qui. 1.d unde vocentur terræ filii. ibid.a fuerunt superbi. 375.2.c

fœmina quando Gignatur à viro, quando mas. 209.2.d

Glacies vox unde deducatur. 734.2.a ejus ægnima. 691.2.b instar loricæ ferreæ dura est. 692.2.a herbas, & sata omnia velut adurit. 2.c quomodo resolvatur. ibid.c

Gladius peccati typus est. 354.2.b

Gloriandum non in honore, & opibus, sed timore Dei. 203.1.c

Gloriæ brevitas. 214.1.a ejus dignitas. 277.2.c sequitur fugientes. 214.2.a gloria vera hominis est timor Dei. 202.2.d gloriæ corona parata est Sanctis in cælo. 203.1.a 139.2.d gloria vana sola bono non vincitur, sed incitatur. 674.2.a quid in gloria potissimum sit. 732.2.d ea danda primùm Deo, deinde hominibus ob acceptam sapientiam. ibidem SS. Trinitas laudat seipsam gloria increata, & essentiali. 700.1.a

Gloria Dei per nebulam repræsentatur. 591.1.d. hæc in omnibus spectanda est. 548.1.d gloria Dei duplex est, interna, & externa. 674.2.d interna, alia objectiva, alia formalis. 675.1.a extrinseca etiam est duplex, objectiva, & formalis. ibid.1.a.b

Gloriæ omnium Sanctorum plenitudinem habuit B. Virgo. 397.1.d

Gloria Sanctorum, est Dei gloria. 704.1.a gloria animæ Christi in corpus redundavit. 580.1.b gloria Abrahami in quo sita sit. 714.2.a gloria pontificis Aaronici erat similis gloriæ Beatorum. 721.1.b gloria ei triplex à Deo addita. 725.1.a *Gloria Patri, & Filio*, &c. est laus mentalis Dei dignitatem adæquans. 700.1.a.d

γλυφικὰ verba sculptoria sunt. 615.2.b

per Gnomas breves Ethicam docuerunt prisci tam Græci quàm Romani. 23.1.a.b item Salomon, & Siracides. 22.1.d.2.a

Gnomæ ethicæ Phocylidis. 1.c septem Græciæ sapientum. 23.1.d & seqq. Pythagoræ. 1.b Isocratis. 24.1.a & seqq. Ben Sira. 24.1.d & seqq.

S. Gregorii Nazianzeni, & Basilii. 26.1.a.b.c.d S. Ambrosii. 26.2.a.b S. Augustini. 2.d

S. Gregorii Magni. 27.1.a S. Thomæ Aquinatis, 1.a S. Bonaventuræ. 27.1.d

Gobrias ex invidia à rege Assyriorum spiculo trajectus. 143.2.a

Godefridus Bambergensis, & Herbipolensis Episc. quomodo se ad omnem virtutem extimularet. 152.2.b.517.2.d

Godefrido Bullonio Jerusalem oppugnante stetit sol. 730.1.a

Goliath jactabundus à Davide funda prostratus est. 739.1.c.2.a an iis lapide, an gladio occisus. 2.a

Gordii nodi dicuntur captiosi syllogismi. 598.1.d

Gorgias libenter moriebatur. 653.1.b ad curiosa sciscitantem responsum. 83.2.d

S. Gorgonia sumpta Ven. Eucharistia à morbo prodigioso sanatur. 607.1.b

Graculus unde dicatur. 249.2.d

Gradus orbis terrarum quot contineat stadia. 36.2.c.d

Græca Latinis in Ecclesiast. adaptanda sunt, non contra. 713.1.a

Græci negant divinitatem Spiritus sancti, ideo à Deo excisi in festo Spiritus sancti. 42.2.b in Concil. Florentino confessi sunt Purgatorium. 151.2.d vino dediti erant. 533.2.d utebantur coronis in conviviis. 525.2.a ibi quoque quæstiones doctas proponebant. 526.2.c item canebant. 527.1.a quomodo mensæ benedicerent, & ea remota Deo gratias agerent. 532.1.b.c

Græcæ linguæ cognitio interpreti S. Scripturæ necessaria est. 28.2.a

Græcus textus in Ecclesiastico est Latino concisior. 29.2.b hinc minoris fidei quàm hic. 2.d

Græca exemplaria Bibliorum mirè variant: quæ sint perfectissima. 18.1.d unde nata sit ea varietas in Ecclesiastico. 2.a

Grando plerumque sequitur post tonitru, & fulgur. 530.1.c quomodo nascatur. ibid. ea punitur impiorum fastus, & superbia. 635.2.d unde nascatur, & formetur grando. 687.2.d fœcundat terram. ibid.d quid symbolicè denotet. 688.1.a.b

Grandinis etymon. 689.2.a ab ea contriti sunt Chananæi sub Josue. 730.2.a

Gratia Dei est dispositio ad sapientiam. 141.1.d ejus augmentum justo datur à Deo eodem instanti quo actum bonum elicit. 224.2.d hæcque ab eo perficitur. 221.1.d hæc oleo assimilatur. 239.1.b eam vocationi congruam Deus dare solet. 277.2.d gratia sufficiens datur, & præparatur à Deo etiam impiis. 285.1.b.c

Gratia omnis est efficax in actu primo. 285.2.d eam diligenter conservat eleemosyna. 306.1.b rectè pupillæ oculi comparatur. 306.1.c est decor, & venustas animæ. ibid. ea diligenter conservanda est. ibid.d datur fervidis, & alacribus. 319.1.d necessaria est ad linguæ moderationem. 373.2.a per gratiam efficacem vitia in Sanctis eradicantur. 201.2.a gratia Christi quàm sit potens. 351.2.b gratia falsa quæ vocetur in secreti proditione. 176.2.a gratia in muliere etiam sedulitatem, & diligentiam significat. 440.1.b.c ejus vis. ibid.2.a maximè se exerit in ore, & oculis. 1.d utriusque qualitas: quibus sensibus percipiatur. ibid. gratia mulieris quadrupliciter accipitur. 2.d gratia est vita, & decor pulchritudinis. ibid. à Deo habet suam originem. ibid. quid sit gratia, an sit quid divinum. ibid. quomodo præcedat verecundiam. 530.1.a.b similis est coruscationi. ibid.c.1.d. gratiæ Dei plenitudo in B. Vergine fuit. 397.1.a.b

Gratia non venit nisi per orationem, & mortificationem. 405.2.c. 542.2.b animam rigat, & inebriat. 493.2.a ad salutem requiritur, & incipit à timore. 426.1.a oculos Dei, & angelorum pacit. 440.1.d.2.a est velut lux cælestis. 450.1.a omnibus naturæ bonis preponderat. 494.1.d verecundiam, & timorem quomodo præcedat. 530.2.b

Gratiam efficacem dat Deus electis, reprobis sufficientem quidem, sed inefficacem. 542.2.a gratia efficax est gratia prædestinationis. estque summum Dei donum. ibid. perducit hæc hominem ad salutem, & gloriam æternam. ibid.b ejus elogia. 1.c gratia prævenit ut domina, voluntas sequitur ut pedisequa. ibid. per mulierem speciosam repræsentatur. 584.2.c.585.1.a ejus decor, & species. ib.1.a amœna est instar paradisi. 633.2.a justum cumulat omni decore, jucunditate, & fructus spiritali. 1.c

Gratia Christi omnes egent. 638.2.a hæc velut ros est. 693.1.b

Gratia prima, quæ est primus effectus prædestinationis, est pura gratia. 2.a

Gratia, & gloria est hereditas sapientiæ. 481.1.a

ordo Gratiarum, in quo Christus, & B. Virgo primi sunt, est idea juxta quam Deus ordinem totius universi disposuit. 389.1.a

Gratiæ animos hominum capiunt, & inescant. 540.1.c dicuntur ridere. ibid. gratiarum actio decorat convivium, maximè sacrum. 528.1.d sunt Deo agendæ pro omnibus ab eo acceptis. 531.2.a item pro sapientia obtenta. 624.2.b item ob accepta beneficia. 777.2.b.c

Gratiæ quomodo pingerentur, & quid earum situs, & ordo designet. 234.1.a *vide* Charites.

Gratiani Imp. in benefaciendo promptitudo. 92.2.d

Gratitudo Deo grata est instar sacrificii. 568.2.d

Gravitatem lenitati patres miscere debent. 492.1.d

S. Gregorius Magnus Ethicam præclarè in Moralibus docet. 26.2.d cur simplici stylo utatur. 28.1.a mira ejus in pauperes effusio. 508.1.b ob eam Pontificatum meruit. 476.2.b hujus negotia queritur sibi impedimento esse in sapientiæ studendo. 613.2.b ejus luctor ob Pontificatum. ibid.d cantum psalmorum in meliorem ordinem redegit. 707.2.b 741.2.c

Gregorius XIII. Pontif. S. Cælestinum mirificè coluit. 528.1.d 548.1.a In omnibus operibus præstare volebat. 568.2.d

S. Gregorius Nazianzenus frequenter utitur apologis. 20.1.a paucis versibus Ethicen totam Christianam complexus est. 26.1.a.b ei apparvere per visum sapientia, & castitas. 45.2.a.450.2.d.788.2.b ejus

eius pater effusus in pauperes erat. 508.2.a rarò Theodosium Imp. accedebat. 546.2.d S.Scripturam ex maiorum expositione intelligebat. 614.1.a sale, aqua & pane vivebat. 633.1.a Athenis nullam norat plateam nisi ad templum & scholas. 785.2.d
S.Gregorius Turonensis prospexit cogitationem S.Gregorii Magni, ab eoque cathedra aurea dotatus est. 212.2.d
Gressuum exterior maturitas respondere debet interiori stabilitati mentis & animi, 443.1.b.c
Grues symbolum sunt concordiæ, quia vivunt concordes. 420.1.b item cautelæ. 325.2.d
Gryps avis symbolum est divitis avari. 252.2.d
Gubernatio tota in sapientia sita est. 187.1.d
Gula hominem torpefacit & in brutum mutat. 251.1.d est homini mortificanda. 2.a ducit ad libidinem. 376.1.c est inexplebilis. 476.2.a c & impudens. ibid.d
Gulæ damna. 514.1.c est causa multorum malorum. 513.1.a b 513. 2.d & seqq. 514.1.b ea primum Adæ fuit peccatum: homini est refrenanda. 601.1.a eius periculum. 1.c causat morbos. ibid. & mortem. 2.a gula impiorum fame punitur. 635.2.d
Gulones assidui sunt in epulis. 251.1.d similes sunt lupis. 376.2.b diu vivere non possunt, nec dormire, eorum insomnia gravia. 513.1.a 2.b eorum venter sepulcrum est. 514.1.b
Gutta est stacte, sive lacryma myrrhæ. 405.2.d

H

H sæpè apud Latinos vertitur in S. 230.2.c 163.1.a
Habitus peccandi ad peccatum inclinat. 45.1.d
Hæresis orta est à nimia curiositate. 85.1.a est multivola. 163.1.d est adulterium symbolicum. 385.1.d est velut mulier nequam. 427.2.a b maximè invadit impios. 471.1.d quo pacto evellenda & impedienda. 764.1.a hæreses priscæ omnes interiere. 625.2.a
Hæretici Ecclesiasticum negant esse Scripturam Canonicam. 12.1.b sunt subdoli & hypocritæ. 87.1.d sibi ipsi magistri sunt. 140.1.b diversi genii sunt. 141.2.a sunt superbi & dolosi. 237.1.a sunt veri animæ inimici. 239.2.a eorum familiaritas periculosa est. 234.1.d 374.2.a rident paupertatem Euangelicam. 255.1.b sunt lupi. 251.1.d sunt velut gigantes feri & tumidi. 290.1.a an validè baptizent, & ab eis baptizati sint rebaptizandi. 566.1.d 2.a sunt maximè sophistæ. 599.1.a iis non faveant reges pii. 764.2.a cur Samaritis assimilentur. 779.1.a
Hæreticorum rebellantium suis principibus funestus exitus. 731.1.d
Hæreticus verè est idololatra. 769.2.a
Harpagus proprios edere filios à rege Persarum jussus, dolorem dissimulavit. 245.2.c
Harpocrates silentii emblema est. 117.1.c quis fuerit. ibid.
ad æquales Haustus non propinabant nec bibebant veteres. 522.2.d
Hebetes non reiiciendi, sed patienter docendi. 155.2.b
Hebræi cœnabant coronati. 484.2.d inter convivandum proponebant problemata & quæstiones. 525.2.d item adhibebant musicam. 527.1.a post cibum sumptum Deo agebant gratias. 528. 1.c parabolas, proverbia, ænigmata, & alias graves sententias inquirebant. 619.1.a nunc Israel, nunc Iacob vocantur. 720.1.b post remedium è captivitate Babylonica linguam patriam corruperunt. 794. gaudent apologis, & parœmiis. 20.2.a usurpant verba realia pro verbalibus, & mentalibus. 38.1.b 507. 1.b idem habent pronomen absolutum, & reciprocum. 41.2. a 429.2.d abstracta ponunt pro concretis. 73.2.a 561.2.b captum excedentia vocant fortiora, altiora, profundiora. 83. 1.d antecedenti substantivo subnectunt prænomen demonstrativum. 93.1.c notas similitudinis sæpè supplendas relinquunt. 139.1.d *non omne* illis est *nullum*. 148.1.b ponunt potentiam pro obiecto. 209.2.b gradum comparativum quo carent, exprimunt per negationem. 335.2.d morem exprimunt per futurum. 249.2.b solem, astra, cælos vocant milites Dei. 296. 1.d uno tempore exprimunt omnia. 318.2.a 362.2.d gradibus comparationis carent. 329.1.a carent casibus, hinc unum pro alio ponunt. 349.1.d 413.1.c verbum concordant sæpè cum substantivo proximiori, etsi ad remotius referendum sit. 351. 1.b
Hebræi omnes in deserto ob murmur exploratorum puniti sunt. 290.2.c 732.1.b sæpè usurpant verbum neutrum pro activo. 393.2.d 579.2.a suppositum aliunde notum subaudiendum sæpè relinquunt. 412.2.d participio utuntur pro indicativo quo carent. 413.1.c 704.2.d sæpè subaudiunt relativum *qui*. ibid. utuntur enallage numeri. 460.1.c verba contactus sive realis, sive mentalis, construunt cum *in*. 399.1.d 517.1.c 613.1.a 678.1.a 706.1.b 722.1.d verba accipiunt in actu non reali, sed mentali. 558.2.a item activa pro passivis. 561.2.a regimen genitivi exprimunt per ablativum cum præpositione *in*. 564.2.d *in* sæpè pro *propter* usurpant. 656.2.a imperativi & infinitivi eadem illis vox est. 665.1.d *de* cum ablativo sumunt pro regimine genitivi. 2.a sæpè subticent notam similitudinis. 680.2.a sæpè ab una persona transeunt ad aliam, nec tamen eam nominant aut distinguunt. 719.2.a.b terras & gentes remotas vocant insulas. 744.2.a

HEBRAICARUM VOCUM SYLLABUS.

Aleph & *chet* sæpè inter se commutantur. 135.2.d
Aboda passim in Script. vocatur Dei cultura, & ministerium. 58.1.b
Ach Hebræis est interiectio dolentis, ut & Latinis. 135.2.d
Acharit plerumque vertitur novissimum. 138.1.a
Achi significat paludem, carectum, id etiam in Romanis Bibliis legitur. 643.1.c
Achmut est aurora, tristitia, nigredo. 136.1.a & *achmeta* chaldaicè est scrinium, urna, lagena. ibid.
Adon vel *adonai*, id est dominus, formatur ab *eden* id est fulcrum. 189.2.a
Adonai pronuntiabant Iudæi pro nomine tetragrammato *Jehova*. 721.1.d
Ain & oculum & fontem significat. 301.2.a
Alam Hebræis & Arabibus penè idem sonat. 135.2.a
Ana, id est humiliari, sæpè pro pati & dolere accipitur, & pro pauperiem pati. 63.2.b
Ania tam humilem & mitem, quàm pauperem significat. 201.1.a & *ana* humiliare vel affligere. 382.1.a
Asiro syriacè est idem quod hebr. *Siracb* 17.1.d nec habet nomen proprium, sed agnomen. ibid.a
Bara, id est creavit, amplissimæ significationis est. 394.2.a
Berit non tantùm ordinationem testamentariam, sed & quamvis aliam significat, præsertim iudicii. 618.2.c
Beth sæpè capitur pro *caph* similitudinis, vel potiùs mensuræ. 435. 1.d
Caleb unde deducatur. 732.1.d
Chaffa idem est quod mater viventium. 428.2.a
Chajim tam victum quam vitam significat. 63.2.c
Chamma nomen Solis, à rad. *chamam*, id est, calefacere. 678.1.d
Chapaz, id est festinare, sæpè significat trepidare. 61.2.d
Charas arare & fabricare significat. 147.2.b
Chattas & *ascam* quomodo differant. 161.2.a
Cheres est nomen Solis ab exiccatione quam efficit æstu suo. 678 1.d
Chesed idem est quod benignitas, pietas, eleemosyna, justitia. 69.1.a 234.1.b
Chevia à *chavi*, quare vocetur serpens. 428.2.a
Chochma, id est sapientia, diversas habet radices. 135.2.a alludit ad *ochma*. ibid. item ad *choachma*, ibid.d
Chodes, id est, mensis, dicitur à rad. *chadas*, id est, innovare. 683.2.b
Gabar, id est esse fortem, etiam vincere, & superare significat. 83.1.d
Gamal, id est camelus, in Latinam linguam transiit. 246.1.d
Haga, est meditari, inde formatur *magim*, id est sapientes: illud alludit ad *iaga*, id est laborare affligere. 135.2.a
Iain & *ien* unde Ianus, idem est quod græcè *οἶνος*. 519.1.a 520.1.c
Ierach, id est mensis, dicitur à *Iarach*, id est luna. 683.2.a
Ism est nomen sapientiæ. 135.1.d & quæ inde deriventur. ibid.2.a
Kadar & nigrum esse significat & tristem. 340.2.a
Kana & possidere & comparare significat. 125.2.b
à *Keman*, id est occultavit, descendit *michman* & *machman* id est thesaurus, latibulum. 135.2.b
Keteb & *deber* duo sunt dæmonia, quomodo differant. 561.2.a
Ki sæpè non causam, sed effectum significat, imò sæpè est encliticum. 199.1.b
Kinnamon idem est quod cinnamomum. 404.2.a
à *Lebona*, id est thus, Græcum λίβανον derivatum est: *laben* est idem quod album. 406.1.b
Lechem, id est panis, quemlibet cibum significat. 484.1.a
Malmad, id est stimulus, formatur à *lamad*, id est docuit. 135.2.b
Mammona unde derivetur, & unde *mammon* vocentur divitiæ. 110.1.c
Maria & *marom* & *maria* nomina sunt B. Virginis, quid ea mystice significent. 683.1.b
Masar, *asar*, *iasar* affinia sunt voce, ita & significatione, & ab his tribus deduci potest vox *masoret*. 621.2.d
Masoret, id est traditio, à qua rad. deducatur. ibid.
Massa, id est assumptio, vocatur doctrina & prophetia. 338.2.c
Micne possessiones significat & pecora. 110.1.a
Min, id est, *a*, *de*, *ex*, sæpè significat, *præ*, *plusquam*. 415.2.c

Mispat, id est, judicium, significat quod cuique congruit aut debetur. 543.2.c
Misse Hebræis vocatur sententia quælibet illustris quasi excellens præ cæteris, à rad. *masebal*. 29.2.a
Nabar & illuminare & confluere significat. 414.1.a
Nasa tam pro mutuo quàm usura usurpatur. 173.1.a
Nascim, id est, feminæ, formatur à rad. *anasch*, id est, infirmatus est. 439.1.d item à rad. *nasca*, id est, oblitus est, quòd in iis patriis nomen non perpetuetur. 489.2.b
Nephilim est nomen gigantum, id est cadentes. 290.1.a
Nesech, id est morsus, cur dicatur usura, an id derivetur à *nachas*, id est serpens. 348.1.a
à *Nin* formant Arabes & Hispani *ninno*, id est puer. 307.2.d
Nose unde hebraicè vocetur mutuans & creditor. 477.1.a
Oznaim Hebræis dicuntur aures, quasi *mozenaim*, id est bilances. 215.2.b
Panai trilitterum repræsentat tres personas SS. Trinitatis, imo tres ejus litteræ sunt signa trium hypostaseon. 307.2.d
Panim & faciem & personam significat, estque pluralis numeri, & caret singulari, & quæ symbolica ejus rei ratio. ibid.c
Paras dividere, dispergere, ventilare significat. 115.2.d
Phison à rad. *pus*, idem est quod copia, multitudo. 413.1.b
Rachma & *rochma* differunt significato. 424.2.b
Raphaim, id est dissolventes, cur vocentur gigantes. 290.1.a
Rascbia à rad. *rascba* vocatur chaldaicè creditor & quare. 477.1.b
Reim tam amicos quàm proximos significat. 185.1.b
Rescit, id est principium, deducitur à *ros*, id est caput. 45.2.d
Samuel quatuor habet etyma. 733.2.a.b
Sarach quid hebraicè sonet: hinc *saroch*, id est corrigia. 17.1.c.2.d
Scemes, id est minister, unde dicatur sol. 678.1.d 681.2.c
Schor, id est taurus, unde dicatur. 181.2.d
Sopherim, id est scribæ, Hebræis vocabantur litterati. 190.2.a
Sosannim inscriptio est psalmi 44. id est, pro liliis vel floribus: exponitur hic de Christo & Ecclesia & Salomone. 628.1.b
Talmud, id est doctrina, derivatur ab *alam*, id est abscondit, & *lamad*, id est docuit. 136.1.a
Toda sacrificium erat idem quod holocaustum. 568.2.b 569.2.a
Tsade Hebræum redditur ab interpretibus per s. Latinum. 17.2.a
Tsarach an idem quod *sarach*. 17.2.a
Tusia & sapientiam & essentiam significat. 623.2.c
Vau conversivum vertit præteritum in futurum. 580.2.d
Zachar vocatur filius masculus, à *zacher*, id est, memoria quòd in filio patris nomen & memoria post mortem persistet. 489.2.b
Hedera Baccho sacra, eaque coronabantur bacchantes. 525.2.d hedera unde dicatur: ejus vis contra ebrietatem. ibi. est signum vini vendibilis. ibid.d
Hemus unde dicatur. 679.1.c
Henoch non sibi tantùm sanctè vixit, sed & toti orbi sua sanctitate præluxit. 710.2.d 712.2.d quare à Deo sit in cælum translatus. 711.1.a est in paradisum translatus. ibid.b & in quem. ibid.c d & seq. an in cælum. ibid.d redibit ut pro Christo contra Antichristum decertet. ibid. 712.2.a 2 b 713.1.a translatus est in Paradisum terrestrem. 711.1 d 2.a b etiamnum in eo degit. ibid.d est æternitatis candidatus. 2.d in magna animi & corporis quiete & voluptate degit, estque in gratia confirmatus, 712.1.a non patitur ullos inordinatos fomitis motus, ibid. maximis Dei consolationibus & divinis illustrationibus gaudet, ibid. verisimile est ipsum Christum aliquando vidisse, ibid. est typus resurrectionis, 1.c in fine mundi omnes ad pœnitentiam extimulabit, ibid. fuit Gentilis, & omnium hominum parens est, 712.2.a cur ipse potissimum Antichristi tempore veniet, ibid.b raptus est ut homines ad meliorem vitam provocaret, ibid d alia causa eius raptus. 1.d fuit hic publicus & augustus. ibid.d non est Elia inferior. 713.1.b fuit typus Christi. ibid.
Henoch & Joseph Patriarcha inter se comparantur. 765.2.d
Henrici IV. Galli regis dictum de hæreseos extirpatione. 764.1.a
B. Henricus Suso à divina sapientia est ad eam sectandam animatus. 45.1.b.c vidit per raptum sapientiam specie puellæ, deinde adolescentis. 389.2.d 408.1.a
Heraclitus philosophus numquam risit. 360.1.a
Herbæ aquis irrigatæ crescunt, frondent, florent, fructificant. 484.2.d herbæ omnes virorem diversum habent. 646.1.b.c nonnullæ mira vi pollent. 2.a multæ ab iride suavitatem hauriunt. 686.1.a variæ in mari crescunt. 694.2.a
Hercules servivit Omphalæ amasiæ. 746.1.a an corpore fuerit parvo. 210.2.b
Hereditas non tradenda uxori vel filiis, vel amicis. 546.2.d
Hæc æquè est dividenda. 664.1.a
Hereditas Dei Israëlitæ sunt. 396.1.d.2.a
Hereditatis pars olim amicis testamento legabatur. 372.1.b
tres Heredes superborum & avarorum. 198.1.d
B. Hermannus Joseph à B. Virgine mirificè dilectus & adjutus est. 275.2.a fuit B. Virgini desponsatus ob eximium erga eam affectum. 402.1.d hermon mons, alio nomine dictus est Sion. 399.1.a
Herodes Agrippa veste regia superbiens, subitò Deo pœnas dedit. 213.2.d
Herodes Antipa quare dictus vulpes. 231.1.b
Herodes Ascalonita in familiam Hyrcani adscitus, ejus stirpem omnem extinxit. ibid.c agens dolosè, dolo suo captus est. 459.1.d ejus punitio & interitus. 460.2.d
Heroes prisci nihil nisi aquam bibebant. 484.2.a heroum filii ut plurimum de generes. 491.2.b.c
Herus qualis esse debeat. 109.2.d domus suæ curam habeat & servorum. 154.2.d ejus decus & dedecus pendet à servis. ibid. curet & sua jumenta. 155.1.c quom do secum servo gerat. 549.2.d quod facit servo, sibi facit. 552.1.a eorum durities cogit servos ad necem. 552.2.d
Hesiodus primus apologorum auctor fuisse dicitur. 19.2.c
Hesperus & Lucifer eadem est stella, sed diverso respectu. 227.1.c
Heva non significat serpentem hebraicè, sed matrem viventium syriacè. 428 2.2 b
in Hieme constructa domus non est stabilis, & cur. 356.2.a
per Hieroglyphica tradebant veteres suam doctrinam. 135.1.d
S. Hieronymus auctor est versionis Vulgatæ, non tamen omnes Bibliorum libros convertit. 17.2.b 27.2.d est egregius ethices magister per omnes vitæ status. 26.2.d quare subinde in versione sit simplicior. 27.2.d peregrinos Romanos in Bethlehem hospitio excipiebat. 229.2.c studio sapientiæ & virtutis multas provincias peragravit. 559.1.a 613.2.c 619.2.c & seq.
Hilaria Gentiles celebrabant die 25. Martii. 572.1.a
S. Hilarion migrabat de loco in locum. 485.2.d omnem laudem fugit. 703.1.c etiam cum occulto fornicatore agens, nares ob fœtorem comprimebat. 333.1.a
Hilaritas condecorat beneficia. 319.2.a.b cur. 2.d hilaritas cordis etiam ad exteriora se diffundit. 435.2.c multum addit virtuti, sanctitati & oblationi. 571.2.d est signum bonæ voluntatis. ibidem.
Hippocrates fuit erga præceptorem suum gratus. 786.2.d
Hierotheus Theologiam summulis brevibus est complexus. 23.1.a
Hirudo symbolum est divitum avarorum. 245.1.a
Hirundo denotat garrulos, ingratos, spurcos, infidos. 296.2.c cicurari nequit. ibid. symbolum est susurronum, & amicitiæ infidæ. 117.2.c 127.1.a 240.2.b pullos cæcutientes oculat chelidonia. 493.2.a
Hispani qua reverentia olim salem exciperent. 632.2.b
Historia magistra vitæ est. 140.2.b
Hodie quomodo moriamur. 612.1.b.c
Holocaustum erat sacrificium laudis & gratiarum actionis. 568.2.c 569.2.a
Homicidarum fratres mystici qui sint. 564.2.d
Homini jam inde ab initio à Deo sapientia est indita. 1. ex hominis sepulti cadavere bestiæ & vermes nascuntur. 198.1.c.d hominis miseria & nihil. 198.2.2 207.1.a 317.1.d 318.1.a 2.a eius creatio quare à Deo laudata non sit. 209.2.d homo hominem amat, quia amat suam humanitatem quam in alio videt. 250.1.b ejus inconstantia & mutabilitas. 223.1.d liberum habet arbitrium. 282.2.d & seq. quamvis conditus sit liber, habet tamen legem qua refrænetur. 283.2.a è cælo constat & terra. 284.2.a quàm gratus Deo creatori esse debeat. 299.1.d ejus in omnia creata dominium. 300.2.a b septem ei dotes à Deo inditæ. 301.1.a b & aliæ quatuordecim. 301.2.b & seq. quid debeat Deo: non superbiat. ibid. quibus stimulis ratione creationis ad virtutem excitare seipsum debeat. ibid. & seq. ejus elogium. 302.2.d Deo fratre glorietur. 303.1.c ejus fragilitas ad labendum. 312.1.c.d 316.1.b 1 d 2.b omnia ejus exigua sunt & brevia. 317.1.c d est ex parte angelus, ex parte brutum. 326.2.a
Homines sunt similitudo sapientiæ Dei. 43.1.c similes sunt foliis arborum. 268.1.d 2.a & seq.
Homo facilè in peccatum labitur, nisi timore Dei retineatur. 447.2.d seipsum excutiens nil nisi malum reperiet. 2.a lunæ assimilatur. 454.1.c fragilis est & mendax. 463 2.a homo homini ignoscat, 2.c.d quòd unus homo alteri præcellat, non est à natura, sed à Dei voluntate & electione. 540.1.b c d
Homo debet semper aliquid agere boni aut mali. 591.1.d cur vocetur creatura sæculi. 619.1.d quomodo per Adamum redditus miser, infirmus, & peccato obnoxius. 637.1.d 639.2.b.c mortuus in terram revertitur. 641.2.d 643.1.a qua consideratione se humiliet. 653.1.b ei Dei effigies insculpta est. 671.1.d ei creata est, conservatur, & servit omnis res creata, hinc ipse Deo obsequi & famulari debet. 675.1.a.b & seq. plus pendet à Deo quàm à se. 696.2.a 697.1.a ipse in se nihil est. 663.1.c est quasi con flatus ex angelo & bestia. 787.1.c

varios hominum ordines statuit Deus ob tres causas. 539.2. b eorum mutationes. ibid. c eorum alii à Deo benedicuntur & exaltantur, alii maledicuntur & humiliantur. 543.1 a 2 c 544. 2 c omnes in manu ejus sunt. 543.1 a c domnes paulatim moriuntur. 783.1 c
Honestas in Ecclesiastico capitur pro divitiis. 407.1 b 502.1 d
Honestus capitur pro dives. 243.2 a
Honor in Script. complectitur venerationem, obedientiam, sustentationem. 161.1 a 206.2 a honor summus est, à Deo honorati. 203.1 d quis honor animæ debeatur. 206.1 c honor pauperis ex timore Dei, & divitis ex opibus inter se comparantur. 206.2 c d honor est actus omnium virtutum. 210. 2 d honor parentum subordinatur honori & pietati in Deum. 75.1 b honor hic multa officia complectitur. 75 2 a 76.1 a b est basis familiæ & felicitatis filiorum. 76.2 b honor est Deo sacrificare, & offerre. 569.2 d honor in Script. tria significat. 602.1 d 682.1 a honor sequitur fugientes, fugit sequentes se. 703.1 a
Honorantes parentes suos, benedictionem ipsorum & Dei promerentur. 77.1 d 2 a
Honores non sunt quærendi. 141.1 d 2 b non sunt improbis dandi, nec procurandi. 236.1 b sequi solent contumeliam. 225.2 c sunt bona adiaphora. 254.2 b
cur Hora mortis antonomasticè dicatur hora. 227.2 b
Horæ & Charites cur fingantur esse sorores. 265.2 d
Horoscopus astrologorum reiicitur. 672.1 d 2 a
Hosius Cordubensis in senio delirans, cessit Arrianis. 670.1 d primò distinxit in SS. Trinitate essentiam à personis. 308.1 a
Hospes dolosus cavendus. 230.1 a exempla. 230.1 b
Hospes dicitur quasi ostiis alienis pedem inferens. 485.2 d
Hospitalitas sit discreta: 229.2 d 230.1 a
in Hospitiis lupæ non permittendæ. 332.1 d
Hostis animæ quis sit. 498.2 d hostes olim bello capti fiebant servi. 591.2 a hostes fidelium sæpè à Deo percutiuntur. 578.1 a b tres hostes fidelium. 779.1 a b item animæ. ibid.
B. Hugo Gratianopolitanus nullam mulierem ex facie cognovit. 666 2 d oculos cautè custodiebat. 180.1 a
Humana omnia modica & parva sunt. 317.1 d 2 a 318.1 a
Humanitas in bestias Judæis à Deo commendata erat. 155.2 a
Humanitas Christi fuit ei velut columna nubis. 391.2 d quanta illi collata sit gratia & aliæ dotes. 394.2 b est tabernaculum Dei & filii Dei. 2 c summa fuit dignitas quòd hæc Dei filio unita sit. 2 a
Humana natura in Christo fuit elevata, ut in Verbo existeret. 580. 1 a humana sapientia etiam addiscenda est ubicumque ea reperitur. 621.1 b
Humerale pontificis describitur. 721.2 b
Humerus symbolum est arrogantiæ & fastus. 173.1 b item roboris & fortitudinis. 144.1 a
Humi ia à luna reguntur, & noctu ea crescunt. 682.1 d
Humiliare se Hæbræis idem est quod jejunare & se affligere. 63.2 c 322.2 c humiliari valdè debemus. 149.2 d & quibus rationibus. 150.1 d
Humiles soli merentur gratiam. 80.2 d solvunt quod debent Deo, proximo, sibi. 81. 1 a mirè placent principibus. 247.2 b exaltantur. 346.2 c d
Humilis & hypocritæ dissentiunt in opinione quam de se habent. 56.2 c tripliciter quis humilis dicitur. 209.1 a si humiliationem sui ferat modestè, exaltabitur. ibid. b c humilis est generosus. 246.2 c est verè sapiens & sensatus. 263.2 a humilis dicitur, quasi humo acclivus. 574 2 d ejus oratio à Deo exauditur. ibid. & cur. 575.1 a & seqq. humilis animus in discipulo requiritur, ut doctrinam traditam admittat. 658.1 a
Fr. Humilis Francisc. est à Christo de vitæ statu assumendo monitus. 524.1 a
Humilitas optima tentationes vincendi ratio. 61.1 a b præparatio est ad dona Dei excipienda. 70.1 d est origo mansuetudinis. 79 2 b magna decet magnos. 80.1 b vera est magnitudo & magnanimitas. ibid. d 81 a c summa debetur Deo. 81.1 b index est sanctitatis. 81.2 a praxis & modus eam assequendi ibid. d ejus elogium. 82.1 a ejus robur. 120.2 a est sanitas animi. 123.1 a ejus septem gradus. 247.1 b & alii duodecim. 156.2 a ejus actus varii. a b duodecim ejus signa. ibid. b est prima & propria virtus Christi. 200.2 b ejus cultura reges longævos facit. 202.1 a fuit Gentibus exosa. 202.1 b si patiens, semper exaltabitur. 209.1 a sola exaltat. 209.2 a 214.1 d ipsa non est in Deo. 275.2 a sed competit homini. ibidem quomodo eam Deus nos docuerit. 214.2 a eam fingunt etiam ejus adversarii. 340.1 d propriè est virtus debita divinæ majestati. 247.1 a humilitas nimia quæ sit. 246.2 d 247.1 a humilitatis fictæ schema. 340.1 a b humilitas rectè aspalatho confertur. 404.1 b propriè pauperum est. 420.2 b quàm Deo sit grata. 573.1 a quietem & pacem parit. ibid.2 c d humilitas & celsitudo in B. Virgine mirè conjuncta fuere. 683.1 a
Humores quatuor in sobrio valdè temperati sunt. 513.1 d humores mali jejunio sunt dissipandi. 322.1 a
Hus Bohemis anser est. 124.1 a
Hussitæ in Bohemia suis occurrentes lacrymantur. 241.2 a
Hyacinthinus color est regum. 215.1 d
Hyades stellæ symbolum sunt doctorum & prædicatorum. 546.1 d
Hyæna species lupi est, vel lupo affinis; ipsa describitur. 251.1 a
ὕβρις & ὑβρίζω violentam injuriam innuunt. 355.1 b
Hydra serpens erat multorum capitum, quem per ignem Hercules expugnavit. 142.1 a
Hydrops symbolum avaritiæ. 261.2 c
Hymnus canebatur in honorem Bacchi & aliorum deorum in mensa. 527.1 b hymnus Solis S. Francisci. 679.2 a hymnus omnipotentiæ Dei. 701.2 c hymnos Christo nascenti & resurgenti canit totus populus in Germania. 776.1 c
ὑπερακμάζω & ὑπερακμία accipitur pro superadultus. 665.2 d
Hyperaspistes quid propriè sit. 561.1 b
ὑπὸ subinde est idem quod πρό. 79.2 b
ὑπόκρισις quid propriè, quid metaphoricè significet. 591.1 c
Hypocrisis omnem veritatem veramq; justitiam & virtutem elidit. 56.1 a ejus symbolum est struthio. ibid. c item talpa & mulus. 1 b c eam Deus detegit. ibid. d 57.1 a
Hypocrita aliam & aliam personam induens, est velut histrio. 52. 1 a eum semper detegit Deus. a a 57.1 a est duplici corde. 67.1 a ovis est habitu, astutia vulpes. 68.2 a est plenus dolo. 339.2 b c 340.1 d 2 a ab eo cavendum. 340.2 b c d quomodo dignoscatur. ibid 341.1 b c ejus proprietates. 421.1 b c hic Deo servit in prosperis, in adversis prævaricatur. 537.2 a
ὑπόληψις accipitur subinde pro ὑπόνοια, id est opinio, cogitatio. 85.1 a
ὑπομονή tolerantiam simul & patientiam significat. 291.2 d
ὑπονοέω, ὑπόνοια & ὕπνος quid sint. 422.2 a 1 a d

I

IAcob unde dictus sit Israel. 599.2 a 788.1 a quomodo vivat dies innumerabiles. 599.2 c typus est sanctorum & electorum. 395.1 c tribulatione à Deo probatus est. 483.1 a in eo firmum & ratum voluit Deus esse pactum à se initum cum Abraham & Isaac. 716.1 b d quomodo sit à Deo agnitus in benedictionibus. 1 d fuit quater ab eo benedictus. ibid.2 a ejus lucta cum angelo quos denotet. 787.1 b
Jacobi eremitæ austeritas. 51.1 d
P. Jacobus Laynes nonnisi unum librum simul legebat. 217.1 d
matrimonium Jacobi cum Lia & Rachele quid symbolicè designet. 54.2 d
S. Jacobi Nisibitæ ossa urbem ab invasione Persarum conservarunt. 289.1 b
B. Jacoponus fuit speculum humilitatis, mortificationis, charitatis. 550.1 b
Iagello Lithuaniæ princeps suos ad fidem Christi convertit. 706.1 a
Ianua sapientiæ mystica quæ sit. 271.1 a b
Ianus priscis erat præses januarum. 271.1 c
Ianus bifrons putatur esse idem qui Noe. 519.1 b 713.1 d
Ibis in senio odorata est. 171.2 d
Idola pauperes è ligno fabricabant. 505.2 a ea antonomasticè vocantur errores. 784.2 d
Idololatriæ Israelis auctor fuit Jeroboam. 748.1 d ipsa peccatum maximum est. 764.1 c est spiritualis fornicatio. 733.1 a
Idolothyta comedebantur in cultum deorum. 660.1 b 2 a
Idumæi ita periere, ut ne nomen quidem eorum supersit. 708.2 b quare infensi essent Israelitis. 778.2 a sunt typus Judæorum modernorum. 779.1 a
Iecur fons sanguinis, & sedes concupiscentiæ est. 182.2 a
Iedidia fuit nomen Salomonis. 738.2 a
Iehova Dei nomen Judæis erat ineffabile. 722.2 d
Iejunium sanitati conducit. 321.1 c d 322.1 a 601.2 a vocatur humiliatio. 789.1 d patrat miracula. 752.1 c ejus encomium. 2 d
Jephte oblatio quare Deo displicuerit. 662.2 b Jeremias fuit malè à Judæis habitus. fuit à ventre matris sanctificatus. 47.2 d 765.1 a
Jericho urbs perditioni & anathemati fuit à Deo devota. 290.1 d quid hebraicè sonet. 401.2 a 402.1 a rosæ Jerichuntis quàm eximiæ. 401.2 a b an eædem cum amomo. 401.2 c
Jeroboam regnum Israelis à Juda distraxit. 747.1 c fuit origo idololatriæ Israelis. 748.1 d fuit princeps politicorum. ibidem c quare fuerit cum stirpe excisus. ibid. an à Salomone in filium sit cooptatus. 154 2 c Jerusalem tria dantur elogia. 581.2 c d fuit partim excisa ob iniuriam Jeremiæ irrogatam. 765.2 c
Jesu nomen quàm sit suave. 763.1 d

Digitized by Google

tres Jesus celebres in veteri Testamento fuere. 16. 2.c d
Jesus Christus cur ad turbas per parabolas concionaretur. 20. 1.d 2.b 54. 2.c 56. 1.a. 619. 1.b 745. 1 a totam ethicam Christianam paucis complexus est sententiis. 26. 1.a in omnibus dictis & factis miram ostenuit sapientiam. 34. 2.a creari prædestinatus est, ut crearetur in tempore secundùm humanitatem, & ab æterno genitus est secundùm divinitatem. 38. 1.c est Verbum Dei cæleste. 39. 1.d & fons vitæ. 2.d item fons sapientiæ. 40. 1.d quos in mundo fecerit ingressus. 2.d Pharisæorum hypocrisim detexit, 56. 2.b antequam prædicaret, à diabolo tentari voluit. 61. 1.a ejus mansuetudo. 79. 1.c in ejus scola discitur humilitas & charitas. 80.2.a sibi reputat factum quod pauperi impenditur. 89. 2.c velut pelecanus nos suo sanguine vivificat. 96. 1.b nobis præit viam justitiæ, doctrina, exemplo & gratia præveniente. 97. 1.a est via & vita. 1.b est verus amicus, & amicus amicorum, & quibus in rebus. 131. 1.c d funibus & clavis videtur cruci affixus fuisse. 138. 2.a veritas est, & veraces amat. 148. 2.a peccatores benignè suscepit. 169. 2.b cur ex Virgine sit natus. 176. 1 b judiciaria potestas ei propria est 187. 1.d optimus fuit rex, 189. 1.d quomodo ei Deus honorem suum communicarit. 190. 2.b ejus propria virtus est humilitas. 201. 1.b ejus typus est apis. 213. 1.a 2.a ei datur, quod ejus discipulo & justo. 234. 1.b c ejus virtutes nobis sunt imitandæ. 250.2 d dicitur agnus, & agnos amat. 251. 1.a nobis semper in ore & opere esse debet. 270. 1.b nos moriens suæ matri commendavit. 275. 1.a ipse noster est panis. 276, 1.a c ejus oculi quàm amabilis & efficaces. 294. 1.c est pastor ovem errabundam reducens. 319. 1.a ipse solus pro peccatis satisfacere poterat. 354. 2.d flevisse legitur, non risisse. 359. 2.c homo fieri voluit ut hominibus viam præiret per labores & dolores, 386. 2.c qua Deus, est sapientia increata personalis; qua homo, est sapientia incarnata. 388. 1.a non est pura creatura 388. 2.a est finis totius universi. 388. 2.d 389. 1.a in eo est omnis sapientia & scientia divina abscondita. 389. 1.d prodiit ab æterno ex mente Dei ibid. factus homo Patrem non deservit. 1.d ut Deus, est primogenitus ante omnem creaturam. 2.b procedit & gignitur non à natura divina, sed intellectu Patris. ibid. c est genitus, non creatus. 389. 2.d quomodo sit primogenitus Patris. ibid. judicaturus sedebit in nube. 391. 2.b humanitas fuit ei velut columna nubis: item B. Virg. uterus. ibid. in quo videatur Patre minor, eiq; ministrare. 393. 2.a præcepta ejus exequitur. ibid. hinc factus est homo. ibid. d apud Judæos post incarnationem egit, docuit, habitavit. 2.d est idem & unus cum B. Virgine, 394. 2.a quanta illi ob unionem cum divina natura sit gratia collata. 2.b omnia sua qua homo debet matri. ibid. quantopere ei obligetur. ibid. per incarnationem omnes homines sibi amore obstrinxit. 397. 1 a b refrigerium est omnibus ad se confugientibus. 403. 2.a per eum omnia sancta & odorata reddi debent. 406. 1.a Ecclesiam quomodo vaporet. 406. 2.b Sacraméta ab eo profecta sunt. 407. 1.b. est velut uva. ibid. 2.a b est suis origo omnium virtutum, 408 1 a quàm sit dulcis. 410. 1.d 41 1.2.d ipse solus plenam sapientiam in mundum tulit. 412. 2 d 413. 1.a fuit filius David. ibid b ejus sapientia. ibid. d. & seqq. 413. 1.c d 2.a 2.c 414 1.a b 2.a b c
hausit à Patre omnem sapientiam, gratiam & virtutem, 415. 2.c
quomodo & qualiter ad limbum patrum descenderit. 417. 1.d
personaliter non descendit ad infernum damnatorum. 2.a b
dedit in purgatorio jubilæum. ibid b nobis laboravit in mundo. 418. in fine. fuit in cruce quasi scopus, in quem Judæi sua tela verborum ejaculati sunt. 446. 2.b est velut justitia, ponderis, & firmamentum. 450. 1.c lunæ assimilatur. 452. 1.a est sol justitiæ. 453. 2.a pro crucifixoribus suis rogavit. 465. 1 d pro nostris debitis apud Patrem fidejussit. 482. 1.b ejus crucifixi dotes & fructus. 562. 1.a b & seqq. est pater pauperum; hinc qui hos opprimunt, Christum quodammodo victimant. 564. 1.c d quo die conceptus & passus sit 572. 1.b orans in cruce pro nobis exauditus est. 575. 1.d est synopsis omnium mirabilium. 579. 1.a & finis Prophetarum. 579. 2 c d 580. 1.a quæ in eo mirabilia intrinseca & extrinseca fuerint. ibid 2.b docuit in Sion: estq; Verbum Patris. 584. 1.b est verus sacerdos 583. 2.a est medicus præstantissimus. 605. 1.a 605. 2.c quomodo in Lazari morte sit lacrymatus. 610 1 a b paupertatem est Evangelicam amplexus, & eam Christianis sectandum proposuit. 649. 2.a ipse sol & lux est. 670. 2.b est signum ævi, qua Deus & qua homo. 672 2 a per solem repræsentatur. 679. 2.b c 681. 2 d est compendium omnium operum Dei ac totius universi. 697. 1.d est fidelibus auctor omnis gratiæ & virtutis. ibid. c quomodo Deum Patrem & Sp. sanctum quà homo glorificet. 700. 1.a est velut citharedus. 707. 2.a in quo Apostolos se fecerit majores, 757. 1 a
est perfectis ceu unguentum odoriferum. 762. 1.c
ejus memoria gratissima est Sanctis. 763. 1.d
in Seth & Sem repræsentatur. 767. 2.d
item per stellas, lunam, solem. 772. 1.a b ibid.
idem est rosa, ibid. 2.c
Jesus filius Josedec pontifex quando floruerit. 16. 2 c
Jesus filius Sirach, senior, fuit auctor libri Ecclesiastici. 14. 2.d seqq. imitatus est per omnia Salomonem. 15. 1.b 28. 2.a multa ex eo deprompsit, & suis addidit. 15. 1.b fuit Hierosolymita. 15. 2.a & vir magnus & sapiens. ibid. b & Propheta. ibid. c per varias regiones est peregrinatus. ibid. 2 b quando vixerit, & quot annis ante Christum. 1.d & seqq. 16. 1.d 22. 1.d an fuerit ex LXXII. interpretibus S. Scripturæ. 15. 2.d non fuit nepos Eleazari pontif. 16. 1.c fuit præcoci ingenio. ibid. d per varias tribulationes fuit à Deo probatus. 2.a fuit vir probus & figura Christi. ibid. a b est alius à Jesu filio Josedec. ibid. c
item à Ben Sira. 17. 1.a b fuit de stirpe sacerdotali. 16. 2.d
Jesus filius Sirach, junior, Ecclesiasticum ab avo suo Jesu compositum in Ægypto reperit. 30. 2.a c
eum ex Hebreo in Græcum idioma transtulit. 15. 2.a
quando is vixerit, 16. 1.a b c 17. 1.a 31. 1.d
non est auctor hujus libri, sed tantùm interpres. 16. 1.c 2.d 17. 2.a 21. 2.d digessit ejus sententias & variè trascripsit, inde est tanta variatio in textu Græco. 29. 2.d 30. 2.a ipse quoque addidit prologum libro. 32. 1 a ejus versio magnæ habita fuit auctoritatis. 32. 2.a *vide* Siracides.
S. Ignatius Antioch. psallendi ritum & chorum in Ecclesiam induxit, 723. 2.a b
S. Ignatius de Loiola vigore animi morbos superabat. 51. 1.d ejus charitas in inimico morbido visitando. 164. 1.d calumniis gaudebat. 436. 2.a feminas cur vitandas suaderet. 669. 2.a b
totus fuit igneus, 750. 1.d. 751. 1.a
S. Ignatius Martyr ad Deum incessanter suspirabat, 186. 1.a
Ignavi nihil tentare audent. 535. 1.a
solan sit igneus & verè ignis, 681. 1.a b
Ignis & animæ analogiæ, 152. 1.a
ignis optimè exprimit ardorem furoris divini in damnatos, 1.c hinc pœnarum gehennæ symbolum est. 284. 2.a b ignis noster in quo differat à gehennali. 151. 2.b ignis consumens impios, quintuplex est. 357. 1.a ignis symbolum est iræ. 468. 2.c & angelorum. 753. 2.a item libidinis. 782. 1.b & mulieris. 667. 2.a sæpè sumitur pro acri dolore & cruciatu. 782. 1.a à poetis in Vulcano repræsentatur. 616. 2.a c quatenus hominum vitæ sit necessarius. 632. 1.b non solo igne cruciabuntur impii in gehenna. 635. 1.d sed is cruciatus primarius & essentialis est. 2.b non fuit primariò ad vindictam impiorum creatus. ibid. ignis aptè peccatorum luxuriam castigat. 635. 2.c ignis qui sacrificia prima Aaronis absumpsit, perpetuò in tabernaculo alitus est. 725. 1.b
Ignis infernalis an corporeus sit, 150. 2.c & seqq. affirmatur esse. 151. 1.b & seqq. quomodo agat in spiritus. 151. 2.c incorruptibilis est. 152. 1.b est symbolum cæli empyrei. ibid. est & sulphureus, cur. 2.c d & maxima pœnarum. ibid. d non lucet, sed est mera caligo. 152. 2.a
cum igne purgatorio idem est. 306. 2.b
Ignoscere injuriam inferenti, regium est, 191. 1.d
porta cæli est, 465. 1.a
Ignoti domo non sunt excipiendi. 231. 2.a
Illuminatio mentis & intellectus à Deo petenda est. 375. 1.a
Imaginationes rerum etiam numquam futurarum mirè hominem torquent. 638. 1.c
Imago Dei in homine manet, quamdiu est homo. 283. 1.d imago Dei naturalis in hominis anima est, sed supernaturalis in gratia & virtutibus. 299. 1.d 2.a
ἱμάτιον quid propriè vocetur, 368. 2.d
qua in re sit Imber sapientiæ symbolum. 624. 2.b.c
Immensitas Dei immensam poscit laudem. 699. 1.d
cum Immisericorde non consultandum de misericordia. 593. 2.d
Immisericordiam Hebræi vocant impietatem. ibid
Immolatio unde dicta sit. 775. 2.b
Immortalitas animæ è famæ appetitu patescit. 657. 1.d
eam optant omnes. 489. 1.d
Immortalitatis stola Sanctis in cælo parata est. 839. 2.c
Immunditia legalis tollebatur aspersione aquæ lustralis. 566. 1.a
Immundum per se rem nullam mundare potest. 555. 1.b
Immutabilitas causa est æternitatis. 507. 2.d
Impatiens in tentatione, ab ea non purgatur, sed uritur; 65. 1.a
Impatientia extinguit in nobis Spiritum S. 509. 1.b
eam expellit timor Dei. 53. 1.a
totum se Impendens aliis, sibi injurius est. 259. 2.b
Imperativus dum præcepto alicui Ecclesiastici subditur, per Subjunctivum est exponendus. 30. 1.a
Imperatores dum coronarentur, mortalitatis admonebantur. 197. 1.d
Imperfecti à perfectis quomodo in motu & gestu distinguantur. 342. 1.a
auctor Imperfecti nonnullos habet errores. 447. 1.a
Imperitia propriè juvenum est. 364. 2.c

Impe-

Imperium mulieris in virum eſt indignum. 462. 1. c d

Impietas armata conſilio inſuperabilis, 422. 1. c

Impietatis ſedes regia in inferno eſt. 654. 2. d

Impius quaſi diabolus eſt. 361. 2. d quem dum maledicit, maledicit ſeipſum. 2. d 362. 1. a ſemper habet diabolum in ore 362. 1. b lupo aſſimilatur. 251. 1. a eſt omnibus gravis & intolerabilis. 368. 1. c 368. 1. c d eſt velut brutum. 368. 2. b vagus eſt in cogitationibus & verbis. 538. 2. a b diebus profanis eſt ſimilis. 540. 2. b

Impii non habent veram ſapientiam practicè practicam. 55. 1. c eorum etiam corda in Dei ſunt manu. 286. 2. c civitates reddunt deſolatas. 288. 2. d ex malitia peccant, & peccato gaudent. 334. 2. c quaſi ſtuppa collecta à Deo conſumentur. 356. 2. d ſunt in gehenna colligati. 357. 1. b cur eorum conſortia vitanda. 367. 2. b c 2. d tum animæ, tum famæ, tum corpori periculum creant. 367. 2. c d tunc miſeri ſunt, cùm appetitus ſatisfaciunt & tunc felices, cùm puniuntur. 368. 2. c vera carent beatitudine, etiam in hac vita. ibid. d ſemper ſunt timidi. 369. 2. b quatenus odio proſequendi ſint. 423. 2. b iis ſervire periculoſum eſt. 424. 2. a nonniſi vitioſa proferunt. 456. 1. a quomodo tradantur linguis maledicis. 471. 1. c d

Impii laudant impios. 508. 1. a iis plerumque mala occurrunt, non piis. 537. 1. b regnis ſuis depelluntur. 543. 1. a eorum oblata Deo diſplicent. 562. 1. d 565. 2. a 563. 2. c d nihil ipſi ex iiſdem acquirunt. 565. 1. d imò ea deſtruunt. ibid. b. eos quomodo Deus puniat. 630. 1. d 2. a & ſeqq. eorum poſteri non perrenabunt. 643. 1. a c quo ſenſu in maledictione naſcantur. 655. 1. a impii in Script. vocantur peccatores in peccando obdurati. 656. 1. c nati ex maledicto parentum ſemine, in maledictionem gehennalem tranſibunt. 2. a vocantur filii diaboli. 2. a pereunt quaſi non fuerint. 708. 1. c d eſto dominentur in vita, ſunt infelices & erunt. 752. 2. d

Implere capitur pro continere. 413. 2. a & pro conſecrare. 723. 1. d item pro plenum efferre. 55. 2. d

Impoſſibilium impotentia divinæ potentiæ eſt argumentum. 286. 2. d

Improbitatis impotentia inſatiabilis. 168. 1. b

Improbus accipitur pro importunus. 247. 2. d improbi & probi tres notæ. 262. 1. d *vide* Impius, Malus.

Improperium abrumpit amicitiam. 371. 2. a

Imprudentiam cauſat ebrietas. 520. 2. d

Impudentia naſcitur ex gula & libidine. 376. 2. c ejus effectus & noxa. 2. d mater eſt impudicitiæ. 442. 1. a

Impudicæ ut plurimum fuco ſunt illitæ. 180. 2. c vagantur per urbem. 433. 2. a

Impudicitia muliebris ſe oculis prodit. 438. 2. c

Impulſus cordis ad bonum aſſiduè à Deo petendus. 375. 1. a

Impunitas vitiorum aſcribenda judici ea non punienti. 144. 1. c 2. a impunitas peccandi magnum malum eſt. 368. 2. c

nihil Impunitum relinquit Deus. 111. 2. a

Incarnatio Verbi Dei fuit opus Spiritus ſancti. 422. 2. b hæc maximum eſt opus inter Dei magnalia. 303. 1. b quomodo ſe per eam Dei Filius demiſerit. 393. 2. c hæc aptè iride repræſentatur. 403. 2. d ab ea omnis B. Virginis & noſtra ſanctitas derivatur. ibid. d in ea plurima ſunt miracula. 579. 1. c in ea elucet Dei ſapientia, ſapientia, clementia 580. 1. c eſt velut ros. 693. 1. a

Incenſum idem eſt quod thymiama, id Deo bis per diem offerebatur. 723. 2. d

Inceſſus gravis vel vagus index eſt animi maturi vel inconſtantis. 443. 1. b ſit verecundus & modeſtus. 341. 2. d

Incipiendum ſemper in ſtudio virtutum. 316. 2. c d

Inclinationes animæ quare indagandæ ſunt, antequam quis alicui officio aut ſtatui applicetur. 600. 2. a b

Inconſideratio & incontinentia loquendi ſæpè cauſat peccatum. 379. 1. c

Inconſtantes miſerè pereunt. 223. 2. d ſimiles ſunt avibus vagis. 587. 1. a

Inconſtantiæ & mutabilitatis adagia. 116. 2. a incoſtantia homini à peccato originali acceſſit. 223. 1. d

Incubus morbus unde oriatur. 640. 2. d

Indi nonnulli parentes ſenio confectos mactant & devorant. 77. 2. a Indorum indocilitas & ſtupor. 365. 2. d convivabantur coronati. 525. 2. d

Indigent omnes ſemper re aliqua. 649. 1. d indigenti mors ſolatium eſt. 652. 1. a

Indignis non eſt benefaciendum. 233. 2. a id tamen quandoque fieri ſolet. 2. b non ſunt iis conferendi honores. 236. 1. c

quiſque regendus eſt ſecundùm Indolem. 493. 1. a indoles melior ſubinde eſt cauſa ſortis melioris & fortunæ. 539. 1. b indoles in conſilio ſpectanda eſt ejus cui conſulitur. 593. 2. c

Indiſciplinato cur non ſit communicandum. 169. 1. c

Indoctus probus melior eſt docto improbo. 338. 2. d

Inebriare ſubinde ſignificat ſaturare, replere. 50. 1. a inebriat nos Deus donis ſuis, & amore quo dat, item bonis ſpiritualibus. 531. 2. b c

Iners quis propriè ſit. 363. 1. c mavult mendicare, quàm honeſto labore victum ſibi comparare. 650. 1. a

Inertia quæ pariat mala. ibid. 2. a quàm ſit periculoſa. 325. 1. c

In honore ſecuturæ Infamiæ memor eſto. 225. 2. c

Infernalis ignis an ſit corporeus. 150. 2. c & ſeqq. quomodo à Patribus non corporeus dicatur. 151. 1. d *vide* Ignis.

an ad Infernum damnatorum Chriſtus perſonaliter poſt mortem deſcenderit. 417. 2. a b infernus vocatur ſilentium. 495. 2. d eo eſt pejor lingua maledica. 470. 2. b c in eo non eſt pœnitentia. 654. 1. a b nemo ibi vitæ brevitatem vel longitudinem poteſt accuſare, nec ob eam damnabitur. 653. 2. d 654. 1. a inferni nomine etiam vocatur limbus patrum. 470. 2. a *vide* Limbus.

Infideles veras virtutes non habent. 9. quatenus odio proſequendi ſint, & de eorum malo quatenus gaudendum. 424. 2. b c omnia eorum opera non ſunt peccata. 563. 2. c *vide* Gentiles.

Infidelitatis frigus per gelu repræſentatur. 691. 2. b

Infirmi ſpem & fiduciam in Deo conſtituant. 731. 2. d *vide* Aeger.

Infirmitatis propriæ agnitio eſt optima tentationes vincendi ratio. 61. 1. b ſæpè merita adauget. 606. 1. a 607. 2. a *vide* Morbus.

Infirmos viſitando creſcimus in charitate Dei & hominum. 163. 2. a d 164. 1. d

Inflare accipitur pro inſpirare. 96. 2. a b

Infrunitus quid ſit, & unde vox derivetur. 376. 2. a b 512. 1. d

qua re quis fiat Inglorius. 732. 2. d

Ingluvies, *vide* Gula.

Ingrato an ſit benefaciendum. 233. 1. b 233. 2. d 236. 1. a

Ingredientes templum ſemper aliquam dent eleemoſynam. 570. 1. a

Ingreſſus ſapientiæ quomodo ſint mandata æterna. 40. 1. c & ſeqq.

Ingundis regina maritum ab arrianiſmo convertit. 542. 1. d

cum Inhoneſto non eſt conſultandum de honeſtate. 593. 1. d

de Inimici morte & malis non eſt letandum. 171. 2. d 172. 1. a quando id liceat. 1. b inimico reconciliato non facilè credendum. 237. 2. b 238. 2. a b ejus virus. 238. 2. a c ei verè in amicum converſo fidendum. 2. d ei ſi benefeceris, eum amicum reddes. 239. 1. b c ab inimico cavendum. 2. a 240. 1. c d 240. 2. d 241. 1. a parvo cum fructu corripitur. 337. 1. d 2. a inimici quare cavendi ſint. 128. 1. d 2. a in malis proximi gaudent. 237. 2. c diligendi ſunt, ut ſuos diligit Deus. 386. 1. d. inimici animæ quinam ſint. 239. 1. c 2. a

Inimicitiæ ſint mortales, amicitiæ immortales. 126. 2. a b inimicitiæ fraternæ ſunt graviores aliis. 147. 2. d inimicitia eſt ærugo ob ſeptem analogias. 237. 2. d ejus virulentia. 238. 1. c d eſt ſerpens & fera. 240. 1. c 2. a inimicitia auctore diabolo in orbem prodiit. 589. 2. d

Inimicus ex amico factus, eſt truculentiſſimus. ibid. 2. a inimici etiam diligendi ſunt. 423. 2. a

Iniquitas viri melior eſt benefaciente muliere, quo ſenſu. 667. 2. b & ſeqq 668. 1. d

Iniquitates populi judex perſtringere debet. 144. 1. a

Initium ſæpè idem eſt quod origo & cauſa. 199. 1. b initium ſapientiæ eſt timor Dei, quo ſenſu. 45. 2. d 46. 1. a & ſeqq.

initia mundi quæ vocentur. 296. 1. c quæ initia ſanctorum offerenda Deo. 162. 1. a d in Script. idem eſt quod erat ante tempora. 395. 2. a initium ſignicat etiam ſummam, præcipuum. 484. 1. a item principatum. ibid. d *vide* ἀρχή.

Iniuria affectum liberare actus inſignis miſericordiæ eſt. 94. 1. a idq; faciendum generoſè. 94. 2. c iniuria in amicum cavenda. 370. 2. d ea eſt irreconciliabilis. 371. 1. c d iniuriæ potentiorum ferendæ pauperi. 144. 2. b earum illatio cauſa eſt everſionis regnorum. 192. 2. d 193. 1. a b eas oblivisci heroicum eſt. 191. 1. c 2. a b ab inimico illata gravis eſt. 427. 2. d iniuriæ condonandæ ſeptem ſtimuli. 461. in textu 463. 1. c 2. a b c 464. 2. b 465. 1. d 466. 1. c 2. d eam vindicare putabant Gentiles eſſe heroicum. 464. 1. d ejus perpeſſio porta cæli eſt. 2. d

ab Iniuſtis non eſt capiendum conſilium. 600. 2. a

Iniuſtitia cauſa eſt cur regna de gente in gentem transferantur. 192. 2. d & ſeqq. non eſt amico & ſocio irroganda. 659. 2. d iniuſtitia in pondere & ſtatera cavenda eſt. 664. 1. a b iniuſtitia generalis omne peccatum complectitur. 568. 1. c

Innocens ſubinde ſumitur pro impunito. 183. 2. c innocens nemo coram Deo eſt. 143. 1. a

an in ſtatu Innocentiæ iidem numero futuri eſſent homines qui nunc prædeſtinati ſunt. 158. 1. c & an viri & feminæ pari numero tunc naſcituri. ibid. d

Innocentiam tandem Deus tuetur & ulciſcitur. 470. 2. d 471. 1. a lacte deſignatur. 633. 1. d ejus quanta ſit vis. 738. 2. d

Inobedientes vocantur filii Belial, id eſt ſine jugo. 791. 1. b

Insaniæ magis obnoxiæ sunt feminæ quàm viri. 432.1.a
Inscriptio templis Isidis in Aegypto. 40.2.d
Insensati, vocantur excordes. 395.1.d
Insolentia filia libidinis & gulæ est. 376.2.d
Inspirationibus divinis obedire multa parit bona. 101.2.a
Institutio filiorum commendatur. 155.2.d ea quanti sit momenti. 487.2.d 488.1.b.c hæc à puero est inchoanda. 2.a
Insula unde dicatur. 693.2.a
Insulæ in aquis vel firmæ consistunt vel fluitant. ibid.2.d sunt in mari quodammodo plantatæ, item firmatæ, eæque sunt fertiles. ibi. d insulæ nonnullæ factæ sunt quæ ante continenti adhærebant. 695.1.a
Insulas vocabant Hebræi etiam terras remotas, etsi continentes. 744.2.a
Insuper haberi quid sit. 333.2.d 334.1.a
Insuspicabilia cordis quæ vocentur. 422.2.c
Intellectus prior est voluntate & potentia. 37.2.a
Intellectus idem est cum sapientia apud Ecclesiasticum. 38.2.b
Intelligere in Ecclesiast. idem est quod sapere & prudenter agere. 38.2.b
Intemperantiæ damna tria. 512.1.c
Intentio reddit actus bonos vel malos. 576.2.a hæc in omni opere ad Deum dirigenda est. 738.2.a
Intentio recta in studio sapientiæ habenda. 785.2.d
Interpres sapientiæ vitam habebit æternam. 412.2.a
Interpres Latinus Vulgatæ subinde propria nomina vertit juxta eorum etyma. 729.2.d
Interpres Latinus Ecclesiastici quis fuerit. 17.2.b ejus antiquitas. 17.2.c 30.1.a est in stylo simplex, durior, & discrepat à versione aliorum librorum. 18.1.a 27.2.c ejus versio Syris, & Græcis est anteferenda. 18.1.d ejus perfectio & sinceritas. ibid. ejus stylus barbarismos habet. 27.2.c usurpat phrases, & verba nomina suo sæculo usitata, jam obsoleta. 28.1.b.c 30.1.a voces & phrases, quas in nova significatione usurpat, recensentur. 28.2.a & seq. quia græcizat, hinc videtur fuisse Græcus. ibi. 28.2.a amplior & uberior est Græco textu. 29.2.a 33.2.d 49.1.d 58.1.d 66.1.b 71.1.a 106.2.d 210.1.a 153.1.a 181.1.d 182.2.a 196.2.a 265.1.a 278.2.a 283.2.c 295.2.c 29.2.c
Interrogatio tota audienda, antequam responsum detur. 117.1.a
Interrogatio subinde ponitur pro flagellis & tormentis. 378.2.c
quomodo quis Intrepidus evadat. 535.2.d
Intuitus omnis futurorum est in Deo ex vi comprehensionis essentiæ. 55 1.b
Intuitus fixus iuvenis aut puellæ illecebrosus est. 666.2.c
Invaletudo velut lenta mors est. 494.1.b
Inventa an inventori cedant, an pauperibus danda. 477.2.a
Inverecundus multa facit ob quæ in confusionem incidit. 663.1.c
Invidiæ descriptio. 260.2.a ejus remedium. 261.1.a ejus nequitia. ibid.c est ferina, non humana. ibid.a quàm sit nequam & maligna. 261.2.a:b 510.2.a.b quid ipsa sit. ibid. unde dicatur: dolet de aliena prosperitate. 429.2.c ipsa invidum exedit. 500.2.b est comes avaritiæ. 510.1.a mentem excecat livore & odio. 639.2.b
Invidus dicitur quasi invitè videns. 260.2.a ejus descriptio. ibid. ejus symbola varia, ibid.b & seq. est sui interfector. ibid.b.c aliis invidet commoda, quibus non utitur, 261.1.a est pusillanimis, 261.2.b
Incipientem converti acribus verbis, & subinde verberibus insectatur. 60.1.a invidi similes, muscis, ærugini, dæmoni, viperæ & pantheræ. 510.2.a:b iis non sunt consilia aperienda, 591.1.c maximè de gratiis agendis. 593.2.d
Invitè nihil faciendum est. 600.2.b.c
Invitus dans, corrumpit beneficium suum. 310.2.a
Invocare nomen alicuius super aliquem quid sit. 581.2.a
Joakim filius Sela quare dictus stitisse solem. 729.2.d
Ioannes Abbas mutuabat libenter, etsi non redderetur. 477.1.a
Ioannes Eremita oleo à se benedicto ægros sanavit. 607.2.b leonem cepit, ligavit & ad Abbatem perduxit. 738.2.c
S.Ioannes Apostolus symbolis & apologis gaudet. 20.2.a à Sapientia divina edoctus fuit. 277.1.b
Ioannis Aragonum regis de regum miseria vox. 197.2.b
Ioannes Baptista in quo fuerit velut sol. 453.2.d pro justitia occubuit. 107.1.a
S.Ioannes Columbinus lectione Vitæ S.Mariæ Aegyptiacæ conversus est. 352.2.d
Ioan. Chrysost. ad nulla convivia accedebat. 485.1.b
Ioannes Eleemosynarius extrema semper præ oculis habebat. 166.1.b 264.2.b viso misericordiæ est ad eleemosynam invitatus. 71.2.b 450.2.d 480.2.c manum habebat liberalem. 476.2.d etiam in mutuando liberalis erat. 477.1.b sua omnia pro pauperibus oppignoravit Mauricio Imp. 481.2.d ei ob liberalitatem Deus & homines benedixere. 516.2.c sibi mortis memoriam identidem refricabat. 611.2.d
S.Ioannes Gualbertus cædem commissam cuidam hosti suo condonavit. 465.2.a
P.Ioannes Maldonatus quotidie quinquies mortis præsentiam sibi ob oculos ponebat. 264.1.b
Ioannes Persa libenter dabat mutuum. 477.1.d
Ioan. Pontifex quare à Theodorico rege neci datus. 781.2.a
Ioannes Roffensis parvo episcopatu contentus, ampliores recusavit. 217.1.c
S.Ioannis Silentiarii in Deum fiducia: hinc est à leone contra Saracenos protectus. 560.1.b
Iob primus homines ad morum compositionem efformavit. 5 pupillos propugnavit. 94.2.d quomodo cum filiis rideret, 492.1.c quomodo in suis ærumnis mortem optarit. 495.2.d in stercore dæmonem vicit. 658.1.d opus suum carmine conscripsit. 707.2.d
Iocos mensales moderabatur symposiarcha. 522.1.b
Ioci amicorum non sunt in malam partem accipiendi. 663.2.c
Ionas propheta non fuit puer Sareptanus ab Elia vitæ restitutus. 752.2.a
Ioram filio Iosaphat regi Iuda Elias per litteras mortem est comminatus. 753.1.b eius feralis mors. ibid.c
Iordanis fluvius unde sacer dicatur. 413.2.c exundat tempore veris. ibid. typus est baptismi. ibid.d
B.Iordani de eleemosyna sua indignè collata responsum. 253.2.d
Iosaphat rex Iuda pius fuit, in pietatem tamen peccavit. 764.1.d
Iosaphat filius regis Abenner, à Barlaam conversus, in eremum concessit. 651.2.a
Ioseph Patriarcha typus fuit Christi. 138.2.a in carcere mansit, quia speravit in homine. 448.2.d ejus elogium comparatur cum Henoch. 766.2.d unde vocatus Ioseph. ibid. varia passus est, fuit in castitate & patientia mirabilis. 767.1.a ejus ossa ex Aegypto in Chanaan asportata. ibid.b an aliquod miraculum tunc patrarint. 1.d
S.Ioseph habuit B.Virginem adiutricem in educatione Christi, & in virtutum profectu: quam fuerit sanctus. 583.2.d
Fl. Iosephus censuit voluntatem internam peccandi non esse peccatum. 349.2.c sæpè historias gentis suæ exornat contra rei veritatem. 735.1.b
Iosiæ regis quàm grata fuerit memoria. 761.1.b.c 763.1.a ejus pietas circa cultum Dei. 761.1.d 763.1.d 764.1.a.c ejus virtus & nomen tribus ante nativitatem sæculis à Deo per Prophetam prædicta sunt. 761.2.d ejus nominis etyma varia. ibid.d 762.1.a quid allegoricè & tropol. designet. 762.1.c.2.a 763.1.d
Iosue fortitudo data à Deo. 727.1.d ejus victoriæ. ibi. 728.1.c fuit Moysi successor in regimine populi & spiritu prophetico. 227.2.a unde fuit Propheta. ibid. fuit virgo, & cælebs. ibid. ejus nomen quid sonet. 728.1.a fuit typus Iesu Christi. ibid.b.c 16.2.a ejus continentia ac liberalitas. 2.c salutem Israelitis attulit. ibid.b.d cur ejus mors non plangatur. 728.1.d quo ritu Hai urbem expugnarit. ibid.b solem è zelo stitit. 1.d & seq. in arctis constitutus Deum invocans ab eo est exauditus. 730.2.a
Ira furor brevis est, & velut momentum. 53.1.b fovetur jurgiis & maledictis. 169.1.c homini mentem eripit. 175.1.b pervertit correptionem & reprehensionem. 342.2.a velut ignis calidus est. 380.1.d in ira nemo corrigendus. 172.2.a ira bona & mala quæ sit. 102.2.b.c maledictio iram Dei concitat, 93.1.a hæc ingruit in peccatores impœnitentes. 114.1.a quomodo hæc festinare & proximare dicatur. ibi.b.c ira in Deo est justitia & vindicta. 291.1.d eam reprimit justus per timorem & amorem Dei. 76.2.d ipsa deponenda est. 461 ejus remedium est memoria Dei. 465.2.a eam vetat lex 465.2.d variat parit peccata. 466.1.b.c 466.2.b igni similis est. 82.2.d parit insaniam & furorem. 467.2.d hominem exedit. 500.2.a ejus damna. 2.c Spiritum sanctum contristat. 502.1.a hominis mentem prodit. 517.1.d-2.a sedatur, & satiatur ultione hostis. 634.2.d qualis ira in muliere damnetur. 428.1.b ira muliebris describitur. 431.2.c.d ira in Deo nonnisi metaphoricè est. 557.2.a hæc diluvio comparatur. 630.1.d est velut heres impiorum. 630.2.b ira flammæ, idem est quod ira flammea. 580.2.a ira & furor quomodo differant. 461.1.b.c
Iracundi sapientia suam iracundiam frænent. 109.1.a plerumque audaces sunt. 174.2.d
Iracundi describuntur. 175.1.b
Iracundia est filia superbiæ, & per peccatum inducta. 202.2.b est vitium muliebre & mollis animi. ibid.c 428.1.d homini mentem eripit & rationem. 639.2.c
Iracundus est velut vesanus & dæmon. 467.1.c.d
Irasci peccatis, laudabile est, non alias. 461.2.c
Ire post deos alienos quid sit. 505.2.c
S.Irenæus sæpè utitur apologis in suis scriptis. 20.1.a
Iris unde dicatur. 686.1.a quid sit. ibid.b est incitamentum ad Deum laudandum. 685.2.a ejus colores tres sunt invicem

Abor-

ſubordinati. ibid. 685.2.b 686.1.a eius cauſa quæ ſit. 685. 2. a eſt inſtar arcus magni, & videtur cæli zona: ibid. b c eius amplitudo & conſtantia in ſitu & coloribus. ibid. c d

Iris matutina & veſpertina quid portendat. ibid. d eſt imbrifera. 686.1.a confert ad generationem mellis aeris. ibid. b cur dicatur Thaumantis filia ibid. eius colores non ſunt veri, ſed apparentes. ibid. ubi fiat plerumque. ibid. plures irides ſimul fieri poſſunt. ibid. d eſt ſignum divinæ clementiæ & pacti cum Noe. ibid. 403. 2.d varia eius elogia. 686.2.d eſt typus crucis Chriſti & SS. Trinitatis. ibid. c item incarnationis Chriſti. 403.2.d

Irriſio alienæ miſeriæ odioſa eſt. 147.1.b c hæc cavenda, ibid. d & ſeqq.

Ironia ſubinde à Scriptura ſacra uſurpatur. 592.2.c

Irreligioſi non ſunt in conſilium adhibendi. 592.2.d

Irriſor omnes irridet, etiam amicos. 539.1.a

Iſaacum Deus præ Iſmaelitis elegit. 541.1.d

Ipſe fuit heres omnium benedictionum Abrahæ factarum. 715.2.d & cur ipſe non Iſmael. ibid. 2. d eius fides & obedientia in immolatione ſui, ibid. ex eo natus eſt Chriſtus, non ex Iſmaele. 716.1.a

Iſaias fuit eximiè ſanctus præ aliis Prophetis. 759. 2. c hinc vocatur Propheta magnus. 760.1.a liberè carpſit principum vitia. ibid. eius elogium. ibid. b. ſolem retrogredi iuſſit, & regi vitam reſtituit. ibid. 759.2.c ultima tempora prænuntiat. 760.1.d 2.c quomodo dicatur conſolatus lugentes in Sion. 2.a Chriſti & Eccleſiæ tempora prædixit. ibid.

S. Iſidorus agricola Deo vacando nihil amittebat ex opere diurno. 218.2.b

S. Iſidorus Hiſpalenſis initio tardioris ingenii, aſſiduo ſtudio doctus evaſit. 155.2.b

Iſis ſymbolum eſt ſapientiæ cæleſtis. 40.2.d

Iſmael Iſaacum fratrem oppugnans figura eſt carnis animam oppugnantis. 59.2.a quare non fuerit heres promiſſionum Abrahæ patri ſuo factarum, ſed ſolus Iſaac. 716.1.a

Iſmaelis alterius fictæ lacrymæ. 241.1.b 241.1.d

Iſmaelitæ fuere hoſtes Judæorum. 708.2.a

Iſocratis ethica præcepta Demonico data. 24.1.a & ſeqq.

Iſrael eſt Dei regnum, reſpub. & populus. 304.1.b c 1. d 2. a hinc dicitur pars Dei. 304.2.c fuit populus Dei electus in quo miſit radices. 395.1.a b 358.2.c 743.1.b eſt & pars & hereditas illius. illius. 396.1.d & filius eius primogenitus. 581. 1.d habebat domeſticum Dei oraculum, & legem. 2.d & ſeqq. hinc ei ſemper curæ fuit. 777.2.d 582. 1. a eo promittente habuit perpetuam ſucceſſionem regum & pontificum. 726.2.a eius regnum erat politicum ſimul & Eccleſiaſticum. 706.1.a typus eſt populi Chriſtiani. 581. 1.b c

Iſraelitæ ſoli veram habebant ſapientiam. 599.2.a quomodo eorum dies ſint innumerabiles. ibid. 2.b olim vocabantur ſancti. 626.2.a ob idololatriam in Aſſyriam abducti fuere. 738.2 c 758.2 d in ea ſemel cœpta ſemper perrexere. 788.2.d

apud Italos in conviviis feminæ ſeparatæ ſunt à viris. 182.1.b

Iteratio peccati novum eſt peccatum. 353 1 d

quare tribus Juda a decem aliis divulſa. 747.2 a

Ipſa ob idololatriam in Chaldæam fuit abducta. 759.1.a 764.2. d

Judæa palmis abundabat. 399.2.d

Judæi Eccleſiaſticum in canonem ſacrum non recipiunt. 12. 1. a 2. b Gentiles averſabantur. 175.2.a convivabantur ſeparati à feminis. 182.1.b erant duræ cervicis. 238.2.d non tolerabant meretrices. 332.1.a

Eorum afflictio ſub Ptolemæo Lagi. 58.1.c eorum plurimi è captivitate Ægypti redempti per Ptolemæum Philadelphum. 32.2. b ſunt dilecta Deo gens. 292. 2. d 395. 1. a b inimicos oderant. 423.2.b qua de cauſa uxores dimitterent. 434. 1. a blaſphemiam exhorrebant. 456.1.c apud gentis ſuæ homines peregrinantes divertebant. 485.2.b Gentibus erant ludibrio, ibid. quo ritu mendicarent. 485.2. d

Juxta ſepulcra mortuorum epulum pauperibus inſtruebant. 496.1.d non niſi bona temporalia ſperabant. 502.2.b quo ritu in feſtivis epulis Deo gratias agerent. 531.2.a 531. 2. d ſemper ad gulam fuere propenſi. 601.1.b corpora mortuorum inungebant aromatibus. 609.1.d

Mortuos nimis plangebant. 2. c ſoli habuere dignitatem propheticam. 706.1.d poſt Babyl. captivitatem idola publicè non coluerunt. 748.2.d 749.1.b eorum imminutio per Ptol. Lagi & Seleucum I. Syriæ regem. 576.1.a 771.2.a eorum mira multiplicatio. ibid. 2. per infidelitatem & impietatem in Chriſtum à fide & vita patrum ſuorum degenerantes, ſunt ab eorum hereditate excluſi. 709.2.c eorum propterea pœnæ. 471 1.a Chriſto illudentes, in rege ſuo Agrippa ab Alexandrinis poſt illuſi ſunt. 460.1.d maximè ab Elia in fine mundi convertentur. 712. 2.a 756. 1. a 756.1. b

Hi deſignantur per Idumæos priſcos. 779. 1. a negant perſonas in SS. Trinitate. 389.2.a 794. *vide* Hebræi Iſrael.

Judæi moderni Chriſtianis fœnerari licitum ſibi putant, non Judæis. 173.1.b

Judex ſit fortis & potens, & cur. 143.2.c d 147.1.a b c in judicando æquus. 144.1.d 144.2.b c plebei ſe non accommodet. 145.1.a nec eam offendat. 145.2.b non ſit puſillanimis. 147.1.a ſecundùm judicem judicandum eſt. 173.2.d ei ſententiam pronuntianti credendum. 174.1. a

Judicibus aſſiſtit Deus. 174.1.b inauditis partibus ſententiam proferre non debent. 215.2.b pollent ſapientia. 187.1.d 2.b item beneficentia. ibid. b ſæpè auro corrumpuntur. 168.1.d & ſeqq. qui tales, ſugillantur, & ſimiles ſunt mutis. 351.2.b c d

Judices iniqui juſtitiam velut conſtuprant. 343.1. d 344. 1. d cur principes vocentur Judices. 187.1.a

Judex ſit ſenex & grandævus. 421.2. c ſit velut cæcus, & manibus truncus. 663. 2. c quomodo ſe erga delinquentes gerere debeat. 754. 1. a

Judicum Iſraelis alii pii & zeloſi, alii impii fuere. 733.1.a

Judicare non oportet quemquam ex ſpecie. 209. 2. b & nos priùs quàm alios. 326.1.d idque ne judicemur à Deo. 622.1.d

Judicialia præcepta quomodo dicantur fuiſſe æterna. 303.2.a

ad poteſtatem Judiciariam tria requiruntur. 187.1.d

Judicium certum requiritur in omnibus actionibus & fide. 336.1.b

Judicium de aliorum factis ſemper ſuſpendendum. 215.1.d 2.a

Judicium Dei cur vocetur teſtamentum. 295. 1.a id ſemper præ oculis habendum. ibid. c ei ſe debet homo ſemper præparare. 320. 2.d 121. 1. a

Judicium particulare cuiuſque fit ſtatim à morte eius. 235.2. d judicii extremi timor ſalutaris eſt. 53.2.d judicium propriè ſenum eſt. 421.2. d

Judicium æquum bonos præmio, malos pœna afficit. 543. 2. b judicium eſt Hebræis ſæpè idem quod mors. 611.1.d cur judicii nomine vocetur mors. ibid. aliquando idem eſt quod juſtum. 532.2. d judicium juſtum & verum judicandum. 663.2.a 664.1. b judicii dies quare vocetur agnitionis. 450.1.d pauperis & divitis ſortes commutabit. 244.2. c erit horribilis frequentiſſimis fulguribus. 787. 1. d

Judicia Dei ſanctis videntur æqua, impiis iniqua. 631.1. d cur præcepta legis, judicia vocentur. 720.1.a 723.1.d judicia temporum quæ dicantur. 706.1.d judicia ſint æqua. 144.1.d 2.a 244. 2. c

Judocus Clictovæus libros IV. S. Cyrilli in Joan. ſupplevit. 566.2.d

Jugum ferreum linguæ maledicæ multiplex eſt. 470. 1. b jugo domantur animalia fera & indomita. 591. 1. a eo deſignantur lex Dei. 790.2.d

Jugum grave ſuper filios Adæ quod ſit. 637.2.d qualia & quanta id complectatur. 638.2.b c 639.1.d 640.1.a

Jugurtha à Maſiniſſa in regiam receptus, eius familiam evertit. 232.1. b

Juliani Imper. impietas eluxit ex vultu, inceſſu & habitu diſſoluto. 341.2 a ob pravam inſtitutionem factus eſt apoſtata. 488. 2. a temeritate periit. 535.1.a

S. Julianus anachoreta, dictus Hoſpitator, patrem occidit ob nimiam credulitatem. 333.2.b aſſiduè ad Dei judicium ſe comparabat. 321.1.a

S. Julianus Conchenſis Epiſc. fuit à B. Virgine palma donatus: eius vita fuit mirabilis. 712.1.d

Juliano Stylitæ leo obedivit loco excedere juſſus. 738.2.d

Julius Cæſar in periculis fuit intrepidus. 191.1.b libenter ignovit inimicis. 643.2. a ſuis ſe in labore & periculis anteſignanum præbebat. 524.2.a

Julius Hyginus fabulas conſcripſit. 244.1.d

Jumenta dicuntur à juvando: ea tres ob cauſas ſunt curanda. 155.1.c d 550.2.b non ſunt oneribus nimiis gravanda. ibid. d

B. Juniperus per viſionem didicit nos ſine Deo nihil poſſe. 579.1.a eius inferendis opprobriis patientia. 465.1.d

Junius Brutus unde ſic dictus. 375.2.b primus Conſul Romæ creatus eſt. 637.2.c

Juramentum quare illicitum. 377.1.c torquet animam. 377.2.d

Jurans temere Deo tandem pœnas dabit. 378.1. b eius infortunia, ibidem c jurans juramentum non præſtans, dupliciter peccat. ibidem 1. a

Jurare omnem Dei cultum ſignificet. 68.1. c à jurandi conſuetudine devenitur ad periurium. 377. 1. d jurare peius eſt quàm occidere. 2. a

Juriſprudentia ethica nititur, eique eſt ſubalterna. 10

Juſta quæ mortuis debeantur. 608.2.c d & ſeqq.

Juſtificare ſubinde ſignificat juſtum declarare. 183.2.c

Juſtificationis ordo & modus, quis. 48.1.a juſtificatio impii incipit à timore ſervili. 101.1.c

S. Iuſtinus Mart. in ſola lege Chriſti quietem & ſapientiam reperit. 40.2.a

Juſti-

Iustinus an sit auctor libri quaestion. LXXXV. ad orthodoxos. 71 1. 2. a eius errores per varias sectas Philosophorum, 784.1.d

Iustitia formalis & generalis sita est in observantia omnium mandatorum Dei, & capitur pro religione ac qualibet virtute. 49.2. b c 54.2.d 55.1.a 58.1.d 266.2.a subinde capitur pro pietate. 78.1. a pro ea usque ad mortem certandum. 106.2.c eius omnes est pax. 316.2. a

Iustitia & misericordia Dei simul iungi solet. 291.1.d

Iustitia originalis praestabat gratiae Christi. 283.1.b

Iustitia generalis est velut vestis poderis. 450.1.a eaque duplex. 1.b tres eius in homine effectus ibid. proteget & confirmabit hominem in die iudicii. ibid.c

Iustitia saepè sumitur pro operibus iustis. 449.2.d 593.2.b 708.2.d

Iustitia in lucro potior opibus immensis. 664.1.d

Iustitia & misericordia in Deo equalis est. 731.1.a

Iustitia in omnibus causis attendenda. 95.1. a pingitur ut virgo libram tenens & gladium, cur. 344.1. a b c eius violatio, symbolicum stuprum est. ibid. c

nemo planè Iustus est. 143. 1. a inter justum, & peccatorem nequit esse societas. 251.1.a

Iustus agno assimilatur. 251.2.d cum impio societatem non ineat. 251.2.d ei benefaciendum prae iniusto. 234.1.b c d 235 2.d 236. 1.a solet esse misericors. 235.1.a confidit ut leo. 370.1. d magis opere quàm verbo Deo placere gestit. 400.1.b semper viret & floret. ibid. gaudet oppressionibus. 400.2.c in Christo & cum Christo fructus bonorum operum semper profert, adversis non cedit. ibid. b c Christum semper sitit. ibid. c

Iustus in peccatum prolabens res deploranda est. 443.2.d

Iustus semper crescit in sapientia & sanctitate. 533.1. a legi est fidelis, & lex illi. 544.1.d est in cogitationibus, & verbis constans. 538.2.b est inchoatè praedestinatus. 541.1. b eius oratio penetrat caelos. 574.2.d & à Deo statim exauditur. 575.2. d semper iubilare potest. 649.1.b imperat Deo. 728.2.c aliquando peccat. 623.2. b

Iusti, etsi pauperes, honorandi sunt. 203.2.c d

Iustorum tres sunt classes. 256.2. c d indigent misericordia Dei, & ab ea coronantur. 72.1.a studere debent obedientiae & charitati. 73.1. b d eorum genus est prosapia virtutis. ibid. c tribulationem expetunt quia ea probantur. 448.1.d ad multos annos sine peccato mortali possunt esse. 452.1.d Soli comparantur. 453.1. d crescunt ut sol. 454.1.d

In die judicii impios condemnabunt, à quibus vexati pios, qui sibi compassi, glorificabunt. 461.1.a b eos lingua calumniatrix probat & illustrat. 470.2.d 471.1. a quomodo iis mala non occurrant. 536.2.a 537.2.c quare iis opposuerit Deus peccatores. 544. 1. b nihil timent. 560.1.a à Deo proteguntur. 561.1.b c idque triplici custodia. ibid. d eorum memoria est perennis. 600.1.a b iis quatenus & quare aerumnae inferuntur & flagella. 641.1.b d *vide* Fideles, Pii, Sancti.

Iuvenes discant sapientiam. 421. 1. c d eorum sunt vires & opera. ibid. 2. c

Iuvenis hieroglyphicum. 491.2.a b

Iuvenis non uxoratus est similis avibus vagabundis, & cavendus ut erro & latro. 586.2.a b c 487.1. a senioribus deliris, & imbecillis non insultent. 77.2. b 170.1.d hi nubant, non seniores. 156. 2. d

In Iuventute discendum, ut sapientia in senectute fructus edat. 133. 1. b c 421. 1. d

Iuventutis vitia in senium usque durant. 221.1.a audax est, cur. 364.2. c d

ea Deo dicanda, non vitiis. ibid. b 311.2.b hieroglyphicum. 491.2. b c similis est equo indomito. ibid. b flectenda & castiganda est. 492.2.b c honorare debet seniores. 529.1.a variis erroribus exposita est. 785. 1. a in ea studendum sapientiae & virtuti. 792.2.a

K

Κ Αταγνωσις & reprehensionem, & condemnationem significat. 118.1. c

Καταλύττω, καταλύγμις & καταλλαξ quid sint. 355.1.b

Καταχύμα est alieno luci arbitrio. 100.1.d

Κλῶσμα idem est quod filum retortum. 139.1.c

verbi Κτίω nova compositione gaudet Siracides. 182. 1. a b

L

LAboris commoda. 149 1. b c d 2. a labor parit virtutem & sapientiam. 255 2.b est gloria animae, eiusque dignitati congruus. 206. 1. a b labor juvenum est. 421.2.b labor omnis brevis est. 302.2.d labor & cibus invicem attemperari debent 515.1.d labor cibum praecedere debet, non subsequi. 2. a labore modico sapientia paratur. 786.1.b item perennis beatitudo 791.2.a

Laborans non debet jejunare. 515.1.c.d

Laborandum non est pleno ventre. 2.a

Labia moderans quantum inde boni colligat; & non moderans, quantum mali. 377.1.c

Labiorum signaculum est praemeditatio dicendorum. 373.1.d

Lac cibus naturalis est, & homini quasi coaevus. 632.1.c est symbolum innocentiae & candoris morum. 633.1.d

Lacaena quaedam servire iussa, liberam se professa est. 552.2.d

Lacedemonii philosophiae moralis perstudiosi fuere. 5. eorum trichoria de aetate triplici. 170.2.a non peregrinabantur. 485.1.c mendicos habebant infames, & mendicitatem velut probrum. 650.1.a

Lacrymae solent esse veri doloris indices. 241.1.a dum fictae sunt in viro, valdè violentae sint oportet. ibid.

Lacrymae meretricum sunt fictae. 241.1.d

Lacrymas pupillorum & viduarum respicit Deus. 574.1.b & seq.

Lacrymae Christi in morte Lazari quid nos doceant. 610.2.b

Ladislaus Hungariae rex sponsus vita excedit. 197.1.d

Laeta & tristia invicem succedunt. 225.2.a.b & seqq. 227.1.c

Laetitiae tres fructus 498.1.b.2.c ipsa est velut hominis vita. 1.b est thesaurus indeficiens sanctitatis. ibid.c

Laetitia vera, & solida consistit in sanctitate. ibid. 785.2.a & ex ea nascitur. 499.1.d

Laetitia saeculi non est pura, nec diu durabit. 498.1.c

Laetitia fovet & auget sanctitatem. ibid. facit hominem longaevum. 2.d corroborat spiritus vitales. ibid.

Laevinus Lemnius quaedam habet censura digna. 604.1.d

Laici templo non exeant nisi sacro officio peracto. 776.2.b Sanctum non ingrediebantur. 785.1.b non audiendi in accusatione Episcopi. 231.2.b

Lamentationes Jeremiae super morte Iosiae quae fuerint. 763.1.a

Laminam auream gestabat pontifex Aaronicus in fronte. 712.1.c quid ei esset inscriptum. ibid. d unde dicatur opus virtutis. ibid. unde gloria honoris. 2.c & oculorum desiderium. ibid.

sub Lapide certo thesauri defodiebantur. 479.2.a

Lapis oneris erat, ad quem luctatores vires suas probabant. 134. 1.b.c.d

Lapis philosophicus multos torsit irrito conatu. 85.1.c

Lapsus per linguam fallacem gravis est. 348.2.b & seq.

Latinae versionis Ecclesiastici antiquitas. 17.2.c 18.1.b.c.d 18.2.a ejus perfectio, & auctoritas: Graecis est anteferenda & Syris. 18. 2.a iis enim est uberior. 499.1.c & correctior. 778.2.a

Latina versio novi Testamenti & Psalmorum simplex & candida est, & soloecismos habet. 27.2.b.c

Latera virgis & flagellis tundenda sunt, non caput. 492.2.a sunt symbolum petulantiae. ibid.

Latitudo charitatis. 294.1.b

Latria propriè dicta, exhibenda est Deo & Christo. 98.1.d

Laudare Deum continuò debemus. 310.1.c.2.a idque dum vivimus. ibid.d id opus Sanctorum est. 280.1.c.d idque sextupliciter. 2.c vivens planè laudari non potest. 228.2.a & seqq.

Laudare Deum est adumbrare statum Beatorum. 628.2.a id omnibus in rebus facere posse, magna sapientia est. 2.d id docemur ab avibus canoris 670.1.d 2.a id est sacerdotis officium. 720.2.a modus laudandi eum est laudare sine modo. 699.1.a varii sunt gradus laudandi eum tum intensivè, tum extensivè. ibid.2.c

S. Laurentius Martyr pro brevi certamine caeleste bravium meruit. 791.2.b

S. Laurentio Iustiniano adolescenti apparuit sapientia divina. 51.1. b mori voluit in matta. 606.2.d in carnis incisione constans fuit. 608.2.c

Laurus cur dicatur insana. 169.1.a etiam fulmine icitur. 687.1.b

Laus sapientiae, est laus Dei. 280.1.c

Laus Dei summa, est ejus maiestatis confessio. 310.2.c

Laus patrum, est laus Dei & filiorum. 702.2.d

Lectio spiritualis ad orationem viam sternit. 632.1.c

Lectio ad mensam apud Religiosos commendatur. 526.1.c

Lectio comestioni comparatur. 583.2.b.c.d

Legata pia in morte non damnantur. 265.1.b ea citò debent ab heredibus solvi. ibid.d

Legere gnomas veterum, sapientiae parandae conducit. 140.2.a

Legio fulminatrix caelitus à Deo praesidia accepit. 530.2.c

Legislatores prisci ethices amantes fuere. 2. à Deo se leges suas accepisse jactabant. 624.1.d

Lenitate mulieres corrigendae sunt. 427.2.a

Lenitas & fidelitas simul jungenda sunt. 718.2.b.c fidelium lenitas est charitas, aut saltem ei coniuncta. 719.1.a est vera sanctitas. ibid.

Leo interiora habet similia caninis. 108.2.c humilianti se parcit. 109. 1.c insectatur onagros. 252.2.b est symbolum rapacis & tyranni. 2.b

2.b & peccati 454.2.a hominem timet 300. 2.c humilitate, beneficiis & sanctitate delinitur 429.1.2 463.2.a est peccati symbolum 451.1.a & seqq. item linguæ maledicæ 471.2.a & seqq. & vigilantiæ 731.2.a & impiorum 123.2.d est fortissimus animalium: mox ut natus est videt 1.b cùm senescit, melior est 2.a est impavidus ibid.b ejus tota vis est in oculis 451.2.c ejus venatio & fuga ibid.c leones excavarunt sepulcrum S. Paulo primo Eremitæ 609.1.c sanctis viris paruerunt. 738.2.b.c
Leo III. Pontifex inimicis suis ad necem postulatis vitam impetravit. 464.1.a
Leo IX. Pontifex leprosum in proprio lecto collocari jussit. 164.1.d
Leonardus Lessius Soc. Jesu de dubio aliquo difficili consultus, invocare solebat Spiritum sanctum, antequam id resolveret. 538.2.a
quæ sit Leonina societas. 167.1.d
Lepus symbolum est celeris auditus. 216.1.c
Lethe fluvius apud inferos à poetis fingitur. 12 oblivionem præteritorum inducit. 228.2.a
Leves sunt bicordes. 67.1.d
Levi quod sit etymon. 720.2.a eum ejusque posteros ex omnibus Jacobi posteris Deus sibi in sacerdotes & ministros elegit. 541.1.d non habuit partem in Chanaan. 716.2.a 725.1.d
Levitæ omnes ministerio pontificis addicti fuere. 725.1.a quia dicati Deo, ceteris erant honoratiores. 720.2.a Deus erat eorum pars. 725.1.d
Lex cur vocetur nomine testamenti 222.1.d 720.1.a 465.2.d cur nomine judicii. 465.2.d ejus observatio, timor Dei, & sapientia mirè inter se connexa sunt. 55.1.a 2.c.d quem inter se habeant ordinem. 55.1.c hinc sæpè pro eodem sumuntur & confunduntur. 2.a lex Dei peccatori dura & gravis est, sed jam justificato facilis 101.2.c ejus potentia. 168.1.b est sapientiæ fenestra. 271.1.c vocatur disciplina, cur. 303.1.d item hæreditas. 2.b quantum Dei bonum sit. ibid. practicando discitur. 357.2.a ejus observatio veram parit sapientiam & intelligentiam. ibid.b inordinatos motus refrænat & componit. ibid.c velut memoriale Dei est. 409.2.c vetat iracundiam & vindictam. 465.2.d jubet pauperi benefacere. 47?.2.d ejus custodia ditat. 479.2.c piis est recta & æqua, impiis distorta & iniqua. 631.1.d. 2.a b.c sinceris est causa salutis, hypocritis & prævaricatoribus causa perditionis. 532.2.d justo fidelis est, quomodo. 557.2.c ipsa in omnibus agendis est consulenda. ibid.d quia est oraculum justitiæ. 558.1.a in futuris rebusque dubiis consulenda est. 557.1.b & seqq. & planè ad eas respondebit. 557.1.c.d ejus observatio est tacita & implicita oratio. 567.1.a item oblatio. 2.d 568.1.b hæc non est erubescenda, sed gloriosa. 663.1.d lex identidem animo voluenda & revoluenda. 617.1.b.c quare vocetur vitæ, scientiæ & disciplinæ. 720.1.a cur vocetur jugum. 791.1.a 582.2.a legi sua pareat princeps, quia ea tenetur non minùs quàm subditi. 524.2.a.c
Lex Evangelica est lex ultima, suosque cultores cælo transcribit. 40.2.a lex nova ad veterem est velut anima ad corpus 790.2.d lex Mosis quanta cum majestate & tremore lata sit. 303.2.c ejus latio fuit Deo summe gloriosa. ibid.d lex naturalis & moralis est fons sapientiæ. 39.2.a c
Leges judiciales judicium vocantur, cæremoniales testamentum, morales disciplina. 303.2.a
Libanus mons abundabat arboribus præstantissimis. 398.1.a 627.1.d unde dictus, est thuris ferax. 406.1.a λίβανος, id est thus, vel arbor thurifera, ab Hebræo *lebona* deducitur. ibid. 627.1.d
Libatio vini erat ultima sacrificii pars. 775.1.d
Libellus repudii Judæis permissus erat: is solvebat matrimonium. 433.2.d 666.1.a
Liber de Divitiis Sixto III. ascriptus, est Pelagiani alicujus. 505.2.a liber de Ordine vitæ, an sit S. Bernardi. 482.2.a libri de Pœnitentia quis sit auctor: videtur Victoris Cartennæ Episcopi. 184.2.c libri Canonici S. Scripturæ duplicis generis sunt. 12.1.a libri omnes S. Scripturæ unus liber sunt. 217.2.b 557.2.b liber Hypognosticon an sit S. Augustini. 638.1.a liber de Spiritu & anima an sit S. Augustini 668.2.d liber de Mirabilib. S. Scripturæ an sit S. Augustini. 713.1.a liber de Sina & Sion an sit S. Cypriani. ibid.b.c liber expensarum debet esse clarus, non offuscatus. 660.2.b c libri olim cedri succo inungebantur. 598.2.b libri Machabæorum non censentur inter hagiographos, sed historicos. 546.1 & 794. libri sunt optimi consiliarii 591.2.d libris suis scriptores sancti nomen non præfigebant. 779.1.c
Liberalis, hic & in futuro felix est. 95.2.b est fortis & validus. 476.1.b
Liberalitas propria principum est virtus. 32.2.c 517.1.a mater est concordiæ. 420.2.a dantem delectat. 572.1.d 2.a
S. Liberata Martyr, alio nomine dicta Vvilgefortis. 784.2.a.b
Libertas summè mulieribus placet. 433.1.c præstat omnibus deliciis & opibus. 485.1.a 2.b ad eam adspirat servus otiosus. 549.2.a & 551.1.a libertatis optimus usus, est usus veræ servitutis. 98.2.d 99.1.a libertatis origo est facultas consultandi. 281.2.b libertate sua debet homo uti ad bonum. 285.1.c.d
Liberum arbitrium homo habet. 282.2.c.d & seqq. id non excludit Dei gratiam. 264.1.a est instar libræ. 284.1.b.d jus sextuplex dignitas. 285.1.b id est ad bonum convertendum. 1.d
Libidinis mala & potentia: est superbiæ filia. 123.2.a dissolvit amicitiam. ibid.b igni exardescenti comparatur. 181.1.b vix evelli nequit. 181.2.b ob eam plerique damnantur, ibid.c una inflammat aliam. 331.1.b 332.1.a evitatur fuga occasionum. 332.1.c contra eam remedia. ibid.c.d ejus damna. 2.b. 338.1.b est inexplebilis. 376.1.a 376.2.a.d 381.1.a & impudens. 376.2.d est velut ignis ardens: ejus tres species. 380.2.a non consenescit cum senectute. 381.1.d ducit ad atheismum. 2.a dedecet senectutem. 421.2.c hominem effeminat & dementat. 746.1.a eumq; dedecorat. 1.b reddit eum reprehensione dignum. ibid.c libido mulierum. 539.1.d 2.b 440.1.a quæ ejus causa. b libido sanitati nocet. 494.2.a est tinea 667.1.a.b.c est senex, fatua, adultera. 421.1.c *vide* Meretrix, Mulier.
Libra libertatis & rationis. 285.1.a
à Licitis facilè ad illicita delabimur. 600.1.c 600.2.c
Lignum offensionis quod dicatur. 505.1.c lignum injectum edulcavit aquas Mara. 604.2.a
Lilium plurimarum virtutum est symbolum 627.2.a item virginitatis. ibid.b item resurrectionis & dotis claritatis. 628.1.a item angelorum & angelicæ puritatis. ibid.b
Limax dicitur à limo cui semper adhæret. 327.1.a ejus natura describitur. ibid.b.c
in Limbo agebant animæ Sāctorum ante Christi adventum. 227.2.a.b 263.1.c 752.2.c 781.2.a quomodo hi à sapientia visitati & illustrati. 417.1.c.d 2.b an hic sit paradisus in quem Henoch translatus est. 781.2.a.c
Lingua dulcis conciliat amicitias. 123.2.d 124.1.b lingua sapientum & sanctorum est aurea. 139.1.b lingua loquendo dicitur arare. 147.2.d ejus & sermonis usus soli homini datus est. 301.1.b c quid homini conferat. 2.a indomabilis est. 338.2.a nil proferat nisi præmeditatū. 373.2.b lingua falsa eadem quæ mendax & fallax. 348.2.c
Linguæ lapsus multiplex & periculosus est. 424.1.b quàm sit facilis. 257.1.a ex ea oritur bonum & malum, vita & mors. 597.2.a hinc est optimum simul & pessimum. ibid.c plures occidit quàm gladius. 469.2.a tum propria, tum aliena. 2.d sibi est inimica. ibid.c sæpè corpus & animā necat. 470.1.d 2.c similis est flammæ. 471.1.a solùm per Dei gratiam domatur. 1.d ipsa ut frænetur, os occludendum. 472.2.d obsignanda est & sigillanda. 473.2.b & seqq. ejus damna. 474.2.d lingua Deum laudans est merces studii sapientiæ impensi. 789.2.c.d
Lingua tertia & duplex eadem est, & talis est detractoris. 468.2.a.b ejus damna. ibid 489.1 a.b.c.d 470.2.a 471.1.d 474.2.d lingua nequam est universitas iniquitatis. 468.2.c beatus qui in eam non incidit. 470.1.a 1.b ejus dominium est intolerabile. ibid.1.c.d est pejor morte. ibid.c.d & inferno. 2.a.c ejus malum tandem patebit. ibid.d ipsomet maledicos tandem cruciat. 470.2.d 471.1.a.b ipsa describitur. ibid & seqq. cum illa non loquendum, nec ei applaudendum. 472.2.d linguæ suavis quanta sit vis & energia. 645.1.d
Lingua Græca & Hebræa necessaria est interpreti S. Scripturæ. 28.2.a
Linguati remissi sunt in actione sextupliciter. 168.1.c.d linguatus est idem qui loquax. 168.2.d cum tali non est litigandum. ibid. quanta reip. afferat mala. 186.2.b.c
Linum crudum erat vestis pauperrimorum. 639.2.a
Lippientem intuens cur lippiat. 242.2.d
Lis litem serit. 466.1.d est similis scintillæ. 1.a multas fraudes, odia & alia peccata creat. ibid.1.c eam sibi accersunt qui omnibus negotiis se immiscent. 484.1.a
S. Litifredus Episc. Ticinensis singulari fuit patientia. 434.2.b
non Litigandum cum potente. 167.1.a.b nec cum divite. 168.1.c nec cum loquace. 168.2.d nec cum arrogante. 169.2.a
Litteras alienas aperiens, obnoxius est secreti servandi. 456.2.d litteræ Eliæ post raptum è paradiso ad regem Joram. 753.1.c quomodo hæ illi traditæ. ibid
Littus mare intra alveum suum coercet. 695.1.a
Livor ærugini comparatur. 238.1.a 238.1.d
Locus vocatur vitæ institutum in quo quis Deo servit. 284.1.d 2.a locus est conservativus rei locatæ. 250.2.a
Locustæ conjunctim & concorditer vivunt. 420.1.b
Longæva sunt bile carentia. 500.2.d
Longævitas hominis & animalium, quæ. 500.2.d ejus mater est sobrietas. 601.1.d
Λογγαίωνες qui dicantur. 245.1.d
Loligo piscis nigrum humorem emittit. 238.1.a
Longanimis & patiens quomodo differant. 112.1.a
Longanimitas tētatis necessaria est. 62.2.c longanimitas Dei. 111.2.a.b.d
Loquaces prunis ignitis assimilantur. 169.1.b *vide* Linguatus.

Loque-

Loquela in homine est actus rationis & consilii. 301. 1.c loquela morti contraria quæ dicatur. 378.2.c & seqq
Loquendum semper de Deo, & uti oportet. 285.2.c item oportunè. 345.1.a 345.1.b quando loquendum, quando tacendum. 373.2.d loqui volens invocet Dei auxilium. 473.1.b
Loramentum quodvis vinculum significat. 368.2.d
Lot è Sodoma fugiens, symbolum verè pœnitentis est. 116.2.c
Lotharingiæ Dux modernus initium Ducatus à Deo auspicatus, varias leges sanctas tulit. 332.2.c
Lucerna repræsentatur B. Virgo. 503.2.a & bona uxor. 503. 2.d & seqq item parentum gloria ex institutione bona filiorum. 490.2.c
S. Luciani Martyris corpus delphinus è mari in littus extulit. 609.1.c
S. Lucia dotem suam vivens in pauperes erogavit. 265.1.d
Luciferi & angelorum peccatum fuit superbia. 199. 2.a.b ejus in Udonem damnatum ludibria. 242.1.c est pater discordiæ 410. 1.a
Lucifer stella hominibus est gratissima. 771. 2.d
Lucifer Calaritanus Episc. liberè Constantium August. reprehendit. 758. 1.b
Lucra injusta conterit Deus vel judex. 599.2.a.b lucrum modicum justum potius est magno injusto. 664.1.c.d
Lucretiæ Romanæ pudor vitiosus fuit & mundanus. 103. 1.d
Luctandum assiduè cum vitiis. 787.1.b & pro adeptione virtutum. 787. 2.d
Luctus in morte amici qualis sit assumendus. 609.2.a is est moderandus. 367.1.2 601.12 611.1.b 612.2.c.d 614.1.c ea mortuorum memoria celebratur. 653.1.a ejus ritus. 367.1.d 2.a
Ludere pro litigare subinde sumitur. 199.1.d
Ludovicus filiorum Caroli Magni minimus ob humilitatem dignus fuit patri in regno succedere. 209.1.d
S. Ludovicus Francorum rex sacerdotes & Religiosos mirè colebat. 161.2.a justitiæ exactus cultor fuit. 193.1.d lupanaria tota Gallia prohibuit. 332.1.b
S. Ludovicus Archiep. Tolosanus ne cum matre quidem solus colloqui valebat. 669.2.a
Ludovici Bavariæ Ducis constans responsum in captivitate. 455.1.d
Lugendum cum lugentibus. 163.1.b.c
Luna mutatur semper. 452.1.d cùm apud nos lucet, cælo non lucet; tunc maximè nobis splendet, tùm maximè distat à sole. 2.a.b invocatur ab amantibus, & cur. ibid.c facit homines instabiles, versatiles, lunaticos. ibid.d 454. 1.a mutatur cum ratione & cautà. 452.2.c luna deficiens non periclitatur. 453.1.b est imago hominis inconstantis. 454.1.c 682.2.d ejus etymon, nomina & magnitudo. 682. 1.a.b 683. 1.c ostendit temporum vicissitudines & mensium partes. 682.1.d causa est rerum sæcularium, quia humidis dominatur. ibid. inferiora omnia ab ea gubernantur. ibid.d ejus elogia. 682.2.a ænigma de anno lunari & luna. ibid.b Judæis festa indicabat. ibid.d symbolum est B. Virginis. 683.1.a an in ea habitent homines. ibid. c variè crescit & corniculatur. 2. b.d cur dicatur vas castrorum in excelsis. 2.c est stellarum dux & sol nocturnus. ibid. lunæ simulacrum adorantes viri uxoribus se apud Mesopotamios subdebant; at qui Luni, uxoribus dominabantur. 432.1.c lunam Manichæi navi comparant. 680.2.d
Lunatici cum luna mutantur, sapiunt & desipiunt. 452.2.c
Lupanaria an permittenda Christianis. 331.2.d quæ eorum commoda. ibid. incommoda eorum plurima. 332.1.a.b.c sunt à dæmone invecta. ibid.c sunt reliquiæ gentilismi. ibid.b restringenda sunt, ut pauca sint. 332.2.a ea Romæ sustulit, multis remitentibus Pius V. Pontifex. ibid.a item Philippus IV. per totam Hispaniam. 332.1.b lupanar in quod S. Agnes ducta Romæ, in templum conversum est. ibid
Lupata & lupi sunt fræna equorum asperrima. 251.2.b
Lupi & agni antipathia. 251.1.a 251.2.c quomodo sub Christo lupi habitent cum agnis. 251.1.d lupus est symbolum gulæ & sævitiei. 2.a ejus ingluvies & sævities. ibid. 376.2.b ejus maligna vis. 251.1.d in re medica tamen est salutaris. 2.a S. Francisco obedivere. 482.1.d 586.2.a
Luscinia præcinit pullis ut cantare discant. 493.2.b manè aves ceteras modulando antevertit. 670. 1.d ejus melodia. ibid.c.d
Lusitana quædam princeps novem filias uno partu enixa est. 573.1.d
Lusus capitur pro duello & certamine. 738.2.b
S. Lutgardis vidit Christum sicut mille soles. 679.2.d
Lutherani quomodo definiant pœnitentiam. 606.2.b
Lutherus velut taurus libidinosus fuit. 123.2.a
Lutum quomodo à figulo subigatur. 617.2.c.d
Lux à Deo creata, eaque non defutura post diem judicii. 390. 2.a est symbolum lætitiæ & beneficentiæ. 501.1.d 561.2.d est gloria cæli. 676.2.c.d lucis nomine vocatur gaudium & consolatio. 66.1.d
Luxuriosi sunt infruniti. 376.2.a
Luxus filia divitiarum, mater tyrannidis. 245.1.b
Lyæus unde dicatur vinum. 520.1.a
Lycurgus per duos catulos ostendit, quanti referat rectè filios instituere. 488.2.a
Lynx urinam suam ex invidia occultat. 260.2.d
Lyra olim in conviviis circumferebatur. 527.1.c

M

Macedonii Diaconi innoxii in calumnia patientia. 436. 1.d
Machabæi fuere posteri Phinees. 726.1.d quare pontificatum sibi vendicarint. 769. 1.b
Machetes Abbas quomodo se cum detractoribus gereret. 472.1.c 472.2.a
Machiavelli impia & athea axiomata & principia. 525.1.a
C. Mævii militis capti & intrepida responsio. 455. 1.d
Magia vox Hebræa est, & unde derivetur. 135. 2.a celebris erat apud reges Persarum. 2.a
Magi celebres erant apud reges Persarum. ibid. sic dicebantur sapientes, quasi meditantes & scrutantes arcana. 135.2.a sæpè opera dæmonis ægros sanant. 603. 2.d
Magistratus populo tumultuanti non cedat, nec se accommodet. 144.1.c 2.a artifices diversos in urbe procuret. 614.2.d qui præficiendi magistratibus. 524. 1.a
Magistro grave est, si docendi labor cassus sit. 424.2.d
Magnalia Dei perfecta sunt. 316.1.c
Magnanimi descriptio. 109.2.a & quæ ejus sint signa. 261. 2.a
Magnanimitas fidelium quanta esse debeat. 478.2.d
Magnas idem quod magnus. 204.1.c magnatibus debetur submissio & reverentia. 93.2.c Deo comparati, parvi sunt, & minores quàm pulices. 573.2.a
Magnes symbolum feminarum est. 667. 2.a
Magnetarchus erat magistratus apud Macedones. 93.1.d
Magnificatur Deus in impiis. 778.2.a
Magnificentia Dei elucet in Sanctis. 703.2.d 704.1.a
Magnis magna convenit humilitas. 80.1. b
S. Magno Martyri apparens angelus, eum est consolatus. 495.2.b
Mahometes quæ elogia det B. Virgini. 416.2.a fabulosus fuit. 452.1.d suis vini potum interdixit. 518.2.d
Mala pœnarum duplicia sunt. 141. 2.c mala semper bonis adnexa sunt. 225.2.d 226.1.a malorum fabri cavendi. 291.2.d malorum omnium duo elementa, ambitio & avaritia. 260. 1.a
Mala tam culpæ quàm pœnæ justis non occurrent. 536.2.a quando mala vertantur in bona. 2.a mala & malos quomodo Deus permittat. 543.2.d mala bonis sunt bona, malis mala. 632.2.d
S. Malachias Archiepisc. lenis simul fuit & fidelis. 918.2.d ejus modestus risus. 360.1.b
Maledicere capitur interdum pro malè facere. 611.1.a quomodo impii maledicuntur à Deo. 542.1.d & quare. 544.1.b
Maledici tam à Deo quàm à judice puniuntur. 334.2.a tandem linguæ suæ virulentiam luunt. 470.2.d 471.1.2.c sæpè morte præsenti, semper æterna puniti. 474. 2.c.d *vide* Lingua.
Maledictio parentum in filios sæpè est efficax. 76. 2.d maledictio Dei realis est. 78.2.c maledictio Dei in improbos præsupponit peccatum originale vel actuale. 542. 1.d 2.a 543. 1.a.b quomodo in ea nascantur impii. 655.2.a maledictionem Dei etiam in hac vita improbi sustinent. ibid. 2.d 656.1.a
Maleficus vir potior est benefica muliere. 668. 2.d & seqq.
Malitia levis est & inconstans. 454.1.b capitur subinde pro miseria, & infirmitate. 493.2.c & pro calliditate & astu. 558.2.b malitia mulieris malorum summum est; & ipsa summa. 427. 1.a.b 428.2 b.c 429.1.a
Malum culpæ parit malum pœnæ. 141. 2.a malo benefacere indignum est. 236.2.b *vide* Benefacere. malum sæpè vocatur id quod triste & molestum est. 255.1.a malum magis destruit, quàm bonum construat. 308.1 b.c malum plerumque recidit in auctorem. 458. 2.c.d 459.1.a.b 459. 2.c & seqq. quare Deus opposuerit malum bono. 544.1.b.c & ejus remedium posuit in ipso malo. 2.c malum culpæ quomodo cedat in bonū hominis & totius universi. ibid.1.c.b
Mammona vox unde derivetur. 188.2.d
Manasses fil. Jaddo pontificis fuit auctor schismatis Samaritarum à Judæis. 778.2.c.d
Mancipium *vide* Servus.
Mandans, mandata etiam opere præstet. 208.2.d
Mandata Dei æterna sunt via ad sapientiam. 40.1.c.d eorum observatio animam conservet. 283.2.c.d sunt velut nubes pluviam minantes. 464.2.d incutiunt sui prævaricatoribus timorem. 1.c comminantur mortem præsentem & æternam. 464.2.c eorum observatio est tacita & implicita oratio. 567.1.a item velut sacrificium. 568.2.a 1.b *vide* Lex, Præcepta.

Manè Deus per orationem requirendus. 97.1.d 532.2.a 624 1.c
Manè semper cogitandum, illum diem fore ultimum. 549.1.a
Manè orationi ante omnia insistendum. 624. 1.a quæ manè à Deo petenda. ibid. c a
Manes duos finxit Deos, unum malum, alterum bonum. 281.2.a
Manichæi damnabant agriculturam. 149.2.b docebant vinum esse à diabolo productum. 518.2.d quomodo SS. Trinitatem definirent. 670.1.c solem censuerunt esse Christum. 679.1.d eum comparant navi. 680.2.d
Manlii in consulem electi constantia. 455.1.b c
Manlii cur à prænomine Marcus abstinerent. 657.1.a
Mansuetudo fons est omnis virtutis & boni. 79.1. c conciliat omnium benevolentiam. ibid. a c 2. d eius merces. ibid. d eius origo est humilitas. 2.b frangit iram in correpto & inferiore. ibid. d eius origo est humilitas. 2. b frangit iram in correpto & inferiore. ibid. d honorem conciliat & animæ pacem. 106. 1. b in discipulo requiritur. 658.1.a ipsa sanctificat. 718.2.c quid sit. 2.d est regibus maximè necessaria. 719.1.b
Mansuetus quis dicatur. 718. 2. d quàm sit in rep. necessarius. 719.1.b
Mansueti mitigant animos superbos & efferos. 109.1.b
Manucodiata avis symbolum est animi cælestis. 674.2.c
Manus valida est liberalis. 476.1.a b d 476.2.b
Manus symbolum & instrumentum est eleemosynæ. 476. 1. c eius osculatio erat signum adorationis. 477.2.c
Manus Hebræis instrumentum significat. 265.1. a item ducatum, auctoritatem, potestatem. 108.2.c 568.2.c 282.1.a in Scriptur. symbolum est Spiritus sancti. 307. 2.d b *manus implere* est consecrare. 647.2.d
S. Marcella assiduè novissima in mente habebat. 165.2.c se prorsus à sæculo abscidit, & Deo consecravit. 712.1.c
Marcellus II. Pontifex quid de Pontificatu censeret. 525.1.c
Marcianus eremita occultè se sepeliri mandavit. 703.1.b
Marcidus accipitur pro torpido, deside, ignavo. 218.2 c
SS. Marcus & Marcellianus tormenta tyranni irriserunt. 45.1.c
Mare unde dicatur. 693.2.a est principium & receptaculum omnium aquarum. 641.2.a eius profundum & mirabilia solus novit Deus. 671.2.a id Deus cùm vult, sedat. 693.1.d ipsum insulis ornatum est. 2.a eius mirabilia. 694.1.c & seqq. varia animalia producit. 694.1.d eius motus est ab Oriente in Occidentem, & cur. ibid.d eius æstus. ibid. mirè seipsum purgat. ibid.d sæpè locum & situm mutat. ibid. limites suos non excedit 695 1. a est quasi mundi venter. ibid. in eius mirabilibus Dei omnipotentia, & sapientia elucet. ibid.
Mare procellosum viris Apostolicis pacat Deus. 693.2.b c eius profunditas. 382.2.d
Margaritæ cum luna crescunt & decrescunt. 683. 1. a è roris stillis nascuntur. ibid.b
Margarita Comitissa Hollandiæ tot peperit proles quot sunt dies in anno. 573.2.c d
S. Maria Ægyptiaca fuit à spiritu luxuriæ diu in deserto tentata. 60. 2. a ibi vitam angelicam vixit, eamque Zosimæ narravit. 425.2.d à Zosima voluit terræ mandari. 455.2.c
S. Maria Magdalena perpetuò peccata sua planxit. 113.1.d
Maria uxor Ottonis tertii Imp. innoxium falsò accusans adulterii, igni addicta est. 380 2.d
B. Maria Virgo est radix sapientiæ. 41.1 2 d eius dotes, virtutes, excellentias, prudentiam nemo potest comprehendere, ibid. a b sola Verbi incarnationem, nativitatem, vitam & gesta per experientiam cognovit ocularem, & magis mentalem. ibid. sui cultoribus sapientiam infundit. ibid. c creata est in Spiritu sancto. 42 2.b
Mira eius gratia. ibid. eius profunda humilitas. 81.2.a omnes ad se confugientes serenat. 97.2.b 400.2.a eos ad cælum rectà ducit. 137.2.b
Eius servitio se multi addicunt. 137. 2. d ordinem Servitarum suo cultui dedicatum ratum habuit. ibid. api assimilatur. 136.2. d est janua cæli. 271 1.c est nobis mater honorificata. 274.2.d & seqq. est mater fidei, spei, charitatis. 275.1.b & mater misericordiæ. ib. b
B. Joanni quasi mater occurrit. ibid. ob virginitatem facta est mater Dei. 1. d cultoribus sui gratiam & honestatem non modò edendam præbet, sed & propinat bibendam. ibid. d ipsa transcendit longis intervallis omnem reliquorum Sanctorum gratiam. 309. 2. b inter puras creaturas est opus Dei sapientissimum. 385.1.d 2. a in quo eas longè superet. 2. a in conceptione à Deo accepit gratiam & sanctitatem singularem: est idea omnis sapientiæ, gratiæ & sanctitatis hominum ac angelorum. 2.a eamque semper auxit. ibid. 417.1.a est mater æternæ sapientiæ in se incarnatæ. 388.2. a fuit à Deo prædestinata ante omnes creaturas. 1.b facta est nobis causaliter sapientia, justitia & sanctificatio: quomodo sit mater nostra. ibid. a fuit causa finalis cur Deus universa creavit. ibidem b in omnes invocantes se sapientiam, & gratiam transfundit. 390.1.b lucem suam per totum mundum spargit. 390. 2. b c quomodo sit nebula. 391.2.a omnium est debitrix. ibid. b est velut nubes nobis, & fuit Christo. 2. a b est Dei magnificentia. 392.1.b est tabernaculum sapientiæ creatæ & increatæ. 394.2.a quanta illi ob maternitatem filii Dei data sit gratia & cognitio. 2.b unde eius nomen derivetur. ibid.c 405.2.c
Magis est mater Dei, quàm reliquæ matres hominum. 394.2. d eius dignitas. ibid. ex Judæis orta inter eos habitavit. 395. 1. d Christianos primos & electos omnes ducit & docet. ibid. eius cultus assiduus signum est electionis divinæ. ibid. ut quadruplex esset principium, ab æterno prædestinata est. 395.2.d fuit Deo semper præsens. 396.1.a à prima ætate in templo ministravit. 1.c est in plenitudine sanctorum diversimodè. 397.2.a & seqq. omnes dotes & gratias omnium Sanctorum in se collectas, à Deo infusas accepit. ibid. habet & plenitudinem gloriæ omnium Sanctorum. ibid. d Sanctos juvat ne plenitudo eorum minuatur. 397. 1. d ipsa velut Ecclesiæ collum est. ibid. quare sub eius pedibus luna fingatur. ibid. 2. a est sanctitatis omnis thesaurus. ibid. a b est velut cedrus. 398.1.a b
Palmæ & phœnici assimilatur. 499.2.d 400.1.a eius charitas summa. 1.d est rosa in Jericho, eique rosæ proprietates adaptantur. 402.1.a b est oliva speciosa in campis. 403.1.b item platanus omnes umbra sua tegens. 403.2.b post conceptionem filii Dei mirabiliter in sanctitate & sapientia crevit. ibid. d est balsamum & cinnamomum. 404.2.c d & seqq. veram Dei cognitionem à Judæis ad Gentes transtulit. ibid. a eius virtus fuit perfecta & virilis. 405. 1.a nec ulla vitiositate permixta. 1.b dæmonis vires elidit. ibid.c per myrrham designatur. ibid. d ne minimi quidem virtutum actus in ea desiderati sunt. 405.2. a semper in Deum fuit in mente intenta. ibid. omnes virtutes in ea habitarunt. ibid.b c
Mortificationi fuit addicta. ibid. c nullam gratiam vel virtutem habuit sine magno labore & oratione assidua. ibid. d ipsa velut vitis est. 407.2.a ipsius virginitas & humilitas. ibid. b c delectatur honestate. ibid. b in ea coniuncta fuit virginitas & fœcunditas. 407. 2.d est mater pulchræ dilectionis, civitas refugii, spes sanctorum. 408.1.b est gratiis plenissima. 408 2. b peccatorum asylum est. 409.1. c d 410.2.a varia eius elogia. 409.1.d 411.2.c 416.1. a est dulcissima. 410.2.a b c est velut manna. ibid. d etiam Turcæ eam deprædicant. 416. 1. a quo magis amatur, eo maiorem sui amorem excitat. 411.2.c eius carnem edimus in Ven. Eucharistia. 412.1.a fortè ipsa orante suam nobis carnem in ea reliquit Christus. 412.1.a à peccato suos cultores sinceros præservat. ibid. b est aquæductus fluvii divini. 415.2.d 416.1. a Araxi fluvio comparatur. ibid. b rigat hortum Ecclesiæ, ipsaque est paradisus voluptatis. 416.2.b c alia eius elogia. ibid. 1.c 2.c d 417.1.a 433.2.d est mare gratiarum. 417.1.a Joseph virum suum beatificavit. 434.2.d 441.2.d comparatur Soli, lucernæ, columnæ, fundamento. 2. b 453.2.c in morte invocata succurrit. 576.2. d eius gratiæ & virtutes exhilararunt Christum velut virum suum. 585. 1. b 2. b c rosarium legere ei pergratum est. 627.1.b c est velut cælum stellatum. 677.2.b eius typus est sol. 680.1.b item luna. 683. 1. a eius nomen *Maria* & *mariam* & *marom* exponitur mysticè secundùm etyma. ibid. c d fuit celsa simul & humilis, ibid. c fuit pura simul & cruce afflicta. ibid. d fuit sibi pauper, & aliis opulenta. ibid. quomodo Deum in cælo claudet. 700.1.a est omni laude humana superior. 702.1.d
Marinus B. Petri Damiani frater solemni ritu se obsequio B. Virginis dedicavit. 137.2.a eius mors. ibid.
Mariti sint sapientes & prudentes potiùs quam opulenti & nobiles. 157.1.a
Magnificant castitatem & continentiam uxoris. 426.2.a *vide* Vir, Coniux, Mulier.
C. Marii oculi radios ex se vibrabant. 560.2.c
in Marte stella an habitent homines; 683.1.c
Martialis SS. Trinitatem irrisit. 308.1.a
S. Martino apparuit Christus tectus illa chlamyde, quam is pauperi dederat. 90.2.c habuit donum prophetiæ. 196.2.a
Moriens cælum identidem respicere volebat. 684.2.b c
in Martio crescunt flumina ob liquatas nives. 413.2. a tunc erat in Iudæa messis. 2. d
Martyres fidem intrepidè confiteri debent. 102.2.b 104.2.d in tormentis & pœnis jubilabant. 44. 2. d hac consideratione gehennæ vincebant. 53.2.c pro veritate & justitia occubuerunt. 107. 2. a 148.2.a veri Dei amici fuere. 129.2 c vi Ven. Eucharistiæ ad tormenta subeunda corroborabantur. 176.2.c eorum constantia. 308. 2.b 309.1.a eorum sustentatores sæpè meruerunt Martyres fieri. 233.1.d
Martyres sunt qui tentationibus probantur. 60.1.c coronantur rosis. 401.1. a per rosas designantur. 733. 1. a eorum sepulcra primi Christiani epulis allatis honorabant. 496.2.a quo intuitu ad omnia se tormenta offerrent. 528. 2. b patiendo summopere Deum glori-

glorificarunt. 700. 2. b eorum agones Ecclesia quare celebrari & conscribi jusserit. 705.2.c & eorum festa celebrari. 704.1.d eorum memoriæ quæ vocentur. 762. 1. 2. c ignem & flammas constanter superarunt. 782.1.d plurimi effecti Martyres quòd Martyres honestè sepelissent. 609.1.b
Martyria olim dicebantur ecclesiæ. 704.2.a
Martyrius monachus leprosum in via repertum in humeros sustulit. 164.1.d
Martyrologii quæ sit origo. 762.2.d
Mas quando gignatur, quando femina. 209.2.d
Masoretæ in id incumbebant, ut S. Scripturæ integritatem tuerentur. 621.2.c d
Materfamilias vocabatur primaria uxor, & cur. 274.1.c
Matrem suam quomodo refrigeret filius honorans patrem. 75.2.a
Matrum amor & cura circa filios. 74.2.c 76.1.c 273.2.d hi si eas honorent, expiant peccata. 75.1.a & seqq. cur eo gaudeant honore quem filii patri exhibent. 74.2.c d hi earum vitia tolerent. 78.1.a harum gemitus illis non sunt spernendi. 157.2.b
Maternitas Dei in B. Virgine summa est dignitas. 394.2.a
Mathematici moderni multa per dioptram invenerunt, quæ veteribus incognita fuere. 84.1.d
Mathesis mira efficere potest. 610.2.a
quamdiu Mathusalem cum Adam & Noe vixerit. 414.1.a
Matrimonium filiarum grande opus est. 156.2.c
Matrimonium in SS. Trinitate repræsentatur. 419.2.d
quanti Mauricius Imp. Joannem Eleemos. faceret. 481.2.b
ad Maxima semper est adspirandum. 549.1.a & seqq. ea nascuntur ex minimis. 231.2.c
Maximilianus I. Imp. diu ante mortem mortis memor vixit. 197. 2. a
Mecennius uxorem, quòd vinum bibisset, interfecit. 438.2.a
S. Mechtildis angelicè loquebatur. 548. 2. d eius revelatio de Salomone, Samsone, Origene, Trajano. 747. 1.b suavi loquentia omnium animos rapiebat. 200.1.b
Medicamenta à Deo sunt creata. 604.2.a quotidie adhuc nova ab hominibus adinveniuntur. 605.1.c
Medicina est ars liberalis. 602.1.d quomodo sit à Deo creata. 603.1.c 603.2.b 604.1.c eius usus & necessitas. 605.1.d 2.a est mundo coæva. 605.2.b torturæ confertur. 608.1.d est per se magna, magnisque obnoxia periculis. ibid.1.c
Medici observare debent ægri somnia. 555.2.d c triplex iis debetur honor. 604.2.d eorum necessitas. ibid. idque in morbis gravibus. 605.1.a usus eorum. 1.d 2.a invocare debent Deum ut ipsis cooperetur pharmacis. 603.2.d 608.1.b d plerumque ditescunt. 604.1.a eorum vituperium. ibid.2.b c quomodo olim in honore fuerint. ibid. d & seqq. ægros semper moneant de confessione instituenda. 606.2.b notent morborum crises & vires. 607. 1. d comparantur tortori vel judici. 608.2.a b
Medicus imperitus est homicida hominum. 603. 2. a discit damno alieno. 592.2.c
Medicis spiritualibus obsequendum & credendum est. 505.1. a b eorum officium & opera. 605.2.b
Meditanda sunt sapientiæ præcepta exactè & assiduè. 597.1.b
Meditari in justitia quid sit. 270.1.a 2.a
Meditatio illa est optima quæ ad actiones particulares & singulares descendit. 141.1.a b
Meditatio, cogitatio, contemplatio quomodo differant. 269.2.d
Meditatio quadruplex est causa devotionis. 570.2.d
Medium sæpè sumitur non geometricè. 729.1.b
Medulla impinguat & fovet ossa. 440.1.b
Megarenses quomodo à leonibus suis necati. 459.2.c filios non curabant. 493.1.d
Megaricæ sphinges proverbio vocantur meretrices. 222.2.a
Melampus medicus primus apud Græcos vinum aqua dilui præcepit. 519.2.c
Melancholia est animæ carnificina. 499.2.c turbat judicium. 342.2.a
Melancholici statim affliguntur & quæruntur. 337.1.a sunt suspicaces, nec apti ad alios corripiendos. 85.1.d 343.2.b semper tristes habent cogitationes. 447.2.c sunt cogitabundi & suspicaces. 497. 2.a semper post factum dolent. 553.2.c
Mellis dulcor. 211.2. a b est typus sapientiæ. ibid.c 2. d eius usus, & descriptio. 632.2.c d est symbolum castitatis & orationis. 633. 1.d corpora servat ne putrescant. 763.1.b cur rogo parentum vel amicorum à veteribus infunderetur. 1.d mel aerium generatur ab iride. 760.2.d
Mira Membrorum singulorum hominis fabrica. 301.1.d 2.a b & seq. in Membris hominis quæ secundùm opposita latera sita sunt, reperitur quædam æquabilitas, etiam in situ. 545.1.d
Memoria Sanctorum æterna est, & quidem cum honore, impiorum cum infamia. 201. 2. d Deus in memoria jugiter habendus. 249. 1. d
Memoria Dei in omnibus operibus habenda est. 548.1. d quomodo memoria mortui quiescere debeat. 612. 2. a b quomodo memoria Josiæ regis sit in compositionem odoris. 771.1.b c
Memoria passionis & vitæ Christi Christianis est velut unguentum odoriferum. 762.1.c
Memoria accipitur etiam pro fama & gloria. ibid.2.b item metonymicè pro monumento ad gloriam erecto. ibid. memoriæ Martyrum quæ olim dicerentur. ibid.
μὴν, id est mensis, dicitur à μήνη, id est luna. 683.2.d
Menas vir venerab. reiecit dona impii. 573.2.a
Mendacium adversus fratrem cavendum. 147.2.d item aliud quodcumque. 148.1.a & seqq. id malum est, nec umquam licitum. 147. 2.b & seqq. id est hominum improborum & servorum. 350.1.d 2. a displicet Deo. 2.b
Mendacium officiosum ducit ad alterum gravius. ibid.c comparatur furto. ibid. d omnes bonos mores dehonestat. 531.1.c d
Mendacium quodlibet malum & vitium significat. 179.1. b dedecet divites. 420.2.c id ferinum & agreste est. 524.1.b est res erubescenda. 659.2.a
Mendax est diabolo similis. 350.2.a est deterior fure, quomodo. ibid. c & seqq. semper audienti suspectus est, etiam vera loquens. 351. 1. a est infamis. ibid. b
Mendax etiam potest vocari qui aliud docet, aliud facit. 179.1.b
Mendaces non sunt memores sapientiæ. 269.1.d rarò verum dicunt. 554. 2. d 555.1.a
Mendicitas, quam sit probrosa & sordida. 649.1.d 2.d
Mendici validi non sinendi mendicare. 650.1.d
Mendicorum vita mors potiùs quàm vita est. 649.2.c d
μὴν unde dicatur. 683.2.d
Mens unde dicta sit. 272.1.a 683.2.d omnes sensus eminenter in se continet. 276.2.c
Mens nequit otiosa esse. 551.1.c eius & ventris comparatio. 583.2. c d cur spiritualia non tam perfectè apprehendat quàm sensibilia. 787.1. c d mentis ænigma. 786.1.d
Mens sancta habitatio est Dei. 394.1.d
Mens fortis & discreta per virum, infirma & indiscreta per mulierem denotatur. 669.1.a
Mens pulchra è pulchro corpore colligitur. 667.1.d
Mens in Deo defixa non facilè mutatur. 454.2.a
Mensa spiritualis quæ sit. 509.1.a quæ in mensa sint servanda. 608.2. d 609.1.a 510.2.a b 2.d 511.1.b 2.a d 521.1.a 521.1. c
Mensis unde dicatur. 683.2.d à luna exordium, medium, finem, nomen capit. ibid.a b
Menstrua mulierum sunt causa earum iracundiæ. 431. 2. b eorum virulentia. 238.2.c
Nullius in gratiam Mentiendum est. 104.1.b c 2.a
Mentiendi voluntas etiam in se mala est. 148.1.c nemo est quin mentiatur. ibid. consuetudo mentiendi pessima est. ibid.b
Mercator facilè negligit Dei cultum. 444.2.a eius negligentia varia. 2.d cum eo non est consulendum de mercium aut personæ traiectione. 593.2.b
Mercatores vix sunt immunes à peccato. 446.1.c d an possint salvari. 447.1.a qui mercatores damnentur. ibid. b habeant timorem Dei præ oculis. ibid.d
Mercatura hominem totum sibi vindicat. 444.2.a res est periculosa. ibid. d in ea facilè intercurrit peccatum. 440.1. c habet pericula salutis. 2.d qualis damnetur. 523.1.a b
Cum Mercenario annuali non est consultandum de anni consummatione. 594.1.b
Mercedem mercenario debitam negantes, vel minuentes, vel alio modo intervertentes sunt velut homicidæ. 564.2.a
Merces respondebit labori huius vitæ, sed non quoad diuturnitatem. 792. 2. d
Merces laborem solatur. 149.1.b
Mercurii Trismegisti elogium. 9. censuit deos ab hominibus fieri. ib.
Mercurius cur dicatur dux gratiæ. 440.1. d est Deus mercatorum. 446. 1. a mereri post mortem nihil possumus. 266. c d & seqq.
Meretrix est vorago patrimonii. 180.1.d 2.a b c comparatur fetcori. 181 1.d est cloaca sordium. 181.2.a eius illecebrosa verba. ibid. d est multivola. 178.2.d 179.1.a
Meretrices publicæ an permittendæ sint: negatur. 332.1. a b c nec in hospitiis. 332.1.d sunt vagæ. 433.2.a earum aspectus cavendus. 661.1.d *vide* Libido, Lupanar, Mulier.
Merita bonorum operum adstruuntur. 292.2. b c ea singulis momentis adaugere possumus. 322.2.c
Merita cuiusque causa sunt electionis ad gloriam. 541.2.b 542. 1.b ante eorum prævisionem nullum Deus pro libito eligit vel maledicit. 565.1.d
Merulus assiduè psalmodiæ intentus cælitus fuit coronatus. 452.1.c
Adventum Messiæ Judæi & Prophetæ semper expectarunt, & etiamnum expectant. 579.2.c d 581.1.a 582.2.b c 84.1.c

Messias

Messis quomodo paretur per terræ laborem. 133. 1.d 2.b
in Ægypto fit Majo. 414. 1.b
Metellus secreti mirè tenax fuit. 276. 1.d
Meteororum causæ hominem latent. 842. 2.a b
μετέωρος & μετεωρισμὸς quid significent. 438. 2.d
Metus optimus justitiæ & gratiæ custos est. 58. 2.a
metus tam est de futuro quàm de præterito. 113. 1.a
acer est stimulus ad veram pœnitentiam. 113. 2.b
Meum & tuum sunt causa discordiæ. 420. 1.b
Mezentius tyrannus quàm fuerit atrox. 184. 2.a
S. Michael olim fuit præses Synagogæ, nunc Ecclesiæ. 304. 1.d
Midas res asininus symbolum est avarorum. 260. 1.a
cur ei aures asininæ afflictæ. 472. 1.d
Miles decrepitus pauper, res deploranda est. 444. 1.a
Milites Romani jurabant se numquam locum deserturos. 308. 2.a
Milo Crotoniates vires corporis exercitio auxit. 454. 2.a
Mimi cujusdam facetia & lepos. 446. 2.c
Minæ Dei mysticè sunt grando. 668. 1.b
Mincha quale sacrificium esset. 568. 2.c 607. 1.a
cum eo ferè simul offerebatur carnea victima. ibid. 1.b
cur Minerva è cerebro Jovis nata fingatur. 35. 2.b
cur ei olea sacra sit. 403. 1.c
Minima etiam perfectè & exactè facienda sunt. 118. 1.d 230. 1.c 548. 1.a 549. 1.a
Minister idem est quod auditor. 790. 2.a
Minoritæ à Frederico II. diversimodè sunt exagitati. 532. 2.b
Mirabilia in Christo alia fuere intrinseca, alia extrinseca. 580. 1.a b
qualia mirabilia Dei stabilis angeli & Sancti jugiter enarrent. 671. 1.b c
Miracula Deus per se operatur. 304. 2.a plurima continentur in Christi ortu, vita, morte, resurrectione. 502. 1.d miracula non faciunt sanctum, sed virtus. 702. 2.a jam tamen illa in canonizatione Sanctorum requiruntur. ibid.c quæ miracula Rabbini tradant in sanctuario patribus suis ostensa. 724. 2.d
nihil Miratur Deus. 629. 2.c
qui Miserentur animæ suæ. 498. 2.d 499. 1.a misereri Deo est proprium. 782. 1.a miseretur Deus ex seipso, non ex merito nostro. 291. 2.b
Miseri non sunt irridendi. 147. 1.c d eorum gemitus audit Deus. ibid. eorum patrocinium Deo gratissimum est. 94. 2.d
Miseriæ hominibus impositæ in pœnam peccati originalis. 635. 1.d
Misericordia Dei quanta sit. 71. 1.d 2.a ipsa sola est cum eo. 1.b est opus divinum. 1.b ea infinita est. 1.c cur ea indigeant justi, & ab ea coronentur. 72. 1.a ea abutitur, qui ea confisus peccat liberiùs 114 1.c Deo propria est virtus. 291. 2.b hæc ejus moderatur justitiam. ibid. c magis hæc patet in homine à peccatis præservando, quàm lapsum ex illis educendo. 282. 1.b hæc quanta sit triplex è capite perspici potest. 296. 1.d 2.a hæc & hominum inter se comparatur. 318. 2.b c misericordia propriè est in Deo, non tamen eo modo quo in nobis est. 577. 1.b una generalis est, eaq; triplex & immensa, alia particularis & innumerabilis. 2.c. 2.a hæc subvenit opportunè homini tribulato. 576. 2.c d quàm sit speciosa. 577. 1.a 1.d tres ejusdem gradus. 2.a est ei connaturalis & intima. 782. 1.a misericordiam in egenos exercens offert sacrificium mysticum. 568. 2.c d & quasi sacrificium similaginis. 569. 1.a ipsa semper viret. 643 2.c ipsa misero quodammodo occurrit. 647 2.a viri misericordiæ sunt qui planè misericordes sunt. 708. 2.c misericordias Domini sibi collatas quisque recogitet, & pro eis gratias ei agat. 577. 2.a
Misericordis signa physiognomica 92. 2.d 93. 1.a huic est misericordia & eleemosyna danda 234. 2.d misericors in alios misericordiam Dei sibi conciliat 319. 1.b 89. 1.c d etiam libenter dat mutuum 475. 2.a hic fortis est 476. 1.b misericors Deo gratissimus est 568. 2.c
Missæ Canon sola Martyrum nomina continet 704 2.d Missæ olim celebrabantur super sepulcra vel corpora Martyrum ibid.c
Missio filii Dei in mundum vocatur præceptum 393. 2.b
Mites qui dicantur 718. 2.b ejus signa physiognomica 79. 1.d est plerumque humilis 201. 1.a *vide* Mansuetus.
Mithridaticum è variis rebus componitur, inventum est regis Mithridatis 605. 1.a
in Mixtorum concordia consistit status & decus universi 419. 2.b
μοχθηρὸς variam habet significationem 456. 1.c
Moderatio cibi & potus mater est sanitatis 513. 2.d
Modestia continua & constans distinguit perfectos ab imperfectis 342. 1.d modestia mulieris quanti æstimanda sit 442. 1.a modestia propria adolescentiæ virtus 529. 1.c 530. 1.b 2.a virtutes omnes conservat, ornat, perficit 633. 1.d
Modica qui spernit, paulatim decidet. 329. 2.a b
vide Parva
Modimperator bibendi mensuram præscribebat 518. 1.a 522. 1.a *Cornel. in Ecclesiast.* XIII.
521. 2.b quare is in convivio crearetur 522. 1.a varia ejus nomina ibid. sorte eligebatur vel suffragiis 522. 1.b quæ ejus essent partes & officia ibid. d 2.b c qualis esse debeat 522. 2.c d se convivis æquet ibid. sit moderatè sobrius ibid.b curam habeat convivarum 524. 2.c ei dabatur corona 525. 2.a & honorabatur à conviviis symbolis 526. 1.a
nihil excedens Modum, bonum est 515. 1.d
Mœnades erant sacerdotes Bacchi 438. 1.d
Moloch colebatur immolatione filiorum 746. 2.a
Μῶμος, id est macula, derivatur ab Hebræo *mum*. 231. 1.b
Momus quis esset deus. ibid.
Monachi quidam hypocritæ quomodo à Deo puniti 56. 2.d
monachi veste tenus qui. 68. 2.a monachi sunt ut apes seduli. 212. 2.a monachi veri qui sint. 506. 2.a
Monarchiæ regimen potentius quàm aristocratiæ. 734. 1.a
Monedula dicta quod monetam furetur. 258. 2.d
Monere & moneri proprium amicorum. 338. 1.a
S. Monica iratum virum patiendo sustinuit. 54. 1.d
amarè flebat filii sui hæresin & libidinem. 366. 2.a
convitio icta vinolentiam exuit. 463. 2.a
Monita omnigena in Ecclesiastico traduntur. 29. 1.d
Monitio ab irato non est grata audienti. 79. 2.c
Monopolia dissipare laudabile est. 664. 1.d 2.a b c
Monstri quod sit etymon. 718. 1.c
monstra varia producit mare. 694. 2.a b
Monstrositatem patitur natura in membris, at non in corde. 67. 1.c
Monumenta mortuis erigi solent. 535. 2.b
monumenta magnifica habebant Judæi. 710. 1.c d
Moralis philosophia. *vide* Ethica.
Morbi probant hominis patientiam & humilitatem. 134. 2.a
quomodo curentur. 321. 1.b c in morbis ad Deum per orationem & pœnitentiam recurrendum est. 322. 1.a sæpè sunt causa sanctitatis. ibid.b morbi varii è libidine sequuntur. 333. 1.b morbus Gallicus veteribus incognitus, congruè fornicarios vexat: 334. 1.a morbi quanta sint hominis miseria. 494. 1.b quæ eorum plurimorum sint causæ. 494. 2.a 515. 2.d 601. 1.d 602. 1.a morbi peccata impediunt. 503. 2.a eorum utilitas. 605. 2.d 606. 1.a b sæpè ob peccata immittuntur. 1.d vocantur funes. 608. 2.a
Mordacitas cavenda in amicitia. 371. 1.a
Mores efferri vincuntur ab humilitate. 109. 1.b
Mori satius est quàm calumniis impeti. 470. 2.a
moriendum omnibus ex decreto Dei & moriendi necessitate. 611. 2.b c d 651. 2.d 652. 2.d 783. 2.d penè omnes gula moriuntur. 601. 2.a morientes quomodo consolandi sint. 613. 2.c d 615. 1.a
Mors semper ante oculos habenda. 164. 2.d 165. 1.a 166. 1.c d 264. 2.b velut somnus est. 366. 1.d à Deo non est creata. 220. 1.a 270. 2.d de morte inimicorum non est lætandum. 210. 1.a 170. 2.d in morte piis & impiis pro meritis dabitur merces. 227. 1.d 2.a aufert memoriã præteritarum voluptatum, & cruciat sensu dolorum præsentium & futurorum. 227. 2.d ante eam nemo dicendus beatus 228. 1.a b omnibus certò impendet. 263. 1.b c d 2.a ejus dies est incerta 263. 1.d citò intrat. 267. 2.b mors mystica quæ à Deo descendat. 119. 2.d 120. 1.a cur vocetur testamentum sæculi. 268. 1.c mors attentiùs considerat mortem affert effectionibus malis. 464. 2.d mors naturalis inferior est quoad damnum morte quam adfert lingua maledica. 470. 1.c d quomodo mors melior est quàm vita amara. 495. 2.b c d à tristitia acceleratur. 610. 1.c nulli dedit inducias usque manè. 611. 1.d vocatur judicium ob tres causas. ibid. quid ex morte aliorum commodi capere debeamus. 612. 2.a ejus memoria jugiter habenda. ibid. d ubique & semper timenda, quia incerta. 639. 2.d per eam homines in terram revertuntur. 641. 2.c mors, ejusque memoria diviti in opibus suis conquiescenti est amara. 651. 1.a mortis definitio. 2.b ejus etyma. ibid. est administra & executrix divinæ justitiæ. 2.d quibus suavis sit. 652. 1 a b c 2.a nec optanda, nec metuenda est. 653. 1.a cur non sit detrectanda. ibid. b c 653. 1.d 654. 1.d ob peccata justè infligitur. 269. 1.a c ejus contemptus reddit hominem intrepidum ad heroica in bello facinora designanda. 1.d cuique immittitur modo & tempore decreto à Dei beneplacito. 653. 1.d excipienda est hilariter. 2.a à quibus malis per eam homo liberetur. ibid. per eam fit ad meliorem vitam transitus. 654. 1.d eam Christiani timere non debent. 2.b homini est inevitabilis. 784. 1.b mors defluens quæ vocetur, & quare. 783. 2.b c & seqq. mors omnes sensim ex hac vita tollit. ibid.b unde ea in homine oriatur. ibid. c in morte aliorum cur plorandum. 608. 2.d 709. 2.a b mors Christi mortis nostræ remedium est. 544. 2.c
mors sanctorum qualis sit. 399. 1.d
appetitus carnis assiduè Mortificandi sunt. 239. 2.a
Mortificatio facit sanctum & sapientem. 395. 1 d castitatem tuetur. 401. 1.d 683. 1.d per mirrham designatur: ejus vires

& effectus 405. 1.d. 2.a orationem debet comitari 405. 2.a frigus animæ & corporis gelu dissoluit 693. 1.b mortificatio passionum est velut bona uxor animæ 586. 2.a
à Mortuo baptizari quid sit 566. 1.a mortui contactus olim contaminabat 566. 1.a b mortuis quæ justa funebria debeantur 608.2.d & seqq quare eorum mors ploranda ibid. 1.a eorum corpora sudario & linteo involuenda 699.1.a terræq; mandanda sunt ibid.c honesta sepultura pro ritu patriæ eis procuranda 609. 1.d eorum luctus moderandus ibid.d 2.b 610. 1.a b 611. 1.c d 612. 2.c d 613. 1.a eorum ad vivos oratio & commonitio 612. 1.c d eorum requies est quintuplex ibid.d 2.b post mortem gaudent de consolatione parentum vivorum 613. 1.a b omnes qui ante nos fuere, mortui sunt 652. 2.d cur mortuis cupressus adhibeatur 773 2.d
Mortuis varia à vivis debentur 162. 2.c d 163. 1.a quot diebus plorandi sunt 367.1.b c & quo ritu. ibid.c non laudant Deum 311.2.c sunt imago peccatoris 366.1.d 2.a
Morum compositio est medicinæ pars 514. 1.a
μόσχευμα etiam metaphoricè de hominum stirpe usurpatur 889. 1.b
Motus concupiscentiæ non sunt sequendi 339. 1.d motus sit decorus & modestus 341. 2.d 342. 1.a
Motus maris est ab Oriente in Occidentem 694. 2.b
Moyses egregius Ethices fuit magister 5 ejus mansuetudo 97. 1.c à Dei colloquio factus est Propheta 596. 2.a in dubiis Deum consulebat 2.b 426. 1.a fuit princeps principum, pontificum, prophetarum 705. 2.d fuit Deo & hominibus dilectus, 717. 1.a æquiparatur summis patriarchis 717. 2.d per eum Deus terrorem incussit inimicis Israelis 718. 1.a dominans passionibus, vocatur Deus 1.b precibus suis plagas & signa cessare fecit ibid. factus est gloriosus coram regibus fuit Dei ad populum internuntius ibid d 719. 2.a b vidit majestatem Dei, non essentiam 718. 2 a ejus fidelitas, mansuetudo, lenitas ibid.b 719. 1.b audivit Deum loquentem, & cum eo locutus est 2. a b dedit Deus ei legem per se ipsum ibid.d fuit legislator divinus 720.1.b ejus elogium & laus ibid.c d
Mulieris tactus venenatus est 182. 2.a cum ea non est compotandum. 182.1.d 2.a ab ea mala omnia nascuntur ibid.d est creata ut virum adjuvaret 300. 2.d 585. 2.d mulieris abortientis emblema est equa calcans lupi vestigia 251.1.d mulier compta & fucata mirum libidinis illicium 254. 1.b c at mulier sensata magni facienda 180. 2.d mulier zelotypa multa in virum machinatur mala 177. 2.a facilè zelotypiam concipit 178. 1.a *vide* Femina, Meretrix, Uxor.
Mulieres non imperent viris 178. 2.a & seqq. earum consortia vitanda 179. 1.c 2.a 230. 1.b deceperunt multos sapientes 531. 2.a b 667. 1.c d 669. 2.c mulieres stultæ facilè abortiuntur 336. 2.c
Mulier passionibus tota agitatur 427. 1.b etsi subinde viros superet animo & constantia ibid c si dives sit, vult viro præesse 431. 1.d eam viro dominari, res indigna est 432. 1.c 469. 2 d si ei imperet, ei erit contraria 431.2.a ejus est obsequi viro 434. 2.d ejus amori vir non nimis indulgeat 428. 1.d est causa ruinæ totius generis humani. 433. 1 a b c est avida libertatis 1.d non est aspicienda 46.1.a est iræ, præcipitantiæ & furori obnoxia 430. 2.a & seqq. est appetens vindictæ 431.2.c sæpè viro est mortis causa 432.2.b dicitur à m litie 438.2.d natura fallax est 439. 1.d 2.a semper ab alio custodiri debet ibid b ejus qualitates recensentur 1.d est viro petulantior 440. 1.b ei nimis multa & magna non sunt committenda 546. 2.c non est ei danda possessio & hereditas 546.2.d ejus species quàm sit illecebrosa 547. 2.a.668. 1.d 2.b negotia sua deterius gerit quàm vir 667. 2.d taceat in solemni consessu 2.a imposturæ intenta est, etsi prima fronte probitatem præferat ibid.b similis est igni, magneti, basilisco 667. 1.d 2.a non est consulenda de æmula sua 593.2.a ejus epitheta 668. 2.c ipsa est sepulcrum dealbatum 2.d verecunda sit & pudorata 594. 2.d 595. 1.d
Mulier bona sancta, sedula, honesta beat virum, ejusq; vitam adauget 434. 1.d 435. 2.b mulier fortis quæ sit: hæc oblectat virum suum 435. 1.a mulier bona datur viro bono pro mercede operum bonorum ibid.c d talis est peculiare Dei donum. ibid.d 440. 2.b ea virum suum exhilarat 435. 2.b & eum impinguat 540. 1.b quanti sit pretii ibid.c d 441. 1.b 442. 1.a Soli comparatur 542. 1.c d fœcundat domum & remp. 2 d per lucernam & candelabrum repræsentatur 2.a b gerit oculos demissos 438. 2.d
Mulier ebriosa plerumque iracunda est 438. 2.d quantum illa malum & probrum sit c d plerumque impudica est 2 b mulier garrula & loquax homini quieto est molesta 430. 1.d mulier fucata tegit suam turpitudinem 429. 2.d
Mulier mala quàm grave sit malum 427. 1.a b c 427. 2.d 2.b 428. 2.b 429. 1.a hæc castiganda est à marito exemplo virtutis & prudentiæ, & lenitate 427. 2.a ea serpenti comparatur 428. 1.a 428. 1.d ejus invidia serpentina ibid. 1.d est velut furia 429. 2.a reddit maritum luridum & malencholicum ibid.b 432. 2 a 435. 2.c de ejus morositate vir non multum audet queri præ pudore 429. 2 d obtingit hæc plerumque peccatori in pœnam 429. 2.d debet à viro 1.a viri vires enervat 431.2.a 434. 2.d non est ei indulgendum vel in modico 433. 2.c d est viro sæpè causa damnationis 434. 2.a eum confundit 435. 2.c totum conjugium conturbat 437. 1.c comparatur scorpioni ibid.d & seqq. bibax est & vinosa 438. 1.c item garrula 442. 1.a mulier impudica per oculos se prodit 438. 2.b c ejus gestus & incessus 439. 1.a est vaga 433. 2.a huic est custodia adhibenda 665. 1.a
Mulier pulchra gratiæ est symbolum. 584. 2.c 585. 1.b
Mulier zelotypa marito cordis dolorem affert 513. 1.b eum turbat 513. 2.c suam amaritudinem quibusvis communicat & exponit 513. 1.d ex omni re occasionem accipit & captat de marito conquerendi ibid. exemplum quoddam mulieris zelotypæ. ibid.d
Mulierum descriptio 434. 2.c d 428. 1.d 2.b 429. 1.b c
natura sunt desidiosæ, segnes & pigræ 435. 1.b
incidunt in terrores panicos magis quàm viri ibid. c
earum levitas & fragilitas 439. 1.d
plerumque zelotypæ sunt 436. 2.c
& sibi placentes ibid. d
maximè nocent dum amorem simulant 437. 2.b
an inter bruta rationabilia referendæ 439. 1.d
earum encomia qui descripserint 440. 2.c & seqq.
sine delectu sæpè nubunt 584. 2.b
earum conversatio quàm sit noxia 667. 1.a b c
dominatæ sunt Salomoni. 745. 2.d 746. 1.a
mulieres conjugatas subvertit lingua detractoria 469. 1.b c
earum intuitus periculosus est 661. 2.d
mulieres plebejæ sunt concitatiores nobilibus 431. 2.d
opulentæ dominantur viriis 431. 1.c 432. 1.d
mulieres Romanæ in tutorum potestate erant. 658. 1.a
Multa non sunt simul suscipienda 216. 2.c d 217. 1.d 2.b 224. 1.a
Multiloquii damna 345. 2.c d 346. 1.a b
Multiloquus peccat diversimodè 345. 2.c d
quæ Multiplicatio bona, quæ noxia 601. 2.a b
Multitudini nemo se accommodare debet 144. 2.d
nec eam offendere. 145. 2.a
in Multitudine multum non loquendum 529. 2.a
Multivola mulier, est meretrix 179. 1.a
Mundanarum rerum instabilitas & rotatio 324. 2.a
Mundus cum omni sua perfectione creatoris perfectionem exprimit
ejus dies & anni an queant numerari 36. 2.a
est quædam musica 270. 2.c
locus est lacrymarum, non risus 559. 2.d
plenus est laqueis 184. 2.c d ei non credendum 239. 1.c
Mundi finis est Christus & Maria 389. 1.a
mundus solidatur cultu divino, lege, misericordia 571. 2.c
ejus creatio per partes exponitur. 246. 1 b 246. 2.c 629. 1.a
ejus excrementa, illo jam igne expurgato, in locum inferni colligentur 635. 2.a
est scintilla & stilla divinitatis 673. 1.d
ejus miracula 674. 2.a
est magnus homo 695. 1.b
& velut liber Dei majestatem repræsentans & exponens 695. 2.d
totus est in Deo sicuti spongia in mari 696. 2.c
mundus est senex fatuus 421. 1.a
nobis ingratus est hospes 486. 1. c d
est mare plenum tentationibus & periculis 694. 1.a
Munus æstimatur ex animo donantis, & d ndi celeritate 91. 2.a
munera excæcant oculos judicum 351. 2.a
reddunt eos mutos 351. 2.c
& capistratos ibid. d
ea accipere quàm periculosum 352. 1.a b c
Munus iniquum perit & in terram redit 641. 1.b
muneribus symbolicis modimperatorem convivæ cohonestabant 449. 2.d
quæ munera parva in sacrificio dicantur 573. 1.b c
Muræna in cauda animam habet 165. 1.a
Murmurationem expellit timor Dei 55. 1.a
ea provocat Dei vindictam & mortem 378. 2.d
Musæ olim rosis coronabantur 400. 2.d
Musca & hirundo cicurari nequeunt 231. 1.a
musca sole præstat, quia animata est 670. 1.b
Musculus piscis est ductor balenæ 694. 1.c
Musica olim in conviviis adhibebatur, & quare 365. 1.a 562. 2.d 527. 1.a 2.a 258. 1.a 2.a ejus & vini sympathia 528. 1.b 645. 1.a in templis rectè adhibetur 527. 1.d vis ejus ad morbos sanandos 451. 1.c ejus elegantia in quo consistat. 2.b
Mustum minùs sanum est, & gratum appetitui 183. 1 a b
Mutamur semper quamdiu vivimus 229. 1.b c d
mutationi homo est obnoxius 539. 2 c
S. Mutius Abbas solem occumbere volentem sistit. 729. 2.d

Mutuans

Digitized by Google

Mutuans accipit quasi ius & potestatem in mutuatarium. 477. 1.b 2.a 2.d saepè à mutuatario fraudatur. 478. 1.a 2.c d
non propterea desinat mutuari. 478. 1.d 479. 1.c d 480. 1.a 480. 2.c
Mutuatarius quid debeat mutuanti. 477. 1.a 2.a ejus fraudes. 477. 2.d. 478. 1.a
Mutus dicitur à mussando. 351. 2.b
Mutuum dare est actus misericordiae. 475. 1.a est species eleemosynae & beneficentiae. 476. 1.a qui id petunt aere alieno gravantur. 2.a id dantes magno sint animo oportet. 2.a mutuum in necessitate negare, peccatum est. 477. 1.b id reddere negantes, peccant in justitiam. 477. 2 a b d mutuum quare non sumendum. 478. 1.b stimuli ad mutuandum. 2.d 478. 2.d 479. 1.d
Myrmecoleon quale sit animalculũ, quid symbolicè designet. 147. 1.a
Myrrha arbustum describitur: exsudat stacten. 405. 1.c d
ejus effectus. 2.a aenigma de myrrha. ibid.
Mysteria quae dicantur. 135. 1.c mysteria multa superant captum humanum. 84. 2.b mysteria omnia vitae Christi scatent prodigiis. 579. 1.c
Mystica scientia & doctrina quae sit. 135. 1.c
Mythologi sunt apologorum scriptores. 349. 2.a
Mythologia quàm sit antiqua. 344. 1.c d

N

Nabuchodonosor est ob extollentiam à Deo punitus. 111. 1.c 110. 1.c
Narratio Dei quae vocetur. 140. 2.a narratio iterata semper sub manum variatur. 335. 1.a narratio importuna gravis est audienti. 335. 1.c narrationes senum non sunt despiciendae. 171. 1.d 171. 2.d
Nasturtium unde dicatur, est symbolum divitis pauperes emungentis. 245. 2.c
Nasus indicat passiones & affectiones animi. 141. 1.d
Nathan Propheta à Deo pro insigni dono Davidi datus. 737. 1.b datus ei ad prophetandum & monendum ibid. & seqq. ejus sinceritas & integritas. 1.c fuit ei perfamiliaris & assiduus. ibid.
Natio sumitur pro generatio & successio hominum. 66. 1.d 296. 1.c
natio à Gentilibus etiam habita ut dea. 66. 1.d
natio sapientum qui vocentur. 73. 1.c d 2.a
Nativitas Christi è virgine fuit mirabilis. 580. 1.b
Naturam & personam philosophi non distinguebant. 308. 1.a
natura humana est objectum amoris naturalis. 236. 2.b ejus dotes sunt velut folia. 268. 2.c naturae lex quid hominem doceat. 326. 2.a
Natura paucis est contenta. 484. 1.a b contra naturam operantur qui opes coacervant & diligunt. 506. 1.a natura communis est, eademque in singulis individuis. 539. 1.c est organum divinitatis. 604. 2.d 605. 1.a tria naturae summè mirabilia. 903. 1.c
Naves maximae etiam onustae à mari feruntur. 694. 1.d
navi assimilant Manichaei solem & lunam. 680. 2.c
Naufragus quidam Deo duce salvus post xxiiii. dierum jactationem ad littus appulit. 537. 2.c
Nautae eleemosynam negantes divinitus sunt in mercibus castigati. 97. 1.d
Nazarei voto se Deo obligabant. 162. 2.a
Nebridius in aula nutritus, aulam despexit. 171. 2.a
Nebula quid propriè sit. 687. 2.b symbolum est tenebrarum & noctis. 691. 1.a ejus proprietates. 2.a est symbolum gratiae Dei. ibid.b nebulae sunt quasi aves Dei. 687. 1.a
Necessarii vocantur amici, & amicitia necessitudo. 131. 1.c
in gravi necessitate constituto obligamur eleemosynam dare. 487. 2.d
Negans peccatum dupliciter quasi peccat. 344. 2.a
maxima est parentum Negligentia circa filios. 493. 1.a
negligentia in officio res erubescenda est. 659. 2.b c
Negotia simul multa suscipienda non sunt. 216. 2.c d 217. 1.d 2.a
negotia periculosa, vel valdè laboriosa, nõ sunt capessenda. 534. 2.d
negotia varia simul multi exequi possunt. 613. 2.a
negotium sapientiae est in otio. ibid. 1.a
Nehemias Jerusalem reaedificavit tam quoad muros, quàm quoad domos privatas. 766. 1.d
Neptuni etymon. 689. 2.a
Nequam quid propriè sit, unde vox derivetur. 129. 2.c subinde idem est quod miser. 313. 1.c 318. 1.d
aliquando capitur pro molesto. 483. 1.a
Nequitia improbis supplicium est. 368. 2.a
Nerium quis sit frutex. 407. 1.a
Nero Imp. in animalia crudelis erat. 155. 2.a
ejus omnia sibi arrogantis vox. 184. 1 c
matrem necans velut vipera fuit. 544. 2.b
Nerva Imp. numquam risit. 360. 1.a
S. Nicolaus Tolentinas diu ante mortem concentum angelorum audivit. 44. 2.b
Cornel. in Ecclesiast. XIII.
Nidus fidelium est Ecclesia. 587. 1.d
Niger color visum nimis congregat & stringit. 648. 1.a
Nili ortus ubi, ejus exundatio: exundationis hujus causa. 39. 1.d 414. 1.b c
an idem qui Gehon. ibid. a
quid boni adferat Aegypto. 2. d
S. Nilus quid de Salomonis salute responderit. 764. 2.c 1.d
Nisan idem erat mensis qui Martius, & mensis novarum frugum & messis. 413. 2.d
Nix modica quomodo opidum obruerit. 331. 1.d
nix Deo promptè obedit. 686. 2.c
est similis lanae: aenigma nivis. ibid.d 690. 1.a
symbolum est tribulationis & tentationis. 687. 1.a
quid misticè denotet. 2.a
ejus densitas terram operit, ceu agmina locustarum vel avium. 690. 1.b
terram fovet & foecundam reddit. ibid. b
mirus ejus candor, copia, quantum aquae progignat. ibid.c d 2.a
ejus causa: est mollior quàm pruina, siccior quàm aqua. 2. b
causa candoris ejus est aer & frigus. ibid.c
albor ejus verus est, non apparens. ibid.
nivis usus ad delicias potus reprehenditur. ibid.d
nivis commoda. 391. 1.c 686. 2.c d
Nobilitas vera in virtute sita est. 203. 1.c d
Noctuae non ferunt platani foliorum contactum. 403. 2.a
Noe laus & nobilitas à timore Dei. 203. 1.c primus vites excoluit, & vinum ex uvis expressit. 319. 2.a dictus fuit à Gentilibus Janus bifrons. ibid.d 713. 1.d fuit Henochi aboepos. 1.c hominibus diluvium est comminatus, ni resipiscerent. ibid. d fuit justus, & aevi sui phoenix. 1.d factus est hominum reconciliator, & reconciliatio. ibid. c d fuit typus Christi redemptoris. ibid.c quomodo fuerit suppositius pro impiis sui saeculi. ibid. ejus sanctitas. 329. 2.d significat Ecclesiae rectores. 714. 1.b vidit tres mundos. ibid.c fuit post Mathusalem longaevissimus, & cur. ibid.d Deus cum eo pactum iniit de non amplius orbi diluvio immittendo. 1.b fuit doctor sapientiae, an in Italia gymnasium erexerit. 406. 1.d
Nomen Jesu suavissimum est. 410. 1.c d 411. 2.d nomen bonum quanti faciendum. & quare. 657. 1.c d diu id permanet. 1.c 2.b c
nomen impiorum post mortem statim delebitur. 656. 2.c
anima appetit nomen aeternum, quia ipsa est immortalis. 710. 2.a
nomen suum auctor sacer in libro suo non praefigebat, sed ab aliis ad calcem addebatur. 779. 1.c
Nomen aeternum habent docti. 278. 1.c
nomen Dei temerè nominari non debet. 377. 1.c
Nomina sceleratorum olim vitabantur, & oblivione sepeliebantur. 657. 1 a nomina virginum & Confessorum olim etiam in Missae Canone continebantur, jam sola Martyrum 704. 2.a nomina Sanctorum olim pridie in Ecclesia annuntiabantur, quorum natalitia postridie celebranda erant. ibid. a
Nominatio irreverens Dei & Sanctorũ noxia est. 377. 2.a b 377. 1.c d
Nonna S. Gregorii Nazianz. mater liberalis in pauperes erat. 508. 2.a
Notiones Dei sunt quaedam sigilla rerum creandarum. 43. 1.b
Novem sorores unius partus omnes fuere sanctę & Martyres. 574. 1.a
Novenarius numerus imperfectus est. 576. 2.c
Novissimum in Script. accipitur pro eo quod posterius est, & sequitur. 63. 1.b novissimorum memoria habenda in omnibus actionibus. 164. 2.a quantum haec adferat boni. ibid.b 165. 1.b haec est regula omnium agendorum. 2.a b ea cogitanda quasi vicina. 464. 2 d 165. 1.a c d 2.a b eorum recordatio iram deponi suadet. 464. 2.b d eadem concupiscentias imminuit. 503. 2.b
quomodo Novitii in Religionibus probentur. 100. 2.d sunt velut viridis seges. 646. 1.d & vineae florentes. 101. 1.c
Noxa praestò est temerè spondenti. 483. 2 b
Nubendum est pari. 432. 1.a 2 a
Nubes vox unde dicatur. 689. 2.a ipsae ad Dei nutum agitantur & oriuntur. 687. 2.a sunt quasi aves Dei. ibid.b terram foecundant 688. 1.b sunt symbolum celsitudinis & ambitionis. ibid. c item thronus gloriae Dei. 391. 2.b c
Numeri dies sunt iidem qui pauci & breves. 657. 2.b c
numerus capitur pro paucitate. ibid.d
Nuptiarum ritus erat triplex apud Romanos. 259. 1.b
Nutu suo Deus terram & montes concutit. 688. 2.b
nutus oculorum sunt nuntii luxuriae internae. 438. 2.c

O

Obductus & obductio, idem est quod calamitas. 427. 2.d
capitur etiam pro supplicio & clade 88. 1.a
Obediens Superiori, à Deo dirigitur. 595. 2.c obediendum statim Deo ad perfectionem vocanti. 516. 1.c
ei obediunt creata omnia. 673. 2.d 674. 1.a

Obedientia tessera est sapientiæ & justitiæ. 73.2 c oritur ex dilectione. ibid. d facit divinos. ibid. ejus perfectio in quo sita sit. 73.2 d 74.1 d est sacrificium mysticum. 568.1 a b 737.2 d
Obiectum peccati allicit ad peccandum. 451.2 a
Oblatio Deo placeat, octo ad eam requisita. 573.1 a oblationes iniquorum sunt irrisiones Dei. 762.2 a eas ipse reprobat. 2 c 563.1 d a b 564.1 a oblationes nostræ uniendæ meritis Christi. 572.1 b
Oblationes pro templis quare vocentur initia sanctorum. 162.1 d
Oblivisci iniuriarum heroicum est. 266.2 d
Observandæ sunt opes domesticæ propter fures. 665.1 b
Observatio legis mandatorum est tacita oratio. 566.2 c d item mysticum sacrificium. 568.2 b
Obstinati in peccatis sunt in perpetuis doloribus. 87.2 d eos detestatur Deus. 334.2 a
Obtrectator est etiam qui alienis verbis aliquem defert. 335.1 b
Occasionis emblema. 102.1 a occasio peccati fugienda. 86.1 d occasio in actionibus observanda est. 101.2 d occasio benè agendi non est negligenda. 265.2 b sed captanda. 265.2 d 451.1 b
Occupationi nulli certæ applicantes sugillantur. 486.1 b & seq. occupatio magna & honesta expellit spiritum tristitiæ. 500.1 b est divitiarum seminarium. 551.2 a occupatio sumitur subinde pro molestia. 637.1 d
Ochoziæ Elias mortem intentavit ob idolum consultum. 677.2 d
ὀκνέω est idem quod differo, tardo, negligo. 163.2 a
Octonarius symbolum est vitæ æternæ. 580.2 a
Oculus malus avari semper fertur ad mala. 262.1 d oculo elato se prodit superbia. 375.2 b oculi & cordis similitudines. 370.2 c oculi proprietates. ibid. oculus Dei super homines excubat dupliciter. 302.2 d isq; luce sua omnia illuminat & conspicua reddit. ibid. est velut oculus domini & magistri. ibid. d eum nemo potest fallere. 381.2 d 382.1 b d 2 a c d & peccati mediatores. 181.2 d eos custodiat tam vir, quàm virgo, & omnis castè vivere volens. 179.2 d 180.1 a b c 2 b 381.1 c 666.1 d in iis elucent ira & invidia & aliæ passiones animi. 261.1 b 286.1 a 341.1 a b c d in quo homini conducant. 301.1 d eorum usus 2 a fonti comparantur. ibid. eorum fabrica. ibid. unde dicantur. 301.2 b oculo nihil tenerius & impatientius. 509.1 c viridibus maximè capitur. 645.2 d 646.1 a b c oculus nequam est oculus avari & invidi. 509.1 d 508.2 d oculi in amore duces sunt. 180.1 b 431.1 b 661.1 d ii à feminis avertendi 431. 1 b 666.2 c per eos tacita fiunt colloquia. 2 d oculi timentiū Deum quomodo in conspectu ejus benedicentur. 559.2 b oculi Dei lucidissimi & justissimi sunt. 560.1 b 650.2 b omnia pervident & penetrant. 629.2 a oculi elati sunt signum superbiæ & impudicitæ. 438.2 c oculi quales qualia vitia denotent. ibid. c d
Odientes aliquem semper ei nocere volunt. 427.2 d 428.1 a odiens corripientem odit medicinam. 356.1 a
Odium peccati nequit esse nimium. 308.1 d odium corripientis de peccato Deo displicet. 355.2 a
Odium mater est jurgii & vindictæ. 466.1 d odia omnia sive naturalia, sive voluntaria, per binarios exercentur. 545.1 c
Odor suavitatis è victimis ad Deum ascendebat. 571.1 a
Oeconomi principum quomodo in re sibi concredita se gerere debeant. 649.2 a b
Offensa Dei summa est & infinita. 462.1 d offensæ memoria ex animo deponenda. 464.2 a b
Offerens spolia pauperum quinque gravia scelera committit. 564.1 a victimat quodammodo Christum. 1 a d
cur in Offertorio cantores personent vocibus & organis. 775.2 d
Officium significat omne, quod alteri exhibere debemus. 94.1 a
Officium periculosum vel onerosum nimis, non est suscipiendum. 535.1 a
Officium de Sancto recitari jubetur, dum solemniter canonizatur. 704.1 a d
Officium Ecclesiasticum per horas distributas recitare tenentur sacerdotes. 723.2 a
Οἶνος vox unde derivetur. 519.2 a inde dicitur vinum. 520.1 c
Olea vel oliva speciosa est caudice, fronde, fructu. 403.1 a quarum rerum sit symbolum. ibid. typus est sapientiæ & castitatis: Minervæ erat sacra. 403.1 c quomodo enecetur, & fiat edulis. ibid. d est arbor speciosa simul & fœcunda. 773.2 a
Olei proprietates. 403.1 a est cibus, lux, medicina. 633.1 a 773.2 a eo denotatur misericordia & eleemosyna. 673.1 d cur Sancti nonnulli post mortem oleum stillent. 774.1 a impedit æruginem. 239.1 a
Ὄλυμπος unde dicatur cælum. 676.1 d
Omnia omnibus non expediunt. 600.2 c
Omnipotentia Dei quàm vasta sit, & latè pateat. 701.1 a omnipotentia est ratio immensæ misericordiæ in Deo. 72.1 d 2 a
ὠμόλινον est linum crudum. 639.2 a
Onager est asinus silvester, natura timidus. 252.1 b
S. Onesimus servus Philemonis, factus est Episc. Ephesinus. 154.2 d
Onias III. pontifex fuit vir sanctus. 16.1 a ejus elogium. 769.1 c & virtutes. 773.1 b
Oniromantæ plerumque mentiuntur, & conjectant. 554.2 d 555. 1 a 556.1 d 2 c
Onocrotalus an idem cum pelecano. 64.1 c
ὄνος dictus quasi ὄνιων, quòd prosit. 550.2 a
Operandum dum licet, post hanc vitam non licebit. 262.2 a 263. 1 a b 263.2 d 266.2 a
Operari mendacium est calumniari. 780.2 d
Operarius ebriosus non locupletabitur. 329.1 a d 2 a
Operarius sua sorte contentus, felicior divite est. 643.2 d opes acquirit Deo benedicente. ibid. c 644.1 b cum operario agrario non est consultandum de ullo opere. 594.1 a
Operationes singularum creaturarum operatur Deus. 697.2 a b
Opes res sunt vilissima. 270.1 a dicuntur ab ope quam adferunt. 258.1 d tum Deo, tum domino in usum cedant. 262.2 a b iis fruendum in vita, quia post mortem aliis cedent. 265.2 d ex eis primò solvenda sunt debita. 1 d 266.2 a opes spirituales promittuntur in lege nova Deum timentibus. 224.2 b c opes sunt iræ & litis fomites. 467.1 a b non prosunt ægris divitibus. 496.1 a b multis sunt exitio. 504.1 d 2 a reddunt hominem miserum. ibid. 2 b c eas contemnere res maxima est. 506.1 d inferiores sunt nomine bono. 657.1 d bonæ sunt bene utenti, malæ abutenti. 745.2 a opes veræ quæ sint. 494.2 c eæ sunt sitæ in earum contemptu. 506.2 a cur vocentur facultates. 507. 1 c opes iniquorum affluunt citò, & refluunt & pereunt cum strepitu. 642.1 c 2 a opes absconitæ mortem animæ adferunt. 479 1 d *vide* Divitiæ.
Ophir quæ sit regio. 153.2 d
Opifices mechanici etiam in sua arte sapientes sunt. 614.2 d & seq. 618.1 d non sunt assumendi in senatum. ibid. d 2 b c d 619. 1 a nec alios docere debent disciplinam & judicium. ibid. sunt in republ. necessarii. 619.1 c d qualis legis Dei cognitio illis necessaria sit. 2 c eorum sapientia sita in cultu Dei. 2 d
Opilio dicitur quasi ovilio. 525.1 d
Opinio mali magis affligit, quàm ipsum malum. 497.1 c
Opobalsamum est succus balsami. 404.1 d 2 b
Oppressio pauperum clamat vindictam è cælo. 355.1 d
Optima sectanda sunt. 211.2 c
Optimum & pessimum quid sit. 510.1 c
Opulentia veterum consistebat in pecoribus & agris. 506.1 a
Opus vulgare excellenter factum fit excellens. 269.1 c operis initium, volitio, conatus creaturis, finis & exitus Deo ab Ecclesiastico tribuitur. 29.2 a opus virtutis est nobis à Deo datum, & nos beans. 792.1 d opere imposito castigatur rebellio & insolentia. 550.2 d opere Sancti tripliciter Deum laudant. 700.2 a
Opera omnia ad justam rationis normam mensuranda sunt. 118.2 d opera tam bona quàm mala, velut sol rutilans in conspectu Dei: 304.2 a d opera justorum prosperantur. 88.2 a opera omnia mundana inter morientur. 269.2 c d opera Dei non scrutanda. 84.1 a b d cur plurima eorum captum nostrum superent. 1 d 295.1 a ea mirè perfecta sunt. 316.1 c abscondita sunt & mirabilia. 214.2 b a sunt velut fenestræ, per quas videtur Deus. 271.1 a opera bona sunt velut fructus hominis. 223.1 d & quasi filii. 228.2 d sunt in hac vita agenda, quia post mortem non erit merendi locus. 266.2 a d & seqq. ea omnia in die judicii per os Christi declarabuntur, esse sancta. 268.2 d 351.2 a non sunt vitianda aliqua prava circumstantia. 319.2 a omnia magna fiunt & facta sunt per constantiam. 454.2 b omnia facienda sunt excellenter. 548.1 b 2 a modus & praxis ad hoc. ibid. 1 d & stimuli. 2 b & seqq. eorum initium & finis Deo offerenda. 572. 1 a ea ut digna sint, unienda meritis Christi. 572.1 b ante ea Deus est invocandus. 624.1 a opera doctrinam confirmant. 706.2 c eorum laus Deo tribuenda est. 740.2 b opera bona faciendi occasio ubique occurrit. 451.1 d ea sunt proles pietatis, & piæ voluntatis. 423.1 c 2 d iis alacriter & strenuè incumbendum 495.1 d ea adferenda sunt ad tribunal Christi judicis. 570. 1 d opera omnia Dei sunt valdè bona, tum Deo, tum nobis, tum toti universo. 628.1 d in iis celebranda sunt maximè bonitas & potentia. 2 c hæc bona sunt, quia ipse omnia suo tempore & oportunè exhibet. 636.1 d 2 a horum singulis sui effigiem Deus insculpsit. 671.1 a b mirè hæc per sapientiam exornavit. 673. 1 a eis nihil additum aut diminutum est. ibid. quàm ea sint speciosa, amanda & utilia. 1 c sunt ea velut scintilla divinitatis. ibid. digna sunt admiratione & consideratione. ibid. d ex iis ad Deum debemus ascendere. 673.2 a in iis ipse intimè præsens est per essentiam, præsentiam, potentiam. ibi. quomodo ea in sæculum

manere

manere dicantur; Deoque obediant. 2.d eorum diversitas, & tamen ordo & connexio. ibid.d nemo eorum consideratione se potest satiare. 674.2.b magnam illa à nobis gratitudinem deposcunt. 1.c d eorum multa nos latent quæ non videmus. 700.2.d ea dignè ab homine nec laudari, nec recenseri queunt. 695.2.d
Oracula dæmonum plerumque obscura & intricata erant. 557.1.d 2.c
Oraculum Dei in Jerusalem defecit in excidio ejus per Nabuchodonosorem. 582 1.b
Orandus Deus pro mentis constantia. 223.1.d sed non in statu peccati, sine prævia contritione. 323.2.a qua intentione sit orandum. 323.2.bc
Orandi modi sunt quatuor. 247.1.c
Orans, Deum precibus evincit. 395.1.c hic addat orationi eleemosynam. 570.1.a si humiliet se, petita impetrabit. 575.1.c d
Oratio aufert pusillanimitatem & peccata. 145.2.d in ea maximè nos debemus humiliare. 247.1.c ipsa optimus animæ cibus est. 276.1.a per eam impetranda constantia in vitæ statu. 309.1.a b ejus bona. 320.1.b ejus impedimenta amovenda oraré volenti. 322.1.bc ad eam præparatio quadruplex necessaria est. 323.1.d. 2.a. ante eam quid sit cogitandum. 2.a. oratio verbosa Deo displicet. 148.2.b. sed affectuosa placet. 2.c. *oratio dierum* vocatur oratio quotidiana. 75.1.d. efficit sapientem, & sanctum. 395.1.d. fugat tristitiam. 500.1.d. per eam consulendus est Deus in dubiis. 538.1.d. ipsa operibus nostris dare initium debet. 548.2.a. excludit salutationes 661.1.b.c. est sapientiæ parandæ optima ratio. 623.1.a.b. ei ante omnia opera vacandum. ibid. 624.1.a. ejus fructus. 2.c. oratio in prælio tum corporali, tum spirituali validissima est. 731.1.d 739.2.c. oratio per thus repræsentatur. 575.2.c. 773.1.b. est virtutum antistita. ibid.c. oratio omnem mentis ad Deum elevationem, collocutionem, unionem significat. 780.1.c. oratio in templo est melior quàm domi. 785.2.c orationis humilis subtilitas, & potentia. 575.1.d.2.a.b. hæc citò exauditur. 2 c.
Orationes sanctorum sunt velut phialæ odoramentorum. 575.2 c quàm sint efficaces. 574.2.a pauperum & humilium orationes à Deo exaudiuntur 2.d & seqq. 575.2.d nubes penetrant. ibid.1.c d 2.a
Orationes sanctorum sunt velut flores pulcherrimi. 627.1.c
Orbis terræ in quot gradus dividatur. 36.2.c cum gentibus quomodo diviserit Deus. 296.2.d 297.1.a
Orbes cælestes reguntur ab angelis. 196.2.a eorum ordo subordinatio & concordia. 197.2.a b d
Ordinatio Dei, etiam in malo, sive permissiva, sive positiva, in Scriptura vocatur præceptum. 286.2.b
Ordo omnia creata conservat. 297.2.d
Ordo & connexio rerum omnium mundi & sæculi decurrentis, ut una sit causa alterius secuturæ. 672.1 b
Organa rectè in templis adhibentur. 527.1 d
Orientales magnifica celebrabant convivia, 512.1.a solebant quærere proverbia, ænigmata, similitudines & alias graves sententias. 619.1.a
Origenes plures habet errores, sensum symbolicum sectatur præ litterali. 151.2.a an fuerit idololatra. 279.1.d 2 a censebat animas in corpora velut carcerem compingi, 655.1.d an damnatus sit. 747.2.b
Originale peccatum electis & reprobis commune est. 655.2b
Orobazus Persa cùm è tribus filiis quos habebat unum tantùm regi Dario ad bellum eunti obtulisset, omnes ab eo vidit necari. 386.2. b
Os loquitur quod cogitat cor. 358.2.d est symbolum Dei Patris. 307.2.d
Oris custodia est dicendorum circumspectio. 373.2 a ea est duplex. ibid.
Os gladii quod dicatur. 381 1 c 469.2 a
Os quomodo Deus habere dicatur. 389.1.b
Os Dei propriè est mens & intellectus Dei. ibid.
Os speculum, janua, fibula cordis est. 449.2.b & seq. rixas parit & sopit. 467.2 b homo oris est loquax. 468.1.d
Os claudendum linguæ nequam. 472.2 d 473.1.a
Oris custodia à Deo precibus postulanda est. ibid.2 c id non semper obserandum, sed quandoque reserandum. ibid.c & quando utrumque. 473.1.c 2 c ejus duo sunt custodes. 1.c
Os stomachi olim dicebatur cor. 480.1.d
Oscitans oscitationem ciet. 243.2.a
Osculatio manus signum erat adorationis. 477.2.c
Ossa quasi fulcra sunt corporis nostri. 440.1.b à medulla impinguantur. ibid. sunt symbolum roboris. 469.1.d & argumentorum solidorum. 361.1.d 2 a ea comminuit lingua detractoris. ibid. tropologice significat virtutes. ibid.b ossa Sanctorum in pretio habenda, 733.1.c ossa Prophetarum quomodo pullulent. 765.2.d
Ossa Ioseph post mortem prophetarunt. 767.1.b c
Otiantes parcissimè comedant. 515.1.d
Otiosi à diabolo tentantur. 786.2 d 287.1 a
Otiositas vitanda. 551.1 c d 2 a 613.2 a
Otium omnium malorum origo, 149.1 b ejus damna & epitheta, 364.1 a mater est fornicationis. 539.2 b reddit corpus excrementosum, & animum mollem, 513.2 d ejus damna. 551.1 d 2 b quid agendum per otium ne in ejus damna. 551.1.d 2.b otium servis non permittendum, 550.2 a b in otio sapientia est comparanda, 623.1 d ejus otium negotiosum est. ibid.
ab Ovis olim inchoabatur cœna. 512.1 a
Ovis & lupi antipathia. 251.1.a etiam post mortem timet lupum, 251 2 b c ovis errans in viam non redit nisi reducatur à pastore, 319.1 a
[illegible] vox unde derivetur. 676.2 d

P

Πάχνη gelu quodvis, & speciatim pruinam significat. 691.1 a
Pachomius Theodorum ægrum quomodo sit solatus, 223.1 b
Pactum cum Deo initium non facile mutandum, 223.1 a
Pædagogi regum in Perside erant quatuor. 488.1 a
παιδεία est puerorum eruditio & castigatio. 102.1 d 232.2 c
παλαιστή est mensura quatuor digitorum, & omnium mensurarum minima, 657.2 b
Palæstina rubrum vinum habet. 765.2 b pallas cur cornici inimica sit. 176.1.c palma arbor unde dicta sit. 399.2.c ejus dotes, 2.d & seq. salem amat & salsuginem, 400.1 a hortet fimum, ibi. ramos & fructus habet digiti in morem efformatos, ibid. perpetua fronde viret, 400 1 b gaudet riguis, & anno sitienti lætior est, 400.1 d 2 a folia & fructus cacumine gestat: oneri non cedit, & contra pondus resurgit. 1.d erat victoriæ symbolum & vincentium præmium, ibid. translatu gaudet, & Solis amans est, 2 a dactylos in humum inclinat. ibid.d
Palmira urbs eadem erat quæ Thamar, 359.2 b
Palumbes symbolum sunt fidei conjugalis, 384.1.c item medicinæ. 604 1 d
in Palo discebant Romani artem jaculandi. 446.2.a
Pammachius Cons. Romanus monachum Romæ publicè professus est. 103.2 b 207.1 b
Pan quis Deus: ejus figura & descriptio: est universi symbolum. 684.2 a 698.1 a repræsentat Deum & Christum. ibid.b
Pancratiastas imitentur viri probi. 107.2 a
S.Pancratii Martyris pueri intrepida vox ad tyrannum, 370.2 a
Pandora Christianorum Deipara est, 409.1 a
Panis communis cibus hominis est. 632 2 c Hebræis totum convivium significat, 516.2 d & quemlibet cibum, 484.1 a à pascendo dicitur. ibid. panis aqua decoctus saluberrimus est cibus. ibid.1 d super panem non est cubito innitendum, 660.2 a qui id facit diversimodè peccat. ibid.b c panem à paupere auferens, aufert ei vitam. 564.2.c quinam id facere censendi sint. ibid.d panis melle mixtus valet ad ebrietatem sedandam. 521.1.a panis mellitus & ferraceus dabatur in nuptiis sponsis. 366.1.d
Panormus urbs Siciliæ unde dicta. 402.2.b
πανήγυρις & πανηγυρίς quid sint, & undè formentur, 339.2.c Πανηγυρίς tam in bonam quam malam partem accipi potest. 558.2.a 2.d
Πανόπτης, id est omnia intuens, epithetum est Dei. 383.1.a
Papæ olim vocabantur Episcopi. 703.2.a quod Papæ sit etymon. ibid. & 703.2 c & quid significet. ibid.
Papirius Prætextatus puer secreti servantissimi fuit. 377.1.a
Par suum habet unaquæque res creata. 533.2.a paria conjugia probantur. 332.1.b 2 a
Pares cum paribus conversantur. 174.1 a c
Parabola Hebræis est sententia gravis & abdita. 54.2.a 619.1 a 622 1.a 2.a non debet rem apertè ostendere, sed subobscurè significare. 54.2.d per parabolas ad turbas Christus concionabatur. 10.1.d 2.a b c in parabolis consistebat quasi omnis veterum sapientia. 619.1.b differunt à proverbiis. ibid.1.c
Paradisus locus erat sanctitatis & innocentiæ. 397.2.d metaphoricè significat omnem rem vel hortum amœnum. 415.2.b in quem paradisum Henoch sit translatus. 711 1.a b & seqq. iis est paradisus terrestris. 1.d 2.a an ille diluvio perierit. ibid.d
Παραδειγματίζω dehonestare, & admirabilem facere significat. 200.2.d
Παρακαλεῖν variam habet significationem. 307.1.b c
Παρακύπτω, quid significet. 271.1.b
Parasiti sunt amici ollares. 126.2.d 127.1.a
Parcere delinquenti, signum est magnanimi. 463.2.a
Pardus in quo sit symbolum linguæ maledicæ. 471.2.a ejus natura describitur. ibid. & seqq.
Parelius est imago Solis. 730.1.d
Parentes filiis virtutes suas afflare debent. 731.1.b 2.b
Possunt iis præcipere sub peccato, etiam mortali. 74.1.d

sunt quasi dii terrestres. 2.a variis de causis honorandi sunt à filiis. 72.1.a 74.2.c & seqq. 75.2.a b in ipsis Deus repræsentatur. 75.2.d eos honorantes benedicuntur à Deo & ab ipsis. 76.1.c d eorum preces adversus liberos plerumque Deus exaudit. 77.1.a in eorum senecta relucet Dei generatio. 77.1.d eorum contemptus vocatur blasphemia. 78.2.c quærant sibi generos prudentes potiùs, & sapientes, quàm opulentos. 157.1.a sunt item parentes animæ prolium, saltem mediatè. 157.2.c sunt amandi proximè post Deum. 158.1.d de filiis impiis, alioqui dona naturalia habentibus, non glorientur, sed doleant & erubescant. 287.2.c.d at probos & Deum timentes magni faciant. 288.1.a qui in filios indulgentiores sunt, ruinæ & dissolutionis illorum sunt causa. 365.1.a sed eos corrigant & coerceant. ibid.

Parentum suorum meminerint ii qui ad gradum altiorem evehuntur. 379.1.d alioqui vindicem sentient Deum. ibid.b 1.d

Parentes sapientes castigant filios pueros. 487.1.c.d quis inde sequatur fructus. ibid. 487.2.d 488.2.c 489.1.a d hæc ipsorum maxima debet esse cura. 488.1.a ob filios castigatos in iis laudabuntur. 488.2.d & propterea ab inimicis timebuntur. 489 1.a eorum gloria pendet ex filiis probis. ibid.b optant pro filiis & ante filios mori. 489.1.d

Plus amant filios quàm seipsos. 2.d 490.1.a eorum erga hos affectus. 491.1.a c benignè eos castigent. ibid.b turbantur eorum viscera, dum quid sinistri in iis vident vel audiunt. ibid.c non corrideant iis peccantibus. 492.1.a b sint graves simul & lenes. ibid.c filios instruant exemplo magis quàm verbo. 493.1.a quid eos docere debeant. 493.1.d non cogant filium assumere statum à quo abhorret. 600.2.a sæpè non habent filios sibi similes. 655.1.a sunt velut pictores morum quos iis imprimunt. 1.b eorum probrum transit ad filios. ibid.c parentes rerum suarum prodigi vel deliri bonorum administratione privantur. 547.2.c parentes impii sæpè per vitiatum semen suas impietates & vitia in filios transfundunt. 656.1 a.b *vide* Pater.

Παροικία significat & viciniam & exilium. 33.1.a

Parochia velut mulier bona & fortis. 434.2.d

Pars in Script. vocatur sors cuiusque. 310.1.a

Pars Dei est Israel. 304.2.c

Partes hereditatis alicui debitæ privatim, non sunt in proprios usus convertendæ. 661.2.b

Dei essentia est Participabilis ad extra. 701.1.d

Particula boni doni quæ dicatur. 265.2.a

Parturiens symbolum est stulti secretum auditum effundere gestientis. 336 2.a b

Parturientes varias patiuntur imaginationes vanas. 555.2.c

Parva non sunt negligenda. 118.1.d 2.b 231.2.b c

Parva multa iterata faciunt quid magnum. 330.1.d disponunt ad magna. ibid.2.a

Parvi sunt acres, magnanimi, ingeniosi. 210.2.a non sunt spernendi. b

Parvitas nihil demit perfectioni animæ. 211.1.d 212.1.b d

Parvuli ex Adamo peccatum originale contrahunt. 638.1.c & in eo nascuntur. 2.a

Paschasius Radbertus vetuit se post mortem laudari. 703.1.a

Passiones animi moderandæ sunt. 227,1.d eæ domitæ sunt honor animæ. 106.2.a iis obsistendum dum parvæ sunt. 331.2.d eas indicat vultus, nasus, oculi, frons. 341.2.b rationi contrariæ sunt. 432.1.a iis aguntur mulieres. ibid. 427.1.a earum domitores Deo placent, in iisque habitat. 395.1.c d dominantur Deo. 304.2 c à passionibus non est petendum consilium. 591.2.a mire animum perturbant. 639.2.c 640.1.a eas in sapientem non cadere docebant Stoici. ibid. eæ peccatores magis cruciant quàm pios. 641,1.a b

Passionis Christi dotes, symbola, fructus. 562.1.a b ejus odor quos effectus causetur. 406.2.b botro uvæ denotatur. 633.1.d

Passivæ terminationis verba Siracides usurpat pro deponentibus quæ significatione activa sunt. 462.1 a

Pastor eques Romanus dissimulavit dolorem ob mortem filii à Caio Cæsare interfecti. 244.2.c

Pastores sint pro animabus subditorum soliciti. 173.2.d subeunt damnationis periculum, dum pastoratum suscipientes se obligant ad curandam salutem subditorum. 482.1.b 483.2.b c quomodo sibi commissos curare & pascere debeant. 524.2.c d 526.1.c d eorum onus, 525.1.b ne extollantur nimis, nec nimis se deiiciant, 547.2.c d 525.1.b *vide* Episcopi, Prælati, Apostolici viri,

Pater ius habet filium vendendi in necessitate. 76.1 a non imperet ut leo, 108.2 d non ostendat vultum hilarem filiabus, 156.1 c & seqq.

Pater mortuus in filio probo post se relicto videtur adhuc superstes. 489.2 a 564.2.d misceat gravitatem lenitati, 492.1.c

Pater & filius sunt tamquam unum corpus & una persona. 490.1.b

Pater non det filio facultates ante mortem. 546.1.a 547.2.d 547.2.c 548.2.a ejus nomen in filiis revirescit, 733.1.a filiam, si possit, nuptui tradat. 665.2.d

ei probrum est hujus fornicatio. 666.2.a

Patris pro filio mori volentis exemplum. 489.1.d 2 d speciali modo pater pauperem est Deus, 487.2.b c

Deus Pater habitat in Filio per circumincessionem divinam. 394.1. d

Patres filios suos plus amant quàm se. 489.2.b 490.1 b

Patres boni etiam malos gignunt filios. 708.2.a

Patres primi quàm frugales essent. 483.2.c d non nisi aquam biberunt. 484.1.d *vide* Parentes.

Patres tam Græci quàm Latini sæpè utuntur apologis. 20.1.a 20.1.c sancti Patres multi fuere statura pusilli. 211.1.d

Patres spirituales præstantiores sunt carnalibus. 703.2.a

SS. Patres sacræ Scripturæ impensè studuerunt. 621.2.d ipsi & eorum scripta ab omnibus semper laudati sunt, 626.1.a

Patres prisci cum Christo resurgentes, cum eo in cælos ascenderunt. 710 2.a

Paternitas omnis à Deo descendit. 74.1.d 75.1.d

Patiendo Sancti assiduè Deum in vita laudant. 700.2.a

Patiens in adversis arbori comparatur in hieme emortuæ, sed in vere reviviscenti. 74.2.d 75.1.a

Patientes à Deo respiciuntur. 559.2.d dominantur animo suo. 789 1. a

Patientia optimè tentationes vincuntur. 61.1.d ipsa malorum omnium remedium est. 63.2.b est in persecutione necessaria. 69.1.a b est potentia, 71.2.a ejus tres gradus. 371.2 d

Per aspalathum repræsentatur. 404.1.c signum est veræ sanctitatis. 645.2.c similes facit Deo, 465.2 c est cos virtutis, 2.a Sp. sanctum exhilarat, 501.1.b est sepes animæ, 586.1.d ferro denotatur. 663.1.b

primi Patriarchæ fuere agricolæ. 149.2.a fuere parentes Judæorum, tam generatione quàm exemplo virtutis. 702.2.a iis in suas familias competebat ius regium. 704.2.d

Pauca bene agenda sunt. 217.1.2.d

Pauciloquentia commendatur. 108.2.a

S. Paula in tentationibus S. Scripturæ verbis se solabatur. 61.2.a 62.1. d

S. Paulinus se vendidit pro filio viduæ liberando. 564.2.a

Paulus Apostolus judæos, etsi needum Christianos dilexit. 238.2.d 239.1.a crebro Deum & Christum ex reverentia nominat. 377.2.c sui ævi sophistas multis locis perstringit. 598.1.b. totus fuit igneus. 750.2.a

S. Paulus primus eremita diu in eremo vixit. 52.2.a

Pauper eget ope divitis, & hic illius. 29.1.b non est despiciendus. 92.2.a sed modestè & placidè audiendus, 93 2.d debita ei persolvenda. 94.1.a Deo offerat pro facultatibus suis. 161 2.a ipse de labore vivens melior est nobili famelico. 205.2.d

Pauper Deum timens honoratur magis si ditescat; si Deum non timeat, inhonoratur. 207.1.a in sua sorte ne desperet. 225.1.b d se diviti amico æquans, damnum incurret. 243.2.b 244 1.a.d 244.2 d 245.a b.d nec ei se credat, vel in eo spem omnem ponat. 1.d 246.1.a quomodo ab eo seducatur. ibid.d & seqq. à nullo iuvatur. 253.1.d 2.b cur vocetur humilis. 2.d contemnitur ejus prudentia. ibid. quin & ipse ab omnibus ridetur & contemnitur. 254.1.a d missus & humilis. 420 2.b verè pauperi succurrendum est sive mutuo, sive donatione, 478.2.d 479.1.b ejus sinus est quasi altare, in quo eleemosyna quasi victima pro peccato offertur. 480.2.d 481,1 a pauper rectè valens potior est divite ægro. 493.2.c d 495.1 a sua sanitate dives est. 495.1.b nonnisi victus parandi causa laborat. 503.2.c 504.1.a cum adversus divitem Deus tuetur & vindicat. 568.2 c & ejus imprecationes exaudit. ibid.

Pauper superbus res exosa est. 420.2.c quis talis sit mysticè. ibid.d

Pauper spiritu totius mundi est dominus, 587.2 c quàm aptus sit cælestium studio. 649.1.d Deo nititur, reip. utilis est, & animo excelse. 2.a

Pauperum preces exaudit Deus. 89.1.d iis debent divites superflua sua. 91.1.a non sunt exasperandi. 92.1.a at iis benigne & mansuete respondendum est, 94.1.c sunt stipe donandi, 162.2.b sunt sapientiores divitibus, 253.2.d eorum oppressio clamat in cælum, 355.1.d iis dando, Christo datur. 372.1.b c pauperes iusti honorandi sunt. 203. pauperes, quibus benefacere vis, non sunt curiose scrutandi. 235.2.c pauperes robusti mendicantes sugillantur. 233.2.a multa crimina committunt, 429.1.c sunt cordi eleemosynæ. 480.2.a eorum pater est Christus. 564 1.d item Deus speciali modo. 783.1.c ex eorum substantia non est sacrificium offerendum. 564.1.c d in iis vivit Christus, 2.d sunt heredes regni cælestis, ibid.d repræsentant personam Christi, ibid. eos defraudans velut homicida est. 564.2.c d maledicunt se expilanti, 565.1 c à potentibus impune non læduntur. 574.1. d si infirmi alendi, non potentes, 650.1 c iis mors jucunda est. 651.1.a 2.c d

Paupertas iusta melior est iniustis opibus. 206.2.d Christiana paupertas semper dives est. 207.2.a hæc sæpe pii premuntur, cur. 119.2.d alioquin sæpè peccati pœna est. 220.1.b nō semper bona & sancta est. 254.2.b c multa adfert incommoda. 324.1. c de ea cogitandum tempore abundantiæ. ibid. 314.1.d adimit homini peccandi facultatem, non voluntatem. 349.2. a in ea non est amicus deserendus. 369.1.a

Paupertas & pietas invicem cognata sunt. 252.2.a

Paupertas spiritualis in quo sita sit. 220.1.a

Paupertatem ferre magna scientia est. 423.1. a ea sæpè causa peccatorum est. 444.1.c d

Propter eam peccantes, peccant pariter propter amorem opum. ib.d

Paupertas cum sanitate præstat opibus cum languore. 493.2.c

Paupertas spiritus potest una cum divitiis consistere. 505. 2. a c hæc species martyrii est. 507.1.a c ea potior est opibus omnibus. 684.1.b eam docuit & induxit Christus. 649.1. d paupertas & opulentia simul fuit in B. Virgine. 683.1.b

Pax Hebræis omne bonum significat. 51.1.b 707.2.a 710.1.b 658.1.d

Pax iniusta improbatur. 116.2.a

Pax est comes iustitiæ. 2. b pacis symbolum est caduceus Mercurii. ibid. b pacem animi dat sapientia divina & timor Dei. 51.1. a b pacis bona varia. 419.1.a eius amabilitas. 744.2.c

Pax Dei quomodo super faciem terræ esse dicatur. 605.1.d pace perenni fruitur sapiens. 791.1.c

Peccandi materia ubique se offert. 451.1.d per quæ quis peccat, per hæc & punitur. 633.2.a

cùm impunè Peccatur, cavendum rectori ab otio & desidia. 325.1.a peccandi licentiam aut facultatem nulli dat Deus. 286.2.c peccandi voluntas interna etiam peccatum est. 349.2.c d

Peccator unde ad peccandum reddatur animosus. 53.1.d dupliciter de peccato pœnitere debet. 115.1.b quantum sibi noceat. 123.2.d ei præterita peccata non sunt exprobranda 169.2.b imò a Deum iam conversus honorandus. 170.1.a eius bilis non est excitanda. 172.1.b c eius opes & gloriam zelare nemo debet. 183.1. bc eius felicitas citò desinet. ibid. c non placet Deo usque ad inferos 2.a non benè laudat Deum. 279.1.c 2.a b

Pro meritis à Deo punietur. 286.1.d non erit à pœna immunis ibid. 286.2.c 29.2.bc 2.a ad eius conversionem quid requiratur. 308. 1.a b 2.d iam conversus non respiciat retrò. 2.b sed bona opera continuè agat. 310.1.c ac Deum laudet. 312.1.b eius miseria, & demersio in profundum. 311.1.d 312. 1. a 2. c ad Deum redire nequit, nisi ab eo per gratiam prævenientem & illuminantem reducatur. 319.1.a omnibus est inutilis. 333.2.d est secretò corripiendus. 337.1.d & liberè. 104.1.c & durè. 366.1.d non tamen iratus. 172.1.c d citò pœniteat: 353.2. d si oderit se corripientem, ostendit se obstinatum. 355.2.a c d oditque medicinam. 356. 1.a est incapax bonæ disciplinæ. 365.2.c 366.1.a 366 1.b 366. 2.b similis est dormienti. 366.2.b item mortuo. 1.d semper pavet. 370 1. a b non tamen timet Deum. 1.c ardens affectu pravo non quiescit donec aliquod peccatum admittit. 380.2.c d se fingit à Deo non videri, sed in tenebris esse. 382. 1.a

Peccato adsciscit sibi errorem & tenebras. 220.2.c relicto bono incommutabili convertit se ad commutabile. 307.2.c an ei sit benefaciendum. 234.2.a 1.d 235.1.2 236.1.b 237.1.2 237.1.b ipse sibi nequam est, nec alteri bonus est. 234. 2. b solet esse immisericors. 235.1.a ei egenti danda est eleemosyna. 236.1.d 2.b peccator vomitum rediens, abominationi est Deo. 241. 1. b peccator humilis melior est quàm superbiens iustus. 207.2.a 208. 1. 2 pro sorte obtingit uxor nequam. 429.2.d eius sors est gehenna. 430.1.a oculos mentis avertit à Deo, cælo, gehenna. 446.1. a narrans sua peccata iustis, odio se exponit. 456. 1.a b c d meretur temerariam sponsionem facere. 483.1.c odit animam suam. 479.1.b odit & correptionem & corripientes. 533.1.a & semper se excusat aliorum exemplo. ibid d inchoatè tantùm reprobus est. 541.2. a servus est peccati. 552.2.b 553.1.d quatenus bona opera ei prosint. 565.2.d & quatenus obsint. 1. c d si à peccatis posterioribus resurgat, priora merita reviviscunt. 566.1.c

Peccatores etiam in Deo sperantes non confundentur. 66.2.c eorum secura stultitia. 112.1 b c si hic non puniantur, punientur in futuro. 141.2.a non apprehendunt sapientiam practicam. 302.2.d docere etiam possunt virtutem. 205.1.d dies eorum qui dicantur. 235.2.a b eorum vexatio qua pios vexant, brevis est & futilis. 357.1.b tunc maximè plorandi sunt cùm in peccato sunt vel moriuntur. 366.2.b 366.1.d 367.1.b satius est eos mori quàm vivere. 366.2.d sunt nequissimi. 367.1. a habent hic bona, in futuro mala. 2.b sunt à Deo maledicti, ut pii magis emineant. 544.1. b omnia eorum opera non sunt peccatum. 503.2.c eos semper punit Deus. 630.1.d 2. & seqq. eos magis cruciant ærumnæ quàm pios. 641.1.a b d cor terræ affigunt, & terrenis privantur. 641.2.d eorum breve gaudium. 642. 2. a pœna & castigatione emendantur. 719.1.c *vide* Impii.

Peccatum & delictum in Script. differunt quoad victimas. 161.1. d 444.2.c peccatum subinde capitur pro hostia pro peccato. 97.2.d

Peccatum mortale certum inferni periculum est. 86.1.a eius noxa & virulentia. 114.2. a 115.2.a 141.1.d 354.1.d 2.c est quasi serpens & basiliscus. 354.1.c item quasi leo. 2.a item gladius. ibid. c est quasi deicidum. 354.2.d eius periculum dæmon tegit specie honesti & boni. 86.1.c est causa tristitiæ. 87.2.c unum attrahit aliud. ibid. d 141.2.c 142.1.a qui eius sint fomites & illecebræ. 88.1.c igni comparatur. 89.1.a occasio eius fugienda. 86.1.a cùm est admissum, mox confitendum est. 105.2.d 106.1. a de peccato propitiatio & condonato nemo potest esse securus, cur. 112.1.d & seqq. 113. 2. d

Peccatum citò pœnitentia delendum. 114.2.a 145.1.d quare fugiendum. 1.d 146.1.a eius turpitudo. 252.1.d est gehenna peius. 366. 2.d est mysticum adulterium. 385. 2. a ipsum est summum malum. 308.1.d & summa animæ eclipsis. 314.2. a eius gradus, & enormitas. 141.2.d est velut hydra. ibid. eius plagæ septem. ibid. semper citra condignum punitur. 141.2.d 142.1.a eius delectatio brevis est. 1.a b non est iterandum. 145.2.b 147.1.c 353.2.c multas secum pœnas trahit. 257.1.b beatus, qui sibi nullius peccati est conscius. ibid. 257.2. c d id induxit mortem. 268.1. a id facit stultos. 278.2.a eius causa non est Deus. 281.2.a b id oderunt omnes Sancti. 282.1.d per ipsum oc ipsus est timor animalium erga hominem, & hominis in illa dominium. 300. 2. b quomodo id præcavendum. 322.1.c eius tres vermes. 334.2. c id negans dupliciter quasi peccat. 344.2.b omne peccatum includit apostasiam à Deo. 198.2.d omnis peccati initium est superbia. 199. 1. c d & seqq. ordinatur per se in finem & scopum proprium superbiæ. 2.c d non tamen omne peccatum est superbia. 200.1.d

Peccatum omne involuit aliquem errorem practicum. 220.2.a inducit menti caliginem, ibid. 2. d eius actus producit propensionem. 2.a qui peccatum peccato mysticè adiiciant. 353. 2. a relapsus in ipsum post pœnitentiam quam noxius. 148. 2. d eius diutina cogitatio morosam efficit delectationem. 375.2.a quod peccatum sit penè irremissibile. 281.2.c

Peccatum omne æquè peccatum est in omni temporis circumstantia. 287.2.a comparatur leoni. 451.1.b insidiatur peccatori, eumque necat. 451.1.c

Peccatum quintupliciter acceptum, hominem ad peccandum inclinat. ibid. c d & seqq.

Peccati tota vis est in aspectu activo, & passivo. 2.c id summa est stultitia. 456.1.2 est velut furia. 461.1.b est summa Dei iniuria. 248.2.a eius nequitia & enormitas. 635.2.d 632.1.a est universi perturbatio. 632.2.b c

Peccatum omne mixtam habet ignorantiam. 465.2.c d tria eius pericula. 783.1. a neminem Deus punit ob peccatum conditionatè futurum, sed absolutè commissum. 655.2.a

Peccatum originale quanta peperit mala. 433.1.a eius radix. ibid. d cur id vocetur iugum. 638 1.a id ex Adamo trahunt parvuli. 1.b eius decem pœnæ. 2.d

Peccata Dei opem avertunt. 64.2.c 231. 1. a quatenus sacrificiis expiarentur. 147.1.c pro iis satisfaciendum opere. 161.1.d pleraque superbia oriuntur. 199. 2. c omnia à Deo remitti valent. 240.1.b quare eis ea permittat. 282.1.a 282.1.b ea in die iudicii examinabuntur. 295.2. c servantur in mente Dei usque ad diem iudicii particularis vel universalis. 306.2. d hæc nullam Deo læsionem aut dolorem adferre possunt. 317.1.b

Peccata parva vitanda, ut vitentur magna. 329. 2. a quia hæc negliguntur, disponunt ad magna. 330. 2. a & seqq. ea sæpe alios ad imitationem pertrahunt. 330 2.d peccata tua occulta ne aliis denudes. 335.2.d peccata condonata sunt perpetuò ultronea pœnitētia castiganda. 113.1 b peccata subditorū, ascribenda negligentia Superiorum. 144.1.c 145.2.d Peccata propria cogitans non respiciet aliena. 147. 2. a peccata præterita nulli sunt exprobranda. 169.2.b Deum ad amaritudinem provocant. 410. 1. a ab iis qui cavere volet, B. Virginem colat. 412.1.c d iis servire gravis est servitus. 424.1.b ea ex Evæ peccato prognata sunt & pronascentur. 433.1.a quàm ea graviter punire soleat Deus. 444.1. d peccatori omne malum creant. 451.1.c offerunt se ei peccare non cogitanti. ibid. d sunt velut funes. 463.1.b sunt causa cur homo temere spondeat & calumniis proscindatur. 483.1. c per confessionem eiicienda sunt. 514.2.d eorum remedium ex ipsorum fæditatis consideratione petendum. 544. 2. d eorum fuga est nobile sacrificium. 568.1.d sunt morborum causa. 608.2.a

Pecora etiam dormiendo somniant. 641.1. a pecorum omnium genera in mari sunt. 694.2.a etiam ab hero curanda sunt. 155.2.c d

Pecuniæ origo & etymon. 158.2.a pecunia veteribus erat Iupiter. 194.1.c ei obediunt iura & æquitas. 163.2.d pecuniæ absconditæ nullus est usus. 479. 1.c d pecunia credita ostendit hominis fidem. 517.1.d

Pedes symbolum sunt motuum & gressuum. 137.1.a

Pegu-

Pegufii ortum trahunt à Judæis. 151.1.c

Pelagiani adversarii gratiæ. 284. 1. c docebant divites non posse salvari. 505.2.a

Pelecanus symbolum est sapientiæ & Christi. 96. 1. c item stoliditatis. 172.1.c quæ sit avis. 172.1.c

quomodo Christus Penetrarit ad omnes inferiores partes terræ. 417. 2. a b

Pentapolis quomodo dicatur aresfacta, quia versa in favillam. 408.1.a

Pentateuchus vocatur Liber vitæ. 412.1.a

Perambulare notat in Scriptur. principatum vel magistratum. 618. 2. a

Perdendum ut lucremur. 479.1.a b

Perditio quæ scienter & videnter fit, graviùs affligit. 504.2.a b

Perdix cicur perdicem venatur. 230.2.c eius natura: unde confertur ei dolosus hospes. 230. 2. d item superbus. ibid. capream amat. 231. 1. a dicitur a perdendo. 67. 1. c perdices Paphlagoniæ sunt bicordes. 67.1.c

Peregrinari conducit ad sapientiam practicam parandam. 623.1.a

Peregrinatio quanta adferat damna. 485. 1. d 2. d 486. 1. d c sæpè moribus nocet. 558.1.d sed reddit cautum. 559.1.a b docet frugalitatem. Peregrinatio Lot quæ vocetur. 595.1.d

Peregrini peregrè multa pati coguntur. 485.1.b d sæpè in pericula & mortem incidunt. 587.2.c d

Peregrini sumus omnes in hoc mundo. 486.2.b

S. Peregrinus Martyr ignem sine læsione superavit. 782.1.d

Perfectio in quo sita sit. 159.2.d 160. 1. a quæ eius assequendæ sit optima ratio. 117.2.a b talis est mortis memoria. 264. 2. d in ea semper progrediendum. 316.1.c d & quotidie incipiendum. 2.d eius officia. 345 2.a perfectio in virtute ostendit perfecti imperfectionem. 699 1 c sita est in continuo Dei amore & laude. 741. 1.a est bona animæ possessio. 789.2.a

Perfecti viri quæ sint signa. 27.1.d perfectus quomodo quis evadat. 270.1.a quomodo perfecti ab imperfectis in motu & gestis differant. 341. 1. c perfectus cadens melior est imperfecto ex bono opere superbiente. 669.1.c perfecti gaudent in calumniis. 436.1.c

Periandri Corinthii sententiæ morales. 23.1.d

Περίβολος in ædificiis quid significet. 770.1.d

quid Pericles amico indigna petenti responderit. 547.1.a

Periculum amans in eo peribit. 86.1.a b c

Periculum peccati mortalis amans, peccat mortaliter. 1.d 2.a

Periculum fugiens, in eo non peribit. 2 a quando in subeundum. 86. 2.d pericula mundi varia sunt. 184 2.c d in periculo Deus amandus & invocandus 249. 1. b improborum consortia periculum tum animæ, tum corporis, adferunt. 307.2.c d pericula quæ capessenda, quæ cavenda. 535.1.a in pericula ruit ebrius. 520.2 c d

Περιεργος περιεργάζομαι varia significant. 84.2.d

Perillus tauri ænei inventor, in eodem primus periit. 459.1.d

Periurium sequitur è mendacio. 299. 1. c item è jurandi consuetudine. 377.1.d

Persæ filiis utebantur uti servis. 76. 2. d per mactationem ferarum bello se assuefaciebant 155.2.d eorum reges philosophiam ethicam excolebant. 3. eos ad bellum euntes omnes arma gestare valentes sequi debebant. 386.2.b quatuor habebant pædagogos. 483. 1.a Persæ adoraverunt solem ut Deum. 670.1.c 679.1.d

Persecutiones per grandinem repræsentantur. 688.1.b

Persei cuiusdam mutuantis cautela. 478.2.a

Perseverantia coronat virtutes omnes. 138 1.a eius obtinendæ modus. 412.1.c ea per poderem repræsentatur. 450 1.d ad eam stimuli. 454.2.a & seqq. ea est in bonis operibus adhibenda. 548.2.a est nervus orationis. 575.1.b

Personarum pluralitas est in SS. Trinitate. 389.2.a eam negant Judæi. 794. earum singulis sua essentialis debetur adoratio. 392.1.d 2. a c ipsæ realiter à se invicem distinguuntur. ibid. b & sunt tres reales hypostases. ibid. unam & eamdem habent essentiam. 42.2.a in ea persona quælibet alteri inexistit. ibid. b personæ in judicio non sunt accipiendæ. 144.2.d 663.2. a personarum acceptio ingens malum est. 350.1.a

Pedes mulieris gravis comparantur columnis aureis. 443.1.c

Pessimum & optimum quid sit. 510.1.c

Pestis cum appropinquantibus affricetur. 243.1.a

Petræ inædificata domus æterna est. 443.2.a

S. Petrus peccatum negationis Christi perpetuò planxit. 113. 1. c 255.1.c libenter moneri sustinuit. 205.1.b

B. Petri de Alcantara morientis plausus. 44.2 b

B. Petrus Canisius Societ. Jesu multos inimicos dissidentes conciliavit. 124.1.a c Hussitarum in eum scomma. ibid.

S. Petrus Cælestinus in penitentiis erat initio indiscretior, at postea rigorem temperavit. 535.1.c se abdicavit. 535.1.d

S. Petrus Abbas cognomento Igneus per medios ignes transivit illæsus. 782.1.c

Petrus Martyr Vermilius docuit de Eucharistia quidquid volebat rex & magistratus. 538.2.d

Petri Telonarii visio de sua invita eleemosyna. 255.1.d ex avaro per visionem factus est liberalis: eius liberalitas erga pauperes. 516. 2.c 564.2.a b

Petulantia juvenum quomodo retundenda. 492.2.b

Phædrus libertus Augusti fabulas conscripsit. 244.1.d

Phalaris tauro æneo à suis inclusus & est crematus. 459.2.d

Pharisæorum error de cultu Dei externo, & vita interna nequam. 565. 2. c

Pharmaca à Deo sunt creata. 604.1.d 2.c 2.a nec ea vir sapiens abhorret. 1.d

Phasitigris videtur esse fluvius Phison. 413.2.c

Pherecides animi immortalitatem docuit. 4.

Pheron Ægypti rex aspectu feminæ non adulteræ visum recuperavit. 439.2.a

S. Philastrii zelus & lenitas. 719.1.d

Philippi III. Hispaniæ regis de regia dignitate sententia. 639.2.a

Philippicæ orationes Ciceronis in Antonium unde sic dictæ. 15.1.d

Philippus Macedo omnia bene gesta sua videri volebat. 143.2.a quo pacto ad modestè de se sentiendum excitaretur. 264.2.c

Philippus IV. rex tota Hispania lupas & lupanaria publica lege eiecit. 332.1.b

Philisthiim per tonitrua & fulmina sub Samuele profligati. 735.1.a b fuere perpetui Hebræorum hostes. 778.2.a sunt typus idololatrarum & Turcarum. 779.1.a

Philonis Judæi de Dei ope impetranda fiducia. 783.1.d

Philomela quamdiu cantet. vide Luscinia.

Philosophia est mortis meditatio. 651.2.d eius encomium & descriptio. 2. 3. eius definitio. 4. fuit priùs apud Hebræos, quàm apud Græcos. 5

Ethices periti olim propriè Philosophi dicebantur. 3. eorum multi spe immortalitatis violentas sibi manus intulere. 10. virtutis cultores cælo afferebant. 11. sua dogmata ab Hebræis hausere. 22.2 a ij qui non erant ethici, sophistæ dicebantur. 3. reliqui quàm Ethices fuerint studiosi. 6. 22. 2. d fuere vanæ gloriæ mancipia. 8. usi olim sunt in docendo apologis. 19. 2. b veram sapientiam nescierunt. 41.1.a 43.2.d eorum de Deo inscitia. 85.1.a sunt hæreticorum patriarchæ. 1.c eorum multi paupertatem divitiis prætulerunt. 207. 1. a

Philosophi prisci per varias provincias peregrinabantur. 559.1. a eorum sectæ omnes evanuere. 625.1.d

φιμος, quid propriè sit. 351.2.a 352.1.d

Phinees sacerdos fuit tertius in gloria ab Aarone. 725. 2. a triplex eius gloria triplicis virtutis. 2. c imitatus est zelum Moysis. ibid. b 726.2.c occidit principem tribus Simeon fornicantem & idololatrantem. ibid. etymon nominis illius. 1. b an idem sit cum Elia, & adhuc vivat. ibid. a eius zelus mirè Deo placuit. 1. d quomodo factus sit princeps Sanctorum. ibid. b in eius familias pontificatus fuit stabilis. ibid. non potuit vivere usque ad tempora Davidis. 726.2.d Phinees alius, dux Levitarum, vixit post captivitatem Babylonicam. ibid.

Phisconis regis Ægypti crudelitas. 576.1.b

Phison fluvius non est Ganges, sed alius ex confluxu Euphratis & Tigris. 413.2.a b

Phocion Atheniensis numquam risit. 435.1.a

Phocylides per gnomas sua tradidit dogmata: quando vixerit. 23.1.a eius Ethica. ibid.1.d

Phœnicia unde nomen habeat. 399.2 d

Phœnix non aliud est quàm sol. 678.1.c

φοῖνιξ tam palmam quàm phœnicem significat. 399.2.d

Phænomena aeris & nubium sæpè speciem, colorem & situm mutant. 685.2 d

Phryges necabant eum qui quodpiam agriculturæ instrumentum sustulisset. 149.1.d

Physiognomia an de internis animi affectibus & sensibus rectè judicet. 341.1.a eius artis fundamenta. ibid. phisiognomia oculorum. 438.2.d

πικρία & πικροί etiam de animi amaritudine dicuntur. 358.1.b

Pietatis decus elucet ex impietatis dedecore. 544.1.b ipsa est summa pulchritudo. 571.1.b pietas duplex est, una in Deum, altera in proximum. 708.2.c

Piger omnibus exosus est. 363.1.a b quis propriè piger dicatur. 1.d animam suam dehonestat. 207.2.a

Pigmenta metaphoricè significant unguenta & alia. 327. 2. a b

Pignus sponsor exigat ab eo pro quo spondet. 482.1. a

Pigritia hominem inutilem & noxium reddit. 363.1.a

Pileus sacerdotis Aaronici describitur. 722.1.d

cur viri Pilosi sint, non feminæ. 433.2.a

Pindari os apis mel inserens, eius suaviloquentiam præsignificavit. 111. 2. d

Pior Abbas quid egerit audiens detrahentes aliis. 472.2.b

Pilan-

Pisandri panicus metus. 570.1.a

Piscari in aqua turbida, quid sit. 233.1.a

Pisces hominis umbram fugiunt. 301.1.c conjugii fidem servant. 384.1.c amant suos foetus. 490.1.a iis abstinebant Pythagorei: piscium silentium, unde id oriatur. 661.1.c.d eorum quot sint species. 694.1.d eorum mira indoles & sagacia. ibid.c

Pittaci Mitylenæi ethica præcepta. 23.2.a

Pius V. Pontifex Romæ publica lupanaria sustulit, lupasque intra certum locum redegit. 332.2.a quid de Pontificatus onere censeret: ejus elogium. 525.1.c quid circa medicos ægrum visentes statuerit. 606.2.c

Pii ante Christum in limbum descendebant, quomodo dicerentur tunc operum mercedem in die mortis accipere. 227.2.a pii ante Deum & homines exaltantur. 351.1.d sequantur Deum. 385.2.d & seqq. aliis suam affricant probitatem. 350.2.c iis mala non occurrunt, sed impiis. 537.1.b comparantur diebus festis, cur. 540.1.b non ita ærumnis & passionibus premuntur ac impii. 641.1.a.b d qualem sapientiam à Deo nanciscantur. 701.1.a *vide* Fideles, Justi, Sancti.

Pix est symbolum superbiæ. 242.1.d

Placere nemo potest Deo & mundo. 67.1.d 2.a 68.1.b
quilibet placere Deo studeat. 69.2.d

Placidus animus signum est sanctitatis 97.2.a

Plaga dolosa quæ dicatur. 458.2.a.b plagæ sæpè docent sapere. 778.2.a quas plagas Deus in impios immittat. 635.1.b.c 2.b plagas Ægypto Moyses induxit, & etiam avertit. 642.1.b

Πλανάω idem est quod seduco, decipio. 14.2.d 281.2.b

Πλανῶμαι duo diversa significat. 558.2.d

Plangendi mortuos quis esset ritus. 367.1.d 2.a planctus moderatus mortuorum licitus est. 608.2.d & seq. 609.2.a 611.1.b

Plantæ mulieris stabiles laudantur. 443.1.c

Planus idem est quod deceptor & sycophanta. 281.1.d

Platanus unde dicta; ipsa describitur: ejus umbra gratissima. 403.2.a aquis gaudet: folia ejus arcent vespertiliones & noctuas. ibid.

per Plateas modestè incedendum. 180.2.a & seqq.

Plato quid responderit Diogeni ridenti ideas quas docebat. 83.1.d ejus dialogi omnes penè morales sunt. 5 erravit docens quandoq; licitum esse mentiri. 148.1.a in ejus pueri ore sederunt apes. 211.2.d latis erat humeris. 243.1.a numquam risit. 360.1.c censuit animum in somno divinare & sapere. 556.1.a refellitur. 1.d quid de cælo & stellis censeret. 681.1.b ei studuerunt prisci Hebræi, etiam multi SS. Patres. 621.1.d iratus servum castigare noluit. 664.2.d

Platonici censebant cælos esse animatos, stellas igneas. 297.1.d

Plebi nemo dare peccandi ansam debet. 145.1.b.d
nec eam offendere. 2.a

Πλήσσω vel πλήττω propriè percussionem & verber significat. 469.1.c

Πλημμέλεια quid sit, & unde vox formetur. 324.2.d 334.1.a

Πλημμύρα est maris inundatio. 333.2.d

Plinius damnavit medicinam. 603.1.d 604.1.a.b

quare Plorandi sint mortui. 608.2.d 609.2.a

cur Plumbo vasa testacea illinantur. 618.1.a

inter Plures non potest vera esse amicitia. 124.2.d

Plutarchus vitas Græcorum cum Romanorum comparavit. 766.2.c

Pluvia quando homines lætificet. 642.2.d
sequitur post fulgura. 587.2.b

Podagra tenui & simplici victu curatur. 514.1.b

Poderis est tunica talaris, unde ita dicta. 450.1.a
erat vestis doctorum, senatorum, & sacerdotum. ibid.
est symbolum perseverantiæ. 1.d

Poena peccati peccanti quasi ex insidiis adstat. 451.2.b poenæ decem peccati originalis. 638.2.d Poena malorum bonum est. 144.1.a
Poenæ infernalis gravitas. 141.2.d 142.1.b

Poenitens quàm esse gratus Deo debeat. 71.2.d
veri poenitentes tota vita peccata sua luxere. ibid.113.1.d
sint in poenitentia coepta constantes. 116.2.d
post acceptam peccati remissionem Deum laudent. 312.1.b
poenitenti, si in peccata relabatur, nil prodest poenitentia præterita ad gratiam & salutem. 566.1.c
poenitens publicus melior est quàm benefaciens superbus. 669.1.c

Poenitentia non bene in extremam vitam differtur. 115.1.a poenitentiæ origo, ratio, essentia. ibid. ejus duo sunt actus ibid.b ejus definitio. ibid. c d ejus vires. 71.1.d 2.a unde vox formetur, in quo consistat. 115.1.a non est procrastinanda. ibid. 353.2.d eam congruam qui agant rari sunt. 113.1.d est peccantibus tabula salutis. 307.1.a ad eam duo requiruntur, primò conversio ad Deum, & vitæ in melius mutatio. 307.2.a ejus effectus. 312.1.a omnia peccata solvit & tollit. 344.2.a etiam dolorem de peccato continet. 353.2.a nihil prodest, si sequatur relapsus. 566.1.b 2.a.b poenitentiæ veræ tria sunt necessaria. 606.2.a.b.c ea maximè in morte opus est. ibid.d non habet in inferno locum. 654.1.c

Poetæ veteres multas morales gnomas posteris tradidere. 5
Deum doctrinæ suæ inventorem asserunt. 624.1.d

Politici ut statum suum stabiliant, religionem mutant & fidem. 748.2.a imò eam contemnunt 781.2.b
cuivis vento & fortunæ se obvertunt. 115.2.d

Pollicentes multa, nihil dantes, similes sunt cypressis. 350.1.c

Poloniæ reges à Jagellone magno descendunt. 706.1.b

S. Polycarpi in Christi fide tuenda constantia. 454.1.b

Polygamia Judæis olim erat licita. 274.1.c 436.2.a

Polypi voracitas: ipse est invidorum symbolum. 260.2.c

Pompeja Plotina Trajani uxor prudens fuit. 438.2.a

Ponderum æqualitas servanda. 664.1.2.b

Πονηρία est malitia, malignitas, maleficentia. 667.2.c 668.1.c

Pontifices multi Romani dogmata Ecclesiastici citant. 21 1 c eorum nulli annos Petri attigerunt. 197.2.a multi paucis mensibus, multi paucis diebus sedi præsederunt. ibid. eorum multi præter spem & exspectationem omnium electi. 214.2.d

Pontifex Rom. quando rosam benedicat, & cur. 402.1.a potest dispensare in voto solemni castitatis. 442.1.b ejus onus quàm sit grave. 525.1.b solus Papa dici jubetur, cùm antè etiam Episcopi Papæ dicerentur. 703.2.c est vicarius & successor Christi. 723.1.a in festo Paschæ & SS. Petri & Pauli quàm solemniter celebret. 774.2.d quo ritu populum in festo Ascensionis Domini benedicat. 777.1.b

Pontifex omnis Judaicus ex Aaron descendebat. 720.2.c ejus gloria similis erat gloriæ Beatorum. 721.1.b ejus vestes dicuntur virtutis. ibid.c eæ tropologicè exponuntur. 2.c gerebat in Rationali nomina duodecim tribuum, & quare. 722.1.b.c laminam auream gerebat in fronte, & in capite cidarim. ibid.c.d debebat esse sanctus. ibid.d ipse pontificalibus indutus deitatem repræsentabat. 723.2.b ipse aliquando sacrificia per se obibat. 774.2 d hi usque ad Samuelem populum judicarunt. 724.1.d circa judicialia & cærimonialia maximè. 2.a pontificum tempore Siracidis successio. 769.1.b.c pontificum Judæorum quorumdam series. 16.1.b

Pontificatus solis Aaronis posteris fuit à Deo addictus. 723.1.a 2.a est Phinees promissus perpetuus, etsi ad tempus ad alios sit translatus. 724.2.c

Popularis auræ pericula. 145.1.c
Populi omnes per angelos reguntur. 404.1.d

in totum Populum non est peccandum, & quare. 659.2.c olim populus cum Clericis in ecclesia psalmos canebat. 742.1.a & sacerdoti succinebat, Amen. 776.1.c populus pontificis benedictionem flexis genibus excipiebat. 777.1.a 2.a

Porca in agro dicitur terra inter duos sulcos elata. 614.2.c

Porci triangulari acie hostem impetunt. 420.1.d

Porphyrio avis adulteras sua morte prodit. 384.1.d

Porphyrius fabulas conscripsit. 244.1.d

Portas duas comminiscitur Macrobius, per quas homines vita functi descendant vel ascendant. 11 porta cornea & eburnea somniorum, quam Homerus fingit, quæ sit. 480.2.d portæ tribulationum quæ vocentur. 781.2.c.d in portis olim judicia exercebantur. ibid.b

Possessio accedit viro per bonam uxorem. 508.2.d

Possibilia omnia novit Deus per notitiam essentiæ suæ. 25.1.a

Posteri impiorum non erunt durabiles. 643.1.a.b.c

S Postumius in febri non imminuit jejunia. 607.2.c

Potentatus significat regimen imperiosum & violentum. 196.1.d

Potentia juvando dandoque ostendenda est. 109.2.a
quomodo ea simul & bonitas in Deo locum habeant. 628.2.c

Potentibus non est resistendum. 206.2.b.c sunt instar fulminis. ibid.c resistendum eis est dum ad peccatum invitant. 207.2.b.c cum illis non est litigandum. 167.1.a nisi in certo casu. 168.2.a hi facilè opprimunt parvos. 167.2.d 243.2.b non est iis mutuum dandum. 173.1.a potentium amici magna in se onera suscipiunt. 243.2.c.d ideò tales cavendi. & seqq. eorum injuriæ ferendæ. 243.2.d 244.1.a graviter irascuntur. 467.1.a.b sint mansueti. 692.1.c.d quis verè potens sit. 790.1.c

Potestas omnis in Dei manu est. 190.1.a
nemo potestatem sui det aliis. 547.1.a 2.c

Potus aquæ salubris est. 484.1.d 2.a quare. ibid.c potus maximè congruit circa refectionis finem. ibid.2.c eo etiam fames levatur. ibid.d is in convivio sequitur comestionem. 511.2.d
in eo facilè exceditur. 512.1.b ejus nimietatis damna. 513.2.d

Præceptoribus discipuli semper gratias agant. 786.2.d

Præceptum unum observans, Deo dante, facilè reliqua observabit. 149.2.a omnia præcepta Ecclesiastici non obligant sub peccato. 28.1.d varia ea sunt & diversi generis. 29.1.d præcepta Dei Sanctis videntur recta, peccatoribus iniqua. 631.1.d cur præcepta dicantur testamenta, judicia, testimonia. 724.1.c
vide Lex, Mandata.

Præcipere Dei in Scripe. tantumdem est ac ordinare, disponere, dirigere. 285.2.d

Prade-

Prædestinatio supponit hominem prædestinatum esse, vel futurum in rerum natura. 158.1.d
Prædestinatio Christi, B. Virginis & Sanctorum causa fuit finalis creationis universi. 389.1.a prædestinationis signum est devotio assidua erga B. Virginem. 395. 1.d item affligi. 746. 2.d ipsa duplex est, inchoata & completa; quid utraque sit. 541.1.a prædestinatio completa ad gloriam, est justitiæ complementum. 2.d prædestinationis origo est in Deo. 542. 1.b ejus tres effectus. ibid. d Dei prædestinatio est actus gratiæ & misericordiæ divinæ. 2.a electorum prædestinatio describitur. 543. 2.a
Prædestinatus ad fidem, & gratiam & justitiam inchoat per illa suam salutem. 541. 1.a
Prædicando Sancti Deum mirè laudant. 900 2.b
qui verbum Dei Prædicare possunt, id non refugiant. 252.2.a.b
Prædicatio Evangelii est velut vox tonitrui. 689.2.b.c
Prædicatores Evangelii sunt hospites terræ. 485. 2.a prædicatores imperfecti meliores sunt iis qui sibi soli sanctè vivunt. 690.1.a prædicatores per apes repræsentantur. 213.1.b eos alens, quomodo eorum meriti particeps fiat. 234 1.d à Deo & Christo informantur ad loquendum. 277. 1.c doctrinam proferant tam ante paucos, quam multos. 358.1.c non quærant plausum, sed planctum. 365. 2.a *vide* Concionatores.
Præficæ erant mulieres lamentatrices. 367.1.d
Prægnantes gravem habent anhelitum & ructus crebros. 230.1.d crebra patiuntur fastidia, vertigines, colicas, deliquia, &c. 555.2.d
Prælatus suis præcipere potest sub peccato mortali. 72.2.d ejus summa laus est, ut præsit cum humilitate. 81.2.d Prælata sanctimonialium qualis esse debeat. 203.2.a non se præ subditis efferat. 523.1.a 2.a ne sinat se ab alio regi. 547.1.a.d 2.d simul tamen sit humilis, ibid. 2.d sit operum dux. 748. 1.a commissi sibi gregis curam gerere debet. 771.1.c sit quasi lucifer, stella, sol. 772 2.a ejus primariæ virtutes. 773.1.b 2.d Prælati in susceptione prælaturæ spondent se subditorum salutem pro virili curaturos. 482.1.c 483.2.c malos Prælatos quare Deus in Ecclesia permittat. 539.2.a Prælati soliciti sint de bono nomine. 657 1.d quatuor habere debent dotes præ reliquis sacerdotibus. 724.2.d non ambiant opes & plurima beneficia. 725.1.d 2.a *vide* Pastor, Episcopi, Pontifex.
Præmii cælestis magnitudine se extimulant Sancti ad labores adeundos. 193.1.a
animus ad tentationes Præparandus ei qui ad meliora convertitur. 58.2.d 59. 1.a
Præparatio ad orationem quæ requiratur. 323.1.d juxta præparationis modum se oranti exhibet Deus. ibid.
Præs pro debito pecuniario se sponsorem præstat. 481.2.c
Præsentia Dei in omnibus actionibus habenda est. 665.2.a & fingenda. 293 2.a variæ ejusdem praxes & modi. ibid.a.b 249. 2.a
Præsides amant veritatem, & oderunt mendacium. 159.2.a
Præsul est qui præest solicitudine. 325. 1.d
Præsumere idem est quod priùs sumere. 576.1.d
ex Præsumptione de misericordia consequenda non est peccandum. 112.1.d 2.a.d est peccatum in Spir. sanctum. 113.2.d
præsumptionis schema. 918.1.d
Præteritum conjunctivum multi usurpant pro præsenti & imperfecto 291.1.d præterita more Hebræo quamlibet temporis differentiam significant. 293 1.a de præteritis frustra quis dolet. 500. 1.d ea qualiter videat Deus. 629. 2.a
neminem ante Prævisionem peccati finalis in quo moritur, Deus reprobat. 655. 2.c
Praxaspes quia liberè Cambysem monuerat, eum offendit, & in filio multatus est. 244. 2.c
veteres non Prandabant, sed cœnabant. 512. 1.a
Πρασιαὶ sunt areolæ hortorum. 116.1.d
Praxis post doctrinæ auditionem necessaria est. 6
Precari populo bene munus est sacerdotis. 723.2.a
Preces aliorum pro quopiam fusæ non juvant, si ipse bona vita sua non cooperetur. 565 2.b.c preces parentum adversus liberos plerumque Deus exaudit. 77.1 a *vide* Oratio.
coram Presbytero anima humilianda est. 93.2.a
Pretium quare vocetur sanguis. 552.1.d
pretium mercium æquale servandum. 664.2.c
Primitiæ frugum quare offerrentur. 441.1.d
sunt hilari liberalique animo Deo dandæ. 571 1.d
primitiæ virtutum Deo sunt offerendæ. 46. 1.c
Primogenitus Dei est populus Israeliticus. 581.1.d
Princeps sit liberalis. 34. 2.c debet subditis esse melior. 143.2.a qualia ejus esse debeant verba. 186 2.a ejus proprium est judicare. 2.d hinc vocatur judex. ibid.c privatas injurias non ulciscatur. 191. 2.a.b princeps bonus regitur à Spiritu sancto. 187 2 a suam bonitatem in subditos derivat. 186.1.b remp. florentem facit. 188. 2.c qualis princeps, talis populus. 188. 1 a.d 2.a refrænet iram, & facilè ignoscat. 467.1.c alios non despiciat vel avertetur. 523. 1.d per adipem denotatur. 738.1.c.
Principes digni, fuere semper sapientes. 99.2.a cum iis conversari artis est. 171.2.a jus sibi arrogant vitæ & necis. 184.1.a eorum amicitia est fragilis. ibid.b non sunt irritandi. ibid.c cum principibus quomodo agendum sit. 184 1.c 247.2.a.d 248.1.a.b.d 2.d quibus interrogationibus, blanditiis, & vino secreta explicantur. 248. 1.d quæ dum norunt, dicentem incarcerant aut puniunt. ibid. & seqq. principes probi à Deo prosperantur & diriguntur. 191. 1.b mansueti diu regunt. 201.1.b principes non dent aures delatoribus. 472.1.d eorum virtus est beneficentia. 517.1.a quid eos maximè sequi oporteat. 534. 1.a quibus in rebus diutiùs versari debeant. videant ne quem nimis evehant 547.1.a.d non sunt expertes infortuniorum & miseriarum. 639.1 d 2.a odere mendaces & amant veraces. 659.2.b iis maximè necessaria est mansuetudo. 335.2.a eorum sævitia belli causa est. 718. 2.b quomodo se erga scelestos gerere debeant. 754. 1.c non faveant hæreticis, nec foveant hæresin. 763. 2.c *vide* Rex.
Principatus non est ambiendus. 141 1.d principatus sapientis est stabilis. 188.1.a principatus omnis à Deo derivatur. 189. 1.a.b est item in manu Dei. 190.1.a
Principatus angeli præsunt orbibus cælestibus. 296. 2.a
Principium sæpè idem est quod principatus. 111. 2.a
Privatis hominibus suadetur vitæ hilaritas. 502.1.a
Πρηνὴς quàm diversa significet, epithetum est equi. 491.1.d
Probantur justi tentationibus. 64.1.b.d
vide Adversa, Tribulatio.
cum Probis negotiandum. 132.1.a probi & improbi tres notæ. 160. 1.d probi non verentur improbos. 550.1.b seipsos & sua crebrò excutiunt. 356 1.b.c *vide* Justi, Pii, Sancti.
Problemata Ben Sira adscripta fabulosa sunt & erronea. 794
Procella est vehementior venti impetus in mari, unde dicta. 294. 2.a metaphoricè acrem vindictam significat. 225.1.b procellas omnes Deus solus pervidet. ibid.c procella dicta eo quòd percellat. 689.2.a
Proclites in conviviis erat idem qui modimperator. 522. 1.b
Proceritas nihil confert ad animos. 111. 1.d
Prodigii quod sit etymon. 718.1.c
Prodigus non parat sibi amicos, sed irrisionem. 348.1.a.b perperam sua effundit, etiam quæ non erant justè parta. ibid.c
etiam Profana sapientia addiscenda est. 621. 1.a
profanum idem aliquando est quod immundum. 746.1.d
Profectus in virtute semper inchoandus est. 316.2.c stimuli ad eum. 325.1.a.b quod sit ejus signum. 431.1.a
Professio sua cuique videri debet optima. 432.2 d
semper in sanctitate Proficere debemus. 70. 2.a
Proles quæ ab hoc patre nascitur, potest & ab alio nasci. 358.1.a *vide* Filius.
Prologus in Ecclesiasticum additus à Jesu juniore non habet auctoritatem sacræ Scripturæ. 31.1.a
Prometheus ignem hominibus inferens, moraliter est Jesus Christus. 55 2.a Promethei fabula moralizata. 624.1.d
Promissa Dei sunt inenarrabilia. 582 1.a
Promissio facta fuit priscis patriarchis de Messia, de protectione Dei, justitia, gloria, & hæc ad filios & nepotes transiit ut hæreditas. 909.2.a.b.c
Promittenda pauca, sed præstanda. 208.2.a 179.1.d 350.1.d
Prooemium Græcum in Ecclesiasticum composuit S. Athanasius, id non est in Latina Vulgata, nec est Jesu Sirach. 30. 1.d
an sit pseudepigraphum. ibid.d
Prophetandi origo est unio cum Deo. 596. 1.a
prophetare etiam docere, psallere, miracula facere, prophetiam confirmare significat. 358. 1.d 2.a 767. 1.d
Propheta dicitur efficere id quod prædicit & prænuntiat 760.1.b. est certus id eventurum quod prædicit. 765.1.d 2 d Prophetarum verba ad adventum Messiæ ordinata sunt. 579.2.c eorum finis Christus est. ibid. eorum prophetiæ sunt perscrutandæ sapienti. 622.1.d ipsi occupant potiorem Scripturæ partem: eorum alii priores, alii posteriores vocantur. 2.a fuerunt politici vel mystici Israelis parentes. 702.2.a etiam possunt esse sine fide Dei. 706.1.c eorum quatuor munia. 1.b.c eorum ossa quomodo pullulent de loco suo. 765. 2.d eorum nomen & fama perennat: Israelitas in fide Messiæ confirmarunt: quomodo se redemerint in fide virtutis. ibid.c per sua oracula etiamnum vivunt apud Christianos. ibid. d
Prophetia in Jerusalem defecit tempore excidii ejus per Nabuchodonosorem. 581. 1.a eam resuscitari orat Sirac des. ibid.d ejus donum assequendi quis sit modus. 596.1.a prophetiæ sunt divinæ. 706.1.d 2.a prophetiæ Prophetarum Judæorum solæ sunt canonicæ & divinæ. 2.c.d prophetia aliquando dicitur visio, aliquando auditio. 734. 1.d 2.a
Propositum manè faciendum Deo perfectius serviendi. 69.2.d
propositum bonæ vitæ firmiter tuendum. 369.1.d
Proprietates tres relativæ excellentissimæ sunt in tribus S. Trini-

tatis

tatis personis: 392. 2. c
Prospera mentem dissolvunt. 658.1 d 2 a 746.1 d & inflant. 506.1 c
Prosperitas omnis à Deo descendit. 190.2 d 191.1 b hæc sæpè causat grave malum. 346.1 c inducit Dei & adversitatis oblivionem. 226.2 a Protectio Dei erga Sanctos. 272.2 a 2 d
Protocanonici libri S. Scripturæ qui vocentur. 12.1 b
Proverbia Salomonis sunt liber παροιμιῶν. 21.1 a ea cedunt Ecclesiastico. ibidem b eorum ordo sæpè non est certus. 23.2 a proverbia gravia & matura sapientiam sectanti sunt in consilium adhibenda. 140.1 d proverbia vocantur non solùm adagia, sed & quælibet sententię graves. 171 2 a proverbia significantia malum plerumque recidere in auctorem. 459.2 a & seqq. proverbium idem est sæpè quod parabola. 603.2 a d 619.1 a aliquando hæc distinguuntur ab invicem. 1 c
Providentia Dei omnia creata regit, & occultissima penetrat. 269 2 a
omnium Providentiâ habet Deus, at disparem bonorum & malorum. 542.2 a b providentia Dei uti est mansueta, ita est & potens & efficax. 753.2 c
Proximo suum jus tribuendum, tam debitum justitiæ, quàm charitatis. 303.2 d quomodo in ejus dilectione tota lex contineatur. 304.1 a proximus quilibet vocatur amicus. 337.2 a proximo, quia proximus, iniuriæ condonandæ sunt. 462.1 d cum fideliter juvans, à Deo & hominibus laudabitur. 517.1 b c cum eo non est agendum, vel de eo loquendum contemptim in convivio. 466. 1 c ab eo non est vultus avertendus. 661.2 b proximi sumus. ibid.
Prudens non semper in actibus suis prosperatur. 539.2 d laborando cavet mendacitatem. 650.1 a
Prudentes etiam à servo moneri & corripi gaudent. 204.1 d 2 a 205.1 a b placent principibus. 311.1 d *vide* Sapiens.
Prudentiæ nomine vocatur apud Ecclesiast. sapientia. 38.2 a prudentia efficax quando dicatur. 55.1 d prudentia vera sine ceteris virtutibus esse nequit. 271.2 d prudentia ficta & sincera cernitur in judicio, ficta veraq; humilitate & rebus omnibus. 340.1 a prudentia principum reddit resp. florentes. 339.2 a propriè senum est. 421.2 b c 422.1 c d hinc in iis crescit, decrescentibus aliis virtutibus. 1 d consistit in frigore & timore. 533.2 a triplex est, ethica, œconomica, politica. 705.2 d prudentia hominis periti resistit cordi pravo & tristitiæ. 584.1 d
Pruina est quasi avis hiemis. 687.2 a est similis cineri colore, copia, virtute. ibid. item sali. 691.1 d pruina dicitur à perurendo. 391. 1 d 689.2 a 692.2 d quid propriè sit. 691.1 a unde generetur. b ejus commoda. ibid. 391.1.d incommoda. 691.1.c eamdem habet cum nive generationem. 1.d
Prurigo symbolum est concupiscentiæ. 386.1.d
Psalmodia sacra commendatur. 645. 1.a.b ejus usus & fructus. 742. 1 a b c
Psalmi Davidis nonnisi devotionem in Deum & amorem in proximum spirant. 738.1.b hodie in Ecclesia passim canuntur. 741.2.d eorum interpretes quantum boni præstent. 707.1.b psalmi Salomonis spurii sunt. 745. 1.a
Psalmus nonagesimus in tentationibus à multis solet legi. 64.2.d
Psalterium est compendium totius S. Scripturæ, epitome Bibliorum, & consummatio totius Theologiæ. 742. 1.b.c
ψιθυρίζω unde derivetur. 117. 2.b
ψίθυρος est occultus delator. ibid.
ψωμίζω propriè matrum est pueros cibantium. 275.2.b
Ptolemæi ipsi Ægyptum & incolas perdiderunt. 271. 2.d
Ptolemæus Evergetes quãdo Ægypto præfuerit, unde ita dictus. 32.1.d
Ptolemæus Lagi quando vita functus. 16 2.d 32.1.c ab eo omnes posteri dicti Ptolemæi. ibid. Judæos valdè afflixit 58. 1.c 576. 1.a.d 577.2.b 579.1.d 781.1.d
Ptolemæus Philadelphus Biblia Hebraica in Græcum verti curavit. 15.2.d.c 32.1.c ejus bibliotheca Alexandrina. 15.2.d quas quæstiones proposuerit LXXII. interpretibus. ibid. multa Judæorum millia libertati restituit. 32.2.b 58.1.c 577.2.b 781.2.d LXXII. Interpretes è Judæa accersiit. 625.2.d 781.2 d
Pudere nolle de pudendo magna est impudentia. 105. 2.c
pudere nos debet mali. 376.2 a
Pudibundus cavet omnia pudenda. 663.1.c
Pudor species timoris est. 402.2.a non est virtus sed passio: quid sit. 1.c est virtus cùm liberè elicitur. ibid.a frænum omnis mali est. 376.2.d duplex est, unus vanus, alter sanctus. 103.1 c.d 2 a ex nimio pudore non est peccandum. 104 1.b.c pudorem dæmon aufert peccanti, pœnitenti restituit. 106.1.a sed hic excutiendus est. ibid.b custos, index & comes est pudicitiæ. 438.1.c 440.2.d 441.1 a 442. 1.a est monile virginum & mulierum. ibid. optimè deterret à peccando 659.1.d est etiam pudor non bonus, sed vituperabilis. 658. 2.c pudoris mali tredecim species recensentur. 665.2.c & seq. pudor humanus in studio virtutis superandus. 787. 1.a
Puerorum instructio quanti sit momenti. 133. 1.b.c eorum levitates flagello cohibendæ. 375.1 d iis sensim instillanda dogmata. 275. 2 c pleni sunt concupiscentiis noxiis, ideo virga castigandi sunt. 155.2.d 487.1.d 491.2.a quis inde sequatur fructus. 487.1.a 488. 2.c 489.1.a si non castigentur, fiunt indomiti. 490.2.d 491. 1.a.b non sunt iis omnia permittenda. 492. 1.a d sunt flectendi dum teneri sunt. 491.2.a c.d quid docendi sint. 493.1.d primùm musicam docendi, & per eam bonos mores. 707.2.a pueri & puellæ Deo per martyrium, vel votum virginitatis, vel Religionem, suam pueritiam dedicantes, sunt velut virides sationes. 644.2.a à puero se exerceat qui aliqua in arte excellere cupit. 187.2.d *vide* Filius, Parentes.
Pueritia docilis & flexilis est. 133.1.a
eget seria educatione & gravi. 492. 1.a
Pulchra mundi mera vanitas & sordes. 667.1.b pulchrum appropriatur Dei Filio. 677.1.b primum pulchrum est Deus. ibid.c
Pulchritudo allicit animos & affectus. 179.2.d 180.1.a 2.b quàm hæc labilis & evanida sit. 210.1.b.c non est in conjugio multùm spectanda. 430 2.a 584.2.d quid ea sit, & quàm periculosa. 584.1.c.d 2.a est radius & splendor solis divini. 441.1.a pulchritudo tam corporis, quàm animæ stelut lucerna est in candelabro sancto. 442. 2.b pulchritudinis elogia. 676. 1.a
pulchritudo Dei. 677. 1.a.b *vide* Forma.
Pullus equinus mirabiliter metuit homines. 384.1.a
Pullus vocatur cauliculus ille tenuissimus è radice plantarum pullulans. 643.1 d
Puls erat priscorum Romanorum cibus: quid sit. 484. 1 a
citò Puniri misericordia est. 114. 1.b
Pupilla symbolum est gratiæ. 306. 1.c
Pupillorum jura judices defendant. 94. 2.d
illorum clamorem exaudit Deus. 574. 1.b d
Purgatorii ignis est verus ignis. 151.2.d ipsum in Concil. Florentino confessi sunt Græci. ibid. animæ in eo degentes sunt de salute sua certo. 218.1.c ipsum contra hæreticos adstruitur. 267.1.b 306.2.b Christus eò post mortem descendens, dedit plenũ jubileum. 417.2.b
Puritas animæ ab uno Deo provenire debet. 62.2.d puritas & pœnitentia in B. Virgine mirè fuit conjuncta. 683. 1.b
Pusillanimis parvis rebus offenditur, & facilè irascitur. 467. 1.d
Pusillanimitas quàm noceat Deum laudare volenti. 146. 1.a
myrmecoleoni comparatur. 147. 1.a
Pusillanimium descriptio. 261. 1.d
quomodo eos conservet Deus. 307.1.a b
Pythagoras quando vixerit, ethices sectator egregius fuit: ejus auctoritas. 5 ejus metempsychosis. 11 ejus ethica dogmata & gnomæ. 23.2.b.c per Syriam & Ægyptum est peregrinatus. 33. 1.c albam vestem gestavit. 139.2.a quinquennale silentium à discipulis suis exegit. 658.2.d 659.1.c
Pythagorici non edebant pisces ob silentium. 661.1.c
Pythiu Lydiæ rex quatuor filios Xerxi ad bellum euunti offerens, ob quintum sibi reservatum illius indignationem incurrit. 386 1.a
Pythonissa non evocavit Samuelem, sed hic ejus prævenit incantationem. 736.1.c & quare. ibid.

Q

QUæstiones politicæ à Ptol. Philadelpho LXXII. interpretibus sunt in mensa propositæ. 513. 2.a & seq.
Quatuor fluvii paradisi denotant Christi sapientiam. 413.1.d
item quatuor virtutes cardinales. 414. 1.d
Quemadmodum sæpè est particula admirantis, & capitur pro *quàm*. 744. 1.a
in Deo vera Quies est. 393.1.d qualem quietem optet homo post hanc vitam. 495.2.d quies nulla servis est permittenda. 550.a b
Quieti, sunt disciplinarum capaces. 657.2.d 658 1.a
in Quiete animi sita est perfectio virtutis. 96.2.b

R

RAbanus Maurus commentator Ecclesiastici moralis magis est quàm litteralis. 18. 2.d
Rabbini noverunt felicitatem nostram in Dei visione consistere. 136. 1.d eorum studium erat Scripturam exponere, integram tueri, sensus varios interpretari. 621. 2.c 622. 1.b
quomodo virorum bene meritorum meminerint. 717. 1.a
Racemator quis dicatur. 546.1.a
Radbonus Frisiæ rex maluit in gehenna cum multis, quàm in cælo cum paucis esse. 285.2 a
per Radios reflexos in nube sæpè sol videtur, etiam absens. 730.1.c.d
Radix sapientiæ quæ sit. 40.2.b.c è radice pendet arboris bonum. 51.2.d radix in plantis est quod os in animali. 397. 1.a
Rana invidi symbolũ est. 260.2 d rana calamita quali sit, est symbolum judicis auro corrupti. 351. 2.c.d ranæ Seriphiæ non coaxant ibid.
Ratio potens est, proinde ei cedendum. 168.1.a ea regere debet appetitus, sensus & passiones. 362.2.b.c est verborum statera, & oris frænum.

frenum. 475. 2.a dat homini optimum consilium. 594. 2. c d ipsa dirigat opera nostra. 597. 1.a ea cupiditates sunt refrænandæ. 600. 1.d. 647. 2.c ratio superior in homine vir est, inferior femina. 669. 1.a rationes dati & expensi optimè constare debent. 660. 2. b c

Rationale pontificis erat in medio ephod. 721. 2.b cur dicatur stola. 2.c erat vestis sacratissima. ibid. cur id diceretur λόγιον. ibid. ipsum describitur: ejus usus & finis. 722. 1.b

Reatu culpæ & pœnæ tenetur anima quæ peccavit. 464. 1.a

Rebellio semper à Deo graviter punita est. 378. 2.d 379. 1.a

Recidiva morbi, morbo est periculosior. 607. 2.a & recidiva peccati ipso peccato. 566. 2. c & seqq.

Recreatio honesta post sumptum cibum cui usui deserviat. 531. 1.a

Rectores discant mansuetudinem & humilitatem. 80. 1.b rectores qui format & docet, docet & format remp. 546. 2.a rector qualis est, tales & subditi. 547. 1.b rectoris convivii officia. 522. 1.d vide Modimperator.

Redamare Deum quàm maximè debemus. 274. 2.a

Redemptionis generis humani opus est infinitum. 71. 2.c

Regimen, etiam paucorum, difficile est. 217. 1.a

Regna transferuntur de gente in gentem. 189. 2.a idque propter iniurias & iniustitias. 192. 2.d regnum omne à Deo provenit. 189. 1.a quonam pacto in finem usque conservetur. 523. 2.a quid in regno difficillimum sit. 523. 2.c quid ipsum conservet. ib. c cur regnum Roboam discissum & divisum fuerit. 747. 1.b 2.a

Relapsus in peccatum noxius est. 148. 2. d

Religio quid sit, unde vox derivetur. 49. 1.a 137. 1.d est caput & princeps omnium virtutum moralium. 46. 1.b c est quasi anima Religiosi status. 49. 1. a b animam sancto Dei timore replet. d an animam justificet. ibid. 2. a c vera religio solùm apud Christianos invenitur, apud Ethnicos ficta est. 7. religio Christianorum est sciens, & innititur veræ Dei cognitioni. 48. 2. d religio vera regnum stabilit, falsa id evertit. 748. 2. b religio semel suscepta temerè non est mutanda. 434. 2.d Religio cujusque naturæ commoda, donum est Dei. 435. 2.a ad eam à Deo vocatus, statim obediat vocationi. 516. 1.d nec à parentibus & sæcularibus petat consilium. 593. 1. a c ipsa est domus sapientiæ. 790. 2. b Religiosi status elogium. 49. 1. c est melior coniugali. 156. 2. d cur Religiosi sint longævi. 52. 2.a ipsis à Christo promittitur in hac vita centuplum. 218. 2.a 219. 1.a vocationi suæ arcana penetrare debent. 270. 2 a Religiosi totos se dantes rebus cælestibus, velut in cælis agunt. 271. 2.a fundarunt urbes. 289. 1.a eorum emblema ex avibus sumptum. 345. 2.a Religiosus est velut adeps sacratus, totus Deo cedens. 737. 2.d sua cuique Religio videri debet optima, sibique congruentissima. 432. 2. d est velut asina Christi. 550. 1.a Religiosi habent sumpto jam cibo horam recreationis. 531. 1.a manè sua opera pietatis exercent. 532. 2.b hi maiorem sectantur perfectionem, quàm Judæi olim, etiam Sancti. 549. 1.d 2.a eorum preces quàm sint efficaces. 574. 2. a b eorum cælibatus & paupertas à Siracide non reprobantur. 587. 1.d terrena omnia à se abdicarunt. 2. a & seqq. sunt mundi domini. 2 d ita medicos adhibeant, ut spem in Deo potiùs quàm in illis reponant. 607. 2.d sæpè per diem Deum dilaudent. 627. 2.a ipsis bonæ famæ cura incumbit. 657. 2.a sua opera gratiarum actione & glorificatione Dei concludunt. 670. 2.c similes sunt Henoch. 712. 1.c Religiosi plerique de nocte ad psallendum surgunt. 624. 1.c Religiosi senes, laxantes disciplinam religiosam, sunt fatui senes. 421. 1.a

Religiositas Mahometanorum non est vera religio, sed superstitio. 48. 2.d

Reliquias generis humani ob Noe sanctitatem Deus in arca servavit. 713. 2.d 714. 1. a reliquiæ Sanctorum quomodo prophetent. 758. 2.a

S. Rembertus semper de morte meditabatur. 166. 2.c

μιμνῄσκω & μνηστεύω quid sint. 438. 2.c

S. Remigius luce cælesti designatus est Episc. Rhemensis. 680. 1. a

Remissio peccatorum opus est in se immensum. 71. 2.c

Remorsus conscientiæ sentitur admisso peccato. 447. 2.d

Repleo pro plena multaque affero, sumitur interdum. 744. 1. d repleri lege Dei quid sit. 70. 1.a

Repletionis per cibos quatuor remedia. 514. 2.c

Reprobatio completa est iniustitiæ complementum. 541. 1.c reprobatio est actus justitiæ vindicativæ. 542. 1.d reprobatio impiorum describitur. 543. 2.a ejus signum est bonis mundi affluere. 746. 2.d vide Prædestinatio.

Reprobatur nemo ante prævisa demerita & peccata. 541. 2.d

Reprobi quomodo sint à Deo maledicti. 1.d hanc maledictionem incurrunt ob peccata. 2.a & quare. 544. 1.a in Dei maledictione non nascuntur. 655. 2.a vide Impii. reprobus subinde pro improbus capitur. 181. 2.a

Repudii libellus Judæis erat licitus, matrimoniumque dissolvebat. 436. 1.a 666. 1.a

Requies servi, domini est salus & quies. 550. 2.b requiem quintuplicem habent mortui. 612. 2. a b vide Quies.

Requiesco pro quiescere facio, subinde accipitur. 393. 2. d

Reipubl. conducit pueros rectè educari & castigari. 488. 1.a ejus rectores subinde se recreent. 501. 1.a ejus bonum regimen pendet à sacerdotio & regno. 952. 1.a

Res omnis suam habet cariem. 269. 1.a re eadem utitur Deus ad liberandum pios, & castigandos impios. 631. 1.a res contrariæ universum ornant. 544. 2.d rerum omnium æquilibritas. 545. 1.c omnes essentialiter à Deo pendent. 173. 2. a b & ei obediunt & serviunt. 2. d quæque generatim suum habet par oppositum. ibid. in Dei velle nos Resignare debemus. 219. 1.a qui tentatur resignet se in Dei voluntatem. 64. 2.d

Resina quæ spontè ex arbore fluit, melior est illa quæ per incisionem elicitur. 406. 1.c

Resistendum pravis inverecundè. 104. 1.d quando resistendum principi iniquo. 107. 2. b c

Respectus Dei ditat & beat. 219. 1.a quomodo Respondendum principi interroganti. 248. 2.d 249. 1.a non respondendum antequam plenè audita sit quæstio vel interrogatio. 215. 2.d 538. 1.a quod dum fit, superbiam redolet, levitatem, imprudentiam & rusticitatem. ibid. 216. 1.c respondere commodè omnibus interrogantibus difficile est. 171. 1.a

Responsio mollis frangit iram. 467. 2.b

Responsoria cur in divinis officiis iterentur. 148. 2.c

in Resurrectione omnia corpora mortua vivificabuntur. 417. 1.d eam credebant veteres Sancti. 710. 1.b ea per Henoch designatur. 712. 1.c resurrectio Sanctorum ad vitam æternam in raptu Eliæ denotatur. 755. 1.d. 2.a

Retego idem est quod detego, aperio. 744. 1.c

Reverentia Dei est sanctitas animæ. 70. 1.d reverentia sæpè pro pudore accipitur. 456. 1.c

Revereri subinde est idem quod pudere. 744. 1.d

qualis Rex, tales subditi. 188. 1.a d 2.a rex imprudens & iniquus perdit populum suum. 188. 2.a at prudens ædificat. 188. 2. b c quomodo rex gloriosus permanere possit. 523. 2.c quid ei maximè necessarium sit. ib. quomodo multis se populis accommodet. ibid. quomodo in bello existat invictus. 727. 1.d quomodo bonam famam consequatur. 762. 2.b rex dici meretur qui animo suo dominatur. 704. 2.d rex convivii quis & quomodo apud Germanos eligatur in festo Epiphaniæ. 522. 1. a b

Reges oderunt fastum & jactantiam. 523. 1. a b timent virum sapientem, præsertim exterum, ne regnum prodat & turbet. ib. a sibi omnia volunt attribui. 1.d nolunt ab aliis doceri, aut reprehendi. ib. Deum honorent à quo regnum acceperunt. 189. 2. b d ab eo opem ad bene regendum in oratione petant. 190. 1.c in illis maximè locum habet superbia. 191. 2.a per humilitatem fiunt longævi. 202. 1.a per pietatem stabiliunt imperium. 203. 2.a eorum miseria exemplo declaratur. 215. 1.a cum iis non est diu, importunè & arroganter agendum. 247. 2. a b sed subinde. 2.d non est cum illis agendum ut cum paribus. ibid. b c 248. 1.d 2.a reges impii citò à Deo de medio tolluntur. 196. 2.a reges Chaldæi sceptrum gestabant rosa insignitum. 147. 2.a reges Hispaniæ à subditis in jus vocari possunt. 168. 2.c eos decet liberalitas. 517. 1.a ærumnis non carent. 639. 1.d 2.a ne cui nimiam sui dent potestatem. 547. 1. a d quales habere debeant consiliarios. 1.d eos decet regere, non regi. ibid. sunt Dei in terris simulacra. 677. 1.d regant suos juxta Christi legem & Evangelium. 706. 1.a suis exemplo præluceant. 2.c 707. 1.a eorum salus consistit in eo quòd habeant consiliarios sanctos politicè & sinceros, & sanctos Pontifices, concionatores & confessarios. 737. 1.a d reges pii religionem restaurare possunt si velint. 764. 1.c hæresin exstirpent. 2.a vide Principes. reges à Samuele primùm Israeli dati. 733. 2 d 724. 1.a reges exteri superarunt opibus & gloria Salomonem. 745. 2.a reges multi gloriam priorem fœda libidine deturparunt 746. 1.a reges Israel sæcularia judicabant. 724. 1.d regum Juda quidam pii, quidam impii fuerunt. 759. 1.a 764. 2.d omnes præter tres peccarunt. 764. 1.d reges in Taprobane eligebantur senes. 422. 1.b

Rhododaphne quis sit frutex, unde dictus. 407. 1. a b

ῥόδον, id est rosa, unde dicatur. 400. 2 d

Rhodus ex aquis denuo emersit. 695. 1.a

Rhomphæa tam gladium, quàm telum significat. 728. 1.d

B. Ricerius è primis S. Francisci sociis studiosè mulieres vitabat. 669. 1.d ridica est pedamentum vinearum. 369. 2.d

ubi Rigor, ibi vigor disciplinæ. 331. 1.d

Risus Sardonius quis sit. 125. 2.a risus index est animi affectionum & passionum, 341. 2.d risus modicus & modestus, vel effusus signum sapientis aut insipientis. 359. 2.c rixis populi nemo se immisceat. 145. 2.a rixa semper declinanda. 173. 1.a multorum malorum est causa. 466. 1.c paritpugnam. 467. 2.a Rober. Bellar. Card. pusillus erat statura, sed bene auritus. 511. 2.d

Rober.

Robertus Stephanus typographus in Vatabl. iniurius fuit. 19.1.a

Roboam postea factus est contemptor veræ religionis. 748.1.a an fuerit cerebro imminutus, quo anno à Salomone genitus. ibid.b potissima regni parte excidit. 747.2.a ejus stultitia. 748.1.2.b c fuit morribus corruptissimis, mortuus est impœnitens. ibid.c

quale Robur & virtutem homo jam conditus, à Deo acceperit. 300.1.a & seqq. *vide* Fortitudo.

Romani studiosi fuerunt Ethices, & politices. 3. Romani primi fuere agricolæ. 149.2.a filios suos mittebant ad domos senum gravium & nobilium. 140.2.c quomodo iaculandi artem discerent. 446.2.a mensæ accumbebant coronati. 525.2.b.c colentes deos omnium gentium, non coluere Deum Hebræorum. 560 2.a b cultum deorum cordi imprimis habebant. 571.2.a diu medicis caruere. 604.1.a Romanæ matronæ vinum non bibebant. 439.1.d

S. Romualdus longævus fuit. 52.2.a

Romulus à deorum cultu temp. ordinare cœpit. 571.2.a

ῥοπὴ devergentiam significat & momentum lancis. 53.1.c

Ros symbolum est lenitatis verborum. 319.2.d ex rore nascuntur margaritæ. 320.1.a ros quod habeat etymon. 689.2.a quæ ejus commoda. ibid. 693.2.d 693.1.a

Rosæ elogia & encomia. 400.2.d symbolum est sapientiæ, martyrii, virginitatis. ibid. item puritatis & charitatis, 772.2.d fuit est symbolum humanæ imbecillitatis, quia citò elanguescit. 2.a b 402.2.b item boni malis undique circumsepti. 401.1.c an primitus spinis caruerit. ibid.d 402.1.c rosæ Ierichuntinæ descriptio. 401.2.a b item rosæ Chinensis. ibid.c d rosa typus est B.Virginis. 402.1.a c d est purpura veris. 772.1.c citò marcescit. 147.2.a

B. Rosaliæ elogium: Siciliam peste liberat: ejus corporis inventio: ejus nobilitas: aulam despexit, abiit in solitudinem: pia ejus exercitia: ab angelis edocetur & sepelitur. 402.2.a & seqq.

Rosarii lectione salutatur B.Virgo, quæ rosa cælestis est. 402.1.d id componitur è rosis Salutationis angelicæ. 627.1.a

Rubigo invidiæ symbolum. 238.1.a 1.d

Rumores occulti cur dicantur susurri: 117.2.a

Rusticitas sermonis audientem offendit. 379.1.b

Rusticus probus sapientior est Aristotele est. 539.2.a

P. Rutilius amico indigna petenti quid responderit. 547.1.a

S

SAbbas Abbas leonem loco cedere jussit, & ille paruit. 429.1.a 738.2.d

Sacerdos Eucharistiam ministrare debet occulto peccatori, etsi aliunde ejus crimen secretò norit. 457.1.a est internuntius inter Deum & populum. 720.2.a sit orationi deditus. 773.1.c septem ejus virtutes. 774.1.a populo benedicens simul benedicit Deum. 776.2.c 777.1.a sacerdos scelestus nihil derogat vi Sacramentorum. 555.1.d Sacerdotes honorandi. 161.1.a eorum dignitas. 158.2.b c sacerdotes mystici qui dicantur. 98.1.d 2.a Deum orent pro ægri salute. 667.1.d eorum dignitas. 707.2.c 723.2.c cur vocentur sancti. 721. 1. d sint vita sancti ibid eorum vita qualis esse debeat. 2.d quatuor iis sunt necessaria. 722.1.c eorum est jugiter Deum laudare. 723.2.a non sectentur opes, & plura sacerdotia. 725.1.a panem in corpus Christi convertentes, per Eliam denotantur. 752.1.b sint moribus & virtutibus decori. 774.1.d Sacerdotes veri pauci inveniuntur. 769.2.d sacerdotes Judaici quo ritu benedicerent populum. 583.1.c 776.2.d 777.1.a d eorum ingens proventus. 725. 1. b c erant velut os Dei, qui sacrificia ederent & biberent. ibid.c non habebant portionem in terra Chanaan, & quare. ibid.d

Sacerdotium regno est præstantius. 158.2.b c sacerdotium Aaronis quomodo dicatur æternum. 720.2.d

quoties Sacramentum aliquod confertur, Deus immediatè recipienti illud effundit gratiam. 303.1.d

cur Sacramenta ab immundo sacerdote confecta & applicata suscipientem & pœnitentem mundent. 555. 1. d sunt animæ pharmaca. 605.2.a.b c vim habent ex opere operato. 724 1.b

Sacrificandum est pro defunctis. 609.2.a

Sacrificium pacificum qua de causa offeretur. 561.1.c quod dicatur sacrificium sanctificationis. 2.d erat quasi epulum Dei vel idoli. 496.2.c 607.1.a 725.1.c oblatum ex re iniqua vel injustè parta Deo displicet. 562.2.a 565.1.c sacrificium ex rapina pauperum quinque crimina habet. 564.1.a sacrificium justi mirè placet Deo. 571.1.c sacrificium pacificum quod esset. 568. 1.b sacrificium Eucharistiæ est realis Dei laus summa. 700.1.d sacrificium juge erant duo agni in holocaustum oblati. 723.2.b quare sacrificium dicatur græcè λειτουργία. 723.2.d sacrificium triplex in eleemosyna includitur. 721.1.a

Sacrificia vetera Iudæorum quatenus ab Eucharistico different quoad expiationem peccatorum. 147.1.b ea erant triplicia. 161.2. d 568.1.a ea facienda erant propter mandatum Domini, quid iis intenderetur. 569.2.a b habebant vim ex opere operantis, novæ legis ex opere operato. 563.2.a 569.2.b 724.1.b quare ea offerentur Deo. 1.a cur Sacrorum cultus dicatur ornatus. 776.2.a

unde norit Deus Sæculorum mutationes, & revolutiones. 672.1.a sæcula omnia habuere semper aliquos illustres viros. 702.1.b 703 1.c seculum sanctum idem est quod beatum. 310.1.a ipsum describitur. ibid.c

Sagæ quomodo ægros sanent. 603.2.d feminæ senes fiunt sagæ variis de causis. 666.1.d

Sal cum igne non convenit. 169.2.a sterilitatem causat, quia terram exurit. 630 2.d quatenus ad vitam hominis necessarius. 632.1.b exstimulat ad venerem. ibid. cur vocetur divinus: est condimentum condimentorum. ibid.c salis etymon & usus: est symbolum sapientiæ: omni victimæ adhibebatur. ibi. d est cordi vitalis. 2.a idem adhibetur in aqua lustrali ibi.b est symbolum discretionis. 633.1.c ei pruina confertur. 691.1.d miram habet naturam vix ulli alteri similem. ibid. fit ex aqua salsa. 691.2.a sale quomodo versa condienda sint. 474.1.d

Salacia dicta est à sale. 633.1.a salacitas mulierum. 439.1.d 2.b 440.1.a b quæ ejus causa. 1.b

Salomon rex an auctor Ecclesiastici. 14.2.a cur is ei tribuatur. 15 1.c & seqq. plurima scripsit quæ non sunt edita. ibid.d an vetus Testamentum syriacè verti jusserit. 18.1.a sola Ethica præcepta posteris tradidit. 5. idque per breves gnomas. 22.2.a gaudet apologis. 20.1.d præ Christo fuit insipiens. 413.1.b bonam juventutem senex maculavit. 548. 1. a 746.1.a pontificatum restituit posteris Phinees. 726.1.d regnavit in pace, & latè imperium propagavit. 743.1.c 2.a 744.2.b unde dictus sit. 743.2.b ei nomen jussu Dei inditum fuit. ibid. d fuit sapiens. 1.d idque penè à puero. 744. 1. a quanta ei fuerit sapientia à Deo indita. ibid.b 785 2.a secreta naturæ & rerum proprietates occultas, eas maximè quæ sub terra latent, aperuit. 744.1. d 2.c ob parabolas factus est celebris. 1. c d 2.c longè lateque nomen ejus divulgatum est. 2.a pacem habuit cum vicinis, ideoque suis fuit carus. 2.c an composuerit quosdam psalmos. ibi. ejus gloria & simul humilitas. 745.1 b fuit Christi typus. ibid. c eius opes. 745.2.a ejus libidines & concubitus. ibid.d & seq. quatenus hæ in eo fuerint peccata venialia quatenus mortalia. 2 d quomodo semen suum profanarit. 746 2.a an filios Molocho immolarit. ibid. causa fuit ut idololatria in Israele grassaretur. ib. e an sit salvatus. ib. ejus salus est dubia, & cur. 747 1.b c ejus ignominia post mortem. ibid. eius peccata fuere causa ut regnum Israel divideretur. 1.d fuit punitus in filio Roboamo. 748 1.a quo ætatis anno eum genuerit. ibid.b c quando fecerit iudicium in causa meretricum. ibid. academiam erexit in arce Sionis. 790.2.a

Saltatrices illecebrosæ sunt. 179 1.b

Salus animæ pudore potior est. 102 2.a

ad Salutem requiritur gratia ut domina, & voluntas quasi famula gratiæ obsequens. 426 1.a b

Salutandi amici sunt. 372.2.a b d salutantes sunt resalutandi. 377. 1.d imò primò salutandum. 2.a b

Salutationes angelicæ sunt velut rosæ mysticæ. 661 1.a

Salutator antelucanus importunus est. ibid 1.a

Samaritæ cum Deo vero idola colebant. 67 2.c d 68 1.a habebant templum in monte Garizim. ibi. quare essent Israelitis infesti: quare dicantur non esse digni gentis nomine. 778. 2. b non erant oriundi ex Iacob: cur stulti vocentur. ibid.c unde eorum à Iudæis schisma habuerit ortum. ibid. sunt typus hæreticorum. 779.1.a Samson à pueritia destinatus vindex populi. 48.2.a an sit salvatus. 747.1.b

Samuel Iudicum Israel fuit ultimus: fuit à Deo dilectus à puero. 733.2.a unde nomen *Samuel* deducatur. ibid. b. c fuit velut Deus terrenus Israelis, & Christi typus. ibid.c est à Deo impetratus & datus. ibid.d

Propheta in eo resuscitata est. ibid. regiam potestatem in Israel instituit. 2.d reges Saul & David unxit & consecravit. ibid. c populum sanctè & integrè rexit. 734 1.a munus propheticum fideliter obivit, nullius odium veritus. 1 c d fuit in verbis suis fidelis. ibid d 2.a fuit à Deo luce divina illustratus ibid.d vidit angelum Dei vicarium. ibid.d fuit invictus debellator hostium, & populi propugnator, 2.b nullum à quoquam in judicando munus accepit. 735.1 d etiam post mortem prophetavit. 2.c an jam mortuus verè Sauli apparuerit. 2.d & seqq. quid Sauli & Israeli prænunciet. 736.1.a prævenit pythonissæ incantationem. 1.c varia ejus elogia: Nazaræus fuit. ibid.d quanti apud Deum esset meriti. 2.a Sanaballat construxit templum in monte Garizim, & quare 778 2.c d sanctificare subinde idem est quod separare à profano, & dicare Deo. 541.2.a & seq. & idem quod consecrare 571.2.c sanctificatur Deus propriè in Sanctis. 578.2.a ipse sanctificavit sæpe sibi aliquos ex reliqua turba. 541 1.c d sanctis Pagnini

HebræoChristiani versio in quo reprehensionem mereatur. 19.1.b

Sanctitas est flos religionis, quod ejus munus, quamque id munus amplum sit. 49.1.a ejus duo sunt partus, oratio & devotio. ibid. b est sita in unione cum Deo. 62.2.d & in pace animi. 97.2.b in ea semper nos proficere oportet. 70.1.a quæ sit via ad eam. 217.2.b ejus quanta sit dignitas & pretium apud Deum. 286.2.a sanctitas doctorum patet in sancta vita discipulorum. 228.2.c sanctitas & sapientia inter se cohærent. 98.1.a eam per B. Virginem nos accipere voluit Christus. 388.2.d sanctitas appetitum totaliter quietat. 410.1.a est perfectissima puritas. 441.2.a quibus in rebus sita sit. 442.2.d animum corroborat. 443.2.a cur vocetur sapientia. 444.2.a est causa lætitiæ. 599.1.d est mera Dei gratia. 582.2.b solet bonum consilium suggere. 595.1.d.2.a consistit in unione cum Deo per affectum. 730.2.d item in puritate animi aliena ab omni labe peccati. ibi. sanctitas iustitiæ, & corporis, & rerum inter se differunt. 493.2.d ea cum sanitate retineri potest. 494.1.a sanctitas vera est immutabilis. 454.1.d sanctitas offerentis victimam Deo acceptam reddit. 570.2.a 571.2.c sanctis in Deo quid sit. 730.2.c ea inter omnia ejus attributa est colenda & adoranda. 742.2.a

Sanctus unus æquivalet, imò pluris valet quàm mille impii. 288.1.c 2.a etiam pro fideli accipitur. 440.2.d item pro casto. 1.d 2.a sanctus unus totam familiam sanctificat. 442.2.a sanctus in peccatum prolabens res miseranda est. 444.1.b c sanctum facit virtus, non miracula. 702.2.a sancta somniare signum est sanctitatis. 556.2.a

Sancti aliquos Dei motus sentiunt, quos sæpè non comprehendunt. 49.2.b sunt filii *Sapientiæ divinæ*. 43.1.c in morte jubilant. 54.1.d eorum nonnulli habuerunt timorem Dei ab utero. 47.2.d 48.1.a diriguntur à Spiritu sancto. 51.2.d & quidem à pueritia plurimi. 48.1.d eorum scientia & prudentia. 51.2.d quomodo in Dei oculis & cum Deo ambulasse dicantur. 57.1.b cur tententur. 59.1.a 60.1.b 2.d probantur adversis. 60.1.b 2.d 61.1.d 64.1.b 100.2.b 191.1.a b 156.2.b tentationibus non cedant, sed obdurentur. 62.2.b in die judicii iudicabunt gentes. 99.2.a cum metu & tremore salutem suam operentur. 113.1.b 2.a semper sibi ob oculos ponant iram & misericordiam Dei. 114.1.d eum assiduè laudant. 280.1.a tam parva, quàm magna curant. 318.2.d etiam mites sunt erga pecora. 155.1.d quomodo perfecti fiant. 160.1.c assiduè novissima cogitant. 165.1.a eorum memoria æterna est & cum honore. 202.1.a 203.1.c magis honorati fuere, quàm reges. 203.1.c sæpè per eleemosynas suas redimunt scelerum patrationem. 236.2.b.c aulas declinarunt. 247.2.b c lupos cicurarunt. 251.2.a Deum quodammodo venantur. 270.2.a habent in operibus rectam intentionem. 272.2.d à regibus, & principibus coluntur. 277.1.a c peccatum summè execrantur. 282.1.a eorum vitas imitari nos oportet. 310.1.d ipsi assiduè cum Deo & angelis versantur. 2.c dominantur Deo per passionum victoriam. 304.2.c sunt mirum Dei opus. 316.1.a eorum vita quasi oratio fuit. 322.2.b turbas fugerunt. 327.2.a sunt in loquendo amabiles & affabiles. 347.1.d 2.a crebrò redeunt ad cor. 355.1 eorum constantia & stabilitas. 369.1.c 452.1.2.b eorum irreverens nominatio interdicitur. 577.2.a.2.b c

Sunt causa finalis universi. 389.1.a sunt velut cedri. 398.2.d & velut palmæ. 400.1.2 & seqq. sunt trames fluvii divini. 415.2.a quatenus gaudere possint de ruina impiorum & infidelium. 423.2.b c gaudent de vitiorum oppressione. ibid.d per plurimos annos sine peccato manere possunt. ibid.d Soli sunt similes. 453.1.d 454.1.d 455.1.a 680.1.a eorum fides etiam animalibus venerationi est. 482.2.a magis vacant internæ virtuti, quàm externæ austeritati. 494.1.a quomodo iis non occurrant mala. 536.2.a 537.1.d similes sunt diebus festis. 540.1.b eorum preces mirè sunt efficaces. 574.2.a.b analogicè coæquantur Christo. 581.2.b sunt creaturæ Dei. 582.2.c ab iis petenda sunt consilia. 593.1.b 594.1.d sunt in anima sua & proximorum fabri virtutum. 616.1.b in omnibus Deum consulunt. 625.1.b in Scriptura vocantur cæli. 649.1.a quia mortem assiduè cogitant, ideò eam non timent. 651.1.d 652.2.b sed optant. 654.1.c post mortem sæpè apud homines sunt in gloria, at semper apud Deum. 657.2.c sunt creati ut enarrent mirabilia Dei. 671.2.c ex minimis rebus inspectis mente ad Deum ascendunt. 673.2.a stellis comparantur. 684.2.b eorum patientia. 885.1.c d eorum correptiones per grandinem designantur. 688.1.c Deum mente & voce in terra deprædicant. 699.2.c opere tripliciter eum laudant. 701.2.a suis illustribus factis aliis prælucent. 701.1.c.d fugerunt laudem humanam in vita & post mortem. 702.2.d & seqq. eorum exempla inspicienda & imitanda sunt. 703.1.c.d eorum gloria est gloria Dei. 704.1.a eorum agones sunt à Latinis per martyrologia, à Græcis per menalogia celebrati. ibid.b eorum canonizatio quo ritu fiat. ibid. c. d eorum festa celebrat Ecclesia jam ab olim. 1.d sunt in senio vegeti. 732.2.a eorum ossa quomodo pullulent, per ea fideles magna beneficia impetrant. 733.1.c eorum fortia desideria sunt velut tonitrua. 725.1.b sunt colendi dulia. 742.2.a non in se, sed in Domino gloriantur. 732.2.a in quo sint fortunati. 1.d eorum fama è pluribus virtutibus componitur. 761.1.c.d Deum incarnatum semper sibi præsentem fingunt. 762.1.a eos Deus sua luce illuminat. 779.2.b quomodo eum orent & adorent. 780.1.c dum periculis eripiuntur, Deo gratias agunt. 780.2.d 781.1.a Sancti ferventes parvo labore multum meriti accumulant. 511.2.a omnia sua agebant ut angeli. 549.1.a Sanctorum alii sunt eminentes, alii communes. 740.2.c Sancti innocentes & obedientes luserunt cum leonibus. 738.2.b d Sancti prisci mortui sunt in pace. 709.2.d & seqq. exspectant resurrectionem. 710.1.b

Sancti plurimi fuere sapientes conjectores & simul Prophetæ. 595.2.d 596.1.b

Sancti quidam post mortem veritatem occultam detexerunt. 758.2.a cur nonnulli stillent oleum. 774.1.a *vide* Iusti, Pii.

Sanguis metonymicè capitur pro concupiscentia. 182.2.a mater Sanitatis est sapientia. 51.1.a ejus tuendæ servandæque ratio. 321.1.c ipsa est in sanitate Deo accepta ferenda. 321.2.d eius defectus causa est in sanitatis. 322.1.b quomodo servus comparetur sanguine. 552.1.c d

Sanitas tam corporis quàm animæ præstat opibus. 493.2.d 495.1.a variè illa à variis læditur. 494.2.c quando præstet sanctitati. 2.d quantum sit bonum ibid. si cum sanitate immortalitatis conferatur, potiùs est morbus, ibid. 495.1.a ejus tuendæ ratio. 494.2.a quæ eam lædant. ibid. ejus mater est cibi & potus moderatio. 513.2.d 514.1.a b à Deo provenit. 605.1.b c illam tamen homo negligere non debet. 605.2.c d

Sapiens sit oportet, qui honores ambit. 143.1.b c sapiens fortunæ se accommodat. 63.2.a mavult privatam quàm publicam vitam agere. 99.1.d ei non convenit cum insulso. 169.2.a sapiens, etiamsi servus, dignus est qui alios regat. 204.1.d etiamsi serviat, liber est. 2.a b d 109.1.a 205.1.a libenter & facilè admittit monitiones. 165.1.b fit in sapientia sua humilis. 246.2.d ab ea cibatur. 275.2.c firmatur. 276.2.a creatur doctor. 1.d eam habet ut uxorem. 277.2.d adimpletur spiritu sapientiæ. 2.a accipit ab illa stolam gloriæ. 2.a est princeps sui æquè ac mundi. ibid.b ejus symbolum sunt grues. 326.2.a b tardè sua secreta eloquitur. 336.2.c in loquendo gratiosus est. 347.1.d modicè ridet. 359.2.c in loquendo modestus est. 356.2.a & opportunus. 358.1.d 359.1.c est quasi fons sapientiæ. 358.1.c 658.2.a & amans sapientiæ. 358.2.c sapienti consonat. ibid.d eius verba delectant audientem. 2.d sua curat non aliena. 360.2.d verba sua antequam proferat, librat statera prudentiæ. 361.1.a c habet os in corde, stultus cor in ore, ibid.d & seqq. eius eloquentia qualis sit. 361.2.b c prudenter novit tacere tacenda. 2.a est velut homo interior. 1.c Deum, non diabolum habet in ore. 362.1.b est verecundus & reverens. 360.1.d domum alienam rarò ingreditur, ibid.d & fores pulsando, exspectant ante ostium. 360.2.a rerum alienarum incurius est, idid.d solidum dat consilium, quia ipse firmus & inconcussus est. 369.1.a 1.c 2.b est impavidus, 2.c 370.1.d nihil agit impræmeditatò. 1.a nihil timet nisi Deum. 1.d sale sapientiæ sua facta & dicta respergit. 400.1.a Si fit contemptus res deploranda est. 444.1.b semper sancta loquitur. 452.1.a

Soli confertur. 453.1.d nihil aggreditur sine consilio. 533.1.d nonnisi vera, solida, & sancta verba credit. 584.1.a b & se & alios docet. 597.2.d sapiens vocatur in Ecclesiastico ethicus, politicus, œconomicus. 29.1.d 621.1.b studeat S. Scripturæ. 2.a discat, indaget, intelligat priscorum parabolas. 613.2.a alios sapientes audiat. 1.d & ubi. 622.2.c per varios gentes peregrinetur. 623.1.a orationem sapientiam paret. 623.2.a d Dei mandata ad praxin redigit. 625.1.b laudatur ab omnibus. 2.a ejus memoria etiam perennis est. ibid. eius fama etiam usque ad infideles se extendit. 625.2.d 626.1.b ab omnibus passionibus est obnoxius, sed eas ratione regit. 640.2.a quomodo gaudeat. 683.2.a omne rerum decus & pretium in se complectitur 773.2.a in perenni est pace & gaudio, ac spe beatitudinis. 791.1.d 2.a Sapientes sunt Dei filii. 35.2.d in dubiis, sunt consulendi 175.a d 594.1.d soli deberent regere. 99.2.a eorum opera sunt stabilia & perpetua. 100.1.b sunt sapientia hereditas. 2.a semper à Deo dirigi postulant. 190.1.c sapientes in quo à Sophistis differant. 277.2.a 598.2.a 599.1.a b sæpè stultos habent filios. 493.1.c sunt tractandi ut sapientiam suam alicui affricent. 594.2.a memoria eorum est perpetua. 599.2.b 600.2.a iis est honor deferendus. 603.1.b eorum honor est solidus: sunt instar piperis. 598.2.d sibi sapiunt & aliis sua sapientia prosunt. 599.1.b ab omnibus laudantur. 599.1.a cum iis versari utile est. 681.1.d docent quæ didicerunt. 790.1.a c d

Sapientes prisci homines à vitiis ad virtutes traducere scribendo conati sunt. 5. sua dogmata tradebant per symbola & emblemata. 135.2.b eorum dotes propriæ cuique. 621.2.a

Sapientia dicitur à sapore, quasi sapida scientia. 134.2.d à

Deo

Deo homini primùm creato est indita. 1. sed diaboli opera in homine offuscatur. ibid. cur homini nunc magis necessaria quàm antè. ibid. ejus setuplex encomium: ejus origo & antiquitas. 2. ejus præstantia. 3. 4. 136. 1.d. ejus amplitudo & regimen. 4. ejus doctores & discipuli. ibid. in Ecclesiastico & Proverbiis accipitur maximè pro practica Ethica Sanctorum. 28.2 a hinc variis ibidem nominibus appellatur. ibid. b.38.2.a 52.2.d. 103.1.b.358. 1.c novem elogia ejus. 33.2.d

Sapientia Dei duplex est, essentialis & personalis. 34.1.c 1.b increata personalis est Christus qua Deus, qua homo, incarnata. 388. 1.b aprodiit ex ore Altissimi ab æterno. 429.1.c. d quomodo sapientia notionalis primogenita sit ante omnem creaturam. 2.c.est causa lucis, & ipsa lux. 390.2.a quomodo terram ut nebula operiat. 391.1.a & seqq. ejus dotes & elogia varia. 390.2.d ejus officium & legatio in terras ad homines erudiendos. 1. d Deo & intima & familiaris est. 394.1.b est conceptus mentis divinæ. 395.1.a misit radices in Israel. ibid. ab æterno ante omnia secula creata est. 1.d.2.a ipsa est divina & Deus. ibid. b est omnis vicissitudinis expers. ibid. est principium quadrupliciter ibidem c est sacerdos Dei. 396. 1. b in Sion firmiter requievit. 1. c d cur arboribus præstantissimis se comparet. 398. 1. b cur cedro. ibidem c & seqq. est ipsa velut flumen. 414. 2. d manat à Patre, eique per omnia par est. 265. 1.a omnis sapientia à Dei manat sapientia. ibid. 2. b.35.2. d Dei sapientia à nemine potest comprehendi. 36.1. c quomodo sit ab æterno sapientia increata, tam essentialis quàm notionalis vel genita. 37. 1.c 38. 2. a quomodo utraque dicatur creata. 37. 2. a b c omnis actus sapientiæ in ipsa est substantialis. ibid. a sapientia est Dei possessio. 2. d 38. 1.a sapientia creata quomodo fuerit creata prius ab ævo. ibid. ejus creatio ab æterno à Deo fuit prædestinata. ibid. b sapientiæ objecta & dictamina quæ sint. 34. 2. d ea ab æterno fuere elicita, & dictata à mente Dei, ac decreta ut in tempore creaturis communicarentur. 38. 1. a ipsa est idea & exemplar, & architecta omnium rerum creandarum. ibid. comparatur aquæ, flumini, mari. 39. 1. b ejus fons est verbum Dei. ibid. 39. 2. c & hic habet in Deo certum objectorum ordinem. ibid. sapientiæ ingressus sunt mandata æterna. 40. 1. c & seqq. ejus radicem nemo hominum aut angelorum planè cognoscit. 40.2.c a solo Deo potest comprehendi. 41. 2. a c vide Deus, Jesus.

Sapientia creata multiplex est. 34. 2. a & seqq. sapientia angelorum & hominum in quo differat à sapientia, quæ Deus est. ibid. c sapientia practica quid sit, ejusque usus. 2. c practica sapientia in Deo duplex est, physica & moralis. ibid. d sapientia creata est in Spiritu sancto. 35. 2. c 42. 2. a sapientia essentialis non est à Deo producta, nec genita. 41. 1. a à solo Deo noscitur, perspicitur, dinumeratur. 42. 2. d eam Deus in tempore angelis & hominibus communicavit, quin & cælus, elementis, plantis & reliquis creaturis indidit. 43. 1. a b sapientia sita est in amore. & timore Dei. 2. d ejus visio & image corporea. 45. 2. b sapientiæ initium est timor Domini. d & seqq. 46. 2. d fideles & cultores suos assiduè fovet. 48. 1. c d ejus fidelitas & fortitudo. 48. 2. a est valut sacerdos Dei. ibidem b sapientiæ vera est timor Dei. ibid. c affert timentibus Deum plenitudinem gratiarum. 50. 1. a qui ejus sint fructus. 3. 4. 50. 1. a 133. 2. c d 138. 1. b c. corona sapientiæ est timor Domini. 50. 2. b c 51. 2 a ipsa est mater sanitatis. ibid. dat suis scientiam, & intellectum prudentiæ. 2. c d quoque facit gloriosos. ibidem. qui ejus thesauri spiritales sint. 52. 2. c vera sapientia sita in lege Dei ejusque custodia. 54. 2. d 55. 1. a sapientia, timor Dei, observatio mandatorum, valdè inter se connexa sunt. ibid. c 2. b d quem inter se ordinem habeant. 55. 1. b hæc sæpè pro eodem sumuntur. 2. a tria ad sapientiam requiruntur, cor avidum, auris docilis, manus operans. 88. 2. a ejus officia & beneficia varia. 95. 2. d vitam gratiæ & gloriæ suis clientibus inspirat, hinc similis est pelecano. 96. 1. a b doctrinam vitalem & vivificam aspirat. ibid. c est suprema & prima vita. 96. 2. c via est ad gloriam. 97. 2. b suos cultores facit quasi sacerdotes mysticos. 98. 1. b item reges. 99. 2. b 139. 1. a b ei servire, regnare est. 98. 2. d ambulat cum suis in tentatione. 100. 2. a ei à pueritia vacandum. 133. 1. a b est ornamentum & decus senectutis. ibid. b quomodo paretur. 1. d ejus cultura deposcit totum vitæ laborem. 2. a carnalibus videtur aspera & impossibilis. 134. 1. b quomodo, juxta nomen suum, sit abscondita & laboriosa. 134. 2. d & seqq. 136. 1. a diversis in Scriptura nominatur metaphoris. 2. b c quomodo hebraicè vocetur. 135. 2. a & seqq. ad eam parandam est opus magno robore. 1. d 136. 1. a paucis nota est. 1. b ad eam XLVIII. gradibus ascenditur. ibid. ducit ad visionem & cognitionem Dei. 2. a quænam sint ejus compedes. ibidem c facit hominem moratum, non libertinum. 136 2. d sua disciplina constringit omnia hominis membra, sensus, actiones. 137. 1. c totum hominis affectum desiderat. 2. d ejus adipiscendæ, & possidendæ modi. 2. d 139. 2. d 140. 1. a 2. a 2. d 141. 1. b meliùs addiscitur ab antiquis, quàm à novis doctoribus. 183. 1. a decet principes. 187. 1. b 2. a 2. a est prima, & maxima felicitas. 191. 1. a in sapientia morari quid sit. 270. 1. a 1. c 2 aquas fenestras habet per quas eam ejus sectator videat. 2. d & seqq. 271. 1 a b quomodo is tabernaculum juxta domum ejus figere dicatur. 1 d 2 a b c quæ bona ab ea consequatur. ibidem. 2 a ipsa ad voluntate se extendit, estque practica. 271. 2 d variæ ejus definitiones. ibid. d 2 a ejus effectus. 2 a apprehenditur non cognitione, sed praxi. 273. 1 d suis cultoribus blanditur velut mater & sponsa. 2 d 275. 1 a eos quoque cibat. 275. 2 c cur vocetur lignum vitæ. ibid. b ejus pastio quàm sit perfecta. ibid. b c suos in bono confirmat. 276. 2 a & exaltat. 1 d 2 a facit eos doctores. ibid. est velut uxor eorum. 277. 1 d dat illis stolam gloriæ. 2 a quin & gaudium & nomen æternum. 278. 1 b c ei soli competit officium laudandi sua dogmata. 280. 1 b sapienter evulgatur. 352. 2 d sapientia vera & falsa quæ sit. 357. 2 d ornat sapientiam quasi annulus aureus. 360. 1 d sapientia & castitas S. Gregorium Nazianz. in sui amorem rapuerunt. 45. 2 a sapientia creata, fuit in B. Virgine perfectissima. 388. 2 a eam hæc quoad vixit, semper auxit. ibid. 417. 1 a est altissima, rectissima, & solida. 398. 1 d viret jugiter, & suavissimè fragrat. ibid. æterna est, & sui cultores æternat. 2 a ejus fructus dulcissimus est. ibid. b ejus odor est fama & celebritas. ibid. d omnes animi morbos curat vel lenit. 399. 1 d ejus pulchritudo. ibid. 1 a non abundat verborum copia: ejus utilitas. 1 c docet hominem memoriam mortis. ibid. suos asseclas facit athletas fortes. 2 a fugat adulatores. ibid. b est phœnix longevitate. ibid. c palmæ assimilatur. 2 d item rosæ. 400. 2 d item olivæ. 403. 1 b item platano. 402. 2 c aspalatho quoque. 403. 2 d 404. 1 a item cinnamomo & balsamo. 2 d & seqq. est thymiama à Deo & hominibus acceptissimum. 403. 2 d thuris virtutes ei applicantur. 412. 2 b c item terebinthi. 423. 1 a ejus honor & decor sunt ejus propagines. 407. 1 a similis est viti. ibid. b ejus fructus sunt nobilissimi. ibid. c atque hi sunt quatuor. 408. 1 a in ea est omnis veritas, gratia & virtus. 1 d 2 a ejus fructus satiat appetitum. 409. 1 b est parvulis aperienda. 2 c ejus memoria quomodo sit æterna. 399. 1 c 409. 2 d 410. 1 a ejus spiritus est ipsius natura. 410. 1 a quæ ejus hereditas. ibid. quanta ejus dulcedo. 1 b 2 d cur vocetur cibus & potus. 411. 1 a non satiat ea fruentem. ibid. b c ejus cultor non confundetur in operibus suis, nec peccabit. 412. 1 b ejus interpretes vitam habebunt æternam. 1 d est similis quatuor fluviis paradisi. 413. 1 d cur Nilo. 414. 1 d in quo sit similis aquæ. 414. 2 c hæc tota derivatur à Sapientia divina & è cælo. 415. 2 c 785. 1 a quot modis ad homines manet. 415. 2 d Ecclesiam, semper sapientiæ & gratiæ aquis irrigat. 416. 1 d 2 a b quomodo sese per ejus angulos diffuderit. 2 d se etiam ad remotissimas gentes extendit. 417. 1 b luci comparatur. ibid. quomodo dormientes & defunctos visitet. 2 a ea in juventute addiscenda est. 421. 1 d nunc vocatur intellectus, nunc consilium, nunc judicium. 425. 2 d habitat in consilio. 457. 2 b est uxor cælibum. 541. 2 a b quomodo hæc uxoris bonæ partes suppleat. ibid. conciliat suis sectatoribus honorem & opes. 599. 1 a in otio comparanda est. 613. 1 d ejus otium est negotiosum. ibidem. ei in otio vacandum. 2 c d 614. 2 b sed activus eam percipiet. 614. 1 b artes mechanicas regit. 2 d 615. 1 a quibus modis paranda sit. 613. 2 a 614. 1 a 622. 2 a 622. 2 c 623. 1 2 2 a 785. 2 d non datur nisi magnis. 624. 2 a ejus fructus interni. 2 a d 625. 1 d ejus fructus externi. 625. 2 d 626. 1 a sapientiæ veræ & falsæ quoad durationem discrimen. ibidem vino & musicæ confertur. 644. 2 c 645. 1 a 785. 1 d 786. 2 a in ea sita est beatitudo. 779. 2 b c est facilis duplici de causa. 786. 1 b c ejus tamen perfectio difficilis est. ibid. invenitur se cognoscendo. 788. 2 a item in vitæ puritate. ibid. b in corde eam esse putarunt philosophi. 789. 1 a expellit vitia, & animum moderatur. 789. 1 d veras opes homini adfert. 791. 2 d

Sapientia Dei tanta est, quanta potentia. 701. 1 d sapientia mediocris cum firma sanitate præstat magnæ sapientiæ cum infirma. 494. 1 a sapientia & scientia quomodo distinguantur. ibid. 1 a

Sapor salsus & amarus quomodo fiat. 691. 2 a

Sapricii in remittenda injuria pertinacia. 462. 2 d

Sardoa herba ridere facit in dolore. 225. 2 a

Satagere quid propriè latinè sonet. 84. 1 a

citra Satietatem semper edendum. 601. 1 a id sanum est. 514. 1 a

Satisfactio ut valeat, debet in gratia & charitate fieri. 486. 2 c

S. Savinus Martyr in tormentis exultabat. 44. 2 d

Saul multa jurando deliquit. 378. 1 a quomodo in Galgalis constitutus rex. 734. 1 a quare pythonissam consuluerit. 735. 2 b an is verus Samuel apparuerit post mortem. 735. 2 c d & seqq. videtur damnatus. ibid. Scabies cur inficiat appropinquantes. 243. 1 a

Scandalum quid propriè sit, & unde vox formetur. 144. 2 b 505. 1 c ipsum judici cavendum. ibid. d

σχάζω est scarifico, venam incido, item inhibeo, reprimo. 164.2 a
σκεῦος pro quolibet instrumento, item pro veste capitur. 721.1 c d
Schisma Samaritarum à reliquis Judæis unde enatum. 778.2 c
Schola est ocium litterarium. 613.1 c
Scibile omne Deus cognoscit, & uno ictu mentis cernit. 671.2 b
Scientia & sapientia variè distinguuntur. 425.1 a ejus parandæ quę sit ratio. 47.1 c 621.2 a 622.2 c 623.1 a 2 a scientiæ omnes ab Hebræis fluxere ad Græcos. 5. scientia sine timore Dei vana est & philosophica. 48.2 d est cum eo conjungenda. 105.1 d scientiis multis simul non est studendum. 217.1 d scientia spiritus hominis in creatione data. quæ sit. 302.1 d & seqq. sic dicitur ob quatuor rationes. 302.2 b hæc solis justis perfectè datur. ibid. *vide* Doctrina, Ethica, Sapientia.
Scipio Nasica ob cavillum suum ab ædilitate repulsus est. 149.1 a ob prudentiam dictus est corculum. 789.1 a
σκορπίζω quid significent. 660.2 c
Scorpionis natura describitur, eiq; mulier nequam comparatur. 437. 2 d & seqq. est imago diaboli. 165.1 a nascitur è cancro 2 b scorpii etiam in gehenna impios torquebunt. 635.1 d his eorum cædes & pugnæ castigantur. 2 c
Scorta vetantur lege veteri etiam Ecclesiastica. 332.1 a *vide* Fornicaria, Meretrix.
Scortatio abbreviat vitam hominis. 332.2 d *vide* Fornicatio Libido.
Scortatores effrænes sunt, nec unquam explentur. 338.2 c d *vide* Fornicarii.
Scribarum nomine apud Hebræos dicebantur sapientes & litterati. 190.2 a 613.1 d item in aula, Cancellarii. 1 b
Scriptores scribant æternitati. 418.1 b laborant sibi & aliis. ibid. c scriptores sacri sunt velut Lucifer & Venus. 546.1 c
S. Scriptura sæpè utitur apologis. 19 2 a ejus verba propriè ut sonant, accipienda sunt. 151.1 c sæpè rem æstimat ex facto, non ex mente facientis. 328.2 b sæpè loquitur non ex rei veritate, sed apparentia, & accommodat se communi loquendi modo. 340. 2 a Scripturæ sacræ sunt impenetrabiles & imperviæ. 316.2 c S. Scriptura docet nos Dei voluntatem, hinc ea in omnibus est dubiis consulenda. 538.1 a in illa eadem sententia subinde varias habet versiones, expositiones & lectiones. 550.2 c in tres partes dividitur. 621.2 a ejus studium fidelibus commendatur. ibid. b ejus elogium. 622.1 a omnem aliorum scriptorum elegantiam & vim antecellit. 645.1 b c ejus profunditas per doctores & interpretes eruitur. 771.1 b
Scrupulosi ob metum distractionis verba in oratione lecta non repetant. 148.2 c non passim cuivis, sed ei qui juvare potest, sua secreta enuntient. 336.2 c sunt cogitabundi. 497.2 a
σκύβαλα sunt ea quæ digna sunt canibus proiici. 444.1 b
Scuptores in qua re laborent. 615.1 b c eorum ars quàm latè patent. 1 d
S. Sebastianus è cloaca est à S. Lucina in catacũbis conditus. 609.1 d
Secessus in nubem mysticus quis sit. 719.2 c
Secreta celanda sunt, & cur. 176.1 b 663.1 b quanti id referat. 1 a ea expiscari turpe est. 176.2 a secreta amici non sunt revelanda, ne in inimicitia quidem. 126.2 c 371.2 a ea passim non sunt indicanda. 335.1 b sed amico intimo. 2 a uxori credenda non sunt. 157.1 b nec extraneis, cur. 176.1 b secreta amici revelans infidus & perfidus est. 456.1 d ea prodentes quomodo olim castigarentur. ibidem a quæ ex hac revelatione damna sequantur. 1 d 456.1 d ea celare est juris divini, humani, naturalis. 456.2 d eorum nonnullæ revelationes etiam alia peccata involuunt. ibidem amicitia per hanc revelationem deperditur irrecuperabiliter. ibid. 57.1 c 2 b c d id in amicitia maximum crimen est. 458.1 a
non Sedendum cum muliere aliena. 181.2 d 183.1 a
Seditiones in republica cur nonnulli excitent. 328.1 b. seditio popularis inprimis extimescenda est. 436.1 b
Segetes virides mirè oculos oblectant. 646.1 a sunt tapes campi. 644.1 c Segnis quis dicatur. 363.1 d
Selenites gemma describitur. 452.2 b
Selymi dicti à Salomone. 743.2 b
Sem Deus elegit præ Japhet & Cham. 541.1 d cum Seth Adami filio comparatur. 767.2 a & seqq. fuit pater piæ generationis post diluvium. ibid. quid hebraicè sonet. 2 b d fuit typus resurrectionis. ibid. ejus sanctitas: ex eo natus est Christus. ibid. c non est idem cum Melchisedec. ibidem repræsentat Christum patrem Sanctorum. ibid. dan publicè sapientiam docuerit. 790.2 a
quomodo Deus Semei præceperit maledicere Davidi. 286.2 b
quomodo Salomon suum Semen profanarit. 646.1 d 2 a semina quando dicantur ἀκάνθαι. 573.1 d
Semiramis regina fuit virago illustris. 442.1 d
Senatores antequam in curiam eant, Sacro intersint. 596.2 b Senatores Rom. summi cultores erant silentii. 176.1 d
Senatus à senibus dictus est. 421.2 c 422.1 b 682.2 d
Seneca philosophus Ethices cultor fuit. 3. quia censuit idola colenda, taxatur. 8. à Nerone discipulo necari jussus est. 244.2 c ejus error de iniuria ulciscenda. 464.1 d
Senectus parentum quomodo à filiis toleranda, fovenda, sublevanda sit. 76.2 a senectus expers passionum est. 132.2 d est dura & inflexilis. ibid. ea obrepit incogitantibus. 133.1 a 17 1 d ejus laus & vituperium. ibidem ejus est sapientia. 172.1 a 420.2 b c cur timida sit. 364 2 b c ei fatuitas incongrua est. 368.1 a unde ea in illam cadat. 421.1 d quia multa vidit & audivit, hinc habet experientiam. 558.1 b c ejus morbi unde proveniant.
Senes deliri tolerandi. 77.2 a at senes sapientes audire consultum est. 140.1 a eorum proprium est doctrina & consilium. 1 d 421. 2 b c item sapientia. 1 d 2 d cur sint sapientiores. 422.1 a oderunt garrulos & verbosos. 148.2 b nullatenus sunt spernendi, cur. 170 1 b cur à juvenibus irrideantur. 1 d eorum monita & documenta non sunt aspernenda. 171.1 d 2 d iis gerenda resp. 172.1 a b c cur. ibid. b c eorum lascivia turpis est. 221.1 a b senex insipiens res incongrua est. 420.2 d 421.1 a 732.2 b 422. 1 d ejus est quæstis uti. 421.2 b senes parent se ad exitum. 2 a parcè bibant vinum. 518.1 b 519.1 c primi in convivio loquantur, sed exacta & sensata. 526.2 b c adolescentes iis honorem habeant. 529.1 a fuere in magno honore apud omnes. 529.2 a ut plurimum horrent mortem, quare. 652.1 b sunt propugnandi contra adolescentum petulantiam. 665.2 a non contendant cum his. ibid. à senibus discendum. ibid. b si peccent, non minùs judicandi quàm adolescentes. ibid c senes multi priorem juventutis gloriam turpiter maculant. 764.1 b
Seniores & digniores mensam auspicentur. 508.2 d
Sennacheribi superbia à Deo retusa. 111.1 c frustra Jerusalem obsedit, & cladem passus inde recessit. 759.2 a 2 c d
Senta animi aliis passim declaranda non sunt. 335.1 d
Sensatus idem est quod sanctus in Ecclesiastico. 451.2 d
Sensibilia magis apprehendit hominis mens quàm spiritualia. 787.1 d
Sensitiva pars in homine est potentior quàm rationalis, cur. ibid.
Sensus, doctrina, scientia, quomodo invicem distinguantur. 105.1 b
Sensus litteralis aliquando complectitur litteralem & allegoricum. 581.1 a
Sententia aliqua sancta in tentatione ad mentem revocanda est. 597. 1 a sententia Christi judicis quàm sit futura horribilis. 694.1 a
Sententiæ Siracidis aliter & aliter à quibusdam transpositæ. 195.1 a 235.1 a eædem sæpè iterantur, & inculcantur aliis & aliis verbis, quod & à SS. Patribus usurpatur. 29.2 d sententiæ Proverbiorum Salomonis sæpe sunt transpositæ. 118.2 b
Separatio Beatorum à damnatis fit per chaos interjectum. 293.1 d
Septemtrionales sunt candidiores aliis gentibus ob frigus. 690.2 d
Septenarius numerus symbolum est multitudinis, plenitudinis, perfectionis & universitatis. 141.2 c 347.1 b 367.1 d 571.2 d 641 1 c
Septuaginta interpretes quando & ubi Biblia in Græcum sermonem transtulerint. 15 2 d 16.1 a c d 26.1 c 2 a eorum versio in multis dissidet à Latina Vulgata. 18.2 b non verterunt Ecclesiasticum. 33 1 b à Ptol. Philadelpho vocati, varias abeo in mensa quæstiones politicas propositas resolverunt. 523.2 a & seq. *ebr* litteram vertunt per * 725.2 d
Sepeliri inter amicos, optabile est. 910.1 a
Sepulcri quanta fuerit Gentilibus cura. 163.1 a
Sepultura mortuo concedenda. 362.2 d
Sepulturæ quatuor fines & fructus. 609.1 d ea facienda secundùm ritum patriæ. ibid. qualis sit apud Christianos. ibid.
Sequela Dei suadetur: quanta bona involuat. 386.1 b
Sequentes Deum nihil timeant. 731.2 d
Sequester idem est quod redemptor operis. 403.1 d
Sequi oportet Deum. 386.1 c 2 a id facile est. 2 d sequi à tergo potentis Dei, quid sit. 731.2 a d
Seræ arcanæ & astutæ quæ sint. 373.2 d
Seraphim dicti ab ardore amoris in Deum. 648.1 b
Serapion Sidonius se vendidit pro pauperibus. 564.2 a
SS. Sergius & Bacchus à servo suere morti adiudicati. 424.2 a
Sergius Risius Archiepiscop. Damascenus auctor est versionis Arabicæ Bibliorum. 18.2 d
Seria non statim à mensa tractanda sunt. 531.1 a
Sermo est mentis imago & interpres. 105.1 d sermo alterius loquentis non est temere interrumpendus. 216.1 b sermo durus grandini, benevolus rori comparatur. 219.2 d sermo prolatus ostendit quale sit cor, & qualiter excultum. 447.2 a 448.1 a sermone crebro vir exploratur. 1 c sermo cibo comparatur. 583.2 d sermo suavis & prudens mentem mirè amcit & delectat. 645.1 d 2 a parit amicos. 124 1 a b d sermones super mensam moderabatur modimperator. 522.2 b sermones docti in mensa adhibeantur. 526.2 d *vide* Loquela, Verbum.
Serpens symbolum diaboli est. 354.2 a ejus & mulieris analogiæ. 428.1 d 2 a serpens vini avidus est, & mulierum hostis. 478.1 d

ejus

ejus ictus curantur extis serpentium. 544.2 a serpentes etiam in gehenna impios torquebunt. 635.1 d per eos eorum virulentia & invidia optimè punitur. 2 c
Servire Deo regnare est. 98.2 d 99.1 a 385.a d servire melius est quam regnare, quare. 99.1 a servire honestum vili, infelicitas magna est. 424.1 b
Servitarum Ordo unde habuerit initium. 137.2 a
Servitus Dei nobilis est, & religio. 58 1 b 98.2 d 99.1 b 385.2 d quatuor in rebus est sita. 99 1 b c est semper de novo inchoanda. 316.2 d 549.2 b fidelibus servitus est libera, imò libertas. 217.2 b
Servitutis quæ fuerit prima origo. 551.1 a
Servius Tullius è servo factus est rex. 204.2 d
S. Servulus ob patientiam in assidua paralysi ab angelis in cælum ductus est. 224.1 a
Servi non malè tractandi verbis, nec verberibus. 154.1 d quid prudentibus servis heri præstare debeant. ibidem libertatem tales merentur, quin & in filios cooptari. ibid.c d apud Gallos eadem cum heris pyra cremabantur. 154 2 d servi accommodant se moribus servi. 155 1 a plures pro dominis mortem oppetiere. ibid. a ob sapientiam, sunt liberi & reges. 204.1 d 2 a b servi prudentes olim toti familiæ præficiebantur, quin & in filios adoptabantur. 2 d servi multi clari evaserunt. 2 d servi solent in tortura de crimine admisso interrogari. 377.2 d servus est regendus ut asinus. 549.2 a 550.2 d quid illi debeatur. 549.2 a rectè asino comparatur. 2 c cur servi sint capite diminuti. ibid. sæpè non sunt indociles. 550.1 a non sunt permittendi otiari. 550 2 a onere gravati quærunt requiem: si requiescant, aspirant ad libertatem. ibid.c d quare dicti sint mancipia. 591.1 a opere premendi assiduè. 1 c quando compedibus sint vinciendi: variæ eorum pœnæ. ibid. si duri sint, flagellis sunt frangendi. 663.2 d sed cum judicio & moderatè. 551.2 c an verberandi eo tantùm nomine quòd servi sint. 552.1 a at fideles amandi & curandi à domino. ibidem in quo eorum fidelitas sita sit: sint taciturni. ibid. sunt tractandi ut conservi. 552.1 a d 2 d comparantur ab hero in sanguine animæ. 1 d si æquo tractentur duriùs, fugam adornant, sibique necem consciscunt. 2 d & seqq.
Servi exaltati regimen superbum & intolerabile est. 424.1 c servi cujusdam duriùs ab hero Hispano tractati de ipso vindicta. 552.2 d servus piger detrectat operationem. 594.1 c
Sessio acta convivis valdè molesta est. 510.2 d
Seth cum Sem filio Noe comparatur. 767 2 a & seq. Seth quid hebraicè sonet. 2 b fuit typus resurrectionis. ibid.b ejus sanctitas. ibid.c repræsentat Christum patrem Sanctorum. ibid.d ejus vita & progenies. 768.1 a ejus raptus & prophetia. ibid.
Severiani hæretici docebant mulieres esse opus satanæ. 427.2 a & à vino abstinendum, quòd à satana id productum esset. 519.1 a
Severitas vultus detractorem remoratur ne detrahere pergat. 472.1 a b severitas patris in filias, eas castas servat. 156.1 d
Severus Imp. philosophiæ fuit studiosus. 3. ejus lenitas. 185 2 c unde nomen mortis acceperit. 399.2 a
Deus in Sibilo auræ tenuis quomodo, & cur. 753.2 b
Sicera quis potus Hebræis esset. 519.2 a
Sichem erat caput Samariæ. 778 2 d
Siciliæ insulæ elogia. 695.2 a ab Italia avulsa est. 695.1 a
Sigalion deus erat præses silentii. 117.1 d
in Sigillis cernitur ars sculptoris. 615.2 b
Sigismundus Imp. inimicis suis benefaciebat. 239.2 d adversarius fuit adulatorum. 254.1 c
Signaculum oris est dicendorum circumspectio. 473.1 d & seq.
Signum ævi quid, quod Deus inspiciat. 671.2 c 672.1 a
Silens ab omnibus ob suum silentium honoratur. 362.2 a *vide* Tacere.
Silentio Deus potiùs honorandus quàm præconio. 316.1 c silentium præstat garrulitati. 342.2 b id stulto pro sapientia est. 235.1 a silentium sapientum præstat verbositate fatuorum. 361.2 a id decet in oratione. 661.2 a silentium Pythagoræorum. ibid.c
cur S. Silvester voluerit dies appellari Ferias. 540.1 c
S. Silvestri Auximani conversio, vitæ institutum, mors. 651.2 a
R. Simeon Pharisæus magni vir nominis ante Christum. 794.
Simeon Priscus hospitibus à via aberrantibus duos leones viæ duces assignavit. 738.2.d
Simeon Stylites assiduè de novissimis concionabatur. 166.1 a ejus humilitas. 81.2 a per LXXX. annos in columna stetit. 224.1 a quamdiu. 454.2 a ejus gesta mira. ibid.
Simile simili gaudet. 249 1 d 250.1 a 358.2 c 526.2 d similia similibus nutriuntur, conservantur, augentur. 250.1 c 2 a b
Similitudo, id est identitas naturæ & qualitatis specificæ, non numerica, est causa amoris. 250.1 a sed maximè similitudo morum, amorum, virtutum. 2 a & in congregationibus similitudo actuum. 2 c
Simon justus pontifex quando pontificatu functus sit. 16.1 a & seqq. ejus sanctitas. 16.1 c ejus mors. ibid d
Simonis etymon. 772.1 d
Simon ab Ecclesiast. laudatus quis fuerit inter pontifices. 768.2 a non fuit junior, sed senior, cognomento Justus & Priscus. 769.1 d & seqq. ejus elogium. 2 a b 771.1 c d 772.2 b laudatur ab eo jam defunctus. 769.2 a quando sit defunctus. 2 c fuit typus S. Petri ibid. d farta tecta templi restauravit. 770.1 a porticus templi ab eo fundatæ & suffultæ. ibidem c eique duplicem contignationem addidit. 2 a b restauravit aquæductus urbis. 770.2 d an mare æneum templi adauxerit. ibid.c quantam curam gesserit populi, & qua in re. 1 b c quam civitatem ampliarit. ibid. & seqq. honorabatur & amabatur à populo suo. 772.1 a b refulsit quasi stella, luna, sol. ibid.d & seqq. comparatur, iridi, liliis, aromatibus. 773 2 a b item igni fulgenti, & thuri in eo ardenti. 773.1 a item vasi aureo. 2 a item oleæ & cupresso. ibid 2 a b vestes sacras ipse honorabat sua sanctitate, & ipse per eas gloriosus erat. 774.1 d comparatur cedro & palmæ. 773.2 d quia ceteris sacerdotibus prælucebat. 774.2 b c d
Simon junior non est ille quem laudat Ecclesiast. quando is fuerit pontifex. 769.1 c 2 c
Simonis Magi hypocrisis à Deo per preces S. Petri detecta. 56 2 b
Simplex veritati tenaciter adhæret. 116.1 d
Simplicitas placet Deo. 57.1 b
Simplicia medicamenta quàm sint salutaria. 604.1 d 2 a
S. Simplicius Christianus factus, egregius evasit sculptor, & deinde Martyr. 620.1 b
quomodo sint omnia Simul à Deo creata. 314.1 d & seqq.
Simultas plerumque sectionem in duas partes causatur. 545.1 d
Sinæ bibunt in conviviis aquam calidam. 485.1 a non peregrinantur. 1 d
Singularitas in coetu & societate fugienda. 524.1 b in monasteriis est odiosa. 250.2 c
Sinus denotatur per cor. 480.1 d
In Sion firmatus est Dei cultus per templum. 396.2 a Sion mons duplex fuit, unus in Jerusalem, alter idem cum monte Hermon. 299.1 a est symbolum Ecclesiæ. 582 1 b
Sirach duplex est avus & nepos. 15.2 a b Sirach junior fuit in Ægypto captivus. 17.1 d librum à patre compositum Jesu juniori filio suo commisit. 15.2 b Sirach senior Ecclesiastici auctorem Jesum genuit. ibidem.
Siracides senior optimus Ethices supernaturalis est magister. 5. 7. Siracidis oratio. 373.2 c an fuerit ex LXXII. Interpretibus. 493.1 b sequitur Septuag. interpretes. 537 2 d humiliter de se sentit, scripsit post omnes scriptores hagiographos. 545.2 d 546.1 a se racematori & spicilego comparat. ibid. per varias provincias oberrando multa vidit & audivit, & sæpè periculum adiit. 558.1 c d prophetat de Christo, ejusque tempore. 577.2 c 579.2 b gaudet comparationibus. 766.2 c floruit sub Ptol. Philadelpho. 769.1 d 779.1 d præcessit multis annis Simonem II. Pontif. 769.2 b quando librum suum scripserit. ibid.c 779.2 a librum suum benedictione concludit. 778.1 a b Israeli bene precatur. 1 c an scripserit finem capitis. 779.1 c an fuerit nepos Eleazari pontif. 779.2 a priscam ethicam de novo evulgavit. ibidem b scripsit sua ex illustratione divina. 2 d ejus hymnus continet gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. 780 1 d 2 a à Deo periculis pereuntibus agit ei gratias. 2 d 781.1 a quæ hæc pericula fuerint. 1 d falsò apud Ptolomæum accusatus Dei ope accusantes vicit. ibid. d suos in Ægyptum ducendos monuit ut in paterna lege constantes persisterent. 2 a censendus est Martyr. 781.2 b à quibus hostibus & tribulationibus sit liberatus. ibid.b an flammis & rogo à Deo sit ereptus. 782.1 b ludum sapientiæ apertuisse videtur. 790.1 a d post afflictionem in multa felicitate vixit. 791.1 c quos ex sapientia collegerit fructus. ibid.d
Siracides junior non scripsit duo ultima capita Ecclesiast. 769.1 d tantùm illum ex Hebræo in Græcum transtulit. ibid.d *vide* Jesus filius Sirach.
Sirenes symbolum sunt invidorum. 260.2 c item concupiscentiarum. 326 1 d
Sisyphi fabula moraliter exposita. 243.2 c
Sitis magis cruciat quàm fames. 485.1 a
Smaragdi viror: quid symbolicè designet. 528.2 c
Sobrietas in mensa sectanda. 511.1 c 512.1 c ejus commoda. ibid. d 513.2 d est mater sanitatis, sanctitatis, sapientiæ & castitatis. 52.2 c 601.1 d 2 a
Sobriæ cœnæ commoda. 513.1 d sobrius habet somnum facilem, & humores corporis bene temperatos & stomachi & intestinorum quietem. ibid. 513.2 b c gaudet etiam in conscientia. ibid. 2 a
cum Socero quare non sit ineundum consilium. 591.1 a b Societas impiorum & pravorum noxia est. 367.2 b 368.1 a 141.2 b 410.1 d 243.1 d 654.2 c magis est noxia, quàm sit salutifera bonorum. 368.1 a societas leonina quæ dicatur. 244.1 d *vide* Consortium.

quid in Societate Jesu maximè mirandum 246. 2.d

Socii & amici oppugnant converti incipientem 60. 1.a eorum vitia facilè addiscimus 243. 1.a b socio non est irroganda iniustitia 659. 2.d socii mali cavendi ut leones 451. 2.c

Socrates Moralis philosophiæ cultor fuit 5. ejus patientia 9. pro divinitatis unitate occubuit 8. curiosos abhorrebat 83. 2.a suos ad Ethices studium incitabat ibid. vultu visus impudicus, arte & virtute naturam vicit 341. 2.a semper eodem erat vultu 455. 1.b fuit frugalitatis cultor eximius 511.2.a cum sophistis congrediens fuga se subduxit 598. 2.a mulierum illecebras parui fecit 668.2.d

Sodalis dicitur quasi simul edalis, 589. 1.a sodales sunt qui ejusdem sunt collegii & congregationis. ibid. b sunt alii ab amicis, ibid.

Sodomitæ non ob solam luxuriam sunt excisi 290. 1.a

Sol quantum viæ spatium qualibet hora conficiat 28.2.a quomodo & quando defectum patiatur 312. 2.d ex hoc defectu patet eum non esse Deum ibid. c an in fine mundi sit annihilandus, & alius creandus 313. 1.d cur ei Aethiopes maledicant 317. 1.c ejus magnitudo 382. 2.c ei comparatur oculus Dei ib. b d non penetrat profundum abyssi ib. symbolú B. Virg. est 441.1.d 680. 1.b & uxoris bonæ 442. 1.b item divinitatis & Dei justitiæ 528.2.c item sancti & justi 529. 2.c d item æternitatis, justitiæ & veritatis 679.1.d item Christi 2.c d & Sanctor. ib. item ardentis charitatis & grandis beneficentiæ 680. 1.c ejus proprietates justo adaptantur 453. 1.d non est causa cur unus dies & annus sit altero excellentior 539. 1.a 1.c d 540. 1.d inter alia est à Deo creatus ut omnia ejus opera homini conspicua faciat 671. 1.b excitat hominem ad Deum laudandum ibid. a à nonnullis habitus ut Deus ibid. c sol unde dicatur 678. 2.d 679. 1.c d triplex hebraicè habet nomen 678. 1.d 681. 2.c mitanda, lux calor, velocitas 678. 2.a est imago Dei 678.2. b d 679. 1.a divinitatis thesauros omnibus creaturis communicat 1.b habet formam sphæricam ib. c est unus & solus ibid. ejus puritas & splendor, & descriptio ib. quàm altè à terra sit elevatus: ejus situs 1.a ejus cursus velocitas, gyratio, efficacia ibid. 682. 1.a ejus calor, pulchritudo, fœcunditas, elogia, & aliæ proprietates 681. 2.d deum coluere Persæ ut Deum 679. 1.d ejus ardor similis fornaci 680. 2.c ejus fulgor ib. c à Manichæis navi comparatur ibid. d multi eum censuerunt esse igneum 681. 1.a b d 681. 1.c de eo variæ veterum opiniones 681. 1.c d ejus magnitudo 678. 2.d 681. 1.b sol stare jussus à Josue instinctu Dei 682. 1.a 728. 2.d & seqq. & cum eo orbes cælestes 729. 1.b c idque sub occasum ibid. a per quot horas steterit 2. a Christo in cruce moriente retraxit radios suos 2. a idem sæpe stare visus 729. 2.d 730. 1.a sed non in se, sed per radios reflexos ibid. c sol oriens quid ortu suo hominibus prætetur 658. 1.c annuntiat gloriam Dei ib. eum Romani salutabant 671. 1.c excitat omnes ad Deum laudandum 1.d

Solicitudo anxia deponenda est 497. 2.a ea adducit citam senectam 500. 2.a b ea quæ de divitiis est hominem inquietat 503. 1.d 2.a

Solicitus est qui solus & citus est 501. 1.a

Solidus vocatur integrum pretium 478. 1.a

Solitudo parit melancholicam 610. 2.a incentivum est peccandi 175. 1.a 180. 2.c solitudo animæ puritatem juvat 327.2.a

Sollertia iniqua, & laudabilis quæ sit 339. 2.b

Solonis gnomæ morales 23. 2.a quando is vixerit: quos beatos esse censeret, & cur Crœsum beatum negaret 229. 1.a quid Crœso responderit se beatum haberi volenti 244. 1.a senectute factus est audacior 442. 1.a

Solum & terra an differant 540. 2.c

Solymanni dicti à Salomone 743. 2.b

Somniare sancta signum est sanctitatis 556. 2.a

Somnians parum requiescit 640. 2.a ejus phantasmata & imaginationes ibid.

Somniis non est fidendum 553. 1.a eorum vanitas 554. 2.a 1.c d 2.c 555. 2.c 556. 1.a 639. 2.d & ludicra ludibria 640. 2.d similia sunt vento & umbræ 554. 1.d unde oriantur 2.a d non sunt res, sed rei imago & similitudo ibid. c item spectum ibid. d non sunt vera 555. 1.a b somnia improborum mendacia sunt, at sanctorum subinde vera sunt 2.a somnia ægrorum medici observare debent 2.d referuntur quædam somnia quæ verè contigerunt ib. d & seqq. quæ somnia portæ eburneæ, quæ corneæ 556. 2.a ea quæ à Deo vel angelis immittuntur, non sunt spernenda ibid. 1.b quomodo ea à falsis dignoscantur 1.d 2.a somnium S. August. vitium somnium 640. 2.d

Somnus à crapula impeditur 512. 2.c 513.1.a à sobrietate conciliatur 1.d somni usus & commoda 2.c à poetis habitus ut Deus ib. 2.a 554. 1.a ejus schema, elogium & descriptio ib. is cuique soporem immittere credebatur 1.b sæpè perturbat imaginationem hominis 639. 2.d symbolum est peccati, & dormiens peccatoris 366. 1.c

Sonus an in cælorum motu admitti possit 297. 2.b

Σοφία an derivetur à ζόφος, id est caligo 834. 2.d

S. Sophiæ tres filiæ fuere Martyres 627. 1.a

Sophistæ qui propriè vocarentur 2. hi sapientiam ore jactant, in corde non habent 275. 2.a à sophis & sapientibus quomodo differant 598. 2.a & seqq. 599. 1. a b odio sunt Deo angelis, hominibus 598. 2.c d 599. 2.c non sunt verè sapientes 599. 1.a populo imponunt ibid. c

Sophisticen caveat studiosus sacrarum Litterarum 598. 1.a

Σοφίζομαι tria diversa significat 205. 2.a

Sophocles dictus est Apis Attica ob sermonis vim 111. 2.d etsi esset senex, delirare se negavit 140. 1.d unde sit dictus Sophocles 598. 2.a

novem Sorores Martyres unius matris uno partu filiæ 685. 2.a b

Sors propositionis in qua stare jubemur, quæ sit 308. 2.b sorte sua contentus, beatus est 309.1.c sortes duæ, una felicitatis terrenæ, altera æternæ 305. 1.d una sanctorum, altera impiorum 308. 2.d sorte sua contentus quisq; vivere oportet 550. 1.c d sortium distributio à Deo petenda est 345. 2.a

S. Soteris virgo in martyrio vultum detexit, & carnifici ultro exposuit cædendum 104. 1.d

Sparta stetit, quamdiu opes contempsit 193. 2.d

ex Specie non est judicandum 209. 2.b 213. 1.a

Species cæli oculos intuentium oblectat 784. 2.d species mulierum vana, fallax, illecebrosa 429. 2.d & seqq.

Speculator in specula repræsentat timorem Domini 425. 2.c

Speculum est symbolum amicitiæ 238. 2.a & seqq. specula olim ex ære terso fiebant ibid. quæ curva, reddunt rerum imagines magnas. ibid. d eorum nitorem hebetant dentes nudati & menstruum muliebre 1.d specula quatuor mentis 341. 1.b

Nullus in Deo Speravit & confusus est 66. 2.a b in auro non sperans dives beatus est 505. 2.a d quis dives in pecunia non speret 606. 2.c sperans in Deo benedicitur 559. 2.a Deus in se solo vult sperari 520. 2.b

Spei præmia 65. 1.a 2.a 66. 1.d spes est beatitudo hujus vitæ 258. 1.a spes quæ differtur, animam affligit 92. 1.d 639. 1.b spes sancta fructus est sapientiæ 408. 1.a spes in Deum pellit tristitiam 500.1.d ea ab illo non est divellenda 560. 1.a in spe beatitudinis vivit sapiens & justus 791. 2.a

Σφάλλω & σφαλερός variam patitur significationem 253. 2.d

Sphinx quale esset monstrum 322. 1.d ejus ænigma ibid. b

Spina rosarum symbolum est voluptatis dolore permixtæ 401. 1.d an rosa initio spinas habuerit ibid. spinea Christi corona rosis assimilatur 772 2.d

Spiridion Episc. è filia Irene mortua locum depositi cujusdam didicit 758. 2. c

à rebus Spiritualibus abesse debet languor 516. 1.a cur homo eas minùs apprehendat quàm sensibiles 787. 1.c d

Spiritus capitur pro fide, gratia, & aliis rebus spiritalibus 302. 2.a quæ sit scientia spiritus 1.d spiritus cum appetitu concordare debet 420. 2.a

Spiritus sancti deitas probatur 42. 1.a

Spiritus sanctus dupliciter accipitur 2.b ab æterno fuit cum Patre & Filio 2 c in eo terminatur omnis activitas & productio interna Patris & Filii ibid. omnibus justis hic sanctum timorem incutit 113. 1.a est aqua sapientiæ salutaris 276. 1.c est spiritus sapientiæ 409. 2.d & spiritus principalis, rectus & sanctus; hic semper est invocandus opera heroica facere volentibus 548. 1.d ejus dona sunt unctiones sanitatis 605. 2.b novit & providet omnia 673. 1.b est bonitas. 577.1.a est velut sol mentibus nostris 683. 1.a est doctor sapientiæ 786. 1.d spiritus sapientiæ quis vocetur 409. 2.d 410. 1.a spiritus tristitiæ quàm sit noxius 498. 2.a duplex spiritus Eliæ quis fuerit 756.2.d 757.1.a 1.c 2.a quis is sit tropologicè ibid. spiritus lenis Eliæ oblatus divinam longanimitatem denotat 753.2.c spiritus principalis est quadruplex 548. 1. c d qui spiritus sint creati ad torquendos impios 633. 2.d 634.1.a

Spondere pro aliquo quando sit obligatio 481. 2. d quid sit in eo observandum ib. b

Sponsa Romana tangebat ignem & aquam 285.1.a sponsarum erga sponsos amor 273.2.d

Sponsor *vide* Fidejussor

Spurii vel sunt illiberes, vel matri similes 385. 1 d

Stacte myrrhæ lacryma est, alia sponte effluit, alia ex incisione 405. 1.d

Stadium est octava pars milliaris 36.2.c S. Stanislai Episcop. Cracov. corpus aquilæ à feris defenderunt 609.1.d Petrum quemdam defunctum in rem Ecclesiæ suæ ad vitam revocavit 758. 2.b

Stanno cur vasa lutea linentur 613 1. a b

Stare in testamento quid sit 222. 2.d 223. 1.b stare verbum militare est & militum proprium 308. 2. a

Στάσις pro seditione accipitur. 543. 1.b

Statera justa vendenti & ementi servanda 664. 1. a b

Stationes castrenses & militares quæ 240. 2. bc

Statuere aliquem penes se est eum honorare 240. 1.a

Status

Status vitæ semel assumptus non facilè mutandus 223. 2.a sed in eo firmiter persistendum 309. 1.b status naturæ commodus peculiare Dei donum est 435. 2.a antequam status vitæ capessatur, affectum quisque suum explorare debet 600. 1.d 2.a b status periculosus vel vires exsuperans non est suscipiendus 535. 1.a
Stella dicitur à stando 684. 1.d est hieroglyphicum Dei 2.b in stellis non demonstrantur omnes futuræ in terra rerum mutationes & eventus 671 2.d 672. 1.d sunt eę tamen signa quorumdam eventuũ 1.a sunt velut gemmæ & faces cæli: earum motus, ordo, natura, multitudo, influxus, varietas 676. 1.a an sint naturæ igneę 681. 1.b 2.a aliorum de iis opiniones 1.a sunt acies, exercitus & milites Dei 684. 1.b c earum magnitudo diversa est. d earum intuitu ad Deum laudandũ invitari debemus ibid. cur cælum exornent 685. 2.d reguntur & moventur ab angelis. ibid. 686. 1.a Dei jussui & imperio exactissimè obediunt ibid. b non deficiunt nec inflammantur. c
Stellæ an dici possint gentes & milites Dei. 296. 1.d 2.a
laudem Deo quomodo canant 297. 2.b
Stellio membranam exutam devorat ex invidia 261. 1.a
Stephani cujusdam patientia 60. 1.c
S. Stephanus pro modico labore cælestem coronam accepit. 791. 2.a
Stephani Battorei Poloniæ regis elogium. 740. 1.d
Sterilitas sæpè oritur è nimio concubitu. 666. 2.d
Στοχάζομαι idem est quod intentè aspicio 185. 1.b
item aliquem observo. ibid. c
Stoica philosophia Christianis moribus simillima est 5
Stoicorum errores 89. somnia aliquid portendere dicebant 556. 1.a carebant omni affectu 608. 2.d sapientem volebant esse passionum expertem. 640. 1.a docebant sidera esse ignea, & pasci vaporibus 681. 1.c d
Stola pro qualibet veste & ornatu sumitur. 721. 1.a 2.d 1 b c
stola byssina Josepho à Pharaone data quid mysticè designet. 138. 2.a stola vestis erat promissa & decora. 139. 1.d stola gloriæ symbolum est nobilitatis, libertatis, excellentię & principatus. 277. 1.d
Stomachi cruditas unde nascatur. 230. 2.a
stomachi ardens appetentia. 380. 2.d 381. 1.a
Storax est succus arboris dictæ styrax. 405. 2.c
Strabus auctor est glossæ ordinariæ. 18. 2.d
Strophæ cur vocentur parabolæ & obscura dicta. 620. 2.a
Struthio symbolum est hypocrisis. 56. 1 c
Studere assiduè summus est labor. 604. 1.d
studendum citra satietatem. 601. 1.b
Studiosi quadruplices sunt. 358. 1.d
Studium doctori necessarium est. 538. 1.c d studium vagum dissuadetur. 486. 1.b studia faciunt servos superbos. 549. 2.d
Stultitia sapienter celatur. 352. 2.d
Stultus in Ecclesiastico vocatur pravus & perversus 29. 1.d stultus tacens habetur sapiens 345. 1.a plerumque loquitur importunè 345. 1.b 347. 1.b 349. 2.a & seqq 359. 1 b c d ejus narratio gravat audientes 358. 2.d & sapientiam destruit 359. 1.a curiosus est & impudens 360 1.d 2 b c sua temere effutit 361. 2.c d omnibus est gravis & intolerabilis 368 1.c d à nemine doceri vult 2 a ejus caput est velut testa confracta 365. 2.a
est incapax disciplinæ ibid. b est velut dormiens 366. 1.a b levis est & pavidus 369. 2.b 370. 1.a 2.d 2 a inconstans & varius est 452 1.b hinc ejus symbolum est luna ibid. d 2.a & seqq. 452. 2.c 455. 1.a omni sermoni credit 583. 2.c ab eo etiam discendum 665. 1.d castigandus est ibid. d ejus cogitationes & verba instabilia & impertinentia sunt 35[illegible] 2.a b confidit somniis 558. 1.b stultissimi perfectissimos sæpè generant filios 493. 1 c
Stultorum societas vitanda 175. 2.a statim effutiunt secreta 335. 2.d 2.a 336. 2.c d eis non prosunt opes in bonum 386. 1.c d sunt in loquendo effrænes 356. 2.d facilè in risum solvuntur 359. 2.c
stulti practicè sunt peccatores & pravi 29. 1.d 278. 2.a b
Stylus Ecclesiastici qualis sit 27. 2.b
Styracinum unguentum quod sit 405. 2.d
Suave & dulce quomodo differant 183. 2.a
Suaviloquentia animos ad se trahit, & evincit 200. 1.a c d
Suavitas interna animi efficit amabilitatem linguæ 342. 1.a
Subgrundes in ædificiis quid sint 369. 1.b
Substantia accipitur pro subsistentia & vita 610. 2.b 611. 1.a
quàm Subtilis sit oratio humilis 575. 2.b
Sudes est paxillus igne torridus in terra defixus 592. 1.a
Sufficiens gratia etsi inefficax, magnum Dei donum est 742. 2.a
Suffragia pro defunctis commendatur 163. 1 a
Suggestio dæmonis est velut caput serpentis 428. 1.b
suggestiones concupiscentiæ cor distrahunt 499. 1.c
S. Suitbertus Episc. VVerdensis primus est solenni ritu canonizatus 704. 1 b
Sulphur aptissimum est punitioni impiorum 152. 1.d
vis infinita sulphuris sub terra latet ibid. d
Sulphureus est ignis gehennæ ibidem
Summa tentanda sunt 472. 1.d 2.a
Superbiæ imbecillitas 120. 2.a est stultitia 123. 2.a ejus mala 2.d ejus cavendæ novem rationes 185. 2.c est radix omnis injustitiæ & contumeliæ 192. 1.a cur exosa sit Deo & hominibus 192. 1.b in regibus maximè dominatur 2. a ea in causa est ut regna evertantur 439. 1.b 2.d 193. 2.a ejus origo quæ 197. 1.a mater est impudicitiæ 192. & vermis divitiarum 505. 2.d in vino potato elucet 517. 1.b est caput vitiorum 581. 2.c est mera paupertas superbiens 421. 1.b est initium omnis peccati, quomodo 199. 1.b c & seqq. ea in omni peccato reperitur ibid. b superbia Adami ibid. d Luciferi & sociorum 2.a ex ea quomodo peccata omnia oriantur 199. 2.d & seqq. est evidens signum reprobationis 2.a quæ mala adferat homini ibid. 200 2.b in homine damnabilior est, quàm in angelo 200. 2.b non est homini naturalis 202. 1.b sed belluina est ibid. b filia ejus est iracundia 2.a velut pix est 241. 2.b cur ipsa se affricet cum superbo agentibus a c d Sodomitas etiam perdidit 290. 1.a d valdè amicitiam destruit 371. 2.a se prodit per oculos elatos & fastosos 375. 2.b ejus filiæ 375. 2 d simul est impudens 376. 2.d superbia damnatorum & dæmonum aptè in gehenna punitur igne 149. 1.d
quomodo quis non Superbiet 533. 2.c
Superbi non amantur 97. 1.c 2.a in corde tument arrogantia 88. 1.a cur vermi conferuntur 150 2.a eorum descriptio & arrogantia 192. 1. b c eos Deus exosos habet ibid. d desinent tumescere si ortum & interitum suum considerabunt 195. 1.a b 198. 1.a tres eorum heredes 198. 1.d sunt filii diaboli 2.d in eos semper Deus animadvertit 111. 1.c d 124. 2.d idq; per humiles & mites 125. 1.a b c à Deo humiliantur 127 1.d 246. 2.b maximè dolosi sunt 229. 1.d 230. 2.c socios suos perfidè traducunt 231. 1.c d suam superbiam affricant cum ipsis agentibus 242. 1.d 2.a iis non est benefaciendum 233 2 b 236 1 a 236. 2.d 237. 1.a invident aliis 237. 1.d aliis fastum suum affricant 243. 1.a nõ sunt sapientes 278. 2 b 279. 1.a sunt inverecundi, audaces, impudentes 376. 1.d alios illudunt 460. 1.c ipsos sequitur illusio & improperium 2. a ferro duro & acuto assimilantur 517. 2.d nihil timent 533. 1 d eorum oratio nubes non penetrat 574. 2.c hos Deus timore & amore sui concutit 688. 2 d turpiter sæpè in calamitates ruunt 739. 1.d
Superflua divitum sunt pauperum, debito charitatis 91. 1.a
qualis Superior, tales sunt subditi 187. 1 a d 2 a Superior non nimis se dimittat cum jactura auctoritatis 247. 1.a subditis non sit terrori, sed amori 300. 2.d suis subditis præeat virtutum exemplis 443. 2.b c iis se æquet 523. 1.a c superiores qui fuere inferiores, sciunt modestè imperare 524. 2.a sunt ab inferioribus consulendi 595. 2.c *vide* Prælatus.
Superiora inferioribus subiici debent 99. 1.a
Superlativus gradus, reliquos in se formaliter continet 426. 2.d
Superstitiosa nonnulla habet Plinius 369. 1.a b
Supervacua non sunt scrutanda 84. 1.a b
Susannæ pudor fuit bonus & sanctus 103. 1.d
Suscipio capitur pro adjuvo, protego, dirigo 77. 1.c d
à Suspectis non est capiendum consilium 591. 1.d
Suspiciosi in multis errant & delirant 85. 1.d
Sustentare pro exspectare sumitur aliquando 62. 1.d
Sustinentes Dominum in via veritatis & justitiæ, eum ut dominum sentient 563. 1.b c
Susurratio in magnam congregationem pessima est 118. 1.a
Susurro est qui occultè detrahendo in aliquem odium aut dissensionem molitur 118. 1.d unde dictus ibid. unde vox formetur 117. 2.c comparatur furi 118. 1.b ejus noxa, & odium ibid. idem est cum bilingui 468. 1.a
Syllogismi cornuti quinam dicantur 598. 1.c
συμβολὴ est convivium è collatis symbolis conflatum 327. 2.a
etiam conflictus bellicus 328. 2.a
συμβολοκοπεῖν quid propriè sonet 183. 1.d
Symbolum quid sit & unde dicatur 182. 2.c symboli nomine vocatur convivium, & cur 526. 1.a b
per symbola tradebant veteres sua dogmata 135. 1.d
Symmachus falsò apud Theodoricum regem accusatum, Martyrio occubuit 781. 2.a
Sympathia inter consulentem & consultum maximè valet in consiliis 594. 2.b
S Symphorianus puer à matre est cęli intuitu ad martyrium animatus 677. 2 a
Symposiarches quomodo crearetur in conviviis, & ad quid 526. 2.a *vide* Modimperator.
Symposia collatitiis symbolis instrui solita cur damnetur 328. 1.c d
eorum damna ibidem. in iis peccatur sæpè detractione 338. 1.c *vide* Convivium.
συμπόσιον vocant Græci convivium, cur 526. 1.a
post S. Synaxin aliquid Deo offerendum, & aliquid à Christo vicissim petendum. 570. 1.c

συν.

σύνεσις idem est quod industria, peritia, intelligentia. 116.1.b 117.1.d

Synteresis est stimulus conscientiæ jugiter admonens. 102.1.a

Syri gaudent similitudinibus. 745.1.a

Syriaca versio veteris Testamenti & novi à quibus facta sit. 18. 1.a b hæc magno in honore habetur apud Orientales. ibid. sed videtur ea recentior. ibid. Syriacus textus Ecclesiastici an sit autographus. 17. 2.b Syriaca lingua est semi Hebræa, & Chaldæa. 17.2.a etiam dicta est Hierosolymitana. 795.

Syrus interpres Ecclesiasticum ex Hebræo videtur transtulisse. 765. 2.a plerique libri Syrorum versi sunt in Arabicum. 33.1.c

T

TAberna meritoria Romæ quis locus sit. 444.1.a

Tabernarii non sunt immunes à peccatis labiorum. 2.a

Tabes corporis oritur deficiente medulla ossium. 440.1.b

Tacendo audienda musica & sermones eruditi. 528.2.d

Tacens est prudens. 342.2.b

sapienter & oportunè Tacere quid sit. 345.1.a tacendum non est, cùm loqui satius est. 105.1.a alioqui tacere satius, quàm loqui citra fructum. 342.2.b

Taciturnitas vitiosa quæ sit. 257. 1.c taciturnitas pudoris est comes. 442. 1.a *vide* Silentium.

Tactus mulieris est illecebrosus & venenatus. 182.1.b *vide* Mulier.

Talentum Atticum quanti sit pretii. 32.2.a

Talentis à Deo acceptis quisque uti debet. 352.1.d in aliorum usum depromenda sunt. 496.1.b

Talis eligebatur modimperator: eorum jactus erant varii. 522.1.c

Tantalus apud inferos medias inter aquas sitiens symbolum est avarorum. 221.2.d imago est divitis avari. 497.1.a b

Tardiloquentia commendatur. 108.1.c

Tardus quis dicatur. 363.1.c

Tatianus parens fuit Encratitarum hæretic. 519.1.a

Taurus quàm sit furibundus & animosus. 120. 2. a est symbolum regis. ibid. c taurorum pastio separata & pugna. ibid. d 2 a eorum effusa libido. 2.a sunt effrænes & impetuosi. ibid. d

Tecta domorum in Palæstina erant plana. 349.1.a

Tedæ jugales sponsis in nuptiis præferebantur. 367.1.a

Tela etiam rhomphææ vocantur. 728.1.d

Temerarii sæpè in operibus suis impingunt. 534.1.a

Temeritas in calore consistit. 533.2.a

Temperans semper est hilaris. 501.1.d

Temperantia in mensa servanda est. 508 2.d

in Templo est tacendum. 528.2.d vacuis manibus id ingredi non debemus. 570.1.a est domus sapientiæ 790.2.b ante ejus valuas olim Christiani orobant. 785.1.d cur templum Salomonis vocetur Libanus. 398.1.d erat constructum è lignis cedrinis. 2.a erat quasi parva civitas. 771.2.a templum Zorobabel duravit usque ad excidium urbis, in eo Christus docuit. 766.1.d templum montis Garizim fuit æmulum Hierosolymitani. 778. 2. d quando & à quo id erectum & excisum. 779 1.c

Tempus & ævum inter se distinguuntur. 36.1.a tempus omnes dolores lenit, & passiones mitigat. 61.2 d ejus quanta habenda sit ratio. 102.1.a ejus pretium. ibid. b 1. c citò labitur, nec redit. 222. 1. a ejus distributionem faciat qui id rectè vult impendere. 224. 1. c tempus longissimum cum æternitate comparatum est instar guttæ ad mare. 317.2.a b ejus symbolum est basiliscus. 1.d est tempus loquendi, & tempus tacendi. 345.1.c d 455.2.d tempus hujus vitæ est tempus operandi, futuræ mercedem recipiendi. 792.2.a c tempora Messiæ Prophetæ vocant novissima. 760.1.d

Temporalia modica ad vitam transigendam sufficiunt. 512.1 d

Tenaces non sunt fortes, sed invalidi. 476.1.b

Tenecitate opes deficiunt. 508. 2 b

Tenebræ vox unde derivetur. 689.1.a symbolum sunt tristitiæ, & avaritiæ. 501.1 d initio creationis faciem terræ obtegebant. 391. 1 a b tenebræ mentis sunt in omni peccato. 382.1 a

cur parata Tentatio ad Dei cultum accedentibus. 59.1 a tentationum utilitas. 60.1 c d 64 1 b d ad eas animus præparandus est, quintuplíciter. 59.1 a illis paratur gloria cœlestis. 60.2.a remedia ad illas superandas. 57 1 a 61.1 a d 2 a 62. 1 d 63. 1 a 63. 2 d 64. 2. d 65. 1 a tres earum fines & causæ. 64. 2. b homines iis probantur, ut aurum igne. 64.1 b tentatio probat justos. 449.1 b 2 a non solum meritum in terra, & præmium in cælo parat, sed & mentem illuminat. 558. 1 a tentationibus assueti alios quoad eas edocere possunt. ibid. b eas aufert Deus cùm lubet. 693. 2 b *vide* Adversa Tribulatio.

Tentatur quis maximè in ea re in qua aliquando peccavit. 60.1.d

Tentatus admittat consilia & consolationes tum piorum librorum, tum virorum spiritualium. 61.2 a non sit præceps & festinus, sed sinat passiones defervescere. 61 2 d 61. 1. a Dei opem expectet. 2. a c ad Deum confugiat per orationem. 62. 2 d tentatus capitur subinde pro multis tribulationibus, & casibus jactato. 557. 2 c

Tepidi labore suo magno parum in sanctitate proficiunt. 504. 1.a

Terebinthus arbor describitur. 406. 2.d

S. Teresia vovit se in qualibet refactum quod foret optimum. 69. 2.d 548. 1.d

Terræ magnitudo. 35. 2.b d quis ejus sit ambitus. ibid. d ejus motus ostendit Dei magnificentiam & potentiam. 292. 2.c terra thesaurus & horreum est omnium creaturarum, & in ipsam omnia redeunt. 299. 1.a quomodo terra à Deo in hieme & æstate foveatur & refrigeretur. 391. 1.c mater est omnium viventium. 637. 2.b 642. 1.a terra & solum an differant. 540. 2.c non omnia ex terra nata in eamdem convertuntur. 641. 2.c tremit & concutitur tonitruo. 688. 2 d 689. 1.b ejus usque ad centrum profunditas. 782. 2.a ejus motus fit Dei nutu. 689. 1.b terræ mandanda sunt corpora defunctorum. 609. 1.a

Terrena omnia abdicant à se Religiosi. 587. 2.a b

Tertulianus parœmiis & apologis abundat. 20. 1.b

Testa confracta symbolum fatui est 365. 2.a

Testamentum sæpè significat legem Dei. 222. 1.b d. 295. 1.c 303. 2.a 663. 1.d. 720. 1.a testamentum item dicitur quodvis pactum, decretum, dispositio. 222. 2.a d testamentum inferorum quod dicatur. 253. 1.a b c d 2.a c testamentum legis Mosis quomodo dicatur æternum, cùm non fuerit æternum. 303. 2.a testamenti veteres & novi felicitas diversa erat. 434. 2.a

Testificari idem est aliquando, quod denuntiare. 467. 2.a

Testimonium idem est quod lex Dei. 724. 1. a

Tetragoni vocantur à philosophis viri fortes. 134. 2.a

Tetricus vultus detractoré quasi monet ne detrahere pergat. 472.1.a

Textus Græcus Ecclesiastici corrigendus ad Latinum, non contrà; unde ille ita sit vitiosus. 29. 2.d textus Latinus Bibliorum cur sæpè à Græco dissentiat. 18. 2.b

S. Thaddæus an libros sacros ex Hebræo in linguam Syriacam verterit. 18. 1.a

Thalassius anachoreta signo crucis sanavit suos colicos dolores & viperæ morsus. 51. 1.c 608. 1.d

Thales Milesius sapientum penè antiquissimus fuit. 4. ejus dogmata moralia. 23. 1.a astra contemplans in foveam lapsus est. 83. 2.a

Themistocles quid responderit mirantibus ita se mutatum. 491. 2.d

Theocratia regebatur Israelis respubl. 304. 2.b

Thodolinda regem Longobardorum ad fidem Catholicam pellexit. 442. 2.d

Theodoricus Gothorum rex Arrianus factus Boetium antea amicissimum capite plecti jussit. 621. 2.a b 781. 2.a ejus erga afflictos misericordia. 95. 2.a

Theodosius Imp. S. Ambrosium honoravit. 161. 1.a præcipitavit judicium de Thessalonicensibus. 215. 2.a

Theologia magna ex parte est moralis. 9. theologia vetus. *vide* Ethica supernaturalis.

Θεὸς dicitur ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι. 560. 2.c

θεραπεία est cultus & observantia, maximè heroum. 574. 2.a

Therapeutæ dicebantur primi Christiani & monachi. 574. 2.a

Theriaca fit ex carnibus viperæ. 251. 2.a componitur è plurimis simplicibus: ejus vires, & inventor. 544. 1.d 2.a b 605: 2 a

Thesaurus absconditus vocatus sapientia Evangelica. 134. 1.d unde vox thesaurus derivetur. 135. 1.c thesauri inventi sæpè inventoribus cesserunt in detrimentum. 346. 1.d

S. Thomæ Aquinatis gnomæ ethicæ. 27. 1.d per Dei timorem & pietatem omnem sapientiam acquisivit. 47. 1.c post mortem socio apparens, & de gloria cælesti rogatus, quid responderit. 84. 2.c assiduè de Deo loquebatur. 185. 2.d ejus elogium. 278. 1.d

b. Thomas Morus cur ab Henrico VIII. securi percussus, & hoc ipse sibi præsagiit. 248. 2.b ne detrahentes in cœpto sermone progrederentur, scitè impediebat. 472. 1.c in munere judiciario erat integer. 735. 2.a

Thomas VVolsæus regis Henrici VIII. adulator miserè tandem hujus gratia excidit. 87. 1.c

Thronus significat trium personarum SS. Trinitatis hypostasin, ejusque dignitatem & excellentiam. 392. 1 c d & seqq. quomodo nubes sit thronus Dei. 391. 2.b c est velut cathedra docentis, & tribunal judicantis. ibid. b

Thus etiam Libanus vocatur. 406. 1.a id Arabia habet laudatissimũ. ibid. d est id duplex, unum non incisum, & hoc dicitur masculum; alterum sectum. 406. 1.b quod dicatur thus incisum, quod non incisum. 406.1.c d thus bis in anno colligitur. 2.a id describitur. ib. c ejus virtutes, quæ sapientiæ applicantur. 2.a thus vox unde derivetur. 2.a omnes gentes thus soli Deo dederunt. 2 a cur id victimæ imponeretur. 571.1.a est symbolũ orationis. 405. 2.a b 406. 2 a 571. 1.a thuris arbor in æstate suavissimum odorem spirat. 772. 2.b

Thymiama è quibus aromatibus componeretur, quid mysticè repræsentet. 397. 2.d 405. 2.d 176. 1.d id quotidie Deo bis offerebatur. 723. 2.d

Tiara byssina insigne erat sapientis. 138. 2.b

Tiberij Imp. de Caligula futuro Imp. judicium. 152. 1.a

Tigu-

Tigurina versio Bibliorum quantæ sit fidei, qui ejus auctores, quid in ea observandum. 19. 1. a citatur nomine Vatabli. 19.1. d non est interpretatio, sed potiùs commentatio. 19.1.b 641.2.a 643.2.d
nihil Timendum Deum sequenti, cur. 731.2.d
Timens Deum est quasi sacerdos Deo consecratus, item rex, & triumphator. 43. 2. a b hic gaudebit in extremis. 44. 1. b c. & in die mortis benedictionem accipiet. 2.b verè practicè novit Deum. 44. 2. d pro Deo omnia dura excipiet. 45. 1. b c sua pietate sanitatem emeretur & impetrat. 51. 1. a timore Dei omnia peccata à se eliminat. 53.1. d quomodo se sanctificet, cùm sit sanctus. 70.2.a quomodo conscientiam suam examinare debeat. 70.2. d patienter excipit adversa. 71. 1. a eum sequitur Dei benedictio. 97. 2.d illi à Deo dantur veri amici. 131. 1. d 2. a & ipse est verus amicus. 1. d & fidus suis. 131. 2. c ejus dignitas. 203. 1. a si ditescat, duplici honore honoratur. 207. 1. a solus sapientiam apprehendit. 273. 1. c eum sequitur honor & gloria. 385. 2. d est item longævus. 186. 1. a mortalium beatissimus est. 425. 1. a c d est angelus cœlestis. 1. d excipit disciplinam ejus. 532. 1. d facilè cognoscit quod justum est, & à lege præscriptum. 533. 1.d Dei legem diligit. 537. 1. d ideoque in adversis constans erit. ibid. a 2.a est in hac vita beatus. 560. 2. a *vide* Sapiens.
Timidi sunt ut plurimum suspicaces. 85. 1. d & cauti. 533. 2. b & in perpetuis angoribus. 184. 1. a non sunt de bello consulendi. 593. 2. a
Timon fuit hominum osor. 260.1.a 610.1.b
Timor filialis includit amorem Dei. 426. 1. d timor capitur subinde pro re timenda. 533. 1. d timor est causa & comes consilii, & prudentię. ibid. c
Timor mortis causat vitæ emendationem. 166. 1. d timor propriè stultorum est. 369. 2. c d 370. 1. d timor gehennæ etiam donum est Dei, ejus effectus. 53.2.c
Timor sive amor Dei via est sapientiæ, quatuordecim ejus elogia. 43. 1. d 425.2. d est initium & modus parandi sapientiam. 43.1. d 45. 2. d & seqq. parit gloriam, gloriationem, & lætitiam tum in cælo, tum in terra. 43.2. a coronat hominem velut sacerdotem & regem. ibid. c debet esse filialis & reverentialis. 2. c affert veram animi delectationem. 44. 1. a vocatur sapientia. 45. 1. a rapit omnes in sui amorem. 2. a ipse est principium, radix, & finis sapientiæ. 45. 2. d 46. 1. d 2. c. 49. 1.d 52.1. a amplè sumitur pro omni Dei cognitione, metu, cultu, observantia. 47.1. a quantopere is sit necessarius. 1. d fidei & justitiæ comes est. 2. a videtur fidelibus quodammodo concreatus. 47. 2. d cum electis graditur. 48. 1. a animæ passiones domat. 48. 2. c agnoscitur exteriùs per opera virtutum. ibid. c d est scientia religiosa, & parens religionis. 1.d 49.1.a eo crescente crescit & sapientia. 49. 2.d 51.2.a suos clientes implet bonis spiritalibus & temporalibus. 50. 1. d est corona sapientiæ. 2. b actus hominis sapienter dirigit. 51.2.a b reddit asseclas suos longævos. 52.1. d 2. a custodit & conservat ceteras, virtutes. ibid. expellit omne peccatum. 53. 1. a 1. d est crux vitiorum. 53. 1. a 2. a timor Dei, sapientia, & mandatorum custodia valdè inter se connexa sunt. 55. 1. a c d quem inter se ordinem habeant. 1. c hæc sæpè pro eodem sumuntur. 2. a timor est optimus gratiæ custos. 58.2. a optimum item remedium in tentationibus est. 65. 1. a b 2. a amanti Deum est omnia. 65. 1. d adducit humilitatem & paupertatem spiritus. ibid. ejus fructus. 65. 2. c d 66. 1. d timor Dei idem est quod veneratio Dei. 158. 2. a est initium omnis virtutis. 202. 2. d varia ejus elogia. 203. 1. a ipse est vera nobilitas. ibid. c d est major honor quàm sit rectoratus. 1. d 204. 1. c urget ad profectum virtutis. 273. 1. d 2. a in eo omne hominis bonum consistit. 385. 2. b est fructus sapientiæ. 408. 1 a decet senes, & hic eo possunt gloriari. 422. 1. c quis is sit; hominem mirè beatificat. 425. 2. a 426. 2. d arrogantiam animi valdè premit. 425. 2. a est auriga animæ. ibid. item velut nauclerus, & speculator. ibid. b est animæ pædagogus, & per Chironem repræsentatur. ibid. c eo crescente crescit amor. 426. 1. d quin, & causat amorem, & hic illum. ibid. d 2. a avarum ab avaritia cohibeat. 447. 1. c hominem retrahit à peccando. ibid. purgat animam ejus. 2. a refrænat iram. 465. 1.d eo aures occludendæ sunt adversus detractores. 472. 1. a causa est fortitudinis animi. 560. 1.b cor dilatat, extollit, & vires adauget. 648. 1.d est amor Dei, vel eum includit. ibid. idem cor exaltat, ibid. ipse solus hominem salvare potest. 648. 2.c virtutes & bona reliqua in se habet, vel à Deo impetrat. ibid. conciliat homini omne bonum. 1. d paradiso & cælo confertur. ibid. est velut regia vestis qua timentes Deum vestiuntur. ibid. timor significat Dei cultum & religionem. 725. 2. d timores mirè animum discruciant. 639. 1. b
Tinea est symbolum libidinis. 667. 1. a b c quomodo illa in vestibus nascatur. ibid.
quare Tintinabula aurea malis punicis intermixta è veste pontificis dependerent. 721.2.c
Titus Imper. diem se perdidisse dicebat non præstito beneficio. 265. 2. d
Tonitru prius est fulmine, imò ejus causa. 530. 1. a. d 2. c 689. 1.b 735. 1. b typus est impiorum. 642. 1. d 2. b unde dicatur. 689. 2. a concutit mentes hominum & terram. 688. 2. d 689. 1. d unde oriatur. 688. 2. d 689. 1. a b ejus violentia. ibid. quatuor ejus causæ. ibid. est vox Dei. ibid. c. & seqq. est indicium magnificentiæ & potentiæ Dei. 393. 2. c. & seqq.
Tormenta sua accidentalia adaugent dæmones, non pœnam essentialem. 634. 1. c d
Torques capitur quoque pro boja, & collari vinculo. 136. 2. b torques aureus est insigne sapientiæ. 138. 2. a
Torvus aspectus taurorum est. 120. 2. d
Tragœdiæ tristes habent exitus. 318. 1. d
Trajanus Imp. juris divini, & humani sciens fuit. 3.
Trames aquæ est fossa è fluvio deducta. 415. 1. c
Tranquillitas animi in discipulo requiritur, ut doctrinam admittat. 657. 2. d
Transanimationes variæ Pythagoræ. 11.
Tria Deus non potest facere meliora, quàm facta sunt. 41. 1. c
Tribulatio est lapis probationis. 134. 2. a in illa est constantia necessaria. 223. 2. a dum ea ingruit, gaudia Beatorum in memoriam revocanda. 226. 1. d probat justos. 448. 1. b 434. 1. c ea excoquuntur velut vasa lutea. 434. 1. a Christus illos ea velut sponsas sibi despondet. ibid. d non fugienda, sed ambienda est. 2. a eam cùm lubet, aufert Deus. 693. 2. b tribulationes sunt portę ad mortem & vitam. 781. 2. d *vide* Tentatio, Adversa.
Tribulus est spinæ genus; unde dictum sit. 690. 2. d
Tribus Israel à quibus dispersæ, & à quibus congregatæ. 581. 1. a sunt typus omnium gentium fidelium. ibid. b c singulæ suam portionem in terra promissa accepere. 716. 2. a tribus decem cur à duabus secessionem fecerint sub Roboam. 747. 2. a 748. 1. a
Tricliniarcha erat idem qui modimperator. 522. 2. a
SS. Trinitatis tres quasi throni, & adorationes. 392. 1. c ipsa fons est concordię quia ipsa concors. 419. 2. c est origo omnis contrapositionis rerum. 545. 1. c d ternarium quendam rebus omnibus velut sui imaginem inseruit. 647. 2. c quomodo eam definiret Manichæi. 670. 1. c iride repræsentatur. 686. 2. a b seipsam infinitè laudat, & glorificat ab omni æternitate in omnem æternitatem. 680. 2. a 2. d 700. 1. a cognita fuit priscis Judæis. 784. 2. a sed eam negant moderni. 295. quod ejus sit symbolum. 307. 2. d
Trinsare vox propria hirundinum. 117. 2. b
in quibus Tristandum sit. 500. 1 c
Tristis moritur sensim per ærumnas. 434. 1. d tristes semper funestas habent cogitationes. 447. 2. b tristis sępè pro sævo, irato & minaci sumitur. 371. 1. a tristia & lęta invicem succedunt. 225. 2. a & seqq. 227. 1. c
Tristitia de peccato pia & sancta est. 256. 2. a 258. 1. a à tristitia non debemus absorberi. 257. 1. a quę tristitia mala sit. 257. 1. d ejus schema. 2. a tristitia sequitur indigentiam. 262. 1. d tristitia, & ira ac sęvitia se invicem comitantur. 371. 1. c tristitia cordis est miseria universalis. 427. 1. a est gravior omni corporis cruciatu. 426. 2. d 427. 2. d item morte. 434. 1. c tristes generat cogitationes. 447. 2. a non sinenda animo dominari. 497. 1 b cur ea fugienda. ibid. b ejus remedium est, malum, quod affligit extenuare. 497. 1. c item bona conscientia. 2. a b 258. 1. a item occupatio magna. 550. 1. b item oratio & spes in Deum. 500. 1. d alia ejus remedia. 226. 1. d 227. 1. a item prudentia. 584. 1. d fugat spiritum lætitię, & accersit spiritum accidię & tristitię. 498. 2. a facit hominem brevis ęvi. ibid. oritur ex mala conscientia. 499. 1. d occidit tristantem. 499. 2. d ad nihil confert. 500. 1. a quomodo sine ea quis vivat. 500. 1. d adducit senectam. 502. 1. a Spiritum sanctum contristat. 501. 1. a quæ adferat damna. 610. 1. c. d 2. b c 610. 2. d est moderanda. ibid. 611. 1. b tristitia preterita causat lętitiam. 783. 1 a b *vide* Dolor.
Triumphantes Romę glorię brevitatis itentidem admonebantur. 214. 1 a
Troilus Episcop. visione cęlesti factus est ex avaro eleemosynarius. 260. 1. d
τρυβλίον est catinus, patella, ollula. 510 2. d
Tubarum argentearum usus olim tempore sacrificii. 775. 2. c d
Tubalcain fabrilis artis fuit inventor. 616. 1. d
Tunica hyacinthina pontificis vocatur poderes. 721. 2. a item tunica linea. ibid.
Turba cur sit fugienda. 227. 2. a c turba etiam turbationem, commotionem & seditionem significat. d
Turbatio facit hominem tumultuari in opere & corde. 639. 2. d
Turbo ventorum quàm sit vehemens. 689. 2. d 690. 1. a
à Turca subjugati sunt multi principes Christiani qui ejus operam contra Christianos advocarât. 532. 1. a Turcę etiam mensę benedicunt. 532. 1. c censent amentes & fatuos à Deo enthusiasmo agi, idque in honorem sui Mahometis. 553. 2. a nolunt uti medicis, & quare. 599. 2. c fatuos venerantur, & cur. 176. 1. a
Turpinus Archiepiscop. Rhemensis fabulosus est auctor. 730. 1. a

Turtu-

Turtures sunt symbolum fidei conjugalis. 384.1.d
Tympanum è pelle lupina obmutescere facit aliud è pelle ovina. 251. 2. b
Typhon ventus quàm sit vehemens. 690.1.a
Tyranni sibi arrogant jus necis in quoslibet. 784. 1.a d tyranni proprium commodum, princeps publicum quærit. 191.2. a tyranni omnes citò moriuntur, & cur. 196. 2. c & seqq. eorum morti omnes inhiant. 197. 1. d sunt velut lupus, leo, hyæna. 251. 1. a 2. c. 253. 1. a. tyranni multi præter spem ad regnum evehuntur. 214. 2. d & alii regno dejiciuntur. 215. 1. a *vide* Princeps, Rex.
Tyrannis per taurum exprimitur. 123.2.a

V

VAcuus nemo coram Deo appareat. 569. 2. a & seqq. 570. 1. a
Vagari oculis signum est impudicitiæ. 569.2.a
Vagus est velut hirundo. 387. 1. a sæpè in pericola, servitutem, & mortem incidit. ibid. b
Valens Imp. ab Arrianis depravatus est. 230.1.a
Valentinianus Imp. à matre ad arrianismum pertractus est. 488. 2. a
Valetudinis curam habeat æger. 605. 2. c d *vide* Sanitas.
Validus manu, est liberalis. 476.1.b d
Vallem monti Sion vicinam Salomon implevit terra aggesta. 770.1.a
Vanus etiam mendacem & fallacem significat. 555.1.d
Vas Hebræis est omne instrumentum & ornamentum. 678. 2. c 721. 1. c vasa lutea cur plumbo, rubrica, aliave materia liniantur. 617. 2. a 618. 1. a.
Vas est qui pro reo in judicio fide jubet. 481.2.c 482.1.a
Vastitas maris. 694.1.d
S. Vdalricus Episc. Augustanus secundus est solemniter ab Ecclesia canonizatus. 704 1.b
Vdonis Præsulis Magdeburgensis mors, & descensus ad inferos. 241. 2. c d
Ve priscis fuit particula privativa. 181.2.b
Velocitas salutaris quæ. 515. 1 a velocitas in studio virtutum necessaria est. 516.1.b c
in Vendendo sæpè intercurrit peccatum. 446 1.c
Venenata post fulminis ictum, plagam cur deponant. 687. 1. c
Venenum haustum ejicere volens symbolum est ejus qui malum de proximo clàm auditum aliis mox enarrat. 335. 2. d venenum veneno pellitur. 544. 2. a venenis singulis singula antidota propria sunt. 545. 1. b
Venialia peccata cavenda ei qui majora cavere vult. 329. 2. a 506. 1. a ea avertunt gratiam Dei. 231. 1. a disponunt ad magna. 330. 2. a cur sint magis vitanda quàm magna. 331. 1. b ea sæpè iterata illapsum gratiæ impediunt. 566. 2. c d
Ventilare quid propriè sit. 115.2.d 116.1.a
Venti campus adagium dicitur de incostante. 116. 1.a
Ventris & mentis comparatio. 507. 2. b c ventre pro corde accipitur subinde. 789. 1. d divitum horrea sunt ventres pauperum. 480. 2. a
Ventus quod habeat etymon. 689. 2. a quid sit. 2. c symbolum somnii est. 554. 2 a b ventorum vis. 690. 1. a quæ eorum generatio. 692. 1. a eorum materia est exhalatio calida, & sicca. ibid. sunt arcanum Dei. ibid. c variæ eorum species. ibid.
Veneris usus immodicus corpus eneruat. 494. 2. a *vide* Libido. Fornicatio. Veneri deę quæ sint contrariæ. 494. 2. a Venus erat jactus auspicatissimus in talis. 522. 1.b c
Venus vox unde derivetur. 181. 2. b Venus cur dicta Libitina, & Nephte. 221.1.b
Venustas artificialis non satiat visum, sed naturalis. 645. 2. d vide Pulchritudo.
Verbalia desinentia in *bilis* subinde accipiuntur pro participiis, vel nominibus. 88. 2.b
Verberare quatenus servum liceat. 551.2.d
Verbum bilingue & simplex quod dicatur. 116. 1. d verbum dulce parat amicos. 124. 1. a b d verbum malum auditum in audiente commoriatur. 335. 2. c d 2. a verbum ostendit quale sit cor, & qualiter excultum. 449. 1. a d verbum oris est speculum cordis. 2. b verbum imprę meditatum non indicat statum cordis. 449. 1. c verbum sępè Hebręi sumunt pro re verbo significata. 379. 1. c 530. 2. d & pro consilio. 596.1.c d
Verbi, idest Filii Dei, quando, ubi, essentia. 34. 1. c Verbum Dei, est duplex, essentiale & notionale. 39. 1. b cur dicatur fons sapientię. ibid. & 39. 1. d 2 a verbum Dei essentiale & notionale quod. 39. 1. c à verbo Dei petenda consilia. 533. 2 d qualiter Verbum in Christo cum humana natura subsliterit. 580. 1. a id factum est verus homo. ibid. est quasi ferrum ignitum. 617.1.c
Verba singulis propè sęculis antiquantur & enascuntur. 28. 1. b c verba vehiculum sunt mentis. 105. 1. d verba S. Scripturę quando sint propriè, quando figuratè intelligenda. 235. 2 b c verba Dei attentè audienda & ruminanda sunt. 296. 1. a verba blanda dolorem magis leniunt, quàm dona. 320. 1. b aspera exasperant. 2. a verba libranda sunt, antequam proferantur. 361. 1. a b 361. 1. d 2. a 373. 1. d & seqq. eorum reverentię & honestati assuescendum. 379. 1 b 379. 2. b verba prava bestiis comparantur. 472. 1. d verba obsignanda sunt effigie Dei. 473. 2. b & ponderanda. 474. 1. a c temere prolata multis afferunt mortem duplicem. 474. 2. b verba quęlibet temere credenda non sunt. 583. 2. c 584. 1. a verba sapientię ubi depromenda. 455. 1. d verbis dubiis scriptoris sacri non sunt alia vicina ad libitum substituenda. 643.2.a
Verbositas dedecet in omni sermone, tū maximè in oratione. 148. 2.b
Verbosi facilè mentiuntur. 148.2.b videntur aliis dominari velle loquendo. 345.2.c
cur in Vere flumina intumescant. 413.1.d 414.1.c
Verecundia non est virtus, sed naturalis passio. 102. 2. c quando bona, quando mala. ibid. 103. 1. a decet maximè pueros & virgines. ibid. ejus elogium. 1. b est optima dos mulieris. 154. 1. c verecundia mala quæ sit. 350. 1. a 1. d proprium virginum & mulierum monile est. 441. 1. c est prima dos juvenum. 529. 1. d hęc eos valdè commendat, & gratiam iis conciliat. 530. 1. b d. 2. a comparatur tonitruo. 1. b item grandini. 2. d est timoris species. ibid. ejus elogium. ibid. b 441. 2. c
Veritas sectanda interpreti, non verborum elegantia. 28. 1. a à prima veritate Dei manat omnis veritas. 35. 1. a veritas vita potior est. 102. 2. d. 1. a ipsa liberè confitenda est. ibid. 104. 1. b d res divina est. 105. 1. a b ei non est contradicendum. ibid. pro ea usque ad mortem est certandum. 107. 1. a b ejus dignitas, & pręstantia. 148. 1. d veritas quodlibet bonum sive officium virtutis, item justitiam significat. 279. 1. b 307. 1. d veritas speculativa & practica quę sit. 450. 2. a b ad sui studiosos revertitur. ibid. & 2. c quomodo coli possit. 523. 2. b falso vel minimo corrumpitur, desinitque esse veritas. 555. 1. a est firma & stabilis. 598. 2. a veritas rerum est Deus & Christus. 450.2.b
Vermes oculis carent. 150. 2. a progignuntur ex humano cadavere. 198. 1. c d vermes veri erunt in inferno. 152. 2. d & seqq. 198. 1. d.
Versio Ecclesiastici Latina immediate videtur ex Hebręo traducta. 164. 1. a Vulgata admodum antiqua est. 626. 2. c *vide* Latina.
Versipelles quando & quatenus colendi. 109.1.c
Versus unus Gręcus in Eccles. sępè duobus Latinis redditur. 30.1.a
Versutię etiam vocantur parabolę & ęnigmata. 613.2.d
Verum quomodo ariolus dicat. 555.1.a
Verus sępè sonat idem quod integer & perfectus. 66. 2. d verum loqui assueto creditur, etiamsi mentiatur. 148.2.a
Vespasianus Imp. à Deo protectus, tela Judęorum evasit. 191. 1. b fuit in inimicum beneficus. 233. 2. d unde omē imperii acceperit. 399.1.d
Vestigium tria significat. 355.2.b
Vestis cui usui serviat, & quare inventa. 484. 1. a b 633. 1. a vestes pontificiæ cur dicantur virtutis, idest roboris & potestatis & opulentię. 721. 1. c quid mysticè designent. 1. d 722. 2. c quo ordine & ritu eę induerentur à sacerdote. ib. 2. c earum dignitas. 723. 1. a
ob Vestitum non est superbiendum. 213. 2. d 2. a vestitus index est animi. 341.2.a
Veterani in Religione magis sint humiles. 82.1.b c
Vexantes justos malè pereunt. 460.2. d
Via Dei est lex, virtus, honestas. 69. 2. c via virtutis & vitii per Y. repręsentantur. 357. 1. d viæ bonorum quæ dicantur. 220. 1. d rogandus Deus est has ut nobis pandat. ibid. vię Dei justis videntur æquę, impiis iniquę. 631. 1. d 2. a item illis directæ, his tortę sunt tripliciter. 2. b c via sęculi cur suavis, virtutis difficilis nobis videatur. 787. 1. d via virtutis est ardua & difficilis. 788. 1. a viis duabus pergere nemo potest. 67. 2. a 2. d viam ingressuri sese sancto Raphaeli angelo & S. Josepho commendent. 174. 2. b hi olim Herculi sacrificabant. 202.2.a
Vjator in quo imitandus ad perfectionem tendenti. 208. 1. a viatorum joci benignè sunt accipiendi. 663.2.c
Victima ex rapina pauperum quinq; habet crimina. 564. 1. a & seqq. victimę pingues placent Deo prę macilentis. 570. 2. a cur victimę pro peccato thus non imponeretur. 571.1.a
Victoris proconsulis Carthaginensis in arrianismo repudiando constantia. 608.2.d
Victus pauperi dandus, multipliciter accipitur. 91. 2. a victus sæpè ponitur pro vita. 649.2.c
Videre Hebręi pro quolibet sensu accipiunt. 734.2.a
Viduam ducere non est illicitum, cur id tamen dissuadeatur. 17.1.a cur viduę Romanę intra annum luctus non possent nubere. 367. 2. a viduarum gemitus & clamorem exaudit Deus. 191. 2. a 574. 1. b 1. d earum est protector. 783.1.d
Vigilia nocturna tabefacit hominem. 502.2.a
Vindicare signum est pusillanimis. 463.2.a
Vindices sunt spiritus tàm boni quàm mali. 633. 2. d item elementa. & varię creaturę. 635.1.b
Vindictę appetitus homini innatus est, estque ei gaudium. 423. 2. a eam vetat lex Christiana. ib. at Gentiles laudabant. 464. 1. d ea grave malum est. 428. 1. a non est à Deo postulanda, sed ipsi committenda. 461. 2. d publica vindicta est sancta. 462. 2. a eam capien-

pientis peccata Deus vindicabit. 462.1.a vindicta de peccatis sedatur Dei furor. 634.2.d vindicta Dei efficax est, & omnia penetrat. 754.1.a

Vinosi non sunt ad potandum provocandi. 517.1.d

Vinum vetus novo præstat. 183.1.a vino exploratur veritas. 248.1.d vinum apostatare fecit multos. 331.2.a vini potus fluxiones multas ciet, & affert iracundiam. 514.2.d vinum est convivii decus. 517.1.c superbiam mentis probat. 2.a 1.c igni comparatur. 2.c in illo est veritas. 2.a id sobriè sumptum sanitatem homini affert & commodam vitam, & acuit ingenium. 518.1.a & seqq. 519.2.b 520.2.d conservat vitam hominis. 518.1.a b a b c eius vires & effectus. 1.c 519.1.c & seqq. est creatura Dei. 519.1.a creatum est ut homines afflictos exhilaret, non ut illo se inebrient. ibid. b eius usus cœpit à Noe. ibid. eius commoda. ibid. c eius damna. 520.1.c & seqq. id bibendum suo tempore 519.2.c item quantum sufficit. ibid. id si forte, aqua diluendum. ibid. quando id bibendum, & quando aqua, ad sanitatem. ibid. nimium sumptum caput & cerebrum crassis, crudis & biliosis vaporibus gravat. 1.d vini etymon. ibid. unde dicatur Lyæum. ibid. c vis eius maior quàm veneni. 520.1.d est libidinis incendium. 2.a eius & cantus sympathia. 528.1.b c id fulmine concretum, potantem exanimat vel dementat. 687.1.b vini effusio erat sacrificii consummatio. 175.1.d vinum spirituale quod dicatur. 407.2.a 518.2.d quod vinum sapientiæ. 585.1.d

Vipera symbolũ est uxoris viro dominantis. 178.2.c itẽ adulterorũ. 384.1.c balsami pastu venenum amittit. 407.1.c quàm cum mare suo sit concors. 647.1.a c vitupera viperæ veneno medetur. 544.2.a viperæ erant pœna paricidarum. 635.2.d

Vir ne sinat uxorem dominari. 178.2.a b 546.2.a exempla eorum qui sic periere. 1.d vir & uxor sunt una persona politica. 75.2.b vir à mulieris consortio patietur detrimentum. 677.1.a b viri nomen merentur qui animo sunt virili & excelso. 702.1.d viri iniquitas quo sensu sit melior benefaciente muliere. 667.2.b & seqq. 668. vir & uxor invicem consentire debent. 419.2.a vir quietus & tranquillus difficulter uxorem loquacem fert. 430.1.d ei pareat uxor. 433.2.c d vir bonæ uxoris diutiùs vivet. 434.1.d eam magis exemplo quàm verbo doceat virtutes. 443.1.a nec ei nimis multa & magna committat. ibid. c ei amore se accommodet, eius alioqui caput est. 646.1.d diligenter advertat qualem ducat. 584.2.b vir non uxoratus, adulteratur & fornicatur sæpè. 586.2.b similis est avi nido carenti. ibid. d virorum unguentum erat balsamum, amomum mulierum. 405.1.a viri Ezechiæ parabolas Salomonis tantùm mutarunt quoad ordinem. 30.2.b viri Apostolici soli simul omnia agere volunt è zelo. 117.2.c

Virago quæ dicatur. 435.1.a est animo virili: tales non minùs quàm viri imitandæ. 702.1.d

Viratæ mulieres quæ dicantur. 469.1.a

Vires sunt invicem. 421.2.b viribus paria aggredienda sunt. 123.1.a

Virga symbolum est recti judicii. 174.1.b

Virginitas rosa denotatur. 400.2.d & lilio. 627.2.b 628.1.a assiduè & dignè communicantes ea donantur. 412.1.a virginitas fœcunda B. Virginis. 407.2.b

Virgo oculos custodiat. 179.2.d 180.1.a virgo sponsa unicè amat sponsum virum. 266.2.d virgo quædam Gentilis eleemosynis addicta in baptismo sponsorem pro se habuit angelum. 89.2.d virgo qualem se intus & foris præbere debeat. 627.2.a maximè custodienda. 666.1.b virgo vitium passa, ubi exoleverit, ferè evadit meretrix. ibid. d virgines sunt rosæ mysticæ. 402.2.a virgines ad lupanar deductæ, plerumque illæsæ inde exiere Deo eas tutante. 395.1.d

Virgines non superbæ, sed humiles sint. 80.2.a earum multiplex est decor. 179.1.b apes imitentur. 111.2.d 112.2.d præ aliis Sanctis Deum sequuntur. 386.1.b virgines Lacænæ sine dote elocabantur. 757.2.a

Virgula fumi ascendens ex aromatibus myrrhæ & thuris, symbolum est B. Virginis. 405.2.a b

Viridia sata cur summè oculos oblectent. 645.2.d 646.1.a b viridis color visui maximè contemperatus est. ibid. 1.d

Viriditas agrorum cur ita oculos delectet. 2.c d animum non illa quæat. ibid. eius variæ sunt in herbis species. 646.1.b unde illa oriatur. ibid. c d

Viror à vigor derivatur. 646.1.d viror spiritualis & mysticus quis sit. ibid. d 2.a & seqq.

Virtus dicta est à viro, quia virilis. 159.1.c 276.1.a 408.1.d eius elogia & definitio. 6.7. 705.1.a ea beantur civitates & homines. 9 quæ sit vera virtus. 9. virtus est causa lætitiæ. 87.2.c facit sapientes. 278.1.a ad eam opus est magno robore. 135.2.d fingitur à poetis habitare in arduis rupibus. ibid. consuetudine fit facilis & jucunda. 138.1.c 186.1.a in die novissima sui cultores protegit. 238.1.d quid sit ex tota virtute Deum diligere. 159.1.d virtus in quo differat à fortitudine ibid. d in se constans est. 370.1.a ei incumbendum in hac vita, post mortem id non licebit. 262.2.c 263.1.a 2.d 266.2.b c virtus illa qua peccatorem commissorum pænitet, non est una, sed duæ. 115.1.c virtus quo plus gustatur, eo plus appetitur. 411.1.a 2.a quando & quare sit facilis. 728.1.d & seqq. justo semper fit facilior & jucundior. 454.1.d omnibus bonis naturæ præponderat. 494.1.d est sanitas animæ. ibid. item pulchritudo eius. 442.2.a in æternum manet. 642.1.b sapientiæ nomine sæpè dicitur. 644.2.d laudari meretur. 702.2.d 703.1.a in animi vigore & robore consistit: eius variæ definitiones. 705.1.a & seqq. est summum bonum huius vitæ. 2.a eius potentia & constantia. 706.1.c ea malè uti non possumus. ibid. Deo nos reddit similès. ibid. parit nomen & famam æternam. 710.2.b 763.2.a cur eius via aspera videatur. 787.2.a 788.1.a ad eius consecutionem tria sunt requisita. 787.2.d ei studere ante tempus quid sit. 792.2.a b & seqq. eius & vitii antitheses. 451.1.b & seqq.

Virtutes veræ apud solos Christianos sunt, apud Ethnicos fictæ. 68.9. virtutes maxima sunt bona. 7. earum maiora intendunt habitum timoris & virtutis. 55.2.a sunt velut creaturæ justorum. 99.2.d è labore gignuntur. 149.1.d 2.a hominem, & præsertim mulieres, speciosas reddunt. 442.2.b fugiunt improbos, deflectunt ad probos. 450.2.c sunt quasi aves. ibid. d per ossa repræsentantur. 469.1.a earum omnes actus, sunt magni Dei cultus. 567.1.d ad eas parandas socordia noxia est. 649.2.b eæ solidæ sunt in senibus. 646.1.d sunt velut thymiama. 761.1.c apta proportione inter se componendæ sunt. ibid. d virtutes omnes in Deo sunt, excepta humilitate. 214.2.a virtutes cælorum quæ dicantur. 296.2.a virtutes multæ & diversæ hominem ad orandum allicere possunt. 323.2.d

Visio an fiat emittendo, an recipiendo spiritus visivos. 180.1.d sæpè significat rem visam aut visibilem. 677.1.a

Visitare infirmos opus misericordiæ est. 163.2.a quàm id sit utile. 164.1.b

Visitationis dies, idem qui judicii. 69.2.a 70.2.d

Visitatio tam Dei opem, quam castigationem significat. 566.2.c d

Visus pro quolibet sensu accipitur. 427.2.d

Vita accipitur subinde pro lætitia & felicitate. 63.1.d vitæ præsentis tempore utendum est. 102.1.a in ea operandum, quia post eam non licebit. 262.2.c 263.1.a 2.d 266.2.b ipsa mercatus est, & tempus merendi. 267.2.a eius brevitas. 2.b 317.2.d vitæ terminus cuique Deo definitus est, sed nobis is est incognitus. 300.2.d 599.2.a vitæ inconstantia, amaritudo. 317.2.d vita hæc est tempus peccatorum. 325.1.d quomodo sine lapsu transigi possit. 597.1.a vita quo pacto posita sit in morte. 542.2.a ei decem res sunt necessariæ. 632.1.a quàm ea reddita sit misera per Adami peccatum. 638.2.b c ipsa per se jucunda est, eamque promovere omnes satagunt. 652.1.c d eius initium, progressus, finis quàm vilis. 653.1.b ad eam non est reditus, nec ob eam ad judices infernales appellatio. 654.1.b est continuus fluxus ad mortem. 783.2.a in quo ea consistat. ibid. c vita hæc est laboris & meriti, futura mercedis. 792.2.d quomodo vita viri bonam sortiti uxorem sit duplex. 434.2.a b vita amara quoad naturam deterior quam mors est, sed non quoad statum gratiæ. 495.2.c d 498.1.a vita bona est, tristitiæ remedium. 497.2.a & seqq. vita sancta ornat doctrinam sanam doctoris. 528.1.d 528.2.a vita communis in cœtu sectanda est. 524.1.a vita bona & mala causa est lætitiæ vel tristitiæ. 610.2.b c vita ebrii potiùs mors est quàm vita. 518.2.a vita impia destruit reliqua pietatis externæ opera. 565.1.d 2.c vita misera vel læta pendet à corde mærenti vel tranquillo. 610.2.d vita spiritalis decem virtutibus inchoatur, conservatur, promovetur, perficitur. 633.2.c d vita mendicorum est vita sine vita. 649.2.c vitas Sanctorum legere efficax est ad omnem virtutem. 616.1.b vitæ emendatio non est in senium differenda. 323.1.a vita in peccato peior est morte damnatorum. 366.2.d vitæ cælestis exultatio. 65.2.d 66.1.a hæc cibum habet & potum. 267.1.a

S. Vitalius eleemosynis redimebat scelerum patrationem. 236.2.c

Vitii fœditas. 6. ipsum pix est ob quinq; analogias 242.1.d id per se leve, inconstans, pavidum est. 370.1.a vocatur mendax & mendacium. 450.2.b eius & virtutis antithesis ibid. 451.1.b & seqq. multi eius remedium ab æmuli convitio inveniunt. 463.1.d vitia constantia assidua exsuperantur. 617.1.a cum vitiis assiduè est luctandum. 787.1.b expelluntur ab Ethica naturali. 8. impugnant incipientem converti 59.1.d non simul omnia extirpanda sunt, sed quod intensissimum est. 217.2.a iis obstandum dum oriri incipiunt. 321.2.a *vide* Peccatum, vitia communia sunt leniter tollenda. 763.2.d

Vitis florens suaviter redolet. 407.1.b eius elogium. ibid. d cur Vitulis in Dan & Bethel à rege Jeroboamo collocati. 763.2.d

Vitulus marinus coagulum habet quod epilepticis medetur. 261.1.a

nihil temerè Vituperandum. 215.1.d 2.a

S. Vitus puer Martyr tormenta carnificum parum est moratus. 45.1.d

Omnes Vivens morti damnatum est. 263.2.a

diu Vivere omnes contendimus. 652.1.c a

Vltio Dei & principium sistit peccata. 652.2.c d ultio iniuriæ privatæ vetatur, publicæ licet. 191.2.a

Ulysses symbolum est viri prudentis. 326.1.d

Um-

Umbra symbolum est somnii. 554. 1. d eius proprietates. ibid. & seqq. umbra platani est gratissima. 18.2.c
Unanimitas propria amicitiæ est. 127.2.d eius habendæ media. ibid.
Uncti sunt bis Hazael, Jehu, Saul, David. 754.2.a
Unguenta etiam pharmaca significant. 403.1.d 2.b ea à priscis in potu addebantur. 403.2.b
Unguentarius capitur pro pharmacopœo. 505.1.b 2. a
Ungula est aroma colore unguis humani. 405.2.d
Unicta sunt opera & orationes nostræ meritis Christi. 572.1.b & seq.
Unio inter plures nequit firma consistere. 124.2.d inter coniuges res gratissima est. 647. 1. a d unio cum Deo est origo prophetandi. 596.1.a est quoque perfectio sapientia & virtutis. 697.2. c
Uni non sunt omnia credenda. 217.1.d unum sequatur qui illud assequi vult. 216 2.c d 217.1.d 2.b 234.1.a unus Sanctus præservat reliquias gentis suæ. 238.2. d
Universi status & decus consistit in elementorum concordia. 419.2.a
Unum contra unum quid sit. 545 1.b unum uni est contrarium. ibid. a unum appropriatur Deo Patri. 677.1. b unus vir sanctus quàm sit potens. 713.2.c
Vocati à Deo ad Religionem parentes suos & sæculares non consulant. 593.1.b c ei statim obediant. 516.1.c
Vocatione sua quisque sit contentus. 432.2.d vocationi gratiam congruam dat Deus. 257 2.d in vocatione constanter perseverandum. 308.2.d 309.1.a
Volucres superborum sunt symbolum. 279.1.a etiam Voluntas mentiendi mala est. 148. 1.b voluntas sola peccati sui causa est. 281. 2.a 282.2.a voluntas impiorum dicitur virga Dei. 286.2. a voluntas Dei est efficax. 294 2.b voluntas interna peccandi est peccatum, etsi in actum externum non prodeat. 349. 2. d
Voluntas consentire debet rationi. 343. 1. d voluntas gratiæ obsequens ad salutem requiritur. 426. 1. a c voluntas ceteris potentiis membris & sensibus imperat. 427.1.b sequitur gratiam, ut ancilla dominam. 542. 2. d voluntas propria est causa omnis peccati. 427.2.d & velut uxor nequam. 437.2.d quàm ea sit molesta spiritui. 438.1.a voluntas sancta est velut uxor proba. 443. 1.a b voluntas Dei identidem nobis animo voluenda, & revoluenda. 617.1.b c
Voluptatum comes est dolor. 309. 2. a earum tyrannis in suos asseclas. 376.2.d
Vomitus ad quid conducat. 514.2.a is suadetur statim à cibo nimium sumpto. ibid. 2. c d quando & quibus obest, vel prodest. ibid.
Votum est sanctificatio Dei. 162. 1. a votum facit constantes in vocatione. 224.1.d voca adimplenda sunt. 173.2.a b & quidem citò. 323. 1. a vota perfectioris vitæ sunt quasi compedes voluntariæ. 138.2.d votum, causa rei turpis habendæ Deo displicet, estque tacita blasphemia. 562.2.d
Vox per aures ad auditum progreditur. 301.2.b
Urbes impiæ etiam potentissimæ Deo permittente sunt eversæ. 201.2 d quomodo dicatur ventus Urere. 692.2.c
Urim & tummim quid sibi velint. 722.1.a
Ursi facilè occæcantur. 429.2. b c fetum lambendo efformant. 490. 1.d 495. 2. a
Ustio causat amarum saporem. 691.2.a
Usura tam Judæis, quàm Gentibus fuit prohibita. 173. 1. b idque jure naturæ, divino & humano. 475.1. d eius mala definitio & etymon. ibid. usura est partus & morsus. 347.2.d 348.1.a
Usurarius omnibus exosus est. 146.1.c
Utor subinde pro abutor accipitur. 439.1.a
Uvæ commendatio. 422.1.a uvæ nutriunt, confortant & exhilarant. 632.2.d
S. Vvalpurgis mortua oleum stillat. 774.1.a
S. Vvenceslaus ab avia est ad sanctitatem efformatus. 458.2.a per angelum in duello victor exstitit. 739.1 c
cur S. Vvilgefortis vocata sit Liberata. 784 2.a
S. Vvillebrordus vidit Radbodum Frisiæ regem in tartaro catena ignea religatum. 289.2.d
Vulcanus an sit fabrilis artis inventor. 616.2. d & seqq. est idem qui ignis: unde vox formetur. 2. a idem dictus est Mulciber. ibid. b sumitur pro igne. ibid. b dictus est ignipotens. ibid. cur claudus fingatur. ibid. a
Vulgatæ versionis auctor est S. Hieronymus, non tamen universalis. 17.2.d vulgata Editio Latina pro authentica Scriptura habenda est. 443.2.d est præferenda Græcis & Hebræis codicibus. 711.1.b 713.1.a
Vulnera causatur ebrietas. 520.2.d
Vulpes symbolum versuti & dolosi. 109.1.a 278.2.d
Vultur Ægyptius an eadem avis cum pelecano. 96.1.c
Vultus judicantis Christi futurus terribilis. 593.1.a
Vultus est proditor animi. 341.1.b c d 432.2.b 597.1.c sæpè à corde dissentit. 255.2.b vultus morositas detractorem quasi monet ut detrahere cesset. 472.1.b vultus non est avertendus à cognato. 661. 2.a nec à proximo. ibid. *vide* Facies.
Uxoris bonæ quæ sint dotes. 154.1.a talis non est repudianda. ib. b uxori suæ nemo se credat. 157.1.c uxor quærenda marito similis. ibid. c cur uxor vocetur *mulier sinus*. 177.2.b non debet viro dominari. 178.2.a viro se in omnibus accommodet. 419.1.c est cum delectu ducenda. 418.1 d 584.2.b c sit misericors in virum, & suos domesticos. 585.2.a item mansueta. ibid. item sermone blanda. ibid. virum suum ceteris anteferat. 432. 1. c sit casta & fida viro. 441.1.d 442. 1. d speculo est similis, & in quo. 442.1. a sit domus custos, & facultatum viri sepes. 586.1.c eius cum viro suo unio quàm grata sit. 647.1.a uxor bona quæ dicatur, quæ tertis. 435.1. a b talis à Deo procuratur & petenda est. 2. a est signum prædestinationis viri & filiorum. ibid. d talem qui habet, acquirit possessionem. 585.2.d 586.1.b habet adiutricem sibi per omnia officiosam. 585.2.d in ea vir securè requiescit ut in columna. 1.d parit filios probos. 644.2. b uxor prudens peculiare Dei donum est. 424.1.a ea potior & viro utilior est quàm nummata. 364.1.b uxor morigera semper cum viro foras prodit. 433.2.c ei pareat. ibid. uxor corrigibilis, & tolerabilis, retinenda; at incorrigibilis, dimittenda. 434.2.a uxor malè morata tribus modis castiganda est. 427.1.d est pessimum viro malum. 430.1.2 b 644.2.b pulchra nimis non est quærenda. 430.2.a b nec immodicè ea utendum. 430.2.c cum uxore aliena non est familiariter conversandum. 181.2.a 182.1.b 182.2.a *vide* Mulier.
Ugores priscæ erant virorum famulæ. 178.2. d uxorum Romanarum impotens dominatus. 178.2.b uxores sociæ sunt virorum, non ancillæ. 225.2 c

X

XErxes Persarum rex viso universo exercitu illacrymatus est. 165.2.d 264.1.c quomodo animadverterit in Pythium regem Lydiæ, filios quatuor ei offerentem, & quintum sibi retinentem. 586.1.b
ξύλον & lignum est & gossipium. 369.1.a

Z

ZAbulus nomen est diaboli. 67.1.b
Zamolxis famulus erat Pythagoræ, & erat in honore. 553.1.d
Zeilanus insula optimum fert cinnamomum. 404.2.a
Zelatores honoris divini bonum odorem post se relinquunt. 762.2. d & dulcem memoriam. 763.2.a
Zelosi per Eliam repræsentantur. 750.2.c cum talibus versari est utile. 756.2.a
Zelotypa uxor viro sæpè dat philtrum. 666.1.d
Zelotypiæ malum est feminæ proprium. 436.2. b c eius origo. ibid. d grave est coniugii malum & morbus. 177.1.d quanta adferat mala. 1.d 178.1.a eius remedia. ibid. & seqq.
Zelotypi mariti docent uxores adulterari. 178.1.a
Zelus multos actus complectitur. 183.1.c tam invidia & ira, quàm zelotypia est. 500. 2. a zelus honoris Dei nascitur ex eius amore. 764.1.b zelo opus est ad bonum consequendum. 787. 1. a zelus Eliæ & SS. Joannis & Jacobi fuit justitiæ, non clementiæ. 674.1.a zelus Phinees. 725.2.d
Zeno Imp. ob eleemosynas Dei iram à se avertit. 476.2.c
Zeno ab Atheniensibus aurea corona donatus est. 139.2.a
Zeuxis morosè pingens æternitati pingere se dicebat. 125. 2. d 515. 1.a 548 2.d
Zisca Hussitarum dux, cur è corio sui mortui tympanum fieri voluerit. 251.2.c
Zodiacum virtutum pingit Deus in mente fideli. 383.2.b
Zona pontificalis eius perfectionem indicabat. 720. 2. d hæc erat duplex. 721.1.a
Zorobabel fuit signaculum in manu dextra Dei. 766.1.c
Zozimas vitam S. Mariæ Ægyptiacæ ore eius exceptam litteris prodidit. 352.2.c
ζυγοστατεῖν, & ζυγοστάτης ad ponderum æquitatem spectant. 476.2.a

INDEX.

Digitized by Google

INDEX
MATERIARVM MORALIVM QVÆ HOC VOLVMINE VBERIVS DEDVCVNTVR,

Verbis Evangelij per Dominicas, Festos dies, & ferias nonnullas occurrentis accommodatarum, in gratiam & usum concionantium.

DOMINICA I. ADVENTUS.

E*runt signa in Sole & Luna*. Impii & lunæ analogiæ. c. 27. v. 12. Solis & justi analogiæ. ibid. Solis elogium & decus. c. 43. v. 2. Sol stetit sub Josue, & quomodo id factum. c. 46. v. 5. Lunæ etymon, & nomina, & elogia. c. 43. v. 6. huic B. Virgo diversis rationibus comparatur. ibid.

Et Stellis. Stellarum elogia. c. 43. v. 9.

Virtutes cælorum movebuntur. Angeli regunt stellas & orbes cælorum. c. 16. v. 26. Iris cælestis describitur: ejus figura, effectus, symbola. c. 43. v. 12. 13. Grandinis descriptio. v. 16. quid denotet mysticè. ibid. Cæli an sint animati, & stellæ igneæ. c. 16. v. 27. cælorum concentus. v. 28.

Verba autem meam non transibunt. Lex Christi est æterna, suique sectatores cælo transcribit. c. 1. v. 5. Testamentum vetus unde dicatur æternum. c. 17. v. 10.

Reliqua vide notata Domin. XXIV post Pentec. & in Indice utroque Rerum verbo Luna, Sol, Stellæ, Elias, Henoch.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Tu es qui, &c. an alium expectamus? Judæi Messiam suum adhuc expectant. c. 36. v. 18.

Pauperes evangelizantur. Vide notata in Festo omnium Sanctorum, & in utroque Indice Rerum v. Pauper, Paupertas.

Arundinem vento agitatam. His verbis demonstratur S. Joannis in sanctitate soliditas & constantia, quæ & cuivis homini in suo statu & vocatione necessaria est. c. 11. v. 21. & c. 27. v. 12. hæc autem oratione impetratur. c. 11. v. 21. alia ejus obtinendæ media. c. 24. v. 30. Constantia omnia ardua pervincit. c. 38. v. 31. Stimuli ad perseverantiam. c. 27. v. 12. Contrà, studium vagum imprimis noxium est. c. 29. v. 31. *Vide Indicem Rerum verbo* Constantia, Perseverantia.

Hominem mollibus vestitum. In vestitu non est sanctis & sapientibus gloriandum. c. 11. v. 4.

In domibus regum sunt. Quomodo agendum cum regibus. c. 13. v. 12. & seqq. In aulis regum adulatores frequentes sunt. v. 29. *Vide notata in Festo Epiphaniæ, & Indicem Rerum v.* Rex, Princeps.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Tu qui es? Curiositas in quærendo semper vitanda est. c. 3. v. 22.

Tu qui es? Ita se homo interroget, quia ratione corporis est velut bestia, ratione animæ velut angelus. c. 51. v. 25.

Elias es tu? Vide notata Domin. II. in Quadrages.

Propheta es tu? Prophetare in varia significatione accipitur. c. 48. v. 14. Prophetarum ossa quomodo pullulare dicantur. c. 49. v. 12. Prophetandi origo est unio cum Deo. c. 37. v. 18. *Vide Indicem utrumque verbo* Propheta, Prophetare.

Ego baptizo in aqua. Aquæ & sapientiæ analogia. c. 24. v. 40.

Hæc trans Iordanem facta sunt. Jordanes quare sit sacer fluvius. c. 24. v. 36.

FERIA IV. QUAT. TEMPOR. ADVENT.

Christus in incarnatione semetipsum exinanivit. c. 24. v. 12. Habuit per eam mirabilia varia tam extrinseca, quàm intrinseca. c. 36. v. 10.

Desponsatã viro, cui nomen erat Joseph. Joseph quàm fuerit sanctus. c. 36. v. 25. Josephi Patriarchæ cum Henoch comparatio. c. 49. v. 16.

Spiritus sanctus superveniet in te. Incarnatio Christi fuit opus Spiritus sancti. c. 1. v. 9.

Filius Altissimi vocabitur. Christus erat verus Dei filius. c. 1. v. 4. & c. 24. v. 1. *Vide Indicem Rerum verbo* Jesus Christus.

Butyrum & mel comedes. Apis mellis confectrix est symbolum sapientiæ ethicæ & œconomicæ. c. 11. v. 3. item Christi & B. Virginis. ibid. Mel servat corpora incorrupta ne putrescant. c. 49. v. 2.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Omnis mons & collis humiliabitur. Via ad sapientiam & virtutem est ardua. c. 51. v. 25.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

Quia non erat eis locus in diversorio. Domus propriæ & cellæ commoda. c. 29. v. 29.

Gloria in altissimis Deo. Deum abundè & sufficienter laudare non possumus. c. 43. v. 31. Quo plus cognoscitur, eo plura cognoscenda exhibet. ibid.

Et Verbum erat apud Deum. Sapientia est ab æterno. c. 1. v. 4.

Omnia per ipsum facta sunt. Omnia Deus creavit simul. c. 18. v. 1. Antitheta rerum ipsum universum ornant. c. 33. v. 15. Deus omnia verbo creavit & conservat. c. 42. v. 15. ejus opera quàm præstantia sint. v. 16. & 17.

Quæ illuminat omnem hominem. Quibus modis Christus animam illuminet. c. 1. v. 5.

Plenum Gratiæ. Vide Indicem Rerum verbo Gratia.

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

Hic autem quid? Curiositas omnis vitanda est in interrogando. c. 3. v. 22.

IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

Apparuit in somnis. Animus in somno non sapit, nec divinat. c. 34. v. 6. Somniorum vanitas. c. 40. v. 7. Somnium est simile umbræ & vento. c. 34. v. 2. Somnia sunt spernenda. v. 7. quomodo vera à falsis dignoscantur. ibid.

Joseph. Quàm S. Joseph fuerit sanctus. c. 36. v. 25.

Fuge in Ægyptum. Peregrinationis incommoda, maximè S. Josephi apud Ægyptios. cap. 29. v. 31. Docet peregrinatio sapere. c. 34. v. 11. c. 39. v. 5.

DOMINICA INFRA OCTAV. NATIV.

Et Hæc vidua erat. Viduarum preces audit Deus. cap 35. v. 8.

Gratia Dei erat in illo. Vis gratiæ & pulchritudinis, c. 26. v. 16. Quid sit gratia. v. 19.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

Ut circumcideretur. Circumcisione reparatur peccatum originale, cujus causa est Adam. In quo is reliquos homines superet. c. 49. v. 19.

Vocatum est nomen ejus Jesus. Jesus tres illustres fuere. Prolegom. *Vide utrumque Indicem Rerum verbo*, Jesus.

Jesu nomen quàm sit dulce. c. 24. v. 27. Josiæ nomen ad hoc proximè alludit. c. 49. v. 1.

Nomina sceleratorum non sunt filiis imponenda, quia & Gentiles ea olim vitarunt. c. 41. v. 14.

Josue, qui typus fuit Jesu, elogium. c. 46. v. 1. & seqq.

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM MORALIUM

IN EPIPHANIA DOMINI.

Vidimus stellam ejus in Oriente. Divinatores & astrologi plerumque mentiuntur. c. 34. v. 4. Horum horoscopus damnatur. c. 42. v. 19.

Herodes sciscitabatur ab eis. Consultamus de iis quæ libera sunt. c. 15. v. 14.

Ut & ego veniens, adorem eum. Quæ sit ficta humilitas, & eius scema. c. 19. v. 22.

Stella antecedebat eos. Christus est & dicitur stella. c. 50. v. 6.

Obtulerunt & thus. Deo propriè thus adoletur. c. 24. v. 21. estque sapientiæ symbolum ibid. quid sit, ejusque vires. ibid. Oratio velut thus est. c. 50. v. 9. Virtutes sunt thymiama. c. 49. v. 1.

Myrrham. Per hanc mortificatio denotatur. c. 24. v. 20. Quid sit myrrha. ibid.

Ne redirent ad Herodem. Dolosi, qualis erat Herodes, cavendi. c. 11. v. 31. 32. 36. Quomodo cum regibus agendum. c. 13. v. 12. & seqq. In aulis regum frequentes adulatores sunt. c. 13. v. 29. In aula quomodo versandum. c. 8. v. 10

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Cum factus esset Jesus annorum duodecim. Sancti illustres à pueris à Spiritu sancto directi fuere. c. 1. v. 16.

Sedentem in medio doctorum, audientem & interrogantem. Senes habent doctrinam, & ab iis ea petenda est. c. 6. v. 18. Consilium item ab eisdem & sapientibus petendum. c. 8. v. 20. Senes valent experientia. c. 25. v. 8. Juvenes senibus patienter auscultando deferant. c. 41. v. 17.

Audientem & interrogantem. Non est respondendum ante interrogationem plenè auditam. c. 11. v. 8. Est tempus loquendi & tempus tacendi. c. 20. v. 7.

Super prudentia & responsis. Silentium & auditus signum est prudentiæ. c. 19. v. 28. & c. 20. v. 5. & 6.

Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Parentes plus amant filios quàm seipsos. c. 30. v. 4.

Mater ejus conservabat omnia, &c. conferens in corde suo. Dei jugiter recordandum. c. 9. v. 23.

Jesus proficiebat sapientia. Sapientiæ tam naturalis quàm supernaturalis auctor est Deus: eius usus, fructus, doctores, auctores, officia: ejus finis est beatitudo. Proœmio. Sapientiæ morali vel ethicæ propositum est vitia castigare. ibid. Sapientia personalis est Filius Dei: at sapientia creata multiplex est. c. 1. v. 1. Sapientia creata est in Spiritu sancto. v. 9. Initium sapientiæ timor est Domini. v. 16. Varii sapientiæ fructus. c. 6. v. 20. & c. 15 v. 3. 4. 5. 6. c. 39. v. 9. & seqq. & c. 24. v. 24. Ejus fructus externi. c. 39. v. 12. Ipsa à paucis invenitur c. 6. v. 23. est laboriosa & ponderosa. ibid. Varii sunt ad eam perveniendi gradus. ibid. Eius variæ definitiones. c. 14. v. 25. blanditur suis quasi mater & sponsa. c. 15. v. 2. est similis cedro. c. 24. v. 17. Scientiæ & sapientiæ quod sit discrimen. c. 25. v. 13. Sapientia est in otio comparanda. c. 38. v. 25. Abraham & alii prisci patres fuere doctores sapientiæ. c. 51. v. 31. Ipsa est similis olivæ & platano c. 24. v. 29. item viti. v. 23. in ea est veritas & virtus. v. 25. Mira ejus dulcedo. v. 29. *Vide Indicem Rerum verbo* Sapientia, Timor, Scientia, Ethica.

Proficiat. Indies & assiduè in sanctitate debemus proficere. c. 3. vers. 20. Quod sit signum profectus in virtute. cap. 24. vers. 29.

Erat subditus illis. Obedientiæ & charitati iusti in primis studere debent. cap. 3. vers. 1. Cur obedientia charitati iungenda: ibid. ipsa est sacrificium mysticum. c. 35. v. 2

Subditus. Honor matri deferendus. capit. 3. vers. 3. Parentes suos honorans expiat peccata. vers. 1. Quibus in rebus honorandi sint. v. 8. 9. 14.

Pueri à teneris docendi & castigandi. c. 7. v. 25. & 26. c. 30. v. 1. & 12. Filii magnorum virorum plerumque sunt degeneres. v. 13. *Vide Indicem Rerum* v. Puer.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ sunt. Uxor non debet viro dominari cap. 9. vers. 2. Uxor bona insignis est possessio, c. 36. v. 28. Filiarum elocatio quoto anno sit facienda. c. 7. v. 27

Mulieris fabrica. c. 17. v. 5. Filias parentes sedulò custodiant, ut virgines nuptui elocent. c. 42. vers. 9. *Vide Indicem Rerum verbo* Uxor, *& notata Domin. II. post Pentecost.*

Vocatus est autem & Iesus. Ut Redemptor inter homines agens, à reliquis hominibus se ritu & habitu non segregavit: ita & cuilibet in cœtu multorum communis vita est sectanda. cap. 13. vers. 20. c. 32. v. 1.

Ut gustavit architriclinus. Idem dicebatur symposiarcha: quæ huius partes & munia in mensa, c. 32. v. 1. & seqq. Mensalia præcepta. c. 31. v. 12. & seq.

Omnis homo primum bonum vinum ponit. Vinum mirè conducit vitæ humanæ, cap. 31. vers. 32. ejus commoda. vers. 35. est id aqua diluendum. v. 37. eius damna varia. v. 38.

Et cum inebriati fuerint. In conviviis vino prævalente sæpè lingua labimur. c. 19. v. 15. Ebrietatis damna. c. 31. v. 39. & 40. Convivantes olim floribus coronabantur ad eam avertendam. cap. 32. vers. 3.

Et crediderunt in eum discipuli. Scilicet viso miraculo; alioqui qui citò credit, decipietur. c. 19. v. 4.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Domine puer meus jacet. Occasione huius heri erga servum ita humani, agi poterit de officiis herorum. Heri quomodo se erga servos gerant. cap. 4. vers. 35. eorum mores ex servis æstimantur. capit. 7. vers. 23. Servi regendi ut asini. capit. 33. vers. 25. Sapiens etsi serviat liber est. capit. 10. vers. 28. Multi servi dominati sunt dominis. ibid. *Vide Indicem Rerum*, v. Servus.

Servitutis origo. c. 33. v. 26. Servitus Dei honesta est, eaque semper inchoanda. c. 18. v. 6.

Ego veniam & curabo eum: Sanitatem animæ & corporis dat sapientia & timor Domini. c. 1. v. 22. Aegros visitare pium est: cap. 7. vers. 39.

Habens sub me milites. Milites & Martyres inter se comparantur quoad constantiam. c. 17. v. 24.

Dico huic, vade, & vadit. Reges ne se sinant ab alio regi. cap. 33. vers. 20.

In tenebras exteriores. Vide notata Feria II. post Domin. I. in Quadragesima.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Motus magnus factus est. Passiones, animi motus sunt, sed illas vir pius non consulat. cap. 37. vers. 7. sunt animæ carnifices. c. 40. v. 4. & 5.

In mari. Ventorum vis in mari. cap. 43. vers. 18. Ventus quid sit, & eius generatio. vers. 22. Maris mira varia. v. 27. Arenæ maris an sint numerabiles. c. 1. v. 2.

Domine salva nos, perimus: Tribulari suos permittit Deus ut probet. c. 27. v. 6. succurrit plerumque rebus desperatis. c. 51. v. 12. suos protegit & propugnat. c. 2. v. 3.

Quid timidi estis modicæ fidei? Justis non occurrunt mala. cap. 33. v. 1 Deum timens nihil timere debet. c. 46. v. 9.

Facta est tranquillitas magna. Tentationum maria pacat Deus. c. 43. v. 25.

Venti & mare obediunt ei. Creatura omnis homini servit, ut ipse creatori serviat. c. 42. v. 26

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Homini qui seminavit. Agricultura est à Deo instituta, & honesta est ars. c. 7. v. 16

Unde habet zizania? Improborum consortia vitanda. c. 13. v. 1

Inimicus homo hoc fecit. Vitium se communicantibus affricat. c. 13. v. 1

Sine utraque crescere; Vitia communia leniter tollenda sunt. c. 49. v. 3

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Cum autem creverit maius est omnibus. Parva vitia tandem fiunt maxima. c. 11. v. 34

Et sine parabolis non loquebatur. Sacra Scriptura utitur apologis & parabolis, nam sic olim Ethica tradebatur. Prolegom. & proinde toties eis usus est Christus. ibid.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Exiit primo mane. Manè surgendum ad Deum laudandum. cap. 4. vers. 13. Oratio matutina quàm sit utilis: Manè cor Deo est offerendum. c. 39. v. 6. 7

Operarios. Homini quinque de causis laborandum est. c. 7. v. 16 In studio virtutis strenuitate opus est, c. 31. v. 27 Opificum sapientia in Dei cultu consistit. c. 38. v. 39

Quid hic statis tota die otiosi? Temporis est maxima ratio habenda. c. 4. v. 23 Quæ sint remedia acediæ. cap. 11. vers. 27 Pigritia, & desidia quàm sit noxia. capit. 22. vers. 2 Otii damna, & epitheta. ibid. ipsum est vitandum, cap. 33. vers. 29

Ite & vos in vineam meam. Exercitii corporalis utilitas. cap. 31. vers. 27

Redde illis mercedem. Operum merita adstruuntur, c. 14. v. 17.

Ami-

Amice. Amicitia paucorum sit. c.6.v.6
Amicitiæ proprietates, & leges. vers. 7. & seqq. Quæ sit amicitia ollaris & ficta. vers. 10. Amicitia esse debet unanimis v. 12. Amicitiæ definitio, & descriptio. ibid. & v. 17. ejus commoda. v.14.& seqq.
Amicus per adversa probatur. c.6.v.7.c.12.v.9 probandus est ante amicitiam contractam. cap.6.v.9 *Vide plura in utroque Indice Rerum verbo* Amicitia, Amicus, *& Sabbatho post Domin. IV. in Quadrages.*
Non licet mihi quod volo facere? Liberum arbitrium demonstratur. cap. 15. vers. 14. id non excludit gratiam. vers. 16. ejus dignitas est sextuplex. vers. 18. Voluntas propria est velut mulier mala. cap. 26. vers. 10 at voluntas sancta est velut uxor bona, v. 22. Quòd unus altero sit melior, provenit à Deo. c.33.v.7
An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Invidus quis sit: Invidiæ schema & symbola. c. 14. v. 8. Invidiæ nequitia & remedia ibid. Invidi describuntur. c.31.v.16
Oculi symbola quinque. c.15.v.20 Gratia Dei similis est pupillæ. c. 17. v.18 Oculi & cordis similitudo. c.22.v.24.
Oculos custodiat mulier, nec nutu respondeat. c.26.v.12
Oculi sunt plerumque causa peccati. c.27.v.11
Multi sunt vocati, pauci vero electi. Deus est origo prædestinationis. cap. 33. v. 12. Gratia efficax summum Dei donum est. ibid. Cur Deus hos eligat, illos reprobet. v.15

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Exiit qui seminat. Agricultura prima est artium. cap. 7. v. 16. c. 38. v. 25. & 27.
Semen est verbum Dei. Concionandi præcepta optima. vers. 48. v. 1
Prædicatores verbi Dei apibus designantur. c. 11. v. 3. non quærant plausum. c.22.v.6
Et a voluptatibus vitæ euntes suffocantur. Concupiscentia omnis refrænanda est. cap. 18. v. 30. ejus expletio quæ causet damna. vers. 31. Concupiscentia est velut limax. ibid. item prurigo. c. 23. v. 6 item velut mulier mala. cap. 25. v. 17 ejus ignem qui vincunt, facilè ignem corporeum vincent. cap. 51. v. 5. *Vide Indicem Rerum verbo* Concupiscentia, Cupiditas, Passio, Ratio.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Ecce ascendimus Hierosolymam. Amici adversis cognoscuntur. c. 12. v. 9
Mendicans. Mendicorum vita mors potiùs est quàm vita. c. 40. v. 30
Domine ut videam. Gratia Dei similis est pupillæ oculi. c. 17. v. 18. Peccatum inducit cæcitatem. c.11.v.16
Ipse vero multo magis clamabat. Garulus, & loquax est quasi mulier parturiens. c. 19. v. 11. Multiloquus in multis peccat. c. 20. v. 8
Erit hic locus agendi de peccati turpitudine, & peccantium cecitate, occasione Bacchanalium instantium. Peccator similis est dormienti ob quinque analogias. c. 22. vers. 9 & mortuo. vers. 10. est quasi bestia. vers. 18. Intemperantiæ tria damna. c 31. v. 24. item ebrietatis. vers. 39. & 41. Gulosi ducunt noctes insomnes. v.18
Peccatum inducit cæcitatem. c. 11. v. 16. ejus pericula. c. 51. v. 9. est fugiendum quasi coluber. c. 21. v. 2 ejus noxa. v. 3. 4 ejus nequitia. v. 4 & c. 22. v. 12. ejus & virtutis antitheses. c. 27. v. 11. *Vide Indicem Rerum verbo* Peccatum & Peccator.

FERIA IV. CINERUM.

Memento homo quia cinis es. Mortis memoria semper habenda. c. 14. v. 12. & c. 38. v. 23 Creaturæ omnes & homo nihil sunt, Deus omne. c. 43. v. 29 Vitæ brevitas. c. 14. vers. 12. Homines sunt velut folia. v.19.
Cum ieiunatis. Aurea continentiæ præcepta. cap. 31. vers. 20. Sobrietas mater est sanitatis, & sanctitatis. cap. 31. vers. 22. & vers. 24. Iejunium operatur miracula. cap. 48. vers. 2. Abstinentia avertit morbos. c. 18. v. 20 Frugalitas priscorum parentum. c. 29. vers. 28. hi aquam bibebant, non vinum: aquæ potus salubris est. ibid. an ea nutriat. ibid. *De Gula vide notata Domin. in Quinquages. & in Indice Rerum verbo*, Gula, Vinum.

FERIA VI. POST CINERES.

Ego autem dico vobis. Doctrina Christi veterum philosophiam castigat. Procem.
Odio habebis inimicum tuum. Quo sensu eleemosyna danda sit peccatori. c. 12. v. 4 Inimico non est credendum, nisi verè sit factus amicus. v. 10. Animæ inimico & concupiscentiæ non est credendum. ibid.
Diligite inimicos vestros. Id jubet lex Christi. c.23.v.38.
Nolite thesaurizare. Divitiæ iustæ beant. c. 13. v. 30. Qui thesauros coacervare cupit, pauper est; suis contentus, dives. ibid. Opes absconditæ quomodo pereant. c. 29. v. 13. eæ sunt in pauperes expendendæ. vers. 14. involvunt multas ruinas. cap. 31. vers. 6. faciunt miseros: earum damna, & epitheta. ibid.
Te autem faciente eleemosynam. Eleemosyna facit fortes. c. 29. vers. 1. amovet omnia mala. vers. 15. Eleemosynæ conditiones. cap. 31. vers. 11. ipsa est victima laudis. cap. 35. v. 4. 5. expiat peccata. cap. 3. vers. 33. ejus variæ species. c. 4. vers. 1. est facienda citò. vers. 3. ejus pretium. vers. 11. est in vita melior quàm post mortem. cap. 14. vers. 13. est quasi sacculus, & signaculum. cap. 17. vers. 18. an prosit damnatis. vers. 19. *Vide Indicem utrumque verbo* Eleemosyna, Dives.
Danda pauperi tum bona verba, tum res. cap. 18. vers. 17. Proximo in necessitate mutuandum. cap. 29. vers. 2. & 11. Stimuli ad mutuandum. vers. 11. & seqq. Inventa danda sunt pauperibus. vers. 4. Beneficentia facit divinos & quasi Deos. cap. 4. v. 11. fit hilaris. c.18.v.15.& 18.
Vt sitis filii patris vestri. Christianus, in quo Christo conquetur. c.36 2.14
Qui solem suum oriri facit. Solis & justi analogiæ. c. 27. v. 12. Sol justitiæ est Christus. ibid.
Super bonos. Beneficium non est temerè & sine ratione dandum. c.12.v.1
Et malos. Indigno quandoque est benefaciendum. c.12.v.1
Et pluit super iustos & iniustos. Misericordia Dei quàm magna sit. c.18.v.12
Estote perfecti. Quomodo opera nostra omnia excellenter facere possimus, & stimuli ad hoc ipsum. cap. 33. vers. 24. Religiosi perfectionis asseclæ, sunt mundi domini. cap. 36. vers. 28. De Religioso statu assumendo cogitantes, non debent parentes aut consanguineos consulere. cap. 37. vers. 12. Perfectio sita est in continuo Dei amore & laude. cap. 7. vers. 32. c. 47. v. 10. ejus officia. cap. 20. v. 7. Religionis etymon quod sit. cap. 2. v. 17. Quomodo quis perfectus evadat. cap. 14. vers. 22. Dei servitus semper est inchoanda. cap. 18. vers. 6. ei servire, regnare est. c. 4. v. 15. ejus servitus est quadruplex. ibid.
Virtutis definitio: ipsa summum hujus vitæ bonum est. c. 44. v. 3. est facilis. c. 51. v. 22. ei studendum ante tempus, quo sensu. vers. 38. ejus elogia ex Theologis & Philosophis Procem.
Pater tuus, qui videt in abscondito. Deus est totus oculus. cap. 24. vers. 18. est ubique præsens. cap. 23. vers. 26. Deus est in omnibus, & ipse est omnia. cap. 43. vers. 29. Præsentiæ Dei habendæ praxis, & modus. cap. 47. v. 10. Dei jugis memoria habenda est. c. 9. v. 13. Oculus Dei intuetur omnia. c. 23. v. 26. est sole lucidior. ibid.

SABBATHO.

Confidite, ego sum, nolite timere. Deus dat vocationi gratiam congruam. c.15.v.5
Et quotquot tangebant eum, salvi fiebant. Christus summus est medicus. Medico porro omni triplex debetur honos. cap. 38. v. 1. Veterum nonnulli censuere non esse utendum medicis. ibid. hinc etiam nonnulli medicinam damnarunt, vers. 3. Medicamenta omnia à Deo profecta sunt & creata. v. 5. 6. Asceta prisci à Deo sanitatem sperantes, abstinebant medicis, non posteriores. vers. 12. *Vide in Indice Rerum verbo* Medicus, Medicina.

DOMINICA I. IN QVADRAGESIMA.

Ductus est Jesus in desertum a spiritu. Turba hominum, & negotia declinanda quietem sectantibus. c.18.v.33
Vt tentaretur. Tentatio ostendit qualis sit justus. cap.27.v.6
Oratio dat robur in tentatione, & in quolibet prælio. c.47.v.6.

Digitized by Google

Deo incipiens servire, tentationes exspectet. c. 2. vers. 1. Cur servi Dei tententur. ibid. Qui tentantur, sunt milites & athletæ Christi. ibid. Tentationum remedia. v. 2, 3. 4. & seqq. Novitii in Religione diversimodè probantur. cap. 4. vers. 18. *Consule Indicem Rerum verbo*. Tentatio, Tribulatio.

Et cum jejunasset. Jejunium patrat miracula. c.48.v. 2. *Vide plura notata Feria IV. cinerum*.

Accedens tentator. Anima tres habet hostes. c.25. v. 4. Hæc lucta Christi cum diabolo, imago est luctæ, qua cum virtute & sapientia identidem nobis luctandum est. c.51.v.25.

Mitte te deorsum. Dæmonis in homines odium. c. 39.v.33. Peccati periculum cavendum. c.3.v.27

Non tentabis Dom. Ut Dominus Satanam suo jugulat telo, sic malum plerumque recidit in auctorem. cap. 27. vers. 29. 31. Humilitate tentationes optimè superantur. cap. 2. vers. 2 Animus excelsus à nullis vincitur tentationibus. vers. 3. Fiducia in Deum optimè omnia dæmonis tela retunduntur. vers. 6. Certandum nobis est viriliter, & athletarum more. c.4.v.33.

Ostendit illi omnia regna mundi, & gloriam eorum. Mundus plenus est laqueis. c. 9. v. 20. Omnis mundi gloria brevis est. cap. 10. vers. 12. Rerum humanarum & regnorum circulus. ibid.

Hæc omnia tibi dabo. Speciosa quidem hoc in mundo suis dæmon spondet, sed in hora mortis iis insultabit. cap. 12. v. 19. ut diabolus hic mentitur; sic omnis mendax ei similis est. cap. 20. vers. 6

Si cadens adoraveris me. Pericula favoris popularis. c.7.v.7 Superbia est initium omnis peccati. c.10.v.15. Non est hominibus concreata. v.22.

F E R I A II.

Hospes eram, & collegistis me. Hospitalitas commendatur. c.11.v.31.

In supplicium æternum. Aeternitatis definitio, & etyma. cap. 31. v. 10. quàm ea sit longa & intermina. cap. 18. vers. 8. Ignis inferni an sit corporeus. cap. 7. v. 19 Cur damnati crucientur igne: Ignis gehennæ est sulphureus: hic est maxima pœnarum quinque de causis: An in inferno sunt veri vermes. ibid. Vermis conscientiæ damnatos maximè torquebit. ibid. Ignis impios consumens quintuplex est. cap. 21. vers. 10. In gehenna non est solùm ignis, sed & alia tormenta. cap. 39. vers. 36 Infernalium suppliciorum gravitas. capit. 40. vers. 5.

Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis, Quod pauperi datur, Christo datur. c. 12. v. 2 Virtus hominem in hora mortis tuetur & protegit. c.6.v.30

F E R I A III.

Ex ore infantium perfecisti laudem. Humiles ut pueri, sunt verè sapientes. c.15.v.7

F E R I A IV.

Sicut fuit Jonas in ventre ceti. Mira natura cetorum. cap. 43. vers.37

Audire sapientiam Salomonis. Salomon non est auctor Ecclesiastici, cur tamen ei asscribatur. Prolegom. *Vide & indicem Rerum v.* Salomon.

Scopis mundatam & ornatam. Studendum decoro & munditiei. c.44.v.6

Fiunt novissima peiora prioribus. Relapsus in peccatum est gravior lapsu. c.34.v.31. Quàm is noxius sit. c.7.v.15

F E R I A V.

Non sum missus nisi ad oves qu. p. d. Israel. Sapientiæ radices misit Deus in Israel. c. 24. v. 12. *Vide indicem Rerum v.* Israel, Judæi.

F E R I A VI.

Multitudo magna languentium. Sanitas quantum sit bonum & Dei donum. c. 30. v. 15. quæ eam conservent. ibid. est auro potior. v. 16. Medicis quatenus sit utendum, & quis iis honor tribuendus. *vide notata Sabbato post Cineres, & Indicem Rerum v.* Medicus.

Morbi, miseriæ, ærumnæ, casus, infortunia hominibus ab Adami peccato accidunt: atque hoc jugum illis impositum iam inde ab initio per Adamum. cap. 40. vers. 1. & quanta id jugum mala complectatur. ibid. Peccati origi[n]alis decem pœnæ. ibid.

DOMINICA II. IN QVADRAGESIMA.

Assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum. Ut Dominus paucos transfigurationis suæ testes adhibuit: ita consiliarii pauci, & cum delectu seligendi sunt. cap. 6. v. 6. *Vide indicem Rerum v.* Amicus Consilium, S. Petrus.

Resplenduit facies eius sicut sol. Solis & justi analogiæ. cap. 27. vers. 12. Christus est sol iustitiæ. ibid. Solis elogium. cap. 43. vers. 2. sol est typus Christi. ibid. an sit igneus; vers. 4.

Vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. Nivis commoda; c. 43. v. 14. eius miranda & causæ. v.20.

Nubes lucida obumbravit eos. Nubes est thronus Dei. c. 24. v. 7 Nebula tegens terram quæ sit. v.6

Moysi unum. Elogium Moysis. cap. 45. v. 1. & seqq. *Consule indicem Rerum v.* Moysis.

Et Eliæ unum. Eliæ elogium. c. 48. v. 1. & seqq. fuit ipse similis igni. v. 1. Per eum zelosi denotantur. ibid. Cur hic raptus sit curru igneo. vers. 9. certabit in fine seculi cum Antichristo, & ad Christum convertet Iudæos. v. 10. *Vide indicem Rerum verbo* Elias.

F E R I A II.

Qui misit me, verax est. Anima sancta quomodo enuntiet vera. c.37.v.18

F E R I A III.

Patrem nolite vocare vobis super terram. An filius idem possit ex aliis parentibus nasci. c.7.v.30

F E R I A IV.

Dic ut sedeant hi duo. Ambitiosorum mores describuntur. c.23.v.5

Nescitis quid petatis. Honores non sunt ambiendi: & ambitionis damna & cruces cap. 7. vers. 4. *Vide indicem Rerum v.* Ambitio.

Principes gentium dominantur eorum. Potens non sit superbus, nec se inferioribus insultet. cap. 7. v. 12. Cum potentibus non est litigandum. cap. 8. vers. 1. & 2. in aulis quomodo versandum sit. cap. 8. v. 10 Rector qualis esse debeat c. 32. v. 1. & seqq. sit sapiens. c. 10. v. 1 & 2. Tyrannus in quo à rege differat. c. 10. v. 6 Potentiorum iniuriæ sunt ferendæ. cap. 13. & v. 4. *vide Indicem Rerum v.* Princeps, Rex; *& notata Dominica XXII. post Pentecost.*

Indignati sunt duobus Fratribus; Reges oderunt eos qui plus ceteris sapere videri volunt. c.7.v.5

Filius hominis non venit ministrare, sed ministrari. Humilitas est propria virtus. c.10.v.15

F E R I A V.

Homo quidam erat dives. Dives facilè lites movet. c.28.v.12 similis est idolo. c. 30. v. 20 Dives in auro non sperans beatus est. cap.31. vers.8 Tripliciter dives salvatur. ibid. Dives in auro non sperans facit quasi miracula. vers. 9. Prosperitas mentem dissolvit. cap.41. vers. 18. *vide notata Domin. II. post Pentecost. & Indicem Rerum verbo* Aurum, Dives, Divitiæ, Opes.

Hujus divitis nomen non est proditum. Nomen & fama comparatur bona vita, non magnificis operibus. c.49.v.2

Purpura & bysso. In vestitu non est gloriandum. c.11.v.4

Lazarus mendicus. Mendicorum vita potiùs mors est quàm vita. c.40.v.30

Factum est ut moreretur mendicus. Mors & vita quid sit. c. 41. v. 1 Ipsa suavis est indigentibus, ægris, senibus, anxiis, desperantibus. v.4

Fili Recordare quia recepisti bona in vita. In die bonorum habenda memoria malorum. cap. 11. v. 27. In altera vita felicium & infelicium sortes mutabuntur. ibid. Nemo ante mortem beatus dicendus est. v.30

Nunc autem hic consolatur, tu cruciaris. Pauperum & divitum sortes differunt. c.13.v.25

In hunc locum tormentorum. Infernalium suppliciorum gravitas. c.40.v.5. *vide notata Feria II. post Domin. in Quadrages.*

Loca:

Locabit aliis agricolis. Vide notata Dominica in Sexagesima.

Malos malè perdet. Deus nulla peccata non punit. c.5.v.5

SABBATO.

Adolescentior. Juventus robusta est. c. 25. v. 6. Adolescentes quomodo se in convivio gerant. c. 32. v. 11. & seqq. Verecundia eos decet. v. 14.

Vivendo luxuriosè. Vitia & lascivia juventutis in senium durant. c. 11. v. 16. & c. 25. v. 5. Filii lascivi & venerei sunt dedecus patri. c. 16. v. 1. & 4. Juventus non est danda vitiis senectus pœnitentiæ. c. 17. v. 27. Concupiscentia puero est similis quoad tria c. 30. v. 8. *Vide Indicem Rerum v.* Libido, Fornicatio, Meretrix, Mulier.

Ego autem hic fame pereo. Ærumnæ impios magis cruciant quàm pios. c.40.v.8.

Surgam, & ibo ad patrem. Conversio non est de die in diem differenda. c. 5. v. 9. *Vide Indicem Rer. v.* Pœnitens, Pœnitentia.

Pater peccavi in cælum, & coram te. Pœnitentiæ origo ratio & essentia. c.5. v.10.

Symphonia. Musica rectè in conviviis adhibetur. c. 32. v. 5. & 8.

Mortuus est & revixit. Peccator deplorabilis est. c. 26. v. 27. *Vide in Indice Rerum, v.* Peccator, Peccatum.

DOMINICA III. IN QUADRAG.

Omne regnum in se divisum desolabitur. Cupiditas est causa discordiæ. c. 25. v. 1. Antitheta rerum universum hoc ornant. c. 33. v. 15.

Reliqua vide in Feria IV. post Dom. I. in Quadr.

FERIA II.

Sub Eliseo Propheta. Elisei elogium. c. 48. v. 13. *Vide indicem rerum v.* Eliseus.

Ad mulierem viduam. Viduarum preces exaudit Deus. c. 35. v. 18.

FERIA III.

Corripe eum inter te & ipsum solum. In ira nemo est corripiendus. c.8.v.13. Quo affectu quis sit corripiendus. ibid. Coreptio quas habere debeat conditiones. cap. 19. v. 13. eam odiens, odit medicinam. c.21.v.7. Timens Deum si corripiatur, statim ad cor redit. c.21.v.7. *Vide indicem Rerum v.* Correctio, Castigatio.

Ipsum solum. Consilia sint secreta. c. 8. v. 21. Secretum est custodiendum. v. 22.

Si duo ex vobis consenserint. Coniuges sint inter se concordes. c. 40. v. 23. c. 25. v. 1. *Vide Indicem Rerum v.* Coniux, concordia, Vxor. *Vide & notata in Festo S. Marci Evang.*

FERIA IV.

Honora patrem tuum, & matrem tuam. Matri honor deferendus est. c. 3. v. 3. Senes non sunt spernendi, sed eorum mores ferendi. c. 8. v. 7. Filii probi sunt patri decus, gloria & gaudium. c.25. v. 10. c. 30. v. 3. Filii heroum plerumque sunt degeneres. c. 30. v. 13. Filii quid sint docendi. ibid. & quidem à teneris. c.7.v.25.& 26. Parentes honorans expiat peccata. c. 3. v. 5. quibus rebus sint honorandi. v. 8. 9. 14. eorum contemptus vocatur blasphemia. v. 19. *Vide Indicem Rerum v.* Filius, Parentes, Pater.

Et qui maledixerit patri. Hinc & parentes subinde maledicunt filiis quorum maledictio sæpè est efficax. c. 3. v. 11. 19. Pater misceat gravitatem lenitati. c. 30. v. 10.

Munus quodcumque est ex me. Victima è rapina pauperum offerenda non est. cap. 34. v. 24. & 28. Qui talem offert, nihil lucratur. v. 29. Oblationes nostræ uniendæ sunt meritis Christi. c.35. v. 11.

Hypocritæ. Vide notata Domin. XXII. post Pentecost.

Cor eorum longè est à me. Interiora hominis è quatuor externis signis dignoscuntur. c. 19. v.27.

Adhuc & vos sine intellectu estis. Mens & venter invicem comparantur. c. 36. v.20.

Quæ procedunt de ore, ea coinquinant. Multiloquium & garrulitas cavenda. c. 7. v. 15. Lingua incendio comparatur. c.8.v.4. Linguæ lapsus est facilis. c. 14. v. 1. Sapiens & stultus quomodo loquela dignoscantur. c.21. v. 29. Verba sunt mentis speculum. c. 27. v. 8. Lingua multos occidit. c.28.v.22.

Lingua nequam peior est morte. v. 25. Lingua flammæ est similis. v. 26. Lingua maledica similis leoni & pardo. v. 27.

De corde exeunt. Cordis affectiones & mala: eiusdem descriptio. c. 2. v. 15.

Cor durum describitur. v. 27. Cordis duri & sapientis antitheses. v. 31. Cor bonum facit vultum bonum, malum, malum. c. 13. v. 1. Cor symbolum est animæ & prudentiæ. c. 51. v. 28.

Falsa testimonia. Mendax est diabolo similis. c. 20. v. 26. & deterior fure. c. 5. v. 17. & c. 20. v. 27. Detractio quantum sit malum. c.19. v.10. Convitii & fumi analogiæ. c.22. v. 30.

Detractionis remedia. c. 28. v. 28. & seqq. Mendacium semper malum est. c.7. v.14.

Blasphemia. Blaspemia est morte vestita. c. 23. v. 15. *Vide utrumque Indicem Rerum verbo* Lingua, Detractio, Maledicus.

FERIA V.

Singulis manus imponens curabat eos. Vide notata Sabbato post Cineres.

Dæmonia clamantia, quia tu es Filius Dei. Peccatores tamen verè non laudant Deum. c. 15. v.8.

Et detinebant eum ne discederet ab eis. Sapiens ita loquitur, ut omnes apud eum esse gestiant. c. 20. v. 13. Sermo suavis mirè mentem delectat. c.40. v. 21.

FERIA VI.

Numquid tu maior es P. N. Jacob?. Iacobi Patriarchæ elogium. c. 44. v. 26.

Dedit Jacob Joseph Filio suo. Joseph Patriarcha & Henoch inter se comparantur. c. 49. v. 16.

Non coutuntur Judæi Samaritanis. Schisma Samaritarum à Judæis unde & qua occasione ortum sit. c. 50. v. 28.

Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Christus est fons vitæ. c. 1. v.5. Deus nostra est vita. c.4. v. 12. & c. 13. v. 18.

SABBATHO.

Deprehensam in adulterio. Meretrix stercori comparatur. c. 9. v. 10. Adulterium semper à Deo punitur. cap. 23. v. 30. eius culpa est quintuplex. v. 33. varia eius pœna. v. 36. Coniugii fidem varia docent animalia. v. 30. Zelotypia ex adulterio nata est gravè malum in femina. c. 26 vers. 8. *Vide Indicem Rerum v.* Adultera, Mulier, Uxor.

Scribebat in terra. Videtur hic Redemptor accusantium peccata in terra scripsisse. Dei oculus intuetur omnes cordis latebras. c. 16. v. 16. *Vide suprà Feria VI. post Cineres.*

Nemo te condemnavit? nemo Domine. Non est quis statim condemnandus. c. 11. v. 7.

DOMINICA IV. IN QUADRAGESIMA.

Vide notata Dominica VI. post Pentecosten.

Quia hic est verè Propheta. Prophetandi origo, est unio cum Deo. c.37. v.18. *Vide Indic. Rer. v.* Propheta, Prophetia.

FERIA II.

Cum fecisset quasi flagellum. In ira nemo est castigandus cap. 8. v.13. Ira est quasi fera, & hominem reddit ferinum v. 19. *Vide notata Dom. IX. post Pentecosten.*

FERIA III.

Nolite iudicare secundùm faciem, iustum iudicium iudicate. Iudices iniqui iustitiam violant. c. 20. v. 2. iustitia enim pingitur ut virgo. v. 3. Iudex sit prudens & sapiens. c. 10. v. 1. & 2. *Vide plura in utroque Indicem Rerum v.* Iudex, Iudicium.

FERIA IV.

Quis peccavit, &c. ut hic cæcus nasceretur? Fabrica singulorum hominis membrorum. c. 17. v. 5. Ratione fabricæ suæ ad Deum amandum homo tenetur. v. 6.

Digitized by Google

Peccatores Deus non audit. Peccatores verè non laudant Deum. c.15. v. 8.

Si quis Dei cultor est hunc exaudit. Sapientes & pii jugiter laudant Deum. c. 15. v.10.

Qui mendicabat. Mendicorum vita mors est potiùs quàm vita. c. 40. v. 30. *Vide Indice Rerum v.* Pauper, Paupertas.

In Peccatis natus est totus. Impii in maledictione nascuntur. c. 41. v. 12. Parentes impii quare filios improbos gignant. ibid.

FERIA V.

Misericordia motus. Vide notata Dominica VI. post *Pentecost. & Indicem Rerum v.* Misericordia.

FERIA VI.

Infirmitas hæc non est ad mortem. Infirmitatis utilitas. c. 38. v. 7.

Lazarus amicus noster. Speculum est imago amicitiæ. c. 12. v. 10. Amicitiam, quinque vitia abrumpunt. c. 22. v. 27. Amici quæ sint officia.v.32. Amicitiæ præstantia & elogium. cap. 37. v. 2. Amicus vetus novo est melior c.9. v.15. *Vide utrumquem Indicem Rerum v.* Amicitia Amicus.

Quod dixerat de morte eius. Mors vocatur iudicium, quare. c.38.v.23.

Ego sum resurrectio & vita. Deus nostra est vita c. 4. v.12. est item animæ anima. c.7.v.31. & cap. 13. v. 18. Ad vitam spiritualem decem res sunt necessariæ. c.39.v.31.

Vocavit sororem suam silentio. Maria forsan contemplationi intenta sibi vacabat; quia omnis contemplativus mente esse vacuus debet. c. 38. v. 25. Contemplationis remoræ. ibid.

Vadit ad monumentum ut ploret ibi. Luctus in morte moderandus. cap. 38. v. 18. Vide Indicem Rerum v. Luctus.

Turbavit semetipsum. Compassione levatur dolor afflicti. c. 7. v.38.

Lacrymatus est Iesus. Mundus est locus lacrymarum: Christus hic flevisse legitur, at numquam risisse.c.21.v.22

Solvite eum. Pœnitentia in peccatore, cuius typus est hic Lazarus, omnes scelerum nexus dissoluit. cap. 20.v.4. *Vide notata in Festo S. Mariæ Magdalenæ, & in Indice Rerum verbo* Peccator, Pœnitentia.

SABBATO.

Ego sum lux mundi. Quibus modis Christus animam illuminat.cap.1. v.5. Futura non sunt realiter æternitati præsentia. v. 4. *Vide notata in Festo Nativit. & in Indice Rerum v.* Lumen, Sol, Stella.

Et nemo apprehendit eum. Verbum dulce amicos multiplicat. c.6.v.5.

Locutus est in gazophylacio. Coram Deo nemo vacuus apparere debet. c. 35. v. 6.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Conscientiæ remorsus est velut canis latrans. c.21.v.2. Fuga peccati est nobile sacrificium. c.35.v.3.

Plura vide Domin. in Quinquages. de peccato item in utroque Indice Rerum v. Peccator, Peccatum

Numquid tu maior es patre nostro Abraham? Abrahami elogium. c.44.v.20.& seqq.

Et prophetæ mortui sunt. Omnibus est moriendum.c.14.v.12

Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Gloria Dei duplex est, interna & externa. c.42. v. 26.

De Passione Domini qui habere materiam volet, adeat Indicem Rerum v. Iesus, Passio.

FERIA IV.

Opera quæ ego facio, hæc testimonium perhibent de me. Omnis meditatio debet ad praxin & actionem redigi. cap. 6. v. 33.

DOMINICA PALMARUM.

Solvite & adducite mihi, Bestiæ & feræ obediunt hominibus. c.17. v.4.

De Palma vide caput XXIV. Ecclesiastici v. 18.

FERIA V. IN COENA DOMINI.

Hymno dicto. Mos agendi gratias post sumptum cibum. c.32.v.17. Ita faciebant olim prisci Christiani. ibid.

IN FESTO PASCHÆ.

Resurrexit. Resurrectionis symbolum est lilium. c. 39. v.19. *Vide indice Rerum v.* Resurrectio.

Patres qui in limbo detinebantur, sæpè per angelos illuminabantur. c. 24. v. 45. Christus resurgens ad infernum damnatorum personaliter non descendit. ibid. sed in Purgatorio plenum iubileum dedit. ibid.

Erit sepulchrum eius gloriosum. Sanctis variis sunt monumenta magnifica erecta. c.44.v.14

FERIA II. POST PASCHA.

Tu solus Peregrinus es? Peregrinatio docet sapere. cap. 34.v.11. Peregrinandum est ad scientiam parandam. c. 39. v. 5. *Vide Indice Rerum v.* Peregrinatio.

De Iesu Nazareno qui fuit. Christi memoria suis gratissima est. c. 49. v.2.

Nos sperabamus. In Deo sperans benedicitur. c.34.v.15.

Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare? Humiliatio probat & purgat Dei servos. c.2.v.5.

Interpretabatur illis in omnibus Scripturis. Sacræ Scripturæ studio paratur sapientia. c. 39. v. 1. huic omnes Ecclesiæ Doctores & SS. Patres studuere. ibid. & v. 2. *Vide Indice Rerum v.* Scriptura.

Nonne cor nostrum ardens erat? Deus succurrit tentatis patienter opem ipsius expectantibus. c. 2. v.3.

FERIA III. POST PASCHA.

Existimabant se spiritum videre. Samuel à pythonyssa evocatus an verè apparuerit. c.46. v.23.

Conturbati & conterriti. Dei aspectus est metuendus. c.16. v. 19.

DOMINICA IN ALBIS.

Pax vobis. Sapiens & iustus in perenni est pace. c. 51. v. 35. *Vide indicem rerum v.* Pax, Concordia, Amor.

Quorum remiseritis peccata. Confessio criminum pendet à confessione & laude Dei. c. 17.v.25. Confessionis encomia. c 4.v.31.

Vide notata Domin. XIII. *post Pentecost. & in Festo S. Mariæ Magdalenæ.*

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego sum Pastor Bonus. Consule Indice Rerum verbo Episcopus, Pastor, Prælatus.

Animam meam pono pro ovibus meis. Deus est amicus fidelis & fortis. c.6.v.14. item Christus. v. 17. *Vide in Indice Rerum v.* Amicus. Amicitia.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Modicum & non videbitis me. Deus unicuique tribulationes iuxta vires admetitur. c. 6. v. 22.

Mundus Gaudebit, vos vero contristabimini. Impii hic prosperantur, pii affliguntur. c.11.v.14.& 28.

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Patiens post patientiam iterum florere & fructificare incipit. c. 1. v. 29. Qui patiens est, est potens, maximè Deus. c. 2. v. 23. Conscientia bona remedium est tristitiæ. c. 30. v. 22. Tristitia fugat & contristat Spiritum sanctum. v. 23.& 26. hominem enecat. v.25. eius remedia ibid. Tristitiæ tria damna. c. 38.v.19. Ærumnæ magis cruciant impios, quàm pios. c. 40.v. 8. *Vide Indicem Rer. v.* Tribulatio, Tristitia, Patientia.

Gaudium vestrum nemo tollet a vobis, Solidum gaudium tantùm in Deo reperitur. c. 51. v. 20. & ipsum est de sola virtute. c.30.v.16. Tres fructus lætitiæ. v. 23. Delectatio spiritualis maior est carnali. c. 32. v. 17. Iusti gaudent de pœna impiorum. c. 35. v. 25. *Vide Indicem Rerum v.* Gaudium, Lætitia.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Arguet mundum de peccato. De peccato vide notata Dom. in Quinquag. & Domin. Passionis, & in Indice Rerum v. Peccator, Peccatum.

De

Digitized by Google

De iustitia. De propitiato peccato non oportet nos esse sine metu. c. 5. v. 5 Iustitiæ comes est pax. v. 12

Docebit vos omnem veritatem. Sapientiæ fructus. cap. 6. vers. 20. et à paucis invenitur. v. 23. est laboriosa & ponderosa. ibid.

Adhuc habeo multa vobis dicere. Secreta amici celanda sunt. c. 27. v. 17 *vide indicem Rerum v.* Secreta.

Sed non potest is portare modo. Dei magnalia homo ad fundum penetrare nequit. c. 18. v. 6

IN LITANIIS MAIORIBVS.

Petite, & dabitur vobis. Præparatio ad orationem quadruplex est. cap. 18. v. 13 Optima præparatio est bona orandi intentio. ibid. In oratione habenda attentio & silentium. cap. 41. vers. 26

Eo quod amicus ejus sit. Amicus est medius inter Inimicum, & adulatorem. cap. 37. v. 1. *vide indice Rerum v.* Amicus, Amicitia. *& notata Domin. in Septuages. & Feria VI. post Dom. III. in Quadrages.*

IN DIE ASCENSIONIS.

Non est vestrum nosse tempora. Temporum & ævi vices novit Deus. c. 42. v. 19

IN FESTO PENTECOSTES.

Tamquam advenientis spiritus vehementis. Quid Deus in sibilo auræ tenuis apparens Eliæ, vellet denotare. cap. 48. v. 7. *vide de vento notata Domin. IV. post Epiphaniam.*

Et apparuerunt illis linguæ. Lingua sancta donum est Spiritus sancti. cap. 51. v. 30 Linguæ igneæ Apostolorum sunt in Elia denotatæ. c. 48. v. 1

Pacem relinquo vobis. Pax est comes iustitiæ. cap. 5. v. 12 Sanctus in perenni pace & gaudio vivit. c. 51. v. 35

Quem Spiritum Eliæ duplicem sibi dari petierit Eliseus. cap. 48. v. 13 *vide indicem Rerum v.* Spiritus sanctus, Lingua.

Inter dona Spiritus sancti non postremum est timor, de quo passim sermo est toto libro Ecclesiastici, quo nomine virtus, & pietas intelligitur.

Timoris Dei elogia quatuor. cap. 1. ante v. 1 Ipse est initium sapientiæ. v. 16 fidelibus concreatus est. ibid. dat sanitatem animæ & corporis. v. 22 facit longævos. v. 25 expellit peccata. v. 28 est vera nobilitas. cap. 10 v. 23 urget ad profectum virtutis. cap. 15. v. 1 est quasi animæ auriga & nauclerius & speculator. cap 25. v. 14 causat amorem, & amor timorem. v. 16 Ceteras virtutes timor Dei in se complectitur. cap. 40. v. 27 *vide Indicem Rerum verbo* Timens, Timor.

Timens Deum est ut sacerdos, rex, triumphator. cap. 1. v. 10

Donum consilii item à Spiritu sancto descendit. Consultamus de iis quæ libera sunt. cap 15. v. 14 Consiliarii quas habere conditiones debeant. cap. 37. v. 7-9 & seqq. Homo creatus cum consilio Dei. cap. 32. v. 23 Consultor est res sacra. cap. 37. v. 12 Quinam sint in consilio vitandi. ibid. Cor est oraculum boni consilii. vers. 17 Consilii efficacia. ibid. ejus præstantia. cap. 40. vers. 25 *vide indice Rerum v.* Consiliarius, Consilium.

De dono Scientiæ vide in indice Rerum v. Sapientia, Doctrina. Quæ scientia Spiritus homini data sit. cap. 17. v. 6 Spiritus sapientiæ quis dicatur. c. 24. v. 27 & c. 37. v. 9.

FERIA II. POST PENTECOST.

Sic Deus dilexit mundum. Deus est verus amicus qui nos ab æterno amavit. cap. 9. v. 14 Christus pro nostris debitis se fidejussorem præstitit. cap. 29. v. 20. *vide indicem Rerum v.* Iesus Christus, Deus, Amor.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Baptizantes eos. Baptismo tollitur peccatum originale: hujus decem pœnæ. cap. 40. v. 1 an Eva peccans ad posteros id transmisisset. c. 25. v. 33

In nomine Patris, & filii & Spiritus sancti. Divina sapientia plena est notionibus rerum formandis creaturis secundùm speciem cujusque idoneis, cap. 1. v. 10 In Deo sunt omnes virtutes excepta humilitate. cap. 11. v. 4 Ipse summoperè laudandus est. cap. 15. v. 10 eius magnalia homo ad fundum usque penetrare non potest. cap. 18. v. 6 variæ ejus epitheta. c. 24. v. 20 ejus pulchritudo. cap. 43. v. 1 est in omnibus, & ipse omnia. c. 43. v. 29 eum abundè & sufficienter laudare non possumus. vers. 31 quo plus cognoscitur, eo plura cognoscenda demonstrat. ibid. ejus omnipotentiæ quinque mensuræ. vers. 37. est essentialiter sanctus. cap. 46. vers. 6

SS. Trinitatis laudat seipsam laudem immensam. cap. 15. vers. 20. & cap. 43. vers. 34 ejus symbolum. cap. 17. v. 22 ejus tres throni & adorationes. cap. 24. vers. 7 est fons amoris & concordiæ. cap. 25. v. 1 denotatur per iridem. cap. 43. v. 13 *vide indicem Rerum v.* Deus, Trinitas.

Christi deitas adstruitur. cap. 1. v. 3 Filius Dei est sapientia personalis. v. 3 *vide in indice Rerum v.* Iesus Christus.

Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Quomodo dies sæculi sint innumerabiles. c. 1. v. 3 item dies Israelis. c. 37. v. 28

DOMINICA I. POST PENTECOST.

Estote misericordes. vide notata Feria VI. post Cineres

Nolite iudicare. Iudex fortitudinem habeat tum externam, tum internam. c. 7. v 6 Ex specie non est judicandum. cap. 11. v. 2 *vide indice Rerum v.* Iudex.

Perfectus autem omnis erit. vide notata Feria VI. post Cineres, & in Communi Confessorum.

Hypocrita. vide notata Domin. XXII. post Pentecost.

IN FESTO SS. CORPORIS CHRISTI.

Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Eucharistia facit longævos, ut & timor Dei. cap. 1. vers. 15. Christus quasi pelecanus suo nos sanguine vivificat. cap. 4. vers. 14 est vita animæ. cap. 13. vers. 18 Eucharistia est panis vitæ. cap. cap 15. vers. 3 dat robur animæ. vers. 4 in ea edimus & carnem B. Virginis. c. 24. v. 29

Sacrificium Missæ quàm sit honorificum. cap. 50. vers. 18 habet id vim impetrandi ex opere operato. cap. 34. vers. 23 est summa realis Dei laus. cap. 43. vers. 34 *vide indicem Rerum v.* Eucharistia, Sacrificium.

DOMINICA II. POST PENTECOST.

Iuga boum emi. Avaritia nihil est scelestius. cap. 10. vers. 9 ejus proprietates. ibid. est iniqua. cap. 14. vers. 9 est mentis inopia. cap. 27. vers. 1 ejus comes est invidia. capit. 31 vers. 15

Avarus proiicit intima sua, quomodo. cap. 10. vers. 10 ei non permanent bona: tempus ei præterit. cap. 11. vers. 20 quàm sit miser. cap. 14. v 3 decem ejus stultitiæ. ibid. non benefacit aliis, nisi animo maligno. v. 7 est velut hydropicus. v. 9 *vide notata in indice Rerum v.* Avaritia, Dives.

Uxorem duxi. Libido nommemobilitur & enervat. cap. 6. v. 3 & reddit impudentem, c. 19 v. 3 est tinea. cap. 42. v. 13. & reddit impudentem, c. 19 v. 3 est tinea. cap. 42. v. 13 Pulchritudo est illex libidinis. cap. 9 v. 5 Mulier fucata est Venus colorata. v. 18 Mulieres opulentæ dominantur viris. cap. 25. v. 30 Mulier est natura falax. cap. 26. v. 14 est similis igni, magneti, basilisco. cap. 42. v. 13 eius epitheta & descriptio. v. 14

Nemo se aut sua mulieri credere debet. cap. 7. v. 28 Non debet mulier viro dominari. cap. 9. v. 2 eius tactus periculosus est. v. 10 eius malitia summa est. cap. 25. v. 17. 22. 26 Mala mulier est velut coluber. v. 22 eius nequitia est incurabilis. v. 23 talis mulier obtingit peccatori. v. 26 Mulier imperiosa est viro contraria. v. 30 A muliere ortum est peccatum. v. 33 Scorpio est typus malæ mulieris. cap. 26. v. 10. Mulieres vitandæ sunt. cap. 36. vers. 24. & cap. 42. vers. 14. Vxor mala ingens est malum. c. 40 v. 20

Zelotypia ingens est conjugii malum, quàm ea sit damnosa: eius remedia. c. 9. v. 1

Vxor domi est continenda. cap. 25. v. 1 sit sobria. cap. 26. v. 11. Vxor bona virum divèrsimodè beat. v. 1 talis est Dei donum. v. 3 maritum exhilarat, & pellit dolorem. v. 21

Virginum aspectus cavendus est. cap. 9. v. 5 Filiæ sunt plerumque simiæ matris, & filii patris. cap 11. v. 31 *Vide plura in indice Rerum verbo* Mulier, Femina, Libido, Virgo, Vxor, Concupiscentia, Zelotypia.

Sapientia est uxor viri iusti & sapientis. cap. 15. v. 5 Iniquitas viri est melior beneficentia mulieris. c. 42. v. 14

DOMINICA II. POST PENTECOST.

Erant appropinquantes ad Iesum Peccatores. Peccatores non sunt reiiciendi, nec exacerbandi. cap. 8. v. 6 *Vide indicem Rerum verbo* Peccator, Impii.

Digitized by Google

DOMINICA IV. POST PENTECOST.

Laxate Retia. Negotiantibus, & agentibus succurrit Deus. cap.51. v.25.
In verbo tuo laxabo rete. A Deo sunt omnia incipienda, cap. 37. vers. 19.
Relictis omnibus secuti sunt eum. Velocitas in via Domini quàm sit salutaris. c.51. v.27.

DOMINICA V. POST PENTECOST.

Ego autem dico vobis, quia omnis qui, &c. Gentiles putabant iniurias vindicare honorificum esse, non ita Christiana lex. c. 28. v.3. *Vide notata Feria VI. post Cineres.*
Omnis qui irascitur fratri suo. Iræ remedium est Dei memoria. c.28. v.8. Ira parit insaniam. v.14. Bile carentia sunt longæva. c. 30. vers.26.
Qui dixerit fratri suo, Raca. Detractor tres uno ictu vulnerat. cap.28. v. 17.
Vide indicem rerum v. Detractor, Lingua.
Quia frater tuus habet aliquid adversum te. Lis est multorum malorum causa. c.28. v.11. est scintillæ similis. v. 14.

DOMINICA VI. POST PENTECOST.

Misereor super turbam. Liberalis est manu validus, cap.29. v.1. Misericordia aliter in Deo est, aliter in nobis; tres eius gradus in Deo. c.35. v.26.
Vide notata Feria IV. post Cineres, & in indice Rerum v. Eleemosyna, Misericordia.
Nec habent quod manducent. Vitæ humanæ decem res sunt necessariæ. c.39. v.31.
Accipiens panes. Panibus non est cubito incumbendum. cap. 41. v. 24.
Gratias agens. Aaronicus sacerdos quomodo benediceret populo. c.36. v.19.
Manducaverunt & saturati sunt. Edendum citra satietatem. cap.37. v.23.
Vide Indicem Rerum v. Cibus, Panis, Modimperator; Convivium.

DOMINICA VII. POST PENTECOST.

Attendite à falsis prophetis. Scandalosi & hæretici cavendi sunt. c.8. v.18. item peccatores. c.22. v.14. & 15.
Cum impiis agens fit plerumque culpæ & pœnæ eorum particeps. c.12. v.13.
Vide Indicem Rerum v. Hæreticus, Peccator, Impii.
Intrinsecus sunt lupi rapaces. Audaces sunt vitandi. c. 8. v.18. Lupi sunt sævitiæ & gulæ symbolum. c.13. v.21.

DOMINICA VIII. POST PENTECOST.

Filii H. Sac. prudentiores sunt filiis lucis. Pauperes à divitibus sæpè seducuntur. c.19. v.9.
Facite vobis amicos de Mamona. Eleemosynarius non timeat inopiam. cap.4. v.8. Beneficentia facit divinos, & quasi deos. v.11. Benefacere melius est quàm bona accipere. v. 36. Munera non sunt capienda. c.20. v.31.
Vide notata Feria VI. post Cineres, & in indice Rerum verbo. Eleemosyna.
Mamm. iniquitatis. Quatuor ob causas sunt divitiæ iniquæ. c.5. v.1. *Vide indicem Rerum v.* Divitiæ, Opes, Aurum.

DOMINICA IX. POST PENTECOST.

Quia si cognovisses & tu. Novissimorum recordatio trahit hominem à malo, & incitat ad bonum. cap 7. v. 40. Cognitio Dei quanti referat, est omnis boni fons. c.36. v.5.
Quæ pacem tibi. Felicitas sæpè est causa ruinæ. c.47. v.22.
Eiicere vendentes & ementes. In ira nemo est castigandus. c.8. v.13
Vendentes. In emptione, & venditione peccatum facilè intercurrit. c.27. v.3.
Vide indicem Rerum v. Mercator, Mercatura.

DOMINICA X. POST PENTECOST.

Qui in se confidebant. Altiora se nemo sectetur aut quærat. cap.3. v.2.
Ut orarent. In oratione studendum attentioni & silentio. c.41. v.26.
Non sum sicut cæteri hominum. Nemo potest aliis detrahere, & se laudare. cap.2. v.14.
In fortitudine sua & virtute nemo gloriari debet. c.6. v. 3. In cœtu vitanda est singularitas. c.13. v.20. & 32. v.1.
Vide indicem Rerum v. Superbia, Superbus.
Publicanus à longe stans. Peccator humilis melior est superbiente justo. c.10. v.34. Oratio humilium exauditur. c.35. v.21.
Vide Indicem Rerum v. Oratio, Preces.
Qui se exaltat, humiliabitur. Superbia Deo, & hominibus est exosa, c.10. v.7. Homo nihil habet, quo se magni faciat. v. 9. Superbiæ origo quàm sit turpis. v. 14. est velut pix. c. 31. v. 1. Superborum arrogantiam retundit Deus. c.36. v.7
Qui se humiliat, exaltabitur. Humilitas magna convenit magnis. c.3. v.20. item summa modestia. ibid. Gnomæ de humilitate, eiusque assequendæ praxes. c.21. Veterani sint humiliores junioribus. ibid. Habemus varia motiva ad nos humiliandos. cap.7. v.19. Humilitatis gradus duodecim, actus novem, signa decem. ibidem ipsa sola exaltat. c 11. v.1. & c.20. v.11. quæ sit vera humilitas. c.13. v.9. Talis debetur Deo: eius gradus. ibid.
Vide indicem Rerum v. Humilis, Humilitas.

DOMINICA XI. POST PENTECOST.

Apertæ sunt aures eius. Aures sepiendæ sunt spinis. c.28. v.28.
Et solutum est vinculum linguæ eius. Os custodiendum est. c. 22. vers.33.
Loquebatur rectè. Pauca loquenda sunt, eaque circumspectè. cap.4. v.34. Verba antè quam proferantur, ponderanda sunt. c.28. v.29. Sermo suavis mirè mentem delectat. c.40. v.21.
Vide indicem Rerum v. Lingua.
Tanto magis plus prædicabant. Non debemus erubescere Christum confiteri. c.4. v.24.
Bene omnia fecit. Beneficus ab omnibus amatur & benedicitur. cap.31. v.29.
In operibus Dei celebranda maximè sunt bonitas & potentia. c.39. v.21. Opera Dei sunt admiranda. cap.42. v.23. Ipse iis intimè præsens est per essentiam, præsentiam, potentiam. ibid. In omnibus iis notatur opposita dualitas. v.25. Laus bonorum operum Deo est ascribenda. cap. 47. v. 9. *Consule indicem rerum v.* Creator, Creatura, Laus.

DOMINICA XII. POST PENTECOST.

Diliges Dominum, &c. Ex toto corde tuo. Debemus studere Deo placere. c.2. v. 19. Amoris Dei septem gradus. c.7. v. 32. Actus sex amoris Dei. ibid. Quid sit eum ex toto corde diligere. ibid. Quam eum redamare debeamus. c.15. v.2.
Vide indicem Rerum v. Amor, Charitas, Dilectio.
Et proximum sicut teipsum. Charitatis quanta sit latitudo. c. 16. v.29. eius quanta sit vis & energia. cap. 40. v. 20. ipsa sole designatur. c.43. v.3.
Infundens oleum. Olea describitur. c.24. v.19. item balsamum. v.20. Cur nonnulli Sancti jam mortui oleum exsudent. c.50. v.11.

DOMINICA XIII. POST PENTECOST.

Ite, ostendite vos Sacerdotibus. In confessione deponendus est pudor: Confessionis encomia. cap.4. v.31. Confessio Sacramentalis quàm sit secreta. c.27. v.18.
Vide indicem Rerum v. Confessio, Pœnitentia.
Sacerdotibus. Sacerdotum magna dignitas: qui iis honos debeatur. c.7. v.31. & 33. eorum variæ dotes. c.50. v.11. & 12. benedicentes populum simul Deum benedicunt. v. 22.
Consule indicem Rerum v. Pontifex, Sacerdos.
Magna voce magnificans Deum. Deum laudandi varii sunt gradus. cap.43. v.34. Sacerdotes Deum perpetuò laudare debent. cap.45. v.19.
Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt? Unus sanctus apud Deum potior est universis impiis. c.16. v.4. & 5

DOMINICA XIV. POST PENTECOST.

Nemo potest duobus Dominis servire. Mundo & Deo simul placere nemo potest. c.2. v.14.
Vide indicem Rerum v. Herus, Servitus, Servus.
Quis vestrum cogitans potest adiicere cubitum? Homo nihil habet unde superbiat. c.10. v.9.
Respicite volatilia Cœli. Aves cantu suo excitant hominem ad Dei laudem. c.42. v.16.

by Google

Pater vester cal. pascit illa. Providentia Dei singula intuetur & curat. c.16.v.16.

Quoniam nec Salomon in omni Gloria sua. Animæ sanctæ decor. c.36. v.24. Salomonis elogium & vituperium. c. 47. v. 14. an sit salvatus. v. 22.

Vide indicem Rerum v. Salomon.

Si Fœnum agri, &c. Deus sic vestit. Pulchritudinis vanitas, cap. 11. v. 2. Mens formosa sæpè est in deformi corpore. ibid. Pulchritudinis descriptio. c.25. v.28. Viridia oculos valdè oblectant. cap.40. vers. 22.

Consule indicem Rerum v. Pulchritudo.

De vestitu quid solliciti estis? Prosperitas est Dei donum, non fortunæ. c.10. v.5.

Vide indicem Rerum v. Vestes; *& notata Domin. II. Adventus.*

Quærite primum Regnum Dei, & hæc omnia, &c. Divitiæ sunt donum Dei. c.11. v.14. Cultus Dei basis est reip. & regnorum. cap. 49. vers. 5.

DOMINICA XV. POST PENTECOST.

Defunctus efferebatur. Sancti sunt sæpè ab angelis & bestiis sepulti. c.38. v.16.

De morte vide notata Domin. XIII. post Pentecost. & in Festo Fidel. Animarum.

Et hæc vidua erat. Viduarum preces exaudit Deus. c.35. v.18.

Misericordia motus. Misericordia aliter est in Deo, aliter in nobis: tres eius gradus in Deo. c.35. v.26.

De misericordia vide notata Domin. VI. post Pentecost. & indicem Rerum v. Misericordia.

DOMINICA XVI. POST PENTECOST.

Hydropicus. Avari sunt velut hydropici. c.14. v.9.

Vide indicem Rerum v. Avarus.

Cuius vestrum asinus, &c. in puteum? Quare pecora & iumenta curanda sint. c.7. v.24.

Si licet Sabbato curare. Pii similes sunt diebus festis. c.35. v.7.

Dicebat ad invitatos parabolam. Mensalia præcepta varia traduntur. cap 31. v.12. & seq. Cubito non est pani innitendum. c.41. v.1. & seqq.

Tunc incipias cum rubore. Pudor non bonus quis sit. cap. 41. v. 1. & 20. In quibus erubescendum sit. v.21. & seqq. in quibus non sit erubescendum. c.42. v.1. & seqq.

Recumbe in novissimo loco. Honor summus est à Deo honorari. c.10. v.14. Nimia humiliatio sui vetatur. c.13. v.9.

Omnis qui se exaltat. vide notata Domin. X. post Pentecost.

DOMINICA XVII. POST PENTECOST.

Diliges Dominum Deum. Vide notata Domin. XII. post Pentecost. Quid sit Deum ex toto corde diligere. cap.7. v. 32. Ipse est in omnibus rebus & hominibus æqualiter amandus. c.11. v.14.

Dicunt ei, David. Davidis elogium. c.47. v.2. & seqq.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOST.

Cum vidisset cogitationes eorum. Deus videt minutissima quæque. c.1. v.3. Futura non sunt realiter præsentia æternitati. v. 4.

Vide notata Feria VI. post Cineres, & Domin. XXII. post Pentecost. & in indicem Rerum v. Cogitatio, Oculus.

Videntes autem turbæ timuerunt. vide indicem Rerum v. Timor, Timens; *& notata in Festo Pentecostes.*

DOMINICA XIX. POST PENTECOST.

Ad negotiationem. *vide indicem Rerum v.* Emptio, Mercator, Negotiatio.

At ille obmutuit præ pudore. Pudor & verecundia est passio, non virtus. c.4. v.24. Pudor bonus & malus quis sit. ibid. & v.25. 26. & sequent.

Vide indicem rerum v. Pudor *& Domin. XVI. post Pentecost.*

Dixit Rex ministris: Ligatis, &c. Damnati an per dæmones crucientur. c.39. v.35.

Mittite in tenebras exteriores. Deus punit citra condignum. c.7. v.3. *Vide notata Feria II. post Domin. I. in Quadrag. & in indice Rerum v.* Infernus, Dæmon.

DOMINICA XX. POST PENTECOST.

Erat quidam regulus. Deo servire, regnare est c.4. v. 15. *Vide notata Dom. III. post Epiphan. & in indice Rerum v.* Rex, Princeps.

Incipiebat enim mori. Mors semper adesse & instare cogitanda est. c.7. v. 40. Mors quare vocetur defluens. c. 38. v.13.

vide notata in Festo Fidelium Animarum.

DOMINICA XXI. POST PENTECOST.

Iussit eum Dominus venumdari. Servi bene meriti sunt libertate donandi. c.7. v.23.

Vide indicem Rerum v. Servus, Herus:

Misertus autem Dominus servi illius. Quanta Dei sit in peccatores misericordia. c.2. v.23. & c.4. v.11

Tenens suffocabat eum. Ira est quasi fera, & reddit hominem ferinum. c.8. v.19. *vide indicem Rerum v.* Ira, Iracundia.

Nonne ergo & te oportuit? Mansuetudo in corripiente requiritur. c.3. v.19. Iniuriam obliviscì heroicum est. c.10. v.6. Iniuriæ condonandæ stimuli. c.28. v.2. *vide indicem Rerum v.* Mansuetudo, Mitis: *& notata in Festo omnium Sanctorum.*

Si non remiseritis unusquisque fratri suo. Deus ignoscit ignoscenti proximis. c.28. v.1.

DOMINICA XXII. POST PENTECOST.

Ut caperent Iesum in sermone. A republ. exulare debent fraudes, doli, iniuriæ. c.10. v.8. Sophistice est cavenda. c 37. v.24

Scimus quia verax es. Sinceritatis descriptio. c.2. v.14. Veritatis dignitas. c.7. v.14.

Cognita nequitia eorum. Melancholici semper mala & falsa suspicantur. c.3. v.26. Cor hominis est velut abyssus, quod nemo penetrat, sed solus Deus. c.42. v.18. Deus novit omnia possibilia. cap.1. vers.1.

Quid me tentatis hypocritæ? Fraudulenti sunt hypocritæ c.2. v.14. Hypocritæ Deum verè non amant, nec colunt. c.1. v.39. Varia symbola hypocriseos. v.37. eam tandem detegit Deus. v.39

Vide indicem Rerum v. Hypocrisis, Hypocrita, Dolus.

Ostendite mihi numisma census. Scitè respondere posse interrogantibus (uti hic Christus facit) magna est prudentia. c.8. v.12. *vide indicem Rerum v.* Pecunia, Respondere.

Cæsari. Prout rex est, sic & populus. c.10. v. 2. habet regnum à Deo v.4. Reges à Deo prosperantur. v.4. Tyrannus in quo à re ge differat. v.6. Tyranni brevis sunt ævi. v.12. Reges non sinant se ab alio regi. c.33. v.20. Sint humiles & mansueti, sic diu imperabunt. c.10. v.6. *vide indicem Rerum v.* Princeps, Rex.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOST.

Filia mea modo defuncta est. Vitæ brevitas. c 14. v. 12. Mors nobis instat proximè. c.38. v.23. Quid sit mors & vita. c. 41. v.1. non est mors metuenda, sed patienter ferenda. v.5. & 8. eam Sancti optant. v.7.

vide notata in Festo Animarum.

Mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur. Hæc, ut ait S. Marcus cap.5. multa perpessa fuerat à compluribus medicis. Medicina quippe tortura est. c.38. v 15.

vide notata Sabbato post Cineres, & in indice Rerum v. Medicina, Medicus.

Cum vidisset tibicines. Carmine & modulis tradita est Ethica à priscis. c.44. v.5. *vide in indice Rerum v.* Musica.

Exiit fama hæc in universam terram. Boni nominis cura habenda est. c.41. v.15. *vide indicem rerum v.* Fama, Nomen.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOST.

Cum viderit abomin. desolat. stantem in loco sancto. Per hanc nonnulli intelligunt statuam Cæsaris in templo adorandam propositam. Ieroboam fuit idololatriæ auctor in Israel, & quare. cap. 47. vers. 9.

Sicut fulgur. Fulguris mirabilia: fulgura sunt iudicii divini. cap.43. vers.14. Huius causa est tonitru, quod concutit terram: eius causa. vers. 18. quid hoc analogicè, & tropologicè significet. ibidem.

vide indicem Rerum v. Fulgur, Tonitru.

virtutes cælorum commovebuntur. Iris cælestis, super quam iudex Christus sedebit, describitur: eius figura, effectus, symbola, cap.43. vers. 12. 13. Grandinis descriptio. vers. 16. quid ea denotet mysticè. ibid. Terræ motus sunt signum magnificentiæ Dei. cap. 16. vers. 19.

vide indicem Rerum v. Cælum, Firmamentum, Stella: *& notata Domin. I. Advent.*

Et nisi breviati fuissent dies illi. Dies delictorum qui dicantur. cap.23. v.17.

PR

Digitized by Google

Venientem in nubibus Cœli. Nubes sunt quasi aves Dei, earum mirabilia. c.43.v.15.
Henoch qui præcedet Christi adventum ad judicium, quare & in quem paradisum sit translatus: eius raptus & vita: redibit sub mundi finem cum Elia. cap. 44. v. 16. & seqq. comparatur cum Joseph Patriarcha. cap. 40. v. 16. Paradisus terrestris adhuc superest. ibid.
Vide indicem Rerum v. Elias Henoch.
Sicut fuit in diebus Noe. Noei elogium. c.44.v.17.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

A Dei cultu & templorum constructione omnia sunt ordienda. cap. 35. vers. 10.
Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus. Christus semper habitat in Ecclesia Christiana, c.24. v.16. Coram Deo in templo non debemus apparere vacui. c.35.v.6
Musica rectè in templis adhibetur. c.32.v.5.
Psalmodiæ fructus & usus.c.47. v.11. Decoro & ornatui studendum. cap 44.v.6.
Vide in indice Rerum v. Templum, Ecclesia, Musica.
Festinans descende. Velocitas salutaris est. c.31.v.7.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Vide notata Dominica IV. post Pentecosten.

IN FESTO PURIFICATIONIS BEATÆ VIRGINIS.

Obtulerunt par turturum. Nemo coram Deo vacuus apparere debet. c.35.v.6.
Oblationes nostræ uniendæ sunt meritis Christi. v.11.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

Respondens Simon Petrus: Simon pontifex, quem Ecclesiasticus celebrat, quis fuerit: eius elogium toto. cap.50.
Vide indicem Rerum v. Ecclesia, Petrus, Pontifex, Sacerdos.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOST.

Revelasti ea parvulis. *Vide notata in Festo S. Michaelis, & Feria IV. post Dominic. III. in Quadrages. & indicem Rerum v.* Puer.
Statuerunt duos. Etsi Joseph esset sanctus, & cognomento Justus, tamen Deo rem dirigente, S. Matthiæ postpositus est: nam actus consilio sunt, non eventu, metiendi. c.32.v.25.
Sors cecidit super Matthiam. Quisque debet sua sorte esse contentus. c.17. v.24. Deus est bonæ fortunæ causa. c.33.v.7.
Vide indicem Rerum v. Pontifex, Sacerdos, Apostoli, Fortuna.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS.

Vide notata Feria IV. quatuor Tempor. Adventus: idem enim est Evangelium.
Sedem David Patris. Davidis regis elogium. cap. 47. vers. 2. & sequentibus.
Vide indicem Rerum v. David.
Quia virum non cognosco. B. Virginis virginitas inviolata. cap. 15. vers. 2.
Vide indicem Rerum v. B. Maria Virgo, Virginitas.
Rosarium quod Deiparæ legitur, ex rosis Salutationum Angelicarum compositum est. c.39.v.17.

IN FESTO S. MARCI EVANG.

Misit illos binos. Cum paribus semper agendum. c.13. v.2. quia pares paribus gaudent. v.20. Morum similitudo placet in alio. ib. Concordiæ & pacis bona. c.25. v.1.
Vide indicem Rerum v. Amor, Dilectio, Charitas, Concordia.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

Ita exaltari oportet filium hominis. Crucis Christi symbola. cap.34. vers.20.
Vide indicem Rerum v. Crux.

IN FESTO NATIVIT. S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Quis putas puer iste erit? Qui in aliqua in excellere cupiunt, se ei à puero applicent. c.51. v.20.
Vide indicem Rerum v. Joannes Baptista, Puer.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Occasione B. Mariæ Magdalenæ agi poterit de meretricum audacia & impudentia, hæc ingens est malum. c.23. v.6. Lupanaria non sunt in Christianis urbibus permittenda. c.19.v.3.
Vide indicem Rerum v. Meretrix, Mulier, Fornicaria, Libido.
Lacrymis cœpit rigare pedes eius. Pœnitentia est tabula post animæ naufragium. c.17. v.20. ad eam tria requiruntur.c.38.v.10. in morte semper necessaria est ibid. non est de die in diem differenda. c.5. v.9. omnes criminum nexus dissolvit. c.20. v. 4.
De oculis vide notata Domin. in Septuages. & in indice Rerum verbo Oculus: *item v.* Pœnitentia.
Duo debitores erant cuidam fœneratori. Fœnus & usura est morsus. c.20. v.16. Spondens pro alio triplici cautela sibi caveat.c.29. v.19. numquam eius obliviscendum. v.20. ipse est à sponsione indemnis præstandus. v.22.
Vide indicem Rerum v. Mutuum, Fœnerator, Usura.
Remittuntur ei peccata multa. Peccatum fugiendum quasi coluber. c.21.v.21.
Vide notata Domin. Passionis, & in indice Rerum v. Peccatum, Peccator. Peccator dormienti similis est & mortuo. c.22.v.9. & 10.

IN FESTO S. JACOBI.

Dic ut sedeant. Audax & impudens fuit petitio huius matris. Quàm porro ingens malum sit impudentia, *vide*. c.23.v.6.
Vide & notata Feria IV. post Domin. II. in Quadrages. est enim idem Evangelium.

IN FESTO S. IGNATII DE LOYOLA.

Vide indicem Rerum v. S.Ignatius.

IN FESTO S. DOMINICI CONFESS.

Vide indicem Rerum v. S. Dominicus.

IN FESTO TRANSFIGURAT.

Vide notata Dominica I. in Quadragesima.

IN FESTO ASSUMPT. B. MARIÆ VIRG.

B. Virgo est radix sapientiæ. c.1. v.6. est nobis mater honorificata. c.15. v.2. est opus Dei sapientissimi: eius sanctitas: est & sapientia Christum incarnans: alia eius elogia. c.24. v.1. 26.& 42. in omnes se invocantes gratiam transfundit. v. 3. fecit ut in cælis oriretur lumen indeficiens. v.6.
Est velut nebula. ibid. item nubes. v.7. est tabernaculum Dei. v.12. etymon nominis eius. ibid. est principium operum Dei. v. 14. est in plenitudine sanctorum. v.16. est thesaurus omnis sanctitatis. ibid. est rosa in Jericho. v.18. item velut oliva & platanus. v.19. item balsamum & myrrha. v.20. item vitis. v. 23. eius fructus. v.24. in ipsa est omnis virtus & veritas. v.25. est dulcissima. v.27. est aquæductus fluvii divini. v.41. insignis eius gratia. c.26. v.19. eius decor. cap.36. v.24. & 25. *Vide indicem Rerum v.* B. Maria Virgo.
Turbaris erga plurima. Occupationes minuere debent ij qui orationi vacare volunt. cap. 38. v. 22. Contemplativi sint mente vacui. c.38. v.25. Contemplationis remoræ. ibid.
Consule indicem Rerum v. Negotium, Otium.
Maria optimam partem elegit. Contemplationi vacans (cuius typus est hæc Maria) in sapientia moratur. c. 14. v. 22. Meditatio est causa devotionis. c.35.v.8.
Vide indicem Rerum v. Contemplatio, Meditatio, Oratio.

IN FESTO S. BERNARDI CONFES.

Vide indicem Rerum v. S.Bernardus.

IN FESTO S. BARTOLOMÆI.

Judam Iscariotem qui fuit proditor. Etiam Sancti aliquando graviter labuntur. c.47. v.13.

IN

Digitized by Google

IN FESTO DECOLLAT. S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Placuit oculis eius. Saltatrices sunt illecebrosæ: c. 9. v. 4. Pulchritudo illex est libidinis. v. 5. *Vide indicem rerum v.* Mulier.

IN FESTO S. MATTHÆI APOST.

Sequere me. Deum sequentes fiunt divini. c. 23. v. 38. Eum sequi facile est. ibid.

Surgens secutus est eum. Pœnitentia non est diu differenda. cap. 21. v. 1. Velocitas in opere bono salutaris est. c. 31. v. 27. *Vide notata in Festo S. Mariæ Magdalenæ*.

Non est opus valentibus Medico. *Vide notata Sabbato post Cineres, & in Indice Rerum v.* Medicus, Medicina.

IN FESTO S. MICHAELIS.

S. Michael Ecclesiæ est, & Synagogæ fuit, præses & tutor. c. 17. v. 14. *Vide Indicem rerum v.* Angeli, Michael.

Nisi efficiamini sicut parvuli. Parva potentiora & vegetiora sunt magnis. c. 11. v. 2. *Vide Indice rerum v.* Puer, Filius.

Qui scandalizaverit unum de pusillis istis. Scandalum quid sit: aliud est activum, aliud passivum, c. 7. v. 6 *Vide in Indice Rerum verbo* Scandalum.

Scandalosi cavendi sunt. c. 8. v. 18.

Væ homini illi per quem scandalum venit. Cum impio agens, ejus pœnæ & culpæ fit particeps. c. 12. v. 13

Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Parva qui contemnit, paulatim decidet in maiora. c. 19. v. 1. Parva non sunt contemnenda. c. 11. v. 3.

IN FESTO S. FRANCISCI CONFESS.

Vide Indicem Rerum v. S. Franciscus.

IN FESTO SS. APOST. SIMON. ET JUDÆ.

Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Christus & Deus sunt in moribus imitandi. c. 13. v. 20. *Vide notata in Communi Apostolorum*.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Beati. Tria hominem in hac vita beant. c. 14. v. 1.

Beati pauperes Spiritu. Pauperum preces quales & quando Deus exaudiat. c. 4. v. 6. Pauperes sunt juvandi. v. 10. *Vide Indic. Rerum v.* Pauper, Paupertas, Humilis.

Paupertas justa melior iniustè partis opibus, c. 10. v. 33. Paupertas liberat à peccato. c. 20. v. 23.

Paupertas Evangelica hominem beat. c. 40. v. 19. *Vide notata Domin. II. Advent.*

Beati mites. Animi placor & quies signum est sanctitatis. c. 4. v. 13. Lenitas sanctificat. c. 45. v. 4. Mansuetudo in corripiente requiritur. c. 3. v. 19. Verbum dulce amicos multiplicat. c. 6. v. 5. *Vide Indic. Rerum v.* Mansuetudo, Mitis.

Beati qui lugent, quoniam consolabuntur. *Vide notata Dominica III. post Pascha, & Indicem Rerum v.* Luctus, Tristitia, Tribulatio.

Beati misericordes. *Vide indicem rerum v.* Misericordia.

Beati mundo corde. *Vide indicem Rerum v.* Castitas, Virgo.

Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam. Virtus exercita magis dulcescit. c. 24. v. 29. & esuriem causat. ibid.

Beati qui persecutionem patiuntur. Iniuriarum perpessio est porta cæli. c. 28. v. 6. Adversa amicos probant. c. 6. v. 7. & c. 12. v. 9. *Vide notata in Communi Martyrum, & in indice Rerum v.* Persecutio. Tribulatio.

Corona & aureola Sanctorum diversa est. Corona unde dicatur, & quid denotet. c. 1. v. 22.

Cælestis gloriæ dulcedo. c. 2. v. 9. Firmamentum & stellæ describuntur. c. 43. v. 1. Cæli empyrei descriptio. ibid.

Cælestis gloria est præmium, & finis sapientiæ: & stimulus ad eamdem. c. 51. v. 38. *Vide indicem Rerum v.* Cælum.

In quem paradisum sit Henoch translatus. c. 44. v. 16.

Sancti Deum amant & timent. cap. 1. v. 11. sunt velut palma. c. 24. v. 18. sunt similes diebus festis. c. 33. v. 7. mortem optant. c. 41. v. 7. vivunt in terris ut reliquis sint vitæ exemplar. c. 44. v. 1. laudantur quatuor de causis. ibid. quando & quare cœpti canonizari. v. 2. eorum fortia desideria sunt velut tonitru. c. 46. v. 21. Nonnulli cum leonibus & belluis luserunt. cap. 47. v. 1. nonnulli sunt ab angelis vel bestiis sepulti. c. 38. v. 16. cur nonnulli mortui oleum stillent. cap. 50. v. 11. Unus sanctus apud Deum est potior universis impiis. c. 6. v. 4. & 5. Ossa Prophetarum & Sanctorum quomodo pullulent. c. 49. v. 12. Sancti in perenni sunt pace; & gaudio. cap. 51. v. 35. *Vide indice Rerum v.* Sancti, Pii, Justi, Fideles.

Sanctitas dat nomen immortale apud Deum & homines. c. 44. v. 15. *Vide indicem Rerum v.* Sanctitas.

IN DIE FIDELIUM ANIMARUM.

Mortuis & animabus quæ beneficia præstari debeant. cap. 7. v. 37. eorum luctus est Christianis moderandus: quomodo hi olim lugerentur. c. 22. v. 12. 13. & c. 38. v. 18. Gentiles ponebant epulas ad sepulcra suorum. c. 30. v. 18.

Quæ justa mortuis debeantur. cap. 38. v. 16. quintuplicem requiem habere debent. v. 24. *Vide indicem Rerum v.* Mors, Defunctus.

Sancti statim à morte cœlo recipiuntur. cap. 11. v. 28. sunt in pace mortui. c. 44. v. 14.

Vide notata in Festo omnium Sanctorum.

Mortis memoria semper habenda. cap. 38. v. 23. mors vocatur judicium ibid. Ante mortem nemo est beatus. c. 11. v. 30. Cupressus erat feralis.

Vide indicem Rerum v. Vita.

SS. Patres olim limbo detenti, crebrò per angelos illuminabantur. c. 24. v. 45.

Sepeliendi sunt vita functi. Sepulturæ fines & fructus quatuor. c. 38. v. 16.

Vide indicem rerum v. Sepulcrum, Sepelire.

IN FESTO PRÆSENTAT. BEATÆ VIRGINIS.

Fuit ipsa in templo juvencula à parentibus præsentata. cap. 24. vers. 14.

Vide indicem Rerum v. B. Maria Virgo, Pueri, Juvenes.

IN FESTO S. FRANCISCI XAVERII.

Vide indicem Rerum verbo S. Franciscus Xaverius.

IN COMMUNI APOSTOLORUM ET EVANGELISTARUM.

Apostoli sunt viri misericordiæ. cap. 44. v. 10. per Eliam repræsentantur. c. 48. v. 1.

Vide indicem Rerum verbo Apostoli, Apostolici.

Vos estis sal terræ. Salis usus, necessitas, & vires. c. 39. v. 31. & c. 43. v. 21.

Consule indicem Rerum verbo, Sal, Mare.

IN COMMUNI MARTYRUM.

Martyres in tormentis Deum laudabant. cap. 1. v. 14. militibus comparantur quoad constantiam. c. 17. v. 24.

Memoriæ Martyrum quæ dicantur. c. 49. v. 1.

Vide indicem Rerum verbo Martyr.

Per rubicundas rosas denotantur. Rosæ encomium. c. 24. v. 11. Christus quoque est rosa; rosa quarum rerum sit symbolum cap. 50. v. 8. & 9. *Vide indicem Rerum v.* Rosa.

Timete eum qui potest. Timor Dei est quasi auriga animæ & nauclerus & speculator. c. 25. v. 14.

Vide de Timore Dei plura notata in Festo Pentecostes, & in indice Rerum v. Timor & Timens.

Pro qualibet etiam virtute libenter occumbendum est. cap. 30. v. 15. Qui concupiscentiæ ignem vincunt, vincent facilè ignem corporeum. c. 51. v. 5.

IN COMMUNI CONFESSORUM.

Confiteri Christum erubescere non debemus. cap. 4. v. 24. Sacerdotes & Religiosi perpetuò Deum laudare debent. c. 45. v. 19. obediendo offerunt sacrificium mysticum. cap. 35. v. 2. Religiosi sunt mundi domini. cap. 36. v. 28. Regnorum salus consistit in eo, ut reges sanctos habeant sacerdotes, confessarios, pontifices. cap. 24. v. 1. Vigor & zelus novitiorum sunt velut virides lationes. c. 40. v. 22.

Facilius est camelum, &c. Cameli etymon. c. 13. v. 9.

Alia quinque superlucratus sum. Vita nostra velut mercatus est. c. 14. v. 17. In venditione & emptione intercurrit facilè peccatum. c. 27. v. 3. *Vide in indice Rerum v.* Religiosus, Perfectus, Levitæ, *& notata Feria IV. post Cineres*.

IN

Digitized by Google

INDEX MATERIARVM MORALIVM

IN COMMUNI DOCTORUM.

Proferens de thesauro suo nova. Doctrina foras non prodiens inutilis est. c.20.v.32.

Doctores sunt similes cedris, c.24. v.17. tria his sunt necessaria. cap.33. v. 4. sunt velut hyades. v. 17. studuerunt omnes S. Scripturæ: cap.39. v. 1.& 2. alios sua doctrina juvare debent. cap. 51. v. 31. apibus denotantur. cap. 11. v. 3. sunt clavigeri sapientiæ. cap.14. v 44. non quærant plausum. c.22.v.6.

Vide in indicem Rerum v. Concionator, Doctor, Prædicator.

IN COMMUNI PONTIFICUM.

Sacerdotum variæ dotes. cap.50. v.11. & 12. dum populum benedicunt, etiam Deum benedicunt. v. 22. Eorum benedictio est efficax. v. 23.

Superior qualis esse debeat. cap. 32. v. 1. & seqq. Onus animarum quàm sit grave & intolerabile. cap.23. v.2. Episcopi populum pascant ad vitam æternam. cap.32. v. 3. Aaronis elogium. cap.45. v.7. & seqq. Vestium sacerdotalium tropologia. v. 10. & 14. Elogium Phinees pontificis. v.28. idem Samuelis. c.46.v.16.

Vide indicem Rerum v. Pontifex, Sacerdos, Episcopi.

IN COMMUNI VIRGINUM.

Status virginalis & cælibatus potior est coniugio. c.36. v.28. eius typus est lilium. c. 39. v. 19.

Virginum aspectus cavendus est. cap. 9. v. 5. virgines à parentibus suis sunt custodiendæ. cap.42. v.9.

Ros velut virgo est, & eius & pruinæ generatio. c.43. v. 21. Virgines oculos custodiant, nec nutibus respondeant. c.26. v. 12.

Vide in indice Rerum verbo Virgo, Virginitas, Mulier, Uxor.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google